Digitized by Google

8
6
6

7
3 M
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Bkh. 3

8, 6, 7, 6

6. 4. 8. 27.

Digitized by Google

Digitized by Google

73. 7. 22

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

GERARDI JOAN. VOSSII

OPERUM

TOMUS TERTIUS

PHILOLOGICUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII
TRACTATUS PHILOLOGICI
DE
RHETORICA,
DE
POËTICA,
DE
ARTIUM
ET
SCIENTIARUM
NATURA AC CONSTITUTIONE.

Quorum Catalogum pagina poſt præfationem exhibet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



AMSTELODAMI,
Ex Typographia P. & J. BLAEV,
Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
à SOMEREN, & GOETHALS,
M DC LXXXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEVOLE LECTOR.

E*Cce tertium Operum Voſſianorum Volumen, in quod tractatus aliquot Philologicos, qui cum prioribus Voluminibus continuo nexu cohærere videntur, congeſſimus. Ab* Etymologico *nimirum, quod vocum origines & ſignificationes, &* Grammaticâ, *quæ bene ac purè loquendi præcepta tradit, ad* Rhetoricen, *quæ ornatè loqui, verbaque rebus aptare docet, tranſimus. Cùm verò duplex eloquentiæ ſit genus,* Rhetorica *&* Poëſis, *quæ ob plurima utrique communia ſint tanquam duæ germanæ ſorores, ut alibi ipſe ait Voſſius,* Rhetoricæ Poëticam, *librumque* de Veterum Poëtarum temporibus, *ſubjunximus. Ipſa materiæ affinitas nos invitavit, ut illis addamus eximium illum* de Artium & Scientiarum Natura ac Conſtitutione *tractatum, quo Voſſius Encyclopædian quandam complexus eſt: ut hoc Volumine quæcunque de Diſciplinis ac Artibus Liberalibus autor doctiſſimus commentatus eſt ſimul exhiberentur. Solus deſideratur* de Arte Hiſtoricâ *liber: Verùm illum cum aliis pluribus quæ Hiſtoriam ſpectant, ſeparato Volumini, cujus editioni nos jam accingimus, reſervare maluimus. Vale, & laboribus noſtris fave.*

CATALOGUS TRACTATUUM

Qui hoc Volumine continentur.

Commentariorum Rhetoricorum ſive Oratoriarum Inſtitutionum Libri ſex.
De Rhetoricæ Naturâ & Conſtitutione Liber.
De Artis Poëticæ Naturâ & Conſtitutione Liber.
Poëticarum Inſtitutionum Libri tres.
De Imitatione, tum Oratoriâ, tum præcipue Poëticâ, deque Recitatione Veterum, Liber.
De Veterum Poëtarum temporibus Libri duo.
De Artium & Scientiarum Naturâ ac Conſtitutione Libri quinque, antehac diverſis titulis editi.
Lib. I. De quatuor Artibus Popularibus.
Lib. II. De Philologiâ.
Lib. III. De Matheſi, ſeu, Scientiis Mathematicis.
Lib. IV. De Logicâ.
Lib. V. De Philoſophiâ.
De Philoſophorum Sectis Liber.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS

HOLLANDIÆ WEST-FRISIÆQUE ORDINIBUS,

DOMINIS POTENTISSIMIS,

GERARDUS JOANNES VOSSIUS

dedicat, conſecratque.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TAnta eſt laus, ac gloria veſtra, maximi ac ſapientiſſimi *Proceres*, ut nulla penè orbis regiò ſit, quò non pervaſerit fama eorum, quæ, præſentiore dubium virtute, an ſecundiore fortunâ, tot jam annos pro libertate geſſiſtis. Sed nihil tamen videtur illis majus eſſe, atque excellentius, quæ recenti inprimis memoriæ omnium inhærent. Quid enim novum eſt magis, atque inauditum, quàm claſſe vos Mexicanâ potitos eſſe, & prope incredibili gazâ Hiſpaniarum regis? Quod ut nunquam antea vobis, ita vicinorum adhuc Principum contigit nulli: Regi verò, atque hoſtibus, eo luctuoſius viſum, quo indignius putarent, jam de ſuo vos adverſus ſe armari. Quis etiam ſatis prædicârit, quòd, ſine ullo prope ſanguine veſtro, Veſaliam cepiſtis; illam viribus

ſuis

ſuis inclytam, & hoſtili ſic præſidio firmatam; illam annorum aliquot manubiis ac prædâ divitem; illam belli delectam contra vos ſedem? Eoque clariùs hac parte divinus erga vos favor eluxit, quòd hoſtis illo tempore in fœderatorum viſceribus graſſaretur, & cùm magna daret damna, multo tamen majora anhelaret. Ita ut cepiſſe hanc urbem, non modò ſit ſtitiſſe hoſtilis victoriæ curſum: ſed ſua etiam recepiſſe, hoſtes finibus ejeciſſe, compluriaque oppida, quæ ab eo tempore in veſtrâ & ſociorum ſunt clientelâ, addidiſſe fœderatorum terris. Denique quàm amplum illud, atque auguſtum, quàm Arauſionenſium Principi, quàm vobis, quàm fœderatis glorioſum, quòd in veſtram ſociorumque poteſtatem redegiſtis Sylvam Ducis, urbem antea ſemper infeſtam, ac ſic naturâ loci & veterano milite munitam, ut opinio eſſet propè omnium, viribus eam humanis expugnari non poſſe. At vos hanc quinctum intra menſem viciſtis, & quidem hoſtium duce obſeſſis cum ingenti exercitu ſuppetias incaſſum ferente. Atque horum ſingula cùm per ſe magna ſint, eo tamen majorem admirationem cient, quòd quæcunque adhuc diximus, intra annum vertentem peregiſtis. Neque ſe nominis tanti decus cancellis continet gloriæ militaris: uti in nationibus quibuſdam videmus, quæ, belli laudibus contentæ, literas ſtudiaque deſpicatui habent. Vos enim non armis modò, ſed doctrinâ etiam excellere, pulcherrimum ſemper duxiſtis. Imò ægre admodum fuerit vobis, ſi myſtica illa gentium Pallas terrarum ulli poſthabuiſſe Bataviam veſtram videretur. Ut nihil mirandum ſit, ſi ſic animati multos adeò à libertate partâ numeretis, qui cùm ſummos in Republica geſſerint honores, non eo minùs ingenii doctrinæque monumentis clariſſimi fuerint. Sed de illis celebris eruditionis viris, qui, ut dixi, præfuerint Reip. vel præſint, aliàs fortaſſe commodior ſe offeret agendi locus. De Academiâ verò, quæ propiùs me tangit, unum illud, etſi non citra invidiam, dixero, in mediis eam bellorum tempeſtatibus ac procellis, ita caput extuliſſe, ut, ſi annos numeremus, qui non multo plures ſunt quinquagenis, virorum excellentium, & magnitudine, & numero, quaſvis provocare orbis Academias poſſit. Hæc cùm animum ſubeunt meum, illuſtriſſimi *Proceres*, verè vos felices prædico, quorum meritis voluerit Deus tantopere Academiam hanc & univerſam debere Rempublicam: neque cives modò, ſed exteros etiam, qui auxilia veſtra expoſcunt: adhæc quicquid

Digitized by Google

quid uſpiam elegantiorum eſt hominum, & amantium ſtudia literarum. Quo nomine ut vobis ex animo gratulor, ita mihi gaudeo, cui ſub imperio veſtro in terrâ, ut belli artibus, ita doctrinâ omni florentiſſimâ, à puero ſcientiis imbui, & ſecurè hactenus vitam degere contigerit: imò qui jam ab annis xv. miſtum me videam fulgentiſſimis Academiæ hujus luminibus, atque id favore veſtro: cùm probè mihi conſcius ſim, ſplendorem me ex eâ accepiſſe potiùs, quàm eò attuliſſe. Ut igitur pro affectu illo erga me tam benevolo, quem aliis etiam beneficiis declarâſtis, gratum animum teſter, offero nunc, quo nihil habeo majus, memet ipſum, ac mecum animi noſtri fœtum; quem genui adoleſcens, atque ubi triennio lucem viderat, corpore & viribus auctiorem produxi in conſpectum omnium; nunc verò, poſt viginti annorum intervallum, talem vobis ſiſto, ut dubium relinquat, magiſne idem, an alius videatur. Quamquam verò, ſobolem hanc noſtram laudare; non eſt meum; eo minùs, quia quo plus auſus fuero promittere, hoc plus neceſſe habeam præſtare: niſi tamen induſtriæ ſaltem mihi conſcius eſſem, minimè auſus fuiſſem eam dicare, partim vobis, quos Deus vice ſua in Batavia fungi juſſit; partim iis, quos nomine veſtro præeſſe Academiæ vultis. Nec parum me ad hoc animavit, quod propoſitum mihi fuiſſet, ut Inſtitutiones hæ Partitionibus noſtris, autoritate veſtrâ in Scholas omnes Bataviæ inductis, commentarii loco forent. Simul ſperavi, me, hoc labore ſuſcepto, meliùs ſatisfacturum muneri, quod mihi abhinc ſeptennio à Nobiliſſimis Academiæ Curatoribus injunctum fuit. Placuit iis tum, ut non modò temporum omnium geſta tractarem; ſed illa etiam exponerem, quæ ad bene dicendi artem pertinerent. Quomodo futurum videbant, ut, quia hiſtoria eſt fons prudentiæ univerſæ; Rhetorice autem viam ad eloquentiam munit: juventus operâ quoque noſtrâ perduceretur ad connubium illud Palladis, & Mercurii, quod antiquitas Hermathenam vocabat. Morem igitur iis geſſi, quibus æquum erat: propenſaque adeò iis obtemperandi voluntas vobis ingrata eſſe non poterit: præſertim cum ſummo ſtudio conjuncta bene de publico merendi, ac potiſſimùm de Bataviæ Scholis, & Academiâ veſtrâ. Quamobrem planè ita fore confido, ut quemadmodum ante ſexennium Hiſtoriam meam de Hiſtoricis Græcis, ſi non pretio ſui, at vobis placendi ſtudio, æſtimâſtis: ita aliquo nunc loco ſinatis apud vos eſſe Commentarios noſtros

 de

de Rhetoricâ facultate. Ex quibus nihil, fateor, honoris vobis acceſſerit: ſed veſtra præceſſere beneficia, quæ gratuita erant: noſtrum ſequitur officium, quod debetur: & quò magis debetur, eò minùs poterit diſplicere.

Deus Opt. Max. veſtrum erga ſtudia amorem foveat, & conſervet: inprimis verò prudentiam & fortitudinem largiatur, quo & domi quietè ac ſalubriter diu regatis, Bataviæque & Fœderatorum proferatis imperium, non in terris modò vicinis, ſed etiam longè diſſitis, imò, ut facitis, etiam extra Europam. Niſi, poſt grave hoc & diuturnum bellum, longa nos pax manet. Cujus ſpem toto ſinu admiſero libens. Sed publica vincat utilitas: quæ curæ erit, & Patri ſupremo, & vobis, Patriæ Patres. Lugduni Bat. Anno cIↃ IↃ c xxx. IV. Kal. April.

Digitized by Google

DEDICATIO.

Nobiliſſimis, & Ampliſſimis Dominis,

CURATORIBUS

ACADEMIÆ

LUGDUNO-BATAVÆ,

FRANCISCO AB AERSSEN, Equiti, Domino Sommelsdicenſi, & Platenſi, Status Conſiliario;

NICOLAO CROMHOUTIO, Domino in Vrihoven, Curiæ Hollandicæ & Zelandicæ Præſidi;

ÆGIDIO DE GLARGES, Domino in Eleſmes, Reipublicæ Harlemenſis Syndico.

Et Ampliſſimis, ac Prudentiſſimis Viris,

GERARDO LEONARTIO;

HUGONI COEDICIO;

DANIELI AB ALPHEN, Illuſtr. Ord. Quæſtori in urbe Leidenſi, & agro Rhinlandico;

GERARDO LANSCHOT, M.D., Conſiliario in Collegio rebus maritimis præfecto;

Reip. Lugdunenſis Conſulibus, Curatorum collegis.

ITEM

JOANNI WEVELINCHOVIO, J. C. Reipubl. ejuſdem Syndico, & Curatoribus à Secretis,

GERARDUS JOANNES VOSSIUS

dedicat, conſecratque.

Digitized by Google

Nobiliſſimi, Ampliſſimi Viri;

CUm à mundi incunabulis hanc naturæ legem fixerit opifex ejus ſapientiſſimus, ut, qui homo fuerit, idem animal ſit; quod verò animal eſt, carere affectu non poſſit: hominem ipſum exuere non poſtulat; qui, cum Zenone, & porticu, exſcindi affectus jubet. Sed cum cæteris quidem animantibus communes ſunt affectus nobis: ratione autem, & ſermone, ſecernimur. quorum illa imperium obtinet, cùm bene vivimus; hic, cùm bene dicimus: illa dominatur affectui proprio; hic etiam alieno. Utroque horum nihil melius eſſe, ac præſtantius, conſtat. At non æquè convenit, quæ via ad bene dicendi vim faciliùs ac certiùs ducat. Plurimi enim contendunt, ad parandam eloquentiam, ſufficere ingenium non infelix, modò dicendi uſu roboretur. Quorum judicio operam luſerimus ſignandis iſtis de arte Oratoriâ. Sed damnari ab iis non poſſumus, niſi priùs culpæ ejuſdem ream peragant totam penè antiquitatem: præ cæteris Ariſtotelem, & Tullium; acris ingenii, exacti judicii, ſummæque auctoritatis viros; qui, de facultate hac, pulcherrima ingenii monumenta poſteris reliquerunt. Nec veriſimile eſt, infimis quoque artibus ſua eſſe præcepta; ſublimi verò eloquentiæ proprias eſſe obſervationes nullas. Si qua etiam facultas, ſolius naturæ beneficio nixa, nullo artis auxilio vigeret: poëſis ſibi illud ſuo quaſi jure depoſceret. Atqui, ut taceam de vetuſtis, quantis ingenii doctrinæque viribus, quàm copioſè etiam parentum noſtrorum ævo, de re poëticâ egit Cæſar Scaliger, vir veteribus par, major fortaſſe novis! Quare ſi non de nihilo dici ſolet, poëtas naſci, fieri oratores: multo ſanè juſtiùs hic labor apud Rhetorem inſumitur. Solùm cauto opus eſt, ut ne pueriles tantùm præceptiunculæ coacerventur: ſed ea afferantur inprimis, quæ placere etiam nec ſtupidis, nec indoctis poſſint. Utrùm hoc, quod ab aliis nunc requiro, præſtiterim ipſe in Inſtitutionibus noſtris: penes vos, Nobiliſſimi, & Ampliſſimi Viri, judicium erit. Opus ipſum eſt καινοπαλαίον [a], ac in ſex libros jam olim à me diſtributum: quorum tres agunt de Inventione, & Diſpoſitione: ac totidem de Elocutione & Pronunciatione tractant. Priores illos L. M. Q. conſecravi Illuſtribus Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Ordinibus: hos poſteriores votivum animi mei ſpecimen jure Vobis inſcribo, qui eorundem nomine Lugdunenſi Academiæ præeſtis. Nimirum

[a] Novum pariter & vetus.

rum

rum ſtudeo eos imitari, qui ædes exſtruunt magnificas. Solent hi columnis Tuſcanici, Dorici, Ionici, aut Corinthii operis exornare earum fores, ut continuò aliquid occurrat, quod oculos in ſe convertat; non eorum modò, qui domum ſubire parant; ſed illorum quoque, qui tranſeunt duntaxat. Similiter volui ego in frontiſpicio utroque tanta comparêre nomina, ut decus illa adferant Commentariis noſtris; etiam apud eos, qui, obiter adſpicere contenti, fortaſſe legent nunquam. Et ſanè, ſi eloquentia viris principibus maximè ornamento eſt, ut ait Tullius[a]; imò Rhetorice, pars ſit ſcientiæ civilis, ut ab antiquis [b]accepimus: ad quos potiùs itum oportuit, quàm eos, qui tot jam annos præſitis Reipublicæ, atque iis honoribus fungamini, ubi potiſſimùm regnare eloquentia ſolet? Siquidem partim in magnis Bataviæ civitatibus vel Senatui eſtis à conſiliis, conſiliorumque interpretes; vel ſummum etiam tenetis conſularis dignitatis gradum: partim in ſupremis Bataviæ univerſæ Collegiis conſpicui eſtis, vel præſidendo inclytæ Curiæ, vel conſidendo inter ſplendidiſſimos Ordinis equeſtris viros, ac Status conſiliarios: ut taceam (ſi tacere liceat, quod inprimis huc facere videtur) de obitis toties legationibus ad Reſpublicas, Principes, Reges; tot etiam annis ad Henricum, Galliarum Regem, nomine & re Magnum. Ita ut, cùm multùm debeatis prudentiæ; grande tamen aliquid ſibi flexanima illa vindicet Regina. Atque hanc quidem laudum veſtrarum nunc ſolam excerpſi: quia eam cùm celebro, non minùs prædicem artem noſtram, quàm vos ipſos. Et Homerus quoque Deos ac heroas ſuos extollere ſolet à parte aliquâ: quomodo Junonem ab ulnis, Auroram à digitis, Thetidem à pedibus, Achillem ab eorum celeritate commendat. Nec ſolùm tamen operis me argumentum compulit, ut hæc vobis dicarem: ſed eodem me hortabatur vitæ meæ conditio, ac munus quod obirem. Quemadmodum enim eloquentia, nec non tutela artis oratoriæ, maximè convenit iis, qui civibus præſunt: ita qui ſuſtinet aliquas in Academia partes, optimè Curatoribus ejus, non publicæ modò, ſed privatæ etiam, induſtriæ ſuæ rationem reddit. Id nunc tacitus quodammodo præſto, loquente pro me operâ hâc meâ: ac verbis etiam idem hoc loco facerem lubens, niſi ſatis vobis conſtare arbitrarer, quomodo triginta hos annos decurrerim, publicè docendo, ſcribendo, privatim plurimos juvando, idque in muneribus variis, & difficillimis, & quæ ſingula totum penè hominem requirerent. Quamquam ve-

[a] Lib. 4. de Fin.

[b] Ariſtot. Cic. Fab.

verò ſatis videam, paullatim ſic atteri vires, ac fortaſſe fraudi etiam fuerim meis; cùm non magis operoſum ſit, pariter ſorbere & flare, quàm totum ſe Muſis dare, & privata ſectari commoda: me tamen vitæ ſic actæ per tot annos, nondum pœnitet. Quippe prӕterquam quòd animo ſic magis ſatisfeci meo; cui nihil unquam jucundius fuit, quàm in ſtudiis proficere, & ore, calamo, operâ prodeſſe quamplurimis: Deo etiam, qui per Reip. & Academiæ præfectos tam variam mihi provinciam mandârat, conſcientiam meam meliùs probavi. Præterea tot bonorum mihi conciliavi amorem, etiam illorum, quos Deus in illuſtri loco collocâſſet: ante omnes ipſius, quem debitæ venerationis cauſsâ nomino, magni magnæ Britanniæ regis KAROLI: à quo inſperatò mihi, homini extero, collatum tam grande beneficium, per quod reverendo Cantuarienſium Canonicorum Collegio ſum inſertus, quieſcere me neutiquam ſinit; ſed aſſiduè ſtimulat ad porrò etiam de doctrinarum ſtudiis bene merendum; ne unquam gratiâ hac Sereniſſimi Regis, & inclytæ Britannorum gentis, videar indignus. Veſter etiam affectus tam benevolus erga me, Nobiliſſimi & Ampliſſimi viri, faces ad hoc ipſum animo meo mirificè ſubdit: eoque dulcius mihi fuerit placere vobis hac parte, quo dulcius eſt vobis, bene mereri de Academia univerſa. Quod, ut nunc fere hominum ſunt mores, verè eſt ſeculum corrigere. Neque deerunt, qui animum hunc veſtrum ſeris pandant nepotibus: quæ poſt conſcientiam optima eſt benefactorum merces. Laudi dabitur ordini noſtro, ſcripſiſſe quæ legerentur. Sed magis erit laudi vobis, egiſſe, quæ ſcriberentur. Quantoque majora erga literas, & Academiam, merita erunt veſtra: tanto etiam magis in ſecula veſtrum ibit nomen: ſuumque ei decus conſtabit, quamdiu uſpiam ſtudiis honos erit. Votum ſupereſt, Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri, ut vos Deus Reip. pariter atque Academiæ incolumes diutiſſimè præſtet, ac meliùs meliuſque de utrâque merendi & animum vobis ſuppeditet, & vires. Lugduni Batav. Anno cIↃ IↃc xxx. Prid. Kal. Apriles.

A D.

GERARDI JOANNIS VOSSII
COMMENTARIORUM
RHETORICORUM,
SIVE
ORATORIARUM
INSTITUTIONUM,
LIBRI SEX,

Novâ hac editione auctiores, & emendatiores.



AMSTELODAMI,
Ex Typographia P. & J. BLAEV,
Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
à SOMEREN, & GOETHALS,
M DC LXXXXVII.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

ANNI jam triginta ſunt, quòd ore & calamo bene mereri de ſtudiis adnitar. Ac initia quidem in Lugdunenſi hâc Academia feci anno CIↃ IↃ XCIX, & proximo. Quo tempore publicè Acroamatica Ariſtotelis expoſui: privatim verò Rhetorica ejuſdem interpretabar. Mox ab Ampliſſimo Senatu Dordrechtano (cujus incredibilis ſemper erga rem literariam amor fuit) ad præfecturam celebris ſui gymnaſii vocatus; iis, quæ in arte Oratoriâ ex Ariſtotele obſervâſſem, multa ex Rhetorum aliis, Græcis potiſſimùm, adjeci; multa etiam ex literaturâ adſperſi; eaque ſex concluſi libellis: quos auctoribus illis, à quorum tunc conſiliis pendebam, publici juris feci anno CIↃ IↃ CVI; neque id ſine aliquo eruditæ caveæ applauſu. Inſperato hoc favore exceptus, eoſdem triennio pòſt longè emiſi auctiores. Hinc diu alia me potiùs ſtudia tenuerunt: præſertim ab anno CIↃ IↃ CXV; quo Lugdunum Batavorum, ad regimen Collegii Theologici, quod tribus ac viginti annis antè à Præpotentibus Hòllandiæ Weſt-Friſiæque Ordinibus fuerat erectum; quartus ab eo tempore, quo primùm erat conſtitutum, auctoritate eorundem Procerum vocabar. Ubi toto quadriennio ſtudiis haut aliis, quàm ſacris, vacare muneris me ratio ſinebat. Itaque eo tempore ſex libris ſum complexus Hiſtoriam de controverſiis à Pelagio, & Maſſilienſibus, motis. Alia etiam compluria pro muneris hujus ratione commentabar: quæ partim divulgavi, partim, ut immatura, adhuc premo. Poſtea ſeu onere, ſeu honore hoc in ſucceſſorem derivato, rebus ita, ut videtur, commutatione publicâ ferentibus, aliquantiſper divertere malui ad ſtudia priora. Ac primùm quidem, quæ de naturâ Rhetorices, & Rhetoribus antiquis, ſcripſeram adoleſcens; item Partitiones Oratorias, quibus & ipſis hactenus cum blattis & tineis certamen erat, lucem adſpicere ſum paſſus. Commentarium etiam de arte hiſtoricâ comitem his, vel aſſeclam potiùs, dedi. Sed ne tum quidem de Inſtitutionibus Oratoriis ad incudem revocandis quicquam cogitabam, cùm abhinc ſeptennio Ampliſſimi Academiæ Curatores illam mihi provinciam darent, ut non modò temporum omnium ſeriem, ſed ſtudium etiam profiterer bene dicendi. Nimirum quidquid à publico munere, & negotiis privatis, otii ſupererat, Eccleſiaſticæ potiùs, externæque hiſtoriæ, impendebam. Atque eâ occaſione cùm alia contexui; tum Hiſtoriæ de Græcis Latiniſque Hiſtoricis libros ſeptem: qui & ipſi lucem jam diu viderunt. Interea evênit, ut Illuſtres Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Ordines curam ſuſciperent de Scholis reformandis. Quâ occaſione decretum etiam fecere, ut in cunctis ditionis ſuæ urbibus Partitiones noſtras adoleſcentia doceretur. Eo factum, ut priùs Partitiones iterum in manus ſumerem: mox etiam laborem ſuſciperem limandi ac locupletandi Inſtitutiones noſtras: nempe ex quo totis viginti annis hæ poſtremò fuerant excuſæ. Ac amici quidem cùm hæc viderent, majoraque ætati huic convenire non injuriâ putarent; planè erant auctores, ut, quo leviori operâ defungerer, eo in utroque opere iiſdem uti vellem, tum verbis, tum exemplis; hoc ſolùm diſcrimine, quòd in Partitionibus omnia breviùs in juniorum gratiam tractarentur. Quomodo non aliud in novâ utriuſque operis editione neceſſe fuiſſet, quàm ut me ipſum exſcriberem. Atque id magis mihi licuiſſet, quàm nonnullis nec ineruditis, nec obſcuri nominis viris; qui multa adeò ex Inſtitutionibus noſtris, ad verbum inferciunt commentationibus ſuis, quandoque etiam paginas totas, tacito ejus nomine, unde eas hauſerint. Hæc ſi mortuo me fierent, fortaſſe moroſior aliquis cum Syneſio [a] diceret, Ἀσεβέστερον [b] εἶναι ἀποθανόντων λόγους κλέπτειν, ἢ θοιμάτια, ὃ καλεῖται τυμβωρυχεῖν. Nunc faciunt ea vivo: nec iccirco eos deſinam æſtimare: ſed ſuffecerit mihi, ſi ab illis, qui necdum viderint priores editiones no-

[a] Epiſt. 161.

[b] Magis eſſe impium ſuffurari ſcripta mortuorum, quàm eorum veſtimenta, quod vocant ſepulchra effodere.

noſtras, non aliquando reus peragar culpæ alienæ: atque ita contingat illud vetus, Æmilius ut peccet, plectatur Rutilius. Interea viderint, quomodo ſatis tueri poſſint candorem ſuum. At ſi ipſe me exſcribere voluiſſem, defenderem me illo Iſocratis[a]*:* Ἄτοπος [b] εἴην, εἰ τοὺς ἄλλους ὁρῶν τοῖς ἐμοῖς χρωμένους, αὐτὸς μόνος ἀπεχοίμην τῶν γ᾽ ἐμοῦ εἰρημένων. *Sed utcunque hæc bellè dicerentur; mihi nihilominus Tullium potiùs viſum eſt æmulari; qui de arte hâc ſæpius, ſed aliter, atque aliter, egit. Quare utramque ſobolem ita potiùs inſtructam dimiſi, ut utraque diceret alteri indicta: atque ubi, ſalvâ artis* οὐσίᾳ, *fieri aliter non poſſet, quin in re convenirent, ſaltem aliis & verbis, & exemplis, rem unam exponerent. Metuebam enim, ne, ſi eandem omnino canerent cantilenam, locum haberet illud vetus,* Δὶς [c] κράμβη θάνατος*: atque ideo fœtuum horunce alter alteri vitam facilè evitaret: quod, cùm ingenii non minùs, quam corporis fœtus, amare ſoleam, tam mitis parens æquis videre oculis neutiquam potuiſſem. Malui igitur, ut germani iſti duo ſibi mutuò lucerent facem: ac præcipuè ut Inſtitutiones id officii Partitionibus præſtarent: unde & his Rhetorices contractæ, illis Rhetoricorum commentariorum nomen feci. Quamquam verò hîc fuſiùs penè omnia exponerem; multaque adeò adſpergerem non tam ad Oratoriam, quam ad literaturam pertinentia: operam tamen dedi, ne nimis à naturâ artis abirem, vel ne inutilibus eam quæſtionibus involverem: à quorum utroque, antiquitatis judicio, parùm ſibi in Dialecticis caverat Eubulides Mileſius*[d]*; ſummus alioqui vir, imò ſi quoſdam veterum audimus, nemini eâ in arte ſecundus*[e]*, ſanè Demoſthenis ipſius præceptor*[f]*. Fortaſſe tamen, quod in Eubulide culpatur, nec ipſe ſatis videar effugiſſe. Quali judicio non offendar; dummodo ne in eorum referar numerum, qui, ut ait Symmachus*[g], affectant copiam pudore defectus: ut qui plus balbutiunt, plus loquuntur. *Nam profectò nunquam ignoravi, referre, non quantum ſcriberetur, ſed quid ſcriberetur: molem operis quandoque induſtriæ eſſe argumentum; ſed rerum pondus eſſe ſignum ingenii, ac doctrinæ: non quaſi utrumque hoc me conſecutum exiſtimem: verùm quia ubique id mihi curæ fuit, ne paginas inanibus replerem verbis; ſed in hac operis magnitudine, pro tam vario argumento, brevis potiùs, quàm longus eſſem. Poſtrema dictionis cura eſſe ſolet. In quâ ſi curioſulis non omnia ejuſdem videantur coloris: cogitare oportet, quam diverſis ea ſcripſerim temporibus. Alia enim vetera ſunt, quæ adoleſcentiæ debentur: alia paullo pòſt conſecuta, quæ propterea non ita multùm à prioribus recedunt: alia, quæ nunc do, planè ſunt nova, & quaſi de matre adhuc rubent. Sed de verbis non multùm laboro, dum rem ipſam ſatis probem. Cujus penè ſolius gratiâ agricolas volui imitari; qui, ut plus frugum ager ferat, eum arare non contenti, etiam iterant. Item pictores,* οἱ [h] ταῖς σκιαῖς τὰ σώματα προχαράττοντες, δευτέρᾳ καὶ τρίτῃ χειρὶ ταύτας ἀπακριβοῦσι, καὶ τελοῦσι τοῖς χρώμασι*: ut in re aliâ Nazianzenus*[i] *ait. Sed de inſtituto noſtro abunde. Deinceps, ſi Deus volet, denuo me conferam ad Hiſtoriam univerſam: inprimis illam Eccleſiæ veteris, diutiùs à me, quàm par erat, intermiſſam. Non quidem diffiteor, pulchrum eſſe, (ut iterum Syneſii*[k] *verbis utar)* τὴν [l] γλῶτταν καθήρασθαι, καὶ τὴν γνώμην ἡδίω γενέσθαι*: ſed profectò pulchrius multo eſt* περιεργάζεσθαι [m] τὰ δαιμόνια πράγματα. *Deus, ſpero, ad præclarum hoc inſtitutum mihi ſuggeret vires. In quo voto deſino; teque, Lector candide, ſalvere etiam & etiam jubeo. Lugduni Batav. Anno* CIↃ IↃ C XXX. III *Kal. April.*

[a] Epiſt. 6

[b] Ineptus eſſem, ſi, cùm alios videam mea mutuantes, ipſe ſolus ſtis abſtinerem, quæ priùs dixiſſem.

[c] Crambe repetita mors eſt.

[d] Laërtius.

[e] Photius in bibliotheca cod. 265.

[f] Idem ex Plutarcho in vitis x orator.

[g] Lib. 1. Epiſt. 76.

[h] Qui priùs corpora adumbrant, poſteaque alterâ & tertiâ manu additâ, ea accuratiùs exprimunt, & coloribus ſuis abſolvunt.

[i] Ep. 114. ad Theodoſium, vel Theodulum.

[k] Ep. 153.

[l] Linguam mundari, & ſententiam reddi ſuaviorem.

[m] Occupari conſideratione rerum divinarum.

Digitized by Google

SERIES CAPITUM

quæ in hoc Volumine continentur.

Commentariorum Rhetoricorum, ſive Oratoriarum Inſtitutionum

LIBER PRIMUS.

CAP. I. De Natura Rhetorices, Pag. 1
II. De Inventione, 3
III. De Generibus Cauſſarum, 5
IV. De Genere Deliberativo, 9
V. De Genere Demonſtrativo, 14
VI. De Cauſa Juridiciali, nec non ſtatibus generatim, 36
VII. De Statu Conjecturali, 41
VIII. De Statu Finitivo, 43
IX. De Statu Qualitatis, 44
X. De Statibus Legalibus, 52
XI. De Statu Quantitatis, 57
XII. De Argumentis, 59

LIBER SECUNDUS.

I. De Affectibus generatim, 63
II. De Ira, 65
III. De Lenitate, 70
IV. De Amore, 72
V. De Odio, 75
VI. De Metu, 76
VII. De Confidentia, 78
VIII. De Pudore, 80
IX. De Gratia, 83
X. De Miſericordia, 84
XI. De Indignatione, 86
XII. De Invidia, 87
XIII. De Æmulatione & Contemtione, 90
XIV. De Argumentis ἀτέχνοις, 91
XV. De Locis Communibus, deque Argumentatione, & Amplificatione, 99

LIBER TERTIUS.

I. De Diſpoſitione, 103
II. De Exordio, 104
III. De Narratione, 113
IV. De Propoſitione, 116
V. De Contentione, 118
VI. De Epilogo, 123
VII. De ſpeciali tum Inventione, tum Diſpoſitione, 124

LIBER QUARTUS.

I. De Elocutionis Definitione, & Diſtributione, ac ſpeciatim de Elegantia, 139
II. De Compoſitione Scriptoribus omnibus communi, 151
III. De Periodo, 156
IV. De Numero, 161
V. De Dignitate, ac Tropis generatim, 164
VI. De Metaphora, 165
VII. De Metonymia, 174
VIII. De Synecdoche, 182
IX. De Ironia, 187
X. De Primariorum Troporum Speciebus, 190
XI. De Allegoria, 200
XII. De Catachreſi, Hyperbole, & Emphaſi, 208
XIII. De iis, quæ falſo inter Tropos reponuntur, 214

LIBER QUINTUS.

I. De Schematibus generatim, 222
II. De Schematibus λέξεως, quæ vel ſubticentia figurantur, vel exceſſu, vel uſurpant vocem ſola appellatione, aut ſola ſignificatione eandem, 225
III. De Schematibus, quæ vocem eandem & appellatione, & ſignificatione, repetunt, 230
IV. De Schematibus vocum ſimilitudinis nativæ, vel ſecundùm quantitatem variatis, 238
V. De Schematibus, quæ figurantur ſecundùm qualitatem, vel ſitum, 241
VI. De Schematibus ἀνίσως, quæ plus aut minus dicunt, 247
VII. De Schematibus ἴσως, quæ æquè dicunt, & ratione perſonæ figurantur, 253
VIII. De Schematibus æquè dicentibus, & figurantibus ſermonem ratione eorum, quæ reſpiciunt rei οὐσίαν, 257
IX. De Ætiologia, Diatypoſi, & Hypotypoſi, 260
X. De Figuris à ſimilitudine, vel comparatione, ductis, 261
XI. De priori Genere Figurarum, quæ ab Oppoſitione ducuntur, 263
XII. De altero Schematum Genere, quod Oppoſitione figuratur, 268
XIII. De iis, quæ Figuram accipiunt ratione perſonæ & rei, 272

LIBER SEXTUS.

I. De Charactere generatim, 276
II. De grandis Characteris compoſitione, 278
III. De ſententiis magnifici Characteris, 282
IV. De verbis magnifici Characteris, 283
V. De Stylo tenui, & mediocri, 286
VI. De uſu triplicis Characteris; item de diviſione dictionis in Atticam, Aſiaticam, Rhodiam, 289
VII. De ſententia eorum, qui quatuor ſtatuunt Characteres. Ac inprimis de rebus, verbis, & compoſitione, partim in florido, partim in gravi genere dicendi, ſecundùm Demetrium: item de ſeptem Ideis, & earum partibus, juxta Hermogenem, 290
VIII. De Pronunciatione generatim, 304
IX. De diſcrimine Pronunciationis ex ſcripto, & abſque Commentario, 305
X. De diviſione Pronunciationis ac ſpeciatim de vocis moderatione, 307
XI. De Motu corporis, 308

De Rhetoricæ Natura ac Conſtitutione.

CAP. I. De Rhetorices Etymologia, 315
II. De Rhetorices diſtinctione in artem & facultatem: ſive in ornatricem, quæ Elocutio, & oratricem, quæ Eloquentia dicitur, 319
III. De definitione Rhetorices, ac ſigillatim de genere, 321
IV. De ſubjecto Rhetoricæ, 322
V. De fine Rhetorices, 326
VI. De officio Oratoris, 327
VII. De quadruplici diſcrimine Rhetorices à Dialectica, 329
VIII. De tribus principiis, quibus Eloquentia paratur, 330
IX. De Rhetorices inventione, præcipueque ejus artis Scriptoribus apud Græcos, 331
X. De prima ac ſecunda Oratorum ætate, 333
XI. De præcipuis Oratoribus, qui ab Alcibiade uſque ad Phalereum vixerunt, 335
XII. De tertia Oratorum Græcorum ætate ſub Imperatoribus, 338
XIII. De Oratoribus Latinis, & quando Romæ cœperit Rhetorice doceri, 340
XIV. De Oratoribus Latinis, uſque ad Ciceronem, 341
XV. De Oratoribus Latinis, poſt Ciceronem, 343
XVI. De quadruplici opere Oratoris; progymnaſmate, declamatione, epiſtola, & oratione, 345
XVII. De diviſione Rhetoricæ, 347
XVIII. De inventione & diſpoſitione, Rhetoricæ partibus, earumque differentia, 348
XIX. De Petri Nunneſii, in Rhetoricen excuſſâ diſtributione, 349
XX. De Memoria, 350
XXI. De Pronunciatione, 351

De Artis Poëticæ Natura, ac Conſtitutione.

CAP. I. De Oratoriæ, & Poëticæ, in multis, convenientia, 7
II. De Poëtarum impoſito nomine, 8
III. De vocibus *Carmen* ac *Poëma*, earumque uſu, 10

IV. De

Digitized by Google

IV. De Poëtices definitione: & quomodo *Poëſis* à *Poëmate* differat, 13
V. De eorum opinione, qui eo quòd à Platone, multiſque aliis tradatur, poëſin eſſe à natura, & afflatu divino, colligunt, non dirigi eam artis præceptis, 14
VI. De quinctuplici Poëſios materie, 16
VII. De duplici Poëtæ fine, 18
VIII. De iis, qui contemptim de Poëſi ſenſerint, vel ſenſiſſe videantur, 19
IX. De refutatione eorum, tum qui inanem eſſe Poëſios voluptatem ajunt; tum qui eam agnoſcunt docere, &c. 22
X. De nominis immortalitate, quam Poëtæ conſequuntur, 23
XI. De Poëſios cauſa efficiente, 26
XII. De impetu naturæ, ſive furore poëtico, 27
XIII. De altera Poëſios cauſa, quæ eſt carmen ſubitò & ex tempore fuſum, 30
XIV. De artis Poëticæ diviſione, 32

Inſtitutionum Poëticarum

LIBER PRIMUS.

CAP. I. De parte communi generatim: particulatim item de rebus, quas tractant Poëtæ, 43
II. De fictione Poëtica, 44
III. De Poëtarum erroribus, 49
IV. De fictionis partitione, 54
V. De moribus, 59
VI. De ſententia, 61
VII. De ordine, 62
VIII. De dictione, 64
IX. De fabulæ diviſione, 67

LIBER SECUNDUS.

CAP. I. De diviſione Poëmatum, 69
II. De Poëſi dramatica generatim, 70
III. De dramatis triplici virtute, ratione magnitudinis, ordinis, & *magnitudinis*, 73
IV. De partibus dramatis, ratione qualitatis, *ibid.*
V. De partibus fabulæ; ratione quantitatis, 75
VI. De chorico, 77
VII. De variis dramatum generibus, 78
VIII. De nomine dramatum, 79
IX. De melodia, 80
X. De apparatu, 81
XI. De tragœdia, 83
XII. De tragœdiæ antiquitate, initiis, incremento, ac perfectione, 84
XIII. De tragœdiæ conſtitutione, 87
XIV. De moribus, ſententia, & dictione tragœdiæ, 91
XV. De partibus tragœdiæ, 94
XVI. De choro tragico: item de melodia & apparatu ſcenico, *ibid.*
XVII. De variis tragœdiæ formis, 97
XVIII. De methodo ſcribendæ tragœdiæ, *ibid.*
XIX. De Satyrica Poëſi, & Satyro-tragœdia, 98
XX. De Sillis, 102
XXI. De fabula Rhintonica, ſive Hilarodis, vel Simodis, 103
XXII. De comœdia; ac primùm de vocabulo, definitione, diſcrimine à tragœdia, ac fine, 104
XXIII. De comœdiæ origine, & progreſſu, 105
XXIV. De conſtitutione comœdiæ, 107
XXV. De dictione Comica, ac metro, 109
XXVI. De comœdiæ partibus acceſſoriis, 111
XXVII. De variis comœdiæ formis, ac convenienti nominis impoſitione, 112
XXVIII. De apparatu, & modulatione Comica, 114
XXIX. De mimis: ac primùm, an hic iis locus; deque eorum vocabulo, ac definitione, 116
XXX. De mimorum fine, ac materie, 117
XXXI. De variis mimorum generibus apud Græcos, 118
XXXII. De mimis Latinorum planipedibus, aliorumque etiam mimorum ſcenico apparatu, 119
XXXIII. De mimorum initiis, ac progreſſu, 120
XXXIV. De damno, quod Sapientum judicio darent mimi, *ibid.*
XXXV. De Atellanis, *ibid.*
XXXVI. De pantomimis, ac primùm, an de iis in arte Poëtica, & ubi loci, agi oporteat. Deinde de vocabulo *pantomimi*, ac in quo ejus conſtiterit artificium, 124
XXXVII. De pantomimorum initiis, ac perfectione, quæ fuit temporibus Cæſaris Auguſti, 126
XXXVIII. De pantomimis, qui fuere poſt tempora Auguſti, 128
XXXIX. De damnis, quæ publico dant pantomimi; unde & urbe ſunt ejecti à Cæſaribus gentilibus, majore etiam jure rejecti à Chriſtianis, 129

LIBER TERTIUS.

CAP. I. De Epopœiæ definitione, materia & forma, 131
II. De Epopœiæ convenientia cum tragœdia, & quî differat: utra item præſtet, 132
III. De antiquitate, & auctore Epopœiæ, 133
IV. De propoſitione, & invocatione carminis Epici, 134
V. De carminis Epici narratione, tum ratione actionis primariæ, tum etiam epiſodiorum, 135
VI. De Epopœiæ magnitudine, & diſpoſitione, 137
VII. De Epici carminis dictione & cantu, *ibid.*
VIII. De Bucolico carmine, 139
IX. De Satyra Romana, ac primùm de Luciliana, 142
X. De Satura Ennii, ac Varronis, 145
XI. De Elegia, 146
XII. De Melicorum, ſive *Lyricorum* appellatione, & duplici ratione inſtrumentorum, quibus carmen eorum canebatur; unde & ipſi in duo genera dividuntur, 149
XIII. De carminis Lyrici argumento, 151
XIV. De ratione tractandi argumentum Lyricum; ad hæc de motu, & ſaltatione Lyrica, & Lyricorum præmio, 154
XV. De carminis Melici inventore, & qui eo maximè excelluerint, 156
XVI. De Dithyrambo, 157
XVII. De Ithyphallicis, 159
XVIII. De Jambicis, 160
XIX. De Epigrammate; quàm varium ejus argumentum; deque duplici Epigrammatum genere, 161
XX. De modo tractandi argumentum Epigrammati conveniens, 163
XXI. De Epitaphio, 165
XXII. De Sylvis, 167

De Imitatione, cùm Oratoria, tum præcipuè Poëtica, deque Recitatione Veterum.

CAP. I. Argumentum operis: quid ſit imitatio, & an ea ſit neceſſaria, 173
II. Ad imitandum legi oportere eminentiſſimum, & aliquandiu ſolum; poſtea ſimillimum quemque; tandem etiam diſſimiles, ſed laude aliqua conſpicuos. Nec ſemper in ſe optimum nobis deligendum ducem; ſed aliquando inferiorem, attamen ingenio noſtro magis convenientem, 174
III. Quo pacto ſint legendi, quos volumus imitari, 176
IV. De modo imitandi alios, 177
V. De meditatione futuri operis, antequam ſcribere aggrediamur; inque ſcribendo cura, atque induſtria, 180
VI. De emendatione, 181
VII. De Recitatione, 183
VIII. Quo pacto, qui recitarent, cognoſcerent judicium auditorum, 186
IX. De diſcernendis auditorum judiciis, 188
X. De judicio populari, 189
XI. De judicibus Recitationi præfectis, 189

De Veterum Poëtarum temporibus

LIBER PRIMUS.

CAP. I. Oracula, quæ Sibyllarum dicuntur, eſſe ſuppoſititia, & quando eorum vixerint auctores, 197
II. De ætate Homeri, ac Heſiodi: ubi & de Arctino, & Creophylo, 199
III. De temporibus Poëtarum qui fuere ante imperium Perſicum, 200
IV. De iis ſecundæ ætatis Poëtis Græcis, qui fuere ab initio Monarchiæ Perſicæ, uſque ad pugnam Marathoniam, 203
V. De iis qui à pugna Marathonia vixere uſque ad pacem Antalcidæ, 205
VI. De iis qui à pace Antalcidæ claruere, uſque ad captas à Lyſandro Athenas, 207

Digitized by Google

VII. De Poëtis Græcis, qui poſt captas à Lyſandro Athenas claruere, uſque ad Μοναρχίαν Græcorum, 211
VIII. De Poëtarum Græcorum ætate tertia; quæ fuit ſub Alexandro Magno, & ejus ſucceſſoribus, uſque ad mortem Cleopatræ, 214
IX. De quarta Poëtarum Græcorum ætate à morte Cleopatræ uſque ad Conſtantinopolin à Muhammede captam, 220

LIBER SECUNDUS.

Cap. I. De temporibus, quibus honos Poëſios crevit apud Romanos, 230
II. De temporibus, quibus maximè viguit Poëſis apud Romanos, 236
III. De temporibus, quibus Poëſios Latinæ honos decrevit: ac primò à medio Tiberii principatu uſque ad Nervæ ac Trajani tempora, 243
IV. De Poëtis Latinis à Nervæ & Trajani temporibus, uſque ad Romani imperii finem in Occidente, 246
V. De quartæ ætatis Poëtis Latinis ab amiſſo Occidentis imperio, uſque ad idem à Carolo M. inſtauratum, 250
VI. De quartæ ac decrepitæ ætatis Poëtis Latinis à Caroli M. temporibus uſque ad exceſſum Ludovici Bavari, 253
VII. De renaſcente Poëſi Latina, à temporibus Ludovici Bavari, 255
VIII. De Poëtis Latinis incertæ ætatis: quas tamen fuiſſe conſtet ante tempora Caroli Magni, 257
IX. De Poëtis Latinis incertæ ætatis, qui fuerint poſt tempora Caroli Magni, 258

De Artium & Scientiarum Natura ac Conſtitutione.

LIBER PRIMUS

De quatuor artibus popularibus.

Cap. I. De quadripartita Artium ac Scientiarum omnium diſtributione, 1
II. De Grammatiſtice, 2
III. De Gymnaſtica, 4
IV. De Muſice, 12
V. De Graphice, ſive arte pingendi, 21

LIBER SECUNDUS

De Philologia.

Cap. I. Quia Philologia pars eſt Polymathiæ; ut hæc liberalium ſtudiorum: eò initio adfertur diſtributio totius liberalium artium, ac ſcientiarum orbis: atque uſus, & præſtantia eorum etiam ſtudiorum exponitur, quibus ad diſciplinas graviores præparamur, 32
II. Qui admitti ad ſtudia debeant: inque his etiam feminas reponendas: item de ordine ſtudiorum, 34
III. De Polymathiæ diviſione in Philologiam, Matheſin & Logicam, 39
IV. Philologiam occupari circa Sermonis curam & Hiſtoriam: priorem dividi in Grammaticen, Rhetoricam artem, & Metricam: Grammaticen in Methodicen, & Exegeticen, quarum Methodice tradat artis præcepta, 39
V. De Grammatices ea parte, quæ Exegetice dicitur: ac primùm de illa vocum ſingularum, ubi & de Etymologia, 42
VI. De Exegetice vocum conjunctarum, 44
VII. Ad puram dictionem comparandam non ſufficere lectionem Grammaticorum: ſed requiri, ut verſemus, & imitemur bonos auctores: & quis ordo in iis ſervandus. Præterea quid de veteribus ſentiendum, qui Grammaticorum curæ ſubjecerunt Poëtarum enarrationem, & judicium de ſcriptoribus, 45
VIII. De arte Rhetorica, 47
IX. De arte Metrica, 48
X. De Philologiæ parte altera, quæ Hiſtorice dicitur: ac primùm de ejus diviſione in Geographiam, Chronographiam, Genealogiam, & Hiſtoriam propriè dictam, 49
XI. De Geographia, ac ejus origine, & uſu; deque veteribus Geographis, tum Græcis, tum Latinis, *ibid.*
XII. De Chronologia, 53
XIII. De Genealogiis, 54
XIV. De Hiſtoria pragmatica, ſive propriè dicta, 55

LIBER TERTIUS

De Matheſi.

Cap. I. De Matheſi generatim; ſive de Matheſios vocabulo, & circa quas res ſcientiæ Mathematicæ verſentur, 59
II. De multiplici utilitate Matheſios in omnibus pene artibus, ac ſcientiis, totaque vita humana, 60
III. Nihil eſſe Matheſi certius; & à quibus hoc cauſſis contingat. Nihil iiſdem, ubi elementa cognoris, eſſe jucundius: præſertim poſt nova reperta. Nec tamen tam partem eſſe Philoſophiæ; quàm ad hanc munire viam, 63
IV. Quis locus in diſcendi ordine conveniat Matheſi: & à quibus Græci Matheſin didicerint, 64
V. De Matheſios diviſione in puram, & mixtam; puræ, in univerſalem, & particularem; particularis, in Arithmeticen, & Geometriam, 66
VI. De Arithmetices objecto, 67
VII. De Arithmetices dignitate, ac multiplici uſu; quantoque per eam perſpicaciores reddamur in omni diſciplinarum, & vitæ genere, 67
VIII. Quibus Arithmeticen debeamus, quibus item numerorum notas Græcas, Romanas & Barbaricas; quæ ψῆφοι dicuntur, 69
IX. Quem in diſcendi ordine locum teneat Arithmetice, & quomodo dividatur, 70
X. De claris Arithmetices ſcriptoribus, tum veteribus, tum novis, 71
XI. De Geometriæ vocabulo, & objecto: ac jure eam in ſcientiarum numerum referri, 73
XII. De multiplici utilitate Geometriæ, 74
XIII. De Geometria in Ægypto reperta; inde in Græciam tranſlata: deque iis, qui ibidem eam excoluerint ante Euclidem, 75
XIV. De Geometriæ diviſione in planorum, & ſolidorum doctrinam; ac in utraque, tum cauſſarum conſideratione, tum uſus, 76
XV. De Euclide, & ejus Geometricis, 77
XVI. De Geometricis ſcriptoribus, qui poſt Euclidem claruerunt; partim ante Auguſtum Cæſarem, partim ſub Auguſtis, 77
* XVI. De Geometriæ ſcriptoribus Latinis & Arabibus; præcipuis etiam ad noſtra uſque tempora deductis, 80
XVII. De diviſione Matheſios mixtæ, 84
XVIII. De Logiſtice, 85
XIX. De Muſicæ contemplativæ objecto; ac duplici ejus ἁρμονίαν; & pro eo variantibus Muſicorum ſectis, 86
XX. De Muſices antiquitate; & quantum ea Pythagoræ debeat, & quis primus de Muſicis ſcripſerit. Item alii aliquot veteres Muſices ſcriptores; ſed qui injuriâ temporum deperierint, 88
XXI. De utilitate Muſices, 90
XXII. De Muſices partibus, generibus; ac præcipuis ejus, quos habemus, ſcriptoribus, 91
XXIII. De Optice; ac primùm, cui ſcientiæ ſit ὑπάλληλος; deque ejus objecto, 93
XXIV. De Optices dignitate, ac multiplici uſu, 94
XXV. De diviſione Optices, 95
XXVI. De præcipuis Opticæ ſcriptoribus, 97
XXVII. De Geodæſia, 99
XXVIII. De Coſmographiæ parte ea, quam Aſtronomiam dicimus; deque ejus objecto; item de ejus nobilitate, quæ ex ſubjecto, & certa probandi ratione, oſtenditur, 100
XXIX. De Aſtrologia ingenti, ac multiplici utilitate, in omni vita: pariterque de ejus difficultate, & unde ea naſcatur, 102
XXX. De Aſtrologiæ antiquitate; & qui in Oriente, vel Africa, eam excoluerint primi, 104
XXXI. De Aſtronomiæ diviſione in Meteorologicam, & Apoteleſmaticam: prioris verò in primam, & ortam: primæ in doctrinam ſphæricam, & theoriam planetarum: ortæ in theoriam partium temporis, & applicationem ejus in canone Mathematico & Calendario. Apoteleſmaticæ verò in generalem & ſpecialem: ſpecialis in illam totarum regionum, urbiumque, & alteram ſingulorum hominum, 107
XXXII. De origine Aſtronomiæ apud Græcos, & progreſſu ejus, uſque ad Thaletem, 109
XXXIII. De progreſſu Aſtronomiæ apud Græcos, à Thaletis temporibus uſque ad Ariſtarchum Samium, & Archimedem, 110

XXXIV. De Aſtronomiæ progreſſu ab Ariſtarcho Samio, & Archimede, uſque ad tempora Juſtiniani, 114
XXXV. De Aſtronomiæ ſtudio apud Latinos. uſque ad tempora Caroli M. 118
XXXVI. De Aſtronomis Latinis, Arabibus, atque aliis; qui claruere à temporibus Caroli M. uſque ad annum cIɔ Iɔ. 119
XXXVII. De Aſtrologis Latinis ab anno cIɔ Iɔcxlviii. 124
XXXVIII. De Aſtrologia Apoteleſmaticæ, ſive divinatricis, objecto, partitione, & aliquot ſcriptoribus, 131
XXXIX. Utrum Apoteleſmaticæ locus ſit aliquis inter ſcientias Philoſopho dignas, præſertim Chriſtiano, 133
XL. De Chronologia, 136
XLI. De temporibus Chriſtianorum, qui ipſi de temporibus ſcripſerunt: uſque ad annum Chriſti cIɔ Iɔ. 138
XLII. De Computi ſcriptoribus, ac Chronologis, qui claruere proximo ſeſquiſeculo, 140
XLIII. De Geographia, 143
XLIV. De Geographiæ ſcriptoribus, Græcis, Latinis, Arabibus; qui quidem ante ſecula multa vixerint, 146
XLV. De Geographis, qui intra proximum ſeſquiſeculum claruerunt, 147
XLVI. De Mechanices vocabulo, & definitione: adhæc quatenus Magia, & Mechanice, conveniant, ac differant: & ut illam, ita hanc quoque eſſe Philoſophiæ partem, 152
XLII. De Mechanices diviſione & utilitate, 153
XLVIII. Diſquiſitum de utilitate Mechanices in architectura, arte nautica, ac militari, nec non ſellulariis cunctis; & an ea propter cenſeri debeant Mechanices partes, vel ſcientiæ ei ſubalternæ, 156
XLIX. De ſcriptoribus Mechanices, præcipuè Græcis; qui vixerint ante annum Chriſti cIɔ Iɔ. 160
L. De Mechanicis, qui proximo ſeſquiſeculo vixerunt, 164
LI. De Arithmeticis Græcis, priori hujuſce operis parte præteritis, 168
LII. De Arithmeticis Latinis, qui enituere ante annum cIɔ Iɔ. 169
LIII. De Arithmeticis Latinis, qui vixere ab anno Chriſti cIɔ Iɔ, uſque ad annum cIɔ Iɔc. 170
LIV. De Latinis Arithmetices ſcriptoribus, qui ab anno fuere cIɔ Iɔc. 172
LV. De Geometris, ac Geodætis, ſuperiori parte omiſſis; ac primum de Græcis, 174
LVI. De Geometris, ac Geodætis Latinis, uſque ad annum cIɔ Iɔc. 175
LVII. De Geometris, & Geodætis, præcipuè Latinis, qui poſt annum cIɔ Iɔc. vixerunt, 177
LVIII. De Muſicis Græcis, priori hujus operis parte indictis, 179
LIX. De Muſicis Latinis antea omiſſis, 180
LX. De Opticis, priori operis parte omiſſis, 182
LXI. De Aſtrologis Græcis, parte priori omiſſis, 183
LXII. De Aſtrologis Latinis, qui claruere ante annum cIɔ Iɔ. 184
LXIII. De Aſtrologis Arabibus, qui vixere ante annum Chriſti cIɔ Iɔ. 187
LXIV. De Aſtrologis Latinis qui claruere anno cIɔ Iɔ, ac toto porrò ſeculo, 188
LXV. De Aſtrologis Latinis, qui in honore fuerunt proximis xlviii annis, 192
LXVI. De Chronologis, & Computorum ſcriptoribus: ac primùm Græcis: poſtea verò Latinorum illis, qui vixere ante annum cIɔ Iɔ; uno item Arabe, 194
LXVII. De Chronologis, ac Computorum ſcriptoribus, qui claruere poſt annum cIɔ Iɔ. 195
LXVIII. De Geographis Græcis priori parte præteritis, 199
LXIX. De Geographis Latinis, nobis antea indictis, 200
LXX. De Mechanicis antea præteritis, 203

LIBER QUARTUS
De Logica.

Cap. I. De variis Logicæ artis nominibus; ac particulatim, unde nomen Logices acceperit, 206
II. De genere Logicæ, 207
III. De Logices fine, & officio Logici, 208
IV. De objecto Logices, *ibid.*
V. De utilitate Logices in Philoſophia; & utrum ea ſit Philoſophiæ inſtrumentum; num item à Logica, an à Philoſophia, ſit inchoandum, 209
VI. Utrum Logicæ pars ſit Philoſophiæ, an inſtrumentum duntaxat, 210
VII. De Logices uſu in Medicina, Juriſprudentia, Theologia; imò utilitatem ejus ſe quoque extendere ad ſermonis diſciplinas, atque adeò artes, quas vocant illiberales, 212
VIII. De Logices inventore, perque varios incremento, 212
IX. De Logices diviſione, 217
X. De Categoriarum libro, unde Categoriis id nomen, & ſitne opus hoc Ariſtotelis, ac utrum pars Logices debeat cenſeri; quique veterum commentario illuſtrarint, 220
XI. De libro περὶ ἑρμηνείας, & qui veterum ſcribendo eum illuſtrarint, 223
XII. De Analyticis prioribus, & poſterioribus, 224
XII. De VIII. Topicorum libris, & II. Sophiſticorum Elenchorum, 226

LIBER QUINTUS
De Philoſophia.

Cap. I. II. III. De Philoſophia, universè, 229. 231
IV. De Philoſophiæ diviſione, 233
V. De Phyſice ſpeculativa, 235
VI. De Phyſice operativa, ac primò de γεωργίας & [illegible], 241
VII. De Paſtione ac Venatione, 244
VIII. De Medicina, 245
IX. De Chemia, 248
X. De quatuor Medicinæ famulis, una Magirica, altera Chirurgorum, poſtrema verò Jatraliptarum, 250
XI. De origine Medicinæ, & illuſtribus Medicis, maxime ſcriptoribus ante tempora Cæſaris Auguſti, 251
XII. De illuſtribus Medicis à temporibus Auguſti uſque ad tempora Juſtiniani, 256
XIII. De Medicis Græcis incertæ ætatis, 259
XIV. De Medicis illuſtribus inter Arabas ſcriptores, 260
XV. De arte militari, iiſque artibus, quæ nobis amictum vel habitationem procurant, item [illegible], & [illegible], 263
XVI. De pictura & ſtatuaria, 264
XVII. De Theologia naturali, 268
XVIII. De Philoſophia activa, 269
XIX. De Politice, 270
XX. De Eloquentia tum Oratoria, tum Poëtica, 275
XXI. De Critice, 276
XXII. De Divinatione, 277
XXIII. De Theologia, 278

De Philoſophorum Sectis.

Cap. I. De Philoſophia Barbarica Aſiatica, 281
II. De Philoſophia Africana, 284
III. De Philoſophia Europæa, ac primò Thracum, Gallorumque, 286
IV. De Philoſophia Græcanica fabuloſa, 287
V. De Philoſophia Græcorum non fabuloſa; ac primò de Ionica, 288
VI. De ſecta Italica, 289
VII. De ſecta Eleatica, 294
VIII. De ſecta Epicurea, 295
IX. De Cyrenaicis, & triplici eorum propagine, Hegeſiacis, Anniceriis, & Theodoriis, 297
X. De ſecta Eliaca, & Eretrica, 298
XI. De Megaricis, *ibid.*
XII. De Veteri Academia Platonis, 299
XIII. De Media Academia, 302
XIV. De Academia Nova, *ibid.*
XV. De Academia Quarta & Quinta, 303
XVI. De Platonicis junioribus, *ibid.*
XVII. De Peripateticis, 304
XVIII. De Cynicis, 307
XIX. De Stoicis, 309
XX. De Pyrrhoniis, ſive Scepticis, 311
XXI. De ſecta Electiva, 312

GERAR-

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII
COMMENTARIORUM RHETORICORUM,
SIVE
ORATORIARUM INSTITUTIONUM
LIBER I.

Cap. I.
De Natura Rhetorices.

Cum Rhetorices finis ſit perſuaſio; Officium ſit bene dicere, ſive dicere ad perſuadendum accommodatè; Materia ſit qualibet quæſtio, ac præcipuè civilis: rectè definitur Rhetorice facultas de unaquaque re bene dicendi ad perſuadendum; ſive, ut definit Ariſtoteles, facultas perſpiciendi in unaquaque re, quod in eâ eſt ad perſuadendum idoneum.

Ac quemadmodum quatuor ſunt partes officii Oratorii; argumenta invenire, inventa diſponere, diſpoſita exornare, & exornata pronunciare: ita totidem ſunt partes Rhetorices; Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, & Pronunciatio ſive Actio.

Commentarii in Cap. I.
Sectio I.
De Fine Rhetorices.

Quemadmodum in ſcientiis contemplativis ſubjectum, ſic finis ſe habet in diſciplinis activis, itemque in artibus: quia, ut in illis * primò videndum eſt, cujus rei doceantur principia & affectiones; ita in his ante omnia cognoſcendum eſt, † cujus gratiâ inſtituatur tractatio. Quare cùm Rhetorica ſit ars στοχαστικὴ ſeu Conjecturalis, quod Ariſtoteli Facultatis nomen ſignificat; non tam neceſſe eſt anquiramus Oratoriis noſtris commentationibus inſigne aliquod antipagmentum, quàm ut in ipſo Facultatis veſtibulo genuinum monſtremus artis ſcopum. Non quidem ignoro, cùm vocabula ſint ſigna rerum, priùs agi potuiſſe de Rhetorices etymologiâ, vocabuli ambiguitate, aliiſque: ſed ne Lectorem ad penetralia diſciplinæ feſtinantem diu nimis detineam in veſtibulo; ſatius judico ſumma carpere rerum faſtigia. Quæ jam prætereo, aut jejuniùs tracto, planè fuſeque proſequor tractatu eo, quem ſeorſum ſcripſi, *De naturâ ac conſtitutione Rhetorices.*

* *Ariſt. in poſt. Analyt.*

† *Ariſt. lib. 7. Metaphyſ. context. 23.*

Eſſe aliquem architectonicum Oratoris Finem, nemo ſanus ambigit. Quemadmodum enim neceſſariò aliquis in artibus finis eſt, quia in activis & effectivis, ſublato fine, principium ejus, actio nempe, tollitur: itidem jure cenſetur inter ea, quæ ante diſciplinas ſunt præcognoſcenda, eſſe aliquem earum finem ultimum, quia appetitus noſter ferri nequit in infinitum *. Sed quis ille ſcopus ſit, ad quem perpetuò Oratori collimandum eſt, id verò variè à variis ventilatur. Ariſtoteli, viro profectò extra omnem ingenii aleam conſtituto, finis eſt perſuaſio. Nec dubium mihi, quin ſubſcripturi ſint huic ſententiæ, quotquot eam examinabunt ad Logicæ ſtateræ libramentum. Illud quippe finis ultimus eſt, propter quod omnia fiunt, ipſum verò nullius fit gratiâ. Atqui Orator omnia agit, ut perſuadeat. Perſuadere igitur eſt architectonicus Oratoris finis. Qui verò cum Quinctiliano pertendunt, perſuaſionem non eſſe Oratoris ſcopum, quia non ſit in poteſtate artificis, cùm Orator non ſemper ſit exorator: hi etſi tam altè opinionem eam imbiberunt, ut neque Suadam iis aliud perſuaſuram putem: tamen, niſi me ratio fugit, aliquid remittent, ſi conſideraverint, quæ natura ſit Facultatum. Ea verò iſtiuſmodi eſt, ut æquè reſpiciant utrumque contrarium, ac proinde non neceſſariò conſequantur finem ſuum. Non igitur aſſentiendum iis, cùm in omnibus diſciplinis finem eſſe aſſerunt determinatum, ac certum, etiam quod ad eventum. Bene dicere certe neutiquam eſt finis ultimus, quando id, quod alterius cauſſâ fit, finis ultimus eſſe nequit. Ad hæc, ut conſignantiſſimè dicit uno minor Ariſtotele Jul. Scaliger, † *Non tuo, ſed judicis arbitratu, bene dicendum eſt; cui ſi non videare bene dicere, non ſolùm nequicquam, ſed etiam nequaquam bene dixeris. Igitur fine tuo fruſtratus abeas, etiam ſi fueris conſecutus.*

* *Ariſt. lib. 1. Eth. cap. 2.*

† *Lib. 1 de re poet, cap. 1.*

Non tamen exiſtimandum eſt, ex Ariſtotelis ſententiâ, ſimpliciter Oratoris finem eſſe perſuadere; ſed perſuadere juſta & bona. Nam etſi eodem modo affectus ſit ad perſuadendum ſive juſta ſive injuſta, ſi facultatem ipſam attendamus: tamen diſpar eſt ratio voluntatis, quia ſibi tantummodo proponere debet juſta & utilia.

Tenendum præterea, ut omnem dimoveamus ambiguitatem, τὸ πείθειν ſive perſuadere Rhetoribus eſſe nihil aliud, quàm oratione probabili in cujuſvis animo aliquam gignere opinionem. Nam aliæ quidem artes perſuadent; verùm, ut teſtatur Ariſtotel. Rhetoricorum cap. 1. & 11, non apud omnes; ſed tantùm apud illos, qui artium iſtarum principia noverunt; neque ſimpliciter ex probabilibus, ſed ex propriis artis principiis.

II. Rhetorices Definitio, deque triplici hujus artis materia.

Cognito Oratoris ſcopo, facile erit definitionem Rhetorices extruere. Quippe artes à fine definiri debent, ut ſcientiæ à ſubjectis. Nam ut alia admiſceantur, finis tamen præcipuè formæ locum ſubit. Optimè igitur Rhetorice ab Ariſtotele definitur, *Facultas videndi in unoquoque, quod contingat ad perſuadendum conducere.* Ἡ Ῥητορικὴ, inquit, ἐστὶ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν.

Porrò hæc definitio præter finem, quem perſuadere eſſe diximus, ad pleniùs explicandam Rhetorices naturam, aperit

Digitized by Google

aperit etiam tum OFFICIUM Oratoris, quod eſt videre, quicquid aptum eſt ad faciendam fidem; tum MATERIAM, quæ eſt res quælibet, quatenus perſuaderi poteſt.

Intellige autem Materiam COMMUNEM, quæ eſt quælibet quæſtio, ſive ea ſit θεωρητικὴ *, & cognitionem reſpiciat, ſive πρακτικὴ †. Siquidem interdum uſu venit, ut ad concluſionem activam argumentum ſit adferendum è ſcientiâ ſpeculatrice: quomodo olim, ne eclipſi, tanquam diro monſtro territus, pugnam detrectaret exercitus; Agathocles ‡ quidem Siculis, at Sulpicius Gallus * Romanis neceſſe habuerunt oſtendere, id naturali ordine ſtatis fieri temporibus, eoque in prodigium trahi non debere. Atque hoc quidem factum actionis gratiâ. Interdum verò, contrà quàm Zabarellæ † viſum, ſolam ſibi cognitionem propoſitam habet Orator. Nam & de mundi hujus architecto, & animarum immortalitate, & quibuſvis naturæ myſteriis, populari, affectuoſo, ornatoque tractabit dicendi genere, ſuamque in ſententiam pertrahet multos, quorum fores fruſtra ſolidis ſolùm rationibus pulſaſſet Philoſophus. Quamobrem meritò Ariſtoteles materiam Rhetorices facit τὸ ἕκαστον ‡: ac fuit hæc quoque ſententia Gorgiæ Leontini; eidemque ſubſcribit Tullius in Part. Orat. & Topicis.

* Contemplativa.
† Activa.
‡ Juſtinus lib. 22.
* Livius lib. 44. Val. Max. lib. 8. cap. 11. Fab. l. 1. cap. 10. Plinius lib. 2. cap. 12. Plutarchus in Paullo. Frontinus lib. 1. cap. 12.
† Lib. 2. de natura Logic. cap. 18.
‡ Res omnes.

Sed PROPRIA Rhetorices materia eſt res πρακτικὴ *, ſive ea ſit infinita ac generalis, quæ voce à Mathematicis petitâ θέσις nuncupatur; ſive finita ac ſpecialis, quæ ὑπόθεσις dicitur. Interdum enim Oratori à quæſtione finitâ adſcendendum eſt ad infinitam. Adde quod & quæſtio infinita ab Oratore tum ſeparatim, tum, in quo plurimi hallucinantur, cognitionis quoque cauſſâ tractari queat. Nam & is quodam verborum flumine ediſſertabit, num omnia poſſideat bona, quem penes eſt virtus: aut an virtutem ament, qui eam ſectantur emolumenti gratiâ; uti faciunt, qui res expetendas voluptate & indolentiâ metiuntur. Negari autem nequit, quin utramque hoc genus, inprimis tamen id quod collineat ad actionem, magis proprium ſit Oratoris, quàm quæ pertinent ad cœli motum, abditaque naturæ. Quare etſi de his quoque dicere poſſit Orator; Ariſtoteles tamen, poſtquam τὸ ἕκαστον ſubjecerat Oratori, poſtea univerſalitatem hanc expreſſim reſtringit ad ea, quæ in conſultationem veniunt. Hermagoras quoque in hac opinione fuit: quemadmodum & eam Cicero ſecundo de Oratore defendit ſub perſonâ Antonii. In iſtiuſmodi quoque materiâ tantummodo ſe antiqui exercebant. Nam circa Demetrii Phalerei † tempora primùm declamantes ſe excoluere in quæſtionibus, quæ ad fori imitationem limitarentur perſonis, cæteriſque circumſtantiis.

* Activa.
† Fab. lib. 2. cap. 4.

Verum MAXIME PROPRIA Oratoris materia eſt ὑπόθεσις ſive quæſtio finita, quam antiquiores *Cauſſam*, juniores etiam *Controverſiam* vocant ‡. Atque inde eſt, quòd Ariſtoteles lib. 1, cap. III. diſertim dicat, eſſe τῆς ῥητορικῆς τρία εἴδη τὸν ἀριθμὸν *: quòd item Tullius, ſuccinens Ariſtoteli, ſolam quæſtionem finitam, conſideratam nimirum quatenus perſuaderi poteſt, ſubjiciat Oratori primo Rhetoricorum. Uti & Boëthius facit lib. IV in Top. Cicer. Horum ſententiæ eo lubentius inſiſtam, quia is animus eſt meus, ut commentationes hæ non ſolum facem alluceant Partitionibus noſtris Oratoriis: ſed etiam, & manuductionis, & libri commentarii ſint loco in Rhetoras antiquos, ac Ariſtotelem inprimis. Neque enim aut mihi, aut ſapienti cuiquam, ſuum conſilium probant, qui id agunt, ut, ejectis veteribus, regnum obtineant ſoli. Quamobrem & ipſe, veterum exemplo, majori cum cura de hypotheſi generatim membratimque tractabo: cætera fere non niſi ſtrictim attingam. Neque eſt, quòd metuat quiſquam, ne, id ſi fiat, Rhetorices imperfectio ſpem deſtituat utentium. Nam etſi Rhetores propriè & primò ſpectent hypotheſin; non tamen ea ſolùm ſcriptis conſignant, quæ huic primò inſunt; quod ſanè ſi ab iis factum eſſet, fidenter dico, nec hypotheſin quidem perfectè explicaſſent. Siquidem nulla propemodum incidit cauſſa, quin à quæſtione definitâ recurrendum ſit ad infinitam. Ita ſi in deliberativo genere diſceptetur, an Sparta mœnibus ſit cingenda, ventilanda quoque erit theſis, an ex re ſit urbes cingi muris. Neque in demonſtrativo laudabitur aut eloquentia Tulliana, aut juſtitia Ariſtidis, quin deſcendatur in locum communem de laudibus eloquentiæ, ac juſtitiæ. Neque in juridiciali quæretur, jurene Clodium occiderit Milo, quin definita hæc quæſtio revocetur ad infinitam, an quapiam de cauſſâ homini hominem liceat interimere. Atque inde eſt, quod Tullius in Topicis dicat, propoſitum (ita θέσιν vocat) partem eſſe cauſſæ, ſive ὑποθέσεως: cui addidet illud ejuſdem in Partitionibus: *Cum*, inquit, *de cauſſâ dixero, in quâ eſt propoſitum, de utraque dixero.* Neque fidei abſonum videri debet, quod quæſtionem infinitam dicat finitâ contineri. Nam quamvis genus potentiâ comprehendat ſpeciem, quomodo animal continet potentiâ hominem, cùm poſſit eſſe non homo: ſpecies tamen actu continet genus, quomodo omnis homo actu animal eſt. At actûs magis eſt habenda ratio, quàm poteſtatis. Quamobrem cùm Rhetores, quibus animus fuit plenè explicare quæ ad ὑπόθεσιν pertinent, non ea tantùm ſibi adferenda exiſtimârint, quæ primò hypotheſi inſunt; verùm etiam, quæ ei conveniunt ratione quæſtionis infinitæ, cui hypotheſis potentiâ ineſt: profectò planum fit, paucis tantum ei præceptis opus fore, qui ea cognoverit, quæ de hypotheſi generatim membratimque explicantur à dicendi magiſtris.

‡ M. Seneca.
* Tres numero Rhetoricæ formas.

At alterum quoque ſcrupulum injiciunt. Is de ſimplici eſt themate, abſque quo mancam ac mutilam fore Rhetoricen ajunt. Mihi verò ne hæc quidem pars à Rhetoribus inſuper habita videtur. Quippe qui ſciat genus demonſtrativum, is haut magnopere laborabit de ſimplici themate, quicum illud ita pleraque habet communia, ut interim multò amplius oratorii artificii, quàm thema ſimplex requirat. Neque neſcius ſum, futurum ut hoc ipſum in controverſiam vocent multi: verùm ratio in mundo eſt, quâ planum id fiat. Nam ſimplex fuerit thema, ſi de homine, temperantiâ, aut regno agas; ac definitionem, partes, proprietates, cæteraque, quæ ſimplici themate conſiderari Logici jubent, cognitionis cauſſâ pertractes. Verùm conjuncta fiat quæſtio generis demonſtrativi, ſi de his ipſis agatur ſub formâ laudis aut vituperationis. Potiſſimum autem inter tractationem utramque diſcrimen erit, quòd perfecta quoque ſimplicis ſit thematis tractatio, quæ in ſingulis partibus τὸ ὅτι tantummodo dicit ac docet: at in genere demonſtrativo inſuper ſit probationibus opus, quia, ut ſuo loco * commonſtrabitur, hoc quoque in genere eſt aliquis orationis ſtatus. Magis etiam in demonſtrativo, quam in ſimplici themate, locum habent τὸ παθητικὸν, amplificationes, illuſtria verborum ſententiarumque lumina. Itaque quemadmodum qui arcum ſcit intendere, eundem nullo negotio remittet: ita qui imbiberit generis demonſtrativi præcepta, haut detrectabit ſimplex thema, quod ab illius perfectione haut modico diſtat intervallo. Et hæc de Rhetorices materiâ.

* Cap. 6. hujuſce libri.

III. DE PARTIBUS RHETORICES.

PRoximum eſt, ut de rebus videamus ad perſuadendum ordinatis. Ac primò eorum conſpectum ſubjiciemus, tum quia hæc res nobis viam munit ad partitionem Rhetorices; tum quia volupe eſt, armamentaria & οἰκονομίαν hujus diſciplinæ uno quaſi intuitu luſtraſſe. Ad perſuadendum igitur neceſſe habet Orator auditorem docere, conciliare, & concitare. At illud fit oratione, tanquam inſtrumento; ſive bene dicendo, qui inſtrumenti finis proximus eſt. Ad bene dicendum verò opus eſt Inventione, Diſpoſitione, Elocutione, & Pronuntiatione. Nam Memoriam quæ juvent, ad diſtinctam artem pertinet, quæ Μνημονευτικὴ vocatur. Itaque, etſi memoriter dicat Orator, meritò tamen memoriam tum Ariſtoteles, tum alii antiqui prætererunt Rhetores.

Eſt autem inter ultimum Rhetorices finem, & viam, rationemque, ſive, ut vulgò loquimur, media ad eum deſtinata, iſtiuſmodi velut catena: Orator res invenit; inventas diſponit; diſpoſitas verborum ſententiarumque lumi-

minibus exornat; exornatas memoriter apteque pronuntiat; idque ut bene dicat. Bene dicit autem, ut auditorem doceat, concilier, concitet. *è quibus primum requirit acumen Oratoris, alterum lenitatem, tertium vim: primum eſt debitum, alterum honorarium, tertium neceſſarium. Conciliare verò, docere, & concitare nititur, ut perſuadeat; quod primum eſt intentione, & ultimum conſecutione.

** Cic. 2 de Orat.*

Hinc liquet, Rhetoricen rectè, pro quatuor officii Oratorii partibus, in quatuor diſtribui membra; Inventionem, Diſpoſitionem, Elocutionem, & Pronuntiationem; quæ Græcis, Εὕρεσις, Τάξις ſive Οἰκονομία, Λέξις ſeu Ἑρμηνεία, & Ὑπόκρισις.

Atque hæc quidem præcipua ſunt capita eorum, quæ, ut dixi, ubertim expoſui libro ſingulari de Rhetorices natura. Nunc in ipſa artis penetralia nos conferamus.

Cap. II.

De Inventione.

Inventio eſt excogitatio argumentorum ad perſuadendum idoneorum, quatenus ſunt iſtiuſmodi.

Argumentum, juxta Ciceronem, eſt probabile inventum ad faciendam fidem.

Argumenta alia ſunt artificialia, alia inartificialia: Illa Oratori & invenienda ſunt, & tractanda; hæc non inveniuntur ab Oratore, ſed aliunde allata tantummodo ab eo tractantur.

Argumenta artificialia trium ſunt generum, λόγοι, ἤθη, πάθη. Ex his λόγοι ad docendum faciunt; τὰ ἤθη ad conciliandum; τὰ πάθη ad concitandum. Λόγων, ſive argumentorum quibus docemus, forma quidem eſt argumentatio; materia verò magna ex parte ſunt res contingentes.*

** Rationes ſive argumentationes, mores, affectus.*

Argumenta hæc petuntur è locis; qui ſunt capita ac ſedes argumentorum.

Loci alii ſunt generales, alii ſpeciales.

Loci generales ſunt domicilia propoſitionum omnibus cauſſarum generibus communium.

Ejuſmodi ſunt duo. Prior eſt, poſſibile, & impoſſibile. Nam ſive inſtituitur ſuaſio, vel diſſuaſio; ſive laus, vel vituperatio; ſive accuſatio, vel defenſio: ſemper probandum eſt, aliquid potuiſſe, aut non potuiſſe, poſſe, aut non poſſe fieri.

Alter eſt, magnum aut parvum; quo pertinent comparatorum loci; ut cùm oſtenditur, aliud eſſe alio utilius, vel inutilius, honeſtius, vel inhoneſtius, æquius, vel iniquius.

Loci ſpeciales ſunt domicilia ac ſedes argumentorum ſingulis cauſſarum generibus propriorum. Itaque pro varietate eorundem variant.

I. Quid sit Inventio Oratoria.

CUm primò & inprimis videndum ſit, quid dicamus; inde quomodo dicamus: liquet, rectè initium ſumi ab Inventione. Eſt igitur Inventio, excogitatio argumentorum ad perſuadendum idoneorum, quatenus ſunt iſtiuſmodi; hoc eſt, argumentorum, quæ probentur vel omnibus, vel multis. Nam hæc ſola ſunt ad faciendam fidem idonea; non item quæ probantur ſapientibus vel omnibus, vel multis, vel maximè probatis. Atque hac ratione diſtinguitur Inventio Oratoria à Dialecticâ. Nam Inventio Dialectica (quemadmodum etiam ſcripſit Alexander Aphrodiſienſis*) univerſalis eſt; ut quæ monſtret argumenta quævis probabilia: Oratoria eſt particularis, ut quæ ſuppeditet tantùm argumenta πιθανὰ†. Itaque Rhetori identidem è promptuariâ Logicorum cellâ; at non itidem Logico è Rhetorum pharetris proferenda ſunt argumenta.

** 1 Top.*

† Perſuadibilia.

Additur in definitione, quatenus argumenta ſunt idonea ad perſuadendum. Nam ſi ἔνδοξα‡, & πιθανὰ, non differunt, niſi ut genus & ſpecies; & Dialectica generatim conſiderat ἔνδοξα: neceſſe fuit, ut objectum Rhetoricæ Inventionis à Dialecticæ objecto etiam formali diſtingueretur, ſive conſiderandi modo.

‡ Probabilia.

Nonnullis Inventio Oratoria ita laxè definitur, ut etiam expoſitioni ſimplicis thematis conveniat. De quo quid ſentiam, non obſcurum eſt ex iis, quæ de materia oratoris ſuperiori capite dicebam.

II. Quid, et quotuplex sit Argumentum Oratorium.

ARgumentum quid ſit, & unde dicatur, oſtendit Agrætius, grammaticus vetus: *Arguere*, inquit, *eſt oſtendere, & patefacere. Virgil. Degeneres animos timor arguit. Unde argumenta dicuntur, quæ cauſſam cauſſæ oſtendunt.* Ubi *cauſſæ* nomine priori quidem loco rationem intelligit, ſive fundamentum, cui ſententia noſtra innititur: poſteriori autem loco ſignificat ὑπόθεσιν ſive controverſiam. Boëthio* argumentum definitur *ratio rei dubiæ faciens fidem.*

** Lib. 4. in Top. Cic.*

Rhetor verò non de quibuſvis agit argumentis; ſed de iis, quæ conducunt ad faciendam fidem. Unde ea Ariſtoteli πίστεις vocantur. Sunt hæc vel ἔντεχνα, ac rei inſita; vel ἄτεχνα, atque remota à re. Quinctilianus tranſtulit *artificialia*, & *inartificialia.* Ἄτεχνα aliunde allata ab Oratore duntaxat tractantur; ut ſunt teſtes, ſyngraphæ, &c. Itaque eorum propriè non eſt inventio. Ἔντεχνα verò, quæ κατ᾽ ἐξοχὴν Probationes dicuntur, & invenienda ſunt, & tractanda. Illa pertinent ad orationem continuam: teſtes, tabulæ, jusjurandum, quæ ἄτεχνα ſunt, reſervantur altercationis artificio: ut adductis aliquot veterum locis probat Franc. Polletus lib. IV Hiſtoriæ Fori Rom. cap. XII.

Argumenta ἔντεχνα trium ſunt generum†; alia τοῦ ἤθους‡, ratione Oratoris; alia τοῦ πάθους*; ratione auditoris; alia τοῦ λόγου†, ratione cauſſæ. Siquidem Oratori non tantùm opus eſt ſententiis ἀποδεικτικαῖς‡, quibus cauſſam probet; ſed etiam ἠθικαῖς*, quò oſtendat, ſe eſſe fide dignum; & παθητικαῖς†, ut ad vehementiorem quempiam affectum compellat auditorem. Eleganter hac de re Antonius apud Tullium in ſecundo de Oratore: *Mea totius orationis, & iſtius ipſius in dicendo facultatis, tres ſunt rationes: una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, ſecunda acumen, tertia vim deſiderat. Nam hoc neceſſe eſt, ut is, qui nobis cauſſam adjudicaturus ſit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut defenſionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur.* Hinc liquet, eum, qui Orator eſt futurus, duabus inprimis diſciplinis imbutum eſſe oportere, Logicis, ut argumentandi ſit peritus, & Ethicis, quo virtutes vitiaque norit, & perſpectum habeat, quid homines ad ſpem, metum, iram, concitet.

† Ariſtot. lib. 1. Rhetor. Dionyſio Halicarn. commentario de Lyſia, &c.

‡ Merit.

** Affectus.*

† Rationis ſive argumentationis.

‡ Demonſtranti-bus.

** Mores dicentis exprimentibus.*

† Affectum concitantibus.

III. De argumentatione Oratoria, et verisimilibus, ac signis, unde ea constat.

IN argumentis ἀποδεικτικοῖς duo ſunt conſideranda; forma ſive argumentatio, & materia.

Argumentationes apud Oratores duæ‡ ſunt præcipuæ; Enthymema, & Exemplum. Quemadmodum enim Logicus vel ex medio univerſali concludit, ut in Syllogiſmo; vel ex ſingularibus, ut cùm Inductione utitur: itidem & Oratoria argumentatio alia per univerſale fit; ut Enthymema, quod eſt Syllogiſmus imperfectus; alia per ſingulare, ut Exemplum, quod eſt Inductio imperfecta. Atque inde eſt, quòd cùm Ariſtoteles, tum Dionyſius Halicarnaſſenſis*, Enthymema appellent Syllogiſmum Rhetoricum; Exemplum autem Rhetoricam Inductionem.

‡ Ariſtot. lib. 1 Anal. Poſt. cap. 1. ſect 3 & 1 Rhetor. cap. 2 ex diſtinctione vulgari: at ſecundum illam Danielis Barbari ac Joannis Sturmii, cap. 11.

** Epiſt. ad Ammæum.*

Nam etſi Orator Syllogiſmo quoque utitur, neque eo tantummodo tripartito, ſed (ſi pleroſque omnes audimus Rhetores, quorum ſententiam alibi † expendemus) & quadripartito, & quinquepartito; cùm nimirum adjungit

† Lib 3. cap. 5.

Syllogiſmo Dialectico rationem vel alterius præmiſſarum, vel utriuſque: id tamen rarum eſt præ Enthymematis & Exemplis: quibus magnopere gaudet, tum ut occultet artificium, quod agnitum, cauſſæ magis obeſt, quàm prodeſt; (atque hac propter etiam, cùm Syllogiſmo utitur, partes ejus ferè tranſponit) tum ne videatur diffidere judicis auditorumque prudentiæ, quaſi neceſſe ſit, utramque Syllogiſmi partem exprimi, velut apud ignaros etiam rei vulgaris. Sed de formâ argumentorum infra copioſiùs agendum erit. Sequitur MATERIA, de qua ubertim Ariſtotelis interpretes: nos de eà præciſè, & quaſi brevi trademus manu.

Enthymematum & Oratoriæ omnis argumentationis materia magnâ ex parte eſt contingens. Siquidem ferè verſatur circa humanas actiones, quæ pendent ab hominis arbitrio. Atque id in cauſſâ eſt, cur Hermogenes ſolam materiam contingentem ſubjiciat Oratori. Verùm rectiùs Ariſt. 1 Rhet. & Tullius 1 de Invent. ſtatuunt, fieri nonnunquam, ut materia enthymematis quoque ſit neceſſaria, quemadmodum & exemplorum. Appellat Ariſtoteles utrumque hoc genus in ſuâ enthymematis definitione εἰκότα καὶ σημεῖα*. Quid verò his nominibus ſignet, varii variè ſerram ducunt. Mihi veriſimile fit, εἰκότα vocari propoſitiones quaſvis, eo nomine probabiles, quòd adferant quidpiam ut plurimùm contingens. Ita ſimile vero eſt, eam, quæ mater eſt, amare unicè liberos & affectus ſuos: quamvis & hodie ſint matres non matres: & Agave olim, attamen in furorem priùs acta à Baccho, quemadmodum poëtæ fabulantur, Pentheum † diſcerpſerit: ac Medeam etiam ‡ *ſævus amor* docuerit *commaculare manus natorum ſanguine*, ut canit Maro*. imò Aëdon quoque Ityn filium ſuum in fruſta conciſum, inque olla coctum, edendum appoſuerit marito ſuo Polytechno: ut ex Boei Ornithogonia refert in Metamorphoſi Antonius Liberalis. Illuſtre etiam odii erga filium præbet mater Ptolomæi illius, qui κατὰ χλευασμὸν dictus Φιλομήτωρ. Vide Pauſaniam in Atticis, & quæ ex eo ſcribimus lib. IV, cap. IX. Σημεῖα verò ab Ariſtotele appellari cenſeo, propoſitiones aliquid demonſtrantes ab iis, quæ vel antecedunt rem, vel conſequuntur. Ab antecedenti quidem, cùm ex ſegnitie ſocordiaque colligimus, quempiam ad paupertatem redactum iri: aut cùm ex laſſitudine corporis ſpontaneâ morbum præſagimus. Par ratio in facto pueri ab Areopagitis damnati, quòd coturnicibus effodiſſet oculos, ac vivos deinde emiſiſſet. Nam ex eo conjecturam capere erat, futurum, ut, niſi huic malo obviam iretur, multa aliquando ſævè crudeliterque patraret in Remp. A conſequenti verò eſt, cùm arborem floruiſſe colligimus, quia habeat fructum. Quanquam id non quavis in arbore habeat locum, cùm ficui loco floris ſit ὀπὸς †, unde non florere, ſed lactere dicitur; quemadmodum docent Macrobius lib. III Sat. cap. XX. & Turnebus lib. XVIII Adv. cap. IV. Alterum quoque à conſequenti exemplum dabo è Varronis ‡ Andabatis:

Candidum lacte è papillâ cum fluit, ſignum putant
Partuis, quod hic ſequatur mulierem a partu liquor.

Hæc ſigna ſi certa ſint & indubitabilia, uti ſunt quæ convertuntur cum re, Græcis τεκμήρια, Ciceroni in Partitionibus *Propria rei nota* dicuntur. Ejus exemplum Cic. lib. II de Invent. ponit; *Si peperit, cum viro concubuit.* Alia ſigna *nota communes*, & ſimpliciter σημεῖα vocantur: ſuntque duûm generum. Nam vel habent ſe ut ſingulare ad univerſale; vel ut univerſale ad ſingulare. Prioris generis ſignum eſt: Simon eſt Græcus, & Simon eſt inſidiator: ergo omnes Græci ſunt inſidiatores. Ita enim, è Donati ſententia *, colligere jubet Æneas, cùm apud Maronem † ait: *Accipe nunc Danaûm inſidias, & crimine ab uno Diſce omnes.* Sed peccare hoc argumentandi genus adverſus canonas tertiæ figuræ, ex Analyticis prioribus liquet. Alterius generis exemplum eſt: Qui febricitat, crebrò reſpirat: hic crebrò reſpirat: ergo febricitat. Verùm hæc quoque argumentatio ἀσυλλόγιστος eſt, cùm in ſecundâ figurâ non poſſint eſſe puræ putæ affirmantes. Itaque perſpicuum eſt, argumenta è notis communibus deſumta ſæpenumero inducere in fraudem.

* *Veriſimilia & ſigna.*
† *Eurip. Bacch. Pauſan. Corinth. Ovid. 3. Met.*
‡ *Vide Diodorum Sic.*
* *Ecl. 8.*
† *Succus lacteus.*
‡ *Apud Nonium in* Partuis *& Lacte.*
* *In ejus verbis quædam deſunt in codd. vulgatis, ſed integrum locum è vett. libb. apponit Pierius in 2 Æn.*
† *2 Æn.*

Fruſtra autem miratur Raphaël Regius ‡, ſigna non neceſſaria à Fabio σημεῖα appellari. Nam cùm Ariſtoteles 1 Rhet. ἀνώνυμα facit, proprio nomine carere indicat, eoque idem generis ac ſpeciei nomen eſſe ſenſit; ut bene obſervavit Franc. Luiſinus, quem vide lib. 1 περιέργων c. IX. Ac compluria hujus generis adferemus cap. IV. ubi de duplici ſuaſionis acceptione adverſus Scaligerum diſſerimus. De utroque ſignorum genere ita Fabius lib. V, cap. IX; *Signa ſive indubitata ſint, non ſunt argumenta, quia ubi illa ſunt, quæſtio non eſt; argumento autem, niſi in re controverſa, locus eſſe non poteſt: ſive dubia, non ſunt argumenta, ſed ipſa argumentis egent.* Quæ ſententia Quinctiliani, jure a viris doctis reprehenſa fuit. Etſi enim argumenta fuerint certa, atque indubitabilia; quæſtio tamen erit, quia latent argumenta iſtiuſmodi in re, ex quâ ſunt eruenda ab Oratore; eruta autem atque oculis ſubjecta terminant ac decidunt controverſiam, unde & Græcis τεκμήρια vocari ſcribit Ariſtoteles, quia τὸ τέκμαρ καὶ πέρας ταὐτόν ἐστι κατὰ τὴν ἀρχαίαν γλῶτταν*. Et hoc niſi eſſet, corruerent ſcientiæ contemplativæ, quia demonſtrationes non eſſent argumenta. Sin fuerint ſigna dubia; ut ſingula ſingulatim incerta ſint, & imbecillia, conjuncta tamen plurimùm poſſunt, neque ipſa egent probatione. Unumquodque enim injicit ſuſpicionem; ſed plura faciunt fidem. Atque hoc Fabius ipſe fatetur lib. V, cap. XII. *Hæc imbecillia naturâ*, inquit, *mutuo auxilio ſuſtinentur. Itaque ſi non poſſunt valere, quia magna non ſunt; valebunt, quia multa ſunt, quæ ad ejuſdem rei probationem omnia ſpectant. Ut, ſi quis hæreditatis gratiâ occidiſſe hominem dicatur. Hæreditatem ſperabas, & magnam hæreditatem, & pauper eras, & tum maximè à creditoribus appellabaris, & offenderas eum, cujus hæres eras, & mutaturum tabulas ſciebas. Singula levia ſunt, & communia; univerſa verò nocent, etiamſi non ut fulmine, tamen ut grandine.* Hæc ille. Et juvat illud Publii Syri:

Auxilia humilia firma conſenſus facit.

Quare valet in argumentis, quod de ſignis medicis veriùs, quàm elegantiùs, ſcribit vetus Sorani interpres, Cœlius Aurelianus lib. 1 de morbis acutis cap. II. *Non ex uno, vel duobus; ſed ex multis concurrentibus, ſignificatio firmatur. Unum enim quiddam ad aliud quiddam, commune eſt. At verò in unum conveniens multorum concurſus, diſcretionum facit intelligentiam prominere.*

Cum autem dicimus, Oratores, tum neceſſariis, tum probabilibus uti argumentis, non tantùm neceſſaria appellamus, quæ dicuntur κατὰ παντὸς*, nedum καθ' αὑτὸ †, vel καθόλου πρῶτον ‡, de quibus Philoſophus in priori ἀναλυτικῶν ὑστέρων*: verum illa etiam, quæ licet conſtent materiâ contingenti, tamen videntur aliter ſe habere non poſſe. Iſtiuſmodi eſt illud Tullii pro Quinctio: *Etenim ſi veritate amicitia, fide ſocietas, pietate propinquitas colitur: neceſſe eſt, iſte, qui amicum, ſocium, affinem, famâ ac fortunis ſpoliare conatus eſt, vanum ſe, & perfidioſum, & impium eſſe, fateatur.* Atque hæc univerſè dicta ſunto de argumentis ἀποδεικτικοῖς †.

Sunt autem argumenta demonſtrativa, ſive rationes, duûm generum. Nam vel conducunt ad quippiam uni alicui perſuadendum, E. G. Socrati aut Zenoni; quorum utrique multa perſuaderi potuiſſent, quæ non probarentur in vulgus: vel iſtiuſmodi ſunt, ut omnibus, aut pluribus, fidem facere poſſint. Priora illa aſpernatur Rhetor. Nam licet ars in agendo verſetur circa ſingula; in præceptis tamen tantummodo ſpectat univerſalia, eo quòd ſingularia ſint infinita. Unde eſt, quòd Ariſt. 1. Eth. medicum ait ſanitatem conſiderare hujus vel illius, quia medetur ſingularia: at II Poſt. Analyt. & 1 Rhet. dicat medicum non conſiderare ſingularia, E. G. quid ſalubre ſit Socrati, aut Calliæ, ſed quid tali, aut talibus. Nam in Ethicis loquitur de medicinâ operante; in Analyticis, & Rhetoricis, de docente. Quare & Rhetorices docentis eſt, ea tantùm tractare, quæ aut univerſis, aut majori conveniunt parti,

h. e.

‡ *Comm. in Quinct. lib. 5. cap. 9.*
* *Vox τέκμαρ, vetuſta lingua idem eſt, quod terminus.*
* *De omni.*
† *Per ſe.*
‡ *Univerſaliter primo.*
* *Cap. 4.*
† *Demonſtrativis.*

h. e. quæ probabilia ſunt talibus, quales ſunt, qui conſultare ac deliberare, vel in judicium venire ſolent. Neque obſtat, quod de ſingularibus ſit diſceptatio in foro, aut curiâ; quia rationes vim accipiunt à generalibus propoſitionibus. Unde M. Antonius apud Tull. 11. de Orat. *Nulla denique eſt cauſſa, in quâ id, quod in judicium venit, ex reorum perſonâ, ac non generum ipſorum univerſâ diſputatione, quæratur.* Et aliquanto antè: *Ignari*, inquit, *omnes controverſias ad univerſi generis vim & naturam referri.*

IV. Quid locus sit, et quotuplex.

ARgumenta petuntur è locis. Eſt verò locus, (prout Theophraſtus definit apud Alexandrum in 1. Top.*) ἀρχή τις ἢ στοιχεῖον, ἀφ᾽ οὗ λαμβάνομεν τὰς περὶ ἕκαστον ἀρχάς. *principium quoddam vel elementum, ex quo principia rei cujuſque ſumimus.* Hoc eſt, loci ſunt principia ſeu domicilia, ex quibus argumenta ad rei cujuſque probationem deſumuntur. Unde Ciceroni in Topicis locus definitur ſedes argumenti. Imò, ut plerique tradidere, etiam Aphrodiſienſi, initio Topicorum. Sed decepit eos interpres, qui τὴν τοπικὴν πραγματείαν, vertit, *de ſedibus argumentorum.* Locis hiſce, velut ſignis, admonemur, quænam inſtituto noſtro inſerviant. Neque enim fieri poteſt, quin abunde ei ſuppetat argumentorum, qui haut gravetur animum per locos ſingulos circumferre, ac ſecum expendere, quæ ſint de naturâ rei; quæ antecedant eam, aut conſequantur; quæ affinia ſint aut pugnantia, atque alia, quæ ad εὐπορίαν † pertinent.

Loci alii ſunt Dialectici, alii Rhetorici. Dialectici ſunt univerſales, & ab Ariſtotele in Topicis explicantur, cujuſmodi ſunt, Cauſſa, Effectus, Definitio, Diviſio, Oppoſita, aliique; quorum cognitione omnino Oratori opus eſt; quia non minus è locis Topicis, quàm Oratoriis, argumenta depromi ſolent; ut ſuperiùs diximus. Atque inde eſt, quòd nonnemo tractationem eorum Rhetoricis inferſit; ſed ignarus limitum Dialecticæ, ac Rhetoricæ. Illorum tamen ſtudium non improbamus, qui è locis Topicis quædam tantummodo delibant. Nam cum aliud ſit Logica communis, quæ Organo traditur; aliud, ut Averroës vocat, Logica appropriata, quæ Ariſtoteli ‡ dicitur τρόπος τῆς ἐπιστήμης *: nihil certe prohibet, de eâdem re in diverſis agi diſciplinis, ſi una tractet accuratè, altera pingui Minervâ, & pro ratione inſtituti.

E locis Rhetoricis, de quibus ſolis acturi ſumus, alii communes ſunt tribus cauſſarum generibus, qui κατ᾽ ἐξοχὴν vocantur τόποι †, quia ſunt generalia propoſitionum domicilia: alii ſunt proprii cuique generi, qui εἴδη ‡ dicuntur, quia ſunt ſedes propoſitionum in hâc vel illâ dicendi formâ.

* Pag. 5. edit. Ald.
† Argumenti inventionum, ſive propoſitionum copiam.
‡ Lib. 2. Metaph. cap 3.
* Modus ſcientiæ.
† Loci.
‡ Formæ ſive ſpecies.

V. De Locis Communibus.

LOci communes ſunt duo, Poſſibile & impoſſibile, Magnum & parvum. Nam reperiri hæc in genere Deliberativo, Demonſtrativo, & Juridiciali, (de quibus dicendi generibus proximo capite dicturi ſumus) liquet ex exemplis, quæ ſubtexam.

Ac primò argumenti ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου * in Deliberativo exemplum eſt, cùm Cicero † diſſuaſit Pompejanis poſt prœlium, ne rurſus tentarent belli aleam, eo quòd non videretur fieri poſſe, ut qui integri fuerant impares, hi fracti eſſent ſuperiores. Item ſi quis hodie principi cogitanti de perfodiendo Iſthmo Corinthiaco, neget, ſucceſſurum negotium, quod, ut Plinius ‡ ſcribit, primus tentarit Demetrius Rex *; deinde Julius Cæſar †; hinc Claudius Caligula ‡; tandem etiam Domitius Nero *; ſed irrito omnes & infelici conatu. Οὕτω χαλεπὸν ἀνθρώπῳ τὰ θεῖα βιάσασθαι †, ut in Corinthiacis inquit Pauſanias.

* Ab impoſſibili.
† Epiſt. 3. lib. 7. ad famil.
‡ Lib 4. cap 4.
* Pauſanias in Corinthiacis.
† Suetonius, & Plutarchus in Cajo Cæſare.
‡ Suetonius Calig. cap. 20.

* Sueton. in Nerone cap. 19. & Xiphilinus. Rei ipſius meminere & Herodotus, Strabo Lucianus, Philoſtratus. † Uſque adeo difficile eſt homini, vi cogere ea, quæ divino ſunt ordinata conſilio.

In Demonſtrativo exemplum erit, ſiquis inficias eat, Romulum eſſe Martis filium, quia fieri nequeat, ut mulier Deo miſceatur. Sanè & Platonis eſt in Sympoſ. Θεὸς δ᾽ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται *: quod ipſum ex Platone refert Appuleius lib. de Deo Socratis. Huc addas licet, quod Romulus neque morte obitâ potuerit Deus fieri animalis: falſumque eſſe, quod ex Labeone prodidit Appuleius †, atque etiam *Servius* ‡ ſcribit, *Eſſe quædam ſacra, quibus animæ humanæ vertantur in Deos, qui appellentur animales, quod de animis fiant.* Simile exemplum foret, ſi quis eo, quòd Deus eſt immortalis & optimus, oſtendiſſet populo Rom. Caium Cæſarem, hominem, imò monſtrum hominis, Deum eſſe non poſſe: ideòque ridiculoſiſſimam (ut ita cum Plauto dicam) eſſe aſſimilationem, cùm, in cujuſdam orationis initio *, eo ſe Deum eſſe demonſtrare voluit, quòd, ut, qui bubus aut gregi præſunt, ipſi nec boves, nec de grege ſint, ſed his longè præſtantiores; ita ipſe, cum generi præſit humano, neutiquam homo credi debeat; ſed hominum genere excellentior; nempe (cor hominis!) numen aliquod.

In Juridiciali exemplum eſt, cùm Clodius negat ſe inceſtu Romæ violâſſe pulvinaria Damiæ, ſeu Bonæ Deæ, eo quòd tum temporis, quo id actum dicitur, fuerit Interamnæ †. Aut cùm Roſcius negat ſe occidiſſe patrem, quia, quo tempore hic interemtus ſit, ipſe viſus ſit Ameriæ ‡.

* Deus non miſcetur homini.
† De Deo Socratis.
‡ In 3 Æn.
* Philo Alexandrinus.
† Cic. pro Mil.
‡ Cic. pro Roſc. Ameri.

Eadem eſt magni ac parvi ratio. Nam aliud alio vel utilius eſt, vel honeſtius, vel æquius. Ita in Deliberativo, qui ſuadet, id, cujus autor eſt, magna ait conſequi emolumenta; detrimenta autem, parva, aut nulla: contrà qui diſſuadet, parva eſſe vult emolumenta, detrimenta ſumma certaque.

Similiter in Demonſtrativo tanta alicujus in Remp. dicuntur fuiſſe merita, ut multis antiquitas pro iſtiuſmodi beneficiis decreverit aras, feſta, ludos, aliosque honores heroicos. Et ſi quis Helenen vituperet, negabit, formam, quâ præſtitit, rem tantam eſſe, ut ſingularem eâ laudem mereatur.

Itidem in Juridiciali, qui accuſat, factum aggravat, ejuſque magnitudinem & atrocitatem ante oculos ponit: contrà reus aut inficiatur, aut imminuit.

Sed loci Communes intelligi non poſſunt, niſi priùs actum ſit de locis Propriis. Hi autem variant pro varietate cauſarum, ac dicendi generum. Itaque Ariſtoteles, pleniori Locorum communium declaratione in librum 11. rejectâ, deinceps tractat de Generibus dicendi. At enim, inquies, in eo legem migrat à ſe præſcriptam initio φυσικῆς ἀκρ. ubi ab univerſalibus occipere jubet: & meritò quidem, cùm omne totum notius ſit partibus ſuis; ut quod, juxta Averroëm, eſſentialibus quidem partibus notius ſit notitiâ confuſâ, & quantum ad nos; ſubjectis verò, h. e. ſpeciebus, compertius ſit notitiâ diſtinctâ, ratione noſtri, & naturâ. Verùm non eſt, quòd argumentum hoc pulverem nobis ob oculos ſpargat. Siquidem Ariſtoteles in Phyſicis ab iis ſolùm univerſalibus principium capere jubet, ſub quibus particularia continentur, tanquam partes ſubjectæ. Ita tractandum ait de corpore generatim accepto, priuſquam deſcendatur ad corpus ſimplex aut mixtum; ac de his agendum, antequam conſiderentur meteora, plantæ, animalia; quæ corporis mixti ſpecies ſunt. At hic res ſe multo ſecus habet, quia loci particulares neutiquam comprehenduntur ſub univerſalibus, ſive potiùs communibus: uti liquidò parebit ex iis, quæ membratim de ſingulis generibus dicturi ſumus.

Cap. III.

De generibus caussarum.

Cauſarum ſeu quæſtionum finitarum genera ſunt tria; Deliberativum, Demonſtrativum, & Juridiciale.

Differunt hæc inprimis quatuor modis.

Primò partibus, ſive officio. Nam deliberativo ſuademus,

mus, vel diſſuademus; Demonſtrativo laudamus, vel vituperamus; Juridiciali accuſamus, vel defendimus.

Secundò fine, idque dupliciter; ratione rei, & auditoris. Ratione rei, quia Deliberativi finis eſt utilitas, Demonſtrativi honeſtas, Juridicialis æquitas. Ratione auditoris, quia in Deliberativo Orator propoſitam habet ſpem ac metum, in Demonſtrativo delectationem, in Juridiciali clementiam, ac ſævitiam.

Tertiò diſcrepant tempore. Nam Deliberativum verſatur circa futurum; Demonſtrativum maximè circa præſens; Juridiciale circa præteritum.

Quartò auditorum genere. Nam in deliberativo auditor eſt ſenator, in Demonſtrativo auſcultator, in Juridiciali judex.

I. Quot sint caussarum genera, et quomodo differant.

CAuſſarum ſive controverſiarum, quas Græcis ὑποθέσεις vocari cap. 1. diximus, Ariſtoteles, Dionyſius Halicarnaſſenſis*, ac plurimi alii, tria faciunt genera, Deliberativum, Demonſtrativum, & Juridiciale: Græcè Συμβουλευτικὸν, Ἐπιδεικτικὸν, & Δικανικόν. Deliberativum eſt, quo ſuademus vel diſſuademus; Demonſtrativum, quo laudamus vel vituperamus; Juridiciale, quo accuſamus vel defendimus. Non plura eſſe dicendi genera, probatur in hunc modum. Auditor omnis, vel tantùm auſcultat, ut de facultate Oratoris judicium ferat, qui Ariſtoteli θεωρὸς †, Ciceroni ‡ *auſcultator*, dicitur: vel ideo audit, ut ſit in re, de quâ agitur, diſceptator, moderatorque ſententiæ; atque hic rurſum vel præteritum conſiderat, ut judex; vel futurum, ut ſenator. Ex primo genere reſultat Demonſtrativum; ex altero Juridiciale; ex poſtremo Deliberativum.

* Ἐν τέχνῃ.
† *Spectator.*
‡ *In Partit.*

Id ipſum & aliâ ratione evincitur. Siquidem Orator vel circa præteritum verſatur, ut de Juridiciali diximus; vel circa futurum, ut vidimus de Deliberativo; vel circa præſens, ut in Demonſtrativo. Quamquam hoc nonnunquam aſſumat futurum; ut quando aliqua eventura conjicimus; itemque præteritum, velut cum facta commemorantur, ſive viventium, ſive defunctorum: quomodo hos conſtat olim Athenis in Ceramico extra urbem laudari ſolitos, Suida * teſte: Romæ autem, pro Roſtris †: quod Arcon ‡ inibi factum ſcribit in memoriam ſepulchri Romuli. Sed hi tum proponebantur ut præſentes, quia cùm reliqua fluxa ac fragilia ſint, *virtus, clara æternaque habetur*, ut ait ille*. Rectè etiam, cùm agitur de Demonſtrativo, ſolùm fit mentio temporis præſentis, quia hoc illi proprium eſt, cùm futurum ei commune ſit cum Deliberativo; præteritum cum Juridiciali; præſens cum nullo, tum etiam quia principaliter id tractat; præteritum verò ac futurum rariùs, atque adeo non, niſi ut de præſentibus judicium fiat. Neque enim ſuperſtites laudamus, quòd probi aliquando fuerint: quippe haut laudem merentur, qui à virtute deſciverunt: neque eos extollimus, quòd probi olim ſint futuri: nam

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus;

ut ait poëta Venuſinus †: verùm unum id unicè ſpectamus, cujuſmodi impræſentiarum ſit is, quem exornaturi ſumus: eique rei firmandæ, tum res præclarè geſtas commemoramus; tum è præteritis ac præſentibus de futuris facimus conjecturam: ut liquidò pateat, quamvis genus Demonſtrativum in omnia diffundatur tempora, optimo tamen jure ei præſens duntaxat adſignari. Atque ex his quidem duo utcunque cognoſcere eſt, quot ſint dicendi genera, & quomodo ea differant. Verùm nequid, quod ex re & ad rem ſit, neglexiſſe cuiquam meritò videamur, de utroque pleniùs dicemus. Ac primò aliis quoque modis ea diſtingui oſtendam: deinde reſpondebo argumentis, quibus alii, plura pauciorave eſſe dicendi genera, adſtruere ſunt adnixi.

* *In Κεραμεικ.*
† *Hieronymus in vita Nepotiani.*
‡ *In Epod. Horat. De ſepulcri ejus nigro lapide, ſive leone lapideo, vide Feſtum in Nigrum lapidem, & Dionyſium Halic. lib. 2. ubi de pugna inter Romulum, & Remum.*
* *Salluſt. Catil.*
† *Lib. 3 od. 29.*

Sanè tria hæc genera non ſolùm differunt partibus ſive officio, auditoribus, & tempore circa quod verſantur: de quibus abundè hactenus egimus: verùm illuſtre quoque diſcrimen petitur à ſcopo, idque geminum. Unum eſt ratione auditorum. Nam Demonſtrativum propoſitam habet delectationem auſcultatoris; Deliberativum ſpem aut metum conſultantis; ſpem, ſi ſuadeat Orator; metum, ſi diſſuadeat; Juridiciale clementiam aut ſævitiam Judicis; clementiam, in defenſionibus; ſævitiam, in accuſationibus. Quamquam id perpetuum non eſt. Nam interdum in defenſionibus Orator ad ſævitiam accendit; cujus rei exemplum habemus Orat. pro Roſc. Amer. Alterum diſcrimen eſt ratione rerum. Nam quia nemo fatebitur, ſe ſuadere inutilia, aut laudare turpia, aut feciſſe injuſta; Ariſtoteles principalem Deliberativi finem eſſe voluit utilitatem; Demonſtrativi honeſtatem; Juridicialis juſtitiam & æquitatem. Hinc Arſace apud Heliodorum lib. VIII. Æthiop. ait: Πρὸς ταῦτα ῥητόρευε, ὡς δίκαια, καὶ πρέποντα, καὶ συμφέροντα μάτην ὁριζόμενος. *Ad hæc rhetoricare, & juſta, & decora, & utilia fruſtra definiens.* Nam ſingulorum dicendi generum fines ab eâ nominantur. Et plana eſt diſtinctio, ſi intelligatur, ita evenire ut plurimùm. Alioqui non careat res controverſia. Nam, ſi cum Stoicis volumus argutari, quandoquidem nihil eſt honeſtum vel æquum, quin idem ſit utile; nec quicquam utile, quin idem ſit honeſtum, (ſanè etiam Socrates eos exſecrari ſolet, qui hæc ſe junxiſſent ‡) jam tria hæc genera ſcopo diſtingui non poſſunt. Quod ſi honeſtum & utile, ut Peripatetici ſciſcunt, & re, & ratione inter ſe differunt; ac honeſtum quidem eſt, quod propter ſe expetitur; utile autem, quod expetitur propter aliud: nemo inficias ire poſſit, cùm Oratorem oporteat eſſe virum bonum, quoties, ut ſæpe uſu venit, honeſtum pugnat cum utili, nullius eum rei auctorem futurum eſſe, niſi honeſtæ, & æquæ, etiamſi ea utilitati adverſetur. Ariſtides * certè conſilium, quod à Themiſtocle juſſu Athenienſium ſolus acceperat, eo diſcuſſit, quod perutile quidem eſſet, at minimæ honeſtum. Par fuerit ratio, ſiquem adhortemur, ut, M. Attilii Reguli exemplo, malit ad acerbiſſima reverti ſupplicia, quàm fidem hoſti datam fallere. Item ſicui ſuadeamus, ut potiùs in prœlio fortiter occumbat, quàm turpiſſimas accipiat vitæ conditiones. Neque elabimur, ſi dicamus, honeſtum ac utile, fines eſſe ſubordinatos. Nam in hujuſcemodi non ſuadetur, quod propter aliud experi ſolet; ſed, quod in ſe ac naturâ ſuâ bonum eſt. Neque igitur utilitas proprie finis erit, cùm hæc eorum ſit, quæ ad aliud referuntur; uti quoque ſcripſit Alexander Aphrodiſienſis lib. IV. natur. quæſt. cap. 1. Quare vel aſſerendum cum Quinctiliano †, celerem magis ac rotundam eſſe diſtributionem, quàm veram, quia omnia quodammodo ſtent mutuis auxiliis: in quâ etiam ſententiâ (ne verbis velitari & σκιαμαχεῖν ‡ videamur) eſt illud naturæ miraculum Jul. Scaliger lib. 1. de re poët. cap. 1. vel dicendum; quoties ſuadetur, ut honeſtum præferamus utili, honeſtum induere formam utilis; quia cùm vir bonus omnia honeſtate metiatur, honeſtum inutile conſcientiæ ac nomini ſuo utilius judicat, quàm turpe utile. vel denique dicendum, ita ſtatui, quia ut plurimùm, licet non perpetuò, utilitas ſit generis Deliberativi finis: at adæquatum hujuſce generis finem eſſe Bonum; quo comprehenditur, tum quod propter ſe expoſci debet, cujuſmodi eſt honeſtum; tum quod propter commodum volumus, quale eſt utile; tum quod expetitur voluptatis cauſâ, quod jucundum appellatur. Sanè pro hac ſententiâ facit, quòd apud ſapientes ac probos plus valent argumenta, quæ ab honeſto ducuntur: at apud vulgus magis perſuadent, quæ petuntur ab utili, aut jucundo. Quare qui Bonum fecerit hujuſce generis finem, is univerſa fuerit complexus: ut Boëthio factum lib. IV. in Top. Cic.

‡ *Cic. 3. offic. & 1. de Legg. & Plutarch. lib. 4. Sympoſ.*
* *Plutarchus in Ariſtide.*
† *Lib. 3. cap. 4.*
‡ *Cum umbra depugnare.*

Verùm de fine haut ultra procudo ſermonem. Accedo ad diſcrimen, quod ſumitur à ratione tractandi. Id verò geminum eſt. Neque enim in ſolâ conſiſtit elocutione;

quæ,

* Initio libri ſexti.

que, uti ſuo loco * dicemus, minùs exacta eſt in juridiciali, accuratior in deliberativo, at planè exquiſita in demonſtrativo: verùm etiam in inventione ipsâ, quandoquidem in juridiciali maximè utimur enthymematibus in deliberativo exemplis, in demonſtrativo amplificationibus. Quamquam Demoſthenica in deliberativo quoque magis abundant enthymematis, quam ob cauſſam fortaſſe Pytheas ajebat †, τοὺς λόγους Δημοσθενικοὺς λύχνων ὄζειν ‡. Plus quidem olei, quàm vini, conſumſiſſe Demoſthenem, ſcribit & Hieronymus apologia in Ruffinum, & Diomedes Grammaticus: quod ipſum confirmat, tum Servius, qui eum, uti & Lycurgum, abſtemium fuiſſe ait: tum Lucianus *, qui & ipſe aquam eum bibiſſe refert; contrà quàm Æſchines fecerit, quem tragœdias inter pocula ſcripſiſſe, narrat Calliſthenes.

† Plutarchus, Ælianus, Libanius.
‡ Orationes Demoſthenicas lucernam olere.
* In Encomio Demoſth.

II. Occurritur argumentis, quæ moventur adverſus doctrinam de tribus cauſſarum generibus.

ET hæc dicta ſunto de modis, quibus tria dicendi genera diſtinguuntur. Proximum eſt, ut, quod me facturum receperam, ſerram cum iis reciprocem, qui plura pauciorave eſſe dicendi genera contendunt. Ac pauciora quidem fuerint genera, ſi audimus M. Antonium, qui apud Ciceronem lib. II. de Oratore removere videtur demonſtrativum. Neque enim, quòd laus, aut vituperatio etiam locum habeant extra deliberationem ac judicium, id ei ſatis valida videtur ratio ad adſtruendum hoc genus, quia & alia facit Orator, quæ non conſtituant diſtinctum cauſſæ genus. Verùm nobis, ſive M. Antonius, ſive Tullius, parum valido tibicine hanc videtur ſtatuminare ſententiam. Nam quod ait, Oratorem quoque de aliis tractare, id ſanè verum eſt; ſed, quod pace ejus dixerim, ἀπροσδιόνυσον †. Neque enim, quam adduximus definitionem, ea adæquari eſt Oratoriæ facultatis objecti, ſed ſolius ὑποθέσεως. Laudem verò ac vituperationem eſſe ὑποθέσεως ſpecies, haut inficiabitur, qui ſciat, laudari quoque ac vituperari ſingularia; ὑπόθεσιν autem eſſe quæſtionem de ſingulari inſtitutam.

† Nihil ad rem.

Alium, ac fortaſſe validum magis arietem intorquent alii. Cùm inquiunt, honeſtum & juſtum haut aliter differant, quàm genus & ſpecies: omnino genus juridiciale comprehendi videtur ſub demonſtrativo. Sed facilè etiam hunc impetum eludimus. Neque enim finis ſolùm conſiderari debet ratione rei, ſed etiam auditoris. At hujus ratione in Demonſtrativo finis eſt delectatio; ſub quâ comprehendere nequeas clementiam ac ſævitiam, quæ ſibi in Juridiciali proponit Orator. Adde quòd diverſimodè juſtum conſideratur in hiſce dicendi generibus. Nam in Juridiciali juſtum eſt prædicatum primariæ concluſionis: at in Demonſtrativo eſt medius terminus. Qui enim Ariſtidem laudat, is commendat eum à juſtitiâ, quæ illi Juſti peperit cognomentum. At qui reum defendit, is, in quo auctor injuſtè feciſſe adſerit, in hoc nec tranſverſum unguem ab æquitate receſſiſſe contendit.

Sed ecce Ariſtoteli quoque litem intendit Julius Cæſar Scaliger. Cujus verba adſcribam è libro primo capite primo de re Poët.

Acuto, inquit, *homini, ac primæ alumno Philoſophiæ, videantur juridicialis partes, deliberativa & demonſtrativa. Numquam enim agitur aut defenditur reus ſine laudatione ac vituperatione, vel perſonæ, vel rei, vel facti, vel dicti, vel conſilii: quemadmodum ne ſine deliberatione quidem. Deliberatur enim de ſupplicio rei, aut abſolutione. Quamobrem nequiquam eſſe poterunt ſpecies aut genera cauſarum, propterea quod nulla ſpecies alterius pars eſſe quit.* Ita ſubtiliter Scaliger: ſed, niſi me ratio fugit, etſi in genere Juridiciali quiſpiam laudatur aut vituperatur, non ideo fit demonſtratio pars Juridicialis; (eademque Deliberativi ratio;) quia poſſunt ſpecies diverſæ materiâ convenire; ſed formâ neceſſariò differunt; quæ quia amplitudinem materiæ ad certam reſtringit ſpeciem, iccirco Philoſophis dicitur εἰδοποιός ‡. Quare aliud conſtituitur cauſſæ genus, cùm laus aut vituperatio adhibetur ad honeſtatem aut turpitudinem commonſtrandam; aliud item, cùm ad ſuadendum, diſſuadendúmve; aut ad accuſandum vel defendendum: quandoquidem diverſus in his eſt finis, qui in rebus iſtiuſmodi formæ locum obtinet.

‡ Specifica.

Nec meliori jure plura alii faciunt cauſſarum genera. Videtur iis præter tres iſtos fines, honeſtum, utile, & juſtum, quartus etiam eſſe finis, jucundum. Id ſi eſt, manca, inquiunt, mutiláque fuerit Oratoria, ni quartum tribus illis adjungas dicendi genus, cujus finis ſit voluptas. Certæ apud Maronem * Juno à pulchritudinis voluptate Æolo ſuadet & perſuadet, ut ventos emittat. Verba ejus adpono:

* 1. Æn.

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore nymphæ,
Quarum, quæ formâ pulcherrima, Deiopejam,
Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo.

Verùm ne ab hoc quidem turbine navi noſtræ periculum eſt, ne frangat ratem. Et ratio in promtu eſt, quia cùm utile vel preſsè accipiatur, pro bono, quod commodi cauſsâ expetitur: vel latè, pro quovis bono, quod expetitur propter aliud: hoc loco ſumitur poſteriori modo, quo jucundum comprehenditur ſub utili: cui rei firmandæ nonnulla adferam cap. proximo. Eſt & altera ratio, cur voluptas potis non ſit quartum conſtituere dicendi genus. Nam Rhetorica ancillatur Politicæ: Politicæ finis eſt beatitudo civilis: beatitudo conſiſtit in actione virtutis: virtus autem non proponit ſibi voluptatem, cui qui mancipantur, beſtiis, quàm hominibus, ſunt propiores; ſed honorem; ac publicam utilitatem. Quare etſi Rhetorica, ſi in ſe, h. e. naturâ ſuâ, conſideretur, etiam perſuadeat à voluptate: non tamen voluptas primarius eſt finis; neque quartam parit Rhetoricæ formam, quia eam conſideramus cum Ariſtotele, quà eſt Politicæ famula, h. e. quà ejus amplitudinem Oratores reſtrinxere ad uſum civilem.

At inquit diſertiſſimus Muretus †, tres primæ Ciceronis *in Catilinam orationes ſub nullum ex illis tribus generibus includi queunt.* Mirifica ſanè cenſura, quamque nihil tueatur præter cenſentis auctoritatem. Nos quidem perſuaſiſſimum habemus, eſſe eas omnes generis Deliberativi. At inquit idem, *in primâ nulla deliberatio eſt: quin id tantum agebat Cicero, ut exiret Catilina, quò ipſe poſtea cum Senatu deliberare poſſet. Secundâ autem, itemque tertiâ, nihil aliud agit, quàm ut exponat populo ea, quæ geſta ſunt, eumque confirmet, ac bene ſperare jubeat.* Verùm hæc profectò ἄῤῥητα ἀμείνω ‡. Omnes enim generis deliberativi proprietates his in orationibus concurrunt. Nam primâ hortatur Catilinam, ut urbe exeat. Cui rei firmandæ, quem potiùs in partes advocem, quàm Tullium ipſum? Ait is: *Sin tu, quod te jamdudum hortor, exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna & perniciosa ſentina Reip.* In ſecundâ verò tertiâque populo narrat, quæ geſta erant, ut rebus ſuis proſpiciant. Id indicant verba hæc Orat. II. *Inſtruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinæ copias veſtra præſidia, veſtroſque exercitus: & primum illi* &c. Et aliquanto pòſt: *Quæ cùm ita ſint, Quirites, veſtra tecta cuſtodiis vigiliiſque defendite* &c. Tertiam quoque orationem ita claudit obſignatque: *Vos Quirites, quoniam jam nox eſt, venerati illum Jovem, cuſtodem hujus urbis ac veſtrum, atque in veſtra tecta diſcedite, & ea, quamquam jam periculum eſt depulſum, tamen æquè, ac priori nocte feciſtis, cuſtodiis, vigiliiſque defendite* &c. Hinc verò eâdem illud quoque evincimus, ſpectari in iis tempus futurum; ac finem eſſe utilitatem. Denique etiam auditores conveniunt: quippe qui in primâ ſint ſenatus, in ſecundâ tertiâque concio.

† Præfat. in Catil. 2.

‡ Præſtitiſſe non dici.

Aliis quoque armis idem Muretus inibi veteres impugnat. *Tu*, inquit, *qui Oratorem Hippiam quendam παντοδαῆ * facis, quæro ex te, cum ille de corporum*

* Omniſcium.

cale-

cæleſtium motibus, de fulguribus, de terræmotibus diſputabit: in quo iſtorum trium generum eum verſari dices? neque enim tum laudabit, neque vituperatis; neque ſuadebit, neque diſſuadebit; neque accuſabit, neque defendet. At verè hic plumbeus, quod dicitur, pugio eſt. Nam de hujuſcemodi rebus bifariam tractat Orator: indefinitè, & finitè. Si cognitionis cauſâ de iis agat, indefinita erit quæſtio; eòque res eæ non pertinebunt ad ὑπόθεσιν, quam ſolum veteres in tria iſthæc diſpertiunt genera. Secus ſe res habet, ſi de iis tractet finitè. Tum enim, ſi circa conſultationem verſetur, res hujuſcemodi quoque cenſebuntur generis συμβουλευτικοῦ *: ſin is laudem ſibi, aut vituperationem, propoſitam habeat; referentur ad demonſtrativum. Itaque ſuaſorii generis fuit Periclis † oratio, cùm de iis, quæ ad ſolis lunæque curſum pertinent, diſſeruit apud Athenienſes, quò vanum eorum animis metum abſtergeret, qui Solis obſcuratione internecionem ſibi portendi arbitrabantur. At demonſtrativi ſit generis oratio, ſi quis, Cæſarem vituperaturus, naturales exponat cometarum cauſſas, quò hoc pacto appareat, naturalem fuiſſe ſtellam crinitam, quæ, ut lib. 1. refert Tranquillus, *ludis, quos primò conſecratos ei heres Auguſtus edebat, per ſeptem dies continuos fulſit:* unde & eam *creditum eſt animam eſſe Cæſaris in cælum recepti:* quemadmodum & *hâc de cauſſâ ſimulacro ejus* (ac par nummorum vett. ratio eſt,) *in vertice additur ſtella:* ut idem inibi ſcribit.

* *Deliberativi.*

† *Val. Max l. 8. c. 11. Fab. l. 1. c. 10. Plutar. in Pericle. Plin. l. 2. c. 12.*

Verùm cum excetrâ mihi negotium eſt. Nam, ut illa olim capitum ſemper augeſcebat incremento: ita nobis difficultatem alia ſemper excipit atque alia. Quippe quidam ‡ hic renidens & renitens hypotheſes quoque multas ab Oratore tractari ait, quæ ſub nullo horum trium generum comprehendi queant. Nam neque eo contineri orationes, quibus res geſtas narramus, aut quibus aliquid ſubditis mandamus: neque hortativas, aut petitorias: neque conſolationem aut commendationem: neque gratulationem, aut lamentationem: eſſe autem & alia hujuſcemodi plura. At me quidem hic auſter non percellet. Neque enim veteres quamlibet orationem ſubjiciunt hypotheſi, ſed eam ſolùm in quâ quæſtio eſt de re ſingulari. At nulla eſt quæſtio in orationibus, quibus aut mandamus, aut narramus. Neque hoc, quæ quorundam calumnia eſt, imperfectionem arguit Rhetorices. Nam mandata, ſi ἁπλῶς inſtituantur, ſunt artis expertia; cùm in eorum tractatione non ſit opus locis Inventionis ſive Oratoriæ, ſive Dialecticæ. Sin viſum rationes addere, quibus ad hoc imperandum impulſi ſumus, fit quæſtio generis Deliberativi. Quippe his utimur, ut, in quos fortaſſe haut plenum habemus imperium, ii animis id lubentibus agant, quod vel malignè detrectare quibant, vel præſtare inviti. Vide ſis Catuli hac ipsâ de re ſententiam apud Tull. lib. 11. de Orat.

‡ *Keckermannus in ſyſtemate Rhetorico.*

Narratio quoque, quatenus orationis pars eſt, ad diſpoſitionem Oratoriam pertinet. At ſi ſeparatim inſtituatur, conſidereturque; non tam ad Oratoriam referri debet, quàm ad Hiſtoricam facultatem: de quâ peculiari commentario egi.

Neque eſt, quòd vanâ quemquam ſtipulâ eludant, quæ de gratulatione, lamentatione, aut ſimilibus occinunt. Nam, ut hujuſcemodi ad unum plurave affectuum genera referuntur, quatenus ſunt παθητικὰ ‡; ita meritò ſubjiciuntur generibus cauſſarum, quatenus in iis quæſtio λόγοις, ſive probationibus tractari debet.

‡ *Affectuum cientia.*

Hanc fuiſſe Ariſtotelis mentem, indicio eſt, quod cùm tria feciſſet argumentorum genera, λόγους, ἤθη, πάθη *: de cauſſarum quidem generibus tractet in doctrinâ λόγων, quos variare docet pro cauſſæ varietate: at de affectibus, ex quorum cognitione pendet affectuoſarum orationum tractatio, diſtincto agat libro.

* *Probationes, mores, & affectus.*

Verùm exemplo quoque uno alteróque rem illuſtremus. Sanè oratio funebris, quà laudat defunctum, generis eſt demonſtrativi; eóque & argumenta ex hujuſce generis locis depromit. At quà eſt παθητική, pertinet ad doctrinam affectuum, atque ex eâ argumenta petit, inprimis autem ex loco Doloris. Itidem gratulatio generis demonſtravi eſt, quà bonum extollit, quo quis auctus eſt: at affectuoſa eſt, quà gaudium teſtatur. Hortativa generis eſt deliberativi, quà argumenta petit ab honeſto, utili, jucundo: at affectuoſa eſt; tum quà amorem excitat rei, ad quam inflammat; tum quà æmulationem gignit; tum quà & ſpem parit præmiorum, ſi res ſuſcipiatur, & metum gignit contrariorum, ſi ea negligatur. Ut itaque rem in pauca conferam, ita ſtatuo: cum orationum aliæ magis reſpiciant intellectum, aliæ verò affectum: ac illæ quidem magis egeant argumentis ἀποδεικτικοῖς †, hæ autem παθητικοῖς ‡: omnes quidem orationes, quà λόγοις egent, ſubjici tribus cauſſarum generibus; at eaſdem quà ſunt affectuoſæ, ad παθολογίαν pertinere; indeque depromi debere argumenta, quibus tractentur. Quod ſiqua oratio ſit, quæ nullis indigeat argumentis ἀποδεικτικοῖς, ea quidem non poterit referri ad aliquod è tribus cauſſarum generibus: attamen quia quæſtio non erit, eo neque iſti hypotheſios ſive quæſtionis definitæ diſtributioni in tria genera quicquam derogabit.

† *Probationibus.*

‡ *Affectum moventibus.*

III. Quicum tria caussarum genera conferantur: atque ut in orationibus, ubi plura dicendi genera concurrunt, unum tamen dominetur.

Verum de hiſce tandem aliquando pauſam faciamus, ac ſermonem convertamus ad alia. Ac primò occurrit illud, leve profectò, & de quo ambigam, magiſne pigeat præterire, an referre. Nonnulli * tria hæc dicendi genera triplici Chimæræ formâ deſignari putarunt, quemadmodum & ſunt, qui fabulam hanc interpretati ſunt de tribus potiſſimis orationis partibus, Exordio, Contentione (ſub quâ propoſitionem comprehendunt) & Peroratione. Sed hac de re diſceptationem relinquam iſtius μυθολογίας † autoribus; cùm mihi ſanè non tantùm longè arceſſita, ſed etiam φορτική ‡, & inſubida videatur.

* *Heſiodi ſcholiaſt. in Θεογον. & ex eo Cælius Rhodigin. lib. 13. cap. 9.*

† *Fabulæ enarrationis.*

‡ *Inſulſa.*

Illud magis operæ pretium fuerit monuiſſe, quamvis plura ſæpe dicendi genera in unâ eâdemque concurrant oratione; ſemper tamen aliquod eſſe genus primarium, quod maximè attenditur. Ita oratio pro Marcello ratione primarii ſcopi, qui eſt, Cæſari gratias agere pro reſtitutione Marcelli, pertinet ad genus Demonſtrativum. Nam qui gratias agit, beneficium laudat & extollit. At ubi in eâdem defendit illos, à quibus ſuſpicabatur Cæſar vitæ ſuæ inſidias ſtrui, generis eſt Juridicialis. Quâ parte adhortatur eum, ut ob communem ſalutem ſuæ conſulat ſaluti, ad Deliberativum referenda eſt. Et oratio Maniliana verſatur in genere Deliberativo. Nam etſi multa dicuntur in laudem Pompeji: tamen præcipua quæſtio eſt, an Pompejus ſit eligendus ad perſequendas reliquias belli Mithridatici.

Atque hinc liquet, Eccleſiaſticas quoque conciones generis eſſe Deliberativi. Laudantur quidem in iis, ac vituperantur plurima: verùm non ad delectationem, uti in Demonſtrativo fieri ſolet; ſed quò auditores ſanctis ſanctorum exemplis inflammentur ad ſanctimoniam; eorundem peccatis humanæ admoneantur fragilitatis; impiorum pœnis deterreantur ab impiorum moribus. Tractantur quoque in iis multa, quæ ſub hypotheſi non continentur; uti cùm Trinitatis, aut ſalutaris ἐνανθρωπήσεως * myſterium exponitur, vel propugnatur. Verùm etſi hujuſcemodi propriè & primò pertineant ad quæſtionem infinitam: tamen eo induere videntur naturam generis Deliberativi, quòd ſcientia eorum non expetatur propter ſe, ſed ob ulteriorem finem: is eſt, tum commune bonum, h. e. Dei gloria; tum ſingulare in communi conſiſtens, h. e. noſtri glorificatio; quæ & à gloriâ Dei proficiſcitur, & in gloriâ Dei perficitur, & ad Dei gloriam tendit.

* *Incarnationis.*

IV. Tria

IV. Tria dicendi genera vel abſolute tractari, vel comparate.

PRoximum eſt, ut quædam univerſè exponamus de ratione, ac viâ tractandi tria hæc dicendi genera. Tractatio ea inſtituitur bifariam, abſolutè, & comparatè. Abſolutè tractari dicuntur, cùm ἁπλῶς* oſtenditur, aliquid eſſe utile, honeſtum, juſtum. Comparatio verò appellatur, cùm docemus, aliud alio eſſe utilius, honeſtius, juſtius. Prioris generis fuerit, ſi nullâ comparatione factâ, aut Homerum laudes, aut Tullium: præterea ſi juventutem adhorteris ad ſtudium eloquentiæ, aut philoſophiæ: item ſi in jus voces furem, aut adulterum. At comparatio fit, ſi quæratur, majoremne laudem mereatur Homerus, an Maro; Demoſthenes, an Cicero: magiſne viro principi eloquentiæ danda ſit opera, an philoſophiæ: num atrociùs puniendus ſit fur, an adulter. De ratione inſtituendæ comparationis, non eſt quòd multùm laboremus. Siquidem, qui proprios nôrit, aſſumtoſque locos, is ex Topicis comparatorum locis, ac iis, quæ ab Ariſtotele in Rhetoricis traduntur de magno & parvo, nullo negotio perſpicere poterit, quo pacto in unoquoque genere inſtituenda ſit comparatio.

* *Simpliciter.*

V. Aliis e locis tractari thesin, quam Hypothesin; ac, præter locorum doctrinam, etiam propositionum notitiam requiri.

POrrò, ſive abſolutè, ſive comparatè inſtituitur tractatio, aliquanto alia theſios, quàm hypotheſios tractandæ ratio eſt. Interdum enim loci ita proprii ſunt quæſtionis finitæ, ut infinitæ accommodari non poſſint. Quomodo, Xenophontem laudaturus, patriam adferes, quòd Athenienſis; item eruditionem, & res geſtas, quia idem philoſophus ac dux fortis fuit: ac par ratio aliorum, quæ ad peculiares Rhetorum locos pertinent. At ſi hominem univerſè voles laudare, non ſpeciales hi loci conſuli debent; ſed illi, qui Dialectico & Rhetori ſunt communes: uti locus efficientis, quia Dei ipſius opus eſt: item formæ, quia rationis eſt particeps; & ita in aliis. Verumtamen & ſæpe uſu venit, ut iiſdem ex locis generalis ac ſpecialis quæſtio tractetur: ut, An ducenda ſit uxor: & illa, An ducenda ſit Catoni. Quocirca ita de his quæſtionis finitæ generibus inferiùs agam, ut ab ea ſubinde adſcendam ad infinitam.

Obſervandum præterea, in tractatione trium generum exigi cognitionem principiorum, quibus veritas in ſingulis dignoſcatur inventionis locis. Sanè, ſicuti Ariſtoteles in Topicis non tantùm locos tradidit ad inveniendum, ſed etiam canonas ad judicandum: ita de his tribus generibus, non ſolùm aſſignat ſedes argumentorum; ſed & copiam adducit propoſitionum, quas in ſingulis generibus, velut in procinctu paratas habeamus. Sed quemadmodum in Logicis contigit, ut nonnulli, quos χθὲς ϗ πρώην † novitatis ſtudium infatuaverat, locos tantummodo docerent, regulis, quas Maximas vocant, inſuper habitis: itidem plerique omnes veterum ac recentiorum εὐπορίαν ‡ hanc Rhetoricam mutilatè docuerunt, præteritâ illâ ampliſſimâ canonum ac propoſitionum doctrinâ. Si igitur in eo ſimus omnes, ut in diſciplinarum exercitu ſolidæ potiùs, quàm umbratilis gloriæ, ſtipendia mereamus, ac plenam veramque doctrinam anteponamus miſcellæ, & quaſi confuſaneæ ac tumultuariæ exercitationi, (πεφυρμένην ἄσκησιν, qualem Gorgiæ, Protagoræ, cæteriſque de Sophiſtarum grege attribuit Halicarnaſſenſis *; ac nos agnoſcimus in iis, qui νῦν καὶ χθὲς †, proſcindendo Ariſtotelem conviciis, infelicem apud ſuos ſunt gloriam aucupati) his quidem, quæ vulgò tradi ſolent, adjungemus, quæ ingenioſè nervoſeque tradita ſunt ab uno penè Ariſtotele.

† *Heri, & nudiuſtertius.*

‡ *Argumenti inventionem.*

* *In Iſocrat.*

† *Hodie atque heri*

Atque hæc generatim de tribus dicendi generibus dicta ſunto. Nunc de ſingulis videamus ſingulatim.

Cap. IV.

De genere deliberativo.

In genere deliberativo duo inprimis ſunt cognoſcenda; primò, de quibus; deinde, ex quibus inſtituitur deliberatio: illud Materiam vocamus, hoc Locos argumentorum.

Materia eſt, quicquid à nobis fieri poteſt, ſive id publicum ſit, ſive privatum.

Res, de quâ publicè inſtituitur deliberatio, Ariſtoteli quintuplex eſt; nempe pecunia, pax & bellum; regionum præſidia; ea quæ exportantur, & importantur; ac poſtremò leges.

Loci Hermogeni ſunt ſex: ex quibus proprius Deliberativi generis eſt utile. Sed aſſumit è genere Demonſtrativo Honeſtum; ex Juridiciali Æquum, & Legitimum: adhibet etiam è locis communibus Poſſibile: atque ex omnibus his colligit de Eventu.

I. Cur Aristoteles ordiatur a genere Deliberativo.

E Tribus dicendi generibus, utrum à Deliberativo, an Demonſtrativo initium ſumamus, non uſque adeo refert. Si facilitatis habenda ſit ratio, primum ſibi locum vindicat Demonſtrativum. Itaque ab eo ordimur in Partitionibus noſtris. Hic Ariſtotelem potiùs ſequemur, qui primo loco tractat de συμβουλευτικῷ ſive Deliberativo: idque propter ejus dignitatem. Nam bonum quodque quo communius, hoc notius eſt: at deliberatur publicitus de iis, quæ ad ſtatum Reip. pertinent: judicia verò, quamvis publica, ſunt tamen de rebus privatis; uti de pecuniariis controverſiis, pactionibus, aliiſque id genus rebus. Quodque ad Demonſtrativum genus attinet, interdum quidem eo ſeorſum utitur orator, præſertim in orationibus funebribus: attamen raró id facit, ſed deliberationi fere, aut judicio admiſcet: unde eſt, quòd M. Antonius apud Cic. in ſecundo de Oratore tertium hoc genus non videatur agnoſcere. Et ſanè in tot orationibus Tullii, duabus exceptis, unâ ad Quirites; alterâ, quam in Senatu habuit poſt reditum ab exilio, nullam, puto, reperias, quæ propriè ſit generis Demonſtrativi. Nam Maniliana magis eſt generis Deliberativi, ut ſuprà vidimus. At Philippicâ ſecundâ defendit ſe Tullius, Antonium accuſat: atque id fine eo, ut ille patriæ hoſtis judicetur. Quare omnino magis pertinet ad genus Deliberativum, ac Juridiciale.

Addam etiam alterum argumentum. Nam Latini quoque Rhetores (qui in duplici verſabantur materiâ, Suaſoriis nempe, quæ ad genus Deliberativum pertinent; & Controverſiis, quæ generis ſunt Juridiacilis) à Deliberativo ordiri ſolent. Quippe, ut ex Quinctiliano ‡, Tacito *, aliiſque †, videre eſt, pueros quidem excolebant in Suaſoriis, ut facilioribus & minoris uſus: provectiores verò in Controverſiis exercebant, tanquam operoſioribus, & ad ipſum forum pertinentibus, ad quem velut ſcopum Rhetores penè ſolùm collineabant. Verùm quòd genus Deliberativum putârunt facilius eſſe Juridiciali, toto cœlo errarunt; ut cap. IX. ex Ariſtotele oſtenſuri ſumus.

‡ *Lib. 2. cap. 1.*

* *In dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ; quem alii Fabii, vel alterius, putant.*

† *Uti Seneca lib. 6. controv. ubi de Severo Caſſio loquitur.*

II. De aliis appellationibus generis ΣΥΜΒΟΥΛΕΥΤΙΚΟΥ.

DIcitur autem hoc genus alio quoque nomine Δημηγορικὸν, & Ἐκκλησιαστικὸν, ſive Concionale; quia apud Græcos in concione ſoleat conſultari; quod apud Romanos maximè in Senatu fieri conſuevit. Nam hi judicia exercebant in foro, conſilia autem inibant in curiâ.

Quod diſcrimen oſtendit iſte Taciti locus lib. III. Annal. *Id ſolùm Germanico ſuper leges præſtiterimus, quod in curiâ potiùs, quàm in foro; apud Senatum, quàm apud Judices, de morte ejus anquiritur.* At Athenienſes, ut dixi, deliberabant ἐν ἐκκλησίαις: quæ duplices erant, ut ex Ariſtophanis interprete in Acharn. cognoſcimus: aliæ κυρίαι dicebantur, quæ erant νόμιμοι, καὶ ὡρισμέναι, hoc eſt, legitimæ ac ſtatæ (ſtatis enim temporibus fiebant:) aliæ autem extra ordinem cogebantur, urgentibus quibuſdam negotiis: quas συγκλήτους, & προσκλήτους, vocabant. Vide & Pollucem, Arpocrationem, Ammonium, atque alios.

III. De generis hujus materia, fine, tempore, ac partibus.

** Quæ videntur in utramque partem cadere poſſe.*

MAteria generis Deliberativi ſunt res in manu ac arbitrio noſtro poſitæ: τὰ φαινόμενα ἀμφοτέρως ἔχειν *, ut Ariſtoteles ſcribit. Senſit idem Tullius; qui ſecundo de Oratore auctor eſt, incîdi deliberationem omnem, ſi intelligatur, quidpiam fieri non poſſe, aut imponatur neceſſitas. *Neque enim quiſquam*, ut idem in Partitionibus ait, *deliberat, quâ ratione perpetuò victurus ſit; quoniam intelligit, ſibi moriendi neceſſitatem incumbere: neque quiſquam deliberat, quomodo volare poſſit: ſcit enim ſibi alas non adeſſe.* Vide Ariſtotelem lib. III. Eth. Nicom. cap. III.

Finis generis Deliberativi Ariſtoteli, & Ciceroni in Partit., eſt utilitas. Idem Tullius lib. II. de Oratore in perſonâ Antonii diſputat, finem ejus eſſe dignitatem: *Ergo*, inquit, *in ſuadendo nihil eſt optabilius, quàm dignitas. Nam qui utilitatem putat, non quid maximè velit ſuaſor; ſed quid interdum magis ſequatur, videt.* At lib. II. de Inventione honeſtatem & utilitatem finem facit: eſtque in eâdem ſententiâ Fabius lib. III. cap. VIII. Trapezuntius quoque lib. IV. Rhet. *id quod ex honeſto, ac utili, intellectu in unum conflatur finem eſſe deliberationis* affirmat. Quæ noſtra ſit in hac opinionum varietate ſententia, ſuperiori capite oſtendimus. Nunc illud addo, multis in reip. adminiſtratione idem eſſe viſum, utile, & juſtum. Certè Lyſander Lacedæmonius, teſte Plutarcho, utili utebatur tanquam honeſto: ac Alcibiades quoque in eo, quòd juſtitiam publico metiretur emolumento, eidem imitatus dicitur τοὺς ἀρίστους Λακεδαιμονίων, οἷς ἓν καλὸν ἁπλῶς καὶ δίκαιόν ἐστι, τὸ τῆς πατρίδος συμφέρον †. Quid quòd Ariſtides, qui & Juſti nomen reportavit, ex quorundam ſententiâ pariter animatus fuit: Sanè, quemadmodum idem ſcribit, Ὁ Θεόφραστός φησι, τὸν ἄνδρα τοῦτον, περὶ τὰ οἰκεῖα, καὶ τοὺς πολίτας, ἄκρως ὄντα δίκαιον, ἐν τοῖς κοινοῖς πολλὰ πρᾶξαι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆς πατρίδος, ὡς συχνῆς ἀδικίας δεομένην. Καὶ γὰρ τὰ χρήματά φησιν ἐκ Δήλου βουλευομένων Ἀθήναζε κομίσαι παρὰ τὰς συνθήκας, καὶ Σαμίων εἰσηγουμένων, εἰπεῖν ἐκεῖνον, ὡς οὐ δίκαιον μὲν, συμφέρον δὲ τοῦτ' ἐστί. h. e. *Theophraſtus ait, hunc virum in rebus privatis & erga cives ſummè juſtum, in publicis verò multa feciſſe ad tempora patriæ, quaſi illis injuſtitiâ crebrò opus eſſet. Etenim cùm deliberaretur, num pecuniam ex Delo Athenas deportarent contra fœdus, & Samii ejuſce rei auctores eſſent; dixiſſe eum, iniquum id quidem, attamen utile eſſe.* Verùm longè ſaniùs de hujuſcemodi rebus ſenſit & ſcripſit Tullius in aureis Officiorum libris.

† Præterea Lacedæmoniorum, quibus honeſtum juſtumque ſimpliciter erat unum patriæ commodum.

Tempus, circa quod verſatur genus Deliberativum, futurum eſſe, cap. antecedenti diximus. Nam quod Demoſthenes pro Cteſiphonte verſari dicit circa τὸ μέλλον, ἢ τὸ παρὸν ‡: quod item Tullius *, ſub perſonâ M. Antonii, interdum inſtantis atque etiam facti diſceptationem eſſe ſcribit in Deliberativo: id certè verum non eſt, niſi quatenus & inſtans & factum ad futurum refertur. Ut cùm aliqua narrantur, quò ex rerum geſtarum relatione rectiùs inſtitui poſſit deliberatio. Interdum tamen deliberatio quoque in judicio locum habet: quod cùm ſit, videri profectò queat circa præteritum verſari. Exemplum ejuſce rei dabo. L. Flaccus, cùm in Aſiâ prætor eſſet, communi civitatum impensâ claſſem ædificavit, quò tuta redderet maria, quæ a prædonibus infeſtabantur. Poſt illa in jus vocatus eſt, quòd, cùm opus non eſſet, claſſem exſtruxiſſet. Hic quoniam deliberatio ejus accuſatur tanquam inutilis; iccirco, quibus rationibus rem ſuaſiſſet infectam, iiſdem defendit factam. Movit id Trapezuntium, ut in cauſâ hâc duplicem poneret ſtatum; Negotialem, & Juridicialem. Atqui Negotialis ſemper eſt de futuro; Juridicialis de præterito. Quare quiſquis hæc expendet ad judicii obruſſam, is mecum, puto, perſuaſiſſimum habebit, cauſſas hujuſcemodi haut alius eſſe generis, quàm Juridicialis. Sanè Deliberativi generis dici nequeunt, cùm rei factæ nulla ſit deliberatio.

‡ Futurum, aut inſtans.
** 2. De Orat.*

Partes generis Deliberativi, quod & antea monuimus, ſunt ſuaſio, & diſſuaſio, προτροπὴ καὶ ἀποτροπή: unde etiam orationes, quæ in hoc genere verſantur, dicuntur Suaſoriæ. Sed Jul. Scal. lib. I. cap. I. de re Poët. negat ita appellari poſſe. *Haut rectè*, inquit, *Deliberativi generis orationes Suaſoriæ à quibuſdam ſunt appellatæ. Eſt enim finis omnium ſuaſio. Quid enim aliud oratio quàm fidem facit? Hoc autem eſt perſuadere.* Verùm ſi ab heroë illo diſſentire fas eſt, non exiſtimo carere ratione, quod orationes iſtiuſmodi Suaſorias nuncuparint. Neque enim inſolens eſt, ut una eademque vox, prout vel latiùs accipitur, vel preſſiùs, nunc genus ſit, nunc ſpecies. Ita Logici methodum, in ordinem & methodum dividunt, & ipſe Philoſophus V. φυσικῆς ἀκροάσεως motum generatim acceptum, dividit in mutationem, & motum propriè dictum. Itidem in III. Polit. tres πολιτείας formas facit; μοναρχίαν, ἀριστοκρατίαν, & πολιτείαν. Sed & primo Rhetoricorum, cùm σημεῖον, ſive ſignum, primò generatim uſurpâſſet, mox diſtribuit in τεκμήριον, h. e. ſignum neceſſarium, & σημεῖον, h. e. ſignum non neceſſarium, quemadmodum ſupra † vidimus. Dicimus igitur, Rhetores, nunc latiùs ſuaſionis voce uti, ut cùm Rhetorices finem ſtatuunt perſuaſionem; nunc preſſiùs, ut cùm Deliberativi generis proprium dicunt ſuadere, aut diſſuadere. Imò ipſe Scaliger lib. III. de re Poët. cap. CXXVI. nominat *Genus Judiciale, Suaſorium, & Demonſtrativum.* Et meritò. Quis enim non videt, propriè magis illum dici ſuadere, qui auctor eſt, ut bellum inferatur hoſti, aut ut vectigalia augeantur: minùs autem propriè id ei convenire, qui laudat, aut accuſat; quamquam is quoque, quicquid refert, perſuaſum eſſe cupiat auditoribus? Ac, ne cui mirum videatur, quod dixi de duplici ejus vocis acceptione, addo, etiam tertiam eſſe ſignificationem, quâ preſſiùs, quàm hoc loco, accipiatur. Siquidem non rarò diſtinguitur ab hortatione, quam ſuaſioni cap. antecedenti ſubjiciebamus. Nam propriè ſuademus utile, quod ſolùm expedit; at hortamur etiam ad utile neceſſarium. Ita hoſte jam cervicibus imminente, nemo propriè pugnam ſuadet, quam detrectare non licet; ſed adhortabitur omnes ad fortiter pugnandum, aut fortiter occumbendum. Eſt & alterum inter ea diſcrimen. Nam ſuaſio propriè reſpicit intellectum; adhortatio verò affectum. Itaque ſuadet quoque vir prudens, cùm ſolis utitur argumentis ἀποδεικτικοῖς ‡, atque adeò cùm nullas conſilii ſui rationes exponit. At horum alterum ſi contingat, impropriè quempiam dixeris adhortari. Contrà adhortatur quoque, qui ſolis utitur argumentis παθητικοῖς *, quò iis animo faces ſtimuloſque ſubdat. At hunc impropriè dicas ſuadere. Cùm autem in perfectâ Deliberativi generis oratione, & id, de quo conſultatio eſt, argumentis debeat probari, & auditorum animi ad rem gerendam debeant inflammari: liquidò dilucet, tum ſuaſionem preſsè ſumtam, tum adhortationem, partes eſſe orationis ſuaſoriæ, quatenus primum è tribus conſtituit cauſſæ genus: ut ſuperiori etiam capite dicebamus.

† Cap. 2.
‡ Probantibus.
** Affectum moventibus.*

Neque hortativæ ſolùm ſub ſuaſoriis comprehenduntur; verùm & orationes conſolatoriæ, petitoriæ, ac ſimiles. Omnis quidem conſolatoria eſt affectuoſa, tum quia in eâ benevolentiam teſtamur, & amorem; tum

quo-

quoniam nos oſtendimus tangi & angi alieno damno; tum quòd ſpem boni concitemus, quod malo huic opponi queat; tum denique eò, quòd pudorem ingerimus ob animum effeminatum, ac æmulationem excitamus eorum exemplis, qui Vulcanio quodam ſcuto excepere omnes calamitatum ictus. Meritò nihilominus cenſetur generis Deliberativi, ratione argumentorum συμβουλευτικῶν, quæ ex hujuſce generis locis depromuntur: ut *ab honeſto*, quòd, qui homo ſit, non debeat humani aliquid à ſe alienum putare: quodque oporteat, acquieſcere divinæ voluntati, quæ infortunia non modò permittat, ſed quoque immittat*: *ab inutili*, quod dolore noſtro rem reprehendere, infectamque reddere nequeamus, quódque mœror coquat ac maceret hominem, &c. Petitoria quoque, etſi ſit παθητική, quatenus ad conciliandum auditorem argumenta petit è loco amoris, ubi item, ad captandam miſericordiam, inopiam ac miſeriam ſuam commemorat: eſt tamen Deliberativi generis, quia utitur λόγοις ſive argumentis probantibus: ut cùm quis oſtendit, id ſe rogare, quod alter nullo ſuo damno poſſit concedere, atque adeò ex quo ad ipſum quoque fructus redire queat; aliaque iſtiuſmodi.

* Job. 1. 21. Pſal. 39. 9.

IV. De locis generis deliberativi.

Loci ſive capita generis Deliberativi ἐν τῇ κατασκευῇ ſive confirmatione à Dionyſio Halicarnaſſenſi † quatuor ponuntur; juſtum, utile, honeſtum, & poſſibile: ἡ ζήτησις, inquit, ἐν τέτταρσι τοῖς τῆς συμβουλῆς κεφαλαίοις, τῷ δικαίῳ, τῷ συμφέροντι, τῷ καλῷ, τῷ δυνατῷ. At Hermogeni ſunt ſex: τὸ νόμιμον, *legitimum*; τὸ δίκαιον, *juſtum*; τὸ συμφέρον, *utile*; τὸ δυνατὸν, *poſſibile*; τὸ ἔνδοξον, *honeſtum ac glorioſum*; τὸ ἐκβησόμενον ἀγαθὸν, *eventurum bonum*. Itidem ἐν τῇ ἀνασκευῇ, ſive in refutatione, loci hujus generis ſunt, τὸ ἄνομον, τὸ ἄδικον, τὸ βλαβερὸν, τὸ ἀδύνατον, τὸ ἄδοξον, τὸ ἐνδεχόμενον κακόν. Ex his utile & inutile locus eſt Deliberativi generis proprius. Honeſtum aſſumtus locus eſt è genere Demonſtrativo. Neque τὸ νόμιμον, *jus ſcriptum*, (qui locus eſt ἄτεχνος ‡) vel τὸ δίκαιον, *jus non ſcriptum*, è peculiaribus depromitur loculis: ſed è Juridiciali. Δυνατὸν, *poſſibile*, locus eſt communis, de quo ſuprà pauca diximus. Sub eo autem comprehenditur facile & difficile. Nam quidquid fieri poteſt, id vel facilè vel difficulter fit, ſive ἁπλῶς *, ſive inſtitutâ comparatione. Poſſibili & impoſſibili addo ex Ariſtotele, ac quaſi ſuccenturio, magnum ac parvum. Nam etſi ab Hermogene prætereatur, non tamen minùs in Deliberativo locus hic communis adhibetur, quàm poſſibile. Ex his omnibus colligimus τὸ ἐκβησόμενον; quod nempe, quomodocunque res cadat, meliùs erit ſic egiſſe. Quomodo autem Hermogenici hi loci tractari debeant, oſtendam cap. IX. in ſtatu Negotiali; qui generis Deliberativi proprius eſt. Addunt & quidam jucundum & injucundum: è quibus etiam locis argumentamur in hoc genere; velut cùm ad ſtudium diſciplinæ alicujus adhortamur. Nam benè olim Varro Cato, ſive de liberis educandis: *Remotiſſimum*, inquit, *ad diſcendum*, *formido*, *nimius timor*, *& omnis perturbatio animi*; *contrà delectatio protelum ad diſcendum*. Alii verò jucundum, & injucundum, comprehendi putant ſub utili & inutili, ut ejus ſpeciem: & rectè; cùm jucundum ita dicatur, quia juvat, teſte Tullio in II. de Finibus; ideóque per *u* potius ſcribendum, quàm per *o*, quaſi ſit à joco. Neque opus eſt, ut neceſſarium locis Hermogenis adjiciamus. Nam neceſſarium eſt, quod ita utile eſt, ut ſine eo res *nec eſſe* poſſit: unde & nomen fortaſſis. Maximè autem è ſeptem locis vulgò adhibentur argumenta è locis ab utili, ab honeſto, à poſſibili. Exemplum habes in illis Hectoris verbis, quibus Æneam compellat lib. II. divini operis:

Heu fuge, nate Deâ, teque his, ait, eripe flammis:
Hoſtis habet muros: ruit alto à culmine Troja:
Sat Priamo patriæque datum. ſi Pergama dextrâ
Defendi poſſent, etiam hâc defenſa fuiſſent.

† Ἐν τέχνῃ.
‡ Artis expers.
* Simpliciter.

Quâ in oratione primò Hector ſive Poëta proponit, cùm fugiendum ait: inde confirmat. Confirmatio autem petitur, partim ab argumentis propriis huic generi; partim à communibus. A propriis bifariam; ab utili, & ab honeſto. Ab utili, cum operam ait in caſſum inſumi in tuendâ Trojâ. Ab honeſto, cùm adjungit, abunde Æneam conſuluiſſe, & regis, & patriæ honori. Cúmque argumenta communia ſint poſſibile & impoſſibile; magnum & parvum: utitur Hector argumento petito, tum ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου †, tum à comparatione; nempe à magis ad minùs. Nam ſententia eſt, ſi nec Hector valuerit Trojam defendere, multo minùs id poterit Æneas. Item Cicero Philippicâ VII. pacem cum Antonio diſſuadet tribus iſtis; inhoneſto, noxio, impoſſibili. Sic enim inter alia loquitur: *Ego ille pacis ſemper laudator*, *ſemper auctor*, *pacem cum M. Antonio eſſe nolo.* Et mox: *Cur igitur pacem nolo? quia turpis eſt*, *quia perículoſa*, *quia eſſe non poteſt: quæ tria dum explico*, *peto à vobis*, *P.C.*, *ut eadem benignitate*, *quâ ſoletis*, *verba mea audiatis.* Adjungam quoque exordium ſingularum partium. Prima ſic incipit: *Quid eſt inconſtantia*, *mobilitate*, *levitate*, *cùm ſingulis hominibus*, *tum verò univerſo ſenatus turpiùs*, *quid porrò inconſtantius*, *quàm*, *quem modo hoſtem non verbo*, *ſed re*, *multis decretis judicavìſtis*, *cum hoc ſubitò pace velle conjungi?* Alteram hunc in modum orditur: *Dicam deinceps*, *ut propoſui*, *de periculo: quod etſi minus eſt fugiendum*, *quàm turpitudo: tamen offendit animos majoris partis hominum magis.* Tertiam auſpicatur ab iſtis verbis: *Dixi de periculo: docebo*, *ne coagmentari quidem poſſe pacem. de tribus enim*, *quæ propoſui*, *hoc extremum eſt.*

† Ab impoſſibili.

V. De materia consultationis publicæ.

Ex his pauculis dubium non eſt, quin generatim natura & tractio ſuaſionis perſpiciatur. Sed quota eorum pars ſunt, quæ ab Ariſtotele traduntur? aut quotuſquiſque eſt, qui hâc ſolùm inſtructus notitiâ in publicâ hujuſce generis cauſſâ cum laude verſari queat? Quare, ne eorum inſtar, qui contenti ſunt circulatoriâ voluptate & applauſu, in cognitione hâc obſcurâ ſubſiſtamus: viſum quoque, aliqua ſpeciatim adjungere de conſultationibus publicis. Primò autem de earum materiâ dicemus; deinde de fine.

Ac varia quidem ſunt, de quibus publicitus inſtitui poteſt deliberatio. Quinque autem hæc principem locum obtinent: primò pecuniæ; deinde pax, & bellum; tertiò regionum præſidia; hinc ea, quæ exportantur, & importantur; poſtremò leges. Quorum pleraque etiam Tacitus complectitur lib. XIII. Annal. orat. adverſus Thraſeam: *Cur*, *ſi Remp. egere libertate Senatoria crederet*, *tam levia conſectaretur? quin de bello*, *aut pace*, *de vectigalibus*, *& legibus*, *quibuſque aliis Romana continentur*, *ſuaderet*, *diſſuaderetve?* De pecuniis duo obſervanda: primò, reditus publici; deinde ſumtus civitatis. De bello & pace tenenda quatuor: primò vires militares civitatis; deinde bella ejus, itemque finitimorum, & illorum, quibuſcum bellum gerere cogitamus; tertiò, an vires noſtræ pares ſint hoſtilibus, nec ne; quartò, bella quævis externa, quò inde conjecturam capere liceat de belli noſtri eventu. De cuſtodiâ regionis itidem conſideranda ſunt quatuor: primò modus cuſtodiendi: puta utrùm ea cuſtodiri debeat copiis equeſtribus, an pedeſtribus, triremibus, an propugnaculis: deinde numerus cuſtodum: tertiò forma præſidiorum, quâ nempe formâ propugnacula aut caſtra ſint extruenda; (prout Ariſtotelis locum interpretatur Riccobonus:) quartò loca præſidiorum, quando non omnibus par imminet periculum. De ratione annonæ duo ſunt ſcienda: primò, quantum civitati opus ſit ad rem cibariam; deinde quid in agris noſtris proveniat, & quid opus ſit aliunde apportari.

Denique de legibus, (in quibus civitatis ſalus poſita eſt, ut fuſe diſputat Demoſthenes oratione contra Ariſtogitonem) quatuor hæc cognoſcenda ſunt: primò, quot, & quæ ſint formæ Reip. deinde, quæ unicuique proſint: tertiò, quibus de cauſſis everti aut converti ſoleant Reip. formæ: quartò, quod genus Reip. civitati noſtræ, quod item aliis ſit utile; ad cujus rei cognitionem conducunt hiſtoria, & peregrinatio. Ac de his quidem omnibus agit Ariſt. cap. IV. juxta vulgarem diviſionem, ſive XX. ſecundùm partitionem Danielis Barbari; quam etiam ſecutus Majoragius; itemque is, qui Rhetorica Ariſtotelis edidit cum commentariis Sturmianis.

VI. De fine publicæ consultationis: Sive de beatitudine civili, et partibus ejus.

PErſpectâ hujus generis materiâ, perpendemus, quæ Ariſtoteles tractat de Fine deliberantium: nempe de εὐδαιμονίᾳ πολιτικῇ i. felicitate; vel, prout mavult Victorius, beatitudine civili. Ea Ariſtoteli, cùm aliis modis, tum etiam definitur εὐπραξία μετ᾽ ἀρετῆς, quod Muretus tranſtulit, *bonus rerum ſucceſſus cum virtute conjunctus*. Sed alibi definitur, ἐνέργεια ψυχῆς λογικῆς, κατ᾽ ἀρετὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ. h. e. *operatio, ſeu actio animæ rationalis, ſecundum virtutem optimam, & perfectiſſimam, in vitâ perfectâ*. Habes eam definitionem lib. I. Ethicorum Nicomachicorum; ubi de illâ accuratè tractat auctor: qui profectò non eſt alius ab Ariſtotele, quantumvis Tullius in quinto de Finibus, ab ejus filio Nicomacho confecta eſſe, indeque Nicomachia dici, ſuſpicetur. At omnium accuratiſſima erit definitio, ſi dicamus, beatitudinem eſſe bonum perfectum & optimum, pendens ab animæ rationalis actione & virtute in vitâ perfectâ. Siquidem cauſſa nequit eſſe genus *, quod in ſuperiori fit definitione: neque genus cum ſpecie ſitâ reciprocatur †, quod quidem fiat, ſi genus ſit cauſſa adæquata. Quocirca cauſſa accidentium propriorum ſola minimè conſtituit definitionem: ſed tantùm conjuncta eſſentiali, quæ iſtiuſmodi eſt apud Ariſtotelem: εὐδαιμονία ἐστὶν ἀγαθὸν τέλειον ἢ ἄριστον ‡. Jure autem in Rhetoricis Ariſtoteles, ut aliarum rerum multarum, ita beatitudinis quoque definitiones adfert minùs accuratas; quia cum Rhetorica non ſit ſcientia, ſed facultas; ſiquis ubique ἀκρίβειαν * illam exigat, tacitè naturam deſtruat facultatis.

* *Ariſt. 4. Top cap. 1. cont. 3.* † *Idem ibidem context. 2. & 9. Et lib. Categ. cap. de ſubſt. cont. 17.* ‡ *Beatitudo eſt bonum perfectum & optimum.* * *Accuratam diligentiam.*

Partes hujus εὐδαιμονίας ſunt bona omnia, tum interna, tum externa. Interna autem vel animi ſunt, cujuſmodi eſt virtus, à cujus actione & uſu pendet felicitas: vel corporis, ut ſunt ſanitas, forma, robur, magnitudo, facultas certandi, (δύναμις ἀγωνιστική) & εὐγηρία, ſeu bona ſenectus: quæ tamen non corporis modò, ſed & fortunæ munera requirit. Nam hanc eſſe Ariſtotelis ſententiam, rectè in antexegematis oſtendit Chriſtophorus Rufus. At enim dicas, jam de internis ſermonem eſſe. Non id inficias eo. ſed cùm nemini, quantumvis ſe portanti eleganter, atque adeo, ut cum Comico loquar, pancraticè valenti, levis in ſummâ eſſe inopiâ ſenectus queat: omnino, ut quis dicatur εὔγηρος †, muneribus fortunæ ei opus eſt, licet non primò, ſed per accidens. Et hæc de internis.

† *Commoda ſenectutis.*

Externa bona ſunt ſex. I. Εὐγένεια, ſeu nobilitas. Quæ eſt multorum majorum ſplendor. Nam qui obſcuris eſt ortus parentibus, principium eſſe nobilitatis poteſt, nobilis non poteſt: at contrà nobilis quoque eſt, qui à virtute majorum deſciſcit; etſi non tam ei nobilitas proſit, quàm obſit; quippe quæ ſolis inſtar, & recta, & prava, omnibus reddat conſpicua. unde Salluſt. in Jugurtha; *Majorum gloria poſteris quaſi lumen eſt. Neque bona, neque mala, in occulto patitur*. Quod ipſum & Juvenalis monet ſat. VIII. Adde quod non aliam ob cauſſam in honore ſit nobilitas, quàm quia, ut primo Politicorum ſcribit Philoſophus, haut ſecus atque ex homine homo, ex fera naſcitur fera, ita ex bonis quoque naſci bonos, ſit veriſimile. Oriuntur autem ex bonis qui naſcuntur è præditis virtute. Inſuper verò è bonis quoque naſci vulgò exiſtimantur, qui naſcuntur divitibus: ac cauſſa ejuſce rei eſt, quòd divites ea jam habeant, quorum gratiâ alii alios damno mactare ſolent. Atque hinc nemini obſcurum eſſe poteſt, cur Philoſophus in IV. Polit. nobilitatem ſcribat eſſe virtutem, & antiquas divitias. Requiritur autem ad veram nobilitatem, tum ut quis claris ſit ortus majoribus, tum etiam ut legitimè ſit ortus: hoc eſt, ut & loco honeſto & honeſtè ſit natus. Nam, quod & Græcum εὐγενείας nomen indicat, ſpurii verè propteque nobiles eſſe non poſſunt, quia non ſunt *bene nati*, ut loquitur Horatius. Naſcuntur enim, contrà quàm præſcribit virtus, & juſtitia civilis. Itaque Græcis dicuntur κακῶς γεγονότες: quod certè contrarium eſt voci εὐγενεῖς, ſive εὖ γεγονότες. Plutarchus in Lyſandro: αἰσχρὸν χωλὴν εἶναι τὴν βασιλείαν, εἰ νόθοι καὶ κακῶς γεγονότες βασιλεύσουσιν Ἡρακλειδῶν *. Nimirum conceptio, eſt generis fundamentum. At nothi, & ſpurii, non naſcuntur nuptiis legitimis aut juſtis, prout appellantur à Juriſconſultis veteribus. Et hæc de primo.

* *Ac claudum eſſe regnum, ſi nothi, & illegitimè nati, imperent poſteritati Herculis.*

Secundum inter externa locum obtinet εὐδοξία †, quâ non modò boni à bonis, ſed ab univerſis judicantur.

Tertium τιμή, ſeu honor, quæ εὐδοξίας ſignum eſt; unde Ariſtoteli definitur σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης ‡. Eſt verò id ſignum, non in honorato, uti quidam exiſtimarunt; ſed in honorante, qui ſignificat, ſe opinari, eum, quem honorat, aut bene feciſſe, aut bene facere poſſe.

† *Bona fama.* ‡ *Signum opinionis beneſactricis.*

Quartum eſt πλοῦτος, ſeu divitiæ. Omnino autem τὸ πλουτεῖν ἐστιν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ κεκτῆσθαι. h. e. *divitem quempiam eſſe, in uſu magis, quam in poſſeſſione, poſitum eſt*. Unde & Menander:

Μακάριος, ὅστις οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει.
Χρῆται γὰρ οὗτος εἰς ἃ δεῖ ταύτῃ καλῶς. *

Quem imitatus Horatius ad Tibullum:

— *Di tibi mentem,*
Di tibi divitias dederunt, artemque fruendi.

* *Beatus ille, qui opes & mores ſicut. Hic namque pulchre impendit has, ubi decet.*

Sanè avaris χρήματα non ſunt χρήματα, ut ἔτυμον quoque indicat.

Inter divitias principem facilè locum obtinent prædia: quæ unde commendentur, inferiùs dicetur †.

† *In demonſtratione rerum.*

Quintum eſt πολυφιλία, & χρηστοφιλία, *amicitia cum multis, boniſque*.

Sextum eſt πολυτεκνία, καὶ εὐτεκνία, *liberorum multitudo, & bonitas*.

Sex iſthæc Cicero lib. de Orat. ſecundo appellat bona fortunæ: ſed rectiùs idem lib. III. cum Ariſtotele externa vocat; quandoquidem & externa bona ſunt, quæ fortunæ non ſunt; & fortunæ ſunt bona, quæ non ſunt externa. Nam ὑγίεια bonum eſt externum, fortunæ non eſt: ac contrà valetudo non à naturâ ſemper eſt, ſed fortunæ etiam beneficio reſtituitur; quod Pheræo Jaſoni contigiſſe, refert Cicero; ut dicemus ſub finem cap. IX.

At cur corporis externaque bona, licet multis affligant humo divinæ particulam auræ, ut Poëta ‡ loquitur; requirantur nihilominus ad perfectam beatitudinem; gemina mihi eſſe ratio videtur. Sunt enim, tum inſtrumenta neceſſaria; cùm nemo ſine robore & ſanitate fortis eſſe poſſit; aut ſine opibus & amicis liberalis: tum ornamenta, cùm eorum defectus felicitatis ſplendorem obſcuret. Atque hinc eſt, quod (ut in Ethicis ſcripſit Ariſtoteles) nonnulli εὐτυχίαν *, nonnulli etiam virtutem, idem ac εὐδαιμονίαν †, eſſe exiſtimarint: εὐτυχίαν nimirum, quia dictum eſt εὐδαιμονίαν egere bonis fortunæ; virtutem verò, quia ea conſiſtit in actione virtutis. Conſulatur Ariſtoteles lib. I. Rhetor. ad Theodectem (prout vulgò malè inſcribuntur, cùm in iiſdem ‡ fiat mentio Theodectiorum) à cap. XIX. uſque ad caput XXV. tum etiam lib. I. Ethicor. Nicomachiorum; cum primis cap. VIII. & IX.

‡ *Horat. lib. 2. Sat. 2.*

* *Bonam fortunam.* † *Beatitudinem.* ‡ *Lib. 1. cap. 11.*

VII. De

VII. De via ac ratione, qua pervenitur ad felicitatem, ſive de bono univerſe.

QUantumcumque autem neceſſaria ſit Oratori finis notitia; magis tamen ei opus eſt, ut cognoſcat ea, quæ ad εὐδαιμονίαν πολιτικὴν * ordinantur. Nam de fine nulla eſt deliberatio, cùm non conſulteramus, an velimus eſſe felices; ſed quomodo conſequi poſſimus felicitatem. Itaque Ariſtoteles, poſtquam de εὐδαιμονίᾳ, ejuſque partibus, egit; de bono in genere, ſub quo etiam media continentur, tractationem ſubjicit, ac utiliſſimas affert propoſitiones in unoquoque boni genere. Attendimus autem bona, tum ſimpliciter, tum comparatè. Quæ ſimpliciter conſiderantur, vel ſunt ὁμολογούμενα, qualia omnes bona eſſe conſitentur; vel ἀμφισβητήσιμα, de quibus poteſt oriri controverſia. De bonis confeſſis Ariſtoteles ex Dan. Barbari diſtinctione agit cap. XXV. † de controverſis XXVI. ‡ Ad quæ loca ſatis ſit, digitum, velut ad fontem, intendiſſe. Fuſiùs enim proſequitur illam propoſitionum ſylvam, quàm ut hic quoque reponi debeant: neque etiam nobis otium exſcribendi Ariſtotelem, neque is animus. At cap. XVII. * tractat de bonis comparatis. Fit autem relatio bonorum, vel δυνάμει, vel μεγέθει, vel ἀριθμῷ, *virtute, magnitudine, aut numero.* Dicitur enim ὑπερέχον & ὑπερεχόμενον † ratione δυνάμεως ‡: μεῖζον * autem: καὶ ἔλαττον † ratione μεγέθους ‡: ac πολὺ καὶ μικρὸν *, ratione ἀριθμοῦ †.

*Margin: * Beatitudinem civilem. † Cap. 6. ſecundùm diſtinctionem vulgarem. ‡ Eod. cap. 6. ex diſt. vulg. * Ex eadem diſtinct. cap. 7. † Præſtantius & deterius. ‡ Virtutis. * Majus. † Et minus. ‡ Magnitudinis. * Multum & paucum. † Numeri.*

VIII. De variis Reipublicæ formis.

QUia autem deliberatio accommodata eſt ad mores civitatis; ac morum diverſitas ſequitur ex diverſitate προαιρέσεως ‡; προαίρεσις verò variat pro varietate finium: iccirco Ariſtol. cap. XXVIII.* agit de diverſis Reipublicæ formis, ac ſingularum fine. Statuit autem quatuor Reipublicæ καταστάσεις †, ſive ἰδέας ‡: nempe δημοκρατίαν, ſi populus regat; ὀλιγαρχίαν, ſi pauci, iique locupletiores; ἀριστοκρατίαν, cùm pauci, iique meliores; μοναρχίαν, ſi unus. Δημοκρατίας finis libertas; ὀλιγαρχίας, divitiæ; ἀριστοκρατίας, legum diſciplina; μοναρχίας, cuſtodia.

*Margin: ‡ Propoſiti. * Ex diſt. Dan. Barb. & Sturmiana: ſed ſecundum vulgarem cap. 8. † Status. ‡ Formas.*

Sed hæc pinguiori Minervâ ab Ariſtotele in Rhetoricis dicuntur, quia propriè hæc doctrina ad Ethica pertinet. Certè VIII. Eth. cap. x. & lib. IV. Polit. cap. II. accuratiùs πολιτείας ſtatus conſiderans, triplicem aſſignat formam rerum publicarum; uti & Æſchines facit, cujus verba inferiùs † apponam. Iis verò opponit totidem ſtatus depravatos. De ſingulis agemus paucis.

Margin: † Hoc ipſo capite.

Μοναρχία dicetur, ſi unus regnet; unde *ſingularem potentiam* vocat Nepos ‡. Ac Polybio * quidem μοναρχία eſt, ſi populo imperet invito: ſin volente, βασιλεία. Sed Ariſtoteli ἁπλῶς eſt μοναρχία, quando imperium eſt penes unum. Is ſi juſtitiam ſectetur, βασιλεία eſt, ſive regnum: ſin quà jure quà injuriâ, omnia agat, τυραννίς. Interdum tamen hæc confundunt veteres. Nam apud Homerum † teterrimus ille Echetus, de quo & quædam Apollonius in IV. Ἀργοναυτικῶν, vocatur βασιλεύς. Locuti quoque hâc ratione alii, eoſque inter Polybius, cujus veſtigiis (ut in notis ad luculenti illius ſcriptoris ἐκλογὰς περὶ πρεσβειῶν accuratè oſtendit Fulvius Urſinus) paſſim inſtitit Livius, uſque adeò ut ſæpe etiam verbum penè verbo interpretetur. Quoad ad Polybii locum, apud eum legere eſt, μετὰ τὴν ἐπιβουλὴν τὴν κατὰ Ἱερωνύμου τοῦ βασιλέως, pro quo Livius dixit, *conjuratio in tyranni caput facta.* Contrà τυραννὶς (quam vocem, ut & τύραννος, Homerus, Heſiodus, & antiquiſſimi quique ignorant ‡, ut quorum ætate necdum fuerit in uſu) ab Æſchine pro μοναρχίᾳ ponitur orat. contra Cteſiphontem. Itidem τύραννος in bonam accipitur partem ab Euripide Supplic., Ariſtophane in Nubibus, (ubi Jovem ipſum vocat Θεῶν τύραννον) Platone in ἐρασταῖς, Sophocle cùm tragœdiam inſcribit Oedipum tyrannum: atque è Romanis etiam ſcriptoribus; cùm à Marone VII. Æn. ubi Latinus ita Æneam nominat, cui benignè omnia atque adeò filiam offert; tum Horatio, cui * Lamus eſt *late tyrannus.* Sed & μόναρχος συνεκδοχικῶς pro tyranno uſurpatur: unde Pauſanias, in II. de Buriis agens, eundem priùs τύραννον, mox μόναρχον nominat: & Lucianus in Phalaride ſecundo, μοναρχεῖν dixit pro tyrannidem exercere. Verùm metuo, ne Grammaticum hæc magis pulverem oleant, quàm ejus diſciplinæ, cujus nunc latos & lætos calcamus campos.

*Margin: ‡ In Dione. * Lib. 6. † Od. 8. ‡ Plutarch. lib. de Hom. * L. 3. od. 7.*

Inter βασιλείαν & τυραννίδα medium locum obtinet δεσποτεία, ſeu dominatus. Quippe cùm rex omnia conferat ad ſalutem publicam, tyrannus autem ad ſuam: dominus mediam inſiſtit viam, quia ante omnia attendit, quid ſibi expediat; nec tamen negligit ſalutem civium, ſed eam curat ſecundariò. Vide Ariſt. lib. III. Polit. cap. IV. Hujuſmodi reges eſſe ſolent Perſarum: quia ſubditi fere ſe habebant inſtar ſervorum. At dominus, & ſervus, ſunt τῶν πρός τι.

Altera Reip. forma itidem duas potiſſimùm formas continet. Nam ſi pauci regnent, iique publico omnia bono metiantur; ἀριστοκρατία dicitur, ſive optimatium imperium: ſin ad propriam omnia dirigant utilitatem; ὀλιγαρχία vocatur, ſive dominatus paucorum. Ac ἀριστοκρατία quidem, ſive optimatium imperium, vocatur, quia, qui præſunt, ita ſe gerunt, ut ſua conſilia optimo cuique probent: ut ait Tullius pro Sext. Similiter Polybius, † cui ἀριστοκρατία eſt, ἥ τις ἂν κατ' ἐκλογὴν ὑπὸ τῶν δικαιοτάτων καὶ φρονιμωτάτων ἀνδρῶν βραβεύηται. ‡ Ὀλιγαρχία autem dicitur nomine generis. Sanè & Plato τὴν ὑπὸ τῶν ὀλίγων δυναστείαν dividit in ἀριστοκρατίαν, καὶ ὀλιγαρχίαν: ac ὀλιγαρχίαν vocari ait ὅταν τῶν νόμων μὴ φροντίζωσιν *.

*Margin: † Lib. 6. ‡ Ubi juſtiſſimi prudentiſſimique viri per electionem ſumma rerum potiuntur. * Quando nulla eſt legum cura.*

Quemadmodum autem inter regnum, & tyrannidem, ſtatus eſt medius, qui dominatus dicitur: ita & paucorum imperium eſt, quod nec ariſtocratiæ nomen mereatur, nec tamen tyrannica paucorum poteſtas dici poſſit. Hujuſmodi imperium rectè vocabitur ὀλιγαρχία δεσποτική. Ut cùm Reip. præſides primò quidem ſui commodi, deinde autem civium ſalutis curam gerunt. Sed Ariſtoteles hoc quoque imperium ὀλιγαρχίαν nominat. Vide eum Polit. lib. IV. cap. V. & VI. & V. Polit. cap. VI. & VII.

Tertia Reip. forma eſt, cùm poteſtas eſt penes multos, ut cùm Senatus nihil poteſt ſine tribuum voluntate. Sanè δῆμος opponitur τῇ βουλῇ: ut apud Latinos populus Senatui; velut cùm dicitur *Senatus populuſque Romanus.* Per populi igitur poteſtatem ea intelligitur, quam habent tribus. Imò interdum & δῆμος exponitur *tribus*. Eſt autem hæc quoque poteſtas duplex: quia multi illi, penes quos imperium eſt, aut commune bonum reſpiciunt, aut pro libidine cuncta agunt. Prius Reip. genus Iſocrati, aliiſque ſæpe, κατ' ἐξοχὴν πολιτεία vocatur: proprio autem nomine Xenophonti quidem nominatur πλουτοκρατία; Ariſtoteli verò τιμοκρατία, ſive τιμοκρατικὴ πολιτεία, h. e. cenſuum poteſtas; quia nempe in ea τιμή, h. e. cenſus, attenditur: unde fit, ut in hoc Reip. genere numerus eorum, qui imperant, nunc major, nunc minor ſit; quia quo grandior præſcripta eſt rei familiaris menſura, hoc pauciores imperant; quo minor eſt cenſus, hoc plures ſunt Reip. participes. At παρέκβασις ſeu labes Reip. finitima eſt ὀχλοκρατία, prout Polybius † vocat. Dicitur & δημοκρατία, ſive populi potentia, ut nominat Cornelius Nepos ‡. Sed & multitudinis dominatum, & popularem ſtatum, vocare licet: eſtque nihil aliud, quàm τυραννὶς multorum capitum. Non rarò tamen δημοκρατίας vox in bonam accipitur partem. Æſchines *, εὖ γὰρ ἴστε, ὦ Ἀθηναῖοι, ὅτι τρεῖς εἰσι πολιτεῖαι παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις, τυραννίς, καὶ ὀλιγαρχία, καὶ δημοκρατία· διοικοῦνται δ' αἱ μὲν τυραννίδες, καὶ ὀλιγαρχίαι, τοῖς τρόποις τῶν ἐφεστηκότων· αἱ δὲ πόλεις αἱ δημοκρατούμεναι, τοῖς νόμοις κειμένοις. h. e. *Optimè enim noſtis, Athenienſes, tria eſſe Rerump. genera, unius imperium, paucorum poteſtatem, & populi libertatem. Ac unius quidem, & paucorum* de-

*Margin: † Lib. 6. ‡ In Alcibiade. * Orat. contra Cteſiphontem.*

dominatus, reguntur pro eorum arbitrio, qui præſunt: at liberæ civitates receptis reguntur legibus.

In πολιτείᾳ eſt æquabilis libertas, ſed deeſt majeſtas. In μοναρχίᾳ (non ubi appellatione ſolùm, ſed re ipſa ſunt reges) adeſt majeſtas, deeſt libertas. Ἀριστοκρατία minùs majeſtatis habet, quàm μοναρχία, plus quàm δημοκρατία: minùs libertatis, quàm δημοκρατία, plus quam μοναρχία. Sed ſi principatus ſit, (eſt ea ἀριστοκρατίας ſpecies, in qua unus dignitate cæteris prior eſt,) jam quodammodo majeſtatem aſſequitur μοναρχίας; & retinet æquabilem libertatem, quantum ſatis eſt; quia cuivis aditus per virtutem patet ad honorem ac imperii partem. Ac videri poſſit hujuſcemodi ſtatus minùs eſſe periculoſus, quam vel δημοκρατία, quia plebs planè eſt imperita; vel μοναρχία, quia unus homo multis eſt obnoxius erroribus. Interim, ut præclarè Alcibiades & Auguſtus dixere, boni eſt civis, præſentem ſtatum tueri, eumque mutatum nolle. Nam etſi alius fortaſſe melior; melius tamen, non optimâ uti, quàm receptam immutare. Cujus ratio eſt, quòd, ut plantis, ſic legibus, ad figendas radices longo opus eſt tempore; planeque, ut plantarum, ſi crebrò transferas, ſic legum, ſi crebrò mutes, vis atque robur deperit. Adde, quòd non omni populo idem convenit imperium: eóque alia aliis forma rectiùs committatur. Aſiaticis, ſine dubio, regia rectiùs adhibetur. At plerique Septentrionales populi, quia libertatem magis ſpirant, ſuæ meliùs libertati committuntur. Ex quorundam etiam ſententiâ, magna imperia meliùs regio, minima meliùs à populo reguntur: mediocribus autem, præſertim ſi ſua norint fortiter tueri, & aliena non appetant, optimatum maximè convenit imperium.

Πολιτείᾳ hodie utuntur Helvetii, ἀριστοκρατίᾳ, Veneti, μοναρχίᾳ Britanni, & Galli. Singula autem hæc imperii genera videre olim fuit apud Romanos: μοναρχίαν quidem ſub regibus; ἀριστοκρατίαν ſub conſulibus, & Senatu, ante tribunitiam poteſtatem; δημοκρατίαν verò, cùm tribuni maximè vigerent. Quod ſi Græcos conſideremus, πολιτείαν uſurparunt Athenienſes, ἀριστοκρατίαν Lacedæmonii, μοναρχίαν Macedones. Apud Perſas, interfectis Magis, δημοκρατίαν laudabat Otanes, (qui Juſtino Oſtanes;) ἀριστοκρατίαν commendabat Megabyzus; μοναρχίας patrocinium ſuſcipiebat Darius. Vide de his orationes ſingulorum apud Herodotum. Atque hæc de genere Deliberativo. Quod ſi quid hic deſiat, id in Negotiali ſtatu * perſequemur.

* Cap. 9.

CAP. V.

De genere Demonſtrativo.

Genus Demonſtrativum eſt triplex: unum perſonarum, vel quaſi perſonarum; alterum factorum; tertium rerum.

In laude ac vituperatione perſonarum ſeries adhibetur, vel naturalis, vel artificialis.

Artificialis eſt, cùm non ſervato temporis ordine, omnia ad certa genera, ſeu capita, referimus; ut ſunt bona animi, corporis & fortunæ.

Naturalis verò ſeries eſt, in quâ hiſtoriæ ſervatur ordo.

Dividitur hæc in tria tempora: id quod eſt ante hominem; id quo quis vixit; & illud, quod mortem conſecutum eſt.

In primo tempore conſideranda ſunt, cùm auguria & oracula, ſiqua natalem anteceſſerint; tum genus, & patria. A quibus bifariam laudamus.

Nam ſi hæc illuſtria contigerint, dicimus, aliquem reſpondiſſe patrii ſoli vel natalium ſplendori: at ſi ea ſint ignobilia, quempiam patriæ aut generis obſcuritatem virtute ſuâ illuſtraſſe oſtendimus.

In ipſâ vitâ ſunt quatuor. Primum eſt natura; tum corporis, ut ſanitas, robur, agilitas, & pulchritudo; tum animi, uti ingenium, ac memoria. Alterum eſt fortuna, ſive opes. Tertium educatio, ac inſtitutio. Quartum actiones, earumque tum circumſtantiæ, tum præmia.

In ultimo ſunt, cùm mortis genus, pompa funebris, & ſimilia; tum inprimis jactura & luctus ob eam, quibus ſubjicitur conſolatio. Atque hujuſmodi eſt laus perſonæ, uti Alexandri. Unde facile erit cognoſcere modum laudandi quaſi perſonam, ut Bucephalum.

In DEMONSTRATIONE FACTORUM *eadem ſunt probandi loca, quæ in Deliberativo. Nam hic laudatur, quod illic ſuadetur.*

At amplificandi loca ſunt octo. Nam ad factorum laudem pertinet, quòd quis primus fecerit, vel ſolus, vel cum paucis, vel præcipuè, vel tempore maximè neceſſario, vel ſæpe, vel rem maxime ſpectantem civitatis laudem, vel quòd primus eo novos acquiſiverit honores.

In DEMONSTRATIONE RERUM *non una eſt ratio. Nam in laude regionum, urbium, ac ſimilium, par ferè ratio eſt, atque in demonſtratione perſonarum. Quod enim in hominibus eſt genus, & patria, id in locis ſunt conditores ac principes, qui in iis gubernarunt: quod in illis forma corporis, id in his ſitus; quod in illis animi virtutes, id hic fertilitas, & ſimilia.*

At in aliarum rerum, veluti in diſciplinarum commendatione, iidem ſunt loci, qui in demonſtratione factorum.

Honeſtas oſtenditur à cauſſis efficientibus, & antiquitate.

Utilitas probatur ab effectis, & fine.

I. CUR GENUS DEMONSTRATIVUM SUBJICIATUR DELIBERATIVO; DEQUE VARIIS EJUS NOMINIBUS, PRÆCIPUE ἘΠΙΔΕΙΚΤΙΚΟΥ̃, ET ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΟΥ̃ APPELLATIONE.

GEneri Deliberativo ſubjicit Ariſtoteles genus ἐπιδεικτικὸν ſeu Demonſtrativum: cui primum vulgò tribuunt locum ob facilitatem. Ariſtoteles verò, nobilitatis ratione habitâ, orſus eſt † ἀπὸ συμβουλευτικοῦ ‡, ut ſuprà * dicebamus. Verùm nonnemini eamp ſe ob cauſſam videatur, de Juridiciali agendum fuiſſe ante Demonſtrativum. Nam nihil præclarius eſt, quàm innocentium ſalutem ab improbis defendere; quod genere fit Juridiciali. At Demonſtrativum magis ad oſtentationem facit; cum ſibi propoſitam habeat delectationem auditoris. Verùm juſto conſilio Juridiciale genus rejectum eſt in locum poſtremum; quia Demonſtrativum majorem affinitatem habet cum Deliberativo, quàm Juridiciale. Nam Deliberativi finis eſt beatitudo civilis: at laus perſonarum potiſſimùm ſumitur ab actione virtutis, in quâ beatitudo civilis conſiſtit.

† Lib. 1. Rhet. ex vulgari diſt. cap. 9. ex recentiori autem cap. 29.
‡ Deliberativo.
* Cap. 4.

Eſt autem genus Demonſtrativum ita dictum, vel quòd eo demonſtrentur virtutes, vitiáque; vel quòd Orator potiſſimùm in hoc oſtendat vim ſuam: quippe quod oſtentationi comparetur. Itaque Quinctilianus lib. III. cap. IV. Oſtentationem vocat; quemadmodum & præter alios Raphaël Regius † meliùs Oſtentativum vocari ait, quàm Demonſtrativum. Sed jure id reprehendit Jul. Scaliger lib. I. de re Poët. cap. I. *Nihilo*, inquit, *meliùs ἐπιδεικτικοῦ vox à Quinctiliano accepta pro oſtentatione. Quin fortaſſe hoc vocabulo carent Græci ad oſtentationem ſignificandam. Sanè ab eâ tantum abeſt, ut apud philoſophos pro ſimpliciſſimâ atque exactiſſimâ oſtenſione receptum ſit.*

† Comment. in Quinctil.

Negari tamen non debet, interdum ἐπιδεικτικὸν Græcis eſſe oſtentativum: uti cùm vocant λόγους ἐπιδεικτικούς, orationes, quæ ad oſtentationem ſcribuntur; cujuſmodi Iſocrates vocat τοὺς πρὸς ἐπίδειξιν λόγους.

Neque eſt, quòd quiſquam hoc genus aſpernetur, quia plurimùm ad oſtentationem ſit comparatum. Nam, ut Tullius in partitionibus docet, non tantùm ad bene dicendum valet; ſed etiam ad bene vivendum: ut in quo ſæpe

de

de moribus, ac vitiis, diſputet orator. Adde, quòd aliis duobus permiſcetur, tanquam ſanguis corpori. Et ſanè veteres, tum hiſce de cauſſis, tum ob facilitatem, ab eo auſpicari ſolent: unde Cicero illud incunabula oratoris vocat, & eloquentiæ nutricem.

Dicitur Ciceroni quoque laudatio, & Græcis ἐγκωμιαστικόν, nempe à potiori parte. Theon in progymnaſmatis: τοὺς γὰρ ὑποθέσεως εἴδη τρία· ἐγκωμιαστικὸν, ὅπερ ἐκάλουν ἐπιδεικτικὸν οἱ περὶ Ἀριστοτέλην, δικανικὸν, συμβουλευτικόν. * Appellatur quoque πανηγυρικόν. Unde & Halicarnaſſenſis, in vitâ Lyſiæ, auditorem in hoc genere, quem Ariſtoteli θεωρὸν † eſſe ſuprà diximus, πανηγυρίζοντα appellat. Nam tria hæc conjungit, δικαστῇ, ἐκκλησιαστῇ, καὶ πανηγυρίζοντι ὄχλῳ. ‡. Propriè autem πανηγυρικὴ dicitur, non quæcunque oratio in hoc genere verſatur; ſed laudatoria, & quidem ea, quæ habetur in cœtu univerſi populi. Siquidem panegyricæ primò dictæ, quibus, qui Græciæ libertatem defenderant, hoſteſque devicerant, in univerſæ laudabantur gentis celebritate.

** Sunt enim tria cauſſarum genera; encomiaſticum ſeu laudativum, quod Peripatetici demonſtrativum vocant, judiciale, & deliberativum.*
† Spectatorem.
‡ Judici, in concione ſtanti, & panegyricam orationem audienti populo.

Quamquam homini acuto videri queant panegyricæ non pertinuiſſe ad ſolam laudationem. Nam Iſocrates panegyricâ, quæ exſtat, hortatur Græcos ad ſuſcipiendam expeditionem adverſus barbaros: unde & Tullius eam ad ſuaſionem refert lib. de Oratore. Verùm nullo negotio eximus hunc ictum, ſi Halicarnaſſenſem audimus; qui ſuaſionem negat eſſe primarium Iſocratis finem. Nam ait, eum per ſpeciem ſuaſionis, laudes perſequi Athenienſium.

At Plinius planè abuſus panegyrici nomine: quippe, quò orationem ſuam titulo redderet auguſtiorem, eam πανηγυρικὸν inſcripſit, quâ ſolùm, convocatis patribus, Trajano pro conſulatu gratias agit. Multo minùs panegyricæ dici merentur, quæ tantùm recitatæ paucis, vel etiam nunquam recitatæ, nec ſcriptæ ut recitarentur, ſed ut legerentur. Atque id nominis quoque origo indicat, cùm πανήγυρις * ſit ab ἄγυρις †, quod factum ex ἀγορᾷ, Æolice ο in υ converſo. Sanè Homerus non ſemel pro ἀγορᾷ uſurpat: ac Heſychius quoque interpretatur σύνοδος, & συναγωγή.

** Publica celebritas.*
† Cœtus.

II. De partibus generis Demonstrativi: ac inprimis de discrimine laudis, et encomii.

Partes generis Demonſtrativi duas ſuperiùs conſtituimus, ἔπαινον ſive laudem, & ψόγον ſive vituperationem. Latiùs autem ἐπαίνου voce utor, quàm vel poſteriores Græci rerum à Romanis geſtarum ſcriptores, quibus ἔπαινος eſt τὸ ἐπικήδειον ‡: vel Ariſtoteles ipſe, cui ἔπαινος eſt virtutis, ἐγκώμιον factorum; uti ea diſtinguit, cùm lib. 1. de moribus ad Nicomachum, & in ſecundo Eth. ad Eudemum, tum etiam 1 Rhet. * Ubi & meritò ea ſeparat ab εὐδαιμονισμῷ. Nam cùm εὐδαιμονία, ſeu beatitudo, conſiſtat in actione virtutis, ſanè εὐδαιμονισμὸς, & μακαρισμὸς, h. e. oratio, quâ aliquem felicem aut beatum prædicamus, comprehendent, tum ἔπαινον, quem virtutis eſſe dicebamus, tum ἐγκώμιον, quod verſatur circa actiones virtutis. Ipſius hâc de re Ariſtotelis verba adſcribam è 1. Rhetoric. Ἔστι δ' ἔπαινος λόγος ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς. τὸ δ' ἐγκώμιον τῶν ἔργων ἐστί. μακαρισμὸς δὲ καὶ εὐδαιμονισμὸς αὐτοῖς μὲν ταὐτὰ, τούτοις δ' οὐ ταὐτὰ, ἀλλ' ὥσπερ ἡ εὐδαιμονία τὴν ἀρετὴν, καὶ ὁ εὐδαιμονισμὸς περιέχει ταῦτα. *Laus eſt oratio indicans virtutis magnitudinem; Encomium autem operum eſt virtutis; Beatum verò aliquem prædicare, & felicem dicere, ut inter ſe eadem ſint, ab illis tamen duobus differunt, cùm, ut felicitas virtutem complectitur, ſic prædicatio felicitatis contineat hæc*: virtutem nempe, & virtutis actionem. Porrò varias ἐπαίνου definitiones adfert Menander Rhetor; eaſque inter Ariſtotelicam quoque, ſed præterito auctoris nomine. Adfert & eandem Jul. Scaliger lib. III. de re Poët. cap. cx. verùm negat ſibi ſatisfacere. Itaque eo diſtinguere mavult, quòd ἔπαινος ſit pars ἐγκωμίου, ἐγκώμιον multi ἐπαίνων. Nam cùm de re quapiam αἶνος eſſet propoſitus; auditorum conſenſum oratione expreſſum, fuiſſe vocatum ἔπαινον; quaſi prioris narrationis additamentum; indeque tractum, ut teſtimonium omne bonæ rei, aut bene facti, ἔπαινος diceretur: cùm autem ἐν τῷ κώμαις *, audientibus tribulibus, laudes alicujus ita recenſebantur, ut longiuſculè procederet oratio; ἐγκώμιον fuiſſe appellatum. Ita vir ille nunquam ſine laude dicendus. Quod ſi mihi quoque, liberè, & quaſi ex tabellâ, ſententiam dicere liceat, adſeram, ἔπαινον non magis eſſe partem ἐγκωμίου, quàm ἐγκώμιον ἐπαίνου. Neque enim ἔπαινος ſolùm eſt rei ſimplicis, neque ſimplici tantùm nudâque inſtituitur oratione; verùm locum quoque habet in perſonis, quæ & multis ac variis inſigniuntur elogiis, & copioſâ ornatâque extolluntur dictione. At in encomio ſe res ſecus habet; ut quod longiorem ſemper requirat orationem. Senſit id quoque Cornelius Fronto: *Laus, inquit, facti inſtrumentum eſt: laudatio verò eſt rerum geſtarum relatio.* Itaque different ἔπαινος, & ἐγκώμιον, ut genus & ſpecies. Ac hoc ipſum ipſius quoque Scaligeri verbis comprobari poteſt. Scribit enim is, omnem ἐγκωμιάζοντα ἐπαινεῖν, non è converſo: quod ſanè ſi eſt, ἔπαινος erit totum univerſale, ἐγκώμιον verò pars ſubjecta. Et hæc de partibus generis ἐπιδεικτικοῦ.

‡ Funebris laus.
** Cap. 31. ſecundum diſtinct. recentiorem: ſed ex veteri diſt. cap. 9*
** In vicis.*

III. De Materia, ac partibus generis Demonstrativi.

Materia, circa quam verſatur genus Demonſtrativum, adeo latè patet, ut nec univerſæ hujus naturæ limitibus circumſcribi queat. Quippe, convulſis, quodammodo repagulis ejus, ad divina ſe extendit. Nam quamvis, ἀκριβῶς † loquendo, eorum non ἔπαινος ‡ ſit, ſed εὐδαιμονισμὸς, & μακαρισμὸς *, uti ſcribit Philoſophus primo Nicomachiorum †: tamen ἐπαίνου quoque nomen latè accipi poſſe, ut divinis attribuatur, ipſe indicat Ariſtoteles, qui diſertim Deum quoque ἐπαινεῖσθαι ‡, ſcribit 1. Rhetor. cap. IX. juxta vulgat. diſtinct. & 1. Eth. Nicom. cap. XII. Porrò ad divinorum laudationem refer hymnos Homeri, ac Callimachi: item illum Juliani in Solem: atque alios, quos ſect. VI. dicam. Sanè, ut notat Sophoclis Scholiaſtes * ὕμνος κυρίως ἡ εἰς θεὸν ᾠδή †, quamvis, ut idem ibi addit, καὶ ἡ ποιητῶν ἁπλῶς ἡ ᾠδή ‡, ita appelletur; neque Poëtis ſolùm, ſed Athenæo * quoque, qui ἐπιθαλάμιον vocat γαμικὸν ὕμνον. De ratione laudandi Deum vide Jacobum Pontanum lib. II. Poët. Inſtitut. cap. XXXII.

† Accuratè.
‡ Laus.
** Oratio, quâ aliquem felicem, aut beatum, prædicamus.*
† Cap. 12.
‡ Laudari.
** In Electr.*
† Hymnus propriè carmen in Dei laudem.
‡ à Poëtis ſimpliciter carmen.
** Lib. 4.*

Proximum in laudationibus locum obtinent homines; quomodo Iſocrates extollit Euagoram, Cypriorum regem; aut Cicero pro Marcello laudat Cæſarem.

Tertii generis laus eſt animalis irrationabilis, quomodo Virgilius effert apem; muſcam Lucianus.

Ad quartum genus pertinent res ſenſus expertes, ſive hæ ſubſtantiæ ſint, ſive accidentia, quæ tamen ἀκύρως † admodum dicuntur carere ſenſu, cùm id propriè de ſubſtantiis intelligatur.

† Impropriè.

Porrò ad quatuor hæc genera referri debent, tum quæ primò, per ſe, ac directè; tum quæ ſecundariò, ex accidenti, ac reductivè ad ea pertinent. Iſtiuſmodi ſunt partes; uti anima, aut manus: privationes; ut mors, aut cæcitas: concreta; ut mundus, qui eſt corporum naturalium undecunque perfectum σύστημα ‡: Philoſophia, quæ eſt habitus animi, compoſitus è diſciplinis, tum rerum neceſſariarum, tum contingentium: bellum, in quo multæ coarcevantur actiones, & paſſiones: reſpublica, quæ aggregatum eſt ex multis relationibus, atque ita in aliis, quæ omnia tractare ac laudare ſciet, qui perſpectum habebit, quomodo extolli queant partes, quibus conſtant. Pluribus hæc proſequi viſum fuit propter eos, qui Ariſtotelicam diſtributionem non ſequuntur, quia non adſequuntur. Ait Ariſtoteles, laudari οὐ μόνον ἄνθρωπον, ἢ θεὸν, ἀλλὰ καὶ ἄψυχα, καὶ τῶν ἄλλων τὸ τυχόν. Quem locum planè in animo habuit Fabius *, cùm ſcripſit: *Materia*

‡ Compages.
** Lib. 3. cap. 9.*

teria præcipuè quidem in Deos & homines cadit: eſt tamen & aliorum animalium, & carentium animâ. Hâc in diſtributione, ſi eos audimus, multa deſiant. Quamobrem nobis hunc eorum errorem denudare viſum fuit; nequid porrò ſub ancipiti hæreat, ac inprimis pueris inveſtibus, quos homines iſti facilè in ſuam pertrahunt ſententiam. Sed enim occurrunt: plantæ, inquiunt, nec ζῶα * ſunt, nec ἄψυχα †. At hoc quoque eorum telum planè irritum eſt. Nam παχυλῶς ‡ loquitur, cùm Ariſtoteles, tum Fabius. Etſi enim, ἀκριβῶς loquendo, differant ζῶα, καὶ ζῶντα, *animalia & animata*; vulgò tamen hæc confunduntur, ac inanimata cenſentur, quæcunque deſtituuntur ſenſu ac motu.

* *Animalia.*
† *Inanimata.*
‡ *Pinguiori Minerva.*

Nunc cenſionem quoque faciamus alius diſtributionis; quâ triplicem faciunt laudem & vituperationem: unam perſonarum; alteram factorum; tertiam rerum. Ac multi quidem, dum in ſalebroſâ hâc diſtributione verſantur, vexanturque, nihil præter inſcitiam habent, quod afferant. Ambigunt, ecquid in eâ deſiat, aut excedat: verùm argumenta, quæ adducunt, planè ficulna ſunt, & ex quibus nihil exprimi queat, præter plebejum vanæ opinionis ſuccum. Negant enim, muta animantia hac ſub definitione comprehendi, quia neque perſonarum nomine contineantur, neque factorum, neque rerum. Verùm nos quidem totum hoc iis damus, nec tamen vel minimùm prævaricando, ipſorum cauſſam agimus. Siquidem ſcimus, non fuiſſe eam veterum mentem, ut, quæcunque laudari queunt, hâc diſtributione complecterentur; verùm ea tantùm comprehendere voluiſſe, quorum Oratori uſus eſſe poſſit in cauſſis publicis. Nam ſubjiciunt Oratori quæſtionem civilem: ad quam quæſo quid facit laus ſimii, aut aſini; pſittaci, aut anſeris? Quare deſinant, veteres calumniari, qui, calido magis, quam callido mendacio, adſerunt, tantâ in caligine verſatam antiquitatem, ut beſtias ſub perſonis complecteretur: quod profectò *Credat Judæus Apella*; *Non ego* *. Certè aliud vel Emporius eos docebit, qui non modò mutorum animantium, ſed plantarum quoque, ſimiliumque tractationem, negat ad Oratorem pertinere. Verba ejus adſcribam. *In fontes*, inquit, *germina*, *& flumina*, *& arbores*, *& armenta dicere*, *jucunda quidem*, *ſed parum ampla materia eſt*, *& foro*, *cui præparamur*, *aliena. In quo cùm ſemper nobis*, *aut reprehendenda*, *aut laudanda perſona ſit*, *id agere debemus*, *ut ejus uſum exercitatione capiamus.* Neque hinc rectè colligas, pari jure factorum rerumque laudem planè à Rhetoribus præteriri potuiſſe. Nam & perſonæ à factis laudantur, & multarum rerum laudes interdum ab Oratore afferuntur ad perſonarum vituperationem: quomodo in Verrinis laudantur Sicilia, ac Syracuſæ. At diſpar ratio eſt armentorum, germinum, aliorumque, quæ ab Emporio adducuntur. Nam neque de iis ſeparatim in publico cœtu dici ſolet: neque admiſcentur cauſſis forenſibus, aut publicis conſultationibus.

* *Horat.*

Diſcuſſimus nebulas, quas quidam affundere conati veterum deſtributioni. Proximum eſt, ut, quò iis omnis præcidatur vitilitigandi anſa, oſtendamus, ex hâc ipſa diſtributione poſſe diſtributionem exſtrui, quâ ea quoque comprehendantur, quorum tractatio non tam ad Oratorem pertinet, quàm ad Poëtam, aut Sophiſtam. Quippe haut alio opus eſt, quàm ut primi generis laudem eſſe dicamus, tum eam, quæ propriè perſonarum eſt; cujuſmodi apud Iſocratem eſt laus Euagoræ, Helenæ Buſiridis: tum illam, quæ eſt quaſi perſonarum; velut equi, leonis, canis, pſittaci, ſimiliumque. Hæc ſi placet diviſio, ſecundi ordinis erunt facta, h. e. actiones, quæ à nobis proficiſcuntur: tertio verò ordini ſubjicientur ſubſtantiæ omnes, præter animatas; & accidentia, præter actiones, quæ duo genera rerum vocabulo ſignare licet: quamquam non ignorem, id tam latè apud Philoſophos patere, ut non facta modò comprehendat, ſed perſonas quoque, & quaſi perſonas, h. e. muta animantia, aliaque, quæ perſonarum inſtar tractantur, uti infrà commonſtrabimus.

Verùm non deerunt fortaſſean, quibus truncam ac debilem veterum diſtributioni medicinam feciſſe videamur: quippe hanc quoque diviſionem eſſe mendoſam, quòd factorum laudem ſtatuat diſtincti à reliquis ordinis, contrà quàm à ſapiendi dicendique magiſtro factum in diſtributione, quam ex eo paullo antè apponebamus. Quamobrem, ut hos quoque ab erroris diverticulo in veritatis viam reducamus, duplicem ponimus rationem conſiderandi facta. Nam longè alia ratio eſt, cùm ab iis laudantur perſonæ; quod cùm fit, ſimplici ac nudâ factorum commemoratione opus eſt: alia verò, cùm ipſa laudantur facta; quam ad rem requiruntur argumenta ἀποδεικτικά. Si priori modo conſideremus, ad primum pertinebunt diviſionis membrum. Nam ſi princeps quiſpiam nihil penſi habeat, quin omnibus modis exſorbeat ſubditorum ſanguinem, ac provincias vectigalibus exenteret; id ipſum, utut facti ſit, ad perſonæ tamen vituperationem pertinet, cùm perſonæ à geſtis bonis, maliſque, tollantur, aut vituperentur. Atque hæc cauſſa eſt, cur Ariſtoteles in diviſione ſuâ prætererit demonſtrationem factorum. At diſpar ratio eſt, cùm tota oratio in eo conſumitur, ut oſtendat, quàm præclarum atque utile ſit factum. Nam in hujuſcemodi Orator propriè non perſonam ſibi proponit, ſed factum: quod & probum eſſe poteſt, licet ab improbo proficiſcatur; & improbum, licet à probo fiat. Quippe, quemadmodum una hirundo non facit ver; ita neque una actio probum aut improbum facit. Quare, juxta hanc conſiderationem, non tam perſonis, quàm rebus, facta ſubjici debent: aut, ſi anguſtiùs rei vocabulo uti viſum, diſtincti ea faciemus ordinis; cui meritò, aut poſtremum aſſignabimus locum, aut inter perſonas ac res interjectum. Nam cùm in factis ſemper perſona concurrat cum re, quæ à perſonâ proficiſcitur: eſt in iis, ut Ciceronem loqui Nonius voluit, amborum quaſi cinnus. Et hæc de partibus generis Demonſtrativi, tum pro Ariſtotele, ac Fabio; tum pro Tullio, atque aliis, dicta ſunto.

IV. ARGUMENTUM DEMONSTRATIVI GENERIS PROPRIUM ESSE AB HONESTO. ET, QUOMODO ILLUD TRACTETUR.

ARgumenta hujus generis ducuntur ab honeſto: ut quod finis ſit generis ἐπιδεικτικοῦ, quemadmodum ſuprà dicebamus. At, inquit, Fabius lib. III. cap. IV. *an in laudando, & vituperando, non habemus utilitatis & æquitatis rationem?* Sanè habemus, Fabi: verùm id cum fit, utilitas & æquitas aſſumuntur aliunde, quò referantur ad honeſtatem, ut finem primarium. Alter quoque evellendus nobis hoc loco ſcrupulus, qui animos quorundam inſidet. Non videntur iis argumenta omnia peti ab honeſto; quia agri, fontes, aliaque inanimata, ab honeſtate commendari nequeant; cùm in ea non cadat virtus. Verùm non ultrà, puto, pertendent homines iſti, ubi cogitarint, in iis quoque poſſe rectum ſpectari uſum, quod ad honeſtatem pertinet. Atque id magis elucebit ex illis, quæ ſubjiciam. Siquidem, honeſtum aliquid eſſe, probamus trifariam; vel quia ſit virtus, vel quia virtutis cauſſa, vel quia effectum. Quare, cùm ingens ſit propoſitionum in hoc genere ſylva, tres tamen hæ ſunt γενικώταται *. Quicquid virtus eſt, id honeſtum, ac laudabilie eſt. Quod virtutem efficit, id eſt, in laudabilibus. Quod virtutis effectum eſt, id in rebus honeſtis numeratur. De virtute, ejuſque ſpeciebus, agit Ariſtot. lib. I. Rhet. cap. XXIX †. Cauſſæ virtutum, vel virtutes efficiunt dianoëticas, vel ethicas. Quæ dianoëticas efficiunt, ea vel interna ſunt, vel externa.

* *Generaliſſimæ.*
† *Ex diſt. Dan. Barb. ſed ſecundùm veterem cap 9.*

Externa poſt Deum Opt. Max. ſunt, primò exemplum; ſive majorum, ſi ſint nobiles; ſive aliorum virorum præſtantium, ſi ſint ignobiles: deinde bona educatio & inſtitutio, quia veriſimile eſt, ſtudia abire in mores: tertiò divitiæ, quæ inſtrumenta ſunt ad eruditionem conſequendam.

Interna vel in animo ſunt, vel in corpore.

In animo ſunt ingenium, memoria, induſtria. ex quibus

bus induſtria multùm quoque ſine naturæ dotibus pollet; ut vel liquet exemplo Superiani Iſauri; qui licet naturâ tardus, & trigeſimum ætatis annum egreſſus foret, antequam animum ad diſciplinas liberales adjiceret; labore tamen improbo ſummam eruditionem & inſigne eſt nomen conſecutus, teſte Eunapio de vitis Sophiſtarum.

In corpore ſunt robur, ſanitas, agilitas, & pulchritudo. Et hæc de cauſſis virtutum dianoëticarum.

Virtutem moralem efficiunt tria; natura, quæ incipit; doctrina, quæ dirigit; conſuetudo, quæ perficit.

Effecta virtutum ſunt res præclarè geſtæ; item virtutum ſigna; velut coronæ, trophæa, cicatrices.

V. De Modo amplificandi in genere Demonstrativo.

PRæcipuum generis *ἐπιδεικτικοῦ* inſtrumentum eſt amplificatio; uti in Deliberativo exemplum, in Juridiciali enthymema; quemadmodum ſuprà * quoque diximus. Modi autem amplificandi Ariſtoteli † ſunt octo. Quos exponam inferiùs, cùm de factorum demonſtratione agetur. Nunc principem eorum adferre ſuffecerit. Eſt ille, ſiqua laus unius ſit propria. Ut quod apud Græcos, uti Plinius ſcribit lib. VII. cap. XLI. *una feminarum in omni ævo Lampedo Lacedæmonia reperitur, quæ regis filia, regis uxor, regis mater fuit.* Apud Romanos ſimile contigit in Agrippina: *quam imperatore genitam, ſororem ejus, qui rerum potitus ſit, & conjugem, & matrem fuiſſe*, ſcribit Tacitus in XII. Annal. qui & unicum id exemplum ibi appellat.

* Cap. 3.
† Lib. 1. cap 9. juxta vulg. diſt.

Porrò, ad amplificandum, licet in hoc genere *ἐπεισοδίων*, ſive digreſſionibus uti. Fit hoc tranſeundo à theſi ad hypotheſin, & ab hypotheſi ad theſin: ut, ſi eloquentia laudanda ſit, extolli poterit Tullius; &, ſi Ariſtides eſt commendandus, licet commemorare laudes juſtitiæ. Ita Iſocrates in Helenes encomio plura habet *πάρεργα* ‡, quàm *ἔργα* *. Nam quòd argumentum naturâ ſuâ ſterile foret; magnam orationis partem conſumit in reprehenſione Sophiſtarum, laudatione Theſei, excuſatione Paridis, ac laude pulchritudinis. Item in laudatione Buſiridis (quod argumentum quia eſt *παράδοξον* †, eò Buſiridem illaudatum appellat Virgilius ‡;) multus eſt in celebratione Ægypti, quam regni ſedem delegerat. Gorgias quoque, ſi Achilles ei laudandus eſſet, primò laudabat Pelea patrem, inde Æacum avum, hinc Jovem proavum; ideoque dicebat, nunquam ſibi deeſſe orationem; ut ait Ariſtot. lib. III. cap. XXVIII.

‡ *Quæ rei accedant.*
* *Dere.*
† *Admirabile.*
‡ 3 *Georg.*

VI. De ratione laudandi, vel gentium Deos, vel verum Deum Israelis.

ATque hæc dicta ſint generatim de naturâ cauſſæ Demonſtrativæ. Verùm operæpretium me facturum puto, ſi quoque deſcendam ad tractationem ſpecialem partium ejus; quandoquidem non uno tractantur modò perſonæ, facta, res. Ac primò occurrunt loci peculiares laudi perſonarum; quos non-abs re fuerit exemplis aliquot illuſtrare, quò ſuccurratur jejunæ & aridæ eorum meditationi, qui ſe primùm in tractatione hujus generis apud Rhetores ac Scholaſticos exercent.

Perſonarum appellatione comprehenduntur Deus, angelus, homo.

Rationem laudandi DEOS, juxta impiam nationum pietatem, paucis deſcribunt Halicarnaſſenſis tractatu *περὶ πανηγυρ.* & Fabius lib. III. cap. IX. Fuſiùs verò Menander lib. I. de gen. demonſtr. cap. IX. & ſeptem ſequentibus: item cap. XVIII. Quamquam id non à Menandro conſcriptum, ſed ab alio puto adjectum. Nam cùm de Diis dixiſſet, atque inde ad regionum, urbium, aliorumque locorum laudationem tranſiiſſet; eamque non uberum minùs tractâſſet; cur poſtea ad laudationem Deorum rediret, cauſſæ nihil erat. Atque hi veteres. E junioribus autem adi Scaligerum de re poëticâ lib. III. cap. CXII. & tribus ſeqq.

Exemplo verò erunt, tum poëtarum hymni, ut Homeri, Orphei, Callimachi, Procli, aliorum: tum Ariſtidis hymnus in Jovem; item orationes ejuſdem in Minervam, Neptunum, Bacchum, Herculem, & Serapim. Exſtat & inſignis Maximi Tyrii oratio de Deo. Etiam vide Dionis Chryſoſtomi orationem XXXVI, quæ inſcribitur Boryſthenitica: ubi multa ſcitè diſſerit de mundi opifice; item eam, quam Olympica, ſive de prima Dei cognitione, inſcripſit. In quâ multa præclarè dicuntur de Deo, & intelligentiis. Exordium tamen & longius, & pictius eſt, quàm gravi adeo argumento conveniat. Sed ſubinde in eo peccare hunc ſcriptorem, etiam Photius, vir acris judicii, obſervavit, quo loco de Dionis Corinthiacâ judicium promit.

At qui verè volet verum laudare Deum, is contemtis deſpretiſque nugalibus gentium de Diis commentationibus, Scripturam, tanquam Theſejum filum, ſequatur: quâ duce argumenta divinæ laudis petat; partim ab adjunctis Dei, partim ab effectis. Eſt enim Deus *ὑπερέχων φύσεως* *. In hac prædicetur majeſtas, in majeſtate æternitas, in æternitate beatitudo. Præterea laudetur ejus in creando ſapientia, in gubernando providentia, in defendendis probis bonitas, in ferendis malis lenitas, in iiſdem frangendis fortitudo, in puniendis juſtitia, atque ita in cæteris.

* *Naturam omnem excedens naturam.*

Horum omnium tam illuſtria habemus teſtimonia in Scripturis, præſertim in Davidis & aliorum hymnis, ut nullum adeò infelicis eſſe ingenii putem, cui in hoc argumento deeſſe poſſit oratio. Præſertim, ſi vel leviter delibare etiam volet, quæ apud Philonem Dionyſium, Nazianzenum, Baſilium, alioſque, luculentè adeò de eodem perſcripta ſunt argumento.

VII. Quomodo Angeli laudentur.

ETiam angeli pertinent ad divina, cùm vox ea ſit ex illis, quæ vocantur *ἀφ᾽ ἑνὸς, ἢ πρὸς μίαν φύσιν* *. Laudantur hi à quatuor præcipuè rebus.

* *Ab uno, ſive ad unam naturam.*

Primùm ab *οὐσίᾳ*, ſive natura incorporea, ac materiæ experte, unde *ſpiritus* dicuntur, cùm ad Hebr. cap. I. tum Pſal. CIV. ubi B. Auguſtinus: *Quæris*, inquit, *nomen hujus naturæ? ſpiritus eſt.* Eâpſe de cauſſâ à Philoſophis vocantur *intelligentiæ*, & *formæ*, vel *ſubſtantiæ abſtractæ.* Neque obſtat, quòd corporeâ formâ viſi fuerunt. Nam corpora illa non erant unita *ἑνωδῶς*, ſed ea pro tempore geſtarunt. Atque ab hac formâ aſſumtâ dicti videntur *Cherubini.* Nam *caph* ſimilitudinis eſt particula, & *rabja* adoleſcentem Chaldaicè ſignificat, teſte R. David. Sunt igitur angeli media natura, inter ſpiritum increatum atque infinitum, qui Deus dicitur, & animas humanas, quæ non ſunt aliquid omnimodis perfectum, contrà quàm in angelis fit. Nam hæ per ſe ſubſiſtunt, unde & *perſonæ* vocantur ab Auguſtino, Enchiridio ad Laurentium cap. XVIII.

Deinde laudantur ab naturæ adjunctis. Nam, ſive intellectum reſpicias, eſt in iis adumbrata quædam omniſcientiæ divinæ ſimilitudo, quâ verum à falſo, bonum à malo, diſcernunt. Seu ſpectes voluntatem & affectum, juſtiſſimi ſunt & ſanctiſſimi; ut qui bonum ſemper amplectantur. Seu conſideres potentiam atque agilitatem, arguunt eam primogeniti in Ægypto occiſi, & tot millia interfecta in exercitu Senacheribi. De potentia quoque teſtis Paulus in priori ad Theſſal. I. 7. De agilitate autem Eſa. VI. 6.

Tertio loco eorum laus petitur ab officio, unde dicuntur *πνεύματα λειτουργικά*, item *ἄγγελοι*, atque Hebræis *malachim.* Eſt verò officium hoc triplex. nempe, partim erga Deum: quod eſt, tum celebratio numinis, tum executio mandatorum ejus: ut docet Pſaltes Pſ. CIII. verſ. 20. & 21. partim erga pios: ut qui non ſolum pœnitentia eorum gaudeant; ſed etiam cuſtodiant eos, & poſt vitam hanc in cœlos transferunt: ut conſtat è Pſal. XCI. I. & ad Hebr. I. 14. partim etiam adverſus malos: erga quos

Deus judicia ſua per angelos exercet. ut diſcimus ex Pſal. xxxv. 5. 6. & 2. Reg. xix. 35. & Eſa. xxxvii. 36. Ab hoc ardore in judiciis Dei exequendis *Seraphim*, h. e. ardentes, vocantur Eſa. vi. ubi Deus inducitur, ut judex iratus. Ut minùs veriſimilis ſit eorum ſententia, qui ita putant nuncupati à flagranti amore erga Deum.

IV. Denique laudantur à felicitate ac gloria: quæ in ſumma cum Deo *κοινωνίᾳ* conſiſtit: ut qui intellectum ac voluntatem in Deo ſemper defigant, inque eo acquieſcant: unde dicuntur *ſemper videre faciem patris cœleſtis* *. Gloria verò plane eſt ſpiritualis ac cœleſtis: ſic tamen, ut aliqua ejus ſit diſtinctio: unde alii *θρόνοι*, alii *κυριότητες*, alii *ἀρχαὶ*, vel *ἐξουσίαι* vocantur ab Apoſtolo ad Coloſſenſ. 1. 16.

* *Matth.* 18. 10.

VIII. Quomodo homo universe laudetur.

De angelo ſatis. Homo vel universè ſpectatur, vel ſingulatim; quam perſonam dicimus. Homo universè laudatur ſecundum capita Logicæ deſcriptionis. Sed præcipuè in conſiderationem veniunt hæc tria.

I. Anima immortalis, ac perennis, ejuſque tres principes facultates, intellectus, voluntas, memoria; in quo multi veterum ſimilitudinem cum trinuno Deo ſtatuerunt.

II. Corporis elegantia, ac præſtantia; in quo illud peculiare homini, quòd Natura, ſive Deus, prona

—— cum † ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

† *Ovid.* 1. *Met.*

III. Harmonia illa, quâ ſubſtantiæ diſpares, una ſpiritualis, corporalis altera, in unam conſociantur & conſpirant formam ſive ſpeciem.

Hæc de homine *φυσικῶς*. Pleniùs verò hoc argumentum tractarunt Lactantius, Nemeſius, alii.

IX. De duplici serie in laudatione personæ.

In laudatione perſonæ duplex ſervatur ordo; naturalis, vel artificialis.

Series artificialis eſt, (ut de hoc primò dicamus) cùm, non ſervato temporis ordine, omnia ad certa genera ſeu capita referimus. Hujuſmodi ſeries ſit, ſi quis laudes Catonis Priſci ſive Majoris, qui ab optimâ cenſuræ adminiſtratione Cenſorii cognomen adeptus eſt, ad tria referat capita; quòd optimus fuerit Senator, optimus Orator, optimus Imperator; teſte Plinio lib. vii. cap. xxvii. aut ſi laudes P. Craſſi Muciani referat ad hæc quinque elogia; quòd eſſet ditiſſimus, quòd nobiliſſimus, quòd eloquentiſſimus, quòd Juriſconſultiſſimus, quòd Pontifex Max. quæ quinque eum habuiſſe, rerum bonarum maxima, plerique hiſtoriæ Romanæ ſcriptores tradiderunt; ut auctor eſt Agellius lib. 1. cap. xiii. Simili ratione ea, à quibus bonum Imperatorem allaudamus, rectè à Cicerone in Maniliana, ut Pompejum laudet, referuntur ad ſcientiam rei militaris, ad virtutem, ad auctoritatem, & ad felicitatem, quam & ipſam quanti veteres fecerint, oſtendit illud Q. Curtii Rufi elogium de Alexandro Magno: *Fatendum*, inquit, *eſt*, *cum plurimum virtuti debuerit, plus debuiſſe fortunæ; quam ſolus omnium mortalium in poteſtatem habuit.* Idem denique ordo ſit, ſi laudes alicujus referamus ad bona animi, corporis, externaque, quæ parùm aptè appellant fortunæ bona, ut cap. antecedenti oſtendimus. Meritò autem adjunguntur quoque bona corporis, & externa: nam, ut inibi dicebamus, ad beatitudinem non ſufficit ſolus animi cultus. Unde ſapientiſſimo Thaleti mortalium ille feliciſſimus dicebatur, ὁ τὸ μὲν σῶμα ὑγιὴς, τὴν δὲ τύχην εὔπορος, τὴν δὲ ψυχὴν εὐπαίδευτος ‡. Autor Laërtius in Thalete. Non tamen par horum dignitas: ſed, ut Critolaus præclarè dicebat, ſi in altera libræ lance cuncta corporis externaque ponantur bona, in alterâ autem virtus; illa, quâ virtus continetur, tantum propendebit, ut maria terraſque deprimat. Ita Cicero lib. v. Tuſc. Quæſt. Nempe animi bona ſola ſunt ſolida, &, ut Satyricus * ait,

‡ *Qui corpore ſanus, fortunâ locuples, animo verò bene inſtitutus eſt.*

Propter quæ fas ſit genua incerare Deorum.

* *Juven. lib.* 4. *Sat.* 1.

Unde Socrates apud Xenophontem dicit, eos, qui à Diis uxorem, opes, aut potentiam rogant, perinde facere, ac, ſi peterent, ut ſibi aleam ludere, aut prœlium committere liceat, quarum rerum exitus ſunt incerti. Adjungenda tamen ſunt bona corporis, & externa, quia in eorum uſu prudentia elucet.

Naturalis verò ſeries eſt, in quâ hiſtoriæ ac temporis ſervatur ordo: atque hunc Iſocrates ſequitur in laudatione Euagoræ. Diſtribuitur autem in quinque partes, ante nativitatem, in nativitate, in vita, in morte, & poſt mortem. Niſi, (brevitatis cauſsâ, dividere malis in tria tempora; id quod vitam anteceſſit; illud quo quis vixit; & ſi naturæ conceſſerit, quod mortem hominis eſt conſecutum.

Virgilius triplex hoc tempus in vivente etiam adhibet; ſed ordine inverſo. Ait enim in oratione Æneæ ad Didonem; primò ratione medii temporis;

O ſola infandos Trojæ miſerata labores!

Inde ratione primi;

—— Quæ te tam læta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes?

Denique ratione ultimi;

In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Luſtrabunt convexa, polus dum ſidera paſcet:
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.

X. De laudatione ab auguriis ante nativitatem, et præcipue a patria.

In primo tempore conſideranda ſunt patria, familia, & auguria oraculaque, ſiqua nativitatem anteceſſerint. Ita cùm Aſtyages in ſomnio vidiſſet, ex filiæ naturalibus vitem enatam, quæ palmitibus totam Aſiam obumbraret; arioli reſponderunt, naſcituri nepotis Cyri magnitudinem portendi. Auctores hujuſce rei Herodotus lib. 1. Juſtinus lib. 1. Tertullianus lib. de anima, atque alii. Apollinis Pythii de Pythagora necdum nato oraculum, vide apud Jamblichum lib. 1. cap. 11.

Patria verò & parentes cur commemorentur, indicat B. Ambroſius libro de Virginibus primo: *In laudationibus ſolet patria prædicari, & parentes, ut in commemoratione auctoris, ſucceſſoris dignitas exaggeretur.*

Patriæ autem nomine intelligo, tum natale ſolùm, tum unde oriundi ſumus; ac fortaſſe etiam, ubi diu commodè vixerimus. Ab iis autem laudamus bifariam. Si ea illuſtris fuerit, hoc ipſum in laude ponitur. Non ignoravit id divinus Poëta, cùm ait †:

† 4. *Æn.*

Multa viri virtus animo, multuſque recurſat
Gentis honos.

Et certè, eſſe aliquid ſplendorem patriæ, docet nos Meneſtheus ‡, filius Iphicratis, Imperatoris Athenienſis, & Tarſæ, Coti Thracum Regis filiæ; qui, cùm interrogatus eſſet, utrum parentem majoris faceret, matrem reſpondit; ac, cæteris admirantibus, rationem hanc aſſignavit; quòd pater, ducendo Threiſſam, quantum in ſe fuit, Thracem genuiſſet; mater, nubendo Athenienſi, Athenienſem.

‡ *Nepos in Iphicr. Sed in quibuſdam libb. pro* Coti *eſt* Cotyis: *ut ed. quam H. Steph. expreſſit.*

Diogenes quoque Laërtius ‡ ex Ariſtoxeni variâ hiſtoriâ refert, Myſonem illum, quem ab Apolline hominum omnium ſapientiſſimum fuiſſe judicatum, ſcripſit Hipponax, eo nomine habitum ignobilem, quòd ex vico obſcuro natus eſſet: atque inde etiam proveniſſe, ut, quæ ejus eſſent, Piſiſtrato tyranno à pleriſque attribuerentur.

‡ *In Myſonis vita.*

Idem confirmatur eleganti Themiſtoclis dicto, quod à Platone commemoratur in primo de Rep. & exinde ab Origene

* Pag. 23. rigene libro 1. contra Celſum *, his verbis Ὁ μὲν οὖν παρὰ τῷ Πλάτωνι Σερίφιος, ὀνειδίζων τῷ Θεμιστοκλεῖ, διαβοήτῳ γεγενημένῳ ἐπὶ τῇ στρατηγίᾳ, ὡς οὐκ ἐκ τῆς ἰδίας ἀρετῆς τὸ ἔνδοξον ἀνειληφότι, ἀλλ' ἐκ τοῦ εὐτυχηκέναι πατρίδος τῆς ἐν ὅλῃ Ἑλλάδι ἐπισημοτάτης, ἀκήκοεν ἀπὸ εὐγνωμονοῦντος Θεμιστοκλέους, καὶ ὁρῶντος, ὅτι συνεβάλετο αὐτῷ πρὸς τὸ ἔνδοξον καὶ ἡ πατρὶς, ὅτι, Οὐκ ἂν ἐγὼ Σερίφιος ὢν, οὕτως ἔνδοξος ἐγεγόνειν· οὔτε σὺ, Ἀθηναῖος εὐτυχήσας γεγενῆσθαι, ἐγένου ἂν Θεμιστοκλῆς. Quæ ſic tranſtulit Hœſchelius: *Apud Platonem Seriphius quidam, Themiſtocli, celeberrimo imperatori, claritatem exprobrans, quaſi non ſuâpte virtute partam; ſed quod patria illi contigiſſet urbs totius Græciæ nobiliſſima; audiit à non ingrato Themiſtocle, & agnoſcente, patriam quoque ſibi contuliſſe aliquid ad gloriam; Nec ego, ſi Seriphius fuiſſem, tam celebris evaſiſſem: nec, ſi tibi Athenæ patria contigiſſet, fuiſſes Themiſtocles.* Idem refert Plutarchus in Apophthegmatis. Ex his liquet, patriæ etiam nobilitatem ad gloriam conferre. Nempe duplex eſt nobilitas; una publica, altera privata. Illa eſt loci, ubi nati ſumus, puta civitatis, aut regionis: hæc verò familiæ eſt, ac majorum.

XI. Quæ ineunda ſit ratio in laudando, ſi patria ſit, vel obſcura, vel etiam infamis.

AT ſiquis patriâ natus fuerit ignobili; dicemus, eum, cum Ulyſſe Homerico, loci natalis obſcuritatem, virtutis ſuæ radiis illuſtraſſe. Ovid. VII. Met. fab. 1:

—— Non illa loco, nec origine gentis
Clara, ſed arte fuit.

Et lib. IX. fab. XII:

Proxima Gnoſſiaco nam quondam Phæſtia regno
Progenuit tellus ignotum nomine Ligdum,
Ingenuâ de plebe virum: nec cenſus in illo
Nobilitate ſuâ major; ſed vita, fideſque
Inculpata fuit.

Claudianus lib. II. de laud. Stilic.

—— Meritum, nunquam cunabula quæris,
Et qualis, non unde ſatus.

† Plutarchus in Lacon. Huc facit, quòd Ageſilaus †, cùm ei puero choragus in ludis gymnicis locum tribuiſſet minùs honoratum, paruerit quidem; at dixerit, Bene equidem ſe rem habere: oſtenſurum enim ſe, non loca viris, ſed viros locis honorem conciliare. Et Ariſtoteles ‡ cuidam glorianti, quòd
‡ Laërtius lib. 5. magnæ urbis civis eſſet, reſpondiſſe dicitur, οὐ τοῦτο σκοπεῖν, ἀλλ' ὅς τις μεγάλης πατρίδος ἄξιός ἐστιν. *Noli hoc conſiderare; ſed utrùm præclarâ patriâ dignus ſis.*

Quod ſi patria ſit infamis, contenti erimus gentem referre, civitate prætéritâ: quod ſi civitas luculenta, pagus infamis, ſola civitas memorabitur. Prioris fuerit exemplum, quòd 1 Reg. 1. ſive potiùs, Sam. IX. 1. 2. Saul laudatur à formâ, & ſtaturâ; genus etiam refertur; civitas nihilominus reticetur: nempe infamis ſtupro, quod Levitæ uxor ibi fuerat perpeſſa; ut conſtat ex hiſtoriâ Judicum cap. XIX. Vel etiam, negabimus, referre, ubi quis natus ſit. Id in Septimio Severo Pertinace (quem Lepti, Africæ civitate, fuiſſe oriundum, ex Spartiano & Eutropio diſcimus) fecit Auſonius, cùm ſcripſit:

Punica origo illi; ſed qui virtute probaret,
Non obſtare locum, cùm valet ingenium.

Alterum quoque Septimium Severum, itidem Pœnum, ſed antiquiorem hoc, ac fortaſſe * hujus proavum, laudaturus Statius Papinius in IV. Sylv. ait:

* Baronius in annal. ad an. 195.

Tene in remotis Syrtibus avia
Leptis creavit?

Et aliquanto pòſt:

Non ſermo Pœnus, non habitus tibi,
Externa non mens; Italus, Italus &c.

Et certè Abderitis nihil ſtupidius. unde Martialis lib. X. epigr. XXV.

Abderitanæ pectora plebis habes.

Et Tatianus σὐδηρολόγον vocat hominem tantùm nugas blaterantem. Et tamen Democritus, Phyſicus acutiſſimus, Abderita fuit, teſte, inter alios, Pomponio Mela. Quare de eo rectè Juvenalis lib. IV. ſat. I.

—— Cujus prudentia monſtrat,
Summos poſſe viros, & magna exempla daturos,
Vervecum in patriâ, craſſoque ſub aere, naſci.

Illuſtris quoque hac de re locus apud Appulejum in Apologiâ, ubi inter alia inquit: *Apud ſocordiſſimos Scythas, Anacharſis ſapiens natus eſt: apud Athenienſes catos, Meletides fatuus.* Omnino vide, quæ pluribus inibi de patriâ idem diſſerit, adverſus eos, à quibus Seminumida, & Semigætulus vocabatur.

XII. Quomodo laudemur a ſplendore natalium.

SEquitur Genus, per quod intelligo parentes, avos, affines. Ab his itidem commendamus bifariam. Nam ſi genus fuerit luculentum atque illuſtre: laudabimus à ſplendore natalium, ac majorum geſtis: quæ verè ſunt χρυσέα κρηπὶς, κατὰ Πίνδαρον †. Rectè Philoſophus Stagirites ‡, Εἰκὸς βελτίους εἶναι τοὺς ἐκ βελτιόνων. *Veriſimile eſt, præſtantiores ac meliores eſſe eos, qui ex melioribus.* Ac vates Venuſinus *, *Fortes creantur fortibus & bonis.* Et, ſi verum eſt, quod Simonides ſenſit, eum, qui beatè vult vivere, natum eſſe debere patriâ glorioſâ, (quod & ipſum ab Euripide ſcriptum fuiſſe, teſtatur Plutarchus †,) multò equidem magis parentum requiratur claritudo, ut quis undecunque beatus videri poſſit. Nam communibus præſtant incommunia, ut cum Tertulliano loquar: patria autem, ſive Athenæ, ſive Roma, cum multis communis eſt: at his illiſve parentibus natum eſſe, cum multis commune non eſt. Illud quoque natalium claritudinem commendat, quòd ex donis externis ſolùm hoc eripi non poſſit. Hinc Mithridates oratione generoſè ſupplici ita Eunonem affatur apud Tacitum in XII. Annal. *Mithridates, terrâ marique Romanis per tot annos quæſitus, ſponte adſum. Utere, ut voles, prole magni Achæmenis: quod mihi ſolum hoſtes non abſtulerunt.* Adde, quòd plurimum ad benevolentiam facit majorum virtus. Itaque Proclus, ut in vitâ ejus ſcribit Marinus, potiſſimùm amabat Archiadam, ejuſque cognatos, quòd à Plutarcho Philoſopho genus ducerent.

† Aureum, ut Pindarus ait, fundamentum.
‡ Ariſt. 3. Polit.
* Lib. 4. Od. 4.
† Vit. Demoſth.

XIII. Ratio laudandi eos, quibus genus obtigit obſcurum.

QUod ſiquis obſcuro omnino genere natus ſit, locum habet illud Minutii Felicis ‡: *Omnes pari ſorte naſcimur, ſola virtute diſtinguimur.* Et certè, num feminæ principes mundiùs eniti partum ſolent, quàm egeſtate preſſæ? Num minùs in palatiis regum partus ablui debet, quàm paupere in tugurio? Quare non ab ortu nobilitas arceſſenda: ſed, ut Vellejus ait *, *Optimus quiſque nobiliſſimus.* Quod etiam agnoſcit Phalaris, ſive alius ſub ejus nomine, epiſt. CXX. Ἐγὼ δὲ μίαν εὐγένειαν, ἀρετὴν οἶδα· τὰ δ' ἄλλα πάντα, τύχην. Καὶ γένοιτ' ἂν ὁ μὲν ἐκ φαύλων ἀγαθὸς, καὶ βασιλέων καὶ πάντων εὐγενέστατος· ὁ δὲ ἐξ ἀγαθῶν φαῦλος, αὐτός τε ἑαυτοῦ καὶ τῶν ταπεινοτάτων δυσγενέστατος. *Ego verò unam novi nobilitatem, virtutem; alia verò omnia, fortunæ dona. Ac fieri poſſit, ut ex malis naſcatur bonus, imò regibus, atque adeo omnibus hominibus generoſior; atque ut ex bonis gignatur malus, & ſe ipſo, & abjectiſſimo quoque ignobilior.* Nimirum noſtra non ſunt, genus, pecuniæ, καὶ † ἑνὶ λόγῳ, ὅσα οὐχ ἡμέτερα ἔργα, ut Epictetus ‡ ait. Quæ etiam L. Senecæ mens fuit. Ipſum audiamus epiſt. XLIV: *Non facit nobilem, atrium plenum fumoſis imaginibus. nemo in noſtram gloriam vixit: nec, quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem: cui, ex quacunque conditione, ſupra fortunam licet ſurgere.* Idem, vel alius, Hercule Fur.

‡ In Octavio.
* Lib. 2.
† Et, ut cuncta complectar, ea omnia, quæ ipſi non agimus.
‡ Enchiridii cap. 1.

—— Qui genus laudat ſuum,
Aliena laudat.

Nihil etiam pervulgatius illo Vlyſſis, in certamine cum Ajace*:

* Ovid. Met. 13.

Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

Cui geminum illud Juvenalis †:

† Sat. 8.

—— miſerum eſt aliena incumbere famæ,
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.

Quare, ſi generis laus magis aliena eſt, ſolaque virtus noſtra duci debet; quis ambigat, quin veriſſimum ſit illud Solonis effatum ‡:

‡ Apud Auſon.

Pulchrius multo, parari, quàm creari nobilem.

Dicere quoque liceat, aliquem (Ciceronis* utor verbis) *familiam abjectam, & obſcuram, è tenebris in lucem vocâſſe:* ſive, *virtute eum præluxiſſe majoribus*, ut auctor ψευδεπιγράφου in Salluſtium orationis (quam Budæus † etiam Ciceroni tribuit) ipſum de ſe loquentem inducit Ciceronem; ſed parùm Ciceroniano loquendi genere, cùm *prælucere* ſit, ante aliquem lucere; eoque poſteri majoribus prælucere, non niſi duriſſimâ vocis abuſione dici poſſint.

* Pro Dejotaro.
† In fine prior. annotat. in Pandect.

Quin majoris eſt virtutis argumentum, ſiquis, obſcuro loco natus, ad ſummam nominis claritatem pervenerit. Qua de re ſic Origenes diſſerit libro 1. ‡ contra Celſum: Ἀνθρώποις μὲν γὰρ συμβάλλεται πρὸς τὸ γενέσθαι τινὰ αὐτῶν* διάσημον καὶ ἔνδοξον, καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ διαβόητον, γένος, ὅταν οἱ γονεῖς ἐν ὑπεροχῇ καὶ προαγωγῇ τυγχάνωσι· καὶ πλοῦτος τῶν ἀναθρεψαμένων, καὶ δυνηθέντων ἀναλῶσαι εἰς παιδείαν τοῦ υἱοῦ· καὶ πατρὶς μεγάλη τις οὖσα, καὶ ἐπίσημος. Ὅταν δὲ πάντα τὰ τούτοις ἐναντία ἔχων τις, δυνηθῇ ὑπερκύψας τὰ ἐμποδίζοντα αὐτὸν γνωσθῆναι, καὶ σεῖσαι τοὺς περὶ αὐτοῦ ἀκούοντας, καὶ γενέσθαι ἐμφανὴς καὶ δῆλος οἰκουμένῃ ὅλῃ, τὰ ἀνόμοια λεγούσῃ περὶ αὐτοῦ· πῶς οὐ θαυμάσιον τὴν τοιαύτην φύσιν, αὐτόθεν μὲν ὡς μεγαλοφυῆ, καὶ μεγάλοις ἐπιβάλλουσαν πράγμασι, καὶ ἔχουσαν παρρησίαν οὐκ εὐκαταφρόνητον; Quæ ſic tranſtulit Hœſchelius: *Hominibus enim multùm confert genus ad illuſtrem famam, & claritatem nominis; quando parentes eorum potentes & præcellentes fuerint, & amplis facultatibus præditi, ad excolendum ingenium filii, tum patria magna, & nobilis. Quando verò aliquis, omnia habens his contraria, poteſt è tot obſtaculis ad claritatem emergere, & commovere ſui famâ multitudinis animos, ac per totum orbem diverſis rumoribus de ſe ſtrepentem celebris fieri: an non meritò demireris naturam hujuſmodi, ut generoſam & magnificam, tantàque confidentiâ verſantem in negotiis arduis?*

‡ Pag. 22 & 23.
* Sic corrige, ubi vulgò αὐτῶν.

Propterea Hannibalem ſic loquentem inducit Lucianus in mortuorum dialogis: Φημὶ δὲ τοὺς μάλιστα ἐπαίνου ἀξίους εἶναι, ὅσοι τὸ μηδὲν ἐξ ἀρχῆς ὄντες, ὅμως ἐπὶ μέγα προεχώρησαν, δι' αὐτῶν δύναμίν τε περιβαλλόμενοι, καὶ ἄξιοι δόξαντες ἀρχῆς. *Eos verò maximè laude dignos ajo, qui, cùm priùs nullo fuerint loco, magni tamen evaſerunt, & per ſe potentiam conſecuti, & imperio digni ſunt judicati.* Hâc commendandi ratione agendum eſſet in laudatione Iphicratis; qui, cùm ſutoris crederetur filius †, ob virtutem, & rei militaris peritiam, factus eſt Athenienſium Imperator: unde, Harmodio ei ob generis ignobilitatem convicia ingerente, *Meum*, inquit, *genus à me incipit; tuum in te deſinit* ‡. Erat verò Harmodius hic priſci illius Harmodii abnepos, qui cum Ariſtogitone Hipparchi (quamquam aliter totâ hac de re Thucydides *) tyrannidem convellit: unde & honori ejus, in conviviis ſcolium †, quod Harmodii dicebatur melos, canebatur; quod integrum refertur in quinctodecimo Athenæi, ac lucem accipit ab Leopardo lib. XII. cap. VIII. Idem ille Iphicrates dicebat, ut virtute quiſque præſtaret, ita nobiliſſimum eſſe. Nam ne Harmodium quidem, & Ariſtogitonem, nobiles priùs fuiſſe, quàm quid præclari deſignarant. Ejuſdem illud erat, ſe eo majorem cum Harmodio, atque Ariſtogitone, habere cognationem, quàm ipſum illum, quicum contenderet, quò ſua, quàm illius facta, propiùs ad eorum gloriam accederent.

† Suidas, & alii.
‡ Plutar. in Imper. Apophth.
* Lib. 6. Vide, quæ adverſus eum aſſerit Jo. Meurſius in Piſiſtrato ſuo.
† Ariſtop. interpres in Achar. & Veſp.

Agathocles, Siciliæ rex, figulo eſt patre natus; teſte Juſtino lib. XXII. & Plutarcho in Apophth. Notum de eo Auſonii epigramma *.

* Epigr. 8.

Ptolemæus etiam, ὁ τῶν καθ' ἑαυτὸν εὐδαιμονέστατος βασιλέων †, ut de eo Lucianus ‡ ſcribit, ac à quo ſucceſſores omnes dicti ſunt Ptolemæi, natus eſt è milite gregario, nomine Lago: unde Lagæam juventutem, pro Ægyptia poſuit Lucanus in X. Sanè Lagi filium fuiſſe, Strabo in VII. ac Græcorum alii, prodidere; uno Pauſania excepto; qui in Atticis refert, matrem ejus, priuſquam Lago nuberet, gravidam fuiſſe è rege Philippo, Amyntæ, filio: indeque natum Ptolemæum.

† Propriæ fortunæ inter reges feliciſſimus.
‡ In Macrobiis.

De Arſace etiam, quem Georgius monachus, Taraſii patriarchæ Syncellus, ſcripſit, ἕλκειν ‡ τὸ γένος ἀπὸ τοῦ Περσῶν Ἀρταξέρξου, magis veriſimile ſit, obſcuris fuiſſe parentibus natum: ut, de quo ne illud quidem fuerit compertum, Scythane foret, an Bactrianus; ut Strabo indicat libro XI. Imò à Juſtino quoque, cùm incertæ eum originis fuiſſe ſcribit, tum patriam, tum parentes ſignari, dubium non eſt. Eſt verò hic Arſaces ille, à quo itidem Arſacidæ dicti ſunt, quicunque ad regni faſtigium in Parthia ſunt evecti: ut docent Strabo lib. XV. Juſtinus lib. XLI. Marcellinus lib. XXIII. Servius in VI. Æn., Iſidorus lib. IX. cap. III. & gloſſæ Græcolat. Philoxeni.

‡ Genus trahere ab Artaxerxe, Perſarum rege.

Etiam Auguſtus Cæſar, qui & ipſe Auguſti nomen ſucceſſoribus tranſmiſit, patre avoque natus eſt argentario, ut nonnulli voluere; proavum autem habuit libertinum, eumque funariam exercentem, ſive reſtionem: avus maternus piſtor fuit Ariciæ: quæ & illi exprobrare ſolitus Antonius. Ita Suetonius in vitâ ejus, & auctor Epiſtolæ ad Octavium, Ciceroni aſſcriptæ.

Juſtinus quoque patre armentario natus in Thracia, ſenatus & militum conſenſu factus eſt Romanorum imperator. Notum etiam de humili genere Maximini, Pupieni, Aureliani, Valentis, aliorum.

Eo minùs mirandum de origine multorum doctrinâ præſtantium. Uti de Socrate, qui, ut ipſe apud Platonem * agnoſcit, ac diſertim ſcribunt Laërtius, Valerius Maximus †, & Theon ‡, natus eſt Sophroniſco patre, marmorario, & Phænarete matre, obſtetrice. Euripidis matrem vendidiſſe olera, cùm Theopompus apud Agellium *, Valerius †, & Suidas teſtantur; tum ex Ariſtophane oſtendit Turnebus lib. Adverſ. XV. cap. III. Philochorus tamen, apud Moſchopulum in vitâ Euripidis, eam nobilem fuiſſe aſſerit. Æſchinis mater tympaniſtria fuit, ut ſcribit Lucianus in ſomnio. Demoſthenes Orat. περὶ στεφάνου, ignobilitatem ei objiciens inter alia ait: σὺ ὑπηρετῶν δ' ὅλε χρῆ περὶ οὗ καὶ τῶν αὐτῶν αἰτεῖν, ὑπηρετῶ δὲ πάντων μυθῶ ‡ &c. quo de loco vide Petrum Victorium lib. XX. Var. Lect. cap. XVI. Demoſthenis verò patrem cultellos vendidiſſe, ait Valerius Max. *. Certè μαχαιροποιὸς vocatur ab Æſchine †. Hinc Juvenalis ‡:

* In Theæteto, itemque in Alcibiade. 1.
† L. 3. c. 4.
‡ In progymnaſm. c. περὶ ἐγκωμίου.
* Lib. 1. Noct. Att. cap. 20.
† L. 3. c. 4.
‡ Cùm non dubitem, an mihi de te, ac tuis, dicendum ſit; dubito tamen, cujus primo meminiſſe oporteat.

Dis ille adverſis genitus, fatoque ſiniſtro,
Quem pater, ardentis maſſæ fuligine lippus,
A carbone, & forcipibus, gladioſque parante
Incude, & luteo Vulcano, ad Rhetora miſit.

Non tamen ita appellatus eſt, quòd ipſe artem hanc exerceret, ut inſinuare videtur Satyricus; (nam uti Theopompus* memoriæ prodidit, erat is καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν †) ſed quia, ut Plutarchus ait, ἐργαστήριον εἶχε μέγα, καὶ δούλους τεχνίτας τοὺς τοῦτο πράττοντας ‡; nempe τριάκοντα δύο *; ut ſcribit Demoſthenes ipſe orat. κατ' Ἀφόβου. Eâdemque ratione etiam Ciceronis pater, quia ex familiis fulloniam exercentibus quæſtum faceret, fullo audivit: quemadmodum & hoc nomen convicii loco Tullio objicit Q. Fuſius, vel potiùs Fuſius Calenus, in illâ maledicâ oratione, quæ eſt apud Dionem lib. XLVI. Hujuſmodi exemplorum ampla ſe offeret ſeges in omni penè hiſtoria. Unde hæc pauca decerpſimus, partim quidem, ut ne exempla eos deficiant, qui needum diffudêre animum per omne ſcriptorum genus: partim verò, ut obſcuris orti natalibus inde intelligant, ad honores ac nominis decus; viam eſſe præcluſam nemini. Inprimis autem hæc in oratione locum ha-

* L. 3. c. 4.
† Orat. περὶ παραπρεσβείας.
‡ Sat. 10.
* Apud Plutarchum.
† Ex optimatibus.
‡ Officinam magnam habuit, & ſervos id opificium exercentes.
* Triginta duos.

habent, quando metus eſt, nequid humilitas generis de laudibus deterat. Ac tum ridere etiam liceat Rhetorum diſciplinam, quâ jubent, (ut B. Hieronymi * verbis potiſſimùm utar) *ab avis, & atavis, & omni retro nobilitate, ornare, quem laudant, ut ramorum ſterilitatem radix fœcunda compenſet, &, quod in fructu non teneas, mireris in trunco.*

* *Epiſtola ad Demetriadem, de ſervanda virginitate.*

XIV. De laude eorum, quorum genus eſt infame.

NEc ſolùm laudari merentur, quibus obſcuri ſunt natales; ſed etiam, quibus genus eſt infame. Nam, non ſemper è malis naſci malos, oſtendunt Ezechias †, & Joſias ‡, optimi reges: quorum parentes, Achaz, & Amon, reges fuere deterrimi. Quare diſpiciendum, quomodo in laudationibus tractare eorum genus conveniat. Gemina autem ejus ratio occurrit. Nam ſi vulgo ignotum ſit, parentes majoreſque improbos fuiſſe: ſatius arbitror, rem hanc prætetire, nullâ injectâ mentione. Sin id notius fuerit in vulgus, quàm ut ſine tacito auditorum convicio omitti queat: commode tum divina extolletur benignitas, quæ neque à ſe ſpernit ſegregatque improborum liberos, niſi, ut in patrimonia, ſic in parentum quoque vitia ſuccedant. Etiam dicetur, eâ re vel maximè oſtendi alicujus virtutem, quòd nec improbum parentum exemplum de ſtatu eum ſuo labefecerit. Ita Chryſoſtomus ſerm. de Jacob & Eſau *: *Parentes Abraha impii erant, & idololatra, & barbaris magis barbari. Scio & ego; & propterea laudo juſtum, quod tales parentes habens, talis ipſe factus ſit. Etenim valde rarum & admirabile eſt, ex agreſti radice dulcem fructum produci. At non accuſandi ſunt ob parentum malitiam filii piè viventes; ſed ut admirabiles habendi, eò quòd, cùm pietatem a parentibus non acceperint, nec habuerint qui manu duceret, quaſi in eremo & invio euntes, viam, qua in cœlum fert, invenire potuerint. Non igitur crimen eſt, habere patrem impium; ſed imitari patris impietatem: & crimen eſt maximum, non quòd habemus parentes improbos; ſed quòd illorum non agimus curam, & non offerimus omnia, qua ab eis habemus, ut ab impietate ſuâ eos eruamus. Hac autem dixi, ne turberis, dilecte, cùm audis, quòd Abraham impium patrem habuerit. Nam & Timotheus impium patrem ſortitus fuit: filius enim Judaa mulieris erat, fidelis matris; patris autem gentilis. Quod enim pater ejus manſerit in impietate, & non fuerit converſus; manifeſtum eſt ex hoc. Laudans quippe Timothei fidem
“ Paulus ſic dicit: Qua habitavit in avia tua Loide, &
“ matre tua Eunice: confido autem quod & in te. Nuſquam hic patris nomen legitur. Et quare? Quia in impietate perſeverans, non erat dignus, qui cum filio numeraretur. At Apoſtolos malos habuiſſe parentes, manifeſta-
“ vit Chriſtus, cùm dixit: Si ego in Beelzebub ejicio
“ demonia, filii veſtri in quo ejiciunt? propter hoc ipſi
“ erunt judices veſtri. Sed nec turbet hoc, neque offendat. Nam ex hoc diſcimus, quòd non natura, ſed voluntatis eſt, vitium, & virtus. Enimvero ſi natura eſſet, omnino mali malos parerent, & boni bonos. Sed quia electionis & voluntatis eſt, probum, vel improbum eſſe, iccirco ſape malis patribus boni filii, & ignavis filiis probi patres ſunt, ut non natura, ſed voluntati, ſemper illa imputemus.* Hactenus Chryſoſtomus, quem eò, quòd locus eſſet longior, Latinè ſolùm loquentem induximus. Exemplis verò ab eo allatis poſſis etiam addere, quòd Jephthe meretricis erat † filius. Hiſtoriæ quoque profanæ ſuggerent nobis multos virtute præſtantes; ſed infami genere ortos; ſeu parentes, vel majores, id aliquo turparint facinore, ſeu vitæ conditione. Prioris generis exemplum eſt in majoribus Demoſthenis, ſi Gytonem ſpectemus, avum Demoſthenis maternum: quippe qui Ponti oppidum, quod Athenienſium erat, hoſtibus tradiderit, & poſt illa, inimicis hanc rem objectantibus, in Scythiam profectus ſit, &, ductâ inibi uxore barbarâ, ex eâ genuerit Cleobulam, Demoſthenis Pæanienſis conjugem, Demoſthenis oratoris matrem: uti pluribus commemorat Suidas. Quin & Dinarchus, unus è decem oratoribus Græciæ, oratione de Harpalicis pecuniis, quæ etiamnum exſtat, Demoſthenem iccirco vocat impurum Scytham; & Æſchines hanc rem ei orat. περὶ παραπρεσβείας exprobrat: ut & orat. contra Creſiphontem, quâ eadem, quæ Suidas refert, ut oſtendat, Demoſthenem ab avo materno hoſtem Reip. exſtitiſſe.

† *Lib. 4. Reg. c. 18.*
‡ *Lib. 4. Reg. c. 21. & 22.*
* *Tom. 1. pag. 217. edit. Beller.*
† *Jud. c. 11.*

At alterius generis, quod vitæ conditione infame ſit, exemplum eſt Critheis; quæ furtivo amore gravida facta, Homerum peperit apud amnem Mellam, unde eum Mellæ filium Arnobius * nominat: vel, juxta alios †, Meletem, unde & primò Meleſigenes appellatus fuit. Nec diſplicet, eò filium eſſe fluminis nuncupatum, quia in vulgivaga Venere eſt confluges quædam: unde tales è conventitiis patribus natos dixit Plautus Ciſtellaria *. Sanè & Gnathæna meretrix, cùm ab amaſio milite vocata eſſet *lacus*, quæſivit, an non ſic nominaret, quòd duo in ſe fluvii confluerent. Reſpexit ſimul duorum amatorum nomina, Lyci, & Eleutherii: quorum prius plurium eſt fluviorum nomen: poſterius autem fluminis prope Mycenas. Refert ex Ariſtodemo Athenæus in XIII. Alii, quia Homerus incerto patre natus erat, iccirco, ut, ab Ariſtotele ſcriptum fuiſſe, auctor eſt Plutarchus, crediderunt eum fuiſſe filium dæmonis cujuſdam, ex eorum numero, qui cum Muſis verſari ſolent. Eadem ratio fuerit Herculis, de cujus natalibus vel è Plauti Amphitryone res nota eſt. Imò (ut fabuloſa eſt antiquitas) Charon Lampſacenus, Athenæo teſte, prodidit, poculum apud Lacedæmonios oſtendi, quod Jupiter, in Amphitryonem commutatus, donârat Alcmenæ. Sed de Jove fictum, ad tegendos natales. Credo, intelligendus aliquis magni nominis mœchus: quales hodieque multi in aulis ſuperſunt humani Joves, aut Vejoves potius. Cæterùm, quia Hercules ſpurius fuiſſet, inde eſt, quòd, ut ſcribit Athenæus †, paraſiti ſive epulones Athenis in Herculano templo, cui nomen Cynoſarges, ex lege quotannis unum è ſpuriis, ſpuriorumve liberis, in ordinem ſuum cooptarent; qui ſi jure vocatus non obtemperaret, ſacerdos de eo ad judicum concilium referebat. Ab eàdem cauſsâ eſt, quòd omnes probro lecti, ſacris gentilitiis à cæteris ſegreges, in Cynoſarge rem divinam faciebant; ut diſcimus è Plutarchi Themiſtocle, & ἐρωτικῷ, itemque Demoſthene contra Ariſtocratem. Par quoque ratio Themiſtoclis, quem Threſſâ fuiſſe meretriculâ natum, autores ſunt Athenæus, & Suidas. Alii tamen, eam è Caria fuiſſe, dicunt: uti Phanias, teſte Plutarcho. Imò Halicarnaſſi, quæ præcipua Cariæ erat civitas, natum fuiſſe, à Neanthe traditum eſt: ut idem Plutarchus refert. Atque hanc etiam ſententiam ſequitur Nepos in Themiſtoclis vitâ. Nempe eo nothus habitus eſt, ut idem Plutarchus cenſet, quia matre natus eſſet peregrinâ, ac, Solonis ſcito, nothi omnes vocarentur, qui è matre peregrinâ, non cive Atticâ, eſſent ſuſcepti. Diſpar verò ratio Timothei, Athenienſium imperatoris; quem Ulpianus rhetor malè Cononis patrem facit; quandoquidem, ut cæteri docent ſcriptores, Cononis, ſed ex muliere quæſtuariâ, filius fuit: quod cùm ei quidam probro vertiſſet, dixiſſe ajunt; maximam quidem ſe matri habere gratiam, per quam Cononis audiret filius, ut Athenæus & Suidas teſtantur. Etiam Alexander Magnus ſpurius fuit; cujus ignominiæ velandæ gratiâ, Jovis ſe Hammonis filium dictitabat: qui fortaſſe fuit magus, ſerpentis imagine Olympiadem deludens: quemadmodum Joſephus Gorionides refert; qui & antiquis ſe autoribus tuetur. Sanè ex dracone genitum eſſe Alexandrum, multorum opinio fuit. Ut conſtat ex Livio lib. XXXVI. Curtio lib. IV, VI, VIII, & X. Plutarcho in Alexandro. Gellio lib. VII. cap. 1. Luciano dialogo Diogenis & Alexandri. Juſtino lib. XI. Solino cap. XV. Victore in Galerio Arment. Sidonio carm. II. verſ. CXXI. &c. Sed, etſi non ignoro, quod proditur ‡ de

* *Lib. 4.*
† *Plutar. lib de Homero.*
* *Act. 1. ſc. 1.*
† *Lib. 6.*
‡ *Ælian. lib. 6. Hiſt. Animal. cap. 17.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

de admirabili draconis amore erga puellam Idumæam, tempore Herodis: tamen de dracone genitum eſſe Alexandrum, non magis verum eſt, quàm Amphiſſum fuiſſe natum ex ſerpente, in quem ſe converterit Apollo, quò cum Dryope rem haberet; ut ex primo Nicandri refert Antonius Liberalis fab. XXXII. aut Scipionem eſſe ex dracone natum: quod à compluribus traditum olim; uti docet Agellius lib. VI. cap. I. aut Auguſtum de quo idem vulgò creditum eſſe, ait Sidonius carm. II. quemadmodum & hoc ipſum de eo Aſclepiadem in θεολογουμένοις * ſcripſiſſe, auctor eſt Tranquillus. † Iidem, ad occultandam ignominiam natalium Æneæ, finxere, Venerem veniſſe ad Anchiſen, amore ejus captum; quæ ſe Otrei, regis Phrygum, filiam eſſe diceret: ut eſt in hymno Homerico. ‡ Romulus etiam, ut Auſonius quoque innuit epigr. XXII, non ſine probro lectus fuit: unde ad Martem genus referebat; qui, credo, perſonatus miles, aut ſacerdos Martis, erat. Quare haud mirum, quòd neque ejus, neque fratris Remi, cognomen ſciatur: ut ſpiſſus ſit error Varronis, qui ſimplici horum nomine adductus, ut Valerius Probus ſcriptum reliquit, putavit, veteres Romanos unicum duntaxat nomen habuiſſe: quem multi fuere eâ in re ſecuti. Adulterio quoque natus Arturius Rex Britanniæ veriſſimus, ac fortiſſimus: ne quis fictum putet à Galfredo Monæmuthenſi; licet multa fabuloſa hiſtoriæ ejus irrepſerint: quod & fatetur Joannes Lelandus, aſſertione adverſus, non modò Polydorum Virgilium, ſed etiam Guilielmum Parvum, ſive Neubrigenſem: cui ſanè hoc minùs habendum fidei, quòd & ipſe fabulas non paucas hiſtoriæ ſuæ Anglicæ interſerit. Et quis neſcit, Guilhelmum Conquæſtorem, unde Angliæ reges, illegitimo fuiſſe thoro natum? aut quem fugit, Hiſpaniæ, ac Luſitaniæ reges, ab nothis deſcendere? Quid quòd, teſte Didymo, * olim neutiquam fuerit ignominioſum nothi cognomen? Certè Agamemnon Teucrum laudans ait καί σε νόθον περ ἐόντα κομίσσατο ᾧ ἐνὶ οἴκῳ: *Teque, nothum quamvis, propriâ ſuſcepit in æde.* De quo nonnihil, & aliis hujus generis, vide apud Alciatum lib. X. Παρέργ. Juris cap. VIII. Denique, ſi exemplum è ſacris petamus, ex inceſto Judæ concubitu cum Thamara, nuru ſuâ natus eſt Perez: † unde Reges Judæ originem trahunt, ac Chriſtus ipſe ſecundum carnem.

* *Rerum divinarum commentationibus.*
† *Auguſt. cap. 94.*
‡ *Hymno in Venerem.*
* *In Hom. Il. θ.*
† *Gen. 38.*

XV. Quomodo a genere vituperemus.

SI in vituperationem inſtituamus, plurimùm momenti habet, quo quis genere ortus dicatur. Notum illud, Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. ‡ & ſenarius iſte: Οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός. * & hoc Theognidis, quod & ipſum in proverbium abiit:

Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὐδ' ὑάκινθος †.

Cui adſidet illud Venuſini vatis ‡:

—— Neque imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Poëtæ etiam, quia ferè mores parentum ſequantur liberi, dicere ſolent, homines immites ac ſævos, natos eſſe è mari, aut ſaxis, aut eſſe eos leænæ partum. Unde ſic Patroclus ad Achillem, Iliad. Π.

Νηλεές, οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεύς *,
Οὐδὲ Θέτις μήτηρ· γλαυκὴ δέ σ' ἔτικτε θάλασσα,
Πέτραι τ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής.

Ariadna itidem hoc pacto Theſea compellat, apud Catullum †,

Quænam te genuit ſolâ ſub rupe leæna?
Quod mare conceptum ſpumantibus exſpuit undis?
Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vaſta Charybdis?

De amore ſimiliter Theocritus idyll. Γ, & Maro in Pharmaceutriâ: uti & apud eundem Dido de Æneâ. Ac Tibullus ‡ quoque, ut dominam ab immiti animo abducat, ſic eam affatur:

Nam te nec vaſti genuerunt æquora ponti,
Nec flammam volvens ore Chimæra fero,
Nec canis anguineâ redimitus terga catervâ,
Cui tres ſunt linguæ, tergeminumque caput,
Scyllaque virgineam canibus ſubmiſta figuram,
Nec te conceptam ſæva leæna tulit.

Idem * etiam hunc in modum minitatur iis, qui tegere neſciunt furta ſua Venerea:

Nam fuerit quicunque loquax, is ſanguine natam,
Is Venerem è rabido ſentiet eſſe mari.

‡ *Mali corvi malum ovum.*
* *Ex patre pravo nemo naſcitur bonus.*
† *Haut namque è ſcilla roſa naſcitur, aut hyacinthus.*
‡ *Od. 4. Lib. 4.*
* *O immitis, non utique tibi erat pater eques Peleus, Neque Thetis mater: ſed glaucum te peperit mare, Petræque præruptæ, quia animus tibi eſt immitis.*
† *Carm. de nuptiis Pelei & Tetidos.*
‡ *Lib. 3. eleg. 4.*
* *Lib. 1. eleg. 2.*

XVI. De laude sexus, ac particulatim de iis, unde laus mulierum petitur.

HActenus de illis vidimus, quæ vitam antecedunt. At in vitâ ipſâ primò conſiderandus eſt ſexus. Nam ſatis convenit, longè feliciorem eſſe viri conditionem: unde & gratior is ſexus parenti eſſe ſolet. Quamquam ſubinde illud non tam ob præſtantiam ejus fiat: quàm aliâ de cauſâ, quam indicat nobis Ligdus apud Ovid. IX. Met. Fab. XII:

Quæ voveam, duo ſunt: minimo ut relevere dolore,
Utque marem paries. Oneroſior altera ſors eſt,
Et vires fortuna negat.

Oneroſiorem vocat, non ob educationem, ſed ob dotem parandam.

Aliæ autem virtutes commendantur in viro, aliæ in muliere. Ac hæ quidem laudantur à formâ, proceritate, pudicitiâ, modeſtiâ, liberali nec ſordido operandi ſtudio rei familiaris peritiâ, amore mariti, prudentiâ in liberis educandis. Inprimis verò commemorari & exaggerari debent, ſi qua fuerint, quibus ſexum ſuperarint: ſive ea ad virtutes pertineant dianoëticas, ut linguarum peritia, ac egregia eruditio: ſive ad morales, uti prudentia virilis, magnanimitas, aliæque virtutes heroicæ. Sunt & alia in feminis conſideranda, quorum tractatio cognoſcitur ex iis, quæ universè de utroque ſexu deinceps dicturi ſumus.

XVII. De laudatione ab nativitatis vel infantiæ ominibus, item a nomine, quod impositum est.

POſt ſexum commemoramus, partim nomen, quod non rarò nos rei alicujus ſingularis admonet: partim omina, atque auguria, non illa, quæ fuere ante nativitatem, de quibus ſuperiùs vidimus: ſed ſi qua nativitatem, vel etiam infantiam illuſtrarint. De ominibus, ut de his priùs videamus, argumento ſit, quòd parvuli Midæ cunabulis formicæ grana tritici congerebant; ut apud Ælianum legimus lib. XII. Var. Hiſt. cap. XLV. nempe eo, ditiſſimum fore, ſignificabatur; ut etiam eſt apud Saresberienſem Policratici lib. I. cap. XIII. Ibidem refert Ælianus, Pindarum infantem, expoſitum, melle pro lacte eſſe nutritum: & labiis Platonis, cum in cunis eſſet, apes mel affudiſſe. Notum etiam Socratis ſomnium de eodem Platone, ſed adoleſcentulo; quod Laërtius refert. De apibus verò ſimilia ſuppetunt exempla. Nam ab apibus ipſis nutritus dicitur Jovis & Othreidis filius, cui ex re Melitæo nomen fuit: ut eſt apud Antonium Liberalem in Metamorphoſi fab. XIII. Ac, ne gentilium nugis inſiſtam, B. etiam Ambroſio os dicitur † ingreſſum apum examen, atque exiens in altum ſe ſuſtuliſſe, paternos & aliorum, qui fortè aderant, viſus eludens. Paullinus ‡ id præſagium interpretatus eſt de ejus ſermonis ac ſcriptorum favis; quibus animos hominum pavit, atque ad cæleſtia erexit. Naſcente ‡ Joanne Pico, Mirandulæ principe, viſa orbicularis flamma adſtare ſupra caput parientis; ſed mox evaneſcens. Per figuram perfectiſſimam multi intellexere intellectus perfectionem: per flammam, igneam animi vim ac cæleſtem facundiam: quod citò evanuerit, brevitatem vitæ portendiſſe, haut ab vero abludit. Etiam in Ludovico, Pannoniæ rege, Ladiſlai filio ex Maria Maximiliani nepte, omen futurorum viſum fuit, quòd cùm in lucem ede-

† *Paullinus in vita Ambroſii, apud Surium Tom. 2.*
‡ *Ibidem.*
‡ *Franciſcus Picus in vita patrui.*

ederetur, nulla corporis pars tegeretur cute, quæ tamen medicamentorum ope poſtea acceſſit. Unde conjecturam fecere, nudationem corporis notare nudationem imperii. Simile omen traxere ex nomine. Nam cùm eum pater Julium vocare ſtatuiſſet: mater, quæ è terra Gallia erat, obtinuit, ut ſuæ gentis nomine vocaretur. Ergo neglectus ejus nominis, quo uſus is fuerat, qui prima ejuſce imperii fundamenta jecerat, viſa eſt multis portendere imminutionem regni. Cui opinioni eventus reſpondit. Nam prœlio à Solymanno victus, dum fugâ ſibi conſulit, amne ſubmergitur: hoſtis verò, fortunâ uſus proſperâ, etiam Budam occupavit. Sed hic nomen triſtis omen eventus fuit. Addam aliud, ſed lætius. Galleacius, Matthæi Magni filius, cùm fortè puer in multo gallorum cantu apertis oculis altè vagiiſſet, à matre Burrà joco appellatus fuit Galleacius: quod nomen, cùm ab ancillis ſæpius repeteretur, neque pater abnueret, tanquam ab ave Martiâ, militari augurio accepto; & nomen retinuit, & primus familiæ intulit; ut ſcribit P. Jovius. Et ſanè vetus illud eſt, ut nomen bonæ, vel adverſæ fortunæ præſagium exiſtimetur. Rectene, an ſecus, diſſerit Brodæus lib. VII. Miſcell. cap. V. Vide etiam Heraldum in Martialis lib. IV. epigr. XI.

XVIII. De corporis laudibus, ac inprimis de forma.

Hinc videndum de iis, quæ ad corpus attinent. Ut quod nonnullis ſint ingenitæ corporis notæ. In Seleucidis expreſſa fuit anchora: in Auguſto Capricorni ſidus: in Thebanis, qui Sparti dicebantur, lancea: ut eſt apud Dionem oratione IV. de Regno. Sed hæc paucorum ſunt. In cunctis verò ſpectandæ hæ corporis dotes; ſanitas, robur, agilitas. Nam ut ait poëta Satyricus *. *Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.* Nec formæ levis eſt gratia. Quid mirum? quando, ut Lucianus docet περὶ τοῦ οἴκου, alliciendi ea vim in mutis etiam animantibus habet, ac rebus inanimis: quanto magis in hominibus? Itaque Tertulliano lib. de cultu feminarum cap. II. decor vocatur *felicitas corporis, divinæ plaſticæ acceſſio, & animæ aliqua veſtis urbana.* Præcipue autem commendabilis eſt in ſequiori ſexu. Afranius in Fratriis:

Formoſa virgo eſt. Dotis dimidium vocant
Iſti, qui dotes negligunt uxorias.

* Juven. ſat. 10.

Quomodo ea à variis corporis partibus in hoc ſexu inſtituatur, in Aſpaſiæ laude à forma oſtendit Ælianus lib. XII. Var. Hiſt. cap. I. Etiam Ariſtænetum adi epiſtolâ primâ.

Neque ea in juvene contemnenda. Cujus rationem Plinius in epiſtolis † ſcitè adfert, *Debet*, inquit, *hoc caſtitati puellarum quaſi præmium dari.*

† Lib. 1. epiſt. 14.

Imò & in viris commendatur. Quomodo Nepos Alcibiadem laudat, quòd fuerit *omnium ætatis ſuæ multo formoſiſſimus.* Idcirco Athenis ad vultus Alcibiadis effinxere Hermas, ſive Mercurios: ut auctor eſt Clemens Alexandrinus in προτρεπτ. & ex eo Arnobius in Sexto. Atque idem apud Ariſtænetum legas epiſtolâ XI. Etiam Ariobarzanes, tum ob inſignem corporis formam, tum propter animum præclarum, rex electus fuit apud Armenios: ut ait Tacitus in II. Annal. Ariſtocrates item, dux Rhodiorum, Suidâ teſte, quòd vultui ineſſet dignitas ac veneratio, viſus eſt dignus principatu. Nec Scipionem Africanum, ab hac laude in vitâ ejus commendare dubitat Plutarchus. Imò (ne longior ſim) in Scripturis ‡ etiam David prædicatur, ut pulcher adſpectu, & facie decorâ.

‡ 1. Sam. 16.

Et ſanè nihil præclarius eſt, quàm formoſa anima in formoſo corpore. Optimè Maro ‡: *Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus:* quem verſum immeritò cenſoriâ virgulâ notavit Seneca Epiſt. LXVI. Certè, ut apud Heliodorum lib. IV. Αἰθιοπ. ait Calaſiris, ἐπαγωγόν τι καὶ πρὸς τῶν ὁρώντων εἰς εὔνοιαν τὸ κάλλος, *quandam ad conciliandam aſpicientium benevolentiam vim habet pulchritudo.* Ac propterea Carneades formam nominabat ἀδορυφόρητον βασιλείαν, *regnum abſque ſatellitio:* nempe quia, quod vult, perſuadet citra violentiam. Neque formæ venuſtatem inſuper habuit Plato. Cujus illud II. de leg. Λέγεται γὰρ, ὡς ἄριστον ὑγιαίνειν, δεύτερον δὲ κάλλος, τρίτον δὲ πλοῦτος. *Ajunt enim, potiſſimum eſſe valetudinem, proximum formam, tertium divitias.* Quo loco Philoſophus reſpicit ad conſuetudinem veterum, quâ Scholio cani ſolebat, teſte ipſo Platone in Gorgia. Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον, τὸ δὲ δεύτερον καλὸν γενέσθαι, τρίτον δὲ πλουτεῖν ἀδόλως *. Quomodo verò quis ab hiſce commendari poſſit, oſtendit Marinus Neapolitanus, libro, quo Procli, præceptoris ſui, vitam conſcripſit. Ac in viro quidem dignitatem oris, ut Agræcius etiam obſervat; in femina autem venuſtatem commendamus. Cic. I. Offic. *Pulchritudinis genera duo; unum virile, quam dignitatem dicimus; alterum muliebre, quam venuſtatem appellamus.* Itaque in Oratore perfecto utrumque conjunxit: *Vultus verò*, inquit, *qui ſecundum vocem plurimum poteſt, quantam affert, tum dignitatem, tum venuſtatem!* Cui tanti res erit videre etiam poſſit, quæ de forma adducit Realinus Annotationum cap. XIV. & Muretus Variarum Lect. lib. III. cap. II.

* Optimum quidem, ſanum eſſe; ſecundum verò, eſſe pulchrum; tertium autem, abſque dolo eſſe divitem.

XIX. De laudatione ſtaturæ, vel proceræ, vel exiguæ, et quomodo ab eadem aliquis vituperetur.

Ad formam quoque pertinet ſtatura, quæ vel exigua eſt, vel grandis, vel media. Exigua, quæ & brevis, vel exilis dicitur, erat in Tydeo, & Conone. Grandis, quam Livius eximiam, Suetonius eminentem nominat, fuit in Ajace. Media Plauto vocatur commoda, Livio militaris: ac Romanâ æſtimatione ſenûm erat pedum: vel certè quinûm, & denarum unciarum: ut conſtat ex Vegetii lib. I. cap. V. Unde liquet, ſtaturam Auguſti, non multum abfuiſſe à mediâ; ſi verè tradiderat libertus ejus Marathus, habuiſſe quinos pedes, & dodrantem. Sed breviorem fuiſſe, non obſcurè innuit Tranquillus †. Qui cùm alibi ‡ Tiberium ait ſtaturâ fuiſſe, quæ juſtam excederet, ſatis indicat, fuiſſe pluſquam ſenûm pedum. Sanè ſeptipes Sidonio quaſi giganteæ ſtaturæ videtur: ut oſtendit Caſaubonus in Sueton. lib. III. cap. LXVIII. ubi plura hâc de re diſſerit.

† In Aug. cap. 79.
‡ In Tib. cap. 68.

De ſtaturâ ita Ariſtot. lib. IV. Nicom. cap. III. Ἐν μεγέθει γὰρ μεγαλοψυχία, ὥσπερ καὶ τὸ κάλλος ἐν μεγάλῳ σώματι. Οἱ μικροὶ δ' ἀστεῖοι καὶ σύμμετροι, καλοὶ δ' οὔ. h. e. *Magnanimitas enim in magnitudine, ſicut & pulchritudo corpore in magno eſt. Parvi verò, urbani quidem ſunt, & membris commenſum habentibus, ſed non pulchri.* Idem * tradit, in quâdam Æthiopiæ parte, regna deferri ad eos, qui magnitudine cæteris præſtant: à quo more non abludit, quòd Strabo † ſcribit, in Meroë inſulâ reges deſignari, qui aut robore, aut formâ, aut opibus, aut virtute alendi pecora, reliquis antiſtant. Etiam Archidamus rex, ut traditum Plutarcho ‡, à Laconibus ſuis pecuniâ multatus fuit, quòd parvam duxiſſet uxorem, eoque generaturus foret οὐ βασιλέας, ἀλλὰ βασιλίσκους *. Sulpicius Severus lib. I. ſacræ hiſtoriæ ait de Saulo: *Hic ex tribu Benjamin, Cis patre ortus, modeſtus animi, formâ excellenti erat: ut meritò dignitas corporis dignitati regiæ conveniret.* Itidem Florus de Pſeudophilippo: *Regiam formam & regium nomen animo quoque regio implevit.* Et Nepos in Iphicrate, ac Capitolinus in Pertinace, ſtaturam proceram vocant imperatoriam. Qui loquendi modus à vulgo originem traxit: ut Tacitus etiam indicat lib. I. Hiſtor. *Ipſa ætas Galbæ, & irriſui, & faſtidio erat, aſſuetis juventæ Neronis, & imperatores formâ ac decore corporis* (ut *mos eſt vulgi*) *comparantibus.* Sanè vulgi cauſſâ etiam Auguſtus, ſicut in ejus vitâ ait Tranquillus †, *calceamentis uſus altiuſculis, ut procerior, quàm erat, videretur.*

* Lib. 4. Polit. c. 3.
† Lib. 17.
‡ Initio libelli de Educatione puerorum.
* Non reges, ſed regulos.
† Cap 73.
‡ Sic Athenæus vocat. Sed Plutarcho in Apophthegmatis eſt Καφισίας, eidem in Pyrrho eſt Καφισίας. De quo Leopardus lib 9. cap. 21 & Caſaubonus Animadverſ. in Athenæum lib. 8. cap. 3.

At iis qui exiguæ ſunt ſtaturæ, favet dictum Capheſiæ ‡ tibicinis; qui, cùm diſcipulum reprehendiſſet tibias

bias intentiùs inſtantem, addidit præclarè, οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ κεῖμενον, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα *. Autor Athenæus lib. XIV. philoſophantium in conviviis. Uſurpavit id apophthegma Demoſthenes, qui, ut apud Stobæum † legimus, θεασάμενός τινα δημαγωγὸν ἀφυῆ μέγα βοῶντα, ἔφη, ἀλλ' οὐ τὸ μέγα εὖ ἐστι· τὸ δὲ εὖ μέγα *; Eodemque uſum Zenonem, ſcribit Laërtius. Sed & Hylas, cùm Agamemnonem repræſentaturus, in priores ſe pedum digitos ſuſtuliſſet; reprehenſus eſt à Pylade præceptore, (eo, quo auctore inprimis pantomimorum ars cœpit †,) σὺ inquiebat, μακρὸν, οὐ μέγαν ποιεῖς ‡: ipſe verò à populo juſſus idem ſaltare canticum, expreſſit meditabundum; nihil magis ratus magno duci convenire, quàm pro omnibus cogitare. Autor Macrob. lib. II. Saturnal. cap. III. Hippomachus quoque, nobilis alipta, cùm videret, maximum quemque inprimis commendari, ut pugilem à naturâ factum: Rectè, inquit, ſentiretis, ſi corona ex alto quodam loco auferenda eſſet: nec enim parum iſte idoneus foret. Refert inter alios Arſenius, Monembaſiæ archiepiſcopus, in apophth.

** Non in magnitudine ſita res bonitas, ſed in bonitate magnitudo.*
† Serm. 4.
** Cum vidiſſet ineptum quendam Oratorem magna voce concionantem, dixit non quicquid magnum, id bonum, ſed quicquid bonum, id magnum.*
† Zonaras lib. 1.
‡ Longum, non magnum te efficis.
** Corpore parvus erat Tydeus: ſed maximus armis.*

Quin exigua ſtatura facit interdum ad admirationem. Notum illud Homericum Iliad. E: Τυδεύς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής *. Hinc Fabius lib. III. cap. IX. *Interim confert admirationi multum etiam infirmitas; ut cùm idem Tydea parvum, ſed bellatorem dicit fuiſſe.* Et poëta Ithyphallicus: *Utilior Tydeus, qui, ſiquid credis Homero,*

Ingenio pugnax, corpore parvus erat.

Ac Homeri exemplo Statius Papinius primo Thebaidos verſ. CCCCXVII: —— *Totoſque infuſa per artus*

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Item Menander Protector Byzantius, qui Agathiæ hiſtoriæ ſuam ſubtexuit, Sapiram militem ait, corpore fuiſſe Tydea; animo pluſquam Tydea, quippe Herculi parem. Eunapius etiam, in vita Iamblichi, retulit, Alypium, exercitatiſſimum Dialecticum, fuiſſe corpuſculo adeò exiguo, ut paullo tantùm majus foret, quàm cubitale, aut pygmæi; potuiſſeque, ſiquis intueretur, videri animam, aut ſpiritum. Atque ἐπιφώνημα pulcrum addit, quod apponam, non prout legitur vulgo; ſed ut cenſeo corrigi oportere: Οὕτω τὸ φθειρόμενον οὐκ ἐπιδέδωκεν ‡ εἰς μέγεθος, δαπανηθὲν εἰς τὸ θεοειδέστερον: *uſque adeò, quod obnoxium erat corruptioni, non mole creverat, ſed in divinam abierat naturam.* Atque hoc ipſum illuſtrat eo, quòd dixerat Plato, corpora divina eſſe diverſa ab iis, quæ ſunt animis circumfuſa: unde colligit Eunapius, videri poſſe, Alypium in animam immigraſſe, à qua tanquam à Deo, detineretur poſſidereturque. Quamobrem verum non videtur, quod Ariſtoteles in Nicomachiis ſcripſit: τὸ * κάλλος ἐν μεγέθει εἶναι. Sanè in antiqui lapidis epigrammate legas:

‡ In Plantiniana & Commeliniana eſt ἔδωκεν, ut & mox δαπανηθεῖν.
** Pulchritudinem in magnitudine eſſe poſitam.*

Corpore in exiguo res numeroſa fui.

Quodque divinus poëta dixerat de apibus:

Ingentes animos anguſto in pectore verſant;

idem hominibus aptare liceat. Uti & formæ hominum accommodare poſſumus, quod Libanius ait de aulâ Senatus, οὐ μεγάλη μὲν, καλὴ δέ. *non magna quidem, ſed pulcra.*

Vituperare etiam ab utrâque licet ſtaturâ: inprimis, ſi ludicra ſit materies. Nam ſi quis fuerit longus, ſtultorum eam ſtaturam dicemus. Sanè Ariſtophani μέγας, Catullo *longus*, accipiuntur pro homine bardo ac bliteo: quâ de re etiam quarto agam libro. Sin aliquis ſit exiguus, hinc malitiei arguere poterimus. Certè aureo ſeculo, quo probitas vigebat, eminens ac prolixa erat hominum ſtatura; quæ cum virtute paullatim decrevit. Hinc Juvenalis ſat. XV:

Incipiunt torquere domeſtica ſeditione
Tela: nec hunc lapidem, qualem & Turnus & Ajax,
Vel quo Tydides percuſſit pondere coxam
Æneæ: ſed quem valeant emittere dextræ
Illis diſſimiles, & noſtro tempore natæ.
Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero.
Terra malos homines nunc educat, atque puſillos.

Atque hanc ſententiam firmant, quæ de heroicorum cadaverum magnitudine adducit Phlegon Trallianus libro de Mirabilibus: item è junioribus Hieronymus Magius in Miſcellaneis: ut mittam cæteros.

Quomodo autem occurri iis debeat, qui aliquem ob breviculam vituperant ſtaturam, Nazianzenus docebit epiſtola CLV. Eſt ea ad Nicobulum, qui uxori ſuæ Gorgoniæ, è Gregorii ſorore natæ, exprobrabat ſtaturam exiguam.

XX. Quam inire in laudando viam poſſimus, ſiquis fuerit deformis.

Quod ſiquid vitii manifeſtarii offuſcârit corporis honorem: vel id præteribimus, vel dicemus, naturam vitium habitudinis, dotibus animi compenſaſſe. Ita inquit Ariſtoteles apud Athenæum lib. XV: Τοῖς τὴν ὄψιν ἀμόρφοις ἀναπληροῖ ἡ τοῦ λέγειν πιθανότης. *In iis, qui adſpectu ſunt deformes, vitium hoc ſupplet facultas dicendi ad perſuadendum accommodatè.* Et Sappho apud Ovid. epiſt. ad Phaonem:

Si mihi difficilis formam natura negavit;
Ingenio formæ damna rependo mea.

Quod Sapphus judicium de ſe confirmant Maximi Tyrii verba, qui cum Sappho vocaſſet pulchram, ſubjungit: οὕτω γὰρ αὐτὴν ὀνομάζων χαίρει Πλάτων, διὰ τὴν ὥραν τῶν μελῶν, καί τοι μικρὰν οὖσαν καὶ μέλαιναν. *Sic enim vocare eam amat Plato ob membrorum aptam compoſitionem, quantumvis exigua foret, ac nigra.* Lyſander etiam erat *exiguus, & claudus altero pede:* ut in vitâ ejus ait Nepos. Huc pertinent quoque Leonidæ verſus ſub perſonâ Epicteti: quo deceptus, eos Epicteti ipſius eſſe, putavit Gellius *:

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.
Servus Epictetus mutilato corpore, & Irus
Pauperie vixi; at charus eram ſuperis.

** Lib. 2. cap. 18.*

Ac par propemodum ſors ſeculo noſtro fuit M. Antonii Bonciarii: quo de vide ſummum virum, veterem condiſcipulum noſtrum, Erricum Puteanum, in conſolatione Cæcitatis.

Illud quoque argumento eſt, quàm neque ad laudem, neque vituperationem, forma pertineat, quòd Juno apud Homerum, blandiens Vulcano, eum κυλλοποδίωνα ſive claudum appellat. Quòd item Hector: Paridi convicians, pulcritudinem ejus referre non veretur. Vide de his diſſerentem Muretum undecimo Var. Lect. libro cap. X. quin, ut inquit Arbiter, *Raram facit miſturam cum ſapientia forma.* Dicere quoque liceat, Deum ſapientiſſimè noluiſſe in unum conferre omnia, ne homo nimio eſſet typho inflatus: interim grande eſſe ſcelus, ob vitia, quibus Deus hominem inſignivit, quempiam ridere, ac ludum facere: atque adeò id facinus in clerico anathemate vindicari, LVI canone eorum, qui Apoſtolici dicuntur. Vel dicemus, corporis πλεονεκτήματα † citò defloreſcere; unde Socrates formam appellabat exigui temporis tyrannidem: nec ea periculi eſſe expertia, cùm multi formâ conſpicui tandem cogantur dicere, εἴθ' ὤφελε τὸ κάλλος, ὅ με διώλεσε, κακῶς ὀλέσθαι ‡. *Utinam malè periſſet forma, quæ me malè perdidit.* Quocum convenit illud Helenæ apud Euripidem *, καλὸν τὸ δυστυχές †. Unde & Theocritus, non Syracuſius ille, ſed Chius, formam vocabat eburneum detrimentum: quia adſpectu quidem jucunda ſit, ſed multis multorum fiat malorum cauſſa. Atque id egregiè etiam Juvenalis nos docet ſat. X:

Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipſa habuit, cuperet Rutila Virgineæ gibbum
Accipere, atque ſuam Rutilæ dare, filius autem
Corporis egregii, miſeros trepidoſque parentes
Semper habet. Rara eſt adeò concordia formæ,

† Prærogativas.
‡ Galenus ἐν τῷ προτρεπτικῷ.
** In prolog. Hel.*
† Quod pulchrum, idem eſt infelix.

At-

Digitized by Google

Atque pudicitia. Quibus ſimilia ibidem legas. Tertullianus quoque, libro de cultu feminarum, ait, decorem naturæ, eſſe invitatorem libidinis. Nec vanè vaniſſimus miles apud Plautum *, *Nimia eſt miſeria, pulcrum eſſe hominem nimis.*

* *Mil. glor. act. 1. ſc. 1.*

XXI. In vitio corporis ad laudem, vel ſolatium, pertinere, quod aliqui magni nominis similiter fuere affecti: quod particulatim oſtenditur de cæcis, unoculis, eunuchis, et claudis.

Dicere etiam poſſumus, aliquem partem malè affectam cum Diis, aut viris clariſſimis, habuiſſe communem. Non hoc neglexit doctor ille nequitiarum. Ut cujus ſit in ſecundo de arte:

Si pata eſt, Veneri ſimilis; ſi flava Minerva.

Eadem igitur inſtituenda ratio, ſi quis facie improbâ, vel ſi quis cæcus, aut unoculus, aut eunuchus, aut claudus; aut aliâ quâvis corporis labe inſignitus. Illuſtris de cæcitate locus eſt apud Tullium in v. Tuſcul. quæſt. ubi in eâ nihil mali eſſe, ac ſine oculorum ſenſu beatum quempiam eſſe poſſe, oſtendit exemplo Antipatri Cyrenaici, Appii, C. Druſi, Cn. Aufidii, Diodori Stoici, Aſclepiadis Eretriaci Philoſophi, Democriti, Homeri, & Tireſiæ auguris: qui, licet cæcus, ſolus ſapere apud inferos dicitur, circumvolantibus cæteris, tanquam umbris de Democrito vide ſis Gellium lib. x. cap. xvii. Homerum verò cæcum fuiſſe, ſcribit & Herodotus, ac Plutarchus in Homeri vita, & Chriſtodorus Thebanus lib. v. Ἀνθολογ. Quin ipſe de ſe Homerus id teſtatur hymno in Apollinem. Scio, Athenæum † addubitare de hymnorum auctore. Sed Pauſaniam huic opponimus, qui tres verſus, tanquam Homericos, citat ex hymno in Cererem, qui hodie non exſtat. Imò ipſum, quem dixi, hymnum in Apollinem Homero quoque adjudicat graviſſimus auctor Thucydides lib. iii. ne cum Fulvio Urſino ‡, & aliis nonnullis, interpretis Pindarici * auctoritate moveare, qui eum tribuit Cynætho Chio rapſodo; de cujus cæcitate nihil à quoquam ſcriptum invenimus. Eſt verò is verſus, qui auctor nobis fundusque hujus rei eſt;

Τυφλὸς ἀνὴρ, ναίει δὲ Χίῳ ἔνι παιπαλοέσσῃ †.

Nec dubium, quin octavo quoque Ulyſſeæ ſeſe depingat ſub perſona Demodoci cytharœdi, cui ait bonum cum malo datum divinitus: nam orbatum fuiſſe viſu, at inſignem fuiſſe arte muſicâ. Quare audiendus non eſt Artemidorus, qui lib. i. ὀνειροκριτικῶν vult, Homerum cæcum tradi, quòd, qui poëmata ſcribunt, multa egeant quiete: ideoque & bonum ſignificare, ſi Poëta ſomniet, ſe cæcum eſſe. Falſus quoque Heſychius Illuſtr. qui cæcum ait dictum, quòd non ſint oculi ejus ullis victi cupiditatibus; quod & apud Suidam eſt. Non tamen à nativitate luminibus captus fuit, (hoc qui putet, eum omnibus ſenſibus orbatum eſſe, ait Vellejus lib. ii.) ſed jam ætate grandis, ſive morbo, ſive ſenio, in hoc incidit infortunium; ut oſtendit Brodæus lib. v. cap. ix. Miſcel. At B. Hieronymus in Chronicis ſcribit, virum doctiſſimum, Didymum Alexandrinum, præceptorem ſuum, etiam à quincto nativitatis anno fuiſſe cæcum. Vide eundem epiſt. ad Pammach. & Oceanum, quæ incipit, *Schedulas:* item catalogo illuſtrium ſcriptorum. De noſtri etiam ſeculi homine ita Genebrardus in Chronico ad an. cIↃ IↃ LV. *Robertus Mancop, Scotus, à puero cæcus uſque eo in literis profecit, ut Theologiæ doctor Romæ creatus, Archiepiſcopus Armacanus, deinde legatus à latere in Hiberniâ fieret.* Item Franciſcus Salinas Brugenſis, qui de Muſicis Latinè & eleganter adeò ſcripſit, ut palmam præripuerit cæteris, ab octavo ætatis anno cæcus fuit: ut apud And. Schottum lego ad Procli Chreſtomathiam ‡. Plura cæcorum illuſtrium exempla ſuggeret Claudianus Mamertus lib. iii. de ſtatu animæ. Vide & orationem, qua ſe jam cæcum ſolatus Paſſeratius: item libellum elegantem & diſertum Errici Puteani, quo conſolatus cæcum Gripium, Geldriæ cancellarium.

† *Lib. 1.*

‡ *In Virgilio cum aliis collato ad Georg. 2.*

* *In Nem. od. 2.*

† *Cæcus vir, habitat autem in Chio ſaxoſa.*

‡ *Pag. 44. 45.*

A cæcis venio ad μονοφθάλμους, quo non *unoculos* modò Latini dicunt; ſed etiam *luſcos*, aut *coclites*. Ita Horatium in prælio alterum amiſiſſe oculum, atque ex eo *coclitem* dictum, ex quincto Dionyſii Halic. diſcere eſt. Etiam Philippus Amyntæ, pater Alexandri M., & Antigonus, Hannibal, ac Sertorius, unoculi fuere: ut teſtatur Plutarchus initio vitæ Sertorii. Hinc de Hannibale Juvenal. ſat. x.

Cum Gætula ducem portaret bellua luſcum.

Frigore in Alpibus alterum perdiderat oculum, ut poſt Livium, & alios, prodit vetus Juvenalis ſcholiaſtes. Quod verò mox ſubjicit idem, fulminis ictu viſum perdidiſſe, id oſtendit, quàm multa à malâ manu huic interpreti ſint adſuta. Philippum, quod luſcus foret, præ ſtudio laudis & honoris, luſque deque tuliſſe, ait Demoſthenes. Atque id eorum firmat ſententiam, qui pugnando ajunt oculum perdidiſſe, cum Methonam, Magneſiæ oppidum, obſideret; uti ſcribit Solinus cap. xiv. & Juſtinus lib. vii. At Plutarchus oculo privatum ait, cùm per rimam conſpiceret Deum cum Olympiade concumbentem. Sertorium etiam iſto corporis quaſi dehoneſtamento lætatum fuiſſe, tradit Salluſtius: quod tamen ultra naturæ modum humanæ eſſe, exiſtimabat T. Caſtrutius, ut eſt apud Agellium lib. ii. cap. xxvii. Candace quoque (id Æthiopum reginæ nomen eſſe, alibi diximus) planè virilis animi femina, altero erat oculo orbata; ut auctor eſt Strabo lib. vii. E philoſophis itidem unoculus fuit Timon: uti & diſcipulus ejus, Dioſcorides Cyprius: quemadmodum Laërtius teſtatur in vita Timonis.

Neque eunuchum celebraturo deficient argumenta: ſive prima Semiramis viros exciderit, ut eſt apud Ammianum Marcellinum: ſive id Perſarum inventum eſt, ut Petronius in Satyrico ait, & Stephanus in Σπάδα. Utramque verò opinionem junxit Claudianus primo in Eutropium, libro *. De his ita Tacitus lib. vi. Annal. *Et proximus his Abdus, ademta virilitate. Non deſpectum id apud barbaros, ultroque potentiam habet.* Ubi potiſſimum reſpicit Perſas. Nam, apud eos, ut auctor eſt Plinius lib. xiii. cap. iv, regnavere aliquando ſpadones: quos *bagoas*, vel *bagoos* vocabant. Vide Diodorum Sic. lib. xvii. & Plutarchum in poſteriori de fortuna Alexandri. Atque idem confirmant † Theophraſtus, Ovidius, Ælianus. Cyrum etiam ſpadones habuiſſe σωματοφύλακας ‡, auctor eſt Xenophon libro ſeptimo Κύρου παιδ. qui & ſub libri finem multa de eorum fidelitate & utilitate refert. Philetærus, qui Pergamenum condidit principatum, eunuchus fuit: ut, præter alios, tradit Lucianus in Macrobiis. Eutropium mitto, poſtquam præclarè ab eo geſta obſcuravit Imperatorum damnatio, & tot ſcripta eam conſecuta, præcipuè duo libri Claudiani. Narſes quoque, qui Francos devicit, ac indomitos Gothos, & invictum Totilam omnibus ferè prœliis, & univerſo tandem bello ſuperavit; non gracilis modò, ac puſillus erat; ſed, quod maximè miſerum probroſumque hoſtibus videbatur, eunuchus.

* *Verſ. 320.*

† *Vide Hermolaum Barb. Caſtigat. in Plin. lib. 13 cap. 4. & Paullum Leopardum lib. 4. cap. 24.*

‡ *Corporis cuſtodes.*

Sacerdotes itidem variis in locis non alii, quàm eunuchi, ut Ægyptii, quemadmodum ex Anaxandride Athenæus refert lib. vii. item Dianæ Epheſiæ, ut eſt apud Strabonem lib. xiv. Atque idem de Athenienſium Hierophantis prodit Hieronymus lib. i. adverſus Jovinianum. Pluraque hujus generis congeſſit Joannes Fileſacus Selectorum lib. i. cap. xi. Ubi etiam exponit, quâ mente Noë Eunuchus vocetur à Theophilo lib. iii. ad Autolycum. Nempe, quòd poſt diluvium opere abſtinuerit maritali, ut eſt apud Chryſoſtomum homil. xxix. in Geneſin. Quamquam Hebræi id non tam continentiæ amore factum prodant, quàm Chami carmine magico: alii autem utrumque inficientur; &, à diluvio etiam liberos genuiſſe, exiſtiment: ut ψευδοβηρωσσὸς ille Annii Beroſus lib. xiv. Nauclerus in Chronicorum prologo, item generat. xi. & xvi. Cajetanus commentario in cap. ix. Geneſ., Auguſtinus Torniellus in Annalibus ſuis. Ac plerique horum arbitrantur, unum è filiis iſtis Moſi præ-

teritis fuiſſe Tuiſconem, Germanorum parentem. Sed repugnant hiſce omnibus verba Moſaica*: *Tres iſti filii ſunt Noë, & AB HIS diſſeminatum eſt omne genus hominum.* Unde clarè evincitur, ſive Noachus opere abſtinuerit maritali, indeque eunuchus dictus ſit; ſive etiam liberos genuerit: ſaltem ab tribus Noachi liberis, Moſi memoratis, homines omnes originem ducere. Fuere & eunuchi eruditione illuſtres: de quibus Savaro ad Sidonii lib. I. epiſt. VIII.

* *Cap. 9. Geneſ.*

Ad claudos nunc accedamus. Qualis inter Deos Vulcanus ἀμφιγυήεις †: in hominibus Philoctetes. Unde Timocles Comicus de Tragœdiæ utilitate diſſerens, cùm cœcos dixiſſet ſolatium capere ex Oedipo, orbos ex Niobe, ſubdit ‡.

Χωλός τις ἐςί; τὸν Φιλοκτήτην ὁρᾷ.

Eſt claudus aliquis? Is Philoctetem videt.

Claudus quoque, ut Pauſanias ⁑ narrat, Medon fuit, Codri Regis, filius, & primus Archon Athenienſium: cujus imperium cùm frater Nileus propterea negaret ferre ſe poſſe, res delata eſt ad oraculum Delphicum: quod Medonti adjudicavit imperium: eaque res occaſio fuit migrationis Jonicæ, duce Nileo. Plutarchus ſcribit, Ageſilaum, Spartanorum regem, claudum fuiſſe. Nam Lacedæmonii (inquit Oroſius lib. III. cap. II.) in difficillimo rerum ſtatu maluerunt ſibi regem claudicare, quàm regnum. Notum etiam, Tyrtæum fuiſſe claudum; qui & ipſe Lacedæmoniorum dux fuit, & Poëta præclarus: ut teſtantur Strabo lib. VIII. Diodorus Siculus lib. XI. & XV. Juſtinus lib. III. A peritiâ ejus bellicâ proverbium ortum, Τυρταίῳ* πολεμικώτερος: quo utitur Plato lib. II. de Legibus. Ob poëſin verò idem Plato θειότατον † vocat: & Horatius ‡ Homero ſubdere non dubitavit. Vide Gyraldum ſyntagm. de poët. Hadr. Jun. Cent. IX. Proverb. XV. Floridum Sabinum lib. III. Subſec. Lect. cap. XXXIX. Nec prætereundus Imperator ille Turcicus, qui corruptè *Tamerlanes*, cùm verum nomen ſit *Timur Lench*: hoc eſt, *Timur claudus.* Proprium enim nomen ei *Timur*: quod vocabulum Turcis, Perſiſque, quando appellativum eſt, *ferrum* ſignificat: à vitio autem corporis eſt cognomen *Lench*, quod Perſis notat *claudum*: ad quam ejuſce nominis interpretationem præire mihi memini amiciſſimum in Leidenſi Academia collegam, Jacobum Golium, ut aliarum Orientalis linguarum, ſic etiam Turcicæ, Perſicæque, apprimis gnarum. Cœlius quoque Rhodiginus lib. III. XIV. cap. V. Antiqua Lect. alia refert claudorum virtute præſtantium exempla. quibus ſuperſedeo, ne lectorem ſatias teneat exemplorum.

† *Utrimque claudicans.*
‡ *Apud Athenæum initio lib. 6 Stobæum ſerm. 133. Arſenium ad Eurip.*
⁑ *Initio lib. 7.*
* *Tyrtæo bellicoſior.*
† *Planè divinum.*
‡ *In Arte Poët.*

XXI. Ratio vituperandi deformes.

AT ſi vituperamus, dicemus, monſtroſam corporis faciem, monſtroſi ac pravi eſſe animi indicem. Huc refer illud Palladæ lib. II. ἀνθολογίας, tit. εἰς χωλούς.

Χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν, ὡς τὸν πόδα· καὶ γὰρ ἀληθῶς
 Εἰκόνα τῶν ἐντὸς σὴ φύσις ἐκτὸς ἔχει.

Tranſtulit Th. Morus:

Clauda tibi mens eſt, ut pes: naturaque notaſque
 Exterior certas interioris habet.

Iccirco infauſti ominis ducebant, ſi claudus quiſpiam obviam fieret: ut indicat Plinius lib. XXVIII. cap. IV. Vide & Heraldum in Martial. epigr. LXXXVI. libri VII. ubi etiam docet, non potuiſſe ſacerdotes eligi mutilatos. Atque ut claudorum, ita eunuchorum quoque occurſus erat infelix: de quo libro quarto dicemus. Multaque adverſus eunuchos ex antiquis diſſerit Fileſacus, loco, quem paullo antè indicavimus. Eſt quoque in deformes, ac vitioſi corporis homines, Martialis illud lib. XII. epigr. LIV.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læſus.
 Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Victorini etiam eſt, *In diſtorta membra virtus cadere non poteſt.* Caſſius Jatroſophiſta probl. LXI. Διατί περιτῶμοι φασὶν ἄφρονες; Ὅτι τοῖς σωματικοῖς τὰ ψυχικὰ συμπάσχει, ὥσπερ τοῖς ψυχικοῖς τὰ σωματικά. *Quapropter homines monſtroſi, etiam deſipiunt? Quòd, quæ animæ ſunt, concinant cum iis, quæ ſunt corporis; haut ſecus atque ea, quæ ſunt corporis, conſpirant cum illis, quæ ad animam pertinent.* Erato Terpſitheæ apud Theophyl. Simocat. τῆς φύσεως τὴν σοφίαν τεθαύμακα, κακίστῃ ψυχῇ σώματος εὐπρέπειαν μὴ πιστεύσασαν. *Natura ſum admirata ſapientiam, quæ peſſimæ animæ non concredidit venuſtatem corporis.* Ita quidem judicant multi. Hinc Medea apud Ovid. VII. Met. fab. I.

—— *Sed non is vultus in illo,*
Non ea nobilitas animo eſt, ea gratia formæ,
Ut timeam fraudem, meritique oblivia noſtri.

Et Scylla in Ciri Maroniana:

Non equidem ex iſto ſperavi corpore poſſe
Tale malum naſci: formâ vel ſidere fallor.

Et ſanè non rarò è corporis ſignis conjectare eſt de animi moribus. Unde eſt, quod Pythagoras diſcipulorum ingenia explorabat ex corporis conſtitutione: ut auctor eſt, præter alios, Jamblichus in vitâ ejus cap. XVII. Ac ſapientes Indorum idem fecere in deligendis uxoribus, ut Nicoſtratus teſtatur apud Stobæum ſerm. CLXXXIX. Sæpe tamen imponit forma. Hinc Theſeus de Hippolyto apud Senecam*:

O vita fallax! abditos ſenſus geris:
 Animiſque pulcram turpibus faciem induis.

* *Hippol. Act. 3. verſ. 915.*

Nec illepidum, quod de Socrate Tullius commemorat libro de Fato: *Quid? Socratem nonne legimus quemadmodum notârit Zopyrus phyſiognomon, qui ſe profitebatur hominum mores naturaſque ex corpore, oculis, vultu, fronte, pernoſcere? ſtupidum eſſe Socratem dixit, & bardum, quòd jugula concava non haberet: obſtructas eas partes & obturatas dicebat. Addidit etiam, mulieroſum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur ſuſtuliſſe.*

XXII. De laudatione ab animi dotibus.

COrporis laudes excipiunt laudes animi. Loquor autem nunc de iis ſolùm, quas naturæ potiùs, quàm induſtriæ debemus. Nam ut ſua eſt bonitas terræ, priuſquam ſubigatur, ſeminaque ei mandentur: ita & bona quædam eſt indoles animi, antequam excolatur. Unde Ariſtoteles lib. VII. Polit. cap. XIII. ait, tria eſſe, quæ virtutem efficiant, φύσιν, ἔθος, καὶ λόγον †. Porro indolis hæc bonitas proficiſcitur ab εὐφυΐᾳ, ſeu bona corporis temperie: ac partim intellectum reſpicit, partim voluntatem. In intellectu familiam ducit ingenium: cujus eximia eſt in adultis virtus, poſſe in arena ſalubria capere conſilia: quomodo Thucydides ‡ ſcribit Themiſtoclem fuiſſe κράτιστον * αὐτοσχεδιάζειν τὰ δέοντα. Sed de animi dotibus, uberrimus quidem ſe offert dicendi campus: verùm potiſſima retulimus ſuperiùs, cùm hoc ipſo capite, tum antecedenti. Et tam benigna hìc materies, ut etiam in dicendo infantis triumphare in eâ poſſit oratio.

† *Naturam, conſuetudinem, & præcepta.*
‡ *Lib. 1.*
* *Maximè idoneum, ad explicandum ex tempore, quid fieri oporteret.*

XXIII. Quomodo commendemus a divitiis.

NAturam ſequitur Fortuna: ad quam refer opes à parentibus aut majoribus relictas. Sunt hæ vel cum imperio, vel privatæ. Ab opibus privatis ſeſe Alexi commendat Corydon:

Deſpectus tibi ſum, nec quis ſim quæris, Alexi:
Quam dives pecoris nivei, quàm lactis abundans.
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.
Lac mihi non æſtate novum, non frigore deſit.

Triſariam autem hinc aliquem laudamus. Nam oſtendimus, *ſi habuerit, bene his uſum: ſi non habuerit, ſapienter his caruiſſe: ſi amiſerit, moderatè tuliſſe:* ut ait Cicero in ſecundo de Oratore. Ac ſapienter quidem iis carebit, amiſſas etiam moderatè feret, qui, quod de genere ſuperiùs dicebamus, idem de opibus ſtatuet: videlicet, eas dici noſtras non poſſe. Uti documento eſt Bias, qui, ca-

ptâ

* *Cic. in Parad.*

prâ Priene, cùm nihil aſportaret, ajebat tamen, *Omnia* * *mea mecum porto.* Nimirum

Non eſt tuum, fortuna quod fecit tuum.

Quod inter Publii Syri μιμιάμβους reponi videas à ſummo viro, Joſ. Scaligero. Sed clarè Syro abjudicat, Lucillioque ſuo tribuit Seneca, epiſt. VIII.

Nec gentiles modò ita ſapuere: ſed eadem etiam mens fuit ſanctorum Patrum. Uti B. Chryſoſtomi homil. XI. ad Timoth. cap. IV. † ubi pulcherrime ait: Ἐκεῖνα μόνον ἐστὶν ἡμέτερα, ὅσα ἂν ἐκεῖ προπέμψωμεν· τὰ δὲ ἐνταῦθα, οὐχ ἡμέτερα, ἀλλὰ τῶν ζώντων· μᾶλλον δὲ καὶ ζῶντας ἡμᾶς ἀπολείπει. ἐκεῖνα μόνα ἐστὶν ἡμέτερα, ὅσα τῆς ψυχῆς ἐστι κατορθώματα, ἐλεημοσύνη καὶ φιλανθρωπία· ταῦτα τὰ ἐκτὸς λέγεται καὶ παρὰ τοῖς ἔξωθεν· ἐκτὸς γὰρ ἡμῶν ἐστι. ποιήσωμεν τοίνυν αὐτὰ τῶν ἐντός· οὐ γὰρ δυνατὸν χρήματα λαμβάνοντα ἀπελθεῖν, ἀλλὰ δυνατὸν ἐλεημοσύνην λαμβάνοντα ἀπελθεῖν. μᾶλλον δὲ καὶ προπέμψωμεν αὐτά, ὥστε ἑτοιμάσαι ἡμῖν σκηνὴν ἐν ταῖς αἰωνίοις μοναῖς. χρήματα λέγεται παρὰ τὸ κεχρῆσθαι, οὐ παρὰ τὸ κυρίους εἶναι· καὶ τὰ κτήματα δὲ αὐτὰ χρῆσις ‡ ἐστιν, οὐ δεσποτεία. εἰπὲ γάρ μοι, πόσων κυρίων * ἕκαστος ἀγρὸς γέγονε; καὶ πόσων ἔσται; λέγεταί τις καὶ παροιμία σοφωτάτη· οὐ γὰρ τῶν δημωδῶν παροιμιῶν δεῖ καταφρονεῖν, ἂν ἔχωσί τι σοφόν. ἀγρέ, φησι, πόσων ἦς, καὶ πόσων ἔσῃ; τοῦτο καὶ πρὸς οἰκίας, τοῦτο καὶ πρὸς χρήματα, λεκτέον ἡμῖν. ἀρετὴ μόνον οἶδεν ἡμῖν συναποδημεῖν. ἀρετὴ μόνη διαβαίνει πρὸς τὴν ζωὴν τὴν ἐκεῖ. *Ea tantum noſtra ſunt, quæ illuc præmittere cautè ſtudemus: quæ autem hic ſunt, non noſtra, ſed viventium ſunt, imò viventes ſæpe derelinquunt. Illa ſola noſtra ſunt, quæ ab anima rectè fiunt: eleemoſyna ſcilicet, ac pia in pauperes miſeratio. Porrò iſta dicuntur exteriora, etiam ab ipſis gentium ſcriptoribus: quippe, quæ extra nos ſint; ea igitur noſtri juris faciamus. Neque enim poſſibile eſt, hinc pecuniâ acceptâ, migrare; ſed planè poſſibile eſt, eleemoſynâ datâ proficiſci: imò vero ipſa etiam præmittemus, ut nobis in æternis manſionibus tabernaculum præparent. Pecuniæ enim apud* Græcos *ab uſu dicuntur, non quòd propria ſint: imò & poſſeſſiones ipſæ, uſus, non dominatio ſunt. Dic enim, quæſo, villa quælibet quot habuit dominos? quot itidem habitura eſt? Dicitur quoddam vulgò proverbium, & ſapienter quidem. Neque enim omnino contemnenda ſunt, quæ vulgò dicuntur, ſi quid in ſe rectì habent. Ager, dicunt, quàm multos habuiſti, & quàm multos deinceps habiturus es dominos? Hoc & de ædibus, & pecuniis, dicendum nobis. Sola igitur virtus nobiſcum migrare conſuevit. Virtus ſola ad æternam, quæ iſtic eſt, vitam tranſit.*

† *Pag. 292. editionis Etonenſis ſeu Saviliane.*

‡ *In Commeliniana eſt κτῆσις: ſed perperam.*

* *Pro κυρίων in Commeliniana eſt ἀξίων. minus commodè.*

Nec ſolùm cogitare oportet, opes bonum proprium non eſſe: ſed ſimul in mentem veniat, quàm multos earum cupido peſſum dederit. Sicut inter alios Craſſum triumvirum. Ut non de nihilo ſit, quòd ille apud Plautum dicat †: *Odi ego aurum: multa multis ſæpe ſuaſit perperam.* Saluſtius verò ‡: *Ubi divitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia ſunt, fides, probitas, pudor, pudicitia.* Contrà, ut ait Petronius arbiter, *Neſcio quomodo bona mentis ſoror eſt paupertas.* Nempe, ut ait idem, *amor ingenii neminem unquam divitem fecit.* Sed inprimis adi Appulejum in Apologia, ubi multus eſt in laudanda paupertate. Nec argumentum hoc planè παράδοξον putari debet. Neque enim paradoxa ſectabatur vetus illa meliorque Romana Reſp. de qua tamen ſic in operis ſui ingreſſu Livius ſcribit: *Aut me amor negotii ſuſcepti fallit, aut nulla unquam Reſp. nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam tam ſerò avaritia luxuriaque immigraverint: nec ubi tantus, ac tamdiu, paupertati ac parſimoniæ honos fuerit.*

† *Capt. act. 2. ſc. 2.*

‡ *Orat. ſeu veriùs epiſtola ad Cæſarem de Rep. ordinanda.*

Qui verò vituperat pauperem, fatebitur, minimam quidem eſſe è laudibus hominis, ſi opibus abundarit: interea tamen, ut eſt apud auctorem dialogi de oratoribus, faciliùs inveniri, qui vituperet divitias & opes, quàm faſtidiat. Dicet etiam: uti ſine nervis ambulare non poſſumus, ita nec ſine pecuniis progredi non poſſe, ſeu in privata vita, ſeu publica. Ubique enim locum habere Demoſthenicum * illud, δεῖ τῶν χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἔστι γενέσθαι τῶν δεόντων. *Opus eſt pecuniis, ſine quibus nihil fiat, quod opus.* Sed ante omnia ſpectare convenit, an non paupertas hominis, vel ab inertia & incuria provenerit, vel à luxu, ſive ejus, ſive majorum.

* *Olynthiac. 1.*

Sin vituperandus dives, negabimus, opes bonorum nomen mereri: qua de re Tullius in Paradoxis, item Seneca, Epictetus, alii. Certè, ut ait Varro:

Non ſi theſauris, non auro pectu' ſolutum,
Non animis demunt curas, ac religiones,
Perſarum montes, non atria divitis Craſſi.

Præcipuè autem videndum, an non is malè pepererit divitias, vel malè iis uſus ſit. Ad prius pertinet Salomonis illud Proverb. cap. XXVIII. *Qui feſtinat ad divitias, non erit inſons.* Ac, quod philoſophus ajebat, divitem, aut injuſtum eſſe, aut injuſti hæredem. Quod inter ea referendum, quæ vera ſunt ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον †. Divitias verò malè iis utenti bonas dici non poſſe, etiam Comici hoc oſtendit ‡:

Quid relliqui eſt quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur bona?
Parenteis, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, ditias.
Atque hæc perinde ſunt, ut illius animus, qui ea poſſidet.
Qui uti ſcit, ei bona: illi, qui non utitur rectè, mala.

† *Ut plurimum.*

‡ *Heaut. act. 1. ſc. 2.*

XXIV. QUOMODO AB EDUCATIONE, ET INSTITUTIONE, LAUDEMUR, AUT VITUPEREMUR.

Atque iſta de animi & fortunæ dotibus quodammodo ad omnem pertinent ætatem: nunc eam per partes conſideremus. Ubi primo ſe loco offert puerilis educatio: quæ ſi nihil memoriâ dignum contineat, rectiùs præteritur. Ab eâ pariter, ac ortu, (de quo antea) Æneam vituperat Dido *:

Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hircanæque admorunt ubera tigres.

* *4. Æn.*

Hanc excipit inſtitutio, in quâ, uti & rectâ educatione quantum ſit momenti, egregiè docet Tullius initio tertii Tuſcul. Quæſt. Multum autem in eâ ad commendationem valet diſcendi cupiditas, quæ in puero atque adoleſcente eluxit. Nam, juxta Græcorum proverbium, Θεοὶ τ' ἀγαθὰ τοῖς πόνοις πωλοῦσι †. Atque, ut aquileges credunt aquas ſubeſſe, ubi conſpexerint vaporem mane attolli: ita ex prævio illo ſtudiorum ardore, non immeritò ſpes concipitur de luculentæ doctrinæ ac maximarum virtutum ſcaturigine.

† *Dii laboribus bona vendunt.*

Præterea videndum, quibus ſit ſtudiis inſtructus. Ut quòd Muſas Gratiis miſcuerit, quàm ἡδίστην συζυγίαν ‡ dixere veteres: quodque cum ſapientiæ ſtudiis Eloquentiam junxerit, planè ad mentem eorum, qui, ut ſignificarent Mercurii ac Palladis ſtudia conjungi oportere, effinxere olim Hermathenam.

‡ *Suaviſſimam conjunctionem.*

Adhæc multum ad laudem valet, quibus quis doctoribus ac ductoribus profecerit. Ut ſi in Grammaticis præceptorem habuerit Cæſellium, aut Verrium, aut Epicadium, aut Niſum: quos, ob inſignem literaturæ peritiam, Arnobius junxit primo adverſus gentes. Aut ſi in philoſophia audierit Platona, vel Ariſtotelem, vel Zenonem. Atque ita in aliis. Majoriſque ingenii argumentum erit, quòd quis fuerit αὐτοδίδακτος *.

* *A ſe ipſo edoctus.*

In vituperatione autem, ſiquis malis ſit uſus magiſtris, dicemus, quod de Corace & Tyſia jactatum olim fuit, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν †. Ita Piſonem vituperat Cicero: *Habet autem magiſtros, non ex iſtis ineptis, qui dies totos de officio ac virtute diſſerunt; qui ad laborem, induſtriam, ad pericula propria ſubeunda adhortantur; ſed eos, qui diſputant, horam nullam vacuam voluptate eſſe debere; in omni parte corporis ſemper oportere aliquod gaudium delectationemque verſari.* Catonem quoque idem

† *Mali corvi malum ovum.*

idem orat. pro Murenâ vituperat à Philoſophiâ Stoicâ: *Acceſſit his doctrina non moderata, nec mitis; ſed, ut mihi videtur, paullo aſperior ac durior* &c. Sin boni obtigerint præceptores: tantam fuiſſe pravitatem naturæ contendemus, ut ea vim exſuperârit inſtitutionis. Ita Cicero ‡, poſtquam de improbitate Q. Ciceronis fratris filii, conqueſtus eſſet, hæc ſubjungit: *Sed nulla noſtra culpa eſt. natura metuenda eſt. hæc Curionem, hæc Hortenſii filium, non patrum culpa, corrupit.*

‡ *Epiſt. 4. lib. 10. ad Att.*

XXV. Virilem ætatem a variis laudari, præcipue a numinis reverentia, et rebus solius virtutis amore gestis, maxime autem, siquis in eam spem non fuerit educatus.

HInc exponenda, quæ ad ſtatam ætatem pertinent; uti vitæ genus ac conditio: ubi & referendum: quid quiſque ſenſerit, dixerit; domi, foris; togâ, ſago: quæ item præmia ſit conſecutus.

Inprimis autem, tum in adoleſcentiâ, tum in ἀκμῇ *, ac univerſo vitæ ſpatio, videndum, utrùm quis religens fuerit, Deumque metuens, an (ex veterum loquendi modo) religioſus †, ſive Deum timens, h. e. ſuperſtitioſus; an, quod multis partibus deterius, religionis contemptor, καὶ ἄθεος.

* *Statâ ætate.* † *Gell. lib. 4 cap. 9. & Varro apud Auguſt. lib. 6 de Civitate Dei.*

Præcipuè etiam laudem merentur, quæ ſuſcepta ſunt non habitâ ratione emolumenti proprii, ſed honeſtatis: cujuſmodi eſt, quòd Achilles maluit ſe morti ante oculos poſitæ objicere, (ſiquidem ei prædictum fuerit, moriturum, ſi in bellum proficiſceretur) quàm Patroclum, amicum ſuum, inultum relinquere. Hinc M. Antonius apud Cic. ſecundo de Orat. *Graviſſima*, inquit, *laus habetur eorum factorum, quæ ſuſcepta videntur à viris fortibus, ſine emolumento ac præmio: quæ verò & cum periculo ipſorum, hæc habent uberrimam copiam ad laudandum.*

Multum quoque ad admirationem facit, ſi aliquid præclarè fiat ab iis, qui non ſint in iſtiuſmodi ſpem educati. Theon in Progymnaſmatis ‡: Ἄξιον δὲ ἀγασθῆναι, καὶ τὸν ἐκ βαναύσε τέχνης, ἢ ταπεινῆς τύχης, ἀγαθόν δυνηθέντα τι ἐργάσασθαι ὁποῖον λέγεσιν, Ἥρωνα μὲν τὸν σκυτοτόμον, Λεόντιον δὲ τὴν ἑταίραν φιλοσοφῆσαι. *Eſt vero admiratione dignum, ſiquis opificio manuario, aut deteriore fortunâ progreſſus, aliquid præclari operetur: uti perhibent de Herone ſutore, & Leontio meretrice ad philoſophiam animum applicante.* Leontii hujus, Epicuri amicæ, meminit & Plutarchus, libello, an rectè dictum ſit, latenter eſſe vivendum. Item M. Tullius. lib 1. de Nat. Deor. *Iſtiſne*, inquit, *fidentes ſomniis, non modo Epicurus, & Metrodorus, & Hermachus, contra Pythagoram, Platonem, Empedoclemque dixerunt: ſed meretricula etiam Leontium contra Theophraſtum ſcribere auſa ſit, ſcito quidem illa ſermone, & Attico?* Itidem P. Alfenus Varus Cremonæ, ubi & natus, diu ſutrinam * exercuit: tandem, clauſâ tabernâ, ſe Romam contulit, & Servio Sulpicio † præceptore uſus, tantum in juris profecit ſcientiâ, ut ob ejus cognitionem ad conſulatum ſit evectus: eſtque hic is ipſe, cujus Conjectaneorum librum ſecundum, Digeſtorum autem quartum & trigeſimum, citat Gellius lib. VI. cap. V. Primiſlaus, tertius Bohemorum dux, ab aratro vocatus eſt ad gubernandum Bohemiam: de quo vide Æneam Sylvium de Bohem. origine cap. VI. Piaſtus item, cùm primò agelli cultu ac mellificio vitam ſuſtentaſſet, pòſt factus eſt rex Poloniæ: quâ de re Martinus Cromerus lib. II. de origine & rebus geſtis Polonorum, & Joannes Herburtus Hiſtoriæ Polonicæ lib. I. cap. XII.

‡ *Cap. de laudatione.*
* *Horat. lib. 1 ſat. 3. & ibi Acro.* † *Acro ibidem, & Pomponius Tit. de Origine Juris.*

XXVI. Magnam etiam ad celebrandum aliquem vim habere, siquem hostes ipsi laudare cogantur.

ESt præterea maximè illuſtris virtus, quam extollunt illi, quibuſcum nobis bellum aut inimicitiæ fuerint. Ita enim naturâ comparatum eſt, ut eorum, quibus malè volumus, res præclarè geſtas, vel eamus depreſſum, vel ſilentio tegamus. Hinc ſapientiſſimus Neſtor ait apud Naſonem XII. Met. fab. VI:

—— *Quod mallem poſſe negare.*
Sed neque Deiphobum, nec Polydamanta, nec ipſum
Hectora laudamus. Quis enim laudaverit hoſtem?

Quare multo maxima eſſe oportet, quæ hoſtes ipſi efferre laudibus cogantur. Hinc Horatius od. IV. lib. IV, quò Romanorum virtutem egregiam eſſe oſtendat, Hannibalem eam commendantem inducit. Multum quoque ad laudem Bulidis & Sperchidis facit, quòd tantopere eorum virtutem admiraretur Xerxes, ut propterea, cùm occidere poſſet, pepercerit: quemadmodum Lucianus refert in encomio Demoſthenis. Atque inibi legas, quàm præclarè de hoſte ſuo, Demoſthene, ſenſerit Antipater. Nempe, quod ibidem ait, τὰ καλὰ καὶ παρ' ἐχθροῖς καλὰ, καὶ τὸ τῆς ἀρετῆς πανταχοῦ τίμιον: *Honeſta etiam apud hoſtes ducuntur honeſta, ac virtus ubique honore digna cenſetur.* Adi & Victorium lib. XXVI. Var. Lect. XI.

XXVII. De generali laudationis præcepto eas præcipue laudes consectandi, quæ cujusque propriæ sint.

ILlud verò non jam virilem modò ætatem, ſed quodammodo omnem vitam reſpicit, ac propterea etiam in amplificationis doctrina univerſè aliquid de eo monitum nobis. Nempe, planè perſpecta eſſe debere Oratori propria illius, de quo agitur. Nam ut inquit Ariſtoteles lib. II. Rhet., quomodo Athenienſes laudabimus, ſi lateat nos prœlium navale ad Salaminem, aut pugna in Marathone, aut quæ pro Heraclidis geſta ſunt, aliaque id genus? Idem inibi præclarè monet, propria præferenda eſſe communibus, eoque Achillem non tam laudari debere, quòd homo ſit, quòd ex ſemideis ortus, quòd ad Ilium militaverit, quæ ei cum Diomede, ac pluribus aliis, erant communia: quàm quòd interemerit Hectorem, Trojanorum fortiſſimum, & Cygnum, Neptuni filium; qui, cùm vulnerari non poſſet, impediebat, quo minùs Græcorum quiſquam è navibus deſcenderet; quòd item nemo eo junior ad Ilium profectus eſt; quòdque non, ut Helenæ proci, jurisjurandi religione à Tyndaro obſtrictus, ſed, nullâ adactus neceſſitate, ſummis belli Trojani periculis ſe involverit. Quæ ſanè laus longè eſt major, quàm Helenes procorum: quandoquidem, ut egregiè ait Tertullianus lib. I. ad uxorem cap. III. *Quod neceſſitas præſtat, depreciat ipſa.* Ovidius quoque, in laudando Peleo, ita communi laudi ſubjicit propriam, ut hanc præferat priori. Sic enim ille XI. Met. fab. VI.

—— *Nam conjuge Peleus*
Clarus erat Diva, nec avi magis ille ſuperbit
Nomine, quàm ſoceri. Siquidem Jovis eſſe nepotem,
Contigit haut uni; conjux Dea contigit uni.

XXVIII. De rhetorum præcepto, quo in laudando jubent vitium incrustare specie proximæ virtutis.

CÆterùm monent non pauci, debere nos, in omni vitæ laudatione, vitia vicinis virtutibus elevare, ὕβριν (ut inquit Plato lib. VIII. de Repub.) παίδευσιν καλοῦντες, ἀναρχίαν δὲ ἐλευθερίαν, ἀσωτίαν μεγαλοπρέπειαν, ἀναίδειαν δὲ ἀνδρείαν *. Eâque in re exemplo nobis ſunt parentes, qui liberorum ſuorum; & amatores, qui amicarum vitia, iſto modo extenuant. Quâ de re Horat. Sat. III. lib. II. Lucret. lib. IV. Idem amoris præcipit magiſter lib. II. de arte:

Sit gracilis, macie quæ malè viſa † ſuâ eſt.
Dic agilem, quæcunque brevis; quæ turgida, plenam.

Sed, ſive Alcibiades, ut vult Plutarchus, hujus præcepti autor fuit: ſive multo antè, atque adeò ſtatim poſt natos homines, vanitate pravæ naturæ magiſtrâ, res ea in uſu fuit:

* *Contumeliam inſtitutionem vocantes: ſolutam licentiam, libertatem: prodigalitatem item magnificentiam: impudentiamque ſtrenuitatem.*
† *Pro viſa, aut viva leg. cum Duza, aut niſa cum Gulielmio. Viſa tamen retinet Giffanius indice Lucretiano in Geminus.*

fuit: jure profectò hoc nomine conqueritur M. Cato apud Saluſtium * *Jam pridem*, inquit, *nos vera rerum vocabula amiſimus.* Propterea B. Baſilius † jubet ῥητόρων περὶ τὸ ψεύδεσθαι τέχνην οὐ μιμήσασθαι ‡. Atque addit, Οὔτε γὰρ ἐν δικαστηρίοις, οὔτ' ἐν ταῖς ἄλλαις πράξεσιν ἐπιτήδειον ἡμῖν, τὸ ψεύδεσθαι, τοῖς τὴν ὀρθὴν ὁδὸν καὶ ἀληθῆ προῃρημένοις τοῦ βίου *. Negamus igitur id Oratoris eſſe, quem non modò bonum civem, ſed virum etiam bonum eſſe volumus. Et hæc de iis, quæ vitam ſpectant.

** In Catilin.*
† Oratione, quomodo legendi ſint Græcorum libri.
‡ Non imitari rhetorum de mentiendo artem.
** Nam neque in judiciis, neque in negotiis aliis, confert nobis mendacium, qui veram & rectam viam eligimus.*

XXIX. De laudatione ab iis, quæ in morte, vel paullo ante, aut mox ab obitu, acciderunt.

SUpereſt tempus ultimum, cujus non philoſophi modò, ſed Chriſtiani quoque, inprimis habendam eſſe rationem docent. Ambroſius de bono mortis cap. III. *Ante mortem nulla eſt perfecta laudatio. Neque quiſquam in hac vita poteſt definito præconio prædicari, cum poſteriora ejus incerta ſint.*

Hoc in tempore conſideranda mors ipſa, & quæ circa mortem, h. e. vel paullo antè, vel poſt eam, contigerunt. Itaque hic primò videndum ætatis ſpacium, & quæ quis dixerit, cùm in ultimis eſſet; ſuàne quis morte defunctus ſit; atque utrùm lentâ obierit morte, qualis exoptatur à vulgo; an ſubitâ, quam, ut mitiorem, præferebat Julius Cæſar, teſte Tranquillo; itemque Philippus Macedoniæ Rex, ut ſcribit Oroſius lib. III. cap. IV. Genus profectò mortis plurimùm ad laudem aut vituperationem facit. Nam, uti hodie, ita olim etiam, honeſtum cenſebant, gladio perire; inhoneſtum, laqueo. Quod de priori etiam apud Xenophontem legas in ſecundo de Expeditione Cyri, & Iſidorum lib. V. Origin. cap. XXVII. Et certè Homero quoque *pura mors* eorum vocatur, qui enſe occiduntur. Euſtath. in Odyſſ. X. † καθαρὸς θάνατος ὁ διὰ ξίφους· μιαρὸς δὲ ὁ ἀγχονιμαῖος. Atque eopſe modo Philo loquitur lib. de Mundo. Iccirco & ſolis illis, qui ſponte vitam laqueo finiſſent, juſta non fiebant: nec in parentalibus eorum nomina ciebantur: ut auctor eſt Artemidorus lib. I. cap. V. Tales quoque abjiciebantur inſepulti: ut ex pontificalibus libris refert Servius ad illud XII. Æn. *Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.* Ubi & hoc Varronis citat; *Suſpendioſis, quibus juſta fieri jus non ſit, ſuſpenſis oſcillis, veluti per imitationem mortis, parentari.*

† Pag. 1934.

Etiam ſi aliquis indigna, aut non vulgari morte ſublatus fuerit, adferri poterunt ſimiles præſtantium virorum obitus. Ut trium tragicorum mortes: è quibus Euripides canum morſibus laniatus ‡: Æſchylus teſtudine è ſublimi ab aquila in caput jactâ exſtinctus *: Sophocles uvæ acino ſtrangulatus; etſi de hoc aliter Valerius †. Sed Sotadem poëtam ſequor, & Lucianum in Macrobiis. Ubi & Polybium hiſtoricum lapſu ex equo mortuum, auctor eſt. Alexinus is, qui, cùm mirè foret φιλόνεικος ‡, propterea dictus eſt Ἐλεγξῖνος *, in Alpheo natans ab arundine eſt ſauciatus, ac tantillo ex vulnere obiit: ut eſt apud Heſychium Illuſtrem. Qui & Philemona Syracuſanum, & Philiſtiona Nicæenſem, riſu diſceſſiſſe, narrat. Aliorum etiam non vulgares mortes ſuggeret Valerius lib. IX. cap. XII. & Ibis Ovidiana.

‡ Valer. lib 9. cap. 12. Gell. lib. 15. c. 20. Suidas, in Euripides. Diogenianus proverbio, Promeri canes.
** Ariſtophanes in Ranis, Valerius ibidem, Plinius lib 10. cap. 3.*
† Lib 9. cap. 12.
‡ Contentioſus.
** Q. d. argutator.*

Commendatur & interdum mortis cauſſa: ut quòd Socrates pro veritate mortem æquo animo tulerit. Vel quòd aliquis pro libertate occubuerit:

Τεθνάμεναι † γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα
Ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον·

Ut ait Tyrtæus, qui *mares animos Verſibus exacuit*, ut Horatius inquit. Ac ſimiliter Pindarus Iſthm. od. VII. Ἴστω γὰρ σαφὲς, ὅς τις ἐν ταύτᾳ νεφέλᾳ χάλαζαν αἵματος πρὸς φίλας πάτρας ἀμύνεται, λοιγὸν ἀμύνων ἐναντίῳ στρατῷ ἀστῶν, γενεᾷ μέγιστον κλέος αὔξων ζώων τ' ἀπὸ καὶ θανών. *Sciat enim certò, quiſquis in hac nube grandinem ſanguinis à chara patria propulſat, exitium à civibus adverſario exercitu depellens, ſtirpi ſe maximam accumulare gloriam, & dum vivet, & poſtquam obierit.* Hinc Lycurgus prohibuit quicquam defunctorum monumentis inſcribi, præterquam eorum, qui in bello cecidiſſent: ut eſt apud Plutarchum in vita ejus. Tertulliani quoque eſt lib. de Fuga in perſecut. cap. X. *Pulchrior eſt miles in pugna amiſſus, quàm in fuga ſalvus.* Et quis bonus aliter unquam putavit? Nempe, ut Tullius primo de Off. ait; *omnes omnium caritates patria complexa eſt: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere?*

† Pulchrum enim, virum fortem mori eos, qui in prima acie ſtans, pro patria pugnantem, & cadentem, mori.

Præterea adferenda, quæ morte obitâ contigerunt. Quo refer illa Mopſi apud Maronem:

Non ulli paſtos illis egere diebus
*Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla * neque amnem*
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Commemoranda hic pompa funebris, & inprimis jactura, ac querela, & dolor bonorum, hominumque omnium judicium. De judiciis tamen, interdum neque ea poſt obitum factis reſpondent; ut præcipuè fit in ingeniorum monumentis. Multi enim cum Menandro † juſtiora poſterorum, quàm ſuæ ætatis judicia ſunt conſecuti; ut jure optimo dixerit Dionyſius Halicarnaſſenſis ‡, πάντα βασκαίνει φθόνον, καὶ χρόνον *. Vide Martial. lib. V. epigr. X.

** Sic libb. vett. cujuſmodi hiatus Maroni haut infrequens.*
† Fabius lib. 3. cap. 7.
‡ Lib. περὶ συνθέσ.
** Tempus, & invidiam, eſſe omnium rerum indices.*

Querelæ ſubjicienda conſolatio. Ea petitur, tum à defunctis ipſis, ut à felicitate ſummâ, quæ illis obtigit: tum ab iis, qui ſuperſtites ſunt; ut ſi dicas, damnum ſarciri poſſe virtute ſucceſſoris. Ita B. Ambroſius in funere Theodoſii: *Ergo*, inquit, *tantus Imperator receſſit à nobis, ſed non totus receſſit. Reliquit enim liberos ſuos; in quibus eum debemus agnoſcere, & in quibus cernimus, & tenemus.* Intelligit autem Honorium, & Arcadium, qui patri in imperio ſucceſſere.

XXX. A quo peti debeat ratio celebrandi principis. Item modus vituperandæ perſonæ.

ATque ex his quidem homines promiſcuè laudandi ratio cognoſci poteſt. Sed quia non eadem ubique ratio eſt celebrandi principis, ac civis: eò operæ eſt, ſpeciatim etiam conſiderare rationem extollendi regis. Hoc verò artificium fuſiſſimè exponit Menander Rhetor. lib. II. cap. I. & II. & parte capitis IV. Huncadi. Nam quid attinet omnia exſcribi? præſertim cùm ſuavius ſapiant fontes antiqui, quàm rivi noſtri.

Fortaſſe aliquis deſideret, ut ſeorſum ſaltem exponamus, quâ ratione perſonarum vituperatio inſtitui poſſit. Nam plurimùm ea tantùm attulimus, quæ ad ſolam laudationem pertinent. Sed cùm, ut ſcribit Philoſophus, par ſit contrariorum ratio; ſanè qui laudandi rationem cognitam habebit, facilè vituperandi modum noverit; ut in quo omnia hæc invertere oporteat. Unum tantùm, & alterum, eos monitos velim, quibus fortaſſe ætas nondum ſatis judicium firmavit. Prius eſt, quòd uti ad laudem alicujus referimus non modò, quòd his vel illis bonis ſit, ornatus, ſed etiam quòd certis vitiis non laboret: ſic vituperari quoque aliquem, non modò quòd ei mala adſint; ſed etiam quòd illi bona deſint: ut ſi alicui probro vertamus, quòd ſit ineruditus, ac moriturus ſit inglorius. Ita Cicero orat. pro Flacco ridet in Heraclide Temnite, quòd cùm jam ſenex ſit, nunquam tamen in patriâ conſequi potuerit honores cuivis conceſſos. Alterum eſt tale, quòd uti in laudationibus haut imitandi ſunt Rhetores illi, qui (ut de Cicerone, beneficia à Cn. Plancio in ſe collata amplificante, dicebant adverſarii) arcem è cloacâ faciunt, aut lapidem è ſepulchro venerantur pro Deo: ita, ac multo quidem magis, in vituperationibus devitandam eſſe oris duritiem, & caninam eloquentiam; contrà quàm ſolemne eſt nonnullis, cæteroquin inſignibus viris, qui nunquam ſunt diſertiores, quàm ſi aliis liceat maledicere; imò morituri ſibi videntur, niſi crebrò evomant malignitatis & invidiæ virus, non dico in ſemidoctos, & parùm probos; ſed non minùs ipſis eruditos, & magis candidos. Qualium exemplum in cæteris potiùs imitari juventus debet,

bet, quàm in fœdo hoc animi vitio, quod tanto eſt conſpectius, quanto ipſi ſunt majores. Sed his tamen, quia egregiè alioqui de ſtudiis merentur, faciliùs ignoſcimus, quàm novitiis quibuſdam Sophiſtis, quos videre eſt ludibrioſa & turpia multa, quæ per febrim ſomniarunt, orationibus ac libris integris, in Ariſtotelem, Tullium, Fabium, ingerere, & diſciplinas integras, ut facultatem Oratoriam, Metaphyſicam, aliaſque, quas ſæpe ne quidem, quod dicitur, tanquam ab alno deſpectarint, adlatrare ac γεφυρίζειν *; denique non ambiguè modò prolata, ſed etiam optima optime ab optimis quibuſque veterum dicta, ſublato aſpernari ſupercilio; ita ut, contrà quàm Neſtori, felle iis amarior ex ore fluat oratio. Verùm Plauti illud cogitabimus ii Patruo ſive Pœnulo †:

Iſtic ‡ eſt theſaurus ſtultis in linguâ ſitus,
Ut quæſtui habeant, male loqui melioribus.

* Quaſi è ponte ſiomnatibus petere.

† Act. 3. Sc. Jam iſtuc ego.

‡ Metrum exigit iſti: atque ita legit Marſilius, præfat. comment. in Amphitr. Martial. Iſti pro iſtic antiquè, ut illi pro illic frequens Plauto Terentioque.

XXXI. Adferuntur exempla veterum oratorum, ad quorum imitationem inſtitui poſſit laudatio perſonæ.

Etſi verò, quæcunque hactenus de laudatione perſonarum diximus, multùm juvant eum, qui rhetoricari seriò volet: non tamen ita ſtultè ſapiendum, ut in iſtis ſubſiſtamus. Adeundi enim Oratores veteres: atque ad horum exemplum aliquid effingendum.

Exemplorum iſtiuſmodi duo ſunt genera, pro duplici laudis tractatione. Nam, ut rectè eam dividit Aphthonius, vel communiter laudamus, vel ſingulatim. Communiter quidem, ut cùm gentem, aut totam celebramus familiam. Ita Athenienſium laudes complectitur Iſocrates in Panathenaico ſuo: quem quarto & nonageſimo ætatis ſuæ anno ſcripſit; quinquennio nempe ante mortem. Singulatim autem extollimus, cùm unum è gente, vel familia, ſumimus ornandum. Ita Epicratem laudat Demoſthenes λόγῳ ἐρωτικῷ: quamquam orationem eam huic oratori abjudicet Photius, utpote languidiorem. Demoſthenis encomium eſt apud Lucianum. Socratis laudem vide apud Dionem orat. LIV. quæ de Socrate inſcribitur, & ſequenti, quâ Socratem cum Homero comparat. Macedones quoſdam laudat Lucianus in Scytha ſeu hoſpite. Ariſtidis oratio exſtat in Aſclepiadas, qua Podalirium ac Machaonem extollit. In Libanii progymnaſmatis habemus laudationem Ulyſſis, Achillis, Diomedis, Demoſthenis. In Aphthonii progymnaſmatis commendatio eſt Thucydidis. Syneſius Anyſii elogium ſcripſit; cum adverſus hoſtes rem bene geſſiſſet. Idem primori oratione ad Pæonium prædicat eum, quòd philoſophiam, & militarem ſcientiam, conjunxerit. Oratio ‡ verò Dionis περὶ κάλλους, à qua adoleſcentem tantopere celebrat, non tam videtur ἐγκωμιαστική, quam διαβολικὴ τοῦ βίου; ut nempe reprehendat ſui ſeculi mores corruptos, quibus tanti ab improbis forma fiebat in ephebis. Nempe hoc longè veriſimilius eſt, partim quia philoſopho eſt dignius, qui ſeculi ſui mores caſtigare ſolet, partim quia Dio ſolet imitari τοὺς λόγους Σωκρατικούς, ut non cuivis perſpicuum ſit, quorſum ſpectet.

‡ Orat. de pulchritudine.

Quod ſi particulatim exempla eorum noſſe voles, qui viros principes celebrarint: divinum adi panegyricum Plinii, item panegyricos Claudii Mamertini, Nazarii, Eumenii, Latini Pacati, atque aliorum, qui conjungi illis ſolent. Luculenta etiam eſt Themiſtii oratio ad Conſtantium Auguſtum, quâ gratias agit pro eo, quòd ab Imperatore eſſet laudatus, & par pari redhoſtiens, viciſſim Imperatorem ſummopere extollit. Ejus initium, Ἄρ' ἂν ὑμῖν. Eſt & altera illius oratio, quâ gratulatur Imperatori, eumque magnificè evehit. Incipit ea, Αἰγύπτιοι. Idem orationem recitavit in laudem Joviani Imp. Initium eſt, Βασιλεῦ. Idem aliâ oratione Valentem à fortitudine & clementia mirè prædicat. Orditur eam hoc pacto, Οἶμαι σε θαυμάζειν. Fuerit & operæ, videre, quomodo Candianum laudet Nazianzenus epiſt. CXCIV.

Quod ſi etiam exemplum petimus argumenti παραδόξου, ἢ ἀδόξου, ſuppeditabit hoc Iſocrates in laudatione Buſiridis, & Libanius commendatione Therſitæ, quæ in Progymnaſmatis ejus exſtat.

Et hi quidem viros laudarunt. Sunt & qui feminas celebrent. Uti Iſocrates Helenam, ex qua oratione partem eam, quæ de pulchritudine eſt, Lucianus peculiari imitatur opere. Etiam Dio Chryſoſtomus Chryſeidem ornat oratione illâ, quæ nomine ejus inſcripta eſt, & numero nunc eſt LXI. olim verò erat XLIV. ut ex Photio conſtat.

Quod ſi comparatio ſit ineunda, multùm juvabunt vitæ Græcorum & Romanorum, quas παραλλήλους inſtituit Plutarchus.

Atque ex his vituperandi quoque ratio cognoſcitur. Interim & propria ejus exempla ſi voles, adi Iſocratis orationem contra Sophiſtas. Etiam Achillem, Hectorem, Philippum, Æſchinem, vituperat Libanius in Progymnaſmatis. Philippum Amyntidam, ſive Magnum, exagitat Aphthonius. Etiam vituperationem ſui, ſed εἰρωνικῶς, Julianus reliquit libro eo, qui μισοπώγων, ἢ Ἀντιοχικὸς, inſcribitur.

XXXII. Modus ad inſtar perſonæ laudandi muta animantia, tum univerſe, tum ſingulatim.

Ex iis, quæ de laudatione & vituperatione perſonarum fusè adeò hactenus diximus, haut difficilis eſt conjectatio de iis, quæ *quaſi perſona* ſunt: uti muta animantia, quæ perſonarum inſtar tractari poſſe, equi exemplo è Marone commonſtrabo. Nam Æneæ quidem equum hoc pacto celebrat * à natalibus —— *geminoſque jugales* * 7. Æn.

Semine ab ætherio, ſpirantes naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos dædala Circe
Suppoſitâ de matre nothos furata creavit.

A corporis dotibus equum laudat † Aſcanii: † 5. Æn.

—— *quem Thracius albis*
Portat equus bicolor maculis, veſtigia primi
Alba pedis, frontemque oſtentans arduus albam.

A colore quoque, ſimulque à celeritate, idem ὑπερβολικῶς extollit ‡ equos Turni: *Pilumno quos ipſa decus dedit Orithya,* ‡ Æn. 12.
Qui candore nives anteirent, curſibus auras.

At fortitudinem, ac felicitatem, tribuit equo Mezentii, cùm ait *: * 10. Æn.

—— *Hoc decus illi,*
Hoc ſolamen erat; bellis hoc victor abibat
Omnibus.

Fidelitatem quoque agnoſcit in equo Pallantis; ut quem in domini funere mœrentem inducat †: † 11. Æn.

Poſt bellator equus, poſitis inſignibus, Æthon
It lachrymans, guttiſque humectat grandibus ora.

Quamquam in hoc parùm cum philoſophis conſentiat, qui ſolum animalium hominem flere docent: cujus rei cauſſam, & olim attulere veteres, & è junioribus Majoragius exponit in epiſtolicis quæſt. XVIII. Interim Maroni præivit Homerus, qui Achillis equos fleviſſe ait, Patroclo interempto. Ac Quinctus Smyrnæus lib. III. idem ait contigiſſe in exſequiis Achillis. Sed de Poëtis nihil mirum: magis de Plinio mirandum: cujus errorem caſtigamus lib. III. Theologiæ Gentilis, & Phyſices Chriſtianæ cap. XLVII.

Ex his liquet, quo pacto laudari poſſit Bucephalus, de quo multa adeò apud hiſtoricos leguntur.

Par propemodum ratio eſt, ſi γενικῶς ‡ de muto animanti inſtituenda ſit tractatio. Tantùm hoc diſcriminis eſt, quòd tum ſolùm locum habent, quæ univerſè eorum ſpectant naturam. At cùm ſingularia laudantur, ea inprimis referenda ſunt, quæ aut unius ſunt individui propria, aut ſanè cum paucis communia: parce verò admiſcentur quæ ſunt totius ſpeciei: cujuſmodi peti poſſunt, ex Ariſtotele, Plinio, Æliano, atque aliis, qui hanc Spartam exornarunt. ‡ Generatim.

Ut planiora hæc fiant, rationem adferam laudandi apem: quod fit ab ortu, corporis atque animæ dotibus, utili-

utilitate: ut vel hinc liqueat, penè eodem modo laudari, quo homines.

** Sic ſanè Maro 4. Georg. Sed quid de iſto cenſeam, expono Theologiæ Gentilis, & Phyſices Chriſtianæ lib. 4. cap. 66.*

Ad ortum pertinet, quòd non illas libido progeneret *; ſed ex melle viviſcant. Solæ enim Venerem neſciunt; ſed animal laborioſum ex opere ſuo naſcitur.

Deinde ſpectatur dædala naturæ fabrica, quâ in parvo adeò corpuſculo membra omnia ita affabrè diſtinguuntur: item pulchritudo, robur, agilitas.

Hinc juvat conſiderare ſimulachra prudentiæ, juſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis, & aliarum virtutum. Nam Rempublicam habent, & domos. Tempeſtates prævident, nec dubio ſe cælo committunt, neque in diem vivunt; ſed victum in hiemen reponunt: nec fas ducunt, delibare aliquid de congeſto melle, priuſquam plenis horreis fuerint ſecuræ: pro rege ſuo totis caſtris pugnant, & honeſtam mortem oppetunt.

Adhæc, quia mel ſuppeditant, & ceram, ſumma ex iis utilitas ad homines redundat. Imò non tantùm uſui noſtro inſerviunt, ſed etiam deliciis.

Vide fuſiùs iſta tractantem Quinctilianum declamat. XIII. quâ pauper diviti intendit litem damni injuriâ dati, ob apes ſuas veneno interfectas.

Nec deſunt ſimilia apud alios exempla. Muſcæ encomium, ut dixi, Lucianus mirâ edolavit venuſtate. Bovis laudatio eſt apud Libanium in progymnaſmatis: ubi hiſtorico eam ſtylo tractat. Equum paucis laudat Hierocles præfatione ſecundi Hippiatricôn: canem, Sextus Empiricus lib. 1. Pyrrhoniarum Hypotheſ. cap. XIV. E junioribus, elephanti, equi, & canis laudem ſcripſit Lipſius in epiſtolis: aſini Paſſeratius præfatione in Aſinariam Plautinam: & alii aliorum.

Atque hujuſmodi laudatio abſolutè ab iis inſtituitur. Comparatæ laudatione, in hoc generis, exemplum præbet Grylli diſputatio apud Plutarchum, quâ ferinam vitam præfert humanæ.

XXXIII. Laudari etiam rationis expertia, quia numini alicui fuerint sacrata, et aliis id genus argumentis.

*† Mar. Victor. lib 1. ‡ Martial. & nummus XV virum ut ad Manilium docuit Scaliger. * Athen. lib. 7. † Porphyr. lib. 3. περὶ ἀποχῆς. ‡ Idem ibidem. * Idem ibidem. † Sappho hymno in Venerem. ‡ Athen. lib. 7. * Idem. † Herod. ‡ Cornuta. * Athen. lib. 7. † In equus. ‡ Lib. 4. expeditionis Cyri, & 1. Cinped. * In Lacon. † Lib. 11.*

CÆterùm, ſive abſoluta, ſive comparata laudatio ſit, ad communia, ſeu generis totius laudes, etiam refer, quòd mutum animal huic vel illi Deo Deæve conſecratum eſſet: quod ipſum in magnâ laudis parte à nationibus ponebatur. Ita Jovi ſacra erat aquila: Saturno, ſaurix †: Apollini gryphes, cygnus, corvus, delphinus ‡: Marti equus, accipiter, picus, vultur: Soli phœnix: Baccho lynx, tigris, pica: Mercurio larus, & boax * piſcis: Æſculapio gallus, & draco: Diti capra: Laribus canis.

Par ratio Dearum. Nam Junoni dicata erant pavo, ſtruthiocamelus, ciconia †: item agna, quæ propterea ei mactabatur: Cereri grus ‡: & ſerpentes alati: ut ſine alis Æſculapio: Palladi noctua, & κῆξ *: Veneri columba †, & ardea: item concha, & phaleris ‡ piſcis: Lunæ bos: Hecatæ trigle, & mænis *: Iſidi anſer, uti & vitula, eâdem de cauſâ, ob quam ſtatua † ejus erat βουκέρων ‡.

Quædam & pluribus Diis ſacrabantur. Ut lupus Apollini, & Marti: gallus Soli, Minervæ, Marti, & Æſculapio: corvus Apollini, & Herculi: draco Minervæ, & Æſculapio: Cybellæ leo, ac Vulcano etiam ob vim igneam: mullus * Dianæ, ac Hecatæ.

Nec in his par ratio omnium gentium. Nam Marti apud Romanos equus ſacer erat; ut auctor eſt Feſtus †, itemque apud Myſios, ut è Floro cognoſcimus. At apud Armenios, Perſas, & Maſſagetas, dicatus erat Soli: quibus iccirco ab iis mactabatur: ut è Xenophonte ‡, Pauſania *, Strabone †, & aliis, conſtat. Similem diverſitatem arguit, quòd ex Apollodoro refert Arnobius lib. IV. *Marti canes ab Caribus, ab Scythis aſinos immolari.*

Affine iſtis, quòd Dii, Typhoëa metuentes, variorum ſe animantium figuris cælarint. Nam, ut ait Naſo lib. V. Met. fab. V.

Delius in corvo, proles Semeleïa capro,
Fele ſoror Phœbi, niveâ Saturnia vaccâ,
Piſce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.

Etiam, quàm animantia diis ſint grata, colligebant ex ominibus, atque auſpiciis, quæ ex iis captabantur. Ac alia quidem felicis erant ominis universè; ut lupus à dextra occurrens pleno ore, aut aquila à dextra alis perſtrepens: alia certo hominum generi; quomodo pelicanus fabris omen proſperum creditus adferre, quoniam Polytechnus, qui in pelicanum converſus fuit, ſecurim acceperat à Vulcano: ut eſt apud Antonium Liberalem fab. VI.

Dicere quoque liceat, quales fuerint, qui commutati fuere in beſtias. Ita celebrari poterit pietas Periphantis, qui in aquilam verſus: caſtitas Chelidonis, (invita enim ſtuprata) quæ mutata in hirundinem. Cujus generis compluria inter alios ſuggeret idem Liberalis, in Metamorphoſi ſua.

Oratori tamen nullus talium eſt uſus: Sophiſtis verò aliquis, Poëtis ſummus.

XXXIV. Fictas etiam personas ad morem verarum a poetis tractari.

POrro ſub iis, quæ quaſi perſonæ ſunt, ac quodammodo earum inſtar tractantur, non ſolùm muta comprehenduntur animantia; verùm etiam fictæ perſonæ: uti apud Maronem fama, & ſomnus; invidia apud Ovidium. Sed enim, inquiunt, hæc *rerum* nomine intelliguntur, quod Ariſtoteli quartum, Tullio autem tertium erat diſtributionis membrum. Verùm levi haſtâ hos ſternimus. Nam diverſi ea ſunt ordinis, pro diverſo tractandi modo. Ad tertium diviſionis membrum referri debent, ſi agatur de iis ſecundùm id, quod accidentia ſunt, vel res inanimatæ. Sin conſiderentur non ſecundùm naturam ſuam, ſed tanquam perſonæ: jam alius ordinis erunt. Exemplo rem illuſtrabo. Atlantis ὑπογραφή *, quæ apud Plinium exſtat lib. V. cap. 1. tertii erit ordinis, ſi ſub formâ laudis tractetur. At primi ordinis eſt ea Atlantis deſcriptio, quæ apud Maronem eſt IV. Æn. quo loco ei non modò tribuit latera ardua, & verticem, quæ & monti & homini conveniunt, (quanquam κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον †, uti ſolet in ὁμωνύμοις ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἓν ‡) verùm etiam caput. Aut ſi hoc quoque dictum videtur, quomodo legimus caput amnis, fontis, vitis, arboris, tigni: at illud planè inſolens eſt, quòd humeros quoque tribuit, mentum, ac barbam: quòd item ſenem appellat: quæ ferri non poterant, niſi ejuſdem fuiſſet nominis rex, ac Poëta utrumque deſcripſiſſet in uno. Ita enim ait:

** Deſcriptio.*

† Secundum prius & poſterius.

‡ Æquivocis ab uno & ad unum.

—— jamque volans apicem, & latera ardua cernit
Atlantis duri, cælum qui vertice fulcit:
Atlantis, cinctum aſſiduè cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulſatur, & imbri:
Nix humeros infuſa tegit: tum flumina mento
Præcipitant ſenis, & glacie riget horrida barba.

Itidem Orionis ſidus, velut perſonam, elegantiſſimè deſcripſit Virgil. lib. X.

—— quàm magnus Orion,
Cùm pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna, viam ſcindens, humero ſupereminet undas?
Aut ſummis referens annoſam montibus ornum,
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.

Interim hujuſmodi, ὑπογραφαὶ ſive deſcriptiones veriùs ſunt, quàm laudationes: neque tam ad oratores pertinent, quàm poëtas.

XXXV. Quibus ex locis, factum aliquod laudabile esse, comprobetur.

IN Demonſtratione factorum conſiderandi ſunt duplices loci; quorum alii ad probandum, alii ad amplificandum conducunt. Probantur facta à legitimo, æquo, utili: difficili, glorioſo: quos ipſos locos in genere deliberativo commemoravimus. Nempe iidem utrobique ſunt loci:

Digitized by Google

loci: quia, quibus quis rationibus antè adhortetur ad faciendum, iiſdem pòſt laudet factum. Ariſt. lib. 1. Rhet.* ἔχει † δὲ κοινὸν εἶδος ὁ ἔπαινος, καὶ αἱ συμβουλαί· ἃ γὰρ ἐν τῷ συμβουλεύειν ὑπόθοιο ἄν, ταῦτα μετατεθέντα τῇ λέξει, ἐγκώμια γίνεται. Quamobrem de iis velle multis hoc loco ediſſertare, nihil aliud ſit, quàm cum facibus mero meridie obambulare in foro. Itaque tantummodo unum alterumque adferam exemplum. Prius eſto factum Lycurgi; qui, cùm temulentos aliquot conſpexiſſet nimio mero pugnantes, vineta incidit; ut auctor eſt Plutarchus, atque etiam in veteri legitur epigrammate Philippi, quod eſt lib. 1. Ἀνθολογ. εἰς ἄμπελον.

** Cap. 31. ſive juxta vulgatam diſtinct. 9.*
† Habent autem communem formam laus & conſilia. Quæ enim conſulendo præciperes, eadem ſi dictio immutetur, fiunt laudationes.

Commendabitur verò hoc factum, partim ab honeſto, partim ab utili. Nam quid turpius, quàm adulteria, cædes, legum contemtus, ſeditiones? At iſta, & multa alia facinora, vites fructu ſuo cauſſare ſolent. Etiam miles, athleta, mercator, philoſophus, judex & quivis alius, vino redditur ineptus muneri ſuo præſtando. Adhæc vinum corpus debilitat, & mentem reddit dementem. Quæ omnia, partim hiſtoricorum, partim poëtarum teſtimoniis, facilè comprobantur. Vide inter alia, Libanii προγύμνασμα, quod ψόγος ἀμπέλου ‡ inſcribitur. At vituperandi hoc factum æquè facilis ratio erit: ubi locum habent argumenta, quibus dignitas atque utilitas vini commonſtratur, & uſus vini ab ejus abuſu diſtinguitur.

‡ Vituperatio vitis.

Alterum exemplum eſto Catonis, mortem ſibi conſciſcentis, ne in manus veniret Cæſaris. Quod ſi laudare quis volet, tractanda erit theſis, an ullâ de cauſâ aliquis ſe poſſit occidere. B. quidem Auguſtinus, & alii, eunt defenſum, vel excuſatum, Samſonis factum, ſeſe ruinâ domus ſepelientis. Ac è Chriſtianis quoque; fœminæ, ne pudicitiam perderent, præcipites ſe in aquas dederunt. quâ de re adeundus Euſebius Hiſt. Eccl. lib. VI. cap. XLI. * & lib. VIII. cap. XII. † item Ambroſius lib. III. de Virginibus. Alia etiam exempla beatarum martyrum adferunt, quæ in pyram ſponte inſiluerunt, vel beſtiis, aquis, gladiis, ſe objecerint: ut Theclæ, Julittæ ‡, atque aliarum. Sed quia nunc de gentili Catone ſermo eſt nobis: intra gentiles potiùs me continebo. Empedocles, Cleanthes, Chryſippus, Zeno, Democritus, mortem ſibi conſcivere: ut etiam teſtis Lactantius lib. de falſa ſapientia cap. XVIII. Quibus adde Euphratem Philoſophum, quem Hadriani temporibus, hauſto veneno, periiſſe, ex Dione cognoſcimus: item Diodorum Epicureum, quem gulam ſibi præſcidiſſe, ſcribit Seneca cap. XIX. de vitâ beatâ. Quin inter Stoica fuit decreta, ſapientem ſibi, non modò poſſe aliquando mortem conſciſcere, ſed etiam debere; uti oſtendit Juſtus Lipſius lib. III. Manuduct. ad Stoicam philoſoph. cap. XXII. Itaque nihil mirandum, ſi factum Catonis à Cicerone (qui tamen ipſe eo ſtomacho fuit, ut tyrannum ferret) miris prædicetur laudibus, quemadmodum & à pleriſque omnibus gentilibus; qui putarunt, viri fortis & magnanimi eſſe, malle ſibi afferre manum, quàm videre, libertatem peſſum dejici, & Remp. pro libidine nefariorum civium improbè vexari.

** Juxta aliorum codd. diſtinctionem cap. 34.*
† Al. 24.
‡ Wicelius in Hagiologio. Sed aliter alii.

Attamen non modò illis, qui ſub Chriſti militant vexillo, ſed quoque τοῖς ἔξωθεν (ita ſeculi paganos, Græci appellant Theologi) factum hoc majori jure diſpliceat. Siquidem viſo forti rebus adverſis

*Increſcunt animi; vireſcit vulnere virtus *.*

Atque, ut ait Martialis †,

Rebus in anguſtis facile eſt contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

** Furius, vetus Poeta.*
† Lib. 11. epigr. 57.

Solida profectò, non mercenaria fortitudo, cominus gaudet fortunæ ire obviam, eique vincula ac compedes injicit: neque quidquam magis ejus repugnat naturæ, quàm ut vitam quis ſuam interimat, quia nequeat perferre infortunia. Scitè idem Martialis lib. 11. epiſt. LXXX.

Hic, rogo, non furor eſt, ne moriare, mori?

Pro hac ſententia ſtare videntur Euripides in Herc. Fur., Ariſtoteles lib. III. Νικομαχείων, Galenus περὶ τῶν πεπονθότων τόπων. Similiaque apud Cæſarem legas, Lucanum, Curtium, Statium, Tacitum. Apud Romanos ipſos, ut ait Feſtus*, *carnificis loco habebatur, qui ſe vulneraſſet, ut moreretur.* Quid iidem de illis ſtatuerint, qui laqueo finiſſent vitam, ſuperiùs † dictum nobis. Maro ‡ etiam denegatum iis ad ſuperos reditum ait,

—— Qui ſibi letum
Inſontes peperere manu, lucemque peroſi
Projecere animas.

** In epitome Paulli, voce Carnificis.*
† Sect. 29.
‡ 6. Æn.

Ac apud Tullium in Somnio Scipionis præclarè dicitur, *Piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis; nec injuſſu ejus, à quo ille eſt datus, ex hominum vita migrandum eſt, ne munus humanum, aſſignatum à Deo, defugiſſe videamur.* Vide & Joſephum lib. III. excidii Hieroſolymitani, Lactantium lib. de falſa ſapientia cap. XVIII. Auguſtinum lib. 1. de Civit. Dei cap. XIX. XX. & XXI. ac lib. III. de lib. arbit. cap. VII. VIII. IX. Mirum, hac parte longè adeò à vero Stoicos receſſiſſe. Nec tamen minùs mirandum, ab Epicuro quoque inter dogmata poni*, τὸν σοφὸν καὶ πηρωθέντα τὰς ὄψεις μεθέξειν τοῦ βίου: *ſapientem etiam oculis orbatum manſurum in vitâ.* Nempe, ut ait Iphigenia apud Euripidem:

** Laërt.*

Τὸ φῶς τόδ' ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν·
Τὰ νέρθε δ' οὐδείς· μαίνεται δ' ὃς εὔχεται
Θανεῖν· κακῶς ζῆν κρεῖσσον, ἢ θανεῖν καλῶς.
Videre lucem hominibus eſt dulciſſimum;
Inferna minimè: deſipit, qui optat mori:
Præſtatque vivere malè, quam pulchrè mori.

Eſt & alia ratio, ob quam id Catonis factum meritò improbetur, quippe multis partibus id Reip. inutilius fuit; quia, etſi Cato libertatem ab hoſte defendere non potuit, Reſp. tamen qualemcunque poterat fructum capere è viris bonis, qui ita animum firmaſſent formaſſentque, ut oneri in miſeriis quibuſvis ferendo eſſent. Illuſtris pro hac re ſententia eſt apud Tacitum in vita Agricolæ: *Sciant, quibus moris, illicita mirari, poſſe etiam ſub malis principibus magnos viros eſſe: obſequiumque ac modeſtiam, ſi induſtria ac vigor adſint, eo laudis excedere, quò plerique per abrupta, ſed in nullum rei pòſt uſum, ambitioſâ morte inclaruerunt.* Quibus nihil meliùs veriuſque dici potuiſſet. Hactenus de modis probandi.

XXXVI. De octo modis amplificandi facta.

Modi facta amplificandi octo ab Ariſtotele † traduntur. Primus eſt, quòd quis *ſolus* geſſit. Ut quòd Horatius Cocles ſolus in ponte pugnârit contra Porſenæ exercitum. Vel quia quis ſolus præmium ſit conſecutus. Ut quòd ſoli Tullio togato contigerit ſupplicatio, qui honos nonniſi armatis imperatoribus concedebatur.

† Lib. 1. Rhetor. cap. 9. ſive juxta Barbari & aliorum diſtinctionem, cap. 33.

Alter modus eſt, quòd quis fecerit *primus*: ut quòd nemo ante Antiphontem orationem conſcripſerit: aut quòd primus in iis ſcribendis excelluerit Pericles.

Tertia ratio eſt, ſiquis fecerit *cum paucis*. Quomodo Leonides Spartanus, cum trecentis ſolis, adverſus innumerabilem Perſarum exercitum, ad Thermopylas pugnavit. Nec ſolùm cum paucis feciſſe dicendus, qui facti ſocios habuit paucos: ſed etiam, qui fecerit quod pauci antea, vel paucos habuerit imitatores. Nempe, τὸ σπάνιον, τίμιον ‡, ut ait Plato in Euthydemo. Ac verè magiſter Herennianus lib. III. *Uſitata res facilè è memoria elabuntur: inſignes & novæ manent diutius. Solis exortus, curſus, occaſus, nemo miratur, propterea quòd quotidie fiunt: at eclipſes mirantur, quia rarò accidunt: & Solis eclipſes magis mirantur, quàm Lunæ, quoniam hæ crebriores ſunt.*

‡ Quod rarum, carum.

Quartus eſt modus, quòd quis *præcipuè* fecerit. Ut quòd Epaminondæ virtus præcipuè eluxerit bello Thebano contra Spartanos, quo periit. Cic. epiſt. XII. lib. V. *Quem enim noſtrûm ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miſeratione delectat? qui tum denique ſibi avelli jubet ſpiculum, poſteaquam ei percunctanti dictum eſt, clypeum eſſe ſalvum; ut etiam in vulneris dolore æquo animo cum laude moreretur.*

Quincti generis argumentum petitur à tempore, vel occa-

occaſione, quòd quis præter exſpectationem fecerit *tempore maximè opportuno.* Quomodo Didonem laudat Æneas primo Æn.

O ſola infandos Trojæ miſerata labores,
Quæ nos relliquias Danaûm, terræque, mariſque,
Omnibus exhauſtos jam caſibus, omnium egenos,
Urbe, domo ſocias.

Cicero etiam Philipp. III. Octavium, cui Auguſto poſtea nomen, ſimilem in modum laudat: *C.* inquit, *Cæſar adoleſcens, penè potiùs puer, incredibili, ac divinâ quadam mente, atque virtute, tum cùm maximè furor arderet Antonii, cumque ejus à Brunduſio crudelis & peſtifer reditus timeretur: nec poſtulantibus, nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis, (quia fieri poſſe non videbatur) firmiſſimum exercitum invicto genere veteranorum militum comparavit &c.*

Sexta ratio eſt, quod quis *crebrò* egerit: quomodo ſæpe Alexander, ſæpe Cæſar, hoſtes ſuperarunt.

Septimus eſt modus, quòd quiſpiam virtutis ergo *novos* ſit *honores* conſecutus. Plinius lib. XXXIV. cap. IV. *Athenienſes neſcio an primi omnium Harmodio, & Ariſtogitoni, tyrannicidis, publicè poſuerint ſtatuas.* De Timotheo etiam, egregio Athenienſium imperatore, ſic Corn. Nepos in vita ejus, *Cujus laudis ut memoria maneret, Timotheo publicè ſtatuam in foro poſuerunt: qui honos huic uni ante hoc tempus contigit, ut cùm patri populus ſtatuam poſuiſſet, filio quoque daret.*

Octavus modus eſt, ſi quis ita cum aliis conferatur, ut iis præponatur. Cic. pro lege Manilia: *Quæ breviter, qualia ſint, in Cn. Pompejo conſideremus. Summa enim ſunt omnia, Quirites. Sed ea magis ex aliorum contentione, quàm ipſa per ſeſe, cognoſci, atque intelligi poſſunt.*

XXXVII. De demonstratione rerum, ac speciatim de laude, aut vituperatione plantarum: et inprimis de commendatione a Deo Deave, cui eas sacrarant nationes.

IN Demonſtratione rerum non uniuſmodi eſt laudandi ratio: cujus cauſſa eſt ſumma rerum diverſitas. Sanè, quemadmodum ſuprà diximus, huc tanquam unum in penum conjiciuntur, tum ſubſtantiæ omnes, præter animalia; tum etiam accidentia, præter facta. Nunc de utroque hoc genere, quod ſupereſt, videamus.

Subſtantia ſenſus expers vel eſt corpus cœleſte, vel elementale. Prioris generis ſunt Sol, Luna, Heſperus. Qualia partim à præſtanti natura laudantur; partim ab effectis. Poſterioris generis ſunt elementa, & ex elementis compoſita.

De cœlo, & elementis, ita Emporius: *Facile eſt elementa laudare; ſed abſurdum eſt reprehendere. Nam ſi cœlum, aut terram, aut ignem, vituperare conamur; ea ipſa, per quæ vivimus, non probamus.*

Conflata ex elementis trium ſunt generum. Alia naturæ ſunt opera, alia artis, alia utriuſque. Naturæ, ut nubes, fluvius, aurum, mel. Artis, ut Argo, navis, equus durateus, templum Dianæ Epheſiæ, volatilis Architæ columba è ligno. Utriuſque, ut regio, hortus, balneum.

Longum eſſet omnium laudationem ſingillatim recenſere, & prope inutile: partim quia non difficile eſt, eam perſpicere, ſi quis locos Dialecticos nôrit: partim quia multa eorum aut nullum apud oratores uſum habent, aut perexiguum: quod & Emporius monet. Quare contentus ero de præcipuis dicere: ex quibus de cæteris non operoſum erit conjicere. Ordiar à plantis; quippe animatis.

Hæ quomodo laudentur, cognoſcitur ex iis, quæ de perſonis, & quaſi perſonis, diximus. Quod etiam Trapezuntius docet Rhetoricorum lib. IV. *Hæc omnia,* inquit, *parum commutata, in alias quoque demonſtrationis formas deſcendent. Nam qui plantam laudat; tanquam à genere, à quo Deorum res aut producta, aut culta ſit, vel cui dedicata, enodabit cum amplificatione; ut oliva Palladi; myrtus Veneri; Libero patri vitis. Educationi verò ſimile erit, quod citò creſcat, quod citò fructum ferat. Utilitas deinde, quam ex fructu, vel uſu rei, conſequimur, rerum geſtarum locum obtinebit.* De olea, myrto, vite, idem Plinius prodit lib. XII. cap. I. atque addit, ut ſimiliter dicata ſit *Jovi eſculus; Herculi populus; Sylvanis & Faunis, & dearum generi, ſylva.* Noti etiam Maronis verſiculi in Eclogis:

Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.

Ac ſimilia de arboribus in Deorum tutela habet Phædrus, Neronis libertus, fab. LVI. etſi Aviano id carmen Perottus tribuat, commentario in Martialem: ſed perperam, cum Avianus ipſe ex quinque Phædri libellis jambico ſcriptis carmine, ſe verſu elegiaco fabulas ſuas contexuiſſe dicat *. Nec vitem ſolùm Baccho dicarunt, ſed etiam oporobaſilidem, phibaleam ficum, viticem. Uti adjantum Plutoni: Herculi cerrum: gramen Marti: Apollini hyacinthum, laurum, oleaſtrum, & myricam: portulacam Mercurio: platanum Genio: allium Laribus. * *Præfat: ad Theodo- ſium.*

Deabus quoque ſuus in plantis ac fructibus honos erat. Ut roſa ſacra Veneri, uti & mala; ſed mala Perſica Junoni, Punica Proſerpinæ, cotonea autem non Deæ, ſed Deo, puta Herculi. Palma tributa Muſis: dictamum Lucinæ: Eumenidibus alnus, cedrus, rhamnus.

Quædam & pluribus ſunt dicata. Ut quercus Jovi, Rheæ, Baccho, Cereri: ſmilax Baccho, & Cereri: vitis Baccho, ut diximus, & Rheæ: pinus Fauno, magnæ matri, Pani; imò & Neptuno †, quia ex ea fierent naves: cupreſſus Plutoni, & Sylvano: juniperus Apollini, & Eumenidibus: myrtus Cereri, Baccho, Veneri: narciſſus Cereri, Plutoni, Proſerpinæ, & Eumenidibus: papaver Cereri, Lucinæ, & Laribus: crocus Cereri, & Eumenidibus. † *Phædrus fab. 56.*

Quemadmodum autem plantis pro parentibus eſt, quòd huic illive Deo ſacræ ſint: ita iis pro actionibus ſunt utilitates, quas ex illis percipimus. Ac de his quidem abunde argumentorum ſuppetet ex Theophraſto, Pedacio Dioſcoride, aliis, qui plantarum naturam poſteritati tranſmiſerunt. Nonnihil quoque juvabit Dionyſius Halicarnaſſenſis, qui lib. *περὶ πανηγυρ.* paucis inter alia docet, quomodo laudare poſſimus quercum, olivam, laurum. Eleganter, fuſeque, fructum ficus commendat Julianus Cæſar Epiſt. XXIV. quæ ad Sarapionem. Vituperationis verò exemplum ſi voles, ſuppeditabit illud Libanius in progymnaſmatis, ubi vituperat vitem.

XXXVIII. De laudatione maris, fluvii, fontis, portus.

A Plantis venio ad inanima: in quibus eadem penè ratio eſt. Sanè, ut utar Fabii ‡ verbis, *laudantur urbes ſimiliter atque homines. Nam pro parente eſt conditor,* &c. Atque idem quodammodo fit in cæteris. Quia tamen *inter quodammodo, & verum, ſatis intereſt:* ut ait Tertullianus *: tum etiam, ne inertiâ magis, quàm brevitatis ſtudio, partem hanc defugiſſe videamur: viſum paucis quoque perſtringere ea, quæ pertinent ad laudationem regionum, civitatum, ædium, hortorum, montium, marium, fluviorum, fontium, ſimiliumque. ‡ *Lib. 3. cap. 7.* * *Libro de velandis virginibus cap. 6.*

Initium nobis eſto ab aquis; unde rerum omnium originem deducebat Thales Mileſius.

Maris alicujus celebrandi rationem oſtendit Ariſtides, qui Ægæum mare luculentâ oratione extulit. Etiam, ut ſinus laudari poſſit docet Menander lib. I. de gen. demonſtr. cap. XIII. ubi prædicari eum dicit ob magnitudinem, pulchritudinem, & bonos multoſque portus.

Fluvii laudantur ab ortu vel ſcaturigine, ab amplitudine, à curſu veloci, colore, aquâ ſalubri, piſcibus multis ac variis, fluviis quos recipit, locis, quæ perfluit, navibus quæ crebrò perambulant. Dionyſius Hal. *περὶ τ πανηγυρ.* tria hæc, ut potiſſima, conſiderare jubet, *ἐν*

ποταμὸς ἢ μέγας, ἢ καθαρὸς, ἢ συμβαλλόμενος τοῖς οἰκοῦσι τὴν χώραν *. Vide laudationem Moſellæ apud Auſonium.

** Num ſit magnus, num purus & nitidus, num utilis regionem incolentibus.*

Unde etiam liquet ratio extollendi fontis. Interim operæ ſit, exemplum petere è Curtio, qui lib. IV. deſcribit fontem Ammonis: ac Plinio, qui lib. VIII. epiſt. VIII. celebrat Clitumnum fontem: atque idem lib. IV. epiſt. ultima miram depingit naturam fontis cujuſdam in agro Comenſi. E junioribus vide ſis Scaligerum tertio de re poëtica libro, cap. CXX. atque ut Acin juxta Solitarium celebret in poëmatis ſuis P. Lotichius.

Portus ut laudentur, dicet Menander lib. I. de genere demonſtrativo cap. XII.

De balneis, quia pars ædium ſunt, deque puteis, quia pars ſunt domus, aut villæ, ſectione dicam proximâ.

Universè in aquarum commendatione ſpectandum, utrùm ſint pluviæ, quæ optimæ; an fontanæ, quæ proximæ; uti hinc fluviales, ſi claræ, molles, bonæ: exinde puteorum, quæ inſalubres: poſtremò ſtagnantes, quæ peſſimæ: ut Laurentius Joubertus cenſet in Paradoxis Quæſtionum Medicarum; nos item ſecundo Theologiæ Gentilis, & Phyſiologiæ Chriſtianæ.

Ad laudem etiam aquarum pertinet, quòd earum capita Diis eſſent ſacrata. Unde Horat. † *Nunc ad aquæ lene caput ſacræ.* Ubi vide quæ Lambinus, quæque paullo poſt de Nymphis congeſſit. Quin in fontibus, & aquarum capitibus, natare, hac de cauſsâ, religio erat. Imo in lacubus nonnullis propterea navigare haut licebat: ut cognoſcere eſt ex iis, quæ notavit Lipſius in XV. annal. Taciti.

† Od. I. lib. I.

XXXIX. De ratione laudandi regionem, urbem, vicum, domum, collegium academicum, balneum, hortum, prædium, montem, pontem.

Ab aquis in terras deſcendo. Regiones laudamus ab antiquitate, à primis cultoribus, à regibus ac principibus, à ſitûs amœnitate, aëris clementiâ & ſalubritate, à naturâ cœli & ſoli; quò refer fertilitatem, flumina, maria, fontes, montes, ſylvas, metalla, feras, &c. ab urbibus multis & magnis, à genere imperii & legibus, quibus regitur, ab incolarum cultu divino, à ſtudiis ſublimium diſciplinarum, à virtute bellica, & rebus præclarè geſtis, ab humanitate, à ſociis exteris & principibus Fœderatis, à præclaris maximorum virorum de hac regione judiciis, & cujuſmodi in poſterum ab ea exſpectentur: quæ voto noſtro commodè obſignamus. Vide omnino, quæ de ratione laudandæ regionis ſcribit Menander lib. I. de genere demonſtrativo cap. X. & lib. II. cap. III. & Scaliger lib. III. de re Poët. cap. CXX. At inprimis adi laudem Siciliæ apud Ciceronem Verrinâ IV. Italiæ apud Virgilium II. Georg. Plinium lib. VIII. cap. V. Iſtriæ apud Caſſiodorum, Variarum lib. XII. cap. XXII.

Urbes celebramus primo loco à conditore: qui iis parentis inſtar eſt. Referre etiam hoc licet, quòd urbs Deo alicui dicata: ut Argos Iunoni, Athenæ Minervæ, Rhodos Soli, Oncheſtus Neptuno; ut Dio Chryſoſtomus ait oratione, quæ Corinthiaca inſcribitur. Vide & in carmine Ithyphallico Phalæcios de urbibus, quæ in cujuſque tutela forent. Ac ſimilis fere argumenti Phalæcios habes apud Sidonium Carm. IX. ubi aliorum etiam locorum præſides commemorat. Item huc refer, quos urbs habuerit legiſlatores: qualis Lycurgus Lacedæmoniis, Solon Athenienſibus, Zaleucus Locrenſibus: Charondas Catanenſibus: teſte Tullio lib. II. de Legg.

Secundo loco laudantur urbes à tempore: velut ab antiquitate; quomodo Thebani ſe gloriantur *σπαρτοὶ* ‡, Arcades *προσέληνοι* *, Athenienſes *αὐτόχθονες* †.

‡ Spartos, ſive editos è ſeminatis dentibus draconis à Cadmo interemti.

** Antelunares, ſive natos ante Lunam.*

† Ortos in locis, quos incolunt q. d. aborigines.

Tertio à ſitu, quòd ſint loco ſalubri, tuto, amœno; tum etiam ab iis, quæ habent ob naturam regionis; ut ſunt agri fertiles, fluvii piſcoſi ac navigabiles, montes vitibus conſiti.

Quarto à ſtructurâ: quò pertinent templa, arces, ædificia, mœnia, porticus, pontes, theatra, gymnaſia, aquæductus, thermæ, ſtatuæ, plateæ.

Quincto, ab incolis, qui civitatis velut anima ſunt, idque, vel ab eorum frequentiâ, vel à præſtantiâ; quò refer, ſtudia, mores, res geſtas. Conſule hac de re Dionyſium Halicarnaſſenſem *περὶ τῶν πανηγυρικῶν* *, item *μεθόδῳ προσφωνηματικῶν* †. & Menandrum lib. I. de genere Demonſtrativo cap. XI. XV. & XVI. item lib. II. cap. III. Adi & Jul. Scaligerum lib. III. de re Poët. cap. CVI. & CXXI. Quæ omnia ut illuſtriora ſint, exempla aliquot dabo.

** De condendâ oratione panegyrica.*

† Præceptis, quibus docet, cujuſmodi quis oratione ſit compellandus & excipiendus.

Et à quo potiùs ordiar, quàm Homero? Is Odyſſ. Z. ‡ Phæacum urbem laudat, I. ab altis mœnibus. II. à gemino portu, qui ab utroque urbis latere erat. III. ab arcto introitu. IV. à claſſe. V. à foro pulcherrimo. VI. à templo Neptuni, juxta quod forum erat. VII. ab effectis incolarum, quòd nempe re nauticâ ſe exercerent. VIII. à luco Palladis, qui ad urbem erat. IX. à fonte ex illo luco manante. X. à prato circa lucum. XI. à regiâ, & horto proximè urbem ſitis.

‡ Verſ. 263. & ſeqq.

Illuſtrius etiam exemplum habemus apud Herodotum lib. I. ubi Babylonem deſcribit. I. à regione, quæ Aſſyria eſt. II. à ſitu, quia condita eſt in planis, iiſque maximis camporum æquoribus. III. à figura quadrata. IV. ab ambitu CCCCLXXX ſtadiorum. V. à foſſis latis, ac profundis. VI. à muris quinquaginta cubitos regios craſſis, ducentos altis. VII. à centum portis æreis. VII. ab Euphrate urbem influente, & ſecante duas in partes. IX. ab ædificiis multis, iiſque ternas aut quaternas contignationes altis. X. à viis publicis, cùm rectis, tum tranſverſis. XI. à regia prægrandi, & templo Jovis Beli, ejuſque ornamentis. XII. à regibus Babyloniis, qui & mures ornaverunt, & templa; eoſque inter duæ feminæ, Semiramis, & Nitocris.

Ad alia quoque exempla digitum intendam. Cicero Verrinâ ſextâ deſcribit Syracuſas: Maro I. Æn. Carthaginem: Narbonem Sidonius Carm. XXIII. ad Conſentium: Dio Chryſoſtomus orat. XXXV, quæ habita Celænis, Phrygiæ, urbem eam magnificè adeo laudat, ut videri poſſit, quædam joco veriùs dixiſſe, quàm ſeriò: ut cùm eam comparat cum Indorum regionibus. Idem orat. LI, quæ ad Diodorum, laudat urbem, quia illum, à quo fuerat laudata, laudibus ornaret. Sed inprimis adi Ariſtidem, qui Athenas celebrat in Panathenaicâ ſuâ. Extat quoque ejuſdem in Romam oratio. Idem argumentum tractare ſi voles, multa ſuppeditabunt Juſti Lipſii libri de Magnitudine Romana. Similiter habemus orationem Ariſtidis in Smyrnam. Item Cyzici laudem apud eundem in Panegyrica Cyzicena.

Universè autem patriæ laudem ſcripſit Lucianus. Et ſanè quantam ea vim habeat, argumento eſt, quòd ſapientiſſimus Vlyſſes Ithacam illam, in aſperrimis ſaxulis ædificatam, antepoſuerit immortalitati *: ut apud Tullium quoque legimus.

** Lib. I. de Orat. & lib. II de Legg.*

Qua ratione inſtitui poſſit vicorum laudatio, egregiè, ut omnia, oſtendit Julius Scaliger lib. III. de re poët. cap. CVI. *Si*, inquit, *muris cinctus non ſit vicus natalis tuus, (nam ex iis maximi quoque viri prodiere) & ſanitatem laudabis, quæ à murorum clauſtris malè ſæpe afficitur: & libertatem celebrabis, quæ non cohibeatur, tanquam pecora præſepibus. Aureâ ætate ſic habitâſſe mortales. Ad eum modum, & vixiſſe, & regnâſſe Lacedæmonios. Apud Scythas nihil commendari magis, quàm carere mœnibus. In fide, audaciâ, robore civium, perpetuum eſſe imperium. Intra murum deliteſcere, fugæ perquam eſſe ſimillimum.* Cætera, quæ ad vicos commendandos pertinent, ſponte ſe offerent, ſi perſpecta ſint, quæ de regionum, atque urbium laudatione, ſuperiùs dicebamus.

Domus veſtibulum † Veſtæ erat ſacrum, culina Laribus, maceria Jovi Hercæo: ſed hujuſmodi ad laudem pertinent communem. Singulatim verò celebratur domus ab amplitudine, materiâ, formâ, atrio, cubiculis, ſitu, proſpectu,

† Servius.

ſpectu, puteo, fontibus, horto, atque aliis, quæ vel neceſſaria, vel commoda ſint rei familiari. Vide, quæ de ratione laudandæ arcis ſcripſit Menander lib. I. de genere demonſtrat. cap. XIV.

Exemplum verò unde potius petamus, quàm Homero ipſo? Is Odyſſ. H * magnificè extollit regiam Alcinoi. I. à ſplendore ædificii interiori, quem cum ſolari & lunari comparat. II. à muris æneis, foribus aureis, poſtibus argenteis, limine ſuperiori itidem argenteo, interiori æneo. III. à canibus aureis, & argenteis, ad fores poſitis, quos Vulcanus fecerat. IV. à ſedibus interiùs juxta parietes circumquaque conſtitutis: quæ Phæacum principes occupabant in conviviis, & publicis conventibus. V. à peplis artificioſis. VI. ab aris, juxta quas aurei juvenes ſtabant, faces manibus geſtantes, in honorem principum Phæacenſium. VII. à quinquaginta famulis, omnis feminei operis intelligentibus. VIII. ab horto, qui aulam contingebat.

* *Verſ. 84. & deinceps.*

Vide & Lucianum περὶ οἴκου, item regiæ Pſyches deſcriptionem apud Appulejum initio lib. V. Templum Hieroſolymitanum depingit Joſephus lib. VI. de bello Judaico cap. XIV: Dianæ Epheſiæ, Plinius lib. XXXVI. cap. XIV. de Capitolino aliqua apud Dionyſium Halic. lib. III. Antiq. Rom.

Academicum aliquod collegium laudabimus, I. à ſtructuræ magnificentia, atque ornatu. II. à prudentiſſimis legibus, ad promovenda ſtudia, & mores juventutis formandos, maximè idoneis. III. à ſufficienti eorum omnium ſuppeditatione, quæ ad victum ac vitæ uſum requiruntur.

Ex his colligemus ſapientiam & munificentiam eorum, qui collegium exſtruxere: atque, ut ex affectuum doctrina plenius cognoſcetur, alumnos ad animum gratum excitabimus.

Balneum extollit Lucianus in Hippia. Claudii Etruſci balneum deſcripſit Papinius in primo Sylvarum: quod carmen intra moram cœnæ à ſe factum eſſe, ait ipſe præfatione ejus libri, quæ eſt ad Stellam. Etiam ſex diſticha in Villæ ſuæ balnea fecit Sidonius. Vide Carmen XVIII.

Puteum laudare volenti egregiè præivit Ariſtides orat. εἰς τὸ φρέαρ Ἀσκληπιοῦ †.

† *De puteo Æſculapii.*

Hortos partim laudamus à naturâ, partim ab arte; quarum opera hic amicè conſpirant; uti & in regionibus, & urbibus. Naturæ ſunt ſitus, fontes, arbores, herbæ, &c. Ad artem refer figuram, ſepimentum, pergulas, ac ſimilia. Columellam de his, Palladium, alioſque, adi. Exemplum verò Homerus præbet Odyſſ. H. ubi hortum commendat Alcinoi, Phæacum regis. I. à ſitu, quòd fuerit proximus aulæ. II. ab ambitu, quòd fuerit quatuor jugerum. III. à ſepto, quod utrimque erat. IV. ab arboribus proceris, quarum aliquas refert. V. à fructibus nullâ anni parte deficientibus. VI. à Zephyro interſpirante. VII. à vinea, & variis unius anni vindemiis. VIII. à pulvinis, ſive areolis. IX. à fontibus duobus; quorum unus per omnem hortum diſperſus, alter ſub aulæ limen ibat.

Vide & Ælianum lib. XIII. de Animal. cap. XVIII, ubi hortum Indorum Regis deſcribit. Egregiè etiam hortum depingit Ariſtænetus epiſt. III.

Prædia, atque agri, à tribus prædicantur: vel quia ea ſint certa, atque omni periculo vacua; vel quia ſint pulchra; vel quia admodum fructuoſa. Vide, ut agrum Laurentinum, villamque ejus, celebret Plinius lib. II. epiſt. XVII. quæ ad Gallum. Item villæ Tuſculanæ deſcriptionem apud eundem lib. V. epiſt. VI. ad Apollinarem. Ac prædii Abitacenſis apud Sidonium lib. II epiſt. II ad Domitium: Adhæc prædii cujuſdam in Bithynia apud Julianum epiſtolâ antepenultimâ, cujus initium, Οἰκοπεδίον, vel potiùs, Συγκτησίδιον. Quod ſi & poëtas poſcimus, villam Tiburtinam Manlii Vopiſci deſcribit Statius prima Sylvarum: quod carmen uno à ſe die factum dicit præfat. ad Stellam. Atque idem lib. II Surrentinam Pollii ſui villam depingit. Etiam ad laudem in his, & ſimilibus, facit prior poſſeſſor: quomodo in Sillii villâ commendabatur, quòd fuerat ea Ciceronis: in prædio ejuſdem, quòd Virgilii fuiſſet. Martialem adi lib. II. epigr. XLIX. & LI.

Mons laudatur à ſitu; & ab iis, quæ producit; ſive metalla ſint, quæ inde effodiuntur; ſive plantæ, quæ ibi naſcuntur; ſive feræ, quæ ibi degunt. Item à fontibus, qui ex eo ſcaturiunt; ab arcibus ibi exſtructis; à rebus memorabilibus, quæ in eo, vel juxta eum, contigerunt.

Universè autem montium laudem ſpectat, quòd etiam montes divinitatis aliquid habere crederentur. Ut quòd Cappadocibus mons eſſet καὶ θεὸς, καὶ ὅρκος, καὶ ἄγαλμα *, quemadmodum Maximus Tyrius † ſcribit: quòd item Dacis mons, cui Cogæono nomen, ſacer foret, ſacerdos autem in eo Deus haberetur; ut eſt apud Strabonem lib. VII.

* *Et Deus & jusjurandum, & ſimulacrum.*

† *Diſſertatione 38. utrum diis ſint dicandæ ſtatuæ.*

Pontem laudare aliquis volet? Exemplo eſto pons iſte, XX. pilis ex quadrato lapide conſtans, quo bellicoſus ille Trajanus, ubi Daciam alluit Danubius, utramque junxerat ripam; ut præter alios Dio Caſſius libro retulit LXVIII: ubi & pontem hunc cunctis Trajani operibus præſtitiſſe, judicabat; ut ex Xiphilini epitome cognoſcimus. Et admirandum planè opus fuiſſe, nemo diffitebitur, qui cogitârit, quantæ fuerit induſtriæ, exſtruere aliquid hujuſmodi in rapidiſſimo Danubii amne. Sanè, Xiphilino eodem teſte, pilæ ſingulæ altæ fuerunt pedes CL, latæ pedes LX. Nec ſolum difficultas, ac præſtantia; ſed utilitas quoque, nobile opus commendabat. Nam eò ſpectavit Trajanus, ut, ſi Danubius frigore conſiſteret; nec vel navigio iter pateret, vel pedibus; per glaciem infirmam, ponte hoc tranſire poſſent Romani.

Sed ſi reprehendere pontem eum velis; negandum, tantis ſumtibus utilitatem, quam ex eo capere erat, reſpondiſſe. Quin potiùs ex illo magnum eſſe creatum periculum. Ac Hadrianum propterea, qui Trajano ſucceſſit, reſcidiſſe eum; non invidiâ erga Trajanum, ut vulgò eſt perſuaſum; verùm potiùs, quia prudentiſſimus imperator videret, barbaros, hujus pontis cuſtodibus interfectis, facilè poſſe in Myſiam tranſire.

XL. De laude substantialium partium, et collectivorum: item artium, virtutum, et similium accidentium: deque exemplis veterum, qui in hujusmodi argumento præiverunt.

AD ſubſtantias etiam refer partes, & collectiva ſubſtantialia. Partes laudantur à relatione ad totum, à partibus ſuis, ab uſu ſive fine. Ita manus laudabitur, quòd membrum ſit nobiliſſimi animalis, & tale membrum, quod artificioſè adeò ex tot particulis confletur, & cujus tanta ſit utilitas per omnem vitam.

Collectivi ſubſtantialis prænobile exemplum eſt mundus. Qui laudabitur ab auctore, Deo: à partibus tam multis, tam variis, tam præſtantibus; quarum ille σύστημα ‡ perfectum eſt: à forma, quæ eſt εὐταξία *: à fine, cujus gratiâ factus eſt: à capaciſſimâ & perfectiſſimâ figurâ, quæ eſt rotunda.

‡ *Compages.*

* *Apta diſpoſitio.*

De ſubſtantia ſatis diximus. Nunc videamus de accidentibus, præterquam de factis: de quibus ſeorſim ſuprà egimus. Laudari hic, & vituperari poteſt, tum quantitas, ut ſtatura procera: atque huc etiam tempus refer, & numerum; quomodo centenarii laudem proſequitur Julianus Cæſar epiſt. XXIV, quæ ad Sarapionem. tum qualitas, ut animi habitus, pulchritudo, lux, viſus, cæcitas. tum relatio, ut pater, rex, conjugium, amicitia.

Quod ad animi habitus, puta laudationem virtutis, eloquentiæ, ac ſimilium: quo pacto hæc extolli queant, colligere eſt ex iis, quæ à Rhetoribus traduntur de demonſtratione factorum. Siquidem in his quoque par ratio eſt, atque in deliberativo; quia quâ ratione ad ſtudium Mathematicum, aut temperantiam, quempiam adhortamur, eâdem hæc laudamus; ut omnino iiſdem è locis depromi debeant argumenta.

Nec operoſa admodum laudandi ratio eſt in cæteris: dummodo cognoverimus locos Topicos. Præcipuè autem argumenta petuntur ab honeſto, glorioſo, utili, jucundo, facili, & difficili. Honeſtas in iis, quæ ipſa virtus non ſunt, comprobatur bifariam, quia quid virtutis ſit cauſa, vel effectum ejus. Hæc generatim de iis dixiſſe ſuffecerit. Nam perridiculum ſit, velle ſingillatim accuratè perſequi, quo pacto res hæ laudari, aut vituperari, queant; quaſi nihil præſtari queat abſque Rhetorum præceptis, contrà quàm apud Ciceronem * Catulus docet: *Non omnia*, inquit, *quacunque loquimur, mihi videntur ad artem, & ad pracepta, eſſe revocanda.* Et aliquanto pòſt: *Nolo*, inquit, *omnia, qua cadunt aliquando in oratorem, quamvis exigua ſint, ea ſic tractare, quaſi nihil poſſit dici ſine praceptis ſuis.* Et idem inibi: *Non deerit homini diſerto in ejuſmodi rebus facultas ex cateris rebus & cauſſis comparata.* Itaque non ſi ab Ariſtotele, Tullio, aliis, minutæ iſtiuſmodi omittantur, imperfectè illos hanc artem tradidiſſe, cenſebimus: (quid enim attinet ea commemorare, quæ, ut nemo dicat, nemo neſciat?) verùm ea, quæ operosè à ſummis dicendi magiſtris perſcribuntur, in alios convertemus laudationum modos. Ideo particularibus præceptis non inſiſtam: ſed eorum loco, more noſtro, digitum intendam ad veterum exempla, qui in tractando ejuſmodi argumento feliciter præiverunt.

* *Lib. 2. de Orat.*

Juſtitiæ laudem apud Libanium habes in Progymnaſmatis: cui adde Tullium lib. II. de offic. ſect. XXXIX. & XL.

Sapientiæ verò laudatio eſt in Progymnaſmatis Aphthonii.

Humanitatis ſtudium, ac liberales diſciplinas, luculentis laudibus illuſtrat Syneſius in Dione ſuo: quam orationem compoſuit (quemadmodum ipſe teſtatur epiſt. CLIII.) cùm reprehenderetur eo nomine, quia multa de Poëtarum & Oratorum fontibus adſpergeret ſcriptis ſuis, inque iis eruditam quandam elegantiam ſectaretur.

Eloquentiam laudibus effert Dio Chryſoſtomus primori oratione XVIII. quæ περὶ ἀσκήσεως, ſive *de dicendi exercitio* inſcribitur: reliquâ verò oratione oſtendit, quo pacto, qui jam provectior eſt, parare ſibi poſſit dicendi facultatem.

Quàm adfines ſint philoſophia, & genuina Rhetorica, docet idem orat. XXII. Hoc enim verè argumentum eſt, quamquam aliud videatur polliceri inſcriptio, quæ iſtiuſmodi eſt, De bello & pace.

Agriculturæ laudationem reperies apud Libanium in Progymnaſmatis.

Pulchritudinis ſeu formæ encomium habes apud Lucianum in Charidemo: quamquam dialogus is alterius potiùs eſt ſcriptoris ut jam olim Aldus rectè judicavit. Sanè ſtylus planè alius eſt, ac Lucianeus.

Pacem evehit laudibus Themiſtius orat. quæ *de Pace* inſcribitur: qua gratulatur Imperatori Valenti, poſt pacem initam cum Athanarico.

Studium, atque affectum ſuum, erga auditores, eleganter commendat Lucianus περὶ τ̃ διψάδων.

Libanius in Progymnaſmatis vituperat opulentiam, inopiam, iram. Quamquam, cùm vulgo in divitiis ſummum bonum collocetur, hoc argumentum propemodum videatur παράδοξον. Quod ſi quis illud tractare volet, legatur quoque oratio Dionis, cujus ἐπιγραφὴ, *Euboica, ſive Venator.* Hæc enim paupertatis bona exponit. Ac primùm narrat, ut quidam in Eubœa vitam degant pauperem, ſed curis vacuam. Hinc oſtendit, quanto beatior vita illa ſit, quàm omnes Urbis deliciæ. Vide & orat. LXXIX. quæ *de Divitiis* inſcribitur. Oſtendit autem, opes moleſtiam adferre, & inſidiis eſſe obnoxias, eoque longè præſtare paupertatem cum juſtitia conjunctam.

Similiter, ſi tractare voles de bono miſeriæ, juvabit idem Dio orat. XXVII. cujus inſcriptio, *Expoſitio eorum, qua convivium attingunt.* ubi pleraque eorum commemorat, quæ in convivio accidere ſolent. Hinc eleganter oſtendit, pleroſque omnes tum demum animum ad philoſophiam convertere, cum vita moleſtiis abundat.

Podagram commendat Lucianus in Tragopodagra.

Calvitii encomium elegantiſſimè ſcripſit Syneſius.

Exilium quoque laudibus extulit Dio Chryſoſtomus. Ea oratio non extat: ſed ex Photio diſcimus, tale fuiſſe ejus argumentum. Primùm aſſeruit, exilium nihil habere moleſti. Deinde opes ac gloriam, & potentiam, à poſſeſſoribus ſuis ad eos, qui ne ſperaverant quidem, celerrimè defluere. Præterea ſapientiæ ſtudio & virtuti operam dare, eſſe bonæ poſſeſſionis genus, quod per totam duret vitam, & vitâ functos comitetur. Adi Conſolationem, quam L. Seneca ad matrem Helviam ſcripſit in Corſicam relegatus; ubi ſe vixiſſe ait, non fortiter modò, ſed etiam feliciter.

Hujuſmodi potius auctores conſulet, qui quicquam in quoquam horum tentare, nec μικρολογεῖσθαι * velit, quàm minutas & pueriles nuperorum quorundam ſcriptorum obſervationes; ſi modò obſervationum nomen merentur, quæ & plebejis quibuſvis ingeniis ſeſe ſponte offerunt. Sanè non Ælii modò, ac Perſii, iſta non curant legere: ſed vix pueri, nedum parectati, iſta magnopere requirunt. Et tamen, qui iſtiuſmodi præceptis ſufflati ac ſuffarcinati incedunt, omnem præ ſe putant deliràſſe antiquitatem: aut ſiqui inter eos paullò fuerint modeſtiores, ſuo ajunt ſeculo præcepta dediſſe, haut noſtro. At neutiquam hæc eos abſterreant, qui veræ cupiunt laudi litare. Nam cùm ſint inſita nobis naturâ virtutum vitiorumque ſemina: eadem omnibus ſeculis fuit, atque erit, laudandi, ac vituperandi ratio. Quare nobis quidem haut perſuadent: verùm cùm damnari, aut contemni, audimus ſapientem antiquitatem, vel eos, qui veſtigiis illius ſedulò inſiſtunt; iſthoc Bionis cogitamus: μὴ δυνατὸν εἶναι, τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν, εἰ μὴ πλακοῦντα γένοιτο, ἢ οἶνον Θάσιον. *non poſſe aliquem vulgo placere, niſi placenta fiat, aut vinum Thaſium.*

* *minutias conſectari.*

CAP. VI.

DE CAUSSA JURIDICIALI, NEC NON STATIBUS GENERATIM.

Generis Juridicialis loci pro varietate ſtatuum variant.

Status hoc loco eſt quaſtio, non quavis, ſed tantùm, qua ex primâ accuſatoris intentione, & defenſoris depulſione, naſcitur. Nam catera quaſtiones dicuntur incidentes, ſive Κεφάλαια. *Inter eas autem princeps eſt, qua Gracis* Κρινόμενον, *Latinis Judicatio ſive Diſceptatio dicitur: naſciturque ex defenſoris ratione, & accuſatoris firmamento.*

Status eſt quadruplex: primus eſt Conjectura; alter Definitionis; tertius Qualitatis; quartus Quantitatis. Conjecturali quaritur, an ſit; Finitivo, quid ſit; ſtatu Qualitatis, quale quid ſit; Quantitatis ſtatu, quàm magnum ſit quippiam.

Unius autem orationis, vel unus eſt ſtatus, vel plures. Si plures fuerint, vel unius generis erunt, ut ſi ſint ſtatus conjecturales: vel generum erunt diverſorum, ut ſi unus ſit conjecturalis, alter juridicialis.

I. ACCEDITUR AD GENUS JURIDICIALE, CUJUS FINIS, ET PRÆSTANTIA, OSTENDITUR.

Generis Juridicialis finis, quemadmodum diximus ſuperiùs, eſt jus & æquum; quæ duo conjunxit quoque Attius, verſibus iſtis elegantiſſimis, quibus cum iis confert virtutem, h. e. fortitudinem:

Melius eſt virtute jus: nam ſape virtutem mali
Nanciſcuntur, jus atque aquum ſe à malis ſpernit procul.

Differunt autem, juſtum, & æquum: quòd jus omnia ſtrictè

** Lib. 1. Epiſt. 1. ad Quinctum fratrem.* ſtrictè exigat; æquitas, quam Cicero * lenitatem in decernendo, (nam ita legitur in codd. vett. † non *diſcernendo*) Græci autem ἐπιείκειαν vocant, à rigore illo multùm remittat, eoque ſit lenior juris interpretatio. Eſtque ea ſententia Donati: ex quâ conſequitur, judices plurimùm ſpectare juſtum; arbitros æquum. Idem dicunt, qui eo differre autumant, quòd æquitas ſit ex naturâ, juſtitia ex legibus; quomodo ea diſtinguit vetus Horatii commentator. Rævardus tamen hanc differentiam diluere conatur ad xc. Reg. Juris. De vero, quod diximus, diſcrimine conſule & Budæum initio Annotat. in Pandectas.

† Malaſpina in locum Cic. antea citatum.

Ex fine, quem ſtatuimus, non obſcurè liquet, quanta ſit præſtantia generis juridicialis. Nam, ut Ageſilaus dicebat, nulla eſt utilitas fortitudinis, niſi adſit juſtitia: nec ſi omnes evaderent juſti, fortitudine opus foret. Juſtitiæ etiam cauſsâ reges olim ſunt conſtituti. Quod clarè Heſiodus ‡ docet: *‡ In Theogonia.*

Τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα ἄλλοις
Βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι.
Nam ſunt propterea reges, ut dicere læſo
Jus populo poſſint, injuſtitiaque mederi.

Itaque ſcitè olim muliercula, quæ cùm ab Hadriano Cæſare peteret, ut jus diceret, atque ille ſibi ad hoc eſſe otium negaret, continuò ſubjecit, *Noli igitur imperare.* Auctor Xiphilinus *. ** In Adriano.*

Nec judices ſolùm, qui in Scripturis Dii dicuntur, ad jus & æquum, velut ad Cynoſuram, dirigere judiciorum curſum debent: ſed etiam cauſſarum patroni: quales ſi ſint, *non minùs provident humano generi, quàm ſi præliis, atque vulneribus, patriam, parentesque, ſalvarent.* ut ſtatuunt Leo & Anthemius imperatores lib. 11. Cod. * & exinde, iiſdem pene verbis, Petrus Damiani, ſermone de Reſurrect. Domini.

** Lib. 2. tit. 7. de advocatis diverſ. judic. 14.*

II. De tempore proprio generis juridicialis; deque partibus ejusdem generis.

Tempus, circa quod hoc genus verſatur, præteritum eſſe, ſupra diximus. Interdum quidem videtur accuſatio quoque inſtitui de futuro; quomodo Catilina aliique accuſati ſunt, quòd proditurі fuerint patriam, niſi conjuratio fuiſſet patefacta: verumtamen cùm tota probatio ex præteritis fiat, de præteritis quoque erit diſceptatio. Adde quòd tales non ob factum damnentur, cùm id necdum patrarint; ſed ob patrandi voluntatem, quam habuerunt. Juvenalis ſat. XIII:

Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.
Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

Partes hujus generis ſunt κατηγορία, καὶ ἀπολογία, *accuſatio, & defenſio.* Illa eſt τοῦ διώκοντος ſive actoris: hæc τοῦ φεύγοντος ſive rei. Ac orator quidem defenſionem ſcribebat: ſed ipſe orationem ediſcebat ac habebat reus: ut auctor eſt Fabius. Unde eſt, quòd Lyſias etiam pro Socrate orationem compoſuit: ſed hic uti eâ noluit, quia ſibi parùm conveniret: ut legere eſt apud Cic. 1. de Orat., Valer. lib. VI. cap. IV. Fab. lib. II. cap. XVI. quod eſt de Rhetorices definitione ac fine, & lib. XI. cap. 1. Item Plutarchum in Lyſia.

Cùm autem dico, partes hujus generis eſſe accuſationem, & defenſionem, ſub accuſatione etiam complector querimoniam: etſi ea preſſiùs accepta longè aliud ſignet. Nam, ut apud Thucydidem lib. 1. legati Corinthiorum Lacedæmone dicunt, *αἰτία φίλων ἀνδρῶν ἐστὶν ἁμαρτανόντων. κατηγορία δὲ ἐχθρῶν ἀδικησάντων: querimonia eſt amicorum de amicis, quando delinquunt: accuſatio eſt de hoſtibus injuriâ afficientibus.*

III. Quibus locis apud Romanos, et Athenienses, habitæ sint orationes generis juridicialis.

Accuſatio omnis, & defenſio, apud Romanos inſtituebatur in triplici foro. Unde Seneca lib. II. de ira cap. IX. *Adjice nunc publica perjuria gentium, circumſcriptiones, fraudes, inficiationes, quibus trina non ſufficiunt fora.* Et Statius Silv. lib. IV. ſyl. IX.

Nec ſaltem tua dicta continentem,
Quæ trino juvenis foro tonabas.

Item Martialis lib. III. epigr. XXXVIII:

Cauſſas, inquis, agam Cicerone diſertius ipſo?
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Ac ſimiliter triplicis fori meminit lib. VIII. epigr. XLIV. & ante omnes Ovidius lib. III. Triſt. El. XII. Ex his primum fuit *forum Romanum*; quod Ovidio *, & Statio †, *Latium*; Herodiano ‡ *vetus*: alterum *Julii*, quod *Palladium* * dictum, cùm Domitianus illud inſtauraſſet: tertium *Auguſti*, quod Plinius † inter Urbis miracula recenſet. His quartum pòſt acceſſit *Nervæ*, quod *Tranſitorium* ‡ dicebatur. Unde in Nervæ honorem ſcriptum videtur Martialis in Janum epigramma lib. X. * Additum denique *Trajani* † forum, ſive *Ulpium* ‡. De hiſce omnibus vide Alexandrum ab Alexandro genialium dierum lib. II. cap. XII. Franciſcum Polletum in hiſtoria Fori Romani lib. 1. cap. III. adhæc Marlianum, Onuphrium Panvinium, Bernardum Gamaccum, Fabricium, alios, qui de urbe Roma ſcripſerunt; inprimis Juſtum Lipſium lib. III. de magnitudine Romana cap. VII.

** 4. Faſt. † Silv. de equo Domitiani. ‡ In M. Antonino. * Martial. lib. 1. epig. 2. † Lib. 36. cap. 15. ‡ Lampridius in Severo. * Epigr. 28.*

Varia item Athenis fora fuere, quæ illi dixere δικαστήρια. Principem locum tenuit *Areopagus*, ubi judicia fiebant φόνου *, καὶ τραύματος ἐκ προνοίας, καὶ πυρκαϊᾶς, καὶ φαρμάκων, ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς: quemadmodum iiſdem verbis referunt Demoſthenes orat. in Ariſtocratem, & Jul. Pollux lib. VIII. cap. X. imò & Lucianus in Anacharſide, niſi quòd de veneficio hic taceat. Alterum forum fuit *Palladium*, quod erat τῶν ἀκουσίων φόνων †. Erat & *Delphinium*, ubi cauſſa diſceptabatur, ſiquis ſe occidiſſe fateretur; ſed jure diceret occidiſſe. Auctor de utroque Helladius in eclogis Photii. In *Prytaneo* actum, ſi ferro, lapide, ligno, vel aliâ re inanimâ, aliquem ſublatum conſtaret, ſed auctor neſciretur: ut inter alia Heſychius teſtatur. In *Phreattio* (τῷ ἐν Φρεαττοῖ, ſive Φρεαττί, vel potiùs, Φρεαττοῖ) agebatur cauſſa, ſiquis, reus cædis involuntariæ, præterea cædem commiſiſſet voluntariam. In *Heliæa* conveniebat Senatus Quingentorum: ſed, ſi neceſſe foret, duplicari is judicum numerus, quandoque etiam triplicari ſolet. Παράβυστον erat tribunal judicum XI. cui nomen ob loci obſcuritatem. Ac de minimis in eo cauſſis agebatur, atque id clam. Erat autem duplex: majus, & minus. Fuit & quod τρίγωνον à forma vocaretur. Item *forum ad Lycum*, τὸ ἐπὶ Λύκῳ, ſive Λύκειον, quod perperam Ἐπιλύκειον in Heſychii gloſſis dicitur. Item aliud τὸ Μητίχου, ſive Μητίχειον. His à Polluce additur Ἄρδηττος, pro quo Etymologus Ἄρδητος habet. Interim alii produnt, in eo non judicium exerceri, ſed juramentum concipi ſolere. Minùs verò celebria fuere quatuor illa tribunalia, Βατραχιοῦν, Φοινικιοῦν, Μέσον & Θησεῖον. Item quatuor loca, ubi novemviri judicium ferebant: archon ad Eponymos, rex ſacrorum ad Bucoleum, Polemarchus in Lyceo, Theſmothetæ in Theſmotheſio. Ad Areopagum ſiquis vocaretur, dicebatur id πρόσκλησις: κλῆσις autem, ſi ad aliud è memoratis tribunalibus; ut auctor eſt Ammonius Grammaticus ‡, niſi is potiùs eſt Herennius Philo, ut alii arbitrantur. Plura de tribunalibus iſtis ſi voles, adi Pauſaniam, Pollucem, Harpocrationem, & Suidam: è junioribus autem, Poſtellum libro de magiſtratibus Athenienſium, Sigonium lib. III. de Rep. Athenienſium, ac ea inprimis, quæ Areopagi ſui capite ultimo obſervavit clariſſimus amicus noſter, Joannes Meurſius, qui & in hoc, & in aliis ad Græcanicam antiquitatem pertinentibus, priorum operam jubare ſuo offuſcavit: ut non temere quicquam ejus argumenti, vel utilius quæratur, vel felicius inveniatur, quàm in ſummi hujus viri monumentis.

*† Sidonius carm. 9. in Felicem conſulem. ‡ Capitolinus in Marco. * De cæde, vulnere voluntario, incendio & veneno, quo quis dato hominem occidiſſet. † De cæde non voluntaria. ‡ In πρόσκλ.*

IV. De principali loco generis juridicialis: et cur ea hic, et alibi, Ariſtoteles doceat, quæ ſatius erat oratorem omittere.

LOci hujus generis varii ſunt; neque ullus generalis adſignari poteſt. Nam in conjecturali ſtatu non quæritur, ecquid jure factum: quemadmodum nec in finitivo, aut negotiali. Interim verum eſt, juſtum, & injuſtum, eſſe locum principalem. Verùm repugnare ſibi hâc in re Ariſtoteles videtur. Nam hîc quidem ait, in juridiciali genere oſtendi, aliquid eſſe juſtum, aut injuſtum, at idem in prooemio Rhetoricorum, quo loco de Rhetoricæ eſſentiâ agit, negat, Oratoris eſſe, oſtendere, ecquid juſtum ſit, aut injuſtum. Verba ejus adponam: ἔτι δὲ φανερὸν, ὅτι τοῦ μὲν ἀμφισβητοῦντος οὐδέν ἐστιν ἔξω τοῦ δεῖξαι τὸ πρᾶγμα, ὅτι ἔστιν, ἢ οὐκ ἔστιν, γέγονεν, ἢ οὐ γέγονεν. εἰ δὲ μέγα ἢ μικρὸν, ἢ δίκαιον, ἢ ἄδικον, ὅσα μὴ ὁ νομοθέτης διώρικεν, αὐτὸν δήπου τὸν δικαστὴν δεῖ γινώσκειν, καὶ οὐ μανθάνειν παρὰ τῶν ἀμφισβητούντων. Hoc eſt: *Præterea manifeſtum eſt, ejus, qui controverſatur, nihil eſſe, niſi ut oſtendat, rem eſſe, vel non eſſe; factam eſſe, aut non eſſe. At verò utrùm magna an parva, juſta an injuſta ſit, ac quæcunque legiſlator non definiit, ea decet ipſum judicem per ſe intelligere, non autem diſcere ab iis, qui inter ſe controverſiam habent.*

Exiſtimabat Felix Accorombonius, commodè hæc loca conciliari, ſi dicamus, Ariſtotelem non negare, oratori incumbere, ut oſtendat, aliquid juſtum eſſe, aut injuſtum; ſed quòd quippiam (ut verbis ejus utar) ſit magnum juſtum, vel parvum: verba enim Ariſtotelis accipienda eſſe, non conjunctim, ſed diviſim. Verùm ſi hæc ſatis valida forent, jam non diverſus ab hoc eſſet ſtatus quantitatis, quo monſtretur, quæ ſint majores, quæ minores injuriæ; ut ſuo loco oſtenſuri ſumus. Quamobrem potiùs dicendum arbitror, Ariſtotelem in prooemio non docere, quid in Rhetoricis ſi traditurus; ſed cujuſmodi futura ſint, ſi civitates omnes bene eſſent conſtitutæ. Certè Ariſtoteles quoque de prooemio, epilogo, & inprimis affectibus, ubertim tractat; etſi juberentur in Areopago dicere ἄνευ προοιμίου, καὶ ἐπιλόγου, καὶ παθῶν *; ut teſtantur è Græcis Julius Pollux Onomaſtici lib. VIII. cap. X, Lucianus de Gymnaſiis, Themiſtius Orat. XVI, atque è Latinis, Fabius non uno loco †, & Appulejus lib. X. Nempe non illud Ariſtoteli propoſitum fuit, ea ſolùm in Rhetoricis tradere, quæ in Areopago, aut optima Reip. forma, locum habent; ſed quæcunque ad perſuadendum conferunt. Atque hoc eſt, quod Tacitus quoque ait, vel quiſquis auctor eſt dialogi de Oratoribus: *Ne Epicuri quidem, & Metrodori, honeſtas quaſdam exclamationes aſſumere, iiſque, prout res poſcit, uti, alienum erit oratori. Neque enim ſapientem informamus, neque Stoicorum civitatem.*

* *Sine prooemio, & epilogo, & affectibus.*

† *Lib.* 2. *cap.* 16. *lib.* 6. *cap.* 2. *lib.* 10. *cap.* 1.

V. Status quid ſit, aliæque ejus appellationes, et unde status vox arceſſita ſit in Rhetorum ſcholas.

LOcus juſti & injuſti, quemadmodum & alii hujus generis loci, variè ab oratore tractantur, pro varietate ſtatuum.

Status in genere Juridiciali eſt, quod ex primâ accuſatoris intentione, & rei depulſione, naſcitur. Dico in genere Juridiciali; quia aut fallor, aut falluntur illi, qui hanc definitionem exiſtimant cuilibet ſtatui competere. Ratio, quæ me movet, hæc eſt, quòd accuſatio, & defenſio, tantùm conveniant generi Juridiciali: at ſtatus in quovis genere dicendi locum habeat; ut infrà oſtenſuri ſumus. Vera igitur & reciproca erit definitio, ſi dicatur, ſtatum eſſe, quod ex primâ cauſſarum conflictione provenit: ut Fabius deſcribit lib. III. cap. VI. Ciceroni primo de inventione definitur *prima cauſſarum conflictio ex depulſione intentionis profecta.* Sed ſi naſcitur ex prima conflictione, prima conflictio dici nequit. Græcè vocatur ζήτημα & κεφάλαιον γενικώτατον: quemadmodum quæſtiones, quæ inſtituuntur ad fulciendam primariam quæſtionem, κεφάλαια εἰδικὰ, & ſimpliciter κεφάλαια appellantur. Sed & ζήτημα Græci aliter στάσιν vocant; quomodo hâc voce utitur Æſchines contra Demoſthenem, ubi judicem monet, ne ſe patiatur à cauſſæ ſtatu deduci.

Quidam hanc vocem dictam volunt ἀπὸ τοῦ στασιάζειν, quod eſt diſcrepare, quia ibi velut nitibundi incipiant conflictari, &, ut cum Appulejo loquar, verbigerare. Sed non præter ſolitum ineptiunt, cùm clarum ſit, στασιάζειν eſſe à στάσις. Sumta autem vox eſt à gladiatoribus, ac pugilibus; quia ibi orator velut ad dimicandum ἵσταται *. Æſchines contra Cteſiphontem: Ὁρᾶτε οὖν πύκτας περὶ τῆς στάσεως πρὸς ἀλλήλους ἀγωνιζομένους. h. e. *Cernite pugiles de ſtatione ac loco inter ſeſe contendentes.* B. Gregor. Καί μοι προσεοικέναι δοκεῖ πύκτῃ, καὶ κακῷ τὴν τέχνην, καὶ πρὶν τὴν στάσιν ἀσφαλῶς θέσθαι ἐπεμβαλλομένῳ &c. quæ Budæus ita tranſtulit: *Mihique aſſimilis eſſe videtur pugili artis ignaro, qui priuſquam ſtatum ſtabilito pede compoſuit, pugnos in adverſarium intendit, quaſi adverſarii petitiones excepturus.*

* *Conſt.*

Eâdem autem ratione Latinis quoque ſtatus ac conſtitutio vocatur; nempe vel à ſiſtendo (neque enim rectè negat Priſcianus *ſiſto* carere ſupino, quod abunde probavit Valla l. I. adverſus Barth. Facium;) vel à ſtando, quia ibi utraque pars ſtet, pedemque figat ad reſiſtendum: unde Plautus in Milite Glorioſo †:

—— In ſtatu ſtat ſenex,
Ut adoriatur mœchum, qui formâ eſt ferox.

† *Act.* 4. *Sc. Ne memoriis.*

Petronius: *Alius furcâ de carnario raptâ, ſtatum præliantis componit.*

A prœliis verò, ac re gladiatoriâ, eleganter vox iſta ad animum, aliaque transfertur; ut cùm dicitur dimovere, aut deturbare de ſtatu, quod alio modo dicunt ſede ſuâ ſollicitare, aut loco labefacere. Decimus Laberius apud Macrobium lib. II. cap. VII. Saturnal.

Quem nulla ambitio, nulla unquam largitio,
Nullus timor, vis nulla, nulla autoritas,
Movere potuit in juventâ de ſtatu,
Ecce in ſenectâ ut facilè labefecit loco,
Viri excellentis mente clemente edita,
Summiſſa, placida, blandiloquens oratio.

Quemadmodum autem Græcis quoque vocatur ζήτημα γενικώτατον, ut ſuprà dicebamus: ita & à Latinis dicitur *ſumma quæſtio*: ut vel Juvenalis ille locus oſtendit lib. III. ſat. I.

Quis color, & quod ſit cauſſæ genus, atque ubi ſumma
Quæſtio; quæ veniant diverſa parte ſagittæ;
Noſſe volunt.

Sic enim locus is legendus. Etiam *conſtitutio* nominatur: unde Arnobius lib. II. *Quia, quæ ſunt in litibus conſtitutiones, quot cauſſarum genera, quot dictionum* &c.

VI. Ut status differat ab aliis quæſtionibus: unde naſcatur ΚΡΙΝΟΜΕΝΟΝ: et an vere illud a Cicerone in Miloniana ponatur.

UT verò omnis hæc doctrina meliùs intelligatur; declarandum, quomodo ſtatus ab aliis orationis quæſtionibus differat. Diximus antea, naſci ſtatum ex intentione accuſatoris, quæ Græcis eſt προβολὴ, & depulſione defenſoris, quæ iiſdem eſt ἀντιπροβολή. Ita intentio eſt; Tu Oreſtes occidiſti matrem tuam Clytæmneſtram; Tu Horati necaſti ſororem tuam; Tu Rabiri ſuſtuliſti Saturninum; Tu Milo interfeciſti Clodium. Depulſio hic uniuſmodi; Occidi, ſed jure. Oreſtes certè, ut juſtam fuiſſe cædem oſtenderet, Soli gladium oſtendit apud Euripidem: quod ex more eorum, qui jure aliquem interemerant, ab Oreſte factum eſſe, annotat etiam Scholiaſtes. Eſt igitur in hiſce omnibus ſtatus; jurene hi interfecti

fecti ſint. Cæteræ quæſtiones quas κεφάλαια εἰδικὰ *; & ἁπλῶς κεφάλαια † vocari diximus; à Latinis appellantur incidentes, & à quibuſdam controverſiæ.

* *Capita ſpecialia.*
† *Simpliciter capita.*

Inter has autem familiam ducit, quæ Græcè nominatur κρινόμενον: Ciceroni περὶ φερομένοις vocatur, *quod in judicium venit: aut quâ de re agitur:* aliis diſceptatio ſive judicatio nuncupatur. Ea tamen locum non habet in ſtatu conjecturali: quia ubi factum negatur, ibi non adfertur ratio à defenſore, propter quam factum non ſit. Reſultat autem κρινόμενον, & quaſi efflorescit, ex primariâ defenſoris ratione, quam αἴτιον appellant, & accuſatoris firmamento, quod vulgo συνέχον ſive continens vocatur. Verùm Fabio adſentio, cui ‡ meritò diſplicet hæc adfectata ſubtilitas, circa nomina rerum ambitiosè laborans, rationemque docendi in minutas particulas concidens. Eidemque ſubſcribo in eo, quòd ait, illos hanc rem explicaſſe *verius & brevius, qui ſtatum, & continens, & judicationem, idem eſſe voluerunt: continens autem id eſſe, quo ſublato lis eſſe non poſſit.* Nihilominus, ne in Græcorum Rhetorum lectione nos vocabula hæc morentur: viſum quoque ea hoc loco exemplis iiſdem illuſtrare, quibus antea uſi ſumus. Αἴτιον Oreſtis fuit, Rectè eam occidi, quæ priùs patrem interfecit meum. Nam id ab eâ factum conſtat, ſive quidem illum interemerit in balneo; ut Lycophron, Æſchylus, & Seneca * ſcribunt: ſive inter pocula; quæ Homeri, Dionis, Æliani, Hygini, & Juvenalis † eſt ſententia. Αἴτιον Horatii fuit, jure eam interemi, quæ negligebat fratrum cædem, mœrebat hoſtem interemptum, fratris & populi victoriam moleſtè ferebat. Quod ipſum ſine dubio αἴτιον fuit Critolai Tegeatæ, Rheximachi F., qui apud Græcos contra tergeminos Pheneatas eâdem & conditione, & fortunâ, pugnavit, quâ apud Romanos Horatius. Nam is quoque Demodicam ſororem interemit, quòd ſponſum occiſum lugeret. Autor Demaratus in Arcadicis ‡. Et fortaſſe Romanum illud ex Græco effictum. Nam, ut ex Livio conſtat, multum incerti ineſt geſtis Romanis ante captam à Gallis Romam, præſertim iis, quæ ad Regum tempora pertinent. Rabirii αἴτιον eſt, Jure occidi Saturninum, civem ſeditioſum. Milonis αἴτιον eſt, Jure occidi Clodium, quia fuit inſidiator. Firmamentum ſive ratio ab adverſariis Oreſti oppoſita erat, quòd haut fas ſit filio matrem interficere. Ratio oppoſita Horatio, quod nefas ſit interficere ſororem. Ratio oppoſita Rabirio, & Miloni, erat, quòd non liceat cuiquam tollere civem indemnatum. Κρινόμενον eſt, an poſſit filius occidere matrem, quæ maritum prior ſuſtulerit? aut frater poſſit interimere ſororem, quæ, neglectâ fratrum cæde, doleret hoſtem occiſum, fratremque & pop. Rom. viciſſe ægre ferret? an quiſquam poſſit interficere civem indemnatum, ſi ſit ſeditioſus, aut inſidiator?

‡ *Lib. 3. cap. 11.*
* *In Agamemnone act. 5.*
† *Lib. 3. ſat. 2.*
‡ *Apud Plutarchum in Parallelorum libello.*

Quanquam quod ad cauſſam Milonis attinet, non ignorandum eſt, αἴτιον illud, quod Tullius ejus mantelum fore ſperabat, totum integrum commentitium fuiſſe, omniaque ab eo ſolùm afferri, ut mendacio conſtaret fides; ac proinde, ſi veritatem cauſſæ ſpectes, haut verè quoque à nobis aſſignatum fuiſſe κρινόμενον. Equidem M. Brutus * oratione eâ, quam pro Milone compoſuit, & edidit, non autem habuit, (quod falsò aliqui exiſtimarunt, ut auctor eſt Fabius †,) ita crimen defendere maluit, quòd utile fuerit Reipublicæ Clodium interfici. Sed Ciceroni in pectore incerti certabant animi: iſthæc tamen forma ei minùs placuit, quia non quiſquis bono publico interimi poſſit, occidi ab aliquo debeat indemnatus. Ideò, cùm adverſarii in accuſatione ſuâ poſuiſſent, Clodio à Milone factas inſidias, maluit adverſus hanc adverſari ſententiam, & è contrario oſtendere, non Milonem Clodio; ſed Clodium Miloni inſidias ſtruxiſſe; cùm tamen res longè ſe aliter habuerit. Nam, ut auctor eſt Aſconius, cùm ii forte fortunâ occurriſſent, è rixâ ſervorum ad pugnam deventum eſt: in eâ cùm vulnus accepiſſet Clodius, in tabernam delatus fuit. Milo autem expugnari hanc juſſit, Clodiumque extrahi, & interimi; quia, eo vivo, periculoſam ſibi vitam judicabat; at mortuo, licet ſolum vertere juberetur, tamen multum eſſet ſolatii habiturus. Iridem falſa eſſe pleraque, quæ Tullius de virtute jactat Milonis; fidem facit, quòd debuerit HS ſeptingenties * æris alieni. Sanè hoc inter prodigia animi humani Plinius ducit lib. XXXVI. cap. XV. Atque hæc universè dicta ſunto. Nunc ſpecies ſtatuum videamus.

* *Fab. lib. 3. cap. 3.*
† *Fab. lib. 10. cap. 8.*
* *Id Germanis fuerit ſeptemdecim tonnæ auri cum dimidia.*

VII. Quotuplex Ciceroni, et Fabio, ſit ſtatus: nec eum in juridiciali ſolum genere inveniri; ſed etiam deliberativo.

STatus Ciceroni eſt triplex. Nam ſi quæritur an ſit, Conjectura eſt; ſi quid ſit, Finis ſeu Definitio; ſi quale ſit, Conſecutio. Græcè eſt στάσις στοχασμοῦ, ὅρος, καὶ ποιότης. Afferam de his ſtatibus περιοχὴν Julii Severiani; *Status*, inquit, *tres ſunt. Ubi, quod ante factum objicitur, negas, Conjectura eſt; ubi quid ante factum fateris, & negas, eam vim nominis habere, quam adverſarius criminatur, Finis eſt. At ſi neque de facto, neque de nomine ambigitur; ſed ſi jure factum contendis, Qualitas nominatur.* Nam ita eum locum lego, & interpungo, quem in Fruterianâ & Pythœanâ editione prava perperaque (ut cum Accio loquar) diſtinctio pervertit conturbavitque.

Ciceronis partitionem alii etiam ſecuti ſunt Rhetores. Ac Marius quidem Victorinus non inſcitâ eam ſimilitudine comprobare nititur: quâ ipſâ etiam utitur Thomas Corræus †. Nobis longè potior eſt ſententia Ariſtotelis. Nam fallitur Robortelus, qui cùm non ſatis animadvertiſſet, ab Ariſtotele controverſias nominari, quas alii ſtatus vocant: non dubitavit ſcribere ‡, cùm omnes ſubjecerint ſtatibus cauſſas, apud Ariſtotelem de iis ne verbum quidem legi.

† *Lib. 3. cap. 14.*
‡ *Lib. de artificio dicendi.*

Eſt autem juxta Ariſtotelem auctior ſtatuum numerus. Nam lib. III. cap. XVIII, * de contentione agens, quadruplicem facit controverſiam: περὶ τεττάρων, inquit, ἡ ἀμφισβήτησις, ὅτι οὐ γέγονεν, ὅτι οὐκ ἔβλαψε τίνι, ἢ ὅτι οὐ τοσόνδε, ἢ ὅτι δικαίως: *de quatuor rebus eſt controverſia: quòd quid non fecerit, aut quòd non nocuerit ei, aut quòd non tantopere nocuerit, aut quòd egerit juſtè.* Et paullo pòſt; ἐν τοῖς δημηγορικοῖς, ἢ ὡς οὐκ ἔσται, ἀμφισβητήσειεν ἄν τις, ἢ ὡς ἔσται μὲν ἃ κελεύει, ἀλλ' οὐ δίκαια, ἢ οὐκ ὠφέλιμα, ἢ οὐ τηλικαῦτα. *in deliberationibus, aut non futura eſſe, contenderit aliquis; aut futura quidem, quæ cenſet, at non eſſe juſta; aut non utilia; aut non tanta.* Utrobique liquidò videmus, ſtatum poni magnitudinis. Itaque quadruplex eſt controverſia. Prima eſt conjecturalis, quâ quæritur, ecquid factum ſit, fiat, aut futurum ſit. Ita enim, quando generatim loquimur, definire malim, quàm, uti quidam, quòd ea quæratur, an ſit. Quippe, ut in juridiciali ſtatu quæritur, an Titius occiderit Sempronium: ita in aliis ſtatibus eſt controverſia, an quid ſacrilegium dici debeat, an injuſtum, an tanta ſit injuria. Altera controverſia eſt finitiva, quâ de nomine facti diſceptatio eſt. Tertia eſt qualitatis, quâ quæritur, ecquid ſit honeſtum, aut utile, aut juſtum, vel contrà. Quarta eſt quantitatis, ubi controverſia eſt de magnitudine: ut, ecquid tantopere obfuerit; aut, tantane ſit injuria.

* *Cap. 17. juxta vulg. diſt.*

Aliquibus tamen partitio hæc ita videbitur inſolens, ut Ariſtophanicum illud ſint dicturi, ἡμᾶς δ' οὐ πείσεις, οὐδ' ἂν πείσῃς †. Sed quid graculo cum fidibus? Ita & vulgaria opinio eſt, ſtatum tantùm habere in locum in genere juridiciali; quæ tamen ſententia eſt abſona, & inconcinna. Nam omnino, tum in deliberativo, tum in demonſtrativo quoque, locum habet. De deliberativo res plana eſt. Hermogeni enim ſtatus qualitatis eſt duplex. Siquidem vel de re futurâ diſceptationem continet, qui dicitur πραγματικὸς ſive negotialis; atque hic generis deliberativi proprius eſt: vel agit de re præteritâ, qui δικαιολογία vocatur, ſive juriſdictio: atque is proprius eſt generis juridicialis.

† *Non perſuaſeris nobis, etiam cum perſuaſeris.*

cialis. Πραγματικῆς exemplum eſt apud Demoſthenem, an conſultum ſit ſuppetias ferre Olynthiis: apud Ciceronem, an Pompejus ſit præficiendus bello Mithridatico.

Neque negotialis ſolùm ſtatus in deliberativo locum habet, verùm & conjecturalis. Nec enim, quod multi exiſtimant, tum tantùm conjecturalis ſtatus eſt, cùm quæritur, an ſit factum: verùm etiam, ut paullo ante dixi, cùm quæſtio eſt, an aliquid fiat, aut futurum ſit: ut ſi controverſia ſit, an hoſtes cogitent de rumpendo fœdere; aut, an nobis illaturi ſint bellum: quorum utrumque comprobamus à voluntate, facultate, ac ſignis; ut omnino liqueat, eodem hæc modo tractari quo facta.

VIII. Statum etiam habere locum in genere demonstrativo, illustribus comprobatur exemplis.

NEc magis ratio ſit, cur aliquis ambigat, an ſtatus ſit in genere demonſtrativo. Nam in laudationibus negari poteſt, aliquid ab aliquo factum eſſe; quod conjecturæ eſt: vel eo nomine factum eſſe appellandum; quod definitionis eſt: vel bene factum eſſe; quod eſt qualitatis: vel tam illuſtre eſſe; quod quantitatis eſt. Status quantitatis fuerit, ſi unus extollat caſtimoniam Alexandri Magni, quia illibatas & intactas remiſerit filias Darii; nec ante nuptias attigerit mulierem *, Barſinâ exceptâ, quæ vidua fuit: alius autem diminuat Alexandri honorem, quòd (ut Theophraſtum memoriæ prodidiſſe, auctores ſunt Athenæus, & Plutarchus) ideo parum millieroſus fuerit Alexander, quia vinoſus erat: quam rem cùm plurimi confirmant ſcriptores ‡, tum illud arguit, quòd & ephemerides habuerit *, in quibus adnotati fuere dies, per quos crapulam edormiebat. Hanc Theophraſti ſententiam non leviter fulcit, quòd & hodie videmus, eas gentes, quæ ebrietati deditæ, minùs inſanire Venere; quæ magis Veneri addictæ, minùs ſe vino ingurgitare. Eſt quoque ſtatus hic in oratione pro Marcello, in quâ præcipua quæſtio eſt, An clementia Cæſaris omnibus ejus bellicis virtutibus ſit præferenda. Item apud Iſocratem in Encomio Helenæ ſtatus eſt, An pulchritudo Helenæ tantâ ſit laude digna, ut omnibus laudibus ſit anteponenda.

Qui ſtatum tollunt è genere demonſtrativo, negant, in eo locum habere intentionem & depulſionem, quia nullus ſit δίκας δικαζόμενος. i. *qui dicam impingat*. Verùm ut nullus ſit talis; poſſe tamen adverſarium eſſe, conſtat ex iis, quæ diximus. Alioqui, cùm ſcripſiſſet Cicero de Catonis laudibus, Cæſar iis non oppoſuiſſet duos Anticatones.

Neque in hoc genere ſolùm locum habet ſtatus quantitatis; ſed & controverſia eſſe poteſt, an aliquid ſit factum; quem ſtatum eſſe conjecturalem, omnibus liquet. Ita ſi quis vituperare volet Didonem ob pudorem violatum: meritò alius hoc repudiabit, tanquam confictum à Marone; quem ſecutus Silius lib. VIII. Dido enim univira ſemper, caſtiſſimaque fuit; ut quæ, ne alteri nuberet, vitam gladio finierit: quemadmodum narrat Juſtinus lib. XVIII. Quin ne Æneam quidem videre potuit, cùm ab Ilii excidio, ut Scaliger † optimè numerat, ad natalem Carthaginis anni ſint CCXCIX. ut quæ poſt annos IↃCCXXXVII. ex quo condita erat, everſa ſit, Cn. Cornelio Lentulo, & L. Mummio coſſ. anno Urbis IↃCVIII. ut tradidit Solinus: à quo non multùm abit Menandri ratio apud Joſephum lib. I. contra Apionem; juxta quem condita ſit annis CXL. ante Romam. Trogus ‡ verò tantùm LXXII. annis eâ antiquiorem putavit: Vellejus ſolùm LXV. Atqui, juxta præclarum illum Eratoſthenis canonem, ab everſa Troja ad conditam Romam anni fuerint CCCCXXX. Neque de Carthagine obſtat, quod à Philiſto * XXX. annis, ac ab Appiano † dicatur etiam L. annis ante Trojæ ἅλωσιν fuiſſe. Nam loqui eos de veteri Carthaginis parte, indicio eſt, quòd ejus Xorum & Carchedonem Tyrios, faciunt auctores. At nunc ſermo nobis eſt de illis, quæ debentur Didoni. nempe de parte Urbis novâ: unde, Solino teſte, vocata eſt Karthada, quod idem eſt ac καινὴ πόλις, ut etiam ex Stephano cognoſcimus: item de arce, quæ Punicâ appellatione dicta eſt Burſra, & εὐφωνίας ergo, Buſra, unde Græci κατὰ μετάθεσιν fecere Βύρσαν: quod quia corium notat, eo occaſio præbita eſt fabellæ de tergo taurino. Hoc Maronis figmentum oppugnat etiam Majoragius in epiſtolicis quæſt. XX. Atque ut veteres potius laudem, eſt de eodem epigramma lib. IV. Ἀνθολογίας, atque item apud Auſonium, quem vide epigr. III. Imò, ut Chariſius auctor eſt, Attejus Philologus librum edidit cum iſtiuſmodi inſcriptione, *An amaverit Didun Æneas.* At pertinent huc quoque verba illa B. Auguſtini lib. I. Confeſſ. cap. XIII. *Non clament adverſum me venditores Grammaticæ, vel emtores; quia ſi proponam iis, interrogans, utrum verum ſit, quod Æneam aliquando Carthaginem veniſſe poëta dicit: indoctiores ſe neſcire reſpondebunt, doctiores autem etiam negabunt verum eſſe.*

Pari ratione, ſi quis Penelopen laudare volet ob inſignem pudicitiam, meritò, cui vituperare animus, in controverſiam vocabit, quæ de caſtitate ejus ſcribit Homerus. Nam ea procis, abſente marito, ſe proſtituit: eoque Ulyſſes domum reverſus, jure eam optimo exegit, ac ſuas ſibi res habere juſſit. Atque hoc qui neſcit, is non modò obſcœni carminis auctorem inſuper habuerit, quod puto peccatum haut Oceano abluere neceſſe ſit: verùm luculentum quoque ſcriptorem Pauſaniam non legerit, aut certè tantùm per caliginem, ſive oculorum, ſive mentis, viderit locum iſtum in Arcadicis; Πηνελόπης δὲ εἶναι τάφον φασίν, οὐχ ὁμολογοῦντες τῇ ἐς αὐτὴν ποιήσει τῇ Θεσπρωτίδι ὀνομαζομένῃ. Ἐν ταύτῃ μὲν γέ ἐστι τῇ ποιήσει, ἐπανήκοντι ἐκ Τροίας Ὀδυσσεῖ τεκεῖν τὴν Πηνελόπην Πτολιπόρθην παῖδα. Μαντινέων δὲ ὁ ἐς αὐτὴν λόγος, Πηνελόπην φησὶν ὑπὸ Ὀδυσσέως καταγνωσθεῖσαν ὡς ἐπακτοὺς ἐσαγάγοιτο ἐς τὸν οἶκον, καὶ ἀποπεμφθεῖσαν ὑπ' αὐτοῦ· τὸ μὲν παραυτίκα ἐς Λακεδαίμονα ἀπελθεῖν· χρόνῳ δὲ ὕστερον ἐκ τῆς Σπάρτης ἐς Μαντίνειαν μετοικῆσαι· καί οἱ τὸν βίον τὴν τελευτὴν ἐνταῦθα συμβῆναι. h. e. *Penelopes id eſſe ſepulchrum ajunt, diſſentientes in eo à poëmate, quod Theſprotis nominatur. Nam in eo legere eſt, Penelopen, Ulyſſe ex Trojâ reverſo, peperiſſe puerum nomine Ptoliporthen. Mantinenſes vero de eâ dicunt, Penelopen ab Ulyſſe damnatam eſſe, quod viros à ſe allectos attractoſque* (ita malim transferre, quàm, ut Abrahamus Loëcherus, procos) *domum intromiſiſſet, & propterea ab eo eſſe repudiatam. Hanc deinde Lacedæmonem abiiſſe, atque aliquanto pôſt Spartâ ſe Mantineam contuliſſe, ibique vitæ ei finem obtigiſſe.* Fidem etiam fecerit Lycophron, qui Penelopen vocat Βασσάραν κασσωρεύουσαν, h. e. πορνεύουσαν, ut Tzetzes interpretatur: qui ſubjicit, Δοῦρις γὰρ ὁ Σάμιος ἐν τῷ περὶ Ἀγαθοκλέους φησί, αὐτὴν συγγενέσθαι πᾶσι τοῖς μνηστῆρσι, καὶ γεννῆσαι τὸν τραγοσκελῆ Πᾶνα. *Duris enim Samius libro de Agathocle ait, eam cum omnibus congreſſam procis, ac genuiſſe Pana hircina habentem crura.* Herodotus quoque de Pane idem tradit ſub exordium lib. II. Quod verò is, quem dixi, Scholiaſtes Pana hunc alius facit Penelopes filium, id nullâ eſt ſuffultum ratione.

Sed quid de Penelope * tricamur? Quis non videt, innumera nobis exempla ſuppeditari ex Homericâ Iliade? Nam Herodotus tradit, multos velle, Helenam nunquam veniſſe Trojam: & Dion Pruſienſis, oſtendit, eam, parente fratribuſque conſentientibus, nuptam Paridi fuiſſe; neque Trojanos fuiſſe à Græcis victos; ſed Græcos, icto fœdere, ab obſidione deſtitiſſe; Homerum verò invertiſſe hæc omnia ad velandam gentis ſuæ ignominiam: ut verum profectò ſit verbum vetus, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί †, quod apud Platonem eſt dialogo de juſto, & Ariſtotelem lib. I. Metaphyſ. cap. II. ut cæteros ‡ mittam, apud quos gemina legere eſt.

Quæ cùm ita ſint, neminem puto deinceps inficias iturum, in demonſtrativo quoque genere quæri, an res facta ſit, eoque ſtatum conjecturalem in eo locum habere. Fallitur igitur

* *Plutarchus in Alexandro, & ex eo Photius in myriobiblo cap. 245.*
‡ *Plutarchus lib. de fortuna Alexandri. Seneca epiſt. 83. Plinius lib. 14. cap. 5. Solinus cap. 15.*
* *Ælianus lib. 3. Var. Hiſt. cap. 23.*
† *In prolegomenis operis de emendatione temporum, & animadverſionibus Euſebianis ad annum* MCLXVII.
‡ *In epitome Juſtini lib. 18.*
* *Apud Euſebium ad an.* 804.
† *Initio libri de bellis Punicis.*
* *De eâd junioribus, ſi voles, adi Luc. Jo. Scoppam lib. 1. cap. 32. item commentario in Ovidianam Penelopes epiſtolam, Franciſcum Floridum lib. 3. Subſeciv. lect. cap. 2. & Thomam Demſterum ad Roſini Antiquitatum lib. 3. cap. 2.*
† *Multa mentiuntur poetæ.*
‡ *Pindarum 1 Olymp. & 7. Nem. Cic. in Tuſc. Plin. epiſt. 21. lib. 6. Minutium Fel. in Oct. Lactant. in div. inſt.*

igitur Antonius Majoragius, cùm in lib. II. Rhet. Ariſt. cap. XXVI. ita ſcribit: *In demonſtrativo genere nulla eſt civilis controverſia, quia nemo adverſatur, & res certa, vel pro certis ſumuntur.*

Nec rectiùs ſenſit Naſcimbænus Naſcimbænius, qui* ſtatum in demonſtrativo eſſe negat, quia laudem non ſtatim ſequitur vituperatio. Neque enim, ut in eo ſtatus locum habeat, requiritur, ut, quicquid laudabile eſt, vituperari poſſit; verùm ſatis eſt, ut pleraque vituperari queant. Adde, quòd non ſolùm adverſetur, laudanti, qui vituperat; verùm etiam, qui perſonam, quæ laudata eſt, fuiſſe negat; ut ſiquis contra eum, qui Amazones laudârat, oſtendat, nunquam fuiſſe Amazonas†: vel qui (ut Logicorum nunc vocibus utamur) laudationis ſubjectum agnoſcit, at prædicatum oppugnat; ut ſi Penelopem fuiſſe concedamus, at inficias eamus, quæ de pudicitiâ ejus à Poëtis ſcribuntur: vel denique, qui prædicatum quoque haut gravatè dat, verùm perſonam, aut rem, tantopere laudandam negat: ut cùm quæritur apud Iſocratem, num Helenæ pulchritudo tantopere ſit laude digna.

* *Comm. in Cic. lib. 1. de Invent.*

† *Palæphatus.*

Atque hinc erroris quoque convincimus Trapezuntium, qui quarto Rhetoricorum libro ſcribit, genus hoc interdum ita abſolutum eſſe, ut ab omni controverſiâ ſit immune. Nam non tantùm adverſarius eſt, cùm quis re ipſâ contra laudantem dicit; verùm etiam, cùm quis tacitè diſſentit: uti ſi judicet, oratorem facere iſthoc vetus, ex muſcâ elephantum. Adde, quòd etiam, cùm nemo revera contradicit, potentia tamen eſt contradicendi. At cùm Rhetorica ſit δύναμις‡, huic non tam videndum, quid fiat, quàm quid fieri poſſit.

‡ *Facultas.*

IX. Non esse plures status, quam quatuor: deque omnis doctrinæ hujus utilitate.

VIdimus, quæ dici debeant, adverſus eos, qui triplicem tantùm ſtatum agnoſcunt, idque in ſolo genere Juridiciali. Nunc alia ſe offert difficultas. Quippe videntur plures, quàm quatuor, ſtatus eſſe: cùm Ariſtoteles in ſecundo Analyt. poſter. quatuor faciat quæſtiones; duas ſimplices, an ſit, & quid ſit; quæ conſtituunt conjecturæ & finitionis ſtatum: item duas conjunctas, quod ſit, & cur ſit: quarum prior ad conjecturam pertinet, poſterior verò ad nullum videtur ſtatum referri poſſe. Verùm & iſte eſt ſtatus conjecturalis, quia, cùm quæritur, cur ſit, omnino in quæſtionem venit, ecquid cauſſa ſit, nec ne. E. G. Num amor Reip. an odium privatum, cauſſa ſit cædis.

Ex his verò omnibus aliud aliorum error detegitur, qui diſertim adſerunt, doctrinam ſtatuum è Rhetoricis hodie furcillandam eſſe, quia tantùm inſerviat cauſis judicialibus. Nos verò in omnibus dicendi generibus, ac ſemper quidem, eſſe ſtatum adſeveramus. Atque ut id non eſſet, non tamen cancellari deberent, quæ de ſtatibus ſcribuntur. Nam & hodie multùm emolumenti adferunt ad diſtinguendas ac tractandas res, quæ in judicium veniunt. Inſuper proſunt intelligendis ac dijudicandis veterum oratorum ſcriptis. Denique etſi rhetores de ſtatibus inprimis agunt, quatenus pertinent ad ſanguinantem vel potius ſanguiſugam eloquentiam, ſive forenſium certaminum depugnationes: tamen, cùm ad juridiciale genus pertineat omnis accuſatio ac defenſio, eaque iiſdem plurimùm tractetur capitibus, quibus utimur in cauſis forenſibus: liquet profectò, maximum eorum uſum eſſe in epiſtolis, ac quovis ſermone familiari. Neque enim exiſtimandum, quæ hoc libro de argumentis λογικοῖς, ac ſequenti de παθητικοῖς, aut ἠθικοῖς, diſſertamus ea ſolùm propter orationes (quæ majus, ac præcipuum, non tamen unicum ſunt opus oratoris) fuse adeo à nobis explicari: ſed etiam epiſtolarum ergo, atque adeò omnis ſcriptionis, ac ſermonis ipſius cauſâ, modò is de quæſtione fuerit civili.

Et hæc de ſpeciebus ſtatus cunctim ac generatim dicta ſunto, quatenus ad tria pertinent dicendi genera. Nunc de illis videamus particulatim; præcipuè autem, quatenus pertinent ad ſolum juridiciale.

Cap. VII.

De statu conjecturali.

STatus Conjecturalis loci ſunt tres; Voluntas, Facultas, & Signa. Voluntas continet Impulſionem, & Ratiocinationem.

Impulſio affectus comprehendit, qui cauſſa efficientis locum obtinent.

Ratiocinatio quæritur è cauſſis finalibus; ut à ſpe commodorum.

Ad facultatem pertinent vires corporis, animi promptitudo, copia, opes, locus, tempus, ſpes perficiendi, ac celandi.

Signorum alia rem antecedunt, alia comitantur, alia conſequuntur.

I. De Appellatione status conjecturalis et divisione ejus.

STatus in quo obſcura eſt judicatio, Græcè dicitur στοχασμὸς, Latinis Conjectura. Nempe, ut ait Fabius*, *à conjectu, i. ductione quadam rationis ad veritatem: unde etiam ſomniorum atque ominum interpretes, conjectores vocamus.* Comprobant id ipſum gloſſæ vett. Cyrillo olim additæ, in quibus ὀνειροκρίτης exponitur *conjector, ſomniſolutor, ſomniorum interpres.* Ubi pro *ſomniſolutor* malim *ſomnii-ſolutor.*

* *Lib. 3. cap. 7.*

Vocatur hic ſtatus alio nomine *Inficialis*, quia ſolâ inficiatione ſe reus hìc defendit.

Porrò, ſeu infinitam, ſeu finitam quæſtionem ſpectes; vel directè eâ quæritur de perſonâ, aut re, utrum res fuerit, vel ſit, vel futura ſit: vel indirectè inſtituitur, & ex conſequenti. Directa quæſtio eſt, an ſint Pygmæi, an fuerit Hercules, vel Orpheus, an Ulyſſes occiderit Ajacem. Indirecta inquirit de cauſſa rei: ut unde oriatur peſtilentia. Nam tantumdem eſt, ac ſi roges, utrùm aëris corruptio ſit cauſſa peſtilentiæ, an aliud quiddam. Similiter, ſi diſceptandum ſit, an hoſtes eò claſſem inſtruant, ut inferant nobis bellum: ſatis liquet, quæſtionem eſſe de animo hoſtium, velut cauſsâ finali. Atque hæc reſpiciunt conjecturalem ſtatum universè. Nobis verò nunc propoſitum eſt, ea inprimis perſequi, quæ ad ſolum juridiciale genus pertinent.

II. Quæ in statu hoc ab Aristotele considerentur.

IN ſtatu hoc quatuor ſunt cognoſcenda, juxta Ariſtotelem: nempe quæ cauſſæ ad injuriam faciendam compellant, & qui alios injuriâ afficiant, & quos afficiant, & in quibus afficiant. Cauſſæ injuriarum ſunt eædem, quæ humanarum actionum. Sunt autem numero ſeptem; fortuna, vis, natura, conſuetudo, ratio, iracundia, cupiditas. de quibus omnibus, ut lectorem quaſi δακτυλοδείκτης† ad fontem ipſum ducam, Ariſtoteles videatur cap.‡ XXXV. XXXVI. XXXVII. De moribus eorum, qui faciunt injuriam, cap. XXXVIII*. De iis, qui injuriâ afficiuntur, cap. XXXIX†. Quibus in rebus ſoleant eſſe injurii, cap. eodem. Quæ omnia manifeſtum eſt pertinere ad στοχασμόν‡. Porrò ea huc transferrem, niſi apertè ſatis ab Ariſtotele exponerentur. Vel ſiquis cum vulgo præferat novellos: adeat tabulas Raphaëlis Cyllenii, Ricconi paraphraſin, Crameri σύνοψιν, vel alios, qui aliquid in Rhetoricen Ariſtotelis ſcripſere, vel ex eo compendia ſua concinnarunt. Neque id hic modò, ſed aliis etiam locis, dictum velim; quoties ad acutiſſimum hunc Rhetorem remittere malo lectorem, quam actum agere; quod nec placet, nec vacat.

† *Digito monſtrans.*

‡ *Sed juxta vulgarem diſtinctionem cap. 10. & 11.*

* *Vulgò cap. 12.*

† *Vulgò eodem cap. 12.*

‡ *Conjecturam.*

III. De capitibus decem, quibus hic status tractatur, juxta Hermogenem.

His verò, quæ ab Ariſtotele docentur, operæ ſit adjungere *κεφάλαια*, ſive capita, quæ ab aliis Rhetoribus traduntur. Voco autem capita cum Sopatro, ea, quæ continent propriam argumentationem, & confirmationem ejuſdem propoſitionis ab aliis diverſam.

Ita Hermogenes decem facit *κεφάλαια* ſtatus conjecturalis.

Primum eſt *παραγραφή*, h. e. exceptio, quæ fit ante litis conteſtationem: ut in cauſſâ Roſcianâ; Filium debere accuſare, qui patrem amiſerit; non illos, qui, occiſo Roſcii patre, locupletiores facti ſunt. Eſtque appellatio ea ab ipſis oratoribus; qui aliquem dicunt τὴν* *γραφὴν* *παραγράφεσθαι*, quando non eſt *δίκη εἰσαγώγιμος* †. Quomodo Iſocrates & Demoſthenes locuti.

* Transſcribere ſeu transferre accuſationem.
† Lis contra quam exceptio objici non poſſit.

Hoc in capite, ut Sopater quoque monet, haut diu commorari oportet, quando præponitur. Quippe detrahit aliquid de dignitate oratoris, quia videtur eſſe hominis, judicium metu ſubterfugientis. At diutius in eo commorari licet, cùm poſtremo ponitur loco; quia magnam oſtendit cauſſæ fiduciam, quòd judicio nos ſtiterimus, cùm devitare id liceret.

Appellatur hic locus alio nomine *μετάληψις*: verùm quia & diſtinctus eſt *μεταλήψεως* ſtatus; ſatius judico, diſtinctis hæc appellare nominibus: ut nempe *μετάληψις* eſſe dicatur, cùm princeps orationis quæſtio eſt de actione judicii: *παραγραφή* verò, ſive, ut Sulpicius Victor nominat, derivatio, ſit, cùm quaſi ex abundanti adhibetur.

Alterum Hermogeni caput ſive membrum eſt *ἀπαίτησις τῶν ἐλέγχων*. i. *probationum poſtulatio*. Ut in eàdem cauſſâ Roſciana: Proba teſtibus, certiſve argumentis, me patrem ſuſtuliſſe, aut patrem in animo habuiſſe me exhæredare. Refutantur autem teſtes, partim alios opponendo, partim accuſando; quod locuti ſint *πρὸς χάριν*, *ad gratiam*, vel *δι' ἔχθραν*, *ob inimicitiam*, vel *διά τινα οἰκειότητα*, *ob aliquam cognationem*, vel *διὰ κέρδος*, *ob lucrum*, vel *δι' ἡλικίαν*, *ob ætatem*. Sed de teſtibus inferiùs ſe offeret proprius dicendi locus.

Tertium eſt *βούλησις*, ſeu voluntas: ut, Cùm naturâ à ſcelere iſtiuſmodi abhorream, quî in animum inducerem, ut parentem tollerem? at vos avari, & ſanguinis ſitientes.

Quartum eſt *δύναμις*, ſive facultas: ut, Quî potui patrem interimere, cùm non Romæ fuerim, ſed Ameriæ? nam aliis rem tanti periculi committere quomodo auſim? At vos Romæ fuiſtis: vos & ipſi ſicarii eſtis, & ſicarii omnes vobis cogniti, quos ſubornare facillimum vobis fuit. Probatur autem voluntas, & facultas, à genere, ab educatione, ab inſtitutione, ab ætate, à naturâ animi & corporis, à ſtudiis, ab actionibus & à fortunâ.

Quinctum eſt *τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους*, *quæ à principio ſunt uſque ad finem*, h. e. adjuncta omnia, ſive ea rem antecedant, ſive comitentur, ſive conſequantur. Iſtiuſmodi eſt, quòd Roſcius Capito cædem primò nunciavit Ameriam.

Sextum eſt *ἀντίληψις*, q. d. *contraſumtio*, h. e. qualitas abſoluta, cùm id ſignum, quod contra nos affertur, non negatur, ſed, ut rectè factum, defenditur. E. g. Honeſtum eſt ſtudium agriculturæ; ideoque ex eo colligi nequit, me patri fuiſſe inviſum.

Septimum eſt *μετάληψις*, *tranſlatio*. Ea eſt *ἀντιλήψεως ἄρνησις*, *negatio qualitatis abſoluta*. Opponitur igitur *ἀντιλήψει*. Velut, ſi Chryſogonus dixiſſet: Si pater te amâſſet, Roſci, non rus te ablegâſſet; ſed ad Philoſophos, vel Oratores, miſiſſet.

Octavum eſt *μετάθεσις τῆς αἰτίας*, *tranſlatio criminis*. Ea conſtat *ἀναιρέσει*, ſive remotione unius cauſſæ, tanquam falſæ; & *θέσει*, ſive poſitione alterius, tanquam melioris. Ut: Pater me rus miſit, non ut ex improbo faceret probum, ex luxurioſo temperantem; ſed quia non ignorabat, quantopere afficerer agriculturâ, & quantam in eâ adhiberem induſtriam.

Nonum eſt *πιθανὴ ἀπολογία*, ſive *ἀναστροφή*, *probabilis defenſio*, ſive *inverſio*. Ut: Quoniam pater præfecit me ſuis prædiis tam ſplendidis ac frugiferis, habuit me pro homine temperanti, ac frugali, reique ruſticæ peritiſſimo, qui poſſem operis ac villis imperare, quique primus cubitu ſurgerem, ultimus cubitum irem.

Poſtremum eſt *κοινὴ ποιότης*, *communis qualitas*; quæ ita dicitur, quia conſtat *ἐκ τῶν συμβεβηκότων*, *è communiter accidentibus*: eſtque ipſe *ἐπίλογος*. ac proinde conficitur *ἀνακεφαλαιώσει*, ſive *enumeratione præcipuorum capitum*, & *παθολογίᾳ*, ſive *commotione affectuum*. Quamquam ſi accuratè rem expendamus, liquebit, epilogum haut rectè hoc loco ab Hermogene inter *κεφάλαια* collocari. Quippe, ut ex Sopatro antè vidimus, in capitibus requiritur, ut diſtinctis propoſitionem argumentis confirment. At epilogus id non facit; verùm partim repetit, quæ antè dicta erant, partim affectus concitat.

Sunt verò complures quoque ſingulorum *κεφαλαίων* partes, ac modi: ſed hos apud ipſum Hermogenem vide.

IV. Quomodo argumentemur a voluntate, facultate, et signis: quo pacto item argumenta inde petita refellamus.

Fabius Quinctilianus lib. VII. cap. II. tres facit partes ſtatus conjecturalis; An voluerit, an potuerit, an fecerit. Ex his duæ priores, voluntas, & facultas, *βούλησις, καὶ δύναμις*, in omnibus hominum actionibus concurrunt. Conjunxit itaque Poëta; apud quem ita Ilioneus ad Didonem ait*:

Non nos aut ferro Libycos violare penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere prædas:
Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis.

* 1. Æn.

Ubi rectè ait Servius, eſſe argumentum ab impoſſibili. Nam *vis*, inquit, *eſt poſſibilitas*: ut geminum ſit huic; *Quid Troës potuere?* At non ineſſe voluntatem, eo probat Poëta, quòd veriſimile non ſit, tantum eſſe in victis faſtum, ut ſint potentioribus injurii. Sed & de ipſo Deo affirmatè colligimus naturæ lumine, eum humani generis curam gerere; cùm & velit, utpote optimus, & poſſit, utpote maximus; niſi hæc quoque elogia ei ereptum eant Epicuri de grege porci.

Voluntas continet impulſionem, & ratiocinationem.

Impulſio affectus comprehendit, qui cauſſæ efficientis locum obtinent: ut in hoc calcato exemplo: Clodius Milonem odio proſequebatur: ideo mortem ejus concupivit.

Pertinent huc etiam morbus animi, ebrietas, & ſimilia: quorum cæco impetu potuerit homo ad facinus impelli. Sanè & hunc modum agnovit Marcianus, L. Perſpiciendum. §. penult. ff. De pœnis: *Delinquitur autem aut propoſito, aut impetu; aut caſu. Propoſito delinquunt latrones, qui factionem habent. Impetu autem, cùm per ebrietatem ad manus aut ad ferrum venitur. Caſu verò, cùm in venando, telum, in feram miſſum, hominem interfecit.*

Ratiocinatio petitur è cauſſis finalibus: velut Clodio proderat mors Milonis, non Miloni Clodii: Clodius igitur mortem Milonis deſideravit, non hic illius. Huc pertinet illud L. Caſſii; *Cui bono?* Cic. pro Mil. *Illud Caſſianum, cui bono fuerit, in his perſonis valeat.* Ad quem locum ita Aſconius: *L. Caſſius, ſumma vir ſeveritatis, quoties Quæſitor judicii alicujus eſſet, in quo quæreretur de homine occiſo, ſuadebat, atque etiam præibat judicibus, ut quæreretur, cui bono fuiſſet, perire eum, de cujus morte quæreretur.* Idem Philippicâ II. objicit Antonio de morte Cæſaris: *Quod ſi te in judicium quis adducat, uſurpetque illud Caſſianum, cui bono fuerit; vide, quæſo, ne hæreas.*

hæreat. Simile eſt Comici hoc Phorm. act. I. ſc. II.

Cujus tu fidem in pecunia perſpexeris,
Verere verba ei credere? ubi quid mihi lucri eſt
Te fallere?

Poëtarum quoque ingenioſiſſimus, eo, quòd nihil è mendacio fructus percipi poterat, acutè * rei veritatem adſtruere eſt adnixus, cùm cecinit:

* 8. Met. fab. 9.

Hæc mihi non vani (nec erat cur fallere vellent)
Narravere ſenes.

Et lib. III. Triſt. eleg. X.

Vix equidem credar; ſed cùm ſint præmia falſi
Nulla, ratam debet teſtis habere fidem.

Eodemque modo dixit Tacitus in IV. Hiſtor. *Utrumque, qui interfuere, nunc quoque memorat, poſtquam nullum mendacio pretium.* Egregie verò hunc locum tractat Appulejus in Apolog. ubi inter alia ait: *Fruſtra igitur, an factum ſit, quæritur, quod nullam malam cauſſam habuit, ut fieret.* Sunt & quædam planè gemina apud Plautum, alioſque, quæ mera mora ſit adſcribere.

Alter eſt locus FACULTAS: quod nomen hoc loco accipitur latiùs, ut etiam poteſtatem comprehendat. Alioqui (ut etiam Marius Victorinus ad ſecundum Rhetoricorum Ciceronis diſtinguit) poteſtas propriè reſpicit naturam perſonæ, quâ aliquid ei ineſt, aut deeſt: quomodo negamus homini debili ſuppetere vires ac poteſtatem malè mulcandi virum fortiſſimum. Ac facultas reſpicit res extrinſecus advenientes, locum, tempus, & ſimilia: quâ ratione negabat Clodius ſibi facultatem fuiſſe violandi Cæſaris conjugem, qui in urbe non fuiſſet.

Ad facultatem quidam referunt SIGNA, quibus conjectura firmatur. Verùm hæc non oſtendunt propriè, facere potuiſſe, ſed peculiari modo probant feciſſe. Itaque eorum potiùs ſententiam ſequimur, qui tres ſtatuunt locos; duos, qui ſe habeant ut cauſſæ, nempe voluntatem, & facultatem; ac tertium eorum, quæ ad adjuncta pertinent, nimirum ſigna.

A ſigno argumentatur Tecmeſſa apud Sophoclem Ajace Lorario. Nam, quærente Choro, à quo Ajax interfectus eſſet, reſpondet, ex eo, quòd gladius in terrâ fuerit defixus cui incubuerit, certò colligi, Ajacem ſibi ipſi manus attuliſſe.

Αὐτὸς †, inquit, *πρὸς αὑτοῦ δῆλον· ἐν γάρ οἱ χθονὶ*
Πηκτὸν τόδ' ἔγχος περιπετοῦς κατηγορεῖ.

† *A ſe ipſo interfectum eſſe, manifeſtum eſt. Nam in terra fixus enſis, in quem prolapſus eſt, id arguit.*

Sunt autem ſigna triplicia; antecedentia, concomitantia, conſequentia. Ita cædem alicujus anteceſſerunt fortean minæ, & inſtrumenta; conjuncta fuere pugnæ, ſanguis, clamor, conſecuta ſunt pallor, verba terriata, curſatio rurſum prorſum, fuga: quam & ipſam ſuſpectum reddere, indicat Ulpianus, L. Quod autem. ff. De liberali cauſſa. Item latitatio: de qua idem Ulpianus, L. VII. §. Quid ſi. ff. Quibus ex cauſſis in poſſ. ea.

Argumenta iſtiuſmodi Juriſconſulti *præſumtiones* vocant. Exemplum adſtruendi *στοχασμὸν* ‡ paucis habes in illis verbis Ciceron. III. de Orat. *Si & ferro interfectus ille, & tu inimicus ejus cum gladio cruento deprehenſus es in illo ipſo loco, & nemo præter te ibi viſus eſt, & cauſſa nemini, & tu ſemper audax; quid eſt quod de facinore dubitare poſſimus?*

‡ *Conjecturam.*

At in defenſione hæc omnia ſunt infirmanda, & diluenda. Itaque oſtendemus, nobis non fuiſſe voluntatem; rationes allatas, quibus nos dicebat adverſarius impulſos, aut nullas fuiſſe, aut non tantas; neque nos iis eſſe moribus, ut tam facilè à recto poſſimus abduci. Itidem oſtendemus, non ideo nos feciſſe, quia fuerit facultas; vel etiam, non fuiſſe nobis facultatem: quo pertinet illud Juliani * adverſus B. Auguſtinum lib. I. operis imperfecti; *Abſolutè vindicatur à crimine, qui ipſa rei impoſſibilitate defenditur.* Facultatem autem defuiſſe, probamus, quia non fuerint tantæ vires, copiæ, opes; quia alienus locus, & tempus; quia non fuerit ſpes occultandi facinus; atque alia id genus. Denique quòd in curſurâ veſte fuimus reprehenſi; quòd animam præ metu vertere nequivimus, ſimiliaque, quæ ad factum commonſtrandum adducebantur; oſtendemus, ejuſmodi eſſe, ut ex iis ſignis de viro bono judicari non debeat.

* *In Poſter. libb. B. Auguſtini contra ſecundam Juliani reſponſionem. Qui libri demum anno 1617. opera Cl. Manardi Pariſiis in lucem prodierunt.*

V. IN HOC STATU ALTERUTRUM LITIGANTIUM IMPROBUM VIDERI.

MOnet autem Ariſtoteles, in hoc ſtatu, vel reum, vel accuſatorem, eſſe neceſſariò improbum. Quod neceſſe non eſt in aliis controverſiis, in quibus peccari poteſt per ignorantiam juris. At in conjecturali vel reus fecit, vel non fecit id, ob quod accuſatur. Si fecit, vel ſcit ſe feciſſe, vel neſcit; velut ſiquis alium occiderit, aut læſerit lapide è feneſtrâ projecto. Si ſcit reus, mentitur negando. Si neſcit, per imprudentiam fecerit neceſſe eſt; eoque ſtatus erit qualitatis aſſumtivus, non conjecturalis; quia, cui conſtitit de lapide projecto, pòſt cognoſcere potuit de homine occiſo. At ſi reus non fecit; vel improbus eſt accuſator falsò accuſando, quem innocentem conſtabat; vel levis eſt, accuſando eum, de quo non certò conſtabat.

Sed & lib. V. Nicomach. docet Ariſtoteles, eorum, qui irâ perciti facinus aliquod deſignarunt, haut parem eſſe rationem, atque eorum, qui contendunt de pactis: ut ſi unus depoſitam pecuniam legibus repetat; alter verò, depoſitam apud ſe fuiſſe, inficias eat. Quippe, quos affectus tranſverſos egit, eos putat Philoſophus ratione aliquâ excuſari poſſe: at in pactis alterutrum non poſſe non eſſe improbum, niſi fortè rei oblivio eum ceperit.

VI. EXEMPLA E M. TULLIO ALLATA, QUÆ IMITEMUR.

ET hæc de naturâ ac tractatione ſtatus conjecturalis dicta ſint. Plura qui requirit, Hermogenem adeat, ac Trapezuntium, qui fusè hanc rem tractat lib. Rhet. II. Inprimis autem artificium Hermogenicum ſpectet in orationibus Ciceronis hoc in ſtatu verſantibus: cujuſmodi, præter illam pro Roſcio Amerino, de quâ ſatis antea dictum, eſt liber primus accuſationum Verrinarum, quo oſtenditur, quæ ſcelera commiſerit Verres in quæſturâ, legatione, & præturâ urbanâ: liber ſecundus Verrinarum, quo docetur, quæ patrârit in præturâ Sicilienſi: tertius, qui eſt de re frumentariâ: quartus, qui eſt de ſignis: quinctus & ultimus, qui eſt de ſuppliciis. Item oratio Cluentiana, quâ quæritur, an Cluentius Oppianicum vitricum, atque alios, ſuſtulerit veneno: illa pro Murænâ, quâ quæſtio eſt, an Muræna commiſerit ambitus crimen: item pro Flacco, quâ defendit illum, cùm ex adminiſtratione Aſiaticâ reus eſſet repetundarum: pro Syllâ, quâ quæritur, num ille conjuraverit cum Catilinâ: pro Plancio, quâ diſceptatur, an is reus fuerit ambitus in petitione ædilitatis: pro Cælio, quâ controverſia eſt, num Cælius à Clodiâ aurum mutuò ſumſerit, ac, ne id reſtituere cogeretur, ei venenum pârarit: ac denique pro Dejotaro, quâ quæſtio eſt, an is adverſus Cæſarem conjurârit.

CAP. VIII.

DE STATU FINITIVO.

In ſtatu definitivo definitio noſtra comprobanda eſt; adverſarii refellenda.

Et adſtruendi, & deſtruendi ratio, è logicis petenda.

I. NATURA STATUS DEFINITIVI VARIIS DECLARATUR EXEMPLIS.

STatus *ὁρικὸς*, ſeu finitivus, etiam nominis controverſia dicitur: quia eo quæritur, quo nomine factum ſit appellandum. Atque hinc liquet, ſtatum quoque ſimplicis thematis eſſe poſſe. Ita apud Demoſthenem quæritur,

tur, detne inſulam Halonneſum Philippus, an reddat. Nam Philippus eam volebat Athenienſibus δοῦναι *: at Athenienſes, auctore Demoſthene, nolebant accipere, ni fateretur Macedo, eam ſe ἀποδοῦναι †. Cujus rei meminit & Athenæus initio libri ſexti. Itidem quæritur apud Ciceronem VIII. Philippicâ quid ſit tumultus: pro Cæcinâ diſputatur, an dicendum ſit, ei vim factam eſſe, qui armis fuerit perterritus, ne fundum ſuum ingrederetur. De hoc ſtatu agit Ariſtoteles cap. XLI. ‡ Ejuſque ſex adducit exempla. Nempe ſiquis fateatur, ſe accepiſſe, neget tamen furatum eſſe; ſi concedat, ſe percuſſiſſe, at non intuliſſe contumeliam; ſi cum aliquâ fuiſſe, at non commiſiſſe adulterium; ſi furtum feciſſe, at non ſacrilegium; ſi agrum coluiſſe, at non publicum; ſi collocutum cum hoſtibus, attamen non eſſe proditorem.

* *Dare.*

† *Reddere.*

‡ *Juxta vulgarem diſtinct. cap. 13.*

In hoc genere oportet nos habere paratas definitiones. E. G. quid furtum, quid ſacrilegium, quid adulterium, &c. Neque enim, ſi percuſſit quis alium, eo contumelia affecit, ſed ſi aliqua de cauſſa: neque ſi quis clàm rem alienam abſtulit, furtum commiſit; ſed ſi abſtulit, ut noceret *, & rem à Domino abalienaret; neque ſacrilegium admiſit, quiſquis abſtulerit rem è loco ſacro; ſed qui ſurripuerit inde Deo conſecrata, aut donata: eoque ſacrilegium non erit, ſiquis rapuerit dotem filiarum Cliſthenis creditam Junoni Samiæ, aut pecuniam Alexandri in delubro Solis repoſitam. Quæ ſententia etiam imperatoribus placuit Romanis. Nam *Divi, Severus, & Antoninus, Caſſio Feſto reſcripſerunt, res privatorum, ſi in ædem ſacram repoſita, ſubrepta fuerint, furti actionem, non ſacrilegii eſſe:* ut eſt Leg. V. Dig. Ad legem Jul. pecul. Utcunque aliter hoc papa Joannes deciderit XVII. Quæſt. IV. cap. Quiſquis.

* *L. 1. ff. de furtis.*

Porrò perpetuum non eſt, quod Thomas Corræus † ſcribit, ſtatus definitionem eſſe infirmam, quia non tam rem defendit, quàm mutat. Nam culpa ſanè tollitur, ſi probemus, quòd Cato in Senatu ſententiis omnium reſtiterit, conſtantiam vocari debere, non pertinaciam.

† *Lib. 3. de eloqu. cap. 16.*

II. Qua ratione tractari debeant controverſiæ, quæ ad hunc ſtatum pertinent.

ΚΕΦΆΛΑΙΑ ſive capita ſtatus definitivi juxta Hermogenem ſunt XII. Exemplum affert de philoſopho, qui tyranno perſuaſerit, ut imperio ſe abdicaret, atque eo nomine præmium ſibi dari poſtulet, velut tyrannicidæ. Primum κεφάλαιον eſt προβολή, i. *intentio*, quam vulgo petitionem dicunt: ut Suſtuli tyrannidem, ideo præmium poſco. Continet τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους ‡. Cùm nemo tyrannum gladio tollere poſſet, nullus certè tolleret; ego autem patriæ ſemper libertatis ſtudioſus eſſem: non acquievi, uſque dum ei perſuaſi, ut ſe imperio abdicaret; atque ita ſine cæde vobis peperi libertatem; pro quo beneficio peto, ut vel mihi ſtatua erigatur, vel ut perpetuò alar in Prytaneo.

‡ *Quæ à principio ſunt, uſque ad finem.*

Porrò pinguiori Minerva προβολή inter κεφάλαια ab Hermogene collocatur. Neque enim eſt locus probationis; ſed ipſa propoſitio, quæ argumentis comprobanda eſt. Huic opponitur ἀντιπροβολή. Verùm hæc quoque nihil aliud eſt, quàm ipſa adverſarii propoſitio; eoque κεφάλαιον dici nequit. Ita in ἀντιπροβολῇ negat adverſarius, alteri dandum præmium, cùm non occiderit tyrannum.

Alterum κεφάλαιον eſt ὅρος, ſive *definitio*: ut, cùm adverſarius ait, tyrannicidam eſſe eum, qui tyrannum occidit.

Tertium eſt ἀνθορισμὸς, *contraria definitio*: ut, Tyrannicida eſt non ſolùm, qui tyrannum occidit; ſed quiſquis tyrannidem tollit, & patriæ libertatem reſtituit. Qualis, etſi non tollat tyrannum, quatenus homo; tollit tamen eum, quatenus tyrannus eſt. Quod multo eſſe amplius, ex eo liquet, quia ſæpe, qui hominem tollit, tyrannidem non tollit; ut cùm poſt tyranni mortem gravior ſervitus ſub tyranno altero conſequitur.

Quartum eſt συλλογισμὸς, ſive *ratiocinatio*; quæ res duas inter ſe confert: ut, Tantum beneficium eſt verbis tyrannidem tollere, quantum armis.

Quinctum eſt γνώμη νομοθέτου, *ſententia legiſlatoris*: ut, Libertatis non ſanguinis cauſſâ, lex data eſt; ac proinde ob libertatem partam, non ob ſanguinem fuſum, datur præmium.

Sextum eſt πηλικότης, ſive *rei quantitas*: ut, Res præclara eſt eloquentia, &, magnum, id efficere oratione, quod alius non poſſit armis.

Septimum eſt τὸ πρός τι, ſive *relatum*, & conſtat amplificatione: ac comparatione: ut, Multo meliùs meretur de Republicâ, qui verbis pellit tyrannum, quam qui armis; cùm ille id præſtet ſine ſanguine, ſine tumultu, ſine periculo.

Octavum eſt ἀντίθεσις ſive στάσις ἀντιθετική, i. *ſtatus aſſumtivus*, de quo infrà dicturi ſumus: ſed is in hoc exemplo locum non habet; quia conſtat, philoſophum bene feciſſe: ut neceſſe non ſit, colorem huic facto quærere. At in aliis cauſſis deprehenditur: velut ſi quis cauſſam dicere cogatur, quòd occiderit eunuchum inventum cum conjuge. Phavorinus certè Philoſophus, quamvis eunuchus, tamen in adulterio deprehenſus dicitur. Notum &, quod de eunuchis audiſſe ſe ait ancilla Terentiana, eos amatores mulierum eſſe maximos: pluraque ſuper eo, cui res tanti eſt, videre queat apud Philoſtratum in vita Apollonii Tyanei lib. I, cap. XXI, & XXIII: è junioribus autem Muretum lib. X. Var. Lect. cap. XI: & Joannem Fileſacum lib. I. Selectorum cap. XI. Quare non quidem accuſator libidinem in eunuchis exſtinctam dicet; ſed negabit, eunuchum poſſe eſſe adulterum, quia ſit μάταιος, ac nebulo, ut Terentius loquitur; hoc eſt, quia haut ſit idoneus gignendæ proli. At cædis reus aſſeret, adulterum eſſe, quiſquis cum alienâ conſueſcit conjuge, quòd & nomen indicat, cùm *adulter* dicatur, quia ad alterum torum eat.

Nonus locus eſt μετάληψις, quaſi tranſſumtio dicas, aut tranſlatio. Eâ reprehenditur modus actionis: ut, In jus tibi eunuchus ob factum vocandus fuit, non transfigendus gladio.

Decimus eſt ἀντίληψις, ſive ſtatus abſolutus: & reſpondet μεταλήψει: ut ὅρος ἀνθορισμῷ. Exemplum eſt, cùm reus oſtendit, [illegible] jure eunuchum occidiſſe.

Undecimus eſt ποιότης, *qualitas*, quæ ab attributis perſonæ ſumitur: velut, cùm dicitur, quibus moribus quis hactenus fuerit, & cujuſmodi futurus ſit, ſi judicio liberetur, atque item, ſi condemnetur.

Duodecimus eſt γνώμη, *ſententia* ſeu voluntas: ut quo conſilio quid factum ſcit, aut quo animo quis accuſet, vel defendat.

Eſt hæc de ſtatu definitivo: in quo paucæ exſtant orationes Ciceronis, ſi principalem ſpectes ſcopum. Nam complures ſunt, in quibus incidit: quomodo in Philippicâ nonâ quæritur, num, qui mortis eſt cauſſa: homicida dici debeat: & eâ, quæ eſt pro Rabirio perduellionis reo, diſputat, ſe popularem eſſe: itemque initio Agrariæ ſecundæ, ac quibuſdam aliis. quibus artis hujus ſtudioſus addiſcet uſum eorum, quæ de finitivo ſtatu diximus.

Cap. IX.

De ſtatu qualitatis.

Status qualitatis eſt duplex; negotialis, & juridicialis. ille de re futurâ pertractat; eſtque generis deliberativi proprius: hic de re præteritâ eſſe ſolet, ac judiciis convenit. Juridicialis propriè vel in judicio inſtituitur, vel ante judicium, qui tranſlativus vocatur. Prior dividitur in Rationalem, & Legalem. Rationalis eſt de facto: Legalis de ſententiâ legis, aut ſcripti. Diſtribuitur Rationalis in Abſolutum, & Aſſumtivum.

Ab-

Abſolutus eſt, qui ſimpliciter factum defendit; ut, cum laudabiliter factum dicimus. Aſſumtivus eſt, cum per ſe debilis eſt defenſio, ſed re foris aſſumtâ juvatur.

Eſtque quadruplex; Comparatio, Relatio, Remotio, Conceſſio.

Comparatio eſt, cùm oſtendimus, è duobus alterum fuiſſe agendum, & id, quod à nobis factum eſt, ſatius fuiſſe fieri.

Relatio eſt, cùm culpam conferimus in eam perſonam, quæ ipſa malum accepit.

Remotio eſt, cùm culpam rejicimus in perſonam aliam, quam eam, quæ malum accepit; vel in rem, quæ in judicium vocari non poſſit; uti in legem.

Conceſſio dividi ſolet in Purgationem, & Deprecationem. Sed cùm in Deprecatione utamur ſtatu Negotiali; prior tantùm pars Conceſſionis ad ſtatus Aſſumtivos pertinebit. Quid verò de utrâque hoc loco agitur, ideò fit, quia Purgationi plurimùm ſubjici ſolet Deprecatio. Eſt autem Purgatio, quâ non factum ipſum, ſed voluntas defenditur: ut, cùm culpa confertur in neceſſitatem, fortunam, aut imprudentiam.

Deprecatio eſt, cùm culpam fatemur, ſed ad miſericordiam confugimus.

I. Status qualitatis dividitur in negotialem et juridicialem deque negotialis generis difficultate.

STatus Qualitatis alio nomine Ciceroni in primo de Inventione dicitur ſtatus Generis, ſive Generalis; quod in eo controverſia ſit de vi & genere, hoc eſt, qualitate negotii, facti, legis, ſcripti, vel actionis: de quibus omnibus in hoc ſtatu quæri ſolet. Dividitur autem juxta Ciceronem, & Hermogenem, in Πραγματικὸν, ſive Negotialem, & Δικανικὸν, ſeu Juridicialem. Prior eſt de re facienda; &, in negotio publico, ad Senatum pertinet. Alter judiciis convenit, ut nomen ipſum teſtatur. Exiſtimat Thomas Corræus *, negotialem ſtatum comprehendi ſub juridiciali: quia non alio differant, quàm eo, quod negotialis ſit de negotiis publicis; juridicialis de rebus privatis. Sed fallitur, ſi putat, conſultationes ſolùm eſſe de publicis, non item de privatis negotiis. Et, ſi genus juridiciale agnoſcit differre à deliberativo; quomodo non à juridiciali ſtatu differet ſtatus negotialis, qui generis deliberativi proprius eſt?

* Lib. 3. cap. 21.

Eſt autem negotialis ſtatus difficilior juridiciali; quod tribus argumentis demonſtrat Ariſtoteles. Nam difficilior eſt futurorum conjectatio, quàm aſſeveratio præteritorum. Deinde in juridiciali lex eſt principium, ex quo non difficile eſt Oratori elicere concluſiones: at non itidem fit in negotiali. Præterea negotialis non habet diverticula, niſi ad aliud genus confugiat: quomodo Iſocrates conſilium daturus accuſat; ut Lacedæmonios in Panegyrico, Charetem in Sociali. Verùm in juridiciali multa dici poſſunt de perſona noſtra, adverſarii, vel judicum. Quare fallitur M. Tullius, apud quem M. Antonius II. de Orat. judicia putat difficiliùs tractari. Ait enim: *Omnium cæterarum rerum oratio, mihi crede, ludus eſt homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium literarum & politioris humanitatis experti. In cauſſarum contentionibus magnum eſt quoddam opus, atque haut ſciam, an de humanis operibus longè maximum: in quibus vis oratoris*, &c. Tullio hac in parte ſubſcribunt, Cornificius †, ſive magiſter Herennianus, Fabius Quinctilianus, & auctor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ. Itaque idem de iis, quod de Tullio, judicium eſto.

† Initio lib. 2.

II. De capitibus, juxta quæ Hermogenes tractare jubet statum negotialem.

LOci ſtatus negotialis Hermogeni ſunt ſex, uti diximus, cùm ageremus de genere deliberativo, cujus is proprius eſt. Nunc, promiſſi memor, pauca addam de tractationis modo.

Primus Hermogeni locus eſt νόμιμον, ſive *legitimum*. Is partim ſpectatur ἀπὸ ῥητοῦ, *in ſcripto*; & pertinet ad ſtatus legitimos: partim conſiderat τὸ ἔθος ὡς νόμιμον, *conſuetudinem tanquam legitimum*. Prioris exemplum eſt in Licinianâ; ſitne Archias retinendus in civitate ex lege Papiriâ. Poſterioris verò exemplum habemus in Manilianâ, quâ docet Tullius, non eſſe contra conſuetudinem Romanorum, ut omnia ad unum deferantur.

Alter locus eſt δίκαιον, ſive *juſtum*: cujus tractatio cognoſcitur ex doctrina ſtatus juridicialis, tum abſoluti, tum aſſumtivi. Juſti autem nomine utimur, non laxè, ut comprehendat legitimum, qui primus erat locus: ſed ſtrictè, ut ſignificet æquum; quomodo natura, ac ratio, ſuadebant, ut Pompejo debitus honos deferretur. Æquitas enim vox eſt non legum, aut conſuetudinis; ſed naturæ, ac Dei ipſius in ea loquentis. Quod indicat locus ille Iſocratis in Panathenaico: Ἐδεῖτο μὴ περιϊδεῖν παλαιὸν ἔθος καὶ πάτριον νόμον καταλυόμενον, ᾧ πάντες ἄνθρωποι χρώμενοι διατελοῦσιν, οὐχ ὡς ὑπ' ἀνθρωπίνης κειμένῳ φύσεως, ἀλλ' ὡς ὑπὸ δαιμονίας προστεταγμένῳ δυνάμεως. hoc eſt, *Ne abrogari ſineret veterem conſuetudinem, patriamque legem, quâ utuntur homines univerſi; quæ non ab humano ingenio eſt lata, ſed à divina quadam virtute conſtituta.* De Adraſto ſermo eſt, Theſea rogante; ut cæſorum corpora redderet, quò ſepulturâ afficerentur. Similem ex Sophoclis Antigone locum inferiùs ‡ adferemus. Et Tullius in Topicis, enumerans ea, in quibus jus civile conſiſtat, non contentus memorare *leges, ſenatuſconſulta, res judicatas, juriſperitorum auctoritatem, edicta magiſtratus*, addit denique iis, *& morem, & æquitatem*.

‡ Cap. 12. ubi de lege agitur.

Locus tertius eſt συμφέρον, ſive *utile*; quod duplex eſt. Nam vel duntaxat χρήσιμον, ſive *conducibile* eſt; vel etiam eſt ἀναγκαῖον, ſive *neceſſarium*, cujus vis multò maxima eſt. Utile ſpectatur bifariam: nam vel conſideratur, quid conſecuturum ſit, ſi fecerimus; vel quid ſit futurum, ſi non fecerimus. Utraque pars tractatur quadrifariam. Argumentamur enim hunc in modum. Nobis id facientibus,

I. τὰ ὑπάρχοντα ἀγαθὰ διαμενεῖ.
bona, quæ adſunt, conſervabuntur.
II. τὰ οὐκ ὄντα προσέσται.
bona, quæ non adſunt obtingent.
III. τὰ ὑπάρχοντα φαῦλα οὐ διαμενεῖ.
malis, quæ adſunt, liberabimur.
IV. τὰ οὐκ ὄντα οὐ προσληψόμεθα.
mala, quæ impendent, evitabimus.

Contrà nobis non facientibus,

I. τὰ ὑπάρχοντα ἀγαθὰ ἀπολεῖται.
bona præſentia amittentur.
II. τὰ οὐκ ὄντα, προσδοκώμενα δὲ ἄν, οὐ προσέσται.
bona ſperata non conſequemur.
III. τὰ ὑπάρχοντα φαῦλα διαμενεῖ.
malis præſentibus non liberabimur.
IV. τὰ οὐκ ὄντα φαῦλα προσέσται.
mala, quibus nondum premimur, nobis obtingent.

Ita Mardonius (verba ſunt Juſtini *) *hortatur Xerxem, ut in regnum abeat, ſibi ccc. millia armatorum lecta ex omnibus copiis relinquat: quâ manu, aut* CUM GLORIA *ejus perdomiturum ſe Græciam: aut, ſi aliter eventus ferat,* SINE *ejuſdem* INFAMIA *hoſtibus ceſſurum*. Itidem Marcus Tullius in Manilianâ Pompejum docet præficiendum eſſe bello Mithridatico; tum ut propulſaretur calamitas, quæ urgebat; tum ut evitaretur malum, quod impendebat.

* Lib. 2. Hiſtor. Philipp.

Quartus locus eſt δυνατόν, ſive *quod fieri poteſt*. Maximè autem urget hic locus, cùm docemus, aliquid non fieri modò poſſe, ſed & facillimè fieri.

Quinctus locus eſt ἔνδοξον, ſive *honeſtum*, ac *glorioſum*: quod iiſdem tractatur modis, quibus utile. Quippe hunc in modum argumentari licet: Si hoc feceris, præſen-

ſentem tueberis dignitatem; ſperatam conſequeris: infamiam præſentem avertes; eam, quam metuis, evitabis. Contrà, ſi non feceris, infamiâ præſenti non liberaberis; ea, quam metuis, tibi obtinget: præſentem amittes dignitatem; nec ſperatam adipiſceris. Ita Tullius in Manilianâ, probat, bellum Mithridaticum ſuſcipi debere, quò deleatur ignominia, quam populo Romano inuſſerat Mithridates, cùm unâ horâ tot occidi juſſit civium Romanorum millia.

Sextus locus eſt τὸ ἐκβησόμενον, ſive *eventus*. Qui locus bifariam explicatur. Nam nonnullis hæc ſententia eſſe videtur; In utramvis partem eventus cadat, utilitas tamen ac gloria conſequetur. E. G. Sive Romani vincant Mithridatem, ſive non vincant; utile ac glorioſum fuerit, ſuſcepiſſe adverſus eum bellum. Alii verò per eventum intelligunt utilitatem, ac gloriam emanantem ex eâ utilitate, ut & gloriam, quæ proximè rem conſequitur. E. G. Argumentum ab utili ſit: Opem ferre debemus vicinæ nationi, ne veniat in hoſtium poteſtatem. At ab eventu fuerit: Si vicinæ genti ſervitus imponatur, nobis quoque maximum ab hoſtibus periculum imminebit. Verùm Hermogenes pro iis facit, qui utrumque probandi modum putant ſub eventu contineri.

III. Quas orationes Ciceronis sequi possimus in tractatione status negotialis: et cur hic agatur de locis atque exemplis ejusce status, qui proprius sit generis deliberativi.

Utitur hoc ſtatu Cicero in aliquam multis orationibus: uti in eâ, quæ eſt de provinciis conſularibus. Nam ſuadet hâc, ut Syria Macedoniaque futuris decernantur conſulibus; & Galliæ Cæſari non adimantur. Catilinarias etiam huc pertinere oſtendimus cap. tertio. De Manilianâ quoque ſemel, & iterum, diximus. Philippicæ etiam pene omnes hujus ſunt loci. Nam prima hortatur Antonium, & Dolabellam, conſules, ad moderatè regendam Remp. Tertiâ auctor eſt, ut quæ Octavianus Cæſar egerat adverſus Antonium, ea publicâ confirmentur auctoritate: ut idem imperatoriâ dignitate in Antonium eligatur: ut præmia decernantur legionibus, quæ ab Antonio defecerant ad Octavianum: ut D. Brutus, cæterique, ſuas retineant provincias; nec tradant cuiquam, niſi qui ex S. C. ſucceſſerit. Quinctâ diſſuadet legationem ad Antonium; actaque Antonii reſcindenda docet, ac præmia iis decernenda, qui remp. adverſus Antonium defendiſſent. Sextâ populum hortatur ad bellum Antonio inferendum. Septimâ pacem diſſuadet cum Antonio, quia ea ſit turpis, quia periculoſa, quia eſſe non poſſit. Octavâ ſuadet, ut bellum, non tumultus decernatur. Nonâ probat, ſtatuam pedeſtrem æneam in roſtris ponendam Servio Sulpicio, qui in legatione obierat. Decimâ adverſus Fuſii Caleni ſententiam ſuadet, ut Bruti acta Senatuſconſulto confirmentur. Undecimâ auctor eſt, ut C. Caſſius Dolabellam perſequatur bello. Duodecimâ diſſuadet legationem, ſeque eam ad rem non eſſe idoneum comprobat. Decimatertiâ adverſus M. Lepidi conſilium oſtendit, non poſſe tutam iniri pacem cum Antonio, Antonianiſque. Decimaquartâ ultimâque docet, non eſſe ponenda ſaga, niſi bello confecto: ac honores iis decernendos, à quibus Antonius ad Mutinam victus erat.

Pluribus hæc commemorare viſum fuit, quò perſpectum habeat artis hujus ſtudioſus, ex quibus potiſſimùm orationibus addiſcere poſſit ἐξεργασίαν, atque uſum eorum præceptorum, quæ de negotiali ſtatu à Rhetoribus traduntur. Erunt autem fortean, quibus hæc de ejuſce ſtatus tam locis, quàm exemplis, alieno loco perſecuti videamur. Nam cùm is ſtatus generis ſit deliberativi proprius; judicabunt, eo in genere tradi illa debuiſſe. Sanè potuiſſe, nos quoque agnoſcimus. Verùm quia hoc loco de iis Hermogenes tractat, operæ duxi, pauca hæc exponere, quò eorum magis detegatur calumnia, qui juventuti perſuaſum cupiunt, Rhetores antiquos ſolùm docere, quo pacto conſcribi illarii ſoleant cauſſæ forenſes. Hæc profectò una unicè cauſſa eſt, cur ea hic potiùs, quàm in doctrinâ generis deliberativi, exponere voluerimus; quamquam vix aliud promiſerim capite ſexto, quàm, me acturum deinceps de ſtatibus, quatenus pertinent ad genus juridiciale.

IV. Quæ generatim ab Aristotele de statu juridiciali tradantur: item ejus divisio in rationalem, et legalem: et unde legalis dicatur: et quo loco proprie de eo agi debeat.

Nunc videamus de ſtatu juridiciali: qui bifariam conſideratur, generatim, & ſpeciatim. Generatim de eo agit Ariſtoteles cap. XL.* Diſtinguit enim juſtum, & injuſtum; idque tum ratione fundamenti, i. legis; tum ratione objecti, i. hominum. Siquidem docet, juſtum eſſe, quod ſit ſecundùm legem, ſive privatam, ſive publicam; eamque ſive ſcriptam, ſive non ſcriptam: injuſtum itidem eſſe, quod contra legem aliquam committitur. Similiter aſſerit, quodcunque juſtum aut injuſtum eſt, eſſe iſtiuſmodi, vel ratione boni communis, vel ratione boni particularis. Et hæc generatim de ſtatu juridiciali.

Species verò ejus ſunt duæ: de quarum una, propriè loquendo, in judicio; de altera ante judicium diſceptatur. Poſterior horum vocatur μετάληψις, ſive ſtatus tranſlativus: eſtque non de qualitate facti, legis, aut ſcripti; ſed actionis, quæ intentatur, ut poſtea videbimus. Prior verò generis nomine dicitur juridicialis, ſed ſtrictiùs ea voce accepta.

Hic porrò à Fabio, & Hermogene, dividitur in λογικὸν, ſive rationalem, & νομικὸν ſive legalem: ille utitur ratione; hic dicti ſcriptive auctoritate. Vocatur autem κατ' ἐξοχὴν, νομικὸς, h. e. legitimus, ſeu legalis: quia etſi multa ſunt ſcriptorum genera, ut teſtamenta, literæ, aliaque; inter omnia tamen familiam ducit ὁ νόμος †: utpote quem Stoici ‡ definiebant, πάντων * βασιλέα θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, quique juxtim eos ſit λόγος ὀρθὸς, προστακτικὸς μὲν τῶν ποιητέων, ἀπαγορευτικὸς δὲ τῶν οὐ ποιητέων †. quibus concinit illud Tullii Philipp. XII. *Eſt enim lex nihil aliud, niſi recta & à numine Deorum tracta ratio, imperans honeſta, prohibens contraria.* Quibus gemina legere eſt lib. 1. de legg. & primo de Nat. Deor.

Verùm cùm ſtatus legitimus pertineat ad argumenta ἄτεχνα, nos verò etiamnum verſemur in ἐντέχνοις: præteriti profectò à nobis debuiſſet hæc ſtatus Juridicialis diſtributio: niſi Hermogenis ordini inſiſtere, eumque juventuti aperire voluiſſemus. Atque ea ipſa ratio eſt, cur inferiùs etiam aſſignaturi ſimus ſpecies hujus ſtatus, quarum explicationem non immeritò quis judicet reſervandam fuiſſe, uſque dum ad locos argumentorum inartificialium deventum fuiſſet.

V. Status rationalis distributio in absolutum, et assumtivum: item quindecim loci status absoluti, juxta Hermogenem.

Status λογικὸς eidem Fabio, & Hermogeni, duplex eſt; abſolutus, & aſſumtivus. Abſolutus eſt, cùm ſimpliciter ac directè factum defenditur. Ita (ut ſcribit Lucas in Actis cap. V. tmemate XXIX.) beatus Petrus accuſatus, quòd Chriſtum doceret Hieroſolymis, invito Cæſare, & ſacerdotibus; reſpondit, ſe rectè facere, quia πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον, ἢ ἀνθρώποις ‡: quomodo & Socrates ait apud Platonem in Apologia, πείσομαι δὲ τῷ Θεῷ μᾶλλον, ἢ ὑμῖν *. Vide L. III. §. quoties. ff. de vi armata. Dicitur hic ſtatus Græcè ἀντίληψις, quia eſt ἐναντία λῆψις τῇ λήψει τοῦ κατηγόρου, τουτέστιν, ἀντιπεριβολή. i. *propoſitio contraria adverſari propoſitioni.*

* *Vulg. cap. 13.*

† *Lex.*

‡ *Chryſippus lib. de legg. & ex eo Juriſconſultus l. 2 ff. de legg.*

* *Regem rerum omnium divinarum humanarumque.*

† *Ratio recta, jubens ea, quæ facienda ſunt, & prohibens non facienda.*

‡ *Deo magis obedire decet, quàm hominibus.*

* *Obtemperabo Deo potius quam vobis.*

For-

Fortunatiano quatuor ſunt loci ſtatus abſoluti, lex, mos, ſecta, ars: quæ & exemplis declarat.

Vulgò autem ejus ſex faciunt locos: nempe jus naturæ; legem ſcriptam, ſive divinam, ſive humanam; conſuetudinem; ἐπιείκειαν, ſive æquum & bonum; judicatum, ſive exemplum; & pactum.

Sed Hermogeni ſunt loci quindecim. Eos illuſtrat exemplo de pictore, qui cùm naufragii picturam in portubus diis marinis ſuſpendiſſet; atque eâ re, tanquam malo omine, territi mercatores, in portus iſtos, ſummo Reipubl. detrimento, deſiiſſent appellere: eo nomine accuſatus eſt publici criminis, aut læſæ majeſtatis.

Primus Hermogeni locus eſt προβολὴ, h. e. *intentio*, ſive propoſitio ipſa: quæ rectene, an ſecus, ab Hermogene inter capita ac locos ponatur, oſtendimus cap. ſept. Eſt autem προβολῆς exemplum: Cùm tabulæ tuæ, quibus naufragia depinxiſti, metum incuſſerint mercatoribus; atque eo factum ſit, ut nulla inſtituantur commercia ac negotiationes: imminuiſti picturis vectigalia populi; eoque reus es læſæ Reip.

Alter continet τὰ μέρη τοῦ δικαίου, *partes juris*, quæ ſunt juſtitia, honeſtas, utilitas. Ita dicit pictor, ſe rectè feciſſe, nec quicquam commiſiſſe contra leges: conſentaneum eſſe hominum naturæ, ut caſus humani oculis omnium ſubjiciantur: atque adeò utile id eſſe, cùm periculorum metus adferat timorem Dei, ac in navigando reddat cautiores.

Tertius eſt πρόσωπον, ſeu *perſona*: ut, Ego pictor ſum, homo privatus, eoque Remp. lædere non poſſum.

Quartus eſt ὅρος, ſive *definitio*: ut, Pingere naufragia non eſt lædere Rempublicam; cùm pictor non prodat hoſtibus vectigalia, claſſes, aliave Reip. commoda.

Quinctus eſt συλλογισμὸς, ſive *ratiocinatio*; quæ eſt refutatio allatæ definitionis. Ita dicet accuſator, nihil referre, utrùm privatus lædat Remp. an qui gerit magiſtratum; num ob ſit prodendis civibus, an pingendis tabulis; num ferro urbem perdat, an fame.

Sextus eſt γνώμη νομοθέτου, *ſententia legiſlatoris*. Eſtque hic locus utrique parti communis, cùm aliud ſenſiſſe legiſlatorem dicat accuſator, alium verò legis finem faciat reus. Porrò hic locus non ſemper incidit, cùm ſæpe nulla exſtet lex de eo, quod in judicium venit: atque inde eſt, quòd Hermogenes dicat, εἰ ἐμπίπτοι, *ſi incidat*.

Septimus eſt πηλικότης, *quantitas rei*; quâ res exaggeratur: ut, Grave eſt, Remp. pictoris culpâ defraudari vectigalibus.

Octavus eſt πρός τι, ſive *comparatio*; quâ res magis quoque amplificatur, quàm factum loco ſuperiori. Nam is ſimplicem tantùm amplificationem habet; hic geminatam. E. G. Gravius eſt facinus, patriam à pictore atque opifice iis ſpoliari, quæ importantur, quàm exercitum prodi. Nam ſine militibus vivere poteſt Reſp. ſine frumento non poteſt.

Nonus eſt ἀντίληψις, q. d. *contraſumtio*; quæ eſt qualitatis abſolutæ repetitio: ut, Licet pictori pingere naufragia: nulla lex prohibet delubra ac loca publica picturis exornare: fas eſt donaria ſuſpendere Diis immortalibus.

Decimus eſt μετάληψις, *tranſlatio*. Ea fit bifariam, ἐνστάσει, & ἀντιπαραστάσει. Ἔνστασις eſt ἄρνησις ἐναντία, *negatio contraria*: ut, Nequaquam licet, quod obeſt Reip. Ἀντιπαράστασις (quam κατὰ λέξιν *obſiſtentiam* dixeris) conceſſione conſtat, & inficiatione. E. G. Licet quidvis pingere, cum ex eo nihil damni capit Reſp. non item, quando ei detrimentum adfert. Artem oſtentare conceſſum: at non quovis loco, nec cum damno populi.

Undecimus eſt ἀντίθεσις, *oppoſitio*: quâ aliquid adfertur contra μετάληψιν; ut, Volui mercatores, ac naviculariam facientes, commonefacere.

Duodecimus eſt ἑτέρα μετάληψις, *altera tranſſumtio*: ut, Alter debuiſti conſulere navigantibus: quando naves tutò per maria ambulent, ſcripto meliùs, quàm picturâ commonſtraſſes: denique nihil iſtiuſmodi factum oportuit; inſcio atque inconſulto magiſtratu.

Decimus tertius eſt θέσις, ſive *poſitio*: ut, Quiſque pro viribus prodeſſe debet reip. Ego conſului arte meâ, quantum potui.

Decimus quartus eſt ποιότης, *qualitas* perſonæ, aut rei. Ubi de præſtantia artis pictoriæ agetur.

Decimus quinctus eſt γνώμη, i. *animus* ſive ſententia: non quidem legiſlatoris; (nam hæc anteceſſit;) ſed alterius; puta rei, vel adverſarii.

Docet autem Hermogenes, tum hunc, tum ſuperiorem locum, eodem tractari modo, quo infinitivo. Quamobrem non neceſſe habemus, quicquam de iis hoc loco adtexere; cùm tractandi ratio peti poſſit ex illis, quæ cap. antecedenti dicebamus.

VI. Status absolutus dividitur in simplicem, et duplicem; duplex in eum, qui conjunctione, quique divisione est duplex.

Status abſoluti duo ſunt genera: vel enim ſimplex eſt, vel duplex. Simplex fit bifariam: nam vel factum propter ſe in judicium venit, vel propter eventum. Prioris generis exemplum iſtiuſmodi eſt apud auctorem ad Herennium: C. Popilius (ita legendum monuit Turnebus *) à Gallis obſeſſus, venit in congreſſum cum ducibus hoſtium, exercitumque ſuum liberavit, attamen amiſſis omnibus impedimentis. Eam rem cùm pòſt in poculis annuliſque cælaſſet, accuſatus eſt læſæ Reip. Conveniunt huic generi capita ac loci omnes, quos ſuprà commemoravimus, præter ab ultimo proximum, qui eſt ποιότης, ſive *qualitas* perſonæ. Nam cùm Popilius fuerit imperator; haut veriſimile futurum erat, eum adverſus Remp. ſemper fuiſſe animo infenſo infeſtoque.

* *Lib. 13. Adverſ. cap. 13.*

Poſterioris generis exemplum eſt illud de pictore. Neque enim tam accuſabatur, quòd pinxiſſet naufragia: quam quòd picturâ ejus omnes territi à navigatione deſiſterent. Et hæc de ſtatu abſoluto ſimplici.

Status abſolutus is, quem duplicem vocabamus, bifariam inſtituitur: vel κατὰ συμπλοκὴν, ſive *conjunctione*, vel κατὰ διαίρεσιν, ſive *diviſione*.

Conjunctione fit, cùm ex duobus criminibus, quæ objiciuntur, unum ſine altero conſtare nequit: ut, quidam accuſatur, quòd in concione omnium contradixerit ſententiis, nec propriam attulerit. Hoc in genere expedit, ut accuſator utrumque commiſceat crimen, quia id plurimùm confert ad amplificandum. At reus ſeparatim aget de utroque, quia hoc deterit atque innuit culpam.

Diviſione fit ſtatus abſolutus duplex, cùm utroque de crimine ſeparatim in judicio agi poteſt. E. G. quidam, cùm multas duceret uxores, multoſque adoptaret filios, accuſatus eſt morum galbanorum, ac turpis vitæ. Hic quoque conjunctim de utroque crimine aget accuſator: reus verò ſeparatim. Et hæc de ſtatu abſoluto, in quo vix ulla exſtat Ciceronis oratio. Nam largiter peccant, qui hunc Milonianam referunt. Adſenſum iis accommodaremus, ſi doceret Tullius, Milonem, interimendo civem nefarium, maximo remp. metu liberâſſe; eique, ob facinus hoc præclarum, ſtatuam erigi debere. Nunc ſeſe res ſecus habet. Nam cædis culpam in ipſum confert Clodium, quem inſidias ſtruxiſſe ait, ut omnino planum ſit, orationem eam pertinere ad ἀντίθεσιν, de qua deinceps agendum.

VII. Status assumtivi natura, tum universe exponitur, tum distincte, pro quatuor speciebus; comparatione, relatione, remotione, et purgatione.

Ἀντίθεσις, ſive *qualitas aſſumta eſt*, cùm per ſe debilis eſt defenſio; ſed colore, hoc eſt, probabili facti

ɑ̃i cauſſâ, foris aſſumtâ, juvatur. Ἀντίθεσις, vocatur, tum quia eſt θέσις ἐναντία τῇ ἀντιλήψει, *contraria poſitio*, ac quaſi præſidium contra ſtatum abſolutum: tum propter ἀντικατάλλαξιν. Comprehendit enim confeſſionem, & compenſationem: quomodo in Milonianâ ὁμολόγησις ſive *confeſſio* eſt, cùm fatetur Milo, ſe eſſe homicidam: ἀντικατάλλαξις verò ſive *compenſatio* eſt, cùm ait, ſe feciſſe neceſſariò, quòd Clodius inſidias ſtruxiſſet.

Eſt autem ἀντίθεσις Hermogeni quadruplex: ἀντίστασις ſive *comparatio* ἀντέγκλημα ſive *relatio criminis*, μετάστασις ſive *criminis remotio*, & συγγνώμη ſive *conceſſio*; ſub qua Cicero comprehendit purgationem, & deprecationem. Ciceronem hac etiam parte ſequitur Boethius †. Sed deprecatio non poteſt ſtatu ſpecies ſtatus aſſumtivi, ſi rectè dicebamus antè, requiri ſemper in eo colorem, quo juvetur. Nam cùm ſtatus omnis vel recipiat colorem, vel ἄχρωμος ‡ ſit; ſolùm colorari poſſunt comparatio, relatio, remotio, & purgatio: deprecatio verò ἄχρωμος eſt: quippe ea, ut Martiani Capellæ verbis utar, *nihil cauſſationis aſſociat, ſed inexorandi humilitatem preceſque ſuſpirat*. Solùm enim ſupereſt, ut confeſſus damnetur. Nam, ut Ulpianus in duodevigeſimo ad Edictum ait *, *nulla ſunt partes judicandi in confitentes*.

† *Lib. 4. in Top. Cicer.*

‡ *Colore deſtitutus.*

* *L. Proinde. in fine. ff. Ad legem Aquiliam.*

Comparatio, quæ Fortunatiano dicitur compenſatio, fit, cùm oſtendimus, è duobus alterum fuiſſe agendum, & quod à nobis factum eſt, ſatius fuiſſe fieri. Ita Athenienſes †, cum ſibi metuerunt à potentia Miltiadis, perpetuo eum carceri addixerunt: factumque id colore iſtiuſmodi tuebantur; quòd præſtabilius eſſet, unum Miltiadem innoxium pœnâ affici, quàm Remp. univerſam in perpetuo tyrannidis metu verſari. Epaminondas, cùm ei, qui ex lege prætor ſucceſſerat, non tradidiſſet imperium, præſtare ajebat ‡, ut, negligendo legem, pareret victoriam; quàm ut, legi parendo, Thebanam proderet Remp. Titus Manlius * filium ſecuri percuſſit, quòd mallet patrem forti filio, quàm patriam carere militari diſciplina. Porrò hæc ad comparationem referuntur, quatenus ea inſtituitur in genere juridiciali. Nam abſolutè ſi conſideretur, non minus ad alia dicendi genera pertinet. Ut ſi quæratur, num eloquentia præſtet, an ſcientia juris civilis: num genus, an divitiæ præferendæ.

† *Cor. Nep. in Miltiade.*

‡ *Cicero, & alii, ut dicam cap. 10. sect. 1.*

* *Livius lib. 8.*

Relatio, quæ Græcis ἀντέγκλημα, fit, cùm in perſonam confertur culpa, quæ malum perpeſſa eſt: quomodo Oreſtes in Matrem, Horatius in ſororem, Milo in Clodium, culpam transferebat.

Remotio, quæ Græcè μετάστασις, eſt cùm culpam, vel in rem conferimus, quæ in judicium vocari non poſſit; vel in perſonam, quæ non acceperit ipſamet malum. Prioris modi exemplum eſt apud Virgilium oratione Turni ad Drancem. Nam cùm hic objeciſſet Turno, tot illius cauſſa cæſa eſſe civium millia; non illud inficias ivit Turnus, nec potuit, ſed belli illud naturæ tribuit. Item ſiquis in vinum culpam conferat, quòd vitiârit virginem. Hoc in jure noſtro (inquit Udalricus Zaſius †) excuſat à capitali ſupplicio, ſed non à pœna extraordinaria. Vide in Digeſt. XLVIII. Titulum de Pœnis. Sic ſiquis lubrico linguæ, vel vino nimio, maledixerit Imperatori, Theodoſii de eo Conſtitutio exſtat in Codice ‡. Etiam Pyrrhus, cùm juvenes, qui multa in eum probra ingeſſerant, id ita eſſe faterentur, & adderent, plura ſe fuiſſe dicturos, niſi lagena defeciſſet: impunitos eos dimiſit; ut auctor eſt Plutarchus in ejus Regis vita; & Quinctilianus lib. VI. de Riſu. Exemplum Remotionis in perſonam eſt, quod Adam, ut ſe excuſet, dicat, deceptum ſe à muliere, quam Deus dediſſet ſibi *. Item cùm Aaron de vitulo conflatili à Moſe incuſatus, culpam rejicit in populum †. Uti & cùm Michal increpita à patre ſuo Saul, quòd Davidem maritum dimiſiſſet, ait, ‡ ſe coactam à marito, qui mortem comminaretur, niſi id faceret. Huc etiam refer, ſi quis adulterii commiſſi culpam transferat in eam, quæ philtro mentem reddidit dementem. item quando quis ait, feciſſe ſe juſſu Prætoris, vel Conſulis: quomodo juſſu poſſidet, qui juſſu Prætoris poſſidet: ut eſt L. Juſtè. ff. de acquirendis poſſeſſ. Contrà dicet adverſarius, ſiquis illicita jubenti paruerit, ut eſt L. Prætor. §. Quoties. ff. De vi, & vi armata.

† *In Rhetor. Cicer. ſive Cornificii ad Herenn. pag. 237.*

‡ *L. Unica C. Siquis Imper. maled.*

* *Geneſ. 3. 12.*

† *Exod. 32. 22. & ſeqq.*

‡ *1. Sam 17.*

Plurimùm autem differunt relatio, & remotio: quod vel nomina ipſa indicant. Nam in relatione, ſeu in recriminatione, refertur crimen: h. e. in eum ipſum confertur, qui malo affectus ſit. Ut ſi dicatur, priùs alterum injuriâ affeciſſe: id ne inultum ferret, par pari datum hoſtimentum. Itaque non ſe quis feciſſe negat, ſed jure feciſſe ait. At in remotione non refertur in hunc, ſed ſimpliciter à nobis removetur: h. e. in perſonam aliam, vel rem quampiam, transfertur. Ut ſiquis ſe à prætore dicat ingratiis ad depugnandum coactum; qua re non ſe, ſed prætorem pugnæ, aut cædis, cauſſam facit.

Eſt uterque hic locus planè vulgarius. Nam, ut ait Auſonius *;

Se quiſque abſolvere geſtit,
Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.

* *Idyl. 9.*

Κεφάλαια ſive locos comparationis, relationis, & remotionis, hoc loco prætermimus; quòd eadem penè in iis ſit tractandi ratio, quæ in conceſſione.

Conceſſio, ſive purgatio vocatur, cùm quis ſe conſultò, aut dolo malo, feciſſe negat, eoque non factum defendit. ſed excuſat. Ovid. 1. Triſt. eleg. VIII.

Ergo ut defendi nullo mea poſſe colore,
Sic accuſari crimina poſſe puto.

Ac ferè aliquid factum dicitur, vel *neceſſitate*, vel *fortuna*, vel *imprudentia*. *Neceſſitate*, ut, Non obii vadimonium, tempeſtatibus mihi iter præcludentibus. Ita Æneas apud Dionyſium Halic., quòd Trojani, inopiâ coacti, res uſibus ſuis neceſſarias ex agris Aborigenum quærerent, eo apud Latinum regem excuſat, quia Ἅπαν συγγνώμης ἄξιον τὸ ἀκούσιον. *Veniam meretur, quicquid præter voluntatem fit*. Sed videndum hic, an non culpa neceſſitatem præceſſerit: ut videre eſt L. 11. §. Quod jam diximus. ff. Siquis cautionibus. Alioquin in neceſſitate ſibi quiſque & dominus eſt, & ſervus. Ut eſt L. Si conſtante. C. De ſoluto matrimonio. Ubi *fortuna* factum dicatur, exemplum erit, Succubui prœlio; ſed fortunâ adverſâ, non virtute, fui inferior. *Imprudentia* exemplum ſit: Cùm ſervo colaphum ducere vellem, percuſſi ſenatorem in proximo ſtantem.

Actor autem dicet, non eſſe neceſſitatem, ſed injuriam; non fortunam, ſed culpam; non imprudentiam, ſed malitiam.

VIII. Utrum in purgatione magis ſpectetur factum, an voluntas.

Debere autem in judicando non tam attendi, quid aliquis fecerit, quam quod facere voluerit; Nazianzeni illud oſtendit epiſt. LX. ad Sophronium: Πολλὰ γάρ ἐστι καὶ ἀδικεῖσθαι δοκοῦντας εὖ πάσχειν, καὶ καλῶς πάσχοντας ἀδικεῖσθαι. *Multa enim ſunt, in quibus ii, qui lædi videntur, beneficium accipiunt, & contra iis, qui beneficium accipere putantur, injuria infertur.* Luculenter hoc ipſum exemplo declarat L. Seneca lib. II. de beneficiis; *Tuber quidam tyranni, gladio diviſit, qui ad eum occidendum venerat: non ideo illi tyrannus gratias egit, quod rem, quam medicorum manus reformidaverant, nocendo ſanavit.* Idem quoque ſcripſerat Tullius III. de Nat. Deorum: *Nec enim Herculi nocere Dejanira voluit, quum ei tunicam ſanguine Centauri tinctam dedit; nec prodeſſe Pheræo Jaſoni is, qui gladio vomicam ejus aperuit, quam ſanare medici non potuerant: multi enim &, cùm obeſſe vellent, profuerunt; &, cùm prodeſſe, obfuerunt.* Quamquam quod Jaſoni Pheræo tribuit Tullius, (quem ſecutus Val. Maximus lib. 1. cap. VIII.) id Plutarchus †, ac Simplicius ‡, Ariſtotelis interpres, ſcribunt de Prometheo quodam. Vide Victorium lib. VII. Var. Lect. cap. IX. Exemplum planè geminum huic apud Herodotum lib. 1. habemus de Adraſto interimente Crœſi filium,

† *Lib. de utilitate ex inimicis capienda.*

‡ *In lib. ſecundum Phyſ.* [illegible]

filium, cui erat cuſtos datus à patre. Cujus etiam rei meminit B. Baſilius epiſt. CLXIV. quæ eſt ad Andronicum præſidem. Simile quoque apud Achillem Tatium * legere eſt de Menelao, qui itidem inter venandum, adoleſcentem, quem in oculis ferebat, jaculo trajecit, dum aprum, qui in adoleſcentem impetum faciebat, telo cogitat conficere. Adſidet quoque ei exemplum Luciliæ, quæ maritum ſuum Lucretium (eum, cujus habemus libros de rerum naturâ, multis ingenii luminibus tinctos, multis etiam artis †) philtro in furorem adegit ‡, cùm non necem inferre, aut mentem adimere, ſed magis ab eo amari cuperet. Simile quoque exemplum habemus apud Ariſtotelem lib. I. Magn. Moral. cap. XVII. Latinè illius mentem adponam, prout eam Alciatus * expreſſit: *Ferunt*, inquit, *mulierem cuidam dediſſe amatorium, quo ille mortem oppetierit: ac mulier quidem apud Areopagitas ſuper hoc facto accuſata, judicum omnium ſententiis abſoluta fuit, eâ de cauſſâ, quòd id minimè prævidiſſet. Siquidem amore occæcata id egerat, non ut hominem perderet, ſed quò uni ſibi ſervaret. Ubi ergo animus delinquendi non eſt, ibi nec pœnam aut ſupplicium eſſe debere; cùm ea duntaxat crimina puniantur, quæ voluntaria ſint.* Hæc ille. Aliter tamen ſuper hac re ſenſit Paullus Juriſc. l. ſiquis aliquid. ff. de pœn. *Qui*, inquit, *abortionis, aut amatorium poculum dans, etſi dolo non faciunt, tamen quia mali exempli res eſt, humiliores in metallum, honeſtiores in inſulam, amiſsâ parte bonorum, relegantur.* Exemplum id potiſſimùm adduci à Paullo, exiſtimabat Alciatus †, quo Ariſtotelis refelleret opinionem. Et ſanè voluntatem ſæpe abſque facto, & factum citra voluntatem puniri, oſtendunt Gul. Fornerius lib. I. Selectionum cap. X. Radulphus Fornerius lib. III. Rerum quotidianarum cap. XVII. item lib. VI. cap. XXIV. Scipio Gentilis lib. I. παρέργ. cap. XXXI. atque alii longè plurimi.

* Lib. 2.
† M. Cic. l. 2. epiſt. ad Q. Fratrem.
‡ Euſebius in Chron.
* Lib. 7. Παρέργων Juris cap. 25.
† Parergorum loco, quem paullo ante ſignavimus.

IX. Tredecim loci, quibus in purgando utimur, ex Hermogenis doctrina.

TRactatur purgatio hunc in modum. Centurio tempeſtatibus impeditus non adfuit in diem præſtitutam. At lex eſt; In eum, qui tempori non adeſt, fuſtuario animadvertatur, ac poſt illa inhoneſtâ dimittatur miſſione.

Προβολή ſive *intentio* accuſatoris eſt: Non adfuiſti in diem præſtitutam. Hæc προβολή ponitur in exordio. Repetitur autem in narratione, quæ continet τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, *res omnes ab initio uſque ad finem.* Sunt enim in narratione ſemina confirmationis. Denique μεταχειρισμῷ ſive pertractatur confirmatione ipsâ.

Προβολήν interdum excipit ὅρος, ſive *definitio* utriuſque; quod & agnoſcit Marcellinus: at plurimum in his τὸ ὁρικὸν οὐκ ἐμπίπτει, *non incidit definitio.*

Tertius locus eſt διάνοια, ſive ἡ προαίρεσις, *voluntas* ac conſilium defenſoris: ut, Quòd non adfui tempori, id non factum aut timore, aut pervicaciâ; ſed neceſſitate.

Quartus eſt ἀντίθεσις, ſive *oppoſitio* accuſatoris: Non eſt ignoſcendum iſtiuſmodi delictis, ne contingat, aliquem bis peccare in Remp. At defenſor dicet, omnino ignoſcendum eſſe ob neceſſitatem: nec enim delicta eſſe, hæc ubi adeſt.

Quinctus eſt ἑτέρα διάνοια, *altera* accuſatoris *ſententia*: ut, Non factum neceſſitate; ſed timore, aut pertinaciâ, aut animo perfido. Reus verò oſtendet, multa pugnare cum vanâ hâc opinione: illuſtria enim comparere documenta, quibus probari queat, neceſſariò id factum: teſtes adeſſe, quibus doceatur, non potuiſſe eo die flumen trajici: ſe præſtò fuiſſe ad amnem, nautam compellâſſe: noluiſſe eum ſe fluvio committere.

Sextus erit μετάληψις, ſive *transſumtio* accuſatoris: non debuiſſe eum tam diu profectionem differre: potuiſſe ſe itineri committere ante obortas tempeſtates.

Septimus continet τὰ πρός τι, *quæ ſunt ad aliquid.* Eſtque hic locus utrique parti communis. Nam accuſator aſſerit, turpius hoc eſſe facinus, quàm deſerere aciem. At defenſor dicit, ſi id peccatum ſit, at humanum eſſe, & leve.

Octavus locus eſt βίαιος ὅρος, *definitio violenta.* Continet aliquid παράδοξον *, ac ὑπερβολικόν †. Eſtque communis utrique parti. Accuſatoris ὅρος eſt: Hoc eſt peſſumdare Remp. Defenſoris ἀνθορισμός eſt: Qui quantum potuit operam dedit, ut rediret, rediiſſe judicandus eſt.

* Contra hominum opinionem.
† Supra veritatem.

Nonus eſt θέσις, *propoſitum*, ſive locus communis: ut, Oportet centurionem eſſe vigilantem; omniaque præſtare, quo tempori adſit. At defenſor dicet, ſæpe caninam immitti ſcævam improviſi indicem infortunii: multo maximam eſſe Neceſſitatis vim; cujus, ut in Mimis ſcitè ſcripſit Dec. Laberius,

—— curſus tranſverſi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt.

Decimus eſt ἑτέρα μετάληψις, iterata ac *repetita translatio*: ut, Oportuiſſet hoc Imperatori ſignificari.

Undecimus eſt ἀντίληψις ſeu *contraſumtio* defenſoris: Si alius fluvium trajicere potuiſſet, trajeciſſem & ipſe.

Duodecimus eſt ποιότης, *qualitas* ab attributis perſonæ.

Decimus tertius ποία γνώμη, *qualis animus.* Qui duo loci eodem tractantur modo, quo in ſtatu abſoluto.

Et hæc de capitibus ac locis Purgationis, aliorumque ſtatuum, qui colorem recipiunt. Quia verò non ſufficit θεωρία ‡ præceptorum; verùm etiam requiritur παρατήρησις * in antiquis oratoribus: neceſſe quoque fuerit uſum horum præceptorum obſervare in orationibus Ciceronis: quæ ad ſtatus Aſſumtivos pertinent. Iſtiuſmodi inter alias eſt Miloniana, quæ ad Relationem referri debet. Nam culpa cædis confertur in Clodium ipſum. Videtur & Piſoniana aliquid continere iſtiuſmodi. Nam in Piſonem ipſum confertur culpa, quòd revocatus ſit è Macedoniâ.

‡ Scientia.
* Obſervatio.

X. Quatenus deprecatio ad status pertineat: et apud quos ea maxime habeat locum: adhæc quibus illa argumentis tractetur, tum ab actore, tum a reo.

SUpereſt ſtatus ἀχρώματος †, quo culpam fatemur, ſed ad miſericordiam confugimus: ut, ſiquis, ob multa ſua in Remp. merita, unius criminis admiſſi poſtulet ignoſcentiam. Itaque & *deprecatio* dicitur, ac *ſtatus venialis*, quia, omni colore deſtituti, ſolùm impatientiæ veniam rogamus. Juvenal. Sat. VI.

† Coloris expers.

Sed jacet in ſervi complexibus, aut Equitis. dic,
Dic aliquem ſodes heic, Quintiliane, colorem.
Hæremus. dic ipſa.

Agitur autem hoc loco de veniali ſtatu, non quia ſtatus aſſumtivi ſpecies ſit, (contrarium enim ſuperiùs evicimus) ſed quia purgationi plurimùm ſubjici ſolet. E. G. Qui verberârit hominem liberum, is imprudentiâ factum dicet: quæ purgatio eſt. Et quia imprudentiæ culpa ineſt, confugiet ad veniæ poſtulationem: quæ deprecatio eſt. Propriè autem ad ſtatum pertinet negotialem, quia diſceptatio eſt de re futura: puta, num ignoſci debeat, nec ne. Ac habet apud populum, vel imperatorem, magis locum, quàm apud judicem. Nam illi de jure ſuo remittere poſſunt; non item judices. Attamen hic etiam in parte aliqua cauſæ fuerit ei locus. Ut, ſi dicamus, & jure aliquid factum eſſe, & ſi non omni ex parte jure factum videatur, ignoſci nihilominus debere, ob præclara erga Remp. merita.

Κεφάλαια deprecationis Hermogeni eadem ſunt, quæ conceſſionis. Itaque, uti in aliis ſtatibus aſſumtivis, ita hic quoque τῇ προβολῇ ſive propoſitioni ſtatim ſubjicit orator amplificationem à circumſtantiis: ſive, ut Hermogenes loquitur, τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, *ea quæ ab initio ad finem*, prout quoque appellat Fortunatianus. Porrò, quod Sopater quoque obſervavit, amplificatio hæc, cùm in ſtatu conjecturali pertineat ad ſigna; in remotione, deprecatione, ac omnibus ſtatibus aſſumtivis, refertur ad crimina, quæ propoſitione exponuntur.

In hoc ſtatu commendari poteſt clementia. De qua ſic Cæſar Antoninus ad Fauſtinam *: *Non enim quicquam eſt, quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quàm clementia. Hæc Cæſarem Deum fecit, hæc Auguſtum conſecravit.* Et Themiſtius in orat. Τριῶν ὄντων, οἷς ὁ θεὸς διαφέρει θεῖς ἐστιν, ἀϊδιότης ζωῆς, ἀκεραίας δυνάμεως, τὸ μὴ διαλείπειν εὖ ποιοῦν ἀνθρώπους, καθ' ἓν μόνον τὸ ἔσχατον τῶν εἰρημένων ἐφικτὴ βασιλεῖ πρὸς τὸν θεὸν ἡ ὁμοιότης. *Cum tria ſint Deo, quibus præcelleat; vita æternitas, potentia præſtantia, & abſque intermiſſione beneficentia erga homines: tantùm uno iſtorum, quod poſtremò dixi, pervenire rex poteſt ad ſimilitudinem cum Deo.* Vide &, quæ ad commendationem ejus adfert Caſſiodorus extremo lib. XI. Variarum.

* Apud Vulcatium Gallicanum.

Nec parum proderit exemplum prudentiſſimæ Athenienſium civitatis, quæ miſericordiam non pro affectu, ſed pro numine accepit; ut ait Fabius lib. V. cap. XI. Ac Eumenius quoque, orat. de ſcholis reparandis, aræ meminit, quam Miſericordiæ ſtatuerint. Vide & Baptiſtam Pium Annotat. Poſt. cap. XLVII. Romani quoque quanti eam fecerint, argumento eſt, quod ii, ac inprimis poſterioris ævi ſcriptores, clementiam ſoleant ſignare nomine pietatis. Claudianus Panegyr. de IV. conſul. Honorii:

Sis pius inprimis: nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.

Ita ob clementiam, ut aliqui voluere, (nec enim de eo conſentiunt veteres) Pii cognomen meruit Antoninus Imp., teſte Spartiano, & Eutropio. Similiterque eâ voce uſi Dracontius lib. I. Salvianus lib. I. de gubernatione Dei, Caſſiodorus loco paullo antè indicato. Aliqua etiam de hâc ejus vocis acceptione annotavit Deſiderius Heraldus in Arnobii lib. I. † & VII. ‡.

† Pag. 71. & 73. ‡ Pag. 394.

Adverſarius verò, utente reo deprecatione, dicet, in iſtiuſmodi delictis nullum relinqui miſericordiæ locum. quò pertinet illud Epicteti, Stobæo etiam memoratum ſerm. XLIV. Ὥσπερ τὸ πλῆθος ἀκρίτως αἰτοῦν τι σοὶ τῶν ἰδίων, οὐ δυσωπεῖ, οὕτω μηδὲ ὄχλος ἀδίκως σε δυσωποῦντα διατραπῇς. *Ut vulgus, temere, ſi quippiam poſtulet ex rebus tuis, non movet te, ſic nec quavis in re plebem injuſtè aliquid orantem reverearis.* Idem dicet, juráſſe judicem, *ſe cum obſervatione, legum judicia diſpoſiturum*; ideoque non in hoc ſedere eum, ut reis capularibus (ita capulo dignos à Cæcilio, Lucilio, ac Plauto vocatos, è Nonio, & Fulgentio, diſcimus) flagrantiſſima condonet flagitia; ſed ut ſecundùm leges judicium ferat. Οὐ γὰρ ἐπὶ τούτῳ κάθηται ὁ δικαστὴς, ἐπὶ τῷ καταχαρίζεσθαι τὰ δίκαια, ἀλλ' ἐπὶ τῷ κρίνειν ταῦτα· ut eſt apud Platonem in Apologiâ. Ita Lyſias, oratione contra Alcibiadem, monet judices, ut meminerint, ſe in judicium veniſſe, non ut novas leges ferrent; ſed ut ſecundùm leges latas judicarent. Tullius quoque I. de Invent. *Judices*, inquit, *qui ex lege jurati judicatis, legibus obtemperare debetis.* Id ipſum & ἔτυμον indicat Judicis *. Nam ita dictus eſt ab officio, quòd ſententiam dicere debeat juri & legibus conſentaneam, ut autor eſt Varro lib. IV. de L. L. & Iſidorus lib. X. Etym. cap. VIII. Quemadmodum & *juſtitia* eſt à *jure*, ut indicat Priſcianus lib. IV. non *jus* à *juſtitia*, uti ſcripſit Ulpianus: qui non tam attendit *juris* vocabulum, quàm doctrinam juris, ſeu juriſprudentiam Romanam.

* Caſſiodorus lib. 11. Var. part. 40.

Exemplo in hoc ſtatu fuerit Ligariana Ciceronis: quam meritò pulcherrimam appellat Pomponius I. C. † Quantopere etiam placuerit Attico, Balbo, Oppio, docebunt epiſt. XII. & XIX. lib. XIII. ad Att. Et ſane quanta ejus ſit venuſtas, quàm mirifici ac illuſtres adfectus; vel eventus documento eſſe potuit. Nam perorante Tullio, perſpicuè cognitum, varios Cæſaris vultum colores ſubiiſſe, ac cùm Pharſalici quoque prælii injecta eſſet mentio, adeò contremuiſſe, ut & libelli quidam de manibus exciderint. Vide Plutarchum in vitâ Ciceronis.

† L. 2. D. de origine juris.

XI. OCCURRITUR IIS, QUÆ OBJICI POSSINT ADVERSUS SUPERIOREM DOCTRINAM DE STATIBUS ASSUMTIVIS.

Diximus, quæ inprimis neceſſaria ſint ad naturam ſtatuum aſſumtivorum cognoſcendam. Deinde producam, & inducam, quæ contra ea partim adferuntur ab aliis, partim poſſe adferri videntur.

Ac primò quidem accuratiùs intuenti videri poſſit translatio culpæ, ſive ea *relatio*, ſive *remotio* ſit, non tam ad juridicialem, quàm ad conjecturalem ſtatum pertinere. Nam in ea de facto conſtat, de facti autore quæritur. Eſtque in ea ſententia Jul. Scaliger *. Verùm nec ratione mihi defecti videntur, qui ad ſtatum aſſumptivum retulerunt. Movit illos, quòd in conjecturali ſtatu reus factum ita à ſe dimoveat, ut feciſſe neget: at in tranſlatione reus ſe feciſſe non it inficias.

* Lib. I. de re poet. cap. I.

Alius alios ſcrupulus pungit. Videtur iis μετάληψις, ſive *tranſlatio*, non eſſe ſtatus, eò quòd ab Aquila Romano, ac Martiano quoque Capella, referatur inter figuras ſententiarum. Verùm, ut rectè inquit uterque, tum tantùm μετάληψις ſtatus eſt, cùm rem aliò ita tranſmovemus, ut ibi totam conſtituamus cauſſam: id cùm non fit, σχῆμα eſt διανοίας.

Sunt etiam, quibus diviſio generis judicialis rectæ rationis quaſi ſcalpello circumcidenda videatur. Quippe comparationem, remotionem, tranſlationem, & conceſſionem, ſubjicere malunt pathologiæ, quàm ſtatui aſſumtivo: de quo, uti & de univerſis ſtatibus, non tam agunt, ut capiant alii, quam ut carpant. At nos haut diffitemur, orationes omnes aſſumtivi ſtatus ad παθολογίαν quoque pertinere, quatenus in iis orator concitat adfectum: verumtamen propriè eas, & primò, hujus eſſe loci, exiſtimamus. Neque ficulnâ ſubnixi ſumus ratione, cùm ſine quo res eſſe poſſit, id neutiquam ad rei pertineat eſſentiam: at cauſſa Oreſtis, ac ſimilis, locum habuerunt in Areopago, in quo, ut ſuperiùs quoque dicebamus, nullus affectibus erat relictus locus.

At ſaltem, inquiunt, illud extra omnem controverſiam poni debet, ſtatum venialem, ſive deprecationem, eſſe alius loci, cùm omnis in eo ſit, ut cieat miſericordiam. Verùm argumentum hoc iis occinant, qui operosè huic inferciunt miſericordiæ locum: nos ea res vix tangit. Quippe de miſericordia vellicatim quidem aliquid nunc delibamus: verùm cum cura de ea, Ariſtotelis exemplo, diſſertamus lib. proximo. Debuiſſe autem hîc quoque aliquid dici de ſtatu veniali, argumento nobis eſt, tùm quòd in eo quædam quoque ſunt argumenta ἀποδεικτικὰ †, ſive λόγοι ‡: tum quòd abſque eo imperfecta ſit ſtatuum enumeratio; ut parebit ex iis, quæ paullo pòſt diſputabimus adverſus Trapezuntium.

† Demonſtrativa. ‡ Rationes.

Unum præterea alterumque eſt, de quo judicium meum ſuſpenſâ manu proferam: ſi non ob aliud, at ut eliciam, ac quaſi exterebrem aliorum ſententiam: à quibus, ſi erro, lubens ad verum converti me ſinam. Tradunt omnes, qui aliquid de remotione ſcriptis conſignarunt, eam vel in perſonam fieri, vel in rem: iidem verò in purgatione quoque concedunt culpam conferri in rem. Itaque non immeritò quæritur, quomodo purgatio differat à remotione eâ, quæ in rem fit. Viſus ſibi hunc nodum ſolvere Tullius, cùm primo de inventione ſcribit, in remotione *alicui rei cauſſam attribui, quæ voluntati fuerit impedimento ſine conceſſionis partibus. Nam earum quædam major vis eſt.* Senſit igitur Tullius, ad purgationem referri imprudentiam, quæ fallit; caſum, qui prohibet; neceſſitatem, quæ cogit: cætera ad remotionem referri debere, quia eorum minor vis eſt. Verùm, ſi mihi quoque ſententiam dicere liceat, non ut patricio, aut conſulari, ſed tanquam ex ordine equeſtri meliorum inopiâ adlecto: non tam in Ciceronis, quamquam conſularis viri, ſententiam pedibus ivero, quàm alterum, verum mihi germanumque inter ea diſcrimen videri; quòd in remotione concedatur facti intentio; in purgatione verò

rò negetur. Sunt enim ea, quæ homines committunt, partim ἑκούσια, ſeu *voluntaria*; partim ἀκούσια, ſive *non voluntaria*. In ἑκουσίοις culpa eſt; in ἀκουσίοις erratum. Plin. lib. IX. epiſt. XCVII. *Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris.* Si culpa fuerit, vel eam transferimus in perſonam, aut rem, ut in remotione fit: vel ignoſci petimus, quod deprecatione fit. Error verò ad purgationem pertinet, quæ culpam removet, ac voluntatem defendit. Itaque Ovidius factum ſuum, non ſcelus, ſed errorem haberi cupit. Sic enim loquitur Triſtium lib. I. eleg. III.

Cæleſtique viro, quis me deceperit error,
Dicite, pro culpa ne ſcelus eſſe putet.

Et lib. III. eleg. I:

In quo pœnarum, quas ſe meminiſſe fatetur,
Non facinus cauſſam, ſed ſuus error habet.

Item lib. I. de Ponto eleg. VII.

Quicquid id eſt, ut non facinus, ſic culpa vocanda eſt.

Prævaricatur hac in parte, ac quodammodo pro me pugnat ipſe Tullius. Siquidem apud eum iſtiuſmodi adſertur exemplum remotionis in rem. Adoleſcens quidam accuſatur, quòd, Imperatore turpiſſimum cum hoſte fœdus feriente, tenuerit porcam. Ita enim, non *porcum* (ut hoc παρὰ τὴν ὁδοιπορίαν * moneam) à Cicerone ſcriptum eſt, tum MSSis, tum prælo excuſis codicibus atteſtantibus: ut omni vigilanti placere non poſſit doctiſſimi Servii, penè dixerim ſomnium: qui, quod in fecialium libris ſcriberetur, porcum feriendum; nec meminiſſet, eampſe *porci* vocem etiam dici de femina; (unde & apud Tullium lib. II. de Leg. eſt: *Porco feminâ piaculum dare*) porcum ſemper in feriundo fœdere adhibitum ait; lapſumque (en ſupercilium Grammaticum) Maronem ipſum, cùm ait, *Cæſa jungebant fœdera porcâ*. Erràrit igitur Cicero quoque: errarit Suetonius, cùm in Claudio † ſcribit: *Cum regibus fœdus in foro icit porcâ cæſâ, ac vetere fecialium præfatione adhibitâ.* Verùm redeamus ad id, unde abduxit nobilis Grammaticus. Adoleſcens ſanè haut diffitetur, ſe tenuiſſe porcam; verùm eo crimen depellit, quòd, quia id ætatis, inſuperque privatus erat, plane ſibi parendum fuerit, illi, qui ſummo cum imperio & autoritate miſſus eſſet. Ac idoneum quidem hoc exemplum eſt remotionis in rem. Res enim, cui culpam aſſignat, ut ætas, & conditio vitæ; quòd adoleſcens, privatus: alter, ſummo cum imperio eſſet. Verumtamen, hoc qui argumento utatur, haut levi adeò tibicine ſuam mihi videatur ſuffulcire ſententiam, quàm qui, uti in purgatione fit, imprudentiâ aliquid à ſe factum adſerat, atque ita neceſſe habeat confugere ad calcatum illud, NON PUTARAM. Quippe hoc in adoleſcentibus quidem veniam meretur; at in natu grandibus nequaquam locum habet: quemadmodum aliquot veterum ἐξεμπλαῖς ‡ oſtendit P. Victorius lib. V. Var. Lect. cap. XIX. Argumento huic alterum quoque ſuccedaneum addam: Hominem puto neminem tam à communi ſenſu ſequeſtratum reperiri, qui inficias eat, iſthoc, quòd paullò antè è Tullio exemplum remotionis adducebamus, non languidius imbecilliuſque eſſe, quàm, ſi ſacerdos, quòd Calendis ſacrum haut fecerit, culpam impingat in oblivionem. At hoc planè purgationis exemplum eſt, cùm Martianus Capella imprudentiæ ſubjiciat ignorantiam, ebrietatem, oblivionem, ac dementiam: Fortunacianus verò oblivionem quoque locum faciat à tribus purgationis capitibus diſtinctum: in quo, utrum ſequamur, parum intereſt. Quare, ut veſtigia mea relegam, cenſeo remotionem in rem, ac purgationem, eo differre duntaxat; quòd illa voluntatem ſive intentionem facti concedat; hæc conſultò quid factum neget. Ita in exemplo Tulliano adoleſcens haut eo ſe excuſat, quòd aut ignorantiâ, aut invitus tenuerit porcam: verùm totum hoc, quod crimini datur, haut quaquam ad ſe pertinere ait, quia & adoleſcens, & privatus erat. Hæc igitur remotio ſit. Itidem remotione utetur, ſiquis, cùm miſſus eſſet ad expugnandam hoſtium civitatem, cùm eam inaudiiſſet laborare peſtilentiâ, exercitum reduxerit. Neque enim negabit, id certo à ſeſe conſilio factum: verùm culpam transferet in luem. At contrà purgatione utetur orator, qui, ab hoſtibus captus, eorum laudes ſcribere ſit coactus. Nam ſe invitum feciſſe dicet. Par ratio, ſiquis morbus impeditus culpam avertat in infortunium. Nam voluntatem atque induſtriam defendet, quam morbus ſufflaminarit. Spiſsè verò errat Martianus Capella, qui id remotionis in rem exemplum facit. Fortaſſean nec hilo rectiùs Fortunatianus (cui inter alios ſubſcribit Petrus Nunneſius) remotioni ſubjicit leges, cùm ſcribit; *In legem poſſumus removere? Poſſumus: ſed hoc idem accipimus, quod eſt, cùm in rem removemus.* Certè cùm judicium ſit, legibus obtemperare; non video, quomodo in judicio culpa in leges impingi poſſit. Nam cujus cauſſa legum patrocinio ſubnixa eſt, is haut extrinſecus facto colorem quæret, ſed ἁπλῶς ſe ex legum præſcripto feciſſe dicet. Et profectò ipſe Fortunacianus aliquanto ante quatuor fecerat loca ſtatus abſoluti; legem, morem, ſectam, artem. Poteſt quidem lex ad aſſumtivum quoque ſtatum referri; ut, cum Antiphonem Terentianum patri Demiphonti purgant de ductâ uxore; quòd id fecerit invitus, coactus legibus *. Verùm hæc propriè non remotio, ſed purgatio eſt; quia ſimulatur id non conſultò factum, ſed coactè.

Contrà non tam ad purgationem, quàm remotionem, pertinere arbitror, cùm quis culpam avertit in adfectum: uti cùm Chærea Terentianus † eam rejicit in amorem. Ait enim;

Unum hoc ſcito, contumeliâ
Non me feciſſe cauſsâ, ſed amoris.

Par ratio fuerit, ſi in metum, aut iracundiam, culpam transferamus. Nam affectu qui peccat, conſultò peccat. Nonnulli tamen hæc, ac ſimilia, ad deprecationem referre malunt, quia affectus culpam neutiquam tollit; ut omnino deprecatione opus ſit: eſtque ea quoque in ſententia Naſcimbænus Naſcimbænius ‡. Verùm adſenſum ea in re meum haut parùm moratur, quòd qui affectu quopiam culpam prætexit, is facto colorem quærat: deprecatio verò ſit ſtatûs ἄχρωμος *, quia ſolùm ignoſcendi continet poſtulationem. Nec iccirco deprecatio ſtatuum ſive conſtitutionum numero expelli debet; quæ Georgii Trapezuntii † ſententia eſt. Nam etſi nec factum defendit, nec facti cauſſam, nec ipſam intentionem, eoque jure ἄχρωμος ‡ dicitur: non tamen iccirco ἄτεχνος * credi debet. Siquidem reus rationes adhibet, quibus ſe ut ignoſcatur, impetraturum ſperat: ut, quia illud, in quo deliquit, planè fuerit operoſum, atque arduum. Atqui, ut Tertullianus ait †, *Difficilium facilis eſt venia.* Item quòd judices & aliis antea in ſimili ignoverint delicto: quòd majora ſint ſua, ſuorumque beneficia, quàm ea, quæ commiſit: tum autem, ſi huic delicto venia detur, non exiguum ex ſe emolumentum percipi poſſe. Ita Chærea ille Terentianus ait ‡:

At nunc dehinc ſpero æternam inter nos gratiam
Fore, Thais. Sæpe ex hujuſmodi re quapiam, &
Malo principio, magna familiaritas
Conflata eſt. Quid ſi hoc quiſpiam voluit Deus?

Adverſarius autem negabit, ei ignoſci debere, quia ipſe ſit immiſericors; quia majora ſint malefacta; ac pro benefactis jam antè præmium reportàrit; aliaque id genus; quæ liquido arguunt, in deprecatione etiam accuſationem ac defenſionem, eoque ſtatum, inveniri. Quare nec deprecatio ἁπλῶς eſt ἄχρωμος: ſed talis quidem eſt, ſi ſpectes voluntatem, quæ haut defenditur; non item, ſi veniam, quæ rationibus poſtulatur. Utrumque ex ipſa hujus ſtatus definitione planum fit. Nam, ut σαφῶς καὶ ἐνεργῶς * ſcripſit Fortunacianus, *deprecativa venia fit; cùm nulla poteſt eſſe defenſio; ſed eum, cui liceat ignoſcere, tantummodo deprecamur; quomodo negare non poſſumus, nos voluntate feciſſe id, propter quod arguimur.* Ita eum locum emendo, pro quo in Aldinâ & Pythœanâ editione malè legitur: *non poſſumus non voluntate feciſſe.*

Margin notes: * *Obiter.* † *Cap. 25.* ‡ *Lectis.* * *Adel. act. 2. ſc. 1.* † *Eunuch. act. 5. ſc. 2.* ‡ *Comment. in Cic. lib. de inventione.* * *Coloris expers.* † *Lib. 1. Rhet.* ‡ *Coloris expers.* * *Inartificialis.* † *Initio libri 2. ad uxorem.* ‡ *Act. 5. ſc. 2.* * *Clare, & efficaciter.*

Similem (ut hoc mantiſſæ loco huic capiti appendam) fraudem mihi frauſi videntur librarii apud Tullium lib. II. de Invent. quo loco de conceſſione pertractat. Legitur enim vulgò: *Conceſſio eſt, per quam non factum ipſum improbatur ab reo, ſed ut ignoſcatur, id petitur.* Quem locum ne quidem gentium Deus Hermes poſſit ἑρμηνεῦσαι *. Nam conceſſionem dividit Tullius in purgationem, & deprecationem: purgatio verò ei definitur, per quam ejus, qui accuſatur, non factum, ſed voluntas defenditur. Pugnant autem hæc; in conceſſione voluntatem improbari; in purgatione, quæ conceſſionis pars eſt, voluntatem defendi. Itaque conceſſionis definitionem leniter leviterque immuto, ac lego; *per quam non factum ipſum probatur ab reo*, &c. Et hæc hactenus: nunc videamus de qualitate νομικῇ, ſive legali.

* *Interpretari.*

Cap. X.

De Statibus legalibus.

Status legitimus eſt quadruplex. Primus eſt ſcripti & ſententiæ, cùm aliud ſcriptum eſt, alia mens videtur ſcriptoris; & unus ſcripto, alter ſententiâ ſcriptoris nititur. Hic æquitas & ſummum jus committuntur.

Alter eſt ratiocinatio, quâ ex eo, quod ſcriptum eſt, aliud non ſcriptum colligimus, quòd par ejus eſt ratio.

Tertius eſt legis contradictio, cùm nempe vel lex eadem ſecum, vel leges duæ inter ſe pugnant.

Quartus eſt ambiguitas orationis, quæ oritur vel mutatione accentus; vel diviſione vocabuli, vel ob varias vocis ſignificationes.

Vicina huic, vel fortaſſe ejus ſpecies, eſt, quæ Ciceroni definitio vocatur. Differt ea à ſtatu definitivo, quatenus nomen hoc etiam convenit uni ex quatuor ſtatibus primariis; quia illo de facti nomine, hic de vi verbi quæratur.

Adjungit Hermogenes ſtatibus legalibus μετάληψιν, ſive tranſlationem, quia tum demum perfecta eſt, quando lege nititur.

Differt autem à cæteris ſtatibus, quòd illi ſint de re, hic de actione. Siquidem tranſlatio nihil aliud eſt, quàm judicis aut judicii remotio.

Fit ea quadrifariam. Primò à perſonâ; cùm non is agit, quem oportet, aut cum eo, quicum oportet. Deinde à loco, cùm alibi, non apud quos convenit, intenditur actio. Tertiò à tempore; ut, ſiquem olim dicamus accuſari potuiſſe, nunc non poſſe. Poſtremò à re; cùm negatur agendum hâc lege, hâc pœna, ob hoc crimen.

I. De statu legali universe, et speciatim de eo, qui scripti et sententiæ dicitur.

STatus Qualitatis νομικῆς, ſive legitimæ, Ciceroni in Partitionibus eſt triplex; ex ambiguo, ex ſcripto & ſententia, & ex contrariis legibus. Hermogenes his tribus adjicit ſyllogiſmum. Cicero verò, lib. II. de Inventione, quinque enumerat ſpecies, ac ſuperioribus quatuor addit definitionem. Idem facit Boëthius lib. IV. in Topica Ciceronis. Auctor ad Herennium lib. I. etiam ſextam ſpeciem adjungit, quæ tranſlatio dicitur. De ſingulis videamus.

Primus Hermogeni ſtatus eſt ἡ κατὰ ῥητὸν καὶ διάνοιαν ζήτησις †: quo loco ῥητὸν ‡ ponitur ἀντὶ τοῦ ἐγγράφου *: unde Latinis vocatur ſtatus ſcripti & ſententiæ. Illuſtre ejus exemplum habemus apud Cornelium Nepotem in Epaminonda: *Lex erat Thebis, quæ morte multabat, ſiquis imperium diutiùs retinuiſſet, quàm lege præfinitum foret. Hanc Epaminondas cùm Reip. cauſſâ latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit, & quatuor menſibus diutiùs, quàm populus juſſerat, geſſit imperium. Poſtquam domum reditum eſſet, collegæ ejus hoc crimine accuſabantur. quibus ille permiſit, ut omnem cauſſam in ſe transferrent*, &c. Meminere hujus rei etiam Tullius in primo de Inventione, Plutarchus in præceptis politicis, & apophthegmatis regum ac ducum, Ælianus lib. XIII. Var. Hiſt. cap. XLII. Nempe actores τὸ ῥητὸν urſere: Epaminondas defenſus τῇ διανοίᾳ. De hoc ſtatu ita Cicero pro Cæcina; *Quæ lex, quod Senatuſconſultum, quod magiſtratus edictum*, &c. Etiam alia quædam hujus ſtatus exempla adfert Hottomannus lib. VI. obſervationum Juris cap. XXI. Apud Hermogenem exemplum eſt iſtiuſmodi. Lex eſt; Si alienigena murum adſcendat, mortis afficiatur ſupplicio. Peregrinus quiſpiam in civitatis obſidione murum conſcendit, contra hoſtes pugnavit, fortiter rem geſſit, oppidumque & cives conſervavit, atque hacpropter præmium exſpectat. At alii, ſeu invidiâ, ſeu inſcitiâ, præmio ornandum negant; quin exemplum in eum fieri petunt.

† *Quæſtio dicti, & ſententiæ.*
‡ *Dictum.*
* *Pro ſcripto.*

Κεφάλαια hoc in ſtatu ſunt quatuordecim.

I. Προβολή, ſive *intentio* eſt, Violaſti legem; quia murum conſcendiſti.

II. Διάνοια ſive προαίρεσις, *ſententia* ſive *propoſitum*. Eſtque partim legiſlatoris, partim rei. In legiſlatoris ſententiâ tria ſunt exquirenda. Primum τὸ πότε, *quando:* ut, Tempore pacis noluit legiſlator quemquam murum adſcendere, quod res eſſet mali exempli; at conceſſit, ut id fiat tempore belli, quia tum neceſſitas exigit. Deinde videndum ἐπὶ τίσι, *quibus in rebus:* ut, Muros licet conſcendere, cùm jubet tribunus, ut omnes ſequantur. Eſt enim tum mandatum, cùm tribunus non exceperit peregrinos. Præterea inſpiciendum διὰ τί, *propter quid:* ut, Non licet aſcendere voluptatis gratiâ, vel aliâ levi de cauſsâ: at licet, ſiquis id faciat, ut cives defendat: aut aliàs, ut vitam alterius eripiat ab injuſtâ cæde: quomodo Rachab * cupa, ſive copa, (ita Latini † vocant eam, quæ cauponiam exercet) exploratores fune demiſit per feneſtram ædium ſuarum, quæ in mœnibus erant: quomodo item B. Paulus ‡ Damaſci periclitans per ſportam dimiſſus eſt. Nam convenit, leges latas eſſe ob publicam ſalutem: hanc, ſupremam eſſe legem. Quod igitur utile & ſalutare eſt Reipublicæ, id legibus adverſari.

* *Jos. 2. 25.*
† *Cic. in Piſ. & auctor carminis, quod Copa inſcribitur.*
‡ *Act. 9. 25.*

III. Προδιορισμὸς παραλειφθεὶς, *exceptio prætérita.* Eſt hic locus ejus, qui utitur τοῦ ῥητοῦ, ſive ſcripto. Ut, Nihil tale expreſſit legiſlator; ſed tantummodo ait, Ne alienigena muros conſcendito.

IV. Ἑτέρα διάνοια, *altera ſententia:* qui locus eſt utrique parti communis. Nam reus dicet, Non adſcripſit hoc legiſlator, quia in rebus apertis non opus eſt exceptione. At actor reſpondebit, Imò non adſcripſit, quòd prorſus noluerit peregrinum muros conſcendere.

V. Συλλογισμὸς, ſive *ratiocinatio.* Ita reus dicet, Parum referre, utrùm id ſit adſcriptum, nec ne; cùm exceptio legis ſit, ubicunque aliud jubet neceſſitas. At actor contendet, permagni referre, ſitne adſcriptum, nec ne. Eſt igitur hoc caput τίμησις τῶν ἴσων, *æſtimatio rerum parium.* Nam reus paria eſſe vult, imparia actor.

VI. Ὅρος, ſive *definitio* defenſoris: quod plurimum interſit, num muros conſcendamus cùm hoſtes adſunt, an aliàs; puta tempore non neceſſario.

VII. Ἀντίθεσις, h. e. aliqua è qualitatibus aſſumtivis. Ita μετάστασις, ſive *tranſlatio* fit. Feci propter ſalutem patriæ, juſſu tribuni, hortatu eorum, qui peregrini non erant. Ἀντίστασις verò, ſive *comparatio* fuerit: Satius eſt, legem violari, quàm urbem perdi.

VIII. Μετάληψις, ſive *tranſſumtio:* hoc eſt, vituperatio modi, quo quid actum. Ut, Poteras te adſociare iis, qui pugnabant intra muros.

IX. Τὸ πρός τι, *ad aliquid:* eſtque comparatio maleficii cum beneficio. Actor dicet, majus eſſe delictum, quàm beneficium, quia aliis janua ſit patefacta ad violandum legem. Reus adſeret, majus eſſe beneficium ſuum, quam maleficium: nam legem negligendo nihil ſe damni dediſſe cuiquam: at urbem conſervando optimè ſe de cunctis civibus eſſe commeritum.

X. Ὅρος.

X. Ὅρος βίαιος, *definitio violenta*, quæ utrique parti eſt communis. Dicet accuſator; Legem violare, eſt quaſi vitam eripere civitati, quia leges ſunt velut anima Reump. At reus hæc invertet: Civitatem, inquiet, ſervare, eſt leges colere, quia ſalus populi ſuprema lex eſt.

XI. Θέσις, ſive *poſitio* utriuſque. Eſtque locus communis, de officio militari: item de legibus, earumque interpretatione. Pertinet huc illud Paulli l. ad exhibendum. ff. ad exhibendum. *Non oportere jus civile calumniari: neque verba captari: ſed quâ mente quid diceretur, animadvertere convenire.* Nam, ut ait pro Cæcinâ Cicero: *Quæ lex, quod ſenatuſconſultum, quod magiſtratus edictum, quod fœdus aut pactio, quod teſtamentum, quæ judicia aut ſtipulationes, aut pacti conventi formula, non infirmari & convelli poteſt, ſi ad verba rem deflectere velimus, conſilium autem eorum, qui ſcripſerunt, & rationem, & autoritatem relinquamus?* Atque hæc ratio fuit, cur Lycurgus * paucas tulerit leges, verùm litium diſceptationes judicum reliquerit fidei. At alter contendet, non interpretari legem, ſed divinare eum, qui verbis legis non inſiſtit; imò ex judice fieri legiſlatorem.

* *Plutarch. in Lycurgo, & Apophth.*

XII. Ἑτέρα μετάληψις, *altera tranſſumtio.* Ut accuſator dicet, Debuiſti veniam petere à magiſtratu. Reus adſeret, ſe, anguſtia temporis excluſum, id facere non potuiſſe.

XIII. Ποιότης, *qualitas* ab attributis perſonæ.

XIV. Γνώμη, ſive *animus.* Utroque de loco diximus in ſtatibus antecedentibus.

Proximum eſt, ut velut in ſuperioribus ſtatibus factum eſt, ita hic quoque oſtendamus, quas Ciceronis orationes hoc in genere imitari conveniat. Ac illuſtris quidem eſt illa pro Cæcina. cujus iſthoc elogium legere eſt apud ipſum Tullium in Bruto: *Tota mihi cauſſa pro Cæcina de verbis interdicti fuit; res involutas definiendo explicavimus, jus civile laudavimus, verbis ambigua diſtinximus.* Eſt & magna ex parte hujus generis oratio pro Balbo. Nam quæritur ea, de ſententia legis Gelliæ, ac Corneliæ. Item illa de haruſpicum reſponſis, qua diſceptatio eſt de interpretatione reſponſi aruſpicum: quippe hi, factis prodigiis, dixerant, deos eſſe iratos, quòd loca ſacra, & religioſa, profana haberentur. Itaque Clodius, occaſione hac arreptâ, concionem habuit, quâ Ciceronis domum inter ea eſſe dixit, quæ è ſacris reddita eſſent profana. At Tullius poſtridie in ſenatu oſtendit, Clodii facta notari haruſpicum reſponſis. Eſt etiam pars Plancianæ hujus loci; ut quâ diſputet de lege Liciniâ; cujus caput unum erat de ſodalitiis, alterum de ambitu. Erat autem Plancius à Juventio Laterenſi ambitus accuſatus. Incidit quoque hic ſtatus in eam partem orationis pro Quinctio, quâ Cicero contendit, Quinctii bona à Nævio non eſſe poſſeſſa ex edicto Prætoris. Agnoſcit quoque hunc ſtatum pars ea Milonianæ, quâ interpretatur Tullius decretum Senatus. Nam Clodiani dicebant, Senatum judicaſſe, cædem Clodii contra Remp. eſſe factam; qui tamen haut aliud decreverat, quàm ut Lepidus Interrex, Tribuni Pleb. & Pompejus viderent, nequid Reſp. caperet detrimenti. Hæc de ſtatu ſcripti & ſententiæ.

II. De secundo statu legali, qui ratiocinatio dicitur.

Proximum locum obtinet συλλογισμός, ſive ratiocinatio. ita appellatur juxta magiſtrum Herennianum *, *cùm res ſine propria lege venit in judicium, quæ tamen ab aliis legibus ſimilitudinem quandam aucupatur.* Cicero II. Rhetoricorum, ex ratiocinatione ait naſci controverſiam, *cùm ex eo, quod uſpiam eſt, ad id, quod nuſquam ſcriptum eſt, pervenitur.* Nempe in ſuperiori ſtatu lex ſcripta, & voluntas, controverſiam cient: hic rationes, ſive argumenta, ex ſcripta lege ſumta. Exemplum hujuſce ſtatus fuerit: Lex eſt, ne meretrice prognatus habeat concionem ad populum. Cauſam agere vult filius lenonis: ſed prohibetur à magiſtratu, non alia de cauſſa, quàm quia ſit filius ejus, qui lenocinium fecerit. Reſpondet ille, tantummodo lege cautum eſſe de eo, cujus mater corpus in vulgus dederit: ſenatum eſſe ex legitimâ patris ſui conjuge. Verùm rectè oggerit magiſtratus, finem fuiſſe legiſlatoris, honeſtatem publicam. Cùm autem, & qui proſtituunt, & quæ proſtant, ſint διαβεβλημένα πρόσωπα †, (unde inter Cæſaris Caligulæ probra meritò reponitur, quòd lege ſanxerit ‡, *ut tenerentur publico, & quæ meretricium, & qui lenocinium feciſſent*) honeſtati publicæ non minùs adverſari, ſi filius concionetur lenonis, quàm ſi natus muliere quæſtuariâ. Ab iſtiuſmodi cauſſa haud multum abludit oratio ea Æſchinis, quâ Timarchum à concione arcendum contendit, cùm ob patrimonium profuſum, tum inprimis ob crimen impudicitiæ in ſe admiſſum. Sed & alios inibi enumerat, quibus publicè verba facere non liceret. Exemplum quoque fuerit συλλογισμῷ, ſi pater filium ebrioſum homicidii accuſet, quia tantundem ſit, ſemel ſibi manus adferre, & pluribus ſe actibus occidere; ut dicebat Pariſienſis cancellarius, Joannes Gerſon.

* *Lib. 4.*

† *Perſonæ infames.*

‡ *Sueton. Calig.*

Fit autem ratiocinatio quadrifariam: à pari, à majori, à minori, ſive, ut Quinctilianus * vocat, ab eo quod antè ad id quod poſtea, ac denique à contrario. A pari eſt, ſi quis matricidam eodem contendat afficiendum ſupplicio, quo patricidam. Lex autem ſub imperatoribus erat, ut, qui patrem interemiſſet, culeo cum gallo gallinaceo, viperâ, & ſimia inſueretur, & vectus plauſtro, nigris bubus juncto, in mare præcipitaretur; aut flumen, ſi mare vicinum non eſſet †. A majori eſt; Cùm lege liceat interimere transfugam redeuntem; non peccavi, eum verberibus cædendo. A minori eſt; Cùm præmium debeatur ei, qui militem defendit; meritò petit præmium, qui ſervavit Imperatorem. A contrario eſt; Cùm ei, qui in bello bene rem gerit, præmium à duce decernatur: meritò quoque ab eodem pœna irrogatur à prœlio fugientibus.

* *Lib. 7.*

† *Inſtit. tit. ult. lib. 4. parag. Alia deinde. l. 1. C. de iis qui parenter. l. 9. ff. de lege Pompeja. de Parcid.*

In hiſce omnibus modis iidem ſunt loci, qui in ſtatu definitivo: tantum eſt hic κεφαλαίου ἐναλλαγή, ſive *ordinis commutatio*: nempe in quatuor primis capitibus. Nam προβολήν hic excipit ῥητόν, ſive *ſcriptum.* Hinc collocatur συλλογισμός, quem accuſator opponit τῷ ῥητῷ, Sequitur deinde ἡ γνώμη τοῦ νομοθέτου, *ſententia legiſlatoris*: quæ utrique parti communis eſt. Reliqua capita Hermogenes petere jubet è ſtatu definitivo: nempe quia & eadem ſunt, & eodem tractantur ordine. Atque hæc ratio eſt, cur nonnulli de ratiocinatione continuò tractent poſt ſtatum definitivum. Nos inſiſtere maluimus ordini Hermogenis, ne commiſceantur ſtatus rationales, ac legales.

Ἀδριανοῦ ἀποδόσεις in Gloſſ. vet. ab H. Steph. edito, ac Lugduni Batavorum cum Vulcanii notis recuſo. Vide inter alios Colerum παρέργων cap. 3. & inprimis Goldaſtum in notis ad Doſitheum.

Monet autem Syrianus, quemadmodum hic ſtatus in quoſvis incidit ſtatus; ita in hunc quoque ſtatum incidere ſtatum conjecturalem: ut cùm conjecturâ eſt indagandum, quæ mens fuerit legiſlatoris.

Nulla exſtat Ciceronis in hocce ſtatu oratio: incidunt tamen nonnulla apud eum, quæ huc referri poſſint. Iſtiuſmodi eſt illud pro Cæcinâ: *Quibus enim rebus plerumque vis fit, ejuſmodi res appellantur interdicto: ſi per alias res eadem facta vis eſt, ea tametſi verbis interdicti non concluduntur, tamen ſententiâ juris atque auctoritate retinentur.* Sunt & quædam alia inibi hujuſce generis. uti illud: *Lex uſum, & auctoritatem, fundi jubet eſſe biennium: at utimur eodem jure in ædibus, quæ in lege non appellantur.* Sed de ratiocinatione hactenus.

III. De statu contrariarum legum.

Tertius ſtatus eſt ἀντινομία, *legis contradictio.* Ea vel oritur ex duabus pluribuſve legibus pugnantibus; vel etiam ex unâ lege, cujus plura ſunt capita, quæ caſu contraria fiunt. Primi modi exemplum eſt. Lex una eſt: *Mas*

templum Cereris ne ingrediatur. Altera eſt: *Qui opem parentibus non tulerit, gravi pœna mulctator.* At in templo Cereris vapulanti matri opem tulit filius. Accuſatur. Itidem lex una eſt: *Qui tempeſtate coortâ ſolus in navigio remanſerit, is navem poſſideto.* Altera eſt: *Ne filius abdicatus paterna poſſideat bona.* At remanſit in navi filius, quem pater abdicaverat. Hic igitur ratione prioris legis vindicat ſibi navem. Sed dicam ei ſcribit alter filius, eò quòd lege alterâ, qui exhæres ſit, haut patrimonii particeps eſſe poſſit. Poſterioris modi exemplum eſt iſtiuſmodi. Lex eſt: *Si quis virginem imminuerit, illa poteſtatem habeto eligendi ejus vel mortem, vel conjugium.* Eſt qui duabus vitium obtulerit: quarum una violatorem cupit *uri virgis, ferroque necari*, ut inquit Flaccus *; altera, non viripotens fortè, ſed viroſa magis, matrimonium expetit. Itaque hoc caſu in una eademque lege contradictio eſt. Ac hujus generis exempla etiam in hiſtoria Eccleſiæ habemus. Ut in B. Ambroſio, Mediolanenſi Epiſcopo. Nam quid magis Eccleſiæ curandum, quàm ut idoneus præſit Epiſcopus? At in Ambroſio obſtare viſum, quod B. Paulus vetet, ne epiſcopus creetur neophytus. Nihilominus electus eſt epiſcopus Ambroſius, licet neophytus: quia & ab Arriana hæreſi conſtaret eſſe immunem; & ſummæ eſſet auctoritatis; quòd illa tempora requirerent. Imò multa etiam in Scripturis exempla habemus. Ut in Jephthe. Licet enim lex foret Moſaica, ne mamzer, h. e. ſpurius, magiſtratum capeſſeret: quia tamen, præcipuè difficilibus temporibus, imperium illi & tradendum, & ſuſcipiendum, quem exigit ſalus publica, Jephthæ & traditum, & ſuſceptum imperium fuit: ut eſt Judic. x. Lex erat Moſaica, ne quiſquam, præter ſacerdotes, veſceretur panibus propoſitionis. Et tamen, quia lex eſt, ut eſurientes paſcantur, hi panes præbiti ſunt Davidi eſurienti. Eidem, licet lex foret, ne Deo conſecrata alii ſerviant uſui, quàm divino, Goliathi tamen gladius traditus fuit, quia ſic plurima ſalus exigere videretur. Quis legem ignorat, ne ſabbatho opus fiat? Sed ob ſupremam publicæ ſalutis legem, Macchabæi nihilominus ſabbatho pugnarunt.

* Lib. 2. Sat. 7.

Κεφάλαια in hoc ſtatu Hermogeni ſunt tredecim.

Primum eſt προσβολή, ſive *intentio* accuſatoris. Ut, Non debetur tibi navis, cùm pater te ſcripſerit exhæredem.

Alterum eſt διάνοια, ſive *ſententia*. Ut, Non peto navem, ut filius; ſed ut alienus: non jure ſanguinis; ſed virtutis ergo, quia navem conſervavi.

Tertium eſt ἑτέρα προσβολή, *altera propoſitio*: quæ petitoris διάνοιαν confirmat. Ut, Lex jubet, ut navis ejus ſit, qui tempeſtatis tempore ſolus in ea remanſerit.

Quartus eſt ἑτέρα διάνοια, *altera ſententia*: quæ petitoris διάνοιαν refutat. Ut, Lex quidem navim alienam dari vult remanenti in navi: at non ſemper, quià prohibet dari navem paternam filio exhæredi.

Quinctum eſt ἀντίθεσις, *qualitas aſſumtiva*: eſtque communis utrique parti. Accuſatoris ἀντίθεσις eſt, At pater exheredem te fecit bonis ſuis. Rei ἀντίθεσις eſt, At ſolus remanſi in nave.

Sextum eſt μετάληψις, *tranſlatio*, ſeu præſcriptio. Eſtque tum judicii, tum facti. Judicii, ut, Non jam tempus eſt objiciendi, quòd pater me exhæredârit. Facti, ut, Si pater ſuperſtes foret, me quoque hæreditatem vellet cernere, ob hoc egregium facinus. Contrà accuſator dicet, potuiſſe eum majora virtutis ſuæ documenta dare, pugnando cum enormibus vitiis, ob quæ pater exhæredem fecit; quàm temere ſeſe navi committendo, pugnandove cum mari, ac inſanis fluctibus.

Septimum eſt, τὸ πρός τι, ſive *quantitas comparata*: eſtque nihil aliud, quàm duarum legum comparatio. Ea fit quadrifariam. Primò ratione temporis. Nam pro quo facit antiquior lex, is hujus dicet ob vetuſtatem potiſſimum eſſe habendam rationem. At cui favet, quæ poſteriùs lata eſt, is adſeret, novis legibus veteres antiquari. Deinde ratione perſonarum. E. G. Lex de abdicatis lata eſt à Solone, legiſlatore ſapientiſſimo: tuam vel Chærephon conſtituit, vel Midias tulit, uterque prætor improbus. Tertiò ratione amplitudinis. Ut, Illa de exhæredatis lex eſt communis: tua unius eſt civitatis. Quartò ratione effectorum. Ut, Major utilitas eſt legis de exhæredibus, quàm alterius de navis poſſeſſore.

Octavum eſt ὁ βίαιος ὅρος, *violenta definitio*. Actor dicet, Ejus eſt navis, qui poſſedit; nec vendidit, aut alii donavit. Petitor inquiet, non patris erat navis, ſed tempeſtatis: non ut hæredi navis debetur mihi; ſed ut donata à Neptuno, aut ut præmium virtutis.

Præter hoſce locos incidunt & alii quinque; θέσις ſive *locus communis*, μετάληψις ἑτέρα ſive *altera tranſlatio*, ἀντίληψις ſive *qualitas abſoluta*, ποιότης ſive *qualitas*, quæ petitur ab attributis perſonæ, & γνώμη ſive *conſilium* ac voluntas rei. Verùm de hiſce remittit nos Hermogenes ad ſtatus aſſumtivos.

IV. De statu ambigui.

PRoximum eſt, ut dicamus de ſtatu ambigui. Cujus tres ſunt modi: unus προσῳδίας, ſive *accentus*; alter διαστάσεως, ſive διαιρέσεως, h. e. *intervalli, ac diviſionis*; tertius ὁμωνυμίας, ἢ ἀμφιβολίας, ſive *vocabulis plura habentis ſignificata, aut ancipitis conſtructionis*.

Ambiguitas accentus eſt in lege iſta, ΕΤΑΙΡΑ, ΧΡΥΣΙΑ ΕΙ ΦΟΡΟΙΗ, ΔΗΜΟΣΙΑ ΕΣΤΩ. *Meretrice auream geſtante coronam, publica eſto.* Accuſator pronunciat δημοσία, accentiunculâ in penultimâ, (neque enim veteres apponebant has vocum notas) ac proinde lege vult præcipi, ut publicetur meretrix. hoc eſt, ut mancipium fiat civitatis. At rea acuit antepenultimam, ut ſit δημόσια: ac proinde legis mentem eſſe dicit, ut corona, non ipſamet, publicetur.

Ambiguitas συνθέσεως, καὶ διαιρέσεως eſt, ſi quis duos habens filios, Leontem & Cunctaleontem, ita teſtamento caveat: BONA MEA DO LEGO CUNCTALEONTI. Nam Cunctaleon ſe nominari vult: at alter, διαίρεσιν faciens, legit, BONA MEA DO LEGO CUNCTA, i. omnia, LEONTI. Simile iſtud apud Theonem Sophiſtam, Αὐλητρὶς πεσοῦσα ἔστω δημοσία· &, Αὐλὴ τρὶς πεσοῦσα ἔστω δημοσία. Quæritur enim, an tibicina, ſi ceciderit, an verò olla, quæ ter ceciderit, debeat publicari. Πεσοῦσα * autem legi debere, non παῖς οὖσα †, prout eſt in editione Camerarii, (quam ſecuta eſt Lugdunenſis) jamdiu optimè obſervavit Joannes Checus, epiſtolâ de pronunciatione linguæ Græcæ, adverſus Stephanum, Epiſcopum Wintonienſem. Clareque liquet ex Fabii lib. VII. cap. IX. ubi hoc ipſum exemplum Latinè interpretatur. Simileque eſt exemplum alterum, quod idem Theo ſubdit, Οὐ Κενταύροις ὁ Ἡρακλῆς μάχεται ‡· &, οὐκ ἐν ταύροις ὁ Ἡρακλῆς μάχεται *.

* Quæ ceciderit.
† Quæ puella ſit.
‡ Non Centauris bellum movet Hercules.
* Non in tauris bellum movet Hercules.

Ambiguitas ex ὁμωνυμίᾳ eſt; Quidam taurum legavit amico. Itaque hic, poſt mortem teſtatoris, petit ſervum nomine Taurum: at hæres bovem ei legatum dicit. Ἀμφιβολία verò eſt in illo, quod affert Heremianus magiſter lib. I. *Tullius hæres meus Terentiæ uxori meæ* XXX. *pondo vaſorum argenteorum, quæ volet, dato.* Nam incertum eſt, utrùm is damnâs ſit, dare vaſa, quæ Terentiæ adlubeſcant, an quæ volet ipſe.

Κεφάλαια juxta Hermogenem ſunt novem.

Primum eſt προσβολή, ſive *intentio* accuſatoris. Ut, Proſcribi meretricem poſtulo, ac divendi, quod coronam geſtarit auream.

Alterum eſt ἡ ἑτέρα προσβολή, ſive *intentio defenſoris*. Ut, Non meretrix vendenda, ſed aurum.

Tertium eſt ἡ γνώμη τοῦ νομοθέτου, *ſententia legiſlatoris*. Eſtque is locus utrique parti communis. Accuſator dicet, æquas delictis pœnas legibus irrogari: at verò maximopere adverſari bonis moribus, ſi meretrix geſtet coronam auream. Defenſor aſſeret, leges eſſe populares, & æquas; non crudeles; cujuſmodi forent, ſi ob unum delictum mulier redigatur in ſervitutem.

Quar-

Quartum eſt πρὸς ἔχον καὶ περιεχόμενον: quod caput uno nomine à Fortunatiano appellatur *continentia*. Eo autem ſignificatur, aliquo poſito, aut ſublato, utrumque poni, aut tolli. Ita dicet accuſator, cujus hoc caput proprium eſt: Si meretrix publicetur, veſtis quoque publica erit; non item, publicatâ veſte: publica eſt meretrix.

Quinctum eſt ἀντίθεσις, ſive *oppoſitio* accuſatoris. Ut, Non convenit, ut proſtibulum ſeſe condecoret ſchemate, aut ornamentis matronarum. Hanc ob cauſſam apud Athenienſes, meretrices ἀνθινοῖς, ſeu verſicolore utebantur veſte; teſte Artemidoro lib. II. cap. III; item Suida: & Romæ *matronæ, quæ à maritis ob adulterium repudiabantur, togam accipiebant ſublatâ ſtolâ, propter ignominiam*; ut ſcribit Acron in iſthoc Horatii †:

† Sat. 2. lib. 1.

Quid inter-
Eſt, in matronâ, ancillâ, peccesve togatâ?

Ubi tria conjungit genera, matronas, ſive nobilium uxores, quas amabat Cupiennius; libertinas, in quas inſaniebat Salluſtius; meretrices, quas ſectabatur Marſæus. Quodque de meretricibus Acron ait, idem firmatur illo Juvenalis ſat. II. de matronâ ſtupri reâ:

—— *Carſinia talem*
Non ſumet damnata togam.

Et hoc Martial. lib. II. epig. XXXIX:

Coccina famoſæ donas, & janthina, lenæ.
Vis dare, quæ meruit, munera? mitte togam.

Et lib. X. epig. LII:

Thelin viderat in toga ſpadonem:
Damnatam Numa dixit eſſe mœcham.

Sextum eſt πίστις, ſive *qualitas* facti: ubi de rei turpitudine diſſerendum.

Septimum eſt γνώμη, ſive *ſententia*: ubi videndum, quo conſilio id egerit meretrix.

Octavum eſt μετάληψις, ſive *transſumtio* defenſoris: cui inſperguntur, quæ faciunt ad ciendam miſericordiam. Ut, Crudule eſt, miſeriæ miſeriam accudere: abunde miſera eſt proſtitutarum conditio, cùm matronarum careant ornamentis, aut, ſi utantur, ea amittant. Habet hoc genus multiplicem ἐξέτασιν *: ideoque & in hypotheſi hàc multæ locum habent γνῶμαι, καὶ ἐπιχειρήματα †. Ut, bella multos involvere miſeriis: majores meretricis aliquod aliquando nomen geſſiſſe; ſed belli adverſitate, militum rapinis, incendiariorum ſcelere, redactos eſſe ad ſortem paupertinam: vim illatam virgini à centurione: unà cum cæteris in ſervitutem redactam: coactam facere quæſtum corpore. Accuſator verò inſtituet ἀντίθεσιν, quâ hæc impugnabit, ac culpam impudicitiæ in ipſam impinget feminam.

* Recenſionem, ac diſceptationem.
† Sententiæ, & epicheremata.

Atque hinc cognoſcere eſt, rectè à Sopatro ‡ ſcriptum eſſe: cùm loci ſtatuum legitimorum vel proprii ſint cujuſque generis, vel omnium communes: priori quidem loco proprios exponi: hinc verò cætera capita repeti è ſtatu aliquo rationali, ſive is abſolutus fuerit, ſive aſſumtivus.

‡ In diviſione quæſtionum.

Quomodo ambigua diſſolvantur, Juriſconſulti docent: in his Udalr. Zaſius in Rhetorica Ciceronis *.

* Pag. 183. edit. Baſil. a. 1537.

V. De statu legali, qui definitionis dicitur.

QUatuor ſtatibus legalibus ab Hermogene memoratis, de quibus hactenus dictum nobis, tum Tullius, tum Cornificius, definitionem adjungunt, ut antea retulimus. Sed Cornificius, exemplum affert ſtatus definitivi, quo de facti nomine queſtio eſt: Tullius autem eo diſtinguit, quòd illic de facti nomine, hìc de vi verbi quæratur. Atque idem liquidius fit ex exemplo à naufrago, quod Cicero adducit. Cui ſimile ſit iſtud. Quæri poſſit, an, ſiquis alteri legârit vinum, eo comprehendatur paſſum; quomodo, teſte Varrone †, nominabant, *ſi in vindemiâ uvam diutiùs coctam legerent, eamque paſſi eſſent in ſole aduri*. Qui paſſum contineri negat, eo argumento uti poteſt; quòd mulieribus ‡ vini uſu fuerit interdictum; at paſſi uſus fuerit conceſſus. Athenæus lib. X. ex ſextâ Polybii hiſtoriâ: Παρὰ Ῥωμαίοις ἀπείρηται γυναιξὶ πίνειν οἶνον, τὸν δὲ καλούμενον πάσσον πίνουσι. Contrà tamen Ulpianus in leg. IX. Dig. *De tritico, vino, vel oleo legato*, diſertim ſcribit, paſſum quoque poſſe intelligi vini appellatione: ac Plinius, lib. XIV. cap. XIX. paſſum ponit inter vina dulcia. Decidit hanc quæſtionem doctiſſimus Caſaubonus lib. X. Animad. cap. XI. Ait autem, paſſum quidem vini nomine comprehendi; at mulieribus Romanis haut planè interdictum fuiſſe uſu vini, ſed ſolùm ejus, qui ὄπωτος, ἢ ἀνδρεῖος οἶνος Erotiano dicitur: h. e. temeti; quam vocem in Romuli lege, eâ de re latâ, poſitam fuiſſe, conjicere eſt ex Gellii lib. X. cap. XXIV.

† Lib. 1. de vita pp. Rom.
‡ Dionyſius lib. 2. & M. Cato.

Porrò hæc legitimi ſtatus ſpecies (ut Cicero * ait) *iiſdem ex locis omnibus, quibus definitiva conſtitutio, tractabitur.*

* Lib. 2. de invent.

VI. De statu translativo.

COrnificio ſexta ſpecies ſtatus legitimi eſt μετάληψις, ſive tranſlatio. Sed ſi tum ſtatus legitimus eſt, ut ipſe † agnoſcit, *cùm ex ſcripto, aut ex ſcriptis, aliquid controverſiæ naſcitur*: ſane μετάληψις propriè ſtatus legitimus non erit, quia eo non de ſcripti ſententiâ, ſed de actione judiciali, quæritur. Atque hoc impuliſſe Hermagoram videtur, ut, quemadmodum ex Curio Fortunatiano ‡ diſcimus, eam faceret quartam ſpeciem ſtatus rationalis. Nihilominùs legalibus eam ſtatibus ſubjicit quoque Hermogenes: nimirum quia vis ejus lege niti debet.

† Lib. 1.
‡ Lib. 1. artis ſcholicæ.

Eſt autem μετάληψις nihil aliud, quàm conſtitutio judicii, h. e. controverſia quædam judicium præcedens. Cic. in Partitionibus: *Atque etiam ante judicium de conſtituendo ipſo judicio ſolet eſſe contentio: cùm aut ſitne actio illi, qui agit, aut jamne ſit, aut num jam eſſe deſierit, aut illâne lege, illisne verbis ſit actio, quæritur.* Μετάληψις vocatur, quia judicium à judice in judicem, ab accuſatore in accuſatorem, à tempore in tempus transfertur, aut aliâ quâcunque ratione actio, aut judicium, recuſatur. E. G. ſi conjux alicujus neget, ſe adulterii ampliùs à marito accuſari poſſe; non quia inficias ire poſſit, ſe ſtupri gratiâ cum quopiam caput iiſſe; verùm quia conjux juri ſuo renunciarit: cùm tam longum interceſſerit temporis intervallum, ex quo eam ductarit alius, & marito certò conſtiterit: ut à quo eo nomine in os ſæpe accuſata ſit. Similis exceptio eſt in oratione pro Cælio, quia cauſſa illa agebatur die feſto. Et primâ Verrinâ diſceptatur de conſtituendo accuſatore: unde & *divinatio* dicitur: quâ de re Agellium vide lib. II. cap. IV. Ac apud Demoſthenem quòque multæ ſunt hujuſmodi cauſſæ. Vide & L. Poſthumus. §. Siquis inſtituta accuſat. ff. de inofficioſo teſtamento. Etiam judicium recuſantis exemplum habemus in Caino, cùm ait *: *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego?*

* Gen. 4. 9.

Fit autem μετάληψις bifariam. Nam vel omnino excluditur actio: vel tantùm ex aliquâ circumſtantiâ. Prioris exemplum eſt, ſi, qui cædis ſemel poſtulatus, atque abſolutus fuit, pòſt, cognitis certioribus cædis indiciis, iterum in jus vocetur. Ille enim, cui dica ſcribitur, negabit, ſe ullâ ratione in jus vocari poſſe, cùm lex vetet, bis eâdem de re judicium fieri. Fortunatianus hanc μεταλήψεως ſpeciem vocat *præſcriptionem*: juriſconſulti nominant *exceptionem rei judicatæ.* Poſterioris generis eſt, qui adulterum cum uxore deprehenderat, priùs ſolùm adulterum occidat: pòſt verò occidat adulteram in monumento adulterii inventam. Quippe reus negabit, ſecum jure agi poſſe, quòd lex permittat cædem utriuſque: actor verò transferet illud ad tempus, ac locum, nam lege permiſſum negabit, ut alio tempore aut loco occidantur, quàm quo in adulterio deprehenduntur. Hæc ſpecies ſibi apud nonnullos proprium μεταλήψεως nomen vindicavit. At Hermogeni id nomen tum hanc, quam preſsè μετάληψιν vocant, tum etiam præſcriptionem comprehendit. Hermogenem quoque ſequitur Sulpicius Victor, diſſentiente Zenone, conſentiente Marcomano neſcio quo. Ita

enim

enim ſcribit: *Hæc quæ ad præſcriptionem pertinent, quamquam ab inſtituto Zenonis remota, non tamen alienum fuit, perſequi ex his, quæ tradidit Marcomannus; ex cujus commentariis hæc propè ad verbum tranſlata ſunt.*

Sunt qui μετάληψιν ac præſcriptionem, referri putent ad ſtatum νομικὸν ſive legalem: eoſque hæc movit ratio, quòd illa tantùm μετάληψις perfecta ſit, quæ legis autoritate nititur. Ut in exemplo anteà allato, quod erat, ſi quis homicidii, vel alterius criminis accuſatus, judicium detrectâſſet, quia ſemel hâc de re judices ſententiam tulerint: lex autem ſit, ne eàdem de re bis habeatur judicium. Quomodo Crito apud Comicum * ait:

Mihi non videtur, quod ſit factum legibus,
Reſcindi poſſe.

* Adelph. act. 2. ſc. 4.

Sed minùs hæc ſententia ſatisfacit. Utique μετάστασις duplex eſt. Nam vel ἁπλῶς negamus, nobiſcum in jus ambulari poſſe; quæ τελεία, ſive perfecta tranſlatio dicitur: vel aliquo modo rejicitur judicium, ut, ſi negemus, hoc tempore, hâc lege, eâ judicii formâ, nobiſcum agi poſſe. Sed ſive hæc, ſive illa μετάστασις conſideretur; cùm utrobique de re futurâ diſceptetur, puta de actione, vel accuſatore; ſi ad ſtatum aliquem referenda eſt, non tam ad ſtatum νομικὸν pertinere videtur, quàm πραγματικὸν ſive negotialem, qui proprius eſt generis συμβουλευτικοῦ ſive deliberativi; utpote cujus ſolius ſit conſiderare tempus futurum.

Sunt alii, qui μετάληψιν ſtatibus generalibus annumerent; ut Quinctilianus lib. III. cap. VIII. & Cicero ipſe libro I. de Inventione. Eos autem in hanc ſententiam adduxit cauſſarum tuendarum ordo ac ratio. Nam primùm reus, ſi poteſt, ſe feciſſe negat: ſin minùs, proximum eſt, ut dicat, ſe non feciſſe quod objicitur. Tertio loco, quæ defenſio honeſtiſſima eſt, rectè feciſſe contendit; aut non tam gravem intuliſſe injuriam, quàm credat adverſarius. Quæ ſi deficiant, una ſupereſt ſalus, aliquo juris adjumento elabendi; quod fit per tranſlationem. Hæc ſententia apud multos eò minoris eſt ponderis, quòd autores illius parum ſibi conſtiterint. Uterque enim alio loco tribus illis generalibus ſtatibus acquieſcit; neque ullius mentionem facit, præterquam conjecturalis, finitivi, & juridicialis. Mihi tamen haut improbatur: quamquam propius fidei videatur, eam eſſe ſtatum, non tam ἁπλῶς ab omnibus, quàm ab aliis generis ſeu qualitatis ſtatibus, disjunctum. Siquidem qualitatis ſtatus, vel eſt negotialis, vel juridicialis. Juridicialis vel rationalis eſt, vel legitimus. Rationalis vel abſolutus eſt, vel aſſumtivus. Aſſumtivus vel eſt comparatio, vel relatio, vel remotio, vel conceſſio. Legitimus vel eſt ſcripti & ſententiæ, vel ratiocinationis, vel legum contradictionis, vel ex ambiguo. Sed hi omnes qualitatis ſtatus ſunt περὶ πράγματος, *de re*, ſive negotio ipſo: ut μετάληψις propriè horum nihil ſit; quandoquidem ea eſt non περὶ πράγματος, ſed περὶ ἀγῶνος, h. e. *de judicio conſtituendo.*

Nunc κεφάλαια μεταλήψεως perſequamur.

Primo loco conſtituenda προβολή, ſive *intentio.* Ut, Homicida es.

Sequitur deinde παραγραφή, ſive *præſcriptio.* Ut, Semel ſum abſolutus; eoque me in jus vocare non potes; cùm lex vetet, bis eàdem de re cauſſam dicere.

Huic ſuccedit διάνοια νομοθέτου: *ſententia legiſlatoris.* Ita dicet actor, Conſideranda eſt mens legiſlatoris, non ſcriptum. At defenſor dicet, legiſlatorem adſcripturum fuiſſe, ſi hæc ejus fuiſſet ſententia.

Quartum eſt συλλογισμὸς, ſive *ratiocinatio.* Ut, Nihil intereſt, num adſcripſerit legiſlator, nec ne, cùm mens ejus ſit manifeſta è lege.

Quintum eſt ὅρος, ſive *definitio*, quæ ſemper contraria eſt ratiocinationi. Itaque definitio oſtendet, plurimùm inter ea intereſſe quæ paria videntur actori.

Incidit & hic ſtatus conjecturalis. Nam dicet reus; Quid quòd, licet me lex judicio non liberaret, pœna à me homicidii repoſci non poſſet? Neque enim homicidium commiſi, atque iccirco ſuperiori cauſsâ ſum abſolutus. Alii quoque ſtatus incidere poſſunt. Atque id cùm fit, propria ejuſce ſtatus capita adeunda ſunt, quò ex iis profligetur quæſtio. Verùm, niſi urgeat neceſſitas, continebit ſe reus intra μετάληψιν, ac contendet, non debere hanc cauſſam iterum ventilari.

Sunt & alia præſcriptionis capita: verùm ea peti poſſunt ex ſtatu ſcripti & ſententiæ. Nam, ut ſuprà dicebamus, omnis τελεία παραγραφὴ * ſcripto & lege nititur. Hoc tamen diſcriminis eſt, quòd capita actionis tribuantur reo, & contrà: atque id ex capitibus, quæ paullo antè commemorabamus, manifeſtum eſt.

* Perfecta præſcriptio.

Reo autem adferente παραγραφὴν †, ſive μετάληψιν ‡, accuſator oſtendit, Item εἰσαγώγιμον εἶναι *. Quâ de re vide Carolum Sigonium lib. III. de Rep. Athen. cap. de judiciis Heliææ, & Budæum in Commentariis linguæ Græcæ.

† Præſcriptionem.
‡ Tranſlationem.
* Ejuſmodi eſſe, ut contra eam præſcripto jure objici non poſſit.

VII. De superiorum capitum in translatione, ac statibus aliis, delectu et eorundem permutatione.

PORrò ex capitibus hactenus memoratis non omnia ſemper incidunt. Quædam etiam, ſi incidant, nihil interdum continent quod magnopere cauſſam juvet. Quamobrem & hic, & cæteris in capitibus utendum judicio, ne, dum omnia conſectamur, cogamur μικρολογεῖν †. Hoc ut planius fiat, operæ ſit, ſumere cauſſam quampiam à Demoſthene, Cicerone, aliove oratore tractatam: ac primò videre, quæ capita in eam incidant, juxta doctrinam Hermogenicam: deinde verò notare, quæ ſolùm argumenta uſurpet Demoſthenes, Tullius, aut quiſquis is orator eſt. Nam quæ negliguntur à præſtantiſſimis oratoribus, ea orationem reddidiſſent exilem; nonnunquam etiam cauſſæ obfuiſſent.

† Minutias conſectari.

Interdum quoque uſu venit, ut loco ejus capitis, quod præteritur, aliud alio ex genere adhibeatur. Ita in ſtatu aſſumtivo, ut Metrophanes & Sopater monent, plurimùm definitio inter præſcriptiones locum habet: alias in compenſatione uti poſſumus iſtiuſmodi præſcriptione: Quid verò hoc rei? in judicium vocabor, qui beneficium dedi?

Interdum etiam in capitis deficientis locum ſuccedit aliud ei geminum. Ita, ut in diviſione quæſtionum Sopater tradit, cùm διάνοια τοῦ νομοθέτου, ſive *conſilium ac mens legiſlatoris*, manifeſta eſt, diſceptatio inſtitui poteſt de conſilio eorum, qui illud, quod agitur, fecerunt. Rem eam exemplo hujuſcemodi Sopater declarat. Lex erat: Quiſquis non initiato aperuerit Cereris myſteria, capite pœnas luito. At quidam, cùm in ſomnis vidiſſet myſteria, amico non initiato ſomnium aperuit, ac, num ea eſſent myſteria, rogavit. Annuit is. Accuſatur itaque impietatis. Hic de mente legiſlatoris dubitari nequit: verùm quæſtio erit, quo conſilio Dii immortales hoc ei ſomnium immiſerint. Atque erit is conjecturæ ſtatus. At definitio erit, cùm adſeret reus, cui Dii myſteria aperire fuerint dignati, hunc meritò initiatum videri. Quando verò quid, & quod caput, in alius locum quaſi ſuccedaneum adhibeatur: id non tam præceptis tradi poteſt, quàm pendet à judicio ac prudentia oratoris.

VIII. De variis assumtivorum statuum appellationibus: item, rectene statuatur aliquis ratiocinationis vel ambigui status.

HActenus de ſtatu qualitatis, ejuſque ſpeciebus, ac capitibus: quæ omnia, ne juventutem turbaremus vocabulorum novitate, conſuetis vocabulis ſemper appellavimus: quamquam & aliæ exſtent apud alios appellationes. Nam ſtatum aſſumtivum, ut ex Sopatro cognoſcimus, quidam vocant *defenſionem veriſimilem*; nempe quia præ cæteris cauſſam faciat veriſimilem. Etiam ſtatus hic, eodem Sopatro teſte, tum *tranſlatio cauſſæ* nominatur, puta quòd in cauſſam honeſtam culpa transferatur: tum

tum *color*, nimirum quia, ut Porphyrius ait, quaſi color quidam ac quædam honeſtatis ſpecies facto prætexatur. Juvenalis ſat. VII:

Quis color, & quod ſit cauſſæ genus, atque ubi ſumma Quæſtio.

Ac ſimiliter appellat ſat. VI, ut ſuprà vidimus. Etiam *coloris* nomen crebrò legere eſt apud M. Senecam; qui & deridet colorum libros, quos ſcripſerat Otho Junius, Tiberiani temporis, Rhetor Tacito etiam memoratus in III. Annal. Videri queant eodem modo dictæ controverſiæ coloratæ: niſi cui magis veriſimile ſiat, ita vocatas, quas Philoſtratus in Polemone ἐσχηματισμένας ὑποθέσεις, ac Fabius *figuratas* appellat *controverſias*: aut, ut alii malunt, quarum argumentum eſt παράδοξον *. At hoc quidem εἰς τὸ μέσον κεῖσθαι †. Κεφάλαιον quoque, quod nos συλλογισμὸν ſive *ratiocinationem* cum Hermogene vocamus, id Fortunatianus nominat *collectionem*: nempe quia ex certo colligitur incertum. At Sulpitio Victori nuncupatur *par*: quæ appellatio non diſplicet, tollendæ ambiguitatis cauſſâ. Nam non defuerunt, qui ratiocinationem ideo excluſerint è ſtatuum numero, quòd ſit argumentatio Logica; cùm tamen liqueat ex iis quæ diximus, aliter Logicos, aliter Rhetoras, hoc uti nomine. At, inquiunt, ut anguſtiùs uſurpent Rhetores, tamen aliud omnino eſt thema à thematis probatione. Verum ignorare mihi videntur, ſtatus alios eſſe principales, alios incidentes; cujuſmodi non modò ratiocinatio eſt, ſed & ſtatus ex ambiguo, atque adeò omnis ſtatus legitimus: quæ & ſententia eſt Thomæ Corræi lib. III. de Eloqu. cap. XXIII. Sed iidem de ſtatu quoque ex ambiguo controverſiam movent. Negant enim, ſtatum eſſe poſſe, quia ambiguitas omnis tolli debeat, antequam tractetur controverſia. Verum cogitare debebant controverſiam quoque eſſe poſſe de modo tollendæ ambiguitatis. Ut, cùm tota controverſia eſt, num CUNCTA LEONTI diviſim, an conjunctim, legi debeat. Et hæc hactenus. Nunc ad alia accedo, ad quæ me tacita vocat lectoris exſpectatio.

* *Admirabile.*
† *In medio relinquatur.*

CAP. XI.

DE STATU QUANTITATIS.

IN ſtatu quantitatis cognoſcendum, quæ ſint graviores injuriæ: quæ minores. Oſtendimus autem magnas eſſe, vel quia ob cauſſas leves illatæ, vel quia eas magna ſunt conſecuta detrimenta, vel quia affecti bis optime meriti, vel quia quis egit primus, aut ſolus, aut cum paucis, aut ſæpe, aut data operâ, ac pluribus aliis modis.

I. QUOMODO IN STATU QUANTITATIS AMPLIFICENTUR INJURIÆ. ITEM IN POENA AGGRAVANDA QUANDOQUE SPECTARI, NON ANIMUM PECCANTIS, SED UTILITATEM REIP.

QUum juxta Ariſtotelem, quadruplex ſit ſtatus, conjecturæ, definitionis, qualitatis, & quantitatis, de tribus primis hactenus egimus. Supereſt ſtatus quantitatis, in quo conſiderandum eſt, quæ majores ſint injuriæ, quæ minores. Nam in demonſtrativo quidem genere locum eæ res etiam habent, ut ſuprà ‡ oſtendimus: verum nunc de eo tantùm agimus, quatenus pertinet ad genus juridiciale.

‡ *Cap. 6. ſect. 8.*

Sunt autem majores injuriæ, quæ arguunt animum maximè depravatum. Ita Melanopum oratorem accuſabat Calliſtratus, quòd eos, qui templum exſtruebant, fraudâſſet tribus ſemiobolis ſacris. Nam qui tam exigui lucri gratiâ injurius eſt, nullam metuet inferre cuiquam injuriam. Atque hinc liquet, longè aliam injuſtitiæ, quàm juſtitiæ, eſſe rationem. Nam juſtitia maxima eſt in re maxima: at maxima injuſtitia non tantùm in re maxima, ſed etiam in minimâ eſſe poteſt. Quid enim non audebit, quem

—— parva poterunt impellere cauſſa
In ſcelus?

Quemadmodum ſeu jure, ſeu injuria, cecinit Claudianus ‡ de

—— Iſtrogothis, miſtiſque Gothunnis:

ut etiam expreſſit Delrio. Sive, ut legendum puto,

—— Oſtrogothis, miſtiſque Gothinis.

Nam Gothini Tacito, qui Dioni Κότινοι *. Gravior quoque illa injuria, cui par nulla pœna eſt; aut quæ nullis remediis emendari † poteſt; aut quam ulciſci non poteſt cui injuria infertur; aut propter quam ſibi quis mortem conſcivit; aut ob quam aliqui in fraudem capitalem inciderunt. Itaque Demoſthenes, pugno cæſus in theatro à Midiâ Athenienſi prædivite, quò injuriam hanc apud populum oratione exaggeraret, refert inter alia, quomodo Euæon, Leodamantis frater, Bœotium inter epulas, ac in conventu publico, obtruncârit, unicum ob colaphum inflictum; ac ſubjicit, Οὐ γὰρ ἡ πληγὴ παρέστησε τὴν ὀργὴν, ἀλλ' ἀτιμία· οὐδὲ τὸ τύπτεσθαι τοῖς ἐλευθέροις ἐστὶ δεινὸν, καίπερ ὂν δεινὸν, ἀλλὰ τὸ ἐφ' ὕβρει. i. *Neque verò unica plaga iræ impetum, ſed ignominia civis: neque cædi ingenuis grave eſt, tametſi eſt ipſum grave: id enim vero demum grave eſt, ad contumeliam cædi.* Quem ipſum locum Juriſconſultus quoque citat in L. aut facta. §. qualitate. ff. de pœnis.

‡ *Lib. 1. in Eutropium.*
* *Aliquibus diſplicet* Grotungi; *ſeu, ut apud Ammianum eſt*, Grutungi, *qui iidem ac Viſigothi. Sed* Gothini *propius abit à MSS.*
† *Nam levior omnis culpa, quæ poſſit corrigi. Hinc Livius lib. 44.* Incautior Nicias, Pellæ projiciendo partem, quod fuerat nactus: ſed in rem emendabilem viſus lapſus, quod per urinatores omne ferme extractum eſt.

Major quoque injuria eſt, quam quis ſolus egit, vel primus, vel ſæpe, &c. Ideoque homines facinoroſi ad imminuendam facti turpitudinem afferre ſolent, quòd vulgò id faciant. Sed rectè Demoſthenes contra Androtionem ‡, Σὺ δὲ μὴ λέγε, ὡς γέγονε τοῦτο πολλάκις, ἀλλ' ὡς οὕτω προσήκει γίγνεσθαι. Οὐ γὰρ εἴ τι πώποτε μὴ κατὰ τοὺς νόμους ἐπράχθη, σὺ δὲ τοῦτο ἐμιμήσω, διὰ τοῦτο ἀποφύγοις ἂν δικαίως, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἁλίσκοιο διὰ ταῦτα. Ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἐκείνων ἑάλω, σὺ τόδ' οὐκ ἂν ἔγραψας, οὕτως ἂν σὺ νῦν ἁλῷς, ἄλλος οὐ γράψει. *Tu verò noli dicere, id ſæpenumero factitatum, ſed ita convenire fieri. Neque enim, ſiquid unquam haut juxta leges factum eſt, ac tu id imitatus es, iccirco juſte abſolvi debeas; ſed multò magis condemnari. Quemadmodum enim, ſi quis fuiſſet condemnatus, tu non ſcripſiſſes id plebiſcitum; ita, ſi tu condemnaberis, ſcripturus alius non eſt.* Eamdemque rem legere eſt apud eundem in Philippicis, ut monet Theon *. Egregiè autem Tullius hunc imitatus eſt locum tertio accuſationis libro: *Quid igitur dices? feciſſe alios? quid eſt hoc? utrùm criminis defenſio, an comitatus exſilio, quæritur? Tu in hâc Rep. atque hâc hominum libidine, & ut adhuc habuit ſe ſtatus judiciorum, etiam licentiâ, non ex jure, non ex æquitate, non ex lege, non ex eo quod licuerit; ſed ex eo, quòd aliquis fecerit id quod reprehenditur, rectè factum eſſe defendis?* Et aliquanto pôſt: *Ut ego adſentiar orationi, tamen defenſionem non probabo. Potiùs etiam, te damnato, ceteris anguſtior locus improbitatis defen dendæ relinquetur: quàm, te abſoluto, alii, quod audaciſſimè fecerunt, rectè feciſſe exiſtimentur.* Hæc eo lubentiùs adduximus, quòd hujuſcemodi exemplorum collatione, rectam veramque perſpicere ſit imitandi rationem: ut optimè monet elegantiſſimus Muretus †. Plura verò de hiſce amplificandi modis apud Ariſtotelem vide Rhetor. lib. I. cap. XLIII. ‡.

‡ *Hunc locum, uno altero ſolùm verbo variante, adducit Agellius lib. 10. cap. 19.*
* *In progymnaſmatis.*
† *Lib. 15. cap. 10. Var. Lect.*
‡ *Juxta diſt. Dan. Barbari: ſed ſecundum vulgatam cap. 14.*

Nec tantùm eo exaggerare crimen licet, quòd injuria ſit major: ſed etiam, quia Reip. interſit, graviùs illud puniri. Quomodo Pitacus, unus ſeptem ſapientum Græciæ, principatum adeptus apud Mitylenæos ſuos, legem ſanxit, ut qui peccaſſent ebrii, graviùs cæteris punirentur: non quia putaret injuriam intuliſſe majorem; (ignorantes enim deliquerunt) ſed quia inſula Lesbos vino abundaret, & ebrii magis proclives ſint ad inferendam injuriam, quàm ſobrii: eoque gravitate ſupplicii cives ſuos à nimiis poculis vellet abſterrere. Ariſtoteles lib. II. Polit. cap. ult. Ἐγένετο δὲ καὶ Πιττακὸς νόμων δημιουργὸς, ἀλλ' οὐ πολιτείας. νόμος δ' ἴδιος αὐτοῦ, τὸ τοὺς μεθύοντας, ἂν τυπτήσωσι, πλείω ζημίαν ἀποτίνειν τῶν νηφόντων. διὰ γὰρ τὸ πλείους ὑβρίζειν μεθύοντας, ἢ νήφοντας, οὐ πρὸς τὴν συγγνώμην ἀπέβλεψε,

βλέψε, ὅτι δεῖ μηθύνσιν ἔχειν μᾶλλον, ἀλλὰ πρὸς τὸ συμφέρον. *Fuit & Pittacus legum conditor, at non Reip. Lex verò ejus propria erat, ut ebrii, ſiquem pulſaverint, majori pœnâ afficerentur, quàm ſobrii. Nam propterea quòd ebrii plures contumeliam inferant, quàm ſobrii; non ad veniam reſpexit, quam ebriis magis dari convenit, ſed ad conducibile.* Atque idem etiam in ſecundo Rhetoricorum refert: uti & Laërtius, & Suidas, uterque in Pittaco.

EPILOGUS

Doctrinæ de statibus: ubi primo exponitur, a quibus olim ea tradita fuerit, et quæ locorum sit rethoricorum utilitas.

ATque hæc eſt partim Ariſtotelea, partim Hermagorea, ac Hermogenica ſtatuum doctrina. Nam prima ejus quaſi lineamenta duxit Ariſtoteles, cum quadruplicem facit controverſiam. At Hermagoras accuratiùs capitibus diſtinxit, ac præclaris adauxit præceptis. Minucianus quoque eandem excoluit, & Porphyrius commentationibus illuſtravit. Quorum ſcriptis plurimùm adjutus Hermogenes, pleniùs planiuſque totam hanc rationem expoluit. Quemadmodum & poſt Hermogenem alii eam artis partem exornarunt: uti Græci Hermogenis interpretes, Syrianus, Sopater, Marcellinus, & alius anonymus. Quin & alii complures, partim ante Hermogenem, partim poſt eum, hanc rem ſunt perſecuti. Iſtiuſmodi ſunt Apſines uterque, Ariſtides, Phœbammon: tum item Jo. Doxapater, Gemiſtus, & anonymus Græcus Rhetorices ſcriptor: quorum trium necdum in lucem editis commentationibus ſe uſum in Rhetoricis ſuis ſcribit melioris notæ Rhetor, Petrus Johannes Nunneſius Valentinus: qui feliciùs aliquanto nobis Hermogenicam artem tradidit, quàm factum à magni nominis Rhetore, Georgio Trapezuntio. Nec partem hanc neglexere antiqui Latinorum Rhetores: ut oſtendunt, cùm Tullius, & Fabius; tum Fortunatianus, qui egregiè expreſſiſſe videtur Hermagoreorum diſciplinam: Marius Victorinus, qui Rhetoricos Ciceronis libros commentario illuſtravit: Sulpitius Victor, cujus oratorias inſtitutiones ad M. Silonem generum, cum aliis aliquot antiquis Rhetoribus, primus è Spirenſi bibliothecâ in lucem protraxit vir optimè de totâ antiquitate meritus Beatus Rhenanus; pòſt autem ab Æmaro Ranconeto recognitas edidit P. Pithœus: adhæc Aurelius Auguſtinus, cujus extant principia Rhetorica: ac Julius Severianus, quem (ſi & inſcriptioni editionis Plantinianæ*, & Belgicis Auberti Miræi elogiis credimus) primus divulgavit egregius adoleſcens, ac longiori vitâ dignus, Lucas Fruterius: item alii, quibus commemorandis, ne longior ſim, ſuperſedeo.

* *Poſtea comperimus, primum edidiſſe Oporinum anno 1556. At Plantinus demum excudit anno 1584.*

Et meritò profectò doctrina hæc tanto ſemper inhonore fuit. Nam etſi plurimùm oratori proſunt loci Dialectici: tamen, quia vagantur liberiùs, neque certis circumſcribuntur limitibus; inde eſt, quòd aut locis Rhetoricis præterea opus ſit, aut ingenio ſubacto, multoque uſu erudito. Atque hoc quoque apud Tullium † ſenſit Antonius, cùm ait: *Hi loci ei demum oratori prodeſſe poſſunt, qui eſt verſatus in rebus, vel uſu, quem ætas denique adfert; vel auditione, & cogitatione, quæ ſtudio & diligentiâ præcurrit ætatem. Nam ſi tu mihi quamvis eruditum hominem adduxeris, quamvis acrem & acutum in cogitando, quamvis ad pronunciandum expeditum: ſi erit idem in conſuetudine civitatis, in exemplis, in inſtitutis, in moribus ac voluntatibus civium ſuorum hoſpes: non multum ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur. Subacto mihi ingenio opus eſt, ut agro non ſemel arato, ſed novato, & iterato, quò meliores fœtus poſſit & grandiores edere. Subactio autem, eſt uſus, auditio, lectio, literæ.* Neque inficias eo, hæc in illo etiam requiri, qui locos noverit Rhetoricos. Verùm ſi & is, qui propria cujuſque generis habuerit perſpecta, nomen ſuum abſque multijugâ eruditione, longoque rerum uſu, tueri nequit: quid de iis judicandum erit, qui tantùm norint locorum Dialecticorum ſylvam? Quamobrem nos quidem conſilii non pœnitet, qui ſingulis cauſſarum generibus, cùm generalia, tum ſpecialia, attribuerimus κεφάλαια ſive locos; quos & plurimùm exemplis illuſtravimus.

† *Lib. 2. de Orat.*

Ostenditur, antiquos, tum in explicanda statuum doctrina, tum in tractandis controversiis, nunc veris uti exemplis, nunc fictis, solere.

NEque eſt, quòd culpet quiſquam, quòd fictis exemplis uſi ſumus. Nihil enim refert, veræne ſint, an ficta, modò ex iis cognoſci queat, quo pacto feriæ cauſſæ tractari debeant. Adde quòd hoc quoque à nobis factum eſt antiquorum Rhetorum exemplo; quos juventutem fictitiis exemplis exercere ſolitos, auctor eſt Tranquillus* Hujuſmodi autem commentitiis cauſſis præparari juventutem ad veram eloquentiam, tum in civilibus, tum etiam ſacris: fidem nobis fecerit Lactantius, qui libro 1. cap. 1. ſic de ſe ipſo ſcribit: *Multum nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, ut nunc majori copiâ, & facultate dicendi, cauſſam veritatis peroremus: quæ licet poſſit ſine eloquentia defendi, ut eſt à multis ſæpe defenſa; tamen claritate ac nitore ſermonis illuſtranda, & quodam modo diſſerenda eſt, ut potentiùs in animos influat, & vi ſuâ, & inſtructâ religione, & luce orationis ornatâ.*

* *Lib. de claris Rhet.*

Nec tamen vera planè exempla in exercendo aſpernabantur. Duplici enim, vel triplici potiùs, utebantur exemplorum genere. Alia omninò vera erant: cujuſmodi eſt Salluſtii ad Cæſarem de Rep. ordinandâ; &, quæ malè Ciceroni adſcribitur, in Salluſtium declamatio; uti & quæ falsò Salluſtio tribuitur in Ciceronem: quamvis aliter Quinctilianus. Sed hâc in re aſſentior Pet. Victorio, quem vide lib. XV. Var. Lect. cap. III. Ubertim quoque hâc de re Sebaſt. Corradus in Egnatio ſeu Quæſturâ: ubi & Porcii Latronis, qui ſe iſtiuſmodi argumentis exercere ſolitus, utramque declamationem eſſe ſuſpicatur. Quodſi nullas exercuerint inimicitias, præterquam in negotio Milonis, in quo Salluſtius primò à partibus Clodii ſtetit, ſed (ſi vera fuit ſuſpicio, de quâ Aſconius ſcribit) mox cum Cicerone, ac Milone, in gratiam rediit; mixti declamatio utraque generis fuerit. Metuo certè, ne B. Hieronymus, his inprimis adductus declamationibus, lib. I. adverſus Jovinianum, Salluſtium Ciceronis inimicum vocet. Vera quoque illa Bruti pro Milone, de quâ ſuperiùs diximus; & Ceſtii Rhetoris Smyrnæi in Milonem, cujus meminit M. Seneca in præfat. lib. VII. controverſ. & Fabius lib. X. cap. IV.

Alia erant omnino ficta: ut in iis orationibus, quas ſcripſit, vel potiùs ab aliis ſcriptas digeſſit, & prælоquiis atque interloquiis diſtinxit M. Seneca, L. Senecæ Philoſophi pater; itemque illis, quæ numero CXXXVI. à Tideo Ugolino Parmenſi in lucem ſunt editæ, ac à Pithœo ICto, ope antiquiſſimi exemplaris, ſunt meliores factæ, & novem nunquam antè editarum acceſſione adauctæ. Eas quidam ſuſpicantur eſſe Quinctiliani patris. De quo hæc legimus lib. IX. Orat. Inſt. cap. III. *Et cur me prohibeat pudor uti domeſtico exemplo? Pater meus contra eum, qui ſe legationi immoriturum dixerat, deinde vix paucis diebus inſumtis re infectâ redierat; Non exigo uti immoriaris legationi; immorare.* Verùm cùm Quinctiliani declamatoris mentio quoque fiat apud M. Senecam patrem †: non minùs eorum placet ſententia, qui eas avo hujuſce Quinctiliani adſcribere malunt. At undeviginti illæ declamationes, quæ & ipſæ Quinctiliano vulgò inſcribuntur, ac Rhetoricis Fabii libris ſubjici ſolent, neque ejus ſunt, qui declamationes alteras fecit, (nihil enim ſimile) neque illius, qui inſtitutiones Oratorias ſcripſit; cui eas

† *Proœmio lib. 10. contr. & controverſ. 4. ejuſdem libri.*

Eraſ-

Eraſmus quoque abjudicat in Ciceroniano ſuo: & meritò, quandoquidem, ut monuit Ludovicus Vives lib. IV. de corruptis diſciplinis, planè alienæ ſunt à Fabii præceptis, & tales, ut contra iſtiuſmodi potiſſimùm invehatur. Imò multo ante Eraſmum, ac Vivem, Philelphus Epiſtola ad Joannem Tuſcanellam vehementiſſimè eas perſtrinxit. Adde quòd in codd. quibuſdam MSSis M. Floro tribuantur, ac à nonnullis etiam eſſe credantur Poſthumii Junioris, eò quòd Trebellius Pollio dicat, ſcriptas ab eo eſſe declamationes, quas ævo ſuo Quinctiliani eſſe putarent. Eas *quantivis precii* eſſe, judicium eſt Barthii adverſ. lib. LVIII. cap. XIV. Nimis ſanè benignè: ut indicio ſunt, quæ diximus. Sunt & ficti generis illæ Calpurnii Flacci a Pithœo editæ, quæ *Excerpta decem Rhetorum minorum* inſcribuntur, quò diſtinguantur ab excerptis Senecæ patris, quæ ſunt decem Rhetorum majorum: unde Johannes Saliſberienſis lib. VIII. Policratici, ſive de nugis Curialium, *Legantur*, inquit, *& libri illi, quos Seneca decem oratorum ſententiis, ſub imagine declamationum ſcholarium, illuſtravit.* Tales etiam nobis reliquit aliquas B. Ennodius, Ticinenſis epiſcopus; quæ in operibus ejus ab Andrea Schotto editis leguntur. Nempe declamationem V. cum ſeptem ſequentibus, & una, quæ Apologetico ſubjuncta.

Alia denique veterum exempla erant mixti generis, cùm nempe hiſtoriæ adderent figmentum: ut ſi Syllæ, aut Cæſari, autores eſſent, ut perpetuam deponeret dictaturam. Cujuſmodi ſuaſoriæ meminit Juvenalis Satyr. I.

Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus, & nos
Conſilium dedimus Syllæ, privatus ut altum
Dormiret.

Item ſi deliberatio inſtituatur de Hannibalis ab Alpibus receſſu. Cujuſmodi declamationis idem mentionem facit Sat. X:

—— I demens, & ſævas curre per Alpes,
Ut pueris placeas, & declamatio fias.

Ad quem locum ita vetus ſcholiaſtes: *Ut de te pueri ſtudentes dicant. In Scholis deliberativa, Hannibal utrùm ab Alpibus recederet.*

Simile quid tentarunt aliqui, etiam in ſacro argumento. Ut Heſychius, presbyter Conſtantinopolitanus, in quatuor libris de æneo ſerpente. Nam in his, ut Photius * auctor eſt, orationes finxit, tùm Moſis ad populum, tùm populi ad Moſen, horum item utriuſque ad Deum, eaſque precationis & purgationis formâ. Quibus magnam magni voluminis partem impendit, oratione utens ad affectus movendos idoneâ, planeque ad oſtentationem comparatâ.

* In myriobiblo cod. 51.

Denique nonnullis placuere themata de Poëticis fabulis hauſta, ſive hæc mera eſſent Poëtica commenta, ſive hiſtoriæ fabulis permiſtæ. Calvus certè, ſive, prout ediderе alii, Catulinus, Rhetorices Profeſſor, ex Virgilio controverſiarum exempla ad dicendi uſum conformavit: ut auctor eſt Servius in X. Æneid. Itidem, ut inibi idem refert, ex eodem argumenta deſcripſit Titianus: non is, quem B. Hieronymus in Chronicis virum appellat eloquentem; quemque Gallias adminiſtraſſe, ſcribit ad annum Chriſti CCCXLVII: verùm ille fortaſſe, quem Auſonius epiſt. ad Probum, præfectum prætorium appellat, fandi artificem; quemque idem in gratiarum actione pro conſulatu ad Gratianum Imp. ſcholam municipalem apud Viſontionem, & Lugdunum, rexiſſe, auctor eſt: aut certè alteruter eorum, quos commemorat Capitolinus in Maximino Juniore: quorum prior erat Maximini in arte Oratoria præceptor, Oratorum ſimia, ut eum Sidonius Apollinaris † vocatum ſcribit: alter prioris filius. Hujus etiam generis quatuor ſunt primæ declamationes B. Ennodii, Ticinenſis epiſcopi.

† Lib. I. epiſt. I.

Quemadmodum autem Ciceronis tempore maximè gaudebant exemplis veris: ita poſteriori ſeculo magis uſurpabant ficta; rariſſimè omnino vera. Quin tum nugalia fere tractabant, & à forenſibus cauſis remota: quæ res gravem illam cenſuram extorſit Petronio, initio eorum, quæ è Satyrico ſuperſunt.

Pluribus hæc proſequi viſum fuit, non eò tantùm, ut liqueat, cur in ſtatuum doctrinâ fictis uſi exemplis ſimus: ſed præcipuè, ut ſciat juventus, quibus è ſcriptoribus plura ſtatuum exempla haurire queat: adhæc quoque, quia lucem inde accipiant plurima loca veterum ſcriptorum. Sanè hujus rei ignorantia quoſdam in errorem eum impulit, ut Rhetoricos ad Herennium libros iccirco Ciceronis eſſe exiſtimarent, quòd in iis ‡ exemplum hujuſmodi legere ſit: TULLIUS, HERES MEUS, TERENTIÆ, UXORI MEÆ, TRIGINTA PONDO VASORUM ARGENTEORUM DATO, QUÆ VOLET.

‡ Lib. I.

Quemadmodum verò in eadem quandoque oratione, plura dicendi genera concurrunt; ut oſtenſum libri hujus cap. III. ſect. III: ita quoque interdum in oratione eadem plurium eſt ſtatuum concurſus. Jam olim hoc obſervatum Quinctiliano, monitumque etiam Trapezuntio. Sed quod illi attigere, hoc accuratè expoſuit Udalricus Zaſius, commentario in Rhetorica ad Herennium *. Partim verò attendere jubet, utrùm ſtatus, ſive conſtitutiones, principaliter coeant, an ex incidenti: deinde num ad principalem cauſſam referantur, & eamne ſuſpendant, an tollant. Hanc verò doctrinam ad quatuor revocat pronunciata. Primum eſt; *Plures conſtitutiones principales concurrere poſſunt; & erunt tot quæſtiones, quot ſtatus.* Alterum eſt; *Status, qui in controverſia principali incidunt, licet faciant plures quæſtiones, tamen una eſt judicatio cauſſæ principalis.* Tertium eſt; *Si ad ſtatum principalem cauſſæ incidat alius ſtatus, qui cauſſam ſuſpendat, tum judicatio ex ſtatu incidenti ſumitur, & non ex ſtatu cauſſæ principalis.* Quartum eſt; *Status, qui in cauſſam principalem incidit, ſi eum tollit, & infirmat, multo fortius, quàm in caſu ſuperiore attenditur hoc incidens, relicto ſtatu cauſſæ principalis.* Quæ luculentis exemplis Zaſius illuſtrat.

* Extremo libro primo, ſive pag. 139. & ſeqq. edit. Baſil. 1537.

CAP. XII.

DE ARGUMENTIS.

ΑΤΕΧΝΟΙΣ.

Argumenta inartificialia ſunt, quæ non quidem parit ars Oratoris; ſed tamen foris ad ſe delata, arte tractat.

Iſtiuſmodi in genere juridiciali ſunt quinque; leges, teſtes, pacta, quæſtiones, & jusjuranda; a quibus omnibus pro variâ cauſſæ naturâ diverſi ſunt argumentandi modi.

I. DE ARGUMENTIS INARTIFICIALIBUS GENERATIM.

HActenus de argumentis egimus ἀποδεικτικοῖς †, quæ primum locum obtinebant inter ἔντεχνα ‡. Proximum erat, ut ageremus de παθητικοῖς *, & ἠθικοῖς, † quæ & ipſa ἔντεχνα ſunt. Sed interrumpit Ariſtoteles hanc doctrinam argumentorum ἐντέχνων; & priùs agit de ἀτέχνοις, quàm de ἤθεσι, & πάθεσι. Cauſſa autem, quæ eum movit, hæc eſt, quòd poſtremò egiſſet de genere juridiciali: loci autem ἄτεχνοι, ut ipſe teſtatur, hujus generis eſſent proprii. Jure igitur, ut generis Juridicialis locos continuaret, locis ἐντέχνοις ſtatim ſubjicit ἀτέχνους. Nos quoque ea in re magiſtrum ſequemur: ſic tamen, ut uſum eorum accommodemus etiam ad alia dicendi genera.

† Probantibus. ‡ Artificialia. * Affectum moventibus. † Argumentis, quæ pertinent ad mores hominum exprimendos.

Vocantur autem argumenta ἄτεχνα, non quia omnino artis ſint expertia; ſed, quemadmodum ſuprà ex Ariſtotele dicebamus, quia ea non pariat ars oratoris; eliciendo è naturâ cauſſæ: quippe qui ea foris ad ſe delata tantummodo arte tractet. Lapſus igitur Cicero adoleſcens lib. II. de Inventione; ubi, Ariſtotelem ſugillans, vult, teſti-

teſtimonia, quæſtiones, ſimiliaque argumenta, tam quod ad inventionem, quàm rationem tractandi, eſſe inartificialia. Id enim innuit, cùm ſcribit in hunc modum: *Quare nobis & ii videntur errare, qui hoc genus ſuſpicionum artificii non putant indigere, & ii, qui aliter hoc de genere, ac de omni conjecturâ, præcipiendum putant.*

Loci ἄτεχνοι Ariſtoteli ſunt quinque, leges, teſtes, pacta, quæſtiones, & jusjuranda. Auget hunc numerum Fabius; auget item Tullius lib. II. ad Q. Fratrem. Sed fruſtra; cùm reſponſa, & oracula, comprehendantur ſub teſtimonio, Fabio quoque teſte: eademque planè ratio eſt rerum judicatarum, rumoris ac famæ; pacta verò, conventa, ac tabulas, συνθηκῶν nomine ab Ariſtotele intelligi, quivis videt: ſub legibus autem, quas Fabius præterit, Senatusconſulta & decreta comprehenduntur. Quin ad quatuor capita revocari hi loci poſſunt, cùm Ariſtoteles ipſe quæſtiones eſſe teſtimonia quædam dicat.

II. Quomodo a lege, vel adversus eam, argumentemur.

PORrò hæc argumenta ἄτεχνα non uno tractantur modo. Nam, ut de ſingulis ordine dicamus, ſi lex cauſſæ noſtræ adverſetur, dicemus, eam ambiguam eſſe; vel petemus, ut velint non lege, ſed γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ κρίνειν *: legem enim haud adverſari juri communi, cui magis vir bonus obedire debeat, quàm legibus ſcriptis, quæ ſæpe injuſtæ ſint, ac proinde mutabiles. Ita apud Sophoclem ſe defendit Antigone, cùm accuſaretur, quod Polynicen fratrem ſepeliiſſet contra edictum regium. Nam cùm Creon eam hunc in modum compellaret, Καὶ δῆτ' ἐτόλμας τούσδ' ὑπερβαίνειν νόμους; *Et quomodo auſa tranſgredi leges eras?* reſpondet animosè, quòd licet peccârit contra legem Creontis, minimè tamen deliquerit contra legem non ſcriptam, quæ non nunc haut heri, ſed ſemper fuit: hujus ſe fuiſſe ſtudioſam, non hominis. Aut denique oſtendemus, eam repugnare alteri legi, aut conſuetudini.

* *Mente ſententia que optima judicare.*

At ſi lex nobis favet; negabimus, judici à legum præſcripto diſcedendum eſſe: fruſtra eas latas, niſi obſerventur; nec oportere nos plus legibus ſapere. Vide orat. Dionis Chryſoſtomi de lege.

Legi ſubjicimus conſuetudinem. Nam, ut Tertullianus ait, lib. de corona militis cap. IV. *Conſuetudo in civilibus rebus pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex.* Adi omnino ejuſdem Dionis orationem de conſuetudine.

III. De argumentis a testibus, vel contra testes.

TEſtimonium vel divinum eſt, cujuſmodi veteribus habebantur Deorum oracula, aruſpicum reſponſa, &c. vel humanum. Quod ipſum multiplex eſt. Nam teſtium alii veteres ſunt, alii novi; alii participes periculi, alii extra periculi aleam; alii de re, alii de perſonæ moribus.

Oraculo ſententiam ſuam confirmat Æſchines contra Cteſiph. Eſt & ab auctoritate divina illud Lycortæ ad legatos Romanos apud Livium lib. XXXIX: *Pro vobis igitur juſtum piumque bellum ſuſcepimus. quod cùm alii laudent, reprehendere ne Lacedemonii quidem poſſint: & Dii quoque ipſi comprobaverint, qui nobis victoriam dederunt: quonam modo ea, quæ belli jure acta ſunt, in diſceptationem veniunt?* Item hoc Cicer. † de Judæorum genere: *Quàm cara Diis eſſet immortalibus docuit quod eſt victa.* Item illud de cauſſa Cæſaris ‡: *Cauſſa tum dubia, quòd erat aliquid in utraque parte, quod probari poſſet: nunc melior certè ea judicanda eſt: quam etiam Dii adjuverunt.* Uti & illud Velleji lib. I: *Factum ejus à Diis comprobatum, ſpatio vitæ, & felicitate imperii, apparuit.* Sermo eſt de Oreſte matricida, quem vixiſſe ait annis XC, regnaſſe LXX. Nec abludit illud Lucani in primo:

† *Pro Flacco.*
‡ *Pro Ligario.*

—— Quis juſtiùs induit arma?
Scire nefas. magno ſe judice quiſque tuetur.
Victrix cauſſa Diis placuit, ſed victa Catoni.

Cui ſententiæ qualecumque ex eo pondus accedere videtur, quòd Boëthius de Conſolatione Philoſophiæ lib. IV. cap. IV. ſic ipſam Philoſophiam loquentem inducat: *Et victricem quidem cauſſam Diis, ſed victam Catoni placuiſſe,* FAMILIARIS *noſter Lucanus admonuit.*

Utimur etiam teſtimoniis humanis: quomodo Homeri & Euripidis auctoritate adverſarium urget Æſchines contra Timarchum: & Demoſthenes orat. de falsâ legat. aliquammultos jambos ex Sophoclis Antigonâ, integramque Solonis elegiam recitari jubet.

Cui teſtimonia deſunt, is negabit, argumenta pecuniis corrumpi; at teſtes dicet ſæpe improbos eſſe atque inteſtabiles, aut Comicos * ac leves, auroque corruptos, ſive teſtes arenarios, prout Juriſconſulti vocant, hoc eſt, qui in arena circenſi, vel amphitheatrali, depugnarint, eoque ſint infames. Arcadius l. ob carmen. §. Si ea re. ff. De teſtibus: *Si ea rei conditio ſit, ubi arenarium teſtem, vel ſimilem, admittere cogimur.* Hancce ob cauſſam majorem argumentis, quàm teſtibus, habendam fidem, contendit Tullius pro M. Cælio; *Equidem,* inquit, *vos abducam à teſtibus; neque hujus judicii veritatem, quæ mutari nullo modo poteſt, in voluntate teſtium collocari ſinam, quæ facillimè effingi, nullo negotio flecti ac detorqueri poteſt. Argumentis agemus, ſignis omni luce clarioribus crimina refellemus, &c.* Et ſanè ſi teſtes ſufficiant, ſufficiet quoque, ut judex non ſit ſurdus.

* *De cujuſmodi teſtibus Hadrianus Junius Centuria 4. proverb. 79.*

At cui contrà teſtes fuerint, is dicet, argumenta, ut falſa fuerint, non tamen ſuppliciis eſſe obnoxia; at teſtes pœnæ metu contineri: cùm argumentis res ſatis cognoſci non poſſit, neceſſarium eſſe, ut res teſtibus agatur. Nec debere magis ingenio, quàm ſenſui, credi. Utcunque veriſimilia ſint, quæ objiciantur; non tamen aliud inde colligi, quàm mira eſſe, quæ dicamus; at minimè ſequi, falſa eſſe; cùm homines multa faciant mira atque abſurda. Illo etiam comprobari, quàm parum ratiunculis ſit tribuendum, quòd nihil tam abſurdè dici poſſit, quin argumento poſſit defendi: ut tot abſonæ adeò philoſophorum ſententiæ oſtendunt.

Quod ſi utrimque teſtes afferantur, poterunt teſtes opponi teſtibus: poterit item pars una fidem teſtium partis adverſæ elevare: quippe qui falſum dicant teſtimonium; ſive favore vel odio inducti; ſive ob conjunctionem ſanguinis, aut affinitatis; ſive ſpe muneris, ſive etiam ob ætatem: ideoque, ad eorum fidem probandam, aliis eſſe teſtibus opus; quæ maxime res teſtium fidem infringit. Ita Cicero pro Valerio Flacco rejicit univerſum Græcorum teſtium genus; *De quibus,* inquit, *vos aliis teſtes eſſe debetis, de iis ipſi alios teſtes audietis? At quos teſtes? primùm dicam (id quod eſt commune) Græcos: non quò nationi huic,* &c. Et aliquanto pòſt, *Verumtamen hoc dico de toto genere Græcorum: tribuo illis literas, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique etiam, ſi qua ſibi alia ſumunt, non repugno: teſtimoniorum religionem, & fidem, nunquam iſta ratio coluit; totiuſque hujuſce rei, quæ ſit vis, quæ autoritas, quod pondus, ignorant. Unde illud eſt, Da mihi teſtimonium mutuum? num Gallorum, num Hiſpanorum putatur? totum iſtud Græcorum eſt: ut etiam, qui Græcè neſciunt, hoc, quibus verbis à Græcis dici ſoleat, ſciant.* Qui illuſtris planè locus eſt de Græcorum teſtimoniorum fide. Neque eſt, quòd quis hanc oratoriam ὑπερβολὴν putet. Nam levitas Græcanica in proverbium abiit: atque inde eſt apud Comicum †, *Græca fide mercari:* & apud Tullium ‡, *Græcula chirographi cautio.* Quæ perperam ad gentis ejus laudem trahebat Turnebus ⟊. Nihil enim certius, quàm eò hæc ſpectare, quòd leves Græci ipſi inter ſe nonniſi præſenti mercarentur pecuniâ; aut minimùm ſyngraphâ caverent. Imò vix ſyngraphis ſatis cautum credebatur. Quâ de re, nequis dicat, proclive eſſe homi-

† *Aſin. act. 1. ſc. 3.*
‡ *Lib. 7. epiſt. 18.*
⟊ *Lib. 4. Adverſ. cap. 13. & lib. 12. cap. 18.*

ni

ni Romano, Græcos poſtponere Romanis, Græcum, eumque luculentum ſcriptorem, dabo, qui gentis ſuæ fidem elevet, ipſeque Romanæ poſtponat. Is eſt Polybius in ſexto Hiſtor. Οἱ τὰ κοινὰ χειρίζοντες παρὰ μὲν τοῖς Ἕλλησιν, ἐὰν τάλαντον μόνον πιστευθῶσιν, ἀντιγραφεῖς ἔχοντες δέκα, καὶ σφραγῖδας τοσαύτας, καὶ μάρτυρας διπλασίους, οὐ δύνανται τηρεῖν τὴν πίστιν. Παρὰ δὲ Ῥωμαίοις, κατά τε τὰς ἀρχὰς καὶ πρεσβείας, πολύ τι πλῆθος χρημάτων χειρίζοντες, δι᾽ αὐτῆς τῆς κατὰ τὸν ὅρκον πίστεως τηροῦσι τὸ καθῆκον. *Qui publicam pecuniam tractant, apud Græcos quidem, ſi vel unum tantummodo talentum iis creditum ſit, utcumque vel decem fuerint reſcriptores, ac totidem ſigilla, ac bis totidem teſtes, nec ſic quidem ab iis conſequi licet, ut ſervent fidem. Apud Romanos autem, cùm iidem in magiſtratibus & legationibus magnam pecuniæ vim tractent, tamen, ob ſolam jurisjurandi religionem, officium præſtant.* Nempe Græcis ſtudium erat de virtute diſſerere; Romanis, priſcis illis dico, juxta eam vivere; ut non omnino nationi ſuæ palpatus ſit Romanus, at incertus ſcriptor, cujus iſthoc:

Cive Romano per orbem nemo vivit juſtius:
Quippe malo unum Catonem, quàm trecentos Socratas.

Et hoc παρέργως. Redeamus ad teſtes, & accuſatoris, & defenſoris. Utrique certè, tum ab eo, qui producebat, tum ab eo, contra quem producebantur, interrogari & examinari ſolent; ut teſtatur Aſconius Pædianus; qui & autor eſt, his non niſi interrogatis loqui licuiſſe. Inde eſt, quòd & integra accuſatio συνεκδοχικῶς dicta fuerit interrogatio. In interrogando (ut è Fabio totam περίπτωσιν aſſcribam) *primum eſt, nôſſe teſtem. Nam timidus terreri, ſtultus decipi, iracundus concitari, ambitioſus inflari poteſt. Prudens verò, & conſtans, vel tanquam inimicus, & pervicax, dimittendus ſtatim; vel non interrogatione, ſed brevi interlocutione patroni refutandus eſt; aut aliquo, ſi continget, & urbanè dicto refrigerandus; aut, ſi quid in ejus vitam dici poterit, infamiâ criminum deſtruendus.* Hæc Fabius lib. v. cap. vii. *Illa verò peſſimæ artes* (ut idem inibi ait) *teſtem ſubornatum in ſubſellia adverſarii mittere, ut inde excitatus plus noceat; vel dicendo contra reum, cum quo ſederit; vel cùm adjuviſſe teſtimonio videbitur, faciendo ex induſtriâ multa immodeſtè, atque intemperanter, per quæ non à ſe tantùm dictis detrahat fidem; ſed cæteris quoque, qui profuerant, auferat autoritatem. Quorum mentionem habui, non ut fierent, ſed ut vitarentur.*

Quia autem teſtes non producebantur niſi jurati, inde eſt, quòd & *juratores* appellantur. Plautus prologo Pœnul. *Vos juratores eſtis, quæſo, operam date.* Seneca in Ἀποκολοκυνθώσει: *Quis unquam ab hiſtorico juratores exegit?* Ita enim in omnibus legi MSSis. monuit J. Lipſius lib. ii. epiſt. quæſt. De teſtibus dixi; nunc reliqua conſideremus.

IV. Quibus argumentis pacta aut firmentur aut eludantur.

PRoximum locum obtinent συνθῆκαι, ſive pacta, ſeu pactiones, pro quo & antiqui *paciones dicebant.* Hæc confirmantur, cùm aliquem dicimus, quæ ſtipulatus fuerit, dare facere oportere ex fide bonâ: nam pacta eſſe leges quaſdam privatas, ut ſi hæ conſervandæ ſint, utique & illa: & ſi illa tollamus, ipſas tolli leges. Adde quòd, ſublato fundamento eorum, quæ homines inter ſe contrahunt, ac ſtipulantur, convellitur ipſa ſocietas humana. Vide L. i. ff. de Pactis.

Infirmantur autem pacta tribus præcipuè modis. Primò quòd, ſi legibus latis malo dolo obtemperandum non ſit; multo minus ſemper pactis ſtare neceſſe eſt. Deinde quod judicibus ex norma juſtitiæ agendum ſit, cùm illa non ſit obnoxia fraudibus, aut coactioni; ut quæ natura ſit hominum animis inſculpta: non autem ferendum judicium ſecundùm pacta; quia hæc ſæpe vel fraude, vel coactè fiant. Deinde videndum, an pacta non adverſentur legi ſcriptæ, vel pactis aliis quæ anteceſſerunt, aut ſubſecuta ſunt.

V. Quæ pro tormentis, vel contra ea, afferri ſoleant.

QUartum argumentum ἄτεχνον eſt tormentum. Ita Quinctilianus appellat: Ciceroni dicitur *quæſtio:* Græcè βάσανος, κατὰ μεταφοράν: nam propriè eſt lapis Lydius, ὁ λίθος χρυσοῦ ἔλεγχος *, qui & Heracleus ab Heracleâ Lydiæ civitate. Quamquam aliter hâc de re ſenſit Heſychius. Siquidem is, lapidem eum, qui ferrum attrahit, Λυδικὴν λίθον, Ἡρακλείαν λίθον, & σιδηρῖτιν vocari, adſerit: at Μαγνῆτιν eſſe lapidem argento tantopere ſimilem, ut hâc ſimilitudine oculos decipiat. Vide eum in Ἡρακλεία λίθος, Μαγνῆτις λίθος, & Λυδικὴ λίθος.

* *Lapis auri index.*

Similis autem ratio eſt tractandi quæſtiones, atque alia argumenta ab arte remota. Nam ſi hæc cauſſam noſtram juverint; dicemus, iis maximè credendum, quia, ut ait Tullius in Topicis, *verberibus torti, & in igni fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipſa dicere.* Sic Syneſius epiſt. xliv ad Joannem †: Δεινοὶ ἐξελέγξαι προσποίησιν οἱ βασανισταί. καί τινες αὐτοῖς ὄνυχές εἰσιν ἐξευρημένοι, συλλογισμῶν ἐπιστημονικῶν ἔχοντες δύναμιν. ὥσθ᾽ ὅ, τι ἂν ἐκείνων κρατούντων ἀναφανῇ, τοῦτ᾽ ἔστιν αὐτὸ τἀληθές. *Mirifici enim ad convincendam ſimulationem ſunt carnifices, & ungues quidam ab illis excogitati ſunt, eâdem vi præditi, quâ ſcientiarum ratiocinationes, quas demonſtrationes dicimus. Unde quicquid prævalentibus iis elicitum fuerit, id ipſum certiſſima veritas eſt.* At ſi contra nos faciant, dicemus, aut dolorem tolerantes, diffeſſos eſſe vera, aut eum non tolerantes, confeſſos eſſe falſa. Prius illud illuſtratur exemplo Cappadocum, qui à pueris ſe mutuò torquere equuleo ſolent, ut ad falſa ſe teſtimonia venundare poſſint: quemadmodum ſcribit vetus Perſii interpres in ſat. vi. Etiam confirmatur idem facto Philippi, ſervi Fulvii Flacci ‡, qui octies pro domino tortus, nihil prodidit: item Zenonis Eleatæ *, qui nullis potuit tormentis adigi, ut conſcios delendæ tyrannidis indicaret. Poſterioris modi exemplum habes apud Ciceronem orat. pro Sylla; *Quæſtiones,* inquit, *ſervorum ac tormenta nobis accuſator minitatur: in quibus quamquam nihil periculi ſuſpicamur: tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujuſque, cùm animi tum corporis, regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, ut in tantis rerum anguſtiis nihil veritati loci relinquatur.* De utroque modo vide ſis Ulpianum L. i. §. 23. ff. De quæſtionibus. Ex junioribus adi Radulphum Fornerium lib. iii. Rerum Quotidianarum cap. viii. De variis tormentorum generibus vide ſis Sigonium lib. iii. de judiciis cap. xviii. Brodæum lib. ii. Miſcellan. cap. ix. & x. Turnebum lib. iv. Adverſar. cap. iii. Delrium in Senecæ Troadas, verſ. IƆLX. item Antonium Gallonium de S S. Martyrum cruciatibus.

† *Pag. 185. edit. Pariſ. an. 1612.*

‡ *Val. Max. lib. 8. cap. 4. ubi & ſimile exemplum Alexandri, ſervi C. Fannii, vel Fulvii.*

* *Laërtius lib. 9.*

VI. De ratione quadripartita tractandi controverſiam de juramento.

TRactationi de quæſtione meritò ſubjicitur conſideratio juramenti. Nam ut ſervis loco jurisjurandi tormenta; ita liberis loco torturæ eſſe jusjurandum ſolet. Docet id quoque Plutarchus in Quæſtionibus Romanis: ubi quærit, cur Flamini Diali non liceat jurare: Πότερον *, inquit, ὅτι βάσανός τις ἐλευθέρων ὁ ὅρκος ἐστί; δεῖ δὲ ἀβασάνιστον εἶναι, καὶ τὸ σῶμα, καὶ τὴν ψυχὴν τοῦ ἱερέως.

* *An quia tormentum eſt liberorum jusjurandum? ſacerdotis autem & animum, & corpus, oportet eſſe torturæ expers.*

Jurisjurandi ratio Ariſtoteli quadripartita eſt. I. Primò negamus, nos ab adverſario exigere, ut verbis conceptis det jusjurandum: idque primò, quia multi ſunt ſordidi homines, qui facile ἐπιορκοῦσι †. Salvianus lib. iii: *Plures invenias, qui ſæpius pejerent, quàm qui omnino*

† *Pejerant.*

non jurent. Et lib. IV. *Si pejeret Francus, quid novi faceret? qui perjurium ipſum ſermonis genus putat eſſe, non criminis.* Itaque dicimus, quempiam, qui jurare paratus eſt, ſperare, ſeſe, vel Deum ludendo, pecuniam retenturum: icciro nos ſtare malle judicum ſententiâ, quàm adverſarii; cùm illis fidem habeamus, huic non item. Huc pertinet illud Simonidis: Πρὸς ἀπατέων ὅρκος σοφιςῆς ἐςιν ἀξιόχρεως*. & hoc Laberii †: *Quid eſt jusjurandum? Emplaſtrum æris alieni.* Et Paccuvio (ut ex parietinis ac ruderibus Feſti diſcimus) jusjurandum eſt mantile, quo extergentur quotidianæ noxæ.

* Ad decipiendum jusjurandum idoneum eſt.
† Apud Gellium lib. 16. cap. 7.

II. Deinde juramentum delatum reſpuimus; negamuſque, nos ad jurandum adigi poſſe, tum quia adverſatio juramentum noſtrum prodeſſe nequeat, eò quòd, ſi juraveris, certò fraudetur pecuniâ: tum quia vir malus facilè (ut gentiles loquuntur) Jovem lapidem juret; ideoque, quòd juramentum recuſemus, id virtuti, non perjurii metui, aſſcribendum eſſe. Itaque rectè Xenophanem, veterem phyſicum, dixiſſe, cùm homo impius defert viro probo juramentum, tantundem eſſe, quàm ſi homo validus provocet imbecillem ad pugnam. Nam ut, qui lacertis valet, viribus ſuis confidit, eoque audacter provocat; at qui imbecillis eſt, pugnam detrectat: ita impius ſecurè ad jurandum provocat, quia Deum aut non eſſe, aut non curare humana, cenſet: pius verò timidè hoc præſtat, quia Deum eſſe ſcit, qui quæ gerimus auditque & videt. Hoc nomine fusè conqueritur Juvenalis ſat. XIII: & abunde idem oſtendit Plautinus Labrax, qui, etſi jurârat, ſe talentum magnum Gripo daturum, tamen nec tribolum dedit.

> *Jusjurandum*, inquit ‡, *rei ſervandæ, non perdendæ, conditum eſt.*

Eodemque modo Curculione * leno Cappadox, *quâ linguâ*, inquit, *promiſi; eâdem nunc nego.*

> *Dicendi, non rem perdendi, hac gratia nata eſt mihi.*

‡ Rudente act. 5. Scen. Sequente hac.
* Act. 5. ſc. 3.

Parciſſimè verò jurandum, putat Iſocrates, non ſenior ille, Platonis æqualis, ſed junior, æqualis Ciceronis, ut ex Dionyſio Halicarnaſſenſi Muretus † jam diu oſtendit. Ejus hæc verba ſunt in aureolâ παραινέσει πρὸς Δημόνικον· Ὅρκον ἐπακτὸν προσδέχου διὰ δύο προφάσεις· ἢ σεαυτὸν αἰτίας αἰσχρᾶς ἀπολύων, ἢ φίλους ἐκ κινδύνων διασώζων. Ἕνεκα δὲ χρημάτων μηδένα θεὸν ὀμόσῃς, μηδ' ἂν εὐορκεῖν μέλλῃς. δόξεις γὰρ τοῖς μὲν ἐπιορκεῖν, τοῖς δὲ φιλοχρημάτως ἔχειν. *Jusjurandum, ſi poſcitur, duabus de cauſſis des, vel ut te ipſum turpi crimine liberes, vel ut amicos è periculis ſerves. At pecuniarum ergo per Deum nullum juraveris, etiam ſi liquido jurare poſſis. Nam aliis quidem pejerare, aliis verò pecuniarum cupidus videberis.*

† Var. Lect. lib. 1. cap. 1.

At Plato lib. XII. de Legg. utrumque prohibet, nequis juret ipſe & ne ab altero exigat jusjurandum. Etiam Clinias Pythagoricus, cùm jurando poſſet effugere trium talentorum multam, injuriam pati maluit, quàm jurare. Atque id exemplum commendat etiam B. Baſilius eo libro, quo docet, quid ex gentium libris proficere poſſimus: atque ait, Cliniam illud de juramento nobis interdicto præceptum audiiſſe. De Clinia, laudi, an vitio illud duci debeat, non diſſeram. Sed de Baſilio mirum, quòd & hic, & Pſalm. XIV, ἁπλῶς omni juramento interdici à Chriſto putet Matthæi quinto; non autem eo ſolùm, quod per creaturas fit, vel per Deum quidem, ſed ubi nulla urget neceſſitas. Quamquam Baſilio etiam aſſentiat Iſidorus Peluſiota lib. I. epiſt. CLV. Pariterque animatus fuit Nazianzenus; qui Carmine de vita ſua gloriatur, quòd, poſt baptiſmum ſuſceptum nunquam jurarit ‡: item Julius Auſonius, qui, ut ſcripſit filius ejus Idyll. II.

> *Jurare, aut falſum dicere, par habuit.*

‡ Pag. 18. edit. Morell.

Sed aliter Hieronymus in cap. V. Matth. Auguſtinus in eundem, & veterum alii.

Ut plurimùm autem, qui apud Romanos deferebat jusjurandum, petebat ſollemni formula jurari, vel per Jovem, vel ſimpliciter per Salutem, vel per utrumque. Formula, quâ per Jovem lapidem jurabant, hoc modo concipiebatur, ut autor eſt Feſtus: SI SCIENS FALLO, TUM ME DIESPITER, SALVA URBE ARCEQUE, BONIS EJICIAT, UT EGO HUNC LAPIDEM. Per Salutem ſuam hoc pacto jurabant: ITA MIHI DEOS VELIM PROPITIOS. Habes & juramentum iſtud Scipionis apud Livium lib. XXII: SI SCIENS FALLO, TUM ME, JUPITER OPT. MAX., DOMUM, FAMILIAM, REMQUE MEAM, PESSIMO LETHO AFFICIAS. Vide Rævardum lib. V. Var. cap. V. Ut per liberos, propinquos, & cineres, ſoleat jurari, docet Andreas Schottus lib. III. Obſervat. Human. capite XXXIX. Quàm multiplex etiam jusjurandum fuerit apud gentes, docebit Alexander ab Alexandro lib. V. cap. X, & Tiraquellus ibidem in notis.

III. Præterea aſſerimus, nos ex animi ſententia, ſicut vulgo verbis concipitur, jurare velle; idque propterea, quia pium ſit, negotium totum Deo committere; neque opus eſſe judicibus aliis, cùm litis judicem faciamus adverſarium. Nam, ut ſcribit Paullus * lib. XXXVIII. ad Edictum: *Manifeſtæ turpitudinis & confeſſionis, eſt nolle nec jurare, nec jusjurandum referre.*

* L. manifeſtæ. ff. de jurejurando.

IV. Adhæc, ſi juratum ſit, vel id à nobis factum eſt, vel ab adverſariis. Si à nobis; vel vera ſunt, quæ verbis conceptis affirmavimus; vel falſa. Si falſa; dicendum monent, hautquaquam perjurando nos adverſarium injuriâ affeciſſe, quia injuria omnis ſponte inferatur; nos autem ad jurandum fuerimus coacti. Quando autem juramentum non obliget, accuratè docent Theologi, ac Juriſconſulti. Sed omnium inſtar fuerint, quæ ſcribit vir Inluſtris Hugo Grotius lib. II. de Jure Belli cap. XIII. Sin adverſarius falſa juraverit; dicendum, eum omnia tollere quiſquis non ſtet juramento: quòd ſi judices jurati non poſſint contra leges, in quas jurarint, judicia diſponere; etiam alios oportere εὐορκεῖν †; ideoque apud Romanos τοὺς ἐπιορκοῦντας τὸν Δία ‡ ſaxo Tarpejo dejici ſolere: &, juxta gentilium religionem, Dianam, per quam jurare ſoliti, περὶ πάσαις μὲν ἁμαρτίαις κινεῖσθαι δεινῶς, μάλιστα δὲ τοὺς ἀμελοῦντας τῶν ὅρκων πικρότερον τιμωρεῖσθαι*: ut ſcribit Ariſtænetus lib. I. epiſt. X. Quin eos, qui pejerant, à Jove ſolere fulmine tangi; quam veterum fuiſſe opinionem, ex Ariſtophane, & Luciani Timone, Turnebus probat lib. Adverſ. XXV. cap. IX. Ab Iſide etiam pejerantes oculis ſolere orbari, iidem opinabantur: ut ex Ovidio, Juvenale, & Græco Lucilii epigrammate, Andreas Schottus docet Obſervat. Human. lib. I. cap. VI. Imò apud Ægyptios, ut auctor eſt Diodorus Siculus lib. I. perjuri ſupplicio capitis afficiebantur, quia duplici ſe ſcelere polluiſſent: ut qui læſiſſent pietatem in Deos, & fidem, quæ humanæ ſocietatis eſt firmamentum.

† Jusjurandum ſervare.
‡ qui pejeraſſent.
* In omnibus quidem delictis graviter commoveri; at acerbè præ aliis puniri jusjurandum negligentes.

Atque hæc de locis argumentorum inartificialium: quæ ſola ferè ſectantur iſti mollicelli oratores, qui luſoriis magis gaudent armis quàm decretoriis. Nam, ut inquit Fabius lib. V. cap. VIII. *Pars altera probationum, quæ eſt tota in arte, conſtatque rebus ad faciendam fidem appoſitis, plerumque aut omnino negligitur, aut leviſſime attingitur ab iis, qui, argumenta velut horrida & confragoſa vitantes, amœnioribus locis deſident; neque aliter quam ii, qui traduntur, à Poëtis guſtu cujuſdam apud Lotophagos graminis, & Sirenum cantu, delinit, voluptatem ſaluti prætuliſſe; dum laudis falſam imaginem perſequuntur, ipſâ, propter quam dicitur, victoriâ cedunt.* Hæc ille.

FINIS LIBRI PRIMI.

GERARDI JOANNIS VOSSII
COMMENTARIORUM RHETORICORUM,
SIVE
ORATORIARUM INSTITUTIONUM
LIBER II.
QUI EST
DE INVENTIONE
ΠΑΘΩ͂Ν, ΚΑΙ` Η'ΘΩ͂Ν.

Cap. I.

De affectibus generatim.

Altera Oratoriæ Inventionis pars tractat affectus. Sunt autem affectus immutationes appetitus ſenſitivi, ab objecta rei bonæ vel malæ ſpecie provenientes. Sive, ut Ariſtoteles definit, ſunt commotiones animi, per quas hi immutati diverſimodè judicant, quas ſequitur dolor, ac voluptas.

Ut affectus ciere valeamus, tria inprimis cognitu ſunt neceſſaria; qui, & erga quos, & quibus de cauſſis, hoc, vel illo affectu, ſoleant homines commoveri.

I. Quomodo Latini τὰ ἤθη, καὶ πάθη, appellent: atque, affectuum doctrinam in rhetoricis tradi oportere.

Cum univerſa Inventio Oratoria conſiſtat in ratione docendi, permovendi, & conciliandi; de primo, quod fit probationibus, hactenus actum eſt: porrò verò de reliquis duobus inſtituenda eſt tractatio; puta de affectionibus, & moribus, quæ Græci πάθη κὴ ἤθη, appellant. Neque me clam eſt, Rhetores uno propè ore aſſerere, duo eſſe affectuum genera; mitius, & grandius; illud etiam Ariſtoteli ἦθος dici, hoc πάθος. Sed, ut cum Poëta* loquar, *Magnopere à veri lapſi ratione videntur.* Nam πάθος affectus omnes, tum leniores, tum vehementiores, comprehendit; ἦθος verò mores ſignificat. Ita enim tranſtulit ipſe Tullius lib. de Fato, & orat. de lege Agrariâ ad Quirites: quamvis Quinctilianus † voce, quâ ἦθος exprimatur, carere cenſet ſermonem Romanum. Sed & vox ipſa indicio, & quæcunque ἤθεσι, κὴ πάθεσιν, ab Ariſtotele exponuntur. Objectet fortaſſe aliquis illa Fabii verba lib. VI. cap. III. *Affectuum, ſicut antiquitus traditum accepimus, duæ ſunt ſpecies: alteram Græci πάθος vocant, quam nos rectè vertentes, ac propriè, affectum dicimus: alteram ἦθος.* Et aliquanto pòſt: *Affectus igitur hos concitatos, illos mites atque compoſitos, eſſe dixerunt. In altero vehementer commotos, in altero lenes. Denique hos imperare, illos perſuadere: hos ad perturbationem, illos ad benevolentiam prævalere.* Et interjectis nonnullis: *Illud adhuc adjicio, πάθος, atque ἦθος, eſſe interim ex eâdem naturâ: ita ut illud majus ſit, hoc minus: ut amor πάθος, charitas ἦθος. Interdum diverſa inter ſe, ſicut in epilogis. Namque πάθος concitat, ἦθος ſolet mitigare.* Sed ſi Fabius cenſet τὰ πάθη, κὴ ἤθη, ſolùm gradu differre, quia illa ſint vehementiora, hæc mitiora; totâ errat viâ, cùm ipsâ differant οὐσίᾳ, ut arguunt definitiones amborum. Imò nec ſemper πάθη ſunt vehementia; ſed etiam mitis & compoſitus amor, πάθους nomen meretur. At ne videamus λογομαχεῖν, de eo non pugnabimus, quod ait, affectum complecti πάθος ſive affectum propriè dictum, & ἦθος. Nam dicere poſſumus, ſimiliter ἦθος comprehendere, πάθος, & ἦθος propriè dictum. Nam & mimi Tullio * dicuntur ethologi, quia mores affectuſque exprimant: ut non uno agnoſcit loco Budæus †. Ac Cæſar Scaliger lib. IV. de re poëtica cap. I. quo agit περὶ ἤθους, adducit pro hac ſententia Hermogenem: ut qui inter dicendi formas etiam reponat τὸ ἠθικὸν, quod unicuique ſuam tribuit naturam: atque hoc ἐνδιάθετον nominet, quia *mores ‡ affectus quidam ſint, & univerſalior eſt ἐνδιάθετος.*

Vulgò πάθη appellant *paſſiones*; quam vocem qui jam Plinii ætate obtinuiſſe contendunt, multùm aberrant. Nam apud eum quidem lib. XX. cap. V. ubi de ſtaphylini ſemine ſermo eſt, legi ſolet, *illitum quoque paſſionibus ventri earum prodeſſe.* Sed jam olim Hermolaus Barbarus * veterem reſtituit lectionem, quæ eſt, *illitum è paſſo.* Ubi *paſſum* ſumitur, ut à Juvenale ſat. XIV. Quâ de notione abunde dictum ſuperius †. Πάθη verò non rectè *paſſiones* transferri, agnovit jam olim B. Hieronymus: cui & Valla ſubſcribit annot. in cap. I. ad Rom. Nec Ciceroni aſſentio, qui πάθη *perturbationes* vertit. Nam *perturbatio nomine ipſo declarari vitioſa videtur*: ut ipſe fatetur lib. III. de Fin. Nimirum tranquillitatem turbat, ſi verè *perturbatio* dici meretur. Nec meliùs cum eodem dicas *morbum animi*, vel *ægritudinem*: quia *quod ægrotatio in corpore, id in animo ægritudo*: ut idem ait Tuſcul. IV. Nempe hujuſmodi appellationes conveniunt tantùm motibus animi, quando rationi non obtemperant. Requiritur autem vox, quæ locum etiam habeat, quando motus conſiſtunt intra modum: quem μετριοπάθειαν Syneſius ‡, & Græcorum alii, appellant. Quare placet *affectuum* nomen, quo uſus Ovidius, Livius, Valerius, Seneca, Plinius, alii: ſive *affectionis*, quod eſt apud Cic. I. de Invent. lib. I. Gell. lib. I. cap. ult. Quamquam nec improbem *commotiones animorum*, quod eſt apud Tull.

lib.

* Lucret. lib. I. verſ. 637. & lib. 2. verſ. 176.
† Lib. 6. cap 3.
* In Oratore.
† Annotat. prioribus in Pandect. & comment. linguæ Gr. pag. 795. edit. Rob. Steph.
‡ Scaliger de re poët. pag. 466. edit. Santandrean. an. 1594.
* Gloſſis Plinianis voce Paſſiones.
† Lib. I. cap. 10. ſect. 5.
‡ Epiſt. 140.

lib. III. de Fin. vel ſimpliciter *permotiones*, ut idem in Lucullo appellat.

De affectibus, uti & περὶ ἠθῶν, agitur à dicendi ſapiendique magiſtro libro Rhetoricorum ſecundo; qui profectò auro contrà carus non eſt, utpote totus aureus. Sed obſtrepit nobis nuperus Sophiſta. Quippe grandi cum ſupercilio adverſus Ariſtotelem inſurgit, atque in Rhetoricis de affectibus agi potuiſſe negat, quia de iis in Ethicis ſit pertractatum. Mirum verò, niſi hoc ignoravit, non adjeciſſe, etiam in Phyſicis de eo agi potuiſſe, atque adeò actum videri. Neque enim levi tibicine hanc mihi videor ſtatuminare poſſe ſententiam, cùm ſciam, ab Simplicio * citari Ariſtotelis librum de naturalibus affectibus. Is licet deperierit nobis, haut difficilis tamen conjectatio eſt, omnino fuiſſe φυσιολογικὸν, quia Ariſtoteles in phyſicis eum ſequitur ordinem, quo Timæum Pythagoricum libros ſuos de naturâ conſcripſiſſe, ex Platonis Timæo liquidò cognoſcimus. Egerat autem Timæus de affectibus libro de ſanitate & ægritudine. Itaque inibi quoque Ariſt. tractâſſe videtur de affectibus. Eſtque in hâc quoque ſententiâ Felix Accorombonius. Ut ut eſt, pluribus ab Ariſtotele locis de affectibus actum eſſe, haut diffitemur; neque aliter fieri debuiſſe, nobis perſuaſiſſimum eſt; cùm id diverſo factum ſit fine, ac modo. Nam in Phyſicis agendum eſt de affectibus, quia accidunt certæ corporis naturalis ſpeciei, puta animali: in Ethicis de iis tractatur, quia virtutis opus eſt, moderari affectus: in Rhetoricis denique de iis docuit, quia oratoris eſt ciere affectus in auditoribus. Itaque non quidem omnes affectus conſiderat in Rhetoricis; ſed, cæteris præteritis, eos ſolùm explicat, qui conferunt ad perſuadendum.

* *Comment. in Epictetum.*

II. Quid sint affectus.

SUnt autem τὰ πάθη, ſeu affectiones, nihil aliud, quàm ea, per quæ animi, cùm ſe immutant, in judicatione differunt, quos ſequitur moleſtia & voluptas. Ἔστι δὲ † τὰ πάθη δι᾽ ὅσα μεταβάλλοντες διαφέρουσι πρὸς τὰς κρίσεις, οἷς ἕπεται λύπη καὶ ἡδονή. Animus certè affectibus mutatur, cùm videamus, nobis aliud dictare mentem, affectionem exæſtuantem fluctibus, aliud jam ſedatam. Hinc Parmeno apud Terent. Eunucho ‡; *Quid hoc morbi eſt? Adeon homines immutarier ex amore, ut non cognoſcas, eundem eſſe*, &c. Et M. Antonius apud Ciceronem lib. II. de Orat. *Plura enim homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundiâ, aut dolore, aut lætitiâ, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliquâ permotione mentis; quàm veritate, aut præſcripto, aut juris normâ aliquâ, aut judicii formulâ, aut legibus.* Idem Cicero pro Marcello: *Servi igitur, iis etiam judicibus, qui poſt multis ſeculis de te judicabunt, & quidem haut ſcio, an incorruptiùs, quàm nos. Nam & ſine amore, & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio, & ſine invidiâ, judicabunt.*

† *Ariſt. lib. 2. Rhetoricorum cap. 1. ſive ſecundùm juniorum diſtinct. cap 3.*
‡ *Act. 2. ſc. 1.*

Atque hinc cauſſa liquet, cur, quamdiu affectus durat, homines præcipiti curſu ad ſcelus ferantur: at, eo commiſſo, rem juſto pondere æſtiment. Menander apud Stobæum:

Οὐδεὶς ξυνίησιν ἐξαμαρτάνων, πόσον
Ἁμαρτάνει τὸ μέγεθος· ὕστερον δ᾽ ὁρᾷ.
Quantum ſuum ſit crimen, haut quiſquam videt.
Dum peccat: iſtud re peractâ conſpicit.

Cujus rei exemplum Tacitus ponit in Nerone, cùm matrem interemiſſet. Sic enim de eo ſcribit XLV. Annal. *Sed à Cæſare, perfecto demum ſcelere, magnitudo ejus intellecta eſt.* Nec Juſto Lipſio adverſer, qui hæc ipſa ex illo Menandri expreſſa cenſebat.

Fortaſſe autem eò, quòd pro affectibus animus mutetur, Stoici illi ſpectabant, qui dixere, affectus eſſe judicia atque opiniones: ut liquet ex Cic. IV. Tuſc. Quæſt. Nempe, ut verba eorum intelligamus, non propriè, ſed per μετωνυμίαν, ſive, ut vulgò dicimus, non formaliter, ſed cauſſaliter, quomodo eclipſis dicitur eſſe interpoſitio terræ inter Solem & Lunam, quia interpoſitio hæc eſt deliquii illius cauſſa. Galenus tamen, libro de placitis Platonis, & Hippocratis, ait, Chryſippum propriè illud intellexiſſe. Quod ſi eſt, immane quantum ratio eum fugit: quia opiniones & judicia pertinent ad facultatem animæ cognoſcentem: affectus autem reſident in facultate appetente: quippe quorum objectum ſunt bonum, & malum; non verum, falſumve.

Jure autem, cùm in aſſignatâ paullo antè affectus definitione, tum etiam lib. II. Nicomach. dicitur, affectuum pediſequas eſſe moleſtiam & voluptatem. Neque enim ſemper ab affectu eſt, quòd à priori judicio deflectamus; verùm interdum, quia magis penſiculando meliùs certiuſque rem cognoſcamus, juxta illud Euripideum: Δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, *Curæ ſecundæ ſapientiores*: atque hoc P. Syri; *Diſcipulus eſt prioris poſterior dies.* Quare optimè Ariſtoteles in definitione ſuâ aſſerit, affectum eſſe, non quandocunque de eadem re non eodem judicamus modo; ſed quando inſuper animi commotionem ſequitur voluptas, aut dolor.

Nec obſtat, quod voluptas etiam naſcatur, ſi ſententiam mutemus, ubi præclari aliquid edocti ſimus. Nam voluptas ea ſequitur judicium rationis, non proximè, & per ſe; ſed per accidens & remotè; nempe interveniente appetitu ſenſitivo, qui prout res bona fuerit, aut mala, ita cor hominis afficit; unde & *affectus* dicitur. Nam boni apprehenſione cor hominis ſe dilatat: apprehenſione mali idem ſe contrahit. Unde eſt, quòd affectus à multis definitur, motus appetitus ſenſitivi ex apprehenſione boni, vel mali, cum aliqua non naturali corporis mutatione. In quam ſententiam legere potes, quæ diſſerunt Thomas uterque, Aquinas & Cajetanus, in prima ſecundæ Summæ Theologiæ, quæſt. XXII, capite, ſive, ut loquuntur, articulo I. II. III.

Jure autem prudentiſſimus Deus animis noſtris indidit affectus, ut ſint quaſi adminicula ad præclaras actiones. Quod enim ventus navigio, id nobis affectus: in quorum temperie animi noſtri tranquillitas, imò vitæ hujus felicitas conſiſtit. Nimirum his ferimur ad ea, quæ recta ratio dictat. Sin ratio ipſa clavo excuti ſe patiatur; non jam illi ad virtutem ducunt, ſed ad vitia, ut verè tum morbi ſint animi. Quod minimè fit in homine prudenti, qui non affectu vacat, ſed affectui imperat. Eoque Stoicorum finitioni, quâ πάθος eſſe dicitur ὁρμὴ πλεονάζουσα *, jure nigrum Theta præfigimus: cùm in affectibus modus ſervari poſſit, certè debeat. Vide Themiſtium in III. de Animat item quæ partim de hac Stoicorum ſententia, partim contra eam, diſſerunt, Cicero pro Muræna, Seneca de Tranquillitate animi, Galenus lib. de curandis affect. atque ex Eccleſiæ doctoribus, Lactantius lib. VI. cap. XV, Ambroſius lib. de incarnat. Dom. cap. VII, item de obitu Gratiani, Auguſtinus lib. XIV. de Civitate Dei cap. VIII. & IX, atque alii magno numero. Quod ſiquis contentus ſit juniorum rivis, inſtar multorum erit Piccolominæus Moral. Philoſ. gradu I. cap. XXIII. & XXIV.

* *Impetus immodicus, ac redundans.*

Quàm verò hæc de affectibus doctrina Oratori neceſſaria ſit, indicat hic Taciti locus, vel quiſquis auctor eſt dialogi de Oratoribus: *Faciliùs iram judicis, vel inſtiget, vel leniat, qui ſcit, quid ira: promtiùs ad miſerationem impellat, qui ſcit, quid ſit miſericordia, & quibus animi motibus concitetur. In his verſatus orator, ſive apud infeſtos, ſive apud cupidos, ſive apud invidentes, ſive apud triſtes, ſive apud timentes dicendum habuerit, tenebit habenas animorum, & prout cujuſque natura poſtulabit, adhibebit manum, & temperabit orationem, parato omni inſtrumento, & ad omnem uſum repoſito.*

III. De numero affectuum, et quos ex iis consideret Aristoteles in Rhetoricis, et quæ in iis spectet.

AFfectus, ut optimè Thomas Aquinas † diſſerit, vel locum habent in facultate ἐπιθυμητικῇ, ſive concupiſci- † *T. 1. q. 23.*

piſcibili, vel θυμώδει, ſive iraſcibili. In concupiſcibili ſedem obtinent ſex affectus. Nam ſi offerat ſe res bona, oritur ejus amor: ac ſi abſens ſit, deſiderium ejus exiſtit: ubi verò illud conſecuti ſumus, gaudium exſurgit, ſeu delectatio. Itidem ſiquid ſe obtulerit ſub ſpecie mali, ejus naſcitur odium, quod amori opponitur: ſi malum abſit, fuga ſive averſatio ejus erit, quæ repugnat deſiderio: ſin malum præſens erit, exoritur dolor ſive triſtitia, quæ gaudio adverſatur. At Affectus, qui in iraſcibili ſedem habeant, quinque numero ſunt: duo ratione boni, tres ratione mali. Nam bonum arduum (quod iraſcibilis facultas reſpicit) vel ejuſmodi eſt, ut aliquis ſe credat illud conſequi poſſe; atque exoritur ſpes: vel tale eſt, ut credat aliquis, ſe id non valere adipiſci; ac naſcitur deſperatio. Ratione verò boni ardui præſentis, nullus in iraſcibili eſt motus, quia, quod quis jam obtinet, ardui habere rationem deſiit. Ratione autem mali ardui, tres exſurgunt affectus: quia aut malum arduum eſt abſens, aut præſens. Si abſens, vel refugimus, & eſt metus ſive formido: vel obviam ei imus, & eſt audacia. Sin præſens ſit, fuerit ira, quâ exardeſcimus ad malum depellendum.

Atque hi ſunt XI. affectus principes, ad quos cæteri referuntur. Quomodo ad dolorem pertinent pudor, miſericordia, invidia, æmulatio: lenitas autem refertur ad iram, cujus privatio eſt: de gratia, verecundia, inverecundia, inferiùs dicemus.

Ab Ariſtotele tredecim ex hiſce affectibus exponuntur in Rhetoricis; idque hoc ordine: ira, lenitas, amor, odium, metus, confidentia, verecundia, inverecundia, gratia, miſericordia, indignatio, invidia, & æmulatio.

Conſiderandæ autem ſunt in hiſce affectibus perſonæ duæ; quæ afficitur, & ea erga quam afficitur; ac præterea affectionis cauſſa. e. g. quis iraſcatur, & cui, & quamobrem. Ac tria hæc in ſingulis penè affectionibus tractat Ariſtoteles. Inſuper verò definitionem eorumdem præmittit, ex qua tria illa velut reſultant & efflореſcunt. Ariſtotelem hac in re fere omnes ſequuntur: inter alios autem Antonius Minturnus, qui libro III. de poëta, ex fontibus Ariſtoteleis ſua ſe deduxiſſe, ingenuè agnoſcit. Nec ſanè meliora Ariſtoteleis, vel ille, vel alius, afferre potuiſſet. Nonnunquam verò quatuor iis ſubjungit Ariſtoteles, quomodo Oratores hæc ad uſum revocent. Nos etiam hæc quinque in affectibus omnibus deinceps conſiderabimus. Atque operam dabimus, ut noſtra hæc ſint libri commentarii loco in ea, quæ breviùs obſcuriuſque dicuntur ab ſummo illo & rhetore & philoſopho. Ac primò de ira videamus.

Cap. II.

De Ira.

Ira eſt quidam cum dolore appetitus vindictæ, quam videamur nobis poſſe exſequi ob non convenientem noſtri noſtrorumve contemtum.

Eſt verò is contemtus triplex, καταφρόνησις, ἐπηρεασμὸς, καὶ ὕβρις *.

Καταφρόνησις *eſt merus deſpectus. Cætera inſuper requirunt, ut quis adverſetur alteri, non quo ſibi proſit, ſed ut alteri obſit. Atque* ἐπηρεασμὸς *quidem eſt in conſilio vel emolumento impediendo:* ὕβρεως *autem finis eſt pudor atque ignominia.*

* Deſpectio, incommodatio, & contumelia.

I. Variæ appellationes iræ.

DIfferunt, juxta Euſtathium †, θυμὸς ſive ὀργὴ, καὶ μῆνις, quòd prioribus duobus ſignificetur levis excandeſcentia, facileque reſidens: μῆνις verò diutiſſimè inſit. Ac θυμὸς quidem dici putat ἀπὸ τοῦ θύειν, quod eſt ὁρμᾶν, hoc eſt, *ſubitò commoveri*, ὀργὴ autem ἀπὸ τοῦ ὀρέγεσθαι, hoc eſt, *concupiſcere*, quia eſt appetitus vindictæ: μῆνις verò ἀπὸ τοῦ μένειν, quia eſt χόλος ἐπιμόνιος †, ut Didymus interpretatur. Fortaſſe tamen verius ſit, ὀργὴ κατὰ μετάθεσιν ‡ fieri à Chaldaico & Syriaco *rogez*, hoc eſt, ira. Nonnulli verò eo θυμὸν, & ὀργὴν, diſtinguunt, quia, ut ibidem Euſtathius monet, ὀργὴ habeat μονιμώτερόν τι *. Cui ſententiæ etiam favet Gregorius Nazianzenus libello, qui inſcribitur Ὅρος παχυμερής †. Unde hos ſenarios exſcripſimus:

> Θυμὸς μέν ἐστιν ἀθρόος ζέσις φρενός.
> Ὀργὴ δὲ θυμὸς ἐμμένων. ὁ δ' εἰς κακὸν
> Μνήμων, λοχῶν τε, μνησικακία τυγχάνει.

Quæ ſic reddebat Io. Leunclavius ‡:

> *Eſt fervor animi ſubitus iracundia.*
> *Sed ira durabilior hac. addas cui*
> *Si damna, & inſidias, erit* * μνησικακία.

Adde ſis:

> *Injuriarum memoriam quam dixeris.*

Sed θυμὸν, ut puto, haut ſatis commodè *iracundiam* vertit: cùm *ira*, & *iracundia*, differant, ut *iratus*, & *iracundus*: unde Donatus Adel. Act. IV. Sc. VII: *Ira de cauſſa eſt, iracundia de vitio multùm iraſcentis.* Nec videntur Romani habere vocabula, quibus iræ gradus diſtinguant. Niſi quòd gravior ira, κατὰ μεταφορὰν vocatur *furor*. Unde Venus apud Maronem †, cum dixiſſet, *Junonis gravis ira:* poſt ſubjicit, —— *Cauſſas tanti ſciat illa furoris.* Imò Horatio ira ἁπλῶς *brevis* eſſe *furor* dicitur. Et Geta apud Comicum ait ‡: *Me miſerum! vix ſum compos animi. ita ardeo iracundiâ.* Sanè quia irati non ſunt animi ſatis compotes, eò nec ſatis, quid dicant, ſciunt: ut de voluntate eorum nihil ſtatui poſſit, priuſquam ira reſederit. Unde Paullus lib. XXXV. ad Edictum *: *Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quàm ſi perſeverantiâ apparuit, judicium animi fuiſſe.* Quæ verba perperam Paullo abjudicat Barthius Adverſar. lib. LX †.

† In Il. α. pag. 8. Rom. edit.

† Ira permanens.

‡ Trajectis literis.

* Quidam diutius permanens.

† Definitiones rerum ſimplices.

‡ Notis in Gregorium Nyſſenum de hominis opificio.

* Sic eſt apud Leunclavium, metro nonnihil adverſante.

† 5. Æn.

‡ Adel. act. 3. ſc. 2.

* L. Divortium 3. ff. de divort. & l. 48. quicquid. ff. de Reg. Juris.

† Col. 1857.

II. Quomodo definiatur ira ab antiquis.

VAriæ ſunt iræ definitiones apud veteres. Diogenis definitio à Laërtio affertur in Zenone. Tres etiam finitiones iræ ex Senecæ de irâ libris (in quibus tamen eas fruſtra hodie quæras) Lactantius affert lib. de irâ Dei. Ciceroni quartâ Tuſculanâ ira definitur, *libido puniendi ejus, qui læſiſſe videatur injuriâ.* Tranſtulit autem illam Stoicorum: Ὀργή ἐστι τιμωρίας ἐπιθυμία τοῦ δοκοῦντος ἠδικηκέναι οὐ προσηκόντως. Alii item aliter deſcripſere. Ariſtoteles, qui rectam definiendi rationem pro ſingularum diſciplinarum naturâ primus perſpexit, lib. I. de animâ duo facit definitionum genera, unum Phyſicum, alterum Dialecticum. Phyſica definitio vel perfecta eſt, vel imperfecta. Imperfecta ſolam exponit materiam. Ejus exemplum apud Ariſtotelem eſt, cùm ira definitur; ζέσις τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος ‡: cui ſimilem affert Damaſcenus lib. II. Orthodoxæ Fidei cap. XVI. Perfecta non materiam ſolam affert, ſed ſimul formam complectitur; ut ſi imperfectam phyſicam cum dialecticâ conjungas. Nam dialectica definitio ſolam formam explicat, quia cùm Dialecticus circa quidlibet verſetur, nec certo ſit generi adſtrictus, minùs materiam moratur. Porrò dialectica finitio apud Ariſtotelem eſt iſtiuſmodi: ὀργή ἐστιν ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς αὐτοῦ τινα μὴ προσηκόντως. *Ira eſt conjuncta cum dolore cupiditas ſperatæ ultionis, propter apparentem contemtum, quo quis vel ſe, vel ſuorum quempiam, contrà quàm oportuit, affectum eſſe putat.*

‡ Fervor ſanguinis circa cor.

III. Particulatim expenduntur, quæ Ariſtoteles definitione iræ comprehendit.

IN Ariſtoteleâ hac definitione conſideranda ſunt ſex. Primum eſt genus ipſum: quod eſt ὄρεξις, ſive appetitio, pro quo *libido* eſt apud Tullium, ut paullo antè vidimus.

Deinde dicitur ea fieri μετὰ λύπης, *cum dolore*. Hinc divinus Poëta I. Æn.

—— Cauſſæ irarum, ſævique dolores.

Et lib. IX.

Igneſcunt iræ, & duris dolor oſſibus ardet.

Itemque Horatius lib. I. epiſt.

—— Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit, & mens.

Tertium, eſt τιμωρίας φαινομένης, *ultionis ſperatæ*, ſive, eum puniendi, de quo pœna poſſe ſumi videtur. Hinc X. Æn.

—— Spes addita ſuſcitat iras.

Cæſari certè, vel Regi, non iraſcimur, quia ulciſci non poſſumus; niſi fortaſſe linguâ; in quâ imbellium arma ſunt. Differunt autem propriè κόλασις, ſive *caſtigatio*, & τιμωρία, ſive *vindicta*: illam quis expetit, quò emendetur is, qui pœnas luit: hanc verò non propter alium, ſed propter ſe, ſumit; puta, ut animum ſuum expleat ulciſcendo eum, qui antea læſerat. Id voluit Ariſtoteles, cum ſcribit I. Rhet. cap. XXXIX. ἡ μὲν κόλασις τοῦ πάσχοντος ἕνεκά ἐστιν, ἡ δὲ τιμωρία τοῦ ποιοῦντος h. e. *pœna, ſive caſtigatio, ſive animadverſio, fit ejus cauſſa, qui patitur; vindicta verò ejus cauſſâ, qui agit, ut expleatur.* Utrumque conjunxit Maro lib. II. Æn.

—— Subit ira cadentem
Ulciſci patriam, & ſceleratas ſumere pœnas.

Quamquam & dici queat, vindictam, ac pœnam, hîc pro eodem ſumi; quomodo & Ariſtoteles tertio Eth. Nicom. cap. V. * de legiſlatoribus ſcribit: κολάζουσι γὰρ, καὶ τιμωροῦνται τοὺς δρῶντας μοχθηρά †. At parum rectè vindictam, ac pœnam confundit Tullius, cùm I. de Invent. vindicationem eſſe ait, *per quam vim & contumeliam defendendo, aut ulciſcendo, propulſamus à nobis, & à noſtris, qui nobis eſſe cari debent, & per quam peccata punimus.* Nam poſtremum iſthoc non vindictæ eſt, ſed pœnæ. In definitione autem voces propriè ac preſsè ſumi debent. Ex his liquere arbitror, cur Ariſtoteles iram definiat cupiditatem vindictæ. Atque inde etiam eſt, quòd Tertullianus ſic adverſus Marcionem diſputet lib. I. cap. XXVI. *Si offenditur, debet iraſci: ſi iraſcitur, debet ulciſci. Nam & ultio fructus eſt iræ, & ira debitum offenſæ, & offenſa, ut dixi, comes fruſtratæ voluntatis.* Julius tamen Scaliger mavult iram definire appetitum depulſionis, quàm ultionis. Ratio ejus eſt, quòd in periculis quoque iraſcamur, nullo dum perpetrato maleficio. Vide Exercit. CCCXIX. ubi & refutat definitionem iræ à Ludovico Vive aſſignatam; quemadmodum & eam, quam Melanchton attulerat. Sed Scaligeri argumento non incommodè occurri videtur, ſi dicamus, cùm ſolùm depulſionis eſt appetitus, nonniſi laxè atque impropriè iram vocitari.

* At cap. 7. juxta alterum aſt
† Eos enim qui flagitioſè & improbè agunt, caſtigant, ac ſupplicio afficiunt.

Quartum eſt, διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν, *propter eum, qui apparet, contemtum.* Hinc I. Æn. afferuntur cauſſæ irarum Junonis, ſpreta forma à Paride; & quòd Hebe filia Ganymedi eſſet poſthabita. Sic enim ait:

—— Manet altâ mente repôſtum
Judicium Paridis, ſpretæque injuria formæ,
Et genus invìſum, & rapti Ganymedis honores.

Quincto loco in definitione ponitur, τῶν εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς αὐτοῦ τινα, *vel in ſe, vel in ſuorum quempiam.* Neque enim quælibet læſio iram efficit; ſed quæ commiſſa, aut committenda, in nos, vel noſtrum quemquam. Nam iſtiuſmodi perpeti contemtum, non liberi eſt hominis, ſed mancipii; ut vult Philoſophus in IV. Nicomach. Certè, ut ait ille, *Contumeliam nec ingenuus fert, nec fortis facit.*

Denique in eâdem eſt μὴ προσηκόντως, *inconvenienter, injuriâ, immeritò.* Ita Juno irata fuit, quòd injurium eſſet, Heben, reginæ Deûm filiam, Ganymedi, hominis filio, poſtponi.

Et hæc de definitione; ex quâ cognoſcere eſt, in irâ tum præſentis, tum præteriti, tum futuri temporis, conſiderationem concurrere. Præſentis quidem, cùm eam dicitur eſſe ὄρεξιν: præteriti, quia eſt διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν: futuri, quia eſt τιμωρίας φαινομένης. Porrò etſi hanc definitionem lib. I. de anima reprehendat Ariſtoteles, tanquam dialecticam & inanem, quòd formam quidem iræ declaret, at materiam negligat: tamen in Rhetoricis jure optimo fertur, in quibus minimè requiritur accurata illa definiendi diligentia.

IV. De iis qui iraſci ſolent.

Iraſcuntur varia hominum genera.

I. Primò illi, qui dolent, ſe, aut ſuos, non eo reputari loco, quo oportebat. Ita poſt exceſſum Alexandri M. cùm duces decreviſſent, ut Roxanes partus exſpectaretur, atque equites in tutorum obſequia juraſſent; *pedites* (verba ſunt Juſtini *) *indignati, nullas ſibi conſiliorum partes relictas, Aridæum, Alexandri fratrem, regem appellant.* * Lib. 13.

II. Quibus directò quis, atque apertè, aut non directè, ſed clàm & obliquè, reſiſtit; veluti cui quis adverſatur in bibendo, ſive id prohibeat, ſive impediat, ſive etiam non adjuvet, cùm poſſit. Notum illud Theocriti Idyll. XV —— πεινῶντι γε μηδέποτ᾽ ἄντης, *eſurienti haut obvium eſto.*

III. Qui morbo affliguntur, aut premuntur paupertate, aut amant, aut ſitiunt, & quotquot vehementer aliquid cupiunt, neque id conſequuntur. Seneca lib. II. de irâ: *Senes*, inquit, *difficiles, & queruli ſunt, ut ægri, & convaleſcentes, & quorum aut laſſitudine, aut detractione ſanguinis, exhauſtus eſt calor. In eadem cauſſa ſunt ſiti fameque rabidi, & quibus exſangue corpus eſt, maligneque alitur, & deficit.* Et lib. III. cap. X: *Vetus dictum eſt, A laſſo rixam quæri. Æquè autem & ab eſuriente, & à ſitiente, & ab omni homine, quem aliqua res urit. Nam ut ulcera ad levem tactum, deinde etiam ad ſuſpicionem tactus, condoleſcunt, ita animus affectus minimis offenditur.* Cui geminum illud Ammiani Marcellini lib. XXVII: *Iram eſſe ulcus animi, prudentes definiunt, naſci ex mentis mollicie conſuetum; id aſſerentes argumento probabili, quòd iracundiores ſunt incolumibus languidi, & feminæ maribus, & juvenibus ſenes, & felicibus ærumnoſi.* Planiora hæc fient, ſi particulatim quoque de pleriſque eorum loquamur.

De morbo eſt hoc Iſocratis in Æginetico: Καὶ γὰρ φύσει χαλεπὸς ὤν, ἔτι δυσκολώτερος διὰ τὴν νόσον διέκειτο. *Nam cùm naturâ ſatis aſper erat, tum morbo longè erat moroſior factus.* Itaque Horatius epiſt. XIII. lib. I. inter alia, quæ Vinnium Aſellam obſervare jubet in carminibus ſuis Auguſto offerendis, illud quoque ponit, *Si validus.* Sequitur autem,

Ne ſtudio noſtri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes, operâ vehemente miniſter.

De amore eſt apud Plaut. † Mercurii iſtud de Jove Alcmenam deperennte, eoque ὀξυχόλου: *Ex amore hic admodum quàm ſævus eſt!* Apud eundem ait Milphio ‡: *Servire amanti miſeria eſt, præſertim qui, quod amat, caret.* Et eâdem comœdiâ * Agoraſtocles, amori ſuo metuens moram, omnis eſt in accuſando teſtudineam advocatorum tarditatem. Eſt & Terentii Heaut †. *Novi ego amantium animum: advertunt graviter, quæ non cenſeas.* Sive, ut Palmerius ‡ legit, *Novi ego amantis.* * *animum advertunt graviter, quæ non cenſeas.* Itidem Cicero ad Trebatium †: *Quàm ſint moroſi, qui amant, vel ex hoc intelligi poteſt.* Et apud Lucianum, conquerente Mercurio de immenſis laboribus, jubet eum Maja properè exſequi mandata Jovis, ne plagas auferat: ac rationem hanc ſubjicit; Ὀξύχολοι γὰρ οἱ ἐρῶντες ‡.

† Amphit. act. 1 ſc. 3.
‡ Pœnulo act. 4. ſc. 1.
* Pœn act. 3. ſc. 3.
† Act. 3. ſc. 3.
‡ Spicilegio ad Fichardum.
* Ut amantis ſit pro amantium.
† Lib. 7. epiſt. 15.
‡ Nam iracundi ſunt, qui amant.

De paupertate eſt iſtud Maronis Georg. II.

Aut unde iratus ſylvam devexit arator;
Et nemora evertit multos ignava per annos.

De fame laborantibus, argumento eſt, quòd, qui ſemel de die ſumunt cibum, moroſiores illis ſunt, qui eum bis capiunt: quod & experientia teſtatur, & ex deperdi-

tis

tis Ariſtotelis Problematis ab Apollonio refertur in Hiſtoriis mirabilibus cap. IX. Idem firmat incertus auctor verſuum, qui Plautinæ Amphitryoni inſeruntur: *Vetu'ſt adagium, Fames & mora bilem in naſum conciunt.* Ubi eò narium meminit, quia iis ſpiritus æſtuoſiùs ebullit in iratis. Quò & reſpicit Perſius ſat. V. *Diſce: ſed ira cadat naſo, rugoſaque ſanna.* Imò Hebræis quoque eadem vox *aph*, & naſum, & iram, notat.

Denique ſitientes, jure, cùm ab Ariſtotele, tùm à Seneca, reponi inter eos, qui aliquid vehementer cupiunt, ac proinde facile iraſcantur, vel indicio fuerit, quòd ſcribit Athenæus lib. X. Τῆς δὲ δίψης ὐδὲν ἐςι πολυποθητότερον. *Siti verò nihil magis concupiſcit.* Atque, ut ibidem eſt, Διόπερ ϗ τὸ Ἄργος πολυδίψιον ὁ ποιητὴς * ἔφη πολυπόθητον διὰ τὸν χρόνον. *Icicirco & poëta Argos vocat diu multumque ſitiens, cùm dicere vellet, diu multumque deſideratum, ob longi temporis abſentiam.* Hæc enim mens eſt Athenæi, quam non cepit Dalecampius: ut qui πολυδίψιον *ſiticuloſum* vertat: ac πολυπόθητον διὰ τὸν χρόνον, *omni tempore avidum.* Etiam Artemidorus lib. I. cap. LXVIII. cùm dixiſſet, bonum eſſe ſiquis ſomniet, ſe ſitire, & fontem reperire, cauſſam addit, τὸ γὰρ διψῆν ὐδὲν ἄλλο ἐςιν, ἢ ἐπιθυμεῖν. *Sitire enim nihil aliud eſt, quàm concupiſcere.* Sanè & Latinis *ſitire* ſic accipitur ſæpe, & Hebræis *tſama*, ut Pſal. XLII. 3. & LXII. 2.

* Iliad. δ.

IV. Iraſcuntur itidem, quorum quis præſentem contemnit ſtatum: ut, quòd quis ægrotus, aut miles, aut pauper.

V. Adhæc, quibus mali aliquid evenit præter opinionem. Quemadmodum enim magnopere delectant bona, quæ præter exſpectationem contigerunt; ita maximum afferunt dolorem mala repentina, & improviſa.

VI. Denique in iis, qui facilè iraſcuntur, ſpectatur circumſtantia; velut anni aut diei tempus. quomodo caprarius apud Theocritum facilè ait Pana iraſci meridie, cùm à venatione defatigatus quieſcit. itidem tempora triſtiora, ſive publicæ, ſive privatæ rei calamitas evenerit: adhæc διαθέσεις ſive affectiones, cujuſmodi eſt mœror: aut ætas, uti ſenectus, quæ naturâ eſt moroſior.

Porrò, qui iraſcuntur, tum dolent, tum gaudent, quemadmodum & amantes. Nam ut hi dolent ob abſentiam amatæ; at gaudent, quia in ſpe habent, ſe eam adepturos, atque adeò, ſibimet abblandientes, ſpe eam præcipiunt; ita & dolent irati ob illatam ignominiam; gaudent autem ob ſpem vindictæ, in quâ immoratur cogitatio. Cujus rei luculentum præbet exemplum Geta Terentianus †, quando imaginatur ſibi quaſi præſentem vindictam, atque eâ cogitatione ſuaviter ſe oblectat. Sic enim, totus in fermento cùm eſſet, ſermocinatur ſecum:

† Adel. act. 3. ſc. 2.

Nihil eſt, quod malim, quàm illam totam familiam
dari mihi obviam,
Ut ego iram hanc in eos evomam omnem, dum
ægritudo hæc eſt recens:
Satis mihi id habeam ſupplicii, dum illos ulciſcar
modò.
Seni animam primùm exſtinguerem ipſi, qui illud
produxit ſcelus.
Tum autem Syrum impulſorem, vah, quibus illum
lacerarem modis!
Sublimem medium primùm arriperem, & capite in
terram ſtatuerem,
Ut cerebro diſpergat viam.
Adoleſcenti ipſi eriperem oculos: poſt hæc præcipitem
darem.
Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, &
proſternerem.

Quid hæc aliud dicas, quàm ſomnium eſſe vigilantis? Et tamen ſeriò his capitur, & imaginando iſta tantùm non triumphat. Nimirum veriſſimè Juvenalis ſat. XIII.

At vindicta bonum vitâ jucundius ipſâ.

Et Achilles quoque, apud Homerum, iram ait liquenti melle dulciorem in hominum pectoribus gliſcere. Locus eſt Iliad Σ.

Ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
Ἀνδρῶν ἐν ςήθεσσιν ἀέξεται ‡.

Certè non Ariſtoteles modò in Rhetoricis hoc Homeri teſtimonio utitur: ſed ante illum Plato quoque in Philebo oſtendit eo, in irâ eſſe mixtionem voluptatis, ac doloris; unde iratos idem venuſtè inibi confert cum illis, qui, dum tragœdias ſpectant, ſimul & gaudent, & dolent. Icicirco memorem iram dixit Virgil. initio primi Æn. quomodo & Æſchylus in Agamemnone dixit μνήμονα μῆνιν. Nam quæ jucunda ſunt, ea & εὐμνημόνευτα *. Niſi malis odium ſignificari, quod eſt ira inveterata, ut ſuo loco dicemus.

‡ Dulcius hæc multo manat, quam mella liquata, Mortale in pectus.

* Facile memoria tenentur.

Quia autem, qui iraſcuntur, ſperant, non obſcurum eſt, cur iidem non metuant, cùm ſpes tantùm ſit boni futuri. Certè Peripatetici *iram cotem fortitudinis eſſe* dicunt: ut auctor eſt Tullius in IV. & VI. Tuſcul. itemque IV. Academ. Quæſt. & Lactant. lib. XIX. Quin etiam *virum negant* (inquit idem Tullius) *qui iraſci neſciat.* Et rectè ſanè, quicquid contrà diſputet Tullius. Nam fortitudini adverſatur metus, cùm is futuro ex malo ſit: irati autem non habeant rationem mali futuri; quia, quem timemus, eum non ſperamus à nobis poſſe puniri. Hæc enim ratio eſt, cur pacati in eos ſimus, quos metuimus, timore iracundiam reſtinguente; ut ſcribit Plutarchus περὶ ἀοργησίας.

Quemadmodum autem metus, ſi ingens ſit, ſedatur irâ: ita, ſi iracundia excedat, tollitur metus. Illuſtre hujuſce rei exemplum habemus in Priamo, cùm Politen, filium ſuum, à Pyrrho, Achillis filio, interfici videret. Ita enim de eo Poëta †:

† 2. Æn.

Hic Priamus, quamquam in mediâ jam morte te-
netur,
Non tamen abſtinuit, nec voci iræque pepercit:
At tibi pro ſcelere exclamat, pro talibus auſis,
Di, ſiqua eſt cœlo pietas, quæ talia curet,
Perſolvant grates dignas, & præmia reddant
Debita, qui nati coram me cernere letum
Feciſti, & patrios fœdaſti funere vultus.

Adi Ariſtotelem lib. III. Eth. Nic. cap. VIII. ubi ſententiam ſuam iſthoc Homerico confirmat: σθένος ἔμβαλε θυμῷ ‡. Eâdem in ſententiâ eſt Plato, quem vide lib. II. de legg. Diſſentiunt Stoici. Cauſſas pete è Senecæ libris de irâ, ubi hanc Peripateticorum & Academicorum opinionem impugnat. Plutarchus quoque vult, ut calor eſt in febri, ſed intemperatus, ac noxius; ita robur eſſe in irâ, ſed improbum. Imò Arnobius non alienus ab hâc ſententiâ videtur. Nam lib. I. oſtendere conatur, iram non eſſe abſque ægritudine; eoque non cadere in Deos. Viciſſim Stoicorum dogma diluit Lactantius lib. de irâ Dei cap. XVIII. ubi docet, ſine irâ peccatum non corrigi; eâdemque in ſententiâ ſunt cæteri doctores Eccleſiaſtici. Quin in puero plurimi damnant ἀοργησίαν *, tanquam animi hebetis indicem: quâ de erudita exſtat epiſtola Angeli Politiani ad Laurentium Medicem. Illud quoque non abs re ſit adſcribere, vehementiùs iraſci viros bonos, hoc eſt, ſimplices. Cic. de Epicureis loquens †: *Solent enim, id quod virorum bonorum eſt, admodum iraſci.* Hinc Horat. ‡.

‡ Robur animo injecit.

* Lenitudinem ſive iræ vacuitatem.

† Lib. 1. de Legg.

‡ Lib. 1. ſat. 3.

—— At eſt truculentior, atque
Plus æquo liber: ſimplex fortiſque habeatur.

Nam pro ſimplici haberi vult iracundum, quia tales eſſe ſolent, qui ſimplicioris ſunt ingenii. Ariſtoteles quoque lib. I. Rhet. rationem purgandi monſtrans, quâ ſumimus τὰ παρακολουθοῦντα *, exempli loco adfert, ſi vocemus τὸν ὀργίλον ϗ τὸν μανικὸν, ἁπλοῦν †.

* Quæ conſequuntur rem.

† Iracundum ac inſanum, ſimplicem.

V. Quibus soleant homines irasci.

Vidimus, qui iraſcantur: nunc conſideremus, quibus iraſci & ſuccenſere homines conſuerint. Iraſcuntur autem,

I. Alicui ſingularium. Nam, ut inquit Ariſtoteles, Cleoni quis iraſcitur, non homini. Ubi Cleonis potiſſimùm

mùm meminit, qui homo erat garrulus, inquietus, & audax: inque ſeditione ex coriario factus fuerat imperator: ut cognoſcimus ex Ariſtophane ἐν Νεφέλαις, ac Plutarcho in comparatione Niciæ, & Craſſi.

II. Iraſcuntur præterea iis, qui parvi faciunt, cùm magni facere debeant. Iſtiuſmodi ſunt duo hominum genera. Prius eſt eorum, qui ſunt inferiores genere, potentiâ, aut virtute. Nam opulentus ob divitias, eloquens ob facundiam, & quivis ob id, quo excellit, dignum ſe honore putat.

Ac quò quis magis excellit, hoc major eſt injuria, & contemtus. Salvianus lib. VI. *Semper enim per dignitatem injuriam perferentis, creſcit culpa facientis: quia neceſſe eſt, quanto major eſt perſona, quæ contumeliam patitur, tanto major ſit noxia ejus, qui facit.*

Alterum genus eorum eſt, à quibus non afficimur beneficiis, contrà quàm debebamus, quandoquidem vel nos de iis bene meriti ſumus, vel aliquis è noſtris, ſive hic cognatus fuerit, ſive affinis, ſive amicus. Ita iraſcitur Dido Æneæ, quòd non reſpondeat beneficentiæ:

Nuſquam tuta fides: ejectum litore egentem
Excepi, & regni demens in parte locavi;
Amiſſam claſſem &c.

Verùm latiùs hæc deducit Ariſtoteles, cùm quindecim facit hominum genera, quibus iraſcimur. Ea ſunt,

I. Qui derident, aut ſubſannant, aut cavillis laceſſunt.
C. Caſſius epiſtolâ ad Ciceronem * de Cn. Pompejo Cn. Magni F. loquens; *Scis*, inquit, *quàm ſe ſemper à nobis deriſum putet: vereor, ne nos ruſticè gladio velit ἀντιμυκτηρίσαι* †. Sanè quia maledicta ac contumelioſa oratio iram concitant, inde eſt, quòd veteres dicere ſolent, *iram in auribus hominum habitare*: ut eſt apud Herodotum in Polyhymniâ.

* Lib. 15. epiſt.
† Viciſſim irridere.

II. Qui damna dant non aliâ de cauſsâ, quàm ut alius gaudeant dedecore.

III. Qui vituperant ea, quibus maximè incumbimus: ut, ſi quis invehatur in Philoſophiam apud eum, qui ejus ſtudio ſibi mirificè placeat. Iſtiuſmodi autem vituperationem maximè iniquo ferunt animo, qui ſibi probè ſunt conſcii, ſe non excellere in eo ſtudio. Nam qui excellunt, cavillos ac ludibria minimi putant.

IV. Qui amicitiâ ſunt conjuncti, nec ullo eam obſignant benevolentiæ ſigno. Putamus enim, hos benefacere nobis perpetuò debere. Itaque Servius Sulpicius malè ferebat, L. Murænam contra ſe à Tullio defendi, quòd ſibi ſumma cum eo intercederet neceſſitudo. Certè, ut hâc ipsâ in orat. Cicero ait: *Cùm grave eſt verè, accuſari in amicitiâ; tum etiam, ſi falsò accuſeris, non eſt negligendum.* Pertinet huc quoque illud Petronii: *At enim amici fuerunt mei. Eo majora meruerunt ſupplicia. Nam qui ignotos lædit, latro appellatur: qui amicos, paullo minus, quàm parricida.* Sanè oportet & dictis, & factis, quantum jus faſque concedit, amicis obſecundare. Atque hinc quoque eſt, quòd fratres, propinqui, atque omnes qui valde amant, valde etiam oderint; ut poſtea ‡ dicemus.

‡ Cap. 5.

V. Qui honorare deſinunt. Nam contemnere videntur, qui non exhibent honorem, quem ſolebant.

VI. Qui, cùm beneficio ſint affecti, non ſtudent parem facere rationem; & ἀχαρίστως, quicunque acceptorum beneficiorum ſunt immemores.

VII. Qui adverſantur aliorum conatibus, licet ſint inferiores. Nam & hi ſuperiores deſpiciunt.

VIII. Qui, cùm amici ſint, aut certè haberi velint; non tamen laudant, aut bene de nobis merentur. Et multo magis iis iraſcimur, ſi vel vituperent, vel damnum dent, vel non ſentiant, nos egenos eſſe. Neque enim hoc eos lateret, ſi de nobis ſolliciti eſſent. Prudenter itaque Cicero ad Brutum: *De ſororis tuæ filiis non exſpectavi, Brute, dum ſcriberes.* Quaſi dicat, ſe, nec monente Bruto, ſenſiſſe, quid expeteret. Contrà Horatius lib. I. ſat. IX. iraſcitur Fuſco Ariſtio, quòd ſtudio hoc ageret, ut neſciret, quorum indigeret Horatius. Parque ratio, ſi in re neceſſaria multis apud amicum precibus ſit opus. Unde Bruto ſtomachus epiſtolâ ad Ciceronem: *Nam ſi in tanta re, tamque neceſſaria, verbis mihi opus eſt ad te excitandum; nulla ſpes eſt, facturum quod volo. Quare noli exſpectare longas preces.*

IX. Qui calamitatibus noſtris gaudent, aut in noſtris infortuniis ſecuro ſunt animo. Illud inimici, hoc contemtoris eſt indicium. Hinc Demoſthenes, orat. in Zenothemin, exprobrat ei, quòd ſe vino tantopere ingurgitâſſet. Verba ejus ſunt: Εἰ * γὰρ ἐν κακοῖς καὶ χειμῶνι τοσοῦτον οἶνον ἔπινεν, ὥστε ὅμοιον εἶναι μανίᾳ· τί οὐκ ἄξιος εἴη παθεῖν; Cui, ut optimè obſervat Victorius †, planè geminum eſt illud Demeæ ad Syrum ‡:

In ipſa turba, atque in peccato maximo,
Quod vix ſedatum ſatis eſt, potaſti, ſcelus.

* Nam ſi rebus in adverſis, & iſtâ procellâ, tantum vini bibit, ut ſimilis fieret ipſi inſaniæ: quid non ille dignus perpeti?
† Lib. 8. Var. Lect. cap. 4.
‡ Adelph. act. 5. ſc. 1.

X. Qui non curant, num moleſtiam nobis faceſſant, aut dolorem afferant. Iccirco etiam iraſcimur mala nunciantibus.

Στέργει γὰρ οὐδεὶς ἄγγελον κακῶν ἐπῶν *.

Unde Byrria Terentianus, rei ingratæ hero ſuo indicium facturus, ait †.

Renunciabo, ut pro hoc malo mihi det malum.

Exemplum etiam hujuſce rei habemus in Minerva, quæ, cornice, ut ajunt, nunciante, Erichthonium eſſe detectum, irata hanc pœnam toti irrogavit cornicum generi, ne qua earum deinceps ἀκρόπολιν ‡ ingrederetur. Auctor Antigonus in congerie narrationum mirabilium *. Etiam in Euripidis Phœniſſis Jocaſta vix adduci poteſt, ut poſt narrationem rei bene geſtæ, addat aliqua ingrata, de fratrum ſingulari certamine. Eandem ob cauſſam iraſcimur iis, quibus penſi nihil eſt, uti oratione ſcævâ ac mali ominis; cujuſmodi erant funeſta omnia, quorum mentionem veteres abominabantur. Unde Suetonius in D. Claudio; *Et in ultimâ cognitione pro tribunali, acceſſiſſe ſe ad finem mortalitatis, quanquam abominantibus qui audiebant, ſemel atque iterum pronunciavit.* Iccirco κατ' εὐφημισμὸν hujuſcemodi exprimebant. Tertullianus lib. de teſtimonio animæ cap. IV. *Si de aliquo jampridem defuncto tanquam vivo quis requirat, præ manu occurrit dicere:* ABIIT JAM, ET, REVERTI DEBET. Quin &, cùm conſcriberent teſtamentum, priùs bene ominabantur ſibi, quàm eo quippiam caverent. Ariſtoteles initio teſtamenti ſui apud Diogenem Laërtienſem: Ἔσται μὲν εὖ, ἐὰν δέ τι συμβαίνῃ, τάδε διέθετο Ἀριστοτέλης †. Theophraſtus ſimiliter apud eundem ‡: Ἔσται μὲν εὖ, ἐὰν δέ τι συμβῇ, τάδε διατίθεμαι ‡. Itidem iraſcimur illis, qui ſiniſtros rumores de nobis ſparſos audiunt, aut ſine dolore ſpectant calamitates, quibus affligimur.

* Nam nemo audiens nuncium rei malæ.
† Andr. act. 2. ſc. 5.
‡ Arcem urbis.
* Cap. 12. ex Ameleſagora Athen.
† Benè quidem, ut ſpero, erit: veruntamen, ſiquid ſecus contigerit, ſic ſtatuit Ariſtoteles.
‡ In Theophraſto.
‡ Benè quidem, ut ſpero, erit: cæterum & ſiquid ſecus acciderit, ita ſtatuimus.

XI. Qui nos deſpiciunt apud quinque hominum genera: nempe apud eos, quibuſcum de honore contendimus, aut quos admiramur; aut à quibus ſuſpici volumus; aut quos veremur; ac denique qui nos verentur.

XII. Qui contemnunt illos, quos turpe ſit nobis non defendere; ut ſunt parentes, liberi, uxor, ſubditi.

XIII. Qui εἰρωνείᾳ ac diſſimulatione utuntur apud illos, qui ſeriò agunt.

XIV. Qui, cùm benefici ſint erga alios, de nobis tamen bene mereri nolunt.

XV. Qui citò obliviſcuntur penè nominis noſtri. Nam oblivio iſtiuſmodi eſt incuria; incuria verò eſt ex contemtu. At contrà Andromache apud Virgilium oſtendit, ſe nullis calamitatibus ita fractam, ut oblita ſit vel nominis Aſcanii, quod Æneæ ſciebat gratiſſimum. Ait nempe *, *Quid puer Aſcanius? ſuperatne, & veſcitur aura?* Sed & Cyrus, Perſarum rex, omnium ſuorum militum nomina edidicit, quò eos nominatim compellando ſibi conciliaret: Cyrumque ea in re Scipio Africanus, atque alii, imitati fuere.

* Æn. 3.

Expoſuimus quindecim hominum genera, quibus ſuccenſemus, atque iraſcimur. Quod ſi laxiùs iræ voce utamur, quomodo ea appetitus depulſionis ab Julio Scaligero definitur, fatendum, non hominibus modò iraſci nos, ſed etiam rebus inanimis. Qua de re ſic B. Auguſtinus epiſt. CXV: *Ira eſt turbulentus appetitus auferendi ea, quæ faci-*

facilitatem actionis impediunt: Itaque plerumque non hominibus tantum, ſed calamo iraſcimur in ſcribendo, eumque collidimus atque frangimus: & aleatores teſſeris, & pictores penicillo, & cuique inſtrumento quilibet, ex quo difficultatem ſe pati arbitrantur. Et hæc de iis quibus iraſcimur.

VI. QUA DE CAUSSA IRASCAMUR.

CAuſſa verò, ob quam alii iraſcimur, eſt ὀλιγωρία, h. e. *contemtus*, ſive, ut vertit Majoragius, *negligentia*. Certè Terentio quoque ὀλιγωρεῖσθαι eſt *negligi*,
† Act. 4. ſc. 3. ut liquet ex illo adelphorum † loco:

Omnes, quibus res ſunt minùs ſecundæ, magis ſunt neſcio quomodo
Suſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:
Propter ſuam impotentiam ſe ſemper credunt negligi.

Sunt autem ὀλιγωρίας ſpecies tres. Una dicitur καταφρόνησις quam *deſpectionem* transferre liceat, cùm vocabulo magis accommodato careat ſermo Latinus. Altera eſt ἐπηρεασμὸς, ſive ἐπήρεια, quomodo ſæpiùs Demoſthenes vocat: Majoragius transfert *violentiam*, minùs commodè; ut mihi videtur: meliùs alii *incommodationem*: quâ
‡ Act. 1. ſc. 1. voce quoque utitur Terentius Andr. ‡ quo loco Davum ἐπηρεάζοντα deſcribit;

Quem ego credo manibus pedibuſque obnixè omnia
Facturum, magis id adeò, mihi ut incommodet,
Quàm ut obſequatur gnato.

Tertia eſt ὕβρις, ſive *contumelia*. Καταφρόνησις eſt merus deſpectus; puta cùm quid parvi pendimus ac flocci faciamus, licet non incommodemus. Sic Corydon apud Virgilium:

Deſpectus tibi ſum, nec quis ſim quæris, Alexi.

* Mars. Ἐπηρεασμὸς cui ab Ἄρης * nomen eſt, propriè eſt inſultatio bellica. Significat autem hoc loco ὀλιγωρίαν, quâ aliqui aliorum operas ac ſtudia conantur impedire, non ut ex eo ſibi commodi aliquid contingat, ſed ne alii, quod cupiunt, perficiant. Itaque οἱ ἐπηρεάζοντες, eos, quibus inſultant, neque admodum obeſſe poſſe exiſtimant (alioqui enim iis non incommodarent) neque multùm prodeſſe poſſe judicant; quia ſi utilitatem inſignem ex iis ſperarent, id agerent, ut hos ſibi amicos haberent. Ὕβρις eſt, cùm quis damno ac dolore cum dedecore conjuncto afficit alium, non ut emolumenti quicquam percipiat, verùm ut voluptatem capiat ex aliena ignominia. Lætantur autem, qui alios ignominiâ afficiunt, quia hac ratione iis præcellere videntur; unde fit, ut juvenes & divites, præ cæteris ſint contumelioſi. Seneca Commentario, quo oſtendit, in ſapientem non cadere injuriam, cap. XI: *Præterea cùm magnam partem contumeliarum ſuperbi inſolenteſque faciant, & malè felicitatem ferentes* &c. Porrò ſub *contumeliæ* nomine etiam comprehendimus injuriam, à qua Seneca eam diſtinguit cap. IV. ejuſdem lib. *Dividamus*, inquit, *ſi tibi videtur, Serene, injuriam à contumelia. Prior illa naturâ gravior eſt; hæc levior; tamen delicatis gravis, qui non læduntur, ſed offenduntur. Tanta eſt tamen animorum diſſolutio & vanitas, ut quidam nihil acerbius putent. Sic invenies ſervum, qui flagellis, quàm colaphis, cædi malit; & qui mortem ac verbera tolerabiliora credat, quàm contumelioſa verba.* Hinc idem epiſt. LXXII: *Quiſquis volet tibi contumeliam facere, faciat & injuriam.*

VII. REFELLITUR OPINIO FELICIS ACCOROMBONII, EX SUPERIORI ARISTOTELIS DOCTRINA COLLIGENTIS, NON ESSE MAGNAM CONTUMELIAM, AUT GRAVI DIGNAM SUPPLICIO, SIQUIS UXOREM TANGAT ALIENAM, AUT STUPRUM INFERAT VIRGINI. ADHÆC QUOMODO IRAM CONCITET ORATOR.

EX eo autem, quod de juvenibus ac divitibus paullo antè dicebamus, cognoſcere eſt, duo in contumeliâ requiri; ut lædatur alius; & ut hoc fiat, quò ex ejus læſione capiamus voluptatem. Sed hoc totum de plena ac propriè dicta contumelia capiendum. Nam ſæpe etiam contumelia vocatur, cùm non intendimus alterius læſionem; quomodo dicimus, contumeliam aliquibus factam ab eo, qui virginem violârit ejuſce familiæ. Nam ita ferè uſu venit, ut qui virginem ſtuprat, non id agat, quo aut ipſam, aut conſanguineos, aut adfines ejus, mactet ignominiâ: at quò animum expleat voluptate. Itaque Felix Accorombonius † exiſtimabat, majorem eſſe contumeliam, ſiquis † Annotat. in 2. Rhet. Ariſt.
aliquem è conſanguineis pulsârit aut ei conviciatus ſit, quàm ſi ſtuprârit; cùm ille alterius intendat læſionem, hic non item. Idem, quòd plurimi adulterio, aut ſtupro, inuſtam cenſent familiæ ſuæ notam, neque eam deleri poſſe arbitrantur, niſi uterque reus morte mulctetur; id verò non dubitat vocare morem barbarum, & à Gothis, ac Longobardis, nationibus barbaris, in Italiam introductum. Quin verò potiùs hanc ei pœnam commeruiſſe videntur, qui noſtrorum quempiam verberant, aut conviciis laceſſunt, quàm qui aliquam violant. Quippe, inquit, injuriæ non ſunt conſiderandæ ex dictis factiſve, ſed ex dicentis, vel agentis intentione, ut diſertim ſcribit Ariſtoteles lib. I. Rhetor. At quemadmodum, qui furatur, utilitatem ſuam ſpectat, non alienum damnum: ita, qui cum eâ concumbit, quicum non oportuit, non eò collimat, ut aut marito, aut amicis, oculi doleant, ſed ſuæ ſtudet voluptati. Itaque & cum eâ rem habiturus fuerat, ſi aut alius fuiſſet mariti uxor, aut nullos vel conſanguineos, vel adfines, habuiſſet. Nec diffitetur, ineſſe huic rei deſpectum qualemcumque; (neque enim eam tetigiſſet, niſi maritum, ac neceſſarios, propinquoſque, parvi putâſſet) verumtamen perſuaſum habet, multò leviſſimam hanc eſſe injuriam, eoque injuſtos eſſe, qui leve delictum atrociſſimâ pœnâ punitum eunt. At longè ſatius fore, ſi opera detur, ne poſtilla cum uxore adulter caput collimare queat. Certè abunde dignitati noſtræ ſatisfieri, ſi vel adulter uxoris, vel filiæ cognatæve ſtuprator, ab marito, aut parentibus, ſupplex hujus facti petat ignoſcentiam. Eâ enim re, teſte Ariſtotele, quamlibet tolli injuriam. At verò, ſi aut verbera, aut vulnus infligatur, pœnæ magnitudinem excedere contumeliam ab altero illatam. Et hæc quidem iſtum in modum ſerio ventilat, tueturque Accorombonius: cujus ſanè ſententiam facilè primo obtereret pedatu (ut cum antiquis loquar) quiſquis ſciat, opinioni huic adverſari πλάκας Μωσέως, *tabulas ſive abacos Moſis*: hoc eſt, Dei ipſius, quibus quis os obvertere auſit, niſi natorum poſtremiſſimus, nequiſſimuſque? Vide omnino Levit. cap. XX. Ubi & Heſychius, Hieroſolymitanus presbyter, annotavit, pœnam à Deo per Moſen ſancitam, quâ adulterum morte multari voluit, non eſſe duram, ſed juſtam: quia, *cùm liceret, in caſtitate nubere, & in ſanctificatione propria uxori ſecundùm legem miſceri, in impudicitiam & corruptionem, alterius miſcetur uxori, & diſſipat filiorum ſucceſſiones, dubiumque mulieris partum, ad quem pertineat, facit.* Nec ἁπλῶς verum eſt, quod morem hunc à Gothis, aut Longobardis, eſſe contendit. Nam quis neſcit illud Porcii Catonis: *In adulterio uxorem tuam ſi prehendiſſes, impune necares.* Imò poſteriori quidem ævo, attamen multo ante Longobardorum Gothorumque in Italiam adventum, de adulterii ac ſtupri reis, ſupplicium capitis ſumi ſolet: ut jamdiu Cujacius ‡, Appuleji; Lipſius *, Ar- ‡ Lib. 6. obſervat. cap 11.
nobii teſtimonio comprobavit. At illud quidem à Vandalis eſſe agnoſcimus, quòd gladio potiſſimùm in adulteros * In 4. annal. Tac.
animadverſum ſit: cujus rei locuples teſtis eſt Salvianus lib. VII. Verùm ea res non multùm juvat Accorombonium; quandoquidem conſtat, ante leges Vandalicas, pœnam fuiſſe capitis indictam. Ea, quæ ex Ariſtotele antea de contumelia diximus, pro ſe facere ait Accorombonius. Ac magna profectò apud me eſt ejus quo nititur, au- † Nefas ſit non majoris facere veritatem.
ctoritas. Sed ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν †. Adde quòd non continuò ſenſit Ariſtoteles, quicquid dicto quopiam è Rhetoricis poſſe adſtrui videtur. Nam quia Rhetorice eſt

** Facultas.*

δύναμις *, eò in Rhetoricis pars utraque inſtrui debet. Neque pudor & verecundia quamlibet, ut ait, pœnam exſtinguunt; ſed levem duntaxat: qua de re vide J. Langlæum J. C. lib. x. cap. 1. de pœna honoraria. Quid quod Lucumonis illius acumen ipſius quoque Ariſtotelis locis pluſculis retunditur? Nam is Rhet. lib. 1. cap. XLIII. † magnitudinem injuriarum æſtimari ait ex damni magnitudine. At minùs mali dederit parentibus, qui filiæ ſit conviciatus, aut colaphum duxerit; quàm qui ſtuprârit invitam. Idem inibi ait, majorem eſſe injuriam, cui medicina fieri nequit. Minùs igitur peccat, qui ſpoliat fortunis, cùm hæ reſtitui poſſint. Hinc in Adelphis Mitio ‡:

† Secundum diſtinctionem Barbari, ac Sturmii: ſed ſecundum diſtinct. Vulgarem cap. 14.

‡ Act. 1. ſc. 2.

Fores effregit, reſtituentur: diſcidit
Veſtem, reſarcietur: eſt (Dis gratia)
Et unde hac fiant: & adhuc non moleſta ſunt.

At gravius hoc furtum, de quo nobis ſermo: nam nulla reſtituendi ſpes. Meritò autem furtum appello, cùm res aliena invito contrectetur domino: unde & Græci id γαμοκλοπεῖν vocant. Neque id tantùm locum habet, cùm vis infertur invitæ, ſed etiam cum volenti. Nam virginitatis tertia tantùm pars virginum eſt: at *Tertia pars patri data, pars data tertia matri*; ut ſcitè ſcribit Poëta Veronenſis *. Longeque res planior in marita: quæ corporis ſui ultrà domina non eſt. Sanè olim, juxta ſacratas Romuli leges, nupta ita in mariti manu erat, ut proles patris. Quin adulterium non ſimplex eſt furtum, ſed ſacrilegium; quia matrimonium eſt res ſacra, cùm religioſo fœdere ſanciatur: unde & adulteri à Conſtantino *ſacrilegi nuptiarum* appellantur l. xxx. ad leg. Jul. de adulter. & ſtuprat. At quid iſtiuſmodi in conviciis, aut verberibus? Denique vulnera verberaque corporis honorem obfuſcant: adulterium ac ſtupratio corpus animumque attaminat: atque adeò non hominem unum ſed univerſam violat naturam; uti hoc rotundo & edecumato ſummi cujuſdam viri epigrammate comprobatur.

** Catul. Carm. nuptiali.*

Vis orbem exſcindi? ſubvertito funditus urbes.
Vu urbes ipſas tollere? tolle domos.
Vis delere domos? careat fac conjuge conjux,
Vanaque ſint ſancti fœdera conjugii.
Ergò perire domos, urbes, orbemque neceſſe eſt;
Orbe vel expelli, quiſquis adulter erit.

Et hæc de cauſſâ, ob quam iraſcimur: quæ ſi fusè nimis proſecuti videamur, non mihi, ſed Accorumbonio, culpam impingat æquus cenſor.

Supereſt poſtremum quinque eorum, quæ in affectibus ſingulis ſpectare jubet Ariſtoteles: nempe quomodo affectum moveat orator. Excitatur verò ira ab oratore, ſi oſtendat, contemtos eſſe auditores, contemſiſſe adverſarium, & genus contemtus ante oculos ponat. Non ignoravit hoc artificium L. Paulus Æmilius, bello Liguſtino, anno Urb. Cond. DLXXIII. Nam ut Livius tradit lib. XL. *Omnes* (caſtrorum) *portas* (puta prætoriam, ſive extraordinariam, principales duas dextram & lævam, ac quæſtoriam ſive decumanam) *concionabundus ipſe circumiit; & quibuſcunque irritamentis poterat, iras militum acuebat; nunc fraudem hoſtium incuſans, qui pace petitâ, induciis datis, per ipſum induciarum tempus contra jus gentium ad caſtra oppugnanda veniſſent.* Nec iram ille ſolum ciebat, ſed etiam pudorem: cujus etiam magna vis in milite. Sed de pudore poſtea dicetur.

Cap. III.

De Lenitate.

Ira contraria eſt lenitas. Ea eſt ſedatio ac remiſſio ira.

I. Quomodo ΠΡΑΫΝΣΙΣ a Latinis vocetur, et quid ea sit.

Quæ Græcis πραΰνσις, ea à Latinis nequit transferri voce, quæ vim vocabuli exprimat Græci. Quidam dicunt *longanimitatem*. Sed nec *longaminitas* Latinum eſt: nec tam πραΰνσιν exprimit, quàm μακροθυμίαν. Malui itaque vocare *lenitatem*, idque exemplo Tullii; cujus verba apponam è primo de Oratore: *Quis enim neſcit, maximam vim exiſtere oratoris in hominum mentibus, vel ad iram, vel ad odium, vel dolorem, incitandis, vel ab hiſce permotionibus ad lenitatem miſericordiamque revocandis.* Idem indicat locus lib. IV. Tuſc. Quæſt. *Eamque, quam lenitatem nos dicimus, vitioſo lentitudinis nomine appellant.* Ubi *lenitas* eſt πραΰνσις; *lentitudo*, ἀοργησία. Veteres Nonii editiones, ut Mediolanenſis, Aldinaque, *lenitudo* præferunt: ſed corruptè, cum *lenitudo* eadem ſit, ac *lenitas*. Sed *lentitudo* vitium eſt, uti & ὀργιλότης, ſive *iracundia.* Utraque enim excedit τὸ μέσον.

Eſt autem πραΰνσις, κατάστασις καὶ ἠρέμησις τῆς ὀργῆς, *ſedatio ira, inductioque ceſſationis ab ea.*

II. Qui lenes sint erga alios.

Lenes ſunt, qui contrario modo ſe habent, ac illi, qui iraſcuntur.

Non enim dolent, ſe, aut ſuorum quempiam, contemni, contrà quàm oportebat: unde Tyrrhenus Tarchon Æn. lib. XI. milites πραότητος & inertiæ accuſans, inquit:

—— O numquam dolituri, ô ſemper inertes
Tyrrheni.

Neque lætantur ſpe vindictæ ac cogitatione illâ, quæ in iratis eſſe ſolet.

Lenium ſeptem ſunt genera.

I. Qui verſantur in ludo, in riſu, in die feſto, in ſummo otio, ἐν εὐημερίᾳ, h. e. in felici alicujus rei ſucceſſu, quâ inſignem ſunt laudem indepti: ut cùm quis conſecutus eſt populi ἐπισημασίαν *, ſive cùm populus ἀναπηδᾷ, h. e. exultat applauditque. Nam de hujuſcemodi ferè εὐημερίας vox ſumitur. Item qui agunt in rerum omnium copiâ, atque abundantiâ: quique ſunt hilares ac perfunduntur voluptate, quæ contumeliâ careat: aut qui honeſtâ ſpe lactantur.

** Applauſum, ceteraque percepta voluptatis ſigna.*

II. Qui inveteratam iram habent. Iram enim ſedat tempus: unde Virgil. †, ut acerbam Junonis iram erga Trojanos ſignificaret:

† ſ. Æn.

Junonis, inquit, *gravis ira, & inexſaturabile pectus.*

Et mox:

Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla.

III. Qui ſumſerunt de alio ſupplicium. Icciꞃco Philocrates, orator Athenienſis, interroganti amico, cur non dilueret ea apud populum iratum, quorum inſimulatus erat, (patriæ proditionem molitum fuiſſe, cognoſcimus è Demoſthenis oratione de ementitâ legatione) egregiè reſpondit, nec dum tempus eſſe: facturum autem, ubi alium viderit accuſatum, & criminibus circumventum. Populus quoque Athenienſis Ergophilum (cui magis erat infenſus infeſtuſque, quàm Calliſtheni) impunè elabi paſſus eſt, non aliâ de cauſſâ, quàm quia, ſupplicio de Calliſthene pridie ſumto, reſederat multùm furor. Pertinet huc quoque illud Taciti in quincto Annalium: *Placitum poſthac, ut in reliquos Sejani liberos adverteretur, vaneſcente quamquam plebis irâ, ac pleriſque per priora ſupplicia lenitis.*

IV. Qui judicio vicerunt. Nam lenes ſunt erga adverſarios, quia cauſſâ judicati ſunt ſuperiores.

V. Qui vident, adverſarios majus damnum accepiſſe, quàm irati iis infligere cogitarant. Nempe abunde eos luiſſe pœnas arbitrantur. Ita Phormio ille Terentianus ait ‡:

‡ Phorm. act. 5. ſc. 9.

—— Jam ſupplicii ſatis eſt mihi.
Habet hac, ei quod, dum vivat, uſque ad aurem obganniat.

VI. Qui arbitrantur, ſe jure pœnas luere. Nam, ut eſt apud Naſonem epiſtolâ OEnones ad Paridem:

Leniter, ex merito quicquid patiare, ferendum eſt.

VII. Qui putant fore, ut non ſentiant, à quo vindicta proficiſcatur: quomodo mortuis nemo iraſcitur, quia neſciunt, quid fiat, vel à quibus. Itaque jure Achilles à poëtis

poëtis ſtultitiæ inſimulatur, quòd furorem quoque ſuum in cadaver Hectoris exerceret. Hoc nomine accuſat eum Apollo apud Homerum *, cùm ait:

* Iliad. ω.

Κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων †.

† Inſanus terram properabat lædere ſurdam.

Quo loco τὸ ἄψυχον τοῦ Ἕκτορος σῶμα κωφὴν ὀνομάζει γῆν ‡: ut ſcribit Juſtinus Martyr λόγῳ παραινετικῷ πρὸς Ἕλληνας. Verùm ab Homero hac in parte diſceſſit Accius, apud quem ita Achilles; *Imò enim vero corpus Priamo reddidi, Hectorem abſtuli.* Atque eo nomine laudat Accium Cicero *. Sed aſſentior illis, qui vitio potiùs, quàm laudi, dandum Accio putant, quòd à veteribus omnibus diſceſſerit. Certè reddidit Achilles Priamo corpus; ſed poſtquam ſtultâ ſævitiâ abunde animum expleverat: reddidit, ſed (rem magnam!) magno accepto lytro; unde Maro †:

‡ Exanimum Hectoris corpus ſurdam vocat terram.
* 1 Tuſc. Quæſt.
† 1. Æn.

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.

Item Plautus Mercatore ‡.

‡ Act. 2. ſc. Pentheum diripuiſſe.

Achillem orabo, aurum mi det, Hector qui expenſus fuit.

Et Seneca in Agamemnone *:

* Act. 3.

—— Hectoris fortis minas,
Curruſque, & empto redditum corpus rogo.

Quin ob lytri magnitudinem venditio hæc, ut ad Athenæum obſervavit Muſarum favus Iſaacus Caſaubonus †, proverbio locum fecit: Σὺ δὲ τιμιοπώλης, ὡς Ἀχιλλεὺς οὐδὲ εἷς. *Carius vendis, quàm Achilles ullus.* Uſus eo Phrynichus in Tragœdis apud Pollucem extremo libro ſeptimo. Quare Ennius ‡ bene de Æacidis:

† Animadverſ. lib. 6. cap. 3.
‡ Lib. 6. Annal. teſte Cic. lib. 2. de Divinat.

Armipotentes ſunt magi', quàm ſapientipotentes.

At Accius, dum oſtendere ſatagit, qualis eſſe debuerit Achilles, haut aperit, qualis naturâ ex veterum opinione fuerit, eoque in ejus perſona plane negligit decorum.

Expoſuimus ſeptem hominum genera, qui, juxta Ariſtotelem, lenes eſſe ſoleant. Iis mantiſſæ loco illud appono, leniores eſſe eos omnes, qui ſapientiæ ſtudiis ſeriò ſunt addicti. Hinc Juvenalis ſat. XIII. negat, Chryſippo, Thaleti, aut Socrati, dulcem eſſe vindictam; atque addit:

Prima docet rectum ſapientia. quippe minuti
Semper, & infirmi eſt animi, exiguique voluptas
Ultio. Continuò ſic colligo, quod vindicta
Nemo magis gaudet, quàm fœmina.

Succinit huic Petronius, *Feras quidem mentes ira obſidet, eruditas prælabitur.* Quicunque denique animo ſunt generoſo, à vindicta magis ſunt alieni. Quod Libanius indicat in panegyrico, ubi de Juliano ait, Μεγαλοψυχίας δὲ δὴ σημεῖα καὶ τοῖς ἀδικήσασιν, ὧν πέπονθας ὑφεῖναι μνήμην. *Quippe, ſumma animi magnitudine præditus, ſi qui injuria affecerint, memoriam eorum, quæ perpeſſus es, deponis.* Talis Stilico,

—— ut ſontibus ultro Ignoviſſe velit, quemadmodum de eo cecinit Claudianus lib. II. Talis Theodoſius,

—— non inſultare jacenti
Malebat mitis precibus, pietatis abundans.
Poſt acies odiis idem qui terminus armis:

ut de eo idem poëta * refert. Et, ne ſingulis inſiſtam, *ignoſcendo populi Romani magnitudinem auxiſſe*, Salluſtius ait orat. Philippi.

* 4 Conſul. Honorii.

III. Erga quos lenes simus.

Lenes ſumus erga eos, qui non videntur vel nos, vel noſtri quempiam, contrà quàm oportebat, contemtui habere.

Horum decem ſunt loci:

I. Qui nunquam nos læſerunt, aut contemſerunt; aut id quidem fecerunt, ſed inviti, aut inviti videntur feciſſe, quique voluerant facere diverſa ab iis, quæ fecerunt. Hinc Davus Pamphilo ait †:

† Andr. act. 4. ſc. 1.

Tuum eſt, ſiquid præter ſpem evenit, mihi ignoſcere.
Parum ſucceſſit, quod ago. at facio ſedulo.

II. Qui in ſe etiam tales ſunt. Nemo enim ſe ipſum contemnere videtur. Ita non facilè ſuccenſeamus viliores cibos apponenti, quem ſciamus cibis ejuſmodi victitare.

III. Qui culpam confitentur, peccatique ducuntur pœnitentiâ. Ea Julio Scaligero ‡ definitur, reflexio intellectus ad improbandum malefactum. Sopitur autem ira ac concidit, cùm quis ducitur pœnitudine, quia dolor, quem capit ex pœnitentia, vice pœnarum ſit. Atque hoc quoque præcipit Maro *, cùm ait:

‡ Adverſus Cardanum Exercit. 3 5.
* Æn. 6.

—— Romane, memento
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Exemplo nobis hac in parte ſunt heri, qui non habent animos ſaxeos, atque, ut Græci eleganter vocant, ἀτέγκτους, καὶ ἀπεράμονας †. Sanè ita ferè uſu venit, ut ſi ſervus ſe oſtendat dolere maximopere, quòd herum offenderit: non tantùm animi iram labefactet ac convellat, ſed herum vervece reddat mitiorem. At, ſervo obganniente, herus ignem ſpirat, *irarumque omnes effundit habenas* ‡. Nempe, ut Ariſtoteles ait, manifeſta negare, indicium eſt inſignis impudentiæ. Hinc Plautus Menæchmis:

† Qui nulla poſſint aqua macerari, planeque incoctiles ſint.
‡ 12. Æn.

Nihil hoc confidentius, qui, quæ vides, ea pernegat.

Et apud Ariſtophanem Equitibus, quo loco Cleon, & Agoracritus ὁ ἀλλαντοπώλης *, contendunt de impudentia: Cleon quidem eo impudentiam teſtatam facit, quòd frontem adeo perfricuerit, ut furta confiteatur ſua; neque ullam hinc infamiam reformidet: at Agoracritus eo alteri palmam præripere conatur, quod manifeſta quoque furta perneget, neque perjurium extimeſcat.

* Fartor ſeu lucanicarum venditor.

Κλ. ὁμολογῶ κλέπτειν· σὺ δ' οὐχί;
Αγ. νὴ τὸν Ἑρμῆν τὸν ἀγοραῖον.
κἀπιορκῶ γε βλεπόντων.

CL. Fateor me furari: non item tu?
AG. Per Mercurium Agoraeum (ſive forenſem) etiam pejero, ubi vident.

Merito autem maximopere iraſcimur huic hominum generi, cùm ſumma impudentia ſummi ſit contemtus indicium.

IV. Qui ſe ſubmittunt, nec reprehenſi ajunt, ſe injuriâ inceſſi, aut puniri. Nam eo fateri videntur, ſe eſſe inferiores. Exemplo ſunt leones, quos Plinius † ait proſtratis parcere, uti & Ovidius ‡: eoque reſpicit Claudianus, cùm in ſecundo de laudibus Stiliconis inquit;

† Lib. 8. cap. 16.
‡ Triſt. lib. 3. el. 5.

Obvia proſternas, proſtrataque more leonum
Deſpicias.

Exemplo etiam ſunt canes; qui, ut hoc loco Ariſtoteles ait, peregrinos canes ſedentes, atque humi proſtratos, non mordent. Nam rectè obſervat Daniel Gramerus in ſua συνόψει, canes alios ab Ariſtotele intelligi; non homines, ut putarunt interpretes.

V. Qui ſeriò ajunt cum ſeriò agentibus. Nam tales nos curare, non contemnere, videntur.

VI. Quorum aliquando majora fuerunt beneficia, quàm damnum, quod dederunt.

VII. Qui rogant, ac deprecantur. Sunt enim animo humili. Itaque eos, qui precantes non exaudiunt, pios dici poſſe, negat Lactantius. Pietatis autem nomine vel maximè lenitatem ac clementiam intelligit. Verba ejus apponam ex lib. V. Inſtit. cap. X. ubi Virgilium exagitat, quòd Æneam appellet pium: *Sed hæc culpa non illius* (Æneæ) *fuit, qui literas fortaſſe non didicerat: ſed tua* (Virgili,) *qui, cùm eſſes eruditus, ignoraſti tamen], quid eſſet pietas; & illud ipſum, quod nefarie, quod deteſtabiliter fecit, pietatis eſſe officium, credidiſti. Videlicet ob hoc unum pius vocatur, quia patrem dilexit. Quid quod pius Æneas haut aſpernanda precantes trucidat? Adjuratus enim per eundem patrem, & per ſpes ſurgentis Juli, nequaquam pepercit furiis, accenſus & ira. Quiſquamne igitur hunc putet aliquid in ſe virtutis habere, & qui furore, tanquam ſtipulâ, exarſerit, & manium patris, per quem rogabatur, oblitus, iram frenare nequiverit? Nullo igitur modo pius, qui non tantum non repugnantes, ſed etiam precantes interimit.*

VIII. Adhæc erga eos lenes ſumus, qui in neminem, aut ſaltem non in minimè improbos, aut certè tales, quales nos ſumus, per inſolentiam, deriſionem, aut contemtum, quicquam volunt committere.

IX. Item

IX. Item erga eos, quos veremur aut timemus. Neque enim fieri poteſt, ut, qui iraſcitur, timeat; quemadmodum ſuprà diximus, & Ariſtoteles teſtatur cùm hoc loco, tum in problematis ſect. VIII. quæſt. XVII.

X. Erga eos, qui quid irâ commiſerunt. Nam hi fecere impetu, non contemtu; quia ira eſt cum dolore; contemtus verò eſt ἄλυπον *.

* *Doloris expers.*

Ex his obſcurum non eſt, quorum operâ inprimis uti conveniat in animis hominum leniendis. Sanè plus ad deliniendum valent, qui minùs poſſunt, eoque de vindicta minùs cogitant: ut ſunt mulieres, ac pueri. Exemplum hujus rei capere licet ex ampliſſima Genuenſium civitate. Nam cùm eam ingreſſus eſſet Ludovicus XII. Galliarum rex; adiere illum urbis præfecti, ac cives univerſi, demiſsè actorum veniam orantes: ſed nihil ſupplex eorum valebat oratio. At mox mulierum & puerorum ejulatus mentem ejus reddidit clementem. Guicciardinum adi Hiſtoriarum lib. VII.

Plurimùm etiam valent ſacerdotes. Calydonii propterea, cùm multa adverſa à Curetibus paterentur; ſacerdotes potiſſimùm misère ad exorandum Meleagrum: quod eſt apud Homerum Il. I:

—— τὸν † δ' ἐλίσσοντο γέροντες
Αἰτωλῶν, πέμπον δὲ θεῶν ἱερῆας ἀρίστους.

† *Hunc autem orabant ſenes Ætolorum, Mittebantque Ætolorum ſacerdotes optimos.*

Illud verò apertiùs fortaſſe, quam monere operæ videatur, plus ad lenitatem conferre verba byſſina, & mellitam orationem, quàm quæ aceto pariter ac felle tincta ſit. Hujuſmodi enim exacerbat magis, quàm edulcat. Quod cùm videret Proclus, Conſtantinopolitanus Epiſcopus, B. Chryſoſtomi diſcipulus, & ſucceſſor, ne adverſus quidem hæreticos duriùs agebat: unde ab iis, qui omnia affectu ſuo metirentur, *canis mutus* vocabatur. Interea ille eos, qui hæreſi eſſent infecti, oratione ſuâ ita demulcebat, ut plus apud eos efficeret, quàm alii acribus & aſperis dictis: quemadmodum auctor eſt nobis Nicephorus lib. XIV. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXXVII.

IV. Quibus de caussis lenes simus: ac cujusmodi oratione tales alios reddamus.

CAuſſæ, ob quas frenum iræ injicimus, tres ſunt, pro tribus ὀλιγωρίας ‡ generibus.

‡ *Deſpectus.*

I. Quod non contemnant;

II. Quod non inſultent;

III. Quod nullâ afficiant contumeliâ.

Qui vult iram diſcutere, animoſque tranquillare,

I. Debet ex locis commemoratis auditores ita præparare ac formare, ut nec doleant ob contemtum, nec gaudeant ob ſpem ac cogitationem vindictæ.

II. Debet oſtendere, illos, quibus iraſcuntur, tales eſſe, quales ſunt erga quos lenitatem exercemus; h. e. aut metuendos eſſe, aut reverentiâ dignos, aut benemeritos, aut gratificari, non lædere voluiſſe, aut valde dolere ob delicta. Ita Tullius pro Ligario, eo conatur Cæſaris iram placare, quòd Ligarius in Africa fuerit invitus, quodque eum pœniteat erroris. Ejuſdem iram orat. pro rege Dejotaro iſthoc mitigare nititur, quòd ſit veneratione dignus. *Semper*, inquit, *regium nomen in hâc civitate ſanctum fuit; ſociorum verò regum & amicorum ſanctiſſimum: quod nomen hi reges ne amitterent, te victore, timuerunt: retentum verò, & à te confirmatum, poſteris etiam ſuis tradituros eſſe, confido.*

Ac hujuſmodi eſt modus leniendi animos. Cujus rei exemplum eſt in oratione legatorum Romanorum: cùm in Aſiam miſſi eſſent, ut ſpecularentur apparatum Antiochi, ac mitigarent animum Annibalis, eumque regi Antiocho redderent ſuſpectum. Nam hunc iis finem fuiſſe, *ut Annibalem Romanis mitigarent*, clarè ait Juſtinus lib. XXI. Eam ad rem triplici utebantur argumento, ut ex eodem cognoſcimus. Primùm conabantur ei demere metum Romanorum. Deinde oſtendebant, non eſſe eum Romanis exoſum. Denique probabant, cauſſam non eſſe, cur odiſſet Romanos. Ac quidem non eſſe, cur ſibi metuat à Romanis, ex eo colligebant, quia Romanæ eſſet conſuetudinis, religiosè fidem ſervare. Non eſſe eum odio Romanis, inde adſtruunt, quia probè ſciant, nec ipſum Romani nominis odio bellum adverſus eos geſſiſſe; ſed patriæ ſuæ amore, cui vitam ipſam deberet. Poſtremò, cauſſam eſſe nullam, cur Romanos odio proſequatur, inde probant, quòd virtus ejus Romanis eſſet admirationi. Ut artificium hoc melius intelligatur, ipſa Juſtini verba, quæ pauca ſunt, apponam: *Omnibus diebus aſſiduè apud Annibalem fuere, dicentes, timide eum à patria receſſiſſe, cùm pacem Romani non tam cum Rep. ejus, quàm cum eo factam, ſummâ fide cuſtodiant: nec bella eum Romanorum magis odio, quàm patriæ amore geſſiſſe, cui ab optimo quoque etiam ſpiritus ipſe debeatur: has enim publicas inter populos, non privatas inter duces, bellandi cauſſas eſſe: inde res geſtas ejus laudare.* Quantum ejuſmodi oratione profecerint apud Annibalem, arguit eventus. Nam, ut ſubjungit Juſtinus, horum *ſermone lætus, ſæpius cupidiuſque cum legatis colloquebatur, ignarus, quod familiaritate Romanâ odium ſibi apud regem crearet.*

Cap. IV.

De Amore.

Amor eſt, quo alicui optima optamus, & eorundem auctores eſſe volumus, non noſtri, ſed ipſius gratiâ.

I. Quid Amor, et quotuplex sit.

POſtquam vidimus de irâ, & lenitate, quæ facilè moveri mutarique poſſunt: proximum eſt, ut agamus de amore, ac amicitiâ; odio, & inimicitiâ; quæ diuturnitatem exigunt temporis.

Φιλεῖν Ariſtoteli eſt τὸ βούλεσθαί τινι, ἃ οἴεται ἀγαθά, ἐκείνου ἕνεκα, ἀλλὰ μὴ αὐτοῦ, καὶ τὸ κατὰ δύναμιν πρακτικὸν εἶναι τούτων. *Amare eſt, velle alicui, quæ putat bona, illius cauſſâ, ſed non propter ſe, & paratum eſſe ad ea pro viribus efficienda.* Ubi tres videas in amante conditiones requiri: ut velit alteri, quæ putat bona, etſi fortaſſe vera bona non ſint: ut amici gratiâ velit, non autem privati commodi cauſſâ: atque ut etiam adſit benevolæ hujus voluntatis ſignificatio. Priores conditiones duas etiam Tullius expreſſit in ſecundo de Finibus: *Quid autem eſt amare, ex quo nomen amicitiæ ductum eſt, niſi velle bonis aliquem affici quàm maximis, etiamſi ad ſe ex iis nihil redeat?* Differunt igitur amare, & amicum eſſe. Nam, ut ſcribit Ariſtoteles lib. VIII. Nicomachiorum cap. VI. φιλία, ſive *amicitia*, in redamando conſiſtit: ἡ φίλησις, ſive *amor*, qui fons eſt amicitiæ, non item: nam fertur etiam in res inanimatas. Hinc Tullius lib. II. de Invent. *Amicitia eſt voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipſius cauſſâ, quem diligit, cum ejus pari voluntate.*

Genera amicitiæ ſunt compluria.

I. Ἑταιρεία, ſive *ſodalitas*, in rebus levioribus; ut in conviviis, ludis, & jocis.

II. Οἰκειότης, ſeu *familiaritas*; quæ eſt arctior quædam amicitia ex frequenti conſuetudine contracta.

III. Συγγένεια, ſive *cognatio*; quæ eſt eorum amicitia, qui ſunt ejuſdem gentis & familiæ.

IV. Et quæcunque talia: de quibus Ariſtotelem vide in Ethicis Nicomachiis.

II. Qui sint amici.

AMici ſunt, qui amant, & redamantur. Horum ſunt tres loci:

I. Qui unà gaudent rebus bonis, & ſimul dolent moleſtis. Quomodo Horatius dolebat rebus adverſis Mæcenatis. Unde illud lib. II. od. XVII: *Cur me querelis exanimas tuis?* Negat deinde ſe ei ſuperſtitem eſſe velle. Ciceronis quoque eſt in primo ad Atticum libro epiſt. XIV.

Vidi

Vidi enim, vidi, penituſque perſpexi, in meis variis temporibus, & ſollicitudines, & lætitias tuas. Fuit mihi ſæpe, & laudis noſtræ gratulatio tua jucunda, & timoris conſolatio grata.

II. Alter eſt locus illorum, quibus eadem bona adſunt, & eadem mala. Nam, ut dici ſolet, commune periculum congregat diſſidentes. Ter. Adel. *.

* Act. 3. ſc. 4.

—— Unà à pueris parvulis
Sumus educati: unà ſemper militiæ & domi
Fuimus: paupertatem unà pertulimus gravem.

III. Tertium verò locum obtinent, qui ſunt iiſdem amici, iiſdemque inimici. Unde S. Gregorius, cognomento Theologus, epiſtolâ XVII, quæ eſt ad Euſebium Epiſcopum Cæſarienſem: Ἐγὼ χαίρω μὲν ὑπὸ σοῦ τιμώμενος· οὐ φέρω δὲ τὴν γεγενημένην ὕβριν τοῦ τιμιωτάτου ἀδελφοῦ Βασιλείου, καὶ γινομένην ἔτι παρὰ τῆς σῆς εὐλαβείας, ὃν καὶ βίου καὶ λόγου κοινωνὸν, καὶ τῆς ὑψηλοτάτης φιλοσοφίας εἰλόμην τὸ ἀπ' ἀρχῆς, καὶ νῦν ἔχω. *Gaudeo quidem, me honore abs te affici at contumeliam à tua pietate illatam eſſe chariſſimo fratri Baſilio, atque etiamnum inferri, moleſtè fero. quippe quem vita & ſtudiorum ſocium, & maximè ſublimis philoſophiæ, ab initio elegi, ac nunc habeo.* Scitè mox ſubjungit: Σὺ δέ μοι δοκεῖς ποιεῖν παραπλήσιον, τὸν μὲν ἀτιμάζων, τιμῶν δὲ ἡμᾶς, ὥσπερ ἂν εἴ τις ἑνὸς ἀνδρὸς τῇ μὲν τῶν χειρῶν καταψήχοι τὴν κεφαλὴν, τῇ δὲ παίοι τὴν παρειάν. ἢ καὶ θεμελίους ὑποσπῶν οἰκίας, διαζωγραφοίη τοὺς τοίχους, καὶ καλλωπίζοι τὰ ἔξωθεν. *Tu vero, dum eum quidem contemnis, me autem honoras, perinde mihi facere videris, ac ſi viri alicuius caput unâ quis manu demulceret, alterâ autem feriret maxillam; vel ſi convellas fundamenta domus, at in parietibus pingat, parteſque exteriores exornet.*

III. UNDECIM PRIORA GENERA EORUM, QUOS AMAMUS.

AMat quiſque eos, quibus bene cupit, non ſui, ſed ipſorum gratiâ, eaque pro viribus præſtat. Horum loci ſunt octodecim.

Primus eſt eorum, qui beneſecerunt, aut putantur velle benefacere. Hinc Pamphilus de Philumena †.

† Hec. act. 3 ſc 5.

—— Nunquam quicquam erga me commerita eſt, pater,
Quod nollem: & ſæpe, quod vellem, meritam ſcio.
Amoque, & laudo, & vehementer deſidero.
Nam fuiſſe erga me miro ingenio, expertus ſum.

Propterea, amari ſi velimus, hoc agendum, ut credamur amare ipſi, ac benefacere velle. Neque enim amatorium eſt melius, quàm iſthoc, quod Seneca adfert epiſt. IX. *Si vis amari, ama.*

Alter locus eorum eſt, qui ſunt amici amicorum. Nam verus amicus, ut Plutarchus ‡ inquit, κοινὰ τὰ φίλων ἡγούμενος, οὐδὲν οὕτως οἴεται δεῖν κοινὸν ὡς τοὺς φίλους ὑπάρχειν· *amicorum eſſe omnia communia, ſtatuens, nihil putat æquè commune eſſe oportere, atque amicos ipſos.* Sunt autem amicorum amici, tum qui eos amant, quos ipſi amant: tum qui amantur ab eis, quos ipſi amant: vel etiam amati fuere, dum viverent, ut defunctorum liberi. Nam, ut Iſocrates ait ad Demonicum, πρέπει * τοὺς παῖδας, ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν. Par ratio eorum, qui ſunt iiſdem inimici; aut odio habent eos, quos habent odio ipſi; aut odio habentur ab iis, quos ipſi odio habent. Ita Æneas, ut amicum ſe Euandro oſtendat, ſignificat, ſe Daunis eſſe inimicum, Euandri inimicis. Locus eſt Æn. VIII.

‡ Libro de diſcernendo adulatore ab amico.

* Convenit, ut liberi, quemadmodum rei familiaris, ita & amicitiæ paternæ ſint hæredes.

Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Inſequitur: nos ſi pellant, nihil abfore credunt,
Quin omnem Heſperiam penitus ſua ſub juga mittant.

Icciro qui alterius ſe amori, Regum inprimis, inſinuare volunt, de hoſte ejus fœdè loquuntur. Ut illi in concilio apud Regem Antiochum dimiſſis Romanorum, Eumenis ac quarundam civitatum legatis: de quibus ita Livius lib. XXXV. † *Ibi alius alio ferocius: quia quo quiſque aſperius adverſus Romanos locutus eſſet eo ſpes gratiæ major erat.*

† Pag. 88. edit. Leid.

Tertio loco ſunt, qui virtutes magni faciunt, ac colunt: ut ſunt benefici in pecuniis erogandis, aut in ſalute dandâ: item liberales, juſti, fortes, quique labore ſuo victum quærunt, non alienâ vivunt quadrâ: adhæc qui non ſunt curioſi in rebus alienis. Ob fortitudinem gratus eſt Æneas Euandro. Ait enim ‡: ‡ 8 Æn.

—— Ut te, fortiſſime Teucrûm,
Accipio, agnoſcoque lubens!

Et Alexander Magnus, etſi plerique auctores eſſent, ut ſolùm benefaceret Græcis, tamen omnes δοκίμους ἄνδρας * albâ ſignabat lineâ, pariterque amabat, ac beneficiis ſuis ornabat: ut ex Eratoſthene refert Strabo extremo libro primo. Inprimis verò amamus eos, qui rarâ excellunt virtute. Nam, ut ait Plato in Euthydemo, τὸ σπάνιον, τίμιον· τὸ δὲ ὕδωρ εὐωνότατον, ἄριστον ὄν, ὡς ἔφη Πίνδαρος. *Quod rarum eſt, id quoque magni fit: at aquâ nihil vilius, quamvis res ſit multo optima, ut Pindarus ait.* Sanè & ipſas, ut Satyricus † ait:

* Viros egregios.

† Juven. ſat. 11.

—— Voluptates commendat rarior uſus.

Ac gemmæ quoque, & alia hujus generis, *de raritate & peregrinitate ſola gratiam poſſident:* ut eſt apud Tertullianum lib. de habitu muliebri cap. III. Similiaque habet cap. VII. ubi refert, apud gentem quandam aurum ob copiam uſque adeò deſpici, ut eo vincula faciat ſervis. Idem repetit lib. de cultu feminarum cap. X. deque metallis, & ſimilibus, tale epiphonema ſubjungit, *Adeò non veritate bona ſunt, ſed raritate.*

Quartum iis locum cum Ariſtotele damus, qui ſunt ſuaves in convictu, & quotidianâ conſuetudine. Hujuſmodi autem ſunt homines moribus faciles, neque rixarum cupidi, neque difficiles in contentionibus; quique facetè alios deridere, ac rurſum aliorum jocos ac cavillos ferre poſſunt. Terent. And. Act. 1. Sc. 1.

Sic vita erat; facilè omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat cumque unà; his ſeſe dedere,
Eorum obſequi ſtudiis, adverſus nemini.

Ariſtoteles lib. VIII. Nicomach. cap. VI. Οὐδεὶς δύναται συνημερεύειν τῷ λυπηρῷ, οὐδὲ τῷ μὴ ἡδεῖ. μάλιστα γὰρ ἡ φύσις φαίνεται τὸ μὲν λυπηρὸν φεύγειν, ἐφίεσθαι δὲ τοῦ ἡδέος. *Nemo enim totos dies conſumere poteſt cum eo, qui tetricus eſt, vel non jucundus. Natura enim maxime videtur fugere, quod dolorem adfert, atque cupere, quod jucundum eſt.* Itaque nec gaudemus iis, qui ſunt μεμψίμοιροι, & queruli. Horat. ‡

‡ Lib. 1. epiſt. ad Scævam.

Coram rege ſuo de paupertate tacentes
Plus poſcente ferent.

Quinctum locum obtinent, qui laudant præſentia bona, maximè quæ metuunt ne amittantur. Hinc Melibœus apud Virgilium Tityri laudat ſortem, cùm ait:

Fortunate ſenex, ergò tua rura manebunt.

Multùm enim hoc faciebat ad amicitiam conciliandam. Id certè aſſecutus eſt, ut Tityrus roget in fine Eclogæ, Melibœus ut noctu maneat apud ſe.

Sextus locus eorum eſt, qui munditiem colunt in vultu, in veſtitu, in totâ vitâ. Uti Xenophon, cujus φιλοκαλίαν * commendat Ælianus lib. III. Var. Hiſt. cap. XXIV.

* elegantia ſtudium.

Septimo loco ſunto, qui non exprobrant peccata commiſſa, aut data beneficia. Nam rectè Demoſthenes pro Cteſiph. Τὰς ἰδίας εὐεργεσίας ἀναμιμνήσκειν, μικροῦ δεῖν ὅμοιόν ἐστι τῷ ὀνειδίζειν †. Quod & Soſia ait apud Comicum ‡. Hinc Claudianus libro II. de laudibus Stiliconis:

† Commemorare ſua beneficia pene idem eſt, quod exprobrare.

‡ Andr. 1. 1.

Nec ſi quid tribuat, jactatum ſævius idem
Exprobrare ſoles.

VIII. Qui non meminere acceptæ injuriæ, ſed facilè reconciliantur. Tales enim erga nos futuros ſperamus, quales ſunt erga alios.

IX. Qui non ſunt maledici, neque ſtudioſè inquirunt in noſtra aut aliorum vitia; ſed ſolum in bona. Id enim eſt boni.

X. Qui non adverſantur iraſcentibus, aut ſeriò aliquid agentibus.

XI. Qui ita affecti ſunt, ut no videantur admirari,

 vel

vel probos exiſtimare, vel conſortio noſtro gaudere. Maximè autem, ſi id fiat in iis, ob quæ vel admirationi eſſe, vel probi aut ſuaves videri volumus. Ita Cicero ob eloquentiam, Cato ob conſtantiam, admirationi eſſe gaudebat.

IV. Duodecimum eorum genus, quos amamus: et digreſſiuncula, utrum se mutuo amarint Cicero, atque Hortensius.

DUodecimo loco ſunt, qui ſimiles ſunt, & iiſdem rebus ſtudent. Plutarchus de diſcernendo adulatore ab amico: Τὸ μάλιστα φιλίας ἀρχὴν συνέχον καὶ συνιστᾶνον, ὁμοιότης ἐστὶν ἐπιτηδευμάτων καὶ ἠθῶν, καὶ ὅλως τὸ χαίρειν ἔν γε τοῖς αὐτοῖς, καὶ τὸ ταὐτὰ φεύγειν, πρώτους εἰς ταὐτὸ συνάγει καὶ συνίστησι, διὰ τὴν ὁμοιοπάθειαν. *Amicitia principium ac conciliatio inprimus conſiſtit in ſimilitudine ſtudiorum, ac morum; atque omnino rebus iiſdem gaudere, & eaſdem fugere, primo homines conjungit, ac comparat, ob hanc ſimilitudinem affectuum.* Idem aliis poſtea verbis repetit, & hiſce verbis confirmat:

Γέρων γέροντι γλῶσσαν ἡδίστην ἔχει·
Παῖς παιδί, καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνή.
Νοσῶν τ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξίᾳ
Ληφθεὶς, ἐπῳδός ἐστι τῷ πειρωμένῳ.
Seni ſenilis lingua jucundiſſima eſt:
Mulier mulieri convenit, puero puer,
Et æger ægro. dura ſiquem ſors premat,
Hic alteri, quem affligit eadem, ſuccinit.

Convenit & hoc Theocriti Idyl. IX:

Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δ' ὁ μύρμαξ,
Ἴρηκες δ' ἴρηξι.
Formica formicæ, cicadaque grata cicadæ,
Accipitri accipiter.

Ovidius ſimiliter lib. II. de Ponto el. V:

Scilicet ingeniis aliqua eſt concordia junctis,
Et ſervat ſtudii fœdera quiſque ſui.
Ruſticus agricolam miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ navita puppis amat.

Sed obſtare huic ſententiæ videtur Heſiodeum illud, figulum figulo invidere, mendicum mendico. Solvit hunc nodum Plutarchus in Sympoſiacis lib. I. cap. II. ubi quærit, quomodo debeant convivæ diſponi, ne rixæ oriantur. Duplicem eſſe ait ſimilitudinem: unam μάχιμον, ſeu *pugnacem*; hujuſmodi, inquit, eſt in gallis gallinaceis: alteram ait eſſe ἥμερον, ſive *manſuetam*; & hanc eſſe in graculis, ſive monedulis. Itaque jubet in conviviis conjungi, quibus eſt ſimilitudo manſueta: & eam eſſe dicit in agricolis, venatoribus, & ſimilibus. Jubet verò disjungi, quibus eſt ſimilitudo μάχιμος, ſive *pugnax*: & dicit, hanc eſſe in amantibus, qui eodem uruntur igne: item in poëtis, & ſophis: qualibus jubet intermiſceri in convivio aliquos manſuetos, qui ſint malagmatis loco. Sed enim dicat aliquis, non videri multum adeò diſcriminis eſſe inter poëtas & oratores: quando utrique videntur à contentione minimè abhorrere. Quod enim poëtis ſunt ſatyræ, & epigrammatum ſales: id oratoribus ſunt invectivæ, & actiones in alios. Quare ſi hoc pacto non ſatis ſcrupulus tollitur: videamus, an meliùs Tullium purgare poſſimus. Optimum verò modum indicat hoc loco Ariſtoteles, cum ait, amari τοὺς ὁμοίους, καὶ ταὐτὰ ἐπιτηδεύοντας, ἂν μὴ παρενοχλῶσι, μηδὲ ἀπὸ ταὐτοῦ ᾖ ὁ βίος· γίνεται γὰρ οὕτω, Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ. *Amamus*, inquit, *ſimiles, & eadem profitentes, ſi non incommodent nobis, neque ex eodem ſit vita. Ex eo enim eveniret illud, Et figulus figulo.* Idem docet cap. de invidia. Quare cenſet ſummus magiſter, ſimilitudinem ſtudiorum per ſe gignere amorem; ſed invidiam vel odium provenire, quod ſæpe alter alterius impediat vel gloriam, vel lucrum. Sapientiſſimè igitur Cicero agit in Bruto, ubi, ut fidem faciat, ſe non invidiſſe Hortenſio, dicit, nihil eum ſuis ſtudiis incommodaſſe, ſed potiùs laboris ſocium fuiſſe. Audiamus loquentem de ſe Tullium: *Dolebamque, quòd non, ut plerique putabant, adverſarium, aut obtrectatorem laudum mearum, ſed ſocium potius, & conſortem glorioſi laboris, amiſeram.* Sed, fide bonâ, verène hæc Tullius? Sanè in primo de legibus, interrogatus ipſe, verumne eſſet, quod de Marianâ quercu in poëmate ſuo Mario ſcripſiſſet, reſpondet, *quamquam non cupiat, ſe mendacem putari, tamen iſtos facere imperitè, qui in opuſculo iſto, non ut à poeta, ſed ut à teſte, veritatem exigant.* Dicam ego, non poëtas modò, ſed nec oratores ſemper, verba ſua fide hiſtoricâ alligare. Quid enim? (ut tecum nunc loquar Tulli) nunquam laudibus tuis obtrectatus eſt Hortenſius? Ita hoc loco ais. At verbis tuis te convincemus. Sic enim ſcribis ad Quinctum fratrem lib. I. epiſt. III: *Quantum Hortenſio credendum ſit, neſcio. me ſimulatione amoris, ſummâque aſſiduitate quotidianâ, ſceleratiſſimè inſidioſiſſimeque tractavit, adjuncto quoque Arrio: quorum ego conſiliis, promiſſis, præceptis deſtitutus, in hanc calamitatem incidi. Sed hæc occultabis, nequid obſint.* Hos ipſos quoque, Hortenſium, inquam, & Arrium, uti & Pompejum, ſugillat epiſtolâ I. libri XIV. ad familiares. *Omnia*, inquit, *ſunt meâ culpâ commiſſa, qui ab iis me amari putabam, qui invidebant.* Eoſdem accuſat horribiliter ad Atticum lib. III, epiſt. XIV, & XIX; atque alibi. Dicat fortaſſe aliquis, hæc valde confirmare ſententiam inimicorum Ciceronis; qui levitatem ei exprobrare ſolent. Unde Laberius quoque objectabat ei, quòd ſoleret duabus ſedere ſellis. Et auctor declamationis in Ciceronem, quæ Salluſtio etiam à Fabio tribuitur, exprobrat eidem, quòd aliud ſtans, aliud ſedens, de Rep. ſentiret. Quid ergo? num his quoque nos aggregabimus? Minimè verò. An dicemus cum doctiſſimo viro Sebaſtiano Corrado, feciſſe Ciceronem, quod multi ſolent, qui prudentes ſibi, & aliis, videntur? Hortenſio quippe in more hoc fuiſſe, ut palàm Ciceronem laudaret: clàm verò præ invidia ſugillaret. Ciceronem, qui neutiquam eſſet naris obeſæ, ſimilem viam iniiſſe: nam palàm laudaſſe; apud Atticum & Q. fratrem obſtrigillaſſe. Ita factum eſſe, quod facetiſſimus Comicus ait *,

Par pari datum hoſtimentu'ſt, opera pro pecunia. * Aſin. act. I. ſc. 3.

Sed hoc non eſt ſatis defendere candorem Ciceronis. Quare aliter malevolis occurrendum. Negamus nos, adferri quicquam poſſe, unde colligatur, Ciceronem malè voluiſſe Hortenſio, aut quicquam ſiniſtræ de eo ſuſpicionis concepiſſe, præterquam in exilio. Tum enim ea ſcripſit, quæ antè citabamus. Cauſſa verò cur tum de Hortenſio malè ſentiret, non alia erat, quam quòd conſilium damnaret ab Hortenſio ſibi datum. Nam, cùm Ciceronem reum ageret Clodius, equeſtris ordo penè totus, tanquam in publico luctu, veſtem mutârat; ſenatus idem faciendum ſibi cenſuit; nobiles adoleſcentes circiter vicies mille ſordidati procedebant; innumera multitudo erat, quæ paratam ſe diceret decertare armis adverſus Clodianos. Sed Hortenſius inter alios auctor erat, ut potiùs cederet furori ad tempus; quàm ut bonorum vitam ſervis objiceret armatis: fore enim, ut quamprimum revocetur. Ceſſit ergo urbe Cicero, idque extremo menſe Martio. Nec, infeſtis adeò conſulibus, Gabinio & Piſone, quos paſſim coloribus ſuis depingit Tullius, ſermo ullus fiebat de revocando Cicerone. Quare pœnitere Ciceronem facti cœpit; quodque Hortenſius id ſuaſiſſet, non civium amore, ſed invidia factum putabat. At cùm anno proximo ab exilio eſſet revocatus, tam ſcævas opiniones depoſuiſſe videtur, de Hortenſio quidem. Nam de Pompejo alia longè ratio, qui perdere Ciceronem maluit, ut poſtea ſervaret. Quemadmodum verò ante exilium, ita & poſt illud, conjunctiſſimè cum Hortenſio vixit. Sine dubio facilè oborta fuiſſet ſimultas inter oratores tantos, quorum uterque gloriæ forenſis adeò appetens erat. Quippe æmulatio diſſenſionem parit: qua de re vide ſis Feſti verba in *Amita*. Sed Titus Pomponius Atticus, quem uterque orator amore ſummo proſequebatur, ita horum animos moderabatur, ut omnis abeſſet ſimultas. Hoc nos docet is, qui

qui tum temporis vixit, Cornelius Nepos; ipſius Attici familiaris. Sic enim, in Attici vita, de eo ſcripſit: *Utebatur autem intimè Q. Hortenſio, qui iis temporibus principatum eloquentiæ tenebat, ut intelligi non poſſet, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortenſius; & id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut, inter quos tanta laudis eſſet æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, eſſetque talium virorum copula.* Atque hæc ſatis oſtendunt, quo pacto ſimilitudo ſtudiorum, nunc amorem, nunc odium gignat. Ciceronis verò exemplo diutiùs inſtiti, amore viri, qui facilè hoc à me impetravit; præſertim in eâ arte, quam nunc docemus, cujus penes illum fuit principatus. Nunc cæteros, qui amari ſoleant, perſequamur.

V. Qui præterea amentur.

DEcimustertius locus eorum eſt, coram quibus non veremur ea dicere, aut facere, quæ turpia videntur: modò hos, coram quibus ea agimus, non contemnamus. Martialis*:

* Lib. 10. ep. 40.

> *Nil aliud video, quo te credamus amicum,*
> *Quàm quod me coram pedere, Criſpe, ſoles.*

Item, coram quibus turpia facere veremur, quia apud eos in pretio eſſe ſtudemus.

XIV. Quos rerum noſtrarum æmulatores eſſe volumus, non autem obtrectatores invidos.

XV. Qui nobis ſubveniunt in honoribus ac divitiis comparandis. Nam non ſolùm beneficium accipere; ſed & beneficium dare, cauſſa eſt amicitiæ. Hinc Tullius in Milonianâ; *Duos ſe habere ſemper amiciſſimos ſperâſſe, te tuo beneficio, me ſuo.* Eſt & tertium amicorum genus, quo non dato tantùm beneficio quis alteri amicus eſt, aut ſolo accepto, ſed dato acceptoque.

XVI. Qui fidi ſunt amici; ut qui abſentes perinde, ac præſentes, amant; quique amicorum ſunt ſtudioſi, ita ut eos in adverſis non deſerant, ac ne quidem jam mortuorum amorem deponant. Ab hâc laude Adraſtus Capanea commendat apud Euripidem Supplicibus:

> Φίλος τ' ἀληθὴς ἦν, φίλοις παροῦσί τε,
> Καὶ μὴ παροῦσιν, ὧν ἀριθμὸς οὐ πολύς.

Sive, ut Latinè dicam:

> *Amicus hic præſentibus verus fuit,*
> *Abſentibuſque, qualium haut eſt copia.*

XVII. Qui non agunt ſimulatè; ut qui etiam ſua ipſorum vitia detegunt. Nam apud amicos non erubeſcimus.

XVIII. Qui non ſunt formidabiles, & quibus fidimus. Nemo enim amat eum, quem metuit. Ac propterea principibus, qui à populo amari velint, nihil auditu jucundius eſt, quàm quòd de Theoderico ſcribit Sidonius, *Timet timeri.*

VI. Ex quibus amicitia oriatur, et quomodo amor concilietur.

EFficiunt amicitiam tria inprimis.

Primum eorum eſt gratia, ſeu beneficium. Hoc enim viam ad amicitiam munit, quia ex eo cognoſcimus animum alterius benevolum. Benevolentia igitur, etſi amicitia ipſa non ſit, ejus tamen eſt fons, atque origo. Atque, ut Cicero in Lælio ait, *Ex propinquitate benevolentia tolli poteſt; ex amicitia non poteſt. Sublatâ enim benevolentiâ, tollitur ipſum nomen amicitiæ.*

Alterum eſt, non rogatum benefeciſſe: uti Tullius ſe feciſſe ſcribit ad Brutum: *De ſororis tuæ filiis*, inquit, *non exſpectavi, Brute, dum ſcriberes.*

Tertium eſt, beneficium præſtitum celare. Nam, qui non celat, ſuâ, non alterius cauſſâ, videtur feciſſe. Imitandus igitur Arceſilaus; qui, ut de eo Plutarchus † teſtis eſt, ægrotante Apelle Chio, homine paupere, pulvinari clanculum ſubjecit xx. drachmas. Cui facto gemina produntur ‡ de S. Nicolao, Myræ in Lycia Epiſcopo; quæ, ut omnibus notiſſima, prætereo. Egregium quoque eſt exemplum Lacydis; qui, Cephiſocrate in judicio periclitante, annulum ab eo in terram demiſſum, pede impoſito, contexit; eoque, ut abſolveretur, cauſſa fuit, nec tamen hoc beneficium ſuum, non dico aliis, ſed ne Cephiſocrati quidem expoſuit. Qui id nunquam reſciſſet, niſi adſtantium unus Lacydæ factum obſervaſſet: quemadmodum auctor eſt idem Plutarchus*.

† De diſcernendo amico ab adulatore.
‡ Simeoni Metaphraſte, atque ut alios mittam, Joanni Juſtiniano Cretenſi; cujus de S. Nicolao ſermonem, cum aliis ejus viri opuſculis, primus edidit Oporinus an. 1554.
* Ibidem.

Etſi autem amicus & amet, & ametur; eoque amicitia ſit amor reciprocus, ſive benevolentia mutua: natura tamen amicitiæ magis in eo conſiſtit, ut ames, quàm ut ameris. Quòd ſi eſt affectio, neceſſe eſt, ut in ea mediocritas ſervetur. Hoc prudentia præſtat. Quæ cùm omnia honeſtate inprimis metiatur: nonniſi per ſimilitudinem nomen amicitiæ meretur, quæ ſolam utilitatem, vel voluptatem ſpectat. Propterea ſimilis eſt virtuti: uti & miſericordia, & verecundia. Ariſtoteles quidem de quæſtione eâ, ſitne virtus, an cum virtute conjuncta, dubiè loquitur octavo Nicomachiorum. Et Aſpaſius, reverentiâ præceptoris, non ſatis apertè quæſtionem decidit. Non dubium tamen, quin, ſi affectio ſit animi, minimè virtus ſit moralis. Adde quòd, ſi amicitia eſſet virtus, vir bonus amitteret virtutem aliquam, quando amici ejus vel morbo aliquo, vel à tyranno, aut aliter, tollerentur. Ex hiſce omnibus cognoſcere eſt, tum Stoicos lapſos eſſe, qui amicitiam inter virtutes reponunt, eoque propter ſe expeti ajunt: tum Epicureos, qui ſolius utilitatis cauſſâ amicitias ſuſcipi putabant. De Stoicis auctor Tull. lib. III. de Finibus: de Epicureis, Plutarchus lib. de amore in liberos. Et hæc de cauſſis amoris.

Ratio ejus conciliandi eſt, ut oſtendamus, homines eſſe tales, quales eſſe ſolent amici. Cujuſmodi verò ſint amici, jam vidimus.

Cap. V.

De Odio.

Amori, atque amicitiæ, opponuntur odium, & inimicitia.

Differunt autem hæc ab ira multifariam. Iraſcimur nempe ob ea, quæ ad nos attinent: odimus etiam non habitâ commodorum noſtrorum ratione. Ira in ſingulos fertur: odium deſævit adverſus ſingula generum, & genera ſingulorum. Ira furor brevis eſt: at odium & inimicitiæ ſunt diuturna. Iratus intendit, ut dolorem adferat: vult enim, ut is ſentiat malum, quem ulciſcitur: at, qui odit, damnum, vel perniciem afferre ſtudet; nec laborat, utrum inimicus ſentiat, nec ne.

I. Quomodo ira, et odium, differant.

EX iis, quæ de amore diximus, liquet, quid ſit odio habere: nimirum, primùm velle alicui, quæ putat mala: deinde velle illius cauſſâ: denique eorum pro viribus effectorem eſſe.

Odium autem, & ira, inter ſe differunt: quòd illud ſit ἐν τῷ ἐπιθυμητικῷ †, ſicut & φιλία ‡: ira verò ἐν τῷ θυμοειδεῖ *. Ariſtoteles ea ſex modis diſtinguit.

I. Ira naſcitur ex iis, quæ unuſquiſque ad ſe pertinere cenſet: inimicitia verò atque odium etiam ſunt ſine iis, quæ unuſquiſque judicat ſpectare ſe ipſum. Hinc Plutarchus †: Γεννᾶται τὸ μῖσος ἐκ φαντασίας τοῦ ὅτι πονηρὸς, ἢ κοινῶς, ἢ πρὸς αὐτὸν ἐστὶν ὁ μισούμενος· *Gignitur odium, quòd eum, quem quis odio habet, imaginetur, vel ſimpliciter, vel erga ſe, malum eſſe.*

II. Ira ſemper eſt adverſus ſingularia; uti Socratem, aut Calliam: odium verò tum ſingularium eſt; uti Vatinii, quem homines honeſti odio ipſâ bile amariori proſequebantur: tum etiam adverſus integrum genus exerceri poteſt: quomodo unuſquiſque furem odit, ac calumniatorem.

III. Ira eſt tempore ſanabilis; odium non item. Itaque & affectus hic Græcis ἀπὸ τοῦ μένειν ‡ dicitur μῆνις, quam vocem Tullius rectè transfert *odium*, cùm à Stoicis definiatur

† Eâ animæ facultate, quâ concupiſcimus.
‡ Amicitia.
* Animæ ſenſitivæ facultate, quæ ad bonum arduum tendit.
† Libello de invidia & odio.
‡ A permanendo.

tur ὀργὴ πεπαλαιωμένη *. Quamquam & *odium vetus* legas: nempe comparatè, ratione iræ, quæ acceſſit, atque odium non alit modò, ſed auget. Livius lib. XLII. *Eumenem cum vetus odium* (adverſus Perſen) *ſtimulabat: tum recens ira, quòd ſcelere ejus prope, ut victima, mactatus Delphis eſſet.* Ovid. lib. I. Amor. Eleg. VIII.

* Ira inveterata.

Sed nunquam dederis ſpatioſum tempus in iram:
Sæpe ſimultates ira morata facit.

IV. Illa dolorem afferre cupit, qui ſentiatur: hoc, malum ſentiatur, necne, ſuſque deque habet.

V. Illa eſt cum moleſtiâ, ob injuriam acceptam: hoc doloris eſt expers.

VI. Illa, ſi multa mala fiant, detumeſcit, eo quòd, qui iratus erat, alterius tandem miſereatur: hoc numquam terminatur miſericordiâ. Et ratio eſt, quia iratus reponere injuriam, ac talionem reddere; at inimicus alterum planè exſtinctum, aut peſſumdatum, velit. Hujuſmodi animum ſpirant illa Phalaridis, epiſtolâ ad Eteonicum: Τῆς μὲν τοι Πύθωνος εἰς ἐμαυτὸν δυσμενείας ὐ μόνον ζῶν, ἀλλ' ὐδ' ἂν ἀποθανὼν, ὃ πᾶσι συμβαίνει τοῖς τετελευτηκόσιν, ἐπιλαθοίμην. *Malevolentia Pythonis erga me, non vivus modò, obliviſcar nunquam; ſed ne mortuus quidem, prout omnibus defunctis contingit.* Quin ſæpe eò devenit furoris, ut & probet illud Græcorum †, Ἐρρέτω φίλος σὺν ἐχθρῷ· *Pereant amici, dum unà inimici intercidant.* Quid amicos dico? Interdum nec vitam propriam perdere ambigit, dummodo ſimul tollat alienam. Ita animatus fuit Atreus, cujus illud apud Senecam in Thyeſte:

† Plutarch. de diſcernendo adulatore ab amico.

Hæc ipſa pollens inclyti Pelopis domus
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.

Atque in hoc odium non ab ira modò, ſed etiam ab invidia differt: ut docet Plutarchus libello περὶ φθόνου καὶ μίσους ‡.

‡ De invidia, atque odio.

II. Qui alios, et quos, et qua de caussa odisse soleant, et quomodo odium concitetur.

LIquet, qui odio habeant, nimirum contrarii amicis.

Liquet, quos odio habeant, nempe contrarios amicis.

Odium atque inimicitiam gignunt actiones inimiciter adverſantes bono, quod amamus. Ita quiſquis ſe ab alio ſentit perpetuò ἀποθυννίζεσθαι, καὶ λάγδην πατεῖσθαι *, non ei modò iraſcitur, ſed & hominem odit: videnturque hoc pacto animati non ii modò, qui μελάμπυγοι † audiunt, ſed etiam, qui nomen poſſident ἠπιάτου ‡, ut cum Eubulo Comico loquar. Maximè autem odium accenditur, ſi ab iis inimiciter nobiſcum agatur, à quibus maximè nos amari oportebat. Itaque acerbiſſima eſſe odia inter conjunctiſſimos ſolent; ut docet Ariſtoteles lib. VII. Polit. cap. VII. ubi idem gemino hoc proverbio confirmat, χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν *. &, Οἱ τοι πέρα στέρξαντες, οἱ δὲ καὶ πέρα μισοῦσι †. Nempe, ut ait Tacitus lib. I. Annalium: *Quæ apud concordes vincula charitatis, incitamenta irarum ſunt apud offenſos.*

* Thynni piſcis inſtar deſpici, ac quaſi calcibus preteri.
† Atriclunes, atque iracundi.
‡ Jecoraris leneſque.
* Difficillima ſunt inter fratres bella.
† Qui vehementer amant, iidem & vehementer oderunt.

Ratio deducendi animos ad odium eſt, ut oſtendamus, homines eſſe tales, quales eſſe ſolent inimici. Ita Tullius, ut Antonium inducat in odium, crudelitatem ejus deſcribit. Ut cùm inter alia Philippicâ IV. ait: *Nullus ei ludus videtur eſſe jucundior, quam cruor, quàm cædes, quàm ante oculos trucidatio civium.* Quibus verbis non odium modò ciet; ſed & metum, de quo nunc dicendum.

Cap. VI.

De Metu.

Metus, ſive timor, eſt quidam animi dolor ac perturbatio, ob phantaſiam mali imminentis, quod vel perniciem adferat, vel moleſtiam.

I. De vocabulo metus, et aliis, quæ idem significant: et quomodo metus Aristoteli definiatur.

VOx φόβος à militiâ ſumta eſt, proprieque dicitur, cùm quis ſe in fugam conjicit. Eſt enim à φέβεσθαι, quod eſt φεύγειν *. *Metus* nomen inditum eſt ab Ionico μετιέναι, pro μεθιέναι †; quòd in eo abjiciatur & amittatur conſtantia: vel potiùs à μόθος, quod interdum idem eſt ac φόβος, teſte Heſychio. Nempe ab obſoleto μέθος, ut πόθος ‡ ab inuſitato πόθω, unde Latinorum *peto*. *Timor* verò appellatur, quia propriè ſit exſpectatio eorum cenſuræ, qui in dignitate ſunt conſtituti, παρὰ τὸ τιμᾶν ⸸, unde ἐπιτιμᾶν *. Niſi ſimplicius ſit deducere *timor* à δεῖμα, quod idem ac φόβος †, ut δειμαίνεσθαι, φοβεῖσθαι, eodem Heſychio teſte. Vel à δίω; quo Homerus eadem notione uſus, juxta Euſtathium ‡, qui & δέδια inde eſſe arbitratur. Plus autem eſt *timere*, aut *metuere*, quàm *vereri*: unde illud: *Malo vereri, quàm timeri me à meis*: & hoc Senecæ lib. II. de Irâ: *Longè itaque ab aſſentatione pueritia removenda eſt; audiat verum, & timeat interim, vereatur ſemper.* *Pavor* ἀπὸ τοῦ παίειν, unde *pavire*: ab hoc *pavimentum*; item *tripudium*, quaſi *terripavium*; niſi cum Turnebo † malis, quomodo Græci dicunt ἀποδιάζειν, ita & *tripudiare* dictum, ſive quaſi à τελποδιάζειν, ſive quia ter pede feriatur terra, ut loquitur Horat. in odis ‡. *Percellere* eſt à veteri Græcâ voce κέλλειν, quia animus quaſi verberatur imminentis mali opinione. Κέλλειν enim eſt κινεῖν, atque interdum etiam κινεῖσθαι, ſive κλίνειν: ſanè à κέλλειν ſunt μακκελλα, δίκελλα, *celſus*, *excellere*, *recellere*, quod apud Lucretium eſt lib. II. Feſtus rectè interpretatur *reclinare*. *Formido* eſt à formis ſive ſpectris: *forma* verò eſt ex μορφὴ, κατὰ μετάθεσιν *. Niſi veteres *formus* dixere pro *calidus*, atque inde *formido*, quia nonnullis præ metu ſudor prorumpit. *Terror* eſt à τέρας †. Terrent enim monſtra. Vel potiùs à τρέω, quod idem ac τρέμω ‡. Hæc dicta ſunto de vocum cauſſis; quarum nonnullas etiam adduxit Cæſar Scaliger adverſus Cardanum Exercit. CCCX. At pleniùs de iis omnibus in Originum libris diximus.

* Fugere.
† Dimittere.
‡ Deſiderium.
⸸ Cenſere.
* Objurgare.
† Timor.
‡ In Il. ν. pag. 672. & 676. & Il. ο. pag. 761. edit. Rom.
† lib. 25. Adverſ. cap. 29.
‡ Lib. 3. od. 18.
* Per literarum tranſpoſitionem.
† Monſtrum.
‡ Tremo, trepido.

II. Quid sit metus.

ARiſtoteli definitur φόβος· λύπη τις, ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μέλλοντος κακοῦ, ἢ φθαρτικοῦ, ἢ λυπηροῦ. h. e. *Metus eſt dolor quidam, ac perturbatio, ex opinione impendentis mali, quod vel perniciem, vel moleſtiam afferre poſſit.* Dico mali, quod perniciem aut dolorem afferat, quia non qualecunque metuitur malum, (neque enim metuimus ingenium hebes, aut injuſtitiam) ſed quod poſſit afferre interitum aut dolorem, & quod propè abſit. Quæ enim procul ſunt, non metuuntur; quomodo non timemus, quòd moriendum ſit, quia longè quilibet mortem abeſſe arbitratur. Inſigne hujus rei exemplum habemus in Junone primo Æneidos, quæ conabatur Trojanos avertere ab Italiâ, quia metuebat Carthagini:

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Poſthabitâ coluiſſe Samo.

Metuebat autem ob malum impendens, quia jam

—— Progeniem Trojano à ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.

Ex hâc verò metus definitione, liquet etiam, quomodo debeat ſpes definiri. Nam etſi ſpei propriè opponitur deſperatio; tamen cùm pinguiori loquimur Minervâ, contrariam quoque metui ſpem facimus: quippe quæ repugnent, quia metus eſt, cùm malum propinquum eſt, quod optamus ne adveniat; ſpes eſt, cùm bonum eſt propinquum, quod optamus ut adveniat. Erit igitur ſpes gaudium ex opinione impendentis boni, quod aut conſervare, aut voluptatem adferre poſſit.

III. Qui

III. Qui metuant, et in quos non cadat metus.

Metuunt, qui ſe aliquid paſſuros arbitrantur: ac tunc metuunt, cùm ſe putant paſſuros. Contrà non metuunt, qui ſe nihil autumant paſſuros, ſive à rebus, ſive à perſonis. Certe ex Stoicorum ſententiâ, vir ſapiens & juſtus, quia nihil ſibi præſtandum putat præter culpam, haut extimeſcit, ſi Saturnius oculus in domum incubuerit, aut, Nauſiclidis inſtar, ὅτι ἔαρ, ὅτι φίλους ἔχῃ *: quin, ut de eo ſcribit Horatius †,

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

(* Neque ver, neque amicos habeat. † Od. 3. lib. 3.)

Verum de Stoico ſapiente nunc non laboramus: ſed iis, qui ſe pati poſſe, nec tamen paſſuros, exiſtiment. Cujuſmodi duo ſunt hominum genera.

I. Qui proſpero utuntur fortunæ ſtatu, eoque uti exiſtimantur: unde contumelioſi ſunt, ac contemptores, & audaces: taleſque redduntur divitiis, robore, multitudine amicorum, potentiâ.

II. Qui deſperatæ ſunt ſalutis. Nam ita plurimùm uſu venit, ut qui, leviculo in malo, Teletis aut coturniculæ animum habent, multaque agunt ac dicunt generoſo animo indigna: hi, ſimul atque ſe malorum fluctibus obrui ſentiant, ac nullum amplius ſpei relictum locum, ſi quidem probi ſint, Achilleum quiddam ſpirent; ſin improbi, audint *aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum* ‡ Terentius Andr. *.

Ut animus in ſpe, atque in timore, uſque antehac intentus fuit,
Ita, poſtquam adempta ſpes eſt, laſſus, curâ confectus ſtupet.

(‡ Juvenal. ſat. 1. * Act. 1. ſc. 1.)

Ovid. lib. I. Triſtium el. IV:

—— Audaces cogimur eſſe metu.

Et lib. II. de Ponto el. II:

Tuta petant alii. fortuna miſerrima tuta eſt.
Nam timor eventus deterioris abeſt.

Hinc nutrix Medeæ apud Senecam ait:

Qui nil poteſt ſperare, deſperet nihil.

Et Troadibus ait Andromacha:

Miſerrimum eſt timere, cùm ſperes nihil.

Atque inde lux Arnobio lib. I. adverſus nationes: *Et in pericula capitis immittere ſe ſponte temerariâ deſperatione voluerunt.* Idem eodem: *Quid ô participes rationis audetis homines proloqui? quid effutire? quid promere temeraria vocis deſperatione tentatis?* Et lib. IV: *Aut aliquem ſumſerimus temeraria in Deos deſperatione contemtum.* Sanè hæc eruditiſſimi ſcriptoris verba probè conveniunt nautarum generi. Nam deſperatione temerarii ſunt, atque impii in Deum; unde & eos Æſchylus † vocat θερμοῖς, ac τοῖς εὐσεβέσιν ‡ opponit. Quamquam aliter hac de re Scipio Gentilis lib. I. παρέργων cap. XII. Dido quoque argumento nobis eſt, quàm ii, qui ſibi videntur jam inter Orci cancros adhærere, nihil ultrà extimeſcant. Quippe ea derelicta ab Æneâ, quod ei ſuppliciorum omnium graviſſimum videbatur, *mortem* non fugit, ſed *orat: tædet cœli convexa tueri.* Se quoque increpat, quòd Æneam non fuerit bello perſecuta. Ait enim: *Quem metui moritura?* Itidem Euryali mater, interemto filio, quaſi rebus jam omnibus conclamatis, nihil planè mortem reformidat. Itaque ait *:

(† Thebaid. ‡ Piis.)

Figite me, ſiqua eſt pietas, in me omnia tela
Conjicite, ô Rutuli, me primam abſumite ferro:
Aut tu, magne pater divûm, miſerere, tuoque
Inviſum hoc detrude caput ſub Tartara telo.

(* 9. Æn.)

Exemplo etiam fuerint Syracuſani; qui, cùm Dionyſius ſenior pecunias extorqueret, lamentabantur, & ſupplices orabant de inopia ſua mirifice conquerentes. Atque hoc ille iterum iterumque egit, ita ut eos penitus exhauriret. Nihilo ſecius tributum ab iis exigebat. At illi tum ridere, inque foro obambulantes falsè etiam in eum dicta jacere. Tum demum deſiſti tyrannus juſſit, & cauſſam addidit, Νῦν γὰρ οὐδὲν ἔχουσιν, ὅτι καταφρονοῦσιν ἡμῶν †. Nimirum non metuebant ultrà, quia omnia amiſerant. Auctor Plutarchus in Apophthegm. Neque duces rei militaris intelligentes neſciunt, ipſam quoque neceſſitatem ſpiritus interdum addere, deſperatione audaciam pariente. Sanè, ut Vegetii ‡ verbis utar, *Scipionis laudata ſententia eſt, viam hoſtibus, quâ fugiant, muniendam.* Nimirum, quia quandoque, ut apud eundem * legimus, *ex deſperatione creſcit audacia, & cùm ſpei nihil eſt, ſumit arma fortitudo.* Neque ratio hujus rei obſcura eſt. Nam quia nulla eſt ſpes reliqua, timere nequeunt. Timor enim requirit dubiam conſultationem inter ſpem metumque, ita ut, ubi alterutrum horum abeſt, etiam abſit alterum. Vide Senecam epiſt. V. ad Lucillium, & Ant. Muretum lib. XII. Var. Lect. cap. V.

(† Nunc nihil ultrà habent, quia nos contemnunt. ‡ Lib. 3. cap. 21. * Lib. 3. cap. 25.)

IV. Qui metuantur.

Metuuntur autem,

I. Quorum in manu ſalus noſtra eſt. Cicero pro Quinctio ad C. Aquilium; *Non minus ſæpe venit in mentem poteſtatis, quàm æquitatis tuæ: propterea quòd omnes, quorum in alterius manu vita poſita eſt, ſæpius illud cogitant, quid poſſit is, cujus in ditione ſunt, quàm quid debeat facere.* Huc refer conſcios rei atrocis: ſemper enim periculum eſt, ne prodant. Hinc Juvenalis ſat. III.

Quis nunc diligitur, niſi conſcius, & cui fervens
Æſtuat occultis animus, ſemperque tacendis?

Et mox:

Carus erit Verri, qui Verrem, tempore quo vult,
Accuſare poteſt.

Idem aliquanto pòſt de Græculis inquit:

Scire volunt ſecreta domus, atque inde timeri.

II. Qui poſſunt injuriam facere. Ut qui alios gaudent ſalibus defricare. Velut mimi, ſatyrici, epigrammatum ſcriptores. Horat. lib. I. ſat. IV.

Omnes hi metuunt verſus, odere poëtas;
Fœnum habet in cornu, longè fuge; dummodo riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico;
Et quodcumque ſemel chartis illeverit, omneis
Geſtiet à furno redeuntes ſcire, lacuque,
Et pueros, & anus.

Cicero lib. VII. epiſt. XI. ad Trebatium: *Si te citò retuleris, ſermo nullus erit: ſin fruſtra diutius abfueris; non modo Laberium, ſed etiam ſodalem noſtrum Valerium, pertimeſco. mira enim perſona induci poteſt Britannici Juriſconſulti.* Ait, ſi Trebatius diu hæſerit Samarobrinæ, nec unctiùs manum retulerit, periculum eſſe, ne, quia ex Juriſconſulto factus ſit miles, & interim non auſus fuerit Cæſarem in Britanniam ſequi, eò ab hominibus ſalſis ſub perſona Britannici Juriſconſulti ridendus cunctis proponatur: præſertim à Dec. Laberio, mimorum ſcriptore; atque item à Valerio; ſive is eſt L. Valerius Juriſconſultus, Ciceroni alibi † quoque memoratus; ſive Valerius Catullus, cujus epigrammata (de illis fœdis, etſi puriſſimæ impuritatis, nunc non loquor) omnibus omnium eo in genere præcellunt: in quibus & unum ad ipſum exſtat Ciceronem. Quamquam autem omnes illi, ut diximus, metuantur, qui poſſunt injuriam facere: magis tamen ab iis timemus, qui à nobis affecti ſunt injuriâ, vel affecti ſibi videntur. Semper enim obſervant occaſionem ulciſcendi. Ideo Alcibiades, ab Athenienſibus revocatus, non obtemperavit. Nempe ſciebat, quàm multos Athenis offendiſſet. Et crimen de Mercurii ſtatuis ab eo mutilatis ac dejectis, grave omnino erat. Uti & quòd myſteria privatim per ludibrium factitâſſet in contemtum religionis. Tanto magis ſibi metuebat ab inimicis. Rogatus, an non crederet ſe patriæ, τὰ μὲν ἄλλα, ἔφη, πάντα· περὶ δὲ τῆς ψυχῆς τῆς ἐμῆς οὐδὲ τῇ μητρί, μήπως ἀγνοήσασα, τὴν μέλαιναν ἀντὶ τῆς λευκῆς ἐπενέγκῃ ψῆφον. i. *alia*, inquit, *omnia; ſed vitam meam ne matri quidem, ne ignorans calculum nigrum pro albo ferat.* Auctor Plutarchus in Alcibiadis vita. Uti & Ælianus lib. XIII. Var. Hiſt. cap. XXXVIII.

(† Lib. 1. epiſt. ult. & lib. 3. ep. 1.)

Digitized by Google

Nec ſolùm metuimus, quos injuriâ affecimus; ſed etiam, qui nos affecere injuriâ; partim quia crimine ex uno, quomodo erga nos affecti ſint, judicamus; partim quia, qui malum dedere, reformidant talionem, eoque non poſſunt non malè velle. Propterea Polynices, qui contra pactum regno paterno excluſus erat ab Eteocle, ne induciarum quidem tempore ad colloquium aliter, quàm ſtricto gladio, venire auſus erat. Unde ſic fratrem compellat *:

* *Apud Euripidem Phœniſſis.*

Ἅπαντα γὰρ τολμῶσι δεινὰ φαίνεται,
Ὅταν δι' ἐχθρᾶς ποὺς ἀμείβηται χθονός.
Nil non videtur facere & audaci metum,
Hoſtile cùm pes per ſolum profert gradum.

At Achæmenides, quem Ulyſſes in Sicilia reliquerat †,

† *Æn.* 3.

—— ubi Dardanios habitus, & Troïa vidit
Arma procul, paullùm adſpectu conterritus hæſit.

Nempe homo Græcus metuit Trojanos, contra quos arma tulerat.

III. Præterea metuuntur illi, qui eandem rem affectant, cùm tamen fieri nequeat, ut ſimul potiantur. Cic. 1. Offic. *Quod eſt apud Ennium, Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt; id latiùs patet. Nam quicquid ejuſmodi eſt, in quo non poſſint plures excellere, in eo plerumque fit tanta contentio, ut difficillimum ſit ſanctam ſervare ſocietatem.*

IV. Etiam metuuntur, qui formidabiles meritò ſint præſtantioribus. Nam quos hi jure metuant, facilè oberunt inferioribus.

V. Quos reapſe metuunt præſtantiores.

VI. Qui ſuſtulerunt nobis præſtantiores.

VII. Qui invaſerunt nobis inferiores. Aut enim jam metuendi ſunt, aut timendi erunt potentiores facti. Ita Græci etſi vires ſuas longè Illyriorum potentiæ præferrent; tamen, his à Philippo rege devictis, ſibi etiam ab eodem metuerunt.

VIII. Timentur etiam amici eorum, qui injuriam paſſi ſunt, aut inimicorum, aut adverſariorum; non qui ad iram ſunt præcipites, ac liberiùs loquuntur; ſed manſueti, diſſimulatores, aſtuti. Nam facilè nobis cavemus ab iis, qui apertè ſunt inimici: at non item ab iis, qui animo quidem ſunt exulcerato, ſed ſciunt ſimulare & diſſimulare: quippe qui, cùm maximè aliud agere videntur, maximè in eo ſint, ut magnum nobis dent malum. Exemplo eſto Ulyſſes Homericus, qui injurias procorum diſſimulavit, uſque dum eos interimendi affulſerat occaſio. Nec fugit hoc C. Cæſarem *: qui cùm ab delatoribus cognoviſſet, M. Antonium, & Dolabellam, res novas moliri; acutè reſpondit, nihil ſe metuere ab his, ſed à pallidis ac macilentis illis. Caſſium autem, & Brutum ſignabat. Auctor Plutarchus in Cæſare. Nempe, ut nutrix Medeæ apud Senecam ait:

* *Plutarchus in Cæſare.*

—— Ira, quæ tegitur, nocet.
Profeſſa perdunt odia vindictæ locum.

Atque hi ſunt, qui metuuntur: unde facile eſt videre, qui non metuantur. Nempe à quibus nihil nos paſſuros putamus, ſive quia non malè velint, ſive quia nihil poſſint. Ut, captâ à Lacedæmoniis Cadmeâ, ſuſpecta iis fuit Iſmeniæ potentia, quem iccirco vinctum rapuere Spartani, ac paullo pòſt necarunt. Suſpecta quoque virtus Pelopiæ, Pherenici, Androclidæ, & quorumdam aliorum; qui, cùm fuga ſibi conſuluiſſent, exulare juſſi ſunt. At Epaminondam, qui Thebis permanſerat, degere ibidem permiſerunt, quia non metuerent ſibi ab eo, ſed omnino contemnerent, διὰ μὲν φιλοσοφίαν ὡς ἀπράγμονα, διὰ δὲ πενίαν ὡς ἀδύνατον· *partim quod philoſophiæ addictus à rebus gerendis abſtineret; partim quia, ob paupertatem, parum aut nihil poſſet:* ut eſt apud Plutarchum in Pelopidæ vita.

IV. De rebus iis, quæ metum incutiunt.

Metuenda ſunt, quæ interimunt, quæ magnam moleſtiam afferunt, quæ ſigna ſunt rerum metuendarum. Ut ſi quis eſt vel inimicus, & potens: cujuſmodi nocere & vult, & poteſt: vel injuſtus, & potens; quippe quem potentes metuunt, eundem exſtinctum cupiunt. Cicero lib. 11. ad Atticum epiſt. xxi. de Pompejo: *Et timeo, tam vehemens vir, tamque acer in ferro, & tam inſuetus contumeliæ, ne omni animi impetu dolori & iracundiæ pareat.*

Maximè autem quatuor malorum genera animos exſternant, horroremque incutiunt.

I. Primùm, quæ corrigi nullo modo poſſunt. Certè non admodum reformidamus levem in mercibus jacturam: at cautio omnibus modis eſt, ne vitam deperdamus. Iccirco in militia bis peccare non licebat. Sane centuriones ac duplicarios, quod ordines reliquiſſent, virgis cædebant, ac ſecuri quoque percutiebant; ut cognoſcimus è ſecundo Livii libro.

II. Idem præſtant, quæ emendare non ſit in noſtra, ſed adverſarii poteſtate.

III. Par eorum ratio, quæ nonniſi ſumma cum difficultate corrigi queunt: ut ſiquis inſigni ignominiæ maculâ fuerit notatus. Neque enim facilè ſordes vitæ eluuntur.

IV. Præterea horribilia ſunt ea omnia, quæ miſerationem in nobis concitare poſſunt, quòd ſtatuamus eadem nobis poſſe contingere. Itaque Æneas magno ſe ait metu horroreque perculſum fuiſſe, cùm intellexiſſet, Polydorum crudeliter adeò interemtum eſſe à Polymneſtore, Thracum rege †:

† 3. *Æn.*

Tum verò, inquit, *ancipiti mentem formidine preſſus*
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.

Quod ſi res aliqua ſit planè inſolens, eo faciliùs horrorem incutit. Unde Juſtinus initio libri xiv: *Ne fama, aut rem id magis extolleret, aut militum animos rerum novitate terreret.*

V. Quomodo metum incutiat orator.

Ratio metu judices percellendi eſt, ut oſtendatur, aliquid eos imminentis mali pati poſſe, idque conferendo illos cum aliis, qui licet majores, tamen ſint affecti clade: quòd item æquales paſſi ſint, vel patiantur,

I. Ea, quæ non arbitrabantur:

II. Ab iis, à quibus non arbitrabantur:

III. Tunc, cùm minimè arbitrabantur.

Exemplum ejuſce rei è Tullio adferam. Is, ut judicibus metum commoveat ex eo, quod Cn. Carboni à Verre contigerat: *Nunc*, inquit, *quamvis ſint homines, qui mortuum Cn. Carbonem oderint, tamen hi debent, non quid illi accidere voluerint; ſed, quid ipſis in tali re metuendum ſit, cogitare. Commune eſt hoc malum, communis metus, commune periculum. Nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quàm eæ, quæ latent in ſimulatione officii* &c. Idem eo timorem incutit, quòd Verres pupillos ſpoliârat. *Communis*, inquit, *eſt cauſſa, commune periculum, communi præſidio talis improbitas, tanquam aliquod incendium, reſtinguenda eſt. Habemus enim liberos parvos: incertum eſt, quàm longa noſtrum cujuſque vita futura ſit. Conſulere vivi ac proſpicere debemus, ut illorum ſolitudo & pueritia quàm firmiſſimo præſidio munita ſit* &c. Vide & apud Herodotum lib. vii, orationem Artabani, quâ metum injicere ſtudet Xerxi, ne bellum inferat Græciæ. Et hæc de metu.

Cap. VII.

De Confidentia.

Metui contraria eſt audacia ſive confidentia. Ea eſt ſpes cum phantaſiâ rerum ſalutarium, quaſi prope ſint, iis, quæ metum incuterent, vel nullis exiſtentibus, vel procul remotis.

I. Quid ſit Confidentia.

Timori opponitur *fidentia*: unde Cicero lib. 11. de Divinatione: *Timide fortaſſe ſignifer evellebat, quod fiden-*

fidenter inſiuerat. Eſtque *fido* ex Græco πείθω. Nam πείθεσθαι, *perſuaderi, credere, fidere.* Atque hinc *fides*, non quia fiat quod dictum, ut Tullius * Στωικωτέρως ἐτυμολογεῖ †. Apud Græcos τῷ φόβῳ opponuntur θάῤῥος, & θράσος; quorum illud in bonam, hoc in malam partem accipitur; juxta Suidam, & alios. At Latinis *confidentia interdum in bona ſignificatione, interdum in mala ponitur: ſed fiducia ſemper in bona:* ut Donatus tradit ad Andr. Act. v. Sc. III.

* *Lib. I. de Offic.*
† *Magis Stoicorum more, quàm verè, originem vocis aſſignat.*

Ariſtoteli, quia naturâ vox media eſt, laxiùs ſumitur; eoque hoc pacto definitur: Θάῤῥος, μετὰ φαντασίας ἡ ἐλπὶς τῶν σωτηρίων ὡς ἐγγὺς ὄντων, τῶν δὲ φοβερῶν, ἢ μὴ ὄντων, ἢ πόῤῥω ὄντων. *Confidentia eſt ſpes conjuncta cum opinione rerum ſalutarium ferè præſentium; metuendarum autem, quæ aut non ſint, aut procul abſint.* Ciceroni in ſecundo de Inventione Fidentia eſt, *per quam magnis & honeſtis rebus multum ipſe animus in ſe fiducia certa cum ſpe collocavit.*

II. Qui confidant.

Fidentes ſunt, qui ejuſmodi habent opinionem; putà in periculo ſuo, non autem alterius. Nec enim audaciæ, aut fortitudinis eſt, quòd plerique duces bellici magna quidem auſint; ſed ita, ut ipſi ſint extra teli jactum. Equidem non diffiteor, præfectos militiæ minùs, quàm gregarios milites, eſſe ingentibus periculis exponendos, cùm magis a conſilio providi ducis, quàm ab impetu intrepidi militis, ſalus exercitus dependeat: attamen non proptereà is verè audax dicendus, qui magna auſit periculo militis; ſed is demum, qui ipſe eodem periculo ſe involvat. Ac multo minùs medicus ille fidens erit, qui, quaſi ægri nihil aliud eſſent, quàm victimæ quædam, quæ pro medicorum gloria mactentur, ita ſcientiæ & opum aucupio, per remedia, quæ expertus nec ipſe, nec alius ſit, ſceleratè agat experimenta. Quæ non fiducia eſt, ſed crudelis inhumanitas. Nempe, ut dixi, non in alienis, ſed propriis periculis, confidentia ſita eſt. Quomodo fiduciam habent,

I. Qui mala nunquam ſunt experti.

II. Qui mala ſunt experti, ſed iis emerſerunt.

Alios certè animat, & armat, quod mali magnitudinem ignorent: (dulce enim bellum inexperto:) alios verò, quod crebro uſu varias addidicerint rationes, quibus incolumes evadant. Prioris generis exemplum nobis propoſuit Poëta in Lauſo; qui, ob belli inſcitiam, ne quidem dubitavit congredi cum Ænea, quem iccirco ita increpat vir fortiſſimus ‡:

‡ *10. Æn.*

> *Quò moriture ruis, majoraque viribus audes?*
> *Fallit te incautum pietas tua.*

Ac ſubdit Poëta:

> —— *Nec minùs ille*
> *Exultat demens.*

Alterius generis exemplum apud eundem habemus in Turno: qui neutiquam haſtas abjicit, conſpecto ingenti Æneæ exercitu; ſed virtuti ſuæ confidit. Ita enim de eo ſcribit idem *:

* *Eodem libro.*

> *Haut tamen audaci Turno fiducia ceſſit,*
> *Littora præripere, & venientes pellere terrâ.*
> *Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro.*

Par quoque ratio eſt in navigantibus; quorum quidam non commoventur timore, quia non conſiderant periculi magnitudinem: quidam eo non commoventur, quia norunt rationem enatandi in naufragio, aut antea ſeſe è naufragio incolumes evaſiſſe cogitant. Hoc argumento ſuos conſolatur Æneas primo præclari operis:

> *O ſocii, neque enim ignari ſumus ante malorum,*
> *O paſſi graviora, dabit Deus his quoque finem.*
> *Vos & Scyllæam rabiem, penituſque ſonantes*
> *Acceſtis ſcopulos: vos & Cyclopea ſaxa*
> *Experti: revocate animos, mœſtumque timorem*
> *Mittite: forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.*

Atque apud Juſtinum lib. xxx. Philippus, Macedoniæ rex pene ultimus, hortatur ſuos, *referendo Perſas, Bactros, Indoſque, & omnem Aſiam, Orientis finem, à Macedonibus perdomitum.* Ac Flamininus conſul (ut ibidem legas) *relatione rerum recentiſſimè geſtarum ſuos ſtimulabat in prælium, oſtendendo, hinc Carthaginem cum Sicilia, inde Italiam, & Hiſpaniam, Romanâ virtute perdomitas.*

III. Præterea fiduciâ præditi ſunt, qui animadvertunt, rem non metui ab æqualibus, vel inferioribus, ac omnino iis, quibus ſe judicant præſtantiores. Item fiduciam addit, ſi periculi nihil videant homines prudentiſſimi. Unde in ſuadendo plurimùm valet vir ſapientis auctoritas: uti è contrario, ſi homo imprudens alicujus rei auctor eſſe velit, etiam tutiſſima timentur. Auſonius epigr. ad Theodoſium imp.

> *Agricolam ſi flava Ceres dare ſemina terræ,*
> *Gradivum jubeat ſi capere arma ducem;*
> *Solvere de portu claſſem Neptunus inermem;*
> *Fidere tam fas eſt, quàm dubitare nefas.*
> *Inſanum quamvis hyemet mare, crudaque tellus*
> *Seminibus, bello nec ſatis apta manus,*
> *Nil dubites, auctore bono.*

IV. Fiduciam etiam præbet, ſi polleamus rebus illis, quibus excellunt, qui metuendi ſunt: nimirum multitudine pecuniarum, robore corporis, firmitate regionis, potentiâ amicorum, præſtantiâ eorum, quæ ad bellum parantur, vel omnium, vel maximorum. Unde Juſtinus initio libri XXIII. *Partem civitatium fiducia virium reſiſtentem.* Similiaque paſſim ſe offerunt.

V. Confidunt etiam, qui injuriam fecerunt, aut nemini, aut non multis, aut non iis, à quibus metuunt. Nam iſtiuſmodi fidunt innocentiæ ſuæ.

VI. Qui ſe Deum habere propitium colligunt, vel ex ſignis vel ex auguriis, vel ex oraculis. Æneid. XII.

> —— *Primuſque Tolumnius augur;*
> *Hoc erat, hoc votis, inquit, quod ſæpe petivi.*
> *Accipio, agnoſcoque Deos: me, me duce ferrum*
> *Corripite, ô Rutuli.* Et eodem libro:
> *Nequa meis eſto dictis mora, Jupiter hâc ſtat.*

Quomodo & Ennius dixerat † in VII. Annal.

† *Apud Macrobium lib. 6. Saturn. cap. 8.*

> *Non ſemper veſtra evertit. nunc Jupiter hâc ſtat.*

Etiam Diomedes in IX. Iliados Agamemnonem increpans, quòd fugam ſuaderet, ait, utcunque alii etiam Græcorum ſe conjicerent in fugam, ſe tamen & Sthenelum perſtituros in bello, uſque dum reperint Ilium: ac fiduciæ hujus cauſſam addit:

> —— Σὺν γὰρ Θεῷ εἰλήλουθμεν ‡.

‡ *Nam cum Deo venimus, ſive Deo favente.*

Pertinet huc quoque ille Tyrtæi pentameter:

> Θαρσεῖτ', οὔπω Ζεὺς αὐχένα λοξὸν ἔχει.
> *Audete: necdum enim Jupiter* (ut Paccuvianâ voce utar) *incurvicervicus eſt.*

Etiam ſacerdotes Delphici, adverſus Gallos pugnaturi, perſuaſere exercitui, Phœbum, Dianam, ac Palladem, à ſe viſos, eoſque fore pugnæ anteſignanos, & victoriæ ſocios. Quâ re tantum animi ſuis addidere, ut à quatuor millibus ſexaginta quinque millia (tot enim in exercitu ſuo Brennus habuit) vincerentur; quemadmodum Juſtinus refert lib. XXIV. Inter alia, *Contra*, inquit, *Delphi plus in Deo, quàm in viribus, reponentes, cum contemtu hoſtium reſiſtebant.*

Salluſtius in bello Jugurthino, cùm narraſſet, ut cum milites Metelli per arida loca ad Thalam veniſſent, ibique ingens eſſet pluvia coorta, cumque aqua vel ſola obſeſſuris Thalam ſufficeret, ſubjungit ⊥. *Cæterum milites religione pluvia magis uſi: eaque multum animis eorum addidit; nam rati ſeſe diis immortalibus curæ eſſe.*

⊥ *Cap 75.*

VII. Denique fidentiores etiam ſunt, qui priores ſunt adorti. Quò pertinet illud Livii lib. XXVIII. *Plus animi eſt inferenti periculum, quàm propulſanti.* Et Vegetius lib. III. cap. XVIII. cùm ſuaſiſſet duci, ut prior aciem inſtruat, hanc etiam cauſſam adducit, *Et tuis auges confidentiam, & adverſariis fiduciam minuis: quia fortiores videntur, qui provocare non dubitant.*

III. Qui-

III. Quibus in rebus, et quibus de cauſſis, confidere ſoleamus.

Quibus in rebus confidentes ſimus, noverimus, ſi cauſſas fiduciæ perſpectas habeamus.

Fidentiam autem afferunt.

I. Mala admodum remota. Ea enim exiſtimamus non facilè nobis nocere poſſe.

II. Salutaria penè præſentia. Hæc enim erigunt animos jacentes afflictoſque.

* 10. Æn. Ita Trojani obſeſſi, Æneâ abſente*:

—— miſeri ſtant turribus altis
Nequicquam, & rara muros cinxere coronâ.

At, ut in conſpectu erat Æneas cum exercitu adventans:

—— clamorem ad ſidera tollunt
Dardanidæ è muris: ſpes addita ſuſcitat iras:
Tela manu jaciunt.

Sunt autem varia eorum genera, quæ ſpem ſalutis proximam eſſe oſtendant.

I. Illa, quibus ſpes emendationis.

II. Auxilia vel multa, vel magna, vel utraque. Ita, cùm Latinus de victoriâ deſperans pacem cum Trojanis facere cogitaret, confirmat eum Turnus à multis magniſque auxiliis. Ait enim †: † 11. Æn.

Non erit auxilio nobis Ætolus, & Arpi?
At Meſſapus erit, felixque Tolumnius, & quos
Tot populi miſere duces: nec parva ſequetur
Gloria delectos Latio, & Laurentibus arvis.
Eſt & Volſcorum egregiâ de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære catervas.

III. Si neque injuriam acceperimus, neque intulerimus: ideoque adverſarii ſint nulli, aut impotentes, & è vulgo, vel qui non plus, quàm vulgares animæ, poſſint. Præſtantiores enim cenſent, haut ineſſe vulgo lædendi facultatem: quomodo ἐν ξυνῷ ἰχθύϊ ἄκανθαι οὐκ ἔνεισιν, ὥς φησιν ὁ Δημόκριτος ‡ *vulgari piſci non inſunt ſpinæ, ut ait Democritus.* ‡ Plutarchus lib. 2. Sympoſ. quæſt. 10.

IV. Si qui beneficium à nobis acceperint, aut in nos contulerint. Ita Cicero orat. pro Marcello Cæſari perſuadere conatur, nullas eſſe ei timendas inſidias, quia neminem eorum læſerit, qui ſuperſtites ſint; omnibus autem beneſecerit. *Quiſnam*, inquit, *eſt iſte tam demens? de tuiſne? tametſi qui magis ſint tui, quàm quibus tu ſalutem inſperantibus reddidiſti? an ex eorum numero, qui unà tecum fuerunt? non eſt credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia ſumma ſit adeptus, hujus vitam non anteponat ſuæ. At ſi tui nihil cogitent ſceleris; cogitandum eſt, nequid inimici. Qui? Omnes enim, qui fuerunt, aut ſuâ pertinaciâ vitam amiſerunt, aut tuâ miſericordiâ retinuerunt; ut aut nulli ſuperſint de inimicis, aut, qui ſuperfuerunt, amiciſſimi ſint.*

V. Si aut plures ſint, aut præſtantiores, aut, qui & multitudine, & viribus ſuperent. Unde idem fiduciam in civibus gignit orat. Catilinaria II. *Inſtruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinæ copias veſtra præſidia, veſtroſque exercitus: & primum gladiatori illi confecto & ſaucio, conſules, imperatoreſque veſtros, opponite. Deinde, contra illam naufragorum ejectam, ac debilitatam manum, florem totius Italiæ, ac robur educite. Jam verò urbes coloniarum ac municipiorum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſylveſtribus. Neque verò cæteras copias, ornamenta, præſidia veſtra, cum illius latronis inopiâ, atque egeſtate, debeo conferre.*

Ratio gignendi fiduciam eſt, ut oſtendatur, res ſalutares prope exiſtere: res verò metuendas vel non eſſe, vel procul abeſſe.

Cap. VIII.

De Pudore.

Pudor eſt dolor quidam, ac perturbatio ob infamiæ opinionem, quando mala vel præſentia ſunt, vel præterita, vel imminent. Impudentia verò eſt, quâ deſpicimus iſtiuſmodi, neque iis perturbamur.

I. De vocabulo pudoris, et aliis ejusdem significati. et quomodo definiatur.

Sequitur pudor ſive verecundia. Quam Ariſtoteles quidem numerat inter πάθη; verùm alii pleriſque inter habitus animi referre malunt: atque hâc in re ab Ariſtotele quoque diſceſſit Alexander Aphrodiſienſis. Pudoris nomen, juxta Cæſarem Scaligerum *, eſt metaphoricum, quòd in eo advertetur ſenſus, ſicut in putridis. Niſi potius ab Hebræo *bos*, aut Chaldæo & Syriaco *behat*, quæ notant, *puduit*, *erubuit*. Verecundiæ vox anguſtior eſt, quia notat magnam opinionem reprehenſionis, quia væ, i. valde remur, h. e. putamus ipſam rem. Abjectâ alterâ vocali ex diphthongo facta brevis eſt ſyllaba, ſicut in feneſtrâ παρὰ τὸ φαίνειν, & in Phlegethonte παρὰ τὸ φλέγειν καὶ αἴθειν. Ita idem Scaliger †. Verùm de diphthongo adſtipulari ſummo viro nequeo: cùm neque in compoſitis aliis *ve* per diphthongum ſcribatur, ſed nudâ vocali; ut cognoſcere eſt ex *vegrandis*, *vecors*, *veſanus*; de quibus apud Gellium ‡, & Feſtum. Imò fortaſſè *vereri*, unde *verecundus*, eſt ab Hebræo *jare*, quod idem notat. Nempe ut litera *jod* in *vau* abeat, quod apud Chaldæos, & Arabes, crebrum.

* Adverſus Cardanum Exercitat. 312. † Ibidem. ‡ Lib. 5. cap. 12.

Si audimus Damaſcenum *, differunt eo αἰδὼς & αἰσχύνη, quia αἰδὼς ἐστι φόβος ἐπὶ προσδοκίᾳ ψόγου· αἰσχύνη δὲ, φόβος ἐπ' αἰσχρῷ πεπραγμένῳ· h. e. *αἰδὼς eſt metus ob exſpectationem vituperii: αἰσχύνη metus ob aliquid turpiter factum.* Ita αἰδὼς anguſtius ſit, quàm pudor: quippe eo ſignetur vercundia ſive pudor honeſtus. Nomen ei ab α στερητικοῦ †, & ἰδεῖν ‡, ut propriè ſonet δυσωπίαν *. Sanè, ut proverbio fertur, αἰδὼς ἐν ὀφθαλμοῖς †: quo de Eraſmum in Chiliadibus vide, & Henricum Stephanum in eas annotationibus. At αἰσχύνη eſt ab αἶσχος, quod eſt *turpitudo*, *fœditas*. Ideo & αἰσχύνη, teſte Agellio lib. IX. cap. VI. definitur φόβος δικαίου ψόγου ‡. Sed nihil certius eſt, quàm, αἰσχύνη quoque in bonam interdum accipi partem. Itaque voce eâ laxius uſus eſt Ariſtoteles, ut definitio oſtendit. Nam αἰσχύνη illi eſt λύπη τις καὶ ταραχὴ, περὶ τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα φέρειν τῶν κακῶν, ἢ παρόντων, ἢ γεγονότων, ἢ μελλόντων. *Pudor eſt dolor quidam & animi perturbatio, quæ naſcitur ob mala, vel præſentia, vel præterita, vel futura, quæ ad infamiam deducere videntur.* Impudentia verò eidem eſt, quâ quis nullâ iſtiuſmodi rerum curâ tangitur.

* Lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. 15. † Privativo. ‡ Videre. * Verecundia ne ſinens, ut aliquem intueamur. † Pudor eſt in oculis. ‡ Metus juſtæ reprehenſionis.

II. Quos pudeat.

Eos pudet, qui dolent offenſione exiſtimationis. Hujuſmodi ſunt,

I. Si qui habeant apud ſe, quos revereantur ac curent, ſive iſti præſentes, ſive vicini, ſive cogituri ſint id, quod præter decorum dicimus aut agimus. Phædra apud Euripidem in Hyppolyto:

Ἐμοὶ γὰρ εἴη, μήτε λανθάνειν καλά,
Μήτ' αἰσχρὰ δρώσῃ μάρτυρας πολλοὺς ἔχειν.
Quorum ſententia eſt,
Nolim latere, ſiquid egero benè;
Nec opto teſtes, ſiquid egero malè.

II. Qui eo loco ſunt conſtituti, ut periclitetur honos, atque exiſtimatio. Ita, qui calamitate premuntur, ab illis conſpici nolunt, qui quondam æmulabantur. Æmuli autem ſunt eorum, qui ſecundâ utuntur fortunâ, admiratores.

III. Item, qui ea egerunt, quæ dedecori ſunt futura. Quomodo facti puduit Macedones, cùm Antigonus Tutor, qui & Δώσων, ac Εὐεργέτης vocabatur, ab iis obſeſſus, ſua retuliſſet merita, & oratione invidiam ſedâſſet. Unde Juſtinus lib. XXVIII: *Populus*, inquit, *pudore*

dore motus, recipere eum regnum jubebat. Nec ſolùm eorum, quæ egimus, pudet, ſi nobis probro ſint futura; ſed etiam, ſi majoribus, vel aliis, quibuſcum neceſſitudo nobis intercedit; vel iis, qui ad nos referuntur; ut qui ſunt conſiliarii, aut magiſtri. Ita Polycrates Sophiſta, non ſeriò, ſed ad oſtentationem, accuſationem Socratis ſcribens, ei probro vertit, quòd auditorem habuiſſet Alcibiadem, noxium Reip. civem. Plato quoque inſimulatus fuit, quòd ex ſcholâ ejus prodiiſſet Calippus, hoſpitis ſui, ſummi viri, interfector: quanquam Plato negabat, eum in ſua unquam familia fuiſſe, atque aliunde oſtendebat in familiaritatem veniſſe Dionis. Auſonius ſimiliter ob Neronis delicta inſimulat Senecam in gratiarum actione pro conſulatu: *Dives*, inquit, *Seneca, nec tamen conſul, arguetur rectius, quàm prædicabitur, non erudiiſſe indolem Neronis, ſed armâſſe ſævitiam.*

IV. Idem fit, ſi habeant ſimiles, quibuſcum de honore contendant.

V. Adhæc, ſi putent fore, ut converſandum ſit cum peccatorum ſuorum conſciis.

III. Apud quos pudeat.

APud eos pudet, apud quos volunt honorem ſuum, atque exiſtimationem, eſſe ſartam tectam. Hinc Cic. lib. II. epiſt. ad Att. V: *Quid enim noſtri optimates, ſi qui reliqui ſunt, loquentur? an me aliquo præmio de ſententia eſſe deductum?* Πουλυδάμας * μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει †, *Cato ille noſter, qui mihi unus eſt pro centum millibus.* Idem lib. VII. epiſt. I: Αἰδέομαι ‡ *non Pompejum modò, ſed* * Τρῶας, καὶ Τρωάδας. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει. *Quis, ut ipſe ſcilicet laudator, & factorum, & ſcriptorum meorum.* Ac ſimilis locus eſt epiſt. XVI. lib. VIII. ad eundem.

* Homer. Iliad. χ.
† Polydamas probri maculam mihi primus inuret.
‡ Vereor.
* Trojanos, & Troadas.

Sunt verò plura eorum genera, apud quos honorem violari nolunt.

I. Nempe illi, quibus ſunt admirationi.

II. Quos ipſi admirantur.

III. Quibus volunt admirabiles videri.

Iis autem admirabiles videri volunt, eoſque admirantur, qui habent aliquod bonum honoratum, aut à quibus aliquid vehementer requirunt, quod illi in ſuâ habeant poteſtate.

IV. Nec honorem apud eos violari velint, quibuſcum de honore contendunt: ut ſunt pares, & æquales.

V. Nec apud illos, quorum exiſtimationem, ac judicium, non contemnunt. Quales illi, quibus vel naturâ devincti ſumus, ut parentes, & avi: vel ob merita, ut præceptores. Itaque pudet Oreſtem, poſt interemtam matrem Clytæmneſtram, intueri avum Tyndarea, cujus ea erat filia, & à quo puer tam blandè benigneque habitus eſſet. Sic enim loquitur apud Euripidem †:

† In Oreſte.

—— Τυνδάρεως ὅδε
Στείχει πρὸς ἡμᾶς, οὗ μάλιστ' αἰδώς μ' ἔχει
Εἰς ὄμματ' ἐλθεῖν, τοῖσιν ἐξειργασμένοις.

Sententiam ſic quomodocunque expreſſero:

—— *Hic Tyndarus*
Ad nos gradum capeſſit: à quo maximè
Pudet videri tale poſt facinus meum.

Et mox:

—— Τίνα σκότον
Λάβω προσώπῳ; ποῖον ἐπίπροσθεν νέφος
Θῶμαι, γέροντος ὀμμάτων φεύγων κόρας;
—— *Quam vultui*
Caliginem obdam? quamve nebulam objecero
Mihi, ſeniles ut refugiam pupulas?

Ab Ariſtotele autem quinque genera, quorum judicium curemus, referuntur.

I. Iſtiuſmodi ſunt, tum qui ætate ſunt grandævâ, tum qui eruditione pollent, tum quicunque graves ſunt vitiorum cenſores. Quomodo pudebat populum Romanum ſpectare Lupercalia, præſente Catone: quæ cum hic ſui cauſsâ intermitti videret, diſceſſit, teſte Plutarcho.

II. Offenſionem etiam exiſtimationis timent apud eos, qui ſemper affuturi ſunt, quique eorum vitam attentè obſervant.

III. Qui non ſunt iiſdem criminibus obnoxii.

IV. Qui non facilè ignoſcunt delinquentibus.

V. Qui facilè ac lubenter, quæ ſciunt, effutiunt. Nam parum vulgò diſtare putant, num quid factum non ſit, & num, quod peccatum eſt, ignotum ſit.

Facilè autem enuntiant commiſſa, tum injuriam paſſi, tum maledici, tum etiam, qui proximorum peccata ſtudioſè obſervant, ac notant; cujuſmodi ſunt irriſores, ac Poëtæ Comici. Qua de re ſuperius * dictum.

* Cap. 6. ſect. 3.

VI. A quibus nunquam repulſam tulerunt. Judicant enim, ſe ab his ſuſpici. Ideoque nec libenter quicquam negamus iis, qui primò quid à nobis petunt, aut qui nobis amici eſſe volunt, aut quibuſcum vetus intercedit amicitia, aut qui nos florentes fortunatoſque viderunt. Optamus enim, non immutari magnificam de nobis opinionem. Cic. pro Muræna; *Ibit igitur in exilium miſer. Quò? Ad Orientiſne partes, in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas geſſit? At habet magnum dolorem, unde cum honore deceſſerit, eodem cum ignominia reverti.* Itaque nec mirandum, ſi vultum ſemper demiſerit Telephus, qui, cùm rex fuiſſet Myſorum, in exilio mendicabulum factus erat. Hinc Amphis Comicus in Impoſtore: (id fabulæ nomen erat) Ἔκυψεν ὥσπερ Τήλεφος πρῶτον σιωπῇ; *primùm oculos ſilentio demiſit, velut Telephus.* Hecuba quoque apud Euripidem, alloquens Polymneſtorem, Thracum regem, callidè, cur humi oculos defigeret, rationem hanc aſſignat, quòd nollet ſe ab eo in tanta miſeria conſpici, qui beatam quondam vidiſſet. At revera in cauſſa erat, quòd rectis oculis interfectorem filii ſui intueri non poſſet.

VII. Denique apud eos pudet, qui dicta factaque noſtra indicaturi ſunt iis, quos veremur. Tales famuli, & qui famulis amici ſunt.

IV. Quorum pudeat, et quomodo pudor cieatur.

EOrum pudet, quæ ſunt opera ac ſigna vitiorum, ſive in nobis, ſive in noſtris. Quæ materies latè adeò diffunditur, quàm genera patent vitiorum. Longum eſſet ire per ſingula. De iis videbo, quæ familiam in his ducunt. Prima eſt vitiorum multorum mater ignavia. Propriæ ignaviæ pudere, argumento eſt Sargapiſis, Tomyridis Scytharum reginæ filius, qui à Cyro rege captus, poſteaque dimiſſus, viſcera ſua tranſegit gladio præ pudore, quòd victus eſſet deliciis, qui viros fortes vincere ſoleret: ut narrat Herodotus lib. II. Etiam quantopere Romanos puduerit à Samnitibus victos ad furcas Caudinas, graphicè admodum depinxit Livius lib. IX.

Ad ignaviam quoque pertinet, non poſſe ſibimet opitulari; quod Numanus Trojanis exprobrat apud Maronem †, cùm ait:

† 9. Æn.

Non pudet obſidione iterum, valloque teneri,
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?

Idem inibi molliciem iis objectat, hiſce verbis:

Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis,
Deſidiæ cordi, juvat indulgere choreis;
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.
O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.

Eodem refer, non opera ſolùm, ſed ſigna etiam imbelliæ, ac timiditatis. Quale eſt, *ſcuta jacere, fugereque*; quod *habere licentiam*, Staſimas ait apud Plautum Trinummo ‡; ubi conqueritur de corruptis ſeculi ſui moribus. Hujus rei pudet Horatium od. VII. lib. II:

‡ Scen. Staſime, facte.

Tecum Philippos, & celerem fugam
Senſi, relictâ non bene parmulâ,
Cùm fracta virtus, & minaces,
Turpe, ſolum tetigere mento.

Volſellis pugnat, non gladiis, Rob. Titius, cùm ſcholiis in lib. IX. Syriados Petri Angelii Bargæi, pro *relictâ* legen-

gendum ait *relatâ*. Magis ei veriſimile fit, Horatium fugiſſe parmâ in tergum conjectâ, quàm omnino abjeciſſe; cujus confeſſio planè ſit ignominioſa. Verùm nos viro erudito, ut ſæpe aliàs, ita hac etiam in re, humani aliquid patienti, opponimus MSSorum, omniumque prælo excuſorum fidem: tum item, quòd alii, itidem fortaſſe boni, fugêre clypeo abjecto. Nam (ut de Socrate nihil dicam) noti è Plutarchi Laconicis verſus Archilochi:

Ψυχὴν ἐξεσάωσα φυγὼν ἀλλ' ἀσπὶς ἐκείνη
Ἐῤῥέτω· ἐξαῦθις κτήσομαι οὐ κακίω.

Servavi fugiendo animam, clypeumque valere
Juſſi: haut pejorem namque parare licet.

Notum quoque Demoſthenicum illud;

Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.
Rurſum poteſt pugnare, qui fugit priùs.

Cujus verſus meminere, præter Plutarchum, Agellius lib. XVII. cap. XXI, Martianus Capella lib. V. de nuptiis Philolog. & Tertullianus lib. de fugâ in perſecutione, cap. X. Eo autem uſum ait Plutarchus *, & ex eo Photius †, cùm fugeret, deſerto ordine, abjectoque eo clypeo, in quo aureis ſcriptum erat litteris, ἀγαθῇ ‡ Τύχῃ.

* *In vita Demoſt. itemque lib. de decem Rhetor.*
† *Cod. 265.*
‡ *Bona Fortuna.*

Si pluribus de ignavia agere velim, metuo, ne audire cogar, quod militi ajebat Scipio, Odi nimiùm diligentem. Venio igitur ad alia vitia.

II. Pudet quoque, ſi opus aut ſignum ſit injuſtitiæ: ut depoſito aliquem fraudare.

III. Intemperantiæ: ut congredi cum iis, quibuſcum non oportet, aut quando non oportet; aut ibi conſpici, ubi non oportet. Ita erubuit adoleſcens ille cum amatore conſpectus, cui Hippocratidas * dicebat; Cum iis eſſe converſandum ei, quibuſcum viſus non mutaret colorem. Et alius, in ganeo conſpectus ab Diogene, pudore ſe penitiùs recipiebat: cui Diogenes † ſcitè, Quanto magis recederet, tanto magis in ganeo eſſe. Etiam Terentianus Æſchines erubuit ‡, cum pater vidiſſet pulſantem oſtium meretricis. Non oſtium pulſare turpe erat: verùm indicium fuit conſuetudinis cum meretrice.

* *Plutarchus in Laconicis.*
† *Plutarchus de profectu virtutis.*
‡ *Adel. act. 4. ſc. 5.*

IV. Illiberalitatis: ut quæſtum facere ex parvis, aut turpibus; quomodo Veſpaſianus * ex lotio vectigal capiebat: item nullam ei dare pecuniam, vel opem ferre, qui flagitet, quamvis poſſis, aut minorem, quàm poſſis; aut mutuam petere pecuniam, cùm quis exiſtimatur nummos à te petiturus eſſe; aut pecuniam impendere rei non neceſſariæ, quo honeſtiùs poſſit negari nummos petenti mutuos. Iſtiuſmodi ingenio erat Gellius; de quo ita Martialis †, *Gellius ædificat ſemper &c. Oranti nummos ut dicere poſſit amico Unum illud verbum Gellius, Ædifico.* Eſt & illiberale, univerſum poſcere, omniaque velle cum pulviſculo auferre: cujuſmodi Ætolos vocare liceat Σοὶ ξ αὐτῶν ὅλον ‡. Sanè, qui impudenter donaria efflagitant, ſcitè Ariſtophani dicuntur habere τὼ χεῖρε ἐν Αἰτωλοῖς *, quod & monet Euſtathius †. Item ſiquis metuens, ne is, à quo pecuniam mutuò acceperat, eam repoſcat; præoccupet, atque aliam denuo poſcat, non quod ſit impetrandi ſpes, ſed ut reſtituendi tempus prorogetur. Aut ſiquis, quia ſuſpicetur alium denuo aliquid à ſe poſtulaturum commodatò, id quoque repoſcat, quod priùs utendum dederat, non quia ultrà carere non poſſit, verùm non aliud petat. Ejuſdem generis eſt, laudare aliquid, quo id ſibi donetur: aut petere nihilominùs, poſtquam ſemel repulſam tulerit. Certè Tullius, cùm in exilio à Metello Conſule petiiſſet auxilium, nec impetrâſſet; poſtilla ſuis ei literis obſtrepere erubuit, uſque dum mutatum Metelli animum cognôrat è Quincto fratre. Quod ſi id callidè magis, quàm verè, à Cicerone prætexitur; cogitandum, aliquid dandum fuiſſe neceſſitati. Vide epiſt. IV. Cic. lib. ad Metell.

* *Sueton. in Veſp. cap. 23.*
† *Lib. 9. ep. 47.*
‡ *Quod totum petant.*
* *Manus in Ætolis.*
† *Odyſſ. α. pag. 1420. & in primis Odyſſ. ξ. pag. 1764. edit. Rom.*

V. Pudorem incutiunt opera ac ſigna adulationis: ut propter dolentem ſupra modum dolere; aut laudare in os unde Comicus Adelphis ‡:

——*Ah vereor coràm in os te laudare ampliùs,*
Ne id aſſentandi magis, quàm quod gratum habeam
facere exiſtimes.

‡ *Act. 2. ſc. 4.*

Sic M. Craſſum prenſare pudebat, præſente Q. Mutio Scævolâ; quem iccirco rogabat, ut, quia ineptiendum ſibi eſſet, diſcedere à ſe vellet. Auctor Tullius lib. I. de Oratore. Sed L. Craſſum vocat Valerius lib. IV. cap. V.

VI. Mollitiei: ut non tolerare labores, quos etiam ſeniores perferunt, vel delicati, vel qui in majore autoritate ſunt, vel denique, qui minùs virium habent.

VII. Puſillanimitatis: ut beneficium ab altero accipere, idque ſæpe. Item exprobrare beneficia in alium à ſe collata.

VIII. Arrogantiæ: ut de ſe multa prædicare, & aliorum labores atque inventa ſibi tribuere. Id vitium in Thraſone laudat coryphæus adulatorum Gnatho, cùm ait *:

Labore alieno magno partam gloriam
Verbis ſæpe in ſe tranſmovet, qui habet ſalem;
Quod in te eſt.

* *Eun. act. 3. ſc. 1.*

Pudorem quoque incutit, quòd careamus iis bonis, quorum omnes participes ſunt, aut ſimiles omnes, aut plurimi. Iſtiuſmodi eſt, nullius planè participem eſſe eruditionis. Suntque hæc turpiora, ſi propriâ accidant culpâ. Ut ſiquis, ſtudiorum ergo miſſus in terras exteras, ſuorum ſpem eluſerit.

† Αἰσχρὸν ‡ τοι, δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι.

† *Iliad. 6.*
‡ *Turpe etenim, manſiſſe diu, vacuumque reverti.*

Imò & pudet eorum, quæ præſtare non fuit in manu noſtra. Ut quòd quis non legitimè ſit natus; aut legitimè quidem, ſed vili genere. Quomodo Maximinum Imp. pudebat parentum, ac majorum. Eoque tollebat conſanguineos; etiam illos, qui miſericordiâ quædam antea donaſſent; neque nobilem quemquam circa ſe eſſe patiebatur: ut Capitolinus in ejus vita teſtatur.

Denique pudet, aut paſſum eſſe, aut pati, aut paſſurum eſſe, quæ ab omnibus probro vertuntur: ut quæ pertinent ad miniſteria, aut corporis, aut operum turpium. Quomodo puer Spartanus laſanum ferre juſſus à domino, pertæſus adeò ſordidi miniſterii, de tecto ſe præcipitem dedit, Plutarcho * teſte. Huc refer quoque ea, quæ fiunt quopiam invito. Nam hæc turpia ſunt, quia ignavi timidique eſt, ea non propulſare ne fiant, aut facta non ulciſci. Quomodo Deiphobum puduit, conſpici ore & naribus lacerum, auribus & manibus truncatum. Iccirco eum inducit Maro †:

——*dira tegentem* *Supplicia.*

* *Lacon. Apophth.*
† *Æn. 6.*

Et Græcos, ob ejuſmodi corporis dehoneſtamenta, puduit è Perſiâ redire ad ſuos, licet veniam dederat Alexander. Quamquam & altera hic cauſſa, nec levior, acceſſit: quia parentibus, & amicis, non dolori minùs fuiſſet triſte illud corporis ſpectaculum, quàm gaudii peperiſſet, quòd non ampliùs eſſent in hoſtium poteſtate. Unde Juſtinus lib. XI. *Inter hæc* (de Perſepoli expugnatâ proximè egerat) *octingenti admodum Græci occurrunt Alexandro, qui pœnam captivitatis truncatâ corporis parte tulerant; rogantes, ut ſicuti Græciam, ſe quoque ab hoſtium crudelitate vindicaret. Datâ poteſtate redeundi, agros accipere maluerunt; ne non tam gaudium parentibus, quàm deteſtandum ſui conſpectum, reportarent.* Par ratio eorum, quorum pudicitiæ illata eſt vis. Itaque Pauſanias, nobilis Macedo, turpia ab Attalo perpeſſus, pudore ejus rei, Philippum Magnum, qui crimen id nollet ulciſci, propterea occidit: ut eſt apud Juſtinum lib. IX. Etiam in ſequiori ſexu tanta eſt pudoris vis, ut Lucretia, Cyane, & Sophronia, quòd puderet eorum, quæ fuerant perpeſſæ, mortem ipſam vitæ prætulerint: item ut Theoxena mortem ſibi conſciverit, nequid turpe pateretur. Quod exemplum imitatus Damocles, vim intentante Demetrio Poliorcete.

Nec tantùm eorum pudet, quæ nos; ſed etiam, quæ noſtros ſpectant. Quomodo pudet Aruntem Virgilianum, quòd ſui eſſent à Camilla in fugam acti. Unde ſic precatur ‡.

Da, pater, hoc noſtris aboleri dedecus armis.

‡ *Æn. 11.*

Itidem Demetrium pudebat, ubi multa fœda patri Philippo, Macedoniæ regi, objici vidit: quod ubi conſpexit Senatus Romanus, tirocinio & perturbatione ju-

venis

venis motus, ab accuſando deſiſti juſſit: teſte Livio lib. XXXIX.

Ex his obſcurum non eſt, quomodo affectum hunc cieat orator. Summa eò redit, hominibus non duri oris pudorem incuti commemorandis iis, quæ offendere poſſunt exiſtimationem. Scivit hoc L. Æmilius Paullus, adverſus Ligures pugnaturus, qui iram concitare in milite ſuo non contentus, etiam pudorem ciebat: idque, ut Livius ait lib. XL. *quantus pudor eſſet, edocens, ab Liguribus, latronibus veriùs, quàm hoſtibus juſtis, Romanum exercitum obſideri. Quo ore,* inquit, *quiſquam veſtrûm, ſi hinc alieno præſidio, non veſtra virtute evaſeritis, occurret, non dico eis militibus, qui Annibalem, qui Philippum, qui Antiochum, maximos noſtra ætatis reges, duceſque, vicerunt: ſed iis, qui hos ipſos Ligures aliquoties, pecorum modo fugientes, per ſaltus invios conſectati ceciderunt? Quod Hiſpani, quod Galli, quod Macedones, Pœnive non audeant, Liguſtinus hoſtis vallum Romanum ſubit, obſidet ultro, & oppugnat; quem ſcrutantes antea devios ſaltus, abditum & latentem vix inveniebamus.* Quantum verò hujuſmodi potuerit oratio oſtendunt illa, quæ Livius continuò ſubjungit: *Ad hæc conſentiens reddebatur militum clamor, nullam militum culpam eſſe, quibus nemo, ad erumpendum, ſignum dediſſet. Daret ſignum: intellecturum, eoſdem, qui antea fuerint & Romanos, & Ligures eſſe.*

V. De impudentia.

ET hæc de pudore: deinceps pauca adferam de affectu contrario. Is verò eſt *ἀναισχυντία* ſive *impudentia*: quamquam & pudori interdum opponitur audacia: ut apud Salluſt. in proloquio Catilinariæ: *Nam pro pudore, pro abſtinentiâ, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant.* Ratio ejuſce rei eſt, quòd impudentia audaces reddat ac temerarios. Ac præcipuè naſcitur rebus difficilibus & deſperatis. Unde Valerius Flaccus lib. v.

—— *Rebus ſemper pudor abſit in arctis.*

Cæterùm impudentia à quibuſdam, exquiſito adulandi genere, *conſtantia* appellatur: nempe quia, qui frontem perfricuere, mordicus tueri ſententiam, inque eâ conſtantes eſſe ſoleant. Tertullianus adverſus Hermog. cap. 1. *Qui loquacitatem facundiam exiſtimet; & impudentiam conſtantiam deputet.* Hos imitatus videtur Hieronymus comment. in cap. II. epiſt. ad Galat. *Et quomodo, cùm etiam de minimis fratribus hoc faciendum juſſerit, auſus eſt Apoſtolorum maximum in publicâ facie tam procaciter, tam conſtanter, arguere?* Meritò itaque de M. Antonino philoſopho & imperatore ſcripſit Capitolinus: *Sanè quamvis eſſet conſtans, erat etiam verecundus.* Quaſi dicat, fuiſſe quidem tenaciorem propoſiti: attamen ita, ut idem vereretur, negare aliquid precanti: eoque impudentiæ nota ei non poſſit impingi. Vide præter alios Deſid. Heraldum animadverſ. in ſecundum Arnobii librum.

Impudentiæ varia ſunt opera, ſignaque. Inprimis verò ferreum canis os habeat neceſſe eſt, qui hominum de ſeſe judicia aſpernetur: qualis Hyperbolus, cùm in theatris aſpergeretur Comicorum dicteriis. Alius vultum demiſiſſet, factuſque eſſet, quod dicitur, ἐρυθρότερος καρίδος ὀπτῆς *: verum hic cautis inſtar immotus ac immutatus permanſit: ἣν ἀναισχυντίαν καὶ ἀπόνοιαν ἔχων, ἣν πλημμέλειαν ἔνιοι καὶ ἀνδρείαν καλοῦσι †, ut in Alcibiade ſcribit Plutarchus. Ex eâdem planè figlina ac ludo fuit is, qui apud Pomponium, veterem Comicum, inquit: *Ego rumorem parvifacio, dum ſit rumen qui impleam.* Omnino etiam pudoris laxârat fibulam Athenienſis ille, de quo hæc Horat. ‡.

—— *Ut quidam memoratur Athenis*
Sordidus ac dives, populi contemnere voces
Sic ſolitus: Populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arcâ.

* *Squilla eſſe rubicundior.*
† *Quæ cum impudentia ſit ac vecordia, à nonnullis audacia nominatur, ac fortitudo.*
‡ *Sat. 1. lib. 1.*

Alterius quoque, qui itidem pudorem planè deterſerat, deſcriptionem vide apud Juvenalem ſat. XI v.

Inprimis verò homines improbi impudentes eſſe ſolent, poſtquam turpe aliquid commiſerunt. B. Chryſoſtomus initio homiliæ x. in Acta: Ἡ γὰρ ἁμαρτία, ἕως μὲν ἂν ὠδίνηται, ἔχει τινὰ αἰσχύνην· ἐπειδὰν δὲ τελεσθῇ, τότε ἀναισχυντοτέρους ποιεῖ τοὺς ἐργαζομένους αὐτήν. *Peccatum quamdiu parturitur, confuſionem habet ac pudorem. Ubi autem fuerit commiſſum, impudentiores etiam reddit, qui patrarint.* Mirificè etiam pudorem aufert peccandi conſuetudo. Unde Appulejus in Apologia: *Quo ſæpiùs, & apertiùs, delinquit. Pudor enim, veluti veſtis, quanto obſoletior eſt, tanto incurioſiùs habetur.*

Cætera, quæ ad impudentiam pertinent, omitto, ne actum agere videar. Nam quivis ea facilè perſpiciet ex iis, quæ de pudore ſuprà diximus.

Cap. IX.

De Gratia.

Gratia eſt, quâ quis gratificari dicitur indigenti, non pro re quapiam, neque ut ſibi quid accedat; ſed ut ei benè ſit, cui ſuccurritur.

Amplificatur gratia trifariam: à perſona, quæ gratificatur; à re, quâ gratificatur; & perſonâ, cui gratificatur.

Eadem trifariam imminuitur: primùm ab effectis: deinde ab re ipſa, & ejus attributis, per ſingulas eundo categorias: ac præterea à ſignis animi minus benevoli.

I. Quid gratia sit; qui, quibus, quare, gratificentur; et quomodo alios impellamus ad gratificandum.

QUamquam nonnulli Ariſtotelis interpretes gratiam ex affectuum numero excludant: tamen dubitari non debet, quin rectè ab eo referatur inter τὰ πάθη. Neque enim alio differt à miſericordia, quàm quòd hæc moveatur, quia quis ſe, ſuorumve quempiam, ſimilia pati poſſe cenſeat: at gratia opituletur benigno animo citra doloris ſenſum.

I. Χάρις ἐστὶ, καθ' ἣν ὁ ἔχων λέγεται χάριν ὑπουργεῖν δεομένῳ, μὴ ἀντί τινος, μηδ' ἵν' αὐτῷ τῷ ὑπουργοῦντι, ἀλλ' ἵν' ἐκείνῳ τι. *Gratia eſt, per quam is, qui habet, dicitur conferre gratiam indigenti; non ut aliquid gratia referatur, aut quo ille, qui tribuit, utilitatem ex eo conſequatur; ſed ſolum, ut illi, cui gratificatur, aliquid boni contingat.*

II. Ac moventur quidem ad gratificandum, in quorum manu illud eſt, quo alii indigent.

III. Moventur erga indigentes.

IV. Adducuntur ad gratificandum, animadverſâ aliorum indigentiâ. Indiget autem qui appetit: ac inprimis illa δέησις, ſeu indigentia, eſt appetitio, quæ conjunctum habet dolorem rei, quâ quis deſtituitur. Ejuſmodi verò ſunt cupiditates; uti amor, & quæ conſpicere eſt in corporeis cruciatibus, in periculis, in paupertate, in exilio.

V. Ex his etiam liquet, quomodo orator ad gratificandum movere debeat. Quæ omnia cùm ſatis ſint aperta, illud magis operæ pretium fuerit monere hoc loco, quomodo augeatur gratia; quomodo item diminuatur.

II. Qua ratione ostendatur, beneficium aliquod maximum esse.

AMplificatur autem gratia, ac beneficium, trifariam.

I. Primùm ratione eorum, in quos confertur beneficium: ut, quòd ſint valde indigentes. Cic. Philipp. III: *Cajus Cæſar adoleſcens, penè potiùs puer, incredibili ac divina quadam mente, atque virtute; tum cùm maximè furor arderet Antonii, cumque ejus à Brunduſio, & peſtifer reditus, timeretur; nec poſtulantibus, nec cogi-*

cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis, quia fieri poſſe non videbatur; firmiſſimum exercitum invicto genere veteranorum militum comparavit, patrimoniumque ſuum effudit &c.

II. Eorum ratione, quæ dantur; ut quòd ſint magna, difficilia, opportuna. Nam tempus quoque plurimùm valere in dando beneficio, iſthoc Auſonii * indicat, quod ex Græcis expreſſit:

* Epig. 81.

Gratia, quæ tarda eſt, ingrata eſt gratia; namque,
Cùm fieri properat, gratia grata magis.

Vide Senecam lib. II. de Beneficiis cap. I. II. & ſeqq. Sanè interdum & beneficii loco ducitur, ſi citò negetur. Unde in epigrammate incerti, ſed veteris ſcriptoris †:

† Apud Barthium Adverſar. lib. 52. cap. 1.

Cæſaris ad valvas ſedeo, ſto, nocte dieque:
Nec datur ingreſſus, quo mea facta loquar.
Ite, Deæ faciles, & veſtro numine ſaltem
Dicite, divini Cæſaris ante pedes:
Si neque placidas affari Cæſaris aures:
Saltem aliquis veniat, qui mihi dicat, Abi.

III. Eorum ratione, qui beneficium præſtant: ut quod id faciant ſoli, aut primi, aut inprimis. Hinc Æneas apud Maronem ‡ ad Didonem ait:

‡ 1. Æn.

O ſola infandos Trojæ miſerata labores,
Quæ nos, reliquias Danaûm, terræque, mariſque,
Omnibus exhauſtos jam caſibus, omnium egenos,
Urbe, domo ſocias.

Etiam Dio Chryſoſtomus orat. XXXVII, quæ Corinthiaca inſcribitur beneficium ſtatuæ, ſibi à Corinthiis erectæ, inde commendat, quòd ne quidem tantum honoris præſtitiſſent Soloni, vel Herodoto, cùm hi ad eos veniſſent.

III. Quomodo beneficium elevetur.

INterdum etiam fit, ut imminuendum ſit beneficium. Nam, ut ait Seneca *, *Omnes ſua extollunt, omnes etiam minima, quæ in alios contulere, dilatant.*

* Lib. 3. de beneficiis cap. 7.

Extenuatur autem beneficium trifariam.

Primùm dici ſolet, aliquem ob proprium commodum opem tuliſſe. Ita Jaſon Medeæ reſpondet lib. IV. Tuſcul. Quæſt. *Quid ait ex tragœdia princeps ille Argonautarum?*

Tu me amoris, quàm honoris ſervaviſti gratiâ.

Hujus etiam generis eſt, quòd idem Cicero dicit, Pompejum, ut beneficium daret, priùs feciſſe injuriam. Nam paſſus erat in exilium conjici, ut, revocando eum, ſibi devinciret. Quò pertinent illa lib. VIII. epiſt. III. ad Att. *Ille reſtituendi mei, quàm retinendi ſtudioſior.* Item huc pertinet, ſiquis beneficio affecit, ut ſibi obſtringeret, ac, ut eſſet, erga quem merita ſua poſſet aliis prædicare. Seneca ſcitè †: *Nihil tibi debeo, ſi me ſervaſti, ut haberes, quem oſtenderes.* Erga quales, ut ibidem Seneca ait, *dicetur, quod illi ubique jactanti beneficium ſuum, Num negabis, inquit, te recepiſſe? Et cum reſpondiſſet, quando? Sæpe quidem, inquit, & multis locis: id eſt, quoties, & ubicunque narraſti.*

† Lib. 2. de benefic. cap. 11.

Alter modus imminuendi beneficium eſt, quòd quis caſu & fortuitò benefecerit. E. G. Patrem ut liberaret, carcerem aliquis effregit. Simul erupere alii, quorum ergo ille nec digitum vertiſſet.

Tertia ratio eſt, ſi oſtendamus, feciſſe coactum. Atqui, ut in Jugurtha ſuo Salluſtius ait, *Munificus nemo, niſi pariter volens.*

Quartus modus eſt, ſiquis dicatur, magis reddidiſſe beneficium, quàm dediſſe. Quæ vulgatiſſima eſt ratio extenuandi. Nam ut eſt apud Senecam ‡, *Nemo non benignus eſt ſui judex. inde eſt, ut omnia meruiſſe ſe exiſtimet, & in ſolutum accipiat.*

‡ Lib. 2. de benefic. cap. 26.

Deinde imminui beneficium ſolet, eundo per ſingulas categorias, ſive rerum pariter ac vocum claſſes. Ac quidem per categoriam ſubſtantiæ; quòd dederit hoc, & non illud.

Quantitatis, quod non tantum, quantum oportebat.
Qualitatis; quòd non tale, quale requirebatur.
Temporis; quòd non, quando oportebat.
Loci; quòd non, ubi oportebat.

Et ſic de aliis categoriis. Hinc Seneca, lib. II. de beneficiis cap. XXVII, iſtiuſmodi refert ſermonem eorum, qui calumniantur beneficia accepta: *Hoc mihi dedit: ſed, quàm ſerò? ſed poſt quot labores? quanto conſequi plura potuiſſem, ſi illum, aut illum, aut me, colere maluiſſem? non hoc ſperaveram. In turbam conjectus ſum. Tam exiguo me dignum judicavit? honeſtius præteriri fuit.*

Tertius beneficii vel negandi, vel ſaltem imminuendi modus, petitur à tribus animi parum benevoli ſignis.

I. Quòd ne rem quidem minorem tribuerint.
II. Quòd inimicis tribuerint aut paria, aut majora.
III. Quòd tribuerint res viles, abjectaſque. E. G. olera, aut poma, ut in dialogo iſthoc Horatiano *:

* Lib. 1. epiſt. 7.

Non quo more piris veſci Calaber jubet hoſpes,
Tu me feciſti locupletem. a. veſcere ſodes:
b. Jam ſatis eſt. a. at tu, quantum vis, tolle benignè:
Non inviſa feres pueris munuſcula parvis.
b. Tam teneor dono, quàm ſi dimittar onuſtus.
a. Ut lubet: hæc hodie porcis comedenda relinques:

Cap. X.

De Misericordia.

Miſericordia bonorum (quam ſolam hoc loco definimus) eſt dolor propter opinionem mali, perniciem aut moleſtiam ferre idonei, evenientis immerenti, ac talis, ut quis ſibi ſuiſque accidere poſſe autumet, idque cum impendere videtur.

I. Quid sit misericordia.

PRæclare dicebat Phocion †, οὔτε ἐξ ἱεροῦ βωμὸν, οὔτε ἐκ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἀφαιρετέον τὸν ἔλεον· *nec è templo ara, nec ex humana natura tolli debet miſericordia.* Itaque de ea quoque videndum nobis, aſſerendaque διανοήματα ἱκανὰ πείθειν καὶ δυσωπεῖν τῶν ψυχῶν τὰς μὴ παντάπασιν ἀτέγκτους καὶ ἀπειθεῖς ‡, *argumenta ac ſententiæ, quæ perſuadere, ac diſſentiendi pudorem incutere poſſint animis non omnino macerationem coctionemque reſpuentibus.* Ac à definitione quidem ordiamur.

† Apud Stobæum ſerm. 1.

‡ Eunapius.

Miſericordia Ciceroni lib. IV. Tuſc. Quæſtionum definitur, *Ægritudo ex miſeriâ alterius, injuria laborantis.* Expreſſit autem illam Stoicorum definitionem, quæ apud Laërtium eſt in Zenone; Ἔλεος ἐστὶ λύπη, ὡς ἐπὶ ἀναξίως κακοπαθοῦντι. Etſi autem hæc definitio cum Ariſtotelicâ conſentiat; pleniùs tamen ab Ariſtotele miſericordiæ declaratur natura. Siquidem ei Ἔλεός ἐστι λύπη τις ἐπὶ τῷ φαινομένῳ κακῷ φθαρτικῷ καὶ λυπηρῷ τοῦ ἀναξίου τυγχάνειν, ὃ κἂν αὐτὸς προσδοκήσειε παθεῖν, ἢ τῶν αὐτοῦ τινα, καὶ τοῦτο, ὅταν πλησίον φαίνηται. *Miſericordia eſt dolor quidam conceptus ob malum, quod videtur perniciem, aut dolorem, ei allaturum, qui indignus eſt hâc fortunâ, & quod ipſe putet, ſe pati poſſe, aut ſuorum quempiam, ac inprimis, cùm malum videtur imminere.*

II. Qui misereri soleant, quique sint immisericordes.

MIſerantur, qui putant, ſe, aut aliquem ſuorum, malum cujuſmodi diximus, pati poſſe, ubi id conſpiciunt in alio. Nam etſi etiam ob alienum quis dolorem dolet, &, quod eleganter dicunt Græci *, ὑπ' ἀλλοτρίας συμφορᾶς ἰδίας καρποῦται λύπας †: inprimis tamen mala domeſtica animum differunt. Unde Pindarus in Nemeis ‡: τὸ γὰρ οἰκεῖον πιέζει πάνθ' ὁμῶς, εὐθὺς δ' ἀπήμων κραδία κᾶδος ἀμφ' ἀλλότριον· *domeſticum malum æqualiter omnes premit: at alienis in malis animus confeſtim malorum eſt expers.* Quam Pindari ſententiam quoque adducit Nazianzenus in priori Steliteutice, & Gregorius preſbyter in vitâ Nazianzeni. Cùm itaque propria inprimis nos tan-

* Hippocrates lib. de flatibus, Nazianzenus in Apologetico, &c.

† In alienis miſeriis proprium metit angorem.

‡ Od. 1.

tangant infortunia: ac homines plurimùm ſoleant omnia propriis metiri emolumentis, ac damnis: haut mirandum, ab Ariſtotele dici, ea mala ciere miſericordiam, quæ nobis, aut noſtris, poſſunt contingere. Cauſſa quoque hinc paret, cur non ſint miſericordes.

I. Omnino infelices: nam mala omnia ſe paſſos putant. Hinc ſenarius ille Græcorum, qui in proverbium abiit *:

* Sueton. in Nerone.

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.
Terra ignibus me miſceatur mortuo.

Quam vocem, ut inhumanam & deteſtabilem, meritò rejiciunt Tullius III. de Fin. & Seneca in II. de Clem. Nec abſimile Damonis illud apud Maronem in Pharmaceutria:

Omnia vel medium fiant mare: vivite ſylvæ.

Quo de verſu Nannium vide lib. VI. Συμμίκτων cap. 12.

II. Item omnino felices. Quales eo ſunt immiſericordes, quia, nihil ſibi adverſi evenire poſſe, autumant. Parque ratio eſt eorum, quibus nulli ſunt poſteri, qui pati poſſint. Claudianus in Eutropium lib. I.

Adde quòd eunuchus nullâ pietate movetur;
Nec generi nati ſve cavet. Clementia cunctis
In ſimiles, animoſque ligant conſortia damni.

Nec miſeram ſortem metuunt, qui non didicere, quid ſit miſerum eſſe. Itaque (Æneæ Sylvii † verbis utar) *Gaſpar Schlik, qui trium Cæſarum Cancellarius fuit, optare ſe dicebat, omnes reges aliquando privatos pauperesque fuiſſe: neque enim ſatis miſeretur, qui nunquam fuit miſer.*

† Commentario in res geſtas Alphonſi, lib. I. cap. 33.

Contrà verò miſericordiâ afficiuntur,

I. Qui jam mala paſſi ſunt, & ex iis evaſerunt. Hinc Theſeus Athenarum rex, apud Sophoclem ‡ ait, ſe, cùm & ipſe mala plurima in alienâ ſenſerit terrâ, multisque caput periculis objecerit; minimè adduci poſſe, ut hominem externum, ac ſenem calamitoſiſſimum, non omni ope juvet. Simile etiam illud Didonis apud Maronem *:

‡ In OEdipode Coloneo.

* 1. Æn.

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Et illa Theſei apud Sophoclem in OEdipode Coloneo:

Ὃς οἶδά γ' αὐτὸς ὡς ἐπαιδεύθην ξένος,
Ὥσπερ σὺ, χὡς τις πλεῖσθ' ἀνὴρ ἐπὶ ξένης
Ἤθλησα κινδυνεύματ' ἐν τῷ μῷ κάρᾳ.
Ὥστε ξένον γὰρ οὐδέν' ὄνθ', ὥσπερ σὺ νῦν,
Ὑπεκτραποίμην μὴ οὐ συνεκσώζειν σ'· ἐπεὶ
Ἔξοιδ' ἀνὴρ ὤν, χὤτι τῆς ἐς αὔριον
Οὐδὲν πλέον μοι σοῦ μέτεστιν ἡμέρας.

Verſu antepenultimo pro *συνεκσώζειν σ'· ἐπεὶ*, reſcribo *συνεκσώσειν σφ'· ἐπεί*. Sententiam ſic expreſſi:

Novi, hoſpes ipsâ edoctus experientiâ,
Itidem vagando. Si alter, alieno in ſolo
Multis periclis hoc ego objeci caput:
Eoque nullus hoſpitem ſimilem tui
Neglexero ſervare. Nam ſatis ſcio,
Mortalis ipſe natus, haut mihi, quàm tibi,
Mentem eſſe lucis certiorem craſtinæ.

II. Miſericordiâ afficiuntur ſenes: quia uſus eos edocuit, quot & quantis malis obnoxia foret hominum vita. Hinc apud Maronem Anchiſes, miſeratur Achæmenidæ Ithacenſis †:

† Æn. 3.

—— dextram, haut multa moratus,
Dat juveni, atque animum præſenti pignore firmat.

III. Miſerantur etiam debiles, & inprimis, ſi timidi fuerint. Nam diffidunt ſibi ob imbecillitatem.

IV. Item homines eruditi, ac rerum periti. Omnia enim rectè æſtimant. Unde de Ænea Maro ‡:

‡ Æn. 6.

Conſtitit Anchiſa ſatus, & veſtigia preſſit,
Multa putans, ſortemque animo miſeratus iniquam.

V. Qui habent parentes, uxorem, aut liberos, quos putant pati poſſe. Ita Æneæ, quemadmodum ait Maro in ſecundo magni operis.

—— Subiit cari genitoris imago,
Ut regem æquævum crudeli funere vidit
Vitam exhalantem. ſubiit deſerta Creuſa,
Et direpta domus, & parvi caſus Iuli.

Idem Æneas, cùm Lauſum, Mezentii filium interemiſſet, miſericordiâ commotus eſt, quòd cogitaret, ſimilem poſſe Aſcanio, filio ſuo, evenire fortunam. Ita enim de eo ſcribit poëta X. Æn.

At verò ut vultum vidit morientis, & ora,
Ora modis Anchiſiades pallentia miris;
Ingemuit, miſerans graviter, dextramque tetendit:
Et mentem patriæ ſubiit pietatis imago.

Imò Turnus ab Æneâ devictus, quo aut ipſe, aut cadaver reddatur ſuis, eo miſericordiam ciere conatur, quòd, ſi olim Anchiſæ ſimilis, ac nunc Dauno, ſors obtigiſſet, ei gravis ſanè acerbaque fuiſſet filii mors, præſertim ſi nec ſepulchro corpus redderetur. Ita enim ait *:

* 12. Æn.

—— miſeri te ſiqua parentis
Tangere cura poteſt, oro: (fuit & tibi talis
Anchiſes genitor) Dauni miſerere ſenectæ.

Hecuba quoque apud Euripidem ſperat, ſi Polyxena Ulyſſi ſupplex eat, poſſe eam aliquid impetrare, eò quòd ipſe etiam liberos haberet. Verba Hecubæ ſunt:

Καὶ πεῖθ' (ἔχεις δὲ πρόφασιν· ἔστι γὰρ τέκνα
Καὶ τῷδε) τὴν σὴν ὥς τ' ἐποικτεῖραι τύχην.
Perſuadeat (occaſionem habes: & huic
Sunt liberi) miſereſcat ut ſortis tuæ.

VI. Miſerantur & illi, qui nec irati, nec fidentes, qui duo ſunt fortitudinis affectus, neque provident, quid futurum ſit.

VII. Non contumelioſi. Nam, qui gaudent alios afficere contumeliâ, non cogitant, & ſe pati poſſe.

VIII. Non valde metuentes. Nam metu perculſi non miſerentur, quia, laborantes malo domeſtico, de alieno parùm ſunt ſolliciti. Cicero lib. III. Tuſcul. Quæſt. *Conſtabat, eos, qui concidentem vulneribus Cn. Pompeium vidiſſent, cùm in illo ipſo acerbiſſimo miſerrimoque ſpectaculo ſibi timerent, quod ſe claſſe hoſtium circumfuſos viderent, nihil tum aliud egiſſe, niſi ut remiges hortarentur, & ut ſalutem adipiſcerentur fugâ. poſteaquam Tyrum veniſſent, tum afflictari lamentarique cœpiſſe.*

IX. Qui putant, aliquos eſſe pios, ac probos. Nam qui nullum talem eſſe exiſtimat, is, omnes eſſe malo dignos, cenſet. Eo ingenio erat Timon ille Athenienſis, qui ob odium humani generis μισάνθρωπος † nomen accepit.

† Hominum oſoris.

III. Quorum miſerantur.

Miſerentur eorum, qui ſunt indigni malo: unde Sinon apud poëtam ‡ ait:

‡ 2. Æn.

—— oro, miſerere laborum
Tantorum, miſerere animi non digna ferentis.

Horum loci ſunt octo:

I. Primum obtinent familiares non admodum neceſſitudinis vinculo conjuncti. Ita Amaſis (niſi μνημονικὸν * ſit Ariſtotelis ἁμάρτημα †, aut alios is ſecutus ſit auctores, quàm Herodotus, qui in Thaliâ id tribuit Pſammenito, Amaſis filio) Amaſis, inquam, ob filiam raptam, quæ ſervili veſtitu cum hydriâ aquatum mittebatur, & filium, qui ad mortem ducebatur, nullas effudit lacrymas: ſed propter amicum mendicantem. Ac rationem hanc coram Cambyſe attulit; quòd hoc erat miſerabile; illud atrox; quod pellit miſericordiam; unde & ſæpe adverſario utile eſt. Atque ex his lucem capit, quod Troadibus lachrymantibus ait Andromache apud Senecam:

* Memoriæ. † Lapſus.

—— Levia perpeſſa ſumus,
Si flenda patimur.

Sanè Andromache non flebat, ſed ſtupebat tota. Unde ait ipſa:

Torpens malis, rigensque, ſine ſenſu feror.

Facit huc quoque illud Phædræ in Hippolyto:

Curæ leves loquuntur, ingentes ſtupent.

II. Proximum locum obtinent, quibus malum aliquod atrox eſt propinquum.

III. Similes ætate, moribus, habitibus, dignitate, genere. Hæc enim ſimilitudo efficit, ut judicemus, nos quoque eadem pati poſſe.

IV. Qui

IV. Qui calamitoſos homines repræſentant habitu corporis, voce, veſtitu, actione.

V. Quibus mala nuper acciderunt, vel propediem eventura ſunt.

VI. Quorum miſeriæ conſpiciuntur ſigna; ut veſtes eorum, qui mala ſunt paſſi. Nam, ut Horatius ait ad Piſones:

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Ac ſimiliter Nazarius in Panegyrico, quem dixit Conſtantino Auguſto: *Ad animum languidiùs accedunt, quæ aurium via manant, quàm quæ oculis hauriuntur.* Eo conſilio M. Antonius *, cùm defenderet Aquilium, tunicam ejus diloricavit, ac ſenis Imperatoris adverſas oſtendit cicatrices. Titus quoque Labienus, accuſator C. Rabirii, quem arguebat necâſſe L. Saturninum, in concionem imaginem Saturnini attulit; quâ de re Cicero in defenſione Rabirii. Antonius ſimiliter, qui poſtea triumvir fuit, in funere Caji Cæſaris, concioni veſtem oſtendit pugionibus ac gladiis perforatam; eoque Bruti ac Caſſii cauſſam evertit apud plebem †; ut quæ hâc re accenſa ad conjuratorum ædes cucurrerit, quo eas incenderet. Apud Maronem quoque haut abſimile eſt exemplum. Nam quamvis Æneas jam ad miſericordiam inclinare cœperat; tamen, viſo Pallantis balteo, quem Turnus interemerat, recruduit ira. Quippe ait ‡:

Ille oculis poſtquam ſævi monumenta doloris,
Exuviaſque hauſit, furiis accenſus, & irâ
Terribilis: Tune hinc, ſpoliis indute meorum,
Eripiare mihi?

* Cicero lib. 2. de Orat. & in Bruto, item pro Flacco, & in Verrem act. 7. Livii epitome lib. 70. Fabius lib. 2. cap. 16.
† Cic. lib. 14. ad Att. & Philipp. 2. ac Hiſtorici prope omnes.
‡ Æn. 12.

Etiam Clotildis, Clodovæi filia, durè ſæviterque habita à marito Almarico, Viſigothorum rege, cùm ſudarium ſuo imbutum ſanguine (de quo tamen Aimoinus * tacet) miſiſſet ad fratres ſuos, Childebertum, Clotharium, & Theodericum, Francorum reges: immane illud bellum excitavit, quo res Viſigothorum penitus fuere attritæ ac deletæ, ut apud Gregorium Turonenſem legitur lib. III. cap. X. & inde apud Paullum Æmilium lib. I. Nempe ſigna illatæ injuriæ vehementiùs accendunt. Quid mirum? quando locus etiam, ubi malè habiti ſumus, refricat injuriæ memoriam. Quemadmodum & idem contrà oblectare ſolet, ſi nobis in eo bene fuit, vel ibi ſedes fuerit illis, quos amamus, aut ſuſpicimus. Hinc Cicero in ſecundo de Legg. *Movemur enim neſcio quo pacto locis ipſis, in quibus eorum, quos diligimus, aut admiramur, adſunt veſtigia.* Plura ibidem vide, & quincto de Finibus.

* Lib. 2. de geſtis Francorum cap. 8.

VII. Miſericordiam & illi movent, quorum in miſerâ conditione auditur oratio; ut eorum, qui animam agunt. Exemplo eſto miſerabilis iſthæc Didonis apud Maronem oratio, quam antiſtitum ille antiſtes B. Auguſtinus † ait ſe non abſque lacrymis legere potuiſſe:

Dulces exuviæ, dum fata Deuſque ſinebant,
Accipite hanc animam, meque his exſolvite curis &c.

† Lib. 1. Confeſſ. cap. 13.

VIII. Inprimis verò miſerentur, ſi, qui mala hæc patiuntur, ſint viri probi, & virtutis ſtudioſi: ideoque, eos, qui acerbâ occubuerunt morte, in hac ipſa quoque forti fuiſſe animo, oſtendunt oratores. Nam, ut inquit ‡ Tullius, *cùm ſinguli humanarum miſeriarum caſus graviter accipiuntur; tùm afflicta ac proſtrata virtus maximè luctuoſa eſt.* At minùs nos movent calamitates, in quas ſuâ culpâ incidunt, qui pulmonis ſemper vixere vitam, addicti abdomini: καὶ ἀφροδισίοις ἐπιθυμίαις *, ut eas vocat Aretas Cæſarienſis. Longeque minus commovent, ſi ſordidi compareant. Cujus rei exemplum habemus in imperatore Vitellio (penè vitulo dixeram.) De quo ita Tacitus extremo libro III. Hiſtor.) *Vincta ponè tergum manus: laniatâ veſte, fœdum ſpectaculum ducebatur, multis increpantibus, nullo illachrymante. deformitas exitus miſericordiam abſtulerat.* Omnium verò minimè homines ſcelerati hunc in nobis affectum cient. Unde Cic. lib. IV. Tuſcul. quæſt. *Nemo*, inquit, *parricidæ, aut proditoris ſupplicio miſericordiâ commovetur.*

‡ Lib. 2. de Oratore.
* Venereis voluptatibus.

IV. Quibus de cauſſis homines miſereantur.

MIſerantur propter mala, quæ interitum afferre poſſunt, aut moleſtiam creare.

Horum loci ſunt duo.

I. Quæ habent vim tollendi vitam ipſam; ut graves morbi, & magna pericula.

II. Magna mala, quæ eveniunt, ut loquuntur, à fortuna: velut Priami calamitates, aut ſiquis ſpolietur amicis, aut ab eo perdatur de quo optimè ſit meritus. Hinc miſericordiam apud Catullum † ciet Ariadna, ſua merita Theſeo objiciens:

Certè ego te in medio verſantem turbine leti
Eripui, ac potiùs germanum amittere crevi,
Quàm tibi fallaci ſupremo in tempore deeſſe.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibuſque
Præda, nec injectâ tumulabor mortua terrâ.

† Carm. de Nupt. Pelei & Thet.

Simile eſt, ſiquis interimatur ob virtutem paternam. Quomodo apud Euripidem Troadibus Talthybius ait, perviciſſe Ulyſſis ſententiam in concione Græcorum, ne filius ejus ſervaretur, qui Trojanorum fuiſſet præſtantiſſimus. Signat autem Hectoris filium, Aſtyanacta. Unde ſic mater ejus Andromache queritur:

Ἡ τοῦ πατρὸς δέ σ' εὐγένει' ἀποκτενεῖ,
Ἣ τοῖσιν ἄλλοις γίνεται σωτηρία.
Τὸ δ' ἐσθλὸν οὐκ εἰς καιρὸν ἦλθέ σοι πατρός.

Sive, ut Latinè reddam,

Vitam tibi adimit ſplendor incliti patris.
Aliis ſaluti hoc eſſe liberis ſolet.
Non patris hoc in tempore advenit decus.

Quomodo verò ab ætate, fortunâ, loco, aliiſque, miſericordiam conciter Maro, vide apud Macrobium lib. IV. Saturnal. cap. III. IV. V. & VI.

V. Quo pacto miſericordiam cieat orator.

MOvetur miſericordia, ſi auditoribus ob oculos quaſi proponantur ea mala, quæ pati poſſunt, vel in ſe, vel in ſuorum quopiam; maximè, ſi mala ſint ingentia, & conſpiciantur in perſonis, quæ illis ſunt indignæ. Exemplorum abunde eſt in Tullii orationibus, inter alias Milonianæ epilogo, & illius pro Muræna. Etiam apud Philonem, lib. de legatione ad Cajum Cæſarem, exemplum habemus in Judæorum oratione ad Petronium, quâ ſupplicant, ne Caligulæ ſtatua in templo ponatur Hieroſolymitano.

E Græcis antiquioribus maximè in tractandis rebus, quæ miſerationem merentur, excelluiſſe putatur Simonides. Fabius lib. X. cap. I: *Præcipua*, inquit, *ejus in commovendâ miſeratione virtus, ut quidam in hac eum parte omnibus ejuſdem operis autoribus præferant.* Hinc apud Catullum ‡: *Mæſtius lacrymis Simonideis.* & apud Horat. od. I. lib. II: *Cea retractes munera næniæ:* (nam Ceus erat Simonides.) itemque apud Ariſtidem in Epicedio: Ποῖος ταῦτα Σιμωνίδης θρηνήσει; *qualis Simonides condignè hæc deflebit?*

‡ Carm. ad Cornific.

Cap. XI.

De Indignatione.

Indignatio eſt dolor propter alterius felicitatem, qui eâ eſſe indignus videtur.

Itaque differunt miſericordia, & νέμεσις, *quòd illa contingat ob adverſam bonorum, hæc ob proſperam malorum fortunam.*

I. Quid ſit nemeſis, ſeu indignatio, et, quomodo differat ab affectibus vicinis.

VIdimus de miſericordia. Deinceps agamus de indignatione, atque invidiâ, quarum utraque, uti & metus,

metus, arcet miſericordiam. Νέμεσιν Latini indignationem vocant. Ita Horat. lib. Epod. od. in Menam, Sext. Pompeji libertum, *Liberrima indignatio.* h. e. νέμεσις. Victorius * tamen exiſtimat, neque indignationis voce ſatis exprimi vim Græci vocabuli; eamque rationem eſſe ait, cur plerique è Latinis Græcam nemeſis appellationem reſervarint. Certè Catulli † eſt:

* In 2. Rhet. Ariſtot.

† Epig. 51.

— preceſque noſtras,
Oramus, cave deſpuas ocello,
Ne pœnas Nemeſis repoſcat à te.
Eſt vehemens Dea. lædere hanc caveto.

Sed argumentum hoc Victorii non eſt ſatis firmum. Nam abunde liquet, Catullum hîc eo nomine pro Dea, non pro affectu, uti. Hæc de voce, nunc de natura rei videamus.

Νέμησίς ἐστι λύπη τις ἐπὶ τῇ ἀναξίαις εὐπραγίαις. *Indignatio eſt dolor, ob alterius felicitatem, qui ea indignus eſt.* Hæc partim cum miſericordia convenit, partim ab eadem diſcrepat. Ac diſcrepat quidem, quòd miſericordia ſit dolor κακοπραγίας ἀναξίας, i. *ob res adverſas ejus qui indignus eſt*: indignatio autem εὐπραγίας ἀναξίας, i. *ob res proſperas ejus qui ſortem iſtiuſmodi haut meretur.* Convenit, quòd utraque ſit virorum bonorum. Nam non modò juſtus eſt dolor, ſi immerentes adverſa multa perpeti videamus; verùm etiam, ſi feliciter agant, qui id non merentur. Ideoque utrumque Diis tribuerunt. Nec minùs ab invidia diſcrepat. Unde Tullius epiſt. XIX. lib. V. ad Att. *Sed planè gaudeo, quoniam* τὸ νεμεσᾶν *intereſt* τοῦ φθονεῖν. Differt autem ea ab invidia, quòd indignatio ſit in indignum; unde & ei nomen: at invidia eſt in æqualem, aut ſimilem. Ita indignatur Juno I. Æn. ob felicitatem Trojanorum. Cùm autem hæc ſententia ſit Ariſtotelis; qui diſertim ſcribit, ἄμφω τὰ πάθη (ἔλεος καὶ νέμησις) ἤθους χρηστοῦ, i. *miſericordia, & indignatio, bonæ ſunt indolis ac naturæ*: liquet, quantum diſcrepet à Stoicorum ſententiâ; qui affectus non temperant, ſed abſcindunt; ut diximus hujuſce libri cap. I, ac præter alios teſtantur Seneca epiſt. CXVI, & Lucianus in Hermotimo. Ex eorum ſententia dictum à Poëta Georg. lib. II.

— neque ille
Aut doluit, miſerans inopem, aut invidit habenti.

Et ab Auſonio, carmine de viro bono:

— miſeratus egentem,
Cur aliquem fractâ perſenſi mente dolorem?

II. Qui indignentur.

Indignantur, qui digni ſunt.
Horum quatuor ſunt loci.
I. Si digni ſint maximis rebus, & eas ſint conſecuti.
II. Si ſint boni, & virtute prædìti.
III. Si ſint ſtudioſi honoris; & maximè, ſi ea ambiant, quæ alii, licet indigni ſint, nanciſcantur.
IV. Qui exiſtimant ſe dignos iis rebus, quibus alios indignos putant.

Ita Q. Cæcilius Metellus ‡, ob generis præſtantiam, ac res præclarè geſtas, dignum ſe putabat, cui, bellum gerenti adverſus Jugurtham, prorogaretur imperium: ac contrà indignum ratus, ſibi præferri C. Marium, hominem ignobilem, nec rebus geſtis clarum. Ideo, ubi audivit, plebiſcito id bellum eſſe Mario decretum, non tam ſuâ doluit injuriâ, quàm quòd honos ille indigno eſſet collatus. Itaque nec bellum eo cum ſtudio deinceps geſſit, ſtultum exiſtimans, alienum honorem ſuo periculo curare.

‡ Salluſt. in Jugurth.

III. Quibus homines indignentur.

Indignantur indignis, ſive quia tales ſint, ſive quia videantur. Ita Antigenidas parum æquo animo ferebat, quòd monumentarii ceraulæ, quos *ſiticines* appellant, vulgò etiam *tibicines* dicerentur: ut Appulejus prodit lib. I. Florid. atque ex eo Politianus in Lamia: ac idem prope de Iſmeno tradidit Dio Chryſoſtomus orat. XLIX. quæ inſcribitur Παρεδρίτησις ἀρχῆς ἐν βουλῇ *. Amata quoque apud Maronem VII. Æn. Trojanis ſuccenſet, ut Laviniâ indignis. Sic enim loquitur:

* Recuſatio magiſtratus in Senatu.

Exſulibuſne datur ducenda Lavinia Teucris?
Nec matris miſeret, quam primo Aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abductâ virgine prædo?
Quid tua ſancta fides, quid cura antiqua tuorum,
Et conſanguineo toties data dextera Turno?

Et eopſe libro:

Turne tot incaſſum fuſos patiere labores,
Et tua Dardaniis tranſſcribi ſceptra colonis?
Rex tibi conjugium, & quæſitas ſanguine dotes,
Abnegat, externuſque in regnum quæritur hæres.
I nunc, ingratis offerte, irriſe, periclis.

Item Horatius ridet & dolet, quòd ridiculus Poëta Chœrilus aliquid aliquando boni dicat. Ait enim:

Quin bis terque bonum cum riſu miror, & idem
Indignor.

Neque enim, quod Luiſinus † aliique exiſtimarunt, *indignor* referri poteſt ad id, quod de Homero ſequitur, *Quandoque bonus dormitat Homerus*: ut nempe hîc *quandoque* ſit *quandocunque.* Nam ob caſum alterius non indignamur, ſed miſeremur. Ejuſdem Horatii ‡ eſt:

† Commentario in Horat. art. Poët.

‡ Sat. 6. lib. 1.

Tunc Syri, Damæ, aut Dionyſi filius, audes
Dejicere è ſaxo cives, aut tradere Cadmo?

Indignorum autem tria inprimis ſunt genera:

I. Qui recens aliquod bonum ſunt conſecuti: velut, qui non ita pridem divites ſunt facti.

II. Qui habent bona, quæ ipſis non conveniunt: ut ſi vir timidus ſtet in acie egregiè armatus; vir autem ſtrenuus armis careat.

III. Qui cùm ſint inferiores, certare tamen volunt cum ſuperioribus. Ut, ſi *certent cygnis ululæ*, ut eſt apud Maronem *. Itaque Juno indignatur I. Æn. quòd cùm

* Ecl. 8.

— Divûm incedat Regina, Joviſque
Et ſoror, & conjux, unâ cum gente tot annos
Bella gerat.

Et Ovidianus Ajax † indignatur, quòd ſecum Ulyſſes conferatur:

† 13. Met.

— Agimus, pro Jupiter, inquit,
Ante rates cauſſam, & mecum confertur Ulyſſes?

Etiam Parrhaſius Epheſius, pictor nobilis, Sami à Timanthe in Ajace, armorumque judicio, victus, ajebat, ſe herois, Ajacis putà, nomine, indignari: quippe qui iterum victus eſſet ab indigno. Auctor Plin. lib. XXXV. cap. X. & Athenæus lib. XII.

IV. Quibus de cauſſis indignemur, et quomodo eam cieat orator.

Fit indignatio, non ob juſtitiam, fortitudinem, aliamve virtutem, quæ homines dignos reddit; ſed ob illa bona, quæ poſſident etiam indigni: cujuſmodi ſunt nobilitas, forma, & quæcunque ſunt iſtiuſmodi. Ut quòd libertus quiſpiam ingentis pretii tumulo tegatur; vir eximiæ virtutis ac dignitatis, vel vili, vel nullo. Unde illud Varronis Atacini, ſed animo ab impio profectum:

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo. Credimus eſſe Deos?

Movetur indignatio, ſiqui oſtendantur iis bonis indigni, quibus digni ſunt qui audiunt, vel alii, quibus hi bene volunt. Exempla vide apud Demoſthenem in Æſchinem; Ciceronem in Vatinium; Horatium in Menam libertum ‡; Juvenalem * in Cinamum, qui tonſor fuerat; item in Criſpinum †, atque alios, qui è ſummis ſordibus ad palatina erant officia evecti.

‡ Lib. epod. od. 4.

* Sat. 1.

† Sat. 4.

Cap. XII.

De Invidia.

Invidia eſt dolor ob felicem bonorum ſucceſſum, non ut ſibi aliquid accedat, ſed propter eum, cui invidetur.

I. De

I. De invidiæ voce, et definitione, ac natura.

INvidia dicta ab invidendo, hoc eſt, non videndo, ut *in* ſit στερητικὸν: quam ſententiam inter alios Fruterius ſequitur in Veriſimilium libris *. Nempe quia invidis oculi doleant ob alienum bonum, eoque ægre videant, & inviti. Vel potiùs ea ab invidendo, hoc eſt, nimis intuendo, nomen accepit: ut *in* hic ſit ἐπιτατικὸν: quod Tullius † probat illo Attii in Melanippe:

—— Florem quiſnam liberûm invidit meûm?

Sanè olim credebant, invidos nimis intueri aliena, atque eo pacto faſcinare: unde & illud Maronis *:

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Et Græci Grammatici βασκαίνειν dici putant, quaſi φάεσι καίνειν †.

Φθόνος ἐστὶ λύπη τις ἐπὶ εὐπραγίᾳ φαινομένη τῶν εἰρημένων ἀγαθῶν ἐπὶ τοὺς ὁμοίους, μὴ ἵνα τι αὐτῷ, ἀλλὰ δι' ἐκείνους. *Invidia ſive invidentia* (quomodo Cicero ‡ appellare mavult, ob ambiguitatem vocis invidiæ) *eſt dolor quidam ob proſperitatem, quæ apparet in bonis, quæ dicta ſunt, erga ſimiles; idque non ut aliquid commodi contingat ei, qui invidet; ſed propter illos, quibus invidetur.* Porrò per ἀγαθὰ εἰρημένα *, intelliguntur bona illa, ob quæ νέμεσιν cieri, antea † oſtenſum fuit. Similis eſt huic Ariſtotelicæ definitio ea, quæ apud Tullium exſtat lib. IV. Tuſc. Quæſt. *Invidentiam*, inquit, *eſſe dicunt ægritudinem ſuſceptam propter alterius res ſecundas, quæ nihil noceant invidenti.*

** Lib. 1. cap. 17.*
† Lib. 3. Tuſc. quæſt.
** Ecl. 3.*
† Luminibus ſive intuitu necare.
‡ Lib. 3. Tuſc. quæſt. & 4.
** Bona, quæ dicta ſunt.*
† Cap. præcedenti ſect. ult.

Itaque diſcrepant æmulatio, & invidia, quòd illâ quis mœreat ob bonum alterius, eò quòd is non mereatur; hâc verò aliena quis bona, eò quòd, cui illa adſunt, non ſit, vel non videatur æqualis, obliquo limet oculo, omnemque moveat lapidem, ut ea intercipiat; ac niſi id obtineat, ſæpe etiam colore lurido tabeſcat. Unde Salomo Proverb. XIV. 29. *Vita carnium*, hoc eſt corporis ſalubritas, *cor lene*, ſive, ut vulgata habet, ſanitas cordis: *putredo oſſium, invidia.* Ac convenit Ovidii illud in deſcriptione Invidiæ, quæ exſtat Met. II. Fab. XII.

Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum, carpitque, & carpitur unà,
Suppliciumque ſuum eſt.

Atque, ut libro primo Ἀνθολογίας ‡ eſt:

Ὁ φθόνος αὐτὸς ἑαυτὸν οἷς βέλεσι δαμάζει.
Livor ſe propriis telis ulciſcitur ipſe.

‡ Tit. εἰς φθόνον.

In eâdem Ἀνθολογ. ſcitè illud dictum, invidiam quidem rem eſſe peſſimam, attamen quiddam ei boni ineſſe:

Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα, καὶ κραδίην.
Livida corda etenim macerat, atque oculos.

Ita Typho quoque invidebat fratris ſui Oſiridis divitiis, ὡς ἤδη τὸ πρᾶγμα παροιμίαν εἶναι, καὶ ἐρώτημα πρὸς τοὺς ὠχριῶντας, Μή τι τἀδελφοῦ οὐ καλόν; *Ut res jam in proverbium abierit, ac percontationem ad pallentes; Num rectè ſe habent res fratris tui?* Auctor Syneſius in Ægyptio, ſive de Proteo. Elegans quoque apud Athenæum legitur ſcirpus Matreæ plani, qui dicere ſolitus, ſe θηρίον τι τρέφειν, ὅπερ αὐτὸ ἑαυτὸ ἐσθίει: *belluam à ſe ali, ſe ipſam comedentem.* Nam invidiâ qui laborat, tabeſcit rebus alterius,

Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων:

ut de Bellerophonte ait Homerus *: quod M. Tullius † ita tranſtulit:

Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Quanquam & apud Euſtathium ‡ duæ ſunt aliæ hujuſce ſcirpi interpretationes. Nam ait, inſuper intelligi poſſe, tum κωμικὸν πάθος, h. e. σύμπτωμα, ſive libidinem; tum polypum, qui fame laborans ſibi cirros ambedit; ut ſenſere, Alcæus apud Athenæum, Orus Apollo in Hieroglyphicis, Ælianus, Philes, Antigonus Mirabilium Narrationum cap. XXV. ubi idem confirmat ex Heſiodi ἔργ. β. Plinius tamen falſam eſſe hanc de polypo opinionem exiſtimat lib. IX. cap. XXIX. Rectene, an ſecus, hoc loco non ducam contentionis funem. Quin ipſum hoc, quod ex Euſtathio adferebamus, à nobis præteriri poterat, niſi viſum eſſet, interdum varietate aliquâ diſcutere lectoris faſtidium, ac quodammodo, quod ab Euripide dicitur, τὰς Μούσαις τὰς Χάριτας συγκαταμιγνύειν *.

** Iliad. ζ.*
† Lib. 3. Tuſc. quæſt.
‡ In od. α. pag. 1382. ed. Rom.
** Gratias Muſis admiſcere.*

II. Qui invideant.

I. INvident, qui majus affectant bonum, quod conſpiciunt in ſimilibus, etiamſi ipſi proſperà utantur fortunâ. Similes autem ſunt vel genere, vel cognatione, vel ætate, vel habitu, vel exiſtimatione, vel bonis atque opibus.

II. Præterea invident ambitioſi: & præcipuè, ſi parum abeſt, quo minùs omnibus abundent bonis; vel ſi geſſerint res magnas, ac felici utantur fortunâ. Quomodo ferre non poterat Crœſus, quòd Solon tantopere extolleret Tellum. Nam unum ſe beatum putabat.

III. Invident quoque ſordidi parvique animi homines, quos Græci μικροψύχους vocant. Nam omnia iis videntur magna. Vide, quæ in hanc mentem annotavit Gregorius Magnus in illud Jobi cap. V. *Parvulum occidit invidia.* Atque iccirco ſervi, & pauperes, ferè ſunt invidi. Plautus Captivis †:

Eſt miſerorum, ut malevolentes ſint, atque invideant bonis.

† Act. 5. ſcen. Qui illum.

Eoque magis invident, quo deteriores. Eſt enim invidia malorum. Ideo multi fatentur, ſe odiſſe aliquem, quia & malos odiſſe poſſumus. At invidere ſe fatetur nemo, quia bonus invidet nulli. Quod optimè obſervat Plutarchus libello de odio, & invidia.

Ab eadem cauſſa eſt, quòd invidiam mantelo indignationis occultare ſolent. Ita Timo μισάνθρωπος * apud Lucianum, non ἁπλῶς dicit, ex ſolitudine ſe hoc capere commodi, quòd non videat multos felices; ſed potiùs pro eo dicit, hoc pacto fieri, ut non videat multos præter meritum felices. Τοῦτο γοῦν μοι δοκῶ κερδαίνειν, μηκέτι ὄψεσθαι πολλοὺς παρὰ τὴν ἀξίαν εὖ πράττοντας.

** Oſor hominum.*

III. Quibus invideant.

INvident homines ſimilibus. *Æqualitas* enim *gratiam exulcerat*, ut inquit M. Cicero in Bruto. At minùs petuntur atro invidiæ dente, qui ſuperiores ſunt: tanto ſanè minùs, quanto excellunt magis. Imò, ut à Plutarcho † optimè dicitur, αἱ τῶν εὐτυχημάτων ὑπεροχαὶ καὶ λαμπρότητες πολλάκις τὸν φθόνον κατασβεννύουσιν. οὐ γὰρ εἰκός, Ἀλεξάνδρῳ τινὰ φθονεῖν, οὐδὲ Κύρῳ, κρατήσασι καὶ γενομένοις κυρίοις ἁπάντων· ἀλλ' ὥσπερ ὁ ἥλιος ὧν ἂν ὑπὲρ κορυφῆς γένηται καταχεόμενος τὸ φῶς, ἢ παντάπασι τὴν σκιὰν ἀνεῖλεν, ἢ μικρὰν ἐποίησεν, οὕτω πρὸς τὸ τῶν εὐτυχημάτων ὕψος λαβόντων, καὶ γενομένων κατὰ κεφαλῆς τοῦ φθόνου, συστέλλεται καὶ ἀναχωρεῖ καταλαμπόμενος. Quæ Latinè ſonant. *Rerum ſecundarum excellentia ac ſplendor invidiam ſæpenumero exſtinguit. Nec enim veriſimile eſt, quemquam invidiſſe Alexandro, aut Cyro, poſtquam poteſtatem ac dominium cunctorum fuere conſecuti. Sed quemadmodum Sol, quibus ſupra verticem eſt, rectaque lumen diffundit, his aut nullam facit umbram, vel exiguam: ſic cum felices ſucceſſus faſtigium ſunt nacti, ac ſupra invidiam caput eminent, illa ſplendore eo victa contrahitur, ac recedit.* Ita Horatius ‡ eò ſe perveniſſe oſtendit, ut major ſit illis, qui priùs invidebant:

† Lib. de invidia & odio.

Et jam dente minùs mordeor invido.

‡ Lib. 4. od. 3.

Et alibi ‡:

—— Invidiâque major
Urbes relinquam.

‡ Lib. 2. od. 20.

Et apud Salluſtium ait Micipſa ad Jugurtham: *Quod inter mortales difficillimum eſt, gloriâ invidiam viciſti.*

Pertinet huc etiam illud Claudiani lib. III. de laudibus Stiliconis:

—— Quis enim liveſcere poſſit,
Quòd nunquam pereant ſtellæ? quòd Jupiter olim

Poſſi-

Poſſideat cœlum? quod noverit omnia Phœbus?
Eſt aliquod meriti ſpatium, quod nulla furentis
Invidia menſura capit.

Atque hinc eſt, quod Græci ἄφθονον dicant pro *copioſo*.

Multò autem minùs invideri ſolet longè minoribus: unde ſcitè Philager ſophiſta apud Philoſtratum * ait: ἆρα οἴῃ ἥλιον ἑσπέρᾳ φθονεῖν, ἢ μέλλειν αὐτοῦ εἰ ποίειν ἀστὴρ ἀλλ.Ꙩ ἐν οὐρανῷ; *deinde num ſolem cenſes veſpera invidere, aut morari, num quæ ſtella ſit in cœlo?*

* In vitis Sophiſtarum.

Sunt autem varia eorum, quibus ob ſimilitudinem invidetur, genera. Nam iſtiuſmodi ſunt,

I. Propinqui, ſive tempore, ut qui ſimul in Rep. agunt: ſive loco, quomodo Romanus Romano invidet: ſive ætate, ut juvenis invidet juveni: ſive fortunis, cùm quis ſe in paupertinâ relictum ſorte, at alterum dolet evolâſſe: ſive exiſtimatione, quo pacto inter duos conſulares eſt invidia. Itaque Q. Fabius Maximus apud Livium † adnititur argumento ab ætate ſumto probare, ſe, licet P. Scipionis, florentiſſimi juvenis, conſiliis adverſetur, minime tamen ullâ flagrare invidiâ, cùm nulla æmulatio eſſe poſſit ſeni cum eo, qui ne filio quidem æqualis foret.

† Lib. 28.

II. Et iis ob ſimilitudinem invident, quibuſcum certant de honore: ut competitores rivalibus, & quicunque eadem appetunt. Sic Bavius, & Mævius, Maroni invidebant; Aſinius Pollio Ciceroni. Horat. lib. I. epiſt. XVII. ad Mæcenatem:

Rupit Hyarbitam Timagenis æmula lingua,
Dum ſtudet urbanus, tenditque diſertus haberi.

Hinc calcatum illud Heſiodi, Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ *, & quæ ſequuntur. Fit autem hoc gloriæ ratione, non ſtudii: cujus ſimilitudo non amorem lacerat, ſed potiùs amorem parit: ut abunde dictum cap. IV. ſect. IV.

* Et figulus figulo.

III. Eadem ratio illorum, qui celeriter ſunt bonum aliquod adepti. Uti Cæſar, cujus illud de victoria ſua Pontica †, *Veni, vidi, vici.*

† Suetonius in Jul. cap. 37.

IV. Invident etiam, quorum gloria noſtrum eſt dedecus, aut quorum utilitas noſtrum eſt detrimentum.

V. Qui habent ea, quæ iis, qui invident, conveniebant, aut quæ eorum fuerunt, qui invident. Virgil. ‡

‡ Ecl. I.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes?

Itaque non injuriâ quoque ſuſpicio erat, invidere Fabium Scipioni, quod non ferret creſcentem indies, ob Italiæ defenſionem fortiſſimi juvenis gloriam. Tota enim illa laus antea Fabii fuerat, quâ jam ſenem ſe exui ac ſpoliari, moleſtè ferebat. Livium vide lib. XXVIII. Itidem timebat Pompejus, ne res à Cæſare præclarè geſtæ gloriam ſuam obſcurarent. Hinc Lucanus *:

* Lib. I.

——— *Stimulos dedit æmula virtus.*
Tu, nova ne veteres obſcurent acta triumphos,
Magne, times,

Et mox:

Nec quemquam jam ferre poteſt, Cæſarve priorem,
Pompejuſve parem.

Imò Alexander Magnus ſuorum etiam ducum virtutibus invidebat: quod non aliunde erat, quàm quia eorum ſplendore fulgorem ſuum minùs fore illuſtrem putaret. Itaque Perdiccæ invidebat, quia eſſet πολεμικὸς †: Lyſimacho, quia στρατηγεῖν ἀγαθὸς ‡: Seleuco, quia ἀνδρεῖ.Ꙩ *: Antigono, quia φιλότιμ.Ꙩ †: Attalo, quia in eo τὸ ἡγεμονικὸν ‡ reluceret: Ptolemæo, quia ſumma ejus eſſet in rebus gerendis dexteritas. Auctor Ælianus lib. XII. Var. Hiſt. cap. XVI. Neque idem celare invidiam potuit, cum Dioxippus, Athenienſis pugil, è Macedonibus clavâ provocâſſet Corrhagum, licet armatum; eumque, haſtâ priùs excuſsâ, proſtraviſſet, proprioque gladio necâſſet. Magis ſaviſſet ejuſmodi virtuti Alexander, ſi Macedo viciſſet Athenienſem. Dioxippus verò, ubi ſe propterea Alexandro vidit inviſum, animum uſque adeò deſpondit, ut mœrore contabeſceret: Quemadmodum idem Ælianus prodit Hiſt. Var. lib. X. cap. ult. Sed paullo aliter rem narrat Curtius in nono: ubi & Corrhagum hunc vocat Horatam.

† Bellicoſus. ‡ Bonus in bello dux. * Animi virilis. † Honoris avidus. ‡ Imperatoria dignitas.

Nec ad fortitudinem modò, vel laudem bellicam; ſed aliarum etiam artium peritiam invidia pertingit. Ut in Dædalo videmus: qui cùm magno in honore eſſet ob præclara inventa ſua in fabrica materia, quæ à Plinio * referuntur: ubi Calum, ob ejuſdem artis peritiam, & nova quædam reperta, in cœlum tolli cognovit; ne eo quidem, quòd & diſcipulus, & ſororis filius foret, abſterreri potuit, quo minùs de turri eum præcipitem daret: quo ſcelere patrato, ſupplicii metu, priùs in Cretam, inde ad Cocalum in Siciliam, profugit miſer: teſte Pauſania in Atticis. Hoc verè eſt, quod Heſiodus ait, fabrum fabro invidere. Itaque νενίκηκε, σὺν ὁμοτέχνυς ἀντιτέχνυς καλῶν †: ut ait Nazianzenus ‡ Quid verò, quòd inventus etiam imperator, qui ob artis excellentiam invideret fabro? Is eſt Tiberius Cæſar. Qui cùm Romæ nobilis artifex quidam porticum magnam valde nutantem magnâ erexiſſet ſolertiâ, pecuniâ quidem donavit hominem; ſed ſimul, ut Dio ait, φθονήσας * ἢ ζηλοτυπήσας, urbe expulit. Imò, ut idem ait, cùm ille ſupplex, ſpe veniæ, factum à ſe vitrum ductile (rem hodieque ignotam) Cæſari experimento comprobâſſet, ab eodem necari juſſus eſt. Quod & Iſidorus prodidit lib. XVI. Orig. cap. XV. ac ante Dionem Plinius lib. XXXVI. cap. XXVI. imò ante hos omnes idem retulerat Trimalcio apud Petronium Arbitrum, teſte Joanne Saresberienſe Policratici lib. IV. cap. V. uti jam aliis obſervatum.

* Lib. 7. cap. 56.

† Uſus obtinet, ut, qui ejuſdem ſunt artis, artifices æmuli, & obtrectatores, dicantur. ‡ Epiſt. 61. ad Euſtathium Sophiſtam. * Invidens.

Denique iis etiam homines invident, qui ſumtus fecere exiguos eam in rem, in quam ipſi multos. Cui ſimile eſt, ſiquis largitione ſibi comparet, quod alter magnis acquiſierit virtutibus.

IV. Quibus de caussis invideant homines.

Invident ob aliorum bonorum proſperitatem. Certè Anacharſis interrogatus, cur homines ſubinde triſtentur †, reſpondit, id fieri, quia non ſolùm propria iis mala moleſta ſint; ſed bona etiam aliena. Et Bion Boryſthenites, cùm invidum triſti conſpexiſſet vultu ‡, οὐκ οἶδα, ἔφη, πότερόν σοι κακὸν γέγονεν, ἢ ἄλλῳ ἀγαθόν *. Eumque imitatus Publius, quem, quòd Mutius, homo inprimis malevolus, ſolito eſſet triſtior, acutè Macrobius † dixiſſe ait: *Aut Mutio neſcio quid incommodi acceſſit, aut neſcio cui aliquid boni.*

† Antonius gnomologus in Meliſſa. ‡ Diog. Laert. * Neſcio, inquit, utrum tibi malum, an alteri evenerit bonum.

Tales autem: quemadmodum ob bonum dolent alienum, ita gaudent ob alterius malum. Unde Ovidius ‡ in deſcriptione Invidiæ:

Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores.

† Lib. 2. Sat. cap. 2. ‡ 2. Met.

Græci hoc ἐπιχαιρεκακίαν vocant. Cujuſmodi verò is affectus ſit, paret ex iis, quæ de invidia diximus.

Quod ſi miſereamur quidem ob alienum malum, at invidia ſit ob alienum bonum; omnino nobis κρέσσων οἰκτιρμῶν φθόν.Ꙩ *, ut eſt apud Pindarum in Pythiis †, & ex eo lib. I. Ἀνθολογ. ‡ Plauti quoque eſt Truculento *:

Mavelim mihi inimicos invidere, quàm me inimicis meis.
Nam invidere alii bene eſſe, tibi male eſſe, miſeria eſt.
Qui invident, egent: illi, quibus invidetur rem habent.

* Melior eſt miſeratione invidia. † Idyll. 1. ‡ Tit. εἰς φθόνον. * Act. 4. ſc. 2.

Nempe, quod dixit P. Syrus mimus,

Miſerrima eſt fortuna, quæ inimico caret;

id non minus verè de invidio, quàm de inimico, dicitur. Quod etiam celebre nos proverbium docet, Sola miſeria neſcit invidiam. Ac fertur Plato, cùm ei condiſcipuli inviderent, Socratem interrogâſſe, qua ratione poſſet invidiam declinare: reſpondiſſe autem Socratem, Eſto ut Therſites. Auctor (antiquior nunc non occurrit) Io. Saresberienſis lib. VII. Policratici cap. XXIV.

V. Quomodo aliis invidiam conflet orator.

MEritò verò in dubium vocare poſſumus, num invidiam ciere liceat Oratori, cùm ea non ſit viri boni, qualem eſſe Oratorem volumus. Attamen utile eſt ſcire, qua ratione id fieri poſſit, ſi non ob aliud, ſaltem ut caveamus magis ab iis, qui malis artibus gaudent.

Concitatur autem ea, ſi bona commemoremus in ſimilibus, ut illa ab audientibus diſturbentur. Itaque hunc affectum ciet orator ad exſtinguendam miſericordiam.

Fit hoc è quatuor locis eorum, qui fortuna utuntur proſpera.

I. In quibus amant gloriam, & de honore factis contendunt.

II. Quicunque bonæ ſunt fortunæ eventus.

III. Quæ ipſi aut appetunt, aut quibus ſe judicant ornatos eſſe oportere. Ita Alecto invidiam creat Æneæ *: * Æn. 7.

Turne, tot incaſſum fuſos patiere labores?
Et tua Dardaniis tranſſcribi ſceptra colonis?
Rex tibi conjugium, & quæſitas ſanguine dotes
Abnegat, externuſque in regnum quæritur hæres.

IV. In quibus ipſi non multùm ſuperant, aut ſuperantur. Quippe, ut ſuprà dicebamus, neque iis invidemus, qui multo ſunt ſuperiores divitiis, amicitiis, honoribus; neque item iis, qui multo ſunt inferiores.

Invidiam excitat, ac inſimul odium gignit Marcus Tullius pro P. Quinctio: *Non comparat ſe tecum gratiâ P. Quinctius, Sex. Nævi: non opibus, non facultate contendit. Omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit. Fatetur, ſe non bellè dicere, non ad voluntatem loqui poſſe; non ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliam devolare; non profuſis ſumtibus vivere, non ornare magnificè ſplendideque convivium; non habere domum clauſam pudori, & ſanctimoniæ; patentem atque adeo expoſitam cupiditati, & voluptatibus.* Pluribus exemplis non puto eſſe opus. Quippe multo facillimum eſt, invidiam ciere in hominum animis, quia innatus hic morbus penè eſt omnibus, facilè invidere. Hinc Tacitus lib. 11. Hiſtor. ait, *inſitum eſſe mortalibus naturâ, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere.* Et Cornelius Nepos in Timotheo: *Eſt*, inquit, *hoc commune vitium magnis liberiſque civitatibus, ut invidia gloriæ comes ſit, & libenter de his detrahant, quos emergere videant altiùs: neque animo æquo pauperes alienam opulentûm intueantur fortunam.*

Et hæc de invidia: in quibus, ut & in affectibus cæteris, potiſſima hauſimus ex fonte Ariſtotelis: unde etiam manavit rivus ille amœniſſimus apud Antonium Muretum, commentario in Catilinariam primam: ubi egregiè, ut ſolet, de hoc diſſerit affectu.

Cap. XIII.

I. De æmulatione, et contemtione.

Æmulatio eſt dolor alicujus ob bona honorata, quæ alius habere videtur, & quæ etiam ipſe acquirere poteſt, exiſtens inter eos, qui ſunt ſimilis naturæ non quòd alii adſint illa, ſed quòd ſibi deſint.

Et contraria eſt contemtio, quâ afficitur quis erga illos, in quibus videt non eſſe ea bona, quæ vel aſſecutus ipſe eſt, vel aſſequi ſtudet.

I. Quid sit æmulatio.

ZΗ͂λός ἐϛι λύπη τὶς ἐπὶ φαινομένῃ παρουσίᾳ ἀγαθῶν ἐντίμων, καὶ ἐνδεχομένων αὐτῷ λαβεῖν περὶ τοὺς ὁμοίους τῇ φύσει οὐχ ὅτι ἄλλῳ, ἀλλ᾽ ὅτι οὐχὶ καὶ αὐτῷ ἐϛί. *Æmulatio* (ita ζῆλον Tullius quoque tranſtulit lib. IV. Tuſcul. quæſt.) *eſt dolor, ob præſentiam bonorum, in ſimilibus naturâ, non quòd ea alii adſint, ſed quòd ſibi deſint.* Differt à zelotypia, quia æmulus doleat, quoniam ſibi abſit bonum, quod habet alter: zelotypus dolet, quòd alter eodem, ac ipſe, bono fruatur. Laërtius in Zenone: Ζηλοτυπία λύπη τὶς ἐϛὶν ἐπὶ τῷ ἄλλῳ παρεῖναι, ἃ καὶ αὐτὸς ἔχει. *Zelotypia eſt dolor ex eo proveniens, quia alteri quoque adſit, quod ipſe habet.* At differt æmulatio ab invidia, quòd illa ſit honeſta; hæc verò, ut in Timæo quoque ſcribit Plato, non cadat in virum bonum: illâ quis macerat ſe, non quòd habeant alii, ſed quòd non & ipſe iis ornatus ſit bonis; hâc verò alienis bonis ſtrabo fit, quòd alter obtineat, non quòd ipſe careat. Declarat hoc Suidas iſtum in modum: Ζῆλος, ἀγαθοῦ τινος ἐπιθυμία, φθόνου τινὸς χωρὶς ἐγγινομένη τῇ ψυχῇ. Οἷον, ἔχει τὶς ἀνδρείαν· ζηλῶ τοῦτον τῆς ἀρετῆς. τουτέϛιν, ἐπιθυμῶ κτήσασθαι τὸ καλὸν, μὴ φθονήσας τῷ κεκτημένῳ, ἀλλὰ κἀγὼ βουλόμενος ἀνδρεῖος εἶναι. *Zelus ſive æmulatio, boni alicujus cupiditas, quæ animo citra invidiam ineſt. Ut, Habet quiſpiam fortitudinem. Hunc æmulor virtutis ergo. Hoc eſt, cupio idem bonum conſequi, non invidens ei, qui bonum illud poſſidet, ſed ipſe etiam fortis eſſe vir volens.* Neque neſcius ſum, ζῆλον & φθόνον ſæpe * conjungi; ac ζῆλον, cùm apud Heſiodum in ἔργοις, tum in Actis Apoſtolicis †, liquidò accipi pro φθόνῳ. Verùm propriè id eſt ζῆλος, quod dicebamus: nempe ἀπὸ τοῦ ζέειν ‡, quia eſt quidam animi fervor, faces ſtimuloſque animo ſubdens ad honeſtum aliquod facinus patrandum. Interim, ut Græci ζήλου, ita Latini *æmulationis* voce interdum laxiùs utuntur. Ut Maro in VI.

* *Plat. de Legg. Plutarch. in Coriolano, &c.*
† *Cap. 5. 17. & cap. 13. 45.*
‡ *Aſſervendo.*

Æmulus exceptum Triton, ſi credere dignum eſt,
Inter ſaxa virum ſpumosâ, immerſerat undâ.

Et Plinius Panegyrico: *Nihil eſt tam pronum ad ſimultatem, quàm æmulatio, in feminis præſertim. Ea porrò maximè naſcitur ex conjunctione, alitur æqualitate, exardeſcit invidiâ.* Hinc Nonius Marcellus: *Æmulatio ab imitatione hoc diſtat, quòd imitatio ſimplex eſt, & livorem atque invidiam non admittit: æmulatio autem habet quidem imitandi ſtudium, ſed cum malitia operatione.* Nempe, ut Cicero in IV. Tuſcul. ait, *Æmulatio dupliciter dicitur; ut & in laude, & vitio, nomen hoc ſit.* Sed hìc accipitur, ut eſt imitatio virtutis, expers invidiæ. Probus enim, ut ait Plato *, invidet nemini; cùm tamen meliores præſtantioreſque ſemper æmuletur. Cujuſmodi contentionem perutilem eſſe generi humano, etiam Heſiodus ait in ἔργοις.

* *In Timæo.*

II. Qui æmulentur.

ÆMulantur, qui bonis dolent ſimilium, propterea quòd & ipſi non habeant.

Horum loci ſunt quatuor.

I. Qui autumant ſe ipſos dignos iis bonis, quæ non habent: ut juvenes, & magnanimi.

II. Quibus ſunt bona honoratis viris digna: ut ſunt divitiæ, amicitiæ cum multis magiſtratibus, & quæcunque ſunt iſtiuſmodi.

III. Quos alii dignos bonis iis exiſtimant, propter quæ dolent.

IV. Quorum majores, cognati, aut domeſtici, aut natio, aut civitas honorata eſt. Ita Decius, paterno excitatus exemplo, devovit ſe pro patriâ †. Huc quoque facit locus ille Tullii pro Flacco; *Quod maximè florere in generis ſui gloriâ viderat, laudem patriæ in libertatem vindicanda, Prætor adamarat.* Andromache apud Maronem lib. III. Æn.

† *Livius lib. 10. Cic. pro P. Sextio, & lib. 1. de Divinat, &c.*

Ecquid in antiquam virtutem, animoſque viriles,
Et pater Æneas, & avunculus excitat Hector?

Et in X.

Spemque meam, patriæ quæ nunc ſubit æmula laudi.

Juſtin. lib. XLII. de Mithridate II, Parthorum rege: *Claritatem parentum, æmulatione virtutis accenſus, animi magnitudine ſupergreditur.* Idem lib. XXV. de Gallis à Brenno relictis ad tuendos fines: *Ne ſoli deſides viderentur,*

pedi-

peditum XV *millia, equitum* III. *millia armaverunt.* Præceſſerat, quæ alii Gallorum geſſiſſent.

Interdum autem & illi dicuntur æmulari, qui non ſimile bonum, ſed idem expoſcunt. Ut cùm Ulyſſes non minùs, quàm Ajax, arma expeteret Achillis. Unde ſic de eo Ajax apud Ovidium *:

* Met. 13.

Præmia magna peti fateor; ſed demit honorem
Æmulus Ajaci.

III. Quos, et quare æmulentur, et quomodo ad æmulandum concitemus.

ÆMulantur ſimiles. Iccirco Agathocles, bellum è Sicilia in Africam transferens, priùs ſervos ingenuis exæquavit, ut ea res æmulationem accenderet, dum nec liberti novi cedere volunt virtuti ingenuorum, quibus ab imperatore eſſent æquati: & ingenui ducerent ſibi turpe ab novis vinci libertis. Juſtinus lib. XXII. *Omnes deinde ſervos, militaris ætatis, libertate donatos, ſacramento adegit; eoſque, & majorem partem ferme militum, navibus imponit, ratus, exæquatâ utrinſque ordinis conditione, mutuam inter eos virtutis æmulationem futuram.*

Eorum, qui æmulantur, tres ſunt loci.

I. Quibus adſunt bona: ut fortitudo, ſapientia, magiſtratus. Quippe, qui in magiſtratu ſunt, optimam habent occaſionem de multis bene merendi.

Idem dictum volo de imperatoribus, & oratoribus. Nam & illi ſummam habent facultatem opitulandi aliis: ut Cicero oſtendit orat. pro Muræna; ubi artem imperatoriam, & eloquentiam, inter ſe confert.

II. Quibus multi ſe ſimiles eſſe exoptant: item, quibus multi familiares & amici eſſe gaudent: aut quos multi ſuſpiciunt, aut ii, quos ipſi ſuſpiciunt.

III. Quorum encomia ac laudes à poëtis, vel aliis ſcriptoribus, celebrantur. Qualis Achilles fuit: unde Alexander Magnus, cùm in Sigeo ad tumulum ejus adſtitiſſet †, *O fortunate*, inquiebat, *adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris.* Et Thucydides adoleſcentulus, cùm Herodotus hiſtoriam ſuam Olympiæ legeret, ita gloriæ ſtimulis agebatur, ut lachrymas tenere non poſſet. Quo conſpectu Herodotus, Oloro, ſive Orolo, patri ejus, dixit, Μακαρίζω σε τῆς εὐτεκνίας, Ὄλορε, ὁ γὰρ σὸς υἱὸς ὀργῶσαν ἔχει τὴν ψυχὴν πρὸς τὰ μαθήματα. Auctores Plutarchus, Marcellinus, & Suidas.

† Cic. orat. pro Archia poeta.

‡ Beatum judico te, Olore, ob egregiam prolem. Filius enim tuus animum habet, qui vehementi ſtudio atque impetu ad diſciplinas feratur.

Æmulantur propter ἀγαθὰ ἔντιμα, hoc eſt, bona honorata, ſive quorum præmium eſt honor. Sunt hæc triplicia. Alia ſunt τῆς ἀρετῆς ⸸: alia τῶν ὠφελίμων, ſive εὐεργετικῶν, hoc eſt, eorum, quæ utilia ſunt, & idonea ad bene faciendum: alia τῶν ἀπολαυστικῶν τοῖς πλησίοις, id eſt, quibus fruuntur propinqui.

⸸ Virtutis.

Concitatur æmulatio, ſi bona ea oſtendantur adeſſe ſimilibus, ut, qui etiamnum deſtituuntur, ad illa adſpirent.

IV. De affectu, qui æmulationi adverſatur.

ÆMulationi contraria eſt καταφρόνησις ſive *contemtio*; ut cùm eos deſpicimus, qui proſperâ quidem utuntur fortunâ, verùm bonis carent honoratis. Sanè, qui excelſo eſt animo, non movebitur alterius divitiis; ſed ex genere, & inprimis virtute, eruditione, ac ſimilibus, virum æſtimabit. Hinc Cicero in deperditâ oratione pro C. Cornelio, unde hæc ipſe auctor adducit in Oratore ad Brutum: *Neque me divitiæ movent; quibus omnes Africanos, & Lælios, multi venalitii, mercatoreſque, ſuperarunt: neque veſtis, aut cælatum aurum & argentum; quo noſtros veteres Marcellos, Maximoſque, multi eunuchi è Syria Ægyptoque vicerunt: neque verò movent me ornamenta iſta villarum; quibus L. Paullum, & L. Mummium, qui rebus his urbem, Italiamque omnem, referſerunt, ab aliquo video perfacile Deliaco, aut Syro, potuiſſe ſuperari.*

Porrò interdum iis, quos contemnimus, reſpondere dedignamur: interdum verò eos contumeliis vexamus. Cic. in Vatin. *Si tua tantummodo, Vatini, quid indignitas poſtularet, ſpectare voluiſſem: feciſſem id, quod his vehementer placebas, ut te, cujus teſtimonium propter turpitudinem vitæ, ſordeſque domeſticas, nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem: nemo enim horum aut ita te refutandum, ut gravem adverſarium, aut ita rogandum, ut religioſum teſtem, arbitrabatur. Sed fui paullo in te intemperantior fortaſſe, quàm debui. Odio enim tui, in quo, etſi omnes propter tuum in me ſcelus, ſuperare debeo, tamen ab omnibus penè vincor, ſic ſum incitatus, ut, cùm te non minùs contemnerem, quàm odiſſem, tamen vexatum potiùs, quàm deſpectum, vellem dimittere.* Habemus de æmulatione, & affectu contrario: qui ultimum locum obtinet inter affectus ab Ariſtotele expoſitos.

V. Concluditur doctrina de affectibus generali præcepto.

UNiverſam verò hanc παθολογίαν obſignabimus utiliſſimo hoc præcepto: in ciendis affectibus caput eſſe ut orator priùs eo affectu commoveatur, ad quem alium vult adducere: quemadmodum, præter Ariſtotelem, ajunt Cicero lib. II. de Orat., Horat. in Arte, Quinctilianus, ac alii magno numero: quorum judicio * *circa movendos affectus hæc ſumma eſt, ut moveamur ipſi.* Hoc cùm probè intelligeret Polus hiſtrio, Electram Sophoclis acturus, pro Oreſtis oſſibus oſſa filii ſumſit, qui paucis ante diebus diſceſſerat. Ea res cùm luctum verum revocaret in memoriam; fletu adeò miſerabili theatrum complevit, ut omnes eo commoti dolerent: teſte Agellio lib. VII. cap. IV. Neque ideo affectuum ſimulatione Oratori opus eſt, quia, ſi rerum imagines, de quibus tractat, firmiter animo conceperit; fieri nequit, ut non præter cæteros affectu commoveatur.

* Fabius lib. 6. cap. 2.

Cap. XIV.

De argumentis ἨΘΙΚΟΙΣ.

Tertia Inventionis pars conſiderat mores. Eſt autem morata oratio, quando indicat animi habitum, ac voluntatem. Spectatur in ea, tum convenientia, tum probitas.

Morum alii reſpiciunt oratorem, alii auditores, vel cives univerſé.

Mores, quos in oratore relucere oporteat, ſunt tres; prudentia, probitas, & benevolentia.

Mores civitatis cognoſcuntur ex fine reipublicæ; qui libertas eſt in democratia; legum diſciplina in ariſtocratia; divitiæ in oligarchia; cuſtodia in monarchia.

At ratione auditoris variant mores quadrifariam, pro quadruplici eorum diſcrimine. Primò enim differunt affectibus; ut irâ, lenitate, metu, miſericordia, &c. Secundò habitibus; ut virtutibus & vitiis. Tertiò ætate, quæ triplex eſt; juventus, vigor ſive ætas conſtans, & ſenectus. Quartò fortuna; quæ ſunt nobiles aut ignobiles, potentes vel impotentes, divites aut pauperes, fortunati aut infelices.

I. Quid sint ΤᾺ ἬΘΗ, et quæ in iis conſiderentur.

VIdimus argumenta παθητικά; ſuperſunt ἠθικά: illa maximè in juridiciali locum habent; hæc magis propria ſunt deliberativi. Quomodo autem à πάθει differant, tum ſupra † diximus, tum ex illis Jul. Scaligeri verbis liquet lib. III. de re poëtica cap. I: *Differt autem ἦθος, & πάθος, non ſolùm gradibus, ut ajunt, ita ut πάθος ſit*

† Lib. I. cap. 2. ſect. 2. & lib. 2. cap. 1. ſect. 1.

Digitized by Google

πάθος vocamus; sed quia ἦθος est principium agendi, πάθος autem patiendi. Itaque qui perturbatur, πάθος habet; ut invidus: qui perturbat, ἦθος; ut iracundus. At quamquam in omnibus est perturbatio, tam iis, qui perturbant alios, quàm iis, qui ab aliis perturbantur: tamen, qui propriè loquuntur, ita dicunt, ut ἦθος excitat ad actiones; πάθος comparet ad receptionem, & sit πάθος τοῦ ἤθους fundamentum. Cum video miserum, patior. Ea est quidem misericordia, quæ creat munificentiam: erit hæc ἦθος. Sic patior acceptâ injuriâ. Hoc parit fortitudinem ad depulsionem. ἦθος est fortitudo. Hæc ille.

Sunt igitur mores, ex quibus animi hominum perſpiciuntur. Ἔστι δὲ ἦθος τὸ τοιοῦτον, ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν, prout definit Ariſtoteles in arte Poëtica: indeque cognoſcere eſt, muta animantia non habere ἦθος, cùm non agant προαιρέσει ſive *conſilio*, ſed inſtinctu. At impropriè loquitur Ariſtoteles, cum in hiſtoriâ ſæpe iis tribuit ἤθη: uti & Plinius lib. XI. cap. XIII: *Quod maximè*, inquit, *mirum, mores habent.* Loquitur de apibus.

Hoc ipſum pleniùs cognoſcemus, ſi cogitemus, quibus rebus ſignificetur ac detegatur animi habitus alioqui occultus & abditus, cùm non cadat ſub ſenſum. Sunt autem duo, teſte Ariſtotele; ſermo, & actio. Nam colligimus, quibus aliquis moribus ſit prædictus, cùm eum aliquid vidimus agentem, aut dicentem. De actionibus apertius eſt, quàm ut dici aliquid debeat. De ſermone docet vetus ille Senarius:

> Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.
> * *Quis quiſque moribus ſiet, ſermo indicat.*

Terentii * quoque eſt: * Heaut. act. 2. ſc. 4.

> *Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.*

Ex Ariſtidis orat. 1. pro Rhetor. † Οὐκ ἀπεικότως δ' οὐδὲ ἡ παροιμία νικᾷ, ἡ λέγουσα, Οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτον εἶναι καὶ τὸν λόγον· καὶ πάλιν τὸ ἕτερον ὡσαύτως. *Nec ab eo recedit proverbium, quo dicitur, quales ſunt mores, talem eſſe orationem; & contrà de oratione ſimiliter ſe rem habere.* † Pag. 167. edit. H. Steph.

Sub ſermone etiam comprehendo, quæ ſcribuntur. Imò in omni quidem oratione animadvertere licet ingenium, & mores hominis: ſed nulla ex re magis indoles, quàm ex epiſtolis, relucet. Eoque in iis doctrina hæc de moribus vel maximè utilis eſt.

Et in his verò, & in omni ſermone actioneque, duo ſpectamus, τὸ ἁρμόττον, ſeu convenientiam, & τὸ χρηστόν, ſeu probitatem. Ejus rei exemplum, & quod multorum inſtar eſſe poſſit, habemus in Miloniana, ubi Tullius ita loquentem inducit reum: *Valeant cives mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati. Stet hæc urbs præclara, mihique patria cariſſima, quoquo modo merita de me erit. Tranquillâ Rep. cives mei, quoniam mihi cum illis non licet, ſine me ipſi, ſed per me tamen, perfruantur* &c. Cujuſmodi oratio non alii convenit, quàm & optimo pariter, & fortiſſimo viro: qualis, Ciceronis judicio, erat Annius Milo, pro quo dicebat.

II. Qui mores relucere debeant in oratore.

POrrò mores partim reſpiciunt oratorem, quem reddunt ἀξιόπιστον ‡; partim auditores, aut cives in univerſum. ‡ Fide dignum.

Mores, qui in oratore requiruntur, ſunt tres; prudentia, probitas, & benevolentia. Plato in Gorgia tria requirit in conſultore; ſcientiam, benevolentiam, & loquendi libertatem. Sed pro παρρησίας jure ſubſtituit Ariſtoteles probitatem, utpote magis neceſſariam. Quantum enim in perſuadendo probitatis opinio valeat; argumento illud erit, quòd vir bonus (modò conſtet, quid ſentiat) plus tacendo poſſit, quàm improbus ſuadendo. Ut omnino in eo habeat locum, quod ad Philadelphenſes de epiſcopo eorum ſcribit B. Ignatius: Σιγῶν πλεῖον δύναται τῶν πλέον λαλούντων· συνήρμοσται γὰρ ταῖς ἐντολαῖς Κυρίου, καὶ τοῖς δικαιώμασιν, ὡς χορδαῖς ἡ κιθάρα. *tacens plus poteſt, quàm alii plus loquentes. Convenit enim mandatis Domini, & juſtitiæ præceptis, velut chordæ congruunt cithara.*

Cicero lib. II. de Offic. ſolùm duo requirit, juſtitiam & prudentiam. Ita enim ait: *Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici poteſt; ſi exiſtimabimur adepti conjunctam cum juſtitiâ prudentiam. Nam & iis fidem habemus, quos plus intelligere, quàm nos, arbitramur; quoſque & futura proſpicere credimus, &, cum res agatur, in diſcrimenque ventum ſit, expedire rem, & conſilium ex tempore capere poſſe: hanc enim omnes exiſtimant utilem veramque prudentiam. Juſtis autem & fidis hominibus, id eſt, viris bonis, ita fides habetur, ut nulla ſit in his fraudis injuriæque ſuſpicio. Itaque his ſalutem noſtram, his fortunas, his liberos rectiſſimè committi, arbitramur.* Verùm præter hæc duo à Tullio requiſita, etiam benevolentiâ opus eſſe, ratio ipſa evincit. Nam, ut docet Ariſtoteles lib. II. Rhet. cap. III. non perſuadent, qui exiſtimantur ob imprudentiam malè ſentire; vel qui rei putantur intelligentes, ſed ob improbitatem aliter, ac ſentiunt, eloqui; vel denique qui pro prudentibus habentur, ac probis, ſed putantur alteri magis parti favere, quàm nobis, aut certè minùs, quàm alii, qui in eadem re aliud nobis dant conſilium. Sanè quantum valeat affectus, argumento erit, quòd Plutarchus in Marii vita *, cùm vellet dicere, P. Rutilii Rufi fidem, in libris de vita ſua, paullo eſſe ſuſpectiorem; agnoſcit, virum quidem fuiſſe veracem, ac probum; ſed addit, privatim fuiſſe Mario infeſtum. Quo ſatis indicat, non ſufficere, ſiquis ſit probus, & prudens; ſed præterea requiri, nequis amore, vel odio, ducatur. Hoc ſi in viris habeat integerrimis locum: quid de vilibus erit capitibus? Exemplum dabo ex eo, quod Xenophon ait penè initio libelli de Rep. Athenienſium. Dixerat, mirari fortaſſe aliquem, quòd Athenis omnibus liceat concionem habere, & conſilium dare; cùm à vilibus & malis nihil ſani debeat exſpectari. Huic rei ita occurrit. Ait, nihil mirandum eſſe, ſi in democratia magis talibus populus credat, quàm viris bonis ac præſtantibus. Nam longè maximam populi partem vilibus iſtis capitibus conſtare: quemque autem ſibi bene eſſe malle, quàm alteri. At viles iſtos in populari ſtatu conſulere ſui ſimilibus; cùm è contrario cives præſtantiores iis potiùs ſtudeant, qui ſimiles ſui, plebejis verò, & improbis iſtis, diſſimiles ſint. Sic enim inter alia loquitur: Οἱ δὲ γιγνώσκουσιν, ὅτι ἡ τούτου ἀμαθία, καὶ πονηρία, καὶ εὔνοια, μᾶλλον λυσιτελεῖ, ἢ ἡ τοῦ χρηστοῦ ἀρετή, καὶ σοφία καὶ κακόνοια. *Norunt nimirum, hujus imperitiam, ac vilitatem, cum benevolentia junctam, prodeſſe ampliùs, quàm viri boni virtutem, ac ſapientiam, conjunctam cum malevolentia.* * Pag. 169. edit. H. Step.

III. Quomodo consequatur orator, ut videatur prudens, probus, et benevolus.

PRudentiam oſtendit orator, ſi modeſtè, non audacter, doceat aut moneat alios: probitatem, ſi virtutes collaudet, ac vitia reprehendat: benevolentiam, ſi præ ſe ferat ſingularem amorem, & obſervantiam erga auditores, & remp. ac patriam; quæ potiſſima pars eſt moratæ orationis. Hâc de re egregiè Fabius, cujus ſententiam lib. IV. cap. II. his verbis conceptam invenire eſt: *Ne id quidem præteribo, quantum afferat fidem expoſitioni narrantis auctoritas, quam mereri debemus, ante omnia quidem vitâ, ſed & ipſo genere orationis. Quod quo fuerit gravius, ſanctius, hoc plus habeat neceſſe eſt in affirmando quoque ponderis. Effugienda ergo in hac præcipuè parte omnis calliditatis ſuſpicio: (neque enim ſe unquam magis cuſtodit judex:) nihil videatur fictum, nihil ſolicitum; omnia potiùs à cauſſâ, quàm ab oratore, profecta credantur. Sed hoc pati non poſſumus, & perire artem putamus, niſi appareat; cùm deſinat ars eſſe, ſi apparet.* Hæc elegantiſſimè & veriſſimè Fabius. Ab oratoris moribus captatur

tur benevolentia Divinatione contra Verrem: *Adductus*, inquit, *ſum, Judices, officio, fide, miſericordiâ, multorum bonorum exemplo, veteri conſuetudine inſtitutoque majorum, ut onus hoc laboris atque officii, non ex meo, ſed ex neceſſariorum meorum tempore, mihi ſuſcipiendum putarem.* Et pro Roſcio Amer. *Opprimi onere officii malo, quàm id, quod mihi cum fide ſemel impoſitum eſt, aut propter perfidiam abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere.* Et hæc de moribus, quatenus oratorem reſpiciunt.

IV. Variare affectus, tum pro natura gentis, tum pro genere Reip., tum pro quatuor iſtis modis, quibus ejuſdem etiam gentis ac Reip. homines inter ſe differunt.

PRoximum eſt, ut dicamus de moribus ratione auditorum. Quos trifariam cognoſcimus.

Primùm ex natura nationis. Nam Galli ſunt præcipites, nec longæ ſpei patientes. Hiſpani contrà lenti in conſiliis: in bello autem laboris ac diſciplinæ tolerantes: tumidi interim, & vile miniſterium, etiamſi ampla ſpes affulgeat, averſantes. Itali mentis ſunt reconditæ: Germani ſimplices & aperti. Poloni feroces, & quos fraude magis, quàm vi ſuperes: Moſcovitæ contrà fraudulenti. Longum eſſet omnia perſequi. Qui volet, adeat, quæ ingenioſè & eleganter de præcipuis gentibus Joannes Barclajus diſſeruit in Icone animorum, cap. III. & ſex proximè ſequentibus. Contentus nunc ero verbis unius ex antiquis: nempe Siculi illius Genethliaci, Julii Firmici Materni lib. I. Matheſios cap. I. *Scythæ ſoli immani feritatis crudelitate graſſantur. Itali ſiunt regali ſemper nobilitate præfulgidi, Galli ſtolidi, leves Græci, Afri ſubdoli, avari Syri, acuti Siculi, luxurioſi ſemper Aſiani, & voluptatibus occupati, Hiſpani elatâ jactantia animoſitate præpoſteri. Ergò Scytharum rabiem nunquam mitigat Jupiter: nec Italis aliquando Sol denegabit imperia: nec levitati Græcorum Saturni ſtella pondus imponit: nec Aſiana laſcivitas ſobriâ Jovis moderatione corrigitur: nec Siculorum acumen frigido ortu aliquando Saturni obtunditur: nec Syrorum avaritia laſcivis Veneris radiationibus temperatur: nec Afrorum malitioſa commenta, & bilingues animos, ſalutare Jovis ſidus impediet: nec Hiſpanorum jactantiam pigrum poterit Saturni lumen hebetare: nec Gallicam ſtoliditatem Mercurii ſapientiſſimum ſidus exacuet.* In quo an rectè de gentibus ſingulis judicium ferat, non eſt hujus loci diſputare. Satis eſt, ſi illud nunc extra controverſiam maneat, diverſam eſſe cujuſque gentis indolem; pro quâ τὸ ἠθικὸν in oratione mutare debeat orator.

Præterea mores cognoſcuntur ex fine Reip. de quo ſuperiùs in genere deliberativo ſatis diximus*.

* Lib. 1. cap. 3. ſect. [illegible]

Denique pro quadruplici auditorum diſcrimine variant τὰ ἤθη quadrifariam: idque in ejuſdem etiam gentis hominibus, ac ejuſdem Reip. civibus.

Nam vel diverſis ſunt affectibus, vel habitibus, vel ætate, vel fortunis.

Affectus plurimùm immutant; quia aliud ſuadet amor, aliud odium; aliud ira, aliud lenitas; aliud pudor, aliud impudentia; eademque aliorum eſt affectuum ratio; de quibus cùm antè dictum ſit, non eſt quòd ea hìc iteremus.

Pro habituum quoque diverſitate mores hominum ſunt diverſi; quomodo aliter affectus eſt vir juſtus, aliter injuſtus, aliter temperans, aliter intemperans. Sed de virtutibus vitiiſque nihil hìc affert Ariſtoteles; quia de iis egerat lib. I. cùm tractaret de genere demonſtrativo; cujus finis eſt honeſtum, vel turpe.

Tertiò mores variantur ratione ætatis; quia aliis ſunt moribus juvenes, aliis viri, aliis ſenes.

Poſtremò mores ſunt diverſi ratione fortunæ; ſive proſperæ, ſive improſperæ; tum in nobilibus, divitibus, potentibus; tum in iis, qui his opponuntur. Atque huc etiam refer ſexum, cùm aliter loquatur & conveniatur vir, aliter mulier: item vitæ genus, atque inſtitutum; cùm alia ſit ratio ineunda in urbano, quam ruſtico, aut milite; alius etiam affectus ſit ſacerdotis, alius judicis, alius mercatoris. Vide Corræum lib. de Elegia†; vel potiùs Cæſarem Scaligerum lib. III. de Re Poët. cap. XIII, XIV, XV.

† Pag. 31. & 33.

V. Quomodo ſecundum ætates humana vita diſtinguatur.

CUm igitur de duobus primis generibus actum ſit, ut dixi: ſupereſt, ut nunc mores diverſæ ætatis, diverſæque fortunæ, conſideremus.

Ætas eſt quadruplex, pueritia, juventus, ἀκμὴ ſive ætas conſtans, & ſenectus. Ita enim Hippocrates quoque dividit, cùm ait‡: Γέροντες εὐφορώτατοι νηστείην φέρουσι· δεύτερον, οἱ καθεστηκότες· ἥκιστα μειράκια· πάντων δὲ μάλιστα, παιδία· τούτων δὲ αὐτῶν ἃ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑαυτῶν προθυμότερα ἐόντα. *Senes facillimè jejunium ferunt; proximè poſt eos, qui ſunt ſtatâ ætate: minùs adoleſcentes: omnium minimè pueri: atque inter hos præcipuè, qui acriores ac promtiores ſunt ad aliquid agendum.* Ac ſimiliter Cornelius Celſus lib. I. cap. III. *Quod ad ætates verò pertinet, inediam facillimè ſuſtinent media ætates, minus juvenes, minimè pueri, & ſenectute confecti.* Sed jure Ariſtoteles tres tantùm ætates nominat; quia pueritia, quæ velut ſeminium eſt omnis ætatis, nihil huc facit. Neque enim oratori facienda ſunt verba ad pueritiam. Interim etiam hac inſuperhabitâ, quatuor ætates numerari poſſunt; adoleſcentia, juventus, virilis ætas, quæ Plauto* media vocatur, & ſenectus. Adoleſcentiam autem, & juventutem, merito diſtinguimus, etſi Latini promiſcuè etiam uſurpent; ut Seneca epiſt. XXX. *Quemadmodum*, inquit, *ſenectus adoleſcentiam ſequitur.* Salluſtius† quoque C. Cæſarem in Pontificatus Maximi petitione Catulo prælatum, adoleſcentulum vocat. Et Cicero Curionem, Craſſum, Sulpitium, annum jam trigeſimum, & quod excurrit, ſupergreſſos, nunc adoleſcentes, nunc juvenes vocat, ſecutus, ut videtur, luſtrationem à Servio Tullio conſtitutam, quo juniores dicebantur uſque ad annum XLVI. qua de re vide Janum Douzam in ſchediaſmate ſuccidaneo ad Tibullum: nec non Rob. Titium lib. V. Locorum controverſorum cap. XVI. & quæ in Originum libris diximus‡. Verùm, ſi præſtantium aliquot phyſicorum ſequimur ſententiam, juventus extenditur uſque ad annum XXX. Ἀκμὴ ſeu vigor corporis durat quinquennium; h. e. uſque ad annum trigeſimum quinctum; qui numerus reſultat ex quinque ſeptenariis. Eaque ἀκμὴ corporis, eſt ratio, cur Plato voluerit lib. IV. de legibus, quemque intra id temporis ſpacium uxorem capere. Atque idem in cauſſâ eſt, cur anno XXXV. ut Macrobius* teſtatur, quaſi coronâ deſperatâ artem athleticam deſinerent, qui ad eam uſque ætatem ſine ullo victoriæ præmio perveniſſent. Sed ἀκμὴ animi annos durat XX. puta ad annum uſque L. quæ ætas ſeptem conſtat ſeptenariis. Quicquid ab anno quinquageſimo reſiduum eſt, id aſſignatur ſenectuti: quam, etiam cùm longiſſima eſt, centeſimum annum non excedere, putat Lucianus in Hermotimo. Videlicet quia adeò inſolens eſt exceſſus iſte, ut prope miraculi loco habeatur. Optima eſt ſenectutis pars, quæ prima eſt: nempe ab anno quinquageſimo ad ſexageſimum: quæ dici poteſt *cruda viridiſque ſenectus*†. Galeno lib. V. de ſanitate tuenda, qui intra hoc ſpatium ſunt, dicuntur ὠμογέροντες. Nec iccirco, quicunque ſexageſimum exceſſere, mente ſunt exſenſâ, & corpore vieto, tardigenulo ac veternoſo: quia aliquos reperire eſt ſupra eam ætatem virides animo, ac vigentes, & cum corpuſculo ſuo colluctantes: ut de Clarano, condiſcipulo ſuo, ſcripſit Seneca epiſt. LXVI. Et Theophraſtus‡, jam exactis LXXXIV.* annis, cùm ſentiret, prope adeſſe vitæ terminum,

‡ Lib. 1. aphoriſm. ſect. 1. aph. 13.

* In Aulul. Act. 2. ſc. 1.

† In Catil.

‡ Voce Juvenis.

* In Somn. Scip. lib. 1. cap 6.

† Virg. 6. Æn.

‡ Pro eo corruptè Themiſtocles legitur apud Hieronymum epiſt. ad Nepotianum. Hieronymum ſecutus Hugo in Didaſcalicis parte 2. atque Jacobus Magnus Toletanus Sophologii cap 4.

* Ita Laertius: pro quo centum & ſeptem eſt apud Hieronymum, eadem ad Nepotianum epiſt.

mum,

num, dixiſſe fertur, ἡμεῖς ὁπότ' ἠρχόμεθα ζῆν, τότ' ἀποθνήσκομεν, *Vivere cùm incipimus, vivere deſinimus.* Laërt. in vit. Theophr. Itaque, ut Juriſconſulti * docent, infantiam quidem dicemus extendi uſque ad annum ſeptimum, ætatem pupillarem uſque ad annum quartum decimum, pubertatem & adoleſcentiam, uſque ad vigeſimum quinctum: juventutem verò, ætatem virilem, & ſenectutem, ſtatuendum, non adſtringi ad certos annos, ſed ex habitu corporis atque animi diſcerni. Qua de re Alciatus lib. x. Παρέργων Juris cap. x. Brechæus in Tit. De verborum ſignificantionibus †, ac juniorum alii magno numero. Quod ſi & ex antiquis nonnulla de ætatibus voles, adi Philonem lib. de mundi opificio ‡, Agellium lib. x. cap. XXVIII. Cenſorinum de die natali cap. XIV. & Macrobium in Somnium Scipionis lib. I. cap. VI.

** L. ſi infanti. C de jur. delib.*

† Pag. 416. & ſeq.

‡ Pag. 16. & 17. edi. Turneb.

VI. QUOMODO ÆTAS JUVENILIS, SENILIS, ET MEDIA, MORIBUS DIFFERANT.

ATque hunc in modum ætates diſtinguuntur. Nunc videamus, quomodo moribus differant juvenes, viri, & qui mediæ ſunt ætatis.

I. Juvenes flagrant cupiditatibus, præcipuè Venereis. Ut Terentianus Chærea *, quando ait:

— Hanc tu mihi vel vi, vel clàm, vel precariò,
Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modò.

** Eun. act. 2 ſc. 3.*

Item †:

— Abduc, duc, quantùm potes.

† Aliquanto poſt.

Nempe, excuſſo rationis freno, ſeſe, quantus quantus eſt, cupiditati mancipat. Rectè igitur apud eundem ait Demea *:

— Quæ vos propter adoleſcentiam
Minus videtis, magis impensè cupitis, conſulitis parùm.

** Adel. act. 5. ſc. 9.*

Similiter de iis judicat B. Chryſoſtomus epiſt. 111. ad Olympiadem: Ἡ † πολλὴ τῆς ἐπιθυμίας ζάλη, ἀσθενέστερος δὲ ὁ λογισμός. Nimirum, ut S. Baſilius ‡ ait, τῆς * νεότητος ἐπιθυμίαι δυσκάθεκτοι. Eoque, ut cum Euripide dicam, τὸ † ἡβῶντα οὐ ῥᾴδιον εἴργειν. Unde ab ætate Cœlium Cicero excuſat, quòd cum Clodia conſueſceret. Propterea quoque antiqui meretricios amores conceſſère huic ætati. Notum illud eſt ‡ Mitionis apud Comicum:

Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum
Scortari.

Et Catonis hoc apud Horatium *, de adoleſcentia ingredeunte lupanar:

Nam ſimulac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes æquum eſt deſcendere.

Sed hæc non S. Scripturis modò refelluntur: verùm etiam è ſanioribus philoſophis. Notum Epicteti † illud: Περὶ Ἀφροδίσια πρὸ γάμου καθαρευτέον. *A Venereis ante nuptias mundos eſſe convenit.* Ac ſimiliter hujus æqualis, Muſonius: Ὅσαι συμπλοκαὶ, μοιχείας ἐκτὸς οὖσαι, ἐστερημέναι τοῦ γίνεσθαι κατὰ νόμον, καὶ αὗται πᾶσαι αἰσχραί. πράττονται γὰρ δι' ἀκολασίαν. *Concubitus omnes, etiamſi non fuerit adulterium, ſi non juxta legem fiant, turpes & ipſi ſunt. Ut qui ſolius libidinis cauſſa fiant.*

† Magna eſt concupiſcentiæ tempeſtas: ratio verò longe imbecillior.

‡ In cap. 3. Jeſ. p. 903. ed. Mor.

** Juventutis effrenes ſunt cupiditates.*

† Haut facile eſt pubeſcentem compeſcere.

‡ Adel. act. 1. ſc. 2.

** Lib. 1. ſat. 1.*

† Enchir. cap. 47.

Neque in libidine tantùm, ſed etiam cæteris in rebus, vehementes eſſe cupiditates adoleſcentiæ ſolent. Nimirum nondum totam exuêre pueritiam. De pueris verò ſic Tullius lib. v. de Fin. *Quanta ſtudia decertantium ſunt! quanta ipſa certamina! ut illi efferuntur lætitiâ cum vicerint! ut pudet victos! ut ſe accuſari nolunt! quàm cupiunt laudari! quos illi labores non perferunt, ut æqualium principes ſint!* Adoleſcentiæ etiam ſimiles eſſe mores, clarè idem oſtendit pro M. Cœlio, his verbis: *Non loquor de ſapientia, quæ non cadit in hanc ætatem: de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam. quæ ſtudia in his jam ætatibus noſtris contractiora eſſe debent. in adoleſcentia verò, tanquam in herbis, ſignificant, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtria ſint futuræ.* Quibus ex verbis etiam cognoſcimus, acre hoc adoleſcentiæ deſiderium ad virtutem plurimùm conferre. Et ſanè dicam liberè, abſque illo animi impetu numquam contingit, ut quiſquam ſolidam aſſequatur gloriam. Propterea talem jam à puero oratorem futurum Fabius optat lib. I. cap. III. *Mihi*, inquit, *ille detur puer, quem gloria juvet, qui victus fleat. Hic erit alendus ambitu, hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit: in hoc deſidiam nunquam verebor.* His moribus non in pueritia modò erat M. Brutus; ſed etiam in adoleſcentia: de quo Julius Cæſar, Tullio teſte ‡, dicebat: *Magni refert hic quid velit: ſed quicquid vult, valde vult.* Quod Plutarchus * ita expreſſit: Οὗτος ὁ νεανίας οὐκ οἶδα μὲν ὃ βούλεται, πᾶν δὲ ὃ βούλεται, σφόδρα βούλεται. Certè quia affectus juvenum vehementes ſunt, ideo Græci νεανικὸν accipiunt pro magno; ut apud Ariſtotelem † πόροι νεανικοὶ, & Ariſtophanem in Pluto κρέας νεανικόν; eodemque modo ab Athenæo Caſaubonus ‡ dici putat λοπὰς νεανική, ut ſit *patina ingens*; non *olla nova*, quomodo verterat Dalecampius.

‡ Epiſt. 1. lib. 14. ad Att.

** In Bruto.*

† Lib. 1. Hiſtor. Animal.

‡ Lib. 4. Animadv. in Athen. cap. 21. & vide lib 13. cap. 9.

Etſi autem affectus juvenum ſint vehementes: tamen citò iidem etiam pulchris fatigantur, ſemperque novitate capiuntur improviſâ. Facile nempe ſatiantur; quemadmodum ægroti ſolent. Unde illud poëtæ Venuſini de hac ipſa ætate *:

— Cupiduſque & amata relinquere pernix.

** In Arte Poët.*

Atque hinc etiam cauſſam cognoſcimus, cur adoleſcentia amicitias, nec ſatis magno judicio eligat; nec ſatis conſtanter, adverſus oboriens faſtidium, tueatur. Nimirum impedimento eſt τὸ † κοῦφον, καὶ εὐκίνητον τῆς νεότητος: ut loquitur Baſilius ‡.

† Quod levis ſit juventus, & admodum mobilis.

‡ In cap. 3. Eſa.

Et talia quidem ſunt deſideria juvenum. At in ſenibus deferbuit cupiditas: eoque ab iis tam acre illud, quàm deſultorium hoc, abeſt.

II. Juvenes item, & facilè, & vehementer excandeſcunt, propterea quòd ſint φιλότιμοι *; & ob corporis vires ſciant, ſe præſtare poſſe, quæ ira juſſerit. Exemplo fuerit Gyas, de quo ita Maro †:

** Honoris avidi.*

† 5 Æn.

Tum verò exarſit juveni dolor oſſibus ingens:
Nec lachrymis caruere genæ: ſegnemque Menœten,
Oblitus decoriſque ſui, ſociùmque ſalutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.

At diſpar eſt ſenum ratio: quia facilè quidem & ipſi ſuccenſent; ſed non æquè parent iræ. Ferunt enim, quæ juvenes non ferrent: unde Horatius ‡ ſcitè:

‡ Lib. 3. od. 14.

Lenit albeſcens animos capillus
Litium & rixæ cupidos protervæ.
Non ego hoc ferrem calidus juventâ,
Conſule Planco.

Nimirum norunt ſenes, non adeo ſibi proclivè eſſe alios ulciſci. Accedit, quòd naturæ frigus calorem ex ira provenientem celeriùs exſtinguit; unde fit, ut acutæ quidem eorum ſint iræ, ſed citò diſſolvantur. Id voluit Ariſtoteles, cùm ſcripſit, καὶ οἱ θυμοὶ ὀξεῖς μὲν εἰσιν, ἀσθενεῖς δέ. h. e. *iræ ſenum acres quidem ſunt, ſed imbecilles.* Confirmat hanc Ariſtotelis ſententiam Lucianus *; quando expoſtulantem cum Jove Timonem inducit, quòd jam ſenex inultam hominum malitiam ſinat; cùm longè iracundior fuerit in juventute. Audiamus ipſum: Λημᾷς δὲ, καὶ ἀμβλυώττεις πρὸς τὰ γιγνόμενα, καὶ τὰ ὦτα ἐκκεκώφωσαι, καθάπερ οἱ παρηβηκότες· ἐπεὶ νέος γε ἔτι, καὶ ὀξύθυμος ὤν, καὶ ἀκμαῖος τὴν ὀργὴν, πολλὰ κατὰ τῶν ἀδίκων καὶ βιαίων ἐποίεις. *At cæcutis lippitudine, & alucinaris, ad ea, quæ fiunt, atque aures obſurduere, ſicut iis, qui ætate jam ſunt confecti. Quandoquidem, cùm juvenis fores, & acris animi, & præceps ad iram, multa agebas adverſus iniquos, & violentos.* Et aliquantò pòſt: Ἐπιδείξαιό τινα χολὴν ἀνδρώδους καὶ νεανικοῦ Διός. *Oſtende iram aliquam ſtrenui illius ac juvenilis Jovis.* In eodem etiam dialogo Mercurius ait Timoni: Ἀλλ' ἔα τὰ ὀργίλα ταῦτα, καὶ μειρακιώδη. *Sed mitte iracunda hæc, & juvenilia.* Neque Ariſtoteli adverſatur Ammianus Marcellinus, cujus illud lib. XXVII, ubi de irâ Valentiniani agit: *Hanc eſſe animi ulcus diuturnum interdumque perpetuum,*

** In Timone.*

petuum prudentes definiunt, naſci ex mentis mollitie conſuetum, id aſſerentes argumento probabili, quod iracundiores ſunt incolumibus languidi, & fœminæ maribus, & juvenibus ſenes, & felicibus ærumnoſi. Non, inquam, adverſatur ei, quod antè ex Ariſtotele retulimus; quia Ammianus videtur juvenes vocare juxta inſtitutum Servii Tullii, quo juniores ſunt uſque ad annum XLVI. Argumento eſt, quòd Plutarchus, è cujus περὶ ἀοργησίας libro totus ille locus deſumtus eſt, pro eo dixit καὶ γέροντες ἀκμαζόντων ὀργιλώτεροι *. Confirmat quoque eandem rem illud Sophoclis apud Scholiaſtem Euripidis:

* *Et ſenes ſunt iracundiores iis, quibus florida ac valida eſt ætas.*

> Ὀργὴ γέροντος, ὥσπερ μαλθακὴ κοπίς,
> Ἐν χειρὶ θήγει, ἐν τάχει δ᾽ ἀμβλύνεται.
> *Senilis ira, mollis in guttæ modum,*
> *Pungit manum, ſed illico retunditur.*

Ita Nazianzenus de Euſebio ſcribit, eum, cùm rigidior fuiſſet olim, nunc ſenio malaciſſari. Ὥσπερ σίδηρος, inquit, πυρὶ τῷ χρόνῳ μαλάσσεται, *ut ferrum igni, ita hic ſenio molleſcit.* Lucianus quoque in tyrannicida collationem inter tyrannum, ac filium ejus, inſtituens, de tyranno ipſo ait: Μετριώτερος δὲ ὁ πρεσβύτης ἦν παραπολύ, καὶ πρὸς τὰς ὀργὰς ἠπιώτερος, καὶ πρὸς τὰς κολάσεις ἀμβλύτερος, καὶ πρὸς τὰς ἐπιθυμίας βραδύτερος, ὡς ἂν ἤδη τῆς ἡλικίας τὸ μὲν σφοδρότερον τῆς ὁρμῆς ἐπεχούσης, τὰς δὲ τῶν ἡδονῶν ὀρέξεις χαλιναγωγούσης. *Porrò ſenex longè fuit moderatior: quippe in ira mitior, in pœnis lenior, ad voluptates tardior: ut cui ætas jam vehementiam appetitus cohiberet, ac cupiditates voluptatum refrænaret.*

Nec ei, quod vir eruditiſſimus, Hadrianus Junius †, ſcripſit, adverſatur Ariſtophanicum illud in Veſpis:

† *Proverbio* Senis ira.

> —— τὸ γένος ἤν τις ὀργίσῃ
> Τὸ τῶν γερόντων, ἔσθ᾽ ὅμοιον σφηκιᾷ.
> —— *Qui ſenum irritat genus,*
> *Perinde, quàm ſi concitet veſpas, agit.*

Neque enim aliud innuit Comicus, quàm quod moroſi ſint ſenes, facileque iraſcantur; quod Ariſtoteles quoque, & Sophocles, agnoſcunt.

III. Præterea in juvenibus prolubium eſt, ac prolixus animus, magiſque famâ, quàm fame, commoventur, quia neſciunt, quid ſit egeſtas. Unde Horatio ‡ juvenis dicitur,

‡ *In Arte.*

> *Utilium tardus proviſor, prodigus æris.*

At ſenes habent alios illiberaliter, atque, ut inquiebat ille apud L. Pomponium, Atellanarum ſcriptorem, rumorem parvi faciunt, dum ſit rumen quì impleant. Norunt enim, quàm difficilè pecuniæ acquirantur. Quod ſi quavis ætate difficile ſit, opes parare: quanto magis in ſenectute! Inopiam igitur timent ſenes; ad quam ſi redigantur, effœtis jam viribus, vitam tueri neutiquam poſſint. Atque hoc eſt, quod Terentius ait Adelphis *:

* *Act. 5. ſc. 3.*

> *Solum unum hoc vitium affert ſenectus hominibus:*
> *Attentiores ſumus ad rem omnes, quàm ſat eſt.*

Et Horatius in Arte:

> *Multa ſenem circumveniunt incommoda: vel quòd*
> *Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti.*

Quod vitium jure taxat Cicero in Catone ſuo: *Avaritia ſenilis,* ait, *quid ſibi velit, non intelligo. Poteſt enim quicquam eſſe abſurdius, quàm, quo minus viæ reſtat, eo plus viatici quærere?*

Sed Simonides argutè hoc argumentum eludere conabatur. Siquidem rogatus, cur extrema in ſenectute ad rem foret attentior, reſpondit †, malle ſe defunctum opes relinquere inimicis, quàm vivum egere amicis. Quo ſimul amicorum inconſtantiam arguebat.

† *Stobæus ſerm. de injuſtitia & avaritia.*

IV. Juvenes bonis ſunt præditi moribus, quia omnia optimè interpretantur, οὐκ ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς παραδείγματα ὁμοιοπαθῆ τοῖς πονηροῖς, *non habentes in ſe ipſis exempla earum perturbationum, quas improbi*; ut ait Plato lib. III. de Repub. At ſenes cuncta rapiunt in deteriorem partem.

V. Juvenes ſunt creduli, quia nondum ſunt vulpionum dolis redditi cautiores. Senes ſunt στρεψίμαλλοι, & ingeniati ad fraudes, atque, ut loquitur Poëta apud Ciceronem, ad verſutiloquas ‡ malicias; ideoque etiam ſunt ſuſpicioſi: unde fit, ut, quos publicitus non vellicant, hos tacitè cogitationis convicio verberent.

‡ *Niſi cum P. Victorio legere malis* verſutiloquax. *Vide eum notis in Demetrium pag. 157. edit. Flor. Sed vitioſi codices Nonii eum deceperunt.*

VI. Juvenes ſunt εὐέλπιδες *, nec in maximis animum deſpondent: quod partim naturâ fit, quia multùm habeant caloris nativi; partim experientiæ defectu, quia non vident, cur haſtas abjicere debeant, cùm aut nunquam, aut rarò, ſpe exciderint; partim ætatis privilegio, quia plurimum temporis reſidui habere ſibi videantur. Ita de Alexandro juvene ſcribit Plutarchus in vitâ ejus, cùm primùm Perſarum oram conſpexiſſet, quæcunque haberet, amicis donâſſe; ac rogatum, quid ſibi ſervaſſet, reſpondiſſe, ἐλπίδα †. E contrario ſenes facilè deſperant, tum quia calor naturalis in iis refrigeratus eſt; tum quia ſæpe ſpe ſunt fraudati; tum quia puſillum id temporis eſſe judicant, quod reſtat. Quare & de præteritis gaudent ſermones cædere; unde ſenex Horatio ‡ dicitur *laudator temporis acti.* Ita Euander apud Maronem VIII. Æn. referre gaudet, quæ juvenis geſſerat:

* *Pleni bonæ ſpei.*
† *Spem.*
‡ *In Arte.*

> *Qualis eram, cum primam aciem Præneſte ſub ipſa*
> *Stravi, ſcutorumque incendi victor acervos,*
> *Et regem hac Herilum dextrâ ſub Tartara miſi,* &c.

Ac ſæpe in eo, atque adeò omni ſermone, modum tenêre neſciunt. Nempe à natura hoc iis datum videtur, ut qui maximè poſſunt, alios etiam maximè aveant docere. Sanè Homerus quoque diſertiſſimum Neſtorem paſſim inducit verboſum: neque enim auſim cum aliis dicere σπερμολόγον *. Ac contemtim ſatis Menelaus apud Euripidem ait, Pelea ſenem nihil aliud poſſe, πλὴν λέγειν μόνον †. Contentiſſimè autem Maximianus, qui vulgò diu creditus eſt Cornelius Gallus ‡.

* *Garrulum ac nugatorem.*
† *Quàm tantummodo dicere.*
‡ *Eleg. 1.*

> *Deficit auditor, non deficit ipſe loquendo.*
> *O ſolâ fortes garrulitate ſenes!*

Sed etſi veriſſimum ſit, ſenum nonnullos audientibus crucem figere longis logis ſuis: id tamen condonandum iis, ob virtutes, quibus hoc vitium abunde compenſant. Quin indignus videatur, qui ad ſenilem pertingat ætatem, ſiquis perferre nequeat hanc loquacitatem, eamque innoxiam.

VII. Juvenes ſunt verecundi, quia cùm honeſtum & turpe dignoſcere per ſe nequeant, judicium de eo ferunt ex prima inſtitutione. At ſenes inverecundi ſunt, quia, dum lucro omnia metiuntur, ſæpe pudor & honeſtas per eos pedibus trahantur licet. Hinc Admetus parenti ſuo ait apud Euripidem *:

* *In Alceſtide.*

> Φεῦ, φεῦ, τὸ γῆρας ὡς ἀναιδείας πλέον.
> *Heu, heu, ſenectus plena ut impudentia eſt!*

VIII. Juvenes ſunt μεγαλόψυχοι †, ſive, ut Horatius ‡ pro eo dicit, *ſublimes.* Senex verò

† *Magnanimi.*
‡ *In Arte.*

> —— *res omnes timidè gelidèque miniſtrat:*

ut idem * inquit. Imò ſæpe nec tentare aliquid audet, quale res requirat. Exemplum habemus apud Herodotum †, in convivio, quo Amyntas, Macedoniæ rex, excepit Perſas. In quo cùm Perſæ impudicè attrectarent feminas, Ἀμύντης μὲν ταῦτα ὁρέων, ἀτρέμας εἶχε, καίπερ δυσφορέων, οἷα ὑπερδειμαίνων τοὺς Πέρσας· Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Ἀμύντεω, παρεών τε καὶ ὁρέων ταῦτα, ἅτε νέος τε ἐὼν καὶ κακῶν ἀπαθής, οὐδαμῶς ἔτι κατέχειν οἷός τ᾽ ἦν. *Amyntas quidem iſta videns, etſi ægre ferret, ſe tamen continebat, quia Perſicum nomen ſupra modum metueret. At Amyntæ filius Alexander, cùm adeſſet, & hæc cerneret, nequaquam potuit ea perferre: quippe qui adoleſcens eſſet, nec malorum expertus.* Ubi cauſſam etiam apponi videmus hujus diverſitatis. Nempe quòd adoleſcentes nihil adverſi ſenſerint in vita: ſenes verò, multis malis edocti, ſciant, quantis periculis obnoxia ſint humana omnia. Cui cauſſæ addere poſſumus alteram à temperamento, quia ſenibus frigus, ſanguinem condenſando, ingenium etiam obtundit. Ab utrâque hac cauſâ eſt ſollicita adeò cogitatio; quæ efficit, ut etiam tuta anxiè circumſpiciant, ac ſæpe nimio pavore præclara quoque conſilia corrumpant. Ita abfuit parùm, quin Fabius Maximus Cunctator conſilium Scipionis de transferendo in Africam bello, quo rem ille Romanam penitus reſtituit, eo everſum iret, quòd meticuloſè nimis peri-

* *Ibidem.*
† *In Terpſichore.*

pericula omnia expenderet. Quare etſi ſenes, ob longam rerum experientiam, magnificè de ſe ſentiant, ac ſæpiùs juvenum conſilia habeant deſpicatui: interdum tamen magnos juvenum animos præferre convenit curæ ſenum, plus quàm ſatis eſt, accuratæ.

IX. Juvenes honeſtum præferunt utili, rectam ſecuti indolem & muſteæ ætatis, ut Nævius appellat, ſalutaria documenta. At ſenes utile præferunt honeſto, quia nihil in vitâ habent carius vitâ, cujus parum ſupereſt.

* *Amicis amici.*

X. Juvenes ſunt φιλόφιλοι *, quia ſocietate gaudent, & amicitias honeſto potiùs, quàm utili, metiuntur. Senes, ex regulâ Biantis, amant tanquam aliquando oſuri, & oderunt tanquam aliquando amaturi.

† *Nequid nimis.*

‡ *Forſan.*

XI. Juvenes plurimùm tranſgrediuntur præceptum illud Chilonis, μηδὲν ἄγαν †. Peccant enim ſemper in exceſſu; cujus etiam argumentum eſt, quòd omnia, ut certiſſima, aſſeverant. At ſenes peccant in defectu. Iidem crebrò decepti, ut plurimùm in ſermonibus addunt illud τάχα ‡.

XII. Juvenes ſunt quidem μεγαλαδικητικοί, h. e. vehementer proni ad injuriam inferendam: verùm contumeliæ potiùs, quàm malitiæ cauſsâ, alios mactant infortuniis: unde Ælianus, ludens epiſtolâ Oporæ ad Dercyllum amatorem, vinum quoque novum ait contumelioſum eſſe ob ætatem: καὶ οἶνος ὑβριστὴς διὰ νεότητα. Contumeliæ autem cauſsâ fieri dicitur, quod fit ob voluptatem, quam quis ex eo percipit, quòd videatur ἄλλων ὑπερέχειν *. Ita Alcibiades Hipponico, viro & genere & opibus præſtanti, colaphum impegit, οὐχ ὑπ' ὀργῆς ἢ διαφορᾶς τινος προαχθεὶς, ἀλλ' ἐπὶ γέλωτι συνθέμενος πρὸς τοὺς ἑταίρους †: ut in Alcibiade ſcribit Plutarchus. At ſenum diſpar ratio, qui magis injurii ſunt ob malitiam, quàm ob contumeliam.

* *Aliis eſſe præſtantior.*

† *Non ira aut ſimultate impulſus; ſed cùm per luſum conſtituiſſet id cum ſodalibus.*

XIII. Juvenes ſunt miſericordes, quia ex ſuo ingenio de aliorum judicant innocentiâ. Nam, ut Tullius ait ad Quinctum Fratr. *Ut quiſque eſt vir optimus; ita difficillimè, eſſe alios improbos, ſuſpicatur.* At ſenes miſericordes quidem ſunt: ſed ideo, quia ob infirmitatem ſuam metuunt, ne ſimile ſibi immineat.

‡ *In Arte.*
* *Lib. 13.*
† *In Catone Majore.*

XIV. Juvenes etiam ſunt propenſi ad riſum, eoque etiam ad dicacitatem. Ac ſenes facetias aſpernantur: quippe ὀδυρτικοὶ, καὶ φιλαίτιοι, hoc eſt, *difficiles, queruli*, ut Horatius ‡ expreſſit. Ac Sillio * ſimiliter dicitur *queribunda ſenectus.* Eo autem queruli ſunt, & moroſi; quia, ut Tullius † inquit, *contemni ſe putant, deſpici, & illudi.* Atqui, ut continuò addit, *in fragili corpore odioſa omnis offenſio eſt.* Tales autem qui ſunt, non poſſunt eſſe εὐτράπελοι καὶ φιλογέλοιοι ‡. Siquidem ἐναντίον * τὸ ὀδυρτικὸν τῷ φιλογέλωτι, ut Ariſtoteles ait. Quare cauſſa hujus diverſitatis eſt, quòd bona ætas ut Tullio † juventus vocatur, & animo & corpore viget vegetque, & voluptatibus fruitur. Contrà ſenectus, quæ *mala ætas* dicitur Accio ‡, Turpilio, Plauto, voluptatum eſt expers, viribus effœta, morbis obnoxia: ut conqueritur ſenex ille Menæchmis *:

‡ *Faceti, & jocorum ſtudioſi.*
* *Querulum, & jocoſum, ſunt contraria.*
† *In Cat. maj.*
‡ *Nonius in Senium.*
* *Act. 5. ſc. 2.*

—— Conſitus ſum
Senectute, onuſtum gero corpus, vires
Reliquere, ut ætas mala, merx mala eſt ergo.

Accedit etiam ad cætera ſenectutis mala angor ille ex cogitatione mortis propinquæ. Unde Tullius de Senect. *Quarta reſtat cauſſa, quæ maximè angere atque ſollicitam habere noſtram ætatem videtur, appropinquatio mortis, quæ certè à ſenectute non poteſt longè abeſſe.* Nimirum ſenes ſunt φιλόζωοι †. Imò quo morti ſunt viciniores, hoc ſunt vitæ cupidiores. Cujus ratio eſt, quia cupimus ea, quibus deſtituimur. At, extremâ ætate, quodammodo caremus vitâ; quia tota jam quaſi effluxit. Sed Cato apud Tullium in eo totus eſt, ut doceat, ſenectuti non eſſe timendam mortem, ac denique de ſe ipſo concludit: *Quod ſi quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repueraſcam, & in cunis vagiam, valde recuſem: nec verò velim, quaſi decurſo ſpatio, à carcere ad calces revocari.*

† *Cupidi vitæ.*

Quod ad ἀκμὴν, ſive virilem ætatem, ea adoleſcentiæ errores videt, ſeque improvidè adeò in multis egiſſe, multùm miratur, & propterea, quicquid à ſe peccatum fuit, emendare conatur. Nec jam acres adeò ſunt affectuum ſtimuli, quia fervor ille ſanguinis remiſit. Itaque ut ætas ea inter juventutem, & ſenium, veluti in medio, conſtituta eſt: ita etiam intermediam obtinet naturam. Nam, quæ bona adoleſcentia & ſenectus habet diviſa, ea vigor ætatis habet conjuncta: & quæ juventus ac ſenectus habent in exceſſu & defectu, ea virilis ætas habet in mediocritate. E. G. Juventus reſpicit honeſtum, non utile; ſenectus utile, non honeſtum; virilis ætas, & honeſtum, & utile. Hinc Horatius in Arte:

Converſis ſtudiis ætas animuſque virilis
Quærit opes & amicitias, inſervit honori:
Commiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret.

Juventus fortis eſt, ſed intemperans; ſenectus temperans, ſed timida; virilis ætas fortis, & ſicca ſobriaque. Juventus nimis credula; ſenectus nimis ſuſpicioſa; virilis ætas pro rerum naturâ confidit aut diffidit. Et ſic de cæteris. Atque hæc de morum diſcrimine, ratione ætatis. De quo ex Ariſtotele etiam hauſit ea Elias Cretenſis, quæ adfert commentario in orat. 1. Nazianzeni *. Nempe doctrina hæc utilis eſt non modò in foro, aut curia, ſed etiam in eccleſia. Admodum præterea neceſſaria eſt poëtæ: quâ de re ſic Horatius in Arte:

* *Col. 61. & 63. edit. Claud. Morell.*

Si plauſoris eges aulæa morantis, & uſque
Seſſuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat:
Ætatis cujuſque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſque decor naturis dandus, & annis.

VII. Quid nobilitas sit, et quot modis dicatur.

Poſtremò differunt mores ratione nobilitatis, potentiæ, divitiarum, aut felicitatis. Quid ſit nobilitas, pauci ſciunt. Vulgò certè exiſtimant, à Cæſare, aut Rege, quemquam nobilem creari; cùm inſignia quidem nobilitatis conferre poſſint, nobilitatem non poſſint. Neque enim, ſi rex, Neroniano aut Phalarico præditus ingenio, nobilem porrò cenſeri velit, jubeat, hominem nihili, cujus ſibi opera in ſceleribus patrandis utilis fuerit, is nobilis icciro judicari debet: quin nobilis, antiquitatis judicio, per ſe fit, qui tyrannum hunc è medio tollit; uti argumento nobis eſt Harmodii & Ariſtogitonis exemplum. Eſt nempe nobilitas nominis ſplendor. Quippe, ut *nomen*, ita & *nobilis*, à noſcendo dicitur. Cùm autem & ſcelere quiſpiam nobilis dici poſſit, ea, quâ de hic agimus, nobilitas, eſt claritas nominis cum laude conjuncta. Sed neque hæc nobilitas eſt uniuſmodi; cùm quidam nobiles per ſe fiant, alii naſcantur. Per ſe quis nobilis fit, tum eruditione, non illâ vulgari, ac pædagogicâ; ſed præcellenti, quâ quis longè lateque nomen ſuum diffundit: tum virtute, non quidem eâ, quam in omnibus requirimus, qui probi haberi volunt; ſed heroicâ, ſuique in admirationem cæteros rapiente. Ita eruditione nobiles fuere Homerus, Euripides, Maro &c. Virtute nobiles facti Iphicrates, Scævola Sicinius Dentatus &c. Qui verò nobiles naſcuntur, hi vel nobiles ſunt antiquis divitiis; cujuſmodi innumeros hodie videre eſt, qui nec ipſi memorabile quicquam præſtiterint, neque laudare parentes queant facti illuſtres: vel, quæ potior nobilitas eſt, nati ſunt majoribus, qui egregium ſibi nomen pepererint. Ita apud Romanos nobiles cenſebantur, qui jus habebant ponendæ imaginis: id verò iis duntaxat conceſſum erat, qui magiſtratum geſſerant curulem: eoque hi nobiliores cenſebantur, quo atria pluribus inſigniebantur imaginibus, quas poëtæ *ceras* appellant, quia nihil aliud erant, quàm capita pectore tenus è cerâ effigiata. Porrò horum quidem, qui nobiles naſcuntur, alii ſunt εὐγενεῖς, ſive *nobiles* ſolùm, alii etiam γενναῖοι, ſive *generoſi.* Εὐγενεῖς, Ariſtoteli † ſunt, qui bono ſunt nati genere, licet interim à majorum virtutibus deflectant: cujuſmodi hominum nobilitas in aſtragalis ſita eſt; ut de leviro ſuo dicebat Herodes Atticus apud Philoſtratum ‡: at γενναῖοι ſunt, qui non degenerant, ſed majorum imitantur virtutes. Itaque

† *Lib. 2. Rhet. cap. 15. diſt. vulg.*
‡ *In vitis Sophiſtarum.*

& Ari-

* *Lib. 1. cap. 1. juxta vulgarem diſtinctionem; ſed juxta novam Cæſaris Scaligeri, cap. 2. ſect. 23.*
† *Nobilem.*
‡ *Generoſum.*

& Ariſtoteles in hiſtoriâ animalium * leonem εὐγενῆ † vocat; lupum γενναῖον ‡. Sed & Latinis aliud eſt *nobilis*, aliud *generoſus*: unde eſt, quòd in epiſt. Hypſipyles ad Jaſonem conjungantur ab Ovidio:

Si te nobilitas, generoſaque nomina tangunt:

Et hoc Juvenalis Sat. VIII:

Felix, & ſapiens, & nobilis, & generoſus.

VIII. De moribus nobilium.

I. SOlent autem nobiles eſſe, ut Appulejanâ voce utar, honoripetæ: cujus ratio eſt, quòd iis quiſque bonis, quibus ornatus eſt, ſtudet addere. Putant etiam, ſibi honores ob majorum virtutem deberi. Neque ipſi ſolùm ſic ſentiunt; ſed aliorum idem judicium eſſe vident. Seneca ipſe lib. IV. de Benef. cap. XXX: *Aliquando*, inquit, *daturum me etiam indignis quædam non negaverim, in honorem aliorum; ſicut in petendis honoribus quoſdam turpiſſimos nobilitas induſtriis, ſed novis, prætulit. Non ſine ratione, ſacra eſt magnarum virtutum memoria: & eſſe plures bonos juvat, ſi gratia bonorum non cum ipſis cadat. Ciceronem filium quæ res conſulem fecit, niſi pater?* Pluraque ejuſce generis exempla mox ſubjungit. Et convenit Aſconii illud in orat. pro Scauro: *Quæ generis claritas etiam inertes homines ad ſummos honores provexit.* Et Theodericus rex apud Caſſiodorum lib. II. epiſt. II: *Non relinqui inglorios patimur, qui generis claritate prædicantur.* Et apud eundem Athalaricus rex lib. IX. epiſt. XXIII: *Quid P. C. de vobis judicemus, expendite: cùm ad ſummarum culmina dignitatum germinis veſtri viros, quos nunquam vidimus, eligamus, non faſtidio negligentiæ, ſed honorabili præſumtione naturæ.*

II. Solent etiam alios nobiles aſpernari; præcipuè, qui minùs antiquæ ſunt nobilitatis, idque ut majores habeantur. Quod etiam in cauſſa eſt, cur erga alios ferociùs ſe gerant. Unde Socrates de ſe apud Platonem ait in Theæteto: Ὡς ἐγώ εἰμι υἱὸς μαίας μάλα γενναίας τε καὶ βλοσυρᾶς Φαιναρέτης· *Sum filius obſtetricis valde generoſæ, ferocique præditæ animo Phænaretes.* Ita vocem βλοσυρᾶς rectè tranſtulit Caſaubonus *: quamquam propriè βλοσυρότης eſt *torvitas*; unde & Athenæus reprehendit Platonem, quòd Socratem inducat matrem appellantem βλοσυράν. Sed immeritò; quia eo reſpexit Plato, quòd bene nati magnificè de ſe ſentiant, cæteros verò ferociùs deſpiciant. Nempe hoc iis quaſi innatum eſt, ut ait Ariſtides: Ἡ μεγαλοφροσύνη ἔμφυτον κτῆμα τοῖς κρείττοσι.

* *Lib. 5. animad. in Ath. cap. 19.*

Docent autem Phyſiologi, nobiles, ſi vigilantis fuerint naturæ, liberos ferè gignere ſimiles; quorum tamen poſteri paulatim degenerent: ſin fuerint ingeniis excellentibus, gignere inſanos ac furioſos; ut liquet ex poſteritate Alcibiadis, & Dionyſii majoris: ſi denique fuerint στάσιμοι, hoc eſt, conſtantes ac graves, interdum quidem procreare liberos agreſtes, ac contumaces; (quos Plato in IX. de Legg. κερασβόλους vocat à ſimilitudine ſeminum, quæ quia primò in boum cornua inciderint, non conſequantur à ſolo juſtum temperamentum, adeoque dura fieri exiſtimentur, ut ne quidem molliantur, ſi aquâ macerentur, quemadmodum Etymologici magni auctor refert; quin etiam ignis injuriæ invicta reſiſtant, ut ſcribitur quinctodecimo Γεωπονικῶν:) interdum vero producere liberos inertes ac ſtupidos; quomodo plurimi viri docti liberos habuerunt, alii parùm acutos, alii dementientes, & à communi ſenſu ſequeſtratos. Exemplum peti, cùm ex aliis jubent, tum ex liberis Hippocratis, in quos dicteria à Comicis jaci ſolita, non modò agnoſcit Galenus †, ſed & liquidò cognoſcere eſt è Nebulis Ariſtophanis. Verùm hos alius fuiſſe Hippocratis liberos, argumento eſt, quòd Eupolis quoque eos perſtringat. At hic deceſſit initio belli Peloponneſiaci: quo tempore, cùm Cous ille vates vix annorum fuerit triginta, cui veriſimile fiat, liberos ejus Athenis inceſſi ſolitos, tanquam cerritos? Verùm alium quoque arietem intorqueamus. Nobilis illius Hippocratis liberi dicti Draco & Theſſalus, fuereque & ipſi medici haut ignobiles, & medicorum parentes. At illi, qui à Comicis exagitantur, Teleſippus Demophon, & Pericles nominati; ut teſtatur Ariſtophanis ſcholiaſtes. Quare non Coi, ſed Athenienſis cujuſdam Hippocratis filii, ridentur à Comicis: quod & ipſum pluribus adſerit Caſaubonus lib. III. Animad. in Athen. cap. XVII, & Marſilius Cagnatus lib. IV. Var. Obſerv. cap. I. Verùm, non quia in Hippocratis liberis falſi ſunt, iccirco veris eos defici exemplis, exiſtimari debet. Nam res comprobari poteſt vel exemplo è L. Seneca paullo ante adducto de Ciceronis filio: qui, ut M. Seneca ait Suaſoriâ poſtremâ, *nihil ex paterno ingenio habuit, præter urbanitatem.* Sanè *filium M. Ciceronis populus Romanus non agnoſcebat loquentem*: ut Sidonius Apollinaris à veterum quodam (nomen tacet) dictum fuiſſe, ait epiſt. XIV. libri VII. Idem teſtatur Plutarchus in Cic., & B. Hieronymus ad Furiam. De ebrietate ejus, res nota è variis: inter alios Plinio lib. XV. cap. XXI. Sed Ciceronis filio non inſiſtam: cùm idem liquere poſſit è liberis Socratis, Ariſtarchi Grammatici, Cimonis, Periclis, aliiſque. Vide illuſtrem hâc de re locum Ælii Spartiani in Severo Imp. Cauſſa verò ejuſce rei eſt, quòd natura in generando deficiat, & velut effœta reddatur. Per ſe quidem optimum ſibi proponit. verùm nihil ſub cœlo perpetuum eſt, omniaque finem ſortiuntur. unde fit, ut natura ſenſim deficiat in generatione præſtantium ingeniorum; quemadmodum in plantis exoticis videre eſt, quæ paullatim vigorem ſuum amittunt; item in equis è Theſſaliâ, aut Mauritaniâ, in Italiam advectis. Singulis enim octonis aut novenis annis, alios equos equaſque advehere neceſſe habent, quia abſque iſthâc renovatione deficeret pullorum generoſitas. Neque exiſtimandum, contradicere ſibi Ariſtotelem, eò quòd nunc quidem dicat, veriſimile eſſe, bonos bonis gigni; quia natura optimum intendat: nunc ajat, nobiles ut plurimùm producere liberos diſſimiles; quia nobilitas ſit multorum majorum virtus, ac multitudine illâ præſtantium majorum natura defatigata præſtantes ceſſet producere. Non, inquam, hæc pugnant, quia veriſimile etiam eſt, quod raro fit, modò vulgò ut plurimùm fieri ſit perſuaſum: quomodo veriſimile eſt, oriente cometâ mortem magni nominis principi portendi; item bubonem in tecto ſtridentem funus domo minari; quia ita autumat vulgus; quamvis rarò eventus huic opinioni reſpondeat. Adde quòd non temere hoc de nobilium liberis in vulgus perſuaſum eſt, cùm in cæteris rebus ita videat uſu venire, ut plurimùm fiat, quod natura intendit: quod verò hic aliter fit, id eſt ex accidenti, quia vires deficiunt naturam, producendo multos præſtantiſſimos majores jam laſſatam, ut dicebamus. Nec tamen huic rationi à natura petitæ ſic inſiſtendum, ut non adſcendamus ad naturæ auctorem, qui, ne credamus, ingenii bona eſſe hæreditaria, occulto judicio ea diſpenſat, ſicut vult. Et hæc de nobilibus.

† *Lib. quod animi mores &c.*

IX. De moribus divitum.

AT *quos divitiæ producunt*, —— ut hinc ordiar Lucillii verbis, fere abhorrent ab iis, quæ lædere poſſint exiſtimationem. Debent autem hoc educationi honeſtæ. Unde Xenophon penè initio libri de Rep. Athenienſium: Ἐν τοῖς βελτίστοις ἔνι ἀκολασία τε ὀλιγίστη, καὶ ἀδικία, ἀκρίβεια δὲ πλείστη εἰς τὰ χρηστά· ἐν δὲ τῷ δήμῳ ἀμαθία τε πλείστη, καὶ ἀταξία, καὶ πονηρία· ἥτε γὰρ πενία αὐτοὺς μᾶλλον ἄγει ἐπὶ τὰ αἰσχρά. καὶ ἡ ἀπαιδευσία, καὶ ἡ ἀμαθία δι' ἔνδειαν χρημάτων (ἔνεστιν) ἐνίοις τῶν ἀνθρώπων. *In optimatibus enim & divitibus minimum eſt intemperantiæ ac injuſtitiæ; ſtudium vero accuratiſſimum rerum honeſtarum: in plebe verò eſt plurimum & inſcitiæ & confuſionis, & improbitatis. Siquidem paupertas eos magis adducit ad turpia: ac plerique ob pecuniarum penuriam non potuere liberaliter educari, beneque inſtitui.* Interim & divitias magna vitia conſequuntur. *Adeo quædam* (ut Eucherius ad Valerianum ait) *ſocietas penè eſt*

etiam

etiam nominis duabus his rebus, vitiis, & divitiis. Quâ παρηχήσει gaudet non ſemel Salvianus Maſſilienſis. Hujus & illud lib. VI: *Simul ut deſtiterunt eſſe divites, deſinunt eſſe vitioſi.* Quæ vitia autem divitias ſequantur, paucis nos docet Plutus ipſe apud Lucianum in Timone: ubi ſic loquitur; Ἐπειδὰν τις ἐντυχὼν πλούτῳ, ἀναπετάσας τὴν θύραν, εἰσδέχεταί με, συμπαρεισέρχεται μετ' ἐμοῦ λαθὼν ὁ τῦφος, καὶ ἡ ἄνοια, καὶ ἡ μεγαλαυχία, καὶ ἡ μαλακία, καὶ ὕβρις, καὶ ἀπάτη, καὶ ἄλλα ἄττα μυρία· *Poſtquam aliquis, qui me primò eſt adeptus, adapertis foribus receperit, clàm unà mecum ingreditur faſtus, vecordia, jactantia, mollicies, contumelia, dolus, & alia id genus innumera.* Sed de præcipuis iſtorum diſtinctiùs agamus.

I. Inprimis divites ſunt ὑβρισταὶ*: ut Ariſtoteles quoque ait. Elegans ideo decretum inferorum contra divites, qui in vita contumelioſè tractarint tenuis ſortis homines, commentum videas Lucianum in Νεκυομαντείᾳ; in quâ inter alia rediculè ait, hanc eorum pœnam fore, ut animæ illorum in terram remiſſæ, quinque & viginti annorum μυριάδας † in aſinis ſint; unoque mortuo, in alium, atque alium, commigrent, oneraque ferant à pauperibus agitati, uſque dum id ſpatium expirarint, quod pœnæ huic fuerat decretum.

* Contumelioſi.
† Decies millia.

II. Sunt etiam ὑπερήφανοι, h. e. ſuperbi. Unde Salvianus lib. VII. *Taceatur ſuperbia, & tumor, tam peculiare hoc divitum regnum eſt, ut aliquid forſitan de jure ſuo ſe putent perdere, ſi hinc ſibi alius quicquam voluerit vindicare.*

III. Præterea divites, juxta Ariſtotelem, ut plurimùm ſunt σαλάκωνες καὶ σόλοικοι. i. Salaconis illius inſtar, qui cùm pauper eſſet, ditiſſimus videri affectabat ‡, arrogantes, multaque in moribus peccantes. Nam cornua tollunt propter opes, quia autumant, ſe poſſidere, quibuſcumque ad vitam beatè degendam opus eſt; aut ſi quid deeſt, id pecuniâ facilè acquiri poſſe. *Omnis enim res Divitiis paret,* ut ait Horat. lib. II. Satyr. III. ſapientia quoque ipſa, ut ſtatim ſubjungit. Huc pertinet illud Pindari in Nemeis: Ἔστι δ' ἐν εὐτυχίᾳ πανδοξίας ἄκρον· *Felicitati ac divitiis ſumma ineſt ſapientiæ opinio.* Item verſus iſti Ennii, quos ab Euripide Iambis expreſſos in Hecubam ſuam Trochaicis tranſtulit verſibus;

‡ Suidas & Heſychius.

Hæc tu etſi perverſè dices, facilè Achivos flexeris.
Namque opulenti cum loquuntur pariter atque ignobiles,
Eadem dicta, eademque oratio æqua non æquè valet.

Quamquam hi ſanè verſus parum faciant ad præſens inſtitutum, ſi cum Alciato legamus, *Nam cum opinati loquuntur.* Vulgata quidem lectio, quam & H. Stephanus retinuit in ſuâ Agellii editione, defendi nequit, cùm verſus pravo malè talo incedat. Ea enim habet, *Nam cum opulenti loquuntur.* Si cum Alciato legamus, *opinati*; jam ab accuſatione Agellii* vindicatus fuerit Ennius, quòd οἱ δοκοῦντες verterit *opulentos.* Sunt enim *opinati*, qui in magnâ ſunt opinione atque exiſtimatione: unde *opinatiſſimi auctores* apud eundem Agellium, qui ſummæ ſunt auctoritatis. Vide Alciatum lib. VIII. Παρέργ. Juris cap. XII.

* Lib. II. cap. 4.

IV. Molliter etiam divites ſe habent, ac luxurioſè; idque ut ſe hoc pacto oſtentent. Juvenal. ſat. VI.

Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſecula luxu
Divitiæ molles.

Nempe, ut apud Claudianum † eſt:

—— humanas oblimat copia mentes.

† Lib. 3. de raptu Proſerp.

V. Sunt & jactabundi, quia etſi reverà ſit anguſti abjectique animi divitias mirari: tamen (ut Petronii verbis utar) *qui ſolas extruere divitias curant, nihil volunt inter homines melius credi, quàm quod ipſi credunt.* Adde quòd præter ſe vident, non modò οἱ ἀγοραῖοι atque in trivio natos; ſed eos etiam, qui ſapientes habentur, divitias ſuſpicere: unde & Simonides, rogatus ab Hieronis conjuge, utrùm ſapientes præſtarent, an divites; divites reſpondit, cùm ſapientes ſemper in veſtibulis divitum conſpicere ſit. Quod ſi quidem ita, uti dixit, ſenſit Simonides, optimo jure reprehenditur hoc nomine à Platone lib. VI. de Rep. Meliùs Ariſtippus Cyrenaicus, qui Dionyſio tyranno rationem quærenti, cur ſapientes præ divitum foribus conſpicerentur, non item hi ante fores ſapientum; in cauſa eſſe reſpondit ‡ quòd ſapientes, qui plurimùm pauperes ſunt, (nam, ut Petronius ait, *neſcio quomodo bona mentis ſoror eſt paupertas*) ſatis intelligerent, quibus egerent; divites non item.

‡ Laert. in Ariſtippo.

VI. Divites etiam ſe dignos judicant imperio, quia in publicis muneribus opulenti præponuntur pauperibus: quod non fruſtra fit, cùm in magiſtratu ſiniſtram gignere poſſit opinionem tam inopia, quàm avaritia. Equidem cùm Sulpitius Galba, & Aurelius, in Senatu contenderent, uter adverſus Viriatum in Hiſpaniam mittendus eſſet; rogareturque Scipio Æmilianus, cujus hâc in re ſententiæ foret; *Neutrum*, inquiebat*, *mihi mitti placet: quia alter nihil habet; alteri nihil ſatis eſt; æquè malam licentis imperii magiſtram judicans inopiam, & avaritiam.*

* Val. Max. lib. 6. cap. 4.

Omnium autem vitioſiſſimi, & maximè inſubidi ac inſolentes ſunt οἱ νεόπλουτοι †. Quod ſuaviſſimâ, de Mella & Cæpione, narratiunculâ oſtendit Joannes Barclaius in Icone animorum cap. XIV. Videlicet fortunæ ſubitæ ita inebriant homines, ut non ſint, qui priùs fuerunt. Accedit, quòd νεόπλουτοι ſæpiùs ſunt ἀπαίδευτοι ‡: unde eſt, quòd non modò παροινίᾳ gaudent ac laſciviâ; ſed etiam neſciant rationem tractandi divitias. Nam ἀρχαιόπλουτοι * majorum exemplo & inſtitutione magis norunt modum conſervandæ & augendæ rei familiaris; unde & deparci ac vulturii eſſe ſolent. Sicuti enim γεργόνες ὀψοφάγοι †, ut Ariſtophanes ‡ appellat, hiras ſemper latrantes habent; ita nec divites ferè iſtiuſmodi ullis opibus expleri poſſunt; ſed *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit**.

† Quibus recentes ſunt divitiæ.
‡ Quibus haud contigerit inſtitutio.
* Quibus priſcæ ſunt divitiæ.
† Mendici ſive gumiæ.
‡ In Veſp.
* Juvenalis ſat. 14.

X. De moribus potentium.

POtentes (quibus ab Ariſtotele opponuntur ἀδύνατοι; eos Cicero pro Muræna *impotentes* vocat) non tantùm æſtimantur divitiis; ſed etiam τῇ δυνάμει, ſive *opibus*: prout Latini potentiam vocant, quæ in amicorum, ſociorum, ſervorumque multitudine ſita eſt. Inprimis autem potentes dicuntur, qui funguntur magiſtratu. Eorum quidam, qui, ut de Vatinio dicebat Tullius †, ſtrumam, h. e. turpia ſua facta, διβάφῳ ‡ veſtiri & occultari putant, divitibus ſunt pejores, quia, quod libet, licere autumant. Arbitrantur enim, ut egregiè obſervavit Tullius pro Quinctio, *ſine injuriâ potentiam levem atque inopem eſſe.* Sanè contumelioſos eſſe in eos, qui tenuioris fuerint ſortis, indicat quoque hic Luciani locus in dialogo Junonis & Latonæ: μέγα, ὦ Ἥρα, φρονεῖς, ὅτι ξύνει τῷ Διΐ, καὶ συμβασιλεύεις αὐτῷ, καὶ διὰ τοῦτο ὑβρίζεις ἀδεῶς· *Valde elato animo es, Juno, quòd conſueſcas cum Jove, & unà cum eo regnes, atque hac propter abſque metu contumelioſa es.* Neque intra contumeliam ſe continent: ſed damno etiam afficiunt. Meritò itaque Critias, qui unus è triginta Athenienſium tyrannis fuit, tenuis loci hominibus tutum negabat, ut cum potentibus rem haberent. Id enim ſignificatur illo ejuſce dicto apud Platonem in Charmide*: Μὴ κατέναντι λέοντος νεβρὸν ἐλθόντα μοῖραν αἱρεῖσθαι κρεῶν· *Ne ſi hinnulus ſis, cum leone carnium ſortire portionem.* Neque potentes, eos, quibus antiſtant, damno ſolùm mactant; ſed bonis quoque planè exuunt; ut meritò veteri verbo piſcium vitam vivere dicantur. Scitè hanc rem expreſſit M. Varro † apud Nonium ‡:

Naturâ humanis omnia ſunt paria.
Qui pote, plus urget; piſcis ut, ſæpe minutos
Magnu' comeſt, ut aves enecat accipiter.

Sanè ſolis in legibus impotentiores contra potentes præſidium ac fiduciam omnem repoſitam habent: ut his id verè ſint leges, eſſe ſanè debeant, quod palumbi laurus, cornici verbenaca ſupina, aquilæ callitrichus, turdo myrtus, aut alaudæ gramen: quæ animantibus hiſce eſſe amoletum quod-

† Lib. 2. ad Att. epiſt. 9.
‡ Bis tincta purpura.
* Pag. 155. ed. H. St.
† Marcipoli.
‡ In Comeſt.

quoddam; ex Zoroaſtre mago libro quinctodecimo ſcribit Caſſianus Baſſus, vel quiſquis auctor γεωπονικῶν Conſtantino Cæſari adſcriptorum. Quid quòd, proh dolor, nec in ipſis legibus ſat præſidii reperiunt impotentiores? Quippe nec has reverentur potentes, ſuâ ſuorumque potentiâ ſubnixi. Itaque & Anacharſis * leges aranearum retibus comparabat; in quæ ſi minores inciderint muſcæ, retinent; majores verò ea perrumpunt.

* Plutarchus in Solone.

Quamquam verò hæc ita ſunt; tamen negare non poſſumus, pleroſque omnes potentes pleraque omnia habebere magis laudabilia. Neque enim tam pecuniam appetunt, quàm honorem; ideoque conantur ſibi demereri alios, à quibus τίμιοι, ſive *domini*, ſalutentur. Sunt etiam animis fortioribus, pluſque adhibent induſtriæ. In gravitate ita colunt virtutem, ut magis ſectentur dignitatem. Ad injurias inferendas proclives ſunt; ſed potius in rebus maximis, quàm levibus: quomodo Eteocles apud Euripidem Phœniſſis ait;

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν· τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.
Nam, ſi violandum eſt jus, regnandi gratiâ
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

prout transfert Tullius lib. III. Offic. Vide etiam ſis, quæ de principum, optimatum, judicum moribus ſcribit Joannes Barclaius in Icone animorum cap. XIV. & XV.

XI. De moribus fortunatorum.

FOrtunati (cujuſmodi etiam dicimus formâ, conjugio, liberis) partim nobilibus ſunt meliores, partim deteriores. Meliores, quia magis ſunt religioſi, eò quòd fortunam, quâ aucti ſunt, rectè à Deo ſibi obtigiſſe ſtatuant; contrà quàm illi, quibus τύραννος τύχη †. Deteriores verò ſunt, quia dulci fortunâ ebrii, (ut de Cleopatrâ dixit Horatius ‡) magis ſunt inflati, temerarii & impotentes. Ut rectè ſcripſerit Archytas Tarentinus lib. de bono & beato viro: Ἐπιφετικοὶ * καὶ ἐπιβουλοι τῶν πέλας, εὐτυχέοντες. Ita Minucius equitum magiſter, cùm parvâ manu victoriam quandam reportâſſet, ſucceſſu hoc elatus, non dubitavit, quamvis impar, toto exercitu cum Annibale depugnare. At & ſe, & exercitum perdidiſſet †, niſi præſenti periculo fuiſſet liberatus operâ Fabii Maximi.

† Fortuna rerum domina.
‡ Od. 37. lib. 1.
* Felices, ſunt injurii & confidentes.
† Polybius lib. 3. Livius lib. 22. Plut. in Fabio &c.

Iſtiuſmodi igitur moribus præditi ſunt *potentes*, *dites*, *fortunati*, *nobiles*; quo ordine hos ipſos conjungit Terent. in Adelphis. Qui verò opponuntur, contrario modo affecti ſunt.

XII. Epilogus doctrinæ de Moribus.

ET hæc de Inventione morum; quæ cùm oratori omnino neceſſaria ſint, ſpiſſius eſt ille error Quinctiliani, ſcribentis, doctrinam hanc ſine damno omitti poſſe. Nam cùm homines aſſentiantur orationi moribus ſuis accommodatæ; varient autem mores eorum, pro affectuum, habituum, ætatis, ac fortunarum varietate: quis non videt, planè hujus doctrinæ notitiam exigi in oratore, quò, pro auditorum diverſitate, diverſo utatur orationis genere? Ariſtoteles; Ἀποδέχονται πάντες τοὺς τῷ σφετέρῳ ἤθει λεγομένους λόγους καὶ τοὺς ὁμοίους· *approbant omnes eas orationes, quæ moribus ſuis conveniunt ac ſimiles ſunt.* M. Antonius apud Cic. lib. II. de orat. *Tantum efficitur ſenſu quodam ac ratione dicendi, ut quaſi mores Oratoris effingat oratio.* Nec aliter in poëmatis comparatum: ut Horatius agnoſcit, cujus verba ſuperiùs † adduximus. Quod verò idem Fabius, infinitam eſſe hanc doctrinam, aſſerere non dubitat; aliquid videri potuiſſet, ſi ignorabilis fuiſſet ejus ævo liber Ariſtotelis ſecundus, quo ea ad certa genera ac capita referri, ſciunt non modò, qui eum legerunt, lectionem iterarunt, tertiarunt, (quod ejus meretur præſtantia) ſed etiam, qui vel tanquam per caliginem inſpexerint. Qui adverſus Ariſtotelem conjurarunt, hi Quinctilianum, contra quem ipſum quoque libris integris calamum ſtrinxerunt, hâc in parte ſequi malunt, quàm Ariſtotelem. Verùm quemadmodum ſol geminus non eſt, neque Thebæ ſunt geminæ, etſi furenti Pentheo * videantur: ita neque hæc vel inutilia, vel alius loci exiſtimari debent, licet iſtiuſmodi eſſe ſtupor hominum credat. Equidem non iis, calidam ut picem potent, (quod imprecari olim inimicis ſolent †) verùm ſaniorem opto mentem.

† Sect. 6.
* Euripid. in Bacchis, & Maro 4. Æn.
† Plautus Mercat. act. 1 ſc. 2. & in vett. inſcriptionum collectione Gruteriana pag. 1191. inſcript. 9.

Cap. XV.

De locis communibus, deque Argumentatione, et Amplificatione.

Præter locos cuilibet cauſſæ generi peculiares, adeunda quoque eſt ſylva communis locorum in omnes cauſſas. Loci iſtiuſmodi, ut ſuperiùs diximus ‡, ſunt duo; Poſſibile, & impoſſibile; Magnum, & parvum.

‡ Lib. 1. cap. 2. ſect. 3.

Locus Poſſibilis, & impoſſibilis, trifariam conſideratur. Nam vel docetur aliquid factum, aut non factum; vel fieri poſſe, aut non poſſe; vel futurum, aut non futurum. Factum, aut non factum, maximè probatur in genere Juridiciali: fieri, aut non fieri poſſe; item ecquid futurum ſit, aut non futurum, inprimis oſtenditur in Deliberativo.

Magnum itidem, & parvum, potiſſimùm ad Genus Demonſtrativum pertinent.

Quemadmodum autem hi argumentorum loci ita ſunt communes, ut uni cauſſæ generi magis competant, quàm alii: ita enthymema etiam, & exemplum, pertinent quidem ad omnia dicendi genera, ſed gradu diſpari: cùm enthymematis magis utamur in genere Juridiciali, exemplis autem in Deliberativo.

I. De argumentis, quæ petuntur e locis communibus.

CAp. XXV. lib. II. * aggreditur Ariſtoteles tractationem locorum communium. Nam, ut ſuprà † oſtendimus, loci alii ſunt ſingulis cauſſarum generibus proprii, de quibus fusè ab Ariſtotele, & nobis, actum eſt lib. I: alii ſunt omnibus generibus communes; de quibus nos ſtrictim cap. II. lib. I. plenè verò Ariſtoteles hoc loco. Sunt autem hi duo. Prior eſt, quia quid fieri poteſt, aut non poteſt; τὸ δυνατὸν, καὶ ἀδύνατον. Δυνατὸν aliquid eſſe, non uno oſtenditur modo. Nam vel ἁπλῶς monſtramus, aliquid fieri poſſe; vel ſpeciatim probamus, aliquid aut factum eſſe, aut futurum. Alii hæc ad tria referunt tempora. Nam ratione præteriti oſtendimus aliquid factum; ratione præſentis, aliquid poſſe fieri; ratione futuri, aliquid fore. Neque malè, qui tres diſtinctos hæc locos faciunt: ut in univerſum ſint quatuor loci communes; de eo quod fieri poteſt, de facto, de futuro, & de magno ac parvo. Locos autem vulgari notione appello ſumma inventionis capita, & genera univerſa, quæ à Boëthio dicuntur differentiæ primarum & maximarum propoſitionum. Sed Ariſtoteli loci ſunt axiomata ipſa: quod idem Boëthius cùm alibi indicat, tum in Top. Cic. lib. I. his verbis ‡: *Maximas igitur, id eſt, univerſales ac notiſſimas propoſitiones, ex quibus ſyllogiſmorum concluſio deſcendit, in Topicis ab Ariſtotele conſcriptis locos appellatos eſſe, perſpeximus. Quod enim maxima ſint, id eſt, univerſales propoſitiones; reliquas in ſe, velut loci corpora, complectuntur: quòd verò notiſſimæ atque manifeſta ſint; fidem quæſtionibus præſtant, eoque modo ambiguarum rerum continent probationes.* Hujuſmodi axiomatum, ſive maximarum propoſitionum ſylvam adfert Ariſtoteles in quatuor locis antè memoratis. Ac in tribus quidem prioribus, nempe eo quod fieri poteſt, facto, & futuro, axiomatum ſive canonum ſylvam apud eum vide cap. XXXV *, & duobus ſequentibus. Erunt fortaſſe, qui exiſtiment, omnem eam propoſitionum ſylvam hic etiam legi debuiſſe: cæteroquin mutila fore,

* Sive juxta vulgarem diſtinct. cap. 18.
† Lib. 1. cap. 2. ſect. 5.
‡ Pag. 767. edit. Baſ. Henricis Petr.
* Juxta vulgarem diſtinct. cap. 19.

fore, quæ de inventione tradimus. Sed profectò, cui grave fuerit ſubinde conſulere principem artis noſtræ virum, imò naturæ miraculum, is mihi indignus videatur, cujus cauſſâ me exſcribendo onerem, ut alterum labore levem inquirendi. Faciant hoc, atque omnia bene dicta, etiam apertiſſimè expoſita, cum pulviſculo in areas ſuas convertant, quibus ſtudium eſt, Ariſtotelem, vel alios veterum, excutere de manibus adoleſcentiæ. Mihi verò abunde honoris habebitur, ſi unà cum antiquis legar: in quos noſtra, aliquando brevis introductionis, aliquando verò uberis commentarii loco erunt.

De magno & parvo agendum Ariſtoteli erat cap. XXXVIII †. ſed remittit in hoc lectorem ſuum ad caput XXVII ‡ lib. 1. ubi ubertim tractavit de bonorum magnitudine; ex quibus cognoſcere eſt, quid magis minuſve ſit honeſtum, utile, aut æquum. Fortaſſe autem ſubeat quemquam admiratio, quòd in tractatione generis deliberativi non rejecerit magni & parvi doctrinam in hunc locum: aut inibi, cùm ageret de magno & parvo, non ſimul tractârit de altero loco communi, qui eſt δυνατὸν καὶ ἀδύνατον *. Sed profectò hâc quoque in re meritò nobis Ariſtoteles Polycleti norma eſt. Quippe, cur de poſſibili & impoſſibili in genere deliberativo tractaret, cauſſæ nihil erat. At juſta ratio fuit, cur ageret de magno & parvo. Nam finis generis deliberativi eſt bonum: id autem ut cognoſcatur, tum abſolutè, tum relativè conſiderari neceſſum fuit; ac proinde id ſpectari debuit ratione magnitudinis. At ecce, aliud quoque amentant argumentum. Libro primo, inquiunt, de magno & parvo ſolùm ratione generis deliberativi actum eſt: hic verò de iis generatim tractandum fuit, propter genus demonſtrativum, & juridiciale. Verùm facile eſt nobis, hanc quoque, ut ſacer poëta † loquitur,

—— lateris ſinuamine flexi
Ludere ventoſam, jactu pereunte, ſagittam.

Nam Ariſtoteles in genere deliberativo agit de bonorum magnitudine: at honeſtum, qui ſcopus eſt demonſtrativi, & juſtum, quod generis juridicialis finis eſt, comprehenduntur ſub bono. Quocirca de magnitudine ac præſtantia velle hoc loco ediſſertare, id verò, ut Ariſtoteles ait, ſit κενολογεῖν, atque inanes ſermones fundere.

† *Vulgo cap. 19.*
‡ *Vulgo cap. 7.*
* *Poſſibile & impoſſibile.*
† *Prudentius.*

II. De ratione argumentandi per exempla, seu vera, seu ficta.

HActenus à nobis, qui Ariſtotelis ductum ſequimur, actum eſt de argumentis ἠθικοῖς, παθητικοῖς, καὶ ἀποδεικτικοῖς; iiſque tum propriis, tum communibus. Huic doctrinæ ſubjicit Ariſtoteles cap. XXXIX ‡, quæ ad varia pertinent genera argumentandi. Hujus etiam partis prima ducam lineamenta, haut ſecus atque fit in picturis, quas Græci μονογράμμους, ac fortaſſe etiam ὑπολίνους; Latini, ſi vera eſt doctiſſimorum hominum ſuſpicio, ſubleſtas vocant.

‡ *Sive cap. 20. diſt. vulg.*

Duplex inprimis eſt apud Oratores argumentationum forma: ἐνθυμηματική, & παραδειγματική. Prior probandi ratio eſt certior: at, quæ per exempla fit, planior eſt. De poſteriori hoc prius dicam.

Exemplorum aliud hiſtoricum ſive factum, aliud fictum.

Hiſtoricum dicitur, quod affert res geſtas: velut, cùm negatur permittendum, ut Rex Perſarum in Ægyptum veniat, quia cùm Darius, & Xerxes, Ægyptum occupaſſent, in Græciam cum exercitu trajecerunt.

Fictum eſt duplex: παραβολή, quæ Ciceroni ſimilitudo, aut collatio; & λόγος ſeu μῦθος, qui Latinis fabula.

Παραβολή eſt, cùm ſimilem caſum fingimus: ut, ſi quis oſtendat, magiſtratum non ſorte, uti fit, ubi penes populum imperium eſt, ſed ſuffragiis conſtituendum: nam ſi ſorti committatur, tantundem fore, quàm ſi illi, quorum nomina ſorte ex urnâ exierint, athletæ conſtituantur, aut naucleri; qua ratione fortè futurum eſt, ut is athleta, aut nauclerus, deſignetur, qui gladiatoriæ, aut nauticæ artis, fuerit ignarus.

Μῦθος ſeu fabula rectè ab Aphthonio, & Theone in Progymnaſmatis, definitur, λόγος ψευδὴς εἰκονίζων ἀλήθειαν· *oratio falſa, repræſentans veritatem.* Talis eſt illa, quam expreſſit Horatius epiſt. x. lib. 1:

Cervus equum pugnâ melior communibus herbis
Pellebat: donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis frenumque recepit.
Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte:
Non equitem dorſo, non frenum depulit ore.

Uſus eâ Steſichorus *, cùm autor fuit conterraneis Himerenſibus, ne, ſi vivi videnteſque perire nollent, Phalaridi, quem jam ducem exercitus ſummo cum imperio crearant, præſidium quoque ac cuſtodiam corporis darent, quibus poſtea abuſurus eſſet ad occupandam tyrannidem.

* *Ariſt. 2. Rhet. cap. 39. at vulg. 20.*

Variæ autem ſunt λόγοι ſeu fabularum ſpecies. Vocantur enim Æſopicæ, Libycæ, Sybariticæ: itemque Phrygiæ, Ciliciæ, Caricæ, Ægyptiacæ, Cypriæ. Dicuntur verò ita ab auctore, vel natione, à qua fabulam accepimus. Nam ſuæ ſunt ſingulis nationibus fabulæ, quas viri eruditi ſcriptis conſignarunt, addito eorum nomine, à quibus manaſſent. At qui materiâ fabulas iſtiuſmodi differre putant, plurimùm falluntur; imò, ut Theon in Progymnaſmatis † ſcribit, εὐήθως ὑπολαμβάνειν δοκοῦσιν ‡. Ex his eſt Græcus Ariſtophanis interpres in Veſpas. Sed cùm perperam is locus in vulgatis codd. legeretur, emendavit eum Scipio Gentilis lib 11. Παρέργ. cap. XXV. ubi & ſententiam refutat Natalis Comitis, qui corrupto ſcholiaſtæ loco deceptus videtur. Etiam ſpecie has fabulas diſtinxit Aphthonii interpres, qui ſic ſcribit *: Ἰστέον ὅτι εἰσί τινες, οἳ Συβαριτικοὺς μύθους λέγουσι, τοὺς ἐκ μόνων λογικῶν ζώων· Αἰσωπείους δὲ τοὺς ἐξ ἀλόγων καὶ λογικῶν συγκειμένους· Λυδίους δὲ, καὶ Φρυγίους, καὶ Λιβυκοὺς, τοὺς ἐκ μόνων ἀλόγων ζώων. i. *Sciendum, eſſe, qui Sybariticas fabulas vocent, quæ ſolùm ſunt de animalibus ratione præditis: Æſopicas verò, quæ & rationalibus conſtant, & ratione deſtitutis: Lydias autem, & Phrygias, & Lybicas, quæ ſolùm ſunt de ratione carentibus.* Verùm falluntur hi, quia, ut bene ſcribit Theon, ἐν πᾶσι τοῖς προειρημένοις εἰσὶν ἅπασαι αἱ ἰδέαι· *in omnibus prædictis omnes iſtæ formæ inſunt.* Et hæc de fabulâ. Plura qui de exemplo volet, è junioribus adeat Rodolphum Agricolam; è veteribus, auctorem ad Herennium, Quinctilianum, Ammonium, Suidam in παράδειγμα. Etiam videat, quæ de tribus exemplorum formis adfert Ariſtoteles cap. XXXIX †: quo etiam docet, quomodo, & quando, iis utendum ſit. Nobis enim tantùm per ea deſultorium in modum decurrere animus fuit; quomodo, ut ait togatorum doctiſſimus †,

—— Levis
Tipulla lymfæ frigidos tranſit lacus.

† *Pag. 12. edit. Baſil.*
‡ *Stultè ſentire videntur.*
* *Pag. 3. edit. Ald. Vide Leopardum lib. 16. cap. 18.*
† *Vulg. cap. 20.*
‡ *Apud Nonium in Tipulla.*

III. De ratione argumentandi a ΓΝΩ'ΜΗ sive sententia.

VEnio ad alteram argumentandi formam, quæ eſt ἐνθυμηματική. Ad enthymema verò Ariſtoteles etiam γνωμολογίαν refert: cujus ratio eſt, quòd ferè enthymematis antecedens ſit γνώμη; interdum & conſequens. E. G. Vim vi repellere licet. Non igitur committit latrocinium, qui vim vi repellit. Hic utraque enthymematis pars ſeorſim accepta γνώμη eſt. Eſt autem γνώμη generale pronunciatum de rebus actiones ſpectantibus, ſive eligendis, ſive evitandis, ad uſus humanos. Autori Rhetoricorum ad Herennium ſententia definitur oratio ſumta de vita, quæ aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat in vita, breviter oſtendit. Talis eſt illa Euripidis in Medea:

Χρὴ δ' οὔποθ' ὅστις ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνὴρ,
Παῖδας περισσῶς ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς.

Ne-

Nequaquam oportet, qui ſapit, vulgò ut ſuos
Sapientiores ille reddat liberos.

At Enthymema fit ratione additâ. quæ iſtiuſmodi eſt apud Euripidem:

Χωρὶς γὰρ ἄλλης ἧς ἔχουσιν ἀργίας,
Φθόνον πρὸς ἀστῶν ἀλφάνουσι δυσμενῆ.
Nam præter hancce, quam jam habent, ignaviam,
Invidiam iidem civium inveniunt gravem.

Veriſimile autem fit, hàc re adductos inductoſque eſſe, qui dixere, *γνώμην* eſſe enthymematis partem. Sanè non eſſe perpetuum, quod affirmatè adſerunt; vel indicium fecerit iſthoc Domitii Afri: ***Princeps, qui vult omnia ſcire, neceſſe habet multa ignoſcere.*** Nec enim tam oculati ſumus, ut ullum hic videamus ἐνθύμημα.

Porrò, ut ex magiſtri Herenniani definitione cognoſcimus, ſententiarum aliæ oſtendunt, quid fiat; aliæ, quid fieri debeat. Prioris generis eſt iſtud Pamphili apud Terentium in Hecyra*: ***Omnibus nobis ut res dant ſeſe, ita magni, atque humiles, ſumus.*** Cui ſententiæ gemina eſt Tulliana iſthæc apud B. Auguſtinum†:

* Act. 3. ſc. 3.
† Lib. 5. de civit. Dei cap. 7.

Tales ſunt hominum mentes, quali pater ipſe
Jupiter auctiferas luſtrârit lumine terras.

Quibus verbis Cicero interpretatus eſt iſthoc Homericum‡.

‡ Od. Σ.

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Eundem locum reſpexit Minucius Felix, cùm in Octavio ſuo ſcribit: ***Audio, poëtas quoque unum patrem divûm atque hominum prædicantes: & talem eſſe mortalium mentem, qualem parens omnium Deus induxerit.***

Poſterioris verò generis *γνώμη* eſt iſthæc Plautina*:

* In Frivolaria, apud Feſtum in Navus.

Navè agere oportet, quod agas, non ductariè.

Hujuſmodi vel ſunt re verâ *γνῶμαι*; ut quæ homini conveniunt probo: vel ſolùm tales ſunt opinione dicentis; ut quæ poëtæ tribuunt improbis, quo τὸ πρέπον† ſervent. Quale illud Plauti Trinummo*:

† Decorum.
* Scen. quæ illo homo.

De mendico malè meretur, qui ei dat, quod edat, aut bibat.
Nam & illud, quod dat, perdit; & illi producit vitam ad miſeriam.

Noti etiam, imò jam antea adducti† nobis, Euripidei verſus in Phœniſſis, quos Cæſar ſemper in ore habebat; Cicero verò ſic expreſſit:

† Cap. præcedenti, ſect. 10.

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratiâ
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

Neque enim hæc ex ſuo, ſed ex Eteoclis ſenſu, poëta dixit. Apud quem ejus generis plurima invenias. Eoque nomine ſæpiùs fuit reprehenſus ab iis, qui non ſatis cogitarent, poëtæ eſſe, pro perſona cujuſque aptos effingere ſermones, ac mores. Quamquam nec diffiteri liceat, poëtas, ſcriptoreſque alios, interdum in iis, quæ pulcherrimè ſibi videntur dixiſſe, aberrare à vero; eoque ſententias eorum exigi debere ad ſanioris philoſophiæ rectæque rationis obruſſam. Quâ de re vide, quæ ſcribit Plutarchus libro de lectione poëtarum: item recentior ille, ſed par antiquis, Hugo Grotius, luculentâ illâ præfatione utriuſque Ἀνθολογίας à ſe feliciter caſtigatæ, & mirâ venuſtate Latinis verſibus expreſſæ.

Cavendum autem oratori à blando illo vitio, quod præclaras etiam mentes circa Neronis ævum invaſit, ut ſententias uſurpent ad oſtentationem ſapientiæ. Quod multi hodieque faciunt, qui tum demum videntur ſibi Atticè dicere, ſi ſententiolis omnia, velut bracteatis dictis, reluceant, præſertim in clauſulis. Quanto aliter, qui Julii & Auguſti ævo vixere! quàm nihil apud eos, niſi ſimplex, & nativum! Ad horum igitur nos exemplum componemus; ſi potiùs paucis ſapientibus placere ſtudeamus, quàm plurimis è vulgo. Quibus verò in rebus ſententiis utendum ſit; & quos conveniat ſententiis uti; quemadmodum &, quid fructus adferat eorum uſus, tum auditoribus, tum oratori; id univerſum docet Ariſtoteles cap. quadrageſimo†. Conſulatur quoque Fabius lib. VIII. cap. V. magiſter Herennianus, itemque Aphthonius.

† Al. cap. 21.

IV. De generibus enthymematum.

Enthymemata aliquotſariam dividi poſſunt. Præcipuæ ſunt diviſiones duæ. Nam alia eorum ſunt *δεικτικὰ*, quæ probant, rem eſſe, aut non eſſe; alia *ἐλεγκτικὰ*, quibus refutatur adverſarii ſententia. Item quædam Enthymematum ſunt revera talia, quædam ſunt *φαινόμενα**, uti & fit in ſyllogiſmis. Utrâque in diſtributione præit nobis Ariſtoteles cap. XLII†. Ex locis enthymematum *δεικτικῶν* quædam ſunt argumentorum *κατασκευαστικῶν*, hoc eſt, eorum, quibus ſententiam noſtram confirmamus. De his vide cap. XLIII.‡. At loci argumentorum *ἐλεγκτικῶν*, quibus adverſarii opinionem convellimus, tractantur cap. XLIV.*. Locos argumentorum *σοφιστικῶν* habes cap. XLV.†. Locos argumentorum *ἀνασκευαστικῶν*, quibus ſolvuntur argumenta adverſarii, vide cap. XLVI.‡ Atque ita, cùm oratores habeant quadruplices locos; proprios, aſſumtos, communes, & communiſſimos; ac locos proprios, & aſſumtos, explicuerit lib. I. communes locos declararit cap. XXXV, XXXVI, & XXXVII. libri II. hac poſtremâ libri II. parte, quæ eſt à cap. XXXIV. uſque ad finem, explicat locos communiſſimos. Neque hoc cuiquam eo nomine mirum videri debet, quòd de locis communiſſimis egerit in Topicis. Nam Dialectice, & Rhetorice, ſunt facultates ſimiles, ac circa res quaſlibet verſantes; eoque iiſdem utuntur locis; ſed diverſum ob finem, ut alibi‡ oſtendimus ubertim. Adde quòd Ariſtoteles non hic omnes explicet locos, quos in Dialecticis tractârat; ſed tantùm eos, qui propriè conducunt tribus cauſſarum generibus; ad quos uſus reſtrinxit Rhetoricen: cujus natura alioqui non latè minùs patet, quàm Dialectices, ut Ariſtoteles diſertim ſcribit initio Rhetoricorum.

* Apparentia.
† Juxta vulg. diſt. extremâ parte cap. 22.
‡ Vulg. cap. 23. parte priori, uſque ad verba illa, Ἄλλος ἐλεγκτικὸς τόπος ἐκ τοῦ ἀνομολογούμενα.
* Vulgo reliqua parte cap. 23.
† Al. cap. 24.
‡ Al. cap. 25.
‡ Lib. de natura ac conſtitut. Rhetorices.

Nos nihilominus, ſuperſeſſis locis communiſſimis, ad Diſpoſitionem properamus; tum quia eos ex Ariſtotele ipſo peti malumus, qui perſpicuè ſatis hanc partem tractavit; (non ignoramus autem, longè aliter ſapere aquas in limpidiſſimis Ariſtotelis fontibus, quàm in noſtris aliorumque rivis) tum quia ſcio, ſic quoque futuros non paucos, quibus nimis prolixè, ac tædioſè, pleraque omnia proſequi videamur: cùm tamen, ut rectè inquit Plinius Secundus*, ***Brevitas ſit cuſtodienda, ſi res permittat: alioqui prævaricatio etiam, curſim & breviter attingere, quæ ſunt inculcanda, infigenda, repetenda.***

* Lib. I. epiſt. 20. quæ ad Cornelium Tacitum.

V. De Amplificatione.

Sed metuo, ne ab argumentatione ad *οἰκονομίαν* tranſituris, injiciant aliqui manum, & aurem vellant, ob neglectam amplificationis doctrinam, quæ ipſa à pleriſque hîc tradi ſolet; nec immeritò, ſi, ut argumentatio, ita & amplificatio, eſt Oratoriæ inventionis inſtrumentum; quemadmodum plurimi arbitrantur. Quare de ea priùs pauca hoc loco dicam: ſimul verò, ubi accuratiùs de ea agendi locus ſit, exponam.

Ac primus quidem amplificandi modus eſt, ut ab hypotheſi adſcendamus ad theſin. Ita Cicero orat. pro Archiâ, ab Archiæ eruditione adſcendit ad locum communem de ſtudiis doctrinæ, ac laude poëſios. Vide, quæ dicebamus ſuperiori libro cap. V. ſect. V. Cæterùm hoc in genere obſervandum, ne nimis longa ſit digreſſio.

Alterum amplificationis genus priori opponitur. Eo enim, quod generatim dictum eſt, uno pluribuſve amplificamus exemplis: ſive hæc vera fuerint, quæ ex hiſtoriis peti poſſunt: ſive ficta; cujuſmodi ſunt, tum fabulæ poëticæ, quæ unde hauriri queant, ipſa indicat appellatio; tum apologi, quos è Græcis ſuggeret Phryx ille fabulator, & Babrius ſive Babrias, prout Suidæ nominatur, quem vulgus Gabriam appellat: quamquam nec Babrias genuinus auctor videri queat, cùm quia hiſce fabulis in metrum ipſum turpiter peccatur, (nam *σκάζοντας* ſcripſit Babrias) tum quia eæ in vett. codd. adſcribuntur Ignatio Diacono. E Latinis adeatur Phædrus, Auguſti libertus; cujus verbis

bis Camerarius utitur paſſim in fabulis ſuis: imò & Faërnus inde verſus multos exſcripſit: Perottus etiam quædam adducit pro ſuis. Sed Camerarius videtur codicem habuiſſe lacerum, nec nomen Phædri præferentem. Volaterranus autem fucum voluit facere lectori: quod pura Phædri dictio oſtendit; etſi & aliqua ei aliena eſſe aſſuta, non inficier. Adeatur & Flavius Avianus, prout in antiquis codd. vocatur, qui vulgo Avienus dicitur; quod fortaſſe alius poëtæ cognomen eſt. Commentarium in eum ſcripſit Albinus; fortaſſe ille, qui Caroli M. præceptor fuit. Eum ſe MSum habere, refert Barthius Adverſar. lib. XXXIX. cap. VII. Quod ſi de Aviano vel Avieno, ut aliis vocatur, plura voles, vide, quæ ſcripſimus lib. II. de Hiſtoricis Latinis cap. X.

Tertius amplificandi modus eſt, cùm rem per definitionem, aut deſcriptionem, diducimus. Ut in Piſonianâ, ubi fusè docet Tullius, quid verè ſit conſulem eſſe, ut inde colligatur, Piſonem hoc nomine fuiſſe indignum.

Quartus modus ſpecies aut partes uſurpat pro toto. Quomodo in Maniliana, ut probetur, Pompejum eſſe ſummum Imperatorem, præcipuas imperatoris virtutes enarrat. Et Arnobius libro primo adverſus gentes, ut doceat, Chriſtianos orbi terrarum non poſſe malorum fontem dici, ſingulas penè orbis partes percurrit, ac ſimiliter ſe eas habere oſtendit, ac ante multa ſecula.

Quinctus modus cauſſas rei adfert, aut effecta, aut accidentia. Ita, ut liqueat, nihil eſſe homicidio fœdius, præſtantiam hominis oſtendes ab efficiente Deo, qui eum quaſi manibus ſuis effinxit: à forma, quia animam habet immortalem, cui imago ipſius Dei inſit: à materie, quia nihil magis admirabile eſt illâ omnium membrorum compage: à fine, quia conditus eſt, ut celebret conditorem ſuum, & cum eo felicitate fruatur ſempiternâ: ab effectis, ut ſunt civitates, diſciplinæ, &c. ab accidentibus, ut igneâ ingenii celeritate, memoriæ firmitate, dominio in cætera conceſſo, &c.

Sextus eſt à ſimili, aut diſſimili; pari, aut impari. A ſimili eſt hoc Catonis*: *Vita humana propè uti ferrum eſt, Si exerceas, conteritur. Si non exerceas, tamen rubigo interficit. Itidem homines exercendo videmus conteri. Si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti facit, atque exercitatio.* A pari autem eſt hoc Senecæ epiſt. XLIV. *Nec rejicit quemquam philoſophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit. Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem philoſophia, ſed fecit. Quid eſt, quare deſperes; his te poſſe fieri parem? omnes hi majores tui ſunt, ſi te illis geris dignum.*

* Apud Gellium lib. XI. cap. 2.

Septimus modus eſt ab oppoſitis. Ut ſi pacis bonum amplifices à calamitatibus, quæ bellum ſequi ſolent.

Octavus eſt à teſtimonio. Nam hâc in re judicium Joannis Doxapatri, Græci Hermogenis interpretis, cui teſtimonium eſt diſtinctus à cæteris locus, magis mihi arridet, quàm ſententia eorum, qui teſtimonia ſubjiciunt ſimili: quamquam hos ſequi maluit Petrus Nunneſius Valentinus.

Ac hi quidem præcipui ſunt amplificandi modi. Univerſè autem tot ſtatui poſſunt, quot ſunt rationes probandi. Quin ex iiſdem utraque hauriuntur locis; ac unum idemque argumentum, & probandi, & amplificandi vim habet: ſed diverſum nomen accipit, pro diverſitate finis, propter quem adhibetur.

Pleniùs de hiſce amplificandi modis dicemus lib. quinto. Nam quamquam aliorum hâc de re judicium non ignorem, atque adeò nec omnino eorum damnem ſententiam: magis tamen placent, qui hanc doctrinam penè totam cenſent ad Elocutionem pertinere: quippe quæ non verborum modò ſit, ſed etiam ſententiarum, ut ſuo loco oſtendemus. Adde quòd, cùm duo in Oratore ſpectentur; quid dicat, quod Inventionis eſt; & quomodo dicat, quæ res ad cæteras pertinet Oratoriæ partes: amplificatio non nova invenit argumenta, ſed novo ea effert modo. h. e. non ſtrictim ea tractat, Dialecticorum more; ſed ubertim, ac fusè. Porrò de exaggeratione idem eſto judicium, quod de amplificandi modis.

Hæc paucula de amplificatione viſum fuit adjicere, quia, uti diximus, pleríque Rhetores, poſtquam de argumentis, & argumentatione, egerunt, de amplificatione tractare ſolent. Verùm ex iis, quæ attulimus, liquere arbitror, cur magis nobis placeat Ariſtotelis conſilium, qui, relictâ hâc parte, accedit ad librum tertium: quo de Elocutione, & Diſpoſitione agit. Hunc ſecutus, & ipſe ad librum tertium me confero: ſed, contrà quàm à magno illo Stagirita factum, quem tamquam optimum, ut ſapiendi, ita etiam dicendi magiſtrum, ſequi ſoleo, eo libro de ſola Diſpoſitione tractabo, Elocutionis doctrinâ in poſteriorem locum rejectâ. Neque in eo temere nimis ab exemplo præceptoris recedere mihi videor. Nam uti in architectura, poſtquam materiam comparaverimus, mox de partium coagmentatione, ſive ædificii ſtructurâ: exinde de picturis, cæteroque ornatu, ſolliciti ſumus: ita etiam in facultate oratoriâ, ubi omnis generis argumenta inveneris, priùs de orationis diſpoſitione, poſtea demum de expolitione ejus cogitandum. Quâ in ſimilitudine præit nobis Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. περὶ συνθέσεως ὀνομάτων.

FINIS LIBRI SECUNDI.

GERAR-

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII
COMMENTARIORUM RHETORICORUM,
SIVE
ORATORIARUM INSTITUTIONUM
LIBRI III. PARS PRIOR;
QUÆ EST
DE DISPOSITIONE.

Cap. I.

Diſpoſitio eſt idonea collocatio partium orationis.

Hæ, juxta Ariſtotelem, ſunt quatuor; Exordium, Propoſitio, Fides, & Peroratio: ſed ſummum ſunt ſex; Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Confutatio, & Epilogus: è quibus prima ad conciliandum; poſtrema ad concitandum, media ad docendum inprimis adhibentur.

Ordo harum partium vel naturalis eſt, vel artificialis.

Naturalem vocant, cùm partes eo diſponuntur ordine, quo ante recenſebamus.

Artificioſus, naturâ cauſſæ ita poſtulante, ab ordine naturali recedit.

I. Diſpoſitio commendatur ac definitur.

NOn in oratione minùs, quàm in cæteris rebus, locum habet illud Xenophontis in Oeconomico: Ἔστι δ' οὐδὲν οὕτως οὔτ' εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις· *nihil hominibus, aut ad uſum commodius, aut pulchrius eſt ordine.* Unde meritò præcipit Horatius *,

* Epiſt. ad Piſon.

Singula quæque locum teneant ſortita decenter.

Sanè ordo ubi adeſt, res audiuntur lubentiùs, audita intelliguntur magis, intellectaque diutiùs inhærent. Sin idem negligatur, fit monſtrum illud ex variis animantibus conflatum, quod initio Artis depingit Horatius. Habet & tum locum illud Empedoclis de veterum quorundam philoſophorum opinione,

Πᾶν ἐν παντὶ μέμικται †.

† Quidvis cuivis commixtum.

& hoc Ovidianum de Chao ‡:

‡ 1. Met.

Quaque erat & tellus, illic & pontus, & æther.

Quin nullum mihi videtur certius eſſe inſcitiæ argumentum, quàm quòd res conturbantur: nullum majus artis induſtriæque indicium, quàm ordo. Quamobrem, cùm hactenus de Inventione actum ſit, in quâ inprimis ingenio opus eſt: deinceps videndum de Diſpoſitione, in quâ maximè elucet judicium, ac prudentia oratoris.

Diſpoſitio alia eſt verborum, quæ Græcis eſt σύνθεσις τῶν ὀνομάτων; alia rerum quàm iidem τάξιν & οἰκονομίαν vocant. Vitruvius * quidem in architectura diſtinguit hæc tria, τάξιν, διάθεσιν, & οἰκονομίαν: quæ Latinè reddit, *ordinationem, diſpoſitionem, diſtributionem.* Sed in oratione primum tertiumque à Tullio pro eodem habentur. Ut epiſt. 1. lib. VI. ad Att. Nec *οἰκονομίαν meam inſtituam: ſed ordinem conſervabo tuum.* Quod autem σύνθεσιν ad verba reſtrinximus, idem Fabio placuit, qui lib. VIII. de ornatu agens, diſtinguit inter ἀνοικονόμητον, ſive *malè diſpoſitum*, & κακοσύνθετον, ſeu *malè collocatum.* Verùm cùm diſpoſitio verborum ad Elocutionem pertineat; hujus ſolùm loci ſit agere de diſpoſitione rerum.

* Lib. 1. cap. 2.

Ea autem partes orationis in ordinem certum redigit; ut nihil aliud ſit, quàm juſta rerum inventarum collocatio.

II. De numero partium orationis.

PArtes Orationis neceſſariæ, ſecundùm Ariſtotelem, † ſunt quatuor; Exordium, Propoſitio, Fides, & Peroratio.

† Lib. 3. Rhet. cap. 20. ſive juxta vulg. diſt. cap. 13.

Ex his duæ neceſſariæ ſunt ἁπλῶς; Propoſitio, & Fides ſeu Contentio. Illa enim primariam orationis concluſionem aperit; hæc rationes aſſignat, quibus fulcitur.

Quod autem Propoſitionem dicimus ſimpliciter eſſe neceſſariam, non ita accipiendum, quaſi diſtincta ſemper eſſe debeat orationis pars: ſed quòd ſemper neceſſe ſit, ut quomodocunque proponatur, ſive id fiat in Exordio, ſive poſt Exordium.

Duæ verò partes ſunt neceſſariæ κατά τι. h. e. ratione infirmitatis hominum; qui cùm ſæpe rationibus non moveantur, affectibus ſunt trahendi. Partes hæ ſunt: Exordium, & Epilogus; è quibus Exordium ad conciliandum, Epilogus ad permovendum valet.

Itaque, cùm tria ſint argumentorum genera; ἤθη quidem in exordiis: λόγοι in contentione, πάθη in Epilogo adhibentur. Nec tamen intelligendum hoc, quaſi ἤθη καὶ πάθη, in aliis orationis partibus, quàm his, locum non habeant. Nam verum eſt, quod ait Cic. lib. II. de Oratore; *Tribus rebus omnes ad noſtram ſententiam perducimus; aut docendo, aut conciliando, aut permovendo: una ex tribus his rebus res præ nobis eſt ferenda: reliqua duæ, ſicut ſanguis in corporibus, ſic illæ in perpetuis orationibus, fuſa eſſe debebunt.*

Sed in partitione orationis paullum variare videtur Cicero, quando quatuor has orationis partes facit; Exordium, Narrationem, Contentionem, & Epilogum: è quibus medias ad fidem, extimas ad motum, valere dicit. Verùm ille, Narrationem cùm nominat, oſtendit, ſe non tantùm agere de partibus orationis neceſſariis; ſed omnibus, quotquot eſſe poſſint. Narratio enim ſæpe omittitur, ut infrà ‡ dicemus. Adde quòd genus Deliberativum per ſe Narrationem nunquam habet, quia de futu-

‡ Cap. 3.

Digitized by Google

funiris conſultat, cùm narratio ſit præteritorum. Quòd autem interdum Narrationem aſſumit, ut in Manilianâ; id fit, ut ex rerum præteritarum commemoratione rectiùs inſtitui poſſit deliberatio. Quòd verò Propoſitionem Tullius præterit; id inde eſt, quia eam ſub Contentione comprehendit: in quâ etiam ſententiâ eſt Fab. lib. IV. cap. XLIII. *Mihi autem*, inquit, *Propoſitio videtur omnis Confirmationis initium; quòd non modò in oſtendendâ quæſtione principali, ſed nonnunquam in ſingulis argumentis, proponi ſolet; maximeque in iis, quæ ἐπιχειρήματα vocantur.*

Ciceronem & Fabium, ſequitur quoque Trapezuntius; qui ſub Contentione Partitionem comprehendit.

Sunt etiam, qui Narrationem, ac Propoſitionem, unius partis nomine complectantur, quia ad Propoſitionem refertur Narratio. Siquidem hæc ideo affertur, ut ſtatus, ac primaria controverſia, meliùs intelligatur.

Hinc liquet, quomodo & quadripartita, & quinquepartita ſtatui poſſit oratio. Sed eâdem mente ſex partes aſſignantur Boëthio lib. IV. in Topica Ciceronis. Nempe quia Contentio dividitur in Confirmationem, & Confutationem; quarum illa argumentis cauſſam noſtram probat: hæc ad rationes adverſarii reſpondet. Interdum autem confutatione opus non eſt. Sane qui ea utitur, ubi re ipſa adverſarius non eſt, magis præjudicio cauſſam gravat, quàm adjuvat.

Cicero quoque lib. II. de Oratore octo partes facit, quia partibus aſſignatis diviſionem addit, & digreſſionem, Sed diviſio pertinet ad propoſitionem: digreſſio verò refertur ad eam partem, in quâ fit digreſſio.

Apſines junior, qui in arte ſuâ quædam facultati oratoriæ adjicere voluit, inter exordium & narrationem interjicit κατάστασιν *: verùm novo magis, quàm neceſſario invento. Nam, eam exordii omnino partem eſſe, nemo, puto, diffitebitur, qui mentem in fronte non habuerit. Idem judicium eſto de προεκθέσει, † & προκατασκευῇ, ſive præparatione, ſeu præſtructione: quarum utramque narrationi præmitti, ſcribit Fortunacianus: ac illam quidem docilitatis cauſſâ ante eam collocari: hanc verò, quo præparet judicem; ſive occurrendo iis, quæ objici poterant; ſive quædam quæ cauſſam juvent, in exordio ſpargendo admiſcendoque.

* *Conſtitutionem generalem.*
† *Q. d. prævia expoſitione.*

Verùm ut error fœcundus eſt, nec deſunt alii, qui tres tantùm partes neceſſarias agnoſcant: unde & orationem putant ſignari poëtico chimæræ commento, uti diximus lib. I. cap. III. ‡. At non una de cauſſa ſententia hæc exorbitat. Nam ἁπλῶς quidem duæ tantùm ſunt partes neceſſariæ, propoſitio, & fides. Sane exordium, & epilogus, quia ad motum ſolum pertinent, interdum omittuntur. Quare, qui tres faciunt partes neceſſarias, exordium, confirmationem, & epilogum, geminum errant errorem. Nam propoſitionem prætereunt, quæ omnino neceſſaria eſt: exordium autem, & epilogum, nominant, quæ neceſſariæ non ſunt. Atque hinc quoque cognoſcitur, Thomam Corræum longiùs abſceſſiſſe à veritatis viâ, cùm lib. III. de Eloquentia cap. V. ſcripſit, exordium quidem, & epilogum, partes eſſe orationis, atque adeò narrationem quoque: propoſitionem autem partium numero exterminandam. *Propoſitio*, inquit Corræus, *orationis pars non eſt; ſed partis auxilium, & adjumentum. Nam propoſitio adhibetur, ut intelligat auditor, quibus de rebus verba faciat Orator. Ut in oratione pro lege Maniliâ: Primum mihi videtur de genere belli; tum de imperatore deligendo, eſſe dicendum. Sed hoc modo eſt acceſſio exordii, & per ſe nihil præſtat, niſi duas virtutes exordii; ut auditores doceat, quibus de rebus dicendum ſit; & attentos reddat, dum rei ſummam intelligant, &, hoc vel illo expoſito, ſciant, quid requiratur.* Verùm, quomodo huic argumento obviam iri debeat, cognoſcere eſt ex iis, quæ de propoſitione ſuprà diximus. Neque enim requirimus, ut propoſitio ſemper pars ſit à cæteris partibus ſeparata; ſed agnoſcimus, eam interdum exordio admiſceri: quod cùm fit, ſi propoſitio non repetatur poſtea, neque cauſſæ conſequatur partitio; tres quidem tantummodo orationis partes erunt: attamen nihil hoc Ariſtotelicæ ſententiæ derogabit; quia propoſitio nihilominùs erit ſcopus & fundamentum univerſæ orationis: ex quo conſequitur, eam non modò orationis partem eſſe, ſed & partem principem; utut tum alii parti admiſceatur. At, inquit idem Corræus, Cicero quoque in iis, quæ maturâ ſcripſit ætate, propoſitionem præterit, ejuſque in locum ſubſtituit narrationem. Nam cùm alibi, tum lib. II. de Oratore, in Oratore ad Brutum, item in Partitionibus oratoriis, quatuor eſſe partes affirmat, exordium, narrationem, confirmationem, & perorationem. Quin, ſi eundem Corræum audimus, Ariſtoteles quoque in primo Rhetor. putat, veras eſſe orationis partes, narrationem, & confirmationem: exordium autem & epilogum, eſſe acceſſiones. At de Cicerone quidem adſtipulamur: de Ariſtotele verò, quem ſequimur, pernegamus: atque adeò ambigimus, quâ parte corporis oculos habuerit Corræus, cùm ſcribit, hanc quoque Ariſtotelis fuiſſe opinionem; cùm is diſertim adferat *, propoſitionem eſſe partem orationis neceſſariam; at narrationem ſæpe præteriri. Alia quoque fortaſſean erunt, quæ adverſum hanc videantur adverſari ſententiam: verumtamen ea, ſiqua fuerint, levicula fore arbitror, ac quæ ſolvere cuivis proclive ſit; cujuſmodi ſi conſecter, metuo, ne ſpinas magis videar colligere, quàm roſas. Quare, iis relictis, aggrediar rationem, quâ partes orationis collocari debeant.

‡ *Sect. 3.*

* *Lib. 3. Rhetor. cap. 20. ſive, juxta diſt. aliorum cap. 13.*

III. De duplici ordine partium orationis.

Ordo harum partium eſt duplex: unus, quem natura poſtulat; alter, qui oratoris judicio, ac prudentiâ, comparatur.

Naturalis eſt, cùm primò aliquid ante rem dicimus; deinde rem narramus; hinc ſtatum orationis aſſignamus; pòſt occupamur noſtris præſidiis confirmandis, contrariis refutandis; denique concludimus ac peroramus. Quem ordinem indicari ajunt verſu iſthoc, *Exorſus narro, ſeco, firmo, refuto, perore.* Interim fatentur, quia, ut ait Fabius lib. IV. cap. II, *Amentis eſt, ſuperſtitione præceptorum contra rationem cauſſæ trahi*; ordinem harum partium immutari interdum, aut partem aliquam omitti: atque id ordinem artificioſum nominant. Quando verò eo utendum ſit, diſpicere jubent oratorem ex perſonarum, locorum, temporumque circumſtantiis. Hujus artificioſi ordinis exemplum eſſe autumant, quòd in Milonianâ confutatio præcedit narrationem, ac confirmationem; quia narrando, aut probando, operam luſiſſet Cicero, niſi priùs oſtendiſſet, defendi poſſe eum, qui fatetur, hominem à ſe eſſe occiſum; neque ullum præjudicium Senatus eſſe factum; & quæ præterea ibi diluit orator. Sed hac de re judicium Ariſtotelis inferiùs † afferemus. Nunc ſingulatim de orationis partibus videamus.

† *Cap. 5. ſect. 1.*

Cap. II.

DE EXORDIO.

Exordium eſt orationis initium, quo ſcopus indicatur orationis, ac præparatur auditoris animus ad reliquam dictionem.

Exordiorum non una eſt ratio, ſed variant pro diverſâ cauſſæ qualitate. Ea vel honeſta eſt, vel turpis, vel dubia, vel humilis. Adhæc vel perſpicua eſt, vel obſcura.

In cauſſa honeſta apertè benevolentia, attentio, & docilitas parantur; quod exordii genus Principium vocant.

In turpi ſubeuntes auditoris animum, eum ad audiendum præparamus; quod genus exordii Inſinuatio nominatur. Quanquam hoc quoque interdum utimur in cauſſa honeſta; idque ſi auditor vel defeſſus ſit audiendo, vel perſuaſus ab iis, qui priores dixerint.

In

In dubia utimur Principio ducto à natura cauſſa, quâ honeſtatis partem habet.

In humili comparanda eſt attentio; in obſcuro, docilitas.

Neque eadem exordiorum ratio eſt in tribus dicendi generibus.

In demonſtrativo ſumuntur à quinque locis; à laude, à vituperatione, à ſuaſione, à diſſuaſione, & ab iis, quæ ad auditorem referuntur.

In exordio generis juridicialis quatuor ſunt loci. Nam præparatur auditoris animus quibuſdam velut medicamentis, ſumtis vel ab oratore, aut reo, vel ab auditore, vel ab adverſario, vel à re. A reo quidem, vel adverſario, ea petuntur, objiciendo crimen, aut diluendo. Ab auditore verò, reddendo eum benevolum, vel iratum; nonnunquam etiam attentum, aut non attentum, itemque docilem. A re denique, qualitatem rei declarando.

In deliberativo genere olim non erat neceſſe monſtrare ſcopum orationis; quia antè jam conſtabat, quâ de re agendum eſſet. At propter alterum exordii munus, ferè incipiebant, vel à criminis depulſione, vel à criminatione, vel ab amplificatione, vel à diminutione, vel ab ornatu.

I. De vocabulis exordii, prooemii, et prologi.

SCite Pindarus Olymp. VI. & ex eo Lucianus in Hippia, ἀρχομένου ἔργου, πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές· *incipiente opere, frontiſpicium oportet facere præfulgidum.* Verùm præclara quidem res eſt initium præclarum, at in orationibus conficiendis ardua. Hinc Cicero in Timæi fragmento: *Difficillimum eſt in omni conquiſitione rationis, exordium.* Qui locus expreſſus eſt ex illo Platonis *, Μέγιστον δὴ παντὸς ἄρξασθαι κατὰ φύσιν ἀρχήν. Unde liquet, in adductis Tullii verbis apud Nonium, pro *facillimum* †, rectè nunc ‡ *difficillimum* legi, prout Perionius, Stephanus, & Leopardus *, emendarunt. Quod ſi hæc pars minimè facilis ſit, atque obvia: purgatis omnino auribus opus erit in iis, quæ de exordio dicemus. Quandoquidem verò nobis nunc quoque Grammaticis quodammodo eſſe viſum eſt, age ab ipſo auſpicemur nomine.

Exordii vox à textoribus ſumta eſt, qui propriè dicuntur ordiri telas, unde illud in Culice;

Atque ut araneoli tenuem formavimus orſum.

Plaut. Pſeudol. †.

Neque exordiri primum, unde occipias, habes;
Neque ad detexendam telam certos terminos.

Cicero lib. II. de Oratore; *Pertexe modò*, inquit, *Antoni, quod exorſus es.* Ibidem: *Multa quærendo, reperiunt non modò ea, quæ jam non poſſint ipſi diſſolvere; ſed etiam, quibus ante exorſa, & potius detexta, propè retexantur.* Plinio quoque lib. VI. cap. XVII. *redordiri* eſt telam in fila diſſolvere: unde inquit, *Geminus feminis noſtris labor, redordiendi fila, rurſuſque texendi:* nempe, quia texturam, non licium, mittebant Seres. Confirmat id ipſum quoque ἐτυμολογία. Nam, ut monuit ante nos Joſephus Scaliger ‡, Græcum eſt ὄρδημα *, ἡ τολύπη τῶν ἐρίων. Item: ὀρδικόν, χιτωνίσκος †. Auctor de utroque Heſychius. Martinius tamen in Etymologico ſuo cenſet, *ordiri* dici quaſi *oriri dare:* ὄρδημα autem, & ὀρδικόν, eſſe originis Latinæ. De quibus non poſſum ſubſcribere viro doctiſſimo, &, dum viveret, amiciſſimo.

Exordium Græcis προοίμιον vocatur; quod nomen quidam deducunt ab οἶμος, h. e. via; quam ἐτυμολογίαν ſtabilire videtur, quòd Ariſtoteles ipſe in III. Rhet. ὁδοποίησιν vocat ‡, quia nempe ad reliquam orationem viam munit. Verùm acutiùs vim Græci præverbii πρὸ cum Jul. Scaligero * conſideranti, conſtabit, ab eo deduci non poſſe: quia ut ſit ab οἶμος, non tantùm debeat *aditum ad cauſam & munitionem principium habere*; ut loquitur Tullius in ſecundo de Oratore; ſed viam ante viam ſternere debeat; quo quid ineptius? Itaque rectiùs deduxeris ab οἴμη, id eſt, ᾠδή, ut interpretatur Heſychius, ac Ammonius quoque, ſive is eſt Herennius Philo, juxta quem Οἶμος οἴμης διαφέρει. Οἶμος μὲν γάρ ἐστι δεικτικῶς ἡ ὁδός· Οἴμη δὲ, ἡ ᾠδή. Certè, propriè αἱ ἀναβολαί, ut Ariſtophanes vocat, (h. e. cantus cujuſvis proluſiones, experimenti gratiâ in anteceſſum datæ, quæ & πρόχορδα ἄσματα, & ἐνδόσιμα) nominantur προοίμια: quomodo voce ſpecialiori προκιθαρίσματα ſunt in arte fidicinâ; itemque προαύλια in αὐλῶν ſive tibiarum cantu. Atque inde etiam liquet, infirmum eſſe illud viri docti † argumentum, cùm in ſuo Ariſtoteleæ Rhetoricæ Conſpectu ſcribit, προοίμιον à viâ originem trahere, quia alioqui προοίμια, & προαύλια, idem eſſent.

Quod verò oratoribus eſt προοίμιον, aut *exordium*, (Varro, aliud ἐνδόσιμα nimirum, intelligit ὄνος λύρας, cùm *fabularum* dixit *exordia*) id propriè poëtis Comicis, & Tragicis, eſt *prologus*; unde Paccuvio apud Feſtum *prologium*; ut Varroni ab ἔξοδος *exordium*; Petronio à μέθοδος *methodium.* Vox autem *prologi* & *prologii*, quia præpoſitionem producit apud Poëtas, quibuſdam merè Latina videtur; ut *prologus* dicatur quaſi *proloquus*, *prologium* quaſi *proloquium*: alii verò merè Græcam autumant, ac producere primam ob liquidam; quomodo in μέλος, & μελίζεσθαι, prima eſt porrecta apud Homerum ‡, Antipatrum *, Chriſtodorum †, fortaſſe & Perſium ‡: alii denique ex Latino præverbio, & Græco nomine, factum judicant nomen Latino-Græcum: idque eo defendi videtur, quòd & aliæ non paucæ ſint ſpuriæ ac hybridæ voces: ut apud Plautum *inanilogus* *, *pultiphagus* †, *pultiphagonides* ‡, *thermopotare* *: apud Vitruvium † *pſeudourbanus:* apud Quinctilianum ‡ *biclinium*, *epitogium*, *Anticato*: apud Plinium * *cryptoporticus*: apud Tertullianum † *protoſedere*, h. e. προεδρεύειν: apud Auſonium ‡ *myobarbum:* in cod. Juſtinianeo * *melloproximus.* Atque, ut etiam cum præverbio compoſita afferamus, Latini cùm accepiſſent à Græcis *proſcenium*, quod Plautus † uſurpat, exemplo hoc formarunt *poſtſcenium*; quo utitur Lucretius lib. III. *Omnia ſummopere hos vitæ poſtſcenia celant:* ut optimè reſtituit Lambinus, etſi diſſentiat Scipio Gentilis ‡. Ac omnium maximè hanc rem firmare videntur, quæ non cum præverbio ſolùm, ſed etiam cum voce λόγος, componuntur. Ut *antelogium* apud Plautum ⸸, ac *elogium* quoque ſimile videtur Joſepho Scaligero; qui & hanc de prologi origine ſententiam tuetur. Sed etſi olim eam ſecutus ſim, nunc tamen vix dubito, quin *elogium* quidem ſit ab ἔλογος, quaſi ἐλόγιον: *prologus* autem planè ſit Græcum πρόλογος, ac producat primam, quia Latini etiam in iis, quæ Græcis debent, interdum ſequantur quantitatem Latinorum: ut Lucilius facit in *propola*, Martialis in *propino.* Verùm de voce *exordii*, *prooemii*, *prologi*, ſatis multa, ac nimis fortaſſe multa: præſertim cùm fusè adeo de his agamus in Originum libris. Nunc penſiculatè de re ipſa dicamus.

II. Quid exordium ſit, et quotuplex, et de quinctuplici cauſſa, honeſta, admirabili, dubia, humili, et obſcura.

EXordium ab Aphthonii ſcoliaſte * dicitur eſſe λόγος προευδιάζων τὴν ἀκρόασιν †. Pleniùs autem definitur, orationis initium, ſcopum indicans orationis, & præparans auditoris animum ad reliquam dictionem. Duo enim ſunt prooemiorum genera; ut monet Ulpianus in primam Olynthiacam. Unum initio præparat auditorem ad reliquam orationem; alterum in mediâ oratione ad ſequentia viam munit. Ita in Manilianâ, præter illud primum exordium, aliud præmittitur tertiæ orationis parti, quæ eſt de eligendo Imperatore. Par quoque epilogorum ratio eſt. Nam præter illam univerſæ orationis perorationem, ſingulæ quoque partes ſuam habent concluſionem. Neque de nihilo eſt, quòd cum exordia, tum epilogi, ſingulis

* In Timæo.
† Uti eſt in edit. Mediolanenſi, Aldina, Plantiniana, aliis.
‡ In edit. Joſiæ Merceri.
* Lib. 18. cap. 15.
† Act. 1. ſc. 4.
‡ In Cul.
* Lana pexa, ac parata ad nendum.
† Tunica intima.
‡ Cap. 21. ſive diſt. vulg. cap. 14.
* L. 3. de re Poet. c. 48.
† Dan. Cramerl.
‡ Hymno in Mercurium.
* Epigrammate in Anacreontem.
† Epigr. in Aglaum.
‡ In prologo.
* Pſeud. act. 1. ſc. Pſeudole, non audis.
† Mercatore.
‡ Prologo Pœnuli.
* Trinummo, ſc. Staſime, fac te.
† Lib. 6. cap. 9.
‡ Lib. 1. c. 9.
* Lib. 2. ep. ad Gallum. & lib. 5. ep. ad Apollinarem.
† De corona militis cap. ult.
‡ Lemmate epigr. 39.
* L. peculiari. & l. unicuique. C. de prox. ſac. lib. 12.
† Prologo Truculenti.
‡ Lib. 1. Περὶ εὑρ. cap. 8.
⸸ Prologo Menæchmor.
* In prolegomenis.
† Oratio præparans auditorem.

gulis partibus addantur. Nam quemadmodum viatorem reficiunt ſpatia certis lapidibus ac intervallis diſtincta: ita recreatur quoque auditoris animus admonitione ſingularum partium. Nobis hoc loco de priori ſolùm exordii genere ſermonem eſſe, ſatis, puto, ipsâ oſtendimus definitione.

Exordii hujuſce munus autor ad Herennium triplex facit. Nam & comparanda benevolentia, & attentio, & docilitas. Porrò ſi hæc apertè comparentur, κατ᾽ ἐξοχὴν *Principium* vocatur: ſi ſubdolè, & circuitione quadam, *Inſinuatio*.

Sed ut pleniùs id intelligatur: afferenda eſt diſtributio cauſſarum, verùm diverſa ab eâ, quam libro primo adducebamus. Quippe tum à partibus ſive officio, & diverſo auditorum genere, item fine, & tempore, cauſſam dividebamus in deliberativam, demonſtrativam, ac juridicialem. At hìc diviſio ſumitur ratione qualitatis. Nam diviſio quidem generis in ſpecies tantùm una eſſe poteſt: at per accidentia multifariam aliquid diſpeſcimus. Itaque ſimilis planè ratio eſt, atque eſt nominis in Grammaticis. Aliter enim dividitur ratione qualitatis; aliter ratione aut generis, aut ſpeciei, aut figuræ &c. Hæc vix tanti mihi videntur, ut ea monere fuerit operæpretium. At Mario tamen Victorino * levicula hæc quæſtio videtur *occulta nimis ratione ac difficili diſputatione diſſolvi*; ut verbis ejus utar. Nunc ipſam diſtributionem adferamus.

* Commentario in 1 Rhet. Cic.

A qualitate igitur cauſſa hoc loco ſtatuitur quadruplex: ἔνδοξος, ſive honeſta, παράδοξος, ſive admirabilis, ἀμφίδοξος, ſive dubia, & ἄδοξος, ſive humilis. Quam diſtributionem ſimiliter adfert B. Auguſtinus in principiis Rhetoricis. Sed M. Tullius 1. de Invent. Fabius lib. IV. cap. 1. Fortunatianus lib. II. Caſſiodorus in Rhetoricæ compendio, & plures alii, quatuor hiſce generibus addunt quinctum, δυσπαρακολούθητον, ſive obſcurum. Quam ſententiam minùs probo. Nam quatuor priora membra petuntur ἀπὸ τῆς δόξης, ſive opinione hominum; eoque rectè conjunguntur: quinctum illud ſumitur à facili vel difficili intelligentia, eoque alterius eſt diviſionis membrum.

Cauſſa ἔνδοξος, ſeu honeſta, à Caſſiodoro definitur, *cui ſtatim ſine oratione noſtra favet auditoris animus*: ut, ſiquis pro parente optimo dicat. B. Auguſtinus † (apud quem pro ἔνδοξος legitur εὔδοξος) *bonæ opinionis* cauſſam interpretatur.

† In principiis Rhetor.

Cauſſa παράδοξος, ſeu admirabilis, Auguſtino ‡ nunc cauſſa *opinionis malæ*, nunc *contra bonam opinionem* nuncupatur. Hujuſmodi eſt, ſiquis pro ſacrilego dicat. Unde liquet, cauſſam turpem rectiùs admirabili ſubjici, quàm humili. Utriuſque opinionis meminit Fabius *. Æquè autem, ac cauſſa honeſta, diffundit ſe per laudationem, vituperationem; ſuaſionem, diſſuaſionem; accuſationem, defenſionem: nec minùs circa perſonam verſatur, quàm circa rem. Ad perſonam pertinet, quòd Polycrates vituperationem conſcripſit Socratis: ac Iſocrates contrà laudibus extulit τὸν ξενοκτόνον Βούσιριν †, ut eum Juſtinus Martyr ‡ vocat. Imò inventus etiam, qui diabolum publicè laudaret Witebergæ. Fuit is Joannes Brunus, natione Italus, ſive ut aliis dicitur, Bruno Nolanus, Rerum verò exempla magno ſunt numero. Fere autem iis aliquod animi, corporis, aut fortunæ bonum vituperatur, vel malum contrarium extollitur. Ad animum pertinet, quòd Eraſmus laudavit Moriam: quod item Callicles in Gorgiâ Platonis multis verbis accuſat philoſophiam; ac quòd Thraſymachus apud eundem primo de Rep. Glaucus item in ſecundo de Rep. (idque fortiùs, quàm Thraſymachus) juſtitiam quidem accuſat, injuſtitiam verò effert laudibus. Idem fecit Carneades, qui, ut ait Fabius lib. XII. cap. 1. *Romæ, audiente Cenſorio Catone, non minoribus viribus contra juſtitiam dicitur diſſeruiſſe, quàm pridie pro juſtitiâ dixerat.* Atque hic eſt ille Carneades, qui, ut apud Ciceronem lib. II. de Orat. ait M. Antonius, *nullam unquam in ſuis diſputationibus rem defendit, quam non probârit; nullam oppugnavit, quam non everterit.* Certè ad laudem injuſtitiæ referre potuit, quòd vulgus, cùm omnia utilitate metiatur, ſatius judicet, videri, quàm eſſe juſtum: id enim neutiquam faceret, ſi ei bonum eſſet præſtantiſſimum, cum nemo non ſanus eſſe, quàm videri, præoptet. Ariſt. 1. Rhetor. διὸ καὶ τὴν δικαιοσύνην φασὶ μικρὸν εἶναι, ὅτι δοκεῖν ἢ εἶναι αἱρετώτερον, τὸ δ᾽ ὑγιαίνειν οὔ*. Ad mala verò corporis ac fortunæ pertinet, quòd veterum aliqui, (ut libro primo † diximus) vel inopiam extulere, vel exilium, vel calvitium, vel podagram: quam è junioribus quoque laudavit Bilibaldus Pircheimerus. Uti Gulielmus Inſulanus quartanam febrim. Quod & Phavorinus philoſophus fecerat, Hadriani Cæſaris æqualis. At vel antiquitatis cauſsâ nefas ſit præterire Alcidamantem Eleatem; quem Gorgiæ Leontini diſcipulum facit Suidas; ac Quinctilianus ‡ quoque inter antiquos Rhetoricæ ſcriptores reponit, atque à Platone *Palamedem* appellatum ait. Hic *ſcripſit laudationem mortis, quæ conſtabat ex enumeratione malorum humanorum*: ut è prima Tuſcul. Ciceronis diſcimus: item è Tzetze Chil. XI. Hiſt. CCCLXXXV: qui tamen, cùm multas Alcidamantis orationes legerit, hanc necdum ſibi lectam agnoſcit.

* Lib. 4. cap. 1.

† Hoſpitum occiſorem Buſirim.

‡ Orat. 2. adverſus Græcos.

* Itemque juſtitiam ajunt rem eſſe puſillam, quia præſtat videri, quàm eſſe juſtum, quod in ſanitate non fit.

† Cap. 5. ſect. 40.

‡ Lib. 3. cap. 5.

Ἀμφίδοξος, ſive dubia, vel anceps cauſſa eſt, quæ partem habet honeſtatis, partem turpitudinis. Exemplum ejus ſuggerit Maro, cùm in ſexto Æn. agit de M. Bruto in liberos ſæviente, ſed ob patriæ libertatem. Ita enim ait:

—— Natoſque pater, nova bella moventes,
Ad pœnam pulchrâ pro libertate vocabit;
Infelix, utcunque ferent ea facta minores:
Vincet amor patriæ, laudumque immenſa cupido.

Dubia quoque erat cauſſa Oreſtis, qui matricida erat, ſed patris ultor. Menelaus certè apud Euripidem * vocat eum μητροφόντην †, quia accuſabat. At ipſe de ſe inquit ‡.

Ὦ πατρὸς ἀμύντωρ, ὅν σὺ προὔδωκας θανεῖν *.

Eodemque modo de eo Juvenalis libri III. ſat. II:

—— Deis auctoribus, ultor
Patris erat cæſi media inter pocula.

Patrem verò ulciſci, laudis eſt. Utrumque expreſſit Claudianus panegyri in VI. conſulatum Honorii †;

Enſe Thyeſtiadæ pœnas exegit Oreſtes.
Sed miſtum pietate nefas, dubitandaque cædis
Gloria materna, laudem cum crimine penſat.

Tangit & Ovid. IV. Triſt. eleg. IV:

Quò poſtquam, dubium pius, an ſceleratus, Oreſtes
Exactus furiis venerat ipſe ſuis.

* In Oreſte verſ. 1589.

† Matricidam.

‡ Verſ. ſeq.

* Patris defenſor, quem tu prodidiſti, ut morere-tur.

† Verſ. 213.

Cauſſa quoque dubia ſit, ſiquis injuriam faciat, ut multa faciat juſtè. Certè Jaſon Theſſalus, ſiquid vi alicui extorqueret, dicere ſolitus eſt, δεῖν ἀδικεῖν ἔνια, ὅπως δύνηται καὶ δίκαια πολλὰ ποιεῖν· *in aliquibus ſe debere jus violare, ut poſſet multa juſtè agere.* Ita dictum hoc extulit Ariſt. 1. Rhet. at paullo aliter refert Plutarchus ‡. Ac talis quidem eſt cauſſa dubia.

‡ In præceptis gerendæ Reipublicæ.

Cauſſa verò ἄδοξος, ſive humilis eſt, quæ eſt de re vili & abjectâ: ut ſiquis ad Senatum referat de purgandis cloacis, aut litem alii intendat de tribus capellis; de quibus venuſtum eſt epigrammatium apud Martialem * ex Græco Lucillii expreſſum. Quemadmodum autem de cauſsâ admirabili ſuperiùs dicebamus: ita etiam in humili materia ſe plurima oſtentarunt ingenia. Inter antiquiſſima eſt Polycratis, qui calculorum encomium ſcripſit; uti & murium; in quorum laudibus, ut ait Ariſtoteles †, repoſuit illud, quòd, corroſis atque abſumtis hoſtilium arcuum nervis, auxilium tulerint, ſive Ægyptiis contra Arabes, & Aſſyrios, ut vult Herodotus lib. I; ſive, ut apud Ariſtotelem eſt, Troadis incolis; qui ob hoc beneficium à σμίνθος, quomodo murem vocabant, *Apollinem Sminthium* dixere; ut ex Polemone teſtatur Clemens Alexandrinus. Sanè *Sminthea* eum cùm alibi vocat Naſo, tum Met. XII. fab. VII. *Perniciem murium* eâdem de cauſſâ dicit Arnobius lib. III. Cùm autem mures arroſerint nervos, non quo auxiliarentur, ſed ut famem explerent: vel ex hoc exemplo liquet, in humili materia cauſſas per accidens habere imprimis locum: quod fallax eſt argumentandi

* Lib. 6. epig. 19.

† 2 Rhet.

di genus; attamen iis conceſſum, qui ſe in hujuſmodi argumentis, ſive exercent, ſive oſtentant. Hoc præter Polycratem, de quo jam dictum, fecere alii non pauci, tum veterum, tum juniorum. Ita olim fuit, qui ſalis laudem ſcripſerit: ſive id ſeorſum factum, ſive operi alterius argumenti admiſtum. Plato in Cratylo*: Ἀλλ' ἔγωγε ἤδη τινὶ ἐνέτυχον βιβλίῳ ἀνδρὸς σοφοῦ, ἐν ᾧ ἐνῆσαν ἅλες ἔπαινον θαυμάσιον ἔχοντες πρὸς ὠφέλειαν ‡. Etiam comæ encomium ſcripſit Dion Pruſæus; teredinis Clitarchus; pulicis Michael Pſellus †, & poſt eum Cælius Calcagninus, item Petrus Galiſſardus Araquæus; idem etiam Pſellus cimicis, luti Antonius Majoragius; anſeris Julius Scaliger, cujus ex oratione fragmentum tantummodo habemus; umbræ Janus Douza filius; aſini, & pediculi, clariſſimus collega noſter Dan. Heinſius: ſed & pediculum laudarat antea Pſellus, & ſimilia alii, ut oſtendimus libri I. cap. V. ſect. XXXII. Anonymus quoque funebrem ſcripſit in equum, aſinum, canem, ſimium, felem, noctuam, picam, gallum, mergum, gryllum, ac pediculum: in quæ undecim animantia orationes totidem ex Italicis factas Gallicas, è Gallicis Latinas fecit Guil. Canterus.

*P. 1177. edit. Wechel.
‡ *Sed & ego legi quandoque ſapientis viri librum in quo ſalem ad victus utilitatem miris laudibus extollebat.*
† *Joannes Tzetzes Chil. 11. hiſt. 185.*

Vidimus de quatuor cauſſarum generibus, quæ ab hominum opinione petuntur. Addemus nunc quoque de cauſſa obſcura; quam prioribus à Cicerone, Fabio, aliis, adjungi, paullo antè dicebamus. Obſcura cauſſa eſt, quam difficulter percipit auditor, non quidem vitio oratoris, aut ſuo; ſed naturâ cauſæ; quæ tenebras habet. Triplex enim eſt obſcuritas. Una eſt rei, quam non conſideramus. Altera eſt dicentis, cùm res, quæ clariùs dici potuit, ita proponitur, ut iis etiam, qui ingenio & eruditione valent, negotium faceſſat. Tertia verò eſt ab auditore, cùm ea, quæ dicuntur, per ſe perſpicua ſunt: quòd verò à quibuſdam non intelligantur, id vel tarditate fit ingenii eorum, qui audiunt; vel ſaltim, quòd in hujuſmodi re minimè ſint verſati. De altero tertioque obſcuritatis genere vide, ſi voles, Galenum lib. I. περὶ ἀγμῶν.

III. QUOMODO BENEVOLENTIA PARETUR, SIVE À PERSONIS, SIVE À REBUS.

DIXIMUS, quomodo variet cauſſa: docendum deinceps, quomodo in qualibet harum præparandus ſit animus auditoris. Oſtendemus autem id potiſſimùm in genere Juridiciali.

Benevolentiam minùs aucupamur in honeſto cauſſæ genere; niſi auditor ſit vel perſuaſus, vel defeſſus: alioqui enim plurimùm per ſe ad conciliandum ac propitiandum valet. Maximè autem benevolentiâ ac favore opus eſt in genere infavorabili; quale omnimodè quidem eſt turpe, ex parte autem anceps.

Paratur benevolentia tum à perſonis, tum à rebus. A perſonâ autem petitur trifariam. Primò à perſonâ, ſive ejus, qui dicit, h. e. oratoris; ſive ejus, pro quo dicit, h. e. rei. Ariſtoteles utramque perſonam comprehendit ſub perſonâ τοῦ λέγοντος †. Nimirum quia orator perſonam quoque ſuſtineat alienam: unde illud loquendi genus, *Nego, me reſtitutum:* hoc eſt, clientem meum. Imò contingit etiam, ut idem ſit, qui dicit, & pro quo dicitur. Quomodo Appulejus magiæ inſimulatus cauſſam ipſe ſuam Carthagine egit apud Maximum Claudium, Africæ proconſulem. Idemque Romæ pro ſe facere apud Domitianum decrêrat Apollonius Tyaneus, ejuſdem poſtulatus. Orationem, quam hoc fine pro ſe ſcripſerat, refert Philoſtratus lib. VIII. Itaque ſi Ariſtotelem intellexit Fabius, cùm reprehendit eos, qui perſonas tres ſolùm ſtatuerunt, à quibus procemia ducerentur: more ſuo, h. e. immeritò, ſummum ſugillat Rhetorem. *Benevolentiam*, inquit ‡, *aut à perſonis dicimus, aut à cauſſis accipimus: ſed perſonarum non eſt, ut plerique crediderunt, triplex ratio, ex litigatore, & adverſario, & judice: nam exordium duci nonnunquam ab actore ſolet.*

† *Dicentis.*
‡ *Lib. 4. cap. 1.*

A perſonâ dicentis non uno modo paramus benevolentiam. Fit enim hoc nunc extenuatione ingenii, ac eloquentiæ; nunc virtutis, aut meritorum noſtrorum commendatione; nunc etiam ab infortunio noſtro. Unde Sulpicius Severus dialogo I. cap. XX. *Cum ſis ſcholaſticus, hoc ipſum quaſi ſcholaſticus artificioſe facis, ut excuſes imperitiam, quia exſuperas eloquentiâ.* Cicero pro Valerio Flacco: *Cùm in maximis periculis hujus urbis atque imperii, graviſſimo atque acerbiſſimo reip. caſu, ſocio atque adjutore conſiliorum periculorumque meorum L. Flacco, cædem à vobis, conjugibus, liberis veſtris; vaſtitatem à templis, delubris, urbe, Italiâ, depellebam: ſperabam, judices, honoris potius L. Flacci me adjutorem futurum, quàm miſeriarum deprecatorem. Quod enim eſſet præmium dignitatis, &c.* Pro C. Rabirio: *Etſi: Quirites, non eſt mea conſuetudinis, initio dicendi rationem reddere, quâ de cauſſâ quemque defendam; propterea quòd cum omnibus civibus in eorum periculis ſemper ſatis juſtam mihi cauſſam neceſſitudinis eſſe duxi: tamen in hâc defenſione capitis, famæ, fortunarum omnium C. Rabirii, proponenda ratio videtur eſſe officii mei; propterea quòd, quæ juſtiſſima mihi cauſſa ad hunc defendendum eſſe viſa eſt, eadem vobis ad abſolvendum debet videri. Nam me cùm amicitia vetuſtas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum mea vita perpetua conſuetudo, ad C. Rabirium defendendum eſt adhortata: tum verò, ut id ſtudioſiſſimè facerem, ſalus reip., conſulare officium, conſulatus denique ipſe, mihi unà vobiſcum cum ſalute reip. commendatus, coegit. Non C. Rabirium culpa delicti, &c.* Pro P. Sylla: *Maximè vellem, Judices, ut P. Sylla & antea dignitatis ſuæ ſplendorem obtinere, & poſt calamitatem acceptam, modeſtiæ fructum aliquem potuiſſet percipere. Sed, quoniam ita tulit caſus infeſtus, ut ampliſſimo in honore cùm communi ambitionis invidiâ, tum ſingulari Autronii odio everteretur, & in his priſtinæ fortunæ reliquiis miſeris & afflictis, tamen haberet quoſdam, quorum animos ne ſupplicio quidem ſuo ſatiare poſſet: quamquam ex hujus incommodis magnam animo moleſtiam capio, tamen in cæteris malis, &c.*

Secundò captatur benevolentia à perſonâ ejus, apud quem dicitur, h. e. judicis, vel auditoris; nempe ab ejus fide, vel exiſtimatione, dignitate, ſinceritate, & ſimilibus. Ambroſius lib. VI. de Sacramentis cap. ult. *Non debes, quaſi famelicus ad cibum, de cibo incipere; ſed antè à laudibus Dei. Unde & oratores iſti ſapientes hanc habent diſciplinam, ut judicem fautorem ſibi præſtent. incipiunt à laudibus ejus, ut benevolum ſibi faciant cognitorem. Deinde paullatim incipit rogare judicem, ut patienter dignetur audire. Audet & tertio poſtulationem ſuam depromere; quid petat, exprimere.* Imò ne quidem Apoſtolus Paulus hoc negligendum ſibi putavit cap. XXVI. Act. ubi orationem ſuam ſic orditur: *Super omnibus, de quibus poſtulor à Judæis, Rex Agrippa, beatum me duco, quòd ſim hodie cauſſam apud te dicturus. Maximè, quod te gnarum eſſe ſciam omnium, quæ apud Judæos ſunt, & rituum, & quæſtionum.* Cicero verò id paſſim obſervat. Ita in exordio orationis pro Roſcio Amerino fortitudinem animi extollit in Fannio; *Te quoque*, inquit, *M. Fanni quæſo, ut qualem te jam antea populo Romano præbuiſti, cùm huic idem quæſtioni judex præeſſes; talem te nobis & pop. Rom. hoc tempore impertias.* Idem in Milonianæ exordio Pompejum laudat à ſapientiâ & juſtitiâ, cùm ait: *Sed me recreat & reficit Cn. Pompeii ſapientiſſimi & juſtiſſimi viri conſilium; qui profectò nec juſtitiæ ſuæ putaret eſſe, quem reum ſententiis judicum tradidiſſet, eundem telis militum dedere; nec ſapientiæ, temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publicâ armare.* Quæ lectio alteri præſtat, quam Janus Parrhaſius* approbat: *ſapientiſſimi & illuſtriſſimi.* Nam Cicero mox Juſtitiæ & ſapientiæ meminit: neque in judicio poſſunt laudes magis appoſitæ afferri, quàm ſapientia, & juſtitia: illa enim eſt intellectus, ac facit, ut quis ſciat, quid æquum ſit: hæc voluntatis eſt, atque efficit, ut agamus, quod æquum eſſe cognoſcimus.

* *Notis in Milonianam.*

Tertiò paratur benevolentia à perſonâ ejus, contra quem dici-

dicitur. Fit hoc bifariam. Primò ab adverſarii noſtri patrono, idque præcipuè, fingendo, nos ejus eloquentiam ac gratiam timere: quæ res facit, ut hæc judici ſint ſuſpecta. Deinde à perſonâ ipſius adverſarii: quod fit, adducendo eum vel in odium, idque commemoratione vitiorum, quibus laborat; vel in invidiam, ſugillando potentiam, quâ turget, & comparando reum, cui nullæ opes, tenues facultates, cum adverſario gratioſiſſimo; vel in contemtum, oſtendendo, eum eſſe humilem, abjectumque. Cicero pro Quinctio: *Quæ res in civitate duæ plurimùm poſſunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia: quarum alteram, C. Aquili, vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortenſii ne me dicendo impediat, nonnihil commoveor. Gratia Sex. Nævii, ne P. Quinctio noceat, id verò non mediocriter pertimeſco.* Illuſtris quoque eſt locus Ciceronis in Vatinium, quem ſuperiùs † adduximus, cùm de contemtu ageremus. Etiam quòd Tannonius, cùm Appulejum accuſaret, eum vocârit philoſophum formoſum, & tam Græcè, quàm Latinè diſertiſſimum, id dixiſſe mihi videtur, ut orationem Appuleji redderet ſuſpectiorem; non autem, quaſi philoſophiam, & utriuſque linguæ facundiam, ei vitio verteret; quamquam ſic videri velit Appulejus.

† Lib. 2. cap. 13. ſect. 4.

Interdum etiam contingit, ut idem ſit is, apud quem dicit orator, & pro quo dicit. Iſtiuſmodi cauſſæ adfuiſſe Tullium, ſcribit Fabius lib. IV. cap. I. qui & ſe pro Reginâ Berenice apud ipſam ait cauſſam dixiſſe. In cujuſmodi cauſſa non multùm opus erit laborare de benevolentia paranda.

Quartò conciliatur benevolentia à re, h. e. cauſſâ. Ita enim Varro lib. VI. de L. L. item Horatius, Suetonius, aliique, eo utuntur nomine. Notum illud Auſonii, *Imperium, litem, Venerem, cur una notat res?* Inde & *reus* dictus, cujus cauſſa in judicium venit, ſive is nocens, ſive innocens; atque adeò non modò qui defertur, ſed & actor. Cic. lib. II. de orat. *Reos appello non eos modò, qui arguuntur; ſed omnes, quorum de re diſceptatur.* Ælius Gallus apud Feſtum: *Reus eſt, qui cum alio litem conteſtatam habet, ſive is egit, ſive cum eo actum eſt.*

Captatur autem à re benevolentia, ſi cauſſam noſtram extollamus, adverſarii deprimamus; ſi item, cauſſam noſtram auditoribus emolumento fore, aſſeramus.

Atque hic obſervandum præceptum καθολικὸν *, ut, ſi cauſſa laboret, perſona ei opituletur; ſi perſona, ſubveniat cauſſa. E. G. Si Manlius Capitolinus accuſetur tyrannidis affectatæ; nullam faciamus tyrannidis mentionem, & de perſonâ dicamus; quòd Manlius hic, fugandis è Capitolio Gallis, patriam conſervaverit. Si verò & perſona, quæ capitis arceſſitur, malè audit, & turpe eſt facinus, quod admiſit: quæremus, quod lædat adverſarium; quò, ſi conſequi non licet quod maximè optabile eſt, id adipiſcamur quod proximum eſt. Si denique adverſarius ſit vir bonus; expedire exiſtimant, ut Tullium imitemur; qui, cùm pro Murenâ diceret, Catonemque, ut virum gravem ac fidei antiquæ, ſuſpiceret, ac ſuſpici ſciret; non quidem in ejuſce vitâ quicquam culpavit, aut culpare potuit: ut tamen quomodocumque fidem detraheret, ſectam Stoicorum, cui Cato ſe addixerat, irridere cœpit: atque id tam ridiculè feciſſe dicitur, ut judicium riſu diſſolveretur, & Cato ipſe diceret †: *Quam ridiculum habemus conſulem!*

* Univerſale, ſeu perpetuum.

† Plut. in Cat. Utic.

IV. Quomodo parentur attentio, et docilitas.

Alterum exordii munus, Tullio, & auctori ad Herennium, eſt attentio. Attentum autem reddimus auditorem, tum promiſſione, tum rogatione. Promiſſione, cùm recipimus, nos dicturos de rebus vel gravibus, & neceſſariis; vel utilibus iis, apud quos dicimus; vel admirabilibus, aut jucundis. Ita Horat. od. I. lib. III.

—— Carmina non priùs
Audita Muſarum ſacerdos
Virginibus, pueriſque canto.

Rogatione, cùm petimus, ut exiguo temporis ſpatio, attento intentoque animo, ac perpurgatis auribus, opera nobis detur. Sed quod à Cicerone dicitur de attentione in exordiis parandâ, id ſolùm in humili, aut turpi, aut ancipiti genere, locum habet: item quando judex, audiendo partem adverſam, defatigatus eſt. Falluntur, qui tunc planè exordio jubent abſtinere. Nam vel inprimis tum eo opus eſt. Plurimùm autem tunc confert promiſſio brevitatis. Quandoque etiam conducit ordiri à fabula, aut dicto lepido, ad animos auditorum demulcendos. Ita attentionem ſibi aliquando paravit Demoſthenes. Nam cùm auditores, ab adverſariis perſuaſi, penè ſilentium imperarent; popoſcit, ut ſibi pauca liceret extra cauſſam dicere. Eo impetrato, fabellam iſtiuſmodi narravit. Adoleſcens, inquiebat, æſtivo tempore Delphos, vel, ut alii volunt, Megaram profecturus, conduxit aſinum; circa autem meridiem, cùm nulla præberetur umbra, quâ ſolis ardorem levarent; & adoleſcens, qui aſinum conduxerat, & agaſo, recumbere ſub aſini umbrâ voluerunt: hic ſe locâſſe aſinum, non umbram aſini, dicebat; at alter contendere, umbram quoque eſſe inter operas conductas. Cùm autem hâc narratione cerneret judices penè riſu emori; jamque abitionem pararet, ſed ab Athenienſibus retineretur; qui rogabant, ut reliquam narraret fabulæ partem: *Itane*, inquiebat, *de aſini umbrâ audire vultis; de rebus gravibus, & ſeriis, non vultis?* Meminere hujuſce rei Plutarchus in vitâ Demoſth. & x. Orator., Ariſtophanis interpres in Veſpas, Zenobius, & Suidas. Videntur autem & hac de fabulâ comœdiæ fuiſſe factæ. Nam in proverbio, ὄνου σκιᾶς ‡, diſertim ſcribunt parœmiographi, ab Ariſtotele in didaſcalicis, cujuſdam dramatis inſcriptionem iſtiuſmodi referri, *Aſini umbra* Ἀναγέγραπται ἐν διδασκαλίαις καὶ δράματός τινος φέρειν ἐπιγραφὴν, ὄνου σκιάν. Ubi per διδασκαλίαν intellige poëtarum hiſtoriam. Poëtæ enim, cùm fabulas ſpectandas exhiberent, eas dicebantur διδάσκειν, indeque ipſi διδάσκαλοι vocabantur, & ſi Comici forent, κωμῳδοδιδάσκαλοι *; ſi Tragici, τραγῳδοδιδάσκαλοι †. Ac Tullius quoque ‡, & Horatius *, ſimiliter eos dicunt *fabulas docere*.

‡ Aſini umbra.

* Iſocrat. orat. de Pace.

At ſi nec humile, nec turpe, nec anceps ſit genus; neque etiam judices defatigati ſint audiendo partem adverſam: tum quidem neceſſe non eſt, nos de attentione magnopere eſſe ſollicitos, quia auditoris animus orationis initio etiamnum alacris & attentus eſſe ſolet; contrà quàm ſæpe fit in orationis curſu; ubi, ne auditor perforato omnia hauriat animo, & tranſmittente quicquid acceperat, non rarò opus eſt, ut aſſeratur aliquid, quo excitetur mens ejus: quomodo Ariſtoteles refert, Prodicum Sophiſtam, ſi animadverteret, auditorum animos peregrinari, eoſque eſſe præſentes abſentes; aliquid aſſerre ſolitum ex arte ſuâ; quam alioqui non docebat, niſi pretio quinquaginta drachmarum. Imò Cicero quoque id diligenter obſervat; quandoquidem etiam in reliquis orationis partibus ſæpenumero judices rogat, ut diligenter attenteque audiant. Quare Ariſtoteles jure eos ridet, qui ſollicitè præcipiunt de parandâ in exordio attentione: partim nempe, quia attentio conſequitur è benevolentiâ; partim quia ille conſiderabat exordia ratione eorum, quæ per ſe inſunt; non eorum, quæ aſſumit. Atque id Cicero quoque vidit, cùm in ſecundo de Orator. ait: *Et attentum, commonent Græci, ut principio faciamus judicem, & docilem; quæ ſunt utilia, ſed non principii magis propria, quàm reliquarum partium: faciliora etiam in principiis, quòd & attenti tum maximè ſunt, cùm omnia exſpectant, & dociles magis initiis eſſe poſſunt. Illuſtriora enim ſunt, quæ in principiis, quàm quæ in mediis cauſſis, dicuntur, aut arguendo, aut refellendo.* Sed de eo, quòd neque docilitatem autumat Tullius competere exordio, non planè aſſentimur. Nam longè alia docilitatis, quàm

† Ariſtot. de poet.

‡ In Bruto.

* In Art.

quàm attentionis, ratio eſt; cùm hæc interdum aſſumatur; illa rarò poſſit præteriri.

Interdum etiam ſatius eſt, auditorem reddere non attentum, quàm attentum. Sed in hoc quoque Ariſtoteli adverſatur Fabius * cujus verba apponam: *Nec me, quamquam magni auctores, in hoc duxerint, ut non ſemper facere attentum & docilem judicem velim, non quia neſciam, id, quod ab illis dicitur, eſſe pro malâ cauſſâ, qualis ea ſit, non intelligi: verùm quia illud non negligentiâ judicis contingit, ſed errore. Dixit enim adverſarius, & fortaſſe perſuaſit. Nobis opus eſt ejus diverſâ opinione: quæ mutari non poteſt, niſi illum fecerimus ad ea, quæ dicemus, docilem, & attentum.* Sed non aſſecutus eſt Quinctilianus Ariſtotelis mentem. Nam aliud eſt, cogitationem auditorum planè ab oratione avertere; quâ ratione futurum eſt, ut tacendo non minùs ſublevemus cauſſam, quàm orando: aliud verò hoc agere, ut ab accuratâ rationum penſiculatione avocemus judices; quia tantùm argumenta ſuppetant nobis, quæ valida quidem videantur primâ facie, eoque facilè imponant auditoribus minùs acutis, aut attentis; verùm infirmitas quorum ſe ſoricis inſtar prodat de iis diu multumque cogitantibus.

Docilis autem in exordio redditur auditor, tum iis ipſis, quibus redditur benevolus, vel attentus, (nam quo majori cum benevolentiâ & attentione audimur, eo magis intelligimur) tum afferendo finem orationis noſtræ; quod ut plurimùm generatim fit, non accuratè, ac diſtinctè. Si tamen planè accurateque id faciamus, non neceſſe habebimus, abſoluto proœmio, monere, quâ de re ſimus dicturi. Nam etſi neceſſarium eſt, ut in oratione quæſtio ejus primaria clarè ac perſpicuè auditoribus ob oculos ponatur: non tamen opus eſt, id fieri ſemper diſtinctâ orationis parte: quemadmodum ſuperiori capite diximus.

Interdum verò & in exordio cauſſa dividitur: quale à Licymnio rhetore † vocatur ὄζοι, ſive *rami*: quia eſt exordium ramoſum. Præter quod, idem alia duo exordiorum genera adducit. Unum ἐπίῤῥωσιν nominat ab ῥώμη, quod inter alia *impetum* ſignat; ut videatur ſic dici impreſſio, ſive exordium ex abrupto. Alterum nuncupat ἀποπλάνησιν, q. d. aberrationem: atque hoc videtur idem eſſe, ac inſinuatio.

* Lib. 4. cap. 1.

† In Arte.

V. De partibus exordii, juxta Hermogenem.

EX iis, quæ hactenus expoſuimus, cognoſcere licuit, quomodo tractari debeat tum principium, tum inſinuatio: quas exordii ſpecies ſuperiùs ſtatuebamus. Nunc breviter dicemus de partibus exordii. Plerique proœmium in tria diſpeſcunt membra; propoſitionem, ejus rationem, & complexionem, quæ tranſitio eſt ad ipſam cauſſam. Verùm Hermogenes quatuor facit exordii partes: πρότασιν, ſive propoſitionem, quæ ὁδοποιεῖ quaſi viam parat; κατασκευὴν, ſive propoſitionis rationem; ἀπόδοσιν, ſive redditionem, quæ nova eſt propoſitio, rem ipſam tangens, omnemque exordii dignitatem & auctoritatem continens, unde ἀξίωσις quoque appellatur; ac denique βάσιν, ſive comprobationem, quæ redditionis cauſſam affert. E. G. πρότασις eſt: Non latet te, illuſtriſſime Princeps, quantis ab hoſte calamitatibus affligamur. Κατασκευὴ eſt: Tantæ enim ſunt, ut dubium non ſit, quin earum rumor jam in regiones omnes vicinas ſit diffuſus. Ἀπόδοσις eſt: Juſtitiæ autem ac ſapientiæ tuæ eſt, curam eorum gerere, quibuſcum fœdus iniſti. Βάσις eſt: Si enim nos ſubegerint, difficile fuerit tibi ſoli eorum poſtea impetum ſuſtinere.

Interdum tamen κατασκευὴ omittitur, cùm nempe πρότασις manifeſtior eſt, quàm ut indigeat probatione. Exemplum habes in primâ Olynthiacâ.

Interdum quoque τῇ ὁδοποιεῖ non proponitur res ipſa, ſed propiùs ad eam acceditur: quod cùm fit, τῇ βάσει non aſſignatur additionis ratio; ſed id affertur, quod præcipuè in exordio intendebatur. Exemplum eſt in oratione Milonianâ, quod inferius afferam. Faciam hoc eo lubentiùs, quia video, eos à Fabio rideri, qui exordia dividunt in quatuor ſenſus: neque id aliâ de cauſſâ, quàm quia non par ubique ratio ſit. At ſi juſta hæc ratio eſt, ne debuit quidem de Exordio præcipi quicquam, cum id prætereatur nonnunquam. Quanto igitur meliùs fuiſſet, ſi rem ipſam Fabius explicuiſſet, ac judicium reliquiſſet lectori!

VI. De locis exordiorum in genere demonstrativo.

ATque hæc quidem, partim univerſè declarant exordiorum naturam, partim generis juridicialis propria videntur; ut quæ diximus de paranda benevolentia in cauſſa honeſta, turpi, vel ancipiti. Plerique autem Rhetores intra explicationem illam ſe continent. Sed longè accommodatiùs facit Ariſtoteles, dum oſtendit, quomodo exordia varient pro diverſis cauſſarum generibus: item Bartholomæus Cavalcantius, qui in libris de arte Rhetoricâ, quos eruditè linguâ Hetruſcâ conſcripſit, fusè agit de variâ exordiendi ratione pro varietate cauſſæ. Nos quoque, Ariſtotelis veſtigiis inſiſtentes, de ſingulis generibus tractationem hoc loco attexemus.

In genere igitur demonſtrativo (in quo etiam ſeparatis & à cauſſâ alienis exordiis uti licet, ut infrà dicemus) loci proœmiorum ſunt quinque. Sumuntur enim vel à laudatione, vel à vituperatione, vel à ſuaſione, vel à diſſuaſione, vel ab iis, quæ pertinent ad auditorem.

A laude id fit in oratione funebri adſcriptâ Demoſtheni. Nam tum eos laudat, qui pro patriâ pugnando occubuerunt; tum Athenienſes, qui inſtituerant, ut viri præclari poſt obitum laudarentur. A vituperatione orditur Iſocrates encomium Helenes. Vituperat enim ſophiſtas, quòd ſibi magnopere placerent, tractantes ὑπόθεσιν ἄτοπον, καὶ παράδοξον *. A ſuaſione, ut ſi quis dicat, oportere bonos honoribus affici, ideoque ſe Ariſtidem laudaturum. Aut ſi prædicet, eos laudibus extolli debere, qui neque celebres ſint, neque improbi; cùm celebres fruſtra, improbi malè laudentur: ideoque optimam optimè operam collocatum iri in laudando viro bono, & obſcuro; cujuſmodi fuit Paris, quamdiu in Idâ monte vivebat ignotus. A diſſuaſione, ut ſi quis adſerat, cùm non debeant improbi honoribus affici, ſe decreviſſe Piſiſtratum vituperare. Ab iis, quæ referuntur ad auditorem; cùm id initio repellimus, quod offendere auditorem poſſit; ſive id fit in Oratore, ob ingenii imbecillitatem; ſive in argumento, ut ſi id humile fuerit aut pervulgatum; ſive in oratione, quæ parum ſit exculta.

Ab auditore Ariſtoteles Chœrilum, poëtam ſanè præſtantem †. (quamquam aliud videatur Horatio ‡) exorſum dicit; cujus quinque verſus è Græcis commentariis adducit P. Victorius. In iis verò etiam eſt illud ab Ariſtotele laudatum,

Νῦν δ᾽ ὅτε πάντα δέδασται hoc eſt,
—— *Sed quia nunc nota omnia.*

Quin eâdem in re vel omnibus, vel pluribus modis, exordiri poſſumus. Gorgias certè in Olympiacâ oratione incipit à laude eorum, qui ludos inſtituerant. At Iſocratis proœmium petitur ab eorundem vituperatione. Nam turpe eſſe dicit, quòd Græci donis eos exornarint, qui corporis viribus excellant: at iis, qui prudentiâ, & animi dotibus pollent, præmia nulla decreverint. Præterea, cùm facillimum ſit, laudem, aut vituperationem, conſilii formâ proponere, (quod fit per verbum *convenit*, *decet*, aut aliquid ἰσοδυναμοῦν *) certè levi immutatione, ex exordio à laude vel vituperatione ſumto, faciemus proœmium quod à conſilio petatur; & hoc item facilè in iſtud commutabimus. At ab iis, quæ ad auditorem referuntur, petemus exordium, ſi rogemus, ut, licet vereamur, ne id, quod dicturi ſimus, vel incredibile videatur, vel

* Argumentum abſurdum & admirabile.

† Vide Joſephum Scaligerum in animadverſionibus Euſebianis ad ann. MDCCCXXIV.

‡ in Arte. Niſi fortè Chœrilus Horatio vituperatus, ſit diverſus ab illo, quem veteris laudavere. hic Archelai Regis temporibus claruerit circa Olympiadem 74: Horatianus ille ſub Alexandro M. ut indicant Curtius lib. 8. & Plutarchus in Alexandro. Et hoc verius nunc arbitror.

* Æquipollens.

vel difficile, vel pervulgatum; attentionem tamen exigui temporis nobis non denegent.

VII. De locis exordiorum in genere juridiciali.

IN Genere Juridiciali duplex eſt munus prooemii. Prius Ariſtoteli eſt, ut indicetur ſcopus orationis. Alterum eſt, ut quibuſdam velut medicamentis præparetur auditoris animus. Atque hujus muneris ratione aliquis etiam exordii uſus eſſe poſſit in civitate optimè conſtitutâ. Nam ſine exordio trunca, mutilaque eſſet oratio; quia, ut ait Ariſtoteles, habet in eâ rationem capitis.

Quatuor autem, juxta eundem, loci ſunt, à quibus ſumuntur hæc ἰατρεύματα *: perſona rei, auditoris, adverſarii, ac res ipſa: atque ex his locus à perſonâ rei, vel adverſarii, aut objicit crimen, aut diluit. Quæ tamen non eâdem ratione, aut loco, fiunt ab utroque. Nam, qui defendit, inſinuare ſe debet auditorum animis; ideoque opus eſt, ut priùs refellat, quæ obſunt. At qui accuſat, crimina maximè in peroratione conſtituit; ut, recenti etiamnum memoriâ, magis animo auditoris obverſentur.

* Medicamenta.

Loci, è quibus ducitur criminandi ratio, complures referuntur ab Ariſtotele lib. III. cap. XXIV. †. Hos inter ille quoque adfertur, ut auditoribus oſtendatur, quàm peſtilens ſit calumniæ virus. Nam efficitur hoc pacto, ut licet crimen id, cujus quis reus agitur, non probetur eſſe calumniam: tamen auditores, calumniæ inſenſi, id, quod fortaſſe calumnia non eſt, velut præjudicio, calumniam eſſe cum animo ſuo cogitent. Multùm quoque cauſſam juvat, ut, antequam accuſando reo operam demus, eum laudemus, ac quidlibet potiùs agamus, quàm ut velle eum criminari videamur: & luculentas quidem ampliſque animi dotes ſtrictim, at minutas ampliter extollamus; quia grandia paucis commendata haut animo admodum hærent; exigua autem fusè tractata, ſi non deridicula videntur, at certè inſuper habentur. Horatius egregiè mores expreſſit iſtiuſmodi hominis; qui rogatus de amici furtis, non quidem aut inficias it, aut colore aliquo purgat, quod amici haut fucati erat; ſed, ut certiùs venenatum figat aculeum, primò amici extollit comitatem; quæ profectò quid ad furtum? At mox, en ſpiculum virulentum, mirari ſe vir bonus ait, crimen iſthoc commiſſum ab amico. Sed vatem ipſum Venuſinum audiamus ‡:

† Vulg. cap. 15.

‡ Lib. 1. ſat. 4.

—— Mentio ſi qua
De Capitolini furtis injecta Petilli
Te coram fuerit; defendas, ut tuus eſt mos:
Me Capitolinus convictore uſus amicoque
A puero; cauſſâque meâ permulta rogatus
Fecit, & incolumis lætor quod vivit in urbe:
Sed tamen admiror, quo pacto judicium illud
Fugerit. hic nigræ ſuccus loliginis: hæc eſt
Ærugo mera.

Alit & noſtrum ſeculum homines moribus iſtiuſmodi coopertos, aut vitiis potiùs; quæ ſcire, non uſurpare virum probum, & prudentem, convenit.

Locus ab auditore reddit eum benevolum, vel iratum; quandoque etiam (ut ex Ariſtotele ſuprà diximus) attentum, aut non attentum; itemque docilem; quod fit, ſi boni mores exprimantur; quia viri probi libentiùs audiuntur eoque intelligentiùs.

Benevolus autem, vel attentus quomodo reddatur, antè è Tullio perfunctoriè declaravimus: pleniùs de parandâ benevolentiâ tractat Ariſtoteles lib. II, & nos ex eo, libro ſuperiori. Ex iis verò ſimul intelligere eſt, quomodo auditorem reddamus iratum adverſario, aut non attentum nobis.

VIII. Exponitur artificium, quo Cicero est usus in exordio orationis pro Milone.

SED univerſa hæc jejuniùs dixerimus, niſi exemplis illuſtrentur. Inſtar verò multorum ſit exordium unicum orationis pro Milone, in quâ hæc omnia, & quæ item generatim de Exordio dixi, luculentè perſpicere eſt. Singula videamus, quod meretur oratio ſingulari ſuo artificio. Quinctilianus certè lib. IV. pulcherrimam; lib. XI. nobiliſſimam appellat: Pedianus quoque, in argumento ejus, ita perfectè ſcriptam ait, ut jure princeps haberi poſſit.

Ac primò duo aſſerebamus munera exordii in genere Juridiciali. Utrumque videre eſt apud Ciceronem: ſed is hoc exordio, quemadmodum & aliàs facere ſolet, primò parat animos; ac deinde oſtendit, quâ de re dicturus ſit.

Porrò cùm generatim de exordio agerem, monebam, ſecundum munus non eodem ſemper modo ab oratoribus præſtari; ſed interdum apertè animos præparari auditorum, ac tum *Principium* vocari; interdum obſcurè & obliquè id fieri, ac nominari *Inſinuationem*. Cicero in Milonianâ obliquè id facit; quemadmodum natura cauſſæ exigebat. Nam patrocino Milonis Cicero non tantùm Pompejum offendebat; ſed & aliis ſe reddebat inviſum: ac Pompeius quoque, quia ei Senatus in mandatis dederat; ut hanc cauſſam cordi haberet, noctu forum armatis cinxerat militibus: quod terrorem injiciebat Milonis fautoribus, adeò quidem, ut Milo, quemadmodum ſcribit Plutarchus, auctor fuerit Ciceroni, ut in forum deferretur lecticâ, ne armis terreretur. Hanc inſolitam judicii formam tangit Cæſar apud Lucanum lib. I:

—— Quis caſtra timenti
Neſcit mixta foro? gladii cùm triſte minantes
Judicium inſolitâ trepidum cinxere coronâ,
Atque auſo medias perrumpere milite leges,
Pompejana reum clauſerunt ſigna Milonem.

At fallitur Aſconius, qui in argumento ait: *Armatos milites adhiberi poſtularunt Calius Tribunus, & Milo, propter impetum Clodianorum, à quæſitore L. Domitio.* Falſus etiam L. Cornelius Balbus, cùm ſcribit *, Ciceronem id à Pompejo poſtulâſſe. Neque enim, arbitror, tantopere terruiſſent arma Ciceronem, quàm vel ex orationis Milonianæ exordio cuivis perſpicuum eſt, ſi ex ejus conſilio ac petitione diſpoſuiſſet illa Pompejus. Quare magis veriſimile ſit, Pompejum, aut L. Domitium, iis cinxiſſe forum, ne quis tumultus ab alterutrâ parte excitaretur: indeque factum, ut Clodiani ea contra Milonem, Milonis fautores contra Clodianos, diſpoſita eſſe dicerent. Ex his perſpicuum eſt, cur Ciceroni fuerit utendum arte ac κρύψει † quadam, ad diſcutiendum hunc metum. Ac primò ponit iſtiuſmodi πρότασιν, ſive propoſitionem, quâ ſe dicit timere. Mox κατασκευὴν ſive propoſitionis rationem aſſignat, quòd forum à Pompejo armatis militibus cinctum ſit. Inde accedit ad ἀπόδοσιν, ſive redditionem, quando ait, ſe, recreatum ſapientiâ ac juſtitiâ Pompeji, timorem deponere. Poſtremò ſubjungit βάσιν, ſive comprobationem, cùm judicibus autor eſt, ut idem agant.

* Epiſt. ad Cic. quæ eſt lib. 9. epiſtolarum Cic. ad Att.

† Occultatione.

Cùm autem Hermogenes has quatuor partes in exordio requirat: ſatis videre eſt, quomodo doctrina Hermogenica hac ipſâ Ciceronis inſinuatione comprobetur. Non tamen exiſtimandum, has partes ἁπλῶς eſſe neceſſarias; cùm interdum alia ſit exordii facies: aut ſolas eſſe exordii partes; cùm eas in hoc ipſo exordio mox ſequatur adhortatio ad judices; adhortationem autem excipiat ſcopi demonſtratio, quod alterum erat exordii munus.

Porrò cum, juxta Ariſtotelem, quatuor ſint loci, à quibus ſumantur medicamenta: Cicero in Milonianæ exordio ab omnibus argumenta petit.

I. A perſonâ rei, cùm, ad diluendam Clodianorum calumniam, ſtatim Milo vocatur vir fortiſſimus, ac dicitur magis de Reip. ſalute, quàm de ſuâ, perturbari: & ali-

aliquanto pòſt, ubi Tullius ait, eum ſemper ſtetiſſe à bonis, ac maximos ſceleratorum hominum clamores pro ſalute Reip. contemſiſſe. In quibus omnibus videri queat Tullius aliquantum foro ſerviiſſe. Nam Vellejo Paterculo, cui haut temerè, præterquam in ſui ævi rebus, fidem derogem, vocatur Milo *vir inquies, & ultra fortem temerarius*.

II. A perſonâ auditoris, cùm ad Pompejum reddendum benevolum, vocat eum virum ſapientiſſimum, ac juſtiſſimum; & cùm in adhortatione ad judices ait, ex cunctis ordinibus viros ampliſſimos judicare.

III. A perſonâ adverſariorum, cùm ad judices iis reddendos iratos, unum ait genus eſſe adverſum, quos Clodii furor incendiis & omnibus exitiis publicis pavit; qui etiam pridie, quàm à Cicerone oratio haberetur, ſint Munatii Planci concione incitati, ut judicibus voce præirent. Item cùm, ad reddendos judices attentos, dicit, ſtatuendum iis eſſe de bonis ac fortibus viris, & bene meritis civibus: cumque, ad reddendos eos dociles, ſuam ac Milonis declarat probitatem; velut cùm ait, ſe recreari Pompeji, ſapientiſſimi ac juſtiſſimi viri, conſilio; item illud, Milonem ſemper pro ſalute Reip. improbos neglexiſſe; quòd etiam ſemper pro bonis contra improbos ſenſerit.

IV. Denique à re, cùm dicit, novam eſſe judicii formam; item cùm hanc ejus aſſignat conditionem, quòd ſtatuendum eſſet, utrùm, qui ſemper judicum autoritati dediti fuiſſent, ſemper miſeri lugerent; an, diu vexati à perditiſſimis civibus, aliquando recrearentur.

Illud præterea in hoc exordio conſiderandum eſt, quòd Cicero, ut diximus, auditores reddit iratos Clodianis; tum item, quòd in adhortatione ad judices, miſericordiam movet à ſuâ ac rei perſonâ. Hinc enim intelligere eſt, non ſolùm ἦθος *, ſed πάθος † quoque, in exordio locum habere. Ita Lyſias (cujus admirabile eſſe in exordiis artificium, ſcribit Dionyſius Halicarnaſſ. ‡) etiam in defenſione Euphileti de cæde Eratoſthenis adulteri, ἄρθρον ἐν ἄρθροις * deprehenſi, in ipſo ſtatim exordio, quo judices adverſario reddat infenſos infeſtoſque, petit, ut cuncti ita de ſcelere ejus cogitent, quaſi ipſis domi ſuæ tanta eſſet illata injuria. Poſtea verò à re ipſâ, ac tum judicum, tum ſuâ perſonâ, benevolentiam captat. Eſt & παθητικὸν exordium Æſchinis contra Cteſiphontem: quamquam hoc quidem nonnulli reprehendi poſſe cenſent, ut tragicum & vaſtum, perorationi, quàm exordio ſimilius. Utut eſt, fatendum, ἦθος Exordio, πάθος Perorationi, potiſſimùm convenire. Atque hæc de Exordio generis Juridicialis.

* Morem.
† Affectum.
‡ Tractatu de Lyſia.
* In ipſis rebus Veneris, ut loquitur Ulpianus.

IX. De exordio generis deliberativi.

IN genere verò Deliberativo unum tantùm Exordii olim munus erat; ut nempe animi præpararentur auditorum. Neque enim neceſſe fuit, monſtrare orationis ſcopum; quod primum erat munus in genere Juridiciali. Ac ratio eſt, quòd, antequam oratio haberetur, conſtabat jam, quâ de re agendum eſſet. Siquidem (ut autor eſt Pollux, atque item Ulpianus in I. Philippicam, & in orat. περὶ τῆς παραπρεσβείας) ſolent antiquitus tabellas conſcribere, ac concioni proponere, ne quem lateret, quâ de re inſtituenda eſſet conſultatio. At ratione alterius muneris, quinque traduntur ab Ariſtotele Exordiorum loci. Primus eſt ob perſonam oratoris vel rei, à criminis depulſione. Alter eſt propter adverſarios, à criminatione. Tertius, & quartus, ſunt à re; quàm ſi magnam haberi velimus, amplificatione utemur; ſi parvam, à diminutione incipiemus. Quinctus eſt ab ornatu; ne planè ἀκέφαλος † ſit oratio. In quo, ſi Ariſtotelem audimus, peccat Gorgias Leontinus, qui abruptâ utitur oratione. Sic enim orditur, Ἦλις, πόλις εὐδαίμων ‡.

† Capite deſtituta.
‡ Elis, beata civitas.

X. De locis exordiorum, juxta Hermogenem.

ATque hæc eſt Ariſtotelica de locis exordiorum doctrina: quæ non Tullianæ modò, ſed etiam Hermogenicæ, vel eo nomine videtur præferenda, quòd Ariſtoteles diſtinctos faciat locos pro varietate cauſſarum. Quare me quidem non movet, quòd doctiſſimus Petrus Nunneſius Hermogenem ſequi maluit: quemadmodum & idem Inventionem Hermogenicam, non Tullianæ modò, in quo ei aſtipulamur, ſed Ariſtotelicæ quoque anteponit. Verùm de Inventione nihil hoc loco dicam; quia ex iis, quæ libro primo docuimus, liquidò perſpicere eſt, quamquam ſint multa præclarè dicta ab Hermogene, quæ fruſtra apud Ariſtotelem quæras, longè tamen plura, magiſque neceſſaria, de λόγοις, ἤθεσι, καὶ πάθεσι, ab uno & ſolo ſcripta eſſe Ariſtotele. Nec minori idem intervallo exſuperat in iis, quæ de procemio præcepit. Interim nihil honori Hermogenis derogamus, cujus præcepta Ariſtoteli hìc quoque facem adlucere, compertum habemus. Atque id quo magis pateat, age Hermogenicam quoque exordiorum doctrinam paucis ponamus ob oculos, cumque Ariſtotelicâ componamus.

Exordiorum, juxta Hermogenem, quatuor ſunt fontes; ab opinione, à ſubdiviſione, ex abundanti, & ab occaſione.

Ab opinione ducuntur multifariam. Neque enim ſolùm petuntur ab auditoribus, oratore, reo, aut adverſario, quibus de perſonis ſuprà diximus: verùm etiam à perſonis externis, quæ cauſſam adjuvent; ſive hæc fuerint ſociorum amicorumque, ſive hoſtium, ubi ſpectandum, quid inprimis perſonæ iſtiuſmodi expetant: ut ſi dicamus, dolere ſocios ob diſſidium hoc, gaudere inimicos.

Alterum genus exordiorum ducitur ex diviſione. E. g. Cùm univerſam ob vitam anteactam hic laudem meretur maximam; tum inprimis ob res hodierno die præclarè geſtas.

Exordium ex abundanti bifariam inſtituitur. Primò, ſi affirmemus, nos de re majori poſſe dicere: at hâc eſſe contentos. E. g. Quamquam graviori de crimine hunc accuſare poteram: tamen, ne odio adductus videar, id tantùm perſequi malui, quod levius eſt. Deinde, ſi dicamus, nobis aliquid nec-opinantibus obtigiſſe. Tale eſt illud: Cùm ſperârim ſemper, fore, ut hic præmio à vobis ornaretur; nunc miſeriæ ejus teſtis, & defenſor, apud vos eſſe cogor. Hujuſcemodi procemii exemplum adduximus ſuprà ex orat. Ciceronis pro Val. Flacco.

Exordium ab occaſione eſt, cùm id, quod in ἀποδόσει, ſeu redditione, petere inſtituimus, jam perſuaſum videmus auditoribus. Quale hoc: Cùm omnium veſtri animis præclara ſit inſita opinio de viri hujus virtutibus, ac meritis: haut longo mihi apud vos ſermone opus fore arbitror. Hujuſmodi exordia ſolent eſſe grata, ob ſimplicitatem. Nihil enim affectati habent. Quin ejus generis ſermo non tam præmeditatus videtur, quàm è re natus. Itaque gaudet tali Homerus. Ut cùm Ulyſſes lib. IX. Iliados luculentâ illâ oratione perſuadere conatur Achilli, ut iram deponat, atque in bellum revertatur. Quippe (ut Euſtathii * verbis utar,) προοιμιάζεται † συνήθως προοίμιον ἐξ αὐτοῦ τοῦ καιροῦ ὑπογύως, τοῦτ' ἔστιν, ἐκ τοῦ συμποσίου. Audiamus, quomodo poëta eum loquentem inducat:

* Χαῖρ' Ἀχιλεῦ. δαιτὸς μὲν ἐΐσης οὐκ ἐπιδευεῖς,
Ἠμὲν ἐπὶ κλισίῃ Ἀγαμέμνονος Ἀτρεΐδαο,
Ἠδὲ καὶ ἐνθάδε νῦν· πάρα γὰρ μενοεικέα πολλὰ
Δαίνυσθ'. ἀλλ' οὐ δαιτὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν
Ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα, διοτρεφὲς, εἰσορόωντες
Δείδιμεν.

Ac hi quidem ſunt quatuor illi exordiendi modi, quos Hermogenes vocat, ἐξ ὑπολήψεως, ἐξ ὑποδιαιρέσεως, ἐκ περιουσίας, καὶ ἀπὸ καιροῦ. Et ſanè præcipui ſunt, non tamen univerſi; quod nemo diffitebitur, qui eos cum Ariſtotelicis exordiendi locis conferre haut gravetur. Itaque, ut

* In Iliad. ἰῶτα, pag. 749. edit. Rom.
† Excogitat more ſuo proœmium ex tempore; nempe à convivio, quo excepti erant.
* Salve, Achilles: convivii quidem æqualis non ſumus indigi, Sivè in tentorio Agamemnonis Atridæ, Sive & hic nunc: adſunt enim, quæ animum expleant, multa Ad epulandum. Sed non convivii amabilis opera ſunt curæ nobis: Verùm admodum magnam cladem, ò Jovis alumne, intuentes Timemus.

ut in eo Doxopatri judicium ſequor, quòd hos Hermogenis locos non modò in forenſibus cauſſis, ſed etiam panegyricis, ac ſuaſoriis orationibus, locum habere judicet: ita Apſini contrà, & anonymo Hermogenis interpreti, in illo ſubſcribo, quòd nonnulla Hermogenis inventis deeſſe arbitrentur.

Quamquam autem hiſce veterum locis inſtructo non facilè deeſſe poſſit ratio exordiendi: omnibus tamen minùs exercitatis, vel ab ingenio minùs felicibus, conducere videtur, ut ex Demoſthene, Tullio, Dione Chryſoſtomo, Libanio, ac ſimilibus, colligant exordia ejuſmodi, quæ aliis etiam argumentis aptari poſſe videantur.

Ut; In ſuaſione leviter immutari poſſit illud Catilinæ apud Salluſtium: *Niſi virtus atque fides veſtra ſatis ſpectata mihi foret, nequicquam opportuna res cecidiſſet: ſpes magna dominationis fruſtra fuiſſet: neque ego per ignaviam, aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed quia multis & magnis tempeſtatibus vos cognovi fortes, fidoſque mihi, eo animus auſus eſt, maximum atque pulcherrimum factum incipere; ſimul, quia vobis eadem, quæ mihi, bona malaque eſſe intellexi.* Ex quo exemplo facile erit ſtatuere de cæteris. Sed cautione hic non leviter opus eſt, ne ea inprimis ſeligamus, quæ fuerint vulgatiora, aut alii vitio affinia: quâ in re peccari à non paucis, nec uno modo, ſolet.

XI. De virtutibus ac vitiis exordiorum.

TEmpus igitur eſt, ut & perſequamur laudes, ac culpas exordiorum. Nam *peſſimus ſanè gubernator, qui navem, dum portum egreditur, impegit*: ut ſcitè ait Fabius Quinctilianus lib. IV. cap. I. Sunt autem, & laudes, & culpæ, duûm generum. Quemadmodum enim in corpore humano fit, ut venuſtas, & deformitas, ſint ratione vel quantitatis, vel qualitatis; (quomodo in naſi quantitate peccat τὸ ἐπίγρυπον *; tum in illa, tum in qualitate ſive figurâ, τὸ σιμὸν †) itidem in exordiis obſervantur certæ virtutes vitiaque; quæ partim ſpectent quantitatem, partim qualitatem.

* *Aquilina forma.* † *Sima figura.*

In quantitate obſervandum eſt, ut ſint mediocria. Medium autem ex naturâ cauſſæ pendet. Nam ut ædibus, ac templis, veſtibula; ita cauſſis exordia proportione reſpondere debent. Quò facit Luciani locus in Demoſthenis encomio: Σοὶ δ' ἴσως εὐλάβεια, τὸ τῆς παροιμίας σκῶμμα ἐπὶ τῇ ἀσυμμετρίᾳ ἐπεξαγέσθαι, μή σοι μεῖζον προσκέοιτο τὸ ἐπίγραμμα τοῦ θυλάκου· *At tu fortaſſe metuis, ne, modo non ſervato, excipiaris illo proverbii cavillo, inſcriptionem ſacci eſſe ſacco majorem.*

In qualitate exordiorum videndum, ut ſint cauſſæ noſtræ conducibilia ac propria; ac proinde, ut ſint de re, non autem vulgaria, quæ omnibus cauſſis accommodantur; cujuſmodi etiam oratores magni vitare non potuerunt. Iſtiuſmodi eſſe exordia, ſcribit Aſconius ‡, quæ vel ab invocatione Deorum inciperent: vel ab reprehenſione ſuperioris temporis. Ut illud Maronis ⊥:

‡ *In Divinat.* ⊥ *11. Æn.*

Ante equidem ſummâ de re ſtatuiſſe, Latini,
Et vellem, & fuerat melius.

Et hoc Lucilii *:

Vellem cumprimis, fieri ſi fors potuiſſet †.

* *Apud Aſcon. in Cic. divin.* † *Al. ſi forte potuiſſet. Sed alterum malim. Nam & fors adverbialiter ponitur pro forte.*

Utrumque vitii genus tangit Cicero in Divinatione: *Tu*, inquit, *horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras: & ſiquid ex vetere aliquâ oratione:* JOVEM EGO OPTIMUM MAXIMUM, *aut:* VELLEM, SI FIERI POTUISSET, JUDICES: *aut aliquid ejuſmodi ediſcere potueris, præclare te paratum in judicium venturum arbitraris.* Prior formula pertinet ad veterum conſuetudinem, à Turnebo quoque paucis adnotatam libro adverſariorum quartodecimo cap. decimotertio. Solent enim antiqui Deos precari, antequam verba in ſenatu, aut concione, facerent, quemadmodum & hodie conſuerunt Chriſtiani Eccleſiaſtæ. Teſtatur id Plinius initio panegyrici: *Bene*, inquit, *ac ſapienter, Patres Conſcripti, majores inſtituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium, à precationibus capere.* Liquet id quoque ex Gracchi oratione, in quâ occiſus eſt; de quâ ita Cornificius *: *Cum Gracchus Deos inciperet precari, curſim iſti impetum faciunt.* Et hoc Maronis †; *Præfatus Divos, ſolio Rex infit ab alto.* In quem locum ita Servius: *More*, inquit, *antiquo. Nam majores nullam orationem, niſi invocatis numinibus, inchoabant: ſicut ſunt omnes orationes Catonis, & Gracchi. Nam generale caput in omnibus legimus. Unde Cicero per irriſionem ait: Siquid ex vetere aliquâ oratione Jovem ego optimum maximum. Et Demoſthenes in oratione contra Æſchinem:* Πρῶτον μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις ‡. Hæc Servius. Ab invocatione quoque orationem orditur pro Murænâ, & C. Rabirio. Certè à Deo cujuſque rei capienda eſſe exordia, monuit præter Platonem Xenophon lib. 1. Cyropæd. & in Oeconomico. Notum quoque Arateum iſthoc,

* *Lib. 4. ad Herennium, in Demonſtrationis exemplo.* † *11. Æn.* ‡ *Primum Deos Deaſque omnes precor, Athenienſes,*

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα: hoc eſt:

Ab Jove Muſarum primordia:

ut tranſtulit Tullius: cujus & hoc in ſecundo de Legg. *A Diis immortalibus ſunt nobis agendi capienda primordia.* Pertinet huc quoque locus Jamblichi initio libri primi de vita Pythagoræ. Charondæ etiam Catanæi ſententiam ſuggeret Stobæus ſerm. XLII. Vide &, quæ Theon, ad allatum Arati locum, annotavit, & Radulphum Fornerium lib. VI. Rerum Quotidianarum cap. 1. & quos laudat Barthius Adverſar. lib. LVII. cap. XVII. Etſi autem ex his liqueat, piè ab numinis invocatione initium ſumi, & ita fere ab ſimplici antiquitate fieri ſolere: poſtquam tamen ea res penè in deſuetudinem abiit, omnino hâc parte judicio opus eſt: nec eâdem ſæpe chordâ oberrandum; quia, ut cæteris in rebus, ita etiam oratoriâ in Arte, omnia uſu trita vileſcant.

Quod de invocatione dixi, idem etiam locum habet in aliis omnibus, quæ communia ſunt, & pervulgata. Ut ſi benevolentia, vel attentio, parentur vulgaribus rhetorum formulis. Cujuſmodi exordia etiam à Luciano * ridentur. Quippe ab eo de Nigrino dicturus illo nomine reprehenditur, quòd multa adeò κατὰ † τὸν ῥητόρων νόμον προοιμιάζῃ. Nec Carolus Sigonius (jure, an injuriâ, nunc non diſputo) veritus eſt, Franciſcum Robortelium propterea culpare, quòd, laudaturus Imperatorem Carolum V. optaret ſibi magna naturæ præſidia ad rem maximam. Vide eum, ſi tanti videatur, lib. II. Patavinarum diſputationum: ubi inter alia ſic adverſarium compellat: *Optatio illa ingenii & eloquentiæ, cùm te, maximo rhetore, indigna fuit; tum verò ita aſſiduo omnium uſu & conſuetudine vulgata & trita eſt, ut jam etiam in indoctis, & rudibus hominibus, juſtè reprehendatur.*

* *In Nigrino.* † *Ex Rhetorum legibus in procemio dicat.*

Utile autem hâc in re præceptum Hermogenis, qui docet, ex communibus ſententiis fieri proprias ὁμολογίᾳ τῆς κοινότητος, *confitendo, eſſe ſententias communes.* Iſocrates ἐν τῷ περὶ τῆς εἰρήνης· Ἅπαντες μὲν εἰώθασιν οἱ παριόντες ἐνθάδε, ταῦτα μέγιστα φάσκειν εἶναι, καὶ μάλιστα σπουδῆς ἄξια τῇ πόλει, περὶ ὧν ἂν αὐτοὶ μέλλωσι συμβουλεύειν. οὐ μὴν ἀλλ' εἰ καὶ περὶ ἄλλων τινῶν πραγμάτων ἥρμοζε τοιαῦτα προειπεῖν, δοκεῖ μοι πρέπειν, καὶ περὶ τῶν νυνὶ παρόντων πραγμάτων ἐντεῦθεν ποιήσασθαι τὴν ἀρχήν. *Quicunque ad dicendum huc veniunt, dicere ſolent, ea, de quibus conſilium daturi ſunt, maximi eſſe momenti, ac digna, in quibus ſtudium atque operam ponat civitas. Verùm, ſi in ullis aliis negotiis hoc dicere convenit, arbitror, impræſentiarum ab eo initium capi debere.*

Inſuper in exordiis videndum eſt, ut ſint propriè pro re, non communia nobis cum adverſario. Si tamen jam uſos nos eſſe communi exordio videamus, imitabimur B. Auguſtinum, qui, cùm à querimonia, à quâ ipſe exorſus eſſet, videret ſimiliter incipere poſſe Julianum; continuò ſubjungit: *Sed hæc pro tuo dogmate, quod veritatem putas, etiam tu potes dicere. Auferamus itaque de medio, ſi placet, iſta communia, quæ dici ex utrâque parte poſſunt; quamvis veraciter dici ex utraque parte non poſſunt.*

Nec communia modò exordia improbantur; ſed etiam commu-

comprobabilia, quæque adverſarius facilè ad ſuæ cauſſæ utilitatem deflectat.

Curandum item, ut exordia ſint ex re quaſi nata, atque è viſceribus cauſſæ velut protracta; non ſeparata, & longè arceſſita. Sed cùm volumus, ea è natura cauſſæ efflorescere; loquimur inprimis de genere deliberativo, & juridiciali. Nam in demonſtrativo ſeparatis exordiis uti licet: quomodo Iſocrates, in encomio Helenæ, à ſophiſtarum vituperatione orſus eſt: ſophiſtis autem nihil eſt cum Helenâ commune. Itaque ut ſe ratio habet ἐν τοῖς ἐνδοσίμοις, quia muſici in proauliis quidvis præcinunt: ita & Oratores in demonſtrativo genere quidvis initio dicunt, & cum reliquâ oratione conjungunt. Idem in quæſtionibus infinitis locum habet. Cicero certè ſeparatis magnâ ex parte utitur procemiis in ſcriptis ſuis: cujus ratio fuit, quòd jam antè librum exordiorum confeciſſet, ex quo poſtea aliquod commodum ſeligeret. Hinc ipſe factum ait, ut aliquando, μνημονικῷ ἁμαρτήματι *, exordio eodem bis uſus fuerit. Vide hâc de re ipſum epiſt. VI. lib. XVI. ad Att. Videtur idem feciſſe, tum Antipho, cujus procemiorum Suidas meminit in ἀρχῇ: tum Demoſthenes quoque, ſi ejus ſunt ſexaginta quinque illa δημηγορικὰ, ſive, ut Pollux † vocat, συμβουλευτικὰ concionum exordia, quæ ſub ejus nomine circumferuntur. Nam mihi quidem egregia, attamen ab alio quopiam, ſive proprium, ſive aliorum in uſum, vel conſcripta, vel collecta potiùs, videntur. Salluſtium quoque in bello Jugurthino, & conjuratione Catilinariâ, uſum eſſe principiis nihil ad hiſtoriam pertinentibus, ſcripſit Fabius lib. III. cap. X. Separata hæc exordia dixere galeata: ſi credimus Turnebo ‡. Qui eo pacto cenſet B. Hieronymum prologum, quem Sacris Bibliis præmiſit, galeatum nuncupâſſe. Atque hoc arbitratur è verbis iſtis ipſius Hieronymi elucere: *Hic prologus Scripturarum, quaſi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire poteſt: ut ſcire valeamus, quicquid extra hos eſt, inter apocrypha eſſe ponendum.* Magis etiam luculenta ſunt verba hæc Sulpicii Victoris in Oratoriis Inſtitutionibus, quas ad M. Silonem generum ſcripſit: *Vulgare* (exordium dicitur,) *ſitale, quale eſſe poſſit in omnibus cauſſis, nec proprium perſonarum aut rerum, de quibus agatur. Quod idem & galeatum à quibuſdam vocatur; quoniam ita commune eſſe poſſit omnibus cauſſis, quemadmodum galea omnibus vulgò poſſit eſſe communis.* Sed, judicio meo, quæ hic de galeato principio dicuntur, ea adjecta ſunt Sulpicio ab aliquo, qui ſciret, Hieronymum ſic prologum ſuum nominâſſe. Valde autem hanc ſententiam firmat, quòd ea non in omnibus legantur Sulpicii libb. Unde eſt, quòd diſtincto charactere exprimantur in editione Pythœana; quæ ſcriptorem hunc exhibet, prout eum ex optimis & vetuſtiſſimis codd. caſtigârat Æmarus Ranconetus, Senatus Pariſienſis Præſes. Imò neque verum arbitror, quòd dicitur, communia quævis Oratorum principia aliter vocari galeata. Neque id evincere eſt ex B. Hieronymo: qui προοιμιάζεσθαι * quidem voluit in univerſos Scripturæ libros; nec propterea tamen prologum ſuum dixit galeatum, ſed potiùs, quia tractationem ſuam illo, quaſi galeâ, adverſus eorum muniiſſet inſcitiam, qui diſtinguere neſcirent inter libros canonicos, & apocryphos. Quippe in omni metaphora ſpectanda eſt ſimilitudo. Ea autem inter Hieronymi prologum, & galeam, non in eo conſiſtit, quòd utrumque ſit vulgare, & multorum commune; ſed quòd, ut galea capiti apponitur, ad corporis defenſionem; ita prologus hic initio aſſumatur, ad tuendam auctoritatem, &, ut ſic dicam, prærogativam librorum, qui θεόπνευστοι † ſunt; ac cautionem fidei, & vitæ noſtræ.

Fortunatianus alia quoque procemiorum vitia facit atque inter alia damnat, quæ ſunt γνωμικὰ, ἢ παραδειγματικὰ ‡. Interdum tamen à ſententiâ quoque, aut exemplo, incipere licet. Certè Tullius ipſe tertium Officiorum librum exorditur à chriâ, quæ nihil aliud eſt, quàm γνώμη * ſub auctoris nomine. Ac Dionyſius Halicarnaſſenſis docet, ab exemplo quoque exordium duci poſſe.

Nec exordia nimis παθητικὰ eſſe debent. Sanè exordium Æſchinis contra Cteſiphontem reprehenditur, ὡς τραγικὸν, καὶ περιττὸν, καὶ ἐπιλόγῳ μᾶλλον ἐοικὸς * ut eſt in orationis ejus ὑποθέσει †.

Inſuper monent rhetores, ut modus ſervetur in uſurpandis luminibus verborum ac ſententiarum: quandoquidem appoſita illa ac ſplendida exordia ſuſpicionem movent meditationis ejuſmodi, quæ multum diuque anteceſſerit. Sed hoc præceptum Elocutionem reſpicit: de quâ ſuo loco dicetur.

* Errore memoriæ.
† Lib. 6. cap. 33.
‡ Lib. 3. Adverſar. cap. 18.
* Præfari.
† Divinitus inſpirati.
‡ A ſententia aut exemplo ducta.
* Sententia.
* Tragicum, redundans ac vaſtum, & perorationi ſimilius.
† Argumento.

XII. UTRÙM PRIMO, AN POSTREMO, SIT DE EXORDIO COGITANDUM: ET AN EO SEMPER SIT OPUS.

PORrò etſi exordium in oratione primum obtinet locum: non tamen primò, ſed poſtremò ei mens ac manus admovenda, contrà quàm vulgò multi faciunt. Tullius lib. II. de Orat. *Hiſce omnibus rebus conſideratis, tum denique id, quod primum eſt dicendum, poſtremò ſoleo cogitare, quo utar exordio. Nam ſi quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, niſi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare, atque commune. Principia autem dicendi ſemper cùm accurata, & acuta, & inſtructa ſententiis, apta verbis; tum vero cauſſarum propria eſſe debent.* Et aliquanto pòſt; *Hæc autem in dicendo non extrinſecus alicunde quærenda; ſed ex ipſis viſceribus cauſſæ ſumenda ſunt. Idcirco totâ cauſſâ pertentatâ atque perſpectâ, locis omnibus inventis atque inſtructis, conſiderandum eſt, quo principio ſit utendum. ſic & facilè reperietur. Sumentur enim ex iis rebus, quæ erunt uberrimæ, vel in argumentis, vel in iis partibus ad quas dixi digredi ſæpe oportere. Ita & momenti aliquid afferent, cùm erunt penè ex intimâ defenſione depromta; & apparebit, ea, non modò non eſſe communia, nec in alias cauſſas poſſe transferri; ſed penitùs ex eâ cauſſâ, quæ tum agatur, effloruiſſe.* Hæc ille.

In gratulatoriâ tamen, ac funebri oratione, nihil prohibet, quo minùs ab exordio auſpicemur. Nam in hujuſcemodi materiâ facilè exordium dictabit affectus. Aliàs quoque interdum uſu venit, ut ſe ſponte offerat. Imò interdum nec exordio opus eſt; nedum de eo anxiè ſolliciti eſſe debeamus. Liquet id ex orationibus patheticis, quæ initium habent abruptum; ut docet Macrobius lib. IV. Saturn. cap. II. Talis eſt illa Ariadnes apud Catullum ‡, quâ increpat Theſea: item apud Maronem oratio Junonis, quæ incipit *.

—— Mene incepto deſiſtere victam?

Et Didonis ea †, cujus initium:

Diſſimulare etiam ſperaſti, perfide, tantum
Poſſe nefas?

Idem paſſim fit in concionibus imperatorum, ac ducum: atque aliàs, ubi negotium fervet, & viri ſunt brevitatis Laconicæ amantes. Hujus rei exempla longè plurima habemus in concionibus Livianis; quæ inde peti malo. Nam ſi exordio diutiùs inſiſtam: quando tandem ad exodium, ut Varro vocat, ſive finem veniremus?

‡ Carm. de nuptiis Pelei & Thetidis.
* 1. Æn.
† 4. Æn.

CAP. III.

DE NARRATIONE.

Narratio eſt rerum geſtarum, vel ut geſtarum, utilis ad perſuadendum commemoratio.

Utimur eâ in genere juridiciali, quando nobis de modo rei geſtæ non convenit cum adverſario.

At in deliberativo rarò hâc opus eſt.

Neque in demonſtrativo alia incidit, quàm interciſa; quæ ad Confirmationem pertinet.

Narrationem oportet eſſe perſpicuam, quò intelligatur; veriſimilem, quò credatur, moratam, quò libentiùs audiatur. Morata verò ut ſit, exprimere debet, quæ

ad

ad noſtram virtutem, & improbitatem adverſariorum pertinent.

Curandum quoque, ut, quæ dicuntur, judicibus ſint jucunda.

Debet etiam affectum movere.

Neque ſemper exordio ſuccedit, ſed interdum differtur: breviorque eſt in defenſore, quam in accuſatore.

Interdum autem alienâ narramus fide, quod ad ſecuritatem facit; interdum aſſeveratione utimur, quod fidem magis conciliat; interdum utrumque conjungimus.

I. QUID SIT NARRATIO.

EXordio in genere Juridiciali ſuccedit narratio; quæ quid ſit, indicat Varro lib. v. de L. L. *Narro*, inquit, *cùm alterum facio narum: à quo narratio, per quam cognoſcimus rem geſtam, quæ pars agendi eſt.* Eſtque narratio vel facti, vel quaſi facti; illa ἱστορικὴ vocatur, hæc μυθικὴ, aut δραματική. Etſi autem ſola ἱστορικὴ in oratione adhibenda erat: quia tamen non ſemper orator verba ſua allegat fide hiſtoricâ; ideo vulgò narratio definitur, rerum geſtarum, vel ut geſtarum, utilis ad perſuadendum commemoratio. Accedit & altera cauſſa, quòd olim Rhetores in fictâ materiâ ſuos plurimum exercerent; quemadmodum diximus libro primo*.

Quod ſiquis deſcriptionem quærat, quæ non oratoriæ ſolùm, ſed cuilibet conveniat narrationi, is præterito oratoris fine, qui perſuaſio eſt, ſimpliciter dicat, eam eſſe ἔκθεσιν † πράγματος γεγονότος, ἢ ὡς γεγονότος, ut eſt apud Aphthonii ſcholiaſtem ‡: ſive, juxta alios, rei geſtæ, vel ut geſtæ, expoſitionem à principio ad finem. Nam, qui Trojam dicit captam, omnia quidem complexus eſt; non tamen narrat, quia hæc nuda eſt ἐπαγγελία: ſed is demum narrat, qui commemorat omnia ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους* Itaque jubent rhetores, in omni narratione conſiderare principium, medium, finem: adhæc quæ principium antecedunt, ut rei cauſſas; quæque conſecuta ſunt, ut effectus. E. g. Raptus Helenæ eſt cauſſa belli Trojani. Cœpit bellum a conſcribendo milite, & apparandis navibus. Decennio eſt pugnatum, idque vario Marte. Deſiit bellum in expugnatione & incendio Trojæ. Conſecutæ ſunt ſervitutes, exilia, aliaque. Omnia hæc conſiderare non hiſtorici modò, ſed etiam oratores ſolent. Sanè in narratione Milonianæ ea invenias univerſa.

* *Epilogo doctrinæ de ſtatibus, qui capiti undecimo ſubjungitur.*
† *Expoſitionem rei factæ, vel ut factæ.*
‡ *Fol. 1. edit. Ald.*
* *Ab initio uſque ad finem.*

II. NARRATIONIS UTILITAS, ET QUANDO HABEAT LOCUM: ITEM QUOTUPLEX SIT.

EſT autem narratio, velut ſedes & fundamentum fidei, atque argumentorum quaſi σπερματισμὸς, ſeu *ſeminarium*: ut in quâ oporteat προκαταβάλλεσθαι τὰ σπέρματα τῆς κατασκευῆς †. Nam, ut optimè monet Fortunatianus, quæcunque in confirmatione locum habent, ea in narratione quoque interponere licet, modò ſolùm attingamus. Nam paſſim quidem inſerenda ſunt probationum principia: attamen nihil probandum, aut refellendum, ne, ſi id fiat, exhauriatur fides ſive contentio.

Ante omnia verò de narratione videndum, num ea locum habeat, & quomodo eâ utendum ſit. Nam interdum nullâ utimur narratione; interdum perpetuâ, ſive continuatâ; interdum concisâ & interruptâ; interdum mixtâ. Non utimur narratione in genere delibèrativo; quâ de re pleniùs capite primo hujus libri diximus. Neque in juridiciali eâ opus eſt, cùm nihil prodeſt narratio: velut cùm res geſta nota eſt iis, qui audiunt, ita ut nihil obeſſe poſſit adverſarius aliter narrando. Omitti quoque poteſt, cùm eodem modo narraturi eſſemus, quo adverſarius. Utrâque de re ita Dionyſius Halicarnaſſenſis ἐν τέχνῃ περὶ τῆς ἐν μελέταις ἀτεχνίας. Εἰσὶ ‡ δὲ καὶ δίκαι διηγήσεις οὐκ ἔχουσαι· αὗται δέ εἰσιν, ἐν τοῖς δικάζουσι τὸ πρᾶγμα γνώριμον ἔχουσι, καὶ τοῖς ἀντιδίκοις ὁμοίως ἀμφοτέροις ὁμολογούμενον.

† *Spargere ſemina confirmationis.*
‡ *Sunt etiam cauſſæ quædam non habentes narrationem. Eæ autem ſunt, cùm res judicibus nota eſt, & apud utramque partem in confeſſo eſt.*

Concisam, atque, ut Martianus Capella vocat, partilem uſurpamus narrationem, cùm res geſtæ nobis obſunt. Itaque tum (ut ait Tullius primo de Inventione) *membratim oportebit partes rei geſtæ diſpergere in cauſſam, & ad unamquamque confeſtim rationem accommodare, ut vulneri præſto medicamentum ſit, & odium ſtatim defenſio mitiget.* Eâdem interdum utimur, cùm eodem modo narraturi eſſemus, quo adverſarius. Item cùm ſingulæ narrationis partes invidiam adferunt adverſario: quod cùm ſit, etiam partes ſingillatim ſunt commemorandæ, & exagitandæ; quo non ſemel, ſed crebrò, adverſario indignetur judex. Itidem cùm ſeries totius narrationis nihil aliud eſt, quàm confirmatio, & tota confirmatio nihil aliud eſt, quàm narratio ſuis probationibus, & amplificationibus, permixta. Id fit in genere demonſtrativo; ubi cauſſa tota ſtabilienda eſt argumentis petitis è rebus geſtis. Hæc enim ratio eſt, cur Ariſtoteles ſcribat, διήγησιν ἐν τοῖς ἐπιδεικτικοῖς εἶναι οὐκ ἐφεξῆς, ἀλλὰ κατὰ μέρος. *Narrationem in genere demonſtrativo non eſſe continuatam, ſed in partes diſtinctam.* Hujus rei exempla habemus in divinâ illâ, ut Juvenalis vocat, Philippicâ ſecundâ. Item in Cluentianâ, ac Verrinis.

At narratione utimur continuâ, cùm nihil horum eſt, h. e. cùm rerum geſtarum narratio nobis prodeſt, neque magnam conciliare poteſt adverſario invidiam, neque eſt totius noſtræ cauſſæ prora & puppis. Hujuſcemodi narratio eſt in Quinctianâ, in eâ pro Sexto Roſcio, aliiſque plurimis.

Mixtam denique uſurpamus, cùm res geſtæ partim proſunt, partim obſunt. Tum enim, quæ proſunt, continuâ; quæ obſunt, concisâ proſequemur narratione.

Sunt & aliæ apud Rhetores narrationis diviſiones. Hermogenes eam dividit in ἁπλῆν, ἐγκατάσκευον, καὶ ἐνδιάσκευον, *ſimplicem, confirmatam, & illuſtratam.* Ἁπλῆ vocatur, in quâ nec cauſſæ ponuntur, nec deſcriptiones, eò quòd res certa perſpicuaque ſit. Iſtiuſmodi eſt illa pro lege Manilia. Ἐγκατάσκευος dicitur, cùm cauſſæ adſeruntur: cujus exemplum habemus in illâ pro Archia, item pro Rabirio Poſtumo. Ἐνδιάσκευος appellatur, in quâ deſcriptiones, atque ethopœiæ interſeruntur: cujuſmodi ſunt in Verrinis.

Quin in unâ eâdemque narratione ſpecimen omnium harum apparet. Ita in Milonianâ ἁπλῆ narratio eſt: *Milo autem, cùm in Senatu fuiſſet eo die, quoad Senatus dimiſſus eſt, domum venit: calceos & veſtimenta mutavit: paullisper, dum ſe uxor, ut fit, comparat, commoratus eſt, &c.* Vides, ut rem ſimpliciter, ac ſine ambitione narret. At ἐγκατάσκευος eſt, cùm paullo antè ait: *Interim, cùm ſciret Clodius, (neque enim erat difficile ſcire); iter ſolemne, legitimum, neceſſarium, ante diem* XIII. *Kal. Febr. Miloni eſſe Lanuvium ad Flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo: Româ ipſe ſubitò profectus pridie eſt, ut ante ſuum fundum (quod re intellectum eſt) Miloni inſidias collocaret: atque ita profectus eſt, ut concionem turbulentam, in qua ejus furor deſideratus eſt, quæ illo ipſo die habita eſt, relinqueret; quam, niſi obire facinoris locum tempuſque voluiſſet, nunquam reliquiſſet.* Apertiſſimè hìc videmus, adferri conſilia, & cauſſas facti, ac non facti; varia item argumenta, atque etiam, quæ argumenta hæc confirment. Itaque his ipſis narrationem habes ἐνδιάσκευον, ſive apparatam, quando ait: *Atque ita profectus eſt*, & quæ ſequuntur. Plurimùm autem apparata narratio luculentam continet expoſitionem omnibus ſententiarum figuris tinctam; inprimis acclamatione, & ἀξιώσει, ſive approbatione dicentis: quæ duo ſimul ſæpe concurrunt. Ut, *O facinus indignum! ô monſtrum hominis in extremas terras deportandum!*

Sopater, ut exordium, ita narrationem quoque, diſpeſcit in rectam, quam preſsè διήγησιν appellat, & obliquam, quam κατάστασιν nominat. Recta autem eſt, quâ apertè & ſimpliciter rem geſtam exponimus. Obliqua, quâ callidè multa alia præmittimus, vel admiſcemus, quo hoc pacto

pacto animum auditorum aliò avertamus, ac criminis ſuſpicionem ex animis evellamus. Rectæ narrationis exemplum cuivis fingere in proclivi erit. Obliqua narratio ſit, ſi Alcibiades, accuſatus affectatæ tyrannidis, ordiatur à vitæ anteactæ ratione: quo loco referre poterit, quomodo, philoſophiæ ſtudio incenſus, longo tempore audierit Socratem; cùmque ad Remp. acceſſiſſet, optimè de eâ ſit meritus: his ſe rebus concitâſſe malevolorum invidiam; qui nunc quoque affectatæ accuſent tyrannidis; cùm Socraticâ diſciplinâ aliter ſit edoctus, ac naturâ ſemper amârit, maximique fecerit, populare imperium.

Apſines narrationem dividit in vehementem, gravem, patheticam, moratam. Verùm diſtributio iſta non eſt hujus loci; cùm petatur ab Elocutionis formis: de quibus poſtea dicetur. Idem judicium eſto de diviſione Fortunatiani: qui quinque ejuſdem genera ſtatuit; directum, converſum, convincens, ſolutum, & comparativum. Altera quoque apud eundem diſtributio eſt; ſed, ut videtur, non magni uſus. Octo enim has facit narrationis ſpecies: *διήγησιν, ἀντιδιήγησιν, μερικὴν διήγησιν, παραδιήγησιν, ὑποδιήγησιν, καταδιήγησιν, ἐπιδιήγησιν, καὶ διασκευήν*: quibus nominibus quæ deſignentur, ex ipſo, qui volet, Fortunatiano addiſcet. Vel ſicui obſcuriùs hic exponere eam rem videatur, adeat Antonium Lullum Balearem lib. III. de Oratione cap. x. Mihi animus eſt, hujuſcemodi omiſſis, ea ſolùm tractare, ex quibus non aſpernandum capiant fructum, qui ad flexanimam illam reginam ſeriò affectant viam.

III. De Partibus narrationis.

Partes narrationis ſunt quatuor: procataſtaſis, narratio propriè dicta, petitio, & ejus ratio.

Procataſtaſis ab Hermogene vocatur pars ea narrationis, quæ refert vitam anteactam, aut quæcunque anteceſſerunt præcipuum factum. At narratio propriè dicta eſt factum præcipuum, & maximè proprium cauſſæ: E. G. In Licinianâ eſt propriè dicta narratio, quo pacto Archias civitate ſit donatus ab Heracleenſibus. At procataſtaſis eſt commemoratio eorum, quæ ad ſtudiorum rationem pertinent. Sopater tamen, in diviſione quæſtionum, paullo aliter hâc voce utitur: ut cui procataſtaſis ſit aditus, ac velut præmunitio ad præcipuum factum: quæ dubitatione, aliâve figurâ inſtitui ſolet. E. G. At unde initium ſumam? num prioris quoque vitæ ſcelera vobis ob oculos ponam? an ab eo ordiar, cujus præcipuè gratiâ dica improbiſſimo homini ſcripta eſt?

Petitio, quæ tertia narrationis pars eſt, poſcit, ut condignè erga quempiam animati ſimus. E. G. *Et quiſquam ſit, qui in caſu infeliciſſimi hominis miſericordiâ non tangatur?*

Poſtrema narrationis pars eſt petitionis ratio: quæ brevis eſſe debet. E. G. Si petitio fuerit; *Quis nefario homini non ſuccenſeat?* ratio iſtiuſmodi ſubjici poteſt, *Cùm intelligat, ſcelus adeò teterum atque atrox patratum eſſe.*

In hâc quadripartitâ narrationis diſtributione reprehendit Iſaacus Tzetzes ea, quæ de cataſtaſi ab Hermogene ſcribuntur. At immeritò; ut quoque Nunneſius obſervavit. Neque enim jubet Hermogenes, in cataſtaſi ea univerſa commemorare, quæ ad anteactam vitam quomodocunque pertinent: ſed illa ſolùm, (quod prudentiæ munus eſt) quæ cauſſam juvant. Hujuſce rei exemplum habemus in Ciceronis Cluentianâ; cujus prima narratio planè procataſtaſis eſt. At in eâ nihil de veneficiis adfertur; verùm tantùm de cauſſis, ob quas mater iniquiori erat erga Cluentium animo.

IV. De sex iis, quæ Aristoteles in narratione exigit.

De narratione ſex præcepta tradit Ariſtoteles. Requirit enim, ut ea ſit dilucida, ac veriſimilis; ut honeſtos rei mores exprimat, ac contrarios adverſarii; ut brevior ſit in defenſore, quàm accuſatore; ut ſit morata; ut affectum moveat; ut, ſi neceſſe ſit, differatur, neque ſemper collocetur in initio.

Atque hæc omnia obſervat Cicero in Milonianâ. Nam, ut dilucida ſit oratio, primò declarat conſilium Clodii; deinde occaſionem pugnæ; poſtremò ejus eventum; atque in ſingulis partibus, ita rem ob oculos ponit, ut non audiri, ſed cerni videatur. Ubique etiam operam dat, ut ſit veriſimilis. Iccirco inter alia quoque docet, Clodium ex urbe egreſſum, cùm graviſſimæ haberentur adverſus Milonem pro competitoribus ejus orationes. At niſi de inſidiis cogitâſſet Clodius, nunquam exiiſſet, cùm furor ejus maximè requireretur.

Secundò, oſtendit ubique Cicero, Milonem fuiſſe virum fortiſſimum, ac minimè inſidioſum; Clodium contrà peſſimo omnia conſilio inſtituiſſe.

Tertiò, longior fuit Clodianorum narratio, quàm Ciceronis. Multa certè prætereit Cicero, quæ refert Pedianus.

Quartò, narratio exprimit improbos Clodii mores, ejuſque conſilia: veluti illo, *Palàm agere cœpit, & apertè dicere, occidendum Milonem.*

Quintò, miſericordiam movet Cicero, tum alibi, tum illis verbis: *Quod ſi ita putâſſet, certè optabilius Miloni fuit, dare jugulum P. Clodio, non ſemel ab illo, neque tum primùm, petitum; quàm jugulari à vobis, quia ſe illi non jugulandum tradidiſſet.*

Sextò, cùm interdum narratio differri debeat; id hic quoque Cicero facit; quia demum narrat poſt confutationem, ac propoſitionem.

Culpant aliqui, quòd inter narrationis virtutes ſoleat perſpicuitas referri; quæ in omni cuſtodienda ſit oratione, niſi fortè quædam obſcurari de induſtria debeant. Sed non cogitant, eò perſpicuitatem in hac parte requiri, quaſi peculiarem; quia narratio ſit cauſſæ forenſis fundamentum: ac proinde, niſi illa dilucida fuerit, tenebræ toti obducantur orationi. Docet hoc ipſum Tullius lib. II. de Oratore: *Majore*, inquit, *periculo hæc pars orationis obſcura eſt, quàm cætera: vel quia, ſiquo alio in loco eſt dictum quid obſcurius, tantùm id perit, quod ita dictum eſt; narratio obſcura totam obcæcat orationem: vel quòd alia poſſis, ſemel ſi obſcuriùs dixeris, dicere alio loco planiùs; narrationis unus eſt in cauſſâ locus.*

Erit autem perſpicua narratio, ut ibidem dicitur, *ſi verbis uſitatis, ſi ordine temporum conſervato, ſi non interruptè narrabitur.* Unde liquet, in oratione dilucidâ, tum verborum, tum rerum, habendam eſſe rationem. Vide & Ariſtotelem lib. III. Rhetor. & Ciceronem in Partit.

Ad perſpicuitatem quoque confert, ut in narrando temporis ſervetur ordo. Nam quemadmodum ab hiſtorico differt orator, quòd ille veritatem conſectetur, hic veriſimilia: ita cum eodem convenit, quòd uterque temporis ſequatur ordinem: contrà quàm poëtæ ſolent, qui etiam à fine, aut medio, ordiuntur: quomodo Homerus Iliadem à decimo, Maro Æneidem à ſeptimo auſpicatur belli Trojani anno.

Perſpicuitati etiam, ut rectè Fabius ſcribit, ſubjici poteſt *ἐνάργεια*, ſeu evidentia. Eſt autem *ἐνάργεια*, quâ rem non dicimus, ſed oſtendimus, & quaſi ante oculos ponimus. Itaque illuſtrem habet *ὑποτύπωσιν*: de qua in *σχηματολογίᾳ* dicemus.

Morata ut ſi oratio, exprimenda eſt *προαίρεσις* *, tum rei, tum actoris. Eam quo oſtendamus, ita narrare convenit, ut appareat, nos magis ſectatos honeſtatem; adverſarium inprimis ſpectâſſe utilitatem. E. G. Ego verò monere hominem non ceſſabam, ne parvulos ſuos deſereret: ille autem reſpondebat, ſibi, ubicunque terrarum eſſet, liberos non defuturos.

* *Voluntas, ac propoſitum.*

Quod ſi quid minùs credibile videatur, ratio adjungenda eſt. Ita apud Sophoclem ait Antigona, majori ſibi curæ eſſe fratrem, quàm maritum, ac liberos; quia novum

maritum, ac liberos, accipere poſſit; fratrem non poſſit. Quo argumento ante Sophoclem uſa fuerat Intaphernis uxor, cùm, datâ à Dario optione, ſuperſtitem ſibi maluit fratrem, quàm conjugem, ac gnatos; teſte Herodoto lib. III. Etiam Abauchas, cùm incendium undique circumdediſſet domum, Gyndanem amicum, qui, gravi vulnere affectus, egredi non poterat in humeros ſuſtulit, rejectâ uxore, corpori licet inhæreret; poſthabitis etiam filiis, quorum alter periit flammâ, alter cum matre ambuſtâ vix evaſit. Idem, cùm hoc vitio ei verteretur, reſpondit, nec liberos ſibi deinceps conſequi difficile fore: nec de iis conſtare, an futuri ſint boni: at diu fore, priuſquam reperiat amicum tam certis, quàm Gyndanes eſſet, cognitum argumentis. Auctor Lucianus in Toxaride ſive de Amicitia. Quòd ſi ratio iſtiuſmodi non ſuppetat, cauſſa rejicenda eſt in naturam noſtram; ac dicemus, etſi pleriquе omnes aliter animati ſint, nos tamen ita ſemper affectos fuiſſe.

Inſuper jubet Ariſtoteles, ut, quo affectum hominis ſignificemus, ea quoque commemoremus, quæ mores hominis conſequuntur: velut ſiquis, ad audacem & agreſtem alicujus animum oſtendendum, dicat, eum loquentem inceſſiſſe. Hujuſcemodi plurima ſuggerent Porphyrius in quæſtionibus, ac Homerici interpretes. Inprimis verò, quomodo mores hominum à ſignis ac notis ſuis exprimi debeant, elegantiſſimi docebunt Theophraſti characteres; quorum utinam non bona pars deperiiſſet.

V. An brevitas ſit narrationis virtus.

SUnt qui brevitatem inter virtutes narrationis referant, quos ridet & refutat Ariſtoteles, eò quòd neque brevem, neque prolixam, ſed mediocrem eſſe, conveniat. Ita Lyſiæ pro Eratoſthenis cæde narratio longa eſt pro brevitate orationis, quia præcipuum orationis robur in narratione conſiſteret. Et rectè Tullius lib. II. de Oratore: *Si tum eſt brevitas, cùm tantum verborum eſt, quantum neceſſe eſt; aliquando id opus eſt, ſed ſæpe obeſt, vel maximè in narrando, non ſolùm quòd obſcuritatem affert, ſed etiam quòd eam virtutem, quæ narrationis eſt maxima, ut jucunda, & ad perſuadendum accommodata ſit, tollit.* Et paullo poſt: *ſed & feſtivitatem habet narratio diſtincta perſonis, & interpuncta ſermonibus: & eſt probabilius, quòd geſtum eſſe dicas, cùm, quemadmodum actum ſit, exponas: & multo apertius ad intelligendum eſt, ſi ſic conſtituitur aliquando, ac non iſta brevitate percurritur.* Conſentit etiam Fabius lib. IV. cap. II. cùm ait: *Fortaſſè ubique, in narratione tamen præcipuè, hæc tenenda via, dicendi quantum opus eſt, quantum ſatis eſt. Quantum opus eſt autem, non ita ſolùm accipi volo, quantum ad judicandum ſufficit; quia non inornata debet eſſe veritas; alioqui fit indocta. Nam & fallit voluptas, & minùs longa, quæ delectant, videntur; ut amœnum & molle iter, etiamſi eſt ſpatii amplioris, minùs fatigat, quàm durum aridumque compendium. Non enim mihi unquam tanta fuerit cura brevitatis, ut non ea, quæ credibilem faciunt orationem, inſeri velim. Simplex enim, & undique præciſa, non tam narratio poteſt vocari, quàm confuſio.*

Autor tamen Rhetoricorum ad Alexandrum (nam eum Ariſtotelem non eſſe, alibi diximus) tres ſtatuit narrationis virtutes: ut brevis ſit, ut dilucida, ut veriſimilis. Idem facit Cicero I. de Inventione: item Theo in Progymnaſmatis. Itaque, ut tollamus hanc pugnam, dicendum eſt, cùm Rhetores brevitatem negant eſſe virtutem narrationis, tum eos adverſari illis, qui tradebant, compendio omnia narranda eſſe, ita ut narratio exigua eſſet. At cùm brevitatem faciunt virtutem, loqui illos de brevitate, quâ referuntur ea omnia, ſine quibus obſcura eſt oratio, & ea removentur, quæ neceſſaria non ſunt.

VI. Quando noſtra, quando aliena fide, narrare debeamus.

NEc inutile eſt illud præceptum Hermogenis, in narratione aliàs eſſe utendum ἀναφορᾷ, ſive *relatione* aliorum: aliàs βεβαιώσει, ſive *aſſeveratione*: prius illud fieri δι' ἀσφάλειαν, *ob ſecuritatem*: poſterius διὰ πίστιν, *ut fidem faciamus*. In genere laudativo magis utimur ἀναφορᾷ. Quomodo ſecuriùs narrari, ſatis eſt apertum. Nam cùm diximus, poëtas, aut hiſtoriographos, ita memoriæ prodidiſſe; vel nos ita accepiſſe à viris fide dignis; etiam cùm falſum eſt quod retulimus: non tamen mendacii poſſumus argui. In juridiciali perpetuò utendum βεβαιώσει, quia minimè nobis fidem habebunt judices, ſi ipſi videamur dubitare de rei veritate. Interdum utramque inimus rationem. ut ſi dicamus, ita traditum eſſe, ac nos id ipſum comperiſſe. Nam prius, ut dixi, ad ἀσφάλειαν facit, alterum ad πίστιν. Vide Hermogenem περὶ μεθόδου δεινότητος.

Cap. IV.

DE PROPOSITIONE.

Narratione perorata, ſtatus orationis proponitur, cauſſaque ſi multiplex fuerit, in certas partes diſtribuitur.
Fit autem hæc diviſio vel ſejunctione, vel enumeratione.
Sejunctione aperimus, quid nobis conveniat cum adverſario, & quid in controverſia relinquatur.
Enumeratione, quot, & quibus de rebus, dicturi ſimus, exponimus.
Partitionis virtus eſt, ut ſit plena ac perfecta; ut plana & perſpicua; ut brevis, nec plus quàm trium, aut ſummum quatuor partium.

I. De exceſſu ſive digreſſione narrationi adnexa, deque ananeoſi.

SUnt qui inter narrationem, & contentionem, interjiciant exceſſum, ananeoſin, partitionem, & propoſitionem. Itaque & Fortunatianus de quatuor iſtis hoc loco tractat: & Fabius*, priuſquam ad propoſitionem accedat, diſſerit de egreſſione, quàm Græci διέξοδον & παρέκβασιν, Fortunatianus exceſſum vocat. * Lib. 4. cap. 3.

Eſt verò hoc loco παρέκβασις, non quævis alienæ rei, attamen ad cauſſæ utilitatem pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio, (quomodo à Fabio † definitur) verùm criminis amplificatio narrationi adnexa. Rectè autem, tum Fabius, tum Fortunatianus, negant, eam diſtinctam eſſe orationis partem. Nam neque ſemper, neque ſolùm poſt narrationem, locum habet. Siquidem tantum, *ſi expoſitio circa finem* (narrationis) *atrox fuerit proſequimur eam, velut erumpente protinus indignatione*; ut inquit Fabius ‡. Adde quòd, ut idem ait, tantùm ante confirmationem adhibetur, cùm res dubitationem non habet. Quippe ridiculum ſit, id, quod adhuc in incerto eſt, velle in immenſum extollere. Quare rectè Sopater duplicem facit παρέκβασιν, ſive criminis amplificationem: unam, quæ antecedat confirmationem, ac *cataphora* dicatur, quâ Demoſthenes uſus orat. in Midiam: alteram, quæ ſequatur, & *epiphora* apelletur, cujuſmodi ſunt loci communes in epilogis. Nihil verò contra Fortunatianum facit, quòd digreſſioni quoque in exordio locus eſſe poſſit; ut argumento olim fuit Ciceronis oratiuncula*, quam pro Milone habuit. Nam, ut antè dicebamus, per exceſſum hoc loco non quivis ſignatur exceſſus; ſed tantùm is, qui eſt quaſi finis narrationis, ac patrati criminis atrocitatem oculis ſubjicit.

† Ibidem.
‡ Ibidem.
* Fabius ibidem.

Inſuper tractat Fortunatianus de ananeoſi, quaſi renovationem dicas: quæ eo à προκατασκευῆ differt, quòd hæc rem tractet ad judicem conciliandum; ananeoſis judicem præparet ad rem audiendam. Ananeoſin ſtatuit Fortunatianus in Quinctianâ, & pro Cæcinâ. In Quinctia-

ctianâ hæc ſignat verba: *Judicium eſſe, C. Aquili, non de re pecuniariâ, ſed de famâ, fortuniſque P. Quinctii, vides.* Pro Cæcinâ hæc legere eſt: *Maxime fuit optandum Cæcinæ, recuperatores, ut controverſia nihil haberet: ſecundo loco, ut ne cum tam improbo homine: tertio, ut cum tam ſtulto haberet. Etenim non minus nos ſtultitia illius ſublevat, quàm lædit improbitas.* Quibus è locis cognoſcere eſt, cur dicat Fortunatianus, ananeoſi judicem præparari ad prooemiorum modum. Nam in Quinctianâ conciliat Cicero judicum animum, recenſendo incommoda judicii, novamque ejus rationem, quam inducebant adverſarii; ut nempe reus diceret ante actorem. Pro Cæcinâ verò concitat judices adverſus adverſarium; cujus notam fecerat improbitatem, & dementiam. Meritò autem nec ananeoſis ſtatuitur diſtincta orationis pars. Nam ex iis, quæ hactenus diximus, cognoſcere eſt, eam nihil aliud eſſe, quàm novum quoddam exordium. Hoc quid ſit, intelligit, quiſquis meminit, quod capite ſecundo ex Ulpiano rhetore oſtendimus; duo eſſe exordiorum genera; unum, quod toti orationi; alterum, quod certæ parti viam paret.

II. De Propositione.

SUperſunt propoſitio, & partitio; quæ Hermogenici προκατασκευῆς, q. d. *præconfirmationis* nomine, comprehendi poſſe cenſent.

Propoſitionis munus eſt, ante oculos ponere id, quod in controverſiam venit. Hanc rhetores Græci vulgò nominant πρόθεσιν, ſive *expoſitionem*, quia initio cauſſæ κεφάλαια* exponat. Sed veteres oratores, teſte Hermogene, appellarunt ὑπόσχεσιν, h. e. *promiſſionem*, quia hâc pollicemur, nos de cauſſæ noſtræ capitibus acturos eſſe. Utitur ὑποσχέσεως vocabulo Demoſthenes contra Ariſtocratem, ubi ait: δίκαιόν ἐστιν, ἐμὲ τρία ὑμῖν ὑπεσχημένον ἀποδεῖξαι. *Utile eſt, me tria vobis, quæ promiſi, demonſtrare.* Cicero quoque pro Quinctio ſimiliter locutus: *Oſtendam primùm*, inquit, *cauſſam non fuiſſe, cur à Prætore poſtulares, ut bona P. Quinctii poſſideres: deinde, ex edicto te poſſidere non potuiſſe: poſtremò, non poſſediſſe. Quæſo, C. Aquili, voſque, qui eſtis in concilio, ut, quid pollicitus ſim, diligenter memoriæ mandetis.*

* Capita.

Eſt verò propoſitio planè diſtincta à cæteris orationis pars. Nam exordii, cui eam ſubjicit Thomas Cottæus †, pars eſſe nequit, cùm plurimùm poſt narrationem collocetur. Nec narrationis, quæ inter alios Hieronymi Treutleri ‡ ſententia eſt, pars eſſe poteſt, cùm nec raro narrationem antecedat. Neque, quòd Fabius * ſcripſit, confirmationis (niſi laxè hâc voce utaris) initium eſt, cùm ſe ad confirmationem habeat, ut concluſio ad argumentum. At concluſio ſyllogiſmi pars potiſſima eſt, adeò quidem, ut & ſolo ſyllogiſmi nomine ab Ariſtotele † ſignetur: argumenti verò pars non eſt, cùm id quod probatur, neceſſariò aliud ſit ab eo, quo id probatur.

† Lib 3. de eloquentia cap. 5.
‡ Lib. 1. iſagoges cap. 7.
* Lib. 4. cap. 4.
† 1. Analyt. prior. cap. 1. 1. Poſt. cont. 4. 1. de anima cont. 48.

Interdum autem propoſitio fit ἁπλῶς ‡, interdum κατ' ἄρσιν, καὶ θέσιν *: ut apud Juſtinum lib. XXXI; ubi Hannibal ait Antiocho, non ſe eorum probare ſententiam, qui contenderent, in Græcia eſſe ſedem belli ſtatuendam; ſed putare, in Italia id fieri oportere. Verba Juſtini ſunt iſta: *Nihil ſe conſiliorum, aut cœptorum præſentium probare ait; neque ſedem belli Græciam ſibi placere, cùm Italia uberior materia ſit.*

‡ Simpliciter.
* Remotione, & poſitione.

Interdum etiam non opus eſt propoſitione: non quaſi ἁπλῶς omitti queat; ſed quia, ut capite primo dicebamus, aliunde, puta, vel ex prooemio, vel narrationis fine, quâ de re agendum ſit, cognoſcitur.

Nonnunquam etiam id, quod inprimis in controverſiâ eſt, præteritur, atque aliud adfertur, quod cum controverſiâ cohæret. Id fieri ſolet: quando primaria quæſtio ingrata eſt auditoribus: unde neceſſe habemus, paulliſper avertere animum, ac aliud inſinuare mentibus, quàm præ ſe primò ferebat oratio.

III. De Partitione.

QUemadmodum autem ſimplex propoſitio, ita partitio quoque, quæ nihil aliud eſt, quàm propoſitio multiplex, pro diverſâ cauſſæ naturâ, locum ſortitur diverſum.

Hermogenes obſervat, Demoſthenem præmittere narrationi partitionem, quando fallere ſtudet auditores; ut in oratione περὶ παραπρεσβ. aliàs verò narrationi eam ſubjicere, ut oratione in Ariſtocratem.

Fortunatianus * quoque monet, tum partitionem poſtponi narrationi, quando vel longior eſt narratio, ac partitione paratur docilitas; vel cùm, ad ciendam invidiam, narratio in plures conciditur partes. Prioris exemplum fuerit: Dicam, quæ rem anteceſſere, quæ in re ipſâ contigerunt, quæque eam ſunt conſecuta. Poſterioris exemplum habemus in illis Tullii verbis lib. primo accuſationis in C. Verrem: *Quæſtor Cn. Papirio conſuli fuiſti abhinc annos quatuordecim. Ex eâ ad hanc diem quæ feciſti, in judicium voco. Hora nulla vacua à furto, ſcelere, crudelitate, flagitio reperietur. Hi ſunt anni conſumti in quæſtura, & legatione Aſiaticâ, & præturâ urbanâ, & præturâ Siciliensi. Quare hæc eadem erit quadripartita diſtributio totius accuſationis meæ.*

* Lib. 2. cap. de narrat.

Diſpiciendum præterea, quando ſimplex, quando item partita adhibenda ſit propoſitio. Nam, ut refert Sulpicius Victor, Cato perpetuò utebatur partitione, rariùs Cicero; hoc eſt, non niſi cauſsâ exigente. Exigit autem, juxta Fortunatianum, ſi vel longa ſit, vel conjuncta, vel obſcura. Longa eſt illa in Verrem. Conjuncta eſt, quæ ex variis conſtat capitibus; ut illa pro Murænâ: *Intelligo, Judices, tres totius accuſationis partes fuiſſe, & earum unam in reprehenſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam.* Obſcuræ exemplum ſtatui poſſit Cluentiana, in quâ hujuſcemodi eſt partitio: *Oſtendam, Judices, primùm, quoniam caput illius atrocitatis atque invidiæ fuit, innocentem pecuniâ circumventum; neminem umquam majoribus criminibus, gravioribus teſtibus, eſſe in judicium vocatum. Deinde ea de eo præjudicia eſſe facta ab ipſis judicibus, à quibus condemnatus eſt, ut non modò ab iiſdem, ſed ne ab aliis quidem ullis, abſolvi ullo modo poſſet. Cùm hæc docuero, tum illud oſtendam, quod maximè requiri intelligo, judicium illud pecuniâ eſſe tentatum, non à Cluentio, ſed contra Cluentium: faciamque, ut intelligatis, in totâ illa cauſsâ, quid res ipſa tulerit, quid error affinxerit, quid invidia conflârit.* Quamquam nonnulli, quorum judicio & Fabius ſubſcribere videtur, partitionem hanc eo nomine reprehenſum eunt, quòd, *ſi probari poſſet tertium, nihil neceſſe fuerit dicere priora.*

Partitionem dividit Fortunatianus in eam, quæ inſtituitur per ſejunctionem, & illam, quæ fit per enumerationem. In cauſſâ conjunctâ locum habet ſejunctio; quâ aperimus, in quibus cum adverſario convenimus; in quibus item diſcrepemus. At in cauſſâ longa, vel obſcura, adhibenda eſt enumeratio; quâ breviter oſtendimus, quot, & quibus de rebus, ſimus dicturi, atque ita orationis habenas adducimus, ut certo ſe contineat gyro.

Mihi poſterius tantùm genus mereri videtur partitionis nomen. Nam ſejunctio ſanè ſit: Pecuniam privatam de templo à ſe ſublatam agnoſcit: ſacrilegium num ſit, cognoſcendum. At hic nullas in partes diſtribuitur oratio, eoque orationis partitio dici nequit. Nec eſt, quòd quis, non orationis quidem habendæ, attamen cauſſæ ipſius diviſionem eſſe contendat. Nam de quo controverſia non eſt, id pars controverſiæ eſſe nequit.

Partitionem tum plenam eſſe oportet, ita ut omnia complectatur, quæ in cauſſam incidant; tum planam etiam, ne ſubtilitate ſuâ auditorem involvat, cùm inventa ſit, ut orationi lucem adferat. Partitio quoque genera debet afferre rerum, non partes generum. Ideo Cicero 1. de Inven-

tione tres facit virtutes partitionis, brevitatem, paucitatem, & abſolutionem. Brevitas eſt in verbis, paucitas in generibus; abſolutio in toto. Herennianus quoque magiſter membra ſolùm tria admittit. Alii quatuor ſummùm eſſe volunt. Pluribus profectò uti, non dividere eſt, ſed, velut bovem Moloſſi ſolent, orationem concidere & lancinare.

Quòd ſi membrum aliquod in alias partes debeat diſpeſci; diviſionem eam non confeſtim ſubjiciemus primariæ partitioni, quod memoriam maximopere onerat, ſed ſuo eam loco referemus. Præit nobis hâc in parte Tullius, qui in Manilianâ, expoſitis reliquis membris, poſtremum hoc pacto dividit: *Ego*, inquit, *ſic ſtatuo, in optimo imperatore quatuor has res ineſſe oportere.*

Obſervandum inſuper, adferendam ab oratore partitionem, non quaſi haud aliter dividi poſſit oratio; ſed quia is commodè judicet, omnia ad ea capita revocari poſſe. Ut pro Roſcio; *Tres ſunt res, de quibus me dicere arbitror oportere.*

Curandum præterea, ut, ſi multæ fuerint partes, eodem illas tractemus ordine, quo propoſuimus. At ſi paucæ fuerint, nihil impedit, quo minùs alium ineamus ordinem; quia nihil tum periculi eſt, ne hâc re confundamus memoriam auditorum. Hinc liquet, quatenus recipiendum ſit ἀξίωμα ac pronunciatum illud, quo Fabius librum quartum claudit & obſignat: *Turpiſſimum eſſe, non eodem ordine exſequi, quo quidque propoſueris.*

CAP. V.

DE CONTENTIONE.

Contentio diſtribuitur in Confirmationem, & Confutationem: illa argumentando cauſſam noſtram adſtruit; hæc argumenta deſtruit adverſarii.

In confirmatione conſideranda eſt tum argumentorum, tum argumentationum diſpoſitio.

Argumenta firma collocanda ſunt in principio, cùm, re narratâ, avet auditor cognoſcere, quid afferamus ad cauſſæ noſtræ probationem: item in fine, quia poſtrema maximè animo inhærent.

At infirmiora in medium conjicienda ſunt gregem, ut, quæ per ſe parum poſſunt, turbâ valeant.

Præterea, ſi firmamentum noſtrum fuerit argumentum à cauſſâ alienum, adducemus illud velut cauſſæ proprium. At quod adverſarii proprium eſt, efficiemus alienum.

Cavendum autem, ne argumenta nimis condenſemus: neque, cùm affectum movemus, argumentis gaudebimus, ſed ſententiis.

Utitur Orator cùm ſyllogiſmis, atque inductione; tum inprimis enthymematibus, & exemplis. Ac ſyllogiſmi ſæpe oratoribus ſunt quinquepartiti; qui conſtant propoſitione, ejus ratione, aſſumtione, hujus approbatione, & complexione. Nam hic naturalis eſt partium iſtarum ordo; etſi ſæpe eas tranſponit orator; quemadmodum & ſæpe partem aliquam præterit, ut manifeſtam.

Enthymemata quoque ſæpe adhibet tripartita, adjectâ antecedentis ſive argumenti ratione. Nec raro concluſio prior eſt antecedente.

Quòd ſi argumentatio non tam docendi, quàm commovendi cauſâ fiat, amplificatio appellatur. Cumque hæc partim in augenda oratione, partim in rei exaggeratione occupetur: poſterior inprimis hujus loci eſt. Ea fit incremento, comparatione, ratiocinatione de quantitate rei, aut congerie.

Confutatio non uno fit modo. Interdum oſtendimus, falſa eſſe pro veris aſſumta: interdum, iis conceſſis, complexionem ex his conſequi negatur: interdum contra firmam argumentationem alia æquè firma, aut firmior, ponitur: interdum utimur elevatione, ridendo argumenta adverſarii.

Ut plurimùm autem primò adoriemur argumenta adverſarii validiora, ut, ubi ea diluerimus, quaſi ſponte manum dent infirmiora.

I. AN CONTENTIO APTE FIDES VOCETUR, ET DIVISIO EJUS IN CONFIRMATIONEM ET CONFUTATIONEM, ET QUANDO HÆC ILLAM PRÆCEDAT.

SEquitur Contentio, quàm Ariſtoteles πίστιν †, ac Cicero eodem modo *orationis fidem* appellat. Nam cùm in Partitionibus de Exordio, ac Narratione, egiſſet, ſic ſcribit: *Nempe ea ſequuntur, quæ ad faciendam fidem pertinent? C. P. Ita eſt, quæ quidem in confirmationem, & reprehenſionem, dividuntur.* Et aliquanto pòſt: *Ageſis ergo, quoniam in confirmationem, & reprehenſionem, diviſeras orationis fidem, & dictum de alterò eſt, expone nunc de reprehendendo.* Non tamen ſatisfacit hæc interpretatio Fabio. Nam is, cùm lib. v. cap. x. de enthymemate, epichiremate, & apodixi, verba feciſſet, illa ſubdit: *Hæc omnia generaliter* πίστεις *appellant, quæ etſi propriâ interpretatione dicere fidem poſſumus, apertiùs tamen probationem interpretabimur.*

† Fidem.

Idem quoque Fabius, more ſuo, à ſummo dicendi magiſtro in eo diſſentit, quòd contentioni ſeu fidei ſubjecerit, tum confirmationem, tum refutationem; uti & Tullium feciſſe ſuperiùs vidimus. Verba Fabii apponam. *Neque iis*, inquit, *aſſentior, qui detrahunt refutationem, tanquam probationi ſubjectam, ut Ariſtoteles. Hæc enim eſt, quæ conſtituat; illa, quæ deſtruat.* At quis non videt, utrumque ad faciendam fidem pertinere, tum ut noſtra probemus, tum ut redarguamus contraria?

Quod ad ſitum harunce partium attinet, docent vulgò, duplicem eſſe ordinem, unum artis, alterum judicii: (alii illum naturæ, hunc ordinem artificioſum vocant) artem exigere, ut præcedat confirmatio: verùm interdum contrà fieri: atque hoc eſſe οἰκονομίας. Ita enim ordinem judicii vocat Apſines. Quod facem adlucet iſti Sulpicii Victoris loco: *In diſpoſitione hæc ſunt, ordo, cum eâ quæ Græcè appellatur* οἰκονομία. Nam ſi, ut pleriquè Rhetores ſolent, generatim ſumſiſſet οἰκονομίας nomen; dixiſſet, *ordo, qui Græcis* οἰκονομία. Verùm quòd confirmationem docent ſemper præcedere juxta ordinem artis, largiter peccant. Rectiùs Ariſtoteles, qui, lib. III. cap. XVII. * auctor eſt, illum, qui prior dicit, priùs confirmare, poſtea refutare; niſi multiplicem habeat cauſſam adverſam: cum verò, qui poſterior eſt in dicendo, priùs refutare, poſteriùs confirmare; niſi parùm ſuis argumentis moverit adverſarius. Atque hoc etiam obſervat Cicero oratione pro Milone: quod ſignificat illis verbis: *Sed antequam ad eam orationem venio, quæ eſt propria noſtræ quæſtionis, videntur ea eſſe refutanda, quæ in Senatu ſæpe ab inimicis, ab improbis ſæpe, jactata ſunt.* Idem fit orat. pro Murænâ, pro Cælio, pro Syllâ, aliiſque defenſionibus; in quibus confutationem præmittit confirmationi. Ac ratio in proclivi eſt, cur alio reus, alio accuſator utatur ordine. Nam orationem reſpuit auditor, ſi adverſarius probabiliter dixiſſe videatur. Scopi quoque diverſitas diverſas efficit actiones. Accuſator autem ſtudet ſeveritati, reus benevolentiæ: ille vulnera, hic medicinam ſtudet facere. Quare eos † ratio fugit, qui, cùm audiiſſent, duplicem eſſe ordinem; quòd confutatio ſæpe confirmationem præcedit, id pertinere putarunt ad ordinem judicii, non artis, ſive, ut alii appellant, naturæ. Utrumque enim natura præcipit. Adde quòd, cùm Rhetorica ſit facultas, Rhetoris eſt æquè præcepta tradere accuſatori, ac reo. Itaque, contrà quàm opinati ſunt, illud potiùs ad ordinem judicii pertinebit, ſi, qui poſteriùs dicit, priùs confirmet, quàm refutet.

* Juxta vulg. ed. al. 19.

† Ut Mart. Capel. lib. 5. cap. de diſpoſ.

II. Quo

II. Quo ordine ponenda ſint argumenta in confirmatione.

IN confirmatione conſideratur tum materia ejus, tum forma.

Materia ſunt argumenta; è quibus ea antecedunt, quæ ad probandum valent; ſequuntur autem, quæ ad amplificandum adhibentur. Priora quoque ſunt illa, à quibus alia oriuntur ac dependent: quomodo voluntas præcedit poteſtatem, quia hæc à voluntate quaſi excitatur.

Sed & argumentorum ordo variat, tum pro ratione rerum, quæ probantur; tum pro firmitate aut imbecillitate in probando.

Ratione rerum ordo vel artificialis eſt; qui genera rerum ſpectat; vel naturalis, in quo temporis habetur ratio. Id perſpicuè ſatis de criminatione docet Julius Severianus: *Nos primùm æſtimamus actorem quaſi membra quædam facere debere; ut ſepares, quæ ad libidinem, quæ ad avaritiam, quæ ad crudelitatem, aliudve, quod ad noxæ genus pertinet: aut ſi non genera criminum, tempora tamen diſcernas prima; utputa, quæ ante militiam geſta ſunt, quæ in militiâ, quæ poſt militiam.* Ita hunc locum emendo; cùm in Plantinianâ Fruterii, & Pariſienſi Pythœi, pro *aut* legatur *ut*: quaſi tantùm unicus ſit ordo, ejuſque poſtrema verba ſint exemplum: quod profectò eſt oppoſitum ſtatuere in appoſito, ut vulgò loquuntur.

Deinde variat argumentorum ſeries pro eorum firmitate, aut infirmitate. Nam imbecillia in mediâ ſunt congerenda oratione; quemadmodum (ut Homerus* etiam & rei militaris ſcriptores † jubent) bonus imperator infirmiorem armaturam in mediâ conſtituit acie. At firmiora collocanda ſunt in principio, item in poſtprincipiis, ad impellendum. Quod conſilium etiam adverſarii Appuleji ſequebantur; cùm, in accuſando eum ob verſus amatorios, maximè laſcivis extremum darent locum. Unde de iis ſic ipſe in Apologia ſua: *Recitem nunc & alios; quos illi, quaſi intemperantiſſimos, poſtremùm legêre.*

* *Iliad* δ. † *Veget. lib.* 3. *cap.* 26.

Neque tamen accumulanda argumenta alia ſuper alia, quia ſic ſe mutuò elidant: ſed interſerenda, quæ ad ornatum faciunt; quod ipſum quoque eleganter docet Dionyſius Halicarnaſſenſis, quo loco * præcipit περὶ τ͂ ἐμμελοῦς τῆς ἀτεχνίας †.

* Ἐν τέχνῃ. † *Quo pacto violetur meditationis artificium.*

Quod ſi duobus ſolùm argumentis cauſſa noſtra nitatur: ordiemur à fortiori, munitiorique: inde imbecillius conſtituemus: tum ad validius vividiuſque recurremus.

III. Nec quibusvis, nec ubivis, utendum eſſe argumentis; ſed eſſe, ubi ſententiæ præſtent.

ARgumenta autem futilia, aut vitioſa, rejicienda ſunt, ne magis numerare ea videamur, quàm expendere. Periculoſum quoque eſt uti argumentis, quæ facilè invertat adverſarius, & contra nos torqueat. De utroque ita Dionyſius Halicarnaſſ. ‡. Εἰσὶ δὲ κακίαι λόγων ῥητορικῶν, τό τε εὐδιάλυτα λέγειν, καὶ τὸ ἀντιστρέφειν· ὧν τὸ μὲν ἀσθενείας, τὸ δὲ καὶ κινδύνου· *Sunt verò ſermonis oratorii vitia, dicere ſolutu facilia, & quæ facilè invertantur: illud quidem imbecillitatis eſt, hoc verò periculum adfert.*

‡ Ἐν τέχνῃ.

Neque omnia argumentis ſunt probanda; ut illi faciunt, qui ſyllogiſmo concludunt notiora ipſis argumentis: ſed ea ſolùm, quæ in dubium vocari poſſunt. Rectè Æſchines contra Timarchum: Περὶ μὲν γὰρ τῶν ἀγνοουμένων, σαφεῖς ἴσως προσήκει τὰς ἀποδείξεις ποιεῖσθαι τὸν κατήγορον. περὶ δὲ τῶν ὁμολογουμένων οὐ λίαν ἔγωγε μέγα ἔργον νομίζω τὸ κατηγορεῖν. ἀναμνῆσαι γὰρ μόνον προσήκει τοὺς ἀκούοντας. *Nam fortaſſe convenit accuſatori, ut res ignotas perſpicuè probet. At in iis, quæ in confeſſo ſunt, haut magni operis puto, accuſare. Nam ſolùm opus eſt refricare memoriam auditoris.* Quinctiliani quoque eſt lib. v. cap. xii: *In rebus apertis argumentari tam ſit ſtultum, quàm in clariſſimum ſolem mortale lumen inferre.*

Etiam, ſi affectus moveamus, ſatius fuerit argumenta omittere, quàm ea orationi inſerere: quia *Haut bene conveniunt, nec in unâ ſede morantur*, enthymema, & affectus. Quippe ſi πάθος animo inſedit, haut penetrat vis argumenti, cujus jactura fit: ſin argumentum percipitur, expellitur πάθος: aut ſi utrumque agnoſcitur, alterum alterius vim infringit.

Neque in oratione moratâ enthymemata locum habent, quia demonſtratio nec mores, nec προαίρεσιν * habet: verùm loco argumentorum expedit uſurpare γνώμας † Ita, ſi pecuniâ, quam alteri commiſeras, fueris fraudatus: rectè dicas te eam alteri crediſſe, quamvis haut neſcires, nuſquam eſſe tutam fidem.

* *Prælectionem.* † *Sententias.*

Itidem utimur ſententiis, cùm affectus movemus.

Maximè autem, cùm manipularibus potiùs, quàm amentatis haſtis utimur, γνώμαις opus eſt; ut hoc velut amento præligatæ haſtæ, i. argumenta, certiùs librentur. Attamen id fiat occultè, ut & in univerſâ oratione. Nam, ut dici ſolet, caput artis, artem premere: neque, ut inquit Halicarnaſſenſis*, quicquam magis veriſimilem facit auditoribus orationem, quàm ἡ τ͂ ἁπλότητος προσποίησις, ſive πρόσχημα, h. e. *affectatio*, ſeu *prætextus ſimplicitatis*. Itaque ridiculi ſunt, qui quaſi eloquentiæ vela pandunt. Nam exiſtimant judices, oratorem ψηφοπαικτεῖν δίκαιον ‡, ut Lyſiam locutum, ſcribit Julius Pollux: eoque ſibi cavent velut ab οἴνοις μεμιγμένοις †, quemadmodum ſcitè inquit Ariſtoteles.

* Ἐν τέχνῃ. ‡ *Subtiliter jus pervertere, inſtar præſtigiatorum, acetabulis, & calculis, decipientium.* † *Vinis mixtis.*

Utile quoque inventum illud Demoſthenis, ut, etſi de firmamento cauſſæ noſtræ fuerit controverſia, afferatur tamen quaſi ad judicationem pertineat: at firmamentum, quod adfert adverſarius, eludatur ac rejiciatur, quaſi parum ad rem faciat. Vide hac de re Hermogenem περὶ μεθόδου δεινότητος.

Et hæc de argumentis, quæ Confirmationis materiam feceramus.

IV. Probationem eſſe amplificatione priorem: item, quot partes ſint ſyllogiſmi rhetorici, et quo ordine hæ in oratione collocentur.

FOrma confirmationis eſt argumentatio. Differunt autem argumentationes ab argumentis, quòd argumentatio contineat tum argumentum ſive rationem, tum id, quod ex ratione conſequitur.

Eſtque argumentatio duplex. Nam vel docendi cauſsâ fit, ac propriè argumentatio dicitur; vel fit ad commovendum, atque amplificatio nuncupatur. Utra harum præcedat, oſtendit Theon in Progymnaſmatis*: Προτέρα μὲν ἐν τῇ φύσει καὶ τῇ χρείᾳ ὁ ἀποδεικτικὸς λόγος, ὕστερος δὲ ὁ αὐξητικός. πρῶτον γὰρ δεῖ τινα ὡς προδότην ἐλέγξαι, εἶθ' ὡς ἐπὶ μεγάλῳ ἀδικήματι τῇ προδοσίᾳ τοὺς ἀκούοντας παροξῦναι. *Ac prior quidem tum naturâ, tum uſu, eſt probatio; poſterior verò eſt amplificatio. Nam priùs oportet aliquem convincere proditionis, ac deinde exaſperare auditores contra tantum proditionis crimen.*

* *Cap.* 1.

Primaria argumentationis propriè dictæ ſpecies eſt, quæ voce Arithmeticorum συλλογισμὸς dicitur: quia ut, cùm putamus rationes, primò æra ſingula notamus, inde ſummam ſubducimus: ſic argumentatio hæc è duobus pronunciatis colligit tertium. Atque iſtud quidem ex Logicis, & aliunde, notum eſt. Illud magis hujus eſt loci, quòd, ex Ciceronis † ſententiâ, Orator ſyllogiſmum etiam quadripartitur, (ut cum Victorino ‡ ita loquar) interdum etiam in quinque pronunciata dividit; cùm nempe adjungitur & majoris & minoris probatio; ac tum nonnullis dicitur ἐπιχείρημα. Id certè voluit quoque Iſidorus, cùm lib. 11. Originum cap. 1x. ait, epichirema à dialectico ſyllogiſmo ſolùm diſtare latitudine & productione ſermonis. Vulgò *epicherema* ſcribunt per ſecundam in tertia vocalem:

† *Lib.* 1. *de Invent.* ‡ *In* 1. *Cic. lib. de Inv.*

lem: nec aliter Iſidori codd. mei MSSI. Sed perperam: quod, quamcunque minutum ſit, tamen nec monere piguit Cæſarem Scaligerum in præclaro de re Poëtica opere*.

* Lib. 3. cap. 71.

At idem Iſidorus ſecum pugnat, cùm tres facit epichirematis modos: ac tripartitum epichirema vocat, quod conſtat propoſitione, aſſumtione, & concluſione: quadripartitum, cùm adjungitur alterutrius propoſitionis probatio: quinquepartitum, cùm utriuſque propoſitionis probatio adjicitur. Nam tripartitum epichirema non eſt latius ſyllogiſmo Dialectico; ſed ſimplex eſt ſyllogiſmus, cùm non adjungatur probatio. Nonnullis tamen dialecticus quoque ſyllogiſmus epichirema appellatur; ut cognoſcimus ex Alexandro in VIII. Top. Complurium ſuper hac voce ſententias, vide apud Fabium lib. v. cap. x.

Præterea ſæpe partes ſyllogiſmi tranſponuntur: quin etiam inverſo ordine collocantur. Exempli loco eſt illa Tullii argumentatio pro Cælio: *In Cælio nulla eſt luxuries. Siquidem deditus eſt optimarum artium ſtudiis: in cujuſmodi hominibus nulla reperiri luxuries ſolet.* Syllogiſmus eſt, ſi partes omnes inverſo ordine relegamus: In iis, qui dediti ſunt optimarum artium ſtudiis, nulla reperiri luxuries ſolet. Cælius deditus eſt optimarum artium ſtudiis. Ergo in Cælio nulla eſt luxuries. Idem factum in exordio orationis pro Archiâ, & alias ſæpe. Ac ſimiliter in Platone multis locis reperiuntur ſyllogiſmi, repudiato converſoque eo ordine, qui in docendo traditur; ut & monuit Agellius lib. II. cap. VIII.

Quin haut temerè ſyllogiſmos invenire eſt, in quibus logicus ſervetur ordo. Factum id in illo Perſii ſat. v:

An quiſquam eſt alius liber, niſi, ducere vitam
Cui licet ut voluit? licet, ut volo, vivere: non ſim
Liberior Bruto?

Qui profectò integer eſt ſyllogiſmus; ac ordinem planè eum ſervat, qui tradi ſolet à technicis; prout Auguſtinus & Fortunatianus eos vocant, qui Donato, Servio, & Iſidoro, *artigraphi* appellantur. Imò apud eundem Perſium inibi, Logicorum propemodum modo, reſponſio additur; ac tantùm non dicitur, negandum eſſe paraſyllogiſmi illius minorem propoſitionem. Subjicit enim hæc:

—— Mendosè colligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hoc (reliquum accipio) LICET ILLUD, *&* UT VOLO *tolle.*

Verùm nihil hoc ad oratores, cùm Perſio propoſitum fuerit adumbrare Stoicorum diſceptationes.

V. De enthymemate tripartito, et eo, quod presse enthymema dicitur.

DE ſyllogiſmo ſatis: venio ad cæteras argumentandi formas. Ex his enthymema tantùm conſtat duobus ſyllogiſmi pronunciatis, quia præterit alteram propoſitionum; unde curtum vocatur. Juvenal. ſat. VI:

—— Aut curtum ſermone rotato
Torqueat enthymema.

Ariſtoteli ob eandem cauſſam dicitur μονολήμματος ſυλλογισμός*. Nam ſyllogiſmus habet duas προτάσεις † ſive λήμματα (utroque enim modo Ariſtoteles appellat:) at ἐνθύμημα δὲ ἐκ μιᾶς προτάσεως γίνεται ‡, ſive ea ſit ἡ μείζων πρότασις*, quæ & ἁπλῶς πρότασις, ἢ λῆμμα, vocatur: ſive ea ſit ἡ ἐλάττων πρότασις †, quæ & πρόσληψις, & προσλαμβανόμενον nominatur.

* Syllogiſmus unam tantum propoſitionem habens.
† Propoſitiones.
‡ Enthymema unica fit propoſitione.
* Propoſitio major.
† Propoſitio minor.

Victorinus ‡, & ex eo Iſidorus lib. II. Originum*, tradunt, enthymema quoque conſtare poſſe utraque propoſitione, concluſione ipſa omiſſâ. E. G. Si inimicus eſt, occidit: inimicus autem eſt. Verùm cùm hoc pacto argumentantur oratores, cum aliâ ratione anteceſſit concluſio: eoque non planè præteritur, cùm ἀπὸ κοινοῦ repeti debeat.

‡ In I. Cic. de Invent.
* Cap. 9.

Quemadmodum autem in ſyllogiſmo, ita etiam in enthymemate, crebrò præcedet concluſio. Quæ res ſatis eſt manifeſta ex iis, quæ de ſyllogiſmo diximus.

Docent præterea Rhetores, enthymema interdum tot habere partes, quot perfectus ſyllogiſmus; puta quum antecedentis additur probatio; quæ ſi in ſyllogyſmo pro parte habetur, hic quoque pars erit. Verum, ſi rem ad vivum reſecemus, nullus eſt quadripartitus, vel quinquepartitus ſyllogiſmus; quia, probationibus admiſſis, plures fiunt ſyllogiſmi; ac pars quidem ſyllogiſmi probata, ſive major, ſive minor, fit concluſio; probatio verò eſt argumentum, ſive medium. Quare nec enthymema pluribus, quàm duobus, conſtabit pronunciatis: verùm ratio annexa novum conſtituet enthymema. Ne quem verò moveat, quòd Tullius primo de Inventione ſcribat, Ariſtotelem ipſum, ac Theophraſtum, quique ab his profecti, quadripartitam ac quinquepartitam ſtatuere argumentationem; cùm, id quàm verum ſit, neminem lateat, qui non planè ſit peregrinus in Ariſtotele, ac Peripateticâ philoſophiâ.

Eſt præter hanc altera quoque enthymematis apud Rhetores ſignificatio. Nam & nomine eo κατ' ἐξοχὴν intelligunt, quod ex contrariis fit, atque ab Ariſtotele ἐνθύμημα ἐλεγκτικὸν appellatur. Cicero in Topicis: *Ex hoc illa Rhetorum ſunt ex contrariis concluſa, quæ ipſi enthymemata appellant: non quòd non omnis ſententia proprio nomine enthymema dicatur; ſed, ut Homerus, propter excellentiam, commune poëtarum nomen efficit apud Græcos ſuum; ſic, cùm omnis ſententia enthymema dicatur, quia videtur ea, quæ ex contrariis conficiatur, acutiſſima, ſola propriè nomen commune poſſidet.* Quinctilianus lib. v. cap. XIV: *Ex pugnantibus verò, quod etiam ſolum enthymema quidam vocant, fortior multo probatio eſt. Tale eſt illud Ciceronis pro Milone: Ejus igitur mortis ſedetis ultores, cujus vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolletis?*

VI. De inductione, et exemplo.

ET hæc de ſyllogiſmo, atque enthymemate: quorum utrumque ſe habet, vel ut totum ad totum; ut cùm ex univerſali adſtruitur univerſale: vel ut totum ad partem; ut cùm ex univerſali probatur ſingulare. Sequuntur inductio, & exemplum; quorum illud ſe habet ut partes ad totum, hoc ut pars ad partem.

De inductione obſervandum, quamvis exquiſita illa Logicorum inductio neceſſariò omnes enumeret partes, aut, compluribus enumeratis, ſubjiciat, parem eſſe cæterorum rationem: oratores tamen ſæpe contentos eſſe enumeratione præcipuarum partium, aut illuſtrium aliquot individuorum; quia ex iis, quæ enumerat, tacitè intelligi velit, haut ſecus rem ſeſe habere in cæteris. Ita Tullius in Milonianâ, ut oſtendat, cives ſceleratos non injuriâ interfici, utitur inductione inſignium aliquot individuorum & unius, ut vocant, collectivi. Ait enim: *Neque enim poſſet aut Hala ille Servilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me conſule Senatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos cives interfici nefas eſſet.* Quo ex loco etiam Laurentii Vallæ * error liquet, exiſtimantis, inductionem ſemper inſtitui per interrogationem. Geminum huic exemplum, ac in quo itidem non omnia, ſed aliquammulta adferantur ſingularia, primò de Inventione adfert Tullius ex Æſchine Socratico. Eſt is, non, uti exiſtimarunt multi, orator ille nobilis, Demoſthenis adverſarius: Quippe qui Socratem non audierit, ut in vitâ ejus monet quoque Apollonius: verùm alius, qui à Socrate nunquam diſcedebat, ac cujus vitam apud Diogenem Laërtienſem legere eſt. Is verò in dialogis ſuis Socratem (*nam hic erat mos diſcipulis, ut ingenio proprio reperta ad magiſtros referrent*, quemadmodum monet Mar. Victorinus) Socratem, inquam, inducit is narrantem, ut Aſpaſia Mileſia rerum complurium inductione comprobârit, uxorem Xenophontis malle alium maritum ſuo meliorem, quàm ſuum: atque itidem variarum rerum inductione uſa, evicerit, Xenophontem malle uxorem alienam ſuâ meliorem, quàm ſuam. Eſt-

* In Dialecticis.

que

[* Lib. 5. cap. 2.] [† In apophthegmatis.] que Aſpaſia hæc, non Xenophontis uxor, quod Fabius * ſenſit; quique eum ſecutus Bruſonius †: ſed ſophiſtria, quæ Rhetoricen docuit, & Periclem amavit; cumque eidem nupſiſſet, Samii ac Peloponneſiaci belli auctor fuit; ut monet Plutarchus in Pericle. Meminit ejus quoque Lucianus in Somnio, ſive Gallo. Utramque hanc, quam dixi, inductionem apud ipſum Tullium tu vide. Nam cùm liber ille in omnium verſetur manibus; imò locus integer à multis jam in elementales libellos ſit tranſcriptus: nihil, puto, hæc, quæ recocta crambe foret, toties lectori reponere attinet.

[‡ Cap. 2. ſect. 3.] Exemplum nihil aliud eſt, quàm inductio imperfecta: ut diximus lib. primo ‡. Eſtque nomen id ſatis accommodatum, ſive ita dicatur, quia unum aliquid è multis ad probandum *eximat:* ſive quia id *ex ampla* facit materia: ſive quia ejus eſt, aliquid ἐξαπλοῦν, h. e. *explicare.*

Quamvis autem firmiùs concludant enthymemata, quàm exempla; plus tamen poſſunt exempla apud imperitam multitudinem. Idem ſenſit Macrobius lib. VII. Saturn. cap. IV: *Plebeja*, inquit, *ingenia magis exemplis, quàm ratione, capiuntur.* Cauſſam cognoſces ex Ariſtotelis problematis *. Hinc illa Oratorum apud eundem † diviſio, ut ſint οἱ μὲν παραδειγματώδεις, οἱ δ᾽ ἐνθυμηματικοί ‡. Exemplis verò gaudenti obducere alius poſſit, quòd Cæſar Juſtinianus * ait, *Non exemplis, ſed legibus, judicandum.*

[* Sect. 18. quæſt. 3.] [† Lib. 1. Rhetor. cap. 2. vulgata diſtinct. aliis autem cap. 10.] [‡ Alii, qui gaudeant exemplis, alii qui enthymematis.] [* Lib. 7. Codicis Tit. 45. qui eſt de ſententiis & interlocutionibus omnium judicum, leg. Nemo Judex.]

VII. De Amplificatione.

ET hæc de argumentatione, quæ docendi gratiâ inſtituitur. Altera, quâ ad ciendos utimur affectus, amplificatio nominatur. Quæ duplex eſt: una in augendâ oratione, altera in re exaggerandâ conſiſtit. Prioris varii ſunt modi. Princeps earum eſt tranſlatio hypotheſios ad theſin. Quæ ſi non proponatur nudè, ut fit in epiphonematis, aliiſque ſententiis generalibus; ſed fusè tractetur: digreſſio dicitur in locum communem. Laxiùs enim theſios & loci nominibus utimur, quàm factum à Theone in Progymnaſmatis: ubi duo hæc, cùm aliis modis diſtinguit, tum eo inprimis, quòd theſis habeat amplificationem rei controverſæ; locus verò rei confeſſæ. Unde locus ab eodem definitur, oratio factum augens, de quo conſtat, ſive delictum ſit, ſive præclarum facinus.

Vulgò tres ſtatuunt modos amplificandæ orationis, διαμερισμὸν, ſeu diviſionem, σύγκρισιν, ſive comparationem, & ἀντίθεσιν, ſeu oppoſitionem. Sed ſunt iſti quidem ex præcipuis: attamen longe plures eſſe, oſtendimus lib. II. cap. ult. ſect. ult.

[† Lib. 8. cap 4.] Exaggeratur oratio, juxta Quinctilianum †, quadrifariam:

[‡ Cic. Verr. 7.] I. Incremento. ut; *Facinus ‡ eſt vinciri civem Romanum, ſcelus verberari, propè parricidium necari; quid dicam in crucem tolli!*

[* Catil. 1.] II. Comparatione. ut *; *P. Scipio, Pontifex maximus, T. Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reipub. privatus interfecit: Catilinam, orbem terræ cæde, atque incendiis, vaſtare cupientem, nos conſules perferemus?*

[† Philipp. 2.] III. Ratiocinatione de quantitate rei. ut; *Tu † iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſtâ gladiatoriâ totius corporis firmitate, &c.* Mirum enim quantum vini ab eo in nuptiis Hippiæ exhauſtum eſſe, tacitè colligimus, cùm audimus, illum tantum bibiſſe, ut iſtâ gladiatoriâ corporis firmitate vinum omne ferre & concoquere non potuerit.

IV. Congerie. ut pro Ligario; *Quid enim tuus ille, Tubero, deſtrictus in acie Pharſalicâ gladius agebat? cujus latus mucro ille petebat? quis ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?*

Sed aliis etiam modis exaggerari orationem, indicio erunt, quæ in ſchematologia dicemus; ubi propriè erit hâc de re agendi locus.

Tota autem amplificandi doctrina, tum ea, quâ oratio augetur, tum quâ res exaggerantur, deridicula videbatur Lacedæmoniis; ut qui ſola gauderent brevitate. Itaque Ageſilaus, Lacedæmoniorum rex, nonnullis oratorem commendantibus, quòd res exiguas mirificè verbis extolleret: At ego, inquit *, peſſimum eum ſutorem arbitror, qui parvis pedibus magnos inducat calceos. Quo nihil dici potuit magis adverſans Iſocrati, qui Rhetorices eſſe ajebat, ex parvis facere magna, ex magnis parva. Profectò malè ſatis de arte ſuâ meritus eſt ſummus rhetor, cùm eam ſic deſcripſit. Talis quidem erat illa Sophiſtarum, quæ orationis præſtigiis judicium corrumpebat. Genuina verò Rhetorice in eo tota eſt, ut morbo eorum occurrat, quibus, ut fieri amat, res major minorve apparet, quàm fuerit. Vix enim fieri poſſit, quin, ſi aliquid ſemel tantummodo, & breviſſimè dicatur, facilè aures prætervolet, vel auditum etiam non intelligatur: quod ipſum tamen, ſi iteretur, fuſiuſque diducatur, lucem accipiat, & penitiſſimè animo, affectui, ac memoriæ inſideat. Interim, non tantùm in rebus exaggerandis; ſed etiam in oratione augendâ, modus teneri debet. Modus autem dicendi eſſe debet, non qui dicit, ſed cui dicitur. Quod ignorant illi, qui nequid eorum, quæ ſciunt, indictum maneat, tempus perire malunt audientibus, quàm particulam orationis ſuæ: parum gnari, ſic ſe etiam perdere gratiam eorum, quæ bene dixerant. Et hæc de Confirmatione.

[* Plut. in Lacon.]

VIII. De Confutationis vocabulo.

COnfutationis nomen quidam deducunt à confundendo. Volunt enim, eo modo venire à *confuſum*, quo à *mulſum* eſt *multare*. Verùm multimodis falluntur. Nam, ut è vett. conſtat codd., aliud eſt *multare*, aliud *mulcare*. *Multare* eſt pœnam pecuniariam alicui irrogare: à *multa*, quod non Latinum, ſed Oſcum, ſive Sabinum eſſe vocabulum, prodidit Varro in undevigeſimo antiquitatum humanarum. Eo ſignificatur *pecunia, quæ à magiſtratu dicta, ut exigi poſſit ob peccatum:* ut idem ait lib. IV. de L. L. At *mulcare* eſt probè aliquem verberibus mollire: unde & *Mulciber* dictus, quòd mulcet, hoc eſt, molliat ferrum. Ac venit, non à ſupino *mulſum*, ſed præſenti *mulceo:* quomodo à *dulceo*, unde *dulceſco*, eſt *dulcare*, & *edulcare:* illud ſemel iterumque uſurpavit Sidonius Apollinaris: hoc utitur Cn. Mattius apud Agellium libro quinctodecimo cap. vigeſimoquincto, & Non. Marcellum in *Edulcare:*

Quapropter edulcare convenit vitam,
Curaſque acerbas ſenſibus gubernare.

Ac quemadmodum in *multandi*, ita in *confutandi* quoque falluntur vocabulo. Quippe *confuto* non à confundendo eſt, ſed omnino à re coquinariâ originem trahit. Nam ſolent aquam ferventium ollarum futo compeſcere, quod iccirco vocabant *futare, refutare, confutare.* Varro lib. IV. de L. L. *Vas aquarium vocant futum, quo in triclinium allatam aquam infundebant.* Titinius, vetus Poëta Comicus, in Setinâ †.

Sapientiâ gubernator torquet navem, haut valentiâ.
Coquus magnum ahenum, quando fervit, paullâ confutat truâ.

[† Apud Nonium in Trua, & Confuto.]

Sententia eſt, ſapientiam res omnes moderari, atque efficere, ut, quæ modum excedunt, in ſe redeant; quomodo aqua, quæ efferveſcendo veluti inſanit, ſimulac paullâ refutaveris truâ, quaſi in ſe redit. Nec incommodè transfertur ad argumenta, quibus occurritur. Nam ut frangitur aquæ fervor, uſu futi, quo, Varrone teſte, frigida infunditur: ita, quamcunque animo ferveat adverſarius, ubi in contrarium pauca effudimus, frigida & invalida videntur quæ dixerat. Nempe propemodum ſimilis tralatio eſt, ac in *diluendi* verbo: quòd à vino diluto petitum eſt. Et hæc de voce. Rem videamus.

IX. De diverſis confutandi modis.

IN confutatione nihil ferè impugnatum relinquendum eſt. Varii autem ſunt modi diluendi; de quibus Cicero lib. I. de Inventione, autor ad Herennium lib. II. Quinctil. lib. V. cap. XIII. Præcipui verò ſunt duo illi, quos Ariſtoteles commemorat. Nam vel objiciendo aliquid contra argumentum adverſarii, argumenti invalentiam, aut adverſarii imbelliam (ut cum Agellio loquar) oſtendimus: vel adverſarii concluſionem contrariâ ſyllogiſmi noſtri concluſione loco quaſi labefaciamus, ac de gradu dejicimus: illud Ariſtoteles *ἔνστασιν*, hoc *ἀντισυλλογισμὸν* vocat.

Fit *ἔνστασις* bifariam: vel id, quod ad probandum adfertur, inficiamur; vel, quod vult adverſarius, ex eo conſequi negamus. Utrumque modum ſignat Jul. Severianus: *Propoſito eo, quod adverſarius dixerit, reſpondebimus duobus modis: aut non eſſe id, aut non ideo nos vinci debere.* Ita is locus eſt emendandus: ubi non in Plantinianâ ſolùm Fruterii, ſed & Pariſienſi Pithœi, planè contrario ſenſu legitur, *aut cum eſſe id.*

Potentiſſima autem eſt illa ſolvendi ratio, quæ fit *τὸ βίαιον*, ſive *per inverſionem*, quæ & violatio appellatur. Ut, Occidiſti, quia adſtitiſti interfecto. Imò eo non occidi, quia, ſi cædem commiſiſſem, conjeciſſem me in fugam. Simile eſt, Non eſt ducenda uxor, quoniam matrimonio adſtrictus præciditur laſciviæ & vagi amoris licentia. Imò è contrario ducenda eſt uxor, ut impudici amores vitentur, ac pudicitia ſervetur. Itidem, Non ducenda uxor, ne, ſi liberos amittamus, incidamus in orbitatem, & luctum. Quin propterea ducenda eſt uxor, ut orbitatem vitemus, propagando genus humanum.

X. Quo ordine refutanda ſint adverſarii argumenta.

IN adducendis adverſariorum argumentis non uniuſmodi ſemper ſervatur ordo: eaque ratio eſt, cur diverſimodè hac de re præcipiant Rhetores. Nonnulli jubent, quæ leviora videntur, priùs diluere, quo, cognitâ eorum invalentiâ, fidem magis inveniamus, cùm difficiliora refellimus. Nec negari poteſt, oratores interdum hanc rationem inire: atque ita, poſtquam in levioribus fidem ademerunt adverſario, faciliùs ſeſe inſinuare in animos auditorum. Nec diſſimile eſt, quòd, cùm Plato in ſuis de Rep. libris priùs ſuaſiſſet communionem bonorum, quæ minùs eſt abſurda; deinde autem docuiſſet uxorum ac liberorum *κοινωνίαν* *, quæ minùs eſt probabilis: Ariſtoteles contrà, neque id minori prudentiâ, in ſecundo Politicorum, priùs oppugnet communionem uxorum, ut planè *ἄτοπον* †; poſtea verò bonorum communionem refellat.

* Communionem.

† Abſurdam.

Martianus tamen Capella ‡ jubet initium capere à majoribus, atque iis, quæ magis gravant. Et certè facit hoc Cicero in Cluentianâ, atque alibi non rarò. Quare, quemadmodum rationes noſtræ validiſſimæ in primori ſtatuendæ ſunt acie: ita & expedit interdum, firmiſſima adverſarii argumenta primo adferre loco, ut, ubi ea diluerimus, cætera delicias ac ludos faciamus. Quando verò alterutrum antiſtet, id prudentiæ eſt diſpicere.

‡ Lib. 5. cap. de diſpoſit.

Vidimus de ordine argumentorum, quæ diluuntur. At è rationibus, quibus argumenta iſthæc refellimus, ea, quæ maximè ad refutandum valent, poſteriori loco conſtituemus, quia creſcere, non decreſcere, debet oratio.

XI. Quæ argumenta ſingulatim, quæ conjunctim refutentur: quomodo argumenta adverſarii ſint proponenda: et quomodo ea debeamus dicere, quæ non libenter audiuntur.

VIdendum quoque, ad quæ argumenta ſingulatim reſpondendum ſit, & quæ conjunctim ſint tractanda. Nam quoties adverſarium volſellis potiùs pugnat, quàm gladiis; illa argumenta levia ſimul poterunt dilui. Simul quoque repudianda ſunt, ſi tam fuerint gravia, ut ſingulis immorari cauſſæ non conducat: aut gravi argumento aliud grave opponendum, quod Ariſtoteli *ἔνστασιν* eſſe dicebamus: Latini videntur id Thuſcum appellaſſe jurgium. Auguſtinus contra Academicos lib. III. cap. IV. *Hoc eſt, inquam, Thuſcum illud jurgium, quod dici ſolet, cùm quæſtioni intentatæ non ejus ſolutio, ſed alterius objectio, videtur mederi, &c.* At quæ ab adverſario conjuncta ſunt, ut, cùm per ſe nihil poſſint, turbâ poſſint, hæc nos ſingula adoriri expedit, ut eorum futiles inanias videant & rideant auditores.

Præterea aliter ab accuſatore firmiſſima defenſoris argumenta adducuntur, aliter infirma, aliter media. Firma ejus argumenta proponit, quaſi cognoverit, audiveritque, illum ita loqui. Infirma, quaſi ſciat, eum ſic dicturum eſſe. Media, quaſi opinetur: quod conjecturæ eſt. Hermogenem vide *περὶ μεθόδου δεινότητος*. Sed, præter hos tres modos, eſt & quartus, Ciceroni familiaris: qui dicere ſolet, *Roget aliquis*, *Dicat fortaſſe aliquis.* Atque is modus in argumentis mediis maximè conducit, ob dubitationem: unde & *fortaſſe* addit.

Illud quoque haut prætereundum: quia interdum fit, ut orator de ſe id debeat dicere, quod invidiam creat, aut tædium prolixitate afferat, aut quacunque aliâ ratione moleſtiam parit: itemque ut de alio quid loqui neceſſe habeat, quod aut convicium, aut agreſtis eſſe animi indicium videatur: ſatius eſſe, ut alium ea loquentem inducat; quomodo & Iſocratem, & Archilochum feciſſe, obſervavit Ariſtoteles *. Vide etiam elegantem Plutarchi libellum, *Περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως* †.

* Lib. 3. Rhet. cap. 17. ad fin. verſ.

† Quomodo quis ſe laudare poſſit citra invidiam.

XII. De Jocis.

INterdum quoque, ac inprimis, cùm hilaritas benevolentiam conciliat, in dicta & jocos transfundi expedit. His mirum in modum indulſit Tullius. Ita orat. pro Quinctio, Sulpicium, & Catonem; pro Cluentio, Sext. Nævium; pro Sext. Roſcio, Erucium; pro Roſcio Comœdo, Fabricium; atque alibi item alios, contra quos dicit, facetè deridet. Pertinet huc Macrobii locus lib. II. Saturnal. cap. I. *Et jam primùm animadverto, duos, quos eloquentiſſimos antiqua ætas tulit, comicum Plautum & oratorem Tullium, eos ambos, etiam ad jocorum venuſtatem, cæteris præſtitiſſe.* Et mox: *Cicero quantum eâ in re valuerit, quis ignorat, qui vel liberti ejus libros, quos is de jocis patroni compoſuit, quos quidam ipſius putant eſſe, legere curavit?* Eorundem quoque librorum meminit Fabius lib. VI. cap. III. de riſu: *Utinamque, inquit, & libertus ejus Tiro, aut alius, quiſquis fuit qui tres hac de re libros edidit parciùs dictorum numero indulſiſſent, & plus judicii in eligendis, quàm in congerendis ſtudii, adhibuiſſent! minùs objectus calumniantibus foret: qui tamen nunc quoque, ut in omni ejus ingenio, faciliùs, quid rejici, quàm, quid adjici poſſit, invenient.*

At ſi quis naturâ à jocis abhorreat, videndum, ne uſu ei veniat id, quod contigit aſino Æſopico canem imitanti. Sanè Demoſthenem *ἀπίθανον ἐν γελοίῳ* ‡, jocandique facultate deſtitutum fuiſſe, à nonnullis memoriæ proditum eſt. Quamquam nec is tantopere, quàm exiſtimant quidam, hujuſce Veneris expers fuit: quâ de re vide Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. *περὶ τῆς Δημοσθένους δεινότητος*. Illud certè Demoſthenis non inficetum. Cùm ei objeciſſet Æſchines, quòd in dicendo manum contineret in ſinu; venuſto ejus ſermonem ſcommate excepit: *Non oportet*, inquiebat, *manum in ſinu habentem concionari; verùm manum in ſinu habentem legationem obire.* Auro enim corrumpi ſe paſſus erat Æſchines in legatione ſuâ ad Philippum. Autores hujuſce rei ſunt Demoſthenes in orat. *περὶ παραπρεσβείας*, Elias Cretenſis in ſteliteuticam primam Gregorii Nazianzeni, & B. Auguſtinus lib. II. adverſus

‡ Non accommodatus dicteriis.

Creſco-

Creſconium Grammaticum. Nec minùs ſcite, cùm Pytheas exprobrâſſet, quòd oratio ejus lucernam redoleret; *Scio*, inquiebat, *tibi moleſtiam creare ardentem lucernam.* Nam Pytheas furti ſuſpectus erat. Meminere hujuſce rei, (quamquam non eodem planè modo referant Demoſthenis reſponſum) Plutarchus, Libanius, Ælianus lib. VII. Var. Hiſt. cap. VII. & Stobæus ſerm. XXVI. Idem cùm Demades clâmaret, Δημοσθένης ἐμὲ βούλεται διορθοῦν, ἡ ὗς τὴν Ἀθηνᾶν*: reſpondit: Αὕτη μέν τοι πέρυσιν ἡ Ἀθηνᾶ μοιχεύουσα εἰλήφθη†. Alluſit autem ad Minervam virginem.

* *Demoſthenes me vult corrigere, ſus Minervam.*

† *Atqui Minerva hæc antehac in adulterio ſuit deprehenſa.*

In jocis utile eſt illud conſilium Gorgiæ, ut ſeria adverſarii dicta jocularibus, & jocularia ſeriis diſcutiamus. In ſeriis tamen non niſi maximo cum judicio jocis indulgendum. Neque enim de nihilo eſt illud Dionyſii Halicarnaſſ. in Iſocrate: Χαριεντισμὸς γὰρ πᾶς ἐν σπουδῇ καὶ καλῶς γενόμενος, ἄωρον πρᾶγμα, καὶ πολεμιώτατον ἐλέῳ. i. *Omnis enim jocoſa feſtivitas in re ſeriâ, intempeſtiva eſt, & valde repugnat commiſerationi.* Etiam in dictis ipſis delectu opus eſt. Quædam enim ridicularia & jocularia conveniunt ἐλευθέρῳ‡, quædam βωμολόχῳ*. Quare videndum, ne, dum conſectamur εὐτραπελίαν, ſive *urbanitatem*, affectamus σκώμματα φορτικὰ, & ſcurris & ſcurratoribus digna. Eſt verò urbanitas, ut Ariſtot. ait lib. II. Rhet. πεπαιδευμένη ὕβρις, i. ita moderata contumelia, ut haut nimis pungat. Contumelia autem eſt, quia & urbanitas aliquem dolorem inurit, licet leviter pungat. Hinc Cicero pro Cælio: *Maledictio* (intelligit, quod Græci σκῶμμα vocant) *nihil habet propoſiti præter contumeliam: quæ ſi petulantius jactatur, convicium; ſi facetius, urbanitas nominatur.* Qui parato eſſent ingenio ad facetias ac dicta, eos ab Atticis, preſſiùs eâ voce ſumtâ, εὐφυεῖς dictos fuiſſe, ex Euſtathio cognoſcimus. Imò & Heſychius eâdem de re: Εὐφυὴς, inquit, ὁ ἐξ ἑτοίμου λέγων, καὶ σκώπτων. Neque hâc in re falli Grammaticos, docet illud Iſocratis in Areopagitico: Καὶ τοὺς εὐτραπέλους τε, καὶ σκώπτειν δυναμένους, (οὓς νῦν εὐφυεῖς προσαγορεύουσιν) ἐκεῖνοι δυστυχεῖς ἐνόμιζον. Latinis *dictioſi* appellantur. Varro lib. V. de L. L. *Hinc appellatum dictum in mimo, ac dictioſus.* Quo loco, quamvis & alii dicta dicant, mimorum potiſſimùm meminit, quia hi per proſcenium currentes (falluntur, qui in humo ipſâ egiſſe, indeque *planipedes* dictos putant) obvios quoſque liberâ, & laſcivâ, quin ſcurrili etiam dicacitate, laceſſebant: unde & jocos mimicos damnat in Oratore Tullius. Plura de jocis vide apud Ariſtotelem lib. III. Rhetor. cap. XXII. & lib. IV. Ethic. Nicom. cap. XIV. Item Ciceronem lib. II. de Orat. Fabium lib. VI. cap. IV. Macrobium lib. II. Saturn. cap. II. ac denique Athenæum in XIV.

‡ *Libero homini.*

* *Scurræ, ſive ei, qui fama ventris cauſâ circuit, ut aptè Græcam vocem expreſſit Plautus Rudente act. 1. ſc. 2.*

‡ *Ac homines facetos, & ad irridendum faciles ac promtos, quos nunc εὐφυεῖς appellant, illi δυστυχεῖς calamitoſos vocabant.*

CAP. VI.

DE EPILOGO.

Peroratio eſt artificioſus orationis totius exitus.
Partes ejus ſunt duæ; enumeratio, & affectus.
Enumeratio præcipua repetit argumenta. Ea rarò adhibetur in demonſtrativo; ſæpius in deliberativo; uſitatiſſima eſt in juridiciali; in quo ipſo frequentiùs hâc utitur accuſator, quàm reus. Cumprimis autem uſurpat, cùm auditorum memoria periclitatur ob orationis longitudinem, vel cùm argumenta conglobata pondus ſunt additura orationi.
Affectus hoc loco vehementiores eſſe convenit.
Virtutes epilogi duæ ſunt; brevitas, & acrimonia.

I. DE EPILOGI VOCE, AC DEFINITIONE.

DEvenimus ad poſtremam orationis partem, quam Græci appoſitè vocant ἐπίλογον: quia ἐπιλέγειν iis eſt aliquid expoſitis addere, fuſiuſque omnibus commemoratis, illa breviter complecti. Nempe ἐπίλογος dicitur, ut ἐπίμετρον, ἐπίκυκλος, ἐπῳδὸς, & ſimilia. Ex Hermogenis libro περὶ μεθόδου δεινότητος diſcere eſt, partem hanc etiam vocitatam eſſe ἐπάνοδον, quia, qui refert capita, de quibus ſe acturum promiſerat, is ad principium revertitur. Nec defuere, qui nuncuparent ἐπιφώνημα, quòd exiſtimarent, eam habere ſe haut aliter atque tragemata in conviviis. Sed horum opinionem meritò refutat Dionyſius Halicarn. ἐν τέχνῃ, quo loco præcipit περὶ τῆς ἐν μελέταις ἀτεχνίας*. Latini appellant *perorationem*: quomodo Tullius lib. IV. Tuſcul. Quæſt. ait: *Et quoniam multa dixi, eſt mihi perorandum.* Item pro Quinctio: *Mihi perdifficile eſſe, contra tales oratores, non modò tantam cauſſam perorare, ſed omnino verbum facere ullum.* Quamquam hic *perorandi* voce de totâ oratione utatur. Uti & facit Appulejus in Apologiâ, cùm, irridens privignum, ait: *Qui potuit perorare, poterit exorare.* Quidam hanc partem etiam, ut Fabius† monet, *cumulum*, & *concluſionem*, vocant.

* *Quomodo violetur meditationis artificium.*

† *Lib. 6. cap. 1.*

Definitur epilogus ab Aphthonii ſcholiaſte‡, λόγος* ἐπὶ τεθεωρημέναις τῶν ἀποδείξεων ἐπαγόμενος, ἀθροισμὸν πραγμάτων, καὶ ἠθῶν, καὶ παθῶν, περιέχων. Nempe epilogi eſt, artificioſè univerſam claudere orationem. Univerſam dico, quia, ut ſcripſit Martianus Capella, non ſolùm totam orationem peroratione terminamus; ſed eâ quoque utimur in exordio, & narratione, aliiſque orationis membris, antequam ad partem aliam tranſeamus.

‡ *In prolegomenis.*

* *Oratio probationibus antè dictis ſuperaddita, congeriem rerum, morum, & affectuum exhibens.*

II. DE EPILOGI OFFICIIS, AC INPRIMIS DE ENUMERATIONE POTISSIMORUM CAPITUM.

EPilogorum apud Ariſtotelem † quatuor recenſentur officia.

† *Lib. 3. Rhet. cap. ult.*

Primum eſt, conciliare ſibi auditorem, & avertere ejus animum ab adverſario.

Alterum eſt, amplificare, vel extenuare.

Tertium, impellere animum ad affectum.

Quartum, renovare memoriam brevi repetitione.

Præcipua autem munera ſunt duo poſtrema; puta ἀνακεφαλαίωσις, (quæ Ariſtoteli ἀνάμνησις) & παθοποιία. Quid ſit ἀνακεφαλαίωσις, tum Quintilianus indicat, qui de peroratione agens ἀνακεφαλαιοῦν vertit *decurrere per capita*; tum Laur. Valla, qui ἀνακεφαλαίωσιν lib. II. adverſus Facium *recapitulationem* tranſtulit. Et ſanè non eſſe hanc vocem nuperam, argumento eſt, quòd eâ jam olim uſus ſit antiquus Irenæi interpres lib. IV. cap. II. & lib. V. cap. XVI. Repetit ea pars præcisè, ac breviter, potiſſima argumenta, ut frequentata & conglobata magis moveant. Adhibenda autem in hâc re varietas, ne auditores de ſuâ putent ambigi memoriâ; ideoque nec multa enucleabimus, aut partes partium retexemus; ſed (quod Græcâ voce monemur) ſumma rerum capita ſolùm perſtringemus. Ariſtoteles quatuor modos aſſignat, quibus varietur concluſio: nempe per ironiam, per interrogationem, per collationem, & per naturalem ſimplicemque enumerationem.

Rarò autem hâc enumeratione in deliberativo utimur, eo quòd non ſoleat id genus controverſiis multis implicari. Rariùs etiam in demonſtrativo uſurpatur, quia hic maximâ ex parte nullus eſt adverſarius. Potiſſimus ejus uſus eſt in juridiciali: non tamen parilis eſt ratio accuſatoris, ac rei. Magis enim accuſatori convenit, cujus argumenta condenſata magis fiunt aculeata: minùs autem conducit reo, quia cùm ejus ſit ſolvere argumenta, quibus adverſarius crimen intendebat; omnino metuendum eſt, ne, ſi ea, quæ reſponſa ſunt, an pauca revocare velit, aut minùs ſolidè cogatur reſpondere, aut ſubtiliùs dicere. Utitur tamen Appulejus in epilogo Apologiæ: ubi argumentis ſingulis, licet pluſculis, ut breviſſimè, ita acutiſſimè occurrit.

III. De affectibus in epilogo movendis.

Παθοποιΐα affectus concitat. Sed variant hi pro cauſſæ diverſitate. In demonſtrativo, ſiquis laudandus, excitari debebit amor, admiratio, æmulatio. Sin vituperandus, cieri debet odium, invidia, contemtus. In deliberativo, tum ſpes cietur explendæ cupiditatis, aut ulciſcendæ injuriæ; tum timor injicitur ex periculi magnitudine. In genere judiciali omnia concurrunt, amor, odium, invidia: ſed inprimis indignatio, & conqueſtio; adeò quidem, ut vulgò horum duorum ſolùm meminerint. Itaque & Cicero libro primo de Inventione, ceteris affectibus ſuperſeſſis, indignationis quindecim, conqueſtionis ſexdecim locos adfert.

Magni autem artificii eſt, affectus concitare; contrà quàm putant quidam inepti oratores qui oratione non miſericordiam rei, ſed ſui excitant. Catulus certè, cùm orator quidam putaret, ſe auditorem ad miſericordiam compuliſſe, eoque rogâſſet, an non miſericordiam moviſſe videretur; *Ac magnam quidem*, inquit: *neminem enim puto eſſe tam durum, cui non oratio tua miſeranda viſa ſit.* Autor Cicero in ſecundo de Oratore.

IV. De virtutibus Epilogi.

EPilogi virtus eſt, ut ſit brevis, & acris: inprimis apud judicem. Brevis hìc ſit, ne morâ reſideat indignatio erga adverſarium, aut imminuatur commiſeratio erga reum. Nam, ut dicebat Apollonius Rhetor, οὐδὲν θᾶττον ξηραίνεται δακρύου*. Quod partim inde eſt, quia lachrymæ ſunt ſalſæ, cujuſmodi calida ſunt: partim quia aliena mala non altè adeò in pectus deſcendunt, ut diu durent. Nam quiſque ſe maximè amat. Ideoque optandum inprimis, ut judex, vel irâ inflammatus, vel commiſeratione affectus, properet ad ferendam ſententiam.

* *Nihil lacrymâ citius areſcit.*

At acris eſſe epilogus debet, ut relinquat aculeos in animis auditorum. Multùm hâc re valuiſſe Ciceronem, ac inprimis, ſi opus eſſet miſericordiâ, argumento eſt, quòd, ſi is affectus ciendus foret, Ciceroni ab aliis peroratio relinqui ſolet. Ita enim de ſe ait in Oratore: *Quid ego de miſerationibus loquar? quibus eò ſum uſus pluribus, quòd etiamſi plures dicebamus, perorationem tamen mihi omnes relinquebant; in quâ ut viderer excellere, non ingenio, ſed dolore aſſequebar.*

V. De voce, qua orationem eſſe finitam indicabant: et de aliis, quæ poſt habitas orationes fieri olim ſolent.

ORatione finitâ, orator, ſi poſt ſe neminem ſperaret dicturum ſubjiciebat, *Dixi*; quâ voce cauſſa tota velut obſignabatur. Unde Sophocles Electrâ, Εἴρηκα μὲν νῦν ταῦτα· *Dixi nunc quidem iſta*; quæ puta propoſueram. Neque aliter Terentius Phormione †, *Dixi, Phormio.* Vulgò autem hoc vocabulo etiam terminant panegyricas, aliaſque declamationes, ſed præter veterum conſuetudinem, qui eam tantùm adhibuiſſe videntur in cauſſis forenſibus. Quin nec in omnibus orationibus forenſibus id fiebat; ſed in poſtremâ duntaxat, cùm neminem præterea dicturum crederent, ac judicibus tantummodo danda eſſet ſententia. Monuit id quoque Polletus cap. XII. lib. I. de hiſtoria fori Romani. Eſtque hanc rem confirmare Luciani dialogo, in quo de præſtantia rerum geſtarum Hannibal, Alexander, & Scipio, apud Minoëm contendunt. Neque enim Hannibal, qui primus cauſſam dicit, claudit hac voce orationem; ſed Alexander, qui ſecundus eſt, ac neminem alium poſt ſe dicturum putabat. Idem quoque comprobant orationes adverſariæ in Bis accuſato. Neque obſtat, quòd Rhetorice, quæ accuſat Syrum, hoc eſt, Lucianum, (nam is Samoſatæ, Syriæ Comagenæ ſeu Euphratenſis civitate, erat natus) orationem ſuam voce εἴρηκα * concludebat. Nam ſperabat Rhetorice, non datum iri Syro reſpondendi locum: quod ipſa à Diis petierat, ſed neutiquam impetravit. Non tamen orator ſolùm hac voce utebatur: verùm &, habitâ ab utrâque parte oratione, per prætorem pronunciari ſolet, *Dixerunt.* quâ voce auditâ, in conſilium mittebantur Judices, hoc eſt, ad ſententiam ferendam dimittebantur.

† *Act. 2. ſc. 3.*

* *Dixi.*

Ac in divinationibus quidem, & cauſſis majoribus, univerſi judices in ciſtam tabulas ſuas ſimul conjiciebant; quibus inſculptæ erant literæ, A. abſolutionis, C. condemnationis, N. L. ampliationis. Significabant enim hæ literæ, *non liquere.* Teſtis Aſconius Pedianus. Non tamen exiſtimandum eſt, has ſolùm literas fuiſſe tabulis inſcriptas. Nam multo fuiſſe plures, ex Cicerone, ac Cæſare, oſtendit Hottomannus lib. I. Obſervat. Juris cap. XI. Apud Græcos verò, Judices abſoluturi reum albos integroſque in urnam calculos injiciebant; condemnaturi autem nigros, ac perforatos: quemadmodum tradit Ulpianus in Demoſth. Quod ſi paria eſſent ſuffragia, reus abſolvebatur: qui mos non Athenis modò, ſed Romæ etiam obtinuit. Auctor Plutarchus in Mario, & Ariſtophanis ſcholiaſtes in Ranas.

Oratores & cauſſidici, qui cauſſam vicerant, id palmâ ante fores ſuſpenſâ indicabant: ut teſtatur Lucianus ῥητόρων διδασκάλῳ· φοίνικες † ἤ, inquit, ἐπὶ τῇ θύρᾳ χλωροὶ ἐστεφανωμένοι. Quam conſuetudinem etiam tangunt Juvenalis, Martialis, Auſonius, alii.

† *For[illegible] [illegible] di coronatæ ſunt palmæ.*

PARS ALTERA LIBRI III.

SIVE

Caput. VII.

DE SPECIALI TUM INVENTIONE, TUM DISPOSITIONE.

Hactenus generatim egimus de inventionis & diſpoſitionis doctrina. Sed præterea danda eſt opera, ut eam ſciamus ſpecialibus accommodare materiis. Hoc eſt, ut in conſolatione, commendatione, gratulatione, hortatione, & ſimilibus, tum argumenta eorum propria cognoſcamus; tum quem ordinem natura, & uſus, probare inprimis videantur.

Nec propterea exiſtimandum eſt, poſſe hoc argumentum plene planéque explicari artis præceptis. Viam illa muniunt ingeniis, non rem totam decidunt, ac determinant. Quippe, circumſtantiâ mutatâ, variat hoc artificium: imò, etiam non mutatâ, alia atque alia tractandi ratio occurrit. Multa igitur à rhetore omittuntur, quæ per ſe vident homines prudentes. Interim ad eam prudentiam comparandam, atque etiam augendam, plurimum illud confert, ſi præſtantium ſcriptorum orationes atque epiſtolæ retexantur, inque reſolutionis artificio ſpectetur, cur hic aliter, quam ille, argumentum idem vel ſimile tractârit. Hac ratione conſequimur, ut faciliùs videamus, quæ via ac ratio præſenti conveniat tempori.

I. De ratione accommodandi illa ad quamlibet materiem, quæ generatim hactenus diximus.

POſtquam de tribus cauſſarum generibus, & affectibus, ac moribus, item de partibus orationis, univerſè dictum eſt: ſequitur, ut nunc videamus, quomodo, quæ generatim explicuimus, ſigillatim cuivis argumento accommodentur. Multiplex enim eſt orationum atque epiſtolarum materies: & pro ejus varietate variat tractandi ratio. Incerto auctori de typis epiſtolarum, qui Græcè ab Aldo editus, poſteaque ab Achille Statio Luſitano

* *Edidit Lovanii Bartholomæus Gravius an. 1551.*

tano Latinè redditus * eſt, epiſtolarum formæ minimùm ſunt viginti; nimirum amatoria, ſive conciliatoria, commendatoria, expoſtulatoria, exprobratoria, conſolatoria, increpatoria, monitoria, comminatoria, reprehenſoria, laudatoria, ſuaſoria, deprecatoria, percontatoria, reſponſoria, allegorica, cauſſatoria, inculatoria, congratulatoria, ironica ſeu ſimulatoria, gratiarum agens. Et cùm formas tam multas adferat, fore tamen idem agnoſcit, ut plures ſuperaddant anni ſequentes, atque ipſa ætas, quæ bonarum artium feliciſſima eſt inventrix. Nec propterea de omnibus hiſce; ſed de præcipuis tantùm affectuoſarum orationum vel epiſtolarum generibus, agere nunc animus eſt. Nam ut in aliis artibus, ita hic quoque difficillima tantùm tradi neceſſe eſt: quibus cognitis, non operoſum erit de cæteris ſtatuere.

Cùm autem orationes affectuoſæ haud nudo conſtent affectu; ſed argumenta quoque admiſceant, quorum reſpectu pertinent ad aliquod è tribus cauſſarum generibus, uti diximus lib. I. cap. III. & IV: viſum primò agere de iis, quæ referuntur ad genus deliberativum; cujuſmodi ſunt monitoria, adhortatoria, conſolatoria, petitoria, commendatitia, & conciliatoria. Nam qui monet, vel adhortatur, ſuadet id cujus monet, & ad quod adhortatur. Scio, eſſe virum eruditum, qui hanc flagellet ſententiam: ſed ei, tanquam murum Semiramidis, oppono Iſocrateum iſthoc ad Demonicum: *Διόπερ ἡμεῖς οὐ παράκλησιν εὑρόντες, ἀλλὰ παραίνεσιν γράψαντες, μέλλομέν σοι συμβουλεύειν, ὧν χρὴ τοὺς νεωτέρους ὀρέγεσθαι* &c. *Quare nos, non hortatione arreptâ, ſed conſcriptâ admonitione, tibi conſulturi ſumus, quæ adoleſcentes debeant expetere* &c. Sic enim capiendus is locus: etſi aliter aliquanto eum ceperint, & Budæus, & H. Stephanus, & alii; qui tamen ipſi nec inter ſe conveniunt. Itidem qui conſolatur, ſuadet, nequis lugeat omnino, aut ne tantopere: item quoque ſuadet, qui petit: item qui commendat, cùm hic pro alio petat. Neque obſtat, quòd commendatitia quoque laudet eum, quem commendat. Siquidem laus ea refertur ad ſuaſionem rei, quam oſtendit eſſe honeſtam, utilem, facilem. Quomodo & objurgatio fere ideo fit, ut quis conſilio noſtro utens rectè inſtituat vitæ rationem. Unde & ea hujus quodammodo eſt loci. Itidem in conciliatoriâ quiſpiam ſuadet amorem ſui. Quæ cum ita ſint, de hiſce omnibus ſingulatim eo, quo propoſuimus, ordine, proximè ſuſcipienda eſt tractatio.

II. DE MONITIONE.

MOnitoria eſt duplex. nam vel ſimplex eſt, vel admiſcet objurgationem. Simplex docet ſimpliciter, quod ſit cujuſpiam munus: ut apud Salluſtium oratio Micipſæ moribundi ad Jugurtham: unde huic generi maximè conveniunt *γνῶμαι*. In objurgatoriâ verò (ut Themiſtii † verbis utar) *μιμητέον ἡμῖν τοὺς σοφωτέρους τῶν ἰατρῶν, οἳ τὰ πικρότερα τῶν φαρμάκων, μέλιτι τὴν κύλικα περιχρίοντες, πίνειν διδόασι*· *imitandi ſunt nobis ſapientiores medici, qui pharmaca amariora, melle circumlito poculo, bibenda præbent.* Itaque in eâ primò, & inprimis, benevolentiam amoremque conciliabimus, ne non tam admonere, quàm ſugillare, ac bilis quaſi vomicam velle in alium evomere, credamur. Obſervat hoc Chremes Terentianus ‡:

† *Προτρεπτικῷ Νικομηδεῦσιν εἰς φιλοσοφίαν.*

‡ *Heaut. act. I. ſc. I.*

Quamquam hæc inter nos nuper notitia admodum eſt:
Inde adeò quòd agrum in proximo hic mercatus es:
Nec rei fere ſanè amplius quicquam fuit:
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
(Quod ego in propinquâ parte amicitiæ puto)
Facit, ut te audacter moneam, & familiariter.

Ubi verò hanc benevolentiæ partem abunde nobis executi videbimur; in eo omnes erimus, ut rei commiſſæ odium concitemus, ac dolorem gignamus ob rem patratam: ac, quo alter magis abſtineat in poſterum, ob oculos ei ponemus ignominiam, pericula, pœnas, & alia, quæ metum incutere, ac deterrere à peccando ſolent. Hoc pacto conſequemur, ut videamur, non hominem odiſſe, ſed vitium.

Addam & alteram monendi orationem itidem objurgationi conjunctam. Primùm, ne, quem monemus, exiſtimet, ſe poſſe nobis perſuadere, nihil à ſe mali eſſe commiſſum, paucis oſtendemus, nos rem omnem probè noſſe. Tum dicemus, noſtri muneris eſſe eum ſui officii admonere, ſive ob ſanguinis conjunctionem, ſive ob amicitiam, vel aliam ob cauſſam. Hinc pleniùs rem omnem narrabimus, ac inprimis ea referemus, quæ fœditatem facti augeant. Mox quæremus, an cùm iſta committeret, nullam habuerit rationem generis, dignitatis, ætatis; nihilne de ſalute ſuâ cogitârit? Atque hæc ita inſtituemus, ut non gignamus deſperationem; ſed dolorem cieamus, pudoremque incutiamus: eoque omnia ita temperanda erunt, ut à paterno, vel fraterno animo, profecta eſſe videantur. Poſtremò non à vitio modò deterrebimus; ſed etiam adhortabimur ad benè vivendum. Plurimùm enim monitio, & hortatio, concurrunt. Quomodo hortatio inſtitui debeat, videre erit ex iis, quæ mox ſubjiciam. Quæ verò ad objurgationem pertinent, quam monitioni ſæpiùs conjungi diximus, pleniùs cognoſcere erit ex illis, quæ inferiùs afferemus de materiis, quæ ad genus juridiciale referuntur. Interim monitionis exempla aliqua ſi voles, vide Cic. lib. X. epiſt. VI. quâ monet Plancum, ne in pactione potiùs, quàm armis, pacem quærat: Plinium lib. III. epiſt. III. quâ Corelliam Hiſpullam commonet, ut filium tradat rhetori excolendum: & lib. VII. epiſt. I. ad Reſtitutum, quem monet, ut patienter reſiſtat morbo: lib. VIII. epiſt. ult. quâ Maximum monet, quomodo adminiſtrare debeat Achajam.

III. DE ADHORTATIONE.

HOrtatio differt à monitione, quia, ut Donatus * ait *monemus conſilio, hortamur impulſu.*

* *In Hec. act. I. ſc. I.*

Ac hortationis quidem uti duo ſunt potiſſima argumenta *δυνάμεως*, utilitas, ſed honeſta, & neceſſitas, ſed facilis: ita ejuſdem, ratione affectuum, ſunt quatuor præcipuæ partes. Nam,

I. Amorem excitat rei, ad quam inflammat; quod fit, oſtendendo eam eſſe piam, utilem, glorioſam, planè dignam hujuſcemodi, ſive adoleſcentis, ſive viri, indole, genere, ætate, &c. Itaque hoc loco perſonæ quoque laus admiſcetur; in quâ ſedulò ſpectandum eſt ſtatus. Nam apertiùs extollendi adoleſcentes; rectiùs, qui firmatæ ſunt ætatis: quippe majus apud hos periculum eſt, ne ſupparaſitari, ac (ludere in his liceat) de Placentinorum magis, quàm Veronenſium genere videamur.

II. Amorem quoque, ac miſericordiam excitat perſonæ, pro quâ res ſuſcipienda eſt: aut odium ejus, contra quem ſuſcipi debet.

III. Æmulationem gignit. Quod fit bifariam. Nam & aliorum nos excitat induſtria, & animos addit ignavia.

IV. Spem præmiorum proponit; quæ quempiam manent, ſi rem aggrediatur: ac metum injicit contrariorum, quæ impendent, ſi negotio ſuperſedeat.

Epilogus ab obteſtatione peti ſolet.

Vide apud Salluſtium orationem Catilinæ, quâ participes conjurationis; item illam, quâ milites adhortatur. Adhæc quâ C. Memmius hortatur Quirites ad ulciſcendum Jugurtham, & ſceleris ſocios. Apud Livium quoque exemplorum eſt abunde. Ut lib. VII. illa P. Decii, tribuni militum, ſuos ad erumpendum concitantis. Quo ipſo libro habemus orationem M. Valerii Corvini dictatoris, milites ſeditioſos dehortantis à pugna adverſus patriam. Libro item XXI. exſtant orationes tum P. Scipionis, tum Annibalis, quibus ſuos uterque inflammat ad pugnam. Et libro XXIV. oratio L. Pinarii, præfecti Ennæ præſidii Romani, ſuorum animos ad hoſtes poſtero die invadendos comparantis. Etiam apud Curtium legere eſt hortatorias Alexandri ad milites. Apud Tacitum in vita Agricolæ ſunt orationes tum Galgaci, tum ipſius Agricolæ; quibus itidem ad pugnam ſuos incendunt. Plurimas etiam omnis

penè generis hortatorias collegit H. Stephanus eo volumine, quo conciones complexus eſt ex Græcis Latiniſque hiſtoricis excerptas.

Quod ſi exempla ex epiſtolis voles, adi Tullium lib. x. epiſt. v. x. xii. xiii. xiv. xix. xx. quibus Planco animum addit ad juvandam Remp. & exſtinguendas belli reliquias. Et ad Quinctum Fr. lib. i. epiſt. i. multa ſunt hortatoria, inprimis ut iræ moderetur. Etiam vide Nazianzeni epiſt. lxi. quâ egregiè faces ſtimuloſque Eudoxio Rhetori ſubdit ad philoſophiam Chriſtianam & contemtum rerum hujus mundi. Item ep. lxxi. quâ Poſtumianum cohortatur, ut inter epiſcopos concordiam reducat: & epiſt. lxxxi. quâ ad patientiam animat Theodorum, Tyanenſem epiſcopum. Item Chryſoſtomi epiſt. iv. & v. quæ ad Theodorum lapſum. Item adi Hieronymi exhortatoriam ad Heliodorum, & Sidonii epiſt. vi. quâ adhortatur virum nobilem à vitâ umbratili & ruſticâ ad capeſſendam Remp. Suntque ſimiles magno numero, quas iccirco longum eſſet referre.

IV. De consolatione.

Conſolationis ſeries ex tribus temporibus plurimùm conſtat. Ex præterito, ut, *Nunciatum mihi eſt de obitu conjugis tuæ.* Ex præſenti, *Quam rem pro eo ac debeo, graviter moleſteque fero.* Ex futuro, *Tu fac animo forti ſis ac magno, ut intelligamus, te adverſam etiam ferre poſſe fortunam.*

Sed non omnis conſolatio uno modo contexitur. Nempe quia alia recta eſt, alia obliqua. Recta ſtatim aperteque proponit argumenta, quibus dolorem abſtergeat, ὥσπερ* κρατὴρ τ῀ς Ἑλένης τοῖς Αἰγυπτίοις φαρμάκοις, ut ait Philoſtratus. Obliqua cuniculis quibuſdam hoc ipſum agit. Utendum autem κρύψει †, tum ſi recens ſit dolor, ac proinde vehementior quàm ut admittat medicinam: tum quando quis videri vult animo fortiori, quàm ut egeat conſolatione. Prius ſi fiat, antequam argumenta adferamus, dolorem noſtrum aperiemus, rei atrocitatem augebimus, noſque parùm idoneos dicemus ad conſolandum. Sin poſterius contingat, in ipſo ingreſſu gratulabimur de fortitudine. Hinc verò in utroque genere tanquam in aciem adducemus copias noſtras, quo velut collatis ſignis cum doloris affectu depugnent. Argumenta ea adduximus lib. i. cap. iv. ſect. iii. Ordo verò hic non incommodus erit. Primò oſtendemus, illud, ob quod magnopere dolemus, non eſſe tantum malum, quàm credimus: imò malum non eſſe, aut quod mali ineſt, bono ejuſdem compenſari. Deinde accedimus ad conditionem tum vitæ communis, quæ multis eſt malis obnoxia: tum ejus, ad quem ſcribimus, ubi in conſiderationem veniunt genus, doctrina, virtus, res geſtæ. Denique dicimus, ſtulti eſſe, animum angere fruſtra: mœrorem autem ejuſmodi eſſe, ut non corrigat rem; ſed malum, ſiquod eſt, augeat. Vide, præter Senecam & Epictetum, etiam Nazianzenum eleganti ad Timotheum epiſtolâ, numero clxxxix, & Baſilium, Conſolatione in adverſis, incerto, ſed antiquo interprete ‡. Ad hæc Boëthium de conſolatione philoſophiæ, & Joannem Gerſonem de conſolatione theologiæ. Item Petrarchæ dialogos ſex de contemtu mundi, ac Budæi totidem libros de contemtu rerum fortuitarum. Et quis commemoret univerſos, qui hoc argumentum tractarunt?

** Tanquam Helenæ crater Ægyptiis imbutus pharmacis.*
† Occultatione.
‡ Tom. 3. edit. Pariſ.

Sed quæ generatim dici ſolent, plurimum lucis accipient, ſi ad varia conſolationis genera accommodentur. Nam variat ea pro naturâ doloris; qui fere oritur vel ex obitu alicujus, vel ex amiſſione valetudinis, aut patriæ, aut opum vel honorum.

Cujuſmodi argumentis ſolemur dolorem ex morte alicujus ſuſceptum, paucis innuit Petronius in Satyrico: *Cœpit hortari lugentem, ne perſeveraret in dolore ſupervacuo, & nihil profuturo gemitu pectus diduceret: omnium eundem exitum eſſe: ſed & idem domicilium: & cætera, quibus exulcerata mentes ad ſanitatem revocantur.* Sed quia Petronius ſatis his verbis indicat, & alia eſſe, quæ hìc prætereantur, paullo pleniùs de re totâ agemus.

Primùm teſtabimur dolorem noſtrum: quæ res benevolentiam gignit, fidemque conciliat: imò & per ſe dolorem levat, quia, ut poëta* ait:

—— *Levius communia tangunt.*

** Claudianus lib. 3. de raptu Proſerpinæ verſ. 197.*

Hinc dicemus, moderandum eſſe dolorem, ſive is oriatur inde, quia aliquis mortem eſſe malam putet, ſive quia malè eſſe mortuo credat, ſive quia exiſtimet, ſibi nunc malè futurum.

Nam in morte nihil eſſe mali, imò finem eſſe malorum, & tranſitum ad vitam meliorem. Ac proinde non perire aliquem, ſed præire ad loca lætiora. Imò vitam, quam degimus, mortem potiùs eſſe: ac tum demum nos vivere, cùm deſinimus vivere.

Nec mortuum ipſum lugeri oportere, quandoquidem curſum ille ſuum in ſtadio cucurrit, & jam βραβεῖον exſpectet: ſuam etiam perſonam in hoc orbis theatro optimè ſuſtinuit, ac abunde ſibi gloriæ paravit. Eoque inſtar eorum, qui in ſcena partes ſuas peregere, veſtem ſuam exuere debuiſſe, ac domum commeare; idque eo lubentiùs, quia non vilia, ut illi, ſed cœleſtia habitacula peteret. Nec eſſe, quòd quis majorem honoris, vel plurium commodorum ſpem obtendat. Multos enim diutius vivendo ex felicibus reddi miſeros; dum vel ſuorum, vel patriæ etiam calamitates, intueri coràm coguntur, vel in cæcitatem, egeſtatem, aliave incidunt mala. Defunctum ab his periculis liberum apud beatos beatam degere vitam, atque ex ſereno portuque videre jam, imò ridere, turbida hæc noſtra: turpe fore, ſi hanc ei ſortem invideamus: ſtultum, ſi ob eam doleamus: nec enim tam mortui conditionem eſſe lugendam, quàm noſtram.

Sin hoc urat, quòd iis orbati ſumus commodis, quæ ex vivo percipere ſoleamus, jam dicemus, non ex alterius, ſed noſtri amore hunc dolorem proficiſci. Nec quòd fraudati iis bonis ſumus, nimis animum urere debere. Nam ſummum illud fatum diſponere fata mortalium: nec providentiam divinam quicquam, niſi providè agere. Rectiùs ſapientiam divinam ſcire, quid nobis expediat, quàm nos inſipientes. Meliùs cœleſtem patrem velle filiis ſuis, quàm terrenos tantâ malitiâ infectos. Summum bonum nihil facere niſi bene. Μηδὲν † ἄλογον παρὰ τοῦ Λόγου τ῀ ἡμετέρου, κἂν ἡμῖν οὕτω φαίνηται ut ad Philagrium ‡ ſcribit Nazianzenus.

Quod ſi is, qui amiſſus eſt, filius ſit; addemus, eum non donatum, ſed divinitus commodatum fuiſſe. Præterea memorabimus plurimos viros præſtantes, qui liberos ſummæ ſpei, vel etiam gloriâ jam florentes extulerint, ac mortes eorum magnâ animi tulerint conſtantiâ.

Cujuſcunque verò conditionis fuerit defunctus; ob oculos ponemus communem hominum ſortem. In mœrore peccari eo, quia unuſquiſque ſe tantùm cogitet, & ſuos. At omnibus eundum eſſe.

*Quo * pius Æneas, quò Tullus dives, & Ancus.*

Itaque Homerum † rectè homines comparare Foliis, quæ naſcuntur, & cadunt. Similiter enim homines naſci, & denaſci.

Propterea non debere nos angi, ubi nihil proficimus. Quin mœrore malum aggravari. Apud ‡ Thraces, aliaſque gentes barbaras, luctuoſa eſſe puerperia, ac recens natum parentis fletu excipi: contrà læta eſſe funera, ita ut mortuos cantibus ac tripudio proſequantur. Nec aliunde hæc provenire, quàm quia perſuaſum habeant, nihil eſſe hac vitâ infelicius, mortemque eſſe miſeriarum finem. Fœdum fore, ſi hâc parte ſuperemur à barbaris. Si non ex nobis animi vires, ut ſimiliter poſſimus alteri gratulari, ac nobis gaudere: at ſaltem querimoniam abeſſe, & luctum poni oportere. Non fore hoc difficile, ſi eos imitemur, qui titionem è foco tollere parant. Nec enim hi eâ illum parte apprehendunt, quâ manus ureret; ſed quâ ignem nondum concepit. Similiter nos caſus iſtos animo concipere oportere, non quâ parte nos urant, ſed quâ ſolatium præ-

† Filius Dei, qui eſt Ratio æterna, nihil ratione repugnans in rebus noſtris facit: utcunque nobis aliter videatur.
‡ Epiſt. 69.
** Horat. od. 7 lib. 4*
† Il. 2. verſ. 145. & ſeq.
‡ Herodotus lib. 5. & ex eo Stobæus ſerm. 119. Arcenas Α'ϐϐαγίας lib. 1 Mela lib. 2. cap. 2. Val. Max. lib. 2. cap 6. Fab lib. 5. cap. 1. Solinus vulgo cap 15. al. 16. Sed ſecundum Salmaſianam edit. cap. 10. Zenobius proverbio, Νῆμα καὶ χειρ.

præbent. Plura hujus generis hauꝛire licebit ex theologorum & philoſophorum ſcriptis. Vide & Ciceronem lib. v. epiſt. xvi. quâ Titium conſolatur mœrentem ob filii obitum. Item eodem libro epiſtolam xiv. quæ Lucceji eſt Ciceronem ſolantis. Præter quas & aliæ ſunt ſimiles. Ut mittam ſuppoſititium illud opus de Conſolatione. Apud Plinium etiam aliquæ hujus generis epiſtolæ ſunt. Item apud Julianum Imp. illa, quâ Amerium de obitu conjugis ſolatur exemplo Darii. Sed gentiles mitto. Longè enim fortiùs hoc argumentum tractant Chriſtiani doctores. Ex quibus vide B. Cyprianum, libro de mortalitate ſive peſte. Adi & B. Baſilii epiſt. lxii. ad Eccleſiam Neocæſarienſem, defuncto ejus Epiſcopo: clxxxvi. ad uxorem Arinthei Prætoris, erepto marito: item clxxxviii. & proximam ad Nectarium, atque ejus uxorem, filium lugentes: cci. ad quendam, qui filium ſcholaſticum amiſerat: ccii. ad uxorem Anthæi: & alias: B. Nazianzeni epiſt. xxxvii. cùm mœſtus eſſet ob fratris ſui, S. Baſilii, obitum: item cxv. ad eundem: & xcv. ad Nyſſenum: & clxxx. ad Sannabadaënſes monachos: & ccii. ad Theclam, cùm obiiſſet ſacerdos. Item luculentam Nyſſeni orationem de mortuis, quâ oſtendit, non eſſe lugendos, qui in fide obdormierunt: B. Ambroſium lib. ii. epiſt. viii. ad Fauſtinum, cùm germanæ obitum doleret: Chryſoſtomi egregiam illam epiſtolam, quâ juniorem viduam de morte mariti ſolatur: B. Hieronymum epiſt. ad Heliodorum monachum, & epiſcopum, cùm obiiſſet Nepotianus, ſororis filius, monachus & presbyter: item ad Pammachium, cùm uxorem Paullinam lugeret: ad Theodoram Hiſpanam, cùm maritus ejus, Lucinius Bæticus, obiiſſet. Et quis omnes enumeret? E junioribus juvabit Nicolaus Leonicus Thomæus elegantiſſimo dialogo, qui inſcribitur Sannutus ſive de compeſcendo luctu: Petrus Bembus epiſtolâ priori ad Vincentium Quirinum, quæ eſt lib. iii. epiſtolarum: Jacobus Sadoletus conſolatione in morte amici ad Camerarium epiſcopum; pluresque alii.

Cæcos, item ſurdos, aut mutos, ſolabimur hoc pacto. Primùm cauſſis adferemus, cur Deus homini conceſſerit oculos, aures, loquelam; & quàm pauci iis rectè utantur, exponemus; ita ut veriùs penè hæc ſint luxuriei aliorumque vitiorum inſtrumenta. Cæcos non videre colorum diſcrimina: ſed nec fore iſtis oculos impuri amoris duces. Surdos ſonorum differentiam neſcire: ſed neque tot fœda audire, quibus omnia nunc perſonant. Bona quidem aliqua iis ſenſibus adferri: ſed abſentiam eorum poſſe aliis ſenſibus ſuppleri. Nec tanti eſſe incommoda, quæ defectus illi ſecum trahant: quia non careant voluptate animi, nec inepti ſint ad bene merendum de ſuis, aut publico. Quod multorum adſtruitur exemplis. Imò plurimos ſponte etiam vel oculis ſe orbâſſe, vel ab hominum ſermone ac conſortio ſeparâſſe, ut meliùs contemplationi vacarent, ac minus inquinarentur ſordibus hominum impurorum, quibus omnia ſcatent. Ab hiſce communibus argumentis veniendum ad propria. Ea petuntur ab illius, quem ſolamur, ingenio, doctrinâ, virtute. Etiam hic locum habent, quæ univerſè à philoſophis diſſeruntur de patientia ac conſtantia. Vide B. Hieronymi epiſtolas duas, quibus Abigaum, presbyterum Hiſpanum, & Caſtrutium de cæcitate conſolatur. Item quæ de eâ diximus lib. i. cap. v. ſect. xx.

Similiter agendum, ſiquis laboret calculo, podagrâ; aut ſi morbo, vel infortunio aliquo, redditus ſit mancus, claudus, deformis. Primùm docebimus, quàm multis obfuerint forma, robur, corporis agilitas: bona, quæ inde emanant, poſſe ingenio noſtro, vel aliorum ſuppleri miniſterio. Malis iis obnoxios fuiſſe multos ſummos & clariſſimos viros. Sæpe hæc profuiſſe ad patientiæ & conſtantiæ laudem. Vitam noſtram roſario eſſe ſimilem, ubi roſis ſpinæ miſcentur: vel ſtadio, ſed quod nemo abſque incommodis atque adverſis quibuſdam decurrat. Ita viſum eſſe divinæ providentiæ, quo vitæ hujus contemtu rectiùs ad ſummam præparemur. Vide & aliqua hujus generis lib. i. cap. v. ſect. xx. & inprimis xxi. Item adi Nazianzenum epiſt. lxiv. quâ Philagrium ſolatur, cùm morbum impatientiùs ferret. Scitè idem epiſt. xli. dixerat ad eundem Philagrium: *Γενναίως ἐμφιλοσοφεῖς τῷ τοῦ σώματος πάθει, ὥσπερ βάσανον ἀρετῆς, ἀλλ' οὐχ ὕλης ἀνωμαλίαν τὸ πρᾶγμα δεξάμενος, ἵνα ᾖ σοι τὸ κακοπαθεῖν τῶν ἄλλων ὑγιαίνειν μακαριώτερον.* *Strenue philoſopharis in corporis morbo, quaſi ut virtutis explorationem, non ut materiæ humorumque intemperiem, eum accipias: ut adverſa tua res beatiores ſint alterum valetudine ſecundâ.* Etiam conſolationem ad amicum ægrotum inter eas habes epiſtolas, quæ B. Hieronymo falsò tribuuntur.

Siquis doleat ob perſecutionem Eccleſiæ, adeat Chryſoſtomi complures ad Olympiadem epiſtolas. Fusè adeò ac diſertè hoc argumentum iis tractat, ut nihil addi, vel ultrà requiri poſſe exiſtimem.

Patriâ ejectum ſolabimur hoc pacto. Ordiemur ab hominum inconſtantiâ ac malitiâ: quibus fit, ut bene etiam de patriâ meriti in exilium ejiciantur: quales poſtea magnâ cum gloriâ revocentur, uti M. Tullius: aut, ſi redire nolint, triſte ſui deſiderium civibus relinquant, ut P. Rutilio contigit. Hujuſmodi exilium non debere dolori eſſe, quia ſeceſſio ſit ab ingratis ac malis civibus: quorum odio multi præſtantes viri ſponte etiam patriam deſeruerunt. Quippe eos, qui ſolum nunc vertere juſſerunt, tales omnino eſſe; ut mirum futurum non ſit, ſi viri boni vel ſponte alias ſe in terras conferant. Nam illic potiùs exilium eſſe, ubi virtuti non eſt locus. Neque metui debere, ne aliqua ſic nomini nota inuratur, cùm id glorioſum potiùs ſit: unde videmus, non paucos majus eſſe nomen exilio ſuo conſecutos. Atque eam eſſe viri illius virtutem, ut idem de eo exſpectemus. Exilii nomen non eſſe extimeſcendum, quia veriùs ſit peregrinatio: quam multi, vel eruditionis, vel mercaturæ, vel voluptatis etiam cauſſâ ſponte ſuſcipiunt. Nec patriam amittere, qui virtute, & rerum geſtarum memoriâ, perpetuò in eâ ſit victurus. Habitationis per exiguum tempus, vel ſepulturæ, facilem eſſe jacturam. Uti & opum, quæ tamen nec extra patriam ſint defuturæ. Nec angi debere neceſſariorum vel amicorum deſiderio, quia etiam extra patriam ſubinde eos videndi & compellandi poteſtas erit. Nec moveri debere commodis patriæ, quia non minoribus extra eam frui licebit; atque, ut Teucer ajebat, *Omne ſolum forti patria eſt.* Eoque non debere eum patriam metiri unius oppidi mœnibus; ſed imitandum eſſe Socratem, qui rogatus, cujas eſſet, mundanum ſe eſſe reſpondit. Vide Ciceronem lib. v. epiſt. xvii. & xviii. quibus P. Sextium & T. Fabium exules ſolatur. Etiam tractanti hoc argumentum exemplum petere liceat ab Ovidio. i. Faſt. in oratione Carmentæ ad filium Evandrum. Ac propoſitio quidem eſt in iſtis:

Cui genitrix flenti: Fortuna viriliter, inquit,
(Siſte precor lacrymas) iſta ferenda tibi eſt.

Sequitur argumentum à voluntate Dei, ſive à neceſſario:

Sic erat in fatis. nec te tua culpa fugavit,
Sed Deus. offenſo pulſus es urbe Deo.

Ubi & argumentum à bonâ conſcientiâ: quod pleniùs deinceps exſequitur:

Nec meriti pœnam pateris; ſed numinis iram.
Eſt aliquid magnis crimen abeſſe malis.
Conſcia mens, ut cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto ſpemque metumque ſuo.

Inde accedit ad exempla:

Nec tamen ut primus mœres, mala talia paſſus.
Obruit ingentes iſta procella viros.
Paſſus idem eſt, Tyriis qui quondam pulſus ab oris
Cadmus in Aoniâ conſtitit exul humo.
Paſſus idem Tydeus, & idem Pegaſæus Iaſon:
Et quos præterea longa referre mora eſt.

Hinc argumentum à naturâ virtutis:

Omne ſolum forti patria eſt, ut piſcibus æquor:
Ut volucri, vacuo quicquid in orbe patet.

Claudit Carmenta ſermonem ſpe liberationis:

Nec

Nec fera tempeſtas toto tamen errat in anno,
Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt.

Vide & Nazianzenum epiſt. xxx*, ubi Euſebium exulem ſolatur vitæ æternæ præmio: & Chryſoſtomi epiſt. 111. ad Cyriacum epiſcopum exulem, & iv. ad epiſcopos & presbyteros ob pietatem in carcerem conjectos. Adſine huic argumentum eſt apud Nazianzenum epiſt. xxxiv †, quâ ſolatus Gregorium Nyſſenum, cùm doleret, qua crebrò adeò peregrinari cogeretur. Ajebat is propterea, ſe ſimilem reddi lignis, quæ huc illuc aquis feruntur. At Nazianzenus id negat, quia hæc ſine ſenſu ferantur, impulſu alieno: ille omnia ſua ad Dei gloriam componat: utcumque corpore non uni ſit affixus loco, tamen animo hoc fixum immotumque eſſe, pro virili prodeſſe. Quare ſi hæc vita culpari mereatur, ſolem etiam eſſe culpandum, qui terras circumeundo vitam omnibus largiatur: item ſtellas erraticas, quas planetas dicimus, quorum error etiam compoſitus eſt & concinnus.

*Ex Billii diſtinctione: alias 75.
† Al. 32.

Mœrentem ob amiſſionem bonorum, ſolabimur eo, quòd multa magnaque mala ex divitiis proveniant. ut ſocordia, & luxuries; unde bella; atque urbium etiam everſiones. Item quòd divites maximis ſe curis conficiant, & fruſtra quidem, cùm paucis ad tuendam hanc vitam opus ſit, ac quicquid temporis inutili illi ſollicitudini impenditur, id animi ac virtutis curæ, longè ſanè meliori, detrahatur. Quando hinc commigrandum, non plus ſecum auferre divites, quam pauperes: divitias ſæpe improbis relinqui, aut iis, quibus ſint exitio. Magna eſſe bona paupertatis, ut quæ bonæ mentis ſoror ſit. Mala, quæ paupertatem ſequantur, aut nulla eſſe, aut exigua, & quæ bonis majoribus affatim compenſentur.

In alterâ parte, quæ eſt de conditione vitæ, ſpectabimus, quantus ſit pauperum numerus præ divitibus. Ac dicemus, inter pauperes fuiſſe plurimos, alios doctrinâ, alios rebus geſtis, aut ſanctimoniâ illuſtres. Quorum aliqui opes non modò refugerint; ſed quas etiam haberent, ſponte abjecerint.

Hinc petemus, ut cogitet, non quibus careat bonis: ſed quæ ſuppetant; atque ea dicemus ſufficere ad vitam honeſtè degendam.

Multa & in hanc mentem varii collegere ex ſacris, & externis; quæ mera mora ſit adſcribere. Vide interim B. Hieronymi epiſtolam ad Julianum; qui paucos intra dies non modò uxorem, & duas filias, ſed etiam, barbaris provinciam vaſtantibus, bonam amiſerat poſſeſſionum ſuarum partem. Incipit ea, *Filius meus*. Aliquid etiam de eo diximus lib. 1. cap. v. ſect. xx111.

Eadem ratio incunda, ſiquis ſuâ dignitate ſit exutus. Dicemus, honores magnis periculis parari, nec minori ſollicitudine retineri: imò nec anxiam hic curam ſufficere, quia ab alieno hi dependent arbitrio; ac plerique mortales leves ſunt & improbi: unde ſit, ut immerentes dignitate augeant, merentes ſpolient, aut prætereant: quomodo præturam poſtulanti Catoni prælatus eſt Vatinius. Adferemus & exempla ſummorum virorum, qui itidem de ſtatu ſuo ſint dejecti. Præterea petemus, ut perpendatur, quanta hominum multitudo ad nullos extollatur honores: quanto item privata hæc vita ſit tranquillior ac beatior alterâ: quibus quis etiam ſit ornatus animi bonis, ut ea excolendo ſecuriùs vivere, nec minùs prodeſſe aliis poſſit. Dicendum, ſi & peccata noſtra cogitemus, negari non poſſe, iis nos talia promereri. Nazianzenus rectè ad Nyſſenum, S. Baſilii fratrem ‡: Οὔτε ‡ ὑπερορώμενοι δυσχεραίνομεν, ἢ τιμώμενοι χαίρομεν. οὐ μὴν γὰρ ἡμεῖς ἄξιοι, τὸ δὲ ἡμέτερον φιλόσοφον. Imo ſæpe ita expedire, ut minores ſimus, ne honore ac dulci fortunâ ebrii reddamur; ſed diſcamus ſapienter ferre utramque fortunam.

Atque hunc quidem in modum alter alteri eſt τὸ * Αἰγύπτιον φάρμακον, εἴτε λόγος τὶς ὢν, εἴτε τι ἕτερον, ὃ φαρμάσσει τὰς ψυχὰς. Ὁ μῦθος ἐν τῇ λύπῃ· ut idem Nazianzenus † ad Eutropium ſcribit.

‡ Epiſt 36. al. 34.
‡ Nec me contemni ægre fero, & me honore affici gaudeo. Illo enim digni ſumus: hoc verò ambitionis eſt noſtræ.
* Ægyptii pharmacum, ſive illud ſermo ſuit, ſive aliud quid, quo Homerus animis mœrentibus medetur.
† Ep. 137.

Reſponſio ad conſolatoriam alius eſt generis. Interim de eâ quoque aliquid manifeſto loco addemus. Hæc igitur,

I. Gratias agit pro affectu benigno.

II. Laudat conſolantis ingenium, argumentaque.

III. Effectum eorum commemorat, ac vel dolorem planè abſterſiſſe ait, vel mitigaſſe: aut ſi res ſecùs ſucceſſerit, partim laudat affectum, ingeniumque; partim cauſſas exponit, cur necdum reſederit dolor.

Vide Ciceronem lib. v. epiſt. x111. & xv. quibus Lucceio conſolanti reſpondet.

V. De petitoria.

Petitoria quoque, quæ Græcis ἀξιωτική, & παρακλητική dicitur, vel recta eſt, vel obliqua. Recta liberè petit; quomodo plurimùm, qui ancipitis ſunt ſuſpenſique animi, liberè conſilium poſcunt: ut quod ſit ἱερόν τι χρῆμα*, quemadmodum ait Lucianus †. Item qui rem rogant leviculam, atque, ut cum Homero ‡ loquar,

Αἰτίζων ἀκόλους, οὐκ ἄορας, οὐδὲ λέβητας*.

* Res ſacra.
† In rhetorum præceptis adverſus indoctum.
‡ Odyſſ. P.
* Depoſcens micas, non enſes, (vel vernas) ſive lebetas.

Obliqua eſt, quâ verecundè petimus: quomodo ſuppudet à leviter amico mutuò poſcere magnam pecuniæ vim.

Obliquæ etiam petitionis exemplum eſt in epiſtolâ Antonii ad Ciceronem inter illas ad Atticum †, quâ petit à Tullio, ut Cæſari ſe jungat: & proximâ ‡ ipſius Cæſaris, quâ poſtulat, ut, re jam inclinatâ, ab omni Pompejanarum partium ſtudio abſtineat: item Bruti, & Caſſii*, quâ poſcunt ab Antonio, ut ſibi ſignificet, cur milites convocarit, & num per eos ſibi in Urbe eſſe tutò liceret. At rectæ petitionis paſſim ſe offerunt exempla in Tullio, & aliis. Eoque etiam pertinet epiſtola Æſchinis x11, quâ orabat Athenienſes reditum ab exilio in patriam: & ſecunda Demoſthenis, quæ ſimilis eſt argumenti: item quincta ejuſdem ad Heracleodorum, quâ rogat eum, ne amicum oppugnet.

† Lib. 10. epiſt. 8.
‡ Lib. 10. epiſt. 9.
* Ad fam. lib. 11. ep. 2.

In petitione aperta quatuor præſtamus.

I. Conciliamus nobis amorem ac benevolentiam ejus, à quo petimus. Id bifariam fit; à perſonâ noſtrâ, vel ejus, quem compellamus. A perſonâ noſtrâ, ſi affectum & obſervantiam noſtram teſtemur. A perſonâ, quam alloquimur, ſi eam laudemus à benevolentiâ erga omnes bonos: ac præſertim ab eâ virtute, quam nunc exſeri petimus. Ita ſi patrocinium poſcimus, laudabimus pietatem ejus, & auctoritatem: ſi opes, extollemus illius liberalitatem: ſi dignitatem, potentiam prædicabimus. Sic futurum, ut eâdem operâ, tum benevolum reddamus: tum facultatem ei bene merendi ineſſe indicemus.

II. Hinc proponemus id, quod petimus: ac potiùs uno verbo plura, quàm rem unam pluribus poſcemus verbis.

III. Tum rem ſuadebimus ab honeſto, utili, planè vel penè neceſſario, facili, opportuno. Quod ut liqueat, modum etiam, quo fieri aliquid poſſit, ſignificabimus.

IV. Denique futurum pollicebimur, ut in ſegete non ingratâ hoc obſerat beneficium.

At in petitione obliqua oſtendemus, quantopere pudor obſit viro indigenti: pudoris quoque noſtri cauſſam aperiemus, uti quòd grave ſit petere beneficium ab eo, de quo nunquam ſimus bene meriti. Hinc cauſſas fiduciæ noſtræ adferemus: quò pertinet, quòd is aliis quoque ignotis indignìſque opem tulerit. Tum miſericordiam commovebimus inopiæ ac miſeriæ commemoratione. Denique rem ſuademus ab honeſto, facili &c. Primo autem majora peti ſolent: quod à Marone obſervatum in oratione Junonis †. Nam primò ait:

Incute vim ventis, ſubmerſaſque obrue puppes.

Deinde ſubdit:

Aut age diverſas, & disjice corpora ponto.

Idem à Terentio factum ait Donatus ad illa verba ‡:

—— Saltem aliquot dies Profer, ut proficiſcar aliquò, ne videam.

† 1. Æn.
‡ Andr. act. 2. ſc. 1.

Sunt autem & quædam armatæ preces; quales ſunt, quibus adduntur minæ: quæ in majoribus ſolùm locum habent, quique auctoritatem interponere queant. Huc per-

pertinent preces mandatis expoſitæ. Ut apud Maronem*: *Idem orans mandata dabat.*

* Æn. 6.

In cæteris verò odium concitant: unde Juno †, quo Trojanos reddat inviſos, ait, eos

† 10 Æn.

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.

Hujuſmodi homines dicti quoque τὸ δόρυ καὶ τὸ κηρύκειον ἅμα πέμπειν ‡, ut eſt apud Polybium lib. IV.

‡ *Haſtam ac caduceum ſimul mittere.*

Petitoriæ orationis luculentum habes exemplum apud Livium in legatis Campanorum lib. VII; ubi à Senatu Romano auxilium orant adverſus Samnites. Et lib. XXIII. eſt oratio Samnitium ab Annibale poſcentium, ut opem ſibi ferat adverſus Romanos. Alias etiam petitorias partim ex eodem Livio, partim Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Curtio, Tacito, Arriano, vide ſis in volumine concionum ab Stephano excerptarum ex Græcis Latiniſque hiſtoricis. Apud Cic. lib. VI. ep. XVI. Bithynicus rogat, ut ſe tueatur abſentem. Plinius lib. IV. epiſt. XV. rogat Fundanum, ut Aſinium Baſſum adjuvet teſtimonio & ſuffragio ſuo, quo, conſule eo, poſſit eſſe quæſtor. Nazianzenus epiſt. XVIII. ad Sophronium opem poſtulat adverſus eos, qui in fortunas defuncti Cæſarii crudeliter involarant.

Quomodo verò petenti, vel concedendo, vel negando, reſpondeamus, intelligere erit ex iis, quæ dicemus de reſponſione ad commendatitiam. Hæc enim petitoriæ ſimillima eſt, quia & qui petit, commendat, & in omni item commendatione petitio eſt. Vide & Plinii epiſtolam lib. III. ad Suetonium; qui petierat, ut tribunatus militum ſibi collatus in Cæſennium Sylvanum transferretur. Item adi Nazianzeni epiſt. CLXXXI. ad Verianum.

VI. De commendatitia.

IN commendatitia, quæ Græcis συστατικὴ dicitur, videndum, cui, & quem commendemus; item, quo in negotio, ac quâ fine id fiat. Argumenta δεικτικὰ petuntur à re ipſâ; quam dicemus, tum honeſtam, & æquam, tum facilem, vel δυνατὴν, tum etiam utilem. Affectus moveatur ſpei; idque pollicitatione eorum, quæ grata erunt. Item cieatur affectus gratiæ, & miſericordiæ. Ad ἦθος pertinet, I. ut eum, à quo quid petimus, laudemus, ſed citra adulationis ſuſpicionem. II. Ut commendationis cauſſas exponamus; idque modeſtè, & verecundè. Quò refer, ſiquem dicas, vel etiam oſtendas, amore dignum. III. Ut petamus amicè, & blandè. Velut ſi rogemus per fortunas, aut liberos, vel ſiquid his carius. Item ſiquem dicas magnam in commendatione noſtrâ ſpem repoſitam habere, ac ne ſpes hæc eum fallat, nos vehementer optare. IV. Denique ut polliceamur animum gratum.

Duo igitur inprimis in commendatione ſpectantur; perſonæ, & res ipſa. Perſonæ ſunt tres; quæ commendat, quæ commendatur, & cui quis commendatur. A ſingulis verò cauſſa petitur commendationis. A commendante, quia ſit neceſſarius, ac propinquus noſter, aut amicitiæ vinculo nobis vel noſtris conjunctus. Ab eo, qui commendatur, bifariam id fit. Primùm quia ſit honeſto genere natus, & polleat pietate, doctrinâ, prudentiâ. Deinde quia ſit pauper, calamitoſus, parentibus orbus, vidua. Ab eo, cui commendamus, itidem gemina eſt ratio: vel quia ſumma ſit ejus humanitas erga omnes bonos, beneque merendi de aliis ſtudium penè ei in naturam verterit: vel quia nobis ſit conjunctiſſimus, ut jure amicitiæ hoc ab eo poſcere non dubitemus. In re ipſa conſiderantur capita generis deliberativi, ſive ſtatus negotialis, antea memorata. Ut ab honeſto, quia (ut nihil aliud referret) bonam habebit conſcientiam; qui viro bono fructus eſt maximus: ab utili, quia non unâ in re magnum ex eo commodum ſit percepturus: à glorioſo, quia ille, cui benefaciet, laudi ſit futurus, ac honori: à facili, quia parvo, aut nullo negotio, eâ in re magno eſſe alteri queat adjumento.

Etiam hunc, vel ſimilem in modum, οἰκονομίας inſtitui poſſit. Primùm laudatione, tanquam illice quodam vinculo pertrahere aliquem conabimur in amorem ejus, qui commendatur.

Exinde exponemus negotium, cujus gratiâ aliquis commendationis noſtræ eget.

Tertio loco ſequetur petitio ipſa.

Quarta pars rationes afferet, tum à naturâ rei, ut ab æquitate ejus, & ſimilibus: tum aliunde, ut à beneficiis antea collatis, ab amicitiâ veteri, aut nuper initâ, ab exemplo noſtro, aut aliorum, ab interceſſione, & precibus multorum.

Poſtremo loco, & nos, & eum, qui commendatur, beneficii fore memores pollicebimur: vel commendationis noſtræ cauſſas adferemus: vel exponemus fiduciam, quam de amico concepimus: vel ἁπλῶς repetemus commendationem noſtram.

Prudentiæ autem eſt diſpicere, quis, cui, quem commendet. Aliter enim par pari commendat; aliter princeps privato aut privatus principi: aliter item ſervum commendamus, quàm liberum; inopem, quàm divitem; ignobilem, quàm nobilem. In eo cui ſcribimus, profeſſio etiam ſpectanda. Cicero ſanè, aliquem Bruto, qui Stoicus erat, commendans, ait: *Tum fortunâ, ſiquid hoc ad rem pertinet, ornatus.* Nempe quia, juxta Stoicos, virtus ſola ad beatam vitam ſufficit. Ante omnia autem videndum, num quis commendatione noſtrâ dignus ſit. Optimè Theognis:

* Μή ποτ' ἐπαινήσῃς, πρὶν ἂν εἰδῇς ἄνδρα σαφηνῶς,
Ὀργὴν, καὶ ῥυθμὸν, καὶ τρόπον ὅστις ἂν ᾖ.

* *Nunquam laudâris aliquem, priuſquam manifeſte videtur, Quibus affectibus, ingenio, ac moribus aliquis ſit.*

Quod ſi non planè aliquis notus ſit nobis, imitabimur Platonem, vel aliùm potiùs, qui Dionyſio Heliconem Cycicenum commendat epiſtolâ illâ, quæ inter Platonicas dicitur decimatertia, ſed omnino ſuppoſititia eſt. Verba ejus ſunt: Δεδιὼς δὲ λέγω ταῦτα, ὅτι ὑπὲρ ἀνθρώπου δόξαν ἀποφαίνομαι, οὐ φαύλου ζώου, ἀλλ' εὐμεταβόλου. *Timidè autem hæc dico: quippe de homine ſententiam profero, animali non malo quidem, ſed facilè mutabili.*

Exempla ſi commendationis velis, adi Demoſthenem epiſt. III, quâ Licurgi liberos, & Æſchinem epiſt. VI, ubi Ariſtonem hoſpitem commendat. Item Terentium And. act. I. ſc. V. ubi refertur Chryſidis oratio, quâ Glycerium commendabat Pamphilo. Ciceronem lib. I. epiſt. III, quâ Lentulum commendatum it Trebonio: lib. II. epiſt. VI. ubi Milo, conſulatum petens, commendatur Curioni: & XIV, quâ M. Fabius commendatur Cœlio ædili: & lib. VI. epiſt. IX, ubi A. Cæcinam Turſanio commendat: & lib. XI. epiſt. XVI, & XVII, quarum utrâque L. Lamia in petitione præturæ commendatur D. Bruto: & XXII, quâ eidem Appium Claudium commendat. Et lib. XII. epiſt. XXVII, ac XXIX, quarum priori negotia Aufidii, alterâ Lamiæ negotia Cornificio commendat: ut mittam illas libri XIII, quæ commendatitiæ ſunt propè univerſæ. Brevitatis cauſſâ mitto illas ad Atticum, & Brutum. Etiam exemplum commendantis adoleſcentem alteri, ut ei filiam fratris deſpondeat, habes apud Plinium lib I. epiſt. XIV, quæ ad Junium Mauricum. Idem lib. II. epiſt. XVII. Voconium Romanum Priſco commendat. Uti Gavio Maximo Arrianum Maturium lib. III. epiſt. II. Soſſio Calviſium Nepotem lib. IV. epiſt. IV. & ejuſdem libri epiſt. XIV. Fundano Aſinium Baſſum. Item Priſco Attilium Creſcentem lib. VI. epiſt. VIII. Apud Herodianum habemus orationem M. Antonini imperatoris, quâ, cùm non multùm ſe à vitæ exitu abeſſe intelligeret, filium ſuum Commodum amicis commendabat. Item orationem Læti, Pertinacem commendantis poſt necem Commodi. Et apud Ammianum orat. Valentiani, Gratianum commendantis exercitui, ut ei tradatur imperium. Habes & apud ſacros doctores complura exempla. Contentus ero duobus; Nazianzeno, gravi, & diſerto Theologo, & Syneſio, miræ venuſtatis ſcriptore. Theologus epiſtolâ XLVII, & proximâ, Aſterio commendat cauſſam Nicobuli. Et epiſt. CV. Cæſario it commendatum conſobrinos ſuos; quorum ut patrocinium ſuſcipiat, rogat. Idem

ep. CVII. ad Sophronium commendationem Nicoſtrati conſignat. Vide & commendatitiam CVIII, CIX, CX, CXI. Idem Nicobulum breviter, nec ineleganter, commendat doctori ejus Eudoxio rhetori epiſt. CXVI. quod & priori facit epiſtola, ac ſeq. Etiam vide ſis epiſt. CXXXII. ad Saturninum, & CXXXIV. ad Nicetam, ſive Victorem, & CXXXV. ad Modarium, & CXXXIX. ad Themiſtium, & CXLVI. ad Jacobum, & ſeq. ad eundem, & CLI. ac proximam ad Alypium, & CLVII. cùm ſequenti ad Procopium, & CLIX. cum proximâ ad Amphilochium. Syneſium autem vide epiſt. XXXVIII. ad Aurelianum, & LIX. ad Anyſium, & LXVIII. ad Theophilum, & LXXXII. ad Chryſen, & LXXXV. ad eundem, XCVIII. ad Olympium, & CVII. ad Heliodorum, & CVIII. ac ſequenti, utrâque ad Troilum. Elegantiſſima etiam eſt CXXX. qua Pylemeni Diogenem commendat. Atque idem CLIV. Donatiano Scholaſtico commendat miſerabilem militem.

Commendanti interdum reſpondemus tribus verbis: ut cùm argumentis nullis opus. Facit id Tullius ad Att. lib. II. epiſt. XXII. *Anicato, ut te velle intellexeram, nullo loco defui. Numeſtium ex literis tuis ſtudioſè ſcriptis libenter in amicitiam recepi. Cæcilium, quibus rebus poſſum, tueor diligenter.* Sin fuſiùs tractandum id argumentum: conſiderare oportet perſonam utramque, & commendantis, & commendati: item rei naturam. In hâc ſpectamus, an ea ſit honeſta, facilis, utilis. Qualis ſi erit, turpe ſit nolle gratificari alteri. Ergò dicemus, eum, qui commendatur, commendatiſſimum nobis eſſe: turpe fore, in ejuſmodi poſtulato non morem gerere: eo nos ſemper animo fuiſſe, ut bene vellemus mereri de omnibus, inprimis de amicis, vel noſtri ſtudioſis, vel viris bonis, doctis, aut qui nobis ab amicis commendantur. Etiam in hujuſmodi argumento excitatur ſpes eorum, quæ grata commendanti, utilia commendato. Ἦθος relucet laudando commendatum; ac teſtando benevolentiam, officium, ſtudium. Quod bifariam fit. Si facilè ac minutum ſit, quod poſcitur; dicemus, nos quidem lætari, quòd in aliquâ re poſſimus ei gratificari; ſed vehementer optare, ut affectum noſtrum teſtari poſſimus in re majori. Rogabimus quoque, ut multùm operâ noſtrâ, atque in rebus etiam longè majoribus, uti velit: atque idem nos facturos, ſi uſus ferat. Quâ ratione benevolentiam noſtram teſtabimur, ac libenter nos morem geſſiſſe oſtendemus.

Sin res difficilis ſit, ac gratificari nihilominus viſum erit; ſignificabimus rei difficultatem, ac quàm parùm poſſimus: interim tantum dicemus eſſe amorem noſtrum, ut non putaverimus ceſſandum, uſque dum amico ſatisfecerimus. Ac ſi alter promiſerit benevolentiam ſuam, eam nos cupere dicemus. Sin alter dixerit, ſe propterea æternùm fore nobis obſtrictiſſimum; negabimus, eum nobis quicquam debere. Hanc enim naturam eſſe amicitiæ, ut mutuò benefaciamus, cùm poſſimus. Itaque in poſterum etiam nos operam ei noſtram in omnibus offerre: & velle viciſſim ejus operâ uti, quoties ita res feret. Vide Ciceronem lib. V. epiſt. XI. ad Vatinium, qui Pompejam, uxorem ſuam, Tullio commendârat: & lib. XV. epiſt. XIV. ad Caſſium, à quo commendatus fuerat M. Fabius: Plinium lib. VI. epiſt. IX. ad Tacitum, qui commendârat Naſonem: & eodem lib. epiſt. XVIII. ad Sabinum, qui à Plinio petierat, ut Firmanis patrocinaretur.

Sin ſatisfacere poſtulato animus non ſit; videndum erit, cur detrectemus: num quia res inhoneſta, an damnoſa, an periculoſa. Partes erunt tres potiſſimùm.

Primùm dicemus, nihil nobis jucundius fore, quàm ut gratificari amico poſſemus; ac propterea dolere, quòd nunc id non valeamus.

Hinc exponemus cauſſas, à tenuitate virium noſtrarum, temporum difficultate, adverſariorum potentiâ, & ſimilibus.

Denique veniam poſcemus, quòd non poſſimus morem gerere: atque aliis in rebus ſtudium, & operam noſtram, pollicebimur.

Vide libri X. epiſtolam II. quâ Cicero ſe excuſat Planco, quòd honoris ejus cauſsâ non venerit in Senatum, inque cæteris officium ei ſuum promittit.

III. De conciliatoria.

Conciliatoria Græcis ἐπαγωγικὴ, & προσκλητικὴ vocatur. Ea id oratoribus præſtat, quod poëtæ tribuunt ceſto Veneris. Nam delenificâ oratione alium in ſui illicit amorem. Ac primò quidem in eâ adferuntur cauſſæ, ob quas pultemus amicitiæ fores. Continet autem hæc pars laudes ejus, quem compellamus. Deinde dicimus, nos, hiſce laudibus impulſos, nihil æquè optare, quàm ut amicorum albo adſcribamur. Poſtremò rationes adduntur, cur cenſeamus, nos haut indignos eſſe, quibus amoris fores reſerentur: unde hîc propriæ laudes locum habent. Interim in primâ parte cavendum, ne paraſitico more palpum velle obtrudere videamur: quod fiet, ſi nimiùm laudemus. Optimè Euripides Heraclidis:

Πόλει μὲν ἀρκεῖ· καὶ γὰρ οὐκ ἐπίφθονον
Λίαν γ' ἐπαινεῖν ἐστι. πολλάκις δὲ δὴ
Καὐτὸς βαρυνθεὶς οἶδ' ἄγαν γ' αἰνούμενος.

Hoc eſt, interprete H. Grotio:

Et hoc quidem urbi ſufficit. nam tædio eſt
Laudare nimium; ſæpe laudatus quoque
Expendere ipſe ſentit excedi modum.

Scitum etiam illud in Oreſte; quæ non majoris Euripidis, ſed ejus, qui ex Euripidis fratre natus, fabula eſt, teſte Suidâ:

Βάρος τι κἀν τῷδ' ἐστιν, αἰνεῖσθαι λίαν.
Moleſtum & illud eſt, nimis laudarier.

In poſtremâ verò parte, h. e. laudatione ſui, diſpiciendum, ne Thraſonibus iſtis ſimiles dicamur, qui quodam Tragici cothurni ſtrepitu ſua ſuoſque jactant, ac, Mithæci cùm ſint, Agamemnonem ſimulant.

Conciliatoriæ exemplum eſt apud Livium lib. XXVI, oratio P. Scipionis ad Luccejum, Celtiberorum principem, cùm virginem redderet ei deſponſatam: apud Tacitum Hiſtor. lib. I. oratio Piſonis ad cohortem in palatio collocatam præſidii cauſsâ: apud Amm. Marcellinum lib. XXXVI. oratio Valentiniani recens creati imperatoris, ad exercitum minùs faventem. Uti & Nazianzeni epiſtola XLVI. quâ amicitiam Africani petit: & CXXVIII. ubi Adelphii poſcit amicitiam: item Politiani epiſtola lib. IX. ad Matthiam, Pannoniæ regem.

Porrò non illæ ſolùm conciliatoriæ cenſendæ, quibus nobis conciliamus amorem alicujus: ſed etiam, quâ inter ſe conciliamus diſſidentes. Cujuſmodi apud Livium lib. XL, oratio C. Cæcilii Metelli ad M. Lepidum, & M. Fulvium, cenſores. Similis fuit oratio Himerii ad ſedandam ſeditionem ponè ludum concitatam. Ejus exordium apud Photium in myriobiblo habes. Etiam ad reconciliationem referre poſſis argumentum epiſtolæ Plinianæ ad Geminium, quæ ſecunda & vigeſima eſt libri VIII. & lib. IX. epiſt. XXI, quâ ſtudet in Sabiniani gratiam reducere libertum ejus. Vide & Nazianzeni epiſtolam XIX. * ad Baſilium; ubi eum hortatur ad concordiam cum Euſebio, Cæſarienſi epiſcopo: item proximam, quæ ad ipſum Euſebium. Item LX. † ad Sophronium; quâ monet, atque incitat eum, ut controverſias inter Orientis, & Occidentis epiſcopos, componat.

* Ex Billii diſtinctione, quæ in Græco codice eſt ſolet 16.
† Al. 55.

VIII. De panegyricis.

Venio ad orationes generis demonſtrativi: in quibus panegyricæ primum ſibi locum vindicant. Sed panegyricæ non uno dicuntur modo. Primò ac propriè ſic vocabantur, quæ habitæ eſſent in panegyri; puta in ludis ac celebritatibus totius Græciæ. Quæ quomodo ſcribi debeant, ex Dionyſio Halicarnaſſeo, & Menandro rhetore, cognoſcimus. His nunc non inſiſtam, quia, ut ludorum ejuſmodi, ita & orationum id genus conſuetudo exolevit. Præterea verò panegyricæ etiam dictæ, quæ in laudem prin-

principis habebantur in Senatu, vel alio nobili conſeſſu. Harum pulcherrimum exemplum habemus in panegyrico Plinii, quem breviùs ac ſuccinctiùs Trajano priùs dixit ſub formâ gratiarum actionis: poſtea verò *uberius & ſpatioſius* (ut ipſe de ſe teſtatur*) *volumine eo amplexus* eſt, quod exſtat. In eo quæ inprimis ſpectare oporteat, non alius nos meliùs docebit, quàm Plinius ipſe: cujus hæc verba libro III. epiſt. XIII. *Librum, quo nuper optimo principi gratias egi, miſi exigenti tibi; miſſurus etiamſi non exegiſſes. In hoc conſideres velim, ut pulchritudinem materiæ, ita difficultatem. In cæteris enim novitas ipſa lectorem intentum habet: in hoc nota, vulgata, dicta ſunt omnia. Quo fit ut quaſi otioſus ſecuruſque lector, tantùm elocutioni vacet. in qua ſatisfacere difficilius eſt, cùm ſola æſtimatur. Atque utinam* ORDO *ſaltem, &* TRANSITUS, ET FIGURÆ, *ſimul ſpectarentur! Nam invenire præclarè, enunciare magnificè, interdum etiam barbari ſolent: diſponere aptè, figurare variè, niſi eruditis negatum eſt.* Ordo verò iſtiuſmodi eſt. Primùm publicam Cæſaris vitam exponit. In quâ temporis ordinem ſequitur. Ab adoptione enim orditur, ac in tertio conſulatu deſinit. Exponit autem, quicquid interim actum ab eo laudabiliter, ac bono publico. Poſt hæc in privata ejus vitâ domum compoſitam conſiderat. Itaque Plotinam uxorem, & Martianam ſororem, ut Trajano ſimiles, extollit: imperatorem ipſum prædicat, quòd amicos colat, & eo quemque loco habeat, quo meretur. Utinam vero ſeriùs hæc oratio habita eſſet, ut reliquam etiam præſtantiſſimi imperatoris vitam haberemus. Nunc in tertio ejus conſulatu ſiſtit auctor. Itaque nihil hic legas de Decebalo victo, unde Dacici cognomen retulit; quod quarto contigit conſulatu: nihil de tot aliis præclarè poſtea ab eo geſtis. Illa verò, quæ Plinius refert, non eum magnum oſtendunt ducem, nec id docere Plinius potuit, quia necdum ejus ductu bellum geſtum erat: ſed ſolùm ſigna ſunt, unde liquidò conjecturam capere eſſet, eum magnum ducem fore. Verùm, quâ parte nos Plinius deſtituit, panegyriſtæ alii, ſed aliis in imperatoribus, exemplo eſſe poſſint. Ut è Latinis Mamertinus, & alii, qui cum eo excudi ſolent. Nec planè aſpernandus B. Ennodius, Ticinenſis epiſcopus, panegyrico, quem dixit Theoderico, Gothorum regi. E Græcis adeundus Julianus imperator, orationibus duabus in laudem Conſtantii imperatoris. Atque ejuſdem oratio exſtat in laudem imperatricis Euſebiæ. Tres iſtas Græce cum tralatione ſuâ primus edidit V. Cl. Dionyſius Petavius. Vide & eas Themiſtii orationes, quas diximus lib. I. cap. V. ſect. XXXI. Juvabunt quoque Latinorum poëtarum panegyrici: ut ille Tibulli ad Meſſalam lib. IV. item ſeu Ovidii, ſeu Lucani, ad Calpurnium Piſonem: adhæc panegyrici Claudiani, Sidonii, aliorum.

* Lib. 3. ep. 18.

IX. De nuptiali.

AD demonſtrativum etiam genus pertinent, quæ Dionyſius Halicarnaſſenſis eruditè tradit de ſcribendâ oratione nuptiali; item quâ prætor à rep. aut principe, rei adminiſtrandæ gratiâ, compellandus & excipiendus eſt.

In nuptiali oratione præcipuum locum obtinent laus ſponſi ſponſæque, laus nuptiarum, & votum pro felici connubii ſucceſſu. Multa ad nuptiarum laudem pertinentia ſuppeditabunt qui de bono matrimonii ſcripſerunt. Ut B. Auguſtinus libro eo qui de bono conjugali inſcribitur. Et tot alii veterum, ac juniorum. Votum præcipuè concordiam & liberos ſpectat. In parte eâ, quæ concordiam reſpicit, non parum, ut puto, juvabit Juſtus Lipſius eleganti epiſtolâ ad Sweertium, quæ eſt quadrageſima centuriæ tertiæ ad Belgas. Ad liberos præcipuè pertinet votum illud Nazianzeni epiſtolâ CLXXI. ad Euſebium; ubi ait, alios nuptialem orationem conſumere in laudatione, ſe in voto. Sed operæ eſt ipſum audire. Ἄλλοι μὲν οὖν καλλιτεχνοῦσιν ἔρωτας, ἐπειδὰν γαμικὸν καὶ τὸ παίζειν, καὶ παρθένων κάλλος γραφέτωσαν, καὶ νυμφίου χάριν ἀντεγειρέτωσαν, καὶ βαλλέτωσαν λόγοις μετὰ τῶν ἀνθέων τὰς παστάδας. ἐγὼ δ' ὑμῖν ἀποδώσω τὸ ἐμὸν ἐπιθαλάμιον. Εὐλογήσαι ὑμᾶς Κύριος ἐκ Σιών· καὶ αὐτὸς ἁρμόσαι τὴν συζυγίαν. καὶ ἴδοις υἱοὺς τῶν υἱῶν σου· οὐ πολὺ δ' εἰπεῖν, ὅτι καὶ κρείττονας. *Alii igitur vocent amores, (quia & ludere convenit nuptiis) & virginis venuſtatem oratione depingant, & viciſſim attollant pulchritudinem ſponſi, ac thalamum ut floribus, ita ſermone conſpergant. Ego verò accinam vobis nuptiale meum carmen: Benedicat vobis Dominus ex Sion, atque ipſe matrimonium concinnet, videaſque ipſe filios filiorum tuorum, ac parum abeſt, quin addam, etiam te præſtantiores.* Vide & epiſt. CXCIII, ubi Diocli optat παρεῖναι Χριστὸν τοῖς γάμοις· ποῦ δὲ Χριστὸς, εὐκοσμία· καὶ τὸ γενέσθαι οἶνον τὸ ὕδωρ· τὸ δέ ἐστι, πάντα μεταποιεῖσθαι εἰς τὸ βέλτιον· *ut Chriſtus nuptiis interſit: ubi verò ille, ibi modeſtia: item ut aqua in vinum convertatur, hoc eſt, ut omnia convertantur in melius.* Atque hæc generatim. Fuſiùs verò aliquanto de nuptiali oratione agit in opuſculis ſuis ab Angelo Brittannico editis Marinus Becichemus Scodrenſis: qui omnia è Græcis ſe fontibus hauſiſſe, candidè profitetur. Sed mirum ea Pauſaniæ tribuere, quæ ſunt Dionyſii Halicarnaſſenſis. Ex eodem Dionyſio etiam de epithalamiis cognoſces. Quo nomine quid propriè notetur, docet Proclus in Chreſtomathiâ apud Photium, his verbis: Τὸ ἐπιθαλάμιον τοῖς ἄρτι θαλαμευομένοις ἅμα οἱ ἠΐθεοι, καὶ αἱ παρθένοι, ἐπὶ τῶν θαλάμων ᾖδον. *Epithalamia, ſponſo ſponsâque thalamum jam ingreſſis, juvenes pariter ac virgines thalamo adſtantes canebant.* Addit è contrario, Ὑμέναιον ἐν γάμοις ᾄδεσθαι. *Hymenæum*, ſive carmen nuptiale, *in nuptiis cantari.* Sed aliis Hymenæus potiùs eſt epithalamium, quàm oratio nuptialis.

Quæritur, an epithalamium dici poſſit carmen Catulli, cujus initium, *Collis ô Heliconii*: aut, *Veſper adeſt, juvenes.* Propriè epithalamium eſſe, negat Muretus notis, quas in eum poëtam ſcripſit. Sed Latini latiùs uſi epithalamii vocabulo. Fabius enim clarè poëma illud, *Veſper adeſt, juvenes*, epithalamium appellat lib. IX. cap. III. ubi ex eo citat hæc verba:

—— *Dum innupta manet, dum cara ſuis eſt.*

Doctiſſimus Joannes Hartungus in locis memorabilibus * inter ea, quæ à veteribus citantur, nec uſpiam occurrunt, reponit illud, quòd Fabius ex Epithalamio Catulli adducat,

—— *Dum innupta manet, dum cara ſuis eſt.*

Sed ſunt ea ex carmine, quod dixi. Niſi quòd Fabius, memoriæ errore, pro *intacta* poſuit *innupta.* Etiam *eſt* ſubſtituit pro *ſed*: verùm id ſtudio egit, ne ſequentia etiam adjicere cogeretur. Exſtat ejuſdem Catulli carmen de nuptiis Pelei & Thetidos: de quibus antea ſcripſerant Heſiodus, & Agameſtor, ſeu Agametor. Ex utroque verſus quoſdam citat Iſacius Tzetzes †. Theocriti Idyll XVIII. epithalamium eſt Helenæ. Adi & excerpta Photii ex Himerii epithalamio ad Severum: ut de Statio, Claudiano, Sidonio, ac poëtarum aliis, nihil dicam.

* Decuri. 1. cap. 10.

† Prolegomenis in Caſſandram Lycoph. & pag 38. edit. Oper.

Etiam ad demonſtrativum genus pertinet tum natalitia, tum funebris. Quomodo natalitia ſcribi debeat, ex Dionyſio Halicarn. cognoſces. Vide & Genethliacam orationem Ariſtidis in Apellam: & è poëtis Genethliacon Lucani, quod ad Pollam Argentariam, Lucani uxorem cariſſimam, vel viduam potiùs, Statius ſcripſit in ſecundo Silvarum.

X. De funebri.

FUnebrium orationum origo apud Græcos cœpit à Solone; ut Anaximenes tradidit: apud Romanos autem à Valerio Poplicolâ; qui collegam ſuum, Junium Brutum, in pugnâ cum Arunte, Tarquinii filio, cæſum, funebri oratione eſt proſecutus; tantoque id cum populi applauſu fecit, ut exinde mos obtinuerit laudandi eos, qui ſtrenuè in bello cecidiſſent. Auctor Plutarchus in Poplicola. Hujuſmodi autem laudationibus factam eſſe hiſtoriam mendoſiorem, auctor eſt Tullius in Bruto, & Livius lib. V. ab V. C.

** Ἐν τέχνῃ.*
† Capita ac loci.
‡ Laus, lamentatio, ac conſolatio.

Orationis funebris à Dionyſio Halcam.* tria ſtatuuntur κεφάλαια † ἔπαινος, θρῆνος, καὶ παραμυθία ‡.

Vide orationem funebrem Periclis apud Thucydidem libro II. quâ laudat in prœlio cæſos. Item Demoſthenis orat. in laudem eorum, qui Chæronenſi prœlio erant interfecti. Quamquam oratio ea non videtur genuina. Sanè licet illam agnoſcat Plutarchus; tamen de eâ ambigunt Dionyſius Halicarnaſſenſis, & Libanius. Etiam apud Dionem lib. XLIV. habes M. Antonii orationem funebrem in laudem Julii Cæſaris, & lib. LVI. aliam Tiberii in laudem Auguſti. Adi & funebrem Ariſtidis in Eteoneum, & alteram in Alexandrum: quorum ille adoleſcentulus, hic admodum ſenex, deceſſerat. Ut ex orationibus iis operoſum non ſit cognoſcere, quomodo pro ætate diverſâ aliter, atque aliter, laudare conveniat. Apud Vopiſcum, interfectum Aurelianum laudat Tacitus. Adi & Nazianzeni orationes funebres in fratrem Cæſarium, ſororem Gorgoniam, patrem ſuum, magnumque in Athanaſium: & funebrem Nyſſeni in Pulcheriam, Baſilium, M. Placillam imperatricem, & Meletium, epiſcopum Antiochenum. Item apud B. Hieronymum epitaphium Marcellæ ad Principiam virginem, Marcellæ contubernalem & diſcipulam: nec non Bleſillæ ad Paullinam, ejus matrem; Paulæ ad Euſtochium, ejus filiam; Fabiolæ ad Oceanum. Et excerpta Photii ex Himerii oratione funebri in filium. Et hi quidem proſâ ſcripſere.

Ex poëtis Moſchus reliquit epitaphium Bionis, Bion Adonidis. Epicedium pſittaco Melioris Atedii ſcripſit Statius ſecundo Silvarum: item Pileti Urſi ad parentem. Et libro III. habes epicedium parenti Claudii Etruſci ſcriptum. Adhæc epicedium patris ſui conſcripſit libro V. Item pueri vernæ; non filii; ut habet inſcriptio.

** Epicedium pro funere, cadavere adhuc jacente, dicatur: threnus vero nullo circumſcribatur tempore.*
† Apud Photium in biblioth.

Propriè autem differunt ἐπικήδειον, & θρῆνος, quòd ἐπικήδειον * παρ' αὐτὸ τὸ κῆδος ἔτι τοῦ σώματος προκειμένου λέγεται· ὁ δὲ θρῆνος οὐ περιγράφεται χρόνῳ, ut eſt apud Proclum in Creſtomathia †.

Apud gentes cantibus funebribus præerat Jalemus, ut nuptiis Hymenæus: uterque Cliûs filius. Ariſtophanes in vocibus Atticis, apud Athenæum: Ἐν γάμοις Ὑμέναιος, ἐν δὲ πένθεσιν Ἰάλεμος. Atque ab eo ἰαλεμίζειν.

Nec threni ſemper ſunt ſuper mortuo; ſed etiam ſuper calamitatibus temporum. Quod ex threnis prophetæ Jeremiæ cognoſcimus; quibus miſerabilem deplorat Judæorum ſtatum: item threnis Nazianzeni; unde dilucet, quanta ille tum in ſollicitudine, ac mœrore, ob peccata verſaretur.

XI. De gratiarum actione.

PRæterea ad demonſtrativum genus pertinent gratiarum actio, & gratulatoria. Nam in illâ beneficium laudamus, quod accepimus: in hâc bonum extollimus, quo alter auctus eſt. Quod ſi gratulatoria hujus generis eſt; in eandem quoque bilancem imponenda erit lamentatoria: quippe eâ tum laudamus ſive perſonam, qua orbati ſumus; ſive rem, quam nobis penè ſanguinem animamque fuiſſe oſtendimus: tum quoque vituperamus hominem, aut rem, per quam in iſthoc incidimus infortunium.

Quare ut de his quoque ordine dicamus, in gratiarum actione ad δεικτικὰ argumenta pertinet, ſi in eo tum beneficii laudes auctorem; tum beneficium ipſum extollas, atque amplifices. Ac beneficium quidem laudes, quia ſit honeſtum, utile, jucundum. Amplifices vero illud ex eo, quia quis beneficium contulerit, primus, ſolus, vel cum paucis, vel tempore maximè oportuno, vel ſæpe, aut citò, & aliis modis: de quo vide, quæ diximus lib. I. cap. IX. Παθητικὰ argumenta ſunt, quibus amor aut benevolentia conciliatur: aut gignitur benevolentia aliorum, qui benefaciendo æternum ſibi nominis decus pararunt: aut quibus ſpes concitatur animi grati, ac remunerationis. Ἠθικὰ ſunt, ſi extenues vires tuas ad gratias referendas, Deumque ores, ut dignas ille gratias rependat: ſi item oſtendas, non dubitare te de fide & conſtantiâ amici in te promovendo: & tamen id facias modeſtè, ne in expo-ſcendo beneficio novo tranſgredi videaris verecundiæ fines.

Atque ex his videre ſit, quæ in hoc genere præcipua ſint argumenta, tum λογικὰ, tum παθητικὰ, tum ἠθικά. Quomodo verò ea miſceantur, ac tractentur, liquidius fiet ex iis, quæ deinceps exponam.

Gratiarum actio conſtat inprimis duabus partibus. Prior eſt laudatio, & amplificatio beneficii. Eſt igitur ea pars, vel ἔπαινος, vel ἐγκώμιον. Nam, ut ſuprà diximus, ἔπαινος indicat magnitudinem virtutis: ἐγκώμιον verò actiones virtutis. At gratiarum actio, tum magnitudinem, indicat beneficentiæ, quæ virtus eſt: tum beneficiorum, quæ ſunt virtutis actiones. Conſiderantur autem beneficia tum præterita, tum præſentia, tum futura: & pro bonis tum antea partis, tum iis quibus fruimur, tum ſperatis, ſignificabit, quantum ſibi etiam ante acceptum beneficium de eo promiſerit, quantam in præſentia ejus benignitatem ſentiat, & quantam ſperet in poſterum. In quibus tractandis Ethopœia inſervit.

Laudabimus verò beneficia à perſonâ, vel re ipſa. Perſona eſt vel dantis, vel recipientis. A dantis perſonâ extollimus illud, ſi dicamus, non rogatum, ſed ſponte; non debentem, ſed immerenti; non ægrè, ſed lubentiſſimo animo contuliſſe. Atque hic occaſio erit prædicandi ejus liberalitatem, ac magnificentiam. Sin non ſponte, ſed rogatus benefecerit; dicemus, eum citiùs opinione id noſtrâ egiſſe. Ubi ejus ſtudium, fidem, atque induſtriam prædicabimus. Addemus, eum plus laboris ſuſcepiſſe, vel plus nobis contuliſſe, quàm auſi eramus rogare, vel etiam, quàm opus fuit. Sin priores benefecimus; dicemus, plus rependiſſe, quàm acceperat; vel citiùs, quàm neceſſe erat. A recipientis perſonâ laus petitur, ſi neceſſitatem noſtram exponamus: ut quòd ſine eo beneficio non potuerit nobis non malè eſſe. Item addere licebit, nos vel ſanguine, vel affinitate, vel amicitiâ, vel patriâ, vel profeſſione, vel moribus ei conjungi, vel iis, qui illi conjunctiſſimi: quæ res benevolentiam parit. A re ipſa extollitur beneficium, ſi illud dicatur fuiſſe magnum, opportunum, inſperatum, & quæ hujuſmodi alia.

Porrò hic quoque interdum eſt periculum, ne nimis beneficium exiguum extollentes, videamur ludere, aut paraſitari. Ad dilatandum verò licebit hypotheſin reducere ad theſin: ut ſi laudaturus liberalitem Alexandri, univerſè liberalitatem extollas. Theſis verò hæc amplificatur, tum à contrariis; ut ſi avaritia vituperetur: tum à comparatione, ſimili, exemplo: quemadmodum in progymnaſmatis docetur, ubi de Chriæ & Sententiæ tractatione agitur.

Pars altera gratum pollicetur animum; ac ſi quidem, qui beneficium accepit, remunerandi habeat poteſtatem, pollicebitur, ſe aut paria facturum, aut in re majori uberiorem quoque gratiam relaturum. Sin verò remunerandi vires haut ſupperant; promittet, ſe beneficium hoc inſculpturum animo penitiſſimo; cumque nulla ſit ſpes gratiam referendi, rogare ſe Deum Opt. Max., ut is ſuppleat, quod ſibi ob ſortem paupertinam haut licet. Hanc ni rationem inire malit, quàm opulentum aliquid ſpirare; audiet meritò Plautinum * iſthoc: *Verba ſine penu & pecuniâ.*

** In Capt. ſc. Miſer homo eſt.*

Vide apud Livium lib. XXVIII. orationem Saguntinorum gratias agentium ſenatui Romano, quòd eorum cauſſâ bellum adverſus Hannibalem ſuſcepiſſet. Item apud Salluſtium in Jugurthinâ habes orationem Bocchi Regis ad Syllam, qui ei obtulerat gratiam atque amicitiam populi Romani. Luculentâ etiam oratione Auſonius Gratiano egit gratias pro conſulatu. Quod ſi epiſtolas hujus generis velis, Ciceronem adi lib. III. epiſt. ult., quâ Appio Pulchro gratias agit ob ſupplicationem ſibi ejus operâ decretam: & lib. XV. epiſt. XI, quâ ob eandem gratum ſe præſtat C. Marcello. Item Plinium lib. V. epiſt. II, ubi Flacco pro turdis miſſis gratias agit. Et lib. IX, epiſt. XXIV. ubi agit gratias, quod libertum, aliquando gratum, reduxerit do-

domum. Et Nazianzenus epiſt. cxxv. ad Aſterium; uti & epiſt. ſeq. ad eundem, & cxlix. ad Alypium. Item Chryſoſtomum epiſt. iii. quæ ad Innocentium, epiſcopum Romanum. Exſtat & Sidonii Apollinaris † Euchariſticon ad Fauſtum: item B. Ennodii, Ticinenſis epiſcopi, (qui anno vixit quingenteſimo) dictio ad grammaticum; quâ gratias ei agit pro operâ Parthenio, ſororis ſuæ filio, in declamandi exercitio impenſâ. Sed hujuſmodi ſcriptores, ætatis vitio, quâ vixere, conceptus quidem noſ ſenſus juvare poſſint: at non elocutionem & ſtylum: quâ parte iis multi juniorum præferri merentur: velut Angelus Politianus lib. i. epiſt. x. ubi Hermolao Barbaro gratias agit, ſanè eleganter.

† Carm. 160.

XII. De gratulatione.

IN *gratulatione* cogitandum primùm de argumentis δεικτικοῖς. Ut enim probamus, magnum illud eſſe, cujus cauſſâ gratulamur. Ubi & res, & perſona conſideranda, ne videamur in lente quærere unguentum, ac τορύνην ζητεῖν *. Ex argumentis παθητικοῖς hic præcipuè locum habent, quæ afferunt vel χαρὰν, ſive gaudium, vel χαίρειν, ſeu lætitiam, vel etiam ζῆλον, ſive æmulationem. Nam hortamur, ut quis æmulari pergat ſummos viros: vel non cum aliis ſolùm, ſed ſecum etiam deinceps certet. Ad ἦθος pertinet, ut laudes alterum, ſed citra aſſentationis ſuſpicionem: ut dicas bonum alterius etiam ad te pertinere, ſive ob amicitiam, ſive aliud vinculum: ut in poſterum etiam optima quæque voveas, atque optes, ut ſeu apertè, ſeu obliquè, ad eam deinceps colendam adhorteris.

* Tudiculam expetere.

Interea non ignorandum, aliter gratulandum eſſe principi, quàm privato: aliter in re magnâ, quàm minutâ: ſemperque operam eſſe dandam, ut gratulatio vera, atque ab animo eſſe profecta videatur.

Ordo pro re natâ, ac cujuſque arbitrio, mirè variat. Inter modos cæteros hic non incommodè inibitur. Primùm indicabimus, impensè nos delectatos fuiſſe nuncio de alieno bono. Deinde extollemus illud bonum: ac quidem, ſi magnum erit, dicemus, eum, cui gratulamur, dignum tanto bono fuiſſe: nec temere alium reperiri poſſe, cui magis illud conveniret. Quod ſi munus aut dignitas erit; addemus, non perſonæ modò, ſed publico quoque, ſic eſſe optimè proſpectum. Si bonum, quo quis auctus, non ita magnum videatur; ubi jam extulerimus illud, negabimus tamen ejus meritis reſpondere: interea quaſi gradum quendam fore ad majora. Laudabimus etiam virtutem atque induſtriam, quâ bonum hoc eſt conſecutus. Si gratulabimur ob dignitatem reſtitutam; amiſſionis culpam in factioſa tempora, atque improbitatem quorundam, conferemus: quòd verò quis redditus ſit priori dignitati, id eſſe virtutis, dicemus: ac divinam etiam bonitatem ex eo perſpici, quòd temporibus adeò corruptis, tam citò, tam inſperato, tam feliciter, res tanta ſucceſſerit. Poſteà orabimus, ut bonum hoc ſit ſalutare ipſi, amicis, & Reipublicæ: ac eâdem precabimur, ut porrò ei ſecundo omnia ferantur æſtu. Quod ſi amicitiâ nobis conjuncto gratulemur; licebit eum adhortari, ac monere, quo pacto ſe in poſterum gerere debeat. Fore dicemus, ut ex eo non ad ipſum modò, ſed ad nos quoque gloria redundet: ac contrà illius ignominiam etiam noſtram fore. Sin ejus ſit dignitatis, ut iſta non deceant nos; dicemus, dubitare neminem, quin fidem atque induſtriam ſuam probaturus ſit omnibus bonis, magnamque inde gloriam ſit relaturus.

Vide apud Livium libro xlii. orationem Perſei milites ſuos alloquentis poſt victos Romanos. Et apud Trebellium † orationem Decii Imp. ad Valerianum, recens creatum cenſorem. Item apud Marcellinum extremo libro xvii. orationem Conſtantii Cæſaris ad exercitum, poſtquam victorias aliquot de ferociſſimis hoſtibus reportâſſet. Plurimæ etiam epiſtolæ in hoc argumento verſantur.

† In Valeriano.

Adi Ciceronem lib. ii. epiſt. vii. quâ Curioni de tribunatu & ſacerdotio gratulatur. Et ejuſdem libri epiſt. ix. ubi gaudium ſuum teſtatur ob ædilitatem collatam Cœlio Rufo: & lib. xv. epiſt. vii, viii, ix, & xii. quibus Marcello & L. Paullo gratulatur de conſulatu. Etiam adi epiſtolam Ciceronis, quâ gratulatur Dolabellæ, quia columnam Cæſari dicatam everterat, & homines libertati inimicos extremo affecerat ſupplicio. Habes eam non tantùm lib. ix. epiſtolarum, quæ ad familiares dicuntur *; ſed etiam in iis, quæ ad Atticum ſcriptæ lib. xiv. †. Addam & pauca aliorum. Plinius lib v. epiſt. xv. ad Pontium, valdè ſe gaudere indicat, quòd accepiſſet Cornutus viæ Æmiliæ curam. Atque idem lib. iv. epiſt. viii. reſpondet Arriano, qui de augurатu erat gratulatus. Nazianzenus epiſt. xxiv. gratulatur Baſilio epiſcopatum Cæſarienſem. Chryſoſtomus eundem affectum ep. cxxiv. teſtatur Gemello; ac ep. cxlvii. Anthemio; utrique ob dignitatem collatam. Nec indignus eſt Politianus, quem veteribus jungamus. Vide eum lib. i. ep. xiii. Herm. Barbaro gratulatur, quòd factus eſſet patriarcha Aquilejenſis.

* Epiſt. 14.

† Epiſt. 20.

Ad gratulationem etiam refer ſermonem epinicium. Ὁ δ' * ἐπινίκιος, ὑπ' αὐτὸν τὸν καιρὸν τῆς νίκης, τοῖς πρωτεύουσιν ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἐγράφετο: ut eſt apud Proclum in Chreſtomathiâ, ſive potius excerptis Photianis. Tale eſt canticum Moſis, Pharaone ſubmerſo, Exodi xv. & Deboræ ac Baraci, devicto Siſerâ, Jud. v. Simileque fuit, in quo, Goliatho cæſo, Iſraëliticæ mulieres Davidem celebrabant. In quo illud, quod intercalare fuiſſe carmen videtur: *Percuſſit Saul mille, & David decem millia.* Vide i. Sam. cap. xviii.

* Epinicius ſermo poſt victoriam ſcribebatur honori eorum, qui victoriam adepti fuiſſent.

Gentiles fabulantur, ἐπινίκια originem habere ab Apolline: qui, cùm Jupiter armis fugaſſet Saturnum è regno, lauro coronatus, ac purpureâ ornatus togâ, carmine ad citharam victoriam celebrârit Jovis; Deoſque omnes, qui convivio intererant, oblectârit mirum in modum. Eò Tibullus † reſpexit, cùm ita canit:

> *Sed nitidus pulcherque veni, nunc indue veſtem*
> *Sepoſitam, longas nunc bene pecte comas:*
> *Qualem te memorant, Saturno rege fugato,*
> *Victori laudes concinuiſſe Iovi.*

† Lib. 2. eleg. 5.

Hujus etiam loci fuere σκολιὰ μέλη, quæ in laudem præſtantium virorum, eorum inprimis, qui pro patriâ occubuiſſent, in conviviis cani ſolent. Vide de iis Plutarchum in Sympoſiacis, Athenæum lib. xv. Ariſtophanis ſcholiaſten, & è junioribus Andream Schottum in Procli Chreſtomathiam.

XIII. De lamentatoria.

LAmentatoria tum calamitates exponit, & amplificat, quo alios ad miſericordiam concitet: tum odium ejus gignit, à quo quis malum accepit; tum metum parit in auditore, quia oſtendit, quæ uni contigerunt, aliis quoque accidere poſſe.

Vide de ſtatu ſuo querentem Tullium lib. v. epiſt. xv. ad Lucceium, & pleriſque epiſtolis libri xiv. ad Terentiam. Corellii Rufi mortem deflet Plinius lib. i. epiſt. xii. ad Calestrium. Adi & lib. v. epiſt. xvi. ad Marcellinum, de obitu Fundani filiæ minoris: & lib. viii. epiſt. xxiii. ad eundem, quâ admodum deplorat mortem Julii Aviti. Elegans eſt & S. Baſilii epiſtola ad Euſebium, Samoſatenſem epiſcopum, poſt deperditam Tarſum. Syneſium etiam vide epiſt. cxxix. quæ ad Simplicium. Quin & ii Samuel. cap. i. habemus ex libro Juſti (qui & citatur Joſuæ cap. x.) carmen Davidis, quo lamentatur cladem Saulis, filiorumque ejus, & exercitus Iſraëlitici.

XIV. De λόγῳ ἐπιβατηρίῳ, et προπεμπτικῷ.

DEnique ad genus demonſtrativum pertinent λόγος ἐπιβατήριος, καὶ προπεμπτικός: prior eorum eſt, qui poſt longam peregrinationem redeunt domum: poſterior

ſterior illorum, qui alios diſcedentes votis ſuis proſequuntur. Prioris generis ſcripſit Himerius in adventum Cypriorum: item in Severum, cùm recens adveniſſet: adhæc in Epheſios advenas: ex quibus orationibus excerpta quædam apud Photium vide. Poſteriori etiam in genere juvabunt, quæ ex variis, iiſque elegantiſſimis Himerii propempticis, idem Photius excerpſit. Vide & elegantem Nazianzeni epiſtolam, numero L. ad Olympium, Cappadociæ præfectum; quâ ſignificat, quantopere doleat, quia tali carendum erit præfecto; ac gubernationem ejus laudat, atque optat, ut aliquando cum eodem imperio revertatur. Ex poëtis vide ſis propempticon Statii Papinii, quo in tertio Silvarum proſecutus eſt Metium Celerem, cùm ab imperatore Domitiano, vel, ut ipſe loquitur, Germanico Deo, miſſus eſſet ad legionem Syriacam.

XV. De objurgatione.

AD genus juridiciale referri debent objurgatio, expoſtulatio, exprobratio, purgatio, deprecatio. Nam qui objurgat, aut expoſtulat, aut exprobrat, is accuſat: qui purgat ſe, is defendit. Deprecatio quoque eò pertinet: non tamen primò, cùm aliud ſit deprecari, aliud defendere; verùm reductivè: quia cùm quis accuſatur, triplex ſe offert elabendi ratio; inficiatio, vel defenſio facti, ac deprecatio pœnæ. Quare de his quoque aliquid dicamus.

In objurgatione primùm adferemus crimen: tum illud exaggerabimus, partim à rei ipſius indignitate, partim à perſonâ, quæ illud commiſit. Ut quæ rem fecerit indignam ſuo genere, ac patriâ: vel ætate, profeſſione, amicitiâ eorum, quibuſcum verſetur. Oſtendemus, quantam ſibi ignominiam inuſſerit: quantopere à ſe abalienârit optimum ac conjunctiſſimum quemque: ut in nobis etiam nihil ei ſpei ſit relictum, nec quoquam eorum, quibus ſit fretus: quanta eum pericula maneant: quantæ ei impendeant pœnæ, etiam poſt hanc vitam, ſi talis eſſe perſeveret. Denique graviter ac ſeverè adhortabimur, ut, vitiis relictis, ad meliora animum applicet; quo & nos, & amicos, & Deum ipſum magis ſentiat propitium. Vide Nazianzeni epiſtolam XVIII. quâ Cæſarium fratrem objurgat, quòd ambitione quadam ſe in familiam Juliani apoſtatæ contuliſſet, ac ærarii ſuſcepiſſet curam. Item jurgatricem ejuſdem epiſtolam XXXI. ad S. Baſilium; cùm vir tantus, tam amicus, ab eo præpoſitus eſſet ignobili Saſimorum loco; quod ad ignominiam, ac contemtum ſui factum, putabat Nazianzenus. Et ſanè parum abſuit, quin hæc res veterem eorum amicitiam dirimeret. Vide & duas ad eum epiſtolas ſequentes. Adhæc XLIII. quá Gregorium Nyſſenum increpat, quòd, qui ſacros in Eccleſiâ libros prælegere ſoleret, nunc Rhetoricen profiteretur. Item epiſt. cxxx. ubi Adelphium liberè objurgat. Initium ſolum adſcribam: Ἔτι σὲ καλῶ τίμιον, καίπερ οὐ τίμια βουλευόμενον. καί μοι δέξαι τὴν παῤῥησίαν σπλάγχνοις πατρικοῖς κινουμένην, καὶ καρτερεῖν οὐ δυναμένην διὰ τὴν εὔνοιαν. Πολλῷ γὰρ βέλτιον, βραχέα λυπήσαντα, μέγιστα ὠφελῆσαι, ἢ τὸ πρὸς ἡδονὴν διακονοῦντα, ζημιῶσαι τῷ κεφαλαίῳ. *Adhuc te honorandum appello, etſi ea ineas conſilia, quæ honorem minimè mereantur. Hanc verò libertatem meam in bonam partem accipe; tanquam ejus, qui paternis moveatur viſceribus, nec perferre hæc poſſit ob benevolum erga te affectum. Multo enim ſatius eſt, brevi dolore afficientem, maximam adferre utilitatem, quàm jucunda ſectantem, damnum in eo adferre, quod præcipuum maximumque eſt.* Sed integram videre epiſtolam operæ fuerit.

XVI. De invectiva.

OBjurgationi adfinis eſt invectiva. Differunt eo ſolùm, quòd illa ab amico animo proficiſcatur, & pro ſcopo bonum alterius habeat: at hæc proficiſci ſoleat ab animo inimico, & illud ſpectet, ut alteri adferat dolorem. In tractando ſimilis propè ratio eſt. Itaque exempla aliquot monſtrâſſe ſuffecerit. Apud Polybium lib. XI. invehitur P. Scipio in milites ſeditioſos, qui propterea defecerant, quia ſtipendium iis non erat numeratum ad diem præſtitutam. Apud Salluſtium in Jugurth. Marius in Africam expeditionem parans, oratione ad Quirites exagitat nobilitatem. Apud Livium lib. XXII. orationem habes, quâ M. Minucius acriter adeò perſtringit cunctationem Fabii Maximi Dictatoris. Apud Herodianum lib. II. invehitur Severus in milites, qui occiderant Pertinacem, & ad imperium evexerant Julianum. Multas etiam Eccleſiaſticorum ſcriptorum invectivas habemus: ut Hilarii adverſus Conſtantium, Nazianzeni in Julianum, Hieronymi in Rufinum. Mitto recentiores illas Vallæ & Poggii, Politiani, & Scalæ, & ſimiles, tum ſuperioris ſeculi, tum noſtri: in quibus utinam nonnulli ex doctiſſimis illis viris magis modeſtiæ litaſſent. Nunc conviciis ac maledictis ſe ſuaque magis deprecianti, quàm adverſarios ipſos. Hæc caninæ illius facundiæ eſt merces: nec ſanè aliam merentur.

XVII. De expoſtulatione.

EXpoſtulatio eſt querimonia de injuriâ vel ignominiâ illatâ. Fit ea bifariam. Nam vel metuimus, ne ille, quicum expoſtulamus, factum neget; vel ſolùm, ne extenuet, ut ſe purget. In priori argumenta afferemus δεικτικὰ è locis ſtatus conjecturalis. In poſteriori ea adducemus è locis ſtatus quantitatis. Affectus hic varii cientur: pudor delicti, odium vitii, metus pœnæ. Ad τὸ ἦθος pertinet, ſi dicas, dolere, quòd alter contra amicitiam peccarit, atque aliis occaſionem præbuerit, male & ſentiendi, & loquendi. Item ſi laudes eum, quicum expoſtules: ac quodammodo culpam removeas in perſonam aliam, vel rem, ita ut videaris amicum ipſum velle excuſare. Adhæc, ſi oſtendas, te gravatè ac coactum venire ad accuſandum alterum: imo dicere iſta dicas, non ex te, ſed ex aliis: vel ſi optes alteri mentem ſaniorem. Denique ſi officium omne offeras, & roges, ut in bonam accipiat partem, quæ dixeris: ac præcipuè, ſiquid acerbiùs dictum, ut id ignoſcat. Ad ordinem quod attinet, poſſis hoc pacto eum inſtituere: ut primùm ſignifices, quantopere mireris, quòd alter officium neglexerit, aut quantum dolorem perceperis ex re, propter quam expoſtules. Hinc refellemus, quæ alter ad excuſationem ſui adferre poſſe videatur. Præter tim ſi ea nos ipſos ſpectent. Nam, ut Nazianzenus ad Eutropium *, φιλοῦσιν οἱ πονηροὶ τὰς ἑαυτῶν αἰτίας περιτρέπειν εἰς τοὺς ἐλέγχοντας· *Homines improbi amant culpam iis impingere, qui illos accuſant.* Quod ſi opportunum ſit, etiam unam alteramve rationem adjiciemus, propter quam longè aliter factum oportuerit. Nihilque ejuſmodi à nobis eſſe commiſſum, dicemus. Ubi noſtrum officium cum factis ejus conferemus. Quod ſi leve delictum erit, quale ſit neglectum ſcribendi officium; querimonia hæc plurimùm, aut laude eſt temperanda, aut joco lenienda, aut diſſimulatione imminuenda: uti ſi, quamvis negligentia quid commiſſum ſciamus, id tribuere malimus occupationibus. Poſtremoque expoſcemus non injucundam multam duplicandi deinceps officii, atque ita reſarciendi quod fuerat neglectum. Vide inter alia Plinii lib. I. epiſt. XII. ad Juſtum, & lib. II. ep. II. ad Paulinum; quarum utrâque conqueritur de non acceptis literis. Ut & S. Baſilius ep. LXXXIII. ad Leontium facit.

* Ep. 166

Sin gravius crimen erit, uti perfidia, inſidiæ; primùm exponemus amorem, ac benevolentiam noſtram, & quàm bene de eo meriti ſimus. Eoque nullam ei malè merendi datam eſſe occaſionem. Tum crimen, quod alter commiſit, adferemus, & amplificabimus, & quæ pro ſe adferre poſſet, refellemus. Ipſum etiam judicem ſtatuentes, quæremus, quâ pœnâ alterum dignum fuerit judicaturus, ſi hæc ſibi evenîſſent. Quod ſi nihilominus ami-

amicitiam cum eo ſervari malimus; dicemus, nos libentes ei ignoſcere: ſed petere, nequid iſtiuſmodi in poſterum committat.

Exemplum gravioris expoſtulationis eſt apud Thucydidem lib. II; ubi Platæenſes de eo queruntur, quòd Lacedæmonii contra fœdus bellum inferant. Apud Xenophontem lib. V, Κύρε παιδείας Cyaxares expoſtulat cum Cyro de injuriâ illâ, quòd dum prodeſſe videtur augendo regnum, reverâ plus obſit, imminuendo honorem & auctoritatem apud ſubditos. Apud eundem, lib. V. de expeditione minoris Cyri, eſt oratio Hecatonymi, Sinopenſium legati, expoſtulantis cum Græcis; qui, dum per eorum tranſeunt terras, annonam pro omnibus, & domicilium, extorſerant pro agris. Apud Livium lib. IX. expoſtulat C. Pontius cum feciali Romano, quia non ſtaret ſponſioni ad furcas Caudinas. Et lib. XXXIX. Philippus, Macedoniæ rex, expoſtulat cum Metello aliiſque legatis, quòd caſtella, ſibi, atque urbes eas eriperent, quas ſuo jure haberet. Multæ etiam epiſtolæ hujus ſunt generis. Ut inter alias apud Tullium initio libri ſecundi epiſtola Metelli ad Ciceronem; ubi conqueritur de fratre ſuo Metello Nepote ab eo oppugnato: apud Baſilium epiſt. LIII. ad Athanaſium epiſcopum Ancyranum, qui ſiniſtrè admodum de Baſilio loquebatur: apud Syneſium epiſt. LX. ad Auxentium. Varias etiam inter eas comperies, quas Leonis X. nomine Petrus Bembus conſcripſit.

XVIII. De exprobratione.

Exprobratio, & beneficium collatum laudat, & ingratum alius animum detegit. Ordo in eo hujuſmodi eſſe poſſit. Primùm agemus de amicitiæ noſtræ antiquitate, vel arctâ conjunctione; item de meritorum noſtrorum magnitudine. Hinc exponemus, quàm mala nobis gratia ſit relata. Ac, ſi graviùs accuſare viſum erit, eò dirigemus argumenta noſtra, ut non errore, atque ignorantiâ, male nobis feciſſe videatur; ſed vel ut noceret nobis, quod planè eſt inimici; vel ut aliquid inde utilitatis perciperet; quod ipſum quoque veræ amicitiæ repugnat. Amplificandi etiam cauſſâ ab hypotheſi adſcendemus ad theſin, atque ipſum ingrati animi vitium deteſtabimur, tanquam radicem, è qua tetri omnium malorum ſtolones ſuppullulent.

Quod ſi alter nos ætate vel dignitate præceſſerit; primùm loquemur de perpetuâ noſtrâ in eum voluntate, atque ejus cultu & obſervantiâ. Tum injuriam longè aliud pro merito illatam exponemus. Atque ad amplificandum referemus, quàm indignum ſit, juniores vexari atque opprimi à ſenibus, pauperes à divitibus, impotentes ab iis, qui potentiâ ſuâ ſunt ſubnixi. Hinc ætatem & impotentiam noſtram cum alterius ætate & viribus comparabimus; obſervantiam & cultum noſtrum cum alterius injuriis; quas præter merita, & opinionem, nobis eveniſſe, conqueremur.

Eſt & quædam ratio, quâ obliquè, & molliter, aliquid exprobremus alicui, quem amicum nobis ſervare cupiamus. Primùm enim dicemus, non dubitare nos, quin vir optimus, & humaniſſimus, & noſtri ſemper amantiſſimus, ab aliis deceptus iſthoc egerit, quod nunc factum dolemus: interim cùm non mediocriter eâ re nobis incommodârit; & multis, qui eum non ſatis norint, rem ab amicitiâ ſuâ, & moribus, ac dignitate, alienam feciſſe videatur; optare nos avidè, atque etiam exſpectare, ut cogitet ſecum, quomodo læſæ hâc parte amicitiæ ſatisfacere, atque opinioni de ſe conceptæ occurrere, quàm optimè poſſit. Nos quidem honorem ejus noſtrum putare; nec quicquam æquè velle, quàm ut amicitia inita ſanctè conſervetur, atque ut ei non minùs, quàm nobis id curæ eſſe, omnes intelligant.

Exprobrationis exemplum ſi voles, Xenophontem conſule lib. IV. de geſtis Græcorum; ubi Pharnabazus beneficia ſua Ageſilao objectat, & Lacedæmoniis. Item apud Arrianum lib. V, luculentam habemus orationem Alexandri Magni, quâ Macedonibus, cùm paterna, tum ſua imprimis exprobrat beneficia.

Exprobrationes etiam, atque objurgationes, crebræ ſunt in ſacris literis. Contentus ero oratione ſeu Phineæ, ſummi ſacerdotis, ſeu prophetæ alicujus, qui è Gilgal veniens populum Iſraëliticum increpuit: ut eſt Jud. cap. II. Concionis ejus partes ſunt tres. Prima enumerat beneficia Dei, non omnia quidem, ſed recentiora: nempe liberationem ex Ægypto, & donationem terræ Canaan, ac ſingulare pactum cum hoc populo initum; cujus condicio erat, ne Iſraëlitæ fœdus ineant cum Cananæis, ſed aras eorum diruerent.

Pars altera à beneficiis tranſit ad exprobrationem peccati. Peccatum hoc erat, non quidem idololatriæ, (necdum enim eò prolapſi erant) ſed quòd Cananæorum altaria conſervaſſent, atque ita violaſſent fœdus. Quærit igitur orator ille, quid excuſationis Iſraëlitæ proferre poſſint.

Subjicitur hinc comminatio iſtiuſmodi: non expulſum iri Cananæos; ſed fore hos Iſraëlitis à lateribus, & Deos eorum futuros pro laqueo, vel tendiculâ. Quibus auditis, populus dicitur lachrymâſſe, & victimas pro peccatis obtuliſſe, ac locum à lachrymis accepiſſe nomen *Bochim*. Simile exemplum habemus in oratione, quam vir Dei habuit ad Eli; ut eſt I. Reg. ſeu Sam. cap. II.

Interdum verò in minis, atque etiam increpatione, plus valet vel unum verbum Laconicâ brevitate prolatum, quàm Aſiatica loquacitas, & illa, ut Novius * loquitur, *trux taluſtiloquentia*. Exemplo eſto epiſtola Herodis ad Caſſium, quæ uno abſolvebatur verbo. Ponam hâc de re verba Philoſtrati in Herodis vitâ: Ἔστι δέ τις λόγος, ὡς νεώτερα μὲν ὁ τῶν ἑῴων ἐπιτροπεύων Κάσσιος ἐπὶ τὸν Μάρκον βουλεύοι, ὁ δὲ Ἡρώδης, ἐπιπλήξειεν αὐτῷ δι' ἐπιστολῆς, ὧδε ξυγκειμένης· Ἡρώδης Κασσίῳ. Ἐμάνης. Ταύτην δὲ τὴν ἐπιστολὴν, μὴ μόνον ἐπιπλῆξιν ἡγώμεθα, ἀλλὰ καὶ ῥώμην ἀνδρὸς, ὑπὲρ τοῦ βασιλέως τιθεμένου τὰ τῆς γνώμης ὅπλα. *Vulgò etiam fertur, Caſſium Orientis præfectum res novas molitum adverſus Marcum: Herodem verò eum increpuiſſe per epiſtolam ſic conſcriptam:* Herodes Cassio, Insanis. *Hanc verò epiſtolam non modò increpationem eſſe ducimus: ſed etiam robur viri, pro Imperatore arma conſilii opponentis.*

* *In Galt. linaria.*

XIX. De sui vel alterius defensione.

Non ſatis verò eſt ſcire, quo pacto alium culpare atque accuſare poſſimus, ſed rationem etiam noſſe convenit, quomodo nos vel alios, defendere valeamus. Multi enim vel de nihilo ſpirant mendacia; vel, ſi paullo meliores, ſaltem ſunt mali alienæ actionis interpretes. Scitè Socrates apud Xenophontem †: Οὐ πάνυ γε ῥᾴδιόν ἐστιν εὑρεῖν ἔργον, ἐφ' ᾧ οὐκ ἄν τις αἰτίαν ἔχοι. Χαλεπὸν γὰρ, οὕτω τι ποιῆσαι, ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν. Χαλεπὸν δὲ καὶ, ἀναμαρτήτως τι ποιήσαντα, μὴ ἀγνώμονι κριτῇ περιτυχεῖν. *Haut facile eſt, opus ullum invenire, quod non aliquis culpet. Siquidem arduum eſt, ita quippiam efficere, ut nihil erres: difficile etiam, ſi abſque errore effeceris, non iniquum judicem nanciſci.* Quamobrem videndum deinceps, quomodo obviam ſit eundum iis, qui de nobis queruntur, aut nos objurgant, vel nobiſcum expoſtulant, aut quomodocunque nos vel alios culpant. Neque una hic ratio eſt: ſed variat res pro ſtatus diverſitate. Ordiemur ab eo, quo quid factum negatur. Statum id conjecturalem, vel inficialem, vocant.

† *Lib. 2. de factis & dictis Socrat.*

In hoc primùm dicemus, mirari nos, quòd alter iſta de nobis crediderit: atque oſtendemus, quàm aliena hæc ſint à vitâ anteactâ: eumque rogabimus, num ſimile quid audierit de nobis, vel etiam majoribus, quibus quàm ſimillimi eſſe ſtuduerimus. Hinc ex locis iis, quæ referuntur in conjecturali ſtatu, docebimus, rem eſſe vanam, incredibilem, impoſſibilem: atque ea, quæ in opinionem illam adduxerant, diluemus. Autorem, ſi poſſimus, hujus

mendacii indicabimus: & quid moverit ad ea confingenda. Denique orabimus, ut hujuſmodi opinionem de nobis deponat: ac in poſterum etiam omnia amici hominis officia pollicebimur: rogabimus etiam, ut quâcunque in re experiri velit benevolentiam ac fidem noſtram.

Hanc etiam viam inſiſtere licebit. Primùm dicemus, tantum abeſſe, ut offenſi ſimus expoſtulatione amici, ut ea nos plurimùm delectârit. Optimè Nazianzenus ad Euſebium, Cæſarienſem epiſcopum*: Ἔστιν ἀνδρὸς μεγαλόφρονος, φίλων ἀποδέχεσθαι μᾶλλον ἐλευθερίαν, ἢ ἐχθρῶν κολακείαν. *Eſt hominis magnanimi, amicorum magis libertatem amplecti, quàm inimicorum blanditias.* * Ep. 169.

Hinc id crimen, cujus inſimulamur, deteſtabimur, ac modeſtè etiam amicum objurgabimus, quòd tale quid de nobis fuerit ſuſpicatus. Poſteaque refellemus ea, quæ illum in ejuſmodi opinionem induxerunt. Poſtremo loco exponemus, quantus ſit erga illum affectus noſter; omniaque ei veri amici officia in poſterum etiam pollicebimur.

At ſi apud ſuperiorem in hujuſmodi cauſſam deſcendimus: initio nos dicemus vereri ſummam ejus auctoritatem; ſed partim prudentiâ ac juſtitiâ ejus, partim veritate ac bonitate cauſſæ nixos defenſionem noſtri ſuſcepiſſe. Hinc, quæ pro nobis afferre poſſumus, ſummiſsè, ac cum veneratione quadam, explicabimus. Denique quæ de amicitiâ antea monebamus, ea in obſervantiam ac cultum convertemus.

Quod ſi non factum negamus, ſed rectè aliquid factum dicimus: primùm conſiderare oportet, num quid defenſitemus abſolutè, directeque; ut ſi aliquid per ſe bonum ſit: an verò extrinſecus cauſſam quampiam arceſſamus ad factum comprobandum. Prius ſi erit, nos mirari dicemus, vitio illud verti, quod laudi potiùs ducamus. Etiam, quid à nobis factum ſit, breviter explicabimus. Tum rationes adferemus, unde alter aliquid ſic fieri à nobis debuiſſe intelligat. Rationes illæ, ut libro primo diximus, petuntur ex facti proprietatibus & effectis, legibus divinis & humanis, conſuetudine, judicatis, & pactis, item exemplis aliorum. Argumenta quoque ea, propter quæ alter præjudicio erga nos laborat, refellemus. Poſtremò dicere licebit, quamquam immeritò culpemur, nihil propterea de amore noſtro detractum iri: ſed deinceps etiam nos omnia amici cauſſa velle: atque ut benevolentiæ & fidei noſtræ periculum quacunque in re faciat, rogabimus.

Neque ſolùm hæc locum habent, ſi nitamur ratione; ſed etiam ſi verbis, quæ aliter ceperit alter quàm oportuit. Nam ut B. Petrus, apud Clementem quidem lib. II. Recognitionum, loquitur: *Solet interdum aliter dici quid, & aliter intelligi; dum aut minùs lucide profertur, aut minùs vigilanter advertitur.* Hæc ad ſtatum legitimum pertinent: qui locum habere poteſt, etiam cùm inſcitiâ aut malignitate adverſarii, culpatur factum dictumve in ſe laudabile.

Idem ordo ſervandus, ſi cauſſa per ſe fuerit infirma, eoque colore ac cauſſa aliqua extranea egeat. Ut ſi alterius injuriis ſimus laceſſiti: vel ſi in iram, metum, aliumve affectum, rejicienda ſit culpa: aut ſi ex duobus malis elegerimus, quod melius, publicoque utilius foret: vel ſi neceſſitate ſimus adacti, aut fortuna non faverit inſtituto, aut imprudentiâ aliquid acciderit, non malitiâ. In cujuſmodi cauſſis qualitatis & quantitatis ſtatus concurrunt. Qualitatis quidem, quatenus culpa à nobis removetur in alium, vel aliud. Ut ſi inſidiatorem occideris: vel Panico militum terrore exercitum amiſeris. Quantitatis verò, quatenus, quod culpari poſſe meritò videatur, extenuamus, immutando facti modum, locum, tempus: aut, ſi hæc non poſſumus, finem, & propoſitum. Ubi dicemus, noluiſſe nos alterum offendere: ut qui in maximis etiam malimus gratificari, quàm vel in minimis adverſari. Hâc nos indole eſſe, ac ſemper fuiſſe: teſtari id vitam omnem anteactam. Idem expoſcere amicitiam, cui ſtuduerimus quàm qui maximè. Atque adeò nec cauſſam fuiſſe, cur alteri malè vellemus. Ut hîc quoque, ubi de propoſito alicujus agitur, locum habeat illud Caſſii, Cui bono.

Quod ſi planè infirma ſit defenſio, aut ſaltem non ſatis fiduciæ in eâ reponamus; ad deprecationem confugiemus: quæ & ipſa accenſetur orationibus πραγματικαῖς generis judicialis. Potiùs tamen pertinet ad genus deliberativum; quia, qui deprecatur, conſilium dat: quomodo, qui apud patrem intercedit pro filio, non ſolùm rogat, ſed etiam ſuadet, ut ignoſcatur.

Quo pacto verò ea tractanda ſit; planum fit ex iis, quæ diximus lib. I. cap. IX. & libro ſecundo cap. X.

Ex iiſdem quoque haut obſcurum eſt, quæ adferri queant adverſus deprecantem: uti quòd hujus ſive infortunii, ſive ſceleris culpam, aliis impingere non poſſit: quippe qui, uti dici ſolet, capræ in modum ipſe hoc ſibi malum arceſſiverit, ſponteque cruribus aſciam impegerit: item indignum eſſe miſericordiâ, qui ipſe ſit immiſericors: rem peſſimi fore exempli, ni exemplum ſtatuatur in hujuſmodi facinoris auctorem: aliaque id genus, quæ quia ſuo loco attulimus, ſerram eandem non reciproco, ne fiat iſthoc vetus, δὶς κράμβη θάνατος*. * Bis crambe mors eſt.

Contentus igitur ero deſignare aliquot defenſionis ac deprecationis exempla. Xenophon, lib. V. de expeditione Cyri, tuetur Græcos adverſus expoſtulationem Hecatonymi, Sinopenſium legati: de qua ſuperiùs ſectione XVII. dicebamus. Demoſthenes quartâ ad Athenienſes epiſtolâ refellit ita Theramenis convicia, ut ea modeſtè in ipſum retorqueat. Livii lib. II. purgat ſe Valerius Poplicola apud populum de crimine affectatæ tyrannidis. Plancus epiſtolâ ad Tullium lib. X. ſe excuſat, quòd tardiùs hominum exſpectatione defendendam ceperit Remp. Atque ad eundem ſcribens purgat ſe Aſinius Pollio, quòd tardiùs ſuum erga Remp. ſtudium declarârit.

Ut querenti ob literarum raritatem reſpondere liceat, multis conſtat exemplis. Velut cùm Curioni conquerenti, quòd minùs ſæpe ſcriberet Cicero, reſpondet ille lib. II. epiſt. I. Atque idem lib. XII. epiſt. XXX. Cornificio ſe de literarum infrequentiâ excuſat. Uti & Sabino Plinius lib. IX. epiſt. II. etiam B. Hieronymus Juliano diacono: Politianus Hermolao Barbaro lib. I. epiſt. XI. item Franciſco, Cephaledenſi epiſcopo, lib. VIII. epiſt. XII. atque alibi aliis.

Baſilius epiſt. CCCXXI. (quæ altera ad Petrum, epiſcopum Alexandrinum) excuſat ſe, quòd eum non feciſſet certiorem de rebus variis, in quibus & eſſent aliquæ magni momenti.

Quomodo autem non expoſtulanti modò, ſed etiam minanti, reſpondere poſſimus: arguet epiſtola II. libri V. ad Metellum, & epiſtola Bruti ac Caſſii lib. XI. epiſt. III. quâ pluris ſe facere oſtendunt ſalutem Reip. quàm Antonii minas.

Quod ſi ille, qui minùs in culpa eſt, etſi ſenior ſit, tamen, miſſis excuſandi partibus, in gratiam redire ſit paratus: exemplum ſuggeret Syneſius epiſt. CXVI. ad Auxentium.

Supplicium aliquod deprecanti, exemplo erit Philo libro de legatione ad Cajum, in oratione Judæorum ad Petronium præſidem; quâ deprecantur, ne Caligulæ ſtatua reponatur in templo.

Deprecantis pro eo, qui nihil mali commeruit, exemplum eſt illud Syneſii epiſt. XXX. ad Pentadium Auguſtalem: Ἐγὼ δὲ καὶ σοῦ κήδομαι, καὶ τοῦδε· σοῦ μὲν ὡς μὴ ἀδικοίης, τοῦδε δὲ, ὡς μὴ ἀδικοῖτο. Εἰ δὲ καὶ σοὶ δοκεῖ μετὰ τοῦ Πλάτωνος, τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι μεῖζον εἶναι κακὸν, ἔοικά σοι μᾶλλον ἢ τῷδε χαρίζεσθαι, δεόμενος ὑπὲρ αὐτοῦ, περιττομένου δίκας ὧν οὐκ ἐξήμαρτεν. *Ego & tui curam gero, & illius: tui quidem, ne facias injuriam: illius autem, ne eâ afficiatur. Quod ſi cum Platone ſentias, majus eſſe malum afficere alterum injuriâ, quàm affici ab altero: melius quidem de te mereor, quam de illo, cum deprecor pro illo, à quo pœna exiguntur ejus criminis, quod non commiſit.* Etiam deprecationis exemplum habes apud Nazianzenum epiſt. XLIX. ad Olympium, apud quem deprecatur, ne

ob

ob adoleſcentum quorundam facinus Diocæſaream, Cappadociæ urbem, evertat. item CLXX. & ſequenti ad eundem Olympium epiſtolâ: item CLXXXIX. ad eundem: & CLXXXIII. ad Nemeſium, quæ planè elegans: uti & CXCVIII. ad Theotecnum.

XX. De sciscitatione, ac interpretatione facti.

DEfunctus mihi jam hoc labore videbar: cùm in mentem venit, incidere quædam genera, de quibus nihil hìc dictum ſit nobis. Nam & ſciſcitari nos interdum, quid factum, aut quâ mente aliquid factum ſit: & de utroque reſpondere. Item futura mandare, optare, prædicere. Quocirca aliquid etiam de iis dicemus.

Ac in ſciſcitando quidem vix aliud requiritur, quàm ut exponatur, quid ſciamus, quid neſciamus, & cur illud, quod non conſtat, nôſſe aveamus, atque ut ſignificemus, quàm illud nobis gratum ſit futurum, ſi de eo certiores reddamur. Pleniùs hæc cognoſcere licet ex iis, quæ de Petitoriâ diximus.

Quomodo narrando reſpondeamus non referam nunc, quia abundè de eo alibi * egimus. At non item dictum de facti interpretatione. Ut ſi quæratur, utram in partem accipere oporteat, quòd tam longo quis tempore non reſcripſerit, aut nihil eorum præſtiterit, quæ petebantur. Hic primum in conſiderationem veniunt, tum perſonæ indoles ac mores, tum rei facilitas, aut difficultas. Ut quòd aliquis naturâ tardior ſit in reſcribendo, & tum ſolito eſſet occupatior; quodque rem tantam abſque operâ amicorum præſtare non potuerit. Item quòd ſemper quiſpiam ſuperbiùs ſe geſſerit, & novo nunc auctus ſit honore, qui magis etiam inflârit. Hinc vel colligemus, cauſſam non eſſe tatis gravem, cur aliquem putemus malè erga nos animatum eſſe: vel ſi ita comparatum ſit, ut quod factum eſt, non poſſimus non in deteriorem partem interpretari, dicendum, non eſſe, quòd propterea alter ſe diſcruciet; ſed Spartanâ hoc patientiâ concoquere oportere, ſeſeque munire adverſus homines malevolos; ac nos quoque adverſus tales conſilium ei, atque auxilium omne, deferre.

* Lib. 3. cap. 3. item libro de arte hiſtorica.

Sin incertum erit, quo aliquid animo contigerit: aperiemus amico, quomodo ſe in re dubiâ gerere debeat; ut ne ille, de quo quæſtio eſt, conqueri de nobis poſſit, ſi nihil peccârit; & ſi malè fuerit animatus, ſaltem nocere minùs valeat. Atque hic etiam, ſi fortè alter malè velit, omnem adverſus illum operam noſtram deferemus.

XXI. De mandandi ratione.

IN futuris, ut dixi, alia quidem mandamus, quò fiant: alia optamus, ut fiant, aut etiam fore prædicimus.

In jubendo, ſive imperando attendimus, quis, & cui quid mandemus. Nam aliter imperamus animis generoſis, quales ſponte etiam officium faciunt: aliter vilibus, & abjectis, qui nihil agunt, niſi metu pœnæ. Et tamen erga generoſos etiam retinenda majeſtas, ne rogare videantur, qui poſſunt cogere. Præterea videndum, quid imperetur. Ubi probandum, aliquid eſſe facile, vel ſaltem fieri poſſe: quod ut liqueat, modus addatur, quòd quid fieri, vel facile etiam fieri, poſſit. Etiam oſtendendum, quid inde honoris, vel utilitatis, redire poſſit, tum ad eum qui imperat, tum cui imperatur. Cujuſmodi ſatis perſpicere eſt ex iis, quæ de ſuaſione diximus.

XXII. De optatione.

IN optando primùm diſpicere convenit, quid exoptare nos alteri dicamus. Nec enim hoc ejuſmodi eſſe debet, quod nos quidem conducere alteri credamus, ſed ipſe averſetur: ut ſi avaro optes honorem ejuſmodi, qui illi conſtaret rei familiaris diſpendio. Neque item optabimus, quæ alter quidem exoptet, at nos ei noxia fore arbitremur: ut ſi diviti avaro optes immenſas opes: quod tantumdem penè ſit, ac ſi furioſo expetas gladium: neque hoc aget, niſi qui fœdè alteri volet adulari. Quemadmodum & adulatoris erit, optare cuiquam, quæ fortunæ ejus non conveniant: quomodo inani ſpe alterum lactes, imò hominem ſtultum magis etiam inflatues. Nempe illa ſolùm optabimus, quæ experi debere, utrimque conveniat. Rationes etiam voti noſtri addemus: ut, opes ad ſplendorem nos optare veteris familiæ, ac quò liberalitatem erga alios poſſit exercere: optare eidem magiſtratum, ut temporibus tam malis bonæ cauſſæ ſic jacente ſalutarem præbeat dexteram. Denique non ſolùm nos vovere hæc dicemus; ſed operam etiam noſtram offerre ad ea conſequenda.

XXIII. De ratione exponendi, quæ conjectamus, aut prædicimus.

EXponendum nunc, quomodo prædicamus alicui vel incrementum novæ dignitatis, vel ereptionem veteris. Exordium ducitur ab occupatione. Vani enim hominis videtur, futuri notitiam ſibi arrogare. Itaque priùs ἄρσις dicetur, non eſſe nos divinos, ſive ariolos & conjectores. Θέσις deinde explicabitur, cur fidenter nihilominus adferamus ſententiam noſtram. Adducemus verò tum cauſſam impulſivam, nempe quòd hoc amore & benevolentiâ compulſi faciamus: tum finalem, quia ſic fore ſperemus, ut cautiùs ac prudentiùs ſe gerat. Hinc ſequetur propoſitio cum narratione. Referemus enim præſentem rerum ſtatum, & quid in futurum conjectemus, vel certò etiam prædicere auſimus. Confirmatio petetur à ſignis, ſimilibus, exemplis, aliiſque argumentis: unde vel veriſimiliter conjiciamus, vel fidenter prædicamus. Epilogus vel gaudium gignet, ſiquid boni auguremur: vel metum incutiet, ſi mali aliquid impendeat. Si bonum fuerit, jubebimus, ut propter illud adverſa conſtantiùs ferat; nec facilè haſtas abjiciat, propter inimicos: item ut ſe nunc circumſpectè gerat, ne ſpes tanti boni, ob temerarium aliquod dictum aut factum, ad irritum cadat. Sin malum erit, monebimus, ut circumſpectè nunc omnia agat, ne malo inopinatò opprimatur. Unde liquet, ſi finem conjecturæ aut prædictionis attendamus; pertinere hæc ad genus deliberativum, uti quamvis monitionem, ac adhortationem, vel dehortationem.

XXIV. Epilogus doctrinæ hujus.

VIdimus ſtrictim de inventione ac diſpoſitione ſpeciali. Non pauca verò nunc indicta nobis vide ſis in Partitionibus noſtris Oratoriis, duodecim poſtremis capitibus libri ſecundi. Etiam hoc argumentum ſeculo noſtro Græcè tractavit Theophilus ſeu Theodoſius Corydalleus Athenienſis libello περὶ τῶν ἐπιστολικῶν τύπων *. Adi & Deſiderium Eraſmum libro de conſcribendis epiſtolis, & hoc paullo antiquiorem Lippum Brandolinum, qui in Pannonia, à rege Matthia Corvino invitatus, Rhetoricen docuit, ac *quamvis* † *penè cæcus, certe lippus, ex eâ præcepta collegit, & à ratione dicendi ad rationem ſcribendi tam doctè tranſtulit, & tam diligenter accommodavit*, ut, judicio noſtro, veriſſimè de eo ſcripſerit eruditiſſimus vir, Sebaſtianus Corradus, *nihil neque majorum ſuorum memoriâ, neque ſuâ, doctius aut elegantius in eo genere ſcriptum videri.*

* *Londini editus anno 1625.*

† *Seb. Corradus epiſtolâ ad S. P. Q. Rhegienſem, quam præmiſit tribus Brandolini libris de ratione ſcribendi ab Oporino editis an. 1565.*

Sed quia præceptis omnia conſtringi non poſſunt: inprimis operæ erit, ſi retexantur orationes atque epiſtolæ tam Græcæ, quàm Latinæ, non oratorum modò, ſed etiam quæ apud hiſtoricos leguntur. Expedit quoque, ut nobiliores ad ſuam ſingulæ claſſem referantur, quò pariter ſe ad imitandum offerant. Hæc enim res prudentiam augebit; quia meliùs videbimus, quàm variè unumquodque argumentum pro perſonæ ac προσώπων diverſitate tractetur.

FINIS LIBRI TERTII.

- Elegantia comprehendit
  - Latinitatem, quæ
    - Conſiſtit in delectu vocum, ratione
      - Ortus, quia ſint
        - Romanæ.
        - Externæ
          - Civitati donatæ.
          - Non donatæ.
      - Significationis, quæ ſpectatur ratione
        - Aptitudinis, quia
          - Aliæ magis,
          - Aliæ minus
          - } ſignificantes.
        - Honeſtatis, quia
          - Aliæ honeſtæ,
          - Aliæ inhoneſtæ
            - Obſcænæ.
            - Sordidæ.
      - Uſus
        - Populo, quia aliæ
          - Veteres.
            - Vulgares.
            - Raræ.
            - Obſoletæ.
          - Novæ.
            - A dicente confictæ.
            - Ab aliis ante prolatæ.
        - In auctoribus, quia aliæ
          - Philoſophicæ.
          - Oratoriæ.
          - Hiſtoricæ.
          - Poëticæ.
    - Comparatur non tam conſuetudine, quam
      - Lectione bonorum ſcriptorum. Non tamen quivis à quovis legendi, ſed diſcrimen petendum, tum
        - A ſcriptoribus ipſis, quia alii pertinent ad ſermonis Romani ætatem
          - *Puerilem*, quo refer ſaliares hymnos.
          - *Creſcentem*, cujus initium à Livio Andronico, optimi vero Plautus, Terentius.
          - *Adultam*, in qua Cicero, Cæſar, Salluſtius.
          - *Decreſcentem*, in qua Curtius, Fabius, Seneca, uterque Plinius.
          - *Decrepitam*, in qua Symmachus, Sidonius &c.
        - A profectu legentium, in quibus ipſis eſt quædam velut
          - *Pueritia*, cui legendus ſolus Cicero, uſque dum didicerit ex eo vultum ac lineamenta ac ſeriem ſermonis Romanæ.
          - *Adoleſcentia*, cui in ſermone familiari & Epiſtolico Plautus & Terentius, in cæteris Quinctilianus, Curtius, Velleus, Livius.
          - *Adulta* ætas, cui legendi & alii omnes ſcriptores, etiam Appulejus, ſed imprimis breves illi, Salluſtius, Tacitus, Seneca.
      - Scriptione ſive ſtylo qui optimus dicendi magiſter.
  - Perſpicuitatem cui adverſantur.
    - *Voces*
      - Obſoletæ.
      - Novæ.
    - Βραχυλογία.
    - Ὁμωνυμία.
    - Ἀμφιβολία.
    - *Sermo longior* quam ut ſequi poſſit auditoris intentio.
    - Verborum mixtura
      - Ex eodem commate aut colo, quæ ἀναστροφὴ nominatur.
      - Ex uno commate aut colo in aliud, quæ σύγχυσις dicitur.

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII
COMMENTARIORUM RHETORICORUM,
SIVE
ORATORIARUM INSTITUTIONUM
LIBER IV.
QUÆ EST
DE ELOCUTIONE.

CAP. I.

De Elocutionis definitione, & diſtributione, ac ſpeciatim de Elegantia.

Elocutio eſt idoneorum verborum & ſententiarum, ad res inventas accommodatio.

Dividitur hæc in partem communem, & propriam.

Communis eſt, quæ de elocutione generatim tractat, neque ejus doctrinam ad certam reſtringit materiam.

Conſtat autem tribus; ELEGANTIA, *quæ oratorii ædificii quaſi fundamentum eſt;* COMPOSITIONE, *quæ verba ita conſtruit, ut æquabiliter ſurgat oratio;* DIGNITATE, *quæ verborum immutatione, & artificioſis loquendi formis; orationem quaſi picturis variis exornat.*

Elegantia comprehendit Latinitatem, & explanationem: illa facit, ut purè, hæc, ut perſpicuè dicamus. Ad hæc non ſatis eſt, ut vocibus utamur Latinis, propriis, aptéque connexis; ſed in his ipſis quoque delectu opus eſt: idque non modo, quia alia aliis plus leporis habent, aut ponderis: verum etiam, quia diſtinguendum eſt inter voces omnino Latinas, peregrinas in Latinorum coloniam adſcitas, & peregrinas non receptas: inter vulgares, nitidas, & poëticas: inter omnino obſoletas, veteres jam raras, adhuc uſitatas, novas aliorum, & à nobis novatas.

Ad perſpicuitatem quoque orationis facit, ut non niſi ſuo loco utamur involutione; neque temere adhibeamus ſermonem ambiguum, vel nimiam orationis brevitatem, vel magnitudinem tantam ut vix aſſequi dicentem poſſit auditoris intentio, vel vocabulorum trajectionem.

Comparatur elegantia, tum conſuetudine audiendi purè loquentes, (quod tamen florente Româ magis habuit locum, quàm ſeculo noſtro) tum legendo optimos ſcriptores, tum imitando, ſcribendoque; quia omni in re uſus eſt optimus magiſter.

I. Utrum elocutio, an inventio, prius debeat doceri: et quid per elocutionem intelligatur.

DEvenimus ad eam Oratoriæ facultatis partem, quæ facit, ut non tantùm fortibus, ſed etiam fulgentibus prœliemur armis. Ariſtoteles λέξιν vocat, Demetrius ἑρμηνείαν, alii, Fabio * teſte, φράσιν nominant. Latinis dicitur elocutio: quamquam id nomen, ſi originem magis ſpectes, quàm uſum, propriè conveniat pronunciationi: ut omnino præſtare videatur exornationis appellatio.

* Lib. 8. cap. 2.

Meritò autem hâc de parte quidam præcipiendum exiſtimant ante inventionem. Nam verborum delectus origo eſt eloquentiæ. Is autem elocutionis pars eſt. Deinde verborum cura (quæ, licet non ſola, ad ſolam tamen pertinet elocutionem) longè facilior eſt, quàm cura rerum: faciliora autem priora ſunt ordine doctrinæ, etiam cùm poſteriora ſunt ordine naturæ. Inventio certè requirit experientiam, & multijugam lectionem, quæ in pueris eſſe nequit. Quare quiſquis teneram ætatem docet ac ducit; utiliùs hâc in parte eam exercebit, priuſquam de inventione tractet. Neque obſtat, quòd tum Tullius lib. 1. de Orat., tum Fabius in octavi libri proœmio, hanc difficillimam vocent operis Rhetorici partem. Quippe loquuntur hi ratione ætatis adultæ, quæ prudentiâ ſæpe, atque uſu, ea citra artis operam, ac levi negotio exſequitur, quæ de inventione, ac diſpoſitione, operoſè præcipiuntur à dicendi magiſtris. At longè ſecus cum pueritiâ comparatum eſt; in quam non cadit prudentia civilis, aut cognitio rerum graviſſimarum, adeoque latè diffuſarum, quàm ipſa patet vita humana. Adde quòd nobis ſermo eſt de elocutionis præceptis, quæ facilè intelliguntur, & in optimis auctoribus obſervantur. At Cicero, ac Fabius, reſpexere exercitationem atque imitationem: cui difficultate tantum cedit nuda præceptorum intelligentia, quanto majus operoſiuſque eſt, aliquid Tullio aut Marone dignum condere, quàm fungi interpretis munere artificium in alterutrius ſcriptis enarrantis.

Quanto apud antiquos elocutio fuerit in honore, tum argumento eſt, quòd Iſocrates minimùm Panegyrico impenderit decennium, ac Plato uſque ad octogeſimum ætatis annum dialogos ſuos pectere & calamiſtrare non deſierit; ut de utroque ſcribit Halicarnaſſenſis *: tum quòd ab hac ſola oratores dixerint eloquentes; etſi aliud longè ſit eloquentia, aliud elocutio. Nam illa eſt tota oratoris virtus; hæc tantùm pars eſt officii oratorii, quæ idonea verba & ſententias ad inventionem accommodat; quemadmodum cognoſcere eſt ex definitione autoris ad Herennium †: niſi quis apud eum legere malit, *Elocutio eſt idoneorum verborum ad ſententiarum inventionem accommodatio*; quomodo è MS. codice reſtituit Franciſcus Luiſinus lib. III. παρέργων cap. XXIII. Sed vulgatam ſcripturam planè retineo. Illa verò, quàm Luiſinus probat, ab eorum errore profecta mihi videtur, qui, elocutionem tantùm eſſe verborum, putarunt. Atqui aliud ſenſiſſe hunc ſcriptorem, vel illud ſatis arguit, quòd figurarum alias verborum eſſe dicat ‡, alias ſententiarum.

* Lib. [illegible]

† Lib. 1.

‡ Lib. 4.

II. Varia elocutionis genera, ac oratoriæ elocutionis partitio in elegantiam, compoſitionem, et dignitatem.

Elocutio alia eſt naturalis, quæ non recedit à vulgari loquendi conſuetudine: alia artificioſa, quæ à priori abit. Hæc vel philoſophica eſt, vel oratoria, vel hiſtorica, vel poëtica. Ex his philoſophica propior eſt naturali. Interim etſi omnes non paucis differant, multo tamen pluribus conveniunt. Quæ & ratio eſt, cur pleraque omnia elocutionis præcepta à rhetoribus non oratorum modò, ſed hiſtoricorum etiam, atque adeo poëtarum exemplis illuſtrentur.

Partes oratoriæ elocutionis ſunt duæ. Prior, quam univerſalem & communem vocamus, generatim pertractat de iis, quæ orationem ornant. Altera, quam ſpecialem ac propriam appellamus, elocutionis diverſitatem aperit pro diverſâ materiâ. De priori agemus hocce libro, & ſequenti: de alterâ dicemus libro ſexto.

Quemadmodum autem ædificia, ita elocutio univerſa duobus conſtat; fundamento, & exædificatione ſive ſtructurâ; ſub quâ, ut inferiùs dicemus, compoſitionem, & dignitatem comprehendimus. Sanè tria hæc in elocutione ſpectari, ſenſit & Theophraſtus, eumque ſecutus Dionyſius Halicarnaſſenſis; quorum uterque magnificum ſtylum conſiſtere voluit in verbis deligendis, quod fundamentum facimus; iiſdem collocandis, quæ prior iis eſt ſtructuræ cura; atque his ipſis ſchematum pigmento exornandis, quæ res ad dignitatem pertinet. Verba Dionyſii* viſum apponere, quibus & id quod dixi, & ſuum de Iſocrate judicium complectitur: Καθόλου δὲ τελῶν ὄντων, ὥς φησι Θεόφραστος, ἐξ ὧν γίνεται τὸ μέγα, καὶ σεμνὸν, καὶ περιττὸν ἐν λέξει, τῆς τε ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων, καὶ τῆς ἐκ τούτων ἁρμονίας, καὶ τῶν περιλαμβανόντων αὐτὰ σχημάτων· ἐκλέγει μὲν εὖ πάνυ, καὶ τὰ κράτιστα ὀνόματα τίθησιν· ἁρμόττει δὲ αὐτὰ περιέργως, τὴν εὐφωνίαν ἐκτείνων μουσικήν· σχηματίζει τε φορτικῶς, καὶ τὰ πολλὰ γίνεται ψυχρός, &c. *Cum autem tria omnino ſint, ut ait Theophraſtus, ex quibus dictionis granditas, & ſplendor, ac magnificentia oriatur; verborum delectus, univerſa ex iis concinnitas, & figuræ, quibus hæc concluduntur: optimum quidem Iſocrates habet delectum, valdeque commoda verba ponit: affectatè autem hæc conjungit, muſicum quendam captans concentum; ac figuras uſurpat tumidas, unde ſæpe fit frigidus, &c.* Nunc de ſingulis ſingillatim agamus.

* *In Iſocrate.*

III. In quibus elegantia conſiſtat: et an, Latinitatis ſtudio, ſit abſtinendum à peregrinis omnibus, aut vocibus diſciplinarum propriis, vel vocabulis eccleſiaſticis.

Fundamentum elocutionis, ac veluti ſolum quoddam, faciemus elegantiam. Sub hâc autem complectimur puritatem, & perſpicuitatem. Puritas ad Grammaticum pertinet: quamquam, ut pura Latinaque ſit oratio, non tantùm Grammaticis præceptis, ſed etiam conſuetudini bonorum ſcriptorum, conformis eſſe debet. Quippe Latinitas nihil aliud eſt, quàm obſervatio incorruptè loquendi ſecundùm Romanam linguam: ut eſt apud Diomedem †, & Maximum Victorinum ‡.

Quò autem pura, h. e. Latinis Latina, Græcis Græca ſit oratio; primò & inprimis illam curabimus curam, ut verba noſtra ſint cognita iis, qui è veteribus probo ſunt caſtoque ſermone uſi. Latinorum autem Græcorumque verborum numero adſcribenda etiam ſunt, quæ peregrinitatem Latio, aut Græciæ, infudiſſe videri poſſent, niſi ea Romani, aut Græciæ terræ homines, ſuâ donaſſent civitate. Iſtiuſmodi ſunt, *gaza*, *mapalia*, aliaque hujus monetæ, quæ in Marone tanquam barbara ſugillat Claudius Verderius, vir eruditus, ſed malus bonorum ſcriptorum cenſor. Non tamen his utendum confertim; ſed quoties alia, quibus ea exprimamus, haut ſuppetunt: eaque cautio potiſſimum in pedeſtri oratione locum habet. Nam & Hermogenes περὶ μεθ. δειν. ſcripſit, τὰ ἐθνικὰ, ſive gentilia ac peregrina, quæ Ariſtoteli γλῶτται dicuntur, item τεχνικὰ, ſive artium propria, & νομικὰ, i. quæ ad leges ac jus pertinent; ignorari, ac obſcuritatem afferre in oratione ſolutâ. Iccirco veteres Romani, ſi vocem uſurparent Græcanicam, ejus ſubjicere ſolent explicationem. Afranius in togata, cui Sellæ nomen *.

Uſus me genuit, mater peperit Memoria.
Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam.

Ennius in Annalium ſeu primo, ſeu ſeptimo †:

Nec quiſquam ſophiam, ſapientia quæ perhibetur.

Nec tamen id perpetuum eſt, cùm & ſine ἐξηγήσεως utantur. Ut factum quoque eſſe in antiquis togatis, innuit Seneca ‡: qui & titulum hunc adducit inſcriptum tumulo Fabii Doſſenni, Atellanarum ſcriptoris:

Hoſpes, reſiſte, & ſophiam Doſſenni lege.

Sic Juvenalis *orexin* non refugit ſat. vi:

——*rabidam facturus orexim.*

Atque iterum ſat. x:

——*Hinc ſurgit orexis,*
Hinc ſtomacho bilis.

At minimè imitanda eſt Plauti licentia, qui *poterium* uſurpat Sticho: ubi & bis *prothymi* dixit, ut & *prothymè* in Pſeudolo.

Interdum tamen uſu venit, ut eleganter Græca Latinis interſerantur: quod inprimis in epiſtolis locum habet, ac potiſſimùm, ſi is, ad quem ſcribimus, magnopere hâc afficiatur linguâ; aut ſiquid ſcribamus, quod occultum eſſe velimus; aut denique, ſiquid elegantiùs Græcè ſonet, quàm Latinè, aut ſi vox Græca habeat ἔμφασιν, aut ſi verba Græci ſcriptoris adſeramus, aut ad ea alludamus. In orationibus verò parcè omnino utendum Græcis: quippe quæ coram multis habeantur, quorum bona fortaſſe pars Græcè neſcit. Vide omnino Alberici Gentilis diſputationem παρέργως inſtitutam de linguarum mixtura *.

Quod ſi judicio iſtoc opus eſt in peregrinis Latio receptis & Græcis bonis: quantâ religione ab iis abſtinendum, quæ labente, vel collapſo jam imperio Romano, barbaries induxit! Jubemus igitur in ultimas deportari terras inquinatam illam ſcribendi rationem, quæ ſuperioribus ſeculis in Philoſophis pro ſubtilitate, in Medicis pro utilitate, in Juriſconſultis pro prudentiâ, in Theologis pro pietate habebatur: de cujuſmodi ſcriptoribus, aut ſaltem de quorum plurimis, eleganter dicebat Hermolaus, nomine, non re Barbarus, ne viventes quidem vixiſſe, nedum exſtincti vivant; vel, ſi vivant, vivere in pœnam, aut contumeliam.

Non tamen eorum ſententiam probamus, qui vocabula diſciplinarum quarumque propria exterminant, & Philoſophorum ſermonem ad lineam claſſicorum ſcriptorum expendunt. Ita inique Petrum Victorium, ſummum virum, ſugillat Majoragius †, quòd uſus eſſet vocabulo *contrarietatis*. At rectè Scaliger Exerc. 1. ad Card. *Non verſamur in foro, aut in Romano comitio; ſed in communi theatro ſapientum, ſub oculis veritatis; cujus ſupellectilem, atque apparatum, non tam nitidum, quàm opulentum eſſe decet.* Adde quòd Victorius *contrarietatis* vocem non uſurpârit primus, cùm & legere eam ſit apud Arnobium lib. 11: *Et rerum*, inquit, *contrarietatibus diſſonare.*

Multo minùs probatur nobis eorum diligentia, qui in ſacrarum literarum tranſlatione, ut præter cæteros puritati ſtuduiſſe videantur, viris eruditiſque fugiunt voces Eccleſiæ priſcæ uſurpatiſſimas, & idiotiſmos linguæ ſanctæ ab verſionibus ſuis, quaſi furcillis, arcent. Non ſatisfacit illis Hebraiſmus hic, *Sermo caro factus eſt*; ſed malunt, quod tamen minùs exinanitionem Chriſti declarat, *Sermo fuit corporatus*. Itidem eos videre eſt pro baptiſmo ſub-

† *Lib. 2. cap. de Latinitate.*
‡ *Lib. de re Grammatica.*

* *Apud Gellium lib. 13. cap. 8.*
† *Apud Feſtum in Sas, ex Scaligeri correctione.*
‡ *Epiſt. 89.*

* *Subjicitur mox Druſii & diſſertationi Alberici Gentilis in lib. 1. Machab.*

† *Comment. in cap. 1. lib. 1. Rhet. Ariſt.*

Digitized by Google

ſubſtituere lotionem, pro angelo genium, pro fide confidentiam, pro eccleſiâ temp., pro ſynagogâ collegium; neque minùs ineptè in aliis multis, quæ jure in Caſtalione culpant intelligentiores. Si enim Apoſtoli Hebraiſmos iſtos in Græco ſermone reſervant; ſi doctiſſimi Græci Latinique Patres formis illis loquendi à Spiritu S. adhibitis orationem ſuam tanquam gemmis exornarunt; ſi huc uſque Eccleſia Græcanicas iſtas voces N. T. retinuit; ſi denique inuſitatâ ignotâque hactenus loquendi ratione, Eccleſiæ glaucoma ob oculos objicitur: quid virum illum, quamquam eruditiſſimum, ita tranſverſum egit, ut contra Apoſtoli mandatum*, iſtam, ſive κενοφωνίαν †, ut legêre Græca ſcholia, ſive καινοφωνίαν ‡, quomodo legit Auguſtinus, Ambroſius, & vetus interpres, cum ſcandalo in Eccleſiam introductam velit? Præſertim quando Hebraiſmi illi, ac voces Græcanicæ ἐμφαντικώτεραι ſint, & vim ac majeſtatem quandam habeant; quam amittant, cùm ad phraſin aliarum linguarum recuduntur. Mero enim meridie clarius eſt, quod ſcribit Jul. Scaliger, *Venere propriâ, quaſique nativo cujuſque linguæ decore, foveri ſententias quaſdam, ſubnixaſque certis idiotiſmi fulturis ſuſtineri: quas in aliam quaſi coloniam ſi deducas, iidem ſanè ſint cives; gratiam priſtinæ commendationis non retinebunt.* Inſignis quoque hâc de re locus eſt apud Jamblichum, quem apud eum reperies in Theologiâ Phœnicum: aut cui inquirendi non eſt otium, ex Jamblicho adductum videat apud Hadr. Junium lib. IV. Animadv. cap. XXV.

* *Ad Tim. 1. cap. 6. verſ. 20.*
† *Vocum inanitatem.*
‡ *Vocum novitatem.*

IV. De proprietate sermonis.

NEc ſatis eſt, ſi optimorum utamur ſcriptorum verbis: ſed in his ipſis non exiguo opus eſt delectu. Quippe & puræ putæ Latinorum voces multimodis differunt. Ac primò diſtinguuntur ratione ſignificationis; cùm aliæ aliis magis ſint propriæ ac ſignificantes: quò refer, quòd quædam ſint ſublimes, quædam humiles; quædam graves, quædam leves; quædam honeſtæ, quædam obſcœnæ. Differunt præterea ratione conſuetudinis: cùm aliæ ſint uſitatæ, aliæ raræ: ac quædam ſint novæ, aut pridem novatæ, quædam antiquæ nondum deſitæ, vel jam antiquatæ. Item ratione ſermonis, cùm quædam ligatæ, quædam pedeſtri conveniant orationi. Ac denique (quod ad Compoſitionem pertinet) ratione ſoni, cùm vocabulorum quædam ſint ſonantia, quædam exilia; quædam lenia, quædam aſpera; quædam tarda, quædam volubilia, &c. Itaque jure optimo monent, verbum quodque quaſi staterâ aurariâ pendi oportere. Eadem ſententia Dionyſii Halicarnaſſenſis, cùm ſcribit, ἡ ἐκλογὴ τῶν ὀνομάτων μέγα τι δύναται* Idem & de eâ Echecrati librum promittit; quem tamen num ſcripſerit, divulgaritque, planè ſub ancipiti hæret.

* *Delectus verborum magnum quid poteſt.*

Verùm totum hoc, quod de ejuſmodi delectu propoſuimus, ac inprimis, quod primo loco de vocabulis propriis ac ſignificantibus dicebamus, fruſtra monemus, niſi quis apprimè fuerit volutatus in eorum lectione, qui propriè ſignateque ſunt locuti. Ex his enim ſolis, non ex ſeculi noſtri ſermone, quo vel duo Latinè loquuntur, vel nemo, proprietas illa haurienda eſt. E. G. ex Tullii Philipp. VIII. & Feſto Pompejo, diſcimus, nullum à veteribus *tumultum* vocari ſolitum, præterquam Italicum, & Gallicum: & ratio eſt, quòd ut animantia gravida tument, itemque arbores folia edituræ; ſic cùm à domeſticis, aut vicinis, bellum imminet, negotia, ſive res, tumeant, (ut loquitur Cicero †) h. e. perturbationem aut bellum parituræ videantur. Eò reſpexit Plautus Patruo ſive Pœnulo, cùm ait ‡:

—— Servile eſſe duco feſtinantem currere.
Præſertim tempore populi placidô, atque interfectis hoſtibus,
Non decet tumultuari.

Itidem Dictatorem propriè *dictum*, ac Flaminem dicebant *proditum*. Sed & virginem Veſtalem, quia, quæ primùm Veſtalis facta, capta fuit in bello, (hanc enim rationem afferunt Grammatici: veriùs, ſcio, eâ de re Joſeph. Scaliger in Culicem Maronianum) *captam* propriè dicebant. Atque hoc diſcrimen (quod tamen perpetuum non eſt, quia & flamen Dialis *captus* dicebatur, ut ex Agellio * cognoſcimus, &, *dictatores proditi ſunt*, legimus apud Pomponium IC.) aſſignat quoque Chirius Fortunatianus; vel potiùs Curius Fortunatianus, cùm Chirii nomen, quod & in Aldinâ eſt, Romanis ſit ignotum; vel, quomodo è veteribus codd. Parrhaſius in epiſtolis legit, Fortunatianus in Chriis; quæ inſcriptio ſi cui fortè arridet, dicendum erit, latiùs Fortunatianum uti vocabulo Chriæ, quàm Fabium, Theonem, & Aphthonium; cùm ea quoque Rhetor ille tradat, quæ propriè ad Chrias non pertinent.

† *Epiſt. 2. & 4. lib. 15. ad Att.*
‡ *Act. 3. ſc. 1.*
* *Lib. 1. cap. 12.*

Porrò cùm proprietatem ſermonis commendamus, non excludimus voces tranſlatas: verùm cum Fabio † propriorum quoque loco habemus modificata illa, quibus nihil inveniri poteſt ſignificantius: ut cùm Cato dicebat, *Cæſarem ad evertendam Remp. ſobrium acceſſiſſe*: aut cùm apud Maronem legimus, *deductum carmen*; apud Horat. *acrem tibiam*. Scio, adverſus hanc Fabii ſententiam acriter diſputari à multis: verùm abunde eum defendimus in Grammaticis noſtris commentationibus. Ac facit in hoc nobiſcum etiam Cæſar Scaliger lib. IV. Rei Poëticæ cap. V. ‡.

† *Lib. 8. cap. 3. quod eſt de perſpicuitate.*
‡ *P. 460. edit. Commel.*

V. De verbis sordidis.

DE proprietate diximus. Quemadmodum autem cognoſcere fuit ex variis vocabulorum formis; quas paullo antè adſignavi: non conſiſtit delectus in ſolâ proprietate verborum: ſed inſuper aliæ ſunt ſermonis puri caſtique virtutes. Ac primò requirimus in eo nitorem: cui repugnant voces vulgares ac plebejæ, utpote ſordidæ itemque poëticæ & affectatæ, utpote nimis ſplendidæ, neque ſermonis generi accommodatæ. Præterea neceſſe eſt, adhibeamus λόγοι λευκὸν, ut eleganter loquuntur Græci; h. e. orationem claram ac perſpicuam: cui adverſantur vocabula tum obſoleta, tum novata, cùm utraque ſint ignota. De ſingulis pleniùs dicamus.

Sordidas voces appellarunt, quæ ſordidiori vulgo, non autem hominibus elegantioribus, in uſu eſſent. Nec tamen doctiſſimi etiam homines commercio vulgi non aliquid ſordium ab ejus ſermone acceperunt. Sanè *ſculna*, quo utitur Varro pro ſequeſtre, inter ſordida repoſuit P. Lavinius, teſte Agellio cap. ult. lib. ult. Noct. Att. In Laberio item ſordida pluſcula notavit idem Gellius lib. XVI. cap. VII. Sordidum apud Senecam, Eraſmi * quidem judicio, eſt *pauſarius*, à pauſâ: quamquam hæc lectio diſplicet Jacobo Durantio †; ſed immeritò, cùm optimè ea vox conveniat illi, quem Græci κελευςταὶ, Latini portiſculum appellant. Etiam, ex ejuſdem Eraſmi ſententia, ſimile eſt *pilicrepus*. qua de voce Cœlius Rhodiginus lib. XXX. cap. XIX. Ant. Lect. Turnebus lib. VII. cap. IV. Scaliger in Manilium, & Savaro in Sidonii lib. II. epiſt. II.

* *Lib. de copia verborum.*
† *Lib. 2. cap. 12.*

Imò in propriis quoque nominibus ſordes locum capiunt. Ut Horatii illo ‡, *Viſne tegam ſpurco Damæ latus?* Sordidum enim eſt *Dama*, ſive Δῆμας. Quippe nomen ſervile eâ diminutionis formâ factum è Demetrio, quâ, Varrone * teſte, ex Artemidoro fit *Artemas*; quâ item è Poſidonio *Poſis* †; ex Amphiarao, *Amphis*; ex Menelao, vel Menodoro, *Menas*; ex Arceſilao, *Arceſilas*; ex Theodoro, *Theudas*; ex Pterelao, *Pterela*, vel *Pterelas* ‡; ex Apollodoro, vel Apollonio, Ἀπελλᾶς, Latinis *Apella*, non quaſi *ſine pelle*, ut nugantur; ex Antipatro, *Antipas*; ex Cleophilo, Cleophas; ex Ἐπαφρόδιτος, Ἐπαφρᾶς; ex Ἁρποκράτης Ἁρποκρᾶς; ex Alexandro, Ἀλεξᾶς, quomodo Ptolomæus, (qui & Alexander) Epiphanio dicitur: imò ex iis etiam, quæ Græci accepere à Romanis: ut ex Rufinus, Ῥουφᾶς; ex Lucilius, Λουκᾶς. Quin & multi communia, quæ Gram-

‡ *Sat. 5. lib. 2.*
* *Lib. 7. de L. L.*
† *Athenæus lib. 9. Sed corrupte apud eum Πόσις editum pro Πόσις.*
‡ *Plautus Amphitr.*

matici parùm commodè appellativa vocant, ſimiliter truncant. Quippe *ἀδάμας* dicunt pro *ἀδάμαστος*, *μίκας* pro *μικρολόγος*, *ἀκάμας* pro *ἀκάματος*, *αὐτοκέρης* vel *αὐτοκέρης* pro *αὐτοκέρατος*, &c. *Demam* autem potiùs, quàm *Demetrium*, vocabant ſervum; ac contrà regem *Demetrium* appellant, non *Demam*; quia facilitati in ſervis ſtudetur, in aliis honori. Hinc vetus parœmia: Πᾶς δοῦλος δεσπότη μονοσύλλαβος *. Certè herorum nomina ferè erant polyſyllaba, ut Agamemnon, Menelaus, &c. At ſervorum nomina, etiam cùm integra efferebantur, ferè vel unius erant ſyllabæ, ut Mus, ſervus Epicuri: vel duarum ut Syrus, Geta, Dromo, Stichus, Manes &c. Itaque Simon quidam, dives factus, Simonides vocari voluit; ut ait Lucianus in Somnio, ſive Gallo. Ἀντὶ † δισυλλάβου, inquit, τετρασύλλαβος ἤδη πλουτήσας εἶναι ἀξιοῖ. Vide & aliqua, quæ in hanc ſententiam ſcripſit ὁ πολυμαθέστατος Caſaubonus Animadverſionibus in Athenæum.

* *Servus omnis domino unius eſt ſyllabæ.*

† *Pro diſyllabo poſtquam dives factus eſt, tetraſyllabus eſſe efficitur.*

Pluribus hæc de vocabulis ſordidis proſequi viſum fuit; quia non deſunt, qui, ſpiſſo errore, albâ quadam lineâ ſignent, quæcumque apud veteres reperiunt; cum, uti vidimus, complura apud hos ipſos invenire ſit hauſta è fece vulgi: cujuſmodi omnia pro ſordidis habemus, latiùs aliquanto hâc voce utentes, quàm qui ſordida eo diſtinguunt ab obſcænis, quòd hæc τὰ ἀφροδίσια * planè, Latineque, (ut Ithyphallicus loquitur poëta) exprimant: ſordida verò propriè, & abſque circuitione, notent res immundas; ut corporis excrementa.

* *Quæ ad Venerem pertinent.*

VI. De Poeticis.

NEque minùs peccant, qui miſcent verba ac phraſes oratorum, hiſtoricorum, & poëtarum. Nam quemadmodum Poëta in verſu Heroico nunquam diceret *triticum*, aut *panem*, (Virgilius certè *Cererem*, aut *cruſtum*, perpetuò appellat) ita viciſſim, ſi voces Poëticæ in oratione proſâ adhibeantur, præſtigioſam ac inſobidam reddant orationem. Ut, ſi quis in ea *ſquammigeri* dicat pro piſcibus, quia ſic locutus Lucretius *: aut *certum facere* pro certiorem, quia Virgilii † ſit, *Anchiſen facio certum;* aut *tueri longa* pro adſpicere, quia Statius ‡ ait, *Non unquam longa tuendo Expedias, cui major honos.* Itaque meritò deriſus à Caſſio Severo orator ille, qui, ut Fabius * refert, pro ſparto dixerat *herbas Ibericas*; idque, ut Turnebus † obſervavit, Horatii imitatione, cujus illud lib. Epodon,

Ibericis peruſte funibus latus.

* *Lib. 1.*

† *3. Æn.*

‡ *Lib. 2. Thebaid.*

* *Lib. 8. cap. 2.*

† *Lib. 14. Adverſ. cap. 9.*

Quin, ut de Appulejo nihil dicam, Platonis quoque ſtylus reprehenditur à multis, quòd poëtico ſit ſimilior: quâ de re ita Tullius in Oratore: *Itaque video, viſum eſſe nonnullis, Platonis & Democriti locutionem, etſi abſit à verſu, tamen, quòd incitatiùs feratur, & clariſſimis verborum luminibus utatur, potiùs poëma putandum, quàm Comicorum poëtarum.* Certè Dionyſius quoque Halicarnaſſ. epiſt. ad Ammæum, & περὶ τῆς Δημοσθ. δεινότ. reprehendit in eâ ſchemata poëtica; quodque uſurpet crebras, longas, & intempeſtivas allegorias: atque adeò, quòd idem poëtas è ſuâ exterminet Rep. id factum ait διὰ τὴν πρὸς Ὅμηρον ζηλοτυπίαν *.

* *Ambitioſa quadam erga Homerum æmulatione.*

VII. De obsoletis.

ORatorum quoque eſt, verba togæ ſequi, quod Cornutus in Perſio ‡ laudat; ac fugere hirtam obſoleti ſermonis togam, nec ſe Accii & Pacuvii veterno inquinare, ut loquitur auctor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ. Obſoleta autem dicuntur, quæ nitorem amiſerunt: cujuſmodi pleraque omnia erant in Janualiis, Junoniis, ac Minerviis, Saliaribus Numæ Pompilii hymnis; qui, eo quòd axibus, ſive tabulis, eſſent inſcripti, ut apud Græcos leges, *axamenta* dicebantur. Citat ex iis Varro ‡, prout quidem è veteris codicis veſtigiis reſtituit Joſephus Scaliger: *Omnia dapatilia comiſſe Iani cuſiones. Duonus Ceruſes deivos Janos venet.* Quo in loco ingenioſè & doctè ab viro illuſtri emendato (nam mihi quidem conjectura ejus propiùs à veritate abeſſe videtur, quam aut Turnebi ſententia, quem vide lib. XXIII. Adverſ. cap. XIV. aut aliorum, qui poſt Turnebum, & Scaligerum, medicam ei loco manum afferre ſunt conati) *dapatilia comiſſe* ſignificat opipara comediſſe: *cuſiones* ſunt curiones, quos Varro * ita dictos ait, quia in curiis ſacra faciunt: *duonos ceruſes* eſt bonus creator: *venet*, quomodo & editum in antiquâ Mediolanenſi †, poſitum pro *venit*. Nam veteres E pro I uſurpabant, Fabio ‡ teſte. Denique *deivos Janos*, ſive *Divianus*, idem eſt, qui Sol: qui *divus Janus* vocatus, ut Luna, (quam *Janam* nuncupatam, ex Varronis lib. 1. de re Ruſt. * cognoſcimus) appellata eſt *dea Jana*, aut *diva Jana*, vel unâ voce *Deiana*, aut *Deiviana*. Non enim *Diana* vocata eſt, quòd noctem quaſi diem efficeret, ut ſcribit Cicero in ſecundo de Nat. Deorum, & Jul. Firmicus lib. de errore profanarum religionum: neque, quod vult Varro, *Diviana* dicta, quia divia ſit, in altitudinem, & longitudinem: ſed facta vox ex *diva*, & *Jana*: ut obſervat Scaliger lib. II. de emend. Temp. Quamquam, ſi propriæ quoque indulgere liceat conjecturæ, fortaſſe non *Janos* apud Varronem, ſed *Janes* legendum. Nam *Janes*, non *Janos*, dixiſſe Salios, auctor eſt Tertullianus in Apologetico, cùm ait: *Saturnus exceptus ab Jano, vel Jane, ut Salii volunt.* Quomodo non in Aldinâ modò, ſed & Pamelianâ, ac Junianâ editione, legimus. Vel potiùs apud Varronem ſcribendum *Eano*: quando ab eundo *Eanos* veteres dixiſſe, ex Macrobio diſcimus lib. III. Saturn. cap. IX. Doctiorum eſto arbitratus.

‡ *Apud Perſium ſat. 5.*

‡ *Lib. 6. de L. L.*

* *Lib. 4. & 5. de L. L.*

† *Anni 1500.*

‡ *Lib. 1. cap. 4.*

* *Cap. 37.*

Scripſit Varronis tempore Ælius Stilo explanationem carminum Saliarium; è quâ Grammatici veteres quædam adducunt gloſſemata, ut appellat Varro, h. e. voces minùs uſitatas, ut interpretatur Quinctilianus lib. 1. cap. XIV. Poſſis & dicere λέξεις κατεγλωττισμένας. Ita enim abſque augmento, (quod & aliàs eo in tempore crebrò omittitur) Eunapius in Libanio nominat voces omnes ob peregrinitatem aut raritatem interpretationis indigas: cujuſmodi fuere Ἀττικαὶ λέξεις Philemonis, γλῶσσαι Δωρικαὶ Ariſtophanis, γλῶσσαι Κρητικαὶ Hermonis, qui aliis Hermonax: item eorum, qui non unius, ſed variarum gentium vocabula, fuere interpretati; uti Nicander Colophonius, Pamphilus, Amerias Macedo, Seleucus, Philemon, Timachidas, Philetas, aliique.

Multa autem deſita rancidaque ſunt in laceris illis reliquiis Lucilii, Ennii, aliorum. Nec apud Comicos, quos habemus, ab iis ſolitudo eſt, Plautum inprimis. Ut *perbitere* pro *perire*. Quo uſus videtur Captivis *: ſi rectè reſcribunt viri eruditi; *Qui per virtutem perbitat, non interit.* In libb. MSSis eſt *peritat*: quomodo & Nonius † legit; ſed metro invito, niſi *Qui* κατὰ ἀφαίρεσιν jambus fiat. Quod non diſplicet. Utcumque de eo eſt, *perbitere* dixit Rudente ‡, & Pſeudolo *: ſimileque eſt *inbitere* pro *inire* in Epidico, & *combito* pro *comeo*, apud Varr. in IV. de L. L. Sunt autem ea à ſimplici *betere*, quo non modò idem uſus in Aſtrabâ; ſed & Varro, cujus locum apud Nonium † ita emendabat Carrio ‡: *Annos multos, quòd ea parere non poterat, mulierem foras betere juſſit.* Sed & *bitere* dicebant, unde *Bitienſes* Feſto ſunt, qui aſſiduè peregrinantur. Niſi *betienſes* malis cum Giffanio. *Nenum*, *nenu*, vel *neno*, pro *non* eſt apud Lucilium, Lucretium, & fortean Terentium †. *Topper* pro *citò* dixit Ennius: item *ſos* ‡ pro *eos*, aut *ſuos*, ac *ſam* pro *eam*:

Nec quiſquam Sophiam, ſapientia quæ perhibetur,
In ſomnis vidit priùs, quàm ſam diſcere cœpit.

Cui geminum illud carmine ad Sancum Semipatrem: *Viſum animo ſo, perfecit ſâ, pace, rogamate.* Innumera iſtiuſmodi olim quidem haurire erat commentariis Pontificum, & vetuſtiſſimis fœderibus, & opicis exoletorum auctorum chartis: at nunc vix aliunde, quàm è veteribus Grammaticis, petere eſt. Auguſtus * quidem Cæſar maximo ſtudio hos verborum fœtores, ut loquebatur, vitare ſolitus, atque adeò nec Tiberio pepercit, voces ejuſmodi

* *Sc. Superiore huic.*

† *In Peritare.*

‡ *Act. 1. Sc. Qui homo.*

* *Act. 3. Sc. 1.*

† *In voce betere.*

‡ *Lib. 2. Emend. cap. 9.*

† *Vide Scalig. in Varr. de R. R. lib. 2.*

‡ *Feſtus.*

* *Sueton. in Aug. cap. 86.*

modi aucupanti. Ὀψιμαθεῖς * ea undequavorſum congeſta orationi ſuæ ambitioſè infercire ſolent, non verba rebus aptantes, ſed res extrinſecus arceſſentes, quibus hæc verba conveniunt; contrà quàm præcipit Fabius lib. IX. cap. III. & Dionyſius Halicarn. tractatu de Iſocrate, cùm ait, βȣ́λεται γὰρ ἡ φύσις τοῖς νοήμασιν ἕπεσθαι τὴν λέξιν, ȣ̓ τῇ λέξει τὰ νοήματα †. Peccat hâc in parte præter cæteros Joh. Bapt. Pius, cujus phraſis doctè inepta eſt, ut & Appuleji. Nos obſoleta haut quaquam affectabimus; quin ea vivere valereque jubebimus, ne, in Græco ſermone, cum Agamemnone credamur colloquia habere, ut Demonax apud Lucianum ait: in Latino autem, jus Aborigenum vel Faunorum didiciſſe, vel cum Carmenta Euandri matre, ac priſcis Italis, quos caſcos appellat Ennius, velle ſermonem ſerere videamur. Sanè cùm omnis anxietas ſtyli moleſta ſit, imò & minuti animi, ut optimè ait Seneca epiſt. CXV. tum inprimis affectatio illa obſoleti ſermonis odioſa eſt: quâ de re locum illuſtrem apud Gellium vide lib. I. cap. X. Sed inprimis adeundus Luciani Lexiphanes. Etiam proavorum noſtrorum ætate à Mariangelo Accurſio conſcriptus eſt dialogus Oſcorum & Volſcorum, quo egregiè hæc κακοζηλία exagitatur.

* *Illi qui ſero didicerunt.*

† *Vult enim natura, verba ſententiis, non ſententias verbis obſequi.*

Interim non illi ſumus, qui indoctè iccirco putemus ſcribendum eſſe. Vulgi hæc ſententia, ut non modò φιλαρχαίους, & antiquarios, appellet; ſed etiam affectatè ſcribere dicat, quicunque uſurpant verbum minùs vulgare, quamvis probum, & medio illo ævo à Cicerone, Varrone, Salluſtio, aliiſque uſurpatum. At diſtinguendum erat inter antiqua, quæ uſurpare licet, & antiquata ſeu priſca. Nam & Plinius lib. I. epiſt. XVI. commendat in Pompejo Saturnino *verba ſonantia & antiqua*. At priſca non amplius ſunt in uſu, ſed periere. unde & ex mente Rodolphi Agricolæ, nomen ipſum, quaſi *periſca*, accepere: vel à πρὶν, ſive antiquo *pris*, h. e. præ: unde & *priſtinus*, & *privignus* quaſi *prigenus*. Eadem verò *antiquata* dicuntur, quia *antiquari* eſt obſoleſcere, & è memoria tolli, ut ſcribit Nonius. Diſtinguendum etiam inter ea, quæ revera obſoleta ſunt, & ea, quæ creduntur iſtiuſmodi ex ſententiâ eorum, qui ubi ſex ſeptem in Cicerone paginas legerunt, videntur ſibi eſſe idonei linguæ Latinæ Ariſtarchi: contra quos invehitur Politianus epiſtolâ ad Corteſium *, Franciſcus Picus Mirandulanus in diſputatione contra Bembum, Eraſmus in Ciceroniano, Budæus digreſſione quâdam in Comment. linguæ Græcæ, Lud. Vives lib. IV. de corruptis diſcipl. Franciſcus Floridus Sabinus lib. I. Lect. Subſ. cap. II. Muretus lib. XV. Var. Lect. cap. I. Ubertus Folieta lib. II. de linguæ Latinæ præſtantiâ, Nicolaus Beraldus dialogo de paranda facultate ex tempore dicendi, Nicolaus Suſius in limâ Ciceronianâ, &c. Et optimo profectò jure optimus ferè ac doctiſſimus quiſque iſtiuſmodi ineptos Ciceroniaſtros, ſive, ſi malis, Ciceronianos, (quandoquidem eo nomine, parum licet Ciceroniano, ſe jactant) perpetuò culparunt, damnaruntque. Neque enim omnibus de rebus ſcripſit Tullius; ideoque nec omnium rerum vocabula peti poſſunt è ſummo quidem illo, attamen non ſolo Latinæ linguæ autore. Deinde multa à Cicerone dicta, quæ non ſcripta; ac multa ejus interciderunt, in quibus, quæ nunc reformidant, legerentur: quod magis parêret, ſi exſtarent Statilii Maximi libri *De ſingularibus Ciceronis* †. Multa quoque ſcripturus fuerat, ſi diutiùs fuiſſet ſuperſtes. Denique in iis ipſis, quæ ſuperſunt, innumera iſtis hominibus ignota inviſaque inventa & eruta ſunt à præſtantiſſimis ingeniis; quæ ſi uſurpemus, quid flagitii committatur? neque enim ita ſcribere neceſſe eſt, ut omnes omnia intelligant; ſed potiùs, ut quædam ſint, quæ rudiores inveſtigare ac diſcere cogantur.

* *Lib.* 8.

† *Meminit his Chariſius lib.* 2.

Quemadmodum autem ſcioli iſti malè obſoleta appellant, quæ rarius fortaſſe occurrunt, attamen optimo ævo ab optimis ſcriptoribus uſurpata ſunt: ita in illo quoque errarunt, quòd parem noſtri veterumque rationem eſſe crediderunt: cum nulli quidem nationi ſermo Latinus hodie proprius ſit; olim verò Latinè ſint locuti, eoque iis tum fuerit vocabulis utendum, quibus ſua cujuſque uteretur ætas. Lapſi in eo quoque, quòd nuſquam putarunt obſoletis locum eſſe; cùm quædam ex iis in carmine decorè nonnunquam adhibeantur; ut videre eſt ex Varone, Catullo, aliiſque iſtius ævi Poëtis. Ovidii quoque eſt *.

—— *mortemque timens, cupiduſque moriri.*

* *14. Met. fab. 5.*

Ne ipſe quidem Maro in divinis Æneidos libris reformidat *olli*, & *ollis*; idque non iis tantùm in locis, ubi ſic legitur vulgò, ſed etiam aliis aliquammultis; ut Pierii docent Caſtigationes. *Quianam* etiam pro *cur* dixiſſe, indicant vetuſti codd. ac teſtantur Quinctilianus, Valerius Probus, Servius, Chariſius, Priſcianus. Initio undecimi libri codd. quidam habent, *Forſit* † *vota facit:* ac agnovit hanc quoque lectionem Servius. Ejuſdem eſt *aulai*, *pictai*, ac fortaſſe *aurai*, & *aquai*: de quibus in commentariis noſtris linguæ Latinæ dictum. Item *quoi* ‡, & *fuat* & illud,

—— *liquidove poteſtur electro.*

† *Pro* forſitan.

‡ *Vide Giffanii indicem Lucretianum in* Quoi.

Quamquam mihi quidem vulgata magis arridet: ſed *poteſtur* eſt in codd. aliquot antiquis, ac placuit id magis Bartholomæo Marantæ *, & aliis, ut pro dactylo creticus ſit; quod alibi etiam à Marone fieri, ex vett. libris probatum it Giffanius. Utcumque de iſto eſt, liquet de cæteris. Nec tamen caſu in talia incidit poëta: ſed judicio ſic maluit, quoties gratia ex iis accederet carmini: ut ſi vel Dii loquantur, vel veteres Latii incolæ, maximè ſenes, qui retinentiores eſſe ſolent ſermonis antiqui.

* *Lib.* 5. *Lucullianarum quæſt.*

Nec talia aliena planè ſunt ab hiſtoria; ut ex Salluſtio conſtat. Imò & Tacitus in IV. Annalium ait: *Intelligentem humani divinique juris mentem duint.* Nempe in perſona Tiberii, qui antiquarius erat.

Præterea in auſtera oratione locum habet archaiſmus; ut monet Dionyſius Halicarn. lib. περὶ συνθέσεως ὀνομάτων.

Imò & aliàs interdum, ſi orationi inde accedat majeſtas, vel aliquid extorqueat neceſſitas, vel utilitas etiam jubeat. Unde nec Tullius reformidat *rauduſculum*, *averruncare*, *muginari*, *tricari*, *noctuabundus* †, & alia quædam.

† *Ad Att. lib.* 2. *epiſt.* 1.

Quod ſi duriora videantur, utemur iis προεπιπλήττοντες †. E. G. ut Plautinam vocem uſurpem, ut veteres loquebantur, ut ita dicam, &c. Quod maximè locum habet in iis, quæ non vulgo, ſed eruditis dicimus, aut ſcribimus. Ita oſtendimus, veteres à nobis ſcriptores lectos, & intellectos. Tantùm bono id judicio fiat, & modicè, non fartim. Nam iſtæ penè exculcatæ voces manu, non ſacco, ſunt ſerendæ: ut de inſpergendis fabulis Poëticis Corinna dicebat Pindaro *. Fabium hâc de re audiamus, cujus iſtud lib. I. cap. VI: *Verba à vetuſtate repetita non ſolùm magnos aſſertores habent; ſed etiam afferunt orationi majeſtatem aliquam, non ſine delectatione. Nam & autoritatem antiquitatis habent: & quia prætermiſſa ſunt, gratiam novitati ſimilem parant. Sed opus modo, ut neque crebra ſint hæc, neque manifeſta, quia nihil eſt odioſius affectatione: nec utique ab ultimis & jam obliteratis repetita temporibus; qualia ſunt* TOPPER, *&* ANTIGERIO, *&* EXANTLARE, *&* PROSAPIA, *& Saliorum carmina vix ſacerdotibus ſuis ſatis intellecta.* Huc pertinet illud ejuſdem lib. VIII. cap. III: *Propriis dignitatem dat antiquitas: namque & ſanctiorem, & magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat uſurus.* Et paullo pòſt: *Sed utendum modo, nec ex ultimis tenebris repetenda.* Exemplis hæc deinde illuſtrat: *Satis*, inquit, *eſt vetus* QUÆSO, *quid neceſſe eſt dicere* OPPIDO? *quo ſunt uſi paullùm tempore noſtro ſuperiores. vereor, ut jam non ferat quiſquam. Certè* ANTIGERIO, *cujus eadem ſignificatio eſt, nemo niſi ambitioſus utetur.* ÆRUMNAS *quid opus eſt? tanquam parum ſit, ſi dicatur* LABOR. *Horridum*, REOR; *tolerabile*, AUTUMO; *tragicum*, PROLEM DUCENDAM UNIVERSAM EJUS PROSAPIAM, *inſulſum. Quid multa? totus prope mutatus eſt ſermo.* Sed hìc Fabius cenſuram exercet ſeveriorem, quàm oportebat. Ut quando ait, non

† *Prævenientes reprehenſionem.*

* *Plutarch. de gloria Athenienſ.*

non opus eſſe vocabulo *ærumna.* Atqui eo opus ſibi putavit Tullius, qui in Paradoxis, & orat. poſt reditum in Senatum, & aliis aliquot locis, uſurpat: quemadmodum nec uno loco apud eum *ærumnoſius* & *ærumnoſiſſimus* legas. Nec *ærumna* omnino idem eſt, quod *labor*, ſed aliquanto amplius: unde ea *ægritudo laborioſa* à Tullio definitur IV. Tuſc. Quæſt. Triſtius igitur hoc verbum eſt, quàm alterum. Hinc & idem in ſecundo de Fin. *An cùm de omnibus gentibus optime mererere, cùm opem indigentibus ſalutemque ferres, vel Herculis perpeti ærumnas (ſic enim majores noſtri labores non fugiendos, triſtiſſimo tamen verbo,* ÆRUMNAS *etiam in Deo nominaverunt) exigerem ex te?* Addit deinde Fabius, PROSAPIAM, *inſulſum* eſſe. Quod judicium non quidem inſulſum eſſe dixero: ſed ſalſius, quàm palatum ac ſtomachus ferre poſſint. Nam antiquatius ut ſit Salluſtius, qui uſus eâ voce in Jugurtha: non tamen puto inſulſè eum ſcribere, aliquis dixerit. Uti nec elegantiſſimum ſcriptorem Minucium Felicem, qui in Octavio eam uſurpat. Tullius tamen fateor, non ſic loqueretur, præterquam in re priſca; ut Deorum vel heroum ortu; ac ne ſic quidem, niſi [illegible]. Ut cùm ait in Timæo, ſeu de Univerſo: *Jovem, Junonem, reliquos, & eorum, ut utamur veteri verbo, proſapiam.* Nimirum judicio non exiguo in talibus opus eſt: quod non attendunt, qui ſic ea conſectantur, quaſi loquendum eſſet cum Paccuvio, vel Accio: vel ſic refugiunt, quaſi ſermo eſſet cum lixis, & calonibus. Senecam audiamus epiſt. CXIV: *Multi ex alieno ſeculo petunt verba: duodecim tabulas loquuntur: Gracchus illis, aut Craſſus, nimis culti & recentes ſunt: ad Appium uſque, & ad Coruncanum redeunt. Quidam contra, dum nihil niſi tritum & uſitatum volunt, in ſordes incidunt. Utrumque diverſo genere corruptum eſt, tam mehercules, quàm ſi vellent ſplendidis uti, ac ſonantibus, & poëticis, neceſſaria, & in uſu poſita vitare: tam hunc dicam peccare, quàm illum. Alter ſe juſto plus colit: alter ſe juſto plus negligit: ille & crura, hic nec alas quidem vellit.* Si tamen paullùm ſit peccandum, peccandum potiùs in eam partem, quæ oſtentatione eruditionis, quàm deſpectu; cultu ejus nimio, quam ſordibus peccat. Præſertim hodie, poſtquam tot jam ſeculis deſiit ſermo Romanus: ut nunc vulgi nobis cura ſit nulla; ſed tantummodo eorum, quos eruditio commendat. Et hæc de archaiſmo, ac vocibus priſcis obliviiſque, ut eas Varro * vocat.

* *Lib.* 4. *de L. L.*

VIII. DE NOVATIS, AC NOVIS.

NOvata quoque, quæ Græci πεποιημένα, Cicero *facta* appellat, non temere ſunt uſurpanda: ut quæ puritati pariter, ac perſpicuitati, repugnent. Vix enim fieri poteſt, ut nota ſint omnibus, quæ à dicente primùm gignuntur. Ejuſdem fere monetæ ſunt voces novæ; hoc eſt, quæ ab omnibus, vel multis, vel ſaltem pleriſque magni nominis, recipiantur; at veteribus tamen incognitæ ſint. Hujuſmodi ſanè, ſi non perſpicuitati (nam ea, fateor, quæ novitatem jam exuêre ignota eſſe ampliùs non poſſunt) at elegantiæ tamen, quæ antiquitatis eſt ſtudioſa, inimica eſſe ſolent: ideoque rectè Fabius lib. I. cap. VI: *Ut novorum*, inquit, *optima erunt maximè vetera, ita veterum maxime nova.* Propterea Varro lib. II. de L. L. ad Marcellum, ut ex Gellio † cognoſcimus, *Æditumum dici oportere cenſet magis, quàm æditum; quod alterum ſit recenti novitate fictum, alterum antiquâ origine incorruptum.* Idem Varro in V. de L. L. *Noviſſimum*, inquit, *dici cœptum vulgò; quod meâ memoriâ, ut Ælius Gallus, ſic ſenes aliquot, nimiùm novum quòd eſſet, vitabant.* Ubi legendum, *ut Ælius, ſic ſenes aliquot:* vel reſcribendum, *Ælius Stilo:* vel apud Gellium pro Stilone *Gallus* reponendum, lib. X. cap. XXI; ubi de *noviſſimi* voce Varronem laudat. Ait ibidem Gellius, Ciceronem eâ voce, quòd nova nimium foret, nuſquam uſum eſſe. Sed hac quidem in re falſus eſt

† *Lib.* 12. *cap.* 10.

doctiſſimus Grammaticus, quique eum hac parte ſequi non dubitavit, Laurentius Valla lib. III. Elegant. cap. XXXIII. Nam uſurpat eam Tullius, cùm alibi, tum oratione pro Roſcio Comœdo: *Itaque, qui ne in noviſſimis quidem erat hiſtrionibus, ad primos venit comœdos.* Quemadmodum nec refugêre Galba *, D. Brutus †, & Caſſius ‡, epiſtolis iis, quæ Ciceronianis ſunt admixtæ. Frequentat etiam Jul. Cæſar libris de bello Gallico: ut mittam cæteros. Nempe ubi *noviſſimi* vox novitatem exuere jam cœperat uſu multorum, nec amplius elegantioribus ingeniis eâ uti religio fuit.

* *Lib.* 10. *epiſt.* 30. † *Lib.* 11. *epiſt.* 1. ‡ *Lib.* 12. *epiſt.* 13.

Interdum autem Tullius in talibus mavult ea quaſi remediis quibuſdam præmunire. Ut in Bruto: *Commentabar declamitans. ſic enim nunc loquuntur.* Idem, ut Fabius * monet, fecit in novis *favoris* & *urbani* vocabulis. Nam epiſt. ad Brutum: *Eum*, inquit, *amorem, & eum, ut hoc verbo utar, favorem in conſilium advocabo.* Et ad Appium Pulchrum: *Te hominem non ſolum ſapientem, verùm etiam, ut nunc loquuntur, urbanum.*

* *Lib.* 8. *cap.* 3.

Nec tamen id ſemper fieri eſt opus. Abſtinere enim iſtis remediis licet, poſtquam, nova quæ fuerant, novitatem perdiderunt. Uti factum in vocabulo *cervicis.* Quomodo primus in ſingulari, Varrone † teſte, dixit Hortenſius. Monet idem Fabius ‡: qui & ſimilia commemorat. *Quædam*, inquit, *perdurant. Nam &, quæ vetera nunc ſunt, fuerunt olim nova, & quædam in uſu perquam recentia. Meſſalla primus reatum, munerarium Auguſtus primus, dixerunt. Piraticam quoque, ut muſicam, & fabricam, dici adhuc dubitabant mei præceptores.* Addit deinde, quæ de *favoris*, & *urbani*, & *cervicis* nominibus, ſuperiùs retuli. Item quomodo Tullius ipſe exiſtimet, *à Terentio primùm dictum eſſe obſequium.* Nempe quia Cicero in Lælio Terentianum appellat verbum. Verùm non idcirco inter novata repoſuerim, quia minimè ex eo conſequitur, Tullium ignorâſſe, priores hâc voce uſos Nævium, ac Plautum; ut rectè docet Parrhaſius adverſus, cùm Fabium; tum inprimis Gellium, Donatum, & Politianum. Non tamen improbo ſententiam, Georgii Fabricii, qui putabat, Terentianum vocari verbum, quia Comicus hic primus in bonam uſurpâſſet partem, cùm antiquitus tantùm diceretur de gratificandi ſtudio in turpi & flagitioſâ adoleſcentiâ.

† *Lib.* 7. *& 9. de L. L.* ‡ *Lib.* 8. *cap.* 3.

Sunt & alia aliorum. Ita Cato egregiè calumniatores dicit *vitilitigatores*, ex vitio & litigatoribus, ut Plinius * ait: vocemque *vitimagiſtratus* (ſi recta eſt Palmerii emendatio) de Marianis & Cinnanis vitio & per vim magiſtratibus creatis Salluſtius † uſurpat. Varro à Muſis dixit *muſinari*; quo poſt eum uſus Plinius Præfat. Nat. Hiſtor. Terentius, juxta aliquos, *funambulum* primus vertit, qui Græcis σχοινοβάτης. Cicero quoque plurima novavit, de quibus vide Ubertum Folietam lib. II. de uſu & præſtantiâ ſermonis Latini. Inter alia primus dixit *beatitudinem*, & *beatitatem*, primo de nat. Deorum: *mulieroſitatem* idem in IV. Tuſcul Quæſt. auſus fingere: ab eodem quoque formata ſunt *Syllaturire*, & *proſcripturire*, lib. IX. ad Att. epiſt. X. Idem, ut ſcribit Sidonius Apollinaris ‡, primus dixit *indoloriam.* Neque enim temere lectionem hanc, quæ in omnibus prælo excuſis reperitur, rejiciendam arbitror: non quòd neſciam, quàm multi errores ſæpe omnes obſideant codices, quia crebro ab uno univerſi tanquam à fonte defluxere: ſed quia in gloſſis quoque legere eſt, *indoloria* ἀνάλγητα: ubi ἀναλγησία legendum eſſe, jam diu eſt, cùm monuere alii; ne quis ſibi hinc cum nonnemine laureolam quærat. Nec tamen ita præfractè hanc ſententiam probem, ut damnem *indolentia*; quomodo diſertiſſimus Muretus * legendum putat; ac in codicibus aliquot inveniri, auctor eſt P. Colvius †. Certè quòd *indolentia* vox uſurpatur aliquoties à Tullio, id nihil prohibet, quò minùs is primus eâ uſus ſit. Res eò magis anceps, quia optimi quique MSSi codices, nec *indoloriam*, nec *indolentiam* habent, ſed *indoliam*; quemadmodum teſtatur quoque Carrio ‡. Liquidior res de voce *eſſentia*, quam non Sidonius modo

* *Præfat. in nat. hiſt.* † *Epiſt. Cnei Pompeji ad Senatum in 3 Hiſtor.* ‡ *Epiſtolâ carmini 14 præmiſſâ.* * *L.* 15. *Var. Lect. cap.* 20. † *Notis ad Sidon.* ‡ *Lib.* 1. *Emend. cap.* 16.

eâdem

eâdem epiſtolâ à Cicerone primitus inventam ſcribit; ſed & Seneca alicubi *; niſi quis certiſſimam Mureti † emendationem in dubium revocet. At à Sergio Fabiano (malè ab Aldo, *Sergio Flavioque*, editum) hanc vocem novatam eſſe, ſcribit Quinctilianus ‡: credo, quia is primus *eſſentiæ* nomen trivit. & alia plurima novavit. Budæum, cùm id Plauti verbum appellat *, planè memoria fefellit.

* Epiſt. 59 † Lib. 15. Var. Lect. cap. ult. ‡ Lib. 8. cap. 3. * Annot. in Pandect.

Nec quocunque alicubi Tullius utitur, id ubivis locum habet. Siquidem diſtinguere oportet inter ea, quæ in epiſtolis, vel in orationibus, quæque in philoſophicis, uſurpat: ubi major libertas. Uti & alias, in rebus amœnis. Velut in Catone majore: *Terra*, inquit, *cum gremio mollito & ſubacto ſparſum ſemen excepit: primum id occæcatum* (ita potiùs, quàm *occatum*, legendum eſſe, monuit Victorius †) *cohibet, ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata eſt: deinde tepefactum vapore, & compreſſu ſuo diffundit & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem: quæ nixa fibris ſtirpium ſenſim adoleſcit, culmoque erecta geniculato vaginis jam quaſi pubeſcens includitur: è quibus cum emerſit, fundit frugem ſpicæ ordine ſtructam, & contra avium minorum morſus munitur vallo ariſtarum.*

† Lib. 2. Var. Lect. cap. 24.

Nec tamen omnia illa Ciceronem habent auctorem, quæ huic tribuuntur ab hominibus eruditiſſimis. Quale, eſt *floccifacteon*. Quomodo Malaſpina, & alii quidam legendum putant lib. 1. ad Att. epiſt. XIV. At vehementer ea mihi vox ſuſpecta eſt, cùm aliis de cauſſis; tum quia, ſi hac uſus, foret, tam inſolentis compoſitionis meminiſſet Fabius, aut Soſipater, aut Diomedes, aut Priſcianus, aliuſve eorum, qui de vocibus novatis egerunt.

Longè autem major poëtis eſt novandi libertas, quàm Oratoribus. Inprimis verò hac ſibi in parte indulgent Græci. Homerum certè plurima novâſſe, auctor eſt Plutarchus in vitâ Poëtæ. Iſtiuſmodi eſt ἀρητὴρ, ut Ariſtoteles quoque in Arte Poët. monet. Utitur eo Homerus initio Iliados α:

Οὕνεκα τὸν Χρύσην ἠτίμησ' ἀρητῆρα ‡:

Quo loco ἀρητὴρ vocatur ὁ ἱερεὺς * ab ἀρᾶς †, quaſi *precatorem* dicas. Idem Ariſtoteles alterum quoque inibi exemplum ponit; at de cujus auctore non conſtet. Id eſt ἔρνυγες, pro *cornibus*, ab ἔρνος. i. *ramus*: ut geminum ſit illi Maroniano ‡:

Et ramoſa Mycon vivacis cornua cervi.

Et hæc quidem derivatione ſunt facta.

‡ Quia contumeliâ affecit Chryſen ſacerdotem. * Sacerdotes. † Preces. ‡ Ecl. 7.

Inprimis verò innovare ſolent compoſitione. Cujus generis exempla paſſim ſe offerunt. Sed epico, & lyrico, fugiendæ ſunt compoſitiones dithyrambicæ: quâ parte laſciviunt comici ad riſum captandum. Quomodo, Athenæo teſte *, Bryſon ille, de cujus tetragoniſmo Ariſtoteles mentionem facit in Logicis †, ab Ephippo Comico ‡ dictus eſt θρασυμαχειοληψικερμάτων. Eo ſignificabat, Bryſonem Thraſymacho eſſe in diſputando ſimilem, ac ſordidi lucelli amore vel minutum accipere numulum. Complura hujus generis invenies apud Ariſtophanem. Uti in Fucis:

Ὀρθοφοιτοσυκοφαντοδικοταλαιπώρων τρόπων.

Hieronymus Wolfius reddit:

Rectingredientibuſycophantijuridicimiſeris moribus.

Sed Joh. Hartungus ſecundâ ſyllabâ poſt θ putat omiſſum ρ, ut ſit ὀρθροφοιτο &c. atque ita vocabulum hoc de iis fuerit confictum, qui diluculo ſurgunt, quò in forum eant ad exercendas ſycophantias, ac proinde miſeram agunt vitam.

* Lib. 11. † Analyt. Poſter. lib. 1. cap. 9. & in ſophiſt. elench. cap. 11. ‡ In Naufrago.

Nec Comici modo his gaudent; ſed etiam epigrammatum ſcriptores. Uti Ἀνθολογίας lib. 1. Epigr. εἰς γραμματικούς.

Ἀβροχίτων δ' ὁ φύλαξ θηροζυγοκαμψιμέτωπος.

i. *At molliter veſtitus cuſtos feræ ac flexijugæ frontis:*

Ubi θηροζυγοκαμψιμέτωπος è quatuor vocibus factum eſt, q. d. *feriflexijugifrontis*, ſive, ut Budæus vertit, *feriflectifrontijugus*. Notum quoque illud Hegeſandri epigramma in Sophiſtas: quod feliciter tranſtulit Scaliger Conjectaneis in Varronem. Hujuſmodi verba Ariſtophanes vocat μυριαμφόρα. Neque enim hòc vocabulo ſignificantur μυρίων * ἀμφορέων ἄξια, prout exponit Suidas: ſed potiùs ἀμφορεῖς † πληρῶσαι δυνάμενα. Horatius ‡ appellat

—— ampullas, & ſeſquipedalia verba.

Quamquam nec de ampullarum voce diſplicet ſententia Yvonis Villiomari *, hoc eſt, Joſephi Scaligeri qui ampullas ad διάνοιαν †. putat pertinere; unde interpretatur tumida, turgentiaque: *ſeſquipedalia* autem refert ad vocabulorum magnitudinem.

* Decies mille amphoras æquantia. † Quæ totas amphoras implere valeant. ‡ Epiſt. ad Piſones.

Satis etiam hac parte luxuriant poëtæ Latini, tam tragici, quàm comici. Ac multa quidem derivatione fingunt. Quomodo Paccuvius in Hermionâ ‡ ait:

Currum liquit, chlamyde contortâ aſtu clypeat brachium.

Pro quo molliùs dixit Livius in XXV. *Paludamento circa lævum brachium intorto. nam ne ſcuta quidem ſecum extulerant.* Plauti eſt in Trinummo *ipſiſſimus*, in Perſa *geminiſſimus*. Nec poëtarum alii refugiunt; præſertim in conviviis, amoribus, & aliis id genus. Ut Cn. Matius in mimiambis: quibus, ob nova verborum figmenta, delectari mulcerique aures ſuas, dicebat Antonius Julianus. Gellium vide lib. XX. cap. IX. Sed in hoc ejus ſcazonte,

Columbatimque labra conſerens labris,

ut ſecundâ ſede jambus ſit, *columbulatim*, à *columbulus*, reſcribendum videtur. Horatius etiam, dum conceſſum docet *. *Signatum præſente notâ procudere nomen*, ipſe vocem fingit, quæ reſpondeat Græcæ φθόγγῳ. Ait enim:

—— Ego cur, acquirere pauca
Si poſſum, invideor?

Puto, & novè dixiſſe Martialem †:

Carnarius ſum, pinguiarius non ſum.

* Adverſus Titium lib. 2. c. 9. † Sententiam. ‡ Apud Nonium in Clypeat. * In Arte. † Lib. 11. epigr. 101.

Multa etiam compoſitione innovarunt. Quomodo Lævius in Alceſtide vituperones ſuos vocat *ſubducti ſupercilicarptores*. Ita enim junctim apud Gellium legi debet lib. XIX. cap. VII. Ubi vocem eam refert inter *nimium poëtica, & proſæ orationis uſu alieniora*. Similiter neque orator cum Livio Andronico ‡ dicat:

*Tu cornifrontes * paſcere armentas ſoles.*

Aut cum Paccuvio †:

—— Nerei
Repandiroſtrum, incurvicervicum pecus.

Vel cum eodem ‡, *rudentiſibilus*, pro quo Cœlius ad Ciceronem * molliùs dixit *rudentum ſibilus*. Neque Plautus hac parte imitandus Oratori. Et tamen Comicus ille ſæpius pro loco, tempore, perſonâ, decenter talia uſurpat. Velut cùm ridiculæ in Epidico † fingit, *perenticida*, quaſi dicas peræ cæſorem (*pericidam* tamen maluiſſem, quod propiùs à *paricida* abit:) aut cùm Curculione ‡ quendam, ob marinum ſive nauticum veſtitum, vocat *halophantam*:

Halophantam, inquit, *an ſycophantam hunc magis eſſe dicam, neſcio.*

Quamquam aliter hac de re Feſtus, qui *halopantam* legit, ab ἅλη, id eſt, πλάνη, & πάντα, ut omnia mentientem ſignificet. Nec invenuſtè idem Bacch. * dentes nominat *nucifrangibula*, quia nuces frangunt: & pugnos ſimili ratione appellat *dentifragibula*. Idem in Pœnulo Pœnum Hannonem vocat *biſulcilinguam*. Ejuſdem quoque in Trinummo eſt *turpilucricupidus* †, & *latebricola* ‡.

‡ Apud Non. in Armenta. * Scal. curvifrontes. † Apud Varronem lib. 4. de L. L. & Fabium lib. 1. cap. 5. ‡ Apud Varronem in 4. de L. L * Lib. 8. epiſt. 2. † Act. 3. ſc. 2. ‡ Act. 4. ſc. 1. * Act. 4. ſc. 2. † Act. 1. ſc. 2. ‡ Act. 1. ſc. 3.

Sunt & alia id genus apud ſatyricos, & alios. Uti apud Lucilium ſat. XXX. *.

Imberbi androgyni barbato mœchocinædo.

Idem poëta cochleam vocat †,

Terrigenam, herbigradam, domiportam, ſanguine caſſam.

Cave enim cum Eraſmo ‡, aut Petro Crinito ‡, teſtudinem intelligas: quæ ſanguine caſſa dici nequit, cùm ſanguinem ejus mederi oculorum ſuffuſioni ſcribat Plinius lib. XXXII. cap. II. Nimirum impoſuit utrique, quòd Tullius duas junxerit ænigmaticas definitiones, cochleæ unam,

* Citat Nonius in Imberbi. † Apud Cic. 2. de Divin. ‡ Chil. 3. cent. 3. ‡ Lib. 11. de honeſt. diſcipl. cap. 7.

unam, alteram teſtudinis; quarum utrâque animo confuſiùs obverſante, alteram pro alterâ poſuêre. Catulli item eſt *heriſugus*, & *fluctiſonum*. Ejuſdem eſt †.

† Carm. de Atide.

Ubi cerva ſylvicultrix, ubi ager nemorivagus.

Item:

Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigera.

Laberii eſt de ariete:

Reciprocicornem, lanicutem, teſtitrahum.

‡ Cap. 1.

Habes apud Tertullianum in ſcholaſtico ſcripto de Pallio ‡. *Teſtitrahum* autem dixit, quia teſtes ſuos trahere videatur, ob eorum magnitudinem. Eodem Tertulliani libro, ex ſcriptore nunc ignoto, Hercules dicitur *ſcytaloſagittipellifer*; quia tria hæc, ſcytalen, ſive clavam, ſagittas, & pellem, ferret. Phædrus quoque, quâ formâ Catullus dixit, *ſylvicultrix*, & *nemorivagus*, eâdem ipſe ait *, *Sus nemoricultrix:* quamvis vulgò edatur, *nemoris cultrix.* Geminum quoque illud P. Syri de ciconiâ:

* Fab. 35.

Pietaticultrix, gracilipes, crotaliſtria,
Avis exulhiemis.

Eſt & elegans compoſitio, cùm Auſonius fingit *volucripes, & lenipes* †; item.

† Epiſt. 21.

Femina quæ jungat, quod volonolo, vocet ‡.

‡ Epig. 38.

* Lib. 2. de hon. ſt. diſc. cap. 13.

Hujuſmodi compoſitionis novitate mirificè delectabatur Angelus Politianus, ut quoque ſcribit Crinitus *. Verumtamen vix aliter, quàm in verſu, iis uti licet. Multa enim horum non ſine flagitio orationi, vel etiam epiſtolæ, interſeras. Inprimis verò à proſâ ſequeſtrari debent, quæ, ut dixi, plurium ſunt ſyllabarum; ut quæ haut multùm abhorreant à dithyrambicis: quâ de re aliquid etiam dicetur, cùm de verbis agemus † magnifici characteris.

† Lib. 6. cap. 4.

Longè quoque alia ratio eorum, quæ novata ſunt vulgi imperitiâ; ut cùm pro *albore*, aut *nigrore*, dicunt *albedinem*, & *nigredinem:* alia verò eorum, quæ novarunt docti; inprimis, ſi non auctore modò commendentur, ſed etiam neceſſitate, & elegantiâ. Cujus generis plurima jam vidimus.

‡ Epiſt. ad Piſon.

Nec tamen hoc ita intelligi debet, quaſi noſtri ævi hominibus planè ademta ſit fingendi poteſtas. Rectè Horatius ‡:

—— Licuit, ſemperque licebit,
Signatum præſente notâ procudere nomen.

Scitè ſanè Theodorus Gaza, cùm alia finxit, tum *depedes, deplumes*, & *depiles:* quæ planè gemina iſtis Tertulliani, qui *beſtias exungues, & excornes* vocat. Atque hujuſmodi ille imitatione finxit Græcorum: idque in ſerio argumento. Quod magis etiam, ut ſuperiùs monui, conceſſum eſt in amœnis, & ludicris. Philippus quidem Beroaldus non inveniſtè hoc in genere luſit. Nam cùm is Bononiæ, quâ in urbe publicè humanitatis ſtudia docebat, aliquando à contubernalibus ſuis Polonis interrogatus eſſet, quomodo Latinè appellari poſſet edulii genus, quod ipſis appoſuerat, (erat autem, quod vulgò *tartam* vocant, ſive quaſi *tortam*, à torquendo, ſive ϰτ̀ μετάθεσιν, & unius literæ adjectione, à Latino *tracta*, quo uſus Cato) lepidè reſpondit, *herbicaſeovium* vocari, quia ex herbis, caſeo, atque ovis, conficeretur. Ac feſtivum hoc reſponſum ab auditoribus cum riſu exceptum eſt. Nec certè id hilo deterius eſt, quàm veterum *ſuovitaurilia:* quomodo, Fabio teſte, vocabant ſacrificii genus, quia fieret ſue, ove, tauro: niſi potiùs *ſolitaurilia* dixere; quod longè eſt veriſimilius, ob ea, quæ ſcribit de hoc Feſtus, item Chariſius lib. primo.

Quin cùm multa hodie ignorentur vocabula, quæ olim erant nota; major nobis injecta eſt fingendi neceſſitas, quàm veteribus illis: qui tamen ipſi etiam conqueſti fuere de linguæ ſuæ paupertate, vel, quod amplius eſt, egeſtate. Seneca epiſt. LIX. *Quanta verborum nobis paupertas, imò egeſtas ſit, nunquam magis, quàm hodierno die, intellexi.* Plinius lib. IV. epiſt. XVIII. *Inopiâ, ac potiùs, ut Lucretius * ait, hâc egeſtate patrii ſermonis.* Eodemque modo, at in re aliâ, hæc diſtinguit vocabula M. Tullius in Paradoxis †: *Itaque iſtam paupertatem, vel potiùs egeſtatem ac mendicitatem tuam, nunquam obſcurè tuliſti.* Et Ovidius in primo de Arte:

* Lib. 1. & 3.
† Paradox. ult.

—— Alter egens, altera pauper erat.

Ac Martialis quoque ‡, Neſtorem deridens, qui, cùm egens eſſet, pauper dici volebat, hoc pacto claudit epigramma:

‡ Lib. 11. epig. 33.

Mentiris, vanoque tibi blandiris honore.
Non eſt paupertas, Neſtor, habere nihil.

ſatis de novatis.

IX. De scriptorum delectu.

Quæcumque verò hactenus de verborum delectu diximus, ea nullius, vel exigui uſus erunt, niſi delectu etiam utamur in ſcriptoribus legendis, atque imitandis. Sunt autem ſcriptorum quatuor ætates: nempe uti hominum apud poëtas. Sed poëtis, ut verbis ipſorum * utar,

* Ovid. 1. Met.

Aurea prima ſata eſt ætas.
—— Subiitque argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretioſior ære.
Tertia poſt illam ſucceſſit ahenea proles.
—— De duro eſt ultima ferro.

Ætates verò linguæ Latinæ contrario ordine procedunt. Nam à ferrea, & mox ænea, per argenteam ad auream deventum eſt. Ad ferream ætatem refer hymnos Saliares tandem vix ſacerdotibus ſuis intellectos. item leges XII. Tabb. & columnam roſtratam C. Duillii, quæ hodieque viſitur Romæ.

† Lib. 2. Triſt.
‡ Lib. 7. ad Att. epiſt. 3.
* Lib. 11. epiſt. 91.

Ænea ætas incipit à Livio Andronico. Atque eò pertinet *Ennius, ingenio maximus, arte rudis*; ut de illo Naſo † ſcribit: Cæcilius, *malus Latinitatis auctor*, ut eum vocat Tullius ‡: Accius & Paccuvius, quos vomere ait Martialis *. Nec diſpar aliorum ratio; niſi quòd, jam horum temporibus, quidam cultiores cæteris fuerunt: ut ſermo eorum tanto aliorum exſuperet phraſin, quanto argentum præſtat æri. Talis eſt dictio Plauti, ac Terentii inprimis. Auream voco ætatem, quæ Ciceronis, Cæſaris, Virgilii, Horatii, & æqualium temporibus effulſit. Poſtea verò ſermo Romanus retro fluere, ac quaſi ex aureo in argenteum iterum commutari. Quod jam, Tiberio imperante, contigit: ut ex M. Senecæ †, Fabii ‡, & aliorum * querimoniis, conſtat. A temporibus autem Severi auſpicari liceat æneam ætatem: quæ tandem in ferream deſiit, poſtquam variarum gentium irruptione Romani ipſi facti ſunt barbari.

† Præfat. in Controv.
‡ Lib. 2. cap. 6.
* Auctor dialogi de cauſis corruptæ eloquentiæ.

† Lib. 10. cap. 2.
‡ Libri ejuſdem cap. 1.
* Lib. 7. Nat. Hiſt. cap. 30.
† Epiſt. 40.

Eos igitur maximè imitari oportet, qui aureâ ætate vixerunt: ac ante omnes M. Tullium, *cæleſtem in dicendo virum*, ut Fabius † eum vocat: quique (ut porrò Fabii ‡ verbis inſiſtam) *apud poſteros id conſecutus, ut Cicero jam non hominis nomen, ſed eloquentiæ habeatur. Hunc igitur ſpectemus, hoc propoſitum ſit exemplum. Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit.* Et quid vetat Plinii etiam elogium adſcribere? Huic dicitur * M. Cicero *primus in toga triumphum linguaque lauream meritus, & facundiæ Latiarumque literarum ſtudio parens.* Neque tantus in dicendo vir, à quo *exiluiſſe Romanam facundiam* etiam L. Seneca † ait, in proprietate ſermonis, de qua nunc potiſſimùm agimus, cuiquam ceſſerit. Quàm enim curioſè eam obſervarit; vel illud argumento fuerit, quod dicam. Fuit, cùm exiſtimaret, *inhibere remos* idem eſſe, ac *retinere*; eoque, ut auriga equos inhibet, quò curſum ſiſtat, ita etiam remos inhiberi putaret, cùm ſuſtinentur. Poſtea ex nautis didicit, inhiberi remos, cùm remiges, alio navigantes modo, navim ad puppim convertunt. Quod edoctus, minimè ceſſandum putavit, uſque dum ejus rei, & Atticus, & Varro, monerentur, quo in ſecundo Academicarum Quæſtionum libro, quem jam tranſmiſerat, locus ille emendaretur. Quod ita eſſe, indicant hæc Tullii verba ad Atticum epiſt. XXI. lib. XIII. INHIBERE *illud tuum, quod mihi arriſerat, vehementer diſplicet. Eſt enim verbum totum nauticum: quamquam id quidem ſciebam; ſed arbitrabar, ſuſtineri remos, cùm inhibere eſſent remiges juſſi. Id non eſſe ejuſmodi, didici heri, cùm ad villam noſtram navis appel-*

appelleretur. Non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigant. Id ab ἐποχῇ remotiſſimum eſt. Quare facies, ut ita ſit in libro, quemadmodum fuit. Dices idem Varroni, niſi fortè mutavit. Quod ſi de voculâ etiam ita laboravit Tullius; nihil mirum, ſi viro, ut omnium eloquentiſſimo, ita proprietatis adeò amanti, omnium doctiſſimus Varro mitteret libros ſuos de L. L.; ſi item omnium fortiſſimus Julius Cæſar, nec vel eloquentiâ, vel doctrinâ illis minor futurus, ſi totum his ſe ſtudiis dediſſet, eidem dicaret libros ſuos de analogia. Qua de re ſic Tullius in Bruto: *In maximis occupationibus ad me ipſum de ratione Latinè loquendi accuratiſſimè ſcripſit Cæſar; primoque in libro dixit, verborum delectum originem eſſe eloquentiæ.*

Huic ipſi Cæſari, atque item Terentio, ob proprietatem ac nativam Romani ſermonis elegantiam, proximum poſt Tullium damus locum. Sanè, quàm præclarè de utroque ſenſerit Cicero, cognoſcimus ex iis, quæ de utroque ſcripſit. De Terentio quidem ad Atticum * [* Lib. 7. epiſt. 3.] ait hoc pacto: *Secutus ſum, non dico Cæcilium:* Mâne ut ex portu in Piræeum: *malus enim auctor Latinitatis eſt: ſed Terentium, cujus fabellæ propter elegantiam ſermonis, putabantur à C. Lælio ſcribi:* Heri aliquot adoleſcentuli coimus in Piræeum. Hactenus Cicero. De Cæſare verò ſic idem in Bruto: *Etiam commentarios quoſdam ſcripſit rerum ſuarum, valde quidem probandos: nudi enim ſunt, recti, & venuſti, omni ornatu orationis tanquam veſte detractâ: ſed dum voluit alios habere parata, unde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam; ineptis gratum fortaſſe fecit, qui volunt illa calamiſtris inurere; ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit.* Eodem libro ait: *Illum fere omnium Oratorum Latinè loqui elegantiſſimè: nec id ſolùm domeſticâ conſuetudine, ut dudum Læliorum & Domitiorum familiæ: ſed, ut perfecta eſſet illa bene loquendi laus, multis literis, & iis quidem reconditis, & exquiſitis, eſſe conſecutum.* Alia etiam ibidem in hanc mentem invenies.

Quod ſiquis quærat, quibus poſt tres hoſce locus debeatur, dicam illud Fabii † [† Lib. 2. cap. 6.] verbis, *ut quiſque erit Ciceroni ſimillimus.* Quales Nepos, Livius, Vellejus, Curtius, Fabius, & alii fere, qui vel Ciceronis ævo vixere, vel non ita magno diſtant intervallo. Ac in orationibus quidem Tullianam inprimis imitabimur dictionem, & eorum, qui proximè ad Ciceronem accedunt. In epiſtolis verò (quæ, ut Artemon apud Demetrium auctor eſt, eodem modo, quo dialogi, ſcribi debent) aliquanto alia ratio eſt. Nam in his optimè Tullio comitem dabimus, non Terentium modò, ſed, ubi firmatius erit judicium, etiam Plautum. Quos cùm dico, Agellium non excludo, cùm nemo feliciùs expreſſerit Comicorum phraſin: ut de eo audiri non debeant doctiſſimi Hiſpani duo, Ludovicus Vives, & Antonius Auguſtinus. Nempe concoquere non poterant, quòd vituperaſſet, vel ſaltem maligniùs laudâſſet L. Senecam, itidem hominem Hiſpanum. Nobis ut de Seneca judicium Agellii diſplicet, ita de Agellii dictione audire malumus Juſtum Lipſium ‡ [‡ Judicio ſuper Seneca, ejuſque ſcriptis.], qui ait, eum *veteres Comicos, & Latii puritatem, ſectari, & exprimere:* item elegantiſſimi ingenii & exquiſitæ doctrinæ virum, Florentem Chriſtianum * [* Notis in Ariſtophan. p. 19.], cui vocatur, *optimus linguæ Latinæ auctor, & ſine adfectatione, aut περιεργίᾳ, antiquarius.* Juvabunt quoque plurimùm, & hîc, & in omni ſermone fragmenta illa veterum Juriſconſultorum, Juſtiniani juſſu redacta in quinquaginta malè Digeſtorum libros. In quibus tanta eſt ſermonis proprietas ac elegantia, ut optimus linguæ Latinæ cenſor, Laurentius Vallenſis † [† In proœmio lib. 3. Elegant.], dicere non dubitârit, ſi lingua Latina periiſſet, ex ſolis eam inſtaurari poſſe Pandectis. Adulta verò ætas hiſce ſuccenturiabit Salluſtium, Tacitum, Senecam: quos primæ qui ætati quoque commendatum eunt, nemini ſapienti, ſcio, hoc ſuum conſilium probabunt. Siquidem cùm, firmatâ ætate, ſoleant omnes judicii falce reſecare luxuriantem juventutis dictionem: aridi profectò fiant neceſſe eſt, qui primâ ætate breves illos ſubtileſque ſcriptores imitandos ſibi proponunt. Quare muſteæ quidem ætati commendamus inprimis lacteam copiam ac facilitatem Ciceronis; quem & aliquandiu ſolum legi volumus, quo in ſanguinem vertatur, ac ſuccum. At poſtquam habebit oratio lineamenta corporis, ac Romani ſermonis habitum, tum demum legendi breves illi. Atque etiam in deliciis tum fuerit is, quem dixi, Plautus, cujus dictionem tantopere celebrat antiquitas. Audiamus, quæ Tullius ex perſona L. Craſſi refert in III. de Oratore: *Equidem, cùm audio ſocrum meam Læliam, (faciliùs enim mulieres incorruptam antiquitatem ſervant, quòd multorum ſermonis expertes ea tenent ſemper quæ prima didicerunt) eam ſic audio, ut Plautum mihi videar, aut Nævium, audire.* Plinius quoque, cùm laudare ob ſermonis munditiem vellet epiſtolas ab Euricii vel Septitii Clari uxore ſcriptas, *Plautum*, inquit, * [* Lib. 1. epiſt. 16.] *vel Terentium, metro ſolutum legi credidi.* Agellio idem nunc † [† Lib. 1. cap. 7.] *verborum Latinorum elegantiſſimus* dicitur; ubi cum Henrico Stephano *eligentiſſimus* legendum puto: nunc eidem vocatur ‡ [‡ Lib. 19. cap. 8.] *Latinæ linguæ decus:* nunc *linguæ atque elegantiæ in verbis Latinæ princeps.* Imò L. Ælius Stilo Præconinus, Varronis præceptor, atque, ex ejus ſententiâ, Varro ipſe, dixere, *Muſas Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latine loqui vellent:* quemadmodum Fabius ‡ [‡ Lib. 8. cap. 1.] teſtatur. Sed huic Varronis judicio non uno modo occurri ſolet Nicolaus Loënſis, vir doctiſſimus, in Epiphyllidon libris * [* Lib. 18. cap. 9.], arbitratur, eum hoc loco per *ſermonem* intelligere facetias: idque propterea, quia, Plautinos ſales à proavis laudari ſolere, etiam Horatius † [† Epiſt. ad Piſones.] dicat. Eo autem modo *ſermonem* pro facetiis dicere autumat, quo Græci, & eorum imitatione Plautus, identidem appellant logos. Sed, ut liberè dicam, inficetum hoc, vereque logos arbitror: ac adeo ridiculos, ut ſi ἀγέλαςος ‡ [‡ Riſus expers.] ille Craſſus audiſſet, haut aliud fuerit facturus, quàm, quod egit, cùm aſinum vidit comedentem carduos. Faciliùs eidem aſſenſero, cùm *ſermones* ita interpretatur in altero. Varronis loco, qui adducitur ‡ [‡ A Nonio in Poſcere.] è Parmenone, ubi ſic ſcripſerat: *In argumentis Cæcilius palmam poſcit: in ἤθεσιν Terentius: in ſermonibus Plautus.* Quo loco etiam doctiſſimus Andreas Schottus * [* Nodorum Ciceronis lib. 3. cap. 10.] per *ſermones* intelligi ſales putavit. Interim nec hujus loci ſententiam penitus aſſequuntur: quod, ut pateat, ſcito opus, tria in comœdia ſpectari: primùm argumenti inventionem, ac οἰκονομίαν, ſive *ordinem*: deinde τὸ ἠθικὸν, ſive *hominum mores*, qui pro perſona cujuſque, ſi uſpiam, ſanè in comœdia, aptè exprimi debent: tertio autem loco φράσιν, ſeu *elocutionem*, quæ non verba modò, ſed etiam διανοίας †, reſpicit. In primo horum, ait Varro, † [† Sententiam.] Cæcilium vincere, in altero Terentium, in tertio Plautum. Ex quo eadem cognoſcimus, cauſſam non eſſe, cur, cum eodem Loënſi, pro *argumentis* reſcribamus πάθεσι. Quamquam id aliquando non diſplicuerit mihi: nimirum propter illa ejuſdem Varronis, quæ ex quincto de L. L. Cariſius ‡ [‡ Extremo lib. 2.] adducit: *Ἤθη nulli alii ſervare convenit, quàm Titinnio, & Terentio: πάθη verò Trabea, & Attilius, & Cæcilius, facilè moverunt.* Nunc non tanti illud videtur, ut idcirco adſenſionem adjungam Loënſi. Nam nihil prohibet, quo minùs idem Cæcilius, & argumentis, & ciendis affectibus, vicerit. Nec ea eſt affinitas inter duo hæc vocabula, *argumenta & pathe*, ut veriſimile fiat, errore librarii alterum alterius locum occupaſſe.

Vidimus de iis, qui, ne Varro præclarè adeò de Plauti ſtylo ſenſiſſe videatur, verba ejus in longè aliam ſententiam deflectunt. Venio nunc ad iſtos, qui illud quidem agnoſcunt, in ſermone ab eo Plautum omnibus præferri: ſed hac parte togatorum doctiſſimum eſſe audiendum negant: quippe hominem antiquarium, qui paſſim penè deſitis uſus ſit, ut inprimis cognoſcimus ex fragmentis ejus, quæ apud veteres grammaticos leguntur. Atque addunt, ideo eum ab auctore dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ, unà cum Siſenna, annumerari illis, qui cum antiquo, quàm cum ævo ſuo, loqui maluiſſent. Nempe eodem illum morbo laboraſſe volunt, ac principem hiſtoricorum Criſpum Salluſtium;

luſtium; qui & ipſe veteri epigrammate inceſſitur, quòd verba ſua ſublegerit Porcio Catoni; cujus dictio dura ac horrida, Ciceronis * etiam judicio, fuit. Atque hunc in modum diſſerunt illi: qui ſi non aliud volunt, quàm aureâ ætate, quam dixi, Oratori magis conveniſſe dictionem Ciceronis, vel Cæſaris, quàm Plauti, & æqualium: equidem lubens iis ſuffragor. Nam Tullii temporibus ſermo vetus multùm erat mutatus: Oratori autem, cui ſæpe in populo orandum erat, non aliâ utendum oratione fuit, quàm populari, atque uſitatâ. Eoque ſic ei Plautus erat lex linguæ Romanæ, ut lima eidem eſſet Terentius, vel ſiquid Terentio tum cultius foret. Quare, ut Plauti ætate, Muſæ (ſic more veterum loqui liceat) ſermone non alio uſuræ erant, quàm Plauti: ita dicere liceat, Terentii temporibus Terentiano more locuturas fuiſſe: ac ætate Ciceronis, & Cæſaris, ſi ſermonem cum Romanis ſerere vellent, Tulli, Cæſaris, & æqualium more, id fuiſſe facturas. Nec enim Dearum (ut ſic dicam) fuiſſet, incultiùs loqui, quàm hominum elegantiorum. At quis neſcit, aureâ horum ætate, magis excultam fuiſſe linguam Romanam, quàm ſecundo bello Punico, cùm Muſæ in rudi illâ & efferâ Romuli gente pedem primùm poſuiſſent? Sed iſta licet fateamur non inviti: non tamen conſequi ex iis putamus, quod colligere hinc conantur. Quod ut liqueat magis, tria hæc tempora diſtinguemus; illud, quo Plautus fuit; alterum, quo Cicero florebat; & præterea tertium, quo nos ſumus. Plauti ætate ne Oratorem quidem dedecebant archaiſmi, & voces illæ antiquæ, quas apud Comicum hunc legimus. Sic enim tum loquebantur. Ciceronis verò ætate ea locum amplius in Oratore non habebant: attamen non uſque adeò conſuetudini adſtringebantur hi, qui non dicerent, ſed ſcriberent; atque eruditis magis ſcriberent, quàm vulgo. Nempe uti neceſſe non eſt, ut vaſa, quibus utimur, formam ſemper habeant uſitatam; ſed etiam vetera delectant, dummodo mundicies adſit: ita, qui ſcriberent hominibus doctiſſimis, non ſemper averſabantur antiqua, modò rem purè ac propriè exprimerent. Noſtro verò ævo, ni fallor, etiam plus aliquanto licet Latinè dicturo: quia non ampliùs in populo, (poſtquam ne in Latio quidem Latinè loquuntur) ſed in conſeſſu fere doctorum dicendum eſt. Quamobrem minimè eos audimus, qui Varronem, Criſpum, atque alios, optimi ævi ſcriptores, eo nomine culpant, quia non planè ſequantur conſuetudinem ſui temporis: multoque minùs eos audimus, qui ad Tullianam phraſin omnia exigunt, quæ hodie ſcribuntur. Nec enim tam inops eſt lingua Latina, ut uno ſolùm modo aliquid Latinè dicatur. Multa bona apud Tullium; ſed & apud Plautum: in quo Romanorum doctiſſimi ſummam agnovere ſermonis caſtimoniam. Eoque perſuaſiſſimum habemus, juventuti, poſtquam nativum illum vultum, veraque Latini ſermonis lineamenta, imbiberit è fonte Tulliano, non modò Terentium, Cæſarem, alios, qui propiùs ad Tullium accedunt; ſed Plautum etiam, multùm diuque eſſe verſandum. Tantùm judicium in delectu deſidero. Primùm in archaiſmis, & penè deſitis; quæ nec ubique, nec ſemper locum habent: ut ſuperiùs ſatis diximus. Deinde in iis, quæ Comicus ille finxit ad riſum captandum. Multa enim apud eum decorè dicuntur à ſervo, aut lenone; quæ ſi orationi noſtræ inſerantur reddamus eam protritam, ac plebejam. Quale eſt, cùm ſervus ait †, *expuere lachrymam.* Suntque apud eum compluria hujus generis: quæ extra ſcenam non habeant locum: niſi fortè cum familiari amico, ſermone, vel epiſtolâ, viſum erit paullùm nugari.

* *In Bruto.*
† *Pſeud. act. 1. ſc. 1.*

Hæc pluribus perſecuti ſumus, quia non cujuſvis eſt, de ſtylo judicium ferre. Nempe, ut optimè ait Longinus: ‡ ἡ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.

‡ *Judicium de ſermone ex multo uſu poſtremò adnaſcitur.*

X. De perspicuitate generatim, ac particulatim de homonymia.

Vidimus de priori Elegantiæ parte, quæ in Latinitate conſiſtit. Accedo nunc ad alteram, quæ eſt perſpicuitas. Hæc cùm ſumma ſit orationis virtus, invenias tamen, qui obſcuritate operum nomen eruditi affectent. Eleganti hos epigrammate ridet Martialis * quod eo lubentiùs apponam, quia familiaris ille morbus eſt juventuti:

Scribere te, quæ vix intelligat ipſe Modeſtus,
Et vix Claranus, quid, rogo, Criſpe, juvat?
Non lectore tuis opus eſt, ſed Apolline, libris.
Judice te, major Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur: ſanè mea carmina, Criſpe,
Grammaticis placeant, & ſine grammaticis.

* *Lib. 10. epigr. 21.*

Obſcuritatem autem adferunt orationi, non ſolùm verba priſca, ac novata, de quibus, cùm de verborum delectu ageremus, ſatis diximus: ſed etiam ὁμωνυμίας, ἀμφιβολίας, περιπλοκὴ, βραχυλογία, ἀπόδοσις omiſſa, vel longiùs reddita, περισσολογία, ὑπέρβατον, ἀναστροφὴ, & σύγχυσις.

Ὁμωνυμίας ambiguitas ex eo oritur, quòd aliquid diverſas habeat ſignificationes. Nec ea tantùm in privis eſt vocibus; ſed etiam conjunctis. Sic tamen, ut non ſit hujus loci; quæ ex conſtructione provenit. Ut omnino falſus ſit Petrus Victorius, qui, etſi videat, Ariſtotelem in ſecundo Rhetoricorum diſertim dicere, λόγου ἄξιος †, exemplum eſſe ὁμωνυμίας: eo tamen, quia gemina hîc vox eſt, propriè eſſe ἀμφιβολίας exiſtimet.

† *Honore dignus, vel de quo ſermo eſt habendus.*

Nec tamen ὁμωνυμία eſt, quoties vox uſurpatur in ſe ὁμώνυμος. Nam etſi *taurus* & animal ſit, & mons, & ſignum in cœlo, & nomen hominis, & radix arboris, teſte Fabio ‡: imò etiam, ut Diomedes ⸸, & Suidas *, teſtantur, notet τὸ αἰδοῖον τοῦ ἀνδρὸς; unde *laſtauri* † vox de rabidis ‡ in Venerem: non tamen ambiguè loquitur aſtrologus, cùm, ſidera enumerans, tauri meminit: quemadmodum neque, cùm canem, lyram, aut delphinum nominat: quia ex naturâ materiæ, de quâ agit, manifeſtum eſt, quomodo his vocibus utatur. Quod ſi quandocunque vox πολύσημος ⸸ fuerit, ambigua ſit futura oratio: vix unquam erit, ut non ambigua ſit. Nam quamvis docet Philoſophus, eſſe alia ὁμώνυμα, alia συνώνυμα: tamen illa, quæ unius ratione συνώνυμα ſunt, ratione alterius ὁμώνυμα eſſe poſſunt: ut, non omnino abſonâ ſententiâ, *philoſophis quibuſdam* (eoſque inter Diodoro) *nullum videatur eſſe verbum, quod non plura ſignificet*; quemadmodum ſcribit Fabius *. Quare tunc tantummodo ὁμωνυμία ſtatuenda eſt, quoties ambigua videri queat loquentis ſententia. Ita ancipiti voce, ac ſententiâ, jactabat Tullius †, *Octavium laudandum, & tollendum, cùm aliud diceret, aliud intelligi vellet*; ut inquit Vellejus. Et Octavius venienti ad ſe Tullio, ſuaque merita commemoranti, pari ambiguitate dicebat, *quod poſtremus accederet amicorum*; ut auctor eſt Appianus. Simile eſt illud Juliani rhetoris ‡: *Adoleſcens hic ſine controverſia diſertus eſt.* Videri poterat id velle, abſque dubio eum eſſe diſertum: ſed ſignificabat, utcunque controverſia ipſa, quam tractare debebat, eſſet ἄπορος, &, ut Gellius vertit, *inexplicabilis*; tamen ea, quæ ſubitariâ dictione, & magnâ vocum turbâ fudiſſet, principia neſcio quæ fuiſſe, de quibus ſatis conveniret: ac proinde ea ſolùm dixiſſe, quibus nemo contradiceret: ut diſſeruerit ſine controverſia, quia controverſia non eſt, niſi aliquid in utramque partem agitetur: quod hîc non fiebat, quia non ea tractaſſet, in quibus cardo rei verſaretur; ſed in quibus vidiſſet luxuriare inprimis poſſe orationem ſuam. Hoc paullo pluribus explicandum putavi, quia, ut non penitus mentem Juliani aſſecutus ſit Robertus Titius ⸸, cui & Scipio Gentilis * ſubſcribit: tamen nec ſatis eam perſpexit Yvo Villiomarus †, hoc eſt, Joſephus Scaliger. Neque enim ex eo, quòd controverſia utrimque poſſet diſputari, conſequitur, ſectatorem Juliani alia attuliſſe, quàm aperta certaque. Sed de iſto ſatis. Subdam nunc exemplum non diſſimile hominis Græci, Ageſilai nimirum, qui dicebat, ſe neſcio quot millibus ſagittariorum ex Aſia expelli. De militibus eum loqui crediderit aliquis. Sed innuebat, Græciæ principes à Perſarum rege, atque id ſuaſu Cononis, corruptos

‡ *Lib. 8. c.* [illegible] *quid ſit de perſpicuitate.*
⸸ *Lib. 2. de amphibolia.*
* *In* [illegible]
† *Apud Sueton. de claris grammaticis in Lenæo.*
‡ *Suidas in* [illegible] *& Heſychius apud quem perperam legitur* [illegible]
⸸ *Plura ſignificans.*
* *Lib. 7. cap. 10.*
† *Lib. 11. ad Famil. epiſt. 20. & lib. 15. ad Att. epiſt. 5.*
‡ *Apud Gellium lib. 9. c. 15.*
⸸ *Locorum controv. lib. 1. cap. 1.*
* *Comment. in Apulei apolog. annot. 661.*
† *Animadverſionibus in Titii lib. 1. cap. 1.*

ruptos eſſe largitione numiſmatum, in quibus ſignum erat ſagittarius. Auctor Plutarchus in Artaxerxe, & Ageſilao, & Laconicis. Ac meminit ejus largitionis etiam Poliænus in primo ſtrategematum. Cùm autem venuſtè hæc ac feſtivè dicta fuerint ab Ageſilao, Juliano, Octavio, Cicerone: manifeſtum eſt, ὁμωνυμίας quandoque locum habere, ſi genio non careant.

Eleganter etiam utimur voce in ſe ambiguâ, cùm ita unâ accipitur ſignificatione, ut ad alteram alludatur. Sic ſcitè Auguſtus*, cùm quidam araret paternæ locum ſepulturæ, *Hoc verè*, inquit, *eſt patrem colere*. Etiam M. Tullius non inficetè epiſt. VI. lib. VIII. ad Att. *Piliæ dic, non eſſe æquum, eam diutiùs habere, nec id eſſe veſtra concordia.* Præceſſerat proximè: *Audivi quartanam à te diſceſſiſſe, moriar, ſi magis gauderem, ſi id mihi accidiſſet.* Sententia, quam Manutius, & alii, non ſatis vident, ejuſmodi eſt: Iniquum ſit, & injurium concordiæ inter te, & Piliam νεόγαμον †, febrim habere te; cum te potius oporteat habere Piliam. Alluſit enim ad notionem illam habendi, quâ Comicus ait ‡, *Quis Chryſidem habuit?* Neque aliter τὸ ἔχειν accipit Ariſtoteles poſtremo habendi modo ex octo illis, quos recenſet ὑστέρῳ μέρει Categoriarum.

** Apud Macrobium lib. 2. Saturn. cap. 4.*
† Recens nuptam.
‡ And. act. 1. ſc. 1.

Ex ejuſcemodi ambiguitate captare jocandi materiam ſolent Comici: Plautus inprimis. Ut Milite glorioſo ⸸:

—— Sat edepol certò ſcio,
Occiſam ſæpe ſapere plus multo ſuem.

⸸ Act. 2. ſc. Satin abiit.

Ubi argutiolam quæſivit ὁμωνυμίας vocis *ſapere*. Talium ampla apud eum eſt ſeges.

Nihil etiam crebrius eo genere apud epigrammatum ſcriptores. Ita *ſolvendi & expediendi* verbis luſit M. Furius Bibaculus* in Valerium Catonem, Syllani temporis grammaticum: cùm ſolvere non poſſet æs alienum:

** Apud Suetonium de illuſtr. grammat. in Cat.*

Mirati ſumus, optimum magiſtrum,
Summum grammaticum, optimum poëtam,
Omnes ſolvere poſſe quæſtiones,
Unum difficile expedire nomen.

Simile quoque illud Catulli, ludentis ambiguo *oppoſiti* vocabulo, quia aliter domus oppoſita vento, aliter pignori oppoſita dicitur:

Furi, villula noſtra non ad auſtri
Flatus oppoſita eſt, nec ad favoni,
Nec ſævo boreæ, aut apeliotæ:
Verùm ad millia quindecim, aut ducenta.
O ventum horribilem, atque peſtilentem!

Idem in propriis fieri ſolet. Quale hoc Diphili tragœdi in Pompejum: *Noſtrâ miſeriâ tu es Magnus.* Refert Tullius ad Atticum lib. II. epiſt. XIX. & ex eo Valerius Maximus lib. VI. cap. II. Ipſius autem Ciceronis eſt pro Cluentio. *Atque etiam ipſe conditor totius negotii Guttam adſpergis huic Bulbo.* Idem ad Anſerem, Antonii poëtam, Propertio etiam & Ovidio memoratum, feſtivè alludit, in Philippicis, cùm inquit: *Ex agro Falerno anſeres depellantur.* Nam Anſeri agrum Falernum donârat Antonius; ut Servius monet in Ecl. IX. Quâ ipsâ Maro ad eundem alluſiſſe putatur, quando ait:

Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinnâ
Digna, ſed argutos inter ſtrepere anſer olores.

Quid etiam venuſtius iſtis verſibus, quos à populo in Sarmentum quendam conſcriptos ait vetus Juvenalis ſcholiaſtes †?

† In ſat. 5.

Aliud ſcriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat.
Digna dignis. ſic Sarmentus habeat craſſas compedes.
Ruſtici, ne nil agatis, aliquis Sarmentum alliget.

Ubi loqui videtur de virgâ à vite, vel arbore, reſectâ, (id enim eſt ſarmentum) cùm hominem ejus nominis deſignet.

Quod ſi dictio ambigua nihil elegantiæ adferat orationi: vel eâ abſtinendum omnino erit; vel voci dubiæ ſubjicienda eſt non dubia, ut ita ambiguitas tollatur. Quâ de re aliquid etiam Scipio Gentilis lib. I. Παρέργ. cap. V.

XI. De Amphibolia.

Amphibolia eſt conſtructionis ambiguitas. Eraſmo hæc*, & aliis ſummis viris, imò & in pleriſque MSSis, ἀμφιβολογία vocatur: ſed corruptè, ut jamdiu monuere H. Stephanus, libello de abuſu Linguæ Græcæ, & ſocer meus Franciſcus Junius, examine enunciationum Gratiani Proſperi. Nempe ab ἀμφίβολος † quidem venit ἀμφιβολία: ab ἀμφίβολος autem, & λόγος non ἀμφιβολογία eſſet, ſed ἀμφιβολολογία, quam vocem repudiavit Græcia, ut minimè morigerantem aurium voluptati. Ἀμφιβολία eſt in illo Virgilii X. Æn.

** Annotat. in c. 1. Matth. item in apophthegmate Auguſti de Vectio & alibi.*
† Ambiguus.

Aſſaracique duo, & ſenior cum Caſtore Tybris.

Ad quem locum ita Servius: *Poſſumus & ſolum Tybrim ſenem accipere; poſſumus & Caſtorem, ſi legamus, Et ſenior cum Caſtore.* Quodammodo etiam ἀμφιβολία eſt in illo Terentii ‡:

‡ Hecyra. act. 2 ſc. 1.

Itaque adeò uno animo omnes ſocrus oderunt nurus.

Nam & *ſocrus* caſus recti eſſe poteſt; *nurus* cauſativi: & contrà. Ac conſultò Poëtam extuliſſe ambiguè, ſcripſit B. Hieronymus adverſus Jovinianum: quia nempe & illæ has, & hæ illas, odio proſequuntur; licet iſtic loci tantùm agatur de odio Soſtratæ erga Philumenam, ſocrus erga nurum.

Mirum, nec Valerium Flaccum eam refugiſſe initio operis ſui. ſic enim orditur Argonautica:

Prima Deûm magnis canimus freta pervia nautis.

Ubi dubium videtur, num *Deûm* cum *nautis* cohæreat, an *freta*, quod magis placet. At Scoppa ⸸ falſus, qui, dum ad poſteriorem hanc conſecutionem non attendit, *natis* pro *nautis* ſubſtituendum putavit.

⸸ Lib. 1. Collectan. cap. 15.

Dignum autem obſervatione eſt, quod monet Hermogenes περὶ μεθόδου δεινότητος, licet multi ſtatuant ἀμφιβολίαν in multis Homeri, aliorumque locis, in nullo tamen veteri ſcriptore eam reperiri: cùm, ut ὁμωνυμία non eſt, ubi, quâ ſignificatione autor voce aliquâ utatur, obſcurum non eſt; ita neque poſſit dici ἀμφιβολία, quoties alterutra conſtruendi ratio, aut ſententia, abſurda eſt: quod in illis, quæ adduci ſolent, locis, perpetuum eſſe, exiſtimat. Id utrùm ita ſit, an ſecus, hoc loco non diſputo. Ut plurimùm certè evenire lubens agnoſco. Ut, ſiquis dicat, viſum à ſe hominem librum ſcribentem. Sic Mercatore Act. II. Sc. III.

Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus.

Ubi, ni *elogiorum* cum *impleantur* conſtruas, inepta fuerit ſententia. Proximam etiam ſic ſcenam auſpicatur:

Pentheum diripuiſſe ajunt Bacchas.

Ubi Pentheum direptum ait, non Bacchas: cùm poſterius hoc fabulari hiſtoriæ adverſetur.

XII. De ΠΕΡΙΠΛΟΚΗ͂Σ, ΒΡΑΧΥΛΟΓΙ'ΑΣ, Α'ΝΑΝΤΑΠΟΔΟ'ΤΟΥ, ΜΑΚΡΟΛΟΓΙ'ΑΣ, ΠΛΕΟΝΑΣΜΟΥ͂, et quibusdam aliis, quæ obſcurant orationem.

Περιπλοκὴ ſeu Involutio eſt, cùm quid quibuſdam velut tegumentis occultatur, ſive quia res ſunt turpes, ſive quia triſtes ac moleſtæ auditoribus, ſive quia Orator non audeat id de ſe apertè dicere, quod tamen ad rem facit. Hæc etſi perſpicuitati adverſatur, quæ ſumma eſt ſermonis virtus; ſi tamen ſuo loco adhibeatur, commendat & exornat orationem. Vide de hâc plura apud Hermogenem lib. περὶ μεθόδου δεινότητος.

Βραχυλογία eſt ſermonis brevitas. Eam interdum virtutem, non vitium eſſe, Fabius* monet. Fit autem bifariam. Nam partim fit vocis præteritione, partim quia res naturâ difficiles paucis efferantur, aliæque aliis condenſentur. Prioris generis βραχυλογίαν habes in illo Pliniano lib. XVIII. cap. VII. *In Tranſpadanâ Italiâ ſcio vicenas quinas libras farris modios pendere, circa Cluſium & ſenas.* Pro, *vicenas, & ſenas.* De altero βραχυλογίας

** Lib. 8. cap. 3.*

genere

Digitized by

genere ita Cicero in Bruto: *Huic ætati ſuppares Alcibiades, Critias, Theramenes: quibus temporibus quod dicendi genus viguerit, ex Thucydidis ſcriptis, qui ipſe tum fuit, intelligi maximè poteſt. Grandes erant verbis, crebri ſententiis, compreſſione rerum breves, & ob eam cauſſam interdum ſubobſcuri.* Quamquam hæc in Thucydide obſcuritas à verbis quoque provenit, ut vel illa indicant Dionyſii Halicarn. * Εὐαρίθμητοι γάρ τινές εἰσιν, οἳ πάντα τὰ Θουκυδίδου συμβαλεῖν δυνάμενοι, καὶ οὐδ᾽ οὗτοι χωρὶς ἐξηγήσεως γραμματικῆς ἔνια. h. e. *Facile ob paucitatem fuerit eos numerare, qui conjecturâ omnia aſſequuntur in Thucydide, in quo quædam ſunt, quæ nec illi ipſi intelligunt ſine interpretatione Grammaticâ.* Utrumque βραχυλογίας genus in Perſio habes. Unde obſcuritas ejus; ac præterea à metaphoris, & crebris, & audacioribus.

* Περὶ τῶν Θουκυδίδου ἰδιωμάτων.

Eſt genus βραχυλογίας, quòd ἀνακόλουθον, q. d. *inconſequens*, nuncupatur. uti & ἀνανταπόδοτον dicitur, quaſi dicas inredditum, ſive non redditum, aut redditione carens. Sic autem vocatur, cùm præteritur ἀπόδοσις, ſive membrum illud, quod priori reſpondeat. Ita λόγον ἀνανταπόδοτον habes apud Evangeliſtam Lucam cap. XIII. 9. Κἂν μὲν ποιήσῃ καρπόν· εἰ δὲ μήγε, εἰς τὸ μέλλον ἐκκόψεις αὐτήν. Vulgatus vertit, *Et ſi quidem fecerit fructum: ſin autem, in futurum ſuccides eam.* Budæus annotat. in Pandectas ſic ſupplet: *Et ſiquidem fecerit fructus, ſinas eam vivere: ſin ſecus* &c. Eſtque loquendi genus Atticis familiare. Quod mirificè amat Ælianus. Uſurpat & Athenæus: cujus illuſtre inprimis exemplum eſt, quod Caſaubonus obſervat lib. VIII. Animadverſionum in Athen. cap. II. Atque ut his antiquiores adducam, Ariſtophanis exemplum videre licet apud Budæum, loco, quo antè dixi: Thucydidis verò, Xenophontis, & aliorum loca ſimilia adducit H. Stephanus animadverſionibus in Corinthi librum de dialectis, attic. ſeu tmem. XV.

Brachylogiæ opponitur περισσολογία, ut quidam appellant; ſive, ut aliis dicitur, μακρολογία: quæ longior eſt, quàm oportet, oratio. Fabius hoc exemplum adducit è Livii lib. VIII. *Legati, non impetratâ pace, retro domum, unde venerant, abierunt.* Reddit hæc quoque orationem minùs perſpicuam: quia non tantùm, cùm

—— brevis eſſe laboro,
Obſcurus fio †:

ſed memoria etiam turbatur inviſâ copiâ, multarumque rerum enumeratione. Unde Tertullianus libro de velandis virginibus ait: *Naturaliter compendium ſermonis, & gratum, & neceſſarium eſt: quoniam ſermo laciniosus, & oneroſus, & vanus eſt.*

† Horat. in Arte.

Macrologiæ vicinum eſt vitium πλεονασμὸς, cùm ſupervacuis oneratur oratio. Tale eſt hoc Hirtii, cùm, in Panſam declamans, diceret, filium à matre decem menſibus in utero latum eſſe: unde urbanè ei Cicero: *Quid? inquiebat, alia in penulâ ſolent ferre?* Autor Fabius lib. VIII. qui inibi tum tantùm, quid ſupervacuum, cenſeri docet, cùm additum, neque intellectum adjuvat, neque ornatum. Nam Maronis ‡ illud, *Vocemque his auribus hauſi*, vitioſum non eſt, quia, quod acceſſit, affirmationis gratiâ adhibetur.

‡ Æn. 4.

Etiam perſpicuitati repugnant ἀποδόσεις ‖ longo redditæ intervallo: quemadmodum optimè monet Dionyſius Halicarnaſſenſis περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος. Idem fit, cùm poſt longum tractum tandem ſequitur verbum, unde priora dependent. Hyperbaton dixere. Item, ſi periodo interſeratur oratio alia. Μεταξυλογίαν vocant; quam, ſi longior ſit, obſcuritatem parere, etiam Theo monet, ubi docet, quæ obſcuram reddant narrationem. Sub μεταξυλογίᾳ verò παρένθεσιν & παρεμβολὴν comprehendo: de quarum utraque, uti & de hyperbato, in ſchematologia plenius dicetur.

‖ Redditiones.

XIII. De anastrophe, et synchysi.

PRæterea obſcurant orationem ἀναστροφὴ, & σύγχυσις: quibus vocibus non uno omnes utuntur modo. Nobis ἀναστροφὴ, ſeu inverſio eſt, cùm voces in commate, aut colo aliquo, tranſponuntur. Thucydidis enarrator ὑπερβιβασμὸν vocat. Ennius in Epicharmo apud Ciceronem in Lucullo, ſive IV. Acad. Quæſt.

Nam videbar ſomniare med ego eſſe mortuum.

Neque enim cohærere ego cum *mortuum* poſſit: ſed ordo grammaticus eſt: *Nam ego videbar ſomniare, me eſſe mortuum.* Plautus prologo Aululariæ:

Credo aurum inſpicere vult, ne ſurreptum ſiet.

Pro, *ſurreptumne ſiet.* Cui ſimilia & alia Janus Guilielmus adfert in Quæſtionibus Plautinis *. Nec diſſimile illud Maronis †. * In Aulul. cap. 1. † 4. Georg.

Nam quis te, juvenum confidentiſſime, noſtras
Juſſit adire domos?

pro *quiſnam* ‡. Eſt & Cornelii Nepotis in Chabria: *Athenienſes diem certum Chabriæ præſtituerunt, quam ante domum niſi rediſſet,* &c. Pro, *antequam.* Tibullus ‖: ‡ Servius. ‖ Lib. 1. el. 1.

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deo:

Pro anteponitur. Nam malè eſt in vulgatis, *ante Deum*; quamvis & ita legerit Turnebus *.

Σύγχυσις eſt vocis unius, aut plurium, è commate, aut colo uno, in alterum trajectio. Virgilius †: * Lib. 13. cap. 8. † 1. Æn.

Vina, bonus, quæ deinde cadis onerârat Aceſtes.
Littore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,
Dividit.

Nam ad primum comma pertinent, *Deinde Æneas dividit vina:* ad ſecundum, *Quæ Aceſtes onerârat*, &c. Gaudet συγχύσει Horatius. Ut lib. II. ſat. I.

Quiſquis erit vitæ, ſcribam, color.

Ac poſt pauca:

—— Sed bona ſiquis
Judice condiderit laudatur Cæſare.

Et lib. I. ſat. V.

Penè macros arſit dum turdos verſat in igne.

Ubi Acro, ut vulgò quidem legitur: *Ordo: penè arſit macros turdos.* Perperam: cùm ordo ſit, Penè arſit, dum verſat turdos. Offenſus eâ συγχύσει Lambinus, edidit hoc pacto:

Penè arſit, macros dum turdos verſat in igne.

Etſi aliter in omnibus codd. uno excepto, inveniſſet: quemadmodum & Cruquius aliter reperit in omnibus ſuis, item alii in aliis: atque idem dictum velim de editt. antiquis, ut Venetâ Pincii, quæ prodiit anno CIↃ CCCCLXXIX. Imò jam olim ſimiliter expreſſit vetus Perſii interpres in ſat. VI. Nec Acronem aliter legiſſe, jam vidimus ex eo, quòd de ordine laborat. Ut mirum ſit, viros eruditos in nuperis editionibus Lambinum potiùs ſequi, quàm veteres tum libros, tum interpretes.

XIV. Interdum convenire orationi obscuritatem, Maronis etiam exemplis comprobatur.

ATque ex his etiam liquet, etſi anaſtrophen, ſynchyſin, ſimiliaque, Grammatici reponant inter vitia orationis; non tamen ſemper vitia eſſe; quia, id ſi foret, optimi auctores ea haut uſurpaſſent; qui magis norant, quid orationem deceret, quàm Grammatici, aut Rhetores. Nemo autem prudentiùs hæc uſurpat, quàm Maro. Quem videas, cùm locus deſcribitur impeditus, impedito carmine uti; & ordinem verborum perturbare, cùm exprimenda eſt animi vel rei cujuſquam perturbatio. Prioris generis eſt illud 1. Æn.

Treis notus abreptas in ſaxa latentia torquet:
Saxa, vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, Aras.

Ubi Servius, *Ordo eſt, Quæ ſaxa latentia in mediis fluctibus, Itali aras vocant.* Alterius hoc generis eſt *: * 1. Æn.

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias.

Quam trajectionem prætulit, cùm poſſet:

Atque animum celerem nunc huc, nunc dividit illuc,
Et rapit in partes varias.

Sed

Sed aliud illuſtrius exemplum dabo.

2. Æn. *—— Juvenes, * fortiſſima fruſtra*
Pectora, ſi vobis audentem extrema cupido
Certa ſequi: quæ ſit rebus fortuna videtis:
Exceſſere omnes, adytis ariſque relictis,
Di, quibus imperium hoc ſteterat: ſuccurritis urbi
Incenſa: moriamur, & in media arma ruamus.

† Lib. 1. Originum cap. 36. Ordo, ut Servius, & ex eo Iſidorus † ait, iſtiuſmodi eſt: *Juvenes, fortiſſima pectora, fruſtra ſuccurritis urbi incenſæ, quia exceſſerunt omnes Dii. Unde, ſi vobis cupido certa eſt, me ſequi, audentem extrema, moriamur, & in media arma ruamus.* Servius *ſynchesin* appellat. Ita enim in Petri quoque Danielis Servio editum eſt. Iſidoro appellatur *ſynthesis*, prout legitur in MSSis meis, & Pariſienſi editione recenſitâ à Jacobo du Breul. Sed dubium non eſt, quin in utroque Grammatico *ſynchyſis* ſit ſcribendum. Aliqua de ſynchyſi hac, quæ ob animum fit affectu æſtuantem, vide & apud Andr. Alciatum lib. x. Παρέργων Juris cap. xi.

Ob eandem cauſſam idem Maro in animis perturbatis adhibet parentheſin; quæ & ipſa rectum orationis curſum interturbat. Ita geminam parentheſin uſurpat in oratione

‡ 4. Æn. infelicis Didonis ‡:

Mene fugis? per ego has lachrymas, dextramque tuam, te
(Quando aliud mihi jam miſera nihil ipſa reliqui)
Per connubia noſtra, per inceptos Hymenæos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miſerere domus labentis, & iſtam,
Oro, (ſiquis adhuc precibus locus) exue mentem.

Compluria hujuſcemodi obſervavit Bartholomæus Maranta lib. 1. Lucullianarum Quæſt.

Denique non modò hactenus memorata; ſed quidquid tenebras affundere orationi poſſit, oraculis convenit; ut

** Libri hujus cap. 11. ubi de allegoria agetur.* alibi * etiam dicetur. Eſtque hæc cauſſa, cur idem Maro

† Teſte Servio in Ecl. 4. Eclogam quartam, quæ Salonini, ſive, ut Pedianus † putabat, Aſinii Galli genethliacon eſt, iis verborum ambagibus claudat, ut ne olim quidem à quibuſdam doctiſſimis viris, ſatis, quid ſibi vellet poëta, intelligeretur. Sic enim ait:

—— Qui non riſere, parentes,
Nec Deus hunc menſâ, Dea nec dignata cubili eſt.

** Lib. 1. de cauſſis L. L. cap. 24.* Ubi quod Servius (cui & Iul. Scaliger * ſubſcribit) *cui* legit pro *qui*, conſiſtere nequit; quia poëta non parentes, ſed puerum adhortatur ad riſum. Quod verò plerique ajunt, iis verbis ſignari, puerum eſſe defunctum, id æquè falſum eſt. Cui enim veriſimile fiat, Maronem puelli jam mortui genethliacon ceciniſſe? Neque hanc ſententiam juvat, quòd Servius initio Eclogæ annotavit, Saloninum mox ab ortu riſiſſe: idque parentibus omen fuiſſe infelix. Contrà enim, quòd Zoroaſtres die riſerit natalitio, pro

† Lib. 7. cap. 16. item Auguſtinus de Civ. Dei lib. 21. cap. 14. lætiſſimo eſt habitum ſigno: ut auctor eſt Plinius †. Et quis credat, puerum ad triſte omen invitari? Quare ſic potiùs ſtatuendum: cùm priùs ad riſum invitâſſet puerum, poſtea etiam rationem, cur illud faceret, addere voluiſſe. Optimè igitur Fabius lib. ix. cap. iii. ubi ait, figuratè hæc dici, ac poëtam id velle, *Ex illis, qui non riſere, hunc non dignatus Deus, nec dignata Dea.* Quod ſatis

‡ Lib. 1. cap. 13. etiam oſtendit, Fabii ætate, (quâ, ut ipſe alibi ‡ ait, Maronis ac Ciceronis αὐτόγραφα exſtabant) *qui*, non *cui*, legi ſolere: neque *qui* ad parentes, ſed ad pueros pertine-

‡ Miſcella cap. 89. re. Itaque Fabio etiam Politianus ‡ ſubſcribit; qui & ipſe, *hunc, qui non riſere*, dictum ait: pro eo, quod eſt, *hunc, qui non riſit, vel qui è numero eſt eorum, qui non riſere.* Iccirco ſic enarrat, *O parentes Salonini pueri, de quo nunc agitur, nec Genius, nec Juno, vitalibus auris dignum putavere hunc ex illis, qui non riſere.* Quod ſi ἀποστροφὴν eſſe ad parentes minùs placet; dici poſſit, parentes eſſe rectum plurativum, ac conjungi cum Deo Deâque; ut intelligantur divini parentes, Genius, & Juno, quos proximo ſignat verſu. Sive autem hanc, ſeu alteram interpretationem ſequi lubet, fateri quidem cogimur, obſcurè locutum poëtam: ſed contendimus, magno id judicio feciſſe, quia eclogâ hâc plurimùm oracula exponeret, quibus aliqua convenit obſcuritas.

CAP. II.

DE COMPOSITIONE SCRIPTORIBUS OMNIBUS COMMUNI.

Compoſitio eſt aptus ordo partium inter ſe cohærentium.
Ea partim tradit communia oratori, hiſtorico, poëtæ; partim peculiaria oratori.
Prius compoſitionis genus ſpectat, tum literarum conjunctionem, quâ oratio lenis ac ſuavis redditur, aut plena ac ſonora; aut etiam, ſi res ita ferat, contrario modo affecta eſt: tùm ordinem, qui exigit, ut graviora ſubjiciamus humilioribus, atque, quod dignius, aut naturâ prius eſt præponamus ei, quod poſterius eſt.

I. DE COMPOSITIONE, AC JUNCTURA, GENERATIM.

CUm jecerimus fundamentum officii oratorii, quod eſt verborum delectus: proximum eſt, ut ad ſtructuram ſive exædificationem, h. e. ipſam verborum tractationem, nos accingamus. Ea autem complectitur tum Compoſitionem, tum Dignitatem.

Compoſitio Cæſari Scaligero * definitur, aptus ordo partium inter ſe cohærentium. Partes hæ ſunt triplices; elementa, ſyllabæ, voces. ** Lib. 4. de re poët. cap. 1.*

Quantam verò concinna harum partium collocatio vim habeat; indicio eſt, quòd præſtantiſſimi quique ſcriptores magis ei ſtuduerint, quàm verborum delectui; quem oratorii ædificii fundamentum faciebamus. Certè & Homericæ dictionis elegantiam magis conſiſtere in compoſitione, quàm in delectu, ac Platonem magis in compoſitione excellere, & orationem Demoſthenis non ob delectum, ſed ob orationis μουσικὴν, ſive ἁρμονίαν, Sirenibus eſſe ab Æſchine comparatam, ſcribit diſertim Dionyſius Halicarnaſſ. lib. περὶ συνθέσεως ὀνομάτων, & tractatu περὶ τῆς Δημοσθένους δεινότητος.

Eſt autem compoſitio duplex; alia ſcriptorum omnium communis, alia oratorum propria. De utrâque dicemus, ſed paucis. Quod ſiquis aliqua hìc deſiderârit, cumprimis adeat Dionyſium Halicarn. lib. περὶ συνθ. ὀνομ. & alios, quos inferiùs laudabimus.

In compoſitione communi prima eſt cura συζυγίας, ſive *juncturæ*; altera τάξεως, ſive *ordinis*.

Junctura præſtat, ut oratio ſit ſuavis, aut plena ac ſonora; non aſpera, non hiulca. Ita Tullius, cùm orationem poſt reditum ad Quirites hunc in modum ordiri poſſet, *Quod rogavi Deos immortales:* maluit tamen, *Quod precatus ſum à Diis immortalibus.* Nam cùm O, & A, vocales ſint grandes, E exilis; ſonus eſt ſuavior in illo, *Quod precatus ſum*; quàm in illo, *Quod rogavi:* ubi tum tres vocales, tum R, grandiorem efficiunt ſonum.

Quemadmodum autem graviter errant, qui ineptum eſſe ſtatuunt, hodie quicquam præcipere de linguæ Latinæ ſono, quia is amplius nativus non ſit: ita & illi longè extra veritatis feruntur viam, qui in veterum recentiorumque orationibus omnia ex vulgari æſtimant pronunciatione. Neque enim nunc ſyllabas breves, longaſque, ſono diſcernimus: neque diphthongos quaſdam aliter efferimus, quàm ſi nudæ forent vocales: quin adulterinum quendam ſonum nonnullis literis adfingimus: ut omnino nec humanitatis oram adbibiſſe videri poſſit, cui non luce ipſâ clarius ſit, quantùm hâc in parte nobis antiſtet vetuſtas.

II. Literæ singulæ cujusmodi rebus exprimendis maxime inſerviant.

** Recta loquendi ratio.*

INterim, ut dixi, non penitus abolita eſt ἡ ὀρθοέπεια*: præſertim in nationibus nonnullis, quæ à veteri loquendi more minùs receſſerunt. Quare ne in caſſùm aliquis hac parte operam requirat noſtram, de utroque horum dicam: quæ literæ ſonum habeant ſuavem, aut grandem, vel his contrarium: & quando ſingulæ habeant maximè locum.

A planè ſonorum eſt: ideoque inprimis frequentatur, cùm de rebus horridis ſermo eſt. Hinc vetus poëta apud M. Tullium † crebra uſurpat A in hiſce verſibus, quibus umbram Polyphemi inducit loquentem de aſperis & hiantibus Averni locis:

† Lib. 1. Tuſcul. Quæſt.

Adſum, atque advenio Acheronte, vix, viâ altâ,
atque arduâ,
Per ſpeluncas ſaxis ſtructas aſperis, pendentibus,
Maximis: ubi rigida conſtat craſſa caligo inferûm.

Ubi & primo verſu multæ concurrunt vocales. Eſſe verò hæc ex Ennii Hecuba, etſi id non dicat Tullius, inde tamen conjecturam capio, quia expreſſi ſint hi verſus ex Hecuba Euripidis, cujus veſtigia premere ſolet Ennius. Euripidis quidem ſunt iſta ‡:

‡ Primis Hecubæ verſibus.

Ἥκω ‖ νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
Λιπὼν, ἵν᾽ ᾅδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν.

‖ Venio mortuorum latebram, & caliginis portas Relinquens, ubi Pluto ſeorſim habitat à Diis.

Atque ex eâdem tragœdiâ eſſe putamus illa, quæ paullo pòſt Cicero ſubdit:

Unde animæ excitantur obſcurâ umbrâ, apertoque
oſtio
Alti Acherontis, falſo ſanguine, mortuorum imagines.

Ita enim hæc numeris ſuis reſtitui debent; de quo plura Caſtigationibus noſtris in tragicorum poëtarum fragmenta. Videmus autem hic quoque multa A concurrere ob eandem cauſam. Uti & fit in illo Ciceronis Verrinâ ſextâ: *Propter eſt ſpelunca quædam converſa ad Aquilonem, infinitâ altitudine.*

Interdum & literæ A geminatio ſuavitatem oſtendit, aut ſublimitatem: ſuavitatem quidem, cùm ſæpius corripitur: ſublimitatem, cùm producitur. Ita ſuavius eſt, *Phyllida* amo ante alias:* elatius verò, *Cocyti † ſtagna alta vides:* item,

** Ecl. 3.*
† Æn. 6.
‡ Æn. 7.

Ardet ‡ inexcita Auſonia, atque immobilis antè.

E & I, cùm brevia ſunt, ſonum habent exilem: atque id in cauſsâ eſt, cur Cæſar Scaliger malit apud Horatium ‖: *Sublimi feriam vertice ſidera*, ut in A verſus deſinat. Verùm prætulit fortean Horatius *ſidera vertice*, quia A quidem ſonorius eſt, at E dulcius: ut Ciceronis loco paullo antè monſtravimus.

‖ Od. 1. lib. 1.

Convenit quoque E lugentibus. Sanè elegiæ nomen eſt ἀπὸ τοῦ ἒ ἒ λέγειν, quæ flentium vox eſt apud Æſchylum in Prometheo. Id quidem ἔτυμον magis placet, quàm ut ſit ab ἔλεος *. Quamquam cauſſa utriuſque ἐτυμολογίας eadem futura eſt: quia nempe id carminis genus, ut Proclus περὶ χρηστομαθίας ſcribit, συγκεῖται μὲν ἐξ ἡρωϊκοῦ καὶ πενταμέτρου, ἁρμόζει δὲ κατοιχομένοις *conſtat quidem heroico, & pentametro; convenit autem mortuis.* Itaque Virgilius quoque hâc uſus eſt literâ, quando Niſus cariſſimum ſibi Euryalum videret hoſtibus cinctum, & in medio mortis periculo verſantem:

** Miſeratio.*

Me, me, adſum, qui feci: in me convertite ferrum.

Item, cùm inducit Sinonem miſerum, aut ſanè miſeriam ſimulantem:

—— Heu quæ nunc tellus, quæ me æquora poſſunt
Accipere?

Neque enim adſentiri poſſum Bartholomæo Marantæ, qui id à poëta factum ſcribit ad exprimendum Sinonis metum: niſi fortè dixeris, timorem quoque miſeriæ ſubjici poſſe, quia ſit dolor ratione mali futuri.

I convenit quibuſvis rebus exilibus, ut ſcribit Plato in Cratylo. Itaque pluviæ penetrationem egregiè exprimit Virgilius in illo*:

** 1. Æn.*

Accipiunt inimicum imbrem, rimiſque fatiſcunt.

Eſt & lugentibus aptum; quæ cauſſa eſt, cur id frequenter Maro in oratione Sinonis: ut cùm inter alia inquit †:

† 2. Æn.

Jamque dies infanda aderat: mihi ſacra parari:
Eripui, fateor, leto me, & vincula rupi,
Limoſoque lacu per noctem obſcurus in ulvâ
Delitui.

Item, cùm in eâdem ait:

Nec mihi jam patriam antiquam ſpes ulla videndi.

Inepta hujus literæ repetitio vocatur a Capella ‡ ἰωτακισμός. At à Fabio ‖ ita nominatur, cùm I, vitio oris ac linguæ plenè, nimis pronunciatur.

‡ Lib. 5. cap. de Elocut.
‖ Lib. 1. cap. 9.

O, quando corripitur, rebus in ſubitis maximè locum habet. Iccirco hoc uſus eſt Maro * ad ſignandam ſubitam Palinuri mortem:

** 5. Æn.*

O nimiùm cælo, & pelago confiſe ſereno.

At cùm producitur, affectibus indicandis inſervit: ut †,

O tempora, ô mores! Item ‖:
O pater, ô patria, ô Priami domus!

† Cic. Catil. 1. & Verr. 6.
‡ Poëta incertus apud Cic. lib. 3. Tuſc. quæſt.

Etiam ſublimem, ac grandem efficit orationem. Itaque Cicero quartam Catilinariam ita orditur: *Video, P. C., in me omnium veſtrûm ora, atque oculos eſſe converſos. Video vos, non ſolum de veſtro ac reip., verum etiam, ſi id depulſum ſit, de meo periculo eſſe ſollicitos.*

Geminatio hujuſce literæ in fine antecedentis, & initio ſequentis verſus, ſublimitatem orationi adfert cum ſuavitate: ut*:

** Georg. 2.*

—— Et vicina Veſevo
Ora jugo.

Item †:

† Æn. 10.

Junonem interea compellat Jupiter ultro:
O germana mihi, atque eadem gratiſſima conjux.

V, quemadmodum & Græcorum Y, magis ſonorum eſt, quàm E, & I; minùs, quàm A, & O. Convenit autem rebus occultis, obſcuriſque. Ut ‖:

‖ Æn. 9.

Viſus ab aurorâ cælum tranſcurrere nimbus,
Idæique chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, & Trœum, Rutulorumque agmina
complet.

Ac liquidiùs quoque in illo*:

** Æn. 5.*

Tum plauſu fremituque virûm, ſtudiiſque faventum,
Conſonat omne nemus, vocemque incluſa volutant
Littora.

E conſonantibus ll planè inſuave eſt; unde & ſæpe vel omitti, vel commutari ſolet; ut auctor eſt Cicero in orat. ad Brutum. Ei vicinum eſt P. Miſcuit hæc Maro in illo*:

** Æn. 4.*

—— Dabis, improbe, pœnas.

Item hoc †:

† Æn. 1.

—— Puppeſque tuæ, pubeſque tuorum.

Item ‡:

‡ Æn. 9.

—— Et pube Pelaſgâ.

Convenit utraque flatibus ſignandis, ut paullo pòſt dicemus.

C magis moram ſignificat, ac tenacitatem. Ennius ‖:

‖ In 11. Annal. apud Macrob. lib. 6. Sat. cap. 1.

Nec cùm capta capi, nec cùm combuſta cremari.

Quod egregiè, ut omnia, imitatus eſt Maro, cùm inquit *:

** Æn. 7.*

Num capti potuere capi? num incenſa cremavit
Troja viros?

Fidem quoque fecerit iſthoc è Tullio paullo antè adductum à nobis, Tullioque ipſi à Nonio † tributum:

† In Conſtat. Sed Ennii videri, ſuperiùs dixi.

—— Ubi rigida conſtat craſſa caligo inferûm.

Eadem interdum eſt vis literæ T. quam icciroo cum C miſcet Maro ‡:

‡ Æn. 1.

Conſtitit heic, arcumque manu, celereſque ſagittas
Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates.

Aliàs T utitur Maro ad exprimendum eorum crepitum, quæ comburuntur: eademque vis literæ D: quod alioqui validiùs ſonat: unde T vocant D mollitum: eaque ſoni affinitas fecit, ut in vett. libris pro *atque* ſæpe *adque*, & contrà

* Lib. 1. cap. 6. contrà pro *ſed* legatur *ſet*. Et, ne quis nupero id errore factum dicat, Fabii * ipſius verba ſunt, *Quid D litera cum T quædam cognatio? quare minus mirum, ſi in vetuſtis operibus urbis noſtræ, & celebribus templis, legantur Alexanter, & Caſſantra.* Miſcuit ea Maro † in iſtis: † Æn. 1.

In ſegetem veluti cum flamma furentibus auſtris
Incidit, aut rapidus montano à flumine torrens
Sternit agros, ſternit ſata læta boumque labores,
Præcipiteſque trahit ſylvas: ſtupet inſcius alto
Accipiens ſonitum ſaxi de vertice paſtor.

F ſoni valentioris eſt, quàm Græcorum φ, ut ait Priſcianus ‡. Convenit autem exprimendis flatibus; unde in proximè adducto Maronis loco: ‡ Lib. 1.

—— *cum flamma furentibus auſtris.*

* 1. Æn. Item alibi *:

—— *loca fœta furentibus auſtris.*

† Æn. 5. Et in illo †:

—— *Ferunt ſua flamina claſſem.*

Etiam ex Accii Annalibus citat Priſcianus in VI:

Fraxinu' fiſſa ferox infenſa infinditur oſſis.

Ubi *oſſis* eſt à recto *oſſum*.

G eandem penè vim habet, quàm C; de quo diximus.

‡ Elementum liquidum. L, στοιχεῖον ὑγρὸν ‡, quemadmodum Heſychius * appellat; τῶν ἡμιφώνων γλυκύτατον, † ut Dionyſius Halicarn. vocat; convenit rebus mollibus, ut & Plato teſtatur in Cratylo. Hinc Maro ‡:

* In λάβδα. † Semivocalium ſuaviſſimus. ‡ Ecl. 2. * Ecl. 6.

Mollia luteolâ pingit vaccinia calthâ.
Ipſe ego cana legam tenerâ lanugine mala.

Par ratio in iſto *:

Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice ſub nigrâ pallentes ruminat herbas.

† Æn. 4. Item de amore Didonis †:

—— *Eſt mollis flamma medullas.*

‡ Æn. 11. Et de Pallante mortuo ‡:

Qualem Virgineo demeſſum pollice florem,
Seu mollis violæ, ſeu languentis hyacinthi.

* Georg. 3. Idem factum in illis *:

—— *Quà nulla priorum*
Caſtaliam molli divertitur orbita clivo.

† Æn. 4. Item hoc †:

Quaque lacus latè liquidos.

‡ Lib. 5. cap. de Elocutione. Hujus literæ odioſa repetitio à Martiano Capella ‡ Labdaciſmus dicitur. Sic enim ſcribit: *Labdaciſmus eſt, ubi L plurimùm diſſonat: ut, ſi dicas: Sol, & Luna, luce lucebant albâ levi lacteâ.* Labdaciſmus autem vocatur, quia veteres λάβδα pro λάμβδα dicebant, Heſychio * teſte. Atque ita Apud Ariſtophanem in Concionatricibus legere eſt:

* In λάβδα.

Δοκεῖς δέ μοι καὶ λάβδα κατὰ τὸν Λεσβίων.

Aliis λαβδακισμὸς, ſive λαμβδακισμὸς, eſt vitium oris ac linguæ, uti Fabio lib. 1. cap. IX. item Diomedi †, qui & ipſe inter pronunciationis vitia reponit, ac tum committi ait, *ſi Lucem primâ ſyllabâ, vel Alma nimium plenè pronuncietur.* Etiam Iſidorus lib. 1. Orig. cap. XXXI: *Labdaciſmus, inquit, eſt, ſi pro uno L duo pronunciemus: ut Afri faciunt; ſicut Colloquium pro Conloquium, vel quoties unum L exilius, duo largius proferimus*, &c.

† Lib. 2. cap. de barbariſmo.

M exprimit murmur, præſertim cùm literæ R miſcetur: ut ‡; ‡ Æn. 3.

—— *Magno cum murmure montis*
Circùm clauſtra fremunt.

* Æn. 3. Convenit & rebus vaſtis, ac inſuavibus: ut *;

Vix ea fatus erat ſummo cùm monte videmus
Ipſum inter pecudes vaſtâ ſe mole moventem
Paſtorem Polyphemum, & litora nota petentem.
Monſtrum horrendum, informe, &c.

Ac de eodem paullo pòſt:

Clamorem immenſum tollit.

Cùm nimiùm, aut temerè repetitur M. dicitur Græcis μυτακισμὸς, teſte Capella †. Sic enim ait: *Mytaciſmus eſt, cùm verborum conjunctio M litera aſſiduitate colliditur: ut ſi dicas, Mammam ipſam amo, quaſi meam animam.* Sed Diomedi vitium eſt pronunciationis, cùm M profertur, ubi debet abſorberi: ut ſi vocem claudat, & ſequens dictio incipiat à vocali. Uterque autem grammaticus corrigendus: cùm apud eos vulgò *metaciſmus* legatur, pro *mytaciſmus*, quia eſt à μῦ. Meminit & Iſidorus lib. 1. Orig. cap. XXXI, ubi itidem in MSSis noſtris eſt *metaciſmus*. In excuſis *motaciſmus* legas. Quod non improbo. Imò poſſis ſimiliter reſcribere apud Capellam, & Diomedem. Nam literam hanc veteres non μῦ tantum, ſed μῶ quoque dixere: ut Euſtathius etiam teſtis eſt * ex lexico Rhetorico.

† Lib. 5.

* Initio commentarii in Iliad γ.

N, quia ſonum vocalis additæ intus cohibet, ea exprimit, quæ intus ſunt: ut inquit Plato in Cratylo. Obſervat id Maro in illo ‡: ‡ 1. Æn.

—— *Hic feſſas non vincula naves*
Ulla tenent, unco non alligat anchora morſu.

De P nihil eſt apud Platonem: verùm cùm fiat labiis arctè compreſſis, repetitio ejus compreſſionem aliquam notabit: ac vel temporis continuitatem exprimet: ut in illo Maronis †; † Æn. 4.

—— *Illo patris magni parêre parabat Imperio:*

vel ad violentiam refertur: ut in hiſce Statii Cæcilii;

—— *Aut per ſervolum*
Percutias pavidum, poſtremò à parco patre
Quod ſumas, quanto diſſipas libentius!

& iſtis incerti poëtæ (Ennii ‡, ut ſuſpicor) apud Ciceronem in tertio de Nat. Deor. ‡ In Medea.

Poſtquam pater appropinquat, jamque penè ut comprehendatur parat;
Puerum interea obtruncat, membraque articulatim dividit,
Perque agros paſſim diſpergit corpus.

Confert quoque exprimendis flatibus; quemadmodum diximus de B, & F, quibus vicinum eſt. Itaque has literas cum R, quam & ipſam huic rei idoneam eſſe, mox oſtendemus, miſcuit Maro primo Aeneidos:

Quà data porta, ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque à ſedibus imis
Unà Euruſque, Notuſque, ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad litora fluctus.

Quibus in verſibus Q quoque ſæpius uſurpatur ad indicandam quaſſationem. At caſu frequentatur P in hoc Juſtini, initio lib. XXXI: *Pupilli poſtremi, patris ſui precibus traditi.* Ut ſæpe alias aliis in literis iteratio ejuſmodi ſe offert.

R τῶν ἡμιφώνων γενναιότατον *, ut ait Dionyſius Halicarn. Itaque motum exprimit; unde illud Maronis †: * Liquidorum maximè generoſa. † Æn. 10.

Fronte ferit terram, & craſſum vomit ore cruorem.

Idem eâ ſonum grandinis cadentis exprimit, cùm ait 1. Georg.

—— *Crepitans ſalit horrida grando.*

Appoſitè quoque idem inibi:

—— *Nemorum increbreſcere murmur.*

Etiam L, & R, conjungi amant ad ſonum exprimendum: ut VII. Aeneid.

Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quæ ſeſe multis circùmlatrantibus undis
Mole tenet, ſcopuli nequicquam, & ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga.

Inprimis autem R locum habet, quandocunque exponuntur res acerbæ ac vehementes. Nam, ut aſſerit Fabius lib. VIII. cap. III: *Rebus atrocibus verba, etiam ipſo auditu aſpera, magis conveniunt.* Ita Horatius indignans, quòd Craſſi milites ſervire mallent uxoribus barbaris, quàm fortiter pugnando occumbere, R amat, & aſperum literarum concurſum. Nam od. v. lib. III. legere eſt:

Milesne Craſſi conjuge barbarâ
Turpis maritus vixit: & hoſtium
(Prô curia, inverſique mores!)
Conſenuit ſocerorum in armis?

Ante omnes verò Maro id obſervat, ut literam hanc tribuat iratis. Ita, quo loco de iratâ tractat Junone, continuis ſex verſibus quincto pede ſyllabam RE adhibet: bis

 quo-

quoque ſyllabam hanc geminat, ſemel vocem ſubdit ab eâ-
* Æn. 1. dem litera inchoantem. Ita enim ait *:

Vela dabant læti, & ſpumas ſalis aRE Ruebant,
Cum Juno æternum ſervans ſub pectoRE vulnus
Hæc ſecum: Mene incepto deſiſteRE victam?
Nec poſſe Italiâ Teucrorum averteRE REgem?
Quippe vetor fatis. Pallaſne exuRERE claſſem
Argivûm, atque ipſos potuit ſubmergeRE ponto? &c.

Sunt & alia hiſce gemina aliis in locis: uti illud;

† Æn. 7. *At † trabeRE, atque moram tantis licet addeRE REbus:*
At licet amborum populos exſcindeRE REgum:
Sanguine Trojano, & Rutulo, dotabeRE, virgo.

‡ Æn. 4. Item ‡: —— *Connubia noſtra*
REppulit, ac dominum Æneam in REgna REcepit.

* Æn. 10. Et in iſto *:
—— *MoRERE, & fratrem ne deſeRE frater.*

† Æn. 2. Item †:
Cui Pyrrhus REſeREt ergo hæc, & nuncius ibis
Pelidæ genitori: illi mea triſtia facta,
DegeneREmque Neoptolemum narraRE memento.
Nunc moRERE.

Nec tria RE copulare dubitat IV. Æn.
—— *Et nos fas extera quæRERE REgna.*

‡ Lib. 1. el. 7. Uti neque Ovidius in Triſtibus ‡:
—— *Duritiaque mihi non age RERE REm.*

* Æn. 1. Commiſcetur quoque R cum S, ut in illo *.
—— *Furor impius intus*
Sæva ſedens ſuper arma, ac centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Nam R rabiem, S exſibilationem exprimit. Sed de R ſa-
† Æn. 9. tis. S verò fluminibus quoque convenit: ut †,
—— *Et plenos ſpumanti ſanguine rivos.*

‡ Æn. 9 Item ‡:
Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges.

* Æn. 1. Item *:
Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon, ubi tot Simois correpta ſub undis
Scuta virum, galeaſque, & fortia corpora volvit.

Qui verſus omnes ab S incipiunt: duo quoque priores in id deſinunt: inſuper complura concurrunt in vocibus interjectis.

Flatibus quoque mirificè convenit, cùm ejus ſonus ſibi-
† Æn. 1. lo conſtet. Hinc illud †:
Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras.

‡ Æn. 4. T moram notat, ut in illo de Didone ‡:
Ter ſeſe attollens.

* Æn. 5. Et alibi *:
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum.

Plura de eo diximus ſuprà.

V conſonans, (ut nunc quidem corruptè profertur, etſi olim idem valuerit, quod hodie Germanis duplex W) fortiùs ſonat, quam B; infirmiùs, quàm F. Convenit ex-
† Ex 5. Æn. primendis ſonis nec obſcuris, nec occluſis. Indicio eſt iſthoc ſuperiùs quoque adductum à nobis †:
Tum plauſu, fremituque virûm, ſtudiiſque faventum
Conſonat omne nemus: vocemque incluſa volutant
Littora.

‡ Orat. ad Brutum. X vaſti ſoni eſt. Cicero ‡: *Quomodo veſter Axilla Ala factus eſt, niſi fugâ literæ vaſtioris?*

* Lib. περὶ συνθέσ. ὀνομάτ. Z verò ſuavius eſt, ut & ſcribit Dionyſius Halicarnaſſenſis *.

III. An vitare semper oporteat frequentiorem ejusdem literæ concursum, præsertim R, et S.

Ex hiſce omnibus perſpicere eſt, quanti faciendum ſit illud Rhetorum præceptum, quo vitare jubent crebriorem ejuſdem literæ concurſum. Neque enim ultrà, puto, inficiabitur quiſquam, rerum naturam ſæpe exigere, ut eandem literam frequentemus. Quamobrem nos quidem cum Criticis iſtis damnare non auſim Homericum
iſthoc *: * Od. β.

Μηδὲ γέροντα κακῶ κεκακωμένον.

Aut hoc Sophoclis in Oedipo Tyranno:

Τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματ' εἶ.

Nec dubitamus, quin T affectârit Ennius in illo ‡: ‡ Apud Soſipatrum lib. 4. & Donatum de ſchemat.
O Tite tute Tati tibi tanta tiranne tuliſti.

Itemque Plautus P, cùm inquit *:
Non potuit paucis plura planè proloqui.

Ac Nævius L, quando ſcripſit †,
Liberâ linguâ loquuntur ludis liberalibus.

Inprimis autem Rhetores interdicunt crebro uſu literæ R, & S: quarum illam caninam vocant Ovidius ‡, Perſiuſque *, hanc θηριώδη, i. *ſerpentinam*, appellat Dionyſius Hilicarnaſſenſis. Illius crebram repetitionem vocant ῥωτακισμὸν, ſive ῥοτακισμὸν, (quod ipſum quoque in vett. Suidæ codd. invenitur:) hujus frequentatio à Capella nominatur polyſigma, ab aliis σιγμαλισμός. At Maro utramque interdum condenſat, cujus rei multa ſuperiùs attulimus exempla. Nempe, pro diverſâ rei naturâ, ejuſdem literæ frequentia nunc laudi ducitur, nunc inter culpas orationis cenſetur. Plato, & Eubulus, Comici, cachinnos quoque theatri excitarunt † verſu iſthoc Euripideo in Medeâ: * Menæchmis act. 2. ſc. 1. † Apud Feſtum in Liberalia. ‡ Faſt. 5. * Sat. 1. † Auctor ſcholiaſtes Euripidis.

Ἔσωσά σ', ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι.

At laudamus Maronianam iſthoc ‡, in quo totidem S habemus: ‡ Æn. 9.
Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altus.

Laudamus quoque & meritò, hoc ejuſdem *: * Æn. 1.
Emiſſamque hyemem ſenſit Neptunus, & imis
Stagna refuſa vadis.

Item hoc †: † Æn. 5.
—— *Aſſiduo longè ſale ſaxa ſonabant.*

Suntque alia id genus plurima apud divinum poëtam; ut qui neque elementum ullum fruſtra poſuiſſe videatur; quemadmodum accuratè in Lucullianis ſuis quæſtionibus oſtendit Bartholomæus Maranta Venuſinus; ad quem lectorem meum remittere malo, quàm ad quoſdam, qui, quicquid boni de compoſitione adferunt, id è Marantâ, tacito auctoris nomine, ſuas in cumeras converterunt. Sed & Jovianum Pontanum adi; qui non quidem copioſè adeò, ac Maranta, qui in hoc argumento penè nimius eſt; ſed tamen fuſiùs, & accuratiùs, quàm ante eum quiſquam, hac de re tractavit in dialogo, qui Actius ‡ inſcribitur. ‡ Edit. Ald. pag. 127. & deinceps.

Porrò iis, quæ de S ſuprà diximus, litem intendit vir quidam clariſſimus, qui S ſuaviſſimam eſſe literam cenſet; ut quæ in ſuaviſſimarum quarumque rerum vocabulis inſit, atque adeo ipſum ſuavitatis nomen & ordiatur & terminet. Nos nec antiquos hâc in parte reprehendere audemus, nec viri præſtantiſſimi judicium planè damnamus. Siquidem tum ſonum ejus agnoſcimus in amantium, fluviorum, & arborum ſuſurris; tum in ſerpentum ſibilis, atque hoſtili exſibilatione. * Dueretum. † Lib. 1. de Muſica. verba quæ ex codice pervetuſto bibliothecæ Toletanæ à ſe cum editis collato adducit Andreas Schottus, Notis in Procli Chreſtomathiam.

Etſi autem S interdum orationi adferat ſuavitatem: veteres tamen Spartiatæ, qui omnes orationis delicias averſati videntur, caninam illam R huic literæ prætulerunt. Nam Σ tum in mediis, tum extremis dictionibus, mutant in Ρ; ut arguit vetus ψήφισμα ſeu πρεσβυλδωμα *, quo urbe pulſus Timotheus. Adducit id Boëthius †, ſed locum mirificè attaminarunt βιβλιοσφίβλαι: cum pſe emendatum vide, cùm apud Leopardum lib. VIII. cap. XIV, tum inprimis Joſephum Scaligerum notis in Sphæram barbaricam Manilii, & Iſaacum Caſaubonum lib. VIII. Animad. in Athen. cap. XI: qui duo penè idem ſcripſere, eodem tempore, eâdem de re, alter Lugduni Batavorum, alter Lugduni Seguſianorum. Nec tum ex operà luſit clariſſimus Iſmaël Bullialdus: qui poſtea ex codice MS. eoque optimo Puteanorum fratrum, complura reſtituit in Notis ſuis ad Mathematica Theonis Smyrnæi ‡. Plurima verò ejuſce Spartanorum dialecti exempla inprimis apud Caſaubonum inibi vide. At planè iniquus eſt ei literæ Pindarus: ut qui Σ κίβδηλον, hoc eſt, adulterinam, ‡ Pag. 295 & ſeqq.

nec

nec veram literam vocet, quin eum totas odas ἀσιγμοποιηθέντας * ſcripſiſſe, cùm Demetrius teſtatur lib. περὶ ἑρμηνείας, tum ex Clearcho refert Athenæus lib. x. Idem Athenæus eodem libro auctor eſt, ſub nomine Laſi Hermionenſis, poëtæ antiquiſſimi, quem & quidam unum è ſeptem ſapientibus fecerunt, fuiſſe circumlatam odam ſine ſigma, quæ inſcribebatur Centauri. Hymnum quoque ἄσιγμον idem ſcribit à Laſo factum eſſe εἰς τὴν Δήμητρα τὴν ἐν Ἑρμιόνῃ †. Nam aſſentior Caſaubono ‡ ita emendanti, cùm in vulgatis prætereatur τὸ ἐν. Atque hæc de ejuſdem literæ iteratione.

** In quibus nullum foret Σ.*
† In honorem Cereris, quæ Hermionæ colebatur.
‡ L. 10. Animadv. in Ath. cap. 21.

IV. Veteres non semper refugere ejusdem syllabæ iterationem, imo quandoque ea ad ornatum uti: item de non continuandis monosyllabis, vel verbis longis.

Quemadmodum autem in eo falſi ſunt multi, quòd quamlibet literæ ejuſdem repetitionem vitioſam eſſe exiſtimarunt: ita immeritò quoque ſyllabæ ejuſdem iterationem ubique reformidant delicatiores quorundam aures, cùm veteres eam non ſemper aſpernentur: imò quandoque τῇ τῶν συλλαβῶν ἀνακλάσει nihil eſſe venuſtius poſſit. Homerus Iliad. β:

—— Πρόθοος θοὸς ἡγεμόνευε.

Idem Il. ζ:

—— τὸ ἀλήιον οἶος ἀλᾶτο,
Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

Et Odyſſ. ω:

—— Εὐπείθει
Πείθοντο.

Thucydidis eſt, Σαμία μία ναῦς. Plato ἐν τῷ συμποσ. Παυσανίου δὲ παυσαμένου (διδάσκουσι γάρ με ἴσα λέγειν οὑτωσὶ οἱ σοφοὶ) ἔφη ὁ Ἀριστόδημος. *Cum Pauſanias pauſam loquendi feciſſet (ſic enim vocabulo alludere, docent me ſapientes) Ariſtodemus inquit.* Timonis etiam Philiaſii eſt de Platone ⸸:

⸸ Apud Laërtium in Platone.

Ὡς ἀνέπλασσε Πλάτων, πεπλασμένα θαύματα εἰδώς.

Quamquam id ſillographus, more ſuo, ſcripſerit, ut Platonis dictionem rideret poëtico ſimiliorem. Demoſthenes quoque, & ante eum Xenophon, ornatum captarunt ex conjunctione harum vocum προσοίκει, & πρόθυμος: quemadmodum Victorius cenſet lib. xxvii. Var. Lect. cap. xi. Oppianum, cujus eſt δόρπα πάσασθαι *, & alios juniorum, mitto.

** Lib. 1. Ἁλιευτ.*

Ad Latinos venio. E quibus Plautus etiam affectavit. Uti Captivis †:

† Act. 4. ſc. 3.

Quanta pernis peſtis veniet! quanta labes larido!
Quanta ſumini abſumedo! quanta callo calamitas!
Quanta laniis laſſitudo! quanta porcinariis!

Ubi, invitis etiam vocibus, hanc ſimilitudinem quæſivit. Ut qui, cùm *abſumtio* Latini dicant, malit *abſumedo*, quod, ni valde fallor, Latinum non eſt, ſed à Plauto confictum. Sed ſunt apud eum alia, de quibus hoc dici non poſſit. Ut Mercatore ⸸:

⸸ Act. 3. ſc. 4.

Ædepol næ ille oblongis malis dedit mihi magnum malum.

Item Pſeudoli prologo; modò is genuinus eſt:

—— *Et lege, & legionibus,*
Hos fugitaſtis, Quirites, ſucceſſis bonis.

Sed minùs eſt hic ſimilitudinis ob diſparem quantitatem. Major in hoc ejuſdem *:

** Pſeud. act 3. ſc. 2.*

Vivis convivis inteſtina quæ exedint.

Et prologo Truculenti:

De veſtris magnis atque amœnis mœnibus.

Item Sticho †:

† Scenâ ultimâ.

—— *Nam ita me Venus amœna amet.*

Et Menæchmis ‡:

‡ Act. 1. ſc. 1.

Domi domitus fui uſque cum caris meis.

Quod imitatus Lucretius lib. v.

Sic quos antè domi domitos ſatis eſſe putabant.

Ejuſdem Lucretii eſt libro eodem:

—— *Æquo certamine bellum*
Magnis de rebus inter ſe cernere certant.

Terentii quoque eſt, *dixiſſe ſeſe.* Horatii, *pares res.* Catulli,

In collo ſibi collocare poſſit.

Quod ſimile iſti Plautino in Aſinaria *:

** Act. 3. ſc. 3.*

Hic pone hic iſtam colloca crumenam in collo planè.

Similiuſque futurum, ſi cum Duza †, trajectis vocibus, legas.

† Præcidaneis pro Catullo.

Hic pone hic iſtam crumenam colloca in collo planè.

Sed nihil mutandum: quia, quod Duza non ſatis attendit, verſus eſt jambicus tetrameter catalecticus: uti & ſequentes. At jambicus nihil æquè refugit, quàm trochæum; qui quinctâ ſede fuerit, ſi Duzam ſequamur. Nec Ovidius ſimiles ſyllabas averſatur. Ut ⸸,

⸸ Lib. 3. Triſt. el. 11.

Ad te quiſquis is es, noſtra querela redit.

Et manifeſtiùs, cùm ait *:

** Lib. 6. Met. fab. 28.*

—— *Non ſi Venus ipſa veniret.*

Tum inprimis in illo †:

† Libro eodem fab. 7.

Corpora Cecropidum pennis pendere putares.
Pendebant pennis.

Tibullo etiam, ac Propertio, hæc penè affectata. Tibulli quidem illa, quæ jam olim Muretus obſervavit:

Me mea paupertas vitæ traducat inerti.
Ipſe ſeram teneras maturo tempore vites.
Ruſticus, & facili grandia poma manu.
Multa docet templis picta tabella tuis.
Nudus & æſtivi tempora ſicca canis.

Sed nec ipſe reſpuit Maro: cujus eſt primo Georg. *Huic à ſtirpe pedes.* Et ſecundo:

—— *ad ſidera raptim.* Item ſecundo Æn.
—— *Dorica caſtra.* Et tertio, *Cæcâ caligine.*

Et, *Caſus Caſſandra canebat.* Et quarto,

Multa viri virtus. Et, *Fama malum.* Et, *Adverſo ſole.*

Et in ſexto, *Auri per ramos aura refulſit.* Simile hoc:

Quem Venus injecta vindicat alma manu.

Denique nec Tullius ipſe hæc refugit. Ut pro Cælio, *unquam quamquam.* Sed hoc minutum. Luculentius illud epiſtolâ ad Brutum: *Res mihi inviſæ viſæ ſunt, Brute.* Quod Ciceroni excidiſſe, ait Fabius *. Mihi ſecus videtur. Nec enim dubito, quin placuerit id Tullio ob παρονομασίαν, vel ὀξύμωρον. Fabii judicium ſecutus eſt Eraſmus: quem eo nomine valde exagitat Cæſar Scaliger, oratione illâ, quam adverſus eum doctiùs, quàm modeſtiùs, magiſque ad oſtentationem, & famæ aucupium, ex magnitudine adverſarii, quàm veritatis ſtudio, ſcripſit. Sed hanc culpam heros ille poſtmodo, pœnitudine ductus, quodammodo eluit divino epigrammate, quo Eraſmum uſque adeò extulit. Etiam Tullii eſt in Catone majore: *Senſim ſine ſenſu ætas ſeneſcit.* Quod cùm obſervâſſet P. Victorius, tanti putavit, ut integrum de eo caput contexeret in Variis ſuis †. Qui alibi ‡ etiam, eodem opere, Ciceronem captâſſe ejuſmodi ἀνάκλασιν, probat ex eo, quòd orat. pro Milone dicat, *Vi victa vis.* Et poſt multa: *Non unius viri vires atque opes indicantur.* Nec non: *Sin minùs fortiſſimi viri virtus gratiſſima civibus cecidiſſet.* Quibus geminum eſt illud e Marone ⸸ antea dictum, *Multa viri virtus.* Ejuſdem Ciceronis eſt:

** Lib. 9. cap. 4.*
† Lib. 36. cap. 20.
‡ Lib. 27. V. L. cap. 11.
⸸ 4. Æn.

O fortunatam natam me conſule Romam!

Quod & ipſum excidiſſe Tullio, Fabii judicium eſt. Imò ridet etiam Juvenalis ſat. x.

O fortunatam, natam me conſule Romam!
Antoni gladios potuit contemnere, ſi ſic
Omnia dixiſſet, ridenda poëmata malo,
Quàm te, conſpicuæ divina Philippica famæ,
Volveris à primâ quæ proxima.

Equidem non ignoro, viros eſſe eruditos, qui riſum Ciceronem putent, non ob περιήχησιν, ſed quia ſe tantopere jactaret; quæ res odioſa eſſe apud omnes ſolet. Sed aliud voluiſſe Juvenalem, arguit, quòd ſolùm poëmata ejus rideat: uti & Martialis * facit, qui Gaurum commune hoc ait habere cum Cicerone,

** Lib. 2. epigr. 89.*

Carmina quòd ſcribat Muſis & Apolline nullo.

Nempe hic ſtatuere κακέμφατον, ut facit vetus Juvenalis ſcholiaſtes*: ſive, ut alii vocare malunt, κακέφατον, ſeu κακόφατον. Verùm hi κακέμφατον etiam ſtatuunt non in illo Tullii modò, ſed etiam multis Maronis locis. In quo, judicio noſtro, οὐδὲν κακὸν †, eoque & κακόφαλον nullum. Veteres enim in deliciis habuere, quæ poſterioris ſeculi aures tantopere ſunt averſatæ. Quod Servius agnoſcit in illud Maronis ‡, *Caſus Caſſandra canebat.* Monet enim, hanc compoſitionem ſuâ quidem ætate habitam eſſe vitioſam; at eam majoribus placuiſſe. Quare hujus generis præcepta debent quidem eſſe perpetuò, cùm non temere ſint negligenda, nunquam certè abroganda: attamen non debent eſſe perpetua, quia nec ſuperſtitioſè nimis ſunt obſervanda. Siquidem ut jam vidimus, interdum cum optimis quibuſque ſcriptoribus, dicere nobis liceat illud Poëtæ veteris ‖; *Audio, haut auſculto.*

** In ſat. 10.* *† Nihil mali.* *‡ 2. Æn.* *‖ Apud Varronem lib. 5. de L. L.*

Ad juncturam quoque refer, quòd non temere condenſanda ſint monoſyllaba, quia minuta iis ac conciſa redditur oratio: ut; *Cum hoc ſis in me animo, non jam* &c. Par penè diſſyllaborum ratio eſt: ut in illo Ciceronis lib. II. de Legg. *Ego verò tibi iſtam juſtam cauſſam puto, cur hoc* &c. E contrario, ſi longa vocabula continuentur, fit ſermo tumidus: ut *, *Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ.*

** Horat. lib. 1. ſat. 2.*

V. De altera compositionis cura, quæ in ordine consistit.

Ad compoſitionem communem ſuperiùs ordinem quoque referebamus. Peccatur contra hunc, ſi gravioribus ſubjiciamus humiliora, quia gliſcere augerique debet oratio. E.g. Venuſtè Tullius †; *Tu illis faucibus, iſtis lateribus, iſtâ gladiatoriâ totius corporis firmitate.* At ſi cœpiſſet Orator à toto corpore, non bene ad latera fauceſque deſcendiſſet. Sic longè elegantiſſima compoſitio eſt in illo ejuſdem ‡; *Ut tibi neceſſe eſſet in conſpectu Pop. Rom. vomere poſtridie.* Ubi totius ductus veluti mucro eſt, quod nec poſtridie cibum tenere potuerit. Sed hoc Quinctiliani * præceptum, ut in amplificationibus veriſſimum eſt, ita locum nullum habet in extenuationibus. Nam cùm contraria ſit contrariorum ratio: decreſcere in his, non creſcere debet oratio. Ut pro L. Muræna: *Sic à me defenditur, ut ejus nulla perfidia, nulla crudelitas, nullum petulans dictum, in vita proferatur.* Quanquam, ſi animum potiùs dicentis, quàm res ipſas, ſpectemus, hîc etiam creſcit oratio.

† Philipp. 2. *‡ Ibidem.* ** Lib. 8. cap. 4.*

Illud quoque ad ordinem pertinet, ut quod vel dignius eſt, vel naturâ prius communiuſque, id ei præponamus quod indignius eſt, vel naturâ poſterius & anguſtius. Itaque, ut idem Fabius † monet, viros ac feminas, diem ac noctem, ortum & occaſum, in prorsâ oratione potiùs dicemus, quàm retrorſum. Cauſſa iſtius eſt à rebus, quarum verba ſunt σύμβολα*.

† Ibidem. ** Notæ ac ſigna.*

Interdum tamen, quod magis eſt commune, latiuſque patet, id ſubſequi poſſe, vel unus Livius docebit: cujus hoc lib. I. *In ore Tiberis Hoſtia urbs condita.* Vides, ut non *urbs Hoſtia*; ſed *Hoſtia urbs*, dicatur. Sic lib. XXI. ſeu primo belli Punici: *Profectus ad Trebiam flumen collega conjungitur.* Et lib. XXXV. *Ad Tagum amnem ire pergit.* Et lib. XLII. *Sycurium eſt ſub radicibus Oſſæ montis.* Similiter Cæſar lib. III. de bello Gallico: *Qui proximi Rheno flumini ſunt.* Quin eâdem periodo communius nunc præponit, nunc poſtponit. Nam lib. I. bell. Gall. *Initium*, inquit, *capit à flumine Rhodano, continetur que Garumnâ flumine.*

Ad ordinem quoque refert Fabius †, quòd *fratres gemini* dicimus, non *gemini fratres*. *Quædam*, inquit, *ordine permutato fiunt ſupervacua, ut fratres gemini: nam ſi præceſſeris gemini, fratres addere non eſt neceſſe.* Dixit certè Horatius ‡ quoque.

Gratia ſic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi, diſſiluit.

† Lib 9. cap. 2. *‡ Lib. 1. ep. 18.*

Poſſunt tamen & fratres eſſe, qui non ſunt gemini, & gemini eſſe poſſunt, qui fratres non ſunt; ut rectè ait Scaliger lib. II. de cauſſ. L. L. cap. CXVII. Adde quòd Livius lib. I. dixerit *gemini fratres, & tergemini fratres.* Imò Cicero quoque lib. II. de Divinat. *Procles*, inquit, *& Euryſthenes, Lacedæmoniorum reges, gemini fratres fuerunt.* Et ante utrumque Plautus Perſâ*:

Geminum autem fratrem ſervire audivi hîc meum.

** Act. 4. ſc. Probati hic argenti.*

Porrò interdum quoque poëtæ rerum ordinem invertunt. Grammatici vocant ὕστερον πρότερον, vel unicâ voce ὑστερoπρότερον: quomodo in Servio Danielis editum eſt in iſtud Maronis II. Æn.

—— Moriamur, & in media arma ruamus.

Idem fieri agnoſcit Servius in illo I. Georg.

Area cum primis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu, & cretâ ſolidanda tenaci.

Hæc, inquit, *per* ὕστερον πρότερον *poſuit. Prius enim eſt, ut manu terra vertatur: deinde ſolidetur glarea: poſtremò æquetur cylindro.* Ac ſimiliter Donatus †. Aliqui itidem ὑστερολογίαν ſtatuunt in illo ejuſdem libri:

† Libello de tropis.

Nunc torrete igni fruges: nunc frangite ſaxo.

Ubi ſic Servius: *Multi* ὑστερολογίαν *putant, quia ante eſt molere, quàm coquere. Alii non accipiunt* ὑστερολογίαν: *ſed modò hoc, modò illud facito.* Atqui *torrere igni* hîc non *coquere* ſignat, quod Servius putavit: ſed *ſiccare*. Far autem primò molitur, ac tum *farina* nomen accipit. Hinc torretur, ac, ſi hordeacea ſit, dicitur polenta. Exinde aquâ adſpergitur; quod Græcis πηλύνειν, & φυρᾶν. Poſtea ſubigitur, quod eſt μάττειν, unde μάζης nomen. Poſtremò autem coquitur. Aptius exemplum eſt illud eodem libro:

Nec fruſtra ſignorum obitus ſpeculamur, & ortus.

Uti & hoc Ovidii ‖:

Lapſaque ſub terras, ortaque ſigna, canam.

‖ Lib. 1. Faſt.

Verum ordinem ponit Catullus carm. de coma Beronices:

Qui ſtellarum ortus comperit, atque obitus.

Etiam Maronis eſt tertio Georg.

—— Lucinam, juſtoſque pati Hymenæos.

Nam nuptiæ ac coïtus antecedunt partum, qui per Lucinam intelligitur μετωνυμικῶς. Idem tertio Æn.

Poſtquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit.

Nec apud poëtas tantùm, ſed alios quoque ſcriptores, rerum ordo invertitur. Tacitus in primo Annalium: *Poſt Antonium, Tarentino Brunduſinoque fœdere, & nuptiis ſororis, illectum.* Nam Brunduſinum fœdus aliquot annis prius fuit Tarentino; ut ad eum Taciti locum Juſtus Lipſius oſtendit. Et hæc de compoſitione ſcriptorum omnium communi.

Cap. III.

DE PERIODO.

Compoſitio oratoria tum periodos reſpicit, tum numerum.

Periodus eſt oratio habens ex ſe principium, ac finem, & pulcram ac conſpicuam magnitudinem.

Hæc minimùm eſt unius coli, ſed habentis reflexionem. Ea ſi abſit, non periodus, ſed colon, aut comma appellatur.

Differunt colon, & comma, magnitudine. Nam quod intra octavam ſyllabam ſe continet, comma dicitur: cola verò extendi poſſunt uſque ad magnitudinem verſus heroici.

At ſummùm periodus eſt quatuor colorum. Is numerus ſi excedatur, attamen in orbem cogatur oratio, Περιοδικὸν *vocatur: ſin ſententiam colis & commatibus dimenſam perficiat,* Πνεῦμα, *vel* Τάσις *dicitur:* Πνεῦμα *quidem, cùm commatis coliſque progredimur, quamdiu ſpiritus ac latera perferunt:* Τάσις *autem, cùm ulterius etiam procedimus, quàm ſpiritus ferre poſſit.*

Dicimus inciſim, ac membratim, in narrationibus dolorem

lorem concitantibus, vel cùm acriter probamus, aut refellimus, & aliàs in affectibus.

Periodos maximè uſurpamus in genere Demonſtrativo. In Deliberativo autem, ac Juridiciali, parciùs adhibemus; niſi quod crebriores ſint in proœmiis magnarum cauſſarum, in narrationibus ad delectandum inſtitutis, in locis communibus, item in amplificationibus, & epilogis.

Πνεῦμα, & Τάσις, *conveniunt proœmiis gravium cauſſarum. Tranſitur quoque ad hoc genus in mediâ oratione; quò, tot modis variatâ compoſitione, vitetur faſtidium.*

I. De compoſitione oratoria generatim: deque vocabulis commatis, coli, periodi, circuitus, et ambitus.

COmpoſitio oratoria conſiderat, tum brevitatem, ac longitudinem partium orationis; quæ pars συνθήκη Græcis vocatur: tùm ordinem, & qualitatem in ſonis; quæ pars σύνθεσις dicitur. Συνθήκη igitur verſatur circa periodos: σύνθεσις circa numeros. Ac naturæ quidem ordo poſtulat, ut prius agamus de periodis, quibus accidit numerus.

Alio autem fine tractabimus de periodis, colis, commatis, quàm ſolent Grammaticorum filii. Hi non aliâ de cauſsâ ea conſiderant, quàm ut monſtretur ratio bene interpungendi. At Rhetores, quia orationem ea reddunt ſuavem, ac perſpicuam. Quin aliter multo iis vocibus utuntur Rhetores vetuſti, quàm à Grammaticis definiuntur. His comma eſt ſententia imperfecta: ſive pars periodi compoſita ſine verbo. Colon iiſdem eſt ſententia perfecta, ſed relata: ſive eſt pars periodi ſuo fulta verbo. Itaque non ſibi, ſed periodo ſententiam perficit. Item periodus illis eſt oratio ſibi perficiens ſententiam; ſive eſt ſententia aliquid perfectè abſoluteque ſigificans. Rhetores verò, quod Grammatici nuncupant periodum, ſæpe non periodum, ſed nunc colon, nunc etiam comma eſſe dicunt. Quare definiendum, quid hoc loco ſit periodus, aut colon; quomodo item Rhetores antiqui colon à commate diſtinguant. Ac primò definiam periodum licet cola commataque (quorum illa Ariſtoteli μέλη, hæc Julio Scaligero μέρη dicuntur) ſimpliciora ſint. Nam ferè in minutis diſciplinarum partibus ordo eſt arbitrarius. Accedit, quòd è definitione periodi ab Ariſtotele adſignatâ illa lucem accipiant, quæ de commatis coliſque poſteriores Rhetores tradiderunt.

Ut igitur ab ipſo nomine incipiamus: quod Græcis περίοδος, id Latinis eſt *ambitus*, *circuitus*, *comprehenſio*, *continuatio*, aut *circumſcriptio*. Neque enim fides habenda eſt Georgio Trapezuntio, qui comprehenſioni, tanquam generi, ſubjicit circuitum, & ambitum, ceu ſpecies diſtinctas. Profectò juſtam laudem non ibo illi viro ereptum. Attamen nec tanta ejus eſt apud me auctoritas, ut ejus ſententia apud me ſit Minervæ quidam calculus. Minimè profectò conferri meruit cum Theodoro Gazâ, cui eum æquiparavit Angelus Politianus*. (* *Miſcell. cap. 90.*) Itaque jure politiſſimi ingenii virum hoc nomine reprehendit Parrhaſius in epiſtolis. Scio, quantopere Gazæ inſultârit Petrus Alcyonius, qui interpretationem Theodori non Trapezuntianæ modo poſtponebat, ſed etiam ſuæ, ut homo in mediocri doctrinâ planè erat αὐθάδης †. († *Sibi placens.*) Mihi verò judicium placet Pomponii Læti, qui rogatus ab ornatiſſimo Equite, M. Antonio Mauroceno, quem ſui ævi doctiſſimum putaret, Theodorum Gazam reſpondit ‡ (‡ *Petrus Crinitus lib. 2. Honeſtæ Diſcipl. cap. 13.*) Neque ignoro, Trapezuntium errores aliquot obſervâſſe in Tranſlationibus Gazæ, quos hic monitus correxit, uti & memoriæ prodidit Eraſmus*: (* *Catalogo lucubrationum ſuarum.*) verùm & illud ſcio, longè plura eſſe in Trapezuntianis, quæ Gaza potuerit culpare. Nam & in eo deſiderare potuit fidei plus in transferendis è Græco auctoribus, & majorem linguæ Latinæ peritiam. Sanè quòd comprehenſionem diſpeſcit in ambitum & continuationem, id nec ratione, nec auctoritate cujuſquam, ſubnixum eſt: ſuntque apud eum alia id genus ſexcenta, quæ præterire viſum eſt, ne impingamus in iſthoc Agathonis:

> Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμενοι,
> Τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμενοι.
> *Opus putantes id, quod acceſſorium eſt;*
> *Inque opere verſantes, ut acceſſorio.*

II. Variæ periodi definitiones expenduntur.

DEfinitur periodus variè. Hermogeni* (* *Lib. de de Invent. cap. 3.*) eſt oratio unâ eâdemque verborum circumductione argumentum & concluſionem comprehendens. Ut cui ſolum definiatur περίοδος ἡ ἀπαρτίζουσα τὸ ἐπιχείρημα καὶ συνάγουσα. Duæ igitur ab eo conditiones requiruntur ad periodum: una eſt, quòd oportet ἀπαρτίζειν τὸ ἐπιχείρημα, *perficere argumentationem*: altera eſt, quòd opus eſt συνάγειν, ſive *in unum locum cogere* argumentum & concluſionem. Unde lucem capit hæc definitio apud eundem † († *Ibidem.*) περίοδός ἐστιν ὁ τοῦ ὅλου ἐπιχειρήματος ἀναγκαστικὴ σύνοδος, καὶ κλεὶς τρόπον τινά. h. e. *Periodus eſt totius argumentationis coacta coitio, ac quodammodo clavis.* Nam argumentum cum concluſione ita in orbem cogitur, ut concluſio clavis inſtar argumentationem claudat.

Verùm latiùs aliquanto Ariſtoteles, quem ſequemur periodi nomine utitur: ut qui definiat περίοδον, λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν καθ' αὑτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον· *dictionem, ſive compoſitionem, ſive orationem*, (id enim hic λέξις ſignificat) *quæ ipſa per ſe principium habet, ac finem, & magnitudinem, quæ uno facilè intuitu ſpectari poſſit.* Neque aliter Demetrius, cui periodus eſt σύστημα ἐκ κώλων ἢ κομμάτων πρὸς τὴν διάνοιαν τὴν ὑποκειμένην ἀπηρτισμένον. i. *Compoſitio membrorum volubilium, quæ abſolvuntur accommodatè ad ſententiam ſubjectam atque propoſitam.*

Differunt Ariſtotelica, & Demetriana definitio, à duabus Hermogenicis, quòd hæ periodi materiam faciunt argumenta, eorumque concluſiones; Ariſtoteles autem, eumque ſecutus Demetrius, non tam ſtrictè utantur periodi nomine, quia quamlibet ſententiam ei ſubjiciunt. Et certè optimè Sermo noſter Ariſtoteles. Nam quamvis maximè volubiles ſint illæ periodi, quæ ratione ſunt concluſæ, ita ut καθ' ἐξοχὴν periodi dici mereantur: tamen etiam, cùm aliæ ſunt ſententiæ, oratio quaſi in orbem volvitur, atque ad principium redit.

Ἀρχὴν ‡ (‡ *Principium.*) verò, ut Trapezuntius, Sturmius, Erythræus, aliique exiſtimarunt, id Ariſtoteles appellat, quod Hermogenes, ac poſteriores Rhetores, dixere πρότασιν * (* *Propoſitionem.*) τελευτὴν † († *Finem.*) nominat, quod iidem vocarunt ἀπόδοσιν ‡ (‡ *Redditionem.*), & Demetrius appellat καμπὴν ἢ συστροφὴν*. (* *Flexionem & converſionem.*) Verùm, ſi curatiùs mentem Ariſtotelis intueamur, cognoſcemus: duobus eum χαρακτηρίοις † († *Notis.*) in hâc definitione ſeparare periodum ab εἰρομένῃ, ſive connexâ dictione. Nam, ut ante nos doctiſſimus P. Victorius obſervavit primò requirit Ariſtoteles, ut habeat periodus principium ac finem ex ſeſe, non autem aliunde importatum. Differunt enim periodus, & oratio illa, quæ ſerie quadam continuationeque illigatur; quòd hæc nullum habeat finem, niſi res, quæ narratur, ad finem perducta ſit; at periodus proprio & à reliquâ ſententiâ diverſo fine concludatur. Altera nota, quâ Ariſtoteles periodum ab εἰρομένῃ dictione diſtinguit, eſt iſta, quòd periodus debet eſſe εὐσύνοπτος ‡. (‡ *Talis, ut uno facilè intuitu ſpectetur.*) Nam in periodo ſervatur modus, ne nimis excreſcant membra, atque ita cunctæ partes uno intuitu conſpici nequeant: at dictio continua ſive pendens longo tractu fertur, uſque dum, finitis rebus, & ipſa finem oſtendat.

III. De coli ac commatis natura.

ILlud verò extra omnem controverſiam eſt, in quavis periodo, tum πρότασιν, tum ἀπόδοσιν, ſive καμπὴν

καὶ συστροφὴν requiri. Atque hinc cognoſcimus, μέτρον ἄριστον, γνῶθι σεαυτὸν*, ac ſimiles ſententias, non ideo Rhetori pro periodis habendas eſſe, quia ſibi perficiant ſententiam. Neque enim habent diviſionem, ac reflexionem. Eſt quidem περίοδος quædam μονόκωλος †, quam ἀφελῆ ‡ vocat Ariſtoteles. Sed cùm duo ſint κώλων* genera; unum quidem ſimplex planè, velut†, *Trahit ſua quemque voluptas:* alterum flexum habens, ut ‡, *Fortunate ſenex, ergo tua rura manebunt:* poſterius ſolùm colωn genus conſtituere poteſt περίοδον ἀφελῆ. At prius illud, utut perfectè abſolutéque aliquid ſignificet, non tamen pluſquam κῶλον cenſeri debet. Membra certè hæc ſunt Ciceroni ‡: *Nonæ ſunt hodie Sextiles: horâ nonâ convenire cœpiſtis: hunc diem jam ne numerant quidem: decem dies ſunt ante ludos votivos: hos Cn. Pompejus facturus eſt: hi ludi dies quindecim auferent: deinde continuò Romani conſequentur.* Imò perfecta abſolutaque ſententia κόμμα quoque eſſe poteſt. Cicero enim hæc quatuor ex oratione ſua commata appellat*: *Domus tibi deerat? At habebas. Pecunia ſuperabat? At egebas.* Nempe, ut Demetrius & Hermogenes docent, colon, & comma, ſolâ differunt magnitudine. Nam quod intra ſeptimam, vel, ut alii malunt, octavam ſe ſyllabam continet, id comma eſt. At quod octo ſyllabarum numerum excedit, eſt colon. Poteſt autem & ſeptendecim eſſe ſyllabarum, inſtar verſus Heroici: ut, *Quorum ego de ſententiâ non debeo diſputare.* Quod verò hunc modum excedit, id κῶλον oblongum nominatur: Hermogeni dicitur σχοινοτενές· q.d. in modum funis protenſum. Iſtiuſmodi eſt iſtud: *Jam verò virtuti Cn. Pompeji quæ poteſt oratio par inveneri?*

** Modus optimus, noſce teipſum. † Unius membri. ‡ Simplicem. * Membrorum. † Ecl. 2. ‡ Ecl. 1. ‡ Ex act. 1. in Verr. * In oratore ad Brutum.*

Verùm qui hanc de commatis coliſque doctrinam oppugnant, (quos inter Julius Scaliger †) negant, in iis longitudinis, aut brevitatis, habendam eſſe rationem. Certè in animantium corpore κῶλον (non jam eo nomine ſolum pedem intelligo, ut exponit Euſtathius, vel τὸ ἐκ μηρῦ καὶ κνήμης ‡, ut explicat Pollux: ſed quamvis è vivi animantis trunco extantem partem, atque, ut ita dicam, ramum, qui in victimis mactatis κωλῆ, κωλεός, vel κωλεὰ dicitur) κῶλον, inquam, non tantùm per aliud, h. e. ut pars, ſed per ſe ac proprio quoque motu moveri poteſt: quomodo brachium & moveri poteſt communi corporis motu, ipſum interim per ſe quieſcens; & è contrario, proprio moveri motu, reliquo corpore quieſcente. Itaque volunt, in oratione quoque κῶλον vocari partem periodi habentem verbum, cujus beneficio moveri poſſit. Verùm non eſſe proprium κώλων moveri per ſe, ſatis cognovimus ex iis, quæ de periodis, ac commatis, dicta ſunt. Neque eſt, quòd κώλυ vocem urgeant, cùm comma quoque auctori ad Herennium dicatur *articulus*, velut parvus artus, ſive membrum. At ſciunt, articulum in nobis per ſe quoque moveri. Quare jure mihi videtur Ariſtoteles nullam injeciſſe commatis mentionem; quòd nempe nobiſcum exiſtimaret, non aliter hoc differre à colo, quàm à Thrace Pygmæum.

† Lib. 4 de re Poetica c. 25. ‡ Quod femore tibiaque conſtat.

Interim illud non ignorandum, ſæpe & commata colorum, & colo commatum magnitudinem habere. Ita Hermogenes* Demoſthenicum illud pro commate agnoſcit, Ἐν δὲ Ἐρετρίᾳ Κλειτάρχον: quod tamen novem ſyllabarum eſt. vel ſi octo hoc ſyllabarum eſt ob apoſtrophon, ut ſit, Ἐν δ' Ἐρετρίᾳ: at novem ſyllabarum illud, quòd eidem comma eſt, Καὶ καταλαμβάνων Ὠρεόν. Fit hoc, tum quia Orator non ita eſt ſervili ingenio, ut dicendi libertas numero ſyllabarum tantopere ſit adſtringenda: tum etiam quia Oratoris eſt, non ſolum ſyllabarum attendere numerum, ſed etiam naturam, ac quantitatem; unde & multi commata colaque definiunt non ſyllabarum numero, ſed temporum. Docent itaque Rhetores, ſi quod longiùs comma pluribus interſeratur colis, & ipſum pro colo habendum eſſe: itidem breviora cola, ſi inciſim dicamus, haberi pro inciſis.

** Lib. 4 de Invent. cap. 4. quod de ſpiritu oratorio.*

IV. Quomodo differant oratio ΕἸΡΟΜΈΝΗ, ſive tracta, et ΚΑΤΕΣΤΡΑΜΜΈΝΗ, ſeu contorta.

PОrro ex commatis ac colis duplex exſtruitur oratio, εἰρομένη, ſive *jugis* ac *pendens*, & κατεστραμμένη ſive *verſa:* illa Ciceroni *tracta*, hæc *contorta* appellatur: ut oſtendit Turnebus commentario in primum Ciceronis de Legg. Κατεστραμμένη dicitur ἡ ἐν ταῖς περιόδοις, *quæ in periodis cernitur.* Εἰρομένη, ut Ariſtoteles ait, ἐδὲν ἔχει τέλος καθ' αὑτὴν, ἂν μὴ τὸ πρᾶγμα λεγόμενον πληρωθῇ, *nullum habet finem per ſe, niſi res, quæ dicitur, terminetur.* Eſtque, ut idem ait, ζυνδεσμῷ μία, ὥσπερ αἱ ἐν τοῖς διθυράμβοις ἀναβολαί· *vinculo una eſt, ut præludia in Dithyrambis.* Nomen ἀπὸ τοῦ εἴρειν, τοῦτ' ἐστι, ζυνάπτειν*. Atque hinc liquet, rectè in Pythæanâ editione apud Aquilam Romanum legi, εἰρομένην λέξιν: quamvis ἐπιμονον emendent. Movet me, quòd non modò ita ab Ariſtotele videam dictionem perpetuam appellari: ſed & in Baſileenſi, omnium antiquiſſimâ, quàm B. Rhenano debemus, ſit ῥωμένην λέξιν: & in Aldinâ itidem, quæ biennio pòſt in lucem prodiit, legere ſit *romenen lexin*; duabus primis literis utrobique truncatis. Quin apud Martianum Capellam, quo loco de duplici elocutione tractat, pro ἐπίμονον λέξιν, quod etiam in Baſileenſi eſt, εἰρομένην fortaſſe reponi debet.

** Conjungere, ac connectere.*

Differunt autem εἰρομένη, & κατεστραμμένη λέξις, quòd in illâ naturæ ductu varia commata colaque connectantur, ſine artificio, quo fiat jugis ac perpetua oratio: fuitque iſtiuſmodi Herodoti, & aliorum veterum compoſitio: in hâc verò oratio arte oratoris tanquam in orbe incluſa feratur, quoad conſiſtat in ſingulis perfectis abſolutiſque ſententiis. Κατεστραμμένη quoque tum jucunda eſt, quoniam finem habet, quem omnes deſiderant; tum facilè memoriâ retinetur ob numerum, quo periodum metimur: at εἰρομένη injucundior eſt, quia eſt ἀόριστος & ἀπέραντος, *infinita ac moderato termino carens.* Neque enim antè deſinit, quàm rebus ipſis finem impoſuerit: nec facilè retinetur memoriâ, quia caret numero; quo memoriam juvari, vel illud oſtendit, quòd carmina citiùs ac firmiùs ediſcimus, quàm orationem proſam.

V. De variis periodorum generibus.

SEd quandoquidem diximus, orationem κατεστραμμένην, ſeu *verſam*, in periodis conſiſtere: ad ejus naturam declarandam, de periodi ſpeciebus dicendum eſt.

Periodos eſt vel ἀφελής, h. e. ἁπλῆ, ſive *ſimplex*; vel πολύκωλος, ſive *compoſita*, quæ Ariſtoteli eſt ἡ ἐν τοῖς κώλοις περίοδος. Simplex eſt, quæ unius eſt membri; unde & μονόκωλον appellarunt, q. d. *unimembrem:* non quaſi poſſit unum idemque & totum eſſe, & membrum, ratione ejuſdem: ſed quia, quod ratione ſui non niſi totum eſt, id ratione alterius, periodi dico πολυκώλυ, membrum ſit, non re ipſa, (eſt enim ἀφελὴς †) ſed δυνάμει ‡. Oratio quidem iſtiuſmodi extra periodum κῶλον eſt, ſed ὁμωνύμως; quomodo Ariſtoteles dicit, caput ac manus, quæ noſtri corporis ſunt membra, nomen idem obtinere, cùm jam ſeparata ſunt avulſaque à corpore. Περίοδος eſt ἀφελὴς*; *Gratiâ tantum poſſumus, quantum victi.* Habet enim καμπὴν †. At illa non eſt περίοδος, ſed κῶλον; *Gratiâ nihil poſſumus.*

Periodus πολύκωλος ‡ eſt vel δίκωλος * vel τρίκωλος †, vel τετράκωλος ‡. Δίκωλος, ſive bimembris, πρότασιν * habet unius membri, & ἀπόδοσιν † alterius membri. Hæc vel ἰσόκωλος eſt, vel μακρόκωλος, vel βραχύκωλος, ſive μείουρος. Ἰσόκωλος eſt, cum membra ſunt paria, vel certè eſſe videntur: ut cùm numerus ſyllabarum in uno colo compenſatur tempore ſive quantitate earundem in altero. Μακρόκωλος eſt, in quâ finis longior eſt. Βραχύκωλος eſt, quæ finem habet breviorem.

*† Simplex. ‡ Poteſtate. * Simplex. † Reflexionem. ‡ Compoſitæ. * Bimembris. † Trimembris. ‡ Quadrimembris. * Propoſitionem. † Redditionem.*

Ἰσό-

Ἰσόκωλος eſt; *Omnis vitæ ratio in virtute ponenda eſt, quando præter eam vana fluxaque ſunt omnia.* Tum πρότασις, tum ἀπόδοσις, ſyllabarum eſt XV. Μακρόκωλος eſt; *Ille paludes ſiccare voluit: hic totam Italiam moderato homini dividendam dedit.* Πρότασις eſt ſyllabarum XI. Ἀπόδοσις ſyllabarum eſt XX. Βραχύκωλος eſt; *Non enim eſt ulla defenſio contra vim unquam optanda: ſed nonnunquam eſt neceſſaria.* Πρότασις ſyllabarum eſt XVIII. Ἀπόδοσις verò X.

Περίοδος τρίκωλος, ſive *trimembris*, vel habet πρότασιν duorum membrorum, ἀπόδοσιν unius; vel contrà πρότασιν habet unius membri, ἀπόδοσιν duorum. Prioris modi exemplum eſt in illo pro Milone; *Poſtremò, niſi eum Dii immortales in eam mentem impuliſſent, ut homo effeminatus fortiſſimum virum conaretur occidere, hodie remp. nullam haberetis.* Poſterioris exemplum eſt in hoc pro Quinctio; *Quæ res in civitate duæ plurimum poſſunt, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia.*

Dividitur quoque τρίκωλος in ἰσόπλευρον, cùm membra omnia ſunt paria; ἰσοσκελῆ, quæ duo habet paria, unum verò impar, ſive id primum ſit, ſive medium, ſive poſtremum; & ἄνισον, quæ omnia habet imparia. Ἰσόπλευρος eſt apud Ciceronem de Senectute; *Mihi quidem ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut non modò omnes abſterſerit ſenectutis moleſtias, ſed effecerit mollem & jucundam ſenectutem.* Ἰσοσκελὴς eſt in illo pro Archiâ; *Quæ verò accuratè cogitateque ſcripſiſſet, ea ſic vidi probari, ut ad veterum ſcriptorum laudem pervenirent.* Nam primum, & poſtremum membrum, pro paribus habentur; medium impar eſt. Ἄνισος eſt in hoc pro Milone; *Quæ ſi oppoſita Miloni putarem, cederem tempori, Judices; nec inter tantam vim armorum exiſtimarem oratori locum eſſe.* Primum colum ſyllabarum eſt duodecim; alterum novem; tertium, quod ἐπισύναψις, ſive adjunctio periodi eſt, ſyllabarum eſt duarum & viginti.

Periodus τετράκωλος vel πρότασιν habet unius membri, ἀπόδοσιν trium, vel πρότασιν trium, ἀπόδοσιν unius membri: vel πρότασιν duorum, & ἀπόδοσιν totidem membrorum. Primi modi exemplum eſt iſtud in Divinatione Verrinâ; *Quare cùm incertum ſit de injuriâ, quemquam eſſe putas, qui non malit te ſine vituperatione, quàm cum ſcelere diſcedere?* Poſterioris eſt exemplum in Cluentianâ; *Eâdem hâc Dineâ teſtamentum faciente, cùm tabulas prehendiſſet Oppianicus, qui gener ejus fuiſſet, legata delevit.* Sed longè omnium elegantiſſima eſt illa τετράκωλος, quæ æqualem habet πρότασιν, & ἀπόδοσιν: ut pro Cæcinnâ; *Si quantum in agro locisque deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret: non minus in cauſsâ cedere A. Cæcinna Sex. Ebutii impudentiæ, quàm tum in vi faciendâ ceſſit audaciæ.* Sic pro Quinctio; *Eloquentia Q. Hortenſii ne me in dicendo impediat, nonnihil commoveor: gratia Sex. Nævii ne P. Quinctio noceat, id verò non mediocriter pertimeſco.*

* L. 4. de Invent. cap. de periodo. Iſtiuſmodi periodos vocat Hermogenes * χιαζομένας, q. d. decuſſatas, quemadmodum fit in litera χ. Nam ab ejus literæ formâ veniunt χιάζειν, χιασμὸς, χιαστὶ: ut apud Proclum in Euclidem, χιαστὶ κείμεναι εὐθεῖαι †.

† Lineæ rectæ decuſſatim poſitæ.

VI. De tribus orationis generibus, quæ ΠΕΡΙΟΔΙΚΟ'Ν, ΠΝΕΥ'ΜΑ, et ΤΑ'ΣΙΝ dixere.

‡ Numerum quatuor membrorum.

QUòd ſi oratio ultra τετρακωλίαν ‡ extrahatur, non *periodus* dicetur, (quam Græci concluſerunt intra numerum quatuor membrorum) ſed vel *oratio periodica* appellabitur, vel πνεῦμα, ſive *ſpiritus*, vel τάσις, ſive *extenſio*.

Ac περιοδικὴ quidem vocatur, ſi ita aptè membra ejus connectantur, ut manifeſta ſit ἀπόδοσις, ſive καμπή. Nam & Hermogenes, quamvis putat, nullam propriè περίοδον eſſe, niſi quæ argumentationem perficiat, ac concludat: ſcribit tamen, alii quoque compoſitioni poſſe formam periodi adhiberi, quia aliud ſit περιόδοις uti, aliud dicere περιοδικῶς.

Sin redditio non ſit, fuerit πνεῦμα, vel τάσις: quæ & ipſa plurimùm differunt. Nam πνεῦμα quidem, ſeu *productio ſpiritus*, ut appellat Trapezuntius *, tum dicitur, cùm compoſitione ſententiam perficiente, ac commatis coliſque inter ſe connexis, progredimur, quamdiu ſpiritus ac latera præferunt. Id ſignificavit Hermogenes †, cùm hoc modo definit: Πνεῦμα σύνθεσις ἐστὶ λόγου, διάνοιαν ἀπαρτίζον ἐν κώλοις καὶ κόμμασι μετρούμενον, πρὸς τὴν ἀναπνοὴν τοῦ πνεύματος, κατὰ τὴν φωνὴν τοῦ λέγοντος· h. e. *Oratorii ſpiritus productio eſt compoſitio orationis, abſolvens ſententiam membris atque inciſis dimenſam, ad moderationem ſpiritus, & vocis in oratore ſonum.* Τάσις verò, ſeu *continuatio* atque *intentio*, nominatur, cùm etiam ulteriùs protenditur, quàm ſpiritus ferre poſſit. Fient hæc omnia exemplis manifeſtiora.

* Lib. 3.

† Lib. 4. περὶ εὑρέσ.

Περιβολὴν περιοδικὴν, ſive περίοδον περιβολικὴν, quæ & ſimpliciter περιοδικὸν vocatur, habes in primâ periochâ orationis Milonianæ. Ea hujuſcemodi eſt: *Etſi vereor, Judices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem, timere; minimeque deceat, cùm T. Annius Milo ipſe magis de Reip. ſalute, quam de ſuâ, perturbetur, me ad ejus cauſſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe: tamen hæc novi judicii nova forma terret oculos; qui, quocunque inciderint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum, minimè vident.* Oratio hæc neque periodus eſt, quia plus eſt, quàm quatuor colorum; neque eſt ſpiritus oratorius, cùm habeat propoſitionem, ac redditionem, ut indicio ſunt particulæ *etſi*, & *tamen*: verùm eſt περιβολὴ περιοδικὴ, quæ intermediam, inter periodum & pneuma, naturam obtinet.

Πνεῦμα ſive *ſpiritus* oratorius, eſt in hiſce verbis orat. pro L. Maniliâ: *Dico, ejus* (Luculli) *adventu maximas Mithridatis copias, omnibus rebus ornatas atque inſtructas, eſſe deletas, urbemque Aſiæ clariſſimam nobiſque amiciſſimam Cyzicenorum, obſeſſam ab ipſo Rege maximâ multitudine, & oppugnatam vehementiſſimè, L. Luculli virtute, aſſiduitate, conſilio, ſummis obſidionis periculis liberatam: ab eodem imperatore claſſem magnam & ornatam, quæ ducibus Sertorianis ad Italiam ſtudio inflammato raperetur, ſuperatam eſſe atque depreſſam: magnas hoſtium præterea copias multis prœliis eſſe deletas, pateſactumque noſtris legionibus eſſe Pontum, qui antè populo Rom. ex omni aditu clauſus eſſet: Sinopem atque Amiſum, quibus in oppidis erant domicilia regis omnibus rebus ornata atque referta, cæteraſque urbes Ponti & Cappadociæ permultas, uno aditu atque adventu eſſe captas: Regem, ſpoliatum regno patrio atque avito, ad alios ſe Reges, atque alias gentes, ſupplicem contuliſſe: atque hæc omnia ſalvis populi Romani ſociis, atque integris vectigalibus, eſſe geſta.* Oratio hæc nec περίοδος eſt, nec περιοδικὴ, cùm careat καμπῇ: verùm eſt πνευματικὴ, quia in eâ inciſa ac membra, certis vinculis nexa, ſine verborum ſententiarumque orbe, ſententiam perficiunt, & uno quaſi ſpiritu ab oratore pronunciantur.

Τάσεως, ſive tenſionis exemplum illuſtre habemus in peroratione lib. V. actionum in Verrem, quem vulgò ſeptimam Verrinam appellant. Incipit id ab illis verbis: *Nunc te, Jupiter Opt. Maxime, cujus iſte domum, &c.* Extenditur autem uſque ad illa verba: *Vos etiam atque etiam imploro, & appello, ſanctiſſimæ deæ, quæ illos Ennenſes lacus &c.* Locum non appono, quia & vulgo notus, & longior eſt, quàm ut integer à nobis adſcribi debeat. Sanè duplo excedit magnitudinem pneumatos, quod paullo antè adſerebamus: eſtque nihil aliud, quàm pneuma longiſſimè extentum; ut Hermogenes indicat, cùm ſcribit: τοῦτο γάρ ἐστιν ἡ τάσις, τὸ ἀποτείνεσθαι ἐπὶ μακρότερον, ἢ χρὴ, τὸ πνεῦμα· *id enim tâſis, ſive intentio vocatur, cùm ſpiritus longiùs extenditur, quàm oportet.*

Porrò hic quæſtio oritur de juſtâ magnitudine tum περιοδικοῦ, tum πνευματικοῦ. Nonnulli ſcribunt, quemadmo-

admodum periodus minima eſt μονόκωλος, perfectiſſima τετράκωλος, ita τὸ περιοδικὸν, minimùm eſſe πεντάκωλον, at perfectiſſimum ὀκτάκωλον. Verùm quòd ἁπλῶς ab iis dicitur, id tantùm locum habet, cùm commata colaque ſunt longiora. Nam cùm brevia ſunt, περιοδικὸν, etiam δεκάκωλον eſſe poteſt. Iſtiuſmodi enim eſt iſtud Tullii ipſius in oratore ad Brutum:

I. *Nam & negare ei, quem unicè diligerem,*
II. *cuique me chariſſimum eſſe ſentirem,*
III. *præſertim & juſta petenti,*
IV. *& præclara cupienti,*
V. *durum admodum videbatur,*
VI. *& ſuſcipere tantam rem,*
VII. *quantam non modò facultate conſequi difficile eſſet,*
VIII. *ſed etiam cogitatione complecti*
IX. *vix arbitrabar eſſe ejus,*
X. *qui vereretur reprehenſionem doctorum atque prudentium.*

Et πρότασις, & ἀπόδοσις, eſt quinque membrorum; quæ utriuſque æqualitas περιβολὴν hanc περιοδικὴν, præter ὁμοιοκατάληκτα, aliaque in eâ, non parum commendat. Quare, ſi ἀκριβεστέρως* rem expendamus, negandum, magnitudinem geminæ periodi eſſe periodici menſuram; ſed ſtatuendum, τοῦ περιοδικοῦ non eſſe certum membrorum numerum.

* Accuratiùs.

Idem de pneumate judicandum: ut locuples nobis teſtis eſt Hermogenes hiſce verbis: οὔτε γὰρ ἀριθμῷ, οὔτε λέξει, ὑποπίπτει τὸ πνεῦμα, ἀλλὰ τὸ προστυχὸν γίνεται. h. e. *Neque numero, neque habitui, ſive artificioſæ compoſitioni, eſt ſubjectus oratorius ſpiritus; ſed fortuito libereque fertur ac conficitur.*

Quod ſiqui id de pneumate quidem concedant, quia diſertim ab Hermogene tradatur; at de περιοδικῷ improbent quia hâc de re apud Hermogenem ſilentium ſit: ii verè *Quærunt in nodo, ſoliti quod dicere, ſcirpum*†. Nam pneumatis, & periodici, planè par ratio eſt. Quamquam nec multùm repugnavero, ſiquis malit, ut juſta quidem coli magnitudo eſt eadem quæ verſus heroici: veruntamen eſt & quoddam colon σχοινοτενὲς, ſive *oblongum*: ita licet juſta περιοδικοῦ magnitudo videatur eadem quæ geminatæ periodi, eſſe tamen & quandam periodici τάσιν, ac productionem.

† Ennius.

Sunt qui πνεῦμα, & τάσιν, pro eodem accipiant. Rectene, an ſecus, ita ſentiant, cùm ex iis, quæ ſuprà diximus, tum ex quarto Hermogenis de inventione libro, diſcere eſt, ubi utriuſque definitionem adfert.

Idem inibi‡ eo diſtinguit τάσιν, ac καταφορὰν, quòd illa ubique locum habeat; hæc tantùm in accuſatione; ut differant tanquam genus & ſpecies. Καταφορὰ*, inquit, ἔστιν ἡ ἐν τῇ κατηγορίᾳ τάσις· τίνι δὲ διαφέρει; ὅτι ἡ τάσις ἐν ἀπολογίαις εἶναι δύναται, ἡ καταφορὰ δὲ οὐκ ἂν γένοιτο ἐν ἀπολογίᾳ. Quare fortaſſe τάσις, & καταφορὰ, non fuerint ſpecies ἀντιδιῃρημέναι†, ut putarunt, qui ſcripſere tantùm vocari τάσιν, ſi ſermo leni quaſi agmine fluat, ut fit in hiſtoricorum dictione: ſin cum vi & impetu feratur, vocari καταφοράν. Sed cum, ut alibi diximus‡, idem & generis & ſpeciei nomen eſſe poſſit: dicere licebit, τάσιν generatim acceptam, vel concitatiorem eſſe, ac convenire accuſatori; vel ſedatiorem, & ad defenſorem pertinere: illam καταφορὰν dici; hanc generis nomine τάσιν appellari.

‡ Lib. 4. de Inventione c. 5.
* Cataphora eſt contentio ſpiritus in accuſatione. Quâ verò in re differt? Nempe quòd Taſis etiam eſſe poteſt in defenſione: cataphora verò non poteſt ſumi in defenſione.
† Oppoſita.
‡ Lib. 1. cap 4. ſect. 3.

VII. ἈΝΑΚΕΦΑΛΑΊΩΣΙΣ EORUM, QUÆ DE PERIODO, ET ALIIS ORATIONIS GENERIBUS, DICTA SUNT. ITEM, QUANDO EORUM QUOQUE UTI CONVENIAT.

EX hiſce omnibus dubium non eſt, quin, quotquot in ſtudiis hiſce non invitâ omnino venantur Deliâ, abunde aſſecuti ſint naturam cùm periodi, tum aliorum quoque orationis generum. Verùm, etſi hæc ita ſunt, nihilominus, quo madidæ quorundam memoriæ ſuccurratur, age, veſtigia quoque priora relegamus. Statuimus itaque, duo eſſe orationis genera. Unum eſt, quo commata aut cola ſententiam abſolvunt. Quare huc pertinet ea, quam Rhetores vocant τὴν ἐν κώλοις καὶ κόμμασι λέξιν. Alterum cola commataque vinculo quodam connectit. Atque hoc vel στρογγυλότητα, h. e. rotunditatem ac volubilitatem habet, diciturque λέξις κατεστραμμένη, ſive *verſa*: vel volubile non eſt, ſed pendulum, quod alii εἰρομένην, alii εἰρομένην λέξιν appellant Κατεστραμμένη λέξις, vel intra τετρακωλίαν ſe continet, ac περίοδος vocatur vel extra hoc ſeptum vagatur, diciturque περιοδικόν. Ad εἰρομένην verò λέξιν pertinent πνεῦμα καὶ τάσις, quæ ſolâ differunt magnitudine.

Supereſt, ut dicamus, quando unoquoque genere utendum ſit; ſed generatim: nam ſpeciatim, pro triplici characteris ratione, ſuo loco eâ de re acturi ſumus.

Membratim, ac inciſim, dicimus in narrationibus, ad dolorem excitandum magis inſtitutis, quàm ad delectationem. Quòd ſi in iis periodo utamur, ea relaxanda ac diſſolvenda eſt intervallorum magnitudine, ac numeri neglectu. Utimur quoque commatis ac colis, cùm acriter pugnaciterque probamus, aut refellimus, & aliàs in affectibus.

Periodos maximè uſurpamus in hiſtoriis, quas idcirco Theopompi more tranctandas eſſe, ſcribit Cicero; itemque in genere Demonſtrativo, quia id comparatum eſt ad delectationem auditoris, qui finis eſt generis ἐπιδεικτικοῦ. In cauſſis forenſibus minùs adhibentur, quia, qui in capitis periculo verſantur, parum de ornatu ac fuco ſunt ſolliciti. Itaque Perſius ſatyricè quendam ridet iſtiuſmodi lenocinia conſectantem. Scribit enim*:

Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina raſis
Librat in antithetis. Doctas poſuiſſe figuras
Laudatur: bellum hoc. bellum hoc? an Romule ceves?

* Sat. 1.

Non tamen planè id genus reſpuit periodos. Nam utimur iis (Quinctiliano† teſte) in proœmiis magnarum cauſſarum, ubi ſollicitudine, miſeratione, aut commendatione res eget. Item in narrationibus, quæ plus habent dignitatis, quàm doloris; cujuſmodi eſt illa in Verrem de raptu Proſerpinæ. Inſuper in locis communibus, & amplificationibus; quæ quia judici minùs ſunt ſuſpecta, fit, ut is, dicendi dum vim admiratur, nihil requirat quod reprehendat. Denique in epilogis quoque locum habent.

† Lib. 9. cap. 4.

Neque omnium periodorum par ratio eſt. Ex πολυκώλοις‡ plus gravitatis habent quæ clauduntur colo productiori, at quæ breviori finiuntur, quemadmodum ſunt uſitatiores, ita ſunt majoris quoque efficaciæ.

‡ Compoſitis.

Πνεῦμα, & τάσιν, adhibemus in exordiis gravium cauſſarum. Ita incipit Cicero Milonianam, orationem poſt reditum ad Quirites, librum primum officiorum. Sed & in mediâ oratione iis utimur, quo varietate hâc fugiatur ſatietas, & magis lateat artificium.

Neutiquam verò iis aſſentimus, qui ἁπλῶς in oratione damnant illud orationis genus, quod Ariſtoteli εἰρόμενον, ſeu *pendulum*, dicitur. Nam non modò Dithyrambici, & hiſtorici, eo ſunt uſi; ſed apud Oratores etiam in exordiis, ac narrationibus, interdum invenitur. In epiſtolis verò crebrum eſt. Aliàs ei præſtat λέξις κατεστραμμένη, ſive *verſa*: quia hæc, ut Demetrius ait, eſt εὐκατάστροφος, ſive *volubilis*: ita ut hæc duo λέξεως genera differant, uti apud Geometras linea recta, & orbicularis.

Illud verò notiſſimum, etiam in ſacris literis orationem ſæpe non pluribus abſolvi periodis; ſed demum, cùm res ac ſententia abſoluta finem imponit orationi. Exempli loco eſto vel initium epiſtolæ Pauli ad Romanos & inprimis ad Epheſios, & Coloſſenſes. Videre in iis eſt, quomodo ſemper alia, atque alia, eidem annectantur ſententiæ, quod Ariſtoteli εἰρομένην λέξιν vocari diximus. Certè magnâ ex parte ſtylus Paulinus eſt iſtiuſmodi: eaque ratio eſt, cur confragoſus ac obſcurus, multaque ἀνανταπόδοτα* habere videantur. Habemus de periodo: nunc de numero videamus.

* Non reddita.

Cap.

CAPUT. IV.

DE NUMERO.

Numerus eſt conveniens ſententiæ ſonus, ex compoſitione ac diſpoſitione partium naſcens, ita diſſimulatus ac latens, ut tamen ſentiatur.

Maximè eum aucupamur in ſententiarum clauſulis, minus in initiis, minimè in medio. Neque tantùm à Poëtico diverſus eſſe debet, ſed etiam à ſe ipſo: quia agnitus primò faſtidium, deinde contemtum parit.

Etſi autem nullus pes eſt, qui in oratione adhiberi non poſſit; alii tamen aliis ſunt uſitatiores, & elegantiores.

Iſtiuſmodi in initio ſunt creticus, anapaſtus, moloſſus, pæon primus, & dochimus.

In fine commendantur ditrochæus, antiſpaſtus, pæon tertius, ionicus à majori, epitritus quartus.

Media oratio, ſi concitata eſſe debet, pluribus utendum eſt ſyllabis brevibus: ſi gravis, ſpondei utiles erunt: ſi moderata, adhibebimus pedes, qui ex brevibus longiſque temperantur.

I. NUMERUS COMMENDATUR, AC DEFINITUR.

ANimus noſter, ut ſcribit Cicero in Oratore, *aurium nuncio naturalem quandam in ſe continet vocum omnium menſionem. Itaque & longiora, & breviora judicat: & perfecta, ac moderata ſemper exſpectat. Mutila ſentit quædam, & quaſi decurtata; quibus, tanquam debito fraudetur, offenditur: productiora alia, & quaſi immoderatiùs excurrentia, quæ magis etiam aſpernantur aures.* Quare, cùm Oratoris officium ſit delectare quoque auditorem; omnino, ut juncturæ, ac periodi, ita numeri etiam ratio nobis perſpecta eſſe debet.

Eſt autem Numerus conveniens ſententiæ ſonus, exiſtens ex compoſitione & diſpoſitione partium. Compoſitionem intelligo verborum ex elementis & ſyllabis, & membrorum ex verbis. Diſpoſitionem voco rationem modumque compoſitionis. Ita Julius Scaliger cap. 1. lib. IV. de re Poët. Cùm autem dicamus, numerum eſſe ſententiæ ſonum; haut obſcurè innuimus, tantùm nos intelligere numerum, qui in oratione percipitur. Unde ab aliquibus dicitur modulatio ſermonis humani. Alioqui latiùs pateat numeri vox, quàm definitio; cùm & in ſono fabrorum ferrariorum, quando incudem feriunt, ubi nec ſententiâ, nec ſyllaba eſt, numerum agnoſcant, quibus non fuerint abſurdæ magis aures, quàm erant Midæ. Eò reſpexit poëtices Sirenophœnix octavo divini operis:

Illi inter ſeſe multâ vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe maſſam.

Callimachus quoque hymno in Dianam venuſtâ ὀνοματοποιΐᾳ expreſſit ſonum, quem malleis edebant Cyclopes ἀμβολαδὶς τετυπόντες*. At ſi quæras definitionem numeri ἀντιστρέφοντα†: nulla ſententiæ, vel ſermonis humani, mentio fiat; ſed ſimpliciter dicatur, numerum eſſe ſonum convenientem, ortum ex ordine partium motus. Formam facio, ut ita dicam, ſonoritatem. Materiam vero ἡ τῆς κινήσεως τάξις‡: quomodo ῥυθμὸν Græci definiunt Grammatici.

* *Alternè ferientes.* † *Reciprocantem.* ‡ *Motus ordinem.*

II. DIVISIO NUMERI, ET QUOMODO ORATORIUS A POETICO DIFFERAT.

NUmerus alius eſt Poëticus, qui μέτρον dicitur; alius Oratorius, qui ῥυθμὸς vocatur. Indicat hoc Ariſtoteles, cùm ait Διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή· ποίημα γὰρ ἔσται· *Quocirca in oratione proſâ rhythmum eſſe convenit, non metrum; ſic enim foret poëma.*

Numerum oratorium primus invenit Thraſymachus Chalcedonius; auxit Gorgias Leontinus; perfecit Iſocrates.

Variè autem à variis definitur. Jovita Rapicius, qui doctè & copioſè de numero oratorio ſcribit, colligit ex Cicerone, eum eſſe modum quendam orationis è permiſtis & confuſis pedibus, & temporum, quibus conſtant, aptâ ratione naſcentem.

Idem, ex Ariſtotelis ſententia, putat, eum poſſe hunc in modum definiri: Numerus oratorius eſt Rhythmus quidam non exquiſitus, neque canorus, qualis eſt in poëmatibus, & canticis; ſed ita diſſimulatus, & latens ut tamen ſentiatur, & orationem jucundo fine concludat.

At Thomas Correus*, atque item alii, dicunt ex Cicerone, numerum eſſe, quicquid ſub aurium menſuram cadit. Sed eos exiſtimo, non de Oratorio tantùm, ſed de quovis numero, ſermonem facere. Quod certè afferunt pro definitione, id Poëtico etiam convenit, cùm afferenda ſit definitio, quæ differentiam contineat εἰδοποιὸν†, quaque rhythmus diſtinguatur à ſpecie ἀντιδιῃρημένῃ‡.

* *Lib. 4. cap. 95.* † *Specificam* ‡ *Oppoſitâ.*

Differunt autem numerus Oratorius, & Poëticus, multifariam. Poëticus æqualiter ubique ſervatur: at Oratorius minus curatur in medio, magis in initio, maximè in fine. Item Poëticus ſui ſimilis eſt; Oratorium ſui diſſimilem eſſe convenit: alioqui, ſui ſimilitudine agnitus, faſtidium ac contemtum parit, fidemque abrogat orationi. Verè Homerus*:

Πάντων μὲν κόρος ἐστὶ, καὶ ὕπνου, καὶ φιλότητος†.

Alios quoque pedes conſectatur Poëta, alios orator: non quia numerus poëticus ſit deterior; ſed quia nimis ſit manifeſtus. Itaque rectè ſenſit Fabius‡, ut exemplum differt ab inductione, & enthymema à ſyllogiſmo; ita rhythmum quoque differre à metro. Eſt enim quaſi metrum imperfectum: utpote non adeò conſpicuum, ſed latens; ita tamen, ut ſuavitatem ejus aures percipiant.

* *Iliad. N.* † *Omnium rerum eſt ſatietas, etiam ſomni, & rerum Venerearum.* ‡ *Lib. 9. cap 4.*

III. METRUM IN PROSA CULPARI: HISTORICIS TAMEN, IMO ET CICERONI, ET ALIIS, SÆPE HEMISTICHIA, ATQUE ADEO TOTOS VERSUS, EXCIDISSE.

QUemadmodum autem in poëmatis meritò reprehenditur, ſi compoſitio ſit ſimilis proſæ, quod vitium Dionyſius Halicarnaſſ.* λογοειδειαν vocat: ita & nihil in proſâ oratione vitioſius eſt, quàm ſi periodum à verſu, vel hemiſtichio, ordiamur; aut ſi ea in verſum, vel partem ejus, deſinat: quod præcipuè de illuſtrioribus ac notioribus verſuum generibus accipiendum eſt.

* Περὶ συνθέσεως ὀνομάτων.

Hàc tamen in re liberiores ſunt hiſtorici. Livius enim, ut Fabius monuit lib. IX, ab hexametri principio hiſtoriam ſuam incipit: *Facturuſne operæpretium:* pro quo ſcioli quidam in editionibus nonnullis olim excudi juſſerant: *Facturuſne ſim operæpretium.* Idem Livius lib. XXX: *Legati ab Carthagine, pauci ante diebus.* Sed hìc minùs ſentitur verſus, quia cæſura deficit. Salluſtius quoque in Jugurthinâ, ut obſervavit Diomedes†, à verſu exorſus eſt, hoc pacto: *Bellum ſcripturus ſum, quod populus Romanus.* Ubi eſt id heroici genus, quod vulgò corruptè *ſpondaicum appellant*, cùm *ſpondaicum* dici debeat, vel *ſpondaizon.* Eodem libro ait Criſpus: *Jamque dies conſumtus erat.* Eſt & Cæſaris in primo de bello Gallico: *Pauciſque Dejectis reliquos ſeſe convertere cogunt.* Cornelii Nepotis eſt in proœmio Vitarum: *Nos in Grajorum virtutibus exponendis.* Tacitus quoque, libro de moribus Germanorum, ſylvam quamdam ait, *Relligione patrum, ac priſca formidine ſacram.* Niſi è veteri poëta verſum hunc adductum malis, quod Juſto Lipſio videbatur: ſed mihi id, ut Tacito inſolens, ita parum ſit veriſimile.

† *Lib. 1.*

Quin ne putemus, eâ re exemtos eſſe Oratores; Tullio itidem integri interdum verſus in orationibus exciderunt.

Cujuſmodi eſt jambicus ille trimeter, libro primo Invectivarum in Catilinam, quem & Capella ‡ obſervat: *Senatus hoc intelligit, Conſul videt.* Et tetrameter hic invectivâ tertiâ in eundem: *A principibus acerrimæ ac fortiſſimæ ſententiæ.* Et ille heroicus pro Archia: *In quo me non inficior mediocriter eſſe Verſatum.* Imò lib. III. de Oratore, ubi hoc vitium exagitatur, inventum eſt totum diſtichum. Ita enim loquitur Craſſus: *Ac mihi quidem veteres illi majus quiddam animo*

Complexi, plus multò etiam vidiſſe videntur,

Quàm quantum noſtrorum ingeniorum acies

intueri poteſt. Ex eodem Phalæcium iſtum adducit idem Capella*: *Succeſſit tibi Lucius Metellus.* Ac ſimilis verſus eſt iſte Catil. I. *Si te jam, Catilina, comprehendi.* Etiam Fabius lib. IX. & Diomedes lib. II. ſcribunt, Ciceronem orationem in L. Piſonem à trimetro hoc cœpiſſe, *Proh, Di immortales, quis hic illuxit dies!* Quo loco, ne tertiâ ſede ſtatuatur trochæus, vel legendum, *hic quis illuxit dies*, uti hunc locum adduci video à Mureto †. vel dicendum ſit, H non hìc nudam eſſe adſpirationem, ſed veram cenſeri conſonantem: quod aliquando fieri, Pierius, notis in Virgilium ‡, monuit; atque idem Catulli illo ‡ comprobant quidam: *Tum Thetis humanos non deſpexit hymenæos:* & hoc Maronis*: *Terga fatigamus haſtâ.* Verùm hiſce in locis id cæſuræ potiùs cauſâ factum arbitror: quemadmodum & in illo poëtæ †: *Ille latus niveum molli fultus hyacintho.* Ubi itidem veræ ei literæ vim tribuêre Marius Corradus ‡, & H. Stephanus*. Aliis magis accommodatum illud Ennii videtur: *Hannibal audaci dum pectore dehortatur.* Quomodo & Stephanus, tum in fragmentis poëtarum edidit, tum in Gellio ſuo. Sed ex MSSis Gellii, & Nonii † codd. conſtat, vel legi debere, *me dehortatur*, ut ſit συνίζησις, vel potiùs κτ̓ τμῆσιν, *de me hortatur.*

‡ Lib 5. cap. de Elocutione.
* Ibidem.
† Comment. in I. Cat. Cic.
‡ Ecl. 2.
‡ Carmine de nuptiis Thetidis, & Pelei.
* 9. Æn.
† Ecl. 6.
‡ Libr. I. de L. L.
* In paralipomenis Grammaticæ Græcæ.
† In Cor.

Inprimis verò integros verſus, atque adeò hexametros quoque reperias in Tullii epiſtolis. Ut primâ earum, quæ ad Lentulum ſcriptæ: *His ego conſiliis ſi te præſentem habuiſſem.* Et lib. II. epiſt. VIII. ad Cælium Rufum: *Quare da te homini: complectetur, mihi crede.* Et ad Atticum epiſt. XVIII. libri II. *Diſpliceo mihi, nec ſine ſummo ſcribo dolore.* Niſi ex veteri aliquo poëta mutatum malis. Sanè inter ea, quæ Lucilii videantur, repoſuit* & hoc, & quædam alia ejus generis, Franciſcus Duza: idque de conjecturâ ſummi viri, Franciſci Junii †, ſoceri mei. Itidem Tullii eſt ad eundem Att. libri XV. epiſt. IV. *Ita credo: ſed mihi totum Ejus conſilium ad bellum ſpectare videtur.* Etiam, cùm in ingreſſu epiſtolæ ſecundæ libri VII. ſcripſiſſet, *ita bellè nobis Flavit ab Epiro leniſſimus Onchesmites:* quia ſibi excidiſſe vidit heroicum σπονδειακὸν, ſubjicit hæc verba, *Hunc σπονδειάζοντα, ſi cui voles τ̃ νεωτέρων, pro tuo vendito.* Nec id de epiſtolis mirum videri debet, quia in iis negligentia eſt pro cultu, ipſaque curæ eſſe debet incuria.

* Proximè ante libri primi fragmenta.
† Notis in Cic. epiſt. ad Att.
‡ Cujus initium, Si ſummo ingenio.
‡ Lib. 4. c. 13. l. 8. cap. 21. l. 16. c. 14. l. 41. cap. 22. & alibi.

Sunt & alii Tullii, Livii, aliorumque loci, adducti à Mureto in explicatione primæ Catilinariæ. Ac plurimos quoque è veterum Juriſconſultorum ſcriptis collegit Scipio Gentilis lib. II. Παρέργ. cap. ult. Poſſumus longè etiam plures dare ex Theologis antiquis. Ut Tertulliani hoc lib. IV. adverſus Marcionem cap. XL. *Aut ſi propterea panem corpus ſibi finxit.* Et illud Phœbadii lib. contra Arrianos: *Imperfectus enim ſi capit habere, quòd antè Non habuit.* Juliani quoque (ejus, qui Pelagianiſmo infamis fuit) eſt illud epiſtolâ ‡, quæ inter Hieronymianas legitur: *Inſatiabilis eſt, expleri neſcit honorum.* Legas & apud B. Bernardum ſerm. II. de Reſurr. *Indubitata tenens vitæ illius argumenta.* Et apud Othonem Friſingenſem lib. IV. cap. XVIII. *Qui ejus fautor erat, ſemel mergendo necavit.* Multa hujus generis tam ex antiquis, quàm poſterioris ævi ſcriptoribus, annotavit Caſpar Barthius in Adverſariis ſuis ‡. Sed ſubinde mirificos nobis verſus adfert. Ut è Salluſtiano illo*: *Res Romana plurimùm imperio valuit, Servio Sulpicio, & M. Marcello coſſ., omni Galliâ cis Rhenum, atque inter mare noſtrum, & Oceanum, niſi qua à paludibus fuit invia, perdomitâ.* Unde verſum elicit †.

Omnis Gallia cis Rhenum, atque inter mare noſtrum.

Quaſi non Salluſtius in auferendi caſu, *omni Galliâ*, ſcripſerit. Etiam ‡ hexametrum conſpicit in hoc Livii lib. XXX. *Gallos integræ oblivioni oppoſuerunt.* Phalæcius illi eſt ‡ apud Plinium lib. VI. epiſt. IX. *Commendas mihi Julium Naſonem.* Cùm non diffiteatur, ultimam in *Naſonem* eſſe porrectam. Et libri XXXII. cap. XVII. ſeriò videtur triumphare, quòd, vix quartâ ex parte orationis Vatinianæ, pluſquam LXX. verſus obſervârit: atque interim tales adducit, qui planè in metrum peccent. Ut cùm dimeter ei eſt, *Mirere, quod interrogem:* item *Tuos aut quod os afferes.* Ubi ſecundâ ſede nunc pyrrhichius foret, nunc trochæus. Cujuſmodi mallem non excidiſſent homini adeò diffuſæ lectionis. Neque eundem audio, cùm hoc Livii lib. XXVI. *Ancipiti pugnâ medios circumventuram*, talè eſſe ait*, ut, ſi in Virgilio exſtaret, pro artificioſiſſimo verſu haberetur. Mihi certum eſt, Maronem nunquam fuiſſe ita ſcripturum. Mallem pro Marone Lucretium vel etiam Ennium, dixiſſet.

* Apud Marium Victorinum in primum Rhetor. Cic. pag. 82 editionis Pythœanæ. Sed perperam mea poſt valuit eſt τιλεία ςιγμὴ, cùm una tantum periodus ſit: ut rectè eſt in Aldina.
† Lib. II. Adverſar. c. 16.
‡ Ibidem.
‡ Lib. 31. Adverſ. cap. 4.
* Lib. II. cap. 16.

Neque Latinis ſolùm excidêre verſus, ſed & Græcis. Quippe auctor eſt Cicero in Oratore ad Brutum, reprehenſum eſſe Iſocratem ab Hieronymo Peripatetico, ob verſuum multitudinem in libris ejus repertam. Imò eundem Hieronymum in id ipſum vitium incidiſſe, ob quod culpabat Iſocratem, ex eodem Cicerone cognoſcimus. *Sed tamen*, inquit, *hic corrector in eo ipſo loco, quo reprehendit, ut à me animadverſum eſt, ſtudioſè inquirente in eum, immittit imprudens ipſe ſenarium.* Id ipſum ſcribit Theon in progymnaſmatis † contigiſſe Ephoro Cumano, Iſocratis auditori, qui lib. περὶ λέξεως, quo oratori interdicit, ne utatur oratione metrum habente, in ipſo principio illius præcepti verſum effudit jambicum. Itaque ait Theon, ignoſci debere oratoribus, ſi in eos incidant verſus, qui magnam habent affinitatem cum ſolutâ oratione, cujuſmodi inprimis ſunt jambici: eoque minuta admodum, atque exilis eſt obſervatio iſthæc Tullii, quâ dum ſedulò inquirit in Hieronymum Peripateticum, ſenarium unum in eo ſe inveniſſe, proditum reliquit.

† Cap. I. quod eſt περὶ τ̃ παιδαγωγίας.

Etſi autem verſum in proſâ vitare convenit; licitum tamen eſt Oratori, Poëtarum verſus, velut teſtimonio, vel emblemata, adducere, quo iis ſimul auditorem doceat, ac delectet. Ita ſeſquiverſu Attii uſus Cicero in Piſoniana, ut Aſconius obſervat. Quot verò, & quibus modis, inſerantur orationi, videre eſt apud Hermogenem lib. II. de form. Orat. & περὶ μεθόδου δεινότητ☉. Eſt & libellus Græcus Romæ in bibliothecâ Vaticanâ de metris in proſâ; quemadmodum ſcribit Geſnerus Tom. II. bibliothecæ ſuæ. Utrùm autem de alienis verſibus ſit, an ipſius ſcriptoris, meliùs dicent, qui viderint.

IV. De temperandis syllabis brevibus, ac longis: et qui pedes principio, qui medio, qui fini præcipue conveniant.

ADverſatur quoque numeroſæ orationi continuatio multarum brevium, aut longarum ſyllabarum; hæc quidem, ut pigra; illa, ut referens ſonitum puerilium crepitaculorum; unde & Dionyſio dicitur σαδονίζων ἦχον ‡. Argumento ſit illud Severi in poëmatio de leporis morte:

Periit at ævipedis animula leporis.

Ita eum verſum pravo fultum talo apud Martianum Capellam ‡ (ubi vulgo *peritavit* legitur) puto corrigi debere, ut ſit verſus octonarius catalecticus, meris conſtans pyrrichiis; ſive, ſi διποδίαν malis, tetrameter proceleuſmaticis currens, ſed ſyllabâ reciſâ: quemadmodum & ille ejuſdem poëmatis:

Animula miſerula properiter obiit:

quem Diomedes adducit lib. III. ubi clarè docet, verſum hunc tres habere proceleuſmaticos, & tribrachyn.

‡ Evirati ſonum.
‡ Lib. 5. cap. de elocutione.

Atque ut iſtis nihil celerius, ita nihil tardius illo veteris poëtæ (Ennii, ut videtur) apud Diomedem eodem libro:

bro: *Romani muris Albam cinxerunt Longam.* Aut hoc apud eundem: *Romani victores Germaniâ devictâ.* Moloſſicum verſum appellat. Ex his ſanè perſpicuum cuivis eſſe arbitror, optimos eſſe pedes, qui è brevibus, longiſque ſyllabis, temperantur.

Non tamen iidem pedes cuilibet conveniunt loco, aut characteri. Alios enim ſublimis ſtylus, alios mediocris, alios tenuis poſtulat: quà de re in doctrinâ characterum ex Græcis Rhetoribus dicturi ſumus. Hoc tantùm loco generatim videamus, qui pedes apud Ciceronem tum in principiis, tum in medio, tum in clauſulis ſint uſitatiores.

Ac in principio quidem etſi omnes reperiuntur pedes, hi tamen frequentiores ſunt, & elegantiores cæteris: è diſyllabis ſpondeus, è triſyllabis creticus, & poſt illum anapæſtus, ac moloſſus: è tetraſyllabis laudatus Ariſtoteli pæon primus, -vvv: è pentaſyllabis optimus dochmius, v--v-, ut *Reſpublica.* A ſpondeo incipit Cicero Milonianam: *Etſi vereor, Judices.* A cretico orditur orationem poſt reditum ad Quirites: *Quod precatus à Jove Opt. Max.* Ab anapæſto inchoat orationem pro Cluentio: *Animadverti, Judices, omnem accuſatoris orationem.* A moloſſo initium cœpit pro Quinctio: *Quæ res in civitate duæ plurimum poſſunt.* A pæone primo exorſus Catilinariam ſecundam: *Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam.* A dochmio ſumſit initium pro Valerio Flacco: *Cùm in maximis periculis hujus urbis, atque imperii.* Par ratio eſt initiorum in mediæ orationis periodis.

In mediâ autem periodo licet minùs curatur numerus, ac propemodum ſatis eſt, ſi nihil ſit hiulcum, vel aſperum; (quod ex iis conſequemur, quæ de juncturâ diximus) non tamen planè negligitur; quemadmodum currentium pes, etiamſi non moratur, tamen veſtigium facit. Maximè autem in eo commendantur, tum pæon primus, -vvv, ut *compulerat*, tum ſecundus, v-vv, ut *triennium*; tum tertius, vv-v, ut *videatur*; tum quartus, vvv-, ut *redierant.* Item creticus bacchius, & dochmius, qui ubique laudatur: unde Rufinus; *Principium, finem, ac medium tibi dochmius ornat.* Quamquam dochmius in pedibus numerandus non eſt, cùm veriùs ſit numerus. Imò, ſi Ciceroni credimus, pes omnis ſimplex eſt, eoque nec trium ſyllabarum numerum excedit: ſi quatuor pluresve ſyllabæ componantur, non tam pes quàm pedes, dici debeant. Certè Ariſtotelem quoque ipſum reprehendere non dubitat Tullius, quòd inter pedes retulerit pæonas, atque alium quemvis numerum é collocatione quatuor ſyllabarum genitum. Ciceronem etiam ſequitur hàc in parte Grammaticus is, cujus fragmentum Cenſorino olim tributum, at à Carione ab eo ſeparatum, & emendatiùs editum eſt. In eo quippe legere eſt cap. XIII. *Pedes componuntur ex ſyllabis minimum binis, ut plurimum ternis. Incipiunt temporibus binis, ad ſex perveniunt: diſyllabi quatuor, triſyllabi octo; plures, quam duodecim, eſſe non poſſunt.*

In clauſulis (de quibus majori curâ dicendum eſt) Ciceroni, ut omnibus Aſiaticis, uſitatiſſimus eſt ditrochæus -v-v, quem crebrò antecedit creticus. Ut pro Milone: *Non ſolùm humanâ, ſed etiam Deæ ſapientiſſimæ ſententiâ liberatum.* Itemque; *Appelletur ita ſanè, dummodo eâ nos utamur pro ſalute bonorum contra amentiam perditorum.* Elegantior quoque ditrochæus, qui unius eſt vocis, quàm is, qui duarum, pluriumve. Cicero orat. poſt reditum ad Quirites: *A parentibus, id quod neceſſe erat, parvus ſum procreatus: à vobis natus ſum conſularis. Illi mihi fratrem, incognitum qualis futurus eſſet, dederunt: vos ſpectatum, & incredibili pietate cognitum, reddidiſtis.* Ubi pro colis quatuor totidem habes ditrochæos: ac tres quidem unius vocis. Uſitatus etiam admodum antiſpaſtus, v--v: quem nunc brevis antecedit ſyllaba, nunc longa. In Milonianâ: *Cùm ſuâ manu ſororem interfectam eſſe fateretur.* Item: *Si id memineritis, quod oblivisci non poteſtis, inſidiatorem jure interfici poſſe.* Item pæon tertius, vv-v, præcedente ut plurimùm brevi; ne videatur oratio deſinere in finem carminis hexametri. Ibidem; *Silent enim leges inter arma, nec ſe expectari jubent, cùm ei, qui expectare velit, ante injuſta pœna luenda ſit, quam juſta repetenda.* Item; *Negant intueri lucem eſſe fas ei, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur.* Quâ clauſulâ tantopere delectatus eſt Tullius, ut Probus * quoque ſcripſerit, eam Ciceroni peculiarem fuiſſe ſtructuram. Nonnulli etiam ſeculi iſtius, quod Ciceronis tempora excepit, ſummum Oratorem deridere auſi ſunt, quòd, ut ajunt, tertio quoque ſenſu, velut ſententiæ loco, poneret illud ſuum, ESSE VIDEATUR. Cornelius quidem Tacitus, vel quiſquis auctor eſt dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ, ita de Tullio ſcribit: *Nolo irridere rotam fortunæ, & jus Verrinum, & illud tertio quoque ſenſu in omnibus pro ſententiâ poſitum, Eſſe videatur. Nam & hæc invitus retuli, & plura omiſi.* Ubi de jure Verrino, & rotâ fortunæ, nimis jejunè leviterque reprehendi Ciceronem, comprobat Juſtus Lipſius lib. II. Var. Lect. cap. XVII. Sed, quòd Tullium valde ait gaviſum illo numero, *eſſe videatur*, id veriſſimum eſt. Sanè amplius octies utitur in Manilianâ. Etiam ſic claudit periodum primam longæ & præſtantiſſimæ illius ad Lentulum epiſtolæ. In Ligariana quoque oratione, periodum eam, cujus initium, *Sed jam hoc &c.* terminat his verbis, *fuiſſe videatur.* Poſt pæonem tertium proximum obtinent locum, tum ionicus à majore, --vv: tum epitritus quartus, ---v, qui plenus gravitatis: eum verò interdum ſpondeus antecedit; ſæpius jambus, aut trochæus. Pro Milone; *Ad ejus non ſalutem modò exſtinguendam, ſed etiam gloriam per tales viros infringendam.* Item; *Eam virtuti Milonis potiùs, quàm Pop. Rom. felicitati aſſignetis.* Item; *Quòd is in monumentis majorum ſuorum ſit interfectus.* Item; *Etenim palam dictitabat, conſulatum Miloni eripi non poſſe, vitam poſſe.* Portò ſub epitrito quarto complectimur quoque diſpondeum, ----; ſub antiſpaſto epitritum primum, v---; ſub ditrochæo epitritum ſecundum, -v--; ſub ionico à majore epitritum tertium, --v-; ſub pæone tertio ionicum à minore, vv--. Ejuſque ratio eſt, quòd, ut in verſu fit, ita hic quoque, ultima cenſetur communis. Nam Tullius etiam in illo C. Carbonis, *Ab omnibus ei eſſe pœnas perſolutas*, periodum vult dichoreo claudi, cùm tamen *perſolutas* ſit epitritus ſecundus. Et Terentianus Maurus, cùm dixiſſet, non referre in verſu, num ultima ſit longa, an brevis; mox ſubjicit, *Commataque hoc ipſum juris habere volunt.* Cicero ſanè id diſertim ſcribit, Ariſtotelis ſententiam oppugnans, qui pæona quartum clauſulis maximè putabat conducere ob poſtremam ſyllabam productam. Quinctilianus quidem, quod pro Ariſtotelis ſententiâ facit, intelligere ſe ſcribit, quando aurium judicium conſulit, multùm referre, longane ſyllaba periodum claudat, an verò brevis pro longâ ponatur: quemadmodum & adverſus Ciceronem exemplis probat, rectiùs ſpondeo, quàm trochæo, periodum terminari. Verùm neque id fugit ſummum Oratorem; ſed eò reſpexit, quòd, ſi brevis ſit naturâ, pro longâ tamen haberi debeat, quia duo tempora habere judicetur, ob intervallum ac moram conſequentem: quemadmodum, hanc ipſam ob cauſſam, longa quaſi trium temporum judicatur. Hinc Fabius ipſe: *Neque enim ego ignoro, in fine pro longâ accipi brevem, quod videtur aliquid vacantis temporis ex eo, quod inſequitur, accedere.*

Itaque vix aſſentior Deſ. Eraſmo, qui negat, brevem pro longâ poni poſſe. Nam dialogo de pronunciatione, cùm Leo dixiſſet: *Audivi, veteribus ultimam ſemper habitam pro ancipiti:* reſpondet Urſus: *Verùm ultimam carminis, non cujuſlibet dictionis; & quod venia datur in carmine, fortaſſe dabitur & in colis, aut periodis; tametſi ne illic quidem, niſi ut pro brevi ſones longam, non contra.*

Eſſe verò hos pedes cæteris uſitatiores, facilè vel ex unâ quàpiam Ciceronis oratione cognoſcere liceat. Ita videre ſit, pro Archia tantummodo ter uſurpari choriambum, -vv-,

* Lib. 4. Grammatic. Inſtit. cap. ult.

ſepties epitritum quartum, ---υ, ſepties item dijambum, υ-υ-. At decies quinquies ionicum à minore, ſive pæona tertium, duodecies quidem præcedente ſyllabæ brevi, ter autem antecedente longâ; in his nimirum, *rejicietur*, *præconium patiatur*, *ejiciemus*. Itidem epitritum tertium --υ- adhibet in clauſulâ decies ſepties; antiſpaſtum υ--υ vicies ſexies; dichoreum -υ-υ quadragies. Ariſtoteles quoque in clauſulis præ cæteris commendat pæona quartum, υυυ-: ut, *Etenim ſi tanta illis comitiis religio eſt.* Sed Cicero hâc in re apertè ab eo diſſentit: non tamen planè reſpuit.

V. De numeri oratorii vi, et modo in eo servando.

Atque hæc de pedibus, qui numeroſam efficiunt orationem. Quanta verò ejus rei vis ſit, argumento eſt, quòd refert Tullius, ſæpiùs conciones ſe exclamantes vidiſſe, cùm verba aptè cecidiſſent. Ita admirabilis fuit excitatus * populi clamor, cùm C. Carbo, Trib. Pleb., diceret, *Patris dictum ſapiens temeritas filii comprobavit.* Ac placuit ſic Tullio numerus ille, ut lib. I. de Divinat., ubi ſomnium narrat, quod mater Phalaridis habuit, tantùm non ipſa retinuerit verba: *Quod*, inquit, *matris ſomnium immanis filii crudelitas comprobavit.* At ſi vel hìc, vel in illo Carbonis, verba invertantur, periit venuſtas, & ἐνέργεια †. Sed, ut meliùs id diſcrimen intelligatur, eum operæ pretium facturum puto, qui inconditam alicujus orationem in quadrum redigat, ac numerum: quomodo Lazarum, Bonamicum Baſſanenſem, qui magna cum laude humanitatis ſtudia in Gymnaſio Patavino profeſſus fuit ‡, memoriæ produnt orationem Philelphi, eruditam illam quidem, præclariſque ſententiis refertam, ſed nullâ juncturæ elegantiâ, ac numeri planè expertem, verborum ordine immutato, numeroque addito, talem effeciſſe, ut ab alio quovis, quàm Philelpho, ſcripta videretur.

* Cic. in Orat.

† Efficacia.

‡ An. 1553.

Neque idcirco exiſtimandum eſt, tempus totum ab oratore conſumendum eſſe dimenſione ſyllabarum: quandoquidem ſatis eſt, ſi, cùm primò nos exercemus, huic rei intenti ſimus: pòſt aurium judicium eo ſtudio ita confirmatum erit, ut labore nullo numeroſam ſcripturi ſimus orationem.

Adde, quòd neque immodicè nos ſtudioſos eſſe numerorum convenit; quod fecit Gorgias Leontinus. Iſocrates verò in his parcior multo, inprimis ætate ſenectâ. Nam quantum ætate procedebat, tantum relaxabat ſeſe à numerorum neceſſitate; ut ſcribit Cicero in Oratore. Idem teſtatur Dionyſius Halicarnaſſenſis ‖, hiſce verbis: οἱ μέν τοί γε ἐπὶ τελευτῇ τοῦ βίου γραφέντες λόγοι ἧττόν εἰσι μειρακιώδεις, ὡς ἂν οἶμαι, τελείαν ἀπειληφότες τὴν φρόνησιν ὑπὸ τοῦ χρόνου· *Verùm orationes, quas ſub finem vitæ ſcripſit, minùs ſunt juveniles; ut quas ipſa ætas, quemadmodum arbitror, prudentiùs informârit.* Non tamen id judicio fecit, quod tum Cicero, tum Halicarnaſſenſis ſenſere; ſed deſperatione præteriti ornatus, ob virium imbecillitatem; quod ſcribit ipſe, oratione ad Philippum Macedonem. Vide Victorium lib. II. cap. XVII. Var. Lect. Quare minorem eo nomine laudem meretur Iſocrates, quàm oratores illi, quos judicio modum huic rei ſtatuiſſe conſtat.

‖ In judicio de Iſocrate.

Cap. V.

DE DIGNITATE, AC TROPIS GENERATIM.

Dignitas efficit orationem figuratam. Itaque conſiſtit in Tropis, & Schematibus.

Tropus eſt, cùm vox à propriâ ſignificatione cum virtute deflectitur ad alienam.

Inter tropos familiam ducunt Metaphora, Metonymia, Synecdoche, & Ironia.

I. Variæ tropi appellationes, ac definitio ejus, et quomodo à schemate differat.

Vidimus de periodis, ac numero: in quibus conſiſtit Compoſitio oratoria. Altera verò exædificationis ſive ſtructuræ pars eſt Dignitas. Hæc, præter vulgarem dicendi modum orationem inſignit verborum ac ſententiarum luminibus; quæ Tropos appellant, ac Schemata.

Tropi vocem cum Fabio retinemus. Aquila Romanus *mores* vertit. *Illi*, inquit, *mores*, *quos Græci* τρόπους *vocant.* Niſi *modos* ſcripſit: quomodo Cicero nuncupat; uti & *verba modificata* *. Appellat quoque *immutationes*, & *verba mutata:* item *inflexa*. Fabio *arceſſita* dicuntur. Ariſtoteli vocantur μεταφοραί, ut cap. ſeq. oſtendemus. Hermogeni, quia ſignificationes invertunt, ſunt λέξεις τετραμμέναι. Id ad verbum ſonat *verba inverſa:* quod apud Terentium †, Appulejum ‡, alios, legas; ſed aliâ mente.

* De Orat. lib. 3. & in Partit.

† Heaut. act. 2 ſc. 3.

‡ In Apolog.

Opponuntur iis *propria*. Quæ & *recta* dicuntur: niſi quòd hoc latiùs pateat, ut quòd etiam orationem ἀσχημάτιστον comprehendat. Nam recta oratio, nec à tropis, nec à figuris ornatum quærit. Cicero in Bruto, de commentariis Cæſaris: *Atque etiam commentarios quoſdam ſcripſit rerum ſuarum; valde quidem, inquam, probandos: nudi enim ſunt, recti, & venuſti; omni ornatu orationis tanquam veſte detractâ &c.* Et manifeſtiùs apud M. Senecam Rhetorem in procemio. quo loco hoc Porcii Latronis dictum refert: *Summam quidem eſſe dementiam, detorquere orationem, cui rectam eſſe liceret.* Dixerat paullo antè: *Non placebat illi orationem inflectere, nec unquam rectâ viâ diſcedere.* Arnobius quoque lib. V. opponit ſermonem allegoricum indubitabili rectoque. Aliàs verò recto ſermone notatur ſimplex, ac verus: quomodo & Martialis ‖ dixit rectam fidem. Vel ſi non verus, at ſaltem bonus, & ſpecioſus: quomodo uſus Avianus, fab. XXVI.

Nam quamvis rectis conſtet ſententia verbis,
Suſpectam hanc rabidus conſiliator habet.

‖ Lib. II. epig. 6.

Definitur Tropus à Fabio lib. VIII. *Verbi vel ſermonis à propriâ ſignificatione in aliam cum virtute mutatio.*

Differunt tropi, & ſchemata; quòd illis ſemper invertatur ſignificatio; ſchemata autem, ſive permanente, ſive mutatâ ſignificatione, (nam tam tranſlatis, quàm propriis, figuratur oratio) alio habitu induant orationem. Atque inde etiam dilucet, unde tum tropis, tum ſchematibus, nomen inditum ſit: ut quæ κατὰ λέξιν, *averſiones*, & *habitus* ſonent. Plerique tamen Rhetorum, ſchematis ſive figuræ voce latiùs utentes, ſub eâ tropos complectuntur: uti cùm Fabius lib. VIII. cap. II. in verbis conjunctis ſpectari ait, ut ſint emendata, quod elegantiæ eſt; collocata, quod compoſitionis eſt; & figurata, quod eſt dignitatis.

II. Quot sint principes tropi, et quis ordo eorum.

Sunt autem tropi primarii quatuor; Μεταφορὰ, Μετωνυμία, Συνεκδοχὴ, & Εἰρωνεία. Quibus hoc commune eſt, quòd in omnibus vox ab unâ ſignificatione mutetur in aliam, propter mutuam rerum affectionem, ſeu relationem. Verùm hoc diſtinguuntur ac ſeparantur, quòd illa, quæ inter ſe referuntur, vel diſjuncta ſunt, ac nullo connexa naturali vinculo; cujuſmodi inter alia ſunt ſimilia, & contraria; ab illis Metaphoræ ducuntur, ab his Ironiæ: vel conjuncta ſunt, ſive connexa vinculo naturali, non tamen ita, ut unum ſit de alterius eſſentiâ; atque iſtiuſmodi ſunt cauſſa, & effectus, ſubjectum, & adjunctum; quæ permutat Metonymia: vel interna ſunt, atque ita ſe habent, ut unum ſit de alterius eſſentiâ; ut totum, & pars; quorum unum pro altero ſubſtituit Synecdoche.

Hinc colligere eſt, ſi ordinem naturæ reſpiciamus, pri-

primum deberi locum Synecdochæ, alterum Metonymiæ, tertium Metaphoræ, ultimum Ironiæ. Verùm diſpar fuerit ratio, ſi ſpectemus nobilitatem, atque uſum. Nam è tropis maximè uſurpatur Metaphora; inde Metonymia, hinc Synecdoche, minimè omnium Ironia: quem iccirco ordinem in eorum tractatione ferè obſervant Rhetores.

III. CUR FUSIORES SIMUS IN TROPORUM DOCTRINA: ATQUE UT EA, PRO DIVERSO CONSIDERANDI MODO, TUM AD GRAMMATICUM, TUM AD RHETOREM PERTINEAT.

EST autem doctrina de tropis valde vulgaris. Eoque curandum mihi video, ne delicatior aliquis conqueri poſſit, apponere me cramben à Rhetorum tam multis toties recoctam. Hoc ne uſu veniat, operam dabo, ut palatum aliquorum excitem promulſide è penu φιλολογίας: cujus neglectu nunc iterum præcipiti gradu ad barbariem itur. Fortaſſe non deerunt ex adoleſcentia, qui illiciantur horum guſtu ad rectas eorum cœnas, qui ſtudium hoc seriò tractant. Itaque & veniam mihi dari poſtulo, ſi alicubi, in congerendis exemplis, penè immodicus videar. Nec movere debet, quòd tropi grammaticæ potiùs conſiderationis eſſe videantur. Nam ut grammatici eſt tradere varia vocum ſignificata, & eorum cauſſas: ita rhetoris eſt docere, quando propriis ſit utendum; quando hoc, quando item illo, vel alio, atque alio improprii genere uti oporteat, & quatenus oporteat. Neque hoc negare potuit Aquila Romanus; etſi contendat, ſchematum magis, quàm troporum doctrinam, ad oratorem pertinere. Nam utcumque dicat, *figurandarum ſententiarum, & elocutionum, proprium oratoris munus eſſe*: tropos tamen agnoſcit, pro diverſo conſiderandi modo, tum à grammatico, tum à rhetore, jure tractari. Ita enim loquitur: *Illi quoque mores, qui* τρόποι *nominantur, ab eâdem hac arte, id eſt, grammaticâ, non minus diligenter ſunt cogniti, quàm ab oratore: ſed quatenus cuique generi materia adhibere eos debeat, orator meliùs intelligit.* Nunc de tropis ſingulis ordine videamus.

CAP. VI.

DE METAPHORA.

Metaphora eſt, cùm vox à propriâ ſignificatione deflectitur ad alienam, propter ſimilitudinem.

Sumitur ea vel à ſimplici ſimilitudine, vel à proportione.

Ac quædam tranſlationes ita ſunt affectæ, ut utrinque ſint commutabiles; quædam ita, ut unum tantummodo pro altero ponatur.

Transferuntur autem, à meliori quidem ad ornandum; à pejori verò ad vituperandum.

Neque res illæ certis cancellis circumſcribi poſſunt, à quibus tranſlationes petuntur; ſed, ut nihil in rerum naturâ eſt, quod non alicui ſit ſimile, ita nihil quoque eſt, à quo non deducere liceat metaphoram.

Optima interim illa ſunt, quæ ducuntur à proportione; quæque rebus inanimis actum quendam, ac ſenſum tribuunt.

At vitioſæ ſunt iſta, quæ ſumuntur à diſſimili, vel à longè petito, vel à re turpi: item, quæ nimis rem amplificant, vel minores ſunt re ſignificatâ.

I. QUID METAPHORÆ VOCE LAXIUS SUMTA, QUID EADEM PRESSIUS ACCEPTA, INTELLIGATUR: ET DE TRIBUS, QUÆ IN OMNI METAPHORA REQUIRUNTUR.

SCribit Tullius in Oratore, latiùs Ariſtotelem uti metaphoræ nomine, quàm vulgò Græci quoque Rhetores ſolent. *Hanc*, inquit, *hypallagen Rhetores, quia quaſi ſummutantur verba pro verbis; metonymiam Grammatici vocant, quod nomina transferuntur. Ariſtoteles autem tranſlationi hæc ipſa ſubjungit, & abuſionem, quam* κατάχρησιν *vocant.* Et paullo pòſt: *Jam cùm fluxerunt plures continuæ tralationes, alia planè fit oratio. Itaque genus hoc Græci appellant* ἀλληγορίαν: *nomine rectè, genere melius ille, qui iſta omnia tranſlationes vocat.* Fuiſſe verò eam Ariſtotelis ſententiam, vel hic indicat locus lib. de arte poëticâ: Μεταφορὰ δ' ἐστὶν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ, ἢ ἀπὸ γένους ἐπὶ εἶδος, ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ γένος, ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ εἶδος, ἢ κατὰ τὸ ἀνάλογον. *Tranſlatio autem eſt nominis illatio, vel à genere ad ſpeciem, vel à ſpecie ad genus, vel à ſpecie ad ſpeciem, vel ex analogiâ.* Neque eſt, quòd homines quidam eruditiſſimi, at interim literas arteſque perversè docti, more ſuo, anſam hic ſibi datam putent ſugillandi ſummum dicendi magiſtrum, quaſi in troporum doctrina parum lynceus fuerit: quippe qui tralationi quatuor ſubjiciat modos, quorum duo priores à Plutarcho †, Fabio ‡, aliiſque, ſub Synecdoche collocantur: quique, ſi Ciceronem audimus, Catachreſin quoque, & Allegoriam, & Hypallagen ſub eâ comprehendat. Cùm enim Ariſtotelis ævo needum tropi ſinguli proprium fuerint adepti nomen: ridiculè ratio quæratur, cur aliter loquatur Ariſtoteles, quàm Rhetores illi, qui pòſt minutè cuncta conciderunt. Et hæc de latâ ejuſce vocabuli acceptione.

† *In vita Homeri.* ‡ *Lib. 1. cap. 6.*

Hoc verò loco cum junioribus anguſtiùs metaphoræ nomen uſurpamus pro eâ metaphoræ ſeu tropi ſpecie, quâ, ut primo de Oratore Tullius ſcribit, nulla eſt florentior, nec quæ plus luminis adferat orationi: quæque, teſte Fabio, tum frequentiſſima ſit, tum pulcherrima; ut meritò ſola eo nomine multis retro ſeculis intelligi ſoleat.

Eſt igitur metaphora hoc loco, tropus voces à propriâ ſignificatione ob ſimilitudinem ad alienam deflectens. Sic quia angeli ſunt λειτουργικὰ πνεύματα †, ut eos vocat Apoſtolus ‡: οἱ τοῦ θείου λόγου κήρυκες ‡, atque, ut cum Epiphanio * loquar, οἱ τῆς ἀληθείας ἐκκυκληταὶ †, ob ſimilitudinem officii, in Apocalypſi aliquoties ‡ angeli Eccleſiarum appellantur. Et Πελοποννήσου πάσης μέσον ‡ vocarunt ὀμφαλὸν *, teſte Pauſaniâ †: eodemque modo Ennenſium nemus ‡ umbilicus Siciliæ vocabatur: ac Delphi ‡ dicebantur orbis umbilicus: & Ætolos umbilicum Græciæ vocat Livius *: & in agro Reatino Cutiliæ lacum, in quo fluctuat inſula, Italiæ umbilicum eſſe, dixit Varro †: nempe quia Ennenſe quidem nemus in Siciliæ meditullio eſſe credebatur: ac itidem lapis candidus in templo Delphico putaretur eſſe medium mundi: Ætoli autem in medio Græciæ, Reatinus ager in medio Italiæ foret: haut aliter atque in homine (quem, ne hic fruſtra ſis, brachiis ſurſum porrectis dimetiri convenit) medius eſt locus umbilicus: quod dum inficias it, nimis ſe dat ridiculè doctiſſimus Varro ‡.

In omni igitur metaphorâ tria requiruntur, ſignificatio propria, aliena, & ſimilitudo aut proportio. Quod iſto etiam exemplo dilucet. Καρκίνωμα, ſive *cancer*, propriè eſt morbi genus, καρκίνου ſive cancri animalis inſtar ſerpens; unde & nomen. Item *vomicæ* ſunt excreſcentes in aliquâ corporis parte, *Quos dira vomit natura, tumores* †. At figuratè Auguſtus Cæſar * Agrippam nepotem, & Julias, filiam, ac neptem, *vomicas ac carcinomata ſua* appellabat. Similitudo eſt, quia, ut carcinoma, ac vomica, dolorem corpori adfert maximum: ita Auguſti animus ex hiſce tribus ſummum caperet dolorem.

† *Miniſtrantes ſpiritus.* ‡ *Ad Hebr. 1. v. 14.* ‡ *Divini verbi præcones.* * *In Ancyrato.* † *Qui veritatem tanquam in theatrorum pegmatis ob oculos ponunt auditoribus.* ‡ *Cap 2. verſ. 20. & cap 2. & 3. ſæpius.* ‡ *Medium univerſæ Peloponneſi.* * *Umbilicum.* † *In Corinthiacis.* ‡ *Callimachus hymno in Cererem. Diodorus Siculus lib 5 Cicero Verrina 6.*

‡ *Sophocles in Oedipo tyranno. Eurip. in Med. & alibi. Diodorus Siculus initio libri quincti. Strabo l. 9. Plutarc. lib. de oraculorum defectu. Pauſanias in Phocicis. item Pindari ſcholiaſtes. e Latinis Cicero lib 4. Verr. Act. & auctor obſceni carminis.* * *L. 35. in oratione Alexandri Acarnanis apud Antiochum Regem.* † *Apud Plin. l. 3. c. 12. & Solinum c. 7* ‡ *L. 6. de L. L.* ‡ *Serenus Sammonicus c. 41.* * *Sueton Aug.*

II. Metaphoram vel à simplici similitudine deſumi, vel à proportione: et varia utriusque generis exempla.

MEtaphoram variè varii diſpeſcunt. Ariſtoteli, quantum ex eo odorari licet, duûm eſt generum. Nam cùm è quatuor, quos recenſet, modis, ut ſupra vidimus, duo priores pertineant ad Synecdochen, quartus verò ſit ob proportionem: tertii modi, quo ſpecies pro ſpecie ponitur, illæ Metaphoræ fuerint, in quibus ſimilitudo eſt, aut proportio.

Similitudinem verò, & proportionem, inter ſe plurimùm differre, indicat quoque Ammonius, cùm in protheoriam categoriarum ſcribit, τῶν ὁμωνύμων ἀπὸ διανοίας, τὰ μὲν καθ᾽ ὁμοιότητα λέγεσθαι, τὰ δὲ κατ᾽ ἀναλογίαν *. Differunt autem hæc, quòd ſimilitudo ſit inter duo. E.G. inter Socratem vivum, & pictum: eaque res facit, ut & picturæ tribuatur nomen Socratis. At in proportione bina binis reſpondent. Ita Ariſtoteles in ſecundo de animâ, radicem eſſe ait ori analogam; quia, ut os ſe habet ad animal, ita radix ad plantam. Eſt quidem & hîc ſimilitudo, ſed geminata. Nam & planta confertur cum animali, & radix cum ore; quia radice quidem plantæ, at animalia ore capiunt nutrimentum. Sed remeliginem nobis hâc in parte injicit Fabius lib. quincto cap. undecimo: *Analogiam*, inquit, *quidam à ſimili ſeparaverunt: nos eam ſubjectam huic generi putamus. Nam ut unum ad decem, ſic decem ad centum, ſimile certe eſt* &c. Verùm, quantum videre poſſum, obſervationem hanc nihil admodum tuetur, præter ſcribentis auctoritatem. Nam rectè quidem aſſerit, analogiam ſimilitudini ſubjici, quia latè utitur ſimilitudinis voce, ut tum ſimplicem, tum geminatam comprehendat: ac non iccirco malè alii eam ſepararunt à ſimilitudine, quia oppoſitè hanc vocem uſurpant ut ſolam ſimplicem ſignet. Nihil enim prohibet, idem eſſe generis & ſpeciei nomen, quemadmodum oſtendimus lib. I. cap. IV.

* *Æquivocorum à conſilio, alia dici à ſimilitudine, alia à proportione.*

Atque, ut pleniùs nobis conſtet, quantum duo hæc diſtent tralationum genera, quæ & confudiſſe videri queunt primæ caveæ Rhetores; age aliquammultis utrumque illuſtremus exemplis.

Certè ob ὁμοιότητα †, non ob ἀναλογίαν ‡, vox bovis tranſlata eſt ad elephantum. Auctor nobis ac fundus hujuſce rei eſt Verginius. è cujus commentario Varro lib. VI. de L. L. ſcribit: *ab eo, quod noſtri, cùm maximam quadrupedem, quam ipſi haberent, vocarent bovem; & in Lucaneis, Pyrrhi bello, primùm vidiſſent apud hoſteis elephantos, identidem quadrupedes cornutas; (nam, quos dentes multi dicunt, ſunt cornua) lucam bovem appellâſſe.* Hic quidem locus, apertè ſatis iſtorum acumen retundit, qui in omni metaphorâ requirunt analogiam; contra Verginii mentem; qui elephantum ait non aliam ob cauſſam vocatum eſſe *bovem lucam*, quàm quia priſci illi Romuli nepotes opinarentur, bovem proximè accedere ad elephanti magnitudinem: cujus ratione ſimilitudo inter hæc duo eſt, non quidem propriè, quandoquidem κυρίως ⸸, ut philoſophus ait, ὅμοια ἢ ἀνόμοια κατὰ μόνας τὰς ποιότητας λέγεται *, ſed καταχρηστικῶς †: proportio verò, prout hoc loco ea vox ſumitur, inter ea non eſt. Ac ne ſimplici tibicine videamur hanc fulcire ſententiam, addo, ſimilem eſſe rationem in aliorum animantium nominibus, quæ itidem commutarunt. Nam ſtruthiocamelum, teſte Paullo, qui infrunitè nobis Feſtum mutilavit, dixere *paſſerem*; ſed cum diſcrimine *marinum* ‡; quia trans mare, puta ex Arabia, vel Lybia, advehebatur. Locuti hoc pacto Plautus Perſâ ⸸, & Auſonius epiſt. XI. Aliter, ſcio, Rittershuſius: ſed huic occurrimus lib. III. de Origine & Progreſſu Idololatriæ cap. L II. Haut alio, quàm manſuetis moribus, ovem refert camelopardalis: nomen tamen *ovis fera* invenit, ut apud Plinium Veronenſem * quoque in veteri Parmenſi † editum eſt: ac meritò, cùm haut aliarum ovium inſtar à paſtoribus cuſtodiatur, *fera* eſt dicta; non *ferox* cujuſmodi ſi ſit, fera quidem ſit, at ovis non ſit. Cave autem Perotto credas, qui cùm *ferè* nudâ legiſſet vocali, ἁπλῶς ovem vocatam cenſuit. In annalibus quoque per *urſum Numidicum* debere leonem intelligi, exiſtimabat Belgarum, dum viveret, doctiſſimus Juſtus Lipſius lib. Elect. II. cap. IV. Diuque & ipſi opinionem hanc ſecuti ſumus. Quam poſtea planè nobis exemit ὁ πάνυ Salmaſius, iis, quæ in Plinianis ad Solinum Exercitationibus annotavit *. Non repetam, quæ de eo dicta nobis opere antea memorato †, quod de Idololatria, vel de Theologia gentili, & Phyſiologia Chriſtiana inſcripſimus. Itidem, quòd idem Lipſius inibi pari ratione opinatur, *variam*, h. e. pantheram, dici murem Africanum, id mihi nec veriſimile videtur, nedum verum. Nam, ut de Herodoto, & Ariſtotele, nihil dicam, qui murium Africanorum meminere; apud Plinium quoque, lib. XXX. cap. VI. eodem modo dici *mures Africanos*, quo alibi nominat *mures Ægyptios*, nemo puto inficias eat, qui locum inſpexerit. Quare, cur ita ſenſerit vir ſummus, vellem nos docuiſſet. Metuo, ne ei impoſuerit, quòd Latini ‡ ἁπλῶς interdum *Africanas* pro variis dicant; quia nempe ex Africâ tranſlatæ fuerint in Italiam. Unum præterea iſtiuſmodi metaphoræ exemplum addam, ſed à mutis ad hominem tranſlatum. Nihil certè aliud, quàm ſimplex ſimilitudo, facit, ut ὗς, ſive *porcus*, dicatur de homine corpulentiore habitioreque: ut cùm Dionyſius, Heracleæ Ponticæ tyrannus, quia habitiſſimus erat, apud Menandrum ⸸ ab Heracleotis exulibus audivit παχὺς ὗς *: cumque Catullus ſcripſit:

† *Similitudinem.*
‡ *Proportionem.*
⸸ *Propriè.*
* *Similia, aut diſſimilia, ſecundum ſolas qualitates dicuntur.*
† *Abuſivè.*
‡ *Vide ſis Turnebum Adverſ. lib. 16. cap. 22. Scaligerum. Auſon. lect. lib. 2. cap. 7. & in Cirin. Lipſium Elect. lib. 2. cap. 4. & nos in libris Originum voce paſſer.*
⸸ *Act. 2. ſc. ſtatim hac.*
* *Anni 1476.*
† *Lib. 8. cap. 36.*
* *Pag. 311. & 312.*
† *Lib. 3 de Origine & Progreſſu Idololatriæ, cap. 52.*
‡ *Suetom. in Caligul. c. 18. Plin. l. 8. cap. 17.*
⸸ *Athen. lib. 12.*
* *Porcus pinguis.*

Aut porcus Umber, aut obeſus Etruſcus.

At longè alia eorum ratio eſt, quæ à proportione ducuntur. Ejuſce rei unum idemque exemplum adfert Ariſtoteles in tertio Rhetor. & lib. de Poët. Id verò eſt, ſi ἀσπίδα vocemus φιάλην Ἄρεως, καὶ φιάλην ἀσπίδα Διονύσου †. Nam, ut inibi ait, ὁμοίως ἔχει φιάλη πρὸς Διόνυσον, καὶ ἀσπὶς πρὸς Ἄρην ‡. Quamquam P. Victorius metaphoram hanc improbare videtur; ut qui de eâ hunc in modum commentatus ſit: *Qui clypeum poculum appellabit, contraque poculum clypeum, hic genere hoc tranſlationis uſus fuerit: quamvis fortaſſe hoc nemo acutus vir diceret, quia nimis durum eſſet; ſed in aliâ res procedit.* Mihi verò veriſimile ſit, ita aliquem ex antiquis fuiſſe locutum. Videri poſſit Ariſtoteles eò reſpexiſſe, quòd Timotheus, & Antiphanes in Cæneo, φιάλην τὸ ὅπλον Ἄρεως * dixerint: ut eſt apud Athenæum in decimo: ubi etiam ſic appellari poſſe cenſet poculum, quicum militiam obibat Neſtor. Sed magis hujus fuerit loci, ſi τὸ ὅπλον φιάλην Ἄρεως † vocarint. Nam φιάλη τὸ ὅπλον Διονύσου *. Quicquid eſt, Comicis, quales Timotheus & Antiphanes fuere, ſatis convenit, ſpumantem pateram dicere Bacchi arma: etſi aliter Victorio videatur. Veruntamen, quia nihil tam perſpicuum eſt, quod non aliquis in controverſiam rapiat: age alterum, ſed pervulgatius, quodque nemo, ut durum nimis, reſpuere auſit, priori addamus exemplum. Certè auriga eo modo ſe habet ad currum, quo gubernator ad navim. Itaque & gubernator ponitur pro aurigâ: ut, *Cumque gubernator magnâ contorſit equum* † *vi* ‡: & auriga viciſſim accipitur pro gubernatore: ut, *Tiphyn aurigam celeris fecere carinæ* ⸸: & apud Naſonem *, *Aurigam video vela dediſſe rati.* Quin ob hanc ἀναλογίαν Græci quoque pro navi dixere ἅρμα, & ὄχος, Latini *currum*, *vehiculum*, *plauſtrum*: quemadmodum in Curis ſecundis ad Nonni paraphraſin oſtendit præceptor meus, Franciſcus Nanſius, Franconatium priùs in Flandriâ decurio perpetuus; pòſt, turbatis Belgicæ rebus, in gymnaſio Dordrechtano Græcæ linguæ Profeſſor.

† *Scutum phialam Martis, & phialam ſcutum Bacchi.*
‡ *Similiter ſe habet phiala ad Bacchum, atque ſcutum ad Martem.*
* *Phialam arma Martis.*
† *Scutum poculum Martis.*
* *Poculum ſcutum Bacchi.*
† *Nonnulli codd. vett. equos.*
‡ *Citant Fabius, Chariſius, & Diomed.*
⸸ *Citat idem Chariſ. lib. 4. & Diomed l. 2.*
* *1. Triſt. Eleg. 3.*

III. Metaphoram vel reciprocam eſſe, vel unius partis.

EST & altera metaphoræ diviſio, quia alia eſt ἀντίστροφος, ac utrimque commutabilis, alia ἀνανταπόδοτος, ſive unius partis.

Ἀντί-

Ἀκόλουθον cernere fuit in utroque exemplo tranſlationis à proportione ductæ. Par eſſe ratio videtur in nominibus, *campi*, & *æquoris*. Nam cum Siculis, auctore Heſychio, hippodromus diceretur καμπός, (nempe ἀπὸ τῆς καμπῆς, i. flexu, qualis fiebat in circis poſt metam fervidis evitatam rotis, ut loquitur poëta *) Latini quidem, ubicunque eſſet ſoli planicies flectendis equis idonea, id συνεκδοχικῶς generis *campum* appellarunt. At in mari planicies ejus, cùm non turbat, ſed placidum ſtat ventis, ab æquitate dixere *maris æquor* †, vel ſimpliciter *æquor*: quemadmodum & *aqua*, juxta Varronis, Julii Scaligeri, ac aliorum etiam ſententiam, (ille ‡ *aquam* ab æquore, hic ⸸ *æquor* ab aqua, nos cum Caninio, & *aquam*, & *æquor*, ab Dorico αἰκός, hoc eſt, *æquus*, ſive *lævis* deducimus) quemadmodum, inquam, *aqua* propriè eſt, cùm æqua: *unda* verò in tempeſtatibus: unde Plautus *: *Tam placida eſt, quàm aqua.* Videmus autem, poëtas ſignificationes haſce principes, ac nativas, in *campi*, & *æquoris*, nominibus commutaſſe. Nam & de æquore ait poëta 1. Æn.

—— Campos ſalis ære ruebant:

& viciſſim de campis ſive agris idem inquit 1 Georg.

At priùs ignotum ferro quàm ſcindimus æquor.

Quemadmodum de terrâ quoque conjunctim interdum dicitur *æquora campi*. Lucret. lib. III. *Volv tur, & plani raptim petit æquora campi.* Cicero lib. 1. de Divin. *Babylonis in camporum patentium æquoribus habitantes.* Et apud Sidonium lib. IV. epiſt. XXI. eo ſic modo legere eſt: *Taceo illud æquor agrorum.*

Similis eſt ratio in eo, quòd & *flores* pro ſtellis, & *ſtellæ ſideraque* pro floribus ponuntur: quia nempe, quod in cœlo ſunt ſtellæ, id in terra ſunt flores. Flores quidem pro ſtellis dixit Manilius lib. V.

Tunc conferta licet cœli fulgentia templa
Cernere ſeminibus denſis, totiſque micare
Floribus, ut ſicca curvum per littus arena.

Ac ſimili tralatione Plato cœlum vocat λειμῶνα *, ut etiam Clemens Alexandrinus obſervat in V. Στρωματέων. Atque ejus exemplo Georgius Piſides † nuncupat λειμῶνα πολυών ἀστέρων ‡. Contrà *ſtellas* pro floribus dixit Columella:

Verùm ubi jam puro diſcrimine pectita tellus
Depoſito ſquallore nitens ſua ſemina poſcit,
Pingit & varios terreſtria ſidera flores.

Sillius lib. undecimo:

—— Monſtrant Capitolia celſa,
Stellanteſque docent campos, Cereremque benignam.

Cui ſimile, quòd Pindarus ⸸ floribus tribuit παμπορφύρους ἀκτῖνας *. Ubi ſcholiaſtem vide.

Itidem commutantur nomina *alti*, & *profundi*: unde *cœlum profundum* dicitur, & *altum* pro *mari* uſurpatur. Reciprocus etiam eſt uſus *canis*, & *cuſtodis*. Nam Æſchylus Agamemnone eos, qui rerum cuſtodias agunt, vocat κύνας, ſive *canes*. Ac ſimiliter Seneca lib. III. de Ira, ianitorem priùs *oſtiarium*, mox *canem* appellat *catenarium*: quia nempe olim cùm canes, tum cuſtodes etiam, ſive janitores, in catenis erant. Viciſſim Virgilius † de Cerbero dixit, *cuſtode ſepulto*: quomodo & auctor obſceni carminis loquitur, & Columella lib. VII. cap. XII.

Sed de metaphorâ utrimque commutabili ſatis multa. Accedamus ad ἀνακόλουθον, quam paucis perſtringere viſum. Paſſim enim ſe ejus exempla offerunt.

Eſt verò hujuſcemodi tralatio, quòd Homerus inferiorem montis Idæ partem, voce ab animalibus ductâ, vocat πόδα, ſive *pedem*. Nam non viciſſim pedem animalis liceat vocare ὑπώρειαν, quæ vox ſignificat *radices montis*, ut Cæſar ‡ vocat. Nec *cœli* nomen accommodetur æquori; licet *æquoris* vox transferatur ad cœlum. Attius in Atreo ⸸:

Sed quid tonitru turbida torvo
Concuſſa repente æquora cœli
Senſimus ſonere?

Hujus diſparilitatis manifeſta eſt ratio. Nam quòd *æquor* ab æquitate diceretur: aliis etiam, ubi in planitie nihil emineret, vox ea accommodari potuit. Niſi quis dicere malit, primò nomen *æquoris* generale fuiſſe, ita ut omnibus, quæ planitiem haberent æquabilem, conveniret: poſtea verò κατ' ἐξοχὴν fuiſſe mari attributum.

* Horat. od. 1. lib. 1.
† Virgil. 3. Georg.
‡ Lib. 4. de L. L.
⸸ Lib. 2. de L. L. c. 26. & 28.
* Moſtell. act 3. ſc. 2.
* Pratum.
† In Hexametro.
‡ Pratum multarum ſtellarum.
⸸ Od. 6.
* Radios omnino purpureos.
† 6. Æn.
‡ Lib. 1. de bello Gall.
⸸ Apud. Non. in Sonere pro Sonare.

IV. Tertia metaphoræ diviſio, in eam, quæ à meliori, et illam quæ petitur à deteriori.

SUmitur metaphora vel à meliori ad ornandum, vel à pejori ad vituperandum. Prioris generis exemplum facit Ariſtoteles *, ſi dicas, τὸ πτωχεύοντα εὔχεσθαι †: poſterioris, cùm dicitur, τὸ εὐχόμενον πτωχεύειν ‡. Nam utrumque eſt αἰτεῖν, ſive *petere*: ſed πτωχεύειν mendicabula; εὔχεσθαι verò honeſtum eſt, ut quod, ſi Euſtathium ⸸ audimus, dicatur quaſi εὖ ἴσχεσθαι ὁ θεός. Certe, ut è ſexto Platonis de legibus cognoſcere eſt, utimur eo, cùm aliquid a Deo petimus; eoque & templa, quæ Judæi inter gentes habebant, meritò appellarunt *proſeuchas*. Unde Juvenal. ſat. III. *In quâ te quæro proſeuchâ.* Ubi vetus interpres: *Proſeucha locum Judæorum, ubi orant.* Nec de illâ mendicandi notione Latinorum deficit auctoritas. Nam Plauti * eſt: *Quia ſenectâ ætate à me mendicat malum.* Et Prudentii περὶ στεφ. † *Dum ſpurca mendicat ſtupra.*

Geminum huic exemplum ex eodem Ariſtotele adtexam. In ſacris Ideæ matris honeſtius erat eorum munus, qui, quòd lampades geſtarent, δᾳδοῦχοι vocabantur. At illaudatius erat illorum, qui eò quòd pro magnâ matre ærulcarent, μητραγύρται audiebant. Prioris itaque generis tranſlatio fuerit, ſi metragyrtam daduchi, h. e. tædiferi nomine digneris. At poſterioris exemplum eſt, quòd Iphicrates Calliam, qui dadachus ‡ erat, vocabat μητραγύρτην ⸸, h. e. *æruſcatorem*, ſive *aſculatorem* magnæ matris. Ita enim ex Feſto, & veteribus gloſſis, vocem hanc interpretandam cenſeo. Nam etſi ii, qui ſtipem cogebant, è famulorum erant numero, ut ſcimus è ſecundo Ciceronis de Legg.: cùm tamen plura eſſe potuerint miniſtrorum genera, quorum aliqua non cogerent ſtipem, minùs ſatisfacit Majoragius, cùm vertit *famulos Ideæ matris*. Eò autem μητραγυρτῶν appellatio erat illaudatior, quia non multùm differre viderentur ab aliis mendicabulis: fortaſſe etiam deteriores forent; quandoquidem religionis prætextu fucum facerent ſimplicioribus. Nam & ſuperſtitione animos implebant, & exhauriebant ædes: unde lege apud Romanos cautum fuit, ut tantummodo *juſtis diebus cogerent ſtipem*; quemadmodum ex Tullio * cognoſcimus.

V. Nihil eſſe, à quo non metaphora duci poſſit. Quod penè omnis generis exemplis comprobatur.

MEtaphoræ ſumuntur à quibuſlibet rebus. I. Ac primò à divinis. Ut apud Ciceronem †: *Deus ille noſter Plato.* Et illo Cæcilii Comici apud Symmachum ‡:

Homo homini Deus eſt, ſi ſuum officium ſciat.

Item apud Martialem ⸸ eſt magnificum iſthoc Romæ elogium:

Terrarum Dea gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Niſi malis, Deæ vocem hic propriè accipi, quia ſit, ut apud Poëtam * eſt,

Inter ſidereos Roma recepta polos.

Deæ quidem Romæ, ac templi ejus, meminere Livius lib. XLIII. Tacitus lib. IV. Annal. Claudianus lib. II. de laudibus Stiliconis, Prudentius lib. I. adverſus Symmachum, Ammianus Marcellinus lib. XVI. Spartianus in Hadriano, & antiqui cùm nummi, tum lapides. A divinis quoque eſt, cùm Ennius †, Græcos ſecutus, quibus, auctore Suidâ, quicquid delicatum eſt, vocatur Διὸς ἐγκέφαλος, ſcarum appellavit *Jovis cerebrum*: ac putavit parœmiographus, Euripidem eodem modo dixiſſe Διὸς γάλα *: quomodo in Euripideo verſu legitur apud Athenæum lib. IV. Verùm rectè doctiſſimus Caſaubonus † ex Euripidis Cyclope, legendum monet, βοὸς γάλα ‡, ut nulla hìc ſit vel metaphora, vel parœmia. Magis hujus loci eſt, quòd ὀστάκιον (ita oſtrei

* 3. Rhetor.
† Mendicantem precari.
‡ Precantem mendicare.
⸸ In Iliad. H p 674. edit Rom.
* Amphitr. act. 4 ſc. 2.
† Hymno 2.
‡ Xenophon lib. 6. de rebus Græcorum.
⸸ Triſt. 3. Rhet.
* Lib. 2. de Legg.
† Epiſt. 16 lib. 4. ad Att.
‡ Lib. 9. ep. 108.
⸸ Lib. 11. epig 8.
* Cl. Rutil. lib. 1. Itinerarii.
† In Phagetiorum fragmentis apud Apuleium Apol. 1.
* Jovis lac.
† Lib. 14. cap. 22.
‡ Bovis lac.

oſtrei genus vocabatur) ab Æolibus dictum ὗς Ἀφροδίτης*, ut ex Antigono Caryſtio docet Athenæus. Ambigi autem poſſit, num tranſlationibus iis, quæ ſumuntur à rebus divinis, an poëticis potiùs figmentis, accenſeri debeat, quòd in Matronis parodiâ, ſoleæ, planique omnes piſces, dicuntur *σάνδαλα ἀθανάτων*, *ſandalia immortalium*; Nereidum puta, aliarumque Nympharum marinarum. Non tamen veriſimile ſatis figmentum erit, nymphas pro ſoleis uti planis piſcibus: eoque eſt credibilius, poëtam ſic piſces eos vocâſſe, quia ſoleas nympharum referrent. Itidem ad tralationem referre non dubitem, quòd Eubulus †, & Alexis ‡, ſcintillas è ligno ardenti proſilientes, vel ut Caſaubonus * mavult, coqui diſcipulos, vocabant Ἡφαίστου κύνας †.

II. ducuntur metaphoræ à cœleſtibus. Quomodo Periclem Olympium ‡ cognominarunt διὰ τὸ ἐν τοῖς κατορθώμασι μεγαλειότητος *, ut in progymnaſmatis ſcribit Theon: vel potiùs, quòd Plutarchus ‡ cenſet, ob eloquentiam; quomodo & Ciceroni *cæleſtiſſimum os* tribuit Paterculus.

III. ab elementis. Ut apud Plautum Pſeudolo *, *conſilii gutta:* apud Maronem in II. Georg. *unda ſalutantum*, pro copia. Quæ ab aqua ſunt. Lucretii eſt lib. II.

Quæ placidum degunt ævum, vitamque ſerenam.

Quod ab aëre petitum. Senecæ eſt lib. VII. de beneficiis cap. IX: *Video iſtic cryſtallina, quorum accendit fragilitas pretium.* Cui geminum apud Quinctilianum declamat. XII, *annonæ incendium:* & apud Varronem lib. III. de R. R. cap. II. *incendere*, vel *excandeſacere annonam:* quæ loquendi ratio ſumitur ab igne, quo nihil vehementius, ut nihil annonæ caritate gravius. Non jam diſtinguo ἀκριβῶς † inter ignem elementarem, & noſtrum, qui exceſſus eſt caloris in elemento alieno.

Interdum verò etiam ab elemento uno ad aliud ducitur tranſlatio. Ita ſcimus, Græcos poëtas Ætnæum incendium vocare ποταμὸν πυρὸς ‡. Ac Maro ſimiliter I. Georg.

—— Undantem ruptis fornacibus Ætnam.

Et Cornelius Severus in Ætna: *Ignibus irriguis urat.*

IV. à meteoris, eorumque effectis. Ut cùm Græci νέφος, & ὄμβρος, Latini *nubem*, *imbrem*, *nimbum*, ac *grandinem*, etiam pro copia uſurpant: cùm item illi νέφος ὀφρύων, *hi nubeculam frontis* dicunt. aut cùm illi Ptolemæum, Philadelphi fratrem, Pauſania * teſte, κεραυνὸν † vocarunt propter audaciam: cui ſimile, quòd Maro Scipiadas appellat ‡ *belli fulmina:* cùm item dicimus *attonitum* pro perculſo, quæ vox propriè ſignat ἐμβροντηθέντα, & vicini fulminis caſu, ac ſonitu tonitruum, ſtupentem.

V. à perfectè mixtis inanimis: uti ſunt metalla, & lapides, quæ malè à Cardano * in numero animatorum reponi, rectè oſtendit Jul. Scaliger exercitatione CI. & CII. Ducitur autem ab his metaphora, cùm *adamantinus* accipitur pro duro inſtar adamantis: quomodo eam vocem exponunt Heſiodi & Apollonii interpres, itemque Tzetzes comment. in Lycophr. Eâ certè ratione Marti quoque *tunicam adamantinam* tribuit Horat. lib. I. od. VI. Par ratio, cùm λίθος, aut *lapis*, ponitur pro ſtupido. Ut in illo Ariſtophanis in Nubibus: λίθοι, ἀριθμοί, πρόβατα †. Item apud Plautum ‡.

Egomet credidi

Homini docto rem mandare: is lapidi mando maximo.

Et Terentium *:

Quot res dedere, uti poſſem perſentiſcere,

Ni eſſem lapis.

Neque abhorret ab hâc metaphorâ Græcorum ἠλίθιος. Nam, ut docent Etymologus, & Ariſtophanis interpres †, venit à λίθος per πρόσθεσιν τοῦ η, quomodo & à βαιὸς ‡ venit ἠβαιός, & à θεῖος ἠθεῖος; ut quoque ſcribit Apollonii Scholiaſtes *. Sed & λιθοῦσθαι dicunt, quos obſtupefacit atque attonitos reddit admiratio rei: unde ortum eſt commentum de capite Gorgûs.

VI. à plantis. Quomodo Cicero in Miloniana ait, *Delegit à florentiſſimis ordinibus ipſa lumina.* Ubi, elegantiſſimo loquendi genere, *lumina florentiſſimorum ordinum* dixiſſe mihi videtur, quomodo Homerus inquit, ἄνθος πυρὸς *, ac Lucretius ‡, *florentia lumina flammis.* Quomodo item Homerus ζώπυρον, ſive πυρδάλον, (hoc eſt, ignem cineribus obrutum; *igniculos* nominat Cicero) σπέρμα πυρὸς * vocat: quod imitans Maro † *ſemina flammæ* dixit. Excerpta etiam ἄνθη, ac *flores* dixere. Ut Tullius ad Atticum ‡: *Noſtrum opus tibi probari lætor: ex quo ἄνθη ipſa poſuiſti, quæ mihi florentiora ſunt viſa tuo judicio.* Hinc Appulejus operi ſuo Floridorum nomen dedit. Ut quo complexus eſſet excerpta quædam ex ſchedis ſuis, eo fine redacta in libellos quatuor, ut inde venuſtula quædam depromeret, ſi fortè cogeretur dicere imparatior. Atque hæc etiam cauſſa eſt, cur pluribus locis vix cohæreant. A plantis etiam eſt, quòd Græci dicunt ἄωρον θάνατον, & ὀμφακίας νεκρὸς, Latini *funera acerba*, aut *immatura*. Nam, ut in primo prognoſticôn ait Julianus, Archiepiſcopus Toletanus, ex quo idem poſtea deſcripſit Iſidorus *) *tria ſunt genera mortis; acerba, immatura, naturalis: acerba infantum, immatura juvenum, naturalis ſenum.* Quod tamen diſcrimen non ſemper obſervatur: quia Latinis *acerba* eorum omnium funera dicuntur, qui ante diem denaſcuntur. Unde Plautus Amphitr. †.

Qui multa Thebano populò acerba objecit funera.

VII. ab animali communiter. Ut cùm Cicero Tuſcul. V. *caput cœnæ* dicit pro primo ferculo cœnæ propriè ita dictæ, quam antecedebat promulſis ſive antecœnium: conſequebantur verò τραγήματα, ſeu bellaria, quæ & menſas ſecundas dicimus. Item cùm *ocellos* vocabant, quæ laudabant. Catullus:

Peninſularum Sirmio, inſularumque Ocelle.

Eodemque modo loquitur Cicero epiſt. VI. lib. XVI: item Pindarus, ut obſervavit Victorius in Variis ſuis ‡. Hujus quoque loci eſt *ventrem facere* de pariete uſurpatum. Alphenus J. C. *Siquando inter ædes binas paries eſſet, qui ita ventrem faceret, ut in vicini domum ſemipedem, aut amplius procumberet.* Quomodo & Galli loqui amant: *Ceſte paroy fait ventre.* Aut cùm fluvio *pes* tribuitur. Virgil. in Culice:

Caſtalia & reſonans liquido pede labitur unda.

Horat. od. XVI. lib. epod.

Levis crepante lumfa deſilit pede.

Item cùm *vulnus* tribuitur navi: ut apud Valerium Flaccum lib. I. ubi ait Argo, id curæ fuiſſe, —— *ne quâ*

Parte trahat tacitum puppis mare: fiſſaque fluctu

Vel pice vel molli concludere vulnera cerâ.

Unde obiter etiam diſcimus, navium rimas cerâ ſolere obturari: quod paucis obſervatum arbitror. Item ab animali eſt, cùm Plauto * dicitur *ignis vivere:* aut Lucretio † *nubes ignem trucidare.* Crebrò etiam legas, *occiſam*, vel *interfectam rem*, quæ periit. Ut apud eundem Comicum Mercatore ‡:

Uſus, fructus, victus, cultus jam mihi harunce ædium

Interemtu'ſt, interfectu'ſt, alienatu'ſt, occidi.

Et Captivis *:

Occiſa eſt hæc res, niſi reperio atrocem mihi aliquam aſtutiam.

Eodemque modo loquitur Pſeudolo †: nec-non Menechmis ‡; ut Nonius quoque annotavit. Sed & L. II. C. Theodoſiani, Unde vi, legimus, *reparationem negotii ſemel interfecti poſtulare.* Eſtque ſimile planè *interficere virginitatem:* quomodo loquitur Appulejus *: & cum Plauto † *virga miſera* dicuntur *mori in tergo* alicujus: item Ariſtophanicum illud, τὸ τρύβλιον τέθνηκε, pro κέκλασται.

VIII. à mutis, ἢ ἀλόγοις †, idque diverſimodè. Eſt cum eorum nomina commutantur: quomodo bovis nomen elephanto accommodari antè diximus. Locutus hoc pacto Lucretius lib. V:

Inde boves lucas turrito corpore.

Item

* *Auris Veneris.*
† *Apud Athenæum lib. 3. & 6.*
‡ *Apud eundem. lib. 9.*
* *Lib. 14 Animadverſ. in Athen. cap. 22.*
† *Vulcani canes.*
‡ *Plin lib. 34 c 8. & in aliis.*
* *Ob magnitudinem rerum præclare geſtarum.*
‡ *In Pericle.*
* *Act. 1. ſc. 4.*
† *Accuratè.*
‡ *Fluvium ignis.*
* *In Phocicis.*
† *Fulmen.*
‡ *Æn. 6*
* *Lib. 5. de ſubtilit.*
† *Lapides, numeri, oves.*
‡ *Mercat. Scen. ſumne ego homo.*
* *Heaut. act 5. ſc. 1.*
† *In equit.*
‡ *Hedyli epigr. apud Athen. l. 8*
* *Ad ſinem ſecundi Ἀrγon.*
* *Florem ignis, ut loquitur & Capella lib. 2.*
‡ *Lib. 4.*
* *Odyſſ. E.*
† *Initio 6. Æn.*
‡ *Lib. 16. epiſt. 2.*
* *Lib. 11. Origin. cap. 2.*
† *Act. 1. ſc. 1.*
‡ *Lib. 9. cap. 9.*
* *Aulul.*
† *Lib. 6.*
‡ *Act. 5. ſc. 1.*
* *Scen. Quo illum nunc.*
† *Act. 1. ſc. ſi domnoſis.*
‡ *Act. 3. ſc. 2.*
* *Lib. 5. Metam.*
† *Captivis act. 3. ſc. 4.*
‡ *Rationis expertibus.*

Item Seneca Hippolyto *, Sillius lib. IX, Auſonius epiſt. XV.

Eſt item, cum eorum nomina attribuuntur inanimis: ut *aries*, machinæ bellicæ: *canis*, vel *caſellus*, catenæ: quò pertinet hoc Plauti Curcul. †.

——*Cum caſello ut accubes*

Ferreo, ego dico.

Eſt etiam, cùm tribuuntur hominibus. Ut leo, vel tigris, pro homine efferro. Unde fabula Orphei, & Amphionis, ut Horatius oſtendit epiſt. ad Piſones. Item in illo Stratonici de citharistâ, non tam artis peritiâ, quàm mole corporis, commendabili, οὐδεὶς, κακὸς, ἰχθὺς, μέγας. Ita enim, ut ex Athenæo ‡ diſcimus, veterem adagionem diviſis efferebat vocibus: pro quo conjunctis dici ſolet, οὐδεὶς κακὸς ἰχθὺς μέγας, *nullus magnus piſcis malus.* Atque hoc ab aquatilibus eſt. A volucribus eſt, quòd Callimachus Apollonium Rhodium, diſcipulum ingratum, maledico ſuo carmine Ibin vocavit, teſte Suida: quodque ejus exemplo Ovidius, ſive Mæcenatem, ut quorundam opinio eſt, ſive alium, ſic nuncupavit, quia poëtæ uxorem ſollicitaret, atque auctor foret Auguſto, ut ne maritus ejus ab exilio revocaretur. Item quando Comicis Græcis πέρδιξ vel pro libidinoſo uſurpatur; quomodo Cleombrotum perdicis filium vocabat Phrynichus: vel pro verſuto; quo pacto Ariſtophanes utitur in Avibus. Utrumque certè in perdicis ingenio; libido, & aſtutia. ejuſdem generis eſt, quòd *cuculos* vocarent eos, qui, cùm uxorem haberent domi, alias tamen amarent. Ita bis loquitur Plautus Aſinariâ *. In cauſſa eſt, quòd avis ea in alieno pariat nido, ac pulli ejus ab aliis educentur avibus: quâ de re Antigonum Cariſtium vide in Narrat. Mirab. tmemat. I, ac inprimis c IX. A quadrupedibus eſt, quòd meretricem dixere *lupam*: unde *lupanar*, & fabula de lupâ Romulo & Remo ubera admovente: quæ Fauſtuli paſtoris uxor erat, femina proſtituti pudoris †. Simile eſt, quòd maledicos nominarunt *canes*: quæ res locum præbuit fabulæ de Hecubâ in canem verſâ. Plautus Menæchmis ‡:

Me. *Non tu ſcis, mulier, Hecubam quapropter canem*
Graji eſſe prædicabant? Mu. *non equidem ſcio.*
Me. *Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis.*
Omnia mala ingerebat, quemquem adſpexerat.
Itaque adeò jure cœpta appellari eſt canis.

Ita Zoilus quoque ob maledicentiam in Homerum, ac Platonem, dictus eſt κύων ῥητορικὸς *, teſte Æliano †: quamquam hoc de Zoilo honeſtè ſatis ſenſiſſe videri poteſt ſummi judicii rhetor, Dionyſius Halicarnaſſenſis ‡: quippe qui eum jungat Ariſtoteli, atque aliquammultis aliis viris magnis; à quibus, ſolo veritatis amore, reprehenſum eſſe Platonem ait; extremùm addens, ſe quoque, tot tantorumque virorum exemplo, in Platonis virtutes vitiaque inquirere. Eſt denique, cùm non quidem mutorum nomina, veruntamen ea, quæ mutis propria ſunt, ad inanima, vel homines, transferuntur. Ut *ala* de velis. Notum Maronis illud *:

——*Velorum pandimus alas.*

Volare, item pro *celeriter ire*: quomodo Terentius † uſurpat. Atque hujuſmodi tralationes præbuere occaſionem fabulæ de Dædalo, & Icaro: uti & de Perſeo advolante ad pugnam cum ceto marino, h. e. quodam maria & terras claſſe ſuâ infeſtante, cui Cepheus Andromedam deſpondere erat coactus. Multo etiam plurima eſſe petita ab ἀλόγων ‡ vocibus, docet Varro lib. VI. de L. L. Locus in vulgatis eſt ſoricinâ næniâ conſoſſior. Quare eum adſcribam, prout emendavit alter Varro, Joſ. Scaliger: *Multa*, inquit, *ab animalium vocibus tranſlata in homines; partim quæ ſunt aperta, partim obſcura. Perſpicua, ut Ennii, Animuſque in pectore latrat. Plauti, Oggannit odioſus omni toti familiæ. Cæcilii, Tantam rem dibalare, ut pro nihilo habueris. Lucilii, Hæc inquam rudet è roſtris, atque heiliſabit. Ejuſdem, Quantum hinnitum atque equitatum. Cùm minus apta: Porcii ab lupo, volutares ululantes. Ennii à vitulo, Tibicina maximo labore mugit. Ejuſdem à bove, Clamore bovantes. Ejuſdem à leone, Pauſam fecere fremendi. Ejuſdem ab hædo, Clamor it ad cælum, volitatque per æthera vagor. Ejuſdem ab hirundine, Nefrende fritinni ſuaviter. M. Accius in Caſinâ à fringuilla, Quid fringutis? Quid iſtuc tam cupidè cupis? A ſue, Suboluerat, ita rudebat.* Sed Ennii de vagitu verſus longiùs recedit ab editione Romanâ Antonii Auguſtini, in quâ eſt,

Clamor ad cælum volvendu' per æthera vagit.

Atque ita & antiqua Mediolanenſis *, & eà poſterior Aldina, & reliquæ inde conſecutæ. Ut non alia ſit immutatione opus, quàm ut, metri cauſſâ, *clamos* pro *clamor* ſcribamus. Vagitum autem, ut Varro hîc ait, hædorum eſſe proprium, etiam ex illo Plauti liquet in Pœnuli prologo:

Neve eſurientes hîc, quaſi hædi, obvagiant.

IX. tranſlatio ducitur ab hominibus. Ut cùm Euripides in Alceſtide mortem vocat ἱερῆ θανόντων †, quia nempe, ſacerdotis inſtar, homines Diti mactet, atque offerat. Item cùm Attius apud Nonium ‡, & Catullus etiam, mari tribuunt cachinnos: à quo non abludit hoc Æſchyli in Prometheo δεσμώτῃ:

——Ποντίων τε κυμάτων
Ἀνήριθμον γέλασμα *.

Quem in locum ſcholiaſtem † vide. Cato de re ruſt. cap. I: *Oppidum validum prope ſiet, aut mare, aut amnis, qua naves ambulant.* Virgilius ‡:

Mene ſalis placidi vultum, fluctuſque quietos,
Ignorare jubes? Nam vultui ex eo nomen, quod voluntatis ſit index, eoque *in nullo eſſe, præter hominem, poteſt*: ut ſcribit Tullius in primo de Legg. Ab hominibus etiam, niſi univerſè ab animalibus malis, eſt hoc Catullianum * de mari:

Ipſius ante pedes ſpumæ ſalis alludebant.

Ubi Bernardinus Realinus † legere jubebat *allidebant.* Nempe non attendit, ſimile eſſe iſti Tibulliano ‡:

Ima videbatur talis illudere palla.

Simile etiam, cùm gloria dicitur laboris ſitia, ſecundùm illud, Πονοῦντι δ' ἐκ θεῶν ὀφείλεται τίνουμα τὸ σὺν κλέος *.

X. ab artificialibus. Ut cùm quis ingenium *habere in numerato* † dicitur. h. e. ingenio eſſe ſollerti ad res omnes ex tempore conficiendas. Tralatio eſt à pecuniis. Item in illo Plauti Perſâ ‡: *Nunquam ego te tam eſſe matulam credidi.* Sic χύτρα pro oſculi genere, quo aures comprehendebant. Vide de eo Pollucem: & quæ de hoc à Joſepho Scaligero, etſi diſſimulet, edoctus, annotavit in Variis Lect. * Guilhelmus Canterus. Item *remigium alarum*: quo Maro uſus in Dædalo †: non etiam in apibus; quod memoriæ errore Fabius ‡ ſcripſit. Appion etiam Plitonices, ſeu πλειστονίκης, contra quem Joſephus ſcripſit, à Tiberio Cæſare vocatus eſt *mundi cymbalum*; quamquam, ut Plinius * refert, publicæ famæ tympanum potiùs videri poterat. Helvius Pertinax, (qui malè vulgò *Ælius* dicitur) quòd multis fortunæ caſibus exercitus foret, *fortunæ pila* † pervulgatè vocabatur. Longinus Rhetor, teſte Eunapio, audivit *bibliotheca viva*, & *ambulans muſeum*; quo etiam elogio Phil. Beroaldum dignatus eſt Picus Mirandulanus. Et ut alterum etiam de junioribus adjungam, Conradus Celtes, primus Germaniæ poëta laureatus, dicebat, quatuor eſſe vitæ vehicula, ſomnum, vinum, amicum, & philoſophiam.

Nihil denique eſt, à quo non ſimilitudo, ac proinde metaphora, duci poſſit; ut fruſtra ſit, qui hanc rem exiguis poſſe cancellis circumſcribi exiſtimet.

XI. Imò videor mihi & novum obſervâſſe tralationis genus: quòd petatur non à rebus, ſed à verbis: ut in illo apud Athenæum ‡, & alios *: Μὴ δεῖν τὸν Οἰνέα Πηλέα ποιεῖν. Quo ſignificatur, pincernam non debere vinum effundere in terram, quomodo lutum fieret. Nempe Οἰνεύς, & Πηλεύς, quæ heroum ſunt nomina, ponuntur pro οἶνος †, & πηλὸς ‡: idque non aliâ de cauſſâ, quàm

Marginal notes (left column): * Act. 1. verſ 350. — † Act. 5. ſc. 3. — ‡ Lib. 8. — * Act. 5. ſc. 2. — † Dionyſ. Liv. Plut. Eutrop. item Lactant. l. 1. c. 20. & Euſeb. in Chron. — ‡ Act. 5. ſc. 1. — * Canis Rhetoricus. — † Var. Hiſt. l. 11. c. 10. — ‡ Epiſt. ad Cn. Pompejum. — * 3. Æn. — † Hecyr. act. 3. ſc. 4. — ‡ Rationis expertium.

Marginal notes (right column): * Anno 1500. — † Mortuorum ſacerdotem. — ‡ In Cachinnare. — * Fluctuum marinorum innumerum riſum. — † Pag. 10. & 11. edit. H. St. — ‡ Æn. 5. — * Carm. de Nuptiis Pelei, & Thetidos. — † Commentario in Catullum. — ‡ Lib. 3. eleg. 4. — * Laboranti debetur divinitus proles laboris gloria. — † Auguſtus de Vinicio, teſte Seneca, & Fabius lib. 6. c. 4. — ‡ Act. 4. ſc. cui homini. — * Lib. 6. cap. 25. — † Æn. 6. — ‡ Lib. 8. cap. 6. — * Præfat. in nat. Hiſtor. — † Sex. Aurel. Victor. — ‡ Lib. 9. — * Demetrium ἐν ἰαμβείοις. & Euſtathium in Iliad. 1. pag. 772. edit. Rom. — † Vinum. — ‡ Lutum.

quàm ob vocum ſimilitudinem; ut hujuſmodi commutatio nonniſi ad metaphoram referri poſſe videatur. Eſt & nominis ſimilitudo, cùm vox una ſignificationes habet diverſas. Ut *invocatus* de eo, cujus nomen in talorum jactu, felicis ominis cauſsâ, invocaretur: item de eo, qui non vocatus convivium accedit. Ac nugatur paraſitus apud Plautum *, quia hoc ſimile habeat cum ſcorto, quòd utrique *invocati* vox conveniat, etſi diſpari ſignificatione; eò & ſibi *ſcorti* nomen tributum eſſe. Sic enim loquitur:

Inventus nomen indidit ſcorto mihi,
Eò quia invocatus ſoleo eſſe in convivio.
Scio, abſurdè dictum hoc, deriſores dicere.
At ego aio, rectè. nam in convivio ſibi
Amator, talos cùm jacit, ſcortum invocat.
Eſtne invocatum, an non? planiſſimè.
Verùm hercle, verùm nos paraſiti planiùs,
Quos nunquam quiſquam neque vocat, neque invocat.

Sed hujuſmodi, ut in ſcena habent locum ad riſum captandum, ita extra eam frigent: quod neque ſe neſciſſe, ſatis indicat Plautus, cùm ait,

Scio, abſurdè dictum hoc, deriſores dicere.

* Capt. 1. 1.

VI. Quæ metaphoræ inprimis commendentur.

EX hiſce autem tam variis tralationum generibus, Ariſtoteles, & Dionyſius, optimas eſſe ſtatuunt, quæ ducuntur à proportione. Verùm ex iis ipſis, in quibus analogia illa cernitur, ſubinde aliæ quoque aliis antiſtant. Ariſtoteli, ut & Demetrio, optima videtur eſſe ἡ κατ' ἐνέργειαν καλουμένη, ὅταν τὰ ἄψυχα ἐνεργοῦντα εἰσάγηται καθάπερ ἔμψυχα· *quæ in actu eſt, atque ita vocatur, eo quòd res inanimas aliquid agentes inducat, tanquam animâ ac ſenſu præditas.* Eadem eſt ſententia Fabii lib. VIII. *Præcipuè*, inquit, *ex his oritur mira ſublimitas, quæ audaciâ proxima, periculo tranſlationis attolluntur. Ut † cùm rebus ſenſu carentibus actum quendam, & animos, damus: qualis eſt, Pontem indignatus Araxes: & illa Ciceronis. Quid enim tuus ille diſtrictus in acie Pharſalicâ gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum?* De re ipſâ optimè Quinctilianus, uti & de Maronis exemplo: non item de poſteriori, quòd è Ligarianâ Ciceronis eſt deſumtum. Nam, nulla ubi eſt ſimilitudo, ibi nec tranſlatio ſtatui poteſt. Et ſanè Fabius ipſe agnoſcit poſtea, μετωνυμίαν, ſive ὑπαλλαγὴν, dici, cùm ſubjectum, & obtinens; continens, & contentum; poſſeſſor, & res poſſeſſa; ſimiliaque, commutantur. Atqui, hic *gladius* ponitur pro *gladiato*, *arma* pro *armato*, *mucro* pro *eo, qui mucrone alterum petit.* Nam ſententia eſt: Quid tu in acie Pharſalicâ gladium ſtringens agebas? cujus latus mucrone tuo petebas? quid ſentiebas armatus? Quare, non μεταφορὰν, ut Fabius putabat; ſed μετωνυμίαν eſſe, ſatis liquet.

† *Ita locum hunc emendo, insertâ particulâ* ut. *Errori occaſionem præbuit, quòd in MSo, literarum compendio, exaratum eſſet* attollitur ut. *Hoc eſt,* t *cum lineolâ ſuper impoſitâ, pro* tur. *In Gryphianâ editione eſt* attollitur tolluntur. *Nempe aliquis,* τὸ attollitur *(ut eſt in pluribus libris) emendârat,* tolluntur: *quod librarius, quaſi per peram omiſſum, in contextum mox retulit, priori reſervato.*

VII. De fugiendis metaphoris durioribus, et quomodo earum durities tollatur.

VErùm haut ſufficit cógnoviſſe, cujuſmodi tranſlationes maximè probentur, cùm iſtiuſmodi non ſemper ſuppetant; neque omnes, quæ ſeſe offerunt, à vitiis ſunt immunes; ut omnino magno in metaphoris delectu opus ſit. Certè vitioſæ ſunt metaphoræ, quæ ducuntur à re diſſimili: vel quæ longè petuntur. Peccant & illæ, quæ à ſimili quidem ſumuntur, verùm aut à rebus transferuntur humilioribus, aut turpibus, aut ad rerum tenuium illuſtrationem traducuntur à rebus nimis magnis. De hiſce, & aliis vitiorum generibus, deinceps dicendum eſt.

Ac inprimis quidem obſervandum, ne petantur tranſlationes à re diſſimili: utpote quæ duræ ſint, & κινδυνώδεις ‡, ut loquitur Demetrius. Ita, cùm ςερεὰ * propriè dicamur corpora, velut linteum, aut torale; durius eam vocem ad animam tranſtulit Thucydides lib. VI, cùm ait: Ἵνα Πελοποννησίων ςερεώτερον τὸ φρόνημα *. In quem locum ita commentator: Τῶν παρὰ Θουκυδίδῃ τροπικῶν ὀνομάτων τὸ σκληρότατον τοῦτό ἐστιν· ἀλλὰ κατὰ Ἀλκιβιάδην φησὶν †. Durè quoque Plautus Curcul. ‡ *dentes famelicos lippire* ait: quia humor lentus dentes obſidens quodammodo lippientium oculos imitetur. Nec fortaſſe minùs durè, quam novè, dixit Horatius *ora navium* lib. Epod. od. IV:

Quid attinet tot ora navium gravi
Roſtrata duci pondere?

Certè Julius Scaliger ambigit in Hypercritico, rectène ſit locutus poëta, quia roſtrum triremibus eſt, os non eſt. At contra *roſtrum fluvii* pro *ore*, durum ſit: eoque εἰκόνα * prætulit Tullius in II. de Legg. *Ut enim hoc quaſi roſtro finditur Fibrenus.* Nam Fibrenus Arpinatium fluvius eſt: ut præter Ciceronem ſcribit Silius lib. VIII.

Ciceroni quoque in tertio de Oratore παρακινδυνευόμενον † videtur illud veteris poëtæ:

——*Cœli ingentes fornices.*

Damnat autem hoc Cicero, quia fornices non complent integrum circulum, uti cœlum. Ita enim ſcribit: *Quamvis ſphæram in ſcenam, ut dicitur, attulerit Ennius; tamen in ſphærâ fornicis ſimilitudo non poteſt ineſſe.* Verùm non venit in mentem Tullio, poetas multa afferre ex ſententiâ vulgi: at hoc, ſenſus judicium ſequens, hemiſphærium tantùm in cœlo agnoſcit. Certè Horatius quoque Lunam majorem facit ſideribus lib. I. od. XII. & od. XV. lib. Epod. nec carmine ſeculari metuit eam vocare ſiderum reginam. At quanto aliter de his docent Mathematici! Quid quod ſimilitudinem iſtam etiam Græci Patres comprobarint? Uti Cyrillus Hieroſolymitanus Catechesi IX: ubi, caput illud fidei de creatione cœli ac terræ explicans, Deum vocat τὸν ςήσαντα ὡς καμάραν τὸν οὐρανὸν, *qui cœlum ſtatuit quaſi fornicem.* Itaque nec poëta elegantiſſimus, Georgius Buchananus, cenſoriam meruit virgulam, quamvis à Ciceronis judicio hac in parte diſcederet: ut qui ſcripſerit Pſalmo XIX:

Qui templa Olympi fornice flammeo Suſpendit.

Ut de Juſto Lipſio nihil dicam, qui, in præclaro opere de Conſtantiâ ‡, hunc in modum loquitur: *An non & illi homines eâdem ſtirpe tecum & ſatu? ſub eodem cœli fornice? in eâdem terræ pilâ?* Quanquam in ſummi illius viri judicio, hac quidem in parte, non ita multum præſidii ponendum: cùm nemo diffiteri poſſit, eum modum minimè tenuiſſe in vocibus priſcis, poëticis, duris: ut eruditioni ejus non paullo ampliùs debeant literæ, quàm ſtyli exemplo. Redeo igitur ad antiquos. Sanè ſi *fornicis* nomen in cœlo tantopere diſplicuit Tullio, quanto minùs ei arriſiſſe putandum nomen *ſubliminis*, h. e. liminis ſuperioris: quo de cœlo uſus Ennius in Thyeſte; ut qui juxta magni Scaligeri * emendationem ſcripſerit:

Aſpice hoc ſublimen candens, quem invocant † omnes Jovem. Quamquam mihi quidem dubium non eſt, quin rectum ſit; quod in vulgatis legere eſt: *Sublime candens:* quomodo & Cicero dixit in ſecundo de Nat. Deor. *Vides ſublime fuſum ‡, immoderatum æthera.* Nec puto de veritate hujus lectionis ambiget, qui verſus iſtos Euripideos legerit apud Heraclidem Ponticum *, Athenagoram †, ac Clementem ‡:

Ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ, τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα,
Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις;
Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.
Vidéſne ſublimem hunc, & immenſum æthera,
Omnem ſuo qui continet terram ſinu?
Hunc tu Jovem putabis, hunc credes Deum.

Quare nihil mutandum: niſi fortè *ſublimum candens* apud Ennium malis: de quo non contendam. Nam *ſublimus* pro *ſublimis*, dixere Lucretius, ac Salluſtius: ut è Priſciano ac Nonio cognoſcitur.

Sunt verò & alia temerè à veteribus culpata, ut dura. Quincti-

‡ *Periculoſæ.*
* *Stereæ.*
* *Ut animos proſternamus Peloponneſiorum.*
† *Modificatarum vocum in Thucydide hæc duriſſima eſt, ſed juxta Alcibiadem id dicit.*
‡ *Act. 2. ſc. 3.*
* *Imaginem.*
† *Periculoſe ac durè dictum.*
‡ *Lib. II c. 9.*
* *Conjectaneis in lib. 3. Varr. de R. R.*
† *Malim* vocant, *ut eſt apud Feſtum.*
‡ *Ita eſt in MSSis, & editione Ciceronis omnium antiquiſſima. Reponunt alii* ſurſum, *quod eſt* ſurſum, *ut proſa eſt* proſa. *Sed cùm* ſublime *præceſſerit,* ſurſum *hic redundabit.*
* *Libro de allegoriis Homericis pag. 318.*
† *In apologia pro Chriſtianis.*
‡ *In protreptico, & inprimis lib. 5. Στρωμάτ.*

* Lib. 8. † Lib. 4. od. 13.

Quinctiliano * quidem durior videtur tropus, *capitis nives*, pro canitie. Reſpicit autem illud Horatii †:

—— Te quia ruga.
Turpant, & capitis nives.

Verum oratori quidem non conveniat hic ſermo. Pro poëta verò nullam hic video duram tranſlationem, quia cogitandum, ab eo per contemtum ita appellari canitudinem anus emeritæ. Cæteroqui Fabio aſſentiam, cùm aliàs magis hæc phraſis videatur convenire laborantibus porrigine, quandoquidem talibus caput furfures quaſi farina obſident; unde Serenus, non Septimius ille, ſed Sammonicus:

Cum caput immensâ pexum porrigine ningit.

Sunt autem quædam remedia à Demetrio præſcripta, quibus emolliantur tranſlationes ἀπηνεῖς ac parum moderatæ. Una eſt ratio, adjectio epitheti. Exemplum ejuſce rei adfert Demetrius ex Theognide, qui τόξον, ſive arcum appellat φόρμιγγα ἄχορδον *. Intelligit autem arcum tenſum, ita ut cornua pene coëant. Talis enim & figura eſt lyræ: cujus duo manubria, cornuum inſtar, vara ſunt & camura; unde ea à Ptolomæo κέρατα † vocantur. Homerus πήχεις ‡ nominat. Scitè autem Demetrius ait, Ἡ μὲν φόρμιγξ κινδυνώδες ἐπὶ τοῦ τόξου· τῷ δὲ ἀχόρδῳ ἠσφάλισται. Quorum ſententia eſt, arcum durè, nec ſine periculo, *lyram* poſſe vocari: ſed ſecurè aliquem ſic loqui, ſi epitheto præmuniat; ut ſi addat, *chordarum expers*. Similiter tonitru durè vocaris σάλπιγγα, ſive tubam. Sed mollitur tralatio epitheto, ſi cum Tryphiodoro ⸸ voces οὐρανίαν σάλπιγγα, hoc eſt, *cæleſtem tubam*. A quo non abludit illud Nonni in ſecundo Dionyſiacôn *:

* Lyram nervis carentem. † Cornua. ‡ Brachia.

Βρονταίοις † πατάγοισι, Διὸς μυκήσατο σάλπιγξ.

⸸ Verſ. 314. * Verſ. 558. † Tonitrus ſtrepitu, Jovis mugiebat tuba.

Idem Latini obſervant. Lucretius lib. IV. & Varro Marcipore, *cœli cavernas* dixere: ſed ille epitheton *magnas*, hic *aureas* adjunxit. Catullus ‡ etiam navem non ἁπλῶς *currum* appellat; ſed *volitantem flamine*. Item Virgilius veſtium tincturam vocat ⸸ *Aſſyrium venenum*.

‡ Carm. de nuptiis Pelei & Thetidos. ⸸ 2. Georg.

Alterum remedium, cujus Tullius meminit in tertio de Oratore, eſt mutatio metaphoræ in imaginem, ſed brevem; quia ſi longiores ſimus, non tam imago fuerit, quàm collatio poëtica. Addit autem Demetrius, periculoſiùs Platonem crebrò uti tranſlationibus, quàm Xenophon imagines potiùs ſectatur. Neque hæc ejus ſententia repugnat Ariſtoteli, qui lib. III. rarum imaginum uſum probat in pedeſtri oratione, Χρήσιμον, inquit, ἡ εἰκὼν καὶ ἐν λόγῳ· ὀλιγάκις δέ· ποιητικὸν γάρ *. Non, inquam, præſtantiſſimi hi duo Rhetores diſſident, quandoquidem Demetrius locutus eſt de imagine breviori, nec multùm à metaphorâ diſcedenti: at Ariſtoteles intellexit id iconum genus, quod ornatam & copioſam continet ſimilitudinem. Atque hâc de re fuſiùs Victorius comment. in lib. III. Rhetor. Ariſtot.

* In ſoluta quoque oratione utilis eſt imago: ſed rarò tamen. Nam poëtis magis convenit. † Imagine.

Huic autem rationi, quâ metaphoræ duritiem εἰκασίᾳ † tollimus, confinis eſt ea, quam obſervavit Euſtathius. Monet enim eruditiſſimus ille Epiſcopus Iliad. δ. ad leniendam tranſlationum audaciam interdum comparationem adhiberi. Ita Virgil. lib. XI.

—— Vacuuſque per ora cucurrit
Auſonidûm turbata fremor: ceu, ſaxa morantur
Cùm rapidos amnes, clauſo fit gurgite murmur.

Pro fremore *murmur* dicere debuiſſet. Nunc, quia alterum poſuit, ſubdit comparationem. Similia Homeri loca duo cum verbis Euſtathii, quibus artificium hoc explicat, vide apud Joannem Hartungum Cent. III. cap. VIII. Neque enim viſum nobis aliena cum pulviſculo in cameras noſtras convertere. Fortaſſe autem & alia ratio eſt, quâ, cùm ob aliquam diſſimilitudinem obſcurior videtur metaphora, huic rei liceat mederi. Nam veteres quidem, quoties metaphora eſſet ignotior, declarationem ejus adjungere ſolent: ut aliquot exemplis oſtendit P. Victorius lib. III. Var. Lect. cap. XI. Horum verò uſus remediorum eſt multo maximus, quia, ut ait Tullius lib. III. de Oratore, *Verecunda eſſe debet tranſlatio, ut deducta eſſe in alienum locum, non irruiſſe, atque ut precario, non vi veniſſe, videatur.* Eſtque eo diligentiùs iſtorum ἰατρευμάτων ⸸ habenda ratio, quia multi, dum ea negligunt, in frigidum incidunt orationis genus. Certè & in ipſo Platone reprehendit Dionyſius Halicarnaſſenſis, quòd utatur duris metaphoris, non habitâ ratione ἀναλογίας. Interim tamen Platoni ignoſcendum putamus, ob difficultatem grandiloqui characteris: eamdemque etiam ob cauſſam ignoſcendum Demoſtheni, quòd duriores interdum adhibeat tranſlationes: unde inimicus ejus Æſchines dicebat, eum dicere οὐ ῥήματα, ἀλλὰ θαύματα, *non verba, ſed portenta.*

⸸ Remediorum.

VIII. De metaphoris longe petitis.

ALterum tranſlationis vitium erat, ſi ſimile ſit longè ductum. Itaque Tullius in tertio de Orat. ait, ſe malle *ſcopulum patrimonii*, quàm *Syrtim*; *voraginem bonorum*, quàm *Charybdim*. Et ratio in mundo eſt, quia notiora ſunt genera, & ſpecies, individuis. Certè ſcopulum & voraginem viderunt multi, pauci Charybdim, & Syrtim. Atqui, ut Tullii verbis utar, *faciliùs ad ea, quæ viſa, quàm ad illa, quæ audita ſunt, mentis oculi feruntur.* Longè etiam ſimile ducitur, cùm Plautus * ait, *duo greges virgarum ulmearum*, h. e. faſces. Par ratio eſt, cùm Martianus Capella † dicit, *aſtrorum populus*: ac Sidonius Apollinaris ‡, *ſcelerum populus*, pro multitudine eorum. Nam etſi Manilius aves appellet *aërios populos*, & *populos captos* de piſcibus dixerit; ac Columella itidem lib. IX. cap. XIII. de apibus uſurpet: audaciùs tamen transfertur ad inanima, vel animatorum adjuncta. Verùm Græcorum hi morem ſequuntur. Moſchus Idyll. β.

* Pſeud. act 1. ſc. 3. † Initio lib. 7. ‡ Lib. 6. epiſt. 2.

Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων ⸸.

⸸ Cum & veracium paſcitur populus, h. e. cœtus, ſeu turba, ſomniorum.

Itidem, ſi Antonium Majoragium * audimus, longè petitæ metaphoræ, frigidamque efficientis compoſitionem, exemplum fuerit Appuleji iſthoc †: *Ipſa vocis immutatio deſultoriæ ſcientiæ ſtylo reſpondet.* Cui geminum illud Martiani Capellæ: *Decenter levitate pernix deſultoriâ geſtiebat.* Verùm mihi quidem immeritò & hìc, & alibi ſæpe, flagellari videtur Appulejus. Bella certè tranſlatio eſt ab equis deſultoriis; quòd, ut in Circenſibus ex equo uno in alterum ſubitò deſilirent, ita & Appulejus ſubitò, ac deſultoriè, à ſtudiis philoſophicis ad ludicra ſe receperit.

* Comment. 2. Rhet. Ariſt. † L. 1. Met.

IX. De translaionibus nimis grandibus, vel humilibus nimis.

TErtium vitium eſt, ſi ad rerum humilium illuſtrationem ſumamus tranſlationem à rebus nimis magnis. Itaque Tullius vitioſum eſſe ait, *tempeſtas comiſſationis*: ut quod majus ſit, quàm res exigit.

Quartum vitium priori contrarium eſt; ſi nempe à rebus humilioribus ſumatur tranſlatio. Quamobrem, ut ait Tullius, vitioſum quoque fuerit *comiſſatio tempeſtatis*. Eſt enim minus, quàm res poſcit. Hâc ipſâ de re ita Fabius: *Deformitati proximum eſt humilitatis vitium: ταπείνωσιν vocant: quâ rei magnitudo vel dignitas minuitur. ut, Saxea eſt verruca in ſummo montis vertice.* Reſpicere autem ad id videtur, quòd Marcus Cato in libris Originum *verrucam* dixit pro loco edito aſperoque, ut ſcribit Agellius lib. III. cap. VII. Quamquam hæc quidem loquendi ratio, meo judicio, excuſationem meretur, ob ſummam ſimilitudinem: præſertim cùm humilitatis vitium tollatur epitheto *ſaxea*.

Cur verò nec à rebus humilioribus tranſlatio duci poſſit, in cauſâ eſt, quòd ea, ut docet Demetrius, voluptatem ac magnitudinem adferre debeat orationi: at ſi à rebus exiguis metaphora petatur, tranſlatum minùs eo valebit quod expellit: ut quod ſit anguſtius proprio. Quemadmodum probat Tullius * iſthoc L. Attii in Atreo:

* 3. de Orat.

Quidnam eſt obſecro? quid te adiri abnutas?

Nam, ut inibi Tullius ait, *melius eſſet vetas, prohibes, abſterres: quoniam ille* (Thyeſtes puta) *dixerat:*

—— Illico iſthic, ne contagio
Mea bonis umbrave obſit.

Qui locus pleniùs adducitur in III. Tuſcul. Quæſt.

Nonnihil autem in hujus vitii declaratione à Tullio receſdo. Is enim lib. III. de Orat. diſtinctas tranſlationum culpas facit, ſi minores ſint re ſignificatâ, & ſi anguſtiores fuerint proprio. Mihi autem poſterius iſthoc vitium ſub priori omnino comprehendi videtur.

X. De metaphoris à re fœda petitis.

QUincta tranſlationum culpa eſt, ſi à re turpi & ſordidâ ducantur. Talis eſt (ut M. Tullii * verbis cum Quinctiliano † utar) *morte Africani caſtratam Remp.* & *ſtercus curiæ Glauciam.* Signatur autem C. Servilius Glaucia, qui quæſtor fuit anno Urbis DCXL. vel potiùs DCXI., homo improbus, ſed peracutus, & callidus, ac Hyperboli, quem Atticorum comœdia notavit, ſimillimus: ut eſt apud Ciceronem libro de claris Oratoribus. Horatius * quoque, ob eandem cauſſam, notavit verſum illum M. Furii Bibaculi †:

Jupiter hibernas canâ nive conſpuit Alpes.

** Lib. 3. de Orat. † Lib. 8.*

** Sat. 5. lib 2. † In Pragmatia belli Gallici, teſte Acrone.*

Valde fallitus doctiſſimus Giffanius *, cùm putat, ſcitum atque elegans eſſe hoc loquendi genus: atque ita Horatium loqui exemplo Lucretii, cujus eſt illud lib. II.

** Ind. Lucr. in Reſpuo.*

Præterea lumen per cornum tranſit, at imber
Reſpuitur.

Neque enim ſi commodè dicatur laterna reſpuere pluviam cornu ſuo: eo decore à Jove ipſo conſpui dicantur terræ, quoties ningit. Neque Horatius, quod ille putavit, ſic ſeriò loquitur; ſed quod Furius ſordidiùs extulerat de Deo, hoc ille παρῳδιάζων Furio ipſi non ſine ſale tribuit, ut monet Acro: unde vellem, non hoc, & multa alia, reſecuiſſet Cruquius. Meliùs de nobili grammatico meritus foret: etſi ſic quoque eſt, quod ei debeamus.

Addam alterum exemplum. Cùm nervus, ut Græce νεῦρον, etiam ſit τὸ αἰδοῖον: unde Tibullus in Phallicis, *Repente nervus excitet libidinem:* & Juvenalis †, *menſura incognita nervi:* item ‡, *jacet exiguus cum ramice nervus:* ab eodem tranſlatum videri queat, *nervos intendere.* Sanè, id niſi dicamus, non video, quo jure Rufinum reprehendat B. Hieronymus. Nam cùm Rufinus dixiſſet: *Quid tibi videtur? habeſne ultrà aliquid, quo nervos tuæ loquacitatis intendas?* excipit Hieronymus: *Et indignaris, ſi putidè te loqui arguam, cùm comœdiarum turpitudines, amatorumque ludicra, Eccleſiaſticus ſcriptor aſſumas?* Certè, ab intendo, Catullo ‡ Horatioque * *tentum* in viro vocatur id, quo diſcernitur homo mas, an femina ſit, ut Varronianâ † utar periphraſi. Et deorum vehiculum, *tenſam*, quàm *tentam*, appellare maluerunt, ne turpe verbum ſonaret in ſacris, teſte Diomede. Cùm autem Comicos nominat Hieronymus, Terentianum ‡ iſthoc reſpicit: *Fac ſis nunc promiſſa appareant. Sive adeò digna res eſt, ubi tu nervos intendas tuos.* Quem in locum ita Donatus, Hieronymi ipſius præceptor ‡; *Utrùm*, inquit, *obſcænè hoc, ut ſervum? an metaphoricôs? ubi laborare ac periclitari debeas*, &c. Quamquam nec rationibus deſtituar, quibus ſubnixus, Rufini, ſi libeat, patrocinium ſuſcipere queam. Nam quid ſi dicam, tranſlationem eſſe ab inſtrumentis muſicis, quæ, quia nervis intenduntur, ἔντατα, & ἔγχορδα appellantur à Græcis? Vel potiùs quid ſi aſſeram, metaphoram peti ab athletis, ac pugilibus? Utcumque eſt, cùm in nervis ſit robur, neque ἑνικῶς * dicatur *nervum intendere*, ſed in plurativo *nervos:* videri meritò queat, non magis obſcænum eſſe *nervos intendere*, quàm *contendere:* quo uſus ipſe Tullius Verrinâ ſecundâ: *Magnum*, inquit, *onus, & mihi periculoſum, verumtamen dignum, in quo omnes nervos ætatis induſtriæque meæ contenderem.* Eodemque modo *ſe contendere*, & *contendere vires*, legimus apud Lucretium lib. IV. Neque in eo veteres imitari veritus eſt Petrus Bembus epiſtolâ ad Sebaſtianum Corradum, quæ legitur lib. VI. *Quantum*, inquit, *tibi debeam, ſtatues ipſe, qui eâ in re nervos atque ingenium intendiſti tuum.* Hæc eo lubentiùs adduxi, quòd naſutorum quorundam mores non neſciam; qui, quoties hanc loquendi rationem reperiunt in viris ſeculi noſtri ac ſuperioris, iiſque eruditione juxtà ac ſanctimoniâ celebribus, Rhetorum ac Grammaticorum auctoritate moti, neſcio quod κακέμφατον commiſſum ſomniant. Ita enim illi hoc vitium appellant: cùm nempe *malâ conſuetudine*, ut Fabii * verbis utar, *in obſcænum intellectum ſermo detortus eſt; ut ductare exercitus, & patrare bellum, apud Salluſtium.* Sed hæc quidem, ut idem inibi ait, *dicta ſanctè & antiquè ridentur à nobis; quam culpam non ſcribentium quidem judico, ſed legentium. Tamen vitandam, quatenus verba honeſta moribus perdidimus, & evincentibus etiam vitiis cedendum eſt.* Itidem Martiano Capellæ lib. V. tanquam inhoneſtum improbatur illud Comici †: *Arrige aures, Pamphile.* Quaſi non & Maro ipſe de famâ dixerit ‡:

† Sat. 9. ‡ Sat. 10.

*† Carm. 81. ad Gellium. * Lib. epod. od. 12. † Lib. 6. de L. L. ‡ Eunucho act. 2. ſc. 3. ‡ Hieronymus ipſe in Chronico ad annum 2370 ſive à morte Conſtantini M. 17.*

** In numero ſingulari.*

** Lib. 8. cap. de ornatu orationis.*

—— Tot ſubrigit aures.

† Andr. act. 5. ſc. 4. ‡ 4. Æn.

Sed boni illi Grammatici, ac Rhetores, nec huic parcendum putarunt. Nonnullis enim, eoſque inter Iſidoro lib. I. Orig., κακέμφατον, atque à re obſcœnâ ductum, videtur illud poëtæ ‡:

—— His animum arrecti dictis.

‡ 1. Æn.

Verùm hautquaquam iis hâc in parte fidem accommodamus. Siquid fuiſſet iſtiuſmodi, haut uſurpâſſet Maro, qui à virginali pudore *Parthenias* dictus * eſt.

** Donatus, ſive quiſquis vitæ Virgilianæ eſt auctor: item ſcriptum veterum Virgilii codd. ut Pierius in 4 Georg. annotavit.*

XI. De metaphoris nimis condenſatis.

SExtum vitium eſt, ſi metaphoræ ſint frequentes, ut non illuſtrent orationem, ſed obſcurent; non voluptatem adferant auditori, ſed eum tædio compleant. Nam quemadmodum offendit civem bonum, ſi advenas in urbe ſuâ plures videat, quàm indigenas: ita probo formandæ orationis judici diſplicet, ſi plura tranſlata in oratione cernat, quàm propria. Itaque ne hâc in parte impingamus, tum tantùm uſurpabimus tranſlatum, cùm aut proprium deeſt, vel tranſlatum proprio aut ſignificantius eſt, aut decentius. Nam (ut ſuperiùs dicebamus, Porcium Latronem dicere ſolere) *ſumma eſt dementia detorquere eam orationem, cui rectam eſſe licet.* Quamquam hoc quidem Porcii dictum, locum non habet, cùm tranſlatum proprio eſt uſitatius. Nam & in metaphorâ, & in alio quovis tropo, interdum uſu venit, ut qui propriè loquitur, minùs videri queat loqui propriè, quàm qui impropriè; quia impropria vox eſt magis in vulgus nota, clariuſque rem ob oculos ponit, quàm propria. Ita impropriè, ac partim μεταφορικῶς, partim συνεκδοχικῶς, *hominum* dicitur *calamitas*, *ſtrages*, aut *clades*; cùm *calamitas* propriè conveniat calamis ſegetis grandine quaſſatis; *ſtrages* ſit arborum cæſarum ſtratarumque; *clades* verò dicatur, cùm tempeſtate fracti ſunt arborum rami, à κλάδος, i. *ramus.* Quin Alexander Aphrodiſienſis † conſuetudinem plenam eſſe ſcribit tranſlationum: ut non immeritò Demetrio videatur πάντων ἡ συνήθεια καὶ μάλιστα μεταφορῶν διδάσκαλος *.

† In 1. τῶν ἀναλυτικῶν προτ.

** Omnium, & inprimis tranſlationum, conſuetudo magiſtra.*

XII. De tranſlationibus poëticis.

SEptimum vitium eſt, ſi metaphoris utamur ſoli poëtæ conceſſis. Diligenter enim cavendum, ne omnia, quæ huic permiſſa ſunt, Oratori convenire putemus. Negat Fabius, ſe, auctore Homero, dicturum, *paſtorem populi:* nedum quis Oratorem ferat, qui cum Horatio † de Euro dicat: *Per Siculas equitavit undas:* etſi & ſic locutus ſit Euripides Phœniſſis, & ejus exemplo Oppianus in III. Ἁλιευτ. Neque orator pro bonis poëtis, *aves*; pro malis, *cicadas* uſurpet; quamvis ita loquuntur poëtæ. Nam quemadmodum Maro in Eclogis pro poëtis dixit *cygnos*, & Horatius ‡ Pindarum vocat *Dircæum cygnum*; atque idem Varium appellat *Mæonii carminis alitem* ‡: ita poëtæ Græci γενικῶς * ſe vocant θείας ὄρνιχας †, ſuaque carmina μέλη πτερωτὰ Μουσῶν ‡. Malos verò ab iis *cicadas* dici, argumento eſt iſthoc Simonidis, ut quidem legendum putamus, Theſeium Scaligeri & Caſauboni ‡ filum ſecuti:

*† Od. 4. lib 4. ‡ Lib 4. od. 2. ‡ Lib. 1. od. 6. * Generis nomine. † Divinas aves. ‡ Carmina alata Muſarum. ‡ Lib. 15. Animad. in Athen. c. 8.*

Φοῖβος

Φοῖβος ἀμυγέτω τὰς Τυνδαρίδησιν ἀοιδὰν,
Τὰν ἀμετρος τέττιγες ἐπεσίφαντο κορώνας *.

* *Phœbus docuit Tyndaridas cantionem, ſive Muſicam, quam cicadæ, modorum neſciæ, cornicarum corona.*

Neque obſcura eſt ratio tralationis: cùm poëtæ boni ſuavem luſciniarum, vel cygnorum cantum referant: mali autem raucum quiddam, cicadarum inſtar, ſtrideant. Interim, ut dixi, longè hæc remota ſunt ab uſu Oratorum.

XIII. De metaphoris non in eodem genere perſiſtentibus.

OCtavum vitium faciunt, cùm non perſiſtitur in eâdem metaphorâ; ſed ab unâ tranſilitur in alteram. Certè vitioſè dixeris, offendiſſe te ſcriptum *in calce capitis*: neque ita loqui debet, niſi qui calcaneum in cerebro habet. Itidem nec rectè dixeris, *fructum haurire*, pro *capere*: neque *illotis manibus aggredi*, pro *attingere*; aut *illotis pedibus attingere*, pro *aggredi*. Hàc de re ita Fabius †, quo loco de allegoriâ agit: *Id quoque inprimis eſt cuſtodiendum, ut, quo ex genere cœperis tranſlationis, hoc deſinas. Multi autem, cùm initium à tempeſtate ſumſerunt, incendio aut ruinâ finiunt. quæ eſt inconſequentia rerum fœdiſſima.* Itaque ſcitum iſthoc Plauti Menæchmis ‡:

† *Lib.* 8.

‡ *Act.* 1. *ſc.* 2.

Clam, inquit, *uxorem, ubi ſepulchrum habeamus,*
& hunc comburamus diem.

P E. Age ſanè igitur, quando æquum oras, quàm mox incendo rogum?

Dies quidem jam ad umbilicum eſt dimidiatus mortuus.

Nam, ut ſignificet Comicus, probè ac pollucibiliter diem eſſe tranſigendum, perpetuâ utitur tranſlatione à cadaveribus, quæ olim lota unctaque rogo imponebant, ac comburebant. A doliis vinariis ſumtâ perſiſtitur metaphorâ in illâ Auguſtini interminatione: *Maledictus, qui offert florem juventutis ſuæ diabolo, & fecem ſenectutis Deo reſervat.* Nam & *florem vini* aut *Liberi*, pro vino odorato ac præſtantiſſimo, dixere Ennius, Nævius, Pacuvius, Plautus *, & Lucretius †. In eâdem etiam metaphorâ perſtitit Eraſmus, cùm libello ſuo nomen fecit *Enchiridion militis Chriſtiani.* Nam ἐγχειρίδιον eſt ξιφίδιον, ſeu *pugio.*

* *Ciſtel. Sc. idem mihi magnæ. & Curcul. act.* 1. *ſc.* 2.

† *Lib.* 3.

Verùm hoc Rhetorum præceptum de perpetuâ tranſlatione perpetuum non eſt. Scimus enim, elegantiſſimè diverſas ſæpe conjungi metaphoras. Cicero pro Roſcio Amerino: *Nequaquam ſimiliter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit.* Q. Ennius ‡:

Enni poëta ſalve, qui mortalibus
Verſus propinas flammeos medullitus.

‡ *Tertio Sat. apud Non. in* Propinare, & Medullitus.

Cui ſimile illud Virgilii in Ciri:

Quæ ſimul ac venis hauſit ſitientibus ignem.

Et hoc Catulli ǂ:

—— *Tenuis ſub artus*
Flamma dimanant.

ǂ *Carm.* 52.

Niſi cum aliquibus non tam de aquâ, aut aëre, elementis humidis, putemus *liquidum* propriè dici, & *manare*; quàm de igni, qui videri queat ob raritatem difficillimè ex elementis ſuo contineri termino. de quo anxiè diſquirere minimè hujus eſt loci.

Quin idem Catullus etiam, ut obſervavit diſertiſſimus Muretus, triplicem amat conjungere. Exemplum geminum habes carmine in Phaſelum. Prius eſt;

Nec ullius natantis impetum trabis
Nequiſſe præterire, ſive palmulis
Opus foret volare, ſive linteo.

Natare enim aquatilium eſt, *ire* terreſtrium, *volare* avium. Alterum eſt:

—— *Nam Cytorio in jugo*
Loquente ſæpe ſibilum edidit comâ.

Nam & *coma* ponitur pro frondibus, & *coma* dicitur *loquens*, & *ſibili* vox à ſerpentibus ſumta eſt. Sic triplex eſt metaphora in illo Horatii epiſt. 1. lib. 1.

Nemo adeò ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Prima eſt ab ἀλόγοις iis, quæ fera ſunt, ac propriè manſueſcunt, & curantur, ut loquitur P. Nigidius * hiſtoriâ de animalibus, h. e. cicurantur ac domantur. Altera à fructibus, qui acerbi ſunt, ac propriè miteſcunt. Tertia ab agris, quorum eſt cultura.

* *Apud Priſcianum cap. de comparatibus.*

XIV. De translationum cauſſis.

QUemadmodum autem veſtimenta primò uſurpata ſunt, ut corpus muniretur adverſus aëris injurias; eadem tamen pòſt etiam adhibita ſunt ornatus & decoris gratiâ: itidem tranſlatitia primò genuit neceſſitas, pòſt celebravit delectatio. Neceſſitatis fuit *divortium* in uxore, *pes* in navi, ὀφθαλμὸς aut *gemma* in vitibus: quodque *durum* dicimus hominem, aut *aſperum.*

Neque tantùm neceſſitatis eſt, cùm proprium deeſt, ſed & cùm tranſlatum eſt ſignificantius, ut in illo Maronis *: *Invadunt urbem ſomno vinoque ſepultam*: quod ſignificantius eſt, quàm *oppreſſam.* Par ratio, cùm dicimus, *incenſum irâ, inflammatum cupiditate*, & *lapſum errore.* Nam, ut inquit Fabius †, *nihil horum ſuis verbis, quàm his arceſſitis, magis proprium erat.*

* 2. *Æn.*

† *Lib.* 8. *cap.* 6.

At ornatûs eſt, quòd ἄνθος & *flos* accipiuntur pro *ornamento.* Ut apud Catullum, *Floſculus Juventiorum.* Et, *flos olei*, h. e. decus palæſtræ.

Ad ornatum quoque refer, quæ ad variandam orationem adhibentur: ut cùm, quod primò propriè dictum eſt, poſtea dicitur tranſlate.

Sunt & hujus loci, quæ pudoris gratiâ immutantur. Nam quod turpe eſt, id inornatum eſt. Fallebat autem, & fallebatur Bryſo Sophiſta, quique eum hâc in re ſoli è philoſophis ſecuti, Stoici ǂ, ac Cynici, cùm ita argumentarentur; ſi duo vocabula idem ſignificant, aut ambo pariter obſcæna eſſe, aut neutrum. Siquidem, ut bene reſpondet Philoſophus *, aliud alio magis proprium eſt, magiſque rem ob oculos ponit. Deinde res ſunt, quæ & honeſtæ ſimul ſint, & turpes, pro diverſo conſiderandi modo; ac proinde vocabula, quæ rem exprimunt quà honeſta, ipſa etiam honeſta ſunt; ac turpia ſunt, quæ eam ſignificant quà turpis. Cicero lib. IX. epiſt. ad Pætum; *Liberis dare operam quàm honeſtè dicitur! etiam patres rogant filios: ejus operæ nomen non audent dicere.* Rem ſimili illuſtrabo: Muli naſcuntur ex aſino, quod iners eſt animal. Naſcuntur pariter ex equâ, quod animal generoſum eſt. Itaque eos parvi facere videtur, qui aſini progeniem vocet: at qui ſobolem equarum appellet, honorificè de iis loquatur. Scivit id Simonides, qui cùm vituperare vellet mulas, appellavit * eas ἡμιόνους †. At cùm laudare conſtituiſſet, ita eas compellavit: Χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων ‡. Par ratio eſt in obſcænis: uti & ſordidis: quorum utraque iccirco ſolùm, quatenus honeſtatis partem habent, honeſtè exprimuntur. Atque inde antiquis, ut libro quincto ait Arnobius, *mos fuit, res turpes & fœdas prolatu, honeſtiorum conveſtirier dignitate.* Multa veterum loca contra Stoicos, negantes ullam verbis ineſſe obſcenitatem, congeſſit Conradus Rittershuſius ad Oppiani primum Ἁλιευτικῶν ǂ. Sed & iſtis, & quæ ipſi obſervavimus, ſuperſedere malo: quia, in re, ut arbitror, adeò clarâ, haut neceſſum eſt faculam exemplorum prælucere, velut ad ſpiſſas evincendas tenebras.

ǂ *Cic.* 1. *de Off. & l.* 9 *epiſt. ad Pætum: item Fabius lib.* 9. *inſtit. cap.* 3.

* *Ariſt. l.* 3. *Rhet.*

* *Ariſtoteles lib.* 3. *Rhetor. cap.* 2.

† *Semiaſinos.*

‡ *Salvete volucrium equarum filiæ.*

ǂ *Pag.* 180. & 181.

Porrò ea, quæ voluptatis, atque ornatus gratiâ, uſurpantur, propriè magis dicuntur μεταφορικά: at quæ neceſſitatis cauſſâ celebrantur, ea rectiùs vocantur ὁμώνυμα. Nam in his primi linguæ autores, quamvis proprium ac peculiare nomen imponere poterant; tamen, quo conſilio alteri priùs nomen aliquod fecerant, eodem, ob ſimilitudinem, huic idem nomen communicarunt: unde fit, ut non interdum, aut à quibuſdam, ſed ſemper, atque ab omnibus, voces hæ uſurpentur, haut aliter atque ſi propriæ forent. Atque id, quod dico, præter Porphyrium Tyricum *, ſenſit & Demetrius. Nam juxta hunc σφόνδυλος, & κλεὶς, & κτένες, cùm de corpore dicuntur, οὐ κατὰ μεταφορὰν ὀνόμασται, ἀλλὰ καθ' ὁμοιότητα, διὰ τὸ ἐοικέναι τὸ μὲν κτενὶ μέρος, τὸ δὲ κλειδί, τὸ δὲ σφονδύλῳ †. Qui profectò locus ſcrupulum in-

* *In Categor. Ariſtot. c.* 17.

† *Non per tranſlationem nominata ſunt; ſed per ſimilitudinem: quia hæc quidem pars pectini, hæc autem clavi, illa verò verticillo ſimilis eſt.*

jicere poterat, ſi quis exiſtimaret, metaphoram eſſe, quandocunque ob ſimilitudinem quippiam appellatur nomine alteri primùm competente.

Quæritur autem apud Ciceronem de Oratore, cur magis alienis delectemur, quàm propriis. Nam ubi proprio deſtituimur, neceſſitate cogimur uti tranſlato. Verùm etiam in maximâ propriorum verborum copiâ, tranſlatis magis delectamur. Ejus autem rei quatuor ibidem rationes adferuntur. Prima eſt, quia ingenii eſt, tranſilire ante pedes poſita, & alia aliunde petita ſubſtituere. Altera eſt, quòd tum is, qui audit, aliò ducitur cogitatione, neque tamen aberrat; quæ maxima eſt delectatio. Tertia eſt, quòd ſingulis verbis res ac tota ſimilitudo conficitur. Quarta eſt, quia metaphora ferè rem ſenſibus admovet, maximè oculorum; qui ſenſus eſt acerrimus. Eſtque & hæc ratio, cur metaphorica magis ſint perſpicua iis, quæ propriè efferuntur: ut ſcribit Ariſtoteles in tertio Rhet. cap. II, cùm ait: τὸ σαφὲς, καὶ τὸ ἡδὺ, καὶ τὸ ξενικὸν, ἔχει μάλιστα ἡ μεταφορά*. Verùm repugnare hoc videtur ei, quod idem inibi dixerat: σαφῆ μὲν (λέξιν) ποιεῖ τὰ κύρια· μὴ ταπεινὴν δὲ, ἀλλὰ κεκοσμημένην, τἄλλα ὀνόματα†. quod ipſum etiam ſcribit in ſexto Topic. cap. II: πᾶν ἀσαφὲς τὸ κατὰ μεταφορὰν λεγόμενον*. Verùm facilè nos hinc expedimus, cùm non uno aliquid modo perſpicuum dicatur. Eſt enim, quod perſpicuum ſit ſecundùm intellectum, ut quod propriè ac preſſè rem ſignat: eſt item, quod perſpicuum ſit ſecundùm ſenſum, ut quod rem ſimilitudine quaſi ob oculos ponit. Certè eſſe aliquid κατὰ νόησιν † obſcurum, quòd κατ' αἴσθησιν ‡ clarum ſit, & contrà; indicat quoque B. Auguſtinus lib. de Principiis Dialect. cap. VIII. Quæ intellectui rem meliùs exprimunt, philoſophus ſectatur: quæ ſenſui magis rem proponunt, eligit orator; ut cui ſit cum populo negotium. Atque hinc cognoſcere eſt, cur Ariſtoteles voces μεταφορικὰς à definitionibus arceat. Neque enim eæ docent, ὅπερ τί ἐστι, ἀλλὰ ποῖόν ἐστι. *non quid ſit, ſed cui ſimile ſit.*

* *Perſpicuum & ſuave, & peregrinum, maximè habet metaphora.*
† *Perſpicuam quidem dictionem efficiunt propria: non humilem verò, ſed ornatam, alia nomina.*
* *Omnis vox metaphorica ſive tropica eſt obſcura.*
† *Secundùm intellectum.*
‡ *Secundùm ſenſum.*

XV. Mantissa de tralatitia significatione, quam ipsum tralatitii vocabulum obtinet.

ATque hæc de vocibus tranſlatitiis ſufficere mihi videntur. Niſi fortaſſe, voce ipsâ invitante, aliquid etiam appingendum de ſignificatione eâ, quâ hoc *tralatitii* vocabulum transfertur ad omnia vulgaria, communiaque. Ut in illo Petronii Arbitri: *Cùm appareret, futurum non tralatitium bellum.* Nam etſi *ſtlatarii* vox proba ſit, & ἐγγάμαιον * notet, uti in veteribus exponitur gloſſis: tamen nec Petronio, nec loco iſti, ſatis convenit. Alibi etiam ſimiliter dixit: *Intelligebam, me non tralatitiâ deformitate inſignem.* Item, *Nec Giton me aut tralatitiâ propinatione dignum judicabat.* Et, *Præteriens aliquis tralatitiâ humanitate lapidabit.* Phædrus † quoque ait, *more tranſlatitio.* Et Suetonius in Nerone ‡, *funere tranſlatitio.* Ubi poterat videri eò reſpexiſſe, quòd propriè *tranſlatitia* ſint *funera*, quando quis peregre, vel in hoſtili ſolo, defunctus eſt, eoque neceſſe eſt corpus domum transferri: in cujuſmodi exequiis non temere adhibebantur victimæ, epulæ, ludi, & ſimiles funerum honores. Sed potiùs cenſeo, reſpexiſſe communem illam *tralatitii* ſignificationem, quam dixi. Nam & in Auguſto * ſimiliter *jus tralatitium* poſuit pro ordinario, & quod vulgò obtineret. Et in Nerone † idem *tranſlatitias poſtulationes* vocat eas, quæ ſæpius ſe offerant, & facilè expediantur. Amant ita loqui Juriſconſulti, qui dicunt, aliquid fieri *tranſlatitiè*, pro perfunctoriè, & negligenter. Ut, *Tranſlatitiè defungi munere accuſandi*, l. 1. §. prævaricatorem. D. ad S. C. Turpil. *Injuriam non tralatitiè perſequi*, in lege Dei, ſive Moſaicarum & Romanarum legum collat. Tit. IV. Et ſimilia id genus alibi. Quæritur, unde hîc loquendi modus originem traxerit. Vir doctiſſimus, Stephanus Pighius, ⸸ conjectat ortum duxiſſe à ludionum infimâ ac vulgari turbâ: ut quam Valerius * eò *tranſlati* nomine appellet, quia pro ludorum occaſione ſæpiùs huc illuc per ſcenam transferretur. Sed nec Valerius id voluit, quod Pighius putabat: nec à re ſcenicâ vox capeſſita eſt: ſed eò ſpectarunt, quòd, quæ aliunde transferuntur, nova eſſe non poſſint. Quod clarè nos docet Aſconius Pedianus, his verbis: *Tranſlatitia veteres dixerunt, non nova, nec nuper inventa, ſed aliunde tranſlata.* Hæc ille ad verba iſta Ciceronis Verrinâ III: *Sed in re tam uſitatâ ſatis eſt, oſtendere, omnes antea jus ita dixiſſe: & hoc vetus edictum tranſlatitiumque eſſe.* At clarè inprimis hanc ejus vocis proprietatem arguunt illa Tullii ad Appium †: *Romæ compoſui edictum. nihil addidi, niſi quod publicani me rogarunt, cùm Samum ad me veniſſent, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum, diligentiſſimè ſcriptum caput eſt, quod pertinet ad minuendos ſumtus civitatum, quo in capite ſunt quædam nova, ſalutaria civitatibus, quibus ego magnopere delector. Hoc verò, ex quo ſuſpicio nata eſt, me exquiſiviſſe aliquid in quo te offenderem, tranſlatitium eſt.* Ubi *tranſlatitium* vocat illud edicti caput, quod non ipſe compoſuiſſet; ſed ex Appii edicto totidem verbis tranſtuliſſet in ſuum. Unde colligit, gravem ſibi injuriam fieri, quando dicitur, hoc egiſſe, ut Appium edicto ſuo deformaret. Nam, inquit, caput illud, unde eam ſumunt ſuſpicionem, non tam ipſe ſcripſi, quàm ex tuo, mi Appi, edicto exſcripſi. Similiter loquitur ad Att. lib. III. epiſt. XXIII. *Ea*, inquit, *rogatio tria capita habuit. Unum de reditu meo. Alterum caput eſt tralatitium, de impunitate, ſiquid contra alias leges, ejus legis ergo, factum ſit.* Sententia eſt, totum illud caput de impunitate eſſe vetus, quia omnibus illud legibus apponi ſoleat: Siquis ejus legis cauſſâ quicquam contra alias leges egerit, id ei impune fore. Cæterùm Ciceronis quoque ævo non de jure ſolùm, ſed aliis etiam rebus, dici ſolere; argumento erit illud Cælii ad Ciceronem ipſum epiſtolâ V: *Tametſi*, inquit, *hac de re puto te conſtitutum, quid facturus eſſes, habere: tamen, quo maturiùs conſtitueres, viſum eſt, ut te facerem certiorem. noſti enim, hæc tralatitia.* Quaſi dicat, noſti ſic fieri ſolere. Ut *tralatitia* hic quoque dicantur, quæ ex conſuetudine dicis cauſſâ transferuntur ad omnes epiſtolas. Sed quid vocabulo uni tantopere inſiſtimus?

* *Illuſorum.*
† *Fab. 88. de procaci tibicine.*
‡ *Cap. 33.*
* *Cap. 10.*
† *Cap. 7.*
⸸ *Annot. in Val. Max. lib. 2. cap. 4.*
* *Lib. 2. cap. 4.*
† *Lib. 3. epiſt.* [illegible]

Cap. VII.

DE METONYMIA.

Metonymia eſt, cùm cauſſa externa ponitur pro effectu, vel ſubjectum pro adjuncto, aut contrà.

Eſt itaque quadruplex: cauſſæ, effecti, ſubjecti, adjuncti.

Metonymia cauſſæ vel efficientem cauſſam ponit pro effecto, vel finem pro eo quod ad finem deſtinatum eſt.

Contrà Metonymia effecti vel effectum propriè dictum uſurpat pro efficiente, vel deſtinatum ad finem pro fine.

Ad Metonymiam ſubjecti pertinent exempla, quibus Deus ponitur pro loco cui præſidet, vel dux pro exercitu, vel poſſeſſor pro re poſſeſſâ, vel pro tempore id quod eſt aut fit in tempore, vel nomen rei ſignatæ pro ſigno, vel objectum pro eo quod circa illud verſatur.

Ad Metonymiam adjuncti refero, cùm continens ponitur pro contento, vel tempus pro re quæ in tempore eſt, vel ſignum pro ſignato, vel pro objecto id quod circa illud occupatur.

I. Metonymiæ vox exponitur, ac definitio, et divisio ejusdem.

MΕτωνυμία, ut Cicero*, atque ex eo Fabius†, ſcripſit, Rhetoribus ὑπαλλαγὴ appellatur. Malim tamen Metonymiæ nomen retinere, non quia magis tropi hujuſce naturam exprimat; ſed quòd hodie, & multis retro

* *In Oratore.*
† *Lib. 8. cap. 6.*

ſe-

ſeculis, non apud Grammaticos modò, ſed & Rhetores ipſos, ſit pervulgatius. Ac ὑπαλλαγὴ quidem *ſubmutationem*, ſive *immutationem*, notat: μετωνυμία verò κατὰ λέξιν eſt *transnomen*, ut ἀντωνυμία *pronomen*: at μετονομασία eſſet *transnominatio*, ut ἀντονομασία *pronominatio*. Donatus * tamen, & Iſidorus † *transnominationem* vertunt. Ac Donatus quidem definire auſus non eſt. Iſidoro autem dicitur eſſe *transnominatio ab aliâ ſignificatione ad aliam proximitatem tranſlata*: quæ ipſa quoque verba retinuit Beda ‡. Parum exaſciata, inquies, hæc definitio eſt, in quâ definitum definitionis pars eſt, & quod definito cum metaphorâ commune eſt, id ejus differentia ſtatuitur. Fateor, ſed ſeculo hoc illi tribuamus, non Iſidoro, aut Bedæ. Et quanto quæſo rectiùs præſtantiſſimus Fabius? cui metonymia definitur *nominis pro nomine poſitio*. Scilicet metaphora quoque, ac ſynecdoche, nomen non ponunt pro nomine! Quare per me licet iſtiuſmodi deſcriptionibus ſeſe oblectent Democriti populares, & Arcades βαλανοφάγοι *. Veram autem definitionem norit, qui ſciat, metonymiam commutare nomina rerum, quæ conjuncta quidem ſunt naturali vinculo, non tamen ita, ut alterum ſit de alterius eſſentiâ; quemadmodum ſuprà † diximus.

* Lib. de barbariſmo, tropis, & ſchematibus.
† Lib. 1. Orig.
‡ Lib. de tropis S. Script.
* Glandivori.
† Cap. 5. hujus lib.

Hoc verò qui ſciat, is diſtributionem ignorare vix poſſit. Cùm enim conjunctorum alia ſpectent rem quâ fit, ut cauſſa & effectus; alia quâ eſt, ut ſubjectum & adjunctum: minimùm quatuor erunt modi primarii; cauſſæ, effecti, ſubjecti, adjuncti. Vel, ſi μετάληψιν, de qua poſtea dicemus, ſubjicere metonymiæ viſum eſt, ſummùm erunt ſex: nempe præter eos, quos diximus, hi duo fuerint modi, antecedentis, & conſequentis. Feſtum Pompejum quadripartita diviſione iſta, continentis, contenti, ſuperioris inferioris, quorum ſingula exemplis uſurpat, limitibus nimis anguſtis metonymiam conſtringere, liquebit ex iis, quæ deinceps dicemus.

II. De metonymia caussæ efficientis.

METonymiam cauſſæ duplicem faciunt; unam efficientis, alteram materiæ. Quam diviſionem mox ventilabimus. Metonymia cauſſæ efficientis alia eſt cauſſæ primæ, ac principalis; alia inſtrumentalis, vel ſecundariæ.

Prioris generis eſt, *Iſraël* pro Iſraëlitis; *Benjamin*, vel alius patriarcharum, pro tribu ejus. *Habent* ⊥ *Moſen*, *& Prophetas*; pro ſcriptis Moſaicis, & Propheticis. *Homerus*, pro ejus poëmatis; *Livius*, pro hiſtoria Livii. Juvenalis ſat. VIII:

⊥ Luc. 16. 19.

—— Rara ſine Mentore menſa.

id eſt, toreumate. Huc etiam referenda ſunt ea, in quibus aliquod gentilium numen ponitur pro eo, quod inveniſſe aut efficere putabatur. Maro III. Georg.

—— Lucinam juſtoſque pati Hymenæos.

Lucina pro *partu*, quem credebatur faciliorem præſtare. Nimirum, quia, ut Plinius * ait, *Luna femineum ac molle ſidus, atque nocturnum, ſolvit humorem, & trahit.* Ovid. IV. Met. fab. III:

—— Sola Meneïdes intus
Intempeſtivâ turbantes feſta Minervâ.

Minerva pro lanificio, cui præeſt †: uti & artibus aliis. Figmenti hujus cauſſam docet Servius in Ecl. II, & exinde Iſidorus lib. XIX. Orig. cap. XIX. Quæ Cereris & Veneris cura credita ſit, Plautus indicat Rudente ‡:

Cererem te meliùs, quam Venerem ſectarier.
Amori hæc curat, tritico curat Ceres.

* Lib. 2. Hiſt. Nat. cap. 101.
† Servius 7. Æn.
‡ Act. 1. ſc. 2.
* Sic rectè corrigunt, quia curo ἀρχαϊκῶς dandi caſum pro accuſativo adſciſcit.
† Eun. act. 4. ſc. 5.

Hinc nomina eorum pro rebus, quas curent, & procurent, paſſim invenias. Ut in calcato illo Terentii dicto †: *Sine Cerere & Libero friget Venus.* Ubi ſatis conſtat, per *Cererem* ſignificari fruges, per *Liberum* vinum, per *Venerem* τὰ ἀφροδίσια, ſive ipſam μίξιν, quam *corporale concilium* Arnobius appellat. Ita & Comici locum interpretatur M. Minucius in Octavio. *In eandem*, inquit, *ſententiam & Perſeus philoſophatur, & annectit inventas fruges, & frugum ipſarum repertores, iiſdem nominibus: ut Comicus ſermo eſt, Venerem ſine Libero, & Cerere, frigere.* Arnobius extremo libro quincto: *In uſu ſermonis veſtri Martem pro pugnâ appellatis, pro aquis Neptunum, Liberum patrem pro vino, Cererem pro pane, Minervam pro ſtamine, pro obſcænis libidinis Venerem.*

Monet Fabius *, hæc dici licentiùs, quàm ut fori ſeveritas ferat, Cicero tamen in Milonianâ ait: *Adde caſus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem.* Sed non minùs hic numen accipere poſſumus, quàm in illo Homerico ⊥:

* Lib. 8. cap. 6.
⊥ Iliad. ς.

Ξυνὸς † Ἐνυάλιος καί τε κτανέοντα κατέκτα.

† Communis Mars, inque vicem perimit perimentem.

Accommodatius illud pro Marcello: *Quos amiſimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ.* Nec enim Deus, ſed prœlium opponitur victoriæ. Apud hiſtoricos verò crebrum eſt, *Vario Marte*; &, *Incerto Marte.* Etiam Valerii eſt in ſecundo Memorabilium cap. 1: *Proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſuevit.* Atque ita ſæpe Veneris vocabulo etiam uſus Cornelius Celſus *:

* Lib. 1. c. 3. & alibi.

At extra ſcenam nimiæ fuerit licentiæ, *Cererem ſalutare*, pro *guſtare panem*: *ſalutare Liberum*, pro *guſtare vinum.* Quomodo arbitrantur Comicum loqui in Amphitryone, ſive is Plautus ipſe, ſive alius potiùs, vetus ille, ſed Plauto tamen non paullo junior, qui ea, quæ deeſſe huic comœdiæ putaret, haut illepidè ſupplêrit. Verba ejus ſunt †:

Nec Bacchum ſalutem hodie, nec Cererem, ni purgari juſſeras
Vaſa ——.

Ita enim non ineptè emendant ‡: ut ſententia ſit, nec panem, nec potum, hodie ori admoveam meo, niſi tu juſſeris. Quæ ſi vera eſt conjectura, *ſalutare* dixerit Comicus, pro *ori admovere*, quia ἰσοδυναμῶσι *, *Deum ſalutare*, & *adorare*; quod viri eruditi † interpretantur, *ad os admovere.* In Deorum enim ſalutatione eminus ſtantes, ne ore profano Deos tangerent, manum ori admovebant, ac ſuaviabantur. Quin multi volunt, id propriè eſſe *adorare.* Nos ſubtili iſti etymologiæ adſenſum accommodare non poſſumus: de ritu tamen adſentimus: ut cujus meminerint Lucianus in Demoſthenis encomio, item περὶ ὀρχήσεως, Plinius lib. XXVIII. cap. II, & lib. XII. cap. III. Appulejus lib. IV. Metam. Apolog. & Florid. Hieronymus contra Rufinum, & in Oſeam cap. XIII.

† Amphitryone Sc. Di voſtram fidem.
‡ Præeunte Gaſpare Scoppio l. 1. Veriſimil. c. 8. qui tamen ſententiam hanc retractat lib. 3. ſuſpectarum lectionum epiſt. 19.
* Æqualem vim habent.
† Lipſius l. 2. Elect. c. 6. Muretus l. 10. c. 1. Scoppius lib. 1. Veriſ. cap. 8. &c.

Ab metonymiâ cauſſæ principalis venio ad eam, quæ eſt cauſſæ inſtrumentalis. Quam à Peripateticis ad efficientem referri, ſatis conſtat. Ut *lingua* pro ſermone; quomodo linguam Romanam, Græcam, Hebræam dicimus. Vel pro obtrectatione: ut apud Tullium lib. IX. ep. II. ad Varronem: *Vitemus oculos hominum, ſi linguas minus facilè poſſumus.* Vel pro eloquentiâ. Ut apud Apoſtolum 1 Cor. 1: *Si linguis Angelorum loquar. Angelicam* verò metaphoricè dixit pro præſtanti, quia ſumma omnia tribuebant angelis: unde dicebant, *panem Angelorum* ⊥. Niſi malis manna ita vocari, quia etſi ſpecie non differret à vulgari manna; tamen Angelorum miniſterio diverſimodè fuerit productum, ac qualitatibus aliis ornatum: uti ex XVI. Exod. cognoſcere eſt. Inſtrumentalis quoque cauſſa ponitur pro effectu, cùm *manus* accipitur pro opere. Propertius lib. III. Eleg. XX:

⊥ Pſalm. 78. 25.

Aut certe tabulæ capient mea lumina pictæ,
Sive ebore exactæ, ſeu magis ære manus.

Itidem Cic. lib. VII. epiſt. ad Att. & alibi, *manum*, dixit pro *ſcriptione*: ac Græci quoque eodem loquuntur modo, teſte Polluce, & Suida: neque aliter Galli, & nos in ſermone vernaculo, ac linguæ item aliæ.

Ad metonymiam quoque efficientis referenda ſunt ea, in quibus affectus, aliáve qualitas, vel actio ponitur pro effectu ſuo. Cic. pro Milone: *Principum munus eſſe ducebat, reſiſtere levitati multitudinis.* h. e. tumultui, quem levitas concivit. Inprimis hoc genere gaudent Hebræi. Ut

Mich.

Mich. vii. 9: *Iram Domini portabo:* h. e. pœnam, quæ ab ira proficiſcitur. Sic *eleemoſyna* (qua propriè miſericordia ſignificatur) pro dono, ſive opere miſericordiæ. ut Mat. vi. 1. & alibi. Simile quoque hoc Lev. v. 1: *Anima, quæ peccavit, feret iniquitatem ſuam,* h. e. pœnam iniquitate promeritam. Levit. xix: 13: *Opus mercenarii non pernoctabit tecum:* hoc eſt, mercedem opere promeritam non retinebis in diem poſterum. Pſal. cxx. 2: *Laborem manuum tuarum manducabis:* hoc eſt, cibum labore proprio partum. Oſee iv. 8. de Sacerdotibus: *Peccati populi mei comedent:* h. e. hoſtias pro peccato oblatas. Quomodo & 1 Cor. v. 21. de Chriſto legas: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Ubi priùs *peccatum* ſumitur propriè; deinde μετωνυμικῶς, pro hoſtiâ piaculari, cujus peccatum eſt cauſſa. Quamquam hic & metonymiam ſubjecti ſtatuere poſſis: quia victima, quæ mactaretur pro peccatis, peccata in ſe quodammodo reciperet: quò pertinebat, quòd ſacerdos hoſtiæ imponeret manus, atque ei peccata quaſi tranſcriberet.

Hujus etiam loci eſt figuratum illud loquendi genus, quod ἀνθρωποπάθειαν vocant. Nam ad metaphoram quidem pertinet, quatenus Deus homini aſſimilatur: ut cui nunc membrum humanum tribuatur, etſi ſit ſpiritus: nunc affectus hominis adſcribatur, etſi ſit ἀπαθής. Ad μετωνυμίαν verò referri debet, quatenus per membrum intelligitur potentia, quæ membro illo exercetur: affectu item deſignatur effectus, qui in homine ab affectu ejuſmodi proficiſcitur. Ut *manus* *, vel *brachium* † Dei, pro potentia ejus. *Oculus*, ‡ procura & providentia. *Ira*, & *furor* Dei, * pro ultione ac pœna. *Pœnitentia*, pro mutatione vel beneficii in pœnam, vel pœnæ in beneficium; prout Deus nunc boni, nunc mali, dicitur pœnitere. Itidem *oblivio* † vocatur, cùm non opitulatur: *expergeſieri*, ac *vigilare* ‡ dicitur, cùm ſuccurrit. Atque ita in aliis.

* Num. 11. 13. † Exodi 15. 16. ‡ Pſal. 33. 18. * Exod. 15. 7. Ezech. 7. 19. Joan. 3. 36. Rom. 3. 5. † Hoſ. 4. Eſa. 49. 14. 15. ‡ Pſa. 7. 6.

III. De metonymia illa, quam vulgo materiæ vocant.

ET hæc de metonymiâ efficientis. Præter quam alteram quoque ſtatuunt μετωνυμίαν cauſſæ, quam *materiæ* appellant, quia hæc ponatur pro materiato & certè crebrum eſſe hoc loquendi genus, nemo ſanus negaverit. Ita homo dicitur *terra* *, quia è terra ſumtus eſt: *ſemen mulieris* †, pro filio mulieris; *ſemen Davidis* ‡, pro poſteris; *lignum* *, pro cruce è ligno; *pelles* †, pro tentoriis inde factis. Theophraſtus ‡ Φοίνικα * appellat unguentum palmeum: κύπρινον †, oleum ex cypro arbore Ægyptiâ: κρίνον ‡ item μύρον κρίνινον *, ſive Σούσινον, prout vocari ſcribit Athenæus †: nempe à Suſâ; quo Perſis & lilium ſignificatur, & urbs Perſidis, à liliorum copiâ; ut teſtatur Stephanus περὶ πόλεων; ac Hebræa quoque lingua confirmat; ut in qua lilium vocent *ſuſan*, quaſi ſenorum foliorum florem. Eadem loquendi ratio eſt, cùm in Plinio legimus *humanas dapes*, & *humanos potus*, pro eo, quod pari religione vocat *reliquias cibi*, & *humorem quem profundimus.* Imò quia unum variarum eſſe rerum materies ſolet, eò & metonymica ejuſdem vocabuli ſignificatio variat. Ut cùm *cornu*, pro laternâ cornea dicit Plautus ‡; pro arcu corneo, Maro *. Aut cùm idem Maro † *aurum* dicit pro phiala aurea, pro arcu aurato, poëta antiquus apud Varronem ‡. Aut cùm *ferrum* ſumitur nunc pro gladio; ut *interimere ferro:* nunc pro vomere; ut *, *At prius ignotum ferro quàm ſcindimus æquor.* Aut cùm *æs* accipitur vel pro pecuniâ, ut paſſim fit. Vel pro tabulâ ex ære. Ut in illo Naſonis †:

—— Nec verba minantia fixo
Ære ligabantur.

i. leges non incidebantur tabulis æneis. Quo de more vide L. Jo. Scoppam lib. 1. collectan. cap. xiv, Paullum Manucium lib. de legg. Rom. Turnebum lib. xxv. Adverſ. cap. xxx. Anton. Auguſtinum lib. de legibus cap. xvi, & Barnabam Briſſonium lib. iii. de form. Ac hæc quidem evincere videntur, aliquam eſſe metonymiam materiæ.

* Geneſ 3. † Ibidem. ‡ Pſal. 18. * 1 Petr. 2. 24. † 2 Sam. 7. Hab. 3. 7. ‡ Libro de Odoribus. * Palmã. † Cyprum. ‡ Lilium. * Unguentum e liliis. † Lib. 12. ‡ Amphitr. 1. 1. * Ecl. 10. † 1. Æn. ‡ Lib. 6. de L. L. ex reſtitutione Scaligeri. * 1. Georg. † 1. Met.

Verùm, licet in his, ac ſexcentis aliis id genus, materiam pro materiato poni, lubentes agnoſcimus: neutiquam tamen ex eo conſequi putamus, rectè à Rhetoribus quoque aliquam ſtatui metonymiam materiæ; cùm, quæ hactenus exempla adduximus, & quæcunque alia ejus notæ afferri queunt, rectiùs ad ſynecdochen partis eſſentialis referantur. Non ventilabo diu, aut luſoriis armis hanc cauſſam agam. Certè materia pars eſt eſſentialis effecti ſui, ac magis quidem propriè pars nominatur, quàm ſpecies, quæ Philoſophis dicitur pars ſubjecta generi. Quare, ſi ſynecdoche eſt, cùm pars ſubjecta ponitur pro toto genere; multo magis fuerit ſynecdoche, quandocunque pars eſſentialis, cujuſmodi eſt materia, ponitur pro toto, quod conſtat materia & formâ. Quòd ſicui ſtat ſententia, mordicus vulgatam tenere opinionem; is per me licet dicat, eſſe ſimul metonymiam materiæ, & ſynecdochen partis. quia, etſi in exemplis allatis idem ſubjecto ſit materiatum, & compoſitum: fortaſſe tamen aliud fuerit conſiderare materiam, ut ponitur pro materiato ſolo; quia cùm hæc naturali tantùm vinculo conjungantur, eo pacto fuerit metonymia: aliud autem ſit conſiderare materiam, ut ponitur pro compoſito; quia cum materia ſit de eſſentiâ compoſiti, juxta hunc conſiderandi modum futura ſit ſυνεκδοχή. Verùm quid quæſo aliud eſt materiatum, quàm compoſitum? Scilicet vulgus, cùm materiam accipit pro materiato, materiatum philoſophorum more intelligit abſtractè. Quare, niſi Ixioni ſimiles, umbram pro re, errorem pro veritate, amplecti velimus: fateamur neceſſe eſt, longè antiſtare priorem ſententiam, quæ, cùm materia ponitur pro materiato, non minùs facit ſynecdochen partis eſſentialis quàm cùm forma ponitur pro formato; E. G. anima pro homine; quam ipſimet appellant ſynecdochen partis.

Nec verò hoc ſolum eviciſſe contenti ſumus. Aliud quoque, hoc nobis conceſſo, ſequi putamus. Id verò eſt, μετωνυμίαν laxe nimis definiri tropum, quo cauſſa ponitur pro effectu, aut ſubjectum pro adjuncto, vel contrà. Nam cùm materiâ aut forma, accipiuntur pro materiato formatove, cauſſa profectò ponitur pro cauſſato; nec tamen metonymia eſt, ſed ſynecdoche. Huic definitionis vitio medicinam fecerimus, ſi non ἀμέσως cauſſa dicamus, ſed *cauſſa externa.* Eo enim eſſentiales cauſſæ excluduntur.

IV. De metonymia finis.

QUemadmodum autem nimis metonymiæ pomœria extendunt, cùm ei ſynecdochica adjungunt: ita nimis eadem coarctant, cùm quodammodo ſilentio ſuo damnant metonymiam finis, pro eo quod ad finem deſtinatum eſt. Horatius certè in arte poëticâ dixit,

Dicitur & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Quo loco Franciſcus Luiſinus per *poëmata* intelligit ſcenam, quæ propter poëmata fiebat: ut ſententia ſit, ſcenam à Theſpide plauſtris eſſe circumductam, in quibus ejus canebantur poëmata, & agebantur. Quamquam, ut ingenuè, quod ſentio, dicam, mihi quidem magis veriſimile ſit, *poëmata* hic propriè accipi: ut ſententia ſit, Theſpidem, quòd ſcena necdum eſſet inventa, poëmata ſua plauſtris circumgeſtaſſe, atque ex iis tragœdias docuiſſe. Nec Horatiano hoc defecti, exemplo omnino deſtituimur. Nam dixit Terentius *: *Si meus eſſes, exemplum omnibus curarem ut eſſes.* h. e. animadverterem in te dignis modis, quo alii ex te caperent ſibi exemplum. Crebrum etiam eſt *cuſtodia* pro *cuſtodibus.* Ut apud Catullum †, *vigilat cuſtodia.* Et Maronem ‡.

—— noctem cuſtodia ducit
Inſomnem.

Et Stoici eam Logicæ partem, quæ docet argumentum in figurâ ac modo diſponere, quo de re totâ meliùs certiuſque judi-

* Delph. act. 5 ſc. 1. † In carm. nuptiali. ‡ 9. Æn.

judicari queat, *judicium* appellant. Εὐχαριστίαν quoque per metonymiam finis dicimus pro cœnâ Domini. Et hæc de duplici metonymiâ cauſſæ.

V. De metonymia effecti proprie dicti.

Secundum metonymiæ genus priori contrarium eſt. Nam complectitur exempla, in quibus per cauſſatum intelligitur cauſſa. Hunc autem modum in duos vulgò diſpeſcunt. Prior eſt, cùm effectum propriè dictum accipitur pro efficiente; alter, cùm materiatum ponitur pro materiâ.

Metonymia effecti eſt, quando, qui poëtarum mos eſt, epitheton effecti proprium cauſſæ tribuitur efficienti. Ut in illo Virgilii*:

Pallenteſque habitant morbi, triſtiſque ſenectus.

Nam morbus eſt efficiens morbo affecti, quà talis; & ſenectus reddit ſenes. Cùm autem palleant, qui morbo affecti ſunt, & ſenes ſint triſtes; effecti utriuſque ἐπίθετον utrique tribuitur efficienti. Quam rem Heraclides optimè in Allegoriis Homericis declarat, ubi ait, Homero Διόνυσον†, h. e. τὸν οἶνον‡, dici furere, quia ebrii ſoleant furere. Atque addit: Ὥσπερ τὸ δέος εἰ τύχοι χλωρὸν λέγει, καὶ πευκεδανὸν πόλεμον. Ἃ γὰρ ἀπ' αὐτῶν συμβαίνει, ταῦτ' ἐκείνοις προσῆψεν, ὅθεν ἄρχεται τὰ πάθη. *Sicut timorem vocat pallidum, & triſte bellum. Nam affectiones, quæ res comitantur, iis tribuit, unde contingunt.* Similiter Prudentius in Hamartigeniâ, *Nec fluxa voluptas Diffluat.* Sic loquitur, quia homines voluptatibus dediti diffluunt. Nec hujuſce elegantiæ omnino expertes ſunt Oratores: quippe qui, teſte Fabio, dicant, *præcipitem iram, hilarem adoleſcentiam, ſegne otium.*

* 6. Æn.
† Liberum.
‡ Vinum.

Verùm hoc de tropi genere immane quantum diſcrepare videntur Fabius, & Beda presbyter: ille enim effectum pro efficiente, hic efficientem pro effectu poni ait. Fabii ſunt iſta: *Illud quoque, & poëſis, & oratoribus, frequens, quo eum, qui efficit, ex eo, quod efficitur, oſtendimus.* Poſt illa ſubdit iſthæc exempla: *pallida mors, pallentes morbi, triſtis ſenectus.* Longè verò aliter venerabilis Beda‡: quippe qui intelligi velit *per efficientem, id quod efficitur: ſicut pigrum frigus, quod pigros homines faciat, & timor pallidus, eò quod pallidos homines reddat.* Verùm ſi, quod Beda ipſe agnoſcit, *pallida mors* haut aliud eſt, quàm pallorem adferens; ſi rectè *pigrum frigus* interpretatur pigros reddens: per effectum profectò intelligitur efficiens, ut bene Fabius ſenſit. Quamquam nec deerit fortaſſe, qui, ut Bedam de manifeſtario errore purget, unius verbi trajectione apud eum legendum contendat, *Item efficientem, per id quod efficitur* &c. Verùm calidæ iſtiuſmodi conjecturæ frigidam ſuffundit, quòd Beda mox ſubjiciat: *Aut contrà per id, quod efficitur* &c. Sed quid in re leviculâ tricamur? Superſunt alia, quæque magis in ambiguo ſint.

‡ Lib. de tropis ſacræ Scripturæ.

Ac primò quæritur, an, cùm Fabius, Beda, ac fortaſſe, quotquot veterum aliquid de metonymiâ ſcriptis conſignarunt, haut alia hujus generis exempla adferant, quàm in adjectivis & ἐπιθέτοις: iccirco neceſſe habeamus eorum ſubſcribere ſententiæ, qui μετωνυμίαν effecti in iſtis tantummodo locum habere exiſtimarunt. Nobis quidem ἐκτὸς δρόμου φέρεσθαι* videntur. Dixit certè Horatius lib. I. od. IX.

* Extra curriculum ferri.

Donec virenti canities abeſt
Moroſa.

Ubi *canities* pro ſenectute ponitur. Ovidii eſt XII. Met. fab. V.

—— Nec habebat Pelion umbras.

hoc eſt, arbores. Cicero in Milonianâ: *Si mors P. Clodii ſalus veſtra fuerit.* hoc eſt, ſalutis cauſſa. Multa etiam hujuſmodi ſe offerunt in ſacris literis. Ut Geneſ. XXV. *Duæ gentes ſunt in utero tuo.* hoc eſt, gentium auctores, Eſau, & Jacob. III. Reg. cap. IV. *Mors eſt in olla.* hoc eſt, mortiferum quid. Et Chriſtus ab Apoſtolo† dicitur *nobis à Deo factus ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, & redemtio.* h. e. ſapientiæ objectum ac doctor, & noſter juſtificator, ſanctificator, & redemtor. Itidem cap. I. Apocalypſ. verſ. IV. etſi Spiritus S. οὐσιωδῶς‡ unicus eſt; ratione tamen virtutis & operationis ſe in Aſiaticas ſeptem Eccleſias exſerentis, Johannes numerum effecti tribuens efficienti, ſeptem nominat ſpiritus coram throno Domini verſantes, à quibus æquè, ac à Patre & Filio, gratiam & pacem Eccleſiis optat: medio autem loco Spiritum S. inter Patrem & Chriſtum interſerit, quia longior de Chriſto inſtituendus erat ſermo.

† 1 Cor. I. 30.
‡ Eſſentialiter.

Alius iterum ſe offert error vulgi; cujus de commentis propemodum dicere liceat illud Lucilii:

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa.

Cujus enim pretii eſt, quod ſuaviludii illi pertendunt, metonymiam effecti non habere locum in verbis? Atqui Perſii eſt ſat. III.

—— & intus
Palleat.

Nam propriè intus pallere qui poteſt? Sed quia timor cauſſa eſt palloris, *palluit* uſurpat pro *timuit.* Eodem modo, ſed paullo mollius, dixit Horatius‡:

Dum pueris omnis pater & matercula pallet.

hoc eſt, liberis timet. Et de Titio Septimio, poëtâ lyrico, ac tragico*:

Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus.

hoc eſt, extimuit. Simile eſt illud Maronis†:

Regina e ſpeculis cùm primùm albeſcere lucem
Vidit.

Albeſcere enim luci tribuit, hoc eſt, ipſi cauſſæ alboris, cùm propriè competat rebus, quæ luce illuſtrantur. Par ratio, cùm *mirari* dicitur pro *ignorari.* Ut Terent. Eun.* *Miror, quid ex Piræo abierit.* Ubi ſic, ut dixi, interpretatur Donatus. Sed pleniùs idem in illud Andriæ†: *Miror, unde ſit.* Ubi hæc annotavit: MIROR *veteres*, *cum* UNDE, *pro* NESCIO *ponebant. Nam admiratio ab ignorantia deſcendit.* Addit deinde, ſic etiam accipi in Plautino iſto‡:

‡ Lib. I. epiſt. 7.
* Lib. I. epiſt. 3.
† 4. Æn.
* Act. 2. ſc. 2.
† Act. 4. ſc. 4.

Siquis miretur qui ſim. paucis eloquar.

‡ Prologo Aulula-riæ.

Vulgò quoque cùm dicimus, *Primum hoc ille obſervavit;* quid aliud volumus, quàm, *obſervando deprehendit?*

At enim, inquiunt, μετωνυμία venit ob ὄνομα‡, eoque à Fabio definitur, nominis pro nomine poſitio. Homines acutos! quaſi non verba quoque dici poſſint ὀνόματα*. Nam id niſi eſſent, non opponerentur ὀνόματα τοῖς πράγμασι†; nec definitio ὀνοματώδης‡ eſſet ἀντιδιῃρημένη χρηματώδης‡; nec verba, cujuſmodi ſunt *mugire, pipire, boare,* rectè vocarentur ὀνοματοπεποιημένα*: quæ qui in dubium revocare volet, eâdem intermortuam Pyrrhonis & Arceſilai ἀκαταληψίαν† ab Orco in lucem protrahere ſeſe ſtudeat.

‡ Nomen.
* Nomina.
† Nomina rebus.
‡ Nominalis.
‡ Oppoſita reali.
* Nominum fictiones.
† Incomprehenſibilitatem.

Monent præterea Rhetores, cùm effectus ponitur pro cauſsâ, non debere eam obſcurè nimis colligi ex effectu. Bellè quidem; at de exemplo, quo id adſtruunt, hautquaquam adſtipulor. Certè Hieronymus Rhegius‡, & Ludovicus Carbo‡, damnant Horatium, quòd dixerit*, *Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegiſſe juvat:* pro, ſunt quos certamen Olympicum delectat. Verùm aut ipſe pluſquam in Cimmeriis tenebris cæſpito; aut, pro poëta quidem, nulla hic eſt vel obſcuritas, vel duricies. Nam Græcos, more ſuo, imitatur Horatius. Ii enim, quia in certaminibus equorum curſu pulvis excitari ſolet, pro ἀγωνίζεσθαι dicunt κονίζεσθαι; quod propriè notat κόνιν ἐγείρεσθαι, atque, ut Horatius loquitur, *pulverem colligi.* Et hæc de metonymia effecti.

‡ Lingua Latinæ commentario 2. præceptione 5.
‡ Lib. 1 de Elocutione cap. 12.
* Lib. 1. od. 1.

VI. De iis, in quibus metonymiam materiati ſtatuunt, deque metonymia deſtinati ad finem.

Quod verò ad metonymiam materiati attinet; ſunt qui negent, materiatum unquam pro materia poni: ſed, ſi quod ejus exemplum apud idoneum reperiatur ſcripto-

rem, metonymiam id materiati fore, haut diffitentur. At hæc in re bis peccant. Nam materiatum pro materia ſumitur, cùm Deus ſic loquitur apud ſervum ſuum Moſem *: *Pluam vobis panes de cælo.* hoc eſt, manna, unde fiant panes. Etiam rogantibus Iſraëlitis, *man hu*, id eſt, *quid eſt hoc?* reſpondit Moſes †, *Iſte eſt panis, quem vobis Dominus dedit ad veſcendum.* Ac, ne ſolùm Hebræos ſic loqui putemus, Maro in eclogis ait:

* Exod. 16: 5.
† Ibid. verſ. 16.

Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.

Serta pro floribus. Nec tamen hæc eſt metonymia materiati, cùm materia ſit materiati cauſſa interna: ad metonymiam autem non alia pertineant, quàm quæ non junguntur vinculo eſſentiali. Vel ſi exemplum hoc ad metonymiam referre lubet; fuerit metonymia finis, quia ſolemus flores legere eo animo, ut inde ſertum fiat. Sin ſertum non ut finem, ſed ut materiatum, conſideremus: erit ſynecdoche totius eſſentialis pro parte. Nimirum quia, quod primum eſt intentione, id ultimum eſt exſecutione: eò unum idemque & finis eſt, quando intenditur, & materiatum ſive effectum, poſtquam animus effecit, quod propoſuerat. Ut nihil impediat, quo minùs aliquid ſit, tum metonymia finis, tum ſynecdoche partis: non item metonymia materiæ, quia materies minimè pertinet ad metonymiam: ut ſatis apertè mihi videor monſtraſſe. Quare verbum non addo, cùm ne operam abuti dicar in re clarâ firmandâ; tum ne fiat illud, quod Varro vocat, caprinum prœlium.

Quemadmodum autem, cùm de metonymiâ cauſſæ agunt, malè omittunt metonymiam finis: itidem in metonymiâ cauſſati malè prætereunt eam, quæ eſt deſtinati ad finem. Magis fortaſſe nomini ſuo conſuluiſſent, ſi in ſacrâ paginâ aſſidui eſſe, quàm dicis cauſâ, verſari maluiſſent. Nam, ut cætera mittam, exemplum iſtiuſmodi μετωνυμίας eſt in illo Abimeleci cap. xx. Geneſ. *Ecce is tibi eſt operimentum oculorum.* Ubi Abrahamus dicitur Saræ eſſe velamen, h. e. is, ob quem ea velari debebat in ſubjectionis ſignum ‡. Nec nationum ſcriptores hoc loquendi genus neſciunt, ut Catulli loco oſtendam, cum ad μετάληψιν perventum erit ↓. Nunc de metonymiâ cauſſati iſta ſufficiant.

‡ Ad Epheſ. 5. verſ. 9.
↓ Cap. 10. hujus lib.

VII. De metonymia subjecti, et adjuncti, generatim.

CÆteros μετωνυμίας modos, qui complures ſunt, revocant plerique Rhetores ad μετωνυμίαν ſubjecti, & adjuncti. Sed, etſi Peripateticis accidentium ſubjectum, fundamenti ratione, ſemper eſt ſubſtantia; unde ea *ſubjectum inhæſionis* vocatur; ratione verò attributionis ſubjectum vel ſubſtantia eſt, quomodo homo ſubjectum eſt eruditionis, paries coloris; vel accidens, quomodo linea dicitur longa, tempus breve: tamen ex eorundem ſententiâ neque continens ſubjectum eſt ratione contenti, neque patronus ratione clientis, aut dux ratione exercitus. Quare latius multo, quàm ſubjecti & accidentis voces accipit Ariſtoteles, ſubjecti & adjuncti nominibus utuntur illi, qui duplicem faciunt metonymiam ſubjecti, duplicem item metonymiam adjuncti: ac quidem, cùm continens ponitur pro re contentâ, vocant μετωνυμίαν ſubjecti in ſe recipientis: quoties dux pro exercitu, patronus pro cliente, deus pro loco, aut poſſeſſor pro re poſſeſsâ uſurpatur, metonymiam ſtatuunt ſubjecti ad ſe recipientis: item, ſi virtutes, vitiaque, pro perſonis ipſis uſurpentur, metonymiam eſſe aiunt adjuncti inhærentis: & cùm ſignum ponitur pro ſignato, metonymiam appellant adjuncti adhærentis. Idem judicium eſto de his, qui adjungunt metonymiam, tum objecti, tum ejus, quod circa illud ſe occupat. Verùm dici poteſt, latius naturâ ſuâ patêre adjuncti vocem, quàm accidentis: quippe etiam ſubſtantia ſubſtantiæ, ut brachium ſcapulis, virgultum trunco, adjungitur; non autem accidit. Itaque, etſi de nonnullis horum aliter ſtatuam, ut ſuo aperiam loco: tamen ipſa ſubjecti & adjuncti vocabula retinebo; cùm ne madidam memoriam juventutis novis turbem vocibus, tum ne lauream videar in muſtaciis quærere.

De metonymiâ antecedentis, & conſequentis, hoc quidem loco nihil addere viſum eſt, quia multo rariſſima ſunt ejus exempla, quæ non ad aliquod aliud μετωνυμίας genus referri queant: ut fortaſſe vix eorum nunc habenda eſſe ratio videatur. Verùm hac de re pluribus in Μεταλήψει. Nunc de ſingulis, quos antè recenſuimus, modis ſigillatim agamus.

VIII. De metonymia subjecti, in se recipientis.

TErtius igitur μετωνυμίας modus eſt, quo ſubjectum ponitur pro adjuncto. Subjecti autem voce nunc, aliorum, quos dixi, exemplo, utar admodum laxè, & ex parte etiam valde impropriè: nempe pro eo, cui quid ineſt, vel adeſt, vel circa quod aliquid verſatur. Ut triplex ſit metonymia ſubjecti; una recipientis in ſe, altera ad ſe recipientis, tertia objecti, ſive ſubjecti occupantis.

Metonymia ſubjecti, cui quid ineſt, nunc uſurpat ſubjectum pro qualitate ſive affectione, quæ ineſt; nunc pro actione, quæ in eo fit; nunc pro corpore ſive ſubſtantiâ, quæ eo continetur.

Primi generis videtur, cùm *jecur*, quod cupiditatis ſedes eſt, juxta Platonem, pro placito ſive libidine accipitur. Pacuvius Chryſe *:

* Apud Cic. lib. 1. Divinat. & ex parte apud Non. in Auſcultare.

—— *Nam iſtis, qui linguam avium intelligunt,*
Pluſque ex alieno jecore ſapiunt, quàm ſuo,
Magis audiendum, quàm auſcultandum, cenſeo.

Interdum etiam pro ſapientiâ uſurpatur. Ut veteri Epigrammate in Catonem Grammaticum †:

† Apud Sueton. de illuſtr. Grammat.

En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.

Ubi & ſimili μετωνυμίᾳ *cor* pro ſapientiâ ſumitur. Quemadmodum etiam apud Plautum Perſâ ‡:

‡ Act. 4. ſc. Sam [illegible]

Di iſtam perdant. Ita cata eſt & callida.
Habet cor. quàm dicit, quod opu'ſt!

Cæterùm, ut Tullius ait 1. Tuſcul., *Alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi eſſe ſedem & locum.* Eaque eſt cauſſa, cur *cerebrum* ſimiliter ſumatur. Ut cùm Caper grammaticus ait, *Qui cereber dicunt, ſine cerebro vivunt.* hoc eſt, non ſunt ſanæ mentis. Horatii eſt ↓:

↓ Lib. 1. ſat. 9.

—— *O te, Bollane, cerebri*
Felicem!

hoc eſt, O te beatum, ob mentem adeò præclaram, ac generoſam. Itidem Græci φρόνησιν vocant φρένας. Ut in nobili illo Epicharmi * dicto:

* Apud Dionem Chryſoſtomum. [illegible]

Νᾶφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν.

Nam φρένας hic ſapientiam ſignificare, oſtendit illud Q. Ciceronis: *Quamobrem*, inquit, *Epicharmeum illud teneto, Nervos atque artus eſſe ſapientiæ, non temere credere.* At propriè φρένες ſunt membranæ, quibus cerebrum & cor involvuntur; etſi Euſtathius ita vocet τὸ διάφραγμα; nonnulli etiam φρένας propriè mentem, at μετωνυμικῶς diaphragma, ſignificare tradant. Verùm res tanti non eſt, ut ſuper eâ neceſſe ſit haberi doctorum comitia.

Atque ut *jecur*, *cor*, *cerebrum*, pro ſapientiâ; ita, quia in vultu pudor relucet, *frons*, & *os*, ſæpe ſumuntur pro pudore. Unde Catullus †:

† Carm. 43.

—— *Pudorem*
Ferreo canis exprimamus ore.

Perſii verò eſt ſat. v.

—— *Exclamet Melicerta, periſſe*
Frontem de rebus.

De utroque ita Donatus in Eunuch. ‡ *Os durum, os impudens; ut contrà molles frontis dicuntur, qui ſunt reverentes.* Atque hinc lucem capit illud Aſinii Galli de M. Pomponio Sabino *:

‡ Act. 4. ſc. 7.
* Apud Sueton. de illuſtr. Grammat.

Qui caput ad lævam ducit, gloſſemata nobis
Præcipit, os nullum, vel potius pugilis.

Os nullum, hoc eſt, nullius pudoris: *os pugilis*, hoc eſt, durum,

durum, quale eſt pugilis, quod cæſtibus crebrò feritur. *Durum* autem *os*, pro impudenti; quomodo Terentium loqui Donatus notavit, ut vidimus.

Metonymiæ ſubjecti ejus cui qualitas ſive affectio quomodocunque ineſt, vicina eſt illa, in qua per locum, ubi aliquid fieri ſolet, intelligitur actio, quæ in eo fiat. Cic. 1. de Orat. *Age verò, ne ſemper forum, ſubſellia, roſtra, curiamque mediteris.*

Sed longè uſitatiſſima eſt illa, cùm per locum ſignamus ſubſtantiam, quæ locum illum occupat. Ut Geneſ. VI. 11: *Terra corrupta erat.* id eſt, *homines.* Deut. XXXII. 11: *Sicut aquila nidum ſuum excitat ad volandum.* hoc eſt,
* Seneca in Ἀποκολοκυνθώσει. pullos ſuos. Ita Janus locus erat Romæ in foro *, ſic
dictus ab duabus †, vel, ut Acron ‡ putat, tribus Jani
† P. Victor. in 8. Reg. urbis. ſtatuis. Sed per μετωνυμίαν continens ponitur pro fœneratoribus, trapezitis ac mercatoribus; qui eo in loco habitabant, aut verſabantur. Horat. epiſt. 1. lib. 1:
‡ In lib. 2. ſat. 3.

—— Hæc Janus ſummus ab imo
Prodocet.

Ubi libri plerique *perdocet*: ſed *prodocet* eſt in MSSis,
‡ Ut Venetâ anni 1479. & vett. edit. ‡ & ſcripturam hanc agnoſcit quoque Jacobus Magnus Toletanus *, qui ante annos vixit ducentos. Maro 1. Georg.
* Lib. 5. Sophologii cap. 15.

Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis.

Nam aquam intellexit per *pocula Acheloia*, id eſt, aquea.
† Iliad. ϕ. pag. 353. edit. Rom. Veteres enim, Euſtathio † teſte, *Acheloum* pro quavis aqua ponebant. *Uvas* itidem pro ipſo accipit vino: ſive metonymiâ continentis, ſive potiùs per metonymiam vel ſynecdochen materiæ pro materiato. Juvenalis ſat. XVI:

Quàm tu Coryciâ ſemper qui puppe moraris,
Atque habitas, Coro ſemper tollendus, & Auſtro,
Perditus ac vilis ſacci mercator olentis.

Ubi per vilem & olentem ſaccum, intelligit opobalſamum, aliamve mercem fœtidam; ut vetus ſcholiaſtes exponit: vel, quod longè verius, crocum ſignat; ut argumento eſt, quòd Coryciæ navis fiat mentio. Corycus enim croco nobilis. Is Ciliciæ mons eſt: unde, ut Horatius ‡ *Corycium* dixit crocum, ita Lucretius * *Cilicem*, ac *ſpicam Ciliſſam* pro eodem Naſo in Faſtis †.
‡ Lib. 2. ſat. 4.
* Lib. 2.
† Lib. 1.

Nonnulli in hujuſmodi exemplis metonymiam ſubjecti eſſe negant. Atque hi ad συνεκδοχὴν referunt, ac pro ſe facere arbitrantur nomen συνεκδοχῆς, quod *comprehenſionem* ſonat. Verùm aliter locus comprehendit locatum, aliter totum comprehendit partes: idem numero locus aliud, atque aliud, locatum recipit: at partes ſunt de eſſentiâ totius. Adde quòd nec ſemper ἔτυμα convertantur cum re; cùm non ſit *conſul*, quiſquis conſulit Reip. &, ut tropum opponamus tropo, quamvis μετωνυμία ſonet *transnominationem*, non tamen ſemper metonymia eſt; cùm nomen pro nomine ponitur; quandoquidem hoc omnibus tropis commune eſt.

Etſi autem, hæc eſſe μετωνυμικὰ, nobis quidem certum ſit, non arbitrarium: minimè tamen iis adſtipulamur, qui hanc vocant μετωνυμίαν ſubjecti. Nam quemadmodum μετωνυμίαν eſſe agnoſcimus, quia continens, & contentum, naturali quidem vinculo conjunguntur, at non ita, ut alterum ſit de alterius eſſentiâ, uti in ſynecdoche fit: (nam id ſi eſſet, non maneret unum numero continens, mutato ſubinde contento) ita μετωνυμίαν quoque adjuncti eſſe arbitramur, quia continens ſit locus, contentum ſit locatum: locus autem corpori locato accidit, cùm commune ſit corporum accidens; uti & tempus; quemadmodum quarto φυσικῆς ἀκροάσεως libro ab Ariſtotele docetur ex tripode, non dico Apollinis, verùm rectæ rationis. Sed exemplis quoque pugnemus. Maronis
* 8. Æn. eſt *,

—— Cælo gratiſſimus amnis:

† 1. Æn. pro cœlitibus. Ejuſdem eſt †,

—— Ille impiger hauſit Spumantem pateram:

pro vino. Et *Roma* pro Romanis crebrum eſt. At Dii non ſunt adjunctum cæli, nec vinum pateræ accidens eſt, nec Romani urbis: verùm Diis, vino, civibus, accidit locus, quo continentur. Falſi videntur iſtiuſmodi argumentatione: Subjectum continet: locus continet. Ergo locus eſt ſubjectum. Verùm aliter accidens eſt in ſubjecto, aliter locatum in loco. Deinde nec inveſtes pueri neſciunt, ex puris affirmantibus illegitimè in ſecunda figura contexi συλλογισμὸν, quando major non reciprocatur. Et hæc quidem paucis dicta ſunto pro ſententiâ noſtrâ, quam non ponimus nos, ſed proponimus. Quòd ſi veritatem non ſemper ex altiſſimo Democriti puteo extrahere quiti ſumus: at certè hujuſmodi quæſtionibus exercebimus ingenia juventutis, & eliciemus eruditorum judicium.

Porrò aliud quoque hinc colligimus: nempe μετωνυμίαν ſubjecti fore, non cùm tempus pro re, quæ in tempore eſt; ſed, quod in tempore eſt, pro tempore uſurpatur. Nam res, ut in loco, ita in tempore eſt; ac tum locus, tum tempus, ut dixi, ſunt rei accidentia, atque, ut vocant, circumſtantiæ. Eſt igitur μετωνυμία ſubjecti, cùm *meſſis* ſumitur pro tempore meſſis. Ut illo Pliniano lib. XXII. cap. XIII: *Semen* (urticæ) *colligi meſſibus oportet.* Et lib. XXIV. cap. XIV: *Flos mori per meſſes colligitur.*

IX. De metonymia subjecti ad se recipientis; item occupantis.

Vidimus de metonymiâ ſubjecti in ſe recipientis. Nunc expendamus ea, quæ referunt ad metonymiam ſubjecti ad ſe recipientis. Primum eorum genus eſt, cùm poſſeſſor ponitur pro re poſſeſſâ. Ut apud Maronem *: * 2. Æn.

—— Jam proximus ardet
Ucalegon: pro domo Ucalegontis.

Item cùm hominem devorari dicimus, cujus conſumuntur opes. Plautus Pſeud. †. † Act. 4. ſc. Malus & nequam.

St. *Jamne illum comeſurus es?* Ba. *Dum recens eſt,*
Dum datur, dum calet, devorari decet.

Sermo eſt de caculâ, cui nomen Harpax. Idem Aſinariâ ‡, ‡ Act. 2. ſc. 2.
cùm Libanus cognoviſſet ex Leonida, adveniſſe chlamydatum cum pecuniâ pro aſinis: quærit confeſtim, *Ubi is homo eſt*; ac ſubjicit Leonidas: *Jam devorandum cenſes, ſi conſpexeris?* hoc eſt, emungendum argento Terentii ſimilem locum inferius ‡ adducimus. Nec aliter capien- ‡ Cap. 12. ſect. 2.
dum illud apud Tranquillum *, *Claudium venalem pependiſſe.* Atque ab hac metonymicâ locutione origo eſt fabulæ de Actæone comeſto à canibus ſuis, hoc eſt, adulatoribus, ac paraſitis. Quò pertinet illud Varronis †: *Crede mihi, plures dominos cervi comedêre, quàm canes. Quòd ſi Actæon occupâſſet, & priùs ſuos canes comediſſet, non nugâs ſaltatoribus in theatro fieret.*
* In Claudio cap. 9.
† Juxta reſtitutionem Carrionis, & Palmerii; ut cervi ſint ſervi nequam; canes, paraſiti.

Sunt qui in talibus credant eſſe μετωνυμίαν adjuncti, quia poſſeſſor ſit tanquam contentum: quomodo Ucalegon ædibus, rex arce ſuâ continetur. At, puto, non dicent, etiam bubus eum contineri, cui haut aliæ opes eſſent, quàm ruſticæ: etſi eum vocarint olim ὀκτάποδα ‡, quo ſignificabant, δύο * βοῶν δεσπότην εἶναι, καὶ ἁμάξης μιᾶς, teſte Luciano in Scytha. Quanto igitur rectiùs poſſeſſor dicetur eſſe ſubjectum rem poſſeſſam ad ſe recipiens; quia opes, ac omnia fortunæ bona, accidunt hominibus. Adde quòd litem lite dirimere conatur, cùm incertum ſit, num contentum rectè ſtatuatur adjunctum. Nos quidem, ſubjectum eſſe, ſuprà docebamus; in quo ſi verum vidimus, hæc quoque perorata lis eſt. Pronunciabunt eruditi τὴν ἀρέσκουσαν †.
‡ Octi pedum.
* Aliquem duorum boum, & unius eſſe plauſtri dominum.
† Quæ ſententia placeat.

Atque ex his etiam liquet, cujuſmodi μετωνυμία ſit, cùm Deus loci ponitur pro loco. Nam quamvis hæc ex vulgi ſententiâ metonymia adjuncti fuerit, ſi Deum conſideres ut contentum; locum, ut continens: tamen metonymiam ſubjecti eſſe, negari nequit, ſi Deus conſideretur, ut dominus loci; locus autem, ut regnum, quod quaſi ſortitò ei obtigerit. Maro VI. Æn.

—— Primiſque in faucibus Orci.

Quæ ad Verba ſita Servius: *Deum poſuit pro loco: ut Jovem dicimus, & aërem ſignificamus. Horat.* ‡ *Manes* ‡ Lib. 1. od. 2.

ſub

ſub Jove frigido Venator. Orcum autem Plutonem dicit. Nec enim per Charonta poſſumus intelligere inferos dictos, quia minor poteſtas pro imperio nunquam ponitur; ſed illa, quæ tenet imperium. Nequis mihi hìc nebulas aliquas, aut offucias. Disertim enim confirmant hæc ſententiam noſtram: niſi quis tam ineptè deſipiat, ut nondum videat, eum, qui imperium tenet, ſubjectum quodammodo eſſe ejus, in quod imperium ſit adeptus. Itidem autem *Neptunus*, ac *Venus*, interdum uſurpantur pro rebus, quibus præſident. Nævius*:

* Apud Feſtum in Coquus.

Coquus edit Neptunum, Venerem, Cererem:

ubi panis ſignificatur per *Cererem*, piſculenta per *Neptunum*, olera per *Venerem*; utpote hortorum præſidem, teſte Plauto, Varrone, Plinio. Ne M. Antonio Delrio credas, qui † *Liberum*, vel Palladem, pro *Venere* ſubſtituendum putat, contra omnium veterum & novellorum codd. fidem. Nec *Jupiter* tantùm pro aëre, aut cœlo, accipitur; ut fit in Horatii loco à Servio ſupra adducto, atque alibi ſæpe: ſed & pro vento: ut in illo Catulli ‡:

† Commentario in Oedipum Senecæ.
‡ Carm. 4.

—— Sive utrumque Jupiter
Simul ſecundus incidiſſet in pedem.

Porrò totum hoc à poëtis factum ad opinionem vulgi, plures Deos pro variis naturæ partibus ſtatuentis. De quo longè aliter philoſophi: qui unum eſſe Deum credebant: nec Vulcanum igni præeſſe, ſed ipſum eſſe ignem putabant: ac par in ceteris ratio eſt. unde Minucius Felix in Octavio: *Zenon interpretando Junonem aëra, Jovem cœlum, Neptunum mare, ignem eſſe Vulcanum, & ceteros ſimiliter vulgi Deos elementa eſſe monſtrando, publicum arguit graviter & revincit errorem.*

Non deſunt eruditi, qui, uti eſt metonymia cauſſæ efficientis, cùm *Bacchus* pro vino, *Ceres* pro frugibus ſumitur: ita eodem etiam referunt, cùm *Jupiter* pro aëre, *Neptunus* pro mari accipitur. Sed planè falluntur. Neque enim Jupiter à poëtis æthera, aut Neptunus mare dicitur condidiſſe: imò hæc fuiſſe aiunt, priuſquam illi naſcerentur è Saturno & Rheâ: ſed ſortitò hoc iis imperium obtigiſſe, fabulantur. At Liber vini inventor, Ceres frugum, Minerva lanificii inventrix credebatur.

Etiam ad metonymiam ſubjecti ad ſe recipientis pertinet, cùm dux ponitur pro exercitu. Ut cùm ab Annibale apud Cannas cæſa eſſe dicimus ſexaginta Romanorum millia. Nimirum Hannibali, velut ſubjecto, acceſſit, & quaſi accidit imperium in exercitum; haut aliter ac hominibus contingunt opes; ac gentium Diis poteſtas & jus in portionem aliquam orbis obtigiſſe putabatur.

Nec diſſimilis ratio videtur, cùm *patronus* ſumitur pro cliente, *advocatus* pro reo. Ut pro Roſcio Amerino: *Primùm à Chryſogono peto, ut pecuniâ, fortuniſque noſtris contentus ſit; vitam & ſanguinem ne petat.* Ubi Orator ſibi tribuit Roſcii partes, quia eum receperat defendendum.

Nec ſubjectum ſolam ad ſe recipit perſonam, ſed quandoque & rem: quomodo Deo, vel homini, ſimulachrum accedit, regiæ conditioni ſceptrum, vino hedera, & ita in aliis: unde nunc res pro ſigno, nunc ſignum pro re ſignatâ uſurpatur. Prius loquendi genus ad metonymiam ſubjecti adhærentis pertinet. Ut 1 Corinth. XI. 10: *Ideo debet mulier habere poteſtatem ſupra caput.* hoc eſt, velamen ſignum poteſtatis, quam vir in mulierem habet. Ut fallatur vir eruditus*, quando negat ſignatum ſubire locum ſigni. Et ſanè quid uſitatius, quàm ut ſigna ac ſtatuæ Deorum, vel heroum, vocentur eorum nominibus, quorum ſunt ſigna. Parque ratio in picturis. Macrobius lib. II. Satur. cap. III, quod eſt de jocis M. Ciceronis: *Nec Q. Ciceroni fratri circa ſimilem mordacitatem pepercit. nam cùm in eâ provinciâ, quam ille rexerat, vidiſſet clypeatam imaginem ejus, ingentibus lineamentis uſque ad pectus ex more pictam, (erat autem Quinctus ipſe ſtatura parva) ait: Frater meus dimidius major eſt, quam totus.* Jocus eſt ex ambiguo. priùs enim *frater* per μετωνυμίας ſignati pro ſigno, poſteriùs propriè ſumitur.

* Maximilianus Sanderus in Grammatico Profano, comment. 15. pag. 588.

Tertium ſubjecti genus ſupereſt, quod aliter *objectum* vocatur; vel *materia, circa quam.* Hoc quoque uſurpatur interdum pro re, quæ circa illud occupatur. Cicero pro Milone: *Inter arma ſilent leges.* hoc eſt, judices, quorum eſt, juxta leges ſententiam ferre. Virgilius Ecl. I:

Formoſam reſonare doces Amaryllida ſylvas.

hoc eſt, carmen de Amaryllide. Lucanus in IX:

—— Pharſalia noſtra
Vivet, & à nullo tenebris damnabitur ævo.

hoc eſt, poëma de Pharſalia. Ubi & metonymia eſt continentis, *Pharſalia* pro prœlio in Pharſalicis campis commiſſo. Item Synecdoche, quia poëta à nobiliſſimâ parte eorum, quæ narrat, operi nomen impoſuit; conſilio non tam malo, quàm ſummo viro, Cæſari Scaligero, videbatur*.

* Lib. I de re poet. cap. 6.

X. De metonymia adjuncti inhærentis.

SEquitur metonymia adjuncti; quæ ſimiliter eſt vel adjuncti inhærentis, vel adhærentis, vel circa objectum ſuum occupati.

Metonymiam adjuncti inhærentis duplicem faciunt. Una eſt contenti pro continente. Ut illo Catulli †:

† Carm. 56.

Oramus, ſi forte non moleſtum eſt,
Demonſtres, ubi ſint tuæ tenebræ.
Te campo quæſivimus in minore:
Te in circo, te in omnibus libellis.

Libellis (quomodo etiam eſt in principe Catulli editione, quæ Regii Lepedi prodiit ‡) dixit pro tabernis librariis. Et probat id Scaliger quoque: ut geminum ſit illis, quando Attici dicunt, ἐν ἰχθύσιν*, pro ἐν ἰχθυοπωλείοις †; ἐν λαχάνοις ‡ pro ἐν λαχανοπωλείοις*. Similis fuerit metonymia, ſi verſu primo rectum eſt *tenebræ*; ut eſt in eâdem Regienſi editione, item MSSis. Sumetur autem pro loco tenebricoſo: quomodo & loquitur Matthæus Euangelii cap. XXII. 13: *Conjicite eum in tenebras exteriores.*

‡ Lin. 1481.
* In piſcibus.
† In foro piſcario.
‡ In olitoribus.
* In foro olitorio.

Altera adjuncti inhærentis metonymia ſtatui ſolet, cùm virtutes, vitiaque, ponuntur pro perſonis ipſis. Ut in his Plauti; *deliciæ pueri, ſcelus viri, flagitium hominis.* Itidem in illo Maronis †;

† 2. Æn.

Accipe nunc Danaûm inſidias, & crimine ab uno
Diſce omnes.

Ubi crimen ponitur pro reo: quia ſententia eſt; Ex uno Sinone diſce, omnes Græcos eſſe inſidiatores. Quamquam, ſi ad vivum omnia, philoſophorum more, reſecemus, non fuerit hæc μετωνυμία adjuncti. Quod docebo tam claré, ut, ſi fallam, vix recuſem, quin fides in talibus parum mihi propitia ſit in omne ævum. Sumamus hoc Terentii ‡:

‡ Andr. act 3 ſc. 5.

Ubi illic ſcelus eſt, qui me perdidit?

Non hic *ſcelus* pro homine ponitur; ſed pro ſceleſto. At ſcelus adjunctum quidem eſt hominis; verùm ſceleſti non adjunctum eſt, ſed forma eſſentialis; haut aliter atque ſanitas eſt forma eſſentialis hominis ſani, quà ſanus; aut ſapientia ſapientis, quà talis. Nam ſi ſcelus ſceleſti adjunctum eſſet, aut ſanitas ſani, aut ſapientia ſapientis; ut arbitrantur, qui tantùm dicis cauſſâ philoſophiam deguſtarunt: poſſet ſceleſtus ſine ſcelere, ſanus ſine ſanitate, ſapiens ſine ſapientiâ eſſe, intelligi, ac definiri: quandoquidem hæc accidentium natura eſt, ut abeſſe poſſint ſine ſubjecti interitu. At homo ſine ſcelere, ſanitate, ac ſapientiâ, & eſſe, & intelligi, & definiri poteſt; ſceleſtus autem, ſanus, ſapiens, ſine illis non poteſt. Quòd ſiquis contrà pertendat, quæro, quam ſceleſti formam eſſentialem putet, ſi ſcelus non ſit? aut unde quemquam ſanum dici arbitretur, ſi non ob ſanitatem? aut per quid ſapiens ſit talis, ſi per ſapientiam ſapiens non ſit? Quòd ſi alia forma adferri nequit, fateamur neceſſe eſt, cùm hujuſcemodi nomina commutantur, accuratè loquendo, hautquaquam eſſe μετωνυμίαν, ſed ſynecdochen formæ; de quâ capite proximo acturi ſumus.

XI. De metonymia adjuncti adhærentis, et occupati.

NUnc perſequamur ea, quæ retulere ad metonymiam adjuncti adhærentis. Hujuſmodi eſt, cùm tempus ponitur pro eo, quod eſt in tempore. Plautus Sticho*: *Va ætati tuæ.* id eſt, tibi. Idem Menæchmis†: *Sibi inimicus magis, quàm ætati tuæ.* Par ratio videtur‡, cum *ſeculum* pro genere aut multitudine ponitur. Lucretius lib. II.

——parit omnia ſecla ferarum.

id eſt, univerſam ferarum propaginem, ſive omnes feras. Et lib. V.

Lanigeræque ſimul pecudes, & bucera ſecla.

id eſt, boves. Nam *bucera* dicuntur, quibus ingentia ſunt cornua: quia ἵππος, & βοῦς, in compoſitione augent: unde κάβηξ, ſive larus dictus βουφάγος↓, atque Herculi dicatus eſt ob voracitatem*: & equus Alexandri vocatus βουκέφαλος, non à bubuli capitis ſimilitudine, ut putavit Feſtus; & fortaſſè etiam Strabo†, (qui ſic dictum ait à latitudine frontis:) ſed vel ab inuſto bubuli capitis ſigno‡, (quomodo κοππατίαι dicti, quibus inuſtum K↓, ſeu potiùs Kophe*) vel, quod nec minùs placet, à capitis magnitudine.

Præterea huc refer, cùm ſignum ponitur pro ſignato. Ut quando nomen, quod rei ſignum eſt, teſte Ariſtotele†, pro re ipsâ accipitur. Ita Græci, Hebræorum exemplo καλεῖσθαι‡ dicunt pro εἶναι↓: & apud Æſchylum eſt, τὸ Θηβαίων ὄνομα, pro Thebanis: apud Livium, *nomen Romanum*, pro Romanis: apud Val. Catonem in Diris, *Et felix nomen agelli*, pro agello felici.

Item cùm per *ſceptrum* notatur regnum, per *faſces* conſulatus, per *vitem* munus centurionum. Juvenal. ſat. XIV.

Scribe, puer, vigila, cauſſas age, perlege rubras
Majorum leges, aut vitem poſce libello.

Quem in locum ita vetus ſcholiaſtes: *Ut centurio fias, da libellos, id eſt, milita. Vitis enim inſigne centurionum eſt, à Libero patre inventum; qui primus triumphavit, & inventor vitis eſt.*

Par quoque ratio, cùm per *pubem* ſignatur juventus, per *canitiem* ſenectus. Aut cùm *indumentum* pro ipsâ perſonâ accipitur. Tibullus*: *Sit tibi cura toga potior.* Nam intelligit meretricem ditiorem, quæ togata, uti diximus alibi†. Itidem pauperior‡ accipienda, & quæ in gynæceo concluſa penſum facit, cùm mox ſubjicit: *Preſſumque quaſillo Scortum.*

Simili quoque metonymiâ, ſed ſignificatione diſſimili, eandem *togæ* vocem uſurpavit Cicero, cùm dixit:

Cedant arma togæ, concedat laurea laudi; vel, ut alii, *linguæ.*

Nam de eo, itemque armorum vocabulo, ita ipſe Tullius↓, optimus verborum ſuorum interpres: *Non*, inquit, *dixi hanc togam, quâ ſum amictus; nec arma, ſcutum aut gladium unius Imperatoris: ſed, quia pacis eſt inſigne, & otii, toga; contrà autem arma tumultus, atque belli; more poëtarum locutus, hoc intelligi volui, bellum, ac tumultum, paci atque otio conceſſurum.* Præter verò hanc metonymiam ſigni, eſt & hic metonymia efficientis, cùm *linguam* dixit pro eloquentiâ. Ita enim legerunt Salluſtius, ſive Porcius Latro, vel quiſquis auctor invectivæ in Ciceronem, Quinctilianus lib. II. cap. I. & Plutarchus in Cicerone. Non tamen repugnem, ſiquis *laudi* potiùs, cum Fulvio Urſino, & Franciſco Polleto, legere malit, quàm *linguæ*, cum Victorio, & Lambino: tum quia elegantior eſt ἀντίθεσις*, ut forenſia conferantur cum caſtrenſibus, & amborum præmia inter ſeſe: (nam armorum præmium laurea eſt; togæ, ſive forenſium actionum, laus, ac gloria:) tum quòd optimi & vetuſtiſſimi codices *laudi* habeant: tum quoniam Cicero ſtuduiſſe videtur ſyllabarum antanaclaſi: unde illud ejuſdem:

* Act. 4. ſc. 2.
† Act. 4. ſc. 3.
‡ Niſi ſeculum κατ' ἐξοχὴν dicitur de ſerie temporis: primò autem animantium, vel cujuſvis rei ſeriem notet: quippe quod ſit à ſequendo. Ut enim à ſpecio ſpeculum, ita à ſequor ſeculum.
↓ Athenæus l. 10.
* Ariſtophanis ſcholiaſtes, in Avib.
† Lib. 15.
‡ Plinius, & Ariſtophanis ſcholiaſtes.
↓ Heſychius, Euſtathius, alii.
* Vide Scaligeri digreſſionem de literarum Jonicarum origine, quæſtione Animadverſionibus Euſebianis.
† Lib. περὶ ἑρμηνείας.
‡ Dici.
↓ Eſſe.
* Lib. 4. carm. 10.
† Lib. 1. cap. 10.
‡ Caſaubon. Animadv. in Athen. lib. 1. cap. 19.
↓ Orat. in Piſonem.
* Oppoſitio.

O fortunatam natam me conſule Romam!

tum quia id Tullius ipſe comprobare videtur, cùm mox ſubjicit: *Nam cùm tu timidus ac tremens tuis ipſe furaciſſimis manibus detractam è cruentis faſcibus lauream ad portam Eſquilinam abjeciſti; indicaſti, non modò ampliſſimæ, ſed etiam minimæ laudi, lauream conceſſiſſe.* Reſtat metonymia adjuncti occupantis, quâ ponitur aliquid pro objecto. ut quando πίστις* notat τὸ πιστὸν†, *ſpes* rem ſperatam, *amor* quod amamus. Proverb. XIII. 12. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* 1. Sam. 1. 27. *Dedit mihi Dominus petitionem meam.* hoc eſt, rem petitam. Cicero lib. XIV. epiſt. XIV. *Hem mea lux, meum deſiderium.* h.e. Terentia mea, quam ſic deſidero. Catullus‡, & alii, *amores meos:* h.e. quem, vel quam amo.

* Fides.
† Quod creditur.
‡ Carm. 39.

XII. Epilogus doctrinæ de metonymiæ diviſione, deque tropi ejus cauſſa, atque uſu.

ET hæc de ſpeciebus μετωνυμίας. Quod ſi ſubjecti & adjuncti nominibus vim feciſſe videamur, laxè adeò & impropriè ea uſurpando: equidem non refragor, quo minùs appellatione eorum utamur magis propriè; ac ſiqua non ſatis commodè ſub iis comprehendimus, hæc pro diſtinctis habeantur ſpeciebus. Ut ſi ſtatuamus, metonymiam aliam eſſe cauſſæ, vel effecti; aliam ſubjecti, vel adjuncti; aliam relati, & correlati; aliam ſigni, & ſignati; & ita porrò alia etiam ſeorſim memoremus, quæ durius ad τετραχοτομίαν illam referantur. Atque idem dictum puta de diviſione illâ, quâ μετωνυμία quædam dicitur antecedentis, conſequentis, vel connexi: ut in Metalepſi explicabimus.

Porrò tropus hic non tam, uti de metaphorâ dicebamus, neceſſitatis, aut illuſtrandi cauſſâ, inventus eſt, quàm ut pariat copiam. Itaque, quod in aliis quoque tropis locum habet, id hîc præcipuè obſervandum, ne novas fingamus metonymias; ſed claſſicorum ſcriptorum uſum ſpectemus: ut Fabius diſertè hoc de tropo monet lib. VIII. cap. VI. Eandem ob cauſſam parciùs metonymiam uſurpabimus, quàm metaphoram. atque inprimis id de ſolutâ oratione dictum velim. Sanè, cùm tropo hoc intempeſtiviùs utatur Plato, non immeritò eo nomine reprehenditur à Dionyſio Halicarnaſſenſi↓. Sunt tamen & μετωνυμικὰ non pauca in ſingulis linguis; quorum uſum licet frequentes, nihil à propriâ ſignificatione recedere videaris. Nam quemadmodum innumera ſunt, quæ in metaphoricâ ſignificatione tantopere frequententur, ut propria penè videatur intercidiſſe: ita & nonnulla in metonymicâ uſitatiora ſunt, quàm in propriâ. E. G. *nubere* primò ſignificat operire, aut velare: unde Varroni lib. IV. de L. L. *Neptunus* dictus videtur, quaſi Nuptunus, *quòd mare terras obnubit, ut nubes cælum:* quam & ipſam ἐτυμολογίαν Arnobius adfert lib. III. Vulgò tamen videre eſt, haut temere *nubendi* vocem aliter accipi, quàm metonymiâ adjuncti, pro *matrimonio jungi:* rariùs quidem de viro; quomodo Pomponium eſſe uſum, Nonius* docet; & Tertullianus†, atque alii ejus ævi, loqui ſolent: paſſim verò pro *viro jungi:* quia nempe, ut è Feſto, & aliis, notum eſt, ſponſæ, cùm à marito domum deducerentur, caput ſolitæ ſunt obnubere flameo: ſive ob pudorem, quia flamei color luteus‡ eſſet, nec pudoris colori abſimilis↓: ſive boni ominis gratiâ, quia flameo uteretur Flaminis uxor, cui divortium facere, vel iterum nubere*, non liceret: ſive ut eo, velut humilitatis indicio, ſe obnoxias ſemper maritis fore teſtarentur; quemadmodum, præter alios, teſtatur Ambroſius lib. de Patriarchis, & comment. in priorem ad Corinth, vel alius, quando commentariorum in Paulinas epiſtolas, vel Hilarius, diaconus Romanus, vel Remigius Lugdunenſis, potiùs eſſe auctor videtur.

↓ Lib. περὶ τῆς Δημοσθ. δεινότητος.
* In Nubere.
† Lib. 1. ad uxorem cap. 7. & lib. 2. cap. ult.
‡ Plin. lib. 21 cap. 8.
↓ Juvenalis ſcholiaſtes vetus in ſat. 2.
* Plutarchus in problematis Romanis, Tertull. lib. de Exhortat. caſt. cap. ult. & lib. 1. ad uxorem cap. 7. Hieronymus lib. 1. adverſus Jovinianum, &c.

Digitized by Google

CAPUT. VIII.

DE SYNECDOCHE.

Synecdoche eſt, cùm totum pro parte, aut pars pro toto uſurpatur.

Itaque huc pertinent exempla, in quibus genus accipitur pro ſpecie, aut contrà ſpecies pro genere; item integra eſſentia, aut tota materia, pro parte eſſentiali, aut materiali; vel contrà pars eſſentialis, materialiſve, pro totâ eſſentiâ, aut integrâ materiâ.

I. DE SYNECDOCHES VOCE, DEFINITIONE, ET DIVISIONE.

ΣΥνεκδοχὴ, juxta Fabium, *variat ſermonem, ut ex uno plures intelligamus, parte totum, ſpecie genus, præcedentibus ſequentia, vel contra.* Itaque Cyprianus Soarez Synecdochen definit, *tropum, in quo ex parte totum, aut contrà, aut ex antecedentibus conſequentia intelliguntur.* Verùm fallit fallíturque cum Fabio Cyprianus. Neque enim, cùm ex antecedentibus colligimus ſequentia, ſynecdoche eſt, ſed metonymia; ut fuſiùs oſtendam in tractatione Μεταλήψεως. Hoc loco tantùm utar exemplo à Fabio, & Cypriano etiam, adducto. Id verò eſt iſthoc Maronis*:

* Ecl. 2.

Aſpice, aratra jugo referunt ſuſpenſa juvenci.

Unde apparet, noctem appropinquare. At hæc eſt metonymia ſigni, quia quòd boves diurno functi labore ſtabulum repetunt, id indicium eſt noctis appropinquantis. Quare tum tantum συνεκδοχὴ eſt, cùm totius & partis nomina commutantur, quæ res & huic tropo nomen fecit. Nam συνεκδοχὴ, quam quidam *intellectionem* appellant κατὰ λέξιν ab auctore ad Herennium tranfertur *comprehenſio*: totum autem partes ſuas comprehendit, ac partes comprehenduntur à toto. Et hæc de voce, ac definitione.

Cùm autem, totum, & pars, trifariam accipiantur; tot quoque erunt modi συνεκδοχῆς. Ac primò eſt totum univerſale; ut genus ratione ſpecierum, & ſpecies ratione individuorum: huic autem reſpondet pars ſubjecta; ut ſpecies ratione generis, & individua ratione ſpeciei. Niſi fortaſſe aliquis exiſtimet, genus magis eſſe partem ſpeciei, quàm ſpeciem generis. Nam ab actu potius ſumenda eſſe videtur denominatio, quàm à potentiâ. At genus quidem potentiâ continet ſpecies, quia, quod animal eſt, poteſt eſſe homo, poteſt item eſſe beſtia: ſpecies autem actu continet genus, quia ſi genus eſt pars definitionis, erit etiam eſſentiæ, cùm definitio exponat eſſentiam rei. At homo potentiâ eſt pars animalis, quia animal poteſt eſſe homo, & non neceſſariò eſt homo, cùm poſſit eſſe non homo. Sed vis hujus argumenti eo claudicat, quòd aliquid eſſe partem eſſentiæ colligit, quia pars ſit definitionis, cujus eſt eſſentiam explicare. Atqui, ſi genus eſt pars οὐσίας, cujuſmodi pars erit? Materia quidem proprie dici nequit, cùm aliud ſit animal, aliud corpus animatum. Nempe hìc videas totum formale, ſive metaphyſicum, cujuſmodi eſt definitum, confundi cum toto univerſali, cujuſmodi eſt genus ratione ſpecierum, & ſpecies ratione ſingularium. Differunt autem hæ partes plurimum. Nam genus eſt ens completum, e. g. animal. At materia, e. g. corpus animatum, eſt pars ſubſtantiæ. Forma autem reſtringit univerſalitatem materiæ, ut differentia univerſalitatem generis. Quare ἀναλογία quidem eſt inter ea: at idem non ſunt. Fortaſſe autem hæc, & fuſiùs, & ſubtiliùs, tractare videmur, quàm huic conveniat loco, aut facultati. Verùm, cum Varrone dicam:

Si diſplicebit tam tibi latum mare,
Tantum parato ſpongiam deletilem.

Nunc ſingulos συνεκδοχῆς modos lectioribus illuſtremus exemplis.

II. DE SYNECDOCHE GENERIS.

AC συνεκδοχὴ quidem generis eſt *creatura* pro homine, quæ loquendi ratio, more Hebræo uſurpatur Marci cap. XVI. 15. & ad Coloſſ. cap. I. 13. Item Græcis ζῶα, vel ἄλογα, pro equis. Latinis *mortales* pro hominibus. Quomodo, poëtarum exemplo, loqui amat Salluſtius, Ut in Jugurthinâ: *Ubi & incolere, & mercari conſueverant Italici generis multi mortales.* Item: *Sic à multis illi mortalibus honeſtiſſimâ ſuffragatione conſulatus petebatur.* Simile eſt ἄστρον*, pro Canicula, ſive Sirio, apud Xenophontem, Theophraſtum, alios: item pro Sole *ſidus*, Horatio, Plinio, Senecæ. Cujus illud Tyeſte†:

* Sidus.
† Verſ. 695.

Atrum cucurrit limitem ſidus trahens.

Pro quo poſtea‡ ait:

‡ Verſ. 775.

O Phœbe patiens, fugeris retro licet.

Atque iterum‖:

‖ Verſ. 783.

—— verterit curſus licet
Sibi ipſe Titan.

Ejuſdem generis eſt *Pergama*, pro arce Trojanâ. Quamquam Servius*, quòd generatim pro arce accipitur, id putet fieri per ſynecdochen ſpeciei. Sed non dubium, quin *Pergama* Jonicâ linguâ primò arcem ſignificent. Ideo fortaſſe nomen *Troja* addidit Steſichorus†:

* In I. Æn.
† In Palinodia ſua, teſte Platone in Phædr.

Οὐδ᾽ ἵκεο Πέργαμα Τροίης‡:

‡ Neque veniſti ad Pergama Trojæ.

Et Euripides Helenâ‖:

‖ Verſ. 390.

Ὦ λέσεν, ὤλεσεν
Πέργαμα Δαρδανίας*.

* Perdidit, perdidit Pergama Trojana.

Item Lucretius lib. I.

Nec clam durateus Trojaï Pergama partu
Inflammâſſet equus.

Par etiam ratio eſt, cùm Græcis ὄρνις† κατ᾽ ἐξοχὴν ponitur pro gallina: aut cùm Latinis *olus* uſurpatur pro braſſica, aut *piſcis* pro lupo: de quo Scaliger Conjectaneis in Varronem. Aut cùm τὰ ἀνόητα Ariſtophanes poſuit pro libidine illicitâ καὶ ἀφροδισίοις: ut in Nebulis: Οἴνου τ᾽ ἀπέχῃ, καὶ γυμνασίων, καὶ τῶν ἄλλων ἀνοήτων‡. Ubi vide, quæ in hanc mentem ſcribit Græcus interpres. Eademque loquendi ratio apud Hebræos locum habet, quibus *nebalà*, quod propriè *ſtultitiam* notat, ſæpe de ſtupris uſurpatur. Ut Deuter. XXII. 21. *Morietur, quia ſtultitiam fecit in Iſraële, fornicando in domo patris.* Et Thamar Ammoni ait II. Sam. XIII. 12. *Ne facias ſtultitiam hanc.* h. e. flagitium hoc. In Hebræo eſt, *Altaaſeh hannebalà hazòt.* In Græco, Μὴ ποιήσῃς τὴν ἀφροσύνην ταύτην. Latini quoque ita locuti. Unde apud Plautum Bacch.‖

† Avis.
‡ Et vino abſtines, & exercitiis, & reliquis omnibus ſtultitiis.
‖ Act. I. ſc. I.

Huic ætati non conducit, mulier, latebroſus locus.

BA. *Egomet apud me, ſiquid ſtultè facere cupias, prohibeam.*

Nam *ſtulte facere* uſurpat pro ἀνοηταίνειν, hoc eſt, ἀφροδισιάζειν*. Menæchmus quoque apud eundem† à Meſſenione monitus, ut ſibi ab Erotio meretriculâ caveret, reſpondet ſervo:

* Libidini operam dare.
† Menæchmis act. 2. ſc. 2.

Mihi dolebit, non tibi, ſiquid ego ſtultè fecero.

Et Lyconides adoleſcens, qui Euchioni ſe purgitare conabatur de ſtupratâ filiâ, ſimiliter ait‡:

‡ Sum pene Aulul.

Quis tibi ultro ſupplicatum advenio ob ſtultitiam meam.

Imò, ſi Heraclidem Ponticum audimus in Allegoriis Homericis, quando Homerus ait, Paridi Venerem fuiſſe auctorem, ut Helenam raperet, non illud voluit, numen aliquod tam ſtultum conſilium dediſſe: ſed per Ἀφροδίτην‖ intellexit ἀφροσύνην*. Similis ſynecdoche eſt, quando *alloqui* quod generatim notat προσφωνεῖν, ſive *affari*, ἰδικῶς ſumitur pro παραμυθεῖσθαι, ſive alloqui cum affectu, & ſolatii ergo. Varro lib. V. de L. L. prout Ant. Auguſtinus emendavit: *Hinc adlocutum mulieres ire aiunt, cum eunt aliquem locutum conſolandi cauſâ.* Catullus†:

‖ Venerem.
* Stultitiam.
† Epig. 39.

Quâ ſolatus es allocutione? Et mox:
Paullum quidlibet allocutionis
Mæſtius lacbrymis Simonidis.

Nec

Nec aliter Valerius Max. lib. II. cap. VII. *Incerta, gratulandi prius, an alloquendi officio, fungeretur.* Ut optimè ex MSSis ſex reſtituit Pighius.

III. De Synecdoche speciei.

Synecdoche Speciei eſt, cùm loca omnia amœna *Tempe* vocant, quamvis ea propriè in Theſſaliâ ſint. Ita apud Pauſaniam legimus, τέμπεα Σικελίας, καὶ Βοιωτίας &c. & Dionyſius in περιηγήσει, Μηδικὰ τέμπεα nominat. Eadem Synecdoche in nominibus *ſtupri*, *inceſtus*, & *flagitii*, frequens occurrit. Nam ſtuprum committitur cum non nuptâ, h. e. virgine, aut viduâ; ut teſtantur juris civilis interpretes: qui eo ab adulterio diſtinguunt. At nonnunquam generalius accipitur, ut quoque comprehendat adulterium: velut cùm Cicero * vocat *ſtuprum*, quod Clodius commiſerat cum Cæſaris conjuge. Nonnunquam etiam ita latè uſurpatur, ut pro quolibet ponatur dedecore; velut cùm Nævius ait apud Feſtum †, Saturniis iſtis verſibus:

* In Piſon.
† In Stuprum.

Seſeque ei perire mavolunt ibidem,
Quam cum ſtupro redire ad ſuos populares.

Item:

Magnum inde ſtuprum poplo fieri pergetis.

Et *inceſtus* propriè committitur cum conſanguineis, aut affinibus, aut mulieribus ſacris: unde idem Cicero ‡ *inceſtum* vocat adulterium Clodii cum Pompejâ, uxore Cæſaris, qui tum temporis Pontifex Maximus erat. At interdum latè ponitur pro qualibet pollutione. Ita Maro VI. Æn.

‡ Pro Domo ſua, & de Haruſpicum reſponſis.

—— Totamque inceſtat funere claſſem.

Itidem *flagitium* pro quovis accipitur probro, ac dedecore: quomodo homines eruditiſſimi interpretantur illud Plauti *:

* Epid. act. 3. ſc. 4.

Majore cum flagitio reddes poſtea.

Sed hìc commodiùs pro efflagitatione, ſive pipulo accipiatur. Eâ verò, quâ dixi, ſignificatione clarè uſurpat Tullius in Miloniana: *Diviſa eſt ſententia, poſtulante neſcio quo. Nihil enim neceſſe eſt omnium flagitia proferre.* Atque eodem modo in ſeptimo ad Atticum dixit, *flagitioſe imparatus.* At, teſte Nonio & Iſidoro, propriè eſt in libidine; quomodo etiam uſurpat Scipio Africanus apud Gellium lib. 7. cap. XI. Hinc *flagitare*, pro *ſtuprare* †: ut cùm, *ſtupris intercutibus flagitatus*, dixit Cato, teſte Feſto, i. ſtruprum paſſus: ne cum Budæo ‡, aliiſque, exiſtimes, *flagitare* hic eſſe, ad ſtuprum ſollicitare. Par fuerit ratio vocis *luxuria*, ſi rectè ſcribit Thomas Aquinas in epiſt. ad Epheſios, eâ voce propriè ſignari libidinem. Sed tum Latinæ, tum Græcæ linguæ imperitia, in præcipitium abduxit magnum doctorem. Nam & ἀσωτία, quo Paulus utitur, & *luxuria*, quod apud interpretem eſt, generatim locum habent in iis qui omnia abliguriunt. Gloſſæ vett. Ἀσωτεύομαι, *luxurior*, *prodigo*, *helluor*. Atque id ipſum ἐτυμολογία quoque confirmat, cùm ἄσωτοι dicantur à σώζω, quòd eos ſervare nemo poſſit, quia, decoquendo, omnia, ſemet ipſos perditum eant: quâ de re illuſtris exſtat locus apud Ariſtotelem libro Nicomachiorum quarto. Addam aliud quoque hujuſce ſynecdoches exemplum. *Sacer* propriè à Feſto is eſſe dicitur, quem populus judicavit peccaſſe contra leges ſacratas, cujuſmodi hominem qui occiderit, non ſit paricida: ſed per ζωυεκδοχὴν ſpeciei ſumitur generatim pro quovis improbo ac malo. Turpilius *:

† Vide Guil. Forneriam lib. 2. Select. c. 11.
‡ Inſtit. annot. poſter. in Pandectas.
* Demetrio, apud Nonium in Sacrum.
† Lib. 33 c. 1.
‡ 3. Æn.

Etiamne irrides, peſſume ac ſacerrime?

Item pro re execrabili. Quomodo & Plinius † hanc vocem accipit, idque exemplo Maronis, qui *ſacram auri famem* dixit ‡: etſi haut deſint, qui cum Codro Urceo *ſacrum* hic pro magno poni exiſtiment, Græcorum imitatione, qui eâ ratione ἱερὰν νόσον * vocant, quæ Plutarcho † ἀπηγνωσμένας ‡; quique eodem modo dicunt ἱερὸν ὀστοῦν *, ἱερὰν ἄγκυραν †; quâ de ſignificatione vide ſis Cœlium Aurelianum lib. 1. Χρονίων cap. IV. Quòd ſi tanti id eſſet, contenderem, etiam *abiegnum* per ſynecdochen ſpeciei pro ligneo ſumi, cùm equus Trojanus Propertio * dicitur *abiegnus*, aut aliis † Argo navis vocatur *abiegna*. Etſi non ignorem, velle aliquos, & equum verè ex abiete fuiſſe, quia Maro ‡ dicat *Sectâque intexunt abiete coſtas*: & ex eadem fuiſſe materie Argo navem, quia abies ſit apta fretis, ut idem Maro * ait, & Claudianus †, atque alii. Et hæc de primo ſynecdoches genere.

* Sacros morbos.
† In vita Ageſilai itemque in Apophthegmatis.
‡ Deſperatas.
* Os ſacrum.
† Sacram anchoram.
* Lib. 4. el. 1.
† Ennio in Medea, & Catullo de nuptiis Pelei & Thetidis.
‡ 2. Æn.
* 2. Georg.
† Lib. 2. de raptu Proſerpinæ.

IV. De Synecdoche totius essentialis.

Eſt verò & totum eſſentiale, quod conſtat materiâ, & formâ: quomodo homo conſtat animâ ac corpore, ædificium materiâ & ſtructurâ. Huic toti reſpondet pars eſſentialis. E. G. anima ratione hominis. Totum verò eſſentiale crebrò poni pro parte, ac partem item eſſentialem non rarò accipi pro totâ eſſentiâ; indicium faciunt exempla, quæ ſubjiciam. Siquidem Synecdoche totius eſſentialis eſt in illo Mariæ apud Johannem *, ἦραν τὸν κύριόν μου, καὶ οὐκ οἶδα ποῦ ἔθηκαν αὐτόν· *ſuſtulerunt dominum meum, nec ſcio ubi poſuerint eum.* Nam κύριον ſeu dominum vocat corpus Domini, nomine totius intelligens partem. Id enim magis placet, quàm quod ſcripſit Gregorius Nyſſenus, epiſtolâ ad Euſtathiam, Ambroſiam, & Baſiliſſam, ubi id factum ait, διὰ τὴν ἐγκειμένην θεότητα †. Nempe ſimile eſt iſti Æneæ ad Deiphobum ‡:

* Cap. 20. verſ. 13.
† Propter inhærentem ei Deitatem.
‡ 6. Æn.

Nomen & arma locum ſervant; te, amice, nequivi
Conſpicere.

Ubi Servius:

TE, pro, tuum corpus: ut, Nunc me fluctus habet.

Quemadmodum verò *homo* hìc nominatur pro corpore: ita aliàs pro anima accipitur. Ut in illo Lucæ cap. XVI, 23: *Et* (*dives*) *apud inferos vidit Abraham procul, & Lazarum in ſinu ejus.* Ubi *dives*, *Abraham*, *Lazarus*, ſumuntur, pro animabus eorum. Quod ſi flamma nihil aliud eſt, quàm aër, vel fumus, accenſus: etiam ratione ſolius aëris aut fumi intelligi debebit, quòd *flamma* dicitur *uri*: quomodo, ſed κατὰ μεταφορὰν, loquitur Catullus *:

* Epithalamio Juliæ & Mallii.

—— At tibi
Pectore uritur intimo
Flamma.

Sanè flamma non uritur, ſed urit. Toti igitur tribuitur, quod in proprio ſermone convenit materiæ.

V. De Synecdoche partis essentialis.

Synecdoche verò partis eſſentialis eſt, quâ (ut inquit Epiphanius in Ancyroto) εἰώθει ἡ ἀνθρωπότης καλεῖν τὸν ἄνθρωπον ἀπὸ τοῦ ἑνὸς ὀνόματι· *vulgò ſolent hominem vocare de nomine alterius partium, ex quibus conſtat.* Ita à materiâ quis nominetur, ſi dicatur δεσπότης ὀγδοήκοντα σωμάτων †, ut apud eundem Epiphanium eſt. Locuti autem hoc pacto Ariſtoteles, Demoſthenes, alii: ut inter alios oſtendunt Magius lib. 1. Miſcellan. cap. XII, & Radulphus Fornerius lib. 11. Rerum Quotidianarum cap. XXVI. Ac Latini quoque itidem *corpora* dicunt pro ſervis: ut è Digeſtis ſcimus. At è formâ intelligitur totum in illo Heracliti; Αὔη ψυχὴ σοφωτάτη· *anima ſicca ſapientiſſima*, h. e. homo ſobrius. Item cùm Polybius lib. XVI. inquit, ἀπηλγηκυίας ἐστὶ ψυχῆς· *deplorata eſt anima.* h. e. hominis deplorati. Sic Horat. lib. 1. Sat. V:

† Heri octoginta corporum.

—— Namque
Plotius, & Varius, Sinueſſa, Virgiliuſque,
Occurrunt; animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me ſit devinctior alter.

Nec ſolùm ſic loquuntur οἱ ἔξωθεν ‡: ſed videas etiam in S. Literis (ut B. Fulgentii * verbis utar) *& carnis ſolius, & animæ nomine, plerumque naturâ humana plenitudinem nuncupari.* Tantùm poſterioris nunc generis exempla adferam. Ita Jonas cap. IV. ait: *Poſtulavit animam ſuam*

‡ Externi, ſeu gentiles.
* Lib. de incarnatione, & gratiâ JeſuChriſti cap. 9.

ſuam mori. hoc eſt, ſemetipſum. Et Lucæ xii, fatuus adhortatur animam ſuam, ut edat ac bibat: quem locum cum quodam Platonis, ac duobus Xenophontis locis, confert H. Stephanus lib. I. cap. I. Schediaſm. Sed & Geneſ. xlvi. 27. dicitur, cum Jacobo in Ægyptum deſcendiſſe ſeptuaginta animas, i. homines: & Stephanus Act. vii, 14. ait, non quidem numerum proficiſcentium; ſed familiam Jacobi, (quæ diſtinguenda ſunt) cùm in Ægyptum deſcenderet, fuiſſe animarum ſeptuaginta quinque: nempe præter Jacobum, & annumeratis etiam in familiâ quatuor uxoribus Jacobi, & duobus filiis Judæ jam antè defunctis: quomodo Moſis, & Stephani verba, optimè reconciliat Clariſſimus ſocer meus, Franciſcus Iunius. Et hæc de ſynecdoche totius eſſentiæ, ac partis eſſentialis.

VI. De synecdoche totius integralis.

Denique eſt & totum quantitativum ſive integrale; quod conſtat membris, quorum alia ab aliis diſtinctam diverſamque habent quantitatem, & extenſionem. Iſtiuſmodi eſt materia ratione partium, à quibus conſtituitur. E. G. corpus humanum ratione ſpirituum, humorum, & partium ſive membrorum, h.e. capitis, colli, pectoris, ventris, & artuum. Huic toti reſpondet pars integralis, quæ & *materialis* dicitur: velut caput in humano corpore, aut tectum in ædificio. Iſtiuſmodi totius partiſque commutatio conſtituit tertium ſynecdoches modum; de quo deinceps agendum.

Synecdoche totius integralis ſeu materialis eſt, *Fontemque ignemque ferebant* *, pro parte fontis. Item, cùm Plauto † dicitur *ulmorum Acherons*, cujus in tergo, non integræ ulmi, ſed decerptæ ex ulmo virgæ (unde & alibi *uberem ulmeam virgidemiam* ‡ pro eodem dixit) conſumerentur, ac quaſi morerentur; ut loquitur apud eundem ‡ tribunus ille vapularis, ac ulmitriba:

> *Væ illis virgis miſeris, quæ hodie in tergo morientur meo.*

Terentius Phorm.*

> *Sed quis hic eſt ſenex, quem video in ultimâ plateâ?*

Ubi Donatus: *Sic dixit, ultimâ, plateâ, quemadmodum Maro: Imas obſedere fores.* Nempe, *ultimâ plateâ*, pro ultima plateæ parte: *ima fores*, pro imâ earum parte. Sic Cic. pro Muræna: *Ex ultimâ urbe deductum.* Propertius lib. ii. eleg. xxvi.

> *At tu vix primas extollens gurgite palmas.*

Appulejus libro iii. *Pili mei craſſantur in ſetas, & cutis tenella duratur in corium, & in extimis palmulis perdito numero toti digiti coguntur in ſingulas ungulas.* Pertinet huc etiam Homericum illud Iliad. B.

> Ἄλλοι † μέν ῥα θεοί τε, καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ,
> Εὗδον παννύχιοι.

Scio, olim reprehenſum fuiſſe Homerum, quòd finxerit, Deos, ac bellaces viros, totam dormire noctem. Sed pro poëtarum principe cauſſam dicit philoſophorum princeps, Ariſtoteles, libro περὶ ποιητικῆς: ubi ait, vocem παννύχιοι μεταφορικῶς (tropum omnem ab Ariſtotele *metaphoram* vocari, alibi ‡ diximus) accipi oportere. Sic enim loquitur: Τὸ γὰρ ‡ πάντες, ἀντὶ τοῦ πολλοί, κατὰ μεταφορὰν εἴρηται· τὸ γὰρ πᾶν πολύ τι. Quorum ſententia eſt, cum Homerus ait, dormiſſe eos *omnem* ſive totam noctem, συνεκδοχικῶς intelligi debere *multam* ſive magnam noctis partem. Fortaſſe tamen non minùs excuſare poſſis Homerum, ſi dicas, aliud eſſe καθεύδειν, aliud τὸ ὑπνοῦν: illud ἁπλῶς notare ἀναπαύεσθαι ὡς ἐπὶ ὕπνῳ *: hoc verò τὸ ἐκλελύσθαι καὶ ἀπεργάζεσθαι τὰς αἰσθήσεις †: ut Euſtathius ‡ annotavit.

Eſt idem ſynecdoches genus apud Maronem iii. Georg.

> *In foribus pugnam ex auro, ſolidoque elephanto.*

Uti & iii. Æn.

> *Dona dehinc auro gravia, ſectoque elephanto.*

Ubi Servius, *Elephanto pro ebore.* Nempe *elephantus* pro elephanti dente, ſive, ut Pauſanias * dicere jubet, cornu: quam opinionem eſſe magis veriſimilem, oſtendimus in tertio de Theologia Gentili & Phiſiologia Chriſtiana lib. iii. cap. li. Ovid. I. Met.

> *Eurus ad Auroram, Nabathæaque regna, receſſit.*

Atqui Eurus etiam ab Indis ſpirat ad Nabathæos, Arabiæ populum. Sed *Nabathæos* dixit poëta pro toto Oriente.

Huc etiam refer, quando *æternum* dicitur, non quod ſemper fuit, atque erit: vel quod non fuit quidem ſemper, ſed perpetuò tamen futurum: verùm illud etiam, quod non deſinet, dum ipſi erimus vitales. Terent. Eunucho †:

> *At nunc dehinc ſpero æternam inter nos gratiam Fore.*

hoc eſt, duraturam, quamdiu ſuperſtites erimus. Horatius *:

> *Serviet æternum, qui parvo neſciet uti.*

hoc eſt, dum vivet. Qui *æternum* pro diuturno hîc accipi dixere, non ſatis vim ejus vocis expreſſerunt.

VII. De synecdoche ea integri, qua personæ Christi tribuitur, quod unius proprium est naturæ.

Quæritur, quid ſtatui debeat de iis, ubi de Chriſti perſonâ dicuntur, quæ ei tantùm ratione unius competunt naturæ. Puto, propriè quidem ſynecdochen totius vocari non poſſe: attamen poſſe, ob qualemcunque ſimilitudinem, eò reduci: & potiùs quidem ad ſynecdochen totius integralis, quàm eſſentialis: quia totum eſſentiale eſt natura alia à partibus componentibus: quomodo nos propriè nec animæ, nec corporis appellationem ſortimur; ſed hominis, qui tertia quædam natura eſt, ex animæ corporiſque naturis compoſita. In Chriſto verò ita coaleſcunt natura divina, & humana, ut maneat Deus, quod erat, & fiat, quod non erat, eoque Deus pariter atque homo ſit, ac nuncupetur. Qualis unio hoc præſtat, ut & de Deo dicantur, quæ humanæ ſunt propria naturæ: & de homine, quæ non competant, niſi naturæ divinæ. Tale eſt illud Chriſti apud Matthæum †: Ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. *Ecce, ego ſum vobiſcum omnibus diebus uſque ad finem ſæculi.* Quod de humanâ naturâ intelligi nequit. Quemadmodum neque hoc Ioan. viii. 58. *Antequam Abraham foret, ego ſum.* Item, quòd *Filius hominis deſcendiſſe de cælo* dicitur Ioan. iii, 15. & vi. 62. Contrà de divinâ accipi non poteſt hoc Actor. xx. 28. *Deus eccleſiam acquiſivit proprio ſanguine.* Item quòd B. Virgo dicitur Θεοτόκος ‡. In hujuſmodi igitur exemplis, quod perſonæ tribuitur, intelligi debet ratione alterutrius naturæ. Quam locutionem eò ad ſynecdochen referimus, quia perſona quodammodo eſt totum quid: naturæ duæ, ſunt quaſi partes. Hoc enim commune habet hic perſona cum toto phyſico, quod utrobique ſit compoſitum quid: hoc commune habent duæ naturæ cum partibus phyſicis, quòd utrobique ſint componentia. Sanè & Origenes contra Celſum, aliique Patres, dicunt, naturam humanam eſſe compoſitam cum Verbo; ſic tamen, ut compoſitio hæc non ſit aggregatio, ſed unio perſonalis. Rectè dici Chriſtum ex duabus naturis compoſitum, docet in Aurea Confeſſione ſua Concilium Antiochenum contra Paulum Samoſatenum celebratum, his verbis ſuis: Ἓν πρόσωπον σύνθετον ἐκ θεότητος οὐρανίου, καὶ ἀνθρωπίνης σαρκός. *unam perſonam compoſitam ex cæleſti divinitate, & humana carne.* Quâ de re fusè Damaſcenus lib. iii. Orthodoxæ Fidei cap. iii. & aliquot ſeqq. Videtur autem perſona commodiùs *compoſitum* dici, quàm *totum*: quia divinitas admodum durè & impropriè dicatur pars, cùm hoc nomen vi ſuâ ſignet aliquid incompletum, & toto imperfectius. Quod acutè vidit Thomas, cùm monet *, compoſitionem Chriſti

* 12. Æn.
† Amphitr. act. 4. ſcen. Quis ad fores eſt.
‡ Rudente act. 3. ſc. 2.
‡ Captivis, ſc. Quo illum nunc.
* Act. 1. ſc. 4.
† Cæteri quidem Divique, & equites galeati, Dormiebant totam noctem.
‡ Libri hujus cap. 6. ſect. 1.
‡ Illud enim omnes pro multis per tranſlationem dictum eſt: quippe omne eſt multum.
* Decumbere ad capiendum ſomnum.
† Eſſe ſopitum ſomno, & ſenſibus quieſcere.
‡ In Il. C. verſ. 2.
* Priori Eliacis libro.
† Act. 5. ſc. 2.
* Lib. 1. epiſt. 10. ad Fuſcum.
† Cap. 28. verſ. 20.
‡ Deipara.
* Part. 3. quæſt. 2. art. 4.

ſti ex naturis, non eſſe ratione partium, ſed potiùs ratione numeri. Nempe id voluit, non requiri ad compoſitionem partes; ſed numerum duorum, vel plurium, unde aliquid componatur. Atque idem Scholaſtici illi innuunt, qui triplicem ſtatuunt compoſitionem, *ex his*, *cum his*, & *hujus ad hoc*. Primi generis eſt, ex materia, & forma. Alterius eſt, animæ, & corporis; ſubjecti, & accidentis. Ubi unum, vel informat alterum, vel illi inhæret, ut ſubjecto. Tertii generis eſt, quæ Durando dicitur *compoſitio ſecundùm dependentiam inexiſtentis*, vel etiam *compoſitio ſecundum ſubſiſtentiam*. Quaſi humanitas Chriſti componitur cum perſona Verbi: quia perſona etiam ante incarnationem ſubſtitit, ſed in natura divina; poſt incarnationem verò etiam in humana, quæ ſuſtentatur à Λόγῳ: unde à ſcholaſticis dicitur, in unione hâc duas naturas ſe habere ſicut terminativum & terminatum, ſuſtentans & ſuſtentatum, vel, ut eorum voces, barbaras licet, reſervem, velut ſuſtentificans, & ſuſtentificatum.

VIII. De synecdoche partis integralis.

HUic modo ex adverſo reſpondet ſynecdoche partis materialis ſive integralis: ut cùm Cicero non ſemel *Achaiam* ponit pro tota Græciâ: cujus ratio eſt, quòd, cùm Romani Græciam ſubegerunt, Achæi Græciæ obtinerent principatum. Item cùm *apicem*, quod propriè ſignificat virgam ex modicâ lanâ in ſummo Flaminis pileo *, uſurpat idem pro pileo Flaminis 1. de Leg. *Nec dubito, quin iidem & cum Egeriâ collocutum Numam, & ab aquilâ Tarquinio apicem impoſitum putent*. Et Lucanus lib. 1.

* Servius in 2. Æn.

Attollenſque apicem generoſo vertice Flamen.

Aut cùm Perſius ſat. v. *umbonem* pro togâ poſuit:

—— Totâque impunè Suburrâ
Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo.

Nam umbo (quem & in togâ Tertullianus † agnoſcit) in ditiorum togis propriè vocabatur pars ea, quæ ob rugas concurrentes, nodoque artifice conſtrictas ‡, protuberabat, umbonis ſive clypei inſtar. Candidum verò umbonem vocat, quia intelligit togam virilem, quæ alba erat tota; non purpureo prætexta limbo, ut illa puerorum, qui ex eo dicti *prætextati*. Similis quoque eſt συνεκδοχὴ, in illo Martialis *:

† Lib. de Pallio cap. 5.
‡ Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 9.
* Lib. 4. epig. 14.

Sic forſan tener auſus eſt Catullus,
Magno mittere paſſerem Maroni.

Nam non tantùm μετωνυμικῶς per *paſſerem* intelligit carmen de paſſere; ſed & συνεκδοχῇ partis per poëmatum initium intelligit univerſa poëmata. Quod & Carrionis judicium eſt lib. 1. Emendationum cap. VIII. Nam votivum illud ad Cornelium Nepotem extra ordinem eſt: ut meritò epigrammata de paſſere cenſeatur primum. Nec injuriâ addit *forſan*, cùm Catullus Maronem ætate anteceſſerit. Quòd igitur Catullum ait Maroni (*Marino* enim, quod in veteri reperitur codice, planè eſt explodendum) ſua miſiſſe ἐρωτικὰ, id poëticè ab eo confictum videri poſſit. Niſi magis placet, etſi pleraque Ciceronis, ac Iulii Cæſaris temporibus, ſcripſerit, multo tamen pòſt ſuperfuiſſe. Quod ſi eſt, nullum hic poëticum erit figmentum; ſed veriſimilis ſolùm conjectura. Et ſanè hoc Ioſepho Scaligero magis probatur: qui fusè de eo diſſerit in Animadverſionibus Euſebianis ad an. MDCCCCLX. atque iterum ad annum MDCCCCLXXVII. Atque idem diu arriſit. Sed ut juvenem obiiſſe Catullum credam, compellor Ovidiano hoc elegiaco in mortem Tibulli:

Obvius huic venies hederâ juvenilia cinctus
Tempora cum Calvo, docte Tibulle, tuo.

Synecdoche etiam partis integralis videtur, cùm eques ponitur pro equo cum equite. Maro:

—— Atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo.

Inde eſt, quod & eques dicitur *quadrupes*. Ennius:

Denique vi magna quadrupes eques, atque elephanti.

Item quod equus dicitur equitare. Lucilius:

Nempe hunc currere equum, nos atque equitare videmus.

Vide Gellium lib. XVIII. cap. v. & Macrobium lib. VI. Saturn. cap. IX.

Eſt autem & maximus hujuſmodi ſynecdoches uſus in ſacris Literis. Sic Iſraël paſſim in libris Regum, accipitur pro X tribubus: imò & pro ſolo Iuda ſumitur 1 Maccab. 1. 21. & alibi eopſe cap. ac ſeqq. Torquent ſeſe inerudit in his Chriſti verbis apud Matthæum XII. 40. *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tres dies, & tres noctes; ita erit filius hominis in corpore terræ tres dies, & tres noctes.* Atqui manifeſtum eſt, eſſe συνεκδοχήν. Faſtidit ſynecdochen hanc Faber Stapulenſis libro de triduo Chriſti. Sed, ſi de eo Eraſmi * judicio ſtandum, *id odio factum grammatices, cum quâ illi parum convênit, ut ipſa indicat res, ne cui parum philoſophus videatur*. Sanè & Hebræis, & Græcis, & Latinis, vox *dies* ambigua eſt; ac nunc naturalem, nunc artificialem diem ſignat. Hujuſce ambiguitatis tollendæ cauſâ, ſolent Hebræi, (quorum loquendi formam Apoſtoli, ac Euangeliſtæ, retinent crebrò, quamvis Græcè ſcribant) cùm intelligunt diem naturalem ſive civilem, h. e. τὸ νυχθήμερον, ponere diei partes, licet res toto die geſta non ſit. Statuendum igitur, & partes integrantes ἀδιαφορικῶς hic poni pro toto, & per totum συνεκδοχικῶς partem ejus intelligi. Nempe quemadmodum Apocal. VII. 15. dicitur *ſanctos ante thronum Dei eſſe die & nocte*, cùm in cœlis non ſit nox; ſed diu noctuque, id eſt, ſemper: ſic hoc loco, *tres dies, & tres noctes*, ponuntur pro triduo: triduum autem Chriſtus in ſepulchro fuit συνεκδοχικῶς. Imò haut aliter intelligendum videtur, cùm Ionas in ceto fuiſſe dicitur tribus diebus & noctibus. Nam ne Ionas quidem triduum fuerit in ceto, ſi ea omnia, quæ cap. 1. Ionæ narrantur de die geſta ſunt, ac pars illa diurni ſpatii, quæ ſupererat ad uſque veſperum, (à quo Hebræi auſpicantur diem naturalem) pro integrâ die naturali accipienda eſt: quæ virorum doctiſſimorum ſententia eſt. Eamque etiam Iuſtinus Martyr probâſſe videtur: ut qui dialogo cum Tryphone Iudæo, hoc pacto de Iona ſcribat: Μετὰ τὸ ἐκβρασθῆναι αὐτὸν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀπὸ τῆς κοιλίας τοῦ ἁδροῦ ἰχθύος· *Cum tertio die ex alvo grandis piſcis ejectus fuiſſet*. Par fortaſſe ratio eſt, cùm cap. VII. Geneſ. dicitur, *pluiſſe diebus & noctibus quadraginta*. Neque enim neceſſe eſt, intelligi parem dierum noctiumque numerum.

* In 12. c. Matth.

IX. De synecdoche speciei pro individuo, et individui pro specie.

POrrò ad Synecdochen generis non tantùm referimus, cùm genus accipitur pro ſpecie; ſed etiam, cùm ſpecies pro individuo uſurpatur: ſive, ut Fabii † verbis utar, *cùm res communis pluribus in uno aliquo habet nomen eximium*. Exemplo nunc unico contentus ero: quia pleniùs de eo cap. x. agam. Hujuſmodi eſt, ὁ Θεολόγος pro Ioanne Euangeliſta. Ita enim antiqui eum Patres appellant, ac in vetuſtis etiam codd. multis Apocalypſis ἁπλῶς inſcribitur, Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου· pro quo in Complutenſi eſt, τοῦ Ἀποστόλου καὶ Εὐαγγελιστοῦ, Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου· nequis iccirco Apocalypſin alterius, Ioannis presbyteri, opus autumet cum quibuſdam.

† Lib. 9. cap. 3. de perſpicuitate.

Similiter ad Synecdochen ſpeciei refero, non tantùm, cùm, ſpecies accipitur pro genere; ſed etiam, quando ſingulare ſive individuum pro ſpecie ſumitur. Ut in illo Martialis ‡:

‡ Lib. 4. epigr. 60.

Nullo fata loco poſſis excludere: cùm mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia eſt.

Ubi *Sardinia* ponitur pro quovis loco inſalubri, ac peſtilenti; cujuſmodi fuiſſe Sardiniam, præter alios Mela ‖, Tacitus *, Claudianus †, & Sext. Aurelius Victor ‡, auctores ſunt nobis.

‖ Lib 2.
* 2. Annali.
† Lib. de bello Gildonico extremo.
‡ In Graccho.

Itaque antonomaſia (quam diſtinctum quidam faciunt tropum, & in modos duos proximè allatos diſpeſcunt) Synecdoches eſt ſpecies: quâ de re fuſiùs, ut jam dixi, infrà acturi ſumus.

X. De synecdoche numeri.

CUm autem unitas ſit principium numeri; ac numerus Euclidi ſit totum quoddam ex unitatibus collectum: ad tertium quoque Synecdoches modum (qui eſt totius, ac partis materialis) pertinebit Synecdoche numeri, quâ vel numero ſingulo utimur pro plurativo; vel plurativo pro ſingulo; vel numero certo pro incerto: vel rotundo pro majori minorive; vel innumeros dicimus pro longè plurimis. Quibus quinque modis aliquid lucis exemplis affundamus. Singularis pro plurativo ſumitur, cum Maro * ait:

* Ecl. 1.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Parthus pro Parthis. Item proverbio apud Varronem †: *Romanus ſedendo vincit.* Sententia eſt, Romanos conſultando debellare hoſtem: quomodo inprimis Fabius Maximus Cunctator rem reſtituit Romanam. De hujuſmodi ſermone ita B. Auguſtinus lib. 11. Locutionem S. Scripturæ, qui de Exodo eſt: *Et extendit Aaron manum ſuper aquam Ægypti, & eduxit ranas, & educta eſt rana, & operuit terram. Repetitio à plurali ad ſingularem numerum trajecta eſt. Nam utique rana pro multitudine ranarum poſitum eſt. Neſcio quo autem modo per loquendi conſuetudinem imbutis ſenſibus hominum, ſæpe plus videtur, quod ſingulariter, quàm quod pluraliter dicitur. Nam plus accipitur, cùm dicitur, verbi cauſsâ, Eſt illic miles, quàm, Sunt illic milites; Eſt illic piſcis, quàm, Sunt illic piſces.*

† Lib. 1. de R. R. cap. 2.

Pluralis pro ſingulari accipitur in hoc Tibulli lib. III. El. V.

Nec nos ſacrilegos templis admovimus ignes:
Nec cor ſollicitant facta nefanda meum.

De ſeſe priùs in plurativo; mox, quaſi ſe corrigens, ſingulo loquitur numero. Sic *ora* poëtæ pro *os* dicunt: & *colla* pro *collum* ait Statius 1. Silv. de equo Domitiani:

Dextra vetat pugnas, lævam Tritonia virgo
Non gravat, & ſecta prætendens colla Meduſæ
Ceu ſtimulis accendit equum.

Ita legendum ex optimo manuſcripto illo Senenſi; cujus variantes lectiones codici noſtro à magno Scaligero adſcriptas, V. Cl. Janus Gevartius, quicum eas communicarâmus, doctiſſimis ſuis in eum poëtam animadverſionibus bono publico intexuit.

Ad hanc quoque numeri ſynecdochen pertinet, quòd Hebræi plurali utuntur, cùm incertum ſignificant individuum. Ion. 1. 5. *Deſcendit in latera navis*, h. e. in alterutrum latus. Cui ſimile illud Matth. XXVII. 44. *Latrones exprobraverunt ei.* h. e. alteruter latronum: ut interpretatur Epiphanius in Panario, ubi de Manichæis tractat. Niſi cui magis placeat ſententia B. Hieronymi, ſcribentis *, quamvis Lucas referat, uno blaſphemante, alterum confeſſum; non tamen diſcrepare Euangelia: primùm enim utrumque blaſphemâſſe; verùm paullo pòſt alterum, cùm vidiſſet ſolem fugientem, terram commotam, ſaxa diſrupta, ingruentes tenebras, ductum pœnitudine, increpuiſſe alterum Ioh. VI. 45. *Eſt ſcriptum in Prophetis*, i. ab aliquo Prophetarum. Nam ſolum Ieſaïam intelligit. Simile eſt Iudic. XII. *Sepultus eſt in urbibus Gilead.* i. in unâ civitatum.

* In Matt. c. 27.

Numerus certus ponitur pro incerto, cùm Horatius † *tergeminos honores* ait pro plurimis, maximiſque. Fruſtra enim hic diſſertant, qui fuerint tres illi maximi honores. Sed ſi eos omnino intelligere viſum, non alii profectò fuerint, quàm ædilitas, prætura, & conſulatus: utut Porphyrio quæſturam pro ædilitate inter eos reponat. Item in Maronis * illo,

† Lib. 1. od. 1.

—— O terque quaterque beati!

h. e. ſæpius, vel multùm beati. Nugatur enim Macrobius †, cùm ad laudem ſeptenarii hæc refert. Apertiùs idem fit in Terentii illo ‡, *Millies audivi.* Item huc refer, cùm dicitur Apocalypſ. V. 11. Angelorum in circuitu throni fuiſſe millies centena millia, & decies centena millia: quo ſignificatur numerus eorum penè infinitus. Nam re ipsâ in creatis infinitum nihil eſt. Unus immenſus reapſe; ille qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, ut appellat Ioannes *; cujus centrum eſt ubique, peripheria nuſquam, ut loquebantur philoſophi.

* Æn. 1.
† Lib. 1. in Somnium Scipionis cap. 6.
‡ Eun. act. 3 ſc. 1.
* Apocal. 1. 4.

Adhæc & numerus rotundus accipitur pro majori, aut minori. Ut cùm mille dicuntur Græcorum naves ad Trojam fuiſſe. Euripides Oreſte:

Ὦ † χιλιόναυν στρατὸν ὁρμήσας
Εἰς γῆν Ἀσίαν
Χαῖρε. Maro 11. Æn.
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

† O qui mille navium exercitum applicuiſti in Aſiam.

Similiter Latinorum alii. Ut Plautus Bacchidibus ‡:

Cùm Priami patriam Pergamum, divinâ mœnitum manu,
Millenûm numero navium, decumo anno pòſt ſubegerunt.

‡ Act 4. ſc. Atridæ duo.

Item Ovid. XIII. Met. fab. 1.

Nempe ego mille meo protexi pectore puppes.

Et aliquanto pòſt:

Aulidaque Euboicam complerunt mille carinæ.

Ac ſimiliter aliquoties Seneca in tragœdiis. Imò Livius quoque lib. XLV. *A Chalcide trajicit trium millium ſpatio diſtantem portum, inclytum ſtatione quondam mille navium Agamemnoniæ claſſis.* Scipio Gentilis ‡ auctoritate Livii refelli eos putabat, qui, cùm poëtæ *mille naves* dicunt, finitum numerum pro infinito poni exiſtimant. Mihi verò videtur, Livium ipſum rotundo uti numero, poëtarum exemplo. Nam fuere mille centum & octoginta ſex: quemadmodum comperiet, cui tanti hæc res eſt, ut numerum inire velit navium recenſitarum in Bœotia Homeri. Pauxillùm abit ſcholiaſtes Euripidis *, ſi locus is ſanus, quo, ſupra mille, ϱνε, hoc eſt, centum & quinquaginta quinque fuiſſe dicitur. Dio quoque Chryſoſtomus rotundo uti amat: ſed qui ad Homericum, atque eum, quem habet Euripidis ſcholiaſtes, prope accedat. Nam fuiſſe tradit mille, & ducentas. Imò & Thucydides † ipſe tot ait ab Homero referri. Sunt ſimilia multa, ubi vulgò rotundus numerus præfertur. Ut cùm vocamus LXX. interpretes, qui erant LXXII. cùm item *centumviri* apud Romanos dicerentur, qui erant centum, & quinque. Cicero etiam in Piſonianâ *quadraginta annos* dicit, qui erant triginta ſex: & primâ Catilinariâ *vigeſimum diem* nominat pro duodevigeſimo, ut Muretus ‡ obſervat.

‡ Lib. 1. Περιεργων cap. 35.
* In Oreſtem.
† Lib. 1.
‡ Comment. in 1. Catil.

Longè plurima ſe hujus generis offerunt in ſacris Literis. Ut Gen. XVII. 17. Abraham dicitur Iſaacum geniturus centenarius, cùm, nato demum filio, eum numerum implêrit. Geneſ. XXXV. verſ. 26. refertur, ut Iacob in Padane Syriæ, hoc eſt, Meſopotamiâ, XII. genuerit filios, inque iis diſertè etiam Benjamini nomen reponitur. At eodem capite paullo antè dixerat Moſes, Benjaminum natum eſſe, cùm parentes è Bethel proficiſcerentur Ephratam. Iud. IX. de Abimelecho narratur, ut occiderit LXX. filios Ierobaal. Atqui non ipſe modò Abimelech excipi debet; ſed etiam Ioatham, qui cædi ſe ſubduxerat: ut ibidem legas. 1. Cor. XV. ait Apoſtolus, Chriſtum poſt reſurrectionem apparuiſſe XII. Apoſtolis, quia numerus is notior eſſet. Inde autem Iudam excipi debere, ſatis eſt apertum. Nempe Scriptura ſolet omnibus tribuere, quod penè omnibus competit. Qua de re pleniùs, σὺν Θεῷ, in opere noſtro Chronologico dicemus.

Denique & *innumeros* dicimus pro multo plurimis. Cujus rei paſſim ſe offerunt exempla. Sed nihil apertius illo Appuleji in Apologiâ: *Innumerabilia* (de Ennio eſt ſermo) *piſcium genera enumerat.* Ubi, ut bene monitum Scipioni Gentili, ſic dicit *innumerabilia enumerari*; quomodo *incredibilia credi*, ait Paullus L. antiqui. D. ſi pars hæred. pet. Ut enim non innumera, ſed planè numerabilia, ſint piſcium genera, arguit illud, quòd B. Hieronymus in Ezechielem ‡ tradit, ex Oppiano, aliiſque ἁλιευτικῶν ſcriptoribus, colligi, haut plura eſſe cognita piſcium genera, quàm centum quinquaginta tria.

‡ Lib. 14. in cap. 46.

XI. Utrum

XI. Utrum etiam ſit ſynecdoche ſpeciei pro ſpecie.

CÆterùm ambigunt quidam, an quatuor ſynecdoches modis ſuprà aſſignatis non debeat adjici quinctus, quo ſpecies ponatur pro ſpecie. Siquidem id interdum fieri, argumento eſt, quòd Homerus arma ſemper vocet χάλκεα, quod interpretes ſemper transferunt *ferrea*, quorum ſententiam adprobat Cœlius Rodiginus lib. xix. cap x. Sunt qui, ut hanc rem excuſent, cum Tzetze * dicant, χαλκὸν dici ἐπιγενικῶς περὶ τὸ χέειν τ̃ ἀκλὼ †. Sed hæc quidem ſunt Tzetze digna. Vera autem ſententia eſt, quia arma primò ærea fuere: etiam poſtquam ferrum inventum, ærea fuiſſe vocata καταχρηστικῶς, haut aliter atque *auream* atque *argenteam pyxidem* legimus, cùm *pyxis* propriè ſit è buxo, quæ Græcis πύξος: idemque in ſexcentis aliis factum. Ærea verò arma ferreis antiquiora eſſe, extra controverſiam poni debet, vel propter Heſiodeum *:

Χαλκῷ δ' ἐργάζοντο· μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος †.

Sed & Pauſanias ‡ ex Homero colligit, veteribus non fuiſſe in uſu ferramenta, verum æramenta ſolùm: unde & Il. ε. legimus χαλκέῳ ἐν κεράμῳ ⸸. Idem tradunt Heraclides Ponticus in Allegoriis Homericis *, Euſtathius in Il. γ. † Lucretius lib. v. atque alii, quos ſciens prætereo. Sed ex his quidem neutiquam conſequitur, quod putarunt. Neque enim ſpecies pro ſpecie, ſed pro genere uſurpatur, æs pro metallo. Idem judicii eſto de aliis id genus, quæ afferre ſolent.

* In Heſiod. ἔργ. verſ. 143. † Quòd rebur aſſiudat. * Ἔργ. verſ. 150. † Ære operabantur: non enim nigrum erat ferrum. ‡ In Laconicis. ⸸ Olla in ahenea. * Pag. 327. † Pag. 241. edit. Rom.

XII. Quædam ſynecdochica ſignificatione magis in uſu eſſe, quam propria.

QUod autem de metonymiâ dicebamus, multa in modificatâ ſignificatione eſſe uſitatoria, quàm propriâ, id & in ſynecdoche locum habet. Ejuſdem apud Græcos ſunt ἀρνυσθαι, πωλεῖν, & ὠνεῖσθαι, quæ generatim paſſim uſurpantur pro *capere*, *vendere*, *emere*, cùm propriè, teſte Euſtathio ‡, ſignent, conſequi quippiam dando ἄρνας, πώλους, ὄνους ⸸; uti & ἐτυμολογία indicat. Cauſſam huic locutioni dedit, quòd veterum ſubſtantia conſiſteret in pecudibus: unde & apud Latinos ſimili συνεκδοχῇ in uſu remanſerunt, *pecunia*, *peculium*, ac *peculiaris*: quo poſtremo propriè uſus Plautus, cùm ſcripſit *:

Etiam opilio, qui paſcit, mater, alienas oveis,
Aliquam habet peculiarem, qui ſpem ſoletur ſuam.

Impropriè quidem, attamen ita, ut alludat ad oves, idem uſurpat Mercatore †:

Quin etiam tibi ancillam dabo notam annos ſexaginta
Peculiarem. Pa. *Mi ſenex, tam vetulam?* Ly. *Generis Græci eſt.*
Eam ſi curabis, perbona eſt. tondetur nimium ſcitè.

Etiam *familia* nomen, cùm propriè de famulorum cœtu dicatur, longè tamen uſitatius eſt in ſignificatione ſynecdochicâ; qua tam liberos, quàm ſervos, comprehendit: quomodo *patrem familias*, & *filium familias* dicimus.

‡ In Odyſſ. pag. 1383. ⸸ Agnos, equuleos, aſinos. * Aſinaria. act. 3. ſc. 1. † Sc. Amicè amica.

Caput. IX.

DE IRONIA.

Ironia eſt, cùm per id, quod dicitur, intelligitur contrarium.
Cognoſcitur autem pronunciatione, vel è rei naturâ.

I. De vocabulo ironiæ, et quomodo Latinis dicatur.

DE tribus primariis tropis vidimus: ſupereſt εἰρωνεία. Quâ voce aliter uti videntur Rhetores, quàm alii ſcriptores. Nam his εἰρωνεία eſt *diſſimulatio*, ſive *diſſimulantia*. Utroque enim modo transfert Tullius *: qui & auctor eſt †, Socratem appellatum eſſe εἴρωνα, quòd, in diſſimulando, is lepore humanitateque longè cæteris antiſtaret. Minucius Felix in Octavio *ſcurram Atticum* appellat, ſecutus in eo Zenonem; à quo ſic vocatum eſſe Socratem, à Cicerone ‡ proditum eſt. Rhetoribus verò εἰρωνεία eſt, cùm per id, quod dicimus, contrarium ſignamus. Atque id origo quoque indicat. Eſt enim ἀπὸ τοῦ εἴρειν, ut τὸ λέγειν *dictum*, aut *dicterium*, ſonet. Quippe dicimus hæc, verùm nihil ejus ſignificamus, quod propriè dicimus. At Latinis aliud eſſe *dictum*, aut *dicterium*, aliud ironiam; ſoli neſciunt, qui nihil ſciunt. Quare non incommode fortaſſe *irriſionem* vertas, ut eſt apud Julium Rufinianum: vel *illuſionem* potiùs, quomodo nominari Fabius ⸸ ait: *In eo*, inquit, *genere, quo contraria oſtenduntur, ironia eſt: illuſionem vocant.* Itaque & Eraſmus εἴρωνας tranſtulit *illuſores* apud Lucianum libro περὶ γυμνασίων. Nam ubi Anacharſis ait, Athenienſes omnes eſſe εἴρωνας ἐν τοῖς λόγοις: apud Eraſmum eſt, *naſutos in ſermonibus illuſores.* Nec ſanè melius habet Latium, quàm *illuſionem*. Nam *ſimulatio*, quomodo vertit Aquila Romanus, vel *diſſimulatio*, ut Latinis etiam vocari ait Julius Rufinianus; multùm ab ironia diſſident, cùm in hâc contrarium intelligatur; in illis non contrarium, ſed id ipſum, quod verbis, aut geſtu, innui videtur. Nec ſatisfacit *cavillatio*, aut *blanditia*, nedum *pellicatio*: etſi in Philoxeni gloſſis ſit; *Cavillatio*, κακοήθεια, εἰρωνεία: item, *Pælicatio*, (leg. *pellicatio*) εἰρωνεία, ζηλοτυπία: in gloſſis autem Latino-Græcis, εἰρωνεύομαι, *pellico*, *cavillor*: εἰρωνεία, *pellicatio*, *cavillatio*: εἰρωνεία, *blanditiæ*. *Blanditiæ* enim partim latiùs patent, partim anguſtius. *Pelicatio* verò, ſeu *pellicatio*, vel dicitur de vita pellicum: unde gloſſæ Græcolatinæ, ζηλεύω, *pellico*: ζῆλος, *pellicatus*: ζηλοτυπία *pellicatio*: vel notat fraudes ac dolos, ſive à pelliculatum, hoc eſt, pellicum moribus, ſive à pelliciendo: quomodo in laceris Feſti ſchedis legas: *Pelliculationem, pro inductionem, à pelliciendo, quod eſt inducendo, dixit Cato.* *Cavillatio* autem propriè eſt Juriſconſultorum ejuſmodi, qui, cùm cavere neſciant ſuis, aliquid confingunt, quo ſe iis cavere ſimulent. Unde in Onomaſtico veteri; *Cavillo*, σοφίζομαι. Quia autem tales ſuorum ſimplicitati illudunt: inde eſt, quòd etiam ad ſcommata & jocos, extenſa ſit ſignificatio: unde idem Onomaſticon, *Cavilla*, σκῶμμα. Quare, hæc quidem quàm non ſatis exprimant vim vocabuli Græci Εἰρωνεία, ſatis liquet.

* 4. Acad. Quæſt. & 2. de Orat. † 1. Offic. & 2. de Orat. ‡ Lib. 1. de Nat. Deor. ⸸ Lib. 8. cap. 6.

II. Quid ſit ironia, et quibus modis cognoſcatur, aliquid per ironiam debere intelligi.

AB hoc tropo orditur Rufinianus librum ſuum de figuris ſententiarum, & elocutionis. Sic verò eam deſcribit: *Ironia elocutiunculâ Salluſtianâ commodiſſimè exprimitur, cùm aliud in pectore recluſum, aliud in linguâ promtum habemus, & ſententia enunciationis in contrarium à verbis excipitur.* Breviùs Fabius, ut paullo antè vidimus. Item Donatus *, *Ironia eſt tropus per contrarium, quod conatur, oſtendens.* Subjungit deinde; *Hanc niſi gravitas pronunciationis adjuvet, confiteri videtur, quod negare contendis.* Sed pleniùs Fabius, poſt verba allata: *Ironia aut pronunciatione intelligitur, aut perſonâ, aut rei naturâ. Nam ſi qua earum verbis diſſentit, apparet, diverſam eſſe orationi voluntatem.* Ita è rei ipſius naturâ, ac circumſtantiis, ſcimus, Platonem ab Athenæo εἰρωνικῶς vocari τῇ Μνημοσύνῃ φίλον *charum Divæ Monetæ.* Nam obliviosum dicere voluit, quia eum ſugillat, quòd ἀσυμφώνως † ſcripſiſſet de Socrate. Par ratio, cùm Cato apud Salluſtium ‡ ita verba facit: *Vos cunctamini etiam nunc, & dubitatis, quid intra mœnia deprehenſis hoſtibus faciatis? Miſereamini, cenſeo. Deliquere homines adoleſcentuli per ambitionem. Atque*

* Libello de barbariſmo, tropis, & ſchematibus. † Diſſona pugnantiaque. ‡ Bello Catilin.

etiam armatos dimittatis. Nec iſta vobis manſuetudo, & miſericordia, ſi illi arma ceperint, in miſeriam vertet. Etiam περιστάσεις ſatis indicant, εἰρωνικῶς accipi debere illa Ciceronis priori Invectivâ in Catilinam: ***Ad ſodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum, demigravit.*** Nam quomodo vir bonus eſſe potuit, qui ſodalis eſſet Catilinæ? Ut omnino alius hic ſit ab illo M. Marcello, quem paullo pòſt vocat virum fortiſſimum, pro quo & orationem habuit. Divina etiam, ut vocat Fabius *, ironia eſt in initio Ligarianæ; ***Novum crimen, C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum &c.*** Scio, Trapezuntium in Rhetoricis, Brodæum in Miſcell., Ludovicum Carbonem lib. I. de elocutione cap. XIV. atque alios item, negare, hic ullam eſſe ironiam. Sed pro Fabio eſt, ex antiquis Aquila Romanus; ex junioribus, Marinus Becichemus Scodrenſis epiſtolicarum quæſtionum cap. XLII. Franciſcus Luiſinus lib. III. Παρέργων cap. XXV. Iulius Scaliger in ſuis de re Poëtica libris, & Franciſcus Fabricius commentario in Ligarianam. Ac valida ratio pro his facit. Nam neutiquam novum crimen erat, vel inauditum; quandoquidem omnibus conſtabat, tam multos contra Cæſarem in Africa pugnâſſe, quibus jam ipſe ignoverat.

* Lib. 4. cap. 1.

Quod ſi obſcurius futurum, utrùm ironice loquamur, an propriè; utile ſit particulam hujuſmodi addere: *Scilicet, vero, quaſi, ſanè, profectò, nimirum*, aut ſimilem. Ut apud Maronem, *Egregiam † verò laudem. Scilicet ‡ is ſuperis labor eſt.* Ac ſimiliter Tullius Catil. I. ***Neque hi ſolùm ſenatores, quorum tibi auctoritas eſt videlicet cara, vita utiliſſima.*** Et Catill. II. ***Videlicet timidus vocem conſulis ferre non potuit.*** Vel contrarium ipſum ſubdemus. Ut, ***Docebit literas, quas non didicit.*** Ita ironicè loqui Catonem in verbis allatis, ſatis arguit, quòd ſubjungit, ſi judices miſereantur, fore ut, poſtquam arma conjurati ceperint, res ea judicibus ipſis in miſeriam vertat. Nonnunquam verò ironia ipſo vocum ſitu cognoſcitur. Nam ferè *vir bonus*, propriè; *bonus vir*, εἰρωνικῶς dicitur. Ferè, inquam. Nam non tantùm, ***virum optimum***, εἰρωνικῶς vocat Cicero, ut antè vidimus: ſed &, ***bonus vir***, extra ironiam dixit Plautus Curcul. ⸸

† 1. Æn. ‡ 4. Æn. ⸸ Act. 4. ſc. 1.

Sedulò autem περιστάσεις, & cætera, attendi oportere, ne ironiam putemus, ubi nulla eſt, vel ubi eſt, propriè verba capiamus; argumento illud eſt, quòd hâc parte ſummos etiam viros decipi videamus. Ita, ut alios nunc mittam, Servius propriè accipit illa Junonis apud Maronem Æn. I.

Quippe vetor fatis.

In quo eum falli, nemo negârit, qui naturam Junonis, & Virgiliani loci, conſideret. Ac contrà εἰρωνικὸν eſſe, idem putat illud Ecl. II.

O formoſe puer, nimium ne crede colori.

Ubi nulla profectò eſt ironia.

III. Ironiam locum habere in quatuor oppoſitorum generibus.

VErùm interdum uſu venire videtur, ut in Ironiâ non intelligatur contrarium, quod tanquam οὐσιῶδες * in definitione poſueramus. Cur enim ei, qui genere cæteraque par ſit, at nos, ut multis partibus inferiores, inſuper habeat, haut liceat dicere: ***Scilicet tu genere, eruditione, aut fortunis antiſtas.*** Nec tamen eo nos alteri præferemus, ut ſuperiores; ſed unum hoc ſpectabimus, ut is, cùm ſuperior non ſit, nec ſeſe, ut nobis ſuperiorem, gerat. At hoc ei quidem, quod dicimus, contradicit; verùm contrarium non eſt; cùm ſuperiorem quidem, atque inferiorem eſſe, contraria ſint; at ſuperiorem, ac non ſuperiorem eſſe, contradicant. Neque hæc loquendi ratio caret exemplo. Iuvenalis eſt iſtud Sat. XV.

* Eſſentiale.

O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis Numina!

Deridet autem Satyricus ſtolidam Ægyptiorum ſuperſtitionem: qui non ſolùm colebant quadrupedes, uti ſimiam *, & ælurum ſive felem †, aves, ut ibim ‡; ac corvum ⸸, unde Coracina ſacra, quæ apud Coptum fiebant *; ac piſces, ut oxyrynchum †, & anguillam †, verùm neque plantas, uti porrum ac cepe, divinis afficere honoribus dubitabant: unde Minucius in Octavio, ***Ægyptii***, inquit, ***cum pleriſque vobis non magis Iſidem, quàm ceparum acrimonias, metuunt.*** Eſtque hanc ipſam rem apud Sextum Philoſophum legere Hypotypoſeon lib. VI. Sed de totâ hâc eorum ſtultiſſimâ religione inprimis Strabonem adi lib. ult. & è junioribus Floridum Sabinum Subſecivarum Lect. lib. III. cap. I. Cùm verò poëta ***ſanctas*** vocat ***gentes***, quarum in hortis iſtiuſmodi ſuccreſcunt Dii, ut indicare noluit, eas iccirco reverà ſanctas eſſe; ita neque, ob id irreligioſas atque impias eſſe, ſignificare voluit: ſed cùm abſurdo conſequenti abſurdum innuat eſſe antecedens, ſenſit, non ideo ſanctas eſſe: quod priori non contrarium, ſed contradictorium eſt. Quare fortaſſe dicendum, hic contrarii nomen latiùs accipi, ut contradictorium quoque complectatur. Nam & Ariſtoteles ſæpe eo modo loquitur; ut cùm primo φυσικῆς ἀκροάσεως, principia docet eſſe contraria, atque omnes veteres philoſophos contraria ſtatuiſſe principia aſſerit.

Verùm fortaſſe nec hoc pacto ſcrupulus planè fuerit exemtus. Cur enim de cœco, aut luſcitioſo, haut dicere liceat, eum tam cernere acutum, quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius? At hæc repugnant, ut habitus, & privatio. Cur item parens filio, leges præſcribere volenti, dicere non poſſit, ***Nempe tu parens es, ego filius.*** Aut princeps ſubditis, ***Scilicet ſubditi imperium habent in principem.*** At hic relatum ſumitur pro correlato.

Quare, ut rem in pauca conferam, ſic ſtatuendum videtur, contrarii nomen in definitione Ironiæ Ciceroniano more accipi. Is enim, uti & Stoici, contraria nominat, quæ Peripateticis ἀντικείμενα, ſive oppoſita; quæque his ſtrictè appellantur ***contraria***, ipſe vocat ***adverſa***. Itaque definitio minùs fuerit cavillationi obnoxia, ſi dicamus, Εἰρωνείαν eſſe, quâ per id, quod dicitur, intelligitur oppoſitum.

* Lucianus in Deorum concilio. † Herodotus in Euterpe. Diodorus Siculus lib. 1. Cicero lib. 1. de Legg. & 1. de Nat. Deor. item lib. 5. Tuſcul. Quaeſt. & Juvenalis ſat. 15. ſ recta eſt emendatio Brodaei lib. 7. Miſcell. c. 2. Vide & ſcholia Calagurrani epiſtolicarum quaeſt. l. 1, epiſt. 38. quae incipit, Sunt alii, &c. ‡ Lucianus in Deorum concilio. ⸸ Ælianus in hiſtor. animal. l. 7. c. 18. * Ambroſius in epiſt. ad Rom. c. 1. † Strabo lib. ult. & alii. quos vide Brodaeum l. 7. Miſcel. c. 2. ‡ Herodotus in Euterp. & Athenaeus apud Athenaeum.

IV. Refelluntur, qui negant, omnem ironiam eſſe tropum: item, qui eam cenſent eſſe mendacii genus.

AMbigunt quidam, num omnis Ironia hujus ſit loci. Fabium * ſi audimus. ***Ironia alia ſit tropi, alia ſchematis.*** Idem † Ironiam allegoriæ ſpeciem facit. Nos ſchema eſſe negamus, quia ſemper eâ aliud dicitur, aliud intelligitur. At ſchemata tam propriis, quàm figuratis, inſtituuntur verbis. Ironiam autem non eſſe allegoriæ ſpeciem, cap. XI. oſtendemus.

* l. 9. c. 1. † l. 8. c. 6.

Sunt & homines ineptè religioſi, qui ironiam aſpernentur, ut mendacii genus. Ac ſubſidium etiam à magno viro petunt, qui ironiam ***falſam eſſe orationem*** dicat. At ſciant, εἰρωνικὸν eſſe hoc Dei ipſius Geneſ. III. 22. ***Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.*** Cui interpretationi adſtipulatur quoque tranſlatio Græca: Ἴδὲ Ἀδὰμ γέγονεν ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν, τοῦ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρόν. Etiam εἰρωνικῶς accepere Theodoretus, Gennadius ‡, atque alii Iud. X. 14. ***Ite, & invocate Deos, quos elegiſtis: ipſi vos liberent in tempore anguſtiæ.*** Illuſtre etiam eſt hoc III. Reg. XVIII. 27. ***Illudebat illis Elias, dicens, Clamate voce majore. Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.*** Etiam ſic idololatras ridet Deus apud Prophetam Amos IV. 4. ***Venite ad Bethel, & impiè agite ad Galgalam, & multiplicate prævaricationem, & offerte manè victimas veſtras, tribus diebus decimas veſtras. Et ſacrificate de fermentato laudem, & vocate voluntarias oblationes, & annunciate. Sic enim voluiſtis, filii Iſraël: dicit***

‡ In Catena Graecorum Patrum interpretum.

Do-

Dominus Deus. Eſt & εἰρωνικὸν illud Chriſti ad diſcipulos Matth. xxvi. 45. *Dormite quod ſupereſt, & requieſcite: ecce appropinquavit hora, & filius hominis traditur in manus peccatorum.* Gr. Καθεύδετε τὸ λοιπὸν, καὶ ἀναπαύεσθε. Niſi potiùs hæc κατ' ἐρώτησιν * dicta ſint, eoque verti debeant, *Dormitis quod ſupereſt, & requieſcitis?* 1. ad Corinth. cap. iv. 8. *Jam ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis, ſine nobis regnatis.* Quæ quia εἰρωνικῶς dixerat Apoſtolus, eo continuò ſubjungit: *Et utinam regnetis, ut & nos vobiſcum regnemus.* Neque magis in his falſa eſt oratio, quàm in metaphoris: ut cùm Chriſtus vocatur *virga* † *de radice Jeſſe* ‡, *panis vitæ* ‖, *vitis vera*, *lapis* * *reprobatus ab ædificantibus, & factus caput anguli:* aut cùm Apoſtoli dicuntur † *piſcatores hominum*, Phariſæi *viperarum progenies* ‡, & in trecentis id genus. Dicent, eo ſermonem eſſe verum, quia improprie hîc voces ſumantur. Quaſi non idem fiat in ironia. Quare vel fallitur, vel valde ἀκύρως locutus eſt Cæſar Scaliger ‖, cùm in ironia ait *è re notâ falſam intelligi orationem.* Neque enim falſa eſt oratio, ubi animus fallendi eſt nullus, neque vel is fallitur, qui dicit, vel ille, cui dicitur.

* Per interrogationem.
† Eſa. 11.
‡ Joan. 6.
‖ Joan. 15.
* Act. 4.
† Mat. 4.
‡ Mat. 3. & Luc. 3.
‖ Lib. 3. de re poet. cap. 85.

V. Errare eos, qui ironiam nunquam non in verbis conjunctis; tropos cæteros, ſemper in ſingulis eſſe verbis putarunt.

ET hæc de quatuor primariis tropis ſufficiant, in quibus non pauca fortaſſe, ut nova, ita abſona iis videbuntur, qui innutriti ſint vulgaribus præceptis. Sed liberalibus hæc ingeniis ſcripſimus: quibus placere debet illud Venuſini vatis *:

Odi profanum vulgus & arceo.

Quare quid illis cum vulgo? cujus commentis jure occentent Salluſtianum illud, *Sit fides penes auctorem.* Atque ut magis pateat, ſimiliter nos animatos eſſe, hîc quoque antequam ad primariorum troporum ſpecies accedam, aliquid adtexere eſt viſum contra vulgarem illam troporum diſtributionem, quâ alios privorum eſſe verborum dicunt, alios orationis. Certè & illi, quos orationis faciunt tropos, in ſimplicibus repetiuntur verbis; & quos ſimplicium eſſe verborum judicant, hi etiam totius eſſe orationis poſſunt. Itaque cùm apud Sophoclem Oedipus τὸν κακόμαντιν † vocat σεμνόμαντιν ‡, rectè εἰρωνείαν eſſe dicit Scholiaſtes. Eſt & εἰρωνεία, quòd Ptolemæus, qui octavus fuit ἀπόγονος ‖ Ptolemæi Lagi, habuit φιλομήτορος ἐπίκλησιν, ἐπὶ χλευασμῷ *; ut tradit Pauſanias in Atticis; qui inibi addit, οὐ γάρ τινα τῶν βασιλέων μεμισῆσθαι ἴσμεν ἐς τοσόνδε ὑπὸ τῆς μητρός †. Ac pari χλευασμῷ ‡ quidam arbitrantur alios Ptolemæos dictos φιλαδέλφους, & εὐεργέτας: ſed diſſentiente Plutarcho, quem vide lib. de propriâ laude. Εἰρωνικὸν quoque eſt illud Plauti Rudente ‖, cùm Trachalioni dicenti, *Ita enim vero ſtultus es?* reſpondet Gripus, *Salve, Thales.* Item ſi pumilus ſive nanus appelletur Atlas, juxta illud Juvenalis *:

—— Nanum cujuſdam Atlanta vocamus.

Quomodo & Martialis † ait:

Haut aliter videtur Atlas cum compare ginno.

Quo de verſu diſſertantem adi Politianum in Miſcellaneis ‡: ac inprimis, quæ in hunc poëtæ locum annotavit vir idem, atque amicus ſummus, Petrus Scriverius: qui ſagaciſſimè eſt odoratus pro *gibbo* (ut eſt in MSSis aliquot, & editt. antiquis) legi debere *ginno*: qui non aliter differt à mulo, quàm quòd mulus ex equo & aſinâ; ginnus ſive hinnus (qui & Græcis ἰννὸς, & γιννὸς) ex aſino, & equâ, naſcatur: ut pluribus oſtendimus in Originum libris.

Eſt in hiſce exemplis ſimplicis verbi ironia, quam orationis faciunt tropum. Et contrà μεταφορὰ quoque plurium eſſe verborum poteſt. Ut, *emuncta naris*, *jugulum petere*, *in arenam deſcendere*, & id genus innumera. Ac ſimiliter μετωνυμία, & συνεκδοχὴ, quas ſemper unius eſſe verbi, etiam Cyprianus Soarez cum multis putavit, ſæpe in pluribus conſiſtunt vocibus. Ita ſynecdoche eſt, cùm 11°. ſive iv. Reg. cap. iii. Ioſaphato Regi unus è Iorami ſervis ait, *Eſſe iſtic Eliſæum, qui fundebat aquam ſuper manus Eliæ:* hoc eſt, qui illi miniſtraret. Similiter quando Ioannes Baptiſta Chriſto ait *, *Cujus non ſum dignus qui calceos portem.* Sive, ut eſt apud Euangeliſtas alios, *Non ſum dignus, ut ſolvam corrigias calceamentorum ejus.* hoc eſt, ut vel viliſſimam ei ſervilem operam ullam præſtem. Itidem ſynecdoche eſt in illâ ſpectri περιφράσει apud Iuvenalem †:

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

Nam quemadmodum, εἴδωλον, ſive ſpectrum, hoc loco ſignari, ex eo planum fit, quòd mediæ meminerit noctis; ſpectra autem, prout ab Appulejo ‡ quoque appellantur, ſint *noctium occurſacula:* ita & ſynecdochen eſſe, ex eo patet, quòd & alia ſint plurima, quorum occurſus diu noctuque fuerit ominoſus: ut inter cætera Æthiopis, qui icciroo, ſi Romano exercitui è caſtris prodeunti occurriſſet, tanquam οἰώνισμα φαῦλον ‖, confeſtim occidebatur; quemadmodum Appianus auctor eſt lib. v. ac Plutarchus indicat in Bruto. Item occurſus eunuchi; quem & ipſum, tanquam malum omen, deteſtabantur; ut ſcribit Lucianus περὶ Ψευδολογιστοῦ. Nec ratio de eunuchis obſcura eſt, quandoquidem eos, *quaſi à conſortio humani generis extorres, ab utroque ſexu, aut natura origo, aut clades corporis, ſeparavit:* ut ſcribit Mamertinus, oratione eâ, quâ pro conſulatu gratias egit Iuliano Aug. Imò claudorum quoque, ob imperfectionem, ac ſimiæ, aut felis, ob deformitatem, itidem infauſtus habebatur occurſus. Quâ de re vide, quæ Heraldus ad Martialem * annotavit.

Denique & μετωνυμία plurium eſſe verborum poteſt: ut cùm Cicero † urbanè ait, *Gratias tibi agam propediem.* Pro eo, quod eſt, non dubito, quin præſtiturus ſis, quod peto. Nam beneficium, ſive opera præſtita, cauſſa eſt efficiens gratiarum actionis: ut manifeſtum ſit, effectum poni pro efficiente. Similiter, cùm Pomponius Atticus, teſte Cornelio Nepote ‡, diceret, *ſe nunquam cum matre in gratiam rediiſſe. Quod eſt ſignum, nullam unquam inter eos querimoniam interceſſiſſe.* Item in illo Luciani ‖: Ἄκρῳ τῷ δακτύλῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον *. Et hoc Iuvenalis †:

Qui digito ſcalpunt uno caput. ——

Quibus verbis per metonymiam adjuncti περιφραστικῶς mollicelli & impudici ſignificantur: ut argumento eſt illud Clodii de Pompejo apud Plutarchum ‡, Τίς ἑνὶ δακτύλῳ κνᾶται τὴν κεφαλήν ‖; Et hoc Ammiani Marcellini lib. xvii. *Duo hæc obſervaverant* (obtrectatores Pompeji) *ludibrioſa & irrita: quòd, genuino quodam more, caput digito uno ſcalpebat: quodque aliquamdiu, tegendi ulceris cauſsâ deformis, faſciolâ candidâ crus colligabat: quorum alterum factitare, ut diſſolutum; alterum, ut novarum rerum cupidum, aſſerebant.* Unde Senatus Critici princeps, Ioſephus Scaliger, epigramma illud Calvi (non Cinnæ, ut errore memoriæ vocat) ſupplevit, & edidit *, hoc pacto:

Faſciolâ qui crura ligat ——

Quod quamquam placuit aliquando, tamen nunc potius aſſentio Pythœo: qui exiſtimabat, verba illa malè appingi huic carmini: quòd non competant molli, ſed imperium affectanti, ac quaſi diadema in cruribus geſtanti. Scio, diſtingui illa oportere, quòd faſcias geſtaret Pompejus, & quidem cretatas: illud laſciviæ fuiſſe, hoc tyrannidem affectantis; ut eruditè oſtendit πολυμαθέστατος Caſaubonus †. Sed Ammianus, unde ſe priorem verſum ſuppleſſe, Scaliger ‡ agnoſcit, clarè loquitur de faſciis cretatis, atque hoc ad regni ſuſpicionem refert. Epigrammate autem hoc non regnum, ſed, quod molles ſolent, virum ‖ quærere dicitur Pompejus: ut, quæ ad mollitiem non pertinent, minimè hîc habeant locum. Et ſanè fatetur * Scaliger, ſe in veteri quadam ſchedâ diſtichon hoc integrè legiſſe hunc in modum:

* Lib. 3. od. 1.
† Malum vatem.
‡ Vatem venerabilem.
‖ E poſteris.
* Philometoris appellationem per irriſionem.
† Haut quenquam ſcimus ex regibus tantopere fuiſſe matri inviſum.
‡ Irriſione.
‖ Act. 4. ſc. Heus mane.
* Lib. 3. ſat. 2.
† Lib. 6. epiſt. 77.
‡ Cap. 23.

* Mat. 3. 11.
† Lib. 1. ſat. 5.
‡ In Apologia.
‖ Malum omen.
* Lib. 7. epigr. 86.
† Lib. 13. epiſt. 6. ad Q. Valerium.
‡ In vita Attici.
‖ Περὶ Ψευδομάντεως.
* Extremo digito ſcalpentem caput.
† Lib. 3. ſat. 3.
‡ In Pompejo.
‖ Quis digito uno caput ſcalpit?
* In Catalectis.
† In Sueton. Aug. cap. 82.
‡ In Auſonianis lectionibus lib. 1. cap. 27.
‖ Ut Calvus his viris, ita voce ambiguâ διττῶς luſit Demonax apud Lucianum.
* Ibidem.

*Magnus, quem metuunt homines *, digito caput uno*
Scalpit. Quid credas hunc ſibi velle virum?

* *In MSo omnes.*

Intellige autem per veterem ſchedam ineditum Lucani interpretem: cujus verba vide ſis apud V. Cl. Petrum Scriverium eruditiſſimis illis animadverſionibus in Martialem †. Sed ſive Scaligeri conjectura, ſive, quod apud Lucani interpretem eſt, magis placet, patet, metonymiam non ſemper eſſe ſingulorum verborum; atque, ne ſolum Rhetorum vulgus nominemus, errare etiam Alexandrum Rhetorem, juxta quem lib. 1. ὁ τρόπος περὶ ἓν ὄνομα γίγνεται ἀρετή ‡.

† *Notis in fragmentum Spectaculorum libello ſubjectum.*
‡ *Tropus eſt virtus in una dictione conſiſtens.*

CAP. X.

DE PRIMARIORUM TROPORUM SPECIEBUS.

Quatuor primariis tropis ſubjiciuntur complures alii, partim ut ſpecies eorum, partim ut affectiones.

Species ſunt ſex, quarum prima ad μετωνυμίαν pertinet, nempe μετάληψις; quatuor proximæ ad συνεκδοχὴν puta ἀντονομασία, κοινότης, σύλληψις, & λιτότης, ultima denique ad εἰρωνείαν, videlicet εὐφημισμός.

Metalepſis vocatur, tum quando ex antecedente intelligitur conſequens, aut ex conſequente antecedens: tum etiam, cùm gradatim ex una ſignificatione proceditur in aliam. Hic verò eam ſub ambiguo nomine collocamus; quamvis priori quidem modo ſit ſpecies primarii tropi, poſteriori verò troporum affectio.

Ἀντονομασία vel ex proprio colligit commune, vel ex commune proprium.

Κοινότης eſt, quâ proprias laudes aliis etiam communicamus, aut aliorum peccatum communicamus nobiſcum, aut quorundam benefacta ac virtutes communicamus omnibus.

Σύλληψις voce ambiguâ res unâ plures comprehendit.

Λιτότης negatione contrarii plus ſignificat, quàm dicit.

Εὐφημισμὸς res ingratas, boni ominis cauſſâ, gratis effert nominibus.

I. DE METALEPSI ANTECEDENTIS ET CONSEQUENTIS.

Deinceps conſiderandæ ſunt Troporum ſuperiorum ſpecies. Quas, ut vulgus mittam, jam olim præſtantiſſimi rhetores diſtinctos eſſe tropos credidere, ac porrò aliis perſuaſum eſſe cupiverunt: cùm tamen non diſconveniat iis primarii alicujus tropi definitio, eoque ſpecie differre non poſſint. Species iſtiuſmodi ſunt ſex: Μετάληψις, Ἀντονομασία, Κοινότης λόγου, Σύλληψις, Λιτότης, & Εὐφημισμός. De ſingulis videamus, &, ut Salluſtius loquitur, cum curâ diſſeramus.

* *Lib. 8.* Μετάληψις, quam Latinè *tranſſumtionem* cum Fabio* dixeris quandoque laxè adeò ſumitur, ut planè idem ſit, ac μετωνυμία. Quomodo libro de Allegoriis Homericis Heraclides Ponticus (ſi vera inſcriptio, de quo diſſerimus alibi †) Homerum per Ἥφαιστον ‡ ait intelligere πῦρ, μεταληπτικῶς*. Verùm nobis nunc multo ſumitur anguſtiùs: nempe pro ea metonymiæ ſpecie, qua ex conſequentibus intelligitur antecedens. Ac fundus mihi, ſubſcriptorque ejus ſententiæ, eſt Donatus, qui hunc in modum de illa ſcribit in Andr. Act. III. ſc. II: *Dicas, pro credas. Non enim dicimus, niſi quod credimus; ab eo quod ſequitur, id quod præcedit. Figura μετάληψις, à poſterioribus ad priora. Idem alibi; Audacter dicito. Et alibi; Feneratum iſtud beneficium pulchrè tibi dices.* i. *credes, dices, ſenties.* Hæc Donatus. Atque eo pacto μετάληψιν pertinere ad μετωνυμίαν, eo ſtatuimus, quia id quod dicimus, ſignum eſt ejus, quod ſentimus; ut ſciunt, qui ex Philoſopho † didicerunt, ſcripturam eſſe ſignum orationis, orationem conceptuum, conceptus rerum. Idem Donatus in Andr. Act. III. ſc. III. ſcribit, *jubeo* μεταληπτικῶς poni pro *volo*, cùm Simo jubet Chremetem ſalvere. Atque in hoc ſimili quoque doctiſſimi hujus Grammatici commentarii à me faciunt. Nam, ut idem inibi ait, *volumus animo, jubemus verbis.* At verba ſunt ſymbola animi, quemadmodum antè dicebamus. Par ratio eſt, cùm Græci κλαίειν, aut οἰμώζειν, ac Latini *plorare* dicunt, pro δυσυχεῖν*.

† *Opere de Hiſtoricis Græcis.*
‡ *Vulcanum.*
* *Ignem, per metalepſin.*
† *Initio lib. περὶ ἑρμηνείας.*
* *Miſerum eſſe.*

Interdum autem non ex poſterioribus priora, ſed contrà ex prioribus poſteriora intelliguntur. Quare: ſi prius illud genus fuerit μεταληπτικόν, μετάληψις quoque erit, cùm ex antecedente intelligimus conſequens. Et certè Iſidoro lib. I. Originum μετάληψις definitur tropus à præcedente indicans quod ſequitur. Itaque ut μετάληψις conſequentis eſt, cùm *dicere* ponitur pro *ſentire*; ita fuerit μετάληψις antecedentis, cùm *facere* ponitur pro *dicere*, aut *narrare*. Ut ſit Ecl. VI:

Tum Phaetontiadas muſco circumdat amaræ
Corticis, atque ſolo proceras erigit alnos.

Ad quem locum ita Servius: *Mira eſt canentis laus, ut quaſi non factam rem cantare, ſed ipſe eam cantando facere videatur.* Ac alibi ‡ monet idem, ſimile eſſe hoc Ecl. IX:

‡ *In Ecl. 9.*

——Quis humum florentibus umbris
Spargeret, aut viridi fontes induceret umbrâ?

Ubi, *ſpargeret*, exponit, *adſperſam floribus caneret.* Μετάληψις quoque conſequentis eſt, cùm Maro † ait:

† *Ecl. 2.*

Aſpice, aratra jugo referunt ſuſpenſa juvenci.

Quod ſignum eſt noctis imminentis, ut diximus, cùm definitionem ſynecdoches è Fabio petitam convelleremus. Par ratio eſt, cum Catullus ‡ ait, nec Atalantæ fuiſſe gratius aureolum illud malum,

‡ *Carm. 2.*

Quod zonam ſolvit diu ligatam:

h. e. per quod factum, ut poſtilla haut diu eſſet ἄζυγος ſeu ἀναφρόδιτος*. Quanquam hoc exemplum non tantùm pertinet ad metonymiam deſtinati ad finem. Nam cum vulgo velle hoc μετωνυμίας genus furcillare, id quidem, ut Lucretius concludere ſolet, deſipere eſt.

* *Expers te veneris.*

Videtur hujus etiam loci eſſe, *recordari fœderis*, pro ſervare fœdus; *recordari peccatorum*, pro punire delicta. Nam memoria ſive recordatio initi fœderis antecedit, ut cauſſa, ob quam aliquis ſtet promiſſis. Recordatio etiam peccatorum præcedit, ut cauſſa, cur aliquis puniatur. Eadem ratio eſt, cùm *ignoro* ponitur pro negligo, aut diſſiteor. Ut *ignorare hominem*, pro aſpernari velut ignotum; *ignorare benefacta alterius*, aut *facinora ſua*, pro diſſimulare, aut diffiteri, quaſi nihil tale contigerit. Plautus Amphitr. †

† *Act. 4. ſc. 3.*

Quem omnes mortales ignorant, & ludificant, ut lubet.

Terentius Form. ‡

‡ *Act. 1. ſc. 3.*

Quia egens relicta eſt miſera, ignoratur parenti.

Cicero pro Roſcio Amer. *Quorum ego neque benevolentiam erga me ignorare, neque auctoritatem aſpernari debeam.* Similiter accipi putant in illo Propertii lib. I. el. III

Cur hæc in terris facies humana moratur?
Jupiter, ignoro priſtina furta tua.

Ubi Janus Duza F. * *ignorare* interpretatur, *aſpernari & cognoſcere nolle, quaſique mentione indignum negligere.* Atque hanc ejus ſententiam & alii ſequuntur. Mihi magis placet, *ignoro* hic ſumi, pro non credo, ſive non agnoſco. Quaſi dicat: Non poſſum, ô Jupiter, in animum inducere, ut fidem iis habeam, quæ de veteribus furtis tuis canunt poetæ. Nam ſi tantus eſſes formarum auceps, adeoque in Venerem proclivis, profectò non adhuc in terris ageret Cynthia mea, divinæ formæ puella. Scaliger pro *ignoro* ſubſtituit *ignoſco*. Sed prius eſt in editione principe †, atque adeò omnibus libris; nec ſanè ullâ mutatione opus.

* *Notis in Propertium.*
† *Quæ Regii Lepidi prodiit an. 1481.*

Quòd ſi antecedentis & conſequentis μετάληψιν agnoſcimus cauſſam non video, cur non item ſtatui debeat μετάληψιν connexi. Ut apud Hebræos, *tegere pedes*, Jud. III. 24, de Eglone, Moabitarum rege, & I. Reg. ſeu Samuelis, XXIV. 4, de Saule. Quibus in locis vulgatus vertit, *purgare alvum*, aut *ventrem*: Chaldæus autem,

tem, *facere neceſſitatem ſuam.* Nempe quia Hebræi, uti & Orientales alii, longis uterentur veſtibus, eò in κοιλιολυσίᾳ, ac universè in conquiniſcendo, pedes ſuos tegebant. Simile exemplum eſt, cùm χειροτονία ponitur pro ſuffragio. Propriè enim χειροτονία eſt manus in ſublime porrectio: ſed quia hoc pacto ſuffragium ferretur, eò & pro ſuffragio accipi cœpit. Meminit ritus ejus etiam Tullius pro Flacco: *Si ſunt expreſſa iſta præclara, quæ recitantur pſephiſmata, non ſententiis, neque auctoritatibus declarata, nec jurejurando conſtricta; ſed porrigenda manu profundendoque clamore multitudinis concitata.* De utràque verò illâ, & propriâ, & metalepticâ ſignificatione χειροτονίας, vide, quæ Joannes Zonaras annotavit initio commentarii ſui in Canones SS. Apoſtolorum.

Quæcunque autem hactenus μεταλήψεως exempla adduximus, ea liquet ad μετωνυμίαν cauſſæ, vel effecti, ſubjecti vel adjuncti, pertinere. Sed quædam, pauca tamen, ſunt, quæ ad nullam ex quatuor hiſce ſpeciebus referri poſſint. Ut, cùm *fuit*, aut *vixit*, dixere, pro, eſſe aut vivere deſiit. Ubi μετάληψιν eſſe antecedentis, negare non poſſumus. Quare cùm, quòd eſſentiale eſt, id perpetuò ineſſe debeat; erit fortaſſe, qui μετάληψιν, non quidem tropi ſpeciem dicat, ſed tropi genus à quatuor primariis diſtinctum. Mihi nihil in quadripartitâ illâ diviſione innovare viſum, tum quia hæc κατ' εὐφημισμὸν dicuntur; qui quomodo ad εἰρωνείαν pertineat, hoc ipſo capite commonſtrabimus: tum inprimis, quia ſatius ſit, μετωνυμίας modos augere, ut ſex ſint in univerſum ejus ſpecies; cauſſæ, effecti, ſubjecti, adjuncti, antecedentis, & conſequentis. Scio, non vulgus modò, cujus fortaſſe ῥαψῳδίας Ælii, ac Perſii non curant legere; verùm etiam eximium Quinctilianum, ſynecdochen id appellare, cùm antecedens pro conſequente ponitur, aut contrà. Verùm nunquam hoc concoquere poterit, qui legitimam potiùs ſententiam, quàm volgivagam; &, ut Tertullianus loquitur, paſſivam conſectari malit. Certè ut ſuperiùs * etiam dicebamus, tot ſunt primarii tropi, quot ſunt rerum mutuæ affectiones. At res vel conjunctæ ſunt, vel disjunctæ. Conjunctæ vel eſſentialiter cohærent, vel accidentaliter. Eſſentialiter, ut totum & pars, accidentaliter, ut cauſſa externa & effectum, ſubjectum & adjunctum. Disjunctæ vel amicè conſpirant, ut ſimilia; vel repugnant, ut contraria. A primo genere eſt ſynecdoche, ab altero metonymia, à tertio metaphora, à quarto ironia. Atqui antecedens, & conſequens, conjunguntur quidem; verùm non eſſentiali nexu. Neque enim, quòd boves ſtabulum repetunt imminente nocte, id de noctis eſſentiâ eſt, etſi eam antecedat. Quare cùm antecedens ponitur pro conſequente, aut contrà, non συνεκδοχὴ, ſed μετωνυμία dici debet. Hâc ſi ſententiâ dejiciar, ſapiunt alii: ego, ut poëta vetus ait, fatuus ſim, non modò ſtultus.

* Cap. 5.

Porrò ut in metaphora ob ſimilitudinem, ita hic ob rerum conjunctionem, reciprocus eſſe tropus poteſt. Quemadmodum icirco, quòd ex frequenti acceſſu templa, aliaque, celebratius nomen conſequantur; eò & *frequentare* accipitur pro celebrare, & *celebrare* pro frequentare. Nam Juvenalis ait † *celebrare* (malè in quibuſdam libb. eſt *ſcelerare*) —— *fanum Iſidis, & Ganymedis, Et Cererem:* ubi *celebrare* eſt frequentare. Atque eodem modo Lucretius, initio operis ſui, dixit *concelebrare.* At è contrario *frequentare* pro concelebrare uſurpat Sulpitius in Satyrâ, cùm ait:

Diva, quibus numeris heroas & arma frequentas!

Itaque ut metaphoram, ita & metalepſin, dividere poſſis in reciprocam, & non reciprocam. Et hæc de eâ μεταλήψεως acceptione, quæ apud Donatum eſt.

† Lib. 3. Sat. 3.

II. De metalepsi gradationis, seu plurium troporum.

ALiis verò μετάληψις vocatur, cùm gradatim ex unâ ſignificatione proceditur ad aliam. Ita enim de eâ Fabius *: *Supereſt ex iis, quæ aliter ſignificant, μετάληψις, id eſt, transſumtio, quæ ex alio in aliud velut viam præſtat.* Et clariùs aliquanto pòſt: *Eſt enim hæc in metalepſi natura, ut inter id, quod transfertur, ſit medius quidam gradus, nihil ipſe ſignificans, ſed præbens tranſitum.* Eodem planè modo μεταλήψεως nomine utitur Euſtathius †; qui fusè de eâ ſcripſit in illum Homeri verſ. Il. α:

* Lib. 8. cap. 6.
† Pag. 79. edit. Rom.

Στήθεσσιν λασίοισι διάνδιχα μερμήριξεν.

Secundùm hanc acceptionem μετάληψις non tam tropi alicujus primarii ſpecies eſt, quàm troporum accidens. Nam ut in allegoriâ, ita & hìc, quamvis diverſimodè, eſt troporum continuatio; quam accidens eſſe, negari nequit. Exemplis res dilucidior fiet. Μετωνυμίαν cum μεταφορᾷ habes in illo Virgilii IV. Georg.

Sæpe etiam, effoſſis, ſi vera eſt fama, latebris,
Sub terra fodêre larem.

Ubi *larem*, quia Deus erat domeſticus, pro domo ipſâ poſuit μετωνυμικῶς: *domicilium* autem μεταφορικῶς dicitur de cavernis apum. Gemina ac ſimilis μετωνυμία eſt in hoc Ovidii ‡:

Ipſe ego ſegnis eram, diſcinctaque in otia natus.

Otium per μετωνυμίαν effecti dicitur *diſcinctum*, h. e. diſcinctos faciens: *diſcinctus* autem ponitur pro negligenti, quæ metonymia adjuncti eſt. Item in illo Maronis I. Æn.

‡ Lib. 1. Amor. Eleg. 9.

—— Tum ſylvis ſcena coruſcis
Deſuper, horrentique atrum nemus imminet umbrâ.

Nemus dicitur *atrum* pro tenebricoſo, *tenebricoſum* verò ponitur pro denſo: denſitas autem cauſſa eſt, cur nemus ſit opacum, eoque atrum. Par ratio in illo ejuſdem *:

Hic ſub nigrâ pallentes ruminat herbas.

Item hoc †:

—— Speluncis abdidit atris.

* Ecl. 6.
† Æn. 1.

Nam profunditas cauſſa eſt, cur ſint obſcuræ: obſcuritas autem efficit, ut atrum aliquid videatur. Συνεκδοχὴν quoque geminam cum μετωνυμίᾳ habes Ecl. I:

Poſt aliquot, mea regna videns, mirabor ariſtas.

Nam ex ariſtis per συνεκδοχὴν partis ſignificantur ſegetes, per ſegetes μετωνυμίᾳ ſubjecti (res enim, quæ in tempore eſt, temporis eſt ſubjectum) ſignificantur æſtates, per æſtatem συνεκδοχικῶς anni intelliguntur.

Hoc μεταλήψεως genus magis convenit poëtis, quàm oratoribus: quin rarior quoque ejus uſus occurrit apud ipſos poëtas; quia, ſi condenſetur, aut longè nimis ducatur, obſcuritatem orationi adfert. Sin nec crebra fuerit, nec dura, laudi dabitur, quia ob gradationem iſthanc quandam habet ingenii commendationem.

III. Antonomasiæ vox, definitio, et allatæ à Fabio, et Robortelio, divisiones expenduntur.

ANtonomaſia Latinè eſt *pronominatio.* Sunt, qui, puerili errore, per ω, ἀντωνομασίαν ſcribant. Atqui ea, quæ ab ὀνομάζω veniunt, utrumque ο retinent, unde & παρονομασία dicendam liquet, non, ut quidam putant, παρωνομασία. In errorem eos impulit, quòd deducta ab ὄνομα, prius ο mutent in ω, poſterius in υ: unde μετωνυμία, ἀντωνυμία, ἰσώνυμος, πατρωνυμικὰ, ὁμώνυμα, συνώνυμα &c.

Antonomaſia Fabio eſſe dicitur, *quæ aliquid pro nomine ponit.* Eadem ſententia Iſidori lib. I. Originum. At definitionem hanc damnant alii, quòd omnes tropi nomen ponant pro nomine. Subterfugit eos, veteres *nomina* vocâſſe, quæ nos propria dicimus: *vocabula* autem nominâſſe, quæ nobis communia, ſive, ut cum vulgo loquar, appellativa. Hâc quidem in re præſtò nobis adeſt patrocinium Varronis primo de analogiâ: *Sequitur,* inquit, *de nominibus, quæ differunt à vocabulis, ideo quod ſunt finita, ac ſignificant res proprias, ut Paris, Helena: cùm vocabula ſint infinita, ac res communes* de-

deſignent, *ut vir*, *mulier*. Neque ſolus Varro hoc modo loquebatur, ſed & alii ſimiliter inter *nomina*, & *vocabula*, itemque *pronomina*, & *provocabula*, diſtinxere. quâ quidem in re cauſſam pro nobis dicit idem Varro *: *Appellandi*, inquit, *partes ſunt quatuor: è queis dicta* A QUIBUSDAM *Provocabula*, *quæ ſunt*, *ut Quis*, *Quæ*; *Vocabula*, *ut ſcutum*, *gladius*; *Nomina*, *ut Romulus*, *Remus*; *Pronomina*, *ut hic*, *hæc*, *hoc*. Verùm metuo, ne lectori meo in hiſce leviculis operam videar perdere. Quare ad alia tranſeo.

* *Eodem lib.*

Triplicem tum Fabius, tum Iſidorus, ſtatuunt ἀντονομασίαν, ſed diverſimodè. Iſidoro lib. I. Originum eo triplex eſt: quia vel ab animo ſumitur, ut,

— *Magnanimuſque Anchiſiades* †:

† *Æn. 5.*

vel à corpore, ut,

— *Ipſe*
Arduus ‡:

‡ *Æn. 8*

vel extrinſecus, ut,

Infelix puer, *atque impar congreſſus Achilli* ‖.

‖ *Æn. 1.*

Fabius verò primum genus fieri vult per epithetum: alterum per ea, quæ in quoque præcipua ſunt: tertium ex factis, quibus perſona ſignatur. Primi generis eſſe ait, *Tydides*, *Pelides*: alterius exemplum facit:

— *Divûm pater atque hominum rex* *:

* *Æn. 1.*

tertii exemplum apud eum eſt.

— *Thalamo quæ fixa reliquit*
Impius †.

† *Æn. 4.*

Hæc ne temere aut admiſiſſe, aut repudiâſſe, dicamur, paucis expendemus ad rectæ rationis trutinam.

Ac primò, quod ad antonomaſiam refertur, cùm patronymicum loco proprii uſurpatur, id nequaquam tam abſurdum eſt, quàm quidam judicant. Nam etſi crebrò fit, ut habitâ ratione actus ſive conſummationis, patronymicum non ſit communius proprio; quod ſemper evenire neceſſe eſt, cùm quis eſt μονογενής, atque, ut cum poëtis loquar, conſanguineos ‡ & unigenas ‖ non habet: tamen tunc quoque communius eſt ratione potentiæ, quia plures liberi eſſe poterant. Atque hinc obſcurum non eſt, quomodo & ἀντονομασία vocari poſſit, cùm *Anchiſiades* ponitur pro Ænea, quamvis hæc duo ἀντιστρέφωσι *. Imò fortaſſe & altero nomine: quia patronymica quoque conveniant poſteris, qui plures eſſe ſolent. Nec enim Peleus ſolus vocatur *Æacides*; ſed & Achilles; imò & Pyrrhus, Epirotarum rex. Nec Aſcanius tantùm dictus eſt *Æneades*: ſed etiam Romulus, ac Romani univerſi. Ergò ſi, quid fieri potuerit, ſpectemus, fortaſſe & omnes Anchiſæ poſteri *Anchiſiadæ* dici potuiſſent. Sed ut ab Ænea potiùs nomen ſortirentur, tum magnitudo geſtorum ejus fecit: tum quòd non Anchiſes, ſed Æneas, in Italiam venerit, ac filius ejus gentem condiderit Albanam, unde origo Romanis.

‡ *Catul. de nupt. Pel & Thet. Virgil. ſexto Æn. Claudian. de raptu Proſ. l. 1.*
‖ *Catull. de coma Berenices, & de nupt. Pelei & Thetidos.*
* *Convertuntur.*

Interem lubentes agnoſcimus, quamvis hæc non abſurdè pro Fabio dici queant, magis tamen placere, ut actus habeatur ratio: quod ſi fiat, iſtiuſmodi, quæ cum proprio convertuntur, ab antonomaſiâ excludi debebunt, tanquam nativa, nec ad ullum primatium tropum pertinentia: ut aliquanto pòſt quoque oſtenſuri ſumus, cùm expendemus ſententiam, quam de ἀντονομασίᾳ Robortelius architectatus eſt nobis. Nunc unum id ſolum, ad fulciendam opinionem noſtram, adjicere viſum eſt; aliud nihil in cauſsâ eſſe, cur agnoſcamus, patronymica, cùm proprii loco ponuntur, eſſe modificata, quàm quòd συνεκδοχὴ ſit, cùm commune, quod totum quoddam univerſale eſt, accipitur pro proprio: id autem non fit, cùm patronymicum & proprium convertuntur. Certè ſiquam aliam alius rationem perſpiciat, quâ ad troporum quemquam referri queat, eam ſemper à quolibet diſcere parati ſumus.

Gentilium verò longe alia, quàm patronymicorum, ratio eſt: quia gentilia ſemper latiùs patent proprio. Ut ὁ Παιανιεὺς † pro Demoſthene, apud Lucianum in Bis accuſato. Nam plurimi ejus erant δημόται ſeu populares è Pæaniæa, quæ fuit in tribu Pandionia: ut Harpocration ‡ teſtatur. Gentile hoc reſtrinxit Agathias *, cùm ei dicitur ὁ ῥήτωρ ὁ Παιανιεύς †. Quàm multi etiam fuere ex Theſſalia duces! Senecâ ‡ tamen de Achille dixit:

† *Pæanienſis.*
‡ *In* Παιανιεῦς.
* *Lib. 2. pag. 62. edit. Lugdun.*
† *Orator. Pæanienſis.*
‡ *In Troad.*

Emicuit ingens umbra Theſſalici ducis.

Quàm multi item ex Tyrintho, & Abydo oppidis! Et tamen *Tyrinthium* pro Hercule legas apud Maronem ‖, & alios: ac *Abydenus juvenis* pro Leandro, apud Statium epithalamio Stellæ & Violantillæ:

‖ *7. Æn.*

Vidi & Abydeni juvenis certantia remis
Brachia, *laudavique manus*, *& ſæpe natanti*
Præluſi.

Sive, ut in MSo Senenſi eſt, *præluxi*. Sed priùs malim.

Optimè autem monet Iſidorus in primo Originum, in gentilibus, & patronymicis, & aliis id genus, ἀντονομασίαν, & ἐπίθετον, differre ſitu: ac vocari ἐπίθετον, ſive appoſitum, quando conjungitur proprio: at eſſe ἀντονομασίαν, cùm proprium abeſt. Neque aliud Fabius voluit, cùm ſcripſit, antonomaſiam fieri *per epitheton*, *quia*, *detracto eo*, *cui apponitur*, *valet pro nomine*. Quomodo epithethon erit, *Telamonius Ajax*: quia additur, ut diſtinguatur ab Ajace, Oilei filio. At ἀντονομασία eſt, cùm Maro in Culice ait:

Hinc erat oppoſitus contrà Telamonius heros.

Et Ovidius XIII. Met.

Finierat Telamone ſatus.

Quippe hic συνεκδοχὴ eſt, quia & alter erat Telamonis filius, Teucer, qui Salamina condidit in Cypro *. Itidem *Tritonia* ἐπίθετον eſt, cùm Maro II. Æn. ait,

* *Juſtin. lib. 44. Horat. l. 1. od. 9.*

Jam ſummas arces Tritonia reſpice Pallas.

Neque hic ullus eſt tropus, quia ſive communior, ſive anguſtior ſit *Tritonia* vox, non hic pro alio ponitur; ſed ſolum ornandi cauſsâ apponitur. At ἀντονομασία eſt, cùm *Tritoniam* dicimus pro Pallade, & ad συνεκδοχὴν rectè refertur, quia *Tritonia* naturâ ſuâ latiùs patet. Nam Palladis nomen non potuit aliis tribui, niſi ὁμωνύμως: at *Tritonia* vox aliis eâdem poterat ratione convenire, cùm propriè proprium non ſit, ſed commune; ut quod ſumatur à natali loco, qui pluribus communis eſſe poterat. Sequor enim nunc eorum opinionem, qui Pallada Τριτογένειαν, ac *Tritoniam* ſive *Tritonida* appellatam putant: non quidem, quia nata ſit è capite Jovis, ac τριτὼ ſit κεφαλή, teſte Heſychio, & Ariſtophanis ſcholiaſte: verùm quia nata vel educata ſit juxta Tritonem, Bœotiæ fluvium, Stephano † etiam memoratum: ubi eam ab Alalcomene, quodam indigena, vel Alalcomeniâ, Ogygi regis filiâ, fuiſſe nutritam, perhibent antiqui, teſte Pauſaniâ ‡. Sanè à Bœotiâ (in quam Cadmus Phœnix primus literas, & ſcientias, intulit) mythica hiſtoria penè tota in reliquam profluxit Græciam. Ut nihil opus ſit recurrere ad Tritonem; Africæ paludem. Quod facit Appolonii interpres ‖. Τρίτωνες *, inquit, τρεῖς· Βοιωτίας, Θεσσαλίας, Λιβύης· ἐν ᾗ τοῖ κατὰ Λιβύην ἐτέχθη ἡ Ἀθηνᾶ. Nempe quia, ut obiter illud addam, celebratior hæc ſententia erat: quam & Lucanus ſequitur lib. IX. & Sillius lib. II. Indeque Pallas Latinis *Paluda*, ut Græcis Τριτογένεια. Ennius apud Varronem †, & Probum:

† *In* Ἀ*θηνα.*
‡ *In Bœotica.*
‖ *In Lib. 1. Argon.*
* *Tritones fuere tres, Bœotiæ, Theſſaliæ, & Libyæ: in Libya autem nata eſt Minerva.*

Corpore tartarino prognata Paluda virago
Cui par imber, *& ignis ſpiritus*, *& gravi terra.*

† *Lib. 6. de L. L.*

A palude certè eſt *Paluda* nomen, quamvis Varro ita dictam putet à paludamentis, quia eadem ſit Paluda, & Bellona: alii etiam, eoſque inter Franciſcus Sanctius Brocenſis, non *Paluda*, ſed *palude*, cenſeant legendum.

Alterum ἀντονομασίας genus Fabio erat, cùm ponitur, *quod in quocunque præcipuum eſt*. Tale eſſe dicit,

— *Divûm pater*, *atque hominum rex.*

Mox etiam duo hæc exempla ſubjungit: *everſor Carthaginis*, *& Numantiæ*, pro Scipione: *Romanæ eloquentiæ princeps*, pro Cicerone. Nempe Fabio tertium conſtituit ἀντονομασίας genus periphraſis omnis, modò ea ſit nominis proprii. Quales illæ Jovis, Scipionis, Ciceronis, quas vidimus. Item iſthæc circumlocutio Nævii apud Plautum ‖:

‖ *Milite glorioſo act. 2. ſc. 2.*

Nam

Nam os columnatum poëtæ ineſſe audivi barbaro,
Cui bini cuſtodes ſemper totis horis accubant.

Siquidem Nævius, ob maledicentiam in primores, à triumviris conjectus fuerat in carcerem; unde poſt per tribunos plebis liberatus fuit. Is igitur os columnatum habuiſſe dicitur, quia mentum crebrò cubitò, velut columnâ, inter ſcribendum ſuſfulciret. Nam Ariolum, & Leontem, in carcere ſcripſiſſe, ex Gellio * cognoſcimus. Idem judicium eſto de ſcitâ iſthac periphraſi Socratis apud Manilium lib. I.

* Lib. 3. cap. 3.

Æthereuſque Platon, & qui fabricaverat illum,
Damnatuſque ſuas melius damnavit Athenas.

Et illâ ejuſdem apud Perſium †:

† Sat. 4.

—— barbatum hoc crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicuta.

Cujuſmodi periphraſes eò pro ἀντωμασίᾳ habet Fabius, quia, (quod Græcâ appellatione exigitur, & ipsâ exprimitur definitione) aliquid in iis pro nomine, hoc eſt, loco proprii, ponitur. Verùm, ut ingenuè, quod ſentio, dicam, Fabio hìc aſſenſum commodare non poſſum: quia hautquaquam antonomaſia eſt, quandocunque aliquid pro nomine ſumitur, ut ille putabat; ſed tum tantùm, quando id, quod pro nomine ponitur, univerſalius eſt. At ſi æquè latè patent, quemadmodum fit in exemplis à Fabio ipſo illatis; ut Synecdoche non erit, ita neque ἀντονομασία. Iccirco ἀντονομασία quidem ſit, ſi dixeris, *Dei ſoror & conjux*, pro Junone. Nec enim ſoli id Junoni contigit: quia Tethys etiam Oceani & ſoror, & conjux fuit: ut ſcribunt Heſiodus, Orpheus ſive Onomacritus potiùs, & alii. Quamquam Naſo Titani facere eam filiam videatur quincto Faſtorum:

Duxerat Oceanus quondam Titanida Thetyn.

At planè ſynecdoche, atque ἀντονομασία fuerit, ſi è Marone ‡ dicas,

‡ 1. Æn.

—— Divûm regina, Joviſque
Et ſoror, & conjux.

Nulli enim hæc, præterquam Junoni, conveniunt.

Tertium ἀντονομασίας genus Fabio eſt ex factis, quibus perſona ſignificatur. Ut cùm apud poëtam Dido ait *:

* 4. Æn.

—— Thalamo quæ fixa reliquit
Impius.

Per *impium* intelligitur Æneas. Succidaneus Maroni eſto Tullius, cujus iſthoc pro Muræna: *Non multa peccas, inquit ille fortiſſimo viro ſenior magiſter: ſed, ſi peccas, te regere poſſum.* Per *virum fortiſſimum*, Achillem: per *ſeniorem magiſtrum*, Chironem, præceptorem ejus, intelligit. Meliùs autem dixiſſet Fabius, tertium genus eſſe, cùm qualitas ponitur pro nomine. Nam *impius*, *fortiſſimus*, *ſenior*, ſunt qualitates, ſive affectiones perſonæ: atque, ut dicas, priora duo deſumi à factis impiis & fortibus; at ſaltem *ſenior* ad facta referri nullo modo poſſit: nec tamen rationem exterebrare eſt, cur Fabius magis ἀντονομασίαν eſſe dicat, cùm *impius*, quàm cùm *ſenex* pro nomine ponitur.

Atque hæc de tribus ἀντονομασίας generibus à Fabio recenſitis: ex quibus judicium fieri poterit, quàm pingui Minervâ pleraque, ut nihil gravius, hoc eſt, verius dicam, ab tanto Rhetore conſcribantur. Quid quòd vix altera eorum pars, in quibus ἀντονομασία eſt, ad hos tres modos referri queat? Nam quemadmodum non tantùm μετωνυμία eſt, cùm cauſſa pro effectu, aut ſubjectum pro adjuncto ponitur; verùm etiam, cùm fit contrarium: neque tantùm συνεκδοχὴ eſt, cùm totum pro parte accipitur; ſed & cùm pars uſurpatur pro toto: itidem neque ἀντονομασία ſolùm erit, cùm commune ſumitur pro proprio, quod Fabius, & Iſidorus, exiſtimarunt; verùm etiam, cùm proprio utimur pro communi. Hujuſcemodi enim exemplorum non minorem eſſe copiam, quàm eorum, in quibus contrà fit, teſtes πολλοί τ' ἀγαθοὶ πάρεισιν †, ut in ſacris loquebantur. Quos magno mox numero producam, cùm propriam de antonomaſia opinionem afferam.

† Multique benique adſunt.

Nunc quia, quid de Fabii judicio nobis videatur, abunde diximus; proximum eſt, ut haut ſomniculosè diſcutiamus ſententiam Franciſci Robortelli, mirificè de antonomaſia argumentantis, an argutantis dicam? Is enim, libro de artificio dicendi, docet, ſermonem conſtare partim vetuſtis, partim peregrinis, partim novis & fictis; atque ad poſtremum hoc genus pertinere tum ὀνοματοποιΐαν, ut *clangor*; tum ἀντονομασίαν, ut *Pelides*. Inibi ſcire ſe addit, utramque ab aliis inter tropos referri; at parum valido tibicine opinionem hanc ſuſfultam eſſe, eò quòd horum ſignificatio extra orationem conſpicua ſit, contrà quàm in modificatis uſu venire ſolet. Verùm hoc Robortelii argumentum haut aliud evincit, quàm ea patronymica, quæ cum nomine convertuntur, non eſſe modificata. Atque id quidem haut invitus conceſſero; tum eâ ratione compulſus, quam ſuprà adducebam; tum quia hujuſcemodi unam ſolùm habent ſignificationem; uti argumento eſt, quòd quicunque audit vocem *Anchiſiadæ*, is Æneam intelligit; tropi autem in pluribus dignoſcuntur vocibus; quomodo *florem* accipi μεταφορικῶς, *Cererem* μετωνυμικῶς, *tectum* συνεκδοχικῶς; ſolùm cognoſcitur ex totâ ſententiâ. Hinc Fabius lib. VIII. *Tranſlata probari, niſi in contextu orationis, non poſſunt; quamvis Ariſtoteles in ſingulis dictionibus aſſignet metaphoram à genere, & ſpecie.*

At de cæteris patronymicis ut Robortelii ſententiam calculo meo adprobem, hactenus à me impetrare non quivi: & cauſſam facilè odorantur, quibus pituita non eſt moleſta. Nam *Atrida* latiùs patet, quàm Agamemnon, cùm & Menelao conveniat: *Iliades* communius eſt, quàm Romulus, cùm & de Remo dicatur. Itaque, quomodo ea, ſexcentaque id genus, accipi debeant, ex ſolo ſermonis contextu cognoſci poteſt.

Denique, non ſi patronymica propria ſint, nulla iccirco ſit ἀντονομασία, cùm ſuperſint alia multo plurima, in quibus ἀντονομασία eſſe poſſit. Quod ut perſpicuè dilucеat, age, quæ noſtra ſit de ἀντονομασίᾳ ſententia, peniſſimè, imò pleniſſimè aperiamus.

IV. Quid antonomaſia, et quotuplex ſit, variaque ejus antonomaſiæ exempla, ubi proprio utimur pro communi.

Antonomaſia duûm eſt generum. Nam vel proprium ponitur pro communi: vel commune uſurpatur loco proprii. Utrumque hoc genus ad ſynecdochen pertinet: prius illud ad ſynecdochen ſpeciei; poſterius verò ad ſynecdochen generis. Nam generis nomine intelligitur, quicquid generalius eſt: ſpeciei item, quicquid ſpecialius altero. Eoque non tantùm generis ſynecdoche eſt, cùm genus accipitur pro ſpecie: ſed etiam, cùm ſpecies pro individuo ſumitur. Item ſpeciei ſynecdoche fuerit, non modò ſi ſpecies pro genere, ſed etiam ſi individuum loco ſpeciei ſpecialiſſimæ collocetur. Et ſanè Ariſtoteles ipſe aliquando laxè adeò generis * & ſpeciei † appellationem uſurpat. Sed ſi id diſpliceat, poſſis ſpecies ſynecdoches augere hoc pacto, ut præter ſynecdochen generis pro ſpecie; & ſpeciei pro genere, quædam etiam ſit ſpeciei pro individuo, & individui pro ſpecie. Ex iis duo ſolùm poſteriores modi hujus ſunt loci. Quibus ut lucem addam, ſimul ut literarum amantibus gratum faciam, propè per omne me exemplorum genus diffundam. Initium ſumam à gentium Diis.

* Lib. 5. Metaphyſ. c. 28.
† 1. Poſter. Analyt. cap. 19.

Ita proprium uſurpatur pro communi, cùm Clodius ob flagitium ‡ cum ſororibus duabus, aut, ut alibi legas, tribus ‡ commiſſum, *Romanus Jupiter* vocatur à Cicerone *: quoniam Jupiter, ut fabulantur, ſororem habeat conjugem. Eodemque modo vocari poſſit Cajus Caligula, quia, ut in vita ejus auctor eſt Tranquillus, *cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit, plenoque convivio ſingulas infra ſe* (hoc eſt, in ſinu, tanquam juſtas uxores) *viciſſim collocabat, uxore ſuprà cubante.* Nec me clam eſt, metaphoram hìc eſſe, quia *Jupiter* ſumitur pro eo, qui Jovis ſimilis ſit. Verùm hoc non

‡ Cic. pro domo, pro Sextio, in Piſonem, pro Cælio, & Milone.
‡ Vide hac de controverſiola, ſi tanti, Paullum Manutium in epiſt. 9. lib. 9.
* Orat pro domo.

Digitized by Google

non impedit, quo minùs ibidem etiam *ἀντονομασία* ſit, ſive *συνεκδοχὴ*, quia *Jupiter* ponatur pro quovis, qui tororis quoque habeat notitiam. Itidem tum metaphora, tum antonomaſia eſt, cùm quibuſvis maritis *Jovis* nomen tribuerunt, blandimenti cauſsâ: uti &, cùm uxores ſimiliter dixere *Junones*: quemadmodum vel Plauti * illud indicium facit:

Caſinâ act. 1. ſc. Omnibus rebus.

Eia mea Juno, non decet te eſſe tam triſtem tuo Jovi.

† Mercat. act. 4. ſc. 1.

Nec abludit, quòd apud eundem † Syranus Dorippam, Demiphonis uxorem, Iunonem appellat, ac Paſicompſam meretriculam, quam Demipho amabat, Alcumenam nominat. Sic enim loquitur:

—— I hàc mecum, ut videas ſimul.
Tuam Alcumenam pellicem, Juno mea.

Simile etiam eſt *Venus* pro quavis amica. Maro Ecl. III.

Parta meæ Veneri ſunt munera.

At *μετωνυμία* eſt *Venus* pro olere, vel libidine, uti dictum: item pro venuſtate. Sed etiam *ἀντονομασία* ſit *Venus* pro quovis, pleno Veneris, h. e. venuſtatis ac gratiarum: quomodo Plutarchus Eunapio dicitur ἡ φιλοσοφίας ἁπάσης Ἀφροδίτη ‡. Item antonomaſia, cum metaphora ſit *Venus* pro quovis, qui domi ſuæ ſic habitaret, uti Venus Romæ: quomodo L. Craſſus Orator à M. Bruto in jurgio dictus *Venus Palatina*: *Venus* quidem, quia, inſtar Veneris, haberet in atrio ſuo columnas peregrini marmoris: *Palatina* autem, quia in Palatio habitaret. Auctor Plinius lib. XXXVI. cap. III. Quòd ſi *Muſæ* etiam nomen, licet novenæ ſint, propriis nihilominùs eſt accenſendum: hujus etiam loci erit, quòd Palamedes, ob ingenii ſolertiam, ab Euripide *Muſa* appellatur. Item quòd Xenophon à ſermonis dulcedine dictus eſt *Muſa Attica* ‡. Imò, ut in vita Oribaſii Eunapius refert, nomen hoc tribuebatur omnibus, qui, Athenis nati, eloquentia præcellerent. Unde Anatolius, præfectus prætorio Illyrici, cognomine hoc etiam Mileſium Smyrnæum donavit: ut apud eundem legas in Proæreſii vita.

‡ Philoſophiæ univerſa Venus.

‡ Laërt. in Xenophonte.

A divinis (ſic vocare ea nunc cum gentilibus liceat) venio ad humana. In quibus ordior à regibus Iſraëliticis. Prophetæ quemque proborum regum appellabant David; ut Chryſoſtomus refert in Matthæi cap. XXVII. *. In gentilibus principem ſibi locum tempora vindicant heroica. Ab his petitum, quòd Athenienſes πηλουργοὺς, ſive *figulos*, omnes Προμηθέας ἀπεκάλουν, ἐπισκώπτοντες εἰς τὸν πηλὸν †, ut ſcribit Lucianus ‡. Atque imitatus eos Iuvenalis ſat. IV.

** Tom. 2 homil. 58.*

† Prometheas appellabant, ad lutum alludentes.

‡ Libello πρὸς τὸν εἰπόντα, Προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις.

Debetur magnus patinæ ſubitusque Prometheus. *

Nam ſententia eſt, alicunde figulum eſſe arceſſendum, qui ſubitò patinam conficiat tanti rhombi capacem.

‡ Lib. 3. artis Rhetor.

Similiter idem *Tireſiam* pro cæco dixit ſat. XIII.

—— pœnâ gaudebis amarâ
Nominis invisi, tandemque fatebere lætus,
Nec ſurdum, nec Tireſiam quemquam eſſe Deorum.

Orphea quoque eum dixeris, qui in θηριοτροφείῳ ſeu leporario cervos, apros, capreas, cæteraſque quadrupedes convocet. Sanè ſervo ſuo, qui id faceret, Q. Hortenſius *Orphei* nomen dederat: ut videre eſt apud Varronem lib. III. de R. R. cap. XIII. Sed iſtic, ut proprium ſumitur, non ut commune. Huc etiam pertinet, quòd (ut ſcribit Fortunatianus Conſultus ‡) *Atratinus * Cælium, pulchellum Jaſonem appellat, & Cicero Clodiam †, Palatinam Medeam.* Nempe quia, ut Iaſon forma ſibi Medeam conciliârat; ita Cælius Clodiam: atque ut Medea, domo profuga, Iaſonem ſecuta eſt; ita Clodia in regionem Palatinam commigrârat, quo, in vicinia habitans, quotidie aſpectu Cælii frui poſſet. Etiam, ob Atrei & Thyeſtæ ſcelera *Pelopidas* dicimus pro quibuſvis tyrannis: ut cùm Cicero è veteri poëta epiſt. XI. lib. XV. ad Att. ait,

** Ita rectè editum in Pythœanâ, pro quo in Aldina eſt Atracinus. Atratinus Sempronii orum cognomen. Dio l. 44. Veſt nummi &c.*

† Ita rectè emendat Nicolaus Loenſis Epiphyll. lib. 9. cap. 21 pro quo in vulgatis omnibus eſt Clodium.

Nec Pelopidarum facta, neque famam audiam.

Quem etiam verſum reſpexit epiſt. XII. lib. XIV. ad Att. & in illis ad familiares lib. VII. epiſt. XXVIII. & XXX. utràque ad Curionem. Sed multis inprimis occaſionem Homerus dedit. Ut *Achilles* pro forti, quomodo Lucius Sicinius Dentatus dictus *Achilles Romanus* *. Itidem *Neſtor* pro prudenti & diſerto, *Ulyſſes* pro vaſto, *Terſites* pro deformi, *Irus* pro egenti, & ſimilia.

** Gellius lib. 2. cap. 11.*

A tempore heroico, ſive, ut Varro vocat, mythico, venio ad hiſtoricum. In quo ab Oriente per meridiem in Græciam, & inde Italiam, iter eſto.

Molles dixere *Sardanapalos*, quia talis fuerit ultimus Aſſyriorum rex, cognomento κονοσογκόλερος †: ut quem ex Cteſia, aliiſque, conſtet nihil non effeminatum tota feciſſe vita, niſi quòd eam ſpontaneo finierit vivicomburio: quod mortis genus, ſi non τῶν κολαστηρίων ἐστι μέγιστον ‡, ut ait Clemens Alexandrinus; at meritò ſaltem inter ſupplicia ſumma reponitur à Calliſtrato ‡, & Paullo * Iuriſconſultis: quibus adſentit Tertullianus, cùm libro ad martyres vivi cremationem vocat *ſummam ignium pœnam.* Ut mirandum ſit non Empedoclem modò, de quo res nota ex Horatio †, Luciano ‡, Laërtio ‡, aliis *; ac Protea, de quo nobis auctores Tertullianus †, Euſebius ‡, Ammianus Marcellinus ‡: verùm & alios quamplurimos, quibus liberum erat mortis arbitrium, hanc inprimis moriendi rationem comprobaſſe: uti exemplis aliquammultis oſtendit Caſaubonus lib. XII. Animadverſ. in Athen. cap. VII.

† Euſeb. Thonos Concoleros.

‡ Pœnarum maxima eſt.

‡ L. 28 capitalium in pr ſ. & pœn.

** Lib. 5. ſentent. tit. 17.*

† In Art.

‡ In Hermotimo.

‡ In Empedocle.

• Tertull. ad martyres &c.

† Ibidem.

‡ In Chronicis.

‡ Lib. 19.

Xerxes quoque nomen aliis accommodatum. Sanè L. Lucullus à Cn. Pompejo dictus eſt *Xerxes togatus*: idque, ut Vellejus lib. II. ait, *ob objectas moles mari, & receptum ſuffoſſis montibus in terras mare.* Quam rem ſic enarrat Plinius lib. IX. cap. LIV. *Lucullus, exciſo etiam monte, juxta Neapolim, majore impendio, quàm villam ædificaverat, euripum & maria admiſit. Quâ de cauſſâ Magnus Pompejus Xerxem togatum eum appellabat.* Ab aliis ſic vocâſſe dicitur Tubero Stoicus. Sed potuit à Tuberone id hauſiſſe Pompejus; cui potiùs tribueretur ob ſummam viri dignitatem.

Molles Orientis Reges ſequatur ex Afris ſtrenuus *Annibal*: quod nomen Romanis in uſu pro gravi & terribili hoſte. Petronius: *Quæ autem hic inſidiæ ſunt, inquit, aut quis nobis Hannibal navigat?*

Fortem Afrum hic excipiant è Græcis eruditione inclyti, Homerus, & Plato: quorum nominibus ſimiliter uſi veteres. Ita Virgilius eſt *Plato poëtarum*, ut eum appellavit Alexander Severus *: Plato verò eſt *Homerus philoſophorum*, ut quidem eum à Panætio vocatum ſcribit Cicero Tuſcul. I. Nempe quia Homerus *præcipuus poëtarum*, ut eum laudabat Claudius Iuriſconſultus: ὁ ἄριστος καὶ ὁ θειότατος τῶν ποιητῶν †, ut inquit Socrates in Platonis Ione: Plato verò ſit *ſublimis apex philoſophorum & culmen*: ut quidem appellatur ab Arnobio lib. I. Nos juſtiùs eo elogio Platonis diſcipulum inſigniri putamus, quia Plato, ut omnes ſcire ait Dionyſius Halicarnaſſenſis ‡, πλείονι κέχρηται φιλοτιμίᾳ περὶ τὴν ἑρμηνείαν, ἢ περὶ τὰ πράγματα ‡. Itidem omnes σοφοὶ καὶ ἐλλόγιμοι * ab Antiphonte Rhamnuſio, nobili oratore, dicti Ῥαμνούσιοι, teſte Suida: cujus hac de re locum emendavit Yvo Villiomarus lib. IV. adverſus Titium cap. XXXIX. & Iſaacus Caſaubonus lib. XV. Animadverſ. in Athenæum cap. V. Planeque huic exemplo geminum eſt, quòd oratoris Pæanienſis nomen attributum eloquentibus: ut cùm Cato, poſteaque, ac juſtiùs, Tullius dictus eſt *Romanorum Demoſthenes*.

** Lampridius.*

† Poëtarum optimus & divinissimus.

‡ Libro de τὸ ſεροῦ Demoſth.

‡ Ampliorem magis conſectatus eſt elocutionem, quàm res.

** Sapientes, eloquentesque viri.*

Ex Romanis primas obtinet gentis conditor. Cujus nomine Iulium Cæſarem, propterea quòd Romuli inſtar dominaretur, Catullus compellat in epigrammatis †. Tullium item ſic nominat auctor declamationis in eum Salluſtio tributæ *: *Oro te*, inquit, *Romule Arpinas.* Nempe quia, ſe conſule, natam eſſe Romam jactaret. Sic *Tarquinius* pro quovis, qui vim afferat invitæ. Cujus rei exemplum inferiùs adducam. *Curius*, pro homine frugi: ut apud Iuvenalem in notiſſimo verſu ‡ *Roſcii*, ut Tullius ‡ refert, vocari ſolent, qui in arte ſuâ perfecti forent, quia Roſcio comœdo nihil ſuâ in arte defuerit ad perfectionem. Catonum nobiliſſima virtus fecit, ut Sentius Augurinus epigrammate in Plinium * dicat:

† Epig. 30.

‡ Sat. 2.

‡ 1. De Orat.

** Apud Plin. l. 4. ep. 27.*

Ille

Ille Plinius, ille, quod Catones.

Hoc eſt, qui eo mihi loco, quo ſuis temporibus fuere Catones. Quomodo antea dixit, *Unus Plinius eſt mihi priores*, h. e. inſtar priorum. Non audiendus Barthius in Adverſariis*, ubi legit, *quot Catones!* Sed in illo Sentii *Cato* propriè ſumitur. At per antonomaſian aſſignatum id nomen bonis ac prudentibus omnibus: ut in illo, Auguſto Cæſari perfamiliari: *Contenti ſimus hoc Catone* †. Et cùm B. Hieronymus ‡ ait, quendam, ſeu vero, ſeu ficto nomine Grunnium Corocottam, intus fuiſſe Neronem, foris Catonem: quo ſignificat, Grunnium habitudine Catonem quempiam retuliſſe; at fuiſſe reapſe flagitioſum, & Neronis inſtar intercutibus madentem vitiis; cujuſmodi homines etiam inverſos dicimus Silenos, & comparamus cum Ægyptiorum templis ⊥. *Mæcenates* vocat Martialis* eos, qui doctis favent, ac eoſdem fovent. Nota Cilnii Mæcenatis in eruditos liberalitas. Sed & pro mollibus ac effeminatis *Mæcenates* dixit Juvenalis †. Quippe & diſcinctus ipſe erat, & ſoluta ejus oratio; qua de re Paterculus ‡, Seneca ⊥, Suetonius*, & Macrobius †. *Neronis* quoque nomen aliis aptari ſolere, indicio eſt locus ex Hieronymo antè allatus. Qui & ad Furiam de viduitate ſcribens ait: *Exquiſitæ epulæ, regius apparatus Neronis & Sardanapali, nuptias loquebantur.* Domitianus etiam, ob crudelitatem, *Nero* vocabatur, ſed, diſcriminis cauſsâ, *calvus*. Juvenal. ſat. IV.

—— Et calvo ſerviret Roma Neroni.

Auſonius de XII. Cæſ.

Et Titus imperii felix brevitate: ſecutus
Frater, quem calvum dixit ſua Roma Neronem.

Nec virorum duntaxat nomina, ſed etiam feminarum, ſic accipi videas. Continebo me intra hiſtoriam Romanam, quia jamdudum metuo, ne ſatias exemplorum obrepat. Ita *Tanaquil* uſurpatur, pro uxore, quæ marito imperat: ut apud Auſonium epiſt. XXIII. *Tanaquil tua neſciat iſtum.* Loquitur de Paullini, Nolæ epiſcopi, uxore; quæ marito auctor fuiſſe videtur, ut ex Aquitaniâ, in quâ minùs Chriſtianæ religioni vacare poterat, Nolam ſe conferret. Itaque reſpondet Paullinus epiſt. ad Auſon. III. *Nec Tanaquil mihi, ſed Lucretia conjux.* Eodemque modo dixit Iuvenalis lib. II.

Conſulit ictericæ lento de funere matris,
Antè tamen de te, Tanaquil tua.

Quamquam hìc pro quavis uxore ponitur, ut quidem exponit ſcholiaſtes. Sed liquidius de illo Sidonii lib. V. epiſt. VII. *Temperat Lucumonem Tanaquil ſua.* Ubi *Tanaquil* eſt Agrippina; *Lucumo*, Chilpericus. At propriè *Tanaquil*, uxor Tarquinii Priſci; *Lucumo* autem, Tarquinius ipſe, quem Lucumonem fuiſſe dictum, autor eſt is, ſeu Victor, ſeu alius, qui de viris illuſtribus ſcripſit: item Macrobius lib. I. Sat. cap. VI. Sic *Lucretia* pro pudicâ, & unius mariti amante. Ut in Paullini loco, quem antè vidimus: item hoc Petronii Arbitri; *Cùm ego proclamarem, gladium ſtrinxit, &, Si Lucretia es, inquit, Tarquinium invenisti.* E Valerii quoque Maximi lib. VIII. cap. III. diſcimus, pro crimine improbis feminarum moribus *Afrania* nomen objici ſolere, ab Afrania, Licinii Buccionis Senatoris conjuge: quæ ipſa *inverecundè poſtulans, & magiſtratum inquietans, cauſſam dedit edicto*, quod feminas prohibet pro aliis poſtulare: ut auctor eſt Ulpianus lib. III. Dig. l. I. de poſtulando: ubi & ea *improbiſſima femina* appellatur. Sed corruptè pro *C. Afrania* editum *Carſania.*

* Lib. 25. cap. 21.
† Suetonius in Auguſto.
‡ Ad Ruſticum de vivendi forma.
⊥ Origenes adverſus Celſum lib 3. pag. 124. edit. Gr. Hœſchel.
* Lib. 8. ad Flaccum.
† Sat. 12.
‡ Lib. 2.
⊥ Epiſt. 92. 101. 114. & 120.
* In Auguſto cap. 66.
† Lib. 2. Saturn. cap. 4.

V. Quod alterum ſit antonomaſiæ genus, illuſtriaque ejus exempla.

Alterum ἀντονομασίας genus erat, cùm commune accipitur pro proprio: atque hunc ſolum ἀντονομασίας modum non tantùm agnovit Fabius, quemadmodum antè vidimus; ſed & Plutarchus*; ut cui ea definiatur λέξις διὰ ἐπιθέτου ἢ συνωνύμου ὄνομα ἴδιον σημαίνουσα †. Quamquam cujuſmodi hâc definitione judicium fieri debeat, ex iis perſpicuum eſt, quæ de Fabii diſtributione ſuprà dicebamus. Neque eſt, quòd ipſam ἀντονομασίας, ſeu *pronominationis* urgeant vocem. Nam, ut ſuprà quoque monitum nobis, multa nomina non convertuntur cum re, ſi originem ſpectes, & quid propriè ſignent.

* In vita Homeri.
† Dictio, quæ per epitheton, aut conſignificationem, nomen proprium ſignificat.

Pertinent autem ad hunc ἀντονομασίας modum, quæ κατ' ἐξοχὴν intelliguntur. Qualium ingens quidem copia eſt: ſed, laſſatus prioris generis exemplis, nunc brevior ero, meque continebo intra ea, quæ vel hominum erunt, vel locorum. Ex illis hominum duo nunc iſta potiſſimùm occurrunt, poëtæ, & regis; fortaſſe propter verſiculos veteres;

Conſules fiunt quotannis, & novi proconſules.
Solus aut rex, aut poëta, non quotannis naſcitur.

Ita Græci Homerum, Latini Virgilium, *poëtam* vocant; ut cum faventiâ lectitamus apud Iuſtinianum lib. I. Inſtitutionum. Ita etiam iidem Græci Perſarum regem vocant βασιλέα: atque eos, ut puto, imitatus Terentius, cùm in Heautont.* ait: *In Aſiam ad regem militatum abiit, Chreme.* Nam Perſarum rex ſæpe ἁπλῶς vocatus *rex*: qui aliàs cum additione *rex regum* †, & *rex magnus*: quomodo inter alios ‡ & Lucianus appellat oratione περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, item in Toxaride. Non tamen ſolus Perſarum rex eo [illegible], quod jactet, habeat: ſed Agamemnonem etiam *regem regum* nuncupat Cicero in epiſtolis ⊥: uti & Seneca in Agamemnone, & Auſonius in Heroum epitaph.

* Act. 1. ſc. 1.
† 1. Eſdr. 7. Strabo l. 15. Ammianus lib 17.
‡ Iſocrates in Panegyrico. Dio de Regno, Plutarch. in Apophth. Suidas in Βασιλεύς.
⊥ Ad familiares epiſt. 14. lib. 9.

Duobus hiſce exemplis ſubdam aliud, quod perſonæ quidem ſit; ſed ubi pariter in conſiderationem veniat locus. Nimirum, quòd Latini *barbarum* ponunt pro Phrygio. Ut apud Virgilium II. Æn. *barbarico auro*: & in Ciri, *buxus barbara*: item apud Catullum*, *tibia barbara.* Apud veterem poëtam; cujus verba adducit Tullius I. Tuſcul. quæſt. *Adſtante ope barbaricâ.* Factum illud, *& propter inclytam Ilienſium nobilitatem, & propter conjunctionem originis Romanæ*: ut Calliſtrati † verbis utar: qui hiſce de cauſſis ait, iis, *jam antiquitus, & ſenatuſconſultis, & conſtitutionibus principum, pleniſſimam immunitatem tributam, ut etiam tutelæ excuſationem haberent.*

* Carmine de nuptiis Pelei & Thet.
† L. 17. parag. 1. D. de excuſationibus.

Nunc videamus de illis, quæ tantummodo locum ſignent. Ita Roma dicebatur *urbs*: quod multis teſtibus probat vir variæ admodum lectionis, Savaro, ad Sidonii lib. I. epiſt. VI. Metuo, nequis dicat, rem eſſe vulgatiſſimam. Quare tantùm ponam illud è gloſſis vett. à Savarone neglectum: *Urbs*, μόνη Ῥώμη. Interdum autem apponebatur epitheton *magna.* Ut apud Tibullum ‡:

Te canit agricola è magnâ cùm venerit urbe.

Item*:

—— Hic magna jam locus urbis erit.

‡ Lib. 1. el. 7.
* Lib. 2. el. 5.

At vetus oppidum Palatinum, quam *Romam quadratam* appellat Ennius †, κατ' ἐξοχὴν *oppidum* vocabatur. Quomodo Varronem eo eſſe nomine uſum, oſtendit Ioſephus Scaliger in Conjectaneis. Poſtquam autem Conſtantinopolis *nova Roma* dici cœpta (νέαν Ῥώμην ‡, καὶ βασιλίδα πόλιν, etiam appellat Zonoras) Urbis nomine Conſtantinopolis quoque ἁπλῶς cœpit vocari: quod ex multis imperatorum conſtitutionibus, tam in Theodoſiano, quàm Iuſtinianæo codice, perſpicuum eſt. Eodem modo Alexandria nominata πόλις, & cives ejus πολῖται, teſte Stephano de urbibus, vel potiùs Hermolao Byzantino, cujus ἐκβολαὶ, ſive excerpta, è Stephani ἐθνικοῖς ſolùm habemus. Sed & Troja Homero ſimpliciter πτόλις dicitur, unde eidem Ulyſſes πτολίπορθος vocatur, οὐχ ὡς πολλῶν πόλεων πορθητὴς (τοῦτο γὰρ μᾶλλον τῷ Ἀχιλλεῖ πρέπει) ἀλλ' ὡς πορθητὴς διὰ τὸν δούριον ἵππον τῆς ἰδίως οὕτω λεγομένης πόλεως, ἤτοι τῆς Τροίας: quemadmodum ſcribit Euſtathius in Iliad. β. Itaque, ut ante nos Victorius ⊥, ac Brodæus*, obſervarunt; non Cicero, ſed Budæus fallitur, cui Cicero † ineptè ad Plancum viſus ſcribere, ſolum Ulyſſem ab Homero vocari πτολίπορθον, quòd eo elogio (niſi omnes nos libri fallunt) Achilles quoque ornetur

† Annal. l. 2. apud Feſtum in Quadrata.
‡ Novam Romam, & urbem regiam.
⊥ Lib. 26. Var. Lect. cap. 22.
* Annotat. in Calabrum.
† Lib. 10. epiſt. ad famil.

Iliad. ε, φ, ω: unde Silius: *Priami regnorum everſor Achilles.* Verùm hæc quidem Budæi cauſſam non juvant; quia, ut ex Euſtathio cognoſcimus, aliâ longè ratione Achilles, aliâ verò Ulyſſes, appellatus fuit urbicapus, ut cum Plauto * loquar. Et certe id niſi eſſet, cum Tullio etiam Strabo erraſſe videri poſſet, qui lib. I. ait, Ulyſſem ab Homero ἀεὶ λέγεσθαι πτολιπόρθον. Hoc fuſiùs explicare vitium, quia & in eo nonnihil ſe torſit Ptolomæus Flavius cap. XLIII. neque nunc deſunt, qui id putent μνημονικὸν eſſe Ciceronis ἁμάρτημα; cujuſmodi quædam Politianus profert Miſcell. cap. LIII. Athenæ quoque, ex multorum ſententia, eodem modo dicta ἄστυ, ac cives ejus ἀστοὶ, καὶ ἀστικοί: ut cùm in palliata Terentius comœdia † ait, *An in aſtu venit?* Ac ſimiliter loquuntur poëta vetus apud Ciceronem, Nepos in Themiſtocle, & alii. Verùm id non tam κατ' ἐξοχὴν, ſive per ſynecdochen ſpeciei, fieri videtur; quàm per ſynecdochen partis materialis. Siquidem, ut Germanus Valens liquido tribus evincit Ariſtotelis, ac uno item Homeri loco ‡: Athenæ in duas diviſæ erant partes; urbem, quæ dicta ἄστυ, & portum, qui πειραιεὺς vocatus: eas autem unus complectebatur ambitus; ſed ita, ut plebei & δημοκρατίας fautores, in regione Pyræei agerent; elegantiores nobilioreſque aſtu incolerent; quod τὸ ἄνω πόλιν ‖ nuncupat Thucydides lib. II. ubi deſcribit peſtilentiam. A potiori igitur parte, & ad portus diſcrimen, ἄστυ, & ἀστικὸς nominabant.

** Militeglorioſo, act. 4. ſc. 2.*
† Eunuch. act. 5. ſc. 6.
‡ Comm. in Eclog. 1. & in Paralipomenis.
‖ Superiorem urbis partem.

Κατ' ἐξοχὴν quoque apud Græcos πρυτανεῖον vocatur, quod Athenis erat; quamvis propriè πρυτανεῖον ſit, ubicunque Veſta colebatur. Dicebatur enim quaſi πυρὸς ταμεῖον, quia ignis Veſtæ, qui nihil aliud erat, quàm lucerna ſemper ardens, in ejus templo cuſtodiebatur, ne ſcilicet defectu olei extinguetetur. At in omnibus Græciæ civitatibus Veſta culta; unde & legimus prytaneum Tarentinorum, Corinthiorum, Rhodiorum, Mytilenæorum, Eleorum, aliorumque multorum; uti oſtendit Caſaubonus lib. XV. Animadv. in Athenæum cap. XIX. Et hæc de antonomaſiâ.

VI. Quid rhetores ΚΟΙΝΟ'ΤΗΤΑ ΛΟ'ΓΟΥ appellent, et quomodo quis se citra invidiam laudaverit; item, an Cicero, ita uti scripsit, habuerit orationes suas.

SEquitur κοινότης λόγου *, quâ, ut ex Hermogene † diſcimus, proprias laudes cum aliis communicamus, aut peccatum aliorum communicamus nobiſcum, aut virtutem quorundam communicamus cum omnibus. Primum illud facit, ne ingrata & odioſa ſit rerum à nobis geſtarum commemoratio. Alterum efficit, ne animus auditorum abalienetur, cùm reprehendi ſe audiunt. Tertium conciliat auditores, ſi ſe quoque in gloriæ ſocietatem venire illi intelligant, qui tum fortaſſe nondum erant. Itaque, ſi quid malè factum ab iis, apud quos dicimus, non dicemus, *vos feciſtis*; at, *nos fecimus*. Cui vicinus & alter modus, ut, ad offenſionem vitandam, aliis loquendo, alios culpemus, mutatis ſcilicet perſonis; idque Homerici Ulyſſis exemplo, qui, ſiquid in rege reprehendendum, id culpat in populo; ſi in populo, id reprehendit in rege: quo de artificio pretium operæ eſt adire Dionyſium Halicarnaſſ. tractatu ſecundo περὶ ἐσχηματισμένων. At quod ipſe quis bene fecit, non ſe feciſſe dicet; ſed vel inquiet, *vos feciſtis*, vel, *nos fecimus*. Siquid etiam à majoribus eorum factum ſit, apud quos dicitur, aut quibuſdam eorum, qui adſunt; tum, *vos feciſtis*, dicendum. Et hæc de tribus κοινότητος modis. Quorum primus autem mihi vellit, ut nonnulla ſubdam eis gemina, ac ejuſdem planè monetæ.

** Sermonum communicatio.*
† Περὶ μεθόδου δεινότητος.

Siquidem, apud eundem Hermogenem, ſunt & duo alii modi, quibus docet oratorem, non minùs, quàm primo κοινότητος modo, uti, ad laudandum ſe citra jactantiæ ſuſpicionem. Unus eſt προσποίησις τῆς ἀνάγκης, *ſimulatio neceſſitatis*; ut, cùm Demoſthenes pro coronâ petit veniam, quòd ab adverſario coactus toties de ſe ipſo dicat. Alter eſt ὑπαλλαγὴ τοῦ προσώπου, *perſona commutatio*; velut cùm idem ad Æſchinem convertit orationem, ut vexare velle inimicum; non exprobrare merita ſua Athenienſibus, videatur. Plura vide apud ipſum Hermogenem lib. περὶ μεθόδου δεινότητος.

Imò & quartus eſt modus apud Ariſtotelem. Is enim III. Rhet. docet, oratorem ſine auditorum moleſtiâ ſemet laudare poſſe, ſi ea, quæ commemorat, non ab ipſo, ſed ab alio, dici videantur.

Quin neque me pertinacem habiturus eſt obſtrigillatorem, qui quinctum ſextumque modum, atque adeò plures etiam, ſuperioribus ſubdat. Siquidem Tullius facta ſua relaturus, nunc gratias agit ſenatui pro diligenti corporis ſui cuſtodiâ, nunc conqueritur de malevolorum invidiâ, nunc aliis quoque, atque aliis modis, offenſionem vitat. Nam nulla penè Tullii oratio eſt, in quâ non meminerit geſtorum à ſe in conſulatu ſuo; adeò ut ſummus vir etiam ab hominibus modeſtis leniter leviterque culpetur, tanquam nimius laudum ſuarum buccinator. Verùm etſi non ignota eſt mihi Ciceronis ambitio; non tamen veriſimile ſit, toties virum prudentiſſimum eadem apud eoſdem, quæque neminem laterent, jactare ſolitum eſſe. Neque enim ignorabat id, quod veriſſimè à Plinio * ſcriptum eſt, *ſi aliena quoque laudes parùm æquis auribus accipi ſolent, quàm difficile ſit obtinere, ne moleſta videatur oratio de ſe, aut de ſuis, diſſerentis.* Quare potiùs arbitror, hæc ſæpe præterita fuiſſe à Cicerone, cùm cauſſam ageret; poſtea autem adjecta eſſe ab eo, quo ad poſterorum memoriam pervenirent. Siquidem Ciceroni moris fuit, primò commentarios cauſſarum ſuarum conficere, inde cauſſam agere, ac poſtremò orationes diligentiùs ſcribere. Certè orationes pro Scauro, ac Plancio, alio tempore à Cicerone habitas eſſe, alio autem abſolutas, cognoſcimus ex ultimâ libri ſecundi, & primâ libri tertii epiſtolâ. Notum quoque, aliam fuiſſe orationem, quam pro Milone dixit, quæ Quinctiliani & Aſconii tempore etiamnum extabat; aliam, quam poſtea ſcripſit, ac quam nunc habemus. Quòd ſi oratio ejus aliqua ſimiliter fere prodiret, ac habita eſſet, id tanquam rarum ac inſolens planè, dignum videbatur, quod literis traderetur. Uti factum à Nepote, qui operæ putavit, illud poſteris referre, ut pro C. Cornelio vix quicquam aliter edidiſſet Tullius, quàm dixiſſet. Teſtis hujuſce rei B. Hieronymus, epiſtolâ † ad Pammachium, quâ adverſus Joannem Hieroſolymitanum diſſerit. *Fruſtra*, inquit, *ſuſpicimus Tullium. Refert enim Cornelius Nepos, ſe præſenti, iiſdem penè verbis, quibus edita eſt, eam pro Cornelio, ſeditioſo tribuno, defenſionem peroratam.*

** Lib. 1. epiſt. 1.*
† Epiſt. 61.

Verum κοινότητος occaſione ad ea quoque me progreſſum ſentio, quæ propriè aliùs ſunt loci. Quare à diverticulo hoc ad ſynecdoches ſpecies verſoriam capiamus, paucisque agamus de ſyllepſi.

VII. De syllepsi oratoria.

EST autem rhetoribus σύλληψις, cùm vox anceps uſurpatur communiter; ſive, cùm verbo ambiguo res unâ plures ſignificantur. Quod inprimis in comparativis fieri ſolet. Ut in illo Homeri de ira ‡, ac alibi ‖ de Neſtoris oratione, γλυκίων * μέλιτος. Nec non hoc Maronis Ecl. VII.

‡ Il. σ.
‖ Il. α.
** Melle dulcior.*

Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hybla.

Nam γλυκίων, & *dulcior*, de melle propriè; de ira, & oratione, & Galateâ, impropriè ſumuntur. Sic eâdem eclogâ:

Imo ego Sardois videar tibi amarior herbis.

Ac mox:

——Et ſomno mollior herba.

Simile etiam eſt illud Plauti Epidico †: *Verſutiores, quàm rota figularis.* Ubi *verſutus* tum propriè de rotâ, tum meta-

† Act. 3. ſc. 2.

metaphoricè de Epidico ſervo accipitur. Quamquam vix puto *verſutus* de rotâ dici poſſe. Interim negari nequit, propriè rotam *verti*: à vertendo autem *verſutus*. Atque hoc ſuffecit Comico, ut voce eâ luderet.

Sæpe verò σύλληψις etiam extra comparativos invenitur. Ut apud eundem * Moſtellariâ, tum ludificantium, tum funebres ludi, unâ intelliguntur voce:

Ludos ego hodie vivo præſenti hic ſeni
Faciam, quod † credo mortuo nunquam fore.

Neque enim in mediocrium, ſed tantùm illuſtrium virorum funeribus, ludi exhibebantur gladiatorii. Geminum planè illud Soſiæ Amphitryone ‡:

Nam hic quidem omnem imaginem meam, quæ antehac fuerat, poſſidet.
Vivo fit, quod numquam quiſquam mortuo faciet mihi.

** Act. 2. ſc. 1.*
† Janus Guilielmius quos legis.
‡ Act. 1. ſc. 1.

Alia enim ratio eſt Mercurii, qui, quòd ſe Soſiæ in vultum converterat, ejus imago dicitur: alia item ratio eſt imaginum, quæ in clarorum virorum funeribus præferebantur. Quâ de conſuetudine multa cùm Sigonius *, & Lipſius †, tum duo clariſſimi, ac doctiſſimi amici mei, Meurſius ‡, & Kirchmannus *. Lucretius lib. v:

Nam foveâ atque igni prius eſt venarier ortum,
Quàm ſepire plagis ſaltum, canibuſque ciere.

** De antiquo jure Italiæ l. 2. cap. 20.*
† Electi. l. 1. cap. 10.
‡ De Funere c. 20.
** De Funer. Rom. lib. 2. cap. 7.*

Siquidem propriè ſumitur *ſaltus*, cùm dicit, eum plagis ſepiri ſeu cingi: μετωνυμικῶς autem pro feris eo contentis accipitur, cùm ait, *ſaltum cieri*, ſive commoveri canibus. Leve hoc. Quis neget? Attamen id ſi obſervâſſet Rob. Titius, numquam locum hunc ſollicitare aggreſſus eſſet. Nunc ſcholiis in duodecimum Syriados Petri Angelii Bargæi legendum contendit, *canibuſque viere*: quam lectionem non modò ſpernunt codices omnes tum calamo exarati, tum prælo excuſi; verùm neque admittunt ſepta ac pomœria ſermonis Latini. Nam *viere*, unde *vimina*, non *cingere* eſt, quod Titius ſcribit; qui geminum huic Lucretiano eſſe putat illud Maronis, —— *Saltuſque indagine cingunt*: verùm *alligare*, ut interpretatur Feſtus: ſeu *vincire & inflectere*, ut explicat Nonius. Quomodo vetus ſcriptor † ait, *Viere Veneream coronam*. Similis quoque ſyllepſis eſt in hoc Ciceronis pro Roſcio Amerino: *Eoſdem ferè ſectores fuiſſe collorum, & bonorum*; ubi *ſectores* ſunt tum illi, qui ſecant, tum qui bona emtitia ſectantur, οἱ ἀγοράζοντες τὰ ὤνια, ut exponunt Gloſſæ. Monent idem Feſtus, & Aſconius. Petronius Arbiter: *Vides illum, qui obſonium carpit? Carpus vocatur. Itaque, quotieſcumque dicit, Carpe, eodem verbo, & vocat, & imperat* Auſonius in profeſſ. Burdigal. de Attio Paterâ Rhetore: *Vini cibique abſtemius.* Neque ſacra pagina σύλληψιν neſcit: inprimis in comparatione. Proverb. cap. v. verſ. 3. 4: *Favus enim ſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus. Noviſſima autem illius amara, quaſi abſinthium, & acuta, quaſi gladius anceps.* Interdum verò & extra comparationem. Quomodo Joh. XII. 32. legimus: *Si ſublatus fuero è terra, omnes traham ad me ipſum.* Quo loco Chriſtus planè videtur linguâ Syriacâ uſurpâſſe vocem homonymam *rum*, quæ utrumque ſignificat, & tolli in ſublime, h. e. in crucem, & tolli è medio, nempe ex hominibus in cœlos. Nam de mortis genere locutum eſſe Chriſtum, clarè ait Evangeliſta: aliter verò accepiſſe Judæos, ſatis liquet ex iis, quæ idem mox ſubjungit. Atque hæc de Syllepſi. Quam Synecdochæ ſubjecimus, nomine quidem moniti, (nam tam σύλληψις, quàm συνεκδοχὴ ſignificat *comprehenſionem*) ſed inprimis eo compulſi, quòd ut in ſynecdoche nomine unius partis, puta capitis, vel animæ, partes alias complectimur: ita hìc voce ad unum notandum inſtitutâ plures ejus ſignificationes comprehendimus. Sunt enim plura ſignificata, quaſi partes formales vocis: quia vox, quà ſenſu percipitur, hoc eſt, quatenus auditur, vel ſcribitur, ſit totum materiale; id verò, quod intelligitur, hoc eſt, ſignificatio, ſit vocis forma, & quaſi anima. Nec negare poſſumus, cùm loquamur, ut intelligamur, ſermonis hunc finem propriè eſſe, ut unum, ac certum quid deſignet. Nam, ut philoſophus * ait, πᾶν πολλαχῶς λεγόμενον ἀσαφές †, &, ut idem inquit ‡, τὸ μὴ ἓν σημαίνειν οὐδὲν σημαίνειν ἐστίν *. Atqui in ſyllepſi non unum ſignificamus, ſed vocem ambiguam utrâque ſignificatione accipimus: quod non fit ex uſu communi, ſed luſu ingenii, ut non tam vocis ſit uſio, quàm abuſio: quo reſpectu fortaſſe ad κατάχρησιν etiam referre poſſis: ſignificatione ejus vocis paullùm extenſâ.

† Apud auctorem incertum Cenſorino adnexum, cap. 14. ex recenſione Carrionis.

** Lib. 1. de cœlo. t. 11. cont. 110. & l. 6. Top. cap 2.*
† Quicquid variè ſumitur, obſcurum eſt.
‡ 3. Met. cap. 4.
** Non ſignificare unum quid, certum eſt, nihil ſignificare.*

VIII. De iis, quæ ΚΑΤΑ' ΛΙΤΟ'ΤΗΤΑ efferuntur.

PRæterea ad ſynecdochen partis etiam pertinet, quæ à rhetorum vulgo vocatur *lipotes*, quaſi ubi aliquid ἐλαττωτικῶς dicatur. Sed λειπότης Græcum non eſt: eoque vel *leptotes* dicendum, quomodo Athenæo λεπτότης τοῦ σώματος, eſt *corporis exilitas*: vel potiùs, λιτότης, quod *tenuitatem* notat. Quæ appellatio ſatis idonea videtur, quia in tropo hoc res magna extenuatur verbis. Fit enim λιτότης, cùm negatione contrarii plus ſignificamus, quàm dicimus. Ut in Eclogis:

Quid prodeſt, quòd me ipſe animo non ſpernis, Amynta?

hoc eſt, amore complecteris. II. Georg.

Et gens illa quidem ſumtis non tarda pharetris.

Id eſt, ſtrenuiſſima. III. Georg.

Nec mihi diſpliceat maculis inſignis & albo.

hoc eſt, valde placeat, ut & Servius enarrat. Horatius I. Epiſtol.

Non inviſa feres pueris munuſcula parvis.

hoc eſt, acceptiſſima. Eidem in odis † Pythagoras dicitur.

—— non ſordidus auctor
Naturæ, verique:

† Lib. 1. od. 28.

idque exemplo Herodoti in Melpomene, ubi idem vocatur ὁ οὐκ ἀσθενέστατος σοφιστής ‡. Atqui (ut aliorum nunc elogia omittam) Flavio Joſepho ‡ dicitur Pythagoras, σοφίᾳ *, καὶ περὶ τὸ θεῖον εὐσεβείᾳ, πάντων ὑπειλημμένος διενεγκεῖν τῶν φιλοσοφησάντων. Ciceroni, in Bruto, Cotta prius dicitur *ſummus orator*, poſtea *orator minimè ineptus*. Eidem Varro, epiſtolâ ad Brutum, *ſummæ induſtriæ vir* vocatur, quem antea dixerat, *non ſine induſtriâ verſari in ſtudiis*. Talium ingentem ſylvam ex optimis ſcriptoribus collegere, Iſaacus Caſaubonus notis in fragmenta Polybii, & Joannes Rualdus commentarii de vitâ Plutarchi capite ultimo. Ac Caſaubono quidem propoſitum eſt, illud docere, cùm Livius † Polybium vocat *auctorem non ſpernendum*, dicere voluiſſe *planè præſtantem*. Rualdus autem in eo eſt, ut oſtendat, cùm Plutarchus ab Euſebio ‡ accenſetur philoſophis πλεῖστον ἢ μικρὸν φιλοσοφίας παρ' Ἕλλησιν ἀπενηνεγμένοις *, id ita accipi debere, quaſi dixiſſet, maximam apud Græcos fuiſſe gloriam adeptum. Quæ ſi in mentem veniſſent aut Achilli Statio, aut Fulvio Urſino, non putaſſent, vel Pythagoram ab Horatio malignè laudari, vel à Livio Polybium, quem paſſim ad verbum expreſſiſſet. Valde etiam hac in re offendit Caſpar Barthius, cui non ſatisfacit Ovidii illud lib. v. Met.

—— De mille ſagittis
Unam ſepoſuit; ſed quâ nec acutior ulla,
Nec minus incerta eſt, nec quæ magis audiat arcum.

‡ Non infimus ex ſapientiæ doctoribus.
‡ Lib. 1. contra Apionem.
** Sapientiâ & erga numen pietate, quotquot philoſophati ſunt, antecellere exiſtimatur.*
† Lib. 30.
‡ Initio lib. 3. Præparationis Evangel.
** Non exiguam in philoſophiâ gloriam apud Græcos conſecutis.*

Audiamus, quomodo hic, adverſus ingenioſiſſimum poëtam differendo †, planè ingenio ſuo abutatur: *Sanè*, inquit, *incautè videtur certiſſimam rem minus incertam aliis nuncupâſſe, cùm hoc ipſo etiam eidem aliquam certitudinem demat, incertitudinem contrà affingat. Non enim poteſt fieri per rerum naturam, ut res minus aliis talis, ſit tamen talis, quoniam cætera dicantur magis tales eſſe. Neque demit vitium rei, minùs vitioſam eſſe cæteris, quin vitioſarum numero & ipſa jure optimo adſcribatur. Jam quanti putas, mille cæteras ſepoſitas fuiſſe hâc vitioſiores, quæ certiſſima eſſe dici debebat, & tamen*

† Lib. 58. Adverſar. cap. 9.

men

men incerta perhibetur? Satis liquet, qui ſic ſcribit, (atque idem multa alia in hanc mentem ſubdit, quæ ſine tædio legi non poſſunt) cum Ovidii verba propriè accepiſſe; cùm λιτότητα eſſe ſatis arguat, quòd poëta ipſe continuò addit, nullam eſſe ſagittam, quæ magis arcum audiat; quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, nullam eſſe certiorem. Proinde cum ait, nullam eſſe minùs incertam, idem eſt, ac, eſſe eam certiſſimam: quomodo ocellus ille urbium Græcarum Sparta (cujus de laudibus penè ſatius ſit tacere, quàm nimis pauca dicere) Herodoto ipſi libro VII. vocatur πόλις * οὔτ' ἐλαχίστη, οὔτ' ἀσθενεστάτη. Scilicet dicere illud Herodotus voluit, fuiſſe quidem Spartam oppidum nec magnitudine inſigne, nec viribus pollens: attamen hoc commune habuiſſe cum pluribus oppidis, quia non defuerint alia, quæ præferre neutiquam poſſes. Et ut de ſacro etiam fonte exemplum adferam, ſcilicet Euangeliſta, ⸸ cùm Bethlehem vocat οὐδαμῶς † ἐλαχίστην, idque præcipuè quoniam τὸν ἡγούμενον ‡ produxiſſet: non aliud dicere in animo habuit, quàm ſonare videntur verba. Quæ profectò longè aliter accepit Prudentius, ut qui ſic hanc rem expreſſerit *:

* Urbs nec minima, nec præ ceteris infirmiſſima.
⸸ Matth. 2. 6.
† Neutiquam minimam.
‡ Hominem ducem.
* In hymno Epiphaniæ.

O ſola magnarum urbium
Major Bethlem: cui contigit
Ducem ſalutis cælitus
Incorporatum gignere.

Vulgò in definitione λιτότητος adjungunt, fieri eam *modeſtiæ gratiâ*, ſive *arrogantiæ vitandæ cauſſâ*. Sed id perpetuum non eſt: aut certè locum non habet in multis exemplis, in quibus λιτότητα Servius agnoſcit. Uti neque in illo Juvenalis ſat. XV, de Pythagora:

——*cunctis animalibus abſtinuit qui*
Tanquam homine, & ventri indulſit non omne legumen.

Ubi vetus interpres monet, *non indulſit*, κατ' ἀντιπεριφρασιν (ita vocat eam, quæ aliis eſt λιτότης) accipi pro *abſtinuit*: quippe qui & *legumina timeret edere*. Quòd ſanè aliquanto gravius eſt, quàm *non indulgere ventri*.

Neque ſemper λιτότης eſt, quoties per negationem ſignificatur contrarium; ſed neceſſe eſt, ut plus ſignificet negatio, quàm affirmatio. Nam, ut rectè docet Hermogenes lib. περὶ μεθόδου δεινότητος †, negatio contrarii interdum æquè, interdum minùs, interdum plus valet.

† Cap. ult.

Ἰσοδυναμεῖ ‡, cùm Xenophon * inquit, Θύων τε γὰρ φανερὸς ἦν, καὶ μαντικῇ χρώμενος οὐκ ἀφανὴς ἦν. *Quod enim ſacra faceret, perſpicuum erat: & quod uteretur divinatione, non erat obſcurum.*

‡ Tantundem valet.
* In primo ἀπομνημονευμ.

Minus eâ ſignificat, cùm Nauſica apud Homerum † Ulyſſi ait:

† Odyſſ. 3.

Ξεῖν', ἐπεὶ οὔτε κακῷ οὔτ' ἄφρονι φωτὶ ἔοικας.
O hoſpes, quoniam haut ignavo, aut deſipienti
Es ſimilis.

Nam quia Ulyſſem haut nôrat, ſatis viſum ſapienti feminæ ſi ab eo removeret vitium, etſi prudentiam, aut probitatem, non tribueret.

Plùs valet in illo Homeri Iliad. ο ‡:

‡ verſ. 11.

——Ἐπεὶ οὐ μὲν ἀφαυρότατος βάλ' Ἀχαιῶν:
——*Haut Grajum minimus quia læſerat illum.*

Sermo enim eſt de Ajace, quem inducit Martis inſtar incedentem, totique Trojanorum exercitui formidabilem, ipſi etiam Hectori, quem & ab eo vulneratum eſſe refert. Ut omnino, οὐκ ἀφαυρότατος *, æquè valeat, ac † Ἀχαιῶν φέρτατος ‡, quomodo idem alibi vocatur: nempe * μετ' ἀμύμονα Πηλεΐωνα, ut ipſe reſtringit † poëta.

* Non infirmiſſimus.
† Il. ι.
‡ Græcorum fortiſſimus.
* Poſt inculpatum Achillem.
† Il. ζ.

Etiam tribus hiſce modis Latini negatione utuntur: ut oſtendit Alciatus lib. V. Παρέργων Juris cap. XVII.

Tantundem valet negatio in illo Ovidii I. Met.

Omnia pontus erant, deerant quoque litora Ponto.

Minùs, ex Alciati mente, ſignat in illo Plauti Epidico ‡:

‡ Act. 5. ſc. 2.

Neque malo homini, neque benigno, tuo dedit Stratippocli.

Ubi ſatis viſum, ſi removeret à Stratippocle, tùm malitiam, tum prodigalitatem; etſi virtutem, & frugalitatem, non tribueret. Nam *benignus*, & *frugi*, opponuntur. Ut in Truculento *.

* Act. 1. ſc. 1.

——*Benignusne, an bona frugi ſies.*

Minùs etiam ſignat in Ulpiani † illo: *Scientiam hic accipimus, quæ habet & voluntatem.* Nec enim neceſſe eſt aliquem velle: ſed ſatis eſt non nolle.

† L. 1. §. ſcientiam. De trib.

Amplius notat in hoc Maronis ‡:

‡ Ecl. 2.

Nec ſum adeo informis.

Ubi ſic Servius: *Verecundè ſuam commemorat pulchritudinem. Sic Cicero in Caliana: Ut eum pœniteat non deformem eſſe natum. Nam pulcherrimum voluit dicere.* Longeque idem apertiùs, cùm Servius Sulpicius, certiorem facturus Tullium de interfecto M. Marcello, his verbis epiſtolam ſuam orditur *: *Etſi ſcio non jucundiſſimum me nuncium vobis allaturum.* Hic aliquis cùm Barthio colligat, fuiſſe eum nuncium Ciceroni ſanè jucundum, utcunque alii eſſe poſſint jucundiores. At quàm hæc inepta ſint, atque abſurda, nemo non videt, qui ſciat, Marcellum fuiſſe optimatum partium, Ciceroni unicè carum, qui ei à Cæſare reditum impetrârat: ut non potuerit non Tullius magnopere ob amici tanti caſum animo excruciari.

* Epiſt. 12. lib. 4. inter Cumunes.

Ex hiſce autem tribus modis poſtremus tantùm conſtituit λιτότητα: de quâ hæc fuſiùs proſequi viſum fuit, nequid hominibus etiam eruditiſſimis porrò ſub ancipiti hærere poſſit.

IX. De iis, quæ per ΕΥ'ΦΗΜΙΣΜΟ'Ν dicuntur.

Nunc quò tandem ad exordium caput hoc adducamus, accedendum ad εὐφημισμὸν: quæ poſtrema erat inter memoratas ſuperiùs troporum primariorum ſpecies. Eſt autem εὐφημισμὸς, figura res odioſas ingrataſque deſignans nominibus non ingratis. Eam non malè referas ad εἰρωνείαν. Si tamen vocum ipſarum ſignificationem potiùs, quàm qualitatem, ſpectemus; non omnis εὐφημισμὸς continent ironiam. Nam interdum per εὐφημισμὸν contrarium intelligitur; interdum verò res ingrata non contrario, ſed ſolùm diverſo ſignificatur nomine. Utriuſque generis dabo exemplum. Prioris notæ εὐφημισμὸς eſt, cùm Pontus, qui ob accolarum ſævitiam ἄξενος †, h. e. *inhoſpitalis*, ab antiquis vocabatur, εὔξεινος nominatur; quod per εὐφημισμὸν factum eſſe, ſcribit Euſtathius comment. in Dionyſii περιήγησιν, ac Lucianus quoque innuit in Toxaride. Ammianus Marcellinus ‡ de eodem: *A contrario*, inquit, *per cavillationem Pontus Euxinus appellatur.* Hinc lucem fœnerat illud Naſonis *:

† Ovid. l. 4. Triſt. eleg. 4.
‡ Lib. 22.
* Lib. 5. Triſt. el. 13.

Dum me terrarum pars penè noviſſima ponti
Euxinus falſo nomine dictus habet.

Et hoc ejuſdem †:

† Lib. 5. Triſt. el. 10.

Quem tenet Euxini mendax cognomine litus.

Hujuſcemodi εὐφημισμὸν nemo eſſe εἰρωνικὸν negârit, niſi ſimul convellere velit definitionem ironiæ ſupra adductam.

Alterius verò generis eſt, cùm is, qui ex Victoriis aureis pecuniam in uſum belli conflari volebat, quia & contumelioſum erga Deam, & mali apud populum ominis fuiſſet, ſi petiiſſet, ut ipſius Victoriæ confringerentur ſimulachra, atque ex iis cuderetur pecunia in uſum bellicum: non quidem hoc dixit, ſed aliud, ex quo, per μετωνυμίαν finis, id quod ad finem deſtinatum erat, intelligi poterat. Quippe, ut Demetrius, & Fabius ‡ ſcribunt, *utendum* dixit *Victoriis*; quaſi eas putaret belli ſocias adſciſci oportere. Inter proprium hic, & improprium, non contrarietas eſt, verum conjunctio: ſed improprium proprio præfertur, quia illud rem exprimit, quatenus eſt grata, hoc, quatenus ingrata. Hujuſmodi igitur εὐφημισμοὶ nullam habent ironiam, ſi ſpectemus ſolam vocum earum ſignificationem, quæ commutantur. Poſſumus tamen talia quoque ad ironiam referre, ſi qualitatem conſideremus, quatenus unum auditu gratum & jucundum eſt, alterum ingratum atque odioſum: quæ pugnan-

‡ Lib. 9. cap. 2.

pugnantia ſunt. Atque hoc magis liquebit, ſi diſtinctè videamus, quibus in rebus εὐφημισμῷ veteres uti conſueverint.

Sunt autem ea quatuor inprimis generum. In quibus ipſis princeps locus ſacris debetur: ubi religio plane erat, verbis uti malè nominatis, ut loquitur Horatius *, hoc eſt, ut Græci dicerent, ὀνόμασιν δυσωνύμοις. Quibus prolatis, vitiari ſacra credebant: unde Tibullus †:

* Lib. 3. ode 14.
† Lib. 2. eleg. 2.

Dicamus bona verba (venit natalis) ad aras:
Quiſquis ades, linguâ, vir, mulierque, fave.

Et Ovidius 1. Faſt.

Proſpera lux oritur; linguiſque, animiſque favete.
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.

Itaque cùm augurium aliquod felix fuiſſet, ſed alterum priori vitium faceret; illud quidem, quod proſperum foret, ita uti erat, appellabant; poſterius verò, *alterum* potiùs, quàm *infelix*, dixere; quæ μετωνυμία eſt ſubjecti, quia alteri illi augurio accidit, ut ſit infelix. Feſtus: *Alter & pro non bono ponitur: ut in auguriis altera cùm appellatur avis, quæ utique proſpera non eſt. Sic alter nonnunquam pro adverſo dicitur, & malo.* Sanè & Pindaro ‡ dicitur δαίμων ἕτερος, qui Catullo ⁑ *Deus non bene advocatus.* Ad ſacra etiam pertinent voces hæ, *magmentum, mactus, mactare, adolere*: in quibus itidem per metonymiam fit εὐφημισμός. Quod manifeſtius erit, ſi priùs nativam eorum ſignificationem conſideraverimus. Propriè enim *magmentum* (quod in Arnobio, & vett. inſcript. legitur) eſt majus augmentum unde *magmentaria* dicebantur *vaſa*, quibus magmenta, & extra ſacra impoſita, aræ inferebantur. Gloſſ. *magmentarium*, ἐφ' ᾧ τὰ σπλάγχνα ἀνατιθέμενα τοῖς βωμοῖς προσφέρεται. Arnobium hâc voce uſum, exiſtimat Turnebus Adverſariorum lib. XXII. cap. VI. Itidem *mactus* eſt magis auctus, ac *mactare* item eſt magis auctare; unde idem Arnobius, Eccleſiaſticorum ſcriptorum Varro, lib. VII. adverſus gentes: *Etenim*, inquit, *ſi bonos auget, ejuſque accumulat dignitatem, cui fuerit attributus; ſequitur, ut auctior Deus fiat ab homine, à quo fuerit munere & honoris collatione donatus: atque ita perducitur res eò, ut inferior Deus ſit, qui honoribus mactatur humanis: homo verò ſublimior, qui auget potentiam numinis.* Atque iſtiuſmodi quidem propria eſt ejuſce vocis acceptio: ſed κατ' εὐφημισμὸν *mactare* accipi cœptum pro *interficere*, ut docet Servius *, & Porphyrio †: in cujus veteri quodam codice, ut Carrio teſtatur ‡, extat illuſtris hic Varronis de eapſe re locus è ſecundo de moribus pop. Rom. *Mactare*, inquit, *verbum eſt ſacrorum κατ' εὐφημισμὸν dictum, quaſi magis augere, ut adolere: unde & magmentum, quaſi majus augmentum. Nam hoſtiæ tanguntur molâ ſalſâ, & tum immolata dicuntur: cùm verò icta ſunt, & aliquid ex illis in aram datum eſt, mactata dicuntur per laudationem, itemque boni ominis ſignificationem: eo; cùm illis mola ſalſa imponitur, dicitur, Macte eſto.* E quibus Varronis verbis, præter cætera, condiſcere eſt, diſcrimen inter *immolare*, & *mactare*.

‡ Od. 3. Pyth.
⁑ Epigr. 41.
* In illud Virgilii 4. Æn. Mactant lectas de more bidentes.
† In illud Horat. Sat. 2. l. 1. macte virtute eſto.
‡ Lib. 2. Emend. cap. 3.

Nec abs re eſt, quod inibi Varro, ut *mactare*, ita & *adolere*, dici ait per laudationem, ſive boni ominis ſignificationem. Siquidem *adolere*, & *adoleſcere*, propriè eſt *creſcere* ⁑, ſed quia malè nominatis vocibus in ſacris abſtinebant; uſurpari cœpit pro *cremari*, idque per μετωνυμίαν; quia nempe victimæ, & altare, verbenis, vino, & extis creſcerent atque augerentur; unde Plautus Mercatore *:

⁑ Servius in Ecl. 8.
* Act. 4. ſc. 1.

—— Aliquid cedo,
Qui hanc vicini noſtri aram augeam, Syra.
Da ſanè hanc virgam lauri.

Vide Feſtum, Nonium, & Servium in illud Maronis quarto Georg.

Panchæis adoleſcunt ignibus aræ.

Neque hoc εὐφημισμοῦ genus in ſacris neglexere Hebræi. Nam quia nihil æquè horribile eſt, ac auditu grave, quàm ut homo dicatur Deo ipſi maledixiſſe, eò εὐφημισμοῦ κατ' εἰρωνείαν *benedicere* uſurpabant pro *maledicere*. Ut 1. Reg. XXI. 10. *Benedixiſti Deo, & regi.* Et Jobi 1. 5. *Fortaſſe peccaverunt filii mei, & benedixerunt Deo in cordibus ſuis.*

Poſt ſacra vix aliud erat, in quo æquè gauderent εὐφημισμῷ, quàm ſi mentio eſſet facienda mortis, quâ nihil hominibus triſtius accidere ſolet. Itaque nunc per metaphoram id declinabant, nunc per ſynecdochen, nunc per metonymiam.

Μεταφορὰ certè eſt, cùm pro morte dicebant *abitionem*, & *abiiſſe* pro mortuum eſſe; ut & Feſtus teſtatum facit, & liquidò indicat ille Tertulliani locus lib. de teſtimonio animæ cap. IV. quem & antea * adduximus: *Atquin hoc quoque* (reſurrectionem intelligit) *ab animâ prædicatur. Nam ſi de aliquo jampridem defuncto, tanquam vivo, quis requirat; præ manu occurrit dicere*, ABIIT JAM, ET REVERTI DEBET. Sanè ſic eundi, & abeundi verbo utitur Lucretius, ut oſtendit Palmerius in Spicilegio. Item Plinii eſt lib. II. epiſt. 1. *Et ille quidem plenus annis abiit, plenus honoribus, illis etiam, quos recuſavit.* Simileque eſt *receſſit*, pro eodem, in veteri inſcriptione †: RECESSIT SUB VIIII. KAL. AUGUSTAS P. C. LAMPADI ET ORESTIS VV. CC. IND. VIII.

* Lib. 2. c. 2 ſect. 5.
† In Collectione Inſcriptionum Gruterianâ p. CIↃLX. num. 7.

Εὐφημισμὸς κατὰ συνεκδοχὴν eſt in illo Ciceronis Philippicâ 1. *Ut ſiquid mihi humanitus accidiſſet, hujus diei vocem teſtem relinquerem meæ voluntatis.* Nam & præter mortem alia humanitus homini contingunt. Genus igitur pro ſpecie accipitur: uti & in illo Plauti Ciſtell. ‡ *Hem, voluiſti iſtuc ſeverum facere?* hoc eſt, ſemet interimere.

‡ Act. 3.

Εὐφημισμὸς κατὰ μετωνυμίαν eſt, quòd Græci τοὺς νεκροὺς ⁑ appellant μακαρίτας *, vel πλείονας †: quia mortuis beata obtingit vita, majorque mortuorum eſt numerus, quàm viventium. Imò & Plautus ‡, Græcorum imitatione, dixit, *ſe ad plures penetrare.* Vide, quæ de hoc loquendi genere poſt Alciatum ⁑, Victorium *, & Canterum †, Leopardus annotavit lib. XVI. cap. XVII.

⁑ Mortuos.
* Beatos.
† Plures.
‡ Trinummo act. 2. ſc. 2.
⁑ Lib. 10. Παρέργων. cap. 13.
* L. 2. Var. Lect. c. 7.
† Lib. 4. cap. 18.

Quod ſi μετάληψις quoque μετωνυμίας ſpecies eſt, ut ſuperiùs diximus; etiam huc pertinet, quòd fuiſſe dicebant, qui mortui eſſent. Plautus Truculento ‡:

‡ Act. 1. ſc. 2.

Ita pene tibi fuit Phroneſium.

Tibullus lib. III. Eleg. IV.

Vivite felices, memores & vivite noſtri,
Sive erimus, ſeu nos fata fuiſſe velint.

Itidem *vixiſſe* dicebant pro *mortuum eſſe*. Unde Plautus Bacchid. ⁑

⁑ Act. 1. ſc. 2.

Vixiſſe nimio ſatius eſt, quàm vivere.

Et Tullius *, ſublatis iis, qui cum Catilina conjurarant, ad vitandam nominis invidiam, Senatui dixit, *vixerunt*. Senecæ etiam eſt epiſt. XII. *Pacuvius, qui Syriam uſu ſuam fecit, cùm vino, & funereis illis epulis, ſe ſepeliſſet, quaſi ſibi parentaverit, ſic in cubiculum ferebatur à cœnâ, ut inter plauſus exoletorum hoc ad ſymphoniam caneretur*, βεβίωκε, βεβίωκε †.

* Plutarchus in Cicerone.
† Vixit, vixit.

Tertium locum obtinent ea, quibus turpis, aut triſtis vitæ conditio exprobrari videtur. Ita, quia probroſum erat, meretrices, quas amarent, vocare πόρνας ‡, eò appellabant illas ἑταίρας ⁑, quod valet ἐρωμένας *. Atqui amari accidit meretrici, ut hæc ſit metonymia adjuncti. Hodieque etiam Belgæ in ſermone vernaculo famulas, in quas ipſi imperium non habent, ſi nomen neſciant, aut illud non ſuccurrat, *amicas*, vel *virgines*, vel alios affectionis nomine vocare malunt, quàm *ancillas*: quod nomen amarius eſt, & tacita quædam ſortis exprobratio. Neque hâc in parte eos deficit veterum exemplum. Nam, ut ex Athenæo † diſcimus, Mariandyni, quò minuerent acerbitatem nominis, ſervos, non οἰκέτας ‡, ſed δωροφόρους ⁑ nominabant: ac Cretenſes ſimiliter urbanos ſervos χρυσωνήτας * dixere; eos verò, qui in agris degerent, κλαρώτας: nempe, ut ibidem dicitur, διὰ τὸ κληρωθῆναι †. Quo pacto ἀφαιροῦσι ‡ τὸ πικρὸν τῆς ἀπὸ τῶν οἰκετῶν προσηγορίας.

‡ Meretrices.
⁑ Socias, amicas.
* Amatas.
† Lib. 6.
‡ Servos domeſticos.
⁑ Donifer os.
* Quaſi dicas, auro emtos.
† Quia ſors ſuper iis miſſa eſſet, cùm divideretur præda.
‡ Minuitur acerbitas appellationis, quâ ſervi vocantur.

Quar-

Quartum genus eſt in imprecationibus, & ſimilibus. Ut cùm *vivere*, aut *valere* jubent, quos in malam crucem abire expetunt, vel ſaltem, quibuſcum nihil ſibi negotii eſſe in poſterum velint. Ut in pervulgato iſtoc Comici *:

* Andr. act. 4. ſc. 2.

——Valeant,
Qui inter nos diſſidium volunt.

Itidem Tibulli eſt †:

† L. 2. el. 7.

Caſtra peto, valeatque Venus, valeantque puellæ.

Vivere verò ſic dixit Maro ‡:

‡ Ecl. 8.

Omnia vel medium fiant mare, vivite ſylvæ.

Quem in locum ita Servius: *Vivite, valete. Non enim bene optantis eſt, ſed renunciantis.* Catullus ‡ utrumque conjunxit:

‡ Carm. 11.

Cum ſuis vivat valeatque mœchis.

Græci ſimiliter ſuum χαίρειν uſurpant: unde Thomas Magiſter: Χαίρε * οὐ μόνον ἐπὶ ἡδονῆς, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ φθείρεσθαι. Ἀριστοτέλης· Τὰ γὰρ εἴδη χαιρέτω· τερετίσματα γάρ ἐστι. Eodemque modo, cùm ab Euripide, Luciano, atque aliis, uſurpatur: tum in ſcito iſthoc epigrammate †:

* Vale non ſolùm in jucundis, ſed etiam in exitio Ariſtoteles: Valeant ideæ. Sunt enim inania oblectamenta.

Αἱ ‡ βόες αἱ λευκαὶ Μάρκῳ τῷ Καίσαρι χαίρειν.
Ἢν δέου νικήσῃς, ἄμμες ἀπωλόμεθα.

Cui faceti ſſimo voto geminum planè eſt apud Senecam lib. 111. de Benef. *Rufus, vir ordinis ſenatorii, inter cœnam optaverat, ne Cæſar rediret ex ea peregrinatione quam parabat, & adjecerat, idem omnes & tauros, & vitulos, optare.*

† Apud Ammian. lib. 25.
‡ Alibi boves Marco Cæſari valere. Si enim tu viceris, nos perimus.

Quæ hactenus εὐφημισμοῦ exempla adduximus, ea in nominibus, aut verbis, conſiſtunt. Sed eſt etiam, cùm fit in adverbiis: ut *rectè*, pro *nihil*. Quod clarè videas in iſtoc Comici, Heautont. ‡

Tum quod ei dem, rectè eſt.
Nam nihil eſſe, religio eſt dicere.

Idem Eun. *

——rogo, numquid velit.
Rectè, inquit. Abeo.

Ubi Donatus: *Rectè, pro eo, quod eſt, nihil: & moraliter,* τοῦ Ἀττικισμοῦ. Item Hecyra †:

‡ Act. 2. ſc. 1.
* Act. 2. ſc. 3.
† Act. 3. ſc. 2.

S. *Quid tu igitur lacrymas, aut quid es tam triſtis?*
Pam. *Rectè, mater.*

Quem in locum ſic idem grammaticus: *Rectè dicimus, cum ſine injuria interrogantes aliquid reticemus.*

Similеque hoc Adelphis:

Æ. Perii. M. Quid eſt?
Æ. Nihil. rectè. perge.

Plautus quoque eodem Bacchidum modo initio: ubi Piſtoclerus ſic meretrices compellat:

Quid in conſilio conſuluiſtis?

Reſpondent illæ, *bene.* Tum adoleſcens,

Haut meretricium eſt.

Nempe Piſtoclerus ſic interpretabatur, quaſi dixiſſent, ſe boni aliquid conſilii cepiſſe: ſed illæ formulâ iſtâc, *bene*, honeſtè rejiciebant adoleſcentem, ne porrò quæreret, quod reticere mallent. Sic Mercatore Act. 11. ſc. 111.

De. *Vnde incedis? quid feſtinas, gnate mi?* Ch. *rectè, pater.*

Et hæc de ſex primariorum troporum ſpeciebus, vel, ſi malis, formis: in quibus utinam aliquid ſit non publici ſaporis, neque ad guſtum vulgi; quod ego in hiſce rebus tantundem ad veritatis genium ſapere exiſtimo, quantum grundile illud animal ad amaracinum, omneque unguentum; quod, ut ait Lucretius *,

* Lib. 6.

—— ſetigeris ſubus acre venenum eſt.

Caput. XI.

DE ALLEGORIA.

Affectiones primariorum troporum ſunt quatuor: ἀλληγορία, κατάχρησις, ὑπερβολή, *&* ἔμφασις.

Allegoria eſt continuatio eorum, quæ per metaphoram, metonymiam, aut ſynecdochen dicuntur. Eſtque vel pura, vel mixta.

Comprehendit autem apologos, fabulas poëticas, ænigmata, & parœmias.

I. Affectiones troporum non eſſe novos tropos. Allegoria unde dicatur. Nec allegoriam modo eſſe, ſi metaphora, ſed etiam ſi metonymia, aut ſynecdoche, non item ſi ironia, continuetur.

Præter metalepſin, de quâ ſuperiùs actum nobis, quatuor aut præterpropter, ſunt primariorum troporum affectiones. Una quidem qualitatem tropi ſpectat; κατάχρησις nempe, quæ tropi eſt duricies: cæteræ reſpiciunt quantitatem; puta ἀλληγορία, ὑπερβολή, & ἔμφασις. Nam ἀλληγορία, uti & μετάληψις, oritur ex plurium troporum conjunctione: at continuatio ac numerus ad quantitatem pertinent. Ὑπερβολή verò, & ἔμφασις, reſpiciunt magnitudinem; quia utràque exprimitur rei exceſſus: at magnitudo rei quantitas eſt. Itaque nihil cauſſæ eſt, cur ambigat quiſquam, recténe hæc affectiones dicantur; cùm, quicquid non eſt de tropi eſſentiâ, id ejus ſit accidens; ſive proprietas ſit ejus, ſive accidens commune, quod ἁπλῶς accidens vocatur.

Inter affectiones haſce familiam ducit, quæ Græco nomine ἀλληγορία dicitur, quia ἄλλο μὲν ἀγορεύει, ἄλλο δὲ νοεῖ *. Heraclides Ponticus in Allegoriis Homericis †: Ὁ γὰρ ἄλλα μὲν ἀγορεύων τρόπος, ἕτερα δὲ ὧν λέγει σημαίνων, ἐπωνύμως ἀλληγορία καλεῖται ‡. Quaſi *inverſionem* cum Fabio, vel, cum aliis, *diverſiloquium* reddat. Inde eſt, quòd Arnobius lib. v. cùm priùs dixiſſet, ex nationum opinione, fabulas *allegoricis ſenſibus* ſignificare aliquid; paullo pòſt ſeſe explicans ait, in iis *aliud quidem dici, ſed intelligi aliud.* Etiam apud B. Hieronymum legas in epiſt. ad Gal. iv. 24. allegoriam eſſe, cùm *alia ex aliis figurantur.* Itaque allegoriam haut abſurdè *diverſiloquium* vertas. Ac vox quidem ἀλληγορίας vetus non eſt, ut ex Plutarcho ‡ cognoſcimus; qui auctor eſt, ea, quæ ſuo tempore ἀλληγορίαι dicebantur, veteres appellâſſe ὑπονοίας. Ariſtoteles quidem nuſquam ἀλληγορίας nominat. Utitur ἀλληγορίας voce Apoſtolus Paulus ad Galatas cap. iv. verſ. 24. ubi duabus Abrahami uxoribus, Sarâ & Agar, ἀλληγορικῶς dicit ſignificari Teſtamentum V. & N. Ait enim, Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα, &c. Sed hic καταχρηστικῶς *allegoria* pro typo accipitur: quia res veteris Teſtamenti myſticè exponuntur, ſalvâ hiſtoriæ veritate. At Rhetoribus ἀλληγορία nihil aliud eſt, quàm modificatarum vocum continuatio. Nam quemadmodum μετάληψις eſt, cùm plures concurrunt tropi in voce unâ; (quam ob cauſſam ſuprà dicebamus, eam ad troporum quoque affectiones referri poſſe) ita in allegoriâ eſt plurium vocum tropicarum continuatio. At falluntur, qui ἁπλῶς ſcribunt, allegoriam eſſe troporum continuationem. Nam hæc, uti dixi, definitio metalepſi quoque convenit. Quid quod nec in pluribus vocibus quorumvis troporum continuatio allegoriam conſtituit; ſed ſolùm metaphoræ, metonymiæ, ac ſynecdoches? Sanè continua eſt ironia in illo Maronis iv. Æn.

* Aliud dicit, aliud verò intelligit.
† Pag. 92. edit. Oporini, anno 1544.
‡ Nam translatio locutionis, qua aliud verbis dicitur, aliud verò ſignificatur, conſtat hac ratione, allegoria nuncupatur.
‡ Lib. de audiendis poetis.

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis,
Tuque, puerque tuus, magnum & memorabile nomen,
Vna dolo Divûm ſi femina victa duorum eſt.

Item in iſtis Ciceronis pro Milone: *Luget Senatus, mœret equeſter ordo, tota civitas ſenio confecta eſt.* Sed luculentè inprimis continuatur ironia in hiſce adverſus Piſonem, qui triumphum contemneret: *Non eſt integrum Cn. Pompeio, conſilio jam uti tuo. Erravit enim, non guſtârat iſtam tuam philoſophiam. ter jam homo ſtultus triumphavit. Craſſe, pudet me tui. quid eſt, quid, confecto*

ſer-

Dig

formidoloſiſſimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris à ſenatu? P. Servili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non hunc audiſtis tam doctum hominem, tam eruditum, priuſquam in illum errorem induceremini? C. ipſi Pontino, neceſſario meo, jam non eſt integrum. religionibus enim ſuſceptis impeditur. O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! ò amentem Paullum, ruſticum Marium, nullius conſilii patres iſtorum amborum conſulum, qui triumpharunt! Nihil hâc ironiâ magnificentius: quæ tamen allegoria dicenda non eſt; non quia natura vocis per ſe repugnet, (nam vel maximè *aliud* dicitur, cùm contrarium intelligitur) ſed quia, ſi laxè adeò illud ἄλλο * in ἀλληγορίας voce ſumatur, omnis ironia, etiam quæ continuata non eſt, allegoria erit, quod ſuperiùs refellebamus. Quare illud ἄλλο reſtringi debet ad *aliud* ſimile, vel ſaltem conjunctum, aut amicè conſpirans cum eo, quod dicitur, ut in tribus primis tropis fit; non item ad quiddam inimicum ac repugnans, qualia commutat ironia. Vidimus, in quibus non ſit allegoria. At contrà allegoria eſt, cùm Catilina diceret, ſe incendium ſuum non aquâ, ſed ruinâ exſtincturum, teſte Salluſtio. Nempe hìc continuatur metaphora. Idem fit in illo, *Anus ad armillum*, de eo, qui redit ad ingenium, apud Lucillium, & Appulejum. Eſt autem *armillum* crater ſeu vas vinarium, ut exponitur in gloſſis Iſidori. Itaque adſidet hæc ἀλληγορία ſenario iſti veteris poëtæ: Ποτήρι ἡ γραῦς, ἄλλο δ' οὐδὲ ἓν βλέπει: & huic Græcorum; Γυναιξὶν ὁ νοῦς ἐν καπηλείῳ †, niſi malis, ἐν τῷ καπήλῳ, ſc. οἴνῳ. Elegans quoque allegoria eſt in iſthoc Plautino ‡, *Albo rete aliena bona oppugnare*; quod nihil aliud eſt, quàm fraudibus ſuis leges, jura, aliudve prætendere. Nam *reti* leges notantur: *album* verò ſignat εὐπρόσωπον ⸸; quomodo alibi homines ſe ait *cretâ occultare*; & Ennius Medeam *gypſatis* facit *manibus*. Ita loca illa de confragoſis plana nobis reddidit Semo ille maximus, qui adverſus Titium ſcripſit *. Quamquam & elegans fuerit allegoria, ſi cum Valente Acidalio legas, *albod ariete*, quod vicinum eſt veterum aliquot codicum lectioni, ubi eſt, *albo pariete*: & convenit oppugnandi verbo, cùm *aries* ſit inter machinas bellicas. *Albus* verò *aries* ſimiliter ſignabit ſpecioſum æquitatis prætextum. Ab eâdem machinâ eſt allegoria illa B. Hieronymi ad Heliodorum: *Aries iſte pietatis, quo fides quatitur, Euangelii retundendus eſt muro.*

** Aliud.*

† Mulieribus mens eſt in caupona.
‡ Perſâ act. 1. ſc. 2.
⸸ Honeſti ſpeciem præferens.
** Pag. 198.*

Quòd ſi allegoria, nihil aliud eſt, quàm troporum (trium nempe priorum, ut dixi) continuatio: haut rectè ſcribit Fabius †, allegoriam proprio quoque ſermone conſtare poſſe. Adducit ille pro ſeſe illud Eclog. IX.

† Lib. 8. cap. 6.

Certè equidem audieram, quâ ſe ſubducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Uſque ad aquam & veteris jam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus veſtrum ſervâſſe Menalcam.

Verùm cùm tantùm per *Menalcam* Virgilius debeat intelligi; cætera autem omnia proprio conſtent ſermone, quemadmodum ipſe Fabius agnoſcit: nulla hìc erit tropi continuatio, eoque nec ἀλληγορία futura eſt.

Spiſsè idem * errat, cùm ironiam inter allegoriæ ſpecies reponit. Ironia enim eſt tropus primarius: allegoria nec tropus primarius eſt, nec ejuſce ſpecies, ſed tantùm affectio; quippe tropi continuatio, ut tropum primarium non contineat, ſed ab tropis primariis contineatur.

** Ibidem.*

Poteſt tamen & ironia eſſe allegorica, ut in illo Plauti Epidico †:

Is etiam ſeſe ſapere memorat, malleum
Sapientiorem ſcilicet ‡ *manubrio.*

† Act. 3. ſc. Cave præterbitas.
‡ Scilicet *in uno MSo reperit Lambinus; ſed deeſt in cæteris, ut gloſſema videatur.*

Nec res ea pro Fabio quicquam facit. Nam hoc in exemplo tralationum eſſe continuationem, quivis videt. At nihil iſtiuſmodi fit, cùm in Clodium dicitur: *Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit*: quod Fabius exemplum facit allegoriæ ironicæ: quemadmodum & allegoriam definire non dubitat, orationem, *quæ aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit, ut interim etiam contrarium.* At nos quidem agnoſcimus, allegoriam quoque εἰρωνικῶς interdum intelligi debere: verùm negamus, ironiam eo modo accidere allegoriæ, quo animali accidit ut ſit homo, eò quia & beſtia eſſe poſſit. Atqui ſi dici nequit, ironiam eo modo accidere allegoriæ, quo generi accidit, ut hæc potiùs ſpecies ſit, quam altera; neutiquam vel in allegoriæ definitione, quæ eſſentialia ſolùm complecti debet, vel ejus in diviſione, quæ per ſpecies oppoſitas inſtituenda eſt, ironiæ ullus eſt relictus locus.

Quemadmodum autem Fabius nimis extendit pomœria allegoriæ, cùm & in proprio ſermone, & in ironiâ quâvis, eam locum habere cenſet: ita alii contrà nimis ejus limites coarctant, cùm allegoriam tantùm conſtitui putant tranſlationum continuatione. Atque hoc lubentes mihi conceſſerint, ex quorum ſententia ἀντονομασία continuatur Eclog. IV.

Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

Quo loco & Servius ſcribit, *ſpecialia pro generalibus poni: per Tiphyn, quemcunque gubernatorem accipi; per Argo, quamcunque navem; per Trojam, quamcunque civitatem; per Achillem, quemcunque virum fortem.* Quæ ſi vera ſunt, fuerit hic ἀλληγορία extra metaphoram. Veruntamen ut, quod res eſt, dicam, magis hoc loco altera mihi ſententia placet, ut alludatur ad magnum Platonis annum, & ἀποκατάστασιν, h. e. rerum omnium revolutionem, ex ſiderum in locum priſtinum reſtitutione ſive reditu ortam, quæ & ipſa interpretatio apud Servium exſtat. Atque, ut hoc non eſſet; tamen hujuſcemodi videri poterant ad metaphorarum continuationem pertinere; cùm antonomaſia, quâ proprium ponitur pro communi, metaphoræ quoque ſubjici poſſit, ut cap. X. oſtendebamus. Manifeſtius exemplum, minuſque cavillationi expoſitum, videre eſt in illo Comici *: *Sine Cerere, & Libero, friget Venus.* Ubi egregiè triplex conjungitur metonymia cauſſæ. Periit venuſtas, ſi pro *Cerere, Libero*, aut *Venere*, ſubſtituas proprium. At enim dicas, hujuſcemodi quidem complura inveniri; verùm haut eſſe ἀλληγορικά. Equidem ſcio, multis, ut novum, ita abſonum viſum iri, quòd in talibus ſtatuamus ἀλληγορίαν: verùm cùm non minùs metonymiæ ac ſynecdochæ accidat continuatio, quàm metaphoræ; nec nomina habeamus idonea, quibus hæc genera diſtinguantur: omnino ſatiùs fore arbitror, ut utrumque genus allegoriæ nomine comprehendamus, quàm unum quidem continuationis genus inter troporum affectiones conſtituamus, alterum verò ſilentio noſtro damnemus. Adde quòd ænigmata, quæ nihil aliud eſſe volunt, quàm allegorias obſcuriores, interdum puris putis conſtant metonymiis, aut ſynecdochis, ut infrà oſtendemus. Interim non negamus, ſi veterum attendamus uſum, allegoriæ nomen potiſſimùm convenire tranſlationum continuationi. Quid mirum? cùm metaphora principem inter tropos obtineat locum; ejuſque continuatio non uſitatior tantùm ſit altera, ſed plus quoque habeat venuſtatis; quia perſiſtitur in ſimilitudine, quæ rem maximè ob oculos ponit. Plurimùm ſanè allegoria eſt prior comparationis pars; quamquam non ut eam componit, verùm ſeparatim, & extra eam poſita. E. G. Comparatio eſt; Quemadmodum mali corvi malum eſt ovum, ita vafri præceptoris vafros eſſe diſcipulos. At allegoria fuit, cùm judices de Corace & Tyſiâ dixerunt, Κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν †; ubi & ſimul alluſere ad Coracis nomen.

** Eun. act. 4. ſc. 5.*

† Mali corvi malum ovum.

II. Allegoria dividitur in puram, et mixtam.

Allegoria eſt duplex; pura, quæ merè allegorica eſt, & mixta, quæ proprium adjungit ad majorem claritatem. Pura eſt in illo Plauti Epid. ‡. *Utcumque in alto ventus*

‡ Act. 1. ſc. 2.

ventus eſt, ex imo velum vortitur. i. prout tempora mutantur, animi quoque & cupiditates hominum variant. Ac poſtea *, *Guttulâ pectus ardens mihi adſperſiſti.* i. animum mœrore confectum verbis tuis conſolatus es. Et in illo Tullii pro Quinctio de criminum illatione, & propulſatione: *Ita fit, ut ego, qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cùm etiam telum adverſarius nullum jecerit: illis autem id tempus impugnandi detur, cùm & vitandi illorum impetus poteſtas adempta nobis erit; & ſiquâ in re, quod parati ſunt facere, venenatum aliquod telum jecerint, medicinæ faciendæ locus non erit.* Ut quidem legit Lambinus, pro quo in vulgatis eſt: *Quod parati ſunt facere, falſum crimen, quaſi venenatum aliquod telum, &c.* Verùm vix exiſtimo, hæc verba, nullâ aliâ de cauſâ, quàm eâ, quam Lambinus affert, cancellanda & furcillis ejicienda eſſe, tanquam gloſſema. Siquidem ſæpe allegoria degenerat, cùm id, quod proprium eſt, ad majorem lucem admiſcetur. Ita Cicero in Exordio Milonianæ: *Equidem cæteras tempeſtates, & procellas, in illis duntaxat fluctibus concionum, ſemper putavi eſſe Miloni ſubeundas.* Vides, ut non *fluctibus*, ſed *fluctibus concionum*, dicat. Atque hoc illud eſt quòd ſuperiùs allegoriam mixtam appellabamus. Geminum omnino, ac ſimillimum eſt hoc in oratione illâ Philippi, Macedoniæ regis, ad Græcos, quam apud Juſtinum legas lib. xxix. *Videre ſe ait conſurgentem in Italia nubem illam trucis & cruenti belli: videre tonantem ac fulminantem ab occaſu procellam; quam in quaſcunque terrarum partes victoriæ tempeſtas detulerit, magno cruoris imbre omnia fœdaturam.* Pura foret allegoria, ſi ſimpliciter diceret *nubes, tempeſtas, imber*: ſed mixta fit, cùm ait, *nubes cruenti belli, victoriæ tempeſtas, cruoris imber.* Tertium quoque mixtæ allegoriæ exemplum adtexam è venuſtiſſimo poſt homines natos Decimi Laberii carmine †, quod fecit à Cæſare quingentis milibus invitatus, ut jam ſenex, & eques Romanus, in ſcenam prodiret mimus:

* Act. 4. ſc. 1.

† Apud Macrob. lib. 2. Saturn. c. 7.

Si tibi erat libitum literarum laudibus
Floris cacumen noſtræ famæ frangere:
Cur, cùm vigebam membris præviridantibus,
Statis facere populo, ac tali cùm poteram viro,
Non flexibilem me concurvaſti, ut carperes?

Niſi malis cum Jano Guilielmio, *ut paceres*, i. pangeres. Sed ex verſu, quem ſecundo loco memoravimus, liquet, verbo uſum eſſe, quod idem valeat ac *frangeres*. Quare *pangendi* vocem ſententia reſpuere videtur: nec, ſi ferret, cauſſæ fuerit quicquam, cur *pacere*, quàm *pangere*, mallet elegantiſſimus ſcriptor. Etiam duos primos verſus fruſtra ſollicitabat Lucas Fruterius ‡, qui malebat: *Si tibi erat libitum ludiorum luſibus Florens cacumen*: vel *florum cacumen*; quod antiquum eſt, pro *florens*.

‡ Epiſt. ad Muretum.

Ἀλληγορίαις poëtæ involverunt naturæ ac moralis philoſophiæ myſteria; quæ omnia cùm ſimpliciter intelligeret Eratoſthenes, imperitè, vel potiùs malignè, poëticen appellavit γραώδη μυθολογίαν ‡. Meliùs Dionyſius Halicarnaſſenſis, qui ἐν Τέχνῃ ſcribit, comœdiam (eadem autem fabularum omnium ratio eſt) ſub ludicrâ larvâ philoſophari: ἡ γάρ τοι κωμῳδία αὐτὴ, τὸ γελοῖον ἐσχηματισμένη φιλοσοφεῖ. Scripſere è Græcis de poëticarum fabularum ſenſibus Phurnutus ſive Cornutus, & Palæphatus, non Parius ille ſive Prienenſis, cujus inter alios Virgilius meminit in Ciri: verùm alius, ut ſuſpicor, eo junior. Barbarè egit eâpſe de re Fulgentius, non quidem fulgentiſſimus ille Epiſcopus Carthaginenſis, cui in antiquioribus editionibus tribuitur, ac à Florido quoque Sabino * adſcribitur; ſed Grammaticus, qui & Fabius Planciades; cujus de continentiâ Virgilianâ libellum habemus, & alterum de antiquarum aliquot vocum interpretatione. Quatenus autem in poëtis allegorias quærere oporteat, vide apud eundem Floridum Subſecivarum Lect. lib. I. cap. XXIV.

‡ Anile fabulamentum.

* Lib 2. ſubſec. Lect. cap. 24.

Itidem ἀλληγορικῶς καὶ συμβολικῶς, intelligenda ſunt pleraque Pythagoræ dogmata, atque etiam Platonis: ideoque Ariſtoteles, ut & Thomas ſenſit Aquinas, in iis, quæ adverſus Platonem commentatus eſt, crebrò non refutat, quod ſenſit Plato, ſed quod ejus ſignificatur verbis propriè acceptis.

Neque iccirco extra culpam fuerit Plato. Nam & Dionyſius Halicarnaſſenſis * damnat in eo allegorias μακρὰς, καὶ πολλὰς, οὔτε μέτρον ἐχούσας, οὔτε καιρὸν †.

* Epiſt. ad Cn. Pompejum.

† Crebras, longas, intempeſtivas.

III. De apologo.

SPecies Allegoriæ ſunt; Ἀπόλογος, μῦθος, αἴνιγμα, & παροιμία. Ἀπόλογος ita dictus eſt, quia ſit λόγος ἀπὸ λόγου. Nam aliud apertè dicit, aliud innuit. Itaque Julio Scaligero, viro ad unguem facto, definitur ‡, narratio ficta de re quapiam cum attributione πάθους, aut ἤθους, vel cum oratione, vel ſine eâ, ut ad humana commoda aliquid ex eâ deſignetur. Iſtiuſmodi ſunt apologi Æſopici, quos quidam à Socrate ſcriptos volunt. Fabius tamen lib. v. cap. xi. ait, Heſiodum primum eorum autorem videri; Æſopicos autem vocatos eſſe, quoniam eos Æſopus excoluerit. Theon quoque in progymnaſmatis docet, Æſopum non eſſe, qui illos invenerit, cùm eos Homerus, Heſiodus, Archilochus, aliique Æſopo antiquiores, uſurparint; quin etiam quidam Connis Cilix ‡, & Thurus Sybarita, & Cybiſſus Libys, apologorum dicantur eſſe auctores. Itaque meritò ſubdit, fabulas dici Æſopicas, quomodo dicimus metrum Ariſtophaneum, Alcaicum, aut Sapphicum, non quia ab his primùm, aut ſolùm, ſed quia inprimis id carminis genus ſit uſurpatum.

‡ De re poet. lib. 3. cap. 84.

‡ Perperàm in utraque Theonis editione legitur, Κόννις, καὶ Κίλιξ, pro Κόννις ὁ Κίλιξ.

Quantum autem oratori apologorum notitia conducat, vel inde cognoſcere licet, quòd Jotham apologo ſit uſus in reprehendendis Sichemitis; ut eſt Jud. ix. quòd item Nathan propheta Davidem ſit apologo aggreſſus, eum caſtigaturus ob adulterium ac homicidium patratum: ut eſt lib. ii. Reg. ſeu Samuelis cap. xii.

Uſurpant etiam Eccleſiaſtici ſcriptores. Ita Nazianzenus primâ epiſtolâ ſuâ refert apologum de cygnis & hirundine, ut eo Celeuſium præſidem à vanâ abſterreat gloriâ. Gerſon, Cancellarius Pariſienſis, commentario in Canticum B. Virginis, apologum commemorat de fele, & vulpe: atque item alterum de palumbe, & paſſere.

Sed inprimis iis in civilibus utimur negotiis. Ita Themiſtocles Athenienſibus, ne magiſtratus mutaretur, perſuaſit fabellâ de vulpe muſcis obſitâ; quâ ipſâ Flavius Joſephus lib. xviii. antiq. Iudaic. autor eſt Tiberium Neronem uſum, ut oſtenderet, haut facilè eſſe mutandos provinciarum præſides, Cæſariſque procuratores. Demoſthenes quoque, Alexandro poſt devictas Thebas ab Athenienſibus poſtulante, ut ſibi dederent oratores octo, ut Idomeneus, & Duris, apud Plutarchum * volunt; ſive decem, ſicut eſt apud Suidam †; (apud quem tamen undecim oratores in vulgatis codicibus enumerantur, ſi Chares, & Charidemus diverſi ſunt) populum dehortatus eſt apologo de ovibus lupo canes tradentibus, ac fatuè ſpoliantibus ſe iis, qui unicum laborantibus præſidium futuri erant. Itidem Menenius Agrippa ‡ (quem Valerius Max. ‡ Valerium vocat) plebem Romanam, cùm in montem Aventinum ſeceſſerat, in urbem revocavit narratione apologi de membris humanis adverſus ſtomachum conſpirantibus. Ita quod nec legum, nec magiſtratus effecit auctoritas, id fictitiæ potuit narrationis blandimentum. Placuit eadem fabella Hadriano Papæ: qui eâ ſatis appoſitè pro ſe, cæteriſque cùm Eccleſiæ, tum Reip. præfectis, uſus eſt in familiari ſermone, apud Ioannem Sareſberienſem: ut videre eſt Policratici lib. vi. cap. xxiv. Nec apologorum vim ignorarunt illi, quos Græci pariter, ac Romani, barbaros dixere. Ut veteres Galli. Cujus rei illuſtre nobis exemplum è Trogo Iuſtinus refert libro xliii. *Mortuo*, inquit, *rege Nanno Segobrigiorum, à quo locus acceptus condendæ urbis* (Maſſiliæ) *fuerat, cùm regno filius ejus Comanus ſucceſſiſſet, affirmante regulo quodam, quandoque Maſſiliam exitio finitimis populis futuram, opprimendam-*

* In Demoſth.

† In Antipatro.

‡ Livius lib 2.

‡ Lib. 8. cap. 9.

terendamque in ipſo ortu, ne mox validior ipſum obrueret, ſubnectit & illam fabulam: Canem aliquando partu gravidam locum à paſtore precariò petiſſe, in quo pareret: quo obtento, iteratò petiſſe, ut ſibi educare eodem in loco catulos liceret: ad poſtremum, adultis catulis, fultam domeſtico præſidio, proprietatem loci ſibi vindicaſſe. Non aliter Maſſilienſes, qui nunc inquilini videantur, quandoque dominos regionum futuros. Quantum potuerit ejuſmodi oratio, continuò ſubjungit: *His*, inquit, *incitatus rex, inſidias Maſſilienſibus exſtruit.* Et hæc de Apologo.

IV. De fabulis poeticis.

ALtera ἀλληγορίας ſpecies erat μῦθος, ſive fabula; quæ Iulio Scaligero definitur oratio falſa, repræſentans veritatem; ſive oratio ficta relata ad veritatem. Alio nomine λόγος dicitur, ut teſtatur Alexander Aphrodiſienſis in I. Top. Uſus hoc pacto Ariſtoteles lib. II. Rhetoric. & Plutarchus in Phocione; qui & in Paulli Æmylii vitâ λογοποιεῖν dixit pro *falſos rumores ſpargere*, & in Solone Æſopum vocat λογοποιὸν: ut, quamvis hiſtoricos ſciam ſua quoque monumenta vocare λόγους, iis tamen aſſentiar, qui Herodotum apud Suidam putant à Iuliano deſertore vocatum λογοποιὸν, quaſi fabulas fecerit, non hiſtoriam condiderit; quâ ratione & ab Agellio lib. III. cap. X. audit *homo fabulator*.

Accipitur autem vox μύθου nunc latiùs, nunc preſſiùs. Latiùs ſumitur, cùm exempli duæ ſtatuuntur ſpecies oppoſitæ, παραβολὴ, ſive collatio, & μῦθος, ſive fabula. Ita accepere Theo, ac Aphthonius; quibus, ut diximus lib. II. cap. XV. μῦθος definitur oratio falſa, imaginem ſeu ſimilitudinem veritatis repræſentans. Neque me fugit, Scaligerum cap. LXXXIV. Ideæ ſuæ, definitionem hanc, ut falſam, reprehendere, quia, ut inquit, veritatis imago non eſt, cùm lupus & agnus dicantur iniiſſe ſocietatem, & vitæ uterque putâſſe rationes. Verùm non quia in eo ſimilitudo non eſt, quòd hæc tribuantur animantibus ratione orationeque deſtitutis, & quicquid iſtiuſmodi poteſt afferri, iccirco veritatis ſimilitudinem illi ineſſe apologo negandum eſt: verùm quia ratione ejus, quod ſignificat ac monet, ſimilitudo eſt, veritatis eſſe imaginem ſtatui debet. Latè μύθου nomine utuntur, qui logos Æſopicos vocant μύθους: explicationem verò eorum, ſi proponatur, προμύθιον; ſin poſtponatur, ἐπιμύθιον appellant. Certè Iul. Scaliger, quamvis de προμυθίου, & ἐπιμυθίου vocibus aliter aliquanto ſentiat: tamen in eo facit cum veteribus, quòd apologos μύθους vocat. Nam utramque declarationis partem comprehendit παραμυθίου nomine; quia προμύθιον, & ἐπιμύθιον, non differunt aliter, quàm Lucifer ab Heſpero, h. e. à ſe ipſo, cùm idem ſit ſidus: unde poëtæ Luciferum dicunt manè albo, veſperi fuſco oriri equo; ut ſcribit Lactantius, ſeu Lutatius in illud Statii: *Novies Luna prævenerat ignes Mutato Nocturnus equo.* Quòd ſi tantopere ſe diffundat μῦθος, ſeu fabula, ut fabellas etiam Æſopicas comprehendat; quemadmodum ea oſtendunt, quæ diximus: non video, cur non μῦθος potiùs ſit apologi genus, quàm apologus μύθου, quod Scaliger exiſtimabat. Certè apologi definitio, quam antè ex eo adduximus, latè adeò patet, ut præter logos Æſopicos complectatur fabulas poëticas. Sed & μύθου definitio ita ampla eſt, ut quoque apologis competat. Quare aut μῦθος apologi, aut neutrum eorum alterius genus fuerit.

Sed neque μῦθος genus eſt αἴνου, neque αἶνος, & μῦθος, ſpecies ſunt oppoſitæ; quamvis ea diſtinguat Ariſtophanis interpres *, his verbis: Αἶνος δὲ μύθου διαφέρει τῷ τὸν αἶνον μὴ πρὸς παῖδας, ἀλλὰ πρὸς ἄνδρας πεποιῆσθαι, καὶ μὴ πρὸς ψυχαγωγίαν μόνον, ἀλλὰ καὶ παραίνεσιν ἔχειν τινά. βούλεται γὰρ ἐπικρυπτόμενος παραινεῖν τι καὶ διδάσκειν. h. e. *Differt ænus à mutho, quod ænus non puerorum, ſed virorum cauſſâ conficitur: neque ſolùm fit ad animum oblectandum, ſed quandam habet admonitionem. Vult enim clàm monere, & docere.* Quod diſcrimen jure profectò repudiat ac refutat Iul. Scaliger lib. III. de re poët. cap. LXXXIV. quo loco etiam ſtatuit, non differre has voces, niſi quòd αἶνος obſcurius ſit, μῦθος notius. Certè Ioannes Philoponus quoque αἶνον interpretatur μυθικὴν παραίνεσιν * & apud Ammonium ſtatuitur eſſe λόγος μυθικός †. Atque id in cauſsâ eſt, cur ſpecies ἀλληγορίας enumerantes non αἶνον, ſed αἴνιγμα, à μύθῳ ſeparaverimus.

* In Veſpis.

* Admonitionem per fabulas.

† Oratio fabularis.

De amplâ μύθου acceptione abunde diximus. Videamus, quomodo cùm preſſè eâ voce utimur, ab apologo differat. Ac tergeminum quidem diſcrimen mihi odorari videor. Nam apologus plurimùm eſt τῶν ἀδυνάτων ‡. Eſt enim λόγος μυθικὸς ἐκφερόμενος ἀπὸ ἀλόγων ζώων ἢ φυτῶν πρὸς ἀνθρώπων παραίνεσιν ⸸, ut apologo accommodemus definitionem αἴνου, quæ in hanc mentem apud Ammonium eſt, & alios. In quâ tamen jure aliquid deſideres, cùm & apologi ſermonem inter homines fingant; ut notum ex eo, qui eſt de fullone, & carbonario. Deinde apologi, ut ipſe Ariſtoteles ſcribit lib. II. Rhet. ſunt apti δημηγορίαις, ſive concionibus quæ ad populum habentur. Denique apologi ſemper inſtruunt mores. At contrà μῦθοι tantùm ſunt eorum, quæ poſſunt fieri; cùm poëticæ objectum ſint res neceſſariæ, aut veriſimiles, ut lib. de Poëticæ naturâ oſtendimus. Præterea μῦθοι inprimis conficiuntur, ut in ſcenis homines doceant, ac delectent. Denique μῦθοι etiam naturæ myſteria involvunt: ut fabula Martis in adulterio deprehenſi vinctique, quæ ad Aſtrologiam pertinet. Et hæc quidem περὶ μύθου εἰς μέσον κείσθω.

‡ Eorum quæ fieri nequeunt.

⸸ Sermo fabularis prolatus de animalibus rationis expertibus, aut plantis ad hominum admonitionem.

V. De ænigmate.

SEquitur αἴνιγμα. Cui nomen eſt ab αἰνίττεσθαι, quod eſt obſcurè innuere, ac rem involucris tegere. Id verò eſt ab αἶνος. Multimodis autem vox αἴνου accipitur; ut ex Euſtathio, & aliis, cognoſcimus. Inter alia notat non tantùm laudem, ſed & dictum laude atque admiratione dignum: nec id quodvis, verùm quod rem effert ſymbolicè & ſinuosè: unde proverbium ἀλληγορικὸν ſic vocat Theocritus Idyllio XIV.

> αἶνός θην λέγεταί τις, ἔβα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν.
> *Eſt verbum vetus, in ſylvam quoque taurus abivit.*

Sæpe etiam αἶνος idem eſt, ac apologus; quomodo uſi eo Heſiodus, Archilochus, Callimachus: quemadmodum oſtendit Ammonius, ſive Herennius Philo, libello de ſimilibus & differentibus vocabulis. Callimachi verba ſic vulgò apud eum leguntur:

> Ἄκουε δὴ τὸν αἶνον· ἐν κότε Τμώλῳ
> Δάφνην ἐλαίην εἰκὸς οἱ παλαιοὶ Λυδοὶ
> Λέγουσι θέσθαι.

Atque ita etiam H. Stephanus expreſſit. Sed planè ſic corrigi is locus debet:

> —— Ἐν κότε Τμώλῳ,
> Δάφνην ἐλαίη νεῖκος οἱ πάλαι Λυδοὶ,
> Λέγουσι θέσθαι.

Nempe ut ſententia ſit,

> *Apologon audi: prædicatur à priſcis*
> *Lydis, olivam litigâſſe cum lauro*
> *In monte Tmoli.*

Hanc αἴνου ſignificationem etiam agnoſcit Theo in progymnaſmatis. Sed ibidem addit αἶνον interdum etiam pro ænigmate accipi. Quo abunde firmatur ἔτυμον ænigmatis antè allatum. Imò neque ænigmatis nomen eodem ſemper accipitur modo. Nam κατὰ μεταφορὰν Thebani inſidias, & incurſus hoſtiles, αἰνίγματα vocant: quod occaſionem præbuit fabulæ de Sphinge; ut refert Palæphatus ἀπίστων libro, qui ex quinque ab eo ſcriptis ſolus ſupereſt. Etiam *ænigma* de nummis μεταφορικῶς dicitur: credo, quia typorum ſeu figurarum, quibus inſigniri ſolent, ut plurimùm difficilior eſt explicatio. Prudentius certè nummos imagine Auguſti ſignatos intelligit, cùm lib. περὶ στεφάνων hymno II. ait:

Is

Is ipſe tantum non habet
Argenteorum ænigmatum
Auguſtus arcem poſſidens,
Cui numus omnis ſcribitur.

Lubens quoque iis adſentio, qui eodem in hymno ſcribendum putant: *Cæſar agnoſcit ſuum*
Ænigma numis inditum:

Quamvis in vulgatis pro *ænigma* ſit *nomiſma.*

Nec ænigmata αἴνους ſolùm, ſed aliis etiam nominibus appellant. Quippe Heſychius, Suidas, & Euſtathius, auctores ſunt, *ænigmata* aliter vocitari γρίφους: nempe à reti piſcatorio, quod Græcis eſt γρῖφος, unde & γριπεῖς dicuntur *piſcatores.* Vocantur eadem quoque *ſcrupi*, ſi Alciatum ſequimur; qui ita apud Gellium legendum putat lib. IV. cap. XIX. Parergôn Juris: ut & Cœlius Rhodiginus lib. XXIII. cap. XI. & ante hos Crinitus lib. IX. cap. XIV. *Scirpus* autem rejiciunt, quòd is ſit enodis, unde Ennius *; *Quærunt in ſcirpo, ſoliti quod dicere, nodum.* Verùm ignorarunt, quod Cœlius Calcagninus †, & Ioſephus Scaliger ‡ monuerunt, tranſlationum eſſe à naſſis; quæ *ſcirpi*, ſive *ſirpi* vocatæ, quia è ſirpis, h. e. juncis fiebant; unde & verbum *ſirpare.* i. alligare, itemque *ſirpea*, *ſirpicula*, & *dolia ſirpata*; de quibus Varronem vide lib. IV. de L. L. Adhæc, ut Iulius Pollux teſtatur, ænigmata dicta ſunt κυλίκεια ζητήματα ⸸, eo quòd inter pocula proponerentur. Conditio quæ tum ænigmatum fuerit, cognoſcere eſt ex eodem Polluce. Is enim autor eſt, eum, qui ſolviſſet, abſtuliſſe carnis portionem; at illum, qui ignoraſſet, exhaurire coactum potionem muriâ mixtam: idemque ex Antiphanis Ganymede (id comœdiæ nomen erat) oſtendit Athenæus lib. x. Euſtathius tamen in Odyſſ. lib. XXII. * refert, illum, qui ſolviſſet, pateram ebibiſſe: ſi ſolvere non poſſet, bibiſſe τὸν προθέντα, h. e. eum, qui propoſuiſſet. Itaque exiſtimo, nunc hanc, nunc illam conditionem fuiſſe; præſertim quando & Heſychius, Grammaticus doctiſſimus, in voce γρῖφος, ſcribit, ei, qui non ſolviſſet, hanc irrogari mulctam ſolere, ut ebiberet vel vinum meracum, vel aquæ κάδον, hoc eſt, ſcyphum.

* Apud Feſtum
† Lib. 3. Epiſt. quæſt.
‡ Conject. in Varr.
⸸ Calicibus convenientes quæſtiones.
* P. 1926. edit. Rom.

Clearchus Solenſis, Peripateticus, ænigma definit †, πρόβλημα παιστικὸν, προστακτικὸν τοῦ διὰ ζητήσεως εὑρεῖν τῇ διανοίᾳ τὸ προβληθὲν, τιμῆς ἢ ἐπιζημίου χάριν εἰρημένον· *quæſtionem ludicram, jubentem, ut per inquiſitionem acie mentis inveniatur, quod propoſitum, ac honorarii aut mulcta gratiâ adductum eſt.* Quâ ex definitione patet, cur nihil in ænigmate vitioſius ſit, quàm perſpicuitas. Non tamen quævis oratio obſcura ænigma eſt, cùm ſæpe obſcuritas oriatur ex ordinis perturbatione; ut in ſynchyſi fit, quàm nemo inter ænigmata reponat. Quare diſpiciendum, cujuſmodi obſcuritas ænigma conſtituat. Et ſanè dubitandum non eſt, quin id inprimis præſtet metaphorarum continuatio, quâ fit, ut aliud dici videatur, quam dicitur. Itaque Fabio, Diomedi, Donato, Tryphoni Grammatico, Julio Scaligero, atque aliis, ænigma nihil eſt aliud, quàm allegoria obſcurior: ut allegoria, & ænigma, juxta hos differant, tanquam genus, & ſpecies. Cicero tamen videri queat diſcrimen hoc neglexiſſe. Nam in epiſtolâ quâdam ad Atticum ‡ ſcribit: *De republicâ breviter ad te ſcribam: jam enim charta ipſa ne nos prodat pertimeſco. Itaque poſthac, ſi erunt mihi plura ad te ſcribenda, ἀλληγορίαις obſcurabo.* Idem verò in iiſdem epiſtolis ⸸, ſe obſcuraturum ſermonem ſignificans, *Cætera*, inquit, *erunt ἐν αἰνιγμοῖς*: eodemque modo antè locutus erat Euripides in Rheſo, ut oſtendit Muretus lib. VII. Var. cap. XIV. Verùm ficulno nitatur argumento, qui hinc effici putet, Ciceroni idem eſſe ænigma, & allegoriam. Nam cùm is ἀλληγορίας nominat, haut quaſvis intelligit, ſed αἰνιγματώδεις. Quàm multæ enim ſunt parœmiæ, quæ & ipſæ allegoriæ ſint, at ita in vulgus notæ, ut neutiquam tenebras offundant orationi? Et certè nunquam ſenſiſſe Tullium, idem eſſe allegoriam, atque ænigma; vel argumento eſt, quòd ipſe, cùm vim naturamque omnem allegoriarum expoſuiſſet, ſubjecerit hæc *: *Eſt hoc magnum ornamentum orationis, in quo obſcuritas fugienda eſt. Etenim ex hoc genere fiunt ea, quæ dicuntur ænigmata.*

† Apud Athenæum lib. 10.
‡ Epiſt. 20. lib. 2.
⸸ Epiſt. 19. lib. 2.
* Lib. 3. de Oratore.

Porrò, cùm ænigma omne allegoriâ ſive metaphoris pluribus conſtare dicimus: metaphoræ voce cum Ariſtotele latiùs utimur, ut alios quoque tropos comprehendat; & allegoriæ nomine comprehendimus metonymiæ, ac ſynecdoches continuationem; quàm ipſam ſub allegoriâ contineri, ſuprà diximus. Sanè in illo,

Ἄνδρ' εἶδον πυρὶ χαλκὸν ἐπ' ἀνέρι κολλήσαντα †:

per æs μετωνυμικῶς, vel ϲυνεκδοχικῶς potiùs, intelliguntur æreæ cucurbitulæ. Nam, ut è Cornelio Celſo ⸸ diſcimus, duplici cucurbitularum genere uſi fuere veteres, æreis, & corneis. Nec metaphoram propriè, ſed metonymiam, ac ſynecdochen habes in illo Samſonis ænigmate, quod eſt Judicum cap. XIV: *De comedente exivit cibus; & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Quamquam, ut ingenuè; quod res eſt, dicam, ſi preſſè ſumamus ænigmatis vocem, id quod Samſon propoſuerat, ænigma non erat, quia ignotum erat Philiſtæis, leonem à Samſone interemtum eſſe, aut mel exceptum eſſe è leonis cadavere: ut quorum neutrum ulli mortalium, atque adeò ne parentibus quidem ſuis, indicârat; ut cognoſcere eſt è capitis ejuſdem verſ. 7. 10. & 17. Sed ne Philiſtæis quidem Chriſti reſurrectio nota erat, quam Auguſtinus ſerm. CVII. de Temp. hoc ænigmate ſignari docet. Verba ejus adponam: *De comedente exivit cibus, quid aliud ſignificat, quam Chriſtum à mortuis reſurgentem? De edente utique, id eſt de morte, quæ cuncta devorat, atque conſumit, exivit cibus ille qui dixit, Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.* Et mox: *Ab eo plebs gentium vitæ dulcedinem converſa ſuſcepit: ac ſic de mortui leonis ore, id eſt, de Chriſti morte, apum, id eſt, Chriſtianorum, proceſſit examen.* Ænigmate autem propriè rem notam ſignificari, indicat quoque Irenæus lib. II. adverſus hæreſes cap. X: *Omnis*, inquit, *quæſtio non per aliud, quod quæritur, habebit reſolutionem; nec ambiguitas per aliam ambiguitatem ſolvetur apud eos, qui ſenſum habent; aut ænigma per aliud magis ænigma: ſed ea, quæ ſunt talia, ex manifeſtis, & conſonantibus, & claris accipiunt ſolutionem.* Quare propriè ænigma eſſe videtur oratio obſcuritate allegoriæ rem notam ſignificans.

† Virum vidi igne æs homini conglutinantem.
⸸ Lib. 2. cap. 11.

Porrò quæcunque hactenus diximus, ea intelligi debent de ænigmate preſſè accepto. Nam, ſi generatim hâc voce utamur, ne id quidem verum erit, quod paullo ante à multis adſertum diximus, ænigma eſſe ſpeciem allegoriæ latè acceptæ, h. e. quatenus ea trium primariorum troporum affectio eſt. Quippe id ſi eſt, ænigma omne pluribus conſtabit tropis. Atqui petitur id ſæpe ab hiſtoriâ, aut fabulâ, ut, cùm per aviam liberorum ſignatur Jocaſta, mater, & uxor Oedipi. Hinc Oedipus ipſe apud Senecam in Thebaide:

—— *Sæva Thebarum lues*
Quid ſimile poſuit? quid tam inextricabile?
Avi gener, patriſque rivalis ſui,
Frater ſuorum liberûm, & fratrum parens:
Uno avia partu liberos peperit viro,
Ac ſibi nepotes. Monſtra quis tanta explicet?
Ego ipſe, victa ſpolia qui Sphingis tuli,
Hærebo, fati tardus interpres tui.

Par ratio iſtius, *avus liberorum*: quo ſignatur Thyeſtes, qui Ægiſthum genuit ex Pelopeiâ filiâ: unde & de ſe apud eundem poëtam initio Agamemnonis ait:

Avo parentem, (pro nefas!) patri virum,
Natis nepotes miſcui.

Nec propriè eſt tropus, cùm ænigma petitur ab homonymia: ut in vulgato iſthoc apud Suidam †: Ἀνήρ τε κοὐκ ἀνήρ, ὄρνιθα κοὐκ ὄρνιθα δ' ὅμως, ἐπὶ ξύλου καὶ ξύλου καθημένην, λίθῳ τε καὶ λίθῳ βαλὼν διώλεσεν. *Vir non vir, avem nec avem tamen, in arbore non arbore ſedentem, lapide non lapide feriens interemit.* hoc eſt, eunuchus, vel, ſi malis, hermaphroditus, veſpertilionem ſuper ferula aut ſambuco ſedentem pumice percuſſum interfecit.

† In Αἶνος.

Neque

[* Ecl. 3.] Neque tropus eſt ullus in Virgiliano iſthoc gripho *:

Dic quibus in terris, (& eris mihi Magnus Apollo)
Tres pateat cœli ſpatium non amplius ulnas.

Poſterior verſus, qui ænigmaticus eſt, propriis rem vocibus ſignat; modò capiamus vel de Cœlii Mantuani ſepulchro, vel de puteo profundo: quorum utrumque eſt apud Servium, & Philargyrium. Nam ſi clypeum Achillis intelligamus, in quo cœlum Vulcanus effinxerat, ut Homerus † canit: erit metonymia ſigni. Sin Alciatum ‡ audimus, qui furnum deſignari putat: μεταφορὰ fuerit. quia *cœlum* intelligi debebit de cœlo clibani ſive furni; quod Græci ἰπνικὸν, Ariſtoteles etiam ἰπνὸν ſimpliciter vocat, ſed ea, quæ Cornificius, & Aſconius, ex Marone ipſo audiere, ut apud Philargyrium & Servium legere eſt, faciunt, ut non dubitem, quin poëta Mantuanus Mantuanum Cœlium ſignarit, qui *conſumtis * omnibus nihil ſibi reliquit, niſi locum trium ulnarum ad ſepulturam.* Abſque illo eſſet, alteram de puteo enodationem approbarem ob ea, quæ Brodæus adfert Miſcell. lib. VII. cap. 1. Neque tropus eſt in ænigmate, quod † Homero à nautis in litore lenſi propoſitum, nec ab eo ſolvi quitum, fabulantur:

[† Il. σ. verſ. 484. ‡ Lib. 1. Παρεργ. Juris cap. 18. * Philarg. & Serv. † Herodot. & Plutar. uterque in vita Homeri. Vide & Jo. Tzetzes in fine libri, qui Alpha inſcribitur.]

Ὅσσ' ἕλομεν λιπόμεσθ', ὅσσ' οὐχ ἕλομεν φερόμεσθα,
Non ‡ capta adferimus, cunctis quæ capta relictis.

[‡ Interprete Xylandro.]

Quamquam alii aliter id extulere; quemadmodum neque unius generis ſolutio affertur.

Supereſt, ut adferamus cauſſam adæquatam obſcuritatis ejus, quæ cuivis ineſt ænigmati, ſive id quidem allegoricum ſit, ſive non ſit. Ea verò eſt, connexio illorum, quæ impoſſibilia videntur. Sanè Averroi * quoque definitur ænigma, oratio comprehendens ſententias, quarum connexio impoſſibilis videtur, eoque difficulter redigitur ad certum aliquem ſenſum naturæ conſentaneum. Quin hâc in parte præit magiſter, qui lib. de poëticâ hunc in modum ſcribit: Ἀλλ' ἄν τις ἅμα ἅπαντα τοιαῦτα ποιήσῃ, ἢ αἴνιγμα ἔσται ἢ βαρβαρισμός. Ἂν μὲν οὖν ἐκ μεταφορῶν, αἴνιγμα· ἐὰν δ' ἐκ γλωττῶν, βαρβαρισμός. αἰνίγματός τε γὰρ ἰδέα αὕτη ἐστὶ, τὸ λέγοντα τὰ ὑπάρχοντα, ἀδύνατα συνάψαι. *At ſi quis ſimul omnia hujuſmodi fecerit, vel ænigma erit, vel barbariſmus. Si igitur, è tranſlationibus, ænigma; ſin è linguis, & barbariſmus. Ænigmatis enim forma hæc eſt, dicentem quæ inſunt, impoſſibilia copulare.* Nec obſtat, quod Ariſtoteles hoc loco è metaphoris ſive tropis ænigma contexi dicat. Neque enim, quod interpretes exiſtimarunt, metaphorarum continuationem ænigmatis formam eſſentialem facit; ſed τὸ ἀδύνατα συνάψαι †: metaphorarum autem meminit, quia hæ inprimis efficiant, ut connexio videatur impoſſibilis.

[* Paraphraſ. l. de poet. † Connectere impoſſibilia.]

Et hæc de ænigmatis naturâ: cujus inquiſitio quia fortaſſe tetrica videatur ingeniis iſtis, quæ craſſè philoſophari aut rhetoricari amant: age, hanc iis moleſtiam amœno juxtà atque erudito ænigmate abſtergeamus. Iſtiuſmodi verò eſt Auſonii iſtud epiſt. IV. ad Theonem:

Aut adſit interpres tuus,
Ænigmatum qui cognitor
Fuit meorum, cùm tibi
Cadmi nigellas filias,
Melonis Albam paginam,
Notaſque furva ſepiæ,
Cnidioſque nodos prodidit.

i. Literas, quas Cadmus intulit Græciæ, papyrum Niloticam, (nam Nilus olim *Melo*, teſte Feſto ‡, ac Servio *) attamentum, quod Afri † non è fuligine, uti alii, ſed è ſepiæ ſucco conficiebant, & calamos ſcriptorios, è quibus Cnidii cæteris præſtabant. Hanc quidem Auſonii mentem fuiſſe, indicat ipſe epiſt. VII, quâ Theoni ſic ſcribit.

[‡ In vocibus Alcedo, Alumento, atque Melo. * In 4. Georg. & 4. Æn. † Veteres Gloſſ. in Perſ. ſat. 3.]

Fac campum replices Muſa papyrium,
Nec jam fiſſipedes per calami vias
Graſſetur Cnidiæ ſulcus arundinis
Pingens aridula ſubdita pagina
Cadmi filiolis atricoloribus,
Aut cunctis pariter verſibus oblinat
Fulvam lethicolor ſpongia ſepiam.

Sed in ænigmate ipſo, ubi vulgò eſt, *Melonis Albam paginam*, planè legendum puto, *Melonis albam filiam:* prout ſe in MSo codice inveniſſe refert Mariangelus Accurſius. Nam *paginam* vocare *paginam* non eſt ænigmaticè loquentis. Et elegantior omnino futura eſt ἀντίθεσις inter nigellas Cadmi filias, & albulam filiam Melonis. Alioqui etiam non tam è tropo fuerit hic obſcuritas, quàm ex obſoleto vocabulo. Priſcis enim Nilus, ut dixi, vocabatur *Melo:* nempe, ut puto, à μέλας *, non quaſi Ægyptii Græcè ſint locuti: ſed quia Græci ſic nomen Ægyptium reddiderunt. Sanè Jeremiæ cap. undec. v. 18. Nilus vocatur *ſchichor*, nempe à nigris, hoc eſt, turbidis aquis. Origo enim à *ſchachar*, i. nigreſcere, ex quo *ſchachor*, i. niger, & Latinum, ſed obſoletum, *ſcurus*, à quo, & præverbio *ob*, *obſcurus*. Græci igitur, quia Ægyptiis Nilus dictus *ſchihor*, hoc eſt, niger, ſuâ etiam linguâ vocarunt Melonem, à μέλας, hoc eſt, niger. Haut aliter ac mare *Suph*, ſeu ſinum Arabicum, ſuâ linguâ dixere θάλασσαν ἐρυθραίαν, hoc eſt, mare rubrum, quia ab accolis Idumæis ſeu Edomæis vocaretur Edomæum: quod ſonat ἐρυθραῖον †. Nam Eſau pater Edomæorum, ut è Scripturis notum, aliter dictus *Edom*, hoc eſt, Ἐρυθρὸς, ſive rufus. Eſau igitur nobis eſt ille rex Erythra ſive Erythrus, unde nomen mari eſſe impoſitum, gentiles tradidere: ut videmus è Strabone in XVI, Curtio in VIII, Plinio lib. VI. cap. XXIII, Arriano in Indice, & Philoſtrato in Apollonii vita lib. III. cap. XV. Idumæorum vero terram ad mare uſque Erythræum ſeſe extendiſſe, cognoſcere eſt ex I ſive III Reg. IX. 26: ubi dicitur Aſiongaber, quæ in litore ejus maris prope Ailath, fuiſſe in terra Idumæorum. Sed de iſto ſatis.

[* Niger. † Rubrũ.]

Scitum quoque ænigma illud apud Diomedem ‡: *Vidi carnem humanam in campo ligneo oſſibus ludentem, ubi erat mare concretum.* Significatur eo teſſerarius luſor in alveolum cubos ſive teſſeras jaciens, adſtante proxime ſalino. Quo ex ænigmate rectè probat Calcagninus *, teſſeras antiquitus oſſeas fuiſſe, vel eburneas.

[‡ Lib. 2. c. de allegoria. * In epiſtolicis quæſt. lib. 1. epiſt. 10: item libro de teſſerarum ludo.]

Quod ſi plura voles ænigmatum exempla, adi Athenæum lib. x. Δειπνοσοφ. Aliquot etiam epigrammata γριφώδη habes in extremo Ἀνθολογίας opere †: ſed primum, quartum, & quinctum, legi debent, uti ea in Phædri auctario ‡, in quo Sympoſius additur, Joſephus Scaliger expreſſit. E Latinis adi Cœlii Sympoſii ænigmata, etiam Aldhelmo Scoto laudata in ænigmatum ſuorum præfatione: quemadmodum ex Sigeberti catalogo cognoſcimus. E junioribus, qui ænigmatum reliquerunt libellos, præcipua laus antea fuit Cæſaris Scaligeri, & Hadriani Junii. Quibus nunc acceſſit eximius poëta, & philoſophus acutiſſimus, Caſparus Barlæus, collega conjunctiſſimus.

[† P. 535. & 536. edit. H. Steph. ‡ Edit. Raphel.]

Apud poëtas quoque, ac inprimis epigrammatum conditores, non pauca legas, quæ ſi abſque lemmate proponantur, habeant obſcuritatem conjectatione dignam; eoque inter ænigmata poſſint referri. Hujuſmodi eſt illud, ſive Agathiæ Scholaſtici, ut eſt apud Sophoclis ſcholiaſtem *, ſive, ut ego cenſeo, alicujus Auſonio antiquioris, ac proinde qui ſeſquiſeculo toto Agathiam præceſſerit;

[* In Electrâ.]

Ὁ τύμβος οὗτος ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρόν·
Ὁ νεκρὸς οὗτος ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον·
Ἀλλ' αὐτὸς αὑτοῦ νεκρός ἐστι καὶ τάφος.

Quod Latinè eodem planè metro apud Auſonium † legas:

[† Epitaphio 29.]

Habet ſepulchrum non id intus mortuum:
Habet nec ipſe mortuus buſtum ſuper:
Sibi ſed eſt ipſe hic ſepulchrum, & mortuus.

At non paullo venuſtiùs Cæſar Scaliger expreſſit; licet verſus acatalecticos catalecticis mutarit:

Illud ſepulchrum non habet cadaver:
Illud cadaver non habet ſepulchrum:
Sed eſt ſibi cadaver, & ſepulchrum.

Etſi verò Cicero in III. de Oratore monet, oratoribus fugienda

** Cap. 6.*

gienda eſſe ænigmata: Fabius tamen in octavo * ſui operis docet, eos nonnunquam his uti: ac pro exemplo adducit ænigma Cœlii. Ita enim legi debere, monuit P. Victorius, non prout ab Aldo, aliiſque, editum eſt, *Cæcilii:* qui poëta Comicus, non Orator fuit. Nam Cæcilius, Rhetor Siculus, cujus meminere Halicarnaſſenſis, Fabius, & Longinus, intelligi nequit, cùm hic Cicerone poſterior fuerit; utpote Dionyſii Halicarnaſſenſis æqualis, & amicus. Contrà apud Fabium lib. IX. cap. III. *Cælii* nomen pro *Cæcilii* irrepſiſſe, obſervavit diſertiſſimus Muretus in Variis ſuis †. Eſt verò id Cœlii ænigma, de quo dicebamus: *Quadrantaria Clytæmneſtra:* quo videtur intellexiſſe Clodiam, P. Clodii ſororem, quam Catullus Leſbiam vocat, ut Appulejus ‡ ſcripſit, atque hoc Catulli ad ipſum Cœlium confirmat: *Cæli, Lesbia noſtra, Lesbia illa* &c. Cur verò eam Cœlius *quadrantariam*, cur item *Clytæmneſtram* appellàrit, doctè & eleganter declarat idem Victorius in appendice caſtigationum Ciceronianarum ſuper II. epiſt. libri ad Metellum; ex parte etiam Nicolaus Loënſis lib. IX. Epiphyllidum cap. XXI. Ibidem quoque, & quidem, ut puto, ejuſdem Cœlii, deque eâdem Clodiâ, ænigma hoc à Fabio adducitur: *In triclinio coa, in cubiculo nola.* Illud, *in triclinio coa*, innuit bibacem, & coam (menſuræ id genus) uno ſpiritu exſiccantem. Ita Cœlius Rhodiginus lib. XXIX. cap. I. *In cubiculo nola*, ſignificat in cubiculo, ubi ſilentii uſus, garrulam ac ſonoram inſtar tintinnabuli. Idem Rhodiginus lib. XIX. cap. XI. Sed jure hæc Cœliana griphi interpretatio doctis improbatur: quemadmodum & illa, quam Lilius Gyraldus affert libello de ænigmatis. Meliùs ejus mentem perſpexit Robortelius libro de nominibus veterum Romanorum, & Brodæus lib. III. Miſcell. cap. XXIV. At examuſſim optimè ſcirpum exſolvunt Andr. Alciatus lib. II. Παρέργ. cap. XII. & Ianus Duza epigr. XI. lib. IV. Salinarum. Qui rectè viderunt, alludi ad *nolendi*, & *coëundi* voces, ut *nola* ſit, quæ *συνουσιάζειν* nolit; *coa*, quæ non abnuat coïre.

† Lib. 19. cap. 2.

‡ In Apologia.

Etiam referre huc poſſis oracula; uti illa petita Delphis; ubi Pauſanias * ait, primò Tellurem, (quæ commune cum Neptuno oraculum habuit) dediſſe reſponſum; hinc Themidem; tandem Phœbum; quem Conſtantinus Magnus ex adyto ſuo extraxit, tripode Conſtantinopolin lato †; ubi eum ſuo ævo fuiſſe, ſcribit Priſcianus ‡. Sanè aperta dictio, ſive oracula à tripode edita, haut fuere aperta; ſed intricata; & flexiloqua, ac planè ænigmatica: unde Apollinem dixerunt λοξίαν ⸸, quaſi λοξὸν, i. obliquum, ac diſtortum, non quaſi λεξίαν, i. eloquentem. Iccirco & Lucianus in Junonis ac Latonæ dialogo. Apollinis oracula vocat λοξὰ *, καὶ ἐπαμφοτερίζοντα πρὸς ἑκάτερον τῆς ἐρωτήσεως. Pacuvius quoque apud Nonium † ait:

> *Flexa, non falſa, autumare dictio Delphis ſolet.*

Et Creo apud Senecam in Oedipo ‡:

> *Ambage nexâ Delphico mos eſt Deo*
> *Arcana tegere.*

Exemplorum abunde eſt; ut inter alia, cum Athenienſes bello Perſico reſponſum accepere de muris ligneis ⸸, h. e. navibus: aut cùm iidem, exercitum miſſuri in Siciliam, juſſi ſunt adhibere ſacerdotem arceſſitam Erythris, nomine Ἡσυχίαν: quo cùm ſignificetur *quies*, monebantur Athenienſes, ut quieſcerent. Item cùm Philippus Magnus, Alexandri Magni parens, juſſus eſt pugnare argenteis lanceis, h. e. pecuniâ animos corrumpere. Par ratio, cùm Crœſus accepit reſponſum, tum ſibi ac regno exitium imminere, cùm mulus in Perſiâ rerum potiretur, h. e. Cyrus, qui ita ab oraculo eſt appellatus, quòd quemadmodum mulus naſcitur patre ignobiliori aſino, matre generoſiori equâ, contrà quàm in hinno fit *: ita Cyrus prognatus ſit Cambyſe, Perſâ obſcuri generis, (ut ait Iuſtinus) filio Achæmenis, à quo Perſæ poſtea vocati Achæmenidæ, & Mandanæ, Aſtyagis Medorum regis filiâ. Vide de hiſce oraculis, & aliis id genus, iiidem flexiloquis, Herodotum lib. I. item tertio, ac ſexto, Ciceronem in II. de Divinatione, Appulejum in IV. de aſino, Macrobium lib. I. in Somnium Scipionis, Auguſtinum lib. III. de Civit. Dei cap. XVII. & Baſilium, Iſauriæ Epiſcopum, initio libri de miraculis Theclæ. Adi & oracula ἔμμετρα à doctiſſimo Obſopœo collecta, & quos ille auctores allegat in notis. Atque ex hacce oraculorum naturâ elucet Maronis prudentia, qui oracula Sibyllæ deſcribens, orationem ei tribuit, quæ tota penè metaphoris conſtet. Siquidem ait:

** In Phocicis.*
† Euſebius, Zoſimus, Sozomenus, Socrates l. 1. cap. 16.
‡ Lib. 1.
⸸ Scholiaſta Pindari, ac Sophoclis, Servius in 6. Æn. Syneſius l. de ſomniis, Elias Cretenſis commentario in orat. 1. quæ eſt ad verſus Julianum Apoſtatam.
** Obliqua, & in utramque propoſitæ quæſtionis partem inclinantia.*
† In Autumare.
‡ Act. 2. verſ. 214.
⸸ Herodotus in Polyhymnia, Ariſtot. 1. Rhet. Corn. Nepos in Themiſtocle, Polienus l. 1. Strateg. Maximus Tyrius orat. 3.
** Varro l. 2. de re R. c. 8. Columella lib. 7. c. 37. & Plinius l. 8. c. 44.*

> *Non Simoïs tibi, nec Xanthus, nec Dorica caſtra*
> *Defuerint: alius Latio jam partus Achilles,*
> *Natus & ipſe Deâ.*

Et aliquanto pòſt:

> *Cauſſa mali tanti conjunx iterum hoſpita Teucris,*
> *Externique iterum thalami.*

Ob eam oraculorum obſcuritatem non immeritò de iis olim quoque ex eventibus judicandum ſtatuebant. Heliodorus lib. II. Æthiop. ſub finem: χρησμοὶ γὰρ, καὶ ὄνειροι, τὰ πολλὰ τοῖς τέλεσι κρίνονται. *Oracula enim, & ſomnia, ut plurimùm ex eventibus judicantur.* Et hæc de ænigmatis.

VI. De proverbio.

Supereſt παροιμία, quæ ita dicta exiſtimatur ἀπὸ τῆς οἴμης, i. à viâ, quòd paſſim per ora hominum feratur. Latinis dicitur *adagium*, nec non *adagio*; quo utitur Auſonius præfatione monoſyllaborum in fine verſus collocatorum, itemque Donatus in Eunuch. Sc. *Magnas verò.* Symmacho quoque id nomen reſtituit Carrio lib. I. Emendat. cap. XII. Imò ante hos omnes eâdem de voce ita Varro lib. VI. de L. L. *Apud Valerium Soranum, vetus adagio eſt, ô P. Scipio. Quod verbum uſque eo evanuit, ut Græcum παροιμία pro eo poſitum magis ſit apertum.* Originem vocis paullo pòſt idem adtexit: *Abagio*, inquit, *& literâ commutatâ adagio, dicta ab eo, quòd ambit orationem, neque in aliquâ unâ re conſiſtit ſolâ.* Itaque ex Varronis ſententiâ *adagium* dicitur quaſi circumagium. Sed Iulius Scaliger potiùs ex eo nomen habere autumat, quòd à primâ & propriâ ſignificatione agatur ad aliud indicandum; ſimiliterque παροιμίαν ex eo ait nomen conſecutam, quòd præter primum verbum & ſenſum, alterum notet verbum & ſenſum, à παρὰ & οἴμη, quæ vox inter alia etiam λόγον ſignificat, teſte Heſychio. *Proverbium* item dici vult, quòd verbum accedat verbo, i. ſententia ſententiæ.

Neque minor diſſenſio eſt de verâ παροιμίας definitione. Ac Donati quidem & Diomedis definitiones mitto: in quibus ridiculè ſanè parœmia per proverbium definitur, cùm parœmiam haut aliud, quàm proverbium, eſſe conſtet. Nec meliores multo, quas Græci adferunt, ut probat Scaliger. Inſubida quoque definitio, tum Antonii Lulli *, tum Ludovici Carbonis †, quibus parœmia definitur, generalis ſententia verbis non propriis cum ironiâ prolata. Quis enim non videt, proverbium abſque ironiâ eſſe poſſe? Sanior longè illa Eraſmi, *celebre dictum ſcitâ quâpiam novitate inſigne.* Nam latè utitur parœmiæ voce, ut complectatur quoque γνώμας celebres: cujuſmodi ſunt, Similis gaudet ſimili; Odi puerulos præcoci ſapientiâ; Bonæ leges ex malis moribus ortæ ſunt; Non ſunt amici, amici qui degunt procul; Nequicquam ſapit, qui ſibi non ſapit; Conſcientia mille teſtes; Quot homines, tot ſententiæ; Non omnia poſſumus omnes; pluraque id genus, ὅσα κόνις ‡, ut omnes ſciunt, qui Chiliadas ſummi ejus viri inſpexerint.

** Lib. 4. de Oratione cap. 11.*
† Lib. 1. de Elocut. orat. c. 15.
‡ Quaſi pulvis.

Iſtiuſmodi autem γνώμας proverbii nomine rectè comprehendi, argumento eſt, quod à veteribus quoque hoc nomine appellantur. Agathon in convivio Platonis: ὁ γὰρ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει, ὅτι ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει. i. *ſcitè veteri proverbio fertur, ſimile ſemper hærere ſimili.* Plautus Mercatore ⸸:

> *Nunc ego verum illud verbum eſſe experior vetus:*
> *Aliquid mali eſſe propter vicinum malum.*

⸸ Act. 4. ſc. Agite, ite actutum.

Terent.

* Act. 5. ſc. 2.

Terent. Adelph.*

—— Nam vetus verbum hoc quidem eſt:
Communia eſſe amicorum inter ſe omnia.

Cicero lib. 1. de off. *Ut in Græcorum proverbio eſt, Amicorum eſſe omnia communia.* Idem dialogo de amicitiâ: *Scitum eſt enim illud proverbium Catonis, Multo melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos, qui dulces videntur.* Atque ex his abunde cognoſcere eſt, falli cùm alios, tum Lud. Carbonem, qui facetè ſcribit, hujuſcemodi non eſſe proverbia, ſed ſententias proverbiales.

Ex iiſdem apparet, non omnem parœmiam eſſe allegoricam: quod ſi eſt, injuriâ, quam afferebamus, viri magni definitionem perſtringit vir magnus. Quemadmodum nec eidem aſſentire poſſumus, cùm reprehendit, quòd Deſiderius in Colloquiis ſuis ſalſamentarium, & lanium, de rebus Theologicis differentes induxerit. Nam, ut Euripides non neglexit decorum, cùm Melanippen induxit de naturâ diſputantem, quandoquidem, ut ſcribit Dionyſius Halicarnaſſenſis †, à Neptuno erudita fuit: ita neque Eraſmus τὸ πρέπον ‡ neglexit, qui ad conſuetudinem reſpexit patriæ ſuæ, in quâ ſciebat multos de plebe ſæpe etiam curioſè nimis tractare religionis Chriſtianæ myſteria. Sed idem Euripidi contigit, quod Eraſmo. Nam & illum iccirco reprehendit Ariſtoteles, & hunc Scaliger, ⸸ uterque in ſuis de re poëticâ libris.

† Τέχνῃ tractatu poſteriore τῶν ἐσχηματισμένων.
‡ Decorum.
⸸ Lib 6. de re Poëtica cap. 7.

Καὶ τοῦτο οὐ παρῴδει.

Etſi verò in eo cum Eraſmo faciam, quòd proverbium exiſtimem proprio etiam ſermone conſtare poſſe: in eo tamen neutiquam ejus ſententiæ accedo, quòd multa adagiis inſerat, quæ ſolùm ſint γνῶμαι: ut Plautinum hoc *, *Nihil homini amico opportuno amicius.* Imò & multa, quæ nihil aliud ſint, quam elegantiores loquendi formæ. E. G. bonis avibus, rude donare, ad amuſſim, nive candidior, abjicere haſtam, ab incunabulis, actum agere, flocci non facio, frigidior ſalamandrâ, aliaque id genus.

* Epid. act. 3. ſc. 3.

Quid quòd obſoletæ etiam voces ei adagionem faciunt? Nam inter parœmias reponit *numero dicere*, pro nimis citò; à quo *Dea Numeria*, & *numerius partus.* Illuſtrem de eâpſe re Varronis locum apud Nonium vide in *Numerum.*

Eraſmi hâc in parte errorem ſequuntur alii multi: qui & ipſi quaſvis ſcitas elocutionum formas proverbiis accudunt. Itaque Hadriano Iunio quoque adagia ſunt, *fucus, cuculus, ſomni plenus*, de ſtupidis; *Aſiatici mores*, pro mollibus; *Græca fides*, pro dubiâ; *eodem laborare morbo*, pro vitio; *ſenis ira*, pro languidâ; item *incurvicervicum, Siſyphus, bilem vomere, morderi corde* &c.

Sed neque, *Nihil ad Perſium*, quod idem inter adagiones recenſuit, mihi parœmia eſſe videtur; quamvis παροιμιωδῶς uſurpari poſſe, haut planè inficier. Magna verò eſt ἀπειροκαλία † Iohannis Fungeri Leovardienſis; qui in novâ proverbiorum farragine intelligit nobilem illum ſatyricum à Quinctiliano commendatum, & diſticho iſthoc Martialis ‡:

† In hiſtoria aberratio.
‡ Lib. 4. ep. 29.

Sæpius in libro memoratur Perſius uno,
Quàm levis in totâ Marſus Amazonide.

Nam hic quidem ſub Nerone claruit: at alter vixit tempore C. Lucillii; cujus illud, *Perſium non curo legere, Lælium Decimum volo.* Illuſtrem hâc de re Ciceronis locum vide in ſecundo de Oratore. Illi enim prænomen Aulo, huic Cajo, quomodo à Cicerone vocatur; vel Manio, quod ei pronomen in veteribus Plinii codd. tribui, auctor eſt Hermolaus Barbarus initio ſecundarum annotationum in Plinium.

Notæ, quâ proverbia ſæpius ſignari ſolent, ſunt, *φασί, ut ajunt, quod dicitur, hoc eſt, quod dicunt*, & ſimilia: de quibus, præter parœmiographos, vide, ſi tanti illud putes, Petrum Victorium Variarum Lect. lib. XXXIII. cap. IX.

Mirandum verò, eos, qui tam multa inter proverbia referunt, quæ nihil minùs ſunt quàm proverbia, hos tam multa præterire, quæ vera ſint proverbia. De iis tamen ignoſci debet, quæ corruptè legi ſoleant apud auctores: ut inter alia hoc Pomponii, veteris poëtæ, *Vipera * eſt in vepreculâ:* de eo, qui poſſit deſubito adferre damnum. Item, *Sabini, quod volunt, ſomniant: &, Anus, quòd vult, ſomniat:* quæ adagiones exponuntur à Feſto viri inluſtris caſtigationibus illuſtriore reddito. Item: *Stagna ac ſales emere.* Ariſtot. lib. III. Rhet. τοῦτο δ' ἐστι ταυτὸ τῷ λεγομένῳ, τὸ ἅλας πρίασθαι καὶ σῦς ἅλας. *Hoc eſt, quod vulgò dicitur, ſtagna ac ſales emere.* Facilè autem ſubſcripſerim Antonio Majoragio, qui parœmiam de iis dici putat, qui, ut boni aliquid nanciſcantur, neceſſe habent quippiam mali ſubire: ut qui ſalinas emere non poſſunt, niſi cum ſtagnis adjunctis. Itaque contrarium huic fuerit illud Plautinum †, *Sine ſacris hæreditas.* Eo adagio, teſte Feſto, ſignificatur hæreditas, quæ alicui obtigit ſine incommodâ appendice: quo, ut Rævardus quoque monuit in opere poſthumo, intelligitur neceſſaria ſacrorum cura, quandoquidem filius familias, ut pecuniæ, ita ſacrorum hæres dicebatur, quòd huic ſacra domeſtica diligentiſſimè eſſent adminiſtranda. Nec tamen ignoro, in eo, quem modò adducebamus, Ariſtotelis loco, veterem interpretem pro ἅλας legiſſe ἔλαιον ‡: quæ lectio ſi proba eſt, rejectâ interpretis Græci declaratione, non malè cum Petro Victorio exponas de iis, qui deſipiunt; ut quos oleo & ſale inungi ſolitos, conſtet ex Ariſtophanis ſcholiaſte in Nub. *Lydi barbari.* παροιμίαν fuiſſe judicat Janus Duza lib. II. Plaut. Expl. cap. XV. Eo reſpexit Plautus Curculione:

* Ita rectè apud Nonium in Vepres emendavit Gulielmus Veriſimilium lib. 1. cap. 13.
† Capt. act. 4 ſc. Jupiter ſupreme: & Trinummo ſc. Minus quindecim dies ſunt.
‡ Oleum.

Fite meâ cauſſâ Lydi Barbari.

Item cùm Bacchidibus Piſtoclerus Lydum pædagogum ſuum ita compellat:

O Lyde es barbarus.

Item Auſonius:

Barbarus eſt Lydus, fallax Geta. ——
Veſte repellere.

Catullus:

Quare nos tela iſta tua evitamus amictu.
At ſicum noſtris tu dabi' ſupplicium.

Item Seneca epiſt. LIV.

Velut levia tela laxo ſinu eludit.
Urſâ præſente, quærere veſtigia.

Uſus Ariſtænetus lib. II. epiſt. XII.

Ἄρκτου παρούσης φασὶν σὺ δὲ ζητεῖς τὰ ἴχνη.

Alia quoque apud hunc Scriptorem habes veſtigia, quæ in Græcorum quidem parœmiis explicantur; at in proverbiis, quæ juniores congeſſere fruſtra quærantur, ut lib. I. epiſt. XXVII. *ᾄδειν ἄλλως. fruſtra canere*, de incaſſum laborantibus. Et mox Ἀμουσότερος Λειβηθρίων, *indoctior Liberide*, de planè indoctis. Sed & quàm plurima adagia, noſtris παροιμιογράφοις intacta, ſuppeditant nobis Iſaaci Caſauboni in philologum Naucratitam animadverſiones, quibus nihil hic Sol eo in genere videt eruditius.

Atque ex iis quidem, quæ hactenus diximus, ex parte eſt cognoſcere parœmiæ naturam: ut autem penitùs ea nobis perſpecta ſit, diſtinctione opus eſt. Nam Eraſmus latè utitur parœmiæ voce: ut cui parœmia ſit, in quocunque hæ duæ conditiones concurrunt; ut celebre ſit, & ut ſcitâ novitate ſit inſigne. Non tamen adeò ampla hæc definitio eſt, ut cuivis conveniat ſententiæ, quod Cæſar Scaliger * ſcripſit, ac poſt eum Lud. Carbo. Nam ſententiæ quoque ſunt, quæ celebres non ſunt; cùm tibi primò conduntur, † ſententiæ quidem nomen obtineant, celebres autem dici non poſſint; imò ſæpe etiam celebres nunquam fiant.

* Lib. 3. de re poët. cap. 84.
† Lib. 1. de elocut. orat. c. 15.

Nicolao Zegero, viro apprime erudito, ea tantùm ſunt proverbia, quæ hæc tria complectuntur; ut apud complures ſint celebrata jactataque, ut ſcito quopiam figuræ alicujus involucro, aut certè erudito aliquo Laconiſmo ſecernantur à ſermone communi, ac denique ut ſalutarem aliquam contineant ſententiam.

Julius verò Scaliger parœmiam cenſet eſſe orationem vulgatam allegoricam, ſive alludentem: atque hanc ejus definitionem Hadrianus quoque Junius ſequitur in doctiſ-

ſimo ſuo onomaſtico. Quamquam in Junio quidem hoc mirandum, cùm diſertim ſcribat, parœmiam eſſe *orationem vulgò in uſu habitam, allegoricè aliquid innuentem*, eundem tamen tam multa inter parœmias ſuis in centuriis referre, in quibus nulla ſit allegoria, ut antè vidimus.

Differt autem hæc Scaligeri ſententia ab illâ Eraſmi, quòd huic parœmia propriis quoque verbis conſtare poſſit, Scaligero non poſſit. At cum Zegero partim convenit, partim diſconvenit. Convenit eo, quòd uterque parœmias in arctiores concludat copias, quàm Eraſmus: diſconvenit, quòd Zegero omnis parœmia ſit γνώμη, at quædam ſolùm allegoricæ: Scaligero contra omnis parœmia ſit allegorica, at quædam ſolùm γνῶμαι ſint tales, illæ puta duntaxat, quæ ſimul alludunt. Sed Zegeri quidem ſententiam planè repudiamus. Nam innumera veteres proverbia appellant, quæ non ſunt γνῶμαι: ut inter alia iſthoc à παροιμιογράφοις noſtris præteritum: *Væ victis*: quod à Brenno, Gallorum rege, in proverbium veniſſe, diſertim ſcribit Feſtus. Utitur eo Plautus Pſeudolo*. Nec γνώμη eſt, cùm idem in Ciſtellaria † ait:

* Act. 5. ſc. ultimâ.
† Act. 2. ſc. 1.

—— *Inter novam rem verbum uſurpabo vetus.*
Quod dedi, datum non vellem: quod reliquum, non dabo.

Sive potiùs, *quod relicuum, non dabo*, ne claudicet verſus, qui eſt trochaicus catalecticus. Atque ex eodem exemplo etiam videmus, proverbia propriis poſſe verbis conſtare, ut ſuperiùs dicebamus.

Quare duæ ſuperſunt ſententiæ; una Eraſmi, qui latè voce hâc uſus, idque veterum exemplo, ut antè vidimus; altera Scaligeri, qui ſtrictè hoc nomen uſurpat, ſed magis propriè, quàm Eraſmus; ut oſtendit ἐτυμολογία parœmiæ, proverbii, & adagii, quam ex eodem Scaligero ſuprà ponebamus.

Theophylacto* παροιμία definitur λόγος πλάγιος, καὶ ἐπικεκρυμμένως, καὶ τὸ δῆλον παραβολικῶς ἀποκείμενόν τι δεικνύων. i. *oratio obliquè, & occultè, atque omnino collatione quadam aliquid, quod propoſueras, oſtendens.* Sed Theophylactus per παροιμίαν generatim intelligit allegoriam; idque cum Iohanne Euangeliſtâ; cui tum παροιμία, tum παραβολὴ, non quidem idem, quod Rhetoribus, ſignificat; ſed ſermonem quemlibet obſcuriorem, & à communi loquendi modo diſcedentem. Iohannes Euangel. cap. x. tmemate 6. Ταύτην τὴν παροιμίαν εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς: tranſtulit vulgatus interpres: *Hoc proverbium dixit eis Jeſus.* Clariùs alii, qui *ſimilitudinem* vertunt. Cap. xvi. verſ. 25. Ταῦτα ἐν παροιμίαις λελάληκα ὑμῖν· ἀλλ' ἔρχεται ὥρα, ὅτε οὐκ ἔτι ἐν παροιμίαις λαλήσω ὑμῖν· *Hac in proverbiis, ſive per ſimilitudines, locutus ſum vobis; jam veniet tempus, cùm non loquar vobis per ſimilitudines.* Et verſ. 29. Νῦν παῤῥησίᾳ λαλεῖς, καὶ παροιμίαν οὐδεμίαν λέγεις· *Nunc apertè loqueris, nec ſimilitudinem ullam dicis.* Salomonis quoque librum, quem Hebræi *Miſhle* vocant, Græci interpretes inſcripſere παροιμίας, quo intelligi oportet ſententias ac ſimilitudines. Eas Euangeliſtæ omnes, præter Iohannem παραβολὰς appellant; idque penè quadraginta locis. Plurimas enim παραβολὰς adfert Chriſtus in Euangelio, quòd tum vulgò etiam in familiaribus colloquiis eſſent uſitatæ; inprimis verò Palæſtinis, ut monuit Hieronymus †. Talis inter alias eſt illa de vulnerato à latronibus, & à Levitâ quidem neglecto, à Samaritano verò curato; à quâ & lib. I. Codicis ‡ *Parabolanos* putat Turnebus ‖ medicos Alexandriæ dictos; præſertim cùm Honorii & Theodoſii conſtitutione ſexcenti parabolani curandis debilium corporibus deputentur, quaſi illius Samaritani æmuli. Verùm hanc, ſcio, opinionem haut defendet quiſquam telo Achaico. Mihi quidem altera ſententia, quam ibidem Turnebus ſubdit, quamquam nec ipſa planè ſatisfacit, magis tamen ſemper arriſit: ut nempe ita dicantur circitores ſive medici, quia ſummis ſe periculis exponunt, inprimis in noſocomiis; unde fit ut, graſſante peſte, eâdem ſæpe ipſi tollantur. Certè παράβολον Græci vocant hominem præcipitis ac projectæ audaciæ: unde & hoc nominis inditum iis, quos Græci aliter vocant θηριομάχους, Latini *beſtiarios*, ac *beſtiis addictos*, vel *ad beſtias datos*, aut *damnatos*, vel (ut Tertullianus duriùs* appellat) *ad beſtias pronunciatos*. Firmicus †, & Iuriſconſulti *arenarios*; nempe ab arenâ, quâ cavea amphitheatri ſpargebatur, ne ſanguine redderetur lubrica. Maximè autem adlubeſcit opinio Brodæi, qui *parabolanos* dictos putat, non quidem medicos; ſed homines plebejos, ac paupertinæ ſortis, qui noſocomiis, & xenodochiis, operam ſuam locarent.

* In Joann. cap. 16.
† In Matth. cap. 18.
‡ L. 42. & 43. Cod. Theod. de epiſc. & cler. & exinde l. 18. Cod. Juſtin. Tit. eodem.
‖ Lib. 13. Adverſ. cap. 23.
* De reſurrect. carnis cap. 16.
† Lib. 8. cap. 10.

Hæc de proverbiorum naturâ eo pluribus ſumus proſecuti, quia oratoribus ſit maximus proverbiorum uſus. Nec cauſſa ejus rei obſcura eſt; cùm illa, magnâ ex parte, nihil aliud ſint, quàm veterum ſapientum dicta; ut non modò iis ad ornandum uti liceat oratori; ſed etiam, quo inde pondus accedat orationi. Quod ipſum Ariſtoteles tradidit: ex quo Syneſius ‡ refert, ὅτι παλαιᾶς εἰσι φιλοσοφίας ἐν ταῖς μεγίσταις ἀνθρώπων φθοραῖς ἀπολομένης ἐγκαταλείμματα περισωθέντα διὰ συντομίαν καὶ δεξιότητα. *eſſe ea veteris philoſophiæ, inter maximas hominum ruinas intercidentis, reliquias quaſdam, ob brevitatem ac dexteritatem conſervatas.* Subjungit deinde Syneſius: Παροιμία δὲ καὶ τοῦτο, καὶ λόγος ἔχων ἀξίωμα τῷ ἔθει κατηνέχθη φιλοσοφίας τὴν ἀρχαιότητα, ὥστε βόειον ἐπιβλέπειν αὐτῇ. Πάμπολυ γὰρ οἱ πάλαι εἰς ἀλήθειαν εὐστοχώτεροι. *Proverbium igitur hoc eſt, & ſententia dignitatem habens, ac antiquitatem è philoſophia depromtam. Unde bubulum, hoc eſt, gravem planè obtutum habet. Priſcis enim temporibus multo erant in veritate indagandâ ſollertiores.* Et ſanè ea res in cauſſa eſt, cur jam olim tot præſtantiſſimi viri in explanandis adagiis operam poſuerint: qualis è Latinis Appulejus Madaurenſis, cujus ſecundum de proverbiis librum Chariſius ‖ citat: è Græcis autem ipſe Ariſtoteles*, & diſcipuli ejus Theophraſtus, ac Clearchus Solenſis†: item Chryſippus, Cleanthes, Ariſtarchus, & multi alii, quos Zenobius, Diogenianus, & cæteri laudant parœmiographi.

‡ In calvitii encomio.
‖ Lib. 2.
* Zenobius.
† Athen. lib. 4. & 7.

CAPUT. XII.

DE CATACHRESI, HYBERBOLE, ET EMPHASI.

Catachreſis eſt tropi duricies, oriens ex voce, quæ in alienum locum quaſi vi devenerit.

Hyperbole eſt, cùm oratio in re augendâ, aut imminuendâ, fidei limites excedit.

Emphaſis eſt vis vocabuli modificati, repræſentantis rem excellenti modo.

I. UTRUM UT HYPERBOLE ET EMPHASIS, ITIDEM CATACHRESIS, OMNIS SIT IN NIMIO.

Superſunt tres affectiones troporum. Quas eo convenire quidam autumant, quòd omnibus ſignificetur (ut cum illis loquar) exceſſus: differre autem, quòd exceſſus in emphaſi bonus, ac per ſe laudabilis ſit; in hyperbole verò, & catachreſi, ſolùm laudabilis per accidens. De emphaſi, & hyperbole, adſtipulor: non item de catachreſi. Nam quod ajunt, per catachreſin dici pro Veneri addicto *comem*, quomodo ſæpe loquitur Plautus; pro avaro *parcum*, pro prodigo *liberalem*, & contrà; in his verò eſſe exceſſum per accidens laudabilem; eoque catachreſin rectè ſub exceſſu comprehendi: hæc quidem partim falſa ſunt, partim non efficiunt quod putarunt. Neque enim virtutes pro vitiis vicinis, vitiave pro virtutibus poni debent; cùm oratorem oporteat eſſe virum bonum, qui mendacium pejùs oderit, quàm fullo ululam. Unde Fabius lib. III. cap. IX. *Hoc quidem Orator, id eſt, vir bonus, nunquam faciet, niſi fortè communi utilitate ducatur.* Atque hac de re etiam dicebamus lib. I. cap. V. ſect. XXVIII.

Qua-

Quare nunc ſolùm addam, adulatoris eſſe, vitia virtutum nominibus inſignire: ut Plutarchus oſtendit libro eo, quo diſcernere docet amicum ab adulatore: ac hominis eſſe maligni, vitiorum nominibus appellare, quæ excuſationem merentur: ut etiam Lucianus indicat, περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων: ubi illuſtre apponit exemplum de viris eruditis, qui à magnatibus de re quapiam rogati, trepident ac ſudent, & conſternatione quadam ineptè reſpondeant. Atque hoc, inquit, οἱ μὲν χρηστοὶ αἰδῶ ἐκάλεσαν, οἱ δὲ τολμηροὶ δειλίαν, οἱ δὲ κακοήθεις ἀπαιδευσίαν. *homines probi appellant pudorem, immodeſti atque audaculi timorem, improbi autem ac maligni inſcitiam.* Deinde nec ſi alterum pro altero collocetur, καταχρήσεως fuerit, quia qui laudat, parcum dicet, ac volet intelligi; qui vituperat, avarum vocabit, atque iſtiuſmodi cenſeri volet: eoque, ſi animum dicentis ſpectes, non ponetur unum pro alio. Denique nec ſi hæc καταχρηστικῶς dicerentur, icciroo omnis καταχρήσεως fuerit exceſſus, cùm ſuperſint innumera, in quibus nihil iſtiuſmodi cernere eſt. Quod ut magis pateat, age à catachreſi potiſſimùm auſpicemur.

II. De abuſionis vocabulo, et quid ſit catachreſis, atque ejus exempla.

Catachreſis κατὰ λέξιν ſonat *abuſio*, prout Fabius lib. VIII. transfert, & ante eum Cicero oratore ad Brutum: eâdem nempe ratione, quâ epiſt. XXII. lib. XI. ad Att. vini *abuſionem* dixit pro abuſu; aut quâ *uſionem* pro uſu uſurpant non Ulpianus * ſolùm, & Alphenus † J. C.; (fruſtra enim ambigit Haloander, rectène ita legatur) ſed etiam Cato de R. R. & Varro περὶ ταφῆς Μενίππου, atque item Agellius ‡, ſcriptor purus caſtuſque, quamvis V. C. Ant. Auguſtinus lib. II. Emend. cap. II. de hâc ipsâ *uſionis* voce tractans, eum appellet non bonum Latinitatis auctorem.

* L. 27. §. 4. D. de auro, argento mundo.
† L. 60. §. 1. de legat. 3.
‡ Lib. 4. cap. 2.

Eſt autem abuſio, quoties duriùs vocis alicujus ſignificationem deflectimus ad aliam longè à propriâ recedentem. Itaque & ἄκυρον, vel ἀκυρία, itemque ἀκυρολογία, vel ἀκυρολογία à Grammaticis dicitur, quamvis hanc nonnulli diverſam faciant à catachreſi. Ita *calamus* ſumitur vulgò pro *penna*: cùm illa ex arundine fiat, hæc avium propria ſit: ut bene annotavit Iſidorus Originum lib. VI. cap. XIV. Nec minori catachreſi, jam ætate Martialis, ut ex pluribus ejus locis videre eſt, patres, fratres, ac quoſlibet obvios, appellarunt *dominos*; quemadmodum & uxores vocabant *dominas*. Diſtinguendus verò hic uſus, qui καταχρηστικὸς, ab eo, quo uxores ſic vocabant tanquam familiæ dominas. Exempla vide apud Guilielmum Fornerium lib. I. Selectionum cap. II. Imò jam Senecæ temporibus morem hunc fuiſſe, argumento eſt illud ex epiſtolâ ejus tertiâ: *Obvios, ſi nomen non ſuccurrit, dominos ſalutamus:* quod item epiſt. CIV. Junium Gallionem fratrem vocat *dominum ſuum*. Scævola lib. XLI. D. de Legat. III. maritus uxori ſcribens ait *Peto à te domina uxor*. Epictetus diſſertationibus apud Arrianum: Αἱ γυναῖκες (φησίν) εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται. Menander: Εἶχέ με γυνὴ δέσποινα. Elegans eſt hâc de re Palladæ epigramma in primo Ἀνθολογίας *:

* Titulo εἰς εἰκονικούς.

> Ἢν ὁ φίλος τι λάβῃ, δόμινε φράτερ, εὐθὺς ἔγραψεν·
> Ἢν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον.
> Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα· αὐτὰρ ἔγωγε
> Οὐκ ἐθέλω δόμινε· οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.

Quod ex tempore admodum adoleſcens tranſtuli:

> *Mox ſcripſit*, domine frater, *ſi accepit amicus.*
> *Si nihil accepit, nil niſi*, frater, *ait.*
> *Nomina namque iſthæc venalia ſunt. Ego verò*
> *Nolo iſtud*, domine. *Nam dare nil habeo.*

Vel ſi produci ſyllabam ob conſonas vocis ſequentis, aut penthemimerim, duriuſculum videtur, reſcribe verſu primo, *domine, ô frater*: ultimo autem, *Nolo voces dominum*. Sed utcunque vertas, abeſt Græci epigrammatis venuſtas. Quæ magna ex parte conſiſtit in paronomaſiâ poſterioris pentametri: unde haut rectè ſtabilire conantur corruptam pronunciationem diphthongi AI, quaſi elegantia hujus carminis perierit, niſi δόμεναι & δόμινε, ſimiliter omnino ſonuerint. Adhæc, ut Palladæ temporibus ſic fuerint locuti, quod verum puto: non eo, florente Græcia, AI, & E, ſimiliter ſonuerint.

Tandem non fratres modo, ſed etiam filios dixere *dominos*; ut in inſcriptione antiquâ *, ſed hominis tamen Chriſtiani: DOMINO FILIO INNOCENTISS.

Hujuſmodi omnia per abuſionem dici, arguit illud, quòd *domini* vox ſit correlatum ſervi. Quam ob cauſſam Auguſtus, & Tiberius, tantopere averſati ſunt illud nomen; ut diſcimus ex Suetonio †, Tacito ‡, atque aliis ‖. Imò tribus & ampliùs ſeculis pòſt, cùm jam ubique illud obtineret, Julianus deſertor uſque adeò hanc appellationem refugit, ut cæteris illam ad exemplum Cæſaris aſpernantibus, penè in deſuetudinem abierit: quemadmodum ipſe refert in Miſopogone. Sed poſt Juliani exceſſum, ut fieri amat, rediit conſuetudo prior. Stante verò Rep. Romanâ, tantum aberat, ut ingenui alii alios *dominos* vocarent, ut ſervi etiam dominos ſuos ſæpe quidem dicerent heros, ſed nec raró compellarent nomine proprio. Ut Davus in Andria *:

* In Collectione Inſcriptionum Gruterianâ CDLVIII. n. 2.
† In Auguſto cap. 53. & in Tiberio cap. 27.
‡ Lib. 2. Annal.
‖ Tertull. apolog. cap. 34.

> —— *Non ſatis me pernoſti etiam, qualis ſim, Simo.*

Syrus in Heautontim. †

> ——*Cæterùm equidem iſtuc, Chreme,*
> *Æqui bonique facio.*

Et mox:

> ——*Verùm illud, Chreme,*
> *Dicunt, jus ſummum ſæpe ſumma eſt malitia.*

* Act. 3. ſc. 2.
† Act. 4. ſc. 5.

Mercurius quoque apud Plautum Amphitryone ‡, quamvis Soſiæ perſonam induerat, Jovem tamen, qui in Amphitryonis ſe faciem converterat, Amphitryonem, non herum, aut dominum, vocat: imò & heram nomine ſuo Alcmenam appellat. Verus etiam Soſia verum Amphitryonem ſuo ſemper nomine nuncupat ‖.

‡ Act. 1. ſc. 3.
‖ Act. 2. ſc. 1.

Ἄκυρον quoque ſive improprium eſt illud Terentii *, *Hunc comedendum, & deridendum, vobis propino.* Ac nequis pro *propino* legendum hìc putet *præbeo*, addo, imitatum id eſſe Capitolinum in Marco: *Venenatam*, inquit, *partem fratri edendam propinans.* Nec multùm abludit illud Auſonii †:

* Eun. act. 5. ſc. ult.

> ——*Vini cibique abſtemius.*

† Carm. 5. in profeſſ. Burdig.

Nec diſſimili admodum καταχρήσει Perſius in anteloquio ſatyrarum ſcribit, *Cantare nectar*; quomodo legit Politianus cap. XLIV. Miſcell. & epiſt. I. lib. XII. qui & ſe illud inveniſſe ſcribit in vetuſto quodam codice, atque id ipſum in altero repertum refert à Bernardino *, ſive Petro illo Calabro †, qui non tam ut natalium probrum tegeret, (nam è nobili familiâ Sanſeverinate, haut legitimè licet, natus fuit ‡) quàm, ut ajunt, quòd palato ejus nihil præter antiquitatem Romanam ſaperet, ac Chriſtiani nominis & Eccleſiaſticæ antiquitatis contemtor eſſet, Iunius Pomponius Lætus, & fortaſſe (ſi ejus ſunt illi in Maronem commentarii) Pomponius Sabinus nominari maluit. Aldus quoque Manutius lib. IV. Grammat. Inſtit. ſcribit, Iucundum Veronenſem *cantare nectar* in compluribus reperiſſe exemplaribus, ac ſe quoque unum eorum inſpexiſſe, in quo *nectar* erat ſcriptum, ſed *vel melos* minoribus erat literis ſuperadditum. *Pegaſejum* autem *nectar* ait, quomodo dicit Martianus Capella lib. IX. *Poſt hos honoratior fontigenarum virginum chorus Pegaſea vocis nectare diffluebat.* Quo loco non dubium, quin Martianus reſpexerit illum ipſum Perſii verſum: nequis autoritate moveatur, aut Scoppæ ‖ corrigentis, *cernas Pegaſejum melos*: aut Turnebi *, & Hadriani Iunii, qui emendant, *Pergaſeium melos credas*: aut Giffanii †, qui legit, *credas Pegaſejum melos.*

* M. Antonius Majoragius orat. 10.
† Lud. Vives l. 2. de fide.
‡ M. Antonius Maurocenus, in vita Pomponii Læti.
‖ Collectan. cap. 34.
* Lib. 10. Adverſ. cap. 13.
† Indice Lucretiano in Vacillo.

III. Ca-

III. Catachresis alia poetarum propria, alia oratori etiam conceſſa.

Κατάχρησις eſt duplex. Una ſolutæ convenit orationi; cujuſmodi eſſe ſolet, quâ neceſſitatis cauſſâ utimur. Nec tamen ſola hæc talis putanda eſt: quia quandoque etiam oratores, nullâ adacti neceſſitate, vocabulis abutuntur. Catachreſis verò altera tantùm in ligatâ oratione locum habet: quæ numquam non citra neceſſitatem uſurpatur. Prioris generis eſt, cùm *ædificare* aliis accommodatur, quàm ædificiis. Nam, ut apud Maronem* legimus *ædificare equum*: ita apud Ciceronem†, eſt *ædificare claſſem*. Simile item *defendere* pro arcere: ut apud eundem Tullium‡: *Siquis non defendit injuriam, neque propulſat à ſuis, cùm poteſt, injuſtè facit.* Et apud Paullum J. C.⸸ *Vim enim vi defendere, omnes leges, omniaque jura permittunt.* Ejuſdem generis eſt, quòd *paricida* ponatur, non tantùm pro eo, qui principem, patrem patriæ, occiderit, aut patruum ſuum, vel patronum; (de quibus Marcianus J. C. teſtis in XIV. Inſtitut.) ſed etiam pro eo, qui cognatum, aut propinquum, ſuſtulit; aut pro quocumque, qui capital fecerit, h. e. facinus, quod capitis pœnâ luitur, ut rectè exponit Feſtus; à quo immeritò diſcedit Nonius, cùm capitis periculum eâ voce ſignari tradit. In proſâ autem oratione *paricida* vocem eo, quo dicebamus, modo accipi, tum argumento eſt, quòd Cicero in Milonianâ Clodium vocat *paricidam*, quia M. Papirium, equitem Romanum, interemiſſet. Indicio quoque ſunt leges Numæ; in quibus erat, *Siquis hominem liberum morti dait, paricida eſto*: tum quòd etiam quæſtores, quia conquirerent publica maleficia, (quod primò eorum munus fuit, qui publicas colligerent pecunias; poſtea peculiare factum eſt trium virorum capitalium*) ideo dicti ſunt *quæſtores paricidii*; quemadmodum ſcribit Feſtus, & Pomponius in Enchiridio Iuris. Eſſe verò hanc κατάχρησιν, negari nequit, cùm *paricida* propriè dicatur quaſi *patricida*, vel potiùs quaſi *parenticida*, κατὰ συγκοπὴν, quomodo & *homicida* factum ex *hominicida*. Quare appellantur ita propriè, non ſoli quidem, qui patrem ſuſtulere, ut vulgò tradunt; quibus & Nero, quem *matricidam* Auſonius novè vocat, καταχρηστικῶς *paricida* dici videtur; ſed quicunque parentem alterutrum interemerint.

* 1. Æn.
† Pro lege Manilià.
‡ Lib. 3. off.
⸸ L. Scientiam, §. qui cum. D ad legem Aquiliam.
* Varro lib. 4. de L. L.

Quidam etiam ejus καταχρήσεως, quæ in proſâ quoque locum habeat, exemplum eſſe putant, quod *merendam* vocamus cibum illum, qui eſt inter prandium, & veſperam. Movit eos, quod *merenda* ita dicta videatur, quia meridianis horis ſumeretur, atque ita primò idem fuerit, quod prandium; ut quoque voluit Feſtus Pompejus. Verùm potior eſt eorum ſententia, qui propriè ſic appellatum putant cibum, qui mercenariis dabatur à labore: poſtea verò συνεκδοχικῶς extenſam eſſe ſignificationem. Ita *merenda* fit non à meridie, ſed à merendo, ut à terendo *turunda*; pro quo Turnebus† haut δισόχως‡ legendum conjiciebat *rutunda*, vel *rotunda*.

† Lib. 17. Adv. cap. 7.
‡ Felici conjectatione.

Alterius verò generis abuſionem, quod citra neceſſitatem fit, ac magis in vinctâ oratione invenitur, exemplum eſt, quòd Martialis⸸ vocat *ſine fece diem*, qui eſt ſine nubibus, eoque ſerenus: item quòd *gurgitem*, aut *vadum*, poëtæ dicunt pro mari: in quibus & ταπείνωσιν ſtatuunt, ut ſuo loco dicemus. Quidam etiam ejus generis eſſe autumant, quòd *ſperare* accipitur pro timere. Ita enim vocem hanc, quoties de rebus malis uſurpatur, explicant Chariſius, Donatus, Servius, Diomedes, Iſidorus, atque alii. Nec deſunt, qui hocce exemplo adſtruere conentur, catachreſes quaſdam nulli primario tropo ſubjici poſſe, eoque eam diſtinctum videri tropum. Atqui *ſperare* tum non timere ſignificat, ut putarunt; ſed ſtatuere. Maro 1. Æn.

⸸ Lib. 8 ep. 14.

At ſperate Deos memores fandi, atque nefandi.

i. putate, ſtatuite. Et IV. Æn.

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem,
Et perferre, ſoror, potero.

Ubi itidem *ſperare* eſt exiſtimare ſibi impendêre.

Neque proſa hoc locutionis genus neſcit. Auctor declamationis in Salluſtium falsò jam olim tributæ M. Ciceroni: *Nam quod iſtâ inuſitatâ rabie petulanter in uxorem, & in filiam meam, irruaſiſti; quæ faciliùs mulieres ſe à viris abſtinuerunt, quàm tu à viris: ſatis doctè ac peritè feciſti. Non enim me ſperaſti mutuam tibi gratiam relaturum, & viciſſim tuas compellaturum.* Niſi hìc εἰρωνικῶς accipere viſum, propter ſequentia de gratiis relatis; quaſi honoris cauſſâ (ſcilicet, uti Salluſtius fecerat) nominare voluerit conjugem, ac filiam Salluſtii. Res apertior eſt in aliis, at poſterioris ævi. Ut Tertulliani hoc, lib. de pœnitentiâ cap. ult. *Quid illum theſaurum ignis æterni æſtimamus, cùm fumariola quædam ejus tales flammarum ictus ſuſcitent, ut proximæ urbes, aut jam nullæ exſtent, aut idem ſibi de die ſperent.* Sententia eſt, putant civitates Veſevo vicinæ, & ſibi ab hoc monte ignivomo exitium impendêre; hoc magis, quia ab eo non ita pridem perierant Pompeji; uti legere eſt lib. de Pallio cap. II. & in Apologet. cap. XL. Etiam Sidonii eſt lib. VI. epiſt. VI. *Sperans, ne amor veſter tenuetur.* Quamquam hìc, ob particulam ſequentem, planè, is pro *timere* videtur accipere, fortaſſe Grammaticorum auctoritate impulſus, qui ſic interpretarentur. Sed Sidonii auctoritas non eſt nobis tanti: cujus ævo, ut ipſe non uno agnoſcit loco*, penè totus conciderat ſermo Romanus. Molliùs idem Apollinaris lib. VII. epiſt. VII. *Sperat Arvenna ſupplicium.* Etiam ſic verbum hoc uſurpant, auctor panegyrici Conſtantino dicti, Julius Firmicus Matheſ. lib. VIII. Ammianus lib. XIV. & alibi. Veteres etiam Juriſconſulti ita loqui amant: ut oſtendit Radulphus Fornerius lib. III. Rerum Quotidianarum cap. XV. Sic verò vocem hanc Latini uſurpant Atticorum exemplo. Nam, ut ſcribit Suidas, ἐλπίσαι οὐ μόνον ἐπ' ἀγαθῷ, ἀλλ' ἁπλῶς ἐπὶ τῇ τοῦ μέλλοντος ἐκβάσει λέγεται παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς†. Adſtipulatur ei Heſychius juxta quem ἔλπεσθαι, & ἐλπίζειν, idem ſunt, quod δοκεῖν‡. Idem quoque ἐλπίδα exponit προσδοκίαν⸸, ac pro eodem accipit ἐλπωρὴν, ἐλπίδα, & δόκησιν. Certè locutus eo modo Thucydides lib. I, ut & obſervavit ſcholiaſtes: atque Ariſtoteles quoque lib. II. Rhet.; quo loco de miſericordiâ agit: item Sophocles in Oedipode tyranno. Itaque non adſentio Henr. Stephano*, qui mavult apud Virgilium legere, *tantum ſpectare dolorem*: quod ſe in exemplari quodam reperiſſe ait, quaſi non innumera peccent ſcioli atque indocti librarii. Equidem non ignoro, apud Martialem quoque lib. II. epigr. LXIV. in multis codd. eſſe, *Quo te ſperabimus uſque?* in aliis verò *ſpectabimus*, hoc eſt, *exſpectabimus*. Sed Maronem *ſperabimus* ſcripſiſſe, teſtis eſt nobis, exceptione major, Quinctilianus† lib. VIII. ubi in eo ἄκυρον ponit.

* Lib. 2. epiſt. 10. & lib. 8. epiſt. 2.
† Non ſolùm de rebus bonis, ſed ſimpliciter de rei futuræ eventu dicitur ab Atticis.
‡ Putare.
⸸ Opinionem.
* Paleſtrâ de Latinitate Lipſii pag. 24.
† Cap. 3. ſive, de perſpicuitate.

Multi, eoſque inter Willichius Reſellianus, vir doctiſſimus, eandem ſtatuunt κατάχρησιν in illo Terentii‡:

Nam quod tu ſperes, propulſabo facile. ——

‡ Andr. act. 2 ſc. 3.

Ubi & Donatus monet, in libris nonnullis *timeas* legi: quod ſine dubio ex gloſſemate alicujus irrepſerat, qui locum non ſatis percepit. Siquidem *ſperare* hìc omnino propriè & uſitatâ ſignificatione accipitur: cùm ſententia ſit, longè aliter eveniet, atque in ſpe habes. Fortaſſe nec meliùs interpretantur illud Juvenalis ſat. IV.

—— *Jam quartanam ſperantibus ægris.*

Sani enim quartanam metuunt; at ægri interdum ſperant; præſertim deſinente auctumno; quo tempore febres continuæ ſunt multo periculoſiſſimæ. Proximè enim præceſſerat:

—— *jam letifero cedente pruinis*
Auctumno. Sententia igitur eſt, ſperare ægros, febrim, quâ correpti, non fore ardoris continui, ſed quarto die recurrentis; quia ab eâ non itidem vitæ periculum imminet, atque ab aliâ febri; quique ab eâ convaleſcunt, poſtillâ conſtantiori fruuntur valetudine: quin etiam ea, depaſcendo

paſcendo noxios humores, pleroſque liberat à morbis, quorum curatio penè in deſperatis habebatur; ut de epilepſiâ teſtatur Cous vates lib. I, & VI. Epidem. Itaque nec in argumento planè παραδόξῳ fortean verſabatur Phavorinus, cùm quartanam laudaret; quâ de re Agellius lib. XVII. cap. XII.

Verùm de poſteriori hoc abuſionum genere; quòd à poëtis, ac interdum ab oratoribus, citra neceſſitatem adhibeatur, non immeritò ambigi poſſit; cùm plerique veterum tum tantùm κατάχρησιν eſſe dicant, cùm rei carenti nomine alienum nomen inditur: velut cùm *pes* in navi ſumitur pro infima veli parte, aut pro fune, quo velum tenditur, teſte Seneca*: unde apud Maronem, *Unà omnes fecere pedem.* h. e. vela tetenderunt. Eſtque ea ſententia Quinctiliani lib. VIII. cap. VI. Plutarcho quoque in vitâ Homeri ſimiliter definitur κατάχρησις, ἥπερ ἐστὶ τὸ κυρίως δηλούμενον μεταφέρει τὴν χρῆσιν, καὶ ἐφ' ἕτερον οὐκ ἔχον ὄνομα κύριον. i. *quæ uſum ex eo, quod propriè ſignificatur, in aliud, proprium non habens, transfert.* Feſtus itidem: *Catachreſin*, inquit, *dicimus, cùm alienis abutimur perinde ac propriis, cùm propria deficiunt.* Idem ſenſit Iſidorus lib. I. Originum. Et certè non quidem id eſſe κατάχρησιν, negamus: verùm laxiùs hoc loco eâ voce utimur, ut nihil aliud ſit, quàm tropi durities. Id cùm dicere vellet, vir cæteroqui doctiſſimus, Georgius Fabricius †, mirificè hanc rem expreſſit. *Abuſio*, inquit, *eſt verbi in ſignificatu non proprio uſurpatio.* At hoc quævis facit metaphora, non ſolùm κατάχρησις. Verum non poſſunt non aſpernanda proferre, qui, ſi non Logices ſtudium aſpernantur, at ſaltem, ut Ennianus ille Neoptolemus ‡: paucis jubent philoſophari. Mihi verò arridet illud Nevianum: *Neminem vidi qui numerò* (h. e. nimium, ut exponit Feſtus) *ſciret, quod ſcito eſt opus:* ſive, ut apud Turpilium erat:

Nunquam quemquam numerò vidi facere, quod facto eſt opus.

* Lib. 2. de Benef. cap. 34.

† In Partitionibus Grammaticis.

‡ Apud Agellium lib. 5. cap. 15. & Apulejum in Apologia.

IV. CATACHRESIN PLURIMUM ESSE IN TRANSLATIONE, INTERDUM ETIAM IN METONYMIA, AUT SYNECDOCHE.

QUæritur, num κατάχρησις ſolius metaphoræ, an verò cujuſvis ſit tropi durities. Sed magis poſterior placet ſententia. Nam cùm *paricida* nomen, quod eorum proprium eſſe dicebamus, qui interemere parentem alterutrum, illis tribuitur omnibus, qui capital commiſerunt, eſt συνεκδοχικὴ κατάχρησις; aut, ratione obligationis ad pœnam capitis, καταχρηστικὴ μετωνυμία adjuncti. Eſt & κατάχρησις μετωνυμική, cùm καλοῦνται παῖδες οἱ δοῦλοι, κἂν ὦσι πρεσβύτεροι*, ut ait Pollux. Atque ita Latini quoque antiquiores dicebant *Marcipor*, *Quinctipor*, *Publipor*, *Caipor*, h. e. Marci, Quincti, Publii, aut Caji puer ſive ſervus; ut explicat Priſcianus lib. VI. Eâdem de re ita Fabius lib. I: *In ſervis*, inquit, *jam intercidit genus illud nominis, quod ducebatur à domino; unde Marcipores, Luciporéſve. Quinctiporem* dixit Varro Bimarco, *Publiporem* Salluſt. lib. III. Hiſtor. *Marciporem* Plinius lib. XXXIII. cap. I. Ac meminere etiam iſtorum Feſtus, Probus in Catholicis, & Paullus lib. I. Dig. De verborum & rerum ſignificat. Etiam κατάχρησις μετωνυμικὴ eſt, cùm pro perſona ponitur adjunctum, quod non eſt, ſed fuit. Cujus rei multa habemus in ſcripturis exempla. Ut Matth. cap. XI. 5: *Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt.* Item Matth. XXVI. 6. *Simon leproſus* dicitur, quia fuerat leproſus. Συνεκδοχικῶς quoque καταχρηστικῶς dixit Maro †:

Ferreique Eumenidum thalami.

Neque enim Eumenides nupſerunt; ſed generatim utitur poëta thalami voce, pro loco, in quo commorantur Eumenides. Nam propriè thalamum dici cubile mariti atque uxoris, vel fidem fecerit illud ejuſdem de Priamo ‡:

Quinquaginta illi thalami, ſpes tanta nepotum.

Itidem nomen *virginis*, quod earum proprium eſt, quæ à viro integræ ſunt, συνεκδοχικῶς καταχρηστικῶς iis tribuitur, quarum jam libata virginitas: quomodo Græcorum imitatione (nam ita παρθένου voce utitur Euripides in Jone) Terentius uſurpat in Hecyra*, & Virgilius Eclog. VI, ubi Paſiphaën virginem vocat, quæ, ut Servius monet, jam mater erat Phædræ, Ariadnes, & Androgei. Aliquanto aliter, ſed item καταχρηστικῶς, uſus eodem Juvenalis lib. III. ſat. III:

—— Quod ni tibi deditus eſſem,
Devotuſque cliens, uxor tua virgo maneret.

Majori etiam abuſione ea vox accommodatur τοῖς ἠϊθέοις, hoc eſt, viris non expertis Venerem. Ut apud Marcellum Empiricum cap. VIII. ⸸: *Collyria multi generis, id eſt, vel decem confectionum, æquali vel numero, vel pondere, infundes in lotium pueri virginis.* Nempe ſic poſterioris ævi ſcriptores loqui amant, inprimis Eccleſiaſtici: ut apud vulgatum interpretem Apocalypſ. cap. XIV, ubi παρθένων vocem de maribus uſurpatam itidem *virgines* transfert. Tertullianus quoque lib. de velandis virginibus cap. V. de Eva ait: *Ex viro ſuo ſumta eſt, & ipſo adhuc virgine.* Et cap. X: *Viri autem tot virgines, tot ſpadones voluntarii.* B. Hieronymus in vita Malchi captivi: *Huccine miſer ſervatus ſum? ad hoc mea ſcelera perduxerunt, ut, incaneſcente jam capite, virgo maritus fierem?* Similiter loquitur epiſtolâ ad Salvianam, Gildonis filiam. Etiam *virgines clericos* dixit libro contra Vigilantium. Idem apologiâ contra Jovinianum †: *Apoſtoli vel virgines, vel poſt nuptias continentes: epiſcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt ſacerdotium in æternum pudici.* Antea quoque eodem dixerat libro: *A domino virgine mater virgo virgini diſcipulo commendatur.* Cui geminum ac ſimillimum hoc apud Auguſtinum præfat. in Joannem: *Iſte ſiquidem eſt Joannes, quem Dominus de fluctivagâ nuptiarum tempeſtate vocavit, & cui matrem virginem virgini commendavit.* Etiam B. Paulinus Nolanus ſic orditur epithalamium in Julianum, epiſcopi Memoris, ſeu Memorii, filium, ac Campanum, poſtea epiſcopum, & Jam, ut Lindenbrogius ‡, fortaſſe ex libris, nuncupat; vel Æitiam, ut legendum conjectabat Andr. Schottus:

Concordes animæ caſto ſociantur amore,
Virgo puer Chriſti, virgo puella Dei.

Petrus Chryſologus ſerm. CXLVIII. de Eva decipiente Adamum: *Inducta virgo inducit virginem mox Adamum.*

Fortaſſe autem quiſpiam, Nonii autoritate motus, à Varrone quoque exiſtimet eos dici *virgines*. Verùm huic ſententiæ minimè ſubſcribo; neque cauſſam adſcribo, ne has paginas τοῖς ἀῤῥήτοις* attaminemus. Neque iccirco cenſendum, antiquos voce defectos fuiſſe, quâ in maribus uterentur. Siquidem veteribus, quod in ſequiore ſexu eſt *virgo*, id in maribus erat *inveſtis:* unde hæc vox, ut monuit Caſaubonus †, in veteribus gloſſis exponitur ἄφηβος; eique contrarium eſt *veſticeps*, ὁ ἐφηβηκώς, καὶ τὸ ἀφροδίσιον πάθος ἔχων. Confirmat hanc rem Tertullianus, cujus illud de virgin. velandis ‡: *Materfamilias vocatur, licet virgo; & paterfamilias, licet inveſtis.* Ibidem: *Si virgo mulier non eſt, nec vir inveſtis eſt.* Verùm hâc de re nimis fortaſſe multa. Reliqua nunc perſequamur.

* Act. 4. ſc. 5. & 7.

⸸ Pag. 65. edit. Baſil.

† Propè finem.

‡ Ad Terentii Adelphos.

* Rebus nefandis.

† Caſtigat. in apolog. Appul.

‡ Extremo cap. 11.

V. DE CATACHRESI UTRIMQUE COMMUTABILI.

QUemadmodum metaphorarum aliæ à ſimilitudine ſimplici petuntur, aliæ à proportione: ac illæ elegantiſſimæ ſunt, quæ ab ἀναλογίας ducuntur, eoque commutabiles eſſe ſolent: ita & καταχρήσεις aliæ reciprocæ ſunt, aliæ unius partis: tutiſſimæ autem, quæ ſunt prioris generis: nempe ἀντάλληλοι, ſive utrimque commutabiles. Quomodo crebrò *omnis* ponitur pro *totus*, & *totus* pro *omnis*: cùm tamen totus propriè reſpiciat corpus, quod quantitas eſt continua, & *omnis* dicatur ratione numeri,

 qui

qui quantitas eſt diſcreta. Nec abſimilis, ſed ἀνακόλουθος tamen κατάχρησις eſt, cùm *plurimus* dicitur de quantitate continua. Ut I. Georg.

—— Cum ſe nux plurima ſylvis
Induet in florem.

hoc eſt, longa. Sic III. Georg.

—— Cui plurima cervix.

hoc eſt, longa, toroſa. Et I. Æn. de colle.

—— Qui plurimus urbi
Imminet.

Addam & alia ἀναλόγου καταχρήσεως exempla. Ita *pretium* pro pœnâ uſurpat Catullus, cùm Rufum cognitum ait amicum

—— magno cum pretio atque malo:

item Horat. lib. III. od. XXIV:

Et peccare nefas, aut pretium eſt mori.

[* Lib. 4. Plaut. explic. cap. 14.] Atque è contrario, ut quidem voluit Janus Duza*, pœnam Græcorum imitatione pro præmio dixit Propertius lib. II. eleg. VIII; cum ſcribit:

At poſtquam ferâ captiva eſt reddita pœnâ,
Fortem illum Æmoniis Hectora traxit equis.

Mihi tamen hic *pœna* pro *ſolutione*, ſeu liberatione, accipi videtur, quomodo & Pindarus locutus od. IV. Pyth.

Ἀνδρῶν φωνὰς ἀνακεκλόμενον
Ποινὰ τίς ἔσται πρὸς Θεῶν.

Dum percontareris, quæ à duri ſonâ loquelâ, Deorum auxilio, futura eſſet liberatio. Aliàs eidem Pindaro ποινὰς pro *præmio* quoque uſurpari, agnoſcimus: ut cùm I. Pyth. carmen in victoriam vocat ποινὰν τεθρίππων, *præmium quadrigarum.*

Ἀκόλουθος quoque κατάχρησις eſt, quòd Virgilius II. Æn. *promittere* poſuit pro *minari*, & Horatius viciſſim lib. I. Epiſtol. *minari* dixit pro *promittere*; quomodo & Catullus Epig. penultimo, eum, qui divitiis ſe jactaret, *minacem* vocat; ſicut habet vetus Regienſis editio†, atque à Joſepho quoque Scaligero editum eſt: pro quo [† An. 1481.] ineptè Aldus, aliique, *nimis* excuderant. Græcos eodem modo αὐχὴ dicere pro καύχησις, & αὐχεῖν pro [‡ Gloriari, jactare.] αὐχεῖν, ſive καυχᾶσθαι ‡, ex Euſtathio ‡ diſcere eſt. [‡ Odyſſ θ. pag. 1602. edit. Rom.]

VI. De fugienda catachreſi nimis dura. Item quæ apud criticos antiquos catachreſios fuerit nota.

ETſi autem κατάχρησις ſit tropi duricies, non tamen duricies hæc excedere modum debet. Nimis ſanè dura abuſio eſt, cùm Alexander Myndius apud Athenæum lib. IX. ait: τὸ δὲ πρόσωπον ὅτι λίαν λευκὸν ἰχθύος, ὅτι μέλαν*. [* Nec facie alba valde, nec nigra.] Loquitur de paſſeribus, quibus πρόσωπα nomen nequaquam convenit. Duriùs quoque dicitur πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ quomodo Euangeliſta Matthæus loquitur cap. XVI. In carmine tamen κατάχρησις hæc feratur: quomodo Lycophron cœlum vocat πολυπρόσωπον. Nec is tamen hoc nomine effugit cenſuram Ariſtotelis in III. Rhetor. Sed pro Lycophrone eſt, quòd poëtæ gaudeant rebus quibuſvis perſonas induere. Eſtque ſimile, quòd Ovidius initio Metamorphoſios *naturæ vultum* dixit. Item Virgilius nunc feris † tribuit vultum, nunc mari; ut ſupra vidi- [† 7. Æn.] mus. Quod nihilo mollius, quàm cum Lycophron cœlo πρόσωπον aſſignat; quandoquidem hæc idem notant. Sanè & Cicero interdum πρόσωπον vertit *vultum*. Quamquam idem in primo de Legibus Græcos carere cenſeat voce, qua *vultum* exprimant: credo, quia *vultus* vox magis apta eſt, ut utriuſque nominis ἔτυμον conſideranti planum fiet.

Quòd ſi durior videatur catachreſis, mollire eam licebit ἰατρεύματι ‡ aliquo. Ut ibidem Cicero ait: *Nec ar-* [‡ Remedio.] *boris, nec equi virtus quæ dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione ſita eſt, ſed in natura.* Quamquam Plato in primo de Rep. αὐτοῖς dixerit ἀρετὴν τῶν κυνῶν*. [* Virtutem canum.]

Extremo illud loco adjicimus, veteres criticos, (ut ex antiquis ſcholiaſtis cognoſcere eſt) κατάχρησιν, omnemque vocum inſolentiam, indicare ſolitos præfigendo verſibus χ. Vide Iſaaci Caſauboni notas in Laërtium, & ejuſdem animadverſiones in Athenæum lib. VI, cap. VIII, item Joannem à Wouweren de πολυμαθείᾳ cap. XVII. Et hæc de abuſione.

VII. Hyperbolæ quomodo Latinis dicatur: item quid, et quotuplex ſit: ac, in quovis eam tropo inveniri.

YΠερβολὴν recentiores Ariſtotelis interpretes *exceſſum* vertunt; uti ἔλλειψιν *defectum.* Sed Latinos veteres aliter his vocibus uſos eſſe, monet Victorius lib. XIX. Var. Lect. cap. IX. Ab auctore ad Herennium dicitur *exſuperatio*: ab eodem, & Cicerone in III. de Orat., transfertur *ſuperlatio*; quâ voce & Arnobius utitur lib. I. à Fabio lib. VIII. *ſuperjectio* vocatur. Nec eodem omnes modo definiunt. Quibuſdam dicitur eſſe tropi audacia: quæ deſcriptio non minùs catachreſi convenit, quàm hyperbolæ. Siquidem audaciæ eſt, iis uti, quibus duricies ineſt, uti fit in catachreſi. Hyperbole verò aliquid, quod fieri nullo modo poſſit, augendæ rei gratiâ dicit, aut minuendæ: ut Tullius definit in Topicis. Itaque eſt duplex; alia αὐξητική, ſive augens, alia μειωτική, ſive minuens. Certè non Tullio modò, ſed ipſi etiam Ariſtoteli, comprehendit utrumque exceſſum; tum eum, qui tendit ad exſuperantiam, qui ſolus aliis ὑπερβολὴ vocatur; tum illum, qui vergit ad defectum, qui & ὑποκορισμὸς dicitur. Utroque enim modo exceditur τὸ μέσον*. [* Medium.]

Exemplum prioris modi eſt in illo Maronis † de na- [† Æn. 8.] vibus Cleopatræ: *credas innare revulſas Cycladas.* Nam etſi magnitudinis erant inuſitatæ, quod Florus ‡ abun- [‡ Lib. 4. cap. 11.] de teſtatum facit: non tamen ſingulæ inſulis poterant æquiperari.

Poſterioris modi exemplum habes apud Juvenalem ſat. VI. de virgine exiguâ, quæ ob tutulum, ſive comæ ſuggeſtum, (ſic cum Statio ‡ appello, quod Nazianzeno * eſt [‡ Epithalamio Stellæ & Violantillæ] πύργωμα πλοκάμων, Hieronymo † eſt *turritus vertex*) refert à fronte Andromachen:

—— poſt minor eſt, breviorque videtur
Virgine Pygmæâ nullis adjuta ‡ cothurnis.

[* Carm. 63. pag. 147. edit. Morell.] Cui enim veriſimile fiat, ipſis eam fabuloſis Pygmæis, quorum *tota cohors pede non eſt altior uno*, ut idem ſatyricus ait ‡, breviorem ſemper viſam fuiſſe, niſi quando ſta- [† Epiſt. ad Demetriadem.] turam juvaret induendo cothurnos, genus calceamenti ſubere altiùs elevato, quale in tragœdiis uſurpabant, ut perſonæ heroum, quas inducebant, apparerent grandiores: [‡ Scioppius adjunctâ. Sed vetus lectio elegantior eſt.] quemadmodum & è Polluce diſcimus, iccirco in iiſdem uſos ſyrmate, unde hic ipſe ſatyricus alio loco * ſcribit:

—— Longum tu pone Thyeſtæ
Syrma, vel Antigonæ.

[‡ Sat. 13.] Eſſe autem ὑπερβολὴν troporum quorumvis affectio- [* Lib. 2. ſat. 2.] nem, argumento eſt, quòd metaphora ὑπερβολικὴ ſit, ſi Ariſtotelem voces *Deum* philoſophorum: metonymia ὑπερβολικὴ ſit, ſi quempiam dicas *nequitiâ* ipſâ *nequiorem*, h. e. nequiſſimis quibuſque: (vulgus nunc ſequor, cui nequitia nequiſſimorum adjunctum potiùs videtur, quàm forma eſſentialis, quâ de re ſuo loco diximus:) ſynecdoche ὑπερβολικὴ ſit, *ſacer* pro quovis improbo: ironia ὑπερβολικὴ ſit, ſi cæcum dicas *Argo* eſſe *oculatiorem.* Imò & cum catachreſi concurrit: ut in illo Gregorii Magni: *O culpa* FELIX, *quæ talem meruiſti habere redemtorem!*

VIII. Cui ætati, atque argumento, hyperbolæ inprimis conveniant.

[† Lib. 3. Rhet. cap. 11.]

COngruunt Hyperbolæ juvenibus magis, quàm ſeni- [‡ Sunt autem hyperbolæ juveniles: nam vehementiam indicant.] bus: cujus cauſſa eſt, quòd juventus in omnibus modum excedat, contra illud Chilonis præceptum. *Nequid nimis.* Id voluit Ariſtoteles †, cùm ſcripſit: εἰσὶ δὲ ὑπερβολαὶ μειρακιώδεις· σφοδρότητα γὰρ δηλοῦσιν ‡. Eandem

ob

ob cauſſam iis quoque conveniunt, quibus animus eſt commotus. Illuſtrat id Ariſtoteles exemplo Achillis, qui, Agamemnoni iratus, eoque munera oblata reſpuens, negavit, ab eo animum ſuum placari poſſe, ſi vel donentur quæcumque arenâ maris terræque occuluntur: atque item, cùm pollicerentur oratores, regem ipſum filiam ſuam daturum conjugem, negavit, ſe eam ducturum, quamvis vel formâ contenderet cum Venere, & induſtriâ atque artibus cum Pallade.

Hâc ipsâ de cauſsâ creber quoque eſt eorum uſus in conviciis. Ut, *Hic* ‡ *alienum oves cuſtos bis mulget in horâ.* At vix fieri poteſt, ut bis de die mulgeantur, de horâ certè non poteſt. Sed *hora* ponitur pro exiguo tempore, per συνεκδοχικὴν ὑπερβολὴν. Etiam hæc profecta ſunt ab animis perturbatis:

‡ Ecl. 3.

Nuſquam tuta fides *.

Nulla fides pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur †.

* 4. Æn.
† Lucanus lib. 10.

Denique eſt maximus eorum uſus in quibuſvis amphificationibus. Plautus Epidico ‡:

‡ Act. 5. ſc. 1.

—— *Pedibus pulmoneis*

Qui perhibetur, prius veniſſet, quàm tu advenisti mihi.

Ut quidem reſtituit Camerarius: quo pacto *pulmonei* pedes erunt, quos alibi * appellat *podagroſos*.

* Mercator act. 3. ſc. Summe ego homo.

Quemadmodum autem eo ingens indicatur tarditas: ita contra ab eodem Comico mira deſignatur velocitas, cùm in Amphitryone ait †:

† Act. 1. ſc. 1.

—— *Quadrigas ſi nunc inſcendas Jovis,*

Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.

Vel ſi id eſſe ὑπερβολικὸν vix placet, ob particulam *vix* adjectam: at dubium non eſt, quin ὑπερβολικῶς ab Euripide ‡ ſumma indicetur celeritas, cùm Achilles vocatur ἰσήνεμος, h. e. *ventis æqualis*, pro quo Homerus ſimpliciter dixerat πόδας ὠκὺς, h. e. *acupedius*, ut loquuti veteres ‡. Maxima quoque velocitas ſignificatur, Antipatri de Aria Epigrammate *; cujus hi verſus extremi:

‡ Aulide.
‡ Feſtus.
* Lib. 1. c. 1. Ἀθλητ.

Ἤ γὰρ ἐφ' ὑσπλήγων, ἢ τέρματος οὐδέ τις ἄκρου
Ἠΐθεον μέσσου δ' ὄψετ' ἐνὶ σταδίῳ.

Ergo in carceribus, metáque, hunc cernere poſſis
Currentem: medio non videas ſtadio.

Item iſthoc Virgilii † de Camillâ:

† 7. Æn.

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas:
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingueret æquore plantas.

Falluntur Critici, qui verſus hos, Maronis gravitate indignos, eoque adulterinos cenſent. Nam in omnibus eos codd. inveniri, auctor eſt Pierius Valerianus: ac ſimiles ſunt Apollonii verſibus, quibus agilitatem Polyphemi deſcribit ‡. Imò nec dubium, quin Apollonium Maro expreſſerit. Simul etiam, ut præter alios Cœlius Calcagninus in epiſtolicis quæſtionibus monet ‡, alluſit ad id, quod poëtæ tradiderunt de Orione, Neptuni, vel, ut alii volunt, Minoïs ex Euryale filio; aut Iphiclo, filio Phylaci: quorum illum ajunt patris beneficio ſuper fluctus ſuſpenſis veſtigiis, haut ſecus atque in terrâ, cucurriſſe: hunc fabulantur ita ſuper ariſtas inceſſiſſe, ut eas non confringeret. Heſiodus, Hyginus, & Apollonii interpres. Nec abludit ab hiſce fabulis, quod de Lada, Alexandri M. curſore, poëtarum multis * memorato, refert Julius Solinus †. Quippe tantâ celeritate fuiſſe prodit, ut nec veſtigia in pulvere arenâque relinqueret. Hæc vanorum Græculorum ὑπερβολὴ ex eo traxit originem, quòd, Pauſania ‡ teſte, omnes ſuæ ætatis velocitate anteceſſerit: unde & ei ſtatuam apud Argos dicarunt in templo Veneris νικηφόρου.

‡ Lib. 1. Ἀργοναυτ. verſ 182.
‡ Lib. 1. ep. 8.
* Catul. carm. 56. Juvenal. ſat. 13. Martial. lib. 2. ep. 86. & l. 10. epig. 100.
† Cap. 6.
‡ In Corinthiacis.

IX. An hyperbolis uti liceat: unde ſit, quod eas amemus: in ſacris quoque ſcripturis eam frequentari: et quomodo duriores hyperbolæ molliantur.

Opponuntur, ὑπερβολικῶς, & verè loqui: quia nempe in ὑπερβολῇ veritatis limites excedimus. Cicero epiſt. xxi. lib. v. ad Att. *Cyprii talenta Attica ducenta; quæ ex inſulâ (non ὑπερβολικῶς, ſed veriſſimè loquor) nummum nullus, me obtinente, erogabatur.* Neque iccirco damnari debet hæc ratio loquendi. Nam *in hoc omnis hyperbole extenditur, ut ad verum mendacio veniat*: quemadmodum Seneca * ſcripſit. Neque enim adhibetur, ut intelligatur, quod dicitur; ſed ut exceſſus aliquis animo concipiatur, ac per incredibile intelligatur penè incredibile.

* Lib. 7. de beneficiis cap. 23.

Quid verò in cauſsâ ſit, cur ὑπερβολικῶς homines loqui malint, quàm propriè, non ineleganter docet Joachimus Camerarius probl. 11. appendicis. Verùm quod dé levitate humanâ ait, non poteſt eſſe ratio perpetua, cùm Sp. S. gaudeat hyperbolis. Ita Auguſtinus lib. xvi. de civit. Dei cap. xxi. ὑπερβολικῶς interpretatur illud cap. xiii. Geneſ. *Ponam ſemen tuum, quaſi pulverem terræ.* Nam *quis*, inquit, *non videat, quàm ſit incomparabiliter* † *amplior pulveris numerus, quàm poſſit eſſe omnium hominum ab ipſo Adam, uſque ad terminum ſeculi?* Sic Exodi cap. iii. verſ. 8. 17. & alibi paſſim, *Dabo vobis terram fluentem lacte & melle*, id eſt, admodum fecundam. Exod. cap. x. verſ. 21. *Ut ſint tenebræ ſuper terram Ægyptiorum, & quivis palpet tenebras:* hoc eſt, denſiſſimæ tenebræ. Jud. vii. 12. *Cameli innumerabiles erant, ſicut arena, quæ jacet in litore maris.* Similéque, cùm 1. Sam. xiii. 5. in Philiſtæorum exercitu fuiſſe dicuntur xxx. *millia curruum, & vi. millia equitum, & reliquum vulgus, ſicut arena, quæ eſt in litore maris plurima.* Joſephus dicit, fuiſſe trecenta millia. Sed etſi vel duplo fuiſſent plures, quantillum hoc ad arenas maris? Itidem 1. Reg. cap. 1. verſ. 40. *Adeo ut finderetur terra, præ voce eorum.* Et cap. x. 27. *Et reddidit rex argentum Hieroſolymis, ut lapides: cedros autem reddidit, ut ſycomoros, quæ creſcunt in loco depreſſo multitudine.* Neque Chriſtus hyperbolen refugit. Nam tale illud Matth. v. 39. *Quiſquis te cædet in dexteram tuam maxillam, obverte ei & alteram.* Hoc eſt, potiùs, quàm jure talionis agere cum eo velis, etiam alterum colaphum excipe. Nec enim propriè id ſumi oportere, arguit, quòd Chriſtus, cùm cæderetur à ſervo Pontificis M., non alteram ei maxillam feriendam obtulit; ſed hominem reprehendit. Uti & à B. Paulo factum videmus Act. xxiii. 3. Interim ſic quoque Chriſti dictum è diametro adverſatur iſti gentilium ſententiæ:

† Vulg. codd. comparabiliter.

Veterem ferendo injuriam invitas novam.

Quo multos incendi videas ad vindictam Chriſtiano uſque adeò indignam. Aliæ quoque id genus hyperbolæ multæ ſe in N. T. offerunt. Itaque ſtatuendum, inter alias hyperboles cauſſas, eam quoque eſſe, quòd propria ſæpe deſint, quibus res ſine ὑπερβολῇ æquè efficaciter ſignificentur.

Quemadmodum autem de metaphoris durioribus dicebamus, ita hyperbolæ quoque modum excedentes, quales tumidam reddunt orationem, præmuniendæ ſunt particulis, *inſtar*, *prope*, ac ſimilibus. Atque hoc eſt, quod præcipiunt Græci, προεπιπλήσσειν τῇ ὑπερβολῇ. Cicero in Piſonem, ubi diſſerit de reditu ſuo glorioſo: *Unus ille dies*, inquit, *mihi quidem inſtar immortalitatis fuit, quo in patriam veni, cùm Senatum egreſſum vidi, populumque univerſum: cùm mihi ipſa Roma prope ſedibus convulſa ad contemplandum conſervatorem ſuum procedere viſa eſt; quem ita accepit, ut etiam mœnia ipſa viderentur, ac tecta urbis, ac templa lætari.* Eſt & altera leniendi ratio, quam ex Sapphone docet Demetrius. Nam cùm divina, ut vocat, mulier dixiſſet, γαμβρὸς εἰσέρχεται ἶσος Ἄρηϊ, *gener ingreditur æqualis Marti*: quaſi reprehendens ſe ipſam, quòd hyperbole uſa eſſet impoſſibili, continuò ſubdit; ἀνδρὸς μεγάλω πολλῷ μείζων, *viro magno multo major.* De Hyperbole ſatis.

X. De emphasi.

Emphaſis ſive efficacia eſt, cùm vocabulum adhibitum ſingularem habet vim. Sive, eſt vox modificata, vim

orationis magis intendens, quàm ſi propriâ uſi fuiſſemus. Eſtque variorum troporum affectio. Itaque metaphora eſt ἐμφατικὴ, *incenſus irâ, accenſus cupiditate.* Sic in illo ex legibus XII. tab. apud Ciceronem III. de Orat. *Si telum manu fugit:* quo ſignificatur, telum eſſe imprudentiâ emiſſum: atque, ut Muretus* monet, videri queat expreſſum ex illo Homeri†:

* Lib. 18. Var. Lect. cap. 19. † Iliad. ε

—— τῦδ' ὐχ' ἅλιον βέλος ἔκφυγε χειρός.

‡ 12. Æn. Item cùm Maro‡ de haſtâ Æneæ inquit:

—— *Volat atri turbinis inſtar*
Exitium dirum haſta ferens.

Nam breviùs, ac planiùs, propriis res exponi non potuit, quàm eſt uno ſignificata tranſlato. Itidem in illo*,

* Æn. 2.

Invadunt urbem ſomno vinoque ſepultam:

ſignificantius eſt *ſepultam*, quàm *oppreſſam.* Etiam illud Auguſti apud Suetonium†, *forum aleatorium calefecimus;* majorem habet ἐνέργειαν, quàm, *ſtudioſè multumque luſimus aleâ.* Similiter illa Synecdoche‡, *Prodidi ſanguinem innoxium;* ἐμφατικώτερον eſt, quàm ſi *hominem* dicas. Item illa Terent.⊥ *Tu quantus quantus, nil niſi ſapientia es:* quæ εἰρωνικὴ συνεκδοχὴ majorem habet emphaſin, quàm ſi dixiſſet, *tu quidem ſapientiâ ſummâ es ornatus.*

† In Aug. cap. 71. ‡ Matth. 27. 4. ⊥ Adel. act. 3 ſc. 3.

Interdum quoque ἔμφασις propriæ accidit locutioni, quæ iccirco ad Grammaticen pertinet. Ita apud Maronem ἐμφατικῶς, ſive (ut loquitur Thucydidis Scholiaſtes) ἐμφαντικῶς ait Dido de Æneâ*:

* 4. Æn.

Pro Juppiter ibit. Hic, ait. Ἐμφαντικὸν quoque illud Comici†;

† Phorm. act. 2. ſc. 1.

Hominem commonſtrarier mihi iſtum volo. Utrobique enim pronomen odium ſignificat. Similiter apud Hebræos ἔμφασιν habet vox geminata: quæ ferè certum rei ſignificat. Geneſ. cap. II. *De omni ligno horti comedendo comedes.* Item, *Quocunque die comederis ex eâ, morte morieris.* Geneſ. cap. III. *Multiplicando multiplicabo dolorem tuum.* Cùm autem hoc emphaſios genus ipſi ſit Spiritui S. uſitatum: manifeſtarius eſt eorum Rhetorum error, qui ſcribunt, emphaſi propoſitum eſſe, ut res major videatur, quàm revera eſt.

Aliquanto aliter emphaſis nomine utitur Plutarchus‡: ut cui ἔμφασις ſit, ὅτε δι' ὑπονοίας ἐπίτασιν τοῦ λεγομένου παρέχωσι· *quæ occulto ſenſu ejus, quod dicitur, ſignificationem intendit.* Ita elegantiarum pater Odyſſ. λ ait: Αὐτὰρ ὅτ' εἰς ἵππον κατεβαίνομεν. *Verùm poſtquam in equum deſcendimus.* Nam deſcendendi verbo ſignificatur equi magnitudo. Alterum quoque exemplum huic geminum inibi vide. Sed & eodem ſenſu emphaſis à Fabio⊥ definitur, *virtus altiorem præbens intellectum, quàm quem verba per ſe ipſa declarant.* Itaque emphaſis utrique eſt, cum ex dicto quopiam latens aliquid eruitur: ut in illo Myrrhæ apud Naſonem*, patris amorem nutrici confitentis:

‡ Lib. de Hom. ⊥ Lib. 8. cap. 3. * 8 Metam.

O, dixit, felicem conjuge matrem!

† Æn. 3. Et in illo Virgilii† de Cyclope:

—— *Jacuitque per antrum*
Immenſum:

quo prodigioſa ejus magnitudo ſignificatur. Par ratio in illo‡:

‡ Æn. 2.

Demiſſum lapſi per funem:

quo innuitur equi lignei altitudo. Item I. Georg.

—— *Cùm jam glandes atque arbuta ſacræ*
Deficerent ſylvæ.

h. e. non ſolùm aliis, ſed & ſacræ quoque. Et IV. Æneid.

Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam
Degere more feræ?

Nam conqueri videtur Dido de matrimonio, cùm tamen eo affectu prorumpat, ut vitam abſque connubio, non hominum, ſed ferarum, putet. Et hæc de tropis veris, eorumque ſpeciebus, & affectionibus.

CAP. XIII.

DE IIS, QUÆ FALSO INTER TROPOS REPONUNTUR.

Cum in omni tropo requiratur immutatio ſignificationis: neutiquam Sarcaſmus, Diaſyrmus, Charientiſmus, & Aſteiſmus, Ironiæ ſpecies ſtatuendæ ſunt: neque etiam Onomatopœia, Epitheton, Icon, Periphraſis, Antiphraſis, & Hypallage, inter tropos referri poſſunt.

I. DE SARCASMO.

QUemadmodum, ut vidimus, diſtincti à multis conſtituuntur tropi, qui troporum ſunt aliorum vel ſpecies, vel affectiones: itidem & tropos alios aliis ſubjecerunt, qui neque troporum ſunt ſpecies, neque affectiones, neque etiam diſtincti tropi. Hoc pacto quatuor ſtatuunt ironiæ ſpecies; ſarcaſmum, diaſyrmum, charientiſmum, & aſteiſmum. Ratio, quæ eos compulit, eſt iſta, quòd ſint ſpecies irriſionis. At idem, ac eſt irriſio, putarunt eſſe ironiam. Verùm licet ironia ſemper fiat cum irriſione, irriſio tamen ſæpe fit ſine ironiâ. Neque enim ſemper in irriſione ſignificatur contrarium; ſed ſæpe intelligitur, quod verbis primò ſignificatur.

Eſt autem ſarcaſmus, hoſtilis irriſio. De ἐτυμολογίᾳ nominis haut convenit inter eruditos. Mihi veriſimile fit, σαρκάζειν propriè dici de canibus carnes oſſique adrodentibus; ut propriè ſit σαρκασμὸς irriſio, quæ fit cum rictu, qualis eſt canum, cùm inimicè ſuper oſſe mutiunt hirriuntque. Aliter tamen hâc ſuper re alii ſcribunt. Apud Galenum quidem in Gloſſ. Hippocratis exponitur, Διὰ τῆς τῶν χειλῶν δήξεως χλευάζειν· *irridere cum labiorum morſu.* Ita σαρκασμὸς propriè ſit, cùm quis morſis labris ſubſannat alium. Quamquam nec deſunt, qui pro δήξεως* legant δείξεως†: ut σαρκασμὸς juxta eos ſit irriſio, quæ fiat diductis labris, oſtenſâque dentium carne. Julio Cæſari Scaligero‡ σαρκασμὸς eſt hoſtilis irriſio ſuper jam mortuo, vel mox certò morituro. Nam putat, σάρκα propriè eſſe *cadaver*; quomodo, ut annotat Euſtathius ad Iliad. γ. Σῶμα quoque apud Homerum perpetuò dicitur de inanimis, at δέμας de vivis, puta à δέω*, quia ſit quaſi δεσμός†. Certè ab eâ σαρκὸς, quam dixi, ſignificatione, *ſarcophago*, (quo ſepulchrum ſignificari, autor eſt Nonius in Capulo) inditum eſt nomen. Idem quoque ſtabiliunt origine Latinæ vocis, ſive ſit à cadendo, ſive à carendo. Quidam enim *carnem* ita dictam volunt, quia cadat, atque ita communem habere originem cum cadavere. Ac de origine quidem *cadaveris* nullus controverſabitur. Quemadmodum enim Græcis πτῶμα eſt ἀπὸ‡ τοῦ πίπτειν, ita & Latinis *cadaver* dictum liquet à cadendo; unde divinus poëta*:

* Morſu. † Monſtratione. ‡ Lib. 3. de re poët. cap. 86. * Vincio. † Vinculum. ‡ A cadendo. * Æn. 6.

—— *Belloque caduci*
Dardanidæ.

Et Lucanus lib. VI:

Carminibus magicis opus eſt, herbiſque cadaver
Ut cadat.

At de carnis ἐτυμολογίᾳ haut immeritò fortaſſe ſcrupulum alicui injiciat: quòd alii à carendo dici ajunt, quia careat vita; quo reſpexiſſe videri queat idem Maro, cùm de apibus ait†:

† 4 Georg.

—— *Tum corpora luce carentum.*

Sanè Donato‡ videtur ex eo, *carnifex* dictus, quia carnem faciat è vivente. Imò Scaliger quoque ejus vocis ἐτυμολογίᾳ ſuam ſtabilit ſententiam ſuper origine propriâque ſignificatione tum σαρκασμοῦ, tum *carnis.* Verumtamen (liceat nobis porrò Rhetorum areas adſpergere pulvere Grammatico) magis placet, ut *caro* ſit à κρέας, quandoquidem ρ ſere in Latinis locum mutat: quomodo à τέρην eſt *tener*, à στρωννύω *ſterno*, à κρίνω *cerno*, à καρκίνος *cancer*: atque eadem eſt ratio in aliis plurimis. Nec diſpli-

‡ In Hecyr.

diſplicet, ut *facere* in hac carnificis voce ſit *interficere*; tum quia, ut Græcis ῥέζειν, ita Latinis *facere*, quoties de ſacrificando animali ſermo eſt, *mactare* notet, tum quia hæc mactandi ſeu occidendi ſignificatio remanſit in compoſito *interficere*. Nam *inter* non rarò in compoſitione auget, ut innuit Donatus *, qui adauctivam particulam vocat, ac *interturbare* explicat non mediocriter turbare, & *intercipere* totum capere; eodemque modo dici vult *interfectus*, & *interemtus*. Siquidem *emere* ſignificabat tollere, ſumere; unde in vett. gloſſ. *Abemit*, ἀφεῖλεν. Nec in ſolo *interficiendi* verbo primogenii vim cernere eſt. Nam, ut hoc quoque διὰ τ ὁδοιπορίαν † moneamus, *confici*, eodem Donato ‡ teſte, propriè dicuntur gladiatores graviſſimis occumbentes vulneribus: eoque modo dixit Seneca lib. III. de irâ cap. ult. *Quos, cùm alter alterum vexârit, ſuus confector expectat.* Hinc extenſa ad animantes quoſvis ſignificatio: ut cùm *ſicâ conficere* aliquem legimus apud Tullium, *confectores ferarum* apud Tranquillum, & *confectorium* in veteribus gloſſis, pro loco in quo ſues interimuntur. Exponunt enim χοιροσφαγεῖον. Et hæc hactenus.

* Andr. act. 4. ſc. 1. & Eun. act. 2. ſc. 1.
† Obiter.
‡ Eun. act. 5. ſc. 2.

Quod ſi placet ea σαρκασμοῦ ἐτυμολογία ac definitio, quàm è Scaligero adſignavimus, propriè Sarcaſmus ſit in illo Turni XII. Æn.

En agros, &, quam bello Trojane petiſti,
Heſperiam metire jacens.

Et hoc x. Æn.

Iſtic nunc, metuende, jace.

Verè quoque ac propriè σαρκαστικὸν fuerit iſthoc Judæorum in Chriſtum Matth. XXVII: *Alios ſalvos fecit, ſe ipſum non poteſt ſalvum facere.* Item: *Si filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce.*

II. De diasyrmo.

Διασυρμὸς, eidem Scaligero, eſt par acerbitate, ſed extra cædem. Ut IV. Æn.

I, ſequere Italiam ventis.

& apud Comicum in Andriâ act. IV. ſc. III:

Nova nunc religio in te iſthæc inceſſit, cedo.

Ubi tamen Eugraphius Sarcaſmum ſtatuit; latiùs nempe Sarcaſmi voce acceptâ. Illuſtre etiam diaſyrmi exemplum apud Oroſium occurrit in apologetico * de arbitrii libertate: ubi Pelagium deridet, quia putaret, portare ſe poſſe onus legis divinæ, vivereque ſine peccato: *Sed tibi*, inquit, *ſpecialis inde portandi oneris fortaſſe fiducia eſt, quod, balneis epuliſque nutritus, latos humeros geſtas, robuſtamque cervicem, præferens etiam in fronte pinguedinem.*

* Pag. 748. edit. Colon. an. 1582.

Aquilæ Romano diaſyrmus dicitur eſſe elevatio aut illuſio; definiturque figura, quâ ludentes, quæ ab adverſariis dicuntur, ſolvimus: qualis eſt totus ille locus pro Murænâ in Sulpicium de jure civili. Hoc ſchemate ex conſilio Gorgiæ utemur, quoties vix eſt, quod argumentis adverſæ partis reſpondeamus. Gorgiam certe εἰρωνείαις frequentâſſe, ac, cùm diſſimulatione iſthâc uteretur, inuſitata etiam, & peregrina verba uſurpare ſolitum, autor nobis Ariſtotel. lib. III. Rhetor. cap. VI. Julius Rufinianus, qui in operis ingreſſu ait, ſe ea perſequi velle, quæ Aquila prætererat, diaſyrmum vocat figuram, quâ rem aut perſonam elevamus. Sed Aquila quoque elevationem eſſe monuerat. Interim verè uterque. Nam & ipſe Ariſtoteles tertio Rhetor. & Demoſthenes pro Cteſiphonte διασύρειν uſurpant pro aſtutè extenuare atque elevare adverſarii argumenta.

III. De charientismo.

Χαριεντισμοῦ vox eſt à χαριεντίζεσθαι: quod gloſſæ Benedicti exponunt *carinari*. Iſidorus † ſimiliter, *Carinantes, inludentes.* Nempe velut Græcis γεφυρίζειν ‡ eſt à γεφύρας *, ut propriè ſignet, è ponte convicia jacere: ita *carinari* propriè eſt, è carina, infimâ navis parte, conviciari. Sed ὀνειδίζειν ſumitur pro *objectare probra*: ut exponit Feſtus, & Ennius * uſurpat. Ita χαριεντίζεσθαι dicitur ex eo, quia Græcis ſunt χαρίεντες, qui Latinis *ſalſi*, ut χάριτες *ſales*. Itaque charientiſmus, juxta Rufinianum, eſt irriſio cum amœnitate mordax. Ut in hoc Ciceronis †; *Facite enim, ut vultum ipſius, & illam uſque ad talos demiſſam purpuram cogitetis.* Aliis charientiſmus eſt, cùm dura gratioſis verbis molliuntur ut in illo * Davi ad Simonem; *Bona verba, quæſo.* h. e. Εὔφημα φώνει, meliùs ominare. Geminum huic iſthoc Plauti Perſæ †: *Bona pax ſit potius.* Item Maro, & Cicero, non uno in loco: *Di meliora.* Quod integrè expreſſit Tibullus ‡: *Di meliora ferant.* Vide de hac loquendi formula Hier. Ferrarium in Philippicam IV. De charientiſmo ita Diomedes *: *Charientiſmus eſt, quo dura dictu gratiùs proferuntur. ut cum interrogamus: Numquis nos quæſierit? & reſpondetur*; BONA SALUS, *vel* FORTUNA; *quo intelligitur, neminem nos quæſiſſe.* Idem iiſdem penè verbis refert Iſidorus lib. I. Originum. Metuo autem, ne hæc conſuetudo poſteriorum tantùm ſeculorum fuerit: quamvis V. N. Janus D.... lib. I. Plautin. explicat. cap. X. ad eumpſe morem reſpexiſſe exiſtimet Plautum, cùm Euclio †, abſente ſe, omnibus vult occluſas obſerataſque eſſe fores, uſque adeò, ut ne Bonam quidem Fortunam intromitti velit.

† In gloſſis.
‡ Convicıari.
* Pont.
* Apud Feſtum in Carinantes.
† Orat. pro Cluent.
* Andr. act. 1. ſc. 2.
† Act. 2. ſc. 2.
‡ Lib. 3. el. 4.
* Lib. 2.
† Aul. act. 1. ſc. 2.

IV. De asteismo.

Aſteiſmos eſt jocus urbanus; ut apud Athenæum ‡:

Εἰ μήν τι τούτων ἴσθας ἰσχυρῶς.
———χαιρέτω
*Λιβυκοῖσι βίβλοις, ταῖσί τ' Ἄννωνος πλάναις *.*

Sententia eſt, qui tam prodigus eſt honoris ſui, ut iſtiuſmodi res ſcriptis conſignare non pudeat, is per me licet eâdem ſe oblectet futilibus ac mendaciorum manifeſtis (ſic enim vulgò judicabant) Hannonis, Carthaginenſium ducis, commentariis de ſuâ in Atlantico Oceano navigatione, noviſque inibi ab ſe terris inventis. Eſt igitur planè geminum illi Maroniano †,

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi.

Facetè quoque Cicero ‡ parvam Lentuli, generi ſui, ſtaturam irridebat, cùm diceret; *Quis generum meum ad gladium alligavit?* Nec urbane minus Philippus Macedo *, cùm Perſas cogitaret in ſuam redigere poteſtatem eoque in Perſiam miſiſſet exercitum, ſcripſit, milites à ſe miſſos, quòd comperiſſet, eos ſeditione vexari; bonorum autem virorum eſſe, cùm id fit, aliis ſuccurrere.

‡ Lib. 3.
* Si quid horum in libros retulit Juba, oblectet ſe Libicis libris, & Hannonis erroribus.
† Ecl. 3.
‡ Apud Macrobium lib. 2. Saturn. cap. 3.
* Apud Diomedem lib. 2.

V. De mycterismo.

Sunt &, qui Ironiæ ſpeciem faciant Mycteriſmum, quo alium quis ——*naſo ſuſpendit adunco* †. Id enim eſt μυκτηρίζεσθαι, à μυκτὴρ, quâ voce nares ſignificantur: unde, quod Græci Ἀττικὸν μυκτῆρα ‡, id M. Seneca * *naſum Atticum* vocat. Nempe διὰ † τ Ἀττικὸν δριμύτητα τ σκωμμάτων ‡, ob quam & εἴρωνες * appellantur. Verùm μυκτηρισμὸς non magis Ironia eſt, quàm Sarcaſmus, aliæque irriſionis ſpecies. Pollux quidem ſcribit, ἐπὶ τ εἰρωνεύεσθαι τινὲς μυκτηρίζειν καλοῦσι. Sed laxè is εἰρωνείας, & μυκτῆρος, utitur vocabulis, pro irriſione eâ, quam homines amant elegantiores. Quomodo & Eunapius in Libanii vita ait, idem eſſe Atticis μυκτῆρα, ὡς ἀλισμὸν, quod Latinè *naſum & ſales* dixeris. Unde liquet, & εἰρωνείας, & μυκτῆρος, & ἀλισμοῦ, vocabula promiſcuè interdum uſurpari. Sed ſi propriè ſumas, plurimùm diſtant, ut origo etiam teſtatur. Quare ſi non quicquid σκῶμμα, ſive dicterium eſt, id continuò pro Ironiâ haberi debet; verùm tum demum εἰρωνικὸν cenſetur, cùm in eo intelligitur contrarium: quantò minus μυκτηρισμὸς fuerit Ironia? in quo nec contrarium intelligi unquam poteſt; quandoquidem non verbis fit, ut ſarcaſmus, ſed geſtu; naſo puta, quem ſubdolæ eſſe irriſioni dicatum, ſcribit

† Horat.
‡ Lucianus contra eum, qui dixerat, Prometheus es in verbis.
* Suaſoriâ 1.
† Lucianus ibidem.
‡ Atticam illam mordendi acerbitatem.
* Lucianus ἀεὶ γυμνασίοις.

ſcribit Plinius lib. XI. cap. XXXVII, unde idem, Præfat. in Nat. hiſt., Lucillium, quia ſatyram invenit, ait ſtyli naſum condidiſſe. Et Martialis * ridet Tongilianum, nihil habentem præter naſum, quia pauper erat, at actis aliorum cenſor. Atque inde *naſuti* dicuntur: unde idem Martialis †:

** Lib. 12. epig. 90.*

† Lib. 13. ep. 2.

Naſutus ſis uſque licet, ſis denique naſus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas,
Et poſſis ipſum tu deridere Latinum:
Non potes in nugas dicere plura meas.

Quin eapſè de cauſſâ à μυγμῷ, quo tum narium ſonus, tum χλευασμὸς notatur, ἀμύμονα ‡ quaſi ἀμύγμονα dici volunt.

‡ Inculpatum.

Latè μυκτηρισμοῦ nomine utitur Apoſtolus, cùm cap. VI. ad Galatas inquit, Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται *. Nam hic συνεκδοχικῶς quævis intelligenda irriſio, ſive ea cum geſtu fiat, ſive ſecus. Sed & Simplicio in Epictetum μωκὸς, ſive ſanna, eſt ὁ μυκτηρισμὸς, ἢ ὁ διά ποιοῦ σχήματος διασυρμός. At plura ſunt μωκοῦ ſive ſannæ genera, inter quæ principem hæc tria obtinent locum; ciconia, auriculæ aſini, & lingua canis: de quibus apud Perſium legere eſt ſat. 1, & B. Hieronymum epiſt. ad Ruſticum Monachum.

** Non irridetur ac quaſi naſo ſuſpenditur Deus.*

VI. De mimesi, apophasi, et cataphasi.

NEc rectiùs ad Ironiam referunt μίμησιν, cùm ea plurimùm intelligi debeat quod verba propriè ſonant. Eſt enim μίμησις, cùm verba aliorum referimus directâ oratione. Nam ſi obliqua fuerit oratio, non eſt μίμησις. Itaque μίμησις non ſit, ſi hoc pacto ſermonem feram: Fœneratores ac negotiatores à ſummo Jano ad imum uſque exemplo ſuo docent, primò pecuniæ habendam eſſe rationem, pòſt curandam virtutem. At μίμησις eſt, cum hæc directâ oratione effert Horatius epiſt. 1. lib. 1.

O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt.
Virtus poſt nummos. Hæc Janus ſummus ab imo
Prodocet.

Ita legendum eſſe, non *perdocet*, oſtendimus ſuprà †. Ut *prodocet* ſit *palam* docet. Nam id interdum *pro* valere in compoſitione, auctor eſt Feſtus.

† Cap. 7. hujus lib.

Similis μίμησις eſt Pſalm. ſecundo verſ. 3: *Dirumpamus vincula & projiciamus à nobis funes eorum. Habitans in cælis ridebit, Dominus ſubſannabit eos.* Nam primò David verba adverſariorum recitat: inde reſponſionem ſubjicit.

Nonnulli quoque Ironiæ ſubjiciunt ἀπόφασιν, & κατάφασιν: illâ negamus, quod agimus: hâc agimus, quod negamus. ἀπόφασις ſit, Non dicam hoc loco, quæ libidinoſè in legatione patrârit: κατάφασις ſit, Prætereo, quæ libidinoſè egit in legatione. Verùm nullam hic video Ironiam. Nam quod diſertim ſcribunt, *non dicam* accipi pro *dicam*, quodque *prætereo* interpretantur *minimè prætereo*, id vellem Rhetoribus illis nunquam excidiſſet. Sed hâc de re aliquid quoque dicemus, cùm de Præteritione agemus in σχηματολογίᾳ.

VII. De onomatopoeia.

MUltos præterea vulgò recenſent tropos, qui troporum numero non ſunt inſerendi: cujuſmodi ſunt, Ὀνοματοποιΐα, Ἐπίθετον, Εἰκὼν, Περίφρασις, Ἀντίφρασις, & Ὑπαλλαγή.

ὈΝΟΜΑΤΟΠΟΙΐΑ Ciceroni in tertio de Orat. vocatur *verbi fabricatio*; quomodo & in Lucullo ait *verba fabricari*: ac III, de Oratore pro eo quoque dixit *verba facere, & novare.* Fabius lib. VIII. cap. VI. ὀνοματοποιΐαν interpretatur *fictionem nominis.* Quamvis autem hæc ab Euſtathio vocetur τρόπος ποιητικὸς, propriè tamen tropus non eſt, quia non mutatur hâc propria vocis ſignificatio, ſed rei carenti nomine nomen à ſono inditur. Atque id quoque vidit P. Fonſeca lib. 1. Dialecticarum Inſtitutionum cap. 12. Errat tamen, cùm exiſtimat, quia onomatopœia non immutat ſignificationem, non omnem tropum eam immutare; cùm ex eo, quòd tropus omnis ſignificationem invertit, potiùs colligere debuerit, onomatopœiam tropum non eſſe. Eſt autem onomatopœiæ exemplum βομβαλοβομβὰξ apud Ariſtophanem; item ψιθύρισμα apud Theocritum, pro ſuſurro arborum, quem edunt ventulo ſpirante; niſi quis malit, propriè eſſe inſuſurrationem in aures, ut ſit à ψίω τῷ λῃπίω. Sonus quoque, quem buccæ inflatæ colliſæque edunt, Perſio * *Stloppus* dicitur, ſive, ut in veteribus membranis Perſii, ac Priſciani, etiam noſtris, legere eſt, *ſcloppus*, ſive *ſclopus*. *Gannire* vulpium, vel potius canum eſt; voce caudâque heriſpræ gaudio adulantium; ut cùm origo indicat (eſt enim à γάνυσθαι; h. e. *gaudere*) tum Lucretii illud lib. V. de catulis: *Gannitu vocis adulant.* Itaque rectè in vett. gloſſis, *Gannit*, κνύζει. Nam κνύζειν propriè canum eſt, teſte Heſychio, & Euſtathio in Il. θ. Apud eundem Lucretium † invenias *baubari* pro *latrare*, nempe ab αὖ αὖ, quem Ariſtophanes canum latrantium ſonum facit: eaque examuſſim optimè ratio videtur Jano Duzæ, cur in Caſinæ prologo legamus, *Plautus cum latranti nomine*; quamvis aliter hâc de re Camerarius, Canterus, Scaliger. *Mutire* quoque canum proprium eſt, factum à μυ, ut à γρυ eſt *grunnire*, quod proprium eſt animalis iſtius, cui dicebat Chryſippus animam pro ſale datam, ne putiſceret. Græci itidem γρύζειν dicunt, quo uſus Ariſtophanes in Nebul. Act. III. ſc. III: πρῶτον μὲν ἔδει φωνὴν παιδὸς γρύξαντος μηδὲν ἀκοῦσαι· *Primum*, inquit, *nec vocem oportebat audire pueri vel gry dicentis.* Inepit interpres; cùm vertit: *non oportebat morem gerere.* *Hirrire* etiam canum eſt, cum dentes reſtringunt ‡. Sed & volucrium quarundam nomina ſunt à ſonis facta, cujuſmodi ſunt, teſte Varrone lib. IV. de L. L. *Upupa, Cuculus, Corvus, Hirundo, Ulula, Bubo. item hæ: Pavo, Anſer, Gallina, Columba.* quibus, Fabii judicio, addendum *Graculus*: quem ineptè Varro * ita dictum putabat, quòd gregatim volet: quamvis non fugiat me, in veteri verbo eſſe, graculum ſemper adſidere graculo, ac Græcis quoque κολοιὸς ſit à κολλάω, quod eſt, *conglutino.*

** Sat. 5.*

† Lib. 5.

‡ Jul. Scal. in Varr. pag. 119.

** Lib. 4. de L. L.*

Quibuſdam etiam ὀνοματοποιΐα vocatur, quælibet novi nominis effictio: ut cùm Siculus Dionyſius virginem vocaret μένανδρον, quia expectat virum, ςύλον verò ſeu columnam diceret μενεκράτην, quoniam manet continetque; & τὰς τῶν μυῶν διεκδύσεις †, rectè dici putaret μυςήρια, quia mures ſervant. Multa iſtiuſmodi finxit Alexarchus rex, qui Uranopolim in Macedoniâ condidit: nonnulla item Atticus Herodes, aliique onomatothetæ. Exempla compluria adfert Athenæus lib. III. Deipnoſ. & ex eo Cœlius Rhodiginus lib. XXIV. cap. V: ſed prætermitto, ut ſæpe aliàs, auctoris, ex quo transſcripſit, nomine. Ejuſdem generis eſt, quòd Laſcaris bombardam τηλεβόλον ‡ vocabat. Ut cùm ait, κάνθωνι τηλεβόλῳ *. At ipſa *bombarda* vox partim hujus, partim prioris eſſe generis videtur. Nam nomen hoc ei impoſitum arbitrantur, quòd cum ſonitu & flammâ globos ferreos evomat: nempe à bombo, & ardeo. Juſtus tamen Lipſius alicubi † refert, *Lombardam* vocari in ſuperioribus annalibus, quod priori etymo repugnat. Verùm *bombardam* quoque ſcripſit, & à bombo atque ardeo deduxit Laurentius Valla, qui anno CIↃCCCCXX. claruit ‡, h. e. non ita multo poſt bombardam inventam: ut quam anno CIↃCCCLXXX, juxta quoſdam *, aut biennio antè, juxta alios †, in perniciem generis humani invenerit quidam Conſtantinus Ancklitzen Friburgenſis, vel Bartholdus Suarz, profeſſione monachus, at chymiæ ſtudioſus. Nec ineptè bombardæ nomen inditum à bombo, cùm *bombi* vox non tantùm dicatur de apum ſtrepitu, aut ſono poculi bilbientis, de quo mox dicam: ſed etiam, Euſtathio ‡ teſte; tonitrui tribuatur, cujus ſonum bombardæ imitantur.

† Muriam receptacula.

‡ q. d. procul jaculantem.

** Mortarus eſt à bombardâ.*

† Epiſtolâ præfixâ Poliorceticis.

‡ Joannes Trittenhemius.

** Blondus, & Polydorus Virgil.*

† B. Platina. Vide & de ejus inventione, ſi voles, Laonicum Chalcondylam in rebus Turcicis lib. 5. & Hieronymum Magium Miſcell. l. 1. cap. 1.

‡ Odyſſ. θ. pag. 1591. edit. Rom.

Quamvis autem ὀνοματοποιΐα Fabio quoque generatim dicatur eſſe nominis fictio; non tamen adſentio Ludovico Carboni, qui lib. 1. de eloc. orat. ſcribit, ὀνοματοποιΐαν

ſtrictè nimis definiri, cùm dicitur, hâc nomen à ſono fingi. Sanè exempla etiam à Fabio adducta ſonum exprimunt, ac Euſtathius quoque diſertim ſcribit, ὀνοματοποιΐαν μιμεῖσθαι τὸν τῶν σωμάτων ἦχον *. Sumitur quidem latè interdum ὀνοματοποιΐας vox: quomodo Alexarchus, aliique, qui derivatione aut compoſitione aptè vocabula fingebant, onomatothetæ dicti ſunt: verumtamen ſatius ſit hæc diſtinguere. Nos quidem diſcrimen ponimus inter tria hæc genera, ὀνοματοποιηθέντα, novata, eaque quæ ſonum quidem exprimunt, verùm nihil ſignificant ex inſtituto. Nam tantummodo ſonum imitatur illud Ariſtophanis in Ranis: βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ: item pleræque interjectiones, ut quæ riſum aut fletum ſignant, cujuſmodi tantùm κατὰ μίμησιν ἐκφέρονται †, at nihil ſignificant κατὰ συνθήκην ‡. Quædam autem ita exprimunt ſonum, ut etiam ſignificent ex inſtituto: cujuſmodi inter alia, quæ ſuprà commemorabamus, eſt *bombus*, quo Homerus ſignificat ſonum remorum ‖ in aquas de manibus decidentium, aut galeæ * de manibus lapſæ: crebrò verò ponitur pro ſtrepitu apum, quæ iccirco Græcis dicuntur βομβεῖν, Latinis *bombilare*, vel, quod malim, *bombitare*, teſte Feſto, & auctore Philomelæ. Poculum quoque oris anguſti & oblongi colli βομβυλιὸν appellarunt à ſono, quem liquor edit per anguſtum tramitem exiens. Latinis id eſt *bilbire*, vel *bilbere*. Nævius: *bilbit amphora*. Gloſſ. Philoxeni: *Bilbit*: βομβύζει. Iſtiuſmodi propriè facta dicuntur κατ' ὀνοματοποιΐαν: unde Iſidoro † ὀνοματοποιΐα definitur, *nomen fictum ad imitandum ſonum vocis confuſæ*. Quædam denique ex inſtituto ſignificant, & novè ſunt conficta, verùm haut referunt ſonum: atque hæc vocamus *novata*. Quæ & ipſa trium ſunt generum. Aliqua enim planè ſunt nova: cujuſmodi Demetrius eſſe docet κιναιδεῖα pro tympanis, ac mollibus quibuſvis inſtrumentis: item ἐλεφαντιστής, quo uſus Ariſtoteles ‡ pro elephanti rectore. Sed hâc in parte lapſus Demetrius, ut mox dicam. Alia verò à veteri voce facta ſunt παραγωγῇ ‖: quomodo Ariſtoteles ab αὐτὸς, quod eſt μόνος, finxit αὐτίτης, quomodo item Plautus finxit *ipſiſſimus*, Varro *muſinari*, Juvenalis * *Stoicidas*, quaſi Stoicorum propaginem. Nam errat vetus ejus poëtæ interpres, cùm ait, ſic vocari contemtim, quaſi feminas, non viros. Siquidem *Stoicidæ* dicitur, ut *Æneadæ*. Apud Tertullianum † quoque legas *mulieritas*. Quin, quicquid dicat Demetrius, ipſum κιναιδεῖα quoque, & ἐλεφαντιστής, hujus ſunt generis, cùm illud ſit à κίναιδος, hoc ab ἐλέφας. Quamquam mihi quidem, Demetrium in re tam clarâ alucinatum eſſe, vix veriſimile ſit. Quare culpam conferre malim in βιβλιοστρέβλας, quos verba iſthæc trajeciſſe arbitror è ſecundo genere in primum, cujus nulla à Demetrio adducta eſſe exempla, ſibi perſuadere non poterant. Nos id facilè concoquimus. Putamus enim, primis tantùm linguæ cujuſque auctoribus conceſſum eſſe, ut multa fingant primogenia, quæ aliorum quidem origo ſint, ipſa verò à nullo originem trahant. Et hæc de ſecundo genere. Quædam denique è pluribus vocibus antiquis novè componuntur; ut *pietaticultrix* de ciconiâ, apud P. Syrum: item de Neſtore *triſeclisenex*, apud Levium in Alceſtide, teſte Agellio *. Quæ omnino nova ſunt, ea ſimilia ſunt ædificio, cujus & fundamentum, & ſtructura, planè ſunt nova. Quæ derivatione fiunt, ea referunt domum veterem, in quâ ad ſtructuram antiquam aliquid ædificatur novi. Quæ facta ſunt compoſitione, ea rectè conferas cum binis ædibus, quæ contiguæ cùm eſſent, muro intermedio diruto, unique ſubjectæ tecto, unum ſunt factæ ædificium. Vide & quædam de ὀνοματοποιΐᾳ apud Euſtathium in Iliad. A, ad vocem ἔκλαγξαν †.

VIII. De epitheto.

AB ὀνοματοποιΐᾳ tranſeamus ad ἘΠΊΘΕΤΟΝ, quod ipſum quoque inter tropos retulerunt. Et certè ἐπίθετον in quibuſvis tropis locum habet. Ita μεταφορικῶς Maroni ‡, ac Tacito ‖, dicitur *cruda & viridis ſenectus*:

* Onomatopœiam imitari corporum ſonos.
† Imitatione ſoni efferuntur.
‡ Ex inſtituto.
‖ Odyſſ. μ. 203.
* Iliad. α. 530.
† Lib. 1. Orig. c. 36.
‡ Lib. 2. de natura animantium.
‖ Derivatione.
* L. 1. ſat. 2.
† Libro de velandis virginibus.
* Lib. 19. cap. 7.
† Pag. 39. edit. Rom.
‡ Æn. 6.
‖ In vita Agricolæ.

Ovidio *, *diſcordia ſemina rerum*: eidem alibi, tralatione ab humanis factâ ad divina, *Inachis*, h. e. Iſis, *lauta* vocatur, quòd ei ſacrificarent jecur anſeris. Sic enim poëta ille Sulmonenſis † ait:

Nec defenſa juvant Capitolia, quo minùs anſer
Det jecur in lances, Inachi lauta, tuas.

Jecur anſeris divitum menſis apponi, ait Juvenalis ‡. Atque erat inter alitum jecora maximè in deliciis ‖; ut jecur ſuis inter quadrupedes *, mulli inter piſces †. Metaphorâ quoque ab animalibus ſumtâ dixit Plautus Pſeudolo ‡:

Eme die cæcâ hercle olivum, id vendito oculatâ die.

Ubi *dies cæca* dicitur, cùm ſolutio differtur in diem: *oculata*, cùm præſenti pecuniâ, ac Græcâ mercamur fide: prout explicat Feſtus Pompejus. Alteram quoque interpretationem vide apud Alciatum lib. IV. παρέργων Iuris cap. XI.

Nec ἐπίθετον minùs in cæteris tropis, quàm in metaphorâ, reperire eſt. Sanè ἐπίθετα μετωνυμικὰ ſunt, *pallida mors* *, *bruma iners* †, *præceps ira* ‡, aliaque innumera. Συνεκδοχικὰ ſunt *Chaonia glans* ‖ pro quavis, *Acheloja pocula* * pro aqueis, *Maſſica vina* † pro quibuſvis. Qualia itidem ſe offerunt paſſim. Ironia denique in epithetis eſt, cùm Iuno Veneri ‡ ait:

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis.

Item, cùm apud Plautum ‖ Hegio ita compellat Stalagmum, ſervum fugitivum, qui Hegioni filium quadrimum ſubripuerat:

Age tu, illuc procede, bone vir, lepidum mancipium meum.

Verùm non ſi in omnibus tropis locum habeat ἐπίθετον, id rectè iccirco inter tropos reponatur; cùm nullâ non paginâ ſe offerant ἐπίθετα, in quibus nullus ſit tropus. Velut Ecl. I. *patula fagus*, *tenuis avena*, *formoſa Amaryllis*, *ſalices amaræ*, *impius miles*, *frons viridis*, pluraque alia, & pueris obvia. Propriè quoque *Athenæ* dicuntur *Atticæ*: nempe ad diſcrimen Athenarum Bœoticarum, quæ aliter Ὀρχομενὸς dictæ, & Euboicarum, quæ vocatæ Διάδες, atque item aliarum, cùm ſex ſeptem urbes fuerint cognomines. Quâ de re vide Stephanum περὶ πόλεων, & locum quendam in vitâ Arati *, quæ Hipparchi & Achillis Statii in eum poëtam commentariis ſubjicitur. Sic verò, ut dixi, loquitur Plautus Rudente †:

Imò Athenis natus, altus, educatuſque Atticis.

Eodemque modo locutus idem Mil. Glor. ‡ Item Macrobius lib. VII. Saturn. cap. I. Symmachus lib. V. epiſt. XXX. Quis etiam, niſi mente oculiſque captus, nivem dixerit impropriè à Poëtis vocari candidam; aut olores ab iis candidos impropriè dici? Nam etſi & Horatius lib. IV. od. I. *olores* dixit *purpureos*, cujus in locum quidam agreſtes *marmoreos* ſubſtituunt; licet quoque Pedo Albinovanus ad Liviam *nivem* appellet *purpuream*, cum inquit:

Brachia purpureâ candidiora nive:

non tamen Anaxagoræ delirio, qui nivem eſſe atram defendit ‖, ſimilia ſomniarant: ſed neque συνεκδοχικῶς id intelligit Horatius; nempe pedum ratione, quod in primâ Novarum Lectionum editione ſcripſit Canterus: neque apud Pedonem pro *purpureâ* eſſe *perpurâ* legendum, fidem mihi fecerit Ptolomæus Flavius *: neque, cùm de brachiorum candore ſermo ſit, Pedo reſpexiſſe potuit ad id, quod in Armeniâ nix rubra eſt, quia partibus aëriis prævalent terreſtres ob minii copiam; uti ſcribit Euſtathius in Iliad. Λ †; aut quòd, teſte Ariſtotele ‡, & Plinio ‖, nix omnis vetuſtate rubeſcat, partibus aëriis paullatim exhalantibus: verùm, vel apud utrumque poëtam *purpureus* Græcorum more accipitur pro ſplendido ac pulchro: quomodo Servius exponit illud Virgilii *:

—— Lumenque juventæ
Purpureum:

& Valerius Flaccus lib. IV. *ſalem* dixit *purpureum*, cùm non tam album, quàm candidum, ſignificaret: (*florem ſalis* vocat Cato cap. LXXXVIII. cui inibi opponit *ſalem popularem*:)

* 1. Met.
† Lib. 1. Faſt.
‡ Lib. 1. ſat. 5.
‖ Plinius lib. 10. cap. 22.
* Idem lib. 8. cap. 51.
† Idem lib. 9. cap. 17.
‡ Act. 1. ſc. Pſeudolo, non audi.
* Horat. l. 1. od. 4.
† Idem l. 4. od. 7.
‡ Sen. Hipp.
‖ 1 Georg.
* Ibidem.
† Horat. l. 1. od. 1.
‡ Virg. 1. Æn.
‖ Captivis act. 5. ſc. 2.
* Sed verba ſcriptoris, quæ corrupte vulgo leguntur, emendat Scaliger animadverſ. ad Euſeb. an. 386.
† Act. 3. ſc. 4.
‡ Act. 6. ſc. 1.
‖ Galen. l. 2. de facult. ſimp.
* Obſervat. c. 24.
† P. 830. edit. Rom.
‡ Lib. 5. de hiſtor. animal. cap. 19. ſive ex diſtinctione Cæſaris Scaligeri cap. 18. ſect. 229.
‖ Lib. 11. cap. 35.
* 1. Æn.

Digitized by Google

rem:) vel potiùs reſpiciunt ad albæ purpuræ genus, de quo Plutarchus in Alexandro, & ex eo Hermolaus Barbarus, ac Hieronymus quoque Mercurialis lib. VI. Var. Lect. cap. XXV. Qui, puto, ſcriptores, ſic ſatisfacient, ut non laborandum ſit, quid Nicolaus Erythræus eâ de re ſenſerit in libello de Coloribus: ubi ſe hanc quæſtionem ait † explicâſſe. Quem ejus commentariolum non arbitror umquam fuiſſe editum in lucem: uti nec alia multa, quorum in Indice meminit Virgiliano.

† *Indice Virgiliano, voce* Purpura.

Quia verò ſe hoc loco commoda ſuggeſſit occaſio tractandi de epithetis: neque illud prætereundum arbitror, Oratorem, ut ſcripſit Ariſtoteles in tertio Rhet., haut debere ἐπιθέτοις ἢ μακροῖς, ἢ ἀκαίροις, ἢ πυκνοῖς χρῆσθαι ‡. Itaque, ut idem inibi aſſerit, poëtis quidem lac candidum vocare licet: atque, ut ſcribit Fabius lib. VIII. iiſdem conceſſum eſt *vina* appellare *humida*, quod Maro fecit III. Georg. verùm in proſâ epitheta, quæ neceſſaria non ſunt, frigidam reddunt orationem; quemadmodum & grandiora epitheta, & nimius epithetorum uſus. His omnibus modis peccabat Alcidamas; eoque oratio ejus, ut frigida, non ab Ariſtotele modò damnatur, ſed etiam Demetrio. Quin Platonem ipſum, quòd multus ſit in epithetis, reprehendere haut dubitat Dionyſius Halicarnaſſenſis ⁑. Appulejum ſanè, ſcriptorem doctiſſimum, ejuſdem culpæ reum eſſe, non vulgus modò, ad cujus palatum is nihil ſapit, ſed eruditi quoque confitentur.

‡ *Epithetis aut longis, aut intempeſtivis, aut crebris uti.*

⁑ Περὶ τῆς Δημοσθένους δεινότ.

Etſi autem negari non poſſit, in poëtis etiam aperta ac perpetua epitheta locum habere: plurimùm tamen apud omnes ſcriptores, aut deſtinguunt, aut addunt, aut minuunt. Nam cùm *dolum malum* vocant, diſcriminis gratiâ ſic loquuntur. Scio aliter ipſi quoque Camerario * videri, ut qui *malum* vocari velit, quia Latini ſoleant res nocentes eo epitheto infamare. Sed diſtinctionis id cauſsâ fieri, argumento eſt, quòd dolum eſſe bonum negari non poſſit, ſi ſtrategemate circumveniamus hoſtem, aut cùm pueris poculo melle oblito propinamus abſinthia, ut apud Lucretium ac Themiſtium eſt. Sed neque, quod Fabius putabat, otioſo Virgilius epitheto utitur, cùm ſcripſit †:

* *Comment. in Ecl. I. Mar.*

† *Georg. 3.*

—— caduntque ſecuribus humida vina.

Nam rem magis admirabilem facit, ſi dicatur, in Septentrionali plagâ vinum, quod naturâ humidum eſt, ita congelari, ut ſecuribus cædatur. Eadem prope ratio in illo ejuſdem *: *Dulcia mella premes.* Nam Corſicana mella ſunt amara, ut Servius ſcribit. Ac Plinius quoque ejus rei cauſſam adfert lib. XVI. cap. XVI.

* *4. Georg.*

Atque hæc de epithetis, eorumque uſu, dicta ſunto contra quoſdam, qui vulgaribus præceptiunculis ſufflati ac ſuffarcinati, non tam veritatis præſidio, quàm aliorum auctoritate, ſententias ſuas ſuffulcire didicerunt.

IX. De imagine.

Sed nec εἰκασία, ſive ΕἸΚΩ῍Ν †, rectè inter tropos recenſetur. Neque enim invertit ſignificationem, ſed aſſimilatio quædam eſt. Ut in illo Tullii lib. V. de Fin. *Sed animi cultus ei erat quaſi quidam humanitatis cibus.* Neque obſtat, quòd εἰκὼν ab Ariſtotele vocatur μεταφορά: quia μεταφορικῶς eum uti ipsâ μεταφορᾶς voce, argumento eſt, quòd cùm dixiſſet, Ἔστι δὲ καὶ ἡ εἰκὼν μεταφορά ‡, mox ſubjicit, διαφέρει γὰρ μικρόν ⁑: quippe quæ ſolùm differat τῇ προσθέσει *, unde & à Demetrio dicitur μεταφορὰ πλεονάζουσα †. Itaque metaphora eſt in illo Taciti in quarto Hiſt. *Etiam ſapientibus cupido gloriæ noviſſima exuitur.* At non metaphora, verùm icon eſt, cùm Plato in eandem ſententiam ait, Τὴν κενοδοξίαν, ὡς τελευταῖον χιτῶνα, ἡ ψυχὴ πέφυκεν ἀποτίθεσθαι. *Cupidinem gloriæ, ceu ultimam tunicam, anima ſolet deponere.* Metaphora item eſt, ſi dicas Maximilianum in Germania, Leonem X. in Italiâ, Franciſcum I. in Galliis, primos ad bene ſperandum de re literariâ ſignum ſuſtuliſſe. At imago eſt in illo Ciceronis pro Marcello: *Ad bene ſperandum de omni Rep. quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti.* Metaphora eſt, cum Catullus ‡ ait:

† *Imago.*

‡ *Eſt vero imago quoque metaphora.*

⁑ *Nam parum ab ea differt.*

* *Additione.*

† *Metaphora redundans.*

‡ *Carm. 45.*

Orationem in Attium petitorem
Plenam veneni & peſtilentiæ legit.

At εἰκασία eſt, cum Salluſtius * ſcripſit de moribus corruptis: *Poſt, ubi contagio, quaſi peſtilentia invaſit, civitas immutata: imperium ex juſtiſſimo atque optimo crudele intolerandumque factum.* Metaphora denique eſt, ſi Socratem voces Silenos Alcibiadis: quia nimirum, ut Sileni Alcibiadis imagines erant exteriùs ridiculæ, interiùs autem artem repræſentarent divinam; ita Socrates longè alius eſſet, quàm externa facies præferret. At imago eſt, ſi Socratem dicas ſimilem Silenis Alcibiadis. Satius autem ſit imagine, quàm metaphorâ uti, quando periculum eſt, ne tranſlatio durior videatur: quâ de re pluribus egimus cap. VI. hujuſce libri.

* *In præfat. Catilinar.*

X. De periphrasi.

Periphraſis, quam & ipſam inter tropos recenſitam diximus, rem unam pluribus ambit verbis. Ita veneni periphraſin habes apud Plautum †, cùm leno ſic imprecatur convivis:

† *Perſa. act. 5. ſc. Qui ſunt, qui erunt.*

Di faciant, ut id bibatis, quod vos numquam tranſeat.

Itidem pro juventute *annos meliores* dixit Seneca pater lib. I. Controv. atque è contrario pro ſenectute *malam ætatem* dixit Plautus Aulul. Rudent. atque alibi: & ante eum *Afranius*, cujus elegantiſſimi iſti verſus apud Nonium leguntur in Senium:

Si ‡ poſſent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Ætas, & corpus tenerum, & morigeratio,
Hæc ſunt venena formoſarum mulierum.
Mala ætas nulla delinimenta invenit.

‡ *Sic leg. pro quo perperam Scoppius* Ni repo-*nit.* Delinimenta *enim hic ſunt philtra, & ſimilia, quæ mox venena vocantur.*

Periphraſin quoque habes in illo Livii Andronici:

Tum autem laſcivum Nerei ſimum pecus:

ubi delphinos intelligit, qui naribus deſtituuntur, unde *ſimones* dicti teſte Plinio lib. VIII. Hiſtor. Natur. cap. IX. niſi generatim ſquamoſum pecu, ut Plautus ⁑ circumloquitur, ſive humidam ponti gentem, ut Maro * περιφράζει, intelligi malis, quia piſces omnes ſimis ſint naribus. Quæ ſi ſententia placet, eodem modo Livius piſces dixerit *Nerei pecus*, quo eos *Neptuni pecus* appellat Plautus Pſeudolo †. Sed cur priorem magis ſententiam probemus, diximus notis in Tragicorum fragmenta. Ejuſdem Virgilii ‡ eſt:

⁑ *Rudente act. 4. ſc. Hunc nome.*

* *4. Georg.*

† *Act. 3. ſc. Forum coquinum.*

‡ *Æn. 12.*

—— Dant fruges manibus ſalſas:

quo molam deſcribit, quomodo vocari *far toſtum, & ſale ſparſum, quòd eo molito hoſtia adſpergantur*, auctor eſt Feſtus. Imitatus id Arnobius initio libri VI. *Quod non tura, neque fruges ſalſas inferamus.* Caſei periphraſis eſt in illo Ovidii ⁑:

⁑ *14. Met.*

—— Cum lacte coagula paſſo.

Iudææ eſt periphraſis in hoc Iuvenalis lib. II.

Obſervant ubi feſta mero pede ſabbatha reges,
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Idem ſic περιφράζει Philippum Magnum *:

* *Sat. 12.*

—— Biberat quo pallidus emtor Olynthi.

Item Catonem Uticenſem †:

† *Sat. 16*

Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus uſquam.

Propertium ſic περιφράζει Ovidius:

Vel tua, cujus opes Cynthia ſola fuit.

Nam Tibullus quidem libro primo Deliam, ſecundo Nemeſin, tertio celebrat Neæram, quarto autem libro Cerinthi ac Sulpitiæ amores. At Propertius unicâ eſt Cynthiâ contentus. Unde ipſe ait:

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

Quaſi Nævium Plautus, Socratem Perſius ac Manilius, circuitione expreſſerint, vidimus, cùm de antonomaſia ageremus. Auſonii ⁑ eſt:

⁑ *Idyll. 26.*

Sacra ſigillorum nomine dicta colunt.

Circumloquitur Sigillaria; quam vocem verſus heroicus reſpuit. unde & eadem hoc pacto περιφράζει Lucillius:

—— Ser-

—— Servorum feſta dies eſt,

Quam planè hexametro verſu non dicere poſſis.

Sed neque ſacræ literæ περίφρασιν aſpernantur. Certè cùm periphraſis adhibeatur, vel ut ſplendidiùs aliquid proferatur, vel ut fœditas evitetur: (utramque cauſſam ponit quoque Iſidorus lib. 1. Originum) utriuſque generis exempla in ſacris occurrunt literis. Prioris generis eſt in iſthoc Jud. cap. v. 10: *Equitantes equas nitidas, reſidentes in judicio, & qui proficiſcimini per viam, confabulamini.* i. viri principes, judices, ac mercatores. Alterius generis eſt, cùm in iiſdem μεταβλητικῶς *ingredi ad mulierem* * legimus pro συνουσιάζειν †: aut cùm *tegere pedes* dicitur in mentione τῆς περὶ κοιλιολυσίαν ὄντων ‡: quia nempe non, ut nos, braccis utebantur Hebræi, uti nec Romani aut Græci, ſed tunicis, quibus conquiniſcentium pedes contegebantur: ut ſuperiùs * diximus. Deque aliâ Hebræorum in eâſce re periphraſi, Druſium, ſi voles, adi in 1. Sam. cap. v †.

Poſſe verò & περίφρασιν propriis conſtare verbis, eoque eam tropum non eſſe, innumeris comprobari exemplis poteſt. Quis enim tropus eſt, cùm Maro Ecl. 1. ait,

—— Quo ſæpe ſolemus

Paſtores ovium teneros depellere fœtus.

At *ovium teneri fœtus* eſt periphraſis agnorum, ut Servius agnoſcit, & cuivis patet. Quis etiam tropus, cùm Athenæus lib. XIV. ſcribit primum Perſarum regem (τὸν ἐξ ἀρχῆς βασιλέα) exiſtimare, reges peregrinis cibis veſci non debere? At Cyrum περιφραστικῶς ſignari conſtat. Quis item tropus, cùm pro Thucydide (ſi is quidem μονογενὴς ‡ fuerit) ab Agathia *, atque aliis, dicitur filius Olori, vel potiùs Oroli, quomodo ſcribendum docet Marcellinus in vitâ Thucydidis. Quis denique tropus eſt, ſi pro Cicerone dicas eloquentiſſima Romanorum, aut pro Varrone, eorundem doctiſſimus?

Illud quoque poſtremo loco monere ex re fuerit, eſſe multo plurima, in quibus periphraſin vulgò ſtatuant, cùm tamen modificata quidem ſint, at περιφραστικὰ non ſint. Iſtiuſmodi eſt illud Ennii †.

Hìs pernas ſuccedit iniqua ſuperbia Pœni:

quo ſignificatur, ab Annibale Pœno quibuſdam eſſe ſucciſos poplites, ut progredi non poſſent. Hìc, ſi multos audimus, *ſuperbia Pœni* per periphraſin pro Pœno uſurpetur. Familiarius exemplum dabo. Horatii ‡ eſt:

Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli.

Ubi περιφραστικῶς Scipionem & Lælium ſignari ajunt. Verùm ſatius ſit hæc referre ad μετωνυμίαν adjuncti: ut *ſuperbia Pœni* non ἁπλῶς pro Pœno accipiatur, ſed pro ſuperbo Pœno: nec *virtus Scipiadæ*, ac *ſapientia Lælii*, pro Scipione, & Lælio; ſed pro Scipione inclytæ virtutis, & ſapiente Lælio, ponantur. Quomodo & Ovidius * dixit,

—— Trabeati cura Quirini:

pro Romulo, curante, & ſollicito. Item apud Propertium † legas,

Nec ſic cœleſtem flagrans amor Herculis Heben

Senſit in Oeteis gaudia prima jugis.

Nempe *amor Herculis* non pro Hercule ἁπλῶς, ſed, quod multi non ſatis attendunt, pro Hercule amante.

Eodemque modo apud Maronem IV. Æn. eſt,

—— & odora canum vis:

pro multitudine canum ſagacium. Et apud eundem ‡, *robur aratri*, pro aratro valido: *ferri rigor* *, pro ferro rigido. Item apud Lucretium †, *auri rigor*, pro auro rigido: *robur ſaxi* ‡, pro ſaxo gravi. Qualibus addunt nonnulli, *res Veneris*, pro Venere, apud Lucretium *: *res voluptatum*, pro voluptatibus, apud Plautum †, ſimiliaque. Sed hìc μετωνυμία eſſe nequit, cùm res ὕλην, ſive ſe ipſam, non rei adjunctum notet. Idem judicium eſto de illo Maronis ‡:

—— Quo pulchrior alter

Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

* Gen. 16. 2. & 29. 11. & Jud. 16. 1. &c.
† Coire.
‡ Eorum, qui alvum exonerant.
* Cap. 10. ſect. 1.
† P. 451. & 452.
‡ Unigenitus.
* Lib. 2.
† Apud Feſtum in Supperſnati.
‡ Lib. 2. Sat. 1.
* 1. Faſt.
† Lib. 1. eleg. 13.
‡ Georg. 1.
* Georg. 1.
† Lib. 1.
‡ Lib. 1.
* Lib. 2. verſ. 173. & 437. & lib. 5. verſ. 846
† Amphitr. act. 11. ſc. 11.
‡ 8. Æn.

Ubi *corpus Turni* μετωνυμικῶς περιφραστικῶς pro Turno accipi dicunt. Quomodo & Euripides Phœniſſis, σὸν δέμας *, & alibi, σὸν σῶμα † ait, pro perſona ipſa: ut Muretus ‡ obſervavit. Verùm ſatis liquet, neque hìc μετωνυμίαν ſtatui oportere: ſed vel proprium eſſe ſermonem, vel συνεκδοχικῶς.

Sane & alia ſunt συνεκδοχικά, quæ periphraſi itidem ſubjiciant. Pindarus od. IX. Pyth. verſ. ult. Πολλὰ δὲ πρόσθεν πτερὰ δέξατο νίκας. i. *multas etiam alas victoria priùs accepit.* Quem in locum ſcholiaſtes ſcribit, ſententiam eſſe, πολλοὺς καὶ ἄλλους ἀγῶνας ἐνίκησε *: atque inibi ſubdit; πτερὰ γὰρ νίκης περιφραστικῶς ἡ νίκη †. Verùm, ut dixi, hæc ſynecdoche eſt; quia cum victoria fingatur alata, pars ponetur pro toto. De periphraſi ſatis; quomodo vocatur, quando, ut Fabius ‡ inquit, *decorem habet.* Nam, ut idem ait, *cùm in vitium incidit*, περισσολογία *dicitur.*

XI. De antiphrasi.

Nec magis inter tropos referri meruit ἀντίφρασις. Nam ſi eam quibuſdam ita appelles λέξιν τὸ ἐναντίον σημαίνουσαν *, jam ab ironia non differt: quæ & cauſſâ eſt, cur vetus Juvenalis interpres † ἀντίφρασιν appellet, *—— cùm nanum Atlanta vocamus.* At hæc manifeſta eſt ironia. Sin, ut vult Plutarchus ‡, ἀντίφρασις eſt in iſto Homeri *.

—— Οὐδ' ἄρα τώγε ἰδὼν γήθησεν Ἀχιλλεύς.

—— Hunc, ut eos vidit, lætatus Achilles.

i. indoluit:

planè fuerit idem, quod Litotes. At ſi per illam intelligas vocis privæ deductionem ab eo, quod nomini ſignificet contrarium; nec tropus, nec ſchema eſt. E. G. Erinnyes, ſive Diræ, boni ominis gratiâ dicuntur Εὐμενίδες, quæ verè δυσμενεῖς †: in cujuſmodi vocibus ἐτυμολογίαι ſunt mendaces; licet ipſum ἐτυμολογίας nomen *veriloquium*, ſeu *veriverbium*, vel potiùs *veram rationem* ſonet. Cælius Aurelianus lib. III. χρονίων cap. 1: *Anhelatio ſive ſuſpirium ab accidenti nomen ſumſit. Vocatur præterea ſecundùm aliquos ſpirationis difficultas, quam Græci dyſpnœam vocant, ſive, orthopnœam. Siquidem ſeſe præfocari ſentiunt; cùm jacuerint ægrotantes, atque erecti faciliùs ſpirent. At, ut alii dicunt, contrario vocabulo ſua virtuti nomen accepit. Nam cùm ſpirationem evertat ac depravet, tanquam corrigat, orthopnœa nuncupatur; quam nos ſpirandi dicere correctionem poterimus. Multa enim contraria interpretationis vocabulum ſumſerunt: ut fella, quæ Græci γλυκέα vocant, velut dulcia, cùm ſint amariſſima.* Illuſtris etiam eſt locus B. Hieronymi epiſt. c. ad Bonoſum: *An ideo tibi bellus videris, quia fauſto vocaris nomine? quaſi non & lucus ideo dicatur, quòd minimè luceat, & Parcæ, quòd nequaquam parcant, & Eumenides furiæ, quòd non ſint benignæ, & vulgò Æthiopes vocentur argentei.* Quòd verò Æthiopes vulgò *argenteos* vocari ait, idem ab Iſidoro traditur lib. 1. Originum; ubi & alia quædam ἀντιφράσεως exempla adfert. Antiquiores eos non *argenteos*, ſed *cygnos* vocabant. Unde Juvenalis ‡:

—— Nanum cujuſdam Atlanta vocamus,

Æthiopem cygnum.

Veneti hodie ſimiliter eos *blanco* nuncupant.

Sed profectò omnes grammaticorum antiphraſes planè ſunt nugales: quod & cenſet L. Joannes Scoppas lib. 1. Collectaneorum cap. XVIII. De *orthopnœa* ſcrupulum eximunt ipſa Aureliani verba allata. Nam prior tantùm ἐτυμολογία vera eſt, non illa κατ' ἀντίφρασιν. De γλυκέα pro felle quod idem ait, idonei ſcriptoris Græci auctoritatem deſidero. Nec de Eumenidibus ſatisfacit B. Hieronymus, vel alius quiſquam. Diras certè, auctore Suida, & Sophocli ſcholiaſte *, primus Εὐμενίδας dixit Oreſtes, quòd eas, quæ ante latam à ſapientiſſimâ deâ ſententiam, planè fuerant δυσμενεῖς atque infenſæ,

* Corpus tuum.
† Tuum corpus.
‡ Lib. 3. Var. Lect. cap. 4.
* Multa quoque alia vicit certamina.
† Alæ victoriæ per circumlocutionem ponuntur pro victoria.
‡ Lib. 8. cap. 6.
* Dictionem, quæ contrariũ ſignificet.
† In ſat. 8.
‡ Lib. de Homero.
* Il. α.
† Inimicæ.
‡ Lib. 3. ſat. 2.
* In Oedipum Colon.

poſt

** Benevolus, ac propitius.* poſt factum judicium ſenſiſſet δικαίως *, unde & iis, maternæ cædis in Areopago abſolutus, nigram ovem ſacrificavit. Nec rectè *bellum* dictum volunt, quia minimè bellum; cùm ex eo factum ſit, quòd ſit inter duos.
† Lib. 1. Nam primò fuit *duellum*; à quo apud Arnobium † *duelles*. i. hoſtes; qui & *perduelles* à *perduello*, quo utitur Accius pro bello. Similiterque Cicero in Orat. Varro lib. VI. de L. L. Fabius lib. I. cap. IV, teſtantur, nomen *Bellona* factum eſſe ex *Duellona*, *Bellius* ex *Duellius*, *bis* à *duis*, (quod à δὶς) *bonum* ex *duonum*, unde apud Feſtum, *Simul duona eorum portat ad naves. Duonum* fortaſſe à duobus, quia, ut acutè Camerarius ait in problematis, bonum non conſiſtit in uno ſolo, ſed in participatione & communicatione, quæ duûm mentione indicatur. Quanquam Cicero, in quarto de Finibus, neſcire ſe dicat, *bonum* unde dictum ſit: & Ulpianus in lege XLIX. D. de rer. ſignificat. *bona* ex eo dici exiſtimet, quòd beent. h. e. beatos faciant. Nec rectius *otium* dictum volunt, quòd non ſit ocius, ſed ſegne. Potiùs eſt ab utendo; ideoque per T ſcribitur in lib. vett. ut autor eſt Pierius in Virgil. & Aldus in Orthographiâ. *O* verò in *u* crebrò commutatur; ut cùm *indutiæ* dictæ ab hâc ipſâ *otii* voce, & præpoſitione *indu* pro *in*, à quâ & *induperator*, & *induſtrius*, aliaque: ne Varroni credas, aut Aurelio Opilio, quorum ἐτυμολογίας videre eſt apud Agellium lib. I. cap. XXV; aut Donato, cui *indutiæ* dictæ, quia *inde otium*; aut Aldo Nepoti ‡ cui vocatæ videntur *indutiæ*,
‡ In orthographia. quaſi *induſtæ*. Idem error, cùm *montem* volunt appellatum, quia minimè movetur. Eſt enim à μένειν, quia perſtat, ac remanet. Nam ut à γένος *gens*, à μένος *mens*, & à μόρος *mors*; ſic à μόνος *mons*. Nec *cælum* è celando, quia minimè celatum, (ut putabat Ælius Stilo, magiſter Varronis:) quandoquidem, ſi noctu apertum, diu tamen celatum eſt. Quare vel ita dictum, quia de die ſit celatum, ut eſt apud Varronem lib. IV. de L. L. vel potiùs, quia ſideribus celatum eſt, ut ibidem docet Varro, & ex eo Plinius lib. II. cap. IV, & Iſidorus lib. XIII. cap. IV; aut, quod veriſſimum, à κοῖλον. Sanè à cœlo dicta gens Cœlia: quod nomen per OI ſcribitur in veteri nummo argenteo: at per OE crebrò reperitur in antiquis monumentis. Quin ipſum *cœli* nomen per œ exaratur in Mediolanenſibus inſcriptionibus. Nec rectiùs ἀντίφρασιν ſtatuunt in illo *, *Auri ſacra fames:*
** Æn. 3.* quo loco Rhetores quidam *ſacram*, exponunt *minimè ſacram*; quæ interpretatio adeò frigida eſt, ut vel Neronianas thermas refrigerare queat. Uti &, quòd *ignem ſacrum*, quaſi minimè ſacrum ſic dici, Erythræus ait in Indice Virgiliano: qui ſententiam ſuam firmatum it illo Callimachi, ſed Latinè loquentis:

Mentimurque ſacrum qui dicimus.

Longè enim veriùs cenſeas, tralationem eſſe ab hominibus ſacris, hoc eſt, Deorum numini ob ſcelus devotis: quam rem pleniùs exponemus, cùm ad αὔξησιν deventum erit. Itidem nec *dierectus* dicitur, quaſi *dies minimè rectus*, ut Feſtus annotavit: ſed quaſi ſub *dio erectus*, id eſt, in crucem actus; quomodo & Nonius interpretatur; cujus hac de re locum emendat Jacobus Schegkius in
† Epiſt. 13. Præmeſſis †. Nec *Argo*, unde Argonautis nomen, ſic vocata eſt, quia minimè ἀργὴ, h. e. *tarda*, ſed quia verè ἀργὴ, h. e. *celer*. Similiter *Damium ſacrificium*, (quod Athenis in ædibus ejus, qui eo ipſe anno rex eſſet, à regis
‡ Demoſth. contra Nearam. ** Dio lib. 37.* *† Comment. in Cic. lib. 2. de Legg.* *‡ Lib. 3. ſat. 3.* ** Al. Saufeja.*
conjuge ‡, ac Romæ itidem à conſule, aut eo abſente, vel cœlibe, aliâve cauſſâ obſtante, apud prætorem *, fiebat) minimè ita mihi dictum videtur, quia nihil minùs ſit, quàm δημόσιον, hoc eſt, *publicum*; quod poſt Feſtum magnus etiam Turnebus † ſcripſit: verùm quòd (ut Cicero teſtatur orat. de Haruſpicum reſponſis) pro populo fieret: unde hoc de ſacrificio Juvenalis ‡ ait:

*Pro populo faciens, quantum Laufella * bibebat.*

Eodemque modo loquitur Cicero ad Atticum lib. I. epiſt. X. *Feriæ* quoque potiùs ita dictæ à ferendis epulis, quàm quia nihil feratur è foro. Neque *fatum* ex eo nomen accepit, quòd effari non liceat; ſed cùm *fatum* nihil aliud ſit, quàm *ſanctio & velut vox divinæ mentis*, ut rectè ait Auguſtinus *, eò potiùs reſpexere, quòd id fatus Jupiter Parcis, ** Lib. 5. de Civit. Dei, c. 19.* ſcribis ſuis, quæ illud æneis inſcribunt tabulis. Vel ſic dicitur, quia id Deus fatur per vates ſuos. Ennius Caſſandrâ:

Neque me Apollo fatis fandis dementem invitam ciet.

Similis error Grammaticorum in nomine manium, officii, ludi, mori, militis, ſimultatis, violæ, ægri, Ditis, Plutonis, ponti, pelagi, Charontis, holoſtei, Libitinæ, luci, & Parcarum: de quibus vocibus vide Franciſcum Sanctium in Paradoxis, item Julium Scaligerum lib. III. de re Poët. cap. XC. Quo ipſo capite Scaliger quoque orationis ductum ab Ironiâ optimè diſtinguit, ac tres facit ἀντιφερομένως modos, quà ironia eſt, vel ironiæ affinis. Mihi ſcrinia ejus compilare animus non eſt.

XII. De hypallage.

SUpereſt Hypallage, quæ Grammaticorum potiùs ſchema eſt, quam tropus. Quippe quæ verborum ordinem ac ſtructuram ita invertat, ut contrario planè modo referri aliquid videatur, quàm res ſe habet. Ac plurimùm quidem nomen, aut verbum id, quod regit, caſu recti, aut rectum, caſu regentis profertur. Ut apud M. Tullium pro Marcello: *Vidimus tuam victoriam prœliorum exitu terminatam: gladium vaginâ vacuum in urbe non vidimus.* Pro, vaginam gladio vacuam. Maro hoc ſchemate mirum in modum gaudet. Ita dixit ecl. III:

Necdum illis labra admovi:

Ubi hypallagen agnoſcit Servius, quia pocula labris admoventur. Idem II. Georg. (modò, quod non arbitror, ſana ſit lectio vulgata; quam rem alibi, cum Scaligero, excutimus.)

Et ſteriles platani malos geſſere valenteis,
Caſtaneæ fagos.

Nec enim caſtaneæ fertili fagus inſeritur, quæ ſterilis eſt; ſed caſtanea inſeritur fago: ut ſententia ſit, fagi geſſere caſtaneas. Æn. III:

—— Dare claſſibus auſtros.

Pro, auſtris claſſes. IV. Æn.

Et cùm frigida mors animâ ſubduxerit artus.

hoc eſt, ſeparaverit animam artubus. V. Æn.

—— Effractoque illiſit in oſſa cerebro.

Pro, effractis oſſibus illiſit in cerebrum. VI. Æn.

Ibant obſcuri ſolâ ſub nocte.

Pro, ibant ſoli ſub obſcurâ nocte. Æn. VIII:

Et primùm Herculeis ſopitas ignibus aras
Excitat.

Pro, excitat ignes ſopitos in aris Herculi ſacris. Æn. XII:

—— Cui plurimus ignem
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.

Pro, cui ignis plurimum ſubjecerit ruborem. Ibidem:

Sin noſtrum annuerit nobis victoria Martem.

Pro, ſin noſter Mars victoriam annuerit nobis. Similiter poëtæ alii. Horat. lib. I. od. XVII:

Velox amœnum ſæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus.

Ubi, *mutat Lucretilem Lycæo*, dixit, pro, *mutat Lycæum Lucretili:* ut rectè obſervatum Priſciano lib. XVIII. Nam cùm Pan Deus ſit Arcadiæ, inprimis Lycæum, Arcadiæ montem, incolit: Horatius verò, cùm celebrare vellet Lucretilem, in Sabinis prope Gabios montem, fingit, Pana, relicto Lycæo, crebrò inviſere Lucretilem. Idem in illo lib. II. od. XII:

Num pinguis Phrygiæ Mygdonias opes
Permutare velis crine Lycimniæ?

Hoc eſt, num crines Lycimniæ, ſive ejus oſcula & complexus, permutare velis Phrygiis opibus? Naſo I. Met.

Separat Aonios Actæis Phocis ab arvis.

Pro, ſeparat Aonia Actæis Phocida ab arvis. Nam Aonia ſeu Bœotia interjecta eſt inter Atticam & Phocida. Perſius ſat. III:

—— *Et*

—— *Et anguſtas extendit lumine rimas.*

Pro, lumen extenditur rimis ſolem tranſmittentibus. Idem ſat. v:

—— *Purgatas inſeris aures*
Fruge Cleanthea.

Pro, frugem Cleantheam, ſeu Stoicam philoſophiam, inſeris purgatis auribus ſive mentibus. Sillius lib. VIII:

—— *Cœlique arcebant lumine templum.*

Pro, cœli lumen arcebant templo.

Amant etiam Hebræi hujuſmodi hypallagen. Ut Levit. v: *Argento ſiclorum*, pro ſiclis argenti, hoc eſt, argenteis. Item Levit. XVII: *Sanguis ejus in anima ejus.* Hoc eſt, anima ſive vita ejus in ſanguine ipſius. Jud. I: *Miſerunt urbem in ignem.* Et Pſalm. LXXIV, *Miſerunt in ignem ſanctuaria tua.* Pro, miſerunt ignem in urbem, ac ſanctuaria. Nam ſententia eſt, incenderunt ea. Et Jud. XIV: *Mutationes veſtium*, pro, veſtes mutationum, h. e. veſtes mutatoriæ. Quo de ſchemate quædam etiam R. David Kimchi in Michlol annotavit.

Interdum autem in hypallage nulla eſt caſuum commutatio; ſed ſtructuræ fit inverſio, priori caſu reſervato. Ut in locis adductis è Jud. I. & Pſal. LXXIV. Similiter dixit Ovid. I. Met.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora.

Pro, corpora mutata in novas formas. Quo loco haut mirum videri debet, quòd nec dubitârit poëta carmen ſuum ab hypallage auſpicari, quæ obſcuritatem aliquam orationi adferre ſoleat. Nam quia de converſione loquitur, eleganter verborum fecit converſionem.

Hypallage ſimilis, hoc eſt, ubi caſus prior itidem reſervetur, Glareano ſtatuitur in hoc III. Met.

Spectat humi poſitus geminum, ceu lumina, ſidus.

Nam ſententiam eſſe ait, Spectat lumina, ceu geminum ſidus. Sed pro *ceu* (uti & Raphaël Rhegius legit, qui ἀναστροφὴν, ſive ὑπερβιβασμὸν hic eſſe cenſet) rectè alii poſtea in editis *ſua* ex codd. melioribus repoſuerunt.

Eſt & tertium ὑπαλλαγῆς genus; cùm participium ponitur pro verbo, & verbum pro participio. Ut I. Æn.

—— *Submerſaſque obrue puppes.*

Pro, obrutas ſubmerge. Niſi cum nonnullis interpretari malis *ſubmergendas*. Imò non deſunt, qui legere jubeant *ſubverſaſque*. Sed cauſſa non eſt ſatis gravis, cur hìc aliquid mutemus; præſertim contra omnium & MSSorum & prælo excuſorum fidem.

Atque hæc de iis, quæ falſo referunt inter tropos. Quare cùm per Rhetorica hæc ſpatia τεχνολογίαν ad calcem ab ipſis uſque carceribus deduxerimus, proximum eſt, ut ad ſchemata gradum capeſſamus.

FINIS LIBRI QUARTI.

GERARDI JOANNIS VOSSII
COMMENTARIORUM RHETORICORUM, SIVE
ORATORIARUM INSTITUTIONUM
LIBER V.
QUI EST
DE SCHEMATIBUS.

Cap. I.

De schematibus generatim.

Schema eſt orationis forma, quâ ea alio quopiam modo, quàm propria ſignificationis in alienam commutatione, à ſimplici ac communi uſu immutatur in elegantiorem.

Eſtque duplex; dictionis, & ſententiæ: illud vocum immutatione exſtinguitur; hoc manet etiam vocum ordine variato, aut vocibus aliis ſubſtitutis.

I. De varia schematis significatione apud scriptores, et quomodo schemata aliter vocentur.

CUm omnis oratio, ut cum Fabio * loquar, conſtet, aut ex his, quæ ſignificantur, aut ex his, quæ ſignificant, h.e. rebus, & verbis: utrumque in ſchemate conſiderabimus. Ac primò de voce, quando initio ἐπὶ † πάντων τῶν ζητουμένων εἰς λόγον χρὴ μεταλαμβάνεσθαι τοὔνομα, ut Galenus quoque ſcripſit lib. I. de methodo medendi cap. v.

* Lib. 3. cap. 5.

† In omni disquiſitione nomen ipſum in diſputationem aſſumi oportet.

Vox ſchematis multifariam ſumitur. Propriè autem veſtem notat exteriorem. Ita paludamentum, quod Plutarchus ἐφεστρίδα, & φοινικίδα appellat, Dioni nunc eſt σχῆμα στρατηγικὸν ‡, nunc στρατιωτικὴ ἐσθὴς ‡, & Porphyrius περὶ ἀποχῆς ait: Αἰεὶ δ' ἐντὸς τοῦ σχήματος χεῖρας *. Nec aliter Plautus Amphitryone †:

Quod ego huc proceſſi ſic cum ſervili ſchemâ.

Ubi *ſchema* ἀρχαϊκῶς extulit genere muliebri; quomodo idem in Perſâ dicit, *lepidâ ſchemâ*; Cæcilius in Hippol. ‡ *hilari ſchemâ*; Valerius in Phormione ‡,

Quid hic cum tragicis & verſibus, ſyrmâ facis?

Quâ item ratione Pomponius in Satyrâ dixit *diademam*; Laberius in Cancro, *dogmam*; Plautus Milite glorioſo *, *glaucomam*; in Trinummo †, *fulmentas jubeam ſuppingi ſoccis*; aut quo pacto apud Varronem eſt, *fulmenta lectum ſcandis*, pro *fulmentum*; & in veteribus Vitruvii exemplaribus lib. IX. cap. III. legitur, *ad ſacomam pendere*, pro *ad ſacoma*. Certè & in Florentinâ anni cIↄ cccc xcvi, *ad ſaconiam* levi errore invenias, pro quo in Florentinâ cIↄ Iↄ xxII. ſubſtituêre *ſacoma*, cùm *ſacomam* debuerint. Quæ omnia apponere viſum, ne cui pulverem ob oculos ſpargat Alciatus, cùm lib. II. παρέργ. Iuris cap. xxx. legendum docet;

‡ Veſtis imperatoris.
‡ Militaris veſtis.
* Semper vero ſubter veſtem manus.
† In prol.
‡ Apud Priſcianum initio l. 6.
‡ Ibid. Sed pro verſibus vide annon præſtet verſis: puta veſtibus.
* Act. 1. ſc. 2.
† Act. 3. ſ. 2.

Quod ego huc proceſſi cum ſervili ſchemate.

Pace ſummi viri dixerim, quem ſe Plauti locum bellè nobis interpolem dare ſperat, cum fruſtra ſollicitat, & contra codicum tum MSſorum, tum vulgatorum fidem, & contra autoritatem Probi in Catholicis, Soſipatri lib. I, Nonii Marcelli, ac Priſciani lib. VI. qui omnes *ſchema* legêre. Ut de eo nihil dicam, quòd Tranquillus non reformidârit ita loqui cap. XLIII. libri III. *Ne cui in operâ edendâ exemplar impetrata ſchema deeſſet.* Ubi tamen in MSSis pleriſque eſt *impurata ſcena.* Sed pro *impurata* omnino malim cum Caſaubono *imperat e. Schema* autem retinendum, cum ſermo ſit de obſcenis figuris, non illis in ſcenâ exprimi ſolitis, ſed de quibus ſcripſere Elephantis, Philænis, Aſtyanaſſa, Cyrene, impudiciſſimæ impudicitiæ proſtibula. Nec movet me, quòd priorem in *ſchema* corripiat Plautus; cùm Latini, ut inflexionem mutarunt, ita & variare potuerint modulum ſyllabæ. Adde quòd & in aliis quibuſdam parem Comicorum licentiam videre ſit: & poëta potuerit reſpexiſſe, quod ut à σχῶ eſt ἔσχημαι unde σχῆμα, ita à σχῆμι eſt ἔσχημαι, unde σχέσις. Validè hoc firmat Heſychius, cùm ait: Σχῖμα, σχῆμα, Ἀχαιοί. Hæc cui non probantur, is cum Meliſſo, duabus trajectis vocibus, legat:

—— Proceſſi ſic cum ſchema ſervoli.

Quod non longè abit à Camerarii membranis, ubi eſt, *cum ſervoli ſchemâ.* Utcunque eſt, nullus dubito, quin *ſchema* in auferendi caſu dixerit Comicus. Verùm minutias iſtiuſmodi relinquamus Grammaticorum filiis, hoc magis, ne meritò in ipſo libri hujus ingreſſu dicamur τοῖς ἔξωθεν λόγοις πληρῶσαι τὸν λόγον *.

* Rebus foris allatis refercire ſermonem.

Eſt verò & altera ſchematis acceptio: ut cùm eo nomine intelliguntur corporis geſtus, ac inprimis petauriſtarum ſive ſaltatorum, reſpondentes Muſicorum inſtrumentorum modulis. Uſi hoc pacto Herodotus, Xenophon, Ariſtophanes. Ariſtoteli lib. de poëticâ dicuntur ἐσχηματισμένοι ῥυθμοί. Atque hinc *figurandi* verbum apud Lucretium lib. II.

Ac Muſea mele, per chordas organici quæ
Mobilibus digitis expergefacta figurant.

Fortaſſe & *ſchematis* nomine intelligitur ipſa graduum, ut ita dicam, arbor cum imaginibus, quarum ſuis ſingulæ appoſitæ ſint locis. Ita in libello epigrammatum de ſpectaculis (qui Martiali tribuitur vulgò, cum è variis ſit poëtis conſarcinatus) in vett. codd. exaratum eſt:

Cæſaris atque Jovis confer nunc ſchema, juvencos.

Ubi libri alii, *ſtemma juventus*. Sed *juvencos* etiam in veteri codice reperit Pierius †, ac ſententia hoc requirit, quia ſatis liquet, conferri juvencos duos, unum, quo Iupiter, in

† In illud 6. Æn. Leni crepitabat bractea vento.

in tauri formam converſus, Europen vexit: alterum, quo Alcides Romanus, hoc eſt, Domitianus vectus fuit. Quin Alciatus non apud Paullum * modò legendum putat; *Schemata cognationum directo limite in duas lineas ſeparantur*; quæ lectio antiquorum aliquot codicum fide defendi ſolet: ſed penè arbitratur, ubi *ſtemma* hoc in ſenſu accipitur, *ſchema* ejus in locum ſubrogandum eſſe. Verùm ſi tot librorum fidei licet derogare, quanto ſit veriſimilius, ubicunque *ſchema* hâc ſignificatione legitur, debere ſubſtitui *ſtemma*: qua voce ſic uſi Martialis †, Papinius ‡, Iuvenalis ⸸, Tertullianus *, Auſonius †, atque alii magno numero: ex quibus tam multis, Plinii, Perſii, Tranquilli, ac Senecæ auctoritate, Alciati ſententiam Brodæus impugnat annotationibus in Quinctum Smyrnæum. Ibidem etiam, quid propriè ſit *ſtemma*, oſtendit ex Iſidoro, & Sophoclis interprete Græco: uti & à Nannio factum lib. VII. Συμμίκτων cap. XVII.

** Lib. 6. D. de grad. affin.*
† Lib. 4. epig. 40.
‡ Lib. 3. Silv. lacrymis Hetruſci, lib. 4. carm. ad Marcellum & eodem libro, Carmine, cui lemma, Herculis Epitrapezii. item lib. 5. Propemptico.
⸸ Sat. 8.
** De præſcriptionibus adverſus hæret. cap. 30.*
† Epigr. 21.

Ex hiſce tribus *ſchematis* acceptionibus, quas ſolas è plurimis exponere viſum fuit, tertia nihil planè huc facit. Demus enim, ſcriptores interdum, modò codices non fallant, eopſe uti modo: tamen duntaxat à primâ ſecundâque ſignificatione ſit, quòd Rhetores μεταφορικῶς hoc nomine intelligant orationis quaſi habitum ac geſtus. Nam ſi σχῆμα tum de veſte, tum de geſtibus uſurpatur, uti vidimus: profectò dubium non eſt, quin, cùm verba ſint quaſi corpus orationis; ſententia velut anima, à quâ inprimis geſtus omnes ac motus proficiſcuntur; verborum quidem ſchemata ſimilia ſint habitui, ac veſtimentis, queis ſine oratio ſit velut nuda; ſchemata autem ſententiarum reſpondeant geſtibus artificioſis; queis ſine oratio ſimilis ſit homini, qui naturali ſolùm motu incedat, moveaturque.

Et hâc quidem de re infrà dicemus commodiùs: nunc, quia adhuc agimus de nomine ipſo, illud potiùs oſtendemus, haſce orationis conformationes, de quibus deinceps σὺν Θεῷ tractabimus, non ſolùm vocari habitus aut geſtus, quod ipſa teſtatur ſchematis vox; verùm etiam orationis formas, & μεταφορικῶς pigmenta, aut lumina; item flores, ſtellas, ac pluribus aliis modis. Unum alterumque locum excerpam è Tullio. Is igitur lib. de claris oratoribus, *Erant*, inquit, *& verborum & ſententiarum illa lumina, quæ vocant Græci σχήματα, quibus tanquam inſignibus in ornatu diſtinguebatur omnis oratio.* Item: *Sententiarum orationiſque formis, quæ appellantur σχήματα.* Item: *Σχήματα enim quæ vocant Græci, ea maximè ornant oratorem, eaque non tam in verbis pingendis habent pondus, quàm in illuminandis ſententiis.* Atque hæc e Tulliano fonte eò lubentiùs depromere viſum fuit, quòd ex iis non modò cognoſcere ſit, quid Rhetores σχημάτων nomine intelligant, aut quibus nominibus appellentur; verùm eâdem quoque pateat, Tullium nuſquam *figuræ* nomine uti, prout poſteriores Rhetores ſolent; ſed vel Græcam retinere appellationem, vel vocibus uti tranſlatis. Nunc ad definitionem nos accingamus.

II. De schematis definitione.

Schema nonnullis definitur, quædam arte novata, tum dicendi, tum ſcribendi ratio. Aliis figura eſt elocutio, quâ orationis habitus à rectâ & ſimplici conſuetudine mutatur. Verùm, ut de eo nihil dicam, quòd elocutio ſchematum genus eſſe nequit, peccat eo utraque definitio, quod & tropis competat. Nam & qui utitur ἀλληγορίαις, recedit à rectâ ac communi loquendi ſcribendique formâ: neque iccirco ἐσχηματισμένην, ſive figurata hujuſmodi fuerit oratio. Quare in definitione addere debuerunt, hanc orationis immutationem ſpectari nullâ habitâ proprietatis ratione. Nam cùm tam propriis, quàm impropriis, figuretur oratio; patet, ſignificationis immutationem, quæ de troporum eſſentiâ eſt, in ſchematibus eſſe accidens; eoque in his aliam quampiam orationis immutationem requiri, quàm in tropis exigimus. Iccirco Alexander Rhetor lib. περὶ σχημάτων hunc in modum definit: σχῆμα *, inquit, ἐστὶν ἐξάλλαξις λόγου ἐπὶ τὸ κρεῖττον κατὰ λέξιν, ἢ κατὰ διάνοιαν, ἄνευ τρόπου. Quæ quidem in definitione duo poſtrema verba intelligi debent non excluſivè, (ita loqui nunc liceat) verùm non requiſitivè. Hoc eſt, non negat Alexander, etiam modificatis figurari orationem, cùm id cæco etiam manifeſtum ſit: verùm quia definitio tantùm ea debet complecti, quæ perpetua ſunt, negat requiri in figuris, ut vox ſit modificata, quia tropus, & ſchema, differant ἐν οὐσιώδει †. Non deerunt buccones ac bliteі homines, qui ob hoc interpretandi genus albis rideant dentibus: verùm rem gratam mihi fecerint, ſi doceant, quomodo aliter, non dico hæc tantùm Alexandri definitio excuſari queat; verùm illa humanæ ſapientiæ promicondi Ariſtotelis, quâ lib. περὶ ἑρμηνείας (quem cùm ſcriberet, calamum ſuum in mentem intingebat, ut ait Iſidorus ‡) orationem definit vocem ſignificantem ex inſtituto, cujus aliqua pars ſignificat ſeparatim, ut dictio; non autem, ut affirmatio aut negatio. Partes certè orationis compoſitæ, quibus ipſis quoque definitio competere debet, non tantùm ſignificant, ut dictio; verùm etiam, ut affirmatio & negatio. Neque putandum, id ſubterfugiſſe acutiſſimum virum; ſed eò reſpexit, quòd nomen quidem, & verbum, non poſſint habere partes aliquid ſignificantes; oratio verò neceſſariò habeat partes, quæ aliquid ſignificent; quanquam non ut affirmatio, aut negatio, quod cùm tantùm conveniat orationi compoſitæ, de eſſentia orationis eſſe nequit; verùm ut dictio, quod in oratione perpetuum eſt. Atque hoc eſt, quod dicebamus, debere poſtrema verba intelligi, non excludendo, quaſi orationes non ſint quarum partes eo modo ſignificant; ſed non requirendo, quia compoſitio iſtiuſmodi, aliorum accidentium inſtar, ſalvâ rei οὐσίᾳ adeſſe & abeſſe poſſit.

** Figura eſt immutatio orationis in melius, ratione verborum, aut ſententiæ, abſque tropo.*
† Eſſentialiter.
‡ Lib. 2. Orig. cap. 27.

Verùm alium hoc loco ſcrupulum injicit nobis Franciſcus Robortelius. Is enim lib. de artificio dicendi, damnat, quam ex Alexandro afferebamus ſchematis definitionem; uti & hanc Fabii, cui figura definitur, *arte aliquâ novata dicendi forma.* Cenſet autem Robortelius, (ut ipſius verbis utar) *figuram nihil aliud eſſe, quam appellationem, & notam quandam à Rhetoribus factam ſermonis naturalis & popularis hominum etiam vulgarium, ſelecti pro ratione morum, & affectuum, hujus vel illius generis, qui faciant, ut hoc vel illo loquamur modo.* Neque hæc ejus ſententia exiguo videtur fulciri tibicine. Nam omnis ſermo proficiſcitur ἐκ διατυπώσεως τῆς ψυχῆς *: quia animus noſter ex ſuâ naturâ ſermonem effingit, adeò ut, quicquid loquimur, figuram ac σχέσιν, h. e. habitum quendam, præ ſe ferat. Quod ſi eſt, quomodo figura erit ἐξάλλαξις τοῦ λόγου ſive arte novata dicendi forma, quod aſſerit Fabius? Vidit hunc nodum Alexander Rhetor; verùm uti cognominis ille Macedo, Gordium nodum, quem ſolvere non poterat, incîdit; ita hic quoque non tam eum exſolvit, quàm diſſecuit. Ait enim, niſi eſſet animi conceptus, alius quidem ſecundùm naturam, alius autem figuratus; futurum utique, ut neque præſtantes oratores differant à vulgaribus, neque ipſi inter ſe. Sunt & alia hâc ipsâ ſuper re apud Alexandrum, πολλὰ μὲν ἐσθλά, πολλὰ δὲ λυγρά †. Nam cujus quæſo pretii eſt, quod inter alia ſcribit, oratorem ſimulare in ſermone figurato? Simulat ille quidem: (cùm enim dicit, *Quam rationem inibo? Accedamne?* non dubitat, ſed dubitare ſe fingit) verùm id neutiquam perpetuum eſt; nec niſi deliri ſit ſincipitis, velle pertendere, ſimulationem eſſe in omni figurâ. Quare quid hâc in re aſſecutus ſit Alexander, quid non ſit, doctiorum eſto arbitratus. Mihi quidem in ſolvendo ſuperiori ſcirpo locum habere videtur illud philoſophi ‡, οὐκ ὀκνητέον τοῦ διαιρεῖν ⸸. Nam figuræ vox bifariam ſumitur, latè, & preſsè. Latè accipiendo, omnis ſermo eſt figuratus, quia ſemper eſt quædam animi delineatio. Sin preſsè capiamus, ea tantùm delineatio figurata erit, quæ remota eſt ab uſu communi. Siquidem ſermo noſter non uniuſmodi eſt; verùm alius eſt vulgaris, alius

** Ex figuratione animi.*
† Multa quidem bona, at multa quoque noxia.
‡ 2 Soph. Elench. cap. 2.
⸸ Haud ſegnem eſſe convenit in diſtinguendo.

alius melioris notæ: ille utitur in promptu poſitis dicendi modis, eoque preſsè loquendo figuratus non eſt: hic, quem figuratum vocamus, multa præter conſuetudinem innovat. Exemplum hujuſce rei capere eſt vel ex iis, quæ infrà * de interrogatione dicturi ſumus. At enim, inquit, Robortelius, *Etiam rudes homines & vulgares eodem figurato ſermone utuntur, ac planè ſi non uterentur, ne oratoribus quidem, qui populariter loquuntur, ipſo liceret uti.* Verùm non eſt, quòd argumentum hoc cuiquam glaucoma ob oculos objiciat. Nam quamquam ſchemata à naturâ ortum habent, arti tamen perfectionem debent. Sanè, ut eloquentia naturalis haut eadem planè eſt illi, quæ artificioſa eſt: ita nec oratio figurata ἀτέχνως eadem cenſeri debet, quæ naturalis. Quippe animus non uno modo conceptus ſuos exprimit; ſed nunc id vulgari ac ſimplici præſtat modo; nunc populari illo quidem, attamen diverſo ab eo, qui in promptu poſitus eſt. Nam uti formâ, robore, cæteriſque, ita ſermonis concinnitate ac veluti majeſtate quadam, alii ſemper aliis præſtiterunt: ac tardi quidem ingenii homines effectum ejuſce rei viderunt, ad cauſſas verò ſeſe penetrare quiti non ſunt. At ubicunque alius alio meliùs rem exſequitur, ibi ejuſce rei cauſſæ obſervari poſſunt, quæ animadverſæ artem conſtituant. Artes enim omnes ex conſideratione hominum inventæ ſunt, ut rectè inquit Philoponus in ſecundo poſt. analyt. cap. XI. Neque ars aliud eſt, quàm notatio & obſervatio naturæ; veluti, ut juniores quoque in partes advocemus, ſcitè ſcripſit Daniel Barbarus in I. Rhet. cap. II. Itaque & primus, Plutarcho † auctore, ſchematis uti cœpit Iſæus, is à quo vim ſuam tanquam à fonte, hauſit Demoſthenes, quemque in οἰκονομίᾳ tam feliciter ſecutus eſt, ut eum devoràſſe dictus ſit: quemadmodum locuples nobis teſtis eſt Dionyſius Halicarn. Equidem mihi perſuadere non poſſum, tam bardum fuiſſe magnum virum, ut ignoraret, ante Iſæum vulgò quoque in uſu fuiſſe ſchemata; verùm id voluit, primum creditum Iſæum animadvertiſſe in vulgari ſermone certas loquendi formas, quas *ſchemata* appellamus; eaſque illum frequentàſſe, quibus locis dicendi imperiti ſimplici oratione uti ſolent. E. G. ſimili eum ſono cola terminàſſe, aut pari illa ſyllabarum numero conſtrinxiſſe, aut ſcitè literæ immutatione totam immutàſſe ſententiam, aut ſermonem convertiſſe ad abſentem, aut crebris interrogationibus uſum, aut patriam induxiſſe loquentem, aliiſque modis orationem cum virtute innovàſſe. Quamquam & dicere poſſis, per ſchemata à Plutarcho ſignari τὸ χρῶμα, ſive colorem, quem ſolum interdum ſchematis nomine intelligi, oſtendemus inferiùs cap. VI. Ita ſententia ſit, primum adhibuiſſe in dicendo obliqua ac figurata dicta, ubi apertè rem dicerent dicendi ignari. Sed ſeu hoc, ſeu priori modo, ſchema acceperis, alius fuerit ſermo vulgi; alius eorum, qui bene dicunt. Quare quod Robortelius contendit, omnem ſermonem eſſe figuratum, eoque malè eum à Rhetoribus diſpeſci in vulgarem, & figuratum: equidem, utcunque ſibi hâc in ſententiâ applaudat, ſomnium ejus vigilantibus placere non poſſe arbitror.

Ac jam manum nobis de ſchematis definitione tollere poſſe videbamur; verùm remoram iterum faciunt nobis homines quidam penè dixerim infruniti, qui cùm eam parum aſſequerentur, errorem commiſere muræna Tarteſſiâ grandiorem. Siquidem ex eâ conſequi putarunt ‡, non in Poëticâ de numero poëtico, ac variis carminum generibus, ſed in ſchematologiâ Rhetoricâ agendum eſſe. Verùm ſi hæc examinaſſent ad rationis rectæ obruſſam: cogitaſſent, Oratoriam ac Poëticam facultates eſſe diſtinctas, eoque neutram ab alterâ numerum emendicare, cùm utraque conſideret numerum à numero alterius planè diverſum. Quòd ſi alterutra eum ab alterâ haberet, potiùs Oratoria ſumſiſſet à Poëticâ, cùm Ariſtoteles ſcribat, Oratoriam ex Poëticâ originem duxiſſe; quod ratione numeri, atque ornatus, intelligendum eſſe, vident, qui non ſunt de vervecum grege. Neque iccirco putandum, facultatem Oratoriam proprio carere numero; quia nihil prohibet, eſſe aliquid poſterius tempore, ac nihilominus prius naturâ. Scio, urgent illi aſſignatam ſchematum definitionem, quam etiam competere ajunt numero Poëtico, quia eo immutetur oratio à rectâ ac ſimplici formâ ad aliam venuſtiorem. Sed parùm validus eſt hic aries, quem intorquent. Nam totum id, quod ajunt, corruit, ſi definitionem iſtam ita reſtringamus, ut ſchema oratorium, de quo ſolo agitur in Rhetoricis, dicatur eſſe ſermonis à communi uſu ad elegantiorem immutatio in pedeſtri oratione locum habens. Et id certè ſenſerunt Rhetores, licet minimè adjiciendum putarint. Nempe in σχηματολογίᾳ locum habet, quod de numeris Fabius ait lib. IX. *Ego certè, ne in calumniam cadam, quâ ne Marcus quidem Tullius caruit, poſco hoc mihi, ut cùm pro compoſito dixero numerum, & ubicunque jam dixi, oratorium dicere intelligar.* Numerus igitur Poëticus planè è ſchematologiâ Oratoriâ excludendus eſt, quia in oratione pedeſtri non virtus eſt, ſed vitium. Obiter de eo aliquid dici poteſt, ut pleniùs diſcrimen utriuſque numeri intelligatur; at ἀκριβῶς * ac prolixè de eo tractatio inſtitui non poteſt. Quin hoc inſuper addimus, ne in Oratoriâ quidem ſchematologiâ omninò requiri doctrinam numeri oratorii. Nam cùm is diverſo reſpectu tum ad compoſitionem pertineat, tum ad dignitatem: alterutro quidem loco tractari debet; at utrobique de eo agere velle, hominis ſit tum ſuo, tum alieno otio invidentis.

III. De schematum divisione.

Et hæc generatim de ſchematibus: deinceps de ſpeciebus tractabimus: quâ quidem in re non ita multùm ſubſidii nobis adferet Ariſtoteles; ut qui in troporum ſchematumque doctrinâ vix ſumma carpat faſtigia. Neque iccirco aut Ariſtotelis Rhetorica mutila eſt, aut juniorum ſuperflua. Nam perutilis quidem hæc tractatio eſt; attamen non eſt artis οὐσία †, ſed tantùm artis παρενθήκη ‡, ut alibi ‡ ex Ariſtotele oſtendimus.

Schematum alia ad materiam ac corpus orationis pertinent; alia ad formam, ac quaſi animam, hoc eſt, ad ſententiam: illa dicuntur σχήματα λέξεως, hæc διανοίας. Prioribus illis magis propriè ſchematis nomen convenit, quatenus habitum notat, qui propriè corporis eſt: at figuris διανοίας magis competit, quâ geſtum interdum ſignificat, ut ſuprà oſtendimus. Ac primò quidem agendum videtur de ſchematis λέξεως, utpote facilioribus. Sanè, ut optimè dicitur, verborum prior, rerum potior cognitio eſt. Iccirco Ariſtoteles quoque in Sophiſticis Elenchis priùs de fallaciis dictionis pertractat, quàm agat de iis, quæ ſunt extra dictionem, h. e. in rebus ipſis. Fabius tamen lib. IX. cap. I. de ſchematibus διανοίας agendum eſſe ait ante figuras λέξεως, quia naturâ prius eſt concipere res; & Julius Scaliger * in eâdem eſt ſententiâ, quia, ut inquit, *res verbis, quæque in rebus ſunt, iis, quæ verbis inſunt, priora ſunt naturâ, tempore, cognitione, uſu.* Cicero à ſe diſſentit. Nam lib. III. de Oratore priùs egit de figuris ſententiarum, mox de figuris verborum: at ſecùs fecit in Oratore. Puto, utram rationem ineamus, parùm referre: nec operæ pretium eſſe, de eo doctorum ſententiam quaſi per ſaturam inquiri. Interim, quæ noſtra ſit ſententia, non obſcurè ſignificamus.

Differunt ſchemata verborum, & ſententiæ, quòd illa pereant variato verborum ordine, aut voce aliquâ ejuſdem ſignificationis ſubſtitutâ: at hæc non exſtinguantur verborum immutatione. Cicero in III. de Orat. *Sed inter conformationem verborum, & ſententiarum, hoc intereſt, quòd verborum tollitur, ſi verba mutàris: ſententiarum permanet, quibuſcunque verbis uti velis.* Idem ſignificavit Alexander his verbis; Τὸ δὲ τῆς λέξεως σχῆμα τοῦ τῆς διανοίας διαφέρει, ὅτι τὸ μὲν τῆς λέξεως, κινηθείσης τῆς λέξεως, ἢ συγχεούσης, τὸ σχῆμα ἀπόλλυται· τὸ δὲ τῆς διανοίας σχηματισμὸς, κἂν τὰ ὀνόματα κινῇ τις κἂν ἑτέροις ὀνόμασιν ἐνέγκῃ, τὸ αὐτὸ πρᾶγμα μένει. i. *Figura dictionis differt à figurâ ſententiæ, quòd quæ dictionis eſt, ſi voces loco moveantur, reſervato ſchemate, perat: at in eâ, quæ eſt*

* Cap. 5. hujus l.

† In vitis 10. Rhet.

‡ P. Ram. & A. Tal.

* Accuratè.

† Eſſentia.
‡ Appendix.
‡ Libro de natura ac conſtit. Rhetor.

* Lib. 3 de re poet. cap. 31.

eſt ſententia, licet locum vocabula mutent, licet alia vocabula adferas, res eadem maneat. E. G. Epanodi ſchema eſt in iſto: Socrates putabat, vivere eos, qui mortui ſunt; mortuos eſſe, qui vivunt. At periit ſchema, ſi verba hoc pacto immutes: Exiſtimabat Socrates, eos veram vitam vivere, qui naturæ conceſſerunt: eos autem, qui inter homines degunt, mortuorum habebat loco. Hanc verò præceptoris ſui ſententiam ita apud Stobæum * expreſſit ſcenicus philoſophus:

* *Loc. de laude mortis.*

Τίς δ' οἶδεν, εἰ ζῆν τοῦθ', ὃ κέκληται θανεῖν,
Τὸ ζῆν δὲ θνήσκειν ἐστί †;

† *Quis novit an vivere ſit, quod vocamus mortuum eſſe: ipſum autem vivere ſit mori?*

In utroque autem ſchematum genere duo ſunt conſideranda. Nam primò cognoſcenda ſunt nomina, definitioneſque eorum; idque eo magis, quòd plerique veterum illa non tradant, ſed ſolùm nominent: uti videre eſt ex Hermogenis lib. περὶ ἰδεῶν, Demetrio περὶ ἑρμηνείας, & Longino περὶ ὕψους. Tum autem videndum, quando iis uti conveniat, ut ſuo ea frequentemus loco, ac tempore. Multi certè ridiculè ſe dant, dum crebras adhibent apoſtrophas, ac proſopopœias in re ludicra; aut ὁμοιοτέλευτα, ac ſimilia ſcitamenta conſectantur in argumento lugubri. Sed de poſteriori hoc parcè agemus in σχηματολογίᾳ, quia in characterum doctrinâ ſe de eâ proprius offeret tractandi locus.

CAP. II.

DE SCHEMATIBUS ΛΕ'ΞΕΩΣ, QUÆ VEL SUBTICENTIA FIGURANTUR, VEL EXCESSU, VEL USURPANT VOCEM SOLA APPELLATIONE AUT SOLA SIGNIFICATIONE EANDEM.

Schemata dictionis figurantur, vel ſecundùm eſſentiam, vel quantitatem, vel qualitatem, vel ſitum.

Quæ ſecundum eſſentiam accipiunt figuram, ea vel in defectu conſiſtunt; ut ellipſis & aſyndeton: vel in exceſſu; ut pleonaſmus, & polyſyndeton: vel in reliquo corpore orationis: idque bifariam; in repetitione vocis ejuſdem, & ſimilium verborum uſu.

Eadem vox eſt vel ſolâ ſignificatione, vel ſolâ appellatione, vel & appellatione & ſignificatione.

Eandem vocem appellatione, ſed mutatâ ſignificatione, uſurpant ἀντανάκλασις, & πλοκή. Ac πλοκὴ appellatur, cùm vox repetita nunc perſonam, vel quaſi perſonam, nunc qualitatem ſignificat. Ἀντανάκλασις in cæteris locum habet.

Eandem non appellatione, ſed ſignificatione, ponunt συνωνυμία, & ἐξεργασία: illa eſt ſimplicium verborum, hæc eſt totius ſententiæ.

I. QUOTUPLICIA SINT SCHEMATA DICTIONIS. AC PARTICULATIM DE ELLIPSI, ASYNDETO, PLEONASMO, ET POLYSYNDETO.

SChemata à Julio Scaligero, imperatore illo orbis literati, longè accuratiùs digeruntur, quàm fecerant priores. Quem iccirco in multis ſequor. Nec tamen in paucis abeo, non diſſentiendi amore, ſed quia ὅσιον ‡ προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. Ac ſchemata quidem τῆς λέξεως cum Scaligero ad quatuor revoco claſſes. Nam figurantur verba ratione vel eſſentiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, vel ſitus. Quæ ſecundùm eſſentiam ſive naturam ſuam figuram accipiunt, vel ſubticentiâ figurantur, vel exceſſu, vel repetitione vocis ejuſdem, vel verborum ſimilium uſu. Subticentiâ, ut ἔλλειψις, & ἀσύνδετον: quorum definitiones videre eſt apud Grammaticorum filios.

‡ *Pium eſt præferre veritatem.*

Neque iccirco exiſtimandum, à Scaligero in Poëticâ, aut à nobis in Oratoriâ, alieno de iis tractari loco; quæ ineptorum hominum calumnia eſt. Nam Grammaticus de iis tractat, ut oſtendat, quomodo in hâc ſubticentiâ à vulgari loquendi uſu (ut in omni fit ſchemate) aliquantùm recedente, orationi conſtet ſua puritas, ac caſtimonia. At in Poëticâ, ac Oratoriâ, de iis agitur, ut cognoſcamus, quando cum fructu, ac laudabiliter, in pedeſtri, aut ligatâ oratione, adhibeantur. Itaque rhetor conſiderat, ut ἔλλειψις ſubinde ad πάθος plurimùm conferat. Quemadmodum cùm Cicero in Verrinis ait: *Huccine hominem? hanccine impudentiam? hanccine audaciam?* Nempe, *feremus.* Inter affectus etiam pudorem ab Ariſtotele reponi lib. II. vidimus. Itaque venuſtè Maro Eclogâ III:

Novimus & qui te, tranſverſa tuentibus hirquis.

Similiter in aſyndeto ſpectat rhetor geminum ejus uſum. Prior eſt, ut expedita, volubilis, ac concitata oratio indicet rerum celeritatem. Altera, ut aliquid ſignificantiùs exprimatur: quod ἔμφασιν vocant. Utrumque complectitur Plutarchus *, cùm ait: Ἀσύνδετον † οὐ μόνον τάχους, ἀλλὰ καὶ ἐμφάσεως παθητικῆς χάριν γίνεται. Prioris generis exemplum habemus in illo Cæſaris de victoria ſua Ponticа ‡: *Veni, vidi, vici.* Item illo Maronis ‡:

* *Lib. de Homero.*

† *Aſyndeton fit non ob celeritatem modò, ſed ad majorem etiam affectus efficaciam.*

‡ *Suetonius in Cæſ. c. 37.*

‡ *4. Æn.*

Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.

Unde illud Silii *, more ſuo Maronem imitantis:

* *Lib. 7.*

Ite citi, ruite ad portas, propellite vallum
Pectoribus.

De poſteriori aſyndeti uſu ſic idem Plutarchus in Platonicis quæſtionibus: Λόγος δὲ, συνδέσμων ἐξαιρεθέντων, πολλάκις ἐμπαθέστερον καὶ κινητικώτερον ἔχει δύναμιν. *Oratio, conjunctionibus exemtis, ſæpe ad affectus ciendos majorem vim habet.*

Exempla hujus generis, nunc per συνώνυμα inſtituuntur, vel penè συνώνυμα: nunc per ἀπαρίθμησιν, ſive rerum diverſarum enumerationem. Priori fit modo in illo Demoſthenis extremâ Philippicâ III: Χρήματα ἀποστέλλειν φημὶ δεῖν, καὶ τἄλλα ὅσα ἀξιοῦσι ποιεῖν· αὐτοὺς δὲ παρασκευάζεσθαι, καὶ πρώτους ἃ χρὴ ποιοῦντας, τότε καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας συγκαλεῖν, διδάσκειν, νουθετεῖν· *Pecuniam dico mitti oportere, atque alia, quæ fieri poſcunt, facienda eſſe: ac debere nos inſtrui, & primos officio fungi, ac tum demum cæteros Græcos convocare, docere, admonere.* Et luculentiùs in hoc Ciceronis Catilinariâ ſecundâ: *Abiit, exceſſit, erupit, evaſit.* Ac ſimile illud Terentii Heautont. †.

† *Act. 5. ſc. 1.*

—— In me quidvis horum convenit,
Quæ ſunt dicta in ſtultum, caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.

At ἀπαρίθμησιν, ſive enumerationem diverſorum habes in illo Philippicâ IV: Ὑστερίζετε, ἀναλίσκετε· ὅτῳ παραδώσετε τὰ πράγματα, ζητεῖτε· δυσχεραίνετε, ἀλλήλους αἰτιᾶσθε· *Ceſſatis, ſumtus facitis; cui res mandetis, quæritis; ſuccenſetis, & vos mutuò accuſatis.* Et poſt multa: Γεγόνασι καθ' αὑτοὺς ἕκαστοι, Ἀργεῖοι, Θηβαῖοι, Κορίνθιοι, Λακεδαιμόνιοι, Ἀρκάδες, ἡμεῖς. *Ac divulſi ſunt ſinguli, Argivi, Thebani, Corinthii, Lacedæmonii Arcades, nos.* Item apud Terentium Eunucho ‡:

‡ *Act. 4. ſc. 2.*

Video ſentum, ſqualidum, ægrum, pannis annisque obſitum.

Sic Adelphis *:

* *Act. 3. ſc. 4.*

Ignotum eſt, tacitum eſt, creditum eſt.

Et ibidem †:

† *Act. 5. ſc. 4.*

Ego ille agreſtis, ſævus, triſtis, parcus, truculentus, tenax.

Cicero pro lege Maniliâ: *Non enim illæ ſunt ſolæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgò exiſtimantur, labor in negotio, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo.* Et eâdem orat. *Quod denique genus belli eſſe poteſt, in quo illum non exercuerit fortuna Reipublicæ? civile, Africanum, Tranſalpinum, Hiſpanienſe, miſtum ex bellicoſiſſimis nationibus, ſervile, navale, &c.* Idem pro Archia: *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium & ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.* Ἀσύνδετον autem hoc ſchema voco, non, ut quidam, ἀσύνθετον, cùm ſit à συνδέω

dian *. Neque movet, quod apud Porphyrionem legimus, ἀσύνθετως poni ea, quæ conjunctionum deſtituuntur vinculo. Nam ἀσυνδέτως, non ἀσυνθέτως, à Porphyrione ſcriptum fuiſſe, agnovit quoque Henr. Stephanus lib. II. προπαιδειῶν ad Senecæ lectionem cap. III. Simili errore in Breulianâ Iſidori editione *aſyntheton*, & *polyſyntheton* legere eſt. Rutilio Lupo hoc ſchema dicitur διάλυσις, ſive *diſſolutio*, vel *inconnexio*: Julio Rufiniano διάλυτον, ſeu *diſſolutum*. Poſſimus & *injuge* nuncupare, quomodo Diomedes lib. III. † verſus ἀσυνδέτους *injuges* appellat uti hunc ‡,

* Calligare.

† Cap de pedibus metricis.

‡ Æn. 7.

Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis.

Sunt etiam ſubticentiæ genera, ζεῦγμα, σύλληψις, πρόληψις: quorum definitiones itidem è Grammaticis notæ eſſe debent. Huc verò pertinent, quatenus orationem ornant.

Ἀποσιώπησιν ſimiliter huc referunt nonnulli, tanquam ἐλλείψεως genus. Sed potiùs ſchema eſt διανοίας, quia ſic abrumpitur oratio, ut nec res ipſa exprimatur; unde, quid aliquis ſenſerit, conjici nequit, niſi cognitus ſit dicentis affectus.

Exceſſu contrà figurantur πλεονασμὸς, & πολυσύνδετον: quorum ille ellipſi, hoc aſyndeto opponitur. Πλεονασμὸς fit ad emphaſin, & evidentiam. Ut illo Terentii Adel. ‡.

‡ Act. 3. ſc. 2.

—— Hiſce oculis egomet vidi, Soſtrata.

Virgil. Æn. I:

—— Sic ore locuta eſt.

Ac ſimiliter alibi *, *ore effata*: item †,

* Æn. 2.

† 6. Æn.

—— Finem dedit ore loquendi.

Julius Rufinianus huc etiam refert, *pugnare pugnam*, *ſervire ſervitutem*, & ſimiles Atticiſmos. Par ratio fuerit in illo Comici, & Ciceronis quoque, *homo nemo*. Et fortaſſe, cùm in Eunucho ‡ legimus:

‡ Act. 4. ſc. 5.

Jamdudum ætatem lites ſunt inter eos factæ maximæ.

Nam volunt, *ætatem* redundare, quia *jamdudum* præceſſerit. Mihi verò Donati ſententia magis placet, quia minus eſt *jamdudum*, quàm *ætatem*: ut quæ vox propriè ſignificet tempus, quantum eſt tota hominis ætas: etſi hic ἁπλῶς pro longo admodum tempore ſumatur.

Polyſyndeton, ut orationem, ita & rem ipſam amplificat. Nam facit, ut, cùm idem, aut penè idem dicas, plura tamen diverſaque dicere videaris. Locum etiam habet, cùm diverſa dicuntur, idque ut ea, retardata ſermonis curſu, magis ſingula animum afficiant. Demoſthenes Philippicâ primâ: Ὑπάρξει δ' ὑμῖν χειμαδίῳ μὲν χρῆσθαι τῇ δυνάμει, Λήμνῳ, καὶ Θάσῳ, καὶ Σκιάθῳ, καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ νήσοις, ἐν αἷς καὶ λιμένες, καὶ σῖτος, καὶ ἃ χρὴ στρατεύματι, πάνθ' ὑπάρχει. *Licebit autem vobis cum exercitu hibernare Lemni, & Thaſi, & Sciathi, & in aliis illius loci inſulis; in quibus & portus, & frumentum, & omnia ſunt, quæ exercitus exigit.* Idem Philippicâ III: Ἐπεὶ τριήρεις γε, καὶ σωμάτων πλῆθος, καὶ χρημάτων πρόσοδοι, καὶ τῆς ἄλλης κατασκευῆς ἀφθονία, καὶ τἄλλα, οἷς ἄν τις ἰσχύειν τὰς πόλεις κρίνοι, νῦν ἅπαντα καὶ πλείω καὶ μείζω ἐστὶ τῶν τότε πολλῷ. *Quandoquidem triremes, & hominum multitudo, & pecuniarum reditus, ac reliqui apparatus abundantia, atque alia, quibus aliquis æſtimet potentiam urbium, nunc cuncta & plura, & majora ſunt, quàm ætate ſuperiori.* Cicero pro lege Manilia: *Aſia verò tam opima eſt, & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat.* Virgil. V. Æn.

Aſcaniumque, patremque meum, juxtaque Creuſam,
Alterum in alterius mactatos ſanguine cernam.

Etiam Plauti eſt Epidico *; ſed quod in proſa foret aliquanto affectatius:

* Act. 2. ſc. 2.

Ubi fidemque, remque, ſeque, teque properat perdere.

II. De antanaclasi.

Schemata, quæ in reliquo conſiſtunt orationis corpore, vel eandem ponunt vocem, vel diverſam quidem, ſed ſimilem. Addit Cæſar Scaliger, vel diſſimilem ponere vocem, vel contrariam. Quam etiam ſententiam primitus amplexi ſumus. Nunc magis placet διχοτομία; quia quæ ſchemata tertii quartique generis ſtatuuntur, ea vel ad tropos pertinent, ut μετωνυμία, & ἔμφασις: vel non minùs ſunt σχήματα διανοίας, quàm λέξεως, ut περίφρασις: vel propriè magis ad διανοίας figuras pertinent; ut omnia illa, in quibus contrarietas ſpectatur. Quare ea tantùm perſequemur, quæ vel eandem ponunt vocem, vel ſimilem.

Eadem vox eſt, vel ſolâ appellatione, vel ſignificatione ſolâ, vel & appellatione & ſignificatione.

Si eadem vox ſit, ſed ſignificatio diverſa, ἀντανάκλασις dicitur. Pedianus hoc ſchema appellat Dilogiam. Nam ad illud Cicer. Verr. II, *Dedit enim prærogativam ſuæ voluntatis ejuſmodi, ut iſti pro prærogativis jam * reddidiſſe videatur*: ſcribit hunc in modum; *Dilogia dicitur figura, cùm ambiguum dictum duas res ſignificat. Nam prærogativa, præter juſtum integrumque beneficium, aut dictum aut factum aliquid ſignificat liberalius ab eo, qui facturus eſt: & rurſus, prærogativa ſunt tribus, quæ prima ſuffragium ferunt ante jure vocatas.* Eſt igitur mens Ciceronis. Verrem hanc ſuæ voluntatis dediſſe prærogativam atque ſpecimen erga Metellum, quòd largitione apud tribus prærogativas effecerit, ut M. Metellus deſignaretur conſul.

* Al. eam.

Differt Dilogia à Syllepſi oratoriâ, de qua libro antecedenti dictum, quòd in Dilogia vox repetita aliter priori, quàm poſteriori, accipiatur loco: in Syllepſi autem vox ambigua ſemel poſita utrâque uſurpetur ſignificatione. Itaque ἀντανάκλασις, ſeu διλογία eſt, cùm vox πιστεύειν diverſimodè accipitur B. Joh. cap. II: Πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, θεωροῦντες αὐτοῦ τὰ σημεῖα, ἃ ἐποίει. Αὐτὸς δὲ ὁ Ἰησοῦς οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς †. Itidem τὸ διώκειν ad Rom. XII. nunc ſignificat rem perſequi ſtudio obtinendi eam, nunc aliquem perſequi animo lædendi. Nam cùm dixiſſet Apoſtolus, τὴν φιλοξενίαν διώκοντες ‡, mox ſubjicit, εὐλογεῖτε τοὺς διώκοντας ὑμᾶς *. Huic verò exemplo geminum quodammodo eſt illud Virgilii in Eclogis †:

† Multi crediderunt in eum, viſis ſignis, quæ edebat: ipſe autem Jeſus non credebat ſemet iis.

‡ Hoſpitalitatem ſectantes.

* Benedicite iis, qui vos inſectantur.

† Ecl. 2.

‡ Ecl. 8.

Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam:
Florentem cithyſum ſequitur laſciva capella.

Nam odii videtur, quòd leæna lupum, aut lupus capellam ſequitur: amoris autem, quòd capella ſequatur cithyſum. In iiſdem ‡ eſt:

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error!

Primum *ut* eſt *poſtquam*: ut duobus poſterioribus locis eſt *quantopere*. Eodemque modo ὡς uſurpârat Theocritus in Comaſte:

Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλατ' ἔρωτα *!

* Ut vidit, ut inſaniit, ut in profundum incidit amorem!

Item in Pharmaceutria:

Χ' ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην, ὥς μοι περὶ θυμὸς ἰάφθη Δειλαίας! †

† Atque ut vidi, ut inſanii, ut animus mihi malè eſt affectus Miſeræ!

Plautus Mil. Glor. ‡.

Oculorum præſtinguat aciem in acie hoſtibus.

Idem Bacchidibus *:

Non hercle opinor: verum neſcio.

Et Curculione †:

Idem ego iſtuc, cum credebam, credidi.

‡ Act. 1. ſc. 1.

* Act. 2. ſc. 2.

† Act. 4. ſc. 3.

Hoc eſt, idem arbitratus ſum, cùm tibi pecuniam committerem. Maro V. Æn.

—— Intentaque brachia remis
Intenti exſpectant.

Scio, in aliquot codd. antiquis pro *intentaque* inveniri *nudataque*: quâ de re in Caſtigationibus ſuis Pierium vide, ſi vacat. Sed *intentaque* etiam Priſcianus legit. Atque eundem in locum ita Servius: *Intenta. i. porrecta. Et bene eodem ſermone in diverſis uſus eſt rebus. Aliter enim brachia,*

chia; aliter intendimus mentem. Voluit igitur Maro, brachia jam remigio parata avidè expectaſſe, ut ſignum tubâ daretis, qui remis intentus erat, h. e. κελευστὴς, ſive portiſculus, ſive jaſſor, (ut in veteri gloſſario vocatur.) cujus erat, tum ſigno indicare, quando remigandi initium fieri deberet: unde paullò pòſt;

Inde ubi clara dedit ſonitum tuba:

tum modum claſſi dare, ejuſque curſum vel incitare, vel ſuſtinere: quod non uno modo fieri ſolet, quandoquidem Feſtus malleo, Nonius id perticâ factum ait, uterque in voce *portiſculus:* at aliâ quoque voce, aut per ſymphoniam, fieri ſolere, ſcribit Aſconius in Divinat. Atque ita hunc Maronis locum quoque interpretatur Carrio lib. 2. Emend. cap. x. Jul. Scaliger, ob repetitam *intendendi* vocem, ταυτότητα eſſe ſtatuit. Verùm ταυτότης ſolùm eſt, cùm eadem quoque vocis retinetur ſignificatio. Alioqui enim ἀνταναάκλασιν ponere nihil opus fuiſſet. Idem Schema eſt in Epigrammate* Græco, quo φιλεῖν diverſimodè accipitur:

Πρὸς Διὸς, εἴ με φιλεῖς, Πάμφιλε, μή με φίλει †.

Ubi φιλεῖν nunc eſt *amore complecti*, nunc *oſculum figere.* Nazianzenus itidem de patre ſuo:

—— πολιός τε νόον, πολιός τε κάρηνον ‡.

Priori loco πολιὸς modificatè, poſteriori propriè uſurpatur. Lucillius*:

—— *Carcer vix carcere dignus.*

Nam *carcer*, & pro homine nefario, & pro loco, accipitur. Varro Bimarco † voce *bellum* ludit: *Socius es hoſtibus; cùm ſociis bellum ita geris, ut bella omnia domum auferas.* Ita eum locum emendo, ut geminus ſit iſti Salluſtiano: *Poſtremo ſociis veſtris veluti hoſtibus, hoſtibus pro ſociis utuntur.* Itidem cùm præverbium *e* (quemadmodum & duæ illæ, *de*, & *in*) nunc augendi vim habent, nunc minuendi. Ovidius utramque conjunxit ſignificationem, quando inquit ‡:

Egelidum * *borean, egelidumque* † *notum.*

Quamquam fuit, cùm mallem,

Et gelidum borean, egelidumque notum;

ut eſt in MSo Claudii Puteani, ac Savaro ‡ etiam legendum cenſet. Verùm puto, ita ſi ſcripſiſſet Naſo, haudquaquam eum verſum damnaſſent amici, tanquam κακόζηλον. Quare magis veriſimile ſit, poëtam ambiguâ luſiſſe voce, atque hancce ingenii laſciviam diſplicuiſſe amicis, uti ſcribit Seneca lib. 11. Contr. 11. quo loco & Naſonem, hujuſce rei admonitum, reſpondiſſe refert: *Decentiorem eſſe faciem, in quâ aliquis nævus eſſet.* Illuſtre quoque exemplum eſt epigrammate in Neronem*, quo *ſuſtollendi* vocabulum, & *è medio tollere* ſignificat, & *tollere in humeros:*

Quis neget Æneæ magnâ de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Et in veteri inſcriptione Narbone: AMICI, DUM VIVIMUS, VIVAMUS. Improba profectò ſententia: at proba, ſi in probam deflexeris mentem, juxta Plinianum † illud; *vita vigilia.* Uſus & eodem ſchemate Appulejus in Apolog. *Lignum à me toto oppido, & quidem oppidò quæſitum.* Item Auſonius Epigr. XIX, ubi Meroën anum ita dictam ait, quia

Potare immiſtum ſueta merumque merum.

i. vinum nec ὑδαρὲς ‡, nec κεκερασμένον*. Quamquam neque deſint, qui cum Quinctiano Stoâ legere malint:

Potare immiſtum ſueta merum Meroë.

Ejuſdem eſt epigr. CXIX:

Feſtinat gloſſas non natis tradere natis.

h. e. filiis nondum in lucem editis: ubi & ὀξύμωρον. Denique ἀνταναάκλασις quoque eſt in iſto: *Filius inquit patri, non exſpectare ſe mortem patris. Imò verò, inquit pater, rogo mortem meam exſpectes.* Priori loco *exſpectare* ſignificat *deſiderare*, poſteriori *præſtolari*, quomodo & uſus Tullius in Miloniana, ubi de nece P. Africani ait: *Quem immortalem, ſi fieri poſſet, omnes eſſe cuperent, ejus ne neceſſariam quidem exſpectatam eſſe mortem.* Vide ſis, quæ de *exſpectandi* verbo annotavit Donatus in Terentii Adelphos*, & Scipio Gentilis ad SC. Macedonianum † in Παρέργοις Juris ‡. Ac vulgare hoc Proculeji exemplum adducit quoque Rutilius Lupus. Et rectè. At non video, quomodo tria, quæ ſubjungit, exempla ad ἀνταναάκλασιν, ſive, ut ipſe vocat, ad ἀνάκλασιν pertineant. Primum, quod affert, eſt Platonis; qui rogatus, quomodo reſp. beata fieret, reſpondit; *Si aut qui ſapiunt, imperare, aut qui imperant, ſapere diſcant.* Alterum eſt Theophraſti, *Prudentis eſſe officium, amicitiam probatam appetere, non appetitam probare.* Tertium eſt Ariſtotelis, qui dixiſſe dicitur, *Ejus eſſe vitam beatiſſimam, cujus & fortuna ſapientia, & ſapientia fortuna ſuppeditet.* Sed profectò nulla hiſce in exemplis eſt ἀνταναάκλασις, ut quidem hic eâ voce utimur, verùm ἐπάνοδος. Alium errorem erravit alius*, qui in diſtinctionibus Rhetoricis negat, exemplum, in quo ambiguè *exſpectandi* vocem accipi dicebamus, ad ἀνταναάκλασιν referri poſſe. Eſt, inquit, σαρκασμὸς ex ambiguo. Verùm negamus, propriè ſarcaſmum eſſe: & ut laxè ſarcaſmus dicatur, hoc profectò ἀνταναάκλασιν ſimul eſſe non prohibet. Nec rectiùs ejus, quem diximus, ὑπερασπιστὴς † ἀνταναάκλασιν refert ad παρονομασίαν. Nam in antanaclaſi eſt eadem vox ſignificatione variatâ: paronomaſia verò eſt alluſio in vocibus diverſis.

III. De ΠΛΟΚῌ.

QUòd ſi ἀνταναάκλασις ſit ejuſdem verbi in unâ ſententiâ repetiti multiplex ſignificatio; prout ſuperiùs dicebamus: ſanè πλοκὴ, ſeu *copulatio* (ut Aquila interpretatur) ejus ſpecies cenſeri debet: ut quâ vox repetita, nunc perſonam, vel quaſi perſonam, ſignificet; nunc mores, aliamve qualitatem. Sin obfirmatum, illos ſequi, quibus eæ differunt, non ut genus & ſpecies, ſed ut ſpecies oppoſitæ: ἀνταναάκλασις vox preſſè ſumi debet, ut non quamvis ſignet ſignificationum diverſitatem; verùm eam ſolùm, in qua neutro loco notat mores. Ita ἀνταναάκλασις quidem dicetur, cùm Plautus ‡ *matris* nomen nunc pro genitrice, nunc pro nutrice uſurpat:

—— *Uti mater ſua*
Non internoſſe poſſet, quæ mammam dabat;
Neque adeò mater ipſa, quæ illos pepererat.

At πλοκὴ fuerit in eâdem *matris* voce apud Sophoclem Electrâ: Μήτηρ γὰρ ἡ δόμοις μήτηρ ἀμήτωρ*. & apud Poëtam Sulmonenſem:

Talis erat mater, ſi modò mater erat.

Georgius Fabricius hoc in exemplo ſtatuit προσονομασίαν, quam cum vulgo malè προσωνομασίαν appellat per ω: quâ de re in ἀντονομασίᾳ diximus. Eſt & πλοκὴ:

Τηλοῦ φίλοι ναίοντες οὐκ εἰσὶ φίλοι †,

Sic Plautus Bacch. Act. III. Sc. I:

Bacchides, non bacchides, ſed bachæ ſunt acerrimæ.

Cicero ad Quinctum Fr. *Cato adoleſcens nullius conſilii, ſed tamen civis Romanus, & Cato.* Idem epiſt. VI. lib. XIV. ad Att. *Sed vides conſules, vides reliquos magiſtratus, ſi iſti magiſtratus.* Similiter pro Sextio: *Iidem conſules ſi modò conſules erant.* In Divinat. *Sed repente è veſtigio ex homine tanquam aliquo Circæo poculo factus eſt Verres: redit ad ſe, atque ad mores ſuos.* Et pro Cælio: *Quis ignorat, in ejuſmodi domo, in quâ materfamilias meretricio more vivat; in quâ nihil geratur, quod foras proferendum ſit; in quâ luſtra, libidines, luxuries, omnia denique inaudita vitia, atque flagitia verſentur; hic ſervos non eſſe ſervos?* Quibus verbis ſignificatur, ubi omnia flagitia committuntur conſciis ſervis, ibi, ut in veteri adagione eſt, fulmenta lectos ſcandere, & ſervos potiùs à dominis metui, quàm dominos à ſervis. Quatuor etiam luculenta ſimilis πλοκῆς exempla ſuggeret Iſidorus Peluſiota lib. III. epiſt. CCXXXVI, ad Eulogium exaratâ.

Πλοκὴν verò non ſolùm eſſe perſonarum, vel argumento eſt hoc Plauti Aſinariâ Act. I. ſc. III:

* Lib. 2. Anthol.
† Per Jovem, ſi me amas, Pamphile, ne oſculum des.
‡ Canus mente, caniſque capite.
* Apud Donatum in Ter. quinque locis, & Caſparum Piſonum lib. 1. de contineotiae veterum poëtarum.
† Apud Nonium in Bellum.
‡ Lib. 2. Amorum elg. 11.
* Ita & Scalig. legit.
† Vulg. lib. præcipitemque; ſed perperam: ut ſatis arguit, quid eâdē elegiâ dixit, præcipites extimuiſſe notos. Nec enim Ovidiana eſt opulentiæ, eâdem elegiâ dicere idem verbis iiſdem.
‡ In Schol.
‖ epiſt. 1.
* Apud Suetonium in Ner. c. 39.
† In præfat. hiſtor. natur.
‡ Apud tò κρᾶμα.
* Legitimè temperatum.
* Act. 1. ſc. 2.
† Lib. 1. in princ. ff. de SC. Maced.
‡ Lib. 2. cap. 13.
* Pet. Ramus.
† Audom. Tal.
‡ Prolog. Menæch.
* Furit præ delectatione mater non mater.
† Amici procul habitantes non ſunt amici.

Digitized by Google

Nam mare haut eſt mare, vos mare acerrimum.
i. magis maritimis eſtis moribus. Atque hinc cognoſcere eſt, cur in πλοκῆς definitione adjecerim, *vel quaſi perſonarum.*

Nec de nihilo eſt, quòd in eodem à nobis dicatur, πλοκῇ non ſemper mores, verùm & aliam ſignari qualitatem. Neque enim mores alterutro loco vox repetita ſignificat, cum Ulpianus ait: *mulier, quæ mulier fieri non poſſit.* hoc eſt, quæ virum pati nequeat: quomodo crebrò accipi *mulieris* vocem, teſtatum facit ea controverſia, quam Tertullianus tractat de velandis virginibus. Eſt tamen hic πλοκὴ, quia eâdem voce priori loco perſona, poſteriori qualitas ejus indicatur.

Denique nec illud monere abs re ſit, Donato quoque πλοκὴν eſſe in illo Terent. Eunucho *: (* Prologo.)

Si id eſt peccatum, peccatum imprudentiâ eſt.

Eſt, inquit, πλοκή. *Nam peccatum ſuperius nomen eſt & ſequens participium.* Item in illo Phorm. † († Act. 1. ſc. 2.)

—— Ni vis boni
In ipſâ ineſſet formâ, hæc formam extinguerent.

Eſt, inquit, πλοκή. *Aliud enim ſuprà, aliud infrà, forma repetita ſignificat.* Itaque πλοκὴ Donato latiùs patet, ut ἀντανάκλασιν quamvis comprehendat. Eodemque modo hâc voce utitur Aquila Romanus. Nam in exemplo quidem eſt πλοκὴ: at definitio, quam adfert, convenit ἀντανακλάσει.

Eſt & tertia, quartaque hujus vocis ſignificatio. Nam Fabius ita vocari ait repetitionum mixturas; qua de re cap. ſeq. At Julio Rufiniano πλοκὴ eſt, *cum idem verbum ſententiam ad conſummationem ſuperioris retorquetur:* ut *: (* Æn. 2.)

—— Vos ô quibus integer ævi
Sanguis, ait, ſolidæque ſuo ſtant robore vires,
Vos agitate fugam.

At hæc quidem anaphora eſt, ut & altero in exemplo πλοκῆς, quod inibi adfert: († Ecl. 4.)

Pan † etiam Arcadiâ mecum ſi judice certet,
Pan etiam Arcadiâ dicat ſe judice victum.

Itaque mihi quidem cauſſam ſuam probet, qui ad vitandam hujuſce nominis ὁμωνυμίαν, ἀντανάκλασιν ſive ἀνάκλασιν generatim appellet cum Rutilio Lupo, quando vox repetita diverſimodè ſumitur. Ita quidem πλοκῆς nomine carere liceat, uti & ἀντιπίστως. Nam hæc quoque ἀνάκλασις eſt, cùm eâ idem verbum repetatur in contrario ſenſu, ut ſcribit Julius Rufinianus. Qui ejuſce ſchematis exemplum facit:

(‡ Æn. 2.) *Una ‡ ſalus victis, nullam ſperare ſalutem:*

Item iſthoc: (‖ Ecl. 7.)

Ex ‖ illo Coridon, Coridon eſt tempore nobis.

Quamquam hìc quidem non tam contrarius eſt ſenſus, quàm diverſus: ut mihi quidem videatur Rufinianus aut malè definire ἀντίθεσιν, aut non ſatis appoſita ejus afferre exempla. Minuta hæc fateor: verumtamen iſtiuſmodi non tam adferre pudet, quàm præterire piget, necubi meritò noſtra deſideretur induſtria. Et hæc de ſchematibus, quæ eandem repetunt vocem, ſed ſignificatione diverſâ.

IV. De synonymia.

AT voces non appellatione, ſed ſignificatione eaſdem, conjungunt συνωνυμία, ſive interpretatio, & ἐξεργασία, ſive expolitio.

ΣΥΝΩΝΥΜΊΑ Aquilæ eſt *communio nominis*: Fabio lib. VIII. *cùm plura idem ſignificant.* Pleniùs dixeris, hanc eſſe, cùm plura junguntur idem, vel penè idem ſignificantia. Vocatur & ἀντιλογία, παράλληλον, ἀναδήλωσις, ἐπανάληψις, & ἀναδίπλωσις. Sed ſatius fuerit ſchemata ſingula diſtinctis appellare nominibus, quàm confundere ἀναδήλωσιν, ſive συνωνυμίαν, ἀντιλογίαν, ἐπανάληψιν & ἀναδίπλωσιν, quæ quatuor ſunt diverſa ſchemata.

Cùm autem, quæ Grammatici, ac Rhetores, vulgò ξυνώνυμα appellant, ea Damaſceno cap. XXXVIII. Dialecticæ, ac Logicis aliis, appellentur πολυώνυμα, quia ſunt plura nomina unius rei; fortaſſe rectiùs πολυωνυμίαν hoc ſchema dixeris, quàm συνωνυμίαν: præſertim cùm Julius quoque Scaliger neget, rectè vocari συνώνυμα, quæ ita cum Stoicis Grammatici appellant. Ariſtoteles tamen eo modo locutus lib. III. Rhet. cap. II. Neque ratio adverſatur. Nam τὸ σὺν conjunctionem notat: at conjunguntur vel plures res cum eodem nomine, vel plura nomina cum eâdem re: priorem conjunctionem conſiderarunt Logici; poſteriorem autem Grammatici, qui Stoicos hâc in parte ſequuntur. Itaque jure optimo συνωνυμίας nomen retinemus.

Exemplum συνωνυμίας eſt in illo Homerico Iliad. α:

—— καὶ ἤρετο δεύτερον αὖθις. (* Et rogabat ſecundò iterum.)

Nam δεύτερον idem, quòd αὖθις.

Idem alibi:

—— ἠγερέθοντο, καὶ μετίασιν.

Iſtiuſmodi quoque eſt iſtud Ariſtophanis †: († Equitibus ſc. 2.)

Ἤικαλλ', ἐθώπευ', ἐκολάκευ', ἐξηπάτα.

Ubi ſcholiaſtes annotavit, αἰκάλλειν, θωπεύειν, & κολακεύειν, idem eſſe; nempe *adulari*, ac *blandiri*. Plautus Bacch. ‡. (‡ Act. 5. ſc. 1.)

Quicunque ubique ſunt, qui fuere, quique futuri ſunt poſthac,
Stulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
Solus ego omnes longè antideo ſtultitiâ, & moribus indoctis.

Idem Sticho ‖: (‖ Act. 4.)

Morè hoc fit, atque ſtultè, meâ ſententiâ.

Nam *morè* hìc valet μωρῶς *: quomodo de Claudio dixit Nero, eum deſiiſſe inter homines morari, h. e. μωραίνειν. (* Stultè.)
Mirificè autem hâc figura gaudet Catullus. Ejus eſt iſthoc carmine de nuptiis Pelei & Thetidis:

Illâ tempeſtate, ferox quo tempore Theſeus.

Ad Rufum:

Ruſe, mihi fruſtra ac nequicquam credite, amice.

Et fortaſſe in illo ad Lesbiam:

Si quicquam cupidoque optantique obtigit unquam.

Nec refugit Virgilius, cujus hoc II. Georg.

Quadrifidaſque, ſudes, & acuto robore vallos.

Servius, *Bis*, inquit, *idem dixit. Nam & valli, & ſudes idem ſunt.*

Quod & Vegetius ait lib. III. cap. VIII. Ejuſdem Maronis eſt †; († Æn. 7.)

Quantum in connubio gnatæ thalamoque moramur.

Quod ſi quoſdam audimus, par ratio erit iſtius Eclogâ:

Non inſueta graves tentabunt pabula fetas.

Verùm, ut Servius ſcribit in I. Æn., haut temerè additur *graves*, quia latiùs patet *fetas*, quàm *gravidas*, cùm illo tum gravidæ ſignificentur, tùm fetum antè enixæ; ita ut ante puerperium, & poſt partum, *feta* quæpiam dici poſſit, *gravida* non item. Sanè quæ non gravidæ ſunt, ſed jam enixæ, rectè fetas nominari, vel fidem fecerit Cenſorinus, cùm cap. XI. inquit: *Prægnans ante diem quadrageſimum non prodit in fanum, & poſt partum quadraginta diebus pleraque fetæ graviores ſunt, nec ſanguinem interdum continent.* *Feta* autem ſubſtantivè accipit Maro: quomodo fortean Arnobius lib. VII. ait, *ingens feta.* Malim tamen cum copulâ, *& feta*, quomodo in MSo Regio eſt. Nam cùm antecedat *ſcrofa*, diſpar omnino hìc ratio eſt: *Telluri, inquiunt, matri ſcrofa ingens immolatur feta.* Idem ſchema in illo Cornelii Severi in Ætnâ:

Ni furtim generet ſecretis callibus humor
Materiem, ſylvamque ſuam.

Nam *materia*, & *ſylva*, idem ſunt: unde carmina ſubitò effuſa calore, quia ſunt velut rudis materia, *ſylvas* appellarunt. Sed & etymon *ſylvæ* indicio eſt, cùm non à ſilendo κατ' ἀντίφρασιν factum ſit, ſed à Græco ὕλη. Eſt & συνωνυμία in hoc Juvenalis †: († Lib. I. ſat. 5.)

Stru-

Structorem interea, ne qua indignatio deſit,
Saltantem ſpectas, & chironomonta volanti
Cultello.

Nam miniſter, qui priùs *ſtructor* dicitur. i. carptor ſive ſciſſor, vel, ut vetus poëtæ hujus interpres vocat, *infertor*, is poſtea χειρονόμος appellatur; ut placet Lipſio ‡,
‡ Lib. 2. Saturnal. cap. 2.
ac Savaroni *: vel potiùs, qui priùs *ſaltans*, h. e. pantomimus, is poſtea à manuum geſticulatione χειρονόμος vocatur; ut idem ſignificetur per ſaltantem ſtructorem, & chironomonta volanti cultello. Qua de re plura in Originum libris diximus.
* Ad Sidon. lib. 4. epiſt. 7.

Atque ex hiſce quidem cognoſcere eſt συνωνυμίας σχῆμα poëtis eſſe uſitatiſſimum. Ἔθος τοῖς ποιηταῖς παραλλήλως λέξεσιν ἰσοδυναμούσαις χρῆσθαι †: ut in Veſpas ſcribit Ariſtophanis interpres. At oratores haut temere συνωνυμίαν uſurpant: quà de re ita Theon in progymnaſmatis ‡: Ἐν δὲ τοῖς κατὰ τὴν λέξιν παρατηρητέον, καὶ τὸ μήτε συνωνύμοις χρῆσθαι. Τὸ γὰρ τὴν αὐτὴν ἔχοντα δύναμιν ὀνόματα μακρότερον ποιεῖ τὸν λόγον, οὐδὲν δέον. ὡς παρὰ Δημοσθένει ἐν τῷ τῶν Ὀλυνθιακῶν δευτέρῳ, Δαιμονίᾳ τινὶ καὶ θείᾳ παντάπασιν ἔοικεν εὐεργεσίᾳ. *In verbis obſervandum, ne utamur multis idem ſignificantibus. Nam quæ voces idem pollent, orationem reddunt longiorem, cùm non ſit opus: ut Demoſthenis hoc Olynthiacâ ſecundâ: Cæleſti quodammodo ac divino beneficio hoc omnimodis ſimile videtur.*
† Poëtis mos eſt, uſurpare, ac quaſi paria componere, voces ejuſdem ſignificationis.
‡ Cap. de Narrat.

Varius autem eſt uſus συνωνυμίας; ut docet Gellius lib. XIII. cap. XXIII. Inter alios, tum ut *orationem modulatiorem aptioremque reddat*: tum ut *onerandi, vel exprobrandi criminis cauſſâ, exaggerationem aliquam ſpecioſam faciat.* Atque addit deinde, Quæ *cum dignitate orationis, & cum gravi verborum copiâ dicuntur, quamquam eadem fere ſint, & ex una ſententia cooriantur, plura tamen eſſe exiſtimantur, quoniam & aures, & animum, ſæpius feriunt.* Quibus ex verbis alius etiam uſus συνωνυμίας comparet. Præterea orationi addit acrimoniam. Ut cùm Homerus ait: βάσκ' ἴθι *I vade.* Ubi Gellius * ait, *verba duo idem ſignificantia non fruſtra poſita eſſe ἐκ παραλλήλου, ut quidam putant; ſed hortamentum eſſe acre imperatæ celeritatis.* Et hæc de συνωνυμίᾳ.
* Lib. 13. cap. 23.

V. De ἘΞΕΡΓΑΣΊᾳ, et ἘΠΙΜΟΝῇ.

Ἐξεργασία verò ſive expolitio eſt, cùm orationes idem ſignificantes conjunguntur. Quidam παλιλλογίαν vocant. Retulit autem Alexander quoque ad σχήματα λέξεως, quia ſi συνωνυμία eſt ſchema dictionis ob dictiones ſingulas, erit & ἐξεργασία ob plures junctas pluribus aliis ἰσοδυναμούσας. Optimè tamen referri quoque poſſit ad σχήματα διανοίας. Nam ut σχῆμα eſt λέξεως, cum eadem uſurpatur dictio, quod ταυτότητα vocant: ita σχῆμα erit διανοίας, cùm eadem repetitur διάνοια: eſtque in hâc quoque ſententiâ Jul. Scaliger.

Ἐξεργασία eſt in illo Ciceronis pro Milone: *Veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum minimè vident.* Niſi hic tergeminam συνωνυμίαν ſtatuere malis. Virgilius †:
† Æn. 1.

—— Si veſcitur aurâ
Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris.

Statius Papinius Epithalamio Stellæ & Violantillæ:

Exerce formam, & fugientibus utere donis.

Permulta quoque, tum συνωνυμίας, tum ἐξεργασίας ſunt exempla in ſacris literis: plerumque tamen poſterius eſt ἐξηγητικὸν prioris. Unde Gregorius Magnus lib. XXVIII. Moral. cap. XVII. *More ſacri eloquii res ſemel pro confirmatione replicatur.* Ita in oratione Jonæ cap. II. verſ. II. *Inclamavi ex anguſtiâ meâ, & exaudivit me: è ventre ſepulcrali vociferatus ſum, exaudiviſti vocem meam.* Verſ. 3. *Nam projeceras me in profundum, in intimam partem marium.* Verſ. 5. *Circumierant me aquæ uſque ad animam, abyſſus circumdabat me.* Imò Pſalmus CXIX. ſive, juxta Latinos CXVIII. qui pro XXII. Hebræorum literis in totidem partes diſtribuitur, vix aliud dici poteſt, quàm perpetua expolitio. Similiaque exempla paſſim ſe offerunt in Pſalmis: uti & in Jeremiæ Threnis.

Quod verò dicebam, utrumque ſchema inſtitui, quò iis, quæ minùs erant aperta, lucis aliquid accedat, id in profanis quoque ſcriptoribus locum habet. Certè Homerus etiam, quoties obſcuriori uſus eſt vocabulo, ejus explicationem ſubnectit. Ita, cùm dixiſſet * bovem ἀδμήτην, ſubdit, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ †. Pluribus id probat Porphyrius quæſtionibus, quas in Homerum ſcripſit.
* Il. 4.
† Quam nec dum ſubjugum duxit vir.

Ad ἐξεργασίαν pertinet ἐπιμονή, cùm idem diverſimodè exprimitur ad auditorem diutius detinendum, ſive, quâ diutius in eâdem commoramur ſententiâ, ita tamen, ut aliud atque aliud dicere videamur. Ovid. XIII. Met. in querelâ Hecubæ:

Nata jaces, videoque meum tua vulnera pectus.
Et ne perdiderim quemquam ſine cæde meorum,
Tu quoque vulnus habes.

Et paullo pòſt:

—— Cecidiſti & femina ferro,
Poſtque tot amiſſos tu nunc, quæ ſola levabas
Maternos luctus, hoſtilia buſta piaſti.

Quod ſi immodicè, aut ſine cauſſâ, utamur συνωνυμίᾳ aut ἐξεργασίᾳ, βαττολογία nuncupatur; unde βαττολογεῖν apud Matth. VI. 7. Originem vocis à Batto quodam ducunt, qui poëticas audiunt fabulas. Omnino autem eſt à βάττος, quod eſt τραυλόφωνος, ἰσχνόφωνος, ut optimè exponit Heſychius. Eſt enim βάττος καὶ ὀνοματοποιεῖται à *ba* vel *bat*, quæ ſyllaba crebrò infantibus in ore: unde & βαύβαξ, ὁ φλυαρός, ut idem exponit Grammaticus. Nævii quoque *bububata*, quod è quatuor vocibus factum, hinc tertiam accepit ſyllabam. Eſt autem hoc vitium eò diligentiùs vitandum, quòd in illo quoque optimi peccarint auctores. Chæremon quidem ab Eubulo reprehenſus eſt, quòd ſcripſiſſet, ὕδωρ τε ποταμοῦ σῶμα διαπεραιούμεθα ‡. Nam ὕδωρ idem eſt, quod ποταμοῦ σῶμα. Æſchylus quoque Ariſtophani viſus ταυτολογεῖν. Quod niſi audaciæ crimen metuerem, hujuſmodi eſſe dicerem illud caſtiſſimi ſcriptoris, Cornelii Nepotis in Timotheo: *Huic in conſilium dantur duo uſu & ſapientiâ præſtantes, quorum conſilio uteretur.* Niſi fortaſſe tria verba poſtrema è gloſſemate irrepſere, quod ſuſpicor. Lambinus putat eſſe ἐξεργασίαν: ſed non ſatisfacit. Scaurus hujus vitii reum notavit rhetorem Montanum, quòd ſententias repetendo corrumperet. Itaque & eum ſolebat vocare Ovidium inter Oratores. Nam & Ovidius eo nomine reprehenſus; quâ de re viſum adſcribere verba Senecæ patris è lib. IX. controv. V. *Ovidius neſcit, quod bene ceſſit, relinquere. Non multa referam, quæ Montaniana Scaurus vocabat. Uno hoc contentus ero. Cùm Polyxena eſſe abducta, ut ad tumulum Achillis immolaretur, Hecuba dixit* *:
‡ Et aquam, fluminis corpus, tranſmiſimus.
* 13. Met. fab. 2.

—— cinis ipſe ſepulti
In genus hoc pugnat. ——

Poterat hoc contentus eſſe. adjecit:

—— tumulo quoque ſenſimus hoſtem.

Nec hoc contentus, adjecit:

Æacidæ fecunda fui. ——

Ajebat autem Scaurus rem veram: Non minùs magnam virtutem eſſe, ſcire deſinere, quàm ſcire dicere. Hæc Seneca rhetor, non philoſophus; ne fallare cùm magno Eraſmo, qui, hâc ipſâ de re tractans †, Ovidium ait taxatum eſſe *eo nomine, quod in copiâ modum non teneat; at taxatum à Senecâ, cujus totam dictionem damnant Fabius, Suetonius* ‡, *& Gellius.* Nam hi quidem improbant phraſin L. Senecæ philoſophi, non M. Senecæ rhetoris: quem philoſophi patrem fuiſſe, multi ſentiunt; ut jam olim ſcripſit Raphaël Volaterranus lib. XIX. nequis hoc primùm ſuſpicatum putet Juſtum Lipſium, qui multus eſt hâc in re libro lectiſſimorum Electorum primo. Cæterùm tam falsò, quàm immeritò, à Seneca id objectari Ovidio; judicium eſt Joſephi Scaligeri Prolegomenis in Manilium. Sed de iſto fortaſſe pluribus in opere de re Poëtica diſſeremus.
† Lib. 1. de cop. verb. cap. 2.
‡ Vel Caligula potius apud Suetonium.

VI. Eloquentiæ ſtudioſo plurimùm prodeſſe, ſi diſcat, eandem rem efferre pluribus modis.

OPtime autem operam ſuam locaturus eſt, qui rem eandem didicerit compluribus variare modis. Notum, quomodo certârit Tullius cum Roſcio, utrùm hic geſtibus an ipſe oratione, rem plurifariam ſignare poſſet. Ac fructum hujuſce operæ videt, qui videt, quam variè Tullius idem tractet argumentum in orationibus. Et certè multo maxima Virgiliani carminis venuſtas deperiiſſet, niſi in pugnarum cædiumque deſcriptione, rem unam tam variè expreſſiſſet. Imò & Salluſtius eodem argumento Catilinariam conjurationem, & bellum exorſus eſt Jugurthinum. Tacitus item argumento eodem ſcripſit initium annalium, & hiſtoriarum. Singulas utriuſque ſcriptoris partes inter ſe componit Vincentius Contarenus lib. xx. Var. Lect. Periculum autem ſit, exiſtimare, id ab hiſce auctoribus factum eſſe, quòd inveniendi facultate deſtituerentur. At longè magis vero mihi ſimile videtur, eos ſufficere exiſtimâſſe, ut idem, diverſimodè tractatum, diverſum quoque videri poſſet. Nam, ut ſcribit Quinctilianus*, *non adeò jejunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut unâ de re bene dici, niſi ſemel, non poſſit.* Quin eo potiſſimùm cernitur eloquentiæ vis, quòd idem multis poſſit modis transformare. Itaque non poſſum aſſentiri Cæſari Scaligero, qui in Hypercritico Horatium eo nomine damnat, quòd de eodem ſæpius argumento agat. *Principio*, inquit, *nos offendit idem argumentum tot locis tractatum. Nam, ut omittam, quæ in ſatyris, atque in epiſtolis, ad hanc eandem rationem tractantur, video, nihil differre, materiam primæ cantionis primi, & primæ tertii: eadem ſententia decima, & ſextadecima ſecundi: multis quoque aliis in locis aut eadem, aut ſimilia, repetuntur.* Hæc vir ille ſummus. Ac de eo quidem lubens aſſentio, quod ait, in eodem Horatium ſæpius verſari argumento. Ita ejuſdem quoque argumenti eſſe ſcimus odam iv. lib. i. ad Sextium, & od. vi. lib. iv. ad Torquatum. Nec multùm diſconveniunt odæ ultima lib. i. & ultima tertii; atque alibi compluries id ipſum ab eo factum; ut præter ceteros non uno loco obſervavit Bernardinus Parthenius. Verùm, ut dicebamus, varia iſthæc unius argumenti tractatio non vitium eſt, ſed virtus. Ac viſum hâc de re illuſtrem adducere locum Theonis. Qui in progymnaſmatis† eâ de re ſcribit hunc in modum: Ἡ δὲ παράφρασις, οὐχ ὥς τισιν εἴρηται, ἢ ἔδοξεν, ἄχρηστός ἐστι. Τὸ γὰρ καλῶς εἰπεῖν, φασίν, ἅπαξ περιγίνεται, δὶς δὲ οὐκ ἐνδέχεται. οὗτοι δὲ σφόδρα τοῦ ὀρθοῦ διημαρτήκασι. τῆς γὰρ διανοίας ὑφ' ἑνὸς πράγματος μὴ καθ' ἕνα τρόπον κινουμένης, ὥστε τὴν προσπεσοῦσαν αὐτῇ φαντασίαν ὁμοίως προσενήνεχθαι, ἀλλὰ κατὰ πλείους, καὶ ποτὲ μὲν ἀποφαινομένων ἡμῶν, ποτὲ δὲ ἐρωτώντων, ποτὲ δὲ πυνθανομένων, ποτὲ δὲ εὐχομένων, ποτὲ δὲ καὶ ἄλλον τινὰ τρόπον τὸ νοηθὲν ἐκφερόντων, οὐδὲν κωλύει κατὰ πάντας τούτους τρόπους τὸ φαντασθὲν ἐπίσης καλῶς ἐξενεγκεῖν. h. e. *Paraphraſis verò non eſt, ut quidam dicunt, aut ſentiunt, inutilis. Nam ſemel, inquiunt, pulchrè quid eloqui licet; bis non licet. At verò multum hi à vero aberrant. Cùm enim non uno modo cogitatio unius rei ab eodem moveatur, prout eſt, quæ incidit, imaginatio; verùm id plurifariam fiat, ac interdum nobis affirmantibus, interdum interrogantibus, interdum percontantibus, interdum precantibus, interdum cogitatum alio modo efferentibus: nihil prohibet, hiſce omnibus modis eandem imaginationem æquè laudabiliter efferre.* Idem inibi hancce rem comprobat teſtimoniis Homeri, Archilochi, Demoſthenis, Æſchinis, Thucydidis, & Theopompi. Vide & Agellium lib. xiii. cap. xxiii. unde quædam ſuperiùs adduximus, cùm de συνωνυμίᾳ ageremus.

* Lib. 10. cap. 5.

† Cap. 1.

Cùmque in omni oratione magnus ſit hujus artificii uſus: tum maximè in eo, ut aliter atque aliter exprimamus id, quod præcipuè in controverſia eſt. Nam ut à περιφερείᾳ lineæ omnes ducuntur verſus centrum, inque eo conveniunt, velut communi termino: ita in oratione etiam omnia referuntur ad principalem quæſtionem, & eam, quæ κρινόμενον dicitur. Quâ quia cauſſa innititur, eo omnino illam ſæpius repeti ſit opus. Quod cum voluptate fiet, ſi variè idem efferamus: cùm tædio autem, ſi idem iiſdem ſemper verbis dicamus.

Sunt autem ſex modi, quibus orator rem, quam vel ipſe, vel alius antè dixerit, aliis poſſit modis dicere, ita ut videantur diverſa, aut, ſi idem dici occultum non ſit, ſine faſtidio tamen audiantur. Primus eſt, ut quod priùs breviter dictum eſt, id fuſiùs proſequamur. Alter, ut quod antè dictum eſt copioſè, id efferamus breviter. Tertius eſt, ut rem novam addamus ei, quam repetimus. Quartus eſt, ut partem demamus, non de verbis modò, (ne modus tertius, & quartus, concurrere videantur cum primo, & ſecundo) ſed de rebus ipſis. Quinctus eſt tranſpoſitio verborum ſententiarumque. Sextus eſt imitatio eorundem. Neque hæc res oratori modò utilis eſt, ſed omnibus iis, qui obſcuros enucleant autores; teſte Hermogene περὶ μεθόδου δεινότητος. Fabium quoque adi lib. x. cap. v.

Caput III.

De schematibus, quæ vocem eandem et appellatione, et significatione, repetunt.

Vocem eandem & appellatione, & ſignificatione, uſurpant, ἀναφορά, ἐπιφορά, συμπλοκή, ἐπανάληψις, ἀναδίπλωσις, κλῖμαξ, ἐπάνοδος, ταυτότης, & πολύπτωτον.

Anaphora eſt repetitio in principiis, epiphora in clauſulis: quod ſi utraque concurrat, συμπλοκὴ nominatur.

Epanalepſis eſt iteratio, quæ fit initio præcedentis, & clauſulâ ſequentis ſententiæ.

Anadiploſis eſt repetitio in fine præcedentis, & initio ſequentis.

Quod ſi repetitio ob affectum continua, vel quaſi continua, fuerit, ἐπίζευξις dicitur.

Climax eodem verbo connectit ſuperiora inferioribus.

Epanodos eſt, cùm per eadem recurrimus, verba ordine inverſo relegentes.

Tautotes eſt, cùm eâdem voce utimur quaſi temere, & neglecto cultu.

Polyptoton eſt, cùm eadem vox repetitur variatis caſibus.

I. De anaphora.

REpetitio, quæ ejuſdem eſt vocis, ac ſignificati, vel fit ſimpliciter, ac ſine mutatione, vel partibus mutatis, vel utroque modo. Primi generis repetitio vel disjuncta eſt, vel conjuncta. De disjuncta eo priùs agimus, quia ἐπίζευξις, quæ conjuncta eſt repetitio, tantam cum quarta ſpecie disjunctæ repetitionis affinitatem habet, ut ejus vulgò ſpecies exiſtimetur. Fit verò disjuncta, vel ejuſdem, vel diverſi generis locis. Ejuſdem, ut anaphora, & epiphora. Diverſi, ut epanalepſis, & anadiploſis: cui vulgò, ut dixi, ſubjiciunt epizeuxin. Ad anaphoram, & epiphoram pertinet, ſymploce. Ad anadiploſin climax. Ad epanalepſin, & anaphoram, epanodus. Tautotes, & polyptoton, ſuperiorum ſunt ſchematum affectiones. De ſingulis videamus.

ἈΝΑΦΟΡΆ, ſeu relatio, quæ ſcriptori ad Herennium generatim *repetitio*, Plutarcho, & Rufiniano ἐπαναφορά, Rutilio Lupo ἐπιβολή, aliis διπλῶσις ἀναφορική, aut παρίσωσις dicitur, eſt repetitio, quæ fit in principiis. Hâc figura nobilitavit Homerus Nirea, ſolâ formâ præſtabilem, & cujus nuſquam mentionem faciat, præterquam Iliad. β, in navium catalogo, cùm ait:

Νιρεὺς δ' αὖ Σύμηθεν ἄγε τρεῖς νῆας ἐΐσας.

Νιρεὺς

Νιρεὺς Ἀγλαΐης θ᾽ υἱὸς, Χαρόποιό τ᾽ ἄνακτος,
Νιρεὺς ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε
Τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ᾽ ἀμύμονα Πηλείωνα *.

* *Nireus autem verſus è Syme duxit tres naves æquales, Nireus Aglaies filius, Charopique regis, Nireus, qui pulcherrimus ad Ilium venit aliorum Danaorum poſt inculpatum Achillem.*

Complures junguntur anaphoræ in illo Ciceronis orat. de Aruſp. reſponſis: *De ſacris publicis, de ludis maximis, de Deorum Penatium, Veſtaque matris cæremoniis, de illo ipſo ſacrificio, quod fit pro ſalute populi Romani, quod poſt Romam conditam hujus unius caſti tutoris religionum ſcelere violatum eſt, quod tres Pontifices ſtatuiſſent, id ſemper populo Romano, ſemper ſenatui, ſemper ipſis Diis immortalibus, ſatis ſanctum, ſatis auguſtum, ſatis religioſum eſſe viſum eſt.* Illuſtris quoque anaphora eſt in Lucilianâ illâ virtutis deſcriptione apud Lactantium †:

Virtus, Albine, eſt, pretium perſolvere verum,
Queis in verſamur, queis vivimus rebu', poteſſe:
Virtus eſt homini, ſcire id, quod quæque habeat res:
Virtus ſcire, homini, rectum, utile; quid ſit honeſtum:
Quæ bona, quæ mala item; quid inutile, turpe, inhoneſtum:
Virtus, quærendæ rei finem ſcire, modumque:
Virtus, divitiis pretium perſolvere poſſe:
Virtus, id dare, quod re ipsâ debetur honori:
Hoſtem eſſe atque inimicum hominum, morumque malorum:
Contrà defenſorem hominum, morumque bonorum:
Magnificare hos, his bene velle, & vivere amicum:
Commoda præterea patriæ ſibi ‡ prima putare;
Deinde parentum, tertia jam poſtremaque noſtra.

† *Divin. inſtit. lib. 6. cap. 5.*

‡ *Al. patriai prima.*

Mantuam quoque cum Marone ſuo haut invenuſtè commendat Silius *, licet bonorum Poëtarum ultimus:

* *Lib. 8.*

Mantua mittendâ certavit pube Cremona,
Mantua Muſarum domus, atque ad ſidera cantu
Evecta Andino, & Smyrnæis æmula plectris.

Martialis ‡ verò, Hermetem ut laudet, decies quinquies verſum orditur ab *Hermes*.

‡ *Lib. 5. epig. 25.*

Affert hoc ſchema mirificam venuſtatem, ſi cum interrogatione inſtituatur. Certè ſuaviſſima eſt anaphora melliti ſſimæ iſtius cantionis: Πῦ * μοι τὰ ῥόδα; πῦ μοι τὰ ἴα; πῦ μοι τὰ καλὰ σέλινα; πῦ μοι ταδὶ τὰ ῥόδα; ταδὶ τὰ ἴα; ταδὶ τὰ καλὰ σέλινα; ita ea verba in excerptis Athenæi concepta legere eſt; ut monuit Caſaubonus lib. XIV. Animadv. cap. VII. Ex iis verò nemo non videt, cur ſaltationi, quâ iſthæc canebant, à floribus nomen fecerint ἄνθεμα. Nam ἄνθεμον κατὰ γλῶσσαν, ut vult Euſtathius †, idem eſt, quòd ἄνθος.

* *Ubi mihi roſæ? ubi mihi violæ? ubi mihi pulchrum apium? ubi mihi illæ roſæ? ubi mihi violæ illæ? ubi mihi pulchrum illud apium?*

† *In Il. β. pag 314. edit. Rom.*

At non venuſtatem modò, ſed & gravitatem, atque acrimoniam, affert anaphora cum interrogatione conjunctâ in querelâ Ariadnes apud Catullum ‡:

‡ *Carm. de nuptiis Pelei & Thetidis.*

Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deſerto liquiſti in litore, Theſeu?
Siccine diſcedens, neglecto numine Divûm,
Immemor ah devota domum perjuria portas?

Auget quoque, & acrimoniam orationi addit in illis Maronis I. Æn.

Tu mihi quodcumque hoc regni, tu ſceptra Jovemque
Concilias, tu das epulis accumbere Divûm.

Et hoc III. Æn.

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Item II.

Sanguine placaſtis Divos, & virgine cæſâ:
Sanguine tentandi reditus.

Neque tantùm primanum repetitur verbum, aut gemina vox; ſed & tres, quatuorve voces. Cicero pro Quinctio: *Ad vadimonium non venit. quis? propinquus. ſi res iſta graviſſima ſuâ ſponte videretur, tamen ejus atrocitas neceſſitudinis nomine levaretur. Ad vadimonium non venit. quis? ſocius. etiam gravius aliquid ei deberes concedere, quicum te aut voluntas congregâſſet, aut fortuna conjunxiſſet. Ad vadimonium non venit. quis? is qui tibi præſtò ſemper venit.* Virgilius in Eclogis:

Pan etiam Arcadiâ mecum ſi judice certet,
Pan etiam Arcadiâ dicat ſe judice victum.

Quamquam nec improbo priori verſu, *Pan Deus*: ut ſe in codice oblongo reperiſſe Pierius refert. Quippe *Dei* ad ἔμφασιν facit. Nonnus cap. XV:

Δοῦλος ἀνὴρ οὐκ οἶδε τί κοίρανος ἔργον ὑφαίνει,
Δοῦλος ἀνὴρ οὐκ οἶδε *.

* *Vir ſervus ignorat, quod opus dominus agat, Vir ſervus ignorat.*

Quin nec ſacræ literæ hoc repetitionis genus neſciunt. Pſal. CXXIV: *Niſi Dominus adfuiſſet nobis, dicat nunc Iſraël; niſi Dominus adfuiſſet nobis.* Et ſimilia in iiſdem paſſim. Sic Matth. XXIII. crebro auſpicatur Chriſtus ab illis verbis, *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi.*

Etiam alternatim voces repetuntur: cujuſmodi anaphora magnam vim habet, ſi res opponantur. Ut pro lege Manilia: ubi Tullius alternis colis ab *illi*, & *vos* orditur.

Eleganter etiam fit anaphora voce immutatâ. Demoſthenes Philipp. II: Ταύτην φυλάττετε, ταύτης ἀντέχεσθε· ἐὰν ταύτην σώζητε, οὐδὲν δεινὸν μὴ πάθητε· *Hanc cuſtodite, huic adhærete. ſi hanc conſervabitis, extra omne eritis periculum.* Cicero pro Plancio: *Nullæ contentiones, nulla libertas populi in mandandis magiſtratibus, nulla expectatio ſuffragiorum.* Idem pro Archia: *Pleni omnes ſunt libri; plenæ ſapientum voces, plena exemplorum vetuſtas.* Virgil. III. Æn.

—— Bellum, ô terra hoſpita, portas,
Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

Ovidius III. Met. de Narciſſo:

Multi illum juvenes, multæ petiere puellæ.
Sed fuit in tenerâ tam dura ſuperbia formâ,
Nulli illum juvenes, nullæ tetigere puellæ.

Qui locus, ut admodum pueri obſervabamus, expreſſus eſt ex illo Catulli † de flore hortenſi:

† *Carm. 63.*

Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber.
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ.
Idem cùm tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ.

Nec minùs idem fit in verbis. Virgil. II. Æn.

Apparet domus intus, & atria longâ pateſcunt,
Apparent priami, & veterum penetralia regum.

II. De ἘΠΙΣΤΡΟΦῇ.

Ἐπιστροφὴ, ſive *converſio*, ut vocat Cornificius, ſeu *reverſio*, ut interpretatur Jul. Rufinianus, (ἀποστροφὴ ea Rutilio dicitur. Aquilæ Romano ἀναστροφὴ, Hermogeni ἀντιστροφὴ) eſt ſchema, quo repetitio fit in clauſulis. Ut in illo Apoſtoli ‡: *Hebræi ſunt? & ego. Iſraëlitæ ſunt? & ego. Semen Abrahæ ſunt? & ego. Miniſtri Chriſti ſunt? (ut minùs ſapiens dico) & ego.* Sic Cic. II. Philipp. *Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? Interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos cives? Eos quoque eripuit vobis Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta eſt? Afflixit Antonius.* Et Plautus Trinummo *, de curioſitate ſcurrarum:

‡ *2 Cor. 11. 22.*

* *Act. 1. ſc. Larem corona.*

Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quicquam ſciunt:
Quod quiſque in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt:
Idque, quod in aurem rex reginæ dixerit,
Sciunt: quod Juno fabulata eſt cum Jove;
Quæ neque futura, neque facta ſunt, tamen illi ſciunt.

Maro Ecl. X:

Surgamus: ſolet eſſe gravis cantantibus umbra:
Juniperi gravis umbra: nocent & frugibus umbræ.

Venuſtè ſanè, quamquam verſus poſterior in codd. aliquot antiquis omittatur, ut Pierius monet. Scitè quoque Ovidius:

Raræ latent: finguntque comas: licet arduus illas
Celet Atlas, cultas altus habebit Atlas.

Locus eſt lib. de Medicamine faciei, quem malè aliqui ab Ovidio abjudicant, cùm pro ſuo ipſe agnoſcat in III. de Arte ubi ait:

Eſt mihi, quo dixi veſtræ medicamina formæ,
Parvus, ſed curâ grande libellus opus.

Acrimoniam ſæpe habet hæc figura, ut in illo:

Et

Et qui ab uno non poteſt occidi, à multis occiditur.
Elephas grandis eſt, & occiditur:
Leo fortis eſt, & occiditur:
Tigris fortis eſt, & occiditur:
Cave multos, ſi ſingulos non times.

Quam verſuum Græcorum contra Cæſarem Maximinum dictorum fuiſſe ſententiam, refert Julius Capitolinus. Interdum quoque repetitur ſententia, ut in illo Martialis*: * Lib. 2. epig 18.

Capto tuam, (pudet heu) ſed capto, Maxime, cœnam:
Tu captas alias. Jam ſumus ergo pares.
Mane ſalutatum venio: tu diceris iſſe
Antè ſalutatum. Jam ſumus ergo pares.
Sum comes ipſe tuus, tumidique anteambulo regis:
Tu comes alterius. Jam ſumus ergo pares.

Quod ſi hæc ἐπιστροφὴ eſt, etiam ἀντιστροφὴ erit, ſi verſus integer ſæpius ſubjungatur: ut ille apud Ovidium†: † Epiſt. Dejanira ad Herculem.

Impia quid dubitas, Dejanira, mori?

Nec propterea iis ſubſcribendum, qui omnem verſum intercalarem epiſtrophæ ſubjiciunt. Nam hujus quidem loci eſt, ſi ex prioribus colligatur; aut quomodocumque ſententiam finiat. Sin eam incipiat, ad anaphoram rectius retuleris. Qualis ille Ecl. VIII:

Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus.

Nam Damonem incipere eo ſententias ſingulas, tum illa *incipiendi* vox arguit, tum quòd ſic deſinat:

Deſine Mænalios mecum, mea tibia, verſus.

Totius ſententiæ epiſtrophe gaudet quoque divinus pſaltes. Ut Pſal. CXIV:

Domus Iſraël ſperavit in domino: adjutor eorum, & protector eorum eſt.
Domus Aaron ſperavit in Domino: adjutor eorum, & protector eorum eſt.
Qui timent Dominum, ſperaverunt in Domino: adjutor eorum, & protector eorum eſt.

Sic Pſalmus CXXXVI, qui viginiti ſex verſiculis conſtat, ſingulos verſus concludit his verbis: *Quoniam in æternum miſericordia ejus.*

Habet epiſtrophe vim eandem, quam anaphora, vel etiam majorem: quia, quæ poſtremò dicuntur, magis inhærent, atque altiùs penetrant.

III. De ΣΥΜΠΛΟΚῆ.

ΣΥμπλοκὴ, ſive *complexio* eſt, cùm repetitio fit in principiis, ac clauſulis. Nam comprehendit anaphoram, ac epiphoram. Unde & κοινότης dicitur Rutilio Lupo lib. priori. Quamquam profectò hæc librorum diſtinctio non eſt ab auctore, qui quatuor Gorgiæ Leontini, non illius antiqui, ſed æqualis ſui libros, in unum contraxit: ut ſcribit Fabius lib. IX: cap. II. Hunc verò eundem eſſe Lupum, argumento eſt mihi, quòd ipſe lib. II. in παρομοίῳ lectorem remittat ad Græcum Gorgiæ librum, in quo pleniùs ait uniuſcujuſque rationem reddi.

Plurimùm hoc ſchema fit per interrogationem. Ut apud Cic. pro lege Agraria: *Quis legem tulit? Rullus. Qui majorem populi partem ſuffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis præfuit? idem Rullus.* Illuſtre etiam illud apud Cornificium ‡: *Qui ſunt, qui fœdera ſæpe ruperunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui crudele bellum in Italia geſſerunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui Italiam deformaverunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui ſibi poſtulant ignoſci? Carthaginenſes. Videte ergo, quam conveniat eos veniam impetrare.* ‡ Lib. 4. ad Her.

Fit etiam caſibus variatis, & citra interrogationem. Cicero pro Quinct. *Profectus unà L. Albius, homo inprimis honeſtus, dicet teſtimonium. Profecti ſunt familiares & Albii, & Quinctii: dicent hi quoque teſtimonium.*

Sed prior modus majorem habet vim, & acrimoniam: eoque ejus eſt uſus, cùm vehementer urgemus adverſarium: item in adhortando, objurgando, & aliàs in affectibus ciendis.

IV. De EPANALEPSI.

ΕΠανάληψις, quam Rutilius, & Julius Rufinianus, nominant ἐπαναδίπλωσιν, eſt repetitio, quæ fit in initio præcedentis, & fine ſequentis ſententiæ. Ut pro Marcello: *Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladium vaginâ vacuum in urbe non vidimus.* In Verr. *Multi & graves dolores inventi parentibus, & propinquis multi.* Plautus Amphitr.*. * Act. 2. ſc. 2.

Virtus omnia in ſe habet: omnia adſunt bona, quem penes eſt virtus.

Virgil. Ecl. VII:

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.

Et XII. Æn.

Victus amore tui, cognato ſanguine victus.

Nec unum ſemper, ſed geminum etiam iteratur verbum. Propertius†: † Lib. 2. eleg. 15.

Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.

Ovid. II. Faſt.

Una dies Fabios ad bellum miſerat omnes.
Ad bellum miſſos perdidit una dies.

Martialis‡: ‡ Lib. 9. epig 99.

Rumpitur invidiâ quidam, chariſſime Juli.
Quod me Roma legit, rumpitur invidiâ.

Aliquando etiam tres repetuntur voces; idque bifariam. Nam interdum ſunt pars coli. Ut in antiquo lapide:

Balnea, vina, Venus, corrumpunt corpora noſtra.
Conſervant eadem, balnea, vina, Venus.

Interdum & ſententiam conficiunt. Ovidius*: * Lib. 3. Amorum eleg. 5.

Ilia, pone metum. tibi regia noſtra patebit:
Teque colent omnes. Ilia, pone metum.

Martialis†: † Lib. 8. epig. 21.

Phoſphore, redde diem. quid gaudia noſtra moraris?
Cæſare venturo, Phoſphore, redde diem.

Huc quoque pertinere videtur, cùm epigramma ab eodem verſu orditur, & in eodem deſinit. Catullus‡: ‡ Epig. 53.

Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?
Sellâ in curuli Struma Nonius ſedet.
Per conſulatum pejerat Vatinius.
Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?

Martialis* etiam longiuſculum epigramma incipit ab hoc verſu, ſimiliterque finit: * Lib. 4. ep. 91.

Ohe, jam ſatis eſt, ohe libelle.

V. De ANADIPLOSI.

ἈΝαδίπλωσις Hermogeni ἐπαναστροφὴ, Julio παλιλογία, Martiano *reduplicatio* vocatur. Eſt hæc repetitio in fine præcedentis, & principio ſequentis ſententiæ. Unde quibuſdam repetitio continua vocatur: ſed, propriè ſi loqui amamus, contigua veriùs ſit. Figura hæc & ſuavitatem habet, & emphaſin orationi addit. Pſalm. CXXI†: *Stantes erant noſtri in atriis tuis, Jeruſalem: Jeruſalem optimè ædificata, civitas, quæ conjuncta eſt inter ſe pariter.* Et Pſal. CXLIV‡: *Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.* Cicero Catil. I: *Hic tamen vivit. vivit? imò verò etiam in ſenatum venit.* Idem pro Plancio: *Erit tamen tibi fortaſſe de nobis aliquid, aliquid & de C. Mario audiendum.* At geminatur pro Poſtum. *Gabinius illud quoque conſilio fecit, fecit certè ſuo: quæcumque mens illa fuit, Gabinii fuit: ſive ille, ut ipſe dicebat, gloriam; ſive, ut tu vis, pecuniam quæſivit, quæſivit ſibi.* † Heb. 122. ‡ Heb. 145.

Virgil. Ecl. VI:

Addit ſe ſociam, timidiſque ſupervenit Ægle,
Ægle Naïadum pulcherrima. Ecl. VIII.
Certent & cygnis ululæ. ſit Tityrus Orpheus,
Orpheus in ſylvis.

De quo verſu, ſi tanti, vide Nannium lib. VI. Miſcell. cap. VIII. Idem Ecl. X.

Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo;
Gallo, cujus amor.

Item in illis verſibus apud Cicer. I. de Divinat.

Sæpe etiam pertriſte canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula vocibus inſtat,
Vocibus inſtat, & aſſiduas jacit ore querelas.

Quo loco, quia canentes eaſdem ſubinde repetunt voces, eleganter poſtremorum fit verborum repetitio, dum deſcribitur acredulæ cantus.

Sed & anadiploſis integræ eſſe ſententiæ poteſt; ut in illo Homeri †:

Τοῦ ‡ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν.
Εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

Nam Poëta hic, ut ait Hermogenes, μὴ συλλαβαῖς, μηδὲ λέξει, κόμματι δὲ ὅλῳ ἐπανέστρεψε ‡.

† *Il. υ. verſ. 371.* ‡ *Huic ego adverſum eo, etſi manibus igni ſit ſimilis. Etſi igni manibus ſimilis ſit, robore autem ardenti ferro.* ‡ *Non ſyllabæ unius, aut alterius, neque vocabuli, ſed totius membri converſionem habet.*

Videtur autem pro contigua etiam repetitione habendum, ſi minuta ſolùm vocula interſeratur. Ut pro Ligar. *Principum dignitas erat pene par: non par fortaſſe eorum, qui ſequebantur.* Et Philipp. VII. *Quæ poteſt major eſſe diſcordia? in diſcordiâ autem pax civilis eſſe non poteſt.* Ubi & caſus variatur. Idem, ſed continuè variatur in illo pro Roſcio: *Injuriam novo ſcelere conflatam putant oportere defendi: defendere ipſi propter iniquitatem temporum non audent.* Et Philipp. II. *Deletos tres exercitus populi Rom. interfectos? interfecit Antonius. Autoritas hujus ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius.* Ubi cum epiſtrophe concurrit.

VI. De repetitione, qua media primis, mediis, vel postremis respondent: item de ΠΛΟΚῆ.

POſſunt quoque media reſpondere, tum primis, tum mediis, tum ultimis. Primis, ut Æn. VII.

Te nemus Angitiæ, vitreâ te Fucinus undâ.

Et I. Met. fab. IX.

Oſcula dat ligno: refugit tamen oſcula lignum.

Ubi & epiſtrophe, ac polyptoton.

Mediis, ut in Milonianâ: *Quæ in ſenatu ſæpe ab inimicis, ab improbis ſæpe jactata ſunt.* Et plurium verborum repetitione pro P. Quinctio: *Etenim cùm artifex ejuſmodi ſit, ut ſolus dignus videatur eſſe, qui in ſcena ſpectetur: tum vir ejuſmodi eſt, ut ſolus dignus videatur, qui eò non accedat.*

Ultimis denique, ut in Verrinis: *Hæc navis onuſta prædâ Sicilienſi, cùm ipſa quoque eſſet ex prædâ.* Et variato caſu, Æn. VI.

Dardanidæ venient: (mitte hanc de pectore curam)
Sed non & veniſſe volent.

Et Æn. III.

Si pereo, manibus hominum periiſſe juvabit.

Longè autem elegantiſſimæ ſunt repetitionum mixturæ; quâ de re ita Fabius *: *Illa verò apud Ciceronem mira figurarum miſtura deprehenditur, in quâ & primo verbo, longè poſt intervallo, redditum eſt ultimum, & media primis, & mediis ultima congruunt: Veſtrum hic jam factum deprehenditur, Patres Conſcripti, non meum: ac pulcherrimum quidem factum; verum, ut dixi, non*
„ *meum, ſed veſtrum. Hanc frequentiorem repetitionem*
„ *πλοκὴν vocant, quæ fit ex permiſtis figuris, ut ſuprà*
„ *dixi: utque ſe habet epiſtolâ ad Brutum: Ego cùm in*
„ *gratiam redierim cum Appio Claudio, & redierim*
„ *per Cn. Pompeium, te ego ergo, cùm redierim. Et in*
„ *iiſdem ſententiis crebrioribus, mutatâ declinationibus*
„ *iteratione verborum: ut apud Perſium †:*

—Uſque adeóne
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter?

* *Lib. 9. cap. 1. edit. R. Steph. p. 473.* † *Sat. 1.*

Et hæc de repetitione disjuncta.

VII. De epizeuxi.

COnjunctam autem vocari ajunt ΕΠΙΖΕΥΞΙΝ: quæ vehemens eſt ejuſdem verbi iteratio. Hanc anadiploſi ſubjiciunt quidam: ſed omnino ſpecies ſunt diſtinctæ, quia ἀναδίπλωσις ſemper fit in diverſis colis; ἐπίζευξις ſemper in eodem. Atque hoc eſt, quod dicebamus, in ἀναδιπλώσει propriè non quidem continuam, uti in epizeuxi fit; verùm contiguam eſſe repetitionem. Quamquam nec in epizeuxi ſemper ἁπλῶς continua eſt repetitio; ſed vel continua, vel quaſi continua. Continua crebrò fit vocibus, *age age:* item, *adeſte adeſte.* Quod pluſculis exemplis oſtenſum P. Colvio in primum Metam. Appuleji. Quare unum alterumque tantummodo exemplum ei intactum apponam. Ut illud Accii Erigonâ *:

Age age, amolire, amitte, cave veſtem attigas.

* *Apud Non. in Attigit.*

Et hoc Senecæ initio Medeæ:

Adeſte adeſte, ſceleris ultrices Deæ.

Nec dubium, quin ſic legendus ſit Varronis locus apud Marcellum:

Adeſte adeſte, quæ feramque gnoſcite.

Similiter aliis in vocibus. Cic. pro Milone: *Excitate, excitate eum, ſi poteſtis, ab inferis.* Verr. VII. *Crux, crux, inquam, infelici & ærumnoſo, qui nunquam iſtam poteſtatem viderat, comparabatur.* Virgil. IX. Æn.

Me, me; adſum qui feci, in me convertite ferrum,
Rutuli.

V. Æn.

—Nunc, nunc inſurgite remis,
Hectorei ſocii.

Catullus †:

Non, non hoc tibi, falſe, ſic abibit.

† *Epig. 14.*

Item in illo Anaxarchi, qui cùm à Nicocreonte, Cypriorum tyranno, ferreis malleis cæderetur, generosè dixit, Πτίσσε, πτίσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δὲ οὐ πτίσσεις. Autor Diogenes Laërtius. Idem ſine geminatione refert Philo Judæus ‡: ὁ δὲ πλημμελούμενος εἶπε, Πτίσσε τὸν Ἀναξάρχου ἀσκὸν, Ἀνάξαρχον γὰρ οὐκ ἂν δύναιο. Ubi Philo corpus humanum ἀσκὸν, ſive utrem vocat, ut Laërtius θύλακον, ſive ſaccum. Eandem hiſtoriam, reſervatâ repetitione, commemorat Tertullianus cap. ultimo Apologetici: *Anaxarchus, inquit, cùm in exitium ‡ ptiſſanæ pilo contunderetur, Tunde, tunde, ajebat, Anaxarchi follem: Anaxarchum enim non tundis.*

‡ *Libro ubi τὸ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον.* ‡ *Al. exemplum.*

Non continua, ſed quaſi continua epizeuxis eſt in hoc Ciceronis primâ Catil. *Vivis, & vivis, non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam.* Nam etſi vocula interſeratur, tamen habetur iſtiuſmodi repetitio pro continuâ. Idem pro Manil. *Ab illo tempore annum jam tertium regnat, & ita regnat, ut &c.* Ubi duæ particulæ interjectæ. Sic eâdem orat. *Fuit hoc quondam, fuit populi Romani, longè à domo bellare.* Item pro Milone: *Negat enim ſe, negat, ingratis civibus feciſſe quæ fecit.* Virgil. IV. Æn.

Felix, heu nimium felix, ſi litora tantùm
Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.

Itidem neque παρένθεσις, aut παρεμβολὴ, impedit continuationem, quia neutra eſt de orationis eſſentiâ. Ut: *Fuit, inquam, fuit &c. Quæ, malum, quæ, &c.* Et pro Marcello: *At verò ejus gloria, Cæſar, quam es paulò antè adeptus, ſocium habes neminem. totum hoc, (quantumcunque eſt; quod certè maximum eſt) totum eſt, inquam, tuum.*

Et continua, & quaſi continua epizeuxis, eſt in verſibus Sapphûs *: ubi cùm primum à ſponsâ dictum eſſet, Παρθενία, παρθενία, ποῖ με λιποῖσα οἴχῃ †; mox eâdem figurâ reſpondetur, οὐκ ἔτι ἥξω πρὸς σε, οὐκ ἔτι ἥξω ‡.

* *Apud Demetrium.* † *Virginitas, virginitas, quò me linquens abis?* ‡ *Non amplius veniam ad te, non amplius veniam.*

At nec epizeuxis, nec anadiploſis propriè, ſed quædam μίμησις eſt, cùm Batto βαττολογοῦντι ſimili vocum repetitione reſpondet Mercurius apud Ovidium ‡:

At ſenior, poſtquam merces geminata, Sub illis
Montibus, inquit, erant, & erant ſub montibus illis.
Riſit Atlantiades, Et, Me mihi, perfide, prodis?
Me mihi prodis? ait.

‡ *Met. lib. 2. fab. 11. Narrat eandem fabulam Antonius Liberalis fab. 23. ſed citra hanc βαττολογίαν.*

Et hæc de Epizeuxi.

Digitized by Google

VIII. De gradatione.

Κλίμαξ verbo eodem inferiora connectit ſuperioribus: unde & definitur ἐπαναφορὰ πλεονάζουσα. Cicero *gradationem* vocat, Aquila *adſcenſum*, Hermogenes κλιμακωτὸν, Rutilius ἐπιπλοκήν. Sed & ἐποικοδόμησιν appellari, docet nos Euſtathius in Il. B, cùm ſcribit *: Τὸ σχῆμα τοῦ ῥηθέντος χωρίου κλίμακα, ἢ κλιμακωτὸν λέγουσιν οἱ παλαιοὶ, ἕτεροι δὲ ἐποικοδόμησιν. Euſtathii ſententiam confirmat illud Ariſtotelis lib. 1. de generatione animalium cap. XVIII. Ἔτι † δὲ πρὸς τούτῳ, ὡς Ἐπίχαρμος ποιεῖ τὴν ἐποικοδόμησιν, ἐκ τῆς διαβολῆς ἡ λοιδορία· ἐκ δὲ ταύτης ἡ μάχη. Quem locum & Caſaubonus adducit Animadverſionibus in Athen. ‡ ſed, errore memoriæ, citat ex tertio Metaphyſicorum. Integer verò Epicharmi locus eſt apud Athenæum ‡, hoc pacto: Ἐκ μὲν θυσίας θοίνη· ἐκ δὲ θοίνης πόσις ἐγένετο· χαρίεν ὥς γέ μοι· ἐκ δὲ πόσιος κῶμος· ἐκ κώμου δ᾽ ἐγένετο θυανία· ἐκ δὲ θυανίας δίκη· ἐκ δὲ δίκης καταδίκη· ἐκ δὲ καταδίκης πέδαι τε καὶ σφάκελος καὶ ζημία. Verba illa, ἐκ δὲ δίκης καταδίκη· ἐκ δὲ, inſerui, gradationis ita naturâ exigente, & præeunte tum Dalecampio, tum Caſaubono. Latinè ſic locus ſonet, *Ex ſacrificio quidem epulum: ex epulo autem compotatio; quod feſtivum mihi quidem viſum: ex compotatione petulans comeſſatio: ex comeſſatione furor: ex furore lis apud judicem: ex lite ac judicio condemnatio: ex condemnatione compedes, gangræna, & mulcta.* Niſi σφάκελος hic etiam *ſiderationem* notat, ut ſolet. Sed cùm ſiderationis malum longè gravius ſit mulctâ: ſic trajectis vocibus legi debeat; καὶ ζημία, καὶ σφάκελος, *mulcta, & ſideratio.* Aliorum etiam exempla videamus. Herodoti eſt in oratione Darii, quâ μοναρχίαν commendat *: Αὐτὸς γὰρ ἕκαστος βουλόμενος κορυφαῖος εἶναι, γνώμῃσί τε νικᾶν, ἐς ἔχθεα μεγάλα ἀλλήλοισι ἀπικνέονται. ἐξ ὧν στάσιες ἐγγίνονται· ἐκ δὲ τῶν στασίων, φόνος· ἐκ δὲ τοῦ φόνου, ἀπέβη ἐς μουναρχίην. *Cum enim quiſque velit eſſe princeps, ſententiâque vincere, ad ingentia inter ſe odia perveniunt. Ex quibus fiunt ſeditiones; ex ſeditionibus verò cædes, è cædibus autem ad unius devenitur imperium.* Demoſthenes ἐν τῷ περὶ στεφ. Οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ· οὐδ᾽ ἔγραψα μὲν, οὐκ ἐπρέσβευσα δέ· οὐδ᾽ ἐπρέσβευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δέ. *Hæc non dixi, ac ne ſcripſi quidem: non ſcripſi, ac neque in legatione egi: non egi in legatione, ac nec ſuaſi.* Gaudet etiam Tullius. In epiſtolis quidem eſt illud †: *Si ſtas, ingredere; ſi ingrederis, curre, ſi curris, advola.* Idem verò ſic oratione pro Roſcio Amerino: *In urbe luxuries creatur: ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt: ex avaritia erumpat audacia: inde omnia ſcelera, ac maleficia gignuntur.* Et pro Flacco: *Si prætor dedit, ut eſt ſcriptum, à quæſtore numerabit: quæſtor à menſa publica: menſa aut ex vectigali, aut ex tributo.* Item in Vatinium: *Non ergo magis pecuniarum repetundarum, quàm majeſtatis: neque majeſtatis magis, quàm Plautiæ legis: neque legis Plautiæ magis, quam ambitus: neque ambitus magis, quàm omnium legum judicia perierunt.* Idem Philipp. XII. *Quid enim, per Deos immortales, poteſt Reip. prodeſſe noſtra legatio? Prodeſſe dico? quid ſi etiam obfutura eſt? Obfutura dico? quid ſi etiam nocuit?* Varro apud Nonium: *Cùm aut humus ſemina recipere non poſſit; aut recepta non reddat; aut reddita grandire nequeat.* Ovid. III. Faſt.

Mars videt hanc, viſamque cupit, potiturque cupitâ.

Claudianus lib. III. de laudibus Stiliconis *:

—— Sic Medus ademit
Aſſyrio, Medoque tulit moderamina Perſes,
Subjecit Perſen Macedo, ceſſurus & ipſe
Romanis.

Poëtæ enim non ſervant ſemper ordinem gradationis naturalem: imò nec perpetuò id faciunt oratores.

Neque neceſſe eſt iterum, ac tertiò fieri repetitionem. Eſt enim & κλίμαξ in ſimplici repetitione. Cicero pro Archia: *Famam ingenii exſpectatio hominis, exſpectationem ipſius adventus admiratioque ſuperaret.* Idem pro lege Manilia: *Ab eo bello Syllam in Italiam Reſpublica, Murænam Sylla revocavit.* Maro IX. Æn.

Emathiona Liger, Chorineum ſternit Aſylas,
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus.

Quemadmodum & in X.

—— Atronium Salius, Saliumque Nealces.

Cyprianus ſimiliter epiſt. LXXIII. *Ad hoc veniunt, ut diſcant: ad hoc diſcunt, ut vivant.*

Quare haut rectè nuperi ſophiſtæ dixerunt, κλίμακα eſſe ἀναδίπλωσιν pluribus continuatam gradibus.

Nec rectiùs Trapezuntius ſcripſit, gradationem ſemper fieri mutato caſu in ſequenti membro. Nam & ſæpe eodem in caſu fit κλίμαξ: idque nunc recto, nunc obliquo. Recto quidem, ut in quincto Auſonii idyllio, quod incipit:

Res hominum fragiles agit, & regit, & perimit fors.
Fors dubia æternumque labans, quam blanda fovet ſpes.
Spes nullo finita ævo &c.

Atque idem fit in Tertulliani uno alteroque exemplo, quæ mox adducam. Obliqui attulimus ſupra exemplum è Cicerone in Vatinium. Simileque hoc ejuſdem pro Milone: *Neque verò ſe populo ſolùm, ſed etiam Senatui tradidit: neque Senatui modò, ſed etiam publicis præſidiis, & armis: neque his tantum, verum etiam ejus poteſtati, cui Senatus totam Rempublicam, omnem Italiæ pubem, cuncta populi Romani arma commiſerat.* Ubi videmus, non verborum ſolùm, ſed & ſententiarum eſſe adſcenſum. Atque idem fit in aliquot aliis exemplis, antea adductis. Ut ſatis liqueat, gradationem non totam huc pertinere; verùm ſchema quidem λέξεως eſſe, quatenus in eâ eſt verborum repetitio; at figuram eſſe διανοίας, quatenus in eâdem eſt ſententiarum incrementum.

Eſt autem gradatio ſchema admodum conſpicuum, eoque parciùs adhibendum oratori. Sanè rectiùs illud frequentes in argumento ludicro, & ad delectandum inſtituto, quàm ſi in ſenatu, aut foro, fuerit dicendum. Ac ſimiliter epigrammatis magis convenit, quàm ſi epos ſcribas. Certe apud principem poëtam haut aliam, quam brevem, inveniri gradationem, qualis erat, quam è nono ac decimo Æneidos adducebamus, monuit & Julius Scaliger libro IV. de re poëtica cap. XXXI. Intellexiſſe id eum arbitror de divino Æneidos opere. Neque enim ſimplex eſt illa in Eclogis.

Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam.
Florentem cithyſum ſequitur laſciva capella.

Quòd verò idem ait, gradationem haut multum præ ſe ferre gravitatis, id non malè convenit cum eo, quod ſuperiùs diximus. Neque propterea exiſtimandum, nullam habere gravitatem. Nam clarè Demetrius docet, in gravi formâ aſſumi poſſe: atque id Demoſthenis exemplo comprobat ex oratione περὶ στεφάνου. Verba ejus antè adduximus. Sed & ſimile habemus exemplum in orat. κατὰ Κόνωνος. Neque Tullius abhorret, cùm de graviſſimis diſſerit rebus: ut antè vidimus. Quemadmodum neque ſuppoſititius ille, ſeu Chriſtianus, ſeu ſemichriſtianus Hermes, in Pœmandro, ubi ait: Ὕλης μὲν τὸ λεπτομερέστερον ἀὴρ, ἀέρος δὲ ψυχὴ, ψυχῆς δὲ ὁ νοῦς, νοῦ δὲ θεός. *Materiâ ſubtilior aër, aëre anima, animâ mens, mente verò Deus.* Etiam Eccleſiæ doctores eo gaudent. Tertulliani eſt libro de Spectaculis cap. XV. *Ubi voluptas, ibi & ſtudium, per quod ſcilicet voluptas ſapit. Ubi ſtudium, ibi & æmulatio, per quam ſtudium ſapit. Porrò ubi æmulatio, ibi & furor, & bilis, & ira, & dolor.* Idem libro de velandis virginibus cap. XIV. *Porrò ubi gloria, illic ſollicitatio: ubi ſollicitatio, illic coactio: ubi coactio, illic neceſſitas: ubi neceſſitas, illic infirmitas.* Item libro de cultu feminarum cap. II. *Sperando timebimus, timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus.* Ejuſdem eſt lib. de anima cap. I. *Cui enim veritas comperta ſine Deo? cui*

* Pag. 181. edit. Rom.

† Adhæc, ut Epicharmus gradationem ſuam inſtituit, Ex calumniis maledicta, ex maledictis pugna.

‡ Lib. 2. cap 2.

‡ Lib. 2.

* Lib. 3.

† Ad Att. lib. 2. epiſt. 23.

* Verſ. 163.

cui Deus cognitus ſine Chriſto? cui Chriſtus exploratus ſine Spiritu ſancto? cui Spiritus S. accommodatus ſine fidei ſacramento? Itidem Lactantii eſt lib. VII. cap. VI: *Iccirco mundus factus eſt, ut naſcamur: ideo naſcimur, ut agnoſcamus factorem mundi ac noſtri Deum: ideo agnoſcimus, ut colamus: ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei conſtat: ideo præmio immortalitatis afficimur, ut ſimiles angelis effecti, ſummo patri ac domino in perpetuum ſerviamus, & ſimus æternum Deo regnum.* Ex Hilario quoque exemplum adjiciam: cujus iſthoc de ſynodis, & antiſynodis, poſt ſynodum Nicænam: *Annuas atque menſtruas de Deo fides decernimus, decretis pœnitemus, pœnitentes defendimus, defenſas anathemizamus.* Imò crebet quoque gradationis uſus eſt in ſcriptis Apoſtolicis. Ad Rom. cap. III. verſ. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit.* Item in aureâ illa catena ad Rom. VIII. 39: *Quos præſcivit, hos & prædeſtinavit; quos prædeſtinavit, hos & vocavit; quos vocavit, illos & juſtificavit; quos juſtificavit, hos & glorificavit.* Itidem cap. X. verſ. 14: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo verò ei credent, de quo non audierunt? quomodo audient, abſque Prædicante? quomodo autem prædicabunt, niſi miſſi fuerint?* Et hæc de gradatione.

IX. De epanodo.

Ἐπάνοδος, ſive reditus, vocatur hoc loco (aliter enim eâ voce utitur Rufinianus) cùm per eadem recurrimus, verba ordine inverſo relegentes. Ut in illo Hieronymi Vidæ:

Nec ſine Sole ſuo lux, nec ſine luce ſuâ Sol:

quem verſum Julius Scaliger in Hypercritico ſuo ingenioſiſſimum vocat. Item in illo ipſius Cæſaris Scaligeri verſu, ſine arte nato, ſed quovis artificioſiſſimo operoſiori:

Nox brevis nimis, ab nimis brevis nox.

Verùm, more noſtro, tantùm apponamus exempla antiquorum; qui venuſtum hoc ſchema orationi gaudebant interſerere, vermiculati inſtar emblematis. Ariſtotelis eſt apud Stobæum*: ἐπειδὴ μὴ γίνεται τὰ πράγματα ὡς βουλόμεθα, δεῖ βούλεσθαι ὡς γίνεται †. Græcus quoque Nazianzeni interpres eidem tribuit illud: Ἐπειδὴ Ἀριστοτέλης οὐχ εἷλε τὸν Εὔριπον, Εὔριπος εἰχέτω τὸν Ἀριστοτέλην ‡. Quo uſus, cùm in Euripum Chalcidicum inſiliret, quòd ejus naturam inveſtigare non poſſet: ut ſcribere non dubitavit idem ſcholiaſtes, auctores ſecutus neſcio quos. Nam Juſtinus martyr * haut aliud ait, quàm ejuſce rei tædio animam egiſſe: eumque ſecutus Nazianzenus †, item Procopius ‡. Et tamen ne tantorum quidem judicio virorum ſtandum puto. Aſſenſum quippe ſuſtlaminat, tum quòd aconitum bibendo obiiſſe, ſcripſerit Eumelus, auctore Diogene Laërtienſi; cui & ſubſcribit Heſychius Illuſtris: tum quòd naturali infirmitate ſtomachi mortuum, velit Cenſorinus: ut penè non minùs ſuper obitu Ariſtotelis diſſentiant auctores, quàm de Euripo ipſo: quem alii ſexies*, alii ſepties †, alii bis ſepties ‡, idque ſtatis horis, reciprocare ajunt: at Livius * *temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc, rapi exiſtimat:* Petrus verò Gyllius, qui ex molitoribus, Euripi accolis, optimè rem nôrat, ut plurimùm quater de die naturali curſum mutare annotavit.

Epanodo quoque gaudebat Ariſtotelis diſcipulus, Theophraſtus; cujus illud apud Plutarchum de amore fraterno: ὅτι οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν †. Eſt & idem ſchema in veteri iſthoc:

Τύχη τέχνην ὤρυξεν, οὐ τέχνη τύχην.

H. Stephanus vertit:

Sors eſt repertrix artis, haut illius hæc.

Ne ſchema deperdamus, maluiſſem:

Sors artis, haut ars ſortis, inventrix fuit.

Quamquam nec hoc ad amuſſim Græco reſpondet, cùm τύχη non ſit *ſors*, ſed *fors*: quæ duo in MSSis quoque codicibus crebrò librariorum culpâ confunduntur. Quare ἀρχαικῶς malim,

Fors artis, haut ars fortis, &c.

Nam *fortis* à *fors* etiam dici, ſatis indicat, quòd *Fortis Fortuna* dicimus. Eapſe de re, & eodem ſchemate, verſum ſcripſit Antipho, poëta tragicus: qui eò quòd τρόπον τινὰ περὶ τὰ αὐτά ἐστιν ἡ τύχη καὶ ἡ τέχνη*, affinitatem amoremque inter ea ſtatuit hoc verſu:

Τέχνη τύχην ἔστερξε, καὶ τύχη τέχνην.

Quod ſimiliter, manente epanodo, vertere liceat:

Artemque fortuna, atque fortunam ars amat.

Vel etiam, *Fortunaque artis, arſque fortunæ eſt amans.* Meminit hujus ſenarii Ariſtoteles lib. VI. Eth. cap. IV: itemque Simplicius in II. φυσ. ἀκροάσ. Itidem in hoc Sophoclis reſponſo, quo cum Ariſtophanis ſcholiaſtes uſum ſcribit, cùm à filio (Jophon dicitur is Laërtio, Suidæ, & Luciano in Macrobiis †) delirii accuſaretur: Εἰ μὲν εἰμὶ Σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ· εἰ δὲ παραφρονῶ, Σοφοκλῆς οὐκ εἰμί ‡. Item in Biantis: (eum enim dicti hujuſce auctorem facit Ariſtoteles*, uti & Laërtius †: ſed hic poſterioris tantùm meminit membri) Δεῖ φιλεῖν ὡς μισήσοντας, καὶ μισεῖν ὡς φιλήσοντας. Agellius ‡, qui Chiloni tribuit, ita transfert: *Hâc fini ames, tanquam forte fortunâ oſurus: hâc itidem tenus oderis, tanquam fortaſſe poſt amaturus.* In quo dicto, jam olim à Scipione, ac Cicerone * etiam, damnato, jure ait ſapiens ille Hiſpanus †, *neſcire ſe, utrùm homo ingenioſus magis adductus ſit ſchemate verborum, quàm veritate ſententiæ; cùm nuſquam conſilium iſtud ſpectet, niſi nequis cuiuſquam ſit bonâ fide vel amicus, vel inimicus.* Itaque jubet ita ſententiam converti, pari elegantia, eodem ſchemate, inſuperque veriùs, atque humanitati congruentius: *Ama tanquam nunquam oſurus, oderis tanquam aliquando amaturus.* Theocritus quoque, teſte ‡ Stobæo, ἐρωτηθεὶς διὰ τί οὐ συγγράφει, ὅτι, εἶπεν, ὡς μὲν βούλομαι, οὐ δύναμαι, ὡς δὲ δύναμαι, οὐ βούλομαι ‡. Geminum verò huic illud Iſocratis, quod & Plutarchus refert in vitis decem Rhetorum; Ἐν οἷς μὲν ἐγὼ δεινός, οὐχ ὁ νῦν καιρός· ἐν οἷς δ᾽ ὁ νῦν καιρός, οὐκ ἐγὼ δεινός. Macrobius * tranſtulit: *Quæ præſens locus & tempus exigit, ego non calleo: quæ ego calleo, nec loco præſenti ſunt apta, nec tempori.* Meminit quoque Johannes Sareſberienſis in Policratici ſui prologo: ubi & de ſeſe, dicti hujus exemplo, iſtiuſmodi effingit ἐπάνοδον: *Ego contemno, quæ illi aulici ambiunt: & quæ ego ambio, illi contemnunt.* Etiam Tarentini poëtæ verſus eſt apud Clementem Alexandrinum †:

Ταῦρος δράκοντος, καὶ δράκων ταύρου πατήρ.

Taurus draconem genuit, & taurum draco:

Prout transfertur ab Arnobio lib. V; ubi & fabulam narrat, quæ ſenario illi præbuit cauſſam.

Nec Latini veteres ſchemate hoc abſtinuere; quamvis minùs crebra apud eos reperire ſit hujuſmodi exempla. Terent. Phorm. ‡

Negat Phanium eſſe hanc ſibi cognatam Demipho?
Hanc Demipho negat eſſe cognatam?

Cic. pro Planc. *Gratiam qui refert habet, & qui habet, in eo quod habet, refert.* Quo de dicto Agellium vide lib. I. cap. IV. Idem pro Cæcinna: *Quia res indigna ſit, ideo turpem exiſtimationem ſequi: quia turpis exiſtimatio ſequatur, ideo rem indignam non vindicari.* Idem pro lege Manilia: *Ecquam putatis civitatem pacatam fuiſſe, quæ locuples ſit? ecquam locupletem, quæ iſtis pacata eſſe videatur?* Et eâdem: *Hoc tantum bellum quis unquam arbitraretur, aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici poſſe?* Et pro Cluentio: *Sine invidia culpa plectatur, & ſine culpa invidia ponatur.* Item de Claris Oratoribus: *Servius Sulpicius videtur mihi in ſecunda arte primus eſſe maluiſſe, quàm in prima ſecundus.* Ovid. Met. IV:

—— Ut in æquore ſummo
Umbra viri viſa eſt, viſam fera ſævit in umbram.

Margin notes (left):

* Serm. 28. de prudentia.
† Quandoquidem res haut fiunt, prout volumus; velle convenit, prout fiunt.
‡ Quandoquidem Ariſtoteles non cepit Euripum; Euripus capiat Ariſtotelem.
* Paræneſi ad gentes.
† Orat. contra Julianum.
‡ Lib. 4. hiſtor.
* Antiphylus Byzantinus.
† Plinius lib. 2. cap. 79 & Ulpianus in Philipp. 1.
‡ Mela, & Seneca in Hercule Oet.
* Lib. 28.
† Non amantem judicare, ſed, cùm judicaveris, amare oportere.

Margin notes (right):

* Quodammodo circa eadem verſantur fortuna & ars.
† Quibus ex auctoribus reſtituendus Val. Maximus lib. 8. c. 7.
‡ Si Sophocles ſum, non deliro; ſin deliro, Sophocles non ſum.
* 2. Rhetor.
† In Biante.
‡ Lib. 1. cap. 4.
* In Lælio.
† Ludovicus Vives lib. de offic. mariti.
‡ Serm. 21. ſive de cognoſcendo ſe ipſum.
‡ Cùm rogaretur, cur nihil literis mandaret. Quia, inquiebat, ut quidem volo, non poſſum; ut autem poſſum, non volo.
* Lib. 7. Saturn. cap. 1.
† Ἐν προτρεπτ. πρὸς Ἕλληνας.
‡ Act. 2. ſc. 3.

Amorem lib. II. eleg. ult.

Quod ſequitur, fugio; quod fugit, ipſe ſequor.

Item epiſtola Helenes ad Paridem:

At tu diſſimula: niſi ſi deſiſtere mavis.
Sed cur deſiſtas? diſſimulare potes.

Seneca Conſolatione ad Helvidiam: *Vomunt, ut edant; edunt, ut vomant.* Idem, vel alius, in Thyeſte*:

* Act. 5.

—— Genitor en gnatos premo,
Premorque gnatis.

Plinius epiſt. VI. lib. II: *Liberti mei non idem, quod ego, bibunt: ſed idem ego, quod liberti.* Juſtinus lib. XXXI. de Hannibale: *Nec minus in ſecundis adverſa, quàm in adverſis ſecunda cogitantur.* Geminam ἐπάνοδον conjungit M. Minucius in Octavio. Locum, ob eruditam elegantiam, altiùs repetam: *Iſis perditum filium cum Cynocephalo ſuo, & aliis ſacerdotibus, luget, plangit, inquirit: & Iſiaci miſeri cadunt pectora, & dolorem infeliciſſimæ matris imitantur: mox, invento parvulo, gaudet Iſis, exultant ſacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur: nec deſinunt annis omnibus, vel perdere, quod inveniunt, vel invenire, quod perdunt. Nonne ridiculum eſt, vel lugere, quod colas, vel colere, quod lugeas?* Elegans quoque eſt iſtud Julii Auſonii, Patris Dec. Magni Auſonii: *Beatum eſſe, non qui habet, quæ cupit; ſed qui non cupit, quæ non habet.* Et illud Gratiani Imperatoris: *Solvere, ſe quod debebat, & adhuc debere, quod ſolverit.* Quibus adductus verbis, ita exclamat Auſonius†: *O mentis aureæ dictum bracteatum! O de pectore candidiſſimo lactei ſermonis alimoniam!* At ipſius Dec. Auſonii eſt‡:

Infelix Dido nulli bene nupta marito,
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

Interdum autem in epanodo integræ quoque invertuntur ſententiæ: ut in illo Virgilii* de Medeâ, & Cupidine:

† In gratiarum actione ad Gratianum.
‡ In bevium epitaphiis.
* Ecl. 8.

Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.

Ad cujus imitationem expreſſum eſt illud de Evâ & ſerpente apud C. Sedulium initio lib. II:

Noxia tu conjux magis, an draco perfidus ille?
Perfidus ille draco, ſed tu quoque noxia conjux.

Quin & epanodi genus eſt, quo verba eadem non remanent: ut in illo†: ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει‡. Et hoc Ovidii*:

† Suidas in Φίλων.
‡ Aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat.
* 8. Met. fab. 4.

Talis erat cultu facies, quàm dicere verè
Virgineam in puero, puerilem in virgine poſſes.

Sed de epanodo tandem pauſam faciamus: præſertim quia hujus etiam loci ſunt pleraque exempla ἀντιμεταθέσεως: cùm ea ſit, contrarietas ſenſus cum verborum tranſpoſitione; eoque ἐπάνοδος, & ἀντιμετάθεσις ſæpe concurrant. Itaque idem tum ſermo, pro diverſo conſiderandi modo, vel ad ſchemata pertinet λέξεως, vel διανοίας.

X. De ΤΑΥΤΟΤΗΤΟΣ figura.

Ταυτότης eſt, cùm repetitur eadem vox, quaſi temere, & neglecto cultu. Ita multa concinniter uno implicantur verbo in illo Enniano†:

† In ſatyris apud Agellium lib. 18. cap. 2.
‡ Perperam in Stephaniana etiam editione apud Agellium eſt fruſtrat.

Nam qui lepidè poſtulat alterum fruſtrari‡:
Quem fruſtratur, fruſtrà eum dicit fruſtra eſſe.
Nam qui ſeſe fruſtrari quem fruſtra ſentit,
Qui fruſtratur, is fruſtra eſt, ſi non ille eſt fruſtra.

Quorum verborum quam mentem eſſe voluerit Muretus, vide apud Jo. Caſtalionem Variarum Lect. cap. XXIII.

Scite etiam Plautus Captivis*:

Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cùm etiam cavet.
Etiam cùm caviſſe ratus eſt, ſæpe is cautor captus eſt.

Item Terentius†:

* Act. 2. ſc. 2.
† Heaut. act. 4. ſc. 4.

—— Quòd ſi is nunc me
Deceperit, ſæpe obſecrans me, ut veniam, fruſtra veniet.
Aut cùm venturam dixero, & conſtituero, cùm is certè
Renunciârit, Clitipho cùm in ſpe pendebit animi,
Decipiam, ac non veniam.

Simplicior illa ejuſdem*:

* Ibid. act. 3. ſc. 3.

—— Ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egiſti, Syre?

Et hæc Ciceronis lib. de Oratore: *Fecique hoc, quod ne adoleſcenti quidem feceram, ut his de rebus diſputarem.* Sunt & crebra hujuſcemodi ταυτότητος exempla apud Cæſarem. Ut lib. I. de bello Gallico: *Unos ex omnibus Sequanos nihil earum rerum facere, quas cæteri facerent.* Idem lib. II. de bello civili: *Quæ volumus, & credimus libenter, & quæ ſentimus ipſi, reliquos ſentire ſperamus.* Quam γνώμην (ut hoc obiter addamus) Jacobus Magnus Toletanus†, qui ante annos ampliùs ducentos floruit, ac ante hos CXX Lutetiæ editus eſt, Julio Celſo tribuit; idemque in aliis Cæſaris locis ‡ facit: quæ res non mediocriter confirmare videtur opinionem Floridi Sabini*, qui tres de bello civili libros, Cæſaris eſſe negat: tum Ludovici Carrionis †, qui & belli Gallici commentarios Julio Celſo adſcribendos putat. Verùm Celſi commentarii de rebus à Cæſare geſtis, δὶς διὰ πασῶν differunt à commentariis Cæſaris; ut ſciunt, ſiqui cum Cæſare contulerint editionem Celſi anni CIↃCCCCLXXIII: cujus nullam à Geſnero, aut Simlero, mentionem factam miror: ut qui haut aliud dicant, quàm iſtorum fieri commentariorum mentionem in margaritâ Poëticâ: cujus pater Albertus Eibius paullo junior fuit Jacobo Magno, antè nobis laudato, ac à quo triginta ampliùs locis Celſus hic memoratur. Quemadmodum & alii eorum, aut proximorum temporum, Celſi meminere: & in his Gualterus Burley Anglus libro de vita philoſophorum ‡. Interim fatemur, Celſum non tantùm Cæſaris geſta conſcripſiſſe; ſed & Cæſaris commentarios, ſive recenſuiſſe, ſive corrupiſſe. Certè in MSo meo Cæſare Hirtioque ter locis diſtinctis adſcriptum: *Julius Celſus Conſtantinus V. C. legit.* Hæc quidem aliaque hujuſcemodi, quæ interdum adſpergere viſum, nihil, fateor, ad artem quam profitemur; verumtamen per cauſſam, ac mantiſſæ loco addita, haut ingrata fore adoleſcentiæ ſpero.

† Lib. 5. Sophologii cap. 13.
‡ Lib. 3. c. 7. l. 4. c. 11. l. 6. cap. 7. & 20.
* Lib. 2. Subſec. Lect. c. 2.
† Vide ad Carrionem epiſtolam Lipſii l. 2. epiſtolicarum quæſt.
‡ Edidit Arnoldus ter Hornen an. 1472.

Exemplum etiam ταυτότητος habes apud Maronem, qui *litoris* vocem tribus continuis uſurpat verſibus. Nam ſextum Æneidos ita claudit:

Tum ſe ad Cajetæ recto fert litore portum.
Anchora de prorâ jacitur. ſtant litore puppes.

Septimum verò ita auſpicatur:

Tu quoque litoribus noſtris Æneïa nutrix.

Hujuſmodi ταυτότης figuratæne ſit, ambigi poſſit. At abſque dubio elegantiam affert in illo Livii lib. IX: *Arma viris in arma natis auferre feſtinant.* Et hoc Tiberii, ſic epiſtolam ordientis, apud Tacitum VI. Annal. *Quid ſcribam, P. C., aut quomodo ſcribam; aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, dii me deæque pejùs perdant, quàm perire quotide ſentio, ſi ſcio.* Valde hoc crebrum apud Xenophontem. Quomodo primis verſibus de Rep. Lacedæm. ter uſurpat vocem θαυμάζειν*, etſi & ἀγάζεσθαι dicere poſſet. Faciebat hoc ad ἀφέλειαν †, quæ ornatum orationi adfert eumque minimè affectatum, & quem tamen nulla aſſequi affectatio poſſit.

* Mirari.
† Simplicitatem.

Eſt & ταυτότης, cùm integra retinetur ſententia; ut in illo Ovidii, epiſtolâ Sapphûs:

Si niſi quæ facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua eſt: nulla futura tua eſt.

Propriè enim hîc ἀναδίπλωσις non eſt, cùm quæ in ἀναδιπλώσει repetuntur, abeſſe poſſint ſalvâ ſententiâ.

Fortaſſe dicat aliquis, non eſſe inter figuras ταυτότητι locum: quippe ubi ſermo à communi uſu minimè recedat, quod in omni ſchemate requiritur. Sed aliquid hoc foret, ſiquid uno ſolùm modo poſſet efferri. Nunc ſimplicis cujuſdam elegantiæ eſt, nolle variare, cùm poſſis. Nempe in ταυτότητι, & omnibus repetitionis figuris, ut Cornificii ‡ verbis utar, *non inopiâ verborum fit, ut ad idem verbum redeatur ſæpius: ſed ineſt feſtivitas quædam, quæ faciliùs auribus adjudicari, quàm verbis demonſtrari poteſt.*

‡ Lib. 4. ad Herennium.

XI. De

XI. De polyptoto.

SUpereſt πολύπτωτον. Ita Rutilius vocat. Cornificio appellatur *traductio*. Hæc vox eadem repetitur variatis caſibus. Caſum verò non Grammaticorum, ſed Logicorum modo intelligo, ut quoque comprehendat immutationem terminationis ratione numeri, graduum comparationis, generis, modi, temporis, aut perſonæ. Variis autem modis fit; quia nunc conjuncta eſt repetitio, nunc disjuncta. Item nunc unius eſt verbi, nunc diverſorum. Præterea vel ſemel aliquid repetitur, vel ſæpius. Simplex unius verbi, eaque continua repetitio eſt in iſto, *Vero * verius*: & illo Apoſtoli †: Αὐτοὶ ‡ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετρῶντες. Simplex etiam unius verbi, ſed disjuncta repetitio, eſt in hoc Senecæ: *Vix tota vita ſufficit, ut hoc unum diſcas, vitam contemnere.* Simileque eſt hoc Tertulliani ad Scapulam: *Non eſt religionis, cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debet.* Sæpiùs verò eadem vox, ac continuò quidem, repetitur in hoc Euripidis, de Nomadibus omnia clamore miſcentibus: Οὐδεὶς οὐδενὸς οὐδὲν ἀκούει ⸸. Et illo Sophoclis, Ajace Lorario: Πόνος πόνῳ πόνον φέρει *. Nec multùm abit Perſii illud †:

De nihilo nihilum, in nihilum nil poſſe reverti.

Ubi vox una partim conjunctim, partim disjunctim repetitur.

Pertinet huc quoque illud Calvi ‡ in Vatinium: *Factum eſſe ambitum, omnes ſcitis: & vos hoc ſcire, omnes ſciunt.* Nam, ut diximus, in verbis etiam πτῶσις locum habet, ac proinde πολύπτωτον.

Continua diverſarum vocum repetitio eſt in illo Ovidii xv. Met. in perſona Pythagoræ ⸸; qui, uti & Empedocles *, nefas ducebat carnibus veſci:

Heu quantum ſcelus eſt, in viſcere viſcera condi,
Congeſtoque avidum pingueſcere corpore corpus,
Alteriuſque animantem animantis vivere leto!

Hîc tergemina eſt vocum diverſarum repetitio. Quadruplicem autem cernere eſt apud Homerum †, ubi Alcinoi hortos depingit:

Ὄγχνη ‡ ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ,
Αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλή, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

Heſiodeum illud nec admodum pueri neſciunt:

Καὶ ⸸ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Disjunctim plures voces iterantur in aureo hoc Scipionis Africani dicto: *Nunquam ſe minùs otioſum eſſe, quàm cùm otioſus: nec minùs ſolum, quàm cùm ſolus eſſet.* Quo ſignificabat, ſe, *& in otio de negotiis cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum*: ut Tullius * ſcripſit. Geminum itidem πολύπτωτον, idque disjunctum, habes in hoc Martialis †:

Vero verius ergo quid ſit, audi.
Verum, Gallice, non libenter audis.

Ubi in primis verbis conjunctum quoque πολύπτωτον eſſe, antea diximus. Uſurpat etiam B. Apoſtolus, cùm alibi, tum ad Coloſſ. cap. 1. ‡ Τὰ πάντα δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται· καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων, καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε· *Omnia per illum, & in illum creata ſunt. Et ille eſt ante omnia, & omnia per illum conſiſtunt.*

Quamquam verò in omni argumento fuerit huic ſchemati locus: non alibi tamen frequentiùs occurrit, quàm in prœliorum deſcriptione. Simplex quidem πολύπτωτον eſt apud Senecam Thebaide:

—— Signa collatis micant
Vicina ſignis.

Et hoc Curtii libro III. *Duæ quippe acies ita cohærebant, ut armis arma pulſarent.* At geminatur eodem libro: *Vir viro, arma armis conſerta ſunt.* Cui ſimile hoc Maronis *:

—— Hæret pede pes, denſuſque viro vir.

Et illud Lucani †:

—— Obvia ſignis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

* *Martial. & alii.*
† *2. Cor. 10. 12.*
‡ *Ipſi in ſe ipſis ſeipſos metientes.*
⸸ *Haud quiſquam cujuſquam quicquam audit.*
* *Labor labori laborem adfert.*
† *Sat. 3.*
‡ *Apud Fabium.*
⸸ *Laërtius lib. 8. Plutarchus περὶ σαρκοφαγίας. Lucianus, in Somnio, ſive Gallo. Porphyrius περὶ ἀποχῆς.*
* *Ariſt. 1. Rhet. & Porphyrius lib. 2. de non interficiendis animalibus.*
† *Od. η.*
‡ *Pirum ſub piro matureſcit, pomum verò ſub pomo. Sed ſub uva, uva, ac ficus ſub fico.*
⸸ *Et figulus odit figulum, & faber fabrum: Et mendicus mendico invidet, & cantor cantori.*
* *Initio lib. 3. de Offic.*
† *Lib. 8. ep. 76.*
‡ *verſ. 16. & 17.*
* *Æn. 10.*
† *Lib. 1.*

Quo loco, uti & alibi aliquoties, non immeritò ſigna & aquilas conjungit poëta, quia legioni cuique una erat aquila: at tot ſigna erant, quot manipuli: hi autem triginta in legione: ut diximus in Originum libris.

Tergeminum verò de eâdem re πολύπτωτον habes in hoc Furii Antiatis lib. IV. Annal. *

Preſſatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.

Ac ſimiliter de pugna forenſi dixit Tullius pro Cœlio: *Argumentis agemus: ſignis omni luce clarioribus crimina refellemus, res cum re, cauſſa cum cauſſa, ratio cum ratione pugnabit.*

Interdum verò & hic numerus in eo exceditur. Imò quinctuplex πολύπτωτον eſt apud Statium Papinium lib. VIII. Thebaidos:

Jam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo,
Enſe minax enſis, pede pes, & cuſpide cuſpis.

Ac ante eum ſimiliter dixerat Homerus †:

Φράξαντες δόρυ δουρί, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ.
Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.
Munientes haſtam haſtâ, ſcutum ſcuto oppoſito:
Clypeus utique clypeum firmabat, galea galeam, virum vir.

Operæ autem ſit attendere, quanto aliter polyptoto utatur Cicero, quàm Plautus. Cicero enim parciùs iterat, & cùm iterat, gaudet polyptoto disjuncto; ſive ſemel ponatur vox aliqua, ſive ſæpius repetatur. Ut Agrariâ II. *Quales vos heſternâ die, maximâ concione mihi pro ſalute veſtrâ præbuiſtis: tales reliquis temporibus populo Rom. præbeatis.* Item Catil. II. *Nunquam optabo, ut Catilinam in armis volitare audiatis: ſed triduo tamen audietis.* Et eâdem: *Sed cur tam diu de uno hoſte loquimur, & de eo hoſte, qui jam fatetur ſe eſſe hoſtem?* Idem pro Milone: *Sed tamen ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium gloriam.* Idem pro lege Maniliâ: *Quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimùm valuiſſe, & valere oportere, confiteor: ſed in hac cauſſâ, tametſi cognoſcitis auctoritates contrarias fortiſſimorum virorum, & clariſſimorum: tamen omiſſis auctoritatibus, ipsâ re & ratione exquirere poſſumus veritatem.* Et eâdem orat. *Hæc vobis provincia, Quirites, non modò à calamitate; ſed etiam à metu calamitatis eſt defendenda. Nam cæteris in rebus cùm venit calamitas, tum detrimentum accipitur. At in vectigalibus non ſolùm adventus mali, ſed etiam metus ipſe adfert calamitatem.* Hæc oſtendunt, quomodo ſchemate illo utatur Cicero. Plautus verò longè aliter: ut qui non tam ſimplicitati ſtudeat, quàm ſtudium oſtentet ſuum. Ita in prologo Pſeudoli decem primis verſibus decies quinquies *bonus*, octies autem *malus*, caſibus variatum invenitur. Ejuſdem eſt Amphitryone *:

Optumè optumo optumam operam das, datam pulchrè locas.

Et Epidico †:

—— Ah, hoc eſt mel melli dulci dulcius.

Ridiculè idem hoc ſchema uſurpat Epidico ‡:

—— Verùm aliquid, aliqua, aliquo modo,
Alicunde, ab aliqui, aliqua tibi ſpes eſt fore mecum fortunam.

Et altero ab hoc verſu:

Quippe tu mihi aliquid, aliquo modo, alicunde, ab aliquibus blatis.

At egregiè idem uſus eo in acutâ iſthâc γνώμῃ ⸸: *Sapientia ætas condimentum eſt; ſapiens ætati cibus eſt.* Quorum verborum mentem vide ſis apud Turnebum lib. Adverſar. XXVI. cap. XVI.

Hiſce tot veterum exemplis addam, ob viri magnitudinem, & ſententiæ pietatem, illud Joannis Pici Mirandulani, ſeculi ſui Phœnicis:

Namque tua eſt noſtris major clementia culpis,
Et dare non dignis res mage digna Deo eſt.
Quamquam ſat digni, ſi quos dignatur amare:
Qui quos non dignos invenit, ipſe facit.

Pulcra profectò ſententia. Nam, ut optimè ait Hipponenſis

* *Apud Macrobium lib. 6. Saturnal. cap. 3.*
† *Il. ν. verſ. 130.*
* *Act. 1. ſc. 1.*
† *Act. 2. ſc. Num tibi.*
‡ *Act. 3. ſc. 1.*
⸸ *Trinummo, Sc. Quo illic homo foras ſe penetravit.*

ſis ille antiſtes*: *Si gratia ex merito, emiſti, non gratis accepiſti.* Quâ de re fusè antiquitatis primævæ ſententiam expoſuimus libro quarto Hiſtoriæ noſtræ de controverſiis, quas Pelagius, & ejus reliquiæ, moverant.

* *Tom. 10. ſerm. 35. de verbis Apoſtoli.*

Cap. IV.

DE SCHEMATIBUS VOCUM SIMILITUDINIS NATIVÆ, VEL SECUNDUM QUANTITATEM VARIATIS.

Verba naturâ atque ortu ſimilia ſociat παρηγμένον.

Secundùm quantitatem variantur πάρισον, ἓν διὰ δυοῖν, τμῆσις, & σύνθεσις.

Πάρισον dicitur, cùm totidem vocibus, iiſque æqualibus, complentur partes orationis.

Ἓν διὰ δυοῖν eſt, cùm rebus duabus una deſignatur.

Τμῆσις eſt vocis per quippiam interjectum diviſio. Vix autem locum habet, præterquam in vocabulis compoſitis.

Huic contraria eſt σύνθεσις, ut quâ duo vocabula integra novè uniantur, ſic ut proximè ad compoſitorum naturam accedant.

I. Utrum schemata omnia soni similis, an solum ejusdem tam originis, quam soni, hic obtineant locum.

CUm abunde dictum ſit de figuris, quæ repetunt vocem eandem: nunc videndum eſt, quæ verſentur circa voces ſimiles. Hujuſmodi, ex ſententia Cæſaris Scaligeri †, eſt παρανοίησις, ſive alluſio, quam veteres dixere παρονομασίαν. Sed ſi ὁμοιόπτωτον & ὁμοιοτέλευτον, quæ Latini vocant *ſimiliter cadens*, & *ſimiliter deſinens*, pertinent ad ſchemata ſecundùm qualitatem variata: etiam παρονομασίαν eodem referri oportebit, quia utrobique ſimilis qualitas ſpectatur. Nam æquè ſimilis eſt ſonus in illo, *Inceptio eſt amentium, haut amantium*; ac eſt, cùm dico, *Perdutiſſima ratio eſt amorem petere, pudorem fugere; diligere formam, negligere famam*; ubi ὁμοιόπτωτον eſt. Quamobrem loco ὁμοιοπτώτου cenſeo huc referri debere παρηγμένον. In quo ſimilitudo quidem attenditur; ſed non illa accidentalis, quæ in qualitate ſpectatur, verùm eſſentialis, quæ ab ortu neceſſariò ineſt. Hæc optimè ſubjicitur πολυπτώτῳ, quia proximè ab eâ abit. Nam cùm dico, *litora, litoribus, rumpatur, rumpitur*, uſurpo eandem vocem: quia nomen, aut verbum caſu variatum, non aliter differt à ſe ipſo, quàm Socrates ſtans à ſedente. At in παρηγμένῳ, jungi ſolent primogenium, & derivatum; ut, *avarus, avaritia; cuſtos, cuſtodire*: quæ ſimilia ſunt ipsâ φύσει uti pater, & filius: quam rem mox pleniùs exponemus. In παρονομασίᾳ verò, uti & ὁμοιοπτώτῳ, ſimilitudo eſt, qualis fuerit Itali & Galli, qui lineamentis oris, colore, ſtaturâque, caſu aliquo conveniant. Cujuſmodi ſimilitudinis exempla compluria adferunt Valerius Max. & Baptiſta Fulgoſius, uterque lib. IX. Memorabilium.

† *Lib. 3. de re poët. cap. 34.*

II. De ΠΑΡΗΓΜΕΝῼ.

ΠΑρηγμένον, ſive derivatum, Julio Rufiniano eſt, cùm voces conjunguntur, quarum una ab altera derivatur. Sed non ſolùm natura ſimilis elucet in parentibus ac liberis; verùm etiam fratribus, ac ſororibus, & interdum etiam nepotibus. Quamobrem παρηγμένον erit, non tantum, cùm alterum conſtat ab altero originem trahere: ſed etiam, cùm liquet, utrumque ab eodem fonte deduci. Prioris generis ſint, pinſo, piſtor; memor, memoria; ſervus, ſervitus; pius, pietas; conſul, conſulatus. Poſterioris fuerint, piſtor, piſtrinum; memoria, immemor; ſervitus, ſervilis; piare, pietas; conſulatus, conſularis; & ita in aliis. Quare deinceps utriuſque generis exempla nullo diſcrimine afferemus.

Ordior à Græcis, à quibus omnes Veneres manarunt. Ita pater ipſe elegantiarum Od. Υ·

Μῆτερ ἐμὴ δύσμητερ ἀπηνέα θυμὸν ἔχουσα*.

Eſt & apud Sozomenum illud Juliani de ſcripto à Chriſtiano quodam exhibito; ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων †: cui non minùs ſcitè reſpondiſſe ajunt Baſilium; ἀνέγνως, ἀλλ' οὐκ ἔγνως· εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως ‡. Elegans quoque eſt illud primo Digeſtorum ‖, Latineque apud Joannem Sareſberienſem*, accipienda quidem xenia, at οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων †. Quod Nazianzenus videtur imitatus, cùm ſcripſit, de myſteriis quidem Scripturæ diſſerendum eſſe, eaque penſiculanda ac perſcrutanda ſedulò; at οὔτε πάντοτε, οὔτε πᾶσιν, οὔτε πάντη*.

Similiter Latini. Attius Telepho †:

Nam is demum miſer eſt, cujus nobilitas miſerias
Nobilitat.

Quæ ſententia gemina eſt illi Boëthianæ: *In omni adverſitate fortunæ infeliciſſimum genus infortunii eſt fuiſſe felicem.* Lucilius lib. XXX. ‡.

Quem ſumtum facis in luſtris, circum oppida luſtrans?

Varro ταφῇ Μενίππου ‖: *Nec piſtorem ullum noſſent, niſi eum, qui in piſtrino pinſeret farinam.* Virgil. Æn. III.

Et nati natorum, & qui naſcuntur ab illis.

Æn. VIII.

Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.
Tecti auro, fulvum mandunt ſub dentibus aurum.

Ovidius*:

Tu quoque Pieridum ſtudio, ſtudioſe, teneris;
Ingenioque faves, ingenioſe, meo.

Seneca Hippolyto †:

Candidas ales modò movit alas.

* *Mater mea, mala mater, immitem habens animum.*
† *Legi, intellexi, damnavi.*
‡ *Legiſti at non intellexiſti: ſi enim intellexiſſes, non damnaſſes.*
‖ *Tit. 16. qui eſt de officio proconſulis ac legati, ex epiſtola Severi & Antonini Caſſ.*
* *Lib. 5. cap. 15.*
† *Nec omnia, nec ſemper, nec ab omnibus.*
* *Nec ſemper, nec omnibus, nec omnia.*
† *Apud Nonium in* Nobile.
‡ *Apud Nonium in* Luſtrare.
‖ *Apud Nonium in* Pinſere.
* *Lib. 2. de Ponto eleg. 5.*
† *Verſ. 300.*

Sed nemo ſcriptorum plus ſibi hoc in ſchemate indulſit Plauto. Ejus eſt prologo Amphitryonis:

Juſtam rem, & facilem, eſſe oratum à vobis volo.
Nam juſtè ab juſtis juſtus ſum orator datus.
Nam injuſta ab juſtis impetrari non decet.
Juſta autem ab injuſtis petere, inſipientia eſt.

Idem Aſinaria ‡:

Metuo in commune, nequam fraudem frauſus ſit.

id eſt, fraudem commiſerit, ut exponit Feſtus ‖. Et eâdem*:

—— Ubi piem
Pietatem, ſi iſto more moratam tibi
Poſtulem placere?

Ubi *piare* eſt *propitiam reddere*, ſive, ut Nonius interpretatur, *colere*. Item Captivis †:

Ita hic me amœnitate amœnâ amœnus oneravit dies.

Caſina ‡:

Nunc amici, anne inimici, ſis imago, Alceſime,
Mihi ſciam: nunc ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur.

Et eâdem ‖:

—— Mala mala malè monſtrant.

Epidico*:

Plerique homines, quos, cùm nihil refert, pudet: ubi pudendum eſt,
Ibi eos deſerit pudor, cùm uſus eſt, ut pudeant.

Ita rectè legit Palmerius: ubi pro *pudeant* in vulgatis eſt *pudeat*. Similiter Pſeudolo †:

Memorem immemorem facit, qui monet, quod memor meminit.

‡ *Act. 2. ſc. 2.*
‖ *In Frauſus.*
* *Act. 3. ſc. 1.*
† *Act. 4. ſc. 1.*
‡ *Act. 3. ſc. 1.*
‖ *Act. 4. ſc. 4.*
* *Act. 2. ſc. 1.*
† *Act. 4. ſc. 1.*

Non dubium, quin pleraque ex his duriora ſint, & affectata. Quale & Ennii ‡ illud in Phœnice:

Stultu' ſt, qui cupida cupiens cupienter cupit.

‡ *Apud Nonium in* Cupienter.

Ubi triplex concurrit παρηγμένον, *cupio & cupidus, cupio & cupiens, cupiens & cupienter.* Monemur autem eo dicto, ne, ſiquid cupiamus, vehementi nimis ſtudio prodamus aliis cupiditatem noſtram; uti Stalino ſenex facit in Caſina.

Oratori verò ſobriè magis hoc ſchemate utendum. Nempe Tullii in modum; cujus iccirco exempla aliquot ſubjecimus. Tale illud pro Roſcio Amer. *Etenim rectum putabat,*

tabat, pro eorum honeſtate ſe pugnare, propter quos ipſe honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur. Ubi & argumentum à conjugatis. Uti & in illo pro Flacco: *Deſine putare, auctoritatem eſſe in eo teſtimonio, cujus auctor inventus eſt nemo.* Idem pro lege manilia: *Regum afflicta fortuna facilè multorum opes alliciunt ad miſericordiam; maximè eorum, qui aut reges ſunt, aut vivunt in regno, quòd regale iis nomen magnum & ſanctum eſſe videatur.* Et eadem orat. *Satis opinor hoc eſſe laudis: atque ita reputo, ut hoc vos intelligatis, à nullo iſtorum, qui huic obtrectant legi atque cauſſæ, L. Lucullum ſimiliter ex hoc loco eſſe laudatum.* Pro Balbo: *Gaditani veterem illam ſpeciem fœderis Martiani* * *omni ſanctiorem Marte judicarunt.* Pro Archia: *Ipſi illi philoſophi, etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt: in eo ipſo, in quo prædicationem nobilitatemque deſpiciunt, prædicari de ſe ac nominari volunt.* Idem Philipp. II: *Non tractabo illum, ut conſulem: ne ille quidem me, ut conſularem.* Et Verr. IV: *Ardebat amore illius hoſpita, propter quam hoſpitii jura violârat.* In Oratore profectò ad Brutum: *Itaque efficis, ut cùm gratiæ cauſsâ nihil facias, omnia tamen ſint grata, quæ facis.* Et lib. II. de Divinat. *Qui* (Alcibiades) *paullo ante interitum viſus eſt in ſomnis amicæ eſſe amictus amiculo.*

** Ut a. edit. Rob. Steph. Sed al. Marciani, quia ita dictum fœdus à Marcio, principali centurione. Quomodo παρήχησις, non παρ-γάφον.*

Non invenuſtè etiam hoc ſchemate uſi ſunt antiqui Eccleſiæ ſcriptores. Uti Lactantius lib. IV. Inſt. cap. I. *Poſtquam ſapientia ſublata eſt, tum demum ſibi homines ſapientum nomen vindicare cœperunt. Tum autem nemo ſapiens vocabatur, cùm omnes erant.* Scitum quoque illud B. Auguſtini de gratiâ Chriſti lib I. contra Pelagium, & Cœleſtium, cap. XLV: *Quid eo pelago vult mergi Pelagius, unde per petram liberatus eſt Petrus?* Alludit eò, quòd B. Petrus à confeſſione petræ, hoc eſt, Chriſti, Petri nomen acceperit, & Pelagius quoque à pelago dicatur: non quaſi in Britanniis, unde hæretico illi origo erat, Græcè ſint locuti: ſed propterea quod, uti per manus traditum, cùm è Banchorenſi monaſterio, quòd in Cambria, ſive Walliâ erat, eſſet ad exteros profectus, qui priùs *Morgan* diceretur, (ſanè hodieque apud Cambros illuſtres Morganorum familiæ ſuperſunt) pro *Morgano* deinceps Græcâ appellatione *Pelagius* maluerit vocari: quia nempe *morgan* veteri Britannorum linguâ, quæ hodieque apud Cambros obtinet, *pelagus* ſignificet: quemadmodum ſuis eruditiſſimis juxtà ac humaniſſimis literis (quas ad me paucis ante exceſſum ſuum menſibus dederat) edocuit me Reverendiſſimus in Chriſto pater, ac dominus, Georgius, Ciceſtrenſis epiſcopus, vir natalium quidem & dignitatis ſplendore, dum viveret, conſpicuus; verùm raræ virtutis, doctrinæque dotibus longe excellentior. Sed ad inſtitutum redeamus.

Georgius Fabricius † inter ſchemata hujus notæ reponit & Ἀττικισμόν. Quem duplicem facit. Nam, inquit, vel nomen actionis cum ipſo jungitur verbo, ut apud Ciceronem ad Metell. ‡ *jurare jusjurandum*; Apud Virgil. XII. Æn. *furere furorem:* vel epitheton adjungitur nomini inde deducto; ut in illo Plauti Aulul. * *Certè edepol equidem te civem ſine omni malâ malitiâ ſemper ſum arbitratus, & nunc arbitror.* Et fortean illo Ciceronis lib. XIII. epiſt. LX: *Iis temporibus, quibus facillimè bonam benevolentiam hominum perſpicere potui.* Verùm hæc ad πεπλεγμένον ſchema referri debent: Ἀττικισμὸς verò naturâ ſuâ ſchema non eſt, ſed Græciæ dialectus; quomodo Μενέλεως, ac πόλεως, ſexcentaque id genus, Atticè dicuntur, in quibus nec tropus eſt, nec ſchema.

† Lib. 4. Partit. Grammat.
‡ Lib. 5. epiſt. 2.
** Act. 2. ſc. 2.*

III. De ἸΣΟΚΏΛῼ, ac ΠΑΡΊΣῼ.

Vidimus, quomodo oratio figuram accipiat ſecundùm eſſentiam: idque vel ſubticentiâ, vel exceſſu, vel repetitione ejuſdem vocis, vel jungendo voces, quarum una ab altera, vel utraque ab una deriveutur. Proximum eſt, ut excutiamus eorum ſchematum naturam, quæ figurantur ſecundùm quantitatem; cujuſmodi ſunt ἰσόκωλον, & πάρισον.

ἸΣΟ´ΚΩΛΟΝ fit, cùm paribus, licet non pugnantibus membris, utimur. Nam ſi ea non tantùm æqualia fuerint, verùm inſuper pugnent, ἀντίθετα vocantur: quemadmodum, ſi neque planè fuerint æqualia, neque pugnent, propemodum tamen paria ſint, ut cùm membrum unum paullo magis altero producitur, ΠΑ´ΡΙΣΟΝ dicitur. Ita hæc ſchemata definit Aquila Romanus. Exempla non addo, quia tum ex Aquilâ peti poſſunt; tum ex iis, quæ in periodorum doctrinâ diximus. At nonnullis πάρισον eſt, cum ſyllabæ ſimiliter deſinunt; ut cognoſcere eſt è Fabii libro IX. cap. II. Eademque videtur eſſe ſententia Euſtathii; cùm ſic ſcribit *: Καίριον δὲ καὶ ἐπιφανῆ πάρισον, ὡς ἐν τέλει στίχων κείμενον, τὸ ἐξισωσάμενον, καὶ τὸ μυθησάμενον. At Scaligero † πάρισον eſt, cùm partes orationis totidem habent dictiones, ac dictiones ipſæ totidem ſyllabas. Ut libello de Amphitheatro, qui Martiali tribui ſolet. epigr. XXV:

** In od. π. p. 1577. edit. Rom.*
† Lib. 4. de re poet. cap. 39.

Parcite dum propero, mergite dum redeo.

Et ante eum ingenioſiſſimo Poëtarum in epiſtolâ Paridis ad Helenen:

O Jove digna viro, ni Jove nata fores.

Idem in III. de Arte:

Cedere juſſit aquam, juſſa receſſit aqua.

Ejuſdem eſt illud de Minotauro:

Semibovemque virum, ſemivirumque bovem:

quem verſum non video, cur ſugillandum putarint amici Naſonis, ut ſcribit M. Seneca lib. II. Controv. II. Quanto profectò venuſtiùs Naſo, quàm is, qui de Centauris dicebat, equum ructare hominem, ac hominem cacare equum? Hujuſmodi enim erat verſus Græcus:

Ἵππος ἐρεύγεται ἄνδρα, ἀνὴρ δ᾽ ἀποπέρδεται ἵππον.

Quod cùm lepidè urbaneque dictum Euſtathio videtur, equidem doctiſſimi Grammatici judicium requiro. Sed pauci ſunt, qui de rebus iſtiuſmodi judicium ferre poſſint. Saniùs ſenſit Demetrius, cui etiam κακόζηλον, & inconcinnum videtur, Κένταυρος ἑαυτὸν ἱππεύων, *Centaurus ſe ipſum equitans.* Et hæc de παρίσῳ, quod, ut in aliis Latinorum verſiculis eleganter fit, ita ſæpiùs vitium eſt, quàm virtus.

IV. De figura, quæ ἘΝ ΔΙᾺ ΔΥΟΙ͂Ν vocatur.

AD quantitatis ſchemata quoque pertinent, ἓν διὰ δυοῖν, τμῆσις, & σύνθεσις.

Figuræ an quidem ſint, non eſt, quòd aliquis ambigat, cùm in iis ſit dictionis facies alia ab uſu communi. Neque putandum, poëtarum eſſe priora, cùm in proſâ etiam oratione reperiantur; ut de ſingulis mox oſtendemus. Quòd ſiquis tantùm in Grammaticis de iis agendum putet, longè aliter ſenſiſſe ſciat Cæſarem Scaligerum; qui de tmeſi, & ſyntheſi quoque, in lib. de re Poëticâ tractat. Agnoſco tamen, opinionem contrariam haut levibus fulciri argumentis; quæ ipſa, quia res haut tanti eſt, hic prætereunda duxi.

Ἓν διὰ δύο, ſive ἓν διὰ δυοῖν, quod barbare vulgò *hendiadys* vocatur, fit cùm una res in duas dividitur, metri cauſſâ, interpoſitâ conjunctione. Ita deſcribit Servius *; quæ definitio ſi plena eſt, non habebit hæc figura locum in oratione proſâ. Dixit tamen Cicero ad Lentulum †: *Hæc profectò vides, quanto expreſſiora, quantoque illuſtriora futura ſint, cùm aliquantum ex provincia, atque ex imperio, laudis acceſſerit.* id eſt, ex provinciæ imperio. Aliaque id genus apud eundem ſunt non pauca. Poëtis interim, quàm Oratoribus, multo eſt uſitatius. Horat. epiſt. II. lib. I:

** In I. Æn. verſ. 65.*
† Lib. I. epiſt. 7.

—— Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit, & mens.

hoc eſt, dolor mentis. Nam fruſtra hunc locum ſollicitat H. Stephanus, qui *exmens*: itemque Muretus, qui *amens* ma-

mavult; quod ſe in vetuſtiſſimo Vaticano inveniſſe ſcribit lib. XVIII. Var. Lect. cap. III. Pertinet huc quoque illud Perſii ſat. II:

—— Fibris ovium, Ergennâque jubente.

Hoc eſt, jubente Ergennâ aruſpice, qui fibras ovium inſpexerat.

Utitur & Maro ſæpe hoc ſchemate: at non ornandi ſolùm, verùm etiam augendi cauſſâ. Sanè, quo magnam montium molem exprimeret, rem unam pluribus extulit verbis, atque ita aſſecutus eſt, ut quodammodo plures quoque res viderentur. Ait enim I. Æn.

Hoc metuens, molemque & montes inſuper altos
Impoſuit.

pro, molem altorum montium. Itidem in eclogis:

Cùm canerem reges, & prælia:

auguſtius eſt, quàm regum prœlia. Magnitudinem quo-
* Æn. 1. que periculi auget, cùm maluit *:

In brevia, & Syrtes urget,

quàm, in brevia Syrtium. Majorem item opulentiam in-
† Georg. 2. dicat illud †:

—— Pateris libamus, & auro,

quàm ſi dixiſſet, pateris aureis. Ornamenta etiam equi
‡ Georg. 3. majora facit hoc ejuſdem ‡:

Nec mihi diſpliceat maculis inſignis & albo:

‡ Æn. 9. quàm cùm ait idem ‡:

—— Maculis quem Thracius albis
Portat equus.

Nam in priori illo pro, unicâ laude, gemina exprimi vide-
* Æn. 3. tur. Par ratio illius *,

In prædam partemque:

ſive, ut alii codices habent,

In partem prædamque,

pro, in partem prædæ: quod ipſum & apud Auſonium legere eſt epiſt. V. ad Theonem. Nec deſunt viri eruditi, qui ſimilem ſtatuant figuram in illis verbis:

Arma virumque cano.

Exponunt enim, virum armatum: quam etiam interpretationem adducit Bartholus IC. ad legem primam D. de pactis. Verùm contra eos facit, quòd proximè anteceſſit; *Martis:* ut omnino dicendum ſit, eſſe hic ἀνάθεσιν iſtiuſmodi: Qui antè res paſtorum, armaque ruſtica, tractavi, nunc Martia armâ cano. At diſpar erit ratio, ſi, ex Varii & Tuccæ conſilio, (cujus cauſſam in Miſcellaneis ad-
† Lib 6. cap. 11. fert Nannius †) prætereantur quatuor primi verſus. Et Ovidium quidem, ac Martialem, ſententiam eorum probâſſe, argumento illud erit, quòd uterque, cùm ad operis initium alludit, *Arma virumque*, potiſſimùm dicat. Quod niſi tum ἓν διὰ δυοῖν agnoſcimus; res duæ à Marone proponentur, contrà quam Ariſtoteles præcipit, qui uni poëmati unam proponi docet actionem. Vide, quæ hoc de verſu, ſive commenti, ſive commentati, Bartholomæus Maranta Peruſinus lib. I. Luculli Quæſt. & Marius Martius Brixianus lib. I. Opin. cap. IV.

V. De tmesi.

Tmēſis eſt, cùm una vox per quippiam interjectum dividitur. Dicitur & διακοπὴ, & διαίρεσις. Corinthus, ſive Corytus (utrumque enim invenitur in vett. exemplaribus) vocat διάλυσιν, Quinctilianus diviſionem, Donatus ſectionem, Diomedes diſſectionem, alii interciſionem. Utitur Cicero pro Marcello: *Me certè in omnibus rebus ſatis, noſtræque conjunctioni amorique facturum,* pro *ſatisfacturum.* Idem pro Sextio: *Quod judicium cunque ſibi erat*, pro, *quodcunque.* Pro Cœlio: *Lucejus, ſocius veſtræ religionis, juriſque jurandi.* pro, *jurisjurandi.* I. Off. *Rei totius publicæ otium exoptandum eſt.* pro, *Reip.* Varro etiam in libb. de Re ruſticâ, *Are bos facias:* item, *Are bos fecerunt.* pro, *arefacias, & arefecerunt.* Quinctiliani eſt, *plebiſve ſcitis*, pro, *plebiſcitis.* Agellius lib. II. cap. XVIII: *Socratique, & Platoni, per fuit familiaris.* pro, *perfamiliaris.*

Sunt & complura ejus generis in Pandectis. Ut illud, *Per enim abſurdum eſt.* pro, *perabſurdum.* Item, *Et magis enim eſt.* pro, *etenim.* Adhæc, *Et aliud eſt enim.* pro, *etenim.* Item, *Unus enim quiſque.* pro, *unusquiſque.* Quibus, ut Scipio Gentilis * obſervat, ſimile eſt illud Ulpiani: * Lib. 1. parerg. Juris cap. 14.
in ut differenter. pro, *indifferenter.*

Poëtis verò crebrum eſt hoc ſchema. Homerus Il. α: † Anchoras ejecerunt, et ligaverunt puppes. Sed & ipſi exierunt in litus maris.

Ἐκ † δ' εὐνὰς ἔβαλον. κατὰ δὲ πρυμνήσι' ἔδησαν.
Ἐκ δὲ καὶ αὐτοὶ βαῖνον ἐπὶ ῥηγμῖνι θαλάσσης.

Pindarus ‡: ‡ Od. 1. Olymp.

—— Δωρίαν * ἀ-
πὸ φόρμιγγα πασσάλου λάμβανε. * Lyram Doricam ſonantem cape à clavo, ad quem ſuſpenſa eſt.

E Latinis inprimis tmeſi gaudebat Lucilius: unde de eo ſic Auſonius †: † Epiſt 6.

Re, ciſſo diſce componere nomine verſum.
Lucilii vatis ſic imitator eris.

Sanè Lucilii inter alia eſt:

Inluvies, ſcabies, oculos huic deque petigo.

Neque enim dicitur *petigo*, quod malè hoc ex loco ſuſpicatus Marcellus, ſed *depetigo.* Gloſſ. in Cyrilli calce inventæ: λέπρα, *lepra*, *depetigo.* Λεπρώς, *leproſus*, *depetigioſus* ‡. Similis tmeſis in illo Plauti Amphitr. * ‡ Batava Vulcanii editio habet depetigoſus: illa H. Stephani, quæ prima, depetigioſus. Malim, depetiginoſus, propter ἀναλογίαν. Nempe à petigine, ut à voragine voraginoſus.

Quid ego feci, quæ iſtæc propter verba dicantur mihi?

Terentius Andr. †: * Act. 1. ſc. 2 † Act. 1. ſc. 1.

Cum quibus erat cunque unà, his ſeſe dedere.

Et Eunucho ‡: ‡ Act. 3. ſc. 3.

—— Thais maximo
Te orabat opere, ut cras redires.

Lucretius lib. I:

—— Quod nunquam ſine perniciali
Diſſidio potis eſt ſejungi, ſeque gregari.

pro, *ſegregari.* Et lib. II:

Aut magis hamatis inter ſe perque plicatis.

pro, *perplicatis.* Servius tmeſin quoque eſſe ait in illo Maronis II. Æn.

—— Satis una ſuperque
Vidimus excidia, & captæ ſuperavimus urbi.

Ac cenſet Erythræus *, exiſtimaſſe Servium, *ſupervidimus* unam eſſe vocem. Non puto, doctiſſimum grammaticum uſque adeò ineptiiſſe. Potiùs mihi perſuadeo, *ſatis ſuperque*, quæ jungi amant, pro unâ voce habuiſſe: aut laxiùs tmeſios voce uſum, ut iis etiam conveniat, quæ inſtar unius vocis ſoleant conjungi. Sed utcunque de eo ſit, conſtat, Maronem crebrò uti hâc figurâ. Ut in calcato iſtoc III. Georg. * Ind. Virgil. in Tertia.

Talis Hyperboreo ſeptem ſubjecta trioni.

Item I. Æn.

Et multum nebulæ circum Dea fudit amictu.

Quod maluit, cùm poſſet, *Dea circumfudit.* Idem II. Æn.

Quo res cunque cadent, unum & commune periclum.

Item V:

Hæc celebrata tenus ſancto certamina patri.

Et VII:

Cede locis: ego, ſiqua ſuper fortuna laborum eſt,
Ipſa regam.

Et IX:

Inque ſalutatam linquo.

Et X:

Ille pedem referens, & inutilis, inque ligatus.

Et alibi non ſemel. Similiter Horatius †: † Lib 2. od. 9.

Quem fors dierum cunque dabit, lucro
Appone.

Item ‡: ‡ Lib 1. epiſt. 7.

Dignum præſtabo me etiam pro laude merentis.

pro, *promerentis.* Martialis * quoque *Argiletum* dividit: * Lib. 1. ep. 118.

Argi nempe ſoles ſubire letum.

Item †: † Lib. 2. ep. 17.

Argique letum multus obſidet ſutor.

Auſonii etiam eſt in Cæſaribus:

Matrique cida Nero proprii vim pertulit enſis.

pro, *Matricidaque.* Niſi legi malis, *matricida*; ut ſecunda ſit porrecta, quemadmodum in illo Sidonii ‡: ‡ Carm. 5. verſ. 291.

—— Ra-

Digitized by Google

—— Raperes cùm Taurica ſacra
Matricida pius.

Ejuſdem Auſonii eſt epiſt. IV:

Villa Lucani mox potieris aco.

* Ep. 22. & epigr. 39.

Pro *Lucaniaco*: quo alibi * in jambico dimetro utitur penultimâ porrectâ. Eo autem modulo reſpuit hanc vocem verſus pentameter: uti phalæcius, & jambicus, *Argiletum*: niſi ecthlipſis fiat à vocali correptâ. Eſt verò in utrâque hac voce tmeſis eò durior, quia eſt extra compoſitionem: contrà quàm factum in cæteris exemplis. Durior quoque illa Ennii †:

† Lib. 6. annal. apud Calp. Piſonem, & ex parte Serv. 1. Æn. ac Donatum de tropis.

—— Telo
Transfigit corpus, ſaxo cere comminuit brum.

Quæ tamen, ut obſervavit Calpurnius Piſo, tolerabilis eſt præ illâ Sempronii Gracchi ‡:

‡ Gracchus pro Grajus eſſe apud Piſonem legendum, monuit Merula in 3. Annal. Ennii.

Præfracte oblatam ſtultum eſt medi ſpernere cinam.

Quippe in Enniano illo cerebri diminutio quodammodo vocis diviſione repræſentatur. Quid etiam durius hiſce, licet compoſitis, & quæ, niſi diſſolvas, verſus reſpuat? *Inque ſulas penetrant Urbis.* Pro, *in inſulas. Ocque cidens*, pro *occidens. Unque gulisque*, pro *ungulisque.* Sunt ea apud Abbonem de obſidione Lutetiæ; qui paullo ante annum Chriſti nongenteſimum vixit. Plura de tmeſi idem Piſo lib. II. & ex eo Merula in III. Annal. Ennii. Quæ videre omnino operæ eſt.

VI. De synthesi.

Tmeſi opponitur ΣΥ'ΝΘΕΣΙΣ, cùm ex duobus verbis, præter vulgi morem, unum conflatur. Dicitur & ὑφ' ἓν, quaſi ὑφ' ἓν μέρος λόγου. Item συμπλοκή. Græcis eſt familiaris. Multa illius exempla vide apud Henricum Stephanum in Paralipomenis Grammaticarum Inſtitutionum. Latinis quoque eſt uſurpatiſſima. Ac crebrò quidem cum particula *ſemper*. Terent. Andria *:

* Act. 1. ſc. 2.

—— Et heri ſemper-lenitas.

Lucretius lib. I:

Unde ſibi exortam ſemper-florentis Homeri
Commemorat ſpeciem.

† Fab. 16.

hoc eſt, ἀειθαλοῦς. Imitatus id Ovidius VII. Met. †

Vertice de ſummo ſemper-florentis Hymetti.

Propertii etiam ſunt, *ſemper-amicitia*, *ſemper-furor*, *ſemper-cupidus*, pluraque id genus. Ovidii IV. Faſt. *ſemper-parens.* Senecæ in Hippolyto eſt, *ſemper-furentes caminos*: uti in Hercule Furente, *ſemper-alienum Jovem*: in Thebaide, *ſemper-cruente.* Valerius Cato in Diris, juxta reſtitutionem Scaligeri, ait, *ſemper-mendacia faſtus*: atque ex ejuſdem Scaligeri mente, Dionyſius Cato in IV. de moribus *ſemper-pauper.* Imò nec aliter Maro videtur dixiſſe:

Namque erit ille mihi ſemper-deus.

Quamquam ſcrupulum injicere poſſit, quòd *ſemper*, ac *deus*, disjunctim legantur in codd. antiquis: ut Pierius obſervavit. Exiſtimant viri eruditi, ut Maro Auguſtum appellat *ſemper-deum*: ita Iſidem aliis *nunc-deam*, vel *jam-deam*, vel *jam-numen* vocari. Signant autem Tibulli hoc ad Iſidem ‡:

‡ Lib. 1. el. 3.

Nunc, Dea, nunc ſuccurre mihi.

* Lib. 2. el. 28.

Et illud Propertii *:

Io verſa caput primos mugiverat annos.
Nunc Dea, quæ Nili flumina vacca bibit.

‡ Lib. 9.

Et Lucani iſtud †:

Evolvam buſto jam numen gentibus Iſin.

Sed in Lucano nihil cogit, ut ὑφ' ἓν ſtatuamus. In Propertio autem ἀντίθεσις, & ibidem, & deinceps inſtituta, indicat ſententiam eſſe, *Nunc verò eſt Dea.* In Tibullo verò ſatis eſt apertum, ἐπιζεῦξιν eſſe, non ὑφ' ἓν. Potiùs ſit ὑφ' ἓν in illo Plauti ‡:

‡ Perſ. act. 3. ſc. 1.

Tace. ſtulta. nunc tu nunc-hominum mores vides?

hoc eſt, ἀνθρώπων τῶν νῦν ὄντων. Quæritur, an non uti *ſemper*, ita etiam *olim*, & *nuper* uſurpentur. Sane Catulli eſt, *olim-furores*: id eſt, τὰς πάλαι θυμάς: & Terentii * illud à multis adduci ſolet:

* Heauton. act. 1. ſc. 1.

Quamquam hæc inter nos nuper-notitia admodum eſt.

Sed hoc loco quædam exemplaria habent, *nupera-notitia*: quomodo Plautus Captivis * ait, *hominem nuperum, & novitium.* Et Henr. Stephanus †, ſive *nuper*, ſive *nupera*, non cum *notitiâ*, ſed cum *admodum* conjungendum putat. Apertius eſt de *ante*, & *poſt.* Plautus Trinummo ‡.

* Sc. Injicite huic.
† Paleſtrâ de Latinitate Lipſii pag. 456.
‡ Sc. Sta illico.

Ut virtute eorum ante-parta per flagitium perderes.

* Act. 1. ſc. 1.

Idem Truculento *:

Unde ante-parta demus poſt-parteribus.

† Epig. 4.

Simile etiam apud Comicos, *poſt illa.* Catulli † eſt:

Ubi ille poſt-faſelus antea fuit.

‡ Lib. 3. od. 24.

Horatii ‡ eſt: *Clarus poſt-genitis.* Virgilii item *:

* Æn. 1.

—— Neque enim ignari ſumus ante malorum.

id eſt, τῶν πρότερον κακῶν, ſive *præteritorum malorum*, ut exponitur in gloſſis Iſidori. In vett. tamen codd. Maronis diſtinctè legas, *antè malorum*: ut Pierius ſcribit. Sed Servius clarè agnoſcit ὑφ' ἓν, ſimileque eſſe ait illi †,

† Lucret. lib. 1.

—— Cæli ſubterlabentia ſigna.

Ovidii quoque eſt, *ante-mei*: ut monitum etiam Joviano Pontano ‡: ne χθὲς καὶ πρώην * Criticos hoc, & ſimilia, commentos putes. Nec poetæ ſoli ita duo hæc præverbia ſociant. Nam Salluſtius † ſimiliter *poſt-futuris* dixit pro nepotibus, vel poſteris: & apud Juriſconſultos legimus, *poſt-factum*, *poſt-delictum.* Videtur & ὑφ' ἓν eſſe, *ubi-loci*, *inde-loci*, *interea-loci*: De quo Giffanius in Indice Lucretiano ‡. Etiam *bene*, & *malè*, ſic interdum junguntur. Propertius lib. III. el. XVI:

‡ Libro de aſpiratione.
* Heri aut nuper.
† In hiſtor. fragmentis.
‡ In inde-loci.

—— Per mediam bene olenti flumine Naxon.

* Act. 1. ſc. 1.

Seneca in Thyeſte *:

Quis male-deorum Tantalo vivas domos
Oſtendit iterum?

Ita enim legendus is locus. Nam *male-dii*, qui Græcis κακοὶ δαίμονες †, non dico κακοδαίμονες ‡, quia hoc aliud eſt.

† Mali, ſive infernales Dii.
‡ Infelices. Valerius tamen Max. lib. 1. cap. 7. §. 7. pro malo genio uſurpat.

Crebrò item *nec* ſimiliter coaleſcit. Ut apud Catullum de nuptiis Pelei, & Thetidis; quod carmen malè in veteri Rhegienſi, itemque Aldinâ, & aliis editionibus, *Argonautica* inſcribi, notum eſt:

Funera Cecropiæ nec-funera portarentur.

* Act. 1. ſc. 2.

Ubi quoque ὀξύμωρον habes. Terent. Heaut. *

Ut hanc lætitiam nec-opinanti primus ei objicerem domi.

Quomodo & Tullius ait epiſt. XII. lib. XV: *Quam mihi facultatem hic nec-opinatus & improviſus provincia caſus eripuit.* Monet ibi Manutius, *nec opinatus, & improviſus*, dici, ut epiſt. I. lib. X. ait, *Nec miror, & gaudeo.* Nempe non vidit, *nec-opinatus* dici, ut Tuſc. III. ait, *Si nec-opinatò quid evenerit.* hoc eſt, ἀπροσδοκήτως. Similiter orat. de Haruſpicum reſponſis ait: *Niſi forte exiſtimatis, hanc tantam illi colluvionem, tantamque everſionem civitatis, in mentem ſubitò in roſtris nec-cogitanti venire potuiſſe.* Ut audiendus hic non ſit doctiſſimus ille Monſtrolienſis corrector, ſed ſæpe audacior, quàm par eſt; qui, invitis omnibus libris, pro *nec-cogitanti* lubens nobis obtruſerit *concionanti.*

Cap. V.

DE SCHEMATIBUS, QUÆ FIGURANTUR SECUNDUM QUALITATEM, VEL SITUM.

Secundum qualitatem variantur παρονομασία, ὁμοιόπτωτον, ὁμοιοτέλευτον, παρήχησις, & ἰσότησις.

Παρονομασία eſt, cùm ſententia immutatur vel addendo, vel detrahendo, vel tranſponendo, vel immutando literam unam, pluresve, vocabuli ejus, quod anteceſſit.

Differunt ὁμοιόπτωτον, & ὁμοιοτέλευτον quod ὁμοιόπτωτον requirit eoſdem caſus in nominibus, pronominibus, & participiis; eadem tempora in verbis: ὁμοιοτέλευτον reſpiciat ſimilem terminationis ſonum. Itaque ὁμοιόπτωτον fit in principiis, medio, aut fine orationis:

ut locum tantùm habet in iis, quæ declinantur. Verùm ὁμοιοτέλευτον tantùm fit in fine, ac in quibuſvis vocibus committitur.

Παρήχησις *eſt, cùm ſyllaba una pluresve vocis ejus, quæ anteceſſit, vel continuè, vel paucis interjectis, in ſequenti aliquâ repetuntur.*

Interrogatio eſt, cùm, ubi rectâ oratione vulgò utimur, orationem ad inquirendum inflectimus.

Secundum ſitum figurantur ὑπέρβατον, παρεμβολὴ, παρένθεσις, συνάντησις, *&* ζεῦγμα.

Ὑπερβατὸν *eſt, cùm in longiori ſententiâ verbum ad calcem uſque transfertur.*

Παρεμβολὴ, *&* παρένθεσις *conveniunt, quòd utrobique oratio in orationis medio interponitur: differunt autem, quòd illa aliquam ex circumſtantiis rei interſerat, ideoque molliùs ſermonis ſtructuram dividat; hæc verò ſimplex ſit, & totâ materiâ aliena.*

Συνάντησις *duas orationis partes ita collocat, ut è duabus, quas ſubjicis, poſterior priori, prior poſteriori reddatur.*

Ζεῦγμα *ita diſponit partes orationis, ut eodem ordine, quo cœptum eſt, fiat redditio.*

I. De paronomasia.

SEquuntur ſchemata, quæ ſecundùm qualitatem variantur. In his vel ſimilitudo ſpectatur: vel orationis flexus. Poſterioris generis eſt ἐρώτησις: prioris verò ſunt hæc quatuor, παρονομασία, ὁμοιοκατάληκτον, πάρισον, & παρήχησις.

Παρονομασία, quæ Cornificio dicitur *annominatio*, (recentiores, in his Jovianus Pontanus *, *alliterationem* vocant) aliam efficit ſententiam elementi unius, pluriumve adjectione, detractione, tranſpoſitione, vel immutatione.

Adjectione, ut II. ad Corinth. cap. IV. ἀπορούμενοι, ἀλλ᾽ οὐκ ἐξαπορούμενοι †. Apud Hippocratem, ὥρη καὶ χώρη ‡. Item cùm Timæus à maledicentiâ Ἐπιτίμαιος dictus. Nam ἐπιτιμᾷν, *reprehendere*. Et in illis, ut creditur, Sibyllinis ‡, Tertulliano * etiam, ac Lactantio † lectis:

Ἔσται ‡ καὶ Σάμος ἄμμος, ἐσεῖται Δῆλος ἄδηλος.
Καὶ Ῥώμη ῥύμη.

Ubi & detractio cum immutatione. Apud Terentium Heaut. ‡ Syrus Clitiphoni, herili filio, ait:

Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.

Porcii Licinii * eſt iſthoc de Attilio:

Ferreum ſcriptorem opinor, verùm exſcriptorem tamen,
Ut legendus ſit.

Ubi & παρηγμένον: quemadmodum quoque in Apoſtoli loco ſuperiùs adducto: itemque illo in II. de Orat. *Video me à te non conveniri, ſed circumveniri.* Ubi & levis immutatio. Etiam παρηγμένον concurrit in illo Martialis lib. IX. †

Nam vigilare leve eſt, pervigilare grave.

Et hoc Statii lib. III. Sylv.

——Venies, cariſſima conjux,
Prævenieſque etiam.

At diſpar ratio in illo Auſonii Idyll. IV.

Poſſes ornatus, poſſes oneratus haberi.

ubi & μετάθεσις. Solùm adjectio eſt, cùm idem in gratiarum actione, *faſtorum, & faſtidiorum*, conjungit. Eſt & hujuſmodi illud Appuleji ‡: *Ubi uber, ibi tuber.* Quo loco *uberis* vox accipitur eâ ſignificatione, quâ apud Maronem ‡ eſt *uber glebæ*. Mera quoque adjectionis παρονομασία fuerit, ſi eos, qui trans mare currunt, ut alibi ſint, non ut alii, dicas, mutare πόλον, οὐ τρόπον. i. *cœlum*, *non animum*, ut ait Flaccus *; ſolem ſolumque, non mentem affectibus mancipatam.

Detractio contrà eſt in illo Æſchinis contra Demoſthenem: οὐ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξε †. Et hoc Theocriti Idyll. XXVI.

* Seb. Regulus in I. Æn. p. 786. † Haeſitantes, at non prorſus hærentes. ‡ Anni tempeſtas, & loci ingenium. ‡ Lib. 3. Sibyll. orac. * De Pallio cap. 2. † Lib. 7. cap. 15. ‡ Erit & Samos arena, erit Delus ignota, Et Roma vicus. ‡ Act. 2. ſc. 3. * Apud Cicer. I. de Fin. † Epig. 70. ‡ Flor. 4. ‡ Æn. I. * Lib. I. epiſt. II. † Non enim mores, verùm locum ſolum mutavit.

Ἐξ ὄρεος πένθημα, καὶ οὐ Πενθῆα φέροισαι *.

Eſtque alluſio ad nomen *Penthei*, quod eſt à πένθος †. Sic Plautus Bacch. *

Magis illectum tuum, quàm lectum metuo.

Terent. Eunuch. †.

Video ſentum, ſqualidum, ægrum, pannis annisque obſitum.

Apud Cic. II. de orat. *Si tu & adverſus, & averſus impudicus es.* Ejuſdem eſt ‡, *Res mihi inviſæ viſæ ſunt, Brute.* De quo Cæſar Scaliger oratione ſuâ adverſus Eraſmum. Martialis ‡ luſit vocibus, *Sabellus, & bellus.* Claudianus * de ſene Veronenſi, qui villâ ſuâ nunquam egreſſus erat:

Erret, & extremos alter ſcrutetur Iberos:
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

Cum πολυπλόκῳ concurrit in veteri lapide †:

Hoſpes, quod dico, paullum eſt; adſta, ac pellege:
Heic eſt ſepulcrum haut pulcrum pulcrai feminai &c.

Quibus placet ἐτυμολογία *ſepulcri*, quæ in commentariis Terentianis ‡ adducitur, hi παρηγμένον inſimul hîc ſtatuent: ſed omnino eſt à *ſepultum*, quâ ratione à ſupinis (uti vocant) deſcendunt, *lavacrum*, *fulcrum*, *involucrum*, ac fortaſſe *pulcrum*, nempe à *politum* κατὰ συγκοπὴν unius literæ: niſi cum magno viro * à πολύχειρ deductum malis.

Tranſpoſitionis παρονομασία eſt in exemplo iſthoc, quo & Ariſtoteles uſus lib. III. Rhetor. Ἀγρὸν γὰρ ἔλαβον ἀργὸν παρ᾽ αὐτοῖς †. Quibus etiam in verbis luſiſſe Xenophontem lib. VIII. Κύρου παιδείας, ad eum Ariſtotelis locum obſervavit P. Victorius. Itidem in Ἀνθολογίας epigrammatis jocus eſt in χείλη ‡, & λείχει ‡. Simile hoc è Troadibus Senecæ *, in quo & detractio:

Minimum decet libere, cui nimium licet.

Quamquam in *minimum*, & *nimium*, vix tranſpoſitionem animadvertere eſt. Manifeſtior illa, cùm vetus poëta, teſte Varrone †, dixit, *omnicarpæ capræ*; non autem, quia inde capris nomen: cùm ſit à Tyrrheno κάπρα, ut ex Heſychio diximus in Originum libris. Tranſpoſitionem quoque cum additionis exemplo habes in hoc Cic. lib. I. ad Att. epiſt. X. *Conſul autem ipſe parvo animo, & pravo, facie magis, quàm facetiis, ridiculus.* Hæc παρονομασίας ſpecies, quæ literarum fit trajectione, vocatur ἀναγραμματισμὸς, itemque μετάθεσις, aut ὑπέρθεσις.

Denique immutatione παρονομασία fit: præſertim in nominibus propriis. Ut cùm Antiochum cognomento Ἐπιφανῆ, hoc eſt, *Illuſtrem*, vulgò vocitarunt ‡ ἐπιμανῆ, id eſt, *furioſum*: cumque Δημόκριτον nominarunt Ληρόκριτον ‡, quaſi nugarum inſtitorem: aut cùm Χρύσιππον Carneades diceret Κρύψιππον *, quia ſtatua ejus in Ceramico ob vicinam equitis ſtatuam vix conſpicua foret: item cùm Cato Fulvium Nobiliorem dixit *mobiliorem*: aut cùm Tiberium Claudium Neronem, quòd affatim biberet merum caldâ mixtum, vocarunt Biberium Caldium Meronem †: aut cùm Cyprianum homines improbi, ut ex Lactantio ‡ ſcimus, appellarunt coprianum à copriis, hoc eſt, ſcurris: aut cùm Julianus, quòd idolorum templa à Conſtantino Magno clauſa aperuiſſet, ac gentilibus reſtituiſſet, *Idolianus* ‡ à Chriſtianis dictus eſt: cujuſmodi nominum immutationes ab Ariſtotele * vocantur παραπεποιημένα, item σκώμματα παρὰ γράμμα.

Neque ſchema hoc ſacra neſcit pagina, inprimis in gentium diis. Judæi enim, ut Scaligero monitum, Accaronitarum numen, quod *Baal-zebachim*, hoc eſt, Deus victimarum ſive immolationum dicebatur, joculari vocabulo, *Beel-zebub*, hoc eſt, Deum muſcæ nominarunt: ut cum II. Reg. I. 2. legimus: *Ite, conſulite Deum Beelzebub, Deum Accaron.* Scio, ita vulgò eſſe perſuaſum, ipſos ſic Accaronitas vocâſſe. Sed cui fiat veriſimile, tam diſpreto nomine eos appellâſſe, quod pro ſummo numine colerent? Illud etiam hanc ſententiam confirmat, quòd qui gentibus erat *Baal-reem*, hoc eſt, βροντῶν †, ſimiliter

* Ex monte luctum, non Pentheum reportantes. † Luctus. * Act. I. ſc. 2. † Act. 2. ſc. 2. ‡ Apud Fab. lib. 9. cap. 4. ‡ Lib. 12. epig. 39. * Epig. 6. † Vide totam inſcriptionem apud Aldum de Orthographia in Paullum. ‡ In Andr. act. I. ſc. I. * Cæſ. Scaligero de cauſſis L. L. lib. I. cap. 22. † Agrum enim incultum ab eo accepit. ‡ Labia. ‡ Lingit. * Sc. cùm læta pelago. † Lib. 4. de L. L. ‡ Polybius, Athenæus, alii. ‡ Laërt. in Epicuro. * Idem in Chryſippo. † Sueton. in Tiberio cap. 42. ‡ Lib. 5. c. 10. ‡ Nazianzenus. * 3. Rhet. † Tonans.

liter ridiculo nomine *Baal-phegor*, hoc eſt, πορδεὺς † in Scripturis appelletur. Nempe eadem ratione, ac Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, qui Doricè Σδεὺς (nam Ζ eſt ΣΔ, ut κωμάζω κωμάσδω) Ariſtophani riſum captanti eſt Βδεὺς, quaſi à Βδέειν, id eſt, *viſire*. Nam qui Βδεὺς inter veras τοῦ Διὸς appellationes reponunt, planè falluntur.

Eadem παρονομασίας forma etiam extra hominum Deorumque appellationes invenitur: idque apud omnes penè ſcriptores. Ut apud Herodotum lib. I. Παθήματα μαθήματα· *quæ nocent, docent.* Par ratio in illo Crœſi ad Solonem ‡: Τοῖς ⸸ βασιλεῦσι δεῖ ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν. Quo jubebat, aut minimum verſari cum hominibus fortunatis, nec aſſuetis vera audire; aut loqui ea, quæ lubentes audirent. Atque hinc Victorius * colligebat, non eſſe hoc ſchema inventum Gorgiæ, vel Iſocratis, etſi inprimis illud frequentarint. Ariſtophanes ſcitè ταμίας, ſive *promicondos*, vocat λαμίας, ſive *ſtriges*: quia ut hæ exſugerent ſanguinem, ita illi pecuniis exenterarent. Quod cùm frigidè dictum Plutarcho † videtur: ſeveriùs omnino judicium exercet, quàm in Comico oporteret. Similiter Latini. Ennius ⸸:

Haut doctis dictis certantes, ſed maledictis.

Quod imitatus Plautus Aſinariâ ⸸:

—— Dicta docta pro datis.

Et Trinummo *:

Multa ego poſſum docta dicta, & quamvis facundè loqui.

Et Menæchmis †:

Dictum faceſſas doctum, & diſcaveas malo.

Idem Epidico ‡:

Malim iſtiuſmodi mihi amicos furno merſos, quàm foro.

Ubi *foro merſos* vocat ære obrutos alieno: quia nempe in foro trapezitæ eſſent. Ejuſdem Plauti eſt prologo Mercatoris:

Amens amanſque utut animum offirmo meum.

Quod imitatus Terentius ⸸:

Inceptio eſt amentium, haut amantium.

Eàdem Plauti comœdia * legas:

—— Igitur hoccine eſt
Amare? arare mavelim, quàm ſic amare.

Quibus ipſis in verbis luſit Martialis †:

Artemidorus amat, Calliodorus arat.

Item Plauti eſt Ciſtellariâ ‡:

—— Amor, & melle, & felle eſt fœcundiſſimus.

Et Truculento *:

In melle ſunt lingua ſita veſtra, atque orationes,
Lacteque: corda felle ſunt lita, atque acerbo aceto.

Quibus locis duobus ſimiles duo occurrunt Auſonii. Unus quidem †:

Cui felle multo, melle multo mens madens.

Alter autem ‡:

Qui felle carmen, atque melle temperans.

Notum etiam dictum Livii Druſi ⸸: *Nihil ſe ad largitionem ulli reliquiſſe, niſi ſiquis, aut cœlum dividere vellet, aut cœnum.* Quibus in verbis etiam luſit Tertullianus libro de ſpectaculis cap. XXV. Incerti eſt poëtæ apud Varronem lib. IV. de L. L.

Honus eſt honos, qui ſuſtinet Remp.

Et hoc ipſius Varronis Modio *:

Omnes videmur nobis eſſe belluli,
Et feſtivi ſaperdæ, cùm ſimus ſapri.

Ubi *ſaperdæ* dicuntur ſapientes, ut Feſtus, & Nonius, interpretantur: (aliàs eo τὸ καρκῖνον ἰχθὺν †, vel, ut Caſaubonus ‡ legendum putat, τὸ κορακῖνον, ſignificari, Heſychius ⸸ & Etymologus volunt; ſed diſſentiente ab iis Athenæo) *ſapri* verò ſunt nugaces; ut vox σαπρὸς exponitur in Philoxeni gloſſ. Etiam Cicero hoc genere delectabatur. Ut pro Roſcio Amer. *Terret etiam nos, ac minatur, tribus prædiis, hoc eſt, præmiis ſceleris ornatus.* Item Catilin. I. *Qui de hujus urbis, atque adeò orbis terrarum exitio cogitent.* Quomodo & Tertullianus dixit lib. de animâ cap. I. *Non unius urbis, ſed univerſi orbis iniquam ſententiam ſuſtinens.* Idem Cicero Philipp. III. *En, cur magiſter ejus ex oratore arator factus ſit.* Et Philip. XI. *Paratum habet imperatorem, C. Caſſium, P. C., contra Dolabellam; nec paratum ſolum, ſed peritum, atque fortem.* Livii quoque eſt lib. XXII. *Itaque plebiſcitum, quo oneratus magis, quàm honoratus ſum, primus, antiquo, abrogoque.* Et ex poëtis æqualis ejus Ovidius, II. Faſt.

Nec prece, nec pretio, nec movet ille minis.

† Pendeus.
‡ Apud Plutarchum in vita Solonis.
⸸ Cum regibus aut nequaquam eſt verſandum, aut quam ſuaviſſime.
* Lib. 37. Var. Lect. cap. 22.
† Initio diſſertationis De comparatione Ariſtophanis, & Menandri.
‡ Apud Agellium lib. 10. cap. 9.
⸸ Act. 3. ſc. 1.
* St. quo illic homo.
† Act. 2. ſc. 1.
‡ Act. 1. ſc. 2.
⸸ Andr. act. 1. ſc. 3.
* Act. 2. ſc. 3.
† Lib. 9. epigr. 22.
‡ Act. 1. ſc. 1.
* Act. 1. ſc. 2.
† Carm. 16 in Profeſſores Burdigalenſes.
‡ Epiſt. 15.
⸸ Flor. lib. 3. cap. 17.
* Apud Nonium in Saperda.
† Cancrum piſcem.
‡ Lib. 6. Animad. in Athen. cap. 17.
⸸ In σαπέρδης. At meminit σαπέρδου piſcis etiam Lucianus in Somnio, ſive Gallo.

Etiam in II. de Arte Rigaltius legit:

Et Venus in venis ignis in igne fuit.

De quo vide ſis notas ejus in Phædrum. Sed magis mihi placet vulgatum, *Et Venus in vinis*: propter illud, *ignis in igne*. Etiam Martialis eſt *:

Sed dum ludit Aper, ladere novit Aper.

Ac ſuſpicor, Sedulium ſimiliter ſcripſiſſe in præfatione operis paſchalis: *Sæpe belliger miles armis, quibus aſſuetus eſt lædere, delectatur etiam ludere.* In MSo utrobique *ludere* invenimus. Pro quo, priori loco *dimicare* ſubſtituerunt; ſententiæ quidem convenienter; ſed tamen quanto minus à veteri ſcriptura abit, quod repoſui. Appulejus Apolog. I. *An vobis* (Mercuriolum) *quem ſceleſtus ille ſceletum* (σκελετὸν) *nominabat.* Ejuſdem ex epigrammatis eſt †:

Haſce duas flammas, dum potiar, patiar.

Baſſiani Caracallæ eſt de fratre Getâ à ſe interemto, quem Aſtrologi divum, id eſt, imperatorem fore prædixerant: *Sit divus, dummodo non ſit vivus.* Auctor Spartianus. Auſonio quoque hoc ſchema in deliciis fuit. Unum alterum locum jam vidimus. Simileque hoc epiſt. XXII. *Soli & ſali commercio.* Et in iiſdem vocibus epigr. XXXII.

Orta ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita Cœlo,
Æneadûm genitrix hîc habito alma Venus.

Et epigr. ſequenti:

Sive legat quæ dabo, ſive tegat.

Cui ſimile hoc ejuſdem præfat. in ludum ſapientum:

Æquanimis fiam te judice, ſive legenda,
Sive tegenda putes carmina, quæ dedimus.

Eodem carmine ait:

Optabo ut placeam, ſin minùs, ut taceam.

Oroſius lib. de arbitrii libertate: *Lex imperat, fides impetrat.* Sed quid veteres Theologos tango? quorum Auguſtinus, & alii plerique, tantopere hoc gaudent ſchemate, ut etiam affectâſſe videantur.

Ad hanc paronomaſias ſpeciem, cui mole ſuâ laborare videatur ſchematum multitudo, referre poſſit figuram, quam Hermogenes πάρισον vocat. Cùm autem ea vox non uno à rhetoribus accipiatur modo; (duas certè ſignificationes ab hâc diverſas capite proximo afferemus) Hermogeni ‡ πάρισον eſt, cùm idem uſurpatur verbum variatum præpoſitionibus, aut nominibus appoſitis. Iſocrates ⸸, alius tamen ab illo nobili ſophiſtâ: Ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής *. Terentius Andr. †

Niſi puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam
Provolvam; teque ibidem pervolvam in luto.

Cicero ad Quinctum fratrem lib. II. ep. IX. *Tu verò ut me & appelles, & interpelles, & obloquare, & colloquare, velim.* Idem pro Roſcio Amerino: *Non modò ignoſcendi ratio, verùm etiam cognoſcendi conſuetudo, jam de civitate ſublata eſt.* Et eadem: *Ex eo T. Roſcius non paullo neſcio quid in ſuam rem convertit: ſed hunc funditus evertit bonis.* Poſſis huc etiam referre illud apud Ciceronem in ſecundo de oratore: *Si tu, & adverſus, & averſus impudicus es.* In quo detractionis παρονομασίαν ſuperiùs ſtatuebamus. Vide & Apoſt. II. Cor. I. v. 6. & Phil. III. 2. 3.

Quod ſi πάρισον eſt, cùm manet poſterior compoſiti pars, priori immutatâ: πάρισον etiam erit, cùm manet prior, mutatâ poſteriori. Ita Juſtinus Martyr apologiâ priore ait, ſe inſidias, fuſtuarium, crucis ve ſupplicium exſpectare, vel ὑπὸ Κρίσκεντος τοῦ φιλοσόφου, καὶ φιλοκόμπου. *à Creſcente philoſopho, & philocompo*: hoc eſt, inanis jactationis, & arrogantiæ amatore.

Dicitur autem vox quoque immutari ſolâ quantitate.

* Lib. 2. epig. 13.
† Apol. II.
‡ L. περὶ μεθόδου δεινότ.
⸸ Ad Demonicum.
* Si fueris avidus diſcendi, multa diſces.
† Act. 4. ſc. 4.

Itaque etiam παρονομασίας species fuerit: *Avium* dulcedo ducit ad avium.* Sanè his in vocibus luſit quoque Maro, cujus illud Georg. II.

** Fabius Lib. 9. c. 3.*

Avia tum reſonant avibus virgulta canoris.

Citat & Fabius † ex Epigrammatis Ovidii, quæ interciderunt:

† Fabius ibid.

Cur ego non dicam, Furia, te Furiam?

qui locus malè in Aldinâ habitus. Catullus ‡:

‡ Epig. 10.

—— Volo ad Serapis
Ferri mane; mane, inquio puella.

Sæpe verò cum quantitate etiam literæ unius, vel plurium, fit commutatio. Plautus Mercatore ‖:

‖ Act. 3. ſc. 4.

Ædepol, na illo oblonges malis dedit mihi magnum malum.

Ubi priori loco *malis* eſt *maxillis*. Tullius quoque ſimiliter luſit ad Atticum* ſuum ſcribens: *Fuerunt* (judices) *quos fames magis, quàm fama, commoverit.* Cui, & ſententiâ, & ſchemate ipſo (manente tamen quantitate) ſimile eſt illud Pomponii †, alibi etiam adductum nobis:

** Lib. 1. epiſt. 13.*

† In Proſtibulo, teſte Nonio in Rumen.

Ego rumorem parvi facio, dum ſit rumen qui impleam.

Hieronymus Treutlerus ‡ ait, & quoddam eſſe παρονομασίας genus, in quo nec literæ, ſyllabæve, nec accentus, ſpiritus, aut quantitatis fiat immutatio. Iſtiuſmodi verò παρονομασίας eſſe, *Jucundum ‖ eſt amari, ſi curetur, nequid inſit amari.* Verùm hujuſcemodi ad ἀντανάκλασιν pertinent; ut diximus cap. II. libri ſuperioris.

‡ Lib. 2. Methodi.

‖ Cornificius l. 4. & Fabius l. 9. cap. 3.

Atque ut ille παρονομασίας ſchema nimis extendit: ita veterum quidam nimis coarctant. Nam preſſè adeò utuntur, ut in ſolis habeat nominibus locum; in verbis autem dicatur παρόμοιον; idque non quandocunque voces leviter immutantur, ſed cùm id ita fit, ut ſenſus etiam ſit diverſiſſimus. Vide Donatum in Andr. act. IV. ſc. V. tum item de hoc Donati loco adi Nannium lib. I. Miſcell. cap. X. Et ſanè non dubium eſt, quin tum inprimis παρονομασία ſit, cùm diverſus exſurgit ſenſus: quod ſi non fiat, meliùs fortaſſe ad παρήχησιν, ſive ſyllabæ ejuſdem ἀντανάκλασιν, retuleris. Sed quod putarunt, παρονομασίαν ſolùm eſſe in nominibus, id concedi non debet. Nam ut παρονομασία eſt, *non orator, ſed arator*: ita & παρονομασία eſt, *non orare, ſed arare*. Nec altera ſententia alio ullo ſubnixa eſt, quàm eo, quòd παρονομασία ab ὄνομα* derivetur. Quaſi non ſub nominibus etiam verba contineantur. Quod liquidò oſtenſum nobis, cùm ſimilem aliorum de μετωνυμίᾳ errorem refelleremus.

** Nomen.*

Utimur inprimis paronomaſiâ in epigrammatis, ſatyris, comœdiis, ac ubicunque convenit jocari. At in gravioribus poëmatis vix ullus ei eſt locus. Certè cùm poſſet Maro;

Anguſtos animos anguſto in pectore verſant:

prætulit tamen optimo jure †;

† Georg. 4.

Ingentes animos.

Neque ferè apud oratores locum habet, niſi figura alioqui levis ſententiarum pondere impleatur. Plurima hujuſce rei exempla ſuppeditant SS. Patres, eoſque inter B. Auguſtinus.

Quamquam verò hæc ita ſunt, non tamen planè id artificium reſpuit poëtarum princeps. Nam & is luſit in vocibus, *avia*, & *avium*; ut antè vidimus: & ejuſdem quoque eſt ‡;

‡ 1. Georg.

—— puppeſque tuæ, pubeſque tuorum.

Quin idem quoque, ut egregie obſervavit Bartholomæus Maranta ‖, eò quòd de converſione ageret, converſionem eam oſtendere voluit materiâ ac corpore vocis ſervato; formâ autem ſeu ſignificatione, quæ quaſi anima vocis eſt, immutata. Nam de Cygno in avem converſo ita ait*:

‖ L. 1. Lucullianarum Quæſtionum.

** Æn. 10.*

Dum canit, & mœſtum Muſâ ſolatur amorem,
Canentem molli plumâ duxiſſe ſenectam,
Linquentem terras, & ſidera voce ſequentem.

Vides, ut ex *canens*, priori correptâ, faciat *canens*, eâ productâ. Idem facit, agens de morte, quæ corpus commutat in cadaver*:

** Æn. 10.*

Fata canens ſylvis genitor celârat Alæſum,
Ut ſenior leto canentia lumina ſolvit:
Injecere manum Parcæ &c.

II. De ὉΜΟΙΟΚΑΤΑΛΗ´ΚΤῼ, et ejus ſpeciebus, quæ vulgo dicuntur ὉΜΟΙΟΊΠΤΩΤΟΝ, et ὉΜΟΙΟΤΈΛΕΥΤΟΝ.

Ὁμοιοκατάληκτον eſt, cùm voces ſimiliter deſinunt. Thucydides lib. I. φαίνεται γὰρ ἡ νῦν Ἑλλὰς καλουμένη, οὐ πάλαι βεβαίως οἰκουμένη †. Ad quem locum Scholiaſtes monet, in οἰκουμένη, & καλουμένη, eſſe ὁμοιοκατάληκτον: atque id ſchema alio nomine vocari Γοργίειον, ſive, ut H. Stephanus mavult, Γοργίειον, ſeu Γοργιάσιον. Videtur autem ita dictum à Gorgia Leontino, quia is crebrò uſurpârit, & juxta aliquos primus invenerit; quemadmodum & ei tribuunt ἀντίθετα, ἰσόκωλα, & πάρισα: quorum omnium novitate tantopere ejus commendabantur orationes, ut dies, quibus habitæ eſſent, vocarentur ἑορταὶ*, orationes dicerentur λαμπάδες †, ipſi autem aurea Delphis conſtitueretur ſtatua; ut quidem ſcribit Cic. III. de Oratore. Nam Græci ſcriptores, ac Plinius lib. XXXIII. cap. IV. volunt, eum ſibi propriam ſtatuiſſe imaginem. quemadmodum & in altero diſſenſio eſt: cùm Cicero, eumque ſecutus Plinius, auream fuiſſe imaginem teſtentur: at Pauſanias, aliique, inauratam fuiſſe referant. Victorium hâc de re adi lib. V. Var. Lect. cap. IX. Aliquid etiam de eo Majoragius in epiſtolicis, quæſt. ult. ubi, rejecta opinione Pauſaniæ, Tullianam amplectitur.

† Nam & quæ, tum, quæ nunc Græcia vocatur, habitantur conſtanter fuiſſe olim habitatam.

** Feſti dies.*

† Lampades.

Species ὁμοιοκαταλήκτου ſunt ὁμοιόπτωτον, & ὁμοιοτέλευτον: vulgò vocant *ſimiliter cadens*, ac *ſimiliter deſinens*. ὉΜΟΙΟΤΈΛΕΥΤΟΝ volunt conſtitui vocibus quibuſvis, ſimili ſono commata aut cola claudentibus, ὉΜΟΙΟΊΠΤΩΤΟΝ fieri, cùm voces declinabiles (ſive nomina, ſive verba) iiſdem caſibus (ad quæ etiam referenda tempora) in ſententiæ vel initio, vel medio, vel fine conjunguntur, ſive ſoni ſint ſimiles, ſive diſſimiles. Verùm diſſentit Jul. Scaliger, cui ὁμοιόπτωτον, & ὁμοιοτέλευτον idem ſunt ſchema, quia idem in dictione ſit πτῶσις, & τελευτή. Mihi tamen altera ſententia haut improbatur. Siquidem, & idem caſus eſſe poteſt diſſimili terminatione, & ſimilis terminatio in caſibus ſimilibus. Idem ſanè caſus eſt, cùm dico: *Pollet autoritate, circumfluit opibus, abundat amicis*. At, *pollet*, *circumfluit*, *abundat*; item, *autoritate*, *opibus*, *amicis*, diſſimilem exitum habent. Fuerit igitur ὁμοιόπτωτον. At ſimilis fuerit exitus in diſſimilibus caſibus, ſi dixeris: *Non eguiſti calcare, ex quo cœpiſti eloquentiam amare.* Hoc igitur ſit ὁμοιοτέλευτον. Quod ſi in fine iidem ſint, ſive nominum, ſive verborum caſus, & hi ipſi caſus habeant ſimilem omnino ſonum: tum, me judice, & ὁμοιόπτωτον fuerit, & ὁμοιοτέλευτον. Ita utrumque habes in illo Laberii ‡ apud Agellum ‖:

‡ In mimo primo, qui Salinator inſcriptus.

‖ L. 3. c. 12.

Non mammoſa, non annoſa, non biboſa, non procax.

Item in his Ennii* anapæſtis:

** In Hecuba, apud Cic. 1. & 3. Tuſc. quæſt. & ex parte Nonium in Turpari.*

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
Jovis aram ſanguine turpari.

Itidem in hoc incerti poëtæ, quod ex primo ἀνθολογίας deſumſimus:

Εἰ μὲν ἦν μαθεῖν, ἃ δεῖ παθεῖν,
Καὶ μὴ παθεῖν, καλὸν ἦν τὸ μαθεῖν.
Εἰ δὲ δεῖ παθεῖν, ἃ δ' ἦν μαθεῖν,
Τί δεῖ μαθεῖν; χρὴ γὰρ παθεῖν †.
Si licet ſcire, quæ oportet ſubire,
Et non ſubire; pulchrum ſit ſcire.
Sin oportet ſubire, quæ licet ſcire;
Quid juvat ſcire? nam oportet ſubire.

† Tranſlationem horum triplicem carmine expreſſam, unam G. Lilii, ac geminam Th. Mori vide, ſi voles, in collectione epigrammatum ſelectorum Græco-Latinâ, quam Bebelius excudit.

Item in illis Hadriani Cæſaris verſibus, quos moriens feciſſe dicitur, teſte Ælio Spartiano:

Ani-

Animula, vagula, blandula,
Hoſpes, comeſque corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut ſoles, dabis jocos.

Verùm etſi in hujuſcemodi utrumque concurrat ſchema; vulgò tamen ea tantùm ὁμοιοτέλευτα, non item ὁμοιόπτωτα appellant. Ego, id quando fit, ὁμοιοκατάληκτα vocare malim; quo utrumque ſchema comprehenditur. Ὁμοιοτελεύτοις mirum in modum hodie omnes gaudent nationes in faciendis poëmatis. Neque enim tam accentus ſpectant, ut, multorum judicio, faciunt Hebræi, (quorum tamen metricam rationem perpaucis * ſatis perſpectam eſſe arbitror) aut quantitatem, ut Græci ac Latini, ac, ut cenſeo, etiam Hebræi; quàm unum hoc inprimis agunt, ut verſus ſimiliter deſinant. Vidimus quidem aliqua Germanicâ, Belgicâ, Celticâ, conſcripta linguâ, Græcum Latinumque in morem; quin ipſi aliquid aliquando iſtoc in genere tentavimus; verùm paucos omnino hic ſcribendi modus imitatores nanciſcitur. Et ſanè Judæi quoque ipſi jam ab annis plus minùs quingentis, puta ex quo R. David Kimchi floruit & antè, Chriſtianorum imitatione verſus ſcripſere noſtris ſimiles, hoc eſt, in quibus ſpectetur ſimilis clauſularum ſonus.

Cave autem omnia ſimiliter deſinere credas, quæ iſtiuſmodi videntur ob vitioſiſſimam, quæ nunc obtinet pronuntiationem. Ubi ſummi etiam viri falluntur. Ut cum docent apud poëtam Venuſinum lib. I. od. II. tria ſimiliter exire, *Jam ſatis terris nivis*; atque id quia inventum ſit, pro *terris* legi oportere *tetra*. Mitto quod nemo unquam tetram nivem dixit. Solum dicam, quod *is* in *terris* non ſonuit & in *ſatis*, & *nivis*: ſed *i* longo, quaſi dicas *terreis*; quomodo aliud quis in recto; aliud queis in plurativi numeri dandi & auferendi caſu.

Curandum autem, ne immodicè conſectemur ὁμοιοκατάληκτα, aliaque id genus ſcitamenta, ac μειρακιώδεις σχηματισμοὺς †: quos in ipſo Platone, ac Thucydide, reprehendere non dubitavit Dionyſius Halicarnaſſ. Jurene, an injuriâ, non diſputo. Illud quidem extra controverſiam eſt, non leviter hoc morbo laboráſſe Gorgiam: quamquam magni nominis rhetorem; ut cùm ea indicium faciunt, quæ ſuprà retulimus; tum quod ab hoc τὸ ῥητορεύειν ‡ dixerint γοργιάζειν, teſte Philoſtrato ‡. Certè quia Gorgias iis nimis fartim utebatur, inde eſt, quòd eorum uſum temperârit Iſocrates, ſi quidem Tullium audimus, vel Halicarnaſſenſem: aliud enim in cauſſâ fuiſſe, alibi * oſtendimus. Verùm, ſive id conſilio, ſive deſperatione factum ab Iſocrate; melior erat Iſocratea dictio, quàm vel Gorgiæ, vel Thraſymachi; quorum oratio jure ob nimium eorum uſum culpari ſolet. In juvenili quidem ætate haut tantopere immodicum hunc ſplendorem damnaverim; non quia vitium non ſit, ſed quòd luxuriantem dictionem judicium, atque ætas maturior, ut plurimùm reſecent. At ſtata inclinataque ætas magis temperare debet, tum quia nihil gravius ſatietate, (κόρον ἔχει γὰρ & μέλι, καὶ τὰ τερπν' ἄνθε' ἀφροδίσια ‡, ut ait Pindarus *) tum quia puerilem redolet affectationem oratio, quæ paſſim inuritur calamiſtris, talibuſque lenociniis non tam honeſtæ matronæ, quàm proſtibuli fuco ceruſſâque obliti, ſimilis fit. Atque id quoque his Lucillii † verſibus oſtendit Agellius lib. XVIII. cap. VIII:

Quo me habeam pacto, tametſi non ‡ quæris; docebo
Quando in eo numero mânſi, quo in maxima nunc eſt
Pars hominum, ut periiſſe velis, quem nolueris cùm
Viſere debueris. Hoc NOLUERIS, & DEBUERIS, *te*
*Si minùs delectat, quia τεχνίον * Iſocratium eſt,*
ληρῶδέςη; † *ſimitu, tum* συμμειρακιῶδες ‡,
Non operam perdo.

Ita eum locum reſtituit vir illuſtris Auſonianarum Lectionum lib. II. cap. IV. Quod ſi placet, neceſſe ſit fateri, Lucillium feciſſe verſum ſeptem pedum, qualis fuerit quartus. In pleriſque editionibus * abeſt, *Viſere*: ſed cum ſententiæ diſpendio. Ita tamen & Nannius lib. IV. Miſcell. cap. XXVI. Alii pro *Nolueris* legunt, *Nol*, voce decurtatâ: quomodo apud Ennium fuit *gau* pro *gaudium*, *cal* pro *cælum*, *do* pro *domus*, idque Græcorum exemplo, qui itidem δῶ dicunt pro δῶμα. Sed huic ſententiæ repugnat, quòd Lucillius hic reprehendat ὁμοιοτέλευτα: cujuſmodi ſunt *nolueris*, & *debueris*. At ſi *nol* reponas, jam ὁμοιοτέλευτον perierit. Sed totâ hac de re pluribus dicimus in Grammaticis exercitationibus. Verſu etiam penultimo in vett. editt. corruptè admodum legas:

Ὀχληρῶδές *quæ ſimul totum*, & συμμειρακιῶδες.

Ut fortaſſe ſcripſerit Lucillius:

Ληρῶδέςη; *ſimul, tum* καὶ συμμειρακιῶδες.

Nempe ex *tum* fecere *totum*, eò quòd ſic, ſed cum apice, ſcribere hoc ſoleant, qui literarum compendio ſtudent. Sed utcunque legendum ſit, ſatis liquet, à Lucillio rideri, qui ὁμοιοτέλευτα nimis ament. Nero quoque imperator, cùm immodicè illa ſectaretur, hoc nomine meritò reprehenditur à Perſio ſat. I. Iis verò exemplis, quæ apud Perſium legere eſt, adde hoc ejuſdem è Senecæ lib. primo naturalium quæſt.

Colla Cytheriacæ ſplendent agitata columbæ.

Eſt quidem apud optimos quoſque poëtas invenire verſus, in quibus pentemimeris, & ultima verſus, ſimiliter deſinant: verùm apud eos, & rara hæc ſunt, & ſponte oblata: at Nero, ut videtur, affectabat: cujus cæteroquin verſus Perſianis non ſunt deteriores; quin potiùs meliores.

III. De parechesi.

Παρήχησις eſt, cùm una pluresve ſyllabæ ejus vocis, quæ anteceſſit, vel continuè, vel exiguo poſt intervallo, repetuntur in aliâ voce. Idque interdum fit manente quantitate, interdum variatâ. Plaut. Bacch. *

—— Perire me malis malim modis.

Ex Pœnulo †:

—— Poliſtum malim, quàm malum.

Ennius VIII. Annal. ‡

—— Sed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolidâ vi.

Plura hujuſmodi ſuggerent Fulvius Urſinus in collatione Virgilii cum Græcis ſcriptoribus, in illud II. Æn. *Dorica caſtra*: & Obertus Giffanius in Lucretiano indice, ubi de *Geminatione verborum*: & nos ſuperiori libro cap. II. tmem. IV. Patres plerique multùm talibus gaudent. Ita B. Auguſtini eſt priori contra Julianum * libro, ex iis qui ante annos paucos Claudii Menardi beneficio lucem primùm videre: *Magna tibi pœna eſt diſputator hic Pœnus, &, longè antequam naſceremini, magna pœna hæreſis veſtra Pœnus præparatus eſt Cyprianus.* Vocârat Julianus Auguſtinum tractatorem Pœnum; cui verbis illis reſpondet. Epigrammatis etiam convenit. Scitum ſanè illud Parmenionis Macedonis lib. I. Ἀνθολογίας †:

Οἱ κόρεις ἄχρι κόρου κορέσαντό με· ἀλλ' ἐκορέσθην
Ἄχρι κόρου κτείνων τοὺς κόρεις ἐκκορέσας.

Latina lingua venuſtatem hanc non aſſequitur. Sententia verò eſt talis: *Cimices uſque ad ſatietatem ſatiati ſunt me: ſed ſatiatus ſum Uſque ad ſatietatem & ipſe cimices occidens, ſive* (ut proprietatem verbi retineam) *excimicans.*

Sed hujuſmodi παρηχήσεις, & ὁμοιοκατάληκτα denſiora, ac his ſimilia, non conveniunt oratori, vel hiſtorico: unde Photius, accuratus ſcriptorum cenſor, in Philoſtorgio damnat, quòd ἀψιδάληπτος αὐτῷ ποικίλλεται ὁ λόγος καὶ εἰς κόρον *variè ei ornatur oratio, etiam ad ſatietatem.*

IV. De interrogatione.

Ἐρώτησις, quæ & πεῦσις, & πύσμα, tantùm figura eſt, cùm, ubi rectâ oratione uti ſolemus, ſermonem

---

* Interim de eâ, ſi ita viſum, adi Poëticam Hebræam V. Cl. Theodori Eberti: ſed imprimis ſummi viri, Franciſci Gomari, quam inſcripſit Davidis Lyram: cui, in hoc eruditorum diſſenſu, potiùs acceſſero, quàm R. Moſche ben Chabib, Strabo Joſ. Scaligero, malim in Hebræis metrum agnoſcentibus.

† Puerilia ſchemata.

‡ Oratoriam artem exercere.

‡ In epiſt. I. 4. c. 4.

‡ Sarieta tem habet & mel, & dulcia ſunt Veneris.

* Nem. od. 7.

† Lib. 5. ſat.

‡ Al. tamen etſi hut. Quod numeris convenientius videtur.

* Artificium.

† Nugale.

‡ Juvenile.

* Etiam Coloneſi an. 1524. quam Gothefridus Hittorpius, & in Græcis Arnoldus Veſalienſis curaverit, ac utraque etiam in non paucis locis corrupta.

* Act. 3. ſc. 3.

† Act. 5. ſc. Fuit hodie.

‡ Apud Gell. lib. 10. c. 16.

* Pag. 8.

† Tit. de Avaricia.

nem ad aliquid inquirendum inflectimus. Non igitur naturâ ſchema eſt, ſed uſu. E. G. figuratus eſt ille rogandi modus apud Tullium *: *Quouſque tandem abutêre, Catilina, patientiâ noſtrâ?* Et, *Patêre tua conſilia non ſentis?* Poterat enim rectâ dixiſſe oratione: *Diu abuteris patientiâ noſtrâ.* Et, *Patent tua conſilia.* Figuratus item ille apud Maronem II. Æn.

—— Quæ tanta inſania, cives?
Creditis avectos hoſtes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaûm? ſic notus Ulyſſes?

Neque enim diſcendi gratiâ inſtituitur; ſed ut vires atque aculeos addat orationi.

At ille naturalis eſt modus:

Qui † genus? unde domo? pacémne adfertis, an arma?

Item ‡:

Sed vos qui tandem? quibus aut veniſtis ab oris?

Par ratio iſtius in Eclogis ⊥:

Dic mihi, Damœta, cujum pecus? an Melibœi?

Item hujus *:

Quo te, Mœri, pedes? an quò via ducit in urbem?

* Catil. 1. † Æn. 8. ‡ Æn. 1. ⊥ Ecl. 3. * Ecl. 9.

Atque vel hinc Franciſci Robortelii error dilucet, qui libro de artificio dicendi negat, ſermonem rectè dividi in σχηματισμένον †, & ἀσχημάτιστον ⊥, quia omnis ſermo ſit figuratus; cùm, quicquid dicimus, neceſſe ſit habere aliquam figuram & σχέσιν. Erroris autem cauſſa eſt, quòd non animadverterit, vocem *figura* nunc accipi κοινῶς *, quomodo omnis ſermo figuratus eſt, cùm omnis oratio ſit quædam conceptuum noſtrorum delineatio: nunc verò preſſè ſumi, ut intelligatur de ſolâ loquendi formâ, quæ ab communi uſu recedit. Priori modo etiam naturalis interrogatio figurata eſt: poſteriori verò ea ſolùm, quæ, ubi recto ſermone uti licet, ſermonem inflectit, quò acrior ac vehementior fiat ſermo. Ejuſmodi eſt iſta Medeæ apud Ovidium in tragœdia deperdita †:

Servare potui: perdere an poſſim rogas?

† Figuratum. ⊥ Figuræ expertem. * Communiter & laxè. † Ex Ovidii Medea citat Quintilianus lib. 8. c. 5.

Quanto enim hoc majorem emphaſin habet, quàm ſi dixiſſet, Si ſervare potui, potero & perdere. Atque hinc liquet, interrogationem vim habere maximam ad probandum. Judicant enim auditores, non fuiſſe eâ uſurum oratorem, niſi probè nôſſet, nihil ab adverſario poſſe reſponderi. Quem interrogationis uſum etiam in Apoſtolo commendat Iſidorus Peluſiota lib. III. epiſt. CLXXXIV. Valet quoque interrogatio ad afferendam orationi varietatem, dum id, quod priùs rectâ oratione dictum erat, poſtea dicitur inflexâ. Sed & interrogatio eſt quaſi aculeus, quo languentem excitamus auditorem. Nec tamen immodicè hac utendum. Sanè ridiculè ſeſe dant, qui magnos ſenſus interrogatiunculis non adjuvant, ſed frangunt. Hoc morbo imprimis Stoici laborarunt; ut cognoſcimus è Tullii Paradoxis ⊥. Ne idem in vitium incidamus, rariùs interrogatione utemur in ſermone familiari, ſæpius in actionibus, idque tum in rebus confeſſis ac manifeſtis, tum in confirmatis; quia id, quod demonſtratum eſt, pro confeſſo habetur. Ac vel auditores rogabimus, ut eos reprehendamus; vel adverſarios, ut eorum argumenta infringamus; vel nos ipſos, ut excitetur auditor, & removeatur ſuſpicio adverſarii. Vide Hermogenem lib. περὶ μεθόδου δεινότητος, & Fabium lib. IX. cap. II. Ubi inter alia ſcribit, ὑποστροφὴν etiam habere vim maximam, ſi adverſarium invadat, & inſtandi gratiâ interroget. Qualis illa Ciceronis pro Ligario: *Quid enim, Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalicâ gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis erat ſenſus armorum tuorum?* &c. Hujuſmodi interrogationes, Longino * etiam judice, ἄγχει τὰ παθητικά †: ut non debeat videri mirum, quòd, Cicerone illa, quæ jam adduximus, detonante, uſque adeò perturbatus fuerit Cæſar, ut corpore contremuerit totus, imò libelli etiam, quos tenebat, è manibus exciderint: quemadmodum locuples nobis teſtis eſt Plutarchus in Ciceronis vita.

⊥ Prolog. * Lib. περὶ ὕψους. † Commovent affectus.

Interrogationi interdum ſubjicitur reſponſio, quæ iccirco SUBJECTIO vocatur. Sed cùm ea ordine verborum, atque adeò verbis maneat commutatis; dubium non eſt, quin ſchema ſit διανοίας. Imò de interrogatione etiam dubitari poſſit, an non ad ſchemata potiùs διανοίας, quàm λέξεως, pertineat. Quod non temerè à me dici, inferiùs * parebit, cùm agemus de ſchematibus orationem figurantibus ratione perſonæ.

* Cap. 7.

V. DE QUINQUE SCHEMATIBUS, QUIBUS ORATIO SECUNDUM SITUM FIGURATUR.

DEnique ſecundùm ſitum figurantur ὑπερβατὸν, ἐπεμβολή, παρένθεσις, συνάντησις, & ζεῦγμα.

ΥΠΕΡΒΑΤΟ'Ν eſt *verbi tranſgreſſio*, ut Fabius † interpretatur. hoc eſt, cùm, poſt verborum tractum, verbum ad calcem uſque transfertur. Ut apud Horat. lib. I. od. XXXV: *O diva, gratum quæ regis Antium* &c. Poſt multa tandem ſequitur, *Serves iturum* &c. Et apud Maronem XII. Æneid. ubi cùm ſententiam ita inchoâſſet, *Interea Reges:* hemiſtichium, & totos ſeptem verſus interſerit, priuſquam ſubjungat illa, *Procedunt caſtris.*

† L. 8. c. 6.

ΠΑΡΕΜΒΟΛΗ', ſive ἐπεμβολὴ in orationis medio cauſſam rei, vel circumſtantiam aliquam, interponit. Theo ‡ appellat μεταξυλογίαν, uti quoque Hermogenis interpres: qui & autor eſt, ab aliis vocatam ὑποστροφὴν, & κατακλεῖδα. Cic. pro Marcello: *Diuturni ſilentii, Patres Conſcripti, quo eram his temporibus uſus, non timore aliquo, ſed partim dolore, partim verecundiâ, finem hodiernus dies attulit.* Venuſtius hoc, quàm ſi illa verba ſententiam inchoarent: *Finem hodiernus dies attulit diuturni ſilentii.* Poterat quoque Maro ſcribere I. Æneid.

Hunc lætum Tyriiſque diem, Trojâque profectis,
Jupiter, eſſe velis: nam te dare jura loquuntur
Hoſpitibus.

At quanto iſtud præſtat!

Jupiter (hoſpitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum, Tyriiſque diem, Trojâque profectis
Eſſe velis.

Poterat item Maro ⊥:

Æneas rapidum ad naves præmittit Achatem.
Namque haut paſſus amor patrius conſiſtere mentem.

At meritò prætulit iſthoc:

Æneas (neque enim patrius conſiſtere mentem
Paſſus amor) rapidum ad naves præmittit Achatem.

‡ Cap. de Narrat. ⊥ I. Æn.

Iſidorus lib. I. Orig. παρένθεσιν hîc ſtatuit. Nos preſſiùs eâ voce utimur, ut propriè ΠΑΡΕ'ΝΘΕΣΙΣ dicatur, cùm inſeritur orationi aliquid totâ materiâ alienum. Ut in illo *:

—— Ipſique ſuos jam morte ſub ægrâ
(Di meliora piis, erroremque hoſtibus illum)
Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus.

Et; *Namque † (fatebor enim) dum me Galatea tenebat* &c.

* Georg. 3. † Ecl. 1.

Παρεμβολὴ ſeu μεταξυλογία, item παρένθεσις, ſi longior ſit, orationem reddunt obſcuram: ut Theo monet, ubi docet, quæ narrationis perſpicuitati adverſentur.

ΣΥΝΑ'ΝΤΗΣΙΣ, ſive occaſio, & ΖΕΥ͂ΓΜΑ, ſive jugatio, conveniunt materiâ: quia ambæ partes orationis certo quodam ordine diſponunt, ita ut aliquibus aliquæ reddantur. Differunt autem formâ, quia in συναντήσει à poſteriore incipit redditio, & in primo deſinit: in zeugmate autem recurſus fit eo ordine, quo cœptum eſt. Συνάντησις eſt ‡:

Compulerantque greges Coridon & Thyrſis in unum,
Thyrſis oves, Coridon diſtentas lacte capellas.

Ζεῦγμα eſt *:

—— divellimur inde,
Iphitus & Pelias mecum: quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias & vulnere tardus Ulyſſei.

Et hoc Ovidii †:

Illa meos caſus ingravat, illa levat.

‡ Ecl. 7. * Æn. 2. † Lib. 3. Triſt. el. 4.

In-

Ingravat hæc, quòd abeſt: levat hoc, quòd præſtat amorem *.
Hactenus de ſchematis λέξεως.

* Sic legendum puto: non, ut vulgò, levat hæc.

CAPUT. VI.

DE SCHEMATIBUS ΔΙΑΝΟΊΑΣ, QUÆ PLUS AUT MINUS DICUNT.

Schematum διανοίας quædam plus dicunt, quàm in re eſt, quædam minùs, quædam æquè. PLUS *dicunt auxeſis, digreſſio, & tranſitio.*

Auxeſis eſt, cùm aliquid ſupra rei veritatem extollimus, ita tamen ut fidei limites non excedamus.

Digreſſio eſt alienæ rei, ſed ad cauſſæ utilitatem pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio.

Tranſitio eſt, cùm aliquid dicimus præter rem propoſitam, ut ab eo, quod dictum eſt, commodè accedamus ad id, quod proximum eſt.

MINUS *dicunt tapinoſis, apoſiopeſis, & præteritio.*

Tapinoſis eſt, cùm graviorem leviori nomine compellamus.

Apoſiopeſis eſt, cùm ſententiæ inchoatæ pars aliqua præcipitur, ſic tamen ut intelligatur.

Præteritio eſt, cùm in tranſcurſu id dicimus, quod velle nos dicere negamus.

Periphraſis (quâ multis verbis rem unam ambimus) nunc magis, nunc minùs dicit, quàm in re eſt: ideoque referri poteſt ad ſchemata tum primi, tum ſecundi ordinis.

I. DE AUXESI.

SChemata διανοίας ſunt, quæ non in verbis, ſed in rebus ipſis, quandam habent dignitatem. Ea differre diximus à ſchematibus λέξεως, quòd hæc tollantur verbis immutatis: at ſchemata διανοίας permaneant variato vocum ordine, ac quibuſcunque utamur verbis. In illis palmam cæteris præripuit Iſocrates: in his omnes exſuperat Demoſthenes.

Schemata διανοίας variè à variis dividi ſolent. Quid in eo diſſenſu inprimis placeat nobis, oſtendimus in Partitionibus † Oratoriis. Sed quia non omnibus eadem arridebit: neque nos eâdem nunc oberrabimus chordâ; ſed, illam potiùs diviſionem, paucis exceptis, retinebimus, quam amplexi ſumus ante annos tres & viginti, cùm primùm Inſtitutiones has publici juris faceremus: idque eò faciemus lubentiùs, quia in diſtributione eâ potiſſimùm ſecuti ſumus ſummum virum, Cæſarem Scaligerum, in libris de re Poëtica.

† Lib. 4. cap. 14. & 8. ſeqq.

Sic igitur ſtatuimus, ſchematum διανοίας quædam plus dicere, quàm in re eſt; quædam minùs; quædam æquè.

Plus quæ dicant, tres afferuntur à Scaligero; Αὔξησις, Παρέκβασις, & Μετάβασις.

ΑΥ'ΞΗΣΙΣ nonnullis vocatur, cùm gradibus aliquot pervenimus ad ſummum. Quâ ratione idem eſt, ac Incrementum: de quo cap. VII. dicemus. Hoc verò loco αὔξησις dicitur; cùm rem ſupra veritatem extollimus, ita tamen, ut fidei limites non excedat; quo eam ab ὑπερβολῆ ſuo loco ‡ diſtinximus.

‡ Lib. 4. cap. 12.

Quod ſi aliud inter ea diſcrimen non ſit: quo jure de hyperbole agitur in Tropologiâ, eodem fortaſſe de auxeſi tractabitur in eâdem. Neque enim αὔξησις minùs tropis accidit, quàm ὑπερβολή. Nam μεταφορᾷ fit αὐξητική, ſiquis dicatur alium ad ſcelus inflammâſſe, qui tantùm leviter ſit adhortatus. Par aliorum troporum ratio eſt. Certè, ſi quempiam vitæ integræ (nec gentilem excludo) ſanctiſſimum appelles, μετωνυμία fuerit αὐξητική. Neque eſt, quod in exemplo hocce aqua hæreat ſermonis Latini ignaris. Nam cùm *ſancire* propriè ſit aliquid facere inviolabile, (unde leges ac fœdera *ſanciri* dicuntur, quia violari ea nefas eſt) nemo non videt, *ſancti* nomen primò ac propriè ſonare inviolabilem; indeque tribunos plebis, vel Clodio ipſo nequiores, propriiſſimè *ſanctos* * dici, ac tribunatum, magiſtratum *ſanctiſſimum* †. At κατὰ μετάληψιν, quam μετωνυμίας ſpeciem ſuprà fecimus, *ſanctus* poni cœpit pro homine integræ vitæ; quia, qui hujuſmodi ſit, violari à nemine debeat. Et ſanè Muretus ‡, atque alii, qui Senecam ſanctum vocant, (quo nomine à Latinè neſcientibus obſtrigillantur) haut aliò reſpexere, quàm ad probitatem integritatemque in ſcriptis relucentem; ſive eam moribus ac vitâ expreſſerit, quæ plurium ac meliorum opinio eſt; ſive ſecus, quod vult Dio Caſſius *, ſcriptor de optimo quoque haut optimè ſentiens ac ſcribens.

* 3. de leg.
† Orat. pro Sextio.
‡ Lib. 13. Var. Lect. cap. 12.
* Apud Xiphilinum in Nerone.

Sed αὐξήσεως quoque συνεκδοχικῆς, ſive συνεκδοχῆς αὐξητικῆς exemplum adferamus. Ac ſanè quia de *ſancti* voce diximus, opportunè ſe offert contrarium ejus *ſacerrimus* pro improbo: quomodo dixit Turpilius †:

Etiamne irrides, peſſume, ac ſacerrime?

Nam (ut huic quoque exemplo facem adluceamus) cùm *ſacrum* propriè ſit, quicquid Deo eſt dicatum, conſecratumque: propriè non improbi omnes *ſacri* fuerint; ſed ii ſolùm, quos Græci καθάρματα vocant: nempe quorum caput ob patratum ſcelus ex legum præſcripto Jovi, aut Dìs manibus conſecratum devotumque eſſet, adeò ut ἄνδα κελεύστως, ac impune, à quovis tolli poſſent. At liquidò errat Servius ‡, qui quòd *ſacrum* ponatur pro execrando, ortum putat à conſuetudine Maſſilienſium. Nempe quia, ut Petronius refert, cùm peſtilentiâ civitas laboraret, aliquem tenuioris fortunæ, quem anni ſpatio publicis, & purioribus cibis, aluerant, verbenis ſacriſque veſtibus ornatum cum execrationibus per urbem circumducerent, tandemque præcipitem darent; quaſi hâc ratione à ſe mala omnia in iſtius hominis caput averruncarent.

† In Demetrio, teſte Nonio in Sacrum.
‡ In 3. Æn.

Convenit αὔξησις accuſanti ad exaggerandum. Exaggeras enim rem, ſi pro ingrato dicas *impium*: item *inflammare* pro hortari. Ita, qui Cœlium accuſabant, *adulteria* vocabant amores ejus cum Clodiâ meretrice: *alienam* etiam *pudicitiam expugnare* eum ajebant. At defenſoris eſt, tales αὐξήσεις reprehendere, omniaque ad vivum reſecare: ut M. Tullius in L. Herennio facit, cùm ita pro Cœlio cauſſam dicit: *Si qua non nupta mulier domum ſuam patefecerit omnium cupiditati, palamque ſeſe in meretriciâ vitâ collocàrit; virorum alieniſſimorum conviviis uti inſtituerit; ſi hoc in urbe, ſi in hortis, ſi in Bajarum illâ celebritate faciet; ſi denique ita ſe geret, non inceſſu ſolùm, ſed ornatu, atque comitatu; non flagrantiâ oculorum, non libertate ſermonis, ſed etiam complexu, oſculatione, aquis, navigatione, conviviis, ut non ſolùm meretrix, ſed etiam procax videatur: cùm hâc ſiquis adoleſcens fortè fuerit, utrùm hic tibi, L. Herenni, adulter, an amator, expugnare pudicitiam, an explere libidinem voluiſſe videatur?*

II. DE DIGRESSIONE.

SEquitur ΈΚΒΑΣΙΣ, ſive παρέκβασις, ſeu διέξοδος, vel ἐκβολή, ut Thucydides vocat. Cicero nominat *digreſſionem ab oratione propoſitâ*, vel *digreſſionem à propoſito*. Vulgò autem *digreſſionem* ſimpliciter appellant. Fabius * vocat *egreſſionem*: qui & ait, ſuâ ætate *exceſſum* uſitatiùs dici cœpiſſe. De hac idem Fabius † dubitat, an inter ſchemata referri debeat, cùm aliis ſit pars cauſſæ. Verùm injuriâ eam ſtatui orationis partem, argumento illud erit, quòd certum non habeat locum; ac plurimum non tam ad rem explicandam, aut probandum fiat, quàm ad eam amplificandam ornandamque. Quare nihil cauſſæ eſt, cur è ſchematum numero excludatur.

* Lib. 3. c. 2. lib. 4. cap. 3. & lib. 2. c. 3.
† Lib. 9. cap. 2.

Fit autem digreſſio, cùm additur aliquid præter propoſitum, ita ut excedamus ab inſtituto: ſive, ut definit Fabius lib. IV. cap. III, eſt *alienæ rei, ſed ad utilitatem cauſſæ pertinentis, extra ordinem procurrens tractatio.* Atque eâdem mente Ulpiano Rhetori eſſe dicitur

λόγος

λόγος ἐξαγώνιος, συναγωνιζόμενος δὲ πρὸς τὸν ἀγῶνα. Ut apud Ciceronem pro Roſcio Amerino digreſſio illa eſt de L. Sylla. Expoſuerat, quæ conſecuta erant Roſcii cædem, poſtremoque illud dixerat: *Hæc bona ſexagies emuntur duobus millibus nummûm.* Subjungit deinde: *Hæc omnia, Judices, imprudente L. Syllâ facta eſſe, certò ſcio. neque enim mirum, cùm eodem tempore, & ea quæ præterita ſunt, & ea quæ videntur inſtare, præparet; cùm & pacis conſtituendæ rationem, & belli gerendi poteſtatem ſolus habeat; cùm omnes in unum ſpectent, unus omnia gubernet; cùm tot tantiſque negotiis diſtentus ſit, ut reſpirare liberè non poſſit; ſi aliquid non animadvertat. cùm præſertim tam multi occupationem ejus obſervent, tempuſque aucupentur; ut ſimul atque ille deſpexerit, aliquid hujuſcemodi moliantur. Huc accedit, quòd, quamvis ille felix ſit ſicut eſt; tamen in tanta felicitate nemo poteſt eſſe in magna familia, qui neminem, neque ſervum, neque libertum improbum habeat. Interea iſte T. Roſcius,* &c. Idem pro Cœlio digreditur in mortem Metelli, & ejus moribundi orationem. Paullo altiùs ordiar, ut appareat, quâ occaſione eò excurrat: *Ipſum autem veneni quæ ratio fingitur? ubi quæſitum eſt? quemadmodum paratum? quo pacto? cui, quo in loco traditum? Habuiſſe aiunt domi, vimque ejus eſſe expertum in ſervo quodam, ad rem ipſam parato: cujus perceleri interitu eſſe ab hoc comprobatum venenum. Pro dii immortales! cur interdum in hominum ſceleribus maximis, aut connivetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſervatis? Vidi enim, vidi & illum hauſi dolorem vel acerbiſſimum in vita, cùm Q. Metellus abſtraheretur è ſinu gremioque patriæ, cumque ille vir, qui ſe natum huic imperio putavit, tertio die poſt, quàm in curia, in Roſtris, in Rep. floruiſſet, integerrimâ ætate, optimo habitu, maximis viribus, eriperetur indigniſſimè bonis omnibus, atque univerſæ civitati: quo quidem tempore ille moriens, cùm jam cæteris ex partibus oppreſſa mens eſſet, extremum ſenſum ad memoriam reip. reſervabat: cùm me intuens flentem ſignificabat interruptis atque morientibus vocibus, quanta impenderet procella urbi, quanta tempeſtas civitati: & cùm, parietem ſæpe feriens, eum, qui cum Q. Catulo fuerat ei communis, crebrò Catulum, ſæpe me ſæpiſſimè remp. nominabat: ut non tam ſe emori, quàm ſpoliari ſuo præſidio cùm patriam, tum etiam me, doleret. Quem quidem virum ſi nulla vis repentini ſceleris ſuſtuliſſet: quonam modo ille furenti fratri ſuo patrueli conſulari reſtitiſſet, qui conſulem, incipientem furere atque conantem, ſua ſe manu interfecturum, audiente ſenatu, dixerit? Ex hâc igitur domo progreſſa iſta mulier* &c. Etiam pro L. Cornelio, παρέκβασιν habes de laudibus Pompeji, in quas divinus ille orator, veluti nomine ipſo ducis, curſus dicendi teneretur, abrupto, quem inchoaverat, ſermone, divertit; ut Fabius* inquit.

* Lib. 4. cap. 3.

In digreſſionibus peccatur bifariam. Nam alii planè eas fugiunt, alii nimis producunt. De utroque vitio ita Theon in progymnaſmatis †: Οὐ γὰρ ἁπλῶς χρὴ (παρέκβασιν) πᾶσαν περιϊστᾶσθαι, καθάπερ ὁ Φίλιστος· ἀναπαύει γὰρ τὴν διάνοιαν τῶν ἀκροατῶν· ἀλλὰ τὴν τηλικαύτην τὸ μῆκος, ἥτις ἀπαλλοτριοῖ τὴν διάνοιαν τῶν ἀκροωμένων, ὥστε δεῖσθαι πάλιν ὑπομνήσεως τῶν προειρημένων, ὡς Θεόπομπος ἐν τοῖς Φιλιππικοῖς· *Neque enim oportet ſimpliciter fugere digreſſiones, quod Philiſtus fecit; quia in hâc animus audientium acquieſcit: verùm illas, quæ adeò ſunt prolixæ, ut abducant auditorum animos, ut neceſſe ſit ea, quæ antè dicta ſunt, in memoriam revocari: cujuſmodi digreſſionibus utitur Theopompus in Philippicis.* Quales verò fuerint iſtæ Theopompi digreſſiones, idem inibi ſubdit, cùm ait, in nonnullis earum haut Philippi, atque adeò nec Macedonis cujuſquam, fieri mentionem.

† Cap. 4. quod eſt de narratione.

Fugiendæ igitur digreſſiones nihil ad rem pertinentes: ut ſi in levibus cauſſis tantummodo ad ornandum antiquæ adſectantur hiſtoriæ, quæ οὐδὲν πρὸς ἔπος ‡. Hunc morem taxat meritò Lucianus Ῥητόρων διδασκάλῳ· Κἂν περὶ ὕβρεως τινὸς ἢ μοιχείας λέγῃς Ἀθήνησι, τὰ ἐν Ἰνδοῖς, καὶ τὰ ἐν Ἐκβατάνοις, λεγέσθω· ἐπὶ πᾶσι δὲ, ὁ Μαραθὼν, καὶ ὁ Κυναίγειρος, ὧν οὐκ ἄν τι ἄνευ γένοιτο. Καὶ ἀεὶ ὁ Ἄθως πλείσθω, καὶ ὁ Ἑλλήσποντος πεζευέσθω, καὶ ὁ ἥλιος ὑπὸ τῶν Περσικῶν βελῶν σκεπέσθω, &c. *Quod ſi de contumelioſo quodam, aut mœcho, ſis Athenis dicturus; ea, quæ in India vel Ecbatanis fiant, refer. In omnibus verò ſit Marathon, & Cynegirus, ſine quibus nihil fiat. Semper etiam Athos navigetur, & Helleſpontus pedibus tranſeatur, & Sol Perſarum ſagittis inumbretur,* &c. Eſt & elegans in hanc mentem Lucilii * epigramma, cujus initium; Χοιρίδιον † καὶ βοῦν ἀπολώλεκα: ſimileque, ac fortaſſe ex eo expreſſum, eſt Martialis iſtud ‡:

‡ Nihil ad rem.

> *Non de vi, neque cæde, nec veneno;*
> *Sed lis eſt mihi de tribus capellis.*
> *Vicini queror has abeſſe furto:*
> *Hoc judex ſibi poſtulat probari.*
> *Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,*
> *Et perjuria Punici furoris,*
> *Et Sullas, Marioſque, Mucioſque,*
> *Magnâ voce ſonas, manuque totâ.*
> *Jam dic, Poſthume, de tribus capellis.*

* Lib. 2. Ἀνθολογίας. Tit. εἰς ῥήτορας.
† Suculam ac bovem perdidi.
‡ Lib. 6. ep. 19.

Brevior autem eſſe debet digreſſio in initio, aut fine, quàm in medio orationis. Imò in medio etiam videndum, ne nimis ea ſit prolixa. Quod ſi longiuſcula erit, utile fuerit aliquid præmittere. Ut Cicero facit libro IV. in Verrem: ubi priuſquam digrediatur ad illa de raptu Proſerpinæ, & Cereris Ennenſis cultu, hunc in modum ſibi præſtruit viam: *Nimium mihi diu videor in uno genere verſari criminum: ſentio, judices, occurrendum eſſe ſatietati aurium, animorumque veſtrorum. Quam ob rem multa prætermittam. ad ea autem, quæ dicturus ſum, reficite vos, quæſo judices.* Idem breviùs facit libro ſecundo in Verrem. Ubi narrârat, quomodo Verres à Sthenio popoſcerit, ut ſe adjuvaret ad tollenda ex oppido Thermitanorum antiquiſſima ſigna in publico poſita; quæ Himerenſium quondam fuerant; Thermitanis verò donata erant à Scipione Africano. Eâ occaſione dilabitur ad hujuſce beneficentiæ narrationem. Sed initio ſtatim παραμυθολογίαν inſerit, quæ cauſſam digreſſionis contineat: *Etenim*, inquit, *ut ſimul P. Africani quoque humanitatem & æquitatem cognoſcatis, oppidum Himeram Karthaginenſes quondam ceperant: quod fuerat inprimis Siciliæ clarum, & ornatum.* Atque hinc cætera in digreſſione illâ perſequitur.

Breviores ſunt oratoribus digreſſiones, quàm poëtis. Longa certè eſt illa Catulli, quâ carmine de nuptiis Pelei & Thetidis digreditur in fabulam de Theſeo, & Ariadne. Quâ de re viſum eſt adſcribere judicium eruditiſſimi viri, Sebaſtiani Corradi: *Catullus verò, quamvis doctus quaſi cognomento dicatur, in eâ re tamen reprehendi ſolet, quòd ad Theſei & Ariadnes fabulam digrediatur ita, ut propoſiti oblitus eſſe videatur. Et mehercule in eâ digreſſione ita multus eſt, ut vix defendi poſſit: niſi dicat aliquis, illum poëtas lyricos eſſe imitatum: qui quum neque gravia, neque magna, ſed amores, cœnas, & alia id genus profiteantur, longiùs evagari poſſunt: ut Pindarus non ſæpe modò, ſed ſemper ferè facit, & præſertim in Pythiis, ubi quum Arceſilaum pro Demophilo rogare conſtituiſſet, à re tamen ad nautas longiſſimè diſcedit.* Rectè profectò Corradus. Nam oratorum quidem eſt, celeriùs regredi ad propoſitum; quia inprimis iis propoſitum eſt, docere: eoque digrediendi pauſam faciunt, ubi exiſtimant auditorem ſatis eſſe delectatione perfuſum. Longè verò ſecus comparatum eſt cum poëtis, cùm hi non rarò vix aliud, quàm delectationem, ſpectent. Quin ſæpe ne quidem hos uti epanodo, (ita rhetores appellant regreſſionem ad propoſitum) indicio eſt Maro, qui I. Georg. occaſione arreptâ ex Solis indiciis, digreſſionem facit de morte Cæſaris, eâque librum claudit. Id ipſum quoque comprobat Horatius lib. III. od. III. ad Mercurium; ubi, arreptâ occaſione è fabulâ de filiarum Danai ſupplicio, digreditur ad Lyden puellam, atque eam ſimiles ait pœnas manere, ſi porrò contumax eſſe pergat. Idem oſtendit digreſſio illa, quæ

de

de Europâ eſt od. XXVII. ejuſdem libri, aliæque tum apud eundem, tum apud alios.

At ſemper regrediendum oratori. Cui iccirco videndum eſt, ne ita digrediatur, ut tandem, longiùs dilapſus, non videat, quomodo ad inſtitutum referre valeat pedem. Imò jam antequam digredi incipiat, cogitare oportet de reditu, ne ſerò pœniteat, quòd à propoſito exceſſerit.

Reveniendi ad propoſitum non invenuſta eſt formula Plauti initio Truculenti: *Sed hoc agamus.* Uti & illa Cornelii Nepotis in Dione: *Sed illuc revertor.* Etiam ſimplex admodum eſt ἐπάνοδος in illis pro S. Roſcio: *Verùm, ut cœpi dicere, & Erucius hæc ſi haberet in cauſſa, quæ commemoravi: poſſet hæc quamvis diu dicere: & ego, judices, poſſum.* At illa ambitioſior lib. IV. in Verrem: ubi cùm de raptu Proſerpinæ, & cultu Cereris Ennenſis, dixiſſet: *Non obtundam*, inquit, *diutius aures veſtras: jamdudum vereor, ne oratio mea, aliena ab judiciorum ratione, & quotidianâ dicendi conſuetudine, eſſe videatur. Hoc dico, hanc ipſam Cererem, antiquiſſimam, religioſiſſimam, principem omnium ſacrorum, quæ apud omnes gentes nationeſque ſunt, à C. Verre ex ſuis templis ac ſedibus eſſe ſublatam.* Idem pro Cœlio poſt digreſſionem de Q. Metello, ſic ad propoſitum redit: *Sed revertar ad crimen. Sed enim hæc facta illius clariſſimi ac fortiſſimi viri mentio, & vocem meam debilitavit, & mentem dolore impedivit. Sed enim venenum unde fuerit, quemadmodum paratum fuerit, non dicitur.* Taciti etiam eſt lib. II. Hiſtor. *Sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit. Nunc ad rerum ordinem venio.*

De digreſſione, atque epanodo nihil video, quod magnopere his addi opus ſit: niſi fortè illud, tum demum digreſſionem conducere, ſi ea ſe quaſi ſponte obtulerit, non vi intulerit. Item valere eam non modò ad oblectandum auditorem; vel ad rem amplificandam, ornandamque; ſed etiam, ut animos hominum aliò avertamus in nimiâ criminis conſideratione. Nam tum interdum minuenda eſt attentio, quemadmodum alibi diximus.

III. De transitione.

TRanſitionem, ſive μετάβασιν, Fabius *interfationem* vocat: qui & eam negat * eſſe ſchema. Ea vulgò definitur, figura, quâ breviter monemus, & quid dictum ſit, & quid reſtet. Verùm definitio hæc non omni convenit tranſitioni, ſed perfectæ ſolùm: quales multæ apud oratores, hiſtoricos, & poëtas. Nec alienum erit, ſi pluſcula ſubjecero exempla. Cicero ad Caninium imp. † *Uni epiſtolæ reſpondi: venio ad alteram.* Pro lege Maniliâ: *Quoniam de genere belli dixi: nunc de magnitudine pauca dicam.* Eâdem: *Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare hoc bellum eſſet genere ipſo neceſſarium, magnitudine periculoſum. Reſtat, ut de imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum eſſe videatur.* Pro Mil. *Sed jam ſatis multa de cauſſa: extra cauſſam etiam nimis fortaſſe multa: quid reſtat, niſi ut orem, obteſterque vos, judices, ut miſericordiam tribuatis fortiſſimo viro.* Cornificius lib. I. ad Herennium: *De exordio ſatis dictum eſt: deinceps ad narrationem tranſeamus.* Varro lib. IV. de L. L. *Hæc de hominibus: hinc quod ſequitur de pecore.* Et lib. V. *De ſtatutis diebus dixi: nunc de annalibus dicam.* Et eodem libro: *De multitudine quoniam quod ſatis eſſet admonui, de obſcuritate pauca dicam.* Item lib. VI. *Cauſſam, quare ab impoſitis nominibus declinarint, oſtendi. Sequitur, in queis voluerint declinare, aut noluerint.*

* Lib. 9. cap. 2.

† Lib. 2. ep. 17.

Virgil. Ecl. VIII.

Hæc Damon: vos, quæ reſponderit Alpheſibœus,
Dicite, Pierides.

Idem II. Georg.

Hactenus arvorum cultus, & ſidera cœli:
Nunc te, Bacche, canam: nec non ſylveſtria tecum
Virgulta, & prolem tardè creſcentis olivæ.

Tacitus libro de moribus Germanorum: *Hæc in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc ſingularum gentium inſtituta, rituſque, quatenus differant, quæ nationes è Germania in Gallias commigraverint, expediam.*

Atque hujuſmodi eſt tranſitio, quam perfectam vocant: quâ, ut vidimus, utrumque exponitur, & quid dictum ſit, & quid dicendum. Imperfecta vocatur, cùm tantùm alterum horum exprimitur. Cujus generis non paucæ item apud ſcriptores occurrunt. Ac interdum quidem tantùm prior pars adfertur. Ut apud Tullium in Topicis: *Quod ad definitiones, hactenus: reliqua videamus.* Et libro I. in Verrem: *Quæſturâ iſtius demonſtratâ, reliqua attendite.* Item apud Salluſtium in Jugurthino bello, ubi poſt Africæ deſcriptionem ait: *De Africa, & ejus incolis ad neceſſitudinem rei ſatis dictum.* Deinde hiſtoriam perſequitur ab illis verbis: *Poſtquam diviſo regno legati Africâ deceſſere*, & quæ ſequuntur. Sed ſæpius tantùm poſterius membrum exponitur. Cicero pro Roſcio: *Age nunc illa videamus, judices, quæ conſecuta ſunt.* Idem in Bruto: *Nunc reliquorum oratorum ætates perſequamur.* Cornificius ad Herennium: *Tempus eſt ad cæteras partes orationis proficiſci: deinceps igitur de diſpoſitione dicemus.* Varro lib. IV. *De his diebus nunc jam, qui hominum cauſſâ conſtituti, videamus.* Et lib. V. *Nunc primum ponam de cenſoriis tabulis.* Et lib. VII. *Deinceps dicam de altero genere vocabulorum.* Maro IV. Georg.

Protinus aërii mellis cæleſtia dona
Exequar. hanc etiam, Mæcenas, adſpice partem.

Atque ex his liquet, non requiri in μεταβάσει, ut & quid dictum, & quâ de re agendum ſit, exponatur: ſed tantùm, ut aliud dicamus præter rem propoſitam quò digreſſi ab eo quod dictum eſt, aliud adjungamus ad quod accedimus.

IV. De tapinosi.

SEquuntur figuræ, quæ minùs dicunt, quàm pro re ſit. Hujuſmodi ſunt, ταπείνωσις, παράλειψις, & περίφρασις: ex quibus duo poſtrema quodammodo etiam referri poſſunt ad ea, quæ plus dicunt, ut mox oſtendam.

ΤΑΠΕΙ'ΝΩΣΙΣ, ſive μείωσις, quæ Latinis *diminutio, imminutio*, & *extenuatio* dicitur, minuit gravitatem rei, nominis levitate. Ut ſiquis pro multis lachrymis *lachrymulam* dicat. Quod Plancii adverſarium feciſſe cognoſcimus ex illis Ciceronis verbis pro Plancio: *Et mihi lachrymulam Ciſpiani judicii objectas. Sic enim dixiſti, Vidi ego lachrymulam tuam. Vide, quàm me verbi tui pœniteat. Non modò lachrymulam, ſed multas lachrymas, & fletum cum ſingultu, videre potuiſti.* Etiam ſcelera ſua ſtudii nomine velabat Verres. Unde ſic Cicero Verrinâ ſextâ: *Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium; ut amici ejus, morbum & inſaniam; ut Siculi, latrocinium. ego, quo nomine appellem, neſcio.* Itidem aliquid, quod temere vel odio factum fuerit, uti ab accuſatore *ſcelus*, ita à defenſore *error* dicetur. Cicero pro Ligario: *Scelus tu id vocas, Tubero? cur? iſto enim nomine illa adhuc cauſſa caruit. alii errorem appellant, alii timorem. qui duriùs, ſpem, cupiditatem, odium, pertinaciam. qui graviſſimè temeritatem. ſcelus, præter te, adhuc nemo.* Sed hæc ταπεινώσεως exempla Tullius adfert ex mente alienâ. Ex propriâ verò eſt illud pro Milone: *Mirabar tamen, credi Popæ: ebrioſorum confeſſionem ſervorum audiri: vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris putari.* Quamvis fortaſſe hìc rectiùs ſtatuatur ὑπερβολὴ μειωτικὴ, cùm veriſimile non ſit, quemquam pro ictu gladiatoris habere, quod acu punctum videretur.

Habet & locum ταπείνωσις in inanimis. Quale eſt, cùm *gurges* pro mari ponitur. Ut apud poëtas ſæpe: inter alios Catullum *, cùm de Nereïdibus nymphis ait:

* Carmine de nuptiis Pelei, & Thetidos.

Nutricum tenus exſtantes è gurgite vaſto.

Quo

Quo loco, ut obiter id addamus, *nutrices* dixit pro papillis ſive uberibus: quâ fortaſſe ratione, & *mordices* pro dentibus dixit Plautus Aulularîâ. Hoc cùm non animadverteret Bernardus Realinus, locum Crotone ſaniorem ſollicitare aggreſſus eſt, ac pro *nutricum*, quod non modò in Aldinâ quoque eſt, ſed & veteri Regienſi *, *umblicum* legit. At hoc quoque alii inſubidi magis, qui legunt, *jam crurum tenus*: quod ut in nymphis inverecundum fuiſſet, ita in βιβλιοσρίβλαις illis ob ineptiam penè intolerabile eſt. Etiam in verbis ταπεινώσεις invenitur. Ut in hoc Horatii †:

Anni 1481.
† *Lib. 3. od. 26.*

O, quæ beatam diva tenes Cyprum, &
Memphim carentem Sithoniâ nive,
Regina, ſublimi flagello
Tange Chloën ſemel arrogantem.

Nam *tangere* dicebant veteres pro percutere, pungere, lædere: ut fusè docuit Moretus ‡. Sic idem Flaccus alibi ∤:

‡ *In Catulli illud carm. 18.* Tangam te prius.
∤ *Od. 8. lib. 3.*

Quicunque mundo terminus obſtitit,
Hunc tangat armis.

Eadem ratio iſtius od. VII. lib. II.

Tecum Philippos, & celerem fugam
Senſi relictâ non bene parmulâ,
Cùm fracta virtus, & minaces,
Turpe, ſolum tetigere mento.

At immeritò Horatium reprehendit in Hypercritico Jul. Scaliger, quòd non ſatis gravi ac ſignificanti *tangendi* utatur voce. Secundum etiam verſum peſſimo conſilio ſollicitari à Rob. Titio, oſtendimus lib. II. cap. VIII. Sed ut hoc in exemplo non viderunt ταπείνωσιν: ita contrà in aliis eam fruſtra collocarunt. Sanè Servius putat, Scyllam (quod, ſi hiſtoriam potiùs, quàm fabulam attendamus, navis piraticæ erat nomen *) à Marone † κατὰ ταπείνωσιν dici *Dulichias vexâſſe rates*. Quam ejus ſententiam ſolidè refutarunt, cùm Aſconius, & Probus, qui *vexandi* vocabulum grave eſſe ajunt: tum inprimis Agellius lib. II. cap. VI. & Macrobius lib. VI. Saturn. cap. VII. Et vel ἔτυμον Scyllæ, ut jam aliis ‡ monitum, oſtendit, propriè locutum Maronem: cùm σκῦλαι Græcis ſit *vexare*: unde gloſſæ Philoxeni: *Vexat*, ὀχλεῖ, σκύλλει, χειμάζει. *Vexabuntur*, σκυλήσονται. *Vexare*, σκῦλαι. *Vexatio*, σκυλμός. *Vexatus*, κατεπονηθείς, σκυλείς. *Vexo*, καταπονῶ, σκυλεύω. Ac ſimilia legas in gloſſis Græco-Latinis, quæ Cyrilli dicuntur.

* *Palæphatus.*
† *Ecl. 6.*
‡ *Germano Valenti in eum Maronis locum, Rigaltio in Phædri fab. 75. &c.*

Et hæc de μειώσει. Quæ nec ipſa fuerit ſchema διατολᾶς, ſi αὔξησις eorum numero eximatur. Certè cùm Lucretius pro mari dixit *lacunnas ſalſas* ∤, quam μείωσιν vulgò eſſe ſtatuunt; nemo, puto, μεταφορὰν eſſe inficias iverit. At συνεκδοχὴ generis, & μετωνυμία adjuncti eſt, cum Latini ὑποκοριζόμενοι perduelles vocant *hoſtes*, quo propriè ſignificantur peregrini, teſte Tull. I. Offic. & Varrone penè initio lib. IV. de L. L. aut cùm Spartani itidem, quo ταπεινώσει hâc rem triſtiorem mitigarent, ξένους vocant eoſdem, h. e. hoſpites ſeu peregrinos. Verùm, quod de auxeſi ſuperiùs dicebamus, idem hic locum habet. Nihil enim prohibet, quo minùs utraque pro diverſo conſiderandi modo, tum troporum affectio ſit, tum ſententiæ figura.

∤ *Lib. 3.*

V. De aposiopesi.

Ἀποσιωπήσεως vox è caſtris adſcita eſt in ſcholas rhetorum. Nam qui in prœliis occubuiſſent, neque nominarentur in recitatione numerorum, ſive catalogi, (utraque ea vox militiæ propria) hi καθ' ἀποσιώπησιν nominati judicabantur: ut è contrario prœlio credebantur interfuiſſe, quorum nomina ταξίαρχος * retulerat in numeros, tametſi eorum nulla eſſet facta mentio.

* *Ordinum ductor.*

De nomine hujus ſchematis variant rhetores. Ciceroni dicitur *reticentia*, Celſo *obticentia*, autori ad Herennium *præciſio*, aliis etiam *interruptio* nominatur, ut ex Fabio cognoſcimus.

Sed neque eodem modo definitur. Jul. Scaliger ἀποσιώπησιν eo diſtinguit ab ἐλλείψει, quòd hæc ſit verbi ſuppreſſio; illa ſit totius rei defectus. Itaque ἔλλειψις ei eſt in iſto Juvenalis *:

* *Sat. 6.*

Tune duos unâ ſæviſſima vipera cœna,
Tune duos?

Item iſto Maronis †:

† *Æn. 1.*

Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.

Et hoc ∤:

∤ *Æn. 9.*

Me, me: adſum, qui feci.

Quibus ſimile hoc Silii ‡:

‡ *Lib. 7.*

—— Quin inter cætera noſtra
Haut laude abſuerit, modò qui: ſed parcere dictis
Sit melius.

At ἀποσιώπησις ei eſt in illo *:

* *Æn. 4.*

Dixerat, atque illam media inter talia ferro
Collapſam adſpiciunt.

Omiſit enim poëta, quomodo ■ interemerit. Item in hoc †:

† *Æn. 6.*

—— Ni jam præmiſſus Achates
Afforet.

Nam prætererat Maro, Achatem præmiſſum eſſe; quod demum cognoſcimus, poſtquam reverſus eſt. At vulgò ἀποσιώπησις vocatur, quod Scaligero eſt ἔλλειψις, ſive ἔκλειψις. Vocem enim eclipſios retinuit, quam in vulgatis Fabii, Donati, aliorumque codicibus invenerat; cùm tamen ἔκλειψις non vocis, ſed Solis Lunæve ſignificet defectum, ac præcipuè Solis; quemadmodum Lunæ deliquium propriè καθαίρεσις nominatur: ut videre eſt ex ſcholiaſte Apollonii lib. IV. Sed de vocabulis non contendam. Iſtæc tamen definitio, quâ ἀποσιώπησις dicitur, cùm ob affectum pars aliqua orationis præciditur, eo peccat, quòd anguſtior ſit. Tria quidem exempla, in quibus ἔλλειψιν Scaligero eſſe dicebamus, affectum continent, quia primum ab indignatione eſt, alterum ab irâ, tertium ab amore. At diſpar ratio in iſto Ciceronis ad Terentiam ‡: *Si perficitis quod agitis, me ad vos venire oportet. Sin autem. Sed nihil eſt opus reliqua ſcribere.* Neque enim aliâ de cauſſâ præterit Cicero, quàm quia etiam tacitum intelligeretur.

‡ *Lib. 14. epiſt. 3.*

Neque affectus eſt in iſto II. Æn.

Nec requievit enim, donec Calchante miniſtro.

Scilicet, me aræ deſtinaret: quod à poëta præteritur. Nam verſus proximus eſt:

Sed quid ego? Hæc autem nequicquam ingrata revolvo.

Niſi vulgatam lectionem ſequi malis.

Neque affectus locum habet, quum oratio præciditur, nequid ſcævi dicamus, ac mali ominis. Demoſthenes περὶ στεφάνου· Ἀλλ' ἐμοὶ μὲν οὐ βούλομαι δυσχερὲς εἰπεῖν ἀρχόμενος τοῦ λόγου *. Cic. ad Caſſium †: *Brutus Mutinæ vix jam ſuſtinebat; qui ſi conſervatus erit, vicimus: ſin, (quod Dii omen avertant) omnis omnium curſus eſt ad vos.* Ovidius Laodamiæ epiſt.

* *Sed mihi: nolo autem quicquam moleſti dicere in orationis initio.*
† *Lib. 12. epiſt. 6.*

Me tibi venturam comitem, quocunque vocâris;
Sive, (quod heu timeo) ſive ſuperſtes eris.

Deeſt in priori membro, *occideris*.

Quin ſi pudor affectus non eſt, quâ de re aliquid lib. II. dicebamus, ne quidem affectus ſit in iſto Ecl. III.

Novimus & qui te, tranſverſa tuentibus hircis,
Et quo (ſed faciles Nymphæ riſere) ſacello.

Qui te, puta corruperit, vel corruperint. Ἀποσιώπησιν tamen hic agnoſcit Quinctilianus. Quamquam ei quidem (nequid diſſimulem) non difficulter occurritur. Propriè enim tum ἀποσιώπησις eſt, cùm, quid taceatur, incertum eſt, vel longiore ſermone explicandum. Atqui hic unicum tantummodo verbum deſideratur, & illud manifeſtum. Eoque Pierius quoque ἀποσιώπησιν hìc ſtatuendam negat.

Quis etiam affectus eſt, cùm ſermonem quis abſcindit, quia ſe animadvertat extra oleas vagari? Cujuſmodi ἀποσιώπησιν habemus apud Lucianum de gymnaſiis, ubi Solon ſibi ſilentium injungit, quia, ut ait ipſe, ſe videret ἔξω τοῦ πράγματος ληρεῖν ‡.

‡ *Extra rem nugari.*

Atque hæc quidem, quæ produximus, exempla ſunt ſive

by Google

ſive ἐλλείψεως, ſive ἀποσιωπήσεως ejus, quæ fit per ſe. Eſt verò & alterum genus, quo per accidens aliquid reticetur; ut cùm apud Comicos pars ſententiæ non efferatur ob perſonæ interventum: velut Phorm.*

* Act. 1. ſc. 2.

Siquis me quæret rufus. D. præſto eſt. Deſine.

Ubi Donatus ἀποσιώπησιν agnoſcit. Par ratio in iſtoc Plautino ‡:

‡ Aſin. act. 3 ſc. 3.

De argento ſi mater tua ſciat, ut ſit factum. A P. Heia. Benedicite.

Nam abrumpit ſervi ſermonem Argyrippus, ne malè ominaretur.

Hæc de apoſiopeſi: à quâ diverſa eſt ὑποσιώπησις. Ea, ab Ulpiano primam Olynthiacam enarrante, fieri dicitur, ὅταν μέλλῃ τις ἐπιφέρειν τραχύ τι καὶ λοιδορίας ἐχόμενον, μὴ βούληται δὲ διὰ τὸ ἐπαχθὲς αὐτὸ λέγειν, ἀλλὰ δι' αἰνιγμάτων σημαίνῃ· *quando quis allaturus aſperum quiddam, & convicio affine, non vult id dicere, eo quòd odioſum foret; ſed obſcuriùs id quibuſdam ambagibus ſignificat.* Exemplum autem ibidem adfert. Nam cùm dicere vellet Demoſthenes, Athenienſes, neceſſariis neglectis, ſpectaculis ac deliciis vacare; ut declinet offenſam, reticet illud, ac tantùm dicit: Οὐκ οἶδ' ὅντινά μοι δοκεῖτε ἔχειν τρόπον πρὸς αὐτά· *Neſcio, quo pacto mihi videamini erga illa affecti.* His ſubjungit Ulpianus diſcrimen inter duo, quæ dixi, ſchemata: Διαφέρει καὶ τῆς ἀποσιωπήσεως· ὅτι ἐκείνη μὲν παντελῶς ἀποσιωπᾷ τὸ πρᾶγμα, ὥσπερ τὸ οὐ βούλομαι δὲ δυσχερὲς εἰπεῖν οὐδὲν, ἀρχόμενος τοῦ λόγου. ἡ δὲ ὑποσιώπησις, αἰνίττεταί τι, ὡς ἐνταῦθα. *Differt autem* (hypoſiopeſis) *ab apoſiopeſi, quòd hæc quidem rem penitus reticet. Ut in illo, nolo autem quicquam mali ominis dicere initio orationis meæ. At hypoſiopeſis ſignificat aliquid obſcurâ verborum ambage: uti hoc loco fit.*

VI. De præteritione, apophasi, et apodioxi.

Παράλειψις, ſive præteritio eſt, cùm ſimulamus, nos omittere, quòd maximè dicimus. Fit hoc, juxta Hermogenem †, tribus de cauſſis; vel quia res ſunt parvæ, vel quia notæ, vel quia ingratæ, ac moleſtæ. Non tamen planè prætereunus, quia ſunt Oratori utiles. Lucill. ‡.

† Περὶ μεθ. δεινότ.

‡ Apud Julium Rufinianum.

Non tango, quod avarus homo eſt, quodque improbus, omitto;

ubi omnino legendum,

——quodque improbu', mitto.

Quomodo hunc locum levi negotiolo correximus, cùm primùm Oratoriæ noſtræ viderent lucem ac biennio etiam pòſt Notis in Apulei apologiam* ſimiliter legendum putavit Scipio Gentilis. Et ſanè cur hypermetrum faceret poëta, cauſſæ nihil erat. Terent. Eun. act. v. ſc. iv:

* Tuenna. n 74.

Nam ut mittam, quod ei amorem difficillimum, &
Chariſſimum ab meretrice avarâ, virginem
Quam amabat, eam confeci ſine moleſtia.

Gaudet præteritione etiam Tullius. Ut ad Trebonium lib. xv. epiſt. ad ult. *Ut illa omittam, quæ, civitate teſte, feciſti, cùm mecum inimicitias communicaſti, cùm me concionibus tuis defendiſti, cum quæſtor in mea atque in publica cauſſa conſulum defendiſti.* Pluraque addit in hanc mentem. Subjicit inde: *Ut hæc igitur omittam, quæ mihi tanti æſtimanda ſunt, quanti vitam æſtimo, & ſalutem meam.* Idem ad Att. epiſt. iii. lib. viii: *Omitto illa vetera, quod iſtum in Remp. ille aluit, auxit, armavit.* Idem in Vatinium: *Ac illud tenebricoſiſſimum tempus ineuntis ætatis tuæ patiar latêre: licet impune per me parietes in adoleſcentiâ perfoderis, vicinos compilâris, matrem verberâris: habeat hoc præmium tua indignitas, ut adoleſcentiæ turpitudo, obſcuritate, & ſordibus tuis tegatur.* Item pro lege Maniliâ: *Itaque non ſum prædicaturus, Quirites, quantas ille res domi militiæque, terrâ marique, quantaque felicitate geſſerit: ut ejus ſemper voluntatibus non modo cives aſſenſerint, ſocii obtemperarint, hoſtes obedierint: ſed etiam venti tempeſtateſque obſecundarint. Hoc breviſſimè dicam,* &c. Etiam luculenta eſt præteritio illa in Rullum: *Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturæ atque damni: prætermitto illa, quæ nemo eſt quin graviſſimè & veriſſimè conqueri poſſit; nos caput patrimonii publici, pulcherrimam populi Romani poſſeſſionem, ſubſidium annonæ, horreum belli, ſub ſigno clauſtriſque Reip. poſitum vectigal, ſervare non potuiſſe; eum denique nos agrum P. Rullo conceſſiſſe, qui ager ipſe per ſeſe, & Syllanæ dominationi, & Gracorum largitioni reſtitiſſet: non dico ſolum hoc in Rep. vectigal eſſe, quod amiſſis aliis remaneat, intermiſſis non conquieſcat, in pace niteat, in bello non obſoleſcat, militem ſuſtentet, hoſtem non pertimeſcat: prætermitto omnem hanc orationem, & concioni reſervo: de periculo ſalutis ac libertatis loquor.*

Pertinet hoc ſchema partim ad ea, quæ magis dicunt; partim ad illa, quæ minùs efferunt. Nam etſi minùs ſe dictum ait orator, quàm in re eſt; plus tamen dicit, quàm ſe dicturum ait.

Convenit autem laudanti, & reprehendenti. Item ſi aliqua ad probandum, vel refellendum, non parum conducant; atque interim ejus ſint naturæ, ut ſi inſiſtatur illis, ſatietatem potius ſint allatura, quàm voluptatem.

Vicina huic, vel eadem figura, eſt ΠΑΡΑΣΙΩΠΗΣΙΣ, de qua Rutilius lib. ii. Item ἈΠΌΦΑΣΙΣ. Ut in illo Verr. i: *Nec eadico, quæ ſi dicam, infirmare non poſſis.* Et eâdem: *Sunt hæc, & alia, in te falſi accuſatoris ſigna permulta, quibus ego non utor.* Conducit hæc refellenti.

Vicina quoque eſt ἀποδίωξις, quâ aliquid vel ſimpliciter ab oratione removetur, vel in alium locum rejicitur. In Julii Rufiniani codicibus, etiam eo, quem Pythœus dedit, vocatur *apodoxis*, voce nihili. Cæterùm paullo aliter hoc nomine utitur Rufinianus, quàm nos. Siquidem ita ei vocatur *rejectio, vel reprobatio, quarundam rerum, quaſi in quæſtionem non venire dignarum,* (vel quas putemus*) *neque potuiſſe ab adverſariis poni, aut à nobis quæri, aut à judice poſtulari.* Cicero pro Cœlio: *Equitis autem Romani eſſe filium, criminis loco poni ab accuſatoribus, neque his judicantibus oportuit, neque defendentibus nobis.*

* Tres hæ voces, vel aliquid ſimile exiſtimo apud Rufinianum deſiderari.

VII. De periphrasi.

Περίφρασις eſt, quâ multis ambimus verbis rem deſignatam. Ea cur malè in troporum numero reponatur, diximus in tropologiâ †. Eſt autem partim σχῆμα λέξεως, partim διανοίας. Prioris generis eſt, cùm ſolùm ornatus cauſsâ adhibetur. Ejuſmodi ſunt temporis deſcriptiones apud poëtas; in quibus licet ſubſtituas id, quod ſignificatur, de ornatu multum, de re nihil diſceſſerit. At poſterioris eſt ordinis, cùm utimur, ut rem obumbremus, ſic tamen, ut cerni poſſit. Ita Cicero in Milonianâ, cum gravius eſſet dicere, Clodium à Milone occiſum, περιφράζει maluit hanc rem mollire. In narratione enim ita inquit de ſervis Milonis: *Ex quibus, qui animo fideli in dominum erant, & præſentes fuerunt, partim occiſi ſunt, partim cùm ad rhedam pugnari viderent, & domino ſuccurrere prohiberentur, Milonemque occiſum etiam ex ipſo Clodio audirent, & ita eſſe putarent, fecerunt id ſervi Milonis, (dicam enim non derivandi criminis cauſsâ, ſed ut factum eſt) neque imperante, neque ſciente, neque præſente domino, quod ſuos quiſque ſervos in tali re facere voluiſſet.* In Confirmatione quoque ſimiliter loquitur: *Adde,* inquit, *inſcitiam pranſi, poti, oſcitantis ducis, qui cùm à tergo hoſtem interclusum reliquiſſet, nihil de ejus extremis comitibus cogitavit: in quos incenſos irâ, vitamque domini deſperantes cùm incidiſſet, hæſit in iis pœnis, quas ab eo ſervi fideles pro domini vita expetiverunt.* Sed & Demoſthe-

† Lib. 4. cap. 13. ſect. 10.

moſthenes oratione adverſus Midiam, & Lyſias oratione contra Eratoſthenem, ſimiliter locuti; ut oſtendit Ant. Muretus lib. VII. Var. Lect. cap. XXIII. At quando περί-φρασις adhibetur, quo rem magis perſpicuam reddamus, (ut cùm Homerus Ulyſſem, Virgilius Æneam, uterque initio operis ſui, maluit περιφραστικῶς deſignare, quam nominare) pertinet ad ſchemata, quæ plus dicunt. Hic verò eam ſub ambiguo nomine comprehendimus.

Interdum autem nec augendi, nec minuendi cauſſâ adhibetur; ſed ſimpliciter ad quempiam circumloquendum, quem nominare vel nolumus, vel non poſſumus: ut ſi nomen non occurrat. Ita Maro Eratoſthenem, vel, ut alii malunt, Archimedem περιφράζει in Bucolicis, ut τὸ πρέπον ſervet in perſonâ ruſtici, quem veriſimile non eſt accuratè adeò noſſe Mathematicorum nomina. Locus eſt Eccl. III:

In medio duo ſigna; Conon; & quis fuit alter?
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem.

Ubi ineptè Servius ait, intelligi quoque poſſe Ptolemæum. Quod etiam apud Germanum Valentem * legere eſt. Atqui Mathematicum hunc conſtat demum ſub Antonino Pio floruiſſe. Pari errore ibidem Servius per Cononem intelligit ducem Athenienſem; cum ſignetur Mathematicus ille, qui vixit tempore Ptolemæi Euergetæ: ut vel notum è Catulli carmine de coma Beronices.

* *In Ecl. 3.*

Sedulò autem cavendum, ne in oratione proſâ uſurpemus circumlocutiones poëticas. Quod facit Appulejus; ut cùm tertium Mileſiorum ſuorum librum hoc pacto orditur: *Commodum punicantibus phaleris Aurora roſeum quatiens lacertum cælum inequitabat: & me ſecura quieti revulſum nox diei reddidit.* Sed & Petrarcham, qui pleriſque tantopere in deliciis eſt, reum ejuſdem criminis agit Ubertus Folieta †: quamquam is quidem vix aliter potuit, cùm Appulejum ſibi imitandum propoſuerit: ex quo, ut idem Folieta obſervavit, fabulam quoque de Petro Vinciolo, & alteram de quapiam Neapolitanâ, totidem tranſſcripſit verbis.

† *Lib. 1. de uſu & præſtantia ſermonis Latini.*

Illud quoque hoc loco diſquirendum arbitror, an periphraſis rem neceſſariò pluribus circumloquatur verbis. Mihi quidem, ſi argutari lubeat, in mundo ſit ratio, quâ liqueat, rem ſecus ſe habere. Nam ſi periphraſis ſit piſcatorum in illo Ovidii ‡;

——vultumque virilem
Induit, & vultus piſces capientibus aptos:

cur non & circumlocutio erit, ſi eos *piſcicapos* eâ ratione dixerim, quâ *urbicapos* dixit Plautus? Et ſi periphraſis eſt, cùm dicuntur οἱ ἐξ ἁλὸς ζῶντες *: cur quæſo non & periphraſis ſit, ſi unâ voce dicam *marevivi*, vel Græcè ἁλίζωοι, quomodo viri docti legunt apud Athenæum † in Pancratis verſu de ſalpis:

Ἅς τε βόας πορκῆες ἁλίζωοι καλέουσιν ‡.

Quod ſi eſt; dicendum, periphraſin eſſe, non tantùm, cùm multis verbis, ſed & cùm unâ compoſitâ, quæ pluribus ἰσοδυναμεῖ, rem quampiam circumloquimur. Doctiorum eâ de re arbitratus eſto. Et hæc de periphraſi: de quâ nonnulla quoque diximus, cùm ageremus * de iis, quæ falſò inter tropos recenſentur.

‡ *8. Met. fab. extrema.*
* *E mari viventes.*
† *Lib. 7.*
‡ *Quas boves piſcatores è mari viventes vocitant.*
* *Lib. 4. cap. 13.*

Cæterum ad ſchemata, quæ minùs dicunt, etiam referri poſſe arbitror ſchema illud, in quo per quandam ſuſpicionem, quod non dicimus, accipi volumus, non utique contrarium, ut in εἰρωνείᾳ, ſed aliud latens, & auditori quaſi inveniendum. E. G. in ſuſpectâ nuru, *Duxi uxorem, quæ patri placuit.* Ubi ambiguitate verborum luditur. Item cùm Themiſtocles autor fuit Athenienſibus, ut urbem apud Deos deponerent, quia durum erat dicere, ut relinquerent. Et qui pecuniam è Victoriis aureis in uſum belli conflari volebat, declinavit invidiam, dicens, utendum eſſe victoriis. Atque in his omnibus eſſe δυσφημισμόν, oſtendimus lib. V. cap. X. Etſi autem inter figuras à Fabio quoque reponatur; non tamen proprium nomen habet, ſed ipſo generis nomine appellatur. Niſi χρῶμα, ſive *colorem*, vocare velis. Nam apud Senecam lib. II. controverſ. IX. de Othone Junio legas: *Solebat hos colores adhibere, qui ſilentium & ſignificationem deſiderant.* Inprimis autem figuræ aut ſchematis nomine ſignificantur dicta, quibus obliquè aliquis notatur: quod & monet Budæus primo de aſſe. Ita Suetonius in Veſpaſiano: *Amicorum*, inquit, *libertatem, cauſſidicorum figuras, ac philoſophorum contumaciam leviſſimè tulit.* Idem in Domitiano: *Hermogenem Tarſenſem occidit, propter quaſdam in hiſtoriâ figuras, librariis etiam, qui eam deſcripſerant, crucifixis.* Et apud Martialem hæc duo opponuntur, nominare ſchemate, & apertè nominare. Sic enim ille lib. III. epigr. LXIIX:

Schemate non dubio, ſed apertè nominat illam.

Incertus (Tranquillus videtur ex ſtylo) in vita Juvenalis: *In ſuſpicionem venit, quaſi figuratè tempora notaſſet.*

Apud Demetrium quoque penè ſub finem lib. περὶ ἑρμηνείας ſermo iſtiuſmodi vocatur ἐσχηματισμένος: & à Fabio lib. IX. cap. II. eodem modo dicuntur *controverſiæ figuratæ*, cùm latenter ſuſpicionem cujuſdam rei injicimus, quam tamen nolumus apertè dicere. Crebrò ſic loquitur Philoſtratus: ut de Herode Attico, σχηματίσας τὸν λόγον *. Scitum hoc ejuſdem in vita Rufi, ſophiſtæ Perinthii: Δεῖ γὰρ ἐν ταῖς κατὰ σχῆμα συγκειμέναις τῶν ὑποθέσεων, ταῖς μὲν λεγομέναις ἡνίας, ταῖς δὲ σιωπωμέναις κέντρον. *In cauſſis ſecundùm figuram compoſitis, & dicendis habenas, & tacendis aculeum dare convenit.* Nec minùs elegans illud ejuſdem de Hermocrate Phocenſi: Καὶ γὰρ δὴ καὶ τὰς ἐσχηματισμένας εὖ διέθετο, ἀμφιβολίας τε πλείστας ἐπινοήσας, καὶ τὸ σημαινόμενον ἐγκαταμίξας τῷ ἀφειμένῳ. *Figuratas etiam controverſias bene diſpoſuit, & multa ambiguè dicta excogitans, & ſignificationem admiſcens ſilentio.* Sic enim commodè verteris, quia τὸ σημαινόμενον idem eſt ei, quod Othoni Junio apud Senecam (ut ſuperiùs vidimus) eſt *ſignificatio*, hoc eſt, res expreſſa: τὸ ἀφειμένον verò eſt, quod eidem Junio eſt *ſilentium*, id eſt, latens illud, quod auditoris ſuſpicioni relinquitur. Macrobii quoque eſt lib. VII. Saturn. cap. II: *Scomma penè dixerim morſum figuratum, quia ſæpe fraude vel urbanitate tegitur, ut aliud ſonet, aliud intelligas.* Ubi ſic *morſum figuratum* dixit, ut Suetonius ſuperiùs ajebat *cauſſidicorum figuras*. Locutus & eodem modo B. Hieronymus præfat. in lib. Job: *Obliquus apud Hebræos totus liber fertur, & lubricus, & quod Græci Rhetores vocant,* ἐσχηματισμένος, *dum quis aliud loquitur, aliud agit.* Et epiſt. LXVI. ad Rufinum: *Præfatiuncula librorum* περὶ ἀρχῶν *ad me miſſa eſt, quam ex ſtylo intellixi tuam eſſe: in quâ obliquè, imò apertè ego petor. Quâ mente ſit ſcripta, tu videris: quâ intelligatur, & ſtultis patet. Poteram & ego, qui ſæpiſſime figuratas controverſias declamavi, aliquid de vetere artificio repetere, & tuo te more laudare.* Hæc ille.

* *Sermonem figurans.*

Duplicem autem ſchematis ſeu figuræ uſum adfert Demetrius. Prior eſt, ἕνεκα εὐπρεπείας, ſi non decet dicere; alter ἕνεκα ἀσφαλείας, ſi non eſt tutum dicere. Quibus ex Fabio † adde tertium, *qui venuſtatis modò gratiâ adhibetur; & ipſâ novitate ac varietate magis, quàm ſi relatio ſit recta, delectat.* Εὐπρεπείας exemplum à Demetrio adfertur ex Platone, qui in Phædone Ariſtippum, & Cleombrotum, reprehendere cùm vellet, quòd in inſulâ Æginâ epulati fuiſſent, quo tempore præceptor eorum Socrates in vinculis erat Athenis, à quibus vix ducentis aberant ſtadiis: non quidem eos palàm perſtringit, ſed id facit occultè. Nam rogatus Phædon, qui Socrati præſtò fuiſſent, enumerat univerſos: ac quærente altero, Quid illi duo? reſpondet, In inſulâ Æginâ erant: quæ verba, licet haut aliud addat, tamen majorem vim habere videntur, quàm ſi eos graviter perſtrinxiſſet. Ac hoc quidem εὐπρεπείας ‡ eſt exemplum, quia nihil erat periculi reprehendere Ariſtippum. At propter ἀσφάλειαν * eſt illud Phalerei in Craterum Macedonem, quem videbat ſedentem ſellâ eburneâ, audientemque Athenienſium legatos: *Nos*, inquit, *ante aliquot annos, hos omnes, & Craterum hunc, ita excipiebamus, cùm ad*

† *Lib. 9. cap. 2.*
‡ *Demetr.*
* *Securitatem.*

nos

nos venirent. Magna ἔμφασις eſt in voce *hunc.* Par ratio fuerit, ſiquis, ut tectè moneat Dionyſium, Siciliæ tyrannum, alios inceſſat, qui idem factitarunt: uti ſi apud eum Phalaridis crudelitatem exagitet: aut contrà ſi eos dilaudet, qui contraria egerunt; ut Hieronem, Gelonem, alioſque: Et ſic quoque non levi ſit prudentiâ opus. Sanè Philippus Macedo*, quia unoculus foret, ægrè ferebat mentionem Cyclopis, vel etiam oculi. Et Hermias Atarnei dominus†, quòd eunuchus eſſet, ſuccenſebat exſectionem vel culrellum nominanti. Plura vide in eruditis Dionyſii Halicar. monitis περὶ τ͂ ἐσχηματιſμένων: item apud ipſum Fabium lib. IX. cap. II: ubi & inter alia monet, quo modo ſententiis hâc amentatis figurâ ab adverſa parte occurri debeat.

* Demetr. περὶ ἑρμ.
† Ibid.

Video homines eſſe eruditiſſimos, qui tradant, fuiſe etiam de figurato ſermone olim ſcripſiſſe Plinium majorem. Hoc colligunt ex iſtis Plinii junioris verbis‡, ubi avunculi ſui opera recenſet: *Dubii ſermonis octo ſcripſit* (libros) *ſub Nerone noviſſimis annis, cùm omne ſtudiorum genus paullo liberius & erectius periculoſa ſervitus feciſſet.* At neutiquam Plinii mens eſt, quia non liceret liberè ſub Nerone loqui, aut ſcribere; eo docuiſſe avunculum, quomodo ſchemate homines dicere poſſent quod vellent: (quod, credo, Plinio non optimè abiiſſet) ſed hoc ait, quia ſub tyranno illo ſuſpecta eſſent præclara ingenia, eò Plinium non auſum fuiſſe ſuorum temporum hiſtoriam ſcribere, aut vitas conſignare virorum præſtantium, vel aliud ejuſmodi, quod libero erectoque ingenio dignum foret: ſed demiſiſſe ſe ad opus grammaticum: nempe explicuiſſe octo libris ea, de quibus inter homines etiam doctiſſimos quæri ſoleret, hocne an illo modo loqui aut ſcribere oporteret. Ita cùm alii *clipeus*, alii *clipeum* dicerent; nonnulli *clipeus* & *clupeus* diſtinguerent, aliqui pro eodem haberent: utramque hanc quæſtionem expoſuit Plinius ſecundo dubii ſermonis libro; ut clarè ait Chariſius Soſipater*.

‡ Lib. 3. ep. 5.
* Lib. 1.

Cap. VII.

DE SCHEMATIBUS ΔΙΑΝΟΙ'ΑΣ, QUÆ ÆQUE DICUNT, ET RATIONE PERSONÆ FIGURANTUR.

Schemata διανοίας, quæ æquè dicunt, partim ſermonem figurant ratione perſonæ; partim ratione rei; partim ratione tum perſonæ, tum rei.

Ratione perſonæ figurant orationem ſermocinatio, proſopopœia, apoſtrophe, & communicatio.

Sermocinatio eſt, cùm aptè perſonam aliquam, quæ præſentis ſit inſtituti, loquentem inducimus.

Proſopopœia eſt, cùm perſonam, extra argumentum aſſumtam, loqui fingimus, aut rei ratione deſtitutæ ſermonem, intelligentiam, vel actionem hominis tribuimus.

Apoſtrophe eſt, quando ſermonem aliò convertimus, quàm inſtituta requirit oratio.

Communicatio eſt, cùm adverſarium conſulimus, aut cum judicibus, quid faciendum ſit, aut quid factum oportuerit, deliberamus.

I. De sermocinatione.

INgens eſt ſchematum numerus, quæ æquè dicunt. Exiſtimavi igitur, me operæ pretium facturum, ſi ea, quandoquidem à Rhetoribus confuſè traduntur, in certas redigerem claſſes. Omnia autem orationem figurant ratione, vel perſonæ, vel rei, vel utriuſque.

Ratione perſonæ eam figurant ſermocinatio, proſopopœia, apoſtrophe, & communicatio.

Sermocinatio ſive διαλογισμὸς pleriſque vocatur, cùm aliquem nobiſcum loquentem inducimus. Verùm hi διαλογισμὸν cum διαλόγῳ confundunt: quo de ſpiſſo errore nonnihil quoque legere eſt apud H. Stephanum lib. de abuſu linguæ Græcæ. Eſt autem διαλογισμὸς, cùm certus attribuitur ſermo perſonæ veræ, ac quæ ſit præſentis inſtituti. Fit hoc bifariam. Nam vel perſona illa loquitur ſecum, vel cum alterâ. Julius Rufinianus prius ſolùm genus agnoſcit. Nam dialogiſmus ei definitur, *cum quis ſecum diſputat, & volutat, quid agat, vel quid agendum putet.* Ut in illo Didonis*: * 4. Æn.

En quid agam? rurſuſne procos irriſa priores
Experiar? &c.

Cui ſimile hoc Junonis†: † 1. Æn.

——*Mene incepto deſiſtere victam?*
Nec poſſe Italiâ Teucrorum avertere regem?
Quippe vetor fatis.

Adfert Rufinianus & illud Phædriæ‡ apud Comicum: ‡ Eunuch. act. 1 sc. 2.

Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem,
Cum arceſſor ultro? an potiùs itane comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Excluſit. revocat. redeam? non, ſi me obſecret.

Ubi itidem Donatus: Διαλογισμὸς, σχῆμα διανοίας. *Apparet, & multa tacitum cogitâſſe adoleſcentem, & tandem in hæc verba prorupiſſe.* Simile etiam eſt illud Soſiæ in Amphitr.‡ ‡ Act. 1. sc. 1.

Quid, malum? non ſum ego Amphitryonis Soſia?
Nonne hac noctu noſtra navis huc ex portu Perſico?
Venit, quæ me advexit? nonne me huc herus miſit meus?
Nonne ego nunc hîc ſto ante ædes noſtras? non mihi eſt laterna in manu?
Non loquor? non vigilo? nonne hic homo modò me pugnis contudit?
Fecit hercle. nam etiam miſero nunc malæ dolent mihi.
Quid igitur ego dubito? aut cur non introeo in noſtram domum?

Geminum etiam Ciceronis exemplum apud eundem Rufinianum videre potes. Sed laxiùs ea vox ſumitur Cornificio in IV. ad Herenn. cui *ſermocinatio* eſſe dicitur, *cùm alicui perſonæ ſermo attribuitur, & is exponitur cum ratione dignitatis.* Ubi poſtrema verba verbis hiſce Fabii expono: *ſi eam tacitam finxerimus, quæ cogitâſſe eam non ſit abſurdum.* Tale eſt illud M. Tullii pro Cœlio adverſus Clodiam, quæ fœdo inceſtu ſe cum fratribus inquinabat: *Sin autem urbaniùs me agere mavis, ſic agam tecum: removebo illum ſenem durum, ac penè agreſtem; ex hiſque tuis ſumam aliquem, ac potiſſimum minimum fratrem tuum, qui eſt in iſto genere urbaniſſimus, qui te amat plurimum, qui propter neſcio quam, credo, timiditatem, & nocturnos quoſdam inanes metus, tecum ſemper puſio cum majore ſorore cubitavit: eum putato tecum loqui: Quid tumultuaris, ſoror? quid inſanis? quid clamore exorſa, verbis parvam rem magnam facis? vicinum adoleſcentulum adſpexiſti: candor hujus te, & proceritas, vultus, oculique perpulerunt: ſæpius videre voluiſti: fuiſti nonnunquam in iiſdem hortis viſa nobilis mulier: illum filium familias patre parco & tenaci habere tuis copiis devinctum non potes: calcitrat, reſpuit, non putat tua dona eſſe tanti: confer te aliò: habes hortos ad Tiberim, ac diligenter eo loco præparaſti, quò omnis juventus natandi cauſsâ venit: hinc licet conditiones quotidie legas: cur huic, qui te ſpernit, moleſta es?* Hic alii προσωποποιΐαν ſtatuunt: nempe qui eo nomine ſermocinationem comprehendunt, ut poſtea oſtendemus.

Etſi autem non eſt de ἰδέᾳ ſermocinationis, ut plures loquantur: tamen ſermocinatio quoque erit, ſi id fiat. Nempe vel ſimplex eſt hoc ſchema, ut in exemplo, quod proximè vidimus: vel multiplex, ut in dialogo. Sanè Cornificius hoc ſermocinationis adfert exemplum, in quo trium diverſæ indolis ſermo graphicè exprimitur: *Cùm militibus urbs redundaret, & omnes timore oppreſſi domi continerentur; venit iſte cum ſago, gladio ſuccinctus, tenens jaculum: quinque adoleſcentes hominem ſimili ornatu ſubſequuntur. irrumpit in ædes ſubitò, deinde ma-*

gnâ voce: Ubi eſt iſte beatus, inquit, adiuus dominus? quin mihi præſto ſit? quid tacetis? Hic alii omnes ſtupidi timore obmutuerunt. Uxor illius infeliciſſimi cum maximo fletu ad iſtius pedes abjecit ſeſe. Parce, inquit, & per ea, quæ tibi dulciſſima ſunt in vita, miſerere noſtri: noli extinguere extinctos. Fer manſuetè fortunam. nos quoque fuimus beati: noſce te eſſe hominem. At ille: Quin illum mihi datis, ac vos auribus meis opplorare deſinitis? non abibit. Illi nunciatur interea, veniſſe iſtum, & clamore maximo mortem minari. Quod ſimul ut audivit, Heus, inquit, Gorgia, pediſequa puerorum, abſconde pueros: defende: fac ut incolumeis ad adoleſcentiam perducas. Vix hæc dixerat, cùm ecce iſte præſtò, Sedes, inquit, audax? non vox mea tibi vitam ademit? exple inimicitias meas, & iracundiam ſatura tuo ſanguine. Ille cum magno ſpiritu, Metuebam, inquit, ne planè victus eſſem. nunc video in judicio mecum contendere non vis; ubi ſuperari turpiſſimum eſt, ſuperare pulcherrimum: interficere me vis: occidar equidem, ſed victus non peribo. At ille: in extremo vitæ tempore etiam ſententiosè loqueris? neque ei, quem vides dominari, vis ſupplicare? Tum mulier, Immò quidem iſte rogat, & ſupplicat: ſed tu, quæſo, commoveare. & tu, per deos, inquit, hunc amplexare. dominus eſt, vicit hic te, vince tu nunc animum. Cur non deſinis, inquit, uxor, loqui, quæ me digna non ſunt? tace, &, quæ curanda ſunt, cura. tu ceſſas mihi vitam, tibi omnem bene vivendi ſpem, meâ morte eripere? Iſte mulierem repulit ab ſe lamentantem. illi neſcio quid incipienti dicere, quod dignum videlicet illius virtute eſſet, gladium in latere defixit. Subjungit deinde Cornificius: *Puto in hoc exemplo datos eſſe unicuique ſermones ad dignitatem accommodatos: quod oportet in hoc genere obſervare.* Quod hîc Cornificius monet, idem præcipit Horatius epiſt. ad Piſones:

> *Intererit multùm, Davúſne loquatur, herúſne;*
> *Maturúſne ſenex, an adhuc florente juventâ*
> *Fervidus; an matrona potens, an ſedula nutrix;*
> *Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;*
> *Colchus, an Aſſyrius; Thebis nutritus, an Argis.*

Neglexit hoc Celſus ille, adverſus quem ſcripſit Origenes, eoque nomine culpari meruit. Sic enim ſcribit de eo Origenes lib. 1. * Ἐπεὶ δὲ καὶ προσωποποιεῖ τρόπον τινὰ μιμησάμενος ἐν ῥήτορος παιδίον (lege, ἐν ῥητόρων παιδείαις) εἰσαγόμενον, καὶ εἰσάγει Ἰουδαῖον πρὸς τὸν Ἰησοῦν λέγοντά τινα μειρακιωδῶς, καὶ οὐδὲν φιλοσόφου πολιᾶς ἄξιον. Φέρε κατὰ δύναμιν καὶ ταῦτα ἐξετάσαντες ἐξελέγξωμεν, ὅτι οὐδὲ τὸ ἁρμόζον πάντη τῷ Ἰουδαίῳ πρόσωπον ἐν τοῖς λεγομένοις τετήρηκε. *Quandoquidem & utitur perſonæ fictione, quodammodo imitans adoleſcentem in rhetorum ſcholam deductum; inducitque Judæum ad Jeſum loquentem puerilia aliqua, & caniciè philoſophi indigna: age, pro viribus his etiam expenſis, coarguamus eum, quod ne decorum quidem ſervârit in Judæi perſonâ.* Ubi προσωποποιΐας voce laxiùs utitur Origenes, ut ſermocinationem comprehendat: de quo, ut dixi, poſteà pluribus.

* Pag 22. edit. Auguſt. Vindel.

A ſermocinatione haut differt ΗΘΟΠΟΙΐΑ, quâ, juxta Alexandrum †, iis, qui ſuperſtites ſunt, ſermones aliquos affingimus, quòd fide digniores illi videantur, quàm ſi eos enunciaremus ipſi. Apſini ‡ quoque definitur oratio attributa perſonis, quæ adhuc ſuperſunt. Etiam Aquilæ Romano *Ethopœia*, ſive *moralis confictio* eſt, cùm *certis quibuſdam perſonis* (*non quæ nuſquam ſunt*) *verba accommodate adfingimus, vel ad improbitatem earum demonſtrandam, vel ad dignitatem.* Atque addit, tale eſſe illud Ciceronis pro Quinctio: *Quid Sextus Nævius ad hæc? ridet noſtram amentiam ſcilicet, cùm ab eo officia boni viri deſideramus: & quemadmodum natus, inquit, & quemadmodum educatus ſum, memini. Vetus eſt, de ſcurra divitem facilius multo, quàm patremfamilias fieri poſſe* &c. Sed Julius Rufinianus, ut preſſiùs uſurpat dialogiſmi ſeu ſermocinationis nomen, quàm Cornificius: ita & ſtrictiùs utitur ἠθοποιΐας appellatione, quàm Rhetorum alii. Quippe ſchema hoc, quod *figurationem*, vel *ex-preſſionem*, Latinè dici ait, definitur ab eo, *alienorum affectuum qualiumlibet, dictorumque imitatio, non ſine reprehenſione.* Ubi, ſi Aquilam, & alios, ſequamur, tria poſtrema verba redundabunt. Plura de ethopœia ſi voles, vide cùm progymnaſmatum ſcriptores, tum Emporium, item Iſidorum lib. 11. Orig. cap. XIV. nec non Cœlium Rhodiginum lib. XXVI. Antiq. Lect. cap. XXVIII.

† Lib. περὶ σχημάτων.
‡ Lib. de Rhetor.

II. De prosopopœia.

Ethopœiæ vicina eſt ΠΡΟΣΩΠΟΠΟΙΐΑ, ut à Rutilio Lupo, & Aquila, nominatur. Ciceroni * vocatur *ficta perſonæ inductio*, Cornificio † *conformatio*, Fabio ‡ *perſonæ fictio*. Ac Cornificio quidem fieri ea dicitur, *cùm aliqua, quæ non adeſt, perſona confingitur, quaſi adſit; aut cùm res muta, aut informis, fit eloquens, & formata, & ei oratio attribuitur ad dignitatem, aut actio quædam.* Similiter fere Lupus, qui fieri ait, *cùm perſonas in rebus conſtituimus, quæ ſine perſonis ſunt; aut eorum hominum, qui fuerunt, tanquam viventium & præſentium actionem ac ſermonem deformamus.* Lupo igitur duo duntaxat ſunt προσωποποιΐας modi: unus, quo è non perſonâ facimus perſonam, ſive rei mutæ ſermonem attribuendo, ſive rei brutæ adſignando ſenſum, ſive alloquendo rem brutam, quaſi intelligat: alter, quo mortuos loqui fingimus, qui modus *idolopœia* à quibuſdam dicitur. Cornificio autem hoc ſchema etiam fit, cùm perſonam loqui fingimus, quæ quidem eſt, ſed non adeſt. Ut ſi apud aliquem, abſente patre, nuptias conficientem, vel, ignaro eodem, ejus abligurientem bona, effingas ſermonem, quo uſurus ſit parens redux, vel quo compellaturus eſſet, ſi iſta ſciret. Pro hac opinione etiam Fabius ‡ facit: cui proſopopœia generatim vocatur *ficta alienæ perſonæ oratio*. Et apertiùs alibi *: *Sunt quidam, qui has demum προσωποποιΐας dicant, in quibus & corpora, & verba fingimus. Sermones hominum aſſimulatos dicere* Διαλόγους *malunt, quàm, quod Latinorum quidam dixerunt, ſermocinationem. Ego jam recepto more utrumque eodem modo appellavi. Nam certè ſermo fingi non poteſt, ut non perſona ſermo fingatur.* Sed huic Fabii argumento non difficulter occurritur. Nam, ut ipſe agnoſcit, molliùs ſermo tribuitur perſonæ: audaciùs verò ei, quod natura loqui non permittit. Quod ſi eſt, aliud eſt perſonam ipſam fingere; aliud ſermonem duntaxat. Bifariam autem perſona fingitur. Primùm eam fingit, qui mortuum inducit loquentem. Nec enim perſonis accenſentur animæ, vel umbræ: quas ſic gentiles diſtinxere, quòd cum tribus homo juxta eos conſtet †, animâ, corpore, umbrâ: anima piorum cœlos petat, corpus omnium terram ſubeat, inferos verò petant umbræ ‡, hoc eſt, ſimulachra ad corporis cujuſque effigiem formata, quæ conſpici poſſint, tangi verò haut magis, quàm ventus. Perſonam præterea fingit, qui mutis animantibus, vel rebus inanimis, tribuit ſermonem, vel eas tanquam ſermonis intelligentes compellat. Utraque igitur fuerit προσωποποιΐα, ſeu perſonæ fictio. At ſi ſermonem homini tribuam abſenti; non tam ipſam perſonam fingo, quàm perſonæ ſermonem affingo; quæ iccirco veriùs dicetur ſermocinatio, ut Cornificius appellat: vel ἠθοποιΐα, ut Alexander & Apſines vocant. Sed quia tantùm hominis memini, objici poſſit de Deo, vel angelis, qui perſonis accenſentur, & loqui poſſunt: & tamen in his locum habet προσωποποιΐα. Verba enim Fabii ſunt: *Quin deducere Deos in hoc genere dicendi, & inferos excitare conceſſum eſt.* Verùm meminiſſe oportet, quòd idem Fabius ait, ſermocinationem ſe ſub προσωποποιΐᾳ comprehendere. Nihil igitur hoc noſtræ derogat opinioni. Ut mittam, quòd ſermo Deo, angelis, homini, tribuitur ὁμωνύμως. Neque cùm hoc ſchema vocamus perſonæ fictionem, quævis perſona intelligi debet; ſed illa inferioris & viſibilis naturæ, à qua & ob quam, inventum eſt ſermonis commercium. Adde quòd ſermo Dei vel angeli cum homine fit inſolens, planeque extraordinarius: ut

* Lib. 3. de orat.
† Lib. 4. ad Herenn.
‡ Lib. 9. cap. 2.
‡ Lib. 6. cap. 1.
* Lib. 9. cap. 2.
† Servius in 4. Æn.
‡ Servius 2. 4. 10. Æn.

non debuerit ejus cauſsâ προσωποποιΐας definitio extendi: ſed ſatis ſit, ſi fictio ejuſmodi ſermonis reductivè, ut loquuntur, ad communem προσωποποιΐαν pertineat.

Propriè igitur προσωποποιΐα eſt, ſi mortuos inducamus loquentes. Ut in illo apud Cornificium *: *Quòd ſi nunc Lucius ille Brutus reviviſcat, & hic ante pedes veſtros adſit, non hac utetur oratione? Ego reges ejeci; vos tyrannos introducitis: ego libertatem, quæ non erat, peperi; vos partam ſervare non vultis: ego capitis mei periculo patriam liberavi; vos liberi ſine periculo eſſe non curatis.* Sic pro Cœlio Appius Cæcus velut ab inferis à Tullio excitatur, ita Clodiam alloquens: *Mulier, quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno?* &c. Similiter Plato in Menexeno loquentes inducit veteres Athenienſes pro patria mortuos. Illuſtre etiam exemplum apud Æſchinem habemus oratione contra Cteſiphontem; ubi ab Athenienſibus petit, ut cogitent, Solonem, & Ariſtidem, ab inferis ſuſcitatos, in eo ſtare ſuggeſtu, unde ipſe verba faceret: ac Solonem quidem petere, ne Demoſthenis eloquentiam majoris faciant, quàm jusjurandum, & leges: Ariſtidem autem rogare, an non pudeat eos, cùm majores illorum Arthmium Zelitam, quia è Mediâ pecuniam attuliſſet, urbe expulerint, ipſos Demoſthenem, qui munera ab hoſte acceperit, aureâ ornare coronâ. Item Lucianus libello de luctu inducit filium mortuum patris querelis reſpondentem.

* Lib. 4. ad Herenn.

Perſonæ etiam fictio eſt, cùm ſermo affingitur patriæ, vel Reip. aut urbi, vel regioni. Ut Catil. 1. *Quæ* (patria) *tecum, Catilina, ſic agit, & quodammodo tacita loquitur: Nullum jam tot annos facinus exſtitit, niſi per te: nullum flagitium ſine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio, direptioque ſociorum, impunita fuit, ac libera: tu non ſolum ad negligendas leges, ac quæſtiones, verùm etiam ad evertendas, perfringendaſque valuiſti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt; tamen, ut potui, tuli. nunc verò, me totam eſſe in metu propter te unum; quicquid increpuerit, Catilinam timeri; nullum videri contra me conſilium iniri poſſe, quod à tuo ſcelere abhorreat; non eſt ferendum. Quamobrem diſcede, atque hunc mihi timorem eripe, ſi verus, ne opprimar; ſin falſus, ut tandem aliquando timere deſinam. Hæc ſi tecum, ut dixi, patria loquatur* &c. Et poſtea eâdem oratione: *Etenim ſi mecum patria, quæ mihi vitâ meâ multo eſt carior; ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſpublica loquatur: M. Tulli, quid agis? tune eum, quem eſſe hoſtem comperiſti; quem ducem belli futurum vides; quem exſpectari imperatorem in caſtra hoſtium ſentis; auctorem ſceleris, principem conjurationis, evocatorem ſervorum, & civium perditorum; exire patieris, ut abs te non emiſſus ex urbe, ſed immiſſus in urbem eſſe videatur?* Et alia ibidem in hanc mentem; quibus poſtea ſubjungit: *His ego ſanctiſſimis reip. vocibus, & eorum hominum, qui idem ſentiunt, mentibus, pauca reſpondebo.* Ex quibus videre etiam eſt, quomodo & ad προσωποποιΐαν accedi, & ab eâdem recedi debeat. Porrò in allatis hactenus exemplis non eſt omnimoda fictio. Nam, ſi defuncto tribuam loquelam; conſidero eum, qui fuit, ac meliori parte ſui ſupereſt. Cùm item Romæ, aut patriæ, aut Reip., ſermonem aſſigno; poſtremò ſiſtit ſe intellectus in iis, qui Romam incolunt, ac Remp. conſtituunt. Atque hoc ita eſſe, uti dixi, indicant illa Ciceronis verba pro Plancio: *Venio jam ad ipſius populi partes, ut illius contra te oratione potiùs, quàm meâ diſputem; qui ſi tecum congrediatur, & ſi unâ voce loqui poſſet, hæc dicat: Ego tibi, Laterenſis, Plancium non antepoſui: ſed cùm eſſetis æquè boni viri, meum beneficium potiùs ad eum detuli, qui à me contenderat, quàm ad eum, qui mihi non nimis ſubmiſſe ſupplicârat. Reſpondebis, credo, te ſplendore & vetuſtate familiæ fretum, non valde ambiendum putâſſe. At verò te ille ad ſua inſtituta, ſuorumque majorum exempla revocabit; ſemper ſe dicet rogari voluiſſe* &c. Sic Diocæſaream, Cappadociæ civitatem, excidium ſui, deprecantem inducit Nazianzenus epiſt. XLIX. ad Olympium. Nec tamen id perpetuum eſt, ut qui Romæ, vel Latio ſermonem dat, populum intelligat Romanum, aut Latinum: ſed quandoque etiam urbis genius ac numen tutelare civitatis, aut Latii, intelligitur. Ut cùm apud Sillium Italicum lib. XV. Scipionem alloquitur.

—— *Latiæ telluris imago.*

Item cùm apud Symmachum * legimus ad Valentinianum, Theodoſium & Arcadium: *Romam nunc putemus aſſiſtere, atque his vobiſcum agere, ſermonibus: Optimi principes, patres patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, ut utar ceremoniis avitis: Hic cultus in leges meas orbem redegit. Hæc ſacra Hannibalem à mœnibus, à Capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ego ſervata ſum, ut longæva reprehendar?* &c. Quæ non omnimoda perſonæ fictio erat ex gentilium mente. Nam Roma iis Dea erat, eoque ſuum quoque templum habuit: ut alibi ‡ diximus. Hujuſmodi verò exempla etiam oratoribus conveniunt. At ſunt proſopopœiæ aliæ, quæ magis habeant locum in poëſi, vel declamationibus, aut ſimilibus ſcriptis. Earum aliæ ſeu directè, ſeu indirectè, pertinent ad ſubſtantiam, aliæ ad accidentia. Ad ſubſtantiam refer duplicia. Quædam ſpectant hominis τὸ εἶναι, vel partem ejus. Ita Ennius † in ſatyra colloquentes fecit vitam, & mortem. Gregorius Palamas, Theſſalonices Archiepiſcopus, χαρακτῆρι μικτῷ, διαλογικῷ, ϗ μάλιστα δικανικωτέρῳ ‡, duas compoſuit orationes *, unam mentis corpus accuſantis, alteram corporis ſeſe contrà defendentis: quibus & judicum ſententiam adjecit. Lucianus inducit linguam expoſtulantem cum abutentibus. Quædam contra proſopopœiæ ſunt muti animantis, vel rei inanimæ. Quomodo apud Plutarchum Gryllus, jam porcus factus, diſputat cum Ulyſſe. Denique & ex accidentibus finguntur perſonæ. Ut cum leges loquuntur apud Platonem in Critone: aut cùm Prodicus ſophiſta virtutem, & voluptatem, inter ſe contendentes inducit apud Xenophontem lib. II. Ἀπομνημονευμάτων. Cujus etiam rei meminere Cicero lib. 1. Off. & epiſt. ad Lucceium, Quinctilianus lib. IX. cap. 11, & Juſtinus Martyr apologiâ priore. Ac imitatus etiam Sillius in quinctodecimo, ubi Xenophontis, ſive Prodici figmentum ab Hercule in Scipionem transfert. Nec hujuſmodi eo figuræ eſſe deſinunt, quia ſint pars argumenti poëtici: uti multi ſentiunt, quos ſecutus Federicus Ceruttus Veronenſis Maronianam Famæ, & Ovidianam Famis deſcriptionem, figuram eſſe negat, quia utraque ſit argumenti pars, quam *fictionem* appellat Fabius. Quaſi quicquam prohibeat, quo minùs idem, pro diverſo conſiderandi modo, tum figura ſit, tum pars argumenti.

* Lib. 10. epiſt. 54.

‡ Lib. 4. cap. 6. ſect. 5.

† Fabius l. 9. cap. 2.

‡ Stilo mixto, dialogico, & maximè judiciali.

* Edidit Turnebus Græcè an. 1553.

Nec tantùm perſonæ fictio eſt, cùm non perſona loquitur: ſed etiam, cùm non perſonam alloquimur, quaſi perſonam. Ut apud M. Ciceronem in Milonianâ: *Vos*, inquit, *Albani tumuli atque luci, vos*, inquam, *imploro, atque obteſtor, voſque, Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Romani ſociæ & æquales, quas ille præceps amentiâ, cæſis proſtratiſque ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat* &c. Et apud Maronem Mezentius ‡ equum, Turnus * haſtam alloquitur. Hujus generis προσωποποιΐα crebra eſt in Pſalmis, & Prophetis: uti & alterum genus, in quo ſermo tribuitur rebus mutis. Ita David Pſal. CXIII, † compellat mare, flumen, montes, colles; ac reſpondentia inducit. Jeſaiæ LV. 12: *Montes ipſi, & colles, cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu.* Jerem. XLVII. 6: *O mucro Domini, uſquequo non quieſces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & ſile.* Baruch. III: 34. 35: *Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt. Vocatæ ſunt, & dixerunt, Adſumus.* Abacuc II. 11. 12: *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum eſt, reſpondebit. Væ, qui ædificat civitatem in ſanguine, & præparat urbem in iniquitate.* Oſee XIII. 14: *Ero mors tua, ô mors: ero, morſus tuus, inferne.* Et quod inde expreſſum 1 Cor. XV. 55: *Ubi tuus, mors, aculeus? ubi tua, inferne,* victo-

‡ Æn. 10.
* Æn. 12.
† At Hebr. 114.

victoria? Cur verò ſic Scripturæ loqui ament, optimè expreſſit B. Chryſoſtomus in cap. VIII. ad Rom. homil. XIV. Ubi προσωποποιΐαν latiùs accipit, ut ita dicatur, quandocunque ſenſus humanus tribuitur non perſonæ. Uti à Marone factum in ſeptimo magni operis:

Labitur uncta vadis abies: mirantur & unda,
Miratur nemus inſuetum, fulgentia longè
Scuta virûm fluvio pictaſque innare carinas.

* Rom. 8. verſ. 19. 20. Tale etiam videtur Apoſtoli * illud (ut Latinè ſolùm ponam:) *Etenim ſollicita creaturæ exſpectatio, exſpectat, ut palam fiant filii Dei. Quippe vanitati creatura ſubjacet, non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit illam ſub ſpe. Quoniam & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura congemiſcit, ſimulque nobiſcum parturit, uſque ad hoc tempus.* Ad quæ verba ſic B. Chryſoſtomus: Ὅτι γὰρ ἐμφαντικώτερον γένοιτο ὁ λόγος, καὶ προσωποποιεῖ τὸν κόσμον ἅπαντα τοῦτον· *Ut oratio ſignificantior eſſet, mundum hunc univerſum quaſi perſonam inducit.* Adjungit deinde, ut Latine quidem ſonant: *Quod & prophetæ faciunt, inducentes tum fluvios manibus plaudentes, tum colles ſaltantes, tum montes ſubſilientes, non ut animata hæc eſſe arbitremur, neque ut attribuamus iis cogitationem ullam: ſed ut bonorum amplitudinem* (τὴν ὑπερβολὴν τῶν ἀγαθῶν) *ex eo diſcamus: quippe quæ etiam ad ſenſus expertia pertingat. Hoc ipſum verò etiam in rebus moleſtis crebrò factitant, inducentes & vitem lamentantem, & vinum, & montes, & templi laquearia ejulantia, ut & inde iterum malorum magnitudinem intelligamus. Hos itaque Apoſtolus imitans, hic creaturam veluti perſonam inducit,* (προσωποποιεῖ τὴν κτίσιν ἐνταῦθα) *atque eam ait ingemiſcere, & parturire: non quia ſuſpirium ullum à terra, vel cœlo, editum audierit; ſed quo bonorum futurorum magnitudinem declaret, ac deſiderium ejus, ut malis liberetur præſentibus.* Vide & Juſtinum Mart. ad Orthod. qu. XLVII, Nazianzenum orat. XXXVI, ſive IV. de Theologia, & Damaſcenum Orth. Fid. lib. II. cap. VI.

Quantus ſit oratori hujus ſchematis uſus, oſtendit paucis Cornificius, cùm ait, *plurimùm proficere in amplificationis partibus, & commiſeratione.* Item Aquila Romanus, qui figuram hanc ait *plurimùm in ſe continere dignitatis. Sæpe enim,* inquit, *quæ nos ex noſtra perſona dicentes vix ferant judices, ſuppoſitâ dignitate perſonæ liberiùs dici, & convenientiùs, poterunt.* Sed ſulè inprimis de eodem Fabius †: *Illa,* inquit, *adhuc audaciora, & majorum (ut Cicero exiſtimat) laterum, fictiones perſonarum, quæ προσωποποιΐαι dicuntur. Mirè namque tum variant orationem, tum excitant.* Et paullo pòſt: *Suadendo, objurgando, querendo, laudando, miſerando, perſonas idoneas damus.* Quæ à Fabio non de ſola proſopopœia, ſed etiam ſermocinatione, dicuntur. Hanc enim ſe προσωποποιΐας nomine complecti, ipſe clarè indicat; ut ſuperiùs monebamus. Plura de προσωποποιΐᾳ inter cæteros vide apud Theonem in progymnaſmatis, qui accuratè docet, quæ in eâ obſervari debeant. Sed & Apſines adeatur lib. de Rhetoricâ, & Cœlius Rhodiginus lib. XXVI. cap. XXVIII.

† Lib. 9. cap. 2.

III. De apostrophe.

Ἀποστροφὴν videtur Hermogenes repoſuiſſe inter σχήματα λέξεως. Verùm, cùm in eo aſſeclas non habeat, non eſt, quòd multis ejus ſententiam diluamus. Fabio ‡ definitur hoc ſchema, ſermo à judice converſus. Atqui non ſemper coram judice habetur oratio. Aliis apoſtrophe eſt, cùm ad perſonam aliam convertimus orationem, quàm inſtituta requirat oratio. Verùm interdum fit converſio ad res inanimas, ut parebit ex exemplis, quæ ſubnectam. Perfecta itaque fuerit definitio, ſi dicamus, ἀποστροφὴν fieri, cùm ſermonem ad aliam perſonam, vel quaſi perſonam, avertimus, quam inſtituta oratio requirat. Ut Catilinariâ I. Priùs ait Tullius: *Cupio, Patres Conſcripti, me eſſe clementem* &c. At poſtea inquit: *Si te jam, Catilina, comprehendi, ſi interfici juſſero, credo erit ferendum mihi, ne non hoc potiùs omnes boni ſeriùs à me, quàm quiſquam crudeliùs factum eſſe dicat.* Atque in orationis fine priùs ſic loquitur: *Polliceor hoc vobis, P. C.* &c. At poſtmodo ait: *Hiſce omnibus, Catilina, cùm ſumma reip. ſalute, & cum tuâ peſte ac pernicie, cumque eorum exitio, qui ſe tecum omni ſcelere, parricidioque omni junxerunt, proficiſcere ad impium bellum, ac nefarium.* Ejuſdem eſt pro Milone: *Vos, vos appello, fortiſſimi viri, qui multum pro Rep. ſanguinem effudiſtis: vos in viri, & in civis invicti appello periculo, centuriones, voſque milites; vobis non modò inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic judicio præſidentibus, hæc tanta virtus ex hâc urbe expelletur?* Et eâdem: *Quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Q. frater, qui nunc abes; conſorti mecum temporum illorum?* Item pro C. Rabirio eſt apoſtrophe ad quoſdam in concione clamantes: *Nihil me clamor iſte commovet, ſed conſolatur, cum indicat, eſſe quoſdam cives imperitos, ſed non multos, nunquam, mihi credite, populus Rom. hic, qui ſilet, conſulem me feciſſet ſi veſtro clamore perturbatum iri arbitraretur.* Cùmque alter hinc, ſed minor, ſecutus eſſet clamor, eoſdem ſic Tullius compellavit: *Quanto jam levior eſt acclamatio! quin continetis vocem indicem ſtultitiæ veſtræ, teſtem paucitatis?* Redit deinde ad inſtitutum: *Libenter, inquam, confiterer, ſi verè poſſem* &c. Crebra etiam eſt poëtis. Ita Maro opus quidem ſuum Mæcenati dicat: unde ait,

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram
Vertere, Mæcenas, ulmiſque adjungere vites
Conveniat.

At poſt aliqua ſubjungit:

——Vos ô clariſſima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres.

Idem II. Georg.

Scipiadas duros bello, & te maxime Cæſar.

Et IV. ejuſdem operis:

Ipſe cavâ ſolans ægrum teſtudine amorem,
Te dulcis conjux, te ſolo in litore ſecum,
Te veniente die, te decedente canebat.

Ejuſdem eſt II. Æn.

——Pereuntque Hypaniſque, Dymaſque,
Confixi à ſociis: nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.

Ovid. IV. Met. * · * Fab. 4.

Quid non ſentit amor? primi vidiſtis amantes,
Et vocis feciſtis iter.

Neque Scripturæ hoc ſchema neſciunt. Chriſtus apud Mat. XI: *Tyro & Sydoni tolerabilius erit in die judicii, quàm vobis. Et tu Capernaum, quæ uſque ad cœlum exaltata es, uſque ad inferos detraheris.* Pſal. CXIV: *Mare vidit, & fugit: Jordanis converſus eſt retrorſum. Quid eſt tibi, mare, quòd fugiſti: & tu Jordanis, quod converſus es retrorſum?* Ubi & προσωποποιΐα eſt, ut ſuperiùs expoſui. Nempe apoſtrophe non ſolùm fit ad perſonas, ſed, ut dicebamus, etiam ad quaſi perſonas. Quomodo priùs ad mortuam Thiſben, mox ad leones orationem convertit Pyramus apud Naſonem †: · † Lib. 4. Met. fab. 4.

——Una duos, inquit, nox perdet amantes:
E quibus illa fuit longè digniſſima vitâ.
Noſtra nocens anima eſt. ego te, miſeranda, peremi:
In loca plena metus qui juſſi nocte venires,
Nec prior huc veni. noſtrum divellite corpus,
Et ſcelerata fero conſumite viſcera morſu,
O quicunque ſub hâc habitatis rupe leones.
Sed timidi eſt optare necem.

Idem ad inanima apoſtrophe fit. Ut Æn. II:

Trojaq; nunc ſtares, Priamiq; arx alta maneres.

Fit etiam apoſtrophe ſolùm διὰ τὴν χρείαν τοῦ μέτρου ‡, ut Euſtathius ait in Il. η. Tale illud Naſonis *: · ‡ Ob commoditatem metri. · * Lib. 2. Faſt.

Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, ut eſſet
Tutus ab inſidiis, dire ſuperbe, tuis.

In-

Interdùm quoque orationem quis convertit ad ſe ipſum. Ecl. I:

Inſere nunc, Melibœe, piros, pone ordine vites.

Ubi & ironia. Item Ecl. II:

Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit?

Et IV. Æn. ait Dido:

Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.

Imò ſacra quoque pagina ejuſce apoſtrophes exempla ſuggeret. Ut Pſal. XXVII. 13. 14: *Credo, me viſurum bona Domini in terra viventium. Exſpecta Dominum, viriliter age, & corroboretur cor tuum.* Item Pſal. XLII. 6: *Quare triſtis es, anima mea, & quare conturbas me?*

Quamvis autem nonnulli, ut autor eſt Fabius, negarint, apoſtrophen in orationis principio adhiberi poſſe; interdum tamen in hoc quoque locum habere, vel oſtendit initium Invectivæ primæ in Catilinam: *Quouſque tandem abutére, Catilina, patientiâ noſtrâ?* Quin, ut de more veterum oratorum, quem alibi * expoſui, nihil nunc dicam, poëtæ etiam cùm Græci, tum Latini, in operis ingreſſu, Deos invocantes, ἀποστροφῇ utuntur: ſed Græci quidem priùs invocant, inde proponunt; Latini autem propoſitioni ſubdunt ἀποστροφὴν ad Deos.

* Lib. 3. cap. 2. ſub. 11.

Illud verò rariſſimum omnino, ac fortaſſis ſingulare, ut apoſtrophe κατὰ παρένθεσιν inſtituatur: cujus rei exemplum ſuppeditat Maro in octavo:

Haut procul inde citæ Metium in diverſa quadrigæ
Diſtulerant, (at tu dictis, Albane, maneres)
Raptabatque viri mendacis viſcera Tullus.

Movet hoc ſchema admodum, teſte Fabio †, cùm vel adverſarios invadimus: ut pro Ligario; *Quid nempe tuus ille, Tubero, in acie Pharſalicâ gladius agebat?* Aut cùm ad invocationem aliquam convertimur: ut pro Milone; *Vos enim jam ego, Albani tumuli, atque luci, &c.* vel ad invidioſam implorationem: ut ‡; *O leges Porciæ, legeſque Semproniæ!*

† Lib. 9. cap. 2.

‡ Pro Sext. & Ver. 7.

IV. De communicatione.

Communicatio, quæ Græcè ἀνακοίνωσις, atque (ut ex Rufiniano diſcimus) etiam ἰδιοπομὸς dicitur, eſt deliberatio cum iis ipſis, apud, aut contra quos dicimus. Itaque Fabio, ac Rufiniano etiam, eſt duplex. Nam interdum, quia inficiari, vel culpam transferre non poſſumus, participem aut conſilii, aut facti noſtri facimus adverſarium. Exemplum adducit Fabius Domitii Afri pro Cloantillâ: *At illa neſcit trepida: quid liceat feminæ, quid conjugem deceat. Forte vos in ſollicitudine obvios, caſus miſera mulieri obtulit. Tu frater, vos paterni amici quod conſilium datis?* Interdum conſilium noſtrum cum auditoribus ita facimus commune, ut ab ipſis quaſi petamus: ut Cato; *Cedo, ſi vos in eo loco eſſetis, quid aliud feciſſetis?* Et alibi; *Communem rem agi putatote, ac vos huic rei præpoſitos eſſe.*

Communicationis quoque exemplum fuerit *: *Sitne magis hominibus, an Deo obtemperandum, ipſi judicate.*

* Actor. cap. 4. verſ. 19.

Cùm autem duo hæc poſtrema exempla citra interrogationem fiant, mihi quidem nec Σειρήνων ἐπιθέστερος † perſuaſerit, communicationem eſſe ſpeciem interrogationis; quæ tamen inter alios Ludovici quoque Carbonis ‡ ſententia eſt.

† Sirenibus magis ad perſuadendum aptus.

Gaudet hoc ſchemate Tullius: cujus unum ex Divinatione exemplum, aliud ex orat. pro Sextio, duo ex Quinctiana, apud Rufinianum invenies.

‡ Lib. 1. de elec. orat. cap. 19.

Habet autem maximam vim ad movendos auditores. Nam priùs genus, quo adverſarium conſulimus, plurimùm valet ad extorquendam confeſſionem: poſterius, quo cum auditoribus deliberamus, mirificè confert ad animos eorum flectendos; quia & benevolentiam conciliat, & cauſſæ oſtendit æquitatem, ſi in judicibus, aut aliis qui adſunt, ſpem ac fiduciam ponamus. Et hæc de ſchematibus, quæ ratione perſonæ figuram accipiunt.

Caput. VIII.

DE SCHEMATIBUS ÆQUE DICENTIBUS, ET FIGURANTIBUS SERMONEM RATIONE EORUM, QUÆ RESPICIUNT REI ΟΥ'ΣΙ'ΑΝ.

Quæ ratione rei figurant, partim ea ſpectant, quæ ſunt de re, qualia ad eſſentiam pertinent; partim quæ ſunt in re, ut ſunt adjuncta; partim quæ ſunt extra rem, ut ſunt ſimilia, & oppoſita.

Primi generis ſunt, ſententia, definitio, diſtributio, congeries, ἐπιτροχασμὸς, & incrementum.

Sententia eſt generale pronunciatum de rebus agendis, aut vitandis.

Definitio eſt nominis reive explicatio.

Diſtributio dicitur, cùm totum amplificamus per ſpecies, aut partes ſuas, ſive per ſe, ſive per accidens inſint.

Congeries, cùm coacervamus ſpecies, vel res diverſas.

Ε'πιτροχασμὸς eſt, quando res magnas, diverſaſque narrationis partes, celeritate quadam percurrimus.

Incrementum vocatur, cùm per gradus quoſdam ad ſumma pervenimus.

I. De sententia.

Quæ ratione rei ſermonem figurant, trium ſunt generum. Nam, ut apud Dialecticos loci artificiales vel ſunt interni, quò refer genus, ſpeciem, definitionem, totum, & partem; vel conjuncti, quò pertinent proprium, accidens, conjugata, cauſſa, & effectum, vel disjuncti, ut ſunt notatio, ſimilia, comparata, & oppoſita: ita apud Rhetores ſchemata ſunt vel de re, & eſſentiam ſpectant; vel in re, ut quæ ducuntur ab adjunctis; vel extra rem, ſicut quæ figurantur ſimilibus, & oppoſitis.

Ratione eſſentiæ figurant ſermonem ſententia, definitio, diſtributio, congeries, ἐπιτροχασμὸς, & incrementum. Ex quibus ſententia è loco generis petitur: definitio, non omnis quidem, ſed potiſſima, ad quam reliquæ reducuntur, totam rei eſſentiam explicat, quod genere fit, & differentiâ: diſtributio præcipua vel ſpecies exponit, vel partes eſſentiales, aut materiales ſeu integrales: quale quid etiam congeries facit, quæ nec rarò pro ſpecie reponit individuorum acervum ἐπιτροχασμὸς narrationis partes ſummâ celeritate percurrit: incrementum etiam, quid rei ſit, aperit, ſed gradatim.

ΓΝΩ'ΜΗ, ſive ſententia, definitur à Plutarcho, ἀπόφανσις * καθολικὴ περὶ τῶν κατὰ τὸν βίον, λόγος σύντομος. Exemplorum abunde eſt, & jam varii totis has voluminibus undique collegerunt. Quare pauculis hìc ero contentus. Cicero in II. de Fin. *Quid turpius, quàm ſapientis vitam ex inſipientium ſermone pendere?* Idem de Senectute: *Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet eſſe contentus.* Salluſt. in Catil. *Is demum mihi vivere atque frui animâ videtur, qui aliquo negotio intentus præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit. Sed in magnâ copiâ rerum aliud alii natura iter oſtendit.* P. Syrus mimus:

* Dictum generale, & breve, de re ad vitam pertinente.

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Quod vult, habet, qui velle, quod ſatis eſt, poteſt.

Vitruvius præfat. lib. VI. *Proprietas divitiarum maximè, nihil deſiderare.* M. Seneca præfat. lib. IV. epit. *Magna & varia res eſt, tum doctrina, tum eloquentia: nec alterutra adhuc ulli ſe totam indulſit. Satis felix eſt, qui in aliquam eius partem eſt receptus.* Plinius lib. III. epiſt. XX. ad Maximum: *Multi famam, conſcientiam pauci verentur.* Et lib. IV. epiſt. VII. *Recta ingenia debilitat verecundia, perverſa confirmat audacia.* Agellius lib. XVIII. cap. I. *Virtus ſola beata vita inſtar eſt.* Ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis multorum loco fuerit hoc B. Bernardi homil. XXXVI. in Cantica: *Sunt qui ſcire volunt, ut ſciant; &*

curioſitas eſt: ſunt qui, ut ſciantur; & vanitas eſt: ſunt qui, ut vendant; & turpis quæſtus eſt: ſunt qui, ut ædificent; & caritas eſt: ſunt qui, ut ædificentur; & prudentia eſt. Atque hæ ſunt γνῶμαι ſimplices. Sunt aliæ, quibus ratio adnectatur. Earum tale Cornificius * exemplum adfert: *Omnes bene vivendi rationes in virtute ſunt collocandæ; propterea quod ſola virtus in ſua poteſtate eſt: omnia præter eam ſubjecta ſunt fortunæ dominationi.* Simile eſt hoc Plinii lib. III. epiſt. IV. *Eſt ita comparatum, ut antiquiora beneficia ſubvertas, niſi illa poſterioribus cumules. Nam quamlibet ſæpe obligati, ſi quid unum neges, hoc ſolum meminerunt, quod negatum eſt.*

* Lib. 4. ad Her.

De uſu ſententiæ ita Cornificius: *Sententias interponi raro convenit, ut rei actores, non vivendi præceptores, eſſe videamur. cùm ita interponentur, multum adferent ornationi. Nam neceſſe eſt animo eam comprobet tacitus auditor, cùm ad cauſam videat accommodari rem certam ex vita & moribus ſumtam.* Hæc de ſententiâ nunc ſuffecerint. Pleraque eorum, quæ hic prætterimus, cognoſcere ſunt ex iis, quæ diximus lib. II. cap. XV. ſect. III.

II. De definitione.

Definitio dicitur quævis nominis, aut rei explicatio. Latiùs enim à Rhetoribus, quàm à Philoſophis, hæc vox accipitur. Ariſtoteli plurimùm differunt definitio, deſcriptio, interpretatio. Interpretatio enim nominis eſt declaratio. Deſcriptio rei accidentia exponit. Definitio eſt λόγος τῆς οὐσίας. h. e. *oratio explicans eſſentiam rei.* Rhetoribus autem nomen definitionis hæc omnia comprehendit.

Ex iis verò definitionis exemplis, quæ à Cornificio adducuntur, colligere eſt, ſchema hoc vel ſimplex eſſe, qui Græcis ὁρισμὸς dicitur, vel conjunctum, qui ἀντορισμὸς vocatur. Prioris generis hoc exemplum adfert. *Majeſtas reip. eſt, in qua continetur dignitas & amplitudo civitatis.* Item, *Injuriæ ſunt, quæ aut pulſatione corpus, aut convitio aures, aut aliquâ turpitudine vitam cujuſquam violant.* Similiter Cicero pro Sextio definit, quid ſit optimatem eſſe: ſecundâ de lege agrariâ contra Rullum, quid ſit eſſe conſulem popularem: pro lege Maniliâ, quid, & quantum illud ſit, eſſe bonum imperatorem. Etiam hanc legis definitionem habes apud Demoſthenem contra Ariſtogitonem: Νόμος ἐστὶν εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δὲ ἀνθρώπων φρονίμων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθήκη κοινή, καθ᾽ ἣν πᾶσι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει· *Lex eſt inventum & donum deorum, decretumque hominum ſapientum, emendatio delictorum conſultò vel inconſultò commiſſorum, civitatis commune pactum, juxta quam omnes convenit in urbe vivere.*

Conjuncta verò definitio, ſive ἀντορισμὸς vocatur, cùm rei falſum nomen adimitur, verumque imponitur. Ut act. III. in Verrem: *Non enim furem, ſed ereptorem; non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ; non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumque; non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem civium ſociorumque, in veſtrum judicium adduximus.* Alii hoc ſchema vocant ὁρισμὸν κατὰ διαφορὰν: P. Rutilio παραδιαστολὴ dicitur; qui exemplum hoc adfert ex Hyperide: *Nam cùm cæterorum opinionem fallere conaris, tute te fruſtraris. non enim probas te pro aſtuto ſapientem intelligi; pro confidente, fortem; pro illiberali, diligentem rei familiaris; pro malevolo, ſeverum. nullum eſt enim vitium, quo virtutis laude gloriari poſſis.* Addit deinde, *Hoc ſchema ſolere illuſtrius fieri, cùm ratio propoſito ſubjungitur.* Atque ejus rei tale adducit exemplum: *Quapropter nolo te ſæpius parcum appellare, cùm ſis avarus. Nam qui parcus eſt, utitur eo, quod ſatis eſt: tu contrà propter avaritiam, quo plus habes, magis eges. Ita non tam diligentiæ fructus, quàm inopiæ miſeria, te conſequitur.* Cui planè geminum illud apud Cornificium; verùm is, ut dixi, non παραδιαστολὴν, ſed definitionem vocat: *Non eſt iſta diligentia, ſed avaritia: ideo quòd diligentia eſt accurata conſervatio ſuorum; avaritia, injurioſa appetitio alienorum.* Item, *Non eſt iſta fortitudo, ſed temeritas, propterea quòd fortitudo eſt contemtio laboris, & periculi, cum ratione utilitatis, & compenſatione commodorum: temeritas eſt cum inconſiderata laborum perpeſſione gladiatoria periculorum ſuſceptio.* Ubi, ut obiter id addam, videmus, fortitudini opponi temeritatem ſive audaciam; eamque in perpeſſione conſtitui: unde lucem capit illud Horatii *, *Audax omnia perpeti.* Et ſanè ſic omnes philoſophi: ut opus non ſit cum nonnullis hic ſtatuere duram illam κατάχρησιν, quâ πάσχειν ponitur pro ποιεῖν. Quemadmodum & in altero iidem falluntur, cùm cenſent, audaciam Horatio eſſe πάθος, quod ei verè eſt ἦθος, ſed vitioſum, quippe fortitudinis exceſſus. Adde quòd, cùm Græcis πάσχειν ſumitur pro ποιεῖν, non aliunde id eſt, quàm quòd οἱ ποιοῦντες † τρόπον τινὰ καὶ αὐτοὶ πάσχουσι, ut Ariſtophanis ſcholiaſtes ait in Nebulas. Quod in audacia manifeſtum eſt; ubi, ut ſuperior temeritatis definitio oſtendit, duo hæc concurrunt, *inconſiderata laborum perpeſſio, & gladiatoria periculorum ſuſceptio.* Sed hoc obiter. Illuſtris etiam παραδιαστολὴ eſt apud Ciceronem pro Cœlio: *Aliud eſt maledicere, aliud accuſare. Accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet. Maledictio autem nihil habet propoſiti, præter contumeliam: quæ ſi petulantiùs jactatur, convicium; ſi facetiùs, urbanitas nominatur.* Inſtituitur hoc ſchema etiam καθ᾽ ἐπανόρθωσιν. Ut pro Milone: *Quas ille leges, ſi modò leges nominandæ ſunt, ac non potius faces urbis, ac peſtes Reip.*

* Lib. 1. od. 3.

† Facientes quodammodo patiuntur.

Utimur hac figurâ, non tantùm ornatus cauſâ; ſed etiam ad amplificationem, ac claritatem. Quo de uſu ſic Cornificius: *Hæc ideo commoda putatur exornatio, quòd omnem rei cujuſpiam vim & poteſtatem ita dilucidè proponit, & breviter explicat, ut neque pluribus verbis oportuiſſe dici videatur, neque lucidiùs potuiſſe dici putetur.* De definitione hactenus.

III. De distributione.

Diſtributio eſt, cùm totum in partes diducimus. Quot verò modis fiat, neutiquam huc infercire eſt viſum: tum quia è Logicis id notum arbitror: tum ne calumniandi anſam demus obſtreperis quibuſdam hominibus, qui cùm vix aliud ſciant aut crepent, quàm tres neceſſariorum pronunciatorum gradus, (quos artium eſſe canonas falsò perſuaſum habent (omnia tamen omnium cenſorio quodam ſupercilio convellere atque exagitare audent, atque adeò, quaſi cuminum aut ocimum ſerant, Ariſtotelem etiam conviciis ac maledictis laceſſunt, qui & philoſophos, & Rhetores omnes, βασιλικῷ πήχει ὑπερήνεγκε *.

* Regio cubito ſuperavit.

Porrò tum definitio, tum diſtributio, tunc tantùm ſunt ſchemata, cùm ornandi, aut amplificandi gratiâ adhibentur. Exempli gratiâ, diſtributionis ſchema eſt in illo Martialis †:

Dat populus, dat gratus eques, dat thura Senatus.

† Lib. 8. ep. 15.

Univerſi enim ſignantur Romani, quia, ut & alibi paſſim, per *populum* plebs intelligi debet: à quâ ſignificatione *popularia* dicebantur in theatris loca, quæ plebs occupabat. Eademque diſtributione uſus eſt Claudianus lib. III. de laudibus Stiliconis ‡: imò & Tullius non uno in loco ‡, atque alii. Eſt & diſtributio in hoc Statii Papinii de decantatâ à juvenibus ac puellis Stellæ Aſteride (id poëmati Stellà à ſe nomen indiderat, quaſi Stelleidem dicas, per quam, ut Calderinus *, & Parrhaſius †, rectè cenſuere, Violantillam amicam intelligebat, ſive, ut Græcè vocat Martialis ‡, Janthida)

Aſteris & vatis totum cantata per orbem,
Aſteris ante dapes, nocte Aſteris, Aſteris ortu.

‡ Verſ. 49. & 50.
‡ Pro Milone, & in Piſonem.
* Comm. in Martial.
† In epiſt.
‡ L. 6. epig. 21. & lib. 7. epigr. 13.

Tempus ad amplificandum dividit in matutinum, nocturnum, & id quod ante prandium ac cœnam eſt: quod majorem habet ἐνέργειαν, quàm ſi dixiſſet, ſemper Aſterida in ore eſſe. Ridiculè verò Claudius Verderius pro *ortu* ſubſtituere jubet, *os tu.* Atque idem non dubitat poëtam ſupinæ

ſupinæ oſcitantiæ inſimulare, quòd *Stellam* vocet *Aſterida*; quando, ut inquit, qui *Stella* nominatur, non magis *Aſteris* dici poſſit, quàm, qui *Felix* dicitur, *Fauſtus*, qui *Juvencus*, *Taurus*; qui *Muræna*, *Piſcis*. Quin idem alius quoque ſpiſſi erroris arguit Statium; quòd cùm *Stellam* vocat *Aſterida*, neſciiſſe videatur diſcrimen ἀστέρος, & ἄστρου, quia ἀστὴρ dicatur de planetis, ἄστρον de cœli octavi ſtellis. Atqui ex Suida ipſo diſcere poſſumus, non aliter differre ἀστὴρ, & ἄστρον, quàm *ſtella* & *ſidus*. Sed Verderianâ iſtac in auctores cenſione vix aliud vidi magis inficetum, magiſque cenſione dignum, ſi modò opus illud vel tam facili operâ dignum.

IV. De congerie.

Diſtributionis nomine multi etiam comprehendunt figuram, quæ CONGERIES vocatur. Diſtinguunt eo alii, quia diſtributio vel pro genere ſuas ponat ſpecies, quæ propriè diviſio, Græcis διαίρεσις dicitur: vel pro toto eſſentiali, aut materiali ſive quantitativo, afferat partes, quæ ei reſpondeant; quæ propriè partitio, Græcis μερισμὸς nominatur: congeries verò varias perſonas, actiones, aut res enumeret, inque unum quaſi acervum congerat, & condenſet; unde & ἀπαρίθμησις, & συναθροισμὸς vocatur. Differt à συνωνυμίᾳ quòd hæc plura ἰσοδυναμοῦντα, congeries plura omnino diverſa congerit. Invectivâ III. in Catilinam: *Omnia nôrat, omnium aditus tenebat: appellare, tentare, ſollicitare poterat, audebat. Erat ei conſilium ad facinus aptum: conſilio autem neque lingua, neque manus deerat, &c.* Pro lege Maniliâ: *Quod denique belli genus eſſe poteſt, in quo illum non exercuerit fortuna Reipublicæ? Civile, Africanum, Tranſalpinum, Hiſpanienſe, miſtum ex civitatibus, atque ex bellicoſiſſimis nationibus, ſervile, navale bellum, varia & diverſa genera bellorum, & hoſtium non ſolum geſta ab hoc uno, ſed etiam confecta.* Orat. poſt reditum in Senatu: *Quæ enim tanta poteſt exiſtere ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus orationis, quo quiſquam poſſit veſtra in nos univerſa promerita, non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando? qui mihi fratrem optatiſſimum, me fratri amantiſſimo, liberis noſtris parentes, nobis liberos; qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui ampliſſimam Remp., qui patriam, quâ nihil poteſt eſſe jucundius; qui denique noſmet ipſos nobis reddiſtis.* Pro Milone: *Dura mihi medius fidius jam fortuna populi Rom. & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc Remp. inſultare videret, & pateretur. Polluerat ſtupro ſanctiſſimas religiones; ſenatus graviſſima decreta perfregerat; pecuniâ ſe palàm judicibus redemerat; vexârat in tribunatu ſenatum; omnium ordinum conſenſu pro ſalute Reip. geſta reſciderat; me patriâ expulerat; bona diripuerat; domum incenderat; liberos, conjugem meam, vexârat; Cn. Pompejo nefarium bellum indixerat; magiſtratuum, privatorumque cædes effecerat; domum mei fratris incenderat; vaſtârat Hetruriam; multos ſedibus ac fortunis ejecerat; inſtabat, urgebat &c.*

Habet hoc ſchema inprimis locum, cùm aut maleficia, aut beneficia amplificantur: ac ferè adhibetur, ubi incaleſcit oratio.

Miram verò elegantiam adfert tum congeries, tum diſtributio, ſi rebus enumeratis, quædam ita ſubjiciantur, ut ſingula ſingulis reſpondeant. Hoc figuræ genus nonnulli κατ' ἐξοχὴν διαίρεσιν, vel *diſtributionem*, vel *deſignationem* appellant. Ut pro Cœlio: *Sed ego Atratino, humaniſſimo atque optimo adoleſcenti, meo neceſſario, ignoſco, quia habet excuſationem vel pietatis, vel neceſſitatis, vel ætatis. Si voluit accuſare, pietati tribuo: ſi juſſus eſt, neceſſitati, ſi ſperavit aliquid, pueritiæ. Cæteris non modò nihil ignoſcendum, ſed etiam acriter eſt reſiſtendum.* Idem pro Muræna: *Meruiſſe verò ſtipendia in eo bello, quod tum populus Romanus non modò maximum, ſed etiam ſolum gerebat, virtutis; patre imperatore libentiſſimè meruiſſe, pietatis, finem ſtipendiorum patris victoriam ac triumphum fuiſſe, felicitatis fuit.* Qui ſeculo poſt Ciceronem vixere, & deinceps, impenſiùs ſunt hâc figurâ delectati: maximè in breviſſimis colis. Plinius lib. II. Hiſt. Nat. cap. LXIII: *Aquæ ſubeunt in imbres, rigeſcunt in grandines, tumeſcunt in fluctus, præcipitantur in torrentes; aër denſatur nubibus, furit procellis.* Solinus cap. XXVII. de monte Atlante: *Manat * fontibus, nemoribus inhorreſcit, rupibus aſperatur, ſqualet jejunio.* * Al. vacat.
Talium denſa eſt apud Appulejum ſeges. Amant quoque Tertullianus & Cyprianus. Illius eſt Apol. cap. XX: *Vani erunt homines, niſi certi ſint, à primordio pluvias de cælo ruiſſe, & ſidera radiâſſe, & lumina floruiſſe, & tonitrua mugiiſſe.* Hujus eſt libro de bono patientiæ: *Videmus, inſeparabili æqualitate patientiæ, nocentibus & innoxiis, religioſis & impiis, gratias agentibus & ingratis, Dei nutu tempora obſequi, elementa famulari, ſpirare ventos, fontes fluere, grandeſcere copias meſſium, fructus miteſcere vinearum, exuberare pomis arbuſta, nemora frondeſcere, prata florere.*

Tum ad συνωνυμίαν, tum ad συναθροισμὸν, pertinet διαγωγή, quâ conjunguntur voces tum idem, tum diverſa ſignificantes. Cic. Catil. I: *Ut Catilinæ profectione omnia patefacta, illuſtrata, oppreſſa, vindicata eſſe videatis.*

V. De ἘΠΙΤΡΟΧΑΣΜΩ͂.

Συναθροισμῷ affinis eſt ἘΠΙΤΡΟΧΑΣΜΌΣ. Eſt hæc figura, quâ res magnas, diverſaſque, celeritate quadam percurrimus. Habet inprimis in narrando locum. Quomodo à congerie differat, oſtendit Aquila Romanus, his verbis: Ἐπιτροχασμὸς, *percurſio, differt à coacervatione, quòd cùm illa res diverſas plures in eundem locum conferat; hæc diſtantia plura inter ſe percurrens velocitate ipſâ circumponit. Ut ſi velis dicere: Cæſar in Italiam evolârat, Corfinium præſidio diſertum ceperat, urbe potiebatur, Pompejum perſequebatur.* Tale quoque eſt illud Cæſaris †: *Veni, vidi, vici.* Ubi & ἀσύνδετον, quod in priori etiam concurrit, antea ſtatuimus. Et Maronis hoc in IV. Æn. † Apud Tranquillum in Cæſ. cap. 37.

—— Faces in caſtra tuliſſem,
Impleſſemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere extinxem, memet ſuper ipſa dediſſem.

VI. De incremento.

Incrementum eſt, cùm per gradus ab infimis ad ſumma imus. Cicero pro Roſcio Amerino: *Hoc cogitetis, niſi in hâc cauſsâ, qui veſter animus ſit, oſtendetis, eò prorumpere hominum cupiditatem, & ſcelus, & audaciam, ut non modò clàm, verùm etiam hìc in foro, ante tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes veſtros, Judices, inter ipſa ſubſellia, cædes futuræ ſint.* Primus infimuſque gradus eſt, *clàm:* alter, *in foro:* tertius, *ante tribunal:* quartus, *ante pedes:* quinctus & ſummus, *inter ſubſellia.* Intellige autem trina ſubſellia, judicum, accuſatorum, reorum. Idem pro Poſtumo: *Quamobrem illud maneat, & fixum ſit, quod neque moveri, neque mutari poteſt, in quo æqui ſperâſſe Poſtumum dicunt, peccâſſe iniqui, ipſe etiam inſaniſſe ſe confitetur, quòd ſuam, quòd amicorum pecuniam regi crediderit.* Minus eſt, *ſperâſſe* aliquid commodi, quàm *peccâſſe: peccâſſe* item minus, quam *inſaniſſe.* Aſſurgit etiam oratio in illo pro Quinctio: *Miſerum eſt exturbari fortunis omnibus; miſerius, injuriâ: acerbum eſt ab aliquo circumveniri; acerbius, à propinquo: calamitoſum eſt, bonis everti; calamitoſius, cum dedecore: funeſtum eſt, à forti atque honeſto viro jugulari; funeſtius, ab eo, cujus vox præconio quæſtu præſtitit: indignum eſt, à pari vinci, aut ſuperiore; indignius ab inferiore, atque humiliore: luctuoſum eſt, tradi alteri cum bonis; luctuoſius, inimico: horribile eſt, capitis cauſſam dicere; horribilius, priore loco dicere.*

* Ad Lucill. epiſt. 1.

Incrementum quoque eſt in iſthoc Senecæ *: *Turpiſſima tamen eſt jactura, quæ per negligentiam venit: & , ſi volueris attendere*, MAGNA *vitæ pars elabitur male agentibus*; MAXIMA *nihil agentibus*; TOTA *aliud agentibus*. Nam, ut obiter aureo dicto faculam alluceamus, multum temporis intemperantiâ, atque aliis vitiis perit; quod Senecæ eſt MALE AGERE. Plus verò partim otioſè tranſmittitur, partim rebus nihili conſumitur; quorum utrumque eſt NIHIL AGERE. Siquidem latiùs patet Senecæ nihil agere, quàm Attilio; cujus illud, Plinio † teſte, *Satius eſt, otioſum eſſe, quam nihil agere*. Nam Senecæ quoque nihil agit, qui non agit: at Attilio tantùm nihil agit, qui agit, ſed rem nihili; cujuſmodi moribus erat Attalus ille, in quem ſcriptum Martialis iſtud ‡: *Eſt, non eſt, quod agas; Attale, ſemper agis*. Tertium erat ALIUD AGERE, de quo res magis ſub ancipiti hæret. Exiſtimant viri eruditi, aliud nos agere, cùm bonum agimus non attentè, aut non ſuo loco, aut tempori. At, judicio meo, *aliud agere* tam late patet, ut & comprehendat duo priora, nempe nihil agere, & malè agere; & ei tertium ſupperaddat, bonum agere non bene, vel agere bonum, ſed non illud bonum, quod dignius eſſet viro ſapiente. Nam, id niſi eſſet, nunquam diceret Seneca, TOTAM vitam elabi aliud agendo; cujus magnam agnoſcit partem effluere agendo nequiter; maximam verò partim deſidiæ ludum dando, partim vacando rebus nihili.

† Lib. 1. epiſt. 9.

‡ Lib. 1. epiſt. 80.

Convenit incrementi ſchema, tum ad res ordine ſuo exponendas, tum etiam ad eas exaggerandas. Et hæc de ſchematibus, quæ figuram accipere ſolent ratione eorum, quæ ad eſſentiam pertinent.

CAP. IX.

DE ÆTIOLOGIA, DIATYPOSI, ET HYPOTYPOSI.

Ea, quæ ſunt in re, explicant ætiologia, diatypoſis, & hypotypoſis.

Ætiologia eſt, cùm ratio rei additur. Quæ ſi callidior fuerit, quàm verior, color, *nominatur.*

Diatypoſis eſt, cùm res ita deſcribitur, ut cerni coram videatur.

Differt ab hac hypotypoſis, quòd ſimplicior ſit, minuſque accurata.

I. DE ÆTIOLOGIA.

AT ratione eorum, quæ ſunt in re, figurant αἰτιολογία, διατύπωσις, & ὑποτύπωσις. Quippe ea explicant, quæ licet non ſunt de rei eſſentia, naturali tamen vinculo cum re cohærent. Ut in αἰτιολογίᾳ eſt cauſſa impulſiva; imò omne id, unde aliquid colligitur, ac probatur. In διατυπώσει verò, ac ὑποτυπώσει, tum cauſſæ impellentes adferuntur, tum effecta, reique adjuncta, ac περιστάσεις.

Αἰτιολογίας enim ſchema, ut Rutilius Lupus ait, *efficitur ratione brevi & ſententioſâ, ita, ut, quod dubium eſt viſum, ad certam fidem adduci videatur*. Ejus hoc adfert exemplum: *Etſi acerbum vobis, quod dicturus ſum videbitur: tamen æquo animo audiendum eſt. nam fere verum conſilium, quod initio auditu grave eſt, in poſterum cognitâ utilitate fit jucundum.* Ac hic quidem ratio ſubjicitur. Ut & in illo Ciceronis divinatione in Verrem: *Intelligo, quàm difficili ſcopuloſoque verſer loco. Nam cùm omnis arrogantia ſit moleſta, tum illa ingenii, atque eloquentiæ, multò moleſtiſſima.* Et apud Cornificium: *Bene majores noſtri hoc comparaverunt, ut neminem regem, quem armis cepiſſent, vitâ privarent: Quid ita? quia, quam nobis fortuna facultatem dediſſet, iniquum erat in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna paullo antè in ampliſſimo ſtatu collocârat.* At interdum ratio præcedit. Ut pro lege Maniliâ: *Etenim ſi vectigalia nervos eſſe Reip. ſemper duximus: eum certè ordinem, qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum rectè dicemus.* Quandoque etiam ratio medium occupat locum. Ut IV. Æn.

At regina dolos (quis fallere poſſit amantem?)
Præſenſit, motuſque excepit prima futuros,
Omnia tuta timens.

Idem extra parentheſin fit in illo pro lege Maniliâ: *Hic, in ipſo illo malo, graviſſimâque belli occaſione, L. Lucullus, qui tamen aliquâ ex parte iis incommodis mederi fortaſſe potuiſſet, veſtro juſſu coactus*, QUOD *imperii diuturnitati modum ſtatuendum veteri exemplo putaviſtis; partem militum, qui jam ſtipendiis confecti erant, dimiſit; partem Glabrioni tradidit.* Interdum verò & geminatur ratio, ut pro lege Maniliâ: *De hujus autem hominis felicitate, quo de nunc agimus, hâc utar moderatione dicendi: non ut in illius poteſtate fortunam poſitam eſſe dicam, ſed ut præterita meminiſſe, reliqua ſperare videamur: ne aut inviſa diis immortalibus oratio noſtra, aut ingrata eſſe videatur.* Imò quandoque & fit cauſſarum multarum connexio. Ita ſex habes pro Plancio: *Quis eſt ergo, qui neget, ordinis ejus* (publicanorum) *ſtudium fuiſſe in honore Plancii ſingulare? neque injuriâ: vel quòd erat pater is, qui eſt princeps jamdiu publicanorum: vel quòd is ab ſociis unice diligebatur: vel quòd diligentiſſimè rogabat: vel quia pro filio ſupplicabat: vel quia hujus in illum ordinem ſumma officia quæſturæ tribunatuſque conſtabant: vel quòd illi, in hoc ornando, ordinem ſe ornare, & conſulere liberis ſuis, arbitrabantur.*

Quòd ſi ratio non vere, ſed callide, & probabiliter tamen, adferatur, COLOR dicitur. Ut cùm Thraſo videri vult prudenti conſilio agere, quod faceret timore *:

* Eun. act. 4. ſc. 7.

Omnia, inquit, *prius experiri, quàm armis, ſapientem decet.*

Item cùm Phædria Antiphonem ait ſiluiſſe in judicio præ formidine, & pudore †:

† Phorm. act. 2. ſc. 1.

—— *Functus adoleſcentuli eſt*
Officium liberalis. poſtquam ad judices
Ventum eſt, non potuit cogitata proloqui.
Ita eum tum timidum ibi obſtupefecit pudor.

Cicero Catil. III: *Cùm multi gladii, ac ſicæ, apud Cethegum deprehenſæ fuiſſent, dixit, ſe ſemper bonorum ferramentorum ſtudioſum fuiſſe.* De colore verò, quatenus ad inventionem pertinet, diximus lib. I, cap. X, tmemate VIII.

Ad αἰτιολογίαν refero etiam ἈΝΑΓΚΑῖΟΝ, ſi id inter figuras etiam locum invenit. Eo utimur, *cùm volumus oſtendere neceſſitudinem aut naturæ, aut alicujus perſonæ*: ut inquit Rutilius Lupus, qui veterum ſolus Neceſſarium; at (ut ego quidem cenſeo) nullâ prorſus neceſſitate, inter ſchemata reponit. De Αἰτιολογίᾳ vidimus.

II. DE DIATYPOSI, ET HYPOTYPOSI.

ΔΙατύπωσιν Cicero vocat ſubjectionem ſub adſpectum, Fabius formam rerum expreſſam verbis. Fit ea, cùm rem ob oculos ponimus luculentâ narratione, proſequentes eas partes, quæ ἠθολογίαν maximè comprehendunt in perſonis, in locis autem notabiles quaſdam diſpoſitiones. Differt ab eâ ὑποτύπωσις, quòd hæc ſit minutior, dilutior, ſimplicior: διατύπωσις verò fit accuratior, ideoque magis luminoſam, ac quaſi actuoſam reddat orationem. Perſequitur enim omnia; lecta tamen in gravi dicendi genere, in aliis omnia penitùs. Sed vulgò vocabula hæc promiſcuè uſurpant. Habes διατύπωσιν in illo Demoſthenis de falſa legat. Θέαμα δεινόν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ ἐλεεινόν. ὅτε γὰρ νῦν ἐπορευόμεθα εἰς Δελφοὺς, ἐξ ἀνάγκης ἦν ὁρᾶν ἡμῖν πάντα ταῦτα, οἰκίας κατεσκαμμένας, τείχη περιῃρημένα, χώραν ἔρημον τῶν ἐν ἡλικίᾳ, γύναια δὲ καὶ παιδάρια ὀλίγα, καὶ πρεσβύτας ἀνθρώπους οἰκτρούς. ὅλως δὲ, οὐδ' ἂν εἷς ἐφικέσθαι δύναιτο τῷ λόγῳ τῶν ἐκεῖ κακῶν νῦν ὄντων. *Spectaculum, Athenienſes, crudele erat, ac miſerabile. Nam cùm nuper proficiſceremur Delphos, neceſſe*

Digitized by Google

neceſſe erat videre omnia illa, domos dirutas, mœnia proſtrata, regionem juventute orbatam, mulierculas duntaxat, & pueros paucos, & ſenes, homines miſerandos. Denique nemo aſſequi verbis poſſit mala, quæ nunc ibi ſunt. Cicero VII. Verrinâ: *Ipſe inflammatus ſcelere & furore, in forum venit; ardebant oculi; toto ex ore crudelitas eminebat: exſpectabant omnes, quò tandem progreſſurus, aut quidnam acturus eſſet: cùm repente hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri jubet. clamabat ille miſer, ſe civem eſſe Rom., municipem Coſſanum: meruiſſe ſe cum L. Pretio, ſplendidiſſimo equite Rom., qui Panormi negotiaretur, ex quo hæc Verres ſcire poſſet. tum iſte, ſe comperiſſe, ait, eum ſpeculandi causſâ in Siciliam à ducibus fugitivorum eſſe miſſum: cujus rei neque index, neque veſtigium aliquod, neque ſuſpicio cuiquam eſſet ulla. deinde jubet, undique hominem proripi, vehementiſſimeque verberari. cædebatur virgis in medio foro Meſſanæ civis Rom., jud., cùm interea nullus gemitus, nulla vox alia iſtius miſeri inter dolorem, crepitumque plagarum, audiebatur, niſi hæc, civis Romanus ſum.* Eſt & διατυπώσεως in deſcriptione convivii M. Antonii Philipp. II: *Perſonabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes* &c. Apud Cornificium, qui *demonſtrationem* vocat, tale ejus eſt exemplum: *Quod ſimul atque Gracchus proſpexit, fluctuare populum, verentem, ne ipſe auctoritate Senatus commotus, à ſententiâ deſiſteret, jubet advocari concionem. Iſte interea, ſcelere & malis cogitationibus redundans, evolat ex templo Jovis, & ſudans, oculis ardentibus, erecto capillo, contortâ togâ, cum pluribus aliis ire celeriùs cœpit. Illi præco faciebat audientiam: hic ſubſellium quoddam calce premens, dextrâ pedem defringit, & alios hoc idem jubet facere. Cùm Gracchus deos inciperet precari, curſim iſti impetum faciunt: ex aliis, aliiſque partibus convolant: atque è populo unus, Fuge, inquit, Tiberi, fuge. Non vides? reſpice, inquam. Deinde vaga multitudo, ſubito timore perterrita, fugere cœpit. At iſte ſpumans ex ore ſcelus, anhelans ex infimo pectore crudelitatem, contorquet brachium, & dubitanti Graccho, quid eſſet, neque tamen locum, in quo conſtiterat, relinquenti, percutit tempus. Ille nullâ voce delibans inſitam virtutem concidit tacitus. Iſte viri fortiſſimi miſerando ſanguine adſperſus, quaſi facinus præclariſſimum feciſſet, circumſpectans, & hilaris ſceleratam gratulantibus manum porrigens, in templum Jovis contulit ſeſe.* Etiam illuſtre eſt διατυπώσεως exemplum, quod è Lycone adducit Rutilius Lupus lib. II. agens de Characteriſmo, qui inter ſpecies eſt διατυπώσεως. Eſt verò iſtiuſmodi: *Quid in hoc arbitrer bonæ ſpei reliquum reſidere, qui omne vitæ tempus unâ ac deſperatiſſimâ conſuetudine produxit? Nam ſimul atque ex prioribus horis diei, nimia cibi ac vini ſatietate, vix meridiano tempore, plenus crapula eſt experrectus, primum oculis mero madidis, humore obcæcatis, viſu * gravidis, lucem conſtanter intueri non poteſt: deinde confectis viribus, utpote cujus venæ non ſanguine, ſed vino ſunt repletæ, ſe ipſe erigere non valet: tandem duobus innixus languidus, qui cubando ſit defatigatus, tunicatus ſine pallio ſoleatus † præ lectulo, palliolo ‡ frigus à capite defendens, flexâ cervice, ſummiſſis genibus, colore exſangui protinus ex cubiculari lectulo excitatus, in triclinium trahitur. Ibi preſtò ſunt quotidiani pauci eodem ſtudio excitati convivæ. Hic verò princeps paullum illud reliquum, quod habet mentis ac ſenſus, poculis extrudere exeâ feſtinat, & eos bibendo provocat, & laceſſit, perinde ac ſi in hoſtium prælio quàm plurimos ſuperârit, atque adflixerit, ampliſſimam ſibi victoriam paratam exiſtimans. Interea procedit ſimul & illud tempus, & potatio: oculi vinum lachrymantes caligant, ebrioſum ipſi vix ebrii cognoſcunt: alius ſine causſâ jurgio proximum laceſſit: alius ſomno deditus, vi cogitur vigilare: alius rixari parat: alium turbas vitantem, ac domum reverti cupientem, retinet janitor, pulſat, exire prohibet dominum, interdictum demonſtrans. Interim alium contumelioſè extra januam ejectum, vacillantem puer ſuſtentat, ac ducit pallium per lutum trahentem. Noviſſime ſolus in triclinio relictus non priùs poculum è manibus emittit, quàm ſomnus oppreſſit bibentem, ac diſſolutis artubus, ipſum poculum ſuapte naturâ dormienti excidit.*

> * Caſaubonus comment. in Theophraſti Characteres rectè emendat vino gravidis, i. οἰνοβαρεῖς.
> † Idem legit, ſoleatus, ut è lectulo.
> ‡ Malit idem pileolo, quia Græcè ſcripſit Lyco.

Eſt & διατύπωσις populi bello fracti apud Juſtinum lib. V. poſtquam dixerat de clade populi Attici, atque ut Lyſander pararet obſidere Athenas: *Quæ cuncta*, inquit, *cùm Athenis nunciata eſſent; omnes, relictis domibus, per urbem diſcurrere pavidi; alius alium ſcitari, auctorem nuncii requirere: non pueros imprudentia, non ſenes debilitas, non mulieres ſexus imbecillitas domi tenet: adeò ad omnem ætatem tanti mali ſenſus penetraverat. In foro deinde coëunt, atque ibi perpeti nocte fortunam publicam queſtibus iterant. Alii fratres, aut filios, aut parentes deflent; cognatos alii, alii amicos cognatis cariores: & cum privatis caſibus querelam publicam miſcent: jam ſe ipſos, jam ipſam patriam perituram; miſerioremque incolumium, quam amiſſorum fortunam judicantes; ſibi quiſque ante oculos obſidionem, famem, & ſuperbum victoremque hoſtem proponentes; jam ruinam urbis & incendia, jam omnium captivitatem, & miſerrimam ſervitutem recordantes; feliciores prorſus priores urbis ruinas ducentes, quæ incolumibus filiis parentibuſque, tectorum tantùm ruina taxatæ ſint. Nunc autem non claſſem, in quam, ſicuti pridem, confugiant, ſupereſſe, non exercitum, cujus virtute ſervati pulchriora poſſent mœnia exſtruere.* Ubi & ſermocinationem diatyposi conjungi videmus. Vide quoque eundem Juſtinum lib. XXIII. ubi deſcribit triſtem diſceſſum Texenes, & liberorum, ab Agathocle, Siciliæ rege. Egregia quoque διατυπώσεως exempla ſuggerent characteres Theophraſti, imagines Philoſtrati, & deſcriptiones Calliſtrati. Oſtentatorem quaſi vivis coloribus ob oculos poſuit Petronius: uti & mulierem formoſam: quod etiam Ariſtænetus facit epiſt. I. At virum formâ præſtantem Heliodorus lib. III. in Theagene, & in Theoderico Sidonius lib. I. epiſt. II. Qui deformem quoque deſcribit lib. III. epiſt. XIII. Triumphum depingit Curtius lib. IX. Inſignis etiam eſt διατύπωσις illa Luciani, quâ * ad vivum expreſſit eorum vitam, qui mercede conducti in locupletum vivunt familiis. Ammianus deſcripſit terræmotum lib. XVII. hominem improbum, & potentem, lib. XXVII. ubi de Probo; vitioſos Romanorum mores, lib. XXVIII. tabulas, lib. XXX. direptionem urbis, lib. XXXI. Vide etiam ebrioſorum illuſtrem deſcriptionem apud Baſilium in concione κατὰ μεθυόντων; hominis ſuperbi, homil. undecimâ lib. de opificio ſex dierum; πλεονεξίας & avarorum, ἐν τῇ ὁμιλίᾳ ῥηθείσῃ ἐν Λακίζοις. Digitum ad hos intendiſſe ſuffecerit. Neque enim mihi ad exſcribendum multa adeò otium magis eſt, quàm tibi Lector ad inquirendum.

> * Libro περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων.

CAP. X.

DE FIGURIS A SIMILITUDINE, VEL COMPARATIONE, DUCTIS.

Vidimus de duobus generibus ſchematum, quæ ratione rei figurant orationem. Tertii generis ſchemata partim à ſimilibus petuntur, ut aſſimilatio: partim à quodammodo oppoſitis, vel etiam verè contrariis.

Aſſimilatio comprehendit exemplum, imaginem, collationem, & comparationem.

Differunt exemplum, & imago, quòd exemplum ponatur, ut aliquid tale fiat; imago autem propter aſſimilationem ipſam.

Differunt collatio, & comparatio, quòd illa rem, quam comparat cum aliâ, loco priori collocat; hæc verò poſteriori.

I. De icone, exemplo, comparatione, et collatione.

SUperſunt ſchemata, quæ figurantur ratione eorum, quæ ſunt extra rem. Ea autem partim ſimilitudinem notant, partim conjungunt ea, quæ inter ſe pugnant.

Prioris generis eſt ASSIMILATIO: cujus apud Scaligerum ſpecies ſunt, παράδειγμα, εἰκὼν, σύγκρισις, & συμβολή. Παράδειγμα, & εἰκὼν, ei diſtinguuntur, quòd ΠΑΡΑ'ΔΕΙΓΜΑ ſive exemplum ponatur, ut aliquid fiat: ΕἸΚΩ'Ν autem ſeu imago propter ipſam aſſimilationem; quia primò reſpicit, non actionem ipſam, ſed ut opinio aliqua in hominum animis inducatur. Itaque εἰκὼν eſt in illo Virgilii*: *Os humeroſque Deo ſimilis.* Aliaque imaginis exempla libro IV. poſuimus: multa etiam à Pet. Victorio ſtudioſè collecta vide lib. ſeptimodecimo Var. Lect. cap. XXII. At παράδειγμα eſt in illo Ciceronis invectivâ I. in Catil. *An verò vir ampliſſimus P. Scipio, Pontifex maximus, Ti. Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reip. privatus interfecit: Catilinam orbem terræ cæde atque incendiis vaſtare cupientem nos conſules perferemus?* Idem I. de Offic. *Quod ſi ea, quæ acceperis utenda, majore menſurâ, ſi modo poſſis, jubet reddere Heſiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus? an non imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quàm acceperunt?*

* Æn. I.

Inter σύγκρισιν quoque, & συμβολὴν, ſive comparationem, & collationem, Scaliger hoc diſcrimen conſtituit, quòd cùm in utrâque duo ſint, res quæ aſſimilatur, & cui aſſimulatur; in comparatione priori loco ponatur id cui aſſimulatur, quæ pars dicitur πρότασις; poſteriori, quod aſſimilatur quæ ἀνταπόδοσις vocatur: contra autem in collatione præcedat res, quæ aſſimilatur. Itaque comparatio eſt in hoc è Ciceronis Hortenſio: *Ut ii, qui combibi purpuram volunt ſufficiunt prius lanam medicamentis quibuſdam: ſic literis, talibuſque doctrinis, antè excoli animos, & ad ſapientiam concipiendam imbui, & præparari decet.* Item in illo pro Q. Roſcio: *Ut ignis in aquam conjectus continuò reſtinguitur & refrigeratur: ſic referens falſum crimen, in puriſſimam & caſtiſſimam vitam collatum, ſtatim concidit, & exſtinguitur.* Similiter Decimus Laberius† (quem Crinitus, & alii, perperam *Decium* vocant, cùm id nomen ipſum, non prænomen, fuerit Romanis)

Ut edera ſerpens vires arboreas necat:
Ita me vetuſtas complexu annorum enecat.

† Apud Macrobium lib. 2. Sat. cap. 7.

Quemadmodum & in verſu, qui proximè ſequitur, hujuſmodi eſt imago:

Sepulchri ſimilis nil niſi nomen retineo.

Reſpicit autem ad morem ſui ævi, quo nomina marmoribus incidebant. Ut verò hic εἰκὼν eſt negans: ita & comparatio interdum eſt negativa. Cujus tale eſt exemplum apud Cornificium: *Neque equus indomitus, quamvis naturâ bene compoſitus ſit, idoneus poteſt eſſe ad eas utilitates, & aptus, quæ deſiderantur ab equo: neque homo indoctus, quamvis ſit ingenioſus, ad virtutem poteſt pervenire.* Sic Cicero pro Roſcio Amerino: *Ut non frugem, neque arborem, in omni agro reperire poſſis: ſic non omne facinus in omni vitâ naſcitur.* Et lib. II. Tuſc. Qu. *Ut agri non omnes frugiferi ſunt, qui coluntur: ſic animi non omnes culti fructum ferunt.* Atque in hiſce exemplis, prius eſt, quicum aliquid confertur; eoque comparatio eſt. At collatio eſt, cùm Maro primum Georgicôn hâc claudit aſſimilatione:

Ut cùm carceribus ſeſe effudere quadrigæ,
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Nam poſteriori in loco ponitur id, cui quid confertur: quod & apud Homerum non rarò fit, quemadmodum obſervavit Porphyrius. Atque hinc liquet, quid judicii ferri oporteat de Servii opinione, qui comparationem hîc eſſe negat, quia vitioſè ea ponatur in fine. Eſt & collatio, cùm apud Maronem Juno non ſe Palladi, ſed Pallada ſibi confert, atque eam, Jovis tantùm filiam, ait potuiſſe momento Ajacem fulmine Jovis occidere: ſe, *quæ Divum incedat regina, Joviſque & ſoror & conjux* ſit, tot annos cum unâ Trojanorum gente bella gerere. Hinc verò alterum quoque diſcrimen eruimus. Nam comparatio ſemper habet ſimilitudinem: in collatione verò diſſimilitudo quoque eſſe poteſt.

Ariſtoteli εἰκὼν, σύγκρισις, & συμβολὴ comprehenduntur ſub exemplo. Nam, quemadmodum ſuprà* diximus, dividit παράδειγμα in factum, & fictum: fictum autem diſtribuit in duo genera; quia vel ſimilem caſum fingimus, quod παραβολὴ vocatur; vel falsâ oratione utimur ad rem veram imagine quadam referendam, quod λόγος ſeu fabula dicitur. Diomedes lib. II. ὁμοιώσεως tres facit ſpecies, εἰκόνα, ſive εἰκασμὸν, παραβολὴν, & παράδειγμα. Idem octo modis παραβολὴν fieri docet. Ipſum adi. Itidem Marius Victorinus tres ſimilitudinis ſpecies ſtatuit, εἰκόνα, παραβολὴν, & παράδειγμα. Hæc ita diſtinguit: *Per imaginem*, inquit, *ſimile fit, cùm ex ſimili ſpecie vultus vultibus comparamus. Per collationem ſimile facimus, cùm rerum diverſarum conferimus, & copulamus, non ſpeciem, ſed naturam. Per exemplum autem tum ſimile facimus, ſi in exemplo ipſo qualitas oſtendatur.* Qualitatem verò (ita enim apud eum legendum puto) mox explicat *vim, numerum, vel figuram*: unde liquet, ſi recta emendatio noſtra, (quam confirmat, quod & antè, & pòſt, à Victorino qualitatis mentio fiat) latè accipi *qualitatis* nomen, Rhetorum more.

* L. 2. c. 15. ſect. 2.

Comparatio eſt duplex; una perfecta, altera imperfecta. Perfecta habet πρότασιν, & ἀπόδοσιν. Ejus notæ ſunt, *quemadmodum, velut*, &c. At imperfecta ſolùm exprimit ἀπόδοσιν, ac notis hujuſcemodi deſtituitur. Maro Ecl. II.

O formoſe puer, nimiùm ne crede colori.
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Niſi allegoriam hoc vocare malis.

Quinctilianus è ſchematum numero excludit comparationem ſive aſſimilationem. Nam generatim vocem hanc uſurpat. Robortelius quoque, lib. de artificio dicendi, σύγκρισιν ſive comparationem cenſet verius eſſe probationis partem, quam figuram ſententiæ. Sanè de exemplo, & collatione, non multùm adverſer. At de imagine, & comparatione, contrà videtur: quarum utraque magis ad illuſtrandum & ornandum inſtituitur, quàm ad probandum; neque tam aſſentiendi injicit neceſſitatem, quàm diſſentiendi adfert pudorem.

Utile autem illud præceptum Fabii lib. VIII. *Ne id quod ſimilitudinis gratiâ adſcivimus, aut obſcurum ſit, aut ignotum. Debet enim, quod illuſtrandæ alterius rei gratiâ aſſumitur, ipſum eſſe clarius eo, quod illuminat. Quare ſanè poetis quidem permittamus hujuſmodi exempla:*

Qualis† ubi hybernam Lyciam Xanthique fluenta
Deſerit, aut Delon maternam inviſit Apollo.

† Æn. 4.

Non idem decebit oratorem, ut occultis aperta demonſtret.

II. De dissimilitudine.

HActenus de aſſimilatione. Cui opponitur ἀνομοίωσις, ſive diſſimilitudo. Catullus‡:

Soles occidere & redire poſſunt.
Nobis cùm ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetuò una dormienda.

‡ Epig. 5.

Cicero initio Philipp. III. *Certus autem dies non ut ſacrificii, ſic conſilii exſpectari ſolet.* Quòd ſi non ſatis aperta ſit diſſimilitudo, ejus ratio addi debet. Cicero I. Off. *Nec quemquam hoc errore duci oportet, ut, ſi quid Socrates, aut Ariſtippus, contra morem conſuetudinemque civilem fecerint, locutive ſint: idem ſibi arbitretur licere. Magnis enim illi, & divinis bonis, hanc licentiam aſſequebantur.* Habemus de figuris à ſimilitudine petitis.

Cap. XI.

DE PRIORI GENERE FIGURARUM, QUÆ AB OPPOSITIS DUCUNTUR.

Ab oppoſitis (ſub quibus & diſparata comprehendimus) duplices petuntur figuræ. Quædam enim tantum ſunt ſchemata ſententiæ: quædam præcipuè quidem hujus ſunt loci, ſecundariò autem ad ſchemata verborum pertinent. Prioris generis ſunt dubitatio, inopinatum, correctio, conceſſio, confeſſio, & occupatio.

Dubitatio eſt, cùm animus pendet, ac neſcit quid agendum, dicendumve ſit.

Inopinatum eſt, cùm, ſuſpenſis auditorum animis, aliquid præter eorum ſententiam ſubjicimus.

Correctio eſt, quâ recedimus ab eo, quod priùs diximus.

Conceſſio eſt, cùm aliquid etiam iniquum concedimus, ut id, quod maximè cauſſam juvat, impetremus.

Differt ab hâc confeſſio, quòd illa det partem, hæc totum. At utraque eo à permiſſione diſcrepat, quòd hæc ſit facti, illa dicti.

Occupatio eſt, cùm id, quod contra nos dici poteſt, priuſquam obducatur nobis, ipſi aſſerimus, ac refutamus.

I. De dubitatione.

Ab oppoſitis petuntur διαπόρησις, ſive dubitatio, παράδοξον, ſive inopinatum, ἐπανόρθωσις, ſive correctio, ἐπιτροπὴ, ſive conceſſio, προσομολογία, ſive confeſſio, & πρόληψις, ſive occupatio. Quæ ſolùm διανοίας eſſe ſchemata, non item λέξεως, ſatis eſt apertum.

ΔΙΑΠΟΡΗΣΙΣ vocatur Rutilio ἀπορία. Rufinianus utramque habet appellationem. Latinis *dubitatio*, vel *addubitatio* dicitur. Ea fit, cùm animo pendemus, quia neſcimus, quid è duobus, aut pluribus, dicendum nobis, aut agendum ſit. Plerumque autem ea per interrogationem inſtituitur. Ut Ulyſſes narraturus Alcinoo labores ſuos *;

> Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω †;

Ajax apud Sophoclem ‡:

> Καὶ νῦν τί χρὴ δρᾶν †; &c.

Cic. pro Roſcio Amerino: *Quid primùm querar? aut unde potiſſimùm, judices, ordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorum immortalium? populine Romani?* Idem Act. VII. in Verrem: *Quid primùm aut accuſem, aut querar, Judices?* Pro Milone: *Quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Quincte frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? Me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſervâſſet? At in quâ cauſſâ non potuiſſe? quæ & grata gentibus*, &c. Quo loco etiam habes διαλογισμὸν καὶ ὑποφοράν. Illuſtre quoque exemplum eſt apud Ovid. VIII. Met. ubi Althæa deliberat de morte filii ſui, Meleagri. Item hoc Tiberii apud Tacitum *, in quo ταυτότητα ſuperiùs ſtatuebamus: *Quid ſcribam, P.C., aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, dii me deæque pejus perdant, quàm perire quotidie ſentio, ſi ſcio.* Ubi, qui dubitationem interrogationi ſubjiciunt, poſt *tempore* interrogandi notam ponunt. Sed cùm dubitatio alia explicita, alia implicita ſit, liquidò verum ruſpantibus ac percontantibus paret, illam etiam ſine interrogatione eſſe poſſe. Certè Rutilio Lupo ἀπορίας exemplum eſt illud è Lyſia: *Nec jam rationem invenimus, quâ flecti poſſe ſperemus. ita vos omnibus modis tentatos acerba ac nimium tua facultas affligit.* Similequе hoc M. Tullii in Oratore ad Brutum, in quo ipſo & ἀσυνδέτου δεκακώλου exemplum ſuperiùs † ſtatuebamus: *Utrùm difficilius aut majus eſſet, negare tibi ſæpius idem roganti, an efficere id quod rogares, diu multumque, Brute, dubitavi. Nam & negare ei, quem unicè diligerem, cuique me chariſſimum eſſe ſentirem, præſertim & juſta petenti, & præclara cupienti, durum admodum mihi videbatur: & ſuſcipere tantam rem, quantam non modò facultate conſequi difficile eſſet, ſed etiam cogitatione complecti, vix arbitrabar eſſe ejus, qui vereretur reprehenſionem doctorum atque prudentium.* Atque hinc Talæi, Ludovici Carbonis, atque aliorum error, ut dixi, detegitur, qui interrogationem faciunt genus dubitationis.

* Od. 1.
† Quid primum, quid deinde, quid poſtremò eloquar?
‡ In Ajace Flagellifero.
† Et quid nunc facto opus.
* 6. Annal.
† Lib. 4. cap 3. ſect. 6.

Convenit autem ἀπορία exordiis, quia rem amplificat, atque auditorem attentum facit. Conducit quoque ad rem diſſimulandam. Unde callidè hâc utitur Davus in Andr. Act. IV. Sc. V.

> —— *Di*, inquit, *veſtram fidem.*
> *Quid turba eſt apud forum? quid illic hominum litigant?*
> *Tum annona cara eſt, quid dicam aliud, neſcio.*

II. De inopinato.

Παράδοξον, ſive *inopinatum*, quod & ἀπροσδόκητον, & ab Ariſtophanis ſcholiaſte παρὰ προσδοκίαν dicitur, ac Celſo *ſuſtentatio* vocatur, fit cùm, ſuſpenſis auditorum animis, aliquid minimè exſpectatum ſubjungimus. Ariſtophanes *: —— Ἄγε νῦν τὰς ἀμυγδαλὰς λαβὼν ταςδὶ, κάταξον τὴν κεφαλὴν σαυτοῦ λίθῳ. i. *Age cape has amygdalas, & lapide tibi frange caput.* Nam exſpectabat auditor, Amygdalas lapide frange. Plautus Perſ. act. III. ſc. I.

> *Ne te indotatam dicas, cui dos ſit domi,*
> *Librorum eccillum habeo plenum ſoracum,*
> *Si hoc accurâſſis lepidè, cui rei operam damus,*
> *Dabuntur dotis tibi inde ſexcenti logi,*
> *Atque Attici omnes, nullum Siculum acceperis.*
> *Cum hâc dote poteris vel mendico nubere.*

Nam dicturus videbatur, cum dote adeò amplâ nubere poteris vel homini opulentiſſimo. Idem prologo Pœnuli, juxta veterum codd. fidem:

> —— *Ut æqui meum ſitis ignarures.*

Nam *gnarures* exſpectabant.

Ad quem locum vir doctus, cùm dicere vellet, eſſe ἀπροσδόκητον, ſeu lapſu mentis, ſeu calami errore, quod credere malo, ἀπροσδιόνυσον pro eo ſcripſit. Terentius Heaut. †

> —— *In me quidvis harum rerum convenit,*
> *Quæ ſunt dicta in ſtultum; caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.*
> *In illum nihil poteſt: nam exſuperat ejus ſtultitia hæc omnia.*

Quis enim non exiſtimâſſet, dicturum: *Nam ſapientiâ cæteros antiſtat homines.* Cic. lib. II. de Orat. *Appius in Senatu, cùm ageretur de agris publicis, & de lege Thoriâ, & premeretur Lucilius ab iis, qui à pecore depaſci agros publicos dicerent, Non eſt, inquit, Lucilii pecus illud; erratis: (defendere Lucilium videbatur) ego liberum puto eſſe: quà lubet, paſcitur.* Illuſtre quoque exemplum iſthoc de Pontidio, quod idem inibi refert: *Pontidius, cùm quidam ab eo petiiſſet, qualem exiſtimaret eum, qui in adulterio deprehenditur, tardum reſpondit. At ille fortaſſe exſpectabat, ut improbum ac ſceleſtum reſponderet.* Sed & Cicero ipſe, ut Fabius ſcribit, cùm hominem malum, & mendicum, laudare videretur, *Quid*, inquit, *huic abeſt, niſi res, & virtus?* Livius lib. XXVI. *Cujus ſententiæ & Fabius fuit: adjecit tamen, fateri ſe operâ Livii Tarentum receptum: (quod amici ejus vulgò in Senatu jactâſſent) neque enim recipiendum fuiſſe, niſi amiſſum foret.* Eſt & hoc Domitii Afri de malo quodam oratore: *Homo*, inquit, *in agendis cauſſis optimè veſtitus.* Nam *verſatus* dicturus putabatur. Feſtivus quoque jocus ille B. Hieronymi. dixerat conviciator: *Quid intereſt inter Sclavum, & aſinum? Paries*, reſpondebat Hieronymus. Nam qui Hieronymum convicio laceſſebat, foris adſtabat, ita ut inter Hieronymum Dalmatam ſive Scla-

* Apud Athenæum lib. 2.
† Act. 5. ſc. 1.

Sclavum, ac conviciatorem illum, paries intermedius foret. Nec diſſimilis jocus Joannis Erigenæ Scoti apud Carolum Calvum. Nam, ut eſt apud Matthæum Weſtmonaſterienſem *, *Rex cùm magiſtrum Joannem vidiſſet quiddam egiſſe, quod comitatem Gallicanam offendere videretur; increpavit eum ſatis urbanè, dicens: Joannes, quid diſtat inter Scotum, & Sottum †: Ille reſpondit, Menſa tantùm. Sicque convicium retulit in auctorem. Interrogaverat rex de morum differentis ſtudio: reſpondit Joannes de loci diſtantis ſpatio.*

* In floribus hiſt. ad ann. 883.
† Hoc eſt, fatuum.

Porrò ad παράδοξον, ſive ſuſtentationem, non tantùm referri debent exempla, quibus confeſtim aliquid præter opinionem auditoribus ſubjicitur: verùm etiam, quibus diu tenentur ſuſpenſi auditorum animi, ac tandem aliquid adjicitur, vel gravius multo, quàm exſpectabatur, vel levius, aut nullo modo criminoſum. Ita Cicero libro v. Actionum in Verrem narrationem quidem ita auſpicatur: *In Triochalino*, (ita rectè emendat Lambinus) *quem locum fugitivi jam antè tenuerunt, Leonidæ cujuſdam Siculi familia in ſuſpicionem vocata eſt conjurationis: res delata ad iſtum: ſtatim (ut par fuit) juſſu ejus homines, qui fuerant nominati, comprehenſi ſunt* &c. Ac mox: *Quid deinde? Quid cenſetis? furtum fortaſſe, aut prædam exſpectatis aliquam. Nolite uſquequaque eadem quærere. In metu belli furandi qui locus poteſt eſſe?* Ac aliquanto pòſt: *Etiam nunc mihi exſpectare videmini, judices, quid deinde factum ſit.* Tandem ſubjicit: *Exſpectate facinus, quàm vultis improbum: vincam tamen exſpectationem omnium, nomine ſceleris conjurationiſque damnati, ad ſupplicium traditi, ad palum alligati, repentè, multis millibus hominum inſpectantibus, ſoluti ſunt, & Leonidæ illi domino redditi.* Παραδόξου hoc exemplum eſſe, non inficiabitur, qui non Fabium * modò hâc in ſententiâ eſſe ſciat; ſed & verba Tullii pro eâ facere, cogitet: quippe qui dicat, ſe improbius aliquid auditoribus ſubjecturum, quàm ſuſpenſis hactenus animis exſpectaſſent.

* Lib. 9 cap. 2.

III. De epanorthosi.

Ἐπανόρθωσις, ſeu διόρθωσις, Rutilio μετάνοια vocatur. Cornificio dicitur *correctio*. Hæc, ut idem ait, *tollit id, quod dictum eſt, & pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit.* Sunt qui cum Fabio † putent, eſſe ſpeciem προλήψεως: quos planè ratio fugit. Non quidem inficior, veriſſimum eſſe, quod Fabius ait, verborum proprietatem emendari tum prolepſi, ſive præſumtione, tum epanorthoſi, ſive reprehenſione. Sed qui inde exiſtimant exterebrari illud poſſe, ἐπανόρθωσιν eſſe προλήψεως ſpeciem, ſanè digni ſunt, qui non niſi apud auritos Midas inveniant fidem.

† Lib. 9. cap. 2.

Eſt autem ἐπανόρθωσις duplex: nam interdum verbum, interdum ſententiam tollimus. Prior pertinere creditur ad σχήματα λέξεως. Ejus exemplum eſt hoc Apoſtoli 1 Cor. xv. 10: *Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Quod ſuum opus dixerat, mavult deinde vocare opus gratiæ, ut cauſſæ principalis: cui iccirco præcipuè laus ac decus debeatur. Simile Ciceronis iſtud pro Plancio: *Quam enim illi judices, ſi judices, & non parricidæ patriæ nominandi ſunt, graviorem potuerunt Reip. infligere ſecurim, quàm cùm illum è civitate ejecerunt?* Et eâdem orat. *Brunduſium veni, vel potius ad mœnia acceſſi.* Item act. vii. in Verrem: *O clementiam populi Rom., ſeu potius patientiam miram, ac ſingularem!* Item Philipp. iii: *Patrimonium ſuum effudit: quamquam non ſumus uſi eo verbo, quod decuit: non effudit, ſed in ſalutem Reip. collocavit.* Eſt & hujus generis loci aculeata correctio illa pro Cœlio in ſororem Clodii: *Quod quidem facerem vehementius, niſi inimicitiæ intercederent cum iſtius mulieris viro: fratrem volui dicere: ſemper hic erro.* Alterius correctionis exemplum eſt lib. ii. de Off. *Italiam ornare, quàm domum ſuam, maluit: quamquam, Italiâ ornatâ, domus ipſa mihi videtur ornatior.* Idem pro Milone: *Sed ſtulti ſumus, qui Druſum, qui Africanum, qui Pompejum, qui noſmet ipſos, cum Clodio conferre audeamus.*

Interdum hæc figura per ἀναδίπλωσιν inſtituitur, non quidem ut contrarium, ſed ut plus dicatur: quemadmodum in hoc Maronis *:

Deiphobum vidi lacerum crudeliter ora,
Ora manuſque ambas.

* Æn. 6.

Sententia enim eſt, Atque adeò, non modò ora, verùm manus etiam. Par quodammodo ratio eſt in iſthoc ejuſdem †;

† 12. Æn.

Non ſecus ac nervo per nubem impulſa ſagitta,
Armatam ſævi Parthus quam felle veneni,
Parthus, ſive Cydon, telum immedicabile torſit.

Nam mens poëtæ eſt: Parthum dico, aut, ſi mavis, Cydonis (ea Cretæ urbs) incolam. Utrique enim nobiles ſagittandi arte; uti & Armenii; unde hos conjunxit Claudianus ‡:

Scis, quo more Cydon, quà dirigat arte ſagittas
Armenius, refugo quæ ſit fiducia Partho.

‡ Panegyri in quartum Honorii conſulatum.

Interdum verò repetitio fit, ut cauſſa ſubtexatur, quæ correctio non eſt: ut in Ciri,

Ad cælum infelix ardentia lumina tollens:
Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas.

Maximus eſt correctionis uſus ad amplificandum, & movendum. Quam rem pluribus explicat Cornificius lib. iv: *Commovetur*, inquit, *hoc genere animus auditoris. Res enim communi verbo elata, tantummodo dicta videtur: ea poſt ipſius oratoris correctionem magis idonea fit pronuntiatione. Non igitur ſatius eſſet, dicet aliquis, ab initio, præſertim cum ſcribas, ad optimum & electiſſimum verbum devenire? Eſt cùm non eſt ſatius: ſi commutatio verbi id erit demonſtratura, ejuſmodi rem eſſe, ut, cùm eam communi verbo appellâris, levius dixiſſe videaris: cùm ad electius verbum accedas, inſigniorem rem facias: quod ſi continuò veniſſes ad id verbum, nec rei, nec verbi gratia animadverſa eſſet.*

IV. De παρομολογίας, et ἀντεισαγωγῆς.

Παρομολογία, ſive confeſſio, juxta Rutilium Lupum, fit, cùm aliquot res adverſario concedimus: deinde aliquid inferimus; quod aut majus ſit, quàm ſuperiora, aut etiam omnia, quæ poſuimus, infirmet. Exemplum verò tale adfert idem ex Hyperide: *Sume hoc ab judicibus noſtrâ voluntate: neminem illi propiorem cognatum, quàm te, fuiſſe, concedimus: officia tua nonnulla in illum exſtitiſſe, ſtipendia vos unà feciſſe aliquamdiu, nemo negat. Sed quid contra teſtamentum dicis, in quo ſcriptus hic eſt?* Addit & alterum ex eodem exemplum. Nec ſemper tamen *aliquot res* concedi opus, ut Lupus loquitur; ſed vel unum ſuffecerit. Ut in hoc Terentii Adelphis *:

Jam id peccatum primum magnum: magnum, at humanum tamen.
Fecere alii item boni.

* Act. 4. ſc. 5.

Item in Tullii illo pro Ligario: *Habes igitur, Tubero, quod eſt accuſatori maximè optandum, confitentem reum: ſed tamen ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, quâ te, Tubero; quâ virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque prius de veſtro delicto confiteamini neceſſe eſt; quam Ligarii ullam culpam reprehendatis.*

Idem, vel vicinum admodum, ſchema eſt antisagoge, ſive compenſatio, ὅταν ἕτερον ἀνθ' ἑτέρου ἀντιθῶμεν, ut eſt apud Alexandrum rhetorem: ſive, ut Aquila ait, *ubi aliquid difficile & contrarium confitendum eſt; ſed contra injicitur non minùs firmum. Qualia ſunt hæc de rege Ptolemæo apud Ciceronem: Difficilis ratio belli gerendi: at plena fidei, plena pietatis. Et ſi dicas, Magnus labor, multa pericula proponuntur: at gloria ex his immortalis eſt conſecutura.*

Digitized by Google

V. De ἘΠΙΤΡΟΠῌ, ΠΑΡΟΜΟΛΟΓΊᾼ, ac ΣΥΓΧΩΡΉΣΕΙ.

Ἐπιτροπὴ, ſive conceſſio ſit, cùm quippiam petimus, quod ſi non poſſumus impetrare, nihilominùs, licet iniquum videri queat, partem concedimus, ut reliquum feramus. Differt ab hàc ΠΑΡΟΜΟΛΟΓΊΑ, ſive confeſſio, quòd ἐπιτροπὴ det partem, παρομολογία totum. Ἐπιτροπὴ eſt pro Cluentio: *Dominetur in concionibus, jaceat in judiciis.* Loquitur de invidiâ. Par ratio in illo Virgil. Æn. VIII:

Non dabitur regnis, eſto, prohibere Latinis.
At trahere, atque moram tantis licet addere rebus.

Fictam etiam habes conceſſionem apud Cicer. in Verrem: *Sit fur, ſit ſacrilegus, ſit flagitiorum omnium vitiorumque princeps. At eſt bonus Imperator, & felix, & ad dubia Reip. tempora reſervandus.*

Huic vicina ΣΥΓΧΏΡΗΣΙΣ, ſive permiſſio. Neque enim alio à conceſſione differt, quàm quòd illa ſit dicti, hæc facti: eaque cauſſa eſt, cur plerique ea confundant. Eſt hæc quoque vel vera, vel ficta. Veræ exemplum eſt illud apud Cornificium: *Quoniam, omnibus rebus ereptis, ſolùm mihi ſupereſt animus, & corpus; hæc ipſa, quæ de multis ſola relicta ſunt, vobis & veſtræ condono poteſtati. Vos me, quo pacto vobis videtur, utamini, atque abutamini, licebit, impunè. in me quicquid libet, ſtatuite, dicite, atque obtemperabo.* Fictam habes permiſſionem apud Comicum *:

* Adelph. act. 1. ſc. 2.

—— Tibi ſi iſthoc placet,
Profundat, perdat, pereat. nihil ad me attinet.

Et apud Tullium pro Flacco: *Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, revocemus ejectos; nimiæ pietatis, & ſummi amoris in patriam viciſſim nos pœnas (ſi ita Diis placet) ſufferamus.* Item apud Maronem Æn. IV:

—— Neque te teneo, neque dicta refello.
I, ſequere Italiam ventis, pete regna per undas.

De permiſſione ſic Cornificius: *Hoc genus tametſi aliàs quoque nonnunquam tractandum eſt, tamen ad miſericordiam commovendam vehementiſſimè eſt accommodatum.* Quòd veriſſimè ab eo dici cognoſcimus ex iſtoc, in Adherbalis epiſtolâ ad Senatum Romanum, apud Salluſtium †: *Non jam mortem, neque ærumnas; tantummodo imperium inimici, & cruciatus corporis deprecor. Regno Numidiæ, quod veſtrum eſt, uti libet, conſulite: me de manibus impiis eripite.* Quaſi dicat, non obſto, quo minùs mihi vita eripiatur; dum ne illud pati cogar ab impio, & crudeli inimico. Atque ut hic permiſſionis exemplum habemus: ita conceſſio in iis eſt, quæ ibidem antea legas: *Quæ ſanè fuerint noſtræ inimicitiæ, nihil ad vos. Verùm nunc regnum veſtrum armis tenet.* Nam ſententia eſt, Eſto ſanè, ut nihil ad vos pertineat, quòd me, ſocium & amicum populi Romani, tantis injuriis affecerit. At ſaltem providete Numidiæ regno, quod veſtrum eſt.

† In Jug.

VI. De prolepsi grammatica, et rhetorica.

Πρόληψις aliter à grammaticis, aliter in rhetoricis, aliter in arte poëtica accipitur. Grammaticis πρόληψις eſt, cùm, ubi diximus de toto, ſubjicimus de partibus: ſive, ut pleniùs deſcripſit Auguſtinus Saturnius ‡, cùm res ſub unâ proprietate diverſis ad res abſque copula diſtribuuntur, ita ut inſit aliqua apparens incongruitas. Ut in Bucolicis ‡:

‡ Mercurii Majoris lib. 10. cap. 2.
‡ Ecl. 5.

—— Convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere verſus.

Soſipater * etiam, ac Rufinianus, tale adferunt exemplum ex XII. Æn.

* Lib. 4.

Interea reges (ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru.
—— bigis it Turnus in albis.
Hinc pater Æneas, Romanæ ſtirpis origo,
Et juxta Aſcanius, magnæ ſpes altera Romæ)
Procedunt caſtris.

At rhetoribus πρόληψις vocatur, cùm id, quod contra nos dici poteſt, anticipamus, atque diluimus: ſive, ut definit Rutilius, *cùm id, quod in adverſarii cauſſâ, aut judicis opinione eſſe aut fore arbitramur nobis contrarium, præoccupamus dicere, & cum ratione diſſolvere.* Alio nomine προκατάληψις vel ἀπάντησις, vocatur. Vulgò dicitur *occupatio*. Magiſtro autem Herenniano *occupatio* aliud eſt: præteritio puta. At quæ vulgò *occupatio*, vel *anteoccupatio*, hæc ei à parte ſui poſteriori *ſubjectio* nominatur. Fabius *præſumtionem* transfert. Quam vocem etiam legas apud Julium Rufinianum: qui & vocari *anticipationem* ait. E Demoſthene, & Lyſia, exempla ſuggeret Rutilius Lupus. Nos Cicerone erimus contenti. Qui pro Cœlio præoccupat, quod poſſe objici videbat, Ciceronem excuſare vitia adoleſcentiæ; id autem rectæ inſtitutioni quàm maximè repugnare. Sic enim loquitur: *Dicet aliquis, Hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcentes? ob hanc cauſſam tibi hunc puerum parens commendavit, & tradidit, ut in amore & voluptatibus adoleſcentiam ſuam collocaret, & hanc tu vitam, atque hæc ſtudia, defenderes?* Reſpondet deinde, adoleſcentes etiam probos ac frugales interdum incidere in aliquod delictum. Audiamus ipſum: *Ego, ſi quis, judices, hoc robore animi atque hac indole virtutis ac continentiæ fuit, ut reſpueret omnes voluptates, omnemque vitæ ſuæ curſum in labore corporis atque in animi contentione conficeret; quem non quies, non remiſſio, non æqualium ſtudia, non ludi, non convivia delectarent; nihil in vitâ expetendum putaret, niſi quod eſſet cum laude & cum dignitate conjunctum: hunc meâ ſententiâ divinis quibuſdam bonis inſtructum atque ornatum puto. Ex hoc genere illos fuiſſe arbitror Camillos, Fabricios, Curios, omneſque eos, qui hæc ex minimis tanta fecerunt,* &c. Subjungam & aliquot alia exempla, ut faciliùs appareat, quibus modis πρόληψιν inſtituere ſoleat orator. Neque enim unâ hic magis formulâ ſemper utendum, quàm eâdem ſemper chordâ oberrandum citharœdo. Cicero pro lege Maniliâ: *Requiretur fortaſſe nunc, quemadmodum, cùm hæc ita ſint, reliquum poſſit eſſe magnum bellum. Cognoſcite, Quirites. non enim ſine cauſſa quæri videtur.* Pro Archia: *Sed ne cui mirum videatur, me in quæſtione legitimâ, & in judicio publico, cùm res agatur apud prætorem populi Romani, lectiſſimum virum, & apud ſeveriſſimos judices, hoc uti genere dicendi, quod non modò à conſuetudine judiciorum, verùm etiam à ſermone forenſi abhorreat,* &c. Pro Poſtumo: *At habet, & celat. ſunt enim, qui ita loquantur.* Pro Cluentio: *Sed ego occurram exſpectationi veſtræ, judices. Nam etſi à vobis ſic audior, ut nunquam benigniùs, neque attentiùs, quemquam auditum putem: tamen vocat me alio jamdudum tacita veſtra exſpectatio, quæ mihi obloqui videtur.* Ac ex pleriſque, quæ jam attulimus, eadem cognoſcimus, non ſemper inſtitui hoc ſchema per interrogationem: ut neceſſe ſit, errare Talæum, qui interrogationem genus facit προλήψεως.

Solet & Cicero ordiri à prolepſi. Ut pro Roſcio Amerino, tibi ſtatim cauſſas adſert, cur unus ad dicendum ſurrexerit, cùm tot clari adſint oratores, quibuſcum non ſit comparandus. Ab eâdem auſpicatur divinationem, cùm docet, cur ad accuſandum in forum deſcenderit, qui ſemper defenderat. Ab hâc quoque orditur orationem pro Milone, item pro Rabirio Poſt. itidem lib. 1. Off. ex quibus ſimiliter elucet, prolepſin ſæpe fieri citra interrogationem.

Partes προλήψεως ſunt duæ, ὑποφορὰ, & ἀνθυποφορά. Ὑποφορὰ eſt adverſarii ratio, quæ tum colligitur ex rerum naturâ quas dicimus: tum ex ingenio, & conditione hominum, apud quos dicimus. Ἀνθυποφορὰ

eſt rationis illius ſolutio. A priori parte figura hæc nomen ſortita eſt πρόληψεως, ſive *occupationis*: à poſteriori *ſubjectio* nominatur. Nec tamen exiſtimandum, πρόληψιν ſemper ſubjectionis nomine intelligi. Nam aliis ita vocatur, quando interrogationi ſubjicitur reſponſio. Quo de ſchemate loquar, cùm ad interrogationem deventum erit. Nonnullis etiam illa ſolùm πρόληψις dicitur *ſubjectio*, in qua multa, ſive per interrogationem, ſive abſque eâ, breviter obducuntur, ac unicuique eorum ſua ſubditur reſponſio. Cujuſmodi ſubjectio videtur ſpecies eſſe continuatæ πρόληψεως. Vel ſi πρόληψεως voce oppoſitè atque anguſtè uti viſum, ſpecies erunt admodum vicinæ. Nempe non πρόληψις, ſed ſubjectio tunc erit, cùm non unum quid in contrarium adſertur, ſed multa, atque id minutatim: cùm item non uni reſpondetur, ſed multis, idque breviter. Neque dubium, quin talis κατ' ἐξοχὴν ſubjectionis nomen mereatur. Exemplo eſto illud pro Quinctio. Objectio eſt adverſarii: *De re pecuniariâ cupio contendere. non licet.* Sequitur reſponſio, *At ea controverſia eſt.* Inde nova occupatio, *Nihil ad me attinet, cauſſam capitis dicas oportet.* Hinc ſubjectio: *Accuſa, ubi ita neceſſe eſt.* Hinc iterum occupatio: *Non, inquit, niſi tu antè, novo modo, priore loco dixeris.* Subjectio alia ſequitur: *Dicendum neceſſariò eſt: præſtituenda hora ad arbitrium noſtrum: judex ipſe arceſſetur.* Exinde rurſum occupatio, eaque longiuſcula: *Quid tum? Tu aliquem patronum invenies, hominem antiqui officii, qui ſplendorem noſtrum, & gratiam negligat? Pro me pugnabit L. Philippus, eloquentiâ, gravitate, honore florentiſſimus civitatis: dicet Hortenſius, excellens ingenio, nobilitate, exiſtimatione: aderunt autem homines nobiliſſimi ac potentiſſimi, quorum frequentiam & conceſſum non modò P. Quinctius, qui de capite decernit, ſed quivis, qui extra periculum ſit, perhorreſcat.* Hinc ſubjectio eſt poſtrema, eaque per ironiam: *Hæc eſt iniqua certatio, quâ tu huic, ne ubi conſiſteret quidem contra te, locum reliquiſti* &c.

Duabus hiſce πρόληψεως partibus, quas ὑποφορὰν, & ἀνθυποφορὰν, vocari, diximus, aliæ duæ adduntur à nonnullis, πρότασις, & ἀντιπρόστασις, quarum illa rationi, hæc ſolutioni aliquid præmittit. Sed hæ ut ornatus gratiâ ſæpe adduntur: ita, ut minùs neceſſariæ, nec rarò prætereuntur. De vario πρόληψεως uſu ita Fabius ſcribit libro IX. cap. II: Πρόληψις *dicitur, cùm id, quod objici poteſt, occupamus. Id neque in aliis partibus parum eſt, & præcipuè proœmio convenit. Sed quanquam generis unius, diverſas tamen ſpecies habet. Eſt enim quædam præmunitio, qualis Ciceronis contra Q. Cæcilium, quòd ad accuſandum deſcendat, qui ſemper defenderat. Quædam confeſſio: ut pro Rabirio Poſtumo, quem ſuâ quoque ſententiâ reprehendendum fatetur, quòd pecuniam regi crediderit. Quædam prædictio: ut, Dicam enim non augendi criminis gratiâ. Quædam emendatio: ut, Rogo ignoſcatis mihi, ſi longius ſum evectus. Frequentiſſima præparatio, cùm pluribus verbis, vel quare facturi quid ſimus, vel quale fecerimus, dici ſolet. Verborum quoque vis ac proprietas confirmatur. Vel præſumptione: Quamquam illa non pœna, ſed prohibitio ſceleris fuit. Aut reprehenſione: Cives, cives, inquam, ſi hoc eos appellari nomine fas eſt.* De oratoriâ prolepſi ſatis: de poëtica videamus.

VII. De prolepsi poetica, et nobilissimorum etiam poetarum anachronismis.

POëtis πρόληψις eſt, cùm ſuæ perſonæ circumſtantias attribuunt illi perſonæ aut loco, cui per ſe competit. Ita Homerus Iliad. Σ. tubæ meminit, cùm tamen veteres non tubâ, ſed conchâ uſi fuerint, ut monet Heſychius in κόχλοις, ac ante eum Didymus: Ὠνόμασε, inquit, ἢ σάλπιγξι, ἐπεὶ οὐδέπω εὕρητο αὕτη τοῖς παλαιοῖς· κόχλῳ γὰρ θαλασσίῳ ἐσάλπιζον*. Atque hanc rem confirmat Theocritus non uno loco. ac Virgilius quoque, cùm ſcripſit †: *Sed tum, fortè cavâ dum perſonat æquora conchâ.* Quamquam nec omnium antiquiſſimus ſit concharum in bello uſus. Nam, ut Euripidis ſcholiaſtes ‡ annotavit, ante eas illi, quos πυρφόρους & λαμπαδηφόρους appellabant, faces lampadeſque, quas geſtabant, in hoſtilem utrimque aciem injiciebant, ut eo, velut ſigno dato, prœlium auſpicarentur. Quem ad morem alluſere etiam Petronius ⸸, Statius *, Claudianus †. At Lacedæmonii pro tubâ in prœliis uſi tibiarum modulis: ut ſcribunt, Thucydides ‡, Xenophon ⸸, Ariſtoteles *, Polybius †, Cicero ‡, Val. Maximus ⸸, Plutarchus *, Gellius †, Lucianus ‡, Maximus Tyrius *, atque alii. Cretenſes item, præcinente citharâ, prœlia aggreſſi, teſte Gellio †, Martiano Capella ‡ &c. Similis prolepſis eſt apud eundem Homerum, cùm Corinthum nominat Il. B. & N. Vellejus Paterculus lib. I. *Neque eſt, quod miremur, ab Homero nominari Corinthum. nam ex perſona poëtæ & hanc urbem, & quaſdam Ionum colonias, iis nominibus appellat, quibus vocabantur ætate ejus, multo poſt Ilium captum conditæ.* Fortean ejuſdem monetæ ſchema cuipiam videatur, cùm apud Plautum in Amphitryone Soſia, & Mercurius, Herculem ille admirans, hic jurans, nominant; cùm tamen, qui argumentum fabulæ nôrit, ignorare non poſſit, eum tum necdum natum fuiſſe; nedum in divorum numerum fuerit relatum. Soſiæ quidem eſt iſthoc Act. I. Sc. I.

—— *Obſecro hercule, quantus, & quàm validus eſt.*

Mercurii eſt illud Act. III. Sc. IV.

Nam mihi quidem hercule qui minùs liceat Deo minitarier?

Verùm velle hæc per prolepſin excuſare, mihi ſanè perridiculum videatur: neque magis veriſimile ſit, Plautum, cùm id ſcriberet, animo obſervatum Herculem Ægyptium, qui Græco hoc Alcumenæ filio antiquior fuit, adeò ut res ab eo geſtæ huic aſſignentur; quemadmodum inter alios teſtis eſt Diodorus Siculus lib. III. Neque magis placet, alium quemcumque Herculem reſpexiſſe. Etſi ter binos Hercules numerent gentium theologi; teſte Tullio de nat. Deorum lib. III. & Arnobio lib. IV. imò Varro, quemadmodum è Servio * diſcimus, ſeu XLIII. † ſeu XLIV. ‡ Hercules collegerit. Nec probare etiam poſſum ſententiam Angeli Decembrii Mediolanenſis ⸸; qui Comicum ait, veterum poëtarum more, gaviſum eſſe confuſione temporum: quomodo Maro confudit tempora Æneæ, & Didûs; item Æneæ, & Mezentii. At impenſiùs placet, id riſus captandi cauſſâ à facetiſſimo Comico factum. Quod ſicui id minùs probetur, per me licet, ut nævum Comici eſſe fateatur; præſertim cùm & alia in eodem ſit invenire ἁμαρτήματα *, ſi curatè artem & οἰκονομίαν † fabulæ ſpectemus. At rectiùs πρόληψιν agnoſcas cùm Maro ait ‡,

—— *Lavinaque venit*
Litora.

Quod poëtam per prolepſin dicere etiam Agellius ait lib. X. cap. XVI. Ac ſimiliter cenſet Diomedes: imò & B. Hieronymus in Ezechielis cap. XXX. Servius tamen diſſentit, ac ſuperfluè eam hic ſtatui ait. Nimirum exiſtimat ille, ante adventum Æneæ à Lavino, Latini fratre, ſic dictum eſſe Lavinum: poſtea verò Laurentum, à lauro, quam invenerat Latinus: ac demum eſſe vocatum Lavinium à Laviniâ, Æneæ uxore. Etiam Agellius ibidem τὴν πρόληψιν de Dædalo dici putat *:

Chalcidicâque levis tandem ſuper adſtitit arce.

Nam Cumas deſignat poëta ; quam arcem Chalcidicam vocat, quia eò coloniam deduxerint Chalcidenſes. Multo tamen poſt Dædali tempora id contigit. At quid dicemus de illo, quòd Palinurus apud inferos Æneæ ait †:

Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram
Injice: namque potes: portuſque require Velinos.

Sanè

* Poëta tubam nominavit, cùm necdum à veteribus inventa ſuiſſet; conchâ enim marinâ canebant.
† Æn. 6.
‡ In Phœniſſas. Atque inde Cælius Rhodiginus lib. 8. Antiq. cap. 2. ſed prætermiſſo auctore, ut ſolet.
⸸ In longo carmine.
* 4. Thebaid.
† Lib. 1. de raptu Proſerp.
‡ Lib. 5.
⸸ De rep. Laced.
* In problem.
† Lib. 4.
‡ Tuſc. 2.
⸸ L. 2. c. 6.
* De Muſica, item de cohibenda iracundia: nec non in Laconicis.
† L. 1. c. 11.
‡ Περὶ ὀρχήσεως.
* Orat. 21.
† Lib. 1. cap. 11.
‡ Lib. 9.
* In Æn. 8. illud Naſcenti cui tres animas &c.
† Ita eſt in Servio P. Danielis, ac ſic legit Alexander Neap. Genial. di. lib. 4. cap. 2.
‡ Sic eſt in Servio Fabricii, ac legit ita Lil. Gyraldus ſyntag. de Diis gent.
⸸ Lib. 2. de politia literaria.
* Errata.
† Diſpoſitionem.
‡ 1. Æn.
* Æn. 6.
† Æn. 6.

Sanè Julius Hyginus, commentario ſuo in Virgilium, non dubitavit id reprehendere, correcturumque fuiſſe poëtam exiſtimat: ut Agellius ait lib. x. cap. xvi. ubi & Hygini cauſſa ſic defenditur: *Quo*, inquit, *modo, aut Palinurus noviſſe, & nominare potuit portus Velinos; aut Æneas ex eo nomine locum invenire? cùm Velia oppidum, à quo portum, qui in eo loco eſt, Velinum dixit, Servio Tullio Romæ regnante, poſt annum amplius ſexcenteſimum, quàm Æneas in Italiam venit, conditum in agro Lucano, & eo nomine appellatum eſt. Nam qui ab Harpalo*, inquit, *regis Cyri præfecto, ex terra Phocide fugati ſunt, alii Veliam, partim Maſſiliam condiderunt.* Subjicit deinde, *Inſcitiſſimè igitur petit, ut Æneas portum Velinum requirat, cùm id nomen eo tempore fuit nuſquam gentium.* Negat autem hæc poſſe per prolepſin excuſari, ut ea, quæ vidimus. *Nam*, inquit, *poëtæ ipſi quædam τῶν προλήψεων hiſtoriæ dicere ex ſuâ perſonâ concedi ſolet, quæ facta ipſe poſtea ſcire potuit: ſicut Virgilius ſcivit de Lavinio oppido, & de colonia Chalcidenſi. Sed Palinurus qui potuit*, inquit, *ſcire ea, quæ poſt annos ſexcentos facta ſunt? Niſi quis eum divinâſſe apud inferos putat, proinde ut animæ defunctorum ſolent. Sed & ſi ita accipias, quamquam non ita dicitur, Æneas tamen, qui non divinabat, quo pacto potuit requirere portum Velinum, cui nomen tunc, ſicuti diximus, nullum uſquam fuit?* Hanc ex Hygino cenſuram Maronis proponere ſic Agellius contentus, nihil pro poëta adfert, ut dubium non ſit, quin ei adſenſerit. Liceat tamen cum Turnebo ‡ dicere, *velinus* hic poni pro paluſtri, quia ſit ab ἕλος ‡; aut cum Alciato * ſtatuere, Maronem non loqui de oppido, ſed fluvio oppidum præterfluente, à quo Veliæ nomen inditum eſſe, autor eſt Stephanus †.

Itidem reprehenditur à nonnullis, cùm non ex ſuâ, ſed Æneæ perſonâ ait ‡:

Apparet Camarina procul, campique Geloi.
Arduus inde Acragas &c.

Nam, ut ait Servius, conſtat, oppida hæc condita eſſe multis poſt Æneam annis. Verùm hic quoque Alciatus non de oppidis poëtam loqui exiſtimat, ſed de fluminibus. Nam, ut Duris * inquit, plurimæ Siculorum urbes à fluminibus nomen ſumſerunt, ut Syracuſæ, Gela, Himera, Selinûs, Phœnicûs, Eryce, Camicum, Halycum, Thermum, & Camarina. Ne illud quidem difficultate caret, quòd apud poëtam Anna Didoni dicat,

—— lateque furentes
Barcæi.

Nam Trojanis temporibus nomen Barcæorum, credo, ignotum erat Græcis, ſaltem potentia eorum erat exigua. Quamquam, apud Sophoclem in Electrâ, pædagogus narret Clytæmneſtræ de Barcæorum in ſacris ludis certamine. Sic enim loquitur:

—— Ἐκ † δ' ἀποστροφῆς
Τελοῦντες ἕκτον ἕβδομόν τ' ἤδη δρόμον,
Μέτωπα συμπαίουσι Βαρκαίοις ὄχοις.

Sed non poſſum, quin de utroque poëta adſcribam judicium maximi Turnebi ‡: *Utrumque*, inquit, *poëtam non crediderim temporum incorruptam ſecutum fidem, quòd exiſtimem, nondum Trojanis temporibus opes Barcæorum floruiſſe, ſed citerioribus & recentioribus; Græcoſque eos, & Cyrenæos eſſe numeratos, ideoque ad ludos Græcorum admiſſos fuiſſe.* Et quid dicemus de iſto lib. ix:

Quot prius æratæ ſteterant ad litora puppes.

Sane & hic difficile ſit Maronem purgare ab omni culpâ. Nam primus navibus roſtra addidit Piſeus Tyrrhenus †. ut neceſſe ſit fateri, heroïcis temporibus nondum fuiſſe illa ex ære navium roſtra: cujuſmodi naves Latini * iccirco *æratas* vocant, Græci χαλκεμβόλους, & χαλκήρεις. Ejuſdem monetæ eſt, quòd idem Maro † Trojanis aſſignat triremes: quæ, ut teſtatur gravis auctor, Thucydides ‡, & ex eo Dionyſius Halicarnaſſenſis ‡: ac Plinius * prodiderunt, aliquot poſt excidium Trojanum ſeculis primùm conſtructæ ſunt ab Aminocle Corinthio. Itaque nec doctiſſimus Brodæus † ſcribere dubitat, in hoc, à poëtarum

‡ L. 22. c. 1.
‡ Palus.
* Lib. 5. [illegible] Juris cap. 21.
† In Ἐλέα. ubi malim, Ἐλία. Sane addit ipſe, ὁ τῦ Βιλία. Ferè autem ſpiritus aſper abit in digamma Æolicum, uti hîc in B, vel V converſum.
‡ Æn. 3.
* Apud Stephanum περὶ πόλεων in Ἀκράγαντι.
† Atque ita adverſi Conficientes jam ſextum ſeptimumque curriculum, Frontibus concurrunt cum Barcæis curribus.
‡ Adverſ. l. 22. c. 26.
† Plin l. 7. c. 56. juxta quaſdam edit.
* Cæſar l. 2. de bello civili.
† 5. Æn. verſ. 119. 120.
‡ Lib. 1.
‡ Περὶ τῦ Θυκυδίδυ ἰδιωμάτων.
* L. 7. Hiſt. Nat. c. 56.
† Lib. 3. Miſcell. cap. 4.

phœnice, ſtomacho ſuo non ſatisfieri. Quæ vox ob poëtæ ejus majeſtatem primitùs mihi videbatur non tam Brodæo digna, quàm hominibus plus in cute curandâ operatis, quàm ſacris Apollinaribus. Sed enim cogitandum, & Hippocratem, & Ariſtotelem, divinos ſanè viros, non ſemel aliquid eſſe paſſos humani, eoque cauſſam non eſſe, cur unum Maronem conditionem hominis exceſſiſſe arbitremur. Nimirum aliqua & illum fugerunt; nec quæ ſciret, animo ſemper obverſabantur. Hæc cui non moleſta ſunt, facilè feret, ut puto, ſi nec Ovidium communi huic ſorti eximi ſinamus. Sanè ubi diluvium deſcribit, navigiorum meminit, ut rei uſitatiſſimæ. At idem alibi *primam* vocat *carinam*, quâ navigarunt Argonautæ. Sed pro poëtâ dixerit aliquis, non quidem primam fuiſſe navem, attamen primam navem longam, h. e. ut vulgo loquuntur, primam galéam ‡, galeonem, aut galeidam. Hoc nos docet Plinius lib. vii. Hiſtor. cap. lvi. *Longâ*, inquit, *nave Jaſonem primum navigâſſe. Philoſtephanus autor eſt.* At cujus tantum eſt ingenium, ut eundem abſolvere, ingenioſiſſimum licet poëtarum omnium, poſſit, cùm Pythagoram inducit loquentem de Athenis, non ut Pythagoræ tempore erant, ſed ſuo? quas uſque adeò collapſas Adrianus Cæſar poſtea inſtauravit. Poëtam ipſum audiamus ‡:

Claræ fuit Sparte; magnæ viguere Mycenæ;
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces.
Vile ſolum Sparte eſt, altæ cecidere Mycenæ.
Oedipodioniæ quid ſunt niſi nomina Thebæ?
Quid Pandioniæ reſtant niſi nomen Athenæ?

Oblitus erat Ovidius, ſe inducere Pythagoram loquentem, qui Piſiſtrati temporibus fuit. Atqui tum Athenæ florebant, ac deinceps bello Perſico ad longè majus nomen pervenerunt. Thebæ etiam Ovidii quidem tempore nihil niſi inane nomen erant: nempe jam inde, ex quo eas everterat Alexander Magnus. Sed ille ducentis circiter annis fuit poſt Pythagoram, cujus temporibus magnæ erant Thebanorum vires, & grande nominis decus. Apud Senecam quoque in Hercule Furente ſic loquitur Juno:

Hinc clara gemini ſigna Tyndaridæ micant.

Quod excuſari nec debet, ne poteſt, cùm Caſtor & Pollux nondum tum fuerint mortui, nedum in Deorum numerum relati. Quâ de re multorum inſtar erit Clemens Alexandrinus lib. 1. Στρωματέων. ubi ſic ſcribit: Ἀπὸ δὲ τῆς Ἡρακλέους ἐν Ἄργει βασιλείας ἐπὶ τὴν Ἡρακλέους αὐτοῦ καὶ Ἀσκληπιοῦ ἀποθέωσιν, ἔτη συνάγεται τριακονταοκτώ, κατὰ τὸν χρονογράφον Ἀπολλόδωρον. ἐντεῦθεν δὲ ἐπὶ τὴν Κάστορος καὶ Πολυδεύκους ἀποθέωσιν ἔτη πεντηκοντατρία. Ἐνταῦθά που καὶ ἡ Ἰλίου κατάληψις. *Ab regno autem Herculis, quod Argis obtinuit, uſque ad tempus, quo Hercules, & Æſculapius, in Deos relati fuere, anni colliguntur trigintaocto, juxta Apollodorum chronographum. Inde autem uſque dum Caſtor, & Pollux, relati ſunt in Deos, anni ſunt quinquaginta tres. Ac tum temporis Troja quoque capta fuit.* Nec Latinis ſolùm, ſed Græcis quoque, ſimilia exciderunt. Quomodo, ut ſuperiùs vidimus, apud Sophoclem in Electrâ nunciantur Clytæmneſtræ, ut Oreſtes obierit in Pythiis. Atqui Pythia tum necdum erant. Quod & ſcholiaſtes obſervat in illa pædagogi verba:

—— Δελφικῶν ἄθλων χάριν.

Ubi inquit, Οὔπω * ἦν ἐπὶ Ὀρέστου ὁ Πυθικὸς ἀγών. Quibus verbis poëtam ἀνιστορησίας arguit: ut ea quidem cepit Camerarius †. Sanè Pythia, Pauſania teſte, inſtituta demum ſunt anno tertio Olympiadis xlix. ubi & tum ait viciſſe Cliſthenem, Sicyoniorum tyrannum. Quem nec ipſum tamen tam antiquum eſſe, alii prodiderunt. Nonnulli ideo arbitrantur, ſcholiaſtem Sophoclis longè aliud voluiſſe. Nempe hanc ejus ſententiam eſſe, Sophoclem eò *Delphicum*, non *Pythium* certamen dicere, quia Oreſtis tempore Delphis quidem certamen equeſtre ſive curule fuerit: at Pythium poſtea demum inſtitutum ſit. Verùm ne equeſtre quidem certamen Oreſtis tempore Delphis fuiſſe, clarè docet graviſſimus ſcriptor Strabo libro ix. ubi

‡ Vide quæ dicimus lib. 1. de Vitiis ſermonis cap. 1.
‡ 15. Met.
* Necdum Oreſtis temporibus certamen Pythicum erat.
† Commentario in Sophocl. Elect.

ait Delphis certamen antiquitus fuiſſe citharœdorum, qui pæana in Apollinis laudem canerent: ac ſub Eurylocho demum Amphictyonas inſtituiſſe certamen equeſtre ac gymnicum, & coronam victori propoſuiſſe præmii loco, ludoſque eos Pythia nomináſſe. Quæ ut hactenus fortaſſe Sophoclem abſolvunt, quòd certamen illud Delphicum, non Pythium, vocârit: ita illum in eo ſaltem arguunt erroris, quòd Oreſtis ætate dixerit certamen fuiſſe equeſtre. Sed hujuſmodi poëtarum ἀναχρονίας ſi perſequi velim, ex ſolis illis volumen fiat. Quare tantùm apponam Velleji Paterculi verba, quibus ſimilem ille tragicorum errorem obſervavit. *Acer*, inquit, *belli juvenis, nomine Theſſalus, natione Theſprotius, cùm magnâ civium manu eam regionem armis occupavit, quæ nunc ab ejus nomine Theſſalia appellatur, antea Mirmidonum vocitata civitas. Quo nomine, mirari convenit eos, qui, Iliaca componentes tempora, de ea regione ut Theſſalia commemorant. quod cùm alii faciant, Tragici frequentiſſime faciunt. quibus minimè id concedendum eſt. nihil enim ex perſona poëtæ, ſed omnia ſub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt. quod ſiquis à Theſſalo, Herculis filio, eos appellatos Theſſalos dicet: reddenda erit ei ratio, cur nunquam ante hunc inſequentem Theſſalum ea gens id nominis uſurpaverit.* Hæc ſatis oſtendunt, non debere nos poëtarum reverentiâ omnia hujuſmodi per prolepſin excuſare; ſed fatendum eſſe, quædam per ἀναχρονισμὸν ab iis peccari. Aliter qui cenſet, humanam neſcit infirmitatem, cui non minus ſunt obnoxii poëtæ, quàm philoſophi, hiſtorici, alii; qui, quod poëtæ non faciunt, veritatis ſtudium profitentur. Quamquam verò, cùm non ex aliis, ſed propriâ perſonâ loquitur poëta, prolepſin poëticam vocitemus: non tamen exiſtimandum, ſolos poëtas ejuſmodi prolepſi uti. Nam neque Salluſtius eam refugit: quemadmodum Diomedes obſervat lib. II. Locus eſt ex primo hiſtoriarum, quem paullo pleniùs, quàm à Diomede factum, apponam: *Quibus ſævitiis, & maximè fenoris, oppreſſa plebs, cùm aſſiduis bellis, tributum ſimul & militiam toleraret, armata montem ſacrum, atque Aventinum, inſedit.* Atqui, ut rectè ait Diomedes, *mons ob hoc, quod illum plebs inſederat, poſtea ſacer dictus eſt.* Hæc igitur fuerit prolepſis. Quæ etiam in non uno ſe offert ſacræ Scripturæ loco. Auguſtinus certè, libro Quæſtionum ſuper Leviticum cap. XXIII. hàc de re ita ſcribit: *Veſtem*, inquit, *ſacerdotalem, quæ magnum continet ſacramentum, Aaron jubetur accipere, & ſucceſſoris ejus ſummi ſacerdotis, in Exodo *, antequam omnino aliquid de ſanctificandis, & quodammodo ordinandis ſacerdotibus, præcipiatur, quando, Moſe adſcendente in montem, jubentur non adſcendere ſacerdotes, quos intelligere alios non poſſumus, niſi filios Aaron: non quia jam ſacerdotes erant, ſed quia futuri erant, hoc eos jam tunc Scriptura appellavit, per anticipationem: ſicut ſunt pleraque talium locutionum. Nam & filius Nave, Jeſus appellatus eſt, cùm longè poſtea hoc nomen ei Scriptura narret impoſitum.* Hæc ille. Sed quod ad illum attinet Exodi locum, ſequi malim Cajetanum, primogenitos intelligentem, penes quos ſacerdotium fuit, uſque dum ex lege redemti fuere; quemadmodum legere eſt Exodi XXIV. & Num. II. & III. Atque ita etiam Moſis verba interpretatur clariſſimus ſocer meus, Franciſcus Junius †. Quare accommodatius exemplum ex eodem Exodi opere fuerit cap. III. 2. ubi Horeb vocatur *mons Dei*: qui ſic poſtea dictus, partim ob viſionem eam, de qua illo in loco ſermo eſt, partim quia in eum Deus deſcenderit legem ſuam laturus. Etiam Judicum XV. 9. legas, cùm Samſon cecidiſſet hoſtium crus & femur, hoc eſt, equites, & pedites, (ut quidem exponit Thargum Jonathæ) Palæſtinos, collecto exercitu, caſtra eſſe metatos in Lechi. At paullo pòſt ‡ dicitur, nomen id *Lechi* eſſe loco tum demum impoſitum, cùm Samſon ibi Palæſtinos cecidiſſet maxillâ aſini. Nempe quia *Lechi* maxillam notat: unde Aquila & Theodotio pro Λεχὶ habent σιαγόνα ‡, teſte Euſebio de locis: in LXX. verò & Λεχὶ, & σιαγόνα legas. Etiam LXX. Hieronymus, atque alii interpretes, loca Hebraica transferentes, ſubinde perſpicuitatis cauſsâ, nomina uſurpant, non quæ habuere, quo tempore iſta ſcriberent Moſes, & Prophetæ; ſed quæ poſtea accepere. Qua de re illuſtrem B. Hieronymi locum vide in cap. XXX. Ezechielis.

* Cap. 19. verſ. 22.

† Analyſi Exod. & in notis tranſlationis ſuæ.

‡ Verſ. 17.

‡ Maxillam.

VIII. De figura τοῦ κράματος.

Abunde egimus de prolepſi, non oratoriâ modò, ſed etiam poëticâ: quâ occaſione ſimul vidimus de anachroniſmis poëtarum, quos perperam eo excuſare conantur, quaſi προληπτικῶς dicantur. Nunc ad ſchemata redeo rhetorica, quæ ab oppoſitione petuntur. Quò etiam pertinet, quod Euſtathius vocat ΚΡΑ'ΜΑ; eſtque vituperio miſta laus. Figura planè aulica. Homer. Iliad. E:

Τυδεύς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής.
Corpore parvus erat Tydeus, bellator at idem.

Verùm hoc in exemplo falli mihi videntur viri docti *, quia hoc ipſum ad Tydei admirationem faciebat, quòd parvus eſſet staturâ: ut libro primo † diximus. Accommodatius exemplum illud, quamquam perperam iidem tribuunt Homero: Μνηστὴρ μὲν καλὸς μὲν, οὐδὲ φρενήρης. *Sponſus quidem formoſus, ſed haud cordatus.* Item Ovidii hoc II. Faſt.

Ultima Tarquinius Romanæ gentis habebat
Regna, vir injuſtus, fortis ad arma tamen.

* Etiam Joannes Hartungus Memorabilium decuriâ 3. cap. 8. ſect. 22.

† Cap. 51 ſect. 19.

Cap. XII.

DE ALTERO SCHEMATUM GENERE, QUOD OPPOSITIONE FIGURATUR.

Hactenus vidimus de figuris, quæ à diſparatis, vel oppoſitis, petuntur, & tantummodo ad ſchemata διανοίας pertinent. Sequuntur, quæ & verba contraria jungunt: ut ſunt ἀντίθεσις, ἀντίθετα, ἀντιμετάθεσις, ἀντιστροφὴ, συνοικείωσις, & ὀξύμωρον. Quæ ob verborum quidem contrarietatem ſunt ſchemata λέξεως: præcipuè tamen hujus ſunt loci, cùm contrarietas primò non verbis inſit, ſed rebus.

Ἀντίθεσις eſt, cùm rebus duabus contraria adduntur epitheta.

Ἀντίθετα ſunt, cùm rebus contrariis contraria opponuntur.

Ἀντιμετάθεσις nominatur, quando eſt contrarietas ſententiæ cum verborum tranſpoſitione.

Vocatur quoque διάλληλον, & χιαστόν. Sed ſchema hoc etiam manet verbis mutatis, modo ſententia ſit reciprocatio.

Ἀντιστροφὴ eſt, cùm argumentum adverſæ partis in eos, qui afferunt, retorquetur.

Συνοικείωσις dicitur, cùm idem tribuitur contrariis.

Ὀξύμωρον eſt, quo idem negatur de ſe ipſo.

I. De antithesi.

Nunc perſequamur illa oppoſitionis ſchemata, quæ quia verborum quoque contrarietatem habent, eò ad λέξεως ſchemata referuntur à multis: etiam à ſummo viro Julio Scaligero lib. IV. de re poëticâ cap. XXXVII. Propriè tamen huc pertinent, quia ἐναντίωσις ſive contrapoſitio primò ineſt rebus, quarum verba ſunt σύμβολα *.

* Signa.

ΑΝΤΙ'ΘΕΣΙΣ Rufiniano obſcurè ſatis definitur, *cùm verbum verbo pari poteſtate redditur.* Exemplum adfert geminum. Unum è III. Æn.

Seque novo veterum deceptum errore locorum.

Alterum è IX:

Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus.

Alii comprehendunt ἀντίθετον ſub ἀντιθέσει. Quæ ſi diſtin-

ſtinguere placet, poſſis dicere, in ἀντιθέσεις opponi nomina verbaque: in ἀντιθέτῳ non verba, aut nomina ipſa ſed eorum epitheta. Sic ſanè fit in exemplis à Rufiniano allatis. Quare & ἀντίθεσις erit in hoc Plautino*:

Ubi vivos homines mortui incurſant boves.

* Aſin. act. 1. ſc. 1.

Et hoc Livii lib. XXXIII: *Sed quàm urbs ipſa opportuna oppugnantibus erat, tam inexpugnabiles hoſtium animi.* Geminaque ἀντίθεσις fuerit in illo Varronis lege Mæniâ †: *Neque in bonâ ſegete nullum eſt ſpicum nequam, neque in malâ non aliquod bonum.*

† Apud Nonium in Spicum.

II. De antithetis.

Ἀντίθετα nominant, *cùm contrariis opponuntur contraria:* ut ait Cicero in Oratore; ubi & ea ait ſponte, etiamſi id non agas, cadere numeroſè: ejuſque rei exemplum hoc affert ex quarto Verrinæ accuſationis: *Conferte hanc pacem cum illo bello; hujus prætoris adventum cum illius imperatoris victoriâ; hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto; hujus libidines cum illius continentiâ. Ab illo, qui cepit, conditas; ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas.* Simileque eſt, quod poſtea ex ſe adducit Cicero: *Domus tibi deerat? At habebas. pecunia ſuperabat? at egebas.* Atque idem citat Fabius lib. IX. cap. III: nec non Aquila Romanus, qui & illud à brevitate commendat. Sigonius, & alii, repoſuere inter fragmenta ex orat. pro Scauro; ſed ex incertâ conjectura: nempe non aliâ de cauſſâ, quàm quòd hæc ſatis videantur convenire Triario accuſatori, qui Scaurum eo nomine exagitârat, quia (ut Aſconius ait) *tam magnificam domum haberet:* ut *in cujus atrio* forent *quatuor columnæ marmoreæ inſigni magnitudine.* Apud Aquilam verbis Tullii hæc continuò ſubduntur, quaſi ejuſdem exempli pars ſint: *In pace ad vexandos cives acerrimus: in bello ad expugnandos hoſtes inertiſſimus.* Sed omnino ante ea verba excidit vocula, *Idem*, vel ſimilis aliqua. Nec enim hæc cum prioribus cohærent: ſed pro altero exemplo ab Aquila adferuntur. Scitum etiam illud pro Poſtumo: *Neque verò me pœnitet, mortales inimicitias, amicitias ſempiternas habere.* Cui geminum illud in Phalarid. epiſt. Θνητῶν ὄντων ἡμῶν, ἀθάνατον ὀργὴν ἔχειν οὐ προσῆκε. Ἀντίθετα quoque ſcitè junxit Seneca conſolat. ad Polyb. *Omnium ſomnos illius vigilantia defendit; omnium otium illius labor; omnium delicias illius induſtria; omnium vocationem illius occupatio.* Juvenalis ſat. XIV:

——Cùm ſit manifeſta phreneſis,
Ut locuples moriaris, egentis vivere fatò.

Martialis lib. IV. epigr. XLII:

Sæpeque nolentem cogat, nolitque volentem.

Epicuri etiam eſt apud Laërtium lib. X: Κρεῖττον εὐλογίστως ἀτυχεῖν, ἢ ἀλογίστως εὐτυχεῖν· *Melius eſt, ſapienter infelicem; quàm inſipienter felicem vitam degere.*

Quinctilianus figuram hanc (quam ipſe ad verbum appellat *contrapoſitum*, & aliis ait *contentionem* vocari) trifariam fieri docet. Nam, inquit, *& fit, ſi ſingula ſingulis opponuntur. Ut in eo ‡, Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Et bina binis *: Non noſtri ingenii, veſtri auxilii eſt. Et ſententia ſententiis: Dominetur in concionibus; jaceat in judiciis.*

‡ Pro Cluentio.
* Ibidem.

Huic, ut ibidem Fabius ait; *commodiſſimè ſubjungitur & ea ſpecies, quam* DISTINCTIONEM *dicunt.* Ut †, *Odit populus Romanus privatam luxuriam: publicam magnificentiam diligit. Et quæ ſunt ſimili caſu diſſimili ſententiâ in ultimo locata. Ut ‡, Quod in tempore mali fuit, nihil obſit: quin, quod in cauſſa boni fuit, nihil proſit.* Hujuſmodi planè ſub antithetis comprehenduntur. Aliter qui cenſent, hi figurarum copiâ memoriam magis onerant, quàm intellectum juvant.

† Pro Muræna.
‡ Pro Cluentio.

Imo ad ἀντίθετα referimus, ubi eſt qualis qualis oppoſitio, etſi propriè contrarietas ſit nulla. Atque hac in re idem Fabius præit, qui inter alia ſic ſcribit: *Nec ſemper, quod adverſum eſt, contraponitur, quale eſt apud Rutilium: Nobis primùm dii immortales fruges dederunt: nos, quæ ſoli accepimus, in omnes terras diſtribuimus. Nobis majores noſtri Remp. reliquerunt: nos etiam ſocios noſtros de ſervitute eripuimus.* Cave autem hæc à Fabio citari putes ex P. Rutilio Rufo, qui Numantini belli hiſtoriam, atque alia ſcripſit. Neque enim ſic loqui potuit homo Romanus, quaſi frugum inventionem Romanis, ac ſolis quidem, orbis acceptam ferret. Nec dicit Fabius, ea eſſe Rutilii verba; ſed legi apud Rutilium. Eſt is Rutilius Lupus Rhetor, qui iſta citat ex Demetrio Phalereo. Nempe ſunt illa ex oratione aliqua Demetrii ad Athenienſes: unde (ut Cicero ipſe pro L. Flacco ait) *fruges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur.*

III. De ἀντιμεταβολῇ.

Quæ Fabio ἈΝΤΙΜΕΤΑΒΟΛΉ, Rufiniano ΜΕΤΆΘΕΣΙΣ, ea Cornificio dicitur *commutatio.* Eſt hæc contrarietas ſenſus cum verborum tranſpoſitione. Undè hujuſmodi, ratione verborum, ad ἐπάνοδον pertinent: ratione verò ſenſus, ſunt hujus loci. Demoſthenes Olynthiacâ II: Εἶτα οὕτως ἀγνωμόνως ἔχετε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὥστε δι᾽ ὧν ἐκ χρηστῶν φαῦλα τὰ πράγματα γέγονε τῆς πόλεως, διὰ τῶν αὐτῶν τούτων ἐλπίζετε πράξεων ἐκ φαύλων αὐτὰ χρηστὰ γενήσεσθαι; *Uſque adeò aberratis, Athenienſes, ut per quas è ſecundis adverſa ſunt facta res civitatis, per eas ſperetis ex adverſis fore ſecundas?* Plutarchus de audiendis poëtis: Ἐκεῖνο θρυλλούμενον, ζωγραφίαν μὲν εἶναι φθεγγομένην τὴν ποίησιν, ποίησιν δὲ σιγῶσαν τὴν ζωγραφίαν· *ſermone illud tritum, quo picturam eſſe ajunt loquentem poëſin; & poëſin eſſe tacitam picturam.* Cujus dicti Simonides auctor putatur. Geminâ etiam ἀντιμεταβολῇ exornatur aureum illud Muſonii monitum, quod juventutis animis obverſari ſemper debet: Ἄν τι πράξῃς καλὸν μετὰ πόνου, ὁ μὲν πόνος οἴχεται, τὸ δὲ καλὸν μένει. ἄν τι ποιήσῃς αἰσχρὸν μετὰ ἡδονῆς, τὸ μὲν ἡδὺ οἴχεται, τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει. *Siquid feceris pulchri cum labore; labor quidem abit, ſed pulchrum manet. Sin turpe quid feceris cum voluptate; voluptas abit, at turpe manet.* Quod ipſum multo ante Muſonium dixerat Cato oratione, quam Numantiæ habuit apud equites; ut Agellius monet lib. XVI. cap. I. Eodem ſchemate uſus M. Tullius lib. III. de Legg. *Vereque dici poteſt, magiſtratum eſſe legem loquentem, legem autem mutum magiſtratum.* Idem ſchema eſt pro Quinctio: *Jugulare civem ne jure quidem quiſquam bonus vult. mavult enim commemorare, ſe, cùm poſſet perdere, pepercisse; quàm, cùm parcere potuerit, perdidiſſe.* Pro Sylla: *Neque verò, quid mihi iraſcare, intelligere poſſum. Si, quòd eum defendo, quem tu accuſas: cur tibi quoque ipſe non ſuccenſeo, qui accuſes eum, quem ego defendo? inimicum, inquis, accuſo meum: & amicum ego defendo meum.* Idem pro Dejotaro: *In dominatu ſervitus; in ſervitute dominatus.* Cui ſimile illud Salviani Maſſilienſis* de Bagoardis deficientibus ad barbaros: *Malunt ſub ſpecie captivitatis eſſe liberi, quàm ſub ſpecie libertatis eſſe captivi.* Tacitus lib. II. Hiſt. *Neque Paullinum, quâ prudentiâ fuit, ſperâſſe corruptiſſimo ſeculo tantam vulgi moderationem reor, ut, qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponerent.* Quinctilianus lib. I. cap. X: *Ut novorum optima erunt maximè vetera, ita veterum maximè nova.* Concludam Cornificii verbis: *Plura ſubjecimus exempla, ut, quoniam difficile eſt hoc genus exornationis inventu, dilucidum eſſet; ut, cum bene eſſet intellectum, faciliùs in dicendo inveniretur.*

* Lib. 5. de providentia Dei.

IV. De ΔΙ᾽ ἈΛΛΗΛΩΝ, ſive ΧΙΑΣΜΟΥ.

Vicina ἀντιμεταβολῇ eſt figura, quæ δι᾽ ἀλλήλων, vel χιασμὸς dicitur. Eſt ea, ſententiarum reciprocatio; ut

latiùs pateat, quàm ἀντιμετάθεσις. Fit enim vel cum reciprocatione verborum; ut, *Doctis disertior, disertis doctior*: vel ſine ea; ut, *Doctis facundior, eruditis diſertior*. Prius genus ἐπάνοδον habet: ac quemadmodum de ἀντιμεταθέσει dicebamus ratione quidem elegantiæ, quæ in verborum inverſione conſiſtit, ſchema eſt λέξεως: ratione autem ſententiæ, quæ mutatis etiam verbis permanet, σχῆμα eſt διανοίας. At poſterius genus tantummodo eſt hujus loci. Sic ad utramque claſſem pertinet, *Juſtis fortior, fortibus juſtior*. Ubi & ἐπάνοδος eſt, & ἀντιμετάθεσις, & διάλληλον. At poſterioris ſolùm generis eſt, *Juſtis fortior, potentibus æquior*. Quomodo locutus Ariſtides in Panathenaico. Dicit enim, Athenarum urbem eſſe τῶν μὲν * τὰ δίκαια τιμώντων ὀχυρωτέραν, τῶν δὲ τὰς δυνάμεις ἐχόντων ἐπιεικεστέραν. Quæ ad verba, hæc ſcholiaſtes Ariſtidis apud Photium in myriobiblo annotavit ‡: Τὸ προκείμενον τοῦ λόγου σχῆμα διαφόροις ὀνόμασι κέκληται· καὶ γὰρ στρεψίλυτον καλεῖται, καὶ διάλληλον, ἐναγώνιον, χιαστόν, πλεκτόν, λυτόν, καὶ προκειμένου κακοῦ ἀναίρεσις. στρεψίλυτον μὲν παρὰ τὸ ἐκ τῶν ἀντιστρόφων λύειν τὰ λεγόμενα. ἐναγώνιον δὲ, διὰ τὸ δοκεῖν ἔχειν ἀγῶνα τῇ ἐπαγωγῇ τῶν νοημάτων. χιαστὸν δὲ διότι δύο προτάσεων οὐσῶν, τοῦ δικαίου καὶ τοῦ δυνατοῦ, ὃ μὲν ἔδει τῷ δικαίῳ δοῦναι, τοῦτο ἀπένειμε τῷ δυνατῷ· ὃ δὲ ἔδει τῷ δυνατῷ, ἀνέθηκε τῷ δικαίῳ πάλιν, ἐναλλάξας τὰς ἐννοίας. προκειμένου δὲ κακοῦ ἀναίρεσις λέγεται, ἐπειδὴ παράκειται, ὡς δικαίοις, τὸ εὐχερῶς πάσχειν καὶ ἀδικεῖσθαι· ὡς δὲ ἀνδρείοις, τὸ ἀδικεῖν, ἀνεῖλε τὴν ἑκατέρου κακίαν, οἷον δίκαια ἐστὲ καὶ οὐ πάσχετε, καὶ ἀνδρεῖα ἐστὲ, καὶ ἀδικεῖτε οὐδ᾽ ὅλως. εἰ γὰρ καὶ ἐν τέλει ἔθηκε τὸ συγκριτικὸν τοῦ ὀνόματος, ἀλλ᾽ οὐκ ἔστι τὸ σχῆμα συγκριτικὸν, ἀλλ᾽, ὡς εἴρηται, προκειμένου κακοῦ μεθοδεύει ἀναίρεσιν. Quæ ſic ferè tranſtulit Andr. Schottus: *Hoc orationis ſchema variis nominibus appellatur. Etenim dicitur ſtreptolyton, diallelon, enagonion, diagonion, chiaſton, implicatum, ſolutum, ſubjecti mali amolitio. Streptolyton quidem, quia ex æquivalentibus ſolvit dicta. Enagonion verò, quia videtur habere certamen in inductione ſenſuum. Chiaſton, quia duarum propoſitionum, juſti ſcilicet, & potentis, quod quidem oportebat dare juſto, dat potenti: quodque potenti, iterum dat juſto, ſenſum permutans. Dicitur autem ſubjecti mali amolitio*, [quia] *cùm ſubjicit, ut juſtis, facile pati injuriam; ut fortibus verò, injuriam facere, ſuſtulit utrinſque malitiam. quale eſt: juſta eſt, & non patiens, & fortis eſt, & injuriam faciens haudquaquam. Etſi enim * in fine poſuit nominis comparativum, non tamen eſt ſchema comparativum: ſed, ut dictum eſt, ſubjecti mali machinatur amolitionem.*

* *Juſtitiâ colentibus validiorê, & potentia inſtructis æquiorem.*
‡ *Cod. 246.*
* *Interpres vertit*, Si enim in fine p. n. c. ſed non eſt &c. *Verùm* εἰ γὰρ καὶ *valet*, Etſi enim.

V. De ἈΝΤΙΣΤΡΟΦῌ, ſive ΒΙΑΊΩι.

Ἀντιστροφὴ †, ſive, ut Hermogenes vocat, βίαιον ‡, dicitur, cùm poſitum quippiam retorquetur in adverſarium. Ac quatenus probat, ad argumentationis doctrinam pertinet. Quatenus verò ſententiam verbaque eleganter invertit, figura quidem eſt; ſed, ut arbitror, haut nova, verùm ſpecies ἀντιμεταβολῆς, de quâ proximè dictum. Exemplum habes in reſponſione Chananææ ad Chriſtum Matth. xv. verſ. 27. *Quia canis es*, ait Chriſtus, *non convenit tibi panem porrigi*. Imò, inquit illa, *quia canis ſum, non denegabis mihi micas de menſâ decidentes*. Romuli quoque ſimiliter ἀντιμεταβολή, apud Agellium lib. xi. cap. xiv: ubi hæc laudat L. Piſonis ex primo Annalium: *Eundem Romulum dicunt ad cœnam veniſſe, ibi non multùm bibiſſe, quia poſtridie negotium haberet. Ei dicunt: Romule, ſi iſtuc omnes homines faciant, vinum vilius ſit. Is reſpondit: Imò verò carum, ſi quantum quiſque volet bibat: nam ego bibi, quantum volui.* Inverſionis quoque hujus illuſtre habes exemplum apud Ariſtophanem in Nebulis; ubi filius à patre, cur vapulet, quærens, omnia argumenta in patrem retorquet. Simile etiam fuerit, ſi homo improbus, ſed claris ortus majoribus, tanto ſe majorem altero dicat, quanto meliùs natus ſit: atque id ſic invertas, tanto potiùs deteriorem eſſe, quia ne domeſtico quidem exemplo, quo alter caruerit, potuerit ad virtutem incitari. Id Salluſtius ſic expreſſit in oratione Marii *: *Nobiles cùm apud vos, aut in ſenatu, verba faciunt, pleráque oratione majores ſuos extollunt: eorum fortia facta memorando, clariores ſeſe putant: quod contrà eſt. Nam, quanto vita illorum præclarior, tanto horum ſocordia flagitioſior.*

† *Inverſio.*
‡ *Violentum.*
* *In Jugur.*

VI. De ΣΥΝΟΙΚΕΙΏΣΕΙ.

Συνοικείωσις uni Fabio † memoratur, his verbis: *Συνοικείωσιν vocant, quæ duas res diverſas colligat.* Nec aliud adfert exemplum, quàm illud P. Syri mimographi:

Tam deeſt avaro, quod habet, quàm quod non habet.

Unde colligi videtur, ſchema hoc fieri, quandocunque idem contrariis tribuitur. Quare συνοικείωσις quoque erit: *Utraque peſſima, & immoderata ſervitus, & immoderata libertas.* Hoc ſi placet, idem ſchema erit, quod Rutilio Lupo dicitur συσκευασις, vel συνοικειωσις. de qua ſic ſcribit: *Hoc ſchema docet diverſas res conjungere, & communi opinioni cum ratione adverſari. Et habet magnam vim, vel ex laude vitium, vel ex vitio laudem exprimendi.* Subjungit deinde tria exempla, Hyperidis, Lyſiæ, & Demoſthenis. Imò fortaſſe & Rutilius συνοικείωσις ſcripſerit. Sic quidem legit H. Stephanus in Theſauro L. Gr. Sed alterum illud eſt, tum in Aldinâ, tum eâ, quam Pythœus repræſentavit. Latinè dicatur *commiſtio*, vel *communicatio*. Cæſari Scaligero lib. iii. de re poëticâ cap. xlvii. vocatur συγκυκίωσις, ac Latinè ait dici *commiſtionem, confuſionem*, & molliuſculè *cinnum*. Sed fortaſſe Scaliger aut ſcripſit, aut voluit, συγκύκησις. Nec enim eſt à κυκεών, ſed συγκυκᾶν, vel συγκυκεῖν, quod apud Heſychium legas: unde κυκεών, quod Latinis *cinnus*, Tertulliano ‡ etiam *cocetum*: ut diximus in Originum libris.

† *Lib. 9. cap. 3.*
‡ *Adverſus Valentinianos c. 12.*

De VII. ὈΞΥΜΏΡΩι.

Ad contraria quoque pertinet ὈΞΎΜΩΡΟΝ, quaſi dicas *acutifatuum*: quo idem negatur de ſemet ipſo; unde fit, ut primâ facie fatuè dictum videatur, quod poſtea acutè dictum cognoſcitur. Ut Ennii iſtud *:

——Quæ ſcis,
In vulgum vulgas, artemque expromis inertem.

Et illa ejuſdem in oratione Claudii Cæci †:

Quò vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant
Antehac, dementes ſeſe flexere viæ?

Ut Scaliger ‡ legendum putat. Audaciùs enim, quàm par eſt, aliqui ſubſtituêre.

——dementi ſeſe flexere ruinâ.

Eos movit, quòd & Horatius *, *dementes ruinas*, dixerit. Sed in Enniano illo MSSi conſtanter habent, *dementes*, & *via*, vel *via*: atque ita & Gazam legiſſe, videmus ex tranſlatione ejus. Giffanius † nihil mutabat: ut ſit verſus Diphilius, ſive Chœrilius, ubi in fine deeſt ſyllaba: ut in illo ‡,

Alma parens genitrix divum decus Oceano.

Sed ſi tam inſolentem verſum Ennius uſurpaſſet in Annalibus: puto, non id monere refugiſſent veteres rei metricæ ſcriptores. Turnebus, ac Lambinus, pro *via* reponunt *viai*. Quod inprimis placeret, ſi, quemadmodum Plautus * dixit, *quò gentium*, ſimiliter, *quò via*, diceretur. Sed non ſatis conveniunt hæc duo, quia *via*, eſt locus per quem itur, *quò* autem notat locum, ad quem itur. Quare ſi *viæ* diſplicet, quia durius junctis duobus appoſitis dicatur, *mentes dementes viæ*; non tamen *quo via*, vel *viai*, ſed *quâ viâ* reſcribi debeat. Nec eo verſus ſit Diphilius: quia fortaſſe aliqua ſequebantur, quæ ad aliud comma pertinerent, eoque à Tullio omittantur. Exempli gratiâ, ſi ſequebatur aliquid in hanc ſententiam, *Qui hoſti offert in pacem*: potuit *qui*, potuit & *hoſti*, verſum claudere. Utcunque eſt, non dubium,

* *Apud Non. in* Vulgare.
† *Apud Cic. in Cat. M.*
‡ *Appendice notarum in diſticha Catonis de verſibus Ennii à Gaza verſis.*
* *Lib. 1. od. 37.*
† *Ind. Lucret.*
‡ *Apud Marium Victorinum lib. 3. artis Grammat.*
* *Rudente.*

bium, quin dixerit Ennius, *mentes dementes*, quod Græcè ſit, φρένες ἄφρονες. Similiter antiquus Tragicus apud Tullium in III. de Oratore:

Quâ tempeſtate Paris Helenam innuptis junxit nuptiis.

Quòd Græcè ſit γάμοις ἀγάμοις: uti Sophocles Oedipo tyranno locutus, ac Philoſtratus quoque in vita Apollonii. P. Scipionem, qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitum ſcripſit Cato, qui fuit ferè ejus æqualis: *Nunquam ſe minus otioſum eſſe, quàm cùm otioſus eſſet: nec minus ſolum, quàm cùm ſolus eſſet.* Quo ſignificabat, ut Tullius * declarat, *ſe & in otio de negotiis cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum.* Plautus Pœn. †

* Initio l. 3. de Off.
† Act. 1. ſc. 2.

—— Venus non eſt Venus.
Hanc equidem Venerem venerabor.

Idem Mil. ‡

‡ Act. 2. ſc. 6.

—— Etiam illud, quod ſcies, neſciveris.

Cui geminum hoc Terentii Eun. *

* Act. 4. ſc. 4.

—— Tu pol, ſi ſapis,
Quod ſcis, neſcis.

Ejuſdem eſt in eâdem comœdiâ †:

† Act. 1. ſc. 1.

—— Ut cum ratione inſanias.

Idem ‡:

‡ Act. 2. ſc. 2.

Omnia habeo, neque quicquam habeo; nihil cum eſt, nihil deſit tamen.

Et in Andriâ *:

* Act. 2. ſc. 1.

—— Id aliquid nihil eſt.

Item †:

† Act. 4. ſc. 1.

—— Coactus tuâ voluntate es.

In epitaphio Plauti ‡: *Innumeri numeri*, hoc eſt comœdiâ, cujus de verſibus dicere liceat, quod de Pindaricis Horatius *, *Numeriſque fertur Lege ſolutis.* Nam Comici, ut ait Terentianus Maurus:

In metra peccant arte, non inſcitiâ.

Cave aut Oberto Giffanio † aſſentias, qui *innumeros* exponit *infinitos*: aut magno Turnebo ‡, qui per *numeros* carmen, per *innumeros* proſam intelligi putabat. At longè aliâ mente, & ſatis apertâ, dixit Lucretius lib. II:

‡ Apud Varronem lib. 1. de poetis, & eunde Gell. lib. 1. cap. 24.
* Lib. 4. od. 2.
† In ind. Lucret.
‡ Lib. 10. Adverſar. c. 12.
* Lib. 18. cap. 15.

Non eſt unica, ſed numero magis innumerali.

Prout eum locum reſtituit Paullus Leopardus *. Apud eundem Lucretium lib. 1. eſt:

—— Interea perpotet amarum
Abſinthi calicem, deceptaque non capiatur.

hoc eſt, *decipiatur*: ſimplex pro compoſito, ut ſæpe alibi. Varro apud Macrobium lib. II. Saturnal. cap. VIII: *Bellaria ea maximè ſunt mellita, quæ mellita non ſunt.* Satis liquet, non aliud eum velle, quàm illa eſſe gratiſſima, quæ ſine melle ſint cocta: ut mirum ſit, Robertum Titium non dubitaſſe de eo integrum caput contexere †. Idem Varro lib. V. de L. L. & ex eo Feſtus in voce *Meditrinalia*, ſcribunt, morem fuiſſe populis Latinis ut primum muſtum bibentes, dicerent: *Novum vetus vinum bibo, novo veteri morbo medeor*: atque inde dictam deam *Meditrinam*, ſacra autem *Meditrinalia*. Quamquam hìc perperam mihi ὀξύμωρον ſtatuere videntur. Nec enim de eodem *novum*, & *vetus*, intelligi debent, ſed vinis diverſis, ut ſententia ſit, *novum, & vetus*: quomodo apud nos, cùm primùm è Germania advehuntur vina, eâdem in menſâ veteribus vinis nova ſociantur. Cicero etiam hoc ſchemate gaudet. Sed nihil in eo illuſtrius iſtoc in Lælio: *Quocirca* (amici) *& abſentes adſunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, &, quod difficilius dictu eſt, mortui vivunt.* Ejuſdem eſt in Bruto: *Subitò in civitate cùm alia ceciderunt, tum ea ipſa, de quâ diſputare ordimur, eloquentia obmutuit.* Idem Philipp. I: *Qui illam inſepultam ſepulturam effecerant.* Scio fuiſſe, qui *inſepulto* reponerent. Sed *inſepultam* in omnibus libris legi, auctor eſt Hieronymus Ferrarius ‡. Ac locutus ſimiliter Optatus Milevitanus lib. III. Idem Tullius in Verr. *Ætnenſis ager ſic erat deformis, atque horridus, ut in uberrimâ Siciliæ parte Siciliam quæreremus.* Cui geminum hoc Manilii lib. V. Aſtron.

† In locis контров.
‡ Caſtigat. in Philipp. Cic.

Illis in ponto jucundum eſt quærere pontum.

Et apud Martialem lib. VII. ep. LX:

Inque ſuo nullum limine limen erat.

Item in epigrammatis de amphitheatro, Martiali tributis:

Inque omni nuſquam corpore corpus erat.

Eſt & iſtud Tullii I. Catil. *Cum tacent, clamant.* Quomodo & in Divinat. ait, *Etiamſi tacent, ſatis dicunt.* Eodemque modo Catullus * dixit:

* Ep. 6.

Nequicquam tacitum cubile clamat.

Item Caſſiodorus lib. IV. epiſt. ult. ὀρχηστῶν artem appellat, *clamoſum ſilentium, ac tacitam expoſitionem.* Et Gregorius Nyſſenus orat. in laudes S. Theodori martyris ait: Οἶδεν γὰρ καὶ γραφὴ σιωπῶσα ἐν τοίχῳ λαλεῖν, καὶ τὰ μέγιστα ὠφελεῖν· *ſolet etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodeſſe.* Catulli quoque eſt iſthoc, carmine ad Mallium:

—— Non eſt Dea neſcia noſtri,
Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.

Quomodo & Sappho, ut ex Hephæſtione dicimus, amorem vocat γλυκύπικρον, q. d. *dulciter amarum*: quo ipſo elogio amorem pòſt inſignivit Plato, ut teſtatur Maximus Tyrius. Virgilius Æn. VII:

Num capti potuere capi? num incenſa cremavit
Troja viros?

Quæ, ut Macrobius † obſervat, expreſſit ex illis Ennii de Pergamis:

† Lib. 6. Sat. cap. 1.

Quæ nec Dardaniis campis potuere perire,
Nec cùm capta capi, nec cùm combuſta cremari.

Horatii item eſt in carmine ſeculari:

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis, & celas, aliuſque, & idem
Naſceris.

Item lib. I. od. XXXIV:

Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro.

Græcè ſit σοφίας ἀσόφου: cujus ſectatores unicâ voce Lucianeâ ‡ appelles μωρόσοφοι. Sunt & ejuſdem Venuſini vatis, *facilis ſævitia, perjura fides, ſtrenua inertia, concordia diſcors.* Quo poſtremo uſi etiam Ovid. I. Met. Manil. lib. I. & Lucanus lib. I. Eſt quoque Ovidii II. Met.

‡ In Alexandro ſeu Pſeudomante.

Et dedit amplexus, injuſtaque juſta peregit.

Quorum verborum elegantiam cùm non aſſequeretur Jacobus Bononienſis *, pro *juſta* legit *buſta*, de *injuſta* exponit, *parvo emta pretio.* quæ ἀγροικα ἀμαθῶς †. Omnino enim *injuſta juſta* dixit, ut apud Pedonem Albinovanum ‡ legas:

* Annot. in Ovid.
† Satiùs fuerat non dici.
‡ Ad Liviam de morte Druſi.

Sævit, & injuſtum jus ſibi ſola facit.

Et apud Sidonium *:

* Lib. 2. ep. 9.

Injuſtè tibi juſta perſoluta.

Eodem ſchemate utitur idem Ovidius in fabula Iſis †:

† Lib. 1. Met.

—— Tu ne es quæſita per omnes,
Nata, mihi terras? tu non inventa reperta es.

Sententia enim eſt: Reperi filiam formâ vaccæ indutam. Eoque filiam reperi, & non reperi. Non reperi, quia vaccam, non filiam inveni. Reperi quomodocunque, quia vaccam inveni, in quam filia converſa. Quod cùm non cogitaret Valla ‡, colligebat hinc diſcrimen illud inter *invenire*, & *reperire*, quaſi inveniamus quæſita, reperiamus ſe fortuitò offerentia. Ac in ſententiam ſuam etiam pertraxit Parrhaſium in lib. I. Claudiani, Eraſmum in Matt. cap. I. Henr. Stephanum in Pſeudocicerone, & alios magno numero. Idem Ovidius VII. Met.

‡ Lib. 5. Eleg. c. 2.

His, ut quæque pia eſt, hortatibus impia prima eſt,
Et, ne ſit ſcelerata, facit ſcelus.

Idem VIII. Met. fab. IV:

Impietate pia eſt.

Etiam ὀξύμωρον habes in iſto de unguentatis, *malè olere, qui ſemper bene olent.* Quam ſententiam legere eſt apud Plautum Moſtellariâ *, & Cic. lib. II. ad Att. epiſt. I. Sed & eâdem uſus Martial. lib. II. epig. XII. & ante eum Petronius Arbiter: de quo nobis teſtis B. Hieronymus epiſt.

* Act. 1. ſc. Jampridem.

epiſt. ad Demetriadem. Longum ſit, ſi velim itidem ire per eos, qui poſtea vixere. Tantùm dicam, nec Juriſconſultos iis abſtinuiſſe: quale illud apud Scævolam *, *Emtionem inemtam videri.* Nec item Eccleſiaſticos: cujuſmodi hoc B. Auguſtini lib. IV. contra Julianum cap. III. *Planè poſſumus dicere, hæreticorum frontem non eſſe frontem, ſi non membrum, quod facit Deus, ſignificare intelligamur frontis nomine, ſed pudorem.* Idem ſermone de vitandâ ebrietate: *Per inimicam amicitiam adjurare homines non erubeſcunt, ut potum ampliùs, quàm oportet, accipiant.* Cui ſimile illud,

——inimicum nomen amici.

Quod legas in diſtichis de moribus, ſive ea incerti ſint ſcriptoris, ut jam ante ſecula penè quinque ſcripſit Joannes Saresberienſis †: (quod ſi placet, dici poſſit, nomen *Catonis* eſſe ab argumento: quomodo Cœlii, vel alterius de re culinaria opus, *Apicius* inſcribitur) ſive potiùs auctor vocabatur Cato, ut magis ſit veriſimile: tum quòd in optimo Simeonis Boſii codice, quem & Elias Vinetus vidit, Dionyſio Catoni adſcribebantur: tum eo, quòd, ut idem Vinetus primus annotavit ‡, Catonis illa nomine laudârit Vindicianus, comes archiatrorum, epiſtolâ ad Valentinianum imperatorem, quam apud Marcellum Empiricum legere eſt. Ut omnino auctor ſit antiquior Auſonio, cui perperam id carmen tribuebat Baptiſta Pius *: uti & Guilhelmus Canterus prolegomenis in Euripidem. Quod verò Auguſtino, & Catoni, eſt *inimicus amicus*, id φίλος ἄφιλος fuerit Græcis. Quos ὀξυμώροις gaudere, exemplis aliquot comprobat Victorius lib. X. Var. Lect. cap. XII. Ita dixit Æſchylus Χοηφόροις, de iis, qui relictis liberis diſcedunt.

Οὔτω † γὰρ οὐ τέθνηκας, οὐδέπερ θανών.

Nempe quia mortui vivunt in liberis, quos relinquunt. Contrà verò de vidua luxurioſa, ac ſalaci, ait Apoſtolus 1. Tim. V. 6. ἡ ‡ δὲ σπαταλῶσα, ζῶσα τέθνηκε. Sophocles Ajace: Ἐχθρῶν * ἄδωρα δῶρα. Idem Electra: Μήτηρ † ἀμήτωρ. Euripides in Hecuba:

Νύμφην ‡ τ' ἄνυμφον, παρθένον τ' ἀπάρθενον.

Plato in VI. de Legg. Πόλις ἄπολις *. In veteri epigrammate:

Ἁ χάρις † ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις.

Quomodo & Euripides locutus eſt extremis Phœniſſis: χάριν ἄχαριστον εἰς θεοὺς διδοὺς †.

Philippus, vel potiùs Ephippus, (quomodo legendum, docuit Caſaubonus ‡)

Οὐκ * οἶσθα δ' ὅτι τ' ἀργύριον ἐστ' ἀνάργυρον;

Melitæi quoque ab Athenæo lib. XII. vocantur ἄνθρωποι οὐκ ἄνθρωποι ‡, non quia eunuchi, prout accipitur in veteri epigrammate; ſed quia nani ſive pumili; quales, ut paullùm Juvenalis ‡ verſum immutemus,

Producit, quoties voluit Natura jocari.

Sanè hos, uti & ſimiles iis, Cæſar Auguſtus ‡ vocabat *ludibria naturæ, & mali ominis.* Tatianus * gentiles philoſophos, ob falſa dogmata, atque inanem ſapientiæ oſtentationem, appellat φιλοσόφους οὐ φιλοσόφους †. Epiphanius ‡ de Joſepho ait: Ἄνανδρος ἀνὴρ τῆς Μαρίας ‡. Imò in ipsâ ὀξυμώρου voce ὀξύμωρον habes, quia primâ facie repugnant, acutè, & fatuè dici.

Qui plura elegantiſſimi hujus ſchematis exempla depoſcit, adeat Conradi Rittershuſii commentarium in Oppiani Κυνηγετ. lib. I. ubi pluſquam centena, ut puto, ſuggeret hujus figuræ exempla nobis indicta.

*L. Se. cus. de reſc. vend.

† Lib. 7. de nugis curialium cap. 9.

‡ Notis in Auſon.

* Annot. in Delabella epiſtolam lib. 14 earum, quæ ad Atticum.

† Sic quippe non ſis mortuus jam mortuus.

‡ Quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt.

* Dona hoſtium non dona.

† Mater non mater.

‡ Innuptam nuptam, & virginem non virginem.

* Civitas non civitas

† Gratia, quæ tarda eſt, ingrata eſt gratia.

‡ Gratiâ ingratâ proſequens Deos.

‡ L. 8. Animadverſ. in Athen. cap. 15.

* Neſcis-ne, nobis ut ſient inopes opes?

† Viri non viri.

‡ In ſat 3.

‡ Suet. in Aug.

* Orat. contra gent.

† Philoſophos, non philoſophos.

‡ Serm. vit. 4 Διάσωμεν τοῖς τῷ Κυρίῳ.

‡ Vir Mariæ non vir.

Cap. XIII.

DE IIS, QUÆ FIGURAM ACCIPIUNT RATIONE PERSONÆ, ET REI.

Tam ratione perſonæ, quàm rei, figurant ſermonem, licentia, interrogatio, exclamatio, acclamatio, & noëma.

Licentia, vel potiùs libertas dicitur, cùm apud eos, quos vereri debemus, liberiùs quædam pronunciamus, vel commonendi, vel objurgandi gratiâ; vel etiam cùm id ſimulamus, adulandi cauſſâ.

Interrogatio quid ſit, diximus in ſchematis λέξεως. *Attamen hujus etiam eſt loci, quia dictio quidem inflectitur, cui rectæ eſſe licebat: ſed de re interrogatio inſtituitur.*

Quod ſi interrogationi ſubjiciatur reſponſio, ſubjectio nominatur.

Exclamatio eſt, cùm magnitudinem affectus ſignificamus, perſonæ, aut rei compellatione, vocisque intentione.

Acclamatio, quæ Græcis ἐπιφώνημα, *eſt cùm rei narratæ, aut probatæ, ſubjicitur ſententia.*

Noëma eſt ſententia perſonæ accommodata. Et hæc de ſchematibus διανοίας.

I. De ΠΑΡΡΗΣΙ'Αι.

SUperſunt ſchemata, quæ ratione & perſonæ, & rei, orationem figurant. Iſtiuſmodi ſunt, παρρησία, ἐρώτησις, ἐκφώνησις, ἐπιφώνημα, & νόημα.

ΠΑΡ'ΡΗΣΙ'Α magiſtro Herenniano *licentia* vocatur At parùm commodè, cùm ea vox in vitio ponatur. Nec rectiùs appelles *effrenationem*: quamvis Cicero III. de Orat. nominet vocem quandam liberam, atque etiam effrenatiorem, augendi cauſſâ. At Maro egregiè, cujus illud XI. Æn.

Det libertatem fandi.

Παρρησίας quoque ibidem exemplum habes:

Dicam equidem, licet ille mihi mortemque minetur.

Hanc Fabius lib. IX. cap. II. inter ſchemata reponendam negat; quia nihil minùs ſit figuratum, quàm vera libertas. Idem extremo cap. tertio Rutilium eo nomine reprehendere non veretur, quòd παρρησίαν figuris adſcripſerit. Verùm dubitari non debet, quin figurata ſit quædam παρρησία: ut cùm ait Tullius pro Ligario: *Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam ex magnâ parte, nullâ vi coactus, judicio meo, ac voluntate, ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumta contra te.* Quo loco (ut Fabius ipſe agnoſcit) non ſolùm ad utilitatem Ligarii reſpicit, ſed magis laudare victoris clementiam non poteſt. Illuſtre etiam figuratæ libertatis exemplum apud Herodotum * habemus in Crœſo. * Lib. 3.
Nam cæteris, præ metu, laudantibus Cambyſen, ac Cyro eo nomine præferentibus, quòd Ægyptum paterno adjeciſſet regno; ſcitè Cambyſi Crœſus ait: Ἐμοὶ μὲν νῦν, ὦ παῖ Κύρου, οὐ δοκέεις ὅμοιος εἶναι τῷ πατρί. οὐ γάρ κώ τοι ἐστὶ υἱὸς, οἷόν σε ἐκεῖνος κατελίπετο. *Mihi quidem, Cyri fili, non videris patri adæquandus. Nondum enim tibi eſt filius, qualem ille te reliquit.* Quæ figurata reprehenſio plus habuit adulationis, quàm magnifica aliorum encomia. Atque hinc liquet, quandam παρρησίαν meritò inter figuras reponi. At quæritur porrò, num omnis παρρησία ſchema ſit. Negat Julius Scaliger, ſummus profectò veterum cenſor, ac deliciæ omnium, quorum intereſt vacare Muſis. Duplicem autem is παρρησίαν facit: unam, quam oratione tota præ ſe ferat orator; atque hanc figuram eſſe negat: alteram, quæ veriùs ſit oſtentatio hujuſce libertatis, & quaſi color ejuſdem; atque eam eſſe figuram agnoſcit. Verùm maximus vir non uſquequaque in eo ſatisfacit. Quid ergo prohibet, quo minùs & ſententiam meam adſeram? non tanquam κυρίαν δόξαν †: ſed neque obtrectandi amore, vel diſſentiendi lubidine: verùm ut hoc velut irritamento, aliorum ſententias, modò tanti hoc iis eſſe videatur, quaſi per ſaturam exquiram. Ut igitur fert opinio mea, non omnis huc pertinet παρρησία: nec tamen ſola libertatis oſtentatio ſchematibus adſcribi debet: ſed etiam quandocunque apud eos, quos vereri debemus, quædam liberiùs, attamen cum venuſtate, ac gratiâ quadam, pronunciamus, vel commonendi, vel objurgandi cauſſâ. Quippe ſolet in iſtiuſmodi oratione eſſe quidam geſtus à communi uſu remotus. Neque id negabit, qui

† Maximè ratam ſententiam.

qui cogitârit, quia in παῤῥησίᾳ fere periculum eſt, ne eâ offendatur auditor, idcirco præmuniri hanc certo ſolere remedio. Nam interdum licentiæ veniam petimus: interdum priùs commendamus, quàm reprehendimus: interdum amorem noſtrum priùs teſtamur: interdum id nos invitos facere dicimus: interdum dolorem noſtrum ob alius delicta aperimus: interdum denique culpam, aut communicamus nobiſcum, quo de modo in λιτότητος doctrinâ diximus; aut cum aliis; quomodo B. Paulus, ad Galatas ſcribens*, culpam rejicit in falſos Apoſtolos.

* Cap. 1. 7.

II. Iterum de interrogatione actum, nec non de subjectione.

Etiam ad ſchemata, quæ ratione perſonæ pariter, ac rei, figuram accipiunt, interrogatio poteſt referri. Nam prout eam diverſè conſideres, vel λέξεως, vel διανοίας ſchema erit. Ac λέξεως quidem figuram eſſe, eo colligimus, quia ſi in rectam orationem convertatur, ſententia manet, ſchema perit. Ut in illo †:

† 3. Æn.

—— *Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri ſacra fames?

Dixeris hoc ipſum oratione rectâ:

—— *Nil non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames.

Atque idem liquet aliis ex multis exemplis, quæ cap. v. adferebamus. At eandem ſchema eſſe διανοίας, clarè illud evincit, quòd interrogatio primò rei ineſt, non verbis. Magis igitur διανοίας figura eſt, quàm λέξεως: etſi ſecus viſum Cæſari Scaligero ‡, qui inter λέξεως ſchemata maluit reponere. Sed contraria ſententia verior eſt: quæ altero etiam argumento comprobatur. Nam verbis quibuſvis ſubſtitutis, ac quocunque poſitis ordine, ſchema remanet. Nec enim tantùm ſchema eſt, *Patêre tua conſilia non ſentis?* ſed etiam, *Non ſentis tua patêre conſilia?* aut, *Non animadvertis, nos reſciſſe, quicquid ſtatueras?* ac quocunque etiam modo placuerit orationem eam variare. At hoc, credo, aliquis inficiabitur, quia pro eo dici poſſis; *Patent tua conſilia.* Verùm cogitandum, hoc pacto non verba ſolùm alia reponi, quod factum oportuit: ſed inſimul rem ipſam leviter immutari. Quamvis enim interrogatio aliquo modo ἰσοδυναμεῖ ‖ orationi rectæ: tamen id tantùm fit per accidens: per ſe autem, ac naturâ ipsâ, differunt plurimùm. Siquidem recta oratio, cùm ſit ἀποφαντική*, verum dicit, aut falſum: contrà quàm ſit inflexa, quæ imperfectæ eſt orationis genus. Eoque vel cæco apparet, differre eas inter ſe, non verbis ſolùm, ſed ipsâ ſententiâ.

‡ Lib. 3. de re poët. cap. 42.

‖ Vim habet æqualem.

* Enunciativa.

Sed utcunque de interrogatione ſimplici ſtatui debet: illud ſaltem dubium non eſt, quin tum ſchema ſit διανοίας, cùm interrogationi ſubjicitur reſponſio: quæ idcirco SUBJECTIO vocatur. Cicero pro Roſcio Amerino: *Quid ergo? audaciſſimus ego ex omnibus? minimè. At tanto officioſior, quàm cæteri? ne iſtius quidem laudis ita ſum cupidus, ut aliis eam præreptam velim.* Idem pro Archiâ: *Quæret quiſpiam, Quid? illi ipſi ſummi viri, quorum virtutes literis proditæ ſunt, iſtâne doctrinâ, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile eſt hoc de omnibus confirmare; ſed tamen eſt certum, quid reſpondeam.* De hoc ſchemate ita ſcribit Cornificius: *Subjectio eſt, cùm interrogamus adverſarios, aut quærimus ipſi, quid ab illis, aut quid contra nos dici poſſit: deinde ſubjicimus id, quod dici oportet, aut quod non oportet, aut nobis adjumento futurum ſit, aut offuturum illis è contrario.* Quare videri poſſit ſubjectio nihil eſſe aliud, quàm πρόληψις ea, cujus ὑποφορὰ inſtituatur per interrogationem. Sed longè latius ſubjectio patet. Nam videas ſæpe, & interrogationem, & ſubjectionem, ad ἀνθυποφορὰν pertinere. Ut pro lege Maniliâ: *Quid tam novum, quàm adoleſcentulum privatum difficili Reip. tempore exercitum confeciſſe? confecit. Huic præeſſe? præfuit. Rem optimè ductu ſuo gerere? geſſit. Quid tam præter conſuetudinem, quàm homini adoleſcenti, cujus à ſenatorio gradu ætas longè abeſſet, imperium atque exercitum dari, Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in eâ adminiſtrandum? Fuit in iis provinciis ſingulari innocentiâ, gravitate, virtute. bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit. Quid verò tam inauditum, quàm equitem Romanum triumphare? At eam quoque rem populus Rom. non modò vidit; ſed etiam omni ſtudio viſendam putavit.* Quare perpetuum non eſt, quòd Cornificius putat, ſubjectione quæri ab adverſario, quid ab illo, aut contra nos, dici poſſit. Quæ ſententia etiam refellitur illo Ciceronis pro Archia: *Quæres à nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur? Quia ſuppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures convicio defeſſa conquieſcant.* Nec ulla eſt πρόληψις in illo Matth. xi. *Quid iſtis in deſertum videre? num à vento calamum agitatum? num prophetam? Amen dico vobis, etiam præſtantiorem prophetâ.* Quare generatim ſubjectio dici poteſt, quandocunque ipſi & interrogamus, & reſpondemus. At de ſubjectione, quatenus vel idem eſt ac πρόληψις, vel ſpecies ejus, ſatis dictum, cùm de prolepſi ageremus.

III. De exclamatione.

Ἐκφώνησιν ſive exclamationem appellant quidam, quandocunque vox attollenda eſt ad rei magnitudinem indicandam. Ita vetus commentator exclamationem ſtatuit in iſthoc Juvenalis ſat. xiv.

—— *Sed quæ reverentia legum,*
Quis metus, aut pudor eſt unquam properantis avari!

Idem ſcholiaſtes cum exclamatione pronunciare jubet hæc ſat. xv.

Carnibus humanis veſci licet.

Hic verò anguſtiùs exclamationis voce utimur, pro oratione, in qua interjectio expreſſa, aut intellecta, indicet animi affectum; eoque etiam pronunciatio intendatur, ad ſignificandam rei magnitudinem. Rectè autem negat Fabius *, hanc inter tropos reponi poſſe; quod factum à quibuſdam, ac fortaſſe Tullio in iii. de Oratore. At errat idem Fabius, cùm eam figuris acceſſeriait, non quia ſit figura, ſed quòd ei ſimilis ſit. Nam reapſe ſchema eſt, cùm ei conveniat figuræ definitio ab ipſo allata. Quòd verò ſimulatio in eâ non eſt, id neutiquam cauſſa eſſe poteſt, cur furcillis è figuris expelli debeat, cùm, quicquid Fabius dicat, nulla in pleriſque omnibus figuris inſit ſimulatio. Exclamatio eſt in illo Terentii †: *O cœlum! ô terra! ô maria Neptuni!* Ac illo Ciceronis in Catil. i. *O tempora! ô mores!* Et in Anton. ii. *O miſerum me! conſumtis enim lachrymis, infixus tamen pectori hæret dolor.* Neque interjectione ſemper opus eſt. Nam exclamatio quoque ſit, ſi, hâc præteritâ, dicatur: *Miſerum me!* Quia verò varietatis uſque adeò ſumus amantes, ut per omne nos diffundamus ſcriptorum genus; ſanè liceat & ἐκφωνήσεως exemplum addere è poëtaſtro quopiam, quem Boëthii tempore vixiſſe volunt. Maximiani dico, in cujus elegiis legere eſt:

* Lib. 9. cap. 2.

† Adel. 5. 3.

O quàm dura premit miſeros conditio vitæ!

Quem verſum, cum aliquammultis aliis, qui apud ψευδεπίγραφον Gallum ſequuntur, Maximiano (ut de aliorum, noſtriſque codd. mſſ. nihil dicam) jam ante ampliùs annos ducentos tribuit Jacobus Magnus Toletanus ‡. Et ſanè vel unicus hic verſus, cùm in eo producatur antepenultima in *conditio*, quaſi ſit à *condiendo*, non *condendo*, oſtendit liquidò, non eſſe fœtus hujuſce parentem illum tantopere à Marone ‖ celebratum Cneum, ſive, ut Euſebius vocat, Cajum Cornelium Gallum, vel, ut Strabo, & Joſephus, voce truncatâ, ſi vera eſt Pierii ſuſpicio, nominant, Ælium Gallum; qui, Servio * teſte, Euphorionem Latinis expreſſit verſibus. Similis eſt error, cùm eidem *Socrates* moloſſus eſt: in quo tamen, niſi & ultimam in *Ulyſſes* corriperet, & ſecundam in *pædagogus* produceret, videri poterat Græci habuiſſe accentus rationem:

‡ In Sophologio.

‖ Ecl. 10.

* In illud Ecl. 6. His tibi Grynæi nemoris dicatur origo.

** Carm. 9.*

nem: ut ſæpe Prudentius facit; ac Sidonius* etiam in iſthoc Phalæcio:

Orcheſtram quatit alter Euripidis.

Et tamen ineptias haſce tam multi tribuunt Cornelio Gallo: quibus ſe aggregare non dubitat Robertus Titius lib. 1. locorum controverſ. cap. xv. Ac ſuper eo ab Yvone monitus, mirificum κρησφύγετον commentus eſt. Ait, poëtaſtrum illum eſſe dictum Cornelium Gallum Maximianum: ſed nobilem illum poëtam eſſe vocatum Cornelium Gallum Aſinium. Verùm in gradus ruſum, ac lineas revertamur.

Effertur & exclamatio per ἐρώτησιν. Ut Æn. 11.

Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere?

Atque ut juramenta per cariſſima quæque fiebant, ita & exclamationes. Terent. Andriâ†:

† Act. 5. ſc. 2.

Pietatem nati! nonne te miſeret mei?

Sed inprimis κατ' ἐκφώνησιν uſurpantur Dii, & quæ Deorum ſunt. Cato Cenſorius: *Vita Deûm immortalium!* Quæ ad verba Statilius Maximus, vetuſtus admodum Criticus, illud annotavit: Ἐκφώνησις ἀρχαϊκὴ, ὡς, Ὦ πόποι! Auctor Chariſius in iis, quæ de interjectione ex Comminiani libro 11. adfert. Itidem crebrum eſt Græcis, Ὦ Ζεῦ! Quos imitans Catullus‡ ait:

‡ Epig. 1.

Docti, Jupiter, & laborioſi.

Ejuſdem eſt⊥,

⊥ Epig. 54.

Di magni! ſalaputium diſertum.

Epicurus mirum in modum hujuſmodi ἐκφωνήσεσι capiebatur. Qualis illa apud Laërtium*: Παιὰν† ἄναξ! φίλον Λεοντάριον. In his quia modum non teneret, inſultabat ei Cleomedes, qui illas vocabat ἱερὰ ἀνακραυγάσματα‡. Epicurum verò, præceptorem ſuum, imitabatur in iis Metrodorus. Utrumque autem iis cum laude etiam uſum eſſe; ſed eo peccâſſe, quòd modum excederent; cognoſcimus ex Fabio, vel alio auctore dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ. *Peripatetici*, inquit, *aptos, & in diſputationem paratos jam locos dabunt. Academici pugnacitatem, Plato altitudinem, Xenophon jucunditatem. Ne Epicuri quidem, & Metrodori honeſtas quaſdam exclamationes aſſumere, hiſque, prout res poſcit, uti, alienum erit oratori.*

** In Epicuro.*
† Paan, ſeu Apollo rex! ô mea Leontiola.
‡ Sacros clamores.

Inſervit etiam hoc ſchema ironiæ. Ut in Piſonianâ: *O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! O amentem Paullum, ruſticum Marium, nullius conſilii patres iſtorum amborum conſulum qui triumpharunt!* Item eâ utimur in votis. Ovidius epiſtolâ Penelopes:

O utinam tunc, cùm Lacedæmona claſſe petebat,
Obrutus inſanis eſſet adulter aquis!

Quo ex Naſonis loco cognoſcere eſt, optari quoque ea, quæ, cùm præteritum tempus reſpiciant, fieri neutiquam poſſunt.

Habet exclamatio apud Oratores locum, ubi res magnas perſuaſeris. Nam in frivolis, aut in controverſis, putidum ſit eam adhibere.

IV. De epiphonemate.

Acclamatio quæ Græce ἀναφώνημα, & ἐπιφώνημα, fit, cùm poſt rem, aut factum, ſubditur oratio. Itaque eſt velut coronis extrinſecus adſumta, non tamen planè à materiâ aliena. Quibuſdam acclamatio definitur, rei narratæ aut probatæ ſumma acclamatio. Quo quid ineptius eſſe poteſt, cùm definitum ſit pars definitionis? Verùm trecenta ſunt iſtiuſmodi, non apud proletarios modò Rhetores, ac capite cenſos; ſed etiam, qui in Rhetorum collegiis pro adſiduis ſe incenſu venditant. Ἐπιφώνημα eſt, cùm Lucret. lib. 1. poſt aſſignatum exemplum Agamemnonis, filiam Iphianaſſam immolantis, ſubjungit:

Tantum relligio potuit ſuadere malorum.

Simile eſt Ciceronis hoc in Catone majore: *Senectutem ut adipiſcantur, omnes optant; eandem accuſant adepti. Tanta eſt inconſtantia, ſtultitia, atque perverſitas.* Eſt & ἐπιφώνημα (uti & exclamatio κατ' ἐρώτησιν) in hoc 111. Æn.

Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames?

Item hoc 11. Georg.

——Adeo à teneris adſueſcere multum eſt:

Sive, ut in aliis codd. legi monuit H. Stephanus,

—— Adeo in teneris conſueſcere multum eſt:

quomodo & citat Velius Longus, ac in Mediceo codice reperit Pierius; niſi quòd in eo *multum 'ſt* ſit exaratum.

Nec tantùm epiphonema vocatur, cùm orationi apponitur γνώμη: ſed &, quando ei ſubjicitur pronunciatum ſummam rei continens: quomodo Maro*, poſtquam per διατύπωσιν deſcripſerat tempeſtatem, ac procellam, quâ cœlum obſcuratum fuit, ſubjicit:

** Æn. 1.*

—— Ponto nox incubat atra.

Par ratio in iſto de Didone†:

† Æn. 4.

Tantos illa ſuo rumpebat pectore queſtus.

Itaque, ut non omnis γνώμη eſt ἐπιφωνηματικὴ, ita neque ἐπιφώνημα omne eſt γνωμικὸν, contrà quàm exiſtimarunt, qui ſententiam faciunt genus epiphonematis.

Fit autem ἐπιφώνημα, tum cum admiratione, tum ſine eâ. Admiratio in iis fuit, quæ hactenus adduxi; præterquam altero eorum, quæ proximè appoſui è Marone, ac γνώμας eſſe negabam. Nec admiratio eſt, cùm Tullius ſcribit in Verrem: *Una atque eadem nox erat, quâ prætor amoris turpiſſimi flammâ, ac claſſis populi Romani incendio conflagrabat.* Nec ea eſt in illo, oratione pro Quinctio: *Juſſit bona proſcribi ejus, quicum familiaritas fuerat: ſocietas erat: affinitas, liberis iſtius vivis, divelli nullo modo poterat. Quâ ex re intelligi facilè potuit, nullum eſſe officium tam ſanctum, atque ſollemne, quod non avaritia comminuere, atque violare ſoleat.* Imò eorum etiam epiphonematum, quæ γνωμικὰ ſunt, multa fiunt abſque admiratione. Præſertim quando epiphonema additur, ut priora confirmet. Ut pro Milone: *Pudicitiam cùm eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus ejus imperatoris; ab eo interfectus eſt, cui vim inferebat. Facere enim probus adoleſcens periculosè, quàm turpiter perpeti, maluit.* Item in illo Herodoti‡: Ὁ Γύγης πρὸς τὸν Κανδαύλην εἶπε· Δέσποτα, τίνα λόγον λέγεις οὐχ ὑγιέα, κελεύων με δέσποιναν τὴν ἐμὴν θεήσασθαι γυμνήν; ἅμα δὲ κιθῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. *Gyges dicit Candaulæ: Quàm tu, domine, ſermonem edis non ſanum, qui me jubeas nudam adſpicere heram meam! unà cum tunicâ pudorem exuere ſolet mulier.* Par ratio, cùm Demoſthenes, poſtquam de improbitate egerat Philippi, ſubjicit ſententiam hanc: Αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη· *res ſecundæ magnam habent vim ad occultanda & adumbranda iſtiuſmodi probra.* Quam ſententiam ita imitatus Salluſtius lib. hiſtor. in orat. M. Æmilii Lepidi Coſ. *Secundæ res mirè ſunt vitiis obtentui.* Maro quoque, cùm oſtendiſſet, quodvis animal aliquâ ex re delectationem capere, ſubjicit⊥:

‡ Lib. 1.

⊥ Ecl. 2.

—— Trahit ſua quemque voluptas.

Hæc verò epiphonemata eſſe, non negabit, qui legerit, quæ ſuper hoc ſchemate ſcripſere Demetrius, ac Theon.

Epiphonematis mirum in modum gaudet Valer. Maximus, interdum etiam frigidiuſculè. Sæpe quoque iis epiſtolas claudit Seneca. Verùm omnium maximè hoc ſchemate ſplendent ſcripta Davidica.

Diſtant exclamatio, & acclamatio, quòd illa ſit παθολογίας, hæc magis ſit ἠθολογίας: ut & Cæſari Scaligero* placuit. A γνώμη verò acclamatio differt, quòd illa in principio etiam, imò inprimis, ponatur: hæc verò tantùm in fine collocetur. Suntque epiphonemata, ut ſcribit Demetrius, ſimilia iis, quibus opulenti ſe oſtentant. Nam ut ea, quæ divites ac facilè agentes profundunt luxuriosè in imagines, ſtatuas, γεῖσα†, τρίγλυφα‡, aliaque id genus tantùm faciunt ad oſtendendas divitias: ita epiphonemata ab oratoribus adhibita vix aliud præſtant, quàm quòd

** L. 3. de re poët. cap. 40.*
† Tecti partes in viam prominentes.
‡ Ornamenta ac ſculpturas partium tecti in viam prominentium.

quòd orationis luculentam oſtendant ſuppellectilem: ut quæ, rebus jam expoſitis, velut ex ſuperioribus expreſſa, ornatus inprimis gratiâ adhibeantur. Potiſſimùm autem conveniunt tum admiranti, unde exiſtit laudatio; tum irato, aut conquerenti, cùm ineſt reprehenſio.

V. De noemate, et χρείᾳ.

Nόημα, ſive *cogitatio*, eſt γνώμη perſonæ alicui accommodata. Exempli gratiâ; γνώμη eſt: *Qui in ſuâ re fuere egentiſſimi, inſolentes eſſe ſolent in alienâ.* Νόημα eſt, cùm Cicero de Tito Roſcio oratione pro Roſcio Amerino ait: *Qui in ſuâ re fuiſſet egentiſſimus, erat, ut fit, inſolens in alienâ.* Item γνώμη eſt: *Pleriſque omnibus legatis carior eſſe ſolet pecunia, quàm virtus.* At νόημα eſt, cùm de iis Salluſtius ait in bello Jugurthino: *Paucis carior fides, quàm pecunia, fuit.* Unde liquet, νόημα eſſe ſententiam tectiorem, ſeu alluſionem ad ſententiam. Eaque & cauſſa eſt, cur νόημα dicatur. Nam cogitatione, è facto cujuſpiam, ſententia eruitur. Aliquanto tamen aliter νοήματος vocem accipit Fabius*: qui ait, *hoc nomine donari ea, quæ non dicunt, verùm intelligi volunt. Ut in eum, quem ſæpius ludo redemerat ſoror, agentem cum eâ talionis, quod ei pollicem dormienti reciſiſſet, Eras dignus, ut haberes integram manum.* Simile eſt, quòd T. Pomponius Atticus, quemadmodum in ejus vita Cornelius Nepos teſtatur, *gloriaretur, ſe cum matre, quam extulit annorum XC. cum eſſet LXVII. nunquam in gratiam rediiſſe:* quo ſignificabat, nunquam ſibi cum ea diſſidium fuiſſe.

* *Lib. 8. cap. 5.*

Noëmati vicina eſt χρεία, cùm autor γνώμη adjungitur. Unde Aphthonio definitur, ἀπομνημόνευμα † σύντομον εὐςόχως ἐπί τι πρόσωπον ἀναφερόμενον. Tale illud: Seneca ‡ ſalubriter præcipit, *ſic vivendum cum hominibus, tanquam Deus videat; ſic loquendum cum Deo, tanquam homines audiant.* De χρείᾳ vide præter cæteros Fabium lib. I. cap. XV. Theonem, & Diomedem: quorum de chriæ definitione & exercitatione loca confert Paullus Leopardus lib. III. cap. VII. & IX. Sed & de voce χρείας nonnulla vide apud Iſaacum Caſaubonum lib. I. cap. I. Animad. in Athenæum.

† *Memorabile ac breve dictum relatum ad auctorem.* ‡ *Epiſt. 10.*

Nihil autem facilius eſt, quàm ex γνώμη facere noëma, aut ex hoc χρείαν, & contra. Γνώμη eſt in illo Naſonis I. Faſtorum:

Omne ſolum forti patria eſt.

Noëma eſt, *Teucro patria erat, ubicumque ei bene erat.* At χρεία eſt: Teucer in veteri tragœdiâ ‡ dicebat*, *Patria eſt, ubicunque eſt bene.* Hoc tamen noëma (liceat conſideratione proximorum temporum, quæ fuere & fugis, & exiliis, fœta fœdaque, pauca de hoc extra ordinem dicere) noëma, inquam, hoc viri fortaſſe boni ſit: at boni civis non ſit: ſi modò divelli hæc poſſunt: quod videtur Ariſtoteles exiſtimâſſe lib. V. Eth. Nicom. cap. II. cùm ait: Οὐ † γὰρ ἴσως ταὐτὸν ἀνδρί τ' ἀγαθῷ εἶναι, καὶ πολίτῃ παντί. Nec moveat illud ἴσως, quia hoc, uti & δοκῶ, & οἴμαι, ſæpe modeſtiæ cauſſâ addi ſolent. quod H. Stephanus, annotat. in Sextum phil., & alii multi, obſervarunt. Vel ſi omnino ἴσως hìc, ambigentis eſſe placet: at Cicero ſaltem manifeſtè diſtinguit longâ aureâque illâ epiſtolâ ad Lentulum: *Quem bonum civem ſemper habuiſſet, bonum virum eſſe pateretur.* Quare videndum, quâ mente aliquis Teucri illam vocem uſurpet. Nam ut ea interdum index eſt animi excelſi, fortiter exilium ferentis: ita nec rarò eſt argumentum hominis, ſimulac imminet tempeſtas, de fuga potiùs, quàm defenſione patriæ, cogitantis, vel parùm de eâ afflictâ, aut periclitante, ſolliciti, ipſiſque beſtiis hâc in parte nequioris; cùm (quod in patriæ encomio commemorare neglexit Lucianus) & bubalo ‡, atque aſtaco ⁑, innatus ſit hujus amor, teſte Oppiano. Sanè, ut Ovidius* ſcitè inquit:

‡ *Pacuvii, ut puto: cujus Teucrum ſæpe citant vett. Sed & Andronicus Teucrum reliquit.* * *Cicero l. 5. Tuſcul. quæſt.* † *Fortaſſe enim non eſt idem, virum bonum eſſe, & civem bonum.* ‡ *Oppian. κυνηγετ. lib. 2.* ⁑ *Idem in ἁλιευτ.* * *De Ponto lib. 1. el. 4.*

Haud dubia eſt Ithaci prudentia: ſed tamen optat
Fumum de patriis poſſe videre locis.

Quod ipſum de Ulyſſe refert Cic. I. de orat. & II. de Legg. idque præeunte Homero Odyſſ. A. Quare nec miror, ſi γνώμην illam, Teucero, & aliis, tributam, damnârit Lyſias oratione adverſus Philonem: aut ſi eandem in clariſſimi hoc ſeculo viri ſcripto, quo Belgas bellicâ concuſſos tempeſtate ad *conſtantiam* adhortatur, improbare ſoleat neceſſarius ac propinquus meus, Johannes à Compur, tribunus militaris, & arcis Groninganæ præfectus, dum viveret, vir non minùs doctrinâ, & rebus geſtis, annalibus jam noſtris celebratis, quàm generis ſplendore nobilis.

Nec multum à γνώμη diſcrepat ὉΡΙΣΜΟΣ, quo, ut inquit Rutilius Lupus, definimus aliquam rem cauſſæ noſtræ ad utilitatem, neque tamen contra communem opinionem. Ut, *Nam virtutis labor, vera virtutis exercitatio eſt.* Si Robortelium* audimus, ſolus ſchematis hujuſce meminerit Rutilius. Verùm non habet me ſententiæ ſuæ adſtipulatorem. Fefellit eruditiſſimum virum, quòd latiùs aliquanto ὁρισμῷ voce utantur alii; ut cognoſcere eſt ex iis, quæ de definitione ſuprà dicebamus. Id adjicere viſum, ne, quia hoc loco obiter tantùm ὉΡΙΣΜΟΥ meminerimus, inſcitiæ poſtulemur à nonnullis vitilitigatoribus, quorum denſa hoc ſeculo eſt, ſemperque futura eſt ſeges.

* *Lib. de arte dicendi.*

EPILOGUS
DE USU FIGURARUM.

Abſolvimus doctrinam de naturâ ſchematum: quorum numerum etſi ambitioſè augeant alii; nobis tamen has ſolas exponere viſum fuit, quia cæteræ vel figuræ non ſunt, vel minùs neceſſariæ. Proximum eſt, ut aliquid dicamus de eorundem uſu. Sanè, quod & in tropis locum habet, cavendum, ne nimis condenſentur. Nam quod in Alcidamante oratore reprehendit Ariſtoteles †; cùm ſcribit, eum epithetis uti, non velut ſcitamentis, quibus appetitum excitamus, ſed velut alimentis; (οὐ γὰρ, inquit, ἡδύσμασι χρῆται, ἀλλ' ὡς ἐδέσμασι τοῖς ἐπιθέτοις) id universè in troporum ſchematumque uſu nos reddere cautiores debet: ac inprimis eos, qui nullum ſchema æquo animo poſſunt perdere; cùm tamen ornamenta omnia, ſi immodicè utaris, non jam ornamenta ſint, ſed lenocinia; neque orationem exornent, ſed mentis vitium detegant. Certè in ludorum apparatu ſigna ac tabulæ non ubivis, ſed certis locis diſponi ſolent. Natura quoque ipſa præit. Nam & de die cernere eſt in pratis flores gramini adſperſos, & noctu videre eſt cœlo ſereno, non quidem ſtellas univerſum ætherei mundi ſpatium occupare, ſed certis conſtitutas locis id pulcherrimè diſtinguere. Eodem igitur modo in oratione collocanda ſunt illa verborum ſententiarumque lumina. Veriſſimè Tullius lib. III. de Oratore: *Difficile dictu eſt, quænam cauſſa ſit, cur ea quæ maximè ſenſus noſtros impellunt voluptate, & ſpecie primâ acerrimè commovent, ab iis celerrimè faſtidio quodam & ſatietate abalienemur.* Rectè quoque Fabius lib. VIII. quo loco de ſententiis agit: *Ego,* inquit, *hæc lumina orationis, velut oculos quoſdam eſſe eloquentiæ, credo. Sed neque oculos eſſe toto corpore velim, ne cætera membra ſuum officium perdant: &, ſi neceſſe ſit, veterem illum horrorem dicendi malim, quàm iſtam novam licentiam.* Et lib. IX. ſub exordium cap. III. *Et vultus mutatio, oculorumque conjectus, multùm in actu valet: ſed ſiquis ducere os exquiſitis modis, & frontis ac luminum inconſtantiâ trepidare non deſinat, rideatur. Et oratio habeat rectam quandam velut faciem; quæ ut ſtupere immobili rigore non debebit; ita ſæpiùs in eâ, quam natura dedit, ſpecie continenda eſt.* Et hæc quidem de parte elocutionis univerſali dicta ſunto.

† *Rhet. 3.*

FINIS LIBERI QUINNTI

GERARDI JOANNIS VOSSII

COMMENTARIORUM RHETORICORUM,

SIVE

ORATORIARUM INSTITUTIONUM,

LIBER VI.

QUI PARTIM EST

DE DICENDI CHARACTERE, AC IDEIS;

PARTIM

DE PRONUNCIATIONE.

CAP. I.

DE CHARACTERE GENERATIM.

Propria elocutionis pars eſt, qua tractat de orationis charactere & ejus affectionibus.

Character eſt dictio ſimilis rei, cujus nota eſt.

Eſtque pro triplici materia naturâ triplex; humilis, grandis, & mediocris: quibus totidem reſpondent vitia; genus jejunum, tumidum, & incertum.

I. UBI AGENDUM SIT DE CHARACTERE, ET CUR ITA VOCETUR, DEQUE ALIIS NOMINIBUS, ET DEFINITIONE EJUS.

POſtquam de communi ſive univerſali elocutionis parte vidimus: proximum eſt, ut agamus de particulari ſive propriâ, quæ eſt de elocutionis diverſitate pro diverſâ materiâ. Sanè in genere juridiciali minùs exactâ elocutione opus eſt; magis accurata requiritur in deliberativo; maxima autem diligentia in demonſtrativo adhibenda eſt. Imò in ſingulis quoque dicendi generibus magna eſt varietas. Ea autem cognoſcitur ex doctrinâ de charactere; cui icirco meritò hunc in Rhetoricis locum aſſignavimus. Quamquam & altera ratio eſt, cur is hujus propriè ſit loci, ſive naturæ ordinem ſpectes, ſive doctrinæ. Nam cùm character ex variâ compoſitionis ac dignitatis facie reſultet, & conſtituatur: omnino de eo agendum eſt poſt periodorum, numeri, troporum, ſchematumque doctrinam. Ut probari non poſſit Cornificii ordo, qui de eo tractet initio Elocutionis.

Characteris vox ſumpta eſt ab animantibus, cerâ, vaſis, aliiſque, quibus nota imprimi, inſculpi, aut inuri ſolet. Ita Columella lib. XI. cap. II: *Nec minùs*, inquit, *majora quadrupedia charactere ſignari debent.* Maro III. Georg. pro eo *notas* dixit:

Continuoque notas & nomina gentis inurunt.

Anacreonti χάραγμα vocatur, cujus illud initio odarii ultimi:

Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι
Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι.
Equi ſolent uſtas
Coxis notas habere.

Sunt autem præter *characteris* vocem & aliæ appellationes, quibus orationis facies deſignetur. Nam Plutarchus, & Hermogenes, *ἰδέας* vocant: Cicero in Oratore *formam*, aut *genus dicendi* nominat: Cornificius *figuram*: alii quoque aliis nominibus inſigniunt.

Eſt verò character rei imago, quemadmodum pictura. Definitur à nonnullis apta perſonis ac rebus orationis forma. Julio autem Scaligero lib. IV. de re Poëticâ cap. I. eſt dictio ſimilis rei, cujus nota eſt, ſubſtantiâ, quantitate, qualitate. Eamque definitionem illuſtrat deſcriptione Famæ, quæ apud Virgilium eſt. *Eſt*, inquit, *in Famâ ſubſtantia ſua, monſtrum; eſt quantitas, ingens; eſt qualitas, horrendum. Rei dictio ſimilis. Namque in hâc voce monſtrum, aſperitas eſt. In hâc ingens, magnitudo. In hâc horrendum, ſanè horror.*

Materiarum diverſitas diverſos efficit characteres. Nam quemadmodum alius ornatus principi, alius privato convenit; aliudque ſchema militem, aliud agricolam, aut mercatorem, aut philoſophum condecet; (calcei certè Sicyonii, ut eſt I. de oratore, non conveniſſent Socrati, quia licet erant habiles, tamen parùm erant viriles) ita neque omnis materia eodem tractanda eſt modo: ſed, quod Demoſthenem feciſſe Dionyſius Halicarnaſſenſis * ſcribit, dictionis character attemperandus eſt qualitati, aliaque ſublimi, alia humili, alia mediocri exponenda ſunt ſtylo. Varium quoque auditorum ingenium hanc varietatem efficit idearum. Nam alius rapidâ ac violentâ, alius ſcitâ ac tereti, alius cohibitâ ac moderatâ gaudet oratione.

* Lib. de τῦ Δημοσθ. δεινότ.

Rectè igitur Auſonius in Grypho ternarii numeri:

Trinum dicendi genus eſt, ſublime, modeſtum,
Et tenui filo.

Sed & is, cujus antè meminimus, Dionyſius Halicarnaſſ., idem docet: uti & facit Marcellinus in vita Thucydidis, & Proclus in Chreſtomathia poëtica: item è Latinis Servius in Ecl. I. & Caſſiodorus in præfatione Variarum, multique alii. Ac Cicero ipſe ab triplici hoc charactere eloquentem definit, qui & ſubtilia humiliter, & magna graviter, & mediocria temperate poſſit dicere. Idem in Oratore

tore ad Brutum autor eſt; Demoſthenem iis omnibus uſum eſſe. Subtilis enim oratio ejus contra Leptinem: graves ſunt quædam Philippicæ: varia autem illa contra Æſchinem falſæ legationis, & contra eundem de cauſſâ Cteſiphontis. Imò & de ſe ipſo ita Tullius ibidem: *Tota mihi cauſſa pro Cæcina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, jus civile laudavimus: verba ambigua diſtinximus. Fuit ornandus in Maniliâ lege Pompejus: temperatâ oratione ornandi copiam proſecuti ſumus. Jus omne retinendæ majeſtatis Rabirii cauſſâ continebatur. Ergo in omni genere amplificationis exarſimus. At hæc interdum & temperanda, & varianda ſunt. Quod igitur in accuſationis ſeptem libris non reperitur genus? quod in Habiti? quod in Cornelii? quod in pluribus noſtris defenſionibus?*

Magnificum ac uber Gellius admiratur in Ulyſſe: qui, ut inquit Helena Iliad. γ, magnam ex pectore emittebat vocem,

Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν.
Et verba imbribus nivalibus ſimilia hibernis:

quæ verba Seneca quoque epiſt. XL. de ubertate ac copia explicat: *Itaque*, inquit, *oratio illa apud Homerum concitata, & ſine intermiſſione in morem nivis ſuperveniens, oratori data eſt.*

Subtile ac cohibitum eſt in Menelao, qui, ut ibidem Homerus ait,

—— ἐπιτροχάδην ἀγόρευε,
Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος,
Οὐδ' ἀφαμαρτοεπής. i. *Succinctè concionabatur, pauca quidem, at admodum acutè, quia non erat multiloquus, aut in verbis peccans.*

Mixtum ac moderatum in Neſtore,

* Il. α. Οὗ * καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή,
Cujus ab ore melle dulcior fluebat oratio:

quem ad locum reſpexit Silius libro XV:

Ille foro auditus cùm dulcia ſolveret ora,
Æquabat Pylia Neleia mella ſenecta;

ne quis cum vulgatis, contra Modiani codicis fidem à clariſſimo collegâ meo Heinſio expreſſam, *verba*, pro *mella* legendum pertendat. De iiſdem eſt illud Auſonii in Gratiarum actione pro conſulatu: *Certent huic ſententiæ veteres illi, & Homerici oratores; ſubtilis deductâ oratione Menelaus, & inſtar profundæ grandinis ductor Ithaceſius, & melleo delibutus eloquio jam tertiæ Neſtor ætatis.* Sed & lucem hinc capit illud ejuſdem carm. XXII. in profeſſ. Burdigal.

Dulcem in paucis, ut Pliſthenidem,

(Menelaus enim Pliſthenis erat filius, qui Atreo patre natus)

Et torrentem, ſeu Dulichii
Ninguida tecta,
Et melita nectare vocis
Dulcia fatu verba canentem
Neſtora regem.

Cui ſimile hoc epiſt. XVI:

Hunc dico, qui linguâ potens
Minorem Atridam præteris,
Orando pauca & Muſica;
Qui grandines Vlixei,
Mellifluentem & Neſtora &c.

† Lib. 7. cap. 14. Etiam Gellius † magnifici exemplum apud Varronem ait eſſe Pacuvium; apud Rutilium, & Polybium, Carneadem ex Academiâ. Gracilis exemplum ei eſt apud Varronem Lucillius; apud Rutilium, & Polybium, Critolaus Peripateticus. Mediocris eidem eſt exemplum, apud Varronem, Terentius; apud Rutilium, & Polybium, Diogenes Stoicus. De Terentio tamen iis potiùs acceſſero, qui eum exemplum ſtatuunt ſtyli humilis: qualem comœdiæ exigunt.

Ut verò hæc omnia meliùs intelligantur, operæ erit, ſi ex Cornificio uniuſcujuſque characteris breve & dilucidum appoſuero exemplum. Ac magnifici quidem ſtyli tale apud eum exemplum legere eſt, *Nam quis eſt veſtrum, judices, qui ſatis idoneam poſſit in eum pœnam excogitare, qui prodere hoſtibus patriam cogitârit? quod maleficium cum hoc ſcelere comparari; quod huic maleficio dignum ſupplicium poteſt inveniri? In iis, qui violaſſent ingenuam, matrem familiâs conſtupraſſent, pulſaſſent, aliquem, aut poſtremò necaſſent, maxima ſupplicia majores noſtri conſumſerunt: huic truculentiſſimo, ac nefario facinori, ſingularem pœnam non reliquerunt? Atqui in aliis maleficiis ad ſingulos, aut ad paucos, ex alieno peccato injuria pervenit: hujus ſceleris qui ſunt affines, uno conſilio univerſis civibus atrociſſimas calamitates machinantur. O feros animos! ô crudeles cogitationes! ô derelictos ab humanitate homines! Qui agere auſi ſunt, aut cogitare potuerunt, quo pacto hoſtes, revulſis majorum ſepulchris, dejectis mœnibus, ovantes irruerent in civitatem: quomodo Deûm ſpoliatis templis, optimatibus trucidatis, aliis abreptis in ſervitutem, matribus familiâs & ingenuis ſub hoſtilem libidinem ſubjectis, urbs acerbiſſimo concidat incendio conflagrata: qui ſe non putant id, quod voluerint, ad exitum perduxiſſe, niſi ſanctiſſimæ patriæ miſerandum ſceleratis viderent cinerem. Nequeo verbis conſequi, judices, indignitatem rei: ſed negligentiùs id fero, quia vos mei non indigetis. Veſter enim vos animus amantiſſimus Reipublicæ facilè edocet, ut eum, qui fortunas omnium voluerit prodere, præcipitem deturbetis ex eâ civitate, quam ipſe ſpurciſſimorum hoſtium dominatu nefario voluerit obruere.*

Nunc ex eodem Cornificio adferam ſtyli mediocris exemplum. *Quibuſcum bellum gerimus, judices, videtis: cum ſociis, qui pro nobis pugnare, & imperium noſtrum nobiſcum ſimul virtute & induſtriâ conſervare ſoliti ſunt. Hi cum ſe, & opes ſuas, & copiam neceſſariorum norunt: tum verò nihil minùs propter propinquitatem, & omnium rerum ſocietatem, quid in omnibus rebus populus R. poſſet, ſcire & æſtimare poterant. Hi, cùm deliberaſſent nobiſcum bellum gerere, quæſo, quæ res erat, quâ freti bellum ſuſcipere conarentur, cùm multo maximam ſociorum partem in officio manere intelligerent? cùm, ſibi non multitudinem militum, non idoneos imperatores, non pecuniam publicam præſto eſſe, viderent? non denique ullam rem, quæ res pertinet ad bellum adminiſtrandum? Si cum finitimis de finibus bellum gererent: ſi totum certamen in uno prælio poſitum putarent: tamen omnibus rebus inſtructiores, ac paratiores venirent; nedum illud imperium orbis terræ, cui imperio omnes gentes, reges, nationes, partim vi, partim voluntate conceſſerunt, cùm aut armis, aut liberalitate, à populo Rom. ſuperati eſſent, ad ſe transferre tantulis viribus conarentur. Quæret aliquis, Quid? Fregellani non ſuâ ſponte conati ſunt? Eo quidem minùs iſti facile conarentur, quo illi, quemadmodum deſciſſent, videbant. Nam rerum imperiti, qui uniuſcujuſque rei de rebus antè geſtis exempla petere non poſſunt, ii per imprudentiam facilè deducuntur in fraudem. At ii, qui ſciunt, quid aliis acciderit, facilè ex aliorum eventis, ſuis rationibus poſſunt providere. Nullâ igitur re inducti, nullâ ſpe freti, arma ſuſtulerunt? Quis hoc credat, tantam amentiam quenquam tenuiſſe, ut imperium populi Rom. tentare auderet, nullis copiis fretus? Ergo aliquid fuiſſe neceſſe eſt. quid aliud, niſi id quod dico, poteſt eſſe?*

Reſtat ſtyli tenuis exemplum: quod tale apud Cornificium exſtat: *Nam ut fortè hic in balneas venit, cœpit, poſtquam perfuſus eſt, defricari. Deinde, ubi viſum eſt, ut in alveum deſcenderet, ecce ibi iſte de transverſo, Heus, inquit, adoleſcens, pueri tui modò me pulſaverunt: ſatisfacias oportet. Hic, qui id ætatis ab ignoto præter conſuetudinem appellatus eſſet, erubuit. Iſte clariùs eadem, & alia, dicere cœpit. Hic vix tandem inquit, Sine me conſiderare. Tum verò iſte cœpit clamare voce iſta, quæ facilè cuivis rubores elicere poſſet. Ita petulans es, atque acer, ut ne ad ſolarium quidem idoneus,*

ut mihi videtur, ſed penes ſcenam & in ejuſmodi locis exercitus ſis? Conturbatus eſt adoleſcens: nec mirum, cui etiam nunc pædagogi lites ad auriculas verſarentur, imperito ejuſmodi convitiorum. Ubi enim iſte vidiſſet ſcurram exhauſto rubore, qui ſe putaret nihil habere, quod de exiſtimatione perderet, ut omnia ſine famæ detrimento facere poſſet?

Hæc ſatis docent, quantum interſit inter ſtylum gravem, mediocrem, ac tenuem. Scio, quantopere hanc de triplici charactere ſententiam oppugnârit Ludovicus Vives lib. IV. de corruptis artibus. Uti & poſtea Petrus Ramus in Brutinis quæſtionibus: qui, ut pleraque alia, ubi inſultat antiquis, ex Vive hauſit, ita hâc etiam in re ejuſdem veſtigiis inſtitit. Nempe neuter ſatis diſtinxit characteres ab affectionibus ſuis: plures, quàm tres, eſſe characteres non poſſunt: eorum autem affectiones non paullo plures ſunt, ut poſtea probabitur.

Neque hæc ita accipi debent, quaſi oratio una uno eodemque charactere tota ſcribi debeat. Nam longè aliud nos docet M. Tullius verbis iis, quæ paullo ante ex Oratore ad Brutum citabamus. Item Cornificius, cùm ait: *Figuram in dicendo commutari oportet, ut gravem mediocris, mediocrem excipiat attenuata. Deinde identidem commutentur, ut facilè ſatietas varietate vitetur.* Quâ de re inferiùs pluribus dicam. Neque propterea errant, qui cuilibet orationi ſuum tribuunt characterem. Nam duplex eſt comparatio: una orationis totius cum totâ, altera partium orationis inter ſe. Partium illa collatio eſt, ſi dicatur, epilogum, & amplificationes, eſſe acres & graves; partitionem, & narrationem eſſe ſubtiles; exordium autem mediæ eſſe naturæ. Sed totius orationis collatio eſt, quando Tullius, ut vidimus, ait, orationem pro Cteſiphonte contra Æſchinem, & illam de falsâ legatione, eſſe graves; illam contra Leptinem, eſſe ſubtilem. Nulla quidem oratio eſt, quin habeat, & ἄνεσιν, ſive remiſſionem, & ἔπαρσιν, ſive elationem ſuam. Sed de tota oratione judicium fit ex ſtylo, qui dominatur.

II. De vitioſis dicendi figuris, quæ triplici ſtylo opponuntur.

PОrrò tribus dicendi formis totidem reſpondent vitia, quibus tanquam vanis decipimur ſimulachris & imitamentis. Altiloquo affine vitium tumidum ac pingue; humili agnatum jejunum, & ſiccum; mediocri proximum eſt incertum ac trepidum. Quam rem ſic Gellius expreſſit, lib. VII. cap. XIV: *His ſingulis orationis virtutibus vitia agnata ſunt pari numero; quæ earum modum & habitum ſimulachris falſis ementiuntur. Sic plerumque ſufflati atque tumidi fallunt pro uberibus; ſqualentes & jejuni dicti pro gracilibus; incerti & ambigui pro mediocribus.* Item Proclus in eclogis Chreſtomathiæ apud Photium: Οἱ δὲ τῶν εἰρημένων ἀποσφαλέντες εἰδῶν, ἀπὸ μὲν τοῦ ἁδροῦ εἰς τὸ σκληρὸν καὶ ἐπηρμένον ἐτράπησαν· ἀπὸ δὲ τοῦ ἰσχνοῦ εἰς τὸ ταπεινόν· ἀπὸ δὲ τοῦ μέσου εἰς ἀργὸν καὶ ἐκλελυμένον· *Qui verò excidunt à formis, quas diximus, aberrant ab uberi ad duram atque elatam; à tenui autem, ad humilem; à media ad otioſam & ſolutam deflexerunt.* Cæterùm hæc non ita intelligi debent, quaſi inter vitia duo aliud, quàm virtus, interjici poſſit, ſed quia & hoc medium genus depravatur; cùm neque ſe quis demittit, ut evitet genus gracile; neque ſe attollit, ut effugiat grande.

Cap. II.

DE GRANDIS CHARACTERIS COMPOSITIONE.

In charactere grandi tria ſunt conſideranda; compoſitio, verba, ac res.

Compoſitio magnifica fit ſeptem modis.

I. *Ratione numeri, quem ſtudioſè conſectatur. Inprimis autem in eo commendantur dactyli, & pæanes, & pedes, qui minimùm ab iis abludunt: damnantur verò crebri ſpondei, jambi, trochæi, voceſque omnes brachyſyllabæ.*

II. *Idem fit productione ſeu longitudine membrorum.*

III. *Oratione circumductâ & accumulatâ.*

IV. *Diviſis aſperiſque verbis.*

V. *Ordine ſeu ſtructurâ tum verborum, tum particularum.*

VI. *Figuris verborum; ut antiptoſi, anaphorâ, dialyſi, caſuum variatione, & anadiploſi.*

VII. *Concurſu vocalium.*

I. De variis ſublimis ſtyli nominibus apud Latinos, et Græcos.

CUm ex grandi orationis genere inprimis præſtantes cognoſcantur oratores, propriaque oratoris virtus, ut Fabius & Longinus teſtantur, in eo conſiſtat: jure ab eo initium faciemus, ac fuſiùs illius doctrinam, quàm aut humilis, aut mediocris ſtyli naturam, proſequemur.

Character magnificus varias, cùm apud Latinos, tum Græcos, appellationes ſortitus eſt. Nam Latinè alii vocant *magnificum*, vel *magniloquum*, vel *altiloquum*; alii *magnum*, vel *altum*, vel *ſummum*, vel *ſublimem*; quidam etiam *plenum*, vel *uberem*. Imò Cornificius *gravem*, Cicero etiam *copioſum* vocat, itemque *ornatum*. Verùm, quicquid de Arpinati ſcholâ inveſtes pueri ac horum ſimiles dicant; diſconvenit ei poſterior appellatio, cùm ornatus communis ſit omnium idearum affectio. *Validum* quoque characterem vocat is, qui Virgilianam vitam conſcribillavit nobis: Donatus dico, non quidem Ælius, majorum gentium Grammaticus, ſed Tiberius; qui vix Lucillianum * illud commeritus eſt elogium, * *Apud Nonium in* Sarcinator.

Sarcinatorem eſſe ſummum, ſuere centonem optimè.

Denique Julius Scaliger id ipſum dicendi genus *generoſum* vocat; rectius profectò, quàm nonnulli *plenum*, aut *uber*; quos inter Agellius lib. VII. cap. XIV. Certè ubertas in nullo non genere locum habet. Nam nihil uberius arte amandi Ovidianâ, quæ tamen in humili verſatur charactere. Et Callimachi hymnus in Cererem imo eſt ſcriptus charactere; quo tamen nihil uberiùs, cùm ad felem uſque, quam & ipſam ab Eryſichtone abſumtam ait, percenſeat omnia. Exemplum etiam habes Eclogâ I.

Heic inter denſas corylos modò namque gemellos
Spem gregis, ah, ſilice in nudâ connixa reliquit.

Eſt enim perſonæ ideâ in capellâ; eſt actio, tempus, locus; inſuper finis actionis, qui eſt ipſum opus, puta gemelli; & finis operis, qui eſt ſpes gregis. Vide Julium Scaligerum lib. IV. de re poëticâ cap. I.

Apud Græcos ſimiliter character is vocitatur μεγαλοπρεπὴς, quia in eo, uti in divitum ædificiis, omnia ſunt exquiſita, non vulgaria aut quotidiana. Valde enim erret, qui exiſtimet, id nominis huic characteri inditum eſſe, quaſi magnificentia (quæ eſt ἀρετὴ ἐν δαπανήμασι μεγέθους ποιητικὴ †, ut inquit Ariſt. I. Rhet.) magis in oratione relucere debeat, quàm liberalitas, temperantia, aliave virtus. Deinde appellatur ἁδρός. Adhæc quoque λόγιος dicitur, quia eo plurimùm uterentur homines diſerti, quos Græsi λογίους vocant; unde & facundus Atlantis nepos Λογίου nomen indeptus eſt: ut apud Lucianum apologiâ libelli de mercede conductis: Καὶ ‡ τῷ Λογίῳ θύσομεν. Quamquam nec contentionis funem duxero cum eo, cui character hic ita nuncupari videatur, quaſi λόγου ἄξιος *. Nam maximè eos admirantur homines, qui de rebus copioſè & amplè poſſunt dicere. Præterea nominatur ab Ariſtotele ὄγκος, quo non inflatio ſignificatur, ſed orationis amplitudo. Nam utitur hâc voce in bonam partem, uti & Hermogenes. At à Socrate, ac Pla-

† *Virtus in ſumtibus faciendis amplitudinem ſequens.*

‡ *Et Mercurio ſacrificabimus*

* *Æſtimatione dignus.*

Platone, in malam ſumebatur. Inſuper dicitur σεμνὸς, quæ vox honoris ac pompæ plenum ſignificat. Atque idem Hermogeni non ſemel vocatur ἀξίωμα, quia magnitudo orationis non debet eſſe expers dignitatis. Denique Dionyſio Longino, Rhetori κριτικωτάτῳ, qui ſub Aureliano Cæſare de hoc charactere ablectum & planè aureolum reliquit libellum, appellatur ὕψος: ac ſimiliter à Marcellino, qui Thucydidis vitam ſcripſit, itemque à Poëtarum enarratoribus, dicitur ὑψηλός.

II. Tria in quovis charactere spectari oportere. Item de Demetrio, scriptore libri ΠΕΡΙ' ἙΡΜΗΝΕΙ'ΑΣ.

IN hoc charactere expendenda ſunt, compoſitio, verba, ac res: quæ tria in unaquaque figura conſiderare jubet autor libelli περὶ ἑρμηνείας, quem præ cæteris in characterum doctrinâ ſequi animus eſt. Id meretur ſcripti venuſtas, ob quam viris non ineruditis perſuaſum eſt, partem ejus fœtus eſſe Demetrium Phalereum, cùm tamen à Phalereo abjudicandum eſſe, vel eo diluceat, quòd in eo ipſe citetur Phalereus. Contrarium ſibi viſus eo evicisse Victorius *, quòd Theophylactus, Bulgariæ epiſcopus, in volumine epiſtolarum, quod Romæ in bibliothecâ adſervatur Vaticanâ, epiſtolâ quâdam ad Romanum, cùm Ariſtotelem, Theophraſtum, & Demetrium nominâſſet, diſertim ſcribat: ὁ Φαληρεὺς καὶ περὶ Ἑρμηνείας λόγου συνταγμάτιον σπουδαῖον ἐξενήνοχεν †. Verùm à me facit, quòd volumine epiſtolarum Theophylacti ſatis magno, quod Florentiæ eſt in Mediceâ, epiſtola hæc non reperitur, ut ipſe agnoſcit Victorius. Quemadmodum neque compâret in iis, quas, uti tot alios ſcriptores, primus divulgavit ſummus & vir, & amicus, Joannes Meurſius. Et ut omnino ea illius Theophylacti eſſet, plus apud me valet, quod operis illius nullus antiquorum Rhetorum, ac nec ipſe meminerit Tullius, quem maximi Phalereum feciſſe conſtat: quàm quòd eum unus laudet Theophylactus, ſcriptor probus, at, ut ita dicam, antiquonovus ſive novantiquus: quippe qui, ut ex epiſtolis ejus Baronio ‡ & aliis obſervatum, ſolùm ante annos vixerit quingentos quinquaginta, tempore Alexandri II; annis certè poſt ipſum Phalereum mille trecentis quinquaginta. Adde quòd ſcholia in Ariſtophanem * tribuunt Dionyſio Halicarnaſſenſi: quod ſiquis ἁμάρτημα μνημονικὸν † eſſe contendat; haut multùm repugnem; quin facile ſuæ me habebit adſtipulatorem ſententiæ: attamen res iſthæc omnibus invalentiam hujus oſtendit argumenti; niſi quis tam ineptè deſipiat, ut non videat, ſi tanti P. Victorio ſit unius Theophylacti (eſto ſanè is) autoritas, alium, Ariſtophanici enarratoris teſtimonio ſubnixum, Dionyſio, pari ac majori fortean jure, adſcripturum. Neque iccirco Dionyſio me quiſquam tribuere autumet, cùm Demetrii eſſe agnoſcam, ne derogem tot codicum fidei. Sed & rem hanc confirmare licet Ammonii verbis: qui nobis haut arenarius teſtis eſt, uti nomen ſonat; ſed velut quidam Minervæ, vel, ſi mavis, Ammonii Jovis calculus. Is ſanè graviſſimus philoſophus initio commentar. in lib. Ariſt. περὶ ἑρμηνείας diſertè ſcribit, Demetrium (cognomentum reticet) περὶ ἑρμηνείας ſcripſiſſe, ſed aliter ἑρμηνείας voce uſum. Verba Ammonii adponam. οὐ γὰρ δὴ καθάπερ Δημήτριος τὸ περὶ λογογραφικῆς ἰδέας βιβλίον συγγράψας, καὶ οὗτος αὐτὸ ἐπιγέγραφε περὶ ἑρμηνείας ἀξιοῖ καλεῖν ἑρμηνείαν τὴν λογογραφικὴν ἰδέαν &c. *neque enim ut Demetrius, qui librum de formâ orationis conſcripſit, ita hic* (Ariſtoteles) *cùm librum inſcripſit* περὶ ἑρμηνείας, *per* ἑρμηνείαν, *intelligi voluit formam orationis conſcribendæ* &c. Nec eſt, quòd exiſtimet quiſquam, quia nunc Demetrium autorem facimus, eum anticâ excluſum, poſticâ à nobis recipi. Nam alius hic Demetrius, quia ut in Plauti fabulâ inter duos Menæchmos, ita hic inter duos Demetrios, ortus eſt error. Quippe mihi quidem, uti & undecunque doctiſſimo præceptori meo Petro Bertio, autor videtur Demetrius, non is, qui, ut Suidas teſtatur, à Phalero Atticæ portu, cujus & apud Plutarchum in Theſeo mentio fit, Phalerei nomen eſt indeptus, (quamvis non ignorem, & illum hoc opere, & opus tanto viro dignum eſſe) ſed alius, Rhetor Alexandrinus, ὁ διατρίψας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ σοφιστής, ut de eo inquit Diogenes Laërtienſis. Hanc rem fuſiùs hoc loco proſequi viſum fuit, non quòd animus nobis eſſet de re ancipiti quicquam certi concludere, &, ut priſci Juriſconſulti loquebantur, ſignare reſponſum: verùm necui cauſſâ defecti videamur, cùm Rhetorem hunc ſolo Demetrii nomine, quàm cum Phalerei cognomento, paſſim laudare malumus. Nunc ad ſtylum magnificum vorſoriam capiamus: in quo cùm tria conſideret Demetrius, compoſitionem, verba, ac res: deinceps, ejuſce viri exemplo, de ſingulis ordine acturi ſumus.

* Commentario in eum ſcriptorem.
† Demetrius quoque egregium libellum edidit de Elocutione.
‡ Vide ejus annales ad annum 1071.
* In Nub.
† Memoriæ lapſu.

III. De numero magnificæ orationis.

AC ſeptem quidem modis fit compoſitio magnifica. Primùm enim id præſtat numerus. Nam mirum in modum aſſurgit oratio rhythmo dactylico, adeò quidem, ut Ariſtoteles exiſtimarit, eos grandiores eſſe, quàm ſoluta requirat oratio; quemadmodum paullo poſt dicemus. Sedulò autem curandum, ne dum dactylos conſectamur, verſus nobis excidant hexametri: ut monuimus lib. IV. cap. IV. Minùs tamen in initio orationis offendit heroici carminis initium, quàm in fine ejus finis. Ita Plato Timæum incipit ab hemiſtichio: Εἷς, δύο, τρεῖς, ὁ δὲ δή *. Etſi verò verſus tollant granditatem orationis: tamen venuſtatem interdum pariunt. Multa certè iſtiuſmodi reperire eſt apud Platonem, Xenophontem, Herodotum, ac fortaſſe etiam Demoſthenem; de quibus omnibus autor nobis Demetrius. Sed de Herodoto diſcrepat Tullius †, qui eum numero carere ſcribit, niſi ſiquando temere ac fortuitò dicat. Verum falli Tullium, jam penè ſeculum eſt cùm alii oſtenderunt. Ut autem dactyli pariunt magnificentiam, ita deprimitur oratio crebris pyrrichiis, trochæis, dichoræis, atque omnibus brevium ſyllabarum dictionibus: quâ de re vide Dionyſium Longinum.

Demetrius, Ariſtotelem ſecutus, inprimis commendat pæanes. Nam ob longam ſyllabam gravitatem accipit oratio; quemadmodum ob tres breves habet aptitudinem. Non tamen ei omnes probantur pæanes: ſed cùm pro quatuor ſedibus, quibus ſyllaba longa in pæanibus collocatur, alius ſit pæan primus –∪∪∪; alius ſecundus ∪–∪∪; alius tertius ∪∪–∪; alius quartus ∪∪∪–: tantùm magnificam reddunt orationem duo pæanum genera ἀντικείμενα ἀλλήλοις ‡: puta pæan primus ſeu originalis, qui à longâ incipit, ut, *lætitia*, *definite*: & pæan finalis ſeu poſtremus, qui in longam deſinit, ut *domuerant*, *celeritas*. Ac duo quidem hi ita collocandi ſunt, ut primus ſeu originalis in initiis adhibeatur, quo productione ſuâ in initio, tanquam fronte aries, impetum faciat; quartus verò ſeu finalis in fine conſtituatur, ubi productione vim exerens velut aculeum relinquat. Ita Tullium videmus ordiri orationem pro Roſcio à pæane primo: *Credo ego vos, Judices, mirari.* Demetrio exemplum eſt, τὸ Ἀρέβηνα, ut eſt in cod. Rom. quod idoneum exemplum non ſit. Eoque Muretus * emendat, περεβίας. At pæanis ultimi exemplum hoc adducit Demetrius ex Thucydide †: ἤρξατο δὲ τὸ κακὸν ἐξ Αἰθιοπίας. Par numeri ratio ſit, ſi Latinè vertas, *Principia verò mali fuerunt ex Æthiopiâ.* Cicero tamen pæanem ultimum improbat. Nam in Bruto ſcribit: *Quare etiam pæana qui dixit aptiorem, in quo eſt longa extrema, vidit parum, quoniam nihil ad rem, poſtrema quàm longa ſit.* Sed contra Tullium facit ratio, quam paullo antè adducebamus. Adde, quod ars eſt imitatrix naturæ. Natura autem à quiete incipit motum, motumque terminat quiete. Eſt verò quies quodammodo tarda, motus celer; quia,

* Unus, duo, tres, at verò.
† In Orat.
‡ Sibi oppoſitæ.
* Lib. 1. Var. Lect. c. 16.
† Lib. 2.

quia, quod tardum eſt, lubens quieſcit, ac quod celeritatem amat, moveri gaudet. Quare & Oratorem, cùm periodum orditur, ſatius ſit incipere à ſyllabâ longâ, quia hæc tardè effertur: inde verò breves ſubjicere expedit, quia celeriter pronunciantur. Et contrà, cùm periodum claudit, rectius brevibus longam ſubjiciet, quo tarditate indicet finem.

Si prohibeamur, quo minùs pæanes orationem inchoënt, ac terminent, ita inſtituenda eſt oratio, ut pæanicum quiddam præ ſe ferat. Id autem fiet, ſi à longis initium capiamus, & in iis deſinamus. id eſt, ſi eos uſurpemus pedes, qui pæani ſunt ſimillimi.

Quod verò attinet ad heroum, eum in magnificâ dictione negat Demetrius habere locum. Et certe eſt quidem pes grandis; ſed, ut Demetrius inquit, ἀνάῤῥυθμος *, minuſque aurium voluptati morigerans. Eſt enim tardus, cùm conſtet meris longis. Exempli loco Demetrius affert, ἥκεν ἡμῶν εἰς τὴν χώραν. Idem videre eſt ex poëtis: ut in illo Ennii, vel alterius, apud Victorinum:

Cives Romani tum facti ſunt Campani.

Atque hoc Lucretii lib. VI:

An cœlum nobis naturâ ultro corruptum?

Aut hoc, quod ex Cœlio Baſſo laudat Diomedes lib. IV, & Moloſſicum verſum vocat:

Romani Gallis devictis ſunt victores.

Vel, ut in vet. cod. Diomedis is verſus concipitur, *Romani victores Germanis devictis.* Quod fortaſſe verius ſit, quia hujus Cæſii Baſſi temporibus, Romanis bellum cum Germanis fuit. Nam ætas poëtæ hujus ex eo ſatis cognoſcitur, quòd Perſius ad illum ſatyram VI. ſcribat: quodque eundem ſibi eſſe conſpectum, Fabius dicat lib. X. Sed videri poſſit verſus ille non tam eſſe ex ejus temporis poëta, quàm ex aliquo, cui in proſâ exciderit: ut ſi credas, eſſe ex Aufidio Baſſo, qui hiſtoriam belli Germanici ſcripſit; quem ipſum etiam ſibi viſum eſſe, ibidem Fabius prædicat. Itidem Moloſſicus eſt verſus ille apud auctorem fragmenti, quod Cenſorino annecti ſolet: ubi *ſpondiazonta* vocat (ſic eſt in vett. membranis, non *ſpondaicum*)

Olli crateris ex auratis hauſerunt.

Ita enim legendum eo loco, pro quo Elias Vinetus, *crateris ſex*, edidit. At Ludovicus Carrio longè deterius *crateribus* ſubſtituit: quo pacto verſus non erit *δωδεκασύλλαβος* †, quod Cenſorinus ibidem clarè requirit. Quod verò ſuperius ex Demetrio dicebam, idem innuit Dionyſius Halicarnaſſenſis, cùm non ſolis brevibus, neque ſolùm longis conſtare vult orationem, verùm ex utriſque probe mixtis. Δεῖ, inquit, μιγνύειν βραχέσι μακρὰ, καὶ πολυσυλλάβοις ὀλιγοσύλλαβα. Τοῦτο γὰρ ἡδέως διατίθησι τὴν ἀκοήν ‡.

Aliud autem per heroum numerum intelligit Demetrius, quàm Ariſtoteles. Nam illi ſolus ſpondeus eſt herous, ut indicat exemplum tribus conſtans ſpondeis, quod antè ex eo adduximus. Quamquam & dici queat, Demetrium brevitatis cauſſâ ſuperſediſſe aliorum pedum exemplis. Sed ut hoc quidem planè in ambiguo eſt; ita illud extra controverſiam poni debet, Ariſtoteli heroum non ſolùm vocari ſpondeum, ſed & dactylum. Et meritò, cùm dactylus non minùs in epico carmine locum habeat, quàm ſpondeus: Unde Quinctilianus lib. IX. disertè heroum pedem dactylum eſſe ait: Cicero hoc ampliùs, etiam anapæſtum eo ſignari putat III. de Orat. Omnis difficultas proficiſcitur ab his Ariſtotelis verbis in tertio Rhetor. Τῶν μὲν ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς, καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. Ubi Achilles Statius * legit ληκτικὸς, ut ſit ſonorus, à ληκεῖν, hoc eſt, ἠχεῖν, κροτεῖν. Sed alii retinent λεκτικός. Ex his Car. Sigonius tranſtulit: *Rhythmorum verò heroum grandis eſt, & canorus, & harmoniam requirens.* Majoragius vertit: *ex numeris autem heroum grandis eſt, & elegans, & indigens harmonia.* P. Victorius, & Vincentius Madius, locum ſuſpicantur corruptum. Itaque ille legit, οὐ λεκτικὸς, i. *non aptus ſolutæ orationi*: hic mavult, ἀλλὰ λεκτικῆς ἁρμονίας δεόμενος· *ſed ſolutæ orationis harmonia carens.* At veteres quoque, Demetrius dico, & Dionyſius Halicarnaſſenſis, heroum numerum ita ab Ariſtotele laudari exiſtimant, ut tamen ab oratore ſegreget, tanquam nimis grandem ac ſonorum. Quin Cicero quoque id putâſſe videtur, cùm reprehendens Ephorum, quòd dactylum frequentaret, longè aliter ait Ariſtotelem ſenſiſſe: ut qui judicârit heroum grandiorem, quàm ut ſolutæ conveniat orationi, & hexametrorùm magniloquentiæ accommodatiorem eſſe, quàm oratoribus. Idem tamen Tullius, dialogo de Oratore, in perſonâ Craſſi ait, nos ad heroum dactyli, anapæſti, ac ſpondei pedem ab Ariſtotele invitari. Exiſtimabat P. Victorius *, contradicere ſibi Ciceronem. Sed Jovita Rapicius Tullium excuſat, eumque τὸ πρέπον † obſervâſſe ait in perſonâ Craſſi, qui cùm tantopere heroum probaret, fortaſſe ad ſententiæ ſuæ confirmationem, Ariſtotelis locum trahere ſolitus eſt; trahere certè poterat. Mihi verò meliùs reconciliari hæc loca videntur, ſi dicamus, cùm Tullius ait, Ariſtotelem heroum pedem ab Oratore ſegregare, eum loqui de heroo non temperato pedibus humilioribus, cujuſmodi ſunt jambi: at cùm idem ait, nos ad eum ab Ariſtotele invitari intelligere id de heroo, cujus nimia granditas lenitur permiſtione aliorum numerorum, qua fit, ut grandem quidem efficiat orationem, at non exaggeratam, tumidamque. Nam utrumque ſenſit Ariſtoteles, quia ait, heroum quidem eſſe λεκτικὸν, h. e. *orationi accommodatum*, ἀλλὰ ἁρμονίας δεόμενον, *ſed indigentem harmoniæ*, h. e. diſſimilium concordiâ. Id enim *harmoniâ* ſignificari, Fabius quoque ſcribit lib. I. Non igitur cum Victorio exiſtimare convenit, Ariſtotelem in eâ fuiſſe ſententiâ, ut negaret, heroum pedem locum habere in oratione ſolutâ: ſed is tantùm, quia nimis ſit ſonorus grandiſque, ne epicorum grandiloquentiam referat pedeſtris oratio, ſine aliorum miſturâ frequentari eum noluit. Eodemque modo accipiendum, quod idem Ariſtoteles ſcripſit de fugiendo jambo, ac trochæo. Nam jambus vulgaris eſt, & abjectus. Certè ignari verſibus ſæpe loquimur jambicis; ut demirandum non ſit, Iſocratem quoque Panathenaïcum ab iſtiuſmodi jambico orſum eſſe: Νεώτερος † μὲν ὢν, προῃρούμην γράφειν· quemadmodum & alibi apud eundem plurimi ejus generis verſus reperiuntur; quâ de re aliquid quoque diximus lib. IV. cap. IV. Trochæus autem nimis eſt celer, & vicinus cordaci; quod laſcivum ac molle erat ſaltationis genus. Quare tantùm prohibet Ariſtoteles, ne hi pedes condenſentur, quia crebrò uſurpati verſus jambicos aut trochaicos facerent, humilioremque redderent orationem.

* Sive ἄρρυθμος, ut legit Victorius.

† Duodecim ſyllabarum.

‡ Oportet miſcere brevibus longas, & vocibus multarum ſyllabarum eas, quæ paucas habent ſyllabas. Id enim auditum ſuaviter afficit.

* Obſervationum diffilorum cap. undecimo.

* In comment. 3. Rhet. Ariſt.

† Decorum.

† Cùm junior eram, orationes ſcribere in animo habebam.

IV. Cujuſmodi cola grandem reddant orationem.

SEcundum, quod orationem reddat magnificam, eſt τῶν κώλων magnitudo. Sunt enim tria membrorum genera. Alia ſunt κομματικὰ, ac breviſſima, quæ commatis ſive inciſis ſunt paria: ut quæ intra octavam conſiſtunt ſyllabam; cujuſmodi & cola eſſe poſſunt, quia quæ juncta aliis inveniuntur, dummodo ne nimium abeant, ejuſdem generis judicantur. Hujuſmodi cola ſimilia ſunt ei, quod in carmine lyrico vocarunt ἐπῳδόν. Alia ultra octavam & nonam extenduntur ſyllabam: continent tamen ſe intra magnitudinem verſus heroici: atque hæc dicuntur μέτρια, ſive *moderata*, & ὀρθὰ, ſive *recta*, & τεταμένα, ſive *producta*: teſte Hermogene *. Nam fallitur Lud. Carbo †, cùm ὀρθὰ, & κομματικὰ pro iiſdem habet. Alia denique ultra hunc numerum extenduntur, atque dicuntur χρονιώτερα, ſive *oblonga*. Exempla omnium eorum lib. IV. cap. III. attulimus.

* Lib. 4. de inventione c. 4.

† Lib. 2. de loc. c 6.

Ea quæ oblonga dicuntur, atque illa, quæ proximè ad horum naturam accedunt, orationem magnificam faciunt; quemadmodum contrà membrorum exilitas, & ſubita quaſi reticentia, magnitudinem tollit, quamvis & in ſententiis, & in verbis, ſit magnificentia. Non tamen hoc prohibeat, quo minùs bonus orator poſſit in magnâ periodo

do etiam membra quædam brevia longis interſerere. Nam & in domo amplâ non omnia conclavia ſunt pari magnitudine exſtructa; ſed alia ſunt magna, alia exigua, alia mediocria.

V. De magnifici styli oratione circumducta.

TErtium, quod orationem reddat grandem, eſt περιαγωγὴ, ſive περιβολὴ: h. e. genus orationis circumductum & accumulatum, quo res non nudè, & ſimpliciter, proponuntur; ſed ea, quæ pluribus periodis, ſæpiuſque reſpirando, efferri poterant, unâ periodo ita concludimus, ut non detur toties reſpirandi ſpatium. Cicero pro Flacco: *Quod ſi eſſet aliquando futurum, ut aliquis de L. Flacci pernicie cogitaret; nunquam tamen exiſtimavi, Judices, Decium Lalium, optimi viri filium, optimâ ipſum ſpe præditum, ſummæ dignitatis, eam ſuſcepturum accuſationem, quæ ſceleratorum potiùs civium odio, & furori, quàm ipſius virtuti, atque inſtitutæ adoleſcentiæ, conveniret.* Quæ quidem periodus in tres alias poſſit reſolvi. Una erit: *Quod ſi eſſet aliquando futurum, ut aliquis de L. Flacci pernicie cogitaret: nunquam tamen exiſtimavi, judices, Decium Lalium eam ſuſcepturum accuſationem.* Secunda fuerit: *Eſt enim is optimi viri filius, optimâ ipſe ſpe præditus, ſummæ dignitatis.* Tertia ſit: *Accuſatio vero hæc ſceleratorum potiùs civium odio & furori, quàm ipſius virtuti, atque inſtitutæ adoleſcentiæ, conveniret.*

Demetrius affert exemplum iſtiuſmodi ex Thucydidis lib. II. Ὁ γὰρ Ἀχελῷος ποταμὸς ῥέων ἐκ Πίνδου ὄρους διὰ Δολοπίας, καὶ Ἀγραίων, καὶ Ἀμφιλόχων, καὶ διὰ τοῦ Ἀκαρνανικοῦ πεδίου, ἄνωθεν μὲν παρὰ Στράτον πόλιν ἐς θάλασσαν διεξιεὶς παρ' Οἰνιάδας, καὶ τὴν πόλιν αὐτοῖς περιλιμνάζων, ἄπορον ποιεῖ ὑπὸ τοῦ ὕδατος ἐν χειμῶνι στρατεύειν. Laurentius Valla locum Latine ita reddidit: *Nam Acheloüs amnis ex Pindo monte devolutus per Dolopiam, Agraos, Amphilochos, perque Acarnanicum campum, ſupernè quidem Straton urbem, Oeniadaſque interfluens, mari miſcetur, reſtagnatoque horum oppido, intolerabilem utique hieme propter alluviones militiam præſtat.* At periret magnitudo ac dignitas orationis, ſi quis περιβολὴν eam diſſolvat hunc in modum: *Nam Acheloüs fluvius profluit ex monte Pindo, & in mare ingreditur juxta Oeniadas: priuſquam ei miſceatur, crebris reſtagnat paludibus, atque impedit, quo minùs hiberno tempore iis in locis expeditio queat ſuſcipi.* Frequentibus his pauſis omnino μέγεθος, καὶ ὄγκος*, tollitur, haut aliter atque crebræ ſtationes efficiunt, ut iter vel longiſſimum breve nobis videatur; contrà quàm fit in ſolitudinibus, in quibus iter etiam breviſſimum viatori videtur longum. Itaque in grandi charactere, non tam inciſis, membris, aut periodis utendum, quàm diexodo, ſive deviatione. Dicitur verò διέξοδος, (ut etiam appellat Jul. Scaliger †) quidquid excedit τετράκωλον ‡; ſive ſit πνευματικὸν ‖, ſive τενόν *. Has enim ejus orationis, quæ quatuor colorum numerum excedit, ſpecies ſuprà aſſignavimus.

* Magnitudo & amplitudo.
† Lib. 4. de re poëtica cap. 25.
‡ Quatuor membrorum numerum.
‖ Spiritus naturam.
* Extenſo.

VI. De asperis hujus styli verbis.

QUartum, quod compoſitionem magnificam facit, eſt δυσφωνία συνθέσεως, *aſperitas compoſitionis*: h. e. collocatio verborum, quæ dura ſunt, & aſpera. Ea verò duplicia ſunt. Quædam arte factam habent aſperitatem: cujus generis ſunt verba πεποιημένα, ſive tranſlationes aſperæ. Quædam item naturâ aſpera ſunt, ſive ob ſignificationem nativam, ſive ob ſonum difficiliorem, ut in quibus R geminatur, aut cum aliâ conſonante jungitur. De his omnibus modis Hermogenes conſulatur. Sed πεποιημένα, & nativâ ſignificatione aſpera, vix ſunt hujus loci; quia non de ſententiis, aut verbis agimus, ſed compoſitione; quò pertinent, quæ ſonum aſperiorem habent. Demetrius exempli loco adducit illud Homericum Iliad. π.

Αἴας δ' ὁ μέγας αἰὲν ἐφ' Ἕκτορι χαλκοκορυστῇ.

Nam in Αἴας, & αἰὲν, fit concurſus vocalium, & quidem propinquus, atque antecedente diphthongo. Præterea in χαλκοκορυστῇ eadem geminatur ſyllaba. Atque ita poëta aſperitate orationis magnitudinem exprimit herois, qui omnis in eo erat, ut vulneraret Trojanorum fortiſſimum. Ac quidem Demetrius ait, rarò ſuavitatem compoſitionis admitti in magnificâ dictione; idque exemplo probat Thucydidis, qui cùm ſublimem conſectetur characterem, fugit ſedulò æquabilem illam compoſitionem, ac crebras verborum trajectiones, at duros amat vocalium & conſonantium concurſus, planeque refert viatorem per loca confragoſa, & aſpera iter facientem. Itaque ut hodie nonnulli optimè ſe Catullum expreſſiſſe putant, ſi verſus ſit ſalebroſus: ita & olim fuere quidam, qui ſe germanos Thucydidios profiterentur, cùm mutila quædam, & hiantia locuti eſſent; contra quos invehitur Cicero in Oratore ad Brutum. Seneca quoque de iis, qui hanc rem affectant, epiſt. CXIV. *Nolunt*, inquit, *ſine ſalebrâ eſſe juncturam: virilem putant, & fortem, quæ aurem inæqualitate percutiat.* Hoc etiam, aut non diſſimili morbo, laborabat Chreſtillus ille, in quem ita Martialis luſit*:

Carmina nulla probas, molli quæ limite currunt:
Sed quæ per ſalebras, altaque ſaxa cadunt.
Et tibi Mæonio res carmine major habetur:
LUCILLI COLUMELLA, HIC SITU' METROPHANES.

* Lib. 11. epig. 91.

Itaque modicè exaſperanda oratio, imò intra modum potiùs, quàm ut affectaſſe id videamur.

VII. De verborum et particularum structura in hoc stylo.

QUinctus modus magnificam reddendi orationem eſt ordo ſive ſtructura verborum, & συνδέσμων †. Ac verborum quidem ordo in magnificâ oratione is ſervandus, ut illuſtriſſima & ſignificantiſſima claudant ſententiam. Cicero pro Milone: *At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor injuriæ, punitor doloris ſui.* 1. Catilinariâ: *Magna Diis immortalibus habenda eſt gratia, atque huic ipſi Jovi Statori, antiquiſſimo hujus urbis cuſtodi, quòd hanc tam tetram, tam horribilem, tam infeſtam Reip. peſtem, toties effugimus.*

† Copulativarum.

De uſu συνδέσμων* tria tradit præcepta Demetrius. Primò docet, non nimis accuratè ſervandum eorum ordinem, cùm, qui in re minutâ nimis anxiè elaborat, μικροπρέπειαν †, non μεγαλοπρέπειαν ‡ orationis prodat. Simile quid præcipit Tullius ‖: *Nec quicquam*, inquit, *in amplificatione nimis enucleandum eſt: minuta eſt enim omnis diligentia: hic autem locus grandia requirit.* Alterum eſt, ſæpenumero res humiles abjectaſque copulæ repetitione reddi amplas ac grandes: quod ipſum & Dionyſius Halicarnaſſenſis obſervavit. Exemplo ſit illud Homeri in enumeratione navium, hæc humilium exiguorumque Bœotiæ oppidorum nomina recenſentis:

Σχοῖνόν * τε, Σκῶλόν τε, πολύκνημόν τ' Ἐτεωνόν.

* Conjunctionum.
† Abjectionem animi ad res exiguè momenti.
‡ Magnificentiam.
‖ In Partit.
* Schœnumque, Scolumque, ſitamque jugis Eteonum.

Tertium eſt, ut expletivis conjunctionibus utamur, ſi ampliorem reddant orationem, aut ſermo ſit patheticus: neutiquam verò, malorum hiſtrionum inſtar, eas inferciamus quaſi rimas expleant; quod in Aſiaticis Cicero reprehendit lib. de Orat.

VIII. De figuris dictionis, quæ styli magnificentiam pariunt.

SExtum eorum, quæ magnificentiam afferunt, ſunt quædam σχήματα λέξεως. Ac primo anthypallage ſive antiptoſis. Quippe τὸ συνηθὲς τὸ μικροπρεπές, διὸ καὶ ἀθαύμαστον †, ut inquit Demetrius. Anthypallagen autem vocat venuſtam, ac gentis alicujus propriam caſus immutationem; ut in illo Homerico Odyſſ. μ:

† Omne familiare, vile abjectumque eſt, eoque nec admirationem gignit.

Οἱ δὲ δύω σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει.

Duo autem ſcopuli, alter quidem in latum cœlum uſque pervenit.

Quod magnificentius, quàm, Τῶν δὲ δυοῖν σκοπέλων, ὁ μὲν οὐρανὸν &c. *Duorum autem ſcopulorum alter quidem* &c. Idem efficiunt ἐπαναφορὰ, & ἀσύνδετα, quæ non modò faciunt ad συντομίαν, ſive *brevitatem*; ſed etiam ad σφοδρότητα, ac *vehementiam*: ut quæ non tantùm πρὸς κόσμον, ſeu *ad ornatum*; ſed etiam πρὸς αὔξησιν, ſive *ad augendam orationem*, valeant. Ac inprimis id præſtant, cùm iis adjungitur διάλυσις, quâ res aut factum aliquod, quod uno pronunciato, atque, ut cum Ariſtotele dicam, συνδέσμῳ ἑνὶ complecti poteramus, diſſolvimus plurium attributorum commemoratione. Ita Homerus, cùm Nirea, juvenem ignobilem, ac exiguas habentem opes, ob luculentam formam poſteris ita conſtituiſſet commendare, ut & ipſe clareſceret, laudeſque ejus pro minutis maximæ, pro paucis plurimæ viderentur, hanc, & præcedentem figuram, uſurpavit. Poterat enim laudare hunc in modum: Nireus filius Aglaiæ, & vir pulcherrimus, tres duxit naves. Verùm maluit uti διαλύσει, & anaphorâ; ut in σχηματολογίᾳ vidimus cap. III. Ac ſanè hoc conſecutus eſt poëta, ut proverbio fecerit locum, εὐμορφότερος Νιρέως* (* Nireo formoſior.), quo Lucianus utitur in Timone. Idem efficit συνάφεια; quæ διαλύσει contraria eſt. Nam etiam conjunctionibus multis uti poſſumus, quò res videatur major, ut in illo Herodoti: Ἐστρατεύοντο Ἕλληνές τε, καὶ Κᾶρες, καὶ Λύκιοι, καὶ Παμφύλιοι, καὶ Φρύγες. *Militabant Græci, & Cares, & Lycii, & Pamphylii, & Phryges.* Non ignoravit id T. Quinctius, apud Livium † († Lib. 35.) de legato Antiochi loquens. Nam cùm caduceator jactitaſſet varia armorum genera, multaque gentium inauditarum nomina, Dacas, & Medos & Caduſios, & Elymæos: oſtendit Quinctius, eum συναφείας beneficio ſpecioſiorem reddidiſſe orationem, ut gentes illæ, quarum nomina ſingulis diſtinxerat conjunctionibus, plures viderentur. Diligenter autem conſiderandum eſt, quando συνάφεια, quando item διαλύσει, grandis reddatur oratio; cùm pleraque omnia ſine conjunctionibus plus habeant magnificentiæ.

Magnificam quoque orationem efficit caſuum variatio; ut Thucydidis loco oſtendit Demetrius. Item ἀναδίπλωσις conjuncta cum ἐπανορθώσει. Ut in illo Herodoti, ut quidem vult Demetrius: (metuo enim, ne decipiatur μνημονικῷ ἁμαρτήματι) Δράκοντες δέ τινες ἦσαν ἐν τῷ Καυκάσῳ μέγεθος, καὶ μέγεθος καὶ πλῆθος. *Dracones in Caucaſo erant magnitudine, imo magnitudine & multitudine.* Itemque in illo Tullii ‡ (‡ In Catil. I.): *Hic tamen vivit. Vivit? Imò verò in Senatum venit.* Inprimis autem magnificentiam parit ἐπανόρθωσις, quando non modò cum interrogatione concurrit, ſed etiam cum κλίμακι ſeu gradatione. Iſtiuſmodi ἐπανόρθωσιν habes in illo Tullii XII. Philipp. *Quid enim per Deos immortales poteſt Reip. prodeſſe noſtra legatio? Prodeſſe dico? Quid ſi obfutura eſſet? Obfutura? Quid ſi jam nocuit?*

IX. De vocalium concursu ad gignendam orationis magnificentiam.

SEptima ratio efficiendi compoſitionem magnificam Demetrio eſt σύγκρουσις, ſive συμπλήξεις τῶν φωνηέντων. i. *vocalium concurſus.* Ita grandius, quàm ſuavius, eſt hoc Maronis* (* Æn. 7.):

Ardet inexcita Auſonia, atque immobilis ante.

Grande etiam illud † († Æn. 3.):

Aulai in medio.

Multa hujus generis ſunt apud Tullium. Ut ingreſſu ipſo primæ ad Lentulum epiſtolæ: *Ego omni officio, ac potius pietate erga te, cæteris ſatisfacio omnibus: mihi ipſe nunquam ſatisfacio.* Quamquam in epiſtolis non tam id factum videtur ad conciliandam granditatem, quàm quia indicium eſt negligentiæ, quæ interdum grata eſt, in literis inprimis. Quare ex orationibus potiùs petamus exempla. Ut ex illâ pro Roſcio Amerino, quam ſic auſpicatur: *Credo ego.* Habet id grandiuſculum ſonum, nec ſuavitatis expertem. Ejuſdem eſt orat. pro Marcello: *Dolebam enim, P. C., ac vehementer angebar, cùm viderem, talem virum, qui in eâdem cauſſâ, in quâ ego, fuiſſet, non in eâdem eſſe fortunâ: nec mihi perſuadere poteram, nec fas eſſe ducebam, verſari me in veſtro veteri curriculo, illo æmulo, atque imitatore ſtudiorum ac laborum meorum, quaſi quodam ſocio à me & comite, diſtracto.* Apud Græcos inprimis magnificentiam parit concurſus α producti, η & ω, itemque diphthongorum. Verùm tota hac de re non uno omnes modo judicarunt. Iſocrates concurſum iſtum odit, tanquam ſtillo ululam. Alii vocales qualvis ubivis abſque delectu committebant. Regiam tenendam viam cenſet Demetrius. Dionyſius Halicarnaſſenſis † († Lib. περὶ συνθέσ. ὀνομάτ.) hanc vocalium, uti & conſonantium colliſionem, commendat in oratione auſterâ. Sunt autem ideo vocales interdum committendæ, contrà quàm Iſocrates putabat, quia vocalium concurſus efficit concentum, quo deſtituta compoſitio non muſica futura eſt, ſed muta. Tantùm id decenter & modicè, non temere ac paſſim fiat. Hanc de vocalium commiſſione ſententiam Demetrius probat à conſuetudine, à poëtis, è ſynalœphis, & Ægyptiorum ſacerdotum more. Certè conſuetudo mirum in modum conſectatur ſuavitatem: nihilominus vocales vocalibus jungit; ut in *Æacus*, & *Chius.* Quin nonnullæ voces ex vocalibus meris conſtantur; ut, *Eoa.* Idem liquidò dilucet ex poëtis, qui ſæpenumero vocales inter ſe committunt, ut hoc pacto ſonum reddant jucundiorem. Nam ἠέλιος dicunt pro ἥλιος, & ὀρέων pro ὀρῶν. Sic Maroni * (* Æn. 8.), *Alituum* pro *alitum.* Item in vocibus diverſis. Ut † († Ecl. 10.), —— *Aonia Aganippes* (quomodo Probum legiſſe conſtat:) item ‡ (‡ Æn. 9.), —— *Sub Ilio alto:* nec non ‖ (‖ Æn. 3.), —— *Inſulæ Ionio in magno:* aliaque ſexcenta. Imo iſtiuſmodi etiam affectant; uti obſervavit Jul. Scaliger orat. contra Eraſmum. Certè IV. Georg. cùm poſſet poëta, —— *flerunt Rhodopeia ſaxa*, maluit, —— *Rhodopeiæ arces:* & IV. Æn. —— *Aut quâ ſpe inimicâ in gente moratur*, maluit quàm, —— *Aut qua ſpes inimicâ in gente moratur.* Itidem in Bucolicis legere eſt,

Credimus? an, qui amant, ipſi ſibi omnia fingunt?

Quamquam in vulgatis ſit *ſomnia.* Sed perplacet *omnia:* quod & Canterus* (* Lib. I. Novar. Lect. c. 8.) in MSSis reperit, & Palmerius † († Spicilegio ad Fichardum.), ac ratio firmat. Indicio quoque ſunt, quæ abſque ſynalœphis concinniùs efferuntur. Certè ſuavius eſt, Πάντα μὲν τὰ νέα καὶ καλά ἐστι, quàm ſi dicas, καλά ᾽στι. Denique ſacerdotes Ægyptii Deum celebraturi, non tibiâ, non citharâ id agunt, ſed ſeptem vocalium ſono continuè edito: quod certè argumento eſt maximo, eorum concurſum ſuaviſſimam efficere harmoniam. Sed &, cui lubet, in partes advocare poſſit Marcum quendam, qui ut ſcribit Irenæus lib. I. adverſus hæreſes, primum cœlum ſtatuebat ſonare α, proximum ε, tertium η, quartum ſive medium ι, quinctum ο, ſextum υ, ſeptimum ω: quaſi nempe ſonus harum literarum efficiat ſuaviſſimum illum concentum, quem Pythagorici adſtruebant. Verùm etſi veriſimile ſit, id eum à philoſophis quibuſdam accepiſſe; nobis tamen ſatius videtur ſuperſedere teſtimonio hominis magi & hæretici, quique ab Irenæo lib. VIII. ejuſdem libri, appelletur *præcurſor quaſi verè exiſtens Antichriſti.* Et hæc de ſtyli magnifici compoſitione.

Cap. III.

De sententiis magnifici characteris.

Sententiæ in grandi charactere ſunt graves; ut de Deo, rebus naturalibus, aut civilibus.

Locum etiam hic habent vehementiora illa ſententiarum lumina, apoſtrophe, proſopopœia, ſimiliaque.

I. Quæ

I. Quæ ſententiæ grandem reddant orationem.

ADhibentur in magnifico charactere ſententiæ ſive propoſitiones graves. Quæ triplices ſunt. Primo quædam ſunt de Deo, ac rebus divinis. Verùm hæ ſunt duûm generum. Aliæ enim poëticæ ſunt, quæ voluptatem habent, non autem σεμνότητα*, eoque non uſurpantur ab oratore, præterquam in genere demonſtrativo, quod omnia recipit ornamenta. Aliæ verò, quæ in civili oratione locum habent, vel ſunt philoſophicæ, ut quæ deſumuntur ex Timeo Platonis; vel ſunt Theologicæ, ut quæ è ſacro hauriuntur fonte. Certè Moſen, quòd de Deo magnificâ ſit oratione uſus, laudat pago deditus Longinus, impii illius Porphyrii præceptor, ut Eunapius†, & Suidas‡, tradunt, ac Porphyrius ‡ ipſe agnoſcit. Verba Longini afferam: Ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων, Εἶπεν ὁ θεός· φησὶ τί; Γενέσθω φῶς· καὶ ἐγένετο· Γενέσθω γῆ· καὶ ἐγένετο· *Iccirco Judæorum quoque legiſlator, vir haut vulgaris, quandoquidem divini numinis virtutem pro dignitate cognovit ac divulgavit; ſtatim in ingreſſu atque initio legum ſcribens, Dixit Deus; quid inquit? Fiat lux; & facta eſt: Fiat terra; & facta eſt.*

* Gravitatem.
† In Porphyrii vita.
‡ In Longino.
‡ In vita Plotini.

Præterea ſunt ſententiæ graves de rebus naturalibus, ſed magnis, inuſitatis & raris; ut fulmine, terræmotu, ac ſimilibus. Non tamen oratori rationes propriæ earum ſunt afferendæ, quæ ad philoſophum pertinent: ſed quid fiat, factumve ſit, oſtendet.

Tertium locum obtinent ſententiæ Ethicæ, ac Politicæ: ut cùm diſſeritur de virtute & felicitate eorum, qui ſecundùm virtutem vivunt; aut cùm exempla commemorantur, quibus homines ad virtutem excitentur.

II. Sententias graves graviter eſſe tractandas: quod ne invita tentemus Minerva, debere nos animum aſſuefacere cogitationibus rerum magnarum.

POrrò licet ſententiæ magnificæ præcipua ſint characteris magnifici pars: non tamen ad orationis magnificentiam ſufficit, ſi fiat magnificæ rei mentio. Sæpe enim contingit, ut quis de rebus magnificis dicat exiliter, ac res illuſtres ingenii culpâ deterat atque imminuat, quia neſciat artem facta dictis æquandi: unde cognoſcere eſt errorem vulgi, cui ſcriptores multi δεινοὶ* putantur, qui de rebus quidem gravibus, verumtamen haut graviter, ſcripſere. Id Longinus ait accidiſſe Theopompo Chio: qui præter varias orationes & epiſtolas, tum adhortatorias, tum Ἀχαϊκὰς, ſive ἀρχαϊκὰς, quarum apud Halicarnaſſenſem † mentio fit, ſcripſit ad octo & quinquaginta libros Philippicorum; quomodo eum hiſtoriæ ſuæ, vel invectivæ veriùs, (nam paſſim Philippum, ejuſque ævi duces proſcindebat; ut ex fragmentis apud Athenæum videre eſt, & diſertè traditur à Plutarcho) nomen feciſſe, cognoſcimus ex Diodoro Siculo, Athenæo, Suida, aliis. Verùm de Theopompi charactere aliter ſenſiſſe videtur Tullius, quando in Bruto ita de Catone ſcribit: *Jam verò Origines ejus, quem florem, aut quod lumen eloquentiæ non habent? Amatores huic deſunt, ſicuti multis jam ante ſeculis, & Philiſto Syracuſio, & ipſi Thucydidi. Nam ut horum conciſis ſententiis, interdum etiam non ſatis apertis, cùm brevitate, tum nimio acumine, officit Theopompus elatione atque altitudine orationis ſuæ, quod idem Lyſiæ Demoſthenes: ſic Catonis luminibus obſtruxit hæc poſteriorum quaſi exaggerata altiùs oratio.* Rectène, an ſecus, de Theopompo ſenſerit Tullius, nobis quidem difficilis eſt conjectatio, quandoquidem ſcripta ejus deperierunt. Illud interim liquido colligimus, utrumque ad characterem magnificum requiri, ut & compoſitè, & ſententioſè dicamus. Atque hoc ipſum Tullius quoque ſenſit. Cujus illud in Oratore perfecto: *Res autem ſic ſe habet: Compoſitè & ornatè ſine ſententiis dicere inſania eſt. Sententioſè autem ſine verborum & ordine, & modo, infantia eſt.*

* Graves ac magnifici.
† Epiſt. ad Cn. Pomp.

Inprimis autem operæ pretium fuerit monuiſſe, quod & Longinus ſcribit, debere nos animum adſueſcere ad concipiendas res magnas. Oritur enim orationis ſublimitas ex animi magnitudine: quibus verò animus ſemper humi repit, neque aſſurgit ad res grandes, hi neque grandem conficient orationem. Quare debet Orator, quod & de Poëtâ dictum velim, eſſe εὐφαντασιωτός*. Nam φαντασία eſt ea vis, quâ abſentia conſideramus tanquam præſentia. Neque id tantùm in aſperis & atrocibus, ſed & lætis jucundiſque, locum habet. Hæc etiam facit, ut illuſtres ſe nobis offerant metaphoræ, aptaque verborum & ſententiarum lumina; ac non modò dictio, ſed & pronunciatio, & vultus geſtuſque totius corporis, ſit rebus ἀνάλογος. Atque hinc liquet, cur Longinus φαντασίας finem ἐνάργειαν † eſſe dicat; cur item tantam vim phantaſiæ adſcribat, ut dicat, orationem ejus, qui phantaſiâ omnia, quæ rebus inſunt, conceperit, non modò πείθειν τὸν ἀκροατὴν, ἀλλὰ καὶ δουλοῦσθαι ‡: Itaque oportet, adſueſcamus nos cogitandis urbium expugnationibus, & his quæ in iis contingunt; item prœliis, mari, fluviis, nautis oram ſolventibus, tempeſtatibus, ſerenitati, fabris, curſoribus, comitiis, aliiſque. Nam hoc pacto fiet, tum ut per ſe aptè ea à nobis explicentur; tum ut appoſitæ ab iis deducantur tralationes, quibus res quaſi ob oculos ponatur.

* Felix in concipiendis eo modo imaginibus, quæ optimè res repræſentantur.
† Evidentiam ſermonis.
‡ Perſuadere auditori, ſed etiam ad ſervilem quandam demiſſionem eum dejicere.

Cap. IV.

DE VERBIS MAGNIFICI CHARACTERIS.

Undecim verborum genera locum habent in ſublimi charactere; I. per metaphoram novata. II. juncta. III. ſoluta. IV. ficta. V. allegorica. VI. propter affectum præciſa. VII. iterata. VIII. caſibus & modis inflexa. IX. verba ſimilia, aſperaque. X. epiphonematica. XI. poëtica.

I. De undecim generibus verborum, quæ granditatem conciliant orationi.

QUemadmodum non quævis arbor cuivis rei materiam præbet; ſed alia trabibus, alia tabulatis, alia item carinis, alia foris, aliive rei accommodatior eſt: itidem neque quibuſlibet verbis quælibet res exprimitur: verùm alia requirunt verba levia, alia aſpera; alia mollia, alia dura; alia brevia, alia longa, quæ non minùs internoſcere debet probus conficiendæ orationis artifex, quam faber lignarius omnia lignorum genera dignoſcit.

Ac verba quidem magnifici characteris debent eſſe grandia, atque à vulgatâ loquendi conſuetudine remota; non quaſi alia omnino ab adytis ſuis arceat, ſed quia illorum ſit eligentiſſimus. Sunt verò iſtiuſmodi verborum undecim genera.

Primò λέξεις πεποιημέναι, ſive voces modificatæ. Nam iſtiuſmodi, ac inprimis quæ ſpeciatim metaphoræ appellantur, orationem reddunt minimè vulgarem, eoque auguſtiorem, dum concitant ſui admirationem, & tacitam voluptatem auditorum animis adfundunt.

Præterea orationem reddunt magnificam σύνθετα ὀνόματα, quæ Ariſtoteles lib. III. Rhetor. διπλᾶ nominat, Cicero appellat ex conjunctione facta, item verba juncta. Horum duo ſunt genera. Prius eſt, quando ex duobus, pluribuſve vocibus notis, unum aliquod conflatur. Non tamen in oratione locum habent compoſitiones Dithy-

rambicæ; de quibus Jul. Cæſar Scaliger lib. I. Poët. cap. XLVI, & nos hujus operis lib. IV. cap. I. ubi oſtendimus, ut & Comici iis laſcivire ſoleant: inprimis Ariſtophanes, ac Plautus. Ac Plauti quidem eſt iſtud Perſa*:

Act 4. ſc. Probati hic argenti.

Vaniloquidorum-virginiſvendonides,
Nugipolyloquides-argentiexterebronides,
Tedigniloquides-nummorumexpalponides,
Quodſemelarripides-nunquampoſtearripides.

Ubi pro *nugipolyloquides* cum I. Guilielmio præferam *nugidoliloquides*; ut merè hoc Latinum ſit, aliorum inſtar. Ac *techniloquides* (quod Lipſius † malebat, pro *tedigniloquides*) probare non poſſum: uti nec, quod Lambino placuit, *extenebronides* pro *exterebronides*, quaſi à *tenebris*, non *exterebrando* foret. Ariſtophanes verò & verbum conflavit ex vocibus undeviginti, quodque ſenos impleat verſus. Habes id in fine Ἐκκλησιαζουσῶν.

† Epiſt. 12. Epiſt. Quæſt.

Λοπαδοτεμαχοσελαχογαλεο-
κρανιολειψανοδριμυποτριμματο-
σιλφιοπαραομελιτοκατακεχυμενο-
κιχλεπικοσσυφοφαττοπεριστερ-
αλεκτρυονοπτεκεφαλλιοκιγκλοπε-
λειολαγῳοσιραιοβαφητραγανοπτερύγων.

Ejus ſententia eſt:

Olla, ſuccidia, cartilaginea muſtelinarum
Calvariarum reliquiæ acri cum intrito,
Laſer melle interfuſo,
Motacilla, merula, columba,
Gallorum toſta capitula, motacillarum,
Columbarum, leporum intinctu inſperſa unà cum aliis.

Æſchylus, quia turgidis atque inflatis verbis utatur, ab Euripide apud Ariſtophanem ‡ vocatur κομποφακελορρήμων, voce conflatâ ex κόμπος, quæ *jactatio* eſt, φάκελος, quomodo dicitur *gravis lignorum faſcis*, & ῥῆμα, h. e. *verbum*. Ac ibidem Euripides viciſſim ab Æſchylo audit στωμυλιοσυλλεκτάδης, h. e. στωμύλα ῥήματα συλλέγων ‡.

‡ In Ranis.

‡ Garrulorum verborum conſarcinator.

Neque ſolùm voces è tribus aut pluribus compoſitas, vitabit orator; ſed nec eas, quæ grandioris ſunt ſoni, cum laude uſurpabit, niſi veniam petat pudentem. Delinquunt hâc in parte vegrandis & affectatæ eloquentiæ ſcriptores; quos inter ducit familiam Appulejus. At iis, qui Romanam ſimplicitatem amant, præit togæ Romanæ princeps Tullius: qui cùm Græcorum κατάληπτον vertiſſet *comprehenſibile* *, ſubjicit, *feretis hæc?* non tam, arbitror, ob vocis novitatem, quàm ob ſoni granditatem. Eandum ob cauſſam Seneca epiſt. CXIV. reprehendit in Mæcenate *irremediabile* pro ἀνήκεστον. Perſius etiam vocem *lutlificabile* ridere videtur in Paccuvio. Ita enim ait ſat. I:

** Lib. I. Acad. Q.*

Eſt nunc Briſeis, † quem venoſus liber Acci,
Sunt quos Paccuviuſque, & verrucoſa moretur
Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta.

† Sic lego cum Caſaubono. Ut Briſeis ſit poëmatis nomen ab L. Accio ſcripti, qui ὁμόχρονος fuit Paccuvio; atque uti hic, ita & à Marziale ei conjungitur verſu iſto: Accius & quicquid Paccuviuſque vomunt.

Eſt tamen Poëtis major conceſſa poteſtas, quàm Oratoribus. Certè Maro non reformidat, *ineluctabile ‡ fatum*, *illætabile * murmur*, *lachrymabile † bellum*. Ac quia & aqua hic interdum hæret multis, qui eloquentiæ meraco tincti, & ſaturi potu exiſtimantur: haut abs re ſit appingere huic loco Demetrii præceptum. Is enim compoſitorum, quæ citra periculum uſurpantur, velut normam & canona eſſe ait duas haſce voces; νομοθέτης, ſive *legiſlator*, & ἀρχιτέκτων, ſive *architectus*.

Alterum συνθέτων genus eſt, cùm deſcriptionis loco nomen uſurpatur, idque εἰς συντομίαν: uti ſi τὴν τοῦ σίτου κομιδὴν, i. *procurationem frumentariam*, σιτοπομπίαν appelles; quæ vox ſolùm ex alterutrâ earum juncta eſt, eoque à priori compoſitionis genere differt, in quo vox ex parte utrâque conglutinatur.

Tertium in hoc charactere locum habent λυθέντα ὀνόματα, *verba ſoluta*. Solvitur autem verbum, cùm definitio, vel deſcriptio, ponitur pro nomine. Ejus exemplum apud Demetrium eſt, ſiquis σίτου πομπὴ dicat, pro σιτοπομπία.

*‡ Æn. 8. * Æn. 12. † Æn. 7.*

Non tamen exiſtimandum, nihil referre, utrùm junctis utamur vocibus, an verbum diſſolvamus. Nam interdum magnificentiam adferunt verba juncta; interdum verò idem præſtat diſſolutio. Si vulgò utantur diſſolutione, nos utemur verbis junctis: ſin conſuetudo adprobet juncta verba, nos diſſolvemus.

Quartum in his locum obtinent ὀνοματοποιηθέντα, ſive verba facta. Iſtiuſmodi ſunt apud Demetrium, τὸ σίζε, καὶ τὸ λάπτοντες. Illud uſurpat Clearchus apud Athenæum lib. VII. de ſono, quem audire eſt, cùm piſcis frigitur in ſartagine; & ipſe Homerus Odyſſ. I. de ſtridore, quem oculus Polyphemi edidit, cùm Ulyſſes illi ſudem præuſtam impegiſſet: altero verò utitur idem Iliad. π de ſono, quem lupi bibendo edunt. Plura id genus ex Homero adfert Plutarchus in vitâ ejus. Cur verò verba facta orationem reddant grandiorem, in cauſſâ eſt, quòd id acuti ſapientiſque eſſe hominis videatur, ac quodammodo eos referentis, qui primi fuere vocabulorum architectones. Verùm hic cauto opus eſt, ne, ſi laudem in fingendo affectemus, alias adferamus voces, quàm planas ac receptis ſimiles. Siquidem, niſi intelligantur, ex noſtrâ & exoticâ quapiam linguâ, miſcellam facere credemur.

Quinctum eorum, quæ requiruntur, ſunt allegoriæ, inprimis autem in minis, quod Demetrius quinque adſtruit argumentis. Primum eſt ab exemplo Dionyſii tyranni, cujus illud ac Locrenſes: *Faxo, cicadæ apud vos humi canant.* Quo obſcuriùs innuebat, ſe agros eorum populaturum. Ariſtoteles tamen II. Rhet. non Dionyſio, ſed Steſichoro tribuit. Alterum argumentum præbent allegoriæ. Nam pariunt ſuſpicionem, obſcuritate veli inſtar rem tegente. Quidquid autem ſuſpicionem gignit, terrorem quoque injicit, dum aliud, atque aliud, ex eo homines colligunt. At quod perſpicuum eſt, id contemnitur; quomodo nudos deſpicimus, quos ſago indutos formidamus. Tertium eſt, quia Athenienſes myſteria ſua occultabant allegoriis, ut minùs intellecta injicerent metum horroremque, quæ individuo nexu religioni juncta eſſe judicabant veteres, ita ut pro religione ipsâ poſuerint. Certè Maro VII. Æn. de lauro dixit:

—— *Multoſque metu ſervata per annos.*

In quem locum ita Servius: *Metu, i. religione, quæ naſcitur per timorem*: nempe juxta illud Arbitri;

Primus in orbe Deos fecit timor.

Quin θεὸς à δέος, id eſt, *metu*, eâpſe de cauſſâ deducitur à Grammaticorum vulgo. Nam mihi quidem magis ſit veriſimile, eſſe à Θωὺθ: quomodo ab Alexandrinis vocatus eſt Mercurius, ut Euſebius * ſcribit, atque è Latinis Cicero †, & Lactantius ‡; niſi quòd apud hunc *Thoth* legas pro *Thoyth*. Imò, quod propiùs ad Græcum accedit, Θεῦθ dicitur Platoni in Philebo, & Cratylo; uti Teutates, vel Theutates Lucano *, & Arnobio †. Nec *metus* ſolùm pro *religione*, ſed & *religio* pro *metu*, ob eandem cauſſam accipitur, ut teſtatur Servius in illud lib. VIII:

** De præparat. Evang. l. I. p. 23. edit. Rob. Steph. † Lib. 3. de nat. Deor. ‡ L. I. c. 6. * Lib. I. † Lib. 2.*

Jam tum religio pavidos terrebat agreſtes
Dira loci.

Imitatus autem Virgilius ablectum ſermonem Lucretii; qui prior nunc *religionem* pro *metu*, nunc *metum* pro *religione* uſurpârat. Quin *horrorem* quoque pro *religione* poni apud Petronium; ut & *horribile*, tum apud illum, tum apud Catullum, accipi pro *ſacro verendoque*, viri docti jamdudum obſervarunt. Quartum argumentum, quo Demetrius doceat, allegorias minis convenire, eſt, quòd allegoria obſcuritate ſuâ ſimilis ſit noctis tenebris, quæ formidoloſos facilè terrent. Certè & Athenienſes, ad formidinem initiatorum animis incutiendam, noctu & in tenebris ſua tractabant myſteria. Hinc Cic. lib. II. de legg. *Quid ergo aget Jacchus, Eumolpidæque noſtri, & auguſta illa myſteria, ſiquidem ſacra nocturna tollimus?* Quincto idem loco adſtruit ab exemplo Laconum, qui, ut hoſtibus eſſent terrori, allegorice pleraque efferebant: ut cùm ad Philippum ita ſcripſere;

Lacedæmonii Philippo. Dionyſius Corinthi.

His addere liceat exemplum Scytharum; quorum Reges idem factitâſſe, gemino exemplo oſtendit Ant. Muretus lib. v. Var. Lect. cap. XVII.

Et ex his quidem liquidò conſtat, quibus de cauſſis allegoria magnifico conveniat characteri. Interim, cùm eadem tenebras offundat, curandum ſedulò, ne ænigma fiat: cujuſmodi eſt illud, quod Ariſtoteles refert lib. III. Rhetoricorum, & libello de poëticâ; uti & Plutarchus in ſeptem ſapientum convivio, Athenæus in Dipnoſophiſtis, & Demetrius de Elocutione:

Ἄνδρ' εἶδον πυρὶ χαλκὸν ἐπ' ἀνέρι κολλήσαντα. i.
Igni hominem æs humano in corpore jungere vidi.

Quo ſignificatur chirurgus, ad ſanguinem eliciendum ægroto cucurbitulas adhibens.

Sextum locum in verbis hujus characteris ſibi apud Demetrium vindicat ἡ συντομία, καὶ μάλιστα ἀποσιώπησις. i. *ſuccincta verborum brevitas, atque inprimis reticentia:* ut *, *Quos ego: ſed motos &c.* Cùm enim præciditur oratio, ut plurimùm ſuſpicio gignitur re ipsâ major. Non tamen omnis συντομία grandiorem efficit orationem; verùm quædam efficit eam μικροπρεπῆ †, ut à contrario oſtendit Demetrius. Nam, id niſi eſſet, non gignerent amplitudinem vocum iterationes, quæ conciſæ brevique orationi adverſantur. At nunc contrà fit, ut Xenophontis loco probat Demetrius.

* 1. Æn.
† Tenuem atque exilem.

Itaque inter ea, quæ magnificentiam pariunt, *ſeptimo* loco ponimus τὰς διλογίας, ſive iterationes vocum earundem in principiis factas, quarum exempla ſuperiùs vide in σχηματολογίᾳ.

Octavum eorum, quæ id præſtent, eſt πλαγιασμὸς, ſive obliquatio; quâ vel ab obliquo caſu incipimus, vel à recto inchoantes complures obliquos ſubjungimus. Poſterioris modi exemplum adducit Demetrius è Xenophonte. Prioris verò exemplum eſto hoc Ciceronis: *Cogitanti mihi ſæpenumero & memoriâ vetera repetenti, perbeati fuiſſe, Q. frater, illi videri ſolent, qui in optimâ Rep.* &c. Facit hæc obliquatio περιβολήν. Ei autem opponitur ἡ ὀρθότης, quâ rectis utimur caſibus. Hanc Hermogenes docet puram claramque reddere orationem, ut infrà dicemus.

Nonum, quod magnificentiam orationis efficiat, eſt verborum ſimilitudo, aſperque eorundem ſonus, ſive, ut Demetrius inquit, ἡ ὁμοιότης τῶν ὀνομάτων, καὶ ἡ δυσφωνία ἡ φαινομένη. Per ſimilitudinem verborum intelligere debemus verba rebus ſimilia. cujuſmodi eſt in exemplo hoc à Demetrio adducto ‡:

Αἴας δ' ὁ μέγας αἰὲν ἐφ' Ἕκτορι.

‡ En Iliad.

Nam Homerus deſcribens Ajacis ſtudium in vulnerando Hectore, quia res erat aſpera, ſimilibus, h. e. itidem aſperis utitur vocibus. Tales enim eſſe Αἴας, & αἰὲν, ſuprà indicavimus.

Decimum, quod ad eam conferat, eſt epiphonema: de quo cùm in σχηματολογίᾳ ubertim dictum ſit, actum non agam, quod vetatur proverbio.

Poſtremò id præſtare Demetrio dicuntur poëtica: idque duobus modis, μεταθέσει, ſive tranſpoſitione, & μιμήσει, ſive imitatione. Exemplum μεταθέσεως eſt apud Herodotum lib. II. ubi referens, quomodo Paris cùm Helenâ in Ægyptum venerit, octo inſerit verſus Homericos, partim ex Iliad. Ε, partim ex Odyſſ. Δ deſumtos. Μιμήσεως exemplum Demetrius affert ex Thucydide; qui miro ſæpe artificio poëtarum verſus ita orationi ſuæ inſercit, ut non poëtæ, ſed Thucydidis ipſius videatur oratio. Etiam ſingulæ id voces poëtarum præſtant. *Habet etiam*, inquit M. Tullius *, *in oratione poëticum aliquod verbum dignitatem.* Iſtiuſmodi eſt *pateſcere:* ut apud Maronem †:

—— Danaûmque pateſcunt Inſidiæ.

Uſi verò & hiſtorici ‡, & fortaſſe Cicero Philipp. XIV. Nam pro *patefit*, quod in vulgatis invenitur, in uno alteroque, eoſque inter Longobardico cod., *pateſcit* legi, auctor eſt Hieronymus Ferrarius *.

* Lib. 3. de orat.
† Æn. 2.
‡ Salluſt. Liv.
* Emendat. in Philipp. Cic.

Sed & grandem ac ſanctiorem, magiſque admirandum orationem faciunt voces priſcæ: cujuſmodi, judicio Ciceronis libro de oratore, ſunt *reor*, *autumo*, &, ut Quinctilianus ait, *nuncupare*, *fari*, ſimiliaque. Verùm in his (ut & ſuprà * monui) obſervandum illud Corinnæ ad Pindarum †: τῇ χειρὶ δεῖ σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ· *manu ferendum eſt, non ſacco toto.*

* Lib. 4. cap. 1.
† Plutarchus libro, Bellone, an pace, clariores fuerint Athenienſes.

II. De magnifici characteris præſtantia, ac difficultate.

Atque hæc de ſtylo magnifico; cujus tanta eſt dignitas, ut, quemadmodum docet κριτικώτατος Dionyſius Longinus, licet vitiis aliquibus ſit obnoxius, tamen præſtantior ſtylo ſit mediocri curato, & nuſquam impingenti: quemadmodum & majores orationis virtutes minoribus præferri debent, etiam cùm hæ numero ſuperant. Itaque ignoſcendum Thucydidæ, Platoni, Demoſtheni: in quibus quædam cenſoriâ virgulâ notarunt veteres Critici; ut alibi oſtendimus ‡. Neque ea res tamen efficere potuit, quo minùs Plato, & Demoſthenes, ideæ eſſe crederentur puri atque Attici ſermonis. Audiamus Phrynichum Arabium, qui in Apparatu ſuo oratorio, (ut ex eo Photius in Myriobiblo refert *) εἰλικρινοῦς καὶ καθαροῦ καὶ Ἀττικοῦ λόγου κανόνας καὶ σταθμὰς, καὶ παραδείγματά φησιν ἄριστον, Πλάτωνά τε, καὶ Δημοσθένην· *ſinceri, puri, & Attici ſermonis normam, & exemplum eſſe optimum, Platonem, atque Demoſthenem.* Quamquam non omnino eadem ratio ſit Platonis, ac Demoſthenis; quia Platonis dictio inter ſolutam, & poëticam, media eſt; Ariſtotele etiam judice; ut eſt apud Laërtium in Platone. Similiter ignoſcendum quoque Perſio ſatyrico, quòd & crebris, & audacioribus utatur tranſlationibus. Nam, uti animus, ita dictio nobiliſſimi juvenis, grandia tantùm ſpirabat. Quare laudem merentur, qui horum exemplum ſecuti, neutiquam ob difficultatem reformidant hoc genus, eorum inſtar, qui eo quòd metuunt ne impingant, tantùm humilia dicunt ac plana, atque ita, ut eleganter inquit Fabius †, *dum timent ne aliquando cadant, ſemper jacent.* Non tamen hac propter rudis juventa hoc in genere exerceri debet. Neque enim grandiloquentia in puerilem cadit ætatem: neque dicendi imperitus ad ſummum eloquentiæ gradum ſubitò pervenire poteſt. Iccirco Perſius meritò ſatyrâ primâ in ſeculi ſui Rhetores invehitur, qui hàc in parte turpiter ſeſe dabant: ac Petronius quoque, elegantiarum idem ac nequitiarum arbiter, in veſtibulo ſatyrici (quòd non minùs fœdè mutilatum laceratumque eſt, quàm olim à Bacchis Pentheus) graviter eoſdem reprehendit: quique hoc pacto inſtituuntur, non magis ſapere poſſe judicat, quàm bene olêre, qui in culinâ habitant.

‡ Lib. 4. cap. 2. § 4.
* Cod. 158.
† Lib. 8. cap. de ſententiis.

III. De stylo tumido, sive frigido.

De ſtylo magnifico diximus. Verùm quia, ut philoſophus ait, παράλληλα μᾶλλον τἀναντία γνωρίζεται ‡: age, paucis etiam videamus de notâ frigidâ, ſive, ut Cornificius vocat, de figurâ ſufflatâ. Nam, quemadmodum idem Cornificius ait, *ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur ſæpe: ita gravis oratio ſæpe imperitis videtur ea, quæ turget, & inflata eſt, cùm aut novis, aut priſcis verbis, aut duriter aliunde tranſlatis, aut gravioribus, quàm res poſtulat, aliquid dicitur.*

‡ Contraria è regione conſtituta magis cognoſcuntur.

Eſt igitur τὸ ψυχρὸν, ſive *frigidum*, (quod & *tumidum* vocari diximus) in rebus, verbis, & compoſitione.

In rebus fuerit frigus, ac tumor, ſi eæ nimis ſint hyperbolicæ. Neque enim Oratori convenit, quod Ariſtophanes eâ in fabulâ, quam ab Acharnanum gente vocavit, de Perſarum ingluvie refert, hos in furno aſſos boves coquere ſolitos pro panibus: aut quod alius ſcripſit,

Me-

Medocem, Thracum regem, integrum bovem in malâ geſtaſſe. Quin omnis propemodum hyperbole frigida eſt, quia rem ſupra fidem extollit; eoque & à Comicis frequentatur ad captandum riſum. Talis illa in Aululariâ de ſene avaro:

Suam rem periiſſe, ſeque eradicarier,
Quin divum atque hominum clamat continuò fidem,
De ſuo tigillo fumus ſiquà exit foras.

Illa tamen Sapphûs, χρυσοῦ * χρυσωτέρα, venuſtatem habet, non frigus: ac planè admiratione dignum eſt, divinam mulierem (ita eam appellat Demetrius) re plenâ periculi, ac quæ vix dextrè tractari poſſit, tam ſcitè uſam eſſe.

** Auro magis aurea.*

Neque tantùm peccat, qui nimiùm hyperbolis indulget; verùm etiam, quiſquis περιττολογίᾳ poëticâ rem amplificat. Fecit id Florus. Nam quod ſimpliciter dixit Sex. Rufus †; *Hiſpanias per D. Brutum obtinuimus, & uſque ad Gades, & Oceanum pervenimus:* id ille ineptè admodum ſic narrat; *D. Brutus aliquanto latiùs Gallæcos, atque omnes Gallæciæ populos, formidatumque militibus flumen oblivionis, peragratoque victor Oceani litore, non priùs ſigna convertit, quàm cadentem in maria ſolem, obrutumque aquis ignem, non ſine quodam ſacrilegii metu & horrore deprehendit.* Scio, quantopere hæc, & alia id genus, hodie abblandiantur, non adoleſcentulis modò; ſed nonnullis quoque eorum, qui ſoli ſapere & ſibi, & multis aliis, videntur. Sed neutiquam eſt dubitandum, quin ea putida ſint, & κακόζηλα: in quo, qui minùs mihi fidem habent, ſaltem credant literarum principi, Joſepho Scaligero, dignis ſe in Euſebium animadverſionibus ad an. MDCCCLXXV.

† Libello ſuo de Romano imperio ad Valentinianum.

Idem in vitium incidat, ſiquis de rebus exiguis, ut maximis, verba facit; quemadmodum ille, qui fluviolum quendam è montibus in mare ruentem haut aliter deſcripſit, atque ſi de Nilo ſe præcipitante ſermo eſſet, aut de Iſtro, magno cum impetu ſe exonerante in mare. Quanto ſapientiùs Xenophon! cujus illud de Teleboâ: οὗτος δὲ ποταμὸς ἦν, μέγας μὲν οὔ, καλὸς δέ *. Nam brevitate ſermonis, & terminatione in particulam minimam, exiguum eſſe fluvium, demonſtrat. Itaque præclarè Demetrius: τὸ δὲ πρέπον ἐν παντὶ πράγματι φυλακτέον. τοῦτ᾽ ἔστι, προσφόρως ἑρμηνευτέον· τὰ μὲν μικρὰ μικρῶς, τὰ μεγάλα δὲ μεγάλως †. Certè & Polycratem (qui ſæpe in humili verſatus materiâ, ut cùm laudavit mures; aut turpi ſive admirabili, velut cùm laudibus extulit Buſiridem) Dionyſius Halicarnaſſenſis, in vitâ Iſæi, paucis indicat fuiſſe frigidum, ineptumque. Demetrius tamen veniam ei dandam judicat, quia iſthæc haut ſeriò ſcripſerit, at ludens: quod cùm ſit, conceſſum arbitratur, τὰ μικρὰ μεγάλως λέγειν ‡. Quin & nonnunquam uſu venit, ut res minuta ſeriò extolli debeat: id verò cùm neceſſitas exigit, ne incidamus in frigidum orationis genus, rem exiguam amplificabimus vel à ſimili, vel à conſequentibus, vel aliis ex locis. E. G. Lacon ille, qui verberaverat civem, exquiſitè, at contra patrios mores, ludentem pilâ, ut rem puſillam amplificet, dicet; qui pravos mores in minoribus perpetiuntur, hos feneſtram aperire majoribus flagitiis: principium eſſe dimidium totius: nullum item malum parvum eſſe. Itidem, qui parvi momenti victoriam extollere velit, contendet, fuiſſe occaſionem majorum, multa ex eâ re commoda ad Remp. redundâſſe &c. Et hæc de rebus.

** Hic quidem fluvius haut magnus erat, at pulcher.*

† Decorum in unaquaque re obſervandum: hoc eſt, res accommodate verbis ſunt exponenda: exiguæ quidem exiliter, amplæ vero ample.

‡ Res parvas ample dicere.

Verba, juxta Ariſtotelem ‖, quadrifariam reddunt frigidam orationem. Ac *primum* quidem, ſi fuerint tumidè juncta, aut ab uſu longè remota: ut hæc, quæ à Lycophrone adducit: πολυπρόσωπος οὐρανός *, μεγαλοκόρυφος γῆ †, itemque ἀκτὴν στενόπορον ‡: cujuſmodi vix poëtis conceſſa. Sanè non Ariſtoteles modò, ſed & Lucianus, emunctiſſimæ naris ſcriptor, ridet hujuſmodi voces in Lycophrone. Nam ejus in Lexiphane verba ſunt: Καθάπερ ὁ Δωζιάδα βωμὸς, καὶ ἡ τοῦ Λυκόφρονος Ἀλεξάνδρα, καὶ εἴ τις ἔτι τούτων τῶν φωνῶν κακοδαιμονέστερος. *perinde ut Doziada ara, & Lycophronis Alexandra, & ſiquid his infelicium, ac miſerè magis ſcriptum eſt.*

‖ 3. Rhet.
** Cœlum variam habens faciem.*
† Terra magnos ſuſtinens vertices ſive colles.
‡ Litus anguſtam tranſeuntibus præbens viam.

Præterea oratio fit frigida verbis externis, ac peregrinis. Ut cùm Lycophron Xerxem dicit πέλωρον ἄνδρα *.

Adhæc frigus orationi conciliant epitheta aut longa, aut intempeſtiva, aut crebra: quâ de re lib. IV. cap. XIII. abunde egimus.

** Vaſtum atque ingentem virum.*

Poſtremò idem provenit ab tranſlationibus indecoris ut quæ nimis ſint humiles, eoque moveant riſum; aut nimis grandes, quæ propterea tragicis magis conveniant. Itaque Photius in myriobiblo † damnat in Philoſtorgii hiſtoriâ, quòd tropis, qui alioqui venuſtatem adferant, utatur παραβόλως ‡, καὶ πλεῖστον ἀκαιροτέροις: atque addit, eum idcirco εἰς ‖ ψυχρολογίαν, καὶ ἀκυρολογίαν, ἐκπίπτειν. Cornificius hujus rei tale ſuggerit exemplum: *Nam qui perduellibus venditat patriam, non ſatis ſupplicii dederit, ſi præceps in Neptunias depulſus erit lacunas.* Item hoc: *Pœnitet igitur iſtum, qui montes belli fabricatus eſt, campos ſuſtulit pacis.* Quæ duo loca perperam, ut opinor, apud Cornificium connectuntur.

† Cod. 40.
‡ Temere, ac plurimum detortis.
‖ Incidere in ſermonem frigidum, & longiùs à proprietate recedentem, quàm aures ferant.

Compoſitio autem frigida fuerit, quæ numero deſtituitur: ut quæ ſolùm longis conſtet ſyllabis. Item ſi continuentur verſus. Nam laudi quidem datur, ſi verſus rarò, ac modicè, uſurpentur; ut cùm Cicero ſcripſit oratione in L. Piſonem: *Nunquam iſtam imminuam curam inficiando tibi:* quod niſi Aſconius monuiſſet eſſe L. Accii, neutiquam eſſe verſum agnoviſſemus. Verùm ſi modum excedamus, ita ut facilè verſus appareant; frigus, non granditatem, adferunt orationi.

CAPUT V.

DE STYLO TENUI, ET MEDIOCRI.

Tenuis character parciùs utitur tropis, ac ſchematibus: numero minùs ſtudet: gaudet ſententiis acutis, & ſermone communi; qui purus, perſpicuus, evidens, & probabilis eſſe debet.

In ſtylo mediocri neque acumen eſt humilis generis, neque vis & copia grandis: verborum omnia admittit lumina, multa etiam ſententiarum: numeros adhibet, ſed crebriùs, quàm humile; verecundiùs, quàm grande.

I. VARIÆ APPELLATIONES STYLI TENUIS.

Sequitur character tenuis, ſive *attenuatus*, ut dicitur Cornificio. Fortaſſe & rectè vocetur *deductus*: quomodo Maro in Eclogis dixit *deductum carmen*: quod Macrobius * ait poni pro *tenui*, ad imitationem veterum, qui *deducere* dicebant pro *demittere*, & *deductum* pro *tenui*. At probare non poſſum, quod idem, non contentus dicere, poni *pro tenui*, addit, *& ſubtili*. Nam *tenuitas* eſt characteris, *ſubtilitas* ſententiarum. Longeque minùs audiendus eſt Nonius, qui *deductum* interpretatur *molle*, *& ſuave*.

** Lib. 6. Saturn. cap. 4.*

Græcis ſtylus hic dicitur ἰσχνὸς, Dionyſio Halicarnaſſenſi † ἡ λιτὴ λέξις vocatur, qui in eo Lyſiam excelluiſſe docet. Conſiſtit autem in tribus. Nam ut de grandiloquo diximus, ita in hoc quoque conſideranda ſunt compoſitio, res, & verba.

† Περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων.

II. CUJUSMODI COMPOSITIO, RES, ET VERBA, SINT IN TENUI CHARACTERE.

Compoſitio requirit verecundiorem uſum troporum, ac ſchematum. Apoſtrophen certè proſopopœiam, aliaque vehementiora ſchemata, relinquit ſtylo grandi. A numerorum quoque vinculis liberior eſt. Fugienda in eo κῶλα magna; eoque nec μακροκώλους ‡ periodos amat. Vitat & concurſum vocalium longarum, ac diphthongorum.

‡ Longorum membrorum.

gorum. Nam hæc omnia magnificam reddunt orationem. Cicero tamen, & Hermogenes; negant, in puritate opus eſſe curioſâ diligentiâ, quâ vitemus vocalium concurſum; ut in quâ hiulca etiam locum habeat oratio; quemadmodum adſtruunt quoque exempla, quæ ſuperiùs adferebamus, cùm de hiante magnifici characteris compoſitione ageremus.

Res in hoc charactere ſunt humiles, ac tenues. Amat ſententiarum acumen.

Oratio eſt tenuis, ac ſimplex. Imò figura attenuata hinc Cornificio definitur, *quæ demiſſa eſt uſque ad uſitatiſſimam puri ſermonis conſuetudinem.* E. G. In tenui ſtylo de plantis noxiis potius dixeris, eas *naſci*, quæ vox magis eſt exilis; quam *dominari*, quæ vox grandior eſt, & numeroſior. Itaque primo quidem Georgicôn ait Maro:

Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenæ.

At in bucolicis maluit idem Ecl. v.

Infelix lolium, & ſteriles naſcuntur avenæ.

Ita enim (ut Pierius monuit) in omnibus legitur MSSis: quam lectionem temere in variis editt. videas immutatam.

III. De virtutibus styli tenuis.

DEmetrius quatuor exigit virtutes tenuis dictionis. Prima eſt proprietas, quâ voces habent nativam ſignificandi vim ex uſu doctorum. Sed ſanè proprietas in omni requitur charactere. Itaque pro eâ rectiùs *puritatem* diximus*. quæ nec ipſa licet in charactere tenui ſit perpetua: (interdum enim & is elaboratus eſt) tamen ei frequens eſt. Eſt autem puritas, non quidem nitor orationis, quomodo καθαρότητα quidam à Cicerone putant vocari: ſed potiùs nuditas, quâ nihil admiſcetur ornatus. Vide Julium Scaligerum lib. IV. Poët. cap. XIII. Altera virtus eſt σαφήνεια, ſeu *perſpicuitas*, ut vertit Fabius. Trapezuntius *claritatem* vocat. Ea eſt facilitas orationis ad rem intelligendam. Hinc Homerus †:

Ῥηΐδιον τι ἔπος ἐρέω, καὶ ἐνὶ φρεσὶ θείω ‡.

quem etiam verſum eidem rei firmandæ adducit Theon in Progymnaſmatis ‡. Sed σαφήνεια quoque eſt neceſſaria in omni oratione; non verò tenuis characteris propria eſt. Vide eundem Scaligerum eodem libro cap. III. Quanti verò perſpicuitatem fecerit Epicurus, docere poterit, quòd libro de Oratoriâ ſcripſit, nulli eſſe alii rei ſtudendum, quàm orationis perſpicuitati: quemadmodum Laërtius in ejus vitâ teſtatur.

* Puto enim, technicis concedi hanc vocem oportere: etſi eam neſciunt claſſici ſcriptores: ut pluribus exponimus libris De vitiis ſermonis, & variis gloſſematis.
† Odyſſ. Λ. 145.
‡ Facile dicam verbum, atque in pectore tuo conſtituam.
‡ C. 2. ſive ὁτι ᾗ ϖ τῶν ὀγη... Sed apud eum in Homerico verſu pro θείω eſt ...
* S. eundem diſtinctionem Danielis Bambari, ac Jo. Strumii, ſed ex vulgari diſ. cap. 5.

Perſpicua autem redditur oratio, non tantùm fugiendo voces homonymas, atque orationis amphiboliam; ſed etiam uſurpando verba propria, atque uſitata. Tranſlatis enim non utendum, niſi non minùs clara notaque ſint, quàm propria, ac nativa.

Deinde ea perſpicua fit, ſi particulæ præpoſitivæ, & poſtpoſitivæ, orationem rectè diſtinguant. Nam illarum ea natura eſt, ut unâ prolatâ alteram auditor expectet: eoque ita reddi debent, quomodo natura poſtulat: ut Ariſtoteles quoque præcipit lib. III. Rhet. cap. III.*. Illud etiam in iis obſervandum, ut neque crebra nimis ſint, neque longo nimis intervallo ſibi reſpondeant. Plures modos, quibus oratio perſpicua fiat, vide apud Demetrium, Hermogenem, ac, è junioribus, Trapezuntium.

Tertia dictionis in genere tenui virtus eſt ἐνάργεια, ſeu *evidentia:* quæ res quaſi ante oculos ponit: unde Ariſtoteles vocat, πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν. Ea cùm aliis modis fit, tum inprimis ἀκριβολογίᾳ, ſive accuratâ rerum expoſitione, quâ nihil redundat, nihil deeſt.

Ultima virtus eſt probabilitas, cujus beneficio facilè creditur oratio. Ejus lex eſt, ut, quandoquidem, juxta Euripidem *, ſimplex eſt veritatis ſermo, verba ſint in uſu communi poſita; non autem inflata, & ſeſquipedalia. Neque ſingula referenda explanandaque, tanquam auditores nacti eſſemus bardos bliteoſque; ſed quædam eorum ſunt relinquenda acumini; ut cognoſcentes, quantum ipſorum ingenio ac judicio tribuamus, magis concilientur nobis.

* In Phœniſſ.

IV. De stylo epistolico.

POrrò ex eo, quod ſuperiùs dicebamus, tenuem ſtylum convenire rebus tenuibus atque exilibus; conſequitur, eo inprimis conſcribi epiſtolas oportere: ut quæ maximè inter familiares obtineant, ac propterea familiari conſtent ſermone. Quam rem, Demetrii veſtigiis inſiſtens, paullo pluribus exponam. Ac primò acturus ſum de rebus & ſententiis; deinde de verbis; poſtremò de compoſitione.

Quod ad ſententiam, ac univerſè ad materiam epiſtolarem attinet, eæ tantùm nomen epiſtolæ merentur, quæ tractant de rebus privatis, aut publicis; non item, quæ de naturæ agunt myſteriis, aut quibuſvis diſputationibus acutis: quales epiſtolæ nomen amittunt: quemadmodum Demetrius illo Ariſtotelis probat: Ταῦτα † οὐ γράφω σοι· οὐ γὰρ ἦν ἐπιστολικόν.

Imò, non argumentum modò facit, ut aliquid epiſtola haberi non poſſit: ſed etiam, quod epiſtola eſſet, ſi tempori deſineres, id epiſtola eſſe deſinit, ſi nimis producas. Unde Demetrius multas Platonis, & unam Thucydidis, veram eſſe epiſtolam negat. Pertinet huc quoque illud Senecæ epiſt. XLV. *Sed ne epiſtola modum excedam, quæ non debet ſiniſtram manum legentis implere, in alium diem hanc litem cum Dialecticis differam.* Quædam igitur Ciceronis epiſtolæ vix epiſtolæ dici poſſunt: uti nec illa Horatii ad Auguſtum; neque quæ ad Piſones ſcripta de arte Poëtica.

† Hoc autem non ſcribo tibi: neque enim eſt epiſtolæ accommodatum.

Quod ad voces, conveniunt ei verba quotidiana. Unde Tullius ‡ ad Papirium Pætum: *Quid ego tibi videor in epiſtolis? non plebejo ſermone agere tecum? Nec enim ſemper eodem modo. Quid enim ſimile habet epiſtola, aut judicio, aut concioni? quin ipſa judicia non ſolemus omnia tractare eodem modo. Privatas cauſſas, & eas tenues, agimus ſubtiliùs: capitis, aut famæ, ſcilicet, ornatiùs. epiſtolas verò quotidianis verbis texere ſolemus.* Quem autem eâ in re potiùs, quàm Tullium, audiamus? qui non modò in orationibus, ſed in epiſtolis etiam dominatur. Itaque Sidonius *, cùm temerarii eſſe hominis putaret, adſpirare ad gloriam Ciceronis, de eo ſilendum eſſe ait in ſtylo epiſtolari. In quo imitatus illud Salluſtii †: *De Carthagine ſilere meliùs puto, quàm pauca dicere.* Quòd verò Petrarcha ‡, Politianus ‡, atque alii, illud Sidonii ad Ciceronis dedecus retulere, id probare nentiquam poſſum: ſed potiùs aſſentio doctiſſimo viro, Savaroni, qui eos hoc nomine reprehendit. Ciceronis judicium etiam Seneca * confirmat: *Qualis*, inquit, *ſermo meus eſſet, ſi unà ſederemus, aut ambularemus, illaboratus, & facilis: tales eſſe epiſtolas meas volo.* Plinius † eandem ob cauſſam, matronæ cujuſdam epiſtolam dilaudans, comparat illam Plauto, ac Terentio: ſed metro ſolutis. Artemo quoque, is qui Ariſtotelis epiſtolas collegit, & divulgavit, in eâdem planè ſententiâ fuit. Quippe autor eſt Demetrius, eum ſcripſiſſe, ὅτι δεῖ ἐν τῷ αὐτῷ τρόπῳ διάλογόν τε γράφειν καὶ ἐπιστολάς. εἶναι γὰρ τὴν ἐπιστολὴν οἷον τὸ ἕτερον μέρος τοῦ διαλόγου ‡. Paullùm tamen ab hâc ſententiâ abit Demetrius. Cujus judicio dialogus eum imitatur, qui ex tempore dicat: epiſtola autem aliquid curæ exigit, quia quaſi dono mittitur.

Supereſt compoſitio, quæ ut alibi in charactere exili, ita in epiſtolis quoque numerum verborumque ambitum aſpernatur. Quippe, ut idem Demetrius ait, γελοῖον περιοδεύειν, ὥσπερ οὐκ ἐπιστολήν, ἀλλὰ δίκην γράφοντα· καὶ οὐδὲ γελοῖον μόνον, ἀλλ' οὐδὲ φιλικόν ‡. Illæ tamen epiſtolæ aliquantùm aſſurgunt, quæ aut regibus mittuntur, aut civitatibus. Στοχαστέον * γὰρ καὶ τοῦ προσώπου, ᾧ γράφεται, ut idem ait. Quare non uſquequaque vera eſt eorum ſententia, qui ἁπλῶς negant, epiſtolam alium, quàm tenuem admittere characterem. Vide, quæ contra hanc opinionem diſſerit M. Antonius Majoragius in epiſtolicis

‡ Lib. 9. epiſt. 21.
* L. 1. ep. 1.
† In Jugurth.
‡ Præfat. epiſt.
‡ L. 1. ep. 1.
* Epiſt. 75.
† Lib. 1. epiſt. 16.
‡ Eodem modo debere dialogum conſcribi, & epiſtolam. nam epiſtolam eſſe quaſi alteram dialogi partem.
‡ Ridiculum enim eſt, verborum ambitu uti, tanquam non epiſtolam ſcriberes, ſed cauſſam judicialem: ac non ridiculum modò, ſed nec amicum.
* Attendere oportet & perſonam, cui ſcribitur

ſtolicis lib. II. cap. XI. At de ratione ſcribendi literas, vide ſis Nazianzeni epiſtolam CCIX, quæ ad Nicobulum.

V. De dialogo.

NEc epiſtolæ ſolùm, ſed etiam dialogi qui ſcribuntur, ſermonis familiaris ſimilitudinem habent. Itaque & his maximè convenit character tenuis. Cicero tamen quandoque utitur mediocri. Plato verò ad ſublimem ipſum aſſurgit. De quo pluribus mox dicam.

Res, quæ dialogis tractentur, tam latè patent, quàm philoſophia. Nam & de diſſerendi arte agunt, & de rerum naturâ, & de actionibus hominum, ſive ſingulos ſpectent, ſive familiam, ſive urbes ac imperia. Duplex enim ratio eſt, quâ philoſophi veteres in ſcribendo uti ſolent. Una eſt αὐτοπρόσωπος, altera διαλογική. In priori ex ſuâ quis loquitur perſona. In alterâ plures inducit loquentes. Prius illud ubique uſurpat Ariſtoteles: de iis loquor, quæ hodie habemus. Nam altero etiam genere uſum eſſe, indicio fuit dialogus Eudemus; qui de animo erat; ut conſtat ex Philopono. Plato gaudebat poſteriori genere. Et ſanè habet ille ſcribendi modus ſua commoda. Magis enim delectat, & multa ſunt, quæ duorum diſquiſitione meliùs, quàm unius expoſitione, tractentur.

Duæ autem ſunt dialogi partes: una eſt παρασκευή, ſive præparatio ſermonis, atque aditus ad præcipuum argumentum. Altera eſt ἀγών, ſive *contentio*. Prior reſpondet ædium veſtibulis, vel poëtarum prologis. Atque hìc exponitur, quando, ubi, à quibus, quâ occaſione ſermo habitus ſit. Eoque ut in toto dialogo, ita hìc videndum, quid veriſimile ſit, & decorum. Nunquam igitur inducendæ ſunt perſonæ aliæ, quàm gnaræ eorum, de quibus diſſeritur. Ideo Cicero in Academicis quæſtionibus, cùm priùs loquentes feciſſet Lucullum, & Catulum; poſtquam, Attico monente, vidit non cadere tam ſubtiles diſſertationes in iſtos viros, Varronem deinceps diſputantem de iis induxit. Debent & perſonæ eſſe eorundem temporum. In quo Plato aberravit non ſemel. Et vide, quid tanti viri auctoritas potuerit. Quia ille hoc neglexit, putarunt poſteriorum aliqui, minimè requiri, ut, qui colloquuntur, eodem tempore vixerint. Fuit in iſto errore Macrobius. Cujus hæc verba ſunt Saturnalium lib. I. cap. I. *Nec mihi fraudi ſit, ſi uni, aut alteri ex his, quos cœtus coëgit, matura ætas poſterior ſeculo Prætextati ſit, quod licitò fieri, Platonis dialogi teſtimonio ſunt. quippe Socrate ita Parmenides antiquior, ut hujus pueritia vix illius apprehenderit ſenectutem: & tamen inter illos de rebus arduis diſputatur. Inclutum dialogum Socrates habitâ cum Timæo diſputatione conſumit, quos conſtat eodem ſeculo non fuiſſe. Paralus verò, & Xantippus, quibus Pericles pater fuit, cùm Protagora apud Platonem diſſerunt ſecundo adventu Athenis morante; quos multo antè infamis illa peſtilentia Athenis abſumſerit. Annos ergo coëuntium mitti in digitos, exemplo Platonis nobis ſuffragante, non convenit.* Hæc Macrobius, alieno, ut retuli, errore deceptus.

Etiam, ut dicebamus, locus, & tempus, in conſiderationem veniunt. Nam magis veriſimilis fit ſermo, ſi & annus, & dies addatur, & locus ipſe. Ita veriſimilis dicit, qui ſenatorem ait in prædio de artibus & doctrinis diſſeruiſſe tempore feſti ac ludorum: aliena à vero dicat, qui ſermonem otioſè ab eo habitum fingat difficillimis Reip. temporibus, cùm ejus opera maximè in curiâ requireretur.

Porrò interdum à re ipſâ ordimur; interdum à ſimili, unde facilis tranſitus: interdum verò ab re alienâ. Ac tum videndum, ut commodè ab uno ad alterum deveniatur. Ut apud Platonem fit in libris πολιτειῶν*. Dicturus enim de uſu divitiarum, incipit à ſenectutis toleratione. Sed ad alterum commodè eò accedit, quòd divites faciliùs tolerent ſenectutem.

* *Lib.* I.

Præterea conſiderandum, cui principalis tribui debeat ſermo. Nec enim is eſſe penes imperitiorem aliquem debet. Qualis audiendi potiùs habeat partes. Ergo perſonæ ſpectanda ætas, doctrina, prudentia, dignitas; quæ omnia auctoritatem conciliant: unde eſt, quòd apud Platonem Socrates docendi habet partes. Nequis etiam ſe ipſum facit κωφὸν πρόσωπον*: neque in diſſerendo aliquem ſibi adverſantem inducat temere, aut levi ſanè argumento. Non enim ſic honori conſuleret alterius; ſed de eo triumphare voluiſſe videretur.

* *Mutam perſonam.*

Adhæc priuſquam ad ἀγῶνα, ſive contentionem, & cauſſam ipſam acceditur; ille, qui præcipuas ſuſtinet partes, modeſtè eſt rogandus, ut de re propoſitâ diſſerendi ſuſcipere velit provinciam; ne non tam perſuaſus ab aliis, quam ſponte ſuſcepiſſe eam videatur.

In contentione cuique materiæ accommodanda ſunt argumenta: quia non ubique eadem requiritur ſubtilitas; ſed quandoque ſufficit, ut probabilia dicantur. Rationibus miſceri debent varia orationis moratæ ſemina: item affectus hìc ciendi, aut ſedandi: amplificandum quoque, aut minuendum. Imò & ſalibus, ac facetiis ſuus eſt locus. Hiſce omnibus ſi oratio temperetur, futurum eſt, ut animus altercatione laſſus in oratione illâ morata, ac feſtivâ, velut apud hoſpitem bonum, quietem ſuam capiat: tantoque mox alacriùs redeat ad pugnam.

De dictione ſatis liquet ex iis, quæ de epiſtolis diximus. Plato quidem γοργίεια illa, & nova ac poëtica frequentat: ſed minori id cum gloriâ facit: imò dithyrambicis iſtis, ac poëticis, multùm obſcurat orationem. Nempe traxit hoc à ſophiſtis: à quibus cum virtutibus vitia quædam hauſit. Quod judicium de eo, ut dixi, Ariſtotelis quoque, ac Dionyſii fuit, uti & Olympiodori. Contrà nihil eo eſt elegantius, quando Socraticâ ſimplicitate contentus, haut altiùs ſe attollit, quàm dialogi natura permittit. Sed de dialogo plura qui volet, Carolum Sigonium † adeat, virum & eruditione, & judicio longè præſtantiſſimum.

*

† *Libro de dialogo.*

VI. De stylo sicco sive arido.

OPponitur tenui characteri dictio jejuna, ſive arida, ac ſicca. Quæ ſimiliter naſcitur è tribus, ſententiâ, verbo, & compoſitione. Sicca eſt ſententia, quæ imminuit rem. Ut ſi olim Romam quis appellaſſet Latii, vel etiam Italiæ caput, quæ rectiùs *caput orbis* dicebatur.

Verbum eſt ſiccum, quod non ſatis exprimit mentem dicentis. Ut in hoc: *Si Phalaris moleſtus fuit Agrigentinis.* Nec enim *moleſtia* vox ſatis eſt efficax ad ſignificandam ſævitiam. Ei tamen, qui Phalaridem defendere velit, uti liceat hujuſmodi ὑποκορισμῷ: quemadmodum liquet ex Ariſtotele lib. III. Rhetor. item iis, quæ de ταπεινώσει ſuperiori libro dicebamus.

Compoſitio ſicca eſt, ſi commata ſint frequentia: ut ſæpe fit apud Hippocratem: vel ſi periodi poſterius membrum importunè & intempeſtivè abſcindatur: ut apud Demetrium ex accuſatione Ariſtidis; quòd non veniſſet ad pugnam navalem prope Salamina: Ἀλλὰ ‡ αὐτόκλητος ἡ μὲν Δημήτηρ ἦλθε, καὶ συνεναυμάχει· Ἀριστείδης δ᾽ οὔ. Quod mutilum dicendi genus nec Tacitus ſemper effugit, ut monet Cæſar Scaliger in IV. de re poët. cap. XXIV.

‡ *At qui Ceres ſua ſponte venit, & nobiſcum pugnavit: Ariſtides autem non.*

De ſicco hoc & jejuno ſtylo ita ſcribit Cornificius: *Qui non poſſunt in illâ facetiſſimâ verborum attenuatione commodè verſari, veniunt ad aridum & exſangue genus orationis: quod non alienum eſt exile nominari. Cujuſmodi eſt hoc:* Nam *iſtic ad balneas acceſſit: ad hunc poſtea dixit, Hic tum ſervus me pulſavit. Poſtea dixit hic illi, Conſiderabo. Pòſt ille huic convicium fecit, & magis magiſque, præſentibus multis, clamavit.* Frivolus *hic quidem jam, & illiberalis eſt ſermo. Non enim adeptus eſt id, quod habet attenuata figura, puris verbis, & electis, compoſitam orationem.*

VII. De

VII. De ſtylo mediocri, et vitio ejus.

ÆQuabilis ſeu mediocris dicendi character, ut ex Theophraſto ſcribit Dionyſius Halicarnaſſenſis, à Thraſymacho Chalcedonio primùm eſt inſtitutus, inchoatuſque; à Platone verò atque Iſocrate expolitus; ac demum à Demoſthene conſummatus. Hoc dicendi genus, neque majeſtatem verborum habet, aut gravitatem illam ſententiarum, quæ in grandi eſt, neque eſt ſubtili ac preſſâ oratione limatum, aut facetum, florens, leviterque ornatum, cujuſmodi eſt genus humile: ſed in confinio grandiloqui, ac infimi, conſtitutum, mediocres ſententias lectiori ſermone deſignat, nec aſpernatur figuras, quibus genus tenue exſuperat; nec multum figuratum eſt, quo infra altiloquum ſubſidit. Rectè de eo ſtylo Tullius in Oratore: *Eſt interjectus, intermedius, & quaſi temperatus, nec acumine poſterioris, nec fulmine utens ſuperioris; vicinus amborum, in neutro excellens, utriuſque particeps, vel utriuſque (ſi verum quærimus) potiùs expers.* Itaque cujuſmodi in eo compoſitio, res, ac verba locum habeant; non difficile eſt cognoſcere ex iis, quæ de grandi ac tenui charactere diximus.

Mediocri generi opponitur fluctuans, & incertum. De quo ſic Cornificius: *Qui in mediocre genus orationis profecti ſunt, ſi pervenire eò non poterunt, errantes perveniunt ad confine genus ejus generis, quod appellamus fluctuans, & diſſolutum: eo quòd ſine nervis, & articulis, fluctuat huc, & illuc; nec poteſt confirmare, nec viriliter ſeſe expedire. Id eſt hujuſmodi:* SOCII *noſtri, cùm belligerare nobiſcum vellent, profectò ratiocinati eſſent etiam atque etiam, quid poſſent facere, ſiquidem ſuâ ſponte facerent, & non haberent hinc adjutores multos, & malos homines, & audaces. Solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt agere.* NON *poteſt hujuſmodi ſermo tenere attentum auditorem. diffluit enim totus, neque quicquam comprehendens perfectis verbis amplectitur.*

CAP. VI.

DE USU TRIPLICIS CHARACTERIS; ITEM DE DIVISIONE DICTIONIS IN ATTICAM, ASIATICAM, RHODIAM.

Oratoris eſt, diſpicere, tum quod genus dicendi cuique cauſſæ conducat: tum etiam, quomodo in eâdem oratione, atque opere, pro argumento variet character. Quocunque autem eorum uti viſum erit, potiùs imitabimur Atticos, quàm Rhodios; & hos, quàm Aſiaticos. Ex quibus Attici erant preſſi, Aſiatici redundantes; Rhodii preſſi minùs, quàm Attici; minùs redundantes, quàm Aſiatici.

I. De diverſitate characteris pro varietate, vel cauſſæ, in orationibus diverſis; vel argumenti, in cauſſa eadem.

CUm verba ſint ſigna rerum, oratoris eſt, rebus accommodare dictionem. Itaque cauſſam tenuem potiſſimùm decebit genus humile. In cauſſâ gravi utemur genere grandi. Mediocri convenit genus temperatum. Ita Cicero tenui genere utitur pro Quinctio, & Roſcio Comœdo. At ſtylum mediocrem uſurpat pro lege Maniliâ, pro Marcello, pro Cornelio Balbo, poſt reditum ad Quirites, & in Senatu. Sublimem adhibet pro Milone, inprimis in fine ejus, pro Rabirio, Catilinariâ II. Philipp. II. in Verrem, in Piſonem. Item Bucolicis magis conducit character tenuis; Georgicis medius; Æneïdi ſublimis. Quod tamen commodè capiendum, ut mox dicam. Comœdiis quoque tenuis character aptus; tragœdiis, ſublimis; hiſtoriis, mediocriis: quamquam Livius ſublimior ſit, humilior Cæſar. Sed hic non tam hiſtoriam, quàm commentarios ſcripſit: ut Cicero ait in Bruto. Eoſque facilè ac celeriter fecit, teſte Hirtio *; quo nemo id melius ſcire potuit.

Nec ſolum in diverſis cauſſis, diverſo utimur charactere: ſed, ut auctor eſt Fabius †, etiam in eâdem oratione genera diverſa locum habent. Siquidem orator ad conciliandum, mediocri; ad docendum, humili; ad concitandum, vehementi utitur charactere; ut ſuperiùs quoque diximus.

* *Lib 8. de Cæſaris bello Gallico.*
† *Lib. 12, cap. 10.*

Idem fit in carmine: ut ex divino poëtâ oſtendit Scaliger lib. IV. de re poëticâ cap. I. *Nam*, inquit, *imum genus in illâ, Quo te Mœri, pedes? mediocre, in Gallo; ſummum, in Sileno. Par ratio in Georgicis: imum, aratio, & ſatio; ſummum, in peſtilentiâ; mediocre, in fabulâ Ariſtæi. Simile judicium in Æneide: ſummum genus in ſecundo, in ſexto; imum in ludis; medium in primo.* Interim, quod idem optimè obſervat, *differunt Virgilianæ humilitates in ſublimi ab humilitatis, in humili, ſpecie. Sublimitas verò ab humilitate in Æneide non ſpecie, ſed modo tantùm, ac gradu, diſtant.*

II. De diſcrimine dictionis Atticæ, Rhodiæ, et Aſiaticæ.

AB hac verò diviſione characteris in ſublimem, tenuem, medium, diverſa eſt illa, in dicendi genus Atticum, Aſiaticum, & Rhodium. Quale unumquodque horum fuerit, malo veterum verbis explicare, quàm meis. Ac Tullius quidem de eo ſic loquitur in Bruto, ſive de claris oratoribus: *At verò extra Græciam magna dicendi ſtudia fuerunt: maximique huic laudi habiti honores illuſtre oratorum nomen reddiderunt. nam ut ſemel è Piræeo eloquentia evecta eſt, omnes peragravit inſulas, atque ità peregrinata totâ Aſiâ eſt, ut ſe externis oblineret moribus, omnemque illam ſalubritatem Atticæ dictionis quaſi ſanitatem perderet, ac loqui penè dediſceret. hinc Aſiatici oratores, non contemnendi quidem nec celeritate, nec copiâ; ſed parum preſſi, & nimis redundantes, Rhodii ſaniores, & Atticorum ſimiliores.* Idem Cicero in Oratore ad Brutum: *Semper oratorum eloquentiæ moderatrix fuit auditorum prudentia: omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamque, & ad eorum arbitrium, & nutum, totos ſe fingunt, & accommodant. Itaque Caria, & Phrygia, & Myſia, quòd minimè polita, minimèque elegantes ſunt, adſciverunt aptum ſuis auribus, opimum quoddam, & tanquam adipatæ dictionis genus; quod eorum vicini (non ita lato interjecto mari) Rhodii nunquam probaverunt; Græci autem multo minùs, Athenienſes verò funditùs repudiaverunt; quorum ſemper fuit prudens ſincerumque judicium, nihil ut poſſent niſi incorruptum audire, & elegans.* Quinctilianus lib. XII. cap. X: *Antiqua quidem illa diviſio inter Aſianos atque Atticos fuit: cùm hi preſſi, & integri; contrà inflati illi, & inanes haberentur: & in his nihil ſuperflueret; illis judicium maximè, ac modus, deeſſet. Quod quidam, quorum & Santra eſt, hoc putant accidiſſe, quòd paullatim ſermone Græco in proximas Aſiæ civitates influente, nondum ſatis periti loquendi, facundiam concupierint; ideoque ea, quæ propriè ſignari poterant, circuitu cœperint enunciare, ac deinde in eo perſeverarint. Mihi autem orationis differentiam feciſſe, & dicentium & audientium natura videntur: quòd Attici limati quidem, & emuncti, nihil inane aut redundans ferebant. Aſiana gens, tumidior alioquin & jactantior, vaniore etiam dicendi gloriâ inflata eſt. Tertium mox, qui hæc dividebant, adjecerunt genus Rhodium; quod velut medium*

eſſe, atque ex utroque mixtum volunt. Neque enim Attice preſſi, neque Aſiani ſunt abundantes; ut aliquid habere videantur gentis, aliquid auctoris. Æſchines enim, qui hunc exilio delegerat locum, intulit eo ſtudia Athenarum; quæ, velut ſata quædam cœlo terrâque degenerant, ſaporem illum Atticum peregrino miſcuerunt. Julius Severianus præfat. art. Rhet. *Proximè quærendum eſt, quo genere orationis uti debeat orator. Atticorumne nobis ſequenda ſit actio *, qui breves adſtrictique, & acres ſunt, pure inter res ipſas aculeoſque verſantes, quique affectum ex occulto petunt. An imitanda nobis ſit Aſianorum licentia, qui vagi, ac fuſi, rapere potius affectibus, quàm diſputationibus perſuadere, didicerunt.* SIT TAMEN *Romanus orator Aſiatico preſſior, Attico copioſior.* B. Hieronymus ad Ruſticum: *Aſiaticum tumorem Attico ſiccabant ſale.* Nec dubium, quin eodem ſpectet Petronii illud: *Nuper ventoſa iſthæc & enormis loquacitas Athenas ex Aſia commigravit, animoſque juvenum ad magna ſurgentes, veluti peſtilenti quodam ſidere, adflavit, ſimulque corrupta eloquentia regula ſtetit, & obmutuit.* Quæ verba vir eruditus eò referebat, quòd Alexander M. ſilentium impoſuerit oratoribus Atticis. Unde Seneca epiſt. XCIV: *Lacedæmona* (Alexander) *ſervire jubet, Athenas tacere.* Sed omnino Petronius quæritur, jam Atticos etiam Aſiaticum dicendi genus aſſumſiſſe. Nec tamen nullum inter Aſiaticos diſcrimen erat. Quam ſententiam ſatis refellit Tullius ipſe in Bruto ubi ſic ſcribit: *Genera Aſiaticæ dictionis duo ſunt. Unum ſententioſum, & argutum, ſententiis non tam gravibus & ſeveris, quàm concinnis, & venuſtis: qualis in hiſtoria Timæus; in dicendo autem pueris nobis Hierocles Alabandeus, magis etiam Menecles frater ejus fuit; quorum utriuſque orationes ſunt in primis, ut Aſiatico in genere, laudabiles. Aliud autem genus eſt, non tam ſententiis frequentatum, quàm verbis volucre, atque incitatum, quali eſt nunc Aſia tota; nec flumine ſolùm orationis, ſed etiam exornato & faceto genere verborum: in quo fuit Æſchylus Gnidius, & meus æqualis, Mileſius Æſchines. in his erat admirabilis orationis curſus; ornata ſententiarum concinnitas non erat.*

[* Fort. leg. dictio.]

Etſi autem Attica dictio longè Aſiaticæ præſtet; non tamen hæc in adoleſcentiâ improbatur. Cujus cauſſa eſt, quòd paulatim luxuries illa Aſiatica, judicii falce reſecetur. Sin etiam in adulto luxuries ea remaneat, ſanè quæ venia adoleſcenti dabatur, non item dabitur adulto. Scitè eâ de re Tullius ibidem: *Si quærimus, cur adoleſcens magis floruerit dicendo, quàm ſenior Hortenſius: cauſſas reperiemus veriſſimas duas. primùm, quòd genus erat orationis Aſiaticum, adoleſcentiæ magis conceſſum, quàm ſenectuti.* Inde commemorat, quæ de duobus Aſiaticæ dictionis generibus attuli. Iis continuò ſubjungit: *Hæc, ut dixi, genera dicendi aptiora ſunt adoleſcentibus; in ſenibus gravitatem non habent.* Et mox: *Erat excellens judicio vulgi, & facilè primas tenebat adoleſcens. etſi enim genus illud dicendi auctoritatis habebat parum, tamen aptum eſſe ætati videbatur. Et certè: quod & ingenii quædam forma lucebat, & exercitatione perfecta erat, verborumque adſtricta comprehenſio; ſummam hominum admirationem excitabat. Sed cùm jam honores, & illa ſenior auctoritas, gravius quiddam requireret; remanebat idem, nec decebat idem.*

Cùm autem Attici fuerint adſtricti, Aſiatici redundantes: non immeritò quæritur, his, an illis, accenſeri Tullius debeat. Sanè à Bruto, atque aliis, ut Aſiaticum, reprehenſum eſſe conſtat. Sed parum credibile eſt, ſummum oratorem id dicendi genus ſecutum, quod ubique improbaret. At verius, eos, quibus Lyſias in deliciis erat, Aſiaticos vocâſſe qui ab hoc dictionis genere longiùs abeſſent. Quorum errorem abunde refellit Fabius lib. XII. cap. X. Siquidem hoc pacto, non dico Iſocrates, ſed nec Æſchines, nec Demoſthenes, Attici dicerentur. Sunt enim Lyſiæ admodum diſſimiles. Quare fatendum eſt, varia eſſe genera eorum, qui Atticè dicerent, eoſque omnes Atticè dicere, qui aliquo eorum generum optimè dixerint. Nec tamen diffitebor, Cicerone magis Atticum videri Salluſtium: ut qui nobis expreſſerit Thucydidem; cujus æmulum fuiſſe, etiam apud Velleium * legere eſt. Nec Quinctilianus † *Thucydidi opponere Salluſtium* veretur. Imò, ut M. Seneca ‡ ait, *cum ſit præcipua in Thucydide virtus brevitas, hâc eum Salluſtius vicit, & in ſuis eum caſtris cecidit.* Atqui Thucydides inter Atticos habetur primus. Unde & eum potiſſimùm ſibi imitandum propoſuit Demoſthenes. Sanè quàm diligens fuerit Thucydidis imitator, cùm tam multa indicant, quæ Pæanienſis ille orator ex Thucydide deſumſit; tum quòd eum octies ‖ (μνημονικῷ ἁμαρτήματι Turnebus decies *, alius † ſepties ait) ſuâ manu deſcripſerit: ut neceſſe non habeamus, in partes advocare Arſenium, Monembaſiæ epiſcopum, qui in apophthegmatis Græcis, ex auctore neſcio quo, ſcribit, *ὅτι ποτὲ καείσης τῆς βιβλιοθήκης ἐν Ἀθήναις, καὶ συγκαείσης τῆς ἱστορίας Θουκυδίδου, αὐτὸν μόνον ἀπομνημονεύσαντα πᾶσαν, καὶ οὕτω μεταγραφῆναι ποιῆσαι. Athenienſi bibliothecâ incenſâ, in quâ Thucydidæ adſervabatur hiſtoria, unum Demoſthenem, cùm tam memoriâ teneret, hanc deſcribendam curâſſe.* Parum fidei huic narrationi habendum, mihi quidem non arbitrarium, ſed multo certiſſimum eſt. Interim hoc quoque indicio eſt, quàm ſtudioſè Thucydidem à Demoſthene lectitatum fuiſſe, Græci ipſi judicarint. At Demoſthene nec Athenas magis fuiſſe Atticas, ipſe agnoſcit Tullius. Sed & Calvum magis Atticum, ac Demoſtheni fuiſſe ſimiliorem, quàm Ciceronem, Marci Senecæ, & junioris Plinii auctoritate, oſtendit Adr. Turnebus lib. XXVIII. Adverſ. cap. XXII. Verùm non ‖ Salluſtius, aut Calvus, magis Attici fuerint Tullio: eo Tullius Aſiaticis ſit aggregandus. Nam inter Atticos, & Aſiaticos, Rhodii fuere medii, ut antè vidimus. Etiam Julii Severiani verba, paullo antè memorata, occurrant: *Sit* ROMANUS *orator Aſiatico preſſior, Attico copioſior.*

[* Lib. I. † L. 10. c. 1. ‡ Lib. 9. controv. 1. ‖ Lucianus περὶ ἀπαιδεύτου. * Lib. 18. Adv. cap. 22. † Rob. Titius lib. 4. aſſertionum cap. 5.]

CAPUT VII.

DE SENTENTIA EORUM, QUI QUATUOR STATUUNT CHARACTERES. AC INPRIMIS DE REBUS, VERBIS, ET COMPOSITIONE, PARTIM IN FLORIDO, PARTIM IN GRAVI GENERE DICENDI, SECUNDUM DEMETRIUM: ITEM DE SEPTEM IDEIS, ET EARUM PARTIBUS, JUXTA HERMOGENEM.

Vidimus de tribus dicendi generibus, ſublimi, tenui, medio: item Attico, Aſiatico, Rhodio. At ſunt, qui quatuor ſtatuant genera dicendi: copioſum, breve, ſiccum, & pingue. Sed longitudo, & brevitas, accidunt omni characteri: ſiccum, & pingue, ſunt exceſſus ſtyli ſublimis, & tenuis. Pingue enim eſt ſublime, ſed tumidum. Siccum eſt tenue, ſed aridum.

Demetrius etiam quatuor characteres poſuit: ſublimem, tenuem, floridum, & gravem. Sed floridum affectio eſt cujuſvis characteris; uti gravitas, grandis.

Interim affectionum quoque naturam ſcire opus: eoque expedit noſſe, cujuſmodi utrobique res ſint, verba, ac compoſitio; de quibus præclarè Demetrius.

Nec ſeptem Hermogenis ideæ ſunt novi characteres, ſed trium characterum affectiones.

Affectiones iſtæ partim in omni ſunt oratione neceſſariæ, partim aliter ſe habent. Prioris generis ſunt perſpicuitas, & pulchritudo: poſterioris, magnitudo, celeritas, & mores. At veritas ſub moratâ oratione comprehenditur. Vis dicendi reſultat ex recto aliarum affectionum uſu.

In

In iis verò omnibus conſideranda ſunt hæc ſeptem: ſententia, methodus, dictio, figura, cola, compoſitio, & clauſula.

I. De eorum opinione, qui genera dicendi ſunt, copioſum, breve, ſiccum, et pingue.

NUnc eorum etiam ſententias expendamus, qui plures tribus characteres ſtatuerunt. Uti Macrobius fecit lib. v. Saturn. cap. 1. *Quatuor ſunt genera dicendi: copioſum, in quo Cicero dominatur: breve, in quo Salluſtius regnat: ſiccum, quod Frontoni adſcribitur: pingue & floridum, in quo Plinius Secundus quondam, & nunc, nullo veterum minor noſter Symmachus luxuriatur.* Pingue & floridum genus poſtea ſecutus eſt Sidonius Apollinaris: ut ſiccum, quod Frontoni placuerat, Julius Titianus. Hoc cognoſcimus ex verbis ipſius Sidonii lib. 1. epiſt. 1. Eorum mentem non ſatis intellexit Barthius Adverſar. lib. XLVII. cap. IX. Quid verò mihi potiùs de iis videatur, expoſui lib. II. de Hiſtoricis Latinis cap. 1. Quæ nunc non repetam.

Quod autem ad τετραχοτομίαν illam attinet, eam eſſe vitioſam, arguit, quòd membra illius concurrant. Nam cùm priora duo reſpiciant quantitatem, breve nimirum, & longum, ſive copioſum: duo poſteriora ſpectent qualitatem, puta ſiccum, & pingue: nihil impedit, quò minùs, & ſiccum, & pingue genus, nunc breve ſit, nunc copioſum; & utrumque horum nunc ſiccum ſit, nunc pingue. Adde quòd genus ſiccum, & pingue, non ſint veri characteres, ſed vitia eorum. Nam tenuis ſtyli vitium eſt ſiccum & aridum; grandis autem, tumidum ac pingue; ut ſuperiùs vidimus.

II. An recte Demetrius ſtatuat characterem floridum, et gravem.

ETiam Demetrius quatuor facit characteres: nimirum, μεγαλοπρεπῆ *, ἰσχνὸν, γλαφυρὸν, & δεινόν. Sed ſi hanc quoque diviſionem curatiùs expendamus, cognoſcemus, eam peccare trifariam. Primò enim omittit characterem mediocrem ſive temperatum. Deinde γλαφυρὸν † characterem facit, cùm ſit affectio tribus characteribus communis. Denique τὸ δεινὸν ‡ fruſtra addit, cùm ſit grandis characteris pars ſive affectus. De ἀνθηρῷ *, ſive γλαφυρῷ, idem ac Demetrius ſenſiſſe videtur Fabius lib. XII. ubi hoc genus putat eſſe interjectum inter ἰσχνὸν, ſive tenue, & ἁδρὸν, ſive grande. Quamquam is non tam in re, quàm in voce peccat; cùm haut aliud ſignet genus, quàm æquabile. Propriè verò ſi ſumas, affectio fuerit, quæ characteribus miſceatur. Audiamus Proclum in chreſtomathiâ poëticâ: Ἀνθηρὸν δὲ καθ' ἰδίαν οὐκ ἔστι πλάσμα, ἀλλὰ συνεκφέρεται, καὶ συμμέμικται τοῖς εἰρημένοις. *Floridum per ſe non eſt dicendi genus; ſed iis, quæ diximus, commiſtum ſimul effertur.*

Ac quidem, quod de charactere ornato ac gravi diximus, vel ex ipſo Demetrio adſtrui poteſt. Nam ornatam ideam cum magnificâ ac tenui miſceri ait: itidemque conjungi fatetur gravem, tum cum magnificâ, tum cum tenui: ſolum verò magnificum ac tenuem characterem negat permiſceri, ſed alterum alteri vult eſſe contrarium. At ſi veræ ſint omnes unius generis ſpecies, eas ἀντιδιῃρημένας † eſſe neceſſe eſt, ne, quod dicitur, adpoſitum ſit in oppoſito. Verùm Demetrius hanc rationem ridiculam appellat; ridiculè ſanè; quemadmodum & adeò frigidè ad eam reſpondet, ut Neronianas quoque thermas refrigerare ejus poſſit oratio. Neque enim oſtendit, ſpecies, quæ commiſcentur, poſſe diverſos conſtituere characteres, ὅπερ ἔδει δεῖξαι ‡, verùm docet, eas conjungi ac commiſceri poſſe; quod οὐδὲν πρὸς ἔπος ↓, atque adeò à nobis potiùs, quàm Demetrio, facit.

* Magnificum, tenuem, floridum, ac gravem.
† Floridum.
‡ Gravem.
* Floridum.
† Oppoſitas.
‡ Quod demonſtrare oportuit.
↓ Nihil ad rem.

III. Quotuplex ſit venuſtas.

UTcunque verò, cùm Demetrius venuſtatem, & gravitatem, à magnifico, medio, ac tenui ſtylo characteres facit diverſos, affectiones cum characteribus confundat: non tamen eo minoris cenſenda ſunt, quæ de utràque illâ affectione præcepit. Siquidem, ad perfectam cujuſque rei intelligentiam, etiam affectionum notitia opus eſt. Quare præcipua eorum, quæ de utràque illâ à Demetrio prodita ſunt, proximè ſubjiciam, ac compluria, quæ lucem iis fœnerent, miſcebo. Longior eram futurus, niſi, poſtquam de Demetrio dixerimus, animus foret agere de ideis Hermogenis: ubi non pauca itidem afferam, quæ Demetrio etiam alluceant facem. Nunc ab iis, quæ de venuſtate tradidit Demetrius, initium eſto.

Venuſtas eſt duplex: quædam levior, quæ Comicis etiam convenit: gravior altera, grandiorque, quâ & Epici utuntur. Levioris unde exempla petantur, Demetrius docet his verbis: οἷον αἱ Ἀριστοτέλους χάριτες, καὶ Σώφρονος, καὶ Λυσίου. *Cujuſmodi ſunt venuſtè ac feſtivè dicta Ariſtotelis, & Sophronis, & Lyſiæ.* Verùm Ariſtoteli hîc non eſt locus; etſi hoc nomen legatur in Florentinâ Victorii editione, & Pariſinâ Morellii. Planeque (ut primus obſervavit Franciſcus Maſſovius, qui Latinè Demetrium reddidit) Ἀριστοφάνους legendum; quo Comico nihil eſt feſtivius. Utinam modò non ſalibus ſuis ſic eſſet abuſus in ridendo Socrate, viro infinitis partibus ſe meliore. Subjicit deinde Demetrius Sophronis Syracuſani mimos. Quorum & Ariſtoteles meminit in primo de re Poëtica. Item Pollux *, Athenæus †, atque alii. Tanti verò eos fecit Plato, ut non ſolùm è Siciliâ primus in Græciam inveheret; ſed etiam, cùm moreretur, habuerit capiti ſuppoſitos: uti Valerius Max. ‡ ac Fabius Quinctilianus ↓ ſunt auctores. Plura cùm de Sophrone hoc, tum de mimis, attulimus in ſecundo de Arte Poëtica. Tertius, quem memoret Demetrius, eſt Lyſias orator: ex cujus oratione contra Æſchinem Socraticum, non à Demetrio ſolùm, ſed etiam Athenæo, extremo ἐρωτικῷ, ſive libri tertiidecimi, refertur hoc de vetulâ Æſchinis amaſiâ: ἧς ῥᾷον τοὺς ὀδόντας ἀριθμῆσαι, ἢ τοὺς χειρὸς τοὺς δακτύλους· *cujus faciliùs dentes numerare poſſis, quàm manûs digitos.* Alterum etiam Demetrius exemplum ſubjungit, Ὅσας ἄξιος ἦν λαβεῖν πληγὰς, τοσαύτας εἴληφε δραχμάς. *Quot dignus erat accipere plagas, tot accepit drachmas.*

* Lib. 10. cap. 20.
† Lib. 8.
‡ Lib. 8. cap. 7.
↓ Lib. 1. cap. 17.

Major verò grandiorque venuſtas, vel ad dignitatem, atque amplitudinem adhibetur, vel ad exacerbandum. Prioris generis eſt hoc primo Æneidos:

At Venus Aſcanio placidam per membra quietem
Irrigat, & fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos: ubi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aſpirans complectitur umbrâ.

Huc pertinet, cùm Homerus in ſexto Ulyſſeæ Nauſicaam comparat Dianæ: quod Maro imitatus Didoni accommodat primo Æneidos: infeliciter quidem, ut ex Valerio Probo Agellius tradidit lib. IX. cap. IX. at rectè, ſciteque, ut judicat acutus talium cenſor Cæſar Scaliger.

Poſterior eſt terribilis, & ἐμφατική: ut quando Homerus Polyphemum, donum hoſpitale Ulyſſi parantem, ſic loquentem inducit *:

Οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἑτάροισι,
Τοὺς δ' ἄλλους πρόσθεν· τόδε τοι ξεινήιον ἔσται †.

Nam lepôre iſtoc apertè adeò immanitatem Polyphemi ob oculos ponit, ut clariùs non potuerit. Paris venuſtatis exemplum habemus apud Xenophontem. Nam in ſexto Ἀναβάσεως, cum Græci apud eum induxiſſent mulierem, quæ pyrricham ſaltaret: interrogaſſe ait Paphlagonum legatum, num Græci etiam mulieres belli ſocias haberent: at reſpondiſſe Græcorum quendam, has eſſe, quæ regem eorum, relictis caſtris, fugere coëgiſſent. Duplex enim ex venuſtate eâ provenit acrimonia; una quidem inde,

* Iliad. ι. verſ. 369.
† Utin, ſeu Neminem, ego poſtremum comedam poſt ſuos ſocios: Alios quidem prius: hoc tibi hoſpitale munus erit.

quòd Græcorum mulieres non forent è mulierum vulgo, ſed quaſi Amazones: altera autem, quòd ea eſſet imbellia ac infirmitas Paphlagonum Regis, ut feminæ quoque eum adegerint ad fugam capeſſendam, ſi ſaluti ſuæ conſultum cuperet.

Præterea Veneres diſpeſcuntur in eas, quæ inſunt rebus ipſis, quæque in tractatione poſitæ ſunt, vel in utroque. Rerum ipſarum venuſtas eſt, ſi loquamur de amoribus, conviviis, choreis, hortis, & aliis id genus: quæ venuſta forent, licet ab Hipponacte, poëta aſpero, ac virulento, proferrentur. Nam quis unquam Hymenæum cecinit iratus? aut ex Cupidine fecit Erynnyn, aut ex riſu ploratum.

Tractationis eſt venuſtas, cùm rebus naturâ injucundis, atque odioſis, quædam conciliatur delectatio. Cujus artificii ſcitum nobis exemplum præbet Xenophon lib. II. Κύρου παιδείας. Ut qui etiam in Aglaitada Perſa, homine prorſus inficeto, atque illepido, lepidum quid ac facetum repererit, cùm ait: Ῥᾷον ἐστι πῦρ ἐκτρίψαι ἀπὸ σοῦ, ἢ γέλωτα. *Facilius ſit ex te ignem excudere, quàm riſum.*

At tum naturâ, tum tractandi ratione, venuſtum eſt illud Homericum, Odyſſ. τ.

> Ὡς δ᾽ ὅτε * Πανδαρέου κούρη Χλωρηῒς ἀηδὼν
> Καλὸν ἀείδῃσιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο,
> Δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσι &c.

** Sicut verò, quando Pandarei filia Chloreis luſcinia Bene canit, vere recens, Arborum in ſoliis ſedens denſis &c.*

Ubi à natura rei eſt jucunditas, cùm memorantur ver, & luſcinia. At à tractatione eſt, cùm luſcinia vocatur *Pandarei filia* (Pandionis alii dicunt:) item cùm *Chloreis* dicitur, h. e. propago Chloridos nymphæ, Zephyro nuptæ, unde *Zephyritis* appellatur à Catullo, carm. de Coma Beronices. Atque hæc venuſtas etiam ſe offert in Maronis iſtoc †, quod ex Homerico illo expreſſum videtur:

> *Qualis populeâ mærens Philomela ſub umbrâ*
> *Amiſſos queritur fœtus.*

† 4 Georg. verſ. 511.

IV. De sententiis venustæ orationis.

Vidimus varia venuſtatis genera: nunc explicabo, quomodo tractationis artificio venuſta reddatur oratio. Conſiſtunt Veneres iſtæ in his tribus; ſententiis, locutione, & compoſitione. Sententiarum venuſtas oritur è quinque locis.

Primus eſt è proverbiis: unde & Sophron quandoque tria accumulat adagia, ut ſic augeat venuſtatem, ac lepores.

Alter eſt è fabula, ſeu vetere, ſeu novâ. Veteris exemplum apud Ariſtotelem habemus in nono Animalium libro cap. XXXII.* ubi, cur aquila, ſenio confecta, fame pereat, hanc reddit rationem, quòd cùm homo ſoret, hoſpites ſoleat injuriâ afficere. Novæ exemplum tale. Quidam, cùm retuliſſet de fele, pro Lunæ eam incremento, ac decremento, gliſcere, vel extenuari, (quod de oculis ſolis alii † prodidere) ſubjecit, hoc occaſionem præbuiſſe fabulæ, quâ Luna dicitur felem peperiſſe. Omnino enim lepidum eſt quiddam, felem dicere Lunæ prolem; quaſi Belga vocet eam *manekent*. Simile eſt, quod ex Simonide relatum Zenodoto, ut Eraſmus nuncupat, vel Zenobio ‡ potiùs, & Suidæ, de origine proverbii, quod eſt de riſu Sardonio; fuiſſe olim virum ex ære à Vulcano fabrefactum, nomine Talum; quem cùm Sardi prohiberent in Cretam proficiſci, in ignem inſiluiſſe, pectorique admoviſſe Sardos: eos verò, cùm calore æris ringerentur, ridentibus ſimiles in complexu ejus periiſſe. Sed hæc fabula etiam horrorem incutere idonea eſt.

** Sive, ex diſtinct. Cæſaris Scaligeri, cap 41. ſect. 215.*

† Agellius lib. 20. cap. 8.

‡ Centur. 5 proverb. 85.

Tertius locus eſt ex timore immutato, cùm metus inanis vertitur in riſum. Ut ſiquis, cingulum videns, ſerpentem putârit, aut ſi, conſpecto clibano, crediderit eſſe hiatum terræ. Cujuſmodi comœdiis conveniunt.

Quartus eſt locus ex imaginibus. Ut cùm Ariſtophanes in Avibus gallum gallinaceum eſſe ſimilem ait Medorum regi: ac regi quidem, quia is purpurâ eſt indutus; ſimiliterque gallus ſit purpureus: vel quia mane, canente gallo, de lecto deſilimus, haut ſecus, ac clamante rege, metuimus nobis. Regi verò Medorum eum confert, quia avis hæc criſtam gerat erectam, haut ſecus ac Medorum rex eo differat à principibus viris, quod ipſe κυρβασίαν ſive tiaram geſtet ὀρθὴν, h. e. rectam, ſive in ſublime erectam; cæteri verò ferant κατεβαλκυῖαν, ſive κεκλιμένην, h. e. inflexam, ſive deorſum vergentem. Quod diſcrimen ſtatuunt, præter Ariſtophanem, Xenophon lib. II. & VIII. Ἀναβάσεως Κύρου, & Plutarchus lib. περὶ φιλαδελφίας, & II. de Fortun. Alex. Ut mittam Dionem Chryſoſtomum, Lucianum, Eunapium Heſychium, & Suidam: quorum verba legas apud Briſſonium in primo de Regno Perſarum.

Quintus eſt locus ex hyperbolis, non tamen quibuſlibet. Quædam enim magis ſunt ridiculæ, quàm venuſtæ. Qualis illa, quando Ariſtophanes, ingluviem Perſarum ſugillans, refert, eos in furno aſſâſſe boves pro panibus: vel cùm alius ait, Medocem, Thracum regem, bovem in mala integrum geſtaſſe. Quæ, ut invenuſta, ſic frigida eſſe, eoque magnifico etiam ſtylo adverſari, dicebamus libri hujus cap. IV. ſect. III. At hyperbolæ iſtæ verè ſunt venuſtæ, non item ridiculæ, quibus gaudet Sappho: ut, *auro magis aurea*, & ſimiles.

Ut verò meliùs diſtinguantur hyperbolæ venuſtæ à ridiculis: opera erit exponere, quantum diſtet ridiculum venuſto.

Ac primùm differunt hæc materiâ. Quæ in venuſto fuerint Nympharum horti, & Cupidines. Neque enim iſta ridemus. Sed riſui materiam præbent Irus, & Therſites; in quibus eſt deformitas ſine dolore, aut admiratione.

Præterea diſcrepant dictione: quæ in venuſtis eſt pulcra; in ridiculis humilis, ac vulgaris. Nam, in expoliendis ridiculis operam inſumere, tantumdem eſt, ac ſimiam exornare. Hac parte præit nobis Sappho: quæ planè ſuavi utitur dictione: ac Cupidines, aëra, halcyones, & alia id genus inſerit orationi. Contra, quando irridet ſponſum agreſtem, & janitorem in nuptiis verſantem, verba adhibet humilia, magiſque pedeſtria, quàm poëtica, ſic ut nequeant accommodari ad lyram, vel chorum canentium, ſed exigatur chorus ſive multitudo loquentium.

Adhæc diſcrimen eſt ratione voluntatis, ac finis, ſive effectus. Nam venuſta propoſitam habent delectationem: eam conſequitur laus. At qui ex ſcurrilibus captat riſum, rideri ipſe, ac eſſe contemtui meretur: nec videtur deſpectum illum recuſare, qui ſuos ſic componit mores.

Denique locis ſeparantur. Ridicula comœdiis, mimis, ac ſatyris conveniunt: tragœdiis nihil æquè inimicum. Atque hæc de venuſtæ orationis ſententiis.

V. De verbis venusti sermonis.

Priuſquam verò exponamus, cujuſmodi verba orationi adferant venuſtatem, diſtinguendum inter ea, quæ Grammaticis venuſta dicuntur, quæque hujuſmodi ſunt ſecundùm Muſicos. Grammaticis, uti & Theophraſto, hoc nomine vocantur, quæ ſignificant res adſpectu jucundas: ut *floriferum*, & *auricomum*. Vel gratas auditu, ut *medulla*, *hinnulus*, *perennis*: quæ aures demulcent ob concurſum liquidarum LL, vel NN. Vel denique quæ, ſignificandi modo id molliunt, quod foret ingratius, ſi propriè magis diceretur: ut *ſenex* pro decrepito; *matrona*, pro vetula. At Muſicis dulcia ſunt, tum verba λεῖα, levia, ut *Eous*: tum τραχέα, aſpera; ut *murmur*: tum ἀπηχῆ, compacta, ut *bomicare*: tum ὀγκηρὰ, tumida: quæ in tribus conſiſtunt, πλάτει, μήκει, πλάσματι, longitudine, latitudine, fictione: velut βροντὰ*, pro βροντή: quod præter fictionem (eſt enim

** Tonitru.*

enim à ſono factum) tum longitudinem habet ex ſyllabis longis; tum latitudinem ex Doriſmo. Dores enim verbis gaudent latis, ſonique agreſtis: unde de Doricis mulieribus ſic Theocritus Idyll. xv:

Τρυγόνες ἐκκναισεῦντι πλατειάσδοισαι ἅπαντα *.

Ubi ſcholiaſtes *πλατειάσδοισαι* interpretatur *Δωρίζουσι*. Nam inquit: *οἱ Δωριεῖς πλατυστομοῦσι, τὸ Α πλεονάζοντες* †. Atque hoc in cauſſa eſt, cur Græci in Comœdiis, ſalſè aliquem riſuri, non Atticâ id faciant dialecto, ſed Doricâ. Nempe habet lingua Attica præ dialectorum cæteris quiddam dictis conveniens urbanis.

* *Sicut columbæ obtuse ſtridentes, ore diducto omnia pronunciantes.*

† *Dores enim lato diductoque ore pronunciant, vocalem A ſupra modum frequentantes.*

Porrò ex generibus hiſce Muſicis elegantiam afferunt ſermoni verba levia: nec compacta prorſus improbantur. Theophraſto autem univerſa hæc ad orationis conferunt venuſtatem.

Hunc jam particulatim magis exponam, quibus verborum generibus ſermo reddatur ſuavis, ac venuſtus. Sunt ea numero xiv.

Primus eſt locus verbis conciſis: hoc eſt, quando paucis effertur quod, ſi pluribus diceretur, invenuſtius foret. Exemplum ſuggerit Xenophon. lib. iii. *Ἀναβάσεως*, narratione de Apollonide Bœoto. Cùm enim memorâſſet, quomodo Agaſias Stymphalius ei exprobrâſſet, quòd nec Græcus foret; ut qui aures haberet perforatas, ſive annulatas, more Lydorum, (Afrorum * etiam addere potuerat) verè, quòd dicitur, tribus verbis ſubjungit, *καὶ εἶχεν οὕτως*. *Et ſic erat.* Quanto hoc, paucis adeò, non verbis modò, ſed etiam ſyllabis, comprehenſum, venuſtius eſt, ac lepidius, quàm ſi ſic pluribus extuliſſet: *Ac, quod ab Agaſia dicebatur, de auribus ejus perforatis, id ſe prorſus ſic habebat.* Atque huc Demetrius etiam refert *ἀλληγορίαν*, ſive orationem res duas ſignificantem. Quale eſt, cùm Amazon dicitur zonâ dormiiſſe non ſolutâ. Nec enim ſolùm ſignificatur, quòd verba indicant propriè ſumta: ſed præterea per *μετωνυμίαν*, ſive *μετάληψιν* antecedentis, indicatur, adhuc eſſe virginem, non verò *λυσίζωνον* †. Nam non Latinis modò, uti Catullo epigr. ii; ſed ſubinde etiam Græcis, ſicuti de Theocrito, & Apollonio, Scaligero oſtenſum ‡, eæ, quibus virginitas violatur, zonam ſolvere dicuntur.

* *Plautus Pœnul. act. 5. ſc. 2.*

† *Quæ zonam ſolviſſet.*

‡ *Ad Catulli epigr. 2.*

Alter eſt locus ab ordine verborum. Ut apud Xenophontem de Cyro Rege, Syenneſium cum muneribus à ſe dimittente. Quippe ait, dediſſe illi, & munera, & equum, & tunicam, & torquem, & agrum non ampliùs diripi. Nam periiſſet venuſtas, ſi poſtremum donum, quod planè erat inuſitatum, initio, aut medio, collocâſſet.

Tertius anadiploſi locus datur. Utcunque enim hæc figura ſæpius conferat ad vehementiam, atque acerbitatem: lepidiſſima tamen Sappho hac uti figurâ novit ad venuſtatem. Uti liquet exemplo, quod ſuperiori libro cap. iii. ſect. vii. adducebamus. Prius ſponſam inducit dicentem: *Virginitas, virginitas, quò me relictâ abis?* Ac deinde virginitas apud eandem reſpondet, *Non amplius veniam ad te, non ad te amplius veniam.* Venuſtatem hujus dicti non ſatis aſſecutus eſt Petrus Victorius, cùm *Παρθενία* proprium feminæ nomen eſſe arbitratur. Nec enim ſponſa alloquitur feminam morientem: quod doctiſſimus ille vir putavit: ſed ſuam affatur virginitatem, ſponſo jamjam libandam.

Quartus locus eſto anaphoræ. Ut in illo ejuſdem Sapphus: *Ἕσπερε, πάντα φέρεις, φέρεις οἶνον, φέρεις αἶγα, φέρεις ματέρι παῖδα* *. Ubi præcipua eſt venuſtas ex repetitione verbi.

* *Veſper, omnia fers, fers vinum, fers capram, fers matri filium.*

Quinctus eſt locus verbis quæ de ſuo in alienum domicilium immigrarunt. Ut *flos ætatis*, *ocellus Italiæ*. Hermogenes huc etiam refert id apoſtrophes genus, quod ad res fit inanimas. Hujuſmodi eſt illud Plautinum Curcul. act. i. ſc. ii:

Peſſuli, heus peſſuli, vos ſaluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto, atque obſecro.
Gerite amanti mihi morem, amœniſſimi:
Fite cauſſâ meâ Lydi barbari:
Suſſilite obſecro, & mittite iſtanc foras,
Quæ mihi miſero amanti ebibit ſanguinem.

Sed in eo deceptus eſt Hermogenes, quod apoſtrophen inter ſchemata *λέξεως* reponeret. De quo dictum nobis lib. v. cap. vii. ſect. iii.

Sextus eſt locus compoſitis; etiam dithyrambicis. Ut illo ad Ditem Patrem: *Δέσποτα Πλούτων, μελανοπτέρυγον* *Domine Pluto, nigraliger.* h. e. nigris alis prædite. Vel ut codices alii, *μεγαλοπτέρυγον* *magnaliger.* h. e. magnas alas gerens. Simile eſt Homericum *πτολίπορθος*. Quod expreſſit Plautus Milite Glorioſo act. iv. ſc. ii:

Exprome benignum ex te ingenium, urbicape, occiſor regum.

Talia comœdiis & ſatyris maximè convenire, ait Demetrius.

Septimus eſt locus iis, quæ Demetrius vocat *ἰδιωτικὰ ὀνόματα*, h. e. vulgaribus verbis, ſive è plebe hauſtis. Ubi videndum, ut tempeſtivè uſurpentur. Tale eſt *μονώτης*, pro homine ſolitario, apud Ariſtotelem in Nicomachiis *. Atque ab eodem in Hiſtoria Animalium lib. ix. cap. xl †, apibus migraturis tribuitur *φωνὴ μονώτης, καὶ ἴδιος*, quod Gaza tranſtulit, *vox ſolitaria, & peculiaris*: Cæſar Scaliger rectiùs, *vox ſingularis, ac certa.* Nec enim hoc vult philoſophus, æquale eſſe apium migrantium murmur: cùm non minùs bombi tum differant, quam in agmine hominum omnis ætatis, voces inter ſe diſtant: ſed ſententia eſt, migrantes edere vocem ſingularem, ac diſcrepantem planè ab ea, quam alio edunt tempore. Hujuſmodi *ἰδιωτικὰ*, ſive vulgaria, è Latinis adduximus lib. iv. cap. i. ſect. v. Apud Plautum quidem multa habemus talia: ſed quando loquentes inducit ſervos, lenones, paraſitos: ut in talium delectu ſit magno opus judicio. Ad hoc genus refero quoque ficta, quæ Græcis *ὀνοματοπεποιημένα*. Magnificentiam gignere dicebamus in ſublimi charactere. Sed hoc non impedit, quo minùs eadem pariant venuſtatem.

* *Lib. 1. cap. 8 & lib. 8. c. 5.*

† *Ex diſtinct. Cæſaris Scaligeri cap. 64. ſect. 357.*

Octavus eſto locus illis ex uſurpatione, ſive, ut Demetrius inquit, *τοῖς παρὰ τὴν θέσιν*, hoc eſt, nominibus præter conſuetudinem ad aliud genus applicatis. Ut ſi pſittacum dicam adulari adulatoribus. Quippe in avem ludens, velut in hominem, vocabulo de ea utor minimè uſitato. Interea poſſis hunc locum complecti ſub quincto, qui eſt de metaphoris.

Nonus eſt locus τῆς παραβολῆς, ſive Collationis. Ejus tale exemplum ſuppeditat Sappho apud Demetrium:

Πέρροχος ὡς ὅτ' ἀοιδὸς ὁ Λέσβιος ἀλλοδαποῖσιν.

Quod Victorius transfert, *Perrochus excellit, ſicuti præ alienigenis cantor Lesbius.* Ac ſimiliter capit in tabulis ſuis Rhetoricis, quibus Ariſtotelis & Demetrii artem expreſſit Raphaël Cyllenius Angelus. Sed omnino ſententia eſt: *Excellit, ut cantor Lesbius præſtat alienigenis.* Similis eſt error, ac cùm *Παρθενίαν* apud eandem poëtriam proprium nomen putavit; ut ſuprà vidimus. Sane dicitur *πέρροχος ἀντὶ τοῦ ὑπέροχος. περρέχειν ἀντὶ τοῦ ὑπερέχειν*, teſte Heſychio. Elegantia Sapphûs in eo conſiſtit, quòd comparat cum Leſbio cantore; non, ut poëtæ ſolent, cum Sole; ſicuti è Latinis Lucretius ‡ Epicurum ſuum: qui, ejus judicio,

— *Omnes*
Reſtinxit ſtellas, exortus uti ætherius Sol.

‡ *Lib. 3. verſ. 1057.*

Neque cum Luna, quomodo Horatius * ait:

— *Micat inter omnes*
Julium ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

* *Lib. 1. od. 12.*

Quæ quidem magnificentiora ſunt; ſed & hyperbolica magis ac poëtica. Subjungit Demetrius alterum etiam exemplum è Sophrone, Trojanis, velut pueris, illudente. Sed in eo dubium, utrùm *φιλατὶς* ſcribendum ſit, pro *φαλητὶς*, ut in duobus codd. reperit Victorius: an verò *φιλάτας*, quod in aliis eſt libris.

Decimus eſt τὸ ἐκ μεταβολῆς, ſive ab immutatione conſilii: ut cùm revocamus ea, quæ diximus, quaſi pœnitu-

nitudine priorum ducamur. Ut in illis Sapphûs: Ὕψι δὴ τὸ μέλαθρον ἀείρετε, τέκτονες· γαμβρὸς εἰσέρχεται ἶσος Ἄρηϊ, ἀνδρὸς μεγάλου πολλῷ μείζων. *In altum attollite ſuperum limen, fabri lignarii. Ingreditur ſponſus æqualis Marti, viro magno multo major.* Nam quia nemo æqualis eſſe valeat, corrigit, quod dixerat priùs. Citat verò hunc locum etiam Hephæſtio.

Undecimus eſt, cùm alienum orationi verſum aptè inducimus. Uti ab Ariſtophane factum in Nubibus. Ubi ridet Jovem, quòd cùm fulmine debeat impetere malos, pravoſque: illud torqueat in templa ſibi ſacrata. Hoc meritò impiè dictum videri poterat Athenienſibus. Igitur non callidè minùs, quàm ſcitè, ait: Ἀλλὰ τὸν ἑαυτοῦ νεὼν βάλλει, καὶ Σούνιον ἄκρον Ἀθηνῶν. Ubi alludit ad Homericum illud *:

Ἀλλ' ὅτε Σούνιον ἱρὸν ἀφικόμεθ' ἄκρον Ἀθηνῶν †.

Quomodo conſecutus eſt; ut non tam ipſe, quam Homerus ridere Jovem videretur. Habere ea res ingenii laudem videtur. Uti & cùm Sophron de mulieribus loquitur, tanquam de piſcibus. Nam piſces videtur nominare, cùm revera deſignet naturam, ſive muliebria, quæ piſces illi formâ referunt. Sed ejuſmodi, fatente ipſo Demetrio, obſcena ſunt, ac turpia, & ut ferri ſoleant in Mimis, indigna tamen ſunt non oratore modò, ſed etiam viro gravi, ac quocunque honeſti & verecundiæ amanti. Quare talium locum potiùs occupent allegorica. Ut in illo Ciceronis pro Sextio: *Cùm in hanc Reip. navem, ereptis Senatui gubernaculis, fluitantem in alto tempeſtatibus ſeditionum, ac diſcordiarum, armata tot claſſes, niſi ego unus deditus eſſem, incurſura viderentur.*

* Odyſſ. Γ. verſu 278.
† Sed cùm ad Sunium ſacrum pervenimus promontorium Athenarum.

Duodecimum locum conſtituunt ἀπροσδόκητα, ſive quæ præter exſpectationem dicuntur. Ut cùm apud Homerum Cyclops ait, hoc muneris loco habiturum hoſpitem Utin, quòd eum poſtremum eſſet comeſturus. Neque enim vel Utis, ſive Ulyſſes, vel etiam, qui legit, hujuſmodi munus exſpectabat. Verba poëtæ § 111. adducimus.

Decimumtertium locum obtinent παρόμοια, ſive membra ſimilia. De quibus in periodorum doctrina, & ſchematologia, abunde egimus.

Poſtremus locus datur accuſationibus tectis. Ut apud Xenophontem in ſeptimo Ἀναβάσεως, ubi narrat, quomodo Seuthis, Thracum rex, cùm ad convivium invitâſſet Xenophontem, ac cæteros Græcorum duces, Heraclidem quendam ſubornârit, qui ſingulos convivarum accederet, eoſque hortaretur, ut honoris gratiâ aliquid Seuthi dono darent. Siquidem eo pacto tectè accuſat ſordes, atque avaritiam Regis. De verbis vidimus.

VI. De compoſitione orationis venuſtæ.

ACcedamus nunc ad poſtremam partem, quæ eſt de Compoſitione ſermonis venuſti. Fit hæc bifariam inprimis.

Ac primùm verſibus, ſive integris, ſive dimidiatis, modò ita trajiciantur verba, ut non appareat eſſe verſus.

Deinde ſi quidem verſus non fuerint; in clauſulis tamen quiddam ſit verſui non abſimile; unde voluptas prope par, ac ſi verſus foret, auribus creatur. Hujuſce rei exempla, Demetrio teſte, plurima ſunt apud Perepateticos: in his Dicæarchum Meſſenium; de cujus ſcriptis multa diximus in opere de Hiſtoricis Græcis. Item apud Platonem, Xenophontem, Herodotum quoque, ac fortaſſe etiam Demoſthenem. Solus enim Thucydides eſt, qui fugerit compoſitionis elegantiam. Platonica verò compoſitio eo ſi ſimilis eſt metro, quòd habeat εἱρμὸν, καὶ συνάφειαν ‡: tum etiam, quòd membra neque ἕδραν * habeant, neque μῆκος †: hoc eſt, neque exilia adeò, paucarumque ſint ſyllabarum, ut velut ſeſſiones habeant; neque planè ſint extenſa, longaque. Illud enim ſubtile eſt, & acre: hoc verò magnificum.

‡ Connexionem, & continuationē.
* Seſſionē.
† Longitudinem.

VII. De vitio venuſtatis male affectatæ.

EXpoſuimus, quæ formam pariant venuſtam. Quia verò multi, dum venuſtati ſtudent, in vitium incidunt contrarium, quod Græci κακοζηλίαν appellant, Fabius ſimiliter *malam affectationem* vocat: operæ fuerit, ſi Demetrii exemplo addamus, quomodo, & hic peccari ſoleat in tribus iſtis; ſententiâ, verbis, & compoſitione.

Sententia eſt invenuſta; cum quidam, ad exprimendam duplicem Centauri naturam, diceret, *Centaurus ſe ipſum equitans.* Ac invenuſtius etiam iſtud de eodem: *Equus ructans hominem, & homo cacans equum:* etſi venuſtè dictum Euſtathio videatur. Simileque, ſiquis in certamine Olympico ſic alloquatur Alexandrum M. *Curre matris tuæ nomen.* Nempe quia hæc Olympias vocaretur.

Verborum eſt affectatio in iſto, Ἐγέλα τὸ ῥόδον ἡδύχροον: quod Victorius vertit, *ridebat roſam ſuavicolorem.* Malim *ridebat roſa ſuavicolor.* Ubi neque illud *riſit* ſatis convenit roſæ: neque appoſitum *ſuavicolor*, cui vix in poëmate fuerit locus.

Compoſitio fuerit invenuſta, ſi ea fuerit anapæſtica, ſimiliſve metris fractis, & omnis expertibus dignitatis. Ejuſmodi ſunt verſus Ionici, qui aliter Sotadei. Guilielmus Morellius pro Σωτάδεια edidit σώματα. Sed melius Σωτάδεια Victorius. Sic verò dicuntur à Sotade poëta, qui eo genere Carminis excelluit: uti & poſtea filius Apollonius: ante autem Alexander Ætolus, & Pyres Mileſius, & Alexis. E Latinis, qui hoc utantur, ſupereſt Terentianus Maurus: ſecutuſque exemplum Cæſar Scaliger in Ἐπιδορπίδων libris.

VIII. De gravi orationis forma: ac primum de ſententiis, et dictione.

POſtquam de venuſta, ac eleganti formâ, dictum: nunc videndum erit nobis de forma gravi: in qua itidem attendemus hæc tria; ſententias, verba, ac compoſitionem.

Sententiæ, ſive res, per ſe acerbæ ſunt, licet non proferantur acerbè. Ut in illo Demoſthenico: *Si cerebrum habetis in capite, non verò in calcibus.* Nam utcunque languidè pronuncies, per ſe grave eſt, atque acerbum.

Locutio, ſive dictio gravis, proficiſcitur, partim à figuris, partim à verbis ſingulis. Figuras intellige tam λέξεως, quàm διανοίας. Prioris generis eſt ἀναδίπλωσις, vel potiùs ἐπίζευξις, quandoquidem in Demetrii exemplo vehemens in eſt repetitio. Ejuſdem generis ſunt ἀναφορά, ἀσύνδετον, κλίμαξ: quorum exempla abunde in σχηματολογίᾳ adduximus.

Poſterioris verò generis ſunt præteritio, apoſiopeſis, proſopopœia. Ac de his quoque lib. IV. in ſchematibus διανοίας ſatis actum. Iis verò adde aliquot ſchemata, de quibus Demetrius perperam tractat in verborum doctrina. Ac primò imagines: ut quæ ob brevitatem habeant acre quiddam, ac vehemens. Nempe ut iis, qui cominus congrediuntur, pugiones ſunt aptiores, quàm haſtæ: ita & in acri genere dicendi magis ob brevitatem conveniunt imagines, quàm comparationes; ut quæ pulchræ magis ſint, quàm acres.

Deinde ἐπιπλήξεις, quæ eſt quaſi inſultus orationis. Ut cùm Æſchines Demoſthenem arguiſſet inverecundiæ, quòd in dicendo non contineret manum ſub pallio: Demoſthenes ita in Æſchinem inſiliit: Non oportet, ô Æſchines, eum, qui dicit, manum habere ſub pallio; ſed illum, qui obit legationes. Quo pacto acerbè ei objecit, quòd in legatione ad Philippum regem ſe paſſus eſſet pecuniâ corrumpi.

Præ-

Præterea pertinet huc interrogatio: item δυσφημισμός: adhæc oratio aliquem obliquè perſtringens, quæ κατ' ἐξοχὴν dicitur ἐσχηματισμένη, ſeu figurata. Sed in hac ſedulò obſervare oportet, tum τὸ πρέπον, nequid indecorum dicas, tum τὸ ἀσφαλὲς, ut res graves dicantur prudenter, ac ſine cujuſquam contumelia. Nam periculoſæ res aleæ eſt, tyrannis objectare errores, aut vitia ſua: nec tyrannis modò, ſed potentibus etiam civitatibus: quando & illæ ſuos habent adulatores. Nec propterea ſequendi adulatores; quod indignum viro bono, ac cordato: ſed opera danda, ne vel periculosè, vel turpiter agamus. Utrumque hoc malum evitabimus oratione figurata. Quæ quadrifariam inſtituitur. Ac primùm *oratione ancipiti*. Ut quando Æſchines Socraticus ita rem narrat de Telauge, ut dubium videatur, utrum ad laudem, an culpam, pertineat oratio. Deinde *mutatione perſonæ*: quale fuerit, ſi apud Dionyſium tyrannum vituperetur Phalaris, vel ſi, contraria qui fecerint, laudemus; ſicuti Gelonem, ac Hieronem; qui pro parentibus ac magiſtris Siciliæ habiti ſunt. Adhæc *mutatione facti*: ut ſi idem, & præclarè aliquid egerit, & turpiter; & præterito, quod malè actum, id extollamus, quod factum eſt laudabiliter; ac deinde adhortemur, ut quis ſe velit imitari, & laudes laudibus cumulare. Poſtremo, *immutando formam orationis*. Eſt verò immutatio ea triplex. Prima eſt *Ariſtippea*, quando ſimpliciter aſſerimus, quid fiat, aut non fiat. Tale eſt, *Hominibus ſtudium eſt relinquere pecunias liberis: at de ſcientia nihil penſi habent.* Altera eſt *Xenophontea*: quæ fit præcipiendo. Uti hoc pacto: *Non tam cura eſſe parentibus debet, ut de pecunia proſpiciant liberis: quam ut illi ſciant relictis uti.* Tertia eſt *Socratica*, quæ fit interrogando. Veluti in illo: S. *O puer, quantum tibi pecuniæ reliquit pater? An multum, & quod nemo facilè dinumeret? P. Multum, ô Socrates. S. Num igitur & ſcientiam reliquit, quâ ſcias uti pecuniis?* Eſtque forma iſtæc longè omnium optima: quia & puer ſic videt imperitiam ſuam, & eâdem impellitur ad diſcendum. Nec ſanè aliter, vel honori ejus, ad quem ſermonem inſtituimus, poſſimus meliùs conſulere, vel, quod volumus, evidentiùs ob oculos ponamus. De figuris hactenus.

Præterea verò in acrimoniæ forma verba attendimus ſingula. Sunt hæc eadem, ac in magnifico charactere, utcunque finis ſit diverſus. Familiam hìc ducunt metaphoræ. Sæpe adeò, id, quod memorandum, gravius, atrociuſque reddunt. Proximus eſto locus τοῖς συνθέτοις, ſive compoſitis. Multa enim graviter jungit conſuetudo. Præterea attendendum ad verba rebus convenientia. Ita de vi dicemus *irrumpere*; de dolo, *irrepere*. Quartus etiam modus eſt: qui partim figuris, partim ἁπλῶς è verbis ſocietur. Exemplo fuerit hoc Demadis: *Non eſt defunctus Alexander, ô Athenienſes. Quippe tum terra univerſa odore cadaveris eſſent perfuſa.* Uſus eo Demades, cùm ab lætitia ſubita revocare vellet Athenienſes. Eſtque in eo, quod de terris omnibus odore differtis ait, & allegoria, & hyperbole, & emphaſis. Simile eſt exemplum Hyperidæ, accuſati, quòd plebiſcitum rogâſſet antiquis legibus adverſum. Non ego, inquiebat, hoc ſcripſi: ſed bellum ſcripſit, ſpiculo Alexandri. Par quoque ratio, cùm Leoſthenes diceret, exercitum Macedonum, Alexandro extincto, ſimilem eſſe Cyclopi, oculo effoſſo. Atque idem ajebat, Athenienſium rempublicam non eſſe metiendam ex iis, quæ majorum temporibus egiſſet; ſed cogitandum de ea eſſe, tanquam de vetula ſandaliis induta, & priſanam ſorbente. Sed Demadeæ hujus acrimoniæ uſus planè eſt lubricus, nec ad imitandum facilis.

IX. De acris formæ compoſitione.

Supereſt compoſitio. In qua hæc exiguntur. Primùm, ut eâ utatur inciſis pro membris: hoc eſt, ut κῶλα ſint breviuſcula, quæ κομματικὰ dicuntur. E. G. Non claſſem conſcendimus? non exivimus? non in regnum illius navigavimus?

Deinde, ut periodi in fine admodum ſint contortæ, adſtrictæque. Nam ambitus ille grave quiddam habet: ſolutio autem eſt probi ac ſimplicis animi ſignum. Sanè ſimplices fuere antiqui, etiam in ſermone: eoque δεινότης fere aberat ab eorum oratione: at dominatur illa nunc, ut hac parte priſci ſequendi non ſint, ſed qui ſeculis fuere conſecutis.

Tertium eſt, ut concurſus vocalium ſit hiulcus, conſonarum aſper: eoque tota penè oratio vias referat inæquales. Iraſcenti enim convenit ſermo aſper, non verò ſuavis.

Quartum ab eadem eſt cauſſa: nempe ut abſint ἀντίθετα, παρόμοια, & omnia id genus ſcitamenta. Nam qui elegantiæ ſtudet, ludere, non lædere aut vituperare velle videtur. Atque hoc movit Hipponactem, ut alium vituperaturus, ac vexaturus, fregerit pedem, eumque claudum reddiderit. Alioqui enim metrum fuiſſet auditu jucundum: quod, numero amiſſo, acrimoniæ inſervit, & contumeliæ.

Quinctum eſt, ut, quod in re aliquâ maximè eſt acerbum, atque indignum, id in extrema periodi parte adlocemus. Sic oratio refert gladium, cujus mucrone punctim hoſtem petimus.

Sextum eſt, ſi oratio fuerit conciſa, & brevitate ſuâ quodammodo obſcura: ut fit in apoſiopeſi. Nam ejuſmodi quod eſt, id in animo relinquit ſuſpicionem, quæ terreat: at quod planum eſt, apertumque, contemni ſolet; quemadmodum ex Demetrio pluribus dictum cap. IV. ſect. I.

Septimum eſt, ſi adhibeatur κακοφωνία, ſive aſperitas quædam in verbis. Quod non modò conſequimur aſpero literarum concurſu, de quo paullo antè dictum: ſed etiam ſi (ut Homerus, quò vehemens ſit oratio, in metro facit) periodum orator claudat monoſyllabo, atque adeò etiam particulâ encliticâ: quod in eleganti oratione maximè fugiendum. Nempe oratio venuſta, & vehemens, contrario ſunt modo affectæ.

Octavum eſt, ſi adhibeantur joci cum acerbitate mixti. Qualis ille Stratonici citharœdi apud Strabonem in quartodecimo. Videbat, Caunios (eſt verò Caunus Cariæ civitas) admodum pallere, quòd loco degerent inſalubri. His igitur ſcitè quidem, ſed ſalſè admodum, aptabat illud Homericum *:

> Οἵη περ φύλλων γενεή, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.
> *Corpora ſunt hominum, foliorum qualia paſſim.*

Cumque Caunii indigne ferrent, urbem ſuam traduci velut morbo obnoxiam; feſtivè ille, ſed acerbè: *Abſit, ut urbem veſtram dicam morboſam, in qua etiam mortui ambulant.* Prius morbidis comparârat: nunc & mortuis aſſimilat. Tantum de forma aſpera, ac vehementi.

* Iliad. ξ. 146.

X. De forma invenuſta.

Formæ vehementis vitium eſt ἡ ἄχαρις, ſive invenuſta: atque itidem naſcitur ex rebus, verbis, & compoſitione.

E rebus, ſi quis res turpes apertè, & ut Latini loquebantur, Latinè dixerit. Exemplorum abunde eſt apud ſatyricos, epigrammatum ſcriptores, & inprimis in Ithyphallicis.

E verbis exemplo ſit hoc Clitarchi, non à Demetrio ſolùm, ſed Tzetze etiam, culpatum: καταβόσκεται μὲν τὴν ὀρεινὴν, εἰσίπταται δὲ εἰς τὰς κοίλας δρῦς. *Depaſcit loca montana: involat verò, atque irrumpit in cavas quercus.* Quis non putet hæc dixiſſe de bove fero, vel apro Erymanthio, ſimilive animante? Atqui ſermo ei fuit de inſecto quodam, quod etiam Ariſtoteli ‡ τενθρηδὼν vocatur, ac ſimile ab eo dicitur crabroni; latum, apis inſtar. Plinius * *teredinem* vocat: quem, more ſuo, ſecutus Theodorus. Sed Cæſar Scaliger † maluit Græ-

‡ Lib. 9. Hiſtor. Animal. cap. 43: ſive ex Cæſaris Scaligeri diſtinct. cap. 67. ſect. 454.
* Lib 16. cap. 41.
† Tralat. & comment. in Ariſtot. Hiſt.

Græcum *tethredonis* nomen retinere, quia non ſatis tethredoni convenire videantur, quæ Plinius ſcribit de teredine. Demetrius dicit, locum, ex Clitarcho adlatum, non modò eſſe ἄχαριν*, ſed etiam ψυχρὸν†: neque id mirum eſſe, quia hæc duo vitia ſint vicina. Non dubium verò, quin tam inepta in Clitarcho fuerint multa: nec ſolùm quia fides ejus, Fabio teſte‡, claudicaret; ſed etiam, quia, dum ſublime ac grave ſectatur dicendi genus, incideret in frigidum, & invenuſtum. Longinus eum vocat ſcriptorem φλοιώδη, h. e. inanem, ac ventoſum. Nec magnificè de eo Cicero cenſuit: ut liquet ex primo de Legg. Fuit verò Clitarchus ille Alexandro expeditionis comes: deque ejus geſtis commentarios ſcripſit: ut ex Diodoro Siculo & Curtio ſcimus, ac ex pluribus aliis oſtenſum nobis in primo Hiſtoriæ de Hiſtoricis Græcis.

* *Invenuſtum.*
† *Frigidum.*
‡ *Lib. 10. cap. 1.*

Denique compoſitio ſermonem reddit ἄχαριν, ſive invenuſtum. Ac primùm hoc fit, ſi oratio ſit διεσπασμένῃ ἐμφερής, *diſſipatæ ac divulſæ ſimilis.* Cujus rei, ex Oratore incerto, tale Demetrius exemplum adducit: Οὕτωσὶ δ' ἔχον τὸ, καὶ τὸ, κτεῖναι· *Si ſic ſe habuerit & hoc, & illud, occiditor.*

Præterea fit invenuſta, ſi membra non ſint colligata; ſed fractis ſimilia.

Adhæc ſi periodi continuæ ſint, nec alio dicendi genere interruptæ. Item ſi adeò ſint longæ, ut prope ſuffocent dicentem. Hujuſmodi enim citò ſacietatem, ac mox etiam moleſtiam adferunt. Atque hactenus de forma venuſta, vitioque ei contrario.

XI. De septem ideis Hermogenis generatim.

NUnc videamus, quid ſuper characterum numero, & illis, quæ conſiderari in iis debent, ſenſerit ſcripſeritque is, qui, ſi nomen ſpectes, patrem meritò vocet ipſum eloquentiæ præſidem Mercurium. Hermogenes dico, qui idearum doctrinam duobus complexus eſt libris, doctis profectò, & tanto Rhetore dignis; utut eos videatur exiguo temporis ſpatio conſcripſiſſe: quippe qui lib. ſecundo*, poſtquam dixerat, τὰς εἰρωνείας interdum reddere orationem modeſtam, neget, ſe potuiſſe ἐκ τοῦ παραχρῆμα λαβεῖν τι παρὰ τοῦ ῥήτορος, ἢ ἄλλου τε, τοιαύτης μεθόδου παράδειγμα†. Verùm hoc quidem in medio relinquamus, ac illud initio dicamus, quod hujus proprium eſt inſtituti: quot, puta, & quas dicendi ideas faciat Hermogenes. Numerat autem ſeptem: σαφήνειαν, μέγεθος, κάλλος, γοργότητα, ἦθος, ἀλήθειαν, καὶ δεινότητα: h. e. *perſpicuitatem, magnitudinem, venuſtatem, celeritatem, mores, veritatem, ac dicendi vim.*

* *Cap. de εἰρωνείας.*
† *Hujuſce methodi exemplum ſubitò ſumere e Demoſthene, aut alio quopiam Oratore.*

At ſi omnia ad vivum reſecemus, & acutiſſimus hic Rhetor cenſoriâ virgulâ reducendus erit ab erroris diverticulo: in quod eum haut aliud abduxit, quàm quòd inter ipſos characteres, eorumque affectiones, nullum poſuerit diſcrimen. Sanè tres tantùm ſunt characteres: at Hermogenicæ formæ nihil aliud ſunt, quàm trium dicendi generum affectiones; quarum aliæ ſint pluribus generibus communes, aliæ alicujus generis propriæ, ſive id perpetuò, ſive non: ut pluribus oſtendit Jul. Scaliger lib. IV. cap. I. de re Poët.

Quamquam verò hæc ita eſſe negaturus ſit nemo, qui rationibus magis, quàm autoritate aliorum, pugnare didicerit: non tamen in ſpiſſis adeò tenebris cæſpitavit Hermogenes, ut nullum ſit invenire mantelum, quo obnupta velataque ejus placere poſſit ſententia. Nam quid ſi dicamus, haſce ideas non adferri ab eo, ut ſpecie diſtinctas; ſed ut diverſas; ac proinde nihil prohibere, quo minùs forma formæ ſuperinducatur, ut induſio tunica, tunicæ toga? Equidem, ſi ea mens Hermogenis fuit: (quod ipſum & de Demetrio dictum velim; quamquam is quidem peſſimè cauſſam ſuam agit, ut antè vidimus) vix invenio, quod in eâ magnopere reprehendam.

Sed ſive id quidem, ſive aliud, tum Hermogenes, tum Demetrius, voluere: neutiquam damnamus horum operam; quia in Rhetore haut uſquequaque requiritur illa anxia philoſophorum diligentia: imò ſine cognitione multorum, quæ Rhetores illi monuerunt, putamus, neque oratorem quemquam, aut poëtam fieri; neque de oratorum, ac poëtarum virtutibus, ac vitiis, ferre judicium poſſe.

Quamobrem, etſi neutiquam plures tribus characteres ſive ideas agnoſcam: haut leve tamen operæ me pretium facturum puto, ſi, ut antea in Demetrio feci, ita & hoc loco guſtum quendam doctrinæ dedero Hermogenicæ; quò promulſide hâc alliciam lectorem ad dapſilem ejuſce Rhetoris cœnam. Ac primò quidem, quia, quæ communiora ſunt, naturâ præcedunt: paucis aperire viſum, cur Hermogenes nec plures, nec pauciores, quàm ſeptem, faciat dicendi formas. Duplicem ſanè rei hujuſce rationem apud alios invenio. Una eſt, quòd Plato in Convivio ſeptem (ſic ſcribunt) introducat perſonas, quæ amorem laudent, ac ſingulæ proprium habeant dicendi genus. Siquidem Pauſaniæ tribuitur amplitudo, Eryximacho gravitas, Agathoni ſplendor, Apollodoro (nam hunc quoque annumerant) aſperitas, Ariſtophani perſpicuitas, Phædro pulchritudo, & Socrati veritas. Altera ratio petitur ab idearum, quas attuli, amicâ conſpiratione. Nam, quò intelligatur, perſpicua eſſe debet oratio. At perſpicuitas humilitatem adferet, niſi oratio juſtam conſequatur magnitudinem. Magnitudo autem ſæpe & deformitatem adfert, & rem facit immobilem: itaque, ut ea laudabilis ſit, venuſta eſſe debet, nec velocitatis expers. Cùmque ſermone utatur Orator, non modò ad conceptus animis exponendos; ſed etiam ad movendum, ac perſuadendum: illud quoque conſequitur, orationem tum moratam eſſe debere; tum, ne & mores, & cætera ficta, ſimulataque, credantur, veriſimilem. Denique, cùm interdum uſu veniat, ut magnitudine, aut celeritate, aut oratione moratâ, opus non ſit: exigitur quoque in oratore rectus ac conveniens ſuperiorum formarum uſus; quem Græci δεινότητα, Latini *vim dicendi* appellant. Quamquam nonnulli quoque ex ipſis Hermogenis ſectatoribus lubentes agnoſcant, cùm hæc ex commiſtione aliarum virtutum conſtat, minùs rectè eam ſtatui diſtinctam à cæteris dicendi formam.

Etſi autem nullam ſit invenire orationem, quæ ſit μονοειδὴς*; cujuſmodi non poſſit non eſſe ingrata: tamen id neutiquam impedit, quo minùs oratio ab unâ aliquâ formâ nomen accipiat, ac vel perſpicua dicatur, vel ampla, vel pulchra; non quia non commiſceantur formæ cæteræ; verùm quia una quæpiam forma prædominetur; quomodo hoc Demoſtheni, illud Iſocrati, aliud alii tribuitur. Unde B. Chryſoſtomus lib. IV. de ſacerdotio: Ἐγὼ δὲ εἰ μὲν τὴν λειότητα Ἰσοκράτους ἀπῄτουν, καὶ τὸν Δημοσθένους ὄγκον, καὶ τὴν Θουκυδίδου σεμνότητα, καὶ τὸ Πλάτωνος ὕψος, ἔδει φέρειν εἰς μέσον ταύτην τοῦ Παύλου τὴν μαρτυρίαν. *Ego verò ſi exigerem Iſocratis nitorem, & Demoſthenis amplitudinem, & Thucydidis gravitatem, & Platonis ſublimitatem, adducere oporteat hoc Pauli teſtimonium.* Ac par ratio in Latinis. Quod oſtendit Fabius lib. X. cap. I. *Quid tamen nocet, vim Cæſaris, aſperitatem Cælii, diligentiam Pollionis, judicium Calvi, quibuſdam in locis aſſumere?* Item ſcriptor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Strictior Calvus, numeroſior Aſinius, ſplendidior Cæſar, amarior Cælius, gravior Brutus, vehementior & plenior & valentior Cicero: omnes tamen eandem ſanitatem eloquentiæ ferunt.* Appulejus in Apolog. *Neque Cato gravitatem requirat, neque Lælius lenitatem, neque Gracchus impetum, nec Cæſar calorem, nec Hortenſius diſtributionem, nec Calvus argutias, nec parſimoniam Salluſtius, nec opulentiam Cicero.* Sollius Sidonius in panegyri Anthemii Auguſti:

* *Uniformis.*

Quâ Criſpus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo flumine Quinctilianus,
Quâ pompâ Tacitus nunquam ſine laude loquendus.

XII. De octo illis, quæ in ſingulis ideis ab Hermogene ſpectantur.

Porrò in ſingulis affectionibus octo hæc conſiderat Hermogenes: ἔννοιαν, μέθοδον, λέξιν, σχῆμα, κῶλα, συνθήκην, ἀνάπαυσιν, ῥυθμόν: h. e. *ſententiam*, *modum tractandi*, *dictionem*, *figuram*, *membra*, *compoſitionem*, *clauſulam*, *& numerum*. Verùm nos de numero nihil ſeorſum dicemus, quia, cùm ex compoſitione & clauſulâ reſultet, meritò ſub utroque comprehenditur.

Horum autem omnium definitiones Trapezuntianas recenſet, ac ſimul cenſet acutiſſimus Scaliger. De methodo quoque ſcrupulum injicit. Verba præſtantiſſimi viri adponam è capite primo Paraſceues: *Illud verò vehementer agitare queat acutiorum judicium. Quippe μέθοδον cùm à ſententiâ, figurâ, dictione, membris, numeris, compoſitione ſeparavit; non ſatis mihi facit. Quid enim μέθοδος eſt? Nonne via ratio, quam inſiſtas ad componendam orationem? Quamobrem ea compoſitio cùm eget verbis, verborum ordine, & ſono: erit profectò methodus ratio eligendi, atque diſponendi verba, quibus ſententia exprimatur. Non autem ſententiæ explicandæ modus, quemadmodum putavit ille. Non eſt igitur μέθοδος pars ab aliis ſeparata, ſed omnium quaſi forma quædam. quæ fuit fortaſſe ratio, propter quam à Trapezuntio artificium diceretur. Verùm cùm ille in definitione ſententiæ ſoli attribuit, hoc falſus fuit.* Atqui his Scaligeri verbis non tam res, quàm vox methodi, impugnatur. Nam, quod & doctiſſimus Petrus Nunneſius ſcripſit, & cuivis manifeſtum eſſe, ipſe agnoſcit Scaliger. Hermogenes hoc loco per μέθοδον intelligit σχήματα διανοίας, quæ iccirco ipſis ſubjungit ſententiis: at per ea, quæ ἁπλῶς σχήματα appellantur, illa duntaxat ſignat, quæ λέξεως dicuntur. Sanè Trapezuntiana quoque σχήματος definitio ſolis convenit figuris dictionis: ut cui ea ſint verborum expolitiones & modi, quibus tanquam colorato amictu rem & veſtimus, & decoramus.

XIII. De prima Hermogenis idea, ſive de perſpicuitate.

Nunc eorum, quæ ab Hermogene de ſingulis dicuntur affectionibus ſumma capita, vel paullo amplius, delibemus: ſed ita, ut ipſi aliqua etiam adſpergamus, unde lucis non parum doctrinæ Hermogenis accedat.

Prima orationis idea Hermogeni eſt ΣΑΦΗ΄ΝΕΙΑ, ſive *perſpicuitas*: quæ præſtat, ut res intelligatur, non quomodocunque, ſed bene; ita ut perſpicere ſit, qualis, & quanta res ſit, & quò ea ſpectet. Hæc comprehendit καθαρότητα, & εὐκρίνειαν, hoc eſt, puritatem, & orationem diſtinctam.

Καθαρὸς * λόγος vocatur, qui eſt ſimplex ac inartificioſus, ut idem ſit ac ἀκατάσκευος, cui opponitur ἐνδιάσκευος. Priori res nudè exponitur: in altero extrinſecus aſſumitur ornatus. Simplex eſt puritas in illis pro Cluentio: *Larinas quædam fuit Dinea, ſocrus Oppianici, quæ filios habuit, M. & Numerium Aurios, & Cn. Magium, & filiam Magiam, nuptam Oppianico. M. Aurius adoleſcentulus bello Italico captus apud Aſculum, in Q. Sergii Senatoris ejus, qui inter ſicarios damnatus eſt, manus incidit, & apud eum fuit in ergaſtulo. Numerius autem Aurius frater mortuus eſt; heredemque Cn. Magium, fratrem ſuum, reliquit. Poſtea Magia, uxor Oppianici, mortua eſt. Poſtremò unus, qui reliquus erat, Dineæ filius, Cn. Magius eſt mortuus. is fecit heredem illum adoleſcentem Oppianicum, ſororis ſuæ filium; eumque partiri cum Dinea matre juſſit.* Hic, & in iis, quæ ſubjicit, nihil aſſumitur, quod ambitum faciat; ſed nudè omnia exponuntur.

* Purus.

Porrò puritas eſt ſimplicis quidem characteris affectio: non tamen perpetua, quia & iis interdum eſt accuratus; ut ſupra diximus.

Puritatis *ſententiæ*, iſtiuſmodi eſſe debent, ut ab omnibus facilè intelligantur, ac credantur: quales ſunt, quæ ex communi vitâ ſumuntur, nec quicquam ſublime aut ſubtile continent; eoque nec probationibus indigent: unde Hermogeni dicuntur ψιλαὶ ἀφηγήσεις ἄνευ προσλήψεων.

Methodus ſive ἐργασία, hoc eſt, tractatio, ſimplex ac nuda eſſe debet; ita ut neceſſaria ſolùm commemoret, nec forinſecus quicquam arceſſat: contrà quàm fit in oratione περιβεβλημένῃ, h. e. exaggeratâ ac circumducente.

Dictio conſtat vocibus communibus, ac vulgatis; cujuſmodi ſunt propriæ, aut metaphoræ ita vulgares, ut voces propriæ videri queant. At antiquatæ, & melioribus commutatæ temporibus, item poëticæ, aut à conſuetudine remotæ, in eo locum non habent.

Σχῆμα, ſeu *conformatio* recta eſſe debet, ita ut oratio incipiat à nominativo, aut verbo indicativi modi. Vocatur ὀρθότης *, cui opponitur πλαγιασμός †. Quamquam, ſi ἀκριβέστερον ‡ loquamur, nec hic, nec illa, rectè ab Hermogene inter ſchemata reponatur: cùm nulla iis inſit laudabilis orationis immutatio à communi conſuetudine recedens. Verùm latiùs videtur Hermogenes uſurpâſſe ſchematis nomen, ut quamlibet ſignet τῆς λέξεως qualitatem, ac modum.

* Rectitudo.
† Obliquatio.
‡ Accuratius.

Membra ea optima ſunt, quæ ſententiam explent. Sed commendantur maximè, quæ ob brevitatem magis μέρη ‡ ſunt, quàm μέλη *. Μέρη cum Julio Scaligero voco, quæ vulgo κόμματα; μέλη nomino cum Ariſtotele, quæ aliis κῶλα. Verùm, quod Hermogenes ſcribit de membris perſpicuæ dictionis, id non rarò ab Oratoribus negligitur: ut è Demoſthene, Thucydide, ac Marone, oſtendit Scaliger †; cujus ſcrinia non compilabo.

‡ Partes.
* Membra.
† L. 4. in repoet. c. 1.

Compoſitionis nomine comprehendo συνθήκην, καὶ σύνθεσιν: quamquam illa propriè reſpiciat elementorum ac vocum collationem extra numerum; hæc verò conſideret diſpoſitionem numeroſam. Porrò εὐκρίνεια ‡ nec juncturæ, nec numeri magnopere rationem habet. Neque enim in hâc neceſſe habemus vitare vocalium concurſum, aut orationis hiatum; cujus rei exempla ſuperiùs ex Cicerone, ac Virgilio etiam, adduximus, cùm de magnifici characteris compoſitione ageremus. Nec numeri majorem habet curam: verùm tota oratio eſt λογοειδής, h. e. ſermoni quotidiano ſimilis: eoque non jambica quidem, aut trochaica, (nam hoc pacto verſus foret) verumtamen jambicæ aut trochaicæ compoſitioni ſimilis eſſe debet. Id futurum eſt, ſi in totâ periochâ, ac inprimis in initio ejus, & fine, magis jambos, ac trochæos etiam, frequentemus, quàm pedes alios, & maximè oppoſitos; velut dactylos, anapæſtos, ſpondeos.

‡ Diſtinctio.

Quemadmodum autem in reliquâ compoſitione, ita & in ἀναπαύσει, ſive *clauſulâ*, facilitate ac lenitate opus eſt. Quin magis quoque in hâc vitandi pedes heroici; curandumque, ut in jambos, aut trochæos, terminetur oratio; ita tamen, ut ne affectationem res iſthæc redoleat. Et hæc de virtute eâ, quâ purus dicitur ſermo.

Hujus pediſequa & cuſtos eſt ΕΥ΄ΚΡΙ΄ΝΕΙΑ. Quam Trapezuntius *elegantiam* vocat. Verùm ea aliud eſt, ut nomen indicat. Sturmius, ac complures alii, nominant *perſpicuitatem*. At σαφήνεια, quæ εὐκρινείας genus eſt, *perſpicuitatem* ſonat. Sanè cùm εὐκρίνεια conſiſtat in rebus partiendis, collocandiſque; appoſitè eam dixerimus *orationem diſtinctam*, ſive *orationis diſtinctionem*. Ejus munus eſt, removere, quæ obſtant facilitati. Nam diſtinctioni ineſſe ſolet ſubtilitas, quæ ab ingeniis parum perſpicacibus minimè intelligitur. Eoque opus, illam in clariori luce conſtitui, ut res, pulſis tenebris, perſpici poſſit. Exemplo eſto exordium pro Cluentio: *Quæ res in civitate duæ plurimum poſſunt, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore: ſumma gratia, & eloquentia. Quarum alteram, C. Aquili, vereor, alteram me-*

tuo. Hæc *verendi*, & *metuendi* diſtinctio acutior erat, quàm apertior. Itaque illi ἐπιδήλωσιν * hujuſmodi ſubjicit, ut ſe explicet: *Eloquentia Q. Hortenſii ne me dicendo impediat, nonnihil commoveor: gratia Sex. Nævii ne P. Quinctio noceat, non mediocriter pertimeſco.* Nec ſufficit oratori, ſi doceret, hæc plurimùm differre: ſed adjecit etiam τὸ πόσον, ſive quantum differrent. Sic enim ait: *Neque hoc tantopere querendum videretur, hæc ſumma in illis eſſe, ſi in nobis eſſent ſaltem mediocria: verùm ita ſe res habet, ut ego, qui neque uſu ſatis, & ingenio parum poſſum, cum patrono diſertiſſimo comparer: P. Quinctius, cui tenues opes, nullæ facultates, exigua amicorum copia ſunt, cum adverſario gratioſiſſimo contendat.*

*Declarationem.

Portò etſi in cæteris dicendi formis inprimis ſit habenda ratio ſententiarum: tamen in εὐκρινείᾳ maxime ſpectamus methodum. Comprehendit verò hæc tria: διάκρισιν, ſive *ſecretionem*, quæ indicat, quid inter vicina interſit; διαίρεσιν, hoc eſt, *diviſionem*, quâ ſimpliciter rem in partes diducimus; & διάταξιν, ſive *digeſtionem*, quâ oſtendimus, quid primò, quid deinde, quid poſtremò, dicturi ſimus.

Pertinent igitur huc ſententiæ illæ, quibus oſtendimus, quid dictum ſit, & ad quæ porrò ſermonem referre oporteat. Iſtiuſmodi ſunt propoſitio, tranſitio, partium ſingularum epilogi, univerſæque orationis ἀνακεφαλαίωσις.

Schemata ei compluria inſerviunt: interque alia ἄθροισις ὡρισμένη, *oratio notata, definitaque*, ut in Cluentianâ: *Animadverti, Judices, omnem accuſatoris orationem in duas diviſam eſſe partes.* Item μερισμὸς, ſive *diſcriminatio*, quâ orationem probè diſtinguimus particulis præpoſitivis, & poſtpoſitivis, uti ſunt, μὲν, δὲ, etſi, tamen, ac ſimiles. Nec parùm conferet interrogatio cum ſubjectione, itemque epanalepſis.

Dictio, membra, compoſitio, ac *clauſula*, ſeſe habent, quemadmodum in puritate, ut eam vocant technici. Habemus de primâ orationis ideâ.

XIV. De altera idea, quæ et magnitudo, ac speciatim de prima ejus parte, sive gravitate.

AT neutiquam ſatis eſt, ut ſermo ſit perſpicuus. Neque enim omne auferet punctum, qui humi repit: verùm is demum egregiam laudem reportabit, cujus inſuper & ſententiarum gravitate, & verborum granditate, extolletur oratio. Quare meritò perſpicuitatem altera excipit idea, quæ ΜΕΓΕΘΟΣ ſive *magnitudo* appellatur. Ejus partes ſunt ſex: σεμνότης, ſive *gravitas*, τραχύτης, ſive *aſperitas*, σφοδρότης, ſive *vehementia*, λαμπρότης, ſive *ſplendor*, ἀκμὴ, ſive *vis*, & περιβολὴ, ſive *oratio cumulata.*

ΣΕΜΝΟΤΗΣ autoritatem ac dignitatem parit. In hâc *ſententiæ* ſunt quadruplices. Primæ ſunt de Deo. Verùm harum non una eſt ratio. Neque enim σεμνότητα pariunt ſententiæ, quæ de Diis ſunt, prout de illis fabulantur Poëtæ. Nam Homerus ſanè de iis, tanquam de ſuibus, loquitur: ut Pythagoras optimo jure cenſuerit, eum hacpropter apud inferos torqueri. Idem quoque à Platone, Iſocrate, Tullio, Longino, Proclo, atque aliis, hoc nomine reprehenditur; ut oſtendimus lib. de Poëtica. Quare non hujuſmodi quidem de Diis ſententiæ gignent gravitatem: verùm (Hermogenis verbis utor) αἱ περὶ Θεῶν λεγόμεναι, h. e. veræ, ac, quemadmodum decet, de Deo prolatæ. Iſtiuſmodi autem Hermogenes eſſe ait, quæ deſumuntur ex Timæo Platonis. Eſt quoque tale hoc Plauti †: (apud quem tamen ab hujuſmodi ſententiis ſolitudo eſt)

†Captivis act. 2. ſc. 2.

Eſt profectò Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque, & videt.

Alterum genus ſententiarum eſt Phyſicum; ut de motu cœleſti, fulmine, terræ motu &c.

Tertium eſt de rebus divinis, at quarum homines ſint compotes, ut de virtute, immortalitate animorum &c.

Quartum eſt hiſtoricum. Agit enim de actionibus humanis; ut de pugnâ Marathoniâ, aut prœlio ad Salaminem geſto.

Ex hiſce quatuor generibus duo prima magis remota ſunt ab oratore: ac gravem quidem efficiunt orationem; at non oratoriam, niſi quà tractantur ἐκφράσει ῥητορικῇ *: ita ut mentionem quidem faciamus rerum iſtiuſmodi; at neutiquam nos in latebroſas abditaſque cauſſas penetremus. Tertium verò, & quartum, planè pertinent ad oratorem: ac illud quidem inſtituitur per θέσιν, ſive locum communem; hoc verò habet ἐξεργασίαν παραδειγματικὴν, quia inflammat animos ad imitationem eorum, qui præclarè aliquid egerunt.

* Conformatione oratoria.

Methodus triplex eſt. Prima eſt ἀπόφανσις, ſive aſſeveratio, quâ abſque dubitatione aliquid affirmamus, aut negamus, atque interdum etiam contrarium aſſerentes vituperamus. Altera eſt ἀλληγορία, per quam alii ab Hermogene intelligi putant continuatas metaphoras; quales videre eſt apud Tullium in Somnio Scipionis, ubi diſputat de cœlorum concentu: alii, alluſionem ad ſententias philoſophorum, graviorumque ſcriptorum; vel ad publici alicujus monumenti inſcriptionem, ut cùm Paullus cap. XVII. Actor. ait, ſe Athenienſibus velle oſtendere illum ἄγνωστον Θεόν †. Nam Athenis fuiſſe aram τῷ Θεῷ ἀγνώστῳ, (utcunque id neget B. Hieronymus in cap. 1. ep. ad Titum) vel fidem fecerit ſcriptor Philopatridos, qui perperam creditur Lucianus. Tertia eſt ἔμφασις, ſive occulta ſignificatio judicii, prudentiæ, experientiæ, aut eruditionis.

† Deum ignotum.

Dictio contexenda eſt à vocalibus magis ſonantibus; ut in quibus eſt A, vel O longum. Hujuſmodi ferè ſunt apud Latinos verbalia in O, ut *conſolatio*; obliqui nominum in As, ut *dignitate*; ac comparativi, ut *majora.* Conveniunt quoque σεμνότητι voces modificatæ, modò ſint μέτριοι, hoc eſt, moderatæ, ac verecundæ. Nam duriores, ac longiùs petitæ, non gravem, ſed τραχεῖαν, ſive aſperam reddunt orationem; quæ alia eſt μεγέθους pars.

Σχήματα, quæ σεμνότητι inſerviant duo ſunt. Unum eſt ὀρθότης, ſive oratio recta, quæ cujuſmodi ſit, paullo antè diximus. Alterum eſt ἐπίκρισις, ſive approbatio, quâ Orator ſuum apponit judicium: ut cùm Cicero pro Archiâ comprobat judicium Alexandri Magni: *Et verè*, inquit, *nam, niſi Ilias extitiſſet illa, idem tumulus, qui corpus contexerat, nomen etiam obruiſſet.* At ſi non adfirmatè, ſed μετ' ἐνδοιασμοῦ, h. e. cùm dubitatione aliquid adſeramus, non ad σεμνότητα, ſed τὸ ἦθος, ea res pertinebit. Nam, ut verecundiam noſtram teſtamur, ita autoritati derogamus. Eſt & tertium ἐπικρίσεως genus, τὸ εἰς τὴν αὑτοῦ γνώμην ἀναφέρειν τι τῶν ῥηθησομένων· *cùm orator ea, quæ dicentur, refert ad ſenſum ſuum.* Eſtque nihil aliud, quàm expreſſa oratoris ſententia; ut in Manilianâ: *Ego ſic ſtatuo, in optimo Imperatore quatuor has res ineſſe oportere.* Ac hoc quoque genus σεμνότητος habet, quia æquè ac primus ἐπικρίσεως modus, fit ἄνευ ἐνδοιασμοῦ ‡. Vitandæ autem in hoc genere ἀποστροφαὶ, & ἐπιστροφαὶ, quæ duo relata ſunt: illis aliò avertitur ſermo, quàm primò ac per ſe inſtituta requirat oratio: his revenit ad eum, à quo ſermo fuerat averſus. Cur verò hæ σεμνότητα tollant, ea cauſſâ eſt, quòd oratio iis interrumpatur ac demittatur ad commune ac populare dicendi genus: atque id ipſum in cauſſâ eſt, cur hìc quoque fugere oporteat ὑπέρβατα. Scaliger tamen negat ἀποστροφὰς adverſari orationis gravitati. Id enim abunde refelli ait vel unâ Adherbalis oratione apud Salluſtium *: *Jamjam, frater animo meo chariſſime* &c.

‡ Abſque dubitatione.

* In Jugurth.

Κῶλα brevia ac mediocria hìc præſtant oblongis. Verùm hoc quoque leviter ab Hermogene adſertum eſſe, ait Scaliger.

Com-

Compoſitio non multùm laborat de vitando hiatu: amat dactylos, anapæſtos, pæanas, epitritos, ſpondeos, ac quandoque jambum; ut qui ad inſpectandum ac reprehendendum conducat. At fugit trochæos, & jonicos; ut qui mollem reddant orationem. Cicero tamen dichoræum probat, ut alibi diximus.

Clauſula tum pedes ſpectat, quos cum ideâ σεμνότητος communes habet: tum ſyllabas, quarum ultimas tres longas eſſe præſtat, quàm breves: tum vocales, è quibus maximè aucupatur A, & O, aliaſque magis ſonoras.

XV. De altera magnitudinis parte, quæ est asperitas.

PAucis dedimus, quæ ad gravitatem pertinent. Ea autem adhibenda eſt ad emendationem Reipublicæ. Itaque ut ſuperiores reprehendamus, requiritur τραχύτης, ſive aſperitas; quæ altera eſt pars μεγέθους.

Eſt autem τραχύτης duplex: una ψιλὴ καὶ ἁπλῆ, h. e. nuda, ac ſimplex, in quâ aſperitas nullo lenitur remedio: altera διορθωτικὴ, καὶ ὑποθετικὴ, h. e. mixta ſive temperata, quæ certas habet conditiones, orationis acerbitatem quaſi edulcantes. Prioris generis eſt in Perſio; poſterioris in Horatio, qui *vitium ridenti amico*, ut apud Satyricum* eſt,

* Perſ. ſat. 1.

Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit.

Atque hinc conſequitur, duplices quoque eſſe aſperitatis ſententias; quaſdam ſimplices, ac ſine correctione; quaſdam mixtas, ac cum correctione. Prioris ſolùm generis ſententiæ huc pertinent.

Methodus eſt, ut libere dicantur ſententiæ ex perſonâ noſtrâ; non alienâ, neque cum dubitatione, aut ullo eorum remediorum, quibus παῤῥησίαν leniri ſuperiori libro commonſtravimus.

Verba, aſpera eſſe debent. Ejuſmodi ſunt metaphoræ duriores. Ut illud Philipp. XII: *Qui ex naufragio luculenti patrimonii in hæc Antoniana ſaxa projectus.* Duriùs ſanè dixit, *Antoniana ſaxa:* quamquam non parùm eo mollitur, quòd anteceſſerit, *naufragio patrimonii*. Nec modificata tantùm, ut κατεχέσεις, καὶ ὑπαλλαγαὶ, aſperitatem adferunt; ſed etiam voces naturâ ſuâ aſperæ: ſive id fiat propter ſonum: ut Philippicâ quinctâ: *Hoc qui non videt, excors; qui cùm videt, non decernit, impius:* ſive ob ſignificationem; ut ſiquem proditorem, aut civem ſceleratum appelles: quamquam & in his concurrat ſoni aſperitas, & in illis ſignificationis.

Σχήματα aſperitatis ſunt potiſſimùm tria. I. Apoſtrophe ad eum, quem increpamus. II. Interrogationes breves, atque acres. III. Δεῖξις ἐλεγκτικὴ, ſive ἐπιτιμητική: ut, *Hic ille eſt, qui præſentem omnibus nobis intentavit necem.*

Κῶλα ſunt brevia, & κομματικά.

Compoſitio admittit hiulcos vocalium concurſus; nec ullam eorum rationem habet, quæ ſuavem venuſtamque efficiunt orationem.

Clauſula planè incondita eſt, ac nunc in hunc, nunc in illum deſinit pedem.

XVI. De tertia magnitudinis parte, sive de vehementia.

DIximus de aſperitate, quâ reprehendimus eos, qui antiſtant nobis. Verùm non ſolùm uſu venit, ut neceſſe habeamus culpare ſuperiores; verùm etiam, ac ſæpius quidem, ut habenda ſit oratio in pares, ac inferiores; velut in cives ſceleratos. Adverſus tales requiritur ΣΦΟΔΡΟΤΗΣ, ſive vehementia. Ea admodum cognata eſt aſperitati. Siquidem illo conveniunt, quòd utraque reprehendatur alius: eo diſconveniunt, quòd illâ reprehendatur ſuperior; hâc aut par, aut inferior: niſi fortè auditores ex reprehenſione capiant voluptatem; ut cùm apud Athenienſes Demoſthenes Philippum vexat: quod genus Hermogenes quoque ſubjicit vehementiæ. At diſpar ratio, cum Orator invehitur in Senatum, aut populum apud quem dicit.

Sententiæ σφοδρότητος aſperiores quoque eſſe poſſunt, quàm τραχύτητος. Sanè videre eſt Oratores ſæpe, quaſi Bupaliam pugnantes pugnam, omnes irarum habenas effundere in adverſarium, ac tantopere animo ſuo morigerari, ut & alter alterum Dionyſiacis ſcommatibus inceſſant. *Methodus* quoque liberior. *Dictio*, ut in aſperitate: imò hìc quoque vocabula fingere licet, quod in aſperitate conceſſum non eſt. *Figuræ* cùm eædem ſunt, quæ in aſperitate; tum inſuper δεῖξις ἐλεγκτικὴ, ſive ἐπιτιμητικὴ, quæ fit per pronomina demonſtrativa, hic, ille, &c. *Membra*, ut in aſperitate; atque adeò breviora quoque, ita ut ſingula verba efficiant inciſum: ut*; *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit.* Propter eandem cauſſam, quemadmodum obſervavit Euſtathius, aſyndeta hìc quoque locum habent: ut in Ligarianâ; *Quid enim tuus ille deſtrictus in acie &c. Quæ tua mens? manus? oculi? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Compoſitio*, ac *clauſula*, ſeſe habent, ut in aſperitate.

* Catil. 2.

XVII. De quarta magnitudinis parte, sive de splendore.

VIdimus, quomodo reprehendi poſſint, tum ſuperiores, tum pares, inferioreſque. At, ne oratio, quâ alios inceſſimus, planè aſpera ſit, horridaque, τραχύτητι excipit quarta μεγέθους pars, quàm λαμπρότητα, h. e. feſtivitatem, vel, quando vox hæc ambigua eſt, ſplendorem vocare poſſumus. Pertinent ad eam *ſententiæ*, quibus maximè confidit orator. Eæ in quatuor claſſes diſpeſcuntur. Prima eſt rerum divinarum; aut naturalium, ſed illuſtrium. Quare huc refer ſententias de providentiâ Dei, ejuſdem bonitate, ac ſimilibus. Altera eſt rerum à nobis, aut majoribus noſtris, præclarè geſtarum: ut cùm Cicero agit de oppreſſo à ſe Catilinâ. Atque hìc videndum, ne, Suffenorum inſtar, inepti ſimus laudum noſtrarum curiones. Tertium eſt rerum iſtarum, quas auditores cum voluptate audiunt: ut de Philippo apud Græcos, de Catilinâ apud Romanos. Quartum continet ſimilitudines, comparationes, perſonarum locorumque deſcriptiones: cujuſmodi mirificè ad illuſtrandum valent.

Methodi eſt, ſimpliciter, & abſque rebus aliunde aſſumtis, proferre ſententias; narrare fidenter, ac ſine dubitatione; uti narratione continuâ, h. e. abſque ἐπεμβολαῖς ἢ ὑπερβάτοις; ac denique probabilia probabiliter referre.

Dictio ſe habet, ut in gravitate.

Figuræ ſplendidæ eſſe debent. Ejuſmodi ſunt αἱ ἀναιρέσεις, i. ablationes ſive negationes; ut, *Sine tumultu* &c. Item αἱ ἀποστάσεις, h. e. ſeparationes ſive deflexiones à continuatione verborum ac ſententiarum; quales exprimuntur, cùm rem à capite ipſo repetimus, atque ita quaſi novam ordimur ſententiam. Interdum tamen ἀπόστασις nullum adfert ſplendorem. Quippe ſi continua ſit ὀρθότης, fit καθαρότης, ſive ſermo purus. Verum hoc vitabimus, ſi rectam orationem continuò excipiat περιβολὴ, ἢ πλαγιασμὸς, *complexio*, *autobliquatio*.

Κῶλα, ſi Hermogenem audimus, longiora eſſe debent. At meritò repugnat Scaliger, quandoquidem nihil illuſtrius Salluſtianâ dictione, cujus κῶλα penè omnia κομματικὰ, id eſt, præciſa.

Compoſitio, ac *clauſula*, eadem, quæ in gravitate. Quamquam hìc in mediâ compoſitione unus alterque trochæus ſcitè interſeri poſſit, modò clauſula ſit congruens ſplendori.

XVIII. De quincta magnitudinis parte, sive de vigore.

ATque ex his cognoſcere fuit, quomodo aſpera ac vehemens oratio ſplendorem acquirat. At cùm ea non

ſeni-

ſenilis, atque exſanguis, ſed vegeta ac fortis eſſe debeat: neceſſaria quoque eſt orationis ἀκμὴ, ſive vigor; quo fit, ut oratio non langueat; ſed quaſi juveniles habeat lacertos, quibus validè tela mittat in adverſarios.

Sententia, ac *methodus*, ſe eodem habent modo, quo in aſperitate, & vehementiâ. Sed & *verba* eadem ſunt, quæ aſperitatis: eo tantùm differunt, quòd hîc voces aſperæ leniri debeant verbis gravitatis, ac ſplendoris. *Figuræ* quoque ſunt eædem, quæ in ſplendore, & vehementia. Quin *reliquarum* etiam *partium* tractatio peti debet ex iis, quæ ex Hermogene decerpſimus de ſplendore. Ex quibus omnibus planum fit, ἀκμὴν non habere præcepta propria; ſed ſuperiorum conſtare præceptis. Id quo magis appareat, viſum apponere illuſtre ἀκμῆς exemplum è Divinatione Cic. in Verrem. ubi Q. Cæcilii facultatem oratoriam hoc pacto perſtringit: *Putaſne, te poſſe de maximis, acerbiſſimiſque rebus, cùm cauſſam ſociorum, fortunaſque provinciæ, jus populi R., gravitatem judicii, legumque, ſuſceperis, tot res, tam graveis, tam varias, voce, memoriâ, conſilio, ingenio, ſuſtinere? Putaſne, te poſſe, quæ C. Verres in quæſtura, quæ in legatione, quæ in præturâ, quæ Romæ, quæ in Italiâ, quæ in Achaiâ, Aſiâ, Pamphyliâque patrârit, ea, quemadmodum locis temporibuſque diviſa ſint, ſic criminibus & oratione diſtinguere? Putaſne, te poſſe, id quod in ejuſmodi reo maxime neceſſarium eſt, facere, ut, quæ ille libidinosè, quæ nefariè, quæ crudeliter fecerit, ea æquè acerba & indigna videantur eſſe iis qui audient, atque illis viſa ſunt qui ſenſerunt?*

XIX. De sexta magnitudinis parte, sive de oratione cumulata.

Tempus eſt, ad extremam proficiſci μεγέθους partem. Ea eſt ΠΕΡΙΒΟΛΗ. Quam non ineptè mihi videor dicturus *orationem cumulatam*, aut *circumducentem*. Trapezuntius interpretatur *circumductionem*. At, ut bene inquit Scaliger *, non circumducitur res, ſed circum ipſam res aliæ. Nam rei additur aut genus, aut ſpecies, aut præſcriptio, aut totum, aut pars, aut perſona, aut locus, aut tempus, aut modus, aut inſtrumentum, aut cauſſa: quæ quia περιβολὴ cum ſe nudâ complectitur, propterea nec incommodè à Scaligero † complexio vocatur.

* *De re poët. lib. 4. cap. 1.*

† *Ibidem.*

Περιβολῆς hoc major habenda eſt ratio, quòd abſque aſperitate, vehementiâ, vigore, ac ſplendore, oratio magna eſſe poſſit; at non item ſine περιβολῇ.

Sententiæ περιβολῆς ſunt περιληπτικαὶ, h. e. idoneæ ad cumulandam, atque, ut veteres loquebantur, augificandam orationem. Res autem, quæ aſſumi debent, ſunt quadruplices. Nempe vel genus ad ſpeciem, vel infinitum ad finitum vel totum ad partem, vel ad rem ipſam accedunt τὰ παρακολουθοῦντα, h. e. circumſtantiæ ejus ac conſequentia; cujuſmodi ſtatuuntur perſonæ, loca, cauſſæ, occaſio, tempus, ac modus.

Μέθοδος conficitur τῇ ἀναστροφῇ vel naturæ, vel orationis. *Naturæ*, cùm in rebus geſtis priora poſtponuntur. *Orationis*, cùm probationes ponuntur ante id, quod probatur.

Περιβολὴ non habet proprium verborum genus; verùm locum in eâ habent aliarum formarum verba: aut ſi quod genus proprium eſt, id erit ἐπιμονή, quâ diutius in eâdem commoramur ſententiâ. Verùm Hermogenes cenſet, eam potiùs ad prudentiæ methodum, quàm orationis circumducentis dictionem, pertinere.

Σχήματα περιβολῆς ſunt πάντα τὰ ἐφελκόμενα, h. e. quæcunque non efficiunt per ſe perfectam ſententiam; ſed alteram tertiamque ſententiam ſecum trahunt: quomodo, cùm audivimus *primò*, exſpectamus *deinde*. Ejuſmodi primo loco eſt ἀπαρίθμησις, ſive enumeratio, quam tamen rectiùs *ordinem* appellabimus. Hæc non tantùm ob partium ordinem perſpicuam reddit orationem; ſed etiam animum auditorum ſuſpendit rerum exſpectatione. Secundum eſt προτίμησις, ſive oratoris electio, cùm ita recenſentur aliqua, ut unum cæteris præponatur. Tertium, ὑπόθεσις, cùm pendet oratio ex conjunctione. Quartum, πλαγιασμὸς, ſive oratio obliqua, de quâ ſæpius dictum nobis. Quinctum, τὸ ἐπιπέχον, ſive ſententiæ inſertio inter ſubjectum & prædicatum. Sextum, ὑπόθεσις, ſive ſubjectio particularum, quarum una alteri reſpondet. Septimum, μερισμὸς, ſive digeſtio, quâ oratio diſtinguitur particulis; cujuſmodi ſunt, quamquam, tamen; quidem, verùm. Quædam etiam περιβολῆς σχήματα ſunt μὴ ἐφελκόμενα: velut ἄρσις ϰ̓ θέσις, h. e. ablatio inferens: ut cùm unum tollitur, atque alterum aſſeritur: E. G. *non hoc, ſed illud.* Deinde τὸ ἐξ ἀναιρέσεως συμπλεκτικὸν, copulatio dirimens, ſive per negationem; ut cùm duobus propoſitis, non magis unum, quàm alterum, conſequi oſtenditur: E. G. *non hoc ſolùm, ſed illud quoque.* Præterea συστροφὴ, ſive converſio, vel, ut Trapezuntius vertit, convolutio; quâ periocha ita membris inciſiſque pluribus colligatur, ut intelligi nequeat, antequam ad finem fuerit perducta. Denique ἐμβολὴ, ſive παρεμβολή, h. e. aliarum ſententiarum interpoſitio longior, adeò ut fiat περίβολος. Nam ſi brevius ſit, quod interjicitur; non circumducens, ſed velox fuerit oratio. Et hæc de figuris περιβολῆς.

Κῶλα, *compoſitio*, ac *clauſula* περιβολῆς, aſſumuntur ex aliis formis, ſolâ exceptâ puritate. Cur verò hæc excipiatur, cauſſa eſt, quòd in puritate res ponantur nudæ ac ſimplices: at in περιβολῇ omnia dilatentur, atque exaggerentur.

Ad περιβολὴν ex Hermogenis ſententiâ pertinet quoque ἡ μεσότης, h. e. oratio plena ac referta. Quippe quæ nihil aliud ſit, quàm περιβολὴ περιβεβλημένη ϰ̓ πλεονάζουσα ἐν ἑαυτῇ, quod Trapezuntio ſit, *circumductio circumducta, ſive in ſe redundans.* Hanc potiſſimùm effici ait, quando frequentantur σχήματα περιβλητικὰ, h. e. quibus gignitur περιβολή. Verùm, ut ſolidè comprobat Scaliger, ἡ μεσότης περιβολῆς propria non eſt, cùm extra περιβολὴν inveniatur, ac in humilem quoque cadat characterem.

XX. De tertia idea, quæ est pulchritudo.

De magnitudine ſatis dictum: tranſeamus ad pulchritudinem. Neque enim laudabilis eſt magnitudo, cum

— nulla venuſtas,

Nulla eſt in magno corpore mica ſalis:

ut de Quinctiâ ſcripſit poëta Veronenſis *. Eſt autem pulchritudo duplex. Una eſt ἐν ϰαλλωπισμῷ, ſive καλλωπισμῷ, h. e. calamiſtrato ſive extanti ac nimio, eoque magis conſpicuo decôre. Ab hoc oratio dicitur affectata: qualis eſt dictio Appuleji, atque olim Gorgiana, aliorumque ſophiſtarum fuit. Altera eſt ἐν ἀξιώματι, i. dignitate; à quâ oratio dicitur ſplendida. Eſt enim ſplendor, orationis cultus cum gravi dignitate conjunctus. Iſtiuſmodi inprimis eſt Demoſthenica ac Tulliana dictio. Inter hanc ἀξιωματικὴν, & illam ϰαλλωπιστικὴν, ſive κομμωτικὴν orationem, interjectum eſt τὸ γλαφυρὸν, ſive floridum, quod & dicitur φαιδρὸν, h. e. hilare dicendi genus. Hujuſmodi inter alios eſt in Catullo, Vellejo, Petronio. Item Herodoto, Luciano, Syneſio; cujus epiſtolæ χάριτος † ϰαὶ ἡδονῆς ὑποστάζουσι, & quidem μεθ' ‡ τῆς ἐν τοῖς νοήμασι ἰσχύος ϰαὶ ποιότητος, ut Photius de eo in myriobiblo ait ‖.

* *Epig. 87.*

† *Venuſtate ac dulcedine fluunt.*

‡ *Cum ſententiarum robore, ac dignitate.*

‖ *Cod. 26.*

Orationibus generis demonſtrativi magis convenit florida ac hilaris dictio. At eæ, quæ in deliberativo, aut juridiciali verſantur, magis gaudent pulchritudine cum dignitate conjunctâ.

Inprimis autem genus hoc ἀνθηρὸν, ut eſt apud Proclum in Chreſtomathia, ἁρμόζει * τοπογραφίαις, ϰ̓ λειμώνων, ϰ̓ ϰ̓ ἀλσῶν ἐκφράσεσιν. Sanè poëtæ ab hujuſmodi deſcriptionibus carmini ornatum quærere ſolent. Unde Horatius epiſt. ad Piſ.

* *Convenit locorum, pratorum, ac lucorum deſcriptionibus.*

In-

Inceptis gravibus plerumque, & magna profeſſis,
Purpureus, late qui ſplendeat, unus & alter
Aſſuitur pannus: cum lucus, & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius deſcribitur arcus.

Et Perſius ſat. 1.

Dicere res grandes noſtro dat Muſa poëtæ.
Ecce modo heroas ſenſus adferre videmus
Nugari ſolitos Græcè; nec ponere lucum
Artifices; nec rus ſaturum laudare, ubi corbes
Et focus, & porci, fumoſa palilia fumo.

Quamquam poëta hoc loco non tam veram deſcripſit grandiloquentiam, quàm affectatam.

Pulchritudo nullas habet peculiares *ſententias*, niſi acutè dicta ei ſubjicere lubeat. Sed neque *methodum* propriam habet. Tota verò conſiſtit in genere dicendi aures demulcente. Gaudet magis *verbis* propriis, quàm tranſlatis; domeſticis, quàm peregrinis; brevibus, quàm longis. Nec tamen poëtica adſpernatur; ſed parcè ea adhibet. Unde Photius, in Philoſtorgii hiſtoriâ τὸ κόμψον* laudans, ait, eum uti poëticis, ſed οὐ † κατακόρως, οὐδ' ἀχαρίτοις λέξεσι.

* Ornatum.
† Citra lautitatem, & vocibus nimis ingratis.

Σχήματα potiſſima ſunt decem. Primum ſunt παρισώσεις, h. e. ſyllabarum ſimilitudo, ſive in initio, quæ ὁμοιόαρκτον dicitur; ſive in fine, quæ ὁμοιοκατάληκτον vocatur. Neutra tamen affectata eſſe debet, ſed occulta temperataque. Occultatur autem utraque tum διακοπῇ, cùm inter primum ac poſtremum membrum, quæ inter ſe ſimilia ſunt, aliquid interſeritur, atque ita membra interſcinduntur: tum ἐναλλαγῇ, ſive tranſpoſitione, cùm membra ſimilia ponuntur in medio: tum ἰσώσει τῶν κώλων, cùm duobus membris paribus ſubjicitur impar. Alterum σχῆμα eſt ἐπαναφορὰ, ſive repetitio in initio diverſorum membrorum. Tertium, ἀντιστροφὴ, ſeu converſio, quâ idem iteratur in fine. Quartum, ἐπαναστροφὴ, cùm idem eſt prioris membri finis, ac ſequentis initium. Quinctum eſt, τὸ κλιμακωτὸν, ſive gradatio. Sextum, μερισμὸς κατὰ συζυγίαν, ſive partitio parium. Septimum, τὸ ὑπερβατὸν, quo verbum in extremam differtur ſententiam. Octavum, τὸ καινοπρεπὲς, ſive innovatio: ut prolepſis, ſyllepſis, enallage, aliæque Grammaticorum figuræ. Nonum, αἱ δὲ δύο ἀποφάσεων γινόμεναι καταφάσεις, duæ negationes pro unâ affirmatione. Decimum eſt, τὸ πολύπτωτον, quo eadem vox mutatis effertur caſibus.

Κῶλα vel mediocriter longa eſſe debent, vel brevia quidem, ſed continuata, connexaque, ita ut alia ex aliis pendeant.

Compoſitionis hîc inprimis habenda ratio eſt. Vitandi in eâ hiatus, & aſper conſonantium concurſus. Propiùs à poëtarum compoſitione abeſt, quàm reliquæ ideæ. Quippe ita confici debet, ut nec verſum efficiat, nec longè abſit à verſu. Itaque & cognatos pedes amat, cujuſmodi ſunt dactyli, anapæſti, ſpondei; quamquam Rythmici obſervant, anapæſtos ac ſpondeos differre ob diſſimilem percuſſionem. Verba denique, quibus conſtant periodi, non debent eſſe ἰσοσύλλαβα, ὁμοιότονα, καὶ ὁμοιόχρονα, h. e. pari ſyllabarum numero, aut accentu, vel quantitate ſimilia. Nihil enim venuſtati accommodatius varietate.

Clauſulæ ne ſint ſtabiles, ſive inſiſtentes; ſed pendulæ; ita ut aut penultima brevis ſit, ultima longa, aut contra. Sed & monoſyllaba in fine collocata venuſtatem adferunt; uti argumento eſt illud Tullii in Manilianâ: *Itaque non mihi tam copia, quàm modus in dicendo quærendus eſt:* & Horatianum* iſtoc:

* In Arte.

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Refugit hæc idea brevitatem, quia obſcuritatem parit; quæ crucem potiùs figit, quàm voluptatem gignit. Itaque Photius†, cùm in aliis laudet hiſtoriam Nicephori Conſtantinopolitani: tamen unum hoc culpat, quòd nimiùm brevis ſit. Hoc enim in cauſſâ eſſe ait, quòd non omnes expleat partes venuſtatis.

† Cod. 66.

Etiam venuſtati adverſatur anxia cura, quam περιεργίαν vocant. Quæ quia aberat ab hiſtoria Sergii Confeſſoris, ab eodem Photio* laudari hoc nomine meruit. Nimirum florida dictio debet exſurgere naturali venuſtate: quod non intelligunt, qui anxiè ſectantur floſculos declamatorum. Nam hoc pacto oratio fit affectata: quod grande eſt vitium, utcunque eo nonnulli, & ſibi, & aliis placeant.

* Cod. 67.

XXI. De quarta idea, sive de oratione concitata.

Habemus, quomodo oratio fiat perſpicua, magna, pulchra; quorum primum eſt neceſſitatis, alterum dignitatis, tertium jucunditatis. Nunc, ut inſtituimus, reliquas affectiones ordine perſequamur. Neque enim ſufficit, amplitudinem eſſe pulchram;. quia nec oratio debet eſſe ignava, cùm non comparetur aquæ ſtagnanti, ſed flumini; nec ſtatuam debeat referre, aut Tityrum ſub fago recubantem; ſed juvenem, & animo alacrem, & corpore vegetum. Id verò præſtat ἡ ΓΟΡΓΟΤΗΣ; quam rectiùs incitatum, ſive concitatum, aut præceps dicendi genus appellabimus, quàm celeritatem; cum non ἁπλῶς velocitatem notet, ſed quandam quaſi fulmineam celeritatem. Fit ea, cùm res, ac ſententias, alias aliis ſuperaddimus. Convenit autem cuilibet charactéri. Sanè humilis exemplum habemus in iſto Maronis†:

† Ecl. 1.

Inſere nunc, Melibœe, piros, pone ordine vites.

Quemadmodum medii in hoc‡:

‡ 1. Georg.

Nudus ara, ſere nudus: hyems ignava colono.

Proprias *ſententias* non habet; niſi cuipiam ſit viſum ei ſubjicere illa, quæ argutè dicuntur; cujuſmodi multa petere eſt ex clarorum virorum apophthegmatis.

Methodus ejus eſt, ut brevibus objectiunculis breves ſubdantur ſolutiones. Eſtque triplex. Primùm, ἀπάντησις ἢ ἐναντίωσις, noſtrorum argumentorum objectio. Deinde ἀντιθέσεις, ſive προλήψεις, quâ adverſarii objectionem anticipamus, atque diluimus. Præterea συνδρομὴ, ſive συγχώρησις, quâ unum concedimus, at alterum opponimus: ut vulgato illo Iſocratis ‡: τῆς παιδείας τὴν ῥίζαν πικρὰν εἶναι, γλυκεῖς δὲ τοὺς καρπούς. *Literarum quidem radices amaras eſſe, ſed fructus dulces.*

‡ Ad Demonicum.

Admittit omne genus *verborum*: attamen maximè gaudet brevibus, quia celeriùs abſolvuntur.

Σχήματα ejus ſunt triplicia. Quædam reddunt orationem inciſam, nec tamen id facere videntur. Ejus eſt generis πλαγιασμὸς, ſive oratio obliqua, & συστροφὴ, ſive periodus involuta, quam converſionem, aut convolutionem dicere poſſumus: item πολύκωλον, ſi fiat inciſum. Quædam videntur orationem reddere inciſam, nec tamen id præſtant. Ejuſmodi eſt τὸ καθ' ἀποστροφὴν, quo poſt factam declinationem ad perſonam redimus, quam primariò ſpectet oratio: item τὸ ἐπιτρέχον, ἢ τὸ κατ' ἐπιδρομὴν, quo ita aliquid concedimus, ut aliud opponamus. Inter ea autem hoc diſcriminis eſt, quòd ἀποστροφὴ ſemper efficiat γοργότητα: τὸ ἐπιτρέχον tum tantùm, cùm membra ſunt longiora. Quædam denique ejus ſunt orationis, quæ & inciſa eſt, & talis videatur: ut ἀσύνδετον κομματικὸν, quod à Cornificio articulus, ab aliis diſſolutum vocatur. Item ἐπαναφορὰ, ἀντιστροφὴ, & συμπλοκὴ, ſive πολυσύνδετον.

Compoſitio non debet eſſe hiulca; gaudet maximè trochæis, quia pes hic celeritatem habet.

Clauſula quoque eandem ob cauſſam trochaïca plurimùm eſſe debet.

XXII. De quincta idea, sive de oratione morata generatim, ac speciatim de prima ejus specie, nempe simplicitate.

Summa eorum capita delibavimus, quæ ab Hermogene dicuntur de incitato ac præcipiti dicendi genere: conſequi

ſequi videtur, ut conſiderationem intendamus in ſermonem moratum. Nec enim ſatis eſt, orationem eſſe perſpicuam, grandem, jucundam, ac concitatam: ſed etiam requiritur, ut habeat τὸ ἬΘΟΣ, h. e. morum ac virtutum ſignificationes: quippe eâ re magnum pondus accedit ad animos impellendos. Ut autem oratio ſit iſtiuſmodi, non verſutiloqua eſſe debebit, ſed ſimplex. Inſuper jucundam ac ſuavem eſſe convenit; quia horrida incultaque ſimplicitas nauſeam adfert. Acutam quoque eſſe oportet; quia ludibrio aliis eſſe ſolent, quibus nihil eſt aceti in pectore. Modeſtia etiam, & verecundia, multùm confert; quia odio habentur homines pompatici, qui ſibi putant vel ad digituli crepitum ſilentium deberi, omneſque præ ſe venum eſſe oportere. Requiritur quoque, ut, quæ dicuntur, ab animo proficiſci, vereque dici videantur. Quamquam hoc quidem ſub ſimplicitate complecti liceat. Sed eò adjicitur, quia eſt & quædam ſimplicitas ſimulata. ut illa Sinonis 11. Æn. qua perſuaſit, ut equus in urbem adduceretur. Denique gravitate opus eſt in reprehendendo, atque expoſtulando. Itaque ſex in univerſum Hermogeni partes ſunt τοῦ ἤθους: *ἀφέλεια*, ſeu ſimplicitas, *γλυκύτης*, ſive ſuavitas, *δριμύτης*, ſive acrimonia, *ἐπιείκεια*, ſive modeſtia, *ἀλήθεια*, ſive veritas, & *βαρύτης*, ſive gravitas in objurgando.

ἈΦΕΛΕΊΑΣ, ſive ſimplicitatis ſententiæ ſunt quadruplices. *Primò* enim hujus ſunt loci ſententiæ καθαρότητος, ſive puritatis, puris tamen aliquanto communiores. *Deinde*, quæ conveniunt hominibus ſimplicibus; cujuſmodi in Bucolicis Maronis, ac inprimis Theocriti, legimus. E Bucolicis eſt iſtoc Tityri Ecl. 1:

> *Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi*
> *Stultus ego huic noſtræ ſimilem: quò ſæpe ſolemus*
> *Paſtores ovium, & teneros depellere fœtus.*

* Act. 1. ſc. 1. Similiter in Comœdiis: ut hoc Simonis in Andria*:

> *—— Placuit tum id mihi.*
> *Sic cogitabam: Hic, parvæ conſuetudinis*
> *Cauſâ, mortem hujus tam fert familiariter.*
> *Quid ſi ipſe amâſſet? quid mihi hic faciet patri?*

† Orat. pro Roſcio Amerino. Talem & Cicero † deſcribit Sextum Roſcium initio narrationis: *C. Quinctius, cæterarum rerum paterfamilias ſat diligens, in una re non ſatis prudens.* Simplex quoque illa Didonis oratio:

> *Anna, (fatebor enim) miſeri poſt fata Sichæi*
> *Solus hic inflexit ſenſus.*

Præterea, cùm multa exempla ab animalibus, aut ſtirpibus, petuntur. Nam ſi unum tantùm, alterumque, adducatur; ſuavitatem potiùs, quàm ſimplicitatem, adferet ea res orationi. *Denique*, cùm vel adverſarium, vel auditores, jurejurando nobis obſtringimus, aut jurejurando parvâ de re aliquid affirmamus. At cùm ex enthymemate facimus jusjurandum, ita ut jusjurandum habeat vim argumenti: non tam illud ſimplicitatem, quàm ſplendorem, ac magnitudinem parit.

Methodus ſe ferè habet, ut in oratione purâ: tantùm hîc addimus, idem nos conſequi, ſi ſingula narremus minutatim, aut res graves nudè & abſque circuitione proponamus.

Dictio tum eadem eſt, quæ καθαρότητος, de quâ egimus; tum quæ δριμύτητος, ſive acrimoniæ, de quâ infrà dicturi ſimus.

Σχήματα, *verborum compoſitio*, ac *clauſula*, ſeſe habent, ut in oratione pura. Atque hæc de ſimplicitate.

XXIII. De secunda moratæ orationis parte, quæ est suavitas.

Γλυκύτης, ſive ſuavitas, differt plurimum à venuſtate. Nam huic turpe opponitur; illi aſperum. Omnia Ciceronis (niſi de iis quis controverſiam moveat, quæ languidiùs in exilio ſcripſit) venuſta ſunt; at non item ſuavia: & meritò, cùm in invectivis aſpera requiratur oratio.

Maximè autem conſiſtit ſuavitas in ſententiis. Inter has principem locum obtinent fabulæ poëticæ; quarum licet meſſem metere maximam è Metamorphoſi Antonini Liberalis, ac inprimis Ovidianâ.

Proximus debetur iis, quæ hiſtoriis quidem inferciuntur, attamen pro fabulis habentur: velut quod de Romulo, & Remo, à lupâ nutritis, ſcribit Livius.

Tertius continet illa, quibus nonnihil fabuloſi admixtum: quomodo vera quidem fuit pugna Marathonia; at à fabula eſt, quòd de Panos augurio Herodotus * in ejus deſcriptione commemorat. * Lib. 6.

Quartus eſt eorum, quæ ſenſus maximè adficiunt; ut res naturales. Cujuſmodi ſuavitatis exemplum ſuppeditabit illa aquæ ac platani deſcriptio, quàm ex Phædro Platonis in primum de Oratore retulit Tullius. Nihil quoque ſuavius iſtis lib. 11. de Oratore: *Ac principio terra univerſa cernatur, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus. Quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concavas altitudines, ſaxorum aſperitates, impendentium montium altitudines, immenſitateſque camporum.* Huc etiam pertinent amatoria, honeſtis quidem honeſta, ſed turpibus turpia, & Latinè aperteque prolata. Ac horum quidem exempla non commemorabo; tum quia pudor noſter averſatur verba nupta, ignotaque in Veſtalium ſacris; tum quòd Catonibus theatro noſtro interdicere, ac Florales inſtituere, animus non ſit. Honeſta verò exempla abunde inter alia ſuggeret Heliodori de Theagenis & Charicleæ amoribus mythiſtoria. Nec ſatis eſt, ut ſermones ſint honeſti, & lepidi; ſed oportet etiam ſint tempeſtivi: h. e. non affectati, ſed ex occaſione velut ſemine enati. Quas tres in convivali ſermone conditiones, pro tribus Gratiis, jure optimo in Como ſuo requirit vetus condiſcipulus & amicus, Erycius Puteanus, vir mirâ ingenii, morum, doctrinæque elegantiâ: cujus hoc loco quo de ſuavitatis ideâ agimus, eo lubentiùs memini, quia dictione ejus nihil floridius, ſuavius, ac illecebroſius.

Quinctus ſuavium ſententiarum locus tribuitur laudi noſtri. Itaque, Tullio teſte †, *Themiſtoclem, illum ſummum Athenis virum, dixiſſe ajunt, cùm ex eo quæreretur, quod acroama, aut cujus vocem libentiſſimè audiret: ejus, à quo ſua virtus optimè prædicaretur.* Nec noſtri ſolùm, ſed noſtrorum etiam laudem lubentiſſimè audimus. Unde Athenienſem Athenis laudare haut difficile erat: ut eſt apud Platonem in Menexeno, & Ariſtotelem primo Rhetor. Etiam jucunda eſt nobis laus rerum earum, quas maximi facimus. Velut picturarum, vel hortorum, ſi talibus impenſiùs capiamur. † Pro Archia.

Sextus locus continet proſopopœias, apoſtrophas ad res inanimas, ac quicquid iſtiuſmodi eſt. Cicero pro Marcello: *Parietes, medius fidius, C. Cæſar, ut mihi videtur, hujus curiæ, tibi gratias agere geſtiunt.*

Μέθοδος habet ſe, ut in oratione purâ, ac ſimplici.

Dictionem vult Hermogenes eſſe puram, ac ſimplicem. Attamen, ut Maronis loco probat Scaliger, major ſuavitas à pictâ oratione oritur, quàm ſimplici. Quanquam id fortaſſe haut adverſetur Hermogeni, quia is per puram ac ſimplicem orationem intelligit eam, quæ conflatur partim è propriis, partim è metaphoris non longè petitis. Imò idem quoque agnoſcit, poëtica ad ſuavitatem conferre, modò in iis non excedamus modum. Sed & epitheta ſuavitatem parere ait; quæ utique non minùs modificata, quàm propria eſſe poſſunt. Ac nequid temere hic ab Hermogene adſertum putes, ejus de epithetis ſententiam confirmat, quòd Steſichorus idcirco dulciſſimus ſit habitus, quoniam epithetis abundabat.

Σχήματα, ut in puritate, ſimplicitate, & pulchritudine.

Compoſitio, ut in pulchritudine. Etiam ſuavitatem inter-

terdum parit vocalium concurſus. Sanè quid ſuavius
* Ecl. 3. iſto*:

Phyllida amo ante alias.

Sed de eo etiam in magnifico charactere dictum.

Clauſula affecta eſt, ut in ideâ dignitatis, ac pulchritudinis.

XXIV. De parte tertia orationis moratæ, sive de acrimonia.

Δριμύτης, ſive acrimonia, duobus conſtat ſententiarum generibus. Nam vel ſententiæ acutæ ſimpliciter pronunciantur; cujus exempla ſuppeditat ſermo Cyri à Tullio in extremo Catone è Xenophonteâ Cyri pædiâ converſus: vel contrà ſententiæ ſimplices acutè explicantur: quod quadrifariam fit. Primùm, quoniam ludimus ὁμωνυμίᾳ: ut cùm vocabulum quodpiam novâ uſurpamus ſignificatione, ſed cum vocis ἐτυμολογίᾳ conſentiente: ut ſi ſcortum voces φίλανδρον. Deinde, propter ὁμοιότητα, ſive ſoni ſimilitudinem: quò refer τὸ παρὰ γράμμα. Hinc ob παρονομασίαν; per quam Hermogenes intelligit ἀντιστασιν, ſive διλογίαν, quâ vox aliqua repetitur, ſed mutatâ ſignificatione. Noviſſimè, propter conjunctas duas μεταφοράς, quarum prior mollior, altera durior eſt: ut in Manilianâ; *Corinthum patres veſtri totius Græciæ lumen exſtinctum eſſe voluerunt.* Durius foret, ſi ἁπλῶς dixiſſet, Corinthum exſtinctam: nunc mitigatur, cum præmittit, *lumen.*

XXV. De quarta orationis moratæ parte, quæ est modestia sive æquanimitas.

Ἐπιείκειαν Trapezuntius *modeſtiam* nominat. At rectiùs cum Terentio * *æquanimitatem* appellabimus. Nam *modeſtia*, quæ Græcis σωφροσύνη, latiùs patet; ut quæ ἐπιείκειαν ipſam comprehendat.
* Prologo Andr. & Phorm.

Hæc idea omnia cum puritate, ac ſimplicitate orationis, communia habet, præter ſententias, ac methodum. *Sententiæ* ejus ſunt quatuor generum. Primò, cùm noſtra extenuamus: ut initio orat. pro Archiâ: *Si quid eſt in me ingenii, judices, quod ſentio quàm ſit exiguum* &c. Hic modus in exordiis inprimis locum obtinet. Deinde, cùm omittimus, quæ pro nobis dicere poteramus. Ita Demoſthenes, cùm à Midia colaphum accepiſſet, etſi crimen illud aggravabat, quòd fuiſſet τριηράρχης †, præclareque de Rep. meritus: non tamen his inſiſtit; ſed ait, ſe ea tantùm velle adferre, quæ quivis è populo in tali cauſſâ diceret. Præterea modeſtiæ eſt, cùm orator ait, ſe, adverſarii importunitate coactum, cauſſam dicere: at maluiſſe ſe rem per arbitros tranſigere. Facit hoc Cicero in Quinctianâ. Item, cùm reprehenſuri laudamus: ut in confutatione Manilianæ; *At enim vir clariſſimus, reipublicæ, & veſtris beneficiis ampliſſimis affectus, Q. Catulus; itemque ſummis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenii, præditus Q. Hortenſius, ab hac ratione diſſentiunt: quorum ego auctoritatem multis locis apud vos plurimum valuiſſe, & valere oportere, confiteor* &c.
† Triremium præfectus.

Μέθοδος modeſtæ orationis eſt triplex. Primus modus eſt ἐλάττωσις ἢ μείωσις τῶν αὐτοῦ χρηστῶν, noſtrorum bonorum ac commodorum extenuatio. Fit ea ἢ μετ᾽ ἐνδείξεως ‡, quæ aperta eſt extenuatio; vel ἄνευ τῆς ἐνδείξεως *, qui extenuationis modus ut occultior eſt, ita majorem quoque verecundiam ac modeſtiam indicat. Ratio altera eſt παράλειψις, ſive præteritio; quæ vel nullam plane commemorationem habet, vel nomine tenus præteritio eſt; ut cùm quis ſe præteriturum ait, quod tamen curſim delibat. Tertius modus eſt ἀφήγησις, quâ res nudas breviter & ordine narramus, nec quicquam foris aſſumimus.
‡ Cum quadam ſignificatione. * Abſque indicatione.

XXVI. De quinta parte moratæ orationis, sive de idea sexta, nimirum veritate.

Et hæc περὶ ἐπιεικείας *. Deinceps docet Hermogenes, quomodo conſequamur, ut oratio videatur ἐνδιάθετος, καὶ ἀληθής †. Nam, licet initio veritatem feceràt unam è ſeptem primariis ideis: tamen, cùm ad moratam pervenit orationem, agnoſcit, τὸ ἀληθὲς ‡ quoque ei ſubjici. Quod ſi eſt, ſex tantùm, vel ipſius Hermogenis confeſſione, fuerint ideæ. Imò quinque fortean, cum eidem δεινότης * nihil aliud ſit, quàm aliarum omnium idearum ὀρθὴ χρῆσις †. Nos nihilominùs ordini Hermogenis inſiſtemus.
* De modeſtia. † Ex animo profecta, veraque. ‡ Veritatem. * Vis dicendi. † Rectus uſus.

Sententiæ quævis in veritatis formâ locum habent, ac inprimis τῆς ἀφελείας ‡. Nam, ut ſcenicus Philoſophus in Phœniſſis ſcribit:
‡ Simplicitatis.

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ *.
* Sermo eſſe ſimplex veritatis ſolet.

Ad *methodum* hæc pertinent. Primò, τὸ μὴ προλέγειν, h. e. non prædicere animi affectionem: ut cùm ſine ullâ præmunitione juramus, admiramur, optamus &c. Deinde objectiones adverſariorum non diſſimulare; ſed verè proponere, atque ad eas reſpondere abſque ullâ præmunitione. Præterea, cùm ex abrupto aliquid aggredimur: nam initium videtur orationis ſubitæ, nec domi præmeditatæ. Inſuper, cùm orationis σχῆμα immutamus: ut cùm à judicibus tranſimus ad adverſarium, ab hoc ad nos, à nobis ad quæſitorem &c. Denique huc pertinet παρομολογία, ſive *confeſſio*. Ut illo Didonis:

Anna, (fatebor enim) miſeri poſt fata Sichæi,
Solus hic inflexit ſenſus.

Præterea μετάνοια, ſive dicti *pœnitentia*; item ἐπανόρθωσις, verbi *emendatio*, ἀνάμνησις, ſui ipſius *admonitio*; λύπη, *dolor*, propter verbum quodpiam, quod exciderit &c.

Λέξις variat pro affectuum varietate. Sanè in irâ verba eſſe debent aſpera, ac vehementia: miſericordia ſuavem exigit dictionem. atque ita in aliis.

Σχήματα huc pertinent, quæ oſtendunt, orationem ex animo proficiſci. cujuſmodi ſunt iſta. I. αἱ ἀποστροφαὶ ad adverſarium. II. ἀποστροφαὶ μετ᾽ ἐρωτήσεως †. III. τὸ δεικτικὸν, ſive demonſtratio; cujus & ſuprà meminimus. IV. διαπόρησις, ſive dubitatio. V. ἀποσιώπησις, ſive reticentia. VI. ἐπίκρισις, ſive judicium Oratoris de perſonâ, facto, aut re. VII. ἐπιδιόρθωσις, ſeu correctio. VIII. ἀναπόλυτος μερισμὸς, diſtributio non abſoluta. Nam abſoluta, perfectaque, meditationem indicat.
† Orationis averſiones cum interrogatione.

Κῶλα, *compoſitio*, ac *clauſula*, ſeſe habent, ut in formâ vehementiæ; hoc uno excepto, quòd in miſericordiâ, ac oratione lugubri, ea habent locum, quæ de ſimplici oratione diximus.

XXVII. De gravitate, sexta parte orationis moratæ.

Superſunt βαρύτης, ſive gravitas, & δεινότης, ſive dicendi vis. De vi dicendi mox: de gravitate nunc videamus.

ΒΑΡΥΤΗΣ eſt oratio gravis moleſtaque animo auditorum: ut quâ orator cum auditoribus expoſtulat. *Sententiæ* ſunt ὀνειδιστικαί, ſive exprobrantes. Eæ applicantur vel ad res, vel ad perſonas. Ad res, ut cùm quis ait, ſe pro meritis in Remp. aut nulla accepiſſe beneficia, aut pro maximis minima &c. Ad perſonas, ut ſi dicat quis, ſe ob id in exilium ejici, ob quod alius ſit honoribus auctus ampliſſimis, maximiſque.

Μέθοδος eſt quadruplex. I. diſſimulanter de ſe, aut adverſario, loqui. II. res confeſſas interrogando ad dubitationem revocare. III. dubitanter affirmare res confeſſas. IV. judicare aliquid eſſe neceſſarium, quod tamen velit indicare non eſſe neceſſarium.

Cæteras partes habet cum aliis formis communes, ac inprimis cum ſimplicitate modeſtiâque.

XXVIII. De

XXVIII. De poſtrema idea, quæ eſt dicendi vis.

DE ſex ſive ideis, ſive affectionibus, ſatis. Quare, quod reliquum eſt, dicamus de recto earum uſu. Id verò præſtat ΔΕΙΝΟΤΗΣ, quam meliùs *dicendi vim* appelles, quàm, ut multi, *aptam gravitatem*. Quippe non ſolùm aptitudinem ſignificat, ſed efficacem aptitudinem. Petrus Nunneſius *prudentiam* appellat. Non malè: attamen nec optimè, cùm ea propriè, ut egregiè ait Scaliger, ſit *vis orationis, quæ oritur ex illa prudentiâ, quâ partes ſua cuique attribuuntur*. At falluntur, qui δεινότητα ſoli characteri magnifico ineſſe putant; cùm conſiſtat in recto omnium idearum uſu.

Sunt autem tria quodammodo genera δεινοῦ λόγου. Quædam oratio δεινὴ & eſt, & videtur; ut illa Demoſthenis περὶ παραπρεσβείας. Quædam eſt, non tamen videtur; ut de lege Leptinæ, cui occulta ineſt δεινότης. Quædam videtur δεινὴ, nec eſt; ut illa Cyclici ſcriptoris*:

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

** Apud Horat. in Arte.*

Talis quoque erat ſophiſtarum oratio, quæ ob verborum gravitatem δεινὴ videbatur, cùm tamen nulla rebus, aut ſententiis, ineſſet gravitas.

Tum vera, tum apparens δεινότης, quatuor habet ſententiarum genera. I. τὸ παράδοξον, quod contra omnium, vel maximæ hominum partis, opinionem eſt. II. τὸ βαθὺ, quod eſt obſcurius, ita ut à paucis, ac eruditis ſolùm, intelligatur. III. τὸ βίαιον, quo adverſarii argumenta in ipſum retorquentur. IV. περιεννοημένον, quod fit omiſſione propoſitionis alterutrius in ſyllogiſmo.

Μέθοδος *cæteraque*, petantur è formis μεγέθους, ſive magnitudinis.

XXIX. Doctrinæ de ideis, ac ſimul elocutionis oratoriæ, epilogus.

ATque hæc eſt Hermogenis de Ideis doctrina; cujus conſpectum dare, quàm univerſam convaſare ſuppellectilem, magis curæ pretium duxi. Nam quis futurus eſt ſcriptionis noſtræ modus, ſi nobis lubido ſit, omnia ab aliis bene dicta colligere, ut hodie ſartores ſolent, qui unum hoc agunt, ut aliorum fetus de manibus extrudant? Equidem, cùm mihi ſemper cautio fuerit, ut ab hâc ſcabie ungues tenerem: nunc quoque contentus ero hâc qualicunque ad ſacraria Hermogenis manuductione: ac ne quidem addere animus eſt judicium Hermogenis de clariſſimis ſcriptoribus, quod ſuis ille præceptionibus de Ideis examuſſim accommodavit. Ipſa Hermogenem adeat juventus: ac cum eo conferat, quæ ante illum de ideis cùm alii tradidere, tum Halicarnaſſenſis, (cujus melior pars deperiit) & Ariſtides, qui fusè de eâ ſcripſit, at confuſè. Quod ſicui aqua hærebit, cùm Græcum adeat enarratorem, tum Trapezuntii Rhetoricorum libros quinque, ſcholia Ioa. Sturmii in Hermogenem, Petrum Nunneſium Valentinum libro quarto Rhetoricarum Inſtitutionum, Ludovicum Carbonem libro III. de Elocutione. Sed & quædam ſuper Hermogenis ideis Italicè ſcripſit Julius Camillus. Pretium quoque fuerit Hermogeni ſuccenturiare eam doctrinæ Hermogenicæ, ac Trapezuntianæ, cenſuram, quam ſcripſit vir maximus, Jul. Scaliger cap. I. Paraſceues. Tantùm optem, ſimul lectori ſuccurrat id quòd ſuprà dicebam, cùm excuterem, quæ Demetrius, ac Hermogenes, de characterum numero ſcriptis conſignarunt. Id verò iſtiuſmodi eſt: Quamvis hi commentationes ſuas non tam ad philoſophorum, quàm rhetorum, ſcripſerint lucernam: haut dubiè tamen cùm poëticæ, tum oratoriæ artis amantes, maximum ex iis fructum capere poſſe; modò uſum eorum, quem aſſidua dabit veterum lectio, cognorint. Sanè poëta præcipuè ſectatur magnitudinem, & dulcedinem, præterquam in Comœdia, ac Bucolicis; quamquam hæc interdum aſſurgunt, ut argumento eſt Maronis Pollio; ut ſuperiùs retuli. Orator autem in judiciali genere inprimis ſectatur perſpicuitatem, περιβολὴν, & orationem moratam: hinc aſperitatem, vehementiam, & γοργότητα: ac denique reliquas magnitudinis formas. In deliberativo hoc diſcriminis eſt, quòd hîc ex ideis moratis moderatè adhibeat objurgationem, ac gravitatem quoque amet. Panegyrica potiſſimùm requirit dulcedinem, & venuſtatem: at repugnat ei cùm aſperitas, ac vehementia, tum inprimis γοργότης: Nec partium orationis par ratio eſt. Quippe in exordiis maximè commendantur περιβολὴ, & modeſtia; in narrationibus, cùm veritas, tum γοργότης, quæ & ipſa plurimùm in contentione atque epilogo pollet. In παθητικῇ quoque oratione regnant aſperitas: in ἠθικῇ verò elucent omnes moratæ orationis formæ, præter objurgationem. Verùm hæc, uti dixi, meliùs aſſiduâ cognoſcentur antiquorum lectione. Quare iis non inſiſto: ſed bonis avibus accedo ad poſtremam officii oratorii partem, quæ eſt pronunciatio. Nam cur ab iis diſſentiam, qui memoriam faciunt quartam Rhetoricæ partem, ſtrictim oſtendi libro primo*, ac inferius † etiam attingam: fuſiùs autem ἀνωμαλίαν ac pertinacem multorum errorem eluere ſum conatus libro de natura ac conſtitutione Rhetorices. Nec propterea penitùs præterire eſt animus, quæ de memoria ſcire intereſt oratoris: ſed præcipua de eâ exponam capite IX. in pronunciationis præceptis. Neque futurum ignoro, ut, quia non veremur recedere à veterum nonnullis, eo inſtituto huic odioſi oggranniant ſophiſtæ. Sed ſi à nobis quidem ſteterit veritas, ut cenſeo: tandem illa exoleſcet opinio; non ſecus atque Salamandræ (quas ignem frigore ſuo exſtinguere, ex aliorum relatu prodidit Ariſtoteles*, eumque potiùs, quam experientiam, ſecuti Antigonus † & Ælianus ‡) aliquantiſper in igne illæſæ conſiſtunt ob terreæ cutis duritiem; at diutiùs admotæ comburuntur.

Caput. VIII.

DE PRONUNCIATIONE GENERATIM.

Pronunciatio, ſive actio, eſt vocis corporiſque apta pro rerum affectuumque varietate conformatio.

I. Quanta pronunciationis vis ſit.

PRonunciatio, ſive actio, nihil aliud eſt, quàm, *ex rerum & verborum dignitate, vocis, & corporis moderatio*: prout Cicero definit I. de Invent. Quanta ſit ejus virtus, cùm Iſocrates oſtendit orat. ad Philippum, & Dionyſius lib. de charactere Demoſthenis: tum vel illud argumento eſt, quòd, ut ait Tullius in orat. ad Brutum, *infantes actionis dignitate eloquentiæ ſæpe fructum tulerunt, & diſerti, deformitate agendi, multi infantes putati ſunt*. Hinc idem inibi hanc quandam corporis eloquentiam; & lib. III. de orat. quaſi ſermonem corporis appellat. Aſconius quoque eam appellavit vitam orationis, quia ſine eâ orationis membra ſunt velut emortua, ſine ſenſu, ſine motu. Et Philiſco Rhetori dicebat Antoninus Imperator ‡, Τὸν μὲν ἄνθρωπον δείκνυσιν ἡ κόμη· τὸν δὲ ῥήτορα ἡ φωνή*. Itaque meritò Demoſthenes tribuit ei primas, ſecundas, tertias; ut præter alios † ſcribunt Photius in bibliothecâ ſuâ, & B. Auguſtinus epiſt. LVI. ad Dioſcurum. Sed & olim dictum fuit, in Demoſthenis orationibus magnam Demoſthenis abeſſe partem. unde Æſchines ‡, cùm rogatus à Rhodiis, pridie iis legiſſet ſuam in Cteſiphontem orationem, ac poſtridie ſuaviſſimâ & maximâ voce prælegiſſet illam, quæ erat à Demoſthene edita pro Cteſiphonte: illis admirantibus ſubjecit, *Quanto magis admiraremini, ſi audiviſſetis ipſum!* ſive, ut Plinius junior* refert, τί † εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου τὰ αὐτοῦ ῥήματα βοῶντος ἀκηκόειτε; Nempe ſe Demoſtheni imparem agnovit Æſchines; quem tamen ipſe inimicus Demoſthenes à vocis magnitudine appellat ‡ μεγαλοφωνότατον. Grammaticus quoque is, qui è variis nobis Virgilii vitam concipilavit conſarcinavitque, autor eſt, Virgilium maximâ cum ſuavitate recitâſſe, miriſque lenociniis. Et Seneca ‡ tradidit,

** Cap. I. ſect. 3.*
† Cap. ſeq. ſect. prima.
** L. 5. Hiſtor. animal. c. 19. ſive ex doctiſſima Cæſaris Scaligeri c. 18. ſect. 230.*
† Timemateg1. mirabilium narrationum.
‡ L. 2. Hiſtor. animal. cap. 31.
‡ Philoſtratus lib. 2. de vitis ſophiſtarum.
** Virum argui comâ, at Rhetorem voce.*
† Cic. 3. de orat. & in orat. perfecto. Fab. lib. 11. cap. ult.
‡ Cic. 3. de Orat. ad Quinctum. Et Plinius Veronenſis lib. 7. c. 30. Val. Max. l. 8. c. 10. Philoſtratus in vitis Sophiſt. & Photius initio biblioth.
** L. 2. ep. 3.*
† Quid ſi illam ipſam belluam ſua verba vociferantem audiviſſetis?
‡ Maximè vocalem.
‡ Apud ſcriptorem vitæ Maronis. Hodie in Seneca non legas.

Julium Montanum poëtam ſolitum dicere, involaturum ſe quædam Virgilio, ſi & vocem poſſet, & os, & hypocriſin: eoſdem enim verſus, eo pronunciante, bene ſonare; ſine illo, inareſcere quaſi mutos. Etiam Statium Papinium à bonâ voce commendat vetus Juvenalis ſcholiaſtes *; ubi refert, quantâ cum voluptate vulgò audiretur.

* *Ad ſat. 7.*

II. Quibus ad pronunciationem comparandam ſit opus.

COmparatur pronunciatio tribus illis, quibus ad univerſam diſciplinam opus eſſe, dicere ſolitus eſt Ariſtoteles; ut ſcribit Laërtius †. Ea ſunt, φύσις, ‡ μάθησις, γυμνασία. quæ Ariſtoteles diſertim requirit III. Rhet. cap. XII. Alii appellant, φύσιν, τέχνην, καὶ ἄσκησιν. Ut auctor libelli de liberis educandis, qui vulgò creditur Plutarchus. Ἡ φύσις, inquit, ἄνευ μαθήσεως τυφλὸν, ἡ δὲ μάθησις ἄνευ φύσεως ἐλλιπὲς, ἡ δὲ ἄσκησις χωρὶς ἀμφοῖν ἀτελής. h. e. *natura ſine diſciplinâ cæca eſt; diſciplina ſine natura mutila; exercitatio autem ſine utraque imperfecta.*

† *In vita Ariſt.* ‡ *Natura, ars, exercitatio.*

Ac primò φύσει, ſeu naturâ, opus eſt. Sunt enim, quos deterreat frontis mollicies, pudorque naturâ inſitus; ut de Iſocrate legimus. Alios deterret vox ipſa, ſive ea pro λευκῇ καὶ ἐκκεκαθαρμένῃ, hoc eſt, candidâ claràque, ſit μέλαινα, id eſt, fuſca, prout appellat Tranquillus: ſive ſit tenuis ac feminea, qualis eſt, quam Græci σχοινίνην, vel etiam σχοινίνην Heſychio teſte, vocant: nempe ἀπὸ τοῦ σχοινίζεσθαι, quod eſt inſtar junci flectere: Titinius eam, ſive à Græco κρότος, ſive à crotalo, *ſuccrotilam* vocat. Nonnulli quoque vel τραυλοὶ ſunt, qui litteram certam efferre nequeunt; vel ψελλοὶ, qui literam ſyllabamve in ſermone prætereunt; vel ἰσχνόφωνοι, qui nequeunt celeriter ſyllabam connectere ſyllabæ. Niſi potiùs ſic vocantur, qui ita gracili ſunt voce, ut non niſi de proximo audiantur. Sanè ἰσχνόφωνοι ſunt pueri, juxta Ariſt. ‡ Talis etiam Battus, Herodoto *, Moſes, juxta LXX. † ſed Hebræa ſonant, *Non ſum vir verborum*: ut ſe εὔλαλον neget, prout Symmachus accepit. Plura autem ſi de naturalibus vocis & virtutibus, & vitiis, velis, Julium Pollucem adi onomaſtici ſui lib. II. cap. XXVI.

‡ *In problem.* * *In Terpſichora.* † *Exod. 4. 10.*

Quamquam autem hæc ita ſint: non tamen ideo eſt, quòd animum deſpondeant, qui aliquo naturæ vitio laborant. Notum, quomodo Demoſthenes, cùm primam artis ſuæ litteram pronunciare non poſſet, inſuperque ſpiritus anguſti eſſet, timidiorque quàm ut populi ferret clamores; ipſos canes acceſſerit, ut iis magiſtris hanc literam diſceret; itemque tophis ſubter linguam poſitis, magnam vim dictionum, in quibus R eſſet, identidem pronunciârit; ac in littore quoque, cùm maximè mare tempeſtuoſum eſſet, orationem recitârit, quo aſſueſceret contemnere fremitum inſanæ multitudinis. Vide Plutarchum in vitâ Demoſthenis; cujus hâc de re verba emendat Paullus Leopardus lib. XII. cap. VI. Adi & librum de X. Oratoribus, qui & ipſe vulgò adjudicatur Plutarcho, cùm ei plurima inſint, quæ Plutarcho repugnent. Item Photium vide in Bibliotheca cod. CCLXV. E Latinis conſule Ciceronem I. de Orat. II. de Divinat. & V. de Fin. item Valerium Max. lib. VIII. cap. VII. & Fabium lib. II. cap. ult. Quare,

Ἁλωτὰ ‡ γίγνετ' ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ
Ἅπαντα:

ut Menander inquit apud Stobæum. Atque ut Calaſiris (ſed mente ac fine alio) apud Heliodorum ait tertio Æthiop. libro: τέχνη καὶ φύσιν οἶδε βιάζεσθαι ‡. Ac olim quidem corrigendæ voci habebant φωνασκοὺς, ex quorum præſcripto, inter alia remedia, utebantur liquidis plaſmatis, h. e. medicamentis. unde Perſius ſat. I.

‡ *Labore curaque adſequi quidvis datum eſt.* ‡ *Ars & naturam ſcit frangere.*

—— *Liquido cùm plaſmate guttur*
Mobile collueris.

Vox, quæ hoc modo emendata non eſt, ἄπλαστος Plutarcho dicitur.

Etſi verò inprimis artis præceptis indigent, qui minùs à naturâ ſunt felices: non tamen, quibus natura omnia ſuggeſſit, refugere debent limam diſciplinæ. Quippe hæc una efficit, ut non caſu, ſed certo conſilio bene agamus. Atque hoc eſt, quod ait poëta Venuſinus *:

Doctrina ſed vim promovet inſitam.

* *Lib. 4. od. 4.*

Denique uſu opus eſt. Sunt enim, qui ſemper conſideant in angulis, ſecretiſque librorum; nunquam verò, deſertis parietum umbris, in lucem fori prodeant: cujuſmodi Cato ſalsè dicebat hærere in Iſocraticis diatribis, quaſi cogitarent apud inferos reis patrocinari.

Quemadmodum igitur ad uberem meſſis proventum tum arvum requiritur fertile, tum humana cura ac ſubactio, ſine quâ dumos gignit, & ſente ſqualleque obducitur: ita ad comparandam actionis dignitatem, atque adeò universè in diſciplinis quoque capiendis, tum facili naturâ opus eſt, tum (ſine quibus ingenium ſylveſcit) artis culturâ & uſu, non quidem continuo, ſed aliis nonnunquam negotiis diſtincto: ut Porcii Latronis exemplo conſtat; qui quoties ex intervallo diceret, longè dicebat acriùs, ac violentiùs; ut auctor eſt M. Seneca †. Nempe, ut ſcitè ait Statius in IV. Sylv. ‡.

—— *Major poſt otia virtus.*
Talis, cantatâ Briſeide, venit Achilles
Acrior, & poſitis erumpit in Hectora plectris.

† *Præfat. lib. I. controverſ.* ‡ *Carm. ad Marcell.*

Caput IX.

De discrimine pronunciationis ex scripto, et absque commentario

Fit pronunciatio vel de ſcripto, vel memoriter.

Sed longè præſtat, ut ſine ſcripto dicamus; tum quia lectione multum deperit de vi, & gratiâ actionis; tum quia orator, qui legit, minùs eſt admirationi, eoque minùs movet.

Viris tamen principibus, & in Rep. occupatiſſimis, vitio verti nequit, ſi dicant è commentario.

Idem conceditur, cùm ægrotis, tum ſenibus, ac pueris; omnibuſquè qui demum ſe exercere incipiunt in oratoriâ facultate.

Etſi autem non pertinet ad munus Rhetoris, docere, quæ memoriam juvent: plurimùm tamen oratori proſunt præcepta, quæ traduntur ad firmandam memoriam.

I. De duplici pronunciandi modo, et quibus e scripto dicere sit concessum, et an rhetoris sit agere de memoria.

EOrum, qui orationem habent, alii è commentario recitare ſolent, alii memoriter. Cæſar Auguſtus, ne periculum memoriæ adiret, vel in ediſcendo abſumeret tempus, fere de ſcripto recitabat: ut auctores ſunt Tranquillus *, & Dio †. Etiam Carolus Quinctus, patrum noſtrorum memoriâ, ad Belgicæ proceres orationem è ſcripto recitavit, cùm terræ hujus imperium traderet filio ſuo, Philippo. Nec ſolis illud viris principibus conceditur: ſed omnibus iis hoc permitti ſolet, quos aut morbus impedit, aut ætas. Imò nec eos urgere nimiùm oportet, qui ſe demum exercere incipiunt in arte oratoriâ. Nam quia rudia ſunt initia, atque impolita; non expedit, ut aliquis talibus ad verbum ediſcendis tempus abſumat. Quippe ſic fiat, ut non admodum bona tenaciter nimis memoriæ inhæreant. Quamobrem rectiùs impendetur tempus, partim melioribus componendis; partim ediſcendis Demoſthenis, Tullii, atque aliorum ſcriptis.

* *L. 2. cap. 84.* † *Initio libri 53.*

At diſpar eorum ratio eſt, qui egregios in hâc arte progreſſus fecerint, aut ſerias agant cauſſas; nec, quo minùs memoriter dicant, vel occupationibus impediantur, vel morbo, vel ætate, vel imbecillitate memoriæ, vel pudore, aut metu. Nam nimium quantum gratiæ acvitium

rium de pronunciatione deperit, dum quis in recitando lectioni vacat, neque oculos, ac vultum, à commentario valet referre. Quod & B. Bernardus obſervat epiſt. LXVI. ad Gaufridum abbatem. Sed totâ hac de re vide dialogum Cælii Calcagnini, quem de memoriâ inſcripſit.

Oratori itaque memoriâ planè felici opus eſt: ut qui non rerum modò debeat meminiſſe, ſed etiam verborum: unde Tullius * in eo Juriſconſultorum memoriam requirit.

* Lib. 1. de Oratore.

Falluntur interim, qui memoriam ſtatuunt quartam Rhetorices partem. Nam longè aliud eſt præcipere oratori, ut memoriter dicat: aliud tradere præcepta firmandæ memoriæ. Prius illud Rhetoris eſt monere. Poſterius hoc ad artem pertinet μνημονευτικήν, quæ cùm memoriam dirigat, ac perficiat, oratori quidem utiliſſima eſt: at non magis, quam Logice, quæ rationem dirigit, de oratoriæ eſt artis οὐσίᾳ.

Nec propterea improbandum eſt eorum ſtudium, qui aliquâ de hac in Rhetoricis delibant: ſed eos falli putamus, qui in quinquepartitâ ſuâ hujus artis diviſione, etiam memoriæ meminerunt, quaſi juſta ac ſegrega eſſet pars hujus facultatis.

Quamobrem etſi animus non eſt infercire hoc loco totam memoriæ artem, quod à nonnemine operoſè factum video: puto tamen, non fore alienum ab inſtituto noſtro, ſi ἐκ παρόδου † præcipua attulero in eorum gratiam, quibus necdum licuit arti integræ vacare.

† Obiter.

II. Qui memoria valeant, qui minus: et quæ memoriam augeant, quæ imminuant.

AC prima quidem cerebri cura eſſe debet. Nam cerebrum humidum, & frigidum, memoriæ eſt inimicum. Pueri ſanè, & ebrii, ſunt obliviosi; quia cerebrum iis nimio eſt humore oppletum. At ſenes obliviosi ſunt ob frigidum temperamentum. Nam rarum planè eſt, quod de ſe Simonides ait apud Ariſtidem ἐν ‡ τῷ περὶ τοῦ παραφθέγματος.

‡ Orat. de intempeſtive dicto.

Μνήμην * δ' οὔτινα φημὶ Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν,
Ὀγδωκονταέτει παιδὶ Λεωπρεπέος.

* Memoriâ neminem eſſe Simonidæ æquiparandum, octoginta annos nato, filio Leoprepis.

Rarius quoque, quod de Apollonio Tyaneo ſcripſit Philoſtratus lib. I. de vita ejus: ubi illum ait, cùm annum attigiſſet centeſimum, præſtitiſſe eâ parte Simonidæ ipſi: addit &, propterea hymnum ceciniſſe, in quo omnia dicat tempore marceſſere: ſolum tempus, memoriæ munere, eſſe ſenii expers, atque immortale. Verùm hæc planè ſingularia ſunt, cùm experientiâ ſatis illud conſtet, quàm inimica ſit memoriæ ſenectus: adeò quidem, ut etiam ſint reperti, quos eâ ætate rerum planè omnium ceperit oblivio. Sanè Orbilius Beneventanus, is quem plagoſum appellat Horatius †, jampridem ante mortem (ad annum autem penè centeſimum pervenit) memoriam amiſit; ut teſtis eſt Tranquillus ‡. apud quem & hoc Furii Bibaculi de eo legere eſt:

† Lib. 2. epiſt.

‡ Libro de claris grammaticis.

Orbilius ubinam eſt literarum oblivio?

Imò Meſſala, vir diſertiſſimus, ut eum appellat Seneca *, &, quorundam judicio †, ipſo Cicerone dulcior, mitior, magiſque in verbis elaboratus, anno ætatis ſeptuageſimo, biennio ante mortem, omnium, ac proprii quoque nominis, oblitus fuit: ut teſtatur Plinius lib. VII. cap. XXIV. Sunt etiam, qui juniores, aliâque de cauſſâ, amiſere memoriam. In peſtilentiâ illâ horribili, quam Thucydides refert lib. II. qui ab ea convaluerant, non modò neceſſarios ignorabant; verùm nec recordabantur, qui antea fuiſſent, vel quod eſſent ſecuti vitæ genus. Hermogenes quoque (is ipſe, qui annos tantùm natus duodeviginti, Rhetoricas illas inſtitutiones ſcripſit, quæ cùm admiratione ab omnibus leguntur) anno ætatis vigeſimo quarto mente captus fuit, nullâ evidenti de cauſſâ: ut diu poſtea inglorius vixerit, & tanquam unus è multis. Itaque ſcitè in eum dicebat Antiochus ſophiſta: Ἑρμογένης ἐν παισὶ γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς *. Auctor Philoſtratus Lemnius in Sophiſtis, Suidas in Ἑρμογένης, & ex iis Cælius Rhodiginus lib. XXI. cap. VI. Brevitatis cauſſâ mitto, quod Severinus Boëthius † commemorat de oratore, qui febri amiſerat doctrinam: (quamquam is fortaſſe haut alius eſt à Meſſala; de quo diximus) mitto item, quod de clariſſimo juriſconſulto Decio, præceptore ſuo, narrat Corraſius ‡. Hujuſmodi vix aliam habuere cauſſam, quàm vitiatum cerebri temperamentum, ſive id calore ac ſiccitate nimiâ contigerit, ut in peſtilentiâ Atticâ: ſive frigore, atque humore, ut in Hermogene. Nam, ut vulgò dici ſolet, frigus oblivionis mater. In humido autem ſiquid ſcribitur, id ſtatim diffluit. Quare ii, quibus eſt cerebrum mediocriter calidum, & ſiccum, conſervationi ejus ſtudere debent: contrà ſi exceſſu illud, aut defectu, laboret, vitio huic corrigendo danda eſt opera. Modus & via, quâ id conſequimur, conſiſtit in moderatione exercitii, cibi, ſomni. Nam humidam ac frigidam temperiem emendant moderatum corporis exercitium ante cœnam, victus temperatus, & cui in cœna paullum addatur vini, vacatio meditationis à cœna, ſomnus mediocris, iſque in alterutro potiùs latere fiat, quàm in occipitio. Labor enim inutiles conſumit humores. Immoderatus cibus, ac potus, corpus replet crudo humore. Studia à cœna avocant calorem à ſtomacho, eoque concoctionem impediunt. Somnus diuturnus humectat nimium: nimis exiguus immoderatè exſiccat. Unde illud poëtæ *:

* Hermogenes inter pueros ſenex, & inter ſenes puer.

† Lib. 3. in prædicamenta Ariſtotelis, quo loco de habitu & diſpoſitione tractat.

‡ In explicatione arreſti Toloſani.

Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes.

* Ovid. 1. de Arte.

Qui verò in occipitio fit, facit, ut humores occiput petant. Sunt & medicamenta, quæ memoriam juvent. Sed periculo non carent illa, quæ interius aſſumunt; inprimis juvenes, qui calido ſunt temperamento; eoque remediis ejuſmodi vehementer lædunt imaginationem, quam humidam eſſe convenit. Et ſæpe illud compertum, qui à medicamentis id genus remedium memoriæ quærunt, in acres incidiſſe febres, ac interdum etiam in delirium. Atque ut mala iſta evitemus; tamen ſic quoque cogitandum, plus eum damni facere, quàm boni, qui cum detrimento imaginationis juvet memoriam, cum hæc famula ſit imaginationis, & rationis. Non dubium igitur, quin tutiora ſint remedia topica ſive externa: ut ſunt frictiones occipitis, lotiones certis factæ herbis: moderatæ inunctiones: quæ legere licet apud Marſilium Ficinum libro de ſanitate ſtudiorum, Gratarolum de memoria, atque alios.

Plurimùm quoque memoriæ prodeſt animi quies. Cui repugnat negotiorum gravitas, ac multitudo. Nam ſanguinem ea, ac ſpiritum, accendit: unde provenit imaginum ſive ſpecierum commiſtio, atque obliteratio.

Eâdem de cauſſâ nocent affectus: qui non immeritò πάθη, ſive paſſiones, vocantur. Nam conturbando ſanguinem, & ſpiritum, ſpecies pariter perturbant. Cujus rei in Theophraſto exemplum habemus, & Demoſthene: ut retulit Agellius lib. VIII. cap. VIII. Liber ille periit: ſed reſidua argumenta, quæ ab ipſo Agellio ſunt, ſatis id docent. Verba ejus ſunt: *Quod Theophraſtus philoſophus, omnium ſuæ ætatis facundiſſimus, verba pauca ad populum Athenienſem facturus, deturbatus verecundiâ obticuerit: quòdque idem hoc Demoſtheni apud Philippum regem verba facienti evenerit.* Hoc ipſum uſu venit juriſconſultiſſimo Bartholomæo Sozino, Senenſium ſuorum nomine gratulaturo Papæ Alexandro VI: atque iterum, cùm dicendum ei eſſet apud Auguſtinum Barbadicum, Venetæ Reip. principem. Idem contigit quoque doctiſſimo & diſertiſſimo Franciſco Barbaro, dicturo apud Philippum, Mediolanenſium ducem. Auctor de utroque Crinitus †. Quare, qui orationem habiturus eſt, graves variaſque occupationes ad tempus omittat. Quod ſi pudor, aut metus, à dicendo deterreant: cogitet de humanitate audientium; nec tam univerſos ſibi proponat, quàm ſingulos.

† Lib. 5. de honeſta diſciplina, cap. 3.

III. Quo

III. Quo pacto oratio facilius ediſcatur, et an ad verbum ediſcere eam oporteat.

NUnc videamus, quæ orationem ipſam tangunt. Ut ante omnia eſt commoda ejus diſpoſitio; quâ memoriam plurimùm juvari, etiam Tullius ait in ſecundo de oratore. Ejus rei ſcitè hanc rationem adducit Ariſtoteles *, quòd unum meliùs retineamus, quàm plura. At quemadmodum ex pluribus annulis fit catena: ita in oratione ex multis aptè connexis unum fit. Quare ut faciliùs catenam cuſtodias, quàm complures annulos disjunctos: ita etiam faciliùs retineas aptè cohærentia, quàm ubi nullus eſt ordo. Ut omnino, ſive noſtra ediſcimus, ſive aliena; ſeriem inprimis ſpectari oporteat.

* Lib. de memoria, & reminiſcentia.

Expedit etiam, ut oratio ſcribatur. Nam ita fit, ut animus diutius rei immoretur: ac dum aliquid chartæ inſcribitur, ſimul inſcribatur animo. Quâ ipſâ de cauſſâ rex Hebræorum manu ſuâ librum Legis deſcribebat: ut præcipitur Deuter. XVII. 18: ac fuſiùs enarrat R. Moſes Maimonides †.

† Halach Meluch cap. 3. & Halach Tephillin cap. 7. in de Schebardin de regio jure cap. 2.

Præterea conducit, ut ad ſcripti oram memoratu dignioribus nota aliqua apponatur; cujus monitu fiat, ut facilius, citiuſque, animo ſe res offerat. Placuit id Fabio ‡ quoque, cùm ait: *Non eſt inutile, quo faciliùs hæreant, aliquas apponere notas; quarum recordatio commoveat & quaſi excitet memoriam.* Et paullo pòſt, exemplo id illuſtrans, ponere jubet *anchoram, ſi de nave dicendum eſſet; ſpiculum, ſi de prælio.*

‡ Lib. 9. cap. 2.

Nec aſpernanda eſt admonitio, quam apud eundem inibi legere eſt. *Si*, inquit, *longior complectenda memoriâ fuerit oratio; proderit per partes ediſcere. Laborat enim maximè onere. Et hæ partes non ſint exiguæ. Alioqui nimis multa erunt, & eam diſtinguent, atque concident.*

Multùm etiam refert, quo loco & tempore ediſcas. Præſtat locus ſolitarius; partim, ne ea, quæ in ſenſus ſe foris ingerunt, memoriam impediant; partim ut clarâ voce recitari poſſit oratio.

Tempus commendatur matutinum poſt digeſtos cibos. Quamquam nec inutile ſit, ſub ſomnum ediſcere: quo in ſomnis, ut cibus ſtomacho, ita oratio cerebro velut concoquatur, & quaſi in ſanguinem vertatur, & ſuccum.

Hæc, paucaque alia id genus, magis conducunt oratori, quàm illa locorum imaginumque doctrina, quam tradidere Carneades, & Metrodorus Sceptius, atque è junioribus Raimundus Lullus: cujus doctrina magis eſt ad oſtentationem, quàm ad fructum; ut oſtendimus libro de Natura Rhetorices.

Supereſt illa quæſtio, utrùm ſatius ſit, orationem ediſci ad verbum; an ut, rebus animo comprehenſis, neutiquam ad verba nos alligemus. Sanè adoleſcentibus, atque omnibus, quibus nondum ſuppetit elegans Latinæ dictionis ſupellex, magis expedit ediſcere ad verbum, ne inornatè dicere cogantur. At diſpar eſt ratio eorum, qui in dicendo ſunt exercitati. Quales ſi verbis ſe alligare velint; fieret ſubinde, ut oblivione unius verbi turpiter hæſitarent, dum verbum illud quærunt, nec inveniunt.

CAP. X.

DE DIVISIONE PRONUNCIATIONIS, AC SPECIATIM DE VOCIS MODERATIONE.

Dividitur pronunciatio in moderationem vocis, & corporis motum.

Vox diſtinguitur quantitate, & qualitate. Utraque variat pro rebus, & affectibus.

Contenta * *voce atrociter dicimus ſummiſſâ, leniter: inclinatâ oportet videri gravem; inflexâ miſerabilem.*

* Cic. in Orat.

I. Pronunciationis partes, et utrum magis moveat moderatio vocis, an corporis motus.

PArtes pronunciationis, ut Halicarnaſſenſis * verbis utar, ſunt τὰ πάθη τὰ τῆς φωνῆς, καὶ τὰ σχήματα τοῦ σώματος· *affectiones vocis, & corporis configuratio:* illa aures, hæc oculos movet; per quos ſenſus ad animum penetrant affectus.

* περὶ τῆς Δημοσθ. δεινότ.

A voce dicitur hæc Rhetorices pars *pronunciatio:* à geſtu autem appellatur *actio.* Quæritur, utrùm in dicendo plus actio valeat, an pronunciatio. Fuere, qui majorem putarent geſtuum habendam eſſe rationem, quàm vocis. Sic ipſe Tullius ſenſit in tertio de Oratore: *In iis omnibus*, inquit, *quæ ſunt actionis, ineſt quædam vis à naturâ data. Quare etiam hâc imperiti, hâc vulgus, hâc denique barbari maximè commoventur. verba enim neminem movent; niſi eum, qui ejuſdem linguæ ſocietate conjunctus eſt: ſententiaque ſæpe acutæ non acutorum hominum ſenſus prætervolant. actio, quæ præ ſe motum animi fert, omnes movet: iiſdem enim omnium animi motibus concitantur, & eos iiſdem notis, & in aliis agnoſcunt, & in ſe ipſi judicant.* Sed in pleriſque horum verear Tullio ſubſcribere. Video enim, ut οἱ τοῦ θείου λόγου κήρυκες †, qui vocem habent ſuavem, ac gratam, multo audiantur libentiùs, ac magis etiam moveant; quàm qui geſtibus quidem præſtant, ſed voce ſunt abſonâ, atque abſurdâ. Imò olim etiam multi, qui geſtibus carerent, modeſtiæ ac verecundiæ nomine commendabantur. Sanè de Demoſthene ipſo illud proditum eſt, ne manum quidem in dicendo protuliſſe extra pallium; ut libro III ‡ diximus. Ratio etiam pro hac ſententiâ facit. Cùm enim oratio ad auditum, non ad viſum referatur: magis ei vim addet bonitas vocis, quàm geſtuum. Nec movere illud debet, quòd Tullius pro ſe adfert, geſtus ab omnibus intelligi; vocem non item. Nam ut geſtus ab omnibus videntur; ita ſuavitas vocis ab omnibus auditur. Nec magis delectat geſtus citra vocem, quàm vox ſine geſtibus. Argumento eſt cantus luſciniæ, ac eorum quoque, qui linguâ canunt aliis ignotâ. Atque ut hæc non eſſent, cogitare Tullius debuit, cùm vocis & geſtuum vis confertur, ſermonem eſſe de voce, quæ intelligatur. Nam oratorem informat ipſe; qui cum ſit vir prudens, nunquam linguâ utetur ignotâ iis, apud quos dicit. Sin notâ loquatur, nihil magnopere requiret auditor, quàm ut vox rebus apta ſit: geſtus verò, quamcunque convenientes, abſque vocis bonitate exiguam vim habent. Quare etſi magis movebitur auditor, ſi ad vim vocis etiam geſtus acceſſerint: tamen ſine voce jacet omnis corporis motus; at vox ſine corporis motu magnam vim habet.

† Divini verbi præcones.

‡ Cap. 5. ſect. 12.

II. De voce, quatenus ad totam orationem pertinet.

QUare de voce priùs agemus: ac ut à generaliſſimis ordiamur, καθολικὸν præceptum eſt, vocem & geſtum ita temperari debere, ut geſtus voci, vox rebus conſentiat.

Præcepta, quæ ad ſolam vocem pertinent, vel totam reſpiciunt orationem, vel certas ejus partes.

In totâ oratione conſideratur tum quantitas vocis, tum qualitas.

Quantitate vox eſt grandis, vel exigua; tarda, vel præceps.

Qualitate eſt plena, exilis; levis, aſpera; candida, fuſca; acuta, gravis &c.

In quantitate tria ſunt obſervanda. Primùm eſt, ut ſoni magnitudinem pro loci moderemur amplitudine.

Deinde, ut ſingula cum morâ aliquâ proferantur.

 Nam

Nam præceps ſermo eſt indecorus, minùs etiam intelligitur: numerus quoque ejus incaſſum aures prætervolat, ſine voluptate ullâ, aut fructu.

Tertium eſt, ut cui vox ſit imbecillior, rariùs attollat, ſæpe deprimat, ſæpe flectat. Eſt autem vox ſimilis nervis: nam quo remiſſior, hoc gravior eſt: quo intentior, hoc eſt acutior.

In qualitate inprimis conſideranda ſunt, claritas, & ſuavitas. Ad claritatem pertinet, ut planè loquamur, & articulatè; non turbidè, & adhæſè. Conferunt ad claritatem quatuor illa, quæ ad firmitudinem vocis requirit autor ad Herennium. Nempe primò, ut in exordio ſedatâ utamur oratione. Nam læduntur arteriæ, ſi clamore exaſperentur, priuſquam leni fuerint voce permulſæ. Et quid magis agreſte, quàm incipere cum clamore? Deinde ut intervallis longiuſculis diſtinguatur ſermo. Siquidem vox recreatur reſpiratione, & arteriæ reticendo quieſcunt. Incivile etiam, non relinquere auditori ſpatium cogitandi. Tertium eſt, ut vox crebrò immutetur, quia hâc ratione fit, ut omni voce integri ſimus. Nihil etiam μονοτονίᾳ & jacenti oratione ingratius. Ideoque

*——— & * citharœdus*

Ridetur, chordâ qui ſemper oberrat eâdem.

* *Horat. in Arte.*

Denique, ut vitemus exclamationes acutas. Nam & his vulneratur oratio dicentis, & aures læduntur auditoris. Neque quicquam magis illiberale, quàm vociferatio.

Hâc in re ne peccarent veterum nonnulli, phonaſcos habebant, qui vocis modos, ac tenores, regerent. Atque id vel notum è Gracchi *fiſtulâ concionatoriâ*, quemadmodum Ammianus † vocat, quam Quinctilianus *tonarium*, Hero in Pneumaticis *phthongarium* appellat. Vide de eâ Agellium lib. I. cap. XI: ubi aliquanto aliter hâc de re ſcribit, quàm alii. Vult enim, eos, qui compertiùs hanc rem memoriæ tradiderunt, fiſtulatorem dicere in circumſtantibus ſtetiſſe; non autem ponè Gracchum, ut voluere Cicero III. de Oratore, Quinctilianus lib. I. cap. XVI, Valerius lib. VIII. cap. XVI, itemque Plutarchus in vitâ Gracchorum.

† *Lib.* 30.

Suavitatem comparamus imitatione eorum, qui ſuaviter loquuntur, eâque ſoni moderatione, quâ ad finem uſque firmitudinem & mollitudinem retinet. Et hæc quidem de voce, quatenus ad univerſam pertinet orationem.

III. De voce, quatenus pro orationis partibus alia eſt, atque alia.

SEd & ſonus mutatur pro partibus orationis tum majoribus, tum minoribus. Majores voco, in quas rhetores dividunt orationem: uti ſunt exordium, narratio, & cæteræ. Minores appello, partium harum partes pro affectu variantes.

Ut à majoribus ordiar, non debet orator, ſimulac dicturus prodiit, erumpere in verba: ſed oportet, ut prius paullum cogitabundus moretur; idque tum quia auditores hæc oratoris cura delectat; tum quia interea ipſe ſe colligat, atque ad dicendum componat. Ita Ulyſſes apud Naſonem ‡ paulliſper conſiſtit, oculis in terram difixis, ſceptroque immoto, priuſquam eloquentiam ſuam, torrentis inſtar, effundat. Quod illa indicant:

‡ 13. *Met.*

——— Atque oculos paullum tellure moratos
Extulit ad proceres, exſpectatoſque reſolvit
Ore ſonos.

In exordiis tamen abruptis ſubitò licet erumpere. Quale illud Ciceronis *: *Quouſque tandem abutêre, Catilina, patientiâ noſtrâ?*

* *In Catil.* I.

Præterea in exordio, niſi indignatione conſtet, voce utendum ſubmiſſâ, ac verecundâ. Nam ad animos hoc conciliandos facit. Cæteroquin futurum, ut feroculum illum oratorem omnes averſentur. Adde quòd ſic magis conſulitur vocis firmitati; ut antea dicebamus.

Ab exordio paullatim inſurgit vox. Ac in narrando quidem voce utimur apertâ, ac ſimplici; ferè iſtiuſmodi, qualis eſt in ſermone familiari.

In confirmatione vox eſt varia. In argumentatione ea eſt ſeverior; niſi argumenta adeò ſint levia, ut ea rideamus, eoque ironicè aliquid ſit pronunciandum.

In peroratione, quaſi partâ victoriâ, vox ſolet eſſe excitatior; ut ita oſtendat orator, ſe niti bonitate cauſſæ, magnamque fiduciam in probitate & prudentiâ auditorum collocare.

Venio nunc ad partes minores: quæ partim reſpiciunt verba; partim res, & affectus.

Verba ſunt vel ſimplicia, vel conjuncta. In ſimplicibus curandum, nequa abſorbeatur ſyllaba: item ut ἐμφατικὰ ἐμφατικῶς proferantur: omniaque, quibus venuſtas aut vis ineſt, longiori dicantur tractu. E. G. metaphoræ, & ironiæ; item comparativi, & ſuperlativi; adhæc quæ quantitatem ſignificant; ut tantus, quantus &c.

In conjunctis videndum, ut quæ numeroſè ſcripta ſunt, etiam obſcuriori quâdam modulatione efferantur. De cantu hoc ita Tullius in Oratore: *Eſt*, inquit, *in dicendo etiam cantus quidam obſcurior, non hic è Phrygia, & Caria; ſed ille, quem ſignificant Demoſthenes, & Æſchines, cùm alter alteri objicit vocis flexiones.* Et Quinctilianus lib. XI. cap. III. *Tales ſunt illæ declinationes vocis, quas invicem Demoſthenes, atque Æſchines, exprobrant, non ideo improbatæ. Cùm enim uterque alteri objiciat, palàm eſt, utrumque feciſſe.*

Denique etiam rerum, & affectuum, habetur ratio. Unde Auſonius oratione, quâ Gratiano pro conſulatu gratias egit: *Quis tenor vocis, cùm incitata pronuncias! quæ inflexio, cùm remiſſa! quæ temperatio, cùm utraque diſpenſas! Quis oratorum læta jucundiùs, facunda cultiùs, pugnantia denſiùs, denſata glomeratiùs, aut dixit, aut, quod eſt liberum, cogitavit?* Quare, ut oratio rebus conveniat, grandia recitabimus cum majeſtate quadam, atrocia concitatè, triſtia flebiliter, mediocria temperatè.

In ſuadendo, & monendo, utemur voce gravi; in laudando, magnificâ ac ſublimi.

Proſopopœiam fictâ voce efferemus; reticentiam conciſè. Denique obſervabimus, quæ vox propria ſit mirantibus, interrogantibus, indignantibus, irridentibus, & aliò quovis motu affectis.

Caput. XI.

DE MOTU CORPORIS.

Vultus imago eſt animi, indices oculi: quorum intentione, remiſſione, conjectu, aut hilaritate, motus animi ſignificabimus. Oris ſpeciem non nimis mutabimus, ne ad pravitatem aut ineptias deferamur. Status ſit rectus, & celſus; nulla mollitia cervicum, nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens: trunco magis toto ſe ipſum moderans; & virili laterum flexione, brachiorum projectione, in contentionibus; contractione in remiſſis.

I. Non omnia quæ veteres præcipiunt de actione, ad rhetorem proprie pertinere: nec omnia, quæ pertinent, ſeculo noſtro convenire.

HActenus de voce: ſequitur de corporis motu. Et varias quidem geſtuum ſignificationes è ſacris literis ſedulò collegit Benedictus Arias Montanus libro VIII. Antiquitatum Judaicarum, qui inſcribitur Jeremias, ſive De actione. At, quia ille partem eam accuratè ſatis eſt perſecutus, ferè continebimus nos intra gentium ſcriptores. Ordiemur autem à diviſione hujus doctrinæ. Nam actionis præcepta partim univerſè vitam ſpectant; ut quæ pertinent

nent ad actionem gravem, & veracem; atque hujuſmodi propriè ad Ethica pertinent, quorum pars eſt morum civilitas: partim propriè magis reſpiciunt actionem ad perſuadendum accommodatam, nec ab alio, quàm Rhetore, traduntur. Poſteriora hæc duûm ſunt generum. Multa enim à veteribus præcipiuntur parùm convenientia moribus noſtris. imo ejuſmodi planè, ut ſi nunc iis utamur, riſum magis cieant, quàm cauſſam juvent. Quocirca non omnia, quæ hac de re in veterum monumentis leguntur, albâ ſignare lineâ oportet: ſed ſuæ quiſque ætatis, ac gentis, rationem habere debet. Itaque ea potiſſimùm adferemus, quæ accommodata ſunt ſeculo noſtro. Ex iis verò, quæ jam deſita ſunt, pauca ſolùm delibabimus, idque vix alio fine, quàm quia inde lucis aliquid accedat ſcriptoribus antiquis. Nec planè negligam ea, quæ dicebam ex fontibus Ethicis derivari: quandoquidem iſtiuſmodi erunt, ut liberalem eruditionem alant: & ita fere fit, ut ad ſacraria hujus artis etiam admitti ſoleant qui moralem philoſophiam nondum guſtarunt.

II. De statu ac sessione oratoris.

Præcepta de corporis motu partim totum reſpiciunt corpus, partim aliquod ejus membrum.

Ad univerſum corpus pertinent ſtatus, & ſeſſio.

Seſſio fit ſuperiori corporis parte erectâ, inferiori immotâ. Sed etſi hac quoque uſi ſint veteres in cauſſis minoribus; quemadmodum ex Quinctiliano, & Plinio, conſtat: tamen id rarum fuit, ac hodie quoque vix habet locum extra orationes ſenatorias. Quare, eâ prætetitâ, agere rhetores ſolent de corporis ſtatu; qui & nunc obtinet, & antiquiſſimis etiam temporibus in uſu fuit. Olim enim & reges, & quicunque ad populum verba facerent, ſtare ſolitos, ſcribit Euſtathius * ad Homericum illud Iliad. Α:

*Pag. 46. edit. Rom.

Τοῖσι † δ' ἀνιστάμενος μετέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.

† His conſurgens dixit pedibus celer Achilles.

Ad conſuetudinem hanc reſpexit Plautus Moſtellariâ ‡:

‡ Act. 5. ſc. ult.

> TH. *Hercle mihi tecum cavendum eſt: nimis quàm es orator catus.*
>
> CA. *Sine me dum iſtuc judicare: ſurge; ego iſti aſſedero.*

Nam ſenem aſſurgere ait, quo oratoris ſuſtineat partes adverſus ſervum: ſe ſedere velle, tanquam cauſſæ judicem inter ſenem, & ſervum. Idem indicat Ciceronis locus Catil. III. de Lentulo: *Siquid de his rebus dicere vellet, feci poteſtatem. atque ille quidem primò negavit: pòſt autem aliquanto, toto jam indicio expoſito, atque edito, ſurrexit: quæſivit à Gallis, quid ſibi eſſet cum iis* &c. Ovidius de Cæſare Germanico lib. II. de Pontô *:

*Eleg. 7.

> *Dumque ſilens adſtat, ſtatus eſt vultuſque diſerti.*

Et de Ajace XIII. Met.

> *Surgit ad hos dominus clypei ſeptemplicis Ajax.*

Atque ibidem de Ulyſſe:

> ——*donec Laërtius heros*
> *Adſtitit, atque oculos paullum tellure moratos*
> *Suſtulit ad proceres.*

Ad ſtationem etiam pertinet inceſſus: à quo nihil periculi eſt iis, qui de umbone dicunt; uti in Eccleſiâ, vel Academiâ fit. Sed longè alia oratorum ratio olim fuit. Itaque præcipiunt antiqui, ut inceſſus ſit rarus, ac tantummodo in cauſſis publicis, ubi opus habet orator ſingulis rem inculcare. At huc illuc curſitare, &, quod de Manlio Surâ dixit Domitius † Afer, ſatagere, vitioſum erat: unde & Flavius Virginius ‡, cùm adverſarius multum diſcurriſſet, venuſtè eum rogavit, quot millia paſſuum declamâſſet. Caſſius quoque Severus ⸸ adverſus oratores, qui circumcurſitarent, lineam poſcebat, quæ eos contineret.

† Fab. lib. 6. cap. 4. & lib. 11. cap. 3.
‡ Fab. lib. 11. cap. 3.
⸸ Fab. ibidem.

III. De vultu, ac totius capitis gestu.

Capite utemur recto, non obſtipo, inque cervicem reflexo: non caſanti, ſive demiſſo dejectoque; quod diſcipulo convenit apud magiſtrum. Unde B. Hieronymus in Jerem. cap. II. *Quando magiſter præcipit, obedientis indicium, ſi demiſſo contrà audiat capite.* Idem triſtium eſt. Appulejus lib. III. Metam. *Et quamquam capite in terram dejecto mæſtus incederem.* Imo & Plautus Bacch. *

* Act. 2. ſc. 3.

> ——*triſtes illico*
> *Cùm extemplo à portu ire nos cum auro vident;*
> *Subducunt lembum capitibus caſantibus.*

Ut quidem Lambinus legit. Ubi in MSS. *quaſſantibus*; quod eſt iratorum. Unde Odyſſ. Ρ. de Ulyſſe, cùm ab Antinoo eſſet pulſatus:

> Ἀλλ' † ἀκέων κίνησε κάρη, κακὰ βυσσοδομεύων.

† At tacitus concuſſit caput, mala animo interius moliens.

Sic Virgil. VII. Æn.

> *Tum quaſſans caput hæc effudit pectore dicta.*

Imò Plauti ipſius eſt Aſinariâ ‡:

‡ Act. 2. ſc. 3.

> *Atque hercle ipſum adeò contuor. quaſſanti capite incedit.*

Ubi *caſanti*, quod Lambino placuit, locum non habet, cùm minabundi deſcriptio ſit.

Sed neque capite erimus rigido, & immobili: quod barbarum eſt: erecto interim; ſed hìc quoque modus ſervandus, ne audaciæ videatur. Tertullianus de Orat. cap. XIII. *Ne vultu quidem in audaciam erecto.* Neque caput è contrario crebrò inflectemus: quomodo, ut Catullus * ait,

* Carm. de Berecynt. & Aty.

> ——*capita Mænades vi jaciunt hederigeræ.*

Varro de eâdem re in Eumenidibus †:

† Apud Nonium in jactare.

> ——*Tibi nunc ſemiviri,*
> *Teretem comam volantem jactant tibi Galli.*

Item Tacitus XI. Annal. *Ipſa crine fluxo, thyrſum quatiens, juxtaque Sillius ederâ vinctus, gerere cothurnos, jacere caput.*

Variat vultus pro rei natura: cui, ut diximus, conformanda eſt ipſa actio, ne rideamur cum rhetore illo, quem Philoſtratus ſcripſit, cùm dixiſſet, ὦ Ζεῦ ‡, in terram conjeciſſe vultum; cùm addidiſſet, ὦ γῆ ⸸, oculos in cœlum ſuſtuliſſe; cùm rerum natura contrarium dictet. Quare, ne ſimilem committamus ſolœciſmum, ſi res fuerint lætæ, vultum induemus hilarem; ſi triſtes, mœſtitiam noſtram vultu teſtabimur; atque ita in aliis. Horatius in Arte:

‡ O Jupiter.
⸸ O terra.

> ——*Triſtia mæſtum*
> *Vultum verba decent; iratum, plena minarum;*
> *Ludentem, laſciva; ſeverum, ſeria dicta.*

Perſius ſat. I.

> ——*Verùm, nec nocte paratum*
> *Plorabit, qui me volet, incurvâſſe querelâ.*

Hoc eſt, verè ei, non fictè ut ploret, opus; πεφυκότως, οὐ πεπλασμένως. Nec enim paullum intereſt, ut Davus apud Comicum * ait,

* And. act. 4. ſc. 4.

> ——*ex animo omnia,*
> *Ut fert natura, facias; an de induſtriâ.*

Itaque Cicero pro S. Roſcio Amerino jubet judices conſiderare Erucii negligentiam in accuſando. Et alibi †, ut infrà pleniùs liquebit: *Tu*, inquit, *iſtuc, M. Callidi, niſi fingeres, ſic ageres?*

† Pro Gallio.

De fronte, ac ſuperciliis, ita Plinius lib. XI. cap. XXXVII. *Frons & aliis; ſed homini tantùm triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeveritatis index. In adſcenſu ejus ſupercilia homini, & pariter, & alternè mobilia, & in iis pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maximè indicant faſtum. Superbia alibi conceptaculum; ſed hìc ſedem habet. In corde naſcitur, huc ſubit, hic pendet. Nihil altius ſimul abruptiuſque invenit in corpore, ubi ſolitaria eſſet.* Hæc exemplis illuſtriora fient. Ac primùm de triſtitia quod ait, id capiendum de fronte corrugatâ: quod Plauto eſt *caperare* ‡ frontem, vel *conſulcare* ⸸, vel etiam *contrahere* *: quod & Cicero †, & Horatius ‡, uſurpant. Ac Græci ſimiliter hanc frontis & ſuperciliorum contractionem vocant συνοφρυῶσθαι: unde συνωφρυωμένοι apud Euripidem ⸸ exponitur λυπούμενοι: & Sophocles in Antigone, νεφέλην ὀφρύων, dixit pro adſpectu mœſto, ac triſti. Ne-

‡ Epid. act. 5. ſc. 1.
⸸ Prolog. Bacch.
* Prol. Amph.
† Pro Cluent.
‡ Sat. 2. lib. 2.
⸸ Alceſtide.

Neque hæc de ſuperciliis doctrina nihil ad rem facit. Nam, ut Fortunatianus * ait, *Supercilia & oculos formant, & fronti imperant. His enim vultus, & contrahitur, & attollitur, & remittitur.*

Addit Plinius de hilaritate: cujus indicium præbet frons exporrecta, & diffuſa; item ſupercilium compoſitum, ac remiſſum. Sic ſanè *exporrigere* frontem dicunt Plautus †, & Terentius ‡: *explicare* frontem Horatius ǂ. Pindarus Pyth. od. IX.

Ἀγανῷ * χλιαρὸν γελάσαις ὀφρύϊ.

Et Euripides Iphigenia in Aulide:

Μέθες † νῦν ὀφρύν, ὄμμα τ' ἔκτεινον φίλον.

Appulejus lib. III. Met. *Sui longè diſſimilis advenit, non ex læta facie, nec ſermone dicaculo; ſed vulnuoſam frontem rugis inſurgentibus aſſeverabat.*

Sequitur apud Plinium de clementia, quam fronte oſtendi, ſatis liquet ex eo, quod de hilaritate diximus. Nam hilares, ac læti, ſolent eſſe clementes; ut, cùm de lenitate ageremus ‡, ex Ariſtotele monebamus. Addit deinde Plinius de ſeveritate: quæ indicatur fronte contractâ, & ſuperciliis ſubductis, vel etiam inæqualibus. Ut argumento eſt, quòd Tullius Piſonem ǂ, interrogatum, quid ſentiret de conſulatu ſuo, reſpondiſſe ait: *altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, crudelitatem ſibi non placere.* Ejuſdem eſt pro P. Sextio: *Tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio, ut illo ſupercilio, tanquam Rhadamanthus ille, niti videretur.* Ita enim optimè emendarunt. Etiam Euripidis eſt in Rheſo:

Λῦσον * βλεφάρων γοργωπὸν ἕδραν.

Atque ex his liquet, cur ſupercilium accipiatur pro ſeveritate, vel gravitate. Ut in carmine Ithyphallico:

Conveniens Latio pone ſupercilium.

Cui geminum hoc apud Martialem lib. I. ep. V.

Contigeris noſtros, Cæſar, ſi forte libellos,
Terrarum dominum pone ſupercilium.

Etiam apud Valerium Max. lib. VI. cap. II. Stephanus Pighius reperit in ſeptem codd. MSSis: *Horridum C. quoque Sulpicii Galli martiale ſupercilium.* Ubi in vulgatis eſt, *ſupplicium.*

Ad ſeveritatem quoque refero illud Diphili apud Athenæum lib. II.

Τὸν † τὰς ὀφρῦς αἴροντα, συμπείθεις γελᾶν.

Ubi non de mœſto agitur, ut putarunt; ſed de ſevero ac triſti, h.e. tetrico, ac qui (ut Appulejus loquitur) *ſenili triſtitie ſtriatam gerat frontem.* Qualis flore Liberi patris largiùs exceptus (nam ad Bacchum ſunt verba Diphili) hilariter diſſluet in riſum. Tales & *conſtrictæ*, vel *adſtrictæ frontis* dicuntur. Petronius:

Quid me ſpectatis conſtrictâ fronte, Catones?

Martialis lib. XI. ep. XL.

Et numeras noſtras adſtrictâ fronte, trientes.

Hoc de tetrico, & ſevero dici, indicat, quod ſubjungit:

Deſine: non poſſum libertum ferre Catonem.

Porrò ſequitur apud Plinium, ſuperciliis etiam annui, & renui. Ut Il. Α.

Ἦ, ‡ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.

Nec iis modò annuimus, vel renuimus: ſed etiam innuimus; qui admonentis eſt geſtus. Ut Od. Π.

Ἦ δ' ǂ ἄρ' ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε· νόησε δὲ δῖος Ὀδυσσεύς.

Et Od. Σ.

Οὐκ * ἀΐεις, ὅτι δή μοι ἐπιλλίζουσιν ἅπαντες;

Terent. Adelph. †

Ne mora ſit, ſi innuerim, quin pugnus continuò in malâ hæreat.

Horatius in ſatyris ‡:

—— Nutans,
Diſtorquens oculos, ut me eriperet. malè ſalſus,
Ridens diſſimulare.

Poſtremò oſtendit Plinius, ſuperbiæ eſſe in ſuperciliis ſedem. Unde Petronius in Satyrico: *Poſtquam ſe amari ſenſit, ſupercilium altiùs ſuſtulit.* Lucianus in Bis accuſato: Τὰς ὀφρῦς ἐπῆρες, καὶ μεγαλοφρονήσας, ἐμοῦ μὲν ἠμέλησας, μᾶλλον δὲ [illegible] *. Idem in Timone inducit philoſophum ἐκπετάσαντα † τὸ πώγωνα, καὶ τὰς ὀφρῦς ἀνατείναντα. Ubi notat gravitatem affectatam, & faſtus plenam.

Quod verò Plinius præteriit, etiam frons pudoris eſt index; uti & ſupercilium iræ. De fronte arguit, quòd impudentes dicuntur τρίψαι, vel ἀποτρίψασθαι τὸ μέτωπον, ac Latinis item *perfricuiſſe frontem*: ut illo Calvi in Vatinium ‡: *Perfrica frontem, & dic te digniorem, qui prætor fieres, quàm Catonem.* Atque inde *frons* pro pudore. Ut apud Perſium ſat. V:

—— Exclamet Melicerta, periſſe
Frontem de rebus.

Iratos autem ſupercilium tollere, arguit illud Catulli:

Præterea addebat quendam, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra ſupercilia.

Inprimis verò oculi teſtes ſunt animi: unde ſcitè apud Photium * Damaſcius ait in Iſidori philoſophi vitâ: Ἀγάλματα † ἦσαν ὀφθαλμοὶ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ. Quod non de Iſidoro modò, ſed cæteris etiam veriſſimum eſt. Ac oculorum quidem ardor ſignificat iram. Ut Iliad. Α. de Achille.

—— Μένεος * δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι
Πίμπλαντ', ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.

Cicero lib. V. accuſat. in Verrem: *Ipſe inflammatus ſcelere, & furore, in forum venit: ardebant oculi: toto ex ore crudelitas emicabat.*

Oranti Deum, oculos, convenire in cœlum ſublatos, ſatis eſt apertum. Atque inde II. Æn.

Ad cœlum tendens ardentia lumina fruſtra.

Oculi averſi indicium ſunt odii, faſtidii, aut negligentiæ. Unde Maro de Didonis umbrâ, poſtquam conſpexerat Æneam, ait:

Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat.

Ubi videmus & illud, ut oculi dicantur fuiſſe in terram difixi. Nempe quia animus plane eſſet ab Ænea averſus. Sed oculi ejuſmodi etiam conveniunt iis, quos pudet, eoque intueri alios non audent. Ut Amphis Comicus, & Euripides, oſtendunt iis locis, quos dixi libro ſecundo †. Nempe vetus adagio eſt, ἐν ‡ ὀφθαλμοῖς εἶναι αἰδῶ. Quam Ariſtoteles * cauſſam eſſe ait, cur magis apud eos pudeat, qui ſemper adſunt, & ad omnia, quæ agimus, attendunt. Etiam cùm Alcæus amator dixiſſet Sapphoni, ſe velle quippiam ei loqui; ſed præ pudore non eſſe auſum id effari: reſpondit acuta mulier: Nec lingua trepidaret, nec pudor oculos occuparet, niſi turpis te rei deſiderium teneret. Verba ipſa Alcæi, & Sapphûs, habes apud unum Ariſtotelem in primo Rhetoricorum.

Præterea oculos in terram defigunt, qui præ admiratione planè ſtupent. Ut I. Æn.

Dum ſtupet, obtutuque hæret defixus in uno.

Et lib. VIII:

Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora.

Inſuper id indicium eſt hominis de re quapiam vehementiſſimè cogitantis. Apollonius penè initio tertii Argonauticôn:

Ἦ, † καὶ ἐπ' εἴδεος αὖγε ποδῶν πάρος ὄμματ' ἔπηξαν,
Ἄνδιχα [illegible] ἐνὶ σφίσιν.

Præterea oculi aperti ſignificant favorem; at nimis diducti, fatuitatem: clauſi odium; at ſemiclauſi, adulationem, & inſidias: rigidi ſtuporem, aut ἔκπληξιν; ut torpentes ſegnitiem; at vagi & natantes, corporis laſciviam & libidinem. Quorum ſingula ſi probare ex antiquis velim, metuo ne juſto longior fiam.

Buccæ demiſſæ notant deſperationem; inflatæ faſtum, atque arrogantiam, aut etiam ſuperbiam. Imò quandoque & iram. Horatius ſat. I. lib. I:

Quid cauſſa eſt, meritò quin illis Jupiter ambas

Ira-

* Lib. 3. cap. ult.
† Caſinâ.
‡ Adelph.
ǂ Lib. 3. od. 29. & ſat. 2. lib. 2.
* Hilari ſupercilio leniter ridens.
† Remitte nunc ſupercilium, & clarum ſive lætum exporrige oculum.
‡ L. 2. cap. 3. ſect. 2.
ǂ Orat. in Piſon.
* Solve trucem ſedem palpebrarum.
† Ei, qui ſupercilia attollit, perſuaſeris, ut rideat.
‡ Dixit, & nigris ſuperciliis annuit Saturnius.
ǂ Illa verò ſupercilio innuit: intellexit autem divinus Ulyſſes.
* Non intelligis, oculis mihi omnes innuere?
† Act. 2. ſc. 1.
‡ L. 1. ſat. 9.

* Supercilia ſublatis, & magnum quid ſpirans, me quidem contempſit, imò planè miſſum fecit.
† Promiſſâ barbâ, ſublatiſque ſuperciliis.
‡ Apud Fab. l. 9.
* Cod. 242.
† Oculi erant perfecta animæ ſimulacbra.
* Irâ autem mens nigra valdè implebatur: oculi verò ei igni lucenti ſimiles, erant.
† Cap. 8. ſect. 3.
‡ In oculis eſſe pudorem.
* Lib. 2. Rhet. c. de pudore.
† Dixit; atque in terram illæ ante pedes fixere oculos. Duæ in partes inter ſe fluctuantes ac diſtracti.

Iratus buccas inflet?

At tum ſuperbiam, tum iram, indicat in illo Demoſthenis περὶ παραπρεσβείας. Καὶ * διὰ τῆς ἀγορᾶς πορεύεται θοιμάτιον καθεὶς ἄχρι τῶν σφυρῶν, ἴσα βαίνων Πυθοκλεῖ, τὰς γνάθους φυσῶν.

* *Et per forum ambulat veſte ad talos demiſſa, atque incedens ac Pythocles, & buccas inflans.*

Labra mordent non irati modò, ſed & admirantes. Odyſſ. Α:

Ὣς ‡ ἔφαθ'· οἱ δ' ἄρα πάντες ὀδὰξ ἐν χείλεσι φύντες,
Τηλέμαχον θαύμαζον, ὃ θαρσαλέως ἀγόρευε.

‡ *Sic ait: illi verò omnes labiis compreſſis Telemachum admirabantur, qui audacter eſſet locutus.*

Quos ipſos verſus legas Od. Υ.

Mentum ne ſit pectori adfixum: quod & monet Fortunatianus.

Cauſſam mox dicam.

IV. De gestu cervicis, ac membrorum, quæ ad corporis truncum pertinent.

Cervix motum capitis ſequitur. Quare erecta ſit, non tamen rigida. Nam ſi rigida ſit, vox levigatur; ſi mentum pectori affigatur, minùs ſit clara, ob preſſum guttur.

Sed & clara immodicè cervix eſt faſtus iudicium. Quidam ſanè, quo cæteris ſint admirationi, incedunt quaſi veru deglutiiſſent, ut Epictetus apud Arrianum ait. Verba ejus adpono è lib. I. cap. XXI: τί * ὑμῖν ὀβελίσκον καταπιὼν περιπατεῖς; ἤθελον, ἵνα με καὶ οἱ ἀπαντῶντες θαυμάζωσι. Iſtiuſmodi homines Græcis dicuntur ὑψαύχενες. Poſſis ad verbum *alticervices*, vel *alticervicos* dicere ſi non diſplicet Pacuvii illud de piſcibus, *incurvicervicum pecus.* Ingenuè tamen libereque erecta cervix, ingenui nulloque ſcelere attaminati animi ſignum eſt. Contrà, qui caput demittunt, ſoloque oculos figunt, hi aut pudore ruſtico peccant, aut male factorum conſcientiâ lancinantur. Unde & is eſt geſtus eorum, qui ſe ſupplices ſiſtunt ſuperiori, inprimis Deo. Nam & Chriſtianæ demiſſionis eſt ſignum. Unde S. Remigius Clodovæo, Francorum Regi, ad baptiſmum aquas ingreſſo, ajebat, *Mitis depone colla, Sicamber.* Quemadmodum eſt apud Gregorium Turonenſem lib. II. Hiſtor. Franc. cap. XXXI.

* *Quid vobis obambulas, quaſi veru deglutiiſſes? Velim, ut obvii me admirentur.*

Humeri non alleventur nimis, aut contrahantur; qui geſtus ſervilis eſt. Demoſthenes quidem, cùm crebrò jactaret humeros, id vitium ita emendâſſe creditur, ut, cùm in anguſto ſtans pulpito diceret, haſta dependens humero immineret, quo, ſi calore dicendi vitare id excidiſſet, offenſione illâ moneretur. Plutarchus, Libanius, & Quinctilianus lib. XI.

Brachia modicè projiciantur, maximè in affectibus vehementioribus. Continere autem brachia eſt pudoris. Cicero pro Cœlio: *Nobis olim annus erat unus ad cohibendum brachium togâ conſtitutum, ut exercitatione, ludoque campeſtri, tunicati uteremur.*

Manus non modò loquentem adjuvant: ſed ipſe (ut de oculis Tullius ‡ ait) *quemadmodum animo affecti ſimus, loquuntur.* Unde Demetrius Cynicus, qui Neronis tempore vixit, cùm Pantomimum vidiſſet Martis & Veneris adulterium ſaltantem; Δοκεῖς *, inquit, αὐταῖς χερσὶν λαλεῖν. Huc pertinet illud Petronii in analectis:

‡ *Lib. I. de Legg.*

* *Videris ipſis manibus loqui.*

Manu puer loquaci
Ægyptius chorentes.

Et hoc B. Cypriani libro de ſpectaculis: *Vir, ultra muliebrem mollitiem diſſolutus, cui ars ſit verba manibus expedire.* Ac ſimiliter Claudianus lib. de conſulatu Mallii Theodori:

Qui nutu, manibuſque loquax.

Nihil etiam elegantius illo Nonni lib. VII. Dionyſiacôn:

Νεύματα † μῦθον ἔχων, παλάμην στόμα, δάκτυλα φωνήν.

† *Nutum pro ſermone habens, manum pro ore, digitos pro voce.*

Caſſiodorus quoque ſcitè lib. IV. epiſt. ult. de eâdem pantomimorum arte verba faciens: *His ſunt*, inquit, *addita orcheſtarum * loquaciſſima manus, linguoſi digiti, ſilentium clamoſum, expoſitio tacita, quam muſa Polymnia reperiſſe narratur, oſtendens, homines poſſe, & ſine oris affatu, ſuum velle declarare.*

* *Ὀρχηστῶν ſive pantomimorum. Vulgo editum, horciſtarum.*

Manu olim oratores, & alii, qui ad populum dicturi erant, audientiam faciebant. Perſ. ſat. IV:

Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ
Majeſtate manus.

Lucanus lib. I de Cæſare:

—— Tumultum
Compoſuit vultu, dextrâque ſilentia juſſit.

Imò in Actis etiam Apoſtolicis dicitur Paulus verba facturus ‡ ἐκτείνας † τὴν χεῖρα, & ‡ κατασείων * τῇ χειρί. Pluraque de hoc ritu Caſaubonus annotavit ad ſuperiorem Perſii locum.

‡ *Act. 26. 1.*
† *Manum extendere.*
‡ *Act. 13. 16. & 21. 40.*
* *Manu motâ annuere.*

Solet Cicero, antequam diceret, barbam demulcere. Quod hodieque nonnulli ſolent. Sunt & qui aut lacunar intueantur, vel frontem fricent, aut muſtaca trahant. Sed hæc vitioſa ſunt.

Porrò manus in exordio non extenditur; at, ubi oratio magis incaluerit, cum ſententiâ exſeri incipit, & cum eâdem deponitur. Hæc pectori admovetur, cùm quis de ſe loquitur: at cùm alium alloquimur, ad eum extenditur. Hac ſublatâ, inflexâque, alium ad nos allicimus: reflexâ à nobis, eundem averſamur. Admirantium etiam eſt, manus tollere. Cicero in Academ. *Hortenſius autem vehementer admirans quod quidem perpetuò, Lucullo loquente, fecerat, ut etiam manus ſæpe tolleret.* Et ad Cæſarem lib. VII. epiſt. *Suſtulimus manus, ego & Balbus: tanta fuit opportunitas, ut illud neſcio quid, non fortuitum, ſed divinum videretur.* Catullus epig. LIV:

Admirans ait hæc, manuſque tollens:
Di magni! ſalaputium diſertum.

Horat. ſat. V. lib. II:

Importunus amat laudari, donec, Ohe, jam
Ad cœlum manibus ſublatis, dixerit.

Video eodem ab eruditiſſimis viris referri illud Livii lib. XXIV: *Ad quam vocem cùm clamor ingenti alacritate ſublatus eſſet, ac nunc complexi inter ſe, gratulanteſque, nunc manus ad cœlum tollentes, bona omnia populo Romano, Graccho que ipſi, precarentur.* Sed volones hi manus ſuſtulere, ut Deos orarent bona omnia pro pop. Rom. & Graccho, à quo libertate donati eſſent planè inſperatâ. Nec dubito tamen, quin quod manus attollunt admirantes, id inde exortum ſit, quòd admiratione rei novæ acceptæque gratias Deo agerent pro beneficentiâ. Quemadmodum &, quòd jurantes olim manus tollerent, ex eo eſt, quòd cœleſte numen teſtarentur. Hodie eâdem de cauſſâ duos attollunt digitos, indicem, & medium.

Olim in dicendo digitum medium contrahebant in pollicem, reliquis tribus explicitis. Ejus lenis motus conveniebat procemiis, productior erat in narratione, longiſſimè exertus in contentione. Preſſo quoque pollice veteres favorem teſtati; verſo contrarium indicabant: quo de more Politianus Miſcell. cap. XLII, & Lipſius in Saturnal. lib. II. cap. XXII.

Etiam Hortenſius in digitis partiebatur cauſſam. Olim enim in digitis computabant: cujus moris antiquitatem arguit, quòd ejus quoque meminit Herodotus in Thaliâ; ubi id vocat ἐπὶ δακτύλων συμβάλλεσθαι. Quibus autem figuris totum hoc conſtiterit, è Græcis explicuit Nicolaus Smyrnæus Aſtabaſdas, libello †, qui inſcribitur, ἔκφρασις τοῦ δακτυλικοῦ μέτρου. E Latinis idem docuit Beda, commentario de ratione computandi per digitos. E junioribus vide ſis Lilium Gyraldum dialogiſmo ſecundo, & Joannem à Wouwer tractationis de polymathia cap. VII. Porro Hortenſii, quem dixi, morem aliqui hodieque non infeliciter imitantur. Sed cavendum à nimia digitorum geſticulatione, ob quam idem ille ab oratoribus ſui ævi reprehenſus fuit. Docet hoc

† *Edidit Fred. Morellus.*

hoc nos Agellius lib. I. cap. V: *Ad eundem*, inquit, *modum Hortenſius, omnibus ferme oratoribus ætatis ſuæ, niſi M. Tullio, clarior, quod multâ munditiâ, & circumſpectè compoſiteque indutus, & amictus eſſet, manuſque ejus inter agendum forent argutæ admodum, & geſtuoſæ, maledictis, compellationibuſque probroſis jactatus eſt multaque in eum, quaſi in hiſtrionem, in ipſis cauſſis, atque judiciis, dicta ſunt.* Qui locus planè à gloſſemate laborat. Nempe cùm dicitur, *omnibus ferme oratoribus, niſi M. Tullio, clarior.* Sanè *ferme* dixerat, quod Tullium clariorem putaret. Quare non dubium, quin verba illa, *niſi M. Tullio*, ab aliquo ad oram, vel ſuperiùs, fuerint adſcripta, quæ poſtea in ſermonis contextum irrepſere.

Frontem quoque, vel caput, manu percutiebant. Quod Cicero laudat in Bruto: at Quinctilianus lib. XI. improbat, tanquam ſcenicum magis, quàm oratorium. Fiebat autem id in ſummo dolore. Unde Homerus Il. χ:

Ὤιμωξεν * δ' ὁ γέρων, κεφαλὴν δ' ὅγε κόψατο
χερσί.

Et Herodotus in Thaliâ: Ο † δὲ Ψαμμήνιτος, ὡς εἶδεν, ἀνακλαύσας μέγα, καὶ καλέσας ὀνόμασι τὸν ἑταῖρον, ἐπλήξατο κεφαλήν. Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. X. Antiq. Rom. Παίοντες ‡ τὰ μέτωπα, καὶ κατηφεῖς τὰς ὄψεις ποιήσαντες. Eſt & indignantis. Cicero ad Att. lib. I: *Puto, te in hoc aut riſiſſe, aut ingemuiſſe, ut frontem ferias.*

Etiam præ nimio mœrore capillos vellebant. Ut Od. [illegible]:

Ἑζόμενοι * δὲ κατ' αὖθι γόων, τίλλοντό τε χαίτας.

Attius de Agamemnone apud Cicer. †

Scindens dolore identidem intonſum caput.

Ac quemadmodum caput in dolore, ita & pectus feriebant. Quod apud Homerum Achillis ancillæ feciſſe dicuntur ‡, cùm audiſſent necem Patrocli. Ciceronis quoque eſt Tuſc. III: *Muliebres lacerationes genarum, pectoris, feminum, capitis percuſſio.* Quandoque etiam eſt ſeſe reprimentis. Ut Odyſſ. Υ:

Στῆθος ‡ δὲ πλήξας, κραδίην ἠνίπαπε μύθῳ.

Denique, ut caput & pectus, ita femur quoque percutiebant præ dolore. Quæ tria Tullius complexus eſt Tuſcul. III, ut jam vidimus.

De femore eſt & hoc Homeri Il. Μ:

Δή * ῥα τότ' ᾤμωξέν τε, καὶ ὣ πεπλήγετο μηρὼ
Ἄσιος Ὑρτακίδης.

Ac ſimiliter Plutarchus, libro, An ſufficiat vitioſitas ad hoc, ut aliquis ſit infelix: Οὔτε † πείσειας δυσφοροῦντα μετανοίᾳ, μὴ βοῆσαι, μηδὲ τῶν τριχῶν λαβέσθαι, ἢ τὸν μηρὸν κρούσαι. Unde lucem capit hoc Plauti Truculento ‡;

—— *me intuetur gemens.*
Traxit ex intimo ventre ſuſpirium. hoc vide, dentibus
Frendit: icit femur.

Ubi & indignatio. Primus verò, qui in orando præ indignatione femur feriret, Athenis fuit Cleo: ut ſcribit Plutarchus in Nicia.

Pectus venterque ne projiciantur, quod ſupinitatem arguit.

Genua miſericordiæ dicata. De quo ita Servius in illud III. Æn.

Dixerat, & genua amplexus, genibuſque volutans
Hærebat.

Phyſici, inquit, *dicunt eſſe conſecratas numinibus ſingulas corporis partes, ut aurem Memoriæ, frontem Genio, dextram Fidei, genua Miſericordiæ.* Sanè ſupplices non ipſi modò in genua provolvebantur, cujus cauſſa ſatis eſt aperta; ſed etiam eorum, quibus ſupplicabant, genua contrectabant: nec genua modò, ſed & mentum; qui mos eſt ſupplicum Homericorum. De utroque ita Plinius lib. XI. cap. XLV: *Hominis genibus quadam & religio ineſt, obſervatione gentium. Hæc ſupplices attingunt: ad hæc manus tendunt: hæc ut aras adorant, fortaſſis, quia ineſt iis vitalitas. Namque in ipſa genu utriuſque commiſſura, dextrâ lævâque, à priore parte gemina quadam buccarum inanitas ineſt: quâ perfoſſa, ceu jugulo, ſpiritus fugit. Antiquis Græciæ in ſupplicando mentum attingere mos erat.* Utrumque, quem Plinius ait, morem complexus Homerus Il. Α de Thetide:

Καί * ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα.

Utrumque etiam tangit Euripides in Hecuba;

Ἀγάμεμνον †, ἱκετεύω σε τῶνδε γουνάτων,
Καὶ σοῦ γενείου, δεξιᾶς τ' εὐδαίμονος.

Ubi & dextræ meminit, quia non genua modò contrectabant, ſed & oſculabantur manus. Unde Iliad. Ω:

—— Ἄγχι ‡ δ' ἄρα στὰς
Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας.

Oſculorum ejuſmodi meminit & Tacitus XV. Annal. *Agere gratias Diis, ad genua ipſius advolvi, & dexteram oſculis fatigare.* Et Appulejus in Apologia: *Pontianus ante pedes noſtras advolutus, veniam & oblivionem præteritorum omnium poſtulat, flens, & manus noſtras oſculabundus.*

Ne cruribus conſiſtatur divaricatis, quod deforme eſt, & obſcenum: neque item pedibus junctis, quod femineum eſt. Sed & hominis anxii, valdeque ſolliciti: de quali Appulejus initio lib. III. Metam. *Complicitis denique pedibus, ac palmulis in alternas digitorum viciſſitudines uſque genua convexis.*

Ne pes dexter porrigatur, ſed ſiniſter, quia vitioſum eſt, eundem proferre pedem, & manum. Ne crebra ſit pedum inter ſe commutatio. Pedis tamen ſupploſio à Cicerone commendatur in incipiendis finiendiſque ſententiis. Sed præcipuè terram pedibus feriunt vel magno dolore preſſi, vel magnopere indignantes. Od. Σ. de Iro:

—— Σὺν * δ' ἤλασ' ὀδόντας,
Λακτίζων ποσὶ γαῖαν.

Cicero lib. I. de orat. *Quid multa? pedem nemo ille in judicio ſupploſit.* Hoc in adverſario ſuo, M. Callidio oratore, deſideravit Cicero oratione pro Q. Gallio: quæ quidem periit; ſed meminere ejus Valerius Max. lib. VIII. cap. X. & Nonius Marcellus in *Logi*: ipſeque Tullius hæc verba ex ea planè luculenta citat in Bruto ſuo: *Tu iſtuc, M. Callidi, niſi fingeres, ſic ageres? præſertim cùm iſtâ eloquentiâ alienorum hominum pericula defendere acerrimè ſoleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi, qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces & querelas ſolet. nulla perturbatio animi, nulla corporis; frons non percuſſa, non femur; pedis, quod minimum eſt, nulla ſupploſio. Itaque tantùm abfuit, ut inflammares noſtros animos: ſomnum iſto loco vix tenebamus.* Ex quibus verba illa de frontis & femoris percuſſione ac pedum ſupploſione, etiam à Fabio † citantur, ut oſtendat, hæc indignatos decere, & excitare auditorem.

Atque hæc de actione: in quâ ſedulò curandum, tum ut ita eam inſtituamus, ne artem redolere videamur: tum ut τὸ πρέπον ‡ ubique in perſonâ obſervetur, quia aliud juvenem decet, aliud ſenem; aliud decorum ſummatibus viris, aliud privatis.

EPILOGUS OPERIS UNIVERSI.

HÆc ſunt, benevole Lector, quæ de oratoriâ arte tradenda judicavi. Juxtà autem mecum ſcis, inter pœnas mortalitati à Deo ſummo impoſitas eſſe mentium caliginem, & errandi * neceſſitatem; ita ut Tullio interdum Demoſthenes, & Horatio Homerus, dormitare

Marginal notes (left):
* *Lamentatus eſt ſenex, & caput manibus percuſſit.*
† *Pſammenitus verò, ut id vidit, magnum edidit ploratum, ac amico ſuo nominatim compellato, caput feriit.*
‡ *Percutientes frontes, & adſpectus triſtes præ ſe ferentes.*
* *Sedentes autem illic gemebant, & evellebant pilos.*
† *Lib. 3. Tuſc. Quæſt.*
‡ *Il. Σ.*
‡ *Pectore autem percuſſo, animum increpuit ſermone.*
* *Tum lamentatus eſt, & ſua femora percuſſit Æſius Hyrtacides.*
† *Neque perſuaſeris ab pœnitentiam ægro, ut ne clamet, vel in capillos involet, vel feriat femur.*
‡ *Act. 2. ſc. 7.*

Marginal notes (right):
* *Ante eum conſidebat, & prehendit genua ejus Lævâ, dextrâ autem mentum contigit.*
† *Agamemnon ſupplico tibi per hæc tua genua, & mentum tuum, & dexteram beatam.*
‡ *Propè adſtans, manibus prehendit genua Achillis, & oſculatus eſt manus.*
* *Compreſſit autem dentes, Pede terram calcitrando feriens.*
† *Lib. 11. cap. 3.*
‡ *Decorum.*
* *Salomon Prov. 28. M. Seneca lib. 4. decl. 3. Juvenal. ſat. 8. & Demonax apud Lucianum.*

tare videatur. Itaque cùm humani nihil à me alienum putem, facilè patior, atque etiam exopto, ut quivis erroribus noſtris *

—— allinat atrum
Tranſverſo calamo ſignum.

Non me magis pudebit errores corrigere, quàm puduit medicorum Deum Hippocratem † revocare ſententiam ſuam de capitis ſuturis. Tantùm te rogatum volo, ut etiam ἀϑετήσεις, ac culpas, lubens condones; quando Sanatibus idem jus eſt, quod fortibus; & velle hominem ob errorem dicteriis laceſſere, ac velut pipulo differre, id eſt univerſo hominum generi injuriam facere. Præſertim quando uti aliis ſuum, ita & mihi meum judicium ſit; ac quemadmodum non ego omnia mea aliis, ita neque alii omnia ſua mihi ſint probaturi. Imò fors mihi in proclivi ſit, multa quæ tantopere averſantur, ſi rationibus putemus, argumentis validis evincere, ac reprehenſores iſtos, quod præfiſcine dixerim, ad incitas redigere. Sed ita fit, ut plerique omnes, quas opiniones à pueris imbibimus, tanquam claudus pilam, mordicus retineamus; ut nihil demirandum ſit, Sophiſtæ nupero ſuccreſcere indies turbam pro ejus λήροις ‡, tanquam pro aris, & focis.

* *Miſcentem pugnas, & inania bella gerentem.*

Nam quemadmodum viæ neſcii cuilibet eam monſtranti fidem habent: ita illi veritatis ignari quidvis cujuſvis ſtatim, idque ἀβασανίστως †, ut cum Thucydide loquar, arripiunt, atque univerſo vitæ curriculo reſervant; quia, ut bene olim dictum, nemo non didiciſſe mavult, quàm diſcere. Adde quòd auribus juventutis, naturâ à labore ad otium & deſidiam proclivis, nihil gratius accidere poteſt, quàm ſi intelligat, paucis poſſe paginis comprehendi, paucíſque addiſci diebus, artes longè difficillimas. Quid enim aliud in cauſſâ eſt, cur ramum, frondoſum quidem, at in felicem tamen, à Sophiſtâ illo plantatum in diſpendioſis compendiis, majoris faciant, quàm arborem ipſam occulto creſcentem ævo, à philoſopho τῆς ἀληϑείας ‡ in pinguibus poſitam latifundiis? Ego verò, & juxta mecum optimus ac doctiſſimus quiſque mirum ſemper in modum abhorruit ab hominum iſtiuſmodi inſtituto, ut qui, nobis σκελετὸν * fortaſſe artis, at non σῶμα † juſtum monſtrantes, pauculis definitionibus, ac diviſionibus, artis nomen indunt; cùm, juxta dicendi ſapiendique magiſtrum, per cauſſas tantùm rerum indipiſcamur notitiam. Impiè quidem olim Galenus ‡, qui Moſis & Chriſti doctrinam reſpuit, tanquam nullis ſubnixam demonſtrationibus; quemadmodum & idem conſtantiam martyrum, veritatem religionis ſanguine quoque ſuo obſignantium, hoc nomine ſugillare ac perſtringere auſus. Sic enim loquitur *: Θᾶττον † γὰρ ἄν τις τοὺς ἀπὸ Μωυσοῦ καὶ Χριστοῦ μεταδιδάξειεν, ἢ τοὺς ταῖς αἱρέσεσι προστετηκότας ἰατροὺς τε καὶ φιλοσόφους. Ac ſimili poſtea impietate ille fidei deſertor Julianus ‡: Ὑμῶν * ἡ ἀλογία, καὶ ἡ ἀγροικία, καὶ οὐδὲν ὑπὲρ τὸ Πίστευσον τῆς ὑμετέρας ἐστὶ σοφίας. Verùm nobis quidem in religione ſatis eſt illud Αὐτὸς ἔφα †, neque rationes ullas exigimus, ubi conſtat, eam eſſe vocem Spiritus S. quem Chriſtus promiſit nos ducturum in omnem veritatem. In artibus verò, ac diſciplinis, longè aliter comparatum eſt; in quibus neutiquam aſſertionibus illorum jejunis, &, aridis, nullâque ſuffultis ratione, acquieſcimus. Verùm ita fit, ut quemadmodum Antipodes ex Platonici ſpecus tenebris gratam Solis lucem repudiant, ac degere in priſtinâ caligine præoptant: illi quoque illaudatiora, quibus aſſuevere, mordicus retineant, neque ſuſtineant ad meliora ſe deduci. Quid agamus? Rideamuſne, an ſtomachemur? Rideamus potiùs. Nam quid commune cani cum balneo? Itaque per me licet ſcita ſita, quibus juventutis ingenia pituitâ obruunt, in templis donaria inter ſuſpendant, aut æri inſcribi curent: ut lubet etiam, Ariſtotelem, Tullium, Fabium, tanquam cerritos, conviciis inceſſant. Jamdudum ſcimus, iis, velut animali illi Veneri inviſo, cœnum gratius

* *Horat. in Arte.*
† *De morbis vulgaribus libro quinto, & ex eo Cornelius Celſus.*
‡ *Nugis.*
* *Silius lib. 1.*
† *Temerè, dum diſcuſſo.*
‡ *Veritatis.*
* *Cadaver aridum.*
† *Corpus.*
‡ *Lib. 2. de pulſuum differ.*
* *Lib. 3. de pulſuum different.*
† *Citius Moſis aſſeclæ, & Chriſti.* (ita gentiles Chriſtum vocabant) *ſua deſerant, quàm qui ſectis addicti ſunt, tam medici, tam philoſophi.*
‡ *Apud Gregorium Nazianzenum adverſus Julianum.*
* *Vos adeò ratio deſtituit: veſtra hæc ruſticitas eſt, ut nihil præter hoc ipſum,* FIDEM HABE, *veſtra ſit ſapientiæ.*
† *Ipſe dixit.*

eſſe, quàm amaracinum; quomodo & vultures * intereunt unguentis inuncti, & ſcarabæi odore roſæ †.

Sed iſtos mitto: atque ad eos potiùs venio, quibus vitii hujus fugâ, ob geminatam nunc commentariorum molem, videri poſſim in contrarium nimiæ prolixitatis vitium incidiſſe. Equidem non diffiteor, magnæ eſſe laudis, artes præclaras, ut plenè, ita ſuccinctè tractare. Sed illis brevitatis tantopere amantibus, partim eo à me ſatisfactum oportuit, quòd capita doctrinæ univerſæ univerſo hoc opere typis diſtincta præmiſerim: partim quia ſeorſim etiam de hac arte, & ſtrictè ſatis, egerim opere eo, quod inſcribitur *Rhetorica contracta*, vel *Partitiones oratoriæ*: quibus illuſtres Hollandiæ & Weſt-Friſiæ proceres in cunctis ſuæ ditionis ſcholis juventutem imbui juſſerunt. At non ſolùm hujus brevitatis ſtudioſis conſulendum fuit: ſed præterea, tum doctoribus juventutis, tum aliis, qui pleniùs fuſiuſque tractari à me omnia voluerunt. In horum igitur gratiam alter hic labor à me ſuſceptus fuit. Non autem quaſi animus foret, ſparſim, & quaſi per ſaturam, congregare ingentem præceptorum atque exemplorum copiam; ut, quibus bonitate operis non poſſem, iis magnitudine ejus induſtriam noſtram comprobarem. Siquidem etſi Plinii hoc non ignorem, *Ut alia bona res, ita bonus liber melior eſt quiſque, quo major*: tamen nec damno illud Callimachi grammatici ‡: τὸ * μέγα βιβλίον ἴσον εἶναι μεγάλῳ κακῷ. Quare ſi longior fuero, vindemiolarum dum mearum hic oratoriarum partem meliorem unam in penum congero, id plurimùm rerum potiùs naturâ factum eſt, quàm meâ: vel ſaltem non venti atque oſtentationis cauſſâ, ſed ſtudio bene de aliis merendi. Primùm paginas aliquot ſoloci ſtylo decreveram ac vix aliud quàm Ariſtotelis conſpectum, qui εἰσαγωγὴ † eſſet juventuti. Quippe exiſtimabam, ab Ariſtotele non minùs irreverenter, & temere, initium fieri, quàm olim pueri, ut Attilium dixiſſe Plinius ‡ ſcribit, ab Homero in ſcholis, à centumviralibus cauſſis in foro, auſpicabantur. Itaque, ne iis, qui Rhetoribus ac ſcholaſticis ſacramento ſe obligaſſent, primum eſſet, quod maximum erat; artem ante oculos ponere adumbratim conſtituebam, eoque (ut cum Comico dicam) curriculo omnia percurrebam. Deinde in mentem veniebat, quàm præclara multa apud alios etiam legerentur: inprimis Demetrium, Dionyſium, Halicarnaſſenſem, Hermogenem, Longinum: & ne Latinos ſuâ laude ſpoliem, Tullium, Fabium, alios. Quare quod in Ariſtole feceram; idem in his mihi faciendum putavi. Pòſt cùm quædam, brevitatis ſtudio, obſcuriùs à me dicta eſſe, paſſim animadverterem: ea & minore verborum parcimoniâ, & exemplorum faculâ, illuſtrare viſum fuit. Denique nec inutile viſum eſt, ſi aliunde etiam, ſed præcipuè ex iis, quæ ad variam eruditionem pertinerent, aliqua adſpergerem; tum ad levandum faſtidium, quod in tractatione artium facilè obrepit; tum ut eâdem lucis nonnihil adferrem ſcriptoribus antiquis. Accrevit ita ſub manibus labor, dum anſa trahit anſam, & quaſi varam vibia ſequitur. Uſque dum tandem opus, quod non alio ſcripſeram fine, quàm ut juventuti eſſet manuductio ad rhetores oratoreſque antiquos, juſtus eſſe commentarius potiùs cœpit, partim in Partitiones noſtras Oratorias, partim in ea, quæ veteres, tam Græci, quàm Latini, de arte Oratoriâ tradidiſſent. Et in tantâ tamen varietate, ac copiâ, non deerunt, credo, qui vitio vertant, quòd quædam à nobis prætermiſſa, quæ ex re, & ad rem. Verùm, quo jure, ipſi viderint. Siquidem *alius alio plura invenire poteſt, nemo omnia*, ut inquit Auſonius *. Et *nemo reprehenſus, qui è ſegete ad ſpicilegium reliquit ſtipulam*, ut rectè Varrò †. Et quid attinebat eorum ſcrinia compilare, qui multa prodiderunt, non illa quidem mala, aut falſa, ſed parva dictu, *Prendere quæ poſſis oculorum lumine operto* ‡: in quibus Ariſtotelem * audio, Ἀδολεσχία τὰ φανερὰ λέγειν †. Quanquam nonnulla etiam omiſſa nobis, non

* *Ælianus lib. 3. de Animal. c. 7.*
† *Ariſt. vel quiſquis auctor libri de Admir. Audit.*
‡ *Apud Athen. l. 3.*
* *Magnum librum conferri poſſe magno malo.*
† *Introductio.*
‡ *Lib. 2. ad Maximum.*
* *Epiſtol. ad Symmachum.*
† *Extremo lib. 6. de L. L.*
‡ *In pleriſque omnibus edit. etiâ Giffanianâ, legitur* aperto. *Sed malim* operto: *ut editum in illa Junta an. 1512. Nempe ut reſpexe it proverbium,* Vel cœco appareat.
* *2. Rhet.*
† *Nugatorium, dicere manifeſta.*

tam

tam quòd cuivis eſſent manifeſta, quàm quòd judicaremus, ea eſſe magis curioſa, quàm utilia: ut de iſtiuſmodi dicere liceat. Quædam eſſe, quæ ſatius ſit ignorare, quàm diſcere. *3. De Orat.* Rectè Craſſus apud Ciceronem*: *Omnes artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad uſum transferunt: aliter ab iis, qui ipſarum artium tractatu delectati, nihil in vitâ ſunt aliud acturi.* Verè quoque Antonius apud eundem †: *†2. De Orat.* *Cùm tradita ſunt cujuſque artis difficillima, reliqua, quia aut faciliora aut ſimilia ſint, tradi non neceſſe eſt: neque eſt omnino ars ulla, in quâ omnia, quæ illâ arte effici poſſunt, à doctore tradantur: ſed qui primarum, & certarum rerum genera ipſa didicerunt, reliqua non incommodè perſequuntur.*

Verùm fortaſſe videar apologiam operis hujus ſcribere voluiſſe, priuſquam dica ei ſcripta ſit. Quare finem hìc facio, Deoque gratias ago, quòd mihi non vitam modò & valetudinem, ſed otium etiam conceſſerit ad commentarios hoſce iterum in manus ſumendos, eoſque limandos & augendos, tertio & vigeſimo anno, ex quo primùm viderant lucem. Vale, benevole Lector, ac apud Deum, qui hanc mihi gratiam conceſſit, etiam mei in precibus tuis ſis memor.

FINIS LIBRI SEXTI.

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
RHETORICÆ
NATURA AC CONSTITUTIONE*,
ET ANTIQUIS RHETHORIBUS,
Sophiſtis, ac Oratoribus,
LIBER UNUS.

*Sic enim Boëthio verti quod Græcis eſt σύστασις.

CAPUT PRIMUM.

Τέχναι ῥητορικαὶ *pro unâ arte dicendi, Rhetorices etymologia, ut Syris hæc ars dicatur,* dicentarius, ῥητορεία, ῥητορικὸς *pro oratore,* rhetoricare & rhetoriſſare, *quàm variè* rhetor, *ſumatur,* ἐκκλησιαστὴς, concionator *in partem malam acceptum, multiplex notio* ſophiſtæ, *iidem olim poëtæ ac philoſophi, cur qui dicendi periti eſſent,* muſici *dicerentur, cur declamandi magiſtris potiùs competat* profeſſorum *nomen, quàm philoſophis,* πολιτικοῦ καὶ ῥήτορος *diſcrimen,* πολιτικὴ λέξις, ſcholaſticus *diverſimodè dicitur,* orare *quid veteri linguâ,* δημαγωγὸς, λογογράφος, *ut differant,* eloquens & diſertus, eloquentia & loquentia. *Circa iſta lux Tertulliano, Pandectis, Philoſtrato, Codici Juſtin. & Theodoſ. Nazianzeno, aliiſque ſcriptoribus. Deniquè fusè diſquiſitum, an orator rectè definiatur* vir bonus dicendi peritus.

QUem locum in rebus humanis obtinet regina Eloquentia, hunc in diſciplinis ars illa poſſidet, quæ ad Eloquentiam viam munit. Ars ea Ῥητορικὴ dicitur, vel etiam plurativo numero τέχναι ῥητορικαί. Ita Iſocrates orat. contra ſophiſtas reprehendit eos, qui ſcriberent τὰς καλουμένας τέχνας, & Diodorus Siculus† de Georgia ait, οὗτος τὰς τέχνας ῥητορικὰς πρῶτος ἐξεῦρε, & Plutarchus in vitis Rhetorum teſtatur, Lyſiam ſcripſiſſe τέχνας ῥητορικὰς, ac Iſæum poſtea reliquiſſe τὰς ἰδίας τέχνας. Ac Græcorum invitatione, etiam Tullius de Iſocrate ait, *totum ſe ad artes componendas tranſtuliſſe.* Sed multò uſitatius Latinis ſingulo numero vocatur Rhetorica vel potiùs Rhetorice. Nam Græcam retinere terminationem malebant: ut non hac demum ætate viri docti‡ obſervarunt; ſed jam ante ſeſquiſeculum prope monere haut piguit doctiſſimum Rodolphum Agricolam‡. Conſtat verò Rhetorem, à quo Rhetorice dicitur, appellationem ſortiri ab artis officio. At non æquè convenit inter omnes, quæ illa vox ſit, à qua, tanquam fonte, Rhetoris vocabulum derivetur. Aphthonii quidem ſcholiaſtes duplex etymon adducit, his verbis*: ῥητορικὴ δὲ εἴρηται, ἤτοι ἀπὸ τοῦ ῥυδὸν λέγειν· ἢ ἀπὸ τοῦ συνηγορεῖν τῷ νόμῳ. ῥήτραν γὰρ τὸν νόμον φασὶν οἱ Δωριεῖς†. Putavit igitur is interpres, huic arti nomen eſſe impoſitum, vel à Dorico vocabulo ῥήτρα, i. lex, quia leges tueatur (ſanè Lycurgus leges ſuas ſic vocabat; ut in ejus vitâ docet Plutarchus: item in Apophthegmatis Laconicis. p. 378.) vel, quæ paſſiva ac vulgaris magis opinio eſt, à ῥέω, quod eſt *fluo,* quia hujus artis munere ſermo, velut aquarum fluenta, exuberet. Hinc, (ut ſcribit Heſychius Hieroſolymitanus‡) *mos eſt, affluens, eloquium, largiſſimeque ſe ac facilè ad doctrinam effundens, fluxum; vel rhetoricam appellare.* Huic rei firmandæ facere videtur Homericum† illud de Neſtore, Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή‡. Et Tullius lib. 2. Academic. Quæſt. ſcripſit, Ariſtotelem *fundere aureum orationis flumen.* Quin locum quoque habere, cùm vituperare inſtituimus, indicium facit Horatianum iſthoc de Lucilio‡, *Cum flueret lutulentus.* Verùm hæc, prout quidam veterum locuti, originatio tantùm apud eos fidem invenerit, qui naturam linguæ Græcæ non attendunt. Siquidem verbalia ejuſce ῥέω ſequuntur naturam Æolici ῥεύω, ut indicant ῥεῦμα, ῥεῦσις, ῥευστὸς &c. Sanè Nicodemus quoque Friſchlinus, vir optimè de re Grammatica meritus, hanc ipſam ob cauſſam in ſecundo ſuo Celetiſmo maluit id nominis deducere à ῥάω. Ac facilè mihi hanc perſuaſiſſet ſententiam, ſi vocem ῥάω idoneo fulciviſſet autore, quàm ut barbaram ex Anteſignano meritò expunxit Græcè doctiſſimus Fred. Sylburgius. Nunc mihi dubium non eſt, quin ſit à ῥέω, non illo integro, de quo antè vidimus, ſed alio κατ' ἀφαίρεσιν poſito pro ἐρέω, à quo itidem ῥῆμα, ῥῆτος, ῥῆσις, aliaque. Certè hæc ἐτυμολογία propriâ voce exprimit naturam Rhetorices, quia eſt ἐπιστήμη τοῦ εὖ λέγειν*, ut eam definiunt Stoici apud Laërtium†. Sunt igitur ab hoc ῥέω, ῥήτωρ, ῥητορικὸς, ῥητορικὴ: A quo Syris ars hæc vocatur רהטרא *Rehetara.* Multa enim poſteriores Syri à Græcis ſunt mutuati, uti in Originum libris oſtendimus. Ac ῥήτωρ quidem κατὰ λέξιν ſonat *dicentarius.* Hinc gloſſæ vett. Philoxeno tributæ: *Dicentarius,* ῥήτωρ δικανικός. At ῥητορεία eſt dictio ſive ſermo oratoris. Ariſt. 1. Rhet. cap. 11. Εἰσὶ γὰρ αἱ μὲν παραδειγματώδεις ῥητορεῖαι, αἱ δὲ ἐνθυμηματικαί. καὶ ῥήτορες ὁμοίως οἱ μὲν παραδειγματώδεις, οἱ δὲ ἐνθυμηματικοί‡. Ῥητορικοὺς quoque vocari, qui dicendi ſunt periti, indicat hoc Iſocratis in Συμβουλευτικῷ, qui & Nicocles inſcribitur: καὶ ῥητορικοὺς μὲν καλοῦμεν τοὺς ἐν τῷ πλήθει λέγειν δυναμένους‡. Locutus quoque hoc pacto Ariſtoteles lib. 11. Rhetoric. Philoſtratus de vitis ſophiſt. Themiſtius orat. 1. Libanius epiſtolâ ad Euſtathium philoſophum; atque alii. Hinc *rhetoricè dicere.* ut lib. 111. de Fin. *Poteſt id quidem fusè, copiosè, & omnibus electiſſimis verbis, graviſſimiſque ſententiis, rhetoricè & augeri, & ornari.* Inde ῥητορικώτερος Lucilio apud Ciceronem de Oratore. Id veteres dicebant *rhetoricare,* & *rhetoriſſare,* Nonio teſte; qui adducit ex Novii Aſinio; *Age nunc, quando rhetoricaſti, reſponde quod te rogo.* Et ex Pomponii Medico; *Dotaſti uxorem, nunc ea propter me cupis concidere, & jam rhetoriſſas.* Rhetoricari pro eo B. Hieronymus contra Helvidium; *Rhetoricati ſumus, & in morem declamatorum paululum luſimus.* At Cicero ad Atticum prætulit Græcum; *Ranæ enim* ῥητορεύουσιν. Interim non exiſtimandum *dicere* ita Oratorum proprium eſſe, ut non aliis etiam tribuatur. Nam & poëtarum eſt: Maro, *Cui non dictus Hylas,* & *Diductam*

† *Lib. 12.*
‡ *H. Steph. de abuſu L. Gr. cap. 4.*
‡ *Epiſt. ad Alex. Heg. in centur. epiſt. Philolog. edita à Goldaſto.*
* *Pag. 3.*
† *Rhetorica verò dicta eſt, vel quia affluenter copioſèque dicat: vel quia legibus patrocinetur. Dorienſes enim leges vocant* ῥήτρας.
‡ *In cap. 15. Levit.*
† *Il. ad α.*
‡ *Cujus à linguâ melle dulcior fluebat oratio.*
‡ *Lib. 1. ſat. 4.*
* *Scientia bene dicendi.*
† *In Zenone.*
‡ *At ſermo quidem oratoris alius eſt exemplaris, alius enthymematicus: ac Rhetorum ſimiliter hi quidem exemplares ſunt, illi verò enthymematici.*
‡ *At Rhetoricos quidem eos vocamus, qui ad multitudinem dicere ſciunt.*

dicere carmen. Item Horat. *Diceris Vario fortis & hoſtium Victor* &c. rurſus, *Primâ dicte mihi, ſummâ dicende Camœnâ.* Quid mirum? cum Poëtica ſit altera eloquentiæ pars. At verò & de Geographis dicitur. Sanè Mela ſic orditur; *Orbis ſitum dicere aggredior; impeditum opus & facundiæ minimè capax.* Juriſconſulti denique *Jus dicere* dicuntur.

Et iſta quidem originem vocis Rhetorices ſatis oſtendunt. Nunc videamus, quàm variè Rhetoris nomen ſumatur. Ac primùm quidem ita vocantur, quos Cicero primo de Oratore appellat *Rhetoricos doctores*, ſive qui, ut alibi loquitur, *artes rhetoricas exponunt.* Nec ſolùm tribuitur iſtis, qui tradunt artis præcepta, ſed ſophiſtis quoque, hoc eſt illis qui declamitarent, & alios in eo exercerent. Ita uſus Diodorus Siculus lib. XII. Γοργίας ὁ ῥήτωρ δεινότητι λόγου πολὺ προέχων*. Et apud Philoſtratum in vitis Sophiſtarum, Herodes Atticus dicitur ποικιλώτατος ῥητόρων †. Ac ne Græcos ſolùm ita loqui putes, Cicero primo de offic. ait: *Hinc Rhetorum campus de Marathone, Salamine, Plateis* &c. Nam hoc ferè argumentum erat Sophiſtarum. Ac Maronem quoque, & ſeu Tacitum, ſeu Fabium, ita uſurpare, inferiùs patebit. Crebrò etiam à Demoſthene, aliiſque, rhetoris nomen attribuitur ἐκκλησιασταῖς, qui Latinis *oratores*. Nam *concionatoris* appellatio, (quomodo κατὰ λέξιν verti deberet, quia ἐκκλησία *concionem* ſonat. in deteriorem partem à Tullio uſurpatur, cùm IV. Catilinariâ ait: *Intellectum eſt, quod intereſt inter levitatem concionatorum, & animum verè popularem, ſaluti populi conſulentem.* Interim negari nequit, τοῦ ῥήτορος vocabulum rectè interdum *concionatoris* voce transferri, cùm etiam *rhetoris* nomen in malam quandoque partem accipiatur: uti ex Ariſtophane, & Luciano, probat Brodæus lib. I. Miſcell. cap. VII.

> * *Gorgias rhetor, qui dicendi facultate plurimum præſtitit.*
> † *Rhetorum maximè varius.*

De Rhetoris appellatione ſatis dictum. Accedamus ad vocem ſophiſtæ. Ea antiquis temporibus ita latè patebat, ut omnibus alicujus artis peritis tribueretur, Suidâ teſte; cui σοφιστὴς πᾶς τεχνίτης ‡. Nec ratio eſt obſcura, quando, ut Heſychius ait, πᾶσαν τέχνην σοφίαν ἔλεγον ‖. Ita Medicis aſſignari, oſtendit illud apud Suidam, ὀδύναις τε καὶ νόσοις γενέσθαι σοφιστὴν ἄκρον*. Et pari jure poſtea juris interpretes, qui & anteceſſores dicti, *ſophiſtæ* vocabantur: qua de re Rævardum vide in opere poſtumo lib. II. Conjectan. cap. X. Theologis verò competere, argumento eſt, quòd Theocritus Orphea appellat θεῖον σοφιστὴν †, quem Clemens Alexandr. quoque Θρᾴκιον σοφιστὴν ‡ nominat. Quamquam & eò uterque potuit reſpexiſſe, quòd muſicis, & poëtis, ſpeciatim id nominis tribuerent. De muſicis agnoſcit Heſychius: ac confirmat Athenæus lib. XIV. ubi id probat iſto Æſchyli:

Εἶτ' οὖν σοφιστὴς καλὰ παραπαίων χέλυν.
Sophiſta dein teſtudinem pulſans probe.

De poëtis verò cognoſcimus ex illo Pindari Iſthmiorum od. V.

—— μελέταν δὲ σοφισταῖς
Διὸς ἕκατι πρόσβαλον σεβιζόμενοι ‖.

Niſi malis, ſophiſtas hîc eſſe viros dicendi peritos, quia μελέτας nominat, quomodo declamationes dicebantur. Sed priorem interpretationem ſequitur ſcholiaſtes, qui ita ſcribit in hunc locum: Σοφιστὰς καὶ σοφοὺς ἔλεγον τοὺς ποιητάς*. Ac Sophoclem quoque ſimiliter locutum eſſe, ibidem docet. Cauſſa verò iſtius appellationis eſt, quòd olim poëtæ iidem erant, qui philoſophi: quippe qui morum præcepta verſibus complectebantur: uti auctores ſunt Strabo lib. I. Γεωγρ. †. Fabius lib. I. cap. X. Athenæus lib. I. Scholiaſtes Homeri in Odyſſ. V. Clemens Alexand. lib. I. Στρωμ. ‡ Philoſophus verò hanc tribui appellationem, nemo mirabitur, cùm φιλοσοφία, etſi propriè φιλίαν τῆς σοφίας ſignificet, tamen καταχρηστικῶς pro ipſa ſapientiâ ſumatur, atque id jam ab eo tempore, quo Pythagoras ſe, modeſtiæ cauſſâ, φιλόσοφον, quàm σοφὸν, dicere maluit. Itaque ſophiſtæ voce pro philoſopho uſus Tertullianus, cùm lib. de anima cap. XXIV. Pythagoram vocat *Samium Sophiſtam.* Nec aliter capiendum Apolog. cap. XLVII. *Quis poëtarum*, inquit, *quis ſophiſtarum, qui non omnino de prophetarum fonte potaverit?* Prudentius quoque lib. II. in Symmach. cum *barbatos ſophiſtas* nominat, non alios, quàm philoſophos ſignat. Atque ut philoſophis, ita quibuſque prudentibus, ac gravibus viris, id nominis tributum. Quo ſenſu primus Solon dictus σοφιστὴς, teſte Iſocrate orat. περὶ ἀντιδόσ. Sanè eo id factum eſſe, quia tum σοφιστοῦ vox honorifica eſſet, ac plena dignitatis, etiam Themiſtius prodidit orat. IV. Propterea olim quidam appellationem hanc refugerunt, tanquam arrogantem, & invidiæ obnoxiam: qui *Muſici* dici malebant, eo nomine dicendi peritiam, tanquam velo, occultantes: ut Plato ſcribit in Protag. ac de Damone, viro eloquente, qui Pericli dux fuit, Plutarchus in Periclis vita teſtatur. Contrà alii id nomen, tanquam glorioſum ſibi, ſtudioſè arripiebant: quales Protagoras, Gorgias, Hippias, alii, viri in dicendo præſtantes, & doctrinæ ſuæ caupones. Quam acceptionem ejus vocis aperit M. Tullius ſecundo Academ. Quæſt. *Quis*, inquit, *fuit hic? num Sophiſtes? Sic enim appellantur ii, qui oſtentationis, aut quæſtus cauſſâ philoſophantur.* Ac ſimiliter Seneca ep. XXIX. *Illos mihi circulatores ſophiſtas, qui philoſophiam honeſtius neglexiſſent, quàm vendunt.* Ubi *circulatores*, h. e. περιοδευτὰς appellat, quia oſtentationis, aut quæſtus cauſſâ, Græciam, atque Aſiam, peragrarent. Erant igitur ſophiſtæ, doctores eloquentiæ: unde Suidas, λέγεται δὲ ὁ σοφιστὴς, καὶ ὁ διδάσκαλος, ὡς σοφίζων*. Ita uſurpat Plutarchus in Antiphonte: Μαθητεύσας δὲ τῷ πατρὶ (ἦν γὰρ σοφιστὴς, ᾧ καὶ Ἀλκιβιάδην φασὶν ἔτι παῖδα ὄντα φοιτῆσαι) καὶ δύναμιν λόγων κτησάμενος †. Idem à Plutarcho in Lycurgo, σοφιστὴς λόγων appellatur. Sic Juvenal. ſat. VII. 166.

> ‡ *Sophiſta, quilibet artifex.*
> ‖ *Artem quamlibet Sophiam vocarunt.*
> * *Adverſus dolores & morbos fuiſſe ſophiſtam ſummum.*
> † *Divinum ſophiſtam.*
> ‡ *Thracium ſophiſtam.*
> ‖ *Etiam commentationis materiem, Jovis voluntate, ſophiſtis præbuerunt.*
> * *Poëtas appellarunt ſophiſtas & ſophos.*
> † *Pag. 5. edit. Commel.*
> ‡ *Pag. 98. edit. Florent.*

—— Hac alii ſex
Vel plures, uno conclamant ore Sophiſtæ,
Et veras agitant lites. ——

Ubi Vetus ſcholiaſtes à Pythæo editus *ſophiſtam* interpretatur *profeſſorem*, h. e. eum, qui ſe, alioſque in declamando exercet. Sic profeſſorum quoque vocabulo utitur Tranquillus. Nam de claris Rhetoribus ſcripturus, *Illuſtres*, inquit, *profeſſores, & quorum memoria aliqua extet, non temere alii reperientur, quàm de quibus tradam.* Etiam in veteribus gloſſis legitur: *Profeſſores*, σοφισταί. *Profiteor*, δημοσίᾳ διδάσκω, σοφιστεύω. Nempe etſi omnes liberalium artium doctores *profeſſores* dicerentur, tamen κατ' ἐξοχὴν eam appellationem Rhetores acceperunt. Neque eſt, quod aliquis objectet, dignius eſſe Philoſophorum nomen. Nam profeſſio mercedem indicat: quam appetere non debet, qui philoſophum ſe haberi velit, uti nomen poſſidet. Docet hoc Ulpianus ipſe ‡, *An & philoſophi profeſſorum numero ſint? & non putem, non quia non religioſa res eſt, ſed quia hoc primùm profiteri eos oporteat, mercenariam operam ſpernere.* Hinc liquet, eoſdem eſſe *ſophiſtas*, ac *profeſſores:* hoc eſt *declamandi magiſtros*, ut ‖ Fabius appellat, quos Baſilius ſimiliter ἀσκητὰς διδασκάλους* vocat.

> * *Dicitur ſophiſta & magiſter, ut qui ſapere docet.*
> † *A patre verò inſtitutus (nam erat is ſophiſta, quicum ajunt etiam Alcibiadem, cum etiamnum puer eſſet, fuiſſe verſatum) & dicendi adeptus facultatem.*
> ‡ *D. De extraord. cogn. l. 1. §. 4.*
> ‖ *Lib. 2. cap. 1.*
> * *Epiſt. 42.*

Quia verò eloquentiæ doctores dictione uterentur, ornatâ, & concinnâ, inde factum etiam, ut qui eleganter dicerent, *ſophiſtæ* vocarentur. Quod B. Auguſtinus indicat, lib. II. de Exod. *Sophiſtæ*, inquit, *appellantur Latinarum literarum elegantiſſimi auctores.* Atque inde eſt, quod Tertullianus Miltiadem, *Eccleſiarum ſophiſten* appellat contra Valentin. quaſi qui religionem Chriſtianam ornatâ ac ſplendidâ dictione tueretur. Et hac etiam mente B. Auguſtinum *ſophiſtam* vocare videtur Claudianus Mamertus lib. II. de animæ ſtatu cap. X.

Multi verò antiquis temporibus, qui ſe pro ſapiendi dicendique magiſtris venditarent, vix aliud diſcipulos docebant, quàm illudere aliis, ſeu vafris quæſtiunculis, ſeu fucatæ orationis quaſi præſtigiis quibuſdam. Unde & σοφιστὴς pro impoſtore accipi cœpit. Suidas, Σοφιστὴς, ἀπατεὼν, παρὰ τὸ σοφίζεσθαι, ὅ ἐστι λόγοις ἀπατᾶν. Etiam eſt in veteri gloſſario, Σοφιστὴς, *diſertor, ſophiſta:* quo loco pro *diſertor, diſſertor* legendum poterat videri: ſed ma

Digitized by Google

gis placet, *deceptor*, quando, ut Nicolaus Rigaltius obſervat, in Mto legitur, *deceptor*, *ſophiſta*, *præceptor*, *orator*. Maximus Tyrius Diſſert. x. Μιμεῖται τὶ καὶ φαρμακοπώλης ἰατρὸν, καὶ συκοφάντης ῥήτορα, καὶ σοφιστὴς φιλόσοφον *. Et Alcinous quoque de doctrina Plat. cap. ult. ſophiſtam & philoſophum differre docet τρόπῳ καὶ ὕλῃ †, quam rem pluribus ibidem explicat. Hinc σοφιστικὴ, quam Boëthius *cavillatricem* vocat, & σοφίσματα *cavillationes*.

** Agyrta imitatur medicum, ſycophanta oratorem, ſophiſta philoſophum.*
† Moribus & argumento.

Non rarò verò conjunguntur *rhetor*, & *ſophiſta*: eoque operæ etiam eſt videre, ut tum quoque voces iſtæ, quæ varias adeò notiones habent, ſumantur. Cui autem hac in re potius credamus, quàm inſigni Rhetori, Mario Victorino? Is expoſitione in primum Rhetoricorum Cic. ita ſcribit: *Rhetor eſt, qui docet literas, atque artis traditor eſt eloquentiæ. Sophiſta eſt, apud quem dicendi exercitium diſcitur.* Ità his vocibus uſus Chryſoſtomus in Pſ. iv. Οὐκ εἰς μουσεῖον ἀπιέναι δεῖ, οὐδὲ χρήματα ἀναλίσκειν, οὐδὲ παιδαγωγοὺς μισθοῦσθαι, καὶ ῥήτορας, καὶ σοφιστάς ‡. Ubi apertè indicat, & rhetores, & ſophiſtas, conduci ſolere ad docendam eloquentiam. Sed in quo differant, non oſtendit. Id verò ex ſuperiori Victorini loco cognoſcimus: qui eo diſtinguit, quòd rhetor tradat artis præcepta: ſophiſta ſe, atque alios, in declamando exerceat. Quare rhetor, ut Grammatico eſt poſterior, ita prior eſt ſophiſtâ. Obſervat hunc ordinem Tertullianus lib. de pallio cap. ult. *De meo veſtiuntur, primus informator literarum, & Grammaticus, & Rhetor, & Sophiſta.* Nempe ut primus informator literarum, hoc eſt Grammatiſta, viam Grammatico munit: ita Rhetor ſophiſtæ viam parat. Hunc tamen ordinem negligit Modeſtinus lib. ii. Excuſationum *: *Grammatici, ſophiſtæ, rhetores, medici, qui περιοδευταὶ, id eſt circulatores vocantur, quemadmodum à reliquis muneribus, ita & à tutela, & à cura requiem habent.* Sed hic Victorini diſtinctionem locum habere vix puto. Potiùs cum doctiſſimo Cujacio intelligo per ſophiſtas, eos qui alios in dicendo exercerent; per Rhetoras verò, qui ipſi quidem dicerent, at haut alios docerent. Ita enim arbitror etiam uſum Philoſtratum lib. viii. cap. iii. Καλῶ δὲ σοφὸς μὲν ποιητικὴν, μουσικὴν, ἀστρονομίαν, σοφιστὰς, καὶ τῶν ῥητόρων τοὺς μὴ ἀγοραίους †. Similiter à B. Chryſoſtomo in i. ad Cor. cap. ii. conjunguntur, καὶ σοφισταὶ, καὶ ῥήτορες, καὶ φιλόσοφοι, καὶ συγγραφεῖς. Et in ii. ad Theſſal. cap. i. καὶ ποιηταὶ, καὶ ῥήτορες, καὶ σοφισταὶ καὶ λογογράφοι πάντες. At planè in ſuperioribus Modeſtini verbis aberrat Accurſius, qui per ſophiſtam intelligit dialecticum. Præſertim cùm Dialecticus contineatur ſub philoſopho: & *ſophiſta*, quique *philoſophiæ arcana rimatur*, opponantur in Cod. de ſtud. liberal. Urb. Rom. Nec magis illis aſſentio, qui ita diſtinguunt, quòd Rhetor Latinè, Sophiſta Græcè det dicendi præcepta. Nam Cod. Theod. de med. & pr. l. xi. legitur, *Rhetores Atticæ Romanæque doctrinæ.* Uti & apud Tranquillum in Veſpaſ. *Qui primus è fiſco Latinis Græciſque Rhetoribus annua centena conſtituit.* Quod ſi Latinos dicendi magiſtros diverſo nomine appellare velint ac Græcos: non quidem illos vocant *Rhetoras*, hos *Sophiſtas* (nam utraque appellatio Græca eſt) ſed priores Latino vocabulo nominant *oratores*, poſteriores Græco nomine appellant *Sophiſtas*: uti in Cod. de ſtud. liberal. Urb. Rom. *Habeat igitur auditorum ſpecialiter noſtrum, in his primùm, quos Romanæ eloquentiæ doctrina commendat, Oratores quidem tres numero, Grammaticos verò decem: in his etiam, qui facundiâ Græcitatis pollere noſcuntur, quinque numero ſint Sophiſtæ, & Grammatici æquè decem.* Ita enim rectè ex codice Theodoſiano legunt viri docti: ubi in vulgariis libris pro *Græcitatis* eſt *gravitatis*, ſed ineptè, nihiloque rectiùs pro eo alii *gravitatis*, vel etiam *garrulitatis* emendant. De eâ verò, quam attuli, Oratoris notione, inferiùs etiam aliquid dicemus.

‡ Non eſt eundem in gymnaſium, non conſumendæ pecuniæ, non conducendi pedagogi, ac rhetores, & ſophiſtæ.
** D. De Excuſat. l. 6.*
† Sapientes vero appello, ut poëſin, muſicam, aſtronomiam, ſophiſtas, & rhetoras non circumforaneos.

Videntur verò rhetor & ſophiſta etiam aliter opponi: nempe ut *rhetor* ſit civilium quæſtionum gnarus, quique eas eleganter & graviter tractare ſciat: *Sophiſta* autem, qui de iiſdem ornatè ac copioſè ſciat dicere. Ita uſurpat Gregorius Nazianzenus epiſt. cxvii. ubi Nicoſtratum, affinem ſuum, Eudoxio Rhetori commendans, ait, Δέχοιο παρ' ἡμῶν τοῦτον, ὡς παρ' ὑμῶν. τὸ μὲν ῥητορικὸν δεῖον τῷ πατρὶ χαριζόμενος, τὸ δὲ σοφιστικὸν ἡμῖν *. Nam licet aliàs πολιτικὸς, καὶ ῥήτωρ ita opponantur, quòd ille rerum civilium ſit intelligens, etſi inornate fortaſſè dicat; hic verò oratione utatur uberi atque ornatâ: tamen hoc loco rhetor potius videtur accipi pro politico, qui habeat, quam Plutarchus † vocat δραστήριον σύνεσιν ‡, item πολιτικῆς λέξεως καθαρότητα ‡. Siquidem rhetori hic opponitur ſophiſta, qui ambitioſo & ſplendido ſermone animi ſenſa exponit. Juvat hanc quoque ſententiam Julius Pollux, qui ῥήτωρ, ῥητορικὸς, ὁ αὐτὸς καὶ πολιτικὸς, ac mox ῥητορεύειν, πολιτικὸν εἶναι, ac ab eo diſtinguit τὸ σοφιστὴν εἶναι. Etiam Hermogenes lib. ii. περὶ ἰδεῶν *, orationi πολιτικῇ qualem eſſe dicit Demoſthenicam opponit λόγον λαμπρὸν καὶ σοφιστικὸν, qualis Gorgiæ & Poli: & ex parte etiam Platonis ipſius, cujus idea panegyricæ orationi, quàm deliberativæ, aut judiciali, accommodatior eſt.

** Hunc à nobis accipias, rhetoricam quidem tuam patri, ſophiſticam autem, nobis largiturus.*
† In Themiſtocle.
‡ Negotioſam prudentiam.
‡ Forenſis dictionis puritatem.
** Cap. 10. ex diſtinct. Gaſp. Laur.*

A Rhetoris ac Sophiſtæ voce ad Scholaſtici nomen veniamus. Nam qui declamitarent, & alios in dicendo exercerent, hi non tantùm *rhetores*, ac *ſophiſtæ*, ſed etiam *ſcholaſtici* vocabantur: nempe à ſcholis, ubi fictæ cauſſæ agebantur. Ita & *rhetoris*, & *ſcholaſtici* vocem accepit Virgilius, epigrammate, quod ſcripſit Athenas proficiſcens, ut Epicuri philoſophiam perdiſceret:

> *Ite hinc inanes Rhetorum manipli, ite hinc*
> *Inflata rore non Achaico turba.*
> *Et vos Seli, Cati, Arquitique, Varroque,*
> *Scholaſticorum natio madens pingui:*

prout eos verſus optimè reſtituit Turnebus †, niſi quod ex libb. aliis τὸ *hinc* verſu primo ἐμφατικωτέρως repeti putavi. Conjunguntur quoque hæc duo in dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ, quem Tacito vulgò adſcriptum, cauſsâ liberali Fabio viri docti poſtliminio vindicarunt: *At nunc adoleſcentuli noſtri deducuntur in ſcenas ſcholaſticorum, qui rhetores vocantur.* Idem his verbis dialogum quaſi claudit: *Ego*, inquit, *te poëtis, Meſſalla antiquariis criminabimur. At ego vos Rhetoribus ac Scholaſticis, inquit.* Uſus etiam hoc modo Scholaſtici nomine, è Latinis quidem Petronius in Satyrico, Tranquillus lib. de claris Rhet. in vita Albutii, Plinius Novocomenſis lib. ii. epiſt. iii. quæ ad Nepotem ſcripta, Publ. Vegetius prologo in lib. iii. Mulomedicinæ, Hieronymus epiſtolâ ad Pammachium de obitu Paullæ, quemadmodum & in Catal. ſcript. Eccleſ. cap. xcix. *Sarapion* Θμουέως *Ægypti urbis epiſcopus, qui ob elegantiam ingenii cognomen Scholaſtici meruit.* E Græcis autem Antonius Imperator lib. de vitâ ſuâ, & Lucianus præcept. Rhetor. Verba ipſa brevitatis cauſsâ præterimus. Alias quoque ſcholiaſtici nomine intelligitur, qui ſerias cauſſas agit. Conſtantinus Imperator in l. præter ſolemnes. 2. Cod. de lucr. advocat. lib. 12. *Præter ſollemnes & canonicas penſitationes, multa à provincialibus indigniſſimè poſtulantur, ab officialibus & Scholaſticis.* Et lex in Cod. Theodoſ. *Non latet, Scholaſticos, ultra modum acceptis honorariis, in defenſionem cauſſarum annonas & ſumtus accipere conſueſſe.* Et alibi ſæpe. Neque aliter Agathias, hiſtoricus & poëta Græcus, Σχολαστικὸς appellatur, quam quia advocatus erat; uti ipſe agnoſcit lib. i. ‡: item ſub initium lib. iii. ‡. & epigrammate ad Silentarium ex lib. vii. Ἀνθολογ.

† Lib. 2. cap. 7.
‡ Pag. 3. edit. Lugd. Bat.
‡ Pag. 195.

Porrò aliquid quoque dicamus de appellatione Oratoris. Eſt id nomen ab orando; *orare* autem ab ore, ut ſcribit Priſcianus ſuper primum ſecund. Æneidos verſum. Venit autem ab *oro*, non quidem, qua ſignificat ſuppliciter peto; ſed uti ῥήτωρ eſt à ῥέω quod eſt dico, ita *orator* eſt ab *oro*, h. e. ore profero. Id enim propriè eſt oro: unde oratio, quævis *ore miſſa & per dictiones ordinata pronunciatio*, ut apud Diomedem * definit Terentius Scaurus. At Diomedes parùm aptè, cui oratio dicitur, vel quaſi oris ratio, vel ab ὄαρος, ſive ὀαρίζειν, quod pro ſermocinari

** Lib. 1.*

cinari uſurpat Homerus Il. χ. Eſt verò Oratoris quoque nomen πολύνομον, quemadmodum indicant hæc Feſti verba. *Oratores noſtri aliàs P. Rom. legatos appellant. ut Cato in eâ, quam ſcripſit de ſuis virtutibus contra Thermum: M. Fulvio Conſuli legatus miſſus ſum in Ætoliam, propterea quod ex Ætolia complures venerant: Ætolos pacem velle: de eâ re Oratores Romam profectos. Et in Originum lib. I. Propter id, bellum cœpit Cœlius P. R. Albanus. Oratores miſit Romam, cum * * *. Aliàs pro deprecatoribus;* ut Terentius (in prologo Hecyræ) *Orator ad vos venio ornatu prologi. Sinite exorator ſim. Item & Afranius in Emancipato.* * * *. Aliàs pro diſertis elocutoribus, ab eo quod antiqui orare dicebant pro agere, ob quam cauſſam orationes quoque eorum vocantur.* Hæc Feſtus. Prima ſignificatione uſurpat quoque Virgilius XI. Æn.

Jamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes.

Cicero quoque II. de Legibus eodem locutus modo de fecialibus, & alibi de Fabricio ad Pyrrhum miſſo. Item Livius, cùm inquit, *Theſi oratores cum infulis & velamentis ad Romanos miſerunt.* Sed præter haſce notiones aliæ quoque inveniuntur. Nam apud Modeſtinum & cæteros Juriſconſultos, uti & apud Imperatores, oratores, vocantur, qui artem dicendi tradunt; quemadmodum compluribus exemplis oſtendit V. Cl. Antonius Auguſtinus lib. ad Modeſtum, ſive de excuſationibus. Interdum etiam ea vox notat virum in Rep. verſantem, qui dicendo trahit populum. Ita quærenti, cur tam citò amiſſa eſſet Reſp. è Nævio apud Tullium reſpondetur, *Proveniebant oratores novi, ſtulti adoleſcentuli.* Plautus* adjungit conſtructivum *populi:*

* Sticho SC. Libris inſcri.

Ergo oratores populi, ſummates viri,
Summi accumbent, ego infimatis infimus.

Utrobique oratores ſunt, qui Remp. capeſſunt. Græci δημαγωγὸς nominant, eò quòd delenificâ ſuâ oratione populum ducant, quod Græcis δημαγωγεῖν. Pythias apud Athenæum lib. II. philoſophantium in conviviis †: Ἀλλὰ τοὺς νῦν δημαγωγοὺς ὁρᾶτε Δημοσθένην, καὶ Δημάδην. Agellius lib. III. cap. XIII. *Is Calliſtratus Athenis orator in Rep. fuit: illi δημαγωγὸς appellant.* Itaque haut rectè doctiſſimus Wolfius orat. Iſocr. περὶ ἀντιδόσεως, δημαγωγοὺς vertit *tribunos plebis.* qua de re plura Nicolaus Loenſis lib. IX. Epiphyll. cap. XVI. Robortellus quoque, qui in variis annotationibus ſuis reprehenderat eo nomine Eraſmum, quòd δημαγωγὸν in apophtegmatis tranſtuliſſet oratorem, jure meliori reprehenditur à Brodæo lib. I. Miſcell. cap. VII. Nannio lib. VIII. συμμίκτων cap. I. Carolo Sigonio Annotat. adverſus Robortellum, Xylandro Annotat. in Plutarchi Themiſtoclem &c. Diverſi vero à δημαγωγοῖς ſunt λογογράφοι. Quippe hoc pacto vocati, tum qui accuratè orationes ſcriptitant alicujus ornandi, aut vituperandi cauſsâ; tum qui componunt orationes, quibus alii utantur in judiciis. Uſus Ariſtoteles lib. II. Rhet. & Æſchines in Timarchum. At Demades, & Dinarchus in malam uſurpant partem pro tabulâ: quia nempe orationes iſtæ plurimùm calidè callideque multa confingebant. Vide hac de ſignificatione ἐκλογὰς Thomæ Magiſtri, ſive Theoduli, quod nomen in Mſto quodam exemplari exſtare autor eſt ὁ πολυμαθέστατος Geſnerus in bibliotheca ſua. Aliàs quoque eos, qui civitatis rationes ſcribunt, λογογράφους, & *logiſtas* dici, jam penè ſeculum eſt, cùm oſtendêre Budæus, & Alciatus. Verùm, ut ad oratoris vocem redeamus, utimur hic notione eâ, quæ apud Feſtum eſt ordine poſtrema. Pro eo nempe qui (ut loquitur Terentius*) cauſſas orat, h.e. agit; ſive, prout definit ſcriptor de cauſſis corruptæ eloquentiæ, *qui de omni quæſtione pulcrè, & ornatè, & ad perſuadendum aptè dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium, poſſit.* Sive, ut poſt alios deſcribit Marius Victorinus in I. Rhetor. Cic. *qui in cauſſis privatis, ac publicis, plenâ & perfectâ utitur eloquentiâ.*

† At nunc oratores videte Demoſthenem ac Demadem.

* Phorm. act. 2 ſc. 1.

Hoc ut meliùs intelligatur, dicendum aliquid de vocibus *eloquentis ac diſerti*: quorum illud multò eſt anguſtius: uti teſtatur Cicero I. de Orator. & ex eo Fabius lib. VIII. cap. I. *Hinc jam,* inquit, *elocutionis rationem tractabimus, partem operis, ut inter omnes oratores convenit, difficillimam. Nam & M. Antonius ait, à ſe diſertos viſos eſſe multos, eloquentem autem neminem. Diſertis ſatis putat dicere, quæ oporteat: ornatè autem dicere, proprium eſſe eloquentiſſimi. Quæ virtus ſi uſque ad eum in nullo reperta eſt, ac ne in ipſo quidem, aut L. Craſſo, certum eſt, & in his, & in prioribus, eam deſideratam, quia difficillima fuit. Et Marcus Tullius inventionem quidem, ac diſpoſitionem, prudentis hominis putat; eloquentiam Oratoris; ideoque præcipuè circa partis hujus præcepta elaboravit.* Hæc Quinctilianus. Quod ſi minùs fuerit *diſertum* eſſe, quàm *eloquentem*, illud quoque patet, eum, qui ſapiens non eſt, diſertum eſſe non poſſe, multoque minus eum, ſi ἀκαίρως loquendum, dici poſſe eloquentem. Atque inde eſt, quod Salluſtius quoque Catilinæ, non *eloquentiam* tribuat, ſed *loquentiam*, ſi vera ſit ea lectio. Non immerito enim de ea ambigit Henricus Stephanus. Olim tamen adſertorem habuit Valerium Probum ut cognoſcimus è lib. I. A. Gellii cap. XV. Utut eſt, quemadmodum Græcis aliud fuit λαλιὰ, aliud εὐλαλία; ita & Latinis aliud eſt *loquentia*, aliud *eloquentia*; ut vel hic Plinii * locus indicat: *Julius,* inquit, *Candidus non invenuſtè ſolet dicere, aliud eſſe eloquentiam, aliud loquentiam. Nam eloquentia vix uni, aut alteri: (jam non ſumus Antonii, ut dicamus nemini) hæc vero, quam Candidus loquentiam appellat, multis, atque etiam impudentiſſimo cuique maximè contingit.* Quare oratorem facit eloquentia, non loquentia, quæ inter infantiam & eloquentiam interjicitur.

* Lib. 5. epiſt. 20. quæ ad Urſum.

Atque hæc quidem ad intelligendum, quis orator dicatur, ſufficere poterant, niſi ſcrupulum injiceret multis celebrata illa Æſchinis ἀπογραφὴ, cui orator definitur, ἀνὴρ εὐγνώμων δυνατὸς εἰπεῖν, h.e. *vir bonus dicendi peritus:* quomodo & in præceptis ad filium (ita Nonius librum nominat) deſcribebat Cato; ut cùm apud alios legere eſt, tum apud M. Senecam lib. I. Controverſiarum, ſive de cauſſis, ut eum antiquus rerum Britannicarum ſcriptor appellat. Fortaſſe quoque ad hanc definitionem reſpexit Plinius junior lib. III. epiſt. III. *Trade eum præceptori, à quo mores primùm, mox eloquentiam hauriat, quæ male ſine moribus diſcitur.* Sed profectò ſi hanc definitionem examinemus ad Logicæ obruſſam, patebit eam πλεονάζειν. Refellitur enim prior ejus pars ipſa artis naturâ. Quippe Rhetorice eſt δύναμις, ſeu facultas: facultatum autem (ut inferiùs oſtendemus) ea eſt natura, ut inſtruant utramque partem. Poterit igitur orator unam eandemque rem ſuadere, diſſuadere; laudare, vituperare; accuſare, defendere: nec, utrumcunque eligat, evertetur artis natura, quæ indifferens eſt ad utrumque. Peccabit quidem orator, niſi ad illum finem utatur, ad quem à DEO eſt deſtinata: ſed interea non deſinet eſſe orator, quia id nomen obtinet, non à recto, aut pravo artis uſu, verùm ab eâ quâ præditus eſt, facultate. Et ſanè omnium hæc habituum dianoëticorum natura eſt, ut ſeparari poſſint à virtute morali. Nihil igitur cauſſæ eſt, cur excipiatur facultas oratoria, quaſi una hæc conſiſtere non poſſit abſque morum probitate. Multùm quidem valent τὰ ἤθη, cùm in vitâ relucent oratoris; veruntamen haut iccirco ἁπλῶς exiguntur. Scio Menandrum quoque aliud ſenſiſſe, adeò quidem, ut ei, quod συνεργὸν *cooperans* eſt, tribuerit quod eſt τοῦ ἔργου *opera.* Ait enim:

Τρόπος ἐσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος.
Perſuadent mores dicentis, non oratio.

Verùm meritò contra hanc ſententiam diſputat Plutarchus libro, quo inſtituit adoleſcentes ad lectionem poëtarum; itemque altero, quo præcepta adfert de regendâ Rep. Neque, quod putavit Fabius †, definitioni iſti patrocinatur Maro, cùm I. divini operis oratorem ſuum vult,

† Lib. 12. cap. 2.

vult, tum gravem eſſe meritis ac pietate, tum dictis regere animos, ac pectora mulcere. Neque enim negamus, plurimum ad perſuadendum momenti adferre, ut jam ante de probitate alicujus inhæreat opinio animis auditorum; verùm illud negamus, eum, qui hoc deſit, oratorem dici non poſſe. Neque ratio ſolùm, ſed experientia ipſa Fabio repugnat. Nam, ut de Critia, & Alcibiade, nihil dicam; nihil item de Tiberio Graccho, atque Cajo Carbone, viris eloquentibus, at civibus pernicioſis: fortaſſe nec ipſum Demoſthenem, nec Ciceronem, quibus tamen nemo magis poſſit,

Voce movere fora, atque orando, effingere mentes, *.

* *Silius lib. 2.*

inter bonos habeat bonus vitarum cenſor †. Verùm ſanè ut falſa, ac, quod Fabius cenſet, ab inimicis conficta ſint pleraque eorum, quæ de utroque horum legimus: negari tamen non poteſt, in plurimis id oratoribus contingere. Ac videri quoque poſſit eò reſpexiſſe Herennius Senecio, qui, ut apud Plinium ‡ legimus, Catonis definitionem ſatiricè invertebat, oratoremque definiebat, *virum malum dicendi imperitum.* Non tamen nunc eo me tuebor. Neque enim non video, eloquentiam quoque eadem à Senecione adimi oratori. At quid eſt, quod dici queat ad iſtud Raphaelis Volaterrani lib. XXXIV. *Ego,* inquit, *collatis veterum ac novorum exemplis, quæque legi, partim etiam vidi, adfirmare auſim, pauciſſimos viros bonos eloquentes inveniri.* Contra hæc objicitur à Fabio, atque aliis; quod homines improbi eligant deteriora; quod eſt inſipientis: at eloquentiam eſſe copioſè loquentem ſapientiam, eoque eloquentes quoque eſſe ſapientes, ac proinde reapſe ſemper viros bonos, ὅτι τὸν σοφὸν αὐτὸν αὑτῷ μάλιστα δεῖ σοφὸν εἶναι. *Quia ſapientem ſibi ipſi imprimis ſapere oportet.* ut ait apud Platonem * Socrates: cui Senarius ille concinit,

† *Lib. 12. cap. 1.*
‡ *Lib. 4. epiſt.*
* *In Hippia majore.*

Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.
Sapientem ego odi, quiſquis haut ſibi ſapit.

Verùm ficulnum hoc eſt argumentum. Quippe haut aliter, atque in cæteris artibus, in Oratoria quoque uſu venit. In illis multos reperire eſt imprudentes, ſi ſpectes vitæ gubernationem, qui tamen in arte ſua ſunt ἐμπειρότατοι ac prudentiſſimi. Sic, ut ibidem Fabius ipſe agnoſcit, Cornelius Ruffinus, civis erat malus, ſed dux utilis; unde eſt quod Scipio eum, licet ſibi inimicum, palàm conſulem ſuffragio ſuo fecit, atque id admirantibus quibuſdam, reſpondit, *à cive ſe ſpoliari malle, quàm ab hoſte venire.* Itidem igitur quiſpiam vir fuerit imprudens, ſed orator prudens: quia aliud eſt prudentia, quà eſt virtutum omnium moralium regina; aliud autem, quà ſignificat peritiam, & accuratum judicium in arte aliqua. Verùm dicat fortaſſe aliquis, cadere quidem eloquentiam in virum malum: ſed minimè exſerturam in eo vim ſuam. Quanto enim improbi majore pollent facundia, tanto magis ſibi quemlibet cavere tanquam ab οἴνοις μεμαγγανευμένοις *vinis mixtis.* Sed qui ſic ratiocinantur, duobus nominibus fallunt falluntúrque. Neque enim hoc volumus, æquè eum, cujus nota improbitas, quod vult, perſuaſurum, ac ſi probus crederetur: ſed hoc tantùm dicimus, etiam oratorem virum malum eſſe poſſe. Deinde, cùm ſic loquuntur, minimè diſtinguunt inter ſimulatam virtutem, & apertam improbitatem. Atqui licet ſatius ſit, eſſe virum bonum cum Catone, quàm haberi cum Cæſare: faciliùs etiam vir probus, modò par adſit facundia, perſuaſurus ſit, quàm improbus (difficilè enim eſt ſic dicere, ut nuſquam erumpat ſimulatio) tamen id minimè impedit, quò minùs perſuadere quis poſſit, etiamſi non fuerit reapſe vir bonus. Quia ſufficit virtutis opinio, quam non modò habet, qui virtutem habet; ſed etiam, qui habere videtur. Non longè mihi ab hac ſententia abiiſſe videtur Ludovicus Vives cum lib. IV. de corruptis diſciplinis ait, virum bonum à Catone intelligi, non quidem ex Stoicorum ſententia; ſed eum, qui nullo probro eſt infamis. Quippe nihil prohibet, quò minùs, qui iſtiuſmodi eſt, utut reapſe intercutibus laboret vitiis, oratione tamen ita probos exprimat mores, ut probiſſimus credatur. Imò non id ſolùm oratio efficit, ut orator ipſe probus habeatur, licet improbus ſit: ſed & ii, pro quibus dicit, ſi illis ab oratore tribuatur ſermo viri probi. Argumento eſſe poteſt, quod M. Antonius C. Norbanum, ſeditioſum furioſumque hominem, liberavit, cùm illi adfinxiſſet optimi civis perſonam. Sed & Tullius oratione iſtiuſmodi defendit Cœlium cùm ejus in optimis diſciplinis ſtudia atque operam in ſpem futuræ probitatis amplificaret. Quamobrem ita ſtatuimus, cùm bona exiſtimatio de vita ac moribus bifariam acquiratur, vitâ, ac oratione: illam quidem artis expertem eſſe, ac utilem oratori, haut tamen neceſſariam; hanc verò, quæ oratione comparatur, & à dicendi magiſtris neceſſario doceri, & in oratore omnimodis requiri.

Cap. II.

Rhetoricæ diſtinctio in artem, & facultatem: ſive in ornatricem, quæ Elocutio, & oratricem, quæ Eloquentia dicitur. Utramque pravâ ſcholarum conſuetudine ante Logicam tradi. Virtutum vitiorumque doctrinam malè à Fabio, ac Tullio quoque, partem ſtatui Rhetoricæ. Altera Rhetoricæ diſtinctio in germanam, & adulterinam. Quatuor ſpecies πολιτικῆς καὶ ἰατρικῆς, juxta Platonem. Ciceronis lapſus de ſcopo Platonis in Gorgia. Pleraque de Sophiſtis parum ſincerè à Platone tradita videri.

RHetorices quoque nomen ὁμωνύμως accipitur. Itaque quemadmodum, cùm in aliis, tum præcipuè in Rhetoris, Sophiſtæ, Scholaſtici, ac Oratoris voce hactenus fecimus; itidem de varia quoque Rhetorices ſignificatione aliquam multa adferemus. Nam quando quid πολλαχῶς λέγεται, ἀνάγκη τὴν διάνοιαν ἀορίστως ἔχειν: *multifariam dicitur, neceſſe eſt intellectum indeterminatè ſe habere;* ut præclare inquit Ariſtoteles I. de Cœlo * atque, ut idem ait in Metaphyſ. τὸ μὴ ἕν τι σημαίνειν, οὐδὲν σημαίνειν ἐστί, *haut ſignificare unum quid, eſt nihil ſignificare:* cui ſuccinit Boëthius comm. in lib. de interpret. *Æquivocum omne,* inquit, *per ſe nihil ſignificat, niſi ad quaſque res pro voluntate ſignificantis aptetur.* Quare, ut certi aliquid menti ſe offerat, haut ignorandum, Rhetoricæ nomine interdum intelligi *artem Rhetoricam,* interdum, *facultatem,* quæ & *Oratoria* dicitur. Ea autem plurimùm differre, rectè monuit Julius Scaliger adverſus Cardanum exercitat. I. Tmemat. III. Fortaſſe etiam aliquis pro hac ſententia adferat illud Antonii apud Ciceronem lib. II. de Oratore. Rhetorica *res videtur eſſe facultate præclara, arte mediocris.* Verùm non dubium eſt, quin paullò aliter, ac nos, artis ac facultatis nominibus utatur Cicero. Sanè ars Rhetorica, ut à nobis hoc loco accipitur, ſolùm docet ornatum ſermonis, ac proinde tota eſt in Elocutionis præceptis. Perperàm enim adjiciunt quidam pronunciationem, cùm hæc tantum ad oratoriam dictionem pertineat, non ad quemlibet ſermonem; neque etiam ſpectet internum orationis ornatum, ſed foris adveniat; ideoque propria ſit, tum oratoris, tum phonaſci ac hiſtrionis, à quibus eam orator olim diſcebat. At facultatis oratricis ſive oratoriæ (utroque enim modo ῥητορικὴν à quibuſdam olim vocatam docet Fabius) diſpar ratio eſt. Nam quia ejus ſcopus eſt perſuadere, eò neceſſe eſt, ut doceat inventionem argumentorum ἠθικῶν, λογικῶν, καὶ παθητικῶν, quomodo item argumenta argumentationeſque diſponi oporteat, quibus verborum ſententiarumque luminibus utendum, ac denique, quæ apta ſit rebus pronunciatio, ſive actio. Ut paucis comprehendam, Ars elocutionem ſolam facultas univerſam eloquentiam ſibi propoſitam habet: eoque differunt, ut totum & pars. Atque hinc alterum quoque diſcrimen conſequitur. Nam ad artem Rhetoricam, ut de hâc prius dicam, tutò admittitur, quiſquis cum Grammaticæ artis imbibit præcepta, tum Logicæ quoque hauſit elementa.

* *Cap. 10: com. 110.*

Me-

Meritò autem de Logica addo. Nam in Rhetoricis neceſſarius eſt vocabulorum Logicorum uſus: abſque quorum intelligentia non minus penè animus caligabit, quàm ſi quem ignotâ loquentem linguâ audiamus. Quòd de vocabulis hujuſmodi dixi, id vel ex ſolâ tropologiâ luce ipſâ clariùs parebit. Tropi diviſionem primariam ſpectemus. At debet ea inſtitui juxta locorum Topicorum diſtributionem; uti ſuo loco oſtendimus. Singulorum quoque Troporum diſtributionem conſideremus. Atqui nec Metonymiæ, aut Synecdoches ſpecies intelligat quiſquam, qui neſciat, quid ſit cauſſa efficiens, materialis, formalis, finalis; genus, ſpecies; totum eſſentiale, integrale &c. Quanto igitur minùs audiendi, qui non ſolùm Elocutionis doctrinam, ſed univerſum facultatis oratoriæ penum aperiunt nec dum Logicæ initati: quaſi, ut cætera mittam, Loci ſpeciales, qui à Rhetore traduntur, intelligi poſſint abſque generalibus: aut quaſi non ſubinde Oratori argumenta petenda ſint ex communiſſimis Dialecticorum Locis.

Atque ex his ſatis paret, ad artem Rhetoricam unius ſolùm alteriuſque artis. Grammaticæ puta ac Logicæ, notitiam requiri. Porrò videamus, quanto pluribus ſit opus, priuſquam intromitti quis poſſit intra ſacraria Oratoriæ facultatis. Id optimè nos docet Theo, qui ſic progymnaſmata ſua auſpicatur: Οἱ μὲν παλαιοὶ τῶν ῥητόρων, καὶ μάλιστα οἱ εὐδοκιμηκότες, οὐκ ᾤοντο δεῖν ἐφικέσθαι τρόπον ἡνὰ τῆς ῥητορικῆς, πρὶν ἀμηγέπως ἅψασθαι φιλοσοφίας, καὶ τῆς ἐκεῖθεν ἐμπλησθῆναι μεγαλονοίας. *Antiqui oratores, ac imprimis, qui hac laude celebrantur, haut putarunt decere, ut quis aſpiret ad ſtudium eloquentiæ, priuſquam quadamtenus attigerit ac guſtârit, philoſophiam ſeſeque eâ, quæ inde hauritur, implêrit animi magnitudine.* Pleniùs ejuſce rei cauſſam exponit autor dialogi de oratoribus, Tacitò vulgò tributi: *Veteres intelligebant opus eſſe, ut his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honeſto ac turpi, de juſto & injuſto diſputatur. Hæc enim eſt oratori ſubjecta ad dicendum materia. Nam in judiciis ferè de æquitate; in deliberationibus de honeſtate dicimus; ita ut plerumque hæc ipſa invicem miſceantur, de quibus copioſè, & variè, & ornatè, nemo dicere poteſt, niſi qui cognovit naturam humanarum, & vim virtutum, pravitatemque vitiorum, & intellectum eorum, quæ nec in virtutibus, neque in vitiis numerantur.* Ex his ejuſce ſcriptoris verbis non obſcurè rationem cognoſcimus, cur olim oratores præſtantiſſimi prodierint, non è Rhetorum officinis, ſed à philoſophorum ſcholis. Ita Cicero de ſe ipſo teſtatur in Oratore: *Fateor me oratorem, ſi modò ſim, aut etiam quicunque ſim, non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatiis extitiſſe.* Et paullò pòſt ſubjicit idem: *Etiam in Phædro Platonis hoc Periclem præſtitiſſe cæteris dicit Oratoribus Socrates; quòd is Anaxagoræ Phyſici fuerit auditor; à quo cenſet eum, cùm alia præclara quædam, & magnifica didiciſſet, uberem & fœcundum fuiſſe, gnarumque (quod eſt eloquentiæ maximum) quibus orationis modis quæque animorum partes pellerentur. Quod idem de Demoſthene exiſtimari poteſt: cujus ex epiſtolis intelligi licet, quàm frequens fuerit Platonis auditor.* Hactenus Tullius. Fabius * verò ne ſcribere quidem dubitavit, virtutum vitiorumque doctrinam eſſe Rhetoricæ facultatis partem: quod verò Oratores neceſſe habeant plurima petere à Philoſophorum lectione, id vitio factum eſſe Oratorum, qui quidem illis ceſſerint optimâ ſui operis parte. Sed quantopere in eo fallatur Quinctilianus, neſcire non poteſt, qui ſciat, aliud eſſe intelligendi, aliud dicendi diſciplinam: in quo etiam lapſus Tullius †: ut qui duo hæc diſtingui vulgò conqueratur, ac eo quidem in libro, in quem ſe contuliſſe ait ‡, quicquid de dicendo judicii haberet. Atque ex his ſatis patet, quid diſcriminis ſit inter artem Rhetoricam, ac facultatem. Porrò quæ hactenus de facultate oratoria diximus, quæque deinceps de ea tradituri ſumus, ea intelligi debent de Rhetorica germana, non autem illa aſſentatrice. Quæ diſtinctio petita eſt ex Platonis Gorgia, ubi optimè nobis ob oculos ponit naturam, tum veræ, tum adulatricis Rhetoricæ. Duplicem enim ait eſſe πραγματείαν, ſive παρασκευὴν, h. e. efficiendi modum ac viam: videlicet τέχνην, ſive artem, & ἐμπειρίαν, ſive experientiam, aut peritiam experientiâ ortam. Τέχνη ei eſt πραγματεία, ſive παρασκευὴ μετὰ λόγου, προτιθεῖσα ἔργον τὸ βέλτιστον, χρήσιμος εἰς βίον, φύσιν, καὶ αἰτίας τῶν ὄντων γιγνώσκουσα: id eſt, *ratio ſive via cum ratione conjuncta, quæ certo conſilio optimum ſibi finem proponit, utilis ad vitam, & rerum naturam ac cauſſas cognoſcens.* Quæ definitio non eſt artis propriè ac preſsè acceptæ (quam ex Ethicis Nicomachiis diſcere eſt) ſed latiùs ſumtæ, ut etiam comprehendit diſciplinas, quæ propriè *ſcientiæ* nominantur. Ad artes pertinere ait quatuor ſpecies πολιτικῆς, quarum duæ animum, totidem corpus reſpiciant. Animum curat νομοθετικὴ ſive legiſlatoria, & δικαστικὴ ſive judicialis: illa leges conſtituit, quibus in animo conſervetur habitus naturæ conſentaneus: hæc moderandis judiciis præeſt, ut animus lapſus ad integritatem reducatur. His reſpondent duæ, quæ corporis curam gerant. Nam quod in animo eſt νομοθετικὴ, id eſt in hoc γυμναστικὴ, ſive exercitatoria; quodque in illo δικαστικὴ, id hic ἰατρικὴ, ſive medicina. γυμναστικὴ enim valetudinem corporis conſervat, ἰατρικὴ reſtituit. Arti, ut diximus, opponitur ἐμπειρία, ſive τριβὴ, quæ Platoni eſt πραγματεία ἄλογός τε καὶ ἄτεχνος, στοχαζομένη τὸ ἡδὺ ἄνευ τοῦ βελτίστου, μνήμη σωζομένη τοῦ εἰωθότος γίγνεσθαι, *agendi modus quidam, nullâ ratione & arte inſtructus, collimans ad voluptatem non propoſito ſibi optimo fine; memoria nempe eorum, quæ fieri ſolent.* Ad ἐμπειρίαν refert quadruplicem ματαιοτεχνίαν *, quarum genus, atque, ut ipſe vocat, κεφάλαιον ſit κολακεία, ſive adulatio. Singulas autem ſpecies κολακείας ſingulis docet artibus reſpondere. Gymnaſticæ quidem ἀντίστροφον facit κομμωτικὴν, ut quæ ita corpus fucare componereque doceat, ut quis ſanus videatur: medicinæ opponit ὀψοποιητικὴν, quæ cupediis ac gulæ famulatur: legali ait reſpondere σοφιστικὴν, ut quæ ſapientiam fuco quodam ementiatur: δικαστικῇ denique ῥητορικὴν, quæ gratiam, auramque popularem venetur, non propoſito ſibi publicæ utilitatis fine. Ex his colligit Plato, Rhetoricen eſſe εἴδωλον *ſimulacrum* partis Politicæ, nempe δικαστικῆς; cui κολακευτικὴ *adulatrix* hæc Rhetorice opponitur. Solet autem olim hâc de Platonis ſententiâ acriter diſputari, quod nos ignorare non ſinit Lucianus; ut qui in Bis accuſato tradat, in diatribis ventilari conſueviſſe, num anima ſit immortalis; quot heminas ſinceræ & immutabilis ſubſtantiæ Deus, cùm mundum fabricaret, infuderit, crateri, in quo omnia temperabat; tum autem, num Rhetorica ſit politicæ particulæ imago, ac adulatoriæ pars quarta. Non dubium autem, quin optimè ſolvatur hæc quæſtio diſtinctione utriuſque Rhetoricæ: quippe quòd tantùm verum ſit de illa adulatrice; cujus iccirco (ut hoc ipſo dialogo docet Plato) nullus ſit uſus in bene conſtituta Republicâ. Nempe, ut è junioribus optimè optimus rhetor Jo. Sturmius † monuit Sophiſtarum Rhetorice duo docebat adoleſcentes: unum erat, omnibus diſputando adverſari, quoties vellent: quâ ratione conſequebantur, ut nulli cederent, nihil concederent, omnia contra omnes diſſentientes defenderent. Alterum erat, adulari omnibus, quibus vellent: quo pravo artificio cùm Anytas & Melitus, Sophiſtarum iſtorum diſcipuli, uterentur adverſus Socratem, optimus ejus ætatis vir ad cicutam damnatus fuit. Spiſſus verò eſt error Ciceronis, qui quæcunque in Gorgia à Platone in perſona Socratis diſputantur, ea putavit de verâ facultate oratoria intelligi debere. Sic enim apud eum loquitur Craſſus in primo de Oratore; *Multi erant præterea præclari in Philoſophia, & nobiles, à quibus omnibus unâ penè repelli voce oratorem à gubernaculis civitatis, excludi ab omni doctrinâ rerumque majorum ſcientiâ, ac tantùm in judicia ac conciunculas, tanquam in aliquod piſtrinum, detineri, & compingi videbam; Sed ego neque illis aſſentiebar, neque harum diſpu-*

* Lib. 1. cap. 1. lib. 2. cap. ult. & lib. 10. cap. 1.

† In Oratore.

‡ Lib. 6. epiſt. 18. quæ ad Leptam.

* Artium vanitatem.

† Antipappi quarti lib. 2. pag. 48. & 49.

diſputationum inventori & principi longè omnium in dicendo, graviſſimo & eloquentiſſimo Platoni, cujus tum Athenis diligentiùs legi cum Carneade Gorgiam: quo in libro in hoc maximè admirabar Platonem, quòd mihi in oratoribus deridendis ipſe eſſe orator ſummus videbatur. Hæc Tullius. Sed quo pacto veriſimile fiat, à Platone genuinam rideri Rhetoricen, qui non ſolùm aliter multò judicet in Phædro, ſed etiam Philoſophorum omnium fuerit ῥητορικώτατος? Adde quod eodem dialogo meminerit Plato alterius Rhetoricæ, quam diſertim ἀληθινὴν *veram*, appellat. Omnino igitur ea intelligenda Rhetorice, quæ in dicendo gratiam ac voluptatem ab honeſtate ſejunctam aucupatur: quam acriter adeò reprehendit atque exagitat Plato, quia ſola ferè tum temporis excolebatur à Sophiſtis, atque iis, qui Remp. gubernabant. Senſit idem Quinctilianus, cujus hæc verba lib. II. cap. XV. *Quidam Rhetoricen, neque vim, neque ſcientiam, neque artem, putaverunt: ſed Critolaus uſum dicendi, nam hoc τριβὴ ſignificat. Athenæus fallendi artem. Plerique autem, dum pauca ex Gorgiâ Platonis à prioribus imperitè excerpta, legere contenti, neque hoc tantùm, neque alia ejus volumina evolvunt, in maximum errorem inciderunt: creduntque eum in hac eſſe opinione, ut Rhetoricen, non artem, ſed peritiam quandam gratiæ ac voluptatis exiſtimet: & alio loco civilitatis particulæ ſimulachrum, & quartam partem adulationis: quòd duas partes civilitatis corpori aſſignet, medicinam, & quam interpretantur exercitatricem: duas animo, legalem, atque juſtitiam: adulationem autem medicinæ, vocet coquorum artificium: & exercitatricis, mangonum, qui colorem fuco, & verum robur inani ſaginâ mentiantur: legalis, cavillatricem: juſtitiæ, Rhetoricen. Quæ omnia ſunt quidem ſcripta in hoc libro, dictaque à Socrate; cujus perſonâ videtur Plato ſignificare, quid ſentiat: ſed alii ſunt ejus ſermones ad coarguendos, qui contrà diſputant, compoſiti, quos ἐλεγκτικοὺς vocant: alii ad præcipiendum, qui δογματικοὶ appellantur. Socrates autem, ſeu Plato, eam quidem, quæ tum exercebatur, Rhetoricen, talem putavit. nam & dicit his verbis, τοῦτον τὸν τρόπον, ὃν ὑμεῖς πολιτεύεσθε: non veram autem & honeſtam intelligit. Itaque diſputatio illa contra Gorgiam ita clauditur, οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν δίκαιον εἶναι, τὸν δὲ δίκαιον βούλεσθαι δίκαια, καὶ πράσσειν. Ad quod ille quidem conticeſcit, ſed ſermonem ſuſcipit Polus, juvenili calore inconſideratior; contra quem illa de ſimulachro & adulatione dicuntur. Tum Callicles adhuc concitatior, qui tamen ad hanc perducitur clauſulam, τὸν μέλλοντα ὀρθῶς, ῥητορικὸν ἔσεσθαι, δίκαιον ἄρα δεῖ εἶναι, καὶ ἐπιστήμονα τῶν δικαίων, ut appareat Platoni, non Rhetoricen videri malam; ſed eam veram, niſi juſto ac bono, non contingere. Adhuc autem in Phædro manifeſtiùs facit hanc artem conſummari citra juſtitiæ quoque ſcientiam non poſſe: cui opinioni nos quoque accedimus. An aliter defenſionem Socratis, & eorum, qui pro patria ceciderant, laudem ſcripſiſſet? quæ certè ſunt oratoris opera. Sed in illud hominum genus, quod facultate dicendi malè utebatur, invectus eſt. Nam & Socrates inhoneſtam ſibi credidit orationem, quam ei Lyſias reo compoſuerat: & tum maximè ſcribere litigatoribus, quæ illi pro ſe ipſi dicerent, erat moris: atque ita juri, quo non licebat pro altero agere, fraus adhibebatur. Doctores quoque ejus artis parùm idonei Platoni videbantur, qui Rhetoricen à juſtitia ſepararent, & veris credibilia præferrent: nam id quoque dicit in Phædro.* Hactenus Fabius. Porrò præter ea loca, quæ Fabius annotavit, alia quoque obſervavit doctus Platonis interpres, Joannes Serranus, quæ apud eum legi poſſunt *. Nec enim neceſſarium puto, ut omnia cum pulviſculo huc congeramus: præſertim cùm ea, quæ hactenus diximus, abunde oſtendant, minimè aliam damnari Rhetoricen, quàm eam, quæ à Sophiſtis tradebatur. Quos inter magnum ſemper nomen fuit Gorgiæ Leontini, à quo hujus Platonis dialogo nomen. Item Protagoræ Abderitæ, à quo alteri dialogo nomen fecit idem Plato. Et Prodici Cei, Hippiæ Elienſis, pluriumque aliorum, quemadmodum cùm ex Fabio & aliis inferiùs docebimus, tum Platone ipſo, qui paſſim eos traducit. Quamquam is fortaſſe non omnia ſatis ſincerè de iis ſcribit, verùm pluſcula tradit ambitiosè: uti quoque cenſet Dionyſius Halicarnaſſenſis epiſt. ad Cn. Pompejum.

* *Argumento in Platonis Gorgiam.*

CAP. III.

De definitione Rhetorices, ac ſigillatim de genere. Facultatum quæ ſit natura, oſtenditur. Refelluntur cùm veterum multi, tum è junioribus Zabarella.

RHetorice, ut à Semone illo Ariſtotele edocti ſumus. Δύναμίς ἐστι περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν: *Facultas videndi in unaquaque re, quod in ea eſt ad perſuadendum idoneum:* ſive, ut Fabius transfert lib. II. cap. XV. *Vis inveniendi, quid in quaque re poſſit eſſe perſuadibile.* Patrocles ſimiliter (ut idem ait) definivit, niſi quòd omiſerit, *in quaque re.* Vim enim vocat inveniendi, quod ſit in oratione perſuadibile. Nec longè abit illa apud Ammonium *, & Aphthonii Scholiaſtem †, Ῥητορική ἐστι δύναμις τεχνικὴ πιθανοῦ λόγου ἐν πράγματι πολιτικῷ, τέλος ἔχουσα τὸ εὖ λέγειν, *Rhetorice eſt orationis ad perſuadendum apta vis quædam cum arte conjuncta in cauſſis civilibus, cujus finis ſit bene dicere.* Multa autem in Ariſtoteleâ illâ definitione culpant multi: eoſque inter Hilario, monachus Veronenſis; cujus Rhetorices Hermogenicæ compendium, vel diſpendium potiùs, olim editum ab Aldo. Quare me curæ pretium facturum puto, ſi ſingulas definitionis partes excutiam. Genus igitur Rhetoricæ eſt δύναμις, quod alii transferunt *facultatem*, alii *poteſtatem*, alii *vim*, ut Fabius. Sic enim inquit lib. II. cap. XV. *Quod ego vim appello, plerique poteſtatem, nonnulli facultatem vocant; quæ res ne quid afferat ambiguitatis, vim dico τὴν δύναμιν.* Cicero non ſemel *facultatem* vertit; quemadmodum & conjunctim *vim & facultatem* transfert I. de Oratore, cùm ait: *Cumque eſſet omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes diſtributa.* Boëthius lib. IV. in Ciceronis Top. p. 880. clarè ait, *Rhetoricæ igitur genus eſt facultas.* Quod & multò poſt p. 883. repetit. Aben-rois interpres in libello de Beatitudine animæ cap. II. appellat *poſſibilitatem:* quam à potentia bifariam differre tradit; primùm quòd *poſſibilitas* tribuatur ſubjecto; *potentia* autem referatur ad formam, ad quam eſt præparatio. Deinde quòd non ſit neceſſe poſſibilitatem exire in actum; at potentia ſemper redigatur ad actum. Ita potentiæ eſt, quòd ignis urit; quia non poteſt non urere: poſſibilitatis eſt, quòd homo ambulat, poterat enim non ambulare. Δύναμις igitur (quam vocem Plautus, ſi locus eſt ſanus, uſurpat quoque Pſeudolo ‡, ubi *olivi dynamin* legitur in vulgatis) non ſignificat hoc loco potentiam, ut quæ ad unum determinetur: verùm poſſibilitatem, vel, ut Latinè magis dicamus, facultatem, ſive poteſtatem, quæ jus habet in contradicentes actiones: unde eam neceſſitati opponit Anſelmus, Cur Deus homo lib. II. cap. X. Imprimis verò huc facit locus iſte Alexandri Aphrodienſis præfatione in primum Topicorum: ὁ δὲ Διαλεκτικός τε καὶ Ῥήτωρ, ὁμοίως τὴν τῶν ἀντικειμένων δεῖξιν σκοπὸν ἔχουσι. διὸ καὶ δυνάμεις αὐτὰς καλοῦσι. τὸ γὰρ κυρίως δυνάμενόν τι, τὰ ἀντικείμενα δύναται. *Dialecticus quidem, atque Rhetor, ſimiliter propoſitam habent contrariorum demonſtrationem. Iccirco & eas facultates ſeu poteſtates appellant. Quippe propriè aliquid poſſe dicitur, quod contraria poteſt.* Quibus verbis clarè docet, eam eſſe facultatis cujuſque conditionem, ut æquè reſpiciat utrumque contrarium: quomodo & Rhetoricæ, & Dialecticæ, quæ duæ ſolùm ſunt facultates, docent tueri utramque partem. Sanè quod de Academia dicit Lucianus in Bis accuſato, id de utràque facultate verum eſt; quia & Orator, & Dialecticus, ἀεὶ πρὸς ἀμφοτέρους παρεσκευάσθαι τοὺς λόγους, καὶ τοῦτ' ἀσκεῖ, τἀναντία καλῶς δύνασθαι λέγειν: *in*

* *Præfat. in Porphyrium.*

† *Initio prolegomenorum.*

‡ *Act. I. ſc. 2.*

utramque ſemper partem paratam habet orationem, atque in eo etiam ſeſe exercet, ut contraria poſſit tueri. Quin malè aliquando audivit Ariſtoteles ob traditum hoc artificium. Nam cum Caſſander Antipatrum, patrem ſuum, abſentem defenderet, argumentum contra ſe allatum refellens à contrario; Alexander Magnus, cognito artificio, ſubridens, hæc, inquit, aſtuta illa & fallax ratio Ariſtotelis eſt, in utramque partem argumentandi. Ita Plutarchus in Alexandro ſub exodium libri. Verùm facultatem quidem requirit Ariſtoteles defendendi in utramque partem, at non voluntatem, οὐχ ὅπως. inquit * ἀμφότερα πράττοιμεν (οὐ γὰρ δεῖ τὰ φαῦλα πείθειν) ἀλλ' ἵνα μήτε λανθάνῃ πῶς ἔχει, καὶ ὅπως ἄλλου χρωμένου τοῖς λόγοις αὐτοῖς μὴ δικαίως, λύειν ἔχωμεν, *non ut utraque faciamus (non enim oportet mala perſuadere) ſed ne lateat, ut ſeſe habeant, atque alio utente rationibus ipſis haut juſtè, ſolvere poſſimus.* Portò ex hâc facultatis conditione conditionem alteram elicit Aben-roes, ut non neceſſariò conſequatur ſuum finem; quomodo nunc ſuperior, nunc inferior diſcedit Orator; neque ſemper victoriam obtinet Dialecticus.

* Lib. 1. Rhetor. cap. 1.

Quibus Rhetoricæ genus eſt, vel *ſcientia*, vel *ars*, hi vel genus conſtituunt, quod genus non eſt, vel non adſignant genus proximum. Primum illud fecit Ariſton, Critolai Peripatetici diſcipulus: cui (ut Fabius lib. 11. cap. xv. teſtatur) Rhetorice definitur, *Scientia videndi, & agendi, in quæſtionibus civilibus, per orationem popularis perſuaſionis.* Item alii, Fabio approbante, ibidem, *Rhetorice eſt ſcientia bene dicendi.* Verùm *ſcientia* genus non eſt, quia ea eſt rerum neceſſariarum; Rhetorice autem potiſſimùm verſatur circa humanas actiones, quæ ſunt contingentes. Quod ſi latè quis ſcientiæ vocem accipi dicat pro quavis diſciplina; jam quidem Rhetorica rectè *ſcientia* appellabitur; minime tamen per eam poterit definiri; quia in definitionibus, quando licet, propriè & preſſè vocabulis uti oportet. Artem verò eſſe Rhetoricam, negari non poteſt, idque non tantùm, quia Plato in Gorgia, Ariſtoteles lib. 1. Rhetor. & Cicero lib. 11. de Oratore, eam artem vocent; (quippe videri queant latiùs hoc uſi vocabulo, pro quavis peritia: quomodo & ſcientiam vocari poſſe dicebamus) verum imprimis, quia cum rectâ ratione efficiat orationem, eoque omnino ei competat Ariſtotelica artis definitio, quæ eſt lib. v1. Ethic. Nicomach. cap. 1v. Sed hoc genus eſt remotum, ut quod genus ſit ipſius δυνάμεως; cùm artium aliæ finem habeant ὡρισμένον, ſive determinatum, aliæ non habeant, ut quæ dicuntur στοχαστικαί, quia conjecturis plurimùm utantur: cujuſmodi artes propriè ſunt δυνάμεις, ſeu facultates. Rhetoricam verò eſſe στοχαστικὴν, cùm antè oſtendimus, tum & Plato ſcripſit in Philebo. Non igitur proximum genus adferunt, quibus definitur *ars rectè dicendi:* aut Theodorus Gadareus †, à quo definiebatur, *ars inventrix, & judicatrix, & enunciatrix decente ornatu, ſecundum mentionem ejus, quod in quoque poteſt ſumi perſuadibile in materia civili.* Ac longè minùs genus erit τριβὴ, ſive uſus: quanquam Critolao Peripatetico, Fabio ‡ teſte, definiatur *uſus dicendi.* Idem judicium eſto de ἐμπειρίᾳ, quod eſt experientia, ſeu peritia ab experientiâ nata: quomodo Socrates Rhetoricen appellandam ait apud Platonem in Gorgiâ; ubi & diſertim negat, Rhetoricen eſſe artem. Sed (uti ſuperiùs fusè oſtenſum) diſputat hoc dialogo Socrates adverſus Rhetoricen adulterinam, ſeu adulatricem, quam ματαιοτεχνίαν veriùs, quàm τέχνην eſſe cenſet.

† Apud Fabium lib. 2. cap. 15.

‡ Lib. 2. cap. 15.

Stoici Rhetoricen virtutem eſſe docent, eamque ſententiam acriter defendit Fabius lib. 11. cap. xx. Verùm Rhetoricen non eſſe virtutem (moralem dico, non dianoëticam) argumento eſt, quòd hæc abuti poſſimus. unde idem Fabius lib. x11. cap. 11. *Facultas dicendi, ſi in malos incidit, ipſa judicanda eſt malum. Pejores enim illos facit, quibus contigit.* At, uti Philoſophi conſentiunt, omnium rerum abuſus eſt præterquam virtutis. Quod ſi quis virtutem dianoëticam intelligat; jam non adferet genus proximum; cùm Ariſtoteles eam in Nicomachiis dividat in νοῦν, ſcientiam, ſapientiam, prudentiam, & artem. Zabarella lib. de natura Logicæ, Rhetoricen vult eſſe habitum Inſtrumentalem. Verùm non minùs habitus inſtrumentales, quàm principales, ſub illis quinque habitibus (quos Ariſtoteles in Ethicis enumerat) continentur: eoque, ſeu quis Rhetoricen ἁπλῶς habitum, ſeu limitatè inſtrumentalem habitum appellat, non adfert genus proximum: cùm habitus quidem artis, ars autem genus ſit facultatis, uti vidimus. Contra ſententiam hanc Zabarellæ, habitus inſtrumentales ex habituum ab Ariſtotele recenſitorum numero excludentis, pluribus agimus ſingulari libro de Logicæ ſubſtantia ac conſtitutione.

Cap. IV.

De ſubjecto Rhetoricæ. Triplex notio ſubjecti, tertiaque in tres alias diſtinguitur. Diverſum eſt objectum oratoriæ θεωρίας, quàm πράξεως. Θεωρίας objectum, Res omnes; objectum, inquam, commune & adæquatum: ſed proprium objectum, Quæſtio civilis; maximeque proprium, Hypotheſis. Quâ ratione Dialectice & Rhetorice ἀντίστροφοι dicantur. Majoragius refellitur: Item Bern. Mirandulanus. Σοφιστικὴ, ἐριστικὴ, διαλεκτικὴ, καὶ πειραστικὴ, à Rhetorica ut differant. Quâ mente rerum omnium notitia in oratore requiratur ab antiquis. Muretus refutatur. Aphrodiſienſis cum Ariſtotele conciliatus. Quæ orator de rebus naturalibus diſputat, ea plurimùm, non ſemper, applicare ad quæſtionem civilem Philoſophorum ſermo non convenit oratori, uti nec eccleſiaſtæ Chriſtiano. Diſcrimen inter θέσιν & ὑπόθεσιν, & quomodo hæ vocentur à Latinis. De corrupto Tranquilli loco adſenſum Fabro. Cauſſa nomen antiquius, quàm controverſia. Minùs aptè controverſiam dici, quàm ὑπόθεσιν. Controverſia preſsè ſumta ſuaſoriis opponitur. Malaſpinæ error. Ariſtotelis & Theophraſti libri περὶ θέσεων. Circumſtantia vox proba. De numero circumſtantiarum vulgaris opinio diluitur. Scaligeri de eodem judicium expenditur. Rhetoricen modo conſiderandi differre à diſciplinis circa eandem verſantibus. Apollonius Rhetor refutatur.

DIfferentia, quâ in aſſignatâ definitione hæc facultas à Dialecticâ cumprimis diſtinguitur, tria tangit: ſubjectum, finem, officium. Nam cum vel à ſubjecto, vel à fine, vel ab utroque, differentia ſumi ſoleat; quemadmodum Ammonius docet præfatione in Porphyrium; Ariſtoteles hac definitione non utrumque ſolùm, ſed officium inſuper eſt complexus. Eſt autem ſubjectum triplex, in quo, de quo, & circa quod. *Subjectum in quo* eſt ſubſtantia ratione accidentium, quæ inſunt; unde & *ſubjectum inhæſionis* dicitur. Hac notione, Rhetorices idem eſt ſubjectum, quod cæterorum habituum: nempe animus humanus. *Subjectum de quo* eſt, cui aliquid attribuitur; unde alio nomine dicitur *ſuppoſitum*, aut *ſubjectum prædicationis:* quomodo *ſpongia* ſubjectum eſt in hoc pronunciato: *ſpongia eſt ζωόφυτον, ſive plantanimal,* ut transfert Budæus*. Hæc ſubjecti ſignificatio non facit ad præſens inſtitutum, quia ſermo eſt de quæſtione ſimplici, non complexâ. *Subjectum circa quod*, eſt objectum, ſive περὶ ὃ καταγίνεται ἐπιστήμη καὶ τέχνη *circa quod ſcientia aliqua, vel ars, verſatur ac elaborat.* ut Ammonius † deſcribit. A quibuſdam *ſubjectum occupans* nominatur. Hoc loco ſubjectum poſtremo accipitur modo. Sed is ipſe in tres alios, quaſi ramos, diffunditur. Interdum enim uſurpatur ampliſſimâ ſignificatione pro quacunque re conſideratâ in quavis diſciplinâ: quomodo Phyſicis corporis naturalis principiis, aut affectionibus, ſubjecti nomen tribuitur. Ita anima ſtatuitur eſſe ſubjectum trium librorum de animâ; quod ἀκύρως impropriè dici poteſt, licet propriè corpus animatum ſit ſubjectum, cujus

* Priori bus annot. in Pandect.

† Præfat. in Porphyr.

jus principium eſt anima. Item in Parvis, ut vulgò vocant, Naturalibus, non dubitant interpretes ſubjecti nomine appellare, ſenſum, memoriam, vigiliam, ſomnum, & ſimiles affectiones. Alter hujus vocabuli uſus eſt, cùm intelligitur ſubjectum ſcientiæ propriè dictum, h. e. illud cujus principia & affectiones explicantur ſciendi gratiâ: quomodo corpus naturale eſt ſubjectum Phyſicæ, ens quà ens Metaphyſicæ, &c. Tertiò eſt ſubjectum ſcientiæ practicæ, aut artis, quod proponitur, ut in eo aliquid efficiatur: atque ita ferrum, aut lignum eſt ſubjectum artis fabrilis, anima humana virtutis. Quæ ſignificatio malè à quibuſdam cum ſuperiori confunditur, cùm diverſa admodum hujus, ac illius ſubjecti, ratio ſit. Nam in ſcientiis contemplativis requiritur plena ſubjecti notitia: in ſcientiis practicis, aut artibus, non item. Cujus cauſſa eſt, quòd ſubjectum in his, non ſciendi gratiâ proponitur, ſed operandi. Ita faber haut ſtudet ſcire naturam ferri. Nec Ethico neceſſaria eſt plena notitia partium animæ, ſed quantâ opus ad propoſiti ſcopi conſecutionem: ut docet Ariſtoteles cap. ult. lib. 1. Ethic. Subjectum hoc loco accipimus poſtremâ notione; quod ut clarè cognoſcatur, diſtinguendum inter duas officii Oratorii partes, pro quibus ſubjecti ratio variat. Prior officii pars eſt θεωρητική, quà ſecum cogitat Orator, quæ argumenta ac diſponendi ratio, cujuſmodi ornatus, aut actio, maximè videatur conducere ad animos impellendos. Altera pars eſt πρακτική, quatenus puta idem orationis inſtrumento ſtudet hominum animos ducere in id, quod velit: quod unâ voce dicimus *perſuadere*. Θεωρίας Oratoriæ objectum eſt quælibet res. Nihil enim eſt, quòd non proponere ſibi poſſit orator ad ornandum, copioſeque id explicandum. At πράξεως objectum eſt animus illorum, apud quos cauſſam orat. Nam poſtquam orator de optimè formanda oratione diu ſecum cogitavit, (quod θεωρίαν vocabamus) in publicum prodit, orationeque ad perſuadendum aptâ opinionem quampiam in animis auditorum gignere elaborat. Ariſtoteles utrumque nos objectum docet ſuâ deſcriptione: ſed πράξεως quidem implicitè in voce πιθανόν. Nam, quemadmodum dicebamus, τὸ πείθειν ſive perſuadere nihil eſt aliud, quàm in alicujus animo gignere rei cujuſquam opinionem. At θεωρίας objectum diſertim Ariſtoteles expreſſit, cùm in definitione ſuâ dicit, verſari oratorem περὶ τὸ ἕκαστον, ceu quamlibet rem: quod pluribus mox oſtendemus. Fortaſſe autem hanc noſtram de duplici Rhetorices objecto ſententiam non incommodè ſic quoque explicabimus; ſi dicamus, orationis objectum internum, quod argumentum vocamus, eſſe rem quamlibet: objectum externum, ſive circa quod verſatur uſus orationis, eſſe animum eorum, apud quos habetur oratio. Oratorem autem circa rem quamvis occupari poſſe, non ſolùm definitione iſtac docet Ariſtoteles: ſed apertè etiam adſerit initio primi Ethicorum; ubi non tantùm Dialecticen, ac Rhetoricen, negat habere γένος ἀφωρισμένον, hoc eſt, materiam certam, atque ab aliis diſtinctam: ſed & Rhetoricen idcirco Dialectices ἀντίστροφον ſtatuit; quod eſt ſimilem, ejuſdemque materiæ. Cicero in Oratore interpretatur, *ex alterâ parte reſpondentem*. Sed cùm id, (quicquid contra Victorium Majoragius dicat) magis contrarietatem oſtendat, quàm ſimilitudinem, de qua Ariſtoteles agit, (ut liquido probant, tum rationes, quas ſubtexit, quòd utraque facultas verſetur circa res omnes, utraque ab omnibus quodammodo cognoſcatur, pluraque alia, quæ inibi affert: tum imprimis, quòd Rhetoricam pòſt diſertim vocet Dialecticæ ὁμοίωμα *ſimilitudinem*) rectiùs profectò Alexander Aphrodiſienſis comment. in lib. 1. Top. & Sextus Empiricus adverſus Mathematicos, ubi de Philoſophia diſputat, interpretantur ἰσόστροφον, h. e. circa res eaſdem verſantem. Totâ autem aberrant via, qui eo adſtruere conantur, Dialecticen, & Rhetoricen eſſe eandem numero diſciplinam; quæ ſententia eſt Bernardi Mirandulani, & aliorum quorundam. Sanè ſi valida hæc foret ratio, jam quidem non tantùm Dialectice & Rhetorice, ſed Μεταφυσική, Διαλεκτική, Πειραστική, Ῥητορική, Σοφιστική, καὶ Ἐριστική, una eademque forent diſciplina, cùm hæ omnes verſentur circa res omnes. Verùm hoc ne quidem illi ipſi dixerint, qui Dialecticam & Rhetoricam eandem putant facultatem. Vident enim, diverſimodè res eaſdem ab iis conſiderari. Nam Metaphyſica ratiocinatur ex principiis, ac cauſſis propriis entis: Metaphyſica quoque tantùm univerſaliter conſiderat ens quà ens. At tum Διαλεκτική, cui ab Ariſtotele ſubjicitur Πειραστική; tum Σοφιστική, ſub qua ab eodem ponitur Ἐριστική; tum, de qua agimus, Ῥητορική; non ex principiis neceſſariis entis accidentia demonſtrant; ſed ratiocinantur ex communibus accidentibus, quæ probabilia, vel ſunt, vel apparent. Neque tantùm à Metaphyſica hæc quinque differunt; ſed itidem diſtinguuntur à ſe ipſis. Nam Σοφιστική, & Ἐριστική, argumentantur ex iis, quæ vera apparent; illa quidem lucri cauſſâ, ut & Plato ſcripſit in Sophiſta; hæc verò, quo victoriam reportet ab adverſario. Διαλεκτική, Ῥητορική, & Πειραστική argumentantur ex probabilibus: ſed Διαλεκτική quidem ex iis, quæ aut omnibus, aut pluribus, aut ſapientioribus videantur probabilia; idque plurimùm cognitionis cauſſâ: Ῥητορική tantùm ex iis, quæ omnibus, aut plurimis, probabilia videantur; idque ferè actionis ergò: Πειραστική ex iis, quæ adverſario videantur probabilia; idque ut adverſarii, aut eruditionem, aut dogma exploret. Verùm quomodo Dialectica, ac Rhetorica differant, infrà pluribus oſtenſuri ſumus.

Quod ſi materia Rhetoricæ eſt τὸ ἕκαστον *res quævis*, requiritur in oratore rerum omnium cognitio. Nam ſi non omnino verùm eſt, quod dicebat Socrates; omnes in iis, quæ ſcirent, ſatis eſſe eloquentes; quantò minùs probabile erit, aliquem in eo, quod neſciat, diſertum eſſe poſſe? Cicero proœmio librorum de Oratore: *Ac, meâ quidem ſententiâ, nemo poterit eſſe omni laude cumulatus Orator, niſi erit omnium rerum magnarum atque artium ſcientiam conſecutus.* Et Craſſus apud eundem 1. de Orat. *Is erit Orator, meâ ſententiâ, hoc tam gravi dignus nomine, qui, quæcunque res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, prudenter, & copioſè, & ornatè, & memoriter dicat, cum quadam & actionis dignitate.* Et III. de Oratore. *Namque illos veteres doctores auctoreſque dicendi nullum genus diſputationis à ſe alienum putaſſe, accepimus; ſemperque eſſe in omni orationis ratione verſatos; ex quibus Eleus Hippias, cùm Olympiam veniſſet, maximâ illâ quinquennali celebritate ludorum gloriatus eſt, cunctâ penè audiente Græciâ, nihil eſſe ullâ in arte rerum omnium, quod ipſe neſciret.* Idem 1. de Invent. *Gorgias Leontinus, antiquiſſimus ferè Rhetor, omnibus de rebus oratorem optimè poſſe dicere exiſtimavit.* At dicas fortaſſe, nos ex Oratore facere Hippiam quendam παντοδαῆ *omniſcium*. Sed qui ſic cum animo ſuo ratiocinabitur, neutiquam intelligit, quod Peripatetici omnes ſemper docuerunt, ſingulas quidem diſciplinas ſuis limitibus circumſcribi; ſed, ſi uſum & exercitationem ſpectemus, omnes inter ſe communicationem habere: unde & ἐγκυκλοπαιδεία, h. e. *orbis diſciplinarum* appellatur. Itaque quod de architecto ſcripſit Vitruvius*, id de Oratore jure optimo dixerimus. *Non debet, nec poteſt eſſe Grammaticus, uti fuerit Ariſtarchus; ſed non agrammatos: nec Muſicus, ut Ariſtoxenus; ſed non amuſos: nec pictor, ut Apelles, ſed graphidos non imperitus: nec plaſtes, quemadmodum Myron, ſeu, Polycletus; ſed rationis plaſticæ non ignarus: nec denuo medicus, ut Hippocrates, ſed non aniatrologicus: nec in cæteris doctrinis ſingulariter excellens; ſed in his non imperitus.* Ridet alicubi hanc Vitruvii opinionem diſertiſſimus Muretus †: ſed eum in præcipitium abduxit malè intellecta Rhetorum antiquorum ſententia. Neque enim ſtatuunt, diſtinctâ omnium cognitione opus eſſe oratori; ſed ſatis eſſe ajunt, ut univerſalem omnium habeat notitiam; modò pleniùs & accuratius noſcat ea, de quibus crebro dicendum eſt.

At, inquiunt, non diſputat orator de Solis magnitudine,

* *Lib. 1. cap. 1.*

† *Præfat. comment. in 2. Catil.*

dine, an is centies & ſexagies ſexies ſit major terrâ; quemadmodum dicunt Aſtrologi: an tantus ſit, quantus appâret; quod Heraclitus ſenſit, & Epicurus; quibus & hodie quidam aſſentiuntur, quia, ut ajunt, falli quidem poſſint oculi in corporis opaci magnitudine; at non item decipi queant in corpore lucido: in quo ſanè quàm eos ratio fugiat, uſus quotidianus comprobat. Itidem neque diſſerit (ut ajunt) orator de globorum cœleſtium numero, aut an cœli ſint omnis corruptionis expertes, & ſimilibus, in quibus finis eſt θεωρία. Verùm non leviter errant, qui ἁπλῶς negant, hujuſmodi materiam ad Oratorem pertinere. Nam multis veterum orationibus doceri poteſt, interdum uſu venire, ut de rebus ex intimâ naturâ petitis dicendum ſit oratori; eumque id tum facere multò, quàm Philoſophi, explanatiùs, uberius, & ad communem judicium, popularemque intelligentiam, accommodatiùs. Illud interim diffiteri non poſſumus, ut plurimùm, cùm iſtiuſmodi materiam tractat, id facere ſub formâ vel honeſtatis, vel utilitatis, vel æquitatis; ut ita juridicialis, aliuſve generis induat naturam. Atque inde eſt, quod Alexander Aphrodiſienſis, interpretans iſthæc Ariſtotelis verba, περὶ παντὸς τοῦ προκειμένου πράγματος, *de quavis re objecta* ſcribat hunc in modum, *Hoc Rhetoricen dividit à Dialectica. Nam Rhetorice non diſputat.* περὶ παντὸς *de omni re.* Neque enim pugnat Alexander cum Ariſtotele, qui Rhetoricen eſſe ait * οὐδενὸς γένους ἀφωρισμένου, *nullius generis definiti:* ſed eò reſpexit, quòd res naturales applicet ad quæſtionem civilem. Exemplum capere licet ex oratione, ſeu Lyſiæ, ſeu alterius περὶ τῆς ἀμβλώσεως *de abortu*; cujus apud Theonem † in progymnaſmatis mentio fit. Ait enim Theo, totâ hac oratione de eo fuiſſe diſputatum, Num homo dici mereatur, quod adhuc utero geſtatur; &, An, quæ abortum mulier provocaſſet, tanquam cædis rea vocari poſſit in judicium: quò pertinet l. Cicer. D. de pœnis. Similis cauſſa fuit, quâ Piſo Germanicum veneno occidiſſe arguebatur: quemadmodum indicat hic locus Plinii lib. xi. Nat. hiſtor. cap. xxxvii. *Exſtat oratio Vitellii, quâ Piſonem reum ejus ſceleris coarguit, hoc uſus argumento, palamque teſtatus, non potuiſſe ob venenum cor Germanici Cæſaris cremari.* Denique huc pertinet, quod Ariſtides Orator hiemem deſcribit, agens de decem ducibus cremandis.

* Lib. 1. Rhetor. cap. 7 ſive al. 1.

† Pag. 16.

Quamquam autem plurimùm, uti dicebamus, Orator res naturales accommodet ad quæſtiones civiles: tamen neutiquam id perpetuum eſt: quia etiam non propoſitâ ſibi actione de rebus ad Philoſophiam ſpeculatricem pertinentibus, ornatiùs, quàm Philoſophus, ac quodam orationis quaſi flumine ediſſertabit Orator. Fidem ejus rei fecerit Aratus poëta, qui, ut autor eſt Cicero 1. de Orat. ex alterius præſcripto de aſtris ſcripſit, cùm ipſe eſſet ejus ſcientiæ ignarus. Parem eſſe in medicis rationem argumento ſunt, quæ Plato in Timæo, cœleſti quadam facundiâ, (ut ſcribit in Apologia Appulejus) de morborum cauſſis diſſerit. Libet hac de re quoque adſcribere judicium Marſilii Ficini in commentario, ſive, ut ipſe vocat, compendio Timæi Platonici: *Poſthac proſequitur materiam latiſſimè à medicis explicatam de humoribus complexionibuſque, & mirabili humani corporis artificio. Atque elegantiam Platonis in hominis corpore deſcribendo adeò admiratus eſt Bartholomæus Fontius noſter, Rhetor egregius, ut præclarâ oratione probaverit, neque Lactantium, neque Cornelium Celſum, neque Ciceronem ipſum, in re deſcribendâ ad miram Platonis eloquentiam accedere potuiſſe.*

Denique id ipſum quoque de Theologorum ſermone dictum velim; qui alius in Scholis, alius coram populo eſſe debet. Nam ridiculi plane ſunt, qui Scholarum ſubtilitates afferunt in umbonem: nec rarò etiam ipſa artium vocabula è ſuggeſto popelli auribus obganniunt, nihil penſi habentes, ecquo populi fructu dicant, modò à plebe docti, aut acuti diſputatoris nomen reportent. At aliud eos docere poſſunt Patrum τῶν φιλοσοφωτάτων, καὶ θεολογωτάτων illi qui in Philoſophia aut Theologia cæteris antiſtant homiliæ, quibus nihil ῥητορικώτερον *diſertius* nihil ornatius, magiſque populare. Quin etiam ex Rhetoricâ forenſi exemplum capere poſſunt. Sane Demoſthenes longè alio, quàm Philoſophi, utitur ſermone. Etſi tamen e Platonis prodierat Schola; uti Cicero adſerit in Oratore, itemque in Bruto, qui eſt de claris Orator. Itemque 1. de Orat. ac idem quoque ſcribunt autor Dialogi de cauſſis corruptæ eloqu. Diogenes Laërtius in vita Euclidis, Appulejus apolog. 1. Alcinoi etiam eâ de re teſtimonium ex epiſtola Demoſthenis adductum videre eſt apud P. Victorium lib. xxvi. Var. Lect. cap. iv. Tullius quoque hac in re exemplo eſſe poſſit. Is enim in orationibus res è Philoſophiâ penitiſſimâ depromptas populari circumveſtit orationis genere: Imò in Philoſophicis quoque ſcriptis pejùs ferè, quàm fullo ululam, artium odit vocabula: nempe quia non Philoſophorum ſcholis (in quibus longè alia dictio requiritur) ſed civibus ſuis ſe ſcribere profitetur. Hac verò in re eandem eſſe rationem Oratoriæ Politicæ, & Eccleſiaſticæ, nemo, puto, ſapiens negabit. Quare, quod nonnulli ajunt, non poſſe ea aliter dici, id ſi ita, uti dicunt, ſentiunt, quid niſi, dum peritiam ſuam pueris, feminis, imperitæ turbæ, probare ſatagunt, prudentibus peritiſque ſuam imperitiam, ſoricis inſtar, produnt? Sin aliter dici poſſe vident, ut à populo intelligantur; quid importunâ φιλοσοφίας jactatione aliud conſequuntur, quàm quod ſibi canere, honoremque ſuum Dei gloriæ poſthabere, ab optimo quoque meritò judicentur? At hæc quidem de priori quæſtionum genere dicta ſunto.

Alterum genus eſt πολιτικὸν ſeu civile: circa quod magis propriè verſatur Orator. Dividitur autem quæſtio civilis in infinitam, quæ Græcâ appellatione θέσις vocatur: & finitam, quæ ὑπόθεσις dicitur. Illa Ciceroni dicitur *univerſi generis quæſtio*, aut *propoſitum*, aut *infinitum genus quæſtionis*: hæc verò eidem *cauſſa*, aut *definitum quæſtionis genus*, appellatur. Sed & ὑπόθεσις à Græcis dicitur σύνταξις, niſi corruptus ſit Suetonii liber de inluſtribus Rhetoribus. In veteri P. Pithœi libro legitur συνθέσις; unde à Tranquillo ſcriptum fuiſſe ὑποθέσεις, ſuſpicer cum Nicolao Fabro. Ii qui non multò poſt Ciceronem vixere, *controverſiam* potiùs appellant, quàm *cauſſam*. Falſus hac in re vir eruditus, qui ante annos aliquot Rhetoricas commentationes in lucem emiſit. Scribit enim, à Cicerone utroque modo appellari. At aliud eum docere poſſunt hæc verba M. Senecæ Rhetoris. *Hoc autem genus materiæ, quo nos exercemur, adeò novum eſt, ut nomen quoque novum ſit. Controverſias nos dicimus. Cicero cauſſas vocabat.* At ſanè laxo nimis vocabulo controverſia vocatur, cùm θέσις quoque ſit *Controverſia*, h. e. quæſtio. Græca vox magis appoſita eſt: quia ὑπόθεσις dicitur, quòd ponatur ὑπὸ τὴν θέσιν, velut ſpecies ſub genere. Illud interim haut prætereundum, interdum Latinos ita preſſè controverſiæ uſos eſſe vocabulo; ut iis non quamlibet notaret hypotheſin; ſed eam tantùm, quæ generis eſſet juridicialis. Nam, ut ex Marco Seneca, aliiſque cognoſcimus, declamationes eas, quæ conſilia imitarentur, ſuaſorias vocabant; at quæ judiciorum imaginem præbebant, controverſias nominabant.

Porrò θέσις, ut ſcribit Cicero 1. de Orat. quærit ſine deſignatione perſonarum, temporum, ac locorum: ubi *deſignationis* nomine quid intelligatur, cuivis conſpicuum videtur. Et tamen vir doctiſſimus, Leonardus Malaſpina, hic mirè muginatur. Nam putat *deſignationis* vocem à Tullio accipi pro diſtributione, quâ ſuus cuique tribuitur locus; quomodo idem Tullius lib. iv. ad Atticum epiſt. iv. futurum ſcribit, ut Atticus offendat mirificam deſignationem librorum bibliothecæ: ubi deſignatio, ut Malaſpina ſcribit, *eſt diſtributio, quâ ſuus cuique libro certus propriuſque locus aſſignatus fuit, ac deſignatus.* Atqui 1. de Orat. longè aliter *deſignationis* vox uſurpatur. Omnino enim Tullii ſententia eſt; θέσιν quærere generatim,

Digitized by Google

tim, & abſque ullius factum aut rem circumſtantiis limitatione. Itaque & Boëthio lib. IV. in Top. Ciceronis pag. 880. theſis definitur *Quæſtio ſine circumſtantiis.* Non defuere autem, qui in controverſiam vocarent, an Orator quoque circa theſin verſetur. Et videtur huic ſententiæ favere Dio Chryſoſtomus Orat. XXII. quæ de pace & bello inſcribitur. Nam ait Philoſophum diſputare, universè, An bellum ſit gerendum: Oratorem vero, An utile ſit Athenienſes bellum gerere contra Peloponneſios, aut ſuccurrere Corcyreis contra Corinthios: aut Philippo belli ſocietatem inire cum Thebanis adverſus Phocenſes, aut Alexandro tranſire in Aſiam. Verùm de theſi etiam agere Oratorem, tam clarum eſt, *Quàm ſolis radii eſſe olim, cùm ſudum eſt, ſolent**. Sanè ipſe ὁ φιλοσοφώτατος Dio ſæpe theſin tractat: ut περὶ ἀπιστίας & alia. Et ne oratorum diſparem rationem exiſtimes, Theo integras etiam orationes coram de theſi egiſſe affirmat; uti illam Lyſiæ, ſive alterius cujuſdam (dubitatum enim de autore, addit) quâ quærebatur, Utrùm mulierem per vim ductam retinere oporteat munera ſibi tradita. In ſingulis etiam orationibus generale aliquod quæſtionis caput invenitur; quale idem eſſe ait apud Demoſthenem contra Onetorem de vi, Num quæſtionibus fidem habere oporteat. Item apud Æſchinem contra Timarchum, An rumorum aliqua ſit veritas, aliaque alibi. Interea minimè exiſtimandum, Theſin apud populum, Philoſophorum more, tractandam Oratori. Nam in hoc quoque genere vitanda omnia admirabilia ſive inopinata; non quia non multa ſint παράδοξα μὲν, οὐ δὲ παράλογα *Præter opinionem non præter verum*, ut dicebat Cleanthes; verùm quoniam ſubtilitates non admittuntur à judicibus, ut inquit Martianus: ideòque Catonis quoque oratio ſæpe improbata; quamvis Tullius in Paradoxis ſcribat, eum ita tractare ſolitum, quæ non probarentur in vulgus, ut eo dicente, probabilia quoque populo viderentur.

** Plautus Mil. Glor. Act. 1. ſc. 1.*

Theſium multa exempla colligere licet cùm è Dione & aliis Sophiſtis, tum è Philoſophicis ſcriptis. Olim verò etiam exſtabant Ariſtotelis, & Theophraſti libri integri, qui Theſium titulo inſcribebantur. Docuit id nos hic Theonis locus in progymnaſmatis, Παραδείγματα δὲ τῆς θέσεων γυμνασίας λαβεῖν ἔστι παρά τε Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου. πολλὰ γάρ ἐστιν αὐτῶν βιβλία θέσεων ἐπιγραφόμενα. *Exempla verò ejus exercitationis, quæ in theſibus ſive propoſitis fit, petere eſt ex Ariſtotele, & Theophraſto. Multi enim ſunt horum libri, qui inſcribuntur de theſibus ſive propoſitis.* Etiam τὰς Θεοφράστου θέσεις citat Athenæus lib. IV. Aliter tamen Rhetor theſin tractat, aliter Philoſophus: nam ut Boëthius lib. IV. in Top. Ciceronis p. 880. rectè ait, *Rhetorica, ſi theſin aſſumſerit.* &c. Et hæc de Theſi.

Hypotheſis, quod alterum civilis quæſtionis genus erat, quærit cum limitatione περιστάσεων, quas Cicero *attributa perſonarum ac rerum*, Cornificius lib. IV. ad Herennium *res circumſtantes*, Fabius† *adjuncta & accidentia*, idem Fabius, & Gellius, *circumſtantias* nominarunt. Imò nec ante hos circumſtantiæ vocem, licet in re alia, reformidavit Seneca lib. II. nat. quæſt. cap. VII. Et nova ſanè ea vox, at oppoſitè atque ἀναλόγως ficta. Nam ut à conſtans eſt conſtantia, à præſtans præſtantia, ita à circumſtans erit circumſtantia.

† Lib. 5. cap. 10.

Circumſtantias dividimus in perſonam, quæ maximè quæſtionem reſtringit, & quatuor hæc; locum, tempus, cauſſam, modum. Quas quinque περιστάσεις ſolùm nominat Theo, cùm ſic ſcribit: οὐδὲν ἄλλο τῆς ὑποθέσεως ἡ θέσις διαφέρει, πλὴν ὅτι προσώπων ὡρισμένων, καὶ τόπου, καὶ χρόνου, καὶ τρόπου, καὶ αἰτίας ἐστὶν ἀπαρέμφατον. *Theſis ab hypotheſi haud alio differt, quàm quod neque certis perſonis, neque loco, neque tempore, neque modo, neque cauſſâ, definitur.* Vulgò cum Boëthio lib. IV. in Top. Ciceronis, p. 880. ſex faciunt circumſtantias, quas verſiculo hoc fuere complexi: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Sed hi confundunt rem, cujus circumſtantiæ afferri debent, cum rebus eam circumſtantibus. Scaliger ‡ etiam, neque modum, neque cauſſam, in circumſtantiarum numero reponit. Nempe ſtrictè proprieque circumſtantiæ vocabulum accipit Scaliger. Nos antiquorum Rhetorum exemplo latiùs uſurpamus, ut comprehendat ea omnia, quibus quæſtio generalis finiri ac limitari ſolet. Porrò circa hypotheſin maximè propriè verſatur Orator. Quocirca qui materiam Rhetoricæ ſtatuunt quæſtionem finitam, ſeu tria illa cauſſarum genera; *principale* tantummodo ſubjectum aſſignant: at non *adæquatum*; quod, ut diximus, eſt omnis quæſtio, vel loquendo ἀκριβέστερον *accuratius*, omnis res in conſultationem veniens, quà perſuaderi poteſt. Res enim conſiderata eſt τὸ ἕκαστον, *quodlibet*; & magis propriè τὸ πραγματικὸν, *res civilis*. At modus conſiderandi eſt, quà πιθανὸν, *perſuadibilis*; quo formali, ut loquuntur, ſubjectum Rhetoricæ præcipuè, tum à Dialecticæ, tum à Politicæ ſubjecto diſtinguitur. Nam Dialectica quidem verſatur circa τὸ ἕκαστον, verùm quà ἔνδοξον: Politica conſiderat civiles quæſtiones, verùm quà faciunt ad beatitudinem civilem; Rhetorica autem tractat τὸ ἕκαστον, quà πιθανὸν, hoc eſt, perſuaſorium, ut in Domitiano loquitur Tranquillus, ſive perſuadibile, ut Quinctilianus transfert; apud quem tamen nonnulli codices habent *perſuaſibile*. Sed rectum eſſe *perſuadibile*, analogia indicat ſimilium vocum, quæ à præſenti originem ducunt, non ſupino, ut vocant. Sanè & Apoſtoli Jacobi cap. III, 17. εὐπειθὴς vetus interpres vertit *ſuadibile*. Imò in veteri Onomaſtico legas *Suadibile πείσιμον*: Ubi πιθανὸν reſcribendum. Apud Guntherum tamen in ſecundo Ligurini legas,

‡ Lib. 3. de re poët. cap. 119.

Omnia ſuaſibili permulſit pectora voce,

Sed hoc ſeculo illi condonemus.

Refutandus autem nobis eſt hoc loco error Appollodori, Hermagoram eo nomine reprehendentis, quòd quæſtionem diviſerit in finitam, & infinitam. Nam exiſtimabat Apollodorus, non eſſe quæſtionem unam aliâ magis minuſve finitam. Verùm id ſi verum eſſet, non Cicero pro Milone, priori quidem loco oſtenderet, minimè ſemper nefas eſſe hominem ab homine interfici; poſtea verò probaret, inſidiatorem jure interfici poſſe. Manifeſtum enim eſt, quæſtionem priorem eſſe generalem magis; poſteriorem magis eſſe ſpecialem. Uti & generalis eſt ea quæſtio; ſitne ducenda uxor. Imò & illa, etſi ſtrictior priori, An ſeni ducenda uxor. De quo Majoragii exſtat oratio. At ſpecialis eſt, ſitne Martia ducenda Catoni. Generalis quoque eſt, An liceat ei fugere ex carcere, qui capitis ſit condemnatus, cùm id ſit contra ſententiam judicum civitatis. At ſpecialis eſt, An Socrati id liceat, Philoſopho, jam grandi ætate, idque Athenis. Vide quæ huc pertinent in Platonis Critone. Verùm, inquiebat Apollodorus, ſive oſtendam, matricidam interficiendum eſſe; ſive probem, Oreſtem ſupplicio afficiendum, nihil intereſt; cùm non de perſonâ, ſed de facti jure, ſit controverſia. Reſpondet Auguſtinus *, *ſæpe evenire, ut punita & impunita, honorata & inhonorata quædam relinquenda videantur, non tam ex rerum qualitate, quàm qualitate perſonæ.* Quod ſi eſt, falsò adſerit Apollodorus, nullius planè momenti eſſe diſcrimen perſonarum. Adde quod Theſis crebrò ſit argumentum, quo adſtruitur hypotheſis: cujus ratio in mundo eſt. Quemadmodum enim concluſio continetur ſub propoſitione majori; unde fit ut etiam, antequam ei minor adjuncta fuerit, concluſionem, teſte Ariſtotele†, ſciamus poteſtate, imperfectè, & confusè; licet actu, perfectè, diſtincteque ignoremus: ita etiam hypotheſis ſub theſi comprehenditur; unde & nomen accepit, cùm ita dicatur, quòd ſit ὑπὸ τὴν θέσιν, *ſub theſi.* Atque hinc liquet, cur ſæpe neceſſe habeant oratores excurrere in locos communes. Neque enim id tantùm fit, quia, cum genus ipſum latiùs pateat, in eo quaſi luxuriari poſſit oratio; verùm imprimis, quia à genere ipſo cauſſa vim ſuæ accipit probationis.

** In Principiis Rhetoricis.*

† Lib. 1. Analyt. poſter. cap. 1.

Cap. V.

De fine Rhetorices. Alius finis artis docentis, alius utentis. Adverſus Quinctilianum fuſè diſſeritur. Artium aliæ conjecturales, aliæ exquiſitæ, & ſuâ vi contentæ. Quo pacto Hyperides Phrynen liberârit judicio. Athenienſium lex, ut ne cernant judices, quem ſint condemnaturi. Galbæ factum. Item ut Zenothemis liberârit Menecratem. Proverbium, Virtutem & ſapientiam vincunt teſtudines. *Ariſtoteles adverſus Fabium iterum defenſus. Suadæ ſacellum.* Πειθὼ *alia* διδασκαλικὴ, *alia* πιστική. *Dialectica finis à fine Rhetoricæ ut differat.*

DE materie ſatis dictum. Proxima eſt controverſia de fine. Sit verò hominis malè conciliati, diſceptare velle, ecquis ſit Rhetoricæ ac Oratori propoſitus finis. Nam, ut bene ait Arnobius lib. VII. *Quicquid geritur, debet habere cauſam ſui: neque ita eſſe ab ratione ſejunctum, ut in operibus feratur caſſis, & in vacuis ludat inanitatis erroribus.* Quamobrem hac quidem in re minimè tempus teremus: ſed quis ſit ille finis, protinus ediſſertabimus.

Eſt autem finis Rhetoricæ duplex, quia alius eſt ſcopus artis docentis, alius utentis. Docentis ſcopus eſt cognitio ipſa; eſtque finis ſubordinatus; contrà quàm fit in ſcientiis theoreticis, in quibus hic finis ultimus eſt. At utentis finis eſt duplex. Prior eſt, cujus gratiâ cognitio ipſa proximè acquiritur; ſic tamen ut ipſe referatur ad finem ulteriorem. Hic finis officii nomine veriùs ſignatur; quia cùm ad aliud ordinetur, ἁπλῶς *ſimpliciter*, loquendo magis medii, quàm finis, nomen meretur. Hoc de Officio dicemus cap. ſeq. At alter finis dicitur architectonicus, cujus cauſâ omnia fiunt, ipſe verò nullius fit gratiâ. At huic fini κυριώτατος *maximè propriè*, id nomen convenit. Eſtque is, à cujus notione diſciplinæ operatrices auſpicantur, ut teſtatur, cùm Galenus lib. de ratione artis medicinæ, quàm ipſe σύστασιν ſeu conſtitutionem vocat; tum Averroes in principio operis Medici *Colliget* inſcripti. Iſtiuſmodi finis Ariſtoteli eſt τὸ πείθειν: quomodo & Gorgias apud Platonem * Rhetoricam ait eſſe πειθοῦς δημιουργὸν, καὶ τὴν πραγματείαν αὐτῆς ἅπασαν, καὶ τὸ κεφάλαιον εἰς τοῦτο τελευτᾶν, *perſuaſionis opificem, omnemque ejus operam & ſummam ad hoc tanquam finem refert.* Atque hanc ſententiam, utut quidem flocci habeant nec Fabii †, Sext. Empirici ‡, aut novatorum philoſophia elidet, nec acumen eludet. Ficulnum certè argumentum eſt, quod ut arietem validiſſimum intorquent. Ajunt hoc pacto Oratorem ſubjici fortunæ, ut, ſi minùs perſuaſerit, nomen ſuum retinere non poſſit: unde colligunt, recedendum eſſe ab eventu, finemque aſſignandum, qui ſit in manu artificis; quemadmodum in Grammaticâ, cæteriſque artibus, fieri ſolet. Verùm qui ſic loquuntur, minimè videntur cogitare, Rhetoricen eſſe facultatem: facultatum autem eam eſſe naturam, ut non ſemper conſequantur ſuum finem. Quare fruſtra ſunt, cùm nos exemplum capere jubent è Grammaticâ, Muſicâ, ac ſimilibus artibus quæ finem habent ὡρισμένον, *certum finitumque.* Nam, ut ſuprà ⸸ quoque dicebamus, non una omnium artium, ratio eſt. Quarundam finis neutiquam eſt in manu artificis: atque iſtiuſmodi ſunt στοχαστικαὶ, ſive conjecturales, ut ait Galenus ad Thraſybulum. Has autem δυνάμεις ſive facultates cum Peripateticis nominamus. Quædam verò, quanquam haut ſemper finem obtinent, tamen non, niſi raro admodum, eo fruſtrantur. Iccircò Ariſtoteles haſce artes lib. III. Ethic. cap. III. * ἀκριβεῖς καὶ αὐτάρκεις *exquiſitas & ſuâ vi contentas*, vocat. Dico autem, raro non obtinere finem; non, uti quidam, ſemper conſequi. Nam ſi rectè dictum fuit ab Ariſtotele †, nihil abſurdi eſſe naturam interdum ſuo excidere fine, cùm idem videamus in arte uſu venire, quæ imitatrix eſt naturæ; cur non, inverſo Philoſophi ordine, dicere nobis liceat, nihil mirum eſſe, ſi artifex quivis interdum fine ſuo fruſtretur, cùm idem ipſi contingat naturæ?

* In Gorgia.

† Lib. 2. cap. 15.

‡ Cap. 10. adverſ. Mathematicos.

⸸ Cap. 3.

* Aliis cap. 5.

† Lib. 2. φυσ. ἀκροασ. cap 8 context. 82.

Verùm turbet fortaſſe quempiam nobilis quidam Peripateticus * in longis illis ad Topica commentariis, quæ antè a ſe conſcripta jam cæcus emendavit, & in lucem edidit. In his enim diſtinguens inter finem per ſe, & per accidens; finem per ſe eſſe vult, ut omnia agat Rhetor, quæ ad perſuadendum conducunt; per accidens finem eſſe ipſum perſuadere: quomodo & in Medico finem per ſe eſſe dicit, ut omnia faciat, quæ ad valetudinem conferunt, ſeu conſervandam, ſeu recuperandam; per accidens vero finem eſſe ſanitatem ipſam, ut quam non ſemper intendat, quia ſciat non ſemper ſe eam conſequi poſſe. Verùm facilè removebimus turbinem hunc, ne navi noſtræ frangat ratem. Ariſtotelem audiamus, qui cum alibi ſemper finem Rhetoricæ ab officio diſtinguit, tum id quoque non obſcurè facit lib. 1. Top. cap. 11. οὔτε γὰρ, inquit, ὁ ῥητορικὸς ἐκ παντὸς τρόπου πείσει, οὔθ' ὁ ἰατρικὸς ὑγιάσει, ἀλλ' ἐὰν τῶν ἐνδεχομένων μηδὲν παραλείπῃ, ἱκανῶς αὐτὸν ἔχειν τὴν ἐπιστήμην φήσομεν. *Neque rhetor modis omnibus perſuadere ſolet, nec medicus ſanare: ſed ſi nihil eorum, quæ adhiberi poſſunt, omiſerit, rectè artem ſuam illum ſcire dicemus.* Idem de Medico ſcribit Quinctilianus †; *Et Medicus*, inquit *ſanitatem ægri petit: ſi tamen aut valetudinis vi, aut intemperantiâ ægri, aliove quo caſu ſumma non contingit, dum ipſe omnia ſecundum rationem fecerit, medicina fine non excidet.* Quo tamen loco Fabius malè medicinæ finem dixit pro officio. Aptiùs igitur Seneca lib. VII. de beneficiis cap. XIII. *Quædam*, inquit, *ejus conditionis ſunt, ut effectum præſtare debeant: quibuſdam pro effectu eſt omnia attentâſſe, ut efficerent. Si omnia fecit, ut ſanaret, peregit medicus partes ſuas. Etiam, damnato reo, oratori conſtat eloquentiæ officium, ſi omni arte ‡ uſus eſt.* Quæ cùm ita ſint, contrà quàm Schegkius putabat; id ſtatuimus eſſe proprium, & per ſe finem, ad quod omnia debet dirigere artifex; quomodo ad perſuadendum omnia dirigit orator, ad ſanitatem medicus. At ſi orator, & medicus, rebus deſperatis, non id agant, ut finem adipiſcantur; ſed tantùm, ut afferendis omnibus, quæ ad perſuadendum, ſanandumque conferunt, quantum in ſe fuit, præſtitiſſe, tum ſibi, tum aliis, videantur: jam putamus id non per ſe, ſed per accidens finem fore. Adde quod Medicus, niſi eum in errorem ducat inſcitia, vel tranſverſum agat avaritia, neutiquam aggreſſurus ſit homines ἀπεγνωσμένους, atque, ut loquitur Arnobius ⸸, recuſantes perpeti ſanitatem. Nam deſperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam: ut inquit Cicero epiſt. XV. lib. XVI. ad Att. & apud Lucianum, filius, qui abdicatus erat, quòd nollet medicum novercæ manum admovere, ait ſe νόμον τινὰ παλαιὸν τῶν προγενεστέρων τῆς τέχνης ἰατρῶν φυλάττειν, οἵ φασι μὴ δεῖν ἐπιχειρεῖν τοῖς κατεγνωσμένοις: *Legem quandam vetuſtam ſequi eorum, qui primi artem medicam prodiderunt, qui negant, medicum aggredi debere morbos, poſtquam jam invaluerunt.* Par planè ratio eſt in oratoria facultate. Nam nec oratori ſuſcipiendæ ſunt cauſſæ turpes, & deſperatæ, ſi vir bonus haberi velit: qualis neutiquam futurus, qui auſcultârit Tito Caſtrutio: quippe, qui A. Gellio teſte *, docebat, *Rhetori conceſſum eſſe, ſententiis uti falſis, audacibus, ſubdolis, captioſis; ſi modò veriſimiles ſint, & poſſint ad movendos hominum animos qualicunque aſtu irrepere. Propterea turpe eſſe dicebat, ſi quid in malâ cauſſâ deſtitutum, atque impugnatum relinquat.*

* Jo. Schegkius.

† Lib. 2. cap. 17. ſive juxtà aliorum diſtinctionem, 18.

‡ Pro ARTE in membranis pervetuſtis Car. Langii JURE legebatur: quod magis placet Joanni Livineio, notis ad Latini Pacati Panegyricum.

⸸ Lib. 1. adverſus gentes.

* Lib. 1. cap. 4.

Alium quoque arietem intorquent. Negant enim, eum, de quo locuti ſumus, idoneum eſſe Oratoris finem, quia multa adeò ſint, quibus hoc ſit commune. Sanè formæ venuſtas non ſolùm hoc cum dicendi vi commune habet, ut perſuadeat; verùm etiam plus ſæpe hac in parte pollet; uti argumento eſt, quod Homerus ſcribit, ſenes Trojanos, conſpectâ Helenes formâ,

mutâſſe

** In vitis Oratorum. † Lib. 2. cap. 15. ‡ Lib. 13. Dipnosoph. pag. 590. edit. Casaub. * Lib. 2. adverſus Math. ſive cap. de arte dicendi. p. 65. † Ibidem. ‡ Cic. in Bruto, & 2. de Orat. & 7. Verr. Liviana epitome lib. 70. & Fab. lib. 2. cap. 15. * Fabius ibidem ex oratione Catonis Livius lib. 49. Val. Max. lib. 8. cap. 1.*

mutâſſe ſententiam. Plutarchus * quoque, Fabius †, Athenæus ‡, Sextus *, Phrynen ajunt capitis periculo liberatam; non Hyperidis actione, quanquam admirabili, ſed conſpectu corporis ejus ſpecioſiſſimi, quòd diductâ nudaverat tunicâ: eaque res cauſſam præbuit Athenienſibus (ex malis enim moribus bonæ leges natæ ſunt) cavendi Plebiſcito, ne judices illum, de quo ſententiam laturi eſſent, cernerent; ut teſtatur idem Athenæus †. Etiam miſerabilis fortunæ ſigna efficaciùs ſæpe perſuadent, quàm oratio. Itaque M. etiam Antonius ‡, M. Aquilium repetundarum accuſatum Q. Cæcilio Metello & T. Didio coſſ. anno Urbis 656. defenſurus, ſciſſâ veſte oſtendit cicatrices, quas pro patria adverſo pectore ſuſceperat. Item Servius Sulpitius Galba * judicio elapſus eſt, cùm liberos ſuos parvulos in concionem produxiſſet, ac ſuis quoque manibus circumtuliſſet filium Galli Sulpitii, cujus tutor erat. Cicero quoque, cùm pro Flacco diceret, filium ejus parvulum adduxit, ut fletu ſuo à patre condemnationem deprecaretur. Zenothemis itidem apud Maſſilienſes infantis uſus eſt patrocinio. Nam & is filiolum ſuum, nepotem Menecratis (qui à ſexcentis viris condemnatus erat, ob iniquè in judicio latam ſententiam) in curiam tulit oleaginis frondibus coronatum, ac pullis indutum, quò magis miſericordiam erga avum cieret. Infante autem blandè judicibus arridente, & manibus plaudente, id conſecutus eſt, ut Curia miſericordiâ mota mulctam Menecrati remitteret, priſtinoque eum honori reſtitueret. Autor Lucianus in Toxaride. Denique pecuniarum quoque in perſuadendo vis eſt maxima. Quippe iis etiam perſuadent, qui *μάχην καπηλεύουσι bellum cauponantur:* unde Philippus Macedo dicebat omnia caſtella expugnari poſſe, in quæ modò aſellus onuſtus auro adſcendere poſſet, ut ait Cic. epiſt. XIII. lib. 1. ad Att. quam rem etiam confirmant, quæ de ejus fraudibus in corrumpendis auro civibus tradunt Demoſth. II. Olynth. II. Philipp. Ariſtides in Panathenaicâ, & II. de ſocietate, Pauſanias in Achaicis, Diodorus lib. XVI. Plutarchus in Paullo Æmilio, Cic. 1. de off. Valer. Max. lib. VII. cap. II. Horatius lib. III. od. VI. Sed & in veteri verbo eſt, virtutem & ſapientiam vincunt teſtudines, h. e. nummi imagine teſtudinis inſigniti; qualium in Peloponeſo uſum fuiſſe, ſcribit in Onomaſtico ſuo Julius Pollux. Pertinet huc quoque illud Euripidæ in Medea; *πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος: & dona Dis perſuadere ajunt.* Non igitur ſola perſuadet oratio, ſed ſæpe etiam aurum ſententiam dictat: item adſpectus ſine voce; ut facies miſerabilis, formæ pulchritudo, ſimiliaque. Itaque videri poſſit rectiùs ſenſiſſe Tullius, cui Oratoris finis eſt perſuadere dictione, quam Ariſtoteles, qui ſcopum ſimpliciter facit perſuadere, ſive perſuadere juſta ac utilia. Atque hoc nomine etiam Philoſophus, ac Rhetor ſummus, ſugillatur à Quinctiliano. Sed objectum hoc verè caſſum eſt terriculamentum. Nam ut Philippus Macedo proditionem amabat, non proditorem: ita, quos auro corrumpebat, non tam proditionem amabant, quàm pecuniam: eoque eis, ut patriam proderent, à Philippo perſuaſum fuit; patriam verò pecuniæ cauſſâ rectè prodi, perſuaſum non fuit. Itidem Verres aliquis, etiam cum pecuniâ impetrat, ut abſolvatur, non tamen perſuaſiſſe videri debet. Nam quem facto judices abſolvunt, hunc animo condemnant. Parque ratio eſt, cum vel formæ pulchritudine, vel facie miſerabili, judices moventur, ut hominem liberent. Nec enim neſciunt, aliter à ſe agi, quàm oportebat. Quare aliud profectò eſt bellum cauponari, vel movere judicem liberorum ſingulatu lachrymoſo, ſermone (ut cum Appulejo dicam) interficiente, ac verba devorante: aut judicem muneribus labefactare, ac corrumpere, aut ſimilibus exorare exorabilis; aliud item, preſſè proprieque loquendo, eſt perſuadere; ad quod opus eſt, ut auditor cauſſam noſtram judicet eſſe rectam. Id verò non quomodocunque, ſed ſolâ dictione præſtari poteſt; cùm *τὸ πείθειν perſuadere*, non aliud Rhetori ſit, quàm diſertâ ratione, actionis cauſſâ, animo alicujus aliquam inſerere opinionem, inſitamve evellere. Nempe Sicyonis quidem fuit ſacellum Suadæ ſine ſimulachro, ut in Corinthiacis Pauſanias ſcripſit: Oratori autem nullum eſt iſtiuſmodi ſacellum, ſed huic

Οὐκ ἔστι Πειθοῦς ἱερὸν ἄλλο, πλὴν λόγος.
Suadæ ſacellum haut aliud eſt, quàm oratio:

ut Ariſtophanes ait in Ranis.

At dicat aliquis, perſuaſionem non poſſe ſtatui ultimum Oratoris finem, cùm ea ad utilitatem referatur Reip. Verùm neque eſt, quod hæc ratio pulverem alicui ob oculos ſpargat. Nam utilitas Reipublicæ non eſt finis Rhetoricæ proprius; ſed Politicæ, cujus ipſa inſtrumentum eſt. Itaque ſe cum Rhetoricâ habet, quemadmodum cum *χαλινοποιητικῇ arte frenorum confectrice*, cujus finis ultimus eſt frenum, licet freni uſus ad artem equeſtrem referatur. Nam frenum eſt finis operæ, h. e. actionis: at ars equeſtris eſt finis operis, h. e. freni ipſius: quæ duo neceſſariò ſunt diſtinguenda. Verum alia quoque ſeſe nobis offert difficultas. Nam videtur perſuaſio Oratori eſſe communis cum philoſopho, & quovis artifice. Quod ſi cui hîc aqua hæret, exemplo id facilè evincemus. Age enim, vir princeps male Remp. ordinet, nonne & Philoſophus, & Orator, ſui muneris ducent, rectam principi monſtrare viam? quod ille nudis rationibus conabitur, hic vinulâ ac delenificâ oratione; uterque ut doceat, uterque ut vir princeps agat, quod cognoverit eſſe è commodo Reip. Non igitur ſolus Orator id agit, ut perſuadeat; ſed idem pholoſophus præſtat. Nec de ſingulis ſcientiis, atque artibus, magis eſt obſcurum. Nam & Arithmeticus perſuadet numerorum doctrinam; & Geometra, figurarum ac magnitudinum; & Phyſicus, rerum naturalium; eademque diſciplinarum omnium ratio eſt. Reſpondemus iſtis, *πείθειν perſuadere*, hoc loco non eſſe ſimpliciter fidem facere probando aliquid rationibus: verum ratione diſertâ aliquem ad agendum impellere. Itaque meritò Platoni in Gorgia duplex ſtatuitur *πειθὼ* ſive perſuaſio, una *διδασκαλικὴ*, altera *πιστικὴ*. *Διδασκαλικὴν*, ait fieri docendo aliquid *ἐπιστημονικῶς, καὶ ἐξ ἀναγκαίων more ſcientiarum & firmis ac neceſſariis argumentis.* *Πιστικὴν* verò cenſet probare *δι' ἐνδόξων per argumenta probabilia*, quibus fidem facit Orator, non docendo, ſed perſuadendo. Poſterius ſolum perſuaſionis genus docet Plato ad Rhetoricen pertinere. Sed contrà hæc objiciat aliquis, ſaltem futurum hoc pacto, ut Rhetoris finis non differat à fine Dialectici; cùm hic quoque, quando interrogando id agit, ut opinionem aliquam in reſpondentis animo gignat, neutiquam id faciat *ἐξ ἀναγκαίων ex neceſſariis*, ſed *δι' ἐνδόξων, ex probabilibus*; quippe per quod diſtinguatur Dialectica ab Apodictica. Ad hoc dicimus, etiam Dialecticum propriè diſputare cognitionis, ſive opinionis cauſſâ: quod ſi actionem fortè intendat, id eſſe, non à natura artis, ſed voluntate artificis; eoque minimè id per ſe finem fore, ſed per accidens. Rhetoricæ verò diſpar eſt ratio: quia quæſtio, quæ à Dialectico, cognitionis gratiâ, excutitur in Lycæo, eadem ab Oratore, propter actionem, ventilatur in ſenatu, aut foro. Unde ſatis patet, Rhetoricen per ſe, & naturâ ſuâ, propoſitam ſibi habere actionem. Loquor autem de Rhetorica, non quà hujus artificio etiam ea, quæ quæſtioni civili non ſubjiciuntur, copioſè ornateque extra hypotheſin tractari poſſunt: verùm quà ex famula eſt Politicæ, cujus finis in actione conſiſtit. Atque hæc evidentia ſunt, in genere deliberativo & juridiciali: res obſcurior in demonſtrativo, ubi Orator ferè id potius agit, ut videatur diſertus. Sed hoc genus eſt *σοφιστικώτερον*. Itaque quæ diximus, de verâ oratoriâ accipi volumus.

Cap. VI.

De officio Oratoris. Error ſcholiaſtæ Aphthonii, & ſcriptoris ad Herennium. Magnificum Vallæ judicium de Fabio. Valla cum Trapezuntio contentio. Ariſtoteles contra Fabium defenditur, ſimulque refelli-

fellitur Mirandulanus. Ἔνδοξον & πιθανὸν ut differant. Diverſas diſciplinas de re eâdem rectè agere, dummodo tractandi modus ſit diverſus. Lamponis & Anaxagoræ judicium de capite arietino, habente unum duntaxat cornu.

DE fine Rhetoricæ abundè egimus, ac fortaſſe nimis quoque diu per hanc lineam ſerram reciprocavimus. Videamus nunc de officio; quod multi cum fine confundunt, eoſque inter Aphthonii ſcholiaſtes*, cùm ait, τὸ τέλος εἶναι, οὐ τὸ πεῖσαι, ἀλλὰ τὸ πιθανῶς εἰπεῖν, *finem eſſe, non perſuadere, ſed aptè dicere ad perſuadendum:* quæ etiam Fabii ſententia fuit, ut antè diximus. Atqui quod alterius cauſſâ ſit, ac fieri debet, id non finis, ſed officium eſt. Quare meliùs illi, qui cum Tullio ajunt, hujus artis officium eſſe, dicere oppoſitè ad perſuadendum: ſive, ut Arnobius loquitur lib. I I. loqui ſuadenter. *Ut*, inquit, *loquamur ſuadenter in litibus.* Græcè πιθανῶς. Autor ad Herennium officium ſtatuit, poſſe dicere appoſitè: verùm fallitur, cùm poſſe ſit facultatis; at dicere appoſitè ſit voluntatis, atque officii, quæ duo plurimùm differunt. Nam, ut cætera mittam, cùm Sophiſtica ſit Logicæ pars οὐσιώδης *eſſentialis*, facultatem fallendi Logicus habere debet: at voluntatem non debet: quippe cujus ſit dirigere rationem in cognitione veri. Ariſtoteles† Rhetoricæ officium facit, θεωρεῖν τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν, *videre quid ad perſuadendum conducat.* Illud autem θεωρεῖν, hoc quidem loco ſignificat, & rerum, & verborum, tum inventionem, tum tractationem; non verò ſolam rerum excogitationem. Quare non eſt, quòd nobis remiliginem in hoc curſu injiciat Fabius; qui ut mirè proclivis eſt in damnandis Ariſtotelis opinionibus, ita & definitionem Rhetoricæ ab eo allatam, cùm eo nomine reprehendit, quòd falſum artis finem aſſignet (in quo profectò, non Ariſtotelis quidem, ſed Fabii ipſius, ipſiſſum errorem ſuperiori capite deprehendimus) tum etiam, quòd mutila ſit; ut quâ ex quinque artis partibus una tantummodo exprimatur. *Quidam*, inquit Quinctilianus‡, *receſſerunt ab eventu, ſicut Ariſtoteles, qui dicit; Rhetorice eſt vis inveniendi omnia in oratione perſuadibilia: qui finis, & illud vitium, de quo ſuprà diximus, habet; & inſuper, quod nihil niſi inventionem complectitur, quæ ſine elocutione non eſt oratio.* Magnus profectò Rhetor Fabius fuit, de quo non ignoro illud Vallæ‡ judicium; *Neminem poſſe, neque Quinctilianum intelligere, niſi Ciceronem optime teneat; neque Ciceronem probè ſequi, niſi Quinctiliano pareat; neque unquam fuiſſe quempiam eloquentem poſt Quinctilianum, nec eſſe poſſe, niſi qui ſe totum arti ejus formandum, imitationique tradiderit.* Quin à vetuſtate quoque tanto in pretio habitus eſt Fabius, ut Auſonius, in Profeſſorum Burdigalenſium commemoratione, Tiberium Victorem Minervium magnifice laudaturus, eum vocet, *alterum Rhetorice Quinctilianum.* Quamobrem erit fortaſſe, qui tanti viri autoritate inductus, perſuadeat ſibi, Fabium meliùs perſpexiſſe, quomodo definiri deberet Rhetorice, quàm Ariſtotelem: ejuſque judicium eo majoris apud nos ponderis eſſe debere; quòd, cùm poſt Ariſtotelem, Hermagoram, Apollodorum, Ciceronem, Halicarnaſſenſem, alioſque plurimos nobiles vixerit Rhetoras; optima quæque ex iſtorum ſuas in cameras convertere, ac de omnibus judicium ferre potuerit. Verùm nos quidem Quinctilianum magnæ eruditionis, & elegantis judicii fuiſſe, agnoſcimus; ac de quo ſeriò illud dici poſſit, amâſſe eum bonam mentem: verùm enimvero dolendum planè, quod vir maximus toties re levicula deceptus (quemadmodum ſuis locis id clarè commonſtramus) recedat ab Ariſtotele, Rhetore longè ſe perſpicaciore, qui ſolus, non ſolùm de arte, ſed etiam ex arte, atque adeò artificioſiſſimè ſcripſit; ac cui, ut omnium optimo, optimè optimam operam dari putamus. Neque nos, aut Auſonii judicium movet, qui Latinorum tantùm rationem habuit: aut Vallenſis (quamvis viri non minùs de Rep. literariâ meriti, quàm Camillus olim de Romanâ) elogium terret; quis ille, nec in Fabio laudando modum invenit, nec in Ariſtotele, Tullio, Priſciano, (& quo non, ſi unum Fabium demas?) inſectando, ſæpe habeat cauſſam. Taceo, quòd neque in Chriſtum (horrendum!) ſpicula ſibi deeſſe dicebat, ut quidem ſcripſit Jovianus Pontanus*: & ante eum Poggius ſecundâ in Vallam Invectivâ†, ubi exprobrat, quod hoc in convivio dixerit Antonio Panormitæ: qui propterea exhorruerit, & alloquio ulteriùs dignum negarit. Videtur autem vir ille nimis quantum liberaliter Quinctilianum ſuſtuliſſe laudibus, quòd videret Georgium Trapezuntium perpetuum eſſe in hoc inceſſendo. Nam & lib. IV. Antidoti ſcribit, ea de cauſſâ ſibi ſemeſtri integro cum Trapezuntio fuiſſe contentionem; neque in gratiam cum eo rediiſſe, niſi cùm is publicè docendi provinciam dimitteret. Verùm tandem obviam eamus Fabii argumento, ejuſque oſtendamus invalentiam. Ait is, ab Ariſtotele primam ſolùm Rhetoricæ partem definiri, quàm εὕρεσιν, ſeu inventionem nominamus. Cui argumento ſi fuerit reſponſum; ſimul corruet, quod objicitur à Bernardo Mirandulano. Nam & is cenſet, quòd Rhetoricæ officium ſtatuit Ariſtoteles, hoc ei commune eſſe cum Dialectico eoque Rhetoricæ definitionem Dialecticæ quoque competere; ut quæ & ipſa invenire doceat argumenta πιθανὰ *perſuadibilia.* Atqui cum Ariſtoteles ait, Rhetoricæ officium eſſe invenire, ſive, ut ipſe loquitur, θεωρεῖν h. e. videre ſeu perſpicere omnia πιθανά, minimè intelligi debet ſola argumentorum excogitatio, quam princeps Rhetoricæ pars tradit: ſed quæ inventio, quæ diſpoſitio, quæ elocutio, quæ actio, maximè ſit ad perſuadendum accommodata. Neque enim officium ſuum præſtiterit Orator, niſi univerſa hæc perſpexerit; quando non ſolùm argumenta alia aliis magis idonea ſunt ad animos hominum impellendos; ſed multùm quoque refert, quomodo partes orationis collocemus; nec ubique habent locum eadem verborum ſententiarumque lumina; pro rebus etiam perſoniſque variat dignitas actionis. Quare, non quidem repugno, quò minùs θεωρίαν cum Fabio inventionem transferamus; verùm cuncta hæc ab Ariſtotele ajo inventionis vocabulo intelligi; eoque graviter errare Fabium, cùm vocem hanc ita interpretatur, quaſi acciperetur anguſtiori illâ notione, quâ primam conſtituit Rhetoricæ partem. Illud præterea conſideratione digniſſimum eſt, quod Ariſtoteles in ſua definitione non dicit ἔνδοξα, *probabilia*, ſed πιθανά, *perſuadibilia:* quod cùm adverſus Fabium, tum inprimis contra Mirandulanum facit. Quippe ἔνδοξον quidem, ſive probabile, conſiderat Dialecticus: πιθανὸν verò, ſive perſuadibile, Rhetoris objectum eſt. Duo autem hæc, ut optimè obſervavit Riccobonus, differunt ut genus, & ſpecies. Siquidem ἔνδοξον (ut vox ipſa indicat) id omne vocatur, quod ex opinionibus ac judiciis hominum eſt: eoque ab Ariſtotele I. Topicorum dicitur, ἔνδοξον eſſe, quicquid probatur omnibus, vel plurimis, vel ſapientibus, ſive omnibus, ſive pluribus, ſive maximè probatis. At πιθανὸν ei tantummodo eſt, quod vel omnibus probatur, vel plurimis. Nam iſtiuſmodi ſolùm probabile oratori convenire, cùm alibi Ariſtoteles docet tum lib. II. Rhet. cap. XXII.‡. Deinde ἔνδοξον ſolas reſpicit argumentationes; πιθανὸν præter eas comprehendit etiam mores, affectus, diſpoſitionem, elocutionem, & actionem. Item ἔνδοξον conſiſtit in interrogatione, & reſponſione. Id enim ſignificat διαλέγεσθαι ſive diſſerere. At πιθανὸν requirit orationem continuam. Unde & multi Rhetoricen dictam arbitrantur à ῥέω, h. e. fluo; quia ejus munere oratio, divite quadam verborum ſententiarumque copiâ, aurei inſtar fluminis exuberat.

Sed, quæcunque hactenus diximus, digniſſima ſint, ut nonniſi apud auritos Midas inveniant fidem; ſi, quod nobis occentant quidam, idem planè fuerit conſiderare πιθανὰ ἁπλῶς, *perſuadibilia ſimpliciter*, & conſiderare πιθανὰ quà πιθανά, *perſuadibilia quà talia.* Quid igitur? num contra hos adſtruere conabimur, aliud longè

* Pag. 3.

† Lib. 1. Rhet. cap. 2.

‡ Lib. 2. cap. 16.

‡ Lib. 1. Antidoti in Poggiũ. Sed & unde Poggii ipſius primam in Vallam invectivam fol. 71. a.

* Lib. 1. de ſermone.

† Fol. 87. a. edit. anni 1513.

‡ Juxta vulgarem diſtinctionem.

longè eſſe, conſiderare quippiam generatim; aliud, ſpeciatim: aut diſciplinas plures circa idem verſari poſſe, atque eâdem etiam in arte, eadem de re, ſæpiùs poſſe tractationem ſuſcipi, ſi tantùm conſiderandi modus fuerit diverſus? At hæc quidem ita manifeſta ſunt notiſque à doctiſſimis viris demonſtrata, ut laterem lavaturus videri poſſim; niſi inſtituiti iſti homines rudem juventutem, & à labore ad deſidiam proclivem, falſis id genus dogmatis quotidie, velut toxico, inficerent. At cogitare debebant, quod nemo ſanus inficias iverit, & Phyſicum, & Medicum, de corpore humano agere; ſed illum id conſiderare, quà naturale; hunc, quà ſanabile. Neque quia anima, quà corpori organico ſociata, Phyſicæ eſt contemplationis, eandem, quà ſeorſim quoque ſubſiſtit, ſublimioris eſſe contemplationis, negari poteſt. Sic quoque conſiderandi modo differunt, objectum artis ſtatuariæ, & χαλκευτικῆς ſeu excuſoriæ: item medicinæ, & palæſtricæ, ac coquinariæ. Eſt illuſtris his de artibus Fabii locus lib. 11. cap. ult. *Neque protinus non eſt materia Rhetorices, ſi in eâdem verſatur & alia. Nam ſi quæram, quæ ſit materia ſtatuarii, dicetur æs: ſi quæram, quæ ſit excuſoriæ, id eſt ejus fabricæ, quam Græci χαλκευτικὴν vocant, ſimiliter æs eſſe reſpondeam. Nec medicina ideò non erit ars, quia unctio & exercitatio cum palæſtricâ, ciborum verò qualitas, etiam cum coquorum ei ſit arte communis.* Idem μαντικῆς, ſeu divinationis, & φυσιολογικῆς illuſtremus exemplo. Refert Plutarchus*, aliquando Pericli ex agro adlatum fuiſſe caput arietis cum uno cornu. Tum Lamponem dixiſſe, duas eſſe in civitate potentes factiones, Thucydidis, atque Periclis: fore autem, ut ad unum, apud quem cornu illud arietis eſſet, poteſtas omnis transferetur. At Anaxagoras, oſſe frontis diſſecto, oſtendit, cerebrum ſedem ſuam non obtinere: ſed ovi inſtar ſe habere, atque ejus acumen ibi concreviſſe, quo loco cornu originem duceret. Itaque tum in admiratione fuiſſe Anaxagoram. At omnes poſtea miratos fuiſſe Lamponem, cùm, Thucydide planè everſo, gubernatio Reip. tota eſſet penes Periclem. Nihil, inquit Plutarchus, prohibuit rem ipſam tam Phyſicum tangere quàm vatem, illo cauſſam, hoc eventum rectè deprehendente.

* In Pericle.

CAP. VII.

De quadruplici diſcrimine Rhetorices à Dialecticâ: indeque contra Zabarellam, & Gaſparem Sardum, comprobatur, Rhetoricen non eſſe Logicæ partem. Ariſtoteles, & Cicero explicantur. Quinctiliani locus expenditur.

EX iis, quæ hactenus diximus, cognoſcere eſt, quomodo Rhetorica à Dialectica, h. e. eâ Logices parte, quæ ex probabilibus docet ratiocinari, tum materiâ, tum fine, tum officio, differat. Nam Rhetorica imprimis verſatur circa materiam civilem: Dialectica ſine diſcrimine occupatur circa quamlibet. Rhetoricæ finis eſt perſuadere, h. e. efficaci oratione ad agendum impellere: at Dialecticæ finis eſt διδασκαλία, atque cognitio. Rhetoricæ officium eſt θεωρῆσαι πιθανά, quà πιθανά: Dialecticæ eſt conſiderare πιθανά, quà ἔνδοξα. Hæc diverſitas ſubjecti finis & officii diverſitatem quoque aliquam parit formæ accidentariæ. Nam, juxta Zenonem; Rhetorica, porrectæ; Dialectica, compreſſæ palmæ ſimilis eſt: quia Dialectica ſimpliciter ſua proponit; at Rhetorica copioſè, ac ornatè. Illuſtrat enim orationem dicendi luminibus, tanquam ſtellis; ut omnino, quemadmodum homini ingenium, ita ingenii lumen ſit eloquentia. Alioqui ſi materiam utriuſque facultatis conſideremus; non latiùs loquuntur Rhetores, preſſiùs Dialectici; quod Cicero ſcripſit: ſed latiùs patet Dialecticorum oratio, quàm Rhetorum. Nam, ut dicebamus paullò antè, Dialectica verſatur circa quodlibet probabile; Rhetorica circa probabile confeſſum, quod perſuaſibile dicimus.

Et hunc quidem in modum limites Dialecticæ & Rhetoricæ diſtinguuntur; ut neceſſe non ſit, litem ampliùs intendi de finibus ercíſcundis, ut ita cum veteribus dicam.

Ex hiſce verò tam illuſtribus notis, aliud quoque egregium παράδοξον elicimus. Id verò iſtiuſmodi eſt, Rhetoricam non eſſe partem Logicæ, ut putabat Peripateticorum noſtri ſeculi princeps* hoc nixus fundamento, quod artes illæ omnes ſint Logicæ appellandæ, quæ à Logica univerſali Logicum inſtrumentum ſumentes, in uſu illius ad finem aliquem conferente, occupentur. Rhetorica autem docet uſum enthymematis, & exempli, in materia civili; ſicut Apodictica, Dialectica & Sophiſtica, aperiunt uſum Syllogiſmi in materia neceſſaria, probabili, & fallaci. Verùm parvo labore hanc ſententiam evertemus. Nam cùm adæquatus Logicæ finis ſit dirigere intellectum in cognitione rerum: nulla Logicæ pars eſſe poteſt, quin per ſe διδασκαλίαν ac cognitionem ſibi proponat: atque ita Apodictica, pro fine habet ſcientiam; Dialectica, opinionem veram; Sophiſtica, falſam. Et quia notitia in his ſolùm intenditur, ideo haut aliud docent, quàm rationem ac viam applicandi formam ſyllogiſticam ad materiam neceſſariam, probabilem, fallacem. At Rhetorica (uti & Poëtica) minimè docere contenta, ſtudet inſuper animos ad agendum impellere: ad quod, præter argumenta probabilia, multa alia requiruntur; uti ἤθη, καὶ πάθη, verborum ſententiarumque lumina, & quædam actionis dignitas: ut de οἰκονομίας nihil dicam, quà hic opus; cùm non interrogatiunculis, uti Dialecticus pugnet Orator; ſed continuâ agat oratione. Ex his ſatis patet, quod univerſè de artibus aſſerit Zabarella, id de iis tantummodo concedi debere, quæ tum theoreticæ, tum practicæ Philoſophiæ, inſerviunt; non item de iis, quæ ſolius Politicæ ſunt inſtrumenta; uti ſunt Rhetorica, & poëtica.

* Zabarella lib. de nat. Log.

In eundem cum Zabarella errorem incidit Gaſper Sardus; qui & ipſe commentario de triplici Philoſophia ad Olympiam Moratam, poſteriorem Logicæ, ſive, ut ipſe vocat, rationalis Philoſophiæ partem, dividit in Apodicticam, Topicam, Rhetoricam, Poëticam, ac Sophiſticam: ac ſcopo inſuper hunc in modum diſtinguit: quòd Apodicticæ finis ſit ſcientia, Topicæ opinio, Rhetoricæ exiſtimatio, Poëticæ ſuſpicio, Sophiſticæ fraus. Hinc inter alia inquit, *Quia ſcientia dignior eſt opinione, & opinio, exiſtimatione, & exiſtimatio ſuſpicione, meritò Syllogiſmus demonſtrativus dignior eſt dialectico & dialecticus rhetorico, & rhetoricus poëtico: ideoque liber poſteriorum Analyticorum dignitate præcedit librum Topicorum, & Topica Rhetoricam, & Rhetorica Poëticam: ſed ultimo loco eſt liber Elenchorum, qui de ſyllogiſmo Sophiſtico tractat.* Verùm Rhetorica, & Poëtica, objecto, & fine, à Logicâ differunt; ideoque Logicæ pars eſſe non poſſunt; quemadmodum nec ab Ariſtotele in Organo, ſed ſeparatim traduntur. Qui adverſam tuentur ſententiam, ii nobis, tanquam murum Semiramidis, opponunt Ariſtotelis† locum, in quo Rhetoricam diſertim facit μόριον τῆς Διαλεκτικῆς, *partem Dialecticæ.* Verùm hic Ariſtotelis locus, non ξηρῶς *ſine uncto*, quòd dicitur, ſed cum interpretationis quaſi condimento accipi debet. Neque enim id propriè intelligi debere, argumento eſt, quòd non contentus dixiſſe, μόριον τῆς Διαλεκτικῆς, continuò ſubjicit, καὶ ὁμοίωμα, *& ſimulacrum.* Quo ſignificat, quandam habere cum Dialectica ſimilitudinem. Nempe παχυτέρως *pinguiori Minervâ*, loquitur Ariſtoteles; neque aliud eo innuit loco, quàm, quia Rhetorica argumentationem à Dialectica mutuatur, iccirco, ſi non ſimpliciter, at eo reſpectu; ac, ſi non partem, at quaſi particulam videri. Sanè hoc pacto, non Logicæ modò, ſed & τῆς Πολιτικῆς μόριον rectè dicitur: quod eodem ex Ariſtotele comprobatur. Is enim paullò antè Rhetoricam, non Dialecticæ ſolùm, ſed etiam Politicæ, vocarat παραφυὲς, quaſi ſtolonem dicas è Logicâ & Politicâ pullulantem: nempe quia à Logica quidem accipit argumentandi rationem, (unde & Simplicius‡ eam ad diſſerendi inſtrumenta

† Lib. 1. Rhet. cap. 10 diſt. Herm. Barbaro Sturm.

‡ In Categor.

pertinere ait) à Philoſophiâ autem eâ, quam Cicero, Latinam augens linguam, primus Moralem appellavit, materiam civilem capit. Ariſtotelis veſtigiis inſtitit Tullius. Siquidem requirit in Oratore Dialecticorum acumen, & ſententias Philoſophorum: ex quibus ſanè ſi conſequi putant, Rhetoricam Dialecticæ eſſe partem; fateri cogentur, eam quoque partem eſſe Philoſophiæ Politicæ. At abſurdum eſt, diſciplinam unam plurium diſciplinarum, propriè loquendo, partem eſſe. Propriè dico. Nam impropriè quin ita appellari poſſit, nullus ambigo. Quemadmodum enim Ariſtoteles Rhetoricen Dialecticæ *μόριον particulam*, vocat: ita Cicero eam diſertim appellat ſcientiæ civilis partem: quia nempe ab ea materiam mutuatur, eique, tanquam dominæ, ſubſervit: *Civilis*, inquit*, *quædam ratio eſt, quæ multis, ac magnis rebus conſtat: ejuſdem quædam magna, & ampla, pars eſt artificioſa eloquentia.* Non dubium verò, quin ad hunc ipſum Ciceronis locum reſpexerit Quinctilianus, cùm ita ſcribit †: *Rhetoricen quidam eandem civilitatem eſſe judicaverunt. Cicero ſcientiæ civilis partem vocat. Civilis autem ſcientia idem quod ſapientia eſt.* Sed de poſtremis verbis penè adſentio Robortellio ‡, qui Quinctilianum Ciceronis mentem aſſecutum eſſe negat. Neque enim Tullius ſapientiam universè per civilem ſcientiam intellexit; ſed πολιτικὴν, cujus Rhetorice pars eſt credita, tum quia ab eâ materiam capit, tum quòd eloquentia politicæ ſubſerviat, ac ejus ſit, ut Græci appellant, *συνεργὸς adjutrix*, ſeu *ὑπηρέτις, famula*. Niſi fortaſſe Quinctilianus per ſapientiam haut aliud, quàm civilem prudentiam, intellexit: quod non diſplicet. Atque ex his abunde liquere arbitror, quæ ſit Rhetoricæ materia, officium, finis; tum autem, quomodo per ea Rhetorica à Dialectica diſtinguatur. Nunc accedamus ad principia, ac cauſſas, à quibus, velut fonte, manat omnis eloquentia.

* *Lib. 1. Rhetor. ſive de Invent.*
† *Lib. 2. cap. 15.*
‡ *Præfat. in Rhetoricas Cic. libb. habitâ.*

Cap. VIII.

De tribus principiis, quibus eloquentia paratur. Occurritur argumentis Sexti Philoſophi, qui eloquentiam ſolius naturæ beneficio acquiri putabat. Conferuntur Ariſtotelis, & Ciceronis loca, quibus aliquem eſſe eloquentiæ artem oſtendunt. Exercitationis neceſſitas. Refelluntur, qui cum Euagora putarunt, ſolâ exercitatione, hoc eſt abſque artis præceptis, comparari eloquentiam poſſe. Imitatio ſub arte, vel uſu continetur.

UTi ceteræ artes, ita Rhethorice quoque tribus comparatur: naturâ, quæ incipit; arte, quæ dirigit; & uſu, qui perficit. Quæ tria Cicero quoque conjungit in Bruto, cum ait: *Mihi Brute, in te intuenti, crebro in mentem venit vereri, ecquodnam curriculum aliquando ſit habitura tua & natura admirabilis, & exquiſita doctrina, & ſingularis induſtria.* Verùm non defuere olim, qui ambigerent, an Rhetorice etiam artibus ſit annumeranda. Solam enim naturam ejus magiſtram putabant, atque, ut è Longino cognoſcere eſt, *μία*, inquiebant, *τέχνη πρὸς ταῦτα, τὸ πεφυκέναι, una ars ad ea, naſci artificem.* Ac Sextus quidem Philoſophus ‡, cùm aliis argumentis hanc confirmare ſententiam nititur; tum eo, quòd multi, qui nunquam didicere Rhetoricen, Oratoriâ facultate præſtiterunt: quomodo inter alios Demadem ex remige repentè Oratorem factum ait: tum item, quòd plurimi, qui omnia artis præcepta dedicerant, cùm ad forum ac judicia ventum eſſet, planè fuerunt inepti, ac elingues. Nonnemo hodieque ſequitur Sexti opinionem, tanquam *κυρίαν δόξαν, maximè ratam ſententiam*: verùm, ut verbis utar Naſonis.

‡ *Lib. 2. adverſus diſcipl. quæ ante philoſophiam diſcuntur. pag. 67.*

Errat, ut à ventis diſcordibus acta phaſelus.

Audiamus de eo Iſocratem contra Sophiſtas: πολλοὶ μὲν τῶν φιλοσοφησάντων ἰδιῶται διετέλεσαν ὄντες, ἄλλοι δέ τινες οὐδενὶ πώποτε συγγενόμενοι τῶν σοφιστῶν, καὶ λέγειν, καὶ πολιτεύεσθαι δεινοὶ γεγόνασιν. αἱ μὲν γὰρ δυνάμεις καὶ τῶν λόγων, καὶ τῶν ἄλλων ἔργων ἁπάντων ἐν τοῖς εὐφυέσιν ἐγγίγνονται, καὶ τοῖς περὶ τὰς ἐμπειρίας γεγυμνασμένοις· ἡ δὲ παίδευσις τοὺς μὲν τοιούτους τεχνικωτέρους, καὶ πρὸς τὸ ζητεῖν εὐπορωτέρους ἐποίησεν. *Multi ex iis, qui philoſophati ſunt, clari non fuere: alii vero, cum nulli unquam ſophiſtæ operam dediſſent, & in dicendo, & in adminiſtrandâ Rep. valuerunt. Nam præſtantia & orationis & rerum aliarum omnium in naturali quadam vi conſiſtit, etiam in iis, qui circa experientiam verſati ſunt. Doctrina autem inſtitutio eos artificioſiores & ad vivendum feliciores reddidit.* Quare ſi Demades, aliique, tantum potuerunt ſolius ductu naturæ: quid non de iis ſperandum fuiſſet, ſi artem addidiſſent; quæ naturam, crebrò alioqui in ſalebras impingentem, dirigit; unde dux certior, quàm natura, à Cicerone appellatur. Idem indicat antiquus ille ſenarius:

Διπλοῦν βλέπουσιν οἱ μαθόντες γράμματα.
Qui literas didicere, bis tanto vident.

Quicum convenit hoc Ariſtotelis apud Laërtium lib. v. Ἡ μὲν ὅρασις ἀπὸ τοῦ περιέχοντος ἀέρος λαμβάνει τὸ φῶς, ἡ δὲ ψυχὴ ἀπὸ τῶν μαθημάτων. *Viſus à circumſtante aëre lumen, anima vero à diſciplinis accipit.* Nec abhorret ab hac ſententia Tertullianus, cujus illud libro de Idololatria: *Literaturam, inſtrumentum eſſe ad omnem vitam.* Hortenſio verò nequaquam ars defuit; quamquam Tullius pro Quinctio, naturæ tribuat eloquentiam ejus; *cui ſummam*, inquit, *copiam facultatemque dicendi, natura largita eſt.* Ex quo ſanè haut aliud evincere eſt, quàm Hortenſium (cujus etiam filiam, Hortenſiam, patris retuliſſe eloquentiam, Valerius *, & Fabius †, auctores ſunt) plurimùm debuiſſe naturæ, atque ingenio: quæ vim afferre maximam ad dicendum, etiam L. Craſſus ait apud Cicer. lib. 1. de Orat. atque idem uſus quotidianus non obſcurè confirmat. Nam quod multi, vel nihil, vel parùm, fuerint arte hac adjuti; id ex eo eſt, quòd natura deerat; cùm alterius, ut poëtæ ‡ verbis utar, *Altera poſcat opem res & conjuret amicè*: atque, ut Salluſtius ‡ in aliâ re ait, *utrumque per ſe indigens alterum alterius auxilio egeat.*

* *Lib. 8. cap. 3.*
† *Lib. 11. cap. 1.*
‡ *Horat. epiſt. ad Piſon.*
‡ *In principio Catilinariæ.*

Poſſe verò ea, quæ naturâ rectè fiunt, in artis præcepta redigi, clarè oſtendit Tullius lib. 11. de Oratore. *Etenim*, inquit, *cum plerique temerè, & nullâ ratione, cauſſas in foro dicant; nonnulli autem propter exercitationem, aut propter conſuetudinem aliquam, callidius id faciant: non eſt dubium, quin ſi quis animadverterit, quid ſit, quare alii melius, quàm alii, dicant; is, ſi non planè artem, at quaſi artem quandam invenerit.* Eſt verò hic locus omnino ex Ariſtotele expreſſus: tantùm illo hi ſcriptores diſcrepant, quòd Tullius reſpiciat officium oratoris; quia ait cauſſas poſſe obſervari, cur quidam temerè, alii conſuetudine benè dicant: Ariſtoteles verò de fine agat; quia ait notari poſſe univerſales cauſſas, cur alii temerè, alii conſuetudine perſuadeant. Scribit enim: Δι᾽ ὃ γὰρ ἐπιτυγχάνουσιν, οἵ τε διὰ συνήθειαν, καὶ οἱ ἀπὸ τ᾽ αὐτομάτου τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται, *cur enim finem conſequantur, & illi, qui conſuetudine hæc faciunt, & qui caſu; cauſſam intueri contingit.* Plurimùm profectò differunt officium, ac finis Rhetoricæ; cùm innumeri benè dicant, qui non perſuadeant. Quare propemodum mihi cauſſam ſuam probet, cui Tullius minùs hoc loco videatur mentem Ariſtotelis cepiſſe. Utut eſt, vel hinc liquet, Rhetoricam non eſſe ſolius naturæ beneficium, cùm ſint cauſſæ, cur quidam perſuadeant temerè, quidam conſuetudine, eaſque cauſſas liceat ὁδοποιεῖν, ut Ariſtoteles loquitur, atque in artem redigere. Profectò rerum quidem principia ingenio accepta ferimus: at ſingulorum tempus, atque modum, è diſciplinis addiſcimus: eſtque in hac quoque ſententiâ Dionyſius Longinus; quem vide libri penè initio, ubi reſpondet dubitationi, num περὶ ὕψους *de ſublimitate orationis*, ars tradi poſſit.

Atque ex his quidem, quæ hactenus diximus, liquere arbitror, eloquentiam originem capere ex natura; incrementum ex artis præceptis.

His

His verò duobus uſus accedat neceſſe eſt, juxta illud Naſonis*, *Solus & artifices qui facit, uſus adeſt.* Optime etiam hac de re Theon in Progymnaſmatis: Ὥσπερ τοῖς ζωγραφεῖν βουλομένοις οὐδὲν ὄφελος κατανοεῖν τά τε Ἀπελλοῦ, καὶ Πρωτογένους, καὶ Ἀντιφίλου ἔργα, ἐὰν μὴ καὶ αὐτοὶ γράφειν ἐπιχειρῶσιν· οὕτω καὶ τοῖς ῥητορεύειν μέλλουσιν, οὔτε τῶν διανοημάτων τὸ πλῆθος, οὔτε τὸ περὶ τὴν λέξιν καθαρὸν, οὔτε σύνθεσις ἡρμοσμένη, οὔτε ἀκρόασις ἀστεία, οὐδὲ ὅλως τῶν ἐν τῇ ῥητορικῇ καλῶν οὐδὲν ἐστὶ χρήσιμον, ἐὰν μὴ καὶ αὐτὸς ἕκαστος ταῖς καθ' ἑκάστην ἡμέραν γραφαῖς ἐγγυμνάζηται. *Quemadmodum picturæ ſtudioſis nihil profuerit cognoviſſe Appellis, Protogenis, & Antiphili tabulas, niſi & ipſi pingere tentaverint: ita & eloquentiæ cupiditate captis, neque excogitationum copia, neque puritas orationis, neque compoſitionis concinnitas, neque auditio præclara, denique nihil bonorum omnium, quæ Rhetorica complectitur, utile eſſe poterit, niſi quiſque & ipſe quotidie ſcribendo ſeſe exerceat.*

*Lib. 2. de Arte.

Sanè quantùm rectæ exercitationi debeat Orator, vel argumento eſt, quòd non defuere, qui eloquentiam ſolâ hac acquiri poſſe opinarentur. Ita Plinius lib. IV. *Video*, inquit, *multos parvo ingenio, literis nullis, ut bene agerent agendo conſecutos.* Verùm etſi ars nihil poteſt ſine exercitatione, & contra exercitatio plurimùm pollet ſine arte: non propterea ſolam ſufficere exercitationem, credi debet. Potius audiendus eſt Craſſus apud Tullium I. de Orat. cùm inquit: *In quo fallis eos, quod audierunt; dicendo homines, ut dicant, efficere ſolere. Verùm etiam illud dicitur, perversè dicere homines perverſe dicendo facillimè conſequi.* Sed & Syrianus, Hermogenis interpres, reprehendit Euagoram Sophiſtam, qui ſtatuebat, dicendi facultatem dicendo aſſiduè citra artis præcepta comparari poſſe.

Porrò tribus illis, quæ ad artem requiri diximus, nonnulli † adjiciunt imitationem: eoſque inter magiſter Herennianus. Verùm ea uſus, ſive exercitationis, pars eſt: niſi quis arti ſubjicere malit: quod Fabius facit lib. III. cap. V. Viſum autem requiro non continuum, ſed quiete aliquâ interciſum. Nam perpetua contentione franguntur animi & corporis vires; quiete verò aliquâ reficiuntur ac firmantur: ut alibi diximus.

† Eraſmus lib. 2. Eccleſiaſtæ.

Cap. IX.

De Rhetorices inventione, præcipuisque ejus artis ſcriptoribus apud Græcos. Mercurius Λόγιος. Unde Ἑρμῆς dictus ſit. Lingua Mercurio dicata. Horoſcopus eloquentium. Hercules Gallicus, eloquentiæ præſes. Auſonius illuſtratur. Polymneia pantomimis præeſt. Româ bi ſemel iterumque exacti. Fuiſſe eos ante Auguſtum, oſtenditur. Primus Empedocles artem dicendi invenit: primus Gorgias docuit: primi Corax & Tiſias ſcripſere. Volſi ludii, χειρόσοφοι. *Ὑποβολιμαῖα fuiſſe Pitthei Rhetorica, quæ Pauſaniæ ævo exſtabant. Ut à rudibus initiis paullatim ars ſit progreſſa. Qua ætate vixerit Demetrius, ſcriptor libri περὶ ἑρμηνείας. Item de ætate Diogenis Laërtii, & Ammonii ejus, cujus in Porphyrium, & Ariſtotelem, commentarii exſtant.*

EX iis, quæ proximè diximus, ſatis liquet, quamquam ad comparandam eloquentiam nihil abſque natura ars poſſit; multum autem abſque arte valeat natura: tamen ne iis quidem, qui à natura cæteris ſunt feliciores, nedum ingeniis mediocribus, negligendam eſſe artis culturam: cum orator conſummatus, niſi ex utroque, produci non poſſit.

Quare minimè æquum eſt, ut ingrato eorum nomina ſilentio involvamus, qui primi hanc artem invenerunt, vel meliorem ad poſteros tranſmiſerunt. Quæ cauſſa eſt, cur de repertoribus ejus, ac præcipuè ſcriptoribus, agendum hoc loco putarim: præſertim quia ea res non ſolum facit ad teſtandum gratum erga eos animum, qui jam olim benè de nobis meriti ſunt: ſed etiam lucem veteribus ſcriptoribus adfert, & liberalem omnino, ac jucundam cognitionem habet.

Ægyptii, ac poëtæ, inventionem Rhetoricæ tribuunt Mercurio, qui λόγιος Græcis vocatur, ac Ἑρμῆς quoque dicitur ab ἐρῶ, quaſi ἐρέας, & interjecto M. Ἑρμέας: uti cenſet Phavorinus *. Sanè Platonici, ut ſcribit Macrobius †, τὸ ἑρμηνευτικὸν τῆς ψυχῆς, *facultatem interpretandi ſenſa animi*, putarunt animæ à Mercurio inditum eſſe: unde & Ariſtides Platonica ſecunda Rhetoricen vocat, τῆς Ἑρμοῦ δωρεὰν, *donum Mercurii*: ac antiquitas quoque linguam, tanquam τῆς ἑρμηνείας *interpretationis*, inſtrumentum, Mercurio ſacraverat; uti Athenæus ſcripſit lib. I. Δειπνοσοφ. & ex eo Suidas. Sed & pretium fuerit operæ conſultus Apollonii interpres *. Ac propterea etiam in horoſcopo eloquentium Mercurius ſtatuitur; ut Julius Firmicus indicat lib. III. Aſtronom. cap. VIII. XI. XIV. & alibi. Antiqui Celtæ tamen, non Mercurium, ſed Herculem fecere eloquentiæ præſidem; quâ de re Lucianum vide in προλαλιᾷ, ſive Ἡρακλῆ. Qui verò Rhetoricæ inventionem Polyhymniæ, ſive Polymneiæ, ab antiquis tributam putant; hi planè infirmo nituntur tibicine. Movit eos Auſonii † illud:

* In lex. voce ἑρμέας.
† Lib. 1. Saturn. cap. 19.
* In lib. 1. Argonaut. pag. 24. edit. H. Steph.

Signat cuncta manu, loquitur Polymneia geſtu.

† Epigrammat. 138.

Sed Lucianus lib. περὶ ὀρχήσεως diſertim Polymneiam præſidem facit τῶν χειρονόμων, ſive pantomimorum; quibus, ut ſingula verba geſtibus ſuis exprimere valeant, felici memoriâ opus eſt; à quâ Polymneiæ nomen inditum. Luciano quoque adſentit Caſſiodorus, qui lib. IV. epiſt. ult. ſcribit: *His ſunt addita orcheſtarum loquaciſſima manus, linguoſi, digiti, ſilentium clamoſum, expoſitio tacita; quam Muſa Polymneia reperiſſe narratur, oſtendens homines poſſe & ſine oris adfatu ſuum velle declarare.* Itaque adſentior iis, qui Auſonii locum interpretantur de capſe ſaltantium ſeu pantomimorum arte, quam Muſicæ partem mutam appellabant. Quantopere autem ea ars Trajano diſplicuerit, argumento eſt, quòd pantomimos omnes Româ exegerit: uti Plinius ſcribit in Panegyrico. Idem verò antè fecerat Tiberius: ut diſcimus ex Dionis lib. LVII. Nec immeritò, quando Zoſimus quoque lib. primo eos reponit inter cauſſas labefactati imperii. Videtur Suidas in voce Ἀθηνόδωρος ſenſiſſe, ὀρχηστικὴν *ſaltandi artem*, Tiberii ævo fuiſſe inventam. Verùm verba illa κατὰ τοὺς καιροὺς ἐκείνους, *iis temporibus*, ad ævum Auguſti, (cujus quoque mentio antè fuerat facta) referri debere; liquet ex iis, quæ ab eo ſcribuntur in ὀρχηστής; ubi diſertim ait, pantomimorum ſaltationem ſub Auguſto cœpiſſe, Pylade, & Bathyllo authoribus. Imò nec veriſimile fit tum demum fuiſſe inventam, ſed potius (cum priùs in dramatibus locum haberet, ut libro de Poëtica oſtendimus, poſtea ab iis fuiſſe ſeparatam ac ſeorſim in ſcenâ exhibitam) illuſtria tum accepiſſe incrementâ. Ideò Macrobius ait eum *mutâſſe rudis illius ſaltationis ritum, qui apud majores viguit, & venuſtam induxiſſe novitatem.* Sed tum non dicti *Pantomimi*, verum ὀρχησταί. Plauto ‡ videntur eſſe *ludii*, quos *volſos* appellat; quòd genis totoque adeò corpore pilos evellere ſolerent. Atque ut hoc non eſſet, Leſbonax author antiquiſſimus, χειρισόφους nominat. Iidem & χειρονόμοι dicebantur. Heſychius; χειρονόμοι, ὀρχησταί. Eſſe verò eoſdem & Pantomimos, patet ex ὀρχηστικῆς definitione; cum Plato in VII. de Legg. eam dicat eſſe μίμησιν τῶν λεγομένων σχήμασι γενομένην, *imitationem eorum quæ dicuntur geſtibus peractam.* Exemplo fuerit Æſchyli ὀρχηστής, qui ut Athenæus lib. I. ex Ariſtotele refert artifex tantus fuit, ὥστε ἐν τῷ ὀρχεῖσθαι τοὺς ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας φανερὰ ποιῆσαι τὰ πράγματα δι' ὀρχήσεως, *ut omnia quæ in ſeptem Thebana agerentur, ſaltatione oculis ſubjiceret.* Quæ ſanè non eſt alia, quàm Pyladea ars. Hæc pluribus adnotare viſum, quo facem lucceremus Auſoniano illi perperam à multis intellecto.

‡ Aul. act. 11. ſc. 9.

Vidimus, qui Deorum Rhetoricæ inventio tribui ſo-

leat. Nunc referemus, qui mortalium ab hac gloriâ celebrentur. Princeps omnium, qui in hac arte elaboraſſe dicantur, Pittheus fuit, Theſei avunculus: qui Trœzene, in templo Muſarum, exſtructo ab Ardalo, (unde & Muſæ *Ardalides* dictæ) Rhetoricen docuit, deque ea edidit librum; quem à ſe lectum eſſe, Pauſanias ſcribit in Corinthiacis. Verba ejus, quia perperam vertit Germanus interpres *, Græca potiùs opponam †: Ἐνταῦθα Πιτθέα διδάξαι λόγων τέχνην φασί. καί τι βιβλίον Πιτθέως δὴ σύγγραμμα ὑπὸ ἀνδρὸς ἐκδοθὲν Ἐπιδαυρίου, καὶ αὐτὸς ἐπελεξάμην. *Ibi Pittheum docuiſſe dicendi artem, ajunt; & quidem librum à Pittheo ſcriptum, ab homine autem Epidaurio editum, ipſe legi.* Imaginem hujus Pitthei, quem aliqui malè Pytheum appellant, habemus inter illuſtres viros ex Fulvii Urſini numiſmatis expreſſos. Sed profectò multùm metuo, ne Epidaurius ille, à quo Pitthei Rhetoricam fuiſſe editam, ſcribit Pauſanias, fucum fecerit lectori. Nam quis perſuadere ſibi poſſit, ætate Pauſaniæ, (qui ſub Hadriano Cæſare vixit) extitiſſe in arte hac aliquid antiquius bello Trojano, atque ipſis Herculis temporibus? Quare veriſimiliùs illi, qui artem hanc demum inventam putant circa Olympiadem LXXX. vel aliquantò etiam pòſt. Hanc qui ſententiam ſequuntur, alii quidem ejus artis auctorem faciunt Empedoclem, qui primus nonnulla moviſſe dicitur circa Rhetoricen: alii Coracem, & Tiſiam, Siculos, qui primi fuere hujus artis ſcriptores: alii Ariſtotelem, qui primus, ſi οὐσιώδη *eſſentialia*, ſpectes, hanc artem perfecit. De Empedocle ita Fabius lib. III. cap. 1. *Primum poſt eos, quos poëtæ tradiderunt, moviſſe aliqua circa Rhetoricen Empedocles dicitur.* Etiam Empedocli hanc gloriam tribuit Sextus * Empiricus lib. VIII. adverſus Mathematicos, ubi contra Logicos diſputat. At de Zenone ita Laërtius in Zenone Eleate: φησὶ δ' Ἀριστοτέλης, εὑρετὴν αὐτὸν γενέσθαι διαλεκτικῆς, ὥσπερ Ἐμπεδοκλέα ῥητορικῆς; *Zenonem inventorem Dialecticæ, ſicut Empedoclem Rhetoricæ fuiſſe, auctor eſt Ariſtoteles.* Ariſtotelem in Sophiſtâ id tradidiſſe auctor eſt idem Laërtius in Empedocle. Idem de utroque ſcribit Suidas in Zenone: niſi quòd Ariſtotelem non laudet hujuſce rei auctorem. Ac ſimiliter Apulejus Apolog. 1. *Zenonem illum antiquum Veliâ oriundum, qui primus omnium dictionem ſolertiſſimo artificio ambifariam diſſolverat.* In prolegomenis Hermogenis traditur, Coracem eſſe Rhetoricæ inventorem; quia nempe is, ac Tiſias, primi hujuſce artis præcepta ſcripto conſignarunt. Auctor ejuſce rei Ariſtoteles, & ex eo Cicero; cujus è Bruto verba adponam: *Itaque ait Ariſtoteles, quum, ſublatis in Siciliâ tyrannis res privatæ longo intervallo judiciis repeterentur, tum primum (quòd eſſet acuta illa gens, & controverſa naturâ) artem, & præcepta Siculos, Coracem, & Tiſiam, conſcripſiſſe. Nam antea neminem ſolitum viâ, nec arte, ſed accuratè tamen, & de ſcripto, pleroſque dicere: ſcriptaſque fuiſſe, & paratas à protagora rerum illuſtrium diſputationes, quæ nunc Communes appellantur Loci.*

Primò autem rudia admodum imperfectaque fuere artis initia: mox alii inventa ſua adjecere: pòſt rurſum alii, atque alii, accuratiùs omnia tradidere. Illuſtris eſt hac de re Ariſtotelis locus cap. ult. libb. de Sophiſticis Elenchis: Οἱ τὰς ἀρχὰς εὑρόντες, παντελῶς ἐπὶ μικρόν τι προήγαγον· οἱ δὲ νῦν εὐδοκιμοῦντες, παραλαβόντες παρὰ πολλῶν, οἷον ἐκ διαδοχῆς τῶν κατὰ μέρος προαγαγόντων, οὕτως ηὐξήκασι· Τισίας μὲν μετὰ τοὺς πρώτους, Θρασύμαχος δὲ μετὰ Τισίαν, Θεόδωρος δὲ μετὰ τοῦτον· καὶ πολλοὶ πολλὰ συνενηνόχασι μέρη. Διόπερ οὐδὲν θαυμαστὸν, ἔχειν τι πλῆθος τὴν τέχνην. *Qui principia invenere, omnino ad exiguum quid ſunt progreſſi. Qui autem celebriores habentur, accepta à multis, velut ex ſucceſſione particulatim promoventibus, ſic auxerunt. Tiſias quidem poſt priores, Thraſimachus verò poſt Tiſiam, Theodorus autem poſt hunc, & multi multas contulere partes. Quamobrem nihil mirandum, ſi excreverit ars ad quandam multitudinem præceptorum.*

* Abrah. Lœſcherus, qui διδάξαι vertit didiciſſe.
† Pag. 57. edit. Ald.
* P. 139.

Præter hos etiam alii Rhetoricen tradiderunt: ut Gorgias, quem (teſte Laërtio *) Satyrus de Vitis ait Empedoclis diſcipulum fuiſſe, ἄνδρα ὑπερέχοντα ἐν ῥητορικῇ, καὶ τέχνην ἀπολελοιπότα, *virum in oratoriâ eximium, qui & de arte oratoriâ ſcripſerit.* Antiphontis Rhamnuſii pater, nomine Sopylus, quem διδάσκαλον ῥητορικῶν λόγων appellat Philoſtratus †: item filius ejus Antiphon, Fabio teſte ‡: imò is, ſi Plutarchum audimus *, πρῶτος ῥητορικὰς τέχνας ἐξήνεγκε, γενόμενος ἀγχίνους· διὸ καὶ Νέστωρ ἐπεκαλεῖτο, *Primus Rhetoricum artificium tradidit, ac quod ſollers eſſet, Neſtor appellabatur.* Thucididis fuit præceptor, ut Marcellinus in Hiſtoriâ ejus vitæ teſtatur. Etiam Lyſias τέχνας ῥητορικὰς *artem Rhetoricam*, ſcripſit, & paullò pòſt Iſæus τὰς ἰδίας τέχνας *propriam artem*, edidit, ut idem Plutarchus † auctor eſt.

Sed minimè nobis prætereundus eſt Plato; cujus extat elegans dialogus de Rhetorica, qui Gorgias inſcribitur. Nam licet in eo non agat δογματικῶς, tradendo præcepta communia, quibus ab incunabulis formetur orator: tamen ἀνατρεπτικῶς, ſeu ἀνασκευαστικῶς, naturam artis egregiè explicat; dum, & materiem, & genuinum artis finem, adverſus ſophiſtas oſtendit; qui naturam, atque uſum Rhetorices, planè pervertebant. Platonis quoque ætate Rhetoricen docuit Iſocrates, quem Gorgiæ fuiſſe æqualem tradit ex Ariſtotele Quinctilianus ‡. De arte quoque ſcripſiſſe, auctor eſt Tzetzes *. Iſocrate verò jam ſeniore, Oratoriam † pomeridianis horis docere cœpit Ariſtoteles, παρῳδιάζων hoc pacto verſum Sophoclis in Philoctete:

> Αἰσχρὸν σιωπᾶν καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν.
>
> *Turpe eſt tacere, & Iſocratem dicere pati.*

Præter tres Rhetoricorum libros, qui ſuperſunt, ſcripſerat etiam in Oratoriâ facultate Nerithum, & Gryllum: quorum poſterioris etiam meminit Quinctilianus.

Hunc ſecutus Theodectes; quamquam dubitatum jam olim num Θεοδέκτεια ejus eſſent opus, an Ariſtotelis ‡. Ariſtotelis æqualis author Rhetoricorum ad Alexandrum; quæ Ariſtoteli falſò tribui, jam olim Eraſmus monuit præfatione quam Bebelianæ Ariſtotelis editioni præmittit. Rationem autem geminam adfert; quòd oratorum more præfetur, & quòd eorum non meminerit Diogenes. Non diſplicet conjectura P. Victorii & Franciſci Robertellii, qui putant eſſe Anaximenis Lampſaceni, ſummi rhetoris atque oratoris, qui & ipſe cum Ariſtotele vigebat cum Alexandro, à quo etiam, Lampſacenis irato, ſalutem his callidè extorſiſſe memoriæ prodidit Pauſanias libro ſecundo Ἠλιακῶν. Suidas in Ἀναξιμένης. Valerius Max. lib. VII. cap. 3. Theophraſtus, Ariſtotelis diſcipulus; quem cum cura hac de arte ſcripſiſſe, Fabius * auctor eſt: ex quo etiam diſcimus, poſt Ariſtotelem, & Theophraſtum, diligentius hac de arte philoſophos ſcripſiſſe, quàm Rhetores; ac inprimis Peripateticorum, & Stoicorum principes. Fuere poſt hos alii, de quibus ſic ibidem Quinctilianus: *Fecit deinde velut propriam Hermagoras viam, quam plurimi ſunt ſecuti: cui maximè par atque æmulus videtur Athenæus fuiſſe. Multa poſt Apollonius Molon †, multa Areus, multa Cæcilius, & Halicarnaſſeus Dionyſius. Præcipuè tamen in ſe ſtudia converterunt, Apollodorus Pergamenus, qui præceptor Apolloniæ Cæſaris Auguſti fuit; & Theodorus Gadareus, qui ſe dici maluit Rhodium: quem ſtudioſè audiſſe cùm in eam inſulam ſeceſſiſſet, dicitur Tiberius Cæſar. Hi diverſas opiniones tradiderunt, appellatique inde Apollodorei, & Theodorei, ad morem certas in philoſophia ſectas ſequendi. Sed Apollodori præcepta magis ex diſcipulis cognoſcas: quorum diligentiſſimus in tradendo Latinè fuit C. Valgius, Græcè Atticus. Nam ipſius ſola videtur ars edita ad Matium, quia cæteras miſſâ ad Domitium epiſtolâ non agnoſcit. Plura ſcripſit Theodorus, cujus auditorem Hermagoram ſunt qui viderint.* Hactenus Fabius. Apollodori

* In Empedocle.
† In Antiphonte.
‡ Lib. 3. cap. 1.
* In vitâ Rhetorum.
† In vitâ Rhetorum.
‡ Lib. 3. cap. 1.
* Chil. 9.
† Fabius lib. 3. c. 1.
‡ Fabius lib. 11. cap. 15.
* Ibidem.
† De Apollonio hoc vide quæ notata Io. Meurſio ſunt in Apollonii Hiſtoriam Commentitiam.

lodori verò hujus, itemque Theodori etiam, meminere Strabo lib. XIII. ubi de Pergamo. Tranquillus in Auguſto cap. LXXXIX. & Tiberio cap. LVII. Quinctilianus lib. II, ubi de fine Rhetorices diſſerit, & lib. III. cap. I, ubi de Rhetorices ſcriptoribus agit, Tacitus ſive alius dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ: Lucianus in Macrobiis: Curius Fortunatianus lib. I. & III.

Poſt iſtos verò fuere Apſines ſenior, & Phœbammo: quorum præter nomina vix aliquid ad nos pervenit. Item Ariſtides technicus, Minucianus & qui hos ſecutus, Hermogenes: cujus artem, complecti vim, & facultatem omnem Rhetoricæ, ſcribit anonymus Rhetor Græcus. Hermogenem commentariis Græcis illuſtrarunt, Sopater, Syrianus, Marcellinus, Troilus & Maximus Planudes. Hermogenis, uti & Aphthonii (cujus progymnaſmata habemus) meminit præter alios Tzetzes, cap. CCCLXIX. ſive pag. CCVI. Hermogene junior Longinus, cujus nihil exſtat, præter aureolum περὶ ὕψους *de ſublimi charactere*, libellum. Longinus, quorundam judicio, Plutarchi pronepos; ut ait in Plutarchi vitâ Rualdus cap. XIII, pag. 22. Vixit tempore Aureliani. Nec prætereundus nobis Alexander Sophiſta, qui de figuris ſententiarum & elocutione ſcripſit, vel Theo, cujus exſtant egregia progymnaſmata, qui circa annum vixit quingenteſimum. Nam Damaſcus Damaſcius, uti in Mathematicis Marinum Procli ſucceſſorem; in Platonicis Ammonium Hermiæ filium de quo mox dicam; in Aſtrologicis Ptolemæum magnæ Aſtronomicorum συντάξεως auctorem, ita in Rhetoricis Theonem ſophiſtam audivit; teſte Photio tmem. CLXXXI. Nec omittendus Demetrius, cujus egregium περὶ ἑρμηνείας *de interpretatione*, commentariolum habemus. Phalereum vulgò appellant: ſed alium eſſe ab illo nobili oratore, oſtendimus in Oratoriis noſtris lib. VI. cap. II. ubi etiam diximus, videri nobis eſſe Demetrium illum, quem Rhetorem Alexandrinum appellat Diogenes Laërtius. Atque hinc antiquitas ejus utcunque cognoſcitur. Nam, quantum conjecturâ aſſequi poſſum, vixit Laërtius temporibus Antonini Pii, vel paullò pòſt. Nam multo antè vixiſſe non potuit, cùm meminerit Plutarchi*, & nepotis ejus Sexti Philoſophi, item Epicteti†, qui ad tempora uſque Antonini vixit. Proximum verò horum eſſe ætati, gemino colligo argumento. Unum eſt, quod in tot philoſophorum vitis ſcribere neglexerit magni illius Epicteti vitam: quod non aliâ de cauſſâ factum eſſe arbitror, quàm quia illa in recenti hominum memoriâ etiamnum verſaretur. Alterum eſt, quia in præfatione ſcribat, haut ita pridem à Potamone Alexandrino introductam eſſe ſectam illam ex aliis ſectis, quæ placerent, ſeligentem. Πρὸ ὀλίγου, inquit, καὶ ἐκλεκτική τις αἵρεσις εἰσήχθη ὑπὸΠοτάμωνος τοῦ Ἀλεξανδρέως, Atqui Potamo iſte, ut Suidas ait, filius fuit‡ Leſbonactis, Mitylenæi philoſophi, qui ſub Auguſto fuit: atque ipſe etiam, ut idem ait*, cùm ante Auguſtum, tum poſt eum, hoc eſt Tiberii temporibus, vixit. Fortaſſe autem inde etiam aliquis de ætate Demetrii judicium ſe ferre poſſe ſperet, quod meminerit ejus Ammonius, initio Commentar. in Ariſt. lib. περὶ ἑρμηνείας. Sed hinc nihil aliud concludi poſſit, quàm vixiſſe eum ante annum quingenteſimum. Siquidem iſte Ariſtotelis interpres non eſt (quod pleriſque perſuaſum eſſe video) nobilis ille philoſophus, cognomento Saccas†, quem inter alios Origenes, & Plotinus audiere: ut in Plotini, præceptoris ſui, vitâ Porphyrius ſcripſit: ſed eſt alius Ammonius, Hermiæ filius, priori multò junior: ut qui non tantùm commentatus ipſe ſit in Iſagogen Porphyrii; ſed etiam meminerit, tum Syriani, qui Procli Lycii præceptor fuit, tum ipſius Procli, cujus ſe diſcipulum profitetur. Unde paullò poſt annum Chriſti quingenteſimum vixiſſe, liquido colligitur. Quare iſto quidem argumento, quo ſeculo floruerit Demetrius, certo concludi non poteſt. Atque hæc dicta ſunto de nobilioribus Rhetoricæ artis ſcriptoribus apud Græcos.

* *In Anaxarcho.*
† *In Epicuro pag. 710.*
‡ *Suid. in Leſbonax.*
* *In Potamon.*
† *Suidas.*

Cap. X.

Homerus oratorum parens. Prima Athenis oratorum ætas à Solone, & Piſiſtrato, uſque ad Periclem, & Alcibiadem. Piſiſtrati, & Periclis facundia. Dictio Herodoti Critia, & Thucidida, qualis. Secunda ætas oratorum diviſa in ſophiſtas, & eos, qui πολιτικὴν λέξιν *ſectarentur. Protagoras, è bajulo ſophiſta, centum minis docuit. Prodici unam ut audire orationem liceret, quinquaginta drachmæ pendebantur. Traſymachus, & Gorgias, quid artis addiderint. Quando, & quamdiu, Gorgias vixerit.* Γόργεια, & γοργιάζειν *Quantus honos Gorgiæ habitus. Quantum debuerint ei, qui illum ſecuti ſunt. Hippiæ variarum artium peritia, & felix memoria.*

At non paullò his antiquius eſt oratorum genus. Nam ut nihil de illis dicam, quorum facundiam diſcimus ex ſacris veteris inſtrumenti libris: ut etiam omittam oratores illos Homericos, Neſtorem, Ulyſſem, Menelaum: quid de Homero ipſo dicemus, omnis doctrinæ fonte? quem planè oratorem fuiſſe, ait Tullius. Hermogenes quoque appellat Rhetorem præſtantiſſimum: etiam Longinus, Demetrius, alii, eloquentiæ magiſtrum agnoſcunt.

Sed contineamus nos intra eos, qui ſolutâ oratione utebantur. Tales fuere Solon, & Piſiſtratus: quorum ille primus σοφιστὴς eſt vocatus; non quidem eâ ratione, qua Protagoras primus id nomen meruiſſe dicitur: ſed quia illis temporibus ita vocarentur, quorum in ſermone, ac vitâ, gravitas ac ſapientia reluceret: ut ex Iſocrate, ac Themiſtio, ſuperiùs dicebamus. Atque ea mente Solonem σοφιστὴν etiam Tatianus vocat oratione contra gentes. Erat verò dictio Solonis gravis planè, atque etiam auſterâ: illa verò Piſiſtrati, ſuavis, atque amœna, qua callidè ſibi imperium apud Athenienſes acquiſivit. Animosè quidem obſtabat prudentiſſimus, & patriæ amantiſſimus Solon; qui & orationem quandam (ut Latine loquentem inducam) ita dicitur eſſe auſpicatus: *Aliis quidem, Athenienſes, prudentior ſum, aliis autem fortior: prudentior illis, qui, quid moliatur Piſiſtratus, non vident: fortior illis, qui vident, ſed metu ſilent.* Verùm ſapientiſſima alioqui civitas, diſertis Piſiſtrati orationibus adeò deliniebatur, ut ſalubria Solonis conſilia contemneret, regium Piſiſtrato imperium permitteret, atque eo pacto auream libertatem fœdâ ſervitute commutaret.

Poſt hunc Cliſthenes multùm, ut temporibus illis, valuit dicendo: ut eſt apud Ciceronem in Bruto.

Exinde verò Themiſtocles claruit; quem cum prudentiâ, tum eloquentiâ præſtitiſſe, ibidem dicitur.

Hoc junior paullò Herodotus fuit, qui Olympiade floruit LXXXIV. Oratorum verò numero hunc eximi, non ſinit ſuadela illa, & venuſtas optimæ poëſi ſimilis: quam orationi ejus ineſſe, locuples teſtis eſt Halicarnaſſeus. Ac Plutarchus quoque, etſi opuſculo eo, quod de Herodoti malignitate inſcripſit amore quodam patriæ (ut magnis ingeniis uſu venire ſolet) longiùs abreptus, maligniorem ſe ipſe erga Herodotum præbeat: tamen agnoſcit in eo λέξιν ἀφελῆ, καὶ δίχα πόνου, καὶ ῥᾳδίως ἐπιτρέχουσαν τοῖς πράγμασιν, *dictionem ſimplicem, & abſque labore, rebuſque facile ſe applicantem.* Ac libelli fine, ſic de eo judicat: Γραφικὸς ἀνὴρ, καὶ ἡδὺς ὁ λόγος, καὶ χάρις ἔπεστι, καὶ δεινότης, καὶ ὥρα τοῖς διηγήμασι, *homo ſcribendi gnarus, oratio jucunda, & gratia ei ineſt, & vis & narrationi ineſt elegantia.*

Poſterior paullò eſt Damon, quem fuiſſe ἄκρον σοφιστὴν *ſummum ſophiſtam*, ſcribit Plutarchus*: ſed muſicus dici maluit, ut eo nomine ἐπικρύπτοιτο τὴν δεινότητα, *occultaret dicendi vim:* ut idem ait. Hic ob excellentem animi vim oſtraciſmo Athenis ejectus fuit.

* *In vita Periclis.*

Damonem audivit Pericles, quem Plato in Phædro ait πάντων τελεώτατον εἰς τὴν ῥητορικὴν γενέσθαι, *perfectiſſimum*

fuiſſe oratorem. Imò ob facundiam Ὀλύμπιος, ſive Cæleſtis, dictus fuit: ut auctores ſunt Plutarchus, & Suidas. Vetus quoque comœdia ‡ in labris ejus melle dulciorem lepôrem habitare dicebat. Idem, ut eſt apud Suidam: πρῶτος γραπτὸν λόγον ἐν δικαστηρίῳ εἶχε. *primus ſcriptam orationem in judicio habuit.* Ac orationes quidem aliquæ ſub nomine ejus olim legebantur. Sed Plutarchus *, Themiſtoclem, Ariſtidem, ac Periclem, à ſcribendo ait abſtinuiſſe. Atque in hanc etiam ſententiam Fabius † inclinat: *Cicero*, inquit, *in Bruto negat, ante Periclem ſcriptum quicquam, quod ornatum oratorum habeat: ejus aliqua ferri. Equidem non reperio quicquam tantâ eloquentiæ famâ dignum: ideoque minus miror, eſſe, qui nihil ab eo ſcriptum putent: hæc autem, quæ feruntur, ab aliis eſſe compoſita.* Vitâ Piſiſtrato ſimilem ſe geſſit. Nam itidem eloquio ſuo liberis Athenarum cervicibus jugum impoſuit ſervitutis. Vide quæ de eo ſcribit Valerius Maximus ‡, vel ipſum potiùs Thucydidem adi.

‡ *Eupolis ἐν δήμοις, & ex eo Plinius lib. epiſt. 20. quæ ad Tacitum.*
* *In vita Antiphontis.*
† *Lib. 3. cap. 1.*
‡ *Lib. 8. cap. 9.*

Alios quoque ejuſce ætatis oratores indicat Cicero in Bruto: ubi, cùm de Pericle dixiſſet, iſta ſubjungit: *Cleonem etiam temporibus illis turbulentum illum quidem civem, ſed tamen eloquentem, conſtat fuiſſe. Huic ætati ſuppares, Alcibiades, Critias Theramenes: quibus temporibus quod dicendi genus viguerit, ex Thucididis ſcriptis, qui ipſe tum fuit, intelligi maximè poteſt: grandes erant verbis, crebri ſententiis, compreſſione rerum breves, & ob eam ipſam cauſſam interdum ſubobſcuri.*

Nec propterea exiſtimandum, vel funebrem Periclis orationem: vel illam Cleonis ad Athenienſes: vel duas Alcibiadis, unam ad Athenienſes, alteram ad Lacedæmonios, ipſorum eſſe genuinas. Nam ſenſus quidem illorum delibant; ſed verbis Thucydidis ſunt expreſſæ.

Critiam verò, cujus hîc Tullius meminit, etiam Halicarnaſſenſis in Iſæo reponit inter τοὺς ἐναγώνιον ἀσκοῦντας ῥητορικὴν, *eos, qui forenſi certamine exercuerunt dicendi facultatem:* ac Hermogeni ‡ quoque dicitur fuiſſe σεμνὸς, καὶ διηρμένος περὶ τὸν ὄγκον, *gravis & ſublimis.*

‡ *Lib. 2. de formis orat.*

Quod ad Thucydidem attinet, eum licet octies ſuâ manu deſcripſerit Demoſthenes; tamen gravis magis hiſtoricus cenſeri debet, quàm orator bonus. Eſt enim ſermo ejus durus, & hyperbatis implicatus: unde Cratippus orationes illius moleſtas atque odioſas eſſe, judicabat. Etiam Cicero ait, nec ſe imitari eum poſſe, ſi velit; nec velle ſi poſſit. Vide & quæ de Thucydideæ orationis vitiis Dionyſius Halicarnaſſ. ſcripſit ad Tuberonem.

Atque iſti quidem oratores primam eorum ætatem conſtituunt. Secunda verò ætas duûm generum oratores comprehendit: quorum alii dictionem magis πολιτικὴν, alii planè σοφιστικὴν ſequerentur. De poſterioribus priùs dicam: qui non dicendo tantùm, ſed etiam docendo claruerunt. Exorti verò ſunt temporibus Periclis, ac Thucydidis. Unde Cicero in Bruto, cùm de Pericle, Alcibiade, & aliis egiſſet, iſta ſubjungit: *Sed ut intellectum eſt, quantam vim haberet accurata, & facta quodammodo oratio, tum etiam magiſtri dicendi multi ſubitò extiterunt: tum Leontinus Gorgias, Thraſymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Chius, Hippias Eleus, in honore magno fuit.* Horum antiquiſſimus fuiſſe videtur Protagoras Abderites. Nam Gorgia, ac Prodico, priorem fuiſſe, apertè ait Plato. Quadraginta hunc annis σοφιστικὴν docuiſſe, idem * auctor eſt. De eodem ita Suidas: Οὗτος πρότερον ἦν φορμοφόρος· ἐντυχὼν δὲ Δημοκρίτῳ ἠρέσθη λόγων καὶ φιλοσοφίας, ἐπὶ ῥητορείαν ἐτράπη, καὶ ἐπεκλήθη πρῶτος οὗτος σοφιστής. πρῶτος δὲ οὗτος τοὺς ἐριστικοὺς λόγους εὗρε, καὶ ἀγῶνα λόγων ἐποιήσατο, καὶ μισθὸν ἔπραξε τοὺς μαθητὰς μνᾶς ἑκατόν· διὸ καὶ ἐπεκλήθη λόγος ἔμμισθος. *Hic prius bajulus fuit: cum verò in Democritum incidiſſet, eruditionis amore captus fuit, ac philoſophatus ad eloquentiam ſe contulit, & primus nomen ſophiſtæ accepit. Primus etiam hic contentioſas orationes invenit, & orationis certamen iniit, & centum minas à diſcipulis exegit, propterea & ſermo mercenarius dicebatur.* Plura de eo apud Laërtium vide.

* *In Menone.*

Protagoræ diſcipulus fuit Prodicus, quem à καλλιλογίᾳ etiam Maximus Tyrius commendat †. Quanti verò orationes ejus fieri ſoleant, illud arguit, quod qui audire eum vellet, is, Suida teſte, quinquaginta drachmas perſolveret: hoc eſt quatuor coronatos Gallicos, ac duos inſuper regales Hiſpanicos. Maximè verò celebris fuit commento de Hercule adoleſcente, quem mulieres duæ oratione exquiſitâ, una ad virtutis, altera ad voluptatis, pellicerent viam.

† *Diſſ. 9.*

Iiſdem temporibus vixere duo illi, ſuperiori etiam capite memorati nobis, Corax, & ejus diſcipulus Tiſias: qui cum Gorgia à Leontinis legatus Athenas miſſus fuit. De eo Socrates apud Platonem in Phædro ‡: Φεῦ, δεινός γ' ἔοικεν ἀποκεκρυμμένην τέχνην ἀνευρεῖν ὁ Τισίας, *O quàm efficaciter abſconditam artem inveniſſe videtur Tiſias!* Fuere tum quoque Polus Agrigentinus, & Thraſymachus Calcedonius; quem aliqui Carthaginenſem appellant, eo decepti, quòd apud Philoſtratum dicatur Καρχηδόνιος. Sed corruptus eſt locus, planeque, ut Petavius etiam in notis ad Syneſium obſervat, Χαλκηδόνιος ſcribi debet: uti legitur apud Suidam. Thraſymachus iſte primus animadvertit, in ſolutâ etiam oratione, dummodo carminis modulos fugiamus, numerum quendam ſervari oportere; primuſque in eâ κῶλα, ac περίοδον, obſervavit. Autores Cicero in Oratore, Dionyſius Hal. & Suidas.

‡ *Tom. 3. p. 273. edit. H. Steph.*

Sed præ omnibus celebre nomen fuit Gorgiæ Leontini, qui Empedoclis erat diſcipulus: ut paullò hunc antiquiorem fuiſſe neceſſe ſit; etſi eundem in annum conjiciat Euſebius in Chronicis. Porphyrius, Suida teſte, floruiſſe eum ait Olymp. LXXX. Sed Suidas antiquiorem fuiſſe cenſet. Arbitror facilè hos conciliari ob longævitatem Gorgiæ. Nam, ut Suidas agnoſcit, CIX. ſive, ut Cenſorinus ait, CVIII. annis vixit. Primus verò Gorgias, ut auctor eſt Philoſtratus, in theatrum progreſſus, dixit, προβάλλετε, *proponite*, quo princeps auſus eſt depoſcere de quo quiſque vellet audire: ut eſt apud Ciceronem libr. 1. de Orat. Idem quibuſdam dictus eſt artem Rhetoricam inveniſſe; unde Diodorus Siculus libr. XII. ‡ de eo inquit, οὗτος καὶ τέχνας ῥητορικὰς πρῶτος ἐξεῦρε. Propterea verò hoc de eo dictum, quia, ut idem Diodorus Siculus * ſcribit, πρῶτος ἐχρήσατο τῆς λέξεως σχηματισμοῖς περιττοτέροις, καὶ τῇ φιλοτεχνίᾳ διαφέρουσιν ἀντιθέτοις, καὶ ἰσοκώλοις, καὶ παρίσοις, καὶ ὁμοιοτελεύτοις, καὶ τισὶν ἑτέροις τοιούτοις, *Primus uſus eſt eximiis dicendi figuris & ſingularis artificii oppoſitis, & ſimilibus ac æqualibus membris, & ſimiliter cadentibus, ac deſinentibus, & aliis ejus generis orationis ſcitamentis.* Etiam declamandi uſum primus revocavit, ut in Heliacis tradit Pauſanias, qui eum ait ἀνασώσασθαι μελέτην λόγων πρῶτον ἠμελημένην εἰς ἅπαν, *primum dicendi ex arte rationem excitaſſe, quæ planè antea negligebatur.* Idem, ut ait Iſidorus Peluſiota †, civili orationi addidit τὸ ὑψηλὸν, καὶ τὸ τραγικὸν, *ſublime, ac tragicum dicendi genus.* Ab eo etiam figuræ illæ dicendi, quæ maximè luminoſam redderent orationem, Γοργίεια nuncuparunt: quomodo & Halicarnaſſenſis vocat epiſtolâ ad Pompejum. Etiam ab eo eſt, quòd τὸ ῥητορεύειν appellent γοργιάζειν, ut cognoſcimus ex Philoſtrato in epiſt. ad Aug. Præcipuè verò nobilitatus eſt oratione Olympiacâ, quam præter Ariſtotelem, ac Fabium, etiam Pauſanias in Eliacis celebrat. Item oratione Pythicâ, ob quam aurea ei ſtatua in Pythii templo fuit conſtituta. Etiam dies, quibus orationes eas habuerat, ἑορταὶ *feſta*; orationes ipſæ, λαμπάδες, *lampades*, dicebantur. Multum verò ei maximi quique viri, qui poſtea ſunt ſecuti, debuerunt. Nam, ut Philoſtratus in epiſt. ait, Critias, ac Thucydides, acceptum illi referunt magnificum, atque exaggeratum orationis genus, quòd Philoſtratus vocat μεγαλόγνωμον, καὶ τὴν ὀφρῦν. Ac Marcellinus quoque in Thucydidis vita ait, eum eſſe πολυειδῆ ἐν τοῖς σχήμασι, τὰ πολλὰ τοῦ Γοργίου τοῦ Λεοντίνου μεμιμημένον, *varium admodum in figuris, & multa Gorgiæ Leontini imitari.* Plato quoque τῆς Γοργίου κατασκευῆς

‡ *Pag. 313. edit. H. Steph.*
* *Ibidem.*
† *Lib. 2. epiſt. 42.*

πομπικῆς ἐρασθεὶς, amore captus ejus apparatus ac cultus, qui Gorgiæ ſermoni ineſt, ut eſt apud Halicarnaſſenſem, novâ luce veſtivit orationem. Iſocratem etiam in Panathenaicam ſuam, ea, quæ Gorgiæ erant, tranſtuliſſe, autor eſt Plutarchus. Ac ne nihil Ariſtotelem ipſum debere illi putemus, audiamus B. Hieronymum adverſus Jovinianum: *Legimus, ô eruditiſſimi viri, in ſcholis pariter & Ariſtotelea illa de Gorgiæ fontibus manantia.*

Fuit quoque ex hoc grege Hippias Elienſis: artium multitudine ſophiſtis omnibus prior, eloquentiâ nulli ſecundus; ut de eo cenſet Appulejus, initio ſecundi Floridorum. Ubi etiam ex Platone ſuo narrat, ut Hippias gloriatus ſit, omnia, quæ haberet corporis ornamenta manibus ſe ſuis confeciſſe; annulum, ſigillum, ſtrigilem, vaſculum unguentarium, ſaccos, pallium, interulam, cingulum nec Perſicis ipſis pretio cedens. Item ut varia fecerit poëmata, verſus epicos, tragœdias, dithyrambos: varias etiam ſcripſerit orationes. De memoriæ quoque artificio, quod Plato in Hippia minore, unde iſte Appuleji locus eſt expreſſus, obiter tantùm attingit, curatiùs alibi ab eodem Platone explicatur; ubi jactantem inducit, quòd quinquaginta nomina ſemel audita recitaret.

Alios quoque ſophiſtas idem celebrat, & ex eo Fabius lib. III. cap. I. ubi cum de Corace & Tiſia Siculis dixiſſet, hæc ſubjicit: *Hos inſecutus eſt vir ejuſdem inſulæ, Gorgias Leontinus, Empedoclis, ut traditur, diſcipulus. Is beneficio longiſſimæ ætatis (nam centum & novem vixit annos) cum multis ſimul floruit: ideoque & illorum, de quibus ſuprà dixi, fuit æmulus, & ultra Socratem uſque duravit. Thraſymachus Chalcedonius cum hoc, & Prodicus Chius, & Abderites Protagoras, à quo decem millibus denariorum didiciſſe artem, quam edidit, Euathlus dicitur, & Hippias Eleus, & quem Palameda Plato appellat, Alcidamas Eleates. Antiphon quoque, & primus omnium orationem ſcripſit, & nihilominus artem ipſe compoſuit, & pro ſe dixiſſe optimè eſt creditus. Etiam Polycrates, à quo ſcriptam in Socratem diximus orationem: & Theodorus Byzantius, ex iis & ipſe, quos Plato appellat λογοδαιδάλους. Horum primi communes locos tractaſſe dicuntur, Protagoras, Gorgias, Prodicus, & Thraſymachus.* Hactenus Fabius.

CAP. XI.

Series præcipuorum oratorum, qui ab Alcibiade uſque ad Phalereum vixerunt. Plutarchi, ſive Cæcilii, error. Duo Antiphontes. Fabii locus ex Plutarcho illuſtratus. Τέχνη ἀλυπίας. *Plutarchi de Andocidis ætate lapſus. In Lyſia quid laudi detur, quid vitio vertatur. Plato commendabilior ab eloquentiâ, quàm philoſophiâ. Eudoxi ætas. Syneſii lapſus. Leo Byzantius. Dictio Ariſtotelea. Unde Theophraſtus hoc nomen acceperit. Stylus Xenophontis. Dictus is* Muſa Attica. *In Hiſtoria paullo eſt humilior, quàm decebat. Idem defenſus adverſus Halicarnaſſeum. Stylus Philiſti, Theopompi, & Iſocratis. Hujus dictio defenſa adverſus Cæſarem Scaligerum. Demoſthenis, ac Æſchinis, collatio. Cicero illuſtratus. H. Stephani alucinatio. Demades ex nauta orator. Stylus Licurgi, Hyperidis, & Dinarchi. Quis* hordearius Demoſthenes *dictus. Democharis, & Phalerei, dictio. Diophantes, & Carneades. Athenarum muri quando diruti, ac iterum reſtituti. Ciceronis in dicendo magiſtri.*

NUnc à ſophiſtis redeamus ad eos, qui virile magis dicendi genus ſequebantur. Quales ipſis ſophiſtarum temporibus fuere Antiphon Rhamnuſius, Andocides, & Lyſias. Andocides iſte decem oratorum, qui vulgò numerantur, antiquiſſimus eſt. Marcellino etiam memoratur lib. XXX.* Paullò juniorem Gorgia fuiſſe, in vita ejus ſcribit Plutarchus. Ejus facundiam prædicat quoque Thucydides in VIII. unde cognoſcimus, Alcibiadi fuiſſe æqualem. Quod verò Cæcilius (ut eſt apud Plutarchum) Thucydidem ſibi imitandum propoſuiſſe putabat; id propter ea, quæ dixi, verum eſſe minimè arbitror. Sed video, quid deceperit, ſive Cæcilium, ſive Plutarchum. Duo enim fuere Antiphontes; ut Hermogenes docet lib. II. περὶ ἰδεῶν: unus Rhamnuſius, quem ait ὅλως ἀρετὴν καὶ ἀρχηγὸν γενέσθαι τοῦ τύπου τοῦ πολιτικοῦ *omnino auctorem fuiſſe characteris politici:* alter verò neutiquam ſequens τὴν πολιτικὴν λέξιν, ſed durior omnino, atque obſcurior; ad cujus dicendi genus proximè Critias acceſſit. Ex his ſanè obſcurum non eſt, poſteriorem Antiphontem, non Rhamnuſium illum, Thucydideæ dictionis in ſcribendo æmulum fuiſſe. Cautè etiam accipi debent verba illa Fabii lib. III. cap. I. *Antiphon quoque, & orationem primus omnium ſcripſit, & nihilominus artem ipſe compoſuit, & pro ſe dixiſſe optimè eſt creditus.* Nam quomodo Antipho primus ſcripſit orationes, ſi junior eſt Gorgia, quem orationes ſcripſiſſe conſtat? Quare Fabii verba reſtringi debent ad orationes forenſes, prout facit Plutarchus, qui ait, τῶν γὰρ πρὸ αὐτοῦ γενομένων οὐδενὸς φέρεται δικανικὸς λόγος, *Eorum, qui ante illum fuerunt, nullius exſtat oratio in genere juridiciali.* Rhamnuſius hic primitus profitebatur τέχνην ἀλυπίας *artem medicandi doloris:* atque id etiam ædibus, quas Corinthi exſtruxerat, inſcripſit. Nec dubitavit invectivâ laceſſere Hippocratem, ſuamque artem omnibus medicorum inventis præferre. Sed cùm ea res minus ſuccederet, ad forum ſe contulit, neque ſine gloriâ in eo vixit. De eodem ſic Ammianus Marcellinus lib. XXX*. *Antiphon ille Rhamnuſius, quem ob defenſum negotium omnium primum antiquitas prodidit accepiſſe mercedem.* De dictione ejus ita Plutarchus: Ἔστι δ' ἐν τοῖς λόγοις ἀκριβὴς, καὶ πιθανὸς, καὶ δεινὸς περὶ τὴν εὕρεσιν, καὶ ἐν τοῖς ἀπόροις τεχνικὸς, καὶ ἐπιχειρῶν ἐξ ἀδήλου, καὶ ἐπὶ τοὺς νόμους, καὶ τὰ πάθη τρέπων τοὺς λόγους, τοῦ εὐπρεποῦς μάλιστα στοχαζόμενος, *In dicendo accuratus eſt, & ad perſuadendum efficax, in inventionibus ſagax, in rebus dubiis ſollers occultè ſe inſinuans, ad mores & affectus orationem inflectens, decori obſervantiſſimus.* Quæ veriſſimè dicta eſſe, tot ejus orationes oſtendunt, quæ ſuperſunt. * Pag. 449.

Itidem quatuor habemus orationes Andocidis. De ejus dictione ita Plutarchus, ἔστι δ' ἁπλοῦς, καὶ ἀκατασκεύαστος, ἐν τοῖς λόγοις ἀφελὴς, καὶ ἀσχημάτιστος, *Simplex eſt ſine apparatu inornatus, & minimè figuratus.* Ait idem Plutarchus, ſi vulgaris codicibus ſtamus, Andocidem hunc centum annis fuiſſe Lyſia antiquiorem: Quod manifeſtè falſum. Nam ipſe Plutarchus ait, Andocidem fuiſſe natum Olympiade LXXVIII, principe in republica Athenienſium, Theogenide: Lyſiam verò Athenas veniſſe ait anno ſecundo poſt Olymp. LXXXII, quo tempore Philocles cum Phraſicle, princeps erat.

Porrò etiam Lyſias ejuſdem, ac ſophiſtæ, ætatis, at non προαιρέσεως fuit. Nam cùm Gorgias Leontinus adhiberet, ut Dionyſius Halicar. ait, πάνυ φορτικὴν, καὶ ὑπέρογκον κατασκευὴν, οὐ πόῤῥω διθυράμβων ἔνια φθεγγόμενος, *admodum gravem, ac ſupra modum ſublimem dictionis ſtructuram quadam non longè à dithyrambis diſtantia proferens:* Lyſias contrà propriis & uſitatis verbis utebatur; eoque hoc aſſecutus eſt, ut cum loqueretur more conſueto, novâ tamen uteretur dicendi formâ, primuſque induceret recentiorem Atticiſmum. Hoc eſt, quod idem ait Dionyſius, οὐ τοῖς ὀνόμασι δουλεύει τὰ πράγματα παρ' αὐτῷ, τοῖς δὲ πράγμασιν ἀκολουθεῖ τὰ ὀνόματα, *non nominibus res inſerviunt apud eum, ſed res ſequuntur nomina:* Item, τὸν κόσμον οὐκ ἐν τῷ διαλλάττειν τὸν ἰδιώτην, ἀλλ' ἐν τῷ μιμεῖσθαι λαμβάνει, *ornatum habet, non in eo quod immutat, ſed quod imitatur idiotam.* Itaque nihil apud eum eſſe dicit, quod poſſit ἀκυρολογίας, ἢ ἀσαφείας δόξαν λαβεῖν, *notari tanquam impropriè, vel obſcurè dictum.* Etiam Photius propriam ejus virtutem facit, τὸ κώλων εὐάρμοστον, καὶ τῆς καθαρότητος εὐανθὲς, *membrorum concinnitatem & florem puritatis.* Sed ut meritò ab hac laude commendatur, ita videtur orator fuiſſe parùm grandis. Nec enim ve-

tum eſſe cenſeo, quod idem Dionyſius ſcribere non dubitavit, eum περιττὰ, καὶ σεμνὰ, καὶ μεγάλα φαίνεσθαι πράγματα ποιεῖν, *videri res facere inſignes, graves, ac magnas.* Niſi id ad unam alteramque orationem reſtringas: uti illam contra Mneſipolemum, quam ſolito grandiorem fuiſſe, Phobius ait. Cæteras ſi ſpectes, ſubtilis potiùs orator eſt, quàm ſublimis. Quod etiam Fabii judicium eſt. Nam cum de Demoſthene, Æſchine, & Hyperide, eſſet locutus, *His*, inquit, *Lyſias ætate major, ſubtilis, atque elegans, & quo nihil, ſi oratori ſatis ſit docere, quæras perfectius. Nihil enim in eo eſt inane, nihil arceſſitum. puto tamen fonti, quàm magno flumini, eſſe propiorem.* Teſtatur autem Cicero, non fuiſſe verſatum in cauſſis forenſibus: ſed aliis orationes ſcribere ſolere. Nempe, quia adminiſtratum cauſſarum genera ſe demitteret, neceſſariò factus eſt jejunior, ac tenuior. Inter plurimas verò orationes, etiam Socrati unam ſcripſit, cùm is in capitis judicium vocaretur. Sed ille eam, quamvis elegantem, tamen ut parùm virilem, velut Sicyonios calceos, repudiavit: ut eſt apud Cic. 1. de Orat. Plura de Lyſia ſi voles, adi quæ fusè de eo diſſerit Halicarnaſſenſis.

Ac hi quidem Oratores Periclis magis dictionem ſequebantur, quàm Gorgiæ, & Sophiſtarum: erant tamen paullò uberiores Pericle: quâ de re ita Cicero ſcribit ſecundo de Oratore. *Ex Græcorum*, inquit, *ſcriptis, cujuſque ætatis quæ dicendi ratio voluntaſque fuerit, intelligi poteſt. Antiquiſſimi ferè ſunt, quorum quidem ſcripta conſtent Pericles, atque Alcibiades, & eâdem ætate Thucydides; ſubtiles, acuti, breves, ſententiis magis, quàm verbis, abundantes. Non potuiſſet accidere, ut unum eſſet omnium genus, niſi aliquem ſibi proponerent ad imitandum. Conſecuti ſunt hos, Critias, Theramenes, Lyſias. Multa Lyſiæ ſcripta ſunt, nonnulla Critiæ. De Theramene audivimus. Omnes etiam tum retinebant illum Periclis ſuccum: ſed erant paullò uberiore filo. Ecce tibi exortus eſt Iſocrates, magiſter iſtorum omnium; cujus è ludo, tanquam ex equo Trojano, innumeri principes exierunt: ſed eorum, partim in pompâ, partim in acie, illuſtres eſſe voluerunt.* Quid apertius ex iſtis, quàm Lyſiam, atque alios ejus ætatis oratores, uberiores quidem fuiſſe Pericle, ſed ſtrigoſiores Gorgia: his verò ſucceſſiſſe alios, qui mediam inſiſterent viam, inter ſubtile hoc Lyſiæ, & illud Gorgiæ pompaticum dicendi genus. Quam viam inierunt, non philoſophi, & hiſtorici minùs, quàm oratores. Ac inter philoſophos quidem iſtoc nomine familiam ducit Plato, quem Cicero graviſſimum dicendi auctorem & magiſtrum appellat, in tertio de Oratore. De eodem ſic ſcribit in Bruto: *Quis uberior in dicendo Platone? Jovem ſiquidem ajunt philoſophi, ſi Græcè loquatur, ſic loqui.* Plinius quoque lib. 1. epiſt. x. *Platonicam & ſublimitatem & latitudinem* laudat. Et eſt profectò Plato non minor eloquentiæ, quàm philoſophiæ laude. Quin jure majori etiam ejus eloquentiam admiramur. Nam de philoſophia ejus non immeritò dicere poſſis, quod de Ægyptiis pharmacis ſcribit Homerus *:

* Odyſſ. δ. 230.

—— Πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά,

Multa quidem ſalubria mixta, multa item noxia.

Platonis temporibus claruit Calliſtratus, *quem nobilem illam ſuper Oropo cauſſam,* (qui locus in Eubœâ eſt) *perorantem Demoſthenes, Academiâ cum Platone relictâ, ſectatus eſt*; ut ait Marcellinus l. xxx †. Etiam æqualis fuit Eudoxus Gnidius. Nam Olymp. cxiii. floruiſſe, ait Laërtius ex Chronicis Apollodori. Atque idem eo firmatur, quod Architæ fuerit auditor, &, ut ex Sotione idem Laërtius refert, cùm annum ageret xxiii. menſes duos audierit Platonem; poſtea verò, Ægypto, aliiſque regionibus, luſtratis, magno cum diſcipulorum numero redierit Athenas, ut ægrè eſſet Platoni, quod eum ab ſe dimiſiſſet. At Strabo in xvii teſtatur, cum Platone ipſo profectum fuiſſe in Ægyptum; ibique cum ſacerdotibus utrumque xiii annos eſſe verſatum. Etiam nominat eum Ariſtoteles, ejuſque ſententiam de ſummo bono, quod in voluptate ponebat, refellit lib. x. Nicomach. cap. 11. Ut planè ratio fugerit Syneſium, cùm initio Dionis ſui ſcribit, hunc virum fuiſſe τὰ πρῶτα τῶν Ἀριστοτέλους ὁμιλητῶν, *diſcipulorum Ariſtotelis principem.* Quamquam verò Aſtrologiâ imprimis fuerit clarus: tamen ornatè etiam dicebat, ac ſubitâ dictione valebat plurimùm, & hac propter ſuos ab eo Sophiſtas Philoſtratus orditur. Quam varia ſcripſerit oſtendit Jo. Meurſius commentario in Apollonii Hiſtoriam Commentitiam cap. xxiv.

† Pag. 449.

Idem Philoſtratus ſecundum locum tribuit Leonti Byzantio: qui & ipſe Platonem juvenis audivit. Meminit ejus quoque Syneſius; ſed ex Philoſtrato.

At facilè principem locum inter Platonis diſcipulos meretur naturæ illud miraculum Ariſtoteles: cui Cicero * quoque tribuit *dicendi incredibilem quandam cum copiam, tum etiam ſuavitatem.* Idem judicium eſt Fabii lib. x. Halicarnaſſenſis etiam in eo prædicat δεινότητα περὶ τὴν ἑρμηνείαν, καὶ τὴν σαφήνειαν, καὶ τὸ ἡδὺ, καὶ πολυμαθὲς, *eloquendi peritiam, & perſpicuitatem, & cum multiplici eruditione ſuavitatem.*

* In Topicis.

Nec dicendi laude Ariſtoteli, præceptori ſuo, ceſſit Theophraſtus; quem Cicero eruditiſſimum & elegantiſſimum philoſophorum appellat. Ac quanti ejus eloquentiam Ariſtoteles ipſe fecerit, argumento illud eſſe poteſt, quod, ut Diogenes Laërtius teſtatur, cùm priùs Tyrtamo vocaretur, à præceptore nomen accepit Theophraſti, διὰ τὸ τῆς φράσεως θεσπέσιον, *ob divinam elocutionem.*

Quinque his philoſophis ſuccedant tres hiſtorici: etſi unus eorum, non inter philoſophos minùs, quàm hiſtoricos, nomen profiteatur ſuum. Eſt is Xenophon, qui, ut de eo judicium tulit Halicarnaſſenſis, planè eſt καθαρὸς τοῖς ὀνόμασι, καὶ σαφὴς, καὶ ἐναργὴς, καὶ τὴν σύνθεσιν ἡδὺς, καὶ εὔχαρις, ὡς καὶ μᾶλλον Ἡροδότου, *purus in delectu verborum, & clarus, ac perſpicuus, & in compoſitione ſuavis, ac gratioſus ſupra Herodotum.* De eodem ita Fabius †: *Quid ego commemorem Xenophontis illam jucunditatem inaffectatam? ſed quam nulla affectatio conſequi poſſit, ut ipſæ ſermonem Gratiæ finxiſſe videantur.* Ob hanc inaffectatam jucunditatem, *Muſa Attica* ‡ dicebatur: quomodo poſtea omnes vocabantur, qui Athenis nati eloquentiâ præcellerent: ut in Oribaſii vita Eunapius teſtatur. In hiſtoria tamen, ut Halicarnaſſenſis judicat, ſplendor Xenophonti, ac majeſtas deeſt; ac, ſi aliquando elocutionem conetur attollere, confeſtim langueſcit, & ſubſidit. Sed quod idem Dionyſius cenſet, τὸ πρέπον, *decorum*, negligere, quia ſermones philoſopho dignos tribuat barbaris, in eo facit, quod homines Græci ſolent; ut qui ſapientiam omnem Græciæ limitibus concludant. Atqui non defuiſſe ſapientiam barbaris, ſatis docent ſermones Scytharum apud Curtium, ac Perſicorum regum apophthegmata apud Plutarchum, & apud alios alia; quibus Græcus faſtus meliora dare non poſſit.

† Lib. 10. cap. 1.

‡ Laërtius in vitâ Xenophontis.

Xenophonte paullò junior Philiſtus, qui Olymp. vixit cv. De eo ſic Cicero 11. de Orat. *Thucydidem conſecutus eſt Syracuſius Philiſtus; qui cum Dionyſii tyranni familiariſſimus eſſet, otium ſuum conſumpſit in hiſtoria ſcribenda; maximeque Thucydidem eſt, ſicut mihi videtur, imitatus.* Idem in Bruto ait, *amatores huic deeſſe, ſicut & ipſi Thucydidi.* Dionyſius quoque in eo reprehendit ἀταξίαν τῆς οἰκονομίας, καὶ δυσπαρακολούθητον, *ordinis in diſponendo neglectum, & quod difficilis ſit intellectu.*

At melior orator erat Theopompus, Iſocratis diſcipulus: de quo ſic Cicero in Bruto: *Philiſti, & Thucydidis conciſis ſententiis, interdum etiam non ſatis apertis, cum brevitate, tum nimio acumine, officit Theopompus elatione, atque altitudine orationis ſuæ: quod idem Lyſiæ Demoſthenes.* De eodem ſic Dionyſius:

Τὸ λεκτικὸν αὐτοῦ τῷ Ἰσοκρατικῷ παραπλήσιον, πλὴν ὅσον μικρόν ἐστι, καὶ σφόδρα εὔτονον· τὰ δ' ἄλλα ὁμοία ἡ λέξις· καὶ γὰρ κοινή, καὶ σαφής, καὶ μεγαλοπρεπής, καὶ σεμνή, καὶ πομπική, συνθέσεως τετυχηκυῖα τῆς πρὸς ἡδονήν. *Forma dicendi in eo eſt Iſocraticæ affinis, niſi quod exilis ſit, & quaſi nervis quibuſdam intenta admodum: quod ad alia verò, ſimilis dictio eſt. Nam & communis eſt, & clara apertaque, ampla item & gravis, pompæ ſimilis, & compoſita ad delectationem.* Et Quinctilianus*: *Theopompus his proximus, ut in hiſtoria prædictis minor, ita oratori magis ſimilis: ut qui, antequam eſt ad hoc opus ſollicitatus diu fuerit orator.*

* Lib. 10. cap. 1.

Ab hiſtoricis veniamus ad Oratores & Sophiſtas. Talis Polycrates, quem laudatione Buſiridis, & vituperatione Socratis maximè gloriari ſolere, ait Iſocrates in Buſiridis laudatione: ubi oſtendit ſtultè ab eo laudari; quod hoſpites quidem occiderit, imò devorârit: ſed ſimilia fecerint alii; potius ab eo quod Jovis & Libyes eſſet filius fuiſſe laudandum; item quod optimis legibus Ægyptum ornârit: de hoſpitibus autem comeſtis dicendum, poſſe commentum videri poëtarum, qui tam Diis, quàm Deorum filiis, gaudeant affingere, quæ nemo in liberis ſuis perferret, vel audire de iis ſuſtineret. Eoque multos poëtarum graviter Diis pœnas dediſſe.

Ac Polycratem quidem licet ſeniorem, ſic caſtigavit junior Iſocrates. Is fuit auditor Prodici, Gorgiæ, Tiſiæ, & Theramenis. De hoc ita Cicero in Bruto: *Jam ſenibus illis, quos paullò antè diximus, Iſocrates, (cujus domus cuncta Græciæ, quaſi ludus quidam, patuit, atque officina dicendi) magnus orator, & perfectus magiſter; quamquam forenſi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem, meo judicio, eſt poſtea conſecutus: & cùm cætera meliùs, quàm ſuperiores, tum primus intellexit, etiam in ſolutâ oratione, dum verſum effugeres, modum tamen, & numerum quendam, oportere ſervari.* De eodem ita ſcribit lib. III. de Oratore: *Princeps Iſocrates inſtituiſſe fertur, ut inconditam antiquorum dicendi conſuetudinem, delectationis atque aurium cauſsâ, (quemadmodum ſcribit diſcipulus ejus, Naucrates) numeris adſtringeret.* Dionyſii quoque Halicarnaſſ. judicium apponam: Ὁ δὲ Ἰσοκρατικὸς λόγος κομψεύεται μὲν, ἀλλὰ μετὰ σεμνότητος. καὶ πανηγυρικώτερός ἐστι μᾶλλον, ἢ δικανικώτερος· ἔχει δὲ τὸν κόσμον μετὰ ἐνεργείας, καὶ πομπικός ἐστι μετὰ τῆς δυνάμεως· οὐ μὴν ἀγωνιστικός. *Oratio vero Iſocratis comtula quidem eſt, ſed cum dignitate quadam: eſtque magis accommodata cœtui populari, quàm foro: ornatum verò habet cum vi quadam. Pompatica eſt, ſed cum efficacia atque utilitate, ad forenſia autem certamina parum idonea.* Similiter Fabius †: *Iſocrates in diverſo genere dicendi nitidus, & comtus, & palæſtræ, quam pugnæ, magis accommodatus: omnes dicendi veneres ſectatus eſt: nec immeritò: auditoriis enim ſe, non judiciis, compararat: inventione facilis, honeſti ſtudioſus, in compoſitione adeò diligens, ut cura ejus reprehendatur.* Et iis quidem, qui, quod Fabius hic dicit, curioſæ nimis curæ Iſocratem culpant, etiam acceſſit Cæſar Scaliger, vir non minor antiquis: cujus iſti ſunt verſus ‡ de Ariſtotele, Platone, atque Iſocrate:

† Lib. 10. cap. 1.

‡ Lib. 3. Epidorpidum.

Eſt Macedonis oratio matrona pudica.
Academicus huic addit inane purpuriſſum.
Illa Iſocratis fit meretrix pudore pauco.

Sed meo quidem judicio, judicium hoc ſummi viri ſeverius aliquanto eſt, quàm par erat. Nam quis neſcit, pro diverſa materie ac fine, aliam atque aliam eſſe ſcribendi formam? Atque argumento magis differre poſſunt, quàm quæ Ariſtoteles, ac Iſocrates tractabant? Non hic in Logicæ ſpinetis occupatur, non anquirit in numeros, ac magnitudinem, non myſteria rumpatur naturæ, non in primam uſque ſapientiam evolat; ſed laudat, vituperat; ſuadet, diſſuadet; accuſat, vituperat. Illud quoque in conſiderationem venit, quod Philoſopho docere propoſitum eſt; oratoris etiam delectare; quod præter alia præſtant orationis ſcitamenta. Et tamen fateor, ſi ita dixiſſet Iſocrates, culpâ non vacaret: nunc iſta non dixit, ſed ſcripſit; & ſcripſit ad pompam: in quo genere vix aliquid eſſe nimium poteſt, dum legenti honeſta inde gliſcat voluptas.

Iiſdem verò, ac Iſocrates, temporibus etiam Iſæus vixit, Lyſiæ auditor, Demoſthenis præceptor*. Ac Lyſiæ quidem ita ſimilis, ut † difficulter ſtylum dignoſcere eſſet. Tribuit ei Dionyſius dictionem καθαρὰν, ἀκριβῆ, σαφῆ, κυρίαν, ἐναργῆ, σύντομον, *Puram, accuratam, perſpicuam, propriam, evidentem, ac conciſam.* Ex ſexaginta quatuor orationibus, quas ſcripſit, decem hodie exſtant. Plutarcho, & Photio autoribus πρῶτος σχηματίζειν ἤρξατο, *primus cœpit figuris uti:* quod, ut verum ſit, non video, ſi per ſchemata intelligas verborum ſententiarumque lumina. Nam iis orationem Iſocrates ornare ſolet, qui paullò Iſæo grandior erat: & ante Iſocratem hæc Gorgias frequentarat. Verùm, ut cenſeo, *ſchema* hic nominatur, cùm quid non apertè, ſed per ſuſpicionem dicitur: quod etiam χρῶμα ſive *color* vocatur: indeque controverſiæ quædam nuncupantur ἐσχηματισμέναι, ſive *figuratæ*, aut *coloratæ*. Vide quæ hac de notione ſchematis diximus in Oratoriis lib. v. cap. VI.

* Photius in bibl. p. 204. & 804.

† Plutarch. in x. Rhet.

Sequuntur Æſchines, & Demoſthenes, quos comparat Cicero lib. de optimo genere oratorum. Locum adſcribam, ut lucem præbeam. Nam variè in eo enarrando errarunt viri docti. Sic verò habet: *A me autem, ut cum maximis minima conferam, gladiatorum par nobiliſſimum inducitur. Æſchines tanquam Æſerninus (ut ait Lucilius,) non* ſpurcus homo, *ſed doctus & acer,*

Cum Placidiano componitur optimu' longe
Poſt homines natos.

Hactenus Tullius. Reſpexit verò locum illum Lucillii, quem Nonius adducit in *Spurcus*, & *Componere*:

Æſerninu' fuit Flaccorum munere quidam
Samnis ſpurcus homo, vitâ illa dignu' locoque,
Cum Placidiano componitur optimu' longe
Poſt homines natos gladiator qui fuit unus.

Confert Lucilius nobile par gladiatorum; Æſerninum, quem hominem ſpurcum appellat, & Placidianum, cujus etiam Horatius meminit in Satyris. Ait verò Cicero, ſimile par ſibi videri, Æſchinem, ac Demoſthenem: ac Æſernino quidem componit Æſchinem; verumtamen ne quis id ulteriùs rapiat, quàm æquum erat, addit cum eo ſe Demoſthenem conferre, non tanquam cum homine ſpurco, qualem Æſerninum fuiſſe Lucilius dicit; ſed tanquam cum docto, & acri Oratore. Demoſthenem verò, principem Oratorem, ſimilem ſibi ait videri Placidiani, gladiatorum facilè principis. Ac ne quis auguſtum nimis hoc eſſe elogium putaret, addit, reverâ nihil ſibi hoc oratore videri divinius: Quod de Demoſthene dici, quis non videt? Quem etiam in Bruto ait, Oratorum principem judicari à doctis. Cumque Æſchines præcipuè commendetur à lenitate & ſplendore verborum, ait ne hac quidem parte cedere Æſchini Demoſthenem. Ibidem adjungit, *unum Demoſthenem eminere inter omnes in omni genere dicendi.* Quare nunquam dixiſſet Cicero, nihil eſſe Æſchine divinius. Ut planè fallat, & fallatur Henricus Stephanus, cùm verba illa, quæ de Demoſthene dicuntur, in Æſchinis laudem afferri exiſtimat: ut videre eſt ex elogiis iſtis, quæ quatuor Halicarnaſſei opuſculis, ſeorſim à ſe editis, adtexuit. Plura de Æſchinis ac Demoſthenis dictione qui volet, eundem Tullium videat lib. III. de Oratore, item in Bruto, ac Oratore; ubi Æſchini quidem ſonitum, at Demoſtheni vim tribuit; inter quæ quantum intereſt! Etiam Dionyſium Halicarnaſſ. adeat, ac Quinctilianum. Item quæ de Æſchinis ſtylo ſcripſit Photius bibliothecæ ſuæ cap. LXI.

Iiſdem temporibus clarus fuit Pytho, princeps legatorum, quos Philippus ad Bœotos miſerat. Ac omnes quidem eâ in legatione dicendo vicit, præter unum Demoſthenem: quo nomine gloriatur Demoſthenes orat. de corona ‡: Ἐγὼ μὲν τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ, καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ'

‡ Pag. 495. edit. Francof. an. 1604.

καθ᾽ ὑμῶν, οὐδ᾽ εἶξα, οὐδ᾽ ὑπεχώρησα, *Ego quidem Pithoni inſoleſcenti, atque acriter in vos invecto, non ceſſi, neque ſtationem deſerui.* Meminit & Pythonis hujus oratione de Haloneſo: uti quoque Lucianus in Encomio Demoſt. Ariſtides I. & II. de Societate, Plutarchus item, & Suidas.

At diverſus eſt ab eo Pytheas, quamquam & ille Demoſthenis adverſarius fuit. Hic Athenis cum Carabo profugus Antipatrum adverſus Athenienſes juvit: Demoſthenes contrà, quamquam exul eſſet, ſe jungebat legatis Athenienſium. Atque autor eſt Phylarchus in Arcadicis, Pytheam tum, ut animos Græcorum ab Athenienſibus abalienaret, feſtivè dixiſſe: *Quemadmodum domum, in quam lac aſininum infertur, morbo aliquo laborare judicamus: ita & urbem, ad quam legati veniunt Athenienſium.* Quod elegantiſſimè retorſit Demoſthenes: *Uti,* inquiebat, *lac aſininum infertur ad ſanitatem ægrotantium: ita legati Athenienſium, ut ſalutem adferant, venire conſueverunt.*

Iiſdem quoque temporibus fuerunt, Demades, Lycurgus, Hyperides. Ac Demades quidem, teſte Suida, ex nauta factus fuit orator; ex quo & nauticos ſales in forum tranſtulit; ut Cicero ait in Oratore. Atticâ ejus ſuavitate tantopere afficiebatur Philippus, ut non ipſum tantùm, ſed etiam bis mille Athenienſes, prælio ad Chæroneam (in quo & Demoſthenes, abjecto clypeo, fugit) à ſe captos, gratis Athenas manumiſerit: ut Diodorus, & Plutarchus ſunt auctores: ac ſuper iſtoc gloriatur Demades ipſe oratione περὶ δωδεκαετίας, quæ ſola exſtat. Liberum hoc captivi etiamnum dictum fertur adverſus Philippum, cùm is inter comeſſandum, captivorum miſeriæ petulanter illuderet: βασιλεῦ, τῆς τύχης σοι περιθείσης πρόσωπον Ἀγαμέμνονος, αὐτὸς οὐκ αἰσχύνῃ πράττων ἔργα Θερσίτου; *Cùm, ô rex, tibi fortuna Agamemnonis tribuerit perſonam, non pudet facere digna Therſite?* Quo rex permotus, coronam capitis depoſuit, & modeſtiùs ſe geſſit. Quam verò avarus fuerit indicat dictus Antipatri Macedonum ducis de Phocione & Demade hoc, duos ſe Athenis habere amicos, quorum uni ut accipere aliquid vellet, perſuadere nunquam poſſet, alterum verò dando nunquam poſſet ſatiare. Author Plutarchus in Phocione, & ex eo Photius bibliothecæ ſuæ cap. CCXLV. Plura de ejus vita & apopthegmatis, ſi voles, vide, quæ ex Plutarcho, Athenæo, Stobæo, atque aliis collegit Sebaſtianus Marius Commentario in Ciceronis Brutum, pag. LIX. & LX. Florentinæ editionis.

Lycurgi cujuſmodi dictio fuerit, docet Dionyſius, cui dicitur fuiſſe διὰ παντὸς αὐξητικὸς, καὶ διηρμένος, καὶ σεμνὸς, καὶ ὅλως κατηγορικὸς, καὶ φιλαλήθης, καὶ παρρησιαστικός· οὐ μὴν ἀστεῖος, οὐδ᾽ ἡδὺς, ἀλλ᾽ ἀναγκαῖος, τούτου χρὴ ζηλοῦν μάλιστα τὰς δεινώσεις, *ubique fuſus, elatus, gravis & accuſatorius, veritatis amans, & in dicendo magnâ libertate; non eſt urbanus, aut ſuavis, ſed ſerius, & ad gravitatis exemplar omnibus propoſitus.*

Hyperides (quem unà cum Demoſthene Platonem audiiſſe Laërtius ſcribit) ab eodem Halicarnaſſeo cenſetur χάριτος μεστὸς, καὶ δοκῶν ἁπλοῦς, οὐκ ἀπολείπεται δεινότητος, *Veneribus affluens, qui cum ſimplex videatur, vi & gravitate non caret.* Fabio * judicatur *dulcis imprimis, & acutus, ſed minoribus cauſſis, non dixerim utilior, magis par.* At Longinus effusè eum laudat, ac, non quidem perfectiores, ſed plures tamen virtutes habere dicit, quàm Demoſthenem. Hermogenes jejuniùs prædicat, quaſi non ſatis ſervet τὸ καθαρὸν, καὶ ἠθικὸν *terſum ac moratum dicendi genus*, ac præterea in verborum delectu ſit negligentior.

* Lib. 10. cap. 1.

Paullò iſtis junior erat Dinarchus, qui Olympiade floruit CXV. Meminit & Marcellinus lib. XXX. ubi illuſtres refert Oratores. Orationes ejus tres exſtant; inter quas una eſt adverſus Demoſthenem de Harpalicis pecuniis. Stylum habet civilem, perſpicuum, probabilem, & eſt ſpiritus vehementis. Sed eſt aſperior in ſenſibus, ac methodo, ac minùs eſt vehemens, & gravis. Demoſthenicum quiddam habet, ſed eſt inflatior: unde (ut Hermogenes περὶ ἰδεῶν ſcribit) κρίθινον Δημοσθένην *hordearium Demoſthenem*, aliqui dixere. Nec methodi & οἰκονομίας ſatis eſt obſervans; unde &, Dionyſio Hal. teſte, vocabatur ἄγροικος Δημοσθένης, *agreſtis Demoſthenes.*

Excepere iſtos Demochares, & Demetrius Phalereus, qui mollius dicendi genus invexerunt. Qua de re operæ eſt audire Ciceronem in ſecundo de Oratore, ubi ſic ſcribit: *Theopompus, Ephorus, Philiſtus, Naucrates, multique alii naturis differunt: voluntate autem ſimiles ſunt inter ſeſe, & magiſtri, & ii qui ſe ad cauſſas contulerunt, ut Demoſthenes, Hyperides, Lycurgus, Æſchines, Dinarchus: aliique complures, etſi inter ſe pares non fuerunt, tamen ſunt omnes in eodem veritatis imitandæ genere verſati. Quorum quamdiu manſit imitatio, tamdiu genus illud dicendi, ſtudiumque vixit. Poſtquam exſtinctis his, omnis eorum memoria ſenſim obſcurata eſt, & evanuit: alia quædam dicendi molliora, ac remiſſiora genera, viguerunt. Inde Demochares, quem ajunt ſororis filium fuiſſe Demoſthenis: tum Phalereus ille Demetrius, omnium iſtorum, meâ ſententiâ, politiſſimus, aliique eorum ſimiles extiterunt.* Floruit verò Demetrius circa Olymp. CXV ut Euſebius in Chronico teſtatur.

Poſt ea tempora pauci admodum diſerti celebrantur. Inter eos, quorum nomen ad nos pervenit, eſt Diophantes Mitylenæus, Græciæ illis temporibus diſertiſſimus; ut de eo cenſet Cicero in Bruto: ex quo etiam cognoſcimus, hoc exquiſito dicendi magiſtro uſum fuiſſe Tiberium Gracchum. Floruit circa Olymp. CLVI.

Longeque majus Carneadis nomen fuit; qui, philoſophiam profeſſus, ſummæ tamen in dicendo facundiæ erat; eoque nomine inter ſophiſtas etiam recenſetur à Philoſtrato, ac Syneſio in Dione. Refert ex Apollodori Chronicis Laërtius, eum naturæ ceſſiſſe Olympiadis CLXII. anno quarto, cùm annos vixiſſet LXXXV.

At magis etiam langueſcere Suada Græcanica cœpit Athenis à Sulla captis, urbiſque mœnibus dirutis: quod accidit Olymp. CLXXIII. Quamquam verò Hadrianus Imp. multò poſt urbem mirè ædificiis exornarit, mœnia tamen ſub Valeriano inſtaurata demum fuere, idque ob Scytharum incurſiones: ut Euſebius refert priori libro operis chronologici, itemque Zonaras. Neque propterea exiſtimandum, poſt Syllæ tempora Athenis, aut in Græcia, omnimodam ab Oratoribus ſolitudinem fuiſſe. Nam contrarium inter alios evincunt nobiles illi oratores, quos Cicero Olymp. CLXXIV. & CLXXV. habuit, dicendi magiſtros. Eorum primus erat Molo Rhodius, de quo ita ipſe ſcribit in Bruto: *Eodem tempore Moloni dedimus operam: dictatore enim Syllâ legatus ad Senatum de Rhodiorum præmiis venerat.* Et poſt aliqua, cum narraſſet, ut poſt actam cauſſam pro Roſcio Amerino Athenas ſit profectus, atque ibi in philoſophia audierit Antiochum, iſta ſubjungit: *Eodem tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem & non ignobilem dicendi magiſtrum, ſtudioſe exerceri ſolebam. Poſt à me Aſia tota peragrata eſt, cum ſummis quidem oratoribus, quibuſcum exercebar ipſis lubentibus; quorum erat princeps Stratonicenſis, meo judicio, totâ Aſiâ illis temporibus diſertiſſimus: &, ſi nihil habere moleſtiarum, nec ineptiarum, Atticorum eſt; hic orator in illis numerari rectè poteſt. Aſſiduiſſimè autem mecum fuit Dionyſius Magnes: erat etiam Æſchylus Gnidius, Adramitenus Xenocles. hi tum in Aſia Rhetorum principes numerabantur. Quibus non contentus, Rhodum veni, meque ad eundem, quem Romæ audiveram, Molonem applicavi, cùm actorem in veris cauſſis, ſcriptoremque præſtantem, tum in notandis animadvertendiſque vitiis, & inſtituendo docendoque prudentiſſimum.*

Cap. XII.

Tertia Oratorum Græcorum ætas ſub Imperatoribus. Veſpaſiani erga Rhetoras ſtudium. Philoſtrati tres. Hermogenes

mogenes artis ſuæ oblitus. Herodes Atticus, & Ariſtides, diſparis naturæ; ille ſubitâ, hic præmeditatâ pollebat oratione. Juliæ Imperatricis ſtudium erga ſophiſtas. Luciani ætas. Lucianeæ vitæ ſcriptor, item eruditus Eunapii interpres notatus. Euſebii Cappadocis facundia. Honos Proæreſio habitus.

AUguſtæo verò ævo fuit Arellius Fuſcus, qui Aſiaticus erat *, ac Ovidium Naſonem † quoque habuit auditorem. Dicebat Suaſorias libentiſſimè: ac Latinè etiam declamabat; ſed Græcè frequentius, ut eſt apud Senec. Suaſor. IV.

* Senec. contr. 19.
† Idem contr. 10.

At Sabinus Clodius, eodem etiam die, Græcè, & Latinè, dicere ſolet: ſed ita, ut eruditis auribus neutiquam ſatisfaceret: unde Caſſius Severus, cùm ab auditione rediret, interrogatus, quid de eo ſibi videretur, venuſtè reſpondit, *Male*, καὶ κακῶς.

Contrà Ceſtius, ſectâ Epicureus, cognomento tamen Pius; item ſimius ejus, Argentarius, cùm uterque Græcus eſſet, neuter tamen Græcè unquam declamabat: ut eſt apud Senecam contr. XXVI.

Atque his quidem temporibus prope intermortua erat Græcanica eloquentia. Imò Claudii, & Neronis temporibus, quaſi jam ſepulta erat, ut Eunapius ait.

At reviviſcere iterum cœpit imperante Veſpaſiano: qui quanti eloquentiæ ſtudium fecerit, exinde diſcimus, quòd Latinis Græciſque Rhetoribus, quemadmodum Tranquillus teſtatur, conſtituerit annua centena; hoc eſt bis mille, & quingentos Philippeos. Hujus, ac filii ejus, Titi, temporibus, Philoſtratus ille fuit, cujus exſtant duo Iconum libri. Eos Atticè valde, & magnâ cum venuſtate ſcriptos eſſe, teſtatur alter Philoſtratus, cujus habemus ſingularem Iconum librum.

At magis etiam caput ſuum exeruit eloquentia, Domitiani, Nervæ, & Trajani ætate. Tum viguit Dion Pruſæenſis; cui facundia Chryſoſtomi nomen peperit. Item Nicetes Smyrnæus; qui judiciale genus ſophiſtico exornavit, & ſophiſticum roboravit juridiciali.

Mox etiam majora cœpit incrementa ſub Adriano: à quo Athenarum etiam urbs inſignibus, multiſque adeo ædificiis, aucta ornataque fuit, ut inſtauràſſe urbem diceretur: qua de re Pauſanias, & Xiphilinus. Hujus Adriani temporibus fuit Phavorinus, Dionis diſcipulus; & Nicetæ Smyrnæi auditor Scopelianus, quem Apollonius Tyaneus ipſe inter viros admirandos reponebat. Tum quoque vixit Phavorini, & Scopeliani auditor, Herodes Atticus, vir in extemporanea dictione feliciſſimus; quem Rufus Perinthius Ἑλλήνων γλῶτταν, καὶ λόγων βασιλέα, *Græcorum linguam, ac ſermonum regem*, appellabat: cujus etiam, ut Alexander Peliplato dicebat, ſophiſtæ omnes particulæ quædam videbantur. Iiſdem quoque temporibus floruere, Polemo, Dionyſius Mileſius, & Ariſtocles Pergamenus.

Exinde ſub Antonio Pio, & M. Aurelio, fuit Ælius Ariſtides; qui Smyrnæ, Polemonem Athenis, Herodem; Pergami, Ariſtoclem audivit; vir in dicendis, quæ præmeditatus foret, planè admirandus; ſed ad ſubitam dictionem minùs idoneus: quod ipſe ut excuſaret, ajebat, non eſſe ſe ex eorum numero, qui vomerent, ſed qui cum cura dicerent. Hujus æqualis Hermogenes fuit, quem annos natum ſexdecim Marcus Imp. audivit. Sed hic ætate provectior, artis ſuæ oblitus, vixit tanquam unus è multis: unde de eo Antiochus Sophiſta dicebat: Ἑρμογένης ὁ ἐν παισὶ μὲν γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς, *Hermogenes inter pueros quidem ſenex, inter ſenes verò puer.*

Poſt eos ſub Commodo floruit Adrianus Phœnix. Item Julius Pollux Naucratites; cujus etſi orationes perierint, eruditiſſimum tamen onomaſticum remanſit. Item Ariſtænetus Byzantius, diſcipulus Chreſti ejus, qui Herodis fuit auditor. Eum inter ῥήτορας εὐδοκίμους, *præclari nominis Rhetoras*, reponit Flavius Philoſtratus in vita Chreſti. Eoque videri idem poſſit illi, cujus epiſtolas primus edidit Sambucus. Sed huic obſtat ſententiæ, quòd veterem, & novam Romam, nominat epiſt. XXVI. unde liquidò conſtat, epiſtolarum illarum auctorem vixiſſe, poſtquam imperii ſedes à Conſtantino tranſlata erat Byzantium, quod exinde *nova Roma* dicebatur.

Cæterùm prope omnium, quos à Veſpaſiani temporibus enumeravimus, atque item aliorum quorundam, quos ſtudio omiſimus, Philoſtratus vitas perſcripſit. Eſtque is Philoſtratus ſecundus: quippe illius, cujus ſuprà meminimus, ex filia nepos. Hic poſteris reliquit Apollonii vitam, Heroica, epiſtolas, & Iconum librum unum. Sub Severo vixiſſe, Suidas teſtatur; atque hoc indicat ipſe vitæ Apollonii lib. I. cap. III. ubi iſtos à ſe libros ſcriptos ait poſtulato Juliæ Imperatricis, Severi uxoris, quæ, ut ibidem dicitur, τοὺς ῥητορικοὺς πάντας λόγους ἐπῄνει, καὶ ἠσπάζετο, *ſophiſtarum orationes omnes commendabat, atque amabat.* Ac Xiphilinus quoque in Nerone auctor eſt, delectari eam ſophiſtis ſolere. Vide & Joannem Tzetzem Chil. VI. cap. XLV. Præclarè verò Philoſtratus hic ſuum inter ſophiſtas locum tuetur. Eſt enim, Photii * judicio, * Pag. 44.
τὴν φράσιν σαφής, ἐπίχαρίς τε, καὶ ἀφελιστικός, καὶ βρύων γλυκύτητος, καὶ τῷ ἀρχαϊσμῷ, καὶ τῷ καινοπρεπεστέρῳ τῶν συντάξεων ἐμφιλοτιμούμενος, *Dictione fuit aperta, gratioſaque, ac conciſa, dulcedine affluens; ac cum ex priſcis loquendi formis, tum recentioribus elegantiis laudem quærens.*

Sophiſtis quoque annumerari debet Philoſtratus tertius, ſecundi ex Nerviano fratre majore nepos, & gener: qui Macrino imperante floruit. Hujus ſunt vitæ ſophiſtarum, etſi eos ſecundo tribuerit Suidas. Videſis diſſertatiunculam de Philoſtratis, quam V. CL. Jo. Meurſius epiſtolis Philoſtrati primitus à ſe vulgatis adtexuit.

Poterat verò Philoſtratus in ſophiſtis ſuis etiam reponere Lucianum Samoſatenſem, ſcriptorem Ἀττικώτατον, atque, ut Photii † verbis utar, λέξει ἐπισήμῳ τε καὶ κυρίᾳ, † Cap.
καὶ τῷ ἐμφαντικῷ διαπρεπούσῃ, κεχρημένον, *uſus dictione* 128.
illuſtri, propriâ, quaque deceat efficax genus dicendi. Cauſſas ſe aliquamdiu egiſſe, ipſe ſcribit apologiâ pro iis, qui mercede conducti ſerviunt: atque addit, fuiſſe ſe τοῖς μεγαλομίσθοις τῶν σοφιστῶν ἐναριθμούμενον, *annumeratum ſophiſtis grandis mercedis.* Ætate vixit Marci Aurelii, qui eum Ægypti conſtituit procuratorem. Ipſeque ejus muneris ſui mentionem ibidem facit. At, ut ego quidem cenſeo, planè ratio fugit virum eruditum, qui in Morelliana Luciani editione ſanè quàm eleganti, vitam ſcriptoris præfixit. Putat ille Luciani hujus filium eſſe Lucianum iſtum, ad quem exſtat epiſtola Juliani Imperatoris. Atqui, ab exceſſu Marci uſque ad imperium Juliani anni ſunt CLXXX.

Sed hiſtoriam, quam orſi ſumus, pertexamus, Galieni, Claudii, Taciti, Aureliani, & Probi temporibus, duo iſti, Paulus, & Andromachus Neapolites Syrus, fuere Eunapio ‡ teſte, τῶν ῥητορικῶν ἐπ' Ἀθήνησι προεστῶτες: quod doctiſſimus Had. Junius tranſtulit, *artis oratoriæ præſides*: at dicere debuerat, *oratorum Athenis potiſſimi.* ‡ In præfatione.

Ætate Conſtantini Magni vixit Sopater Syrus, vir in dicendo & ſcribendo eloquentiæ ſummæ.

Mox ſub filio ejus Conſtantio floruit Euſebius Cappadox; qui facundiâ ſuâ prope perſuaſerat Sapori Perſarum regi, ut tiara abjecta fieret privatus.

At denſa inprimis facundorum hominum ſeges exſtitit ſub facundiſſimo illo Juliano, qui Apoſtatæ nomine notior eſt. Tum inter alios Proæreſius fuit; cui ſtatua erecta hujuſmodi, REGINA REGUM ROMA REGI ELOQUENTIÆ. Tum quoque Libanius Antiochenus erat, cujus inſignem facundiam ex tot monumentis cognoſcimus, quæ ſuperſunt. Etiam iiſdem temporibus fuere, Euſebius Myndius, Hymerius Bithynus, Nymphidianus, Chryſanthius, atque alii; quorum vitas, Gratiani temporibus, Eunapius perſcripſit. Sed operæ etiam ſit conſulere Photium, & Suidam. Nos celebriores nominaſſe contenti ſumus. De cæteris digitum in fontem intendentes, à Græcis nunc ad Latinos properamus.

Cap. XIII.

Roma quando cœperit Rhetorice doceri. Ordearius Rhetor *quis. Ante Blandum equitem non alii, quàm libertini, Rhetoricen docebant. Rhetorice damnata Romæ. Quot prœliis Romana virtus fuerit ſuperior; quot item inferior. Muſulmanni Rhetoricen contemnunt. Declamatio ſcholaſtica ante Ciceronem haut invenitur. Primi apud Latinos Rhetorices ſcriptores. Vera inſcriptio librorum Ciceronis, qui de Inventione vocantur. Plures fuiſſe primitus contra Sanctium oſtenditur. Angelus Decembrius notatus. Variorum de ſcriptore ad Herennium judicia ſedulò congeſta. Rhetores Suetonio celebrati; atque alii, qui poſtea aliquo loco fuerunt.*

APud Romanos primus L. Plotius Gallus Rhetoricen docuit Olympiade CLXXIII. extremis nempe L. Craſſi temporibus, Cicerone etiamnum puero: ut ipſe Tullius ad Titinnium ſcripſit, atque ex eo Fabius lib. II. cap. IV. itemque Tranquillus lib. de claris Rhetoribus, ex quo etiam cognoſcimus, ut eum Cælius ordearium Rhetorem vocârit, irridens tanquam inflatum, ac quaſi ordeo paſtum. Huic alii ſucceſſere ſed item generis libertini; uſque ad Blandum, ſive Blandium potiùs: quâ de re ita Seneca præfat. lib. II. Controverſ. *Habuit Fabianus Blandum rhetorem præceptorem, qui eques Romanus Romæ docuit. Ante illum intra libertinos præceptores pulcherrima diſciplina continebantur: & minimè probabali more, turpe erat docere, quod honeſtum erat diſcere.* Quid mirum verò, ſi haut alii, quàm libertini, artem hanc primitus docere ſoleant: quando difficulter adeò eſt recepta? Quin tum ſenatuſconſulto C. Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſalla Coſſ. tum edicto Cn. Domitii Ænobarbi, & Livii Licinii Craſſi Coſſ. damnata prohibitaque eſt: quâ de re ejuſdem Tranquilli librum adi de claris Rhetoribus. Id autem tribuendum ævo iſti, quo, ut poëta Sulmonenſis* fidem fecerit:

* *Lib. 3. Faſt.*

> *Qui bene pugnabat, Romanam noverat artem:*
> *Mittere qui poterat pila, diſertus erat.*

Hinc Varro Bimargo: *Avi & atavi noſtri, cùm allium ac cæpe eorum verba olerent, tamen optimè animati erant.* Nempe in unum hoc à Romanis tum temporis elaboratum fuit, ut à ſociis, vel etiam hoſtibus, addiſcerent, quæ leges, & militarem ſpectarent diſciplinam; qua re factum eſt, ut quidem eo nomine infelices fuerint, quòd literarum cultura tam diu caruerint, atque eo infeliciores, quòd ſe ignorarent infelices: interim tamen eâ ſint felicitate uſi in rebus bellicis, ut quingentis illis annis, qui à primo conſulatu numerantur ad Auguſti obitum, è quingentis quinquagina prœliis, quot commiſiſſe docent rei militaris ſcriptores, quadringenties quadragies victores diſceſſerint, ac prælis† quidem aliquot fuerint ſuperati, ſemper tamen bello fuerint ſuperiores. Sed & culpam hanc altero mantili quodammodo detergent; quòd poſtquam ferociam iſtam aliquantum exuêre, tam avidè arripuerunt ſtudium hoc oratorium, ut cum demum Cicerone puero Olympiade CLXXIII. Plotius Romæ Latinam induxerit Rhetoricen, quemadmodum diximus; tamen paullatim tanta Rhetorum, atque Oratorum, profluxerit copia, ut numero videantur ipſam poſſe Græciam provocare. Fortaſſe ſimiliter Muſulmanni (ita ſanè eos vocemus, quandoquidem hac gaudent appellatione, ac à Turcarum nomine planè abhorrent) fortaſſe, inquam, & hi, manſuetiores aliquando facti, Rhetoricen amplectentur; quam è diſciplinis liberalibus ſolam hodie tantopere adverſantur.

† *Livius lib. 9 ubi judicium promit de Alexandro, ſi Aſiâ perdomitâ arma in Europam vertiſſet.*

Quemadmodum autem primus Rhetoricen docuit Romæ Plotius: ita primus, qui de arte Rhetorica quædam ſcripſerit, eſt M. Cato Cenſorius‡: quædam etiam inchoavit M. Antonius*. Secuti eos mox alii, ſed minùs nobiles: quos inter L. Otacilius Pilitus, Cn. Pompeji in Rhetoricis præceptor, de quo Tranquillus. At maxima arti incrementa fuere à M. Cicerone, quamquam longè meliore oratore, quàm rhetore. Exſtant varii ejus hac de arte libri: quos inter ordine primi ſunt *libri Rhetoricorum:* quomodo hi, qui de Inventione vulgò inſcribuntur, cùm à Fabio nominantur lib. II. cap. XV. & alibi paſſim; tum Priſciano lib. IX. At vulgatam ἐπιγραφὴν non eſſe à Tullio, clarè arguit, quòd non de ſola in iis Inventione egerit. Siquidem ipſe ſub exodium lib. II. indicat, plures ſe, quàm duos, ſcripſiſſe Rhetoricorum libros: neque ſolam Inventionis doctrinam, ſed alia quoque iis explicaſſe. Non attendit hoc vir doctiſſimus, Gaſpar Sanctius, Theologus Hiſpanus, initio commentariorum in Acta Apoſtolica; ubi, ut defendat, probe à Luca dici, τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην, Latineque loqui interpretem, cùm vertit, *primum quidem ſermonem feci:* tuetur utrumque patrocinio optimi patroni Marci Tullii, qui lib. II. de Inventione ſcripſerit; *In primo libello diximus.* Ubi haut aliter, ac fit in illo Evangeliſtæ loco, ſuperlativo utatur Cicero, etſi, ſi Sanctio credimus, inter duos fiat comparatio. Sed falli in eo eruditiſſimum virum, ex iis liquet, quæ antè diximus.

‡ *Fab. lib. 3. c. 1.*
* *Idem ibidem.*

Præter verò iſtos Rhetoricorum libros, exſtant ejuſdem De Oratore ad Quinctum Fr. libri III, Brutus, ſive de claris Oratoribus, Orator ad Brutum, Topica ad Trebatium, Præfatio de optimo genere Oratorum, & Partitiones Oratoriæ; quas, levibus nimis conjecturis adductus, Ciceroni abjudicat Angelus Decembrius*.

* *Lib. 1. de politia liter. part. 10.*

At contrario in errore verſantur, qui eidem adſcribunt libros IV. Rhetoricorum ad Herennium. Nam (ut obiter, quæ varia lectione hoc de ſcriptore obſervavimus, unum in locum congeramus) Marco quidem Ciceroni illos tribuunt B. Hieronymus† in Abdiam, quæ ad Pammachium, Priſcianus lib. VI. VII. IX. & X. è junioribus verò Leonardus Aretinus in vita Ciceronis, Trapezuntius primo Rhetoricorum, Laurentius Vallenſis‡. Angelus Politianus, & Udalricus Zaſius proœmio comment. in hunc magiſtrum Herennianum: operoſeque idem defendunt Nicolaus Angelius, Marinus Becichemus*, Georgius Valla Placentinus†. Sed hanc ſententiam refutat Angelus Decembrius lib. I de politia literaria part. X. Corradus in Quæſtura, & Franciſcus Floridus lib. I. Subſicivarum cap. IV. Sed quem eorum putent auctorem, non exponunt. Nonnulli, non levibus adducti conjecturis, Cornificio tribuunt: quem Rhetorica ſcripſiſſe Fabius docet lib. III. cap. I. & alibi. Eam ſententiam oppugnat Marcus Mattius. Contrà eſſe eorum auctorem Cornificium, perſuaſum fuit Petro Victorio, Paullo Manutio, Majoragio, Mureto, Sigonio, ac Riccobono; cujus hac de re exſtat tractatus adverſus Marium Mattium. Raphaël quoque Regius, vel Cornificii eſſe putat, vel Virginii Rufi, vel Timolai: qui unus è triginta Romanorum tyrannis fuit: at Virginius temporibus Neronis juventutem in eloquentiæ ſtudio exercebat, ut auctor eſt Tacitus annali XV. eumque de arte Rhetorica ſcripſiſſe, Fabius ait lib. III. cap. I. ac meminit illius etiam Plinius epiſt. I. lib. II. deque eodem Tranquillus egit libro de claris Rhetoribus, ut mox dicemus. Aliis quoque auctor videtur M. Gallio, quem inter Rhetoras reponit rhetor Seneca, ac meminit quoque ejus auctor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ: Gallioni quidem diſertim tribuit Julius Scaliger oratione pro Cicerone contra Eraſmum, & lib. III. de re poëtica cap. XXXI. & XXXVI. Denique Naſcimbænius in lib. II. Cic. de Inventione vult, aut Ciceronis filium auctorem eſſe, aut Lauream ejus libertum; qui & ipſe Cicero vocabatur, eoſque libros ſcripſiſſe potuit, ut perficeret oratoriam artem, cujus partem tantùm tractârat Cicero in duobus, ut ait, de Inventione libris. In hoc diſſenſu, nos iis accedimus, qui Cornificii eſſe arbitrantur; idque iis compulſi, quæ à Riccobono, & aliis, adducuntur. Sed quis iſte Cornificius? num L. Cornificius qui Cæſaris quæſtor fuit bello civili, & pro Prætore miſſus in Illyricum, teſte Cæſare Libro IV, quique Cæſare interemto partes Se-

† *Præfat. comment.*
‡ *Antonius Marcellus.*
* *Epiſtolicarum quæſt. cap. 39.*
† *Præfat. comment. in Cic. Partit.*

Senatus ſecutus, atque à Sextio in Lybiâ profligatus & cæſus fuit, ut eſt apud Appianum in IV, & Dionem lib. XLVIII. Extant ad eum epiſtolæ Ciceronis lib. XII. Atque hunc patrem eſſe quatuor ad Herennium librorum cenſet Glandorpius in Onomaſtico. Sed mihi magis fit veriſimile, eſſe eorum authorem L. Cornificium Lucii filium, qui Octaviani Cæſaris partes ſecutus M. Brutum Cæſaris percuſſorem, Plutarcho teſte, pro tribunali accuſavit, ac bello Siculo Octaviano ſtrenuè operam navavit, favore denique Octaviani adhuc Triumviri Conſulatum eſt adeptus anno Iↄ CCXIX.

Quod ſi iccirco, quia Tullii nomen à tot retro ſeculis prætulerint, & tamen nobilis illius oratoris eſſe non poſſint; aliquis cum Naſcimbænio ſuſpicetur, eſſe unius è Ciceronis libertis: equidem non Laureæ Tullii eſſe dixerim, cujus in Ciceronis villam verſus habemus in Catalectis Virgilianis (nec enim, quod ſciam, eum inter hujus artis doctores veterum repoſuit quiſquam) ſed Tullii Tironis; quem inter Rhetoras nomen habuiſſe, conſtat ex Plinii Veronenſis lib. II. ac fuit is quoque inter eos, de quibus egit Tranquillus libro de Claris Rhetoribus: ut mox parebit.

Ciceronis ævo etiam vixit Elpidius, M. Antonii, & Auguſti præceptor. Item Sextus Clodius Siculus, cujus Cicero meminit in Philippicis. De utroque vide Tranquillum. Uti & de Cajo Albucio Silo Novarienſi, qui Auguſtæo ævo in Contubernio egit L. Munacii Planci Oratoris M. Ciceronis diſcipuli. Sed de aliis quoque Rhetoribus ſcripſerat Suetonius: uti docet catalogus, quem in utriuſque Manuſcripti ſui principio reperit Achilles Statius Luſitanus. In eo enim præter iſtos, quorum in reſiduo fragmento mentio fit, undecim iſti nominantur: L. Ceſtius Pius, M. Porcius Latro, Q. Curtius Rufus, L. Valerius Primanus, Virginius Flavus, L. Statius Urſulus, P. Clodius Quirinalis, M. Antonius Liberalis, Sextus Julius Gabinianus, M. Fabius Quinctilianus, Tullius Tiro. Ceſtius ille, quem primo loco ponit hæc ſeries. Smyrnæus vocatur ab Hieronymo in Chronico Euſebiano. Etiam M. Seneca Græcum hominem appellat: ſed Græcè nunquam declamaſſe ait: quemadmodum & Euſebius Latinè eum dicit Rhetoricen Romæ docuiſſe. Quinctus ille, qui Virginius Flavus hic vocatur, dictus videri poſſit Virginius Flaccus, quomodo vocatur à veteri Perſii Scholiaſte *, quem edidit Pithæus. Sed hic quoque *Flavum* eſt in codice vetuſto B. Vulcanii; ut ad XV. Annalium Taciti Lipſius teſtatur. Sextus Julius Gabinianus, qui antepenultimum obtinet locum, etiam memoratur ab Hieronymo in Chronico Euſebiano, & præfat. lib. VIII. in Jeſaiam. Aliorum etiam, qui nunc apud Suetonium non leguntur, in iiſdem Chronicis mentio fit. Sed præter iſtos, quos diximus, etiam de rhetorica arte ſcripſerunt, Stertinius, Celſus, Lenas, & poſt eos Gallio, ut docet Fabius lib. III. cap. I. Item Plinius. Adhæc Viſellius, nec non P. Rutilius Lupus: illum non negligentis auctoris elogio ornat Fabius lib. IX. cap. II. hunc ibidem ait, quatuor Gorgiæ libros, non Leontini, ſed alius ſui temporis, in unum contraxiſſe: unde liquet, non eſſe ab auctore vulgarem illam diſtributionem, quâ duos faciunt Rutilii libros. Sed de hoc etiam in Oratoriis diximus, lib. V. cap. III. quo loco de Συμπλοκῇ agimus.

* In vita Perſii.

Omnium verò curam atque induſtriam vicit Quinctilianus, qui primus Romæ ſcholam publicam & ſalarium è fiſco accepit. Hunc ſcriptorem primus in Concilio Conſtantienſi reperit Poggius Florentinus, ac primus medicam manum admovit Guaſparinus Bergomas, ut eſt apud Volaterranum lib. XXI. Omnino magni eſt judicii rhetor, utcunque ejus de poëtis cenſuræ inſultet Barthius Adverſariorum lib. XLVIII. cap. 19.

Poſt Fabium ſcripſiſſe videntur, cùm Aquila Romanus, tum Julius Rufinianus; quorum de figuris elocutionis libelli ſæpius ſunt recuſi: ut mirandum ſit virum multijugæ lectionis Ulyſſem Aldrovandum †, ut Aquila etiam Rhetoris nomen eſſe oſtendat, confugere ad autoritatem Petri Victorii, qui ejus meminerit commentario ſuo in Demetrium Phalereum. Putatur vero Aquila Romanus librum Figurarum ex Alexandro Numenio ſcripſiſſe: ut Alexander iſte Numenius ſit idem ille, cujus liber de Figuris Græcè editus eſt ab Aldo. Geſnerus T. I. bibliothecæ fol. 586. Neque aſpernandus eſt rhetor Curius Fortunatianus, qui Hermagoreorum doctrinam ſcitè expreſſit: Kirium video appellari à Petro Fabro lib. II. Agoniſticon, cap. XXXII. de quo etiam diximus aliqua Orat. inſtitutionum lib. I. cap. I. Laudabitis & opera Marii Victorini, cujus commentarii extant in Ciceronis libros Rhetoricorum. Is vulgo præceptor creditur B. Hieronymi: ſed eam opinionem in vitâ hujus S. patris ſatis refellunt Deſiderius Eraſmus & Hieronymus Reatinus; quarum hanc etiam apud Surium habes T. V. die XXX. Septembr. Nec contemnendus Sulpitius Victor, cujus habemus inſtitutiones oratorias ad M. Silonem generum ſcriptas. Emporius etiam Rhetor Latinus ſeparatim cùm de ethopœïa ac loco communi, tum de genere Demonſtrativo ac Deliberativo præcepta conſcripſit. Vixiſſe eum quo tempore in Italiâ reges dominabantur, conjecturâ cùm ex eo aſſequi licet, quòd regis potiùs regiæque poteſtatis tantopere Romanis exoſæ, quàm Imperatoriæ dignitatis exempli loco meminiſſe malit; tum quòd ſcribat ſuo ævo Demonſtrativæ materiæ appellationem inveteratâ eſſe ignoratione ſublatam. Nam hinc liquidò patet eum eſſe Caſſiodoro juniorem, qui ſcribit nullum genus feliciùs aut ſæpius tractari in ſcholis, idque quia ſit commune omni dicendi generi. Minimè quoque prætereundus Julius Severianus, cujus ſyntomata à ſe primum in lucem protracta eſſe, putavit Lucas Fruterius; idemque in Fruterii elogio ſcripſit Aubertus Miræus, & nos aliquando in Oratoriis noſtris: ſed pôſt incidimus in exemplar ab Oporino longè antè excuſum, & quidem non paucis locis emendatius. Etiam exſtant Rhetoricæ præceptiones Martiani Capellæ, Ruffini, B. Auguſtini, Priſciani, Caſſiodori, Bedæ, Iſidori, Alcuini, & anonymi cujuſdam.

† Lib. 1. [illegible] p. 20.

Ac ne quidem multò poſt horum tempora defuerunt, qui eâ de arte tractarent: uti circa annum CIↄCC Galfridus Vineſauf, ſive de vino ſalvo: vir, pro barbaro illo ſeculo, comtæ & floridæ eloquentiæ: qui, quemadmodum de eo teſtatur Jo. Lelandus, opus de arte dicendi ad Innocentium III. ſcripſit proſâ & carmine, quod incipit, *Neuſtria ſub clipeo regis defenſa Richardi.* Plura de eo Balæus in ſcriptoribus Britannicis cent. III. c. XXXVIII. Idemque Balæus ejuſce centuriæ cap. XXXVI. refert, ut *De Tropis & ſchematibus* ſcripſerit Alexander Nequam, ſive, ut poſtea vocari voluit, Neckam, cujus tumulo inſcriptum erat.

Dictus erat Nequam, vitam duxit tamen æquam.

Vixit anno CIↄCCXXVII. Ac vix viginti annis pôſt floruit Vincentius Bellovacenſis, qui de Rhetoricis tractat lib. III. Speculi doctrinalis. Alios etiam, cùm apud Balæum, tum alios legere eſt. Sed jure iſtos mitto: quia fruſtra ſit, qui à barbaris illis ſeculis eloquentiam haurire ſe poſſe ſperet.

CAP. XIV.

De Oratoribus Latinis, uſque ad Ciceronem. Mos laudandi in funere, quàm antiquus. Cethegi ex Ennio laus. Ennius fortean apud Ciceronem emendatus. Tergemina laus priſci Catonis: Lælius & Scipio comparantur. Quid Galba debeat Romana facundia. Cur vis, quæ in dicente ſentiebatur, in ſcriptis abfuerit. Quò eloquentiam promoverit Lepidus Porcina. Gracchorum facundia. De Craſſo, Antonio, Catulo, Julio Strabone. Cur Ciceronis in tribus de Oratore libris nulla in loquendo ſint partes Hortenſii memoria, & facundia. De Cælio, Cæſare Dictatore, Callidio, Cicerone.

ATque hæc de iis dicta ſunto, qui apud Latinos artem Rhetoricam docuerunt. Ad Oratores nunc accedo. Ho-

Horum initium ducitur ab iis prope temporibus, quibus reges ſunt exacti. Nam L. Junium Brutum funebri oratione decoravit collega ejus P. Valerius. Imò dubitat Halicarnaſſenſis *, utrùm hunc morem inſtituerit primus, an à regibus inſtitutum fuerit ſecutus. Nec multò pòſt eluxit facundia Menenii Agrippæ, de quo Livius lib. II. ab V. C. Circa annum Urbis CCCCLXXIV. celebratur Appius Claudius Cæcus: qui cùm de pace cum Pyrrho ineundâ ageretur; lecticâ in Senatum delatus, gravi oratione turpes pacis conditiones diſcuſſit. Oratio ea exſtat apud Plutarchum. Iiſdem temporibus vixit C. Fabricius, qui de captivis recuperandis ad Pyrrhum miſſus fuit orator.

[* *Lib. 5. Rom. Antiq.*]

Tempore belli Punici ſecundi floruit M. Cornelius Cethegus, cujus facundiam celebrat apud Tullium † Ennius annali nono:

[† *In Bruto.*]

Additur orator Corneliu' ſuaviloquenti
Ore Cethegus Marcu', Tuditano collega,
Marci filius: is dictus popularibus ollis ‡,
Qui tum vivebant homines, atque ævum agitabant,
Flos delibatus populi, Suadæque ‡ *medulla.*

Ita enim eos verſus emendo: etſi in omnibus, quos vidi, codd. legatur:

—— is ollis dictus popularibus olim.

Nempe errorem hunc peperit, quod imperiti librarii putarint ex OLLIS fieri debere OLIM: unde cùm in aliis OLIM, in aliis OLLIS, legi cœpiſſet, vel alterum ad oram notaretur: utrumque tandem receptum fuit, quantumvis verſus alterum tantùm admittat.

[‡ *Si lectio hic expreſſa quam pag. ſeq. tuemur, minus placet, vide an præſtet, Filiu' Marci ollis dictus popularibus olim. Sane Gellius lib. 12. cap. 2. omittit illud is, & videtur eſſe à Cic. qui diviſim verſus iſtos citat.*]

[‡ Suadai *malim, quomodo apud Fabium legitur lib. 2. cap. 16.*]

Tempore verò tertii belli Punici vixere Cato Cenſorius, Scipio Africanus minor, & C. Lælius. Marci Catonis tergemina hæc laus fuit, quòd optimus eſſet ſenator, optimus orator, optimus imperator: ut Plinius teſtatur lib. VII. cap. XXVII. Imò *Romanus* vulgò *Demoſthenes* dicebatur. De C. Lælio, & P. Scipione, tale Ciceronis judicium fuit, utrumque viguiſſe: & laude bellicâ: & eloquentiâ: neutrâ verò Scipionem Lælio ceſſiſſe: ſed quia is hominum mos eſt, ut eundem nolint rebus pluribus excellere; ad bellicam verò Africani laudem aſpirare nemo poſſit: exinde provenire, ut priores in eloquentia Lælio deferant.

Nec omittendus nobis eorum temporum orator P. Semphronius Tuditanus, quem facundiſſimum eſſe habitum auctor eſt Livius lib. XXIX. Cicero tamen præterit in Bruto ſuo: quod jure miratur Franciſcus Floridus Sabinus lib. I. Subciſivarum Lect. cap. XIV.

Eâdem ætate fuit Servius Galba, de quo multa Tullius: *Galba*, inquit *, *fuit inter æquales unus excellens, cui, quemadmodum accepimus, & Cato cedebat ſenior, & qui temporibus illis ætate inferiores fuerunt.* Eodem opere ſic de eo ſcribit: *Ser. Galba eloquentiâ præſtitit: & nimirum is princeps ex Latinis illa oratorum propria, & quaſi legitima opera tractavit, ut egrederetur à propoſito ornandi causſâ, ut delectaret animos, aut permoveret, ut augeret rem, ut miſerationibus, ut communibus locis uteretur.* Ex eodem diſcimus, ut in Lælio elegantia, in Scipione majeſtas; ita in Galba vim fuiſſe. Sed in dicendo quidem hæc ſentiebatur; à ſcriptis verò aberat. Cujus ratio eſt, quòd affectus dicentem accendebat: at cùm otioſus ſtylum prehenderat, quia motus animi, tanquam ventus, hominem defecerat, planè flacceſſebat oratio.

[* *In Bruto prope finem.*]

Lepidus poſtea fuit, de quo ita Cicero ibidem: *At verò M. Æmilius Lepidus, qui eſt Porcina dictus, iiſdem temporibus ferè, quibus Galba, ſed paullò minor natu, & ſummus orator eſt habitus; & fuit, ut apparet ex orationibus, ſcriptor ſanè bonus. Hoc in oratore Latino primùm mihi videtur, & lenitas apparuiſſe illa Græcorum, & verborum comprehenſio, etiam artifex, ut ita dicam, ſtylus.*

Continuò iſta Tullius ſubjungit: *Hunc ſtudioſè duo adoleſcentes ingenioſiſſimi, & prope æquales, C. Carbo, & T. Gracchus, audire ſoliti ſunt.* Et aliquanto pòſt: *Utinam in Tiberio Graccho, Cajoque Carbone, talis mens ad Remp. bene gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit: profectò nemo his viris gloria præſtitiſſet.* Eſt poſt pauca: *Fuit uterque ſummus orator, atque hoc memoria patrum teſte dicimus. Nam, & Carbonis, & Gracchi, habemus orationes, nondum ſatis ſplendidas verbis, ſed acutas, prudentiaque pleniſſimas.* Multa quoque alia addit, quæ apud eum legi poſſunt. Aſſentit quoque Plutarchus *, qui Tiberium Gracchum fuiſſe ait καταστηματικὸν, ἐπαγωγικὸν οἴκτου, ἡδὺν τῇ λέξει, καθαρὸν, καὶ διαπεπονημένον ἀκριβῶς, *Sedatum, ac mitem, egregium cienda miſericordia artificem, dictione ſuavem, purum, & exquiſitè elaboratum.*

[* *In Gracchis.*]

Tiberio Graccho ſuccedat frater ejus C. Gracchus, de quo ſic idem Cicero †: *Ecce in manibus vir, & præſtantiſſimo ingenio, & flagranti ſtudio, & doctus à puero, C. Gracchus: noli enim putare quemquam pleniorem, & uberiorem ad dicendum fuiſſe.* Et mox: *Damnum illius immaturo interitu res Romana, Latineque literæ fecerunt. Utinam, non tam fratri pietatem, quàm patriæ, præſtare voluiſſet. quàm ille facilè tali ingenio diutius ſi vixiſſet, vel paternam eſſet, vel avitam gloriam conſecutus! Eloquentiâ quidem neſcio, an habuiſſet parem neminem: grandis eſt verbis, ſapiens ſententiis, genere toto gravis.* Hoc dicente, populus Romanus præ gaudio videbatur συνενθουσιᾶν, καὶ βακχεύεσθαι, *lymphatorum inſtar divino afflari furore, ac bacchari.* Ut Plutarchus ‡ ait: præ hoc Graccho etiam oratores alii nihil à pueris differre videbantur: ut idem teſtatur. Qui etiam auctor eſt, hunc primum inter dicendum inambulaſſe in Roſtris, togamque de humeris rejeciſſe; ad exemplum Athenienſis Cleonis ‡, qui deducto pallio nudatum percutiebat femur.

[† *In Bruto.*]

[‡ *In Tib. & C. Gracchis.*]

[‡ *Quintil. lib. 11. cap. 3.*]

Exinde L. Philippus fuit, cujus ſummam eloquentiam Cicero prædicat in Bruto. Iiſdem quoque temporibus magnum nomen erat Lucii Craſſi, M. Antonii, Q. Catuli, & C. Julii Cæſaris Strabonis: quorum primus mortuus eſt anno ab V. C. IƆCLXII. tres reliqui à Marianis interfecti ſunt quadriennio pòſt. Ac Craſſus quidem eloquentium putabatur juriſperitiſſimus; ut P. Sulpicius, qui iiſdem temporibus vixit, juriſperitorum eloquentiſſimus. In Antonio λόγων δεινότητα, καὶ χάριν, *Orationis veneres ac leporem* etiam Plutarchus * commendat. In Catulo præcipuè erat laus incorrupti ſermonis, & gravitas ſingularis. Idem librum de conſulatu, & de rebus à ſe geſtis, Xenophonteo genere ſermonis perſcripſit. C. Julius, ut in Bruto ſuo Cicero ait, *orator fuit, minimè ille quidem vehemens, ſed nemo unquam urbanitate, nemo lepòre, nemo ſuavitate conditior.* Præter orationes etiam tragœdias ſcripſit; ſed in quibus lenitatem ſine nervis perſpici poſſe, ibidem Cicero dicat. Adraſtum ejus citat Feſtus †; Tecmeſſam, Marius Victorinus.

[* *In Mario.*]

[† *Voce Prophetæ.*]

Iſtis ſenibus adoleſcentes erant C. Cotta, & P. Sulpicius: quorum hic (Ciceronis ‡ verba ſunt) *Craſſum volebat imitari, Cotta malebat Antonium: ſed ab hoc vis aberat Antonii, Craſſi ab illo lepos.*

[‡ *In Bruto.*]

Neque abs re fuerit, ſi addamus, quâ occaſione hos loquentes inducat Cicero in præclaro opere trium librorum de Oratore. Anno ab V. C. IƆCLXII. Ludis Romanis (qui à pridie Non. uſque ad Idus Septembres eſſe ſolent) Craſſus ſe cum Cotta, ac Sulpitio, contulerat in Tuſculanum: quibus cùm primùm Scævola, & Antonius, mox Catulus, & Julius, acceſſiſſent; habita eſt nobilis illa de oratore diſputatio: quam Cicero, à Cotta, ut ait, narratam ſibi, jam ſenior libris tribus comprehendit. Prudenter verò, quia cùm iſte ſermo haberetur, tantùm annorum erat XX. Romæque etiamnum Moloni operam dabat; nullas in loquendo partes ſibi aſſignavit: quam ipſe rationem adfert lib. XIII. epiſt. ad Att. *Puero me*, inquit, *hic ſermo inducitur, ut nullæ eſſe poſſent partes meæ.*

Pleroſque horum, quos proximè diximus, & quoſdam quibus hi pares vel ſuppares fuere commemorat quoque

Ammi-

Ammianus Marcellinus lib. xxx. Cum enim de Oratoribus Græcis egiſſet, hæc ſubjungit: *Nec minus apud Romanos Rutilii & Galbæ & Scauri vita, moribus frugalitateque ſpectati.* Et quæ ſequuntur.

Poſt Mariana, Cinnana, ac Syllana etiam tempora, præter Cottam, ac Sulpicium, de quibus diximus, viguerunt Q. Hortenſius, C. Curio, C. Licinius Calvus, M. Cælius, M. Callidius, C. Julius Cæſar, & M. Tull. Cicero. De Hortenſio auctor eſt Tullius *, L. Craſſo & Q. Scævolâ coſſ. primùm in foro dixiſſe, annos natum undeviginti, mortuumque eſſe L. Paullo, & C. Marcello coſſ. ex quo vedere ſit, eum in patronorum numero annos quatuor & xl. fuiſſe. Quantus fuerit orator, idem his verbis oſtendit: *Hortenſius, cùm admodum adoleſcens orſus eſſet, celeriter ad majores cauſſas adhiberi cœptus eſt: quamquam inciderat in Cottæ & Sulpicii ætatem, qui annos decem majores, excellente tum Craſſo, & Antonio, deinde Philippo, poſt Julio, cum iis ipſis dicendi gloriâ comparabatur. Primùm memoriâ tantâ, quantam in ullo cognoviſſe me arbitror; ut quæ ſecum commentatus eſſet, ea ſine ſcripto verbis eiſdem redderet, quibus excogitaviſſet. hoc adjumento ille tanto ſic utebatur, ut ſua commentata, & ſcripta, & nullo referente omnia adverſariorum dicta meminiſſet. Attuleratque minimè vulgare genus dicendi: duas quidem res, quas nemo alius; partitiones, quibus de rebus dicturus eſſet, & collectiones; memor & quæ eſſent dicta, contra quæque ipſe dixiſſet. Erat in verborum ſplendore elegans, compoſitione aptus, facultate copioſus: eaque erat, cum ſummo ingenio, tum exercitationibus maximis conſecutus. Rem complectebatur memoriter, dividebat acutè: nec prætermittebat ferè quicquam, quòd eſſet in cauſſa, aut ad confirmandum, aut refellendum. Vox canora, & ſuavis; motus, & geſtus etiam plus artis habebat, quàm erat oratori ſatis.*

* In Bruto.

De C. Curione idem ſcribit, *quod veriſimile dixiſſet, ita facilè ſolutèque verbis volviſſe, ſatis interdum acutas, crebras quidem certè ſententias, ut nihil poſſet ornatius eſſe, nihil expeditius. Atque hic à magiſtris parùm inſtitutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum.* Sed, ut inibi dicitur, æſtu non inſolitæ adoleſcentibus gloriæ abſorptus fuit.

At C. Licinius Calvus (ut idem ait) *orator fuit, cùm literis eruditior, quàm Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi & exquiſitius afferebat genus.* Plura ibidem de eo legas. Diu verò cum Tullio de eloquentia certavit. Sed præpropera mors litem diremit. Nam xxx. ætatis anno obiit. Præcipuè ejus in Vatinium orationes celebrantur, quas ſæpius citat Fabius, ac meminit quoque earum Catullus Epigr. LI. Uſque adeò verò accuſator erat vehemens, ut eo orante in mediâ concione ſurgeret Vatinius, ac diceret, *Rogo vos, Judices, num ſi iſte diſertus eſt, ideo me damnari oportet?*

Calvo quem potius jungamus, quàm Brutum? quando uterque Atticum ſe oratorem dici volebat: Ciceronem vero, ut Aſiaticum nimis culparet. Quod ex Ciceronis Bruto obſcurum non eſt. Et pertinet eodem locus iſte in aureo dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Legiſti utique, & Calvi, & Bruti, ad Ciceronem miſſas epiſtolas; ex quibus facile eſt deprehendere, Calvum quidem Ciceroni viſum exanguem, & attritum; Brutum autem otioſum, atque disjunctum: rurſumque Ciceronem à Calvo quidem malè audiviſſe, tanquam ſolutum, & enervem, à Bruto autem, ut ipſius verbis utar, tanquam fractum, atque elumbem.* Contra eſt, Cicero potius otioſus. Fabius lib. x. cap. I. *Attici præciſis concluſionibus obſcuri, Salluſtium atque Thucydidem ſuperant: triſtes ac jejuni, Pollionem æmulantur:* OTIOSI *& ſupini, ſi quid modo circumduxerunt, jurant Ciceronem ita locutum fuiſſe.* Forte igitur apud Ciceronem pro *otioſum* legendum *obſcurum.*

Sed neque fas fuerit præterire, aut Marcum Cælium, aut Cæſarem Dictatorem: quorum priorem, ut ait Cicero *, *multum & ſplendida, & grandis, & eadem inprimis faceta, & perurbana commendabat oratio.* * In Bruto. De Cæſaris verò ſermone idem ſic judicat, *Cum ad elegantiam verborum Latinorum (quæ etiamſi orator non ſis, & ſis ingenuus civis Romanus, tamen neceſſaria eſt) adjungit illa oratoria ornamenta dicendi, tum videtur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Hanc cum habeat præcipuam laudem, in communibus non video cui debeat cedere ſplendidam quandam, minimeque veteratoriam, rationem dicendi tenet; voce, motu, formâ etiam magnificâ, & generoſâ quodammodo. Atque etiam commentarios quoſdam ſcripſit rerum ſuarum, valde quidem, inquam, probandos: nudi enim ſunt recti, & venuſti, omni ornatu orationis tanquam veſte detractâ: ſed dum voluit alios habere parata, unde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam; ineptis gratum fortaſſe fecit, qui volunt illa calamiſtris inurere: ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit.*

De utroque hoc, & Cælio, inquam, & Cæſare; ſed & de Bruto, & Calvo; item duobus illis, de quibus mox dicemus, Cicerone, atque Aſinio; præclarum judicium tulit ſcriptor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Quomodo*, inquit, *inter Atticos oratores prima Demoſtheni tribuuntur; proximum autem locum Æſchines, & Hyperides, & Lyſias, & Lycurgus obtinent; omnium autem conſenſu hæc oratorum ætas maximè probatur; ſic apud nos Cicero quidem cæteros eorundem temporum diſertos anteceſſit: Calvus autem, & Aſinius, & Cæſar, & Cælius, & Brutus, ſic verè & prioribus, & ſequentibus anteponuntur: nec refert, quod inter ſe ſpecie differant, cum genere conſentiant. at ſtrictior Calvus, numeroſior Aſinius, ſplendidior Cæſar, amarior Cælius, gravior Brutus, vehementior, & plenior, & valentior Cicero: omnes tamen eandem ſanitatem eloquentiæ ferunt.*

Marci etiam Callidii multæ in dicendo laudes erant: quas cum Tullius † enumerâſſet, iſta ſubjungit: *Si eſt optimum ſuaviter dicere; nihil eſt, quod melius hoc quærendum putes. Sed cum à nobis paullò antè dictum ſit, tria videri eſſe, quæ orator efficere deberet, ut doceret, ut delectaret, ut moveret; duo ſummè tenuit, ut & rem illuſtraret diſſerendo, & animos eorum, qui audirent, devinciret voluptate. Aberat tertia illa laus, quâ permoveret, atque incitaret animos: quam plurimùm pollere diximus.* De hoc ita Hieronymus in Chronico Euſebiano ad annum II DCCCCLX. *M. Callidius orator clarus habetur, qui bello poſtea civili Cæſarianas partes ſecutus, cùm Togatam Galliam regeret, Placentiæ obiit.*

† In Bruto.

Ad Ciceronem nunc ordo nos perduxit. Fuere quidem alii quoque multi, qui partim ante Ciceronem, partim iiſdem temporibus, eloquentiâ, vel ſaltem dicendo, multùm valuerunt. Sed ſatis fore putavi, ſi potiſſimos excerperem. De cæteris qui volet, Brutum conſulat Ciceronis; in quo ſummus orator enumerat, quotquot Romæ ad illud uſque tempus nomen aliquod dicendo peperiſſent. De ipſo verò Cicerone eloquentiæ Romanæ facilè principe, apud antiquos, ac recentiores, tam plena elogiorum ſunt omnia, ut actum videar acturus, ſi in ejus laudes excurram, quem nemo ſanus vituperat; laudant verò, atque admirantur, & ſtupent, quicunque ipſam eloquentiam amant; adeò ut jam Cicero, non eloquens, ſed eloquentiæ ipſius nomen videatur.

Cap. XV.

De oratoribus Latinis poſt Ciceronem. Lugdunum, Galliarum caput, à quibus conditum. Meſſalla Corvini facundia. Malè ei tribuitur libellus de Auguſtorum familia. Ejus memoriæ morbus, ſive mors potius. Aſinii Pollionis vivacitas. De Paſſieno, Porcio Latrone, Caſſio Severo, Labieno, Quinctiliano parente ſive avo, Gabiniano, Aſinio Gallo. Servii error, & alterius magni viri. Senecæ ſuaſoria & controverſia nihil aliud,

aliud, quàm excerpta. Tranquilli lapſus. Tres M. Seneca filii. Gallionis ſtylus male apud nonnullos audiit. De Plinio Novocomenſi, & Frontone, & ſcriptore novemdecim declamationum, quæ Quinctiliano adſcribuntur, & Calphurnii Excerptis, & Mamertino, & aliis, qui ſub Chriſtianis Impp. floruerunt.

QUare ad eos nunc noſtra ſe conferat oratio, qui poſt Ciceronem vixerunt. Talis fuit Munatius Plancus, de quo ita B. Hieronymus in Chronico Euſebiano ad annum IV. Olymp. CLXXXVIII. *Munatius Plancus, Ciceronis diſcipulus, orator habetur inſignis, qui, cùm Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit.* Triumviris iſtis, Silano, Lepido, Planco, decreto Senatus, Lugodunum, ſive, ut poſtea dixere, Lugdunum, coloniam eſſe deductam, etiam apud Dionem legere eſt.

Eodem, hoc eſt Auguſtæo ævo, vixit M. Valerius Meſſala Corvinus, vir antiquæ nobilitatis, ut Triumviris etiam fuerit formidabilis: ſed pacatis rebus ſummæ erat auctoritatis, adeò ut per eum potiſſimùm voluerit Senatus Auguſtum, patrem patriæ appellari. Exſtat ad illum panegyricus Tibulli. Diſertiſſimum virum appellat L. Seneca in ἀποκολοκυνθώσει. Tacitus, ſive Fabius, dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ, Cicerone mitiorem, & dulciorem, & in cauſſis magis judicat elaboratum. At cave metiaris ex libello de Auguſtorum familia, qui illi adſcribi, & L. Flori hiſtoriæ adjungi ſolet. Eſt enim ſuppoſititius, ac planè tanto viro indignus. Scriptor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ vixiſſe ait ad medium uſque Auguſti principatum. Explevit annum ſeptuageſimum: ſed biennio ante obitum, omnium, atque adeò proprii quoque nominis, oblitus fuit: ut teſtatur Hieronymus in Chronico Euſebiano, idque Plinio præeunte lib. VII. cap. XXIV. & lib. IX. XXXIII. itemque XXXV, gemino in loco.

Ejuſdem ætatis eſt C. Aſinius Pollio, cujus aliquæ ad Ciceronem epiſtolæ exſtant *. Sed penè ad extremum Auguſti principatum duraſſe, ſcribit ſcriptor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ. Unde Valerius Max. lib. VIII. cap. XIV, eum appellat *numeroſæ vivacitatis haut parvum exemplum.* Hiſtoricus idem fuit, atque orator: ac utroque nomine celebratur ab Horatio lib. II. od. I. Inter alia ita compellat,

* *Lib.* 10. *epiſt. Cic. ad fam.*

Inſigne mœſtis præſidium reis,
Et conſulenti Pollio curiæ.

Magnus etiam in hoc ordine Paſſienus fuit, quem eloquentiſſimum, & ſui temporis principem oratorem, M. Seneca appellat Controverſ. XIII. Quanti nominis fuerit, etiam illud oſtendit, quòd Aſinius Pollio, cùm Paſſieno eum Auguſtus commendaret, nec curaret; interrogatus, quare non tanti viri gratiam complecteretur, reſponderit, ideo fieri, ut ne Paſſieni ſplendore fama ſua propiùs admota exſtinguatur, ut eſt apud eundem Contr. XXXIV.

Tum quoque erat M. Porcius Latro, de quo multa adeò M. Seneca, cum alibi, tum Præfat. lib. I. Controv. ubi & ſodalem, atque amicum ſuum fuiſſe, indicat. Admirabatur eum Ovidius ipſe, etſi diverſum ſequeretur dicendi genus: ut eſt apud eundem Controv. XI. Sub ejus nomine circumfertur declamatio in Catilinam, ſed tanto viro digna non eſt.

Quantus fuerit T. Caſſius Severus, oſtendit Seneca lib. III. epitomes declamat. & Quinctilianus lib. X. Scriptoris dialogi de Oratoribus tale de eo eſt judicium, *in magna parte librorum ſuorum plus vis habere, quam ſanguinis: primùm enim contemto ordine rerum, omiſſâ modeſtiâ, ac pudore verborum, ipſis etiam, quibus utitur, armis incompoſitum, & ſtudio feriendi plerunque dejectum, non pugnare, ſed rixari. Cæterum ſequentibus comparatum, & varietate eruditionis, & lepôre urbanitatis, & ipſarum virium robore, multum cæteros ſuperare.* Linguæ fuit procacis, ob quæ ſcripta ejus SC. ſunt damnata: ipſe exilio multatus, cujus anno XXV. obiit in ſumma inopia, vix panno verenda contectus; ut Hieronymus ait in Chronico Euſebiano ad annum Chriſti XXXIX.

Huic Caſſio Severo familiaris fuit Titus Labienus, idem hiſtoricus atque orator: cujus cùm libri, novo *pœnæ* genere, exurerentur; dixiſſe Severus fertur, *Nunc me vivum exuri oportet, qui illos edidici.* Liberâ verò adeò linguâ fuit, ut à maledicendi rabie Rabienus vocaretur.

Ad hæc quoque tempora referri debet Fabius Quinctilianus, non ille, cujus habemus Oratoriarum inſtitutionum libros, quem Galba demum Romam perduxit, ut B. Hieronymus in Euſebiano Cronico teſtatur: ſed ejus, ſive parens, ſive avus; cujus declamationes CXLV. à Tideo Ugolino primùm editas ex veteri codice reſtituit P. Pythæus. Meminit ejus M. Seneca Procemio libri X. * Controv. & Contr. IV. ejuſdem lib. Vide quæ ſcripſimus Oratoriarum Inſtit. lib. I. cap. XI. Quibus obiter addo, Gualterum Burleum (qui vixit anno CIƆCCCXXX.) libro de Vitis philoſophorum citare gnomas quaſdam ex Quinctiliani libris cauſſarum: ita appellat Declamationes ei tributas. Citatur & Quinctilianus de cauſſis in Gloſſario noſtro MS. voce *Vro.*

* *Lib.* 5. *edit. And. Schot.*

Huc quoque referendus Sextus Julius Gabinianus, cujus præter nomen nihil habemus ex Tranquilli libro de Rhetoribus. Meminit etiam M. Seneca, ſcriptor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ, Hieronymus in Chron. Euſebiano, & præfatione lib. VIII. in Jeſaiam: ubi ſic ſcribit, *Qui ſi flumen eloquentiæ, & concinnas declamationes deſiderant; legant Tullium, Quinctilianum, Gallionem, Gabinianum.*

Nobilis quoque orator fuit C. Aſinius Gallus, Aſinii Pollionis filius. Sed, quòd ſæpe uſu venit magnitudo patris filium non tam producebat, quàm obruebat: ut M. Seneca ait. Hunc Aſinium Gallum cum Cornelio Gallo confundit Servius in Ecl. X. ubi ſic ſcribit: *Hic eſt C. Aſinius Gallus orator, Aſinii Pollionis filius, qui ante omnes primus Ægypti præfectus fuit, eximius poëta: nam & Euphorionem tranſtulit in Latinum ſermonem, & amorum ſuorum de Cytheride libros ſcripſit quatuor.* At primus erat Ægypti præfectus Cornelius Gallus, poëta: qui cùm pyramidibus Ægyptiis nomen, & geſta ſua, curâſſet inſculpi, quod non alius erat, quàm qui rerum potiretur: affectatæ tyrannidis inſimulatus apud Auguſtum, propriâ ſe manu interfecit, Auguſto VIII. & T. Statilio Tauro coſſ. At Aſinius Gallus orator diu poſt Auguſtum ſuperſtes fuit. Nam XIX. Tiberii anno, Servio Sulpitio Galbâ, & L. Cornelio Gallo coſſ. ob παῤῥησίαν nimiam, damnatus, inque vincula conjectus, ac ſequentibus coſſ. fame excruciatus, & tandem jugulatus fuit: ut ex Tacito diſcimus. Quamquam verò non levis eſt error iſte Servii, non tamen tam ſpiſſus eſt, quàm putabat vir magnus Animadverſionibus ſuis in Euſebium. Nam ait, eum cum Cornelio Gallo confundere Aſinium Pollionem, qui conſul fuit cum C. Marcio Cenſorino, an. ab V. C. IƆCCXLV. Atqui cùm, & filium, & patrem, nominet Servius; (nam diſertim dicit *C. Aſinius Orator, Aſinii Pollionis filius*) nihil cauſſæ eſt, cur, Servio invito, verba ſequentia, *qui Ægypti præfectus fuit eximius poëta*, potiùs referamus ad patrem Pollionem, quàm filium ejus C. Aſinium Gallum, prout etiam in antiquis Fulvii Urſini numiſmatis appellatur. Nam inter Aſinium Gallum, & Cornelium Gallum, proclivior error fuit, quàm inter Aſinium Pollionem & Cornelium Gallum.

Præter eos, quos hactenus enumeravimus, alios etiam oratores, qui Auguſti ac Tiberii ævo vixerint, ſuggeret ſæpius jam memoratus eorundem temporum ſcriptor †, Marcus Annæus Seneca: qui nobis ex ſui ævi declamatoribus excerpta, atque, ut Græci vocarent, χρηστομάθειαν καὶ παρεκβολὰς dedit, idque ſtylo puro & ele-

† *Vide notas Schotti ad M. Senecam.*

eleganti, nec minori acumine judicii, quo egregiè uſus eſt in ingeniis, dictiſque eorum, cenſendis; ex quibus laudabilia iſta, ſedulæ inſtar apis, delibavit. Ad grandem verò ætatem perveniſſe, argumento eſt, quòd ipſe ſcribit, potuiſſe ſe vivâ voce declamantem audire Ciceronem in atrio illo, in quo duos illos grandes prætextatos ſolere ſecum declamare, Tullius ait. Eos prætextatos fuiſſe Hirtium & Panſam, ſenſit Tranquillus: ſed Hirtium, & Dolabellam, cœnandi magiſtros, declamandi diſcipulos, ſe habere, ipſe ait Cicero lib. IX. ad Pætum epiſt. XVI.

Tres verò huic Marco Senecæ Rhetori filii fuerunt. Unus eſt L. Annæus Seneca, philoſophus. Alter M. Annæus Novatus, qui Junii Gallionis nomen accepit, poſtquam adoptatus fuit à Junio Gallione, eo ad quem exſtat Ovidii El. XI. lib. IV. de Ponto. Tertius filiorum erat M. Annæus Mela, Lucani poëtæ parens. Ex iſtis Junius Gallio, quantus fuerit orator, ne pater quidem ejus patitur nos ignorare. Sic enim ſcribit præfatione lib. V. Controv. *Primum tetracolon quorum faciem quæritis? Latronis, Fuſci, Albutii Gallionis. Hi quoties conflixiſſent, penes Latronem gloria fuiſſet, penes Gallionem palma. Reliquos, ut vobis videtur, componite.* Dulcem quoque appellat Statius Papinius lib. II. Sylv.

Lucanum potes imputare terris,
Hoc plus, quàm Senecam dediſſe mundo,
Aut dulcem generâſſe Gallionem.

Scriptor dialogi de Oratoribus, ſive is Tacitus eſt, ſive Fabius, ſive Junius Gallio, dictionem ejus non magis probat, quàm Mæcenatis. Verba ejus ſunt: *Si, omiſſo optimo illo & perfectiſſimo genere eloquentiæ, eligenda ſit forma dicendi, malim Herculè C. Gracchi impetum, aut L. Craſſi maturitatem; quàm calamiſtros Mæcenatis, aut tinnitus Gallionis. Adeò melius oratorem vel hirtâ togâ induere, quàm fucatis & meretriciis veſtibus inſignire.*

Vixit autem dialogi iſtius ſcriptor temporibus Veſpaſiani, ut de ſe ipſe teſtatur. Ex quo etiam cognoſcimus, iis temporibus claros inter oratores fuiſſe M. Aprum, Curiatium Maternum, Julium Secundum, & Vipſanium Meſſallam: quos eo in dialogo, de cauſſis corruptæ eloquentiæ loquentes inducit.

Veſpaſiani quoque ævo Plinius Novocomenſis, adhuc adoleſcens, dicere in foro cœpit. Imprimis autem floruit ſub Trajano; cui, conſul deſignatus, gratias egit nobili illo Panegyrico, quo eo in genere Romana facundia nihil habet elegantius.

Sub M. Aurelio *Fronto orator inſignis habetur, qui M. Antoninum Verum Latinis literis erudivit*: ut ſcribit Hieronymus in Chronico Euſebiano ad annum Dom. CLXV. Cujuſmodi genus dicendi ſecutus ſit, oſtendit Macrobius lib. V. Saturn. cap. I. *Quatuor*, inquit, *ſunt genera dicendi: copioſum, in quo Cicero dominatur: breve, in quo Salluſtius regnat: ſiccum, quod Frontoni adſcribitur: pingue & floridum, in quo Plinius Secundus quondam, & nullo veterum minor noſter Symmachus luxuriatur.*

Gallieni & Valeriani ævo ſcriptæ videntur declamationes undeviginti, Quinctiliano vulgò tributæ, ſed falſò, cum ſint quidem non aſpernandæ, ſed tamen Quinctiliano, ſcriptore florentiſſimo, indignæ. Potius Poſthumii Junioris eſſe, qui unus ex XXX. tyrannis fuit, indicio ſunt verba illa Trebellii Pollionis*: *Fuit autem Poſthumius (quod ſolum memoratu dignum eſt) ita in declamationibus diſertus, ut ejus controverſiæ Quinctiliano dicantur inſertæ.* Sunt tamen, qui cenſeant eſſe M. Flori, cui in Mſto codice tribuuntur: ut etiam monet Jacobus Durantius lib. II. Variarum cap. XVII. Quis autem fuerit iſte Florus, aut quando vixerit, haut facilè dixerim.

* *In Poſthumio juniore.*

Quemadmodum neque habeo, quod adferam de ætate Calphurnii Flacci, qui dedit nobis *excerpta* X *Rhetorum minorum.* Hoc eſt laudabilia, ſive florida, ex declamationibus decem Rhetorum, quos minores vocavit ad diſcrimen majorum, ex quibus ſua excerpſit M. Seneca.

At planum eſt de ætate Mamertini, qui ſub Maximiano, Conſtantino, ejuſque filiis, item Juliano vixit. Hujus inter veteres panegyricos luculentæ exſtant orationes. Uti & Eumenii, ac Nazarii, qui eâdem ætate vixerunt.

Suppar iſtis Latinus Pacatus Drepanius. Ejus ibidem panegyricum habemus, dictum Theodoſio Aug.

Item Q. Symmachus, cujus facundiam prædicant Proſper Aquitanicus, Apollinaris Sidonius, Aurelius Caſſiodorus, & ante iſtos Prudentius libro I. eorum, quos adverſus Symmachum ſcripſit; ubi ſic adverſarium compellat;

O linguam miro verborum fonte fluentem;
Romani decus eloquii cui cedat & ipſe
Tullius; has fundit dives facundia gemmas!
Os dignum, æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum.

Plinii imitator fuit, ut teſtatur æqualis ejus Macrobius lib. V. Saturn. c. I. Verba ipſa, cum de Frontone ageremus, adduximus.

Alios quoque, qui circa hæc tempora vixere, celebrat Hieronymus in Chronico Euſebiano, ac præcipuè Auſonius Carm. de Profeſſoribus Burdigalenſibus. Egregius etiam eſt locus Sidonii Apollinaris lib. V. epiſt. X. ubi illuſtres aliquot Rhetores ac declamatores recenſet: *Tua*, inquit, *tam clara, tam ſpectabilis dictio eſt, ut illi diviſio Palæmonis, gravitas Gallionis, abundantia Delphidii, Agræcii diſciplina, fortitudo Alcimi, Adelphidii teneritudo, rigor Magni, dulcedo Victorii, non modò non ſuperiora, ſed vix æquiparabilia ſcribantur. Sanè ne videar tibi ſub hoc quaſi hyperbolico Rhetorum catalogo blanditus quippiam, gratificatuſque, ſolam tibi acrimoniam Quinctiliani, pompamque Palladii, comparari non ambigo, ſed potius acquieſco.*

His verò alii poſtea ſucceſſerunt: quos mitto, quia eorum dictio, vitio ſeculi, magis & magis deficit à puritate, & caſtimoniâ ſermonis Latini.

Exſpectet fortaſſe aliquis, ut poſt iſtos pauca etiam dicam de eloquentia eorum, qui vel ſynagogæ, vel Eccleſiæ filii fuerunt: quales è Judæis Philo, & Joſephus: è Chriſtianis, Baſilius & Chryſoſtomus, Ambroſius & Hieronymus: ac tot alii florentiſſimi ſcriptores, tum Græci, tum Latini. Sed horum eloquentia in divinis rebus occupatur; quæ humanas res longiùs excedunt, quàm cælum à terra diſtat. Quapropter quæ ad eorum dictionem ac ſtylum pertinent, ea commentariis noſtris, *De antiquis Eccleſiæ ſcriptoribus*, malumus reſervare.

Cap. XVI.

De quadruplici opere Oratoris; progymnaſmate, declamatione, epiſtolâ, & oratione. Quando declamationis *vox nata.* Μελέτη. *Varia declamationis deſcriptiones apud Græcos, & Latinos.* Commeletare. *Hyginus illuſtratus. Quando, & à quo declamandi uſus ſit inductus. Tres declamandi ſpecies. Grammatici Romæ in ſuaſoriis inſtituebant: Rhetores in controverſiis. Etiam viri principes declamabant. Multi & declamabant quotidie. Epiſtolæ non ſunt Epiſtolæ, ſi ad magnitudinem orationis excreſcant.*

Hactenus actum de cauſſis efficientibus Oratoriæ facultatis: deinceps oſtendemus, quæ ejus ſint opera, ſive effecta: de quibus eo lubentiùs hoc loco agemus, quia cum de uſu, ſive exercitatione, antea dictum ſit; non abs re erit, ſi, in quibus hic uſus conſiſtat, deinceps exponamus.

Sunt verò opera Oratoris duplicia, ficta & ſeria. Ficta ſunt, vel minora, vel majora. Minora ſunt ea, quæ à

Græcis vocantur προγυμνάσματα, quaſi præexercitamenta dicas: Latini vocant *dicendi primordia*, nonnulli *dicendi elementa*. In iis Fabius quoque lib. I. cap. IX, adoleſcentes priùs exerceri jubet, quàm ad declamationes ſeſe conferant. Aliter qui faciunt, τὸ λεγόμενον κατὰ παροιμίαν, ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνουσι, *quod proverbio dicitur, figulinam de dolio diſcere incipiunt*, ut de iis ait Theo *. De his è veteribus ſcripſere Theo, & Aphthonius: è junioribus Joachimus Camerarius, Alphonſus Turretanus, & Petrus Nunneſius lib. I. Rhetor. ac ipſi quoque ſeparatim de iis egimus.

Sub progymnaſmatis verò etiam comprehendimus epiſtolas exercitii cauſſâ factas & fictas.

Majora, ficta tamen, oratoris opera ſunt declamationes. Cujuſmodi ſunt Marci Senecæ, & quæ adſcribuntur Quinctiliano. Declamationis nomen Ciceronis natum eſt ſeculo. Tullius in Bruto: *Commentabar declamitans (ſic enim nunc loquuntur) ſæpe cum M. Piſone.* Græcis μελέτη dicitur. Gloſſ. vett. Μελέτη ῥήτορος *declamatio*. Γυμνάσματά τε καὶ ἀσκήματα τῆς ῥητορικῆς appellat Dionyſius † Halicar. Quomodo & Libanius declamandi magiſtros vocat ‡ ἀσκήσεως διδασκάλους, & eos, qui ſe in declamando exercent, verſari ait * ἐπὶ λόγων ἀσκήσει. Ariſtides Smyrnæus † nominat, ἀγωνίσματα διαλεκτικῶν, Photius ‡ γυμναστικοὺς λόγους. Poſterioris ævi ſcriptores vocant λαλιὰν, vel λαλιάς. Variè deſcribunt Latini. Ut à junioribus ordiar, Priſcianus *, Anthidis exemplo, nuncupat *certamina, rhetorica*; Ennodius †, *dicendi ſimulachra*; Gellius ‡, *decurſus lubricos, & ſimulacra præliorum voluptaria*; Fabius, *forenſium actionum meditationem* *. Quæ definitio planè mutila eſt. Meliùs alibi †, ubi eam eſſe dicit *conſiliorum judiciorumque imaginem*. Quamquam hæc quoque imperfecta eſt ὑπογραφή. Nam omittit laudem, ac vituperationem: qua nullus locus frequentiùs, aut feliciùs, tractari ſolet in ſcholis; ut Caſſiodorus ait. Neque hoc neſcivit Fabius: ſed eò reſpexit, quòd ad ſuaſorias pertinere utraque videatur: ut ipſe ait lib. III. cap. VIII. Satis verò commodè idem ‡ declamationem nominat *dicendi meditationem*. Nam μελέτη, quomodo declamationem Græcis vocari diximus, Latinè meditationem ſonat. Imò à Græco μελετᾶν fecere Latini ſuum *meditari*, liquida in D. converſâ. Quin & ε μηλέτη, vel μελετᾶν, reſervatâ liquidâ, *commeletare* legimus pro *meditari*. Nam uti Maro dixit,

—— *Muſam meditaris avenâ:*

ita Hyginus Fab. CLXV. ait, Marſyam, Oeagri filium, cùm inveniſſet tibias, quas Minerva abjecerat, *aſſiduè commeletando, ſonum ſuaviorem indies feciſſe, adeout Apollinem in certamen provocaret.* Vir eruditiſſimus ait, *commeletare* hic eſſe *declamare*. Sed eum refellunt, quæ jam diximus.

Quis declamandi uſum primus induxerit, parùm convenit. Plerique inventum putant, ſive à Demochare, quod ex Cicerone colligi poſſe arbitrantur: ſive ab ipſo Demetrio, pro qua ſententia Fabium laudant. Ejus verba ſunt lib. II. cap. IV. *Fictas ad imitationem fori materias, apud Græcos, dicere circa Demetrium Phalerea inſtitutum.* Sed non attendunt, Fabium tantùm loqui de fictis materiis, quæ Nazianzenus πλάσματα, Photius πλασματικοὺς λόγους appellat. Atqui antea aliud obtinuit declamandi genus, ut de virtute, injuſtitiâ, voluptate, exilio, & ſimilibus. Ea Latini vocant *communes locos*, Græci θέσεις, Philoſtratus θετικὰς ὑποθέσεις. Fabius lib. II. cap. I. *An ignoramus, antiquis hoc fuiſſe ad augendam eloquentiam genus exercitationis, ut theſes dicerent, & communes locos?* Imò fortaſſe ne de ficta quidem materia verum fuerit, quod Fabius dicit. Nam conſuetudo ea videtur primitus inducta ab Æſchine, cùm ludum aperuiſſet Rhodi. Photius * quidem de eo ſic ſcribit: Λέγεται δὲ οὗτος πρῶτος ἐκεῖσε σχολάζων τὰ πλάσματα, καὶ τὰς λεγομένας μελέτας συνθεῖναι. *Fertur primus ibi (Rhodi) figmenta, & quæ vocant, declamationes in otio compoſuiſſe.* Conſuetudo verò de communi loco declamandi Gorgia ipſo antiquior eſt: ut qui eam, cùm jam in deſuetudinem abiiſſet, in uſum revocarit. Unde à Pauſania * dicitur, ἀναβιώσασθαι μελέτην λόγων πρῶτος ἠμελημένην εἰς ἅπαν.

* Initio progymnaſmatum.
* Meth. γοργ. δειν.
‡ Epiſt. 142.
* Epiſt. 201.
† Orat. de Smyrn.
‡ In bibliotb.
* In Præexercitam.
† Lib. I. epiſt I.
‡ Lib. 7. cap 3.
* Lib. 4. cap. 2.
† Lib. 2. cap. II.
‡ Lib. 2. cap. II.
* In bibliotb. cap. 61.
* In Eliacis.

Pro tribus verò generibus dicendi, tria quoque exſtant declamationum genera; panegyricæ, ſuaſoriæ, & controverſiæ. Etſi autem, Ariſtotelis judicio, τὸ δημηγορεῖν *concionari*, difficilius ſit τοῦ δικάζεσθαι *judicio contendere*, tamen apud Romanos auſpicari ſolent à ſuaſoriis, tanquam facilioribus. Imò apud eoſdem Grammatici, quaſi ſatis eſſet, ſi controverſias rhetoribus relinquerent, finibus ſuis motis, involarunt in ſuaſorias, inque iis adoleſcentulos exercuerunt: ut Quinctilianus teſtatur. Non eadem verò antiquis temporibus declamandi ſemper ratio fuit. Nam ante Ciceronem tractabant locos communes. Ejus ætate argumentum peti ſolet ex veritate, quomodo Pompejus adverſus Curium, Antonius adverſus Ciceronem declamabat: aut trahebatur id ex re, ſiqua forte recens accidiſſet: unde & locorum appellationibus adjectis proponi ſolet, teſte Tranquillo; qui geminum argumenti talis exemplum adducit libro de claris Rhetoribus. Poſtea obtinuit, ut argumentum fingerent: cujus generis exempla petere eſt ex Controverſiis M. Senecæ, & declamationibus Fabii. Triplicem hunc morem etiam tangit idem Seneca Præfatione lib. I. Controv. *Declamabat Cicero, non quales nunc controverſias dicimus; nec tales quidem, quales ante Ciceronem, quas Theſes vocabant. Hoc autem genus materiæ, quo nos exercemur, adeò novum eſt, ut nomen quoque novum ſit. Controverſias nos dicimus, Cicero cauſſas vocabat.* Minimè verò exiſtimandum, declamationem fuiſſe puerile duntaxat exercitii genus. Nam etiam viri principes id ſequebantur. Quod Ciceronis quoque ævo factum eſſe, oſtendunt hæc ejus verba lib. I. Tuſcul. Quæſt. *Declamitabam cauſſas.* Et lib. IX. epiſt. ad Pætum: *Hirtium & Dolabellam dicendi magiſtros habeo, cœnandi magiſtros. Puto te audiſſe, illos apud me declamare, me apud illos cœnare.* Illuſtris etiam eſt Tranquilli locus, qui poſtquam retuliſſet de Tullio, & grandibus duobus prætextatis, (quos Hirtium & Panſam fuiſſe falsò putavit) continuò hæc ſubjungit: *Cneum Pompejum quidam hiſtorici tradiderunt, ſub ipſum civile bellum, quò faciliùs Cajo Curioni, promtiſſimo juveni, cauſſam Cæſaris defendenti, contradiceret, repetiſſe declamandi conſuetudinem. Marcum Antonium, item Auguſtum, ne Mutinenſi quidem bello omiſiſſe. Nero Cæſar & primo imperii anno, publicè quoque bis antea declamavit.* Vide eundem in Nerone.

Summa verò declamandi utilitas eſt: ut Fabius docet lib. II. cap. XII. Quare antiquis temporibus quotidie in eo ſe exercebant. Cicero in Bruto: *Commentabar declamitans cum M. Piſone, aut cum aliquo quotidie.* Cicero Fil. epiſt. ad Tironem †: *De Gorgiâ autem quod mihi ſcribis, erat quidem ille in quotidianâ declamatione utilis; ſed omnia poſtpoſui, dummodo præceptis patris parerem.* Et hæc de fictis operibus oratoris: in quibus minimè conſeneſcere oportet: etſi jam olim tanta quoſdam declamandi ceperit dulcedo, ut inde avelli non poſſent. Quos ſcitè perſtringit Syneſius extremo opere de Inſomniis, ubi ait: ὅλως δὲ οὐδὲ ἐπαΐειν μοι δοκοῦσι τοῦ τῆς μελέτης ὀνόματος, ὅτι φησὶ δι᾽ ἄλλο αὐτὴν ἐσπουδάσθαι· οἱ δὲ τὴν παρασκευὴν τέλος ἡγοῦνται, καὶ τὴν ὁδὸν ὡς ἐφ᾽ ὃ δεῖ βαδίζειν ἠγάπησαν· τὴν γὰρ μελέτην ἀγῶνα πεποίηνται. *Omnino declamationis atque exercitationis nomen haut intellexiſſe mihi videntur, quod ſeſe alterius gratiâ tractari profiteantur: illi verò præparationem ipſam pro fine habent; viamque, tanquam illud, quò tendere oporteat, amplexantur. Certamen enim juſtum ex ipſâ exercitatione faciunt.* Quem in locum ſcitè notat hæc Nicephorus: Ἡ μελέτη σκιαγραφία τίς ἐστι, καὶ προγύμνασμά τινος ἔργου· ὁ δὲ τὴν σκιὰν τοῦ ἔργου διώκων, ὡς ἔργον ἀσκῶν, ἔλαθεν ἀντ᾽ ἀληθείας ψεῦδος κρατῶν, καὶ πονῶν μάτην. *Declamatio eſt adumbrata quadam deſcriptio, ac præcedens exercitatio cujuſdam operis.*

† Lib. 16. epiſt. 21.

Qui

Qui autem operis umbram identidem, ut opus, exercet; imprudenter & occultè mendacium pro veritate apprehendit, & incaſſum laborat.

Quocirca ab umbratico hoc ſtudio ad ſeria oratoris opera deveniendum. Seria verò iſta duûm ſunt generum, minora majoraque. Minora ſunt epiſtolæ. Nam eas ad oratorem pertinere, extra controverſiam eſt. Minora verò has opera appello, quia ſi ad magnitudinem orationum, aliarumque ſcriptionum, excreſcant, οὐ μὰ τὴν ἀλήθειαν ἐπιςολαὶ γένοιντο ἄν, ἀλλὰ συγγράμματα, *non juxta rei veritatem epiſtolæ ſint, ſed libri*, ut ait Demetrius, qui icirco, & multas Platonis, & unam Thucydidis, veras eſſe epiſtolas negat.

Majora verò, ſeria tamen oratoris, opera ſunt orationes; cujuſmodi ſunt Demoſthenicæ, Tullianæ atque aliæ.

CAP. XVII.

* Vide varias veterum opiniones apud Fabium lib. III. c. 3.

De Diviſione Rhetoricæ. Ciceronis, Fabii, Philonis, ſententia expenditur & rejicitur. Tullio, & Ariſtoteli lux. Porphyrii, Pereiræ, & Facelli non παράδοξος modò, ſed etiam ἄδοξος ſententia. Affectuum doctrina non eſt de artis οὐσίᾳ. In Areopago, nec procemio uti, nec affectus ciere licebat. Παθολογία per accidens pars eſt artis. Cicero notatus. Carbonis error.*

NUnc ad Rhetorices diviſionem accedamus. Eam variè diſpeſcunt. Cicero in Partitionibus dividit eam in vim oratoris, orationem, & quæſtionem. Vis oratoris habet ſe, ut cauſſa efficiens; quæſtio, ut materia; oratio, ut opus. Poſſunt autem hæc verba bifariam accipi, κυρίως, καὶ μετωνυμικῶς. Propriè ſi capias, nihil eâ diſtributione fuerit ineptius. Nam quod vel materia, vel opus eſt artis, id artis pars eſſe non poteſt: niſi quis adeò ſtultè ſapiat, ut putet, marmor, & ſtatuam, poſſe dici artis ſtatuariæ partes. Cùm igitur parùm veriſimile ſit, Tullium ita ſenſiſſe; planè exiſtimandum, eum quæſtionis & orationis vocibus uti μετωνυμικῶς: ut ſententia ſit, tractare hanc artem partim de materia, partim de opere, partim de vi ſive officio oratoris. Ita non quæſtio, aut oratio, ſed præcepta de utroque pars Rhetoricæ fuerint. Quæ ſententia etſi minùs incommoda eſt priore: tamen ne ſic quidem diſtributio ea examuſſim facta eſt; ut mox parebit. At longè etiam minùs ſatisfacit ſententia Quinctiliani, qui lib. II. cap. XIV. Oratoriam diſpeſcit in artem, artificem, & opus. Arti autem ſubjicit materiam cum inventionis ac diſpoſitionis præceptis. Operis nomine intelligit orationem, ac inſuper elocutionis, memoriæ, & actionis doctrinam. Artificem lib. XII. ſuis ornat virtutibus.

Ariſtoteles, ſi nonnullos audimus, tres judicat eſſe artis partes; genus deliberativum, demonſtrativum, & juridiciale. Movit eos, quòd magnus ille rhetor de tribus hiſce cauſſarum generibus acturus, dicat †: Ἔςι δὲ τῆς ῥητορικῆς εἴδη τρία τὸν ἀριθμόν, *Sunt vero tres formæ Rhetoricæ*. Verùm nihil aliud voluit Ariſtoteles, quàm hypotheſiôn, ſive cauſſarum, tria eſſe genera: quomodo mox ſeſe interpretatur, quando ait: ὥς' ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικόν, δικανικόν, ἐπιδεικτικόν, *Itaque neceſſario tria ſunt genera orationum, deliberativum, demonſtrativum, & juridiciale.*

† Lib. I. Rhetor. cap. 3.

Vera autem artis partitio peti debet ex partibus officii Oratorii. Atque in hoc prope omnes Rhetores conveniunt, qui tamen diſſentiunt inter ſe de partium numero. Sunt enim, qui duas, & officii Oratorii, & Oratoriæ facultatis, partes eſſe contendant, Elocutionem, & Pronunciationem: quæ Antiperipateticorum hodie ſententia eſt. Sed diſtributio iſta non continet partes univerſæ arti æquales: quia oratoris quoque eſt argumenta invenire, & inventa collocare. Ut mittam, quod ſententia hæc vel eo nomine ſuſpectiſſima eſſe debet, quòd planè ſit nova, & toti inaudita antiquitati. Quâ de re plenius dicemus capite ſequenti.

Sed ut iſti mancam nobis, & mutilam artem tradiderunt, ita alii partem in contrariam peccant, qui numerum partium nimis augent. Ut Philo lib. περὶ ὀνείρων, *de ſomniis*, ubi ſex ejus membra recenſet, εὕρεσιν, φράσιν, τάξιν, οἰκονομίαν, μνήμην, καὶ ὑπόκρισιν, *inventionem, elocutionem, ordinem, diſtributionem, memoriam, & actionem*. Verùm μνήμη ut infrà oſtendimus, non eſt Rhetoricæ pars; τάξις verò, & οἰκονομία, ejuſdem ſunt partis officia: vel ſi unam verborum, alteram rerum faciamus; ea, quæ verborum eſt, ſub Elocutione comprehendetur.

Noſtra igitur ſententia eſt, quatuor eſſe Rhetoricæ partes: Inventionem, de qua Ariſtoteles lib. I. & II. Rhetor. Elocutionem, & Diſpoſitionem, de quibus idem lib. III. & Pronunciationem, quam ſuo ævo nondum fuiſſe redactam in artem, ſcribit idem lib. III. cap. I. Imò magiſter quoque Herennianus à nemine eam diligenter eſſe tractatam, prodit lib. III.

Hanc quam adſignavimus diſtributionem, probat οἰκονομία Ariſtotelis Rhetoricorum: itemque hæc ſummi ejuſce magiſtri verba libr. III. Rhetor. cap. I. Τρία ἐςὶν ἃ δεῖ πραγματευθῆναι περὶ τὸν λόγον· ἓν μὲν ἐκ τίνων αἱ πίστεις ἔσονται· δεύτερον δὲ περὶ τὴν λέξιν· τρίτον δὲ, πῶς χρὴ τάξαι τὰ μέρη τοῦ λόγου, *Tria ſunt, quæ oportet tractare de oratione: unum quidem ex quibus fides erit, alterum verò de elocutione: tertium autem, quomodo conveniat ordinare partes orationis*. Eandem partitionem ratio ipſa evincit. Siquidem officium oratoris partim eſt θεωρητικὸν, partim πρακτικόν. Θεωρία eſt tripartita. Nam (ut hac cum Dionyſio Halicarnaſſenſi* utar ſimilitudine) quemadmodum in tribus conſiſtit architectura; in comparanda ſibi materia ad ſtructuram idonea, in apta materiæ coagmentatione, ac in ædificii expolitione: ita & θεωρία oratoria conſiſtit in argumentorum excogitatione, quod Inventionis eſt; inventorum collocatione, quod Diſpoſitionis; diſpoſitorum exornatione, quod eſt Elocutionis. Unde Auſonius ad Gratianum: *Quis aut dicenda prudentius cogitavit, aut conſultius cogitata diſpoſuit, aut diſpoſita maturius expedivit?* Πρᾶξις verò eſt Pronunciatio, ſive Actio. Imò & quatuor haſce partes revocare liceat ad duas; argumentorum inventionem, & tractationem eorundem.

* Lib. περὶ συνθέσεως ὀνομάτ.

Ex iis verò, quæ diximus, liquet, hanc artem, neque orationis tantùm eſſe, ut Grammatica; neque tantùm rationis, ut Logica: ſed reſpectu inventionis, atque οἰκονομίας, ad rationem: reſpectu elocutionis, ad orationem pertinere: ideoque longè digniſſimam eſſe, in quam intendamus omnem ingenii vim. Nam quid majus, ac prope dixerim, divinius, quàm iis antiſtare cæteris hominibus, quibus homo præſtat mutis animantibus? Neque enim id, quo à beſtiis diſcernimur, tam eſt forma illa exterior, quàm ratio, & imago ejus oratio. Niſi quis fortè Porphyrio accedit, qui lib. de ſacrificiis, tum rationem, tum orationem, animalium omnium communem facit. In quo Tyrius ille Malchus, vir cæteroquin maximus, prope non minùs κορυβαντιᾷ, *Corybantum inſtar inſanit*, quàm Piſander iſte, qui voluit videre animam, quâ vivus deſtitueretur †: aut Hiſpanus ille ‡, qui ante annos ſeptuaginta, in Antonianâ ſuâ Margaritâ, copioſè, ac ſeriò, adnixus eſt probare, muta animantia carere ſenſu: contrario planè delirio, quàm tenentur illi, qui etiam ziphiam piſcem diſcernere autumant inter ſermonem Italum, & Græcum; quod, ab nautis fortè incantoribus deceptus, vidiſſe ſe ſcribit Thomas Fazellus lib. I. Decadis primæ cap. IV.

† Ariſtophanes in avibus.
‡ Gometius Pereira.

Quamquam verò eam, quam dixi, Rhetorices diſtributionem impensè probo: arbitror tamen, neque incommodè dividi in partem οὐσιώδη *eſſentialem*, ſive σῶμα τῆς πίστεως, *corpus fidei*, & in προσθήκην *appendicem*, ſive τὰ ἔξω τοῦ πράγματος *quæ extra rem ſunt*, ut ipſius

Ariſto-

Ariſtotelis verbis utar. Certè hæc quoque partitio Rhetoricis Ariſtotelis aptari poteſt, cùm is lib. 1. agat de argumentationibus, quæ ſolæ veritatem demonſtrant, ideoque corpus facultatis oratoriæ conſtituunt: aliis verò duobus, penè ſolùm de affectibus, & ornatu tractet; quæ, per ſe conſiderata, non ſunt pars artis: quippe, quibus ſublatis, permaneat ars. Equidem in Areopago, ſive Martis curiâ, ut appellat Juvenalis, impatientiæ indeprecabilis erat ſubeunda pœna; eoque prohibitum erat ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν, *extra cauſſam dicere quicquam*, ut teſtatur Ariſt. lib. 1. Rhet. & Lyſias apologiâ contra Simonem. Præco etiam, ut ex Luciano* cognoſcimus, ſilentium iis indicebat, qui prooemio uterentur, aut quomodocunque benevolentiam ſibi conciliare aut affectus concitare vellent: nec quemquam aliter dicere permittebat, quàm ἄνευ προοιμίων, καὶ παθῶν, *citra prooemium, atque affectus.* Idem teſtatur Quinctilianus lib. VI. atque etiam innuit Julius Pollux lib. VIII. cap. X. cùm ait, προοιμιάζεσθαι δὲ, οὐκ ἐξῆν· οὐδὲ οἰκτίζεσθαι, *prooemio uti, aut miſericordiam excitare, non licebat.* Imò & hoc Areopagitarum ſcitum, de non ciendis affectibus, eſſe Venetis cum Athenienſibus commune, ſcribit Poſtellus lib. IV. de magiſtrat. Athenienſium. Et optandum ſit, ut idem lege caveant omnes bene conſtitutæ civitates, cùm affectus iſti glaucoma objiciant oculis judicum. Ἔδει τοὺς λέγοντας ἅπαντας μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον μηδένα, μήτε πρὸς χάριν, *Oportebat enim eos, qui dicunt, neque ad odium verba facere, neque ad gratiam.* Ac pertinet huc quoque præclara illa Catonis ſententia apud Plutarchum, τὸν ἄρχοντα, καὶ κριτὴν, δεῖ μηδὲ ὑπὲρ τῶν δικαίων λιπαρεῖσθαι, μηδὲ ὑπὲρ τῶν ἀδίκων ἐκλιπαρεῖσθαι, *Magiſtratum & judicem, nec de obtinendo jure orari oportet, nec de injuria exorari.* Verùm hæc neutiquam evincunt, affectus, ne quidem per accidens, eſſe neceſſarias artis appendices. Nam ob auditorum, ſive improbitatem, ſive imperitiam, eos neceſſe habemus affectibus ad veritatem deducere. Sanè Euæon vir probatiſſimus non alia de cauſſâ damnatus Athenis fuit quam quod nemo in illius judicio ſtuduiſſet commovere miſericordiam: ut ſcribit Demoſthenes adverſus Midiam: ac quod P. Rutilius per ſcelus urbe expulſus fuit, non alia à cauſſa fuit, quam quod nudâ & ſimplici oratione ſuam cauſſam voluiſſet defendi: ut in libb. de Oratore Tullius teſtatur. Quæ duo ſcriptorum loca jamque olim Lipſius contulit lib. II. Var. cap. XVI. Optimè itaque ille ſæpius nobis memoratus ſcriptor dialogi de cauſſis corr. eloqu. *Ne Epicuri quidem, & Metrodori honeſtas quaſdam exclamationes aſſumere, hiſque, prout res poſcit, uti, alienum erit oratori. Neque enim ſapientum informamus, neque Stoicorum civitatem.* Fabius quoque lib. VI. c. XIV †. *Nobis ad aliorum judicia componenda eſt oratio, & ſæpius apud omnino imperitos, atque aliarum certè ignaros literarum loquendum eſt: quos niſi & delectatione allicimus, & viribus trahimus, & nonnunquam turbamus affectibus; ipſa, quæ juſta ac vera ſunt, tenere non poſſumus.* Atque inde eſt; quod vulgò creditur, oratores dici Romanis ab orando; quaſi non rationibus modò, ſed precibus quoque, orationiſque artificio, permovendi ſint judices. A quibus tamen nos diſſentimus, ut ſuperius ‡ oſtendimus.

* De gymnaſiis.

† Pag. 291. edit. Rob. St.

‡ Cap. 1.

Illud verò meritò admirari liceat, Ariſtotelem tam operoſe παθολογίαν in Rhetoricis docere, cùm tamen is ſenſerit, doctrinam hanc ſolùm appendicem eſſe artis: ſcribit enim 1. Rhet. cap. 1. αἱ γὰρ πίστεις ἔντεχνόν ἐστι μόνον, τὰ δ᾽ ἄλλα προσθῆκαι, *ſolum argumenta quæ probant, ad artem pertinent: cætera verò ſunt appendix:* Ciceronem verò affectuum doctrinam penè intactam relinquere, qui tamen, licet falsò, univerſam in ciendis affectibus collocabat eloquentiam. Siquidem in prooemio Oratoris ait: *Omnis vis, ratioque dicendi, in eorum, qui audiunt, mentibus, aut ſedandis, aut excitandis, exprimenda eſt.* Mirari quoque ſubit, cur Lud. Carbo Rodolphum Agricolam, tanquam moroſum antiquorum cenſorem, eo nomine reprehendat, quòd ornatus doctrinam tantum eſſe Rhetoricæ ſenſerit προσθήκην, *appendicem.* Eſt enim hæc ipſiſſima Ariſtotelis ſententia. Sanè videtur mihi Carbo, multæ alioqui lectionis Rhetor, parùm diligenter volviſſe Rhetoricos Ariſtotelis libros, ſine quibus neminem putamus magnum hac in arte eſſe poſſe.

Cap. XVIII.

Inventionem, & diſpoſitionem, partes eſſe Rhetoricæ; ac tum inventionem, tum diſpoſitionem Logicam, ab Oratoriâ plurimùm differre; imò præter Logicam, & Oratoriam, etiam tertiam eſſe inventionem, puta Poëticam. Zenonis dictum de diſcrimine Dialectices, & Rhetorices, aliter quàm à Tullio, & aliis, explicatum.

Fruſtra vero ſunt, qui inventionem, & diſpoſitionem, à Rhetorica ſequeſtrant; quòd, ut ajunt, ambæ ſint Logicæ inſtitutionis. Quippe inventio, ac diſpoſitio Dialectica, plurimùm ab illâ Rhetorum differunt. Nam, ut de Inventione priùs dicam, planè audiendus non eſt doctiſſimus Agricola, qui lib. II. cap. XVIII. de Inventione docet, inter locos Dialecticos, & Rhetoricos, nihil intereſſe. Sunt enim duplices loci; alii quidem Rhetori communes cum Dialectico, ut qui à Logico in Topicis traduntur: alii verò Rhetorum proprii ſunt, qui à ſolo Rhetore explicantur. Quod ad priores, non eſt idem modus conſiderandi utrobique, quia Dialecticus locos iſtos conſiderat abſolutè, idque ut inſtruat intellectum: Rhetor verò uſum illum reſtringit ad movendam voluntatem, atque affectum, per notitiam popularem. At quæ objecto & fine diſtant, ea reapſe differunt. Quomodo non eadem eſt ars fabri ferrarii, & aurificis; etſi uterque malleo utatur: nempe quia ille mallei uſum docet in ferro, hic in auro: qui modus multùm diſcrepat, ut argumento eſt, quòd qui artem unam nôrit, non eò alterius gnarus ſit. At ſimiliter in Locis iſtis contingit. Nam Dialecticus docet, applicare ea ad intellectum cognitionis cauſſâ: Rhetor oſtendit rationem ac viam applicandi illa ad voluntatem & affectum idque actionis gratiâ. Quorum prius qui ſciunt, ſæpe poſterius ignorant; ut omnino arte opus ſit, quæ de uſu illo tractet. Atque hoc primum eſt diſcrimen, ratione locorum, qui Dialectico, & Rhetori, ſunt communes.

Alterum diſcrimen eſt, quòd Rhetorica præterea tractet locos ſpeciales, qui ex prioribus, velut rivi è fonte, derivantur. Nam generales loci ſunt, cauſſa efficiens, finalis, accidentia &c. At loci ſpeciales ſunt, in genere quidem demonſtrativo, genus, patria &c. quæ ad accidentia ſive adjuncta referuntur: in deliberativo autem, honeſtum, & utile; quæ ex finali cauſſâ oriuntur: in juridiciali denique ad adſtruendas cauſſas adhibentur, voluntas, & facultas; quæ ad cauſſam efficientem pertinent. Hinc Boëthius lib. IV. in Top. Ciceronis; *Maxima eſt diſſimilitudo inter Rhetoricos ac Dialecticos locos. Dialectica enim, ex ipſis qualitatibus; Rhetorica, ex qualitatem ſuſcipientibus rebus argumenta veſtigat. Dialecticus, ex genere, id eſt ex ipsâ generis naturâ: Rhetor, ex eâ re quæ genus eſt. Dialecticus, ex ſimilitudine; Rhetor, ex ſimili, id eſt ex eâ re quæ ſimilitudinem cepit. Eodem modo ille, ex contrarietate; hic, contrario.* Hæc ille. Quod verò objiciunt, genere cognito ſpecies eſſe perſpectas: nequaquam vident, Logicam, & Metaphyſicam, diſciplinas eſſe univerſales: Rhetoricam, aliaſque, particulares: neque animadvertunt, aliud eſſe cognitionem confuſam, aliud diſtinctam. Atque hoc alterum eſt diſcrimen, ratione locorum ſpecialium, ad quos Logicus non deſcendit, generali illâ doctrinâ contentus.

Tertium diſcrimen eſt, quia Oratori non ſatis eſt docere, quod ei cum Dialectica eſt commune; verùm etiam ſtudet conciliare, & permovere animos: unde Rhetor neceſſe habet præter Locos λόγων, ſive probationum, etiam

etiam agere de locis τῶν ἠθῶν, καὶ παθῶν. Atque huc fortaſſe reſpexit Zeno, cùm Dialecticen pugno, Rhetoricen palmæ comparabat*. Nam quemadmodum manus aperta, diductaque, amplior eſt clauſa; ita Rhetorice ubertate exſuperat Dialecticen, cùm hæc ſolùm tradat locos communes: Orator verò, & his utatur, & iis ſuperaddat locos proprios; neque eos tantùm probationum, ſed & morum, affectuumque. Scio aliâ in ſententiâ eſſe Ciceronem, quem plurimi hodie ſequuntur. Is enim exiſtimat, reſpexiſſe eò Zenonem, quod Dialectici paucis rem exponant; Rhetores verò quodam verborum flumine utantur: unde & Stoici apud Laërtium Dialectico tribuunt, τοὺς ἐν ἐρωτήσει, καὶ ἀποκρίσει λόγους, *Orationes in interrogatione & reſponſione conſiſtentes*, quæ breves ac ſuccisæ eſſe ſolent; Rhetori autem aſſignant τοὺς ἐν διεξόδῳ λόγους, *fuſe copioſéque explicantes*. Id enim Plutarcho, Athenæo, atque aliis quoque, λόγος διεξοδικός: quod eò moneo, quia id fugit Luciani interpretem. Verum hoc ſi diſcrimen reſpexit Zeno, bifariam peccavit. Neque enim eſſentiale, ſed accidentale diſcrimen aſſignavit: ut cognoſcere eſt ex iis, quæ antè diximus. Deinde, non Dialectices, ac Rhetorices; ſed Dialectici, & Rhetoris, ſive Oratoris, diſcrimen attulit. Neque enim eò quod Orator magis confectetur verborum calamiſtros ac lenocinia, quàm Dialectica; icirco quoque in Rhetoricis præceptis magis conſectari convenit vocum floſculos pigmentaque, quàm in tradendis Dialecticis. Id cùm non ignoraſſe Zenonem veriſimile ſit; meritò ambigere liceat, ſatiſne Zenonis mentem Tullius ſit aſſecutus. Ut ut eſt, ex iis, quæ antè attulimus, nulli, niſi cæco, ignorabile eſſe poteſt, quantopere diſtent inventio Dialectica, ac Rhetorica. Et tamen non deſunt homines inſubidi, qui unam tantum eſſe Inventionem vociferentur. Nos ſanè tantùm ab iis abſumus, ut tertiam quoque agnoſcamus, quam poëticam dicimus. Quippe, ut ὁ κριτικώτατος Halicarnaſſenſis in τέχνῃ † ſuâ ſcribit, quo loco μέθοδον ἐπιθαλαμίων præſcribit, οὐχ ἡ αὐτὴ μεταχείρησις ποιήσεώς τε, καὶ πεζοῦ λόγου, ἀλλ' ὥσπερ τοῖς μέτροις, οὕτωσὶ δὲ καὶ ἐννοήμασι διενήνοχε ταῦτα, *Carminis atque orationis pedeſtris, non eadem eſt tractandi ratio: verum uti metris, ita & mentis ea conceptu differunt.*

* Cic. lib. 2. de Fin.

† Præceptis Rhetoricis.

Nec minùs differunt oratoria, ac dialectica diſpoſitio. Nam Dialecticus ordinare docet capita ſimplicis, aut conjunctæ quæſtionis; item agit de naturali argumenti cum quæſtione ſtructurâ; idem de diſciplinarum conformatione tractat. At Rhetor docet ordine collocare partes orationis πιστικῆς *perſuaſoria*, quæ oratoris proprium eſt opus, ac inſtrumentum. Suntque inter iſtas partes quoque Exordium, & Peroratio: quæ cùm non ad docendum adhibeantur, qui finis eſt Dialectici; ſed ad conciliandum, & permovendum, quod propoſitum habet Orator: quis non videt, iſtarum partium οἰκονομίαν ad ſolum Rhetorem pertinere? Etiam ordo argumentorum, quo in adſtruendo, vel refellendo, utitur orator, longè alius eſt, quàm ille Dialecticorum. Alius quoque ordo eſt partium argumentationis: imò illi Logicorum ſæpe contrarius plane, ut in Oratoriis oſtendimus. Et quid mirum, ſi diverſa ſit diſpoſitio, cùm artis Dialecticæ, atque Oratoriæ, finis ſit diverſus, pro quo omnia variare ſolent? Equidem non video, quid contra hæc à ſophiſtis opponi poſſit: & tamen non deſinent obloqui. Verùm nihil eſt, quòd id artis hujus ſtudioſos turbet. Niſi enim ſemper haberent ſophiſtæ, quòd obgannirent, jam ſophiſtæ non eſſent. Adde quod fiduciam capiunt è ſeculi inertiâ, ac imprimis juventutis, cui perſuadere adnituntur, iis, qui ad eloquentiæ arcem affectant viam, pauculis ſolùm Elocutionis, & actionis præceptis eſſe opus. Equidem iſtis (liceat hic alludere) Placentinis, haut Veronenſibus, jure occentemus, τοὺς μαχομένους τοῖς φανεροῖς οὐ λόγων δεῖσθαι μᾶλλον, ἢ πληγῶν, *eos qui manifeſta negant, non tam verbis indigere, quàm plagis.*

Cap. XIX.

Petri Nunneſii diſtributio Rhetorices excuſſa, oſtenſuntque, nec methodum prudentiæ, nec progymnaſmata, conſtituere diſtinctam Rhetorices partem. Etiam diſtributio alterius novitii Rhetoris improbatur.

De diſtributione eorum, quos Antiperipateticos vocabamus, ſatis diximus. Excutienda verò etiam nobis aliorum ſententia. Ac primùm ſummi Rhetoris, Petri Nunneſii, qui in ſuis Rhetoricarum inſtitutionum libris Oratoriam facultatem in hasce quinque dividit partes: Progymnaſmata, Status, Inventionem, Elocutionem, & Methodum prudentiæ. Quâ quidem in diviſione multa peccat vir doctiſſimus. Methodus enim prudentiæ, quæ unum hoc profitetur, ut cum prudentia fiant ſingula ab oratore, oratori quidem neceſſaria eſt: neque hoc negabit, niſi prudentiæ ac judicii indigus: Verumtamen non icicirco ea diſtincta pars eſt, quia cæteris immiſcetur, ceu ſanguis omnibus corporis membris. Deinde ſtatuum conſideratio ad Inventionem pertinet. Nam ipſe quoque Nunneſius in ſtatuum doctrina tradit locos Inventionis. Præterea haut rectè præterit Diſpoſitionem, cujus præcepta ab illis Inventionis planè ſunt diverſa. Denique progymnaſmata nihil ſunt aliud, quàm particulæ quædam ex Inventionis ac Diſpoſitionis doctrina exceptæ, quo in iis, utpote facilioribus, exerceatur juventus, antequam ſe conferat ad juſtas declamationes, quemadmodum pleniùs in Progymnaſmatis noſtris oſtendimus.

Alius quoque, vir ſanè diſciplinis philoſophicis egregiè imbutus *, Rhetoricen dividit in generalem & ſpecialem: illam generatim de oratione quacunque tractare ait: hanc verò generalia præcepta applicare ad ſpecies quaſque orationis: uti epiſtolam, orationem panegyricam, aut aliam. Sed hac in re magis eſſe ex re diſcentium ſemper putavi, ſi primò generalia inventionis præcepta tradantur, his ſpecialia ſubjiciantur: hinc ad diſpoſitionem accedatur, ubi ſimiliter primùm generalia, inde ſpecialia doceantur: atque idem in elocutionis præceptis fiat. Vel hæc, inquam, ratio eſt ineunda, vel cum antiquis nobiliſſimum oratoris opus, quod eſt oratio, præcipuè ſpectabimus: ſic ubi minora opera ab eo diſcrepent, poterit id ſuis locis verbo indicari. At neutiquam probare poſſum, ut interrumpatur unius partis, puta inventionis, doctrina: atque inter generalia ejus ſpecialiaque præcepta, pars alia, puta diſpoſitio, imò & elocutio, ac pronunciatio, ſeſe interſerant medias. Hanc meam ſententiam planè uſus confirmat. Neque enim, qui orationem ſcribit, generalia, vel elocutionis, vel pronunciationis præcepta conſiderat, antequam ſpectarit omnia, ſeu illa generalia, ſeu ſpecialia ſint, quæ ad Inventionem pertinent: verùm primùm generales ſpecialeſque inventionis locos adit: nec de diſpoſitione, elocutione, pronunciatione, laborat, priuſquam omnia invenerit argumenta. Itidem de elocutione eſt ſecurus, uſque dum illa diſpoſuerit: eademque elocutionis ratio eſt. Contrà ſanè qui faciat, meritò audiat iſthoc vetus, πρὶν ἠλήσαι, τὰ ἄλφιτα, *priuſquam, pinſueris, ſubigis farinam.* Præterea mirari ſubit, Rhetoricen ab eo in generalem, & ſpecialem dividi, qui in Præcognitis Logicis ſcripſerat, malè Logicen à Zabarella, Crellio, atque aliis, diſpeſci in partem generalem & ſpecialem, eò quòd Phyſices iſta ſit diſtributio. Scio argumentum hoc nec aſſis eſſe: ſed tamen, ſi ſe audit vir ille doctiſſimus, nec Rhetorice in partem generalem, & ſpecialem, rectè dividetur, quia ea diſtributio Phyſicæ convenit.

* Barth. Keckerm.

Cap. XX.

Memoria, nunc δύναμιν, nunc ἐνέργειαν, notat. Cur Themiſtocles repudiârit memoriæ artem. Philoſtratus refellitur, qui memoriæ eſſe artem negabat. Quis inveniſſe hanc artem credatur. Latinos de Cyri memoriâ lapſos videri. Admirabilis memoria Hippiæ, Cyneæ, M. Senecæ, Tiberii Minervii, Ludovici Romani, & juvenis cujuſdam Corſici. Locorum, imaginumque doctrinam, parùm iis utilem videri, qui vaſtam eruditionis penum affectant. Metrodori loci, & imagines, rejiciuntur. Item ars Lulli. Memoriæ doctrina non eſt Rhetorices pars principalis ſed fortè particula ejus, quæ eſt de Pronunciatione. Veteres Græci non habebant eam pro parte Rhetorices. Liber Græcè ſcriptus de memoria Ciceronis.

QUandoquidem verò Cicero, Fabius, alii*, memoriam quoque reponunt inter Rhetoricæ partes: age de hac quoque judicium noſtrum afferamus.

* *Boëthius lib. 4. in Topica Ciceronis.*

Ac primò illud obducimus, quod non neceſſe ſit Oratori memoriter recitare. Sanè Legati ferè ac Judices de ſcripto recitabant: ut oſtendunt Cicero Philippicâ x. Livius lib. xxiii. Tertullianus Apolog. cap. 2. atque alii, quos vir affinitate mihi conjunctiſſimus Janus Gruterus adducit Notis in Senecæ Συμβουλευτικῶν. Dixerit aliquis multum referre, utrum memoriter dicat orator, an ex ſcripto recitet. Non diffiteor. Sed nego artificium hoc à Rhetore doceri oportere. Quod ut pateat, diſtinctione opus eſt.

Memoriæ vox bifariam ſumitur. Phyſicis definitur ſenſus internus ſpecies omnes ſenſibiles condens, ac ſervans, quò eas, cùm uſu venit, exhibere poſſit. Rhetoribus verò memoria eſt rerum verborumque animo receptorum fida cuſtodia. Eſt igitur memoria, Phyſicis quidem facultas; Rhetoribus verò actus facultatis, ſive operatio ejus.

Interim dubitari non debet, quin utraque conſideratio pertineat ad Phyſicum, cùm ejuſdem ſcientiæ ſit conſiderare οὐσίαν, δύναμιν, & ἐνέργειαν, *eſſentiam, facultatem, & operationem.* At ſi uſum facultatis ſpectes, is ſanè non Oratorum proprius, verùm omnium diſciplinarum communis eſt.

Non quidem inficiamur, ſingularem planè memoriam requiri in perfecto Oratore; eoque maximè ei perſpecta eſſe debere, quibus memoria vel læditur, vel juvatur: verùm neutiquam hinc conſequitur, memoriam eſſe Rhetoricæ partem; nihilo ſanè magis quàm Grammaticam, aut Logicam, aut Politicam, quarum notitia multò etiam magis neceſſaria eſt oratori.

Eſt autem memoria duplex, una naturæ, altera artis: quarum utramque requirimus in Oratore. Scio Themiſtoclem dixiſſe, malle ſe diſcere artem obliviſcendi, quàm memoriæ: ſed non repudiavit is memoriæ artem eò, quod illam inutilem planè arbitraretur; quæ ſententia in multorum animis radices egit: Verùm potiùs, quod crebrò in mentem veniret flagitioſè actæ adoleſcentiæ, cujus quia citra dolorem haud poterat meminiſſe, oblivione eam ſepultam maluiſſet.

Veterum tamen aliqui ullam eſſe memoriæ artem negant. Eos inter etiam fuit Flavius Philoſtratus lib. 1. de vitis ſophiſtarum, qui in vita Dionyſii ita ſcribit †: Τέχναι μνήμης ὅπῃ εἰσὶν, οὔτ' ἂν γένοιντο, μνήμη μὲν γὰρ δίδωσι τέχνας· αὐτὴ δὲ ἀδίδακτος, οὐδὲ μιᾷ τέχνῃ ἁλωτὸς, ἔστι γὰρ πλεονέκτημα φύσεως, ἢ τῆς ἀθανάτου ψυχῆς μοῖρα, *Memoriæ artes neque ſunt, neque unquam fuerint. Artes enim memoria dedit: ipſa verò ne ulla quidem arte comprehendi poteſt. Siquidem eſt peculiare naturæ donum, vel immortalis animæ pars.* Sed rationes Philoſtrati planè ficulneæ ſunt. Nam ut alia, ita illud quoque experientiâ didicimus, quomodo aliquid faciliùs, & tenaciùs memoriâ complectamur: eoque, uti aliarum artium, ita hujus quoque ſcientiæ, memoria erit theſaurus. Et nihil impedit, ut quod naturæ eſt donum, hoc in operando ab arte adjuvetur.

† *P. 523.*

Autor memoriæ artificialis fuiſſe creditur Simonides: unde Antonius apud Cic. lib. ii. de Oratore. *Non ſum tanto ego, inquit, ingenio, quanto Themiſtocles fuit, ut oblivionis artem, quam memoriæ, malim: gratiamque habeo Simonidi Ceo, quem primum ferunt artem memoriæ protuliſſe.* Idem & Cæſar antea eodem opere dixerat, atque etiam refert Quinctilianus lib. xi.

Quanta autem ſit memoriæ artificialis vis, ſatis ſuperque docent tot illuſtria teſtimonia veterum novellorumque ſcriptorum. Nam etſi de ſingulis, quorum exempla adferunt, hanc eos caluiſſe artem, ſpondere minùs auſim: tamen & de pleriſque certum eſt; & de aliis, ſaltem fuiſſe hac arte adjutos, per eſt veriſimile. Inter eos verò, quorum exempla adducunt, etiam eſt Cyrus major, qui, ſi * Valerio, Fabio †, Plinio ‡ ac Solino *, credimus, tenuit omnium ſuorum militum nomina. Xenophon † tamen ſolùm ſcribit, eum noviſſe nomina τῶν ὑφ' αὐτὸν ἡγεμόνων: quæ res, ut in Imperatore tanto laudabilis, ita eſt multò admirabilis minus. Quamobrem non repugnem, ſiquis cum Mureto ‡ ſuſpicetur, eum, qui id primus prodidit Latinorum, errore memoriæ lapſum fuiſſe. At neutiquam in controverſiam rapi poteſt, quod de Hippiâ legimus. Nam hic apud Platonem gloriatur, ſe poſſe recitare quinquaginta nomina ſemel tantùm audita. Cyneas quoque Theſſalus, regis Pyrrhi legatus, curiam Romanam ſemel ingreſſus, probe adeò Senatorum equitumque omnium nomina meminerat, ut poſtridie in eam reverſus, ſuo omnes nomine compellaret, uti ſcribit Cic. in Tuſc. & Plutarchus in Pyrrho. Ac multo etiam magis in admirationem rapit, quod de ſeſe commemorat Seneca Rhetor. Nam inter alia præfat. prim. declamationum ait: *Duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, reddebam: & ab his, qui ad audiendum præceptorem noſtrum convenerant, ſingulos verſus à ſingulis datos, cùm plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens uſque ad primum recitabam. Nec ad complectanda tantùm, quæ vellem velox erat mihi memoria; ſed etiam ad continenda, quæ acceperat.* Quare & hiſtoricâ fortaſſe, non poëticâ fide, dicitur Tiberius Minervius Orator omnium fuiſſe meminens, (ut cum Auſonio * loquar)

* *Lib. 8. cap. 7.*
† *Lib. 11. cap. 2.*
‡ *Lib. 7. cap. 4.*
* *Cap. 7.*
† *Lib. 5. ...*
‡ *Lib. 3. Var. c. 3.*

Audita ut, vel lecta ſemel, ceu fixa teneres;
Auribus, & libris, eſſet ut una fides.

* *In commemorat. profeſſ. Burdigal. Carm. 1.*

Illuſtris quoque memoriæ exemplum eſt, quod de Lud. Romano IC. refert Æneas Sylvius lib. 1. comment. de concil. Baſ. Ait enim non Cyneæ, non Senecæ, non cuiquam ceſſiſſe veterum: fuiſſe enim memorem omnium, quæ aut legiſſet, aut audiſſet: nec quicquam eorum fuiſſe oblitum, quæ unquam vidiſſet. Verùm omnium, quæ uſpiam legere eſt, maximè admirabile eſſe arbitror exemplum juvenis illius Corſici, qui triginta ſex millia nominum ſemel audita recitare potuit, non eodem modo ordine, quo dictata, ſed & inverſo, & quo quiſque voluiſſet. Muretum hac de re adi lib. iii. Var. Lect. cap. 3.

Hujuſcemodi exempla abunde adſtruunt, quantum poſſit memoria, ſi arte excolatur. Nec dubito, quin multi exemplis talibus inflammati, lubentes ſe totos aliquamdiu mancipaturi ſint artis hujuſce magiſtris. Verùm enimvero longè ab horum ſententiâ diſſidet animus: &, aut valde fallor, aut falluntur illi, quibus tanti eſt iſta memoriæ jactatio, ut eam redimendam putent longi temporis jacturâ. Nec iccirco futurum oratorem in totum ab arte hac abſtinere velim. Tantum nolo illum albâ lineâ ſignare, quicquid ab artificibus iſtis tradi ſolet; verum potiùs diſtinguere neceſſaria utiliaque oratori ab iis, quæ tantùm ad pompaticam pertineant memoriam: Talis eſt illa locorum imaginumque doctrina, cujus beneficio illud quidem conſequi poſſumus, ut verba plurima, ac verſus ſemel auditos, referre poſſimus: verùm ſolidam eruditionem non tam promovet, quàm impedit, ac moratur,

ratur. Nec obſcura eſt rei hujuſce ratio: quandoquidem tempus, quod alii impendunt conſiderationi rerum præclariſſimarum, id ipſi inſumere coguntur repetendis locis, atque imaginibus, ſuæque artis conſervationi, ne ſcilicet id deperdant, quo uno, & ſibi, & aliis, placent. Veriſſima hæc eſſe, ſatis eorum docemur exemplis, qui hac arte hodie in admiratione ſunt apud multos. Quare ſic ſtatuimus, locos atque imagines iſtas parum iis utilitatis adferre, qui ſolidam potiùs, quàm umbratilem gloriam ſectantur. Atque hoc inde quoque liquet, quod imagines, etiam cùm penitus animo ſunt inſcriptæ, non conducant ad conſequendam philoſophiæ cognitionem. Sunt enim ſcientiæ rerum univerſalium; imagines autem ſunt rerum ſingularium, ac ſenſui expoſitarum. Atqui in diſciplinis non univerſalia ex ſingularibus; ſed hæc ex illis cognoſcuntur. Multò verò etiam minùs imaginum harumce beneficio conſequi poſſumus notitiam Logicæ, aliarumque diſciplinarum organicarum, quæ verſantur circa notiones ſecundas. Quod ſi ne quidem imagines adeò infixæ ſint menti, ut ſe ſponte, quoties earum uſus eſt, ſemper offerant, ſed meditatione qualicunque opus ſit: jam futurum, ut hoc pacto augeatur labor, cùm & revocandæ ſint in memoriam imagines, & ubi ſe tandem obtulerint, alius hæ debeant commonefacere; ut unius loco de duobus ſollicitos eſſe neceſſe ſit. Hoc quo magis intelligatur, rem exemplo declarabimus. Si quis meminiſſe velit verſus illius Paccuviani: *Jam domuitionem reges Atridæ parant:* eum, inquit ſcriptor ad Herennium, *in loco conſtituere oportet manus ad cælum tollentem Domitium, cùm à regibus Martiis loris caditur.* Nempe, ut Martii reges repræſentent reges; Domitius verò domuitionem; lora autem & flagra, licet nullius imaginem exprimant, tamen, (ut Turnebus quoque in Adverſariis capſe de re ſcripſit) efficacius ſuſcitant memoriam, remque altiùs ei inſcribunt. Sed profectò madidam is, fluidamque habeat memoriam neceſſe eſt, qui verſus hujuſce exigui haut meminiſſe valeat abſque ope iſtiuſmodi phantaſmatum. Quin facilius eſt verſus unius meminiſſe, quàm operosè adeò imagines excogitare, excogitatas retinere, retentarum operâ ſibi memoriam refricare.

At majori etiam jure rejici debet ſententia Metrodori, *qui in duodecim ſignis, per quæ ſol meat, tricenos & ſexagenos invenit locos. Vanitas nimirum fuit, atque jactatio circa memoriam ſuam potiùs arte, quàm naturâ glorianțis:* ut ait Fabius.

Nec minùs vanum fuit commentum Raimundi Lullii, lineamentis neſcio quibus, ac vocabulis è Logicâ imperitè deductis congeſtiſque, artem eandem pollicentis. Scripſit in eum librum commentarium Henricus Agrippa. Interea in Invectivâ de Vanitate ſcientiarum cap. IX. diſertim ait, nolle ſe, ut *hæc commentaria alicui fucum faciant in artificio admodum levi.* Subjungit inibi, *hanc artem plus habere audaciæ, quàm efficaciæ: eſſe præterea totam ineruditam ac barbaram, niſi elegantiore quadam literaturâ adornetur.*

Hæc qui conſiderârit, puto ſtatuet nobiſcum, iſtiuſmodi locorum imaginumque doctrinam parum eſſe utilem Oratori.

Quod verò ad alia memoriæ præcepta: ut quæ agunt de juvando cerebri temperamento per laborem, cibum, medicamentum, ſomnum: item de animi quiete ab occupationibus gravibus ac multis, tum etiam immunitate iræ, metus, pudoris, aliorumque affectuum: adhæc de orationis ſerie, ac partium diſpoſitione, de ſcriptione, & adnotandis ad oram notis, itemque de ediſcendâ oratione per partes: de loco denique ac tempore, quibus orationem ediſci expedit: ejuſcemodi præcepta utiliſſima quidem ſunt oratori: verùm non conſtituunt juſtam ac ſegregam oratoriæ facultatis partem. Nam quemadmodum de puritate, quæ Elocutionis fundamentum eſt, in Elocutione à Rhetoribus tractari ſolet: ita & Rhetorum ſit, de memoriâ agere in Pronunciationis doctrina, cujus illa quaſi fundamentum eſt.

Nec tamen peccant, qui nihil de iis præcipiunt in Rhetoricis: quia iſta non ſunt de artis ἐσίᾳ, ſed quicquid in iis eſt artis oratoriæ, id ex felici diſpoſitione, & οἰκονομίᾳ provenit Oratori. Quicquid verò artis aliunde eſt, id non magis ad Oratorem pertinet, quàm ad Juriſconſultum, cùm Tullius ipſe in Oratore Juriſconſultorum memoriam requirat. Nihil tamen de hac præcipit Juriſconſultus: quia nempe memoria artium omnium communis eſt: ac quibus modis madidæ memoriæ ſuccurri queat; quæ item pariant immemoriam, ut cum Papiniano loquar; id docere vel ſcientiæ eſt naturalis, vel diſtinctæ artis, quæ μνημονευτική, ſive ars memoriæ, dicitur. Propter iſta aſſentimus Ariſtoteli, & aliis veterum, quos eam prætermiſſe in Oratoria facultate, teſtis eſt Laertius in Zenone. Etiam neglexit eam Hermogenes, item Aphtonii interpres, qui initio prolegomenorum ſcribit: Πόσα ἔργα τȣ͂ ῥήτορος; Δ. τὸ νοῆσαι, τὸ εὑρεῖν, τὸ διαθέσθαι τὰ εὑρημένα, καὶ τὸ ὑποκρίνεσθαι, *Quot ſunt opera oratoris? cogitare, invenire, diſponere argumenta, & agere.* His potiùs accedimus, quam M. Tullio, qui eam diſertim Rhetorices partem ſtatuit: ac quanti illam locorum imaginumque doctrinam fecerit non uno oſtendit loco. Sed & de ejus memoria artificiali libellus extat Græcus in quadam Italiæ Bibliotheca: ut teſtatur Geſnerus Bibliothecæ ſuæ Tom. II. Addit inibi, ſe haut ſcire, *an ſit autore Cicerone ſcriptus, & Græcè forſan ab aliquo redditus, an ab alio de Ciceronis memoria.* Verùm dubitandum non eſt, quin alius ſit, quàm Ciceronis; cùm ejuſce ſcripti nulla fiat à veterum quoquam mentio. Et hactenus de memoria: de qua iis à me ſatisfactum puto, qui omnia ſolidis putant rationibus: nec, ut plerique ſolent, vulgarium ſemper præceptorum veſtigiis inſiſtunt, ὥσπερ τὰ πρόβατα, πρὸς τὸν αὐτῶν ἡγούμενον, *Quomodo oves ſequuntur ducem ſuum:* quâ de re Lucianus quoque conqueritur in Hermotimo.

Cap. XXI.

Pronunciationem minùs aptè ὑπόκρισιν dici: eam eſſe artis partem oſtenditur contra Sulpicium Victorem, & Lud. Vivem. Oratores ab hiſtrionibus pronunciationem & geſtus diſcebant. Dionyſia ſaltatricula *quis dictus. Epilogus operis.*

RESTAT videamus de pronunciatione, ſive Actione, quæ Græcis ὑπόκρισις dici ſolet, voce à theatris acceptâ. Sed ut argumenta ſcenica ſolent eſſe ficta, ita ὑπόκρισις propriè erit ficta actio. Verùm orator creditur non tam ab arte fictus, quàm à natura factus, & ſeriâ de cauſſâ compulſus accedere ad dicendum. Quod ſi eſt, verius ἀγωνίζεσθαι, quàm ὑποκρίνεσθαι dicitur orator. Et propterea non diſplicet eorum ſententia, quibus videtur hæc pars rectius vocari poſſe ἀγώνισμα, vel etiam ἐξαγγελία, aut ἐκφώνησις.

Porrò partem hanc Sulpicius Victor artis eſſe negat, quamvis maximam vim obtineat. Ludovicus quoque Vives lib. IV. de corruptis diſciplinis eam non partem, ſed ornamentum artis facit. Alius etiam contendit, doctrinam hanc non conſtituere eſſentialem Rhetoricæ partem, quando quod de Rhetoricæ eſſentia eſt, id neceſſariò, ſemperque orationem exornare debet. Quæ & ſententia eſt Laurentii Ramirez de Prado Pentecontarchi cap. XXVIII. Verùm negamus, perfectum eum fore oratorem, qui tantùm ſcribendo munus ſuum tueri valeat, quandoquidem ſine geſtu, ut ipſe agnoſcit Vives, non habebit parem venuſtatem, gratiam, vim, eoque minùs ad perſuadendum erit idoneus. Quin, ut in Rhetoricis ſcribit Ariſtoteles *, victores ii ut plurimùm ex oratoriis diſcedunt certaminibus, qui actione præſtant. Τὰ μὲν οὖν ἆθλα, inquit, σχεδὸν ἐκ τῶν ἀγώνων οὗτοι λαμβάνουσι, *ac præmia quidem ferè ex certaminibus iſti accipiunt.* Idem lib. III. de Oratore aſſerit Cicero. *Sine hac,*

* *Lib. 3. Rhetor. cap. 1.*

Digitized by Google

hac, ait, *ſummus orator eſſe in numero nullo poteſt: mediocris hac inſtructus, ſummos ſæpe ſuperare.* Et in Oratore: *Nam & infantes actionis dignitate eloquentiæ ſæpe fructum tulerunt.* Val. quoque Maximus *, & Bapt. Fulgoſus †, id ipſum aliquammultis adſtruunt exemplis.

* *Lib.* 8. *cap.* 10.
† *Lib* 8. *cap.* 10.

At enim, inquiunt, pronunciatio ad hiſtriones pertinet, eoque Oratoriæ pars eſſe nequit. Ac ne flaccida aſſertione uti videantur, ſententiam hanc eo ſtatuminant, quòd Poëtæ olim, cùm primò ſolerent, tum καθιέναι ſive διδάσκειν, ſeu ἀναφέρειν τὰ δράματα εἰς σκηνὴν; tum διατίθεσθαι, ſeu geſtus edere; adeò ut iidem fuerint διδάσκαλοι, & ὑποκριταί: poſtea, ſcripturâ ſibi reſervatâ, σχηματοποιίαν h. e. artem ſcitè aſſeverateque actitandi fabulas, reliquerunt hiſtrionibus, penes quos ejus manſerit dominium; unde Ariſtoteles initio tertii Rhetoricorum diſtinctam artem facit, quam ὑποκριτικὴν facit, Latinè hiſtrionicam dicere poſſumus: atque hanc ait ſcriptam eſſe à Glaucone Tejo. Addit, etſi oratoribus neceſſaria ſit recta pronunciatio, tamen nihil eſſe opus de ea præcipi: poſtquam jam hiſtrionica ars ſcriptis eſt conſignata: nec dubitat quin ſi aliquis de pronunciatione ſive actione oratoriâ ſit ſcripturus, commentatio illa ſimillima ſit futura ei, quæ eſſet perſcripta à doctoribus artis hiſtrionicæ. Et ſanè etiam Tullius ait, bonorum actorum, hoc eſt hiſtrionum, pronunciationem requiri in oratore. Demoſthenes quoque ab Andronico, & Satyro, geſticulandi magiſtris, didicit pronunciationem: & Cicero (quemadmodum ex Plutarcho diſcimus) Roſcio quidem Comœdo in lenioribus affectibus, Æſopo verò Tragœdo in vehementioribus, magiſtro uſus eſt. Fabius quoque auctor eſt, conſuetudinem fuiſſe apud Romanos, ut pronunciationem non in Rhetorum ſcholis addiſcerent; ſed ab aliis præceptoribus haurirent, quos iccirco *vocales magiſtros* nuncupabant. Idem de Græcis colligere eſt ex Platonis Jone, & Ariſtotelis problematum libris. Atque hæc quidem ſunt, quæ veriſimiliter pro ſuâ adferre poſſunt ſententiâ. Verùm non eſt, quòd iis moveamur, niſi Ixioni ſimiles, umbram pro re, & errorem pro veritate, velimus amplecti. Eſto enim ut Ariſtotelis ætate pronunciandi artem à Rhetore ſcribi non opus, quia Glauconis Teji & ſimilium libris ſatis ea perſpiceretur: at non eò id nunc habeat locum, deperditis illis libris. Deinde ſi poſt Glauconem potuere alii Hiſtrionicæ artis doctores de eâ arte ſcribere, potuere & idem Rhetores. Neque enim quia actio poëtarum & hiſtrionum eſt, ideo oratorum non erit. Nam res diverſimodè conſideratæ ad diverſas pertinent diſciplinas: quia artes & ſcientiæ, non ſubjecto materiali, h. e. re conſideratâ; ſed formali, h. e. modo conſiderandi diſtinguuntur. Nunc hiſtrio actionem inſtituit in fictis, ut ſpectatores voluptate perfundat: orator verò in veris, idque ut perſuadeat. Adde quod neque ipſo materiali oratorum hiſtrionumque actio conveniat. Neque enim Tullius, quia hiſtrionibus magiſtris uſus dicitur, motus ſcenicos in ſenatu, aut foro uſurpavit: ſed communia hiſtrionum oratorumque didicit, & actionem hiſtrionum, neglectis geſtibus ſcenicis, oratoriæ actioni accommodavit. Hortenſius verò, ob geſtum in agendo hiſtrionicum, appellatus eſt *Dionyſia ſaltatricula*; ut ſcribit A. Gellius lib. 1. c. v. Quid quod non ſola pronunciatio, ſed & elocutio prius Poëtarum fuit, teſte Ariſtot. lib. III. cap. 1. Neque fuit, qui elocutione iccirco viduaret Oratorem, quia etſi elocutio Poëtica prior fuit tempore. Oratoria tamen elocutio antecedit naturâ. Quare nec ratio eſt, cur de pronunciatione aliter ſtatuamus.

Atque iſta ſunt, quæ partim de natura Rhetorices, partim de illis, qui præclarum hac arte nomen ſibi olim pepererunt, libello ſingulari complecti viſum fuit. Spero autem laborem hunc noſtrum, nec ingratum, nec inutilem iis fore qui cum humanitatis, tum eloquentiæ ſtudio tenentur. Neque obſtat, quod nihil hic tradimus de artis præceptis. Nam quicquid ejus generis eſt, id reſervavimus, cùm Progymnaſmatis noſtris; tum imprimis Partitionibus Rhetoricis, atque Inſtitutionibus Oratoriis. Hic verò longè aliud nobis propoſitum fuit: nempe, ut, qui inſtituunt iter longinquum, priùs curare ea ſolent, per quæ poſtea expeditiores ſint in via: ſimiliter nobis nunc ſtudium fuit, honeſtiſſimæ rei cognitione animos eorum præparare, qui iter affectant ad ſublimes illas reginæ eloquentiæ arces. Quod ſiquis præ vehementi artis ejus amore, ita moræ omnis fuerit impatiens, ut à nobis tardiùs, quàm vellet, ad præcepta ipſa dimitti ſibi videatur: hic ſi nondum intelligit, quanto nunc futurus ſit paratior ad ineundam hanc viam, licebit nos in eorum numerum reponat, in quos conveniat illud, quod veteri verbo dici ſolet *, portam itineri longiſſimam eſſe.

* *Varro lib.* 1. *de Re Ruſt. cap.* 2.

F I N I S.

INDEX

INDEX

LOCUPLETISSIMUS RERUM ET VERBORUM IN LIBRIS SEX

ORATORIARUM INSTITUTIONUM,

NEC NON UNICO DE

RHETORICÆ NATURA AC CONSTITUTIONE.

Numerus paginam, littera a, primam, b, vero, ſecundam columnam indicat.
In Græcis vocubalis literarum Latinarum ordinem ſequimur.

A.

A Quibus rebus exprimendis conveniat, 152. a
Abauchæ fidelitas in amicum, 116. a
abderitis nihil ſtupidius, 19. a
[illegible], ibid.
abiegnus pro ligneo, 183. b
abiit, pro mortuus eſt, 199. b
abitio pro morte, ibid.
Abraham quomodo Iſaacum dicatur genuiſſe centenarius, 186. b
abſolutus ſtatus quis, 46. b. ejus vulgò ſex ſtatuuntur loci: at Hermogeni ſunt quindecim, ibid. diſtribuitur in ſimplicem, & duplicem, 47. b. qui duplex dicitur, duobus fit modis, ibid.
abſtemius cibi, 197. a
abſumedo, fictum à Plauto. 155. b
abuſio, 312. b.
academicum collegium laudandi ratio, 35. a
accentus ambiguitas, 54. b. antiquitus non adſcribebantur. ibid.
Accii verſus in Piſonianâ Ciceronis, 286. b
Accius ab Homero fruſtra diſſentit, 71. a
acclamatio, 274. a
acerba funera, quæ, 165. a
Achæmenidæ qui, & unde dicti, 206. b
Achaia cur pro tota Græcia ponatur, 185. a
Achelous pro quavis aqua, 179. a
Achilles Romanus quis, 194. b. unde inprimis debeat laudari. 28. b. dementiæ jure inſimulatus apud Homerum, 71. a. quo nomine felix Alexandro M. viſus, 91. a
acrem quæ reddant orationem, 295. b. 303. a
Actæon cur à canibus comeſtus dicatur, 179. b.
actio ſeu pronunciatio quid, & quæ ejus vis, 304. b. quibus ea comparetur, 305. a ejus partes, 307. b. actio corporis quomodo inſtituenda, 308. b. ridicula cujuſdam Rhetoris, 309. a
acupedius, 213. a
acutæ ſententiæ an conveniant ſtylo tenui, 286. b
adagio, & adagioni unde nomen, juxta Varronem, 206. b. unde, ex ſententia Jul. Scaligeri, ibid. de adagiis qui veterum ſcripſerint. 208 b
adamantinus pro duro, 168. a
adamas, 142. a
adeſte, adeſte, 233. b
adiantum cui ſacrum, 33. b
adjunctum latiùs patet, quàm accidens 178 a
admirabile quod ſit cauſæ genus, 106
adolere, & adoleſcere, cur pro cremari accipiantur, 199. a
adoleſcentes etiam Latinis dicuntur, qui annum exceſſerunt trigeſimum, 93. b. cur inconſtantes in tuendis amicitiis, 94. b adoleſcentiæ an conceſſi amores meretrici, 94. a
[illegible], 272. a
adorationis etymologia ſubtilior, quàm verior, 175. b
Adrianus Phœnix, quando vixerit, 339. a
adulteri [illegible], 44. b. adulterium rectè futuri nomine vocari, imò & ſacrilegii, 70. a. de adulteris viri magni epigramma, ibid.
æditimus rectiùs dici, quàm æditus, 144. a
Ædon filium Ityn marito Polytechno comedendum propoſuit, 4. a
ægrotos quomodo conſolemur, 127. b
Ægyptii quo pacto punirent perjuros, 62. b
Ægyptiorum ridicula ſuperſtitiò, 188. b.
Æliani error, 271. a
Ælius Donatus alius à Tiberio Donato, 278. b
Ælius Stylo ſaliares hymnos expoſuit, 142. b ejus judicium de Plauto, 147. b
Ælius Ariſtides quando vixerit, 339. a
Ælyrum pro Deo coluere Ægyptii, 188. b
æmulationis vox laxè accepta, 90. b. æmulatio quid, & quomodo ab invidia differat, ibid. qui æmulentur, ibid. quos æmulentur, 91. a. æmulationis cauſſæ, ibid. unde fit, quod cùm mater ſit æmulatio, inter Ciceronem, & Hortenſium, non peperit ſimultatem, 74. b
Æneas ſpurius, 22. a
ænigma unde, 203. b. accipitur & pro nummo, inſidias quoque ita appellarunt Thebani, ibid. ænigmatis variæ appellationes, ibid. eorum conditio, 204. a. ænigma aliquot, 204. b. ænigma de chirurgo cucurbitulis utente, ibid. & 258. a. ænigma Sampſonis impropriè ænigma vocatur, 204. b. ænigma eſſe ſpeciem allegoriæ, oſtenditur, 204. a. quomodo definiat Averroës, 205. a. interdum propriis conſtat vocabulis, ibid. imò nec illud, quod figuratum eſt, ſemper eſt allegoricum, ibid. ænigmatis definitio etiam competens ænigmatibus, quæ allegoriæ non ſunt, 204. a. iis etiam uſi oratores, 206. a
æquitas aliud à juſtitia. 37. a
æquitas non legibus, ſed naturâ; non humanâ, ſed divinâ auctoritate nititur. 45. b.
æquor unde, 167. a
æquora camporum, 176. a
æratæ naves ignorabantur temporibus heroicis, 267. a
ærumnam eſſe aliud, quàm laborem, contra Fabium oſtenditur, 143. b
æruſcator, 167. b
æs pro pecunia, 176. a. æs ferro eſt antiquius, 187. a
Æſchines apud Rhodios exulavit, ac docuit: unde eorum dictio melior Aſiaticâ, 189. b. magnam habuit vocem, 304. b ſchema, quo eum pupugit Demoſthenes, 294. b. Socraticus alius ab Æſchine oratore, 120. b. Æſchines orator auro à Philippo corruptus, 122. b. ejus contra Cteſiphontem exordium à quibuſdam reprehenditur, 111. a. mater illius tympaniſtria, 20. b.
Æſchinis & Demoſthenis collatio, 337. b
Æſchyli mors, 29. a
Æſchylum [illegible] accuſavit Ariſtophanes, 229. b
Æſculapio quæ animalia ſacra, 31. a
æſculator, 167. b.
Æſopicæ fabulæ an ita appellentur ab auctore, 202. b. quæ credantur, 100. b.
ætas quadruplex, 93. b. ætatum ſingularum termini ex ſententia Phyſicorum, ibid. juriſconſultorum de iis judicium, 94 a.
ætas prima oratorum Athenis à Solone & Piſiſtrato, uſque ad Periclem & Alcibiadem, 333. b. ſeq. ſecunda ætas diviſa in eos, qui [illegible], & eos qui dictionem [illegible], ſequerentur, 335. a. tertia ætas ſub imperatoribus, 338. b. ſeq.
ætatem, plus eſt, quàm, jamdudum, 116. a
ætates ſcriptorum quatuor, 149. a
ætati tuæ, pro tibi, 181. a
æternum, pro eo, quod erit, dum ipſi erimus, 184. b
ætiologia, 260. a
Æthiopes quidam in rege maximè ſpectant ſtaturam, 23. b
Æthiopis occurſus infauſtus, 186. b. Æthiopes vulgò argentei dicti. 219. b
Ætoli qui [illegible], 82. a
affectus vehementes nocent memoriæ, 306. b affectus qui movere vult, ipſe priùs affici debet, 309. b
affectuum doctrinam ad Rhetoricen pertinere, contra nonnullos oſtenditur, 64. a eorum definitio, ibid. affectus animum mutant, ibid. quantum etiam in viris bonis valeant, 92. b, quare animis inditi ſint, 64. b. horum doctrina neceſſaria eſt, 65. a. eorum diſtributio ex Thoma Aquinate, ibid. quot in iis conſideranda, 62. a. affectus aliquis prius in nobis eſſe debet, antequam in altero eum cicamus, 91. b
affectuum doctrina non eſt pars artis, 358. a

Digitized by Google

Afrania pro improba. 195. a
Afri è ſepiæ ſucco atramentum conficere ſoliti, 205. a
Africana δορὰς, pro panthera, 166. b
Agathocles rex figuli filius, 20. b
Agave filium interemit, 4. a
age, age. 233. b
Agelliani ſtyli laus, 174. a. 274. a. Agellius falsò putat, à Cicerone nuſquam uſurpatam vocem noviſſimus, 144. a. b. idem parum propriè ſtylum magnificum vocat uberem, 278. b. ejus lapſus in voce obſequii, 144. b
Ageſilai apophthegma, 149. a
Ageſilai λακωνισμός, 19. a. 121. b
Ageſilaus claudus, 26. a
agnorum periphraſis, 219. a
ἀγνώστῳ θεῷ ara, 298. b
agri unde laudentur, 35. a
Agricola notatus, 348. a
Agrippina imperatoris filia, ſoror, uxor, mater, 17. a
ai & ι, differentis pronunciationis, 209. b.
αἶνος non eſt ſpecies oppoſita μύθῳ, ſed αἰνίγματι. 203. a. αἶνος non uno accipitur modo, 203. b
αἰτία nunc laxius, nunc anguſtius ſumitur, 80. b.
αἰσχρολογία, 260. a
ἀκαιρία, 142. a
ἀκμὴ ætatis quomodo ſit morata, 93. b
ἀκμὴν, ſeu vigorem, quomodo acquirat oratio, 300. a
ἀκυρία ſive ἀκυρολογία, 274. a
albedo, & nigredo, barbara ſunt, 146. a
albo reti, vel ariete, Alienam oppugnare bona, 201. a
Alcaicum carmen non eſt ab Alcæo inventum, 202. b
Alciatus falſus in ſcrupi, ac ſcirpi, vocibus, 204. a. idem deceptus in Plauti loco, 212. a ſtemmatis vox immeritò ei ſuſpecta, 213. a
Alcibiadi juſtum viſum, quidquid eſſet utile Reip. 10. a. omnium ætatis ſuæ formoſiſſimus fuit. Primuſque is docuerit vitia extenuare nomine vicinarum virtutum, 28. b. exul, ne matri quidem, vitam ſe credere ajebat, 78. a. naturâ erat contumelioſus, 95. b.
Alcidamas in epithetorum uſu peccavit, 218. a
Alcidamas Eleates. 106. b
Alcinoi regia quam variè ab Homero laudata. 35. a. atque idem de horto ejus oſtenſum, 35. a. b
Aldi nepotis etymologia vocis induſiæ rejecta, 210. a
ἀλήθεια, etſi ab Hermogene conſtituatur una ſeptem idearum, ab eodem tamen uni aliarum ſubjicitur, 303. b
Alexander Rhetor malè cenſet, tropum ſemper eſſe in voce unicâ. 190. a
Alexander Magnus ſpurius, 21. b. cur minus Veneri deditus, 40. a. etiam ſuorum ducum virtutibus invidebat, 89. a. donabat amicis omnia, ſolâ ſpe ſibi reſervatâ, 95. b
Alexander Aphrodiſienſis cum Ariſtotele conciliatus, 324. a
Alexas, 141. b
Alexinus quomodo mortuus, 29. a
Alfenus Varus ex ſutore Juriſconſultus, 28. a
alii idem quòd fecerint, dilutum & invalidum eſt ſc. purgandi genus, 57. b
alius, & idem, 271. b
ἀλίζειν, 252. a
allegoria unde nomen habeat, 200. b. vox ἀλληγορίας antiqua non eſt, ibid. allegoria pro typo, ibid. quid per eam intelligat Apoſtolus, quid item Rhetores, ibid. malè definitur troporum continuatio, ibid. & 201. a. non tantum conſtituitur metaphoræ continuatione; ſed & metonymiæ, & ſynecdoches, 201. b. plurimùm eſt altera comparationis pars, ibid. allegoria poteſt eſſe ironica, & ironia allegorica, 201. a. allegoriæ diviſio in puram, & mixtam, 201. b. ejus ſpecies quatuor, 202. b. immodicè iis utitur Plato, ibid. facit orationem grandem, 284. b. cur minis conveniant, quinque allatæ rationes, ibid.
alliteratio, 242. a
allium cui ſacrum, 33. b
alloqui, pro ſolari, 182. b.
alluſiones in vocabulis ambiguis venuſtatem adferunt, 149. a
alnus cui dicata, 33. b
Alpheno immeritò apud Agellium ſuſpecta eſt uſionis vox, 209. a
alter, pro infauſto, 199. a
Alypius dialecticus quàm puſillus, 24. a
amantes ſimul gaudent, & dolent, 76. a
Amaſis cur lachrymatus magis ob miſeram amici, quàm liberorum ſortem, 85. b
amatorio qui vitam adimunt, num pœnam meriti ſint, non convenit Paullo J. C. cum areopagitis, & Ariſtotele, 49. a
ambigui ſtatus triplex, 45. b. ejus ſunt novem τρόποι, ibid. ſtatus hic immeritò è ſtatuum numero furcillatur, 57. a. ambigui diſſolutio, 55. a
ambiguitas, an è πολυσήμου voce? 148. b
Ambroſio os dicitur ingreſſum apum examen, atque exiens in altum ſe ſuſtuliſſe, 22. b. neophytus licet foret, factus eſt nihilominus epiſcopus Mediolanenſis, 54. a
ambulare, de navibus, 169. b
America quæ nunc dicitur, Hannoni Carthaginenſi cognita fuit, 215. b
amicitiæ complura genera, 72. b. amici qui ſint, 73. a. amicus ſit aliquis non ſolùm quia acceperit, ſed etiam quia dederit beneficium, 75. a. amicitia magis in eo eſt ut ames, quàm ut ameris, 75. b. Amici nomen non meretur, ſi quis utilitatis, vel voluptatis ſolùm cauſſâ amet, ibid.
Aminocles Corinthius primus triremos extruxit, 267. a
Ammiani Marcellini locus, è Plutarcho deſumptus, cum Ariſtotelico conciliatus, 126. b.
amoleta variorum animantium ex Zoroaſtre, 99. a
amor Herculis, pro Hercule amante, 219. a. homines moroſiores reddit, 66. b. amoris definitio, 72. b. ab amicitia quomodo differat, ibid. qui amentur, 104. b. amores meretricii à gentilibus nonnullis conceſſi adoleſcentiæ, à melioribus & gravioribus negati, 94. a
amphiboliæ ambiguitas, 54. 149. b. amphibologia ineptè dicitur. ibid. amphiboliam in Homero, ac vetuſtis ſcriptoribus, inveniri, negat Hermogenes, ibid.
Ammonii locus emendatus, 203. b
Amphis, 141. b
Amphiſſus è quibus natus, 22. a
amplificationes maximè conveniunt generi demonſtrativo, 7. a
amplificandi modi octo, ſecundùm Ariſtotelem, 32. b. & 101. b. amplificatio quid, 121. a. ejus quadruplex ratio ex Fabio, ibid.
ampullas quid in oratione Horatius dicat, 145. b
ἀμύμων unde, 216. a
ἀναβολή. 105. b
Anacharſidis λακωνισμός, 89. b
ἀναδίπλωσις, 223. b. ponitur & pro παλιλλογία 228. a. malè ei ſubjiciunt epizeuxin, 233. a poteſt & integræ eſſe ſententiæ, 233. a eadem epanorthoſi juncta ſtylo grandi apta eſt, 281. a
ἀναγκαῖον malè inter ſchemata reponitur, 260. b
Ἀνακεφαλαίωσις quid Latinis, & quod ejus munus, 123. b. In cujuſmodi cauſſarum epilogis inprimis adhibeatur, ibid. utilior eſt accuſatori, quàm reo, ibid.
ἀναλογία, 257. a
ἀναλογία, & ὁμοίωσις, quomodo differant, 166. a. rectè à ſimilitudine diſtingui, contra Fabium oſtenſum, ibid.
ananeoſis quid Fortunatiano, 116. b
ἀναπόδοτον, 150. a
ἀναφορά, 230. b. ejus uſus, 231. a
ἀναστροφὴ quid, 150. a. b. pro epiphora, 231. b
Anaxarchi fortitudo, 233. b
Andocides orator, 335. a
Andreæ Schotti ſententia improbata, 147. b
ἀνδριαντοποιός, 239. b
angeli eccleſiarum, 165. b. quomodo laudandi, 17. b. ſunt mediæ naturæ inter ſpiritum increatum, & animas humanas, ibid. angelorum linguæ, aut panis, 175. b
Angeli Decembrii error, 266. b
Angelus Politianus mirificè delectabatur vocabulis novatis, 146. a
Angelus Decembrius notatus, 340. b
anguillam inter Deos repoſuere Ægyptii, 188. b
anima, pro homine, tum in ſacris, tum apud τοὺς ἔξωθεν, 183. b.
animales dii qui, 5. b
animalium genera ſingula quibus diis ſacrata, 31. a
animi laudes, 26. b
animum ad res magnas debet adſueſcere, qui ſe ſtudet magnifico uti charactere, 286. b
anni meliores, pro juventute, 218. b
Annibal, pro gravi & terribili hoſte, 194. b
annominatio. 242. a
de annona quæ oratori cognoſcenda, 11. b
ἄνοια, 182. b
ἀνομοίωσις, 282. b
anſer Iſidi ſacer, 217. b
Anſer poeta, 149. a
anſeris quis encomium ſcripſerit, 11. b
ἀνταναίρεσις quid, 226. b. quomodo ea differat à Syllepſi oratoria, 228. b
ἀντέγκλημα, 48. a
ἀντιπαραγωγή, 261. a
ante-mala, & ante-parta, 241. b
antelogium, ibid.
ἀνθηρὸν, ſaltationis genus, ac forma cantionis in ea, 282. a
ἀνθηρὸν dicendi genus quæ amet, juxta Proclum, 300. b
anticato, 105. b
antigenidæ ægre erat, quòd ſiticines etiam tibicines vocarentur, 87. b
Antigonus à ſuis obſeſſus merita ſua commemorando effecit, ut pudore ducti ſententiam mutarent, 80. b
ἀντινομία locus in ſtatu legum contrariarum, 54. b
ἀνθοῦσαι uſæ Athenis meretrices, 55. a
ἀντινομίας ſtatus, 54. a
ἀντιπαράστασις, ac partes ejus, 47. b
ἀντιστροφή, 38. b. non poteſt dici παλίλλογος, 44. a
ἀντίθεσις, quatenus ſtatus nomen eſt, quando locum habeat: ac partes ejus duæ, confeſſio, & compenſatio, 47. b. eſt quadruplex, juxta Hermogenem, ibid.
ἀντίληψις, 48. a
ἀντιμεταβολή, 96. a
ἀνθυπαλλαγή, 258. a. b
ἀνθ' ἑνὸς πολλά, 168. b
ἀνθυποφορά, 176. a
anthypallage, 281. b
ἀντονομασία, 265. b
anticipatio, vide πρόληψιν oratoria.
Antigoni Caryſtii error, 304. b.
ἀντιμετάθεσις, 269. b
ἀντιμετάθεσις, ibid.
Antiochus Epiphanes unde dictus, 242. b
Antipas, 141. b.
Antiphon Rhamnuſius primitus profitebatur τέχνην ἀλυπίας, 335. a. deinde ad forum ſe contulit, 335. b. hujus accurata dictio, ibid.
Antiphontes duo fuêre, 335. b
Antiphraſis, 219. b. 220. a
antiprotaſis, 266. a
antiquarium ineptè vulgus vocat, ſi quis voces paullo remotiores uſurpet, 143. a
antiquæ voces diſtinguendæ à priſcis & antiquatis, ibid.
antiquitas vocum quid poſſit in oratione? 143. b

Digitized by Google

ἀντίστασις, 228. a
ἀντιστροφὴ, quatenus repetitionis eſt ſpecies, 231. a. ἀντιστροφὴ, ſive ἀνάκλασις, 231. b
ἀντίθεσις, ut eſt ſchematis nomen, 268. b
ἀντίθετα, 269. a. ſuâ ſponte cadunt numeroſè. ibid. trifariam fiunt, ibid.
Antonius Cæſar unde Pii cognomen reportarit, 50. a
Antonius Auguſtinus immeritò detrahit ſtylo Agelliano, 209. a
M. Antonius quomodo M. Aquilium repetundarum accuſatum defenderit, 327. a. 342. b
ἀντονομασία malè à multis in ſecunda ſcribitur per ω, 191. b. ejus definitio è Fabio, ibid. ea rejecta, 193. a. Fabio adſtipulatur Plutarchus, de cujus definitione idem idcirco judicium, 195. a. ſpecies eſt Synecdoches, 186. a. ea quot modis fiat, juxta Fabium, & Iſidorum, 192. a de ſingulis modis adverſus utrumque diſputatum, 193. a. ἀντονομασίας certum genus quomodo ab epitheto differat, 192. b. vera ἀντονομασίας diviſio allata, & exemplis illuſtrata, 193. b. ea antonomaſiæ ſpecies, quâ commune ponitur pro proprio, diverſo reſpectu, tum ad ſynecdochen pertinet, tum ad metaphoram, 201. b
anus ad armillum, 201. a. quod vult, ſomniat, 207. b
ἀπαγγελία in pueris damnata, 67. b
ἀπαρχαὶ [illegible], 168. b
ἀπαίτησις τῶν ἐλέγχων Hermogeni quid, 42. a
ἀπαρίθμησις, 259. a. quid Latinis, ejuſque uſus, 300. a
ἀπειλεῖν, προσάγειν, 146. a
appella, 241. b
apem quomodo laudemus, 31. a
apex, pro pileo Flaminis, 185. a
ἀφέλεια orationis quomodo comparetur, 302. a
ἄφθονος cur pro copioſo ſumatur, 89. a
ἀφορμὴ, 243. a
ἀφροδίσια, ἀφροδίτη, de libidine, 182. b
Apocalypſios locus de angelorum numero coram throno Dei, 186. a
ἀποδεικτικὰ argumenta duplicia, alia uni, alia omnibus, aut pluribus perſuadere apta, 4. b
ἀπόδειξις, 251. b
ἀπόθεσις, 150. a
ἀποκατάστασις, 201. b
ἀπόλλων, 141. b
Apollo cur dictus Λοξίας, 206. a. tripus ejus Delphis tranſlatus Conſtantinopolim, ibid. Sminthius, 106. b
Apollodorus Rhetor refutatur, 325. b
Apollonii dictum, 124. a. Tyanei memoria, 306. a
apologus unde dictus, & quid ſit, 202. b. quomodo differat à μύθῳ, ſive fabulis poëticis, 203. a. apologorum antiquitas, & utilitas, 202. b. uſi iis eccleſiæ doctores, idque ſacrarum literarum exemplo, ibid.
ἀπολύοντα quid, 216. a. 251. b. malè ſubjiciunt ironiæ, ibid.
ἀπορία ſchema, 263. a
apoſiopeſios vox à quibus ſumpta, 250. b varia hujus ſchematis nomina, ibid. non uno ab omnibus modo accipitur, ibid. malè ſtatuitur ob affectum ſemper fieri, ibid. fit vel per ſe, vel per accidens, 251. a. granditatem orationi conciliat, 285. a
apoſtoli XII. pro apoſtolis qui fuiſſent XII. 186. b.
apoſtrophe malè ab Hermogene reponitur inter ſchemata λέξεως, 256 a. duæ ejus definitiones rejectæ, veraque allata, ibid. quando maximè moveat, 256 b. interrogationi juncta magnam vim habet, 246. a. an ea grandem reddat orationem, 298. b. in orationis initio quoque locum habet, contra quàm ſcripſere nonnulli, 257. a. etiam fit ad muta animantia, & res inanimas, 256. b. item eâ utimur, ut metro inſerviat, ibid. per parentheſin etiam fit, 257. a
appellativum parum commodè à Grammaticis dici, 141. b
Appii Claudii Cæci ætas, 342. b. hic, cùm de pace ineunda cum Pyrrho ageretur, lecticâ in Senatum delatus, gravi oratione turpes pacis conditiones diſcuſſit, ibid.
Appion mundi cymbalum, 160. a
Appulejus ſcriptor eruditus, at affectatus, 143. a. 218. a. 284. a. immeritò à Majoragio reprehenſus, 171. b. nimio epithetorum uſu peccat, 218. a. poëticas quoque adhibet periphraſes, 252. a. ejus liber de proverbiis, 208. b. videtur dictum quoddam adverſarii aliovorſum torquere, quàm oportuit, 108. a
Apſines junior fruſtra eſt, cùm προκατασκευὴν diſtinctam ab exordio partem facit, 104. a improbatur allata ab eo narrationis diviſio, 115. a
aqua unde dicta? 176. a
aquarum capita diis ſacra, 34. a
aquila Jovi ſacra, 31. a. felix ex ea auſpicium, 31. b
aquilæ, ac ſigni diſcrimen, 237. b
Aquilæ vulgata lectio defenſa, 158. b. in eo conjectura, 164. b. alius ejus locus correctus, 269. a. ironiam vertit ſimulationem; ſed minùs commodè, 187. b
arcades προσέληνοι, 60. a
Arceſilas, 141. b
Arceſilaus, Apelle Chio, homine paupere, ægrotante, viginti drachmas pulvinari ejus ſubjecit, 75. a
ἀρχαιότεροι meliores νεωτέρων, 98. b
archaiſmus ubi inprimis locum habeat, 143. b
ἀρχὴν, & τελευτὴν, quid Ariſtoteles in definitione periodi appellet, 157. b
Archidamus rex, quia uxorem duxiſſet exiguam, ab Ephoris mulctatus, 23. b
Archilochi de fuga ſua verſus, 81. a
arcis laudandæ ratio ex quo petenda, 35. a
ἀρχεῖον forum Athenis, 37. b
arenarii pro beſtiariis, 208. b
arenarius teſtis quis, 60. b
Areopagus, 37. b. Areopagitæ puerum damnarunt, quòd oculus coturnicibus effodiſſet, vivoſque emiſiſſet, 4. a. in Areopago nec proœmio, nec affectibus erat locus, 38. a
ἀρετὴ, 145. a
Argo unde dicta, 220. a
Argos Junoni ſacra, 34. a. cur ἱππόβοτον Homero dicatur, 67. a
argumentatio, & argumentum, quo pacto differant, 119. b. argumentationum duo genera Logico, & Oratori, inprimis in uſu, ſed diverſa, 3. b. argumentandi ratio per exempla, 100. a
argumentum quid, & unde dicatur, 3. b. quomodo ab argumentatione differat, 119. b. argumentorum diviſio in artificialia, & inartificialia, 3. a. cur ita appellentur, 59. b. 60. a. artificialium diſtributio, in mores, rationes, & affectus, 3. b. argumenta à notis communibus ducta ſæpe fallunt, 4. a. argumenta non nimis ſunt condenſanda, 119. a. cujuſmodi repudianda, ibid. non utendum argumentis, ſi affectus moveamus, neque item in oratione moratâ, 120. a. argumenta adverſarii quo ordine refutanda, 122. a. quibus modis ab adverſario adferri debeant, 121. b
ἀργύριον ἀνάργυρον, 272. a
ἀρίδηλος pro [illegible], 228. a
de arido ſtylo, 228. b
Ariobarzani, ut rex eligeretur, etiam profuit corporis forma, 23. a
Ariſtænetus Byzantius, 339. a
Ariſtides quomodo diſcuſſerit conſilium Themiſtoclis, 6. b. Rhetor, quomodo de ideis ſcripſerit, 304. a
Ariſtippi reſponſum ad interrogantem, cur ſapientes ante divitum ædes conſpicerentur, 98. a
Ariſtocles Pergamenus, 339. a
ἀριστεία, 13. a
Ariſtophanes verbum ex vocibus XXI. LXX. conſtans ſyllabis, conflavit, 284. a. ejus locus conciliatus cum Ariſtotelico, 94. b. Ariſtophanici ſcholiaſtæ differentia, inter αἶνον & μῦθον, refutata, 203. a. rectène Demetrii libellum περὶ ἑρμηνείας adſcribat Dionyſio Halicarnaſſenſi, 279. a
Ariſtophanici Latini interpretis lapſus, 216. b
Ariſtophanicum carmen unde nomen acceperit, 102. b
Ariſtoteles à Tullio reprehenſus, quòd inter pedes reponat quæ excedunt numerum trium ſyllabarum, 163. a. ſæpe verba magis, quàm ſententiam Platonis, impugnat, 201. b. ejus locus cum loco Demetrii conciliatus, 171. a. alii item duo Ariſtotelis loci conciliati, 174. a. Ariſtoteles quomodo defenderit verſum quendam Homeri, 184. a. ejus περὶ ἑρμηνείας libri laus, 223. b. ejus ſuper morte variæ ſententiæ, 235. a. etiam dialogo philoſophiam tractavit, 288. a. ejus lapſus de ſalamandra, 304. b. Ariſtoteles Platonis diſcipulus, 336. b. hujus dictio qualis, ibid. illuſtratus, 347. b. contra Quinctilianum defenſus, 327. a. 328. a. b
Ariſtotelis duo loci conciliati, 4. b. 38. a. ejus ἀνθολογία, 19. a. an rectè ſtatuat pulchritudinem hominis in magnitudine, 24. a. librum de affectibus ſcripſit, 64. a. ejus ab Herodoto diſſenſus, 85. b. duo illius loci de nobilium liberis conciliati, 97. b. Ariſtotelis & Theophraſti libri de Theſibus, 325. a. Ariſtotelis & Ciceronis loca explicantur; ſc. an Rhetorica ſit pars Dialectices, 330. a
ἄρμα, pro navi, 166. b
arma virumque cano, an ſit ἐν ἀρχαῖς, 240. a
armillum, 201. a
Arnobii vera lectio expenſa, 228 b
ἀρτιθαλὴς, 187. a
ἀρτιμαθὴς, 141. b
arrigere aures vel animum, rectène παράμορφον à Grammaticis credatur, 172. b
ars iners, 270. b. artes unde ortæ, 223. b
Arſaces incertæ originis, 20. a
Arſacidæ qui dicti, & unde, 20. b
Arſenii Monembaſii de Demoſthene fabula, 290. b.
Artemas, 141.
ab Artemidoro diſſenſum, 25. a
Artemo quid de ſtylo epiſtolico ſenſerit, 287. b
articulus idem quod ἄρθρον, 158. b
Artificas æmuli, 89. b
artificiales loci Dialecticorum triplices, 257. b
artificialis ordo in genere demonſtrativo quis ſit, 18. a
artigraphi, 110. a
artes docentis aliud objectum, quàm operantis, 4. b
artium aliæ conjecturales, aliæ exquiſitæ & ſuâ vi contentæ, 327. a
Arturius adulterio natus, 22. a. commentitius rex non eſt, ibid.
Aſconii error, 110. b
Aſiaticum dicendi genus cujuſmodi, 289. a. duplex id dicendi genus, 290. a. in adoleſcentia laudem aliquam conſequitur, ibid.
aſini quis encomium ſcripſerit, 107. a. cui aſinus ſacer, 31. b
C. Aſinii Pollionis vivacitas, 344. a
C. Aſinius Gallus orator, 344. b. hunc malè cum Cornelio Gallo confundit Servius, ibid.
ἄσωτοι qui, & unde dicti, 183. a
aſperitas alia à natura, alia ab arte, 281. a. item alia ſimplex, alia temperata, 299. a quomodo oratio reddatur aſpera, ibid. & 299. b
aſſimulationis ſpecies, 261. a
aſſumtivus ſtatus quis, 47. b. iſque pertinet primariò ad ἀντιλογίαν, 50. b

Aſtaco eſt innatus patriæ amor, 275. a
aſteiſmus malè ſtatuitur ironiæ ſpecies, 214. b. quid ſit, 215. b
aſteris quæ Statio dicatur, 258. b
ἀστὴρ pro Sirio, 182. b.
ἄστυ non tam ponitur κατ' ἐξοχὴν pro Athenis, quàm per ſynecdochen partis, 263. b
Aſtyagis ſomnium, 18. b
ἀσύνδετον, 225. a. ejus conſideratio quomodo tum ad Grammaticum, tum ad Rhetorem pertineat, ibid. ejus uſus, ibid. ἀσύνδετον, non ἀσύνδετα dici, 225. b. ἀσυνδέτου exempla quomodo inſtituantur, ibid. ejus vis, 281. b
ἄτεχνα argumenta cur præmittantur ἐντέχνοις, quæ ἄτεχνα ſunt, 59. b
ἄτεχνα cur vocentur, cùm non ſint planè artis expertia, ibid. ἀτέχνων argumentorum loci quinque: qui tamen ad quatuor revocari poſſunt, ibid.
Athenæ quomodo diviſæ, & qui ἄστυ, qui item Piræeum portum incoluerint, 196. b
Athenæ cur Atticæ dictæ, 217. b
Athenarum muri quando diruti, iterumque reſtaurati, 338. b.
Athenas laudandi ratio unde petenda, 38. a
Athenis in Ceramico mortuos laudabant, 6. a. urbis ejus fora quæ, 37. b
Athenienſes cur myſteria ſua allegoriis occultarint, 184. b. cur item noctu tractarint myſteria, ibid. αὐτόχθονες, 34. a. unde eorum laus petenda, 28. b. 30. a. Athenienſium lenitas erga Ergophilum unde profecta, 71. a. cur iidem ſubinde vilium & malorum hominum conſilia audirent lubentiùs, quàm præſtantium virorum, 92. b. eorum conſuetudo tabellis ſignificandi populo, de quo futura eſſet conſultatio, 111. a
Atlantis deſcriptio Maroniana, 31. b
Atlas, pro pumilo, 189. a
de attentatione præſtanda quando non magnopere laborandum, 124. a. quomodo eam parârit Prodicus Sophiſta; ibid. de eâ in exordiis paranda non eſt quod magnopere, aut Rhetores præcipiant, aut Oratores laborent, ibid. attentus quibus modis reddatur auditor, 108. a
ἀτιμωρία malè à quibuſdam reponitur inter ſchemata, 239. a
Atticum dicendi genus cujuſmodi, 289. b
Atticus efficiebat, ut etſi inter Ciceronem & Hortenſium eſſet æmulatio, non tamen eſſet obtrectatio, 74. b
Attii verſus, quibus inter juſtitiam & fortitudinem collationem inſtituit, 36. b
attoniti qui propriè, 168. a
αὖ αὖ, canum latrantium ſonus, 216. b
auctor virgilianæ vitæ quis, 213. b
audacia pudori opponitur, 83. a
Aufidius Baſſus, 280. a
auguria quæ Platonis, Pindari, B. Ambroſii, & Pici Mirandulani, partim nativitatem, partim infantiam, illuſtrarunt, 22. b
Auguſti de obſoletis judicium, 143. a. ejuſdem ſcita alluſio, 148. b. ejus querela de Agrippa, ac Juliis, 165. b. quid de pumilis ſenſerit, 272. a. è ſcripto orationes recitabat, 305. b
Auguſtini illuſtris ſententia, 173. a. ejus de Pelagio locus illuſtratus, 239. a
Auguſto Cæſari exprobrata generis ignobilitas, 20. b. cum quidam putarunt dracone editum, 21. b. corpori illius ingenita nota, 23. a. ejuſdem ſtatura, 24. a
avia filiorum, 204. b
Avianus, 102. a. non eſt auctor carminum Phædro tributorum, 33. a
avium multarum nomina à ſono ficta, 216. b
aures annulatæ Lydorum, 293. a
auriga, pro nauclero, 166. b
auro magis aureus, 285. b
aurum, pro phiala aurea, 176. a
Auſonii ænigma enucleatum, 209. b. Auſonius παρωνυμίᾳ gaudet, 243. b
Auſonius illuſtratus, 331. b
ἀυλαγεῖν vel αὐλίζεσθαι, 141. a
autor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ quando vixerit, 345. b
αὔξησις bifariam accipitur, 247. a. poſteriori modo ſumpta troporum affectio veriùs eſt, quàm ſchema, ibid. αὐξήσεις actoris reprehendere debet reus, 247. b
examenta quid, & unde dicta, 141. a
ἀξίωμα, pro ſtylo magnifico, 297. a

B.

B. Quibus rebus exprimendis conveniat, 152. b
Baal-peem cur Iſraelitæ Baal-phegor nominarint, 243. a
Baal-zebahim Accaronitarum idolum, quare Iſraelitæ vocarint Beel-zebub, 242. b
Babrias, non Gabrias, vocatur fabularum ſcriptor, 101. b
Baccho ſacra lynx, tigris, pica, 31. a
bagoæ, 25. b
balnei laus, 35. a
Baptiſtæ Pii ſtylus cujuſmodi, 143. b. ejus lapſus, 272. a
Barbarum pro Phrygio cur ponatur, 195. b
barbati Sophiſtæ pro Philoſophis, 316. b
Barcæi an noti Didonis tempore, 267. a
Caſp. Barthii judicium improbatum de quibuſdam verſibus apud oratores, 162. a
ejus de Sentii verſu opinio rejecta, 195. a
ejuſdem reprehenſa ſententia de Ovidii loco, 197. b. de orationibus Fabio tributis, 59. a
Bartholomæus Marantha, 154. b
Cavalcantius, 109. b
βαρύτης, idea Hermogenica, 303. b
βάσανοι, 61. b
βασιλεὺς pro tyranno, 13. a
B. Baſilii de jurejurando ſententia improbata, 62. a
βατταλογία unde, 88. a
βατταρίζω, 219. b
βάτταρος, ibid.
baubari, 216. b
βαῦος malè inter Jovis appellationes reponitur, 243. a
beatitudinem, & beatitatem, quis primus dixerit, 144. b
beatitudinis civilis definitio accurata, ἁπλῶς & αἱρετῶς Ariſtotelis definitionem conjungens, 12. a. beatitudinis civilis partes, ibid.
Beda malè definit metonymiam, 175. a. nec rectè in metonymia effecti, per efficientem vult intelligi id, quod efficitur, 177. a
de bello & pace quæ oratori cognoſcenda, 11. b
bellum, 220. a
bene, formula honeſtè refugientis reſponſum, 200. b
bene dicere malè putat Fabius eſſe oratoris finem, 1. a
bene-olens, 241. b
benedicere, pro maledicere, 199. a. b
benefacta quæ maxime commendentur, 28. a
beneficia, quæ tarda, minus grata, 84. a
beneficium quomodo elevetur, ibid. quomodo laudetur, 132. a
bene velle ut credamur opus eſt, ſi perſuadere velimus, 92. b. benevolentia quot modis paretur, & quomodo, 107. a
beroaldi elogium, 169. b. finxit in vocem herbicafiovil, 146. a
Beroſus Viterbienſis Annii figmentum, 25. b
beſtiarii, ſive ad beſtias pronunciati, 108. b
betere, 142. b
Bethlehem quomodo Evangeliſtæ dicatur non minima, 198. a
Biantis dictum jam repudiatum immutatumque à Vive, 235. b
bicinium, 205. b
bilbere ſeu bilbire, 217. a
Bionis dictum, cum invidum triſti vultu conſpexiſſet, 89. b
bis unde, [illegible]
biſulcilingua, 146. a
bitire, & Bitienſes, 142. b
βλεμεαίνει quid, 97. a
bombardæ vox unde, & quando [illegible], & à quo invente, 216. b
βομβεῖν, & bombitare, 217.
bombi vox unde, 216. b. de ſono variarum rerum dicitur, 217. a
bonum triplex, honeſtum, utile, & jucundum, & quomodo ea differant, 6. b. unde, 220. a. bonorum tria genera: animi, corporis, & externa, 12. a. bona animi quantum reliquis antiſtent, 18. a. bonorum externorum ſex genera, 12. b. bona externa malè confunduntur cum bonis fortunæ, ibid. bona corporis externaque requiri ad civilem beatitudinem, contra Stoicos oſtenſum, ibid. bona quotfariam conſiderentur, ex Ariſtotele oſtenſum, 13. a. bona qui amiſerit, quomodo ſit conſolandus, 128. a
bonus vir fere aliud, quàm vir bonus, 188. a
bos Luca, pro elephanto, 166. a. 168. b.
bovare, 169. b
bovem quis laudarit, 31. a
brachia conjicere, aut continere qui ſoleant, 311. a
βραχυλογία quid, 149. b. ejus duo genera, ibid.
brevitas interdum vitio danda, 101. b. an rectè ſtatuatur narrationis pars, 116. a
brevium ſyllabarum multitudo cur fugienda, 161. b
Brodæus malè negat Tullium pro Ligario ſuſpicari ab ironia, 188. a. haut immeritò Maronem culpat, quòd triremes tribuat Æneæ, 267. a
βρονταί, à ſono factum, 292. b
Brutus erat in dicendo gravis, 296. b
pro Milone orationem ſcripſit, 39. a. 59. a
Bryſon, 145. a. ejus error, 173. b
bubalo innatus patriæ amor, 275. a
buccas inflant, qui iraſcuntur: item ſuperbi, 310. b
Bucephalo unde nomen, 85. a
Bucera ſecla, ibid.
Budæi lapſus in flagitandi voce, 283. a. immeritò Ciceronem reprehendit, 195. b
Bulidis virtus, 28. a. b
Burſa arx Carthaginis unde ſic dicta, ac unde occaſio prabita fabellæ de tergo taurino, 40. b
Buſiris quomodo illaudatus dicatur, 17. a
butubata, 219. b
Byzantium, unde nova Roma dictum, 339. b

C.

C. Quas res optimè exprimat, 152. b
cachinni maris, 198. b
cadaver unde dictum, 214. b
Cadmi filiolæ, pro literis, 205. a
cæci fuere multi viri excellentes, 25. a
Cæcilius Rhetor, 206. a
cæcos quo pacto conſolemur, 95. b
cæcus, claudus, de eo qui talis fuit, 211. a
M. Cælii facundia, 343. a. b
Cælius in dicendo erat aſper, & amarus, 296. b
cæpas Ægyptii divinis afficiebant honoribus, 188. b
Cæſar in dicendo vim ac calorem habebat, & ſplendidus erat, 296. b. à Liviana dictione quantum diſcrepet, 289. a. Cæſar Dictator, 343. a. de hujus ſermone Ciceronis judicium, 343. b
Cæſius Baſſus, 280. a
Caipor, 211. a
calamitas propriè quid, 272. b
calamus, pro penna, 274. a
calculorum encomium à quo ſcriptum olim, 106. b
Caligulæ ſimilitudo, quâ divinam ſibi ſimilitudinem aſſerebat, 5. a

M. Callidius Orator, 343.b. de hoc Ciceronis judicium, ibid.
Calliſtratus orator quando claruerit, 336.a
Calphurnii excerpta, 345.a
Calpurnii Flacci excerpta cur minorum Rhetorum inſcribantur, 59.a
calumniatorum vafra criminandi ratio, 110.a
Calvus, & Titianus, Rhetores, unde declamationum ſumſerint argumentum, 59 b. Calvus magis Atticus Cicerone, 290. b. fuit judicio pollens, ſtrictus, & argutus, 269.b
Camerarii de cauſa hyperbolarum ſententia expenſa, 213. b. Item de cauſa, cur dolum malum dicant Latini, 216.a
campus unde, & propriè quid, 167. a. camporum æquor, ibid.
cancer unde, 214.b
Candace, Æthiopiæ regina, unocula fuit, 25.b
canina quorundam eloquentia, 29.b
canis catenarius, pro janitore, 176. a. canis, pro maledico, 157. b. canis Rhetoricus quis dictus, ibid. canis quibus deorum ſacer, 31. b. unde ejus laus petenda, 31.a
cantare nectar, 209.b
Capella emendatus, 153.b
caperata frons triſtitiæ index, 309.b
Capheſiæ tibicinis dictum aureum, 24.a
capillos qui vellerent, 312.a
capita quid Rhetores vocent, 41.b. è capitibus, quæ Rhetores enumerant, quædam interdum ab Oratore omittuntur, aliis in locum eorum ſubſtitutis, 56.b
capitis nives, 170. b. capitis in agendo moderatio, 312.a
Cappadocibus mons erat pro deo, 35.b. Cappadocum mos, 61.b
capræ etymon, 242.b
capulares rei, 50.a
caput cœnæ, 168. b. caput ora toriæ artis, artem premere, 120.a
Carbonis error, 343.b
Cardanus malè lapides inter animata reponit, 168.a
carere certis vitiis laudi ducitur: itemque carere certis virtutibus in vitio ponitur, 29.b
carinari quid, & unde, 213.b
cariùs vendis, quàm Achilles ullus, παροιμία, 71.a
Carnarius, 145.b
Carneades injuſtitiam laudibus extulit, 106 a Carneades quo tempore mortuus ſit, 338.b
carnifices extorquendæ veritatis artifices, 61.b
carnificis etymologia gemina, 214.b
carò propriè quid, ibid.
Carolus V. Imp. orationem è ſcripto recitabat, 305.b
carpus, 197.a
Carthada, 40.b
Carthago quando condita, 40.a
Caſauboni laus, 142.a. 189.b
caſei periphraſis, 218.b
L. Caſſii vox, Cui bono, 42.b
Caſſiodori, & aliorum ſententia rejecta, qui quinque ſtatuunt genera dicendi, 45.b
T. Caſſius Severus, 344. b. ob linguæ ſuæ procacitatem, exilio multatus, in ſumma inopiâ obiit, ibid.
Caſtalionis oſtenſæ ineptiæ in verſione ſacrarum literarum, 140.b
Caſtor, & Pollux, quando inter Deos relati, 267.b
caſus aliud Logicis, quàm Grammaticis, 237.a
catachreſin malè appellant, cùm virtutes ponuntur pro vitiis viciniis, aut contrà, 208. b. non ſemper in eâ eſt exceſſus, ibid. quid ea ſit, 209. a. invalido nituntur argumento, qui unum primariorum troporum putant, 210. a. Anguſtiùs multo à Fabio, Feſto, atque aliis nonnullis, accipitur, 211. a. durities in ea non eſt ſolius metaphoræ, ibid. durities ejus non debet modum excedere, 212. a. quæ catachreſes tutiores, 211. b. alia ἀναίσθητος, alia ἀναίσθητος eſt, ibid. verſibus, quibus ineſſet catachreſis, Critici præfigebant χ. 212.b
catellus, pro catena, 169.a
Cato, pro bono ac prudenti, 195.a
Catonis jocus in declamatores eos, qui nunquam publicas agerent cauſas, 305. a. Catonis Uticenſis periphraſis, 218. b. Catonis diſticha, cujus, & quando ſcripta, 271 a. Catonis priſci tergemina laus, 18.a. M. Catonis Uticenſis querela gravis apud Salluſtium, 29. a. idem immeritò extollitur, quòd ſibi manus attulerit, 32. a. præſente eo pudebat P. R. ſpectare Lupercalia, 81. a. Catonis de Tullio dictum, cùm pro Muræna Stoicos riſiſſet, 108. a. Cato ſemper partitione utebatur, 117.b.
Catuli reſponſum facetum, 124.a
Q. Catulus, 343.b
Catullus & ternas conjungit metaphoras à repugnantibus ductas, 173. a. Catulli Lesbia quæ fuerit, 206. a. ζηλοτυπίᾳ gaudet, 228. b. ejus digreſſio de Theſei & Ariadnes fabula à nonnullis immeritò reprehenſa, 248. b. ejus lectio à Bernardino Realino immeritò ſollicitata, 217. b. carmen ejus de nuptiis Pelei & Thetidos malè Argonautica inſcribitur, 241.b
cavillatio aliud ab ironia, 187.b
cauſſa victrix olim diis gratior putabatur, 60.b
cauſſæ tum dianoëticarum, tum ethicarum virtutum, 16. b. cauſſæ nomen antiquius, quàm controverſiæ, 324.b
cauſarum genera, vide dicendi genera.
cedrus cui ſacra, 33.a
celebrare, & concelebrare, pro frequentare, 191.a
celeritatem ſummam cujuſmodi ὑπερβολαῖς expreſſerint Poetæ, 213.a
Celſi vox unde, 76.b
Celtæ antiqui Herculem, non Mercurium eloquentiæ præſidem fecêre, 33.b
Cenſorinus, ſive anonymus potiùs ei conjungi ſolitus, emendatus, 280.a
centum viri erant plures, quàm centum, 186.b
in Ceramico Athenis mortuos laudabant, 6.a
ceras quid poetæ vocent, 96.b
cerebri frigus, aut humor, nocet memoriæ, 306.b
cerebrum, pro ſapientia, 178.b
Cereri animantia ſacra, 31.a
Ceres, pro frugibus, 175.b
cerno unde, 214.b
cerrum cui ſacrum, 33.a
cervicem in ſingulari quis primus dixerit, 144.b
cervix immodicè elata faſtus indicium; ac modicè erecta ingenui eſt animi index, 311.a
cerufes in carmine ſaliari quid, 142.b
Ceſtii oratio pro Milone, 59.a
χαίρειν inimicos jubemus, 200.a
Chalcidia arx, pro Cumis, 266.b
χάλκεα cur arma vocet Homerus, 187.a
χαλκήρεις, & χαλκέμβολοι, 267.a
χαλκὸς inepta è Tzetze etymologia, 187.a
Chamus, Noæ filius, Hebræis habitus incantator, 25.b
character an unus unius ſit orationis, & quomodo tum plures, tum unus, unâ in oratione dicatur, 278. a. characteri cuique quæ vitia opponantur, ibid. character magnificus licet interdum impingat, nihilominus præferendus mediocri nuſquam aberranti. 285. b. non cadit is ſtylus in puerilem ætatem, ibid. character, qui ſingulis cauſarum atque argumentorum generibus conveniat, 289.a
characteris magnifici commendatio, 278. b. cur dicatur magnificus, ibid. quibus nominibus aliter vocetur à Latinis, 278. b. quibus item modis appelletur à Græcis, ibid. quæ in eo conſideranda, 279. a. ejus ex Cornificio exemplum, 277. a characteris hujus compoſitio fit ſeptem modis: nempe I. ratione numeri, 279.b. 280. a. b. II. longitudine membrorum, 280. b. III. περιαγωγῇ, 281. a. IV. aſperis verbis, ibid. V. ordine, 281. b. VI. figuris, ibid. & 282. a. VII. concurſu vocalium, 282. a. b. ſententiæ ejus triplices, 283 a. verba ei conveniunt undecim generum, 283. b. I. Metaphorica, ibid. II. juncta, 284. a. III. ſoluta, ibid. IV. facta, 284. a. b. V. allegoriæ. 284 b. VI. ſermo conciſus, & inprimis apoſiopeſis. 285. a VII. iterationes vocum, ibid. VIII. obliquatio, 285. b. IX. verba ſimilia, aſperaque, ibid. X. epiphonematica, ac poëtica, ibid. XI. quibus adde priſca, ibid. characteris tenuis nomina, 286. b. compoſitio in eo cujuſmodi, ibid. cujuſmodi res, & oratio, ibid. hujus characteris ex Cornificio exemplum, 278.a. characteris mediocris natura, 288. b. ejus in Cornificio exemplum, 277. b. cui is debeat ortum, cui progreſſum, cui perfectionem, 289.a
characterum doctrina quo loco tradenda, 276. a. characteris vox unde ſumpta, 276. b. aliæ characteris appellationes, ibid. gemina ejus definitio, ibid. diverſitatem eorum quid pepererit, ibid. quotuplex ſit, ibid. in Cicerone, & Demoſthene, omnes characteres reperiuntur, ibid. characteris magnifici exemplum eſt Ulyſſes Homericus, Carneades, Pacuvius; tenuis verè Menelaus Homericus, Lucillius, & Critolaus Peripateticus; mediocris Neſtor, Terentius, & Diogenes, 277.a
charientiſmus malè ſtatuitur ironiæ ſpecies, 214. b. ejus gemina acceptio, 215.b
χάρις ἄχαρις, 272.a
Chariſii, Servii, aliorumque lapſus in ſperandi verbo, 210.a
Charondas, Cartinenſium legiſlator, 34.a
χειροτονία, pro ſuffragio, 190.b
χιασμός, 269.b
χιαζόμενοι periodus, 159.a
Chimæra quid ſignari putarint nonnulli, 8.b
Chironomonta quem vocet Juvenalis, 229.a
Chloreis, luſcinia, 292.a
Chœrili exordium, 111. b. Chryſeidis laudatio à quo ſcripta, 34.a
χρεῖα quid, 175.a
CHRISTUS quomodo dicatur tres dies, & tres noctes, fuiſſe in corpore terræ, 185.b ex more Palæſtinorum fecit, cùm crebrò uſus parabolis, 208.a
χρεῖαι, pro certo figuræ genere, 252.b
Chryſippum quare κρύπτων nominarint, 242.b
χρονίζοντες, 199.b
Chryſoſtomi locus de variis dicendi formis, 295.b
χύτρα, pro oſculi genere, 169.b
cicadæ, pro malis Poetis, 172.b
Cicero immeritò reprehenditur, quòd elocutionem vocet partem Rhetorici operis difficillimam, 139. b. Cicero aliquamdiu quidem, nec ſemper tamen, ſolus eſt legendus, imitanduſque, 134. a. 147. a. b. primus dixit beatitudo, indoloria, eſſentia: aliiſque plurimis vocibus ditavit ſermonem Latinum, 144. b. Cicero commendatus, 146. b. proprietati vocabulorum admodum ſtuduit, ibid. Ciceroni potiſſimùm cur libros Grammaticos Varro, & Cæſar, dicarint, 147. a. inhibere remos, & retinere remos, pro eodem Cicero priùs habuit; poſtea errorem ſuum animadvertit, ibid. Ciceronis de Terentio judicium, ibid. item de Cæſare, ibid. ejus de Octavio, & Octavii ad Ciceronem ambiguus ſermo, 148. b. Cicero quædam affectavit, quæ excidiſſe ei Fabius putabat, 155. b. ejus poëmata à Juvenale, & Martiale, deriſa, ibid. Ciceroni ſæpe integri verſus exci-

exciderunt, in ſolutâ oratione, 161. a Cicero, quòd gauderet ſententiam claudere verbis illis, eſſe videatur, deriſus eſt à quibuſdam, qui ſeculo proximo vixere, 163. a. ab Ariſtotele diſſentit in uſu pæanis quarti, 163. b. falſus, cùm judicio putat Iſocratem ſeniorem in numero fuiſſe magis moderatum, 364. a. immeritò, ut durum nimis, damnat illud veteris Poetæ, Cœli ingentes fornices, 170. b. idem pinguiori Minervâ facit diſtincta tranſlationum vitia, quorum unum ſub altero continetur, 172. a. apud eum potiùs legendum videri, concedat laurea laudi, quàm linguæ, 181. a. Cicero contra Budæum in eo defenſus, quòd ſcripſerit, ſolum Ulyſſem ab Homero vocari [illegible], 196. a. idem defenſus contra eos, quibus putidè nimis videtur laudes ſuas in ſingulis penè orationibus apud ſenatum, aut populum, prædicâſſe, 195. b. mos ejus in orationibus ſcribendis, ibid. Ciceronem fugit, unde bonum ſit dictum, 220. a. de ſtatua Gorgiæ in duobus à pleriſque ſcriptoribus diſſentit, 244. b. pro Ligario dicens quantopere Cæſarem moverit, 245. a. incommodè [illegible] transfert effrenationem, 272. b. omnibus utitur dicendi formis, 277. a. malè pro magnifico charactere dicit ornatum, 278. b. falſus, cùm ſcribit, Herodotum carere numero, 279. b. immeritò ab Ariſtotele diſſentit de uſu pæanis ultimi, 280. a. Ciceronis duo loci conciliati, 280. b. Aſiatico quidem eſt preſſior, ſed Atticis pleriſque copioſior: unde & nonnullis aſiaticus dicitur, 290. a. an rectè majoris faciat geſtum, quàm vocem, 290. b. Cicero quos dicendi magiſtros habuerit, 338. b. cur in tribus de Oratore libris nullas ſibi partes aſſignaverit, 342. b. eloquentiæ Romanæ princeps, 343. b. notatus, 348. a

Ciceroniaſtros rectius, quàm Ciceronianos, dixeris Ciceronis imitatores, 143. a

Ciceronis ratio impugnata, quâ M. Antonius apud eum adſtruere conatur, plura eſſe, quàm tria, dicendi genera, 7. a. immeritò ambigit de auctoritate Nicomachiorum, 12. a. eidem, quòd pater fullo fuerit, exprobratum, 20. b. fallit, cùm ait, Clodium inſidiatum Miloni, 39. a. allata ab eo ſtatuum diſtributio imperfecta eſt, 39. b. falſus, cùm judiciale genus difficilius eſſe dicit negotiali, 45. a. haut rectè ait, majorem eſſe vim eorum, quæ in purgatione adducuntur, quàm quæ adferuntur remotione, 50. b. ejus locus emendatus, 52. a. malè definitionem ponit inter ſtatus legales, 52. a. Ciceronis & Salluſtii invectivæ [illegible], 59. a. Ciceroni qui adſcribunt libros ad Herennium, invalido nituntur tibicine, 59. b. Cicero adoleſcens immeritò ſugillavit Ariſtotelem, quòd quædam fecerit argumenta [illegible], ibid. malè auget numerum argumentorum [illegible] ab Ariſtotele allatum, ibid. male [illegible] vocat perturbationes, 63. b. confundit vindictam, & pœnam, 66. a. id laudat in Accio, quod vitio vertere debuerat, 70. b. Cicero, & Hortenſius, an ſe mutuò amarint, 72. a. Ciceronis de fidei etymo ſententia rejecta, 78 b. ejus filius degener, 97. a. ejuſdem verſus ex Homero deſumptus, 101. a. cur partes orationis enumerans, narrationem ponat, propoſitionem prætereat, cùm illa ſæpe omittatur, hæc nunquam, 103. b. non rectè digreſſionem, & diviſionem, orationis partibus adjicit, 104. a. haut rectè docilitatem negat competere exordio, 109. a. cur magna ex parte ſeparatis utatur exordiis, 113. a. ejus in Cluentianâ partitio à quibuſdam reprehenditur, 117. b. falſus, cùm ſcripſit, Ariſtotelem, atque Peripateticos, ſyllogiſmum etiam facere quatuor aut quinque partium, 120. b. pluribus dicentibus, peroratio ei ab aliis relinqui ſolet, 124. a. Ciceronis error de ſcopo Platonis in Gorgia, 320. b. Ciceronis & Ariſtotelis loca conferuntur, quibus aiquam eſſe eloquentiæ artem oſtendunt, 330. b. Ciceronis locus illuſtratus, 337. b

ciconiam pro Deo coluere Ægyptii, 188. b

ciliſſa ſpica, pro croco, 179. a

circulatores Sophiſtæ, 316. b

circumſtantiæ vox nova, 325. a. b. de circumſtantiarum numero vulgaris opinio diluitur, 325. b

clades propriè quid, & unde nomen, 172. b

claritas vocis quatuor juvatur præceptis, 307. b

Clarotæ Cretenſium, 199. b

claudi illuſtres, 22. a. eorum occurſus infauſti eſſe omnis credebatur, 26. a

Claudianus correctus, 57. b

Claudii Verderii in auctores cenſuræ cenſura, 140. b. 259. a. ejus error geminus, ibid.

claudorum occurſus infauſtus, 189. b

clementia in ſtatu deprecationis utiliter commendatur, 49. b

Cleomedis judicium de exclamationibus Epicuri, 274. a

Cleophas, 141. b

clericus alium ob corporis vitium deridens anathemate feritur, 24. b

Clinias Pythagoricus trium talentorum damnum facere maluit, quàm jurare, 62. a

Cliſthenes orator, 333. b

Clitarchi ætas, ac dictio ejus cujuſmodi, 296. a

Clodium Miloni inſidiatum eſſe, falsò adſtruere conatus Cicero, 39. a

Clotildis ut bellum concitarit inter Francos, & Viſigothos, 86. a

clypeare, 145. b

Clytæmneſtra num maritum in balneo, an inter pocula interemerit, diſſentiunt ſcriptores, 38. b

Cnidii calami, 205. a

cochleæ ſanguis medetur oculorum ſuffuſioni. 146. a

Cœlia gens, 210. a

Cœlii Rhodigini lapſus in ſcirpi voce, 204. a

Cœlius Mantuanus à Marone notatus in eclogis, 205. a

Cœlius Sympoſius, 205. b

cœlum unde, 220. a

colla, pro collum, 186. a

collatio, & comparatio, quomodo differant, 262. a

collectio ſtatus nomen, 56. b

colon quomodo à commate Rhetores diſtinguant, 158. a. cola interdum commatum magnitudinem habent, ibid. colon prior diviſio in id, quod habet [illegible], & illud, quod eâ deſtituitur, ibid. altera ejus diviſio in [illegible], μέτρον, & [illegible], ibid. colis quando utendum, 160. a. b

color, pro certo figuræ genere, 252. b

color, ſpecies [illegible], 260. b

colorum libri, 57. a. coloratæ controverſiæ quæ, ibid.

columbatim, 145. b

comæ quis encomium ſcripſerit, 107. a

Comanus, Segobrigiorum rex, quo apologo incitatus conſilium ceperit de Maſſilienſibus in ipſo ortu perdendis, 202. b

combitere, 142. b

comburere diem, 173. a

comiſſe, pro comediſſe, 142. b

commatis nomine aliter utuntur Grammatici, quàm Rhetores, 157. a. quot ſyllabarum eſſe poſſit, 158. a. etiam magnitudinem habet coli, ibid. commata quando adhibenda, 160. b

commeletare, 346. a

commendatitia quomodo inſtituenda, & quæ in ea obſervanda, 129. a. b

commune nomen, quod aliàs parùm commode appellativum vocatur, 141. b

communicationis ſchema, 257. a. ea duplex, ibid.

communius vocabulum interdum poſtponitur, 156. a

comœdia ſub ludicrâ larva philoſophatur, 202. a. in eâ quænam ſpectanda, 147. b

comparatio bonorum quotfariam fiat, 13. a

comparationis, & collationis ſchema qui differant, 262. b. comparationis diviſio in perfectam, & imperfectam, 266 b. malè à Fabio, & Robortelio, è ſchematum numero excluditur, ibid. ejus vitia quæ, ibid. ſtatus, 48. a

comparatum cauſſæ genus, 8. b

compoſita cujuſmodi citra periculum uſurpentur, 284. a. aliquammulta ex Latina Græcaque voce, 105. b

compoſitio oratoria circa quæ vertitur, 157. a. quomodo frigida fiat, 286. b. vide character, compoſitio cujuſmodi in Chriſti perſona, 185. a. compoſitio triplex, juxta Scholaſticos, ibid.

compoſitionis, quâ elocutionis pars eſt, definitio, 151. b. quantum ei tribuant veteres, ibid. ejus diſtributio in communem ſcriptorum omnium, & oratorum propriam, ibid. quæ in communi compoſitione conſideranda, 151. b. ejus ac diviſionis ambiguitas, 54. b

comprehenſibile, audacter novatum, 284. a

concelebrare, pro frequentare, 191. a

conceſſionis ſchema, 265. a. ſtatus cujuſmodi, 80. a. b. ejus loci tredecim ex Hermogene, 49. a

concharum in bello uſus, 253. a

conciliatoria quomodo inſtituenda, 130. a. b. conciliatoriæ aliæ unum alteri conciliant, aliæ duos inter ſe reconciliant, 130. b.

concionari non licuit iis, qui infames forent, 53. b

concionatoris appellatio in deteriorem partem à Tullio uſurpata, 316. a

concordia diſcors, 271. b

confector, & confectorium, 215. a

confeſſio, 264. b. qui differat à conceſſione, 265. a

confidentes qui, 79. a

confidentia, vide fiducia.

confirmatio quando antecedat confutationem, 118. b. in confirmatione quo ordine argumenta collocanda, 119. a. confirmationis materia, ibid. forma ejuſdem, 119. b

conformatio, 254. b

confutandi & refutandi voces unde ſumptæ, & quid propriè ſignificent, 121. b. ejus modi varii, ac præcipui, 122. a

confutatione interdum opus non eſt, 104. a

congeries quid, & quomodo à [illegible] differat, 259. a. ejus uſus, ibid.

conjectores qui, 41. b

conjecturalem ſtatum definiunt imperfectè, qui eo quæri ajunt, an ſit, 39. b. unde conjecturalis dicatur, 41. b. ejus loci ſunt quadruplices, juxta Ariſtotelem. At Hermogenes decem ejus facit [illegible], ibid. conjecturali in ſtatu, neceſſariò vel reus, vel actor, malus eſt, 43. b. quæ in hoc ſtatu verſentur orationes Ciceronis, ibid. incidere quoque poteſt in ſtatu ratiocinationis, 53. b. incidit idem in [illegible], 56. a

Conradi Celtis dictum, 169. b

conſolanti quomodo reſpondendum, 128. a conſolatio rectè ſubjicitur generi deliberativo, contrà quàm Keckermanno viſum, 10. b. ejus duo loci, 29. b. conſolatio triplex, & quomodo inſtituenda tum univerſè, tum pro varietate calamitatis, 3. a. 126. a. conſolatoriæ orationis loca [illegible], 11. a

Conſtantinus Magnus tripodem Apollinis Delphici Conſtantinopolim tulit, 206. a

conſtitutio Latinis quid, 38. b

conſtructionis ambiguitas, 54. b

conſuetudo tranſlationum plena, 172. b

contemptum perpeti, non liberi, ſed mancipii, putat eſſe Ariſtoteles, 66. a. contemptus alicujus unde proveniat, 91. b. contemptum

temptum alicujus vel ſilentio noſtro, vel ei inſultando, teſtamur, ibid.
continens, quid Rhetores vocent, 39. a
continentia Fortunatiano quid, 54. b
contradictio legis quibus modis fiat, 54. a. tredecim tractatur κεφαλαίοις, ibid.
contrarii vox Ariſtoteli quoque contradictorium nonnunquam comprehendit, 188. b quia Cicero Stoicos ſecutus omnia oppoſita hoc nomine appellat, ibid.
controverſia preſſe ſumpta ſuaſoriæ opponitur, 324. b
contumeliam ab injuria Seneca diſtinguit, 69. a. ad contumeliam propriè dictam quæ requirantur, ibid.
convivæ quales rectiùs jungantur, 74. a
convolutio, 300. b
copa ſive cupa, 52. b
cor, pro ſapientia, 178. b
coracina ſacra, 188. b
Corax & Tiſias primi Rhetoricen conſcripſere, 332. a. Corax, ejuſque diſcipulus Tiſias, quando vixerint, 334. b
Corinnæ dictum, 143. b. 285. a
Cornelii Galli elegiæ ἑνδεκασύλλαβοι, 273. b
Balbi error in epiſtola, 110. b
M. Cornelii Cethegi facundia ex Ennio celebratur, 342. a
Cornificius falſus, cùm juridiciale genus difficilius eſſe ait negotiali, 45. a
cornifrontes, 145. b
cornix nulla cur ἀκρόπολιν ingrederetur, 68. b
corporis actio quomodo inſtituenda, 308. b ejus partes diis ſacræ, 312. a. virtutes quæ, 17. a. ac præcipuæ, 23. a. ac deinceps. ratio vituperandi à vitiis corporis, 26. a. è corporis ſignis conjectari de animi moribus, 26. b
corpus pro ſervis, 183. b
correctio quid, 264. a. quotuplex, ibid.
corvum pro Deo coluere Ægyptii, 188. b
Corycus mons croco nobilis, 179. a
Corythus de dialectis, 240. b
cothurni quid, & cur iis in tragœdiis uſi, 212. b
Craſſi Muciani quinque elogia, 18. a
L. Craſſus, 342. b
creatura, pro homine, 182. b
cretâ ſe occultare, 201. a
Cretenſes in bello pro tubâ uſi citharâ, 266. b
crimen, pro reo, 180. b
Criniti in Lucillianâ cochleæ deſcriptione lapſus, 146. a. idem falſus in ſcrupi ac ſcirpi vocibus, 204. a. ejus, & aliorum, error de Laberii prænomine, 262. a
Critiæ ὑποθήματα, 98. b. Critiæ oratoris dictio qualis, 334. a
Critolai libra, 18. a
Critolai Tegeatæ factum, 39. a
crocum cui dicaverint nationes, 33. b
Crœſus quomodo figuratâ reprehenſione laudarit Cambyſen, 272. b. malè ferebat Tellum extolli, 88. b
Cruquius multa ex Acrone reſecuit, 172. a
cryptoporticus, 105. b
cuculi qui vocati, 169. a
culina Laribus ſacra, 34. b
cumulus pro concluſione, 123. a
cupreſſus cui ſacra, 33. b
cura Quirini, pro Romulo curante, 219. a
curari, pro cicurari, 173. b
C. Curio quando floruerit, 343. a
Curiones unde dicti, 142. b
currus pro navi, 167. a
Curtii judicium de fortuna Alexandri, 18. a
cuſiones, 142. b
cuſtodia, pro cuſtodibus, 176. b. de cuſtodia regionum quæ oratori cognoſcenda, 11. b
cuſtos, pro cane, 169. a
Cydonii arte ſagittandi nobiles, 264. b
cygnus, pro poeta, 172. b. pro Æthiope, 219. b
Cyneæ memoriæ exemplum, 350. b.
Cynethus Chius non eſt auctor hymni in Apollinem, 25. b
cynoſargis qui rem divinam facere ſoliti, 21. b
Cyprianus quare Coprianus ab hominibus nequam vocatus, 146. a
Cyprianus Zoares malè ad Synecdochen refert, cùm ex antecedentibus, colligimus ſequentia, 182. a. idem falſus, cùm negat μετωνυμίας, ac συνεκδοχὴν, in unicâ voce habere locum, 189. b
Cyrus, & Scipio Africanus, cur militum omnium nomina edidicerint, 69. a
Cyrus major an tenuerit omnium militum ſuorum nomina, 350. b
cyzicum quis oratione laudârit, 34. b

D.

D' Quibus rebus exprimendis conveniat, 152. b. 153. a
Dacis ſacerdos montis Cogæoni pro Deo, 35. b.
dactyli, & pæanes, conveniunt characteri grandi, 279. b
ψάδυχα, 176. b
Dædalo cur poëtæ tribuant alas, 169. a
δαίμων ἱερὸς, 199. a
Dalecampii lapſus, 94. b.
Dama, ut proprium, 141. b
Damium ſacrificium ubi fieri ſoleat, & unde dictum, 220. a
Damon ſummus ſophiſta, ob excellentem animi vim oſtraciſmo Athenis ejectus, 333 b.
Danielis Crameri argumentum relectum, quo adſtruere conatus, ἔρημον eſſe ab οἶμος, 105. b
dapatilia in carmine ſaliari quæ, 142. b
David, pro rege bono, 194. a
Davidi an rectè præbiti ſint panes propoſitionis, & gladius Goliathi, 54. a. ejus laus à forma, 23. a
declamandi uſum quis primus induxerit, parum convenit, 346. a. ſumma declamandi utilitas, 346. b. multi quotidie declamabant, ibid.
declamationis vox quando nata, 346. a. Græcis μελέτη, ibid. hujus variæ deſcriptiones apud Græcos & Latinos, ibid.
declamationum Fabio adſcriptarum auctor quis, 59. a. declamationum tria genera. 346. b
Dedalus Calum puerum, invidiâ ductus, interemit, 89. b
deductum, pro tenui, 286. b
defendere, pro arcere, 210. a
defenſio veriſimilis ſtatus nomen, 63. b. defenſio quomodo ſit inſtituenda, 135. b
definitio malè à Tullio, & Cornificio, reponitur inter ſtatus legales, 52. a. definitio dialectica à Phyſica definitione differt, 65. b. definitio, locus ſtatus tranſlativi, 56. a. violenta, in ſtatu legum contrariarum, 54. a
definitionis vox latius à Rhetoribus ſumitur, quàm Logicis: neque Rhetores eâ uno utuntur modo; quando item tum ea, tum diſtributio ſchema ſit, 258. a. eſt vel ſimplex, vel conjuncta, ibid. quando ſchematis nomen mereatur, 258. b. definitionis ſtatus, 55. a
definitivus ſtatus, vide finitivus.
deforme corpus ſæpe animum arguit deformem, 26. a
deformes quomodo laudentur, 24. b. quomodo iidem vituperentur, 26. a
δεινότης non eſt Idea dicendi à cæteris diſtincta, 296. b. δεινότης idea Hermogenica, 304. a. quomodo à Latinis vocetur, ibid. non conſtituit novum characterem, contrà quàm viſum Demetrio, 291. a. nec eſt propria magnifici characteris, 304. a
delectus, vide Judicium.
deliberativi generis finis, 10. a. 100. a. partes, 6. a. deliberativo generi cur primus tribuatur locus, 9 b. ejuſce generis materia generatim adfertur, 10. a. finis, 12. a tempus, circa quod verſatur, 10. b. deliberativum genus quomodo dicatur verſari in diſceptatione rei præteritæ, & præſentis, ibid. deliberativi generis partes, ſeu officium, ibid. hujus generis orationes rectè vocari ſuaſorias, contra ſummum virum oſtenſum, ibid. ejus loci, tum juxta Halicarnaſſenſem, tum Hermogenem, 11. a. ſex Hermogenis locis ſeptimus ex Ariſtotele adjungitur, ibid. non eſſe plures locos, quàm ſeptem, oſtenditur, 11. b. atque ex iis tres inprimis adhiberi, ibid. quæ principalis ſit hujus generis materia, ibid. loci ejus in exordiis, 111. a. hoc in genere olim neceſſe non erat indicare, quâ de re agendum eſſet, ibid.
deliberativo generi quæ ideæ maximè conveniant, 304. b
delinquendi tres modi, 42. b
delphica oracula ambigua fuiſſe, exemplis oſtenſum, 206. a
Delphinium forum Athenis, 37. b
Delphis qui dii reſponſa dederint, 206. a
Delphos olim putarunt eſſe orbis umbilicum, 165. b
Demades ex remige repentè orator factus, 330. b. 338. a. hujus Attica ſuavitas, ibid.
Demadis dictum, 295. a
δημηγορεῖ, 318. a. ab his diverſi λογόγραφοι, ibid.
δημηγορεῖν, 318. a
δῆμος, 214. b
δημόσιον, 141. b
δημηγορικὸν genus quod, & cur ita dicatur, 9. b
Demetrii Cynici dictum, 311. a
Demochares & Demetrius Phalerus mollius dicendi genus invexêre, 338. b.
Demetrium Rhetorem alium eſſe à Phalereo, comprobatur, 279. a. Demetrius Rhetor malè quatuor facit characteres, 291. a. ejus de loco conjectura noſtra, 217. a. num aliud per heroum pedem intelligat, quàm Ariſtoteles, 280. a. ejuſdem ſententia de iconum uſu cum Ariſtotelica conciliatur, 218. a. Demetrii liber de elocutione commendatus, 269. a. 304. a
Demetrius, emendatus, 291. b
Demetrius Abderites, 19. a
δημοκρατίας vox nunc in bonam, nunc in malam accipitur partem, 13. b
Democriti dictum, 80. a
Demodocus citharœdus, cæcus, 25. a
demonſtrativi generis partes, 6. a. huic generi cur ab Ariſtotele ſolùm tribuatur tempus præſens, cùm & præteriti ſit, & futuri, ibid. an in eo honeſtas finis ſit, diſſertatum, 6. b. utrùm illius adæquatus finis ſit bonum, 7. a. rarò ſeorſim eo utitur orator, 9. b. cur præponatur Juridiciali, 14. b. cur dicatur Demonſtrativum, ibid. malè Oſtenſivum vocatur, ibid. cur Ἐγκωμιαστικὸν, & Πανηγυρικὸν appelletur, 15. a. ejus partes, ibid. ejuſdem quadruplex materia, 15. b. hanc materiæ diſtributionem perfectam eſſe oſtenditur, ibid. vulgaris ejus ἐγχειρήματα quo ſenſu accipi debeat, 16. a demonſtrationi perſonarum ſubjiciuntur non perſonæ, tractatæ inſtar perſonarum, ibid. malè damnant antiquos, quòd demonſtrationem factorum ſeparent ab ea, quæ eſt perſonarum, aut rerum, ibid. cur eam Ariſtoteles prætererit, 16. b. demonſtrativi generis proprius locus eſt honeſtum, ibid. malè negant, hujus generis argumenta omnia peti ab honeſto, ibid. præcipuum ejus argumentum amplificatio, 17. a. conceſſæ in hoc genere digreſſiones, ibid. demonſtratio perſonarum duplici inſtituitur ſerie, 18. a. demonſtrationis factorum qui loci, 31. b. demonſtrationis rerum qui loci, 33. a. demonſtrativi generis exordia unde petantur, 109. b. ejuſdem generis cujuſmodi narratio, 114. b

δῆμος, & βουλὴ, opponuntur, 13.b
Demoſthenis oratio ab Æſchine Sirenibus comparata, 151.b. cur eum dixerit Æſchines non verba loqui, ſed portenta, 171. b. Demoſthenes, pro eloquenti, 194. b. cujuſmodi fabellâ dehortatus ſit populum, ne Alexandro traderent oratores, 202.b. Demoſthenes ab Iſæo vim ſuam hauſit, 224. a. excellit in ſchematibus διανοίας, 247. a. inſunt ei omnes dicendi formæ, 277. a. octies deſcripſit Thucydidem, 290. b. quantum tribuerit pronunciationi, 304. b. maximus fuit pronunciandi artifex, ibid. quomodo maxima naturæ vitia ſuperârit, 305. a. quomodo humerorum jactationem emendârit, 311. a. apud Philippum dicturus, obticuit, 306. b. ejus oratio cur dicta olêre lucernam, 6 b. idem plus olei abſumpſit, quàm vini, 7. a. ejus pater μαχαιροποιός, 20. b. avus ejus maternus proditor fuit, 21. a. etiam ab hoſte ſuo Antipatro laudabatur, 28. b. encomium illius apud Lucianum, 30. a. ejus in bello fuga, 81. b. ut fabellâ parârit attentionem, 108. a. quomodo tractare ſoleat, tum ſuum, tum adverſarii firmamentum, 119. b. an planè jocandi imperitus, 122.b. locus ejus unus alterque, ibid.
dentifrangibula, 146. a
depetigo, 240. b
deprecatio malè ponitur inter ſtatus aſſumtivos, 48. a. quid, & apud quos locum habeat, 49. b. ejus κεφάλαια eadem, quæ conceſſionis, ibid. hâc utente adverſario, quæ contra eam ſint adferenda, 50. a. 136. b. meritò de ea agi in ſtatuum doctrina, 50. b. quatenus ἄσχημος ſit, 51. b, ſubjicitur generi deliberativo, 136. a. deprecantis ſupplicium ex Philone exemplum, ibid.
deſperatio mater audaciæ, 77. a. b
δυναστείας imperium quale, 13. b
deſultoria ſcientia, 171. b. levitas, ibid.
Deum qui à partibus ſuis ſtare arbitrantur, parum periculis moventur, 79 b
Deus eſt ἀπαθής, 176. a. Deus verus quomodo laudandus, 17. b
dextræ geſtus, vide Manus.
Diabolum quis oratione laudârit, 106. a
diadema in feminino genere, 221. a
διαζυγή, 259. b
διαιρέσεως ambiguitas, 54. b
διαίρεσις, 240. a
διακοπή, ibid.
dialectice & Rhetorice cur ἀντίστροφοι dicantur, 323. a. b
dialecticæ finis ut à Rhetoricæ fine differat, 327. b
διάλληλον, 269. b
διαλογισμὸς quid, 253. a. malè cum dialogo confunduntur, ibid.
dialogus quibus de rebus ſcribatur, 287. b. dialogi partes, & quomodo ſingulæ tractandæ, 228. a
διάλυσις quid, 226. a. ad amplificandum eſt utilis, 281. b
Dianæ unde nomen, 142. b. Epheſiæ templum celebratum Plinio, 35. a
διατύπωσις, 260. a
διαστάσεως ambiguitas, 54. b
διασύρειν, 215. a
dialyrmus, malè ſtatuitur ironiæ ſpecies, 214. b. quid Scaligero, quid Eugraphio, quid item Aquilæ Romano, 215. a. quando eo utendum, ibid.
diatypoſis quid, & quomodo differat ab hypotypoſi, 260. b
dicendi tres formæ ratione characteris, vide character, dicendi tria genera, Atticum, Rhodium, & Aſiaticum, 289. a. dicendi genera haut plura eſſe, quàm tria, ac quomodo ea differant, fuſè declaratum, 6. a. dicendi genus unum aliquod primarium eſt in quavis oratione, atque id è ſcopo cognoſcitur, 8. b. dicendi genera vel abſolutè tractantur, vel comparatè, 9. a
dicentarius, ῥήτωρ δικανικός, 315. b
dicere, pro credere, 190. b. dicere ex intervallo, prodeſt, 305. b. dicere, non propriè Oratorum eſt, ſed & aliis tribuitur, ſcil. Poëtis, Juriſconſultis, Geographis, 315. b 316. a
dictamum cui ſacrum, 33. b
dictator propriè dictus dicebatur, 141. a
dictum, & dictioſus, 123. a
dicturus, non ſtatim, ſed poſt moram aliquam, debet inchoare orationem, 308. a
διδάσκειν, & διδάσκαλοι, qui dicti, 108. b
Dido univira permanſit, nec Æneam aut vidit, aut videre potuit, 40. a
Didymus Alexandrinus fuit cæcus à quincto nativitatis anno, 25. a
directus, 220. a
dies nunc naturalis, nunc civilis intelligitur. 185. b. dies oculata, aut cæca, 217. b
διέξοδος, 147. b
διεξοδικόν, 281. a
difficilium facilis eſt venia, 51. b
digiti linguoſi, 311. a
digito uno caput ſcalpere, indicium hominis mollis, 189. b
digitorum nimia geſticulatio improbata, 311. b
dignitas orationis quid compoſitioni adjiciat, 164. b. vultus à venuſtate quomodo differat, 23. a
dignitatem qui amiſit, quomodo conſolandus, 128. a
digreſſio, 247 b. de ea fruſtra dubitat Fabius, an ſchema ſit, ibid. duo digreſſionum vitia, ex Theone, 248. a. Poetæ eas quoque adhibent abſque epanodo, 248. b digreſſionibus ubi, & quando, utendum, ibid.
digreſſiones maximè conceſſæ in genere demonſtrativo, 17. a. ea malè ſtatuitur diſtincta orationis pars, 116. b. digreſſio aliud Fabio, aliud Fortunatiano, ibid. in exordio locum habet. ibid.
dii gentium quomodo laudentur, 17. a. dii quibus ſe animalibus cœlarint Tiphœei metu, 31. b. diis penè ſingulis plantam, aliquam dicarant gentiles, 33. b.
δίκαια unde dicatur, 76. b
διλογία quid, 285. a
Dinarchus orator quando floruerit, 338. a. qualis hujus ſtylus. ibid.
Dio Caſſius, 247. b
διανομή, 258. b
Diomedes emendatus, 153. b
Diomedis laus à quo ſcripta, 30. a
Dion Pruſæenſis quando floruerit, 339. a ob facundiam Chryſoſtomus dictus, ibid.
Dionyſii Senioris apophthegma, 77. a
Dionyſius Halicarnaſſenſis librum promſit de verborum delectu, 141. a. falſus, cùm judicio credidit Iſocratem ſeniorem minus numero, ac ſcitamentis, ſtuduiſſe, 164. a
Dionyſius Siculus quomodo Locrenſibus minatus, 284. b
Dionyſius Mileſius, quando floruerit, 339. a
Diophantes Mitylenæus quando floruerit, 338. b
Dioſcorides Cyprius unoculus, 25. b.
Dioxippi virtus Alexandro ingrata, quia non eſſet Macedo, 89. a
Diphilius, ſeu Chœrilius verſus, 270. b
διψᾶν pro ἐπιθυμεῖν, 67. a
diſcendi cupiditas futuræ virtutis præſagium eſt, 27. b
diſcinctum otium, 191. b
diſciplinæ diverſæ eâdem de re tractant diverſimodè, 5. a. 60. b. 225. a. b. 329. a
diſpoſitio orationis quomodo memoriam juvet, 307. a
diſpoſitionis doctrina prior eſt doctrinâ de elocutione: etſi contrario ordine de his agat Ariſtoteles, 102. b. diſpoſitio verborum, & rerum, ad diverſas Rhetorices partes pertinent, 103. a. diſpoſitio rerum quid, ibid.
diſſimilitudo vel ſimplex, vel cum ratione annexa, 262. b
diſſimulatores inprimis cavendi, 78. a
diſtinctionis ſchema, 269. a
diſtributio quid, & quando ſchema ſit, 258. b
Dithyrambicæ compoſitiones locum non habent in oratione pedeſtri, 154. b. ejus aliquammulta exempla, 145. a. 284. a
δυσλογία, 228. a
Diva Jana, pro luna, 142. b
Divus Janus, pro ſole, ibid.
divinorum propriè non eſt ὕμνος, 15. b
diviſio unius rei quomodo & ſimplex, & multiplex ſit, 106. a
diviſionis ambiguitas, 54. a
divitiæ, magis in uſu, quàm poſſeſſione conſiſtunt, 12. b. malorum an mereantur dici bona, 27. a
divitias quæ vitia ſequantur, 98. a
divitum mores, 97. b. quam pœnam iidem, juxta Lucianum, patiantur, ſi pauperes malè in hac vita tractarint, 98. a
dixi non dicebant olim, oratione qualibet finitâ, ut hodie ſit, 124. a
Dochimus malè à Grammaticis, ac Rhetoribus, inter pedes numeratur, 163. a
docilis quomodo reddatur auditor, 109. a
doctrina virtutum vitiorumque malè à Fabio & Tullio quoque ſtatuitur Rhetoricæ facultatis pars, 320. a
dogma in feminino genere, 222. a
dolum cur malum vocent Latini, 218. a
domeſticum malum maximè tangit angitque, 84. b
dominatus inter regnum & tyrannidem eſt medius, 13. b
domini & dominæ vox quibus κατεχρηστικῶς ſit attributa, 202. a
Domitii Afri dictum, 100. b
domus unde laudentur, 79. b
Donati interpretatio loci Terentiani improbata, 144. b. rejecta ejus etymologia vocis induciæ, 220. a. ejus, vel alterius, de ſepulchri etymo ſententia rejecta, 242. b.
δμῶες, pro ſervis, 199. b
Doziadæ ara, frigidum carmen, 266. a
dracone quidam olim genitos putarunt, Alexandrum Magnum, Scipionem, & Auguſtum, 21. b.
δεινότης orationis, 303. a
dubitatio fidem adimit, 117. a
dubitationis ſchema, 263. a. ubi habeat locum, ibid. malè ſtatuitur interrogationis ſpecies, cùm interdum fiat citra interrogationem, ibid. dubitatio fidei, ac auctoritati derogat: at modeſtiam interim teſtatur, 298. b
dubium quod ſit cauſæ genus, 106. a
ductare exercitum quibuſdam κακέμφατον viſum, 172. b
duelles, & perduelles, 220. a
dulcare, 121. b
dulcia, muſicis quæ, 392. b.
dulcis amarities, 271. b
Duonus, 142. a. 220. a
duriora molliendi tergemina ratio, 170. a
Duzæ in Plauto lectio rejecta, 155. b. ab eo receſſum ſuper Propertii loco, 190. b, 212. a. item ſuper formulâ charientiſmi, 215. b

E.

E' & αι, differentis pronunciationis, 209. b
E frequens, ubi maximè habeat locum, 152. a
Eanus, pro Janus, 142. b
ebrioſus homicidii reus, 53. b
ἔκβασις, 247. b
τὸ ἐκβαινόμενον quomodo adſtruatur in ſtatu negotiali, 46. a
ἐκβολή, 247. b
ἐκκλησίαι Athenis duplices, 9. b
ἐκκλησιαστὴς Rhetoris nomen attributum, 316. a
ἐκκλησιαστικὸν genus quod, & cur ita dicatur, 9. b
eccleſiaſticæ conciones generis ſunt deliberativi, 8. b
ἔκλειψις, præcipue ſolis defectus, 250. b
ἐκφώνησις, 273. b

edu-

educationis ac inſtitutionis vis, 27. b
edulcare, 121. b
egeſtas aliud à paupertate, 149. b
ἐγκώμιον quomodo differat ab ἔπαινος, 15. a
ἐγκώμιον unde dictum, ibid.
εἶδος, 5. a
εἰκὼν malè inter tropos ſtatuitur, 227. b. quomodo Ariſtoteli dicatur metaphora, cùm propriè metaphora non ſit, ibid. quomodo differat ab exemplo, 218. a. de uſu imaginis Ariſtotelis ac Demetrii ſententiæ conciliatæ, 171. a
εἰκότα quid, 4. a
εἰρομένη oratio quæ, 158. b. quomodo à κατεστραμμένη differat, 157. b. εἰρομένῃ λέξει gaudet B. Paulus, 160. b
elegantia ſermonis quæ comprehendat, 140. a vide, venuſta.
elegiæ ἔπαινοι, 152. a
elementa, & ex iis compoſita, quomodo laudentur, 33. a. b
elephanti laus unde peti poſſit, 31. a
ἐλεφαντικός, 217. a
elephas, pro ebore, 184. b
ἕλληνος unde, 168. a
ἔλλειψις, 226. a
elocutionis varia apud Græcos nomina, 139. a. ipſum elocutionis nomen non ſatis videri accommodatum, ibid. elocutio doctrinæ ordine inventionem præcedit, ibid. quo ſenſu Tullio, & Fabio, vocetur pars Rhetorices difficillima, 139. b. quanto ſit olim in honore habita, ibid. quid ſit, ibid. ejus diviſio in naturalem, & artificialem, ibid. item altera ejus diviſio in philoſophicam, oratoriam, hiſtoricam, & poëticam, ibid. oratoriæ elocutionis diſtributio in univerſalem, & particularem, 140. a. utriuſque partes, ibid. elocutio particularis quâ de re tractet, 276. a
elogium, 105. b
eloquens quis juxta Tullium appellari debeat, 276. b
eloquens ac diſertus ut differant, 318. a. b
eloquentia & loquentia ut differant, 318. b
eloquentiæ ſtudioſo plurimùm prodeſt ut ſe exerceat in variando rem eandem pluribus modis, 230. a
ἐλπίς, ἐλπιστὸν, & ἐλπίζειν, de rebus malis, 210. b
Empedocles ſe vivum combuſſit, 194. b. Empedocles, uti & Pythagoras, nefas ducebat carnibus veſci, 237. a
Empedocles primus Rhetoricen invenit, 332. a
ἔμφασις quid, 246. a. in omnibus tropis locum habet, ibid. quando ſit tropi affectio, quando item ad Grammaticum pertineat, 214. a. emphaſis vox aliter à Plutarcho ac Fabio ſumitur, quàm à vulgo Rhetorum, ibid.
emptio inempta, 272. a
ἓν διὰ δυοῖν, 239. b. à Servio malè definitur, ibid. habet locum in oratione pedeſtri, ibid. plurimùm ad amplificandum confert, ibid.
ἐνάργεια tenuis eſt characteris virtus, 115. b. 287. a. quid ſit, & quomodo fiat, ibid.
enchiridium, ξιφίδιον, 173. a
ἐνδιάθετος, 105. b
ἐνδοξα, & πιθανά, qui differant, 3. b. ἔνδοξον quibus modis adſtruatur, 45. b. ἔνδοξον & πιθανὸν ut differant, 328. b
Enneſium nemus in Siciliæ meditullio, 165. b
Ennii locus, 162. a. Ennii verſus correctus apud Varronem, 169. b. apud Ciceronem, & Feſtum in ejuſdem verſu vetus lectio contra Scaligerum defenſa, 170. b. de vera lectione alius verſus quæſitum, 271. a. cur Medeæ gypſatas tribuat manus, 201. a. mirificum ex eo tmeſios exemplum, 241. a. Ennii verſus de diſpari vi orationis divitum pauperumque, 98. a. b. in iis vera lectio expenſa, ibid.
ἔντεχνοι quot, & quibus modis, fiat, 122. a
ἔντεχνα argumenta, quæ, 3. b. pertinent ad actionem continuam, ibid. eorundem diviſio, 4. a
enthymematibus & exemplis cur gaudeat, magis orator, quam ſyllogiſmo, 3. b. enthymemata maximè conveniunt generi juridiciali, 6. b. enthymematum diviſio, 101. b. ethymema cur curtum Juvenali dicatur, 120. a. enthymema nullum ſolâ propoſitione & aſſumptione conſtat; quod quidam veterum ſcripſere, ibid. nullum quoque tripartitum, contrà quàm tradiderunt rhetores, 120. b. enthymematis nomine κατ' ἐξοχὴν quid interdum intelligant rhetores, ibid. quomodo ab encomio differat, 15. a. 132. b
ἐπαινος triplex acceptio, 15. a. unde id nomen, ibid. quomodo ab encomio differat, ibid.
Epaminondas legem violare maluit, quàm amittere victoriam, 48. a. idem τῷ δικαίῳ ſe defendit adverſus eos, qui in lege Thebanâ τὸ ῥητὸν urgerent, 52. a
ἐπαναδίπλωσις, 232. b.
ἐπανάληψις, ibid. ponitur & pro συνωνυμία, 228. a
ἐπαναφορά, 230. b. ejus vis, 281. b
ἐπαναστροφή, 223. b
epandos, pro ſpecie repetitionis, 235. a. interdum in hac non remanent eadem numero verba, 236. a. epanados, pro regreſſione ad propoſitum, 249. a. ejus formulæ quædam, ibid.
ἐπάνοδος pro concluſione, 123. b
ἐπανόρθωσις, 264. a. malè putant, ſpeciem eſſe περιλήψεως. ibid. confert ad orationis magnificentiam, 282. a. ἐπανόρθωσις duplex, 264. a. ejus uſus, 264. b
Epaphras, 141. b
ἐπιχείρημα quid propriè, quid item Ariſtoteli ſignificet in Rhetoricis, 39. b
ἐπεμβολή, 146. b
ἐφοδος, 109. a
Ephoro Cumano verſus excidit jambicus principio præcepti, quo verſus jubet fugere, 162. b
ἐπιβατήριος λόγος, 130. b
epicedium, & threnus, quomodo differant, 132. a
ἐπιχειρήματα, 89. b
Epicharmi dictum, 234. a
epicherema quamquam differat à ſyllogiſmo Topico, interdum tamen vocatur ſyllogiſmus Topicus, 120. a
Epicuri ἐπιστολαί, 274. a
Epicureorum error, qui amicitiæ finem ſtatuebant utilitatem, 75. b
ἐπιδεικτικὸν genus malè oſtentativum tranſtulerunt, 14. b
ἐπίδειξις etiam, contrà quàm Julio Scaligero viſum, pro oſtentatione accipitur, ibid.
ἐπιείκεια orationis, Latinis quid, 303. a
epigramma vetus ludens in morem populi, quo quoſvis paſſim dominos vocabant, 209. a
ἐπιφώνημα adfert gravitatem orationi, 298. b
ἐπιλόγοι, 123. a
epilogus non eſt ſimpliciter neceſſarius in oratione, 103. b. epilogorum alii univerſæ orationis, alii certæ ſunt partis, 105. b & 123. b. epilogi varia nomina, 123. a epilogus quid, 123. b. ejus quadruplex munus, ibid. quadruplex eum variandi ratio, ibid. gemina illius virtus, 124. a. epilogus operis, 351. b
ἐπιμονή, 229. b
epinicia ad gratulationem pertinent, & unde originem ſumpſiſſe dicantur, 133. b
ἐπιφώνημα pro concluſione, 134. b
epiphonematis, quatenus ſchema eſt, vulgata definitio repudiata, veraque poſita, 274. a. nec γνώμη ſemper eſt, nec ſemper fit cum admiratione, 274. b. quomodo ab acclamatione, atque item à γνώμῃ differat, 275. a. epiphonematis qui gaudeant, 274. b. cui rei epiphonema comparet Demetrius, ibid.
ἐπιφορά, 231. b
ἐπιπλοκή, 234. a
epiſtolæ non ſunt Epiſtolæ, ſi ad magnitudinem orationis excreſcant, 347. a
epiſtolarum dictio cujuſmodi eſſe debeat, 147. a. 162. a. ac fuſiùs de epiſtolico ſtylo, 287. b. materies varia, 124. b
ἐπιστροφή, 231. b. ejus vis, 232. a
epithalamium quomodo ab hymenæo differat, 131. b
epitheton quomodo differat ab antonomaſiâ, vel potiùs certo antonomaſiæ genere, 192. b. epitheton in omnibus tropis invenitur, 217. a. nec iccirco tropus eſt, cùm & in propriis habeat locum, 217. b. epithetorum in uſu quæ oratori adhibenda cautio, 218. b. epitheta apud poëtas quoque plurimùm, aut diſtinguunt, aut addunt, aut minuunt, ibid. epithetorum uſus ſuavitatem adfert, 302. b
epitogium, 102. b
ἐπιτροχασμός, 259. b.
ἐπιτροπή, 265. a
ἐπίζευξις quid, 232. b. malè anadiploſi ſubjicitur, ibid. non neceſſe eſt in eâ ἄλλως continuam inſtitui repetitionem, ibid.
ἐπαναδίπλωσις, 234. a
equi laus à quibus petatur, 30. b. fletum illi à poëtis tribui; ſed philoſophis invitis, 31. a. cui deorum ſacer, 31. b
Eraſmus, vulgatâ Athenæi lectione deceptus, malè Jovis lac repoſuit inter parœmias, 167. b. minùs rectè negat, brevem poni poſſe pro longâ, 163. b. in Lucillianâ cochleæ deſcriptione lapſus, 146 a. Eraſmus contra Scaligerum defenſus, 207. a ejus parœmiæ definitionem malè cenſuit Scaliger omnibus ſententiis competere, 208. a. multa ab eo proverbiis inſerta, quæ proverbia non ſunt, 207. a. falſus in duobus Senecis, 229. b
Eratoſthenis inſubidum judicium de poëtica, 202. a
ἐρεύνης, 145. a
ἐρώτησις quando ſchema ſit, 246. a. quando eâ utendum, ibid.
error excuſat culpam, ne facinus vel ſcelus exiſtimetur, 49 a
erubeſcere indicium eſt pudoris, 82. a
Erycius Puteanus, 302. b
Erythræi de Servii loco ſententia rejecta, 240. b
Erythras rex, Straboni, & aliis memoratus, haut alius eſt ab Eſavo, 205. b
ἐσχηματισμένος λόγος, pro oratione quâ obliquè aliquis notatur, 251. b.
eſculum cui dicarint gentes, 33. b
eſſentia, quis primus dixerit, 145. a
ἔτι ἴσος, 199. b
ἐτυμία, 73. a
ἔθη num ſint affectus mitiores, 63. b
ἠθικὰ quæ reddant orationem, 297. a
ἤθη, hominum mores, & ut varient, 147. b
ἔθνος, pro multitudine rerum inanimatarum, 171. b
ἠθοποιΐα, 254. b
ἦθος quomodo Latini exprimant, 63. b
ἦθος, & πάθος, quâ ratione differant, ibid. & 92. a. ἦθος quid propriè, ibid. quibus impropriè tribuatur, ibid.
ἤθη quâ in orationis parte inprimis habeant locum, 103. b
ἠθολογίας omnino in Rhetoricis tradendam, oſtenſum, contra Fabium, ejuſque aſſeclas, 99. a
Ethologi qui, 63. b
ἔτυμα non ſemper convertuntur cum re, 179. a
Euæon interemptus unicum ob colaphum inflictum, 57. b. 348. a
Euagoras ſophiſta quique cum eo ſenſere, ſolâ exercitatione, h. e. citrà artis præcepta comparari poſſe eloquentiam, refelluntur, 331. a
εὐχωλή quando propriè dicantur, 141. b
εὐδαιμονία quomodo comparetur, 297. b
εὐδαιμονία, 12. a. εὐδαιμονισμός, quid, 15. a
εὐδοξία quid, 12. b
Eudoxus Cnidius quando floruerit, 336. a
εὐημερία quid, 70. b

 even-

eventus quomodo adſtruatur in ſtatu negotiali, 46.a
Εὐήθεια quid, 12.a
Εὐήθεις qui, 96.b
Εὔνοια quæ comprehendat, 12.a
Eumenides falſò κατ' ἀντίφρασιν ita dictas putarunt, 219.b
Eumenius, 345.b
Eunapius correctus, 24.a
Eunuchi occurſus infauſtus, 189.b
eunuchos celebrandi ratio, atque ut multi eorum viri fuerint illuſtres, etiam ſacerdotes, 25.b. eunuchorum occurſus infelix, 26.a. eunuchi an adulteri dici queant, 44.b
Εὐφημεῖν in ſacris neceſſe erat, 198.b
Εὐφημισμὸς quid, 198.b. non ſemper in eo intelligitur contrarium, ibid. certo tamen reſpectu ironiæ rectè ſubjicitur, ibid.
Εὐνοῦς qui Græcis, 123.a
Euripides ab Halicarnaſſenſe contra Ariſtotelem defenſus, 207.a. ejus illuſtris ſententia, quâ vitam & mortem confert inter ſe, 225.a
Euripidis mater olera vendidit, 20.b. Euripidis mors, 29.a
de Euripo varia veterum judicia, 235 a
Euſebii Cappadocis facundia, 339.b
Euſtathius malè ἐσχηματισμένας ῥήσεις vocat, 216.a. ejuſdem ſuper ποίων exemplo judicium improbatum, 239.b
Εὐτραπελία quid, 123.a
Eutropius eunuchus, 25.b
Euxino unde nomen, 198.b
excandefacere annonam, 168.a
exceptio rei judicatę, 55.b
exclamatio, 273.b. quomodo ab acclamatione differat, 274.b. non ſemper interjectione in eâ opus eſt, 273.b. variè effertur, 274.a. quando locum habeat, ibid.
exempla parentum, aut aliorum ejuſdem familiæ, maximè inflammant ad gloriam, 90.b. exempla maximè conveniunt generi deliberativo, 6.b. ab horum uſu oratores quidam Ariſtoteli dicuntur παραδειγματώδεις, 121.a. exemplorum tria genera in quibus ſcholaſtici olim ſuos exercebant, 121.b. alia eorum diviſio, 100 a. exempla, an enthymemata, plus poſſint, 120.b
exemplum, pro eo unde capitur exemplum, 176.b
exercitatio Oratori quàm neceſſaria, 331.a
ἐξεργασία ſeu expolitio, 229.a. poteſt ad ſchemata tum dictionis, tum ſententiæ, referri, ibid.
exilium unde laudârit Dio, 36.a
exordiendi vox quorum propria, & ejus ἐτυμολογία, 105.a. exordium quid, 105.b exordium pro endoſimo, ibid. exordio, atque affectibus, in Areopago nullus erat locus, 38.a. exordium non eſt ſimpliciter neceſſarium in oratione, 103.b. ejus prima diviſio in id, quod totius eſt orationis, & illud, quod in media oratione ponitur, ibid. ejus triplex officium, ibid. altera diviſio in principium, & inſinuationem, 106.a. diviſio tertia, in honeſtum, turpe, dubium, humile, & obſcurum, ibid. ejuſdem præceptum ἀκολουθίας, 108.a. in exordio cauſſa interdum dividitur, 109.a. quarta diviſio, juxta Hermogenem, in πρότασιν, κατασκευὴν, ἀπόδοσιν, & βάσιν, ibid. plures tamen partes eſſe, exordio Milonianæ oſtenditur, ibid. exordii qui loci in genere demonſtrativo, 109.b. quæ munera, ac loci, in genere juridiciali, ibid. illud ipſum exordio orationis Milonianæ oſtenditur, 110.a. qui loci ejus in deliberativo, 111.a. qui loci, juxta Hermogenem, 111.b. exordii virtutes, vitiaque, 112.a. quæ ducuntur ab invocatione deorum, aut reprehenſione ſuperioris temporis, ut vulgaris, deriſa à Tullio, ibid. ejus formulæ, à quibus veteres auſpicabantur, 112.b. vulgaria quomodo corrigantur, ibid. ſeparatis quando uti liceat, 113.a. exordiorum liber à Cicerone confectus, quo ex eo commodum ſeligeret, ibid. exordiorum liber Demoſtheni adſcriptus, eſt ψευδεπίγραφος, ibid. non ſemper ea vitioſa, quæ à γνώμης ordiuntur, 113.b ejus cura plurimùm poſtrema eſſe debet, ibid. quando liceat ab eo auſpicari, ibid. interdum illo opus non eſt, ibid.
expoſtulatio quid, & quotuplex, & quibus utatur argumentis, ac quo ordine ea collocet, 134.b
exprobratio quomodo inſtituenda, 135.a
extenuatio culpæ quomodo tractanda, 136.b
exules quo pacto conſolemur, 127.b
exulhiemis, 146.a

F.

F Literâ, quæ res optimè exprimantur, 153.a
Fabii locus ex Plutarcho illuſtratus, 335.b. reliqua vide in Quinctilianus.
Fabius Maximus quo pacto oſtendere adnixus ſit, ſe non invidere P. Scipioni. 89.a. cur tamen jure id plurimi fuerint ſuſpicati, ibid.
Fabri Stapulenſis ſententia rejecta, 185.b
C. Fabricius quando floruerit, 342.a
fabula quid, 100.b. 203.a. fabulas qui ſcripſerint ante Æſopum, 202.b. fabularum utilitas, ibid. unde aliæ dicantur Æſopicæ, aliæ Libycæ, aliæ Sybariticæ, aliæ aliter, 100.b. fabula de aſini umbra, 108.b
facere, pro narrare, 190.b
facta cujuſmodi inprimis laudem mercantur, 28.a
facultas quid Ariſtoteli propriè ſit, 1.a. facultas, & voluntas, quomodo probetur, 42.a. à poteſtate quomodo differat, 43.a. malè exiſtimatur, ſub ea comprehendi ſigna, ibid.
facultatis cujuſque conditio ac natura, 321.b 322.a
facultatum ea natura, ut non ſemper conſequantur finem ſuum, 326.a
fames homines moroſiores reddit, 66.b
familia propriè famulorum, 187.a
far, farina, 156.b
faſciâ albâ crus obligare, tum laſcivi, tum regnum affectantis, indicium eſt, 189.b
fato unde nomen, 220.a
favoris vox nova, ætate Ciceronis, 144.b
febres quæ, & quando periculoſiſſimæ, 210.b
febris quartanæ laus à quo ſcripta, 106.b
Federicus Cerutus minùs rectè negat, proſopopœiam eſſe figuram, quia ſit pars argumenti poetici, 255.b
felem pro deo coluere Ægyptii, 188.b. felis occurſus infauſtus, 189.b
à Felice Accorombonio diſſenſum in ratione conciliandi duo Ariſtotelis loca, 38.a. ejus εἰσήγησις, quo adulterorum ac nepotulorum Venereorum cauſam agit impudentiſſimè, 69 b. hæc ejuſce ſententia impugnata, everſaque, ibid.
felices planè cur ſint immiſericordes, 85.a
felis, lunæ proles, 292.a. felis, noctua, pica, aliaque id genus, laudata ab anonymo, 107.a
feminas qui celebrarint, 30.b
femur qui ferirent, 312.a. quis primus illud fecerit Athenis, ibid.
feneſtræ unde nomen, 80.b
feriæ unde dictæ, 220.a
ferrum nunc pro gladio, nunc pro vomere, 176.a. ferrum antiquiſſimis ignotum, 187.a
Feſtus lapſus in Bucephali etymologia, 181.a ejus, ſive Pauli, error, 220.a. & in metonymiâ, 175.a
feta ſubſtantivè. 228.b. haut idem eſt, quod gravida, ibid
fictis exemplis cur utantur Rhetores in ſtatuum doctrinæ, 58.b
ficus non floret, ſed lactet, 4.a. fructus ejus à quo celabratus, 33.b
fides pro contentione, 118.b
fido, & fides, unde dicantur, 79.b
fiducia quid, 110.a. qui confidant, 110.b fiduciæ cauſæ, 111.a. fiduciam quomodo gignat Orator, 111.b
figuræ vox pro ſchemate Tullio ignota, 223.a. nunc latè accipitur, quomodo omnis ſermo figuratus eſt: nunc preſſè pro eâ, quæ à communi conſuetudine recedit, 246.a. figuræ pro dictis, quibus obliquè aliquis perſtringitur, 252.b. cætera vide in Schema.
figurare, 222.b
finis eum locum in diſciplinis operatribus obtinet, quem ſubjectum in ſcientiis, 1.a. finis oratoris, orationis civilis, & oratoriæ facultatis, eſt perſuaſio, 1.b.
finitivi ſtatus vulgaris definitio, 39.b. ea rejecta, veraque allata, 44.a. aliquammulta ejuſce ſtatus exempla, ibid. in finitivo ſtatu oportet paratas habere definitiones, ibid. loci ejus XII. ex Hermogene, ibid. non eſt is ſtatus legalis, contrà quàm Cicero, & auctor ad Herennium, putarunt, 52.a. in finitivo ſtatu quæ verſentur orationes Ciceronis, 44.b
firmamentum tum noſtrum, tum adverſarii, quo pacto callidè tractari poſſit, 119.b
Firmici Materni judicium de variarum gentium moribus, 93.a
flagitium quid propriè, & pro quo ponatur, extenſâ latiùs ſignificatione, 183.a
flamen propriè dicebatur proditus, non tamen id perpetuum, 141.b
flammâ uri, quomodo dicatur, 183.b
floccifacteon malè tribuitur Ciceroni à viris doctis, 145.a
florere, pro ſplendere, 168.b
flores, pro ſtellis, 167.a
Flori dictio interdum frigida, 286.a
floridum non eſt per ſe dicendi genus, ut putavit Demetrius, 291.a
florus, pro florens, 202.a
flos ſalis, & flos popularis, opponuntur, 218.a. flos Liberi, aut vini, 173.a
fluvii celebrandi ratio, 33.b
Fonſecæ error, 216.a
fontem laudaturo qui ſequendi, 33.b
fori à curia diſcrimen, 9.b
formæ vox unde, 108.a. formæ commendatio, 23.a. forma bonum fragile, & periculo plenum, 16.a. Socratis, Theocriti Chii, & aliorum de ea ſententiæ, ibid.
formidinis vox unde, 76.b
formula, quâ de mortuis uſi veteres, 68.b. 199.b
fornix cœli, 170.b
foro merſi, 243.a
forſit, 143.b
fortis non eſt, qui in adverſis ſibi manus adfert, 32.a
fortitudo, & temeritas, ſive audacia, adverſantur, 258.b
à fortunæ bonis quotfariam laudemur, 26.b vel etiam vituperemur, 27.a. fortunæ etiam locus in Purgatione, 48.b
Fortunatiano Rhetori an prænomen Chirio, 141.b
fortunatianus, an rectè leges ſubjiciat remotioni, dubitatum, 51.a. ejus locus emendatus, 55.a. parum aptè προέκθεσιν, & προκατασκευὴν, diſtinctas ab exordio partes facit, 104 a. haut rectè damnat exordia, quæ à ſententia incipiunt, 113.a. ejuſdem gemina improbatur narrationis diviſio, 51.b. allata ab eodem partitionis diſtributio rejecta, 117.b
fortunatorum mores, 99.a
forum quinctuplex, 37.b
Franciſcus Barbarus apud Mediolanenſium ducem dicturus obticuit. 306.b
Franciſcus Nanſius, 166.b
Franciſcus Salinas Brugenſis cæcus, 25.a

Francorum perjuria, 61. a
fratres ac propinqui cur vehementiùs iraſcantur, 68. a
fratriſne res bene ſe habent? Proverb. 88. a
frauſus, 238. b
frequentare, pro celebrare, & contrà, 191. a
frigidam quæ reddant orationem, 286. a. b
fringutire eſt fringillarum, 169. b
fritinnire hirundinum eſt, ibid.
fronte quæ ſignificemus, 309. b. frontis, ſuperciliorumque contractio, mœroris indicium, ibid. frontem an orator percutere debeat, 312. a. frons conſtricta, ſive adſtricta, 310. a. frons ſedes pudoris, ibid. frons, pro pudore, 178. b. frons non frons, 272. a
Fronto inſignis orator quando floruerit, 345. a
fruges ſalſæ, 218. b
fuit, pro mortuus eſt, 199. b
Fulgentius, μυθολογίας ad Catum presbyterum auctor, alius eſt ab epiſcopo Ruſpenſi, 202. a
fulmen, de homine, 168. a
fulmenta in genere muliebri, 222. a
Fulvius Nobilior, Mobilior dictus, 242. b
funambuli vocem cui debeamus, 144. b
funebris oratio ad quod pertineat cauſæ genus, 8. a. 131. b. funebrium orationum origo apud Græcos, & Latinos, 132. a. earundem tres partes, ibid.
Funeſtorum mentionem omnem veteres abominabantur, 68. b
Fungerus, vide Joannes Fungerus.
furor pro ira, 65. b
futum, & futare quid, 121. b

G.

G Quibus rebus exprimendis aptiſſimum ſit, 153. a
Gabinianus, 344. b
Galba quo pacto judicio elapſus, 327. a
Gabrias, vide Babrias.
galeam, ſive navim longam quis invenerit, 267. b
galeata quæ exordia dicantur, 113. a
Galeni impium dictum, 313. a
Galleaciorum familia in Italia unde nomen indepta, 23. a
Gallionis ſtylus qualis, 345. a
Galli poetæ prænomen quod, 273. b. Maximiani elegiæ ei ineptè adſcribuntur, ibid.
Galli in ſacris Cybelles caput jactabant, 309. b
gallus gallinaceus regi Medorum comparatus, 292. a
gannire quorum ſit, & unde nomen, 216. b
Gaſpar Sanctius, Theologus Hiſpanus notatus, 340. b
Gaſparis Sardi error refutatus, 319. b
γέλασμα fluctibus tributum, 169. b
Gellius perperam Epicteto tribuit verſus, qui ſunt Leonidæ, 24. b
genera dicendi, vide dicendi genera.
à genere quomodo vituperemur, 22. a
generis idem, & ſpeciei, eſſe nomen poteſt, 166. a. genus pro ſpecie ſpecialiſſimâ, 193. b. genus an potiùs ſpeciei pars ſit, quàm ſpecies generis, 182. a. generis ſive generalis ſtatus quis Ciceroni, & ejus diviſio, 45. a
generoſus plus quàm nobilis, 97. a
geneſios locus cum altero in actis ex ſententiâ Fr. Junii conciliatus, 184. a
γενναῖος, 96. b
gens unde, 220. a
genus potiùs ſpeciei pars eſt, quàm ſpecies generis, 2. b. generis, & ſpeciei, idem nomen eſſe poteſt, 4. b
genuum contrectatio in ſupplicando, 312. a. b
Georgius Ciceſtrenſis epiſcopus, 239. a
Georgius Fabricius ineptè definit catachreſin, 211. a. malè reponit inter ſchemata διανοίας, 239. a
geſtus capitis ac frontis, buccarum, menti, cervicis, humerorum, brachiorum, manuum, pectoris, ventris, pedum, 309. a. b
Giffanius perperam laudat, quod damnat Horatius, 183. b. ab eodem receſſum, 271. a
ginnus ut à mulo differat, 189. b
gladio perire honeſtius, quam laqueo, 29. a
γλαφυρὸν dicendi genus, 300. b
glaucoma in muliebri genere, 222. a
gloria, laboris filia, 169. a
glorioſum, 45. b
gloſſæ antiquæ emendatæ, 144. b
gloſſemata quid, 142. b
gloſſographi aliquot antiqui, ibid.
γλυκύτης orationis, 297. a
Gnathænæ meretricis dictum, 21. b
γνώμη, quid, 100. b. 257. a. ejus definitio, ibid. diviſio in ſimplicem, & eam, quæ rationem ſubjungit, 257. b. 258. a. uſus ejuſdem, ibid. qui à chriis, & noëmate differat, 275. a. γνῶμαι proverbia eſſe poſſe, 206. b. γνώμην non eſſe ſemper enthymematis partem, 100. b. γνῶμαι aliæ oſtendunt quid fiat, aliæ quid fieri debeat, ibid. γνῶμαι conveniunt orationi moratæ, 119. a. eædem locum habent, cùm parùm valida ſunt argumenta, 118. b. γνώμη, ὁ δεῖνα τεθνηκέναι, locus generis juridicialis, 45. a. b
γόργιον, & γοργίζειν, 244. b
Gorgiæ in laudando modus, quo fiebat, ut nunquam deſtitueretur oratione, 17. a. ejus in locis conſilium, 123. a
Gorgias immodicè ſtudebat numero, uti & aliis orationis ſcitamentis, 164. a. 245. a. quantus ei honos attributus, 244. b. 335. b. Gorgiæ de ſtaturâ veterum diſſenſus, 244. b
Gorgias primus Rhetoricem docuit, 332. b
Gorgias Leontinus, quando floruerit, 334. b quid Rhetoricæ addiderit, ibid. ab eo figuræ in oratione γόργεια dictæ, ibid. quot annos vixerit, ibid.
γοργιάζειν, 245. a. γοργιάζειν αὐτὸν οὐ φοβούμενον unde dictum, 334. b
γοργότης Latinis quid, & quæ eam gignant, 301. b. convenit cuilibet characteri, ibid.
de Gorgûs capite quæ fabulantur, unde originem trahant, 168. a
Gracchi fiſtula, 308. a
Gracchorum facundia, 342. b
gracilipes, lentipes, volucripes, 146. a
gradatio, vide κλίμαξ.
Græca quando Latinis rectè interſerantur, 140. b
Græci carent voce, quâ vultum exprimant, 212. a
Græcorum teſtium vanitas, 61. a. Græci cujuſmodi calculis uſi in abſolvendo, condemnandoque, 124. b. Græcos octingenos, quibus hoſtis partem corporis truncârat, puduit ſic redire ad ſuos, 114. a
gramen cui ſacrum, 33. b
grammatici Romæ in Suaſoriis inſtituebant Rhetores in Controverſiis, 346. b
grando, pro copia, 168. a
gratiam meritò inter affectus reponi, contra quoſdam Ariſtotelis interpretes oſtenſum, 83. b. gratia quid, qui ad gratificandum moveantur, & erga quos, & quas ob cauſas, ibid. gratia quomodo amplificetur, & imminuatur, 84. a. gratiarum actio quibus ex argumentis petatur, 132. a
ad gratificandum qua ratione moveat Orator, 83. b
gratulatio ex quibus argumentis petatur, & quo ordine ea diſponantur, 133. a. b
gratulatoria oratio ad quod cauſſæ genus referatur, 8. b
gravitas orationis, quatenus idem eſt ac σεμνότης, quibus concilietur orationi, 294. b. quæ afferant eidem gravitatem, hoc eſt, βαρύτητα, ſive moleſtiam, 303. b
Gregorii Nyſſeni in Joannis Euangeliſtæ loco interpretatio improbatur, 183. b
Gregorii Palamæ orationes duæ laudatæ, 255. b.
grex virgarum, durè à Plauto dictum, 171. b
γρῖφος, 204. a
grunnire quorum, & unde vox, 216. b
grus Cereri ſacra, 31. a
gryphi vox cur ænigmatis ſit communicata, 204. a
γρύζειν, 216. b
Guilielmi Morelli lapſus, 294. b
Guilhelmus Conquæſtor, Angliæ rex, nothus, 22. a

H.

Habere, de οὐσίας, 149. a. habere in numerato, 169. b
Hadrianus Cæſar quibus verſibus animum moriturus compellârit, 244. b.
Hadrianus Junius plurima adagiis interſerit, quibus non competat definitio, quam & ipſe aſſignârat, 207. b. 208. a. ab eo diſceſſum in Perſii lectione, 209. b. Hadrianus Junius, doctiſſimus Eunapii interpres notatus, 339. b
Haloandro immeritò ſuſpecta eſt uſionis vox apud Alphenum, 209. a
halophanta, 126. a
Hannibal unoculum, 25. a
Hannonis Carthaginenſis libri de terris à ſe inventis in Oceano Atlantico, 215. b
Harmodii melos, 20. a
harmonia quid, 280. b
Hartungi error in πρόσωπον exemplo, 268. b. ejus μνημονικὸν ἁμάρτημα, 131. b
haſtam ſimul & caduceum mittere, 129. a
Hebræorum metra qualia, 145. a
Hebraiſmus, 186. a
Hecatæ quæ animantia ſacra, 31. a
Hecubæ vafrum reſponſum, 81. b
Helena nunquam Trojam abducta, 40. b
Helixum forum Athenis, 37. b
Helvius Pertinax fortunæ pila dictus, 169. b
hendiadys ineptè dici, 239. b
Henrici Stephani Virgiliana emendatio improbata, 210. b. item Horatiana ejuſdem, 239. b. ejus error de diſcrimine inter invenire, & reperire, 271. b. 337. b
Heraclius lapis, 61. b
herbæ Ibericæ, pro ſparto, 142. a
herbicaſiovium, 146. a
Hercules Ægyptius antiquior Alcmenæ filio, 266. b. ſpurius, 21. b
Herennianus auctor haut rectè παρρησίαν transfert Licentiam, 272. b. malè definitionem ponit inter ſtatus legales, 52. b
Hermæ Athenis ad Alcibiadis vultus effecti, 23. a
hermathena quid notârit, 27. b
Hermias Atarnenſis cultelli mentionem non ferebat, 253. a
Hermogenes rectène ſolam materiam contingentem ſubjiciat Rhetori, 4. a. malè epilogum ponit inter κεφάλαια ſtatuum, 42. b. nec rectiùs πρόληψιν refert inter ſtatuum κεφάλαια, 44. a. ejus quatuor exordii partibus, interdum & quinta, ſextaque additur, 44. b. Hermogenes, 339. a. hic ætate provectior artis ſuæ oblitus eſt, ibid.
Hermogenis librorum de Ideis commendatio, 296. b. 304. a. eos videtur ſubitò conſcripſiſſe, 296. b. ſeptem facit Ideas, ibid. ſententia hæc diluitur, ibid. quomodo tamen Hermogenis ſententia defendi queat, ibid. ejus de Ideis librorum σύνοψις, cum cenſura quorundam, 497. a.
Hermogenes artis Rhetoricæ fuit oblitus, 306. a
Hermolai Barbari de barbaris ſcriptoribus judicium, 140. b
Hero priùs ſutor, poſtea philoſophus, 28 a

Herodes Atticus, quando floruerit, 339.a
Hero lotus quando floruerit, 333.b. qualis hujus dictio, ibid.
heroum nomina fere polyſyllaba, 142.a
herous pes quis ſit, & an ſtylo grandi conveniat, 280.a.b
Heſychii libri de æneo ſerpente fictis fuere orationibus exornati, 59.a
ab Heſychio illuſtri diſceſſum, 25.a
B. Hieronymi jocus, 264. a. cur galeatum vocârit prologum, quem Bibliis præmiſit, 113.a
Hieronymi Rhegii ſententia rejecta de metalepſi Horatiana, 177.b
Hieronymus Treutlerus malè propoſitionem facit narrationis partem, 117.a
Hieroſolymitani templi celebratio unde petenda, 35.a
hinnulus ſi ſis, ne cum leone carnes partiare: Critiæ dictum, 98.b
hinnus ex equo & aſina naſcitur, 206.b
Hippiæ Elienſis variarum artium peritia, ut & felix memoria, 335.a
Hippocratis non Coi, ſed Athenienſis, liberi a Comicis perſtringi ſoliti, 97.a
Hippomachi dictum, 24.a
hiſtorici à carmine etiam, vel hemiſtichio, exorſi, 161.b
Homerus plurima finxit vocabula, 145. a. culpatus olim, quòd finxerit, deos, & bellaces viros, totam dormire noctem, 184 a. Homericorum trium oratorum character, 277. a. ejus erga deos in tabulis impietatem gentiles plurimi improbarunt, 298 a. incerto patre natus, 21. b. unde Meleſigenis nomen ſortitus, ibid. fuit cæcus, 25. a. an ejus ſit hymnus in Apollinem, ibid. jam grandis ætate, orbatus fuit luminibus, ibid.
Homerus Oratorum parens, 333.b
hominum commiſſa partim voluntaria, partim non voluntaria, 51.a
homo non homo, de nano, & eunucho, 272. a. universè quomodo laudetur, 18.a
homonymiæ ambiguitas locum quoque habet in vocibus conjunctis, 86. a. 148. b. non ſemper ὁμωνυμία eſt, cùm vox uſurpatur in ſe ambigua, ibid. interdum venuſtatem ſermoni adfert, 148.b
honeſtum quid, 6. b. trifariam adſtruitur, 17.a. honeſtum quod ſit cauſæ genus, 106.a
honor quid, 12. b. honor eſt in honorante, ibid.
hortatii locus explicatus, 87. b. ejus vetus lectio aſſerta, 150.b
Hordearius Demoſthenes quis fuerit dictus, 338 a
Horatius Cocles unde ſic dictus, 25.a
horribile, pro ſacro, 284.b
horror, pro religione, ibid
hortatio à ſuaſione preſſè ſumptâ bifariam differt, 10. b. meritò nihilominus ſubjicitur generi ſuaſorio, ſeu deliberativo, ibid. ut à monitione differat, 125. b. ejus loci, ibid.
hortativa oratio ad quod pertineat cauſæ genus, 8.b
Hortenſii in adoleſcentiâ dictio cur magis commendaretur, quàm poſtea, 290. a. diſtributione excelluit, 296. b. in digitis partiebatur cauſam, 311. b. ejus actio in quo culpata, 311.b.
Q. Hortenſii memoria & facundia, 343. a. cur Dionyſia ſaltatricula dictus, 352.b
Hortenſium an Cicero amârit, 74.b
horti unde laudentur, 35.a
hoſtes propriè qui, 250.a
hoſtilis laus magnæ eſt virtutis argumentum, 28.a
humanæ dapes, pro cibi retrimentis, 176.a. humani potus, pro lotio, ibid.
humilis cauſa quæ, 107. a. qui ſe in eo genere exercuerint, ibid.
hyacinthum cui dicarint gentes, 33.b
Hyginus illuſtratus, 346.a
Hylas ſcitè à Pylade reprehenſus, 24.a
hymenæus ut differat ab epithalamio. 131.b. eſt ejus nominis nuptiarum præſes, 132.a
hymnus, vide ὕμνος,
hypallage nonnunquam pro Metonymia accipitur, 174. b. ea malè inter tropos refertur, 220.b
hyperbole malè definitur tropi audacia, 212. b. vera definitio allata, ibid. dividitur in αὔξησιν, & μείωσιν, ibid. in omni tropo invenitur, 245. a. quibus inprimis conveniat, ibid. cur eâ utamur, 246. a. modum excedere non debet, ibid. quo pacto leniri debeat, ſi fidem omnem exſuperet, ibid. quæ modum excedit, frigidam reddit orationem, 286. a hyperbolis cur gaudeant comici, ibid.
hyperboli impudentia, 114.b
Hyperidæ dictum, 295.a
Hyperides Phrynen judicio liberavit; & quo pacto, 327.a
Hyperidis dictio qualis, 338.a
hypothypoſis quid, 2. a. 260. b. quando à Rhetoribus tractari cœpta, 2.a
alia à ſyllaba hy incipientia, vide in litera Y.

I.

I' Quibus rebus exprimendis idoneum ſit, 152.a
Jacobi Bonnoienſis lapſus, 271.b
Jacobi Golii laus, 26.a
Jalemus, funebrium præſes, 132.a
jambi cur parum apti ſint grandi characteri, 280.b
Janes, 142.b
A Jano Parrhaſio diſceſſum. 107.b
Janus Duza, vide Duza.
Janus, vici nomen Romæ, 179.a
Jaſon Argonauta quid reſponſi dederit Medeæ merita ſua exprobranti, 84.a
Jaſon Pheræus, ſeu Theſſalus, tyrannus, 48. b. ejus dictum, 106.b
Ibis, metaphoricè, quis, 269.a
Icarus cur volâſſe fingatur, ibid.
Icon, vide εἰκών.
ideas cur ſeptem faciat Hermogenes, 296. a. idea nulla ſola invenitur, ſed à prædominante ideâ nomen accipit oratio, 296. b. quæ in ſingulis ideis conſiderare jubeat Hermogenes, ibid. idearum Hermogenicarum uſus, 304. a. reliqua vide in Character.
idem ſex modis poteſt aliter dici, 230.b
ἰδιωτισμὸς, 257. a. ejus vis, ibid.
Idolianus, pro Juliano, 242.b
idolopœia, 254.b
jecur, pro voluntate, aut ſapientia, 178.b. jecur quorum animantium maximè in deliciis fuerit, 217.b
Jephthe meretricis filius, 21. a. 54.a
ἶφις, pro magno, 183 a
Ignatius diaconus auctor fabularum, quæ Gabriæ, vel Babriæ, adſcribuntur, 101.b
ignium pœna eſt ſumma, 194.b
ignominiâ qui alios afficiunt cur lætari ſoleant, 69.a
ignorantia prætextus in provectis ætate haut meretur veniam, 51.a
ignorare, pro aſpernari, 190.b
imæ fores, 184.a
imago, vide εἰκών.
imber, pro copia, 168.a
imbitere, 142.b
imitatio ſub arte vel uſu continetur, 331.a
immolare, & mactare, differunt, 199.a
imperandi alteri ratio, 137.a
imperatores à vulgo formâ & decore corporis æſtimantur, 23.b
improbi homines inprimis impudentes, 83.a
imprudentia, in Purgationis locis, 48.b
impudentia conſtantiæ nomine velata, 83.a
Inachis cur lanta Ovidio dicatur, 217.b
inanilogus, 105.b
incendere annonam, 168.a
inceſſus qualis olim dicentibus, 309.a
inceſtus quid propriè, & pro quo ponatur extenſâ latiùs ſignificatione, 183.a
incrementum quid, 259. b. ubi habeat locum, 260.a
incurvicervicum, 145.b
inde loci, 241.b
indignatio quid, quomodo conveniat cum miſericordia, quomodo item tum ab hac, tum ab invidia differat, 23. a. qui indigneutur, 87. a. quibus indignemur, 87. b. indignorum tria genera, ibid. indignationis cauſæ, ibid. indignatio quomodo ab oratore concitetur, ibid.
indolis bonitas unde proficiſcatur, & in quibus conſiſtat, 26.b
indoloria, ſive indolentia, pro ἀναλγησία, 145.a
inductio Oratoria non enumerat neceſſariò omnes partes ſubjectas, 120.b
induperator, 220.a
induſtriæ etymon, ibid.
indutiarum nomen unde, ibid.
infelices planè cur non tangantur miſericordiâ, 116.a
inficialis ſtatus quis, 73.b
ingenioſorum ſupra modum liberi ſæpe ſunt furioſi, 97.a
ingenium ac mores ex corporis conſtitutione non rarò cognoſci, 26. a. bona ingenii non ſunt hæreditaria, 97.b
inhibere remos, 146.b
inimici aperti minùs damni dare ſolent, quàm qui norunt tegere animum exulceratum, 78.a
inimicus amicus, 272 a
injuges verſus, 226.a
injuriæ magnitudo quomodo adſtruenda, 57.a
injuſta juſta, 271.b
injuſtitiam qui laudarint, 106.a
innumerabilia enumerare, 186.b
innumeri numeri, 271.a
innuptæ nuptiæ, ibid.
inopinati ſchema, 263.b
inſepulta ſepultura, 271.a
inſcitia non minùs audacem facit, quàm peritia, 79.a
inſinuatio exordii ſpecies, 106. a. ejus exemplum illuſtre in Milonianâ, 110.b
inſtitutionis, ac educationis vis, 27.b
Intaphernis uxor cur fratris ſalutem prætulerit ſaluti conjugis, ac liberorum, 115.b
intellectio aliquibus, quæ vulgò συνεκδοχή, 182.a
intentio, 54. a.b
inter nonnunquam in compoſitione auget, 214.b
interea loci, 241.b
interfatio, vide tranſitio.
interficere, & interimere, cur ſignificent occidere, vocis origine declaratum, 214.b
interfici de rebus inanimis uſurpatur, 168.b
interpretari factum alienum ſi velimus, quæ ratio ſit ineunda, 74. a.b
interpretum Ariſtotelis lapſus, 71.b
interrogatio quid, & quando ſchema ſit, 273. a. maximam ad movendum vim habet, ibid. quando ea utendum, ibid. interrogatio pro accuſatione, 61. a. quomodo interrogatio in judiciis inſtituenda, ibid.
interruptio, 250 b
invectiva quomodo ab objurgatione differat, 134.b
inventio Oratoria quid, 3. a. plurimùm eam differre à Dialecticâ inventione, oſtenſum contra nuper exortos artium corruptores, 3. a. b. inventionem Dialecticam ac Rhetoricam delumbant, qui aridam captantes facilitatem negligunt axiomata, vera judicii κριτήρια, 9. a. inventio & diſpoſitio ſunt partes Rhetoricæ, 348.b. hæ ab illâ Rhetorum multùm differunt, ibid. eſt & tertia inventio, ſcil. poëtica, 349.a
invenuſta ſermonis forma, 296.a
inveſtes dicuntur in maribus, qui in ſequiori ſexu virgines, 211.b
invidentiam cur Cicero dicere malit, quàm in-

invidiam, 88. a. invidiæ vox unde, ibid. invidia quid, & quomodo ab æmulatione differat, ibid. qui invideant, 88. b. quibus invideant, ibid. invidia ſolet velari nomine indignationis, ibid. invideant nobis ſatius, quàm ut miſereantur noſtri. 89. b. invidiam quomodo alicui conficet orator, ibid. ea melior miſeratione, ibid. invidia facilè cietur in hominum animis, 90. a. invidus oculus nocere creditus videndo, 88 a
invideor, 145. b
invocatione non eodem loco utuntur poëtæ Græci, quo Latini, 257. a
invocatus, 170. a
involutio quid, 279. b
Joanne Pico naſcente, viſa orbicularis flamma adſtare ſupra caput parientis, 23. a
Joanni Euangeliſtæ parœmia quid, 208. a. ejuſdem Euangeliſtæ locus expenſus, 197. a
Joannis à Cornput laus, 275. b
Joannis Fungeri [illegible], 207. a
Joannis Scoti Erigenæ jocus, 264. a
Joannis Papæ, ejus nominis XVII. à Romanis Juriſconſultis diſſenſus, 44. a
jocari interdum oratorem, expedit, 122. b. Gorgiæ in jocis conſilium, 123. a
jocus B. Hieronymi, & ſimilis Erigenæ Scoti, 264. a
Jonas non fuit integro triduo in ceto, 185. a
Jonicæ migrationis dux, & occaſio, 26. a
Joſephi Scaligeri laus, 189 b. adverſus eum vetus Propertii lectio adſerta, 190. b
Jovi ſacra aquila, 31. a
Jovitæ Rapicii laus, 161. b
Iphicli fabuloſa celeritas, 213. a
Iphicrates, ſutoris filius, factus Athenienſium imperator, 20. a. ejus quædam generoſè dicta, ibid.
iræ & iracundiæ diſcrimen, 65. b. ira ut ab odio differat, 75. b. 76. a. ira quid Ciceroni, 65. b. quid Ariſtoteli, ibid. quid Julio Scaligero. ibid. Ariſtotelica iræ definitio accuratè expenſa, ibid. in eâ definitione triplicis temporis reſpectus concurrit, 66. a. qui iraſcantur, 66. b. ira melle dulcior, 67. a. iram cur memorem dixerint Æſchylus, & Maro, 67. b. irati cur non metuant, ibid. cur non iraſcamur iis, quos metuimus, ibid. ira cos fortitudinis, juxta Peripateticos, ibid. in ira tantùm Plutarchus improbum robur ponit, ibid. quibus iraſcamur, 68 a. cauſſæ, ob quas iraſcamur, 69. a. irati neſciunt, quæ dicant, ideoque quæ dicunt rata non ſunt, 65. b. ira in auribus cur habitare dicatur, 68. a. iratum quomodo reddamus auditorem, 70. a
irati, caput quaſſant, 329. b
ironia quomodo à tropis aliis differat, 165. a. unde ei nomen, 187. b. aliquanto aliter hoc nomine utuntur Rhetores, quàm alii ſcriptores, ibid. Latinè quomodo appellare poſſimus, ibid. quot & quibus modis, cognoſcamus, aliquid ironicè accipiendum, ibid. an in eâ ſemper intelligatur contrarium, 188. a. non eſt ſchema, vel allegoriæ ſpecies, ut Fabius putavit, 188. b ejus uſum malè reſpuunt ineptè pii, ibid. malè vulgò ſtatuitur, tantùm eſſe in vocibus conjunctis, 189 a. ironia poteſt eſſe allegorica, 201 a. non tamen ironia eſt, quà allegorica, h. e. ironiæ continuatio non conſtituit allegoriam, quod quidam ſcripſere, 201. b. malè ei ſubjiciuntur Sarcaſmus, Diaſyrmus, Charientiſmus, Aſteiſmus, 214 b. nec Myſteriſmus, Mimeſis, Apophaſis, aut Cataphaſis, ejus ſunt ſpecies, 216. a
irremediabilis, vox, à Seneca reprehenſa, 284. a
Iſaaci Caſauboni laus, 71. a
Iſæus ſchematibus primus uſus, 256. a. id quomodo intelligendum, ibid. Iſæus, Demoſthenis præceptor, quando floruerit, 337. b. hujus dictio qualis, ibid.
[illegible], 305. a
Iſidi anſer ſacrificabatur, 217. b. Iſidis ſacra, 236. a
Iſidori lapſus, dum ſtatuit epicherema tripertitum, 120. a. malè facit aliquod enthymema concluſione carens, ibid.
in Iſidoro levicula emendatio, 151. a. malè in Marone κακέμφατον ſtatuit, 172. b
Iſis perjuros oculis orbare putabatur, 61. b
Iſmenus tibicen putabat ad artis ſuæ contemptum pertinere, quòd tibicinis nomen tam multis eſſet commune, 87. b
Iſocrates reprehenſus ob verſuum multitudinem, qui ei exciderunt, 162. b. ab jambico Panathenaicum orditur, 180. b. decennium impendit Panegyrico, 139. b. in numero moderatior fuit, quàm Gorgias, 245. a. ſenior non judicio, ſed virium imbecillitate, minùs numero ſtuduit, ibid. in ſchematibus λέξεως oratores omnes vincit, 247. a. nimis fugit concurſum vocalium, 182. b. eum ab agendo deterruit pudor, 305. a. ejus dictum elegans, & ſimile ex eo in Sariſberienſi expreſſum, 235. b. alius ab hoc Iſocrate eſt, qui ad Demonicum ſcripſit, 243. b. Buſiridem laudavit, 106. a. ſed [illegible] conſectatus, ut in laude Helenes, ita & Buſiridis, 14. a. 17. a. Iſocratis ad Demonicum oratio eſt Iſocratis junioris, 62. a. Iſocratica Rhetorices deſcriptio improbatur, 121. b
Iſocratis dictio qualis, 336. a. defenſa adverſus Cæſarem Scaligerum, ibid.
ἰσόκωλον, 239. b
Iſthmum in Achaia qui irrito labore perfodere ſint aggreſſi, 5. a
jubere, pro velle, 190. b
jucundum quid dicatur, 6. b. cur non conſtituat æquè proprium cauſſæ genus, atque honeſtum, utile, & juſtum, 7. b. non eſt diſtinctus locus ab utili, 11. a. jucundum unde dictum, ibid.
Judææ periphraſis, 218. b
judex unde dictus, 50. a. judicis virtus gemina, ſapientia, & juſtitia, 107. b
judicia ubi Romæ, ubi item Athenis exerceri ſolita, 37. a. b
judicio in delectu vocum antiquarum eſt opus, 144. a. judicium de ſtylo, ex multijugo demum uſu naſcitur, 148. a
Juliæ, Severi uxoris, ſtudium erga ſophiſtas, 339. a. Julius Strabo, 342. b
Juliani Rhetoris de adoleſcente, ambiguus ſermo, 148. b
Julianus Apoſtata nomen domini refugit, 209 b. ejus elegans [illegible], ſcitumque ad hoc Baſilii reſponſum, 238. a. à Chriſtianis dictus Idolianus, 242. b. ejuſdem impium dictum, 308. a
Julii Cæſaris animum in ſtellam converſam, cur vulgus putârit: cur item ſimulachro ejus ſtella addi ſolita, 8. a. mortem ſubitam prætulit lentæ, 29. a
Julii Scaligeri laus, 1. b. 6. b. 15. a. 202. b. 272. b. de Horatiano loco judicium ejus in dubium vocatum, 152. a. Oratione adverſus Eraſmum modeſtiæ limites exceſſit, 155. b. ejuſdem ſententia oppugnata de commatum, colorum, ac periodi magnitudine, 158. a. parum rectè ironiam vocat orationem falſam, 189. a. ſuper μύθου definitione ab eo diſſenſum, 203. a. item in eo, quòd apologum faciat μύθου genus, ibid. defenſus in eo contra Scaligerum Eraſmus, quòd lanium, & falſamentarium, de rebus ſacris diſſertantes inducat, 207. a. falſus, cùm allatam ab Eraſmo parœmiæ definitionem omni vult γνώμῃ competere, 208. a. contra eundem oſtenſum, voces idem ſignificantes rectè à Grammaticis vocari συνώνυμα, 223. b. immeritò reprehendit Horatium, eò quòd idem argumentum ſæpius tractârit, 230. a. ejus de gradatione ſententia, expoſita, 234. b. rectène idem eſſe ſtatuat [illegible], & [illegible], 244. b. injuriâ reprehendit Horatium, ob uſurpatam tangendi vocem in re gravi, 250. a. an bene retineat [illegible] vocem, 250. a. parùm commodè ſchema quoddam vocat συγχώρησιν, 270. b. rectène ſolam παρρησίαν, quæ libertatis oſtentatio eſt, figuratam putet, 272. b. in Hermogenica de Ideis doctrina, magis methodi vocem impugnat quam rem ipſam, 279. a. ejus ſententia de dicendi generibus impugnata, 7. a. deliberativi generis orationes non malè ſuaſorias vocari, contra eundem oſtenſum, 10. b. fruſtra dubitat, an ἐπίδειξις etiam accipiatur pro oſtentatione, 14. b. ab eo diſſenſum ſuper diſcrimine [illegible], & [illegible], 15. b. rectène remotionem ſive tranſlationem ſubjiciat ſtatui conjecturali, quæſitum, 50. b. ejus iræ definitio, 66. a
Julii Severiani laus, 58. a. ejus locus de ſtatibus emendatus, 39. b. alter de duplici ordine reſtitutus, 119. a. ejuſdem de [illegible] locus correctus, 122. a
Julius Cæſar cur Ciceroni potiſſimùm libros Grammaticos dicârit, 147. a. ejus laus, ibid. commentarii ejus planè ſunt genuini, 236. b
Julius Celſus Cæſaris commentarios recenſuit, 236. b
Julius Pollux Naucratites, 339. a
junctura quid præſtet in oratione, 151. b
juniperus, quibus ſacra, 33. b
Juno, pro uxore, 194. a
Junoni animantia ſacra, 31. a
Jupiter, pro aëre, 180. a. pro vento, ibid. pro eo, à quo neque ſoror caſta eſt, 194. a à quibus riſus, 294. a
juramenta quadrifariam tractantur, 61. b. quantopere ab iis abhorruerint nonnulli, 62. a. juramenti per Jovem lapidem, aut per ſalutem, formula vetus, 30. a
juratores qui vocentur, 61. a
juridiciale genus numerum, aliaque generis ſcitamenta, haut magnopere moratur, 160. b. quas Hermogenicas ideas magis, quas minùs, requirat, 304. a
juridicialis generis partes ſeu officia, 6. a. 37. a. auditor in eo quis, 6. a. quis ſcopus ratione auditorum, quis item ratione rei, 4. a. b. circa quod tempus verſetur, 6. a. 37. a. loci ejus variant pro ſtatibus, 38. a. exordia in eo unde petantur, 110. a. juridicialis ſtatus quis, 45. a. quotfariam conſideretur, 46. b. dividitur in rationalem, & legalem, ibid.
jus injuſtum, 271. b. jus ponendi imagines qui habuerint apud Romanos, 96. b. jus, & æquum, quomodo differant, 36. b. jus parum ſcitè Ulpianus à juſtitiâ deducit: & quò reſpexerit, 50. a
juſſu quid alieno feciſſe, eſt inter Remotionis argumenta, 48. b
Juſtinus imperator patre natus armentario, 20. b
juſtitia eſt à jure, non contrà, 50. a. juſtitiæ laus, 37. a
juſtum aliter ſe habet in genere demonſtrativo, aliter in juridiciali, 7. a. juſtum, & injuſtum, conſiderantur, vel ratione legis, vel ratione hominum, 46. b
Juvenalis vetus interpres refellitur, 217. a. ejus locus explicatus, 229. a
juvenis cujuſdam Corſici memoriæ exemplum, 350. a
juvenili in ætate ferri debet luxurians dictio, 245. a.
juvenum ſenumque mores inter ſe comparati, 94. a. juvenes cur creduli, 95. a. cur facilè ſperent, 95. b. cur verecundi, ibid. cur magnanimi, ibid. cur miſericordes, 96. a. cur propenſi ad riſum, ibid.
juventus quouſque extendatur, 93. b

K.

Κλίμακα, 156. a. quid ea voce Rhetores fingant, 172. a
[illegible] qui dicti, 12. b
[illegible], 300. b
[illegible], vide Campus.
[illegible], 165. b
[illegible], 40. b
κατάφασις malè ſubjici ironiæ, 216. a
κατασκευὴ Sopatro quid, 116. b
καταφρόνησις quid, 69. a
[illegible], 246. b

κατεσκευασμένη oratio quæ, & quomodo ab ἀφελεῖ differat, 158.b
καθαίρεσις, lunæ deliquium, 250.b
κιθαρίζειν, 297.a
καθαρὸς θάνατος, 29.a
κατάστασις Sopatro narrationis genus, 115.a. κατάστασις inter exordium & narrationem interjecta, juxta Apſinem, 104.a
Keckermannus, & alii, refelluntur, qui contendunt, plura tribus eſſe genera cauſarum, 8.a
κάλλιον, 76.b
καλλωπὸν munus, 227.a
κεραυνὸς, cognomentum, uni Ptolemæorum, 168.a
κορυβαντιῶντες qui Platoni, 97.a
κεφάλαια quid Rhetores vocent, 41.b
κεφάλαια ζητούμενα, 38.a
κεφάλαια εἰδικὰ, ibid.
κεφαλίδια, 217.a
κλῖμαξ ſive κλιμακωτὸν, 234.a. malè à quibuſdam definitur ἀναδίπλωσις pluribus continuata gradibus, ibid. ubi potiſſimùm locum habeat, 234.b. an gravitati adverſetur, ibid.
κλίσεις, & προσκλίσεις differunt, 37.b
per κοινωνίας ἰδιωμάτων de Chriſto dicta, ad quod ſynecdoches genus reduci debeant, 184.b
κοινωνία, quid? ejuſque utilitas, ac quotuplex ſit, 196.a
κοινότης, pro συμπλοκή, 331.a
κῶλα triplicia, ἐμμετρικὰ, μέτρα, & χωριστὰ, 280.b. vide cætera in Colon.
κόλασις quid, 66.a
κοινὸν, & γενικὸν, & ἰδικὸν, quid, 158.a
κολοσσὸς unde dictus, 216.b
κομπορρημοσύνη, 284.a
κορίζεσθαι, 177.b.
κοππατίας, 201.a
κρίμα, 268.b
κρινόμενον quomodo Latinis vocetur, 39.a. κρινόμενον in ſtatu conjecturali locum non habet, ibid. κρινόμενον unde reſultet, ibid.
κρίνον, 176.a
κυριακὸν, pro corpore Domini, 183.b
κυρβασία alia ὀρθὴ, alia προβάλλουσα, 292.a
κόρχορος, 176.a
κύων, pro cuſtode, 167.a
κύων βασιλικὸς quis dictus ſit, 169.a

L.

L Quibus rebus exprimendis conveniat, 153.a.b
labda, pro lambda, ibid.
labdacismus, ibid.
Laberii prænomen non Decius, ſed Decimus, 262.a. ejus judicium de jurejurando, 61.b Laberiani carminis laus, 202.a
laboris filia, gloria, 169.b
labra qui mordeant, 311.a
Lacedæmonii quomodo hoſtes vocarint, 250.a. Lacedæmonii in bello pro tubâ uſi tibia, 266.b. iidem allegoriis cur delectati, 285.a
Lacedæmoniis improbata amplificandi doctrina, 121.b
Lacydæ erga Cephiſocratem beneficium, 75.a.b
Ladæ, ob ſummam celeritatem, poſita ſtatua, 180.a
Lælius & Scipio à Cicerone collati, 341.a
Lævii Poetæ dithyrambica vox, 145.b
Lambini lectio in Horatio rejecta, 150.b. ejus correctio in dubium vocata, 202.a. ejus emendatio in Cicerone improbata, 241.b ejuſdem in Plauto emendatio rejecta, 309.b
lamentatoria an ſubjiciatur uni è tribus cauſarum generibus, 8.a. lamentatoria oratio quæ complectatur, 133.b
λαμπαδηφορία, 266.b
Lampedo, regis filia, uxor, mater, 17.a
Lamponis & Anaxgoræ judicium de capite arietino, habente tantum unum cornu, 329.a
λαμπρότης quomodo reddatur oratio, 299.b
lapis, pro ſtupido, 168.a
λακίζειν, 284.a
laqueo mortuis non parentatum: imò abjecti inſepulti, 29.a
lar, pro domo, 191.b
larus Herculi ſacer, 181.a
laſtaurus, 248.b
Laſus Hermionenſis, 155.a
Latini ſermonis non eadem hodie ratio, quæ olim, 143.a. Latini ſermonis egeſtas. 146.a pronunciatio ejus mirificè hodie attaminata, 151.b
Latinitas quid, 140.b
Latinorum vetus dictum, cum primùm multum biberent, 271.a
Latinus Pacatus Drepanius, 345.b
laudare quomodo ſe quis poſſit ſine moleſtia auditorum, 196.b
in laudatione perſonæ quos veterum imitari oporteat, 30.a
laudes propriè præſtant communibus, 28.a
laurus cui ſacra, 33.b. unde ejus laus petenda, ibid.
Lazarus Bonamicus Baſſanenſis, cùm quandam Philelphi orationem inconditam tantummodo in quadrum & numeros redegiſſet, effecit, ut ea planè alia à priori videretur, 164.a
legalis ſtatus quis, 46.b. quotuplex, 52.a. de legibus quæ cognoſcenda Oratori, 12.a
leges æri incidebantur, 176.b
legibus duabus pugnantibus, quomodo ejus quæ nobis favet, potiùs rationem habendam commonſtrare poſſimus, 54.a. à lege quomodo argumentemur, 60.a. legem quomodo definiant Stoici, 48.b. leges ſimiles aranearum telis, 102.a
legio triginta manipulorum erat, 237.b
λειμὼν, pro cœlo, 167.a
lenitatis definitio, 69.b. lenes qui ſint, 70.b. erga quos ſimus lenes, 71.a. lenem quo pacto reddamus auditorem, 72.a. leniores illi ſunt, qui ſapientiæ ſtudiis ſunt imbuti, 71.a
lentipes, 146.a
leo homini proſtrato parcit, 71.b. leo Cybelæ ſacer, 31.a
Leon Byzantius, 336.b
Leonardi Malaſpinæ error, 324.b
leonem non intelligi per urſum Numidicum, 166.a
Leontium meretrix ad ſtudia animum appulit, 28.a
Leoſthenis dictum de exercitu Alexandri, 295.a
Lepidus Porcina quò eloquentiam promoverit, 342.a
lex Athenienſium, quâ cautum ne judices eum cernerent, de quo ſententiam laturi eſſent, 327.a
λέξις κατηγλωττισμένη, 142.b
libelli, pro libraria officina, 180.b
Liber pro vino, 175.b
liber Græcè ſcriptus de memoriâ Ciceronis, 371.b
licentiæ nomen non ſatis accommodatum eſt pro παρρησίᾳ, 272.b
C. Licinius Calvus, 343.a
Ligariana Tullii commendata, 50.a
linguæ, pro ſermone, 175.b. lingua Mercurio ab antiquis conſecrata, 331.b
linguæ cujuſque phraſis propriam habet vim & venuſtatem, 141.a
Lippi Brandelini laus, 137.b
Lipſii laus, 166.b. ejus opinio rejecta de Taciti loco, 162.a. an rectè per marem Africanum intellexerit pantheram. 166.b Lipſii dictio improbata, 170.b. in Juvenalis loco ab eo diſceſſum, 219.a
liptotes barbarè dici, 197.b
litteræ tabellis judicum inſcriptæ quid ſignificarint, 61.b. plures fuiſſe, quàm triplices, ibid.
litterarum ſonus quibus æſtimetur, 152.a. litteræ ſingulæ cujuſmodi rebus exprimendis maximè inſerviant, ibid. litteræ ejuſdem creber concurſus haud temere admittendus: malè tamen vulgus Rhetorum planè damnat, cùm ſæpe maximum decus adferat orationi, 154.b
λίθος, pro ſtupido, 168.a
λιτότης quid, 197.b. vulgò malè Liptotes dicitur, ibid. perperam in definitione illius additur, fieri eam ad vitandam arrogantiam, 198.a
λιθιᾶν, 168.a
Livii & Cæſaris dictio quantum diſſent, 289.a
Livius multa è Polybio etiam ad verbum deſcripſit, 13.a
loca interdum ab hiſtoricis in deſcriptione rerum veterum vocari, prout vocata fuere poſtea, 268.a
loci communes, Græcis θέσεις, 346.a
locorum imaginumque doctrina parum utilis, 350.a
locus quid, 6.a. loci vocem aliter uſurpat Ariſtoteles; aliter Cicero, & Boëthius, 99.b. loci, quibus Orator utitur, præter aſſumptos, de quibus ſuo loco, vel Topici ſunt ac communiſſimi, vel communes tribus dicendi generibus, vel alicujus generis proprii, ibid. qui loci ſint tribus dicendi generibus communes, 5.a. eorum doctrina poſt proprios locos tractari debet, 5.b. locus communis, θέσις, 54.b. locos communiſſimos cur tradat Ariſtoteles in Rhetoribus, 101.b
logica alia communis, alia ſcientiæ alicui adaptata, 5.a. logica ante Rhetoricam tradenda, 350.a
λόγιος, Mercurii cognomentum, 278.b
λόγιος character quis, & cur ita dicatur, ibid.
λογοειδὴς carminis vitium, 161.b
λογογράφοι, logiſtæ, 318.a
λόγος & fabulas poeticas notat, & veras hiſtorias, 103.a
λογοποιεῖν, ibid. ambiguæ quoque ſignificationis ſunt λογοποιεῖν, & λογοποιός, ibid.
longâ nave quis primus uſus, 267.b. longa vocabula non condenſanda, 155.b. nec longarum ſyllabarum voces continuandæ, 161.b
Longini elogium, 169.b 279.a. laudat Moſen, licet paganus, 283.a
longus pro ſtulto, 24.a
λοξίας Apollo, 206.a
Lucæ boves, pro elephantis, 268.b
Lucæ Fruterii laus, 58.a
Lucianeæ vitæ ſcriptor notatus, 339.b
λυχνὸς, 141.b
Luciani non videtur eſſe Charidemus, 36.a ejus ætas, 339.b
Lucianus non eſt ſcriptor Philopatridos, 298.b
Lucifero album mane, fuſcum veſperi equum tribuunt poetæ, 203.a
Lucilius cur ſtyli naſum condidiſſe Plinio dicatur, 215.b. Lucilius tmeſi gaudebat, 240.b. ejus verſus ſeptem pedum, juxta Scaligerum, 245.a. ejuſdem verſus emendatus, 251.a
lucina, pro partu, 175.a
lucipor, 221.a
Lucretia, pro pudica, 195.a
Lucretius poeta philtro ab uxore in furorem actus, 49.a
luctificabile, 284.a
ludi gladiatorum in funeribus, 198.b
Ludovici Vivis ſententia de pluribus characteribus, quàm tribus, refellitur, 278.a
Ludovici Romani memoriæ exemplum, 350.a
Ludovico Pannoniæ rege naſcente, nulla pars corporis cute tegebatur, 23.a
Lugodunum, Galliarum caput à quo conditum, 344.a
Ludovicus Carbo malè negat ἐφοδικὸν intelligendum initium orationis pro Ligario, 158.a. ridiculè definit parœmiam, 206.b. perperam γνώμας proverbiorum numero excludit, ibid. Eraſmicam parœmiæ definitionem malè autumat omni ſententiæ convenire, 208.a. malè culpat definitionem ἐπιφωνήματος propriè dictæ, 217.a. falſò putat, communicationem ſemper initi-

inſtitui per interrogationem, 257. a. male facit interrogationem genus dubitationis, 263. a. refellitur de colis ἰδίως, 280. b
Luiſini in ſcriptore ad Herennium conjectura improbatur, 239. b. ejuſdem interpretatio Horatiana rejicitur, 87. b. 176. b
λύκειον forum Athenis, 37. b
Lunæ bos ſacer, 31. a
lupa, pro meretrice, 169. a
lupi occurſus quando felix, 31. b
luſcinia, Pandarei, vel Pandionis filia, 292. a
luti quis encomium ſcripſerit, 107. a
Lycophronis quædam frigida, 286. a
Lycurgi, Thraciæ regis, factum, vineta incidentis, quomodo laudari poſſit, 31. b
Lycurgi ſtylus, qualis, 338. a
Lycurgus Lacedæmonius cur paucas tulerit leges, 53. a
Lydiæ fabulæ quæ dici credantur, 100. b
Lydorum Aures.
Lyſandro juſtum viſum, quidquid eſſet utile Reip. 10. a. Lyſander exiguus erat, & claudus, 24. a
Lyſiæ in exordiis artificium, 111. b
Lyſiæ quid in dicendo laudi & quid vitio vertatur, 335. b
Lyſias excelluit in tenui charactere, 286. b

M.

M. Quibus rebus exprimendis conveniat, 153. a
μακροκωλία quid, 34. b
μακρίνας, 199. b
Maccabæi ſabbato pugnarunt, 54. a
μάκελλα unde dicta, 76. b
maceries ſacra Jovi Herceo, 34. a
Macrobii error, de Maronis loco, 186. a. perperam confundit tenue, & ſubtile, 286. b. falſus, cùm Platonis auctoritate deceptus, putat, non requiri, ut in dialogo perſonæ ſint ἐμφερεῖς, 288. a. ejus ſententia de quadruplici charactere refellitur, 290. b
μακρολογία quid, 150. a
mactare, & mactus, quid propriè, & quid κατ' ἀντίφρασιν, 199. a
Mæcenas non tantum pro doctorum patrono, ſed & pro homine molli ſumitur, 195. a
Mænades ſeu Bacchæ caput jactabant, 309. b
magiſtratum non conſtituendum ſorte, oſtenditur ſimilitudine, 100. a
magiſtri bonitas, ac malitia, ad diſcipuli laudationem, ac vituperationem, pertinet, 27. b
magmentum, & magmentarium, 199. a
magnes Heſychio aliud, quàm μάγνης, 61. b
magnificentia rerum haut ſufficit, ut ſermo magnificus dicatur, 283. a. reliqua vide in Character magnificus.
magnitudo, vide μέγεθος.
magnum & parvum in omnibus cauſarum generibus locum habere oſtenditur, 5. b. ejus doctrina quo loco tradi debeat, expenſum, 100. a
Majoragius iniquè Victorium reprehendit, quòd vocabulo contrarietatis utatur, 140. b. Majoragii interpretatio voci μεγαλοπρεπὴς rejecta, 167. b. immeritò, ut durum nimis, in Appuleio culpat, quòd ſcientiam deſultoriam dixerit, 171. b. falſus, cùm negat, ſtatum inveniri in genere demonſtrativo, 41. a. refutatus, 323. a
mala ætas, 218. b. mala malitia, 239. a
Malaſpinæ ſententia refellitur, 145. a. ejus error, 324. b
mali arboris fructus cui dicatus, 33. b
malis è parentibus boni interdum filii naſcuntur, 21. a
Mamertini ætas, 345. b
mandare aliquid quomodo debeamus, 137. a
mandata an pertineant ad aliquod è tribus dicendi generibus, 8. a
manipulus, trigeſima legionis pars, 337. b
T. Manlius quare filium occiderit, 48. a
manna Iſraelitarum differt à vulgari manna, 175. b
Mantuæ Siliana commendatio, 231. a
manus, pro opere, 175. b. manus porrectione cum clamore ſuffragium ferebant olim, 191. a. manus loquax, 311. a. manu audientia fit, ibid. manuum geſtus qualis eſſe debeat, 311. b. manum cur attollant admirantes, ibid. manibus oſcula figebant ſupplices, 312. b. manus unde laudetur, 35. b
Manutii opinio de Tullii loco rejecta, 148. b
Marci hæretici ſomnium de concentu cœlorum, 282. b
Marci Catonis Cenſorii tergemina laus, 342. b
Marcipor, 211. a
Marcomanus Rhetor, 56. a
Marianus Becichemus Scodrenſis de oratione nuptiali & funebri, 131. b
maris celebrandi ratio, 33. b
Maro cur dictus Parthenias, 172 b. cur vocatus Plato Poëtarum, 194. b. cum vina vocat humida, an otioſo utatur epitheto, 218. a. cur in deſcriptione oraculorum metaphoras condenſet, 206. b. cur bis luſerit in vocibus canere, & canêre, 244. a. b. interdum affectat vocalium concurſum, 282. b. cur eclogam IV. amgibuo claudat ſermone, 151. a. nullum habet κακέμφατον, 156. a 172. b. defenſus adverſus criticos, 213. a. ejus locus expreſſus ex Theocrito, 227. a ejuſdem locus de portiſculo, 216. b. vocem habuit ſuaviſſimam, 304. b. contra Servium defenſus, 51. a. ejus locus è ſecundo Æn. illuſtratus, 66. a
Mars, pro bello, 175. b
Marti quæ animalia ſacra, 31. a. quæ ei à Caribus, & Scythis, immolentur, ibid.
Martialis locus enarratus, 185. a
Martiani Capellæ vulgata lectio ſollicitata, 158. b. ejus error, 51. a
Maryandini ſervos cur δωροφόρους vocarint, 199. b
Maſſilienſium conſuetudo, 247. b
mater, pro nutrice, 227. b
materia Rhetorices, vide Rhetorices materia.
Matii locus correctus apud Agellium, 145. b
matrex ſcirpus, 88. a
ματτύη, 156. b
Matthei Euangeliſtæ locus conciliatus cum altero Lucæ loco, 186. a
matula, pro inepto, 169. b
Marimiani poëtaſtri ſunt, quæ Cornelio Gallo adſcribuntur, 273. b
Maximilianus Sandæus, notatus, 180. a
μάζα nomen, 156. b
Medea filios occidit, 4. a
Meditrina, & Meditrinalia, 271. a
Medon, Codri filius, claudus, 26. a
Medorum regis tiara à cæteris quomodo differret, 291. a
μέγας pro ſtulto, 24. a
μέγεθος, idea Hermogenica, 298. a. ejus partes ſex, ac de ſingulis tractatum, ibid. & 299. a. b
μείωσις, vide ταπείνωσις.
μέλαινα φωνή, 305. a
μέλος quid Ariſtoteli, 297. b
μελέτη & μελετᾶν, 346. a
Meletides, 19. b
Meliſſæus unde nutritus, 22. b
melloproximus, 105. b
Melo, 205. a
memoria duplex, una naturæ, altera artis, 350. a. non eſt quarta Rhetorices pars, 1. b. 306. a. memoriâ qui valeant, qui minùs: & quæ memoriam augeant, quæ imminuant, ibid. memoriam qui pharmacis adjutum eunt, nocent imaginationi, 306. b. memoriter quibus orationem ediſcere neceſſe non ſit, quibus contrà, 305. b. memoriter an ediſci debeat oratio ad verbum, an ſolùm quod ad res, & earum ſeriem, 307. a
memoriæ doctrina non eſt pars principalis Rhetorices, 351. a. ejus artem quis invenisse credatur, 350. b
Menander Comicus apud ſui ævi homines minori in honore fuit, 29. a
Menandri Rhetoris caput quoddam ſuppoſitium videri, 17. a. b
Menas, 141. b
Menenius Agrippa quo apologo plebem Romanam in urbem revocârit, 202. b
Menenii Agrippæ facundia, quando vixerit, 342. a
Meneſthei apophthegma, 2. b
μῆνις ut ab ὀργῆ differat, 65. b. μῆνις quid, & unde nomen, 76. a
mens unde, 210. a. mentes dementes, 270. b
mentor, pro toreumate, 175. a
mentum eorum, qui rogabantur, ſolet à ſupplicibus attrectari, 312. a
Mercurio quæ animalia ſacra, 31. a
Mercurius λόγιος, Rhetoricæ inventor, 331. b. unde ἑρμῆς dictus, ibid. horoſcopus eloquentium, ibid.
μέσον quid Cæſar. Scaligero, 297. b
meretrices Atticæ utebantur veſte verſicolore, Romanæ verò togâ, 55. a
merenda non eſt à meridie, 210. b
Meroënſium mos in regibus deſignandis, 23. b
Meſſala Corvinus proprii oblitus nominis, 306. a
Meſſallæ Corvini facundia, 344. a. perperam illi adſcribitur libellus de Auguſtorum familia, ibid. ejus memoriæ morbus, vel potius mors, ibid.
meſſis, pro tempore meſſis, 179. b
μετάβασις orationis quid, 300. b. non eſt περιβολῆς propria, ibid.
metaciſmus, 153. b
μετάληψις acceptio, quatenus eſt metonymiæ ſpecies, 193. a. ejus altera acceptio, quà eſt primariorum troporum accidens, 190. a. de hujus poſtremæ rectо uſu aliquid dictum, 191. b. ejus ſtatus propriè non eſt legitimus, 55. b. ejus prima acceptio pro ſtatu, præſcriptionem, & μετάληψιν preſſè dictam comprehendente, ibid. hoc modo ſumpta dividitur in perfectam, & imperfectam, 56. a. ejus altera acceptio, quà præſcriptioni opponitur, ibid. capita ejus, 56. a. b
μετάνοια, 264. a
metaphora propriè dicta quid, 165. b. ejus ab aliis tropis diſcrimen, 165. a. principem inter tropos locum obtinet, 165. b. quæ in metaphora omni conſideranda, ibid. metaphoræ diviſio prima, in eam, quæ eſt à ſimplici ſimilitudine, & illam, quæ eſt à proportione, 166. a. altera diviſio in ἀναλόγως & ἀντανακλάσεως, 166. b. tertia in eam, quæ eſt à meliori, & illam, quæ à deteriori, 167. b. metaphoram ab omni re ſumi poſſe, illuſtribus comprobatur exemplis, 167. b. 168. a. b. 169. a. b. metaphoræ novum genus oſtenſum, 169. b. metaphoræ optimæ, quæ ab analogia ducuntur, 166. b. atque ex his ipſis præſtant, quæ rebus inanimis ſenſum tribuunt, 170. a. vitioſæ ſunt, I. quæ petuntur à re diſſimili, ibid. II. quæ longè ducuntur, 171. b. III. quæ ſunt à rebus nimis magnis, ibid. IV. quæ à rebus humilibus, ibid. V. quæ ſunt à re turpi, aut ſordidâ. 172. a. VI. quæ nimis condenſantur, 172. b. VII. quæ tantùm poëtis conceſſæ, 202. a. VIII. quæ non perſiſtunt eo in genere, quo cœptum, ibid. quæ duriſſima ſit in Thucydide metaphora, 170. b. metaphoræ duriores molliuntur, tum adjectione epitheti, 171. a. tum mutatione metaphoræ in imaginem, ſed brevem, ibid. tum adjiciendo vocabulum notius, ibid. non neceſſe eſt in eâdem perſiſti metaphorâ, contrà quàm Rhetores præcipiunt, 173. a. metaphoræ cauſæ efficientes ſunt, neceſſitas, & ornatus: quibus fruſtra adjiciunt tertiam, quartamque; nempe ἔμφασιν & verecundiam, 173. b. minùs propriè μεταφορὰ vocantur, quæ genuit neceſſitas, ibid. metaphorica cur magis delectent, quàm propria, 174. a.

174. a. Quomodo ea nunc magis, nunc minùs perſpicua propriis dicantur, ibid. cur in definitione non habeant locum, ibid. ſtylum reddunt magnificum, 283.b
μετάθεσις, ſpecies παρονομασίας, 269. b. item pro ἀντιμεταβολῆ, ibid.
μετάστασις 48.a
μεταβολογία, 150. a. 246.b
μέσος ἁμάξης, 272.a
μεταχεῖον forum Athenis, 37. b
μέθοδος quid Hermogenes vocet, 297.a
methodus prudentiæ, ut & progymnaſmata, non ſunt diſtinctæ Rhetoricæ partes, 349. b
metonymiæ diſcrimen à reliquis tropis, 164. a. definitio, quam Iſidorus & Beda ponunt, rejecta; ut & illa, quæ apud Fabium eſt, 175. a. tum item ea, quâ definitur, tropus cauſam pro effectu, vel ſubjectum pro adjuncto uſurpans, aut contrà, 176.b. vera definitio allata, ibid. metonymiæ ſpecies, ſingularumque naturæ, 175. a. metonymia materiæ rejecta, 176. b. rejecta quoque metonymia materiati, 177. b. contrà metonymia finis adjecta, quæ vulgò prætermittitur, 176. b. eodemque modo addita metonymia deſtinati ad finem, 178. a. 190. b metonymia effecti, 176.b. non invenitur in ſolis epithetis, ſed & ſubſtantivis, 177. a. itemque verbis, 177. b. metonymia continentis haut rectè creditur eſſe metonymia ſubjecti, 179. a. nec rectiùs vocant metonymiam adjuncti, cùm poſſeſſor ponitur pro re poſſeſſa, aut dux pro exercitu, aut Deus pro loco, 179. b. 180 a. aut cùm virtutes vitiaque ponuntur pro perſonis, 180. b. metonymia cur inventa, 181. b. parciùs uſurpanda, quàm metaphoræ, ibid. malè vulgò creditur ſolùm eſſe in privis vocibus, 189. b
μετραγύρτης quomodo à Latinis vocentur, 167. b
Metrodori loci & imagines recipiuntur, 351.a
μέτρον, 161.b
metus, pro religione, 284.b. ejus ἔτυμον, 76.a ejus definitio, 76. b. qui metuant, & contrà, 77. a. qui metuantur, 77. b. metum quæ incutiant, 78. a. quo pacto eum orator auditoribus incutiat, 78. b
Midæ in cunabulis formicæ grana tritici congerebant, 22. b
migrationis Jonicæ cauſſa, 26.a
μίλαξ, 142.a
miles quandoque plus eſt, quàm milites, 186.a
militaris ſtatura quæ Livio dicatur, 23.b
Milone in laudando Cicero modum exceſſit, 39 a. 110.b. Milonianam Ciceronis malè referunt nonnulli ad ſtatum abſolutum, 47. b. Milonianæ commendatio, 47.b
Miltiades cur perpetuo carceri addictus, 48.a
μίμησις malè ſtatuitur ironicæ ſpecies, 216.a
Mimi quare dicti Ethologi, 63. b. non egerunt in ipſa humo, nec inde dicti planipedes, 123.a
Mimici joci in oratore damnati, ibid.
minari, pro polliceri, & minax, pro multa pollicente, 212.a
Minerva, pro lanificio, 175.a
Minutii demens conſilium, 99.a
mirari, pro ignorare, 177.b
Mirandulanus refellitur, 323.a. 328.a
Miſericordia apud Athenienſes Dea, 50.a
miſericordiæ gemina definitio, 84. b. qui miſereantur aliorum, ibid. quorum miſereantur, 85.b. miſericordiæ cauſæ, 85.b. miſericordes quomodo reddat orator auditores, 86.b
miſeri facilè invident, 88. b. miſeriæ ſigna quantopere miſericordiam cieant, 86.a
modeſtam quæ reddant orationem, 303.a
mœchocinædus, 146.a
mola quid, & ejus Virgiliana μυλωρικόν, 218.b
moleſtia, & voluptas, affectuum ſunt pediſequæ, 64.b
Moloſſici tres verſus, 280.a
μόναρχος pro tyranno, 13. b. monarchia quid, & quotuplex, 13 a
monitoriam orationem ſub ſuaſoria contineri, 125. a. monitio vel ſimplex, vel conjuncta objurgationi, 125. a. utraque quomodo inſtituenda, ibid.
μονόκωλος quomodo periodus dici queat, 158. b
monoſyllaba non temere condenſanda, 156.a in fine adferunt venuſtatem, 301.a
mons unde dicatur, 220.a
monſtroſa facies plurimùm monſtroſos indicat mores, 25.b
montes unde laudentur, 35.a
morata quomodo reddatur oratio, 115. b
moratæ orationis partes ſex, 302. a. morbus homines moroſiores reddit, 66.b
mores hominum, τὰ ἤθη, 147. b. quid, 63. a. & 92. a. qui in oratore requirantur, juxta Platonem, Ariſtotelem, Ciceronem, 92. a. b. quando moribus auditorum, quando item publicis accommodari debeat oratio, 93. a. mores auditorum quatuor ex rebus cognoſcere eſt, ibid. variant pro natione, ibid. mores juvenum & ſenum, 93. b. mores virilis ætatis, 96. a. nobilium, 96. b. divitum, 97. b. potentum, 98. b. fortunatorum, 99. a. mores animi etiam conjectare ex corporis ſignis, 26. b
mori de virgis ulmeis, 184. a. mori pro patria, dulce, 29 a
moriri, 143 a
mors unde dicta, 220. a. pura quæ Homero, 29. a. mortis tria genera, 168.b. mortem cur Euripides vocârit ἱερὸν θεῶν, 169. b
mos veterum, cùm muſtum biberent, 271.a mos laudandi in funere, quàm antiquus, 341. b
Moſem magnificè de Deo loqui, etiam agnovit Longinus, 283.a
motaciſmus, 153. b
μῦ litera, quæ poſtea μῦ, ibid.
mulæ à Simonide ut laudatæ, ac vituperatæ, 173. b
mulcare, & multare, malè confunduntur vulgo, 121. b. mulcare unde dictum, ibid.
mulieres unde laudari debeant, 22. b. mulieribus Romanis vini uſus interdictus, non item paſſi, 55. a. mulierum ac puerorum preces plus ad leniendum valent, quàm virorum, 72. a
mulieroſus, 144. b
munerarium quis primus dixerit, ibid.
mundus unde laudetur, 36. a
Mureti rationes ſolvuntur, quibus adſtruere conatur, plura quàm tria eſſe cauſarum genera, 7. b. ejuſdem opinio de epithalamii nomine refellitur, 131. b
Muretus fruſtra Horatii locum ſollicitat, 239. b. refutatur, 321. b
μορμορώψ vocabula quæ dicantur, 145. a. 284. a
murium encomium à quo ſcriptum olim, 106. b. mures quibus olim in bello, & contra quos auxiliati, ibid.
μύρμηξ ἐλέφαντα, 176.a
Muſa, pro homine ſolerti, aut facundo, 194. a. Muſa Attica, pro Xenophonte, 194. a
Muſæ Ardalides unde dictæ, 332. a
muſcam quis laudârit, 31. a
muſſiari, 144. b
Muſulmanni Rhetoricen contemnunt, 340.a
μυτακισμός, 153. b
μῦθος vox nunc latè accipitur, nunc preſſe, 203. a. b. de re ipſa, vide in fabula, ejus definitio ex Græcis progymnaſmatum ſcriptoribus, 100. b
mutilati à ſacerdotio prohibiti, 26. a
mutos quo pacto conſolemur, 127.a
mutire unde, & quorum proprium, 216.b
myćteriſmus malè ſubjicitur ironiæ, 215. b quid, & unde dictus, ibid. interdum pro quavis ponitur irriſione, ibid.
myobarbum, 205. b
myrica cui dicata, 33. b
myrtus quibus ſacra, 33. b
Myſo cur ignobilis habitus, qui ab Apolline judicatus hominum ſapientiſſimus, 18.b

N.

N. Quibus rebus exprimendis idoneum ſit, 153 b.
Nabathæi, pro toto Oriente, 184. b
Nævius poëta in carcere comœdias ſcripſit, 193. a. Nævii Plautina περίφρασις, ibid.
narciſſus flos quibus dicatus, 33. b
narratio an diſtinctum conſtituat cauſæ genus, 8. a. non eſt neceſſariæ orationis pars, 103. b. an locum habeat in genere deliberativo, ibid. vox narrationis unde, 114. a. narratio quid, ibid. prima ejus diviſio in hiſtoricam, & dramaticam, ibid. diviſio ejus altera in ſimplicem, confirmatam, & illuſtratam, ibid. tertia in rectam & obliquam, 114. b. quarta diviſio in procataſtaſin, narrationem propriè dictam, petitionem & ejus narrationem, 115. a. cur dicatur eſſe rerum ut geſtarum, cùm oratoris non ſit falſa aſſerere, 114 a. eſt argumentorum ſeminarium, ibid. quando locum non habeat, quando item perpetuâ, quando conciſâ, quando mixtâ utendum ſit narratione, ibid. narratio cujuſmodi ſit demonſtravi generis, 114. b. de narratione ſex Ariſtotelis præcepta, eaque à Cicerone in Milonianâ eſſe obſervata, oſtenſum, 115. a. narrationi quàm neceſſaria ſit perſpicuitas, 115. b. narrationis hiſtoricæ, oratoriæ, & poëticæ ordo, in quo conveniant, & diſconveniant, ibid. narratio quomodo reddatur morata, ibid. narrandi gemina ratio, juxta Hermogenem, 116. b. narratio quando poſtponatur partitioni cùm Demoſthenis exemplo, tum Fortunatiani præceptis oſtenſum, 117. b
Narſes eunuchus, 25. b
Naſcimbæni Naſcimbænii ſententia diluitur, quo ſtabilire adnixus, ſtatum non habere locum in genere demonſtrativo, 41. a. idem malè ad deprecationem refert, cùm culpa transfertur in affectum, 51. b
naſus dicatus irriſioni, ex quo naſuti dicti, 215. b
natalitia oratio quomodo ſcribi debeat, 131. b
natare in aquarum capitibus nefas, 34. a
naturæ ordinem quando ſervare dicamur in genere demonſtrativo, 18. b. quando item in partibus orationis, 104. b. ac ſpeciatim de confirmationis ac confutationis ordine naturali, 118. b
natura prava vincit inſtitutionum rectam, 27. b
naves tempore belli Trojani non habebant ærata roſtra, 267. a. navium numerus, quæ è Græcia ad Ilium profectæ, 186. b. navium rimas cerâ obturabat antiquitas, 168. b
navigare nefas in lacubus nonnullis, 34 a
nautæ Æſchylo cur θῆρες dicantur, 77. a
Nazianzeni gloriatio, 62. b
Nazarius, 345. b
νεανίας pro magno, 94. b
nebala Heb. pro ſtupro, 182.b
nec-funera, nec-opinanti, nec-cogitanti, 241.b
neceſſariorum argumentorum appellatio latiùs in Rhetoricis patet, quàm Logicis, 4 b. neceſſarium non eſt diſtinctus locus ab utili, 11. a. neceſſario unde nomen, ibid.
neceſſitas eſt in argumentis Purgationis, 48. b. ea gignit audaciam, 77. a
negare citò, interdum pro beneficio eſt, 84. a
negatio contrarii interdum æquè, interdum plus, interdum minus valet, 198.a
negotialis ſtatus quis, 45. a. difficilior eſt juridiciali, contrà quàm putarunt Rhetores antiqui, ibid. ejus loci ſex, juxta Hermogenem, ibid. quibus in orationibus

Cicero hoc ſtatu utatur, 46. a
νέμησις quid, 87. a
nemoricultrix, 146. a
nemorivagus, ibid.
nenum, nenu, vel neno, 142. b
νεῖλα ἱερῶν, 329. b
νέφος, pro copia, 168. a. νέφος ὀρνέων, ibid.
Neptunus, pro aquis, 175. b. Neptunus, pro piſcibus, 180. a. Neptunus unde dictus, 181. b
Nerei timum pecus quod, 218. b
Nero calvus, pro Domitiano, 195. a
Neronis Cæſaris verſus, 345. b
nervus, pro verendis, 172. a
nervos intendere, & contendere, cujuſmodi ſit metaphora, ibid.
Nicephorus Conſtantinopolitanus nimiâ brevitate minùs ſit venuſtus, 301. a
Nicolaus Loenſis malè apud Varronem per ſermones intelligit facetias, 147. b. ejuſdem emendatio in Varrone refellitur, ibid.
Nicolaus Smyrnæus Aſtabaſdas, 311. b
Nicolaus Zegerus quæ in proverbio requirat, 207. b. ejus ſententia improbata, 208. a
nigredo, & albedo, barbara ſunt, 146. a
nihil ad Perſium, 207. a
Nileus, Codri filius, Jonicæ migrationis dux, 26. a
Nilus unde Melo dictus Ægyptiis, & Hebræis Schichor, 205. b
nimbus, pro copia, 168. a
Niobe, orborum ſolatium, 26. a
Nirei commendatio Homerica, 230. b. 282. a
nix in Armenia cur rubra ſit, 217. b. nix omnis vetuſtate rubeſcit, ibid. nix, olores, & ſal, quomodo purpurea dicantur à poëtis, ibid.
nobilis ἔτυμον, 96. b. nobilis quis verè cenſendus, 19. b. nobilitas quid, 96. b. an ea ab alio donari poſſit, ibid. cur in honore, ibid. nobiles quot modis dicantur, ibid. qui apud Romanos habiti nobiles, ibid. quorum nobilitas dicatur in aſtragalis ſita, ibid. nobiles qui differant à generoſis, 97. a. nobilium mores, ibid. eorum liberi cujuſmodi eſſe ſoleant, ibid. cur eorum liberi crebrò parentibus diſſimiles, 79. b
Noë quare eunuchus dictus, 25. b
noëma quid, quæ nominis cauſa, & quomodò à γνώμῃ & χρείᾳ differat, 275. a
nomen Thebanorum, Romanorum, agelli, pro Thebanis, Romanis, agello, 181. a. ἀντὶ pro nomine proprio, 191. b. cuique impoſitum, putatur eſſe præſagium fortunæ, 23. a
nominatim aliquem appellare, majoris eſt affectus argumentum, 68. b
Nonii error in voce capital, 2 fo. a. malè cenſuit, dici petigo, 240. b. ejus lapſus in voce deducti, 286. b
nota, pro charactere animantibus inuſto, 211. b
notæ aliæ rei propriæ, aliæ communes, 4. a argumenta à notis communibus ducta crebrò fallunt, 4. b
nothi Athenis vocati, qui non eſſent nati è cive Attica, 21. b. nothi cognomen olim ignominioſum non fuit, 22. a
nova nupta cur caput flameo velare ſolita, 181. b
novandarum vocum libertas, 145. a
novata vocabula quando tutò uſurpentur, 144. a. quæ inprimis commendentur, ibid. novis tutiùs in carmine, quàm in proſa utimur oratione, 146. a. novatorum à multis aliquam multa exempla, 144. a. b. quomodo differant ab iis, quæ facta ſunt per ὀνοματοποιΐαν, 217. a. novatorum diviſio, & uniuſcujuſque ſpeciei cum aliâ comparatio, ibid. novata, quæ multis conſtant ſyllabis, maximè fugienda in oratione pedeſtri, 146. a. nova fingendi vocabula juſtior nobis ratio, quàm veteribus, ibid.
noviſſimus, 144. a
novum vetus, 271. a
nubes, pro copia, 168. a. nubi unde nomen, 181. b
nucifrangibula, 146. a
num rectè ſe habent res fratris tui? Proverbium, 88. a
numeri innumeri qui dicantur, 271. a
numeria dea, & numerius partus, 207. a
numeri militum, pro catalogo, 250. b
numerus tam Oratorius, quàm Poëticus, memoriam juvat, 158. b. numerus quid, 161. a. & quotuplex, ibid. numerum Oratorium quis invenerit, quis auxerit, quis item perfecerit, 161. b. ejus definitio, ibid. non eſt numerus Oratorius, quicquid ſub aurium menſuram cadit; ut putarunt, ibid. is à Poëtico quomodo differat, ibid. numero poëtico nihil in oratione ſolutâ vitioſius, ibid. numeroſam orationem qui pedes inprimis efficiant, 163. a. numeri Oratorii vis, 164. a. numeroſam orationem nullo ſcribet labore, qui aures ſemel eo ſtudio confirmârit, 164. a. numeri poëtici tractatio malè Rhetoricis inſerta à nuperis artium corruptoribus, 224 b
νόμος ἄνομος, 272. a
nunc-homines, 241. a
Petr. Nunneſius parùm commodè ἀνώνυμον vocem transfert, 304. a
nuntiantibus mala iraſcimur, 68. b
nuper-notitia καὶ νεόδμητον an ſcripſerit Comicus, 241. b
nuptialis oratio quomodo inſtituenda, 131. a
nutrices, pro uberibus, 250. a

O.

O. Quibus rebus exprimendis aptum ſit, 152. b
objectum Oratoriæ δυνάμεως diverſum eſt, quàm πράξεως, 323. a
objurgatio quomodo inſtituatur, 134. a
obſcura cauſa quæ, 107. a. obſcuritas triplex, ibid.
obſcuri vox unde, 205. b
obſcuritas interdum conducit orationi, 150. b. minis eadem convenit, 284. b
obſcuritatem quæ adferant orationi, 148. b
obſequium an primus uſurpârit Terentius, 144. b
obſoleta quæ dicantur, 142. a. interdum iis in carmen, atque adeò in pedeſtri oratione uti licet, 143. a
obticentia, 250. b
occidi, de rebus inanimis uſurpatum, 168. b
occupationis vox aliter à Cornificio, aliter à Rhetoribus aliis accipitur, 265. a. plura vide in πρόληψις.
ocellos μεταφορικῶς quæ dixerint, 168. b
ὄχος, pro navi, 166. b
oculis in agendo quæ ſignificentur, 310. b averſi quid notent, ibid. ſunt ſedes pudoris, ibid. in terram defixi ſunt admirantis, & cogitabundi, ibid.
odium quid, & quomodo ab ira differat, 75. b. odii atque inimicitiæ cauſæ, 75. a
odium quomodo in auditorum animis gignat orator, 76. a
Oedipus cæcorum ſolatium, 26. a
Oeneum in Pelea convertere non convenit, 169. b
ὄγκος aliter ab Ariſtotele, & Hermogene, ſumitur, quàm à Platone, 279. b
οἰκεῖος, 69. b
οἰκονομία quid, & an τάξις ab ea differat, 103. b. οἰκονομία Apſini quid, 118. b
olea cui ſacra, 33. b
oleaſter cui ſacer, ibid.
oleo & ſale fatuos inungebant, 207. b
olim-forores, 241. a
oliva cui deorum conſecrata, 33. b
ὀλιγαρχία, 13. b
ὀλιγωρία quid Latinis, 69. a. ὀλιγωρίας ſpecies tres, ibid.
olus, pro braſſica, 182. b
ὄμβρος, pro copia, 168. a
omina ex animantibus, 31. b
ὁμοιόπτωτον, 300. a
ὁμοιοτέλευτον, 244. b. ejus ſpecies ὁμοιόπτωτον, & ὁμοιοτέλευτον, ibid.
ὁμοίωσις tres ſpecies, 262. b
ὁμωνυμία, & ἀμφιβολία, qui differant, 166. a
ὁμωνυμία quoque eſt in vocibus conjunctis, 148. b. ὁμωνυμία non eſt ſemper, cùm uſurpatur vox in ſe ambigua, ibid. interdum venuſtatem ſermoni adfert, ibid.
ὀμφαλὸς γαίας, 168. b
Oncheſtus urbs cui ſacra, 32. a
opera Oratoris duplicia; ficta & ſeria, 345. b. ficta ſunt minora vel majora, ibid. ut & ſeria majora & minora, 347. a
ὄνειδος de quibus propriè dicatur, 187. a
onomatopœiam malè referunt inter tropos, 216. a. eâ intelligitur nominis fictio à ſono, ibid. interdum hæc vox latè accepta, quamlibet vocis fictionem comprehendit, ibid. facta per onomatopœiam qui differant à novatis; itemque iis, quæ ſonum ſignificant, at non ex inſtituto, 217. a. ὀνοματοποιΐαι conveniunt magnifico characteri, 284. a. cauſa ejuſce rei allata, ibid.
ἀνώνυμος vox ἐπώνυμος, 177. b
ὄνου σκιά, 108. b
opes multorum malorum cauſæ, 26. b
opinati qui dicantur, 98. a
oporobaſilis cui dicata, 33. b
oppidum pro Roma quadrata, 195. b
ὄπις, 4. a
optantes quali oratione utantur, 137. a
optatio quoque præteritorum eſt, 274. a
ora navium, pro roſtris, 170. b. ora, pro os, 186. a
orare, quid, 317. b
ὀρθοέπεια, 300. b
orationem qui habebant, ſtare ſoliti, 155. b
orationis ratione elocutionis diviſio in εἰρομένην, & κατεστραμμένην, 158. b
orationum, ratione inventionis, aliæ magis ἠθικαί, aliæ magis παθητικαί, 8. b.
orationis partes, 103. b. orationis & quatuor, & quinque, & ſex partes ſtatui poſſunt, ex quibus quædam neceſſariæ ſunt ſimpliciter, quædam ſecundùm quid, quædam neceſſariæ non ſunt, 104. a. in orationis partibus alius eſt ordo naturalis, alius artificialis, 104. b. falſò tradiderunt, eſſe ordinem earum artificialem, quando qui defendit, priùs refutat, quàm confirmat, 118. b. Rhetores decem majores, ac totidem minorum: illorum excerpta dedit M. Seneca; horum Calpurnius Flaccus, 59. a
orator debet eſſe ἀμφοτερόγλωσσος, 283. b. Romanus non debet planè Atticos exprimere, juxta Severianum, 290. b. quibus inprimis diſciplinis debeat eſſe inſtructus, 3. b. & vir, & civis bonus eſſe debet, 29. a. in argumentando præcipuè utitur enthymemate, vel exemplo, & qua de cauſa id fiat, ibid. oratorum mos improbatus, quo vitiis ſolent indere nomina vicinarum virtutum, 28. b. orator interdum ſuam cauſam tuetur, 107. a. oratorum duo genera apud Ariſtotelem, 121. a. orator quomodo ſine invidia & moleſtia ſe laudare poſſit, 122. b. oratorum veterum conſuetudo, qui cauſam vicerant, 114. b. orator plurimum quidem res naturales accommodat ad quæſtiones civiles, ſed non ſemper, 324. a. an rectè definiatur, vir bonus dicendi peritus, 218. b
oratores vulgò dicti Romanis ab orando, 348. a. olim ab hiſtrionibus geſtus & pronunciationem diſcebant, 352. b
oratori non neceſſe memoriter recitare, 350. a
oratoria facultas ex poëtica originem duxit, 224. a
de oratoribus Latinis uſque ad Ciceronem, 341. b. de iis qui poſt Ciceronem, 343. b
oratoris nomen πολύσημον, 318. a. unde derivatum, 317. b
Orbilii oblivio, 306. a
orborum ſolatium, Niobe, 26. a
Ordearius Rhetor quis, 340. a
ordiendi vox quorum propria, & ejus ἐτυμολογία, 105. a
ordines qui reliquiſſent, quo apud Romanos ſupplicio affici ſoleant, 78. b

ordinis commendatio, 103. a. ordine alio in narrando utitur orator, aut hiſtoricus, alio poeta, 115. b
ordo non eſt artificioſus, quando qui defendit, priùs refutat, quàm confirmet, 118. b. vocum vide vocabula.
Oreſtes cur Diras primus dixerit εὐμενίδας, 220. a
Orexis, 140. b
ὀργὴ quid, & θυμὸς ejus geminum, 65. b
Orionis, & Iphicli, fabuloſa celeritas, 213. a
ὀρισμός, 258. a. 275. b
ornatus nimius culpandus, 245. a
ὄρχησις, de poëtis, 172. b
ὄρνις, pro gallina. 182. b
Orpheus, Hortenſii ſervus, 194. a
ὀρθότης quid, & uſus ejus, 285. a. an ſchema ſit, 297. b
os durum, 179. a. os nullum, ibid. os, pro pudore, 178. b. os pugilis, 179. a
oſcula manuum, 312. b
ὀτάριον, 167. b
otium unde, 210. a
Otho Junius rhetor, 57. a
Ovidius cur ab ὑπαλλαγῇ auſpicetur metamorphoſin, 221. a. ejus dictum egregium, 227. a. ob crebrum ἐξεργασίας uſum culpatur à Marco Senecâ, 229. b. ejus locus è Catullo expreſſus, 231. b. malè ei abjudicatur libellus de medicamine faciei, 231. b. Ovidii lectio vetus defenſa, 243. b. ejus incogitantia in Metamorphoſ. xv. 267. b
ovis fera, pro camelo pardali, 166. b
οὐρανία σάλπιγξ, de tonitru, 171. a
οὐρανίσκος, & ὄροφος, pro clibani cœlo, 205. a
οὐκ ἀσφαλὲς quid ab Æolibus vocetur, 168. a
ἐξύμορον, 270. b
Oxyrynchum pro Deo coluere Ægyptii, 168. b
ὄζος exordii quid Licymnio, 109. a

P.

P. Literâ, quæ res optimè exprimantur, 153. b
paciones, pro pactiones, 61. a
pacere, 201. a
pacta quomodo confirmentur, & infirmentur, 61. a. de pacto contendentium alterutrer neceſſario improbus eſt, 43. b
Pacuvii judicium de jurejurando, 62. a
Pacuvius multa novè extulit, 145. b
Pæanes qui maximè conveniant magnifico characteri, & quamobrem, 279. b
παιανιεύς, pro Demoſthene, 192. a
παῖδες, de adultis, 211. a
Palæphati è quinque libris unus ſolum ſupereſt, 203. b
Palatina Medea, de Clodia, 194. a. Palatina Venus, de Craſſo oratore, ibid.
παλιλογία, pro ἐξεργασίᾳ, 229. a. pro ἀναδιπλώσει, 232. b
παλίνωδία, 156. b
Palladi quæ animantia ſacra, 31. a
Palladium forum Athenis, 37. b
Palmerii in Virgilio emendatio, 182. b
paluda, 192. b
Pan τραγοπόδης, Penelopes ex procis filius, 40. b
Pandareus, qui aliis Pandion, 279. a
πανήγυρις unde dicta, 15. a. πανηγυρίζοντα quem vocet Dionyſius Halicarn. ibid.
Panegyricæ orationes quæ propriè dicantur, ibid. Panegyricæ duplices, 131. a. quomodo ſcribi debeant, ibid. Panegyricæ orationi quæ maximè ideæ conducant, 304. b. Panegyricus Plinii quem ordinem ſequatur, & quando habitus, 131. a
Pantomimorum præſes Polymneia, 331. b. hi à Tiberio, ut & à Trajano Româ exacti, ibid. ante Auguſtum eos fuiſſe demonſtratur, ibid.
papaver cui ſacrum, 33. b
Papinius voce erat ſuavi, 304. b
par, ſtatus appellatio, 57. a
παραβολή, 208. a. παραβολὴ Euangeliſtæ Joanni quid, & LXX. interpretibus, ibid. παραβολῆ exempli ſpecies, 100. a. Parabolarum frequens uſus in Paleſtina, ibid.
Parabolani qui, & unde dicti, ibid.
παράβυστον forum Athenis, 100. b
παράδειγμα qui differat ab imagine, 262. a. παράδειγμα factum, aut fictum, 262. b.
παραδιαστολή, 258. a
παράδοξον σχῆμα, 263. b. παράδοξον genus unum, quo confeſtim aliquid præter opinionem ſubjicitur; alterum, quo diutiùs ſuſpenſi tenentur animi, 264. a
παράδοξον orationum exempla, 106. a
παρεκβασὶς quid, 42. a. in eâ quando diutiùs commorandum oratori, ibid. quomodo differat à μεταλήψει, ibid. eſt in locis ſtatus tranſlativi, 56. a
παράλειψις quid, 251. a. fit tribus de cauſis, ibid.
παρασιωπήσεως quæ ſint, 242. b
παρὰ προσδοκίαν, 263. b
παρασιώπησις, 251. b
παρέχησις, 245. b
παράγγελμα quid, 238. a. duûm generum eſt, ibid.
παρίσωσις, 116. b. ea eſt duplex, ibid.
παρομοίωσις, 246. b. ejus plura nomina, ibid.
παρίσωσις, ibid.
parentum nobilitas meritò in laude ponitur, 22. b. potior eſt claritudine patriæ, 23. a. parentum claritudo benevolentiam liberis conciliat, ibid. à parentibus quomodo laudemur, ſi nobiles fuerint, 19. b. quid agendum, ſi ignobiles, 16. b. quid item, ſi infames, 21. b
paricidæ qui propriè, & qui item πατροκτόνοι, 210. a. 211. a
παρίσωσις anaphoræ, 230. b
πάρισον, 243. b. tres hujus vocis acceptiones, 239. b. 243. b
παροιμία unde dicta exiſtimetur, 206. b. altera etymologia è Jul. Scaligero, ibid. παροιμία quid Joanni Euangeliſtæ, 208. a. ejus ex Theophylacto definitio, ibid.
παρεμβολογία, 264. b
παρονομασία malè à multis in ſecunda ſcribitur per α. 191. b. παρονομασία quid, 242. a. ubi inprimis locum habeat, 244. a. etiam eſt in verbis, ibid.
Parrhaſii error de diſcrimine inter invenire, & reperire, 271. b. Parrhaſii Epheſii pictoris dictum, 87. b
παῤῥησία Latinè quomodo dicatur, 272. b. Rectene inter ſchemata reponatur, ibid. ea eſt duplex, ibid. quomodo præmuniri debeat, ne offendat auditorem, ibid.
parricidæ quo apud Romanos ſupplicio affecti, 53. b
pars triplex; ſubjecta, eſſentialis, integralis ſeu materialis, 182. a
partitio quid, 117. a. quando eam Demoſthenis narrationi præmittat: quando item præcedere eandem voluerit Fortunatianus, ibid. partitione quando utamur, ejuſque diviſio in ſejunctionem, & enumerationem: & quando hâc, quando item illâ utamur, ibid. ejus virtutes, ibid. partitio ſecunda non ſubjicienda ſtatim primæ; ſed ſuo loco partes partium adferri debeat, 118. a. partitio non adferenda, quaſi aliter oratio dividi non poſſit, ibid. an ordo in partitione adhibitus in contentione ſemper ſervandus, ibid.
parva amplè dicere quando liceat, & quomodo id, neceſſitate exigente, præſtare poſſimus, 286. a
parvi non ſunt pulchri, 23. b. parvis quæ patrocinentur, 24. a. ad admirationem parvitas confert, ibid. in homine etiam malitiei eſt argumentum, 24. a
Paſſer Catulli, pro univerſis ejus poëmatis, 185. a
paſſer marinus, pro ſtruthiocamelo, 166. a
Paſſieni eloquentia, 344. a
paſſionis an Latini dicant, quæ Græcis πάθη, 63. b
paſſum quid, & an vini nomine contineatur, 55. a
παθολογία, 348. a
πάθη malè paſſiones transferri, 63. b. quæ in orationis parte inprimis habeant locum, 103. b. πάθος quoque in exordio locum habet, 111. a. cætera περὶ πάθους, vide in affectus.
pateſcere an Tullio uſurpatum, 285. a
πατρονομίας munus ac partes, 124. a
patrare bellum quibuſdam κακόζηλον viſum, 172. b
patres conventitii qui Plauto dicantur, 21. b
patria cujuſmodi ſit, nihil attinet, 19. a
à patria quomodo laudemur, ſi ea fuerit illuſtris, 18. b. patriæ obſcuritas quomodo ad laudem trahatur, 19. a
paucorum imperium quod dicatur, 13. b
Paullus Diacono taxatus, 166. a
pavoris ὑπομονογία, 108. a
paupertas in honore erat apud veteres Romanos, 26. b. quando ea vitio verti debeat, 27. a. paupertatis bona optimè à Dione exponi orationibus duabus, 36. a. paupertas efficit iracundos, 66. b. paupertas minus eſt egeſtate, 146. a
pautarius, 141. b
pectus qui ferirent, 312. a
peculiare quid propriè, ac cùm ejus, tum pecuniæ, & peculii, etymologia, 187. a
de pecuniis quæ oratori cognoſcenda, 11. b
pedem facere, 213. a
pedes quomodo conſtituendi inter agendum, 312. b. pedum ſupploſio quando habeat locum, ibid. pedes qui optimi, 163. a. pes nullus eſt plurium, quàm trium ſyllabarum, ibid. qui pedes conveniant principio, ibid. qui medio, ibid. qui fini, ibid. qui in grandi ſtylo maximè locum habeant; qui item in eo fugiendi, 279. b
pediculi encomium quis ſcripſerit, 107. a
πειθώ, ſive perſuaſio, duplex; alia διδασκαλική, alia ἀπατική, 327. b
Pelagius unde dictus, 239. a
pelicanos cur omen proſperum fabris adferre crederetur, 31. b
pellicatio, 187. b
pelliculatio, ibid.
Pelopidæ, pro quibuſvis tyrannis, 194. a
Penelope meretrix fuit, 40. b
Pentheo nomen unde, 242. b
perbitere, 142. b
percellendi vox unde, 76. b
peregrinis quibus vocabulis, & quando utendum; quomodo item iis uſi poëtæ antiquiſſimi, 140. a. b
perenticida, 142. b
Pergama, 182. b
περιαγωγὴ, ſeu περιβολή, 281. a. περιβολὴ Latinis quid, & quæ περιβολὴν gignant, 230. b
Pericles cognomento Olympius, 168. a. de cauſa eclipſios habuit orationem, 8. a. Pericles, Damonis auditor, ob facundiam ὀλύμπιος dictus, 333. b
περιέχον, καὶ περιεχόμενον, locus in ſtatu ambigui, 55. a
περίοδος λέξις aliud à periodo, 159. b. non ſemper ſe ea continet intra octo membrorum numerum, ibid.
periodorum, colorum, commatumque doctrinam non modò diverſum ob finem tractant Grammaticus, & Rhetor; ſed diverſimodè etiam ipſis utuntur vocibus; 157. a. periodus quomodo à Latinis appelletur, ibid. quid ea Hermogeni, 157. b quid item Ariſtoteli, ibid. Ariſtotelicam periodi definitionem præſtare Hermogenicæ oſtenditur, ibid. periodus omnis requirit ἀρχήν, καὶ τελευτήν, ibid. periodi diviſio in ſimplicem, & compoſitam, 158. b. periodi compoſitæ diſtributio in ſuas ſpecies, earundemque diviſio in ſpecies inferiores, ibid. periodi τετράκωλοι quæ optimæ, 160. a. periodis quando utamur, ibid.
periphraſis quid ſit, 218. b 251. b. malè inter tropos refertur, cùm & propriis conſtare poſſit, 219. a. multa ei μετωνυμικά, aut συνεκδοχικὰ, vulgò ſubjiciunt, ibid. partim λέξεως, partim διανοίας σχῆμα eſt, 251. b. quædam plus, quædam minus dicit,

dicit, ibid. an unicâ voce quoque inſtitui queat, 252. a
περιπαθές, 159. b
perire gladio, honeſtius eſt, quàm laqueo, 29. a
perjuriorum pœna, 62 b
περισσολογία, 150. a
periti qui dicendi erant, cur Muſici olim dicti, 316. a
permiſſionis ſchema, 265. a
peroratio, vide Epilogus.
Perotti lapſus, 166. b
περίοχος, 196. b
Perſii duo, 207. a. Perſius num, cantare melos, an nectar, ſcripſerit, expenſum, 209. b. Perſio, ſicubi peccet, ignoſcendum, ob ſtyli magnifici difficultatem, 285. b
perſonæ fictio, 254. b. in perſonæ laudatione quos veterum imitari oporteat, 30 a in perſonæ vituperatione qui veterum præierint, ibid.
perſpicuitas quid ſit, 281. a. ea minùs rectè propria tenuis characteris virtus à Demetrio eſſe ſtatuitur, 287. a. perſpicuam quæ orationem reddant, ibid.
perſpicuitati quæ adverſentur, 241. b. 148. b
perſpicuum, & obſcurum, quot dicatur modis? 174. a
perſuadere, rhetoribus quid, 1. b. 327. a. b. perſuadetur aliter oratione civili, aliter philoſophicâ, ibid. perſuaſionem eſſe oratoris finem, contra Fabium, & nuperos artium corruptores, oſtenſum, ibid. nec quamvis tamen perſuaſionem æquè ſignari, ſed præcipuè illam æqui & boni, ibid.
perſuaſio an Oratori ſit communis cum philoſopho & quovis artifice, 327. b
pes fluvii, 168. b
petitoria oratio deliberativo generi ſubjicitur, 11. a. quotuplex ea, 128. b. quibus ex locis ejus tractatio inſtituatur, 11. a. 128. b. 129. a
peto unde, 76. b
Petrarcha nimis periphraſticâ dictione luxuriat, 252. a
Petri Victorii lapſus, 293. a.
Petri Nunneſii laus, 58. a. immeritò Hermogenicos exordiorum locos, ac univerſam ejuſdem de inventione doctrinam, præfert locis Ariſtotelicis, 111. b. ejus diſtributio Rhetorica notata & refutata, 349. b. ut & diſtributio alterius novitii Rhetoris, ibid.
Petronii locus expenſus, 174. a. alius ejuſdem aliter expoſitus, quàm cum explicuit vir doctus, 290. a
Petrus Alcyonius notatus, 157. a
Petrus Nunneſius, vide Nunneſius.
Petrus Bertius, 279. b
πεῦσις, 245. b
φαῦλον dicendi genus, 299. b
Phalerei cognomentum unde, 79. b. Phalerei libellus non eſt, qui ejus ſub nomine circumfertur, 279. a
phantaſia quantum conferat ad magnificum characterem, 203. a. b
Phavorinus philoſophus in adulterio deprehenſus, quamquam eunuchus, 44. b. Phavorinus, Dionis diſcipulus, quando floruerit, 339. a
phibalea ficus cui ſacra, 33. b
Philetærus, Pergameni imperii conditor, eunuchus, 25. b
Philippi Magni ἀντίφασις, 215. b. Philippus hic non ferebat mentionem Cyclopis, vel oculi, 253. a. Philippi ejuſdem periphraſis, 218. b
Philippi, ſervi Fulvii Flacci, in tormentis conſtantia, 61. b
L. Philippi eloquentia, 342. b
Philippicarum Ciceronis penè omnium ſtatus, 46. a
Philippus Magnus qui alterum amiſerit oculum, 25. b. ſuíque deque tulit, quòd unoculus foret, ibid. idem lentam mortem poſthabuit ſubitæ, 29. a
Philiſci Rhetoris dictum, 304. b
Philiſtus omnino fugiebat digreſſiones, 248. a. Philiſtus orator, hujuſque ſtylus qualis, 336. b
Philocratis prudens reſponſum, 70. b
Philoctetes claudus, 26. a
Philopatridos ſcriptor, Lucianus non eſt, 298. b
philoſophari paucis jubet Ennianus Neoptolemus, 211. a
philoſophorum ſermo non expendendus ad trutinam claſſicorum ſcriptorum, 140 b.
philoſophorum qui mortem ſibi conſciverint, 32. a. philoſophorum ſermo non convenit oratori, uti nec Eccleſiaſtæ Chriſtiano, 324. a. b
Philoſtrati tres, 337. a. b
Philoſtratus qui ullam memoriæ artem eſſe negabat, refutatur, 350. a. b
Philoſtorgius in hiſtoria frigidus, 286. b. nimis affectabat ornatum, 245. b. ejus dictio 300. a
philtrum, vide Amatorium.
Phlegethonti unde nomen, 80. b
φιδὼ vox unde, 76. b
Phocionis de miſericordia dictum, 84. b
phœnix ſoli ſacer, 31. a
φοῖνιξ, pro unguento, 176. a
phonaſcorum munus, 305. a
φόρμιγξ ἄχορδος, 171. a
phraſis, elocutio, 147. b
Phreattium forum Athenis, 37. b
φρένες, 175. b
phthongarium, 157. b
φυκίον, 156. b
Piaſtus ex agricola factus rex Poloniæ, 28. a
pica Baccho ſacra, 31. a
pietaticultrix, & nemoricultrix, 146. a
pii dici non poſſunt, qui precantes non exaudiunt, 71. b
pilicrepus, 141. b
Pindari de litera Σ judicium, 155. a
Pindari Scholiaſtes periphraſin malè vocat, quæ eſt metonymia, 219 a
Pindarus melle nutritus, 22. b. ejus ſcholiaſtes falſus, cum hymnum in Apollinem, qui Homeri eſt, attribuit Cynætho Chio, 25. a
pingue dicendi genus, 291. a
pinguiarius, 145. b
pinus cui ſacra, 33. b
piſci vulgari non inſunt ſpinæ, 80. a
piſcis, pro homine imperito, 169. a. prò lupo, 182. b. piſcium quorundam nomina pro muliebri natura, 294. a. piſcium genera quot cognita, 186. b
piſcium vitam qui vivere dicantur, 99. a
Piſiſtratus ſuavi & amœnâ dictione ſibi imperium apud Athenienſes acquiſivit, 333. b
πίστις pro contentione, 118. b
πίστεις quæ propriè dicantur, 3. b
Pittaci lex, ut ebrii peccantes majori pœnâ afficerentur, quàm ſobrii, 58. a
Pitthæus an primus Rhetoricen docuerit & ſcripſerit, 332. a
pius pro clemente, 50. a
πλαγιασμός, 285. a. quid præſtet, 299. b. 300. b. an ſchema ſit, 297. b
plantæ laus unde petenda, 33. b. plantæ variæ variis diis dicatæ, ibid.
platanus cui ſacra. ibid.
Plato commendabilior ab eloquentiâ, quàm philoſophiâ, 336. a. pleraque de ſophiſtis non ſincerè tradidiſſe videtur, 321. b
Platoni in cunis apes mel affuderunt, 22. b. eidem objectum, quòd diſcipulum habuerit Callippum, 81. a
Platonis ſtylus poëtico ſimilior, 142. a. exiſtimatus, æmulatione magis, quàm quòd publicum ſpectaret bonum, Homerum è ſua exterminare Republica, 142. a. dictio ejus damnata à Timone ſillographo, 155. a. periculoſiùs metaphoras frequentat, quàm Xenophon imagines, 171. a. reprehenditur à Dionyſio ob metaphoras duriores; ſed ignoſcendum ei ob magnifici characteris difficultatem, ibid. metonymias nimis frequentat, 181. b. Plato dictus Homerus Philoſophorum, 194. b. majorem verborum habuit rationem, quàm rerum, ibid. Platonis pleraque omnia intelligenda ſymbolicè, contrà quàm factum ab Ariſtotele, 202. a. b. in uſu epithetorum peccâſſe viſus Halicarnaſſenſi, 218. a. reprehenſus ob nimia orationis ſcitamenta, 2 75. a. nec in ſummâ ſenectute deſiit dialogos ſuos calamiſtrare, 139. b. ab hemiſtichio Timæum eſt orſus, 279. b. ejus dictio media inter ſolutam, & poëticam, 285. b. in dialogis ſuis inducit perperam diverſi temporis perſonas, 288. a. ejus dictio unde tumoris aliquid traxerit, 288. a
πλατειάζειν, δωρίζειν, 293. a
plauſtrum, pro curru, 166. b
Plauti ſtylus commendatus, 147. b. attamen cum judicio eſt imitandus, 148. a. multa novè extulit, 145. b. ejus quædam dithyrambica, 284. a. nimis ſæpe affectat παραγμὸν, 238. b. cur ſibi latrans tribuat nomen, 216. b. quomodo Soſiam, & Mercurium, inducat jurantes per Herculem, qui necdum natus erat, 266. b. ei lux, 307. a
πλεονασμός, 226 a. quando ſit vitioſus. 150. a
Plinii Veronenſis error, 30. b. Plinii Novocomenſis oratio Trajano dicta impropriè panegyrica inſcribitur, 15. a. quem oratio ea ordinem ſequatur, & quando habita, 131. a
Plinius Veronenſis non aſſecutus eſt, quid in annalibus intelligatur per urſum Numidicum, 166. b. Plinii locus expoſitus, contra virum eruditiſſimum, 253. a. falli videntur, qui eum putant de figurato ſermone ſcripſiſſe, ibid.
Plinius Novocomenſis quando vixerit, 345. a
Pliſthenides, 277. a
πλοκή, 227. b. non eſt perſonarum tantùm, ibid. non ſemper ſignificat mores, 228. a. generatim quoque ſumitur pro antanaclaſi, ibid. appellatur quoque ita repetionum mixtura, ibid. ſunt & qui anaphoram hoc nomine appellent, ibid.
L. Plotius Gallus primus apud Romanos Rhetoricen docuit, 340. a
πλουτοκρατία, 13. b.
plures, pro mortuis, 199. b
plurimus, pro longo, 212. a
Plutarchi, & Simplicii, à Cicerone diſſenſus, 48. b. Plutarchi, ſive Cæcilii error, 335. b. ejus de ætate Andocidis error caſtigatus, ibid.
Plutarcho falſò tribui videtur liber de x oratoribus, 305. a
πνεῦμα Hermogeni quid, 159. b. quando locum habeat, 160. b. πνεύματος non eſt certa magnitudo, 160. a. qui differat à κώλου, ibid.
poculum à Jove donatum Alcmenæ, aſſervatum eſt Spartæ, 21. b
podagræ laus à quo ſcripta, 106. b
Podalirii ac Machaonis laus cui celebrata, 30. a
pœna, pro ſolutione, 212. a
pœnitentiæ definitio, 71. b
poëta debet eſſe ἑτοιμολόγος, 283. b. poëtæ in multis ſequuntur ſenſuum judicium, 170. b. ſub fabulis philoſophiam ſunt complexi, 202. a. an verſus eorum liceat oratori in teſtimonium adducere, 162. b
poëtæ cur homines ſævos dicant natos è mari, ſaxo, vel leænâ, 22. a
poëtæ idem olim ac philoſophi, 316. b
poëtica præſtigioſam reddunt orationem pedeſtrem, 142. a. poëtici numeri tractationem quidam Rhetoricis malo more inferciunt, 224. b. poëtica magnificentiam pariunt, 285. a
ποινὴ, pro ſolutione, itemque pro præmio, 212. a
ποιότης locus in ſtatu contrariarum legum, 54. b. item in ſtatu ambigui, 55. a
πολιτεία propriè quid, 187 a
Polemo quando vixerit, 339. a
polenta, 156. b
Poli hiſtrionia, 91. b
πόλις, & πολίτης, pro quo κατ' ἐξοχὴν ponantur, 168. b

 πολι-

πολιτεία quid preſſè accepta, 13. b
Politianus immeritò Trapezuntium contulit Gazæ, 157. a. ejus lapſus in voce obſequii, 144. b. ejuſdem ſententia de Sidonii loco improbata, 287. b
πολιτικὴ λέξις, 317. b
πολιτικοῖς & ἰδιωτικοῖς quatuor ſpecies ſecundùm Platonem, & quæ, 320. b
πολιτικοῦ καὶ ῥήτορος diſcrimen, 317. b
pollex preſſus quid notârit, 311. b
Polybius fidem Græcorum ſuorum ipſe minoris putat, quàm Romanorum, 61. a. quo mortis genere obierit, 29. a
Polycrates, 337. a. Socratis accuſationem ſcripſit, 83. a. in humili & turpi materiâ ſæpe verſatus, 286. a. idem accuſatus à Dionyſio, excuſatus à Demetrio, ibid.
Polymneïa præſes pantomimorum, 331. a
πολύπτωτον, 237. a. eo Cicero alio modo utitur, alio Plautus, 237. b
polypus an fame ſibi ambedat cirros, non convenit inter ſcriptores, 88. a
polyſyndeton, 226. a
poma, ſive potiùs mala, cui ſacra, 33. b
Pompeji mollities notata veteri epigrammate, 189. b
Pomponius Lætus quomodo priùs ſit vocatus, 209. b. profanum ejus ingenium, ibid.
pons Trajani quomodo tum laudari, tum vituperari poſſit, 35. b
popularia in theatris, 226. b
populus, pro multitudine rerum quarumvis, 171. b
populus arbor cui ſacra, 33. b
porca in feriundo fœdere adhibita, 54. a
Porcii Latronis dictum de recto metaphorarum uſu, 164. b. quando id locum non habeat, declaratum, 172. b. ex intervallo acriùs dicebat, 305. b
M. Porcius Latro, 344. a
porcus, pro homine pingui, 166. b
Porphyrii, Pereiræ, Fazelli, non παράδοξ modo, ſed etiam ἄδοξ ſententia, 347. b
Porphyrionis error, 186. a
porrum inter deos repoſuere Ægyptii, 188. b
portiſculus, ac juſſor, 227. a
portulaca cui dicata, 33. b
portus ut laudentur, 34. a
poſis, 141. b
poſſibile & impoſſibile in omnibus cauſarum generibus locum habere, comprobatur, 5. a. poſſibile quot modis aliquid eſſe oſtendatur, 99. b. poſſibilis & impoſſibilis doctrina quo loco tradi debeat, expenſum, 100. a
poſt-illa, poſt-faſelus, poſt-parta, poſtgenitus, poſt-futuri, 241. b. poſt-factum, poſt-delictum, ibid.
poſtſcenium, 105. b
ποτηρὶς πυρός, 168. a
potentum mores, 98. b
poterium, 140. b
poteſtur, 143. b
πῦς, 167. a
præceptio, pro occupatione, 265. a
præciſio, 250. b
prædia unde laudentur, 35. a
prædicere qui alteri dignitatem aut infortunium velit, quomodo inſtituat orationem, 137. b
præfecti non æquè, ac gregarii milites, periculis ſunt exponendi, 79. a
prærogativæ duplex acceptio, 226. b
præſcriptio, μεταλήψεως ſpecies, 55. b. 56. a
præſumptio, pro prolepſi, 265. b
præſumptiones quid, 43. a
præteritio quid, & quot de cauſis fiat, 251. a
prætexta, & prætextati, 185. a
prætoris conſuetudo, peroratâ utrimque cauſſâ, 124. a
πρόθεσις quid, 70. a
pretium, pro pœna, 212. a
primæ palmæ, vel extimæ, 184. a
primi apud Latinos Rhetorices ſcriptores, 340. a. b
Primiſlaus ex agricola rex factus Bohemiæ, 28. a
principium quod exordii genus ſpeciatim dicatur, 106. a
priſca quæ, & unde ſic dicantur. 143. a. ejuſmodi voces conducunt ſtylo magnifico, 285. a
Priſcianus malè negat ſiſto habere ſupinum, 38. b
priſtinus unde, 143. a
privignus unde dicatur, ibid.
Proæreſio ſtatua quæ Romæ erecta, 339. b
προαύλια, 105. b
probabilis quo pacto reddatur oratio, 287. a
προβολή, 54. a. 56. a
προκατασκευὴ propoſitionem & partitionem complectitur, 116. b
προκαταστάσεως voce utitur aliter Hermogenes, aliter Sopater, 115. a
προσκηνιδιαπέτασμα, 105. b
πρόσκλησις erat vocatorum in Areopagum, 37. b
Proclus Conſtantinopolitanus cur canis mutus diceretur, 72. a
Prodicum oratorem qui audire volebat, quinquaginta drachmas perſolvebat, 334. b
Prodicus Sophiſta quomodo parare ſoleat attentionem, 108. b
prodocere, 216. a
προέκθεσις, 117. a
Profeſſorum nomen cur potius rhetoribus, quam philoſophis competat, 316. b
πρόληψις Grammatica, Rhetorica, Poëtica, 265. a. prolepſios partes, 265. b. prolepſis poëtica quoque in Scripturis invenitur, 268. a
proles maſcula optari ſolet, non ſolùm quia præſtantior, ſed etiam quia minus oneroſa, 22. b
prologi ἔτυμον, 105. b
prologium, ibid.
Prometheus, pro figulo, 194. a
promittere, pro minari. & contrà, 212. a
προμηθεῖν, & ἐπιμηθεῖν, quomodo differant, 203. a
pronunciatio, vide Actio. Latini ſermonis mirificè hodie attaminata, 151. b. minus aptè ὑπόκρισις Græcis dicitur, 351. b. rectius quomodo vocetur, ibid. eam eſſe artis partem contra Sulp. Victorem, & Lud. Vivem oſtenditur, 351. b
προσωπεῖον τραγικόν, 105. b
προτρεπτικὸς λόγος, 133. b
Propertii locus aliter, ac à Duzâ, explicatus; vetuſque lectio, quam Scaliger immutat, aſſerta, 190. b
prophetæ, pro prophetarum aliquis, 183. b
propoſitio ἁπλῶς neceſſaria eſt, & quâ mente dicatur, eâ interdum opus non eſſe, 103. b. 104. b. 117. a. cur eam prætereat Tullius in enumeratione partium orationis, 103. b. propoſitio quid, 117. a. ejus munus, ibid. & 118. a. dividitur in ſimplicem, & multiplicem, quæ partitio vocatur, 117. b. quando utrâque utendum, ibid. interdum expedit propoſitionem diſſimulare, ibid.
propriæ rei notæ, 4. a
proprietatis quid, 287. a. non eſt propria tenuis characteris virtus, ibid.
propriorum nomine an ſemper excludantur tranſlata, 141. b
proſapiæ verbum an uſurpandum, 143. b
proſcenium, 105. b
proſcripturire, 144. b
proſeuche, 167. a
πρός τι, ſive propriæ rei notæ, 54. a
προγραφῆς ſtatus, 54. b
πρόσωπα de beſtiis, 210. a
προσωποποιΐα, 254. b. ejus duo modi, ibid. à dialogo differre, oſtenſum contra Fabium, ibid. malè ei ſubjiciunt ſermocinationem, ibid. interdum tamen eam complectitur, 254. a. laxè ita dicitur, quandocunque non perſonæ ſenſus tribuitur humanus, 223. b. hujus quantus ſit uſus oratori, 256. a
προσαπόδοσις, 238. a. eam non pertinere ad ſchemata ſimilis qualitatis, oſtenditur contra Cæſarem Scaligerum, ibid.
Protagoras Abderites, è bajulo ſophiſta factus, centum minis docuit, 334. a
πρόσωπον in prolepſi quid, 266. a
Proteus vitam finivit ſpontaneo vivicomburio, 194. b
Prothymus, 140. b
προοίμιον, 299 a
protoſedere, 54. b
proverbium unde ſic dicatur, 206 b. proverbia γνῶμαι eſſe poſſunt, ibid. ea interdum propriis conſtant, 207. a. proverbii gemina definitio, una Eraſmi, qui latè eâ utitur voce, idque veterum exemplo; altera Scaligeri, qui preſſè capit, magiſque propriè, 206. b. 208. a. multa παροιμιογράφοι adagiis inſeriunt, quæ proverbia non ſunt, 207. a. multa proverbia ab iiſdem omiſſa, 207. b
prudentia aliud eſt, quâ eſt virtutum omnium moralium regina; aliud autem, quâ ſignificat peritiam & accuratum judicium in arte aliquâ. 319. a
prudentiam quo pacto oſtendat orator, 92. b
πρωτεύων unde dictum, quid propriè, & pro quo καθ' ἐξοχὴν accipi ſoleat, 193. a
Prytaneum forum Athenis, 37. b
ψ[illegible], 305. a
pſeudourbanus, 105. b
ψιθύρισμα, 216. b
Pterela, vel Pterelas, 141. b
Ptolemæi Flavii emendatio rejecta, 217. b
Ptolemæorum quidam unde πολεμόνοος nomen acceperit, 189. a
Ptolemæus, primus ejus nominis regum Ægypti, quo genere natus, 20. b
Ptoliporthes, Penelopes ex procis filius, 40 b
πτῶμα, 231. b
Publio Syro verſus perperam à ſummo viro tributus, 28. b
Publipor, 211. a
pudor rectène inter affectus ponatur, non convenit inter Peripateticos, 80. b. pudori unde nomen, ibid. pudor, & metus, quomodo differant, ibid. pudoris definitio, ibid. quos pudeat, ibid. apud quos pudeat, 81. a. quorum pudeat, 81. b. quanta ejus vis ſit, eo docetur, quòd multos adegerit, ut mortem ſibi conſciſcerent, 82. b. pudorem quo pacto exprimamus auditoribus, 86. a
puer Spartanus mori maluit, quàm ſordidè ſervire, 81. b
pueri, de adultis, 211. a
pueritiæ vehementes ſunt affectus, 94. a
pulchra quomodo reddatur oratio, 300. b. 301. a
pulchritudo laudata, 30. b
pulchrum unde dictum, 242. a
pulicis quis encomium ſcripſerit, 107. a
pulmonei pedes, 245. b
pultiphagus, & pultiphagonides, 105. b
pulverem colligere, Horatio quid, 177. b
pura quomodo reddatur oratio, ex ſententia Hermogenis, 297. a. 297. b. inprimis tenui convenit characteri, 287. a
purgationis ſtatus cujuſmodi, 48. b. ejus loci tredecim ex Hermogene, 49. a
puritas, quid, ejuſque vox, 287. a
πύργους πλακίμου, 212. b
πυροφόροι, 266 b
purpureum colorem quomodo poëtæ tribuant nivi, oloribus, ſali, 217. b
πύελος, 246. a
puteum laudandi ratio, [illegible] a
Pyladis hiſtrionis dictum, 23. b
Pyrrhi lenitas in juvenes, qui probra in eum ingeſſerant, 48. a
Pytheas, 338. a
Pythagoras nefas ducebat carnibus veſci, 237. a. Ho-

· 337. a. Homerum apud inferos torqueri putavit, 298. a
Pytho clarus orator quando floruerit, 337. b
Pyxis unde dicta, 287. a

Q.

Q Quibus rebus exprimendis inſerviat, 153. b.
quadrantaria Clytæmneſtra, 206. a
quæſtio alia cognitionem reſpicit, alia actionem, 2. a. alia finita, alia infinita, ibid. quæſtiones incidentes quæ dicantur, 39. a. quæſtio, quatenus argumentum eſt ἄτεχνον, 60. a. vide Tormentum.
quæſtionis civilis diviſio in finitam & infinitam, 324. b
quæſtorum parricidii munus, 210. b
qualitatis ſtatus duplex, negotialis, & juridicialis, 45. a. qualitas aſſumtiva in ſtatu contrariarum legum, 54. a. qualitas abſoluta in eopſe ſtatu, 54. b. qualitas facti, locus in ſtatu ambigui, 55. a
quantitatis ſtatus malè vulgò præteritur, 40. a. ejus exempla in genere demonſtrativo, ibid. loci ejus in genere juridiciali, 57. a
quartana nonnunquam optabilis, 211. a. eam laudavit Phavorinus, ibid.
quercus dicata variis Diis, 33. b
queruli non amantur, 73. b
quianam, 143. a
Quinctiliani de ſignis ſententia impugnata, 4. b. haut rectè ἐπιδεικτικὸν genus oſtentationem vocat pro oſtentativo, 14. b. fallitur, cùm juridiciale genus difficilius eſſe ait negotiali, 45. a. Quinctiliani declamationes, patris, filii, an nepotis ſint, diſceptatum, 59. a. Quinctilianus fruſtra auget numerum argumentorum inartificialium, quem adduxerat Ariſtoteles, 59. b. ejus error, docentis, morum doctrinam poſſe omitti in Rhetoricis, 99. a. malè eos reprehendit, qui triplicem in exordiis faciunt perſonarum rationem, 107. a. malè reprehendit Ariſtotelem, quòd ſcripſerit, auditorem interdum non attentum reddi debere, 109. a. fallitur, cùm Salluſtium uſum ſcribit exordiis nihil ad hiſtoriam pertinentibus, 113. a. malè propoſitionem facit confirmationis partem, 117. a. ejus præceptum de ordine membrorum partitionis ſervando in confirmatione, non eſt perpetuum, 118. a. immeritò reprehendit Ariſtotelem, & Tullium, quòd fidei partes fecerint confirmationem, & confutationem, 109. a. idem lapſus in duabus Aſpaſiis, 121. a. ejus locus expenditur, 330. a. contra hunc diſſeritur, 326. a. b
Quinctilianus immeritò reprehenditur, quòd elocutionem vocet partem Rhetorices difficillimam, 139. b. ejus judicium probum de uſu vocum priſcarum, 143. b. Fabii cenſura de voce ærumnæ rejecta, 144. a. ejuſdem cenſura de vocabulo proſapiæ improbatur, ibid. lapſus in voce obſequii, 144. b. malè putat, Ciceroni excidiſſe, quod affectavit, 149. b. perpetuum non eſt præceptum, quo vult, debere ſemper augeri orationem, 156. a. haut rectè negat, dici gemini fratres, ibid. contra eum oſtenſum, meritò analogiam diſtingui à ſimilitudine, 166. a. perperam ſtatuit ſimilitudinem, cùm gladius ponitur pro gladiato, 170. a. emendatus, ibid. in margine, minùs bene idem capitis nives durè pro canitie ab Horatio dictum putat, 170. b. ineptè definit Metonymiam, 175. a. malè negat, oratorem dicere Martem pro prælio, Venerem pro libidine, 175. b. idem malè ad ſynecdochen refert, cùm ex antecedentibus colliguntur ſequentia, 182. a. errat idem, cùm ironiam ſchema facit, item cùm eam reponit inter ſpecies allegoriæ, 201. a. quæſitum, an rectè antonomaſiæ ſubjiciat, cùm gentile, aut patronymicum, ponitur loco proprii, 192. a. errat, cùm ait, allegoriam proprio quoque ſermone conſtare poſſe, 201. a. imperfectè apoſtrophen definit, 256. a. malè comparationem è ſchematum numero excludit, 262. b. malè negat, παρρησίαν inter ſchemata reponi debere, 240. a. malè exclamationem è ſchematum numero excludit, 273. b. malè genus floridum interjici putat inter tenue, & grande, 291. a. Quinctilianus, Quinctiliani parens ſive avus, 344. a
quinctipor, 211. a

R.

R, Cujuſmodi res optimè exprimat, 153. b 154. a. R multa haut temere condenſanda, 154. b
Raimundi Lullii locorum & imaginum doctrina rejicitur, 351. a
Rami lapſus in Rhetoricarum diſtinctionum lib. 227. b. perperam negat, tres ſolùm eſſe characteres, 278. a. pleraque ſua hauſit ex Vive, ibid.
ῥηματικὸς, pro diſerto, 161. a
Raphaelis Cyllenii Angeli error, 293. b
Raphaelis Regii error, 4. b. alter ejuſdem, 14. b
rara magis amantur, 32. b. 73. b
ratiocinatio, ſpecies ſtatus legalis, quid ſit, 53. a. ejus quatuor loci, ex Fabio, 53. b. ſtatum hunc immeritò quidam è ſtatibus excluſum eunt, 56. b
rationalis ſtatus eſt ſpecies ſtatus juridicialis, 46. b. quid ſit, ibid. dividitur in abſolutum, & aſſumptivum, ibid.
reatus vox à quo inventa, 144. b
recapitulatio, 123. b
recellere, 76. b
reciprocicornis, 146. a
recordari, de Deo quomodo dicatur, 190. b
rectè, pro nihil, 200. a
rectus ſermo, quis dicatur, 164. b
refutari quæ debeant conjunctim, quæ ſingulatim, 122. b. cætera vide in confutatio.
reges ipſi ad populum verba ſtantes faciebant, 309. a. cum regibus, & magnatibus, quomodo verſandum, 242. b
regiam laudandi ratio unde petenda, 35. a
de regionum cuſtodia quæ oratori cognoſcenda, 11. b. regionum laus unde petenda, 34. a
rei capulares, 50. a
reipublicæ quatuor ſtatus, ac ſingulorum finis, 13. a. accuratè tamen loquendo ſunt tantùm tres formæ, ibid. ſingulæ autem formæ duas ſub ſe comprehendunt, 13. b. reipublicæ veræ formæ conferuntur inter ſe, 14. a. reipublicæ ſtatum commutare, eſt periculoſum, ibid.
relationis ſtatus quis, 48. a. quomodo relatio & remotio differant, 48. b
religens olim in laude, religioſus in vitio ponebatur, 28. a
religio, pro metu, 284. b
remotionis ſtatus quis, 48. a. quomodo differat à relatione, 48. b. an ſtatui conjecturali ſubjici debeat, ut cenſuit Scaliger, 50. b. remotio in rem, quomodo differat à purgatione, 50. b
repandiroſtrum, 145. b
repetitio media, 233. a. repetitionum mixtura, ibid.
rerum omnium notitia quomodo in Oratore ab antiquis requiſita fuerit, 323. b
res Veneris, voluptatum, pro Venere, voluptate, 219. a
res pro cauſa, 108. a
reticentia, 250. b
retinere remos, 146. b
reus unde dictus, ac reum quoque eſſe, qui innocens eſt, nec modò qui defertur, ſed & actorem, 103. a
rex, pro Perſarum rege, 195. b
rhamnus planta cui dicata, 33. b
B. Rhenani laus, 89. b
rhetor theſin aliter tractat ac philoſophus, 325. a
ῥήτωρ δικανικὸς, Dicentarius, 315. b
ῥητορεία, dictio ſeu ſermo Oratoris, ibid.
rhetores decem majores, ac totidem minores: illorum nobis excerpta dedit M. Seneca: horum verò Calpurnius Flaccus, 59. a
rhetores Suetonio celebrati, atque alii, qui poſtea floruere, recenſentur, 341. a. b
rhetoribus duplex erat materia: ſuaſoria, quæ conſilia; & controverſiæ, quæ judicia imitabantur, 9. b. rhetores non neceſſe habent de ſingulis rebus præcipere, ſed tantùm de præcipuis, 36. a
rhetorica Ariſtotelis quæ habentur, diverſa ſunt à Theodecteis, quæ deperierunt, 12. b. rhetorices Ariſtotelis definitio, finem, officium, ac materiam oratoris complectitur, 1. b. rhetorices materia triplex adducta, eâque diſtinctione variæ opiniones veterum conciliatæ, 2. a. rhetorices univerſæ οἰκονομία ac diviſio, 2. b. rhetorice anxiam in definiendo ſubtilitatem philoſophorum reſpuit, 12. a
rhetoricæ diſtinctio in artem & facultatem: ſive in ornatricem, quæ elocutio, & oratricem, quæ eloquentia dicitur, 319. b. perperam utraque à quibuſdam ante logicam traditur, 320. a. altera rhetorices diſtinctio in germanam & aſſentatricem, ibid. rhetoricæ ſubjectum conſiderandi modo diſtinguitur tum à dialecticæ, tum à politicæ ſubjecto, 325. b. rhetoricæ officium, 327. b
rhetoricare & rhetoriſſare, 315. b
rhetorice, an ſit ſimulachrum partis Politicæ, 320. b. rhetorice tribus comparatur, naturâ, arte, & uſu, 330. a
rhetoricè dicere, 315. b
rhetorices definitio, 321. b. genus, ibid. ſubjectum triplex, 322. b. tertium quaſi in tres alios ramos diffunditur, ibid. an ſit ſcientia, 322. a. an ſit virtus, ibid.
rhetorices, & rhetoris etymologia, 315. a. b.
Syris quomodo hæc ars vocetur, 315. b.
rhetorices finis duplex; alius artis docentis, alius utentis, 326. a. utentis finis etiam duplex, ibid. rhetorices inventor Mercurius, ſecundùm Ægyptios ac poëtas, 331. b. rhetorices varii ſcriptores apud Græcos recenſentur, 331. b. 332. a. b. quando demum inventa, 332. a. ut à rudibus initiis paulatim hæc ars ſit progreſſa, ibid. quando Romæ damnata, 340. a. hanc ante blandium equitem non alii, quàm libertini, docebant, ibid. rhetorices diviſio, 347. a. de hac Ciceronis, Fabii, Philonis ſententia expenditur & rejicitur, ibid. ῥήτορες dicti, qui dicendi erant periti, ibid.
rhetoris nomen quam variè ſumatur, 316. a. in malam partem quandoque ſumptum, ibid.
Rhodium dicendi genus cujuſmodi, 289. b
ridicula, tragœdiis inimica, 292. b. vide Venuſti.
rigor auri, vel ferri, pro auro, ferro, 219. a
riſu qui diſceſſerint, 29. a
riſus Sardonius, 292. a
Roberti Titii error, 197. a. ejus mirificum cum Gallo poëta commentum, 274. a. ejus correctio Horatiana impugnatur, 81. b
Robertus Mancop, archiepiſcopus Armacanus, à puero cæcus, 25. a
Fr. Robortelii de antonomaſia ſententia refutatur, 193. a. malè impugnat diviſionem ſermonis in figuratum, & non figuratum. 246. a. perperam comparationem è ſchematum numero excludit, 262. b. fallitur, cùm ait, ἰσχυροῦ unicum meminiſſe Rutilium, 275. b

Robortellius falſò ſtatuit, Ariſtotelem nihil de ſtatibus præcepiſſe, 39. b. idem à Sigonio reprehenſus, quòd pervulgatâ uſus exordiendi ratione videatur, 112. b
Roma inter Deos relata, 167. b
Romæ quando cœperit Rhetorice doceri, 340. a
Romam laudaturo qui præiverint, 34. b
Romana virtus quot præliis fuerit ſuperior, quot item inferior, 340. a
Romanis ſecundùm virtutem vivere, Græcis de ea diſſerere, ſtudio fuit, 61. a
Romanus ſedendo vincit, 186. a
Romanus Jupiter quis vocatus ſit, 193. b. Romulus cur à lupa nutritus dicatur, 169. a
Romulus, pro regnum affectante, 194. b
Romulus ſpurius, 22. a
roſa cui ſacra, 33. b
Roſcii, pro perfectis in arte ſua, ibid.
roſtra cur deſtinata laudandis defunctis, 6. a
[illegible], 141. b
[illegible], 154. b
[illegible], ibid.
Rubrum mare unde dictum, 205. b
rudentiſibilus, 145. b
Rufinus an meritò ab Hieronymo reprehendatur, quòd dixerit, nervos intendere, 172. a
Rufinianus minùs rectè pro eodem habet, diſſimulationem, & ironiam, 187. b. ejus lapſus de [illegible], 228. a
rumor inter argumenta [illegible], 59. b
[illegible] quid Grammaticis, 161. b. quid Ariſtoteli, ibid.
Rutilii Lupi lapſus in [illegible] exemplis, 227. a. neceſſarium malè inter ſchemata reponit, 260. b. ejus liber malè in duos diſſectus, 232. b. definitio ejus [illegible] minùs accurata, 264. b. Rutilius ille, unde quædam in [illegible] citat Fabius, eſt Rutilius Lupus, 269. b

S.

S. Quibus rebus exprimendis inſerviat, 154. a. quantopere illud reformidarint veteres Spartiatæ, 154. b
Sabini, quod volunt, ſomniant. Proverb. 107. b
Sabinus Clodius Græcè & Latinè declamare ſolitus, 339. a. quid Caſſius Severus, cum hunc audiiſſet, interrogatus reſponderit, ibid.
ſacerdos mortuorum quis Euripidi dicatur, 169. b
ſacerdotes variis in locis eunuchi, 25. b. plurimùm valent ad leniendum, 72. a
ſacoma, in muliebri genere, 222. a
ſacri plures acceptiones, 200. b. ſacrum quid propriè, & pro quo ponatur [illegible], 247. b. ſacrum, pro execrabili, 220. a
ſacrilegus quis dicendus, 44. a
ſagittandi arte nobiles Parthi, Armenii, & Cydonii, 264. a. b
[illegible], 98. a
ſalamandræ ignem non exſtinguunt, ſed ab eo comburuntur, 304. b
ſalebræ, & aſperitas, à quibuſdam ineptis affectantur, 281. b
ſalis olim laus ſcripta, 107. a
Salluſtii non eſt invectiva in Ciceronem, 59. a. Salluſtii exordia immeritò reprehenſa à Fabio, 113. a
Salluſtium, Senecam, ſimileſque ſcriptores, malè aliqui imitandos proponunt ætati puerili, 147. a. Salluſtius antiquarius, 147. b. ejus illuſtris ſententia è Thucydide expreſſa, 274. b. Salluſtius, quorundam judicio, magis Atticus Cicerone, 290. b
Salmaſius, 166. b
ſalutatio deorum qualis, 175. b
ſalutare Cererem, aut Bacchum, quid notet [illegible], ibid.
Sampſonis ænigma, 204. b
ſancire quid propriè, 247. a
ſanctus quis propriè, quis item [illegible], 247. b
ſandalia nympharum quid appellet Matro, 168. a
ſanæ tria præcipua genera, 216. a
ſaperdæ, 243. a
[illegible] quæ comprehendat, 297. a
Sapphonis elogium, 286. a. Sapphico carmini non eſt nomen inditum ab inventrice, 176. b
ſapri, 243. a
Sarcaſmus non eſt ſpecies Ironiæ, 214. b. unde nomen Sarcaſmo, & quid ſit, ibid. impropriè ponitur pro diaſyrmo, 215. a
[illegible], 214. b
Sarcophagus, ibid.
Sardanapalus, pro molli, 191. b
Sardina, pro quovis loco inſalubri, 186. a
ſardonius riſus, 291. a
Sargapiſus præ pudore ſibi vitam eripuit, 81. b
[illegible] propriè quid, 214. b
Saturno ſacrabatur ſauriæ, 31. a
Scaligeri judicium de circumſtantiarum numero expenditur, 325. b
Scauri dictum elegans, 219. b
ſceleratorum pœnæ non cient miſericordiam, 86. a
ſchemata qui differant à tropis, 164. b. interdum tamen ſchematis vox tropos comprehendit, 164. b. ſchema propriè quid, 222. a. voceâ Plautus in muliebri genere uſus, ibid. ſchematis duæ aliæ ſignificationes, 222. b. quas ſignificationes reſpexerint veteres, cùm verborum ſententiarumque luminibus indiderunt ſchematis nomen, 223. a. ſchemata quomodo appellet Tullius, ibid. ſchematis definitiones duæ vulgares rejectæ, ibid. vera ejus definitio allata, declarataque, 223. b. quomodo ea definierit Robortelius, ibid. ejus ſententia impugnata, ibid. ſchematum inventor dicitur Iſæus, ac quomodo id intelligendum, 224. a. ſchematis definitionem non aſſecuti Rhetorices mutilatores, 224. b. ſchematis diſtributio, ibid. num ſchemata dictionis, an ſententiæ, præcedere debeant, ibid. ſchemata dictionis, & ſententiæ, qui differant, ibid. quæ in utroque ſchematum genere conſideranda, 225. a. ſchematum [illegible] diviſio, ibid. ſpecierum ejus tractatio, ibid. idem ſchema variè conſideratum pertinet ad Rhetoricam, Grammaticam, Poëticam, 225. b. ſchemata, quæ voces contrarias ponunt, non tam [illegible], quàm [illegible], ſunt [illegible], 469. a. b. ſchematum [illegible] quædam plus dicunt, quædam minùs, quædam æquè, 247. a. ſchemata [illegible] quæ plus dicunt, in certas claſſes redacta, ac ſingularum natura explicata, 253. b. ſchema, & figura, ponuntur etiam pro ſchematis certâ ſpecie, 252. a. ſchema pro dictis, quibus obliquè aliquis perſtringitur, 252. b. duplex ſchematis preſsè accepti uſus è Demetrio allatus, ibid. tertius quoque à Fabio adjectus, ibid. ſchemata non nimis condenſanda, 275. b. atque hoc inprimis intelligendum de iis, quæ maximè pariunt orationis venuſtatem, ut [illegible], ſimiliaque, 245. a. ſchematibus utendum, ut ſcitamentis, non ut cibis, 275. b
ſcholiaſtæ Aphtonii, & ſcriptoris ad Herennium, errores caſtigati, 328. a
ſcholiaſtici nomen diverſimode uſurpatum, 317. b
Scipio è dracone genitus, juxta nonnullos, 21. a. à vultus dignitate laudatus, 23. a. quamobrem omnium militum edidicerit nomina, 68. b. Scipionis ſententia, quâ neque avaro, neque inopi, mandandam docet Reip. adminiſtrationem, 98. b
Scipionis Gentilis ſententia rejecta, 186. b
ſcirpus cur pro ænigmate ponatur, 204. a
ſciſcitandi per epiſtolam ratio, 137. a
ſcitamenta orationis haut immodicè uſurpanda, 245. a
ſcloppus, 216. b
[illegible] quæ? & unde dicta, 305. a
[illegible] quæ, 133. a
[illegible], 123. b. [illegible], quæ ſint, 242. b
Scopeliani ætas, 339. a
ſcripti & ſententiæ ſtatus quis, & quatuordecim ejus loci, ex Hermogene, 52. a. ſtatus is quibus in Ciceronis orationibus inveniatur, 53. a
de ſcriptore unde viginti declamationum, quæ vulgo Quinctiliano tribuuntur, 345. a
ſcriptores, qui maximè imitandi, 146. b
ſcrupus an pro ænigmate ponatur, 204. a
ſculna, 142. a
Scylla quid, juxta hiſtoriæ fidem, 250. a
Scyllæ unde nomen, ibid.
Scythæ allegorici ſermonis amantes, 285. a
ſectores qui, 197. a
Seduliana Virgilii imitatio, 236. a. ejus locus emendatus, 243. b
Seleucidarum corpori ingenita nota, 23. a
[illegible] quid, 4. a
Semiramis primùm putatur viros excidiſſe, 25. b
[illegible] pro ſtylo magnifico, 279. a. [illegible], ut eſt pars prima [illegible], quomodo acquiratur, 298. a. b
ſemper-lenitas, ſemper-florens, ſemper-amicitia, ſemper-tutor, ſemper-cupidus, ſemper-parens, ſemper-furens, ſemper-cruentus, ſemper-mendacia, ſemper-pauper, 241. a. ſemper-deus, 241. a
Sempronii Gracchi dura mœſtitia, 241. a
P. Sempronius Tuditanus quando floruerit, 341. a
Seneca immeritò Maronis verſum de forma reprehendit, 23. a. ejus libri de ira mutili ſunt, 65. b. objectum ei, quòd diſcipulum habuerit Neronem, 81. a. Seneca an rectè ſanctus dici queat, 247. b
Senecæ de Ovidio judicium, 262. a. Senecæ dictio damnata à pluribus, ibid. Senecæ ſententia illuſtrata, 260. a. Senecæ in Hercule Fur. [illegible], 267. b
M. Senecæ ſuaſoriæ & controverſiæ ſunt excerpta ex ſui ævi declamatoribus, 344. b. hujus tres filii, 345. a. memoria admirabilis, 350. a
ſenes cur non excandeſcant tantopere, 94. b. cur iidem avari, ibid. cur ſuſpicioſi, ibid. cur facilè deſperent, 95. b. cur loquaces, ibid. cur loquacitati eorum ignoſci debeat, ibid. cur inverecundi, ibid. cur timidi, ibid. aliam ob cauſſam miſericordes ſunt, quàm juvenes, 96. a. quare non ſint propenſi ad riſum, ibid. cur animo ſæpe minùs lubenti moriantur, quàm adoleſcentes, 96. b
ſententia, vide [illegible].
ſententiæ magnifici characteris triplices, 283. a. non ſunt frequenter affectandæ, 101. a. b
ſenum mores comparati cum juvenilibus, 93. b. 49. a. b
ſepia, pro atramento, 205. a
ſeptipes Sidonio gigantææ eſt ſtaturæ, 23. b
ſepultura inſepulta, 271. a
Sergii confeſſoris hiſtoria, 301. a
Sergius Fabianus plurima notavit, 145. a
ſeries præcipuorum oratorum, qui ab Alcibiade uſque ad Phalereum vixerunt, 335. a. b
ſermo animi index, 91. a. in eo quæ ſpectentur, ibid.
ſermocinatio quid, 253. a. malè eam ſubjiciunt proſopopœiæ, 254. a. nec rectè cum dialogo confundunt, 253 a. in ſermocinatione etiam trium pluriumve ſermo refertur, 253. b
ſerta, pro floribus, 178. a
Sertorius unoculus, 25. a
Servii error & alterius magni viri, 344. b

Ser-

ſervii Galbæ eloquentia, 341. cur vis quæ in dicente ſentiebatur, à ſcriptis abfuerit, ibid.
ſervius lapſus in eo, quòd ſperare exponat timere, 210. a. in eodem levicula emendatio, 151. a. lapſus in ſacri appellatione, 247. b. haut plenam ſchematis ἓν διὰ δυοῖν definitionem adfert, 239. b. error ejuſdem duos Ptolemæos confundentis, 252. a. idem defenſus adverſus Erythræum, 240. b. idem immeritò culpat Maronem, quòd porcum in feriundo fœdere dicat adhibitum, 52. a
ſervorum nomina fere unius ſyllabæ, vel duarum, 142. a
ſeſquipedalia verba quæ, 145. b
ſeveri apud Capellam locus emendatus, 162. b
Severi Pertinacis patria, 19[illegible]
ſexti Philoſophi argumenta refelluntur, qui eloquentiam ſolius naturæ beneficio acquiri putabat, 330. a
ſexus muliebris in liberis cur onerotior, 22. b
ſicca dictio quæ, 288. b. ſiccum dicendi genus fuit præcipuè Frontonis, 290. b
Siculorum plurimæ urbes à fluviis nomen accepere, 262. a
ſidera, aut ſtellæ, pro floribus, 167. a
Sidonius quâ mente dixerit, de Cicerone ſilendum in ſtylo epiſtolico, 287. b
ſidus, pro ſole, 182. b. vide ſidera.
ſigillariorum periphraſis gemina, 219. a
ſigna differunt ab aquilis, 237. b
ſignificatio pro eo, quod in ſermone figurato exprimitur, 252. b
ſignorum definitio, & diviſio, 42. a. ſigna in ſtatu conjecturali triplicia, 43. a
Sigonius inter fragmenta Ciceronis aliquid ponit ex ſola conjectura, 269. a
Sileni Alcibiadis, 218. a
ſilentium pro eo, quod in ſermone ἐχεμυθία cogitandum relinquitur, 269. a
ſimiæ occurſus infauſtus, 189. b
ſimiam pro Deo coluere Ægyptii, 188. b
ſimiles voces dici bifariam, 238. a
ſimiliter cadens, & ſimiliter deſinens, 241. a
ſimilitudo triplex, 262. b. ſimilitudo quæ amorem, quæ item ſimultatem atque odium pariat, 74. a
Simones, 218. b
Simonides aliter mulas appellat, cùm laudat, aliter, cùm vituperat, 173. b. Simonides excelluit in ciendâ miſericordiâ, 86. b. quomodo excuſârit, quòd in ſenectute attentior ad rem videretur, 95. a. ratio, quâ oſtendebat, divites ſapientibus præſtare, 98. a. b. ejus de jurejurando ſententia, 62. a
Simonidis memoria, 306 a
ſimplex quomodo reddatur oratio, 302. a. ibid. ſimplicitas ſimulata, ibid.
Simplicii à Cicerone diſſenſus, 48. b
ſimplicioris ingenii homines minùs ad iracundiam proni, 67. a
ſimulatio, & diſſimulatio, aliud ab ironia, 187. b
ſine ſacris hæreditas quid vocetur, 207. b
Sinon Virgilianus ſimplicitatis ſimulatæ exemplum, 302. a
ſirpare, 204. a
ſirpos, & ſcrupos, ænigmata vocari, 204. a
ſitientes plerumque moroſiores, 67. b
σίζειν, 284. a
ſmilax cuiſacer, 33. b
σμῆθος, 106. b
Smyrnæ laudatio Ariſtidi ſcripta, 34. b
ſo, pro ſuo, 142 b
Soarez malè ad ſynecdochen refert, cùm ex antecedentibus colligitur conſequens, 178. b
Socrates [illegible] cur dictus, 187. b. ſcita ejus periphraſis, 193. a
Socratis apud Xenophontem dictum de iis, qui bona optant externa, 18. b. Socratis parentes, 20. b. ejus de forma judicium, 24. b. objectum ei, quòd diſcipulum habuerit Alcibiadem, 81. a. Socratis vituperationem ſcripſit Polycrates, 106. a. Socraticorum mos, 120. b
ſol non invidet veſperæ, adagio, 89. a
ſoli ſacer phœnix, 31. a. ſoli gladium monſtrabant, qui jure aliquem interemerant, 38. b
Solon primus σοφιστὴς dictus, 333. b. hujus dictio gravis & auſtera, ibid.
σῶμα, pro homine, 183. b. σῶμα imnimis ſemper tribuitur ab Homero, 214. b
ſomnus qualis memoriæ vel proſit, vel obſit, 306. b
ſophiæ voce cùm uterentur Latini, ſæpius, nec ſemper tamen, interpretationem ejus ſubjiciebant, 140. b
Sophiſta ut differat à Philoſopho, 317. a. à Rhetore, ibid.
Sophiſtæ notio quàm latè antiquis temporibus pateret, 316. a. b. iidem cum profeſſoribus, 316. b
σοφιστὴς unde pro impoſtore accipi cœperit, 316. b
σοφιστικὴ, ἐριστικὴ, διαλεκτικὴ, καὶ πειραστικὴ à Rhetoricâ ut differant, 323. b
Sophoclis dictum, 235. b. ejus [illegible], 268. a. de morte ejus non conveniunt veteres, 19. a. Sophocles emendatus, 85. a
Sophoclis ſcholiaſtæ de epigrammatis cujuſdam auctore ſententia rejecta, 105. b
Sophronis Syracuſani mimi, 291. b, quomodo in piſcium nominibus luſerit, 294. a
ſordida ſunt multa apud optimos auctores, 141. b
ſorte non conſtituendum magiſtratum, [illegible] offenſum, 100. a
ſos, ſam, ſa, 142. b
Sotadeis verſibus qui uſi ſint, 294. b
σώτειρ, 176. a
ſpadones aliquando regnarunt apud Perſas, 25. b
Spartorum corpori nota ingenita, 23. a
ſpecies, pro individuo, 193. b
ſperare dolorem, aut morbum, non eſt timere; contrà quàm ab antiquis quoque Grammaticis ſcriptum, 210. a
Sperchidis virtus, 28. a. b
σπέρμα πυρός, 168. b
ſpes an metui opponatur, 76. b. ſpes quid ſit, ibid
σφοδρότης, & τραχύτης, quomodo differant, 299. a. b. σφοδρότης quomodo comparetur, ibid.
ſpiritus ſeptem, pro tertiâ Trinitatis perſonâ, 177. b
ſplendor orationis quid, 299. b. ſplendida quomodo reddatur oratio, ibid.
Spondaicum carmen barbarè dicitur, 161. b
ſpondeo num rectiùs, an trochæo, terminetur oratio, non convenit inter Tullium & Fabium, 163. b
Spondiaci verſus, 279. b
ſpurii nobiles eſſe non poſſunt, 12. b
ſtagna & ſales emere, 207. b
Statilius Maximus, 274. a
ſtatura quæ juſta ſive media, 23. b. quæ exigua, 24. a. imperatoria quæ, 23. b
στάσις unde dicta, 38. a. uſus & hac voce Æſchines, ibid.
ſtatus unde nomen acceperit, 38. b. ſtatus gemina definitio, una propria generis juridicialis, altera omnibus cauſarum generibus communis, 38. a. ſtatus unde naſcatur, ibid. & 39. a. ſtatus eſt quadruplex, 39. b. unus principalis, cæteri incidentes, 57. a. malè putant, eum non habere locum in genere deliberativo, 40. a. nec rectiùs eum inveniri negant in demonſtrativo, ibid. & in ſimplici thematе locum habet, 43. b. ſtatuum doctrinam malè quidam, tanquam ſeculo noſtro inutilem, è Rhetoricis exturbant, 41. a. falsò ajunt, ſolùm prodeſſe cauſis forenſibus, 46. b. qui eam illuſtrarint, tum Græci, tum Latini rhetores, 57. b. 58. a. in eâ fictis plurimùm exemplis utuntur rhetores, 58. b ſtatuum concurſus, 59. b. diverſos eſſe ſtatuum rhetoricorum locos à locis dialecticis, contra vitiligatorem comprobatur, 61. a. ſtatus conjecturalis, finitivus, generalis, negotialis, juridicialis, ratiocinalis, legalis, abſolutus, aſſumtivus, quantitatis, &c. vide ſuo loco.
ſtellæ, pro floribus, 167. a
Stephani error, 337. b
Stephani Pighii ſententia rejecta, 174. b
ſterno unde, 214 b
Steſichori ſimilitudo, 100. b
Steſichorus cur habitus dulciſſimus, 302. b
ſtatarius, 174. a
ſtloppus, 210. b
στοχασμός, 41. b
Stoici refelluntur, qui obſcœnitatem negant ineſſe verbis, 173. b
Stoicorum ſcitum de morte ſibi conſciſcendâ in adverſis, 32. a. Stoica affectus definitio refutatur, 64. b. Stoici amicitiam inter virtutes reponunt, 75. b. nihil ſibi præſtandum putant præter culpam, 108. a. affectus omnes damnant, 87. a. quâ mente dixerint, affectus nihil eſſe, niſi opiniones, 64. a
στωμυλοσυλλεκάδης, 284. a
στρηνής, 170 b
ſtrages propriè quid, 172. b
Stratonici dictum de citharistâ, ſolâ corporis mole commendabili, 169. a
ſtruthiocamelus, cur dictus paſſer marinus, 166. b
ſtultè agere, pro libidinosè aliquid turpe committere, 182. b
ſtuprum quid propriè, & pro quo ponatur ſynecdochicè, 183. a
Suadæ ſacellum, 327. b
ſuaſionis vox trifariam accipitur, 11. a
ſuaſorias falsò putarunt minùs prudentiæ requirere, quàm controverſias, 9. b. ſuaſoriæ ſubjiciuntur generi deliberativo, 125. a. b
ſuavem quæ reddant orationem, 302. a. ſuavitas non habet locum in charactere magnifico, 281. b
ſubjectum aliud inhæſionis, aliud prædicationis, 178. a
ſubjectio, quatenus interrogationi reſpondet, quid ſit, & quando eâ utantur, 245. a. 305. a. ſubjectio, pro prolepſi, 265. b
ſublimen quid, & an eo uſus Ennius, 170 b
ſuccrotila vox, 305. a
συγχώρησις quid, & quotuplex, 265. a
σύγχυσις, 150. a
συζυγία, 72. b
σύγκρισις, 261. a
Sulpicii Victoris locus illuſtratus, 118. b
ſumma quæſtio Latinis quid, 38. b
συμπλοκὴ quid, 232. a. ponitur & pro συνθέσει, 241. a
συναθροισμός, 259 a
de συνδέσμων uſu tria Demetrii præcepta, 281. b
σύνδεσμα, & ἀσύνδετον, quomodo differant, 292. b
ἀσύνδετον, 241. a. σύνδετον, & [illegible], quomodo differant, 103. a. b
ſuovetaurilia, 146. a
ſuperbia Pœni, pro Pœno ſuperbo, 219. a
ſupercilium, indicium animi facit, 310. a. ſuperciliis annui, vel renui, 310. a. ea tollere, eſt ſuperbi, ibid. item iraſcentis, ibid.
Superianus Iſaurus tricenario major feliciter literis operam dare cœpit, 17. a
ſuperjectio, 212. b
ſuperlatio, ibid.
ſupplices contrectabant genua eorum, quos rogabant, 312. a
ſupplicium erga unum ſumptum, iram erga alterum ſedare, cui pariter, aut magis fuimus irati, 70. b
ſurdum quo pacto conſolemur, 121. b
ſuſa, ſuſan, lilium, 176. a
ſuſtentatio, 263. b
Sybariticæ fabulæ quæ credantur, 120. b

συζυγία, 47. b 48. b
ſyllabæ ejuſdem geminatio ſæpe elegantiam orationi adfert, contrà quàm vulgus Rhetorum tradit, 155. a 245. b. ſyllabarum multarum, brevium, aut longarum, continuatio cur vitanda, 162. b. ſyllaba periodi ultima uno tempore productior cenſetur, quàm eſt naturâ ſuâ, 163. b
ſyllaturire, 144. b
σύλληψις oratoria quomodo fiat, 196 b
συλλογισμὸς ſtatus, 53. a. συλλογισμοῦ vox à quibus ſumta, 119. a. b
συλλογισμὸς pro ſola concluſione, 117. a
ſyllogiſmus ex Ciceronis aliorumque Rhetorum ſententia, & quadripartitus, & quinquepartitus eſſe poteſt, 120. a. ea ſententia impugnatur, ibid. ſyllogiſmi partes ab Oratore ſæpe tranſponuntur, ſæpe inverſo planè ordine collocantur, ibid.
ſylvam idem eſſe, quod materia, & quæ vocis origo, 228. b. cur ita vocarint carmina ſubito eſſuſa calore, ibid.
ſylvicultrix, 146. a
συμβολή, 262. a
Q. Symmachi facundia, 345. b
συνάπτειν, 246. b
συνάθροισμα quantum ad rem amplificandam valeat, 262. a
ſynecdoche quo à tropis aliis diſtinguatur, 165. a. ſynecdoche quid, 182. a. ſynecdoches ſpecies, ac ſingularum natura, ibid. ſynecdochæ malè ſubjiciunt exempla, in quibus continens ponitur pro contento, 179. a. nec rectiùs ad eam referunt, cùm antecedens ponitur pro conſequente, aut contrà, 182. a. malè ſtatuunt, eam tantùm in privis vocibus locum habere, 189. b
Syneſii error caſtigatus, 336. b
συνοικειοῦν, 270. b
συνωνυμία, 228. a. ſynonymiæ vox aliter à Logicis accipitur, aliter à Grammaticis, ac Rhetoribus, 228. b. poetis eſt uſitatiſſima, 229. a. in eâ fere poſterius eſt ἰσχυρότερον prioris, 229. a
συντροχάζειν, 309. b
συνθέσις, 59. b. 61. a
σύνθεσις, & συνθήκη, quid differant, 297. b
σύνθεσις, quatenus τμήσει opponitur, 241. a. etiam in proſa invenitur, ibid.
ſyntheſios ambiguitas, 54. b
ſyrma, dogma, glaucoma, diadema, aliaque id genus, in muliebri genere, 212. a
ſyrmate cur in tragœdiis uſi, 212. b
συστροφή, 300. b

T.

T. Quibus rebus exprimendis conveniat, 154. a
Taciti dictio interdum nimis conciſa, 288. b
Talæus malè facit interrogationem genus dubitationis, 263. b. alter Talæi lapſus, 265. b
Talus, Vulcani æreus vir, 292. a
Tamerlanes, claudus, 25. a. verum ejus nomen Timur Lenk, ibid.
Tanaquil, pro uxore quæ imperat, 195. a
tangere, pro percutere, 250. a
ταπείνωσις quid, ibid. malè inter ſchemata refertur, 250. a
tartæ vox unde vulgo in uſu, 146. a
τάσις quid, 159. b. qui differat ab eo τόνος, 160. a. qui differat à χρόνος, ibid. quando utendum τάσει, 160. b
tauri variæ ſignificationes, 148. b
ταυτότης quid, 236. a. ταυτότης voce latiùs uſus Cæſ. Scaliger, 227. a
τέχνη ῥητορική, pro unâ arte dicendi, 315. a
Technici, pro artium ſcriptoribus, 120. a
tegere pedes Hebræis quid, 190. b. 219 a
τεκμήρια quæ dicantur, 4. a. unde iis nomen, ibid.
Telephi pudor, 81. b
τελευτὴ quid Ariſtoteli in definitione periodi, 157. b
temetum, 55. b
tempe Sicula, Bœotia, Medica, 183. a
templi laudandi ratio unde haurienda, 35. a
tenebræ, pro tenebricoſo, 180. b
tener unde, 214. b
tenſa, 172. a
tentum, ibid.
Teredinis quis encomium ſcripſerit, 107. a
Terentianus Maurus, 271. a
Terentii laus, 147. a. à Cicerone commendatus, ibid. ambiguo ſermone rem geminam innuit, 149. b. an primus dixerit obſequium, 144. b. ejus vera lectio Capitolini loco ſtabilita, 209. b. ſperare an dixerit pro timere, 210. b. num mediocris, an tenuis ſit ſtyli exemplum, 277. a
tergemini honores Horatio quid, 186. a
terrori unde nomen, 56. b
teſſeræ olim offeæ, 205. b
teſtamentum qui condebant, bene ſibi in initio ejus ominari ſolent, 68. b
teſtitrahus, 146. a
teſtium teſtimoniorumque diviſio, & quomodo ab iis argumentemur, 60. a. ſtrictim, 42. a. teſtes interrogari ſoliti ab accuſatore, & patrono, 42. a
teſtimonia Græcorum cujus ponderis, 61. a
teſtudinis ſanguis medetur oculorum ſuffuſioni, 146. a
τετράδιον, 296. b
Teutates, ſive Theutates, 284. b
thalamum quomodo Eumenidibus tribuat Maro, 211. a
Thales, pro fatuo, 189. a
Thaletis judicio quis feliciſſimus, 18. a
θέσεως & θέσεως diſcrimen, 79. a
Thebani, σπαρτοί, 34. a. corpori illorum ingenita nota, 23. a
themata fabuloſa, ac poëtica, 59. a
thematis ſimplicis tractatio cur quodammodo in Rhetoricis prætereatur, 2. b
Themiſtocles cujuſmodi fabellâ Athenienſibus perſuaſerit, ne magiſtratus mutarent, 202. b. Themiſtocles è meretrice natus, 21. b. ejus dictum de patriæ claritate, 18. b. conſilia illi in numerato erant, 26. b. Themiſtocles quando claruerit, 333. b. cur memoriæ artem repudiarit, 350. a
Theocriti Chii de forma judicium, 24. b.
Theonis locus, 54 b
Theodorus Gaza multa finxit vocabula, 146. a. ſui ævi doctiſſimus, 157. a
Theologus, pro Joanne Euangeliſta, 185. b.
Theophilus ſeu Theodoſius Corydaleus, 137. b
Theophraſti characteres oratori utiles, 116. a
Theophraſtus, unde nomen hoc acceperit, 336. b. prius Tyrtamo vocabatur, ibid.
Theophraſtus, verba facturus apud Athenienſes, obticuit, 269. b
Theophylacti ætas, 279. a
Theopompus Chius quæ ſcripſerit, ac ſtylus ejus cujuſmodi, 283. a. in digreſſionibus peccabat, 248. a
Theopompus Iſocratis diſcipulus, 336. b. de hoc variorum judicia, ibid.
θεὸς unde, 284. b
Thermopotare, 105. b
Therſitis laudatio cui ſcripta, 30. b
Θέσεως alia, quàm ὑποθέσεως, tractandæ eſt ratio, 9 a
Θέσις quid, & vox ea à quibus ſumpta, 2. a. hanc ſolam tractabant Scholaſtici uſque ad tempora Phalerei, ibid. quomodo θέσιν ὑποθέσεως partem faciat Cicero, 2. b
θέσις & ὑπόθεσις ut differant, 324. b. 325. a. quomodo Latinè vocentur, ibid.
Theudas, 141. b
Thomæ Corræi error, exiſtimantis, negotialem ſtatum eſſe ſpeciem juridicialis, 45. a. idem malè docet, in enumeratione partium orationis prætermittendam propoſitionem, tanquam exordii partem, 104. a. 117. a
Thomas Aquinas lapſus, ignoratione vocis luxuriæ, 183. a
Thoth, Thoyt, ſive Θὼθ, 284. b
Thraces dolent aliquo naſcente, gaudent mortuo, 126. b
Thraſymachus quid primus animadverterit in ſolutâ oratione, 334. b
Thraſymachus Chalcedonius dictionem primus mediocrem inſtituit, 288. b
θρῆνος, & ἐπικήδειον, ut differant, 132. a
Thucydides adoleſcens, Herodoto hiſtoriam ſuam legente, admiratione viri, & ſimilis gloriæ deſiderio, lachrymas non tenebat, 91. a. à quo ejus ſcriptum encomium, 30. a
Thucydides cur obſcurus fuerit, gemina adfertur ratio, 150. a. Thycididis dictio qualis, 334. a. ab Halicarnaſſenſi reprehenſa, 245. a. Thucydidæ inepti imitatores ſolam dictionis aſperitatem ſectantur, 281. b
Thuſcum jurgium, 122. b
Tiberii ſtatura, 23. b
Tiberii Minervii memoria admirabilis, 350. b
Tiberius ob artis excellentiam invidebat fabro, 89. b
Tiberius Claudius Nero, Biberius Caldius Mero vocatus, 242. b
Timæum imitatus Ariſtoteles in ordine librorum ſcientiæ naturalis, 64. a
timere plus eſt quàm vereri, 107. b.
τιμωρητὶς cujuſmodi, 13. b
Timon philoſophus unoculus, 25. a
Timon alter cur μισάνθρωπος, 85 b
timor unde dictus, 107. b. reliqua de timore, vide in Metu.
τιμωρία, & κόλασις, differunt, 66. a
Timotheus, Athenienſium imperator, meretricis filius, 21. b
Timur Lench, quid Turcis, 26. a
Tireſias, pro cæco, 194. a
Titiani plures, 59. a
Titinii verſus expoſiti, 111. b
Titus Labienus orator & hiſtoricus, 344. b. à maledicendi rabie Rabienus dictus, ibid.
τμῆσις, 240. a. ejus varia nomina, ibid. in proſa quoque locum habet, 240. a. mollior eſt, quæ fit diviſione vocis compoſitæ; durior, quæ extra compoſitionem, 241. a
toga, pro meretrice, 181. a. toga virilis quomodo differat à prætexta, 185. a. toga Romanæ utebantur meretrices, 55. a
tonarium, 303. a
τόπος, 5. a
topper, 142. b
tormenta tertium ſunt argumentum inartificiale, & quotfariam ab iis argumentemur, 61. b
totum partibus ſuis partim notius, partim ignotius, 5. b. totum triplex, 182. a. totum phyſicum, & totum in perſona Chriſti, quatenus conveniant, 184. b
τραχύτης, vide Aſperitas.
tracta, 146. a
tralatitium pro vulgari ac communi, 174. a. quæ cauſa hujus ſignificationis, 174. b
Tranquilli locus corruptus à Fabro emendatus, 324. b. notatur, 345. a
tranſitionis vulgata definitio rejecta, veraque adducta; tum autem, quibus modis venuſtè tranſeamus, 249. a. alia tranſitio perfecta, alia imperfecta, ibid.
tranſlatio, ut eſt locus in ſtatu contrariarum legum, 54. a. b. ut eſt ſtatus aſſumtivus, 56. b. tranſlatio, ut eſt ſpecies ſtatus legalis, quid ſit, & unde dicatur, 55. b. quot modis fiat, ibid. num ſtatus ſit diſtinctus à ſtatu conjecturæ, finitionis, qualitatis, & quantitatis, 56. a
tranſſumtionis multiplex diſceptatio, 55. a
Trapezuntius malè ſtatuit, juridicialem ſtatum interdum per ſe & primariò ineſſe generi deliberativo, 10. b. idem lapſus, cùm genus demonſtrativum interdum ab omni controverſiâ immune eſſe autumat, 41. a. falſus quoque, cùm deprecationem ſtatuum numero excludit, 51. b. idem cum Gaza conferri non debet, quamvis Gaza ab

Digitized by Google

ab eo monitus, errores aliquos correxerit, 157.a. malè comprehenſioni ſubjicit ambitum, & continuationem, ibid. Non vidit, quid Ariſtoteles in periodi definitione vocet ἀρχὴν, καὶ τελευτὴν, 157.b. labitur, cùm Tullium in Ligarianâ ab ironia negat ordiri, 188.a. malè ſtatuit, gradationem ſemper fieri mutato caſu, 234.b. περιβολὴν parum commodè circumductionem transfert, 230.b
τρωικὸς, 305.a
tribunalia quæ nobiliora Athenis, quæque ignobiliora, 37.b
tripudio unde nomen, 76.b
triremes quis primus invenerit, 167.a
τριτογένεια nomen unde, 192.b
τριτώ, ibid.
Tritones tres, ibid.
Tritoniæ nomen unde, ibid.
Trochæi cur non frequentandi in grandi ſtylo, 180.b
Troja numquam capta à Græcis, 40.b
tropi vocem Latini variè exprimunt, 164.b tropus quid, ibid. troporum ac ſchematum diſcrimen, ibid. tropi quatuor primarii, eorumque diſcrimen, ibid. & 191.a. eorundem ordo, ibid. troporum ac ſchematum ſpecies non erant proprium adeptæ nomen ævo Ariſtotelis, 165.b. troporum ſpecies ſex, quæ primariorum ſint troporum ſpecies, 190.a tropi non niſi in orationis contextu cognoſcuntur, 193.b. troporum affectiones quæ, & ſingularum natura, 200.b tropis utendum ut ſcitamentis, non ut cibis, 275.b. troporum doctrina pro diverſo conſiderandi modo, tum ad Grammaticum, tum ad Rhetorem pertinet, 165.a. troporum ac ſchematum doctrina, ut facilior, ante inventionis doctrinam tradenda juventuti, 139.b
tubæ in bello uſum tempore belli Trojani ignorarunt, 266.b
Tuiſco Germanorum conditor, 26.a
Tullius dictus Romanorum Demoſthenes, 194.b. Tullius illuſtratus, 347.a. vide Cicero.
tumultus quid propriè, & quæ nominis origo, 141.a
à Turnebo diſceſſum in Perſii lectione, 209.b. in voce turunda, 210.a. ejuſdem ſententia de damio ſacrificio improbata, 210.a item de numeris innumeris, 271.a. ejus μνημονικὸν ἁμάρτημα, 290.b
turpe quod ſit cauſæ genus, 106.a
turunda unde, 210.a
tutulus, 212.b
Tydeus puſillus, & fortiſſimus, 24.a
Typhoëus quam Diis formidabilis fingatur, 31.b
tyranni vox ætate Homeri ignota, 10.a. crebrò in bonam ſumitur partem, ibid.
Tyrtæus claudus, 26.a. ejus laus, ibid.
Tzetzæ ſententia de Pane, Penelopes filio, rejecta, 40.b. immeritò reprehendit, quæ ab Hermogene de cataſtaſi ſcribuntur, 115.a. ejus opinio de χωλοῦ ἐτυμολογίᾳ rejicitur, 187.a

V.

V, Vocale, quibus rebus exprimendis inſerviat, 152.b
V, conſonantis, ſonus hodie vitioſè profertur, 154.a. olim extulere, ut Germani VV. ibid.
væ victis, 208.a
vagire, hœdorum proprium, 196.b
valeant, in imprecationibus uſurpatum, 200.a
Valerius Flaccus ab ἀμοιβαίῳ exorſus 149.b
Valla falſus, cùm negat a Cicerone uſurpari vocem noviſſimus, 144.a.b
Vallæ judicium de Pandectis, 147.a. ejus lapſus, exiſtimantis, inductionem ſemper inſtitui per interrogationem, 120.b. ejus judicium de Quinctiliano, 328.a. hujus cum Trapezuntio contentio, 328.b. varia variorum judicia de ſcriptore librorum ad Herennium, 340.b
variandi eandem rem ſex modi, 262.b. plurimùm eloquentiæ ſtudioſo prodeſt, ut ſe exerceat in variando rem eandem multifariam, 262.a
Varronis ſententia de verborum delectu, 141.a. Varro falſus in ἐτυμολογίᾳ Divianæ, 142.b. ejus locus emendatus, ibid. Varronis in loco conjectura, 143.a. Varro cur potiſſimùm Ciceroni libros Grammaticos dicârit, 146.a. Varro antiquarius, 147.b. ejus dictio defenſa, 148.a fugit eum, qui ſit medius in homine locus, 165 b. ejus lapſus in paludæ ἐτυμολογίᾳ, item vocis induciæ, 220.a. ejus error, exiſtimantis, veteres Romanos cognomine caruiſſe, 22.a
ubi loci, 241.b
vecors, vegrandis, veſanus, unde, 80.b
vehemens quomodo reddatur oratio, 299.a
vehiculum, pro navi, 166.b
vella unde, 267.a
Velinum portum quomodo nominare potuerit Palinurus, ibid.
Velleji Paterculi locus de poëtarum, maxime tragicorum, anachroniſmis, 268.a
veneni periphraſis Plautina, 218.b
Veneri animantia ſacra, 31.a
venet, pro venit, 142.b
venalis ſtatus quis, 49.b
ventrem facere, 168.b
Venus, pro coitu, 175.b. pro olere, 180.a. pro amica, 194.a. Venus hortis præerat, 180.a. quid Veneris aurem Æoles vocent, 168.a
Venus Palatina quis Romæ dictus, 194.a
venuſta quomodo reddatur oratio, 300.b
venuſtæ orationis ſententiæ, 292.a. verba, 293.b. compoſitio, 294.a
venuſtas, & ſuavitas orationis, quomodo differant, 302.a. venuſtas quotuplex, 291.b. venuſtas aliud à dignitate vultus, 23.a
venuſtatis malè affectatæ vitia, 294.a
venuſti, & ridiculi, differentiæ, 292.b
verba rebus aptanda, non contrà, 143.a. verba quæ frigidam reddant orationem, 286.a. verba immutata, inflexa, arceſſita, inverſa, recta, 164.b. verba alicujus cur aliter ſæpe accipiantur, quàm oportet, 136.a
verborum delectus origo eloquentiæ, 147.a
verecundiæ vox unde, 80.b. cætera vide in Pudor.
vereri minus eſt, quàm timere, 76.b
veriſimile quoque dici poteſt, quod rarò fit, modò, ut plurimùm fieri, in vulgus ſit perſuaſum, 97.b
veriſimilis quomodo reddatur oratio, 303.b
verruca ſaxea, 171.b
veſanus unde, 80.b
Veſpaſiani ſtudium erga Rhetoras, 339.a
Veſpaſianus ex lotio vectigal capiebat, 81.a
veſtalis virgo propriè dicebatur capta: nec tamen ſic perpetuò loquebantur, 141.a.b
veſtibulum veſtæ ſacrum, 34.b
veteres, antequam in ſenatu, aut concione, verba facerent, Deos precabantur, 12.a.b.
veteres ſæpe affectarunt ejuſdem litteræ concurſum, 154.b
veterum conſuetudo in ſalutatione deorum, 175.b. mos eorum, cùm primùm biberent muſtum, 271.a. ſtantes habebant orationem, 309.a
vexare, de Scylla, 250.a
vici quomodo laudentur, 34.b
P. Victorii quoddam argumentum rejectum, 87.a
Victorinus malè facit aliquod enthymema concluſione carens, 120.a
Victorius defenſus contra Majoragium, 140.b. malè arbitratur, ὁμωνυμίαν ſemper eſſe in unicâ voce, 148.b. improbata ejus opinio in exemplo metaphoræ ab analogia ductæ, 166.b. contra Victorium oſtenſum, Demetrium Rhetorem alium eſſe à Phalereo, 279.a. falli eum, cùm Ariſtotelem putat heroum pedem à ſtylo magnifico excludere, 280.b
viere quid, 197.a
vigor corporis quàm diu duret, 93.b. vigor animi quàm diu ſit, ibid.
villæ celebrandæ ratio, 35.a.b
vimen unde, 197.a
vindicta ſive ultio, vide Pœna.
vinum novum cur ab Æliano dicatur contumelioſum, 96.a. vini laudandi, ac vituperandi ratio, 31.b. 32.a
vipera eſt in vepreculâ. Proverb. 207.b
vir bonus videtur & malus eſſe civis poſſe, 275.a
Virgilii liber IV. Æn. verſatur in argumento fictitio, 40.a. ejus locus è ſecundo Æn. illuſtratus, 66.a
Virgilius, vide Maro.
virgo uſurpatum de iis, quæ virgines fuerunt, 211.b. item de maribus Venerem non expertis, ibid.
viri principes etiam Romæ declamare ſoliti, 346.b
viros qui primum exciderint, 25.b. viri boni vehementer iraſcuntur, 67.b. virilis ætatis mores, 96.a.b
virtutem & Sapientiam vincunt teſtudines, proverb. 317.a
virtutis deſcriptio Lucilliana, 230.b
virtutum tum dianoeticarum, tum ethicarum cauſæ, 16.b. unde utræque laudentur, 35.b. virtus afflicta, mirificè miſericordiam ciet, 86.a
vita ferina prælata humanæ, 31.a
vitæ vehicula quatuor, 169.b
vitex cui ſacra, 33.b
vitia virtutum nominibus appellare non catachreſis eſt, ſed adulatio, 209.a
vitilitigatoris vox à quo auctore & fonte, 144.b
vitimagiſtratus, ibid.
vitis cui dicata, 33.a.b
vitium quomodo ſpecie virtutis laudetur, 28.b
vitrum ductile quidam Tiberii Cæſaris ætate efficiebat, atque eâ de cauſſâ ab illo tantus artifex eſt interfectus, 89.b
vituperatio quomodo inſtituenda, 29.b.30.b
in vituperatione perſonæ qui veterum præierint, 30.a
vivere jubemus, non ſolùm optantes, ſed etiam renunciantes, 200.a
vivicomburio ſpontaneo multi vitam finierunt, 194.b
vixiſſe, pro mortuum eſſe, 199.b
ulmorum Acherons, 184.a
Ulpiani Rhetoris error, 21.b
Ulpianus emendatus, 195.a
Ulpianus J. C. quò reſpexerit in ſuâ juris ἐτυμολογίᾳ, 50.a
ultima platea, 184.a
Ulyſſes aliter Homero πολύτροπος vocatur, aliter Achilles, 196.a
Ulyſſis laus à quo ſcripta, 30.a
umbilicus Siciliæ, orbis, Græciæ, Italiæ, 165.b
umbo, pro toga, 185.a
umbræ quis encomium ſcripſerit, 107.a
univerſaliora an ſemper particularibus debeant præmitti, 5.b
unoculi viri aliquot illuſtres, 25.a
vocabula artium non repudianda, ut barbara, 140.b. vocabula quæ optima, 144.a. prope omnia in ſe ambigua, nec tamen ambigua iis ſemper ſit oratio, 148.b. in vocabulis quis ordo ſervandus, 156.a. vocabulorum inſolentiam indicabant veteres critici præfigendo verſui literam χ. 212.b. variæ differentiæ, 141.a. vocabulum preſſè veteres accepere, pro eo, quod Grammaticorum vulgus appellat nomen appellativum, 192.a
vocales magiſtri, qui, 352.a
vocalium concurſum affectarunt quidam, qui ſe idcirco Thucydidios germanos eſſe arbitrantur, 282.a. Iſocrates eum fugit, 282.b. Dionyſius Halicarnaſſenſis regiam tenere viam jubet, ibid. vocales interdum committi debere, quatuor rationibus comprobatur, ibid. ad magnificentiam orationis id confert, 282.a. an vitandum

id in ſtylo tenui, 286. b. interdum parit ſuavitatem, 302. b
voces antiquæ diſtinguendæ à priſcis, & antiquatis, 143. a
in voce oratoris quæ conſideranda, 246. b
volonolo, 146. a
Volſi ludii, χειρονόμοι, ſive χειροσόφοι, dicti, 331. b
volucripes, ibid.
volucrium plurimarum nomina recenſita, quæ à ſono petantur, 216. b
voluntas, & facultas, quomodo probetur, 41. a. & diſtinctiùs, 41. b. voluntas in judicando ſpectari debet, non factum, 48. b
vomicæ, 165. b
vota noſtra quomodo alteri ſignificemus, 137. a
vox fuſca, 305. ἀπαλὸς, quæ. ibid. vox quomodo pro partibus orationis variet, 308. a
urbanitas quid, 123. a
urbanitatis vox nova erat ætate Ciceronis, 144. b
urbes unde laudentur, 34. a
urbs magna, pro Roma, 195. b
urſus Numidicus propriè capiendus, non verò de leone, 166. b
uſio, 209. a
utile eſt, quod propter aliud bonum eſt, 6. b. 7. a. utile quotuplex, & qui loci ejus, juxta Hermogenem, 45. b
Vulcani canes quid Græci Comici vocent, 168. a
Vulcanus utrimque claudus, 26. a. unde Mulciberi nomen adeptus, 121. b
vulnus navis, 168. b
vultus unde dictus, 169. b
uxor quando capienda, ex ſententia Platonis, 93. b

X.

X, Literæ ſonus, 154. a
Xenophanis judicium de improbo, juramentum viro probo deferente, 62. a
Xenophon vocatus Muſa Attica, 162. a
Xenophontis ſtylus qualis, 336. b. de eo Fabii judicium, ibid. Muſa Attica dicebatur, ibid. adverſus Halicarnaſſenſem defenditur, ibid.
Xerxes togatus, 194. b

Y.

Y, Quibus rebus exprimendis conducat, 152. b
ὕβρις quid, 69. a
ὅμοιος nunc preſſè, nunc latè accipitur, 15. b
ὑπαλλαγή, vide Hypallage.
ὑπέρβατον, 246. b
ὑπερβιβασμός, 150. b
ὑπερβολή, vide Hyperbole.
ὑφ' ἓν, 241. a
ὑπόνοιαι antiquitus dictæ, quæ poſterioribus ἀλληγορίαι, 100. b
ὑποφορά, 265. b
ὑπόρριμα, 167. a
ὑποστροφή, quatenus apoſtrophæ reſpondet, 293. a
ὑπόθεσις, vide Hypotheſis.
ὑπόχεσις, 117. a
ὑψαύχενες, 306. a
ὗς, pro homine pingui, 166. b
ὑστερολογία, 156. b
ὑστερόπρωτον, ibid.
Yvonis Villiomari ſententia rejecta, 148. b

Z.

Z, Literæ ſonus, 154. a
Zabarella falsò putat, oratorem ſemper ſibi proponere actionem, 2. a
Zabarella, qui Rhetoricen vult eſſe habitum inſtrumentalem, refutatus, 322. b. iterum refutatus, 329. b
Zaleucus inter legiſlatores nobilis, 34. a
ζῆλος quid propriè, & unde nomen, 90. b. ponitur & pro invidia, ibid. plura vide in Æmulatio.
Zenonis Eleatæ in tormentis conſtantia, 61. b
Zenonis de diſcrimine Rhetorices & Dialectices comparatio, aliter quàm a Tullio & aliis explicata, 349 a
Zenothemis quomodo judicio Menecratem liberarit, 327. a
ζήτημα, 38. a
Zephyritis, luſcinia, 292. a
ζεῦγμα oratorium, 246. b
ζῶς ab hominibus nequam ἄδειος vocatus, 143. a
ζῆν, & ζῶον, interdum æque latè patent, 16. a
Zoilus dictus canis Rhetoricus, 169. a. honeſtè de eo ſenſiſſe videtur Halicarnaſſenſis, ibid.
Zopyri alucinatio, judicantis de Socratis moribus, 26. a

F I N I S.

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE

ARTIS POETICÆ NATURA, AC CONSTITUTIONE LIBER.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & J. BLAEV,

Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM, à SOMEREN, & GOETHALS.

M DC LXXXXVI.

by Google

NOBILISSIMO,

Ampliſſimo, ac Clariſſimo Viro,

JACOBO CATSIO,

Equiti, Præpotentium Hollandiæ, ac Weſtfriſiæ Ordinum Syndico Supremo, Magni Sigilli Cuſtodi,

GERARDUS JOANNES VOSSIUS

S. P. D.

OFFERO munuſculum; vile, ſi vires conſiderem donantis; majus, ſi illud animo ejus metiar, ac promtiſſimâ voluntate: penè maximum dixero, ſi attendam erga hujuſmodi illius adfectum, cui mitto. Quid enim ſummo Poëtæ, vel gratius, vel convenientius, dare poteram, quàm de re Poëtica? Non quaſi nunc pandam Artem ipſam; quod alio in opere tribus à me libris factum eſt: attamen eò, quia ſcripſi de Arte. Propoſitum enim mihi fuit agere de Poëticæ nomine, definitione, fine, inventione, & diſtributione. Quæ *Præcognita* ſolent nuncupari: ac licet vix aliud, quàm guſtum exhibeant diſciplinæ, nec niſi confuſam artis notitiam præſtent: doctrinæ tamen ordine præeunt; quia viam muniunt ad ſcientiam ipſam. Fortaſſe ſatis erat, hanc ſolam attuliſſe cauſſam inſtituti mei. Sed enim præterea compulſus ſum juſtiſſimâ admiratione nominis Tui. Si ingenium cogitem, Venus, & Charites, illud

omnium elegantiarum rore imbuerunt. Si doctrinam, quas non artes, ac ſcientias, capaciſſimâ illâ mente complexus es: quò ſic laudibus pariter abundares, tum excelſis illis hominis πολιτικοῦ, quò in ordine tot jam annos præclarum nomen ſuſtines: tum clariſſimi poëtæ, cujus eſt animum diffundere per omne diſciplinarum genus. Iam ſi virtutem conſiderem, undique ea è mentis ſacrario, ubi habitat, elucet. Si dignitatem, quàm illuſtris eſt locus, in quem Te Prudentiæ, & Eloquentiæ genius extulerunt; & ita extulerunt, ut non abducerent tamen à ſtudiis noſtris. Si humanitatem, poſſe hanc etiam eximiam eſſe, & tamen cum ingenio, doctrinâ, virtute, ac dignitate, concurrere, exemplo tuo comprobâſti. Denique ſi benefacta hominis πολιτικοῦ æſtimemus: quàm Tibi quotidie bene conſulendo in Ampliſſimo Illuſtrium Hollandiæ, & Weſt-Friſiæ Ordinum conſeſſu, univerſam obſtringis Rempublicam noſtram. Sin merita eximii poëtæ cogitemus; cui non ordini prodes poëtando de civili, ac morali vita! Quod eſt non unius ditionis; ſed tot terrarum (rem arduam) mores emendare. Iam mitto, quòd privatim etiam omnibus, imprimis literatis, benefacere non ceſſas. In quibus etiam nomen profiteor meum. Itaque (quod præfiſcini dixerim) immortale jam nomen obtines; quò magis fruaris, poſtquam vixeris. Scio, quæ modeſtia eſt tua, haſce laudes potiùs dices tribuendas eſſe amori meo, quàm virtutibus tuis. Sed quæſo, patere, ut quæ bonorum jam omnium ſermone

cele-

celebrantur, eadem meo quoque ſuffragio confirmem. Et ſi moleſtus is ſermo noſter fuit, cogita, mea quoque interfuiſſe, ut omnes cognoſcerent, non degenerâſſe me ab antiquis; quibus tantopere placuit προσωπεῖον τηλαυγὲς προκείμενον τȣ̃ λόγȣ *, ut Dionyſii Halicarnaſſenſis † verbis utar. Ac viſum quoque idem fuit Ariſtidi Sophiſtæ; qui ajebat, τȣ̀ς μὲν νεὼς τοῖς θεοῖς προσήκει καθιερȣ̃ν τȣ̀ς δὲ ἄνδρας τȣ̀ς ἐλλογίμȣς τῇ τῶν βιβλίων ἀναθέσει τιμᾷν ‡. Nimirum judicabant, ſplendore pulcherrimi nominis alieni hoc ſe conſequi, ut pulchrior labor ſuus videretur: haut ſecus ac ager videbitur melior, ſi ſole ſplendente favonium ſpectemus. Similiter igitur & ipſe volui; ut, quia laus non ſufficeret ex illis, quæ ſcripſi; accederet altera ex eo, cui inſcripſi. Quo pacto erit, ut quantum hæc noſtra deprimuntur auctoris ſui ingenio: tantum adſurgant ſplendidi tui nominis famâ.

Deus Opt. Max. Te, Nobiliſſime, ac Clariſſime Vir, Reipublicæ, familiæ, ac amicis diutiſſimè ſalvum ac ſoſpitem conſervet. Amſtelodami. cIɔ Iɔc XLVII. Prid. Kal. Sextiles.

* *Perſona præfulgidâ ſermonis vel libri initio conſtitutâ.* † *Præceptis de oratione pãnegyricâ.*
‡ *Templa conſecrare Diis; viros verò eximios decet librorum dedicatione honorare.*

IN

VIRI EXIMII

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE

Arte Poëtica Libros

HUGONIS GROTII

EPIGRAMMA.

ACCIPE *præclaram fingendi carminis artem,*
Seu canis heroum geſta ſonante tubâ:
Seu tua ſublimi bacchatur Muſa cothurno:
Seu placet Actæo quæ ſale ſcena madet:
Sive Lycambeo ſpargis lita ſanguine tela:
Seu facit alternum flens Elegia pedem:
Seu Satyris gaudes: ſeu vis epigrammate noſci:
Pectine Pindarico ſeu juvat icta chelys.
VOSSIUS *his normam dedit; &, quæ magna putares*
Singula, non magnus dat tibi cuncta liber.

GERARDI JOANNIS VOSSII DE ARTIS POETICÆ NATURA, AC CONSTITUTIONE, LIBER.

Cap. I.

Argumentum operis. Oratoria, & Poëtica, multa eſſe communia; quæ rectiùs in Oratoria, quàm Poëtica, tradantur. Ejus cauſſam eſſe, quod Poëtica & tempore, & naturâ, poſterior ſit; atque id contra veteres comprobatum. Poëtæ *etymon, quod poſtea pleniùs explicabitur, generatim adfertur; deque eo Suetonii Tranquilli ſententia ex parte refellitur. Quid Latinis* factores, *&* factus. Scriba, *&* ſcriptor, *pro poëta. Aliæ poëtarum appellationes.* Dictamen *Latinobarbaris pro poëſi.*

CUm duplex ſit eloquentia, Oratorum una, altera Poëtarum: multa hactenus ſcripſi de priori illa: ſed ita, ut eâdem longè plurima pertractarem, non minùs pertinentia ad Poëtam, quàm ad Oratorem. Nec aliter licuit; quia, ut ait Fabius,* *Habet omnis eloquentia aliquid commune.* Quod inde eſt, quia Oratoria, & Poëtice, germanæ ſunt ſorores: ut, quamvis diſcrepare eas in non paucis cernamus, in multis tamen neceſſe etiam ſit convenire. Ac communia illa Cæſar quoque Scaliger, in præclaris de re Poëtica libris, exponenda ſibi exiſtimavit. Eum verò moviſſe videtur, quòd Poëtice ſolutâ oratione multò ſit antiquior; ſi veteres audimus. Docet hoc Strabo lib. 1: item Maximus Tyrius oratione eâ, quâ Poëticen laudat. Atque ex junioribus pluſcula de eo Lilius Gyraldus lib. 1. Hiſtoriæ Poëtarum †. Valde verò infirmum eſt argumentum, quo hoc adſtruere laborat Strabo: quando, ut antiquius eſſe carmen probet, ſic ſcribit: Καὶ αὐτὸ δὲ τὸ πεζὸν λεχθῆναι τὸν ἄνευ τοῦ μέτρου λόγον, ἐμφαίνει τὴν ἀπὸ ὕψους τινὸς κατάβασιν καὶ ὀχήματος εἰς τοὔδαφος. *Etiam illud, quod oratio dicatur pedeſtris, argumento eſt, orationem e ſublimi, & quaſi vehiculo, deſcendiſſe in humum.* Nobis contrà videtur, pedeſtrem vocari, non quia ad eam, velut à vehiculo, deſcenderint; ſed quia ex illa, velut ab humo, adſcenderint. Nam ea quaſi humi graditur, ſi conferas, cum carminis grandiloquentia. At non dubium, quin priùs pedites ſimus, quàm equites. Satis etiam liquet, homines priùs proſâ locutos, quàm metro. Parùm veriſimile eſt, non vidiſſe hæc veteres. Jure igitur quæritur, quid eos impulerit, ut poëticen antiquiorem putarent. Aliqui id ſenſiſſe arbitrantur, tardiùs numeros eſſe obſervatos in proſâ, quàm in carmine; ſeriuſque artificium proſæ obtinuiſſe, quàm carminis. Alii cenſent, priùs carmine fuiſſe literarum monumenta ad poſteros transmiſſa, quàm ſolutâ id fieret oratione. Sanè Moſaicis libris nihil antiquius habemus. Hi proſâ conſcripti; in quibus tamen cantica quædam exſtant. Fortaſſe illa veterum opinio ex eo originem cepit; quia, cùm necdum ſcribendi uſus obtineret, carmine complecterentur res geſtas, partim ut faciliùs memoriæ mandarentur, partim ut cani quoque poſſent. Horum exemplo, etiam cùm jam res ſcripto ſignarentur, placuit memorabilia quæque carmine propagari. Quamquam verò non magnopere repugnem, quò minùs libri carmine priùs, quàm proſâ, ſcripti fuerint apud Græcos: non tamen id verum puto de gentibus cæteris. Nam cum triplex ſit cura ſermonis: ut ſit emendatus, ut ornatus, ut modulatus, ſive, ut Græci dicunt, ἔμμετρος: ſecundo horum continetur prius; tertio autem comprehenditur utrumque; haut aliter ac in facultatibus animæ contingit, ubi vegetativam ſenſiva, utramque rationalis complectitur. Quare, ut prior eſt Grammatici labor, quàm Rhetoris: ita Rhetoris prior fuerit cura, quàm poëtæ. Unde eſt, quòd Poëtæ quidem proſâ quoque uti ſciunt: ſed non Orator continuò carmen nôrit condere, ut apud Laërtium eſt in Xenocrate: qui hanc eſſe ejus rei cauſſam putat, quia oratoria ſit naturæ, poëſis verò artis. Quod ſi oratorius ſermonis ornatus prior eſt poëtico; idem fateri cogemur in cæteris, ubi Orator, & Poëta, conveniunt. Soluta igitur oratio antecedit ligatam, ut naturâ, ſic tempore: eoque æquum eſt, ut, quæ utrique communia ſunt, non tam in poëtice, quàm eâ in arte, tractentur, quæ circa orationem verſatur ſolutam. Utrobique verò illa velle exponere, non alius eſt, quàm qui abuti otio velit, & ſuo, & alieno. Quamobrem non eſt, quòd aliquis à nobis in hiſce nunc Exercitationibus exſpectet, unde à poëtis laudentur perſonæ, facta, res; quibus argumentis utantur in adhortando, gratulando, conſolando, & ſimilibus; aut quomodo iram, amorem, miſericordiam, cæteroſque affectus, concitent; aut quo pacto mores diſtinguant pro ætate ac fortunâ, vitæque conditione. Nihilo etiam magis nunc in conſiderationem veniet, quibus verborum, ſententiarumque luminibus carmen ornetur; aut quomodo dictio reddatur ſublimis, vel tenuis; item gravis, florida, vel aſpera. Nam & hæc, quæ universè Elocutionem reſpiciunt; & priora, quæ ex iiſdem petuntur Inventionis locis; abunde excuſſimus in Oratoriis noſtris; nec ea Oratorum modò, ſed Poëtarum etiam exemplis illuſtravimus. Neque primus hanc inſtiti viam: ſed (ut Græcos mittam) ſecutus in eo duces ſum Tullium, Fabium, Macrobium, alios: qui quicquid penè ad eloquentiam pertinet, id ex poëtis demonſtrant. Nimirum quia ſorores hæ, ut vocabamus, domos habitant contiguas; deque uno, ac eodem fonte, ſæpe hauriunt, quod bibant. De communi igitur hoc fonte nemini, niſi obiter fortaſſe, propinabimus nunc: ſed de iis, quæ Poëtice planè pro ſuis, imò propriis, agnoſcit. Ac à poëtarum quidem appellatione ordiemur.

* Lib. 10. cap. 2. ſive de Imitatione.

† Pag. 12. edit. Baſil. an. 1580.

1. §. *Nihil apertius eſt, quàm Poëtas ſic dici* ἀπὸ τοῦ ποιεῖν, *quod eſt facere, vel fingere.*

Nempe, ut artem Poëticam, ſic quoque nomen ejus Latini debent Græcis: quemadmodum & Hebræis poëſis non tantùm שיר, *ſchir*, vocatur, ſed & פיוט, *pijut*; quod abſque dubio corruptum eſt ex Græco. Satis autem mirari nequeo, in re tam aperta aquam hæſiſſe homini

Ro-

Romano, & Grammatico non è multis. Dico Suetonio Tranquillo; qui *Poeticen* non à ποιεῖν, ſed ποιότης deducit; quod *qualitatem* nos dicimus. Scripſit illud opere de Poëtis: unde Terentii, Horatii, ac Lucani, & præterea unius, atque alterius, vita ſupereſt; tum autem fragmenta pauca, quæ nobis Grammaticorum induſtria conſervavit. In iis eſt illud, quod nunc adfero: *Cum primùm homines exutâ feritate rationem vitæ habere cæpiſſent, ſeque ac Deos ſuos noſſe: cultum modicum, ac ſermonem neceſſarium, commenti ſibi, utriuſque magnificentiam ad religionem Deorum ſuorum excogitaverunt. Igitur ut templa illis domibus pulchriora, & ſimulachra corporibus ampliora faciebant: ita eloquio etiam quaſi auguſtiore honorandos putaverunt, laudeſque eorum & verbis illuſtrioribus, & jucundioribus numeris, extulerunt. Id genus, quia formâ quadam efficitur, quæ ποιότης dicitur, poëma vocitatum eſt, ejuſque fictores poëtæ.* Citát hæc ex Tranquillo Iſidorus lib. VIII. Orig. cap. VII. Ac fortaſſe eò reſpexit Suetonius, quòd ποιεῖν à ποιὸς eſſe videatur; quia qui ποιεῖ, novam ποιότητα * inducat. Sed utcumque illud eſt, ποιητὴς ἀμέσως eſt à ποιεῖν. Quare qui Græcis ποιηταὶ, hi Latinis, ſi verbum verbo vertas, *factores* dicerentur. At Catoni † *factores* ſunt, quos Græci ἀμοργεὺς vocant. Ac Varroni ‡ ſimiliter *factum* eſt tantum olei, quantum uno tempore conficitur. Plauto *factores* appellantur omnes, qui alicujus ſunt factionis. Uti Curculione *, ubi de factione utrâque ludentium pilâ, ſic loquitur:

* *Qualitatem.*

† *De re ruſt. cap. 12. & 64.*

‡ *Lib. 1. de re Ruſt. cap. 24.*

* *Act. 2. ſc. 3.*

Tum iſti, qui ludunt datatim ſervi ſcurrarum in via,
Et datores, & factores, omnes ſubdam ſub ſolum.

Poëtas vero Latini potiùs *ſcribas* dixere, aut *ſcriptores*. Feſtus: *Scribas proprio nomine antiqui & librarios, & poëtas vocabant. At nunc dicuntur ſcribæ quidem librarii, qui rationes publicas ſcribunt in tabulis. Itaque cùm Livius Andronicus bello Punico ſecundo ſcripſiſſet carmen, quòd à virginibus eſt cantatum, quia proſperiùs Reſp. Romana geri cœpta eſt: publicè adtributa eſt ei ſedes in Aventino ædis Minervæ; in qua liceret ſcribis, hiſtrionibuſque, conſiſtere, ac dona ponere in honorem Livii, quia is & ſcribebat fabulas, & agebat.* Hinc *ſcriptorem* eum quoque nominat Horat. lib. II. epiſt. ad Auguſtum:

—— Habet hos numeratque poëtas
Ad noſtrum tempus Livi ſcriptoris ab ævo.

Sunt aliæ etiam appellationes poëtarum. Nam & σοφισταὶ dicti; ut à Dionyſio notatum, & Pindari interprete. Atque ita Cratinus, in fabula Archilochi, Homerum, & Heſiodum, admirans, *ſophiſtas* appellat. Atque idem ex Æſchilo comprobat Athenæus. Etiam διδάσκαλοι vocati, dramatici inprimis, tanquam humanæ vitæ magiſtri; ut inter alios monuit Harpocration; qui Pentaclea poëtam ab Antiphone ait διδάσκαλον nominatum. Ac particulatim comœdiodidaſcalos, & tragœdiodidaſcalos, vocari videmus. Dicti & poëtæ ἀοιδοὶ, μελοποιοὶ, ᾠδοποιοὶ, ῥαψῳδοὶ, μυθοποιοὶ, μυθοπλάσται. Sed de hujuſmodi nuncupationibus adiri ab aliis, quàm à me exſcribi, malim Lilium Gyraldum dialogo primo Hiſtoriæ Poëtarum †. Superioribus ſeculis, quibus barbaries obtinuit, ποίημα vertebant *dictamen*. Unde vetus Ariſtotelicæ vitæ, à Nunneſio editæ, interpres *Iliadis dictamen* dixit, de poëmate Iliados agens, quod Ariſtoteles à ſe emendatum dederat Alexandro.

† *Pag. 20. edit. Baſil. an. 1580.*

CAP. II.

Utrùm poëtis à faciendis verſibus, an à fingendis fabulis, nomen impoſitum ſit. Poſteriorem ſententiam placuiſſe Ariſtoteli, atque etiam Platoni. Λόγον ἔμμετρον *non ſufficere, ut quis poëta dicatur: ſed exigi præterea dictionem metro ligatam, & ſpiritu poëtico animatam. Utcunque verò non ſufficiat metrum, ut quid poëma dicatur, ſemper tamen id requiri. Contrariam ſententiam tribui Ariſtoteli, cùm ab aliis, tum Robortello. Quantopere de eo diſſentiant homines doctiſſimi, quid Ariſtoteles intellexerit per* ψιλὰς λόγους *per* ἐποποιίαν, *& per Socratis ſermones. Iis aſſenſum qui per* ψιλὰς λόγους *intelligunt ſermonem pedeſtrem; per* ἐποποιίαν, *imitationem ſeu proſâ, ſeu carmine, inſtitutam; per Socratis ſermones, Platonis dialogos. Corrupto Suidæ loco deceptos, qui Sophronis mimos proſâ fuiſſe ſcriptos contendunt.* Carminis ἔτυμον, *ac vel eo ſolo cognoſci, poëtis potiùs à metro eſſe nomen, quàm à fictione. Quo nomine vocare oporteat Herodoti hiſtoriam, ſi in carmen redigatur; vel Homeri Iliada, ſi eadem proſâ conſcribatur.*

1. §. *Sed in quæſtione eſt, utrùm poëtæ nomen ſint conſecuti à faciendis verſibus, an à fingendis fabulis: quòd nimirum Dei inſtar res veluti condant. Poſteriorem ſententiam ſequuntur veterum præſtantiſſimi.*

Uti Ariſtoteles in reliquiis librorum de re poëtica: ubi cùm alia multa, præter opinionem vulgi, dicuntur; tum illud inter cætera, imitationem eſſe animam poëſios; atque Empedoclem, qui de rerum naturâ carmine ſcripſit, philoſophum magis eſſe, quàm poëtam: neque Herodoti hiſtoriam poëma futurum, ſi poëticis fuerit numeris ligatum. Quomodo nempe Rufus Avienus, Servio teſte, Livium carmine expreſſit Jambico. Sed & ante Ariſtotelem hoc ipſum docuerat Plato, cujus illud in Phædone: Ποιητὴν δεῖ, εἴπερ μέλλοι ποιητὴς εἶναι, ποιεῖν μύθους, ἀλλ' οὐ λόγους. Utrumque ſecutus Plutarchus; qui, libro de audiendis Poëtis, judicat, Empedoclem, & Parmenidem in Phyſicis, Nicandrum in Theriacis, Theognidem in ſententiis moralibus, carmen, non poëma condidiſſe; numeros autem pro vehiculo mutuatos eſſe à Poëtâ, quò pedeſtris effugerent ſtyli humilitatem. Nam, inquit, θυσίας μὲν ἀχόρους, καὶ ἀναύλους, ἴσμεν· οὐκ ἴσμεν δὲ ἄμυθον, οὐδὲ ἀψευδῆ ποίησιν. *Sacrificia novimus choris & tibiis carentia; Poëſim verò fabularum, & figmentorum expertem, non novimus.* Itaque & Poëticen vocat τέχνην μιμητικὴν, & ex vulgato Simonidis dicto, ſcribit, ζωγραφίαν μὲν εἶναι φθεγγομένην τὴν ποίησιν, ποίησιν δὲ σιγῶσαν τὴν ζωγραφίαν. *Picturam eſſe poëſim loquentem; poëſin autem tacitam picturam.*

2. §. *Solum profectò metrum poëtam non facit.*

Neque enim putandum, quiſquis ſciat verſum pedibus inſtruere, eum cum Ennio obdormiviſſe in Parnaſſo, ac derepente ſcilicet poëtam prodiiſſe. Sanè Horatius, qui planè ignorare non potuit, quid ſit poëtam eſſe, negat ſe in ſatyris, atque epiſtolis, nomen mereri poëtæ. Ut in quibus nihil ſit præter metrum: cùm in poëta quiddam longè auguſtius requiratur. Sed audiamus vatem ipſum *:

* *Lib. 1. ſat. 4.*

Primùm ego me illorum, dederim quibus eſſe poëtas,
Excerpam numero: neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis, neque ſi quis ſcribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poëtam.
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.

Etiam Fabius, lib. x. cap. I, Cornelium Severum meliorem ait verſificatorem, quàm poëtam. Quæ ſatis oſtendunt, neutiquam ſufficere, ut rem metro non ineleganti incluſeris. Quid igitur hac parte ſtultius dici poſſit Cæſare Michaële Parapinace? qui cum poëticam nec primoribus deguſtâſſet labris; ſimulac accepiſſet rationem faciendi verſiculos, ſperavit, ſe jambos facturum æternum duraturos: ſi verè de eo ſcribit Glycas in IV. Annal. † Eluſum ait à Pſello, quo magiſtro utebatur. Eoque nomine ludibrium uterque debuerit.

† *p. 466. edit. Baſil. an. 1572.*

3. §. *Ni-*

3. §. *Nimirum, præter metrum, minimùm requiritur dictio non vulgaris; talis videlicet, qualis eſſe poëtarum ſolet: & ea dictio debet animari ſpiritu poëtico.*

Hinc Eumolpus apud Arbitrum præclarè inquit, *Sumendæ voces à plebe ſummotæ, ut fiat, Odi profanum vulgus, & arceo:* imò in epico carmine, ut idem ait, *per ambages, deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum, præcipitandus eſt liber ſpiritus, ut potiùs animi vaticinatio appareat, quàm religioſæ orationis ſub teſtibus fides.* Quæ inprimis adverſus Lucanum dicuntur. Sanè eum hiſtoricis potiùs, quàm poëtis, annumerari à quibuſdam doctis viris ſolere, Martialis quoque epigrammate* ſatis conſtat. Servii etiam verba ſunt in I. Æn: *Hoc loco per tranſitum tangit hiſtoriam, quàm per legem artis poëticæ apertè non poteſt ponere. Lucanus namque ideo in numero poëtarum eſſe non meruit, quia videtur hiſtoriam compoſuiſſe, non poëma.* Poſterioraque verba ex eo exſcripſit Iſidorus Originum lib. VIII. cap. VII. Similiter de eo Jornandes in hiſtoria Getica: *Lucano, plus hiſtorico, quàm poëta, atteſtante.* Et Joannes Sareſburienſis lib. II. Policratici cap. XIX: *Innuit etiam poëta doctiſſimus: ſi tamen poëta dicendus eſt, qui verâ narratione rerum ad hiſtoricos magis accedit.*

* *Lib. 14. epig. 194.*

4. §. *Atque ut multi ex ſolo metro malè colligunt, aliquem eſſe poëtam: ita contrà aberrant alii, qui exiſtimant, ne quidem requiri metrum, ut poëta aliquis dicatur. Hæc tamen ſententia à nonnullis ipſi tribuitur Ariſtoteli.*

Inter cæteros id facit eruditiſſimus vir, Franciſcus Robortellus. Hujus igitur judicio, ſine metro poëma fuerit, ſi adſit imitatio. Ut videmus in Luciano, Heliodoro, Achille Statio. Item Appulejo, Martiano Capella; etiam Utopia Mori. Hoc quibus placet, primùm urgent, quòd Ariſtoteles ἐποποιΐαν fieri ſcribat, ἢ μόνον τοῖς λόγοις ψιλοῖς, ἢ μέτροις: *aut ſolutâ oratione, aut metro.* Neque, inquit Robortellus, eſt, quòd ambigat quis, num orationem proſam per ψιλοὺς λόγους ſignificet, cum ſimiliter locutus ſit libro III. Rhetoric. Hoc ſi placet, vocarit Ariſtoteles orationem pedeſtrem ψιλοὺς λόγους, q. d. nudos ſermones, quia nudata ac deſtituta eſt illo adventitio metri ornamento. Ac videtur hæc ſententia & aliis poſſe adſtrui argumentis. Nam Plato quoque eodem modo locutus eſt, cùm alibi, tum in ſecundo de Legibus, cùm ait: λόγους ψιλοὺς εἰς μέτρα τιθέντες †. Quare non mirum, ſi Ariſtoteles Socraticos ſermones primò ab Alexamene, poſtilla à Platone ſcriptos, poëmatum nomine dignetur. Idem judicium eſto de multorum epiſtolis amatoriis, proſâ oratione ſcriptis. Nam ut ex Clearchi ἐρωτικῶν libro II. Athenæus refert in decimoquarto operis ſui, Καὶ ‡ τὰ Ἀσωποδώρου περὶ τὸν ἔρωτα, καὶ πᾶν τὸ τῶν ἐρωτικῶν ἐπιστολῶν γένος, γένος ἐρωτικῆς τινος διὰ λόγου ποιήσεώς ἐστιν. Ita enim eum locum εὐστόχως * emendabat Caſaubonus †. Quantò autem magis poëtis accenſeri debeant Lucianus, Heliodorus, & ſimiles, quos antea dicebamus! Quod planè aſſerit Delrio libro de tragœdia cap. II. Et hæc quidem pro Robortelli ſententia adferri poſſunt.

† *Nudos ſermones in metra redigentes.*
‡ *Et ea, quæ ſcripſerunt Aſopodorus de Cupidine, & omnes in totum amatorias epiſtolas, genus quoddam eſſe amatoriæ poëſeos in oratione ſoluta.*
* *Felici conjecturâ.*
† *Lib. 14. Animadverſ. in Athenæū cap. 9.*

5. §. *At alii cenſent, Ariſtotelem nunquam agnoviſſe ullum poëma ἄμετρον. Quicquid verò in contrarium adfertur, id ſubnixum ajunt uno alteroque loco malè intellecto.*

Ex horum ſententia ψιλὸς λόγος ab Ariſtotele aliter in Poëticis, aliter in Rhetoricis ſumitur: in Rhetoricis ψιλὸς λόγος opponitur τῷ ἐμμέτρῳ: at in Poëtica ſic dicitur oratio ſpoliata rhythmo, & harmoniâ: quæ ſententia eſt Scipionis Gentilis lib. II. Παρέργων cap. XXIX, & Caſauboni libro. II. de Satyra cap. ult. Nempe iis ψιλὸς λόγος non ἁπλῶς * eſt oratio ſoluta; ſed ea ſolùm, quæ vacua ſit aliquâ re. Itaque nihil mirum, ſi λόγος lib. de Poëtica non de proſâ oratione intelligi debeat, ſed de Poëtica; ut ut hoc non exprimatur. Neque eſt, quòd, in verbis Ariſtotelis antea adductis, ἀντίθεσιν † urgeat quiſquam; cùm, ſi hos audimus, ea ibi loci nulla ſit. Nam particula ἢ correctionis, ſeu explicationis cauſſâ additur; quod & aliàs ab Ariſtotele crebrò fieri, P. Victorius oſtendit. Itaque ſententia fuerit, *Nudâ oratione, ſive, ut rectiùs dicam, metro:* vel in hunc modum, *Nudâ oratione, ſive, ut clariùs dicam, metro.* Differunt hi duo exponendi modi, quòd in priori ſit ἐπανόρθωσις ‡, in poſteriori ἐξήγησις *. Ἐξηγήσει verò uſus ſit Ariſtoteles, quia λόγου vox latè patet, cùm etiam de ἀμέτρῳ † uſurpetur. Quare, ut Ariſtoteles oſtenderet, uſurpari à ſe λόγῳ vocem, quomodo & Plato eâ uſus erat, pro λόγου ἐμμέτρῳ ‡: eò ſubjecerit, ἢ μέτρῳ *. Certè eodem in libro, quod antè dixerat ψιλοὺς λόγους, ἢ μέτρον, id unâ voce appellat ψιλομετρίαν. Hæc ſententia videtur ex ſerie etiam verborum Ariſtotelis poſſe comprobari. Nam primùm enumerat ſex genera poëſios, ἐποποιΐαν, τραγῳδίαν, κωμῳδίαν διθυραμβοποιητικήν, αὐλητικήν, καὶ κιθαριστικήν ‡: atque univerſas ait conſtare imitatione. Hinc ſimilitudinem adfert ab aliis artibus; ut ſculptura, quæ ſolam figuram imitatur; picturâ, quæ & colorem, & figuram, exprimit. Subjicit, ſimiliter poëſin variare pro varietate eorum, quæ imitatur. Verba ejus ſunt; Οὕτω κἀν ταῖς εἰρημέναις τέχναις, ἅπασαι μὲν ποιοῦνται τὴν μίμησιν ἐν ῥυθμῷ, καὶ λόγῳ, καὶ ἁρμονίᾳ· τούτοις δὲ χωρὶς, ἢ μεμιγμένοις. *ſic in iis, quas diximus, artibus, omnes aut rhythmo imitantur, aut oratione, aut harmoniâ. Et his quidem vel ſeorſum, vel commixtis.* Hinc ſingula ſuo generi adaptat. Harmoniâ, inquit, & rhytmo imitantur αὐλητική, καὶ κιθαριστική *: ſolo autem rhythmo, ὀρχηστική †. Supererat, ut exponeret, quæ ars tertio genere imitaretur, hoc eſt, λόγῳ ‡. Subjicit, eſſe id ἐποποιΐαν, quæ hoc faciat, non harmoniâ, vel rhythmo; ſed λόγοις ψιλοῖς *. Unde conſequi videtur, velle eum ψιλοῖς τῆς ἁρμονίας καὶ ῥυθμοῦ †, ac propterea addere, ἢ τοῖς μέτροις ‡.

* *Simpliciter.*
† *Oppoſitionem.*
‡ *Correctio.*
* *Interpretatio.*
† *Metri experte.*
‡ *Sermone, qui metro concludatur.*
* *Vel metro.*
‡ *Carmen epicum, tragicum, comicum, dithyrambicum, quæque poëſis tibiis utitur, ac citharâ.*
* *Ars canendi tibiâ, vel citharâ.*
† *Ars ſaltatoria.*
‡ *Oratione.*
* *Nudis ſermonibus.*
† *Oratione harmoniæ ac rhythmi experte.*
‡ *Aut metro.*

6. §. *In hocce diſſenſu ita ſtatuimus, nullam quidem poëſin Ariſtoteli eſſe ſine metro: ſed epopœiæ tamen vocem apud eum complecti tum imitationem eam, quæ fit proſâ; tum quæ metro.*

Nempe aſſentire iis non poſſumus, qui λόγους aliud putant, quàm ſermonem pedeſtrem. Siquidem clarè ait Ariſtoteles, ſe fingere nomen aliquod commune tum mimis Sophronis, & Xenarchi, tum Socratis ſermonibus; ubi per *Socratis Sermones* planè intelligit dialogos Platonis, in quibus Socratem loquentem inducit, varioſque ei ſermones affingit: ut eapropter rectè ad imitationem ſermonis, quæ per epopœiam ſignatur, revocentur. At neutiquam intellexit carmen ullum, quod Socrates morti proximus cecinerit; ſive id hymnus fuerit, ſive (utrumque Plato † refert) fabulas Æſopicas metro tractârit. Non dubitandum enim, quin per Socraticos dialogos idem intellexerit, quod in Rhetoricis lib. III; ubi ait, eos maximè fuiſſe ἠθικοὺς ‡: quod hymno, aut breviculo carmini, non ſatis convenit. Atque addit, è contrario ἠθικοὺς non eſſe Mathematicos ſermones; qui ſanè pedeſtres; ut itidem Socratis dialogi fuerint pedeſtres. Saltem concinnior ſic fuerit comparatio. Nec mirum, ſi non exprimat nomen Platonis. Mos enim is Ariſtotelis eſt, ut cum Platonem latenter ſuggillat, non eum nominet; ſed Socratem potiùs, quia ſoleat Socratem inducere loquentem, ac primas ei ubique penè deferat. Eo etiam hæc ſententia firmatur, quòd Socrates ante extremum penè vitæ diem nihil ſcripſit; præter ea, quæ dicebamus: ſermones verò reliquiſſe, nec Laërtius in ejus vita, nec

† *In Phædone. pag. 60. edit. Henric. Steph.*
‡ *Morales.*

alius veterum prodidit. Hanc mentem eſſe verborum Ariſtotelis, etiam ſententia eſt Vincentii Madii: cujus verba non dubitabo adferre. *Cùm*, inquit, *epopœiam tùm ſolutâ oratione, tum etiam metris, imitationem facere dixerit; epopœia verò propriè dicta, & ut ejus eſt communis apud homines uſus, heroico metro addicta ſit: ſe nobis Ariſtoteles meritò nunc excuſat, & rationem adfert, cur imitationem, oratione ſolutâ factam, epopœiam appellaverit. Nam ſi non, inquit, ita epopœia nomine latiùs utamur; nulla communis erit vox, quâ factam ſermone tantùm imitationem omnem ſignificare poſſimus: qualis erat nimirum imitatio in mimis Sophronis, atque Xenarchi, ac præterea dialogis; quorum ſive quædam oratione ſolutâ, quædam verò carmine; ſive oratione ſolutâ omnia eſſent conſcripta; cùm in hoc tamen convenirent, quod ſermone duntaxat imitarentur; unico ſanè nomine vocari jure debebant. Id genus erat epopœia, aliter ac vulgò capi ſoleat, accepta. Nam, ut Græca vox indicat, tantum epopœi ſignificat, quantum per verba faciens, id eſt, verbis imitans.* Quorum mentem poſtea etiam ſemel, iterumque, repetit. Nimirum hoc voluit, quomodo Ariſtoteli, & aliis, πολιτεία interdum ſtrictè ſumitur, interdum laxè; ut comprehendat μοναρχίαν, ἀριστοκρατίαν, δημοκρατίαν, quæ Iſocrati, & aliis, preſsè vocatur πολιτεία: quemadmodum quoque eidem Ariſtoteli in Rhetoricis σημεῖον laxè acceptum comprehendit tum ſigna certa & indubitata, quæ propriè ſunt τεκμήρια, tum ſigna non neceſſaria, quæ generali nomine σημεῖα ab eo vocantur: ita & vocem *epopœias* nunc preſsè ab eo ſumi, ut opus eſt poëtæ epici; nunc laxè, ut imitationem complectitur pedeſtrem; quomodo dialogis convenit. Nec vox ab ea ſignificatione eſt aliena, cum ἔπος generale ſit nomen: ut cum dico, ὡς ἔπος εἰπεῖν, hoc eſt, *ut ita dicam*, vel, *prope dixerim*. Sicuti autem in eo hi errarunt, quòd Socraticos dialogos ad metrum retulerunt, atque eò nullam agnovere epopœiam proſaicam: ita alucinantur alii, qui putarunt, Ariſtotelem, quando ad epopœiam, ut Socratis ſermones, ſic Sophronis mimos, refert, utrobique proſæ exemplum adferre. Eſt hæc ſententia Robortelli. Sed ei impoſuit Suidas, qui Sophronis mimos ſcribit proſâ fuiſſe compoſitos: cùm verſibus ſcriptos fuiſſe, alibi Ariſtoteles diſertè teſtetur, & clarè id oſtendant, quæ ex iis Athenæus, & Demetrius, adducunt. At enim, inquiunt, nonne apertè apud Suidam de Soſitheo Syracuſano, uno ex Pleiade Tragicâ, ac Homeri Tragici æmulo, legimus hæc verba, γράψας καὶ ποιήματα καταλογάδην *ſcripſit & poëmata oratione ſolutâ*. Nimirum vulgati eos codices decepere. Nam planè legendum eſt, γράψας καὶ ποιήματα, καὶ καταλογάδην. *ſcripſit & poëmata, & orationem prorſam*. Quare *epopœia* quidem Ariſtoteli tam latè patet, ut comprehendat imitationem ſermonis, ſive proſâ fuerit, ſive metro, at poëſis nonniſi ea complectitur, quæ metro conſtant. Cujuſmodi fuere etiam Sophronis mimi.

6. §. *Et profectò quomodo abſque metro poëma fuerit, cùm eo aliquid modulis conſtringatur, ut cani poſſit.*

Unde Hebræis poëta dicitur משורר, *meſchorer*, id eſt *cantor*, ac poëma שיר, *ſchir*, hoc eſt, *canticum*: nempe à שור, *ſchur*, quod eſt *canere*. Similiter Græcis ἀπὸ τοῦ ἀείδειν * eſt ἀοιδὸς †, & ἀοιδή ‡. Poëtæ etiam Latini
* Canere.
† Poëta.
‡ Carmen.
* Lib. 6. de L. L.
canere ſe dicunt: Muſæque iis *Camenæ*, quæ priùs *Caſmenæ*, & *Carmenæ*; ut monitum Varroni *: nempe ab antiquo *caſno*, pro *cano*: unde & *caſmen*, quod poſtea *carmen*: quomodo *Papiſii*, *Valeſii*, *Fuſii*, *Auſelii*; poſtea *Papirii*, *Valerii*, *Furii*, *Aurelii*: ac ex *aſa*, *Laſes*, *feſia*; *ara*, *Lares*, *feria*; ut Fabio, Feſto, Macrobio, & Velio Longo, obſervatum: eodemque redeat, ſi fortè ſimplicius videatur, ex *canimen* eſſe *carmen*, ut à *genimen germen*.

7. §. *Quod ſi poëma ſine metro eſſe non poſſit; at eſſe poſſit ſine imitatione: ſatis veriſimile eſt, poëtam à metro potius, quàm imitatione, nomen accepiſſe.*

Cenſet hoc ipſum vir caſtigatiſſimi judicii, Cæſar Scaliger, qui, quod rarò facit, hac parte ab Ariſtotele recedit. Neque id modò in libris de re poëticâ; ſed etiam declamatiuncula adverſus poëtices calumniatores: ubi ſcribere veritus non eſt, *à poëſi hiſtoriam nihil differre, niſi modo dictionis*. Quod ſi eſt poëta non poteſt nomen habere a fingendis fabulis.

8. §. *Scio hoc abſurdum viris etiam ſummis videri. Nam, inquiunt, ſi poëma eſſe poſſit citra fictionem: Homerus, & Livius, modo carmine conſtrinxeris, hiſtorici non ulteriùs fuerint, ſed in Poëtarum claſſe. In quo multum eos ratio fugit. Nam poëma quidem, ſi in proſam redigatur, poëmatis nomen amittit: hiſtoria autem, ſi ex proſa fiat carmen, retinet nomen hiſtoriæ, & præterea poëmatis nomine augetur.*

Sic Ilias quidem, & Æneis, ſi metrum ſolvas, amiſſo poëmatis nomine, fiunt hiſtoriæ fabulares; uti Achilles Tatius, & ſimiles. Itidem veterum tragœdiæ, & comœdiæ, ſi in proſam commutentur, dramata proſaica dici debeant; poëmata non erunt. Cujus cauſſa eſt, quia metrum eſt de οὐσίᾳ poëſios. Ejuſmodi drama proſaicum eſt Querulus Plauti; Theodoſiani, ut videtur, ſeculi fœtus. Qui cum non conſtet μέτρῳ, nec poëma dici meretur; etſi dictio ejus ad carmen proximè accedat. Hoc de dramate pluribus poſtea dicetur. At Thucydidæ, ac Livii libri, non deſinent eſſe hiſtoria, ſi oratio ligetur. Anima enim hiſtoriæ veritas eſt, non genus dictionis. Quare & hiſtoria porrò erit; & poëmatis, ut dixi, nomen acquiret; fueritque poëma hiſtoricum. Idem judicium eſto, ſi poëma ſit de rerum natura. Nam erit poëſis philoſophica. Quomodo Clemens Alexandrinus loquitur lib. v. Στρωματ. cùm ait, ἡ * φιλόσοφος Ἐμπεδοκλέους λέξις ποιητική. * Philoſophica Empedoclis poëtica dictio.

Cap. III.

E poëſi antiquiſſima evincitur, etiam carmen, at poëma, vocari, ubi fabularum abſunt figmenta. Siquidem primitus carmine tractarunt partim amores non fictos, ſed veros; unde & poëſis videtur initium ſumſiſſe, partim laudes numinis, vel veri, vel pro vero habiti: partim virorum præſtantium geſta: atque hoc oſtenſum de Romanis, & Gallis, (ubi poëtæ bardi *dicebantur) item Germanis, Gothis, Danis, ac denique ipſis Americanis. Idem eo commonſtratum, quòd à facilioribus artes initium ſumant; ac facilius ſit, id, quod eſt, memorare, quàm ſcitè aliquid novi confingere. Denique comprobatum ex eo, quod inter poëtas antiquos non pauci carmine, citra figmentum, panderent naturæ myſteria. Nec tamen hæc, quæ adverſus Ariſtotelem diſputata, obſtare quo minus ejus ſententia recipiatur, dum commodè intelligatur. Ut ſi dicatur, eum poëtæ nomen ſtrictiùs accipere de eo, qui inprimis auguſtum hoc nomen mereatur. Eſſe quidem & eos poëtas, unde abſint figmenta: hoc enim niſi dicamus, in arctas admodum copias agmen cogi poëtarum: interim pleniùs poëtarum ab iis mœnia impleri, qui circa figmenta verſantur; eoque poëtæ vocabulum eſſe ex homonymis illis, quæ, licet non ſint ex maximè diſtantibus; tamen ſimilitudinem contineant diſparem, ſive uni natura magis, quàm alteri, convenientem.*

Ve-

Verum nihil hactenus actum nobis, niſi opinionem falſam priùs eorum animis eximamus, qui in omni poëmate fabulam requirunt.

Itaque cùm antea eos refutaverimus, qui arbitrantur, ſufficere vel metrum ſine dictione, & ſpiritu poëtarum; vel fictionem poëticam ſine metro: nunc eorum errori occurrendum, qui in omni poëmate & metrum, & fictionem exigunt: ac quia potiùs eſt res fingere, quàm metro conſtringere, eo poëtam potiùs à rebus fingendis, quàm à verſibus faciendis, nomen habere arbitrantur.

Ac primùm quidem non requiri in poëmate fabulam, eo comprobamus, quod carmina ſive cantica penè cum mundi incunabulis cœperint: eoque multis fuerint ſeculis, antequam vitæ ac mores per fabularum figmenta carmine tractarentur.

Nam quis dubitat, quin, primorum etiam parentum ætate, paſtores ſe in agris canendo oblectarint? Et initio, credo, amatoria cecinere. Nam amor omnibus naturâ inſitus eſt, & ad eum alliciebat otium, & corpus vegetum, & quod uterque ſexus miſtim paſceret, magnâ etiam parte corporis nudus uterque viveret. Qua de re vide Cæſ. Scaligerum lib. 1. de re Poët. cap. IV. Neque magis à vero abludit, cùm uxores detinerentur in antris, vel caſis ſuis, non ſolùm infantibus modos lallâſſe ſomniferos; ſed etiam canticis ſolatas eſſe operis laborem. Fuerint ſanè illa impolita: interim poëſios erant rudimenta. Atque in eo nemo mihi pertinaciùs adverſabitur, qui cogitet, quod in quarto Geneſios capite legitur, citharam, & organa, eſſe reperta à Jubal: cujus Adam ipſe tritavus fuit: à quo etiam *jubilandi* verbum eſſe non temere ſuſpicatur Genebrardus *. At cui verſimile fiat, cùm jam tum Muſica fuerit, quæ manuum indiget miniſterio; non antea ea obtinuiſſe, quæ ore exercetur? Eſt enim hæc ſimplicior, ac prior naturâ: ut tempore etiam priorem eſſe, credibile ſit. Neque poſt illam manuum, diu latuit illa pedum in choreis: quæ & ipſa eſt antiquiſſimâ; nec ſine cantu agitari ſolet; ſive in nuptiis, ac ludis; ſive etiam in ſacris, ubi hymnis omnia perſonabant. Utrobique verum canebatur argumentum; ſive de amoribus agerent, ſive etiam numen celebrarent. Unde conſequitur, priùs rem veram, quàm fabulas, numeris conſtrinxiſſe. Hæc iis etiam comprobare eſt, quæ de Muſices origine venuſtiſſimè cecinit Lucretius lib. V:

At liquidas avium voces imitarier ore
Antè fuit multò, quàm levia carmina cantu
Concelebrare homines poſſent, auriſque juvare.
Et Zephyri cava per calamorum ſibila primùm
Agreſtis docuere cavas inflare cicutas.
Inde minutatim dulcis didicere querelas,
Tibia quas fundit digitis pulſata canentum,
Avia per nemora, ac ſylvas, ſaltuſque reperta,
Per loca paſtorum deſerta, atque otia dia.
Sic unum quidquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis eruit oras.
Hæc animos ollis mulcebant, atque juvabant
Cum ſatiate cibi: nam tum ſunt omnia cordi.
Sæpe itaque inter ſe proſtrati in gramine molli
Propter aquæ rivum, ſub ramis arboris altæ,
Non magnis opibus jucundè corpora habebant:
Præſertim cum tempeſtas ridebat; & anni
Tempora pingebant viridantis floribus herbas.
Tum joca, tum ſermo, tum dulces eſſe cachinni
Conſuerunt: agreſtis enim tum Muſa vigebat:
Tum caput, atque humeros plexis redimire corollis,
Floribus, & foliis, laſcivia læta monebat;
Atque extra numerum procedere membra moventes
Duriter, & duro terram pede pellere matrem:
Unde oriebantur riſus, dulceſque cachinni;
Omnia quòd nova tum magis hæc, & mira vigebant.
Et vigilantibus hinc aderant ſolatia ſomni,
Ducere multimodis voces, & flectere cantus,
Et ſupera calamos unco percurrere labro.
Unde etiam vigiles nunc hæc accepta tuentur:
Et numerùm ſervare genus didicere; neque hilo
Majore interea capiunt dulcedine fructum,
Quàm ſilveſtre genus capiebat terrigenarum.

Atque hæc oſtendunt antiquitatem carminum eorum, quibus amores ſuos cantarent. De hymnis verò, quæ antea dicebam, etiam Tibullus agnovit lib. II. eleg. I:

Agricola, aſſiduo primùm ſatiatus aratro,
Cantavit certo ruſtica verba pede.
Et ſatur arenti primùm eſt modulatus avenâ
Carmen, ut ornatos diceret ante Deos.
Agricola & minio ſuffuſus, Bacche, rubenti
Primus inexpertâ duxit ab arte choros.

10. §. *Non leviter etiam hanc rem confirmat, quòd, apud antiquiſſimos Romanos, poëſis non alia erat, quàm in laudem Deorum.*

Quâ de re ſic Tullius in III. de Oratore: *Numerorum vis aptior eſt in carminibus, & cantibus, non neglecta à Numa Pompilio, rege doctiſſimo, majoribuſque noſtris. Ut epularum ſollemnium fides, & tibiæ, Saliorumque verſus, indicant.* Ubi quod de Saliaribus hymnis ait, non minùs in hymnis cæteris locum habet: ut Janualiis, Junoniis, Minerviis, atque aliis; in quibus ſi non veri numinis laudes explicarent, ſaltem eas exponerent, quas veras veri numinis putarent. Hæc quidem ſacerdotes magis, quàm poëtas, ſpectant: ſed ſimul oſtendunt, in quibus poëtæ veteres occupare ſoleant ingenium ſuum. Sacerdos quippe, ut de pueris, & virginibus, Horatius * ait,

Diſceret unde preces, vatem ni Muſa dediſſet?

Dixerit fortaſſe aliquis, illa de Diis vel maximè fabuloſa eſſe. De Græcanica theologia non inficior: ſed eam Romani majori ex parte averſabantur: præſertim turpes illos amores, omniaque quæ moribus noxia, ac majeſtate Deorum eſſe indigna credebant. Eoque nomine Romani Græcis præferuntur; præſertim à Dionyſio Halicarn. lib. II. Antiq. Roman.

11. §. *Poſt laudes Deorum acceſſit apud Romanos poëſis de laudibus virorum præſtantium: quæ à rebus geſtis petebantur. Ut hinc quoque fabula exſularit.*

Laudationum earum meminit Cicero primo Tuſculanarum quæſtionum; ubi cum dixiſſet, ut primus Romæ fabulam dederit Livius Andronicus, annis DXIV. poſt Romam conditam, ſubjungit deinde: *Quamquam eſt in Originibus, ſolitos eſſe in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus.* Atque idem libro de claris Oratoribus ait: *Utinam extarent illa carmina, quæ multis ſeculis ante ſuam ætatem in epulis eſſe cantata à ſingulis convivis de clarorum virorum laudibus in Originibus ſcriptum reliquit Cato.* Similiter Valerius Max. lib. II. cap. I: *Majores natu in Conviviis ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſa pangebant; quò ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent.*

12. §. *Aliæ etiam gentes carmine hiſtoriam reliquerunt.*

Uti Galli: apud quos heroum geſta carmine celebrabant *bardi*: ut conſtat ex Lucano, Marcellino, & Helmoldo, rerum Slavicarum ſcriptore. Bardos enim Gallos eſſe, vel fidem fecerit Heſychius: apud quem tamen corruptè in Aldina, & Haganoënſi, legitur: Βαρδοὶ αἱ ὁδοὶ περὶ Γαλάταις. Omnino pro αἱ ὁδοὶ, ἀοιδοὶ ſcriben-

* In Chronolog. an. 687. ac ſimiliter Nicolaus Fullerus lib. 4. Miſcellaneorum ſacr. cap. 8.

* Lib. 2. epiſt. ad Auguſt.

bendum: ut quoque Turnebo monitum, & ante eum Lilio Gyraldo *. Qui tamen fruſtra id adſtruit auctoritate Beroſi, celebrantis regem Celtarum, carminis & muſices inventione inclytum. Nam, qui id ſcribit, Beroſus, ſuppoſiticius eſt Annii Viterbienſis, monachi Dominicani, fœtus; ut alibi non ſemel diximus, ac præcipuè in primo de Hiſtoricis Græcis. Præterea verò apud Heſychium eſt reponendum, παρὰ Γαλάταις: quemadmodum in Ἄγλαυρος legas, per eam jurari περὶ Ἀττικοῖς, & alibi, ἀγρίδιον dici περὶ Αἰτωλοῖς, & ἀντιλβασαὶ περὶ Τραγικοῖς: quibus in locis παρὰ reponendum; ut & in ἄμυδροι, & δενέμος, plurimiſque aliis in locis: imò & apud alios ſcriptores: velut in tertio bibliothecæ Apollodori †: Δὺς ἐντολὴν Λύκῳ περὶ Ἐπωπέως, καὶ περὶ Ἀντιόπης λαβεῖν δίκας. Utrobique enim παρὰ ſcribendum. Quanto autem in precio apud Gallos fuerint bardi, docebit Strabo lib. IV: ubi tria iis hominum genera fuiſſe in honore ait; bardos, vates, druidas. Ex quibus *bardi* eſſent ὑμνηταὶ ‡, καὶ ποιηταί; *vates* ἱεροποιοί, καὶ φυσιολόγοι * *druidæ* præterea moralem philoſophiam docerent. Quam rem pleniùs libro de Philoſophorum ſectis exponimus. De hiſce Gallorum carminibus intelligendus & iſte Livii locus lib. XXXVIII, in Oratione Cn. Manlii Conſulis ad militem contra Galatas pugnaturum: *Procera Gallis corpora, promiſſæ & rutilatæ comæ, vaſta ſcuta, prælongi gladii: ad hoc cantus ineuntium prælium, & ululatus, & tripudia, & quatientium ſcuta, in patrium quendam morem, horrendus armorum crepitus; omnia de induſtria compoſita ad terrorem.*

* *Dialogo I. Hiſtor Poët.*

† *Mandans Lyco, ut in Epopeum & Antiopen, animadverteretur.*

‡ *Hymnorum cantores, & poëtæ.*

* *Sacerdotes, & naturæ contemplatores.*

A Gallis venio ad Germanos: de quibus ita Tacitus libro de Germania: *Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriæ, & annalium, genus eſt.* Ac de Arminio ait in ſecundo Annalium: *Caniturque adhuc apud barbaras gentes.* Eginhartus quoque in vita Karoli M. ait: *Barbara, & antiquiſſima carmina, quibus veterum regum actus, & bella canebantur, ſcripſit, memoriaque mandavit.* Nec tamen is carminum uſus ſolùm erat in conſervandâ rerum memoriâ: ſed etiam, ut animos ad virtutem animarent. Quò pertinet, quòd idem Tacitus de Germanis ait: *Ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina; quorum relatu, quem barditum vocant, accendunt animos.* Ac videtur ejuſmodi carmina ſignaſſe Julianus initio Miſopogonis ſui. Et credo, is uſus quoque fuit apud Gothos. Sed de priori ſolùm loquitur ſic Jornandes: *In priſcis eorum carminibus penè hiſtorico ritu recolitur.* De Danis ita Saxo Grammaticus in præfat. *Nec ignotum volo, Danorum antiquiores, conſpicuis fortitudinis operibus editis, gloriæ æmulatione ſuffuſos, Romani ſtyli imitatione, non ſolùm rerum à ſe magnificè geſtarum titulos exquiſito contextus genere, velut poëtico quodam opere, perſtrinxiſſe; verùm etiam majorum acta, patrii ſermonis carminibus vulgata, linguæ ſuæ literis, ſaxis, ac rupibus, inſculpenda curaſſe.*

Porrò quæ de Gallis, & Germanis, atque etiam Gothis, & Danis diximus, eadem de Americæ incolis prodidere Hiſpani.

13. §. *Ratio etiam antiquitatem ejuſmodi poëſios adſtruit. Difficilius quippe eſt actiones imitari, quàm vera vel laudare, vel vituperare: eoque priores fuerint hymni, & encomia, ac carmina maledica; quàm poëſis ea, quæ in imitatione conſiſtit.*

Hinc Ariſtoteles †: Οἱ μὲν σεμνότεροι τὰς καλὰς ἐμιμοῦντο πράξεις, καὶ τὰς τῶν τοιούτων τύχας· οἱ δὲ εὐτελέστεροι τὰς τῶν φαύλων πρῶτον ψόγους· ὥσπερ ἕτεροι ὕμνους, καὶ ἐγκώμια. *Qui in quidem excellentiori mente præditi erant, præclaras imitabantur actiones, ac talium fortunas. Qui verò captu erant humiliori, viliorum primò vituperationem fecere: ſicut hymnos alii, & encomia.*

† *Lib. de re poëtica.*

14. §. *Imò comœdia ipſa priùs expreſſere res, prout facta erant: poſtea eorum loco adhibuere ficta, neque ante audita; partim quod ea ob novitatem forent gratiora, partim ne læderent quemquam.*

Qua de re ſic Donatus ſive Euanthius *: *Per priſcos poëtas, non, ut nunc, penitùs ficta argumenta; ſed res geſtæ à civibus palam, cum eorum ſæpe, qui geſſerant, nomine, decantabantur. Ideo ipſa ſuo tempore moribus multum profuit civitati: cùm unuſquiſque caveret culpam, ne ſpectaculo cæteris eſſet, & domeſtico probro.* Sed hæc de re pluribus dicemus lib. II. de Arte Poëtica, ubi de comœdia agetur. Interim ex his liquet, poëtas primò verum tractâſſe argumentum: poſtea fabulis veritatem involviſſe, partim aliis de cauſſis, partim, ut magis eſſent admirationi.

* *Libello de Comœdia.*

15. §. *Nec de vita, & moribus, ſolùm poëtæ egerunt; ſed etiam de occultis naturæ.*

Ut apud Virgilium †, in Didonis convivio,

——Citharâ crinitus Iopas
Perſonat auratâ, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Soliſque labores;
Unde hominum genus, & pecudes; unde imber, & ignes;
Arcturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque triones;
Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Similiter & Silenus ‡ apud eundem:

Namque canebat uti magnum per inane coacta
Semina, terrarumque, animæque, mariſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis; ut his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis.

† *I. Æn.*

‡ *In Bucol.*

16. §. *Quare antiquiſſima poëſis ſolum metro, & dictionis majeſtate, differebat à pedeſtri oratione. Ita ut ποιεῖν nihil aliud fuerit, quàm numeroſâ & remotâ à vulgo oratione aliquid condere: nec ποίησις aliud, quàm λόγος ἔμμετρος ſed ſpiritu poëtico animatus. Quique hac in re excellerent, poëtæ dicti, ob dictionis præſtantiam. Nam poëtæ & numeris ſunt ſuaviores, & oratione ſublimiores.*

Quemadmodum igitur Oratoribus κατ' ἐξοχὴν * *dicere* tribuitur, etſi omnium ſit hominum dicere: ſic poëtæ κατ' ἐξοχὴν dicebantur ποιεῖν, quia oratio hæc majoris artificii indigeret. Unde Euſtathius in Il. Α, ait, Τὸ ποιεῖν ἁπλῶς μὲν τὸ πράττειν· ἰδιάζεται δὲ ἡ λέξις, καὶ ἐπὶ τὸ ῥαψῳδεῖν κατά τι ἐξαίρετον, διὰ τὸ τῆς ἐν αὐτοῖς πράξεως ταύτης ἔξοχον, ὡς θεῖον, καὶ ἐλλόγιμον. Ποιεῖν *ſimpliciter, ſive generatim, eſt facere: propriè tamen, & ſingulari ratione, dicitur id verbum de iis, qui carmina faciunt: nimirum ab eorum in faciendo excellentiam, & quaſi divinitatem, & diſertum ſermonem.* Hæc cauſſa eſt, cur ποιεῖν † ſignificare cœperit ἐμμέτρως ᾄδειν ‡: ut exponit idem Euſtathius. Imò Ariſtoteles ipſe τὸ ποιῆσαι tribuit Empedocli, qui res naturales verſibus prodidit, ſine fabularum involucris. Et ſimiliter Tullius in primo de Oratore ait, Empedoclem phyſicum feciſſe egregium poëma. Idem in Oratore ad Brutum ſolo verſu diſtinguit poëtam ab oratore, cùm inquit: *Nam etiam poëtæ quæſtionem attulerunt, quidnam eſſet illud, quo ipſi differrent ab oratoribus. Numero maximè videbantur antea, & verſu. Nunc apud oratores jam ipſe numerus increbuit.*

* *Per excellentiam.*

† *Facere.*

‡ *Metro canere.*

17. §. *Nec propterea ſententiam Ariſtotelis penitus damnamus. Nam etſi poëtæ primitus ſolo differrent metro, ac dictione: poſtea tamen iidem, (præcipuè autem epici, tragici, comici) fictis rebus, ac perſonis, vitam, reſque hominum, expreſſerunt.* Ut

Ut de nihilo non ſit, quod eruditiſſimi homines in poëta præferrent, ſi carmen, & imitatio concurrerent: eoque verè illos cenſerent ποιεῖν, qui non verſum modò, ſed rem ipſam facerent: quippe quod multò ſit excellentius, ut tales etiam jure majori poëtæ ſibi nomen vindicent.

Ita factum, ut qui priùs *poëtæ* dicti à faciendis verſibus; hi, ubi poëtarum vox anguſtiùs ſimul, & auguſtiùs, ſumi cœpit, ſic à fingendis fabulis vocarentur: cumque ποίησις priùs nihil aliud eſſet, quàm λόγος ἔμμετρος*, tum ποίησις eſſet λόγος ἔμμετρος † μύθους περιέχων.

* Oratio metro conſtricta.
† Oratio metrica fabulam continens.

18. §. *Nec tamen efficere iccirco potuerunt, ut ſoli illi, qui fabulas fingerent, poëtæ vocarentur. Nam non vulgus modò, ſed multi quoque doctiſſimi viri, laxam illam appellationem retinebant. Imò ipſi etiam, qui à fabulis fingendis nomen poëtis impoſitum contenderent, poëtarum illos ποιητὰς ‡ dicebant, qui fabulis abſtinerent.*

‡ Facere carmina.

Ut de Ariſtotele ipſo paullò antè vidimus.

19. §. *Nec cauſa deerat, cur laxior ſignificatio retineretur. Nam qui latè uterentur, non quidem ignorabant, veriùs eos ποιεῖν, qui & metrum, & rem facerent; eoque magis eos eſſe ποιητάς. Sed non tanti hoc iis viſum fuit, ut, qui non imitarentur, poëtæ idcirco nomen amitterent.*

Præſertim cùm non ſine injuria hoc iis adimi poſſet. Digniores enim ut nomine hoc alii forent: non propterea tamen illi erant indigni, qui carmen elegans conderent, ubi fictio ſive imitatio abeſſet. Verſificatorum enim in numerum hos referre turpe eſſet, cùm non ſolum numero differant ab iis, qui proſâ ſcribant; ſed ſpiritu ipſo, quo carmen animabant.

20. §. *Et numero hi tam multi erant, ut ſi ſola imitatio ſive fictio poëtam faceret, magna eorum pars, qui egregiam carmine laudem retuliſſent, veteri poëtæ nomine excideret.*

Quod magis liquebit, ſiquis animo ire volet per quinctuplicem poëſios materiem extra figmenta: quemadmodum cap. ſexto pleniùs explicabitur. Nunc ſolùm dicam, quòd ſi poëſis citra figmenta foret nulla; David, cæterique, qui ſacra carmina poſteris reliquerunt, poëtarum numero debeant excludi. Quippe, qui Dei laudes, veramque hiſtoriam, habeant pro argumento. Mihi verò pſalmi, quos Apoſtolus* etiam cani à nobis jubet, nobiliſſimum poëtæ opus videntur. Nec poëta meliùs ullam operam impenderit, quàm ſi hymnis Deum celebret, & ſanctorum natales.

* Jacob. 5. 13.

Ac ne Chriſtianos ſolùm, vel Iſraëlitas, advocem ad partes: ſanè & Plato poëmata comica, tragica, ac ſimilia, quæ imitatione conſtarent, rejiciebat: nec alium poëtarum in ſuam recipiebat Remp. quàm qui eſſet τῶν † θεῶν, ἢ τῶν ἀνδρῶν ἀγαθοποιῶν, ὑμνῳδός: ut etiam ſcribit Proclus in quæſtionibus Poëticis‡. Quare Theocriti quoque eſt*:

> Αἰεὶ τοῦτο Διὸς κούραις μέλει, αἰὲν ἀοιδοῖς,
> Ὑμνεῖν ἀθανάτους, ὑμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν.
> *Semper id eſt cordi Muſis, ſemperque Poëtis,*
> *Ut divos celebrent, laudes celebrentque virorum.*

† Deorum, aut bonorum virorum, laudator.
‡ Quæſt. 4.
* Idyll. 16.

21. §. *Imò in iis quoque poëtis, quos illi, qui Ariſtotelem ſequuntur, quo poëtis ipſi habent, ſæpe imitationis vix veſtigium, aut volam, conſpicere eſt.*

E. G. In pleriſque omnibus Lyricis, Elegiis, Satyris, Epigrammatis, aliiſque.

22. §. *Quare ſic ſtatuimus, poëma ex eorum eſſe numero, quæ gradus admittant, atque à Philoſophis appellantur ἀφ' ἑνός, ſeu πρὸς μίαν φύσιν*.*

* Ab uno; ſive ad unam naturam.

Nempe quemadmodum apud Logicos ſola ἀπόδειξις † ἁπλῶς καὶ κυρίως λεγομένη, quæ τοῦ διότι ‡ dicitur, demonſtrationis perfectæ conditiones obtinet, ut ſit ἐξ ἀναγκαίων*, πρώτων, καὶ ἀμέσων προτέρων, καὶ γνωριμωτέρων, καὶ αἰτίων τοῦ συμπεράσματος: demonſtratio verò ignobilior, quàm τοῦ ὅτι † vocant, tantummodo aliquas participat conditiones, propter quas & ipſa nomine ἀποδείξεως ‡ donatur: ita quoque illa inprimis poëmatum nomen merentur, in quibus res fabuloſæ poëticis vinciuntur numeris: nec tamen ea poëmatum numero excludi debent, in quibus adeſt metrum, & poëtarum ille ſpiritus; ſola autem abeſt veri imitatio.

† Demonſtratio ſimpliciter proprieque dicta.
‡ Cur ſit.
* Ex neceſſariis, primis, immediatè prioribus, & notioribus, & cauſſis concluſionis.
† Quod ſit.
‡ Demonſtrationis.

CAP. IV.

Poëtices definitio: & quomodo à poëmate poëſis differat. Nonii Marcelli de eo opinio rejecta, licet Lucilio nixa, & (ut ex Aphthonii interprete colligimus) etiam ſcriptoribus Græcis.

1. §. *Atque ex his difficile non erit, ſtatuere etiam, quid ſit Poëtice. Nam laxè ita dicitur ars carminis ſcribendi: preſſè autem, ars oratione metricâ imitandi actiones.*

Laxè uſus Suidas*, cui & συγκειμένη μύθου ποίησις ἐποποιΐα ἐστὶν †. Ac ſimiliter Rabbini uſurpant, juxta quos, השיר הוא מאמר מיוחס נקשר קצו בקצו מורה כונת המדבר במלות קצרות ערבות שקולות: *haſſchir hu maamar mitjachas nikſchar kitſo bekitſo modia nogat hammedabber bemillot ketſarot aravot ſchekulot: id eſt, Poëſis eſt oratio nobilis,* (vel generoſa) *cujus partes ſunt colligatæ, mentem loquentis manifeſtans verbis brevibus, ſuavibus, libratis,* ſive ἐμμέτροις ‡. Nam שקל ſchakar eſt ponderare, ac librare; quod optimè convenit legi metricæ. Preſſè verò non Ariſtoteles modò accepit: ſed Poſidonius* etiam apud Laërtium, cui ποίησις † ἐστι σημαντικὸν ποίημα μίμησιν περιέχον θείων καὶ ἀνθρωπείων. Ubi interpres parùm commodè ποίημα vertit *poëma*, cùm laxâ notione ſumatur pro opere, vel figmento. Diomedi ‡ Poëtice definitur, *ficta, verave narrationis congruenti rhythmo, vel pede, compoſita metrica ſtructura, ad utilitatem voluptatemque accommodata.* Sed hæc poëſios potiùs, quàm poëticæ, deſcriptio eſt.

* In ἐποποιΐα.
† Epopœia eſt carmen fabulâ poëſis.
‡ Moderatis.
* Apud Laërtium in Zenone.
† Significativum figmentum, divinarum humanarumque rerum imitationem complectens.
‡ Lib. 3.

2. §. *Differunt autem* poëma, poëſis, & poëtica; *quod* poëma *propriè ſit materia, ſive opus; ut comœdia, Æneis:* poëſis *ſit operatio, ſeu actio, quâ poëma contexitur:* poëtice *verò ſit habitus ipſe præcepta ad poëſin diſponens. Sed licet naturâ ſuâ ſic diſtent: nec* poëma *unquam pro* poëſi *ſumatur: non rarò tamen* poëſis *legitur pro* poëmate.

Quomodo Tullius in Tuſculanis lib. v. ait: *Homeri poëſin videmus:* & in iiſdem lib. vi.: *Anacreontis tota poëſis eſt amatoria.* Aliter, quàm nos, diſtinguit Nonius Marcellus, grammaticus pleraque non indiligens. Cujus judicio, *Poëſis, & poëma hanc habent diſtantiam. Poëſis eſt textus ſcriptorum: Poëma inventio parva, quæ paucis verbis expeditur.* Probat hæc deinde iſtis Lucilii* verſibus, prout eos reſtituit Duza pater:

> *Nunc hæc quid valeat, quidve huic interſiet illud,*
> *Cognoſces: primùm hoc, quod dicimus eſſe Poëma,*
> *Cujuſvis operis pars eſt non magna Poëma;*
> *Pars eſt parva Poëma, proinde ut epiſtola quævis.*
> *Illa Poëſis, opus totum, ut tota Ilias, una*
> *Eſt theſis, annaleſque Enni, atque iſtoc opus unum,*
> *Eſt majus multò, quàm quod dixi antè, Poëma.*

* Lib. 9.

Quæ-

Quapropter dico, nemo, qui culpat Homerum,
Perpetuò culpat: neque, quod dixi antè Poëſin,
Verſum unum culpat, verùm enthymema malignum.

Unde idem Nonius poſtea ſubjicit: *Poëſis eſt perpetuum argumentum ex rhythmis: ut Ilias Homeri, & Annales Ennii.* Ac ſanè Donatus quoque ſeu Euanthius, ubi de Comœdia loquitur, poëſin exponit *unius carminis plures libros.* Sed quicquid ſit de mente Lucilii, diſcrimen hoc uſui aliorum ſcriptorum adverſatur; neque aliarum vocum ἀναλογίᾳ ſubnixum eſt. Nec tamen, ſi ita ſenſerit Lucilius, magnopere culpari debet. Non dubium enim, quin eâ in re Græcos ſequatur. Quorum hanc fuiſſe ſententiam, inde colligi poteſt, quòd idem quoque Aphthonius ſenſerit. Quippe qui, cùm dixiſſet, διήγημα,
* Ut poëma à poëſi. & διήγησιν, differre, ὡς ποιήσεως ποίημα *, ſubjungat continuò, Ποίησις μὲν γὰρ πᾶσα ἡ Ἰλιάς· ποίημα δὲ ἡ τῶν Ἀχιλλέως ὅπλων κατασκευή. *Univerſa enim Ilias eſt poëſis: armorum verò Achillis inſtructio eſt poëma.* Quo de Aphthonii errore idem, ac de illo Nonii, judicium eſto.

Cap. V.

Proponitur eorum opinio, qui eo quòd à Platone, multiſque aliis, tradatur, poëſin eſſe à natura, & afflatu divino, colligunt, non dirigi eam artis præceptis. Hæc ſententia eo refellitur, tum, quod ratio humana cauſſas obſervet in quovis argumento, cur poëtarum unus altero, imò idem ſe ipſo, meliùs aliquid, aut deteriùs, dicat: tum quòd cauſſæ iſtæ præceptis poſſint comprehendi; quæ juncta conſtituunt artis σύστημα. Idem eo firmatur, quòd tam multi præſtantiſſimi viri artem eam conſignarint: in quibus facilè avorum ætate eminebant Hieronymus Vida, & Cæſar Scaliger; florente autem Româ Horatius, atque inter Græcos Ariſtoteles: cujus è duobus de hac arte libris, hodiè ſupereſt prior. Nam qui tres ſcripſiſſe cenſent, eo decipiuntur, quòd tot reliquerit libros de poëtis. Falli verò, qui librum ſuperſtitem exiſtimant, vel ſolum compendium eſſe operis; vel alterius, quàm magni illius Stagiritæ.

1. §. *At perperam in definitione Poëtices dictum ſit, eam artem eſſe, ſi non dirigitur præceptis; ſed tota debetur natura, atque afflatui divino. Atque ita perſuaſum aliis cupiunt, quibus ſemper in ore eſt, fieri oratores, naſci poëtas.*

Tuentur verò ſe veteribus auctoribus, & magnis. Quippe hoc apud Laërtium in Xenocrate, & alios multos, legas. Eademque Tullii etiam videtur ſententia, cùm pro Archia ſcribit hunc in modum: *Atqui ſic à ſummis hominibus eruditiſſimiſque accepimus; cæterarum rerum ſtudia & doctrinâ, & præceptis, conſtare: poëtam naturâ ipſâ valere, & mentis viribus excitari, & quaſi divino quodam ſpiritu afflari.* Item in ſecundo de Oratore, cùm inquit: *Poëtam bonum neminem ſine inflammatione animorum exſiſtere poſſe, & ſine quodam afflatu quaſi furoris.* Atque idem Tuſcul. Qu. lib. 1. ait, *poëtam grave, plenumque carmen, cœleſti aliquo mentis inſtinctu fundere.* Hauſit verò hanc ſententiam à Platone; qui in Jone idem fusè docet. Inter alia dicit, omnes poë-
† P. 533. edit. H.St. tas bonos ſcribere, † οὐκ ἐκ τέχνης, ἀλλ' ἔνθεοι ὄντες καὶ κατεχόμενοι, ὥσπερ κορυβαντιῶντες· *non artis ductu, ſed divino furore correptos, veluti Corybantum ſpiritu im-*
‡ P. 534. *pulſi.* Et poſt pauca ‡, οὐ τέχνῃ ποιοῦσι, ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ.
* Ibid. *non arte, ſed divina ſorte.* Et rurſum, οὐ * τέχνῃ ταῦτα λέγουσιν, ἀλλὰ θείᾳ δυνάμει. *non arte illa dicunt, ſed di-*
† Ibid. *vina virtute.* Item †: Οὐχ οὗτοί εἰσιν οἱ ταῦτα λέγοντες, οἷς νοῦς μὴ πάρεστιν, ἀλλ' ὁ θεὸς αὐτός ἐστιν ὁ λέγων. *Non ipſi ſunt poëtæ, qui illa dicunt; quippe quibus mens abſit; ſed Deus eſt, qui ipſe hæc dicat.* Neque hæc ſolùm de epicis ait poëtis; ſed parem eſſe rationem putat eorum, qui carmine ſcribunt laudationes, aut dithyrambos; aut ὑπορχήματα, ſive ſaltatoria cantica, aut qui jambos pangunt. Similiter Agathias in præfatione operis: Καὶ γὰρ δῆτα ἡ ποίησις ἱερόν τι χρῆμα, καὶ θεσπέσιον. ἐνθουσιῶσι γοῦν ἐν αὐτῇ ψυχαί, εἴποι ἂν ὁ σοφὸς ὁ Ἀρίστωνος, καὶ λίαν ὠδίνουσιν ἐπαφρόδιτα, ὅσαι δὴ ὡς ἀληθῶς μουσόληπτοι γίνονται, καὶ τῇδε κάτοχοι τῇ βακχείᾳ· *Eſt vero poëſis res quædam ſacra ac divina. Afflantur enim in ea animi divino quodam furore: ut ſapiens ille Ariſtonis filius* (Plato) *dixit, ac venuſtè admodum parturiunt, quicunque verè Muſarum pleni, furoreque hoc correpti ſunt.* Idem ſenſit Pindarus: ut qui Olymp. 11. glorietur, eò ſuis ſe præſtare adverſariis, Bacchylide, ac Symonide; quòd ipſe naturâ carmen ſcribat; illi ex arte ea pangant, quàm à magiſtris didicerunt. Imò non dubitat, propterea ſe quidem aquilæ comparare, illos autem corvis. Vatem ipſum audiamus.

——Σοφὸς ὁ πολ-
λὰ εἰδὼς φυᾷ.
μαθόντες δὲ, λάβροι
παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὥς,
ἄκραντα γαρύετον
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.
——*Sapiens eſt, qui mul-*
ta ſcit naturæ ſollertia.
Qui diſciplinâ fuere uſi, vehementes
omnia effutiendi lubidine, corvi velut,
irrita inaniaque garriunt, ac clamant,
Iovis adverſus alitem divinam.

Verſum ſi malis, ſic, non Pindaricis, ſed Sapphicis modulis, in elegantiſſimâ Pindari tralatione ſuâ, expreſſit Nicolaus Sudorius, in Pariſienſi Senatu, dum viveret, inquiſitionum Præſes:

Ille, qui per ſe reperit ſagaci
Multa, naturâ ſapiens: ſed arte
Redditus vates, ſtrepit, ut loquaci
Gutture corvus,
Et Iovis fruſtra rapidum laceſſit
Alitem, ſacri tonitrus miniſtrum.

2. §. *Verùm ex omnibus iis, quæ de natura, & afflatu divino, poſſent afferri, nihil ultra conſequi putamus, quàm magnam quandam ingenii vim, ac planè admirandam, requiri in poëta. Nec eum ingenio modò eſſe excellentem; ſed & mente concitatum, ac quodammodo divinum. Quorum nihil non lubentes fatemur.*

Imò nec illis adverſari animus eſt, qui arbitrantur, ſi oratorem, & poëtam, inter ſe conferamus; majus atque excellentius ingenium in poëta, quàm oratore, exigi: ut fortaſſe, quantùm orator in dicendo cæteris antiſtat, tantùm oratori præſtet poëta.

3. §. *Nec propterea nullæ ſint artis partes, utcunque plus poſſit natura.*

Quin ipſe Pindarus*, quem ſe adverſus Bacchylidem, * Olymp. 2.
ac Symonidem, audivimus jactantem; quamvis ampliùs deberet naturæ, non propterea tamen arti nihil acceptum ferebat. Eſto, ut fortaſſe eos, qui præcepta artis Poëticæ traderent, nec audierit, nec legerit: attamen, priores legendo poëtas, qui artis præcepta didiciſſet, ipſe etiam artem condendi poëmata, quâ ingenii erat felicitate, facilè obſervârat.

4. §. *Eſſe autem ejuſmodi artificium, ratio evincit. Nam in amplo illo poëtarum choro eſt, ubi omnes conveniant; & qui cum judicio eos legunt, cur ſimile illis judicium fuerit, videant. Eſt item ubi inter ſe differant, & alii aliis præſtent: ubi itidem cernere eſt, cur alter altero melius dicat. Atqui hæ rationes præceptis tradi, & in corpus aliquod redigi*

digi poſſunt. Hoc poëtarum judicium, & cauſſas ejus, qui perſcribunt, iidem normam poëſios præſcribunt.

Ut audiendus non ſit Iſidorus Peluſiota: qui poëtas ait voluptatem ſine judicio ſectari. Sic enim ille lib. II. epiſt. CCXXVIII: Ποιητική ἐστιν ὅπῃ τὸ μυθῶδες ἐπιποθοῦσα, ὕλην ἔχει τὸ ψεῦδος, ὑφ' ἡδονῆς ἀκρίτου θρασυνομένη ἐξυβρίζει, καὶ ὑλομανεῖ, τὸ μυθῶδες καὶ θεατρικὸν ἐπιδεικνυμένη. *Poetica interdum, figmenta expetens, mendacium habet pro materia, ac præ voluptate præpoſterâ, & judicii experte, inſoleſcens, petulanter ſe jactat, & luxurias, fabuloſum & theatricum narrationis genus oſtendens.* Quæ probare qui poſſim, cum nuſquam majori opus ſit judicio, quàm in poëſi? Potiùs igitur audiendus Horatius: eo magis, quia è ſummis ipſe eſt poëtis. At apertè ille artem in poëta penitùs requirit: ac propoſitam quæſtionem decidit his verbis:

Naturâ fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt: ego nec ſtudium ſine divite venâ,
Nec rude quid poſſit video ingenium. alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amicè.

Clarè agnoſcit, eum, qui à natura ſit infelix, utcumque artis præceptis adjuvetur, egregium poëma condere non poſſe. Sed ſatis indicat, eum, qui naturâ non deſtituitur, his cognitis, poëma ſcripturum melius, perfectiuſque. Cujus rei argumentum ex Euripide, excellentis ingenii poëta, capere poſſumus. Quàm multa enim in eo ridet Ariſtophanes, arguit Ariſtoteles, item notant alii. At quæ uno ille negligit loco, ea obſervat altero; ut ſatis liqueat, non ei naturam, ſed quodammodo defuiſſe artem; quæ dux certior eſt naturâ. Contra mediocre ingenium, ſi ars acceſſerit, non leve aliquid in poëſi præſtare; indicio erit Callimachus; cujus hymni, & epigrammata quædam, ſuperſunt. Hunc quanti fecerit Catullus, quanti etiam Propertius, atque alii, nemini ignotum arbitror. At plus arti, quàm ingenio, debere, Naſonis judicium eſt, cùm ait:

Battiades toto ſemper cantabitur orbe:
Quamvis ingenio non valet, arte valet.

Idem dixero de quibuſdam aliis ejuſdem ætatis, quos Grammaticos vocant: qualis & junioribus quoque Μουσαῖος ὁ γραμματικὸς, ac ſimiles. Non dubium igitur, quin multum etiam arti poëſis debeat.

5. §. *Abſque hoc eſſet, non tot præſtantes viri, poſtquam vitia poëtarum conſiderarant, ac virtutes eorum perſpexerant, ex his corpus artis concinnaſſent. Nam quid aliud his propoſitum fuiſſe dicamus, quam, ut illi, qui naturâ valerent, cognitis rerum cauſis, plus valerent: quique non æque à natura felices forent, arte, & imitatione alienâ, defectum supplerent? Ut quod ſolo ingenio fecere aliqui, hi partim ingenio, partim labore conſequerentur.*

Inter hoſce artis ſcriptores, parentum ævo, fuit Cæſar Scaliger, ut poëta non aſpernandus, ita longè melior poëticæ artis ſcriptor; quique, ut doctrinâ variâ ceſſit nemini, ita hac etiam in re, aliorum vicerit induſtriam. Nec priores tamen laude ſuâ fruſtrandi: ex quibus, avorum ætate, erat Hieronymus Vida: quem artificioſiſſimè de arte poëtica egiſſe, judicium eſt ipſius Cæſaris Scaligeri *. Ex antiquis pauci ſuperſunt. Habemus quidem Donati, vel alterius, de comœdia, & tragœdia, quiddam: & Diomedes, atque alii, de re metrica egere. Sed ex claſſicis ſcriptoribus Latinorum habemus nihil, præter Horatii epiſtolam ad Piſonem. Quam οὐχ θὲς καὶ πρώην †, ſed jam olim fuiſſe, ab reliquarum epiſtolarum opere avulſam, videre eſt, ex Sidonii carm. IX. quod eſt ad Magnum Felicem conſulem. Quemadmodum & *de arte* eam Valerius Probus bis vocat lib. I. Gram. Inſtit. bis item Priſcianus in XVIII; ut alios mittam. E Græcis non dubium, quin multi hac de re tractarint, è quibus & ea excerpſerat Proclus Conſtantinopolitanus, quæ de re Poëtica apud Photium in Bibliotheca cod. CCCXXIX. leguntur. Critonem, Socratis æqualem, περὶ ποιητικῆς egiſſe, auctor eſt Laërtius lib. II. Qui & in VII. auctor eſt, περὶ ποιημάτων actum Zenoni Cittieo, ac lib. IX. tradit, Democritum inter alia ſcripſiſſe περὶ ποιήσιος *: item περὶ ἀοιδῆς †. Periit & Neoptolemus, ſive alius, cujus de poëticâ arte præcepta ab Horatio eſſe expreſſa, apud Porphyrionem legere eſt, his verbis: *In quem librum congeſſit præcepta Neoptolemi de Arte Poëtica, non quidem omnia, ſed eminentiſſima.* Quæ in Cruquiana editione non rectè omittuntur. Sed in tanta ſcriptorum clade ſuperſunt, quæ de arte poëtica prodidit miraculum illud naturæ Ariſtoteles. De quo prope acceſſerim doctiſſimo viro, Antonio Lullo Baleari, cùm ait ‡: *Mea ſic ſemper fuit opinio, ſi ullo in opere ingenium philoſophi admiramur, hic certè pluſquam omnes poëtas & ſapuiſſe, &, quid in poëmate deceat, dedeceatque, intellexiſſe.* Utinam modò, quæcumque hac de re divinus vir conſignârat, hodieque haberemus. Nam plures uno libros de eâ ſcripſit: ut indicat Boëthius in Comment. libri περὶ ἑρμηνείας *. Nunc operis ejus ſolùm ſupereſt liber primus; integer quidem (ut admirabilis ordo, ac ſeries, indicat) ſed ſolus è duobus; quot ab eo ſcriptos fuiſſe, Laërtius teſtatur in philoſophi ejus vita. Scio, doctiſſimos viros putare, pro *duobus* hic *tribus* legi debere; idque propterea, quòd idem in Socratis vita dicat, ab Ariſtotele in tertio de re poëtica traditum eſſe, Antiochum Lemnium, & Antiphontem, portentorum interpretem, fuiſſe adverſatos Socrati: item quòd Plutarchus quoque in Homeri vita † meminerit tertii Ariſtotelis libri περὶ ποιητικῆς. Sed utrobique cenſeo, pro ποιητικῆς ‡ legendum ποιητῶν *. Nam ſcripſerat Ariſtoteles prætera libros tres περὶ ποιητῶν †; ut ait Laërtius: qui ex iſtoc opere in Empedocle refert, poëtam hunc fuiſſe Homeri imitatorem, ejuſque exemplo eſſe crebro uſum tralationibus & aliis verborum luminibus. Imò Athenæus lib. XI. refert ex primo de poëtis, Alexamenem Tejum primum fuiſſe ex Socraticis, qui dialogos ediderit. Teſtatur quoque Macrobius lib. V. Saturn. ‡ eum in ſecundo de poëtis reprehendiſſe Euripidem, quòd ſcripſiſſet, Ætolos ſiniſtrum pedem habere nudum cùm dextrum dicere debuerit. Facilis librariis error, ut libros de poëtis confunderent cum illis de poëtica. Suſpicor autem, poëticam eſſe ex iis ſcriptis, quæ jam Ariſtoteles magnus natu, elaboravit. Siquidem in illis meminit fabularum Theodectis. At is inter Platonis quidem, & Iſocratis auditores numeratur; ut ex Suida videmus: verumtamen idem diſcipulus poſtea Ariſtotelis fuit; ut non videatur facilè tantus vir ejus fuiſſe uſurus teſtimonio, niſi, cùm & ille jam numen aliquod ſibi parâſſet. Dicas, apud Ælianum legi, lib. III. Var. Hiſt. cap. XIV, & lib. IV. cap. IX, Ariſtotelem, vivo Platone, Scholam inſtituiſſe, ac tum quoque Theodecten audiiſſe Ariſtotelem. Credo equidem: ſed parum hoc adverſatur nobis, quia cùm Ariſtoteles hæreſin faceret, jam Plato, teſte eodem Æliano, erat octogenarius; nec poſtea biennium ſupervixit. Nam deceſſit natali ſuo, cùm annum implêſſet octogeſimum primùm: ut clarè docent Seneca epiſt. LXVIII *, & Cenſorinus de die natali cap. XV. Ac favent huic ſententiæ Hermippus apud Laërtium, Cicero in Catone, & Valerius Maximus lib. VIII. cap. VII. Annum unum addit Athenæus, lib. V. uti & Suidas; triennium Neanthes apud Laërtium in Plat. ſed perperam, ſi, ut Laërtius ait, natus eſt Plato, Olympiadis LXXXVII. anno IV, ἐπὶ † Ἀμεινίου, ſive Ἐπαμείνονος ‡ ἄρχοντος, ut alius vocatur. Nam obiit Olympiadis CVIII anno primo, prætore Theophilo: quemadmodum non Laërtius ſolùm auctor eſt in Plat. & Ariſtot. ſed Athenæus ipſe in V, & Plutarchus in Demoſthene, lib. de X. Rhet. Sed ſeu ſenior, ſeu ante hoc opus, Ariſtoteles ſcripſerit dolendum illud, quòd non integrum ad nos pervenerit. Nam, quod ſupereſt, penè univerſum conſumitur in tragœdia, & epopœia; ut omnino

* In Hypercritico, ſive 6. de re Poët.

† Non heri vel nuper.

* De poëſi.

† De carmine.

‡ Lib. 7. de Orat. cap. 5.

* De Interpretatione.

† Peri initio.

‡ De re pœtica.

* De poëtis.

† De poëtis.

‡ Cap. 18.

* Aliàs LXXXIX.

† Tempore Aminiæ.

‡ Epaminone prætore.

omnino neceſſe ſit, periiſſe ea, quæ obſervârat de Comœdia, Dithyrambice, Nomorum poëſi, Auletice, & Citharistice. Nam initio libri de illis quoque ſe acturum promittit.* Accedit iſtud, quòd lib. VIII. Πολιτικῶν cap. VII, ad ea nos remittat, quæ περὶ καθάρσεως, ſive affectuum purgatione, docuerat libris de re Poëtica: quod item lib. III. Rhetoricorum cap. XXVI. ait, ſe in iiſdem egiſſe de variis ridiculorum generibus. Nunc verò utraque deſideramus. Simplicius etiam in commentar. Categor. adducit ex libro de Poëtica definitionem Synonymorum, quam itidem fruſtra nunc requirimus. Non dubium autem, quin de Synonymis ideo tractârit, quia unus is foret è locis ridiculorum; de quibus egiſſe eum, jam diximus. At planè alucinatur ſummus vir Joachimus Camerarius, cùm arbitratur, ea, quæ habemus, vel eſſe Ariſtoteleæ poëtices ὑπομνήματα, vel non eſſe principis Philoſophi, ſed alterius ei cognominis. Nam etſi Diogenes Laërtius à quodam Ariſtotele Cyrenaico Poëticam eſſe ſcriptam tradidit; tamen in hoc opere ſpirantem Stagiritæ noſtri genium non obſcurè agnoſcimus. Ut mittam, quòd pro genuino habeant Ammonius, Simplicius, Hermias in Phædrum Platonis, Boëthius, atque alii. Sed de Ariſtotelis poëtica ſatis. Nunc videndum de poëſios materia, & forma.

Cap. VI.

Quamvis, judicio quorundam, ſolùm verſetur poëſis circa fabularum figmenta: quintuplicem tamen ejus materiem eſſe: quia verſetur tum circa res divinas, ut in hymnis; tum naturales; tum res geſtas; tum morales; tum artificiales. Poſſe interim conciliari has ſententias diſtinctione Poëtica ſuperiùs adlatâ; in nobiliorem, quæ inprimis phantaſia eſt opus & minùs nobilem, quæ contenta eſt animare metrum dictione, & ſpiritu poëtico. Ac eâdem diſtinctione quæſtio deciditur de duplici Poëtices forma.

1. §. *Poſtquam oſtenſum eſt, Poëticen rectè inter artes referri: proximum videtur, ut de ejus cauſſis loquamur: ac primùm internis; materia videlicet, & forma. Ac de priori quidem judicium eſt quorundam, verſari eam circa res omnes.*

In quo cum Oratore ei convenire volunt: ut Tullius docet in primo de Oratore: *Eſt*, inquit, *finitimus Oratori Poëta, numeris adſtrictior paullò, verborum autem licentiâ liberior: multis ornandi generibus ſocius, ac penè par: in hoc quidem certè prope idem, nullis ut terminis circumſcribat, aut definiat jus ſuum, quò minùs ei liceat eâdem illâ facultate, & copia, vagari, quà velit.*

2. §. *Alii arctioribus poëtam terminis conſtringunt. Quippe arbitrantur, eum ſolùm circa exempla ficta occupari.*

Eoque, juxta eos, ἡ ποιητικὴ ὕλην ἔχει τὸ ψεῦδος. *Poëtica mendacium pro materia habet:* Ut eſt apud Iſidorum Peluſiotam *. Ita Ariſtoteles; qui, ut antea diximus, poëtam putat unum hoc ſtudere, ut homines doceat virtutem; atque id facere cum fictis fabulis. Quod & Plato voluit; ex cujus mente, poëta diſtinetur περὶ τὰ οὐκ ὄντως ὄντα, ἀλλὰ τῶν ὄντων εἴδωλα. *non circa ea, quæ revera ſunt; ſed eorum, quæ ſunt, ſymbola.* Hinc poëſis ei ars dicitur nunc μιμητικὴ †, nunc εἰκαστικὴ ‡, nunc εἰκονοποιός *, vel εἰδωλοποιητικός †. Nimirum, quia in effingendis hominum actionibus ſuam collocat operam. Imò, ſecundùm Stoicos, non humanis modò, ſed etiam divinis. Nam, ut ex Laërtio ſuperiùs diximus, poëſis Stoicis definitur σημαντικὸν ποίημα, μίμησιν περιέχον θείων, καὶ ἀνθρωπείων *opus ſignificativum, imitationem continens rerum divinarum, humanarumque.* Et ſanè non hominum modò, ſed Deorum etiam mores, affectus, actiones, imitatur poëta.

* *Lib. 2. epiſt. 228.*
† *Imitationem inſtituens.*
‡ *Simile effingens aut præſentans.*
* *Eſt Artis imaginis.*
† *Eſt Artis ſimulacri.*

3. §. *At præter poëtarum figmenta, quadruplicem poëtices materiam ſtatuere oportet: primùm res divinas, ut in hymnis.*

Nec enim nobilius poëtis dare argumentum poſſimus; quàm quo Deum, vel in ſe celebrent, vel in ſanctis ejus. Vide, quæ præclarè hac de re cecinit Nazianzenus carm. LIV, ſive de ſilentio, quod jejunii tempore ſervaretur. Hujus igitur loci ſunt ſacra plurima cantica in Scripturis: item multa Nazianzeni, Prudentii, aliorum.

Quæritur, an hujus etiam loci ſint hymni gentilium: ut illi Homeri, Callimachi, & ſimiles, vel Græcorum, vel Romanorum; vel eorum etiam, quos illi barbaros dixere. Quomodo Indi quoque hymnos in Deorum laudes canebant: ut Arrianus indicat penè initio libri VII. de Expeditione Alexandri, ubi de Calano ſermo.

De hoc ita cenſeo, ſi verè de iis judicandum, vel maximè pertinere ad figmenta poëtarum, qui ſub fabellarum involucris rerum naturam deſcripſerunt: ut inprimis ex Heſiodi Θεογονίᾳ liquet. Verùm hujuſmodi, etſi à ſapientibus haberentur pro allegoriis, naturam rerum myſticè occultantibus; vulgò tamen propriè accipiebantur, & credebantur. Itaque non phyſici habebantur, ut illi, de quibus proximè dicam, ſed Theologi: unde Iſidorus lib. VIII. Orig. cap. VII: *Quidam poëtæ Theologi dicti ſunt, quoniam de Diis carmina faciebant.* Sic igitur ſtatuendum, ex opinione ſapientum talia pertinuiſſe ad figmenta; eoque non conſtituere novum argumentum extra fictiones poëticas. Sed contrà, vulgi judicio, talia non in fictis, ſed veris, reponi debuiſſe.

4. §. *Altera poëſios materies eſt de rebus naturalibus.*

Ut illa, quam reliquere Xenophanes, Parmenides, & Empedocles; qui verſibus ſcripſere de rerum natura: Palæphatus Athenienſis, & Antiochus Heliopolitanus; quos κοσμοποιΐαν * carmine ſignâſſe, auctor eſt Suidas: Eratoſthenes in Herme, ſive mundi deſcriptione; unde verſus aliquot adducit Probus in Eclog. IV: item Medici poëtæ; ut Muſæus, cujus ἀκέσεις νόσων † laudat Euſtathius Il. Α. & Damocrates Servilius, ac Heliodorus; quorum mentio apud Galenum ‡. Mitto eos, qui periere. Siderum doctrinam explicat Aratus: theriaca, & alexipharmaca, Nicander: terrarum ſitum deſcripſit Dionyſius, ex eo dictus περιηγητής: de piſcibus, & quadrupedibus, tractat Oppianus: è Latinis rerum naturam expoſuit Lucretius: de ſideribus, eorumque viribus, egit Manilius: Æmilius Macer Veronenſis ſcripſit de avibus, ſive Ornithogoniam; pro quo apud Nonium perperam *Theogoniam:* item de ſerpentibus, ſive Ophiogoniam; & de herbis, ſive Botanicon, vel Rhizotomica. De tribus hiſce ſic Ovidius *:

Sæpe ſuas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque nocet ſerpens, quæ juvat herba, Macer.

Eademque memorat Manilius †; ſed quaſi à pluribus ſcripta eſſent:

Ecce alius pictas volucres, & bella ferarum,
Ille venenatos angues, hic nata per herbas
Fata refert, vitamque ſuâ radice ferentes.

Sed miſcet de bellis ferarum: quod pertinet ad Gratium, κυνηγετικῶν auctorem.

E junioribus quoque de morbo Gallico egit Fracaſtorius. Bartaſium, elegantem & eruditum poëtam Gallicum, prætereo.

* *Mundi ſtructuram.*
† *Remedia morborum.*
‡ *Libris de medicamentorum compoſitione.*
* *Lib. 4. Triſt. eleg. 10.*
† *Lib. 2.*

5. §. Ter-

5. §. *Tertia materies eſt rerum geſtarum. Nam & poëta quidem hiſtoriam tractarunt.*

Ut Polycritus; quem, Ariſtoteles, vel alius, libro de mirabilibus auditu perceptis, ait, res Siculas conſignâſſe carmine heroico. Ac ſimiliter Hegemon, poëta Epicus, carmine tradidit bellum Leuctricum, quod à Thebanis, Epaminondâ duce, geſtum fuit contra Lacedæmonios. Auctor Stephanus in Ἀλεξάνδρεια. Archias ille, quem Cicero oratione ſuâ defendit, carmine reliquit bella Cimbrica: quemadmodum & ea, quæ conſulatu Ciceronis contigere, exorſus fuit. Quid dicam annales Ennii, & Furii; Hoſtii bellum Iſtricum, Macrobio, & aliis, laudatum; C. Rabirii bellum Actiacum; Cornelii Severi Siculum; Caninii Dacicum, æquali ejus Plinio * memoratum, ſimiliaque monumenta? Sed hi deperditi. Ex iis, qui ſuperſunt, (modò verum id eſt argumentum) hujus ſunt loci, quæ de infelicibus Herûs, & Leandri amoribus, cecinit Muſæus. E Latinis item Lucanus de bello Pharſalico, & Silius de Hannibalico: Eos à multis è poëtarum numero expungi, cap. 1. dicebamus. Verùm immeritò id fieri, ibidem oſtenſum nobis fuit. Et eadem ſententia eſt viri ingentis, & doctrinæ, & judicii, Caroli Sigonii, libro de dialogo. Quamquam hi non meram hiſtoriam condiderint; ſed poëticè etiam tractârint, non metro ſolùm includendo, verum, ut Sigonius † ſcribit, *epiſodiis pro arbitratu fingendis, & Deûm Dearumque conſiliis, & hominum concionibus intexendis, atque feſtivis rerum narrationibus, & jucundis locorum deſcriptionibus, aliunde petendis.* Unum poſſe objici fatetur, quòd contra Ariſtotelicam legem, de qua in epopœia dicemus ‡, non unam, ſed plures ſint actiones perſecuti. Sed hoc qui urgeat (verba ejus retinere malo) *malos potius fuiſſe poëtas eos, quàm omnino non fuiſſe poetas, evincet. Ut enim ex imitatione poëta; ſic non bonus poëta ex prava imitatione evadat, neceſſe eſt.* At mihi ne malorum quidem poëtarum nomen commeriti videntur: quia poëtæ vocabulum, etiam laxiùs ſumtum, propriè ſumitur, licet non preſſè: quod pleniùs antea expoſuimus. Atque hæc niſi ſint, longè minùs poſſint Chriſtiani poëtis annumerari: uti Marius Victor, qui à creatione hiſtoriam panxit uſque ad Abrahami, ac Lothi tempora; Juvencus, & Sedulius, qui Chriſti hiſtoriam verſibus conſtrinxerunt; vel Arator, qui Acta Apoſtolorum carmine retulit.

* Lib. 8. epiſt. ad Caninium.

† Lib. de Dial. fol. 3. b. edit. Venet.

‡ Lib. 3. de arte Poëtica.

6. §. *Ad quartum argumenti genus refer præcepta vitæ prudenter componendæ. Neque obſcurum eſt, cur in his etiam carmen prætulerint. Nam ea, quæ vinciuntur numeris, faciliùs animo retinentur; eò magis, quia ornatus etiam dictionis delectat.*

Unde Fabius lib. 11. cap. XVII: *Ipſa vita præcepta, quoetiamſi naturâ ſunt honeſta, plus tamen ad formandas mentes valent, quoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat.* Sunt hæc præcepta vel moralia, vel civilia. Moralia, ut in Theognide. Atque huc etiam referri debet Ovidiana amandi ars. Civilia verò, ut quando Solon leges ſuas verſibus explicuit. Ejus operis, ut Plutarchus * indicat, hi primi erant verſus:

Πρῶτα μὲν εὐχώμεσθα Διὶ Κρονίδῃ βασιλῆϊ,
Θεσμοῖς τοῖσδε τύχην ἀγαθὴν καὶ κῦδος ὀπάσσαι.
Hoc primùm oremus, Rex ut Saturnius hiſce
Legibus adſpiret, velit & concedere laudem.

Etiam huc refer Terpandrum: de quo ſic Clemens Alexand. Stromateon primo: Μέλος τε αὖ πρῶτος περιέθηκε τοῖς ποιήμασι, καὶ τοὺς Λακεδαιμονίων νόμους ἐμελοποίησε, Τέρπανδρος ὁ Ἀντισσαῖος. *Modos poëmatibus primus adjecit, & Lacedæmoniorum leges numeroſis verſibus ſcripſit, Terpander Antiſſæus.* Nec ſoli is mos Spartæ. Nam ab Hermippo, in ſexto de legiſlatoribus, proditum eſt, Charonde etiam leges in conviviis cani à Thuriis ſolere. Imò, ut ait Martianus Capella lib. IX, *Græcarum urbium multæ, ad lyram leges, decretaque publica, recitabant.*

* In vita Solonis.

Ad civilem etiam prudentiam refer, quòd, ut unum addam juniorum, vir à luſtris compluribus in toto orbe illuſtris Hugo Grotius, tum adhuc adoleſcens, paraphraſin Tituli Inſtitutionum Juſtinianearum De rerum diviſione, & acquirendo earum dominio, carmine heroïco elegantiſſimè expreſſit.

7. §. *Quinctum genus eſto τῶν ποιητικῶν, hoc eſt, eorum, ubi opus relinquitur.*

Quo pertinet Horatii de arte poëticâ epiſtola ad Piſones. Item ars metrica Terentiani Mauri.

8. §. *Hæc abunde oſtendunt, poëtas non ſolùm verſari circa exempla ficta. Nec eo minus more hoc noſtro agam, ut, quatenus res ſinit, potiùs convenire doceam præſtantium virorum ſententias, quàm partem damnem alterutram. Cenſeo autem, opiniones, ſpecie adeò diſcrepantes, non meliùs poſſe conciliari, quàm diſtinctione poëticâ antea allatâ. Si enim propriè eâ voce utamur, quomodo poëta eſt condendi carminis artifex; nihil eſt, de quo agere non poſſit. Sin ſumamus impropriè, & κατ' ἐξοχὴν, pro eo, qui carmine fabulas exponit, ut doceat, qualis ſit, vel eſſe debeat vita humana; jam objectum poëtarum fuerint μιμήματα, ſive res imitatione expreſſæ; hoc eſt, actiones fictæ.*

Non quaſi tum poëma totum fictis conſtet actionibus: ſed quia, utcumque princeps actio vera ſit, & aliæ etiam veræ intercurrant; tamen diſpoſitio ſit fabuloſa: utpote in quâ falſa veris miſceantur; eoque οἰκονομία fabulæ non poſſit veræ eſſe actionis, quatenus eo nomine intelligimus totam fabulam, ex pluribus actibus coaleſcentem: attamen veram fabulam imitetur, quia res narrat, non ut ſunt, ſed ut eſſe poſſunt. Quare rectè dixeris, objectum Poëtices eſſe veriſimile; quo comprehenditur etiam verum; cùm & verum ſit veriſimile.

9. §. *Diſtinctione hac nec difficile fuerit conciliare diſſidentes multorum de poëſios formâ opiniones. Nam ſi propriè, ac laxè, poëſin uſurpemus; forma ejus erit metrum, ac ſpiritus poëticus, quo dictio quaſi animatur. Sin preſſiùs eam vocem cum Ariſtotele ſumamus; forma conſiſtet partim in metro, & poëticâ dictione; partim in imitatione humanarum actionum.*

Utrocunque modo ſumas, ſine metro non erit poëma: niſi laxiùs *poëſios* vocabulo utamur, quàm dixi: ut ſi etiam voce eâ complectamur, ubi fictio eſt, & quodammodo ſpiritus adeſt poëticus: quomodo dialogi Platonis poſſint dici poëma: ſaltem ſic dicatur comœdia ævo, ut videtur, Theodoſii, vel Honorii, ſcripta, inſcriptaque Querulus, vel etiam Aulularia Plauti: nempe quia, ut illa de aulula ſive olla Euclionis; ita hæc de olla agat Queruli, qui Euclionis ejus filius fingitur. Ea comœdia oratione conſtat, nec proſâ planè, nec ligatâ: etſi ſpiritu poëtico non planè careat, & ſæpe etiam verſu loquatur, præcipuè trochaico: & permultis locis, quando id non fit, ita prope ad verſum accedat vocula additione, vel trajectione, ut nullo verſum negotio feceris. De ſcriptoris nomine non liquet. Gildæ à pleriſque tribuitur: quod ſi eſt, Rutilius ille, cui opus dicatum, non ſit Numatianus ille, gentilis poëta, cujus Itinerarium exſtat Honorii Imper. ævo ſcriptum. Nam Gildas quidem Albanius claruit jam circa annum Chriſti CCCCLX: at Gildas Baronicus toto poſt hunc Gildam ſeculo floruit. Facilè autem aſſenſero Reverendiſſimo & illuſtriſſimo, Jacobo Uſſerio, Archiepiſcopo

piſcopo Armachano, totius Hiberniæ Primati, in exactiſſimo opere de Britannicarum Eccleſiaſticarum Antiquitatibus, exiſtimantis, quòd Gildæ comœdia hæc *Querulus* credita ſit, proveniſſe ex eo, quòd & Gildas *Querulum* inſcripſerit acerbam illam querimoniam ſuam de Britanniæ regibus, ac clero. Aliò antè inclinavi, ob MSſorum, quos dicerent, auctoritatem. Sed iſti optimè occurrit clariſſimæ doctrinæ, & laudatiſſimæ pietatis vir, quem dicebamus. Quod verò ad dictionem nec ἔμμετρον planè, nec ἄμετρον; vix lac lacti ſimilius eſt, quàm Querulo huic ludricum Sergii Polenſis epitaphium; ut judicium eſt Barthii Adverſariorum lib. IV. cap. XVII.

Cap. VII.

Duplicem eſſe Poëtæ finem: unum arti adæquatum, qui eſt carmine docere, ac delectare; idque in quovis argumento: alterum principalem, qui eſt per imitationem, ac figmenta, à vitiis animos purgare humanos. Ac, pro duplici hoc fine, duplex etiam poëtæ officium ſtatui oportere. Quòd ſi hujuſmodi poëtæ finis atque officium ſit; priùs requiri, ut ipſe ſit vir bonus, ac prudens: magis tamen, ut prudens quàm bonus; cum etiam credamus iis, qui boni ſolùm videantur nobis. Poëticen eſſe Politicæ miniſtram. Nec tamen rectè, Rhetoricæ inſtar, Dialecticæ partem ſtatui à Zabarella, atque aliis.

1. §. *De materia, & forma poëtices diximus. Nunc agam de cauſſis externis: ac primùm de fine, atque uſu ejus multiplici.*

Non quidem, quaſi fructus, laudeſque Poëticæ omnes, proferre animus ſit (nam quod in Pœnulo ait Plautus, *proba merx facilè emtorem invenit*) verùm quia abſque eo natura Poëticæ intelligi non poſſit.

2. §. *Eſt verò Poëtices finis delectatio: nec ſolus tamen, vel præcipuus. Quamvis enim adſpergere poematis liceat, unde nihil petatur, niſi honeſta voluptas: totius tamen operis finis eſſe debet, docere pariter, & delectare.*

Sive, ut Horatius loquitur*,

—— *ſimul jucunda, & idonea dicere vitæ.*

Quò facit illud ejuſdem †,

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

* Epiſt. ad Piſones. † Paulò poſt.

Quomodo à duobus his, χρείᾳ, καὶ ἡδονῇ, *utilitate & voluptate*, Homerum, ac Heſiodum, commendari, ait Maximus Tyrius orat. VII. Imò, ut Tullius ‡ mavult *indiſertam prudentiam, quàm ſtultitiam loquacem*: ita præſtat, ut cum eodem illo poëta * dicam,

Fabula nullius Veneris, morataque rectè,
Quàm verſus inopes rerum, nugæque canoræ.

‡ Lib. 3. de Oratore. * Ad Piſones epiſt.

3. §. *At qui ajunt, poëſios finem eſſe* κάθαρσιν † τῆς ψυχῆς, *ſive, corrigere hominum mores: hi neutiquam aſſignant finem arti adæquatum. Nam Empedocles, & ſimiles,* θεωρίαν ‡ *ſibi propoſuere, non* πρᾶξιν *. *Deinde, de antiquiſſimis illis, qui Deorum amores, ac concubitus narrant, dici nequit, hoc eos egiſſe, ut ob oculos ponerent vitæ humanæ exemplar; ſed potiùs, ut naturæ myſteria fabulis involverent.*

† Purgationem animæ. ‡ Contemplationem, ſive ſcientiam. * Actionem.

Quam rem pluribus explicabimus cap. ſeq.

4. §. *Si tamen poëtices nomine ſtrictiùs utamur, more Ariſtotelis: fateri oportet, anguſtiori limite ejus finem conſtringi. Nam finis ejus fuerit, fictis fabulis jucundè ea docere, quæ homines à vitiis ad virtutes adducunt.*

Dixeris, ſic neque Heſiodum in Θεογονίᾳ, fore Ariſtoteli poëtam. Haut repugno. Quippe Ariſtoteles, uti Empedoclem non poëtam, ſed phyſicum, appellat; ita, puto, Heſiodum in Θεογονίᾳ, ac ſimiles, non poëtas diceret, ſed theologos. Nam antiqui eam poëſios partem ad theologiam retulere. Varroni ſanè, ut ex Auguſtino * conſtat, triplex erat θεολογία: una μυθική, ſeu *fabuloſa*, vel *fabularis*; altera φυσική, ſeu *naturalis*; tertia πολιτική, ſeu *civilis*. Μυθικὸν, inquit, *appellant, quo maximè utuntur poëtæ*; φυσικὸν, *quo philoſophi*; *civile, quo populi*. Vel ſi Ariſtoteles poëtas ejuſcemodi non eſſet theologorum nomine dignatus; ſaltem phyſicos vocaſſet. Siquidem non minùs illi naturæ myſteria tradidere, quàm Empedocles, Parmenides, & alii juniorum. Hoc ſolùm diſcriminis erat, quòd juniores (ita voco, qui poſt Thaletem, & Pythagoram, carmine ſunt philoſophati) id egerint ſermone proprio, & aperto: primi illi, qui Orphei philoſophiam ſequebantur, id fecerint δι' ἀλληγορίας †: ut Dionyſius Hal. ait: nempe, uti dixi, quia ſapientiæ ſuæ adytis arcerent profanum vulgus; nec ab aliis vellent intelligi, quàm à myſtis ſuis.

* Lib 6. de Civitate Dei cap. 5. † Per allegoriam.

Quare ſi, Ariſtoteleo more, ſumamus hujus artis finem; is non ἁπλῶς ‡ fuerit, carmine docere cum delectatione; ſed carmine, & imitatione, docere ac delectare. Unde & Strabo lib. 1. ait, poëſin eſſe μιμητικὴν τοῦ βίου διὰ λόγων *. Et Plutarchus † ait, poëticam habere μιμητικὴν ὑπόθεσιν ‡. Non quaſi imitatio, ſeu fictio, ſit finis ultimus; ſed quia hæc ſit via ac ratio ad comparandam beatitudinem civilem; quam non conſequimur, niſi virtute, cujus doctor eſt poëta. Quod optimè Ariſtophanes * expreſſit in Ranis. Quærit enim Æſchylus:

—— Τίνος † οὕνεκα χρὴ θαυμάζειν ἄνδρα ποιητήν;

Reſpondet Euripides:

Δεξιότητος ‡, καὶ νουθεσίας, ὅτι βελτίους τε ποιοῦμεν
Τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσι.

‡ Simpliciter. * Imitatricem vitæ humanæ per narrationem. † Lib. Quomodo juveni ſint poëmata legenda. ‡ Argumentum, in quo imitari propoſitum ſit. * Act. 4. ſc. 2. † Cur admirari convenit poëtam? ‡ Propter ingenii dexteritatem, & admonitiones Efficimus cives bonos in civitate.

Nempe differunt quidem apologi à fabulis poëticis, ut alibi oſtendimus *: fine tamen conveniunt. Ut locum hic quoque habeat illud Phædri lib. II:

Nec aliud quicquam per fabellas quæritur,
Quàm corrigatur error ut mortalium.

5. §. *Ac pro duplici hoc Poëtices fine, duplex eſt officium Poëtæ. Prius eſt modulatè, vel, ut Græci dicunt,* ἐμμέτρως † *loqui, aut ſcribere.*

Ubi poëta quidem proponit ſibi docere: idque in quolibet argumento: at particulatim attendit κάθαρσιν, ſive morum emendationem; ſed citra figmenta, ut in γνωμολογικῇ ‡.

6. §. *Alterum eſt imitari, ac fingere, ſive ad rerum naturam indicandam, ſive ad mores hominum à vitiis purgandos.*

* Lib. 4. Orat. Inſtit. cap. 11. ſect. 3. † Metro. ‡ Oratione ſententioſâ.

Lactantius lib. XI: *Officium poëtæ eſt in eo, ut ea, quæ geſta ſunt verè, in alias ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo converſa traducat.*

7. §. *Hæc igitur commune habent poëtæ, philoſophi, & hiſtorici, quòd doceant virtutem.*

Ut de tribus illis teſtis eſt B. Baſilius diſſertatione. Quomodo legendi ſint Græcorum libri: Ἐπειδήπερ δι' ἀρετῆς ἡμᾶς ἐπὶ τὸν βίον καθεῖναι δεῖ τὸν ἡμέτερον εἰς ταύτην δὲ πολλὰ μὲν ποιηταῖς, πολλὰ δὲ συγγραφεῦσι, πολλῷ δὲ ἔτι πλείω φιλοσόφοις ἀνδράσιν ὕμνηται, τοῖς τοιούτοις τῶν λόγων μάλιστα προσεκτέον. *Quandoquidem ad vitam illam, quam optamus, niſi per virtutem, nequit perveniri; multa autem ad eam pertinentia dicta ſunt à poëtis, multa ab hiſtoriarum ſcriptoribus, plurima verò à philoſophis; talibus ſcriptis maximè eſt incumbendum.*

8. §. *Quia*

8. §. *Quia verò viri boni eſt docere virtutem; eò requirimus à poeta, ut priùs ipſe vir ſit bonus.*

Itaque Strabo libro primo dicere non dubitat, Οὐχ οἷόν τε ἀγαθὸν γενέσθαι ποιητὴν, μὴ πρότερον γενηθέντα ἄνδρα ἀγαθόν *neque bonum poſſe poëtam fieri, qui non prius fuerit vir bonus.*

9. §. *Ac ſimiliter dixero, quò docere poſſit virtutes, ipſum prius ſapientem eſſe oportere.*

Sapientiæ autem vocabulo nunc utor cum Academia, & Peripato, non cum porticu Zenonis: ſecundùm quam poëta, quia ſapiens, etiam foret dives, formoſus, ſanus, rex. Atque eò vir eruditus * trahebat illud, quòd Herennius librum ſuum ad Gallienum Imperatorem ſic inſcripſerat, Ὅτι μόνος ποιητὴς ὁ βασιλεύς, *quòd ſolus rex poëta.* Pro quo, apud Porphyrium, Marſilius Ficinus verterat, *quod ſolus effector rex.*

** Scipio Gentilis lib. 2. παρέργων. cap. 2.*

10. §. *Etſi verò poëtam convenit eſſe bonum, & prudentem; magis tamen prudentia, quàm bonitas, requiritur. Nam ut valeat artis ſuæ munia implere, planè prudentiâ opus eſt: ſed poſſit etiam hunc finem conſequi, ut bonus non ſit, dummodo videatur talis.*

Nimirum, cùm duplex ſit Eloquentia, una oratoria, altera poëtica: in utraque ſimiliter comparatum eſt: quia difficulter perſuadet, qui vir malus exiſtimatur. Quis enim bonum conſilium exſpectet, ubi fraudis, injuriæque, ſuſpicio eſſe poſſit? Qua de re pluribus egi lib. 11. Orator. Inſtitut. cap. XIV. ſect. 11. Vide etiam, quæ libro de Natura ac Conſtitutione Rhetorices diſſero cap. 1: ubi expendo, an rectè definiatur orator, vir bonus dicendi peritus.

11. §. *Ex his abunde intelligere eſt, quanta ſit poëtica utilitas in Rep. ac quomodo ea ſit politicæ miniſtra.*

Siquidem finis Politicæ eſt εὐδαιμονία, ſive *beatitudo.* Verùm hanc aſſequi nequit, niſi priùs reddiderit homines bonos, ſuiſque mandatis obtemperantes. Itaque, ut ea perſuadeat, Rhetoricâ utitur, & Poëticâ; quæ oratione facundâ, ac delectabili, animos demulceant, & *res ſalubriter, ac proſpicienter, animadverſas in mentes animoſque hominum, cum audiendi quadam illecebrâ, induant;* ut de Æſopeis apologis ſcripſit Agellius lib. 11. cap. XXIX. Hinc quoque eſt, quòd Proclus, commentario ſuo in Platonis de Rep. libros, ἀλληγορικῶς agens de Jove, qui eſt μέγας πολιτικὸς †, & Apolline, qui Poëtis præeſt, poëtam appellet τοῦ μεγάλου πολιτικοῦ μέγαν συνεργὸν *magnum magni politici miniſtrum.*

† Magnus Politicus.

12. §. *Quamquam verò hoc commune habet cum Rhetorica, quòd utraque ſit famula Politicæ: non tamen, uti Rhetorica quodammodo eſt Dialecticæ παραφυὴς ‡, ita etiam, Poëticam eſſe Dialecticæ partem, exiſtimari debet.*

‡ Stolo, ſive virgultum.

Scio quidem, aliter veterum aliquos exiſtimâſſe: ut auctor eſt Ammonius præfat. in librum categoriarum. Eamque ſententiam ſecutus poſtea fuit Aben-roës. Sed quâ ratione ad Logicam referatur, non expoſuerunt. Fecit id Zabarella lib. 11. de Nat. Log. cap. XIX, & ſeq. Eumque ſecutus Gaſpar Sardus commentario de triplici philoſophia ad Olympiam Moratam. Item Scipio Gentilis lib. 11. Παρέργων cap. 11. Nimirum arbitrantur, quemadmodum Rhetorice ab Ariſtotele ipſo appellatur μόριον τῆς διαλεκτικῆς *; idque propterea, quòd doceat rationem, quâ enthymema applicetur ad materiam civilem: ita & Poëticen eſſe Logices partem, quia aperit exempli uſum in materia ficta. Sed falluntur, cùm putant artem omnem in uſu exempli occupatam eſſe partem Logicæ. Nam id tantùm verum eſt, ſi uſum ejus tradat cognitionis cauſſâ. At Rhetorice, & Poëtice, non ſolùm docere ſtudent, ſed etiam delectare; nec cognitionem tantùm ſpectant, ſed & actionem. Quod verò Rhetoricen ajunt ab Ariſtotele dici Dialecticæ partem: id majorem vim haberet, ſi propriè diceretur. Nunc tantùm κατά τι, καὶ παχυλῶς *, ſic loqui, oſtendit multiplex Dialecticæ, & Rhetoricæ diſcrimen, qua de re egimus lib. de Natura ac Conſtitut. Rhet. inprimis cap. VII.

** Particula Dialecticæ.*

** Secundum quid, & pingui Minervâ.*

Cap. VIII.

Adferuntur, quæ dici ſolent adverſus antea allata de fine, officio, & uſu poëſios: ac iiſdem poſtea occurritur. primo quidem referuntur, qui contemtim de poëſi ſenſerint, vel ſenſiſſe videantur: ut Plato, Epicurus, atque alii. Oſtenſum, à Platone non omnem rejici poëſin; ſed Homericam duntaxat: neque illud ἁπλῶς, ſed hactenus ſolùm, ut neget illi utilem Reip. quàm animo concepiſſet. Quam ob cauſſam, antiqui naturæ ſcientiam maluerint involvere fabulis, quàm abſque involucro ullo conſignare. Secundo loco memorantur, qui laſcivos canunt amores. Demonſtratum, hunc eſſe Poëticæ non uſum, ſed abuſum: diſtinctumque inter Venerem Cæleſtem, & Vulgivagam; inter Cupidinem Venere Cæleſti natum, & Vulgivaga filium; Muſas meretriculas, & philoſophicas. Expoſitum inde, quantum damni poëtæ laſcivi dent, præcipuè adoleſcentiæ. Tertio loco additum aliquid de abuſu artis in adulando laude indignos, vel maledicendo bonis.

1. §. *Hactenus expoſui ſententiam noſtram de poëſios fine, & utilitate, ac poëtæ officio. Sed adverſus ea tam multa à multis, tam gravia à graviſſimis etiam viris adferuntur, ut periculum ſit, ne ſi cauſſa poëſios non adverſus illos fortiter defendatur; autoritate eorum, nec levibus preſſa argumentis, penitus ſuccumbat. Ac primùm quidem cum iis nobis conſerenda erunt manus, qui cum Platone, Epicuro, atque aliis, contendunt, poëtas eſſe noxios Reip. & quâ parte nullum adferunt damnum, eſſe tamen utilitatis ſolidæ expertes; nec juvare, niſi animos pueriles, & his ſimiles, quæ inani delectatione, velut crepitaculis, capiantur.*

De Platone, quod dixi, nulli ignotum eſſe arbitror. Nec tamen ille omnem damnabat poëſin; ſed Homericam: unde de eo ſic Heraclides Ponticus: Ἐρρίφθω καὶ Πλάτων ὁ κόλαξ, Ὁμήρου συκοφάντης, ἔνδοξον ἀπὸ τῆς ἰδίας πολιτείας τὸν φυγάδα προπέμπων, λευκοῖς ἐρίοις ἀνεστεμμένον, καὶ πολυτελεῖ μύρῳ τὴν κεφαλὴν διάβροχον· *Valeat & adulator Plato, Homeri calumniator, quem à Rep. ſua remittit inclytum exulem, albis redimitum lanis, & pretioſo unguento caput redimitum.* Epicurus verò univerſam rejecit poëſin: quâ de re ſic ibidem Heraclides: Οὐδ᾽ Ἐπικούρου φροντὶς ἡμῖν, ὅς τις ἀσέμνου περὶ τοὺς ἰδίους κήπους ἡδονῆς γεωργός ἐστιν, ἅπασαν ὁμοῦ ποιητικὴν, ὥσπερ ὀλέθριον μύθων δέλεαρ, ἀφοσιούμενος. *Nec cura nobis eſt, quid dicat Epicurus, inhoneſtæ voluptatis in hortis ſuis cultor: qui univerſam ſimul poëſin, velut perniciosum fabularum illectamentum, averſatur.* Et apud Tullium, extremò lib. 1. Tuſc. Quæſt. Torquatus, Epicureæ Philoſophiæ defenſor, ex magiſtri mente ait: *An tempus in Poëtis evolvendis, ut ego, & Triarius, te hortatore fecimus, conſumeret? in quibus nulla ſolida utilitas, omniſque puerilis delectatio.* Quæ verba non ſatis cepit doctiſſimus vir, Andreas Schottus †, cùm exiſtimat, Tullium hæc ex ſua ſententia referre, ut doceat, modum Poëticis oblectamentis eſſe ſtatuendum. Planè enim iſta ſunt contemnentis poëſin: nec à Tullio

† Lib. 1. Tull. Qu. cap. 28.

ex ſua dicuntur perſonâ, ſed Torquati Epicurei; quem Cicero inducit pro Epicuro diſſerentem. Ad hanc Epicuri ſententiam etiam Plutarchus reſpexit, libro, Quomodo juveni ſint audiendi poëtæ; ubi negat requiri τὸ Ἐπικούρειον ἀκάτιον*, ut eo poëtarum artem citiſſimè effugiamus. Eratoſthenes quoque, Strabone† teſte, ajebat, ποιητὴν πάντα στοχάζεσθαι ψυχαγωγίας, οὐ διδασκαλίας: poëtam omnia dirigere ad delectandum, non ad docendum. Quemadmodum & idem, apud Strabonem paullò pòſt, poëticas fabulas vocabat γραώδη μυθολογίαν‡. Etiam Agatharchides Samius* libro de rubro mari, cum multa collegiſſet ex poëtis planè incredibilia & abſurda, tandem concludit, ὅτι πᾶς ποιητὴς ψυχαγωγίας (μᾶλλον) ἢ ἀληθείας ἐστὶ στοχαστής: quod omnis poëta magis eò collineat, ut delectet, quam ut verùm dicat. Similiterque Diodorus Siculus, initio ſui operis, ſcribit, τὴν† ποιητικὴν τέρπειν μᾶλλον, ἤπερ ὠφελεῖν. Nec alia mens Hermogenis, qui lib. I. de ideis cap. VI. ait, τὸ πλεῖστον‡ ἡ ἡδονῆς ἡ ποίησις, οἶμαι, στοχάζεται. Item Marcus Antoninus Philoſophus ſcribit lib. primo, ſe à Ruſtico didiciſſe, ἀποστῆναι, ῥητορικῆς, ποιητικῆς, καὶ ἀστειολογίας*, vel potiùs ἀστρολογίας: quomodo emendat Xylander. Et ſanè hodieque non pauci ſe horum auctoritate tuentur, ut doceant, ſtudium poëſios magis facere ad pompam, quàm fructum. Verùm rectè Tullius I. de Nat. Deor. *Non tam auctores in diſputando, quam rationis momenta quærenda ſunt.*

** Epicuri naviculam.*
† Lib. I.
‡ Anile fabulamentum.
** Apud Photium cod. 250.*
† Poëticam delectare magis, quàm juvare.
‡ Poëſis maxima ex parte, opinor, ad voluptatem, ut finem collineat.
** Abſtinere rhetorica, poëtica, & urbanis ſermonibus.*

2. §. *Ac ad Platonem quidem quod attinet, variè illi occurri ſolet. Petrarcha ajebat, ſcenicos ejicere, non cæteros. Sed de Homero ipſo loqui, ſatis eſt evidens. Maximus Tyrius dicit, Platonem formâſſe Remp. ſolâ ſubnixam ratione; eoque delectationis expertem. At minimè eſt obſcurum, altiùs ſpectâſſe: putà quòd fabellis Homericis violaretur ſanior de numine opinio, & pudici mores in periculum venirent.*

Nam lib. II, & III. de Legg. non modò reprehendit Homerum, quòd Diis ea attribuit, quæ nefariorum ſunt hominum: ſed eundem etiam è ſua exterminat Rep. idque, ut ipſe loquitur, διὰ τὸ τὴν ποίησιν ἱκανὴν εἶναι, καὶ τοὺς ἀγαθοὺς λωβᾶσθαι: *quia poëſis hac ejus ſit natura, ut bonis etiam nocere poſſit.* Nimirum putavit, ut verbis utar Lactantii†, *Poëtas pernicioſos eſſe, quòd incautos animos facile irretire poſſint ſuavitate ſermonis, & carminum dulci modulatione currentium.*

† Lib. 5. cap. I.

3. §. *Quamobrem cenſeo, alia longè pro Platone adferri oportere. Ac primum cogitandum, quicquid ſit de Homero, ſaltem de poëſi eum magnificè ſenſiſſe.*

Quid mirum, Socratem habuerat præceptorem, quicum Euripides familiariter vixit: imò adjutus ab eo eſt in tragœdiis ſcribendis. Tum autem quàm libens utitur Plato teſtimoniis poëtarum! Imò vocat eos θεῶν ἑρμηνέας‡: poëſin autem appellat divinum furorem. Idem Antimacho, poëma ſuum recitanti, cùm cæteri eum deſtituiſſent auditores, omnium inſtar fuit.

‡ Deorum interpretes.

4. §. *Deinde nihil minùs ei propoſitum fuit, quàm ut Homerum de manibus omnium excuteret. Solùm putavit, non quemvis ad ejus lectionem admitti oportere. Nec enim imperitorum animis convenit: unde eum excludit è Rep. quam animo effinxiſſet.*

Et quomodo ille contemtim de Homero ſentiret, qui tam multa illi deberet! Scio quidem, ab Heraclide Pontico dici ἀχαριστεῖν πρὸς Ὅμηρον*. Verùm Heraclides, nimio Homeri amore excæcatus, neſcivit diſtinguere inter laudes poëtæ, & culpas. At non id facere neglexit Plato: cui ſemper quidem magnus eſt Homerus; ſed οὐ πρὸ τῆς ἀληθείας ἀνήρ*, ut de eo inquit initio decimi de Republica: ubi fusè hoc argumentum tractat.

** Ingratiſſimum erga Homerum.*
** Vir non anteponendus veritati.*

5. §. *Præterea non ille ejicit Homerum, tanquam eum, cui propoſitum foret docere noxia: ſed honorificè dimittit, velut majorem civem, quàm ut imperitis ſuæ Reip. civibus prodeſſe poſſit.*

Siquidem (ut Theodoretus ait in θεραπευτικῇ ſecunda) μύρῳ ἀλείψας, καθάπερ αἱ γυναῖκες τὰς χελιδόνας, ἐκ τῆς ὑπ' αὐτοῦ ξυντεθείσης πόλεως ἀπέπεμψε: *unguento delibutum, ut mulieres ſolent hirundines, è Republica à ſe compoſita emiſit.* Sententia eſt, ut delicatulæ virgines, aut matronæ, ſolent aviculas, quas diu in deliciis habuere, priuſquam dimittant liberas, unguento perfunderet: ita & à Platone è Rep. ſua Homerum non ignominiosè expelli, ſed cum honore dimitti. Atque hanc ſimilitudinem apud eundem Theodoretum legas oratione Θεραπευτ. X. De iſtiuſmodi autem unctione, quæ venerationis cauſſâ fieret, adi, ſi voles, Caſaubonum in Tranquilli lib. I. cap. LXXXI, & Baronium Exercitat. XIV. Sect. XII.

6. §. *Verùm de ipſo Platone ſatis. Nunc argumentum iſtud expendamus, ob quod & ille, & alii, dixere poëſin Homeri, & ſimilium, qui Deorum narrant certamina, ac vulnera, amores item ac concubitus, nocere tum pietati erga numen; tum moribus honeſtis: videlicet quia facilè homines arbitrantur, non fore ſibi turpe, ſi Deorum æmulentur exemplum. Equidem ſapienter has ab iis præcipi exiſtimo. Sed non aliud inde conſequitur, quàm ſolum poëtarum lectionem ſolùm conducere iis, qui diſtinguere ſciant, inter fabulæ involucrum, & myſterium, quod figmentis hujuſmodi occultatur. Nec enim illa à veteribus poëtis tradita ſunt, quò homines inde caperent vitæ exemplum: ſed ut ex iis naturæ myſteria cognoſcerent ſapientiæ ſtudiis initiati.*

Hæc ſatis liquent ex Homericis Heraclidis Pontici Allegoriis: Proclo in Platonis libros de Rep. Phurnuto item, atque aliis. Utinam verò etiam exſtaret Metrodorus Lampſacenus: qui totum Homerum in allegorias deflexit: ut auctor eſt Tatianus oratione contra gentes†. Favet etiam huic ſententiæ Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I. Antiquitatum Romanarum: ubi varios uſus adfert τῶν Ἑλληνικῶν μύθων‡: inter cæteros illum, ἀποδεικνύντα* τὰ τῆς φύσεως ἔργα δι' ἀλληγορίας. Mox verò agnoſcit, hujuſmodi fabulas, οὐ† πολλοὺς ὠφελεῖν, ἀλλὰ μόνον τοὺς ἐξητακότας, ὧν ἕνεκα γίνονται. Deinde addit: Σπάνιοι‡ δ' εἰσὶν οἱ μετειληφότες ταύτης τῆς φιλοσοφίας. Atque inde colligit, vulgus iis fabulis non corrigi, ſed corrumpi: quippe quod propterea vel Deos contemnat, quos tot infortuniis videat involvi; vel impurè vivat, quia Deorum id exemplo licere ſibi arbitretur.

† P. 106. edit. Baſil.
‡ Græcanicarum fabularum.
** Opera naturæ per allegoriam indicare.*
† Non multis prodeſſe, ſed ſolum iis, qui expenderint, cujus rei cauſſa fabulæ hæ fictæ ſint.
‡ Rari ſunt, qui hanc ſapientiam ſint conſecuti.

7. §. *Quærat fortaſſe aliquis, cur antiqui maluerint fabulis involvere arcana naturæ, quàm ea apertè proferre. Nimirum putabant, nihil iſta pertinere ad profanum vulgus, magiſque ſapientiam fore admirationi, ſi ab ea cerdones arcerentur.*

Juxta illud vatis Venuſini*: *Odi profanum vulgus, & arceo.* Et ſanè non antiquiſſimi ſolùm ſic animati erant; ſed & Pythagorici; qui non fabulis quidem, ſed numeris tamen, philoſophiam obſcurarunt. Vide Macrobium lib. I. in Somnium Scipionis cap. II. Ariſtoteles verò propriè loqui voluit: ſed idem tamen in Acroamaticis brevitate eâ uti maluit, ut non niſi à diſcipulis, vel admodum acutis, & induſtriis, intelligi poſſet. Ut in eo locum habuerit Pindaricum illud Pyth. Id. 9: Βαιὰ δὲ

** Lib. 3. od. I.*

μα-

μακροῖσι ποικίλλειν ἀκοὰ σοφοῖς. Quorum ſententia eſt; Ubi in longis, vel arduis rebus, paucis utimur verbis, omnino ſapienti opus eſſe auditore. De hoc diſcrimine, veluti παραπετάσμασι, ac involucris quibuſdam, obnubilandi philoſophiam, agit Simplicius præfat. in categorias ſect. x, & xi: ubi docet, duplicem eſſe evidentiam; unam à mente provenire, alteram à ſenſu: illam ab Ariſtotele; hanc à Platone prælatam. Præterea veterum philoſophorum τοὺς μὲν μύθοις, τοὺς δὲ συμβόλοις τὴν σοφίαν ἀποκρύψαι, ὥσπερ τοῖς παραπετάσμασιν· Ἀριστοτέλη δὲ ὥσπερ αὐτῷ παραπετάσματος τὴν ἀσάφειαν προστήσασθαι· hos fabulis, illos ænigmatis ſeu ſymbolis occultaſſe ſapientiam, velut involucris: Ariſtotelem vero omnibus velamentis aliis obſcuritatem prætuliſſe. Ipſum adi, ſi plura de hoc voles.

8. §. *Sed enim, inquiunt, ut hæc pro Homero dici poſſint, quid faciemus poëtarum turba, non quidem laſcivos Deorum amores canentium, ſed ſuos, quorum paginæ penè omnes pruriunt libidine? Quis bonus ejuſmodi doctores cariſſimis pignoribus adſciſcat? qui hoc pacto pugnant, diſtinguere neſciunt inter vitium artis, & artificis. Nulla enim ars eſt tam laudabilis, ut non valeant ea homines abuti.*

Itaque Ariſtoteles in vii. Polit. docet, in puerorum inſtitutione magnam eſſe curam adhibendam, ut non quaſvis fabulas diſcant; ſed eas ſolùm, quæ προοδοποιῶσι * πρὸς τὰς ὕστερον διατριβάς. Unde clarè cognoſcimus, philoſophum & fabulas quaſdam agnoſcere, quæ moribus conducunt. Proinde, qui propter malos poëtas omne vitant poëtarum genus, ſimiles Licurgi Regis videntur; qui cùm animadverteret aliquos, vino immoderatè utentes, multùm ſibi nocuiſſe, continuò vites omnes, è quibus tot commoda ad humanum genus redundant, excidi juſſit. Ne ſimilis inſipientiæ peragamur rei, nec omnes poëtas vitabimus, nec cunctos ſignabimus albâ lineâ. Vitabimus eos, qui mentem, moreſque, inficiunt laſcivis amoribus. Amplexabimur illos, qui Venerem quidem colunt, ſed Cœleſtem; Cupidinem, ſed Cœleſtis Veneris filium; Muſas, ſed ſeveriores. Duæ enim ſunt Veneres; duo Cupidines; duplices Muſæ. De Venere argumento eſt, quòd & Catullo epig. lxix. dicatur *duplex Amathuntia*. Nempe Venus una eſt patrima, quam Cœlus genuit, unde Οὐρανίαν in Sympoſio appellat Plato; ut & Theocritus in Epigrammatis: *Caligenam* Varro appellat; *Cœleſtem* dixere Pœni; uti ex Mſ. Tertulliani cod. diſcimus, & Vet. Numm. in quibus & Ἀποστροφία appellatur; quemadmodum & eadem dicta *Frugi*; ſi recta hæc lectio apud Paullum in *Frucinal*. Altera verò Venus, Jovis eſt ex Dione filia, obſcœnarum & lutearum voluptatum præſes; unde Πάνδημον vocant Plato, & Theocritus: hoc eſt, *volgivagam*, ut lib. ii & iv, interpretatur Lucretius; ſive *volgariam*, ut exponit Appulejus in Apologia: cujus Veneris ſimulacrum Athenis in foro conſecratum fuiſſe à Solone, ſcribit Harpocration. Iiſdem multi quidem Cupidines dicuntur, non Propertio † modò, & Claudiano ‡; ſed & Syllo, apud quem Venus Cupidines turbam ſuam vocat, & de iiſdem dicit,

Mittit ſe cœlo niveis exercitus alis.

Itemque Papinio *, qui Amores, ſive Cupidines, *volucrum turbam*, *pharetratos fratres*, & *Veneris turbam* appellat. At ab Luciano in Demoſthenis Encomio, Seneca, & compluribus, duo ſolùm ſtatuuntur: quorum unus ſit Veneris cœleſtis filius, qui ſanctos inſpirat amores; alter alterius, qui turpes. Pari ratione & aliæ ſunt Muſæ Poëticæ, ab abuſu poëſios ſic nuncupatæ; quas Philoſophia apud Boëthium † ait, infructuoſis affectuum ſpinis, uberem rationis ſegetem necare; aliæ verò, quas ſuas ibidem appellat Philoſophia; quæ cum delectatione proſunt, dum non ſolùm metri ſuavitate, ac fabellis, animos oblectant; ſed etiam interiori ſententiæ allegoriâ, ac humanæ vitæ imitatione, formant ac firmant. At Poëtarum illi, qui obſcœnitatem ſectantur, amant Muſas meretriculas; ut idem eas Boëthius nominat. Nam, ſi Muſas virgines colerent, non omnes implerent paginas verbis prætextatis, ac quibus virginum aures vulnerari metus ſit. Quales verè dixeris, Catulliano * verſu,

Secli incommoda, peſſimos poëtas.

At non audiendus idem, cùm ſic ſcribere non veretur:

Nam caſtum eſſe decet pium poëtam
Ipſum: verſiculos nihil neceſſe eſt:
Qui tum denique habent ſalem, & leporem,
Si ſint molliculi, & parum pudici,
Et quod pruriat, incitare poſſint.

Deum immortalem! Tum demum lepidi erunt verſus poëtarum, ſi pruriginem excitent? Equidem non diffitebor, nuſquam pene diſertiores eſſe poëtarum complures, quam in ἐρωτικοῖς †: unde & Bilbilicus vates de ſeſe ait ‡:

Si dare vis noſtra vires, animoſque Thalia,
Et victura petis carmina: da, quod amem.
Cynthia te vatem fecit, laſcivè Properti:
Ingenium Galli pulcra Lycoris erat.
Fama eſt arguti Nemeſis formoſa Tibulli:
Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.
Non me Pelignus, nec ſpernet Mantua vatem,
Siqua Corinna mihi, ſiquis Alexis erit.

Sanè ſi non alia poëmata vivere poſſint, quàm quæ laſcivos canunt amores: potiùs eorum πᾶν * ἀπόλοιτο γένος †, quàm ut ex iis vitam ſperemus, quibus non vivi modò noceamus, ſed etiam mortui. Tuentur ‡ ſe exemplo priorum, Pedonis, Marſi, Getulici, aliorum: quaſi excuſet habere culpæ ſocios. Neque ſatis eſt, ſi non ipſi noxia pangamus poëmata: ne legere quidem oportet, ſi virtutem ſeriò, & caſtimoniam amemus. Quod inprimis adoleſcentiæ dictum velim. Cujus animum otioſum, ac fervidum, faciliùs laſcivis cogitationibus implent, ac detinent. Quemadmodum enim, qui in ſole ambulant, etiamſi aliâ de cauſſâ obambulent, colorantur tamen: ſic ætas infirmior quamvis impuros illos ob puriſſimam & lectiſſimam dictionem legat, fere tamen fit, ut inficiantur mores. Quod non attendunt, qui ſufficere putant, ſi temperanter educent ſuos, atque à malorum conſortio arceant. Nam ſufficit ad corrumpendum, ſi impuri poëtæ legantur, vel audiantur. Optimè igitur Plutarchus *: ὔτε πόλιν αἱ κεκλεισμέναι πύλαι τηρῦσιν ἀνάλωτον, ἂν διὰ μιᾶς παραδέξηταί τις τὰς πολεμίυς· ὔτε νέον αἱ περὶ τὰς ἄλλας ἡδονὰς ἐγκράτειαι σώζουσιν, ἄν γε δι' ἀκοῆς λάθῃ προϊέμενος αὐτόν. *Neque urbem cuſtodiant portæ cæteræ clauſæ, ſi pateat hoſti unica: neque adoleſcentem ſervet temperantia circa voluptates alias, ſi ignarus ipſe ſe per auditum prodiderit.* Et ſane Ovidius ipſe non potuit hoc diffiteri. Sic enim ſcribit in ſecundo de Remedio amoris:

Eloquar invitus, teneros ne tange poëtas:
Submoveo dotes impius ipſe meas.
Callimachum fugito, non eſt inimicus amori:
Et cum Callimacho, tu quoque Coë, noces.
Me certè Sappho meliorem fecit amica;
Nec rigidos mores Teia muſa dedit.
Carmina quis potuit tutò legiſſe Tibulli?
Vel tua, cujus opus Cynthia ſola fuit?
Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo?
Et mea neſcio quid carmina tale ſonant.

Quare magnâ cautione opus eſt in hujuſmodi ſcriptoribus; ut jam multi monuere: ſed omnium inſtar eſſe poterunt Plutarchus libro, Quomodo audienda ſint juveni poëmata; & Baſilius, Quomodo legendi Græcorum libri. De vero autem fine, atque uſu poëtices, vide Platonem in Gorgia. Item elegantiſſimos Timoclis Comici verſus Διονυσιαζούσαις ‡ apud Athenæum lib. vi. Adi & quæ adverſus Eratoſthenem diſſerit Strabo libro primo. Item Maximum Tyrium oratione eâ, quâ poëticen laudat.

* *Viam preparant ad diſciplinas, quas diſcent poſtmodo.*

† *Lib. 2. Eleg. 29.*
‡ *Epithalamio Honorii lib. 11.*
* *Epithalamio Stellæ, & Violentillæ.*
† *Lib. 1 de conſolat. philoſop. proſ. 1.*
* *Epig. 14.*
† *Amatoriis.*
‡ *Lib. 8. ep. 73.*
* *Callimach.*
† *Omne genus pereat.*
‡ *Martialis epiſtola lib. 1. Epigr.*
* *Libro, Quomodo juveni ſint audienda poëmata.*
‡ *Bacchis.*

E junioribus fuſiſſimè hoc de argumento egit Joannes Boccacius toto lib. xv. de genealogia deorum; ſed veriùs, quàm elegantiùs.

9. §. *Aliud etiam telum intorquent. Nullum, inquiunt, hominum genus magis eſt peſtilens adulatoribus: nulli autem exquiſitiùs adulantur poëtis: unde jam olim* graſſatores *vocabantur; hoc eſt, adulatores, Feſto interprete. Verùm non omnes laudationes pro adulationibus ſunt habendæ. Sæpe promerita ſunt, & digna, quæ celebrentur, ut alii ad ſimile excitentur exemplum. Contemtu laudationis contemnuntur virtutes: nec ulli laudes æquè aſpernantur, quàm qui nihil agunt laude dignum. Nec tamen inficias ivero, ſæpius à poëtaſtris, quandoque etiam à dignis meliori nomine, falſas laudes decantari; præſertim famelicis, aut vanis ingeniis. Sed enim (quod ſæpius reponere cogimur) non ex abuſu uſum nobiliſſimæ artis æſtimari oportet.*

Nihil verò hic adferunt de eloquentia ligata, quod non itidem habeat locum in eloquentia ſoluta. Nam ipſe Plato ῥητορικὴν ſtatuit eſſe quartam κολακευτικῆς * partem. Super quo jam olim diſputatum fuit; ut ex Luciano, & aliis, diximus libro de Natura ac Conſtitutione Rhetorices cap. 11.

* *Adulatricis ſcientiæ.*

10. §. *Nec diffitemur, nonnullos, ut in adulando ſunt ſingulares, ita etiam vincere alios in maledicendo bonis; quam caninam eloquentiam vocare poſſumus.*

Huc referre liceat, cùm alia veteris comœdiæ, tum Ariſtophanis facundiam, Anyto, & Melito † inſervientis, ut optimus ſuæ ætatis vir ad cicutam damnaretur.

† *Plato in Apologia Socratis; indeque innumeri, in his Laërtius in vita Socratis.*

11. §. *Sed enim hæc itidem ad abuſum artis honeſtiſſimæ pertinent.*

Itaque, ut inter Rhetoricen germanam, & adulterinam, multùm intereſſe oſtendimus diſſertatione eâ, quam proximè diximus: ita & nunc diſtinguimus inter Poëticen ingenuam, & eam, quæ gratiam ſolùm, aut lucrum, conſectatur.

Cap. IX.

Refelluntur, tum qui inanem eſſe poëſios voluptatem aiunt; tum qui eam agnoſcunt docere, ſed meliùs id fieri contendunt, partim ab hiſtorico, partim philoſopho. Siquidem hiſtoricum, dum factis inſiſtit, ſingularia ſolum attendere: poëſin verò, quia conſiderat, quid fieri, vel dici, conveniat, ſpectare ipſum genus, ſive τὸ καθόλου. Philoſophum autem non eam adferre in docendo voluptatem, quàm poëta ac propterea olim à poëſi ſolere initia capi, cùm à futuro oratore, vel poëta; tum etiam aliis, atque adeo ipſis imperio civium deſtinatis.

1. §. *Dejecti de eo, quòd poëſis noxia ſit Reipublicæ, molliùs agere videntur; ac ſolùm id contendunt, ſi non perniciosam, ſaltem inutilem eſſe poëſin, ut quæ tota in eo ſit, ut voluptate inani, ac ſæpe puerili, aures demulceat. Neque negare poſſumus, poëtarum aliquos ſolam ſibi proponere voluptatem; quemadmodum & quidam, ſolius delectationis cauſſâ, præſtantiſſimos etiam poëtas legunt. Sed ejuſmodi lectores pueris ſimiles ſunt, qui cùm vel terras, vel res geſtas, in pictura conſpiciunt, potiùs oculos coloribus, quàm animum rei cognitione, paſcunt. Poëtarum illi, qui his ſolis ſe accommodant, abutuntur ſuâ arte: cui, ut ſuperiori capite oſtenſum, illud propoſitum eſſe debet, ut delectet docendo, & doceat delectando. Qui hac parte à nobis diſſentiunt, negant docendi munus à poëta requirendum. Quippe multis partibus utiliùs, ac meliùs, iſtoc ab hiſtorico fieri; cùm magis moveant facta, quàm ficta. Sed enim ſi eò præſtantior ſit ſcientia, quo propiùs ad philoſophiam accedit; vicerit poëſis: quia cum philoſophi ſit ſpectare non ſingula, ſed univerſa; hiſtoricus contra reſpiciat ſingula; poëta magis conſiderat univerſum: quippe qui non tam ſibi proponat, quid dictum, factumve ſit; quam, quid fieri, vel dici, conveniat. Ut omnino operoſius, & Philoſopho dignius, ſit poëta munus, quam hiſtorici.*

E.G. Hiſtorico ſufficit, ſi candide exponat, quomodo res geſta ſit. Cujuſmodi eſt, quid egerit Alcibiades. At poëta melius ſæpe exemplar ob oculos ponit, quàm hiſtoricus facit; cui à veritate hiſtoriæ non licet recedere. Sanè ut Xenophontis Cyrus ille, quem in Cyropædia effinxit, potiùs eſt imitandus, quàm ille, quem Herodotus verè nobis depinxit: ita & perfectiùs pii, ac magnanimi principis exemplar ob oculos poſuit Maro in Ænea, quàm ſi ex fide omnia prodidiſſet. Quid mirum? Hiſtorici eſt referre, quæ ſunt: at poëta, quæ non ſunt, conſignat; ſed ſcribit, ut res ſunt. Reſpicit igitur τὸ καθόλου *. Hujus rei exempla etiam ex tragœdia petere licet. Velut ex Euripidis Hecuba: ubi Polyxenam inducit matri ſuadentem, ut, quemadmodum Ulyſſes petebat, ad Achillis tumulum mactaretur. Ac Polyxena quidem typus eſt animi generoſi, & malentis honeſtè mori, quam turpiter vivere. At mater Hecuba eſt exemplum viciſſitudinis in rebus humanis. Atque eadem quoque typus eſt callidi conſilii, quo uſa in ulciſcendo Polymeſtore ob occiſum Polydorum. Polymeſtor, cujus oculi fuere effoſſi, & liberi occiſi, exemplum eſt avaritiæ, ſceleſta multa ſuadentis: idemque ob pœnam, quam perpeſſus, figura eſt vindictæ divinæ. Polydorus παράδειγμα eſt divitis, ob pecunias in magna incidentis infortunia, Agamemnon, qui pro Hecuba contra Polymeſtorem excæcatum, liberiſque orbatum, ſententiam tulit, eſt typus æqui judicis. Similiter in Senecæ Hippolyto, Phædra quidem eſt typus fœdè inſaneque amantis, & minimum ſe demittentis. In Hippolyto autem eſt documentum pudici, & ſeveri adoleſcentis. In nutrice Phædræ habemus fidam alumnæ, ſed ultra aras; eoque ſimul videmus anum impudentem, & ſceleratam. Theſeus verò imago eſt principis trucis, ac præcipitis; attamen, in quo non omnino exſtincti ſint igniculi affectus paterni. Hiſtoricus iſtiuſmodi refert, ut accidêre. Eoque idea virtutis, aut vitii ſæpe eſt imperfecta, atque obſcura. At poëta, cui fingere licet, quod deeſt, ſupplet. Quicquid igitur dicat Diodorus Siculus †, hoc nomine poëtica hiſtoriæ præferri meretur.

* *Univerſum genus.*

† *Lib. 1.*

Atque hoc magis liquebit, ſi cogitemus, quanto operoſior ſit poëſis. Nec enim ſolùm conſiderat, quid factum ſit; ſed etiam, quid fieri oportuerit, quid item decuerit. Abſque hoc ſit, ne convenientia quidem nomina poſſit imponere perſonis, in his multùm attendere oportet probabile, & decorum: unde denuo videmus, eum circa univerſale verſari. Jam quantæ eſt prudentiæ, aptè omnes omnium mores exprimere! Quomodo Homero in Iliade propoſitum eſt, repræſentare heroëm magni animi, ac bellicoſum; in Odyſſea virum prudentem. Quomodo item Maro in Æneidos libris refert pii ac magnanimi principis exemplum. Sic Ajacem furentem deſcribere epicus, aut tragicus, ſi volet; primùm attendet, tum cujuſmodi ſint inſani, tum quales ſint magnanimi. Alterutrum enim non ſufficit; quia alia ſpirant heroum animæ, quàm vulgares; non ſolùm, dum ſui ſunt compotes, ſed etiam dum inſaniunt; quia aliter hi, aliter illi, inſaniunt. Quod ſi nonniſi prudentis ac philoſophi eſt, concipere animo naturam, ac mores, tum inſanientium, tum eorum, quibus magnus eſt animus: quanto ſanè quis prudentior, tanto plus valeat in perſonis exprimendis. Unde

etiam

etiam cauſſa dilucet, cur Ulyſſem non eodem planè modo in Philoctete ſuo deſcribant Æſchylus, Sophocles, Euripides. Nempe non concepere ſimiliter naturam, moreſque hominis callidi, ac prudentis. Quæ ſatis oſtendunt, ut poëſis mediam obtineat naturam inter hiſtoriam, & philoſophiam: ac partim cum utràque conveniat, partim ab iis differat. Convenit cum philoſophia, quòd reſpicit ipſum genus: ſed differt, quòd ſingularia exponit. Congruit cum hiſtoria, quòd narret ſingularia: ſed diſcrepat, quòd ſpectet ipſum genus. Quare quod Ariſtoteles ait, poëſin attendere τὰ καθόλου, * eoque illam eſſe φιλοσοφώτερον † hiſtoriâ, id ſapienter à δαιμονιωτάτῳ ‡ philoſopho dictum fuit.

* Univerſale.
† Magis philoſopho convenientem.
‡ Divino planè.

2. §. *Neque eſt, quòd aliquis obtendat, ſaltem melius virtutem à philoſopho doceri. Primum ei opponam Horatium*:*

* Lib. 1. epiſt. 2.

Cujus notum illud de Homero:

Qui quid ſit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius, ac melius, Chryſippo, & Crantore, dicit.

3. §. *Sed ſi parum poëta valeat auctoritas, (nec ſanè hac parte per omnia Horatio adſenſerim) ſaltem negare non poſſumus, multos à poeta melius virtutem, ac prudentiam, doceri. Nam quemadmodum illi, quibus ſtomachus eſt corruptus, ſalubres cibos non admittunt: ita homines plerumque ſalutaria ad præcepta nauſeant, niſi ſuavibus fuerint fabulis condita.*

Verè Agathias Scholaſticus epigrammate de Æſopo ſcripſit:

Φευκτὸν δ' ἡ τρηχεῖα παραίνεσις, ——
Admonitio res aſpera eſt, & quàm omnes refugiant.

Imò ſimiliter ipſe B. Chryſoſtomus homil. XXII. ad Epheſ. Ὅτι αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν τῆς ἀρετῆς ἡ παραίνεσις πολὺ τὸ σκυθρωπὸν ἔχει. *Quod correctio, admonitioque, ſi ſola nudaque ſit, admodum tetrica ſit.* Hinc Julius Pollux cap. I. Onomaſtici: Ἐπεὶ τὸ διδασκαλικὸν εἶδος αὐχμηρόν ἐστι καὶ προσκορὲς, οὐδὲν ἂν τι κωλύει προσθεῖναι καὶ μύθου γλυκύτητα εἰς ψυχαγωγίαν. Hoc eſt, *Quia nuda illa docendi ratio ſqualidior, moleſtiorque eſt, ac facilè ſatietatem affert: nihil prohibet, quo minùs adhibeamus & fabulæ dulcedinem, ad ducendos perſuadendoſque hominum animos.* Scitè Plutarchus † hanc rem mandragoræ ſimilitudine illuſtrat. Quemadmodum, inquit, illa vitibus adſita, vim ſuam in vinum transfundit, & ſomnum facit molliorem: ſic ſapientia, fabulis temperata, efficit, ut ea libentiùs audiatur.

† Libro, quomodo juveni audienda ſint poëmata.

4. §. *Atque hoc inprimis apertum eſt in pueritia; quæ à præceptis abhorret, fabellis verò capitur.*

Adferam memorabile exemplum è Joannis Bocacii de Genealogia Deorum lib. XIV. cap. IX; ubi ſic ſcribit: *Fabulis labantium in deſidiam mentium in meliorum frugem lapſim revocatos jam novimus: &, ut de minoribus, & me ipſo, taceam, audivi jamdudum illuſtrem virum, Jacobum de ſancto Severino, Tricarici, & Clari Montis Comitem, dicentem, ſe à patre ſuo habuiſſe, Robertum, Caroli regis filium, poſtea inclytum Hieruſalem & Siciliæ Regem, tam torpentis ingenii fuiſſe; ut non abſque maxima demonſtrantis difficultate, prima literarum elementa perciperet: & cùm fere de eo hac in parte amici deſperarent omnes, pædagogum ejus ingenium ſolerti aſtutiâ rimatum, fabelliſque Æſopi in tam grande ſtudendi, ſciendique deſiderium traxiſſe, ut brevi non tantum, domeſticas has nobis liberales artes didicerit; verùm ad ipſa uſque ſacra philoſophiæ penetralia mirâ perſpicacitate tranſiret: talemque evaſiſſe regem, ut, à Salomone uſque, nullum doctiorem mortales agnoverint.*

5. §. *Ob hancce fabularum voluptatem ſolent Græci, in pueritia, ſtudia ſua à poëtica ordiri.*

Auctor Lucianus περὶ γυμνασίων, & Athenæus lib. XII. Et ante hos Strabo lib. I: Τοὺς παῖδας αἱ τῶν Ἑλλήνων πόλεις πρώτιστα διὰ τῆς ποιητικῆς παιδεύουσιν, οὐ ψυχαγωγίας χάριν, ἀλλὰ σωφρονισμοῦ. *Pueros urbes Græciæ primò inſtituunt in poëticis; non quidem ſolùm delectationis cauſſâ, ſed propter modeſtiam.* Ac proximè præceſſerat: Οἱ παλαιοὶ, φιλοσοφίαν τινὰ λέγουσι πρώτην τὴν ποιητικὴν, εἰσάγουσαν εἰς τὸν βίον ἡμᾶς ἐκ νέων, καὶ διδάσκουσαν ἤθη, καὶ πάθη, καὶ πράξεις· *Antiqui dixerunt, poëticam eſſe primam philoſophiam, quæ à prima ætate vitam noſtram formet, doceatque mores, affectus, & actiones.* Itaque Lucianus Demonactem laudat, quòd non illotis pedibus aggreſſus eſſet philoſophiam: ſed priùs & in poëtarum lectione fuerit enutritus, & multos tenuerit memoriâ, & in dicendi arte fuerit inſtitutus. Καὶ ποιηταῖς σύντροφος ἐγένετο, καὶ τὰ πλεῖστα ἐμέμνητο, καὶ λέγειν ἤσκητο.

6. §. *Nec pueros modò; ſed omnes vulgares animas, rudiaque ingenia, fabulæ juvant.*

Nam, ut ibidem à Strabone dicitur ἰδιώτης πᾶς, καὶ ἀπαίδευτος, τρόπον τινὰ παῖς ἐστι. *Omnes rudes, ac literarum imperiti, quodammodo pueri ſunt.* Ea ratio eſt, cur oratores ſæpe fabellis perſuaſerunt populo, quòd non poterant ſeverâ oratione. Etiam hac de cauſſa Orientis populi uſque adeò fabulis gaudebant. Vide, quæ de utroque diximus in Inſtitutionibus Oratoriis lib. IV. cap. XI. ſect. III.

7. §. *Itaque veteres à Poëtica potiſſimùm incipere voluerunt futurum Oratorem.*

Idem præcipit Lucianus in Lexiphane. Non tamen ob ſolas fabulas, ſed ſimul ob totam elocutionem. Nam, ut Fabius Quinctilianus, ex Theophraſti ſententia, ſcribit, libro X. *A poëtis, & in rebus Spiritus, & in verbis ſublimitas, & in affectibus motus omnis, & in perſonis decor petitur.* Itaque & Petronii hoc conſilium eſt,

—— Det primos verſibus annos,
Mæoniumque bibat felici pectore fontem:
Mox & Socratico plenus grege, mutat habenas
Liber, & ingentis quatiat Demoſthenis arma.

Vide Tullianas Andreæ Schotti quæſtiones*: ubi docet, Poëticam, & Oratoriam, eſſe diſciplinas affines, ac priorem quidem ad alteram præparare.

* Pag. 91, 92. & ſeqq.

8. §. *Quod ſi futuro Oratori ſtudia à poëſi auſpicanda, quanto magis id faciendum futuro Poëtæ!*

Unde poëtam informans Horatius ſic ait †:

Os tenerum pueri, balbumque, poëta figurat.

† Lib. 2. epiſt. ad Auguſtum.

9. §. *Imò univerſè id dixeris, ex veterum ſaltem ſententia, optimè hinc initia capi, etiam iis, quos omnium exſpectatio imperio terrarum deſtinavit.*

Unde & Theodoſius Imperator, apud Claudianum ‡, ſic Honorio filio præcipit:

Interea Muſis, animus dum mollior, inſtes,
Et, quæ mox imitere, legas: nec deſinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetuſtas.

‡ Panegyri in quartum Honorii conſulatum.

CAP. X.

De nominis immortalitate, quam poëtæ conſequuntur. Atque hujus rei ſymbolum fuiſſe, quod coronarentur hederâ, quæ folia non amittit. Hinc & Calliopen à poëtis fingi hederaceâ inſignem coronâ. Cujuſmodi hede-

hederâ eam ad rem uterentur. Bacchum etiam hederâ coronari, quia refrigerat cerebrum, ubi quis largius ſe invitârit flore illo Liberi Patris. Item ea redimiri Priapum, tanquam ſymbolo amoris; quia non amantes ſe arctiùs amplectuntur, quàm hedera parietes, vel arbores, ubi ſe applicuerit. Poëtas etiam lauro coronatos; ut ſignificetur, lauri inſtar ſemper eorum nomen vireſcere. Dubitatum, an poëtæ, eo quòd non uno carminis genere excellerent, etiam ornarentur coronâ ex pluribus floribus conſertâ. Morem, quo poëtæ creantur laureati, non multò anteceſſiſſe annum abhinc trecenteſimum. Quamquam verò ſæpius indignis is honos conferatur: ſi tamen abuſus abſit, tam ferri poſſe, quàm illum creandi Doctores, aut Magiſtros. De claritate nominis, quàm poëſis aliis conciliat. Quanto apud Græcos in honore fuerit poëſis. Initio tamen ſorduiſſe Romanis: ſed poſtea ſuum illi precium fuiſſe. De more Romano adſurgendi in collegio poëtarum, ac theatro. De Hiarno apud Cimbros, per qualemcunque poëticæ notitiam, ad regale faſtigium evecto. Gemino honore dignos eſſe, qui non modò poëſi excellant; ſed togâ etiam, vel ſago, Remp. juvent. Nec tamen leve decus mereri, qui ſolùm carmine polleant: quodque nullâ immunitatis prærogativâ gaudeant, non eſſe ex poëtarum defectu, ſed Legis.

1. §. *Ad tot bona poëſios, quæ hactenus memoravimus, etiam illud accedit, quòd nomen pariant clarum, ac perenne. Vnde & coronabantur hederâ; quæ folia non deponit, ſed victrix eſt vetuſtatis.*

Virgil. Ec. VII:
Paſtores, hederâ creſcentem ornate poëtam.
Horatius lib. I. Epiſt.
—— Seu condis amabile carmen,
Prima feres hederæ victricis præmia. ——
Iccirco Ovidius, in ultimas relegatus terras, hederam, melioribus temporibus magis convenientem, imagini ſuæ demi cupit lib. I. de Triſtibus:
Siquis habes noſtris ſimiles in imagine vultus,
Deme meis hederas, Bacchica ſerta, comis.
Iſta decent lætos felicia ſigna poëtas.
Temporibus non eſt apta corona meis.
Atque idem de Catullo ait epicedio in Tibullum:
Obvius huic venies, hederâ juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.
Etiam in Propertio lib. II, & alios, magno numero, ſimilia legas.

Quin Calliopen ipſam hederâ coronatam inducit Ovidius lib. V. Faſtorum, ac V. Metamorphoſ. uti Muſas complures Propertius lib. III, ac Sappho apud Clementem Alexandrinum lib. II. Pædagogi cap. VI. Imò, Chriſtianus poëta, Prudentius ſic canit hymno ante cibum*: (* *Libro Cathemerinon.*)

Sperne, Camena, leves hederas,
Cingere tempora queis ſolita es:
Sertaque myſtica, dactylico,
Texere docta, liga ſtrophio,
Laude Dei redimita comas.

Hæc quævis tamen hedera erat idonea poëtis coronandis. Quod indicat locus ille Plinii lib. XVI. cap. XXXIV: *Alicui & ſemen nigrum, alicui crocatum; cujus coronis poëtæ utuntur, foliis minùs nigris; quam quidam Dionyſiam, alii Bacchicam vocant, maximè inter nigras corymbis.* Hanc iccirco Poëticam dixere; ut ex Dioſcoride conſtat. Alioqui hedera etiam Bacchi, & Priapi, fuit; qui à Baccho accepiſſe inde coronam dicitur. Baccho hederacea corona eſt tributa, quia vim habet refrigerandi: eoque arcet χαρηβαρίαν †: ut eſt apud Plutarchum lib. III. Sympoſiacôn. Sic Ovid. VI. Faſt. († *Dolorem capitis e crapula.*)
Bacche, racemiferos hederâ redimite capillos,

Vera eſt ratio, quam attuli: ſed à fabula arceſſere maluit Ovidius in III. Faſt.
Cur hedera hæc ſumta eſt? hedera eſt gratiſſima Baccho.
Hoc quoque cur ita ſit, dicere nulla mora eſt.
Nyſiadas nymphas, puerum quærente novercâ,
Hanc frondem cunis oppoſuiſſe ferunt.
Quod etiam legas apud Nonnum in nono Dionyſicôn:

Τὸν * μὲν ὑπερκύψαντα θεηγενέος τοκετοῖο
Στέμματι κισσήεντι λεχωΐδες ἔστεφον Ὧραι. (* *Quem quidem emergentem ex à Deo facto partu Coronâ hederaceâ partui præfectæ coronarunt Horæ.*)

Ait doctiſſimus Carolus Paſchalius lib. I. Coronarum cap. XVI, Ovidium, ſi non hæc verterit, ſaltem inde ſumſiſſe, quæ proximè attuli. Qui mirus eſt ἀναχρονισμὸς, cum Ovidius Nonnum annis anteceſſerit quadringentis. Non hoc excidiſſet eruditiſſimo viro, ſi cogitâſſet, Nonnum, cùm priùs Διονυσιακὰ ſcripſiſſet: ut Eccleſiæ poëſin ſuam probaret, carmine expreſſiſſe B. Joannis Euangelium, atque ita, pro laudibus Bacchi, ceciniſſe laudes Chriſti. Priapum verò ſimiliter fuiſſe coronatum, cognoſcimus ex Theocrito Epigr. III. Cauſſa eſt, quòd hedera ſit amantium: Unde Luciano vocatur φιλέρως †. Videlicet libidinis, & ſalacitatis ſymbolum viſa eſt, quòd arctè adeò hæreat parieti, vel arboribus, vel quæcunque amplexa eſſet. Hinc Horatius lib. I. od. XXXVI; († *Amans amantium.*)

—— Nec Damalis novo
Divelletur adultero,
Laſcivis hederis ambitioſior.

2. §. *Nec hederâ ſolùm coronati poëtæ, ſed etiam lauro. Nempe, quia ſemper vireat optimum eò viſa ſymbolum nominis ſemper vigentis.*

Unde Heſiodus, in Theogonia, ſibi etiam ſceptrum lauri præviridis datum ait à Muſis, cùm vocem divinam inſpirarent. De Pindaro Horatius lib. IV. od. II:
Laureâ donandus Apollinari.
Ovidius lib. II. de Ponto ad Solanum:
Thyrſus enim vobis, geſtata eſt laurea nobis.
Propert. lib. IV. eleg. VI:
Pura novum vati laurea mollit iter.
Eò autem lauru poëtæ coronati, quia hæc arbor ἀειθαλὴς, hoc eſt, ſemper virens: uti ſemper vitent, vigentque, carmina poëtarum. Niſi cum poëtis malis id factum exemplo Apollinis, vatum principis, qui Delphis è lauru dabat oracula. Cauſſam ajunt, quia non tangatur fulmine. Hanc tamen opinionem eſſe falſam, oſtendimus lib. ſecundo de Origine & progreſſu Idololatriæ cap. XII.

3. §. *A quibuſdam traditum eſt, ſiqui pluribus carminum generibus excellerent, pancarpiâ coronari ſolere.*

Uti à Gyraldo Hiſt. poëtarum lib. I. Nec abſurdus mos fuerit, quando, ut Feſtus ait, *pancarpiæ dicuntur coronæ, ex vario genere florum factæ.* Anacreonti vocatur μίτρα πολυάνθεμος ‡. Sed enim non occurrit nunc animo ſcriptor idoneus, qui iſtius moris fidem faciat. (‡ *Mitra multis floribus inſignis.*)

4. §. *Etſi vero conſuetudo coronandi poëtas eſt perantiqua: ſatis tamen recens mos ille, ut à principe aliquis poëta fiat laureatus; ut qui non multò ante Petrarchæ tempora cœperit.*

Invehitur in eum morem Lilius Gyraldus dialogo I. Hiſtoriæ Poëtarum*. Qui feſtivè addit, multos talium non mereri coronam ex hedera, vel lauro; ſed urticâ, betâ, vel braſſicâ. (* *Pag. 15.*)

5. §. *Non*

5. §. *Non tamen eam conſuetudinem magnopere culpâro, modò abuſus abſuerit. Cur enim non æque in poëſi aliquis publico poſſit teſtimonio ornari, quàm in philoſophia, medicina, jure, aut theologia? Quæ conſuetudo non paullo eſt antiquior.*

Præſertim in juriſprudentia: in qua illæ Doctores creandi mos cœpiſſe creditur circa tempora Cæſaris Lotharii Saxonis. Is Henrico V. in imperio ſucceſſit anno cIↄcxxv. A Juriſconſultis verò mos hic fluxit ad Theologos. Apud Græcos tamen initia ejus rei aliqua fuiſſe exiſtimantur, jam ante annum Chriſti quadringenteſimum. Hoc inde Middendorpius *, & alii, colligunt, quòd Baſilius Athenis deſpexiſſe dicatur omnia profeſſionis inſignia, quia ſolâ eſſet doctrinæ utilitate contentus. Sanè eo tempore Athenis obtinuiſſe illud examinis genus, quod nunc *depoſitionem beanorum* vocant, ſatis eſt apertum ex oratione funebri, quàm Gregorius Nazianzenus habuit in laudem S. Baſilii †.

* *Lib.* 1. *de Academiis c.* 7.

† *Pag.* 327 *edit. Morell. an.* 1609.

6. §. *Nec poëſis ſcribentibus ſolùm nominis parit immortalitatem; ſed etiam iis, qui verſibus celebrantur.*

Sic Syneſius epiſt. XLIX, Hieronem à Simonide ait poſteris commendatum: ac Anthemium ſimiliter ſemper celebratum iri beneficio carminis, quod honori ejus ſcripſerat Theotimus. Subjicit deinde hanc ſententiam: Ποιητικῇ γὰρ ἔδωκεν ὁ θεὸς ταμιεύειν ‡ τὴν εὔκλειαν. *Poëticæ iſtoc Deus conceſſit, ut nominis honorem diſpenſet.*

‡ *Al.* ἀποταμιεύειν.

7. §. *Quis verò ignorat, non ſolùm laude dignos, ſed etiam eâ indignos, eſſe laudis avidos? Quare licet poëſis præcipuè laudem mereatur, quòd purget animum vitiis, ac virtutem cum voluptate mentibus inſtillet: non leve tamen momentum, ad ſtudium hoc honorandum, attulit innata omnibus laudis cupido. Itaque nihil mirandum, ſi cunctis penè gentibus tanto in honore fuerint poëtæ; apud Græcos inprimis.*

Argumento eſt, quòd Phalaris ipſe Steſichoro mortuo, quicum vivo illi fuerat ſimultas, templum juſſerit exſtrui. Quod item Alexander Magnus tanti fecerit Homerum, ut ejus Iliada, divinum poëma, & rei militaris viaticum, vocaret: imò ſcriniolo ex Darii Codomanni ſpoliis, auro gemmiſque pretioſiſſimo, adſervaret; noctu pulvino unà cum pugione ſubjiceret, cum eo vigilaret, cum eo dormiret. Quòd item, Lacedæmoniorum ſecutus exemplum, cùm Thebas diriperet, ædibus Pindari pepercerit; ut teſtatur Plinius lib. VII. cap. XXIX. Idemque, ut indicat Horatius lib. 1. epiſt. 1, Chœrilum poëtam, quamvis ignobilem, in deliciis haberet. Quin ipſum Apollinis oraculum, ut inquit Incertus apud Euſebium, * unde multa depromit, Euripidem laudibus extulit; & Archiam, quòd Archilochum poëtam interemiſſet, de templo exire juſſit. Et ſanè, niſi apud gentes in honore fuiſſent poëtæ, non teſtimoniis poëtarum Græcorum, Arati, Menandri, Epimenidis, uſus fuiſſet Apoſtolus Act. XVII, & 1 Cor. XV, & Tit. 1.

* *Lib.* 9. *Præparationis Evangelicæ cap.* 33.

8. §. *Aliquando tamen poëtica, apud Romanos ipſos, nullo in pretio fuit.*

Auctor nobis Cato Cenſorius carmine de Moribus: unde hæc Agellius † adducit: *Poëticæ artis honos non erat. Siqui in ea re ſtudebat, aut ſeſe ad convivia applicabat, graſſator vocabatur.* Ubi *graſſator* eſt adulator, & paraſitus. Nam, ut Feſtus ait, *graſſari antiqui ponebant pro adulari.* Itaque & à Catone id Marco Fulvio Nobiliori probro verſum fuit, quòd Conſul ſecum Ennium in provinciam duceret: ut eſt apud Ciceronem Tuſcul. 1. Verba Ciceronis ſunt: *Honorem huic generi* (poëticæ) *non fuiſſe, declarat oratio Catonis; in qua objecit, ut probrum, quòd is in provinciam poëtas duxiſſet: duxerat autem in Ætoliam conſul ille, ut ſcimus, Ennium.* Jure verò aliquis miretur, qua fronte Cato hoc vitio verterit Fulvio Nobiliori, qui ipſe antea, prætor in Sardiniam miſſus, eumpſe Ennium aſſumſerit. Sic enim de eo ſcribit Sextus Aurelius Victor, ſive quiſquis ſcriptor ille de viris illuſtribus, cap. XLVII: *Marcus Porcius Cato in Prætura Sardiniam ſubegit: ubi ab Ennio Græcis literis inſtitutus.* Conferamus cum iſtis, quæ de Catone, Ennioque, in Catonis vita ſcribit Cornelius Nepos: *Prætor provinciam obtinuit Sardiniam; ex qua, Quæſtor ſuperiori tempore ex Africa decedens, Quintum Ennium Poëtam deduxerat: quod non minoris æſtimamus, quàm quemlibet ampliſſimum Sardinienſem triumphum.* Videmus aperte hîc dici, quæſtorem fuiſſe, cùm abduceret Ennium è Sardinia: poſtea eodem rediiſſe prætorem. De comite aſſumto tum Ennio, altum ſilentium eſt. Nunc temporibus hæc diſtinguamus. Cato ſub P. Cornelio Scipione, proconſule, qui poſtea dictus eſt Africanus, quæſtor in Africa fuit, anno Urbis IↄL, M. Cornelio Cethego, & P. Sempronio Tuditano coſſ. Cumque non poſſet ſatis convenire cum ſuo proconſule, exitu anni ex Africa per Sardiniam redit Romam: ac tum è Sardinia Romam traduxit Ennium: qui exinde in Aventino monte habitavit parco ſumtu contentus, & unius ancillæ miniſterio: ut eſt apud Euſebium in Chronicis. Sexennio autem pòſt Cato in Sardiniam rediit prætor; nempe anno Urbis IↄLVI, Tito Quinctio Flaminino, & Sexto Ælio Pæto coſſ. Fuit hoc novennio antequam Fulvius Nobilior, adſumto comite Ennio, in Ætoliam profectus eſt. Contigit enim id anno Urbis IↄLXV. eoque annis XV, ex quo Ennius veniſſet Romam. Non poſſum in animum inducere, id Catonem fuiſſe vitio verſurum, quod egiſſet prior. Quare omnino falli exiſtimo Illuſtrium vitarum ſcriptorem, cùm ait, Catonem ſecum in provinciam deduxiſſe Ennium. Nec grave videri debet, ſi ab eo abeamus, qui toties abit à veritate: ut vel in hac ipſa narratione. Nam ait, Sardiniam à Catone prætore ſubactam fuiſſe. Atqui ex Livio, & Plutarcho, conſtat, tum nullum fuiſſe in ea bellum. Pluribus hæc perſecutus fui, quia video, eâ in parte aberratum eſſe à viris aliquot doctis: in his etiam optimo, & doctiſſimo, &, dum viveret, amiciſſimo, Paullo Merulæ, in vita Enniana.

† *Lib.* 19. *cap.* 2.

9. §. *Utcumque verò Poëtica difficiles habuerit ortus in agreſti illo & militari populo: poſtquam tamen ſemel recepta eſt, major majorque ei honos fuit.*

Nec ſanè Cato, etſi iniquior poëtis foret, eos planè contemſit. Alioquin enim Ennium non abduxiſſet Romam. Sed meliùs eorum virtutes perſpexit Fulvius Nobilior; qui, ut vidimus, hunc comitem aſſumſit in Ætoliam iturus. Atque ab eo alia quoque facta, quibus amorem erga Ennium ſuum, & univerſam poëſin, comprobaret. Ut, quòd Ætolici belli manubias non Marti, ſed Muſis, ſacravit. Sic enim Cicero pro Archia: *Iam verò ille, qui cum Ætolis, Ennio comite, bellavit, Fulvius non dubitavit Martis manubias Muſis conſecrare.* Atque idem, Cenſor anno Urbis IↄLXXV, exſtruxit ædem Herculis Muſarum, Ovidio etiam memoratam in VI. Faſtorum, & Macrobio lib. I. Saturn. cap. XII. Sed illuſtris inprimis de eo locus eſt Eumenii Rhetoris orat. pro ſcholis inſtaurandis: *Ædem Herculis Muſarum in circo Flaminio Fulvius ille nobilior ex pecunia Cenſoria fecit, non id modo ſecutus, quod ipſe literis, & ſummâ * Poëtæ amicitiâ duceretur: ſed quod in Græcia, cùm eſſet imperator, acceperat, Herculem Muſagetem eſſe, id eſt, comitem, ducemque Muſarum. Idemque primus novem ſigna, hoc eſt, omnium Camenarum, ex Ambracienſi oppido tranſlata, ſub tutela fortiſſimi numinis conſecravit,*

* *Niſi mavis, ſummi. Quomodo & Cicero orat. pro L. Cornelio Balbo de Ennio ait, Summus Poëta noſter.*

ut res eſt, quia mutuis operibus, & præmiis, juvari; ornarique deberent, Muſarum quies defenſione Herculis, & virtus Herculis voce Muſarum.

Nec Fulvio ſolùm charus Ennius erat: ſed etiam Scipioni Africano ſuperiori; ut Cicero pro Archia ait. Ac quam familiaris idem fuerit Scipioni Naſicæ, liquet ex iis, quæ de duobus illis narrat idem in ſecundo de Oratore, Archias quoque apud Marium, & Lucullum in precio fuit. Imò, non multò pòſt poëſin admiſſam, etiam collegium poëtarum inſtitutum eſt Romæ. In quo ei, qui principatum obtineret, cæteri adſurgebant. Eoque fortaſſe Maro reſpiciens, in Ecloga ad Gallum ait:

Utque viro Phœbi chorus aſſurrexerit omnis.

Nec tam dignitatis hic ratio habebatur, quàm doctrinæ. Itaque Attius poëta, in collegio poëtarum, non adſurgebat. C. Cæſari Straboni, viro ſummæ dignitatis, qui Mariano periit bello. Valerium Maximum* de eo audiamus: *Is Julio Cæſari, ampliſſimo, & florentiſſimo viro, in collegium poëtarum venienti, nunquam adſurrexit: non majeſtatis ejus immemor, ſed quòd in comparatione communium ſtudiorum aliquanto ſuperiorem ſe eſſe confideret.* Sed de honore, qui poëtis habitus eſt à Romanis, longum fit ſingula recenſere. De Marone ſolùm dicam, quod Tacitus refert, vel alius, in dialogo de Oratoribus: *Malo*, inquit, *ſecurum, & ſecretum Virgilii ſeceſſum: in quo tamen neque apud divum Auguſtum gratiâ caruit, neque apud populum Rom. notitiâ. Teſtes Auguſti epiſtolæ, teſtis ipſe populus, qui, auditis in theatro verſibus Virgilii, ſurrexit univerſus, & forte præſentem, ſpectantemque, Virgilium veneratus eſt, ſic quaſi Auguſtum.* Is aſſurgendi in theatris honos ratus erat, & Auguſtæ domûs proprius: unde hic Maronem dicuntur veneratì, ut Auguſtum. Imò ne quidem nepotibus ſuis præſtari eum voluit Auguſtus, quia metueret, ne ſic nimium inflarentur. Suetonius Aug. *Nepotibus ſuis prætextatis adſurrectum ab univerſis, & à ſtantibus plauſum, graviſſimè eſt queſtus.* Viatico ſit opus poëtas conſecutos enumerare volenti: ex quibus Auſonius à Gratiano etiam conſulari ornatus dignitate. Quid memorem gentes barbaras? uti Gallos; de quorum vatibus antea dixi: item Cimbros; qua in gente illud mirandum, quòd tanto iis in pretio fuerit poëſis, ut Hiarnum, quia Frotonem regem epitaphio ornaſſet, regem fecerint. Eâ de re ſic Saxo lib. VI: *Carmine edito, auctorem Dani diademate muneratì ſunt. Ita ab eis epitaphium regno repenſum, imperiique pondus paucarum literarum contextui donatum eſt. Adeo exili impendio ingens præmium ſtetit.*

* Lib. 3. cap. 8.

10. §. *Quamvis verò poëtis omnibus honos non levis debeatur: longè tamen amplius merentur poëtarum illi, qui non in umbris parietum ſeſe continent; ſed res etiam ipſi pace, vel bello, gerunt.*

Quales fuere apud Græcos Alcæus, Archilochus, Tyrtæus, Sophocles: apud Latinos Gallus, Tibullus, Germanicus, Silius, atque alii: majorum item ævo nonnulli; ac noſtrâ ætate illuſtriſſimus vir Hugo Grotius; poſt honores in patria, quomodocunque de ſe merita, regni Suedici ad regem Chriſtianiſſimum legatus; quo de viro quicquid dixero, minus erit. Ad eos verò, qui nullam Reip. partem attingunt, neque alio proſunt, quàm poëtando domi, pertinet illud imperatoris Philippi Auguſti†: *Poëtæ nullâ immunitatis prærogativâ juvantur.* Ubi de poëtis ſermo eſt, quatenus ſunt poëtæ, nec aliâ re detinentur. Quamquam profectò non video, cur non illis etiam immunitas debeatur, qui, nullâ re aliâ occupati, carmine res geſtas, vel alia, ævo digna, poſteris prodant. Eoque placet ſententia juriſconſultiſſimi Jacobi Cujacii‡, cui & Scipio Gentilis* ſe ſubſcribere ait. Is dicere ſolebat, poëtas immunitatem habere nullam, non quia non ſint digniſſimi; ſed quia lex deficiat. Quod ſanè eſt in Principem, vel Senatum, culpam conferre: & meritò quidem, ut mihi videtur.

† L. Poëtæ De Profeſſ. Cod. lib. 10.

‡ L. Poëtæ De Profeſſ. Cod. lib. 10.

* Lib. 2. Παρέργ. cap. 1.

Cap. XI.

Acceſſum ad efficientem Poëſios cauſſam: quæ triplex, natura, conatus rudis carminis, & artis perfectio. Naturæ nomine contineri, tum εὐφυΐαν, ſive ingenii felicitatem, de quo hoc capite agitur: tum ὁρμὴν ſive impetum, quem furorem poëticum vocamus, de quo cap. proximo dicetur. In εὐφυΐᾳ attendi facilitatem concipiendi animo ideam, quam imitatione exprimas. Ideam hanc partim eſſe ab imitandi amore; partim à voluptate, quæ ex imitatione naſcitur. Innatum hoc imitandi ſtudium etiam in aliis diſciplinis, atque artibus, locum habere. Nam inde eſſe, quod oratorum aliqui exemplis potiùs gaudeant, quàm enthymematis. Nec minus picturam, & artes ſimiles, imitationi originem debere. Cùm verò inſit cunctis æmulandi ſtudium, variare tamen pro ingenio: ac quo quis illo magis valet, eo feliciùs imitari; tales autem fuiſſe, quibus Poëſis originem debet. Imò, quia alii magis ingenio pollerent in rebus gravibus, alii verò levioribus: hinc orta eſſe duo poëſios genera; leve in Homeri Margite; grave non in Iliade modò, ſed etiam Odyſſea; etſi aliter crediderit vetus Terentii interpres.

1. §. *Hactenus actum de fine, uſu, honore poëſios. Aggrediar nunc exponere, quæ ad cauſſam efficientem, atque inventionem, pertinent. Atque, ut antea fecimus, ita hîc etiam diſtinguere oportet inter Poëticam laxiùs ita dictam, & illam, quæ, excellentiori ratione, ſic nuncupatur. In priori attendimus carmen: in poſteriori figmentum. De carminis, hoc eſt, Muſicæ, ſive metricæ artis origine, diximus cap. III; ubi oſtendimus, quomodo avium imitatione cani cœptum ſit; atque hoc artificium præcipuè debeatur paſtoribus otioſè conſidentibus, ac vel amores ſuos, vel aliud, meditantibus. Quibus verò gradibus paullatim hæc ars aſſurrexerit, donec ad faſtigium perveniret; meliùs poſtea dicetur. Nunc verò, & cap. proximo, loquar de ea poëſi, quam propriè, ac κατ' ἐξοχὴν, hoc nomine Ariſtoteles dignatur. Cauſſæ ejus poëſios tres ſunt: primùm natura; hinc fortuita quædam, eoque rudia poëſios initia, & ſine arte; ac denique ars ipſa.*

Ariſtotelem in eo ſequentes, tria ſtatuimus poëticæ principia, τὴν φύσιν, τὰ αὐτοσχεδιάσματα, καὶ τὴν τέχνην*. Quomodo in choris factum videmus. Naturâ enim eſt pedum motio. Hinc contigit, ut pedes moverent ad numeros inconditos. Tandem inde ars obſervata, ordinataque.

* Naturam, initia quædam quaſi extemporalia, & artem.

2. §. *Ad artem quæ pertinent, tribus libris exponimus. Hoc verò libro, qui ad tres illos quaſi manuductio eſt, partim de naturali agam principio, partim de inconditis initiis.*

De quo univerſè quædam vidimus cap. V: ubi diſquiſitum, ecqua ſit ars poëtice, cùm multi veterum ſoli eam naturæ tribuere videantur. Iis miſſis, particulatim nunc, quale id principium ſit, oſtendam.

3. §. *Naturæ verò nomine complector, tum ingenii bonitatem, ſive vim excogitandi naturâ homini inſitam, innatamque; tum etiam impetum illum naturæ, quo rapimur ad poëma condendum. Tralatitiè eum furorem appellant; quia, quaſi noſtri non ſimus, alienos mores, & affectus, adſumimus.*

Naturâ homini inſita ſunt principia quædam, unde ars omnis proficiſcitur. Longinus hæc appellat ἀρχέτυπα στοιχεῖα

χεῖα γενέσεως, hoc eſt, *elementa generationis*; nempe quia inde ars omnis, velut è ſemine, producitur. Sed natura non eodem modo eſt adfecta. Multi enim nihil poſſunt, niſi quaſi furore quodam correpti. Unde Ariſtoteles ait: Διὸ εὐφυοῦς ἡ ποιητική ἐστιν, ἢ μανικοῦ. τούτων γὰρ οἱ μὲν εὔπλαστοι, οἱ δὲ ἐκστατικοί εἰσιν. *Iccirco aut ingenioſi eſt poëtica, aut furioſi. nam horum illi quidem ad fingendum idonei ſunt, hi verò facilè extra ſe rapiuntur.* Quibus verbis gemina adfertur cauſſa poëticæ facultatis. Una ineſt ab ortu; altera eſt adventitia. Prior eſt εὐφυΐα, ſive ingenii felicitas. Hæc enim facit, ut alii præ aliis à pueris ſint ingenio perſpicaciori, atque ad fingendum magis idonei. Quod quia eſt φαντασίας munus, inde eſt, quòd requiritur in poëta, ut ſit εὐφαντασίωτος. Quod ſi audimus Julium Firmicum*, poëtæ & divinis carminibus nobiles naſcuntur, ſi Luna defluens à Mercurio, in nocturnâ genitura plenâ luminibus ad Mercurium feratur.

* Lib. 4. cap. 17.

Poſterior cauſſa eſt μανία, ſive ἔκστασις, quâ fit, ut homo extra ſe rapiatur, ſuique immemor alium hominem induat, ejuſque cogitationes ac ſermones aliis repræſentet. De his duabus cauſſis fuſiùs aliquanto dicemus.

4. §. *Utraque verò, & naturæ inquam felicitas, & furor ille, ideam ſibi habet propoſitam: quæ & ipſa ad efficientem cauſſam refertur.*

Nec enim tam Platoni aſſentimus, quatuor receptis cauſſarum generibus quinctam addenti, ἰδέαν vel παράδειγμα: quàm Ariſtoteli lib. VII. Metaphyſ. cap. VII. contr. XXIII, ubi ἰδέαν refert ad cauſſam efficientem. Nam materialem domum effici ait à domo, quæ eſt in mente architecti, & ſanitatem effici in ægro à ſanitate ea, quæ eſt in medici animo. Pluraque de iſto Scotus in I. Sent. Diſt. II, & XXXVI; item Pererius lib. VIII. de communibus Nat. Principiis & affect. cap. I.

5. §. *Hæc idea naſcitur ex imitandi ſtudio: quod naturâ quidem eſt homini inſitum: ſed augetur voluptate, quæ imitando capitur.*

De natura nemo ambigit. Nam ſatis conſtat, phantaſiam in homine eſſe vegetam, & efficacem magis, quàm in multis animantibus: unde fit, ut homo animal ſit μιμητικώτατον †. Certè pueri etiam τῶν ἀλόγων ‡ voces examuſſim exprimunt, & rerum quarumvis figuras ex argillâ, cerâ, aut aliâ ſolidiori materiâ, effingunt, vel picturam imitantur. Non tamen hæc ratio ſufficit, quia utut animis hominum innatum eſſet imitandi ſtudium; non iccirco in eo operam ſuam collocarent, niſi jucundum hoc ipſum foret, atque in honore haberent. Propterea alteram addimus rationem, quòd omnes delectationem capiant ex operibus imitatione expreſſis: adeò quidem, ut cum voluptate intueantur picturas rerum, etiam vilium, abjectarumque; ſicuti ſcarabæi, muſcæ; tum item earum, quæ, ſi ipſæ oculis cernerentur, horrorem, terroremque maximum incuterent. Nec illud leve hujus rei indicium eſt, quòd loqui, legere, ſcribere, aliaque, quæ ad prima puerorum rudimenta pertinent, picarum, aut pſittacorum inſtar conſequamur per imitationem. Argumento etiam eſt, quòd in diſciplinis frequens eſt uſus exemplorum; quæ ſcientiarum eſſe vades, præclarè dicebat Plato. Imò verò Ariſtoteles ipſe, cùm lib. I. Rhetoricorum * docuiſſet. Oratorum alios eſſe ἐνθυμηματικοὺς †, alios verò παραδειγματώδεις ‡, adjicit, magis quidem eum θορυβεῖσθαι, ſeu commovere ac conturbare animum, qui, ut cum poëta * loquar,

—— *Curtum ſermone rotato*
Torqueat enthymema:

attamen non minùs aptam eſſe ad perſuadendum orationem illam, quæ utitur exemplis, quàm quæ abundat enthymematis. Quin, ut idem vult in problematis, ſectione XVIII. quæſt. III: Τοῖς παραδείγμασιν χαίρουσιν οἱ ἄνθρωποι ἐν ταῖς ῥητορείαις, καὶ τοῖς λόγοις μᾶλλον τῶν ἐνθυμημάτων. *Homines, in oratione aliquâ de re fuſa, magis exemplis, & fabulis, gaudent, quàm enthymematibus.* Ejuſque rei rationes ibidem aſſignat philoſophus.

† Maximè aptum ad imitandū.
‡ Rationis expertium.
* Cap. 2. ex vulg. diſtinct. ſive ſecundùm illam Barbari, ac Sturmii cap. 11.
† Enthymemata frequentantes.
‡ Exemplis probantes.
* Iuvenalis ſat. 3.

Atque hæc quidem poëſios origo fuit: quemadmodum & ab eodem imitandi ſtudio initium duxere ſcalptura, pictura, & hiſtrionice. Nam ut hæ imitantur figurâ, colore, voce; ita poëſios ſpecies imitantur ſermone, harmoniâ, & numero.

6. §. *Etſi autem τὰ μιμήματα, ſeu rerum imitationes, tantopere omnes afficiant: neutiquam tamen exiſtimandum eſt, parem fuiſſe in omnibus rationem. Nam quibus ingenium contigerat acrius, atque uberius, hi in imitando cæteris erant feliciores: atque iſtiuſmodi fuerant, à quibus Poëtice potiſſimùm cepit initium.*

Præſertim illa, quæ non ſolùm ſpiritu poëtico animat verba à vulgo remota: ſed etiam actiones imitatur. Majori enim εὐφυΐας, ſive ingenii acrimoniâ, opus ἐν μιμήσει τῶν πραγμάτων κατ' εἶδος *: longè autem minori, ubi fictione nihil, vel non multùm, opus: ut in hymnis, & ſimilibus. Exemplo ſit Callimachus, qui cùm ingenio parum poſſet, ſi Ovidio credimus, arte tamen valuit.

* Imitatione actionum particularium.

7. §. *Etiam hæc ingeniorum diverſitas fecit, ut diverſæ eſſent poëſios ſpecies. Nam cùm duo ſint hominum genera, σεμνότεροι, ſeu* graviori præditi ingenio; *& εὐτελέστεροι, ſive* leviores: *illi quidem imitati ſunt actiones graves, & honeſtas; hi verò leviores, & pravas: atque ita duo ſunt orta poëmatum genera; unum grave, ac honeſtum; alterum humile, ac convitiis indulgens. Homerus, qui utroque ingenio fuit, utriuſque reliquit exemplum.*

Non tamen audiendus Eraſmus, qui ſecutus Cornutum, ſive Aſperum, vel quiſquis is eſt, cujus de Comœdia & Tragœdia libellum habemus (Euanthium videri, alibi dicetur) ab Homero putat Iliadem inſtar Tragœdiæ, Odyſſeam ad imaginem Comœdiæ, factam. Siquidem utrobique ſunt actiones graves; neque differunt alio, quàm quòd in Iliade corporis fortitudinem; in Odyſſea animi præſtantiam repræſentare voluerit; quemadmodum ſcribit Plutarchus. Quare veteres audiamus; quorum judicio, Homerus graviores actiones expreſſit in Iliade, & Odyſſeâ: at leviores imitatus eſt in Margite; cujus poëmatis, præter Platonem, & Ariſtotelem, meminit Harpocration; qui in lexico decem Rhetorum, ex Marſyæ de geſtis Alexandri hiſtoriarum opere, teſtatur, hoc poëmatis nomine Alexandrum Magnum à Demoſthene appellatum fuiſſe. Addit autem, ἐκάλουν δὲ τοὺς ἀνοήτους οὕτω διὰ τὸν εἰς Ὅμηρον ἀναφερόμενον Μαργίτην, ὅπερ ποίημα Καλλίμαχος θαυμάζειν ἔοικεν. hoc eſt, *Vocabant autem fatuos hoc modo, ob attributum Homero Margitem; quem Callimachus admirari, atque in deliciis habere, ſolet.* Atque ex his quidem priorem Poëtices cauſſam, quæ ab origine homini ineſt, liquidò perſpicimus.

CAP. XII.

De impetu naturæ, ſive furore poëtico: qui quadruplex creditus; vaticinii ab Apolline; myſticus, Liberi; poëticus, Muſarum; amatorius Veneris, ac Cupidinis. Quantam putarint vim furoris à Muſis immiſſi. Longè aliam fuiſſe Ariſtotelis opinionem: qui impetum illum, ſive furorem malis dicere, ab acrimonia atræ bilis eſſe judicabat: quod etiam in Sibyllis fieri credidit. A quibuſdam hæc ſic conciliari, quòd Muſa, vel dæmon, etiam bilem commoveat. Sed nihil opus eſſe motu dæmoniaco; cùm ſufficiat, hominem in-

ingenioſum commoveri, ſive ab acrimoniâ atræ bilis; ſive amore, irâ, dolore, aliove affectu; vel vino; vel muſicis inſtrumentis; vel etiam præſtantium poëtarum lectione. Unde ſit, quod Poëtæ finxerint, qui uno è tribus fontibus bibiſſent, poëtas fieri. Perperam dici, Aganippen ungulâ Pegaſi apertam; quod ſolùm de Hippocrene, & Pirene, proditum. Somnium eſſe, ſomniantes in Parnaſſo fieri poëtas: ac origo ejus commenti ab Ennio: & ſimile figmentum Heſiodi, poëtam ſe factum, dum pecus paſcit in Helicone. Heliconis, ac Parnaſſi, *etymon. Muſices, ac poëſios initium à paſtoribus. Cur fontes, & montes, quos dicebamus, Muſis fuerint conſecrati.*

1. §. *Ab εὐφυΐᾳ ad alteram venio naturæ partem, quæ extrinſecus accedere creditur. Eſt ea mentis excitatio, quæ vocatur θεῖον πνεῦμα, ſive ἐνθουσιασμός.*

Nec mirandum, ſi ſpiritus ille, quem æthereo ab axe venire poëtæ ajunt, φύσεως nomine comprehendatur. Quippe & εὐφυΐα inde promanat. Itaque Julianus Deſertor, cùm tria hæc requiſiviſſet in Muſico ſive poëta, ac philoſopho, ingenium, amorem philoſophandi, atque otium: mox, pro tribus iſtis, dicit Dei ſpiritum, amorem, & tempus. Sed operæ ſit ipſum audire Julianum; è cujus epiſtola hæc à Suida in Ἀμφίων referuntur: Περίεστι γάρ σοι, καὶ σχολὴ, καὶ φύσεως ἔχεις εὖ, καὶ φιλοσοφίας ἐρᾷς, εἴπερ τις ἄλλος τῶν πώποτε. τρία δὲ ἅμα ταῦτα συνελθόντα ἤρκεσεν ἀποφῆναι τὸν Ἀμφίονα, τὸν παλαιᾶς Μουσικῆς εὑρετὴν, χρόνος, Θεοῦ πνεῦμα, ἔρως ὑμνῳδίας. *Eſt enim tibi, & abundans otium, & bono vales ingenio, & philoſophiam amas, ſi alius unquam. Hæc autem tria ſimul juncta Amphionem, veteris Muſicæ inventorem, efficere potuerunt: videlicet tempus. Dei ſpiritus, & amor canendorum hymnorum.* Hunc Dei ſpiritum, ſive excitationem mentis, etiam requirit M. Tullius, epiſtolâ quadam ad Q. Fratrem, ubi ſe purgat, quòd non pangat promiſſum carmen, ac ſic ſe excuſat: *Sed abeſt etiam ἐνθουσιασμός.* Ubi, quid Græca vox ſignet, ex Ciceronis orat. pro Archia intelligere eſt, cùm ait: *Poëtam naturâ ipſâ valere, & mentis viribus excitari, & quaſi divino quodam ſpiritu afflari.* Nam extremis verbis ἐνθουσιασμὸν interpretatur. Nec difficile inter gentes fuit perſuadere, omne hoc provenire ab afflatu divino: quippe quæ adſueviſſent oraculis: ea autem qui funderent, bellè adflatum ſimulabant; neque qui plus ſaperent vulgo, facilè auſi fuiſſent detegere fucum, cùm totum hoc negotium non ſacerdotali modò, ſed etiam fraude conſtaret regum, ac virorum principum. Poëtæ autem, quia à ſacerdotibus alebantur, ut verſibus ambiguis conſignarent, quæ juſſiſſent ſacerdotes, ſedulò horribile illud ſecretum occultabant. Hoc enim ut fieret, ex re communi erat. Uti verò in oraculis *furorem* vocabant, unde Maro in VI. de Sibylla,

Ut primùm ceſſit furor, & rabida ora quierunt.

ita in poëtis quoque *furorem* dixere, ſed διαφερόντως *poëticum*; ne cum vulgari furore confunderetur, ut fiebat quandoque. Unde ſic Juvenalis ſcholiaſtes ad ſat. VIII. verſ. CCXXI: *Hoc ideò, quia Nero Troados libros ſcripſit. Unde & maximè inſanivit, quia poëta fuit.* Furorem in poëta etiam exigebat Democritus Abderita, magnus omnino vir. Horat. epiſtolâ ad Piſones:

—— Excludit ſanos Helicone poëtas
Democritus.

Ac Democriti quidem hæc verba adducit Dio Chriſoſtomus orat. LIII, quæ eſt de Homero: Ὅμηρος φύσεως λαχὼν θεαζούσης, ἐπέων κόσμον ἐτεκτήνατο παντοίων, ὡς οὐκ ἐὸν ἄνευ θείας καὶ δαιμονίας φύσεως, οὕτως καλὰ καὶ σοφὰ ἔπη ἐργάσασθαι. Id eſt: *Homerus naturam fortitus numine afflatam, omnigenorum carminum ornatum fabricatus eſt: ut fieri non potuerit, ut abſque divina, & afflata natura, ita pulchra & ſapientia carmina componerentur.* Quæ verba non ſolùm pertinent ad ingenii præſtantiam; ſed etiam mentis excitationem, quam *furorem* dicunt.

2. §. *Furor iſte, ſecundùm Platonem, eſt quadruplex; à Phœbo, à Baccho, à Muſis, ac denique à Venere, & Amore.*

Satis fuerit, ſi verba adſcribam è Phædro*: Τῆς θείας μανίας τεττάρων θεῶν τέτταρα μέρη διελόμενοι· μαντικὴν μὲν ἐπίπνοιαν Ἀπόλλωνος θέντες, Διονύσου δὲ τελεστικήν, Μουσῶν δ' αὖ ποιητικήν, τετάρτην δὲ Ἀφροδίτης, καὶ Ἔρωτος. *Divinæ verò inſaniæ quatuor fecimus genera, quibus totidem Dii præeſſent. Ac vaticinii quidem inſpirationem tribuimus Apollini, myſticam verò Libero, poëticam Muſis, amatoriam Veneri, & Amori.* Clarè liquet, primò loco ponere furorem vatum, qui eſt ab Apolline: unde de Sibylla ait Maro lib. VI:

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe deum.

Item,

—— Stimulos ſub pectore verſat Apollo.

Talis propriè φοιβόληπτος.

Alterum tribuit Baccho: cujus numine & poëtæ adflantur; unde Horatius lib. III. od. XXV:

Quo me Bacche rapis tui
Plenum? quæ nemora, aut quos agor in ſpecus?

Vide & od. XIX. lib. II. Sane, ut apud Lucianum legimus, Calliſthenes Æſchylum ajebat tragœdias in vino ſcribere. Athenæi quoque eſt lib. X: Καὶ † Ἀλκαῖος ὁ μελοποιὸς, καὶ Ἀριστοφάνης ὁ κωμῳδοποιὸς, μεθύοντες ἔγραφον τὰ ποιήματα. Notum, quid de Homero, atque Ennio, Horatius dicat. Nempe, ut idem ait, *Vina parant animos.* Imò, ſi credimus illi,

Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Neque etſi hæc ridicula videantur, de nihilo propterea credita fuere. Nam ſæpe hoc contingit, ut ingenium, quod in ſobrio torpebat, calore vini excitetur; atque ita mota imaginatio vim, & fiduciam, concipiat; ut eſt apud Plutarchum in Sympoſiacis.

Tertius Platoni furor eſt Muſarum: unde Poëtas dixere μουσοπατάγους: ut videre eſt apud Ciceronem lib. II. ad Quinctum fratrem epiſt. IX: niſi legere malis μουσοπλήκτους, quaſi à Muſis percuſſos. Μουσόληπτος pro eo eſt apud Pollucem. De hoc furore ita Ovidius in tertio de Arte:

Eſt Deus in nobis; ſunt & commercia cœli:
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

Et VI. Faſtorum:

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo:
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Quartus eſt amantum; qui à Venere, & Cupidine, inſpiratur. Unde apud Maronem ‡ Venus Cupidini ſic præcipit:

Occultum inſpires ignem.

Qui poſtquam paruit matri,

Ardet amans Dido, traxitque per oſſa furorem.

De multiplici hoc furore ſic medicus antiquus, Cœlius Aurelianus lib. I. χρονίων cap. V: *Plato, inquit, in Phædro duplicem furorem dixit. Unum fieri mentis intentione, ex corporis cauſſâ, vel origine. Alterum divinum ſive immiſſum; ejuſque Apollinem inſpiratorem eſſe, atque nunc vocari divinationem; ab antiquis verò appellatum furorem. Magna Græcorum vetuſtas maniam appellabat, quæ nunc Mantice dicta eſt. Item alium inquit ex Libero fieri patre; alium ex amore, & appellavit eroticum: alium ex Muſis, quem appellavit protrepticon, quod ad carmen inſtruere videatur.* De iſto Muſarum furore ſic Agathias lib. II. Hiſtoriæ ſuæ*: ubi

& ipſe

* P. 269. edit. H. Steph.

† Et Alcæum lyricum, & Ariſtophanem comicum, ebrii ſcripſiſſe poëmata.

‡ 1. Æn.

* Pag. 2.

& ipſe ſententiæ hujus auctorem laudat Platona: Ἡ ποίησις ἱερόν τι χρῆμα καὶ θαυμάσιον. Ἐνθουσιῶσι γοῦν ἐν αὐτῇ αἱ ψυχαί, εἴποι ἂν ὁ σοφὸς ὁ Ἀρίστωνος, καὶ λίαν ὠδίνουσιν ἐπαφρόδιτα, ὅσαι δὴ ὡς ἀληθῶς μουσόληπτοι γίνονται, καὶ τῇδε κάτοχοι τῇ βακχείᾳ. *Et ſacra quadam, & divina res poëſis. Afflantur enim in ea animi furore quodam divino: ut ſapiens ille Ariſtonis filius* (Plato) *dixit: valdeque venuſtè parturiunt, qui vere à Muſis correpti, atque ab hoc furore implentur.* Sed ipſum etiam Platonem audiamus: qui inter alia ſic ſcribit in Phædro *: Ὃς δ' ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη. *Qui abſque Muſarum furore ad poëticas fores accedit, perſuaſus, ſe artis beneficio bonum fore poëtam, imperfectus & ipſe eſt, & cum poëſi ſuâ ſanâ ab illa, quæ eſt furentium, abſumta evaneſcit.* Quæ verba etiam adducuntur ab Ariſtide, Platonicâ primâ. Eaque res Barthio impoſuit Adverſ. lib. LX. cap IV †: ubi ea Ariſtidi tribuit. Nempe parum attendit, Ariſtidem antea dixiſſe, ut Plato Lyſiæ verba inſerit ſuis: ſic ſe verba Platonis, tanquam legem, velle recitare. Quanta autem furoris poëtici vis ſit, oſtendit idem Plato in Jone: ubi refert ‡, ut Tynnichus Chalcidenſis, cum antea poëma nullum memoriâ dignum compoſuiſſet, furore percitus, præclarum in Apollinem conſcripſerit hymnum.

* P. 245. edit. H. Steph.

† Col. 2870.

‡ P. 354.

3. §. *Verùm tota hac de re aliquanto aliter ſenſit Ariſtoteles. Nam excitationem illam naturæ, quam* ἐνθουσιασμὸν *dicimus, credebat eſſe à temperie naturali, puta ab acrimoniâ humoris melancholici.*

In hanc eum ſententiam impulit, quòd ex naturæ principiis cognoſci nequit eſſe dæmones. Exiſtimavit igitur, furorem hunc poëticum non eſſe à Muſis, aut Diis, quos Poëtæ ſint commenti; ſed ab humore melancholico, quem vino ſimilem facit. Eandem rationem eſſe judicat Sibyllarum, Baccharum, atque omnium, qui divino creduntur ſpiritu agitari. Interim Poëtas furore corripi, non inficiatur. Nam primo problemate XXX. ſect. ait: Μάρακος δὲ ὁ Συρακούσιος καὶ ἀμείνων ἦν ὁ ποιητής, ὅταν ἐκσταίη. *Maracus Syracuſanus præſtantior erat poëta, cùm mente alienaretur.* Et certè is quaſi mente ſuâ alienatur, qui velut alienâ mente vivit; quòd poëta facit: quippe qui, velut ſui oblitus, alienos mores induat, ac πάθη aſſumat. Quare Ludovicus Caſtelvetrus, qui Ariſtotelis de re Poëtica librum Italicâ tranſtulit linguâ, eundemque emendavit, parum aſſecutus eſt Ariſtotelis hac de re ſententiam; ut qui apud eum lib. de Poëticâ legendum putet, διὸ εὐφυοῦς ἡ ποιητική ἐστιν, οὐ μανικοῦ. *Quapropter ingenioſi poëtica eſt, non furore perciti.* Ariſtoteli quoque medici plerique adſtipulantur; eoſque inter Manardus epiſt. III. lib. VII.

4. §. *Non deſunt tamen, qui Platonis ut ſententiam tueantur, ſic iſta concilient, quòd poëticus quidem furor ſit à melancholia; ſed hac à dæmonio contingat.*

Quemadmodum ſcribit Avicennas.

5. §. *Sed nihil hic opus dæmonum inſpiratione. Satis eſt, eum, qui phantaſiâ valet, naturâque ad poëſin idoneus eſt, concitari ad carmen pangendum. Quod etiam, cùm aliter fit, tum lectione præſtantium poëtarum, & inſtrumentis Muſicis.*

Quomodo cantica Olympi, celebris Muſici, ὁμολογουμένως ποιεῖ τὰς ψυχὰς ἐνθουσιαστικάς, *aſſenſu omnium animas divino replent furore:* ut eſt apud Ariſtotelem lib. VIII. Polit. Qui & poſtea τὰ μέλη dividit, tertiumque eorum genus vocat ἐνθουσιαστικόν, hoc eſt, *furorem in animos inferens.*

6. §. *Sic igitur ſtatuimus, furorem, ſive ingenii excitationem, à quinque iſtis provenire: ab temperie, ſive ab acrimonia humoris melancholici: ab affectu, ut irâ, vel amore, quæ & ipſa faciunt, diſertos: ab vino, quod liberaliùs ſumtum, excutit ingenii torporem: ab inſtrumentis muſicis, quæ idem præſtant: & ab excellentium poëtarum lectione, quia eos legendo ſimilem concipimus furorem.*

Ut poëticus furor nihil aliud ſit, quàm ſpiritus poëticus, dictionem animans, excitatus ab uno, vel pluribus quinque iſtorum, quæ memoravimus. Furor autem, ut diximus, vocatur κατὰ μεταφοράν: quia, ut furioſi, ſic poëtæ etiam, obliviſcantur ſui. Nempe poëtæ, cùm illum impetum furorem vocant, & divinum ſpiritum, admodum poëticè, ac hyperbolicè loquuntur: quod & Scipionis Gentilis judicium eſt lib. II. Παρέργων cap. II.

7. §. *Poëta verò finxere, ternos eſſe fontes; unde ſi biberent, ſpiritum conciperent poëticum. Hi ſunt Hippocrene, Aganippe, & Pirene. Quorum Hippocrene, & Pirene etiam, Pegaſi, equi volucris, ungulâ, ſubjectam rupem pulſantis, narrantur fuiſſe aperti.*

Fontes hoſce non pauci confundunt. Quippe in Phocide quidem ſunt Hippocrene, & Aganippe, prope Helicona: Pirene autem in iſthmo eſt Corinthiaco. Hippocrene, & Pirene, hoc commune habuerunt, quòd dicantur aperti eſſe ungulâ equi volucris: quem Pegaſum dixere. Univerſi autem in eo convenerunt, quòd ſi biberentur, facerent poëtas. Eſt de duobus illuſtris Solini locus cap. XIII *: ſed is variè legitur. Iſaacus Caſaubonus † credit, hoc voluiſſe Solinum, non Hippocrenen, & Pirenen, uti antea dicebamus: ſed Hippocrenen, & Aganippen, tum Pegaſi ungulâ eſſe apertas, tum facere poëtas. Videlicet decipit eum Delrius; qui ſic locum, præeuntibus, ut ait, Mſſis ſuis, (ſanè non optimis) peſſimè edidit hunc locum: *Apud Thebas Helicon lucus eſt, Cithaeron ſaltus, amnis Iſmenus: fontes, Arethuſa, Oedipodia, Pſammate, Dirce: ſed ante alios Aganippe, & Hippocrene: quos Cadmus, literarum repertor primus, quoniam equeſtri exploratione deprehendiſſet, dum rimatur, quænam adiſſet loca; incenſa eſt licentia poëtarum, ut utrumque pariter diſſeminaretur, & quod aperti forent alitis equi ungulâ, & quod poti inſpirationem facerent literarum.* Quomodo ſi ſcripſerit Solinus, valde eum ratio fugerit. Nam nemo veterum prodidit, Aganippen ungulâ Pegaſi apertam: ſed ut de Hippocrene id conſtat, ita & de Pirene in Acrocorintho idem tradidere. Hinc Statius in quarto Thebaidos:

It comes Inoas Ephyre ſolata querelas,
Cenchreæque manus: vatum quâ conſcius amnis
Gorgoneo percuſſus equo: quaque objacet alto
Iſthmos, & à terris maria inclinata repellit.

Ubi non poſſumus alium intelligere fontem, quàm Pirenen; ut oſtendit, quòd eum in iſthmo collocat Corinthiaco. Quare ſpiſſus eſt etiam error Lactantii interpretis, ſcribentis ſermonem eſſe de Hippocrene. De Pirene autem utrumque verum eſt, tum facere eum vates, unde Statius hic fontem eum vocat *vatum conſcium:* tum percuſſu Pegaſi eſſe effuſum, unde idem ſubdit, *Gorgoneo percuſſus equo.* Dixeris, non ſi falſum ſit de Aganippe; eo falſum hoc eſſe, Solinum credidiſſe illud, quod dixiſſe eum dicunt Delrius, Caſaubonus, atque alii magno numero. Equidem ſubſcriberem, ſi ea conſtans eſſet lectio in codd. cunctis Solini. Atqui is in priori editione ſic prodiderat: *Incenſa eſt licentia poëtarum, ut*

* Sive ex aliorum diſtinct. cap. 7.

† In Perſii Prolegom.

pariter utrumque vulgarent: ſcilicet, quòd eorum alter alitis equi ungulâ ſollicitatus foret; alter potus facundiâ animos irrigaret. Quàm manifeſtè hic diſtinguit! In poſteriori verò ſic maluit, ut editio Salmaſiana repræſentavit: *Ut utrumque pariter diſſeminaretur, & quod aperta foret alitis equi ungulâ, & quod poti inſpirationem facerent literariam.* Ubi pro *aperta* malim *apertus*, ſupple fons Hippocrene: cùm verò *poti* ſequitur, ad Hippocrenen, & Aganippen, referendum. Hippocrene igitur, & Aganippe, faciunt poëtas: ut hic Solinus jure ait: ac præterea id facit Pirene; Solino, ut vidimus atteſtante. At Aganippen Pegaſi ungulâ eſſe apertum, non dicit Solinus; nec dicere debuit.

8. §. *Adhæc finxere aliquem fieri poëtam, qui in Helicone paſceret pecus, vel in Parnaſſo ſomniaret.*

De Parnaſſo, & quod antea de Hippocrene diximus, conjunxit Perſius in prologo ſatyrarum:

Nec fonte labrà prolui Caballino,
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo,
Memini, ut repente ſic poëta prodirem.

Eò autem alluſit, quòd Ennius in primo Annalium cecinerat, ſibi in Parnaſſo dormienti viſum in ſomnis Homerum: atque ex eo didiciſſe, nunc eam ſe habere animam, quæ quondam Homeri fuiſſet, ut quæ ſeſe per pavonem inſinuâſſet in corpus Ennii. Subnixum eſt hoc figmentum duobus. Prius eorum eſt μετεμψυχώσεως Pythagorea, ſecundùm quam animæ à morte in aliud migrant corpus. Alterum eſt, quòd & Heſiodus antea in Θεογονίᾳ ſuâ cecinit, ſe poëtam evaſiſſe, dum pecus paſcit in Helicone. Verùm in eo Heſiodi figmentum exſuperat Ennius, quòd hic fingat ſe ſomniando factum poëtam: quale nihil Heſiodus. Imò quid magnopere mirandum, ſi dicat, ſe in Helicone factum poëtam, dum pecus paſcit? Notum, carmina quærere receſſum, & otia. Ea habuit in Helicone; ut aſſiduè illic potuerit meditari carmen paſtorale, atque alia alius generis. Ennii verò de ſe commentum ſecuti poſtea Latinorum alii: inque his Perſius ſat. VI:

Lunai portum eſt operæ cognoſcere cives.
Cor jubet hoc Enni, poſtquam deſtertuit eſſe
Mæonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.

Valde autem veriſimile eſt, Heliconem, & Parnaſſum, commendari ſolere ab his duobus, paſtu pecoris, & oblectamento ambulantium. De priori in Helicone indicat Heſiodus; quando ait, pulcrum ſe à Muſis carmen edoctum

Ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὕπο ζαθέοιο.
Agnos paſcentem ſub divino Helicone.

De utroque monte ex etymo etiam colligere eſt, quòd dicebamus. Nam cùm Cadmus Phœnix, in Bœotiam veniens, locis dederit nomina ſuâ, hoc eſt, Phœniciâ linguâ, quæ dialecto ſolùm differebat ab Hebræa; ſatis eſt veriſimile, Ἑλικὼν eſſe ab הלך helech, *ambulatio*; quod ab הלך, halach, *ambulare, vacare.* Nempe quia eò ambularent, dum vacaret, & ad ſe oblectandum ibi convenirent. Parnaſſo autem ex eo fuerit nomen, quòd pecus ibi paſceretur. Nam Chaldæis פרנס parnes, *paſcere, alere:* unde פרנס parnas, *paſtor.* Inde igitur παρνησὸς, παρνασὸς, vel παρνησσὸς, aut παρνασσός. Variè enim vocem eam extulere. In montibus verò paſci pecus ſolere, fidem fecerit vel illud Maronis Eclog. II.

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Cap. XIII.

De altera poëſios cauſſa, quæ eſt carmen ſubitò, & ex tempore fuſum. Ejus cùm ſuavitatem aures perciperent; cura acceſſit, priùs ad ſimile, mox etiam ad melius aliquid promendum. Cauſſarum in hiſce obſervatio conſtituit artem; quæ tertia eſt poëſios cauſſa. Quis artem invenerit primus, mirè diſcrepant Græci. In hoc diſſenſu maximè videri veriſimile, à paſtoribus repertam: idque in Græcia quidem circa Heliconem, Hippocrenen, locaque alia à poëtis celebrata, ac Muſis, vel Apollini, dicata. Nec tamen hæc prima ejus inventio exiſtimanda: cùm poëſis fuerit Hebræis nota, antequam Cadmus literas attuliſſet in Græciam. Quod ſi Muſices originem inquiramus, ea multò diluvium præceſſerit. Primò verò iidem Muſici fuere, ac Poëtæ: quorum munia poſtea ſunt diſcreta.

1. §. *Vidimus de primo poëſios principio: videlicet natura; in qua & εὐφυΐαν, & ἐνθουσιασμὸν, conſideravimus. Alteram poëſios cauſſam cum Ariſtotele ſtatuebamus αὐτοσχεδιάσματα, hoc eſt, verſus ſubitò, atque ex tempore prolatos.*

Quæ verò Ariſtoteles αὐτοσχεδιάσματα appellat ea ſimiliter à Maximo Tyrio ſermone XXI. ᾄσματα αὐτοσχέδια nuncupantur; quaſi dicas cantica incondita, vel numeros inconditos; cujuſmodi apud caſcos Latinos fuere verſus Saturnii.

2. §. *Nec præcipiti gradu deventum eſt ad ſummum; ſed primùm homines elegantioris indolis obſervarunt quædam venuſtè & numeroſè alicui excidiſſe. Interim erant verſus hi rudes, & impoliti: quippe citra meditationem prolati. Mox aliqua cura acceſſit: & tamen tum quoque ſolo conſtabant rhythmo. Poſtea etiam additus eſt character poëticus. Hinc & aliqua metri ratio cœpit haberi; ſed rudior planè, atque imperfecta. Tandem & metrica lex certa fuit, ac perpetua.*

Nimirum, ut verè ait Tullius *, *nihil eſt ſimul & inventum, & perfectum.* Exemplo ſint pictores; qui, ut Ælianus † refert primitus tam rudes fuere, ut picturis neceſſe haberent ſubſcribere nomen, aut hominis aut leonis, aut ſimile, quo à ſpectantibus dignoſcerentur. Ita & poëſios initium, Fabio ‡ quoque teſte, omnino rude fuit. Paulatim tamen ἐξ αὐτοσχεδιασμάτων, ſive rudibus & extemporalibus iſtis, pervenit ad politos limatoſque verſus; ſicut ex Ariſtotele diximus. Atque hæc etiam Hebræorum poëſi comprobantur. Nam in Iobo, & Proverbiis Salomonis, ſolùm rhythmus eſt, non metrum: hoc eſt, ſyllabarum numerus, non quantitas, attenditur. Idem judicium eſt de poſteriori Moſis cantico. Similes igitur ſunt verſus, ac Græcorum illi, quos politicos vocant. Hi trochaici tetrametri catalectici videntur, ſi ſyllabas numeres, ſed quantitas negligitur. At in pſalmis ac threnis, ne rhythmus quidem obſervatur: ſed oratio eſt ſoluta, quæ ſpiritu ac charactere poëtico animetur.

* *In Bruto, ſive de Cl. Orat.*
† *Varia Hiſtoria lib. 10. cap. 10.*
‡ *Lib. 9. cap. 4. item lib. 12. cap. ult.*

Hieronymus * quidem ait, *pſalterium in morem Pindari nunc Jambico currere, nunc Alcaico perſonare, nunc Sapphico tumere.* Sed non minùs de Pindaro, quàm de pſalterio, fallitur. Nec enim Pindarus iis utitur metris, quæ Hieronymus putavit: nec ejuſmodi metra inveniuntur. Nempe Hebræi in verſibus nihil attendunt præter ſyllabarum numerum, & accentum. Utcumque interdum quædam accedere ad Græcorum, Latinorumque metra videantur. Quomodo canticum Moſis poſterius vel ad hexametrum accedit, ut Joſephus, Origenes,

* *Præfat. in Chronicon Euſebii: ut & præfat. in Iobum.*

nes, & Hieronymus, putarant; vel potiùs tetrametrum, quæ Joſephi Scaligeri ſententia eſt Animadverſ. Euſeb. in prologum Hieronymi. Atque hæc oſtendunt, poëticen quidem ab Orientis populis defluxiſſe ad Græcos; multùm tamen differre ab illâ Græcorum, ac Latinorum.

3. §. Supereſt tertia Poëtices cauſſa: quam Ariſtoteles τέχνην, ſive artem, facit. De ea diſpiciendum, à quibus, & quando, inventa ſit. Ac Græci quidem ſibi inventionem ejus tribuunt: quis verò repererit, aut quando reperta ſit, non conſentiunt.

De origine poëmatum magna quæſtio eſt; ut inquit Plinius lib. VII. cap. LVI. Neque alio nos juvat, quam quòd idem dicat, *ante bellum Trojanum fuiſſe.* Nonnulli caſu hoc inventum ajunt. Cùm anus quædam, à juvene concitatiùs incedente, eſſet in humero concuſſa, convitio eum inceſſit: quòd cùm impetu illo animi ἔμμετρον eſſet, placuit juveni numerus, & ſimilia comminiſcendi occaſionem dedit. Ita Nazianzenus orat. III. in Julianum, & ibidem Elias Cretenſis; qui anum illam Phemonoën, Sibyllam, aut Philyram, fuiſſe cenſet. Diodorus Siculus lib. V. ait: Muſis à patre Jove conceſſam eſſe τὴν τῶν ἐπῶν σύνθεσιν, τὴν προσαγορευομένην ποίησιν, *compoſitionem carminum, quæ poëſis nominatur.* Hoc de Muſis hiſtoriam non juvat; cùm *Muſarum* vox κοινῶς notet ſcientiam ipſam. Nam מוסר moſar, *ars, diſciplina.* Phœnices ajunt, Ponti filiam, ſororem Neptuni, nomine Σιδὼ, primam cecíniſſe hymnum carmine; ut ex Sanchoniathone refert Euſeb. lib. I. præparat. Evangelicæ. Sed nec iſtud quicquam ad hiſtoriam momenti adfert; quia tota penè Phœnicum Theologia pertinet ad naturæ ſcientiam. Nonnulli poëſios gloriam referunt ad Orphea; quem poëtarum vetuſtiſſimum vocat Lactantius lib. I. cap. V. Ibidem eum Herculis σύγχρονον * facit. Uti & ante eum Tatianus his verbis: Ὀρφεὺς † δὲ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον Ἡρακλεῖ γέγονεν. ἄλλως τε καὶ τὰ εἰς αὐτὸν ἐπιφερόμενα (ἔπη φερόμενα vir magnus emendat) φασὶν ὑπὸ Ὀνομακρίτου τοῦ Ἀθηναίου συντετάχθαι γενομένου κατὰ τὴν τῶν Πεισιστρατιδῶν ἀρχὴν περὶ τὴν πεντηκοστὴν ὀλυμπιάδα. Tzetzes quoque hiſtoria CCCXCIX, Chil. XII, eum Herculis facit coætaneum, ac centum ante bellum Trojanum annis floruiſſe ait. Rectiùs dixiſſet, annis XXX, vel circiter. Ut qui cum Hercule, & Thyndaridis, cæteriſque vectus ſit Argonautis. At longè ſpiſſiùs errarunt, qui eum XI. ſeculis fuiſſe ajunt ante bellum Trojanum: quod legere eſt in Suidæ collectaneis. Niſi duos fuiſſe Orpheos placet: quod ſcholiaſtes Apollonii tradit in primum Ἀργοναυτικῶν verſ. XXIII. Pauſanias in Eliacis Orphea in magia excelluiſſe ſcribit; quodque Eurydicen uxorem ab inferis reduxiſſe dicitur, ex eo ortum eſſe quòd umbram evocârit, quæ pòſt ſtatim evanuerit. Librorum ejus meminit Arnobius lib. V: *Libros ſumant Threicii vatis, quos eſſe memorant antiquitatis divinæ.* Verùm de libris non facilè aſſentiam. Puto enim, triumviros iſtos Poëſios, Orphæa, Muſæum, Linum, non fuiſſe: ſed eſſe nomina ab antiqua Phœnicum lingua, qua uſi Cadmus, & aliquamdiu poſteri. Sanè λῖνος carmen, ſive canticum, ac præcipuè lugubre: ut ex Athenæo, Euſtathio, Suida conſtat. Nomen, ut puto, non quia Linum eo deplorarent, quod Grammaticum eſt commentum; ſed ab Hebræo הלין, helin, *murmurare*, unde תלונה telonnah, *querela, murmuratio.* Ut Linus nomen poëtæ ſit lugubria canentis. Muſæus abſque dubio à Muſa, ſive Μῶσα, quod à מוסר moſar, *ars, diſciplina*; ut paullò antè dicebamus. Orpheus itidem à ſcientia nomen habuerit. Sanè ARIFA Arabibus eſt *ſcire, noviſſe*: unde ARIF, *ſciens, eruditus, doctus.* Hæc eo veriſimiliora ſunt, quia Tullius I. de Natura Deorum refert, Ariſtotelem prodidiſſe, Orphea illum nunquam fuiſſe; quæ verò carmina ejus nomine circumferuntur, ea à Pythagoricis attribui cuidam Cecropi, vel, ut legi debet, Cercopi. Et ſanè ſi cujuſquam nomine multa ferrentur, is Orpheus fuit. Nam, ut Suidas teſtis eſt, τελεσμοὺς, ſeu τελεσμὸν*, erat non ejus, ſed Jonis tragici: ſacri ſermones, vel Theogneti Theſſali, vel Cercopis Pythagorici, fuere: oracula verò, Onomacriti, uti & Initia: de quo etiam Tatianum antea auctorem laudavimus: Σωτήρια † autem Timoclis Syracuſani, vel Pergini Mileſii: Crateres, Zopyri: Θρονισμοὶ Μητρῷοι ‡, & Bacchica, Niciæ Eleatæ: deſcenſus ad inferos, Herodici Perinthii: Peplus, & Rete, Zopyri Heracleotæ, vel Brotini, ſeu Brontini: cujus & Phyſica credebantur. Nec dubium, quin Argonautica, quæ hodieque Orphei nomen ementiuntur, planè ſint alterius. Poterat ſic Celſo occurrere Origenes; cùm is non Moſem, ſed Orphea, Linumque, audiendos contenderet. Nunc haut aliud reſpondet, quàm vera eorum ſcripta deperiiſſe. Sic enim ſcribit lib. I. contra Celſum *: Καὶ τῶν μὲν σοφῶν σοῦ ποιητῶν ἔοικε μηδὲ τὰ βιβλία ἔτι σώζεσθαι &c. Verùm non omnium meminiſſe poterat vir ſummus. Porrò ſive hanc, ſive aliam ob cauſſam, alii rectiùs ſibi videntur poëſios autorem facere Ἑρμῆν, ſive Mercurium Ægyptium; à quo inter alia τὴν τῶν φθόγγων ἁρμονίαν † repertam, ait Diodorus Siculus lib. I: ubi affirmat, fuiſſe eum Oſiridis ἱερογραμματέα, ſive notarium à ſacris. Alii hanc gloriam referre malunt ad ipſum Oſiridem Ægyptium, Muſarum patrem, quem Græci Apollinem dicunt; quemadmodum Aloidæ gemini Othus, & Ephialtes, primi creduntur tribus Muſis (tres enim numero tunc ſolùm erant; quot Ephorum agnoviſſe, auctor Arnobius ‡, quas ter ternas multò pòſt conſtituit Pierus Macedo) in Helicone feciſſe ſacrificium: quamquam vetus Juvenalis interpres ſcribat in VII, non Aloidas hoſce, ſed Pierum primò ſacrificâſſe Muſis, atque has idcirco *Pierides* dictas.

4. §. In tanto diſſenſu maximè veriſimile ſit, repertam poëſin à paſtoribus: & in Græcia quidem primùm celebratam circa montes, fonteſque, ſuperiùs memoratos: qui idcirco Muſis, vel Apollini, fuerint ſacrati.

Nempe cùm poëtæ poëtas fieri dicerent, ſi quis conſcendiſſet Parnaſſum, Heliconem, aut Citheronem; vel ſi ex Aganippe, aut Hippocrene bibiſſent: probè quidem norant, carmen *non tam fonte, quàm fronte, ſudari*; ut alicubi * Sidonius ait; ſed illud indicare voluerunt, poëtas, quaſi in ſublimi ſeceſſu conſtitutos, & non vulgari liquore velut ebrios, concitari, ac rapi; divino quodam impetu, quem furorem, atque ἐνθουσιασμὸν, appellant. Hoc autem antiquis Græciæ temporibus contingebat pecus paſcentibus circa fontes, vel montes, quos antea dicebamus. Unde opinio invaluit apud vulgus, quam poëtæ aluerunt, locis iſtis ſpiritum concipi poëticum.

5. §. Nec propterea inventionem poëſios adſignamus Græcis. Nam ſi rem omnem ad Critolai, vel Scripturæ potiùs, lancem expendamus: ſatis patebit, eam gloriam potiùs deberi populo Dei, ac terris illis, unde gentes omnes originem traxere. Quippe apud Iſraëlitas ſua viguit poëſis, non modò ante bellum Trojanum; ſed etiam ante Cadmi in Bœotiam adventum; à quo Græci literas ſuas acceperunt.

Non jam aſſeram, quod Hebræi † dicunt, Pſalm. XCII, ab Adamo ipſo ſcriptum: veris potiùs utar argumentis.

* *Coævum.*

† *Orpheus iiſdem ac Hercules, temporibus fuit: alia autem, etiam verſus ei attributos, ajunt, auctorem habere Onomacritum, qui fuit temporibus Piſiſtratidarum, circa Olympiadem quinquageſimam.*

* *Ternarius.*

† *Gratiarum actio pro recepta ſalute.*

‡ *Seſſiones Magnæ matris.*

* *Tuorum ſapientum poëtarum neque libri amplius ſervari videntur.*

† *Vocum harmoniam.*

‡ *Lib. 3.*

* *Lib. 8. epiſt. 3. quæ ad Leonem.*

† *Genebrardi lib. 1. Chron. & in Pſal. 91.*

mentis. Sed neque urgebo Deboræ, & Barachi cantica, quæ habemus Judic. cap. v. Nam etſi hi annis quaſi CL. vixerint ante bellum Trojanum: tamen Cadmo ſeculo toto, ſunt juniores. Suffecerint igitur cantica Moſis, & Mariæ, Exodi xv: item alterum Moſis, Deuteronomii XXXII. Carminum iſtorum meminit & Philo libro de vita Moſis, poſtquam narravit tranſitum maris rubri. Item Fl. Joſephus Antiquitatum lib. II. cap. VII, & lib. IV. cap. ult. Etiam Moſen librum de Jobo ſcripſiſſe, vel ſaltem ex Syriaca linguâ vertiſſe in Hebræum ſermonem, tradidit Polychronius, Apameæ epiſcopus, quique ſub Origenis nomine in Jobum edidit commentarios. Carmine verò hunc librum decurrere, tradidit B. Hieronymus præfat. in Job, & epiſtola ad Paullinum de ſtudio divinarum ſcripturarum, & præfat. in Euſebii Chronica. In quo, ad Alcaicum, Sapphicum, & ſimilia metra reſtricto, falli antea dicebamus: ſed nihil hactenus verius, quatenus de carmine, etiam experte metri, apud Græcos Romanoſque obtinentis, ſermo eſt. Imò idem epiſt. ad Cyprianum tradit, à Moſe eſſe ſcriptos Pſalmos undecim: nempe à nonageſimo, cujus inſcriptio, *Oratio Moſis, ſervi Dei*, uſque ad centeſimum, qui inſcribitur, *In confeſſione.* Atque idem, ex Rabbinorum doctrina, monuit Genebrardus. Quicquid de aliis fuerit Pſalmis, de nonageſimo, (utcunque ambigat Auguſtinus) fidem nobis facere debet inſcriptio. Poëſis igitur fuerit ab Hebræis. Niſi eos placet accepiſſe ab Aſſyriis: quam Veneti, Puteolani epiſcopi, doctiſſimi ſuâ ætate viri, fuiſſe ſententiam, auctor eſt Joannes Boccacius lib. XIV. de Genealogia Deorum cap. VIII. Nempe arbitrabatur, primum inſtituiſſe Nemrodum, ut canticis ſacra celebrarentur gentilitia. Sed ſententiæ ejus antiquum laudare debuerat auctorem. Cùm enim ſacra, ac ſacrificia, ſint à populo Dei: cauſſa ſanè eſt nulla, cur carmina ſacra à nationibus potiùs, quàm veris Dei cultoribus, arceſſamus. Præſertim cùm nihil habeant gentiles, quod antiquitate cum Moſaicis canticis certet.

6. §. *Imò, ut fugerent nos, quæ de Hebræorum ſeu rhythmis, ſeu metris, adduximus: Muſica tamen antiquitas ſatis doceret, carminum originem Orientis populis deberi; neque ullum ejus parentem ab aliis poſſe adferri. Nec enim dubium, quin cùm imitandi ſtudium, & harmoniæ dulcedo, homini inſint à natura: cantus propè cum mundi incunabulis cœperit. Atque hoc etiam eo confirmatur, quod Jubal* αὐλητικῆς, καὶ κιθαριστικῆς *, *inventor*, † *ipſius Adami trinepos fuerit.*

Atqui cantica illa, ſi non metro, ſaltem rhythmo conſtabant. Quod & dictum velim de antiquis Græcorum verſibus, qui αὐτοσχεδιασματικοὶ vocantur ab Ariſtotele, & origo poëſios ab eo fuiſſe dicuntur. Item de vetuſtiſſimis Romanorum verſibus: quos deſignat Maro, cùm ait ‡:

Nec non Auſonii, Trojâ gens miſſa, coloni
Verſibus incomtis ludunt, riſuque ſoluto.

Ubi non dubito, quin intelligi debeat ſimplex rhythmus cum cantu: hoc eſt, verſus ἔνρυθμοι * quidem, at non ἔμμετροι †. Quales fuere Feſcennini veteres: quos ante inventam ſatyram in uſu fuiſſe, ait Horatius ‡: imò & Livius lib. VII, ubi rhythmum, non metrum, videtur ſignare; cùm ait, ante ſatyram, cujus verſus erant elaborati, & ἔμμετροι, obtinuiſſe *verſum Feſcennino ſimilem, compoſitum temerè, ac rudem.* Interim cùm cantui eſſent accommodati, ad poëſin ea oratio pertinebat. Quippe ᾠδὴ * nihil aliud eſt, quàm λόγος μεμελισμένος †, ut Strabo ‡ definit.

* *Artis canendi tibiâ, vel citharâ.*
† *Geneſ.* 4. *& Joſeph. in Antiq. Jud.*
‡ *Lib.* 2. *Georg.*
* *Numeros habens.*
† *Metro conſtans.*
‡ *Epiſtolâ ad Auguſtum.*
* *Carmen*
† *Oratio cantui accommodata.*
‡ *Lib.* 1. *pag* 18. *edit. Pariſ. an.* 1620.

7. §. *Antiquitus verò iidem erant Muſici, ac poëtæ.*

Ut auctor eſt Tullius lib. III. de Oratore, & Fabius lib. I. cap. X. Quippe antiquiſſimi illi Muſici religionis, ac naturæ myſteria, heroumque geſta, ac ſimilia, poëticis condiebant numeris; eaque ipſimet, vel aliâ canebant voce, vel organis ſociabant; quod Homerus pluribus oſtendit locis: & apud Virgilium, uti antea quoque dictum. Jopas canit citharâ

—— Errantem Lunam, Soliſque labores,
Arcturum, pluviaſque Hyadas. ——

Hinc eſt, quod Muſica pro Poëticâ accipiatur apud Comicum, cùm ait *;

Repentè ad ſtudium hunc ſe applicâſſe Muſicum.

Et †,

In medio omnibus
Palmam eſſe poſitam, qui artem tractant Muſicam.

Ob eandem cauſſam eſt, quòd & Muſici, & Poëtæ, σοφοὶ ‡, & σοφισταὶ *, dicti ſunt. Ac de Muſicis teſtis eſt Athenæus lib. XIV: de Poëtis, & Laërtius lib. I. Inde etiam eſt, quòd præſides poëtarum Divæ, quas Muſas dicimus, à modulatione, & cantu, *Camenæ*, appellantur: ſed priùs nominatæ fuerunt *Caſmenæ*, inde *Carmenæ*, poſtremò *Camenæ*; ut rectè Varro lib. VI. de L. L. ac pluribus antea † expoſuimus.

* *Prolog. Heaut.*
† *Prolog. Phorm.*
‡ *Sapientes.*
* *Sophiſtæ.*
† *Cap.* 2, § 6.

8. §. *Quamquam verò iidem primò fuere poëtæ, & Muſici: poſtea tamen hæc munia fuere ſeparata. Eoque poëtæ ſolùm condebant carmen: hoc eſt, materiam excogitabant, & eam concludebant rhythmo, ac modis. Muſici verò, cùm hæc à poëta accepiſſent, modos tibiis adaptabant.*

Et alia ſanè ſapientiæ ratio, alia Muſicæ artis: illa poëtis erat curæ: in quibus vocis venuſtas, ac manuum, pedumve agilitas, minimè requirebatur: imò manibus, & pedibus capti, munia ſua præſtare potuiſſent: Muſici autem, & ſaltatores, cùm materiem, & rhythmum, vel metrum, à poëta accepiſſent, hæc accuratiùs auribus ſunt dimenſi, & modos tibiis, ac ſaltationi, adaptârunt: de quibus eò minùs laborabat poëta, quia idem carmen in vario tibiarum ſyſtemate poni, eoque variè cani poſſit.

CAP. XIV.

DE ARTIS POETICÆ DIVISIONE.

1. §. *Supereſt, ut videamus de diſtributione Poëtices: in qua non ita multum nos juvat Horatius libro de Arte ad Piſones.*

Nec enim accurata admodum ejus eſt οἰκονομία *. Scio, viros eruditos, ut huic vitio medeantur, alio velle ordine diſponere. Sed loquimur nunc, non quomodo illi (rectène, an ſecus, non diſputo) collocare maluiſſent: ſed quomodo, conſtanti omnium codicum conſenſu, digeſſerit Horatius: qui epiſtolam dedit, &, quaſi per ſatyram, congeſſit præcepta compluria; de ordine autem non ita multùm laboravit.

* *Diſpoſitio.*

2. §. *Nec judicium ſatis ex Ariſtotele facere poſſumus: quia pars tantùm Ariſtoteleæ Poëtices ad nos pervenit.*

De quo abunde dixi cap. V, §. 5. In hiſce reliquiis primò

mò tractat de diverſis rationibus imitandi. Cùm autem imitatio non ſolùm poëſin, ſed etiam alias comprehendat artes: apparet, partem hanc principem de poëſios genere inſtitui. Eam verò Ariſtoteles more ſuo obſignat: repetens nimirum paucis, quibus de rebus egerit. Ait enim *, Περὶ μὲν οὖν τῶν διαφορῶν, καὶ πόσαι, καὶ τίνες, τῆς μιμήσεως, εἰρήσθω ταῦτα. *De differentiis autem imitationum, & quot, & quæ ſint, hæc dicta ſint.* Pars ſecunda exponit originem, atque incrementum poëſios: ejuſque occaſio eſt, quòd in extremo partis primæ explicuerat controverſiam inter Athenienſes, & Dorienſes; quorum utrique comœdiæ, ac tragœdiæ, inventionem ſibi vindicabant. Aſſignat autem duas poëtices cauſſas, imitandi ſtudium innatum, & voluptatem, quæ ex eo percipitur. Prior propriè originis cauſſa eſt; altera progreſſûs, ſive incrementi. De utrâque à nobis actum eſt cap. IV. Claudit hanc partem Ariſtoteles iſtis verbis †: περὶ μὲν οὖν τῆς ἐν ἑξαμέτροις μιμητικῆς, καὶ περὶ κωμῳδίας, ὕστερον ἐροῦμεν. περὶ δὲ τραγῳδίας λέγωμεν, ἀπολαβόντες αὐτῆς ἐκ τῶν εἰρημένων τὸν γινόμενον ὅρον τῆς οὐσίας. *De poëſi quidem, quæ verſibus hexametris imitatur, & de comœdiâ poſtea dicemus: de tragœdia autem nunc agamus; ſi prius ex iis, quæ diximus, eſſentialem ejus definitionem collegerimus*, Pars tertia de tragœdia fuſè tractat. Eam à definitione tragœdiæ orditur: finit autem his verbis ‡: περὶ μὲν οὖν τραγῳδίας, καὶ τῆς ἐν τῷ πράττειν μιμήσεως, ἔστω ἡμῖν ἱκανὰ τὰ εἰρημένα. *Ac de tragœdia quidem, & imitatione in agendo, ſufficiant nobis, quæ dicta ſunt.* Pars quarta eſt de epopœia, quam Ariſtoteles vocat διηγηματικὴν, καὶ ἐν μέτρῳ μιμητικὴν, hoc eſt, *narrativam, & imitatricem in metro*, puta hexametro, quod κατ' ἐξοχὴν hoc loco appellat μέτρον. Extenditur ea pars uſque ad illa verba *: Περὶ δὲ προβλημάτων, καὶ λύσεων, ἐκ τε πόσων, καὶ ποίων ἂν εἰδῶν εἴη, ὧδε θεωροῦσι γένοιτ' ἂν φανερόν. *De problematibus verò, & ſolutionibus, ex quot, & qualibus formis ſint, hoc modo rem conſiderantibus utique ſiet manifeſtum.* Atque hæc initium ſunt partis quartæ: quæ locos nobis ſuppeditat, unde petere eſt ſolutiones variarum quæſtionum poëticarum. Varios enim tradit modos, quibus allatæ adverſùs eximios poëtas criminationes repelluntur. Eam partem terminat hiſce verbis †: Τὰ μὲν οὖν ἐπιτιμήματα ἐκ πέντε εἰδῶν φέρουσιν, ἢ γὰρ ὡς ἀδύνατα, ἢ ὡς ἄλογα, ἢ ὡς βλαβερὰ, ἢ ὡς ὑπεναντία, ἢ ὡς παρὰ τὴν ὀρθότητα τὴν κατὰ τέχνην. αἱ δὲ λύσεις ἐκ τῶν εἰρημένων ἀριθμῶν σκεπτέαι· εἰσὶ δὲ δώδεκα. *Atque has quidem reprehenſiones ex quinque formis afferunt: vel enim ut quæ fieri non poſſint, vel ut quæ ſint præter rationem, vel ut pernicioſa, vel ut ſubcontraria, vel ut adverſantia rectitudinis, quam exigit artis natura. Solutiones verò ex totidem, quot jam diximus, petendæ ſunt.* Pars quincta, eademque extrema ab his incipit verbis, quæ & indicant, quâ de re agat ‡: Πότερον δὲ βελτίων ἡ ἐποποιητικὴ μίμησις ἢ ἡ τραγικὴ διαπορήσειεν ἄν τις. *Utrùm verò melior ſit Epopœica imitatio, an Tragica, dubitaverit quiſpiam.* Hanc claudit iſtis verbis *: εἰ οὖν... φανερὸν ὅτι κρείττων ἂν εἴη μᾶλλον τοῦ τέλους τυγχάνουσα τῆς ἐποποιίας. *Si igitur &c. manifeſtum eſt eam, quæ magis finem conſequitur*, hoc eſt, tragœdiam, *meliorem eſſe epopœiâ.* His ſubjicit totius libri epilogum, quo à ſe de tragœdia, epopœia, & reprehenſionibus, ac ſolutionibus actum ait. Nam quinctam partem, quæ tragœdiam, & epopœiam, confert, nominare haut attinebat; quia, cùm ante epilogum illius partis concluſionem poſuerit, ejus recens fuerit memoria; vel potiùs, quia non ſimpliciter neceſſaria erat ejus quæſtionis explicatio, cùm non ſit de eſſentia artis. Atque hæc de quinque partibus Poëticæ Ariſtotelicæ: quas ſub tribus illis complecti licet; de natura poëſios, de tragœdia, de epopœia. Quæ partes neutiquam ſint toti arti adæquatæ, ac pares. Quid mirum? cùm multò plura de hac ſcripſerit Ariſtoteles, quàm habemus; ut antea diximus.

In fine capitis 3. — † *Initio capitis 6.* — ‡ *Extremo cap. 22.* — * *Initio capitis 25.* — † *Extremo cap. 25.* — ‡ *Initio capitis 26.* — * *Penè extremo cap. 26.*

3. §. *Utcunque autem imperfecta ſit Poëtice Ariſtotelis: ex reliquiis tamen operis, & aliarum diſciplinarum* οἰκονομίᾳ, *ſatis cognoſcere eſt, optimè duas Poëtices partes ſtatui; univerſalem unam, quæ omnium poëmatum communia exponat: alteram particularem, quæ ſpeciatim de quoque poëmate pertractet.*

Nam, ut paullò antè vidimus, primùm Ariſtoteles, naturam poëticæ exponit: deinde ad tragœdiam, & ſpecies poëmatum alias, accedit. Sed idem ex aliis diſciplinis manifeſtius eſt, quæ integrè ad nos pervenerunt. Uti è Logicis, Phyſicis, & philoſophia practica. Nam duæ ſunt partes Logices; quarum prior tractat communiter de omni ſyllogiſmo; altera de ſingulis ſyllogiſmi ſpeciebus: duæ item Phyſices; è quibus una explicat ea, quæ omnibus naturalibus corporibus communia ſunt; altera illa, quæ cuique ſint propria: duæ itidem philoſophiæ practicæ; cùm una mores cujuſque univerſè conſideret, quod in Ethicis fit; altera particularis ſit, quia vel civitatis, ut Politica, vel rei familiaris, ut Oeconomica, adminiſtrandæ rationem docet. Unde ſic colligimus: cùm plures ſint poëmatum ſpecies; ut in Artis præceptis oſtenſuri ſumus; atque his ſpeciebus multa ſint communia; multa etiam quarundam, aut unius ſint ſpeciei propria: artis certè Poëtices itidem duas partes eſſe, quarum prior ea perſequatur, quæ in quolibet poëmatis genere neceſſaria ſunt; altera exſequatur, quæ propria ſint huic, vel illi poëmatis generi. Non quidem ignoro, Poëticen eſſe artem; artes verò tradi ordine analytico; eoque primò in hac de fine, deinde de ratione finem conſequendi, eſſe agendum: verum haut judico, doctrinam de fine poëticæ, imò nec poëſios ipſius, quæ Poëticæ finis eſt, tot controverſiis implicari, ut operæ pretium facturus ſit, qui eam diſtinctam fecerit poëticæ partem. Sicui tamen aliter videbitur; is haut abſurdè Poëticam dividet in particulam illam, quæ de fine erit; partemque alteram, quæ viam explicet, ad finem illum neceſſariam; quemadmodum ab Ariſtotele in Analyticis poſterioribus, ac Ethicis Nicomachiis, factum videmus. At partem hanc poſteriorem diſtribuet in communem, ſive univerſalem, & propriam, ſeu particularem; quemadmodum antè Poëticam univerſam partiebamur.

Hæc magis placent, quàm eorum opinio, qui artis univerſæ cenſent ſex eſſe partes, pro ſex illis poëmatum generibus, quæ Ariſtoteles recenſet lib. de re poëtica *. Ea ſunt, ἐποποιΐα, τραγῳδία, κωμῳδία, διθυραμβοποιητικὴ, αὐλητικὴ, καὶ κιθαριστικὴ. *Epica poëſis, tragœdia, comœdia, dithyrambica poëſis, quæque tibiis utitur, ac citharâ.* Negant enim, plura eſſe poëmatum genera: quod & Robortelius putavit. Malim ego auleticen, & cithariſticen, præterire; ut veriùs Muſices partes: ſicut oſtendam lib. II. Poëticarum Inſtitut. cap. I, §. 7. Satius quoque fuerit, epigrammata, imò & elegias, diſtinctum facere poëmatum genus. Cenſeo etiam, univerſa hæc meliùs ad duo poëſios genera revocari. Ut ſi eam diſpeſcamus in dramaticam, quo pertinent comici, & tragici: & exegeticam, qualis eſt poëſis tum heroica, & elegiaca; tum lyrica, cum ea quæ tibiâ fit, & dithyrambicâ; tum etiam illorum, qui condunt epigrammata. Quamquam verò non diffitear, commodè eo pacto dividi poëmata: non tamen hinc peti poſſe arbitror diviſionem totius artis, ſed ſolius partis propriæ: ſub qua particularis omnis horum poëmatum conſideratio, quaſi ſub genere, ſive potius toto, ut vocant, integrali, continetur. Atque idem dixero, ſive cum nonnullis viſum fuerit, ſex facere poëtarum genera; heroicos puta, tragicos, comicos, melicos, ſaty-

* *Cap. 1.*

ſatyricos, dithyrambicos: vel octo cum aliis; quinque videlicet priori loco memoratos, & præterea epigrammatarios, jambicos, ac mimos: ſive undecim cum Iſacio Tzetze; qui, præter heroicos, elegiacos, lyricos, dithyrambicos, & epigrammatarios, non jambographos modò ſuperaddit: ſed etiam anathematicos, hymnographos, aſmatographos, epithalamiographos, & monodos. Nimirum tanta opinionum diverſitas provenit ex eo, quòd alii dividunt poëtarum genera à vario carminum genere; alii à materia, quam tractant; aliqui etiam ambo genera commiſcent. Quam rem fusè excuſſit Gyraldus primo de Poëtis dialogo. Deque generibus hiſce ſingulatim ferè ago duobus poſterioribus libris tripartiti operis, quo tradimus univerſæ Artis præcepta. Nunc igitur ſufficere putavi, ſi digito iſta attingerem; nec alio id fine, quàm ut meliùs intelligeretur, quod de Artis totius diviſione in partem communem, & propriam, dictum nobis antea fuit.


F I N I S.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII

POETICARUM INSTITUTIONUM,

LIBRI TRES.



AMSTELODAMI,
Ex Typographia P. & J. BLAEV,
Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
à SOMEREN, & GOETHALS.
M DC LXXXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

AUGUSTIS

BELGICÆ FOEDERATÆ

PATRIBUS

Gerardus Joannes Voſſius

dicat, ſacratque.

Illuſtriſſimi, ac præpotentes Domini,

ANni ſunt quadraginta, & amplius, ex quo primùm ea, quæ in penitioribus literis, ac univerſo diſciplinarum orbe, ſacris etiam ſtudiis, obſervâſſem, publici juris facere cœpi; eaque, veterum monitu, & exemplo, plurimùm inſcripſi prælustri loco conſtitutis. Nec tamen ad Vos, tot terrarum rectores, unquam aſſurrexit animus. Sæpe interim, fiduciam inter & verecundiam conſtitutus, dubitavi, utrùm publico non ſimulatæ devotionis alloquio, an ſilentio porrò etiam, venerari vellem orbe toto clariſſimum nomen veſtrum. Perſpecta quidem erat rara in tanta dignitate humanitas. Videbam fulgere, non ſuperbire, faſces veſtros. Ut facilè appareret, ſemper eſſe illud vobis in animo ſitum, non vos Reip. ſed Remp. vobis incumbere: cujus onus, ut cælum Atlas, ſic vos benignâ Fati providentiâ rectis, & ſalubribus conſiliis, ſuſtinetis. Sed, ea licet conſpicerem, nihilominus me, frontis tam imbecillis homullum, aſſiduè terrebat excelſa magnitudo veſtra. Terrebant præterea, non aliis ferendæ humeris, occupationes; quibus turbida componitis, ardua quæque exſuperatis, &, utcunque res ſeſe dederit, pari omnia ingenio, atque animo, fuffertis. Hactenus ita fluctuanti lætæ affulſere dies, quibus terræ tam veſtræ, quàm hactenus hoſtiles, ingenti ſpe complerentur pacis æternæ, poſt diuturnum adeò bellum, ineundæ inter potentiſſimum Hiſpaniarum Regem, & Belgicam hanc fœderatam. Equidem, cùm fatear lubens, multis partibus me inferiorem eſſe aliis multis: boni tamen civis officio alteri ceſſero invitus. Quamobrem ſermonibus publicis, etiam eorum, qui Remp. adminiſtrarent, excitatus, ante omnia Deum rogavi, ut ſecundare utrimque Pacis conſilia vellet: &, quia tot prudentiſſimi homines non vanam mihi ſpem concepiſſe animo viderentur; gratias eidem agere cœpi, quòd nato mihi anno à funeſti adeò belli primordiis quarto, ac multa interim in me ipſo, pluraque in parentibus, vi hoſtili perpeſſo, quodammodo dederit, jam ſeptuagenario, prævidere finem antemalorum. Præcipuè verò gratulatus ſum Vobis, totius fœderatæ Belgicæ Proceribus, quòd cum potentiſſimo Europæi orbis Rege tot annis eâ prudentiâ, ac fortitudine bellum geſſeritis, donec tandem eò deduceretis, ut ab hoſte ipſo offerrentur conditiones pacis, omnibus triumphis veſtris longè, ut arbitror, potioris. Facilè horum cogitatio expreſſit mihi, ut, poſitâ verecundiâ, conſilium caperem, ea, quæ nunc dixi, publicè etiam teſtandi apud Vos, præpotentes Fœderatæ Belgicæ Antiſtites. Cùm tamen ſine donario nollem ad veſtra venire templa; commodè accidit, ut hoc tempore ad umbilicum properarent tres noſtri Inſtitutionum Poëticarum libri. Ut non diu

Digitized by Google

mihi quærendum videretur, cujuſmodi munuſculo literario alloqui, ac venerari vellem præluſtre nomen Veſtrum. Fortaſſe dicent aliqui, majus quid conveniſſe tantis heroibus. Equidem non repugno. Sed molâ litat, qui nequit hecatombâ. Neque tam exiguus eſt Poëtices honos, quàm multis videtur. Qui non cogitant, Deum ipſum bonam partem Sacræ Scripturæ libris eſſe poëticis complexum: unde, eas partiens Chriſtus, de ſe ſcriptum ait in Moſe, Prophetis, & Pſalmis. Imò hymnus in ore Servatoris noſtri fuit. Etiam Ezechiël, poëta Judæus, tragœdiam Græcè reliquit de eductione Iſraëlitarum ex Ægypto. Ex Plinio, qui Apoſtolico ævo, ac deinceps vixit, cognoſcimus, ſui ævi Chriſtianos hymnis Chriſtum celebrâſſe. Adhæc quantum veteris Eccleſiæ doctores poëmatis ſuis, & ſibi decus pararunt, & Eccleſiæ fructum pepererunt! Illi verò, qui gentilium poëſin contemnunt, ipſam habere philoſophiam diſpretui videntur. Veterum enim poëtarum alii vitæ præcepta dederunt; ut Solon, Tyrtæus, ac ſimiles: alii naturæ arcana referebant; ut Empedocles, Meliſſus, Parmenides, cæterique. Atque, ut ad antiquiora veniam tempora, ita ab antiquis accepimus, illa quoque, quæ Orphei, ac Muſæi, dicebantur, vel ad mores pertinuiſſe univerſa, vel ad rerum naturam: quò etiam referebant, quæ de Deorum amoribus, connubiis, prœliis, & ſimilibus, traderentur. Nec raro ſub unius fabulæ involucro utramque philoſophiam occultabant. Quomodo, quòd terrigenæ dicuntur Deos aggreſſi cælo expellere, non ſolùm de ventis intelligebant, qui è terra originem ducunt: ſed etiam de hominibus impiis, templa Deorum populantibus: ſicut interpretatur Apollonius apud Philoſtratum. Hanc carminum laudem Maximus Tyrius pulcherrimâ expreſſit oratione: quâ docet, Poëticen eſſe Philoſophiâ vetuſtiorem; re verò eandem, ſoloque nomine diverſam. Quæ non aliter capere oportet, quàm quòd antiquiſſimis temporibus iidem fuerint philoſophi, & poëtæ; ſed philoſophiam fictis velârint fabulis; quas carmine ſunt complexi. Nec aliud voluit Plutarchus, libro de Muſica, & eo, qui inſcribitur, Quomodo à junioribus audiendi ſint poëtæ: ubi oſtendit, poëſin initium fuiſſe philoſophiæ. Nec enim, niſi priùs philoſophi fuiſſent, potuiſſent vel fabulis occultare, vel carmine poſteris prodere, ſapientiæ, ac prudentiæ, doctrinam. Iccirco etiam traditum fuit à poëtis, fuiſſe ſylvas cantu attractas, atque exſtructas civitates. Nimirum quia à ſapientibus, iiſque eloquentibus, & Muſicis præterea, ſic verſibus ſuaviſſimis, ac delenificis, permulſi fuere homines agreſtes; ut, relictis rupibus, ac ſylvis, in unum conceſſerint locum; domos conjunxerint; leges, ac jura, receperint; humaniuſque amplexi fuerint vitæ genus. Quare de Homero etiam ſic ſtatuimus, nomen ejus non magis poëtæ eſſe, quàm philoſophi: neque fallere, vel falli, veterum illos *, qui memorant, Homerum fuiſſe magiſtrum Platonis; licet quatuor circiter ſeculis poſtea conſecuti. A veteribus ſic accepimus; ex Oceano profluere Mæotidem (ſed de Mæotide ſunt decepti, veriùs iidem de cæteris) ex Mæotide originem capere Pontum, ex eo Helleſpontum, hinc fluere mare Ægeum, ex hoc porrò vaſtum illud pelagus, quod hinc Europam, Aſiæque partem; inde Africam, ingenti ſeparat intervallo. Haut aliter cogitandum de Homero: ex quo Platonis, (Homeri, dubito, an Socratis, ſimilioris) tum verba fluunt omnia, dictioque tota, prope adeò recedens à carmine; tum quoque omnigena illa rerum doctrina. Nimirum, ſive cogitemus ſiderum motus, aliaſque obſervationes cæleſtes; ſive naturæ totius ſcientiam; ſive gubernationem rei familiaris, vel Reip. ſive rei bellicæ diſciplinam;

* *Maxim. Tyr.*

plinam; ac quicquid in rebus humanis expetere, vel fugere, oportet: omnium illorum in eo non minùs ſemina comperiet philoſophus; quàm artis ſuæ exempla inveniet, tum poëta, tum orator. Nec ſanè Alexandro, tam ſublimis ſpei adoleſcentulo, alium æquè, ac Homerum, propoſuit Ariſtoteles. Videbat, non ſolùm ex eo poſſe hauriri gubernationem ſui, vel domûs; ſed etiam civitatis, ac regni, & ſcientiæ militaris, & eloquentiæ. Nec moveor eo, quòd ipſe Plato poëtas ex ſua exturbet Republica. Quis enim ignorat, offenſum fuiſſe commentis iſtis de pugnis Deorum, vel concubitu; de vinculis Junoni à Jove injectis; Saturno à Jove caſtrato, uti priùs ille fecerat Cælo; & trecentis hujuſmodi? Naturæ quidem vim iſtis adumbrarunt poëtæ: multumque ea res admirationis attulit intelligentibus. Sed quid hoc ad vulgus? quod propriè omnia capiebat. Unde fiebat, ut vel nullum eſſe numen crederet; vel, ejus exemplo, improba multa ſibi licere arbitraretur. Itaque Dionyſius Halicarnaſſeus Romulum laudat, quòd Græcorum fabulas hujuſmodi minimè admiſerit. Cujus judicii ſui tam Dionyſius, quàm Romulus, multos habuit approbatores. Inter cæteros fuit Hieronymus philoſophus; ut de eo apud Laërtium legas. Is ajebat, Pythagoram apud inferos vidiſſe animam Heſiodi alligatam columnæ æneæ, multumque ſtridentem; illam verò Homeri de arbore dependentem, ac diris circumdatam ſerpentibus; propterea quòd tam fœda uterque de divinâ prodidiſſet naturâ. Quæ cùm minimè fugerent ſapientiam Platonis: ipſe quidem, ſtudioſè legendo poëtas, ſapientibus, eos ut legerent, ſuo præibat exemplo: ſed arcebat ab iis imperitum vulgus; quod, cùm ſolùm exteriorem lamberet corticem fabularum, ad interiorem fructum neutiquam penetrabat. Optabat igitur Plato, ut poëtæ ſymbolis, non adeò periculi plenis, rerum naturam adumbrâſſent. Poſtquam verò res aliter cecidiſſet; fecit, quod potuit, & debuit; ſolos ut ſapientes ad eorum lectionem admitteret. Vellem iſta magis perpendiſſet, magnus omnino vir, Cæſar Scaliger: qui, cùm ipſe fateatur Homerum de Diis ſuis loqui, tanquam ſuibus, (quo quid noxium magis ſimplicioribus?) Platonem tamen culpat, quòd Homerum removeat à civibus ſuis; cùm cogitare debuerit, & quos arceat, & quomodo Homerum dimittat; videlicet non indignè, ſed coronâ redimitum, unguentis delibutum, & omnino ut virum magnum; ſed ſublimiorem, quàm ut captui plebis ſuæ conveniret. Periculum igitur ille extimeſcebat, ne vulgus ſtupidum non diſtingueret inter roſas, & ſpinas; inter aurum, & lutum. Sed nihil hoc periculum ad ſapientes; longeque minùs ad noſtra tempora. Poſtquam enim Euangelium Domini toto terrarum orbe illuxit; fabellæ iſtæ fidem omnem paullatim perdiderunt, ut lutoſæ non contaminent, ſpinoſæ non pungant; & proclive ſit omnibus aurum tollere, luto relicto; ac, evitatis ſpinis, carpere roſas. Non ulteriùs uni inſiſtam Homero: universè de poëtis videamus. De his ſic ait Cæſar Scaliger*: *Poëtæ finem eſſe, docere cum delectatione: poëſin verò eſſe politiæ partem; quæ ſub legiſlatore, quamquam aliâ facie, atque colore, continetur. Nam, quæ juſſa ſunt in legibus, quæ ſunt apud concionatorem, moderatoremque populi ſuaſiones; hæ, Poëtices operâ certâ, atque ſeparatâ, comparabuntur quibuſdam amœnitatibus ad inſtitutionem civitatis.* Neque hoc in dubium vocârit; qui cogitet, ab affectibus proficiſci actiones; ac propterea poëtam, civitatis doctorem, jucundè docere affectus, tum bonos; quò cives, per affectus bonos, bonas agitent vitæ actiones; tum malos, quò, malorum affectuum odio, evitent actiones malas. Vt veriſſimum ſit, hoc differre civem, doctoremque; quòd hic referat

ferat

* *Epinomidis cap. 2.*

ſerat actiones propter affectus : ille componat affectus ſuos propter actiones. Quorum utrumque beatam facit vitam ; & privatam, & civitatis , ſive Reipublicæ.

Sed quid ego tam latum ingredior mare? ubi porrò ſi provehar,

Ante diem clauſo componat veſper Olympo,

quàm cæteras etiam Poëticæ laudes complectar. Vela igitur contraham, &, quia ab æternæ pacis ſpe ſermo cœpit noſter, in voto ſimili deſinam.

DEUS OPT. MAXIMUS
VOS, AUGUSTI FOEDERATÆ
BELGICÆ PATRES,

diutiſſimè ſalvos, ac ſoſpites, conſervet: perque Vos Aureum Belgis ſeculum reducat. Europâ totâ Pacis tranquillitas , cœlo demiſſa , furores compeſcat Martiales. Inprimis Pietas caput ubique exſerat. Ardeant cuncti tanto Veritatis amore , ut magis eam ament , quàm ſe ipſos. Et, ne, in tot votis, oblivio me capiat ordinis mei; flagret in animis ſincerus amor literarum, tum humanarum, tum divinarum; præmiaque ſint ſtudiorum laboribus: quæ multis in terris, vel odio , vel contemtui eſſe cœperant , non minori damno, quàm dedecore publico.

Amſtelodami. An. cIↃ IↃCXLVII. Pr. Idus Sextiles.

B E.

Digitized by Google

BENIGNE LECTOR,

P*Atrum ætate Cæſar Scaliger, cùm de re Poëtica præclarum commentaretur opus, putavit; initio ſibi judicium eſſe afferendum de iis, qui ſcripſiſſent priùs. Quales erant, è Romanis Horatius, &, Scaligero ſuppar, Hieronymus Vida, epiſcopus Cremonenſis: è Græcis verò Ariſtoteles. De quibus ejus cenſura hujuſmodi fuit *:* Ordinem neglexit Ariſtoteles, Horatius vitiavit: accuratiùs Vida; ſed ut optimus poëta in theatro, claudus magiſter in ſchola. *De Vida etiam dixerat antea*, prudentem illum quidem multa bene monere; verùm factum jam inſtruere, ut perficiat. *De Horatio monuerat idem*, Artem cùm inſcripſerit, ſine ulla docere arte. *Sed fallitur, cùm* ἐπιγραφὴν *putat eſſe ab Horatio; qui inſcripſerat* epiſtolam ad Piſones. *Argumentum verò, ut in epiſtolarum cæteris, ita in hac etiam, ab aliis poſtea appoſitum fuit. De Ariſtotele ſic idem judicium fert:* Commentarii ejus mutili ſunt; nequid liberiùs excidat nobis. *Sunt ſanè mutili: nam parte eâ, quam habemus, ſolùm ſermo eſt de tragœdia, & epopœia: at verò egit etiam de comœdia, dithyrambo, & aliis poëmatis. Verumtamen in parte eâ, quæ ſupereſt, non adeò ordo eſt neglectus, quàm Scaliger putavit. Imò tota antiquitas nihil de Poëtica tam præclarum habet, quàm illa ſunt, quæ Ariſtoteles reliquit. Nec ulli juniorum plus meruerunt laudis, quàm qui minimùm ab Ariſtotele receſſerunt. Quod hoc opere in tragœdia, & epopœia, factum à nobis quoque fuit. In cæteris magis noſtro cortice natavimus: ſed ſic, ut omnia adſtrueremus ſcriptoribus antiquis. Quos in his, & aliis, inprimis ſapuiſſe arbitror: ut horum meraco ſe proluentibus accommodare liceat Varronianum illud:*

Vino qui utuntur vetere, ſapientes puto.

Οἰκονομίαν*, ut arbitror, commodiorem ſecuti ſumus, quàm Cæſari Scaligero eſt factum. Sed plurima, quæ Rhetorices, & Poëtices ſunt communia, ac fusè à Scaligero expoſita ſunt, ne attigi quidem; quia abunde de iis egiſſem in Rhetoricis; ubi veriùs iis locus fuit; cùm, ut oſtendo alibi †, proſa oratio tempore, & naturâ, prior ſit ligatâ. Permulta interim affert indicta mihi; partim quia magis ad uſum artis, quàm artem ipſam, pertinerent; partim quia ex ſummo illo viro peti mallem; præſertim ex Critico ejus, & Hypercritico. Totam verò artem per aphoriſmos digeſſi; quia longo uſu didici, magis eſſe ex bono juventutis, ſi priùs ſummatim cognoſcat, quæ deinde pluribus firmantur, & illuſtrantur. Scholas id ſapere ajunt. At nobis non vile, ſed pulcrum videtur, ſcholis conſulere; quæ ſeminarium ſunt Reipublicæ. Nec ſoli ſic conſultum imus juventuti; ſed cæteris etiam hujus artis amatoribus.*

—— Siquis ‡ tamen hæc quoque, ſiquis
Captus amore leget.

Placendi quidem ſtudio, quantum poteram, brevitati operam dedi. Quòd ſiqua repetita invenias, rariſſimè id oblivione evenerit; ſed ferè, quia res diverſæ eodem eſſent argumento ſubnixæ; eademque aliter, atque aliter, referendo, & comprobando, utrumque hoc conſequi mihi viderer, ut omnia & intelligerentur meliùs, & firmiùs retinerentur.

Quamquam verò Poëſis ſit alterum Eloquentiæ genus: docere tamen malui, quàm rhetoricari; ut in diſciplinis cenſeo fieri oportere. Nec ignoro, poſterius illud voluptatem adferre non levem: ſed animis levibus, atque otioſis; & ejuſmodi voluptatem, cujus facilè illos ipſos ſatias capiat: ut quæ nihil aliud ſit, quàm voluptas. Nolui propterea illam otioſorum oblectationem nimio mihi conſtare. Pura igitur ſuffecit dictio, & perſpicua: cui penè ſoli operam dedi, ut tam occupatus potui: non quòd ornatum, ac ſplendorem aliquem, damnarem; ſed quia de eo parum laborare ſoleo: nunc tantò minùs, quanto vitæ minùs video ſupereſſe. Videlicet ut nautæ in tempeſtate non eum petunt portum, quem optant; ſed qui proximus ſit: ita nec ego, dum ſarcinulas colligere feſtino, eâ ſemper utor dictione, quâ vellem; ſed quæ properanti ſe primò offerret.

*Non dubito autem, quin aliqua me fugerint: ſed facilem mihi veniam ſpero ab iis, qui aliud ſciunt rem metricam tractare, &, ut cum Columella ipſo dicere poſſumus, verſificandi artem; quam exile negotium, & pueris dignum, putes: aliud longè poëticen ipſam, quæ omnino virum exigit: uſque adeò, ut nec Homerus, vel Maro, rectum ſemper callem inſtiterint: quanto minùs cæteri! de cujuſmodi, inter alia, agendum eſt Poëtices ſcriptori. Quamobrem, ut ingenuè, quod res eſt, fatear; humeri noſtri fuiſſent tanto oneri impares, niſi ſublevaſſent priores; ante omnes Ariſtoteles; è junioribus, præ cæteris, Cæſar Scaliger. At ſic quoque ſatis oneris eſt relictum, dum totus adlaboro, ut non veriùs modò, certiuſque; ſed etiam pleniùs, planiuſque, & meliori omnino ordine, conſtringerem artis præcepta. Imò nec propterea ſic mihi nunc placeo, ut me artem conſummâſſe arbitrer. Exſurgent poſt me alii, atque alii, qui feliciùs conentur. Quod ipſe opto, voveoque: qui non honore meo quidque metiri ſoleo, ſed bono publico. Mihi ſatis erit, ſi tum quoque iis accenſear, quorum utilis fuerit opera in arte promovendâ. Cadam quidem ego; ſed fortaſſe itidem cadent poſtea, qui vicerint. Sic creſcunt artes cunctæ. Nec dubitabat Decimus Laberius * vocare hanc laudem publicam.*

Fortaſſe aliqui præoptent hoc laboris eſſe ſuſceptum à quopiam Apollinis, & Muſarum, ſacerdote; quem in eorum delubris conſpicere ſolerent furoris poëtici œſtro percitum. Hoc ſiquis exprobrâſſet Lilio Gyraldo Ferrarienſi, Italorum ſuâ ætate doctiſſimo, cùm de Arte aliqua; plura de Poëtis ſcriberet: reſpondiſſet ille verbis iis, quæ apud eum dialogo primo Hiſtoriæ Poëtarum leguntur †: Vetus illa Platonis ſententia eſt; eos etiam Poëtico agi furore, qui Poëtarum carmina interpretantur: atque ideo quoque vates dici queunt. Nam & Panetius philoſophus Ariſtarchum ea ratione μάντιν, hoc eſt, vatem, appellabat: quod etiam ſcribit Athenæus. *Nolim tamen ego propterea mihi furorem poëticum vindicare; etſi enarrandis poëtis annos multos in juventute dederim: ac nunc quoque ſubinde cum Aſpendio tibicine intus canam; foris magis acturus, niſi, qui nunc quoque, ut fit, vix ſum meus, certum inde ſtudiis cæteris diſpendium prævidérem. Sed miſſum iſtoc faciamus. Hoc potiùs dicam, non aliorum eſſe poëtari, quàm poëtarum; ſed de ejus artis natura, ac præceptis, ſcribere, philoſopho eſſe convenientius argumentum. Indicio eſt Ariſtoteles, non carminibus, ſed omnium doctrinarum ſcientiâ celebris: quo nemo*

uniuſcu-

* *Præfatione libb. de Re Poëtica.* † *Initio libri de artis Poëticæ Natura, ac Conſtitutione.* ‡ *Ecl. 6.* * *Apud Macrobium Saturnal. lib. 2. cap. 7.* † *Pag. 27. edit. Baſil. an. 1580.*

uniuſcujuſque poëſios naturam acutiùs perſpexit. Sanè ſummos poëtas Horatium, ac Vidam, poſt ſe longe reliquit intervallo: etſi eos non viderit Ariſtoteles; illi Ariſtotelis ſint operâ plurimùm adjuti. Nec pro his aliud excuſationis genus invenio, quàm quòd Ariſtoteles ingenio, & doctrinâ omnigenâ, penè humanæ conditionis ſortem exceſſerit. Tum autem, quòd facilius longè ſit de Arte agere proſâ, quàm carmine. Ut taceam, quòd ille ſcripſerit ſubtilibus Græcorum ingeniis; hi popularibus, pluſculum interim ſapientibus ſupra vulgus. Et qui poëtarum judices fuere conſtituti Athenis, Alexandriæ, Romæ; non tam fuere poëtæ inclyti, quàm poëtices intelligentes, ſæpe etiam ſapientes ad Ariſtotelis genium; ſubinde tamen & gentis ſuæ. Scio, eſſe complures, qui in dramatis, ac poëmatum aliis, ignoſcant ſibi mutuò; nec admittant veterum κριτήρια. Sed meum non eſt præſtare, quod diſcere nolint; non à me dico; ſed Ariſtotele, & tot veterum aliis, quos laudo. Quibus iſta non ſatisfaciunt; ſciant deformes etiam ſanum de forma judicium ferre: meque contentum eſſe laude Iſocratis, ſeſe coti comparantis; quæ, cum ipſa non habeat vim ſecandi, ferrum tamen acuit: quòd de ſe etiam in Arte prodidit Venuſinus vates.

Hæc ſunt, benevole lector, quæ volui, neſcius ne eſſes. Nunc igitur, modò ea legeris, quæ de Natura, ac Conſtitutione Artis Poëticæ, ſeorſum conſignavi, bonis te avibus dimitto ad Inſtitutiones ipſas; ſive præcepta ejus artis, quam Mæonius ales, Thebanus cygnus, ac tot purpurei olores, olim cantu ſuo ad ſidera uſque ſuſtulerunt. Fave, ſi minùs cantu olorino, lingua ſaltem εὐφημίᾳ, vel etiam ſilentio.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII INSTITUTIONUM POETICARUM

LIBER PRIMUS.

Libro ſingulari expoſuimus, unde datum ſit *Poëtica* nomen; atque ut eo vocabulo utamur, non pro ſola arte condendi carminis, nec ſolâ imitatione per figmenta; ſed quatenus hoc nomine utrumque artificium amplectimur. Egimus etiam diſtinctè de Poëtices materiâ, formâ, fine, cauſſâque efficiente, inventione, ac progreſſu. Ac denique diviſimus eam in præcepta cunctis poëmatum generibus communia, & ea, quæ certi generis propria ſunt. Hæc omnia de arte quidem ſunt, ſed extra artem; quia naturam, ac conſtitutionem artis aperiunt; artem ipſam non tradunt. Nunc ipſa artis præcepta exponere aggredimur. Ac initium eſto de iis, quæ pars prior promittit.

CAP. I.

DE PARTE COMMUNI *generatim: particulatim item* DE REBUS, *quas tractant poëtæ.*

1. §. *COmmunis pars Poëtices generatim agit de his quatuor: rebus, ordine, verbis, & metro.*

Partim enim res ſunt conſiderandæ, partim verba. In rebus ſpectantur duo; quæ dicenda ſunt, & quo ordine collocanda. In verbis attenditur, tum eorum delectus, tum metrum. Quo pacto, ut Oratoriæ tres ſunt partes, argumentorum inventio, inventorum diſpoſitio, diſpoſitorum exornatio: hæc poſtrema autem continet dignitatem è verborum delectu efflореſcentem, & compoſitionem periodicam, ac numeroſam: ita in Poëtica ſpectare oportet, tum rem, ſive argumentum; tum ordinem; tum dictionem; quo comprehendo & verba, & metrum. Solent Rhetores Elocutionis nomine & compoſitionem, & dignitatem, ſignare. Ac ſimiliter in Poëtica poſſis tria ſolùm recenſere; res, ordinem, verba: ut ſub verbis contineatur metrum. Sed ſeparare ea maluimus ad majorem claritatem; idque exemplo Plotini, cui cantica dividuntur εἰς τοὺς ῥυθμοὺς, καὶ τὰ ᾀδόμενα. Per ᾀδόμενα intelligit rem ſive argumentum, ordinem ſive οἰκονομίαν, ac verborum ornatum. Ῥυθμὸς eſt modus, quo verſus accinitur. Nam laxiùs eâ voce utitur, ut metrum comprehendat: etſi rhetoribus ῥυθμὸς, & μέτρον, res ſint diverſiſſimæ.

2. §. *Inter hæc quatuor principem locum meretur rei ipſius meditatio.*

Nam, ut Horatius * ait,

—— Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.

* *In Arte Poëtica.*

Ubi tria illa amplexum videmus, quæ antè dicebam. Nam facundiæ nomine deſignat, quam Rhetores elocutionem, vel φράσιν, aut ἑρμηνείαν appellant.

3. §. *Non imitandi igitur, quibus ſatis eſt, ſi ornatè dicant; quaſi res ſint propter verba, non verba rerum cauſâ, ſint inventa.*

Talis ex Oratoribus antiquis fuit Anaximenes, ſi Theocrito Chio credendum; qui de eo orationem habituro, dixiſſe fertur *: Ἄρχεται † λέξεων μὲν ποταμὸς, νοῦ δὲ σταλαγμός. Talis quoque ex iiſdem, avorum ævo, Conſtantino Laſcari viſus fuit Chriſtophorus Longolius; ut de eo prodidit Franciſcus Luiſinus. Juſtiuſque ex poëtis, proavorum ætate, talis creditus eſt Fauſtus Andrelinus; de cujus poëmatis ſcitè ajebat Eraſmus, unicam in iis ſyllabam deſiderari. Ea erat νοῦς, ſive *mens*.

* *Stobæus.*
† *Incipit verborum quidem flumen, ſed mentis gutta.*

4. §. *Ne, horum inſtar, verbis diffluamus, nullo rerum pondere ſubnixis; tum demum ad poëſin ſerio animum appellemus, ubi jam variarum rerum ſcientiam erimus conſecuti. Sanè hoc pacto animati erant veteres: in quorum poëmatis videas omnium ſemina diſciplinarum.*

Sic Maro, in divino Æneidos opere, nunc diſſerit de Deo; nunc ſiderum ortus, & occaſus aperit; nunc fulminis, incendii Ætnæi, aliarumque naturalium rerum, cauſſas exponit; nunc terrarum ſitum deſcribit; nunc priſcorum geſta enarrat; nunc de legibus, aut moribus, agit; nunc navigat longè, lateque; nunc aciem inſtruit, aut pugnat: nihil denique eſt, quod non attingat, imò penè per omnes omnium philoſophorum ſectas, omniaque vitæ genera, ſe diffundit; ut ita meliùs ſatisfaciat omnibus, magiſque ſit admirationi. Ex his cognoſcere eſt, poëtæ non fabularum duntaxat, ſed ſcientiarum omnium, notitiâ opus eſſe: unde & ἀείδειν, quod Poëtarum eſt proprium, Grammatici dictum putant ab α ἐπιτατικῷ, & εἴδω, quod eſt *ſcio*.

5. §. *Nec propterea in Poëta exigo omnium rerum notitiam, cum ea exſuperet vim mentis humanæ.*

Ut omnino, qui poëtæ arrogare velit πᾶν μάθημα, καὶ πᾶσαν τέχνην †: is, ut ex Hipparcho Strabo ‡ ait, tantundem agat, ac ſi dicat, adeſſe Atticæ mala, pira, aliaque, quæ ferre non poſſit. Equidem neſcio, magiſne ridere eorum faſtum, an dolere ſtultitiam debeam; qui, modò ſeriò loquantur, ſuæ laudis intereſſe exiſtimant, ut credamus, poëtam nihil ignorare. Quaſi non omnes poëtæ errarint in eo ipſo argumento, quod tractarunt; & innumera fuerint, de quibus, ob ignorantiam, nunquam fuiſſent auſi ſcribere. Et quale illud, quod ajunt, omnes omnia à poëta diſcere: poëtæ verò omnia à Deo inſpirari, quicum habeant cognationem: ut non debeant hominibus accenſeri? quippe qui non intervallo minori grammaticos, oratores, philoſophos, & quicquid eruditiſſimorum uſpiam hominum eſt, infra ſe relinquant, quàm ipſe abeſt à nomine, numineque divino? Quaſi poëta aliud à ſe habeat, quàm fabulam, numerum, & ſpiritum, quo dictionem animat, ne humi repat. Sanè notitiam rerum geſtarum, item naturæ ſcientiam, adhæc pru-

† *Omnem diſciplinam, omnemque artem.*
‡ *Lib. 1.*

prudentiam civilem, non minus, quàm cæteri homines, vel à magiſtro haurit, vel uſu & experientiâ acquirit. Fateor, olim eoſdem fuiſſe hiſtoricos, philoſophos, poëtas: eoque à poëtis homines, & geſta, & res civiles, & rerum naturam, didiciſſe: ſed non ab iis ea diſcebantur, quatenus poëtæ erant; ſed quatenus eſſent hiſtorici, vel philoſophi. Quomodo ſiquis picturæ pariter, atque architecturæ intelligens, novâ formâ palatium & animo effingat, & penicillo depingat: non is quatenus pictor eſt, ſed quatenus architecturæ eſt gnarus, novam animo effingit formam; verùm quà pictor, non quà architectus, formam animo conceptam, penicillo exprimit. Eoque ſtultè aliquis pictoribus omnibus tribuat notitiam architecturæ. Multoque ſtultiùs pictor, qui, architecturæ neſcius, ſolùm formam expreſſerit ab nobili repertam architecto, vindicet pictoribus architecturæ ſcientiam. Stultiſſimè omnium dicat, ſibi illam divinitus infuſam, ſeque eâ parte nobilis architecti doctorem eſſe. Quare multifariam peccant, qui contendunt. Deum inſpirare Poëtæ omnium ſcientiam, quò ab eo omnes diſcant omnia. Nam, niſi ludere ſolùm iis viſum; & in magiſtros ſunt ingrati, à quibus ſcientias, & artes, hauſere; & nimio inflantur typho, cum omnium ſcientiam tribuunt ſibi; quæ res ſortem excedit humanam. Neque eſt, quod exiſtimet quiſquam, hæc poëtarum honori adverſari: imò verò poëtarum cauſſam agimus. Nam maligni homines ſic colligerent. Titium, vel Mævium, non eſſe poëtam; quia aliunde multa didicerit, pluraque ignoret. Nos contrà negamus, hæc eſſe poëtæ χαρακτῆρα *; taleſque etiam, ut egregios poëtas, ſuſpicimus; dummodo ea adſint, quæ poëtam facere dicebamus.

** Notas, atque indicia.*

6. §. ***Attamen in poëta rerum maximarum, & plurimarum, ſcientiam requiro.***

Similiter Ariſtoteles †: Μάλιστα μὲν οὖν ἅπαντα δεῖ πειρᾶσθαι ἔχειν· εἰ δὲ μὴ τὰ μέγιστα, καὶ πλεῖστα. *Maximè igitur opera danda eſt, ut omnia exprimamus; ſin minus, potiſſima.* Ac ſubjungit, Ἄλλως τε καὶ ὡς νῦν συκοφαντοῦσι τοὺς ποιητάς. *Alioquin, etiam nunc, calumniantur poëtas.* Quare nullam poëta ſcientiam aſpernabitur: quarundam tamen guſtus ſuffecerit, ſaltem in iis partibus unde ornatus aliquid accedere poëmati poſſit: quibuſdam autem largiùs proluere animum debet: præcipuè virtutum, vitiorumque præceptis, & exemplis; nec non doctrinâ παθῶν, καὶ ἠθῶν ‡, quæ cauſſæ ſunt τῶν πράξεων *: unde eſt, quòd Ariſtoteles hæc tria non uno conjungat loco; uti & Clemens Alexandrinus facit initio Pædagogi ſui.

† De re Poetica cap. 17.

‡ Affectuum, ac morum.

** Actionum.*

7. §. ***Imò neque vel ingenium, vel doctrina, æquè in omni requiritur argumento. Sæpe elegis pangendis, aut epigrammatis condendis, multum laudis meruit, qui ineptus fuiſſet ad canenda heroum geſta, vel tragœdiam faciendam.***

Unde Propertius ſic libro II. eleg. I:

Sed neque Phlegræos Iovis, Enceladique, tumultus
Intonet anguſto pectore Callimachus:
Nec mea conveniunt duro præcordia verſu
Cæſaris in Phrygios condere nomen avos.

Quare ſapienter jubet Horatius †, eos, qui præſtare aliquid laude dignum volent,

—— verſare diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

† In Arte Poetica.

Hoc ſui examen in duobus penſandis maximè conſiſtit; ingenio, & doctrinâ. A quibus fontibus diverſi conceptus proveniunt. Multi, ingenio nixi, temere aggreſſi fuere argumentum, ubi multijugâ opus erat doctrinâ, quâ erant deſtituti. Contrà alii, ſolius doctrinæ fiduciâ, poëma condere auſi ſunt: ac res quidem præclaras metro conſtrinxere; ſed non iis conceptibus, quos ſpirant poëtæ. Atqui, ut optimè ait Dionyſius Halicarnaſſ. ‡ in Arte ſuâ: Οὐχ ἡ αὐτὴ μεταχείρησις ποιητικῆς τε καὶ πεζῆς λέγεως, ἀλλ' ὥσπερ τοῖς μέτροις, οὑτωσὶ δὲ καὶ τοῖς ἐννοήμασι, διενήνοχε ταῦτα. *Carminis, & ſolutæ orationis, non eadem eſt tractatio; ſed ſicut metris, ita & conceptibus animi, differunt.* Quæ profectò ſententia longè verior, quàm illa Eutychiani junioris, regii ſcribæ, apud Agathiam in præfatione operis; qui dicebat, Οὐ πόρρω πεπτάχθαι ἱστορίαν ποιητικῆς, ἀλλὰ ἄμφω ταῦτα εἶναι ἀδελφὰ καὶ ὁμόφυλα, καὶ μόνῳ ἴσως τῷ μέτρῳ ἐστὶν ἀλλήλων ἀποκεχωρισμένα *. *hiſtoriam à poëtica non multum diſtare ſed hæc duo gemina, affiniaque eſſe, ſoloque propemodum rhythmo inter ſeſe diſcrepare.* Ubi quidem particula ἴσως, quod dixerat, emollit: ſed tamen ſatis apparet, non vidiſſe eum, quantopere conceptus differant, hiſtorici, & poëtæ. Quod diſcrimen meliùs perſpexit Petronius, verbis iſtis, alibi etiam allatis †: *Non res geſta verſibus comprehendenda ſunt, quod longè meliùs hiſtorici faciunt: ſed per ambages, deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum, præcipitandus eſt liber ſpiritus; ut potiùs furentis animi ratiocinatio appareat, quàm religioſæ orationis ſub teſtibus fides.* Aliquis, ſi hujuſmodi eſſe debeat ſpiritus poëticus, contendat, Lucanum poëtam non fore; quem perſtringere voluit Petronius, cùm iſta ſcriberet. Sed facilè hunc ictum exeas; quia duo dicit Petronius. Primùm requirit, ut liber ſpiritus præcipitetur, ſic ut carmen videatur eſſe animi furentis opus. Prætereà exigit, ut hoc fiat per ambages, deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum. Prius, quemadmodum oſtenſum ‡, ſufficit, ut ne, conceptuum cauſſâ, aliquis poëtarum numero excludatur. Eoque nihil cauſſæ eſt, cur Lucanus non dicatur poëta hiſtoricus. Nam furentis ſit negare, poëma illud à furore poëtico proficiſci. Sic enim ſpiritus ille in eo exſultat, ut freni potiùs eguerit, quàm calcaris. Magis tamen poëtæ nomen meruiſſet, ſi & altera acceſſiſſet conditio: hoc eſt, ſi præcipitaſſet hunc ſpiritum per fabularum figmenta; quæ poëſios, κατ' ἐξοχὴν vocatæ, anima ſunt; ut diximus. Quare deinceps de fabulis videamus.

‡ Præcepcis de epithalamio.

** Pag. 3.*

† Lib. de Nat. ac Conſtitut. Poet.

‡ Lib. de Natura ac Conſtitut. Poet.

Cap. II.

De Fictione Poetica.

1. §. ***Præcipuum Poëtæ officium eſt imitari, ac fingere: quæ duo etſi non admodum diſtent, aliquo tamen modo differunt. Nam imitatio attendit illud, ſecundum quod facimus aliquid: fictio autem id, quod fit.***

Ita Polycletus imitatur hominem verum, puta Socratem: facit autem non hominem verum, ſed ejus ſimulacrum. Poëtæ itidem imitantur actiones humanas: ſed fingunt fabulas, quibus exprimunt actiones humanas. Vera eſt actio, quam imitantur: veræ ſimilis eſt actio, quam fingunt.

2. §. ***Imitatio igitur eſt adumbratio actionum bonarum, vel malarum.***

Unde etiam cognoſcimus, cur Simonides dixerit, poëſin eſſe picturam loquentem; picturam eſſe poëſin tacentem: ut auctor eſt Plutarchus * non uno loco. Unde id accepit Arſenius Monembaſienſis †. Quod addo, quia ambigere video Barthium, ecquis eorum ante Arſenium id prodiderit, qui quidem exſtent. Nimirum pictura imitatur faciem hominis: at poëſios actionem, & ſermones. Notum & Horatii illud ad Piſones:

Ut pictura poëſis erit.

Et ad Auguſtum:

Nec magis expreſſi vultus per ahenea ſigna,
Quàm per vatis opus mores, animique virorum
Clarorum, apparent.

** Libro de Atheniensium gloria: item libro de poëtis audiendis.*

† In Apophth.

Pru-

Prudentius quoque comparat lib. II. in Symmachum, ſed odioſius planè:

Sic unum ſectantur iter, & inania rerum
Somnia concipiunt, & Homerus, & acer Apelles.

3. §. *Diximus, poëtam non tam mores imitari, quàm actiones: quia poëta propoſitum ſibi habet beatitudinem civilem: beati autem non dicimur propterea, quod animus noſter propendeat aliquò; ſed quia ſecundùm virtutem vivamus.*

A moribus enim dicimur faciles, duri, fortes, timidi, continentes, incontinentes, parci, avari; & ita in aliis proprietatibus animi, quæ nos ad agendum bene maleve inclinant. Sed felices vocamur, quia ex virtute operemur: at miſeri ſimus, & infelices, ſi improbè vitam traducamus. Quare propriè imitatur poëta actiones virtutis, in quibus beatitudo conſiſtit; non affectus.

4. §. *Idem ex eo colligitur, quia mores non poſſimus cognoſcere, niſi ſermone, vel actu aliquo, ſeſe exſerant.*

Quemadmodum igitur pictor ſic exprimit vultum, ut inde animi affectus reluceat: ſic poëta ita actus imitatur, ut inde mores hominis oſtendat. Unde Horatius in Arte:

Reſpicere exemplar vitæ, morumque, jubebo
Doctum imitatorem.

Atque hæc de imitatione; videamus de fictione.

5. §. *Fabula dicitur ſermo veri imitatione confictus.*

Ciceroni in primo de Inventione, & magiſtro Herenniano lib. I. fabula definitur, *quæ neque veras, neque veriſimiles, continet res.* Contrà Aphthonio eſſe dicitur, λόγος ψευδὴς εἰκονίζων ἀλήθειαν, *ſermo falſus veritatem imitans.* Qui vocis uſus magis hujus eſt loci. Nec tamen tam latè hic fabula, quàm ab Aphthonio, ſumitur. Nam hîc fabulæ nomine ſolùm intelligitur fabuloſa unius, & integræ actionis, narratio. Hinc Ariſtoteli μῦθος dicitur eſſe σύστασις τῶν πραγμάτων, *conſtitutio rerum.* Eidem vocatur πράξεων μίμησις, *imitatio actionum.* Eſt verò non tragœdiæ ſolùm ἀρχὴ, καὶ οἷον ψυχὴ *, ut eam Ariſtoteles appellat: ſed omnis poëſios, quatenus in imitatione conſiſtit. Utrumque fabulæ genus, & illud, quod veriſimilitudinem habere negat Cicero, ut ſunt apologi; & alterum, quod eam obtinet; ut fabulæ ſunt poëticæ; complexus eſt Macrobius, cùm ſic ſcribit lib. I. in Somn. Scip. *In quibuſdam, & argumentum ex ficto locatur, & per mendacia ipſe relationis ordo contexitur: ut ſunt illæ Æſopi fabulæ elegantiâ fictionis illuſtres. At in aliis argumentum quidem fundatur veri ſoliditate: ſed hæc ipſa veritas, per quædam compoſita & ficta profertur. & hoc jam vocatur fabuloſa narratio, non fabula ut cerimoniarum ſacra; ut Heſiodi, & Orphei, quæ de Deorum progenie, actuve narrantur; ut myſtica Pythagoreorum ſenſa referuntur.* Ubi plura de Poëticis fabulis habes: ſed magis illis, quibus naturæ myſteria occultantur; quàm quibus origo eſt ex iis, quæ acciderunt. De quibus nunc potiſſimùm agimus.

* *Principium, ac velut anima.*

6. §. *Fictis potiùs, quàm veris, eò utuntur poëtæ; quia mirificâ narratione magis animos movent plebejos.*

Unde Synesius in Calvitii encomio: Τὸ δὲ ῥᾷστον καταγελᾶσθαι ὁ δῆμος· δεῖται γὰρ τερατείας. *Ridet ac deſpicit plebs, quod facillimum intellectu: opus verò ei narratione prodigioſâ.*

7. §. *Quanta ſit conceſſa poëtis fingendi poteſtas, argumento ſit, quod nonnunquam res planè invertant.*

Quomodo tradidere, Trojanos victos, qui videntur fuiſſe victores: & Penelopen finxere caſtam, Didonem impudicam; cùm illa meretrix fortaſſe fuerit, hæc caſtitatis exemplar: quemadmodum oſtendimus lib. I. Orator. Inſtitut. cap. VI. Par ratio Medeæ, feminæ ſupra ſexum, & genus, ſapientis: cujus liberos Mermerum, & Pheren, Corinthii lapidibus obruerunt. Huic ſceleri expiando, ſecundùm oraculum, ſacra quotannis fecere. Cæterum delendæ iſti ignominiæ ab Euripide poſtulârunt, ut fabulam conderet; quâ Medeam fingeret veneficam, & ab ipſa liberos fuiſſe interemtos. Ita ingenio, & arte poëtæ, mendacium vicit veritatem. Vide Ælianum lib. V. Variæ Hiſtoriæ cap. XXI, & Pauſaniam in Corinthiacis *. Etiam favet Dionyſius in Περιηγήσει, ubi Medeam vocat ἡρωΐνην ἀμύμονα, *inculpatam heroinam.*

* *Pag 90. edit. Hanovienſis an. 1613.*

8. §. *Idem eo cognoſcitur, quòd poëtæ ſæpenumero inter ſe pugnent: ut nemo ignorat, qui eos legerit.*

E. G. Patroclum, Achille natu majorem, ait Homerus Iliad. Λ. Ubi refert, ut Menœtius Actorides dixerit, Achillem ſtirpe, Patroclum annis vincere. Æſchylus tamen juniorem ait, atque imberbem ab Achille adamatum. Itaque eum, quia ab Homero diſſenſerit, reprehendit Plato in Sympoſio. Martialis nihilominus Æſchylum ſequitur; cùm de illo ſic ait in undecimo ep. XLIV:

Briſeïs multùm quamvis averſa jaceret:
Æacidæ propior lævis amicus erat.

At Statio Papinio in Achilleide eſt

Par ſtudiis, ævique modis.

Talium maxima eſt copia in poëtis. Si aliqua voles exempla, adi Franciſcum Floridum Sabinum lib. III. lect. Subſiciv. c. XL.

9. §. *Etſi autem, qui mentitur, hominem, quantum in ſe eſt, fallat; quo plurimùm nihil turpius: Poëtarum tamen mendacia non modò non inhoneſta ſunt, ſed etiam laudabilia.*

Nec enim ſunt poëtarum figmenta, qualia populi: quòd optimè indicat epiſcopus Abulenſis lib. V. de Paradiſo cap. CIII: *Cùm populus dicit, lamentationes gementium animarum in Ætna montis audiri voragine: dicendum, quod populus facilis plura fingit, quàm poëta: quia poëta ſciunt, quod fingunt: populus autem, quod dicit, ignorat.* Quem & locum adducit Antonius Ruſca de Inferno, & ſtatu dæmonum lib. I. cap. XLV. Nec faciliùs hoc, quàm veriùs, de poëtarum figmentis credidit Abulenſis. Nam ſi καλὸν τὸ ψεῦδος, ὅταν ὠφελῇ τοὺς λέγοντας, μηδὲν καταβλάπτῃ τοὺς ἀκούοντας· *pulcrum eſt mendacium, cùm auctori utile, & audienti non obeſt*; quemadmodum Chariclia Theageni ſuo ait apud Heliodorum Æthiop. lib. I: quantò profectò præſtabiliora ſunt poëtarum mendacia, in quibus ὅτι ἀπατήσας δικαιότερος τοῦ μὴ ἀπατήσαντος, καὶ ὁ ἀπατηθεὶς σοφώτερος τοῦ μὴ ἀπατηθέντος †, ut Gorgiam dixiſſe auctor eſt Plutarchus lib. πῶς δεῖ τῶν ποιημάτων ἀκούειν.

† *Qui fefellit, juſtior eſt, quàm qui non fefellit; & qui falſus eſt, ſapientior eſt, quàm qui falſus non eſt.*

10. §. *Imò fictiones poëticæ mendacia propriè dici non poſſunt; ſed figuræ ſermonis: quippe quæ ad veritatem referantur.*

Auguſtinus lib. II. Quæſtionum Euang. quæſt. LI: *Non omne, quod fingimus, mendacium eſt; ſed quando id fingimus, quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium. Cùm autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem; non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia, quæ à ſapientibus & ſanctis viris*

viris, vel etiam ab ipſo Domino, figuratè dicta ſunt, mendacia deputabuntur; quia ſecundum uſitatum intellectum non ſubſiſtit veritas in talibus dictis. Et infrà: *Sicut autem dicta, ita etiam facta, finguntur ſine mendacio, ad aliquam rem ſignificandam. Unde eſt etiam illud ejuſdem Domini, quòd in fici arbore quæſivit fructum eo tempore, quo illa poma nondum eſſent. Non enim dubium eſt, illam inquiſitionem non fuiſſe veram: quivis enim hominum ſciret, ſi non divinitate, vel tempore, poma illam arborem non habere. Fictio igitur, quæ ad aliquam veritatem refertur, figura eſt: quæ non refertur, mendacium eſt. Sic & Chriſtus fingit ſe longiùs ire apud Lucam. &c.*

11. §. *Poëtæ intereſt fingere veriſimilia.*

Horatius in Arte:

Ficta voluptatum cauſſâ ſint proxima veris;
Nec, quodcumque volet, poſcat ſibi fabula credi.

In Ariſtoteli eſt τὸ λέγειν δυνατὰ, ſive, ut Theognis ait, ψεύδεα ποιοῦντα ἐτύμοισιν ὅμοια *. Hinc Plautus Pſeudolo Act. 1. ſc. IV:

Falſa fingere veris ſimilia.

Sed quaſi poëta fabulas cum cepit ſibi,
Quærit quod nuſquam eſt gentium, reperit tamen,
Facit illud veriſimile, quod mendacium eſt:
Nunc ego Poëta fiam.

12. §. *Veriſimilia autem ſunt, quæ contingunt. Ac quo ſæpius contingunt, eò magis veriſimilia ſunt. Cujuſmodi idcirco inprimis conveniunt poëtæ.*

Magis igitur ſectabitur veriſimile, quàm poſſibile. Ut eſt ejulatus Ulyſſis in Scylla.

13. §. *Conceſſa tamen & illa ſunt, quæ rarò contingunt. Idque, quia hæc admirationem gignunt. At diſpar eorum ratio eſt, quæ fidem omnem excedunt. Nec tamen negari poteſt, multa etiam apud poëtas inveniri, quæ ſapientum judicio, planè ſint abſurda, & incredibilia.*

Cujuſmodi legere eſt apud Maronem; qui tamen longè Homero modeſtior eſſe ſolet; ut argumento eſt, quòd quia non ignoraret, quàm malè apud multos audiret Homerus ob ea, quæ de Diis tradidit, conſonam huic notam veritus, nunquam induxerit Deos, Deaſve, belligerantes, præterquam Juturnam, & Opim. Qua de re vide, quæ à Nannio ſcribuntur lib. VI. Συμμίκτων cap. XII. Et tamen apud Maronem quoque ſunt non pauca, quæ planè fidem exſuperent. Quomodo enim ex arbore enaſci poſſit ramus aureus, quod VI. Æn. poëta finxit? Aut quomodo è cadavere efflorefcant virgulta, quod de Polydoro III. Æn. legimus? Aut quomodo è navibus fiant Nymphæ marinæ, quod IX. Æn. ſcribere non dubitavit? Nam nemo non videt, frigere ea, quæ de ramo aureo attulit Crinitus lib. X. de hon. diſc. cap. VI. nec magis hunc nodum exſolvunt, quæ ſunt apud Cœlium Calcagninum lib. I. ep. I. Neque ad alterius excuſationem facit, quòd Daphne, Thraciæ mulieres, quæ Orphea diſcerpſerant, Phaëtontis ſorores, Baucis & Philemon, Atys, Cypariſſus, aliique, quos commemorare haut attinet, in arbores fingantur commutati. Nam id vivis contigiſſe ſcribunt; non cadaveri, ut Maro. Cumque duo hæc non ſatis excuſari poſſint, tertium iſtud de navium μεταμορφώσει minimè omnium colore ullo defendi poteſt. Eſtque in hac etiam ſententiâ Franc. Robortellius; eoque diligentiùs nobis hæc res penſiculanda, ne doctiſſimi viri auctoritate Virgilianæ majeſtati vel hilum detrahatur. Ac de ſingulis quidem primò videamus ſingillatim, pòſt de cunctis id genus τερατολογίαις † acturi. Certè quid ſi fabulà de ramo aureo myſticum quid dicamus ſignificari, quod Maroniano quidem, non item noſtro ſeculo, cuiquam cognitum ſit? Id quidem ſenſiſſe eos, qui de ſacris Proſerpinæ ſcripſerunt, autor eſt Servius. At de cadavere Polydori, res facilis. Nam & Romuli haſta in monte Albano dicitur fronduiſſe ac floruiſſe; de quo Ovidium adi XV. Metam. Neque de navium μεταμορφώσει operoſum eſt negotium. Nec enim abſurdius eſt, naves converti in Nymphas, quàm Najades mutari in inſulas Echinadas, aut Nympham Syringem in arundinem. Certè hanc navium Æneæ μεταμόρφωσιν neque adferre dubitavit poëtarum ingenioſiſſimus XIV. Metam. Idem etiam hanc poëtis libertatem conceſſam ait lib. Amorum tertio *, ubi hoc ipſum adducit exemplum. Nam primùm inquit:

† Prodigioſis narrationibus.

* Eleg. 11. ſive al. 12.

Nec tamen, ut teſtes, mos eſt audire poëtas.
Malueram verbis pondus abeſſe meis.
Per nos Scylla, patri canos furata capillos,
Pube premit rabidos, inguinibuſque canes.

Diſtichis deinde aliquot interjectis, quibus ſimilia perſequitur exempla, hæc ſubjicit:

Protea quid referam, Thebanaque ſemina dentes?
Qui vomerent flammas ore, fuiſſe boves?
Flere genis electra tuas, auriga †, ſorores?
Quæque rates fuerant, nunc maris eſſe Deas?

Ac tandem concludit:

Exit in immenſum fecunda licentia vatum:
Obligat hiſtoricâ nec ſua verba fide.

† Sic in MSS. legendum: ut Apoſtrophe fit ad Phaëtontem, qui per aurigam intelligitur.

Eſt & inſignis Agatharchidæ locus libro de mari rubro: ubi ut Græcanicam de expeditione Perſei fabulam refellat, colligit plurima à poëtis conficta, omnino incredibilia, planeque abſurda. Locus prolixior eſt; ſed quia memorabilis, ut qui potiſſimas poëtarum fabulas comprehendat, eum hic quoque apponam. Malim ex ipſo fonte peti. Sed cùm tempora cogito, quibus magnis iterum paſſibus ad barbariem itur; Græcis potiùs, quàm Latinis, ſuperſedebo. Sic igitur eum locum tranſtulit doctiſſimus vir, Laurentius Rhodomannus: *Abſurda, prout vulgi adſenſu comprobata ſunt, quàm breviſſimè percurremus. Centaurum videlicet fuiſſe, Geryonem, Cyclopem, Chryſen, Circen, Calypſo, Minotaurum, Scyllam, Chimæram, Pegaſum, Læſtrygonas, Cerberum, Glaucum marinum, Atlantem, Protea, Nereum, Nereides, Aloëi filios, qui ad IX. orgyarum longitudinem, & IX. cubitorum latitudinem, excreverunt. Tum, Heſiodo auctore, genus exſtitiſſe primò aureum, deinde argenteum, poſt hæc æneum. Rurſus equos fuiſſe, qui de futuris collocuti ſint cum Achille: & Sphingem, quæ Thebanorum pubi ænigma propoſuerit: & Sirenes, quæ ad perniciem auditorum cantillarint: Nioben etiam, & Polydecten, in ſaxa ex pavore converſos. Navigationis inſuper comites Ulyſſis, ex hominibus in porcos, & è porcis in humanum rurſus habitum, tranſiſſe. Item Tantalum, propter mentis integritatem, honore adfici, menſa Deorum admotum; & propter flagitioſam libidinem in aëra ſublatum plecti. Nonnullos etiam datâ operâ deſcendiſſe ad Plutonis; tum ut vates mortuos de vivis conſulerent; tum ut Proſerpinam, ceu ſolitariam, vi ſponſam ſibi facerent. Et vellus aureæ lanæ in ove exſtitiſſe; maloſque in Africa naſci, quæ aurea mala producant. Animatum corpus per omnem vitam inſomne permanſiſſe. Boream, & Auſtrum, cum cæteris ventis, in utre tantùm non præfocari incluſos. Adde Paſiphaën cum Tauro, & Tyro cum fluvio, rem habere: cùm tamen ad nullum diverſa natura genus lectum ineant. Et Philomelam in luſcinia, Tereum in upupe, & * Hecuben in canis domeſtici naturam eſſe mutatam. Io præterea filiam amnis fuiſſe: ſed cornutâ bovis formâ, cum aſilo agitaretur, Ponticum mare tranſcurriſſe: unde & Boſporus nomen acceperit. Et Cæneum Lapitham, primò virginem, circa pubertatis annos, ex fœmineo ſexu in virilem tranſmigrâſſe: atque ad poſtremum, cùm à Centauris, abietum incuſſu, verberaretur, vivum & erectum ſubiiſſe terram. Et Ledam, ejus, quæ in fœminam cadit, procreationis loco, nativum peperiſſe ovum: unde forma illa, tot pugnis expetita, Helena inquam,* effor-

* Plautus Rudente 5. 1. Cic. Tuſc. 3. Ovid. 13. Met. Juven. ſat. 10. Serv. in 3. Æn.

efformata ſit. Hellen etiam, & Phrixum, arietis pedibus volantes, confecto curſu, mare illud ad utrumque litus uſque, Helleſpontum de ſe nominâſſe. Quid quod Hercules etiam vaſta maria, ubi maxime oriuntur tempeſtates, in olla emenſus ſit: & Africam ſementis, & aquæ, viaque expertem, ſolus peragrârit: & ab Atlante, tanta magnitudinis, & gravitatis, mundum in ſe receperit; non quod mandatum haberet, ſed tantum ut gratiam iniret? Quid quod Orphei, citharam pulſantis, veſtigia montes, & ſcopuli, amore & ſtudio Muſica, ſectati? Et carnes boum Solis, inter aſſandum, vocem hominum intellectui obviam ediderint? & quòd vitâ defuncti, per otium, omnes generis ſermones cum Ulyſſe cædant, ex informi umbrâ proprium faciei agnoſcentes? Aliique horum bibant; cùm nec alvus, nec gula reſtet: alii ferrum extimeſcant, vulnerationi tamen non amplius obnoxii. Nonnulli ſaxum volvant, quorum corpora jam olim conflagrarunt. Aliqui etiam jus dicant cæteris; ubi tamen nihil injuriarum eſt reliquum. Quid tandem, quod eorum, qui non amplius ſunt, ſimulacra in cymba trajiciant, Charonte nauclero & gubernatore, ut ne ſubmerſi, denuo funeris elatione opus habeant? Et quod Alceſtis, & Proteſilaus, & Glaucus, poſt vitæ finem ſurgant? Siquidem illam Hercules reducit: iſtum uxoris amor exſtimulat, hunc vates unà defeſſum excitat. Et quòd Amphiarai, vitâ adhuc integrâ, corpus unà cum equis, & curru, tellus abſorbeat? Et quòd dentibus è Cadmi dracone diſſeminatis, viri armati, interque ſe depugnantes, enaſcantur. Et quòd Talos, Minois cuſtos, ter uno quolibet die totam circumambulet Cretam, tam longè lateque patentem, ſoluſque animatorum in talo vitam poſſideat. Et quòd Minoi vita abrumpi nequeat, niſi quis ferventem ei aquam affundat. Ad hæc, quod incantatione Medeæ immutatus ſenex hircus, ad juventutem redierit, & à Peliadibus incoctus ſit pater, ut rejuveneſceret. Et quòd tres anus Phorcides unius oculi uſu vitam exigant, indiſſolubilis inter ſe fidei commutantes vicem. Item quòd Arcadiæ cultores, & Atticæ, terrigenæ ſint, & præter naturam orti. Et quòd mactata in Aulide vivam ſe exhibuerit apud Tauros. Et quòd in Peloponneſo mari demerſa à patre Acriſio, Seriphiorum litoribus incolumis, unà cum infante, appulerit. Et quòd, à Menelao in ſingulari certamine jam ſubactus, poſt arreptionem ſubitam, verſetur in thalamo, ad complexum paratus, & omnis adverſi caſus oblitus. Et quod ligneï equi receptaculum non ad expugnationem urbis ſit compactum; ſed ob proditionem Ulyſſis, & Neoptolemi, ſociorumque. Vide, qualis hoc modo ſtultitia depingatur, & artificis, qui equum exſtruxit; & procerum, qui hunc inierunt; & civium, qui in propriam urbem eundem ſuſceperunt! Adde his, quòd cœlum tam vaſtum, Diis in eo commorantibus, ſuis Atlas humeris exceperit, & Atlantides tamen genuerit; quod fieri nullo poteſt modo. Quòd orbem totum Oceanus circumluat, & ambiat, cuſtodiens eum fluxibus ſuis, & continens; cujus extrema Gorgones accolere, Heſiodus canit. Et quòd heroum nonnulli corporum incolumitatem, extra omnes adfectiones, conſervent, in beatorum inſulis; de quibus tamen nemo certi aliquid memoriæ prodidit. Hæc igitur cùm in dubias, & perplexas deſinant opiniones, multis etiam è ſexu muliebri riſum non improbabilem excutiunt. Cæterùm de diis nugas quomodo accipiamus? Quòd videlicet quidam femori inſitus ad maturitatem pervenerit: quædam Iovis capite pro matrice ſit uſa. Et quidam ſine patre (Vulcanum dico) ſit perfectus. Quòd ſol, propter nefariam Atrei in Thyeſten impietatem, ex occaſu ortum, & ex ortu occaſum fecerit: præterea quòd Apollo, & Neptunus locatâ apud Trojam mercenariâ operâ, per annum, præterquam quod ædificationis, & miniſterii paſtoralis mercede fraudarentur, atrociſſimi Laomedontis minis objecti ſint. Et quòd Bacchus à Lycurgo perterrefactus, fugatuſque in mare, Thetidos opem implorârit. Huc accedit, quòd lite de forma elegantiâ inter Deas orta, unaquæque muneribus ſuis judicem corrumpere ſtudeat: & nullam tamen harum aſſequatur finis ex hoc judicio eventurus. Imò Minervam fabulantur, quanta quanta eſt, in hirundinis corpuſculum ſe abdidiſſe, & majeſtatem Iovis à cygni formâ veluti in ordinem redactam: & Cereris pulchritudinem in turpiſſimum tranſiiſſe habitum; & Iovem, qui pro maximo habetur, à maximè neceſſario uxoris germano, inſidias expertum, & ſervatum eſſe à maxime inviſis, Titanibus inquam: qui egreſſi è vinculis, & tenebris, & quæ illic eſt cuſtodia, poſtquam, in fugam conjecto Neptuno, operam illi navaſſent, ſponte ad Acherontem, & Plutonis regnum, denuo ſe receperint. Tum Venerem mortali manu ſauciam: & Martem ab Oto, & Ephialte, vinculis conſtrictum: & Ditem, in regno ſuo, ab Hercule ſagittis ictum, in maximos inci-diſſe cruciatus: & Vulcanum à cacumine cœli dejectum in Lemnum, non abſque læſione corporis, & dolore extremo: & Iunonem à Iove ſuſpenſam, alligatis utrique pedi incudibus maximis. Summatim, Deos adulteria committere, fulmine feriri, loripedes eſſe, furtis adjuveſcere, ab hominibus virtute ſuperari, procaciter convitiari, injurias patrare, ſortem deplorare; & tandem nullius affectionis immunes eſſe, à qua nos perturbati, deorum opem invocamus. Quare qui hæc fabularum portenta hominibus credenda proponunt, tam procul à veritate remoti, num putas magiſtros fide dignos aliis docendis eſſe judicandos? Hactenus Agatharchides, ſive ejus potiùs interpres.

14. §. *Fabularum iſtiuſmodi origo præcipuè eſt à ſeculo mythico, quod initium capit ab Inachi ætate: ante quod ἄδηλον dicitur: deſinit verò hoc μυθικὸν in Olympiadum initio; unde exordium eſt tempori hiſtorico.*

De triplici hoc ævo notum ex Varrone apud Cenſorinum. Nec immeritò à Varrone ſeculum illud medium μυθικὸν, ſive *fabuloſum*, vocabatur. Nam, ut primum illud ignotum, unde ἄδηλον dicebat: ita alterum hoc fabulis ſcatet. Quod inde eſt, quia rudibus illis ſeculis facilè erat animis imperitis quidvis perſuadere. Quod conſecutis temporibus, quia erant cultiora, difficile fuiſſet. Atque hanc cauſſam etiam adfert Ludovicus Vives lib. III. de arte dicendi cap. de Poëticis*. * *Pag. 145. edit. Baſil. ann. 1555.*

15. §. *Non deſunt, qui in omnibus illis, ubi fides exceditur, peccatum à poëtis contendant. Nempe non ſatis mentem philoſophi intelligunt, cum jubet, poëtas imitari κατὰ τὸ δυνατὸν †. Neque enim illud ſolum eſt δυνατὸν ‡, quod ſapientes fieri poſſe arbitrantur: ſed etiam, quod vulgus Deos poſſe exiſtimat.* † *Secundùm id, quod poteſt fieri.* ‡ *Poſſibile.*

Neque enim eadem eſt vulgi ſententia, quæ Peripateticorum, naturæ viribus Deum adſtringentium; aut Stoicorum, qui fato ſubjiciebant: quod & Homerus facit, & Plato in Protagora, & VII. de Legg. ac aliis compluribus locis: eoſque ſecutus Silius, cujus illud lib. XIIII;

—— *Nulli Divûm mutabile fatum.*

Vulgus verò Deos omnia poſſe, arbitrabatur: eoque etiam illis fidem habebat, quæ ἀσύςατα* quidem erant, ſed talia non videbantur. Sufficiebat nempe vulgo, quod ita ab antiquis accepiſſet. Hujuſmodi igitur rectè veriſimilia dicuntur. Nam, ut ex primo Topicorum † conſtat, non illud modò eſt veriſimile, quod tale videtur ſapientibus, aut omnibus, aut pluribus, aut maximè excellentibus: verùm etiam, quod vulgus tale judicat. Satis igitur eſt poëtæ, quòd vulgus ſic opinatur. Opinioni enim ſe accommodat poëta. Unde Syneſius in Calvitii encomio ‡: Ἐοίκασι ποιητική τε καὶ πλαστική, καὶ τὸ μιμητικὸν ἅπαν γένος, ἥκιστα μὲν εἶναι φιλαλήθες· δημαγωγι-

* *Nequeuntia conſiſtere, nec ſibi conſtantia.* † *Cap. 1. §. 7.* ‡ *Pag. 72. edit. Pariſ. an. 1612.*

κὸν

κὰν ᾗ ὡς μάλιστα, καὶ ποιεῖν ἄττα ποιεῖ πρὸς δόξαν, οὐ πρὸς ἀλήθειαν. *Videntur poëtice, & plaſtice, & omne artium genus, quod in imitando ſe occupat, minimè habere curam veritatis: eſſeque maximè populares; quæque faciunt, facere juxta opinionem, non veritatem.* Atque his, vel nullo, excuſatum iveris, quæ Argonauticôn ſcriptores ſunt commenti de fatidicâ quercu Dodonæâ, & fabricato inde loquaci malo navis Argoæ. Cujuſmodi culpat Cæſar Scaliger, in priorem eorum de Plantis librorum, qui male vulgò Ariſtoteli tribuuntur *: *Claſſes (Deus) ac gradus conſtituit; & attribuit ſuum cuique. Quod verò præter hoc eſt, monſtrum eſt. Quid enim eſſet arbor, ſi loqueretur? Nam ejuſmodi vanitates deteſtantur ſapientes in mendaciſſimâ natione apud Argonautas.* Sed, quæ Scaligerum offenderunt, ea credere poterat vulgus: quod μεταμορφώσεις, & ſimilia, referrebat ad Deorum vim, ac poteſtatem. Hanc enim infinitam judicabat; ſic ut nihil ei eſſet ἀδύνατον †, aut difficile; ſicut apud Lucianum in Halcyone, ſive περὶ μεταμορφώσεως libro, fusè diſſerit Socrates.

** Pag. 45. edit. Criſp. an. 1566.*

† Impoſſibile.

16. §. *Præterea conſideratione dignum eſt, quod Ariſtoteles monuit, poëtæ potiùs eligenda eſſe probabilia, quæ fieri nequeunt; quàm improbabilia, quæ fieri poſſunt.*

Πρὸς τὴν ποίησιν, inquit, αἱρετώτερον πιθανὸν ἀδύνατον, ἢ ἀπίθανον δυνατόν ‡. Hinc liquet, quomodo verum ſit, quod ait Fabius lib. x. cap. 1, poëtarum genus non modò falſa, ſed etiam quædam incredibilia, ſectari. Certè quis credat, Stentorem quinquaginta alios clamore æquaſſe; quòd Homerus ſcribit Iliad. E? Cui quod credibile eſt, eidem veriſimile fiat, quod Lucianus refert lib. πῶς δεῖ γράφειν ἱστορίαν, tanto quendam in prœlio clamore uſum, ut clamore unico decem homines attonitos reddiderit, ac mox emortuos proſtraverit? Neutiquam tamen in poëta ſint iſtiuſmodi culpanda, quia viriſimilia ſunt; cum ad clamandum homo aptus ſit, unuſque plus alio clamore valeat. Adde quòd, ut Agatho ſcitè dicebat, (cujus ſententiam hanc non uno loco laudat Ariſtoteles) εἰκὸς γίνεσθαι πολλὰ καὶ παρὰ τὸ εἰκός, *veriſimile eſt, & multa fieri præter veriſimile.* Hinc Paullus, de numero partûs loquens, *Multa*, inquit, *de hujuſmodi re tam vana, & incredibilia, creduntur, ut fabulis adnumerentur.* L. Antiqui. D. ſi pars hæredit. petat. Ita veriſimile quoque eſt, interdum hominem callidum decipi ab homine minimè malo.

‡ Quæ fieri neutiquam poſſunt, modò iſtiuſmodi ſint, ut perſuaderi queant, potiùs eligenda ſunt, quàm quæ non poſſunt perſuaderi, licet poſſint fieri.

17. §. *Sed de Diis non ita facile eſt abſolvere poëtas: cùm non ſolùm ἀδύνατα * de iis fingant, verùm etiam impia, & exemplo ipſo noxia.*

** Quæ fieri nequeunt.*

Ejuſmodi eſt, quòd ſcribunt, Deos, cùm in Ægyptum ſe recepiſſent, penè fuiſſe oppreſſos à Typhone gigante; ac tantopere eos timuiſſe, ut ſe in varias commutarint formas; Apollo in gruem, Mercurius in ibin, Diana in felem. Ejuſdem farinæ eſt, quòd Homerus memorat, Martem ab Otho, & Ephialte, Aloëi filiis, ligatum; ſed à Mercurio, Eurybœâ monente, vinculis ſolutum; Venerem, Martemque ipſum, à Diomede vulnerari; Vulcanum deprehendere Martis, Veneriſque concubitus; Mercurium Marti eos complexus invidere: Jovem ipſum fœdis mulierum amoribus irretiri; Etiam Ganymeden ab eo raptum: aliaque, quæ non niſi improbi homines patrare ſolent. Itaque Jul. Scaliger lib. iv. de re poëtica cap. 1: *Homerus*, inquit, *de Diis ſuis, tanquam ſuibus, loquitur.* Multa hac de re ſcriptores Eccleſiaſtici; ex his Tertullianus adverſus gentes cap. xiv, ubi inter alia ait: *Quis non poëta dedecorator invenitur Deorum?* Etiam Juſtinus Martyr λόγῳ παραινετικῷ πρὸς Ἕλληνας, cùm qualia antè adduxi, objeciſſet, agnoſcere eos ait, poëtas πολλά, πόῤῥω τῆς ἀληθείας, περὶ θεῶν μυθωδῶς διεξιέναι· *multa de Diis à vero aliena fabuloſe referre.* Sed malo gentilium confeſſioni inſiſtere. Pythagoras Homerum apud inferos torqueri dicebat, quòd iſtiuſmodi fabulas poëmatis ſuis intexuerit. Plato item in lib. de Legg. hoc nomine inſimulat Homerum: ac Proclus etiam, in libro quæſt. 1. quæ eſt, cur Plato non recipiat poëtas in ſuam Rempubl. hanc adfert cauſſam, quòd non ſatis honeſtè mentiantur de Diis, ac heroibus. Præclarè etiam hâc de re Iſocrates in Buſiride; quo loco impias poëtarum de Diis fabulas perſtringit ac nonnullos eorum iccirco meritas ait dediſſe pœnas. Nam Orpheus à Threiſſis diſceptus eſt, in ſimulatis Liberi patris ſacris. Homerus & errare, & mendicare, eſt coactus; imò etiam excæcatus fuit: alii aliis affecti fuere ſuppliciis. Plura apud eum vide. Tullius quoque illum hanc ipſam ob cauſſam reprehendit. *Homerus*, inquit, *humana ad Deos retulit; mallem divina ad nos.* Philoſtratus in Heroicis de eodem ait: Πρῶτον μὲν θεοὺς ἐγκαταμίξας ἀνθρώποις, περὶ μὲν τῶν ἀνθρώπων μεγάλα εἴρηκε· περὶ δὲ τῶν θεῶν, μικρὰ καὶ φαῦλα· *Primùm quidem, cùm hominibus Deos miſcuiſſet, de hominibus ingentia; de diis verò exilia dixit, ac vilia.* Similiter Dionyſius Longinus * ſcribit, eum, cùm Diis vulnera, adulteria, vincula, aliaque id genus, aſſignat, ex hominibus quidem feciſſe Deos, ex Diis verò homines. Ὅμηρος, inquit, παραδιδοὺς τραύματα, θεῶν στάσεις, τιμωρίας, δάκρυα, δεσμά, πάθη παμφυρτα, τοὺς μὲν ἐπὶ τῇ δυνάμει, θεοὺς πεποιηκέναι, τοὺς θεοὺς δὲ ἀνθρώπους. Certè, ut præclarè dicebat Euripides,

** Lib. περὶ ὕψους.*

Εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρόν, οὐκ εἰσὶν θεοί.

Rectè igitur Dido apud Auſonium Epig. cxi:

Vos magis hiſtoricis lectores credite de me,
Quàm qui furta Deûm, concubituſque canunt
Falſiloqui vates, temerant qui carmine verum,
Humaniſque Deos aſſimilant vitiis.

18. §. *Interim nonnihil poëtarum culpam minuit, quòd putarent, non ſibi deos eſſe deſcribendos, quales eſſe debeant, aut reapſe eſſent; ſed cujuſmodi vulgò eſſe judicentur. Quæ igitur hic culpa eſt, ea non tam Homeri, quàm antiquiorum fuerit poëtarum; qui, dum naturæ myſteria fabulis involvunt, vulgo, naturæ ignaro, occaſionem præbuerunt talia de Diis credendi.*

Hoc ex Iſocrate antea cognovimus; qui non Homerum ea primum de Diis commentum ait; ſed Orphea, ſive antiquiores poëtas. Imò poſſumus hæc firmare auctoritate B. Juſtini Martyris; cujus iſthæc verba λόγῳ παραινετικῷ εἰς Ἕλληνας: Ὁ δὲ ποιητὴς Ὅμηρος τῇ τῆς ποιήσεως ἀποχρώμενος ἐξουσίᾳ, καὶ τὴν ἐν ἀρχῇ τῆς πολυθεότητος Ὀρφέως ζηλώσας δόξαν, μυθωδῶς μὲν πλειόνων θεῶν μέμνηται, ἵνα μὴ δόξῃ τῆς Ὀρφέως ἀπᾴδειν ποιήσεως, ἣν οὕτως ζηλῶσαι προὔθετο, ὡς καὶ διὰ τοῦ πρώτου τῆς ποιήσεως ἔπους τὴν πρὸς αὐτὸν σημῆναι σχέσιν. τοῦ γὰρ Ὀρφέως,

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Δημήτερος ἀγλαοκάρπου, ἐν ἀρχῇ τῆς ποιήσεως, εἰρηκότος, αὐτὸς,

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος, γέγραφεν· ἑλόμενος, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἐν ἀρχῇ καὶ τοῦ κατὰ τὴν ποίησιν ἐκπεσεῖν μέτρου, ἵνα μὴ δόξῃ τοῦ τῶν θεῶν ὀνόματος μεμνῆσθαι πρῶτος. Tranſtulit hoc pacto Langius: *Homerus autem poëta, poëticâ abuſus licentiâ, & priorem Orphei de pluribus diis æmulatus opinionem, fabuloſè quidem multorum meminit deorum, ne ab Orphei videretur diſcrepare poëſi: quam tanto ſibi imitandam ſtudio propoſuerat, ut primo operis ſui verſu, animi erga illum ſui prodiderit propenſionem. Cum enim Orpheus,*

Iram frugiferæ Cereris cane, diva, nocentem,

in principio poëmatis ſui dixiſſet: ipſe,

Iram Pelidæ magni cane, diva, nocentem,

ſcripſit: excidendum ſibi potiùs eſſe ab initio, ſicut mihi videtur, carminis numeris ratus, quàm ut ipſe primus Deorum nominis inducere mentionem videretur. Idem Juſtinus libro de Monarchiâ Dei auctor eſt, Orpheum introduxiſſe trecentos & ſexaginta Deos. Hæc omnia apponere

rere viſum fuit; quò pareat, Homerum non primùm fuiſſe fabulas iſtas commentum; ſed, jam antè Homerum, eas fuiſſe in vulgus receptas. Verùm Homerus, ut optimum formaret principem, vulgi ſequendum hâc in re judicium, figmentaque ex paralogiſmo deducenda eſſe, exiſtimavit. Quare & Xenophanes Colophonius, aliis Homerum reprehendentibus, ac caſta omnia puraque in Diis ſtatuentibus, dicere ſolet: ἀλλ᾽ οὐκ φασὶ τάδε· *at non ſunt iſtiuſmodi, quæ vulgò homines de Diis ajunt.* Autor Ariſtot. de re poët. Itaque Iſocrates etiam, non ille Ariſtoteli æqualis, ſed junior alter, orat. ad Demonicum, eadem & fabulas appellat, & ab omnibus credi ait: Ζεὺς γὰρ Ἡρακλέα, καὶ Τάνταλον γεννήσας, (ὡς οἱ μῦθοι λέγουσι, καὶ πάντες πιστεύουσι) τὸν μὲν διὰ τὴν ἀρετὴν ἀθάνατον ἐποίησε· τὸν δὲ, διὰ τὴν κακίαν, ταῖς μεγίσταις τιμωρίαις ἐκόλασεν. *Cum enim Jupiter, ut in fabulis eſt, atque omnes credunt, Herculem ac Tantalum genuiſſet: alterum ob virtutem reddidit immortalem; alterum, ob vitia, maximis pœnis affecit.* Neque eſt, quòd oggerat quis, multa veterum figmentis adjecta ab Homero videri. Nam quæ is addit, ea ſunt ἀκόλουθα τῇ ἀρχῇ *: quomodo, qui faſſus fuerit, eſſe hominem tricipitem, ac ſenis manibus inſtructum, is quoque haut gravatè concedit, ſenos habuiſſe oculos, ſenas aures, tres ſimul voces emiſiſſe; ac, quoties depugnandum erat, tribus manibus tenuiſſe, aut peltam, aut parmam, aut clypeum; tribus item aut ſecurim, aut haſtam, aut gladium. Siquidem τὸ ἀπιστεῖν αὐτοῖς οὐκ ἔστι ῥᾴδιον, ἐπείπερ ἀκόλουθα, καὶ ὅμοιά ἐστι τῇ συγχωρηθείσῃ ἀρχῇ †: ut eſt apud Lucianum in Hermotimo. Horatii præceptum eſt in Arte:

*Principiis ſimilia, ac conſentanea.

† Fidem iis abrogare, haut facile eſt; quoniam illa non diſcrepant à principio prius conceſſo.

Aut famam ſequere, aut ſibi convenientia finge.

In prioribus famam ſecutus eſt Homerus: in iis, quæ adjecit, finxit, quæ conſentanea iis eſſent.

19. §. *Bifariam verò, Ariſtotele teſte, inſtituitur imitatio veri;* κατὰ τὸ εἰκὸς, ἢ κατὰ τὸ ἀναγκαῖον ‡.

‡ Secundum id, quod eſt veriſimile; vel quod eſt neceſſarium.

Ubi nonnemo miretur, Ariſtotelem tribuere Poëticæ materiam neceſſariam, qui tamen Poëtas eſſe negat, quotquot tractant res neceſſarias; ut ſunt Poëtæ naturales: Julium Scaligerum contrà, qui Poëtas naturales revera Poëtas eſſe contendit, putare Poëſios objectum eſſe, non res neceſſarias, ſed tantùm veriſimiles. Sed facilè hunc nodum ſolvi putamus. Nam longè aliud eſt tractare materiam neceſſariam; aliud autem fingere ſecundùm neceſſarium. Quin idem ſecundùm probabile, & neceſſarium, ſed reſpectu diverſo, fingi poteſt. Ita Terentius * narrat, Chryſidem paucis diebus, poſtquam Athenas venerat, diem ſuum obiiſſe. Quòd mortuam refert, κατὰ τὸ ἀναγκαῖον † finxit: quòd tum mortuam ait, id fictum κατὰ τὸ εἰκὸς ‡. Nam neceſſarium fuit, eam mori aliquando: at mori eam paucis diebus, poſtquam venerat ex Andro, id probabile fuit, quia poſſibile erat. Nam poſſibile, & probabile, reciproca ſunt; at probabile, & neceſſarium, non ἀντιστρέφουσι *.

* And. 1. 1.

† Secundum id quod eſt neceſſarium.

‡ Secundum id, quod veriſimile eſt.

* Convertuntur.

20. §. *Porrò non unus eſt ſecundùm veriſimile, & neceſſarium, imitandi modus. Nam tum res imitamur, prout ſunt reverâ, licet neutiquam tales eſſe vulgus autumet; tum prout vulgò eſſe opinantur, utut longè aliter res ſe habeant; tum prout eſſe debebant, quamlibet nec ejuſmodi ſint, nec eo ſe habere modo vulgò judicentur.*

Hujus rei notitia prodeſt non eo modò nomine, quòd variam poëmatum naturam aperiat; verùm etiam, quòd nonnunquam præſtantiſſimis poëtis eo ad certum patrocinium pandatur via. Atque id ne faciliùs, quàm veriùs, dixiſſe videamur, Tullium ‡ ſcimus eo nomine Homero præferre Accium, quòd cum Homerus faciat Achillem, furorem ſuum in cadavere Hectoris exercentem, antequam id auro Priamus redimeret: (de quo, præter Homerum, vide Theonis progymnaſmata) Accius eundem inducat his verbis utentem, *Imo enim verò corpus Priamo reddidi, Hectorem abſtuli.* At, quemadmodum lib. III. cap. III. Orator. Inſtitut. diximus, cùm Achilles naturâ fuerit iracundus; Homero propoſitum fuit ſcribere, non qualis eſſe debuerit, ſed cujuſmodi fuerit naturâ. Ac Homeri judicium confirmat quoque Ennius; cujus illud * de Æacidis:

‡ 1 Tuſcul. quæſt.

* Apud Cic. 2. de Divin.

Bellipotentes ſunt mage, quàm ſapientipotentes.

Huc refer, quæ pro perſona, aut loco, vel tempore, veriſimilia fiunt. Quale eſt, quòd Achilles Iliados IV, jubet, ut patroclus legatis ζωρότερον † vinum propinet. Quod Zoilus Amphipolita reprehendebat. Negabat enim, ſapienter ab Homero ſapientiſſimis viris meracius vinum propinari. Sed rectè reſpondet Plutarchus ‡ in Sympoſiacis, ſenes non delectari vino diluto; eoque iis aliorum ſenum more, validiorem potum conveniſſe. Præterea addit, aliam eſſe rationem eorum, qui in otio degunt; aliam illorum, qui in pugna diem exegerint: illis remiſſius ac languidius vinum dari oportere; his verò generoſius. Hæc Achillem, Chironis diſcipulum, neutiquam ignoraſſe. Et ſanè longè ſic veriſimiliùs reſpondetur; quàm vel ab Ariſtotele factum, qui ζωρότερον exponebat θᾶττον: vel à quodam Nicerato Macedone, vel à Soſicle poëta, vel ab Antipatro: quorum interpretationes apud Plutarchum ibidem legere eſt. Atque hic quidem perſonas ſpectari oportuit. Temporis verò ratio habita eſt in illo apud Comicum * ab irato ſene, *Deos neſcio.* Hujuſcemodi etiam eſt, quòd Helena Odyſſ. IV. ſe vocat κυνώπιδα †. Nempe ubi inculat ſe ipſam, quòd Paridem ſit ſecuta, Ajax. III. Iliad. ait:

† Meracius.

‡ Lib. 5. Sympoſ. cap. 4.

* Terent. Heautont. act. 5 ſc. 4.

† Caninos præditam oculis

Ζεῦ ‡ πάτερ, οὔτις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος.

‡ Jupiter, haut Divûm te perniccioſior alter.

Dicit hæc Ajax; ſed furens. Quemadmodum & Odyſſeæ lib. III. impius erga Deos ſermo tribuitur Telemacho; ſed irato. Pertinet huc quoque, quòd Euripides in tragœdia quadam pejerandum eſſe dixit. Quo nomine accuſatus eſt ab Hygiænonte. Sed eo ſe excuſavit, quòd in Bacchanalibus dictum fuerit in ſcena; ut apud Ariſtotelem legere eſt III. Rhetor.

Alter modus erat, cùm poëtæ ſummæ virtutis exemplar in aliquo exprimunt: quomodo Ariſtoteles * ait, Sophoclem dixiſſe, ſe quidem effingere homines, quales eſſe oporteret: at Euripidem, quales eſſent. Idem facit Homerus, quando admirabilem illam narrat Achillis fortitudinem, aut Ulyſſis prudentiam. Nam, ut Xenophonti in Cyropædiâ non hiſtoriam conſcribere; ſed optimi regis exemplar ob oculos ponere, conſilium fuit: quomodo etiam pictores ac ſtatuarii ſæpe excellentiorem animo concipiunt ideam, ac juxtim eam hominem exprimunt: itidem & Homero propoſitum fuit, quaſi penicillo depingere præſtantiſſimum herois exemplar.

* In Poët.

Tertius eſt modus, cùm poëtæ ſcribunt, non qualis quis eſſe debeat, aut reapſe ſit; verùm cujuſmodi vulgò eſſe credatur. Ejuſmodi ſunt illa de Deorum furtis, aliiſque; de quibus antea ſatis diximus.

CAP. III.

DE POETARUM ERRORIBUS.

1. §. *Nec quia triplex eſt ille imitandi modus, eò exiſtimari debet quoſlibet errores, hoc, velut* κρησφυγέτῳ †, *poſſe excuſari. Varia enim ſunt errorum genera, ob quæ poëta reprehendi ſolent: verùm revocantur ad hæc duo, quod alia ſint Poëtica errata* καθ᾽ αὑτὴν ‡, *alia* κατὰ συμβεβηκός *.

† Refugio.

‡ Per ſe.

* Per accidens.

Ad hæc duo reducunt Ariſtoteles in Poëtica, ejuſque commentator Aben-rois.

2. §. *Priori modo peccatur in imitatione ipſa: ut ſi exprimatur aliquid, quod nec ſoleat fieri, nec poſſit. Quomodo poëtæ, & à neceſſario abſunt, & à veriſimili. Quanquam autem exiſtimet aliquis, nec*

con-

centum victimas expiando huic errori ſufficere poſſe; tamen apud ſummos etiam poëtas quædam ejus generis leguntur.

Abſurdum. Ita ἄτοπον *, ipſius Ariſtotelis judicio, eſt, quòd Homerus in XVI. Iliadis fingit, Ulyſſem, cùm naufragus divertiſſet apud Alcinoum, atque ab eo cum muneribus eſſet dimiſſus; à Phæacibus, juſſu Regis, navi vectum eſſe; atque altiſſimo ſomno oppreſſum, nec ſentientem, unà cum donariis fuiſſe in Ithacenſium litore expoſitum; ubi, expergefactus mox, ſolum ſe, ſtuporis plenus, conſpexerit. Quod ipſum etiam inter cætera, Proteſilaus apud Philoſtratum † reprehendit. (*† In Heroicis.*) Et ſanè fatendum eſt, hæc neutiquam convenire homini; quem, ut prudentiæ exemplar, celebraret. Sanè ſi talia malus poëta dixiſſet, valde rideretur; cùm planè ſint ἀνεκτὰ ‡, ut Ariſtoteles ait: (*‡ Intoleranda.*) νῦν δὲ τοῖς ἄλλοις ἀγαθοῖς ὁ ποιητὴς ἐμφανίζει (ἀφανίζει leg. ex melioribus codd. ut Robortelius monuit) ἡδύνων τὸ ἄτοπον· *nunc aliis bonis, quæ poëta admiſcet, abſurdum illud tollit, ac ſuave reddit.* Similiter Ariſtoteles exemplum ex Homero profert in Hectoris διώξει *, de quâ Iliad. Χ. (** Perſecutione.*) Ubi inducit currentem Achillem, fugientem Hectorem, tela conjicientes Græcos in Hectorem, Achillem nutu id prohibentem, ne gloriâ interemti Hectoris fraudaretur. Verùm quia Homerus nihilominus finem ſuum conſequitur, quod fit, εἰ οὕτως ἐκπληκτικώτερον ἢ αὐτὸ, ἢ ἄλλο ποιεῖ μέρος. i. *ſi eo modo rem magis admirabilem, ac ſtupendam, facias; vel partem aliquam iſtiuſmodi reddat:* veniam ſummo eſſe poëtæ dandam, cenſet Ariſtoteles.

Peccant etiam in hoc tragici poëtæ. Ut Æſchylus †, cùm apud eum Agamemnon tantâ celeritate, & occiditur, & tumulatur, ut actori vix reſpirandi tempus detur. (*† In Agamemnone.*) Item, apud Sophoclem in Μυσοῖς ‡, mutus quidam Tegeâ in Myſiam dicebatur perveniſſe ſolus, idque triduo. (*‡ Myſis.*) Quantum viæ, ejus ignarus, & mutus, ſine duce, perficere neutiquam potuiſſet. Nec momento potuit Theſeus exercitum Athenis Thebas deducere, & prœlium committere. At etiam mox à victoria nuncium inducit.

Euripides quoque à multis reprehenditur, quòd ἀσύστατα * dicat. (** Quæ ſimul nequeunt conſiſtere.*) Sanè & Ariſtoteles agnoſcit, eum μὴ εὖ οἰκονομεῖν † (*† Non benè diſponere.*); quem tamen fatetur in cæteris videri Poëtarum τραγικώτατον ‡ (*‡ Maximè tragicum.*). Exemplum vitioſæ οἰκονομίας * (** Diſpoſitionis.*) ex eo adfert penè initio lib. III. Ethicorum: ubi reprehendit, quòd in Alcmæone cauſſas cædis maternæ adferat minimè probabiles. Etiam Pollux Onomaſtici ſui libro IV, ubi agit de choricis cantilenis, culpat in eo, quòd cùm in Danaë chorum è mulieribus conſtituiſſet, eum, ſui oblitus, loquentem faciat haud aliter, ac ſi mares eſſent. Idem in Alceſtide inducit Herculem victorem, ac coronatum à pugna redeuntem; atque interim ignorantem, ædes Admeti funeſtas eſſe ob Alceſtidis mortem. In eodem argui ſolet, quòd non ſervet τὸ πρέπον † (*† Decorum.*); qua de re quia alibi ‡ (*‡ Lib. 4. Inſtitut. Orator. cap. 11. ſect. 6.*) quoque à me dictum fuit, nunc tantùm apponam verba illa Iſacii Tzetzæ ſcholiis in Lycophronis Alexandram * (** Edit. Baſil. Operin. an. 1546. pag. 7.*): Δεῖ τὸν ῥήτορα, καὶ ποιητὴν, ἀπομιμεῖσθαι τὰ ἤθη τῶν ὑποκειμένων προσώπων, καὶ μὴ ἀντιθετικὸν εἶναι· καθάπερ ὁ Εὐριπίδης φιλοσοφίας ἐπάγων ἐνίοτε βαρβάρους γυναῖκας, καὶ δούλους δεσπόταις τραχύτατα ἀντιλέγοντας, καὶ βασιλεῖς προσαιτοῦντας μετὰ σπυρίδων, ἢ πήρας, ὅπερ οὐκ ἂν γένοιτο. τίς γὰρ οὐκ ἂν ἐθέλοι τὴν βασιλείας, καὶ μετὰ βασιλείας καθῃρημένον, σπυρίδα κατέχειν, καὶ ἄρτους ζητεῖν; ἢ τίς αὐτὸν εἶτα ἂν, καὶ οὕτως ἐκπεσόντα, πάλιν ἐτίμησε τὴν προτέραν ὁποίας τύχης σκοπῶν, τοιαῦτα γοῦν πολλά φησιν Εὐριπίδης· διὸ καὶ μεμπτός ἐστιν ἐν τούτοις, ὡς μὴ τηρῶν ἠθῶν τὴν κατάστασιν. τὸ δὲ μεῖζον, ὅτι καὶ ἐναντία πολλάκις ἑαυτῷ λέγει. *Oportet Oratorem, ac poëtam, imitari mores perſonarum, quas propoſuerit, & non eſſe morum parum obſervantem: ſicut eſt Euripides, qui quandoque mulieres barbaras inducit philoſophantes; & ſervos dominis cum aſperitate contradicentes; & reges mendicantes cum ſportulis, & pera; quod fieri non convenit. Quem enim regem non pudeat, etiam cùm exciderit regno, ſportulam tenere, & panem rogare? Vel quis ſic de ſtatu dejectum non denuo honore adfecit, priorem ejus fortunam cogitans? Hujuſmodi igitur multa dicit Euripides: ac propterea reprehendi meretur, tanquam non obſervans conſtitutionem morum; &, quod amplius, ſæpe etiam nec ſibi ipſi conſtans.* Nec veriſimile, quod Captivis fingit Plautus, Philocratem intra paucas horas Elide venire in Ætoliam, atque inde cum Philopolemo, Hegionis filio, & Stalagmo ſervo, reverti Elidem.

Etiam τὸ εἰκὸς * (** Veriſimile.*) negligere dicitur Valerius Flaccus; cùm inducit Boream ab Æolo petentem, ut ſibi liceat perdere Argonautas. Ita enim lib. 1. loquitur Boreas:

—— Da mergere Grajos,
Inſanamque ratem: nil me mea pectora tangunt.
Tantùm hominum compeſce minas; dum, litora juxta
Theſſala, nec dum alia viderunt carbaſa terræ.

Nam, inquiunt, cogitare debuerat Flaccus, parùm veriſimile eſſe, Boreæ excidiſſe, Calaim & Zethum, filios ſuos, eſſe inter Argonautas. Quippe eos inter non modò reponunt Orpheus, Pindarus, Herodotus, Apollonius, Apollodorus, Diodorus, Oppianus; ſed (quod, ſi iis credimus, maximè Valerii imprudentiam arguit) ipſe Valerius. Verùm nullius eum incogitantiæ poſſis accuſare, ſi Calaim, & Zethum, intellexerit, quando ait,

—— nil me mea pectora tangunt.

Omnino enim liberos ſua dixerit pectora: vel, ſi id inſolens videatur, reſcribendum *pignora*; ut ex Sabellici conjectura edidit Manutius. At non item Ovidium, etſi ingenioſiſſimum poëtarum; abſolvere poſſumus, cùm XV. Metamorph. ſic Pythagoram inducit loquentem:

Oedipodioniæ quid ſunt, niſi nomina, Thebæ?
Quid Pandioniæ reſtant, niſi nomen, Athenæ?

Nam, Ovidii quidem ætate, hæc veriſſima erant; quia Alexander Thebas ſolo æquârat; & Sylla eò redegerat Athenas, ut ſi compararentur cum veteribus Athenis, cadaver urbis potiùs, quàm urbs, viderentur: ſed tamen Ovidium hæc non excuſant; qui cogitare debuerat, inducere ſe loquentem Pythagoram; cujus ætate, & Thebæ, & Athenæ, florebant, quàm maximè. Quis hìc non Ovidii memoriam requirat? æquè propemodum, ac illam C. Sicinii oratoris, cùm in ſimilem incideret errorem: ut oſtendunt hæc de eo verba Ciceronis in Bruto: *Etiam in ſcriptis obliviſcebatur, quid paullò antè poſuiſſet, ut in eo libro, ubi ſe exeuntem e ſenatu, & cum Panſa noſtro, & cum Curione F. colloquentem facit; cùm Senatum Cæſar conſul habuiſſet, omniſque ille ſermo ductus è percunctatione filii, quid in ſenatu eſſet actum, in quo multis verbis cùm inveheretur in Cæſarem Curio, diſputatioque eſſet inter eos, ut eſt conſuetudo dialogorum, cùm ſermo eſſet inſtitutus ſenatu miſſo, quem ſenatum Cæſar conſul habuiſſet; reprehendit eas res, quas idem Cæſar anno poſt, & deinceps reliquis annis, adminiſtravisſet in Gallia.* Et poſt aliqua: *Sed ita totus errat, ut in eodem ſermone dicat, in ſenatum ſe Cæſare Coſ. non accedere: ſed id dicat, ipſo conſule, exiens è Senatu.* Quid quòd neque divinus Maro hæc μνημονικὰ ἁμαρτήματα effugere potuit? Nonne enim idem, ut Herculem, ſic etiam Theſea, ab inferis ait reverſum? quod verba hæc indicant:

—— Quid Theſea, magnum
Quid memorem Alciden?

Et idem tamen poſtea ait:

—— Sedet, æternumque ſedebit
Infelix Theſeus; Phlegyaſque miſerrimus omnes
Admonet, & magnâ teſtatur voce per umbras,
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos.

Quod jure olim culpavit C. Julius Hyginus. Scio dici, cùm abduceretur, partem Theſei natium adhæſiſſe ſaxo; ut Panyaſis, vetus poëta, prodidit; & ex eo Ariſtophanis ſcholiaſtes, ac Suidas: & hanc partem τῆς συνεδρίας poni pro Theſeo: quod etiam placuit Roberto Titio in

Locis

Locis controverſis; &, ante eum, Servio, ac Cælio Rhodigino. Sed feſtivè ex Titio quærit Yvo Villiomarus*; num igitur exiſtimet, partem narium Theſei eſſe, quæ Phlegyas illa dictet juſtitiæ præcepta. Profectò non placent mihi, qui omnia veterum defenſitant; quaſi olim non fuerint homines, ſed Dii. Et magis tamen hos ferre poſſum, quàm qui aſſidui ſunt in veteribus calumniandis; quaſi præ illis ſcilicet omnis antiquitas lemas lippierit Saturnias. Longe ſæpius verò juniores id genus errores committunt: in his etiam Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis in Syphilide ſuâ; poëtarum poſt Virgilium præſtantiſſimus; ſi ſtare licet judicio Cæſaris Scaligeri, poëtæ de poëta, medici de medico, civis de cive ſuo, in VI. Poëtices cap. V. Sed non tam benignè laudat eum Antonius Lullus Balearis: qui & errorum, quales dicebam, reum agit lib. VII. de Oratione, cap. V: *Noſtrâ*, inquit, *ætate librum ſcripſit exiguum (nomen eſt Syphilis) in quo fabulas adeò venuſtas elegantesque immiſcuit, ut niſi ſecum nonnihil in narrando diſſenſiſſet, dignum exiſtimarem, cui inter magnos poëtas locum darent poëtæ. Sed homo medicus erat. Haut enim potuit cogitationem fixam in uno argumento diu retinere: adeout, licet, principii oblitus, reliquum opus abſolviſſet, cùm utraque eſſent laudatiſſima, maluiſſe credibile ſit utraque relinquere.* Atque hæc quidem de erroribus iis, ubi imitatione, non ignoratione alicujus ſcientiæ; ac proinde oblivione, aut judicii lapſu, non inſcitiâ diſciplinæ; aliquid humani patiuntur.

** Animadverſionibus in Titii locos controverſos lib. I. cap. II.*

3. §. *Per accidens verò peccant poëtæ, ſi labantur in iis, quæ non ad poëticam, ſed aliam ſcientiam, pertinent. In cujuſmodi erroribus magis veniam merentur.*

Ut hic maximè locum habeat illud Horatii †:
Sunt delicta tamen, quibus ignoviſſe velimus.

† In Arte.

4. §. *Præſertim ſi plura ſint longè laudabilia, & opus fuerit longum.*

Unde idem:
Verùm ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parùm cavit natura. Et poſtea:
Verùm opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.

5. §. *Hujuſmodi errores ad duo præcipuè genera revocantur: hiſtoriam videlicet, quæ ſingularium eſt; & philoſophiam, quæ τὸ καθόλου ‡ attendit. Adverſus hiſtoriam vix fieri poteſt, ut non ſummi etiam poëtæ interdum peccent. Sunt enim ſingularia infinita: ut nec omnia poſſimus ſcire: nec omnium, quæ ſcimus, valeamus meminiſſe.*

‡ Univerſale.

Talis verò eſt error ille Euripidis in Hippolyto*, ubi Phædra poſcit ὄρπηκα Θεσσαλικὸν †, cùm is tum temporis non fuerit. In quo errorem Euripidis etiam eſt ſecutus Seneca in Hippolyto ‡, ubi Phædra ait:

Haſtile vibret dextra Theſſalicum manus.

Unde & obiter liquet error ejus, qui Latinè reddidit Euripidem. Nam *torquem Theſſalicum* dicit, cum *jaculum*, vel *haſtile*, debuerit. Sanè ὄρπηξ propriè ramus teres, ac rectus: at, per μετωνυμίαν materiæ, haſtile, quia ex ramo iſtiuſmodi fieret. In eadem tragœdia Chorus* ait, Hippolytum non ampliùs adſcenſurum eſſe jugum πώλων Ἐνεταῖν †. At, demum ſeculis aliquot pòſt, equis Venetis ſacro in certamine uſus quiſpiam Leo. Theſeus ibidem alludit ad Pythagoram; qui (ut in Euſebiano eſt Chronico) mortuus eſt anno ultimo Olymp. LXX. At annis amplius quadringentis Theſeus primam Olympiadem anteceſſit.

** Pag. 518. edit. Pauli Stephani, ſive verſu 221.*
† Iaculum Theſſalicum.
‡ Verſ. 394.
** Pag. 585. ejuſdem edit. ſive verſ. 1132.*
† Pullorum, ſive equorum Venetorum.

Apud Sophoclem in Electra, (quam *vel optimè ſcripſiſſe*, ait Cicero I. Tuſcul. Quæſt.) accuſat Clytæmneſtra maritum ſuum Agamemnona, quem à ſe occiſum agnoſcit: atque ait, cùm Menelaus, cujus cauſſâ bellum eſſet ortum, duas habuerit filias; ſatius fuiſſe, ut earum alterutra mactaretur, quàm ſua Iphigenia, quam unicam habuiſſet. Eum verò ad locum annotat ſcholiaſtes, à multis reprehendi Sophoclem, quòd duas dicat filias fuiſſe Menelao, cum non aliam habuerit, quàm Hermionen. Filium quidem Nicoſtratum ei præterea fuiſſe, ab Heſiodo proditum eſt. Sed de filia altera omnes ſilent antiqui.

Nec minùs idem peccat, cùm Trachinias orditur à veteri dicto, quod priori ait ſeculo eſſe celebratum, dici beatum poſſe neminem ante obitum, ac funera ſuprema. Quod Solonis eſt; ut eò alluſerit. At fabula eſt de Hercule Trachinem ad Ceyca profecto: unde & fabulæ nomen. Qualia ſcita eſſe ac elegantia, & venuſtatis cauſſa à poëtis poni, ſcribit vir eruditiſſimus; ſed non perſuadet.

Nec Latini ab hujuſmodi culpâ ſunt immunes. Nam Plauti error eſt Pſeudolo act. III. ſc. II:

Quia ſorbitione faciam ego te hodie meâ,
Item ut Medeâ Peliam concoxit ſenem.

Siquidem *Æſonem* dicere oportuit. Niſi placet, Comicum perſonæ hoc dediſſe, quam induceret. Vide de eo Muretum lib. VI. Var. Lect. cap. X, & Petrum Victorium lib. V. Var. Lect. cap. VI.

Quid quòd nec hujuſmodi culpas effugere valuit Maronis majeſtas? Apud quem Æneas in narratione ſui itineris recenſet Megara, Gelam, Acragantem, Selinuntem. Quomodo non ſcripſiſſet Maro, ſi ſciſſet, vel in mentem ei veniſſet, ea opida eſſe condita multò poſt tempora Trojana. De Megaris teſtis Strabo lib. VI. item Marcianus Heracleenſis in Orbis deſcriptione; qui, Ephorum ſecutus, narrat urbem Megara conditam,

—— Ἀπὸ τῶν Τρωικῶν
Δεκάτῃ γενεᾷ μετὰ πέντε·
—— *poſt res Troicas*
Ætate, ſupra quinque, decimâ.

Gela, ut ex Thucydidis lib. VI. cognoſcere eſt, exſtructa fuit XLV. annis poſt Syracuſas, Olymp. XXII. an. III. Acragas, ſive Agrigentum, eodem teſte, annis poſt conditam Gelam CVIII, Olymp. XCVIII: nempe quo tempore contigit pax Antalcidæ, Romaque capta à Gallis; XII annis à morte Socratis. Selinus, ut ibidem narrat Thucydides, centum annis poſt Megara, ſive anno primo Olymp. XXXV.

Huc quoque referendum illud III. Georg.

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus.

Nam pro *Pollucis* dicendum fuerat *Caſtoris*. Quod quomodo excuſet Servius, videamus: *Atqui Caſtor equorum domitor fuit. Sed fratrem pro fratre poſuit poëticâ licentiâ. Ut**, *Quas illi Philomela dapes; pro Progne. Item* †, —— *Revocato à ſanguine Teucri; pro Dardani. Aut certè ideo Pollucem pro Caſtore poſuit, quia ambo licenter, & Polluces, & Caſtores vocantur. Nam & ludi, & templum, & ſtella Caſtorum vocantur.* Sed poſterius hoc ſatis frigidè dictum. Multùm enim diſtat, utrùm fratrum unum ſuo honore fraudemus, laudem omnem alteri tribuendo; an patiamur fratrem etiam in ſocietatem gloriæ venire, κατὰ λόγου κοινότητα ‡, de qua Hermogenes περὶ μεθόδου δεινότητος*.

** Ecl. 6.*
† 1. Æn.
‡ Per ſermonis communicationem.
** De ratione, ac via, qua vis adfertur orationi.*

Nec Ovidium à talibus tutum ſemper præſtitit ingenii, quo valebat, magnitudo. Ut cùm, quia ſub Auguſto, & aliquot antè ſeculis, conſules novi novo prodirent anno; etiam perſuaſum habuit, ſemper anno id novo obtinuiſſe; hoc ſolo diſcrimine, quòd cùm ſuo tempore Kalendis prodirent Januariis, quia hoc anni initium haberetur; antea, uſque ad bella Punica, prodierint Kalendis Martiis, quia tum Martius annum inchoaret. Locus eſt III. Faſt.

Hinc etiam veteres initi memorantur honores
Ad ſpacium belli, perfide Pœne, tui.

Atqui tantum abeſt, ut hoc verum ſit, ut cùm maximopere variatum ſit in tempore novorum conſulum, nunquam tamen id inciderit in Kalendas Martias. Nam anno quidem XLIV. poſt reges exactos, Kalendis Sextilibus inibatur conſulatus; ut ait Livius. At de decemviralis poteſtatis tempore, ſive anno Urbis CCCII, ſic idem lib. III: *Idus tum Maja ſollemnes ineundis magiſtratibus erant.* Libro autem quinto indicat nonas Decembres fuiſſe ſollemnes. Poſtea ſollemnes Idus Decembres: exinde Kalendæ Octobres: hinc Kalendæ Quinctiles: poſtea menſis Februarius, & Idus Martiæ: qui mos obtinuit bello Punico II, & bello Macedonico: ut docet Livius lib. VI. de bello Punico, & initio lib. I. de bello Macedonico.

Memoriæ quoque error videtur, cùm idem Ovidius in epiſtolà Penelopes ait,

Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum.

Nec enim Politiano adſentiendum, qui *Amphimachum* reponit in Miſcellaneis cap. LXXV: longeque minùs L. Scoppæ *, qui ſubſtituit *Archilochum*, ob autoritatem ſuppoſiticii ſcriptoris, ac planè nihili, Daretis Phrygii. Sed, ſi excuſare Ovidium placet, nihil veriſimilius dixeris, quàm errorem eum non poëtæ eſſe tribuendum; ſed ſimplicitati Penelopes, in qua τὸ πρέπον † poëta obſervârit: quia matronæ non ſit omnes ſcire hiſtorias; ut Juvenalis ſcribit ſat. VI. Sic ſanè optimè purgari Ovidium, Janus Parrhaſius putabat epiſt. XXIX. Mihi hoc quoque frigidius videtur. Aliud enim eſt, matronam veteres omnes nôſſe hiſtorias: aliud, res duntaxat ſui ævi. Imò eorum caſtrorum, in quibus carus militaret maritus, vir princeps; nec omnia caſtrenſia, ſed ſolùm illa de mortibus virorum principum; quæ etiam ad vulgares animas pertingunt.

* *Collect. cap. 33.*

† *Decorum.*

Et meliuſne illud ejuſdem Naſonis lib. III. Faſtorum?

Inde Patres ‡ centum denos ſecrevit in orbes
Romulus, Haſtatos inſtituitque decem.
Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat
Corpora, legitimo quique merebat equo.

‡ Pares *ſuſpicatur legendum Juſtus Lipſius lib. 2. de Militia Rom. dial. 2.*

Multò enim poſt tempora Romuli datus eſt equus; qui, quia ex ærario, & legibus, daretur, *publicus* dictus eſt, ac Ovidio *legitimus* vocatur.

Ab Auguſti ævo veniam ad tempora Neroniana: quibus claruit Annæus Lucanus. Ejus eſt lib. I * de Arimino à Cæſare capto:

* *Verſ. 244.*

Ut notæ fulſere aquilæ, Romanaque ſigna.

Atqui una tum legio ſolùm Cæſari erat. Quomodo igitur aquilas ait, cùm legioni uni una ſolùm aquila fuerit? Niſi lubeat per ἐναλλαγὴν numeri excuſare.

Apud Senecam, in Hippolyto, Phædra haſtile poſcit Theſſàlicum; quod in uſu necdum erat. Nempe in errorem hunc abduxit Euripides; de quo paullò antè vidimus. In Medea quàm multa abſona in choro ab illis verbis, *Idmonem quamvis*: adeò ut alii quidem admodum laborent in loco emendando; alii unâ deleant liturâ, ut minimè genuina. Item in Thyeſte chorus, cùm alia non illius temporis celebrat, tum Romanorum meminit:

Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat.

At pluſquam quadringenti anni ſunt inter Thyeſtem, & *Quiritum* nomen; ſive Romuli mortem.

Longum ſit iter conficiendum, ſingula ſi deinceps ſecula percurrere velim. Fortaſſe de his aliàs, ut animus eſt, non modio, vel ſemodio admetiar, ſed medimno. At nihil æquè faciam invitus, quàm ut oſtendam, quoties hic impingant juniorum aliqui. Sanè ne quidem hic primitus ſibi ſatis cavit nobilis poëta Gallus, imò poëtarum ſui ſeculi princeps, Ronſardus, in primis Franciados ſuæ editionibus: ubi Ajacem Telamonium inter eos recenſuit, qui Trojam expugnarunt. Atqui conſtat, eum ſibi ipſi mortem conſciviſſe, cùm, Achille mortuo, ad Trojam ceſſaretur. Sed, hujus erroris monitus à doctiſſimo Septimio Florente † Chriſtiano, eum ingenuè agnovit, inque poſterioribus editionibus correxit.

† *Florens notis in Sophoclis Philoctetem.*

Num & in poëtis locum dabimus, Grammatico melioris notæ, Nicodemo Friſchlino? qui tantum poëmatum effudit, parùm cogitans, in nullo æquè ſcribendi genere habere locum illud Callimachi, μέγα βιβλίον μέγα ἶναι κακόν *. Is in comœdia Rebecca Act. IV, Sc. III. Iſmaëlem inducit ſic loquentem,

* *Magnum librum magnum eſſe malum.*

Benè mecaſtor proceſſit hac venatio.

Et Act. IV Sc. V, Chamus, venator Iſmaëlis, ait:

Metuo ecaſtor, ut tua cella noſtra ſufficiat gulæ.

Quod juramentum per Caſtorem eſt. Is verò aliquot demum ſeculis poſt Iſmaëlem natus fuit. Ut mittam, quòd viri non jurarent per Pollucem; ſed feminæ duntaxat. Sed iſtiuſmodi apud eum, & alios ſimilis monetæ, reperiuntur ὅσα κόνις †.

† *Sicut pulvis.*

6. §. *Cùm verò ad hiſtoriam quoque referantur γεωγραφία, χρονογραφία, & γενεαλογία: etiam adverſus hiſtoriam peccari liquet, quando error eſt in locorum ſitu, vel quoties tempora confunduntur, vel quando non diſtinguitur inter diverſa genera, ſive ſtirpes, ac familias.*

In primo crebrò admodum labitur Homerus: quod ex Strabone, & aliis, conſtat. Quid mirum? quando ejus ætate, ac diu pòſt, ſatis obſcura, ac mutila, terrarum notitia fuit. Minùs ignoſcendum eſt Apollonio, tot ſeculis juniori. Nam ſub Ptolomæo Euergete vixit. At quàm ſpiſſus ejus eſt error, quando Argonautarum profectionem quatuor tantùm menſium fuiſſe tradit! Siquidem id ſpacium vix ſufficiat Iſtrum ab oſtiis Tergeſte uſque naviganti. Quanto meliùs Ovidius, apud quem Hypſipyle conqueritur, quod tertius jam annus ſit, cùm Jaſon à ſe Lemno diſceſſerit! Ita enim ad Jaſonem ſcribit:

Tertia meſſis erat, cùm tu dare vela coactus,
Impleſti lacrymis talia verba tuis:
Abſtrahor Hypſipyle. ſi dent modo fata recurſum,
Vir tuus hinc abeo, vir tibi ſemper ero.

Nec tamen putandum, non ſæpe etiam hac in parte offendere Latinos. Uti Plautus Curculione: ubi fabulam fingit Epidauri agi, paraſitum mitti in Cariam, & quatriduo redire. Quomodo enim tam brevi id temporis ſpacio fieri poſſit reciprocando per vaſtum illud mare Ægæum? Puto, non in eo peccâſſet homo Græcus; cui genti mare id magis erat notum.

In Geographicum etiam errorem Lucanus inductus eſt, cùm male intellectis Maronis verſibus, Timavi fontem collocat ad fontem Aponum. Diſtant quippe centum paſſuum millibus. Nam Timavus eſt in finibus extimis Carnorum, inter Aquileiam, & Tergeſte: Aponus fons non longè à Patavio, unde *Apona tellus* Martiali pro Patavina. Lucani verſus, quos dixi, hi ſunt lib. VII:

Euganeo (ſi vera fides memorantibus) augur
Colle ſedens, Aponus ternis ubi fumifer exit,
Atque Antenorei diſpergitur unda Timavi.

Eundemque in errorem, imitatione Lucani, incurrit Sidonius Apollinaris carm. IX. Imò & Statius Papinius Sylvarum lib. IV. carm. ad Maximum Junium: ubi Livium vocat *Timavi alumnum*, qui eſt Patavinus.

Atque hæc dicta ſunto de peccatis adverſus locorum ſitum. Secundo loco ſtatuebam, cùm tempora confunduntur.

Sic Plautus Amphitryone inducit Soſiam, & Mercurium, *hercule* dicentes, quod eſt jurantis per Herculem. At qui potuere ſic Græci jurare, cum tunc necdum natus eſſet Thebanus Hercules: ſed extremâ demum comœdiâ natus fingatur?

Maronis eſt IX. Æn.

Quot prius ærata ſteterant ad litora puppes.

Atqui heroicis temporibus necdum ex ære fiebant navium roſtra: quod primus reperit Piſeus Tyrrhenus; ut ait Plinius lib. VII. cap. LVII. Sic enim locum eum legi opor-

oportet; ut ex melioribus libris videre eſt: & Piſei Tyrrheni eodem antea capite facta erat mentio; ubi æneam ab eo tubam ait inventam.

Idem Maro triremibus in Sicilia certatum ait à Trojanis. Locus eſt v. Æn.

——Triplici pubes quam Dardana verſu
Impellunt; terno conſurgunt ordine remi.

Ubi *conſurgunt* ait, quia ordines illi non κτ τὸ μῆκος *, ſed κτ τὸ ὕψος †, forent: indeque *triremium* nomen: uti *quadriremes*, quando eſſent quatuor ordinum gradus; unde Lucanus lib. III:

** Secundùm longitudinem.*
† Secundùm altitudinem.

Quoſque quater ſurgens exſtructi remigii ordo
Commovet, & terno conſurgunt ordine remi.

Eruditè totam hanc rem exponit Joſephus Scaliger in Euſebianis Animadverſionibus ad annum MCCXXX. ubi ſic Euſebius: *Trieres prima navigat in Corinthum.* Idem Euſebius ad an. MCCLV: *Athenis primùm Trieres navigavit, Aminocle curſum dirigente.* Ex quo tempore Aminocles eas fabricavit naves, annos Thucydides computat trecentos. Ut Aminocles vixerit circa Olympiadem XVII. Nam ſcribebat Thucydides Olympiade XCII: ut intermediæ ſint Olympiades LXXV; quæ annos conſtituunt trecentos. At Olympiades demum cœpere annis ab excidio Trojano CCCCVII. Ut nihil ſit manifeſtius, quàm Trojanis temporibus triremes fuiſſe ignotas. Etiam Ovidii, Senecæ Tragici, uti & Sophoclis ſpiſſos in tempore errores, aliumque Tragicorum à Vellejo Paterculo obſervatum, attuli in Oratoriis Inſtitutionibus lib. v. cap. XI. ſect. VII. Quæ inde peti, quàm repetere hìc malo. Videas tamen & quædam à nonnullis reprehendi, quæ poſſint excuſari. Sic Claudius Verderius in ſuâ auctorum cenſione culpat in Marone, quæ de pictura Carthaginenſi legere eſt primo Æneidos. Nempe quia Plinius lib. XXX. cap. III. dicat, *Iliacis temporibus non fuiſſe picturam.* Sec huic difficultati, ſi ſic dici mereatur, non difficulter occurritur. Utcunque enim ea Græcis tum fuerit ignota, non tamen illam neſciere Phœnices, & horum coloni Carthaginenſes. Sanè Ægyptii, ut paullò antè dixerat Plinius, *ſex millibus annorum apud ipſos inventam, priuſquam in Græciam tranſiret, affirmabant.* Vanâ quidem prædicatione, ſi annorum numerum ſpectemus: fortaſſe tamen in eo non vanâ, quòd à ſe ad Græcos picturam tranſiiſſe prædicarent. Saltem Orientis populis multò ante Iliaca tempora notam fuiſſe picturam, veriſimile reddunt, quæ de clypeorum cælatura apud Homerum leguntur; ac inprimis, quòd ſtatuaria ars erat temporibus Abrahami. Nam Thara, & Nachor, idola coluerunt; ut Joſuæ dicitur cap. ult. Atque adeò Abraham ipſe; ut & doctiſſimus Maſius eum ad locum arbitratur. Imò Serug, qui Tharachi pater, Abrahami avus fuit, ſtatuas viris illuſtribus faciebat: ut eſt apud Euſebium ‡ libro priori Chronicorum, & Epiphanium *, lib. I. adverſus hæreſes (qui tamen ab Euſebio paullùm recedit) & Suidam in Σερὺχ. Etiam Cedreno † Thareh dicitur ἀγαλματοποιός ‡. Quare quin & pictura multò fuerit antiquior, quàm vulgò putant, minimè dubitandum.

‡ Pag. 13. verſ. 30. & ſeq. edit. Græc. Scaligeranæ.
** Pag. 9. edit. Pariſ. Petavianæ.*
† Pag. 21. edit. Operis.
‡ Statuarius.

Diximus, ut à poëtis peccetur in locis, vel temporibus. Tertium genus erat, cùm labuntur eo, quòd ſtirpes, ſive gentes ac familias confundunt. Quale eſſe volunt, cùm Argus ab Ovidio * *Ariſtorides* dicitur. Nam, ut ajunt, is Argus quidem, qui navem Argo fabricavit, Ariſtore natus fuit. Sed ille πανόπτης, Iûs cuſtos, de quo ſermo eſt Ovidio, Agenoris erat filius: ſicut refert Apollodorus libro II. Bibliothecæ. Verùm pro Ovidio adducere poſſumus illud è Græco Epigram.

** Lib. 1. Met. fab. 16.*

Πέφνεν † Ἀρεσορίδην αὐτὸς πανόμματον Ἄργον.

† Occidit Ariſtoridem multis oculos habentem Argum.

Imò, ſi Hyginum audimus fab. CXLV, Argus, & Ariſtorides, fratres fuerint, nati ex Pirantho. In hac poëtarum inconſtantia, ſatis eſt habuiſſe Ovidium, quos ſequeretur. Nemo enim à poëta teſtes juratos exegerit.

7. §. *Hactenus actum de errore adverſus hiſtoriam. Proximum eſt, ut videamus de peccatis contra philoſophiam. Quæ vel φυσικὴ, ſive naturalis; vel πρακτικὴ, ſive activa. De activa prius loquar: in qua deerratur, partim ratione communis vitæ; partim adverſus vitæ civilis, vel bellica præcepta.*

Ut ſi Diomedem, & milites ejus, in armis dormientes, inducere velis, neceſſe ſit Homerum imiteris Il. XX: ubi ait, haſtas dormientium ſic fuiſſe collocatas, ut erectæ ſtarent ἐν σαυρωτῆρσι, hoc eſt, ferramentis excavatis: nempe ne, ſi humi figerentur, acies luto obtunderetur. Quem morem Ariſtoteles docet ſuâ etiamnum ætate obtinuiſſe apud Illyrios; ubi imperabat Diomedes; unde & inſulæ è regione Illyridos dicuntur Diomedeæ. Peccatum in ejuſmodi re à Marone, cùm Didonem inducit ſacra facientem non Punico ritu; ſed Romano.

8. §. *Sed longè ut faciliùs, ita frequentiùs, error obtingit ex ignoratione ſcientiæ naturalis: quia hæc doctrina latè adeò patet, ut nemo eam capere poſſit univerſam. Hujus generis eſt, cùm erratur in ortu ſideris, vel naturâ animalis, vel medicamento, quod vulnerato adhibendum, & aliis id genus.*

Ita errore implicatur Homerus, cùm ter quotidiè maris æſtum contingere ait Odyſſ. μ. 105.

Τρὶς μὲν γάρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναροιβδεῖ.
Terque die allidit fluctus, totieſque reſorbet.

Ubi aut δὶς, non τρὶς, ſcripſerat poëta; aut planè deerrat à vero: ut & Straboni jam olim obſervatum in primo γεωγραφ. Item decipi exiſtimatur, cùm cygnis tribuit cantum. Quamvis poëtis adſtipuletur Ariſtoteles in nono Hiſtoriæ Animal. cap. XII. De quo abunde diximus Theologiæ gentilis, & Phyſices Chriſtianæ, lib. III. cap. LXXXVIII.

Nec levi errore irretitur Heſiodus; quando, obſidionem Nini referens, fingit aquilam, præſidem augurii, bibentem: cùm aquilæ non bibant aquam, ſed iis ſufficiat, quòd ſanguinem ſorbillent.

Par ejus ratio videtur, quòd Pindarus Olymp. III, & Callimachus hymno in Dianam, cervæ tribuunt cornua. Imò Anacreon quoque, cujus verba reperies apud Pindari ſcholiaſtem in III. Olympiorum. Et Sophocles cervam, quæ Telephi nutrix fuit, vocavit ἔλαφον κερόεσσαν. Adhæc Euripides in Iphigenia ait, pro Agamemnonis filia oblatam eſſe cervam cornutam. Ubi, ut per Atticiſmum ἡ ἔλαφος ſit mas, appoſitus articulus non ſinit: nec pro virgine tam convenienter cervus, quàm cerva, eſſet ſuppoſita. Poëtas tamen tuetur Pindari ſcholiaſtes. Julius quoque Scaliger lib. III. de re Poëtica ſcribit, [illegible] ætate in Gallia captam fuiſſe cervam cornua habentem. Sed ut hoc interdum fieri credimus, ita monſtro propius eſt. Nempe cujuſmodi eſt, cervum eſſe quadricornem: uti illum Nicocreontis Cyprii, quem Pythio conſecravit: ut eſt apud Ælianum lib. XI. de Natura Animal. cap. ult. Omnino enim experientia hodieque teſtatum facit, quod ab Ariſtotele traditum eſt lib. III. de Partibus animal. cap. II, naturam non dediſſe cervæ cornua, quia magis officerent: ut quæ vix maribus ipſis proſint, niſi ad ornatum. Pluraque de eo attuli lib. III. gentilis Theologiæ, & Phyſices Chriſtianæ, cap. LVII. Nec minori in errore verſari creditur Maro, cùm in primo magni operis Æneam inducit cervos in Africa figentem.

——Tres, inquit, *litore cervos*
Proſpicit errantes. Et IV. Æneid.
——Agmina cervi
Pulverulenta fugâ glomerant.

Similiterque Oppianus cervos Africæ tribuit; ut & Philoſtratus. Sed pro his ſunt commentarii Joannis Leonis, & Brodæus lib. VIII. Miſcell. cap. XIII: ut neutiquam iis aſſentiar, qui nec cervos, nec apros, in ea gigni putant. Hos inter, præter Servium, eſt Herodotus in Melpomene, cùm ait; Ἔλαφος δὲ, καὶ ὗς ἄγριος ἐν Λιβύῃ πάμπαν οὐκ ἔστι*. Itemque Ariſtoteles lib. VIII. hiſt. animal. cap. XXVIII: Ἐν δὲ Λιβύῃ πάσῃ σῦς οὔτ' ἄγριός ἐστιν, οὔτ' ἔλαφος †. Idem tradit Antigonus in mirabilibus narrationibus cap. XI, atque è Latinis Plinius lib. VIII. Hiſt. cap. XXXIII. Lucanus quoque lib. IX, in comparatione loci, de quo agitur, ait: *Et longè naſcentis cornua cervi.* Quamquam nec deſunt, qui *vivacis* explicant: ſed ſine dubio perperam. Fortaſſe autem conciliari cum Herodoto, & Ariſtotele, poſſit Maro, ſi dicamus, primò nullos fuiſſe in Africa cervos; idque, quia in regione adeò torridâ vix foret, unde cervi reſtinguerent ſitim: poſtea autem vel eò tranaſſe, (nam maria gregatim tranſnatare, tradit Plinius ‡) vel aliunde eò eſſe devectos, quia Africa abundet adeò ſerpentibus, ut agricolæ arare cogantur ocreati; & magna ſit inimicitia inter ſerpentes, & cervos; Plinio *, & aliis teſtantibus. At majori jure lapſum dixeris Maronem †; cùm inter arbores, quas Trojani cædebant, lignatum à Latinis miſſi, ponit cedros; quæ in Italia non creſcunt. Item culpatur, quòd cum onagri in Italia non ſint, tertio tamen Georgicôn inter ea recenſeat, quæ paſtores canibus venari jubet. Vide de utroque Victorium libro XXXVIII. cap. primo. Lucani etiam is error, quòd Arabes putet, cum tempore belli civilis in Europam veniſſent, miratos eſſe, quòd umbræ ſibi jam non ampliùs dextrorſum irent, ſed ſiniſtrorſum. Verſus ejus ſunt ‡:

* Cervus autem, vel aper, in Lybia omnino non eſt.
† In omni Lybia nec eſt aper, nec cervus.
‡ Lib. 8. cap. 32.
* Ibidem & lib. 28. cap. 9.
† Æn. 9. verſ. 137.
‡ Lib. 3. verſ. 247.

Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Omnibus enim cis Tropicum Cancri habitantibus, ſi ſpectent orientem, umbra fertur ſiniſtrorſum. Atqui Arabum bona pars non minùs, quam nos, habitat cis Tropicum Cancri.

Etiam in ſcientia naturali eſt error iſte Martialis, cùm noctuas cenſet non videre mane. Sic enim ille lib. III. epig. XCIII. in Vetuſtinam:

Videaſque, quantum noctua vident mane.

Hoc voluit, eam cæcutire; nec plus videre, quàm noctuæ, cùm minimùm vident. Atqui noctuæ nunquam plus vident, quàm mane, & veſperi. Luce enim clarâ, ut meridie, nihil cernunt, quia lumen oculorum diſſipatur: ut nobis uſu venit, ſi diu in nivibus ambulemus. Nec nocte mediâ, ſi illunis ſit, conſpiciunt quicquam; quia aër illuminatus non eſt. Sed mediocri lumine, ut diluculo, & crepuſculo, vident commodè; eoque tum venatui indulgent. Nempe eo tempore lumen debile, quod obtinent, non diſſipatur, ſed unitur, ac fovetur à lumine externo. Atque hinc liquet etiam, quid ſtatuere conveniat de illo Martiani Capellæ verſu:

An mage noctivida tibi traditur alitis uſus.

Obſcurâ enim nocte, nihil conſpicit; uti dictum.

Oppianum quoque facile eſt erroris convincere, cùm equum equâ velociorem ait in primo de Venatione. Quâ de re dixi Theologiæ Gentilis, & Phyſices Chriſtianæ lib. III. cap. LXIII. Nec minùs labitur, cùm in ſecundo de Venatione tradit, ex ebore fieri arcus. Nec enim ebur flexile eſt, ſed rigidum: ut monui ejuſdem libri cap. I.

Hæc de Animalibus. Eſt item, ubi in plantis aliquid deſideres. Qui enim attenderit, quantilla ſit altitudo amaraci; jure mirabitur, quòd ejus umbrâ molliorem Aſcanio ſomnum factum dicat Maro I. Æn. Sanè in diſquiſitionem, ac judicium, id vocatum, legas etiam apud Cæſarem Scaligerum ad Cardanum Exercitat. CLXI.

Siſtam hic de antiquis, quando parùm credibile eſt, plus eos ſapuiſſe, qui vixere, magis magiſque deficientibus Muſarum ſtudiis. Ex iis, qui renatis literis claruerunt, contentus ero nominare unum Fracaſtorium: partim quia & antea ejus meminimus; partim quòd in naturali ſcientia paucos habuerit pares. Et is tamen non ſemel in hac ipſa errorem incurrit. Ut cùm enumerans piſces ſalubres, inter cætera, ſic canit:

Talis dulciſluum fluviorum ſcarus ad ora
Solus ſaxa inter depaſtas ruminat herbas.

Neque enim ſcarus fluviorum amat oſtia, cùm, Oppiano teſte, gaudeat cautibus, ac ſcopulis: in dulcibus verò aquis vivere non poſſit. Columellam ſcio obduci lib. VIII. cap. XVI: ubi dicit, *in dulcibus aquis marinos claudi piſces: atque eâdem curâ mugilem, ſcarumque, nutriri, quâ muræna, & lupus, educantur.* Sed *ſqualus*, pro *ſcarus*, legi debere, & Hippolytus Salvianus * vidit, & clarè diſucet ex illis Varronis lib. III. de R. R. cap. III: *Quis habebat piſcinam, niſi dulcem? & in ea duntaxat ſqualos, & mugiles piſces.*

* Cap. de ſcaro.

9. §. *Ad errores in ſcientia naturali etiam reducuntur illi Magiæ; non naturalis dico, ſed vanæ, ac ſuperſtitioſæ: non quaſi vires illas verè inſint naturæ, ſed quia illas naturæ tribuerunt Magi.*

Ut cùm tradiderunt, jyngа avem, (quam quia collum plurimùm torqueat; novè, nec ineptè, *torquillam* Gaza appellat) valere ad amores conciliandos, ſi alligetur rotæ τετράκναμον, hoc eſt, quatuor habenti radios tibiis ſimiles. Hoc traditum Pindaro Pyth. Od. IV †. Ubi & addit, Jaſonem hoc artificium à Venere eſſe edoctum, quo Medea amore ejus exardeſceret, neutiquam impediente pudore, vel parentum reverentiâ. At Andreas Alciatus, iis perperam intellectis, cenſet; jyngа vim habuiſſe pellendi amoris. Sic enim ſcribit Emblem. LXXVIII:

† Pag. 257. 258. edit. Pauli Stephani, cum ſcholiis Græcis.

Nec durus te vincat amor, neu femina mentem
Diripiat magicis artibus ulla tuam:
Bacchica avis praſtò tibi motacilla paretur,
Quam quadriradiam circuli in ore loces.
Ore crucem, & caudâ, & geminis ut complicet alis.
Tale amoletum carminis omnis erit.
Dicitur hoc Veneris ſigno Pegaſejus Iaſon
Phaſiacis lædi non potuiſſe dolis.

Ubi nec illud placet, quòd jyngа vocat *motacillam*; cùm hæc alia ſit avis. Item neque hoc, quòd jyngа ait ſacram Baccho. Nam ut eſt apud Theocriti ſcholiaſten in Idyll. ſecundum, Veneri dicata erat, quia valeat conciliandis amoribus, quibus Venus præeſt.

CAP. IV.

FICTIONIS PARTITIO.

1. §. *Fictio conſideratur vel κοινῶς, ſive univerſè, vel quatenus in ſacro eſt argumento. Univerſè attenditur vel in re una, vel in fabula integra. In re una fictio eſt vel ſimplex, vel fabuloſa. Simplex petitur ex media vita.*

Ut ſunt amores adoleſcentum, & ſimilia in comœdiis.

2. §. *Fabuloſam voco, quæ fidem ſapientum excedit. Spectatur ea in perſonis, factis, rebus. Perſonæ ſunt, Dii, homines, monſtra.*

In diis fidem ſapientum exſuperant amores, partus, bella, vulnera. In hominibus ejuſmodi ſunt μεταμορφώσεις: velut Actæonis in cervum, Myrrhæ in arborem ſui nominis. Monſtroſæ perſonæ ſunt Sirenes, Argus, Centauri.

Factum fabuloſum eſt, cœlum Atlantis humeris ſuſtineri; item Cerberum ab inferis educi.

Res fabuloſa eſt, aquilam eſſe Jovis nunciam, iridem Junonis: item quercus dediſſe reſponſa.

De hiſce μυθικαῖς ἐννοίαις ‡ agit quoque Hermogenes

‡ Fabuloſis conceptibus.

lib. II. περὶ ἰδεῶν * cap. 2, quod eſt περὶ πολιτικοῦ λόγου †. Sed revocat illa ad quatuor genera. Ad primum refert, quæ de Saturno, Titanibus, Gigantibus, Jove, aliiſque Diis, dicunt ἀνθρωποπαθῶς ‡; uti ſunt amores, natales, educationes, amicitiæ, bella, aliaque iſtiuſmodi. Alterum genus ei ſimiliter continet μεταμορφώσεις *: ut Cadmi in draconem; Halcyonis, Prognes, & Philomelæ, in aves; adhæc marium in feminas, ut Cænei; aut feminarum in mares, ut Tireſiæ: item in homines monſtroſos, ac diverſorum animantium mixturas, ut ſunt homines alati, Pegaſus, Gorgones, Centauri, Sirenes, Tritones, Læſtrygones, Cyclopes, & alia hujuſmodi. Tertium genus complectitur ὑπερβαίνοντα † ἀνθρωπίνην φύσιν, τὰ ἐκείνων τερατολογούμενα. Uti Achillem longè adeò proſilire, ut eſt Iliados M. Item Ajacem, aut Hectorem, vaſtæ adeò molis lapidem tam facilè projicere, & ſimilia. Quartum eſt, cum vel inanimis tribuitur ſenſus: ut cùm Iliad. E. cœli portæ ſponte dicuntur apertæ, aliaque ajunt ἄψυχα μετ' αἰσθήσεώς τινος θεοῖς ὑπουργεῖν ‡: vel cum multis animantibus tribuunt humana; ut equo loquelam. Quod plurimum habet τερατολογίας *, maximeque abhorret à veriſimili. Quæ cauſſa eſt, cur non facilè ejuſmodi aliquid invenias apud poëtas. Atque hæc de fictione in ſe una.

* De dicendi formis. † De oratione civili. ‡ Humano affectu. * Transmutationes in alias formas. † Quæ ſuperant hominis naturam, & portentoſe de iis dicuntur. ‡ Inanima cum ſenſu Diis inſervire. * Prodigioſæ narrationis.

3. §. *In fictione totius fabulæ duo præſtare oportet. Prius ſimpliciſſimè concipi fabula debet, ſine epiſodiis, & digreſſionibus ullis: ita ut una ſolum actio ob oculos verſetur. Nam cùm poëma unum ſit, quod unam continet fabulam; una autem ſit fabula, quæ unam explicat actionem: poëma quoque unum erit, non quod circa unum verſatur hominem, ſed unam unius actionem; totam tamen, & abſolutam; ut quæ habeat partes ſuas, eaſque ita connexas, ut, unâ poſitâ, neceſſariò, aut veriſimiliter, altera conſequatur; unâ item ſublatâ, fabulæ pereat ſtructura.*

Ita Homerus, licet poëma ſuum inſcripſerit Iliada, & Odyſſeam; tamen unam tantùm perſequitur actionem. Nam in Iliade ſolùm refert iram Achillis, Græcis pariter, ac Trojanis, noxiam. Narrat enim, quomodo, cùm Agamemnoni ob ereptam Briſeida iraſceretur, pugnam adverſus Trojanos detrectârit; eaque res Græcis magnorum fuerit malorum cauſſa: at cùm idem etiam amiciſſimum Patroclum à Trojanis eſſe interemtum cognoſceret, in prœlium iverit, & Hectorem, amici ſui interfectorem occiderit. Itidem Odyſſeæ argumentum ſic ſimpliciſſimè concipitur: Quiſpiam multos peregrinatus annos, atque ab uno ſuſceptus Neptuno, cùm interim domi omnia abſumerentur à procis uxoris, filio etiam inſidiæ tenderentur; annos multos jactatus pelago, domum tandem rediit; ubi aliquot ſuorum agnoſcens, reliquos invaſit; ac ipſe quidem evaſit ſoſpes, inimicos verò interemit. Homero certè in Ulyſſea propoſitum non fuiſſe, integram Ulyſſis vitam ob oculos ponere; luculento argumento erit, tum quòd tantùm uno, alteroque verſu, Odyſſ. xx, attigerit, quomodo Ulyſſes inter venandum ab apro in Parnaſſo ſit vulneratus; tum quòd nuſquam (ut etiam Tullius in III. de Offic. obſervat) mentionem faciat inſaniæ, quam ſimulavit, ut militiam ſubterfugeret: de qua vide Heroica Philoſtrati in Palamede.

Homerum quoque, optimum videlicet ducem, ſecutus eſt Maro in divinis Æneidos libris: in quibus itidem ſummus poëta non illud narrandum ſuſcepit, quomodo Æneas ſit natus, quomodo educatus, quomodo cum Achille pugnârit, ac prœlio à Venere ſit ereptus: ſed unam tantùm actionem tractandam ſumſit. Nempe ut multa, magnaque pericula, terrâ, ac mari, perpeſſus, tandem in Italiam venerit, atque ejus regno ſit potitus.

Eadem in tragœdiis, ac comœdiis, ratio eſt. Ut in Sophoclis Ajace; ubi Ajax, cùm armis Achillis excidiſſet, indignè id fert, & contumeliæ hujus impatiens inſaniâ corripitur: in qua multa indignè agit, atque etiam pro Ulyſſe pecudes mactat: poſtea verò, rationi dans locum, opprobrium hoc non ſuſtinet; eoque manus ſibi infert; unde & ſepulcro prohibetur.

In Senecæ Hercule Furente ſic rem ſimpliciter complecti licet. Hercules ab inferis redux, cùm videret imperium à Lyco, exſule Thebano, per tyrannidem eſſe occupatum, uxoremque Megaram, quia nollet Lyco nubere, in magno periculo verſari; nec uxorem modò, ſed liberos etiam; & parentes periclitari; tyrannum cum ſociis occidit: hinc furiis à Junone immiſſis, uxorem, liberoſque ſuos interemit: ac mentis compos factus, ſibi mortem afferre ſtatuit; ſed parentis ſui Amphitryonis precibus, ac lacrymis victus, abſtinuit; cumque Theſeo abiit Athenas.

Terentianæ verò Andriæ ſic fabula ſimpliciter primò concepta fuit. Adoleſcens vitiat virginem, quam meretricis ſororem putabat. Pater verò aliam ei uxorem deſponderat: atque, ut exploraret, quo animo filius foret, nuptias futuras ſimulabat. Filius, ſuadente ſuo ſervo, non adverſatur parenti. Mox, qui ſocer futurus erat, cognoſcit de vitiata virgine, & nato inde puero. Eoque ſe filiam daturum negat. Poſtea inſperatò agnoſcit, vitiatam illam virginem eſſe filiam, quæ olim fuerat ſubrepta. Hanc agnitam adoleſcenti, qui violârat, atque eam perditè amaret, uxorem dat: quam verò huic deſponderat, alteri dat uxorem, qui efflictim eam deperiret.

Ex his liquet, cùm fabula una unius dicitur eſſe actionis, non excludi eam, quæ plurimum ſit partium; ſed potiùs talem requiri. Nam intelligitur actio tota, & abſoluta: totum autem habet ſuas partes: ſed partes illas neceſſe eſt eſſe connexas, ita ut una ex omnibus actio reſultet. Quod & Horatius * voluit, cùm dixit:

* In Arte.

Denique ſit quidvis ſimplex dumtaxat, & unum.

Summoventur igitur actiones non propriæ, ſed foris petitæ, quales in epiſodiis; de quibus mox dicam: multoque magis excluduntur actiones ita ſeparatæ, ut ne quidem connecti, atque epiſodium ex iis texi poſſit; quales tamen hiſtoria conjungit: ubi diverſiſſimæ referuntur unius viri per omnem vitam actiones; inter quas nulla plurimùm connexio eſt.

4. §. *Bene autem actio conſtituta non erit, ſi bene ſe habitura eſt parte aliquâ ablatâ, vel etiam trajectâ.*

Monitum eſt Ariſtotelis de dramate; ſed quòd in epicâ etiam fabulâ locum habet. Hoc igitur ſignum eſt rectæ conſtitutionis, ſi pars nulla ſine fabulæ detrimento præteriri, vel tranſponi poſſit.

5. §. *Fabulâ conſtitutâ, diſtinctè oportet ejus partes ſpectare: quæ duæ ſunt; connexio, & ſolutio. Connexio extenditur uſque ad eum locum, ubi commutatio fit ex felicitate in infelicitatem; vel contrà. Solutio eſt, quod à mutationis principio eſt uſque ad finem.*

Ariſtoteles ſimiliter has partes vocat δέσιν, καὶ λύσιν †: quas voces libenter retinuimus, quia elegantes ſunt. Nam omnino hîc ſimiliter ſe res habet, ac in iis, qui nodum aliquem vinciunt, poſteaque ſolvunt. Ut in Oedipe junctum eſt, uſque ad tempus illud, quo Oedipus cognoſcere cœpit, ſe eſſe interfectorem patris, & maritum matris. Nam inde incipit converſio felicitatis in ſtatum miſerabilem; quia mox ſe Oedipus excæcat, Jocaſta ſe ſuſpendit, Oedipus etiam regno pellitur.

† Ligationem, ſive connexionem, & ſolutionem.

6. §. *Conjungitur autem pars utraque medio quodam, quod* tranſitus *dicitur.*

Ut tria in fabula debeant ſpectari; δέσις, ſive *colligatio*,

λύσις,

λύσις, ſive *ſolutio*, & μετάβασις, ſive *tranſitus*. Sed maximè hæc conſiderantur in fabulis connexis.

7. §. *Poſtquam ſic actionem totam, & abſolutam, concepimus; eamque in partes ſuas, connexionem, & ſolutionem, diſtinximus: videndum de epiſodiis, & digreſſionibus; quibus narratio dilatari debet, ut amplior ſit, & varietate magis delectet. Epiſodii autem nomine intelligitur narratio eorum, quæ præter rem adferuntur, cum re tamen conjunguntur; idque ad eam amplificandam, vel ornandam.*

Ἐπεισόδιον Latinè dixeris *inſertam*. Suidas ait abuſione quadam ἐπεισόδιον vocari τῶν ἐξαγώνιον πρᾶγμα *, ut ſuperiùs diximus. Quæ deſcriptio paullò latior eſt, quàm oportet. Nam convenit cuivis amœniori digreſſioni: ut ſi locus aliquis propter ſe deſcribatur. Epiſodium verò propriè tantummodo eſt actionum, quarum narratio præter argumentum eſt; ſed argumenti cauſſâ adfertur, & ita reliquo argumento annectitur, ut fabulæ fiat pars, ſed non neceſſaria; quippe quæ abeſſe potuerit. Ita primaria quidem actio apud Maronem eſt Æneæ ab Ilio in Italiam adventus. At pulcrum quoque erat, ſi poëta explicaret hiſtoriam captæ Trojæ, quæ profectionem anteceſſit. Ergo inducit Æneam hæc ſecundo, ac tertio libro, exponentem Didoni; cui tam bene de ſe meritæ nihil debuit denegare. Neque ſolùm enarrat inſidias Græcorum, & excidium Trojæ; ſed etiam, quâ ratione tot annos jactatus eſſet mari, uſque dum tempeſtate in Africam eſſet ejectus. Atque, ut aptè illa de Didone connectantur, fingit Æneam appuliſſe in Africam, atque ibi Didonem amore arſiſſe Æneæ. Poſt narrationem iſtam ſubjungit, quomodo cùm Dido potiri Æneâ non poſſet, mortem ſibi conſciverit. Interſerit etiam, quo pacto Æneas cum Heleno ſit collocutus. Item ut profectus ſit ad inferos. Atque, in hiſce epiſodiis fingendis, ſecutus eſt exemplum Homeri in Odyſſea. Nam cùm Ulyſſem, deleto Ilio, priùs conſtituiſſet in Ortygia inſula, apud Calypſonem, Atlantis filiam: ac denique, per pericula longè maxima, deduxiſſet in inſulam Corcyram, ad Alcinoum, Phæacum regem; hic demum regi, & incolis, in epulis, labores, ac pericula ſua, narrantem inducit. Quod fit lib. IX. & tribus ſequentibus. Par ratio in Iliade. Nam Iliad. β eſt epiſodium de navium catalogo: Il. γ aliud eſt de μονομαχίᾳ Paridis cum Menelao, ſpectante Helenâ: aliud item Il. δ. in quo eſt concio Deorum de expugnando Ilio: librisque aliis alia idem epiſodia admiſcet: quæ neutiquam impediunt, quo minùs una ſit actio; cùm eodem referantur, quò actio primaria. Itidem in dramatis fit. Ut in Troadibus Senecæ. Nam actio conſtituitur hoc pacto. Cùm Græci, exciſâ Trojâ, ob ventum adverſum ſolvere non poſſent, atque Achillis umbra ſacrificium Polyxenæ poſceret: placuit conſuli Calchantem; qui non Polyxenam ſolùm mactandam, ſed & Aſtyanactem necandum, ait: unde & hic præceps datus de turri, & illa ad tumulum mactata Achillis. Hæc fabula dilatatur colloquio Agamemnonis cum Pyrrho, quod eſt de mactanda Polyxena: item illis de Ulyſſe, quærente Aſtyanactem, ac repertum tandem è latibulis producente.

* *Rem omnem, quæ eſt extra cauſſam.*

8. §. *Epiſodia non debent eſſe longè arceſſita, vel affectata; ſed fabulæ cognata.*

Accreſcit fabula per epiſodium; ſed non ut illa, ubi quidvis cuivis adjicitur; verùm inſtar uteri animantium, poſtquam conceperant. Quemadmodum igitur in gravidis fœtus eſt pars matris; licet non eo modo, quo caput, aut manus: ita epiſodium, etſi non ſit pars actionis primariæ; non alienum tamen à fabula, ſed cognatum, & connexum eſſe debet. Ut in Sophoclis Hercule deſcriptio inferorum. Nam agitur de Hercule, ab inferis reduce. In Ajace ejuſdem certamen inter Agamemnonem, Teucrum, & Menelaum, de Ajacis ſepultura. Nam fabula eſt de Ajace, qui ſibi mortem conſciverat.

Peccat hac in re Lucanus, cùm juvenili quadam oſtentatione, inſerit diſputationes de rebus reconditis; exquiſitis quidem, ſed ab argumento ſuo alienis. Simile igitur eſt, ac cùm

—— magna profeſſis
Purpureus latè qui ſplendeat unus, & alter,
Aſſuitur pannus. Pulcri illi quidem;
Sed nunc non erat his locus:

Ut idem Venuſinus vates ait. Nimirum poëma non debet referre monſtrum Horatianum; ubi caput mulieris, cervix equina, media pars alas habet, extrema turpiter deſinunt in piſcem. Quale ſiquod ſit,

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

9. §. *Facilè autem in epiſodiorum connexione negligi ſolet* τὸ εἰκὸς **; *dum non ſatis ratio habetur perſonarum, locorum, temporum; aut non alia ex aliis fluunt.*

* *Veriſimile.*

Quod ab ineptis fieri poëtis, Ariſtoteles † ait; ut ex eo §. XI. dicam.

† *Lib. de Re poëtica cap. 10.*

10. §. *Locus epiſodiis, & digreſſionibus, raro eſt in ſolutione, ubi ad finem feſtinat animus. At ſemper ei locus eſt in connexione: ubi eſt rerum perturbatio, ita ut connexio partim ea complectatur, quæ ſunt rei propria, partim non propria, ſed foris petita, ad amplificationem, vel ornatum.*

Idem voluit Ariſtoteles, cùm δέσιν ‡ ait complecti τὰ ἔξωθεν ⸸, & quædam etiam τῶν ἔσωθεν *. Ut in Senecæ OEdipode tyranno ad τὰ ἔξωθεν pertinent ſacerdotes, ſacra facientes ad avertendam peſtilentiam; de quo OEdipus in prologo. Item colloquium ejuſdem cum Creonte; & aliud cum Tireſia; & contentio inter OEdipodem, ac Creontem; & nuncii adventus, priorque narrationis pars. Sed ad τὰ ἔσωθεν pertinet, quod de Laio interempto eſt in ſermone Tireſiæ. Item ſigna à nuncio memorata, unde agnitio fit. Et ſermo ſervi arceſſiti; qui & ipſe pertinet ad agnitionem. Ea incipit ab illis verſibus OEdipi:

Dehiſce tellus, tuque tenebrarum potens.

Agnitio hæc λύσεως † eſt. Quam conſequitur primaria actio: nempe quòd ſeipſum OEdipus excæcat, atque ita ex felici fit miſerrimus. Hoc omnino eſt τῶν ἔσωθεν ‡. At τῶν ἔξωθεν ⸸ iterum eſt ejulatio OEdipodis, & Creontis ſermo. Sed de epiſodiorum loco plura adferemus, cùm de ordine partium fabulæ dicemus.

‡ *Colligationem.* ⸸ *Quæ ſunt extra actionem.* * *Quæ ſunt in actione.* † *Solutionis.* ‡ *Eorum, quæ ipſi inſunt actioni.* ⸸ *In iis, quæ ſunt extra actionem.*

11. §. *Quod ſi epiſodia non neceſſario, vel probabiliter, aut cum argumento, vel ſecum cohæreant: fabulæ dicuntur epiſodica.*

Nec enim ſatis eſt, ſi epiſodia ſint connexioni convenientia, aptaque: ſed aptè etiam connecti debent. Quâ in re bifariam aberratur. Nam vel unum eſt alteri contrarium, ac repugnans: vel nulla quidem pugna eſt; ſed quod ex altero fluxit, priori collocatur loco; aut quomodocumque ordinis ſit perturbatio. Hujuſmodi fabulas dici epiſodicas, Ariſtoteles docet his verbis: Λέγω * δ' ἐπεισοδιώδη μῦθον, ἐν ᾧ τὰ ἐπεισόδια μετ' ἄλληλα, οὔτ' εἰκὸς, οὔτ' ἀνάγκη εἶναι. Sæpe hac in re inepti poëtæ peccant, quandoque & boni, in his Euripides. In cauſſa eſt, quòd boni ſæpe non contenti ſint vincere bonitate; ſed certare etiam velint magnitudine.

* *Voco autem fabulam epiſodia habentem, ubi epiſodia iter nec veriſimiliter, neque neceſſario inter ſe cohærent.*

12. §. *Cùm autem magnâ ſit curâ opus poëtæ in connexione; major tamen in ſolutione requiritur.*

Cicero lib. I. epiſt. ad Qu. Fr. *Illud te ad extremum, & oro, & hortor; ut tanquam poëtæ boni, & actores induſtrii ſolent; ſic tu in extrema parte, & concluſione mune-*

muneris ac negotii tui, diligentiſſimus ſis; ut hic tertius actus imperii tui, tanquam tertius annus perfectiſſimus, atque ornatiſſimus, fuiſſe videatur.

13. §. *Nec temere in ſolutione fabulæ recurrendum ad fugam per machinam, vel Dei in ea è cælis deſcenſum. Nam cùm illaudabile ſit nodum nectere, quem ſolvere non poſſis: ne in poëtis quidem probatur, ſi ejuſmodi rerum perturbationem inducant, ut ſe expedire haud aliter poſſint, quàm vel ad Deum recurrendo; cui nihil ἀδύνατον*: vel aliquem per machinam ſubducendo; quod ipſum magicæ, non licitæ eſt artis.*

* Impoſſibile.

Duplicem hanc rationem ſolvendi fabulam docet Ariſtoteles, cùm ait; Φανερὸν οὖν, ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν· καὶ μὴ, ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ, ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι, τὰ περὶ ἀπόπλουν. *Manifeſtum igitur eſt, etiam ſolutiones fabularum ex ipſa debere fabula obvenire; & non, ut in Medea, è machina; & in Iliade, per ea, quæ ad hoc pertinent, ut renavigetur domum.* Prior modus eſt ex Medea Euripidis: ubi illa, à qua nomen eſt tragœdiæ, poſt occiſos Jaſonis liberos, acerbaque ei ingeſta convicia, volucri curru per aëra Athenas ad Ægeum, defertur, atque ita præſentaneo eripitur periculo. Etiam apud Senecam in Hercule Oetæo elabitur heros per machinam, inque cœlos auffertur. Quò pertinent illa Alcmenæ:

Mane parumper. Ceſſit ex oculis, abit.
In aſtra fertur.

Hunc machinæ in ſubducendo uſum, ut optimè obſervatum jam aliis, in animo habuit Ariſtoteles in primo Metaphyſ. † ubi ſic ſcribit: Ἀναξαγόρας τε γὰρ μηχανῇ χρῆται τῷ νῷ πρὸς τὴν κοσμοποιίαν, καὶ ὅταν ἀπορήσῃ διὰ τίν' αἰτίαν ἐξ ἀνάγκης ἐστί, τότε ἕλκει αὐτόν· ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις πάντα μᾶλλον αἰτιᾶται τῶν γιγνομένων, ἢ νοῦν. *Anaxagoras autem Mente ſuâ, cum de mundi creatione agit, utitur pro machina. Siquidem, quando hæret, quâ de cauſsâ neceſſario ea ſit, tunc eam, velut machinam, attrahit. in aliis vero quamlibet potiùs eorum, quæ fiunt, cauſſam adferat, quàm Mentem.* Sententia eſt, Anaxagoram, cùm in mundi creatione non habet, quod reſpondeat, recurrere ad Deum, & eum dicere ſic voluiſſe; quod non ſit philoſophi naturalis: nec ſanè ipſum Anaxagoram hoc facere, niſi cùm nequit ſe expedire: ſed tum eum imitari poëtas tragicos, qui, ſiquem induxerint ita periclitantem, ut humanâ ratione evadere non poſſit, recurrant ad machinam, quæ quaſi magicâ arte hominem eripiat. Hæc de priori machinæ uſu; quem Ariſtoteles, ut vidimus, in Euripide improbat. Et ſanè fatendum, facili negotio potuiſſe ſe Euripidem aliter expedire, ut nihil eò recurrere opus eſſet. Nec neceſſe erat, ut Seneca, ſive alius, Herculem induceret, qui de ἀποθεώσεως ‡ ſuâ matrem edoceret. Sanè non fecit id Sophocles in Trachiniis, magni judicii poëta. Triſtior etiam abſque eo fuiſſet fabulæ exitus; quod tragœdiæ convenientius.

† Cap. 4.

‡ In Deos relatione.

Alter uſus, cur cœlis deſcendant Dii, ab Ariſtotele indicatur per ἀπόπλουν*, ſive diſceſſum ab Ilio. Ubi reſpicit, quòd apud Homerum, cum Græci de expugnando Ilio deſperarent, Juno Minervæ fuerit auctor, ut deſcenderet cœlo, atque ad Ulyſſem rectà contenderet, & ſuaderet ei, ut conſuleret Græcis, ne re infectâ abirent. Simile exemplum habemus in Euripidis Hippolyto, ubi Diana ſolvit argumentum. Nam ſignificat, hanc pœnam Hippolyto à Venere immiſſam: item Oreſte; ubi id facit Apollo. Nam futura prædicit, & Menelaum cum Oreſte conciliat; ex quo ſolutio fabulæ. Itidem in Jone, ubi id Pallas agit: uti & in Plauti Amphitryone, ubi Jupiter omnia extricat. Hoc in tragœdiis fit per machinam: in epico carmine per ſimplicem narrationem de deſcenſu Dei è cœlis. Quæ & cauſſa eſt, cur generatim hoc loco potiùs eâ de re, quàm in tragœdia, cujus propriæ ſunt machinæ, agendum putârim.

* Enavigationem.

14. §. *Quod ſi omnino deſcenſu numinis è cœlo opus ſit; id ob alterutrum horum erit; vel ut referantur res præteritæ, & ignotæ; vel ut prædicentur, aut mandentur, futura.*

Prioris generis exemplum habemus initio Sophoclei Ajacis μαστιγοφόρου*: ubi Minerva inducitur narrans, ut Ajax noctu præcedente, furore percitus, pecudes, quas Græcos putabat, interemerit: arietem autem maximum, quem Ulyſſem credebat, columnæ alligatum flagellis ceciderit. Quæ ſanè nullus mortalium nôrat; quia ſolus ea Ajax, & noctu patrârat. Eoque divino opus indicio erat. Alterum exemplum habemus in Euripidis Oreſte; ubi Apollo refert raptum Helenes in cœlum, aliaque, quæ ignorabantur. Poſterioris verò generis ibidem eſt; cùm Apollo Oreſti mandat, quæ facere debeat; poſteaque etiam patefacit ei eventura. Unde videmus, poſterius hoc genus eſſe bipartitum.

* Flagelliferi.

15. §. *Ex ſe ipſa ſolvetur fabula, ſi ex veriſimili, aut neceſſario, exitus petatur.*

Ut in Ajace Sophoclis: ubi, interfecto Ajace, cùm ingenioſè poëtæ ſolvenda eſſet fabula, vidit, non poſſe id fieri à Tecmeſſa, quæ eſſet captiva; nec à filio, ejus ætatulæ; nec à fratre Teucro, cui indecorum fuiſſet magnopere lugere: ſed à duobus Atridis, Ajacis inimicis, qui prohibuere, ne cadaver ſepeliretur: licet poſtmodo, Ulyſſe id exorante, permiſerint. Non dubium, quin itidem, ex Ariſtotelis ſententiâ, ſapientiùs fuerit Homerus aliquem producturus è prudentiſſimis procerum, qui reditum diſſuaderet Græcis: quàm quòd Minervam propterea cœlo deſcendentem induxit. Simileque judicium eſto de eo, quòd alibi ab eo inducitur Iris, Priamum reprehendens. Sed Homerum utcumque eo excuſaveris, quòd ἀλληγορίαις involverit hiſtoriam. Quam rem Heraclides Ponticus elegantiſſimè comprobavit.

16. §. *Interdum poëtæ in connexione, aut ſolutione, differunt inter ſe. Quod cùm fit, ex aliena fabula fit propria.*

Quomodo Chryſippus ajebat, ſe ex Euripidis Medea feciſſe ſuam. Ita & à prioribus receſſit Æſchylus in Prometheo vincto: ubi fingit, eum in Europæ partibus juxta Oceanum fuiſſe ligatum, & cùm Jovi obtemperare nollet, fulmine eſſe abſumtum. Itidem Æſchyli Choëphori, & Sophoclis Electra, connexione & ſolutione differunt. Euripides quoque, & Seneca, fabulam ſcripſere Hippolyti. Sed conſtitutio diverſa diverſam facit fabulam. Idem Euripides in Helena non raptam fuiſſe dicit à Paride; ſed pro ea ſimulachrum tantummodo abductum eſſe; ipſam verò Jovis mandato à Mercurio delatam eſſe in Ægyptum atque ibi à Proteo cuſtoditam; confectoque bello Trojano, cùm Menelaus in Ægyptum veniſſet, ſimulachrum quidem evanuiſſe; veram autem Helenam cum marito rediiſſe in patriam. In talibus nova eſt colligatio, ac ſolutio; eoque novis uti perſonis licet; ut poſtea dicetur.

17. §. *Optimè fabula ſolvitur, cùm id fit vel per* περιπέτειαν, *ſive immutationem: vel per* ἀναγνώρισιν, *ſive agnitionem.* Περιπέτεια *eſt eorum, quæ aguntur, tranſitus in contrarium; ſive mutatio hæc ſecunda ſit, ſive adverſa.*

Περιπετείας in fortunam adverſam exemplum eſt apud Sophoclem in Oedipo tyranno; & exinde in Oedipo Senecæ. Nam ſenex Corintho miſſus ad Oedipum, ut ſignificaret, regem à civibus factum eſſe, dum ſe rem gratam ei facturum ſperat, efficit contrarium, eoque rem perducit, ut ſe videat maritum eſſe matris, atque ex ea eſſe

liberos, quos haberet. Περιπετείας in fortunam ſecundam exemplum præbet Euripidis Iphigenia, in Tauris. Nam & Oreſtes, & Iphigenia, fiunt felices. Utriuſque exemplum, ſed in diverſis perſonis, ſuppeditat Odyſſea Homeri. Nam Penelope, & alii, qui ab Ulyſſe ſtarent, felices fiunt; proci vero infelices. Item in Sophoclis Electra, felices fiunt Oreſtes, & Electra; infelices Clytæmneſtra, & Ægyſthus. Simile exemplum adfert Ariſtoteles è tragœdia, cui Lynceo nomen. In ea Danaus Lynceum perſequitur, ut occidat; & jam Lyncei cædem exſpectabant omnes, cùm ſubitò evadit Lynceus & Danaus necatur.

18. §. *Nihil magis delectat περιπετεία.*

Unde Ariſtoteles lib. 1. Rhetoricor. ad Theod. * τὸ μεταβάλλειν ἡδύ. ὅθεν εἴρηται, μεταβολὴ πάντων γλυκύ. *Et commutatio jucunda res eſt. Unde dictum, omnium rerum viciſſitudo jucunda eſt.* Et paullo pòſt idem inter jucunda περιπετείας refert, cùm ait: Καὶ αἱ περιπέτειαι, καὶ τὸ παρὰ μικρὸν σώζεσθαι ἐκ τῶν κινδύνων. Πάντα γὰρ θαυμαστὰ ταῦτα. *Subita quoque rerum mutationes jucunda ſunt, & è periculis vix evadere: hæc enim omnia admirationi ſunt.*

* Cap. xi. ſive context. 473.

19. §. *Porrò non quævis rerum immutatio περιπέτεια dicitur; ſed magna, & inopinata.*

Magnam voco, ex qua rerum fortunarumque omnium immutatio conſequitur. Ut, ſiquis ex infelici ſtatu pertingat ad felicem, vel ex felice ad infelicem devolvatur. Subitam etiam & inopinatam eſſe convenit; ut ſic præter exſpectationem omnium metus, & terror, repentè in lætitiam convertantur.

20. §. *Περιπέτεια hæc eſſe debet in perſonis iis, de quibus fabula præcipue agit. Optimaque eſt, quando naſcitur ex vi antecedentium rerum.*

Fortuitus quidem tranſitus laudatur; attamen, ut diximus ſuperiùs, cauſſâ nixus neceſſariâ, aut probabili. Ita cauſſam in re fortuitâ videmus, quando (ut retineam Ariſtotelis in re Poëtica † exemplum) ſtatua Argis poſita Mityi, ſive cum Plutarcho malis Mityo, incidit in ſeditioſum quendam ſpectatorem, à quo Mitys, ſeu Mityus, erat interemtus; quâ ruinâ is periit. Non temere hoc factum videtur, ſed ultione divina: quamvis dicere aliquis poſſit, caſuram fuiſſe ſtatuam, utcumque ille abfuiſſet, à quo Mityus fuerat ſublatus. Improbatur verò περιπέτεια nullâ nitens cauſſâ juſta, ac tutâ proinde fortuitâ.

† Extremo cap. 10.

Rectè verò obſervat melioris notæ Rhetor Antonius Lullus in ſeptimo de oratione cap. v, longè elegantiſſimam eſſe περιπέτειαν illam Moſaicæ hiſtoriæ de Joſepho patriarcha, ſe aperiente fratribus ſuis: quam rem mira venuſtate in Sophompania ſuo expreſſit divinus vir Hugo Grotius ὁ μακαρίτης, Suedici regni, dum viveret, ad Chriſtianiſſimum Regem legatus.

21. §. *Ἀναγνώρισις ‡ eſt unius, pluriumve perſonarum, poſt longi temporis ignorantiam, cognitio. Eſtque vel ſimplex, vel duplex.*

‡ Agnitio.

Duplex inde Oedipo Sophoclis, & Senecæ Oedipo; ubi Oedipus noſcitat matrem, & ab ea agnoſcitur. Illuſtre etiam exemplum præbet Euripidis Iphigenia in Tauris; ubi Oreſtes, & ſoror ejus Iphigenia, ſe mutuò agnoſcunt. At ſimplex eſt in Odyſſea; ubi nutrix noſcitat Ulyſſem; Ulyſſes non agnoſcit, quia antè nôrat. Item in Sophoclis Electra. Nam Electra agnoſcit Oreſtem; at non Oreſtes Electram; quia nec ante erat incognita. Inque hiſtoria Joſephi, agnoſcitur Joſephus; non agnoſcit, quia antè noverat fratres.

22. §. *Etſi peripetia ſine agnitione eſſe poteſt, & agnitio aliqua eſt ſine peripetia: non tamen agnitio ſimplex hujus eſt loci; ſed quæ περιπέτειαν * habet. Nam ea affectus imprimus movet.*

* Converſionem, ſive ſubitam in contrarium commutationem.

Hoc non è dramatis modò liquet, ſed è ſacra etiam hiſtoria; ubi, ut dixi, illuſtre habemus exemplum in Joſepho, qui à fratribus agnoſcitur: unde ſubita fit rerum immutatio in fratribus, & in Jacobo; quo nihil lætius, ubi Joſephum adhuc eſſe ſuperſtitem cognoſceret.

23. §. *Porrò ἀναγνωρίσεις † non ſolum, quatenus περιπέτειαν ‡ habent; ſed etiam per ſe, magnopere oblectant: quippe quæ admirationem pariant.*

† Agnitiones. ‡ Fortunæ converſionem.

Atqui, ut Ariſtoteles * ait, Καὶ τὸ μανθάνειν, καὶ τὸ θαυμάζειν, ἡδὺ, ὡς ἐπιτοπολύ· ἐν μὲν γὰρ τῷ θαυμάζειν τὸ ἐπιθυμεῖν μαθεῖν ἐστίν· ὥστε τὸ θαυμαστὸν, ἐπιθυμητόν· ἐν δὲ τῷ μανθάνειν, εἰς τὸ κατὰ φύσιν καθίστασθαι. *Et diſcere, & admirari, jucundum eſt ut plurimùm. Nam in admiratione cupiditas eſt. Quare admirabile excitat cupiditatem. At in diſcendo erigimur eum in ſtatum, qui eſt naturalis.*

* Lib. 1. Rhetoricorum cap. 11.

24. §. *Quemadmodum περιπέτεια † laudabilior, quæ provenit vi antecedentium cauſſarum, ut diximus: ita ἀναγνώρισις ‡ præſtat, quam immutatio rerum ſtatim conſequitur, & quam ipſa fabulæ diſpoſitio producit.*

† Converſio rerum. ‡ Agnitio.

Non enim æquè artificioſa eſt ἀναγνώρισις * illa, quæ à fabulæ conſtitutione disjuncta, pro libitu poëtæ adtexitur.

* Agnitio, ſive noſcitatio.

25. §. *Agnitionis modi ſex ab Ariſtotele † memorantur. Primus eſt per ſigna: quæ vel σύμφυτα ſunt, ſive congenita; vel ἐπίκτητα, ſive adventitia.*

† Lib. de re Poëtic. cap. 16. ſive, ex aliorum diſtinctione, 13.

Σύμφυτον ‡ ſignum eſt, quod cum homine naſcitur. Quomodo poſteri antiquorum illorum Spartorum, qui è ſatus à Cadmo draconis dentibus enati erant, in lucem edebantur cum lanceæ figura in corpore: ut eſt apud Plutarchum libro De his, qui ſerò à numine puniuntur. Sparti iſti, quia è terra nati, Ariſtoteli dicuntur γηγενεῖς, quos cum Floro * ad verbum dicas *terrigenas*. Siquis igitur dubitaſſet de natalibus Sparti, ſive terrigenæ; quamdiu durabat ejuſmodi generatio, fidem facere potuit ſignum lanceæ in corpore. Simile fuerit, ſiquis natus ſit cum ſigno ſtellæ: ex quo agnitionem fecerat Carcinus in Thyeſte ſuo, teſte Ariſtotele. Erat & ſignum σύμφυτον † poſteris Seleuci: quia, ut eſt apud Juſtinum lib. xv, *filii, nepoteſque ejus, anchoram in femore, veluti notam generis naturalem, habuere.* Unde Auſonius in claris urbibus, ubi de Antiochia:

‡ Adnatum.

* Lib. 1. cap. 17.

† Congenitum, ſive natura inſitum.

—— *Ingenuum cujus fuit anchora ſignum.*

Ubi *ingenuum* eſt σύμφυτον ‡, & ingenitum. Nam ut à fari *fatum*, ab irrigare *irriguus*, à divido *dividuus*; ita ab ingeno ‡ *ingenuus*.

‡ Adnatum. ‡ Pro ingigno.

26. §. Ἐπίκτητα * *ſigna ſunt duplicia: alia quidem corpori inſunt, alia verò ſunt extra corpus.*

* Adventitia.

Prioris generis eſt cicatrix, ex qua in Odyſſea Ulyſſes à nutrice Euryclea agnoſcitur, dum juſſu Penelopes pedes Ulyſſis lavat. Hæc ἀναγνώρισις † eſt artificioſa, quia habet περιπέτειαν ‡. Altera quoque in ea ἀναγνώρισις eſt, cum Ulyſſes ipſe cicatricem oſtendit Eumæo, aliiſque ſubulcis, ut ab iis agnoſcatur. Hoc fiebat ab eo πίστεως ἕνεκα *. Itaque ea minus artifici habet. Minùs enim movet, quia non habet peripetiam. Alterius generis noſcitatio fit ex crepundiis, monili, ciſtellâ; ex qua agnitio in Plauti Ciſtellaria.

† Agnitio. ‡ Fortunæ converſionem. * Ut fidem faceret.

27. §. Al-

27. §. *Alter modus ſignorum eſt eorum, quæ à poëta non in re inveniuntur; ſed finguntur ex veriſimili.*

Ut in Iphigenia Euripidis: ubi Oreſtes Iphigeniam agnoſcit ex epiſtola; Iphigenia Oreſtem ἐκ τῶν ὑφασμάτων, ſive ex veſte texta. Prior illa fortuita eſt, ac περιπέτειαν * habet: & quodammodo ſexti generis eſt, de quo poſtea dicemus; altera eſt ἄτεχνος †, quia fit πίστεως ἕνεκα ‡. Eſtque planè hujus loci. Huic ſimilis illa apud Sophoclem in Electra; ubi Oreſtes, ut ſorori fidem faciat, quis eſſet, ei oſtendit σφραγῖδα *.

* *Immutationem fortunæ.* † *Inartificialis.* ‡ *Fidei faciendæ ergo.* * *Sigillum.*

28. §. *Tertius modus eſt, cùm eo, quod videmus, vel audimus, aliquid in memoriam revocatur.*

Prioris generis eſt, cùm apud Maronem, in primo magni operis, Æneas ex pictura eorum, quæ ad Trojam geſta, recordatur omnium, quibus interfuerat; beneque de miſera ſua fortuna ſperare incipit. Alterius generis eſt, ſi alicujus memoria ſubeat ex eo, quia ejus mentio ab aliquo fiat.

29. §. *Quartus modus eſt ex ratiocinatione; ut cùm quis ex morum, aut ſtaturæ, aut alius rei ſimilitudine, cognoſcitur.*

Ut in Choëphoris Æſchyli ex capillis Oreſtes, quos Electra, cùm libare vellet, ad Agamemnonis ſepulcrum invênit. Nam ita ſecum colligebat. Talis advênit: at præter Oreſtem ejuſmodi erat nemo: ergo Oreſtes advênit.

30. §. *Quinctus modus eſt, ex paralogiſmo theatri: ubi ſpecies ſyllogiſmi eſt, non verus ſyllogiſmus. Ut cùm agnitio petitur ex eo, quod agnitioni repugnat.*

Sic in tragœdia, cui nomen Ὀδυσσεὺς ψευδάγγελος †, quidam ſe arcum quendam cogniturum ajebat, etſi eum non vidiſſet antea. At hæc pugnantia ſunt.

† *Ulyſſes falſo nuncians.*

31. §. *Sextus modus eſt, cùm actioni quiddam ineſt, unde agnitio oritur.*

Ut in Sophoclis Oedipo de tyranno. Nuncius enim, qui Corintho advenerat, ut Oedipo regnum Corinthiorum offerret, ubi videt, eum teneri metu inceſtandæ matris, narrat, quomodo ea, quam putaret, non eſſet vera mater; ſed alia ignota. Quippe infantulum fuiſſe in ſylva expoſitum; inde Corinthum ad Polybum regem eſſe perlatum; atque ita ab eo educatum. His verò auditis, cognoſcit Oedipus, ſe eſſe Laji filium, & jam uxorem habere matrem ſuam, atque ex ea liberos genuiſſe. Hic non extrinſecus; ſed ex rebus, ipſaque fabulæ actione, agnitio fit. Etiam hujus quodammodo generis eſt, cùm in Euripidis Iphigenia, hæc literas ſcribit ad Oreſtem fratrem; quas oblatâ jam occaſione eſſet miſſura. Nam epiſtolæ ſcriptio extra quidem fabulam eſt: ſed ita aptè cum fabula connectitur, ut ex actione fabulæ duci videatur.

32. §. *In ſolutione eâ, quæ per agnitionem fit, variare poëtis licet.*

Itaque in Iphigenia Euripides quidem ex epiſtola ait agnitionem contigiſſe: Polyides ‡ autem Sophiſta ex ratiocinatione, cùm ad aram mactandus diceret, ſimile ſe fatum manere, ac ſororem, quæ & ipſa immolata eſſet. His enim illa auditis, agnovit fratrem. Quemadmodum & in altero poëtæ hi variant; ille priorem ab ſorore Oreſtem noſcitatum ait: hic fratrem priùs ab Iphigenia agnitum dicit.

‡ *Ariſt. de R. P. cap. 16.*

33. §. *Universè de fictione vidimus. Illud particulatim de ſacro addam argumento; in hoc eſſe dicenda, quæ ſacra dicit Scriptura: quæ repugnant, non dicenda: quæ nec dicit, nec negat Scriptura, ſobriè dicenda; nempe ſolùm promenda, quæ ſunt veriſimilia.*

Memini de iſtoc ſermonem mihi fuiſſe cùm eximio inter eos, qui poëſi Belgicâ pulcrum ſunt nomen conſecuti, Juſto Vondelio. Ac fortaſſe non memorâſſem, niſi memoraſſet ipſe præfatione eâ, quam præclaræ præmiſit tragœdiæ ſuæ de Fratribus, è Rege Saule natis. Atque eò juſtiùs id facio, quia nomini eam noſtro inſcripſit, &, ut ὑπερβολικώτερον * vulgò nunc loqui amant, dicavit, ſacravitque.

* *Non ſine veritatis exceſſu.*

CAP. V.

DE MORIBUS.

1. §. *Hactenus de fabula, ſive actione. Proxima eſt cura morum, & ſententiæ.*

Nam conſtat, ut Ariſtoteles ait, αἴτια δύο τῶν πράξεων εἶναι, διάνοιαν, καὶ ἦθος· *duas eſſe actionum cauſſas, ſententiam, & mores.* Quare & mores, & ſententiam, propter actiones, exprimere debet poëta.

2. §. *Morata autem oratio eſt, quando actio, aut ſermo, indicaverit animi mores.*

Nam mores ſunt abditi, & occulti: neque enim cadunt ſub ſenſus: ſed index morum partim ſermo eſt, partim actio. Tum enim de moribus judicium ferre poſſumus, cùm aliquem audierimus loquentem, aut viderimus agentem: quibus duobus exprimitur προαίρεσις, ſive voluntas. Ariſtoteles pro exemplo adfert, ſi dicas, *Ille ambulans vociferatur.* Quippe id audacis eſt hominis, atque agreſtis. Sic, ſi unum expalluiſſe referas, alterum rubore ſuffuſum. Itaque Ariſtoteli, libro de poëtica †, ἤθη ſunt καθ' ἃ ποιούς τινας εἶναί φαμεν τοὺς πράττοντας· *ſecundùm quæ agentes dicimus eſſe tales, vel tales.* Ac pleniùs poſtea ‡: Ἔστι δὲ ἦθος τὸ τοιοῦτον, ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν, ὁποία τίς ἐστιν, ἐν οἷς οὐκ ἔστι δῆλον, ἢ προαιρεῖται ἢ φεύγει ὁ λέγων. *Mos verò talis eſt, qui oſtendit, cujuſmodi ſit voluntas iis in rebus, ubi non ſatis eſt manifeſtum, utrùm dicens ſectetur aliquid, an fugiat.* Non omnes verò poëtæ uſi moratâ oratione; ut Ariſtoteles * ait; qui comparatum eſſe dicit cum poëtis, uti cum pictoribus; ex quibus Xeuxis non exprimebat mores: Polygnotus autem erat ἀγαθὸς ἠθογράφος, hoc eſt, bonorum mores repræſentabat. Ac idem ait alibi †, Polygnotum meliores ſolitum exprimere, Pauſonem deteriores, Dionyſium autem ſimiles. Unde idem in octavo Politicorum ‡ jubet, ut adoleſcentes intueantur imagines non Pauſonis, ſed Polygnoti; ut quæ eos ad virtutem incitent. Atque hæc magis ex ſequentibus elucent.

† *Cap. 6.* ‡ *Eodem cap.* * *Eodem cap.* † *Lib. de re Poëtic. cap. 2.* ‡ *Cap. 5.*

3. §. *Primùm requiritur, ut boni ſint.*

Sive, ut Ariſtoteles inquit, ὅπως τὰ ἤθη χρηστὰ ᾖ. Cauſſa in promptu eſt. Nam ſi pictor, cùm pulcra offertur facies, malit eam repræſentare, quàm turpem: ſanè & poëta potiùs bonos exprimet mores, quàm malos. Præſertim cùm poëtæ ſint morum doctores. Nec enim moribus malis imbuere civitatem oportet: quod fiat, ſiquis ſtudeat malos potiùs mores referre, quàm bonos. Deliquit in eo, judicio Ariſtotelis, Euripides in Oreſte, cùm Menelaus, Tyndarei metu, opem ſuam negat Oreſti; quam ei debebat; partim quia patruus eſſet; partim quia cauſſa Oreſtis eſſet non mala. Digna enim ejuſmodi ſupplicio erat Clytæmneſtra. Pejorem igitur Menelaum introduxit,

quàm neceſſe erat. Sed excuſare eo Euripidem poſſumus, quòd Menelaum voluerit exemplum eſſe ſingularis probitatis. Magnum enim integritatis eſt argumentum, ita abhorrere a parricidio, ut & fratris filium, eo crimine ſe inquinantem, objurgaret. Et ſanè fatentur poëtæ, Deos hoc judicium ejus approbâſſe; ut qui furias propterea immiſerint Oreſti; unde Maro quarto Æneid.

Aut Agamemnonius furiis agitatus Oreſtes.

Et unde mœror, quo lancinatus, niſi ex parricidio? Unde Ovidius* de eo, & Phocenſi Pylade:

Ut foret exemplum veri Phocenſis amoris,
Fecerunt furiæ, triſtis Oreſta, tuæ,

* Lib. 1. Triſt. eleg. 4.

Ubi *triſtis* non ſumitur pro *furioſo*: id enim ea vox nunquam notat: ſed mœſto ob matrem à ſe interfectam. Qui mœror tandem in furorem abiit, partim naturâ, ob magnitudinem ſui; partim Numinis vindictâ.

4. §. *Nec propterea putandum, non etiam malorum mores exprimi debere: (ſi enim impios aliter, quàm impiè loquentes, inducamus, non ſervabimus τὸ πρέπον †) ſed opera danda eſt, ut major ſit bonorum numerus.*

† Decorum.

In quo parùm cautus Euripides in Oreſte; ubi bonus nemo præter Pyladem.

5. §. *Præterea addendum, quas pœnas mali tandem ſubeant.*

Ut Clytæmneſtra apud Euripidem. Hoc niſi fiat, difficulter occurrimus judicio Platonis, qui theatralem poëſin è ſua ejicit Rep. Movebat philoſophum, quòd tam in malis, quàm bonis moribus, ars delectet: quomodo in artificioſa picturâ tam afficit Therſites, quàm Nireus. Metuebat igitur Plato periculum, ne infirmiores vitia pro virtutibus amarent, ſi rectè repræſentarentur. Quippe infirmi, atque improvidi, facilè eò impelluntur, quo propendent. Sed huic argumento obviam imus; tum eo, quòd in tragœdia, plures multò bonos exigamus, quàm malos: tum quòd malorum etiam exitus addantur. Unde Euripides, à populo reprehenſus, quòd ſermones adeò improbos induxiſſet in ſcenam, exſpectare juſſit, uſque dum videretur, qualis eum exitus maneret, quem ſic loquentem feciſſet. Erat is Bellerophontes: cujus ſermo iſtiuſmodi fuerat; ut quidem, ex Euripide‡, Latinè ſonat apud Senecam ad Lucilium epiſtolâ cxv:

‡ Apud Athenæum lib. 4. & Stobæum ſermone 89.

Sine me vocari peſſimum, ut dives vocer.
An dives, omnes quærimus; nemo, an bonus.
Non quare, & unde; quid habeas, tantùm rogant.
Ubique tanti quiſque, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe ſit, quæris? nihil.
Aut dives opto vivere, aut pauper mori.
Bene moritur, qui, dum moritur, lucrum facit.
Pecunia ingens generis humani bonum.
Cui non voluptas matris, aut blanda poteſt
Par eſſe prolis; non ſacer meritis parens.
Tam dulce ſiquid Veneris in vultu micat,
Meritò illa amores cælitum, atque hominum, movet.

Atque in Sacris etiam Literis, quàm multa recenſentur pravorum hominum exempla! Sed fere etiam additur, quæ pœna ſit ſubſecuta.

6. §. *Altera virtus eſt, ut mores ſint convenientes.*

Ariſtoteles * vocat τὰ ἤθη ἁρμόττοντα. Nempe requirit philoſophus, ut eam cuique virtutem tribuamus, quæ illi conveniat. Juxta illud Horatii ad Piſones:

* De re Poët. cap. 6.

Reddere perſonæ ſcit convenientia cuique.

Non igitur feminæ tribuemus fortitudinem, quæ conveniat Achilli; non prudentiam Neſtoris. Habenda enim ratio ſexûs, ætatis, dignitatis. Hac de re abunde Ariſtoteles †, & nos in Inſtitutionibus Oratoriis ‡. Peccat in iſto, Ariſtotelis judicio, Euripides, cùm Ulyſſem in Scylla ejulantem facit. Ejulare enim viros ſapientes, ac cordatos, non decet. Siquidem hoc non eſt ſervare in affectibus, quam Græci dicunt μετριότητα *. Qua de ſcitè Taurus, ſive is, quem laudat Plutarchus, apud Agellium lib. 1. Atticarum Noctium cap. ult. Etiam culpat Theo Sophiſta † in eodem poëta, ὅτι παρὰ καιρὸν αὐτῷ Ἑκάβη φιλοσοφεῖ, *quòd intempeſtivè apud eum Hecuba philoſophetur.* Ariſtoteles quoque ei vitio vertit, quòd Menalippen ex Anaxagoræ ſententia philoſophantem inducit. Sed de hac quid mirum, ſi uſque adeò ſaperet, quæ Deo uſa erat magiſtro? Sic enim de ea Dionyſius Halicarnaſſenſis in Rhetoricis, ubi περὶ ἐσχηματισμένων diſputat: ἡ δὲ Μεναλίππη ἐπαιδεύθη μὲν ὑπὸ τοῦ Ποσειδῶνος. *Menalippe autem à Neptuno fuit erudita.* Cur minùs ſaperet, quæ Neptuno uſa magiſtro, quàm Caſſandra, aut Carmenta? aut Theano, aliæque Pythagoricæ? aut Cornelia Gracchorum, vel aliæ Romanæ? In moribus ſumma eſt virtus Terentii: unde Varro in Parmenone ‡: *In argumentis Cæcilius palmam poſcit; in ethesin Terentius; in ſermonibus Plautus.* Quo de loco abunde diximus in Oratoriis*.

† Lib. 2. Rhetor. cap. 12 & ſeqq.
‡ Lib. 2. cap. 14.
* Mediocritatem.
† Progymnaſmatum cap. 1.
‡ Apud Nonium Marcellum in Poſcere.
* Lib. 4. Oratoriarum Inſtitutionum cap. 1. ſect. 9.

7. §. *Quod ſi hominis improbi mores debeant repræſentari; non tamen eos deteriores faciemus, quàm neceſſe ſit.*

Videri poſſit Euripides in eo aberrâſſe, cùm in Phœniſſis inducit Eteoclem, quaſi omne jus aſpernaretur: quippe qui, cùm major natu foret, nunquam ſe adverſus fratrem ætatis privilegio tueatur; ſed eo, quòd excellenti ardore flagret generoſus animus. Verùm admodum placent, quæ pro Euripide adfert ὁ πάνυ † Grotius in Prolegomenis ejus tragœdiæ, elegantiſſimis numeris à ſe redditæ. Quippe arbitratur, eò de hoc ſilentium eſſe, quia illis temporibus regna, aut communia erant, aut dividua. Unde etiam eſt, quòd Thebis ſimul regnarunt Zethus, & Amphion; Mycenis Atreus, & Thyeſtes; poſteaque Mycenis Caſtor, & Pollux.

† Illuſtris ille.

8. §. *Tertium eſt, ut mores ſint ſimiles.*

Ariſtot. τρίτον δὲ τὸ ὅμοιον ‡. Hujus exemplum Ariſtoteles nullum adfert. Sed ſatis liquet, hoc eum velle, ut mores exprimantur juxta opinionem, quæ de perſonis obtinet. Ita Ajacem inducemus fortem, ſed iracundum: Ulyſſem timidum, ſed vafrum. In quo Æſchylus deliquit; qui Ulyſſem induxit ſeveriorem, & ſimpliciorem, quàm indoles viri erat: ut cognoſcimus ex Dionis Chryſoſtomi orat. LII, quæ eſt de Philoctetæ arcu. Hinc Horatius in Arte:

‡ Tertium eſt ſimilitudo.

Scriptor, honoratum ſi fortè reponis Achillem;
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget ſibi nata; nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, invictaque flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, triſtis Oreſtes.

Ubi *triſtis* quomodo accipiatur, cognoſcere eſt ex iis, quæ dicebamus §. 3.

9. §. *Quartum eſt morum æquabilitas.*

Quod Ariſtoteli τὸ ὁμαλόν *. Tales enim effingendi mores, ut non diſcrepet aliquis à ſeipſo: ut ſiquis priùs Ajacem ſuis deſcribat moribus, poſteaque illi tribuat mores Ulyſſis; vel contra. Hinc Horatius, cùm dixiſſet,

* Par et æquale.

Aut famam ſequere,

quod pertinet ad τὸ ὅμοιον †: ſubjicit, quod hujus eſt loci,

† Similes mores.

—— aut ſibi convenientia finge.

Idem monet his verbis:

Siquid inexpertum ſcenæ committis, & audes
Perſonam formare novam: ſervetur ad imum,
Qualis ab incepto proceſſerit, & ſibi conſtet.

Etiam

Etiam hoc, & ſuperius vitium, complectitur Proclus in Quæſtionibus poëticis, cùm ait, bifariam aliquid ἀνόμοιον * eſſe; prius quidem, ut ſi pictor Achillem exprimat, velut Therſiten: alterum, ut ſi fingat aliquando eum οὐ φυλάττοντα ζωὴν ἀνδρικήν †. Nam hujus retinentiſſimus Achilles fuit. Ait Ariſtoteles, hac parte peccare Euripidem in Iphigenia. Sanè hanc priùs inducit patri ſupplicantem, ne mactetur Dianæ: mox alacrem, ac paratam ad moriendum pro ſalute Græcorum. Sed ſiqua hæc inconſtantia eſt, ea non malè convenit mulieri, ac puellæ. Notum poëtæ ‡ illud:

* Diſſimile.
† Non ſervantem vitæ genus virile.
‡ 4. Æn.

——Varium & mutabile ſemper

Femina. Deinde, quid mirum, ſi puella primò mortem exhorreſcit; mox, ut intellexit ſic patrem velle, ac ſalutem id patriæ expoſcere, ſibique perpetuò fore glorioſum; mutare ſententiam; animoque obfirmato ſeſe mactandam offerre. Quod ſi Arria, Porcia, atque aliæ, tam forti animo mortem tulere; cur id miremur in regum regis filiâ? Quare hactenus tantùm verum eſt, mores debere æquabiles effingi, ſi nulla ſit ratio, cur mores quis mutaret.

10. §. *Si verò juſta fuerit mutationis cauſſa, mutatio morum locum habebit. Nam æqualiter deſcribit aliquem, qui ut inæqualem deſcribit.*

Ut ſi alius ſit Ajax inſanus; alius jam menti reſtitutus Sic apud Euripidem in Phœniſſis, Creon modeſtus primò, ſed ante regnum: at ferox poſt regnum adeptum; ut novi reges ſolent. Similiter facit Terentius in Adelphis: ubi Demea ex duro fit lenis; ex avaro prodigus. Ac Mitio etiam non parùm remittit de ſua lenitate. Demea verò, cur mores mutet, fusè ipſe exponit.

11. §. *Virtutem verò aliquam exprimere qui volet, primum perſonam conſtituet, quæ à virtute eâ poſſit commendari.*

Nam in ſervo, non eſſe furacem, eſt probitatis: in ſenatore, vel viro nobili, eo vitio carere, non meretur laudem. In muliere taciturnitas commendatur. In viro eâ carere turpiſſimum ſit. Nec in rege laudi dabitur, quod bellè canat: imò Neroni id vitio verſum fuit.

12. §. *Præterea virtutem non conſiderabit, ut huic vel illi ineſt homini; ſed attendet ad ipſam virtutis formam, prout animo ejus comprehenditur, qui rem conſiderat, ut perfectam & abſolutam.*

Nempe ut pictores excellentes imitantur excellentius, quàm quid eſt: quomodo etiam Plato Remp. deſcribit, non cujuſmodi eſt, ſed qualem eſſe oporteat: ac Xenophon Cyrum deſcribit, non ut fuit, ſed ſecundùm optimam Regis formam: ſic & poëta deſcribit Achillem, quia in eo fortis viri exemplum voluit ob oculos ponere. Hoc eſt, quod vulgò dicunt, virtutem in abſtracto eſſe conſiderandam, non in concreto. Nempe, ut optimè ait Cicero in Orat. *Has rerum formas appellat ideas ille, non intelligendi ſolùm, ſed etiam dicendi graviſſimus auctor & magiſter, Plato, eaſque gigni negat: & ait ſemper eſſe, ac ratione & intelligentiâ contineri: cætera naſci, occidere, fluere, labi; nec diutiùs eſſe uno & eodem ſtatu. Quicquid eſt igitur, de quo ratione, & viâ, diſputetur; id ad ultimam ſui generis formam, ſpeciemque redigendum.*

Cap. VI.

De Sententia.

1. §. *Tertium eſt Διάνοια, ſive ſententia, quâ homines aliquid eſſe, vel non eſſe, vel ſimpliciter aliquid, declarant.*

Ita Ariſtoteles *. Διάνοια † primò quidem eſt in mente; ubi ſic vocatur animi facultas, quâ verum, ac falſum, ſecernimus: ſed ex conſequenti etiam ineſt orationi, quâ animi ſenſa proferimus. Atque ita hìc ſumitur. Quàm verò Ariſtoteles διάνοιαν appellat, eam Hermogenes libro περὶ ἰδεῶν ‡ vocat γνώμην: & quam ille λέξιν ‖, hic nominat ἀπαγγελίαν. Ac ſimiliter Ariſtides libro περὶ λόγου πολιτικοῦ *, his verbis: Γνώμην λέγω τὸν νοῦν, καὶ τὰ ἐπινοήματα, ἐν οἷς θεωρεῖται τὰ πράγματα ἀπαγγέλλει δ' αὐτὰ ἡ λέξις. δι' αὐτῆς γὰρ ἀπαγγέλλεται τὰ ἐπινοήματα. *Sententiam voco mentem, & ejus conceptus, in quibus res reperiuntur: elocutionem autem dico ipſam dictionem: per hanc enim eloquimur animi conceptus.*

* De re Poët. cap. 6.
† Sententia.
‡ De dicendi formis.
‖ Dictionem.
* De oratione civili.

2. §. *Sententiæ uſus in his quinque conſiſtit; in probando, refellendo, commovendo, amplificando, imminuendo.*

Incerta probamus, adverſa refellimus, affectus commovemus, exigua amplificamus, grandia imminuimus. Quas quinque διανοίας * partes etiam Ariſtoteles aſſignat.

* Sententiæ.

3. §. *Ducenda hæc ſunt ex vi, & natura, earum rerum, quarum ſuſcepta eſt imitatio. Eoque videndum, tum quæ rebus inſint; tum, quæ iis conveniant.*

Τὰ ἐνόντα, καὶ τὰ ἁρμόττοντα, vocat Ariſtoteles. Quæ ut pondere ſuo impleantur, ſingulæ aliquid conferunt diſciplinæ: quales de religione, de natura, de locorum ſitu, de temporum ratione, maximeque philoſophia civilis. Formam verò dicendi præſtant σχήματα διανοίας †. Hæc enim ad διάνοιαν ‡ referuntur; uti illa λέξεως ‖ ad dictionem; de qua poſtea dicetur. Sed inprimis illis διανοίας figuris utimur, ſi res per ſe ſit exilis, aut parùm luctuoſa, vel jucunda. At non æquè requiruntur, ſi res per ſe ſit miſerabilis, vel ſatis gravis; ut de Deo, cœlo, religione, templis.

† Figuræ ſententiæ.
‡ Sententiam.
‖ Verborum.

4. §. *Ad ſenſus etiam pertinent ſententioſè, & acutè dicta. Priora vocant γνώμας *: quæ magnam habent vim ad reddendam orationem ἠθικὴν †, & παθητικήν. ‡ Sunt enim quaſi oracula humana: tantoque plus poſſunt, quantò is, quem ea dicentem inducimus, majoris eſt auctoritatis.*

* Sententias.
† Moratam.
‡ Animos concitantem.

Ut ſi de regno rex loquatur; de Republica, diu in ea verſatus: vel ſi de vita humana dicat ſenex potiùs, quàm adoleſcens, aut mulier.

5. §. *Cùm nunquam γνῶμαι ſint condenſandæ: tum imprimis id fieri non debet in magnis affectibus: ut quorum vim elidant. Nam γνῶμαι ſunt opus ratiocinantis; quia ex generali dicto aliquid colligitur particulare. Rationi verò, & affectui, non bene inter ſe convenit.*

Hac in parte peccat interdum Euripides: quem dum ſententiarum copiâ vincere conatur Seneca, magis etiam delinquit. Imò ne quidem immunis ab omni culpâ videtur initio Troadum. Etſi enim illuſtre ſit, ac penè divinum; tanto tamen Hecubæ luctui vix videtur convenire.

6. §. *Neque acumina, & ſententiarum argutiolas, conſectari poëtam convenit: quod vitioſi eſt declamatoris. Antiqui parcè ea adhibebant, nec niſi ſponte oblata; & ferè in fine. Poſteriores, ea inferciendo paſſim, præclaros etiam ſenſus enervant, ac frangunt.*

Quo de vitio jam ſuo ſeculo queſtus eſt Petronius Arbiter,

ter, initio Satirici. Exemplum capere eſt ex Senecæ, vel alterius potiùs, Hercule Oetæo. Quare, quod de ſententiis ad Nicobulum Nazianzenus præcipit, ut neque ubique, neque nuſquam, uſurpemus; id facere etiam in acuminibus oportet. Sanè utcumque negari non poſſit, multa præclare dici ab illis, qui ſic ſententias, & acumina, amant: tamen negari nequit, hoc ſcribendi genus demum receptum eſſe, poſtquam corrumpi cœpit ſermo Romanus.

Cap. VII.

De Ordine.

1. §. *Cum poëtæ opera conſiſtat in inveniendo, collocando, ornando; deque primo generatim dictum ſit: proximum eſt, ut de ordine videamus.*

Ut enim apes non ſolùm à labore laudantur in colligendo rore; ſed etiam dulcedine mellis, & quòd tam bono ordine in alveariibus ſuis omnia collocent: ita poëtæ etiam, quos apibus Lucretius *, & Horatius †, comparant, tum labore commendantur, quem rebus fingendis impendunt; tum ſuavitate elocutionis, tum ordine optimo, quo ſingula diſponunt. Quod ipſum & Muretus ‡ obſervavit ex Euſtathio ‖; qui apem dicit, ut verba ipſa apponam, ζῶον εἶναι συγγενὲς τῇ ποιήσει, διά τε τὸν μόχθον τὸν ἐπὶ τῇ ἐργασίᾳ, καὶ διὰ τὴν τοῦ ἔργου γλυκύτητα, καὶ τὸ τοῦ κηρίου εὐσύνθετον· ὧν πάντων μετέχει καὶ ἡ ποίησις, πόνῳ τε προϊοῦσα· οὐδὲν γὰρ τῶν καλῶν πόνου χωρίς· ἔχουσα δὲ, καὶ γλυκύτητα οὐκ ὀλίγην, ἐπαγλαϊζομένη δὲ καὶ τῇ τοῦ μέτρου εὐσυνθεσίᾳ. *animal eſſe poëſi cognatum, idque ob fatigationem in operando, & operis dulcedinem, ac ob favos bene constructos. Quorum omnium eſt particeps poëſis: quippe cum labore procedens; nihil enim pulchri eſt abſque labore; ac ſuavitatem habens non exiguam; & metri aptâ compoſitione reſplendens.* De ordine hoc, qui in fabulis obſervandus, ſcitè etiam Averroes in paraphraſi ſuâ: *Medium eſt, quod componitur ex extremis, & ex quo non componuntur extrema: ex quo colligi poteſt, neceſſariò talem eſſe faciendum ordinem, qualem diximus. nam ſi principium componeretur ex medio, liceret principio anteponere medium.* Quare ubi univerſum fabulæ argumentum excogitavimus; diſpicere oportebit, unde oporteat ordiri; ubi epiſodia debeant interſeri; in quo potiſſimùm ſit deſinendum. Quemadmodum enim in catena annuli; ita neceſſe eſt, ut in fabula partes omnes cohæreant, ac poſtrema mediis, media primis optimè conveniant, ac connectantur; aliaque ex aliis, vel neceſſariò, vel veriſimiliter fluant, ac conſequantur. Græci id τάξιν καὶ συμμετρίαν *, vocant. Hinc liquet, cur Ariſtoteles non contentus dicere, pulchritudinem in magnitudine conſiſtere, addat & ordinem. Sic enim ait; τὸ γὰρ καλὸν ἐν μεγέθει, καὶ τάξει ἐστί. *Nam ex magnitudine, & ordine, oritur pulchrum.* Sanè non corporis modò parvitas culpatur; ſed & ἀσυμμετρία †, quæ τάξει ‡ adverſatur.

* Lib. 3.
† Lib. 4. od. 2.
‡ Lib. 8. Var. lect. cap. 1.
‖ In Iliad. B. pag. 179. edit. Rom.
* Ordinem, & aptam membrorum compoſitionem.
† Neglectus apte membrorum compoſitionis.
‡ Ordini.

2. §. *Ordo rerum in fabula eſt μεταίτιος, ſive certus, ac connexus. Nam etſi videantur multa eſſe actiones; tamen una eſt actio, quia unum ex altero pendet, ut uni cætera ſubſerviant. Hoc in hiſtoria non fit: nec enim actiones hic ſemper unum reſpiciunt finem, vel unum eſt alterius cauſſa; ſed ſæpiſſime ſunt res diſſimiles, ac ſeparatæ; nec naturâ ſuâ ullo modo cohærentes. Eoque hic ordo eſt disjunctus, ac fortuitus.*

E. G. Alexander M. naſcitur, & Dianæ Epheſiæ templum incenditur ab Heroſtrato. Hæc eodem tempore fiunt: nec tamen hic naturalis eſt connexio. Etiam eodem tempore Athenienſes pugnant juxta Salamina, & Carthaginenſes in Sicilia. Nullus item hic ordo naturalis. Connectet tamen hiſtoricus, quia non ſunt temporibus diviſa. Sic Cicero in Cilicia pugnat contra Parthos: poſtea Romam redit: favet Pompejo adverſus Cæſarem. Nec inter hæc eſt ſeries naturalis; quia unum non pendet ab altero. Nihilo magis cohærent iſta, Cæſar dimicat in Gallia; Cæſar pugnat contra Pompejum. Quæ tamen connectet hiſtoricus; quia temporis ſeriem ſervat, utcunque nulla ſit connexio cauſſarum. At poëta epicus non jungit, niſi quæ eundem finem ſpectant, eoque ſitum habent partium naturâ ſuâ cohærentem. Ut illa ſunt: Cicero vincit Parthos: Cicero petit triumphum. Item, Cæſar vincit Pompejum: Cæſar ſolus dominatur. Cujuſmodi iccirco non hiſtoricus ſolùm jungit; ſed etiam poëta. Aliud igitur eſt vitas ſcribere; aliud ejuſmodi condere poëma, quale Ariſtoteles intellexit; & quod, omnium ſapientum judicio, *poematis* inprimis nomen meretur. Siquis enim vitam unius univerſam poëmate complecti velit, is actiones conjunget haut cohærentes, cùm non referantur omnes ad unam actionem principem. Ac propterea eos reprehendit Ariſtoteles, qui Theſeida ſcripſerant, aut Heracleida; cùm variæ ſint, neque cohærentes Theſei, aut Herculis res geſtæ. Non enim unam poëtæ illi ſpectabant actionem primariam, ac reliqua admiſcebant tanquam epiſodia: verùm actiones ſingulas narrabant, velut primarias; quia ſibi propoſuerant vitam, non actionem unam deſcribendam. Idem in vitium Ariſtoteles * ait incidiſſe τὸν † τὰ Κύπρια, hoc eſt, τὴν Κυπρίαν Ἰλιάδα, ποιήσαντα ‡, qui eſt Staſinus, cujus opus ſic incipiebat:

Ἴλιον ἀείδω, καὶ Δαρδανίην εὔπωλον.

Utcunque ſic expreſſeris:

Ilios eſt cantanda, & equis gens Dardana fortis.

Item auctorem μικρᾶς Ἰλιάδος *, qui erat Leſches Lesbius, unus ex epici cycli poëtis. Qui nocte intempeſtâ, plenoque Lunæ orbe, captam Trojam inter alia cecinit. Verſus, quem hac de re Lycophronis interpres, & Clemens, atque Euſebius, adducunt, iſtiuſmodi eſt:

Νὺξ μὲν ἔην μεσάτη, λαμπρὰ δ᾽ ἐπέτελλε σελήνη.

Nox erat intempeſta, nitebat & aurea Phœbe.

* Lib. de re Poët. cap. 23.
† Qui Cypria.
‡ Qui Cypriam Iliade fecit.
* Parva Iliadis.

Porrò & in Staſini, & Leſchis Iliade, variæ erant actiones; eoque complures ex eâ fieri poterant tragœdiæ. At ex Iliade μεγάλῃ † (quomodo Homeri hanc Herodotus in vita ejus, nec non Athenæus, vocant) una tantùm contexi poſſit, ſi actionem ſpectes primariam. Nam epiſodia ſunt præter rem; eoque licet multæ ex illis poſſint fabulæ confici, nullam tamen earum nunc rationem habemus. Neque Latini ab hoc vitio fuere immunes. Quidam eo peccaſſe cenſent Codrum, auctorem Theſeidos; quem, ut inſcriptione convenit, ita & argumento conveniſſe putant cum illo Theſeidos auctore, qui ab Ariſtotele ‡ reprehenditur: ac à Juvenale ‖ *Codrum* vocari eò, quòd opus congerendis Theſei actionibus cunctis immane quantum excreviſſet. Sed potuit ille ab una Theſei actione *Theſeida* vocare; ut Maro Æneidi ab una Æneæ actione nomen fecit. Nec epici carminis: ſed tragœdiæ fuiſſe id nomen, legere eſt in veteribus ejus poëtæ Gloſſis. Sed illum mitto. Statium verò Papinium in eo ignorantiâ lapſum eſſe, vel illo cognoſcimus, quia laudi ſibi ducat, quòd non, ut Homerus, unam inprimis actionem tractet; ſed univerſam perſequatur vitam. Nam hunc in modum orditur Achilleida:

Magnanimum Æaciden, formidatamque Tonanti
Progeniem, & patrio vetitam ſuccedere cœlo,
Diva, refer. Quamquam acta viri multùm inclyta cantu
Mæonio: ſed plura vacant. Nos ire per omnes
(Sic amor eſt) heroa velis, Scyroque latentem
Dulichiâ proferre tubâ; nec in Hectore tracto
Siſtere, ſed totâ juvenem deducere Trojâ.

Eodem antè, ut videtur, vitio peccârat Macer is; qui de herbis quoque, ac ſerpentibus, egerat. Nam & ille vide-

† Magna.
‡ De A. P. cap. 8. ſive alias, 9.
‖ Sat. 1.

videtur bellum Trojanum veriùs ſcripſiſſe, quàm Iliadem. De eo eſt Ovidii illud II. Amorum:

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem,
Primaque juratis induis arma viris.

Et ſecundo de Ponto, ad eundem:

Tu canis æterno quicquid reſtabat Homero;
Ne careant ſummâ Troica bella manu.

Sed quia ſcriptor is non exſtat, hoc tantùm pro conjectura haberi volumus. At res apertior de Valerio Flacco in Argonauticis: qui hac parte non optimum ducem Apollonium ſequebatur. Itidem peccatum à Lucano in bello civili, Silioque in Punico. Minùs tamen delinquit Lucanus, quàm Silius. Lucanus enim, etſi & ipſe hiſtoricum magis, quàm poëtam, agit: in eo tamen poëtam imitatur, quòd omnia ad unam referat actionem; unde & poëma ſuum de bello civili *Pharſaliam* appellavit. Scio, Lucanum reprehendi à Cæſare Scaligero*, quaſi peſſimo conſilio ſic inſcripſerit: ſed niſi me ratio fugit, recta eſt inſcriptio; quia multa quidem bella perſequitur & ante, & poſt Pompeji necem; ut Corfinienſe, Brunduſinum, Maſſilienſe, Dyrrhachinum, Hiſpanicum, Africanum, Alexandrinum: verùm bella hæc ad Pharſalicum à poëta referuntur.

* *Lib. 6. de re Poëtica cap. 6.*

3. §. *Illos tamen poëtas eximi oportet, qui non de uno homine, aut bello, agunt: ſed vel genealogiam texunt; vel omnium temporum geſta, aut fabulas, connectunt.*

De genealogiis quod dixi, præſtat Heſiodus in Theogonia. Alterum fecit Piſander ille, ex quo, ut Macrobius † ait, Maro *everſionem Trojæ cum Sinone ſuo, & equo ligneo, cæteriſque omnibus, quæ librum ſecundum faciunt, pene ad verbum tranſcripſit.* Subjungit deinde de Piſandro hoc: *Qui inter Græcos poëtas eminet opere, quòd à nuptiis Iovis, & Iunonis, incipiens, univerſas hiſtorias, quæ mediis omnibus ſeculis uſque ad ætatem ipſius Piſandri, contigerunt, in unam ſeriem coactas redegerit, & unum ex diverſis hiatibus temporum corpus effecerit.* At profectò, ſi hoc nomine culpari Piſander mereatur: quis Ovidium poëtarum ingenioſiſſimum, defenſitare præſumat eo in opere, in quo omnia, à mundi incunabulis, ad ſua uſque tempora, convenienti adeò narrationum ſerie connexuit?

† *Lib. 5. Saturn. cap. 2.*

4. §. *Imò ne illos quidem damnare cum Ariſtotele auſim, qui vitam alicujus totam carmine conſcribunt. Attamen ingenioſius illi, & ποιητικώτερον ‡, qui ſic omnia connectunt, ut cuncta videantur unius actionis partes, vel ſaltem omnia ſint cognata.*

‡ *Magis poëtice.*

Exiſtimant viri doctiſſimi, poëtas illos *cyclicos* dictos eſſe, qui res geſtas juxta ordinem temporis referrent. Quomodo fortaſſe Heſiodus, & Ovidius, eſſent poëtæ cyclici. Qui tamen non tam cyclici fuere; quàm ſimiles eorum, quia ad horum inſtar ſcripſerint. Sed veriſimilius eſt, poëtas eos, qui ſimpliciter, more hiſtoricorum rem carmine epico narraſſent, in unum fuiſſe σῶμα, ſeu corpus, redactos; fuiſſèque ordine eo digeſtos, non quo vixiſſent, ſed quem deſcripſiſſent. Itaque poëta aliquis *cyclicus* dicebatur, quia eſſet unus ex illo poëtarum κύκλῳ ἐπικῷ*: non autem, quia hiſtoricorum more rem ordine narraret. Poſſis tamen hasce duas ſententias conciliare; quia iidem erant, qui res narrarent, ordine temporis ſervato; quique in circulo, ſive corpore illo poëtarum cyclicorum, ſociabantur. Itaque promiſcuè ſecundum hanc, illamve ſententiam, deinceps loquar. Vide, quæ dicam lib. II, cap. XIII. §. 9, & lib. III, cap. V, §. 14. Id cyclicorum corpus complura continebat volumina: unde Διονύσιον ἐν πρώτῳ κύκλων citat Pindari ſcholiaſtes †: quintam verò partem Clemens Alexandr. Omnium poëtarum, qui κύκλον illum ἐπικὸν conſtituebant, nomina, & patriam, retulit, Photio ‡ teſte, Proclus in Chreſtomathia. In cyclo fuit Iliados ille ſcriptor, qui ab Horatio notatur in Arte, ubi verſum ejus primum addidit Latinè:

* *Circulo epico.*
† *Ad Iſthm. od. 4.*
‡ *In bibliotheca cod. 239.*

Non ſic incipies, ut ſcriptor Cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

5. §. *Quod ſi, ut una ſit in poëmate actio, ordo eſſe μετάλληλος debet: poëta à mediis ſæpe incipiendum erit; contrà quàm hiſtoricus facit.*

Brevis Homeri ſcholiaſtes in Il. α*: Αὕτη γὰρ ἀρετὴ ποιήσεως, τὸ ἀπὸ τῶν μέσων ἄρξασθαι· προϊόντα δὲ τὴν ἀρχὴν διηγεῖσθαι κατὰ μέρος. *Hæc virtus eſt poëſios, à mediis ordiri: progredientem etiam particulatim exponere initium.* Hinc Horatius in Arte:

* *In verſ. 1.*

Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.

Sanè Homerus, ut idem ait,

Non gemino bellum Trojanum orditur ab ovo:

ſed Iliada ſuam à decimo anno inchoat. Odyſſeam etiam auſpicatur ab eo demum tempore, quo Ulyſſes Calypſo reliquit, & inſulam Ogygiam. Præterit igitur, quomodo ab Ilio in Thraciam ad Ciconas ſit profectus, ubi Iſmarum condidit, poſtea dictam Maroneam; inde tempeſtate ſit delatus in Africam ad Lotophagos; hinc in Siciliam ad Polyphemum; è Sicilia in Æoliam inſulam; unde navigans, ob ſtultitiam ſociorum, aperientium utrem, qui ventos omnes, præter Zephyrum, Ithacam è Sicilia navigantibus utilem, contineret, eodem reflantibus ventis ſit repulſus: hinc in Campaniam ad Læſtrigonas pervenerit: inde Ææam inſulam, ubi cum Circe fuit: Solis, ut creditum, filiâ; ubi annum agens, filium Telegonum ſuſcepit: exinde ad inferos deſcenderit, ut Tireſiam conſuleret: poſtea ad Syrenum inſulam; inde ad Scyllam, & Charybdim; ab his iterum in Siciliam pervenerit; unde ad Ogygiam inſulam, ubi eum Calypſo nympha hoſpitio detinuit annis ſeptem: hinc tandem ad Phæacas devenerit; ubi demum Alcinoo tot annorum geſta memorat. Inde verò Ithacam pervenit. Virgilius quoque Æneida non niſi ab anno incipit ſeptimo. De Ulyſſeis iſtis erroribus, ac pariter Æneæ, non gravabor adſcribere verba Macrobii lib. V. Saturn. cap. 11: *Homerus, vitans in poëmate hiſtoricorum ſimilitudinem, (quibus lex eſt incipere ab initio rerum, & continuam narrationem ad finem uſque perducere:) ipſe poëticâ diſciplinâ à rerum medio cœpit, & ad initium poſt reverſus eſt. Ergo Ulyſſis errorem, non incipit à Trojano litore deſcribere; ſed facit eum primò navigantem de inſula Calypſonis, & ex perſona ſua perducit ad Phæacas. Illic, in convivio Alcinoi regis, narrat ipſe, quemadmodum de Troja ad Calypſonem uſque pervenerit. Poſt Phæacas rurſus Ulyſſis navigationem, uſque ad Ithacam, ex perſona propria poëta deſcribit. Quem ſecutus Maro, Æneam de Sicilia producit: cujus navigationem deſcribendo perducit ad Libyam. Illic, in convivio Didonis, narrat ipſe Æneas uſque ad Siciliam de Troja navigationem ſuam: & addidit uno verſu, quod copioſè poëta deſcripſerat:*

Hinc me digreſſum veſtris Deus appulit oris.

Poſt Africam quoque rurſus poëta, ex perſona ſua, iter claſſis uſque ad ipſam deſcribit Italiam:

Interea medium Æneas jam claſſe tenebat
Certus iter.

Hactenus Macrobius. Quare ſi Maro ordine hiſtoriam omnem narrare voluiſſet; ſecundus liber primo debuiſſet loco collocari, tertius ſecundo, primus tertio.

6. §. *Quod verò diximus, poëtam à mediis, vel ultimis, incipere; hoc intelligendum, non ratione actionis primariæ, ſed totius fabulæ cum epiſodiis ſuis conſiderata.*

Quæ duo plurimùm differunt. Nam fatendum eſt, Homerus

merum ordiri à primis; ſi ſermo ſit de primaria actione. Incipit enim à cauſſis iræ Achillis; quæ tot mala dedit Græcis. Id ita eſſe, ſatis indicat propoſitio ipſa operis. Hujuſmodi actio primaria, ut in dramate continetur unius diei ambitu, vel ſummùm duorum: ita in epopœia, unius anni, vel ſummùm duorum, curriculo abſolvitur. Sed aliter de Homero ſtatuendum, ſi argumentum operis univerſum ſpectemus; hoc eſt, totum bellum Iliacum. Sic ſanè ſtatuendum, incipere poëtam à mediis, vel ultimis; nempe ab anno nono. Neque unquam, multorum ſi annorum narratio fuerit, aliter fieri debet. Nam ut in dramate, quæ bidui, aut tridui, ſpatium excedunt, in prologo referuntur, ut ex præteritorum notitia intelligantur ea, quæ narrantur: ita in epopœia, quæ anni, aut biennii ſpatium exſuperant, per epiſodia intexuntur. Quomodo, ut diximus, Homerus in Odyſſea Ulyſſem lib. IX, & tribus ſequentibus, memorantem inducit Alcinoo, quæ tot annis erat perpeſſus: & Maro inducit Æneam Didoni exponentem, quæ ſeptennio toto pertulerat terrâ marique.

Porrò nec in tragœdia rem arceſſendam eſſe ab ovo, & remotiſſimis; fidem fecerint Euripidis Phœniſſæ: ubi non à bello orditur Thebano, ſed à pace fruſtra tentatâ per Jocaſtam. Atque itidem in Alceſtide incipit, non ab Admeti oraculo, ſed ab eâ moriturâ. Idem fecit Sophocles in Lorario. Ubi initium non à judicio armorum; ſed ab inſania. Atque itidem in Oedipo tyranno, non à cæde Laji cœpit; ſed oraculo, quod expiari eam mandavit. Par Senecæ ratio ubique: ut cùm in Medeâ non ab Argûs ædificatione originem arceſſit, velut Ennius, & Euripides; ſed à nuptiis Jaſonis cum Creuſâ.

7. §. *Nec propterea tantùm, à mediis ſæpè opus incipere, quia una tantùm actio primaria eſt, à qua auſpicandum: ſed etiam, quia principium debet eſſe illuſtre.*

Quale ſæpe non fuerit, ſi rem ab ovo ordiamur. Nam non rarò à tenuibus initiis res maximæ profluxere. Talia igitur potiùs epiſodio conveniant.

8. §. *Nec minùs diſpiciendum, quando deſinere oporteat. Quemadmodum enim initium, ita & finis illuſtris eſſe debet. Qualis inprimis eſt exitus inopinatus. Progrediendum igitur, uſque dum fabulæ accedit venuſtas & gratia: deſinere verò convenit, ſi videamus fore, ut gratia fabulæ deinceps depereat.*

Ut ſi velimus progredi, poſtquam narrata eſt rerum commutatio: quæ in dramate *cataſtrophe* dicitur.

9. §. *Epiſodia in connexione magis, quàm in ſolutione, locum habent; quia in hac animus ad exitum feſtinat. In fine tamen interdum referuntur, quæ primariam actionem ſunt conſecuta. Sed quæ ad præteritorum narrationem pertinent, magis conveniunt mediis, vel etiam initiis.*

Comici quidem, & tragici, epiſodia initio collocant, partim quia abſque relatione rerum præteritarum non intelligeretur drama: partim quia in medio poſita curſum fabulæ interrumperent. At epici ſæpius in mediis referunt: ut Maro excidium Trojæ libro ſecundo, atque alia deinceps. Interdum & poſtremum iis locum dant: cujus exemplum in Iliade habemus, ubi primaria actio eſt cædes Hectoris Il. χ. At ſubjungit poëta duobus ultimis libris, quæ cædem ſunt conſecuta: ut de cadavere Hectoris redemto à Priamo; de luctu Andromaches, Hecubæ, Helenæ, de pompa funebri, & exſequiis.

CAP. VIII.

DE DICTIONE.

POſtquam vidimus de rebus, atque earum ordine: proximum eſt, ut de dictione aliqua addamus.

1. §. *Dictio eſt explicatio ſenſus per verba.*

Ariſtoteles*: Λέγω δὲ λέξιν εἶναι τὴν διὰ τῆς ὀνομασίας ἑρμηνείαν. Ut, quemadmodum ſubjicit Ariſtoteles, idem λέξις † ſignificet in carmine, ac in pedeſtri oratione.

* *De Poët. cap 6.* † *Dictio.*

2. §. *Dictionis vim oſtendit, quòd, ut Ariſtoteles ‡ ait, poëtæ olim, cùm res parùm graves tractarent, ac fere pueriles; excellere tamen viſi ſunt, quia verbis uterentur ornatis.*

‡ *Lib. 3. Rhetor. cap. 1.*

Sic enim ait, Ἐπειδὴ δὲ οἱ ποιηταὶ λέγοντες εὐήθη, διὰ τὴν λέξιν ἐδόκουν πορίσασθαι τὴν δὲ τὴν δόξαν· διὰ τοῦτο ποιητικὴ πρώτη ἐγένετο λέξις· οἷον ἡ Γοργίου. καὶ νῦν ἔτι οἱ πολλοὶ τῶν ἀπαιδεύτων, τοὺς τοιούτους οἴονται διαλέγεσθαι κάλλιστα. *Quoniam verò poëtæ dicentes inania, ac nugatoria, orationis tamen, ac verborum ornatu, conſecuti id nomen videntur, quod obtinent: etiam eò poëticum fuit primum dicendi genus; cujuſmodi eſt Gorgiæ. Et nunc etiam vulgus imperitum cenſet, tales optime de rebus diſſerere.* Atque ut levia attolluntur dictione: ita verborum vilitas deprimit, ac depreciat res graves. Verè Tullius in Orat. *Graves ſententiæ inconditis verbis elatæ, offendunt aures; quarum eſt judicium ſuperbiſſimum.*

3. §. *Poëtica dictio minimè eſt plebeja, ac ſermoni ſimilis; ſed grandior, ornatiorque.*

Unde Ciceroni * poëtæ aliâ loqui linguâ dicuntur †. Ea diverſitas non ex hoc ſolùm provenit, quòd voluptati magis ſtudeat poëta: ſed etiam, quia officium ejus in imitatione conſiſtat: rebus autem fictis ficta conveniat dictio, hoc eſt, flexa, modoque aliquo immutata.

* *Lib. 2. de Orator.* † *Ubi perperam in vulgatis libris,* aliena lingua.

4. §. *Imò non minùs ab oratoria abit, quàm hæc à vulgari.*

Hinc Lucianus in Rhetorum magiſtro Ῥήτωρ πολὺ ἐνερθε τῆς ποιητικῆς μεγαληγορίας ἐστίν· *Rhetor multò eſt infra Poëtices grandiloquentiam.* Atque inde quoque eſt, quòd à Poſidonio, philoſopho Stoico, in opere, quod περὶ λέξεως εἰσαγωγὴν ‡ inſcripſerat, poëſis definiatur, Λέξις ἔμμετρος, ἢ εὔρυθμος, μετασκευῆς τὸ λογοειδὲς ἐκβεβηκυῖα· *dictio metrica, aut rhythmica, immutatione excedens proſam.* Ubi μετασκευή, (quod interpres non ſatis attendit) eſt mutatio ſermonis, quâ poëtica dictio exſuperat pedeſtrem, non eum modò, quo vulgus; ſed etiam quo utitur Orator. Unde Davidi etiam carmen dicitur משל, *maſchal*, חידה, *chida.* Ut Pſal. XLVIII. 5. אטה למשל אזני אפתח בכנור חידתי Quod Græcè reddiderunt: κλινῶ εἰς παραβολὴν τὸ οὖς μου, ἀνοίξω ἐν ψαλτηρίῳ τὸ πρόβλημά μου. *Inclinabo ad parabolam aurem meam, aperiam cum pſalterio propoſitionem meam.* Ubi *propoſitio* eſt, quæ alibi LXX interpretibus *ænigma.* Ut Jud. XIV, de Samſonis ænigmate, & III Reg. c. X, ubi Sabæ regina dicitur veniſſe, ut Salomonem ænigmatis tentaret. Prò carmine verò utitur & Aſaphus Pſal. LXXVII. 2. אפתחה במשל פי אביעה חידות Ubi Græci interpretes: Ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου, φθέγξομαι προβλήματα ἀπ᾽ ἀρχῆς. *Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones,* (ſive ænigmata) *ab initio.* Sive ut Matthæi cap. XIII. pro eo eſt, ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς. *eructabo abſcondita ab conſtitutione mundi.* Eò autem carmen ſuum παραβολὴν dixere, & πρόβλημα, ſive αἴνιγμα, quia dictio ejus magna ex parte eſſet parabolica,

‡ *Manuductionem ad notitiam dictionis.*

lica, & ænigmatica, ſive allegorica. Ut aptari ei quoque poſſit Nonni illud cap. x. 6.

Τοῖον* ἔπος κατέλεξε παρέκτροπον. ——

* *Tale verbum dixit parabolicum.*

Nam παρέκτροπον propriè, quod à communi ſermone eſt deflexum. Qualis imprimis eſt ſermo allegoricus. Hinc Plato quoque Alcibiade poſteriori ait, poëtarum ſermonem eſſe obſcuriorem, ſic ut non cujuſvis ſit eum interpretari. Ita enim apud illum de Homero ait Socrates†: Αἰνίττεται καὶ οὗτος, καὶ οἱ ἄλλοι δὲ ποιηταὶ, σχεδόν τι πάντες· ἔστι τε φύσει ποιητικὴ ἡ σύμπασα αἰνιγματώδης, καὶ οὐ τοῦ προστυχόντος ἀνδρὸς γνωρίσαι. *Verborum involucris etiam hic tegit rei veritatem, ac poëtæ alii prope omnes. Univerſa verò poëtica eſt naturâ ſuâ ænigmatis involuta; ut non ſit vulgaris hominis, notitiam ejus habere.* Obſcuritas illa orationem reddit grandiorem: nec tamen dulcedinis debet eſſe expers: quà ipſâ etiam vulgarem orationem longè exſuperat poëſis. Unde idem Plato in Jone‡: Ποιηταὶ ἀπὸ κρηνῶν μελιρρύτων, ἐκ Μουσῶν κήπων τινῶν καὶ ναπῶν δρεπόμενοι, τὰ μέλη ἡμῖν φέρουσι. *Poëtæ à melliſluis fontibus, ex Muſarum hortis, ac viridariis, carmina decerpunt, quæ nobis offerunt.* Non igitur poëtarum eſt ſic loqui, quomodo metro ſoluto loqueretur aliquis in ſermone communi. Ut cùm, apud Horatium*,

† *Tom. 2. pag. 147. edit. H. Steph.*

‡ *Tom. 1. pag. 534. ejuſd. edit.*

* *Lib. 1. ſat. 4.*

—— pater ardens
Sævit, quod, meretrice nepos inſanus amicâ,
Filius uxorem grandi cum dote recuſet:
Ebrius &, magnum quod dedecus, ambulet ante
Noctem cum facibus. numquid Pomponius iſtis
Audiret leviora, pater ſi viveret?

Ubi non eſſe dictionem poëticam, liquet, ſi ſic reſolvas: *Sævit quod filius, meretrice amicâ nepos inſanus, uxorem cum grandi recuſet dote; &, quod magnum dedecus, ebrius ante noctem cum facibus ambulet. Numquid leviora iſtis Pomponius audiret, ſi viveret pater.* Unde continuò ſubdit Horatius:

—— Ergo
Non ſatis eſt puris verſum perſcribere verbis,
Quem ſi diſſolvas, quivis ſtomachetur eodem,
Quo perſonatus pacto pater.

At contrà ait fieri in iſto Enniano:

—— Poſtquam Diſcordia tetra
Belli ferratos poſtes, portaſque refregit.

Quæ ſi ſolvas, ut Horatius ait, *Invenias etiam disjecti membra poëtæ.* Ut ſi dicas: *Poſtquam tetra diſcordia ferratos refregit poſtes, portaſque belli.* Sublimiora enim hæc, & grandiloquentiora omnino, quàm ut communi conveniant ſermoni. Hinc Tullius in Oratore: *Grandis, & ornata vox eſt poëtarum, atque majorem licentiam habent faciendorum jungendorumque verborum: voluptati enim inſerviunt aliquando magis, quàm verbis.* Ac de eodem ſic Petronius Arbiter: *Effugiendum eſt ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate; & ſumendæ voces à plebe ſummotæ: ut fiat,*

Odi† profanum vulgus, & arceo.

† *Horat. lib. 3. od. 1.*

Unde facilè videmus, majori eum licentiâ, quàm Oratorem, tum novis uſurum, tum etiam vetuſtis. Atque eâ de cauſſâ magis gaudet figurato ſermone. Ita *Cererem* malit, quàm *panem*: ac ſæpiùs dicet *pinum*, *alnum*, *proram*, *puppim*, quàm *navem*. Magis etiam frequentat allegorias. Mirè item gaudet clariſſimis illis verborum, & ſententiarum luminibus. Nempe, quia hæc pariunt magnificentiam. Quam cùm & Plato affectaret in proſâ, modum tenere non potuit; ſed iis orationem potiùs obſcuravit: ut Olympiodorus obſervat. Sanè & ille, & Democritus, poëticè magis ſcripſere, quàm Comici poëtæ: ut eſt apud Tullium in Oratore. Ariſtoteles quoque dictionem Platonis eſſe mediam dicit inter ſolutam, & poëticam; quemadmodum teſtatur Laërtius. Imò & Dionyſius Halicarnaſſenſis reprehendit eum ob immoderatum allegoriarum uſum, aliorumque ornamentorum; quæ magis conveniant poëtæ, quàm oratori, aut philoſopho; atque arbitratur, eum invidiâ ſolâ Homerum de ſuâ exterminare Rep. De prioribus adſentio. Sed de invidiâ ῥητορικώτερον*, quàm veriùs, dictum arbitror. Prudentiæ enim fuit, quod noluerit, Plato mores civitatis infici impiis de numine fabulis Homericis. Quod verò idem Plato dictione adeò gaudeat poëticâ, id factum, partim ſeculi vitio, quia Socratico ævo Sophiſtæ apud plurimos ſummo eſſent in honore; quod ex ipſius Platonis dialogis liquet: partim ab indole ipſius Platonis, ambitioſuli planè; qui ut vetuſtis, & aliis, ſic ſermone etiam, quicquid novum, & elegans, ad vitium uſque ſectatur.

* *Magis oratoriè.*

4. §. *Quod ſi alius eſt poëtarum ſermo, quàm vulgaris; imò & philoſophi, vel oratoris, vel hiſtorici: ſedulò poëta verſandi; atque attendendum, quomodo, & quàm variè, quodque efferant. Neque id modò faciemus in verbis ſimplicibus; ſed etiam conjunctis.*

Ut in mortis deſcriptione VI. Æn. eſt:

Quin & ſupremò cum lumine vita reliquit.

Et eodem:

Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

In nono autem:

Purpuream vomit ille animam.

In decimo item:

Unâ eademque viâ ſanguiſque, animuſque, ſequuntur.

Et eodem:

—— Calcibus atram
Tundit humum exſpirans.

Item eodem:

Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.

In undecimo:

Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, morienſque ſuo ſe in ſanguine verſat.

Et eodem:

—— Tum frigida toto
Paullatim exſolvit ſe corpore; lentaque colla,
Et captum leto poſuit caput.

Item duodecimo:

Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

Similiter videndum, quomodo, & quàm variè, amorem deſcribat idem poëta: item tempeſtatem, dolorem, furorem, bellum, navem: ac par ratio in cæteris: deque poëtarum aliis idem dictum volo.

5. §. *Ad hæc ſi quis multùm attenderit, non defutura ei dictionis poëticæ ſupellex. Atque ex magna ei copia facilior erit delectus, & varietas major.*

Varietas ea ſatietati medetur. Delectus per ſe commendat: nec oratoriæ modò, ſed poëticæ etiam eloquentiæ, origo eſt, & fundamentum.

6. §. *Tum verò imprimis ornatu eſt opus, ſi res fuerint humiles, & exiles.*

Quomodo Virgilius in quarto Georgicôn, quia argumentum per ſe tenue erat, maximè verbis gaudet ſplendidis: cujuſmodi ſunt, quæ transferuntur à regibus, exercitu, caſtris. Eo non æquè eſt opus, ubi res adferuntur graves, aut novæ: vel etiam, quando cientur affectus. Siquidem ejuſmodi per ſe placent. Similiter igitur hic comparatum eſt, ac in Oratoriâ. Quippe, ut Hermogenes περὶ κάλλους† monet, in confirmatione parciùs utendum eſt ornatu: quia enthymemata magnam per ſe vim habent. Quomodo & Ariſtoteles in Rhetoricis tradit, orationi moratæ non tam eſſe locum, ubi enthymematum abunde eſt, quàm ubi deficiunt: quia altero alterius vis infringitur. Idem fit in rebus ſacris: quarum majeſtas verborum lenociniis magis obfuſcatur: ut eorum

† *De ornatu.*

probari non poſſit oratio, qui tantopere in ejuſmodi argumento verborum floſculos conſectantur.

7. §. *Quanquam verò nihil ſit, de quo non ornatè dici poſſit: non omnia tamen ornari pariter poſſunt.*

Unde illud Manilii lib. III. Aſtronomicôn:
Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

8. §. *Sed quæ magnum non recipiunt ornatum, aliquem tamen admittunt. Cujus rei luculentum nobis argumentum præbent poëtarum illi, qui naturæ arcana prodiderunt.*

Imò quid horridius præceptis artis metricæ? Quæ tamen ſuavibus adeo numeris complexus eſt Terentianus Maurus. Quod ſi qua fortaſſe omnem reſpuunt ornatum, ea, quia
* Horatius in Arte. *Deſperes* * *tractata niteſcere poſſe, relinquas.*

9. §. *Sunt denique, quæ majori ornatu fierent deteriora: ut comœdia, mimi, ſatyra: in quibus laudatur dictio ſermoni propior.*

Vnde nonnulli negarunt, hæc inter poëmata referri poſſe: quippe in quibus non ſit ſpiritus, & vis illa poëtarum. Qua de re quid ſentiendum ſit, inferiùs dicemus.

10. §. *Imò nec in cæteris par ratio eſt, cùm tot ſermonis ſint poëtici genera, quot poëtarum. Quippe alia eſt tragici, vel epici, alia lyrici, alia elegiaci dictio; atque ita in aliis.*

Quare in unoquoque poëmatis genere, utile eſt cogitare, an ſic fuerint locuturi, qui in eo genere excelluerunt. Imò quia nec ejuſdem poëtæ eadem eſt dictio; hoc quoque attendere oportet, an in ejuſmodi argumento ſic fuerit ſcripturus. Nam alia poëtæ ejuſdem dictio eſt in magnis, quam humilibus; in gravibus, quàm levibus; in ſeriis, quàm jocoſis. Atque hac de re etiam, quanquam non accuratè ſatis, diſſerit Franciſcus Robortelius diſputatione
† Edita Bononiæ an. 1567. quadam, quam operi ſuo de artificio dicendi ſubjunxit †. Inſcribitur ea, *Qualis ſit Poëticus ſermo, & quid ab eo differat Oratorius.* At non ſatis probare poſſum, quod Ludovicus Vives lib. III. de ratione dicendi, cap. de Poëticis ‡,
‡ Pag. 148. edit. Baſil. an. 1555. ait, *carmen dictionem habere pedeſtris Orationis, atque exculta ſimillimam.* Quod iſtiuſmodi ſimilitudine illuſtrat, *Quemadmodum Philoxenus Siculus, auctor tragœdiarum nobilis, dixiſſe fertur; optimam eſſe navigationem juxta litus, & deambulationem juxta terram: probari maximè carmen, quod proximum ſolutæ dictioni, & hanc carmini ſimillimam.* Sanè etiam in Platone meritò à Dionyſio improbatum; quòd uſque adeò vicina ſit Poëticæ: nec in carmine vitioſius quicquam, quàm λογοειδῆ: ut in Oratoriis diximus lib. IV. cap. IV. ſect. III.

11. §. *In dictione etiam ſpectatur, tum natura vocalium, ac conſonantium; tum ordo rerum, & verborum. Vtraque accommodari debet rebus, quæ deſcribuntur. Itaque interdum adſciſcitur crebra eliſio, ſtudio acquiruntur verba confragoſa, verba trajiciuntur. Quæ ut vitioſa ſunt, ſi ſine cauſa fiant; ita, ſi rebus conveniant, magnum adferunt ornatum. Hæc etſi oratores etiam, & hiſtorici obſervant: longè tamen perfectiùs id faciunt poëtæ.*

Sic ejulatus muliebris optimè exprimitur literis o, & u, in cæſuram incidentibus:
* 4. Æn. —— *gemituque* *, *& femineo ululatu.*
Iræ deſcribendæ conveniunt crebra R: ut,
† 4. Æn. —— *Terra* † *parens ira irritata Deorum.*
R, & S, optimè exprimunt ventorum violentiam: præſertim ſi cæluræ juvent. Vt:
Vnà * *Eurusque, Notuſque ruunt, creberque procellis* * 1. Æn.
Africus.
Sic eodem R repræſentatur fremitus maris:
Nunc † *rapidus retro, atque æſtu reſoluta reſorbens* † 11. Æn.
Saxa.
Item ira, dolorque, pugnaturi:
Rurſus ‡ *in arma feror, mortemque miſerrimus opto.* ‡ 2. Æn.
Cætera huc pertinentia retuli in Inſtitutionibus Oratoriis; quia & iſta orator, atque hiſtoricus, non ſolus obſervat poëta. Vide, quæ fuſè perſequimur memorati operis libro IV. cap. II. Quin magis iſta curat poëta, quàm qui proſâ ſcribit. Lenis enim, non aſper, ac durus; niſi cùm rerum natura hoc exigit; poëta eſſe debet. Vnde Auſonius in Technopægnio ad Paullinum *: *Verſiculi ſunt monoſyllabis cœpti, & monoſyllabis terminati. Nec hic modò ſtetit ſcrupea difficultas; ſed acceſſit ad miſeriam cogitandi, ut idem monoſyllabum, quod eſſet finis extremi verſus, principium fieret ſequentis. Laboravi tamen, ut haberet, aut hiſtoricon quippiam, aut dialecticon. Nam poëticam, aut ſophiſticam lenitatem, neceſſitas obſervationis excluſit.* * Idyll. 5.
Sic enim legi puto oportere; etſi pro *lenitatem* vulgò edatur *levitatem*, non modò in optima Vineti, ſed etiam antiquiſſima omnium, quam Julius Æmilius Ferrarius Novarienſis procuravit Venetiis †. Vel ſi *levitas* retinendum, pro † Per Joannem Tacuinum an. 1494.
λειότητα ‡ ſumitur; ut non gravitati, ſed aſperitati opponatur. ‡ Levore.

12. §. *Dictioni etiam accidit, quod ſit numeroſa. Numerus verò rebus accommodari debet. Eſtque is duplex; rhythmus, & metrum. Rhythmus conſiderat numerum ſyllabarum; pedum quantitatem non item. Vel ſi ejus quoque habeat rationem, ſaltem non ubique id facit; ut liquet ex numero oratorio. At metrum, tum ſyllabarum numerum conſiderat; tum ubique etiam attendit pedum quantitatem.*

Quâ de re fuſè Auguſtinus lib. III. de Muſica. Atque ex eo perſpicuè Beda lib. de Metris, quem ad conlevitam Gutbertum ſcripſit: *Videtur rhythmus metris eſſe conſimilis verborum modulata compoſitio, non metricâ compoſitione, ſed numero ſyllabarum, ad judicium aurium examinata; ut ſunt carmina vulgarium poëtarum. Et quod rhythmus per ſe ſine metro eſſe poteſt; metrum verò ſine rhythmo eſſe non poteſt. Quod liquidiùs ita definitur: Metrum eſt ratio cum modulatione: rhythmus eſt modulatio ſine ratione. Plerumque tamen, caſu quodam, invenies etiam rationem in rhythmo, non artificii moderatione ſervatam; ſed ſono, & ipſâ modulatione ducente: quem vulgares poëtæ neceſſe eſt faciant ruſticè; docti faciant doctè. Quomodo ad inſtar jambici metri pulcherrimè factus eſt hymnus ille præclarus:*
Rex, æterne Domine,
Rerum creator omnium,
Qui eras antè ſecula
Semper cum Patre Filius.
Et alii Ambroſiani non pauci. Item, ad formam metri Trochaici, canunt hymnum de die in diem, per alphabetum:
Apparebit repentina
Dies magna Domini;
In obſcurâ velut nocte
Improviſos occupans,
In tremendo die judicii.
Hactenus Beda: ex quibus ſatis liquet, rhythmum, non metrum, ineſſe in verſibus politicis Conſtantini Manaſſis, Tzetzæ, & ſimilium. Nec dubium, quin antiquiores ſint verſus, in quibus ſolùm rhythmus eſt; cùm vulgares quoque poëtæ iis utantur. Nempe, ut ſuperiùs dicebatur, poëtarum aliqui ſolo erant rhythmo contenti; nec alio à vulgari ſermone diſcrepabant. Alii rhythmum animabant ſermone poëtico. Alii denique etiam metrum ſuperaddebant.

13. §. *Quanta metri neceſſitas ſit, arguit; quòd abſque eo verba, & ſententiæ, careant venuſtate.*

Iſocrates in Euagora: Καταμάθοι δ᾽ ἄν τις ἐκεῖθεν τὴν δυνα-

δυνάμειν αὐτῶν· ἢν γάρ τις τῶν ποιημάτων τῶν εὐδοκιμούντων τὰ μὲν ὀνόματα, καὶ τὰς διανοίας, καταλίπῃ, τὸ δὲ μέτρον διαλύσῃ· φανήσεται πολὺ καταδεέστερα τῆς δόξης, ἧς νῦν ἔχομεν περὶ αὐτῶν. Quantum vero valeant, vel inde aliquis perſpiciat; quod etiam poëmata laudata, ſiquis verba eorum, ſententiaſque reliquerit, ac verſum diſſolverit; multò deteriora videbuntur opinione eâ, quam nunc de iis habemus.

14. §. *Cæterùm nec ſufficit, res præclaras lectiſſimis verbis quomodocumque metro concluſiſſe: ſed quiddam præterea in metro eſt, quòd non tam præceptis tradi poteſt, quàm ab aurium judicio dependent.*

Quantum enim deperierit de Virgilii venuſtate, ſi quis verſum ejus primum ſic corrumpat:

Tu patulæ recubans ſub tegmine, Tityre, fagi.

Itidem nec in verbis, nec in metro, quicquam requiri poſſit, ſi dicas:

Formoſæ retinent vinctum me vincla puellæ:
Duras & ſedeo janitor ante fores.

At quanto tamen numeroſius Tibullus, ſolùm vocibus trajectis:

Me retinent vinctum formoſæ vincla puellæ:
Et ſedeo duras janitor ante fores.

Sic dixerit aliquis:

Prima ſuis miſerum me Cynthia cepit ocellis.

Sed quanto meliùs Propertius:

Cynthia prima ſuis miſerum me cepit ocellis.

Idem planiùs fiet conferre volenti Lucretium, & Maronem. Dictio enim Lucretii pura eſt quidem, & Romana: ſed numeri non æquè afficiunt aures. Quales cùm Maro repudiârit; neque nos eos imitabimur. Catulli magna laus: ſed in elegiaco, ob eliſiones crebras, eſt durior. Ergo ut molliùs elegi in aures influant, potiùs imitabimur Tibullum, Propertium, Ovidium.

15. §. *Præter numeros etiam ſpectare oportet magnitudinem periodorum, colorum, commatum. Commendatur autem metrum eorum inæqualitate.*

Quod non ſatis attendit Silius Italicus; cùm ſic incipit:

Ordior arma, quibus cœlo ſe gloria tollit
Æneadûm, patiturque ferox Oenotria jura
Carthago. Da, Muſa, decus memorare laborum
Antiquæ Heſperiæ.

Atque hæc generatim dicta ſunto de metro, omnique poëticæ dictionis ornatu: à quo uni Muſarum, & quidem ei, quæ poëſin dicitur inveniſſe, Calliopes nomen inditum eſt. Nam cæteræ magis ab officio, aut effectis, nomen accepere; ut Melpomene à cantu; Clio à gloria poëtarum; Euterpe à voluptate, quæ ex poëtis percipitur; Thalia, quia gloriâ magis & magis vireſcit; Terpſichore itidem, quia poëtæ delectant; Erato, quia iidem amentur; Polyhymnia, quia laudentur; Urania denique, quia *cœlo Muſa beat*; ut ait Lyricus Venuſinus*. † *Horat. Carm lib. 4. Od. 8.*

16. §. *Quemadmodum in oratione, ita etiam in carmine, variat dictio pro diverſo charactere; qui pro rebus diverſus eſſe ſolet.*

Satis enim conſtat, res exiles deſcribi dictione leni, & propemodum de medio ſumtâ: in grandibus adhiberi majeſtatem verborum, gravitatem ſententiarum, ornamenta illuſtria: ſi res mediæ ſint naturæ, dictionem quoque inter utrumque conſiſtere. Non quaſi unus unius poëmatis ſemper ſit character; ſed quia in eodem etiam poëmate poëta nunc ſe attollit, nunc demittit; prout rei, de qua agitur, natura ferat. Quod igitur Bucolica humili ſtylo ſcripta dicuntur, Georgica medio, Æneis ſublimi: id intelligendum ratione maximæ partis, non operis univerſi. Videndum autem, ne, characteris alicujus ſtudio, in affine vitium incidamus. Sæpe enim, ut monet Horatius †, † *In Arte.*

——ſectantem levia nervi
Deficiunt, animique: profeſſus grandia turget:
Serpit humi tutus nimium, timiduſque procellæ.

Hoc eſt, quod idem ait,

In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.

Sed de hoc characteris diſcrimine planiora omnia fient ex iis, quæ, de ſingulis poëmatum generibus, ſequentibus duobus libris dicentur.

Cap. IX.

De Fabulæ Divisione.

1. §. *Nunc quia univerſè hactenus de fabula actum, de diſtributione ejus videamus. Fabula alia eſt ſimplex, & expedita; alia implicita, & connexa.*

Ariſtoteles vocat μῦθον ἁπλοῦν, καὶ πεπλεγμένον.

2. §. *Fabula ſimplex eſt, in qua eſt una, eaque continua actio, ſine ſubitâ, & inopinatâ, fabulæ immutatione; ſine etiam agnitione: quarum illa περιπέτεια, hæc ἀναγνώρισις Ariſtoteli vocatur; ut antea diximus.*

Simplex igitur fabula eſt Sophoclis Ajax μαστιγοφόρος †. † *Flagelliſer.* In qua Ajax, ob negata Achillis arma, furit; &, ubi ad ſe rediens, quæ egerit, videt; pudore ſibi mortem conſciſcit. Nulla hic fortunæ in contrarium immutatio; agnitio nulla. Nihil novi, & inexſpectati, vel cum admiratione conjuncti. Eſt & talis Plauti Aſinaria, & Senecæ Hercules Furens.

3. §. *Hujuſmodi fabulæ maximè ſunt naturales: ſed ſi ſimpliciter tractentur, minus habent artis; eoque minus delectant. Ut igitur placeant, ingenio eas, ac ſtudio, condiri oportet.*

Sane Sophoclis Ajax, de quo dixi, citò ad exitum perductus fuiſſet, niſi poëta fabulam ingenii felicitate, atque induſtriâ, produxiſſet.

4. §. *Fabula implexa eſt, quæ vel & agnitionem, & immutationem habet; vel alterutram ſaltem.*

Solam ἀναγνώρισιν * obtinet Euripidis Iphigenia in Tauris: uti & Terentii Hecyra. Ac ſolam item περιπέτειαν † videas in Plauti Milite Glorioſo: item Sophoclis Antigone; ubi Creon, interemtâ Antigone, arbitrabatur, magnâ ſe liberatum iri moleſtiâ, lætaque ſibi omnia ſpondebat. At verò in maximam tum incidit miſeriam. Siquidem Hæmon, morte ejus cognitâ, manus ſibi intulit; Eurydice autem, Creontis conjux, auditâ Hæmonis morte, impatientiâ doloris, laqueo finiit vitam. At in Sophoclis Oedipo ambo hæc concurrunt. Nam nuncius Corintho miſſus, ut lætitiâ Oedipum impleat, nunciat eum à Corinthiis regem eſſe pronunciatum. Ait ille ſe in magno metu eſſe matris inceſtandæ, quam putabat eſſe Meropeam, Polybi Corinthiorum regis uxorem. Nuncius operam dat, ut eum hoc metu liberet: ſed hoc dum ſtudet, ea refert, unde cognoſcit, ſe jam cum matre Jocaſta concubuiſſe, ac Lajum patrem à ſe ignaro interemtum. Interdum & apud Latinos concurrunt περιπέτεια ‡, & ἀναγνώρισις *: uti in Andria videre eſt. Nam interventu Critonis agnoſcitur Glycerium pro cive Atticâ, ac res turbulentæ in tranquillum reducuntur, Pamphilo, & Charino, ducentibus eas, quas uterque expetierat.

* *Agnitionem.* † *Immutationem.* ‡ *Immutatio.* * *Agnitio.*

5. §. *Fabula connexa, quia argumento per ſe placet, minus ingenii, ac ſtudii, exigit. Atque ut connexa omnis gratior eſt ſimplici: ita ex connexis jucundior eſt, in qua immutatio, & agnitio, concurrunt.*

Satis hoc dilucet è fabularum argumentis, quas proximè diximus.

6. §. Al-

6. §. *Altera etiam fabulæ diviſio eſt. Quædam enim ſimplex eſt; ut ſi perſona ex infelici fiat felix, vel contrà. Quædam duplex; nempe ſi eventus in plures perſonas cadat. Cujuſmodi fabula rectè duplex vocatur, quia perſonæ geminantur: puta, duo ſenes, duo juvenes, duæ virgines: & pro his duplex eventus. Rectè tamen tum quoque una vocatur fabula; quia princeps actio eſt una, unáque ſolutio, ac μετάπτωσις *. Nam, unius immutata conditione, neceſſario immutatur fortuna alterius.*

* Immutatio.

Ariſtoteli dicitur μῦθος ἁπλοῦς, καὶ διπλοῦς. Ubi aliter ἁπλοῦν vocare liquet, quàm ſuperiùs. Ibi enim ἁπλοῦν † opponit πεπλεγμένῳ ‡. Simplex eſt in Oedipode Sophoclis; ubi Oedipus ex felici fit infelix. Item in Iphigenia Euripidis; ubi fit contrarium. Διπλοῦς * etiam dicitur διπλῆν σύστασιν ἔχων †: cujuſmodi, Ariſtotelis quoque judicio, eſt Odyſſea Homeri. Ubi & de bono Ulyſſe, & malis procis agitur: ac proci primùm beati, poſtea interimuntur: Ulyſſes primùm variis cum malis conflictatur, in fine autem poëmatis eſt feliciſſimus. Similis eſt conſtitutio in Sophoclis Electrâ: ubi bona eſt Electra; mali Ægyſthus, & Clytæmneſtra: ac Electra fit felix, hi infelices. Duplicis etiam exemplum habes in Heautontimorumeno:

† Simplicem. ‡ Implicitæ, & connexæ. * Duplex. † Duplicem habens conſtitutionem.

Duplex quæ ex argumento facta eſt ſimplici:

ut ipſe in prologo Comicus ait. Idem in Andria fit; cujus ex allato ſuperius argumento ſatis id liquet, quod diximus. Videtur tamen ſimplex præferri debere; quia magis una eſt, ac faciliùs intelligitur, & retinetur.

7. §. *Tertia quoque fabulæ diviſio eſt in ἠθικὴν, παθητικὴν, καὶ μικτήν.*

Ἠθικὴ, ſive *morata*, exprimit mores, ſive naturâ inſint, ſive conſuetudo in naturam verterit. Hujuſmodi maximè eſt comœdia. Odyſſea etiam majori ex parte eſt ἠθική ‡. *Pathetica* habet acerbum dolorem, & miſerabilem caſum. Qualis eſt tragœdia: imprimis Ajax Sophoclis, & Senecæ Hercules Furens. Maxima etiam ex parte talis eſt Ilias. *Mixti* generis eſt Æneis. Nam tres libri primi, quinctus etiam, & ſextus, magis ſunt ἠθικοί *. Quartus, & ſex poſtremi, potiùs ſunt παθητικοί †. Imò comœdia etiam, & tragœdia, ſæpe ſunt mixti generis: comœdia, ſi vehementiores recipiat affectus; tragœdia, ſi leniores.

‡ Morata. * Morati. † Affectum concitantes.

CAP. X.

DE PULCHRITUDINE POEMATIS.

1. §. *Poſtquam de diviſione poëmatis vidimus, affectiones ejus in conſiderationem veniunt. Cujuſmodi præcipuè eſt τὸ καλὸν ‡. Ut verò pulchrum ſit poema, juſta requiritur magnitudo. Ea conſideratur, tum abſolutè, tum comparatè: item tum in toto, tum in parte aliqua. Abſolutè, ſi totum ſpectes, nec tam exile eſſe debet, ut confundatur imaginatio; nec tam amplum, ut exſuperet memoriam. Nam ubi totum nimis eſt exile, ibi partes quaſi nullæ ſunt, ut cogitatio citò evaneſcat. At totum ſi immanis ac vaſtæ fuerit molis, non licebit uno intuitu conſpicere partes omnes.*

‡ Pulchritudo.

Cum fabulâ, ſive hæc epopœia, ſive drama ſit, ita comparatum eſt, uti cum homine. Ubi, ut Ariſtoteles IV. Ethic. Nicom. cap. III. ait: τὸ κάλλος ἐν μεγάλῳ σώματι· οἱ μικροὶ δ' ἀστεῖοι, καὶ σύμμετροι, καλοὶ δ' οὔ: *pulchritudo in magnitudine conſiſtit; parvi autem urbani quidem ſunt, & membris commenſum habentibus, ſed non pulchri.* Nempe animal, nec nimis parvum, nec magnum nimis, eſſe debet: παμμίκρον, ſive perexiguum, nimiſque exile, pulchrum eſſe nequit; quia συγχεῖται ἡ θεωρία ἐγγὺς τοῦ ἀναισθήτου χρόνου γινομένη· *confunditur contemplatio, quæ momento temporis fit.* Res enim nimis parvæ non præbent occaſionem partes ſingulas cum ſingulis conferendi: ſed totum exhibent, nulla partium morâ interjectâ. At neque nimis grande eſſe oportet, ut ſi animal plurimorum ſit ſtadiorum. Quomodo fiet, ut toti ſimus in parte unâ contemplandâ; συμμετρίαν † verò neutiquam videamus.

† Commenſurationem.

2. §. *Comparatè etiam magnitudo totius conſideratur; quia alia eſt epici carminis, quam tragœdiæ; alia tragœdiæ, quam eclogæ.*

Nempe ut alia magnitudo aulæ, quàm caſæ; ita & in poëmatis.

3. §. *Ne verò pars aliqua juſto brevior, aut longior ſit: tum in fabulâ, tum in epiſodiis, videndum, quæ illuſtria, graviaque ſint, quæ levia, ac minuta; quæ medii generis. Illuſtribus inhærendum; media percurremus; levicula nutu potiùs, quàm oratione, ſignificabimus.*

Vulgaria enim poëta odit; ac profano vulgo relinquit: ut planè diſpar hic ratio ſit, ac latrantis, & irati ſtomachi; quem vulgaria faſtidire negat ruſticus Ofellus, apud poëtam Venuſinum *.

* Lib. 2. ſat. 2.

4. §. *Nec ſufficit ad pulchritudinem juſta moles, ac menſura: ſed etiam requiritur συμμετρία, hoc eſt, partium inter ſe convenientia, ſive debita compoſitio. Præterea exigitur tum dictionis elegantia, ac ſublimitas; tum numerorum concentus, ac ſuavitas.*

Sed συμμετρία quidem ad ordinem pertinet; color verò, & ſuavitas, ad dictionem: de quibus poſtea dicemus.

LIBRI PRIMI INSTITUTIONUM POETICARUM

FINIS.

GERAR-

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII
INSTITUTIONUM POETICARUM
LIBER II.

CAP. I.
DE DIVISIONE POEMATUM.

1. §. *Vidimus de Poëtices parte communi. Venio nunc ad alteram: quæ tot habet partes, quot primariæ ſunt poëmatum formæ.*

NEmpe, ut Logicæ pars propria (quæ in Ariſtoteleo Organo poſterioribus Analyticis, Topicorum libris octo, & Sophiſticis Elenchis, continetur) tot habet partes, quot ſunt ſpecies ſyllogiſmi: ac propterea illa tripartita eſt, quia ſyllogiſmus eſt tripartitus; puta vel apodicticus, vel topicus, vel ſophiſticus: ita etiam Poëtices pars propria in tot diſpeſcitur partes, quot ſunt ſpecies poëmatum. De quarum numero iccirco nunc agam. Atque in eo inſiſtam veſtigiis Ariſtotelis.

2. §. *Differunt poëſios partes trifariam: re, quâ imitamur; re, quam imitamur; & modo, quo imitamur. Res, quâ imitamur, triplex eſt; ſermo, harmonia, rythmus.*

Idem ante Ariſtotelem docuerat Plato in III. de Rep. τὸ μέλος ἐκ τριῶν ἐστι συγκείμενον· λόγου τε, καὶ ἁρμονίας, καὶ ῥυθμοῦ. Ubi cave, cum doctiſſimo Dionyſio Lambino, in Horat. artem poëticam, λόγον exponas *rationem*, cùm ſic verti oporteat: *Melos ex tribus conſtat; ſermone, harmoniâ*, & *rhythmo*, ſeu numero.

3. §. *Sermo conſtat vocibus ex inſtituto ſignificantibus. Harmonia eſt in concentu tum vocum, tum inſtrumentorum: Rhythmus eſt in dimenſione temporis.*

Rhythmus enim latiùs patet metro, quod eſt μόριον ῥυθμοῦ *, ut ait Ariſtoteles: ſive rhythmi proles, ut eſt apud Suidam †; qui fuſiùs exponit metri, ac rhythmi, diſcrimen. Porrò, ex tribus illis, quæ ex Platone, & Ariſtotele, dixi, præcipuus eſt ſermo. Harmonia enim, & rhythmus, ad ſermonem; non hic ad illam accommodari debet.

* *Particula rhythmi.*
† *In* ῥυθμός.

4. §. *Hinc triplex ſurgit poëſis. Nam ea vel uno horum utitur, vel duobus, vel tribus. Uno, ut in epopœia, quæ ſolo contenta eſt ſermone; item in poëſi ſaltatoria, quæ ſolum adhibet rhythmum. Duobus, ut in poëſi auletica, & citharisticâ; quarum utraque rhythmum, & harmoniam, uſurpat. Tribus, ut in dithyrambica, nomorum poëſi, tragœdia, & comœdia.*

Quod non ita intelligi oportet, quaſi in dramate hæc tria ſimul, ac eodem tempore, adhiberentur: ſed quia obtinuerunt κατὰ μέρος, ſive ſeparatim. Nam alia tantùm referebantur; alia verò canebantur; alia ad chorum pertinebant. Atque hæc cauſa eſt, cur drama à veteribus dividatur in diverbium canticum, & chorum. Ut omnino Ariſtotelis mentem non aſſequantur, qui putant, eodem tempore & hiſtriones egiſſe in ſcena; & ſaltatores id ipſum rhythmo expreſſiſſe in orcheſtra; ac in remotiore ſcena pro eodem cantores conformâſſe harmoniam. Qui error inde eſt obortus, quòd vetus illa agendi ratio planè exoleviſſet.

Cùm autem Ariſtoteles quatuor hæc poëmatum genera eodem, quo nos, ordine collocet; ut primo loco ſit Dithyrambice; inde Nomorum poëſis; hinc Tragœdia; ac poſtremò Comœdia: videri poſſit Nomos oppoſuiſſe Dithyrambis, ac Comœdiam Tragœdiæ: ut Dithyrambice, & Tragœdia, ſint de rebus gravibus; Nomorum poëſis, & Comœdia, de levibus: quæ Caroli Sigonii * ſententia eſt. Veriſimilius ſanè, quàm Robortelius †; qui ait, Nomorum poëſin imitari magnos viros, & cives, & legumlatores, ipſamque legum ſanctitatem: quâ nihil auguſtius, aut magis divinum.

* *Lib 2. Emendat. cap 72.*
† *Comment. in Ariſt. poët.*

5. §. *Vidimus de re, quam imitamur. At res, quâ imitamur, eſt materia, ex qua conficitur poema. Hujus ratione triplex eſt poëma. Nam vel præſtantiores imitamur, vel ſimiles, vel deteriores.*

Illuſtrat id Ariſtoteles ſimilitudine à pictoribus ſumtâ. Nam, ut Polygnotus præſtantiores, Dionyſius ſimiles ſuæ ætatis homines, & Pauſon deteriores, exprimebat: ita præſtantes imitatus Homerus, ut heroes; ſimiles verò Cleophon; at viles Hegemon Thaſius, & Nicocharis Athenienſis, poëtæ Comici.

6. §. *Supereſt modus, quo imitamur. Is quoque triplex eſt. Nam in poëmatibus interdum ſolius eſt poëtæ perſona, ejuſque narrantis, ſed ſubinde ſe in aliam atque aliam perſonam mutantis, aliorumque ſermonem directè referentis: interdum nulla eſt poëtæ narrantis perſona, ſed tantum alios is loquentes, ac quaſi negocia ntes inducit: interdum tum in iis eſt perſona poëtæ, aliquid de ſuo intermiſcentis; tum aliorum, quos poëta loquentes facit. Itaque pro triplici hoc imitationis genere, totidem ſunt genera poëſios; ἐξηγηματική, ſive narrativa, ubi poëta narrat: διαλογική, ſive ſermocinatrix, quæ & δραματική, ſive activa; ubi collocutiones inducit: & μικτή, ſive mixta; quando utrumque concurrit.*

Tria hæc genera poëmatorum (ut ita cum Cicerone * loquar) primus conſtituit Plato in tertio de Rep. † Prima poëſis dicitur ei ἁπλῆ διήγησις, ſive διήγησις δι' ἀπαγγελίας. Quæ verba non intellexit doctiſſimus vir Joan. Serranus. Interpretatur enim, *res magnificentius, & ampullatius prolata*: cùm ſignificetur ſimplex narratio, ubi poëta ipſe rem ſuo nomine refert. Decepit interpretem, quòd Plato ſubjungat, hujuſmodi poëſin eſſe dithyrambicam: quam ſciebat Serranus ampullis gaudere. Sed aliò hic reſpicit Plato; nempe quòd in poëſi dithyrambicâ poëta ipſe loqua-

* *Pro Gallio, teſte Chariſio lib. 1. meminit & Sergius in edit. 2. Donati.*
† *Pag. 394. edit. H St.*

Digitized by Google

loquatur, non perſonæ aliæ. Itaque hujus etiam generis eſt Lycophronis Caſſandra. Velut & qui de rerum natura ſcripſerunt: ut apud Græcos Empedocles, & Parmenides: apud Latinos Lucretius: vel qui egere de agricultura, ut Maro in Georgicis: item γνωμολόγοι *, ut Theognis. Sunt & fere hujus generis omnia, quæ à Lyricis canuntur. Hos univerſos ampullis uti, nemo ſanus dixerit.

* Diſſerorum inſignium, ſive ſententiarum, ſcriptores.

Altera poëſis Platoni eſt διήγησις διὰ μιμήσεως †, quæ iccirco μιμητικὴ vel δραματικὴ ‡ vocatur. Nempe imitationis vox, quæ totius eſt Poëticæ, hic preſſiùs ſumitur pro eâ, quâ poëta non ipſe loquitur, ſed ſolùm perſonas repræſentat, quibus omnem tribuat ſermonem. Talis eſt in Comœdiis, & Tragœdiis. Quandoque etiam, ſed rarò, in carmine lyrico: ut libro ſeq. dicetur. Tertia eidem eſt ἡ δι' ἀμφοτέρων περαίνουσα ⊥. Ut ſunt Ilias, Æneis, Pharſalia, & ſimilia de heroum, ac virorum præſtantium, geſtis. Ubi, ex Platonis quidem ſententiâ, ἐξηγηματικὴ * eſt, quòd poëtæ in iis interdum narrant ſententiam orationis habitæ: at δραματικὴ eſt, quâ ſæpius perſonas ipſas, directâ oratione loquentes, inducunt. Rectène autem epopœiam ad μικτὴν † potiùs, quàm ἐξηγητικὴν, referant, poſtea videbimus. Platonem ſecuti hac in re Grammatici. Contentus ero verbis unius Diomedis lib. III. *Poematis genera ſunt tria: aut enim activum, vel imitativum; quod Græci δραματικὸν, vel μιμητικὸν: aut enarrativum, vel enuntiativum; quod Græci ἐξηγητικὸν, vel ἀπαγγελτικὸν, dicunt: aut commune vel mixtum; quod Græci κοινὸν, vel μικτὸν, appellant. Δραματικὸν, vel activum eſt; in quo perſonæ agunt ſolæ, ſine ullius poëtæ interlocutione. Ut ſe habent tragicæ, & comicæ fabulæ. Quo & genere ſcripta eſt prima βουκολικῶν, & ea cujus initium eſt, Quo te Mœri pedes? Ἐξηγητικὸν eſt, vel enarrativum, in quo poëta ipſe loquitur, ſine perſonæ ullius interlocutione. Ut ſe habent tres Georgica, & prima pars quarti. Item Lucretiana carmina, & cætera his ſimilia. Κοινὸν, * vel μικτὸν † eſt, in quo poëta ipſe loquitur, & perſonæ loquentes introducuntur. Ut eſt ſcripta Ilias, & Odyſſea tota Homeri, & Æneis Virgilii, & cætera his ſimilia.*

† Narratio, quæ fit imitando.
‡ Activa.
⊥ Utroque modo perficiens.
* Enarrativa.
† Mixtam.
* Commune.
† Mixtum.

7. §. *Alii tamen quinque faciunt poëtarum genera; Comicos, Tragicos, Epicos, Dithyrambicos, & Melicos.*

Plura nec ipſe agnoſcere videtur Ariſtoteles, aut Horatius in arte poëtica, vel Tullius initio libri de optimo genere Oratorum: ubi vulgata lectio, quàm Adr. Turnebus retinendam cenſuit, ita habuit: *Oratorum genera eſſe dicuntur, tanquam Poëtarum. Id ſecus eſt. Nam alterum eſt multiplex. Poëmatis enim Tragici, Comici, Epici, Melici, etiam Dithyrambici, quod magis & tractatum à Latinis, ſuum quodvis eſt diverſum à reliquis.* Verùm aſſentior Romulo Amaſæo, & Lambino; qui legendum putant: *Quod minùs eſt tractatum à Latinis.* Plura de hoc dicam lib. III. cap. XVI.

8. §. *Sed hæc non tam diviſio eſt, quàm ſubdiviſio, ut loquuntur. Ac præcipua quidem, non omnia tamen, poëtarum genera comprehendit; cùm præterea ſint Jambici, & Elegiographi, ac Epigrammatum ſcriptores, & alii.*

Jambicos, qualis Archilochus, deſiderari vidit Fulvius Urſinus. Itaque in verbis, è Cicerone proximè adductis, poſt illa, *Dithyrambici etiam*, interjiciendum ait, *ac iambici*. Non magnopere adverſer: licet ſic quoque diviſio ea mutila ſit, ac manca. Quod liquet ex Cæſio Baſſo; qui addit epigrammatarios, ſatyricos, mimos. Item Iſacio Tzetze, Lycophronis interprete, qui, præter Jambographos, addit Satyricos, Elegiacos, Epigrammatarios, Anathematicos, Hymnographos, Aſmatographos, Epithalamiographos, & Monodos. Ut ſatius ſit, dicere, Tullium non omnia, ſed præcipua poëtarum genera adducere. Niſi magis placet, cætera genera ſub aliquo ſuperiorum eſſe complexum. Ut ſidicas, Jambicos comprehendiſſe partim ſub Comicis, & Tragicis; partim ſub Lyricis. Elegiographos quoque retuliſſe, vel ad Lyricos, quia argumento valde conveniunt: vel ad Epicos, quia metrum proximè accedit. Idem de hymnorum, epithalamiorum, & ſimilium ſcriptoribus, manifeſtius eſt, quàm ut referre ſit opus. Hæc ſi Tullii, & aliorum ſententia fuit; dicendum eſt, eos pinguiore Minervâ ſic ſcripſiſſe: uti de quibuſdam ex iſtis manifeſtum fiet, cùm poſtea de plurimis poëmatum generibus dicemus. Quare magis placet tripartita illa diviſio poëtarum, quam adduximus. Nam Comici, & Tragici comprehenduntur ſub Dramaticis: Dithyrambicos eſſe exegematicos, clarè ait Plato. Atque idem ferè de Lyricis judicium eſt. Epicos eſſe exegematicos, ſatis conſtat. Unde liquet, quinquepartitam illam diviſionem potius eſſe ſubdiviſionem. Auleticen, & citharisticen, & ſaltatoriam, omittimus; quia orationis ſunt expertes. Quòd verò Ariſtoteles eas poëticæ facit partes: hoc ſatis oſtendit, eum Muſicam ſub poëticâ comprehendiſſe: nempe quia carmini eam conjungerent veteres poëtæ.

Porrò cùm ex his ſit apertum, variè dividi poëtas poſſe; optima quidem ea eſt diſtributio, quæ petitur ab imitationis genere: at ea maximè eſt vulgaris, quæ deſumitur à genere metri. A quo tamen interdum nomen non poſſis imponere. Veluti ſi vario quis utatur carminis genere: quomodo, Ariſtotele teſte, Chæremon fecerat, in poëmate ſuo, quod Centaurum inſcripſerat. Nam nec Epicus, nec Elegiacus, nec Jambicus, dici potuiſſet: & poëta tamen erat. Sed liceat poëmata diſtinguere in illa unius metri, & mixti. Quo pacto univerſa poſſumus poëmata complecti.

Cap. II.

DE POESI DRAMATICA GENERATIM:

AC PRIMUM

DE VOCE, ET REI INVENTIONE, OBJECTO, AC FINE.

1. §. *Ordiemur ab eo poëmatis genere, quod tum generali vocabulo μιμητικὸν * vocatur, ob imitandi præſtantiam; tum δραματικὸν †, quia imitatur per perſonas agentes.*

* Q. d. imitativum.
† Q. d. factivum.

Δρᾶμα enim dicitur, quia eſt μιμητικὸν ἐν τῷ δρᾶν, hoc eſt, quia non narrando imitatur, ut epicus, ſed agendo: unde & Latini dicunt *agere fabulam*. Nimirum poëta facit, hiſtrio agit: qui hinc *actor* vocatur. Nec tamen argumentum totum ab hiſtrione agitur; ſed res partim agitur, partim refertur. Unde Horatius in Arte:

Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur.

Sed ea quoque pars, quâ acta referuntur δραματικὴ eſt; quia refertur ab iis, qui agunt: quemadmodum & in epopœia quædam narrantur à poëta; quædam ab iis, qui loquuntur. Quæ pars non eo minùs eſt ἐξηγητικὴ ‡; quia poëta eſt, qui narrat eos ſic locutos. Iſta igitur non variant naturam poëmatis δραματικοῦ, vel ἐξηγητικοῦ. Non deſunt, qui, ut Græcis eſt δρᾶμα ἀπὸ τοῦ δρᾶν, quod eſt *agere*; ſic Latinis à faciendo *fabulam* dici putarint. Nempe ut à ſupino *factum* ſit *factibula*; inde *fabula*; quod apud Diomedem legas: vel, ut *fabula* κατὰ συγκοπὴν ſit ex *facibula*; quomodo à *verto* eſt *vertibula*, à *mando mandibula*. Sed omnino *fabula* eſt à *fari*, vel φάω; ut *pabulum* à πάω; unde *paſco*. A quâ ſententiâ non longè recedunt, qui à *paſco* dicunt eſſe *paſcibulum*; inde *pabulum*: & à *fabulor* eſſe *fabulula*; *inde fabula*. Sed omnino *fabulor* eſt à *fabula*; hoc à *fando*, uti dixi. Ab hac ſignificatione *fabula* pro dramate, is, qui drama ſcriberet, *fabulo* dicebatur

‡ Narrativa.

cebatur. Gloſſ. Iſidori. *Fabulo, fabulas componens.* Atque ita Macrobius eſt uſus lib. II. Saturn. cap. I. *Hæc nobis ſit literata lætitia, & docta cavillatio, vicem planipedis, aut fabulonis, impudica, & prætextata verba jacientis, ad pudorem, ac modeſtiam verſus imitata.* Vulgò *ſabulonis* legitur: unde *ſubulonis* faciebat Theodorus Marcilius: ſed *fabulonis* legi oportere, primus vidit Salmaſius *.

* Notis in Trebellium Pollionem; atque iterum Exercitationibus in Solinum p. 109.

2. §. *Dramatum initium eſt à feſtis diebus. Nam antiquiſſimi homines, frugibus collectis, conveniebant, partim ut Deo ſacrificarent, partim ut relaxarent animum. Hinc nata duplex poëſis; una gravior, in deorum laudes: altera jocularis, quâ alii in alios probra dicerent. Ad prius pertinent dithyrambi Liberi patris, Deorum hymni, encomia herοum: ad alterum autem referuntur jambica, & phallica. Sed primùm rudia tantùm initia, ac verſus inconditi, fuere: poſtea paullatim deorum, heroumque geſta, in majus aucta ſunt; inque juſtas excrevere fabulas: item joculares illi verſus cœperunt arte tractari. Ita ex priori genere nata eſt poëſis tragica: ex poſteriori, ſatyrica, comica, & mimica.*

Ex cunctis diebus feſtis, quos celebravit antiquitas, omnium celeberrimi erant, quibus fruges horreis condebant. Unde Ariſtoteles lib. VIII. Nicomach. cap. XI. † Οὐ γὰρ τοῦ παρόντος συμφέροντος ἡ πολιτικὴ ἐφίεται, ἀλλ' εἰς ἅπαντα τὸν βίον, θυσίας τε ποιοῦντες, καὶ περὶ ταύτας συνόδους, τιμάς τε ἀπονέμοντες τοῖς θεοῖς, καὶ ἑαυτοῖς ἀναπαύσεις πορίζοντες μεθ' ἡδονῆς· αἱ γὰρ ἀρχαῖαι θυσίαι, καὶ σύνοδοι, φαίνονται γίνεσθαι μετὰ τὰς τῶν καρπῶν συγκομιδὰς, οἷον ἀπαρχαί· μάλιστα γὰρ ἐν τούτοις ἐσχόλαζον τοῖς καιροῖς. *Non præſentem utilitatem; ſed eam, quæ ad omnem vitam pertinet, civilis ſocietas expetit: ut cum cives unà ſacra faciunt, & ad ea celebranda unà conveniunt, & congregantur, honoreſque Diis immortalibus tribuunt, & ſibi requiem, cum voluptate conjunctam, præbent. Veriſimile enim eſt, priſca ſacrificia, cœtuſque, & conventus, qui ſacrificiorum cauſſâ habebantur, collectis jam frugibus, ut primitias quaſdam, fuiſſe inſtitutos.* Locum integrum adſcripſi, ut ſimul liqueret, conveniſſe, & tum, & feſtis aliis, duabus de cauſſis: propter ἱεροποιΐας, ſive ut ſacra facerent Diis: & ob ἄνεσιν, ſive intermiſſionem laborum. Quas etiam cauſſas conjunxit Athenæus lib. IX. Ubi dicuntur ad convivia, atque epulas, conveniſſe οἱ τὸ θεῖον τιμῶντες, καὶ εἰς εὐφροσύνην, καὶ ἄνεσιν αὑτοὺς μεθιέντες· *primùm Deo cultum præſtantes; deinde ſe ad hilaritatem, atque animi remiſſionem, traducentes.* Paullò etiam pòſt ſubjungit, Τοῖς θεοῖς προθύσαντες, οὕτω μεθῆκαν αὑτοὺς εἰς ἄνεσιν· *cùm diis priùs ſacrificaſſent, ſe deinde convertêre ad animi remiſſionem.* Sed illuſtris inprimis eſt locus ille Strabonis lib. X. Κοινὸν τοῦτο καὶ τῶν Ἑλλήνων, καὶ τῶν βαρβάρων ἐστὶ, τὸ τὰς ἱεροποιΐας μετ' ἀνέσεως ἑορταστικῆς ποιεῖσθαι. *Commune hoc Græci, & barbari, habent, ut ſacrificia iis inter feriandum ſint.* Addit deinde, hanc feſtæ diei celebrationem eſſe homini inditam à natura. Καὶ τοῦθ' ἡ φύσις οὕτως ὑπαγορεύει. *Atque hoc ita dictat natura.* Adderem, Deum ipſum, in Moſaico opere, diſtinguere dies in ἐργασίμους, καὶ ἑορτασίμους, *profeſtos, & feſtos.* Sed, ut me in gentibus nunc contineam, dicam, apud Platonem legi penè initio ſecundi de Legg. ‡. Οἱ θεοὶ οἰκτείραντες τὸ τῶν ἀνθρώπων ἐπίπονον πεφυκὸς γένος, ἀναπαύλας τε αὐτοῖς τῶν πόνων ἐτάξαντο, τὰς τῶν ἑορτῶν ἀμοιβὰς τοῖς θεοῖς· καὶ Μούσας, Ἀπόλλωνά τε Μουσηγέτην, καὶ Διόνυσον, ξυνεορταστὰς ἔδοσαν· *Dii genus humanum, ad labores, ac miſerias natum, miſerati, laborum intermiſſiones, ac relaxationes, conſtituerunt, dierum videlicet feſtorum celebritates, in honorem Deorum: & Muſas, & Apollinem Muſarum ducem, & Liberum patrem, quaſi feſtivitatum præſides, ſtatuerunt.* Quibus verbis docet, Bacchum cum Apolline, & Muſis, velut miniſtros, munere Deorum conceſſos eſſe hominibus, quò ſe diebus feſtis exhilararent. Antiqui verò, ut eſt apud Athenæum in IX. præcipuè hunc honorem tribuerunt Baccho; ut qui vinum largitus eſſet, & feſtum hoc inſtituiſſet. Unde & poëſin δραματικὴν Baccho ſacrarunt; & cùm ea diſcerpta eſſet in plura genera, etiam à Bacchi comitibus, Satyris, & Silenis, Satyricam, & Sillos dixere. Quâ de re pluribus dicetur, cùm de Satyrica poëſi tractabimus. In his igitur inconditos primùm verſus fudêre; eoſque partim graves, quibus laudarent Deos; partim jocoſos, quibus alii in alios probra dicerent. Ejuſmodi inconditi verſus occaſionem præbuere accuratiùs de re tota cogitandi: unde paullatim enata eſt poëſis ſcenica. Hinc Horatius epiſtolâ ad Auguſtum:

† Sive alias cap. 9.

‡ Pag. 653. Tom. 2. edit. H. Steph.

Agricolæ priſci, fortes, parvoque beati,
Condita poſt frumenta, levantes tempore feſto
Corpus, & ipſum animum, ſpe finis dura ferentem,
Cum ſociis operum, & pueris, & conjuge fidâ,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant;
Floribus, & vino Genium memorem brevis ævi.
Feſcennina per hunc inventa licentia morem
Verſibus alternis opprobria ruſtica ludit.

Eàdem de re ſic è Pauſaniâ Euſtathius in Odyſſ. Ξ *; Ἱστέον δὲ ὅτι τὸ πρῶτον οἱ παλαιοὶ, ὡς ἱστορεῖ Παυσανίας, τιμῶντες τὴν εὕρεσιν τοῦ οἴνου, ᾄδειν ἐφεῦρον, καὶ τοὺς ἑαυτῶν κωμήτας κακολογεῖν· ὅθεν ἐῤῥέθη καὶ τὸ κωμῳδεῖν· *Sciendum vero, veteres primò, ut Pauſanias refert, magni facientes inventionem vini, reperere etiam cantum, & morem ejuſdem pagi incolis conviciandi.* Addit deinde: Καὶ τὴν λυμαινομένην τοῖς ἀμπέλοις αἶγα (φησὶν) ἆθλον τῆς ᾠδῆς προετίθεντο· τοὺς δὲ ἀγωνιζομένους, τραγῳδοὺς ἐκάλεσαν, διὰ τὸ ἐπὶ τράγῳ δηλονότι ᾠδήν. καὶ οἱ νικῶντες, ἐνήλλοντο τῷ ἀσκῷ, καὶ ἦν τοῦτο, ἀσκωλιάζειν. *Etiam capram vitibus nocentem, ut ajunt, præmium cantus ſtatuerunt: ac eos qui certarent, tragœdos dixere, quia τράγος, ſive hircus, eſſet ᾠδῆς, ſive cantus, præmium. Quique vincerent, inſiliebant utribus; & hoc Græco verbo ἀσκωλιάζειν vocabant.* Videmus hic, ut quod priùs dixit ἐνάλλεσθαι τῷ ἀσκῷ, id poſtea uno vocabulo dicat ἀσκωλιάζειν. Nempe ab ἀσκοῦ, ſive *utris* voce, feſtum Bacchi ἀσκώλια vocarunt: unde ἀσκωλιάζειν, *ſaltare in utres.* Heſychius: Ἀσκωλιάζειν, κυρίως μὲν τὸ ἐπὶ τοὺς ἀσκοὺς ἅλλεσθαι †. Erant hi utres uncti; vinoque pleni, in quos uno inſiliebant pede; ſed quia uncti, eo lubrici, ut facilè deciderent; quod ſi fieret, riſum aliis ciebant: ſin inſiſterent, uter ille cum vino præmium erat: quod liquet ex ſcholiaſte Ariſtophanis in Pluto. Eos utres ex hircino pelle fuiſſe, auctor eſt Phurnutus; ubi de Baccho agit. Hujus utribus inſiliendi conſuetudinis etiam meminit Maro II. Georg. Verſus apponam, quia & ipſi dramatum eandem originem docent:

* Pag. 1769. edit. Rom.

† Aſcoliazein propriè eſt in utres inſilire.

Non aliam ob culpam ‡ Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proſcenia ludi;
Præmiaque, ingentes pagos, & compita circum,
Theſidæ poſuêre; atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos ſaliêre per utres.

‡ Quàm eam videlicet, quia vitem rodat.

Ubi *Theſidas* eſſe Athenienſes, ſatis liquet. De quibus ſimiliter Maximus Tyrius ſermone XXI. Ἀθηναίοις ἡ μὲν παλαιὰ μοῦσα χοροὶ παίδων ἦσαν καὶ ἀνδρῶν, γῆς ἐργάται κατὰ δήμους συνιστάμενοι, ἄρτι ἀμητοῦ, καὶ ἀρότου κεκονιμένοι, ᾄσματα ᾄδοντες αὐτοσχέδια. μετέπεσε δὲ ἡ ψυχὴ ἐπὶ τέχνην ἀναρέσκη χάριτος ἐν σκηνῇ, καὶ θεάτροις. *Vetus Athenienſibus Muſa nihil aliud erat, quàm chori puerorum, virorumque; atque agricolæ tributim diviſi, & adhuc à meſſe, & ſemente, ſordidi, cantica quædam canentes ſubita, & extemporanea. Ab his animus paullatim deflexit ad artem ſcenicam, & theatralem; cujus ea eſt voluptas, ut ſatias capere nullum poſſit.* Ubi inter cætera videmus, ut Tyrius ille dicat, primò cani ſolere ᾄσματα αὐτοσχέδια, ſive carmina ſubita, & incondita: atque ab his paullatim ad juſtum, & perfectum drama eſſe perventum. Quod ipſum & Ariſtoteles in Poëtica nos docet his verbis: Γενομένης οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικῆς καὶ αὐτῆς (τῆς τραγῳδίας) καὶ τῆς κωμῳδίας· ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον, ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικὰ, ἃ ἔτι καὶ νῦν ἐν πολλαῖς τῶν πόλεων

διαμένει νομιζόμενα, κατὰ μικρὸν ηὐξήθη. *Cùm ergo initio ſubita, & quaſi extemporalis eſſet, tum ipſa* (de qua dictum, tragœdia,) *tum comœdia: una quidem à dithyrambicis, altera ab iis, qui phallica canerent (quæ adhuc in multis remanet civitatibus) paulatim incrementum cœpit.* Satis hinc liquet, ut totius poëſios, ita & dramatis initium, atque originem, fuiſſe αὐτοσχεδιάσματα, ſive verſus ſine meditatione effuſos: poſtea, cùm dithyrambica, & phallica, in Bacchi ſacris obtinerent; ex dithyrambicis quidem tragœdiam; ex phallicis autem comœdiam, cepiſſe incrementum. Cujuſmodi autem fuerit poëma dithyrambicum, & phallicum, libro III. dicemus. Hæc lucem fœnerant illi Horatii *:

* Lib. 2. od. 19.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem.

Nam Baccho id tribuit, quia ab eo origo carminis ſcenici. *Docentem* verò ait, quia ſcenici poëtæ dicebantur διδάσκειν, ſive docere. Ex quo etiam liquet, cur ludi theatrales in Bacchi fierent honorem. Eò & Virgilius reſpexit XI. Æn.

Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi.

Ubi ſic Servius, ex emendatione clariſſimi Salmaſii †: *Curva tibia, ſymphoniacorum. Bacchi autem ideo, quia apud veteres ludi theatrales non erant, niſi in honorem Liberi patris. Hanc tibiam Græci vocant πλαγίαυλον, Latini vaſcam tibiam: & eſt Dionyſiacum maximè: eâ Satyri utuntur.*

† Notis in Vopiſcum p. 490.

3. §. *Non deſunt, qui dramatis utriuſque inventionem tribuant Homero, quia Iliade tragœdiæ, Odyſſeâ comœdiæ imaginem condidiſſe, arbitrantur.*

De tragœdia quidem fidem fecerit Plato initio libri decimi de Rep. ubi de Homero ſic ſcribit: Ἔοικε τῶν καλῶν ἁπάντων τούτων τῶν τραγικῶν πρῶτος διδάσκαλός τε, καὶ ἡγεμὼν γενέσθαι. *Videtur ille præclarorum illorum tragicorum primus magiſter, ac dux, fuiſſe.* Tam verò de comœdia, quàm tragœdia, ſic Ælius Donatus, vel quiſquis ille ‡, cujus de comœdia, & tragœdia, libellus veteri Terentii interpreti præmitti ſolet: *Quamvis retro priſca volventibus reperiatur Theſpis tragœdiæ primus inventor, & comœdiæ veteris pater Eupolis, cum Cratino, Ariſtophaneque, eſſe dicatur: Homerus tamen, qui ferè omnis poëticæ largiſſimus fons eſt, etiam his carminibus exempla præbuit, & velut quâdam ſuorum operum lege præſcripſit; qui Iliadem inſtar tragœdiæ, Odyſſeam ad imaginem comœdiæ, feciſſe monſtratur.*

‡ De auctore vero, ac germano, dicam cap. 5.

4. §. *Sed hæc ſatis tum ratione, tum auctoritate, refelluntur.*

Ratione; quia Odyſſeæ finis, ut antea dictum *, Ulyſſi quidem lætus; ſed tot procis funeſtus; in quorum cæde deſinit. Eſt igitur finis planè tragicus. Auctoritate verò; quia Ariſtoteles ait, Iliada ſic ſe habere ad tragœdiam, ut Margites ad comœdiam. Puto, ſi de Odyſſea id potuiſſet dicere, non abſtinuiſſet exemplo tam illuſtri. Præſertim cùm in dubium vocari poſſit, an Margites ſit Homeri. Sanè, præter cæteros, ambigere videtur B. Baſilius libro de legendis gentilium libris; ubi pigritiæ duo adfert exempla; Sardanapalum, & Margiten; quorum hunc ait nec aratorem fuiſſe, nec foſſorem, atque adeò nihil ſciſſe; & ejus rei Homerum laudat auctorem; ſed addit, *εἰ δὴ Ὁμήρου ταῦτα* †.

* Lib. 1. cap 9. § 6.

† Modò Homeri iſta ſint.

5. §. *Apud Romanos dramatum initium eſt à Livio Andronico.*

Livius lib. VII. *Livius poſt aliquot annos ab ſatyris auſus eſt primus argumento fabulam ſerere.* Valerius Max. lib. II. cap. IV. *A ſatyris primus omnium poëta Livius ad fabularum argumenta ſpectantium animos tranſtulit.* Fuit Livius ille libertus M. Livii Salinatoris, cujus & liberos erudierat: ac primam fabulam docuit C. Clodio Cæci F. & M. Tuditano coſſ. anno DXIV. ut ex Pomponii Attici annalibus refert Cicero in Bruto. Vide & eundem in Tuſculanarum Quæſt. prologo; & Agellium lib. XVII. cap. XXI.

6. §. *Dramatis unius materies una eſt actio; eaque τελεία, καὶ ὅλη *, ut ait Ariſtoteles. Atque hic improbantur fabulæ, quæ ſunt ἐπεισοδιώδεις †; ut multis idem oſtendit, & plenius intelligetur ex illis, quæ poſtea dicentur.*

* Perfecta, ac tota.

† Partes naſſe adventitias, & ſuperinductas, ſed malè cum præcipua altera non cohærentes.

Vide & quæ Petrus Victorius, & interpretum alii, annotarunt ad Ariſtotelis de re Poëtica librum cap. X.

7. §. *Quod ad finem δράματος ‡; quàm ei propoſita ſit inſtitutio aliena, morumque emendatio; argumento illud erit, quòd eorum ſcriptores ſpeciatim διδάσκαλοι ⸸ vocarentur, &, cum fabulam exhiberent, docere eam dicerentur.*

‡ Fabulæ.

⸸ Doctores.

Qua de re multa Caſaubonus, Animadv. in Athenæum, lib. VI. cap. VII.

8. §. *Quæſtio eſt, an rectè dramata ſacri fiant argumenti. Si exemplis agendum; Ezekielus, verum Judaicarum poëta tragicus, ſcripſit Ἐξαγωγὴν, ſive eductionem Iſraëlitarum ex Ægypto. Etiam ſupereſt Chriſtus Patiens, ſive Gregorii Nazianzeni, ſive Apollinaris Laodiceni.*

De Ezekielo fidem faciunt Clemens Alexandrinus lib. I. Στρωματ. & Euſebius Pamphil. lib. I. Evangelicæ Præparat. Chriſtus Patiens non ſatis ſapit ſtylum, aut gravitatem Nazianzeni: ac Apollinaris potiùs exiſtimari, etiam apud Baronium legas Tom. I. Annal. * Seculo quoque noſtro non defuere ſummi viri, qui dramata ſcripſerint ſacra, vel comica, vel tragica, de quibus alibi dicam.

* Ad an. 34. num. 133.

9. §. *De hoc eò magis inclinat animus, aliud potiùs dramati argumentum eſſe deligendum, quam ſacrum. Parum enim convenit ſacrorum majeſtati, ut fabulæ, & ludus fiant. Eſt etiam periculoſæ plenum opus aleæ, ſacris miſcere commenta humana; quia poëta de ſuo addit incerta, quandoque falſa: quod non modo eſt ludere in ſacris, ac ſacrorum imminuere majeſtatem; ſed etiam mentibus humanis inſerere opiniones incertas, ſubinde & falſas.*

Ut cùm, ſive Nazianzenus, ſive Apollinaris, inducit matrem Domini ejulantem. Non hoc dicit Scriptura, nec convenit conſtanti ejus prudentiæ. Præterea, quòd tum fabula hæc ſcripta ſit à Chriſtianis, dandum eſt temporibus: quia Julianus interdixerat, ne Chriſtiani inſtituerentur in gentium ſcriptoribus. Videbat enim, eos inde eruditionem haurire, ac facundiam: longeque paratiores eſſe ad refellendos gentiles. Hinc illa ejus querela, ſuis ſe pennis feriri. Chriſtiani igitur rectè ſe facere putârunt; ſi, cùm gentium poëtis arcerentur, ipſi, ad eorum exemplum, ſacra conderent dramata. Diſpar temporum noſtrorum ratio eſt: quibus magis conveniunt illa Ludovici Vivis lib. III. de ratione dicendi, cap. de Poëticis †: *De myſteriis noſtræ religionis, & ſummâ fidei, non pangendum carmen, niſi breve, parcum, ſobrium; fortaſſe, ut res mandetur memoriæ: nequid vel in verbis, vel in ſenſu, admiſceatur illis indignum. Relinquenda ſunt majeſtati illi, in qua dictavit ea ſpiritus Dei. Nam poëtæ, ad occupandos lectione animos, varietate condiunt ea, quæ canenda ſuſceperunt. Egrediuntur ad convivia regalia, ad conſulta Deorum, ad inferos; inducunt loquentes multos; excitant mortuos, quibus tribuunt orationem; inferunt nova, inuſitata, grandia, admirabilia.* Imprimis verò hæc locum habent, ubi Deum, vel Chriſtum, loquen-

† Pag. 146. edit. Baſil. an. 1555.

loquentem inducimus, vel de religionis agitur myſteriis. Plus conceſſero, ubi hiſtoria quidem è ſacris deſumitur literis; naturâ tamen ſuâ argumenti eſt civilis. Ut ſi drama ſit de Davide, fugiente filium Abſolomum: vel item de Joſepho à fratribus divendito; à Pharaone autem ad præfecturam Ægypti præfecto; inque ea dignitate à fratribus adorato, agnitoque. Cujus argumenti eſt Sophompanias Illuſtriſſimi, ac incomparabilis viri, Hugonis Grotii, Sereniſſimæ Reginæ, ac regni Suecici, cùm viveret, ad Chriſtianiſſimum Galliarum Regem legati. Quam ego tragœdiam, tractare volenti argumentum è ſacris Scripturis petitum, pro exemplo ſtatui poſſe arbitror: ac magis etiam deprædicarem hoc loco, quo alius eſſe magis idoneus nequibat; niſi metuerem, ne viderer id dare tum amori, quo ſemper conjuncti fuimus, tum animi grati officio, quando eximium hoc poëma nomini inſcriptum meo prodire in lucem voluit.

Cap. III.

DE DRAMATIS TRIPLICI VIRTUTE, RATIONE MAGNITUDINIS, ORDINIS, ET ΠΕΡΙΠΕΤΕΙΑΣ.

1. §. *Drama omne verſatur circa actionem abſolutam; hoc eſt, quæ principium habeat, medium, ac finem. Magnitudo autem ejus bifariam ſpectatur: ratione termini, quem foris à judice, aut ſpectatore, accipit: vel ratione ejus, quem ſuâ habet naturâ. Ratione prioris intra ternas, & ſenas horas, concludi videtur.*

Initio δρᾶμα * erat breve quid, & abruptum; nec juſtæ magnitudinis fabula, ſed minuta, & mutila. Poſtea tractarunt actionem abſolutam, & quæ haberet protaſin, epitaſin, cataſtrophen: ſed quidam eam ſic augebant, ut modum non tenerent. Quamobrem cùm in ludis multæ agerentur fabulæ, mos ille, teſte Ariſtotele, cœpit, περὶ κλεψύδραν ἀγωνίζεσθαι †. Nimirum ut Oratores Græci, Romanique, ad clepſydram dixere, ne orationem nimis producerent. Quâ de re pluribus in Originum libris agimus. Videndum igitur nunc quoque, ne fabula vel longa, vel brevis nimis, cenſeatur. Nam ſi longa videatur populo ſpectanti, occinet Plautinum illud,

Lumbi ſedendo, & oculi ſpectando, dolent.

Sin brevicula admodum ſit, populus otioſus poëtam inertiæ, vel inſcitiæ, damnabit; quaſi majorem dare vel non potuerit, vel noluerit. Quod quidam dum metuunt, epiſodia augent: rectè, ſi cum judicio id fiat; at quidam jucunda inferciunt, ſed à fabula planè aliena: atque ita dum placere ſe populo ſtudent, diſplicent bonis, atque intelligentibus.

* Fabula.

† Ad clepſydram certare.

2. §. *At naturâ ſuâ eam drama magnitudinem exigit, quæ æqualis ſit ſpatio unius diei, vel paullò majori.*

Spatium idem omni dramati præfinitum, ac tragœdiæ: de quâ ſic Ariſtoteles: Πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι, ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν. *Conatur intra unicum Solis ambitum conſiſtere, aut ſanè paullùm excedere.* In quo differt ab epopœiâ, quæ, ut idem ait, ἀόριστος τῷ χρόνῳ. *indefiniti eſt temporis.* De tragœdiâ exemplo ſint Phœniſſæ Euripidis. Nec enim die totâ opus fuit, ut Eteocles, & Polynices, mutuis ſe vulneribus conficerent, & Menœceus ſe pro patriâ devoveret, & Jocaſte interim rueret ſuper filios, & Oedipus à Creonte in exilium ejiceretur. Et ſanè, quàm ſtudioſè hoc egerint poëtæ, ut non ampliùs imitarentur; argumento ſit Sophoclis Oedipus tyrannus. Manè enim ſacrificant Thebani ad avertendum peſtilentiam. Qui ut bono ſint animo, Oedipus ait, ſe omnia facturum, quibus Dii poſſint placari; & jam Creontem à ſe miſſum inquit ad conſulendum oraculum Delphicum; ac mirari ſe, quòd tardè adeò redeat. Hæc dum loquitur, advenit Creon. Mox cùm explicandum eſſet oraculum, ait Oedipus, jam, ex Creontis conſilio, miſſos ea propter nuncios eſſe ad Tireſiam. Et dum loquuntur, accedit Tireſias. Poſtea etiam, ubi Jocaſte ſermonem habet cum Oedipode, & de Lajo interfecto refert; cùm quædam indicia penderent à ſervo, qui in ſuburbano regium paſceret gregem; non plus moræ interjicitur, quàm quantum ſufficeret, ad ultro citroque celerrimè commeandum. Ita ubique feſtinat poëta. Nempe ut dixi, quia non debuit extendere imitationem ultra ea, quæ die unâ facta eſſent. Itaque reprehenſus eſt Æſchylus, quòd induxerit Nioben ad tumulum tertio die lugentem. Par autem comœdiæ ratio eſt. Ubi ridiculè ſe dat Plautus, cùm in Amphitryone fingit eâdem die Alcumenam & concipere, & parere. Etiam parentum ævo in Jephthe ſuo peccabat Buchananus; cùm periodus ſit minimùm duorum menſium. Nec enim minori ſpatio deploranda erat virginitas.

3. §. *Interdum tamen drama eſt bidui.*

Eo ſpatio Heautontimorumenos tranſigitur.

Cap. IV.

DE PARTIBUS DRAMATIS, RATIONE QUALITATIS.

1. §. *Partes dramatis ſtatuuntur, vel ratione qualitatis, ſive οὐσίας*: vel ratione quantitatis, ſive molis, quâ fabula quaſi extenditur.*

* Eſſentia.

Quod Ariſtoteli κατὰ τὸ ποιὸν, καὶ κατὰ τὸ ποσόν.

2. §. *Ratione qualitatis, partes vel ad poëta, vel ad aliorum operam pertinent. Prioris generis ſunt hæc quatuor, fabula, mores, ſententia, & dictio: ſine quibus nec ſcribi drama poteſt. Nam & res excogitanda eſt,* quod fabulam *dicimus: & cùm ea in imitatione conſiſtat, mores hominum, atque intimi ſenſus, exprimi debent: eaque omnia dictione aptâ fieri oportet. Extra verò ſcriptionem ſunt, apparatus, & modulatio: quæ iccirco non ad poëtam pertinent; ſed ad choragum, hiſtriones, cantores, & tibicines.*

Quas partes tragœdia habeat ratione qualitatis, (par autem comœdiæ ratio eſt) docet Ariſtoteles his verbis: Ἀνάγκη οὖν πάσης τραγῳδίας μέρη εἶναι ἕξ, καθ᾽ ἃ ποιά τις ἐστὶν ἡ τραγῳδία. ταῦτα δ᾽ ἐστὶ, μῦθος, ἤθη, καὶ λέξις, καὶ διάνοια, καὶ ὄψις, καὶ μελοποιΐα. οἷς μὲν γὰρ μιμοῦνται, δύο μέρη ἐστίν· ὡς δὲ μιμοῦνται, ἕν· ἃ δὲ μιμοῦνται, τρία· καὶ παρὰ ταῦτα οὐδέν. *Neceſſe igitur eſt, cujuſvis tragœdiæ ſex eſſe partes, quæ ad qualitatem ejus referantur. Sunt autem hæ; fabula, mores, dictio, ſententia, apparatus externus, & modulatio. Ex quibus duæ quidem pertinent ad ea, quibus imitantur: una ſolùm ad modum, quo imitantur: reliqua verò tres ad illa, quæ imitantur. Præter has verò eſt nulla.* Ex hiſce ſex partibus quatuor dependent à poëtæ induſtriâ; fabula, mores, ſententia, & dictio: duæ verò ab aliorum artificum curâ; apparatus externus, & melodia, ſive modulatio. Prior pertinet ad σκευοποιὸν †; cujus eſt concinnare perſonas, & locum parare. Poſterior ſpectat τὸν ὑποκριτὴν, ſive hiſtrionem; qui, cunctis partim à poëtâ, partim à mechanico paratis, fabulam voce, & geſtu, repræſentat. Ex ſex verò partibus memoratis princeps eſt fabula: quod è fine tragœdiæ cognoſcitur. Eſt is repræſentare felicitatem, vel infelicitatem humanam; quæ ex actionibus provenit bonis, maliſque. Fit hoc per fabulam, quæ imitando exprimit actiones hominum. Ac promanant actiones à moribus. Morum diverſitas proficiſcitur ex ſententiæ diverſitate.

† Opificem inſtrumentorum ſcenicorum.

K

ſitate. At animi ſententia exprimitur dictione. Et hæc quidem inſunt ſcriptioni; quæ ſolùm movet legentes: ſed magis fabula affectus ciet, ſi agatur: quomodo lineamenta etiam nuda exprimunt hominem: ſed feliciùs id faciunt, ſi colores addantur. Hæc fuſiùs ſumus proſecuti propter Julium Scaligerum; qui allatam Ariſtotelis diviſionem non ſatis probat. Verba ipſa adferam è lib. 1. de re Poëtica cap. XI: *Ariſtoteles aliter partes digerit: ſex enim ſtatuit: fabulam, mores, dictionem, ſententiam, apparatum, melodiam. Principio non eſt æqua diviſio. Namque fabula totum ipſum eſt. Mores, qualitas fabulæ. Dictio, ornatus, aut imitatio rei, aut ſpecies. Sententia, pars dictionis. Melodia, extra rem penitùs. Tantò longiùs etiam apparatus. Sanè cætera ad aures; apparatus ad oculos. Ille tamen, quaſi partem tragœdiæ neceſſariam, numeravit τὸν τῆς ὄψεως κόσμον*. At enimvero ad choragum pertinet id, non ad poëtam.* Quibus verbis duo imprimis reprehendit. Primùm, quòd fabulam faciat partem, cùm ea ſit totum; nihil verò ſui ipſius pars ſit. Verùm Ariſtoteles non tam dividit drama, quàm curam, quæ dramati impenditur. Nec per fabulam deſignat, quidquid eſt in dramate; ſed ſolùm inventionem, & digeſtionem ejus. Res enim priùs generatim animo concipitur, & diſponitur. Tum demum accipit τὰ ἤθη, καὶ πάθη, καὶ διανοίας: hoc eſt, *mores, affectus, ſententias.* Poſtea verbis expolitur. Quæ omnia Scaliger fabulæ nomine intelligi ab Ariſtotele credidit; cùm ſolam conſtitutionem, atque ordinem, ita appellet. Nec firmius eſt, quòd objicit, de melodia, & apparatu. Nam ea addidit Ariſtoteles, quia loquitur de tragœdia; non ſolùm, quatenus ſcribitur à poëta; ſed etiam prout agitur ab hiſtrione. At agi non poteſt ſine externo apparatu. Cui additur modulatio; quia, etſi recitari ab hiſtrione poſſit ſine cantu; uſus tamen eum requirit. Neque inficior, drama, utcunque ſolùm ſcribatur, repræſentare actionem humanam: ſed ajo, id facere occultiùs, & leviùs: manifeſtiùs verò, & vehementiùs, id dramaticam præſtare actionem; quæ tum pronunciatione idonea; tum geſtibus, & habitu morum, magnam in movendo vim habet. Nam nec ea, quæ, ut dixi, leguntur; nec etiam, quæ narrantur ab aliis; in ſcenâ vim obtinent tantam, ac illa, quæ coràm fieri videmus, vel etiam ad vivum oculis repræſentata ſunt noſtris. Notum illud Horatii in Arte:

* Obſectamentum oculos ornatum.

Segniùs irritant animos demiſſa per aures;
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

3. §. *A fabulâ ordiamur: cujus ſtructurâ animo conceptâ, non difficilia erunt cætera.*

Ideo Menander, admirantibus amicis, quòd fabulam necdum feciſſet, cùm jam inſtarent Dionyſia, quibus eam agi oporteret; à ſe factam illam reſpondit †: nam eâ animo jam conſtitutâ, formatâque, ſolùm opus fore, ut accinat verſus.

† Plutarchus, & Acro.

4. §. *Quod verò de fabulâ ſuperiùs diximus; idem hîc locum habet. Unum enim drama non ab unâ dicitur perſona; ſed ab unâ actione.*

Ut ab Ajace ſe occidente, ab Hercule ſe comburente; atque ita in aliis.

5. §. *Poſtquam drama ſimpliciter conceptum eſt, nomina perſonis imponi debent. Quæ ſi ab hiſtoriâ non ſint; fingi ea oportebit. Petetur id nomen, vel à ſimili hiſtoriâ; dummodo ne putidè, & affectatè, id fiat: vel Græcum etymon attendetur, quod eventum, aut mores, ſignet; qualia fuêre Pentheus, Eunomia, Chremes: vel contenti erimus nomine à munere, ac profeſſione; ut, nuncius, nutrix, paſtor, miles: vel ab ætate; ut, ſenex: aut natione; ut Phryx, Geta.*

Imò præter hæc etiam ſe offerunt nomina, quaſi perſonarum: quæ vel muta ſint animantia; ut, Ranæ: vel accidentia; ut Luxuries, Paupertas, Somnus.

6. §. *Perſona vel in argumento eſt, vel extra illud.*

Ut, in Phormione, populus argumentum diſcit ex colloquio Getæ, & Davi: atque, ut Donatus ‡ monet, extra argumentum eſt perſona Davi, cui narratur fabula: in argumento eſt perſona Getæ, quæ narrat fabulam.

‡ In Prologo Phorm.

7. §. *Sunt & perſonæ, quæ aliquid intus dicant, non in ſcena. Item quæ non dicant aliquid; ſed quibus dicatur.*

Glycerium in Andria interiùs exclamat parturiens. In Adelphis eſt Storax, quem Mitio alloquitur, nec reſpondet. Uti & ſervi compellantur initio Andriæ. Itidem in Milite glorioſo ſatellites. Hæc dicuntur κωφὰ πρόσωπα*.

* Perſona muta.

8. §. *Argumentum vel ſimplex negotium habet, vel geminum.*

Ita unius adoleſcentis negotium eſt in Hecyra; duorum in aliis Terentii fabulis: ut idem Donatus † obſervat.

† In Phorm. prolog.

9. §. *Siquid in dramate ſit turpe viſu, atque indecorum, id vel narrabitur, vel voce aliquâ interiùs exauditâ ſignificabitur.*

Ut in Andria partus Glycerii, quæ poſt ſiparium partûs indicem vocem illam edidit ‡: *Juno Lucina, fer opem, ſerva me, obſecro.*

‡ Act. 3. ſc. 1.

10. §. *Quomodo dramati tribui debeant apti mores, & ſenſus, universè dictum, cùm de fabula ageremus.*

Speciatim verò de eo in Oratoriis Inſtitutionibus vidimus lib. II. cap. XIV.

11. §. *Dictio variat pro perſona: quia aliter loquitur civis, aliter peregrinus.*

Obſervat hoc Ariſtophanes, cùm ſatrapas Perſicos, Triballos, aut Scythas, inducit. Nec enim tribuit iis Atticam elegantiam; ſed ſermonem barbarum: ut liquet ex ejus Acharnenſibus, Veſpis, Avibus, & aliis comœdiis.

12. §. *Ad dictionem etiam pertinet metrum. Nec diffiteor, comœdiam, & tragœdiam, metrorum vinculis ſolvi poſſe: cujus exemplum habemus in Querulo comœdiâ, Plauti nomen præferente. Sed talis quæ ſit, rectè quidem epopœiam dixeris: (quomodo Ariſtoteles ad epopœiam refert Socraticos Platonis dialogos, qui proſâ ſcripti erant, ſed fictos continebant ſermones:) attamen poëma non erunt, ſed ſolùm materies, atque argumentum, unde poëma fieri poſſit. Nec drama ejuſmodi decorum, ac dignitatem ſuam, tantopere tuebitur; nec tantum inde haurire licebit, aut voluptatis, aut fructus.*

Contrarium ſentit doctiſſimus vir, Paullus Benius Eugubinus; qui multis conatur oſtendere, præſtare, ut comœdia, & tragœdia, metri ſit expers: aliter ſi ſcribatur, non eam decorum, aut dignitatem, tueri ſatis poſſe; nec tam honeſtam, ac ſolidam, parere voluptatem. Quod nullis perſuaſerit, niſi ſurdis, aut fortaſſe auritis Midis.

Cæ-

Cæteri enim facilè intelligunt, quantopere numeris animus moveatur humanus. Pugnat ille eo argumento, quòd poëtæ ſit imitari actiones humanas, prout geſtæ, aut geri debuerunt: neutiquam verò ſit veriſimile, homines cujuſvis ætatis, ſexus, conditionis, longiſſimos etiam ſermones bene tornatis verſibus ex tempore funditare: uti fieri hic videmus in prœliis, amoribus, jurgiis, omnibuſque vitæ humanæ caſibus, atque officiis. Sed cùm ſic diſſerit Benius, non videt, ſe ſimul jugulum petere poëſios epicæ: cum & apud Homerum, Maronem, alios, extemporales fingantur ſermones.

13. §. *Inter dramatis metra maximè jambicum frequentari ſolet; quia hoc imprimis in omnem incurrat ſermonem.*

Horat. epiſt. ad Piſones:

Archilochum proprio rabies armavit iambo.
Hunc ſocci cæpere pedem, grandeſque cothurni,
Alternis aptum ſermonibus, & populares
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.

Ubi cùm ait, *natum rebus agendis*, ſententia eſt, eſſe pedem dramaticum. Huc pertinet & illud Sat. x. lib. 1:

—— Pollio regum
Facta canit pede ter percuſſo. ——

Nam mens poëtæ eſt, tragœdias eum ſcribere jambicis trimetris. Quippe & tragœdiæ Latinæ, nimirum prætextæ, regum, conſulum, prætorum, & ſimilium, geſta celebrabant. Quod verò diximus, drama imprimis inſtitui carmine jambico; id quoque non leviter Beniani vim argumenti infringit; cùm ait, eò pedeſtri ſermone illud ſcribi debere; quia veriſimile non ſit, ſervos, mulierculas, aut ſimiles, verſibus loqui. Nam jambicus ita prope ad familiarem accedit ſermonem, ut ignari ſæpè ejuſmodi fundamus verſus. Rudiores illi. Quid tum? Dummodo ita parum à ſermone abſint familiari, ut ſæpius vix verſus eſſe agnoſcas. Nempe quia τὸ ἰαμβικὸν ἔχει ὁμοιότητα πρὸς τὸ πεζόν: *jambicum cum pedeſtri oratione habet ſimilitudinem*: ut ait Theo in Progymnaſmatis. Atque addit ibidem: Διὸ καὶ πάντες οἱ συγγραφεῖς ἄκοντες ἐμπίπτουσιν εἰς τὸ γένος τοῦτο· *Ideo omnes ſcriptores etiam inviti in hoc genus incurrunt.* Imò & Ariſtoteles ſimiliter in poëtica: Πλεῖστα ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους. *Plurimis jambis in colloquio utimur.* Eſtque hæc ratio, cur idem in Poëtica vocet jambum λεκτικόν. q. d. *dicibilem*, hoc eſt, dictioni accommodatum, atque ultro etiam ſe offerentem.

14. §. *Jambici in dramate, vel dimetri ſunt, vel trimetri, vel tetrametri: iique aut perfecti, aut* καταλήκτοι*. Σκάζοντες † *verò, aut* βραχυκατάληκτοι ‡, *non habent in eo locum.*

* *Syllabâ unâ in fine defecti.*
† *Claudicantes, ſive Hipponactici.*
‡ *Toto pede in fine carentes.*

Adferunt verſus ejuſmodi, ſed corruptos. Ut ex Æſchylo hunc σκάζοντα:

Γυ' οὔτε φωνὴν, οὔτε τῶν βροτῶν μορφήν.

Et ex eodem hunc βραχυκατάληκτον:

Θνητοῖσι κλέψας ὤπασεν, τοιᾶς δ'. Sed rectè ab Aldo in priori verſu editum, μορφὴν βροτῶν: in poſteriori, τοιᾶς δέ τοι.

CAP. V.

DE PARTIBUS FABULÆ, RATIONE QUANTITATIS.

1. §. *Hac dicta ſunto de partibus fabulæ, quatenus ἡ ποιότης, ſive qualitas, attenditur. Nunc alias exponam, quæ ſunt τ̃ ποσότητος, ſive quantitatis. Quales hæ dua, diverbium, & choricum.*

Paullò tamen aliter Diomedes*: ubi dividit fabulam in diverbium, canticum, & choricum.

* *Lib. 3. cap. de Poëmatis generibus.*

2. §. *Diverbium dicitur, quando diverſi verba faciunt.*

Quomodo & Diomedi* diverbia definiuntur, in quibus diverſorum perſonæ verſantur. Ea *hiſtriones pronunciabant*; ut ait auctor diſſertationis de tragœdia, & comœdia: ſive is Donatus, ſive Cornutus, vel Aſper; quæ vulgaris opinio eſt; nec tanti, ut de ea digladiari velim. Sed quia is ſcriptor ſæpius eſt advocandus ad partes; id ſemel dixero, videri eum potiùs Euanthium: ſicut obſervatum eſt Viro Cl. Franciſco Lindenbruchio †. Siquidem Rufinus, Antiochenſis Grammaticus, libro de Metris Comicis ſub Euanthii nomine adducit, quæ in diſſertatione hac leguntur. Et Euanthius ille in Terentium commentarios ſcripſit. Ælii ille Donati æqualis fuit, ac *Grammaticorum erudītiſſimus* nuncupatur à B. Hieronymo in Chronico, ad numerum MMCCCLXXV, ſive annum primum Cæſaris Gratiani: ubi & eo anno ait obiiſſe Conſtantinopoli.

* *Ibidem.*
† *Obſervationibus ad Donati commentaria in Terentium.*

3. §. *Diverbium dividitur in actus, & ſcenas: illa majores, hæ minores ſunt partes.*

Actus dixere, quia variæ quidem, attamen communes, in quoque actu ſint actiones. Scenæ vocantur, quia novæ perſonæ egreſſus, & ingreſſus, fieret è ſcena in theatro exſtructa. Sed fabulæ quidem in actus diviſio vetus eſt, & à poëtis ipſis: actus autem diſtributio in ſcenas eſt à Grammaticis; eoque à vett. Plauti, & Terentii codd. abeſt.

4. §. *Actus diſtinguebantur choro: vel ſi chorus abeſſet, pro eo erat tibicinum cantus: qui adhibebatur, ne ſpectatores intermedio tempore abſque omni eſſent delectatione.*

Donatus in argumento Andriæ: *Diviſionem actuum in Latinis fabulis internoſcere difficile eſt. Unde autem, aut quomodo, quamvis ægrè, tamen intelligi, diſtinguique poſſint, eſt operæpretium dicere. Principio dicendum eſt, nullam perſonam, egreſſam quinquies, ultrà exire poſſe.* Sed hoc, licet in tragœdiis verum ſit, (ubi perſonæ, ut graves ſunt, ita paucæ) in comœdiis tamen non obſervatur. Sic in Andria ſæpius exit Davus, & alibi alii. Objectat hoc Scaliger ‡. Sed neque non vidit id Donatus; eoque huic rei ſic occurrit: *Sed illa re plerumque decipimur, quòd perſonam, cùm tacuerit, egreſſam falsò putamus: quæ nihilominus, in proſcenio tacens, loquendi tempus exſpectat. Eſt igitur attentè animadvertendum, ubi & quando ſcena vacua ſit ab omnibus perſonis: ut in eâ chorus, vel tibicen, audiri poſſit; quod cùm viderimus, ibi actum eſſe finitum, debemus agnoſcere. Confundit ſæpe lectorem id, quòd perſona in ſuperiori ſcena deſinens, & in proxima incipiens loqui, non intelligitur ingreſſa: quod ipſum experientes ſtatim dijudicant de rerum, ac temporum, quantitate. Poteſt enim fieri, ut & ſit ingreſſa, ac egreſſa, quam pravè credimus de proſcenio non receſſiſſe. Poſſe autem quintò egredi perſonam, non & neceſſe eſſe, dicimus: ut appareat, ultra exire non poſſe: in tragœdia & parciùs exire, & ſolere pariter, & licere.* Siparium quoque novi actus indicium erat. Unde idem Donatus ſic inquit: *Siparium eſt minimum velum, quod populo obſiſtit, dum fabularum actus immutantur.*

‡ *Lib. 1. de Re Poët. cap. 9.*

5. §. *Actus fabulæ, nec plures ſunt, nec pauciores, quàm quinque: ac ferè ſic diſtinguuntur. Primus argumentum exponit, at non exitum; quia minùs eſſet delectationis, ſi is præſciretur. Alter deducit rem in actum. Tertius turbas ciet. Quartus viam oſtendit, quia res implicitæ diſſolvantur. Ultimus impedita artificiosè expedit.*

Quin-

Digitized by Google

Quinque actus agnoſcit Donatus, ſive potiùs Euanthius *; imò & Asconius in illud Tullii IV. Verr. *In quarto actu improbitatis. Fabula*, inquit, *ſive tragica, ſive comica, quinque actus habere debet.* Horatii quoque eſt in Arte:

Neve minor, neu ſit quinto productior actu
Fabula, quæ poſci vult, & ſpectata reponi.

* Lib. de tragœdia, & comœdia.

Nonnulli tamen arbitrantur, poſſe fabulam quatuor tantùm actibus conſtare; modò ſic magnitudo ſit juſta, ac εὐσύνοπτος †. Et ſanè, ut Lambinus obſervat, apud Tullium, & veteres alios, tertii, quarti, extremi actus mentio ſit: at diſertim quinti non item: ut extremus etiam quartus, intelligi poſſit. Imò epiſt. ad Q. Fratrem lib. I. tertius actus videtur eſſe extremus. Verba ſunt iſta, quæ & antea ‡ adduximus: *Illud te ad extremum & oro, & hortor; ut tanquam poëtæ boni, & actores induſtrii, ſolent; ſic tu in extrema parte, & concluſione muneris, ac negotii tui, diligentiſſimus ſis; ut hic tertius annus imperii tui, tanquam tertius actus, perfectiſſimus, atque ornatiſſimus, fuiſſe videatur.* Niſi id ſolùm voluit Tullius, velut poëtæ actus ultimi inprimis habent rationem; ſic tu anni tertii; ut tibi annus tertius ſit quaſi actus ultimus.

† Quæ facile conſpici, ac comprehendi poſſit.
‡ Libri hujus cap. 4 §. 12

6. §. *Magnitudo actuum non eſt ſemper eadem: excreſcit ea, ſi res ſint graviores, vel populo jucundiores.*

In gravioribus enim non facilè ſatias obrepit cordatis, quia proſunt: at μυθώδεστα * κεχαρισμένα τοῖς πολλοῖς, ut Iſocrates ait ad Nicoclem.

* Ea, quæ fabulis ſunt referta, perplacent vulgo.

7. §. *Nec videas, apud veteres actum porrigi ultra ſcenam ſeptimam.*

Aliqui tamen contenti ſunt prohibere, ne ultra decimam producatur.

8. §. *Ac ne actores quidem in dramate plures ſunto, quàm quatuordecim. Horum nomina proponebantur in ſcena; ac deſcribatur, quæ cujuſque forent partes.*

Interim non idem numerus erat in fabulis palliatis, & Latinis. Nam, ut Aſconius in Divinat. ſcribit, *Latinæ fabulæ per pauciores agebantur perſonas: ut Atellana, togata, & hujuſmodi alia.*

9. §. *Ex his non plures tribus in ſcena colloquuntur.*

De quo ſic Diomedes †: *In Græco dramate fere tres perſonæ ſolæ agunt. Ideoque Horatius ‡ ait:*

—— Nec quarta loqui perſona laboret:

Quia quarta ſemper muta. At Latini ſcriptores, complures perſonas in fabulas introduxere, ut ſpecioſiores frequentiâ facerent. Terentius hac in re propiùs ad Græcos acceſſit. Quem ſi imitari volumus, quarta perſona in ſcena ſit κωφὸν πρόσωπον ‡, aut cum una aliarum loquatur, non univerſis. Ita in And. act. III. ſc. I. inducuntur quinque; Myſis, Simo, Davus, Lesbia, & Glycerium: verùm Glycerium intus eſt, non foris: Myſis autem cum ſola loquitur Lesbia. Item act. IV. ſc. II. ſunt quatuor hi; Myſis, Pamphilus, Charinus, Davus: ſed Myſis aliunde intervenit, nec cum Charino habet ſermonem. Quare ſunt quidem perſonæ quatuor: ſed tribus loquentibus, ne ſermo perturbetur, quarta non laborat loqui. Plautus tamen hoc non obſervat. Uti neque in tragœdia fieri videmus. Verùm Horatius ſignificat, non quid fieri ſoleat; ſed quod maximè probet.

† Lib. 3. cap. de Poëmatum generibus.
‡ Epiſt. ad Piſones.
‡ Perſona muta.

10. §. *Scenæ diſtinguuntur nunc novarum perſonarum adventu, nunc nova unius interventu, vel veteris abitu.*

Initium igitur perſonæ eſt duplex; ſi vel omnes perſonæ ſint novæ, vel una ſaltem. Item finis eſt, ſi vel omnes, vel una diſcedat.

11. §. *Adhæc diverbium dividitur in protaſin, epitaſin, & cataſtrophen.*

Nempe, ut Logici tres faciunt ſyllogiſmi partes, propoſitionem, aſſumtionem, concluſionem: ita (ut monent antiqui interpretes Terentii †) tres ſunt partes dramatis: ex quibus protaſis propoſitioni reſpondet; cataſtrophe concluſioni; epitaſis verò eſt, quod interjectum. Cæſar Scaliger ‡ quartam partem addit, quæ *cataſtaſis* dicatur, & ponatur inter epitaſin, & cataſtrophen. Sed ea ab antiquis non rectè minùs ſub *epitaſeos* nomine comprehenditur.

† Euanthius de tragœdia, & comœdia.
‡ Lib. 1. de re Poët. cap. 9.

12. §. *Protaſis eſt dramatis initium, quo, quod anteceſſit, refertur, & ad reliquam fabulam via munitur.*

Eâdem mente Scaligero ‡ protaſis eſt, *in qua proponitur, & narratur ſumma rei ſine declaratione.* Donato verò, vel potiùs Euanthio *, protaſis eſt *primus actus, initiumque dramatis.* Item, *primus actus fabulæ, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur, ad populi exſpectationem tenendam.* Quæ non penitus probo. Nam interdum non in primo ſolùm, ſed in ſecundo etiam actu, protaſis eſt; ut in Milite Glorioſo; ubi actus primus abſolvitur ridiculo Militis glorioſi colloquio cum paraſito; ac demum actûs ſecundi ſcenâ primâ à Palæſtrione ſervo ſumma rei narratur. At rectè idem partem argumenti ait reticeri, ad exſpectationem populi tenendam. Nam ſi exitus præſciatur, frigebunt cætera. Contrà erunt gratiora, ſi exſpectatione ſuſpenſus detineatur animus audientium.

‡ Ibid.
* Libello de tragœdia & comœdia.

13. §. *Quandoque perſona aliqua in ſola inducitur protaſi, poſtea nunquam.*

Ut Soſia, in Andria. Sed nihil ejuſmodi apud Plautum. Nam Lar, & Arcturus, non protaſios, ſed prologi munere funguntur. Hujuſmodi perſonam, ac Soſia eſt, vocant προτατικήν, vel προτακτικήν. Puto, προτατικὴν reſcribendum; ut nomen ſit ex eo, quia in ſola ſit προτάσει.

14. §. *Protaſis choro finiebatur: niſi illam chorus ipſe faceret. Eam verò excipiebat epitaſis; quæ negotia turbis magis, & magis, involvit.*

Antiquis Terentii interpretibus definitur, *involutio argumenti, cujus elegantiâ connectitur.* Item †, *incrementum, proceſſuſque turbarum, ac totius, ut ita dixerim, nodus erroris.* Ex quibus verbis ſatis liquet, veteres epitaſios nomine complecti, quæ Cæſar Scaliger epitaſios, & cataſtaſios, nominibus diſtinguunt. Siquidem ei epitaſis eſt, *in qua turbæ aut excitantur, aut involvuntur:* cataſtaſis verò eidem definitur *vigor, ac ſtatus fabulæ, in qua res miſcetur in eâ fortunæ tempeſtate, in quam ſubducta eſt.*

† Euanthius de Trag. & Com.

15. §. *Cataſtrophe eſt exitus fabulæ, quo exponitur fortuna in melius, aut pejus, converſa.*

Scaligero ‡ cataſtrophe definitur, *converſio negotii exagitati in tranquillitatem non exſpectatam.* Ab Euanthio ‡ dicitur eſſe *converſio rerum ad jucundos exitus patefacta cunctis cognitione geſtorum.* Sed definitio utraque ſolùm convenit cataſtrophæ Comicæ.

‡ Lib. 1. Poët. cap. 9.
‡ Differtat. de Tragœd. & Com.

16. §. *Ex hiſce partibus in comœdiis protaſis, ut dixi, actu primo, nonnunquam etiam ſecundo, continetur: epitaſis actu ſecundo, tertio, interdum & quarto;*

to; varò autem ejus particula eſt in quinčto. Cataſtrophe interdum actum quartum, vel partem ejus, occupat: ſemper verò vel totum actum quinctum, vel penè totum.

Unde liquet, diviſionem Græcorum in protaſin, epitaſin, & cataſtrophen, meliorem eſſe, quàm illam Latinorum in quinque actus. Nam diſtributio, à Græcis aſſignata, diſtinguit drama in partes diſſimiles, naturâque differentes: quod non fit partitione in actus; ubi magnitudo, non diſſimilitudo, ſpectatur.

17. §. *Ab aliis dividitur drama in prologum, epiſodium, exodum, & chorum. Quæ diſtributio non alio differt à ſuperiori, quàm quod chorum ſuperaddat. Nempe diviſio ea non ſolius diverbii eſt; ſed totius dramatis. Ac prologus, ut hic quidem ſumitur, convenit cum protaſi; epiſodium cum epitaſi; exodus cum cataſtrophe.*

Eſt hæc diviſio Ariſtotelis. Convenire autem cum ſuperiori, colligere eſt ex definitione ſingularum partium. Nec enim alio differunt harum deſcriptiones, quæ apud Ariſtotelem leguntur, ab illis, quas proximè adduximus, quàm quòd Ariſtoteles eas definit à loco, quem in tragœdia obtinent: ſuperiores verò definitiones petuntur à cujuſque munere, & officio. Siquidem prologus Ariſtoteli eſt, quicquid in dramate antecedit chori ingreſſum. Sic enim loquitur: Ἔστι δὲ πρόλογος μὲν μέρος ὅλον τραγῳδίας, τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου· *Eſt autem prologus tota tragœdiæ pars, ante chori ingreſſum.* Unde cognoſcimus, aliter ab Ariſtotele accipi *prologi* vocem, quàm à Latinis. Ariſtoteli deſignat partem fabulæ cum cæteris neceſſariò connexam. Euanthio * verò eſt antecedens veram fabulæ compoſitionem locutio: hoc eſt, oratio, quæ ad ſpectatores ante legitimam habetur fabulam. Quomodo ſi utamur eâ voce, Græcorum dramata carent prologo. Quare, ex Ariſtotelis mente, prologus ea ſint, quæ in Senecæ Herculis Furentis initio dicuntur à Junone: quæque in ejuſdem OEdipode hic ipſe, à quo fabula dicitur, de peſtilentia diſſerit cum Jocaſta. Et hæc de prologo.

*In Prolegomenis Terentianis, vulgo attributis Donato.

Epiſodium verò Ariſtoteli eſt, quicquid eſt inter prologum, & exodum, chorico excepto: ſive quod inter primum, & ultimum chori cantum, interjicitur. Verba ejus ſunt: Ἐπεισόδιον δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν. *Epiſodion eſt tota tragœdiæ pars, quæ eſt inter choricos cantus.* Huc plurimùm pertinent ſecundus, tertius, quartuſque actus. Vocatur autem ἐπεισόδιον, q. d. introductio; quia cum naturâ ſuâ ſit extra actionem, de qua texitur fabula; cum eâdem tamen connectitur, apteque inſeritur; unde Latinè *Inſertum* dixeris. Ut in Senecæ Hippolyto colloquia Phædræ, ac nutricis: item utriuſque cum Hippolyto, & Theſeo. Ac ſimiliter in ejuſdem Thyeſte, colloquia Atrei, & ſervi; ac ſimilia. Quare hæc ſit epitaſis: quicum epiſodium convenire dicebamus. De epiſodio epopœiæ poſtea dicemus. Exodus (quem Latinè *exitum* voces) Ariſtoteli definitur, μέρος ὅλον τραγῳδίας, μεθ᾽ ὃ οὐκ ἔστι χοροῦ μέλος· *pars ea tota fabulæ, poſt quam nullus eſt chori cantus.* Quæ optimè conveniunt cataſtrophæ.

18. §. *Ex hiſce tribus partibus, nec prologus, ubi fabula aperitur; nec exodus, ubi ſolvitur; tam idonea eſt digreſſionibus, quàm epiſodion, cui & inde nomen, quod digreſſionibus maximè conveniat.*

De nomine liquet ex proximè memoratis. Interdum tamen & in prologo, & in exodo, epiſodia locum habent; ſed breviora.

Cap. VI.

De chorico.

1. §. *Supereſt choricum, hoc eſt, pars ea, quâ chorus canit certis dramatis locis, & intervallis.*

Habet enim fabula extra choros ſermonem, & numeros; in choris etiam harmoniam.

2. §. *Chorus eſt pars fabulæ poſt actum; vel etiam ante eum introducta cum concentu. Nec chorici tamen nomine ſolùm intelliguntur, quæ à choro canuntur; ſed etiam, quæ ab eo dicuntur.*

Definitur chorus etiam, pars fabulæ inter actum, & actum. Sed minùs aptè; quia chorus etiam poſt ultimum actum locum habet. Scaliger definit lib. 1. cap. 1x. partem fabulæ poſt actum cum concentu. Verùm & fabula à choro incipit; ut apud Æſchylum Perſis, & Euripidem Rheſo. Credo, quia id ſatis eſt inſolens, nullam ejus rationem habendam, Scaliger putavit.

3. §. *Argumentum chori interdum peti ſolet ex rebus ipſis: ac cum reliqua fabula ita cohærebat, ut quaſi ejus pars foret: interdum verò erat à fabula alienum.*

Prius probat Ariſtoteles; ſed poſterioris generis non reſpuit Sophocles: ac reperies etiam apud Senecam, ſed raró.

4. §. *Origo chori incerta: ſed ut univerſam Muſicen, ita & choricam, Arcadibus veteres acceptam ferunt.*

Aliqui tradidere, chorum eſſe à ſacrificiis: leges verò ei dediſſe Timotheum, & Philoxenum, tibicines Dionyſiacos. Alii, multò ante horum tempora obtinuiſſe, arbitrantur.

5. §. *Chorus canens populum ſpectabat: cui canebatur, ne ſubduceret ſe, ceſſantibus actoribus. Canebat autem non quidvis; ſed ἐμβόλιμον, ſive quiddam fabulæ inſertum, ſeu cum eâ conjunctum. Debet enim eſſe de re, de qua loquuntur actores: non de re, quæ à fabula ſeparetur.*

Recte ab Ariſtotele chorus vocatur κηδευτὴς ἄπρακτος, hoc eſt, otioſus eorum curator, quæ in fabula fiunt. Neque enim pars eſt actorum; ſed judicium tamen fert de re tota: idque haut aliter, quàm ſi ſua res ageretur. Unde idem Ariſtoteles * ait, debere chorum συναγωνίζεσθαι, hoc eſt, in eâdem re laborare, operamque ad eam ſic conferre, quaſi & ſua eſſet. Atque ait, in eo potiùs imitandum eſſe Sophoclem, quàm Euripidem. Sanè apud Sophoclem, in Oedipode tyranno, chorus juvat regem in Diis placandis, & detegenda Laji cæde. In Electra favet Electræ lugenti mortem Agamemnonis, & ſuam calamitatem deploranti. Ac ſimiliter alibi. Euripides verò hic interdum peccat. Ut in Iphigenia Taurica. Ubi chorus è Græcis conſtabat mulieribus, miniſtris ejus. Eum rogat Iphigenia, ut ſileant; ne quis ſciat, ſe exportaturam Dianæ ſimulacrum. Cumque ille ſilentium promiſiſſet; ſpondet Iphigenia, ſe & illas mulieres ſervaturam. At poſtea fugit cum Oreſte ſolo, relictis miniſtris.

* De Poët. cap. 18.

Chori, quod dixi, officium optimè expreſſit Horatius in Arte:

Actoris † partes chorus, officiumque virile,
Defendat: non quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat, & hæreat aptè.
Ille bonis, faveatque, & concilietur amicis;

† Sive actoris, ut in aliis eſt codd. &, ut puto, melius.

Et regat iratos, & amet peccare timentes.
Ille dapes laudet menſæ brevis: ille ſalubrem
Juſtitiam, legeſque, & apertis otia portis:
Ille tegat commiſſa, deoſque precetur, & oret,
Ut redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.

Hæc inprimis in tragœdia obſervantur. Sic bonis favit chorus apud Euripidem, Iphigeniâ in Aulide; & Senecam, Hippolyto. Philoctęti item ob virtutem favet apud Sophoclem in tragœdia; cujus & Theſeum monet apud Euripidem in Hippolyto: monet iram frenandam apud Sophoclem Ajace: luget cum miſeris apud Sophoclem Oedipo tyranno, & Senecam in Hercule Oetæo: Deos precatur apud Senecam Oedipo, & Agamemnone.

6. §. *Chorus poſt actum quinctum alius erat naturæ, quàm priores. Nam ſæpe, judicis inſtar; de iis ſententiam dicebat, quæ acta eſſent.*

Sed hoc, ut à Græcis obſervatur; ita à Seneca plurimùm neglitur.

7. §. *Chorus è mulieribus conſtet, aut viris: non pueris; qui non ſatis ſunt idonei ad res agendas: nec pondus illud habet oratio eorum in ſolando, monendoque, & cæteris, quæ chori eſſe dicebamus.*

Neque eſt, quòd objiciat aliquis Sophoclis Oedipodem tyrannum. Nam ibi pueri quidem cum ſacerdote hymnum canunt ad Deum placandum: ſed chori vicem obeunt ſenes Thebani.

8. §. *Chorus variè ſaltabat.*

Qua de re pauca dicam hujuſce libri cap. IX. §. 8, & 9: pleniuſque cùm particulatim agam de tragœdia, comœdia, Satyra. Singula enim horum habuere diſtinctum ſaltandi genus.

9. §. *Quandoque chorus ſolùm canebat, non ſaltabat.*

Quod στάσιμον, vel χοροστασίαν, vocavere: ut, cum de tragœdia agendum, dicemus.

10. §. *Nonnunquam chorus totus ſimul canebat: quod cùm fieret, poëta implebat vicem. Interdum choro diviſo, ejus partes alternis canebant.*

Diviſus chorus dicebatur διχορία: pars chori, ἡμιχόριον: reſponſio chori, ἀντιχόριον. Auctor Pollux*. Qui cantum ordiebatur, dictus κορυφαῖος: proximus ei vocatus eſt παραστάτης; tertius verò, τριτοστάτης. Sic appellat eos Ariſtoteles†. Ex quibus primus intentiori, duo alii remiſſiori canebant voce; ut teſtis eſt Laërtius.

* *Lib. 4. cap. 15.*
† *Lib. 4. Metaphyſ. cap. 11.*

11. §. *Interdum nec canebat; ſed ſolùm dicebat. Poſtquam enim chorus ſcenam eſſet ingreſſus, totus nunquam recedebat: ſed durante fabulâ, pars quidem cum actoribus ſeſe recipiebat intus: pars verò altera remanebat. Ne igitur præſentibus actoribus planè videretur otioſus, nonnunquam interpellabat actores: ſed paucis, neque niſi cum duo colloquerentur. Tertius ſi adeſſet, exſpectabat chorus uſque dum ille abiiſſet.*

Hoc apud Ariſtophanem in Nebulis, & alibi paſſim, videre eſt.

12. §. *Interdum & chorus, cantu omiſſo, aliquid addebat ad actuum connexionem. Quod faciebat diverſo carminis genere.*

Ut apud Senecam in Oedipode, Act. I: ubi cùm chorus Sapphicis, & Anapæſticis, cecini ſſet; poſtea ſic jambicis unus è choro loquitur:

Quiſnam ille propero regiam greſſu petit?
Adeſtne clarus ſanguine, ac factis, Creo?
An æger animus falſa pro veris videt?
Adeſt petitus omnibus votis Creo.

13. §. *Utcumque in choro multi eſſent; tamen habentur inſtar unius actoris. Itaque ſi loquendum eſſet, unus dicebat nomine omnium. Quod etiam fiebat diviſo choro.*

Ut in Sophoclis Ajace; item in Euripidis Oreſte.

14. §. *Qui verò chorum alloquitur, is eum nunc compellat, ut unum; nunc, ut plures.*

Ita, apud Sophoclem in Ajace, Tecmeſſa, alloquens chorum, nunc ſingulo utitur numero, nunc plurativo.

Cap. VII.

De variis dramatum generibus.

1. §. *Dramatis nobiliora genera Græcis ſunt duo; tragicum, & comicum. Minus nobilia item duo; ſatyricum, & mimicum.*

Iſacius Tzetzes, & alii nonnulli, drama mimicum omittunt. Sed quatuor genera agnoſcit quoque Diomedes lib. III: *Poëmatos dramatici, vel activi generis ſunt, quatuor. Apud Græcos tragica, comica, ſatyrica, mimica.* Subjungit continuò: *Apud Romanos prætextata, tabernaria, Atellana, planipes.* Ubi prætextatæ ſunt tragœdiæ; tabernariæ, vel comœdiæ, vel tragicomœdiæ: Atellanæ autem ſatyrico poëmati reſpondent. At mimi, ac planipedes, iidem ſunt. Quæ poſtea fient planiora. Erant & Rhintonicæ, quæ prætextatis ſimiliores; ut poſtea liquebit.

2. §. *Apud Romanos fabularum alia palliata, alia togata: illæ erant argumenti Græci, hæ Latini.*

In palliatis enim inducuntur Græci, cunctaque ſcribuntur ſecundùm ritus Græcorum. Nomen à gentis veſte. Togatæ verò factæ ſecundùm ritus, & mores togatorum, id eſt, Romanorum. Videntur autem palliatæ eædem eſſe, quæ *crepidatæ* vocantur à Donato in Adelphor. prologum. Nam has ſpecies eſſe dicit fabulæ; tragœdiam, comœdiam, togatam, tabernariam, prætextam, crepidatam, Atellanam, μικτὴν Rhintonicam. Ubi, niſi cum Lilio Giraldo* per *crepidatam* intelligamus palliatam, nobilis ſpecies omiſſa erit. Potuit autem ſic vocari; quia Græci, ut palliis, ita & crepidis uterentur. Togatæ cœpere, poſtquam magis poëtæ Romani

—— veſtigia Græca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta:

Ut ait Horatius†. A togatis Suetonius‡ Stephanionem dixit *togatarium*. Eſt hic ille, qui primus togatas ſaltavit; teſte Plinio*. Cùm verò in palliata ſcribantur omnia, juxta Græcorum ritus; & tales ſint Plautinæ, atque adeò etiam Terentianæ, quas ille ex Apollodoro, Menandro, & Diphilo, vertit, ut indicant inſcriptiones: liquet falli viros eruditos, cùm illud in Terentio, ac Plauto, culpant, quòd loquantur ſubinde ad ritum magis Græcum, quàm Romanum. In errorem hunc incidit quoque Caſpar Barthius, vir doctiſſimus, & propè infinitæ lectionis. Sic enim ille Adverſariorum lib. IV. cap. XV: *Dicam ſcribere, quod ait Plautus, pro aliquem in jus vocare, potiùs ad antiquiorem, aut Græcum morem, reſpicit, quàm quod Romani juris ordinem autumet: ut ille incurioſiſſimus eſt talium, & Græca Latinis miſcet, parum attentè tempora locumve conſiderans, modò populo placeat. Hæc tamen*

* *Dial 6. de poëtis.*
† *In Arte.*
‡ *In Auguſto cap. 45.*
* *Lib. 7. cap. 48.*

Digitized by Google

men locutione habuit imitatorem Terentium, tantò magiſtro ſuo ſuperiorem, quantò honeſtas eſt improbitate. Quaſi incurioſitas ſit, ſi Plautus, vel Terentius, in fabula palliata loquantur juxta ritum Græcanicum, & non potius ſic factum oportuerit.

3. §. *Togatarum duo præcipuè genera erant; prætextatæ, ſeu prætextæ, & quæ propriè magis togatæ dicebantur.*

Conjunxit Horatius*:
Vel qui Prætextas, vel qui docuere Togatas.

* In Arte.

4. §. *Prætextatæ effingunt actiones virorum principum: quippe in quibus inducantur vel reges Romani; ut Tarquinius: vel duces; ut Brutus, Decius, Marcellus: vel Cæſares, & Auguſtæ; ut Nero, Octavia, Poppæa.*

Valde ineptiunt magni alioqui nominis viri, qui fabulas ejuſmodi de pueris, & puellis prætextatis, compoſitas fuiſſe tradiderunt. Quos meliora docet Feſtus his verbis: *Prætextæ appellantur* (fabulæ,) *quæ res Romanorum continent ſcriptas.* Nimirum nomen erat ex dignitate perſonarum, quia magiſtratus Romani prætextâ uti ſolent. Tale argumentum fuit, quando Ennius Scipionem docuit; Pacuvius Paullum; Attius tum Brutum, qui Tarquinium ejecit, tum Decium, qui ſe devovit; atque alii alias. Fuere autem hæ non comœdiæ, ut multi tradiderunt; ſed tragœdiæ. Nam eo inprimis tragœdiæ differunt à comœdiis, quòd non privatas, ut comœdiæ, actiones imitentur; ſed graves, & ſeveras: quales ſunt illuſtrium perſonarum. Hodie unica ſupereſt fabula prætextata; quam tragœdiam eſſe nemo inficiabitur. Ea eſt Octavia, perperam Senecæ tributa; quam aliqui † *Neronem* vocant, ſed libris invitis, & argumento reclamante: cùm in ea non Neronis, ſed Octaviæ infelix ſit exitus.

† *Cæſar Scaliger, & Antonius Viperanus, uterque, lib. de re poëtica.*

5. §. *Eadem, aut non abſimiles his, erant trabeatæ.*

De trabea ſic Servius in VII. Æn. *Suetonius in libro de genere veſtium dicit, tria eſſe genera trabearum: unum Diis conſecratum, quod eſt tantùm de purpura; aliud Regium, quod eſt purpureum, & habet tamen album aliquid; tertium Augurale de purpura, & cocco mixtum.* Ejectis regibus, uſi ſecundo genere duces in bello. Livius lib. XXXII. *Conſul, cùm Corcyræ hybernaſſet, vere primo in continente trabeatus ad hoſtem pergit.* Et conſtat, equites trabeatos fuiſſe, cùm Idibus Quinctilibus tranſveherentur. Quare non dubium, quin eædem, vel ſaltem vicinæ prætextatis fabulis, fuerint trabeatæ. Meminit Suetonius in illuſtribus Grammaticis de C. Meliſſo Spoletano, Auguſti liberto: *Fecit*, inquit, *& novum genus Togatarum, inſcripſitque Trabeatas.* Ubi *Togatæ* nomen uſurpet laxè, non propriè; de quo vocabuli ejus uſu nunc dicam.

6. §. *Togatæ propriè magis dicebantur, quæ de hominibus erant privatis.*

Nomen ex eo, quia toga, quæ ſic ἁπλῶς dicebatur, hoc eſt, toga non prætexta, populi, ſive privatorum hominum, veſtis erat: unde Aſconius in III. contra Verrem, orationem: *Toga communis habitus fuit, & marium, & feminarum: ſed prætexta honeſtorum, toga viliorum: quod etiam circa mulieres ſervabatur.* Hinc conſequi videtur, togatas fabulas ſolùm fuiſſe comœdias: ut quæ populare argumentum tractarent. Sanè Afranius, & Titinius, docuiſſe dicuntur Togatas. At hi Comici erant.

7. §. *Erant & mixtæ ex prætextis, & togatis; quæ* tabernariæ *appellabantur: ubi perſonæ togatæ cum prætextatis jungerentur.*

Feſtus in ſchedis Pomponii Læti*: *Togatarum duplex genus: prætextarum, hominum faſtigio; quæ ſic appellantur, quod togis prætextis remp. adminiſtrent. Tabernariarum, quia hominibus excellentibus etiam humiles permixti. Ut ſunt plagiarii; ſervi denique, & cauponæ*†, *ex tabernis honeſte prodeant perſæpe.* Ex his liquet, ſi prætextatæ fabulæ quodammodo erant tragœdiæ: togatæ autem, comœdiæ, tabernariam, (quæ mixti erat argumenti) fuiſſe, ut Plautus vocat, tragico-comœdiam. Quam & *hilaro-comœdiam* dixeris. Ejuſmodi eſt Amphitryo Plautina, & Græcorum Hercules Licymnius. Dictæ tabernariæ à parte deteriore, quia plebeji habitent in tabernis. Unde Horatius ‡:

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

* *Voce* Togatæ.

† *Lego* caupæ, *vel,* copæ, *aut* copæ. *Perperàm pro eo Scaliger* lenones, *notis in Feſt.*

‡ *Lib. 1. od.*

8. §. *Præter hæc erant fabulæ Atellanæ.*

De quibus dicetur, poſtquam de tragœdia, comœdia, & mimis, egerimus.

9. §. *In fabulis Togatis, paucioribus erat actoribus opus, quàm illis, quæ Græci erant argumenti.*

Aſconius in Divinat. ubi Cicero dicit, *Actoribus Græcis*, annotat: *Palliatarum ſcilicet fabularum. In his enim, etiamſi Latinæ ſunt, Græca omnia ſervantur. Nam Latinæ fabulæ per pauciores agebantur perſonas; ut Atellana, Togata, & hujuſmodi alia.*

CAP. VIII.

DE NOMINE DRAMATUM.

1. §. *Nomen dramati, vel à perſona inditur, cujus potiſſimæ ſunt partes: vel à re, de qua agitur. Diſcriminis verò cauſſâ interdum utrumque jungitur.*

De nomine fabulæ ita Donatus, ſive Euanthius: *Omnium comœdiarum ſcripta* (par tragœdiæ ratio eſt) *ex quatuor rebus omnino ſumuntur; nomine, loco, facto, eventu. Nomine; ut Phormio, Hecyra, Curgulio, Epidicus. Loco; ut Andria, Leucadia, Brunduſina. Facto; ut Eunuchus, Aſinaria, Captivi. Eventu; Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos.* Sed accuratiùs ſi hæc expendamus, liquebit, duo eſſe, unde drama accipiat nomen; perſonam, ac rem. A perſona ſumitur appellatio bifariam. Primùm à nomine proprio; ut Æſchyli Agamemnon, Sophoclis Electra, Euripidis Hecuba, & Helena, Plauti Amphitryo, ac Stichus, Terentii Phormio, Senecæ Hippolytus, & Octavia, &c. Deinde à perſonæ patria, vel aliâ affectione: ut Euripidis Phœniſſæ, & Supplices; Plauti Captivi, & Mercator; Terentii comœdiæ omnes, præter Phormionem; Senecæ Troades. De nomine Phormionis cauſſam ipſe indicat poëta:

Quia, inquit, *primas partes qui aget, is erit Phormio.*

Quem locum exponit Aſconius in Cic. Divin. *Eſt*, inquit, *perſona primarum partium, quæ ſæpius actu regreditur: ſecundarum, & tertiarum, quæ minùs, minuſque procedunt.* A re item petitur appellatio; ut in Plauti Aulularia, & Moſtellaria: quarum illa ab aulula, hoc eſt, olla Euclionis; hæc à moſtello, hoc eſt, monſtro ædes infeſtante, nomen accepit. De Ciſtellaria ejuſdem ſatis liquet. Quod ſi alterum ſit drama ejuſdem nominis, at diſſimilis argumenti: differentiæ cauſſâ perſona, & res, conjunguntur. Sic Æſchylus triplicem Promethea ſcripſit, πυρφόρον * Gellio memoratum,

* *Igniferum.*

lib.

Digitized by Google

lib. XIII. cap. XVII. δεσμώτην *, qui ſupereſt; & λυόμενον †, cujus meminere Halicarnaſſenſis lib. I. Rom. Antiquit. Hyginus in poët. Aſtron. lib. II. Strabo lib. I. Athenæus lib. XV. Arrianus in Periplo pontis Euxini, & plures alii. Sophocles duplicem fecit Philoctetem; unum in Lemno, quæ tragœdia ſupereſt; alterum ad Trojam, quæ periit. Heſychius: Ζηλῶ, μακαρίζω. Σοφοκλῆς Φιλοκτήτῃ τῷ ἐν Τροίᾳ ‡. Idem verſum inde citat in Ῥακτηρίοις. Uti & Priſcianus lib. XVIII. Σοφοκλῆς ἐν Φιλοκτήτῃ τῷ ἐν Τροίᾳ:

* Vinctum. † Solutum.

‡ Zelo, beatum prædico. Sophocles in Philoctete ad Trojam.

Ὀσμῆς μόνον ὡς μὴ βαρυνθήσεσθέ μου *.

* Ne ferte graviter ſolùm odoris gratiâ. Sermo fuit de fœtore putridi ulceris, oborti ex eo quod Philoctetes ab angue ictus foret.

Ἀντὶ, ἀπὸ τῆς ὀσμῆς. Vix dubito, quin hunc in Troja Philoctetem ſignet Agellius lib. XIII. cap. XVII. ubi perperam vulgo legitur, *In tragœdia* Sophocli, cui titulus eſt Φυλοπίδες. Reſcribendum enim Φιλοκτήτης. Non ſatis id placuit H. Stephano: quia in Philoctete hodie non invenitur is verſus, quem inde adducit Agellius. Sed ficulnum hoc argumentum; quia, ut dixi, eſt ex altero Philoctete. Quod niſi ex Heſychio, & Priſciano, conſtaret; putarem hic pro Φυλοπίδες legendum, ſi non Φυλέτιδες, quando eas nullus laudat; at αἰχμαλωτίδες, quarum meminit Pollux lib. X. cap. LII. Item Heſychius, Stephanus, Ariſtophanis ſcholiaſtes, & Etymologus. Porrò itidem Sophoclis Ajax Lorarius inſcribitur, ut diſtinguatur ab Ajace Locrenſi: & Euripides Iphigeniam ſcripſit in Aulide, & Iphigeniam in Tauris: Seneca item Herculem Furentem, & Herculem OEteum. Quæri video, rectene hæc ſocientur, ſi diſcrimine eo nihil fuerit opus? Si per ſe ſatis pateat argumentum, fruſtra addatur. Ut de Abſalomo, ubi fruſtra addas, Abſalomum tumentem. Sed diſpar ratio de Chriſto patiente; quo nomine tragœdiam inſcripſere Gregorius Nazianzenus †, & Hugo Grotius. Meliùs enim hoc pacto argumentum indicatur, cùm multa de Chriſto dici poſſint.

† Niſi ea alterius potiùs; fortaſſe Apollinaris Laodiceni.

2. §. *Si imitemur poëtam nobilem, rectius nomen ab eo dramati datum retinetur; ne, illud mutando, videamur occultare voluiſſe, quem poëtam expreſſerimus.*

Itaque Terentius ſemper uſurpat nomen dramati impoſitum à poëta, quem imitatur; præterquam in Phormione: quâ de re ita Donatus: ‡ *Hanc comœdiam manifeſtum eſt prius ab Apollodoro ſub alio nomine, hoc eſt,* ἐπιδικαζόμενον *Græce ſcriptam eſſe, quàm Latinè à Terentio Phormionem. Quamobrem nulla dubitatio eſt, hanc ſolam eſſe, cui nomen poëta mutaverit.* Nec interim diſſimulat, quem imitetur. Sic enim in prologo ait:

‡ In prolegomenis Phormionis.

—— Apporto novam,
Epidicazomenon quam vocant comœdiam
Græci: Latini Phormionem nominant;
Quia primas partes qui aget, is erit Phormio.

Cap. IX.

De melodia.

1. §. *Quinta pars eſt melodia; uti ſexta apparatus: qua non ſunt poëta, ſed extra artem poſita: prior quidem muſicorum; altera choragi. Nec neceſſarias eſſe poëta, oſtendit, quod abſque iſtis miramur eum haut minus, ac cùm Demoſthenis, & Ciceronis orationes legimus, etſi abſit actio. Sed hoc diſcriminis eſt, quod orator ipſe pronunciat, atque agit: poëta hac non à ſe, ſed ab alio petit. Eoque rhetor cum cura de pronunciatione præcipit: Ariſtoteles verò, cùm de poëtica tractat, eam vix attingit.*

Ut priùs iidem fuere medici, & chirurgi, qui poſtea officio ſunt diviſi: ita & poëtæ priùs ſua agebant dramata, & in iis canebant: quomodo & Sophocles in Thamyride citharâ luſit: ut refert Anonymus Græcus in vita Sophoclis. Quam *Thamyridem* dixi cum Polluce, *Thamyram* vocat Athenæus. Poſtea verò modulationis, atque apparatus, curam commiſere aliis: puta tibicini, aut citharœdo. Sed priùs quidem ipſi conduxere tibicines: poſtea hæc quoque cura aliis ceſſit. Plutarchus lib. de Muſica: Τὸ γὰρ παλαιὸν, ἕως εἰς Μελανιππίδην, τὸν τῶν διθυράμβων ποιητὴν, συμβεβήκει τοὺς αὐλητὰς παρὰ τῶν ποιητῶν λαμβάνειν τοὺς μισθοὺς, πρωταγωνιστούσης δηλονότι τῆς ποιήσεως, τῶν δ' αὐλητῶν ὑπηρετούντων τοῖς διδασκάλοις· ὕστερον δὲ καὶ τοῦτο διεφθάρη. *Antiquitùs enim uſque ad Menalippidem, poëtam dithyrambicum, tibicines mercedem percipiebant à poëtis: nempe poëtis primas partes tenentibus, ac tibicinibus operam iis, qui fabulas docerent, navantibus. Poſtea & ille mos periit.* Qua de re Pherecratis Comici querimoniam pluribus verſibus ſubjungit. Etiam apud Romanos poëtæ priùs fabulas agebant, atque ipſi cecinere: poſtea verò totum hoc penes hiſtriones, & pythaulas, ac choraulas fuit. Donatus, ſeu potiùs Euanthius, in prolegomenis Terentii, ſive diſſertatione de Trag. & Comœd. *Diverbia hiſtriones pronunciabant: cantica verò temperabantur modis, non à poëta, ſed à perito artis muſicæ, factis.* Quâ verò occaſione apud eos dividi cœperint, oſtendunt hæc Livii Patavini verba lib. VII. de Livio Andronico: *Livius poſt aliquot annos, qui ab ſatyris auſus eſt primus argumento fabulam ſerere, idem ſcilicet, id quod omnes tum erant, ſuorum carminum actor, dicitur, cùm ſæpius revocatus, vocem obtudiſſet, veniâ petitâ, puerum ad canendum ante tibicinem cùm ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis uſus impediebat: inde ad manum cantari hiſtrionibus cœptum, diverbiaque tantùm ipſorum voci relicta.* Ad poëtæ igitur induſtriam ea ſola pertinent, quæ ſcriptionem dramatis ſpectant. Quæ ſi adſint, efficit id poëta, quod vult. Tolle enim ex aliqua Euripidis, vel Senecæ tragœdia, modulationem, atque apparatum: etiam quis tacitus, legendo eam, miſeretur, terreturque. Non dubium tamen, quin multùm ad movendos animos conferant externa illa. Quare pauca de iis addam. Ac priùs quidem de modulatione videamus.

2. §. *Modulatio multùm ſuavitatis adfert fabulæ.*

Ariſtoteli * ea vocatur μελοποιΐα. Eidem ex quinque poſterioribus partibus dicitur præcipuum fabulæ condimentum. Vocat † enim, μέγιστον τῶν ἡδυσμάτων: quo ſignificat ſuperare eam cætera oblectamenta poëtica, quæ fabulæ accedunt. Eſt verò μέλος nihil aliud, quàm λόγος ᾀδόμενος, ut eſt apud Platonem in III. de Rep. Apud quem & eodem libro legas: Μέλος ‡ ἐκ τριῶν ἐστὶ συγκείμενον, λόγου τε, καὶ ἁρμονίας, καὶ ῥυθμοῦ.

* De Poët. cap. 6.
† Eodem cap.
‡ Modulatio ex tribus componitur; ſermone, harmonia, & rythmo.

3. §. *Modulatio partim in cantico, partim in chorico, locum habet. Canticum, quia unus caneret, monodium dicebatur: chori verò cantus, quia plurium foret, vocibus in unum confuſis, ſynodium vocatus.*

Ita Diomedes lib. III. vocibus his utitur. Sed quædam addit, quæ non bene conveniant cum iis, quæ Donatus, ſive Euanthius, ſcribit. In iis etiam Diomedem potiùs ſequemur deinceps.

4. §. *In cantico canebat pythaules: in choro, choraules.*

Diomedes lib. III. *Quando enim chorus canebat, choricis tibiis, id eſt choraulicis, artifex concinebat: in canticis autem pythaules pythicis reſponſabat.* Ita antiquis temporibus fuit: poſtea & pythaulæ, & choraulæ, ſeorſum in agone muſico certare, quàm in comœdia artis ſuæ ſpecimen dare, maluerunt. Quemadmodum idem Grammaticus retulit ex Tranquillo. Verba ejus inferiùs adferam. De choricis tibiis eſt hoc Demoſthenis orat. contra Midiam: Τὸν ἄρχοντα ἐπικληροῦν ὁ νόμος τοῖς χοροῖς αὐλητὰς κελεύει.

Digitized by Google

κελεύει. *Principem, ſive præterem, jubet lex choris decernere tibicines.*

5. §. *Interdum tibicines accinebant choris: interdum chori præibant tibicinibus.*

Qua de re illuſtris Pratinæ Phliaſii in Hyporchemate locus eſt apud Athenæum lib. XIV.*. Ac ibidem legas pluſcula de ξυναυλία: quo nomine, ut Athenæus ait, ſignificatur τις ἀγὼν συμφωνίας ἀμοιβαῖος αὐλοῦ καὶ ῥυθμοῦ χωρὶς λόγου τοῦ προσμελῳδοῦντος. *Certamen tibiarum viciſſim, ac rhythmorum, abſque illius ſermone, qui voce modos tibiæ æmulatur.*

* Pag. 617. edit. Commel.

6. §. *Uſi in choro & Doriâ harmoniâ, & Phrygiâ, & Lydiâ; imò & hypodoriâ, & hypophrygiâ, & mixolydiâ.*

Plutarchus de Muſica: Τόνων γὰρ τριῶν ὄντων κατὰ Πολύμνηστον, καὶ Σακάδαν, τοῦ τε Δωρίου, καὶ Φρυγίου, καὶ Λυδίου, ἐν ἑκάστῳ τῶν εἰρημένων τόνων στροφὴν πεποιηκότα φασὶ τὸν Σακάδαν, διδάξαι ᾄδειν τὸν χορὸν, δωριστὶ μὲν τὴν πρώτην, φρυγιστὶ δὲ τὴν δευτέραν, λυδιστὶ δὲ τὴν τρίτην. καλεῖσθαι δὲ τριμερῆ τὸν νόμον τοῦτον διὰ τὴν μεταβολήν. *Cum igitur, ſecundum Polymneſtum, & Sacadam, tria tonorum genera ſint; Dorium, Phrygium, Lydium: Sacadam, in unoquoque genere eorum, quæ diximus, feciſſe ſtropham; ac chorum docuiſſe, ut earum primam canerent Doricè, ſecundam Phrygicè, tertiam Lydiè. Atque ob mutationem iſtam hoc fuiſſe dictum* νόμον τριμερῆ, *hoc eſt, legem tripartitam.* Nec tamen hi modi non intendi, aut remitti, poterant. Nam aliter eſſe, oſtendit, quòd & modus erat ὑποδώριος, & ὑποφρύγιος, & μιξολύδιος: de quibus eodem libello Plutarchus. Sed de modis choricis poſtea pluribus; cùm de tragœdia, & comœdia, ſeorſum dicemus.

7. §. *Pro fabulæ argumento variabant modi: ita ut, qui in talibus eſſent ſubacti, ex modis colligerent, quæ futura eſſet fabula.*

Euanthius in prolegomenis Terentii: *Hujuſmodi adeò carmina ad tibias fiebant, ut, his auditis, multi ex populo ante diſcerent, quam fabulam acturi ſcenici eſſent, quàm omnino ſpectatoribus ipſis antecedens titulus pronunciaretur.* Quod ipſum & Tullius teſtatur in Lucullo. *Quàm multa,* inquit, *quæ nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati; qui primo inflatu tibicinis Antiopam eſſe ajunt, aut Andromachen; cùm id nos ne ſuſpicemur quidem.*

8. §. *Saltatio ſcenica triplex fuit; comica, tragica, & ſatyrica: prima dicebatur* κόρδαξ, *altera* ἐμμέλεια, *tertia* σίκιννις. *Nominaque hæc impoſita dicuntur à nominibus Satyrorum, qui Baccho miniſtrarent.*

Lucianus de Saltat. τριῶν γὰρ ὄντων τῶν γενικωτάτων ὀρχήσεων, κόρδακος, καὶ σικιννίδος, καὶ ἐμμελείας· οἱ Διονύσου θεράποντες, οἱ Σάτυροι, ταύτας ἐφευρόντες, ἀφ' αὑτῶν ἑκάστην ὠνόμασαν. *Cum tria ſaltationum genera latiſſimè pateant; cordax, ſicinnis, & emmelia: cùm Satyri, Bacchi famuli, ea reperiſſent, ab iis cuique nomen fecerunt.*

9. §. *Ac primò ejuſmodi ſaltatio cum dramate conjuncta fuit. Sed poſtea* ὀρχησταὶ *artem ſuam à dramatis ſepararunt, ac ſeorſum eam in ſcena oſtenderunt. Quod Auguſti temporibus factum à Pylade Cilice, & Bathyllo, pantomimis: quorum ſaltatio vocabatur Italica, & ex triplici, quam diximus, compoſita erat. Sed in Tragicis argumentis gloria major penes Pyladem fuit: in Comicis ſaltandis penes Bathyllum.*

Athenæus lib. I. Τοῦτον τὸν Βάθυλλον, φησὶν Ἀριστόνικος, καὶ Πυλάδην, οὗ ἐστι σύγγραμμα περὶ ὀρχήσεως, τὴν Ἰταλικὴν ὄρχησιν συστήσασθαι ἐκ τῆς κωμικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο κόρδαξ, καὶ τῆς τραγικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο ἐμμέλεια, καὶ τῆς σατυρικῆς, ἣ ἐλέγετο σίκιννις. *Ait Ariſtonicus, Bathyllum hunc, ac Pyladem, cujus de ſaltatione liber exſtat, Italicam ſaltationem conſtituiſſe ex Comicâ, quæ Cordax vocabatur; tragicâ, quæ dicta Emmelia; & ſatyricâ, quæ dicebatur Sicinnis.* Eadem de Pylade Suidas: Πυλάδης Κίλιξ, ἀπὸ κώμης μισθαρνῶν, ἔγραψε περὶ ὀρχήσεως τῆς Ἰταλικῆς, ἥτις ὑπ' αὐτοῦ εὑρέθη, περὶ τῆς κωμικῆς καλουμένης ὀρχήσεως, ἥτις ἐκαλεῖτο κόρδαξ, καὶ τῆς τραγικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο ἐμμέλεια, καὶ τῆς σατυρικῆς, ἥτις σίκιννις. *Pylades Cilix, è pago mercenarius, ſcripſit de ſaltatione Italica, quæ ab eo reperta; & de ſaltatione Comica, quæ vocabatur Cordax; & de Tragicâ, quæ dicta eſt Emmelia; & de Satyrica, quæ Sicinnis eſt appellata.* In eo verò differebat ſaltatio Pyladis, & Bathylli, quòd ille Tragicum amaret argumentum, hic Comicum. Unde M. Seneca lib. III. Controverſ.*. *Et ut ad morbum te meum vocem, Pylades in comœdia, Bathyllus in tragœdia, multum à ſe aberant.* Nimirum ſaltatio Pyladis gravis, plenaque affectuum: Bathylli magis hilaris, ac jocoſa: ut de utroque auctor Athenæus lib. I. & Plutarchus Sympoſ. lib. VII. cap. VIII. Quemadmodum verò auctores; ita & diſcipuli, ac ſectatores, poſtea diverſo ſaltationis genere claruere. Unde Seneca Natur. Quæſt. lib. VII. cap. XXXII. *Stat per ſucceſſores Pyladis, & Bathylli, domus. Harum artium multi diſcipuli ſunt, multique doctores.*

* Sive in epitome Declamat. epiſtola ad Novatum, Senecam, Melam.

Cap. X.

De Apparatu.

1. §. *Supereſt apparatus, qui perſonarum ornatum, & ea, quibus ſcena inſtrui ſolet, complectitur. Hac parte primò carebat drama. Theſpis enim ſine apparatu, ac ſcena, recitabat ſua è plauſtro. Fæce etiam eſt uſus, non perſonis. Primus Æſchylus aſſumſit perſonas. Quemadmodum & ſyrma, pulpitum, aliaque, primus dedit. Quamquam verò & hæc pars magis ad choragum, atque hiſtrionem, pertineat, quàm poëtam: à poëta tamen inſtrui uterque debet, ne decorum ab iis negligatur. Nam ut dictio rebus, ita apparatus convenire debet perſonis.*

Apparatus qui dicitur, rectiùs vocetur *oſtentus*: quia apparatus non minùs eſt in poëſi, quàm actione. Hæc pars ab Ariſtotele † dicitur ὄψεως κόσμος, hoc eſt, *ornatus viſionis*, ſive eorum, quæ ſub adſpectum cadunt. Eſt verò ὄψις, ut idem ait, ψυχαγωγικὸν μὲν, ἀτεχνότατον δέ: hoc eſt, *maximè quidem animos oblectat, ſed minimum artis habet.* Addit, eam eſſe ἥκιστα οἰκεῖον τῆς ποιητικῆς, *minimè artis propriam.* Quod gemino probat argumento. Primùm, quia ἡ τῆς τραγῳδίας δύναμις, καὶ ἄνευ ἀγῶνος καὶ ὑποκριτῶν ἐστιν. *Tragœdiæ natura, & virtus, extra etiam certamen, ac ſcenam, & ſine hiſtrionibus conſiſtit.* Altera ratio eſt, quia κυριωτέρα περὶ τὴν ἀπεργασίαν τῶν ὄψεων ἡ τοῦ σκευοποιοῦ τέχνη τῆς τῶν ποιητῶν ἐστι. *in apparatu concinnando potiùs ejus, qui apparatum hunc conficit, quàm poëtæ ars & induſtria verſatur.* Sanè poëta quidem hujus artis non debet eſſe ignarus. Quia, niſi à poëta inſtruatur choragus; quandoque negliget decorum. Interim proprium illud choragi eſt munus: quem ſic dixere, quaſi chori ducem. Sed qui choro præerat, idem fabulæ præfuit univerſæ. Hujus igitur erat procurare neceſſaria omnia, ut rectè hiſtrio oculis ſpectatorum fabulam exhiberet. Ergo convenientem juveni, ac ſeni; optimati, ac plebejo; veſtem dabit: curabit θεολογεῖον, ſive machinam, unde loquitur Deus, ſi dignus vindice nodus inciderit: procurabit

† De Poët. cap. 6.

Digitized by Google

rabit ea, quibus opus Medeæ, ut repræſentetur à draconibus in aëra rapta: atque ita in aliis. Vide omnino Minturnum libro tertio *.

* P. 242.

2. §. *Agebantur ludi ſcenici in theatro, quod in modum erat hemicycli; in eo erat ſcena, orcheſtra, & proſcenium. Scena frons erat theatri ab uno ejus cornu ad alterum cum coopertura. Proſcenium locus fuit ante ſcenam porrectus. In eo fuit pulpitum, in quod actores prodibant. Orcheſtra fuit, ubi, apud Græcos, ſaltarent; apud Romanos, ſpectarent Senatores. Erat ſcena pulpito altior; pulpitum proſcenio, & orcheſtrâ.*

Primus Agatharchus, ut Vitruvius ait in procemio libri VII. *Athenis, Æſchylo docente tragœdiam, ſcenam fecit, & de ea tragœdiam reliquit.* At plura de theatro, ejuſque partibus, vide apud Vitruvium lib. v. cap. III, & quatuor ſeqq. Item Plinium non uno loco, Tertullianum de ſpectaculis, alios.

3. §. *Primùm hiſtriones fecibus ora obducebant, ne agnoſcerentur: poſtea perſonas aſſumſere.*

Quas quis invenerit, conſtare negat Ariſtoteles ‡. Aliqui † Theſpidi id tribuunt. Alii Æſchylo: quos Horatius ſequitur:

‡ De Poëtica cap 5. † Suidas in Θέσπις.

Quæ canerent, agerentque peruncti fecibus ora.
Poſt hunc perſonæ, pallæque repertor honeſtæ,
Æſchylus.

Fuit apud Græcos & perſonæ genus, quod Μαίσων dicebatur; idque à Mæſone Megarenſi, perſonæ talis inventore: ut ſcripſit Ariſtophanes Byzantius libro περὶ προσώπων ‡: & ex eo Athenæus libro quincto decimo. Ubi ex eodem docet, excogitâſſe eum ſales, & jocos, famuli ac coqui perſonis convenientes; atque inde ejuſmodi ſales dictos eſſe σκώμματα μαισωνικά. Apud Latinos (ut eſt apud Euanthium *) *perſonati primi egiſſe dicuntur comœdiam Cincius, ac Faliſcus; tragœdiam, Minucius, & Protonius.*

‡ De perſonis.
* Lib. de tragœdia, & comœdia, ſive prolegomenis in Terentium.

4. §. *Hiſtrionum primò exiguus fuit numerus; ſed unus idemque varias ſuſtinebat perſonas.*

Lucianus in Menippo: Οἶμαι δὲ καὶ ἐπὶ τῆς σκηνῆς πολλάκις ἑωρακέναι τοὺς τραγικοὺς ὑποκριτὰς τούτους, πρὸς τὰς χρείας τῶν δραμάτων, ἄρτι μὲν Κρέοντας, ἐνίοτε δὲ Πριάμους γιγνομένους, ἢ Ἀγαμέμνονας· καὶ ὁ αὐτὸς, εἰ τύχοι, μικρὸν ἔμπροσθεν μάλα σεμνῶς, τὸ τοῦ Κέκροπος, ἢ Ἐρεχθέως, σχῆμα μιμησάμενος, μετ' ὀλίγον οἰκέτης προῆλθεν ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ κεκελευσμένος· ἤδη δὲ πέρας ἔχοντος τοῦ δράματος, ἀποδυσάμενος ἕκαστος αὐτῶν τὴν χρυσόπαστον ἐκείνην ἐσθῆτα, πένης, καὶ ταπεινὸς περιέρχεται. *Exiſtimo autem, etiam in ſcena vidiſſe te plerumque hiſtriones iſtos tragicos; qui, in fabularum uſum, modò Creontes, modo Priami fiunt, aut Agamemnones. Idemque, ſi ſors tulerit, paullò antè tam graviter Cecropis, aut Erechthei, formam imitatus; paullò poſt ſervus, poëtâ jubente, progreditur. Cumque jam fabulæ finis adfuerit, & ipſorum unuſquiſque veſtem illam auratam exuerit, perſonam depoſuerit, & ex cothurnis deſcenderit; pauper, & humilis, obambulat.*

5. §. *Si peccaret hiſtrio, exſibilabatur.*

Cicero in Paradoxis: *Hiſtrio, ſi paullò ſe moveat extra numerum, aut verſus pronunciatus eſt unâ ſyllabâ longior, aut brevior, exſibilatur.* Paſtoritiam etiam fiſtulam (ut Cicero † ludens vocat) metuebat Pylades, cùm, Herculem Furentem expreſſurus, non convenientem heroi inceſſum ſervare videretur. Itaque, perſonâ detectâ, ridentes ſic increpuit:

Μωροὶ, μαινόμενον ὀρχοῦμαι ‡:

Auctor Macrobius *.

† Lib. 1. ad Att. epiſt. 13.
‡ Stulti, furentem ſalto.
* Lib. Saturnal. 2. cap. 7.

6. §. *Prima hiſtrionibus cura erat vocis.*

De comœdorum, & aliorum hiſtrionum, infibulatione, ne vocem corrumperent, quod coitu fieri ſolet; vide Hieronymum Mercurialem lib. 1. Var. Lect. cap. IX.

7. §. *Veſtis variabat pro perſonâ, quàm ſuſtinerent.*

Cujuſmodi in comœdiis fuerit, inferiùs oſtendemus.

8. §. *Iidem diu fuere cantores, & ſaltatores: ſed poſtea eos ſepararunt, cùm animadverterent, ſaltu continuo anhelitum turbari; eoque & mutari cantum.*

Auctor Lucianus περὶ ὀρχήσεως. Saltatio Comica dicebatur κόρδαξ, ut ibidem legas: item apud Pollucem lib. IV. cap. XIV, Harpocrationem in κορδακισμὸς, & alios. Nomen à Cordace Satyro; ut ibidem Lucianus tradit.

9. §. *In ſcenâ duæ aræ poni ſolebant: dextera Liberi; ſiniſtra ejus Dei, cui ludi fiebant.*

Euanthii * verba ſunt: qui eò ait reſpexiſſe Comicum in Andria †, cùm ait:

——Ex arâ hinc ſume verbenas tibi.

* Prolegom. in Terent.
† Act. 4. ſc. 3.

10. § *Etiam ſcena variis picturis ornabatur apud Romanos.*

Valerius Max. lib. II. cap. I: *C. Pulcher ſcenam varietate colorum adumbravit, vacuis antè picturâ tabulis extentam.* Plinius lib. XXXV. cap. IV: *Habuit & ſcena ludis Claudii Pulchri magnam admirationem picturæ; cùm ad tegularum ſimilitudinem corvi, decepti imagine advolarent.* Hic Claudius Pulcher ædilis fuit anno Urbis DCLIV: eſtque is, à quo dicta *Claudiana tonitrua.* Nam cùm antea, lapidibus ‡ in βροντεῖον * injectis, levis ſonus ederetur: hic modum induxit, qui magnitudine ſoni magis tonitru referret. Feſtus Pompejus: *Claudiana tonitrua appellabantur, quia Claudius Pulcher inſtituit, ut poſt ſcenam conjectus lapidum ita fieret, ut veri tonitrus ſimilitudinem imitaretur. Nam antea, leves admodum, & parvi ſonitus fiebant, cùm clavi & lapides in labrum æneum conjicerentur.* Petrus Menenus, libello de Fabularum origine, & cum eo alii complures, cenſent, hæc tonitrua ſemper, ludis peractis, unà cum plauſu populi fieri ſolere. Sed falluntur. Tantùm enim fiebant, ſi fabulæ argumentum tonitru exigeret: ut in Plauti Amphitryone Act. v. Sc. I.

‡ Pollux, Ariſtophanis Scholiaſtes, & Euſtat.
* Labrum æneum referens tonitrus ſonum: q. d. tonitruarium.

11. §. *Apud Græcos ſcenici fabularum actores magno in honore erant.*

Itaque Æſchines Athenienſis, Atrometi filius, in adoleſcentia tragœdias actitavit. Atque idem poſtea concionibus, & orationibus, tantum ſibi nomen comparavit, ut Oratorum à Demoſthene proximus haberetur. Teſtes Demoſthenes orat. de Corona, Quinctilianus lib. II. cap. XVII, Plutarchus in vitis X. Rhetorum. Ariſtodemus etiam tragicus, licet hiſtrio fuerit, ſæpius ab Athenienſibus de rebus pacis ac belli legatus ad Philippum miſſus fuit: ut ex Demoſthene conſtat. De utroque etiam egit Cicero lib. IV. de Rep. & ex eo B. Auguſtinus lib. II. de Civit. Dei cap. X. Verba ſunt: *Siquidem, quod in eo quoque* (Ciceronis) *de Rep. libro commemoratur, Æſchines Athenienſis, vir eloquentiſſimus, cùm adoleſcens tragœdias actitaviſſet, remp. capeſſivit: & Ariſtodemum, tragicum item actorem, maximis de rebus pacis ac belli legatum ad Philippum Athenienſes ſæpe miſerunt.*

12. §. *Ro-*

12. §. *Romani in eo à Græcis abiere, quod actores fabularum nullo honore dignarentur.*

De diſcrimine eo ſic Cornelius Nepos præfat. in Excellentium Imp. vitas: *In ſcenam verò prodire, & populo eſſe ſpectaculo, nemini in eiſdem* (Græciæ) *gentibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honeſtate remota, ponuntur.* Firmat quoque Scipio apud Ciceronem: *Cùm artem ludicram, ſcenamque totam, probro ducerent; genus id hominum non modò honore civium reliquorum carere; ſed etiam tribu moveri, notatione cenſoriâ voluerunt.* Citat B. Auguſtinus lib. II. de Civit. Dei cap. XIII. Quærat igitur aliquis, unde ea fuerit familiaritas M. Ciceronis cum Roſcio Comœdo; quem toties laudibus extollit, ac inprimis oratione, quam pro eo habuit. Nempe amavit eum Cicero, ut virum virtute, ac fide, ſingularem: nec tamen potuiſſet ullos honores conſequi in Rep. Audiamus, quid de eodem Roſcio dicat orat. pro Quinctio: *Etenim cùm artifex ejuſmodi ſit, ut ſolus dignus videatur eſſe, qui in ſcena ſpectetur: tum vir ejuſmodi eſt, ut ſolus dignus videatur, qui eò non accedat.*

13. §. *Quid quòd ne ipſi quidem poëtæ ullâ immunitatis prærogativâ juvarentur.*

Philippus Imp. leg. III. Cod. de Profeſſ. & Med. lib. X.

14. §. *In ludis tamen Capitolinis, è judicum ſententiâ, donabantur Poëtis corona ſcenica.*

Nec tamen his ſolis, ſed & Oratoribus, aliiſque artificibus; quâ de re ſic Suetonius Domitiano cap. IV: *Inſtituit & quinquennale certamen; Capitolino Iovi triplex; muſicum, equeſtre, gymnicum; & aliquantò plurium, quam nunc eſt, coronarum.* Id certamen inſtitutum Anno P.R.C. DCCCXXXIX, Domitiano XII, & Ser. Cornelio Dolabellâ Coſ. ut ex Cenſorino conſtat lib. de die Natali cap. V. Inque eo agone victus Statius Papinius; quia, occupatus in ſua Thebaide, non tantum operæ poſuiſſet in celebrando Jove Capitolino, quantum neceſſe erat. Vide Juvenalem ſat. VII, & quæ ad Tranquilli locum adlatum Caſaubonus adnotavit.

15. §. *Imò iiſdem, in ſuis municipiis, ære è plebe collato, ſtatua ponebantur.*

Exemplo fuerit L. Valerius L. F. Pudens: de quo antiqua inſcriptio ab Onuphrio Panuino * inventa in oppido Hiſconio, quod nunc *el Guaſto* dicitur in regione Ferentanâ. Eſt verò hujuſmodi:

* In Collectione Gruteriana habes pag. 332. num. 3.

L. VALERIO L. F.
PUDENTI
HIC CUM ESSET ANNORUM
XIII ROMÆ CERTAMINE
IOVIS CAPITOLINI LUSTRO
SEXTO CLARITATE INGENII
CORONATUS EST INTER
POETAS LATINOS OMNIBUS
SENTENTIIS JUDICUM
HUIC PLEBES UNIVERSA
HISCONIENSIUM STATUAM
ÆRE COLLATO DECREVIT
CURAT. R. P.

CAP. XI.

DE TRAGOEDIA.

1. §. *Vidimus univerſè de dramate. Nunc agamus de variis ejus formis: ac primùm de Tragœdiâ. Initio id commune erat comœdiæ, & tragœdiæ nomen. Utraque enim τρυγῳδία ſive τραγῳδία vocabatur.*

Monuit hoc Etymologus magnus in τραγῳδία. Et ante eum Athenæus lib. II: ubi cenſet, comœdiæ & tragœdiæ inventionem poſt ebrietatem exſtitiſſe. Sic enim ſcribit: Ἀπὸ μέθης, καὶ ἡ τῆς Κωμῳδίας, καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας εὕρεσις, ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς εὑρέθη, καὶ κατ' αὐτὸν τὸν τῆς τρύγης καιρόν. ἀφ' οὗ δὴ ἐν τρυγῳδία τὸ πρῶτον ἐκλήθη * καὶ κωμῳδία. *Prima comœdiæ, & tragœdiæ, origo fuit ex compotatione, ac temulentiâ in Icario Atticæ pago: idque tempore vindemiæ, quæ Græcis τρυγή: unde τρυγῳδίας nomine etiam comœdia priùs vocabatur.*

* Niſi cum Caſaubono malis, ἐκλήθη καὶ ἡ τραγῳδία, ἡ κωμῳδία.

Unde tragœdia dicatur, variant admodum ſententiæ. Tres verò ſunt magis veriſimiles. Una eſt, ut dicatur à τράγος, id eſt, *hircus*, & ᾠδή, *cantus*. Sive quia tragœdia priùs fieret in honorem Bacchi; cui hircus, vinearum hoſtis, mactabatur; ut ex Varrone, Marone, Ovidio, & aliis conſtat: ſive quia hircus præmium certantibus foret: unde Horatius †:

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

† Epiſt. ad Piſones.

Et Tibullus lib. II. el. I:

Agricola & minio ſuffuſus, Bacche, rubenti,
Primus inexpertâ duxit ab arte choros.
Huic datus à pleno memorabile munus ovili
Dux hircus pecoris; duxerat hircus oves.

Eſt ea ſententia Servii in illud Maronis ‡, *Tu poſt carecta latebas.* Hic mos hirco remunerandi victorem, cœpit Olympiade XLII; ſi credimus Euſebio in Chronicis. Altera eſt, ut ſit à τρύξ, id eſt, *fex*: quia, ut Donatus, ſive Euanthius * ait, ora ſua fecibus perlinebant ſcenici actores, ante uſum perſonarum ab Æſchylo repertum. Unde idem poëta †:

‡ Eclog. 3.
* Lib. de tragœd. & comœd.
† Ibidem.

Ignotum tragicæ genus inveniſſe Camenæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,
Quæ canerent, agerentque perunctì fecibus ora.

Fiebat autem hoc ab actoribus, ἵνα ‡ μὴ γνώριμοι γένωνται: ut ait Ariſtophanis ſcholiaſtes; ubi exponit, cur actores tragici à poëta τρυγοδαίμονες vocentur. Tertia ratio eſt, ut ſit à τρύξ, id eſt, *novum vinum*; quia (ut eſt apud eundem Euanthium) *uter muſti plenus ſolemne præmium cantoribus foret.* Quod & Diomedes * monuit his verbis: *Liberalibus apud Atticos, die feſto Liberi patris, vinum cantoribus pro corollario dabatur: cujus rei teſtis eſt Lucillius in* XII. Vbi verba illa, *die feſto Liberi patris*, gloſſema eſſe arbitror cujuſdam qui vocem *Liberalibus* interpretaretur; ne quis homines liberales ſignari crederet. Si ſecunda, tertiave ſententia placet, τραγῳδία dicatur, quaſi τρυγῳδία: quomodo Ariſtophanes in Acharnenſibus vocat Euripidis tragœdiam. Ubi, ſi veterem audimus ſcholiaſten, τρυγῳδίαν † εἶπεν ἀντὶ τοῦ κωμῳδίαν, διὰ τὸ τοῖς νικῶσι κωμικοῖς τρύγα δίδοσθαι, τουτέστι νέον οἶνον. Sed falli videtur. Si enim non *fecem* modò, ſed & *vinum novum*, dixere τρύγα, quod & Tzetzes ‡ monuit: longè veriſimilius ſit, eum ridere Euripidem, quaſi, cum ſe muſto proluiſſet, ſemipotus fabulas ſcriberet. Notum enim illud poëtis ſolere vitio verti, quòd Bacchi magis, quàm Muſarum afflatu, carmen funderent. Nec movere debet, quòd Suidas * etiam τρυγκωμῳδία legiſſe videatur. Nam metrum apud Ariſtophanem refugit eam vocem.

‡ Ut non agnoſcerentur.
* Lib. 3.
† trygœdiam dixit procomœdia; quia comicis vincentibus darent tryga, id eſt, novum vinum.
‡ Proleg. in Lycophron.
* In τρυγκωμῳδία.

Alias etiam cauſſas, cur τραγῳδία dicatur, refert Etymologici magni autor: quas, quia parum probo, non referam hoc loco. Fugit verò eum monere, nonnullos quoque (è quibus Iſacius Tzetzes †) ita dictam putare,

† Proleg. in Lycophr.

quaſi τρηχεῖαν ᾠδὴν*. Quod etymon, etſi Aldo Manutio Pauli F. & aliquot aliis, maximè placuerit: mihi tamen neutiquam probatur. Nam, ut alia mittam, non favet ἀναλογία.

* *Aſperam orationem.*

2. §. *Tragœdia eſt* poëma dramaticum, illuſtrem fortunam, ſed infelicem, gravi & ſeverâ oratione imitans. *Quibus & finem hunc, ſi voles, adde*; ad affectus ciendos, animumque ab iis purgandum.

Ariſtoteli † fuſiùs ſic deſcribitur, μίμησις πράξεως σπουδαίας, καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ, χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις δρώντων, καὶ οὐ δι᾽ ἐπαγγελίας, ἀλλὰ δι᾽ ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν. *Imitatio actionum ſeriarum, & gravium, habens magnitudinem, ſermone ad voluptatem facto, ita ut ſingulæ genera ſuis adhibeantur partibus ac locis, nec per enarrationem, ſed per miſericordiam, & metum, praſtans ab ejuſmodi perturbationibus purgationem.* Ant. Sebaſt. Minturnus ‡ eorum mentem ſic expreſſit, *Imitatio inſignis, ſeriaque aliqua, & abſoluta, & magnitudine quadam comprehenſam actionem oratione ſuavi exprimens: ita ut ejus partes ſuo ſingulæ quidem loco, atque ſeorſum, adhibeantur; nec ſimplici narratione, ſed inductione illorum, qui ita agunt ac dicant, ut miſerationem terroremque concitent ad id genus morborum expiationem.* Quæ deinceps fuſiùs explicantur à Minturno. Nos breviter id faciemus. Genus igitur in hac definitione eſt μίμησις, *imitatio.* Eſtque imitatio ea πράξεως, *actionis*; nec cujuſvis, ſed σπουδαίας, καὶ τελείας, καὶ μέγεθος ἐχούσης: ubi σπουδαίας non tam eſt *præſtantis*, prout Paccius vertit, quàm *ſeriæ, ac gravis*, quo à comœdia differt, imitante actiones leviculas. Τελείας valet *perfectæ*; ita, ut non ſit minutum quid, & mutilum, quemadmodum veterum dramata; ſed habeat principium, medium, finem; ſive protaſin, epitaſin, cataſtrophen. Additur μέγεθος ἐχούσης, *magnitudinem habentis*; quia perfecta eſſe poſſit, nec habere juſtam magnitudinem; quomodo homo pumilus, ſive nanus, nullâ careat partium naturalium, ſed ob exiguam nimis ſtaturam deficit. Quod ne in dramate uſu veniat; epiſodiis, & digreſſionibus extenditur. Hinc ſermo ſpectatur, cum dicitur ἡδυσμένῳ λόγῳ, *ſermone ſuavi*, ſive, ad verbum magis, *ſermone edulcato*; quomode Cn. Mattius in Mimiambis* dixit, *edulcare curas.* Dulcedinem autem eam maximè adferunt numerus, harmonia, & melos: ut poſtea Ariſtoteles dicit. Additur, χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις δρώντων, *ſeorſim partium unaquâque in partibus agente.* Hoc eſt, ita ut ſingula genera non mixtim, ſed ſeorſim, inſint partibus ſingulis. Nam, ut Ariſtoteles ipſe ſubjungit mox, quædam perficiuntur ſolo metro; quædam verò melodiâ. Inſtituitur autem, οὐ δι᾽ ἐπαγγελίας, *non per annunciationem*, ut fit in epopœia: ἀλλὰ δι᾽ ἐλέου, καὶ φόβου, *ſed per miſericordiam, & timorem*; ut quæ res narret atroces, unde miſericordia oritur; contrà quàm fit in comœdia, ubi res hilares referuntur, unde lætitia naſcitur. Per hæc verò dicitur tragœdia περαίνειν τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν, *purgare ac levare animum ab hujuſmodi perturbationibus.* Quale eſt, quòd (ut unam è multiplici purgatione affectuum memorem) homines videntes adverſa, in quæ jam olim inciderint magnæ animæ, faciliùs diſcunt ferre præſentiâ. Quâ de re elegantes Timoclis verſiculos legere eſt apud Athenæum initio libri ſexti.

† *De arte Poët. cap. 6.*

‡ *Lib. 3 de Poëta, pag. 184 edit. Venet. an. 1559.*

* *Apud Agellium lib. 15. cap. 25.*

Julio Scaligero lib. 1. de re Poëtica cap. VI. definitur, imitatio illuſtris fortunæ, exitu infelici, oratione gravi metricâ. Ubi illud probare non poſſum, quòd requirat exitum infelicem. Plurimùm quidem id fit; ſed non eſt de οὐσίᾳ † tragœdiæ. In multis enim id Græcorum tragœdiis non videas; ut poſtea dicetur. Quare differentia εἰδοποιὸς ‡, quâ differt à comœdiâ, in eo conſiſtit, quòd graves actiones imitatur; eoque graves etiam perſonas aſſumit. Sed, utcumque non ſemper exitus ſit infelix; ſemper tamen infelix conditio, vel grave periculum, ob oculos ponitur. Nam affectus ei movere propoſitum eſt, inprimis miſericordiam.

† *Materiæ naturâque.*

‡ *Specifica, ſive formæ effectrice.*

Quærat aliquis, quomodo delectationem, quæ poëtæ omni eſt propoſita, adferre tragicus poſſit, cùm triſtia & luctuoſa repræſentet: nec viri boni ſit gaudere alienis malis, præſertim virorum illuſtrium. Huic difficultati occurritur, ſi cogitemus, ſpectatorem capere voluptatem, non ex eo, quia aliis fuerit malè: verùm ex artificio poëtæ: quomodo exhorreſcimus conſpectum draconum, & monſtrorum: at jucunda eſt eorum pictura, quia pictoris nos ars delectat. Etiam alterum hic concurrit. Nam ſuave eſt noſſe caſus tantos, quia hæc res prudentiam auget.

Cap. XII.

De tragœdiæ antiquitate, initiis, incremento, ac perfectione.

1. §. *Habemus de tragœdiæ vocabulo, ac definitione. Quæ de eâ ſequuntur, partim ad hiſtoriam pertinent, partim ad artem. Prioris generis ſunt ea, quibus exponitur tragœdiæ origo, progreſſus, perfectio. Origo tragœdiæ, an comœdiæ, antiquior ſit, non convenit. Videtur autem comœdia quidem prius cœpiſſe; ſed tragœdia prius exculta.*

Tragœdiam eſſe vetuſtiorem, ſententia eſt veteris Grammatici, cujus de Tragœdia & Comœdia libellus Donati in Terentium commentario præmittitur. Euanthium videri antea diximus. Hujus ſunt verba: *Ut ab incultis, & feris moribus, paullatim perventum eſt ad manſuetudinem; urbeſque ſunt conditæ; & vita mitior atque otioſior proceſſit: ita res tragica longè ante comicas inventa.* Sed cùm ſimplicior ſit comœdia: veriſimilius eſt, ex comœdia ortam eſſe tragœdiam. Quæ & Julii Scaligeri ſententia eſt lib. 1. de re poët. cap. V. Interim priùs excultam eſſe tragœdiam, quàm comœdiam, non diffitetur.

2. §. *Ut verò reliqua poëſis, ita & tragœdia, ac comœdia, primò fuit αὐτοσχεδιαστική, ſive ſubita, & extemporalis.*

Quemadmodum ex Ariſtotele diximus lib. de Natura ac Conſtitutione Poëtices cap. XIII. Unde autem, cùm primùm rudis eſſet, & impolita, incrementum ceperit; idem docet Stagirita. Nempe cùm antiquitus in ſacris Bacchi dithyrambice foret, & phallica: ex dithyrambice quidem aucta eſt tragœdia; ex phallicis autem comœdia.

3. §. *Diu Tragœdia ſolo conſtitit choro: huic Theſpis unum addidit hiſtrionem, poſt Theſpidem eam excoluit Phrynichus. Uterque Athenienſis fuit. Sed Dorienſes ajebant, multis ante utrumque annis tragœdiam apud ſe viguiſſe. Athenienſes hîc dicere, Theſpidi tribui vulgò tragœdiæ inventionem; quòd choro addidiſſet hiſtrionem unum, & tragœdiæ majorem addidiſſet ornatum: at longè ante eum apud ſe tragœdiam viguiſſe, etſi rudiorem.*

Ajunt quidam, Theſei ad ſepulcrum certâſſe tragicos: atque eam fuiſſe tragœdiarum vetuſtiſſimam. Sed prima tragœdia ſolo conſtabat choro: ut auctor eſt Laërtius in Platone. Chori autem tragici initium eſt tam antiquum, ut planè illud neſciatur. Unde inventrix ejus dicitur Euterpe, Muſarum una. Incertus poëta in Ἀνθολογίας primo Tit. in poëtas: εὗρεν*, inquit,

Εὐτέρπη † τραγικοῖο χοροῦ πολυηχέα φωνήν.

Choro poſtea hiſtrionem unum addidit Theſpis. Cauſam exponit idem Laërtius in Platone. Ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορόν. *Ut olim tragœdiam primùm quidem chorus ſolus agebat*

* *Invenit.*

† *Euterpe tragici chori multiſonam vocem.*

agebat; poſtmodum verò Theſpis unum invênit hiſtrionem, ut chorus interdum requieſceret. Quem locum pleniùs poſtea adducemus. De Theſpide exſtabat olim liber Chamæleontis. Inventionem tragœdiæ tribuit ei Donatus, ſive Euanthius ‡. Item Dioſcorides, in epigrammate, quod incipit:

‡ *Lib. de Tragœd. & Com.*

Θέσπιδος εὕρεμα τοῦτο ——

Adhæc Clemens Alexandrinus lib. I. Στρωματ. & Horatius in Arte: cui plauſtris dicitur tragœdias vexiſſe; quia fabulæ olim è plauſtris agerentur. Ex quibus & convicia jactabantur: unde proverbium, ἐξ ἁμάξης λέγειν *, & ἐξαμάξειν †.

* *E plauſtro loqui.*
† *De plauſtro convitia jacere.*

Atque ad hanc etiam conſuetudinem reſpexit Polemo, quando (ut apud Philoſtratum eſt) ajebat ‡, τὰ μὲν τῶν καταλογάδην, ὤμοις δεῖν ἐκφέρειν· τὰ δὲ τῶν ποιητῶν, ἁμάξαις· *quæ ſunt orationis proſæ, humeris: at illa, quæ poëtices, plauſtris efferri oportere.*

‡ *Lib. 1. de vitis Sophiſtarum.*

Fuit autem Theſpis Athenienſis, ac temporibus vixit Solonis; diſcipulum habuit Phrynichum tragicum, itidem Athenienſem. Propter iſta Athenienſes ſibi tragœdiæ inventionem vindicabant. Sed antiquiorem his eſſe contendêre Dorienſes, qui Peloponneſum incolebant. Hos ejus inventionem ſibi tribuiſſe, auctor eſt Ariſtoteles in Poëtica ‡. Atque hi primùm fuiſſe tragicum ajebant Epigenem illum Sicyonium, cujus Bacchas, atque alia, Athenæus citat; ac cui, cum tragœdiam de Baccho feciſſet, acclamatum fuit, οὐδὲν πρὸς Διόνυσον *: quod poſtea in proverbium abiit; ut auctor eſt Suidas. Ajebant igitur Dorienſes, Theſpidem, vel ſecundum, vel, ut alii dicunt, decimum ſextum ab hoc Epigene fuiſſe. Sed oggerebant Athenienſes, etiam multò ante Theſpidem fabulas Athenis agi ſolitas. Quâ de re ſic Plato in dialogo illo, qui Minos, vel de Lege †, inſcribitur: Ἡ δὲ τραγῳδία ἐστὶ παλαιὸν ἐνθάδε, οὐχ, ὥσπερ οἴονται, ἀπὸ Θέσπιδος ἀρξαμένη, οὐδ' ἀπὸ Φρυνίχου, ἀλλ', εἰ θέλεις ἐννοῆσαι, πάνυ παλαιὸν αὐτὸ εὑρήσεις ὂν τῆσδε τῆς πόλεως εὕρημα. *Tragœdia enim antiquum eſt iſtius civitatis inſtitutum: non verò, ſicuti arbitrantur, à Theſpide, vel à Phrynicho, originem habuit: ſed priſcum eſſe comperies hujus civitatis inventum, ſi rem attentiùs volueris conſiderare.* Haſce ſententias conciliare ita poſſumus, quòd Theſpis ex arte primus tragœdiam docuerit; cùm antea tantùm, tam apud Athenienſes, quàm Dorienſes αὐτοσχεδιάσμασι ‡ obtinerent.

‡ *Cap. 3.*
* *Nihil ad Bacchum.*
† *Pag. 321. ed. H. St.*
‡ *Subita, & extemporalia.*

4. § *Tragœdia, cùm ex αὐτοσχεδιάσμασι * nata, & à Theſpide è dithyrambicis aucta eſſet, majora ab Æſchylo incrementa cepit.*

* *Extemporalibus.*

Hic, ut apud Pauſaniam legere eſt, in ſomnio monitus eſt, ut tragœdiam ſcriberet. De eodem ſic Quinctilianus lib. x. *Tragœdias primus in lucem Æſchylus protulit, ſublimis, & gravis, & grandiloquus, ſæpe uſque ad vitium: ſed rudis in pleriſque, & incompoſitus: propter quod, correctas ejus fabulas in certamen deferre, poſterioribus poëtis Athenienſes permiſere. Suntque eo modo multi coronati.* In iis, quos Fabius ſic coronatos ait, etiam Euphorio fuit. Æſchylum enim duos habuiſſe filios, Euphorionem, ac Bionem; utrumque autem fuiſſe poëtam tragicum; etiam apud Suidam ‡ legere eſt. Ex his Euphorio paternis fabulis quater vicit, ac proprias etiam ſcripſit. Bion verò fuit ex poëtis, qui à fiducia in ſcribendo dicti fuere θαρσυνοί: unde & fortaſſis intelligendus hic Horatii verſus ‡:

‡ *In Αἰσχύλος.*

Ille Bionæis ſermonibus, & ſale nigro.

‡ *Lib. 2. epiſt. 2.*

Atque hoc παρέργως *, ut Fabii loco lucem præberemus: imò & Philoſtrato, cujus verba mox apponam. Ad Æſchylum redeo.

* *Obiter.*

5. § *Hic, cùm antè unicus foret hiſtrio, adhibuit duos: atque ita primus diverbia induxit. Idem obſervavit, ut hiſtrionum unus priorum eſſet partium; alter ſecundarum. Ille πρωταγωνιστής: hic δευτεραγωνιστὴς dicebatur. Adhæc & chori numerum imminuit, & cædes removens à ſcena, per nuncios eas retulit. Pulpita etiam reperit, ut actores è ſublimi meliùs conſpicerentur, & audirentur: denique etiam perſonas, & habitum magis convenientem heroibus, inſtituit.*

Ariſtoteles *: Τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος, ἐξ ἑνὸς εἰς δύο, πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασε. *Hiſtrionum numerum, ex uno videlicet in duos, Æſchylus primus auxit; & ea, quæ circa chorum ſunt, imminuit; ſermonemque primarum partium inſtituit.* Sic Horatius †, cùm de Theſpide locutus eſſet:

* *Lib. de re Poët. cap. 4.*
† *In Arte.*

Poſt hunc perſonæ, pallæque repertor honeſtæ
Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis;
Et docuit, magnumque loqui, nitique cothurno.

De eodem ſic Athenæus libro primò: Καὶ Αἰσχύλος δὲ οὐ μόνον ἐξεῦρε τὴν τῆς στολῆς εὐπρέπειαν, καὶ σεμνότητα, ἣν ζηλώσαντες οἱ ἱεροφάνται καὶ δᾳδοῦχοι ἀμφιέννυνται· ἀλλὰ καὶ πολλὰ σχήματα ὀρχηστικὰ ἀνεδίδου τοῖς χορευταῖς. Χαμαιλέων γοῦν πρῶτον αὐτόν φησι σχηματίσαι τοὺς χορούς, ὀρχηστοδιδασκάλοις οὐ χρησάμενον· ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τοῖς χοροῖς τὰ σχήματα ποιοῦντα τῶν ὀρχήσεων, καὶ ὅλως πᾶσαν τὴν τῆς τραγῳδίας οἰκονομίαν εἰς αὐτὸν περιϊστᾶν. *Æſchylus non tantùm pallarum, & abollarum, decorum ac gravitatem excogitavit, quàm æmulati ſacerdotes, & qui faces in ſacris geſtant, miniſtri iis induuntur; ſed etiam multos ſaltatorios geſtus à ſe inventos chori perſonis tradidit. Chamæleon igitur ſcribit ab eo fuiſſe primum formatos choros, abſque ſaltationum doctoribus; eumque geſtus chori præſcripſiſſe, ut totam prorſus tragœdiæ diſpoſitionem, ac diſpenſationem in ſe transtulerit.* De eodem ſic Philoſtratus in Apollonii vita lib. VI. cap. VI. Ποιητὴς μὲν γὰρ οὗτος τραγῳδίας ἐγένετο. τὴν τέχνην δὲ ὁρῶν ἀκατασκεύαστόν τε, καὶ μήπω κεκοσμημένην, εἰ μὲν ξυνέστειλε τοὺς χοροὺς ἀποτάδην ὄντας, ἢ τὰς τῶν ὑποκριτῶν ἀντιλέξεις εὗρε παραιτησάμενος τὸ τῶν μονῳδιῶν μῆκος, ἢ τὸ ὑπὸ σκηνῆς ἀποθνήσκειν ἐπενόησεν, ὡς μὴ ἐν φανερῷ σφάττοι. σοφίας μὲν μηδὲ ταῦτα ἀπηλλάχθω· δοκείτω δὲ κἂν ἑτέρῳ παρασχεῖν ἔννοιαν ἧττον δεξιῷ τὴν ποίησιν. ὁ δ' ἐνθυμηθεὶς μὲν τὸ αὐτόν, ὡς ἐπάξιον τοῦ τραγῳδίαν ποιεῖν φθέγγοιτο. ἐνθυμηθεὶς δὲ καὶ τὴν τέχνην, ὡς προσφυᾶ τῷ μεγαλείῳ μᾶλλον, ἢ τῷ καταβεβλημένῳ τε, καὶ ὑπὸ πόδα, σκευοποιίας μὲν ἥψατο, εἰκασμένης τοῖς τῶν ἡρώων εἴδεσιν. ὀκρίβαντος δὲ τοὺς ὑποκριτὰς ἐνεβίβασεν, ὡς ἴσα ἐκείνοις βαίνοιεν. ἐσθήμασί τε πρῶτος ἐκόσμησεν, ἃ πρόσφορον ἡρώεσί τε, καὶ ἡρωΐσιν ᾐσθῆσθαι. ὅθεν Ἀθηναῖοι πατέρα μὲν αὐτὸν τῆς τραγῳδίας ἡγοῦντο, ἐκάλουν δὲ καὶ τεθνεῶτα ἐς Διονύσια. τὰ γὰρ τοῦ Αἰσχύλου ψηφισαμένων, ἀνεδιδάσκετο ‡, καὶ ἐνίκα ἐκ καινῆς. *Erat namque Æſchylus poëta tragicus, qui, cùm artem ejuſmodi incompoſitam, inornatamque, animadverteret; choros in unum contraxit disjunctiſſimi antea cùm forent, & hiſtrionum crebras reſponſiones auferens, unici cantus prolixitate; intra ſcenas faciendam jugulationem excogitavit, ne coram populo trucidationes hominum fierent. Quæ licet ipſa per ſe ſapientiâ carere nemo dixerit; ulteriùs tamen aliquid excogitandi, etiam in poëtica minus peritis, præſtitit occaſionem. Cumque rurſus ille cogitaret, quo pacto dignitatem tragœdiis poſſet afferre; videretque ejuſmodi arti ſublimitatem potiùs, quàm humilitatem, convenire; apparatus ornatiores inſtituit, & heroum figuris magis accommodatos: & pulpitis hiſtriones ſuperimpoſuit; ut alti, ſicut heroës, graderentur: veſtibuſque primus eoſdem ornavit, quas heroës, aut heroinas, decere putabat. Quibus de cauſſis Athenienſes tragœdiæ parentem illum putant, & in Dionyſii feſtis etiam mortuum advocant. Quæ enim ab Æſchylo inventa fuerunt, ediſcuntur, ac præ cæteris habentur in pretio.* Etiam, Suidâ * teſte, morem induxit, ut tragici uſurparent προσωπεῖα † δεινὰ κεχρισμένα, καὶ ἀρβύλας: ubi per ἀρβύλας, altiores calceos ſignat; per προσωπεῖα autem κεχρισμένα denotat perſonas fecibus unctas, aliiſque pictas coloribus.

‡ *Mentem non cepit Fr. Morellus; cujus interpretationem ſubjeci. Sententia eſt: Æſchyli fabulas etiam à morte ejus actas, quique eas docuiſſent, Athenienſium decreto viciſſe denuo. Vide Fabii verba pag. præcedenti, & quæ de Æſchylo diximus in opere de poëtis Græcis.*
* *In Αἰσχύλος.*
† *Perſonas terribiles, & unctas, item arbylas.*

6. §. Sophocles verò duo poſteà invênit. Nam tertium hiſtrionem addidit: item tragicæ ſcenæ ornatum reperit. Cumque antea chorus conſtaret perſonis XII. *ab eo cæpit eſſe è* XV.

* De Poët. cap. 4.

Ariſtoteles *: Τρεῖς δὲ (ὑποκριτὰς εἰσήγαγε) καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς. *Tres vero* (hiſtriones induxit) *Sophocles unà cum ſcenæ ornatu.* Itaque priùs quidem duo erant hiſtriones; quorum prior πρωταγωνιστὴς †, alter δευτεραγωνιστὴς ‡, dicebatur; illius πρωτολογία, ſive potiores fuere in agendo partes: huic autem commiſſa δευτερολογία, ſive partes ſecundæ. Poſtea etiam tertius acceſſit, qui vocatus τριταγωνιστὴς, quia tertias ageret partes: atque hunc Sophocles addidit. Præterea, ut dicebam, idem induxit ſcenographiam. Scenæ autem tragicæ ut deformari ſoleant, Vitruvius multis docet lib. v. cap. VII. Pluraque de eo nos inferiùs. Etiam, quantum tragœdia debeat Sophocli, indicat Dioſcorides Ἀνθολογίας lib. III. tit. XXV. qui eſt in Poëtas. Adi & Suidam.

† Primarum partium actor.
‡ Secundarum partium actor.

7. §. Propter iſta tragœdiam perfeciſſe credebatur.

Hac de re egregiè Diogenes Laertius in vita Platonis: qui ait, à Theſpide eſſe initia: ab Æſchylo incrementum, à Sophocle perfectionem: ac ſimiliter in philoſophiâ ſe rem habere; cujus pars prima, nempe Phyſice, ſit à Pherecyde, Pythagorâ, Thalete, aliis; altera verò, hoc eſt, Ethice, ſit a Socrate; tertia verò, Dialectica nempe, acceſſerit à Platone. Audiamus ipſum: Ὥσπερ δὲ τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν· ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν, ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορόν, καὶ δεύτερον Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς, καὶ συνεπλήρωσαν τὴν τραγῳδίαν· οὕτως καὶ τῆς φιλοσοφίας ὁ λόγος πρότερον μὲν ἦν μονοειδής, ὡς ὁ φυσικός, δεύτερον δὲ ὁ Σωκράτης προσέθηκε τὸν ἠθικόν, τρίτον δὲ Πλάτων τὸν διαλεκτικόν, καὶ ἐτελεσιούργησε τὴν φιλοσοφίαν. *Ut olim in tragœdia prius quidem ſolus agebat chorus, poſtea verò Theſpis unum reperit hiſtrionem, ut chorus interdum requieſceret, ſecundum poſtea Æſchylus adiecit, ac tertium Sophocles: atque hunc in modum tragœdia eſt abſoluta: ſic & ſe habuit philoſophiæ ratio: priùs quippe uniformis, cùm verſaretur in ſolâ ſcientiâ naturali; alteram verò formam addidit Socrates, Ethicen; tertiam autem Plato, Dialecticen; atque ita Philoſophiam perfecit.* Ubi pro Πλάτων malim Ζήνων. Sanè idem Laërtius in Procemio ait, ſolam Phyſicen viguiſſe uſque ad Archelaum: à Socrate initium cepiſſe Ethicen: Dialecticæ initium dediſſe Zenonem Eleatem.

*8. §. Alii conſummatæ tragœdiæ gloriam non ſoli Sophocli, ſed & Euripidi tribuunt. Et ſane eſt, ubi vincat Sophocles: eſt, ubi vincatur. Sophocles enim eſt φιλυπέρβατος *, Euripides φιλοσύνθετος †. Hic ciendis affectibus, & ſententiarum gravitate: ille vincit ſublimitate dictionis, & οἰκονομίᾳ ‡.*

* Amans hyperbatorum, ſive trajecti verborum ordinis.
† Amans concinnæ verborum compoſitionis.
‡ Diſpoſitione fabulæ.

Ariſtoteles ‡: Καὶ ὁ Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται. *Et Euripides, licet alioqui non bene diſponat fabulam, maximè tamen tragicus eſt in ſui generis poëtis.* Hoc etiam in Euripide culpari ſolet, quòd ſubinde fingit parum veriſimilia: ut cùm inducit reges oſtiatim cum perâ mendicantes. Nec enim eò collabitur regum majeſtas; cùm numquam deſint, qui eos ſublevent in neceſſariis. Nec tamen tantò inferior Euripides eſt Sophocle in οἰκονομίᾳ *: ſed fortaſſe ſæpius peccaſſe videtur, quia plura ejus habemus: quâ de re vide in Euripidis Phœniſſas προλεγόμενα Hugonis Grotii:

‡ De Poët. cap. 13.
* Diſpoſitione fabulæ.

Ἀνδρὸς †, ὃν οὐδ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις.

† Quem laudare nefas ora profana foret: ut Beſſario vertit lib. 1. adverſus calumniatores Platonis.

Optimè enim ei viro convenit, quòd de Platone in elegiis ad Eudemum ſcripſerat Ariſtoteles; teſte Olympiodoro in Gorgiam Platonis. At inficiari non poſſumus, Euripidem vinci à Sophocle μεγαλοφωνίᾳ, ſive grandiloquentiâ unde Maro in Ecloga VIII.

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Ubi & Servius Sophoclem dicit *altiſonum*. Eâdem de cauſſâ Sophoclem *tragici cothurni principem* vocat Plinius lib. VII. cap. XXIX. Philoſophanti tamen utilior fortaſſe Euripides. Sanè Crantor Solenſis Homerum, & Euripidem, omnibus poëtis præpoſuit: ut eſt apud Diogenem, & Heſychium illuſtrem. Etiam oratori utiliorem, cenſet Fabius. Sic enim de tribus illis tragicis ſcribit lib. x. cap. I. *Tragœdias primus in lucem Æſchylus protulit, ſublimis, & gravis, & grandiloquus, ſæpe uſque ad vitium: ſed rudis in pleriſque, & incompoſitus: propter quod correctas ejus fabulas in certamen deferre poſterioribus poëtis Athenienſes permiſêre: ſuntque eo modo multi coronati. Sed longè clarius illuſtraverunt hoc opus Sophocles, atque Euripides: quorum, in diſpari dicendi viâ, uter ſit poeta melior, inter plurimos quæritur. Idque ego ſanè, quoniam ad præſentem materiam nihil pertinet, injudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur neceſſe eſt, iis, qui ſe ad agendum comparant, utiliorem longè Euripidem fore. Namque is & in ſermone (quod ipſum reprehendunt, quibus gravitas, & cothurnus, & ſonus Sophoclis, videtur eſſe ſublimior) magis accedit oratorio generi: & ſententiis denſus, & in iis, quæ à ſapientibus tradita ſunt, penè ipſis eſt par, & in dicendo, ac reſpondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diſerti, comparandus. In affectibus verò cùm omnibus mirus; tum in iis, qui miſeratione conſtant, facilè præcipuus.* Eâdem penè ætate hi tres vixerunt. Nam Æſchylus novennio Sophocle, annis XXIV. Euripide grandior fuit: unde Vellejus Paterculus lib. I. *Una, neque multorum annorum ſpatio diviſa ætas, per divini ſpiritus viros, Æſchylum, Sophoclem, Euripidem, illuſtravit tragœdias.*

9. §. Toto penè ſeculo poſt eos, nempe temporibus Ptolemæi Philadelphi, claruere ſeptem tragici, qui Pleiadis nomine ſignabantur.

Scholiaſtes Hephæſtionis: Ἐπὶ τῶν χρόνων Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου ἑπτὰ ἄριστοι γεγόνασι τραγικοί. οὓς πλειάδας ἐκάλεσαν, διὰ τὸ λαμπροὺς εἶναι ἐν τῇ τραγικῇ, ὥσπερ ἀστέρα τὰ ἐν τῇ πλειάδι. Εἰσὶ δὲ οὗτοι, Ὅμηρος, οὐχ ὁ ποιητής, ἀλλ' ὁ Μυροῦς τῆς Βυζαντίας πατρίδος, καὶ Σωσίθεος, καὶ Λυκόφρων, καὶ Ἀλέξανδρος, καὶ Αἰαντίδης, καὶ Σωσιφάνης, καὶ Φιλίσκος. *Temporibus Ptolemæi Philadelphi, ſeptem optimi fuere tragici, quos Pleiadas vocavere, quod in re tragica relucerent, uti ſtella illa in Pleiadis ſidere. Sunt, hi Homerus, non ille poëtarum princeps, ſed filius Myrûs, poëtria Byzantina; & Soſitheus, ac Lycophron, & Alexander, & Æantides, & Soſiphanes, & Philiſcus.* Pro ὁμυρῦς, ut vulgò legitur, ὁ Μυρῦς reſcribi oportere, ex Suida conſtat in Σωσίθεος. Hoſce etiam deſignat Statius Papinius Sylvarum lib. v. epicedio in Patrem:

—— Quoſque orbe ſub omni
Ardua ſeptenâ numerat Sapientia famâ.

Scio, Domitium Calderinum intelligere ſeptem ſapientes Græciæ; Solonem, Thaletem, Periandrum, cæteros. Sed obſtat, quòd poëtas ſolùm enumeret; primùm epicos, quos ait,

—— Aonios ſeno pede ducere campos:

Deinde melicos, quibus

—— Arcadiâ carmen teſtudine menſis
Oda labor, nomenque fuit:

prout olim, ut etiam Clariſſimo Gevartio annotatum, hunc locum feliciter emendavit Illuſtriſſimus Chriſtianiſſimi regis ad fœderatæ Belgicæ Ordines Legatus, Ben. Auberius Maurerius, vir magnis rariſque animi dotibus, eoque lubentiùs hic memoratus mihi, quòd, tanto dignitate ſuperior, ſemper amore me ingenti, ac familiari conſuetudine, complecteretur: unde & affectus noſtri ſymbolon & mnemoſynon Partitiones Oratorias non alteri ante hos viginti annos inſcribendas putavi. Tertio verò loco

tragicos

tragicos memorat, quos partim à numero ſepteno deſcribit, idque verbis antea allatis; partim argumento, quia continuò ſubdit:

Qui Furias, regumque domos, averſaque cælo
Sidera terrifico ſuper intonuere cothurno.

Quibus deinde de elegiacis ſubjicit.

10. §. *Non dubium autem, quin multùm ad expolitionem perfectionemque tragœdiæ contulerint certamina poëtarum annua, quæ* τετραλογίαι *vocabantur; quaſi* quadriloquia *dicas.*

De iis ſic Suidas in τετραλογία: Τραγικοὶ τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις· ὧν τὸ τέταρτον ἦν Σατυρικόν. *Tragici quaternis certabant fabulis; Dionyſiis, Lenæis, Panathenæis, Chytris; quorum certaminum quartum erat Satyricum.* Ait ibidem Platonem, κατὰ* τὴν τραγικὴν τετραλογίαν, ἐκδοῦναι τοὺς διαλόγους: quod Thraſili dictum eſſe, ex Laërtio cognoſcimus in Platonis vita. Erant autem judices poëtarum deſignati, qui victorem coronarent. De quibus Plutarchus in Cimone & Sympoſ. lib. v. probl. 11, & lib. 11. de Fort. Alex. Agel. lib. x. cap. xviii. Ex judicibus iſtis fuit Ariſtophanes, non Comicus, ſed Byzantius grammaticus: de quo lepidam hiſtoriam recitat Vitruvius in præfatione libri ſeptimi.

* *Juxta tetralogiam tragicam ſuos edidiſſe dialogos.*

11. §. *Apud Romanos tragœdiæ initium fuit à Livio Andronico; ut diximus.*

Poſt Livium varii extitere, qui tragœdiam ſcriberent. Sed maximè commendari ſolent Varii Thyeſtes, & Ovidii Medea: verùm periere. Seneca gravis quidem, & ſententiis creber; ſed quæ affectuum vim elidant. Sanè id in Euripide ſecutus, quod non ab omnibus probatur. Nec tamen ad Euripidis laudem pervênit. Omnino enim longiſſimè ceſſit Græcis. Antonii Lulli Balearis, doctiſſimi, & cultiſſimi Rhetoris, tale de eo judicium eſt lib. vii. de Oratione cap. v: *Tragœdiâ carent Latini. Nam Senecam admiretur, qui volet: mihi, etſi gravis, at certè adeò inelegans videtur, ut, præter ſententias, nihil habeat lectione dignum.* Quod judicium non adſcripſiſſem, niſi de Hiſpano ab Hiſpano eſſet profectum. Scio, tragœdias Senecæ tributas non unius eſſe poëtæ. Interim videntur præcipuè eſſe ab Senecâ, tum patre Marco, Rhetore: tum Lucio, Philoſopho: univerſæ autem ab Annææ Senecæ domo: etiam Octavia; quæ, ut infimo reponi loco meretur, ita ultimò etiam videtur ſcripta: nempe ab Julio Floro, qui adoptione vocatus Annæus Seneca; illo, cujus rerum Romanarum quatuor habemus libros, Trajani ætate editos ac poſtea ſub Hadriano poëmatis claro: Sed de tragicis Latinis quædam etiam dicam libri hujus cap. xii, §. 19, 20, 21. Ubi & de eorum dictione loquar.

Cap. XIII.

De tragœdiæ constitutione.

1. §. *Ut natura tragœdiæ pleniùs intelligatur, ordine videbimus ſex iſta, quæ in omni dramate conſiderari jubet Ariſtoteles* ‡*: fabulam, mores, ſententiam, dictionem, apparatum, & modulationem. In fabula, ſive conſtitutione dramatis, primùm illud requiritur, ut argumentum actio ſit una, non* σύστημα* *actionum; neque ſolùm non, ut Theſeis; ſed ne quidem, ut Ilias.*

‡ *De Poët. cap. 6.*

* *Compages, ſive collectio.*

Hoc cùm Agatho, Samius poëta Tragicus, minimè obſervâſſet, exploſus fuit; teſte Ariſtotele †. Vixit autem Agatho iſte temporibus Platonis; qui & eum in convivio ſuo inducit loquentem. Plura hac de re inferiùs dicentur, cùm agemus de diſcrimine conſtitutionis Tragicæ, & Epicæ.

† *De Poët. cap. 17. ſive aliis 18.*

2. §. *Argumentum hoc tragœdiæ ducitur ex vero.*

In eo itidem à conſuetudine receſſit Agatho Samius. Nam in tragœdia ſua, cui nomen erat Ἄνθος *, τά τε † πράγματα, καὶ τὰ ὀνόματα, πεποίηκε: ut de eo Ariſtoteles ſcribit in Poëtica ‡. Ex hacce tragœdia quoſdam verſus adducit Athenæus; in quibus homo literarum imperitus, ex figuris ac ductibus earum, exprimit nomen ΘΗϹΕΥϹ: quod viderat. Meminit & tragœdiæ ejus Lucianus in Rhetore.

* *Flos.*
† *Et res, & nomina, excogitavit.*
‡ *Cap. 9. ſive al. 10.*

3. §. *Nec tamen ſic ex vero eſt tragœdia, ut tota ſit hiſtoria. Aſſingere enim veris multa licet; totam fingere fabulam non licet.*

Nempe tragici eadem eſt ratio, ac epici. Homerus autem, ut de eo Strabo ait lib. 1, ἔλαβεν παρὰ τῆς ἱστορίας τὰς ἀρχάς *. Quam rem pluribus idem demonſtrat. Hinc illa loquendi ratio libro tertio, δεῖ † τῶν συμβάντων μεταγαγεῖν εἰς ποίησιν, καὶ τὴν συνήθη τοῖς ποιηταῖς μυθοποιΐαν. Neque neſcivit hoc Lactantius ‡, ex quo verbis iiſdem ſic Iſidorus *: *Officium poëtæ in eo eſſe, ut ea, quæ geſta ſunt verè, in aliquas ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo converſa traducat.* Unde liquet, hiſtoriam eſſe pro fundamento; ſed eam figuris quibuſdam, quaſi in fabulam converti. Quam rem pluribus ibidem exponit. Hujuſmodi autem fabularum etiam nomine comprehendi, judicium quoque eſt Marcilii Ficini, argumento in Platonis lib. v. de Republica; ubi & Olympiodori id auctoritate defendit.

* *Accepit poëſios ſuæ principia ab hiſtoria.*
† *Ex hiſtoria in fabulam, more poëtarum, tractationem torquere.*
‡ *Lib. 1. Divin. Inſtit. cap. 11.*
* *Lib. viii. Orig. cap. 7.*

4. §. *Tragicum vel maximè attendere oportet, quod veriſimile ſit; quia in dramate res non ſolùm narratur, ut in epopœia; ſed etiam agitur. Si tamen aliquid adferendum rationi minus conſentaneum; id extra fabulam, hoc eſt, in epiſodio, eſto.*

Ariſtoteles † τούς τε λόγους μὴ συνίστασθαι ἐκ μερῶν ἀλόγων, ἀλλὰ μάλιστα μηδὲν ἔχειν ἄλογον· εἰ δὲ μή, ἔξω τοῦ μυθεύματος. *Ne conſtet oratio ex iis, quæ ratione carent. Sed omnino non ponendum, quod ratione caret: vel ſi caveri id non poſſit, extra fabulam ponendum.* Obſervat hoc Sophocles in Oedipode. Nam plane abſonum erat, & abſurdum, Oedipum ignorâſſe tam diu, Lajum à ſe interemtum. Nam ut nullus cædi interfuerit, qui hæc diffunderet; tamen tam illuſtris viri cædes rumôre innoteſceret. Quare nec Corinthii potuere, neſcire regem Thebanum eſſe occiſum. At commorabatur Oedipus apud Polybum, Corinthiorum regem. Nec Thebani potuere ignorare, occiſum eſſe Lajum, regem ſuum. At Oedipus, poſtquam ænigma Sphingis ſolvit, Thebanorum eſt potitus imperio: & Jocaſten, viduam Laji, uxorem duxit. Ex hominum ſermone potuit occaſio millies Oedipo dari, ad inquirendum, quis ille eſſet, quem occidiſſet. Potuit & occaſio offerri à Jocaſta. Quare rectè cenſet Ariſtoteles, hoc eſſe ἄλογον ‡. Sed cùm iſtiuſmodi eſſet; cautè fecit Sophocles, hoc extra fabulam, & actionem, ponendo. Si enim in ipſo dramate fuiſſet; quilibet vidiſſet, non eſſe hoc rationi conſentaneum. At non æquè ſapienter idem ſe geſſit in Electra. Ubi παιδαγωγὸν inducit nunciantem Electræ, ut Oreſtes, in ludis Pythiis decertans; currum metæ illiſerit, eoque fracto miſerè illiſus perierit. Nam hoc ex ea celebritate, quò tota confluebat Græcia, multique etiam argivorum ierant, nuncius aliquis pertuliſſet ad Electram; aut ſaltem ad Ægiſthum, & Clytæmneſtram; qui mortem Oreſtis deſiderabant, quia ab eo ſibi magnopere timebant. Ubi, ut Ariſtoteles obſervat, eo ſpiſſiùs peccat Sophocles, quòd hic illud, quod ἄλογον * eſt, in ipſa poſuerit actione.

† *De Poët. cap. 24.*
‡ *A recta ratione averſum;*
* *Ratione carens.*

5. §. *Quæritur, an, ſi poëtæ veteres aliquid rationi diſſonum induxerint, juniores illud oporteat retinere.*

Cen-

Cenſet Ariſtoteles, in conſtitutione recepta fabulæ nihil eſſe immutandum.

Agnoſcit quidem, non debere ejuſmodi fabulam primitus conſtitui, ubi aliquid ſit rationi diſſentaneum: ſed ſi peccatum hac parte ſit ab antiquis, exiſtimat, conſtitutionem fabulæ ſervandam eſſe, quamvis ſit ἄτοπος*. In cauſa eſt, quia fabulæ alioquin abrogaretur fides.

* *Abſurda.*

6. §. *Cum verò dico, res in tragœdia eſſe retinendas, prout veteres tradidere: loquor de primario argumento. Nam in reliquis licet cuique fingere, atque ea amplecti, quæ inſtituto magis conveniunt.*

Unde eſt, quod Sophocles in Oedipode, longè aliter ſcribit de Jocaſta, quàm factum eſt ab Euripide in Phœniſſis. Ille ait, Jocaſten, ubi cognovit de nuptiis inceſtis, vitam finiſſe ſuſpendio: Oedipodem vero, poſt exceſſum matris, ſibi effodiſſe oculos. Hic verò cenſet, Jocaſten pluribus pòſt annis vixiſſe domi Creontis, qui regno ſucceſſerat: ac demum ſibi manus attuliſſe, poſtquam intellexerat filios ſuos, Eteoclem, & Polynicen, mutuis concidiſſe vulneribus. Adhæc Euripides duas actiones duobus epiſodiis in unam redigit fabulam: quæ Sophocles ſeparatis tractat fabulis. Nam apud Euripidem Antigone, pro ſumma erga fratrem pietate, humare eos vult, quos inhumatos relinqui juſſerat Creon rex. Item apud eum Oedipus oraculo cognoſcit, eundem ſibi eſſe in Atticam, ut ibi malis tantis liberetur. Alia etiam ſunt, quibus eâdem in tragœdia differat Euripides à Sophocle: quæ exponit Robortellius ‡ in Ariſt. Poët. Interim hi poëtæ in primariâ conveniunt actione: in cæteris variare potuerunt, quia nondum receptæ eſſent fabulæ de cæteris, ut diverſimodè ab utriſque fingi poſſent. Hæc enim cauſſa eſt diverſæ οἰκονομίας †. Unde jam olim diſputatum, uter horum ingenioſiùs inſtituiſſet drama: num Euripides, qui duas actiones duobus epiſodiis in eâdem fabula complectitur; an Sophocles, qui epiſodia illa novis aſſignavit fabulis, aliaque epiſodia ex veriſimili eſt commentus. Ariſtotelis ‡ quidem de Euripide ejuſmodi judicium eſt, illum ſubinde μὴ εὖ οἰκονομεῖν*: attamen quatenus luctum optimè repræſentat, τραγικώτατος † τῶν ποιητῶν φαίνεται.

‡ *P. 122.*
† *Diſpoſitionis.*
‡ *De Poët. cap. 13.*
* *Non bene diſponere.*
† *Maximè tragicum è poëtis videri.*

7. §. *Quod ſi fabula nondum ſit recepta, nihil impedit, quo minus in primaria etiam actione, diſſentiant poetæ.*

Exemplo ſunt Euripides, & Carcinus; quorum uterque tragœdiam Medeam ſcripſit. Sed Euripides, ab hiſtoria recedens, fingit, Medeam occidiſſe liberos ſuos. Quod falſum eſſe, Ariſtoteles indicat in Poët. cap. XIV ‡, & imprimis Ælianus lib. V. variæ hiſtoriæ cap. XXI. At apud Carcinum (ut idem Ariſtoteles * refert) Medea filios ſuos navi impoſitos aliò mittebat: unde exorta opinio, eos à Medea occiſos, quia non conſpicerentur. Atque hoc nomine accuſata reſpondit, ſe quidem non interemiſſe liberos: ſed alias in terras miſiſſe: Jaſonem autem ſe voluiſſe tollere; quia, utcumque liberos ſuſtuliſſet, reprehendi mereretur, niſi & Jaſonem peremiſſet. Licuit hic poëtis diſſentire, quia fabula tum recepta non eſſet. Quæret aliquis, utrùm Euripides nunc nobis ſequendus; an Carcinus, qui hiſtoriam eſt ſecutus. Sanè nunc Euripides potiùs, poſtquam fabula ejus admiſſa omnibus, ut vera. Famam enim ſequi præſtat. Unde & Euripides reprehenſus, quòd Phædram, Jocaſtam, aliaſque mulieres ſceleſtas, & impuras, adduceret in ſcenam; eò ſe defendit, quòd à prioribus has ejuſmodi accepiſſet. Sic nihil immutandum in fabula de Clytæmneſtra à filio Oreſte, aut in Eriphyle, itidem à filio Alcmæone occiſa. Sed quando fabula necdum recepta, diſpar, ut dixi, ratio eſt.

‡ *Sive aliis cod. 15.*
* *Rhetor. lib. 2. cap. 23.*

8. §. *Quod ſi potiùs veteres ſequendi, quam nova in dramate fingamus: optimè ex Homero petetur argumentum ob ſummam ejus apud omnes auctoritatem.*

Horatius epiſt. ad Piſ.
Rectius Iliadum carmen deducis in actus,
Quam ſi proferres indicta, ignotaque ſolus.

9. §. *Non tamen pueriliter inſiſtendum argumento, & ordini alieno.*

Quod idem prohibet, cùm ait:
Nec circa patulum, vilemque moraberis orbem.

Scio, virum eruditum putare, *orbem* hic poni pro iis, quæ extra rem ſunt, & argumentum. Quomodo Ariſtoteles ait III. Rhetor.*. τοῖς δούλοις † οὐ τὰ ἐρωτώμενα λέγειν, ἀλλὰ τὰ κύκλῳ, καὶ προοιμιάζεσθαι. Ubi Græcus interpres per τὰ κύκλῳ ‡ ait ſignari, τὰ* ἐκτὸς τοῦ πράγματος, καὶ τῆς ὑποθέσεως. Ita Horatii ſententia eſſet, non inſiſtes epiſodiis. Hæc enim ſunt extra fabulæ conſtitutionem. Sed aliud vult poëta. Jubet, ut non ſequamur per omnia alienum drama, tum quod ad principale argumentum, tum quod ad epiſodia: ſed ut epiſodia alia afferamus, ordinemque etiam mutemus; ut ita, ex publica materie, faciamus privatam. Quare per orbem intelligit totum dramatis ambitum, ſive πραγματείαν, hoc eſt, nudum argumentum ab aliis jam tractatum, & epiſodiis, ac digreſſionibus, exornatum. Quamquam nec improbem, ſi per vilem, patulumque orbem intelligas vulgare argumentum; quale perſecuti poëtæ cyclici, omnium manibus triti, & non tam artificio commendabiles, quàm materiâ; quæ ordine omnem μυθολογίαν † complectitur. Hujuſmodi fuere Eumelus Τιτανομαχίας ‡, & Argonauticon, & aliorum ſcriptor; item Leſches Mytilenæus, auctor parvæ Iliados, plureſque alii. Multi enim admodum erant, qui continerentur orbe illo poëtarum. Is quaſi chorus erat ex variis conſertus poëtis, qui, ab origine mundi, omne ævum perduxiſſent uſque ad reditum Ulyſſis. Unde Apollodori bibliothecam, & κυκλίων πολύθρουν στίχον, hoc eſt, epicum cyclum, confert antiquus epigrammatis * ſcriptor. Nulla his epiſodia, ac digreſſiones: eoque ait Horatius, non ſufficere, ſi ex tali poëta vulgatum adferamus argumentum: ſed præterea requiri, ut epiſodia, & digreſſiones, addamus; atque ita ex publica materie faciamus propriam.

* *Cap. 14. ex vulgari diſtinct. aliis vero cap. 12.*
† *Servos non reſpondere ad ea, quæ rogantur; ſed alia adferre, quæ negotium circumſtant, & multa præfari.*
‡ *Orbem.*
* *Quæ ſunt extra rem, & argumentum.*
† *Fabularum enarrationem.*
‡ *Pugnæ Titanum cum Diis.*
* *In appendice.* ἀνθολογίας.

10. §. *Trahitur argumentum tragicum ex calamitatibus atrocibus, quæ heroibus, & regibus, accidere. Ut duo hic ſpectare oporteat; perſonas, & res. Perſonæ ſunt illuſtres; ut heroes, & reges.*

Unde tragœdia à Theophraſto dicebatur eſſe ἡρωικῆς τύχης περίστασις †, ut apud Diomedem legere eſt lib. III. Cui ea itidem definitur *heroicæ fortunæ in adverſis comprehenſio.* Ac ſimiliter Etymologici magni auctori deſcribitur, βίων τε, καὶ λόγων ἡρωικῶν μίμησις ‡. Sed calamitatum hìc nulla eſt mentio: quod fit in illa Diomedis. Quas etiam expreſſit Elias Cretenſis in Nazianzeni orat. XXIII: *Tragœdias*, inquit, *veteres appellabant, quæ ob graviſſimas calamitates canebantur: quemadmodum contrà comœdias eas, quæ ridicula argumenta continebant.* Rariùs eſt, ut atroces illæ calamitates in heroum domos incidant: quæ & cauſſa eſt, cur pauca olim tragœdiarum fuerint argumenta.

† *Heroicæ fortunæ ſtatus, ſive circuitus, vel comprehenſio.*
‡ *Vitarum, ac ſermonum heroicorum, imitatio.*

11. §. *Optimæ autem tragœdiæ ſunt, in quibus inducuntur perſonæ, nec prorſus probæ, nec planè improbæ.*

Nam tragœdia inprimis ciere miſericordiam, & terrorem, debet. At ſi improbus fiat infelix; nec admodum miſerebimur, nec terrebimur. *Quis enim* (ut Cicero ait) *parricidæ, aut proditoris ſupplicio, commovetur?* Quin potiùs lætari eo oportet, cùm juſtum ſit, tales luere pœnas.

pœnas. Sed nec penitùs probos eſſe oportet; quia boni viri calamitate indignamur: etiam, ut optimi fingantur miſerrimi, videtur inhumanum: adhæc infirmos, minuſque cordatos, à virtute hoc poſſit abſterrere. Quare potiſſimùm tales inducendi, qui medii ſint inter planè probos, planeque improbos; neque tam ſcelere, quàm errore humano, in calamitatem inciderint; ut Oedipus apud Sophoclem: aut ſceleratè quidem egerint, ſed neceſſitate compulſi, aut ratione ſummâ; quomodo Medea priùs necavit Abſyrtum fratrem, poſtea etiam liberos. Nec tamen exiſtimandum, hoc ſemper requiri. Nam Ægyſthus, & Clytæmneſtra, planè improbi; Electra bona inducitur, Oreſtes item bonus potiùs, quàm malus. Agamemnon nequit dici malus, quia quòd in Aulide Iphigeniam offert, id facit oraculo juſſus, ac penè invitus. Nec Herculem rectè dixeris medium inter bonum, malumque; ſed potiùs bonum. Quare non putandum, peccare tragœdias, in quibus aliter fit, quàm Ariſtoteles præcipit; ſed ſtatuendum, ab eo præſcribi optimam tragœdiæ formam.

12. §. *Etiam in tragœdia Dii loquuntur: idque tum in connexione, tum in ſolutione.*

In prologo id ſi fiat, multùm dignitatis habet. Ut apud Senecam Juno in Hercule Furente; è Græcis apud Sophoclem Minerva in Ajace; in Euripidis Hippolyto Venus; in ejuſdem Ione, Mercurius; in Troadibus, Neptunus & Minerva; in Bacchis, Bacchus. Ubi verò in ſolutione idem contingat, complura ſuperiùs exempla adduximus.

13. §. *Dii nunc in ſcena loquantur, nunc è machina.*

In ſcena, ut apud Euripidem Bacchus, cùm Pentheum, Baccharum habitu amictum, ad certum ducit interitum. E machina autem, ut in Euripidis Helena, ubi Διόσκουροι * pandunt Theoclymeni, quæ eventura eſſent Helenæ, & Menelao: ſimiliter in Rheſo Minerva, in Andromache Thetis. * *Caſtor, & Pollux.*

14. §. *Futura ſi prædicenda, ea diis tribuenda, aut vatibus; vel ſaltem non aliis, quàm qui vatum ex ore iſta acceperint.*

Quomodo apud Sophoclem nuncius prædicit Ajacis mortem: ſed ex mandato Calchantis. Peccat in hoc Euripides, cùm apud eum Jocaſta, in Phœniſſarum prologo prædicat adventum, quem neſciebat. Uti & cum Menelai adventum prædicit Electrâ in prologo Oreſtis.

15. §. *Pauciores in tragicis diverbiis ſunt interlocutores, quàm in comicis.*

Non quaſi id naturâ ſuâ neceſſarium videatur: ſed quia id veteribus obſervatum in Caſſandra Lycophronis una loquitur. In Æſchyli Perſis extra chorum ſunt quatuor; Atoſſa, nuncius, Darii ſpectrum, & Xerxes. In ejuſdem Septem-Thebanâ, præter chorum quinque; Eteocles, nuncius, Iſmene, Antigone, & præco. Quare in diverbio, ſive extra chorum, pauciores interlocutores ſtatuit tragicus: non quaſi ſic neceſſarium videatur; ſed quia hoc pacto conſueverint antiqui.

16. §. *Perſonarum nomina non fingit tragicus; ſed ea, ne & res ficta videatur, ex veteri depromit hiſtoriâ.*

Argumentum enim tragœdiæ eſt ex calamitatibus atrocibus, quæ regibus, aliiſque heroibus accidêre. Unde & pauca eſſe dicebamus tragœdiarum argumenta. Raro enim iſtiuſmodi contingunt. At Comici fingunt nomina. Quod & crebro faciunt poëtarum alii. Nam Catulli Lesbia eſt Clodia, Horatii Canidia eſt Gratidia: Callimachi Ibis fuit Apollonius Rhodius, teſte Suida. Ovidii Ibis, ut pleriqueputant, Mæcenas erat. Nihil iſtiuſmodi in tragœdiis fit: ſed & perſonæ, & facta retinentur. Unde Antiphani Comico * tragœdia videbatur eſſe μακάριον ποίημα †. Nam, inquit, ſi ſpectatores ſciant de Oedipo fabulam fore: ſciunt quoque parentes ejus eſſe Lajum, & Jocaſtam; ſciunt filiam Antigonen, quæque ipſe egerit, ac perpeſſus ſit. Item ſi docendus Alcmæon, norunt matrem Eriphylen ab eo occiſam, eo quòd maritum Amphiaraum latitantem prodidiſſet. De Adraſto ſi fabula erit, non ignorant, eum cum genero ſuo Polynice profectum ad bellum Thebanum, magnoque damno accepto, re infectâ domum rediiſſe. At, inquit Antiphanes, Comicorum ratio longè eſt diſpar: quippe hos * *In Poëſi apud Athenæum initio libri 6.* † *Beatum poëma.*

——Πάντα ‡ δεῖ
Εὑρεῖν ὀνόματα καινά, * τὰ διῳκημένα
Πρότερον, τὰ νῦν παρόντα, τὴν καταστροφὴν,
Τὴν εἰσβολήν.

——*Oportet omnia*
Reperire nomina nova; tum diſponere,
Prius quidem præſentia, hinc cataſtrophen,
Nec non initium.

‡ *Dalecampius vertit vocabula. Atqui de propriis nominibus ſermo eſt.* * *Vocem* κάπειτα, *quæ apud Athenæum, ſuſtulimus, verſu flagitante, & probante Caſaubono.*

Sed valde errabat Antiphanes, cùm iccirco faciliorem eſſe Comicorum provinciam putabat: ut ſuperiùs diximus. De quibus verò perſonis potiſſimùm agi in tragœdiis ſoleat: indicat Ariſtoteles † his verbis: Νῦν δὲ περὶ ὀλίγας οἰκίας αἱ κάλλισται τραγῳδίαι συντίθενται· οἷον περὶ Ἀλκμαίωνα, καὶ Οἰδίπουν, καὶ Ὀρέστην, καὶ Μελέαγρον, καὶ Θυέστην, καὶ Τήλεφον. *Nunc circa paucas familias pulcherrimæ tragœdiæ compoſita verſantur: ut circa Alcmæonem, & Oedipum, & Oreſtem, & Meleagrum, & Thyeſtem, & Telephum.* Ubi clarè videmus, & Telephum memorari. † *De Poët. cap. 13.* Ut mirer, doctiſſimum Luiſinum, commentario in artem poëticam Horatii, de Telepho ſic ſcribere: *Hunc non ponit Ariſtoteles in familiis tragicis; ſed tamen addit,* καὶ ὅσοις ἄλλοις συμβέβηκεν ἢ παθεῖν δεινὰ, ἢ ποιῆσαι. *Et quibuſcumque aliis accidit, vel gravia perpeti, vel efficere.* Vel hoc μνημονικὸν eſt ἁμάρτημα ‡, vel mutilo codice uſus eſt Luiſinus. Sed prius cenſeo. Nam ipſe, ubi cœnam Thyeſtæ memorat Horatius, verba Ariſtotelis integrè recenſet, nec Telephum omittit. ‡ *Memoriæ error.*

17 §. *Quædam tamen nomina fingere conceſſum eſt: præſertim in epiſodiis.*

Ubi ſatis eſt, ſi res ſint veriſimiles. Quare comminiſci res aliquas licet, & nomina iis idonea imponere, qui res eas egerint. Imò, ut ex Ariſtotele ſuperiùs dicebamus, Agatho tragœdiam reliquit, cui nomen eſſet Ἄνθος *: inque ea & nomina, & res omnes, finxit: ac nihilominus delectabat. Sed hac in re, ni fallor, imitatores non invênit. * *Flos.*

18. §. *Hactenus de perſona. Sequitur de actione. Actiones eæ conveniunt tragœdiæ, quæ à perturbatione animi proficiſcuntur.*

Arrianus in epict. lib. 1. cap. IV: Τί γὰρ ἄλλο ἐστὶ τραγῳδία, ἢ ἀνθρώπων πάθη τεθαυμακότων τὰ ἐκτὸς διὰ μέτρου τοιοῦδ' ἐπιδεικνύμενα; *Quid enim aliud eſt tragœdia, quam perturbationes hominum, externas res admirantium, metro ejuſmodi oſtenſa?* Apſines Rhetor: Τὸ πάθος πολὺ ἐν ποιήσει τραγικῇ. *Multæ ſunt animi perturbationes in poëſi tragicâ.*

19. §. *Maximeque conveniunt actiones, quæ habent τὸ* ἐλεεινὸν, καὶ τὸ φοβερὸν· miſerabile, & terribile. *Ut ſunt cædes, inceſtus, aliaque indigna, & atrocia. His addere poſſis τὸ θαυμαστὸν*, admirabile.

Ita apud Sophoclem in Ajace, miſerabile eſt, Ajacem,

virum fortiſſimum, reddi inſanum, atque inſaniâ agere multa ridicula; cumque menti reſtitutum eorum puderet, gladio ſuo incumbere. At eſt terribile, hanc ei inſaniam à Minerva immitti; quia, viribus præfidens, Deos negligeret. Quippe hinc liquet, cujuſmodi eventum ſortiatur impietas. Admirabile verò eſt, Argis ſtatuam Mityi, præclaro viro virtutis ergo erectam, in eum, qui Mityn occiderat, incidere; eumque interficere. Etſi enim ſtatua ſit ſenſus expers; videtur tamen ſuopte quaſi impulſu in eum irruiſſe, ad cædem vindicandam. Ita eam rem narrat Ariſtoteles *. Paullò aliter Plutarchus, libro de ſerâ numinis vindictâ. Hinc videmus, quid per τὰς τραγῳδὰς ἀρὰς intellexerit Diogenes Cynicus apud Laërtium. Quales Oedipi apud Sophoclem in Oedipo Tyranno, & Euripidem Phœniſſis. Item quem tragicum vultum dicat Ariſtophanes in Πενίᾳ:

* De Poët. cap. 9.

Βλέπει γέ τοι μανικόν τι, καὶ τραγῳδικόν.

Poſſis reddere:

Furiale quiddam cernit, ac quale tragicum.

Quia verò tragœdiis conveniunt res triſtes, eæque heroum: inde eſt, quòd tragœdia Diomedi, ut diximus, definitur *heroicæ fortunæ in adverſis comprehenſio*. Imò iccirco τραγῳδία interdum ſumitur pro δυσπραγία †, ut Suidas ait. Qui & τραγικὸν interpretatur ἐμπαθὲς ‡, ἐπείπερ ἡ τραγῳδία ἐμπαθῶν πραγμάτων ἀπαγγελτική. Quæ deſumta ex aliis. Nam eadem legas verba apud ſcholiaſten Ariſtophanis in Acharnenſes. Ex his etiam liquet, cur Euripides, poſcente Archelao, ut de ſe tragœdiam ſcriberet, precatus ſit, ne quid regi illi accideret tragœdiâ dignum. Idem in cauſſâ eſt, cur apud Romanos vulgò comœdia gratior, quàm tragœdia, foret. Nimirum delectabantur magis ſolutis, & ridiculis; quàm ſeveris illis, & triſtibus.

† Gravium malorum perpeſſio.
‡ Graviſſimum: quia tragœdia eſt annunciatrix rerum graviſſimarum.

20. §. *Ex his cognoſcimus, convenire inprimis Tragœdiæ miſericordiam, & terrorem.*

Nempe propoſitum Tragicis eſt auditorem ἐκπλῆξαι ‡, ut ait Polybius lib. 11. ubi de diverſo hiſtorici, & tragici fine, diſſerit adverſus Phylarchum. Percellit auditorem facti ipſius atrocitas, & rei indignitatem auget dignitas perſonarum. Eò autem percellere animum vult, ut eum hiſce affectibus expurget. Nam ut miles veteranus, aut medicus, crebrò videndo miſeros, conſequitur, ut non ultrà moveatur, quàm oportet: ita etiam in tragœdia, ſpectandis iſtiuſmodi, animus diſcit affectus ſuos in ordinem redigere. Unde apertum, cur Ariſtoteles *, ut dictum †, tragœdiæ finem ſtatuat, eſſe affectuum καθαρσιν ‡. In quo differt à Platone. Ille putabat tragœdias eſſe affectuum flabellum. Ariſtoteles verò cenſet eſſe remedium.

‡ Percellere.
* De Poët. cap. 6.
† Cap. 11. §. 2.
‡ Purgamentum.

21. §. *Ea quoque, quibus affectus iſti excitantur, ſtatui oportet, non inter hoſtes, vel neutros; ſed amicos, ac inprimis cognatos, & propinquos.*

Nam hoſtium vulnera, ac cædes, non alio commovent, quàm quòd atrocitas facti per ſe nos afficiat. At gravior terror, majorque miſeratio, ſi hæc fiant inter conjunctos: ut quòd OEdipus occidit patrem Lajum, & concumbit cum matre Jocaſtâ: quòd item, apud Euripidem in Phœniſſis, Eteocles, & Polynices fratres, mutuis occumbunt vulneribus: ſimileque quòd Clytæmneſtra occidit maritum Agamemnona, Oreſtes matrem Clytæmneſtram. De quo Æſchylus in Χοηφόροις, & in Electrâ Sophocles.

22. *Nec parùm refert, utrùm facinus mente conceptum patretur; an ab eo poſtea reſiliat animus; quod leve, & frigidum videtur.*

Ut apud Sophoclem in Antigone; ubi ſe Æmon continet à parentis ſui Creontis cæde, quem ſtricto enſe perſequebatur.

23. §. *Multùm etiam differt, utrùm facinora, per quæ in gravia inciditur mala, ab ignorantibus committantur; an à gnaris, ſed magnâ ratione nixis. Poſteriora hæc plus habent terroris: priora plus miſericordiæ.*

Ab ignorantibus facinus fit, vel extra fabulam; quomodo OEdipus interemit Lajum: vel in fabulâ, quomodo Telegonus Ulyſſem occidit. Exemplum facinoris patrati à ſciente, ſed gravem ob cauſſam, habemus in Medeâ liberos interimente. Nam qui nec ignorantiâ, nec gravi de cauſſa, facinus committunt, referuntur inter planè improbos: eoque miſeriâ ſuâ non excitant miſericordiam; ut diximus.

24. §. *Sedulò diſpiciendum, ne ſolùm narrentur, quæ agi, & ſubjici oculis oportet.*

Nam, ut eſt apud poëtam Venuſinum *:

Segniùs irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradat ſpectator.

* Epiſt. ad Piſones.

25. §. *At incredibilia, uti μεταμορφώσεις †, ac τερατολογίαι ‡; adhæc fœda, uti inceſtus, ac ſtupra; item atrocia, atque horrenda, velut cædes, aliaque; quæ, ſi adſpicerentur, vel animum nimium concitarent, vel non ſeriò, ſed ſimulate agi, conſtaret; non ob oculos in ſcenâ poni debent, ſed potiùs referuntur.*

† Mutationes in novam formam.
‡ Narrationes prodigioſæ.

Æſchylus primus è ſcenâ ſubduxit, quæ atrocitate ſui nimium commovent. Altera etiam cauſſa acceſſit, quia homines decipi volunt; ſed non adeò ſtupidè, ut fraus pateat etiam pueris, & ſtultis. Rectè Horatius in Arte:

—— *Non tamen intus*
Digna geri, promes in ſcenam: multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet:
Aut humana palàm coquat exta nefarius Atreus:
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.

Atque hoc etiam reſpexit idem, cùm ait:

Indignatur item privatis, ac prope ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.

Narrari ait, quia ea non exhibetur agendo; ſed annunciando.

26. §. *Bifariam autem aliquid refertur. Vel enim prædicitur gerendum; quod ab ipſo fieri poteſt, qui facinus patrabit: vel quaſi geſtum refertur ab aliis, qui idonei eſſe teſtes poſſunt.*

Poſterius fit apud Euripidem in Medeâ, Iphigeniâ, Phœniſſis, alibi. Prius videre eſt apud Sophoclem, quando Ajacem inducit multa referentem de morte ſuâ, quam ſibi jam gladio adſciſcere cogitârat. Sed planè hoc inſolens. Quâ de re ſic ibidem ſcholiaſtes: Μετάκειται ἡ σκηνὴ ἐπὶ ἐρήμου τινὸς χωρίου, ἔνθα ὁ Αἴας διαπήξας τὸ ξίφος, ῥῆσιν τινὰ πρὸ τοῦ θανάτου προφέρεται. ἐπεὶ γελοῖον ἦν, κωφὸν εἰσελθόντα περιπεσεῖν τῷ ξίφει. ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα οὐδὲ τοῖς παλαιοῖς σπάνια. εἰώθασι γὰρ τὰ πεπραγμένα δι' ἀγγέλων ἀπαγγέλλειν. τί οὖν τὸ αἴτιον; φθάνει Αἰσχύλος ἐν Θρῄσσαις, τὴν ἀναίρεσιν Αἴαντος δι' ἀγγέλου ἀπαγγείλας. ἴσως οὖν καινοτομεῖν βουλόμενος, καὶ μὴ κατακολουθεῖν τοῖς ἑτέροις, ὑπ' ὄψιν ἔθηκε τὸ δρώμενον· ἢ μᾶλλον ἐκπλῆξαι βουλόμενος. εἰκῆ γὰρ κατηγορεῖν ἀνδρὸς παλαιοῦ οὐχ ὅσιον. *Scena, ſive fabulæ actio, conſtituitur in loco quopiam ſolo, ſive deſerto; ubi Ajax, præparans gladium, verba quæpiam profert ante mortem: quoniam ridiculum fuiſſet, mutum ingredientem gladio incidere. Sunt verò iſtiuſmodi apud antiquos rara. Solent enim, quæ acta ſunt, per nuncium referre.*

ferre. Quid cauſſa igitur? Prævenit Æſchylus in Threiſſis, mortem Ajacis per nuncium referens. Fortaſſe igitur non aliquid volens innovare, nec alios ſequi, oculus ſubjecit, quod ageretur; vel potius percellere animos volens. Nec enim tam antiquo ſcriptori fas eſt contradicere.

27. §. *Interdum tamen epitaſis in tantum aſſurgit, ut cataſtrophe ulterius aſſurgere non poſſit, niſi aliquid atrox oculis ſubjiciatur.*

Fit hoc in Senecæ Medeâ; ubi iccirco, contra Horatii, veterumque præceptum, Medea, intuentibus cunctis, interficit liberos. Sed eâ parte jure reprehenditur poëta. Neque enim ita ἐπίτασις debuit conſtitui, ut fabulam uſque eò neceſſe eſſet aſſurgere.

28. §. *Cùm verò triplicia ſint, quæ in tragœdia repræſentantur; quædam facilè, ut verbera; quædam difficulter, ut cædes; quædam nentiquam, ut dilaceratio Hippolyti: quæritur, an non in homine ſceleſto cædem, vel dilacerationem veram, liceat permittere. Non putamus: nec conceſſum id unquam, niſi ſub tyrannis.*

Factum fuit in Laureolo, de quo incertus poëta in ſpectaculorum libello *, qui varios habet auctores, ac Martiali ſolet præmitti. Laureolus enim ille, ob nefaria crimina, dignus cenſebatur, qui ſuffigeretur cruci, ac dilaceraretur vivus. Ergo, cùm tale aliquid repræſentari deberet in ludo: Domitianus, *quem † Calvum dixit ſua Roma Neronem*, dedit illud populo; ut in fabula verum ſumeretur ſupplicium. Itaque miſer veræ adfixus cruci, vereque ab urſo laceratus Caledonio. Licuere illa per tyrannum, & gentilium mores: per Chriſtianorum mores non licent. Nam juſtitiæ adminiſtratio, præſertim ubi de hominis vitâ agitur, res ſancta eſt; non ludicra: eoque, non ad oblectationem cujuſcumque, homines occidi fas eſt: ſed ut ira Dei avertatur à populo; atque, ut alii exemplo eo edocti, fiant meliores. Piis etiam precibus, & votis, proſequi nos cum pœnitentiâ morientem oportet. Quàm autem hoc ludis conveniat, quivis intelligit.

* *Epigr. 7.*
† *Juvenal. lib. 1. & Auſonius in XII. Cæſar.*

29. §. *In tragœdiis verè tragicis, ut principia ſunt ſedatiora, ita horribiles eſſe exitus ſolent.*

Sic triſtis eſt exitus in Euripidis Phœniſſis; ubi OEdipus, oculis effoſſis, à Creonte rege in exſilium ire jubetur è regione Thebanâ, cujus antea rex fuerat. Idem fit in ejus Hecubâ; ubi Polymeſtor ſe offert, itidem effoſſis oculis: Hecuba item lugens filii Polydori necem: item à Polymeſtore refertur triſte oraculum in Hecubam, Agamemnonem, & Caſſandram. Quod ſi Oreſtes, & Ægiſthus, qui hoſtes fuere infenſi, inter ſe reconciliarentur, atque ita recederetur ſine cæde: tragœdia nonnihil degeneraret. Nam, ut diximus, eo à comœdia differt tragœdia, quòd illa ſemper læto exitu terminetur; hæc plurimùm triſti.

30. §. *Ac hujuſmodi quidem eſt exitus tragœdiæ κατὰ τέχνην *. Interdum verò tragœdia prorumpit ex atroci miſeriâ in gaudium inopinatum. Quod cùm fit, ab arte receditur in populi gratiam; qui domum mavult lætus recedere, quàm triſtis.*

* *Secundùm artem.*

Ita ex infelicitate in felicitatem devenitur in Electrâ, & Sophoclis, & Euripidis: quarum illa Euripideam vincit οἰκονομίᾳ. Lætum etiam exitum habent Sophoclis Philoctetes in Lemno; & Euripidis Iphigenia in Aulide; item Iphigenia in Tauris. Uti & Alceſtis; ubi Herculis operâ uxor reſtituitur Admeto. Sic & in Oreſte fit. Nam cùm Oreſtes, & Pylades, Menelao irati, quòd opem ferre adverſus Tyndarum noluiſſet, Helenam, & filiam ejus Hermionem, occidere ſtatuiſſent: Helena quidem Deorum miſericordiâ in cœlum attollitur; Hermione autem, ſuperveniente priùs Menelao, mox Apolline certamen dirimente, ſuaſu ejuſdem Dei, nubit Oreſti; qui, maternâ expiatus cæde, rex fit Argivorum. Itidem lætus eſt exitus in Helenâ; ubi ea, decepto Theoclymene, reſtituitur marito ſuo Menelao, ac ſecundo vento proficiſcitur in Græciam. Similiter in Hippolyto, Rheſo, Jone.

Etiam Ezechiël, ὁ τῶν Ἰουδαϊκῶν τραγῳδιῶν ποιητὴς *, ut eum vocat Clemens Alexandrinus †, drama fecit, quod inſcribitur Ἐξαγωγή, ſive Eductio: unde luculentam partem excerpſit Euſebius Pamphili lib. IX. Præparationis Euangelicæ cap. IV. At quid lætius eductione ex Ægypto?

* *Judaicarum tragœdiarum ſcriptor.*
† *Lib. 1. Stromat.*

31. §. *Neque, ſi exitus ſit lætus, eò nomen tragœdiæ amittitur: quia non eſt de οὐσίᾳ ejus, ut exitus ſit triſtis. Alioqui minor pars tragœdiarum Euripidis, quæ quidem hodie exſtent, tragœdiæ eſſe deſinerent. Quare, ſi, quod eſt οὐσιῶδες ‡, attendamus; ſatis eſt, ſi facies ejus ſit luctuoſa, & anxia; ita ut in atroci, & ancipite illuſtrium perſonarum fortunâ, natura tragœdiæ clarè eluceat.*

‡ *Eſſentiale.*

Non tamen negâro, tragœdias ejuſmodi aliquid ex naturâ comœdiæ trahere. Natura enim tragœdiæ eſt luctuoſa; quod negari nequit; cùm terror, & miſericordia, ei inprimis proponantur. Aliter cùm fit, datur aliquid, ut diximus, populi voluptati. Unde Ariſtoteles ait, à poëtis fieri id διὰ τὴν τῶν θεάτρων ἀσθένειαν, hoc eſt, *ob infirmum, & imbecille eorum judicium, qui in theatro ſpectant*. Sed populus varius eſt, & inconſtans: nunc hoc probat, nunc illud: eoque ſatius erit, ſi naturam tragœdiæ retineamus penitus; nec, niſi gravis cauſſa juſſerit, ab eâ recedamus.

CAP. XIV.

DE MORIBUS, SENTENTIA, ET DICTIONE TRAGŒDIÆ.

HActenus de fabulâ. Sequuntur τὰ ἤθη *.

* *Mores.*

1. §. *Mores, qui in tragœdiâ relucent, ſunt ſeveriores, non ſoluti, aut ridiculi; ut in comœdiâ.*

Unde Horatius tragœdiam confert matronæ gravi, & verecundæ:

Effutire leves indigna tragœdia verſus,
Ut feſtis matrona moveri juſſa diebus
Intererit Satyris paullum pudibunda protervis.

Ovid. lib. 2. Triſt. †

Omne genus ſcripti gravitate tragœdia vincit.

† *Verſ. 381.*

2. §. *Mores etiam imitatur τῶν βελτιόνων ‡; non, ut comœdia, τῶν φαυλοτέρων ‖.*

Hoc quoque Ariſtoteles monitum eſt.

‡ *Præſtantiorum.*
‖ *Viliorum.*

3. §. *Videndum, ne ita conſectemur acumina, ut mores minus appareant.*

Quâ in re peccant pleræque tragœdiæ earum, quæ Senecæ tribuuntur.

4. §. *Tertium erat διάνοια, ſive ſententia: cujus, ut diximus, eſt proferre tum ea, quæ rebus inſunt; tum quæ rebus conveniunt.*

Univerſæ hæc eloquentiæ eſt communis: unde & fuſiùs de ea Ariſtoteli actum in Rhetoricis: uti & nobis; quæ repetere nunc nihil attinet.

5. §. *Quarto loco in tragœdia ſpectatur ἡ λέξις, ſive dictio.*

Digitized by Google

ctio. Ubi per λέξιν non vox una ſignificatur; ſed tota fabula, quatenus dicitur, vel ſcribitur.

Hac occaſione etiam de literis, & ſyllabis, agit Ariſtoteles. Nec immeritò: quia, ut Dionyſius Halicarnaſſenſis * ait, ſæpe etiam ſint τὰ γράμματα μιμητικώτατα †. Quod abunde declaravimus in Oratoriis Inſtitutionibus ‡: ubi ex Marone, & veterum aliis, vim & naturam literarum oſtendimus.

* *Libro de collocatione verborum.*
† *Literæ rem imitatione maximè exprimentes.*

6. §. Delectu verborum, & magnificentiâ inprimis, convenit tragicus cum Epico. Imò eum ſæpe vincit.

Unde Horatius ‡ de Tityo:

An tragicâ deſævit, & ampullatur in arte?

Fabius lib. x: *Sua cuique propoſita lex, ſuus decor eſt. Nec comœdia in cothurnos aſſurgit; nec contrà tragœdia ſocco ingreditur.* Primus verò Æſchylus grandiloquentiam addidit tragœdiæ; ac fecit, ut verè ambulet cothurnata.

‡ *Lib. 4. cap. 2.*
‡ *Lib. 1. epiſt. 3.*

Ab hoc tragico verborum ſplendore, & ſententiarum gravitate, Demoſthenes in oratione pro Cteſiphonte Æſchinem vocat πίθηκον τραγικὸν, *tragicum ſimium.* Quia videlicet dictis ſplendidis, ipſe nequiſſimus, probum, ac gravem virum, ſimularet. Ac ibidem eum appellat τραγικὸν Θεοκρίνην. Quoniam hiſtrio ille erat ſycophanta. Adverſus Theocrinem iſtum Demoſthenis exſtat oratio; niſi ea Dinarchi potiùs ſit. Sic & veteres Chriſtiani à gentilibus dicebantur τραγικοὶ Θεοκρίναι, tanquam ſimulatores forent ſanctimoniæ, cùm vitiis eſſent cooperti. Auctor Hieronymus epiſtolâ ad Furiam de Viduitate.

7. §. Interim hic modus eſt tenendus.

Quod non fecit Æſchylus. Nam eſt *grandiloquus, ſæpe uſque ad vitium:* ut ait Quinctil. lib. x.

8. §. Nimio autem ſplendoris ſtudio oratio fit obſcura.

Sanè perſpicuus quidem eſt Euripides; ſed verborum ſplendore vincitur ab Sophocle. Sophocles verò ſplendorem ita conſectatur, ut ſæpe perſpicuitatem negligat. Quemadmodum in hiſtoricis contigit Thucydidi. Cujus dictio ex Atticiſmo ſplendida; ſed obſcurior.

Atque hoc præcipuè attendendum in rebus naturâ illuſtribus; quæ flore orationis, longoque ſermone, obſcurantur potiùs, quàm illuſtrantur. Quare paucis indicanda, & quaſi nutu.

9. §. Contrà item ſic perſpicuitati danda opera, ut oratio ſatis ſupra popularem adſurgat; non vero humilis fiat, ac plebeja.

Effugere id non potuit Cleophon: cujus dictionem comicam potiùs, quàm tragicam fuiſſe, ſcribit Ariſtoteles in III. Rhetoricorum cap. VII. Cleophon is non orator fuit, quod ſcriptum doctiſſimo Joan. Sturmio *; ſed poëta tragicus, cujus ποίησις ταπεινή † etiam damnatur Ariſtoteli in Poët. cap. XXII. Rectè igitur Horatius verſibus iſtis, antea ‡ etiam, ſed alio in negotio, relatis:

Indignatur item privatis, ac propè ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.

Ariphrades tamen, eodem Ariſtotele * auctore, culpabat in tragicis, quòd recederent à communi ſermone: ut cùm, præter conſuetudinem loquendi, dicunt δωμάτων ἄπο, pro ἀπὸ δωμάτων: σέθεν pro σοῦ: νιν pro αὐτόν. Nempe non vidit, ſi juxta popularem uſum loquerentur: orationem fore plebejam, & humilem, cùm inſurgere ea debeat. Nam convenit, ut pro rebus, quæ graves ſunt, & magnæ, gravis etiam, & ſublimis, ſit ſermo. Peccat hac in re maximus vir, & Theologus Nazianzenus, in Chriſto patiente. Ejus dictio tragica ſubinde in orationibus; comica magis in tragœdiâ: niſi tragœdiæ ejus, ut aliquibus viſum, auctor potius ſit Apollinaris. Muretus quoque in Julio Cæſare: & Buchananus in Jephthe, ac Baptiſte, ſæpe jacent, & ad comicam dictionem ſubſidunt. Quod pluribus oſtendit clariſſimus collega, optimus talium cenſor, Daniel Heinſius †.

* *Comm. in Ariſt. Rhet. lib. 3. cap 5. ſed aliis 7.*
† *Poëſis humilis.*
‡ *Cap. 13. § 25.*
* *De poëtica cap. 22.*
* *Lib. de Tragœd.*

10. §. In dolore tamen ira expertè paullùm ſe remittit tragœdia, propiuſque ad moderationem comicam accedit. Inprimis ſi inducantur heroës de fortunâ dejecti. Quales uti animum ferè demittunt; ita & dictione utuntur parùm tragicâ.

Unde Horatius, cùm dixiſſet, comœdiam interdum ſe attollere, ut in ira, addit deinde:

Et tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri,
Telephus, & Peleus: cùm pauper, & exſul uterque,
Projicit ampullas, & ſeſquipedalia verba.

Ubi, *projicere ampullas*, eſt magnifica & grandia verba omittere, ac rejicere; non verò grandia loqui: quod perperam putabat P. Victorius lib. XIV. Var. Lect. cap. II. Subjungit enim poëta:

Si dicentis erunt fortunis abſona dicta,
Romani tollent equites, peditesque cachinnum.

Sic Philoctetis ſermo apud Sophoclem, cùm medicinam quærit pedi tabido, planè eſt miſerabilis; non qualis olim, cùm beatus foret.

11. §. Sed neque nuncii alicujus, aut nutricis dictio, tam ſublimis eſſe debet; quàm Numinis, aut Regis.

Videndum interim, ne tragœdia nimium à magnificentiâ recedat; cùm nullum eâ ſcriptum gravius ſit.

12. §. Luxuries dictionis minùs convenit tragœdiæ, quia naturâ ſeverior eſt.

Optandum erat, ut exſtaret Ovidii Medea. Nam cùm ingenium ejus viri tale ſit, ut penè modum humanæ conditionis excedat; ſiquo peccat, eo peccat, quod, magnorum fluminum inſtar, interdum redundet. Quod ſi in eo vitium eſt, tot ſuis virtutibus ſatis illud compenſat. In tragœdia tamen minus, quàm cæteris, locum habuiſſet.

13. §. Refugit tragicus pro majeſtate ſuâ appellationes vilium perſonarum, ac rerum ſordidarum, vel obſcenarum. Adhæc omnia protrita, & vulgaria, vel ſolis uſurpata comicis, ſatyricis, aut oratoribus.

Appellationes vilium perſonarum ſunt calones, lixæ, carnifex. Eò juſtiùs Euripides reprehenſus fuit, quod Telephum induxiſſet mendicum. Nec enim mendicus perſona eſt tragœdiæ conveniens; ut & antea dictum. Res vilis eſt lenticula; de quâ iccirco non loquendum Tragico; unde proverbium, τραγικὸν ἡ φακῆ *. Vide Caſaubonum Animadverſ. in Athen. lib. IV. cap. XV. Vilia item ſordidaque, pulex, lotium, cloaca. Obſcena verò, colei, virginal, tollere pedes, perdepſere. Sunt & ubi vilitas, & ſordes, cenſeantur, non tam ex re, quàm ex eo, quòd ſolùm plebeji voce uti ſolerent: ut *cocio, botulus.* Comicis etiam relinquenda, *tuopte, hercle, profectò.* Etiam verba, qualia *adeſdum, declamito, nupturio.* Parque ratio interdum in conjunctis. Ut Plautino hoc in Aulariâ †:

——Si hercle tu ex iſtoc loco.
Digitum tranſverſum, aut unguem latum, exceſſeris.

Item cùm Tullius ‡ de intricato negotio ait, *Nec caput, nec pedes habere.* Ac ſimile videri poſſit, *Rempublicam gerere*, & trecenta id genus.

* *Tragica res eſt lenticula.*
† *Act. 1. ſc. 1.*
‡ *Lib. 7. epiſt. 31. Quod & apud Plautum Aſin. 3. 3. & Horatium in Arte.*

14. §. *Ab-*

14. §. *Abhorret etiam, tum à peregrinis, & Græcis; tum à diminutivis: ut quæ ſuavitatem afferant, ſed expertem gravitatis.*

Prioris generis ſunt, *maſtruga*, *emblema*, *emplaſtrum*: poſterioris autem, *homuncio*, *puſio*, *filiolus*, *apicula*, *uxorcula*, *cruſculum*.

15. §. *Compoſitione tragici gaudent; ſed videndum, ne dura ſit, ac dithyrambica.*

Quales quædam Æſchyli: ut τοξοδάμας *, pro quo & τοξόδαμνος dixere. Quod, ut audaciùs compoſitum, reprehendit Diphilus in Helenophoris, apud Athenæum in VI, ubi ait.

* Arcu domans.

Λητοῦς, Διός τε τοξόδαμνη παρθένε,
Ὡς οἱ τραγῳδοί φασιν, οἷς ἐξουσία
Ἔστι λέγειν ἅπαντα, καὶ ποιεῖν, μόνοις.

Puto, non incommodè verteris:

Sagittidomitrix virgo Latona, ac Iovis,
Velut tragœdi dictitant; ſolis quibus
Et dicere eſt, & facere, conceſſum omnia.

Sic Pacuvii *incurvicervicum* dithyrambicum videtur: & fortaſſe etiam *anxiferum* durius eſt: quod tamen uſurpat, qui è Sophoclis Trachiniis querimoniam Herculis vertit apud Cic. in II. Tuſcul.

16. §. *Multas etiam tranſlationes reſpuit, alias quidem lætiores, ſed amoribus convenientiores: alias grandes, ſed audaces, & dithyrambis aptiores.*

Sanè tranſlatis ſublimior fit tragœdia: ut indicio eſt Æſchyli Septem-Thebana: quippe quæ narratio ſit mera, ſed magnificentiam accipiat à grandibus metaphoris. Qualibus & Pindarus gaudet. Et tamen, utcumque hæ delectent, non ubique decent. Quare & Æſchyli, & Pindari non pauca, tragicus præteribit: quia parum à tumore abſint. In quibus tamen divinis illis poëtis facilè ignoſcitur; quia pulchrius eſt aliquando cadere, quàm ſemper jacere.

17. §. *Obſoleta etiam averſatur; talibus exceptis, quæ nec Maro uſurpare vereatur; ut ſunt quianam, aulai, actutum, & ſimilia pauca.*

Sic *clepere*, *cludere*, *ſublimus*; qualia manu, non facto, ferenda ſunt.

18. §. *Dictio Euripidis interdum minùs grandis; nec multò grandior comicâ. Æſchyli dictio ſemper æquè illuſtris, nec tamen perfecta. Sophoclis dictio, ut ſublimis, & ſplendida, ita etiam caſtigata. Huic jungendus eſt Homerus; epicus quidem; ſed tragicorum idem parens.*

Imò tragicis ipſis Homerum accenſet, ac tragicorum etiam principem facit, Plato in Theæteto, & in decimo de Rep. Eo autem plus fidei Platoni debetur, quia tam ſtudioſè ipſe imitatus ſit Homerum; ut obſervatum etiam Dionyſio Halicarnaſſenſi †. Facilè igitur judicium ferre potuit de Sophocle; quem unicum eſſe Homeri diſcipulum, quidam è veteribus Græcis dicebat. Nec mirabitur hoc judicium, qui ſciat, quantopere tragicus, & epicus, tum fabulâ, ſive actione primariâ, tum οἰκονομίᾳ, ſeu ordine, tum etiam affectibus conveniant.

† Lib. de admirandâ vi dicendi in Demoſthene, pag. 188. edit. Wechel. an. 1586.

19. §. *Quod verò Tragicis inter Græcos Homerus, id iis in Latinis Maro. Ex antiquis Tragicis, ſi exſtarent, multum deberemus Attio, & Pacuvio.*

Vellejus Paterculus lib. II: *In Attio, circaque eum, Romana tragœdia eſt.* Eidem lib. II. Attius dicitur, *uſque in Græcorum comparationem evectus.* Mox de Græcis, & Attio ait, *in illis lima; in hoc penè plus videri fuiſſe ſanguinis.* Eſt & Horatii epiſt. I. lib. II:

—— *Aufert*
Pacuvius docti famam ſenis, Attius alti.

Quinctiliani quoque lib. X. cap. I: *Tragœdiæ ſcriptores veterum Attius, atque Pacuvius, clariſſimi gravitate ſententiarum, verborumque pondere, & auctoritate perſonarum. Cæterùm nitor, & ſumma in excolendis operibus manus, magis videri poteſt temporibus, quàm ipſis, defuiſſe. Virium tamen Attio plus tribuitur. Pacuvium videri doctiorem, qui eſſe docti adfectant, volunt.*

20. §. *Sed, utcunque illi exſtarent; inprimis tamen imitandi forent, qui Auguſti ævo vixerunt; quo Romana res ſletit: ut L. Varius, qui inter cætera Thyeſtem; & Ovidius Naſo, qui Medeam dedit.*

Varium celebrat Maro Eclog. IX:

Nam neque adhuc Vario videor, neque dicere Cinnâ,
Digna.

Nec alium ſignat Horatius lib. I. od. VI: ubi eum vetus interpres vocat *nobilem tragœdiographum:* ac paullo pòſt ejus celebrat Thyeſtem. De qua tragœdia ſic Junius Philargyrius Ecl. VIII: *Thyeſtes tragœdia omnibus tragicis præferenda.* Imò Quinctilianus ipſe lib. X. cap. I: *Varii Thyeſtes cuilibet Græcorum comparari poteſt.* Item ſcriptor de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Nec ullus Aſinii, aut Meſſallæ liber, tam illuſtris eſt, quàm Medea Ovidii, aut Varii Thyeſtes.*

21. §. *Degeneravere ab his M. & L. Seneca. Sed longè ab illis abſunt alii; qui tamen vulgò eodem volumine cum utriuſque Senecæ tragœdiis leguntur.*

Omnino enim in iis Latinorum tragœdiis, quas hodiè habemus, longè meliores illæ, quæ Senecæ patri, & filio, debentur: aliæ multò inferiores: omnium verò ineptiſſima Octavia eſt, opus planè ſcholaſticum: ne quid gravius, & veriùs, dicam. Pluribus de eo dictum libri hujus cap. XII. §. ult.

22. §. *Primùm tragœdia tetrametris gaviſa: poſtea trimetros prætulere.*

Quia tragœdia initio erat ſatyrica; eoque laſciva, & ſaltatoria: inde eſt, quòd primò amârit jambicos tetrametros, ſive octonarios. Eſt enim verſus ille, ut longior, ita variis ſaltationis motibus aptior. Poſtquam verò eadem gravitatis amantior fuit; pro tetrametris adſumſit trimetros; qui, ut breviores, & ſaltationi minùs convenientes, ita ſermoni familiari ſunt ſimiliores. De hac tetrametri in trimetrum mutatione auctor, nobis Ariſtoteles, non modò in Arte poëticâ *, ſed etiam in tertio Rhetoricorum †. Ubi ſic ſcribit: Οὐδὲ γὰρ οἱ τὰς τραγῳδίας ποιοῦντες ἔτι χρῶνται τὸν αὐτὸν τρόπον· ἀλλ' ἐκ τῶν τετραμέτρων εἰς τὸ ἰαμβεῖον μετέβησαν, διὰ τὸ τῷ λόγῳ τοῦτο τῶν μέτρων ὁμοιότατον εἶναι τῶν ἄλλων. *Qui tragœdias ſcribunt, non amplius veteri utuntur more: ſed ex tetrametris ad jambicos deſcenderunt; propterea quòd hoc genus verſuum ſimillimum ſit ſermoni quotidiano.*

* Cap. 4.
† Cap. 1.

23. §. *Iambici laudantur ex pedibus diſſyllabis. Quò enim plures triſſyllabi pedes, eò magis degenerant. Quod ſi multi verſus jungantur, in quibus plures triſſyllabi; proximè accedetur ad numeros comicos.*

Ut ſi multos jungas ſimiles iſti in Medeâ:

Occidimus, aures pepulit Hymenæus meas.

Digitized by Google

Hoc eò improbatur, quia ſic remittatur gravitas orationis.

24. §. *In numeris jambici carminis ſumma eſt curioſitas Græcorum.*

Nam, ut Terentianus Maurus* ait,

—— Fere Græcis tenax
Cura eſt jambi.

* Cap. de jambico.

Imò, (ut Mureto obſervatum, diſſertatiunculâ de metris Terentianis) quandoque & invenias jambicos ex jambis meris. Ut apud Æſchylum:

Ἐγὼ δ᾽ ἀτολμός εἰμι συγγενῆ θεόν.
Ἅπας δὲ τραχὺς ὅς τις ἂν νέον κρατῇ.

Item apud Sophoclem:

Πάλαι κυνηγετοῦντα, καὶ μετρούμενον.
Ἔτ᾽ ἔργον ἐστὶ, ἐννέπειν ὅτου χάριν.
Ὅτ᾽ ἄλλοτ᾽ ἄλλον, ἐμπιτνῶν, στρατηλατῶν.

Similiter apud Euripidem:

Ἐκεῖθεν εἰμι. παῖς ἔτ᾽ ὢν ἀπωλόμην.
Ὄλωλεν. ὡς ὄλωλε τοῖσιν εἰδόσιν.

25. §. *Græcos imitatur Seneca. At contrà maxima fuerat licentia Attii. Non peccet, qui mediam inter hos inſiſtat viam. Sed multò tamen ſatius eſt Senecam imitari, quàm Attium. Præcipueque ſede ſecundâ, & quartâ, exſulet ſpondeus; etſi quandoque eum admiſerint veterum nonnulli:*

Etiam Ennius, & Attius. Itaque Horatius in Arte de ſpondeo ait,

—— Non ita pridem,
Tardiùs ut paullò, graviorque, veniret ad aures,
Spondeos ſtabiles in jura paterna recepit,
Commodus & patiens: non ut de ſede ſecundâ
Cederet, aut quartâ ſocialiter. Hic & in Atti
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.

Ubi *heic* valet *hic loci*, nempe ſecundâ, quartâque ſede. Auctor tamen fragmenti, Cenſorino diu tributi, & annexi, trimetri tragici exemplum hujuſmodi ponit:

Aquilonis ſtridor gelidas molitur nives.

26. §. *In jambico trimetro Seneca, & qui eum ſequuntur, quintâ ſede reſpuunt jambum, ac pro eo amant ſpondeum, vel anapæſtum; quod ad gravitatem nonnihil confert. Sed Græci jambum non refugiunt.*

Attii quoque eſt:

Præclarioremque alterum involare me.

In Seneca perpauculis locis jambum reperias; idque tantùm in tetraſyllabis: ut ſunt *cacumine*, *Polyxena*, & ſimilia.

27. §. *Etiam tragœdia metro carere poſſit; ſed tum non tam poëma erit, quàm poëma imitabitur.*

Benius contendit, ſic rectiùs ſcribi: quem ſuperiùs † refellebamus. Et hæc de metro tragico. De quo olim ſcripſit Eugenius, Throphimi filius, Auguſtopolitanus Phryx; unus eorum, ex quibus Lexicon ſuum Suidas collegit. Ejus inter opera etiam erat κωλομετρίαν ‡ τῶν μελικῶν, Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου, teſte Suida *.

† Hujus lib. 2. cap. 4. §. 12.

‡ Dimenſio colorum, ſive verſuum, Æſchyli, Sophoclis, Euripidis.

* In Εὐγένιος.

Cap. XV.

De partibus tragœdiæ.

1. §. *Partes tragœdiæ nunc videbimus, non illas, quæ ratione qualitatis fabulæ inſunt, quas proximè expoſuimus; ſed quas habet ratione quantitatis.*

Egimus quidem de illis jam antè: ſed universè: nunc ea perſequemur, quæ ad tragœdiam propriè attinent.

2. §. *Prologum (eâ quidem ſignificatione, quâ uſurpant Latini) tragœdia non agnoſcit. Cauſſa ejus rei eſt, quia ſimulac nomen tragœdiæ auditur, notum eſt argumentum; contrà quam in comœdia fit.*

De quo ex Antiphane Comico antea vidimus. Græci quidem in tragœdia prologum agnoſcunt: ſed illis prologus eſt una è perſonis: ut Jocaſta in Phœniſſis Euripidis; Juno in Senecæ Hercule Furente.

3. §. *In cataſtrophe poſt illud, quod triſtiſſimum eſt, non debet ſubjici aliud, quod minus triſte eſt. Vel, ſi id fiat, magno opus erit artificio, ne prior affectus langueſcat.*

Vidit hoc Euripides in Phœniſſis: ubi poſt Eteoclis, & Polynicis, mutuam cædem, & Jocaſtæ ſupra liberorum corpora, venit ad Oedipodem in exilium conjectum. Quia autem videbat id leviùs eſſe, quàm priora, vehementiùs ſtudet in eo affectum concitare.

4. §. *Veteres tragici plurimùm fabulam ſolvebant per machinam ſcenicam, è qua Dii loquebantur.*

Auctor Plato in Cratylo, & Tullius in primo de natura Deorum. Vide de ea Pollucem l. IV. cap. XIX. §. 2.

5. §. *Sed opera danda eſt, ut ſolutio fabulæ potiùs ex ipſa fiat fabulâ, quàm per machinam.*

Peccat Epicus, ſi facilè nimis recurrat ad Dei deſcenſum: quamquam id interdum faciat Homerus; quo nomine etiam reprehenditur ab Ariſtotele; ut ſuperiùs diximus. Quod verò nec Epicis conceditur, id multò magis cavendum Tragico; quia in Epico excuſantur quædam per ἀπαγγελίαν: tragici magis eſt ſectari, quod veriſimile eſt. Scio, duas potiſſimum machinæ cauſſas adferri; vel ut dicantur præterita, ſed ignota; vel ut exponantur futura. Verùm in præteritis, ſi aliter ſcire non licet, machinâ ſanè utendum. Sed priùs diſpiciendum, an non ex præcedentibus ſolutio fieri poſſit: vel ſi id fieri nequeat, videndum, an non queat propterea nova induci perſona, quæ probabili de cauſſâ ſuperioribus connectatur. Ad futura quod attinet, illa quidem ab homine præſciri nequeunt: ſed cogitandum, an ea ſit opus præſciri. Sanè raró id neceſſarium, niſi cùm argumentum exponitur. Apud Euripidem in Phœniſſis futura exponit Jocaſta: ſed vitioſè, quia pars dramatis foret. Facti, quod non poſſet ſciri, exemplum habemus apud Sophoclem, cùm Minerva exponit factum Ajacis, quod non poterat ſcire Ulyſſes. Item cùm in Hippolyto Euripidis Diana narrat hanc pœnam à Venere immiſſam Hippolyto. Quod unde alioqui conſtitiſſet? Simileque in Plauti Amphytrione; ubi Jupiter ipſe prædicat, ſe fuiſſe, qui, formâ Amphitryonis adſumtâ, gravidam reddidiſſet Alcumenam.

Cap. XVI.

De Choro Tragico: item De Melodia, et Apparatu Scenico.

1. §. *Vidimus de partibus diverbii tragici: ſive protaſin, epitaſin, & cataſtrophen ſpectes; ſive connexionem, & ſolutionem. Nunc videamus de chorico. Chori tragici plures ſunt actiones. Πάροδος * vocabatur totum id, quod dicebatur à choro, cùm primùm ingrederetur ſcenam. Quod olim quidem iiſdem fiebat canentibus, & ſaltantibus: poſtea verò aliis canentibus, aliis ſaltantibus: nimirum quia anhelitus alioqui, ſaltu laſſatus, cantum impediret. Στάσιμον †, vel χορoστασία, vocabatur, ſi chorus*

* Ingreſſus.

† Stabile, ſive ſtatarium.

chorus fleret; quod fiebat cùm exponere inciperet calamitates fabulæ. Κομμὸς ‡ *poſtrema erat tragœdia pars, eoque exodi propria; nec ſemper tamen neceſſaria. Eo chorus, ſimulque ii, qui in ſcena erant, deplorabant calamitatem, vel alicujus perſonæ, vel publicam; idque ad miſerationem commovendam.*

‡ Planctus.

In tres haſce partes chorum dividit Ariſtoteles *. Sed tamen in iis diſcrimen ſtatuit. Ait enim, chori partium alias ab omnibus uſurpari poëtis; alias non item. Prioris generis eſſe τὴν πάροδον, καὶ ςάσιμον †. Alterius eſſe τὰ ἀπὸ σκηνῆς, καὶ κομμοὺς ‡. Ac quidem τὰ ἀπὸ σκηνῆς vocat lugubrem ſcenæ apparatum, & luctuoſam pronunciationem. Κομμὸν nominat, ut ipſe exponit, κοινὸν θρῆνον χοροῦ, *communem chori planctum.* Quomodo apud Sophoclem, in OEdipode tyranno, chorus miſerum OEdipum non ſolatur; ſed unà cum eo luctum prodit. De tribus hiſce tragœdiæ partibus ſic ſcribit incertus auctor in Argumento Perſarum Æſchyli: Τῶν χορῶν τὰ μὲν ἐςι παροδικὰ, ὡς ὅτε λέγει δι' ἣν αἰτίαν πάρεισιν, ὡς, τὸ Τύριον οἶδμα λιποῦσα· τὰ δὲ ςάσιμα, ὡς ὅτε ἵςαται, καὶ ἄρχεται τῆς συμφορᾶς τοῦ δράματος· τὰ δὲ κομματικὰ, ὅτε λοιπὸν ἐν θρήνῳ γίνεται. *In choro aliqua ſunt parodica: ut cùm dicit, ob quam cauſſam adſit; ut illud, Tyrium fluctum relinquens: alia vero ſunt ſtaſima; ut cùm ſtat, & orditur calamitatem fabulæ: alia commatica; ut quod reliquum in lamentatione conſiſtit.* Ubi verba illa, Τύριον οἶδμα λιποῦσα, ſunt chori in Euripidis Phœniſſis.

* De Poët. cap. 12. ex diſtinctione aliorum cap. 7.
† Ingreſſum ſcenæ, & planctum.
‡ Illa ab ſcena, & lamenta.

2. §. *Chorus ςάσιμος, ſive ſtatarius, reſpuebat trochæum, & anapæſtum.*

Auctor idem Ariſtoteles *. Cauſſa verò, quia pedes iſti magis conveniant ſaltationi. Sunt enim rotatiles, ac veloces. Unde Tullius lib. II. Tuſculan. Quæſt. *Non adhibetur Spartæ ulla ſine anapæſto adhortatio: quod factum puto, quia vehementem eſſe oportet, & celeri impetu ferri, ut magis animos feriat auditorum.* Sed de choricis, ac univerſâ carminis ratione, in tragœdiis, operæ ſit adire ea, quæ Poëtis Tragicis præmiſit Guilielmus Canterus.

* De Poët. cap. 12.

3. §. *Chorus in tragœdia conſtabat, non ex heroibus, aut viris principibus: ſed ex agricolis, civibus, militibus, mulieribus, etiam è peregrinis: per quos ſuum poëta judicium promebat. Aliquando fuit è perſonis quinquaginta. Poſtea numerus eſt imminutus, ut eſſent quindecim; qui ſcenam ingrediebantur, vel terni, ordine quinquepartito; vel quini, ordine tripartito; interdum etiam ſigillatim.*

Primùm in choro unus locutus, unde μονοπρόσωπος † dicebatur: hinc altera eſt addita perſona, ut una interrogaret, reſponderet altera: poſtea quatuor adhibitæ, ut numerus utrimque par foret: hæc ζυγὰ, ſive *juga* dixere: tandem auctus numerus, ſed ζυγῶν nomen remanſit: imò etiam quinquaginta in choro adhibiti: ſed, cùm Æſchylus Eumenides doceret, imminutus eſt hic numerus, atque ad duodecim redactus: cui tres addidit Sophocles, ut XV. forent: niſi cùm aliis ab Æſchylo XV. inductos putes. De numero hoc ita Pollux lib. IV. cap. XVI. Τὸ δὲ παλαιὸν ὁ τραγικὸς χορὸς πεντήκοντα ἦσαν, ἄχρι τῶν Εὐμενίδων Αἰσχύλου. πρὸς δὲ τὸ ὄχλον αὐτῶν τοῦ πλήθους ἐκπλαγέντων, συνέστειλεν ὁ νόμος εἰς ἐλάττω ἀριθμὸν τὸν χορόν. *Apud antiquos chorus tragicus conſtabat è quinquaginta, uſque ad Eumenidas Æſchyli: ſed populo ad eam multitudinem obſtupefacto, lex chorum ad minorem numerum revocavit.* Paullò antea dixerat: Τραγικοῦ μὲν χοροῦ ζυγὰ πέντε ἐκ τριῶν καὶ ςοῖχοι τρεῖς ἐκ πέντε· πεντεκαίδεκα γὰρ ἦσαν ὁ χορός. *Chori tragici ſunt juga quinque è tribus, & ordines tres è quinque. Quindecim enim conſtituebant chorum.* Illud quoque ibidem ſubjungit: Καὶ κατὰ τρεῖς μὲν εἰσῄεσαν, εἰ κατὰ ζυγὰ γίνοιτο ἡ πάροδος· εἰ δὲ κατὰ ςοίχους, ἀνὰ πέντε εἰσῄεσαν. *Ac terni quidem intrabant, ſi ſecundùm juga ingreſſus fieret: ſin is fieret ſecundùm ordines, introibant quini.* Quibus ex verbis duplicem chori formam in progrediendo cognoſcimus. Una erat κατὰ ζυγὰ, ſi exirent, terni, hoc pacto:

† Perſona unius.

o o o
o o o
o o o
o o o
o o o

Altera κατὰ ςοίχους, hunc in modum:

o o o o o
o o o o o
o o o o o

Qui à dextera erat, dictus δεξιοςάτης: qui à ſiniſtra; ἀριςεροςάτης; teſte Polluce †: qui & addit λαυροςάταν; niſi legendum cum Sylburgio δευτεροςάτην: nam ſubjungit, feminam vocatam τριτοςάτην.

† Lib. 4. cap. 4. cap. 15.

4. §. *Non eſt idem chororum numerus in Græcâ, Latinâque tragœdiâ; ſed Græcis nunc plures ſunt chori, nunc pauciores.*

Sanè Græcis interdum in actu primò chorus ingreditur, ac conſiſtit, & prologum explicat: quod neglectum eſt à Senecâ.

5. §. *Saltatio Tragica* ἐμμέλεια *dicebatur.*

Auctores, præter alios, Dionyſius Halicarnaſſenſis, Lucianus de ſaltat. & Ariſtides orat. κατὰ τῶν ἐξορχησαμένων. Item ex Grammaticis Pollux lib. IV. cap. XIV. Athenæus lib. I. Ammonius de vocum different. ac Heſychius; qui & eam addit à Platone laudari. Reſpicit autem iſta Platonis in VII. de Legg. καὶ δύο δὲ τῆς ὀρχήσεως τῆς καλῆς εἴδη καλεῖσθαι δεῖ· τὸ μὲν πολεμικὸν, πυῤῥίχην· τὸ δὲ εἰρηνικὸν, ἐμμέλειαν, ἑκατέρῳ τὸ πρέπον τε, καὶ ἁρμόττον ἐπιθεὶς ὄνομα. *Duæ honeſtarum ſaltationum ſpecies ſunt: una bellica, quam Pyrrichen; altera pacis propria, quam Emmeliam nominarunt. Utrique verò aptum, ac conveniens, impoſuit nomen.* Meminit & Suidas. Porrò non ſaltatio modò, ſed & cantus ipſe, ἐμμέλεια vocabatur. Euſtathius ad Il. Σ: Ἐκαλεῖτο δὲ, φησιν, ἐμμέλεια, καὶ τὸ ὑπὸ τῆς τραγικῆς ὀρχήσεως ᾀδόμενον αὔλημα. *Vocabatur autem, ut ait, Emmelia etiam cantus ille, qui ad tibiam in ſaltatione hac tragica canebatur.* Excelluiſſe eâ traditur Bathyllus Alexandrinus; egregieque de eâ ſcripſit Pylades Cilix hiſtrio: ut retuli hujus libri cap. IX.

6. §. *Saltatio ea hunc in modum fiebat. Primùm chorus movebatur lævorſum; atque ita, ajebant, ſe imitari motum primi orbis, ſtellarumque fixarum. Hoc* ςροφὴν ** vocabant. Deinde iiſdem numeris, ac paribus intervallis, veſtigia relegebant. Atque hoc motu, qui dextrorſum fiebat, imitabantur motum planetarum. Dixere illud* ἀντιςροφὴν †. *Hinc conſiſtebant, terræ quietem repræſentantes. Ac, quia diverſa à prioribus accinerent,* ἐπῳδὸν ‡ *illud vocarunt.*

* Converſionem, ſive reverſionem.
† In contrariam converſionem.
‡ Q. d. ſuccentum, ſive cantum poſt converſionem, & reverſionem.

Refert hoc Scholiaſtes Pindari vetus, & Etymologi Magni ſcriptor in Προσῳδιον. Ait Victorinus, hunc morem fluxiſſe à Theſeo, ex Creta reduce, in memoriam flexuoſi illius labyrinthi.

7. §. *Septies autem ſaltabat chorus in orcheſtra. Unde ſeptem erant partes* παραβάσεως ‡.

‡ Tranſitus, ſive tranſgreſſionis.

Vocabantur hæ κομμάτιον, παράβασις ſic ſpeciatim dicta, μακρὸν, ςροφὴ, ἐπίῤῥημα, ἀντιςροφὴ, & ἀντεπίῤῥημα. Κομμάτιον, quaſi dicas, *præciſionem*, aut *particulam*, præpa-

præparabat ad παράβασιν: eratque duorum aut trium verſuum, qui tetrametri erant. Παράβασις, ſive *congreſſio*, conſtabat anapæſtis. Μακρὸν, ſive *longum*, brevis erat cantiuncula, uno prolata ſpiritu, ſed longiori: unde & nomen. Στροφὴ, ſive *converſio*, fiebat, choro ſe de loco in locum movente; idque ſic, ut ſpectaret populum: ac conſtabat anapæſticis ſexdecim. Ἐπίῤῥημα è totidem erat jambicis tetrametris. Strophæ ſimilis erat antiſtrophe, & epirrhemati antepirrhema. Sed de his pleniùs Græci ſcholiaſtæ. Interim non exiſtimandum, hæc eſſe perpetua.

8. §. *Uſi in tragœdiis maximè harmoniâ mixolydiâ, & Doricâ.*

Plutarchus lib. de Muſica: Καὶ ἡ μιξολύδιος δὲ παθητική τίς ἐστι τραγῳδίαις ἁρμόζουσα. Ἀριστόξενος δέ φησι, Σαπφὼ πρώτην εὕρασθαι τὴν μιξολυδιστί, παρ' ἧς τοὺς τραγῳδοποιοὺς μαθεῖν. λαβόντας γοῦν αὐτοὺς συζεῦξαι τῇ Δωριστί· ἐπεὶ ἡ μὲν τὸ μεγαλοπρεπὲς, καὶ ἀξιωματικὸν ἀποδίδωσιν, ἡ δὲ τὸ παθητικόν· μέμικται δὲ διὰ τούτων ἡ τραγῳδία. *Mixolydia harmonia, quia animos vehementer commovet, tragœdiis eſt apta. Ariſtoxenus ait, hanc primùm inventam eſſe à Sapphone: ab eâ didiciſſe tragœdos, ac cum Doricâ conjunxiſſe: eò quòd hæc majeſtatem conciliet, illa mentes percellat: ex quibus commixta eſt tragœdia.* Quia verò Plato Lydiæ, & Jonicæ melodiæ genus, in ſuis de Legibus libris, improbârat, eò ſubjungit: Τούτων δὲ ἁρμονιῶν τῆς μὲν θρηνῳδικῆς οὔσης, τῆς δὲ ἐκλελυμένης, εἰκότως ὁ Πλάτων παρῃτησάμενος αὐτὰς, τὴν Δωριστὶ, ὡς πολεμικοῖς ἀνδράσιν ἁρμόζουσαν εἵλετο, οὐ μὰ Δία ἀγνοήσας, ὡς Ἀριστόξενός φησιν, ὅτι καὶ ἐν ἐκείναις τι χρήσιμον ἦν πρὸς πολιτείας φυλακήν. ἀλλ' ἐπεὶ πολὺ τὸ σεμνὸν ἐστιν ἐν τῇ Δωριστὶ, ταύτην προετίμησεν. *Harum harmoniarum cùm una ſit lamentis apta, altera diſſoluta: jure Plato eas rejecit, ac Doricam, ut bellicoſis viris convenientem, prætulit: non, per Jovem, quaſi ignoraret, etiam illis ineſſe utile quiddam, ad Reip. cuſtodiam: ſed, quia magna eſt majeſtas in Dorica, eam prætulit.* Mox ſubjungit: Ἀλλὰ μὲν καὶ τραγικοὶ οἶκτοι ποτὲ ἐπὶ τοῦ Δωρίου τρόπου ἐμελῳδήθησαν. *Sed & tragica lamenta modulati ſunt Doricis modis.*

9. §. *Etiam in tragœdiis utebantur harmoniâ Jonicâ, & Lydiâ.*

Plutarchus ibidem poſt pauca: Καὶ περὶ τοῦ Λυδίου δὲ οὐκ ἠγνόει, καὶ περὶ τοῦ Ἰαδίου. ἠπίστατο γὰρ ὅτι ἡ τραγῳδία ταύτῃ τῇ μελοποιΐᾳ κέχρηται. *Idem* (Plato) *non ignoravit modos Lydios, & Jonicos: ut qui ſciat tragœdiam utrâque uti.* Nempe ex quatuor modis, Jonico, Lydio, Dorico, Phrygio, primus eſt remiſſus, alter triſtis, tertius ſedatus, & virilis, quartus vehemens, ac furorem concilians. Ut Phrygius hîc non habeat locum; ſed Doricus, quia majeſtatem adfert: item Lydius, & Hypolydius, qui convenit lamentis, quandoque & Jonicus; credo, ut nimia Dorici moduli gravitas ejus jucunditate temperetur.

10. §. *Chromatico, & Rhythmo, in tragœdiâ abſtinebant, non ignoratione, ſed conſilio.*

Plutarchus libro de Muſicâ: Τῷ χρωματικῷ γένει καὶ τῷ ῥυθμῷ, τραγῳδία μὲν οὐδέπω καὶ τήμερον κέχρηται· κιθάρα δὲ πολλαῖς γενεαῖς πρεσβυτέρα τραγῳδίας οὖσα ἐξ ἀρχῆς ἐχρήσατο. *Chromatico genere, & rythmo, ne hodie quidem tragœdia utitur. Cithara verò, quæ tragœdiam aliquot ſeculis anteceſſit, ab initio in uſu erat.*

11. §. *Venio nunc ad apparatum ſcenicum. Scenæ tragicæ deformantur columnis, faſtigiis, & ſignis, reliquiſque regalibus rebus.*

Ut eſt apud Vitruvium lib. v. cap. VIII. Pluraque de ſcenæ ſtructurâ Pollux lib. IV. cap. XIX. Iſidorus lib. XVIII. cap. XXIX. Caſſiodorus lib. IV. Var. epiſt. ult. Item è junioribus Budæus annotat. in Pandectas, Rhodiginus Antiq. Lect. lib. v. cap. VIII. Scaliger de poët. lib. I. cap. XXI. Gyraldus dial. VI. de poëtis, Lipſius de Amphitheatro. Tota verò apparatus cura pertinet potiùs ad σκηνοποιὸν, ſeu choragum, quàm ad poëtam. Eaque cauſſa eſt, cur nihil de eo præcipiat Ariſtoteles. Verba ejus ſunt*: ἡ δὲ ὄψις ψυχαγωγικὸν μὲν, ἀτεχνότατον δὲ, καὶ ἥκιστα οἰκεῖον τῆς ποιητικῆς. ἡ γὰρ τῆς τραγῳδίας δύναμις, καὶ ἄνευ ἀγῶνος καὶ ὑποκριτῶν ἐστιν. ἔτι δὲ κυριωτέρα περὶ τὴν ἀπεργασίαν τῶν ὄψεων ἡ τοῦ σκευοποιοῦ τέχνη τῆς τῶν ποιητῶν ἐστι. *Apparatus autem animum quidem oblectat; ſed minimum artis habet; nec proprius eſt Poëticæ. Tragœdiæ enim ea eſt natura, ac virtus, ut etiam extra certamen, ac ſine hiſtrionibus conſtet. Adhæc in apparatu concinnando potior eſt cura artificis, qui apparatum eum concinnat, quàm poëtarum.*

* Cap. 6. de Poëtica.

12. §. *Ad tragicorum ornatum inprimis pertinent ſceptra, palla, & cothurni: ſceptra quidem, & palla, ut regum, ducumque geſtamen: cothurni autem, ut perſonæ, quas repræſentarent, grandiores viderentur.*

Ideo & tragœdiam ipſam cum tribus iſtis depingunt poëtæ. Ut Ovidius lib. III. Am. el. I.

Venit & ingenti violenta tragœdia paſſu.
Fronte coma torvâ: palla jacebat humi.
Læva manus ſceptrum latè regale tenebat:
Lydius apta pedum vincla cothurnus erat.

Et de ſe ipſo ſic ſcribit lib. II. Amor. el. XVIII.

Sceptra tamen ſumſi, curâque tragœdia noſtrâ
Crevit, & huic operi quamlibet aptus eram.
Riſit amor, pallamque meam, pictoſque cothurnos,
Sceptraque privatâ tam citò ſumta manu.

Pallam inter tragica ſchemata reponit & Horatius †, atque Æſchyli ait inventum:

——*Pallæque repertor honeſtæ.*

† In Arte.

Pro palla alibi ſyrma legas. Valerius Phormione:

Quid hic cum tragicis verſis, & ſyrmâ, facis?

Valer. Max. *Togam, velut tragicam veſtem, in foro trahens.* Ubi etymon *ſyrmatis* reſpicit, quod ἀπὸ τοῦ σύρειν. *Tragœdi* etiam *ſyrma* legas apud Appulejum in Apolog. Verba ejus alibi adducimus. Meminere & Seneca, Martialis, Juvenalis, Vopiſcus.

13. §. *Conveniens etiam habitus Deorum, heroumque, requiritur.*

De habitu deorum ſic Porphyrius in tetrabilon Ptolemæi περὶ τῶν τῶν ἱματίων χροιᾶς. Ὁ Κρόνος τοῦ καλλαΐζοντος· ἡ Ἀφροδίτη λευκῆς χροιᾶς· ὁ Ζεὺς καλλαΐζοντος ἐπὶ τὸ λευκὸν ῥέποντος μικρόν· ὁ Ἄρης πυῤῥινης, φλογίνης ἀληθινῆς· ὁ ἥλιος χρυσομηλίνης. *Saturnus coloris fibrini; Venus albi; Jupiter callaici, ſive punici, ad alborem paullùm vergentis; Mars ignei, vereque flammei; Sol ejus, qui eſt in malo aureo, ſive Medico.* Ulyſſes pileatus inducebatur; quomodo eum ſculptum videre eſt apud Fulvium Urſinum in nummo Manilii. Eodem modo & Hippocrates pingebatur, ἐν πίλῳ ‡, καθάπερ Ὀδυσσεύς, ut ait Soranus in vita Hippocratis: qui hoc addit, eſſe παράσημον ‖ εὐγενείας. Itidem autem in Ulyſſe eſſe indicium nobilitatis, cenſet Pierius lib. XI. Hieroglyph. Primus verò Ulyſſi in pictura pileum addidit Nicomachus, Ariſtodemi filius; ut eſt apud Plinium lib. XXXV. cap. X. Sed de habitu Ulyſſis pleniùs ſic Donatus, aliuſve, in Ter. proleg. *Hinc Ulyſſem palliatum ſemper inducunt: ſive quòd aliquando inſaniam ſimulavit; quo tempore tectum ſe eſſe voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire; ſeu ob ſingularem ſapientiam, quâ tectus munituſque plurimùm ſociis profuit. Hujus enim virtutis erat animi ſemper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacæ incolas, ſive Locros, palliatos fuiſſe commemorant.*

‡ Cum pileo, ſicut Ulyſſes.
‖ Inſigne nobilitatis.

Digitized by Google

rum. Hinc de Achille, & Neoptolemo, ſubjungit; *Achillis, & Neoptolemi perſonæ, diademata habent; quamvis regalia ſceptra nunquam tenuerint: cujus probatio talis inducitur, quòd nunquam cum reliquâ Græciæ juventute, ad gerenda cùm Trojanis bella, ſacramenta conjurationis injecerint; nec unquam ſub Agamemnonis imperio fuerint.* Sed, ſingularum ſi perſonarum habitum noſſe voles, adi Julium Pollucem Onomaſtici lib. XVIII. cap. XIX. Item è junioribus Lilium de poëtis dialog. VI, Scaligerum de re poëtica lib. I. cap. XVI. Minturnum lib. III, de poëta*. Atque hæc de Choro Tragico, ſcenæque tragicæ apparatu.

* Pag. 241, & 242. edit. Venet. an. 1559.

Cap. XVII.

De variis Tragœdiæ formis.

1. §. *Tragœdia (ut conſtat ex iis, quæ univerſè de dramatibus diximus) vel palliata eſt, vel prætextata.*

Palliata, ſive Græca, ut novem Senecæ. Prætextata, ſive Romana, ut Senecæ Octavia; veterum autem Brutus, Paulus, Decius, Scipio.

2. §. *Tragœdia item vel pura eſt, vel mixta.*

Pura, ubi nihil non tragicum: mixta, ut, ubi Satyrica additur poëſis, vel quæ exitu læto terminatur: quo in genere excelluit Achæus. Hujuſmodi etiam fuit Grammatica; de qua ex veteribus Athenæus lib. 10. ac pluribus Julius Scaliger lib. 1. rei Poët. cap. VIII.

3. §. *Ariſtoteles ‡ eandem dividit in πεπλεγμένην, παθητικὴν, ἠθικὴν, & μυθικὴν †.*

‡ De Poëtica cap. 17.
† Implexam, animos concitantem, moralem, & fabuloſam.

Πεπλεγμένη, ſive implexa, eſt, quæ peripetiis & agnitionibus implicatur; ut Senecæ Oedipus. Παθητικὴ, ſive perturbationum plena, eſt ejuſdem Hippolytus. Ἠθικὴ, ſive morata, quæ formandis moribus inſtituta; ut Sophoclis Philoctetes. Μυθικὸν dicamus, ubi ſpectamus aliena à rebus humanis, planeque fabuloſa: ut ſi centauri in ſcenam inducantur, vel phorcydes; vel ea repræſententur, quæ poëtæ commenti apud inferos fieri. Huc referre poſſis Æſchyli Prometheum vinctum. Primùm illud fabulæ genus junioribus magis, quàm Æſchylo, placitum. Quà de re ſic anonymus in ejus vitâ: Αἱ τε διαθέσεις τ. δραμάτων ὐ πολλὰς αὐτῷ περιπετείας, ἢ πλοκὰς ἔχουσιν, ὡς παρὰ τοῖς νεωτέροις. μόνον γὰρ σπουδάζει τὸ βάρος περιτιθέναι τοῖς προσώποις, ἀρχαῖον εἶναι κρίνων τοῦτο τὸ μέρος, τὸ μεγαλοπρεπές τε, ἢ ἡρωικόν. *Diſpoſitio habet peripetias, & perplexitates, ut fit apud juniores: tantum ſtudet gravitatem addere perſonis: antiquam judicans hanc partem, ac magnificentiam, & ſpiritum heroicum.*

Cap. XVIII.

Methodus ſcribendæ tragœdiæ.

Etſi ex iis, quæ de natura tragœdiæ univerſè, ac particulatim, diximus, non obſcurè arbitrer liquere, quomodo ea condi, atque adornari, debeat: fortaſſe tamen res planior erit, ſi veſtigia mea relegam, viamque ac rationem pangendæ hiſtoriæ paucuiis capitibus complectar; ac ita complectar, ut quædam admiſceam ante nobis indicta.

1. §. *Tragœdiam ſcripturo prima hæc cura eſt, ut conſtituat fabulam: hoc eſt, ut totius fabulæ ſummam colligat in unam actionem generalem, eamque ob oculos ponat.*

Vocat hoc Ariſtoteles τὸ καθόλου θεωρεῖσθαι*. Ac exemplum adfert ex Euripidis Iphigenia; ubi, cùm multa, variaque referantur, iis tamen omiſſis, quæ aſſumuntur extrinſecus, ſic fabula generatim conſtituitur. Iphigenia aris admota eſt, ut ſacrificaretur; ſed divinitus ſubducta, devectaque longinquas in terras, ubi moris eſſet hoſpites Dianæ ſacrificari, ejus Deæ ſacerdos facta eſt: poſtea frater ejus eodem devênit; qui captus, & immolandus, ſororem agnovit. Hæc fabulæ eſt conſtitutio. Cætera ſunt epiſodia; de quibus poſtea dicetur.

* Generatim aliquid videre.

2. §. *In conſtitutione autem fabulæ, ut ea quàm maximè ſimplex ſit, omitti debent cauſſæ ſingulorum.*

Ut, in ſuperiori fabula de Iphigenia, non additur, cur Oreſtes venerit in regionem Tauricam; quia eſt extra generalem conſtitutionem. Et ſanè, ſi hæc apponatur, alia etiam addi debeant. Cauſſa ſiquidem, cur venerit, fuit; ut ſe expiaret à cæde maternâ. Occiderat enim Clytæmneſtram. Sed quæri non minùs potuit, cur occiderit matrem. Ratio fuit, quia illa necârat patrem Agamemnona. Hic quoque potuit diſquiri, cur illa necârit maritum. Cauſa fuit, ut ulciſceretur cædem mactatæ ab eo filiæ, quemadmodum credebat. Iterum quæritur, cur eam mactare voluerit. Factum autem id pro ſalute Græciæ. Ita cauſſa trahit cauſſam; eoque longa ſeries necti debeat, ſi αἰτιολογία † etiam generali addatur actioni.

† Cauſſæ redditio.

3. §. *Conſtitutâ fabulâ, videndum, ecquis ante nos tragicam hanc actionem tractârit. Si aggreſſus eam nemo; pro arbitratu noſtro comminiſcemur, quæ ad connexionem, & ſolutionem fabulæ, pertinent. Sin præiverit alius; videndum, an non melius connexio, aut ſolutio, inſtitui poſſit. Quod ſi fiat; ut fabulæ nomen ſit idem, fabula tamen diverſa erit.*

Nam ut fabula eſt una, non quæ unum habet nomen; ſed ubi eadem eſt connexio, & ſolutio: ita fabula eſt diverſa, ubi differunt hæc duo. Sunt enim hæ partes tragœdiæ eſſentiales; ut ex Ariſtotele diximus.

4. §. *Sive autem prior alius actionem eandem conſtituerit; ſive primi eam aggredimur: omnino, priuſquam ad tractationem accedimus, videndum eſt, an actio illa habeat περιπέτειαν, ſive eorum, quæ aguntur, commutationem in contrarium.*

Siquidem per περιπέτειαν, veluti medium, è felicitate in infelicitatem devenitur. Quàm verò pars hæc neceſſaria ſit; docet, quòd multi bene connectunt; at malè ſolvunt. Poſtrema verò maximè animo inhærent: ut vel maximè in περιπετείᾳ, & ſolutione, curâ opus ſit.

5. §. *Ac, quicquid huc pertinet, clarè exprimendum: quod niſi fiat, exploditur poëta.*

Uti factum Carcino ‡, cùm ejus Amphiaraum ageretur. Ubi περιπέτεια ab uno illo pendebat, ut Amphiaraum ſpectatores viderent è templo exeuntem. Carcinus autem, cùm ſcriberet confuſiùs, hæc non expreſſerat. Itaque, ut ait Ariſtoteles, τῆς σκηνῆς ἐξέπεσεν *, hoc eſt, populo iccirco indignante, exploſus fuit. Sapientiùs Sophocles in Oedipo: apud quem nuncius narrat, ut Jocaſta laqueum collo circumdederit, atque ita vitam finierit. Si poëta induxiſſet eam clam ſcenâ diſcedentem; nec ullo modo pandentem triſte illud, quod animo agitaret: ſpectatores eſſent decepti; nec actio ſubſecuta adeò evidens fuiſſet. Quare inducitur Jocaſte, priùs ſcelera agnoſcens, quæ commiſerat inſcia, ac dein abiens è ſcena palàm. Chorus etiam, cùm videret, quanto cum dolore ſe proriperet;

‡ Ariſtot. de Poët. cap. 17.
* Scena excidit.

metuere ſe dicit, ob ſubitum illud ſilentium, ne grande aliquod malum conſequatur.

6. §. *Proxima cura eſt, ut fingantur epiſodia; ac loca etiam inquirantur, ubi commodè inſeri poſſint; & modus, quo connectantur.*

Poſtquam fabula, ſive actio, eſt ſummatim conſtituta, nominaque impoſita ſunt perſonis; excogitari oportet epiſodia. Nam ridiculus ſit, qui priùs cogitet de epiſodiis, quàm ſtatuerit de actione primariâ. Porrò epiſodia vel foris arceſſuntur, vel ex ipſa naſcuntur fabula. Prioris generis exemplum eſt in Senecæ Hercule Furente: ubi extrinſecus petuntur illa de morte Creontis, tyrannide Lyci, Megæræ, filiorum, & ſoceri periculis à Lyco. At generis ſunt poſterioris, quæ conſequuntur reditum Herculis ab inferis uſque ad exodium. Non dubium, quin præſtent illa, quæ naſcuntur è fabula. Quomodo, in Euripidis Iphigenia Taurica, ſunt epiſodia complura: univerſa tamen ducuntur ex Oreſtis inſania, quam expiari oportuit. Operam igitur dabimus, ne epiſodia ſint longè arceſſita; ſed ut ſint propria, ſive, ut Ariſtoteles loquitur, οἰκεῖα. Brevia etiam ſunto: cujus cauſſa eſt, quòd tragœdia unius diei geſta contineat. Contrà quàm ſit in epopœia; ubi epiſodia ſunt multa, varia, longa; ut poſtea dicemus. Nec nimis tamen brevia ſunto. Nam, cùm Ariſtoteles videre jubet, ut tragœdia ſit εὐσύνοπτος *, monet, ne magnitudo ſit vel nimis vaſta, vel nimis etiam exilis. Eoque, ſi nimis exigua ſit, aliud quoque addendum erit epiſodium: ſin nimis magna, aliquid recìdi oportebit. Cùm autem epiſodia extrinſecus aſſumantur; neceſſe etiam erit cogitare, ubi, & quomodo ea maximo cum judicio conjungantur cum actione. Utrumque hoc indicat Ariſtoteles †, cum jubet ἐπεισοδιοῦν, καὶ παρατείνειν *epiſodia addere, apteque connectere.* Hæc præſtabunt, ut ſit *lucidus ordo*: quemadmodum Horatius vocat. Qui & addit:

* *Talis, ut oculis facile comprehendatur.*

† *Lib. de Poëtica, cap. 7.*

Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat; jam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat;
Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor.

7. §. *Tertia cura eſt, ut poëta in ſingulis, tum primariæ actionis, tum epiſodiorum perſonis, ſui immemor, alierum mores, & affectus, induat, & aſſumat.*

Hoc eſt, ut ſic de ſe cogitet, quaſi ille ipſe ſit, quem exprimi oportet; atque, ita affectus, ſermonem ei convenientem inſtituat, animumque alterius, quaſi ſuum, auditoribus repræſentet. Horatius in Arte:

Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; juvat, aut impellit ad iram;
Aut ad humum mœrore gravi deducit, & angit.
Poſt effert animi motus interprete linguâ.
Si dicentis erunt fortunis abſona dicta;
Romani tollent equites, peditesque, cachinnum.

Vide, quæ hac de re Plato ſcribit in Jone.

8. §. *Quarta cura eſt circa verba ἔμμετρα cum ſuis figuris.*

Quæ, cujuſmodi ſint, ſatis antea diximus. Niſi hoc ſub ſuperiori complecti malis. Quia, ſi affectus alienos inducimus, verba prævisam rem, ut ait Horatius, ſequentur non invita.

9. §. *Hiſce ſic elaboratis, nihil ſupereſt; niſi fortè, ut poëta ſe, vel tragœdiam, commendet per epiſtolam: quæ à vocali aliquo curione, ſive theatrali præcone, publicè olim in theatro legebatur.*

Nec enim, ut poëta comicus fabulam, ac ſe, verſu ſolet commendare: ita & tragico is mos fuit: ſed hæc epiſtola erat prologi loco. Martialis præfatione libri I: *Quid nobis, inquis, cum epiſtola? parumne tibi præſtamus, ſi legimus epigrammata? quid hic porrò dicturus es, quod non poſſis verſibus dicere? Video, quare tragœdi epiſtolam accipiant, quibus pro ſe loqui non licet. Epigrammata curionè non egent, & contenta ſunt ſuâ, id eſt, malâ linguâ.*

CAP. XIX.

DE SATYRICA POESI, ET SATYRO TRAGOEDIA.

1. §. *Poſt Tragœdiam agamus de Satyrica: quæ Tragœdiæ erat comes, & aſſecla, ac velut πάρεργον * exhilarandæ Tragœdiæ exhibitum.*

* *Aliquid ſuſcepto operi accedens.*

Hanc dramatis ſpeciem eſſe, vidimus ſuperiùs ex Diomede. Et drama vocat etiam Origenes contra Celſum lib. VII: Τοιοῦτον † γάρ τι βούλεται τὰ σατυρικὰ δράματα. Nempe erat Satyrica tragœdia ludens. Demetrius περὶ ἑρμηνείας: Οὐδὲ γὰρ ἐπινοήσειεν ἄν τις τραγῳδίαν παίζουσαν· ἐπεὶ Σάτυρον γράψει ἀντὶ τραγῳδίας. *Neque enim excogitaverit tragœdiam, quæ ludat: quia pro tragœdia ſcribet Satyrum.* Tzetzes in Caſſandr. Ἡ δὲ σατυρικὴ ‡ συγκεκραμένη τὴν ὀλοφυρτικὴν ἱλαρότητι, καὶ ἀπὸ δακρύων εἰς χαρὰν κατάστασιν εἴωθε.

† *Nam ejuſmodi quid requirunt dramata Satyrica.*

‡ *Nam poëſis Satyrica miſcet lamentis hilaritatem, & à lacrymis ſolet deverrere, ac deflectere in gaudium.*

2. §. *Ideò tragici cùm certarent, poſtremum tribuere locum Satyricæ poëſi ſolent.*

Non enim ſingulis contendebant fabulis; ſed ternis, vel quaternis: in quibus Satyrica poſtremum obtineret locum. Si ternis certaretur, τριλογία: ſi quaternis, τετραλογία dicebatur. Cujuſmodi certamina nonniſi poſt Theſpidos tempora cœpiſſe, autor eſt Plutarchus in Solone. Vide Caſaubonum lib. de Satyrica poëſi, & ad Athenæum lib. X, cap. VII.

3. §. *Satyrica poëſis dicebatur à Satyris: quos induxit loquentes, quia maximè idonei eſſent ad homines pariter inſtituendos, & oblectandos. Occultam enim ſapientiam iis veteres tribuebant, maximè Silenis: forma verò turpis, ac ridicula, morumque laſcivia, ac dicacitas, apta erant ad ciendum riſum.*

Diomedes lib. III: *Satyrica eſt apud Græcos fabula; in qua item tragici poëtæ, non reges, aut heroas, ſed Satyros induxerunt, ludendi cauſſa, jocandique.* Eadem iiſdem penè verbis habet Marius Victorinus artis Grammaticæ libro ſecundo, ubi de metro agit Satyrico. Donatus, ſive Euanthius, in prolegomenis Terentii: *Et hinc deinde aliud genus fabulæ, id eſt, Satyra ſumſit exordium: quæ à Satyris, quos illotos ſemper, ac petulantes Deos ſcimus eſſe, vocitata eſt.* Ubi videmus, Satyram dici, quæ Diomedi Satyrica. Exiſtimet aliquis, *Satyrica* & hìc legi oportere. Sed obſtat, quòd ſubjungit; alios aliam Satyræ originem adferre: quod de Satyra verum eſt, at non de Satyrica fabula. Nam omnes conſentiunt, drama Satyricum ſic à Satyris nuncupari. Satyri hi, ut & Sileni, comites fuere Bacchi. Quomodo verò Satyri, & Sileni, differant, oſtendit Servius in Bucol. Sileni, priuſquam ſeneſcant, Satyri ſunt Etymologici magni auctor: Σειληνοὶ λέγονται οἱ γέροντες τῶν Σατύρων. Iccirco & Sileni credebantur nutritii eſſe Bacchi: Satyri autem colluſores; qui puerum Bacchum luſibus, & jocis, oblectarent. Hinc liquet, cur Silenis potius, quàm Satyris, ſapientiam tribuerint. Itaque à Sileno capto Mida eſt edoctus plurima: in his illud, *Non naſci homini longè optimum eſſe: proximum autem quamprimum mori.* Ut eſt apud Tullium lib. I. Tuſc. Qu. Imò & multa ad rerum naturam pertinentia ab eo didiciſſe, Theopompus Chius

Chius prodidit; & ex eo Strabo, Ælianus, Philoſtratus: atque è noſtris Tertullianus. Atque hæc etiam cauſſa eſt, cur Maro in Eclogis Silenum inducat canentem de rerum principiis, & aliis maximè remotis. Quemadmodum contrà, quòd Sileni, & Satyri, ſint dicaces, cauſſa eſt, cur Julianus in Cæſaribus, quod ſcriptum eſt Satyricum, primùm loquentem inducat Silenum. E *Silenu* eſt *Sillus*, unde Sillorum poëma nomen accepit. Ἀ' σίλλῳ eſt σιλλαίνειν, ut à Σάτυρῳ σατυρίζειν. Utrumque eſt διασύρειν *, & γελοιάζειν. Σιλλογραφίαν † iccirco, & σατυρικὴν ποίησιν ‡, conjunxit etiam Euſtathius in Odyſſ. Σ. ubi ait, Homerum in Odyſſea interdum accedere ad σιλλογραφίαν, ut qui conjungat ἀστεῖα ‖ τοῖς σπουδαίοις: veriſimileque eſſe, inde enatam eſſe poſtea τὴν σατυρικὴν ποίησιν. Ut autem à σίλλοις dictus σιλλογράφος, ita è σατύροις eſt σατυρογράφος; quod apud Laërtium legas lib. v. in Demetrio. Is Horatio in Arte eſt *Satyrorum ſcriptor*. Sed de Satyrorum quoque etymo aliquid addamus. Fortaſſe iis nomen eſt à סתר, i. e. *abſcondere*, *occultare*. Quemadmodum & ab eâdem origine eſt *Saturnus*: q. d. *Latius*, vel *Latinus*: unde & uxor ejus Ops *Latia* dicta eſt: & eadem eſt *Latium*, ac *Saturnia tellus*. Satyris verò hoc nomen ex eo ſit, quia viverent in ſylvis, ac locis ſolis, & deſertis. Vel erit Σάτυρος ab Hebræo שעיר *ſahir*; quod idem ac Satyrus. Propriè quidem notat villoſum, ſeu piloſum. Verùm Satyris accommodata ea vox, quia hircorum facie apparerent, hirſutique eſſent. Chaldæus interpres שדים *ſerim* vertit *dæmones*. Nempe quia pro diis colerentur à gentibus. Ita & Jeſaiæ cap. XIII. 21. ubi in Hebræo eſt ושעירים ירקדו שם *uſchirim jerakku ſcham*; in LXX. eſt, καὶ δαιμόνια ἐκεῖ ὀρχήσονται *. Sed apud Aquilam κατὰ λέξιν eſt τριχιῶντες †. Aptè verò verbum ὀρχήσονται ‡ convenit Satyris; ut vel illud Maronis ‖ oſtendit:

[* Satyricè illudere, & ridere. † Scriptio ſillorum, ſive poëſin dicacis, & ſalſa. ‡ Poëſin ſatyricam. ‖ Urbana, ac lepidâ, ſeriis, & gravibus.]

Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.

[* Ac dæmonia ibi ſaltabunt. † Piloſi. ‡ Saltabunt. ‖ Ecl. 5.]

Hinc & Satyri vocabantur, qui Satyros in ſcena referrent. Qui & ipſi ſaltantes. Unde in gloſſis, *Satyrus*, χορευτής. Indeque Σατυρίζειν, *Satyrum agere*, *ludere*. Quod Laconibus Σατυρίσδειν. Heſychius: Διασατυρίσδειν, διαπαίζειν, Λάκωνες. A σατυρίζειν verò eſt Σατυριστής: Gloſſæ in Cyrilli calce inventæ: Σατυριστής, ὁ σκωπτικός, *ludio*. A ludionum illorum ſcenicorum dicteriis & illi σατυρισταὶ dicebantur, qui in triumphis jocis, & ſalibus, luderent in imperatores. Ita uſus Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. VII. Qui & morem illum ſic ludendi vocat παιδιὰν σατυρικὴν *. Nec ludio modò ſatyrus dictus; ſed & poëma ipſum, quod ageret in ſcena. Unde apud Horatium epiſt. ad Piſones de matronâ:

[* Luſum ſatyricum.]

Intererit Satyris paullum pudibunda protervis.

Atque ibidem *Satyrorum ſcriptor* legas. Ruſticus Elpidius. Boëthii æqualis, quaſi, ut σατυρίζω, ita & σατυρόω dicatur, ſatyricam poëſin etiam *ſatyroma* appellat. Ait enim †:

Hinc etiam noſtro nugata eſt ſcena ‡ dolore,
Garrula mendoſis fingens ſatyromata Muſis,
Falleret ut trepidos cantatrix pagina queſtus.

[† In carmine de Chriſti Jeſu beneficiis. ‡ In vulgatis eſt ſchema: ſed placet conjectura eorum qui ſcena reponunt.]

4. §. *Satyrica vetus non incommodè definitur; poëma dramaticum, tragœdiæ adnexum, chorum e ſatyris habens, perſonarum illuſtrium actionem notabilem partim ſeriam, partim jocoſam exprimens, ſtylo hilari, exitu plerumque læto.*

Sic definit vir ſummus, Caſaubonus ‖. Eſt verò definitio hæc Satyricæ veteris; non illius recentioris; quæ adnexa non erat tragœdiæ, ſed per ſe docebatur; ut poſtea dicemus. Chorum habere è Satyris additur, non quaſi ſolis Satyris ſit opus; ſed quia in choro his ſit opus. Atque ea diſtinguitur à tragicocomœdia, & Rinthonis Phlyacographia: de qua itidem poſtea agemus.

[‖ Lib. 1. de Satyrica poëſi cap. 3.]

5. §. *Poëſis hæc reperta eſt à ruſticis.*

Sanè γεωργῶν καὶ ἁπλῶν ἀνθρώπων * inventum eſſe, etiam Iſacius Tzetzes auctor eſt, prolegomenis in Lycophronis Caſſandram. Nempe omnis dramatica poëſis, qualis etiam eſt ſatyrica, originem habuit ab antiquis hominibus, qui κατὰ δήμους, ſive pagatim, habitabant. Sed, quo pacto originem ceperit, non convenit inter eruditos. Quidam ex Ariſtotele colligunt, tragœdiam eſſe ſatyrico poëmate poſteriorem. Adducunt autem iſta †: Ἡ δὲ τραγῳδία, διὰ τὸ ἐκ σατυρικοῦ μεταβαλεῖν ὀψὲ ἀπεσεμνύνθη. *Tragœdia verò, quia è ſatyrico mutationem acceperat, ſerò pervenit ad ſplendorem ſuum.* Sed hinc non aliud evincere eſt, quàm tragœdiam, cùm priùs ſales ac dicteria ſatyrica haberet, poſtea hæc omiſiſſe; atque ita eam ab Æſchylo, Sophocle, Euripide, tandem perductam eſſe ad gravitatem, & perfectionem ſuam. Tragœdiam verò eſſe ſatyris priorem, clarè dicit Horatius in Arte:

[* Agricolarum, & hominum facili victu mentium. † E Lib. de Poët. cap. 4.]

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agreſtes Satyros nudavit.

Sed, utcumque eſt de tragœdia; ſaltem dithyrambis eam eſſe recentiorem, conſtat. Quippe cœpit Satyrica, cùm jam Bacchum laudare deſiiſſent in feſtis; atque ejus loco Ajaces, Centauros, alioſque vel Deos, vel heroas, celebrarent; & hoc iis vitio verteretur à Bacchi ſacerdotibus, vel etiam ſpectatoribus. Zenobius centuriâ IV. adagio XL. τῶν χορῶν ἐξ ἀρχῆς εἰθισμένων διθύραμβον ᾄδειν εἰς τὸν Διόνυσον, οἱ ποιηταὶ ὕστερον ἐκβάντες τὴν συνήθειαν ταύτην, Αἴαντας καὶ Κενταύρους γράφειν ἐπεχείρουν. ὅθεν οἱ θεώμενοι σκώπτοντες ἔλεγον, Οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον. διὰ γοῦν τοῦτο τοὺς Σατύρους ὕστερον ἔδοξεν αὐτοῖς προεισάγειν, ἵνα μὴ δοκῶσιν ἐπιλανθάνεσθαι τοῦ θεοῦ. *Cùm poëtæ antiquitus dithyrambum canere in Bacchum ſolerent: poëtæ poſtea à conſuetudine hac deſciſcentes, Ajaces, & Centauros ſcribere ſunt aggreſſi. Quod cùm animadverterent ſpectatores, hujuſmodi eos dicterio excepere: Nihil hoc ad Bacchum. Propterea poſtea viſum iis fuit Satyros introducere, qui præluderent; ne viderentur planè Bacchi eſſe obliti.*

6. §. *Primus ſatyricam fabulam exhibuit Pratinas Phliaſius.*

Suidas Πρατίνας Πυρρωνίδου, ἢ Ἐγκωμίου, Φλιάσιος ποιητὴς τραγῳδίας, ὃς πρῶτος ἔγραψε Σατύρους· καὶ δράματα μὲν ἐπεδείξατο ν'· ὧν Σατυρικὰ λβ'. *Pratinas Pyrrhonidæ, vel Encomii, filius, Phliaſius, poëta tragicus, qui primus ſcripſit Satyros: & fabulas quidem docuit quinquaginta; è quibus ſatyrica fuerunt triginta duo.* Id Cratino tribuitur apud Horatii interpretes: ſed librarii errore, ut Caſaubonus obſervat. Certavit cum Æſchylo, ut idem Suidas ait. Uterque verò vixit circa Olymp. LXX. ut ex Euſebii Chronicis liquet. Alii Theſpidi, & Æſchylo, inventionem ſatyricæ fabulæ tribuunt. Quibus favet vetus epigrammatographus. Nec dubito, quin & Sophocles drama ejuſmodi dederit. Tale enim fuere Ἀχιλλέως ἐρασταί ‡: cujus meminere Athenæus lib. IX. Stobæus ſerm. LXII. Zenobius centur. V. Proverb. LVIII. Item ſcholiaſtæ Apollonii, Pindari, Ariſtophanis. Ejuſque fortaſſe exemplo hoc argumentum tractavit Latinus ille, quem Ovidius ſignat lib. II. Triſt. ad Cæſarem Auguſtum:

[‡ Achillis amatores.]

Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem,
Infregiſſe ſuis fortia facta modis.

7. §. *In poëſi Satyrica initio una erat perſona, Satyrus quiſpiam ſicinnida ſaltans.*

Ut Cordax erat comica ſaltatio, ἐμμέλεια tragica; ita σίκιννις erat ſaltatio Satyrica: quemadmodum de tribus hiſce ex Ælio Dionyſio tradit Euſtathius in Iliad. Σ. Atque idem legas apud Pollucem lib. IV. cap. XIV. Ammonium de diff. Voc. & Ariſtophanis ſchol. in Nub.

8. §. *Poſtea choro conſtitit hæc poëſis: ſed ſolo, ita ut hiſtrione non eſſet opus.*

Athenæus lib. XIV. Συνέστηκε δὲ καὶ Σατυρικὴ πᾶσα ποίησις

τὸ παλαιὸν ἐκ χορῶν, ὡς καὶ ἡ τότε τραγῳδία· διόπερ οὐδὲ ὑποκριτὰς εἶχον. *Conſtabant olim ſatyrica poëmata omnia choris; ut & iis temporibus tragœdia: quamobrem hiſtriones non habebant.* Ubi perperam apud interpretem eſt: *quamobrem ab hiſtrionibus agebantur.*

9. §. *Pro una autem perſona introducta ſunt quinque: Satyrus imberbis, Satyrus barbatus, Satyrus caneſcens, Silenus, & Papposilenus.*

Ex his, ut Satyros ætate ſuperat Silenus, de quo ſuperiùs ſatis diximus: ita Sileni ipſius avus erat Papposilenus. Ergo Silenus quidem honoris cauſſâ dicebatur πάππος †, vel blandimenti gratiâ παππίδιον. Ut apud Julianum in Cæſaribus, ubi Bacchus Silenum alloquens, ὦ παππίδιον ‡, inquit. At Papposilenus erat quaſi Sileni ipſius πάππος ‖, eoque præter cæteros grandævus: quæ & cauſſa eſt, cur vultu eſſet maximè horribili, & propè ferino; quemadmodum Pollux ait. Vide eum de perſonis hiſce lib. IV. cap. XVIII. & XIX. Item Dionyſium Halicarn. lib. VII. ubi eorum habitum depingit. Denique & Caſaubonum de Satyrica poëſi cap. IV.

† *Avus.*
‡ *Q. d. avule.*
‖ *Avus.*

10. §. *Nec Satyri ſolùm inducebantur; ſed & aliæ perſonæ ridiculæ his ſimiles.*

Diomedes*: *in ſatyrica ferè Satyrorum perſonæ inducuntur, aut ſi quæ ſunt ridiculæ ſimiles Satyris; Autolycus, Burris.* Ubi pro *Burris* Caſaubonus mallit *Buſiris.* Sed non fuerit ea perſona ridicula. Quare cenſeo, fuiſſe id Burri nomen in dramate aliquo deperdito. *Burrus* à πυῤῥός, unde & Terentii *Byrrhia.*

* *Lib. 3. cap. de poëmatis generibus.*

11. §. *Interdum & graves perſonæ miſcebantur, ut heroum aliquis; vel quis è majorum, aut minorum gentium Diis.*

Ut Ulyſſes, in Cyclope Euripidis; in aliâ ejuſdem, Euryſthenes; apud Sophoclem Achilles, in dramate, cui nomen Ἀχιλλέως ἐρασταί †: de quo jam dictum. Atque inde eſt, quòd diſcriminis cauſſâ legatur apud Athenæum lib. X. hujuſmodi inſcriptio, *Aſtydamantis Hercules Satyricus.* Et lib. IV. *Achæi Eretrienſis Alcmæon Satyricus.* Et lib. XIV. ejuſdem *Vulcanus Satyricus.* Imò & in X. citat ejus Ἶριν Σατυρικήν. Hanc cauſſam eſſe cenſeo, cur Diomedes, ut ſuperiùs vidimus, dicat in Satyrica FERE ridiculas induci perſonas.

† *Achillis amatores*

12. §. *Quales verò perſonæ, talis & ſermo. Nempe plerumque laſcivus, ridiculus, mordax. Carpebant enim hominum vitia, ac ſcommatibus riſum populo ciebant.*

Horatius in Arte:

Verùm ita mordaces, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere ſeria ludo, &c.

Donatus, ſive Euanthius, prolegomenis Terentii: *Hæc quæ Satyra* (hoc eſt, Satyrica) *dicitur, ejuſmodi fuit, ut in ea, quamvis duro, & agreſti modo, de vitiis civium, ſine ullo proprii nominis titulo, carmen eſſet.* Ita eſt non in Stephanica modò; ſed & veteri Tarviſinâ anni CIↃCCCCLXXVII. Aliqui libri pro *modo* habent *loco*: unde *joco* emendabat Caſaubonus: quomodo & παιδιὰν δυσάρεστον * Satyris tribuit Ælianus †. Quàm malè interdum ſatyricis ceſſerit ita ludere in viros principes; arguit Philoxenus Satyricus, qui in Satyrico ſuo per Cyclopem ſignârat Dionyſium regem; per Galateam verò, illam, quam amaret rex: neque amores regis modò, ſed & vitium ejus naturale, perſtrinxerat: quæ res vitâ ipſâ poëtæ ſtetit. Monet autem Dionyſius lib. VII. Romanos dicacitatis hujus imaginem habuiſſe in triumphis; cum quidam, Satyrorum, & Silenorum more amicti, currum proſequerentur, multaque j播ulariter

* *Luſum diſplicentem, atque ingratum.*
† *Lib. 3. Variæ Hiſtoriæ cap. 40.*

jactarent in imperatorem. Uti illa in Iulii Cæſaris triumpho Gallico*:

Gallias Cæſar ſubegit, Nicomedes Cæſarem.
Ecce Cæſar nunc triumphat, qui ſubegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem.

* *Suet. in Jul. cap. 49. & 51.*

Item hoc:

Urbani ſervate uxores, mœchum calvum adducimus.
Aurum in Gallia effutuiſti, hîc ſumſiſti mutuum.

Similis obſcœnitas erat in ſatyrico dramate. Hinc Ovid. lib. II. Triſt.

Eſt & in obſcœnos deflexa tragœdia riſus,
Multaque præteriti verba pudoris habet.

Ubi tragœdiam ait deflexam in riſus obſcœnos, quia drama ſatyricum, quod tragœdiæ additum, obſcœnis etiam gaudebat.

13. §. *Ac primùm quidem ſatyrica poëſis ſola erat. Cùm verò diſpliceret hæc conviciandi libido; deſiit per ſe doceri, tragœdiæque vel interſeri, vel ſubjici cœpit; ut ejus ſeveritatem ſalibus ſuis temperaret; atque ita ſpectatores, atrocitate rerum triſtes, jocis ſatyricis exhilararet.*

Nempe uti hodieque Itali hiſtriones, ad recreandos ſpectantium animos, tragœdiæ cujuſque actibus ſingulis ſubjiciunt bucolica quædam, quæ *paſtoritias* ipſi appellant: ſic antiqui eandem ob cauſſam tragœdiarum actibus ſingulis ſatyricam poëſin ſubdebant. Unde ſic Diomedes, cujus verba ex parte etiam paullò antè † adduximus: *Satyrica eſt apud Græcos fabula; in qua item Tragici poëtæ, non reges, aut heroas, ſed Satyros, induxerunt, ludendi cauſsâ, jocandique; ſimul ut ſpectator inter res tragicas, ſeriaſque, Satyrorum quoque jocis, & luſibus, delectetur.* Eadem verbis penè iiſdem ſcribit Marius Victorinus lib. II. ubi de jambico agit metro. Atque idem confirmare eſt his verbis Horatii, eo fine à Diomede etiam adductis:

† *Hujus cap. §. 5.*

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agreſtes Satyros nudavit; & aſper
Incolumi gravitate, jocum tentavit, eò quod
Illecebris erat, & gratâ novitate morandus
Spectator.

Et ſanè ſatyricam poëſin tragœdiis ſubjici ſolere, etiam oſtendunt hæc ejuſdem, ubi de ſalibus ſatyricis agit:

Ne quicumque Deus, quicumque adhibebitur heros,
Regali conſpectus in auro nuper, & oſtro,
Migret in obſcœnas humili ſermone tabernas.

Satyrica hujuſmodi dramata multa olim exſtitere Æſchyli, Euripidis, Sophoclis. Hodie unicum ſupereſt, Euripidis Cyclops: quod & ſuo ævo ſolum exſtitiſſe Euſtathius ait in Odyſſ. Σ. Hoc Euripidis drama partim luctuoſum eſt; partim jocoſum, & ridiculum. Luctuoſum, quatenus eſt tragicum: idque ob Cyclopem, cui oculus effoditur ab Ulyſſe. At jocoſum eſt ob Satyros, quorum ſales, ac luſus, permiſcentur. Fingitur enim Silenus cum Satyrorum choro operam navare Polyphemo in gregibus paſcendis, & caſeo parando: ac Ulyſſe, cùm ad litus appuliſſet, vinum iis promittente, illi pollicentur lac, & caſeum, & carnes. Etiam Silenus, cùm bibiſſet, ridiculè multa effutit: quemadmodum & Satyri multa jocosè dicunt.

14. §. *Tandem placuit, ut, quò laſcivia omnis, ac ſales, & joci, abeſſent ab orcheſtra; ſatyricum drama planè è tragœdia omitteretur.*

Ariſtoteles de poët. ‡ Ἔτι δὲ τὸ μέγεθος ἐκ μικρῶν μύθων, καὶ λέξεως γελοίας, διὰ τὸ ἐκ Σατυρικοῦ μεταβαλεῖν, ὀψὲ ἀπεσεμνύνθη. *Adhæc verò & magnitudo illa ab exiguis fabulis, & ad riſum facto ſermone, quia ex Satyrico hanc commutationem acceperat, tandem conſecuta eſt ſplendorem ſuum.*

‡ *Cap. 4.*

15. §. Sed

15. §. *Sed poſtquam etiam ſatyricum drama à tragœdia fuit ſeparatum, operam dari oportuit, ut ne obſcenitate offenderentur, qui honeſtè nati eſſent, & educati.*

Horat. in Arte:

Silvis deducti caveant, me judice, Fauni,
Ne velut innati triviis, ac penè forenſes,
Aut nimium teneris juvenentur verſibus unquam,
Aut immunda crepent, ignominioſaque dicta.
Offenduntur enim, quibus eſt equus, & pater, & res:
Nec ſiquid fricti ciceris probet, & nucis emtor,
Æquis accipiunt animis, donantve coronâ.

16. §. *Magnitudo ſatyrica erat minor, quàm tragœdiæ; quia non habuit eam epiſodiorum copiam; uti nec περιπέτειαν*, & ἀναγνωρισμὸν †.*

* Mutationem in contrarium. † Agnitionem. ‡ Acceſſio. * Præcipuum opus, ſive quod potiſſimùm intenditur.

Quid mirum? cùm ſatyrica ſit velut πάρεργον ‡ tragœdiæ. Eoque, ut pictorum πάρεργα minora ſunt, quàm ἔργον *: ſic ſatyrica ſimplicior, breviorque eſſe, quàm tragœdia, debuit. Exemplo fuerit Cyclops Euripidis: qui vix ſeptingentorum eſt verſuum. At tragœdiæ plurimùm alterâ ſunt parte longiores: quædam etiam non longè abſunt à numero mille octingentorum.

17. §. *Dictio ſatyricæ poëſios grandior erat comicâ; humilior tragicâ.*

Marius Victorinus lib. II. de metris: *Satyricum inter tragicum, & comicum ſtylum, medium eſt.* Et ſanè ratio ita requirebat. Nam ob jocos, & laſciviam, non potuere ſcribi ſtylo tragico. Et quia perſonæ majoris erant dignitatis, quàm comicæ; grandior eſſe debuit ſtylus, quàm exigat comœdiæ ſoccus. Atque hoc quoque voluit Horatius in Arte:

Non ego inornata, & dominantia nomina ſolùm,
Verbaque, Piſones, Satyrorum ſcriptor amabo;
Nec ſic enitar tragico differre colori,
Ut nihil interſit, Davuſne loquatur, & audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum;
An cuſtos, famuluſque Dei Silenus alumni.

Interim Satyrica propiùs accedebat ad comœdiam. Quæ cauſſa eſt, cur Athenæus Σίλλους (qui non valde abſimiles Atellanis, Tabernariis, ac Mimis) appellet Σατυρικὰς κωμῳδίας †. Quod Æſchylus non ſatis attendit. Nam grandem illum characterem, atque, ut vocant antiqui, τὸ ἔμφυτον βάρος ‡, hic etiam retinuit. At aliter Euripides, qui in Cyclope ſuo eſt tenuis; ſed ſic, ut quandoque aſſurgat; maximè in Ulyſſis perſona, quæ heroica eſt.

† Satyricas comœdias. ‡ Gravitatem innatam.

18. §. *Satyrici tetrametris inprimis uſi, quia ſaltationi conveniant.*

Indicant hoc verba iſta Ariſtotelis de tragœdia *: Τό τε μέτρον ἐκ τετραμέτρου ἰαμβεῖον † ἐγένετο. τὸ μὲν γὰρ πρῶτον τετραμέτρῳ ἐχρῶντο, διὰ τὸ σατυρικὴν, καὶ ὀρχηστικωτέραν εἶναι τὴν ποίησιν. *Metrum autem è tetrametro factum eſt jambicum. Primùm enim utebantur tetrametro, propterea quod ſatyrica, & ſaltatoria, eſſet poëſis.* Plura de eo ſuperiùs ‡ diximus.

* De Poëtica cap. 4. † Hoc eſt, τρίμετρον, ſive ternarium. Anguſtius enim hic ſumitur jambicum, ut τετραμέτρῳ ſive quaternario opponatur. ‡ Cap. 14. §. 22.

19. §. *Uſi & metro jambico trimetro: ſed quod media eſſet natura inter tragicum, & comicum. Plures ſanè pedes triſyllabos in uno verſu magis admittit, quam tragicum; minùs, quàm comicum.*

Græci metrici: Ἴδιον σατυρικοῦ ἰαμβικοῦ τὸ μέσον εἶναι τραγικοῦ, καὶ κωμικοῦ· ἤγουν δέχεσθαι καὶ τοὺς τρισυλλάβους, μὴ κατακόρως δέ. *Proprium eſt ſatyrici jambici, medium eſſe inter tragicum, & comicum: ita ut & pedes triſyllabos recipiat, ſed non ad ſatietatem uſque.* Subjicit deinde exempli loco:

Ἡ δ᾽ ἄγκος ὑψίκρημνον ὄρεσι περίδρομον.

Complures ejuſmodi verſus reperias in Euripidis Cyclope. Uno, alteroque, ubi tres triſyllabi pedes, ero contentus.

Τί χρῆμα Βρομίου πόλιν ἐοίκαμεν εἰσβαλεῖν.

Item:

Τί φατέ; τί λέγετε; τάχα τις ὑμῶν τῷ ξύλῳ.

Vide, quæ dixi cap. XIV. §. 23.

20. §. *Inter metra ſatyrica fuit etiam Priapejum.*

De quo Marius Victorinus lib. IV.

21. §. *Chorus conſtabat metro proceleuſmatico dimetro catalectico: cui nomen exodio.*

Marius Victorinus lib. III: *Exemplum proceleuſmatici dimetri catalectici. Ut, Agite juvenes. Hoc metro veteres Satyricos choros modulabantur: quod Græcè εἴσοδον, ab ingreſſu chori ſatyrici, appellabant: metrumque ipſum εἰσόδιον dixerunt.*

22. §. *Satyricæ poëſios ſaltatio* Sicinnis *dicebatur, ab inventore Sicinno.*

Athenæus lib. I: Ἡ Σατυρικὴ (ὄρχησις) ἐλέγετο Σίκιννις· ἧς εὑρετὴς Σίκιννός τις βάρβαρος. οἱ δὲ φασὶν, ὅτι Κρὴς ἦν ὁ Σίκιννος. *Satyrica* (ſaltatio) *dicebatur Sicinnis. Hujus inventor fuit barbarus quidam Sicinnus. Alii verò Cretenſem fuiſſe ajunt.* Atque idem refert lib. XIV. Uti & Euſtathius ad Odyſſ. Ψ. Per barbarum verò intellige Sicinnum Perſam, Themiſtoclis liberorum pædagogum, Plutarcho in Themiſtocle memoratum. De eodem ſic Lilius Gyral. dial. I. Hiſtor. * Poët. *Nonnulli barbarum quempiam Sicinnon, alii Cretenſem, & inveniſſe, & nomen dediſſe, prodidere. Sunt, qui Therſippum Sicinnis primùm ſaltâſſe ſcribant; & deduci à verbo σείεσθαι, hoc eſt, quatiendo, concutiendove. Alii Sicinnim magis quidem comicam ſcribunt, eamque Phryges primos ſaltâſſe in Sabaris Dionyſii celebritate. Sic verò nuncupata, ex Arriani ſententia, ab una Cybeles nympharum, cui id nomen erat. Alii aliter.*

* Pag. 14. & 15.

23. §. *Saltatio ſatyrica affectu carebat.*

Auctores Plutarchus †, & Athenæus ‡. Sed exiſtimat Caſaubonus *, eos errare: quia in ea erant σχήματα φορτικὰ, hoc eſt, concitata, & multæ φοραὶ ‡. Φορὰν autem eſſe μίμησιν * τινὸς ἐμφανικήν, agnoſcit ipſe Plutarchus.

† Lib. 7. problem. 8. ‡ Lib. 14. pag. 630. ed. Commel. * De ſatyrica poëſ. lib. I. cap. 4. ‡ Motiones. * Indicem cujuſdam affectus.

24. §. *De apparatu quoque aliquid addendum. Silenis conveniebat tunica villoſa, & amiculum ex vario florum genere conſertum. Satyri induebantur pellibus hircinis, humero circumjectis capillos habebant horridos.*

Hoc cognoſcere licet ex Dionyſii Halicarnaſſenſis lib. VII; ubi de ludis agit Romanis, atque eos docet originem traxiſſe à Græcis. Inter cætera verò de iis, qui in triumphis ſatyricè in imperatorem luderent, ita ſcribit: Οὐ μόνον δὲ ἐκ τῆς ἐναγωνίου τε, καὶ κατεσπουδασμένης ὀρχήσεως τῶν χορῶν, ἢ περὶ τὰς θυηπολίας τε, καὶ πομπὰς, ἐχρῶντο Ῥωμαῖοι, τὸ συγγενὲς ἄν τις αὐτῶν πρὸς τοὺς Ἕλληνας ἴδοι, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς κερτόμου, καὶ τωθαστικῆς. μετὰ γὰρ τοὺς ἐνοπλίους χοροὺς οἱ τῶν Σατυριστῶν ἐπόμπευον χοροὶ, τὴν Ἑλληνικὴν εἰδοφοροῦντες σίκιννιν. σκευαὶ δὲ αὐτοῖς ἦσαν, τοῖς μὲν εἰς Σιληνοὺς εἰκασθεῖσι, μαλλωτοὶ χιτῶνες, οὓς ἔνιοι χορταίους καλοῦσι, καὶ περιβόλαια ἐκ παντὸς ἄνθους. τοῖς δὲ Σατύροις, περιζώματα, καὶ δοραὶ τράγων, καὶ ὀρθότριχες ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς φόβαι,

φόβαι, ϗ ὥστε τέτοις ὁμοιαῦτοι κατίεκωπλόντε, ϗ κατεμιμᾶντο τὰς σπυδαίας κινήσεις, ἐπὶ τὰ γελοιότερα μεταφέροντες. Id eſt: *Nec ſolùm ex iſto ſaltationis concertatorio genere, quod chori exercebant, & quo Romani in ſacrificiis, & pompis, utebantur, eorum cum Græcis cognationem cognoſcere quis poſſit: verùm etiam ex illo cavillatorio, & mordaci ſaltandi genere. Nam poſt armatos ſaltatorum choros in pompa ſequebantur ſatyriſtarum chori, qui Græcam ſicinnen referebant. Apparatus autem erant illis quidem, qui Silenos repræſentabant, tunica villoſa, quas nonnulli* chortæos *vocant, & amicula ex variis floribus contexta: illis verò, qui Satyros repræſentabant, erant ſubligacula, & hircina pelles, & ſetæ in capite horrentes, & erecta, aliaque his ſimilia. Hi ſerias ſaltationes ridiculè ſuis geſtibus imitabantur, eas per ludibrium depravantes, ut ſpectatoribus riſum moverent.* Pellis caprina, quam Satyri humero circumdabant, ab Euripide in Cyclope vocatur τράγυ χλαῖνα μελία *. Saltationem ſatyricam σικιννίδα ibidem † appellat.

—— Τί ταῦτα μῶν κρότ@ σικιννίδων ‡.

** Hirci miſera, ac vili pelle.*
† Verſ. 37.
‡ Quid hoc? ſtrepitus an ſicinnidum.

25. §. *Ut pedes exſuccos, ac graciles capripedum Satyrorum, & Ægypanum, repræſentarent, in uſu fuere grallæ; quas hinc* Panica *dixere.*

Feſtus: *Grallatores appellantur pantomimi; qui, ut in ſaltatione imitarentur Ægypanas, adjectis perticis furculas habentibus, atque in his ſuperſtantes, ob ſimilationem crurum ejus generis, gradiebantur; utique propter difficultatem conſiſtendi.* Ligneas iſtas perticas Πανικὰ vocarunt. Unde gloſſæ Philox. *Grallatores*, Πανικὰ φορῦντες. Aliter Artemidoro dicebantur κωλόβαθρα; unde grallatores, *colobathrarii*. Sic enim apud Nonium legi debet. Nomen ex eo, quia κώλοις ξυλίνοις ἐπιβαίνυσι *, ut loquitur Pollux †: qui & γύπωνας dictos indicat.

** Ligneis incedit cruribus.*
† Lib. 4. cap. 14.

26. §. *Scena ſatyrica* ornabantur arboribus, ſpeluncis, montibus, reliquiſque agreſtibus rebus, in topiarii operis ſpeciem deformatis:

Ut eſt apud Vitruvium lib. v. cap. VIII: ubi agit de tribus ſcenarum generibus; tragicis, comicis, ſatyricis. Sic in Cyclope Euripidis à parte unâ erat Polyphemi antrum: ex altera, colles, & paſcua, & grex paſcens. Solum igitur ejus debuit ſterni glebis virentis herbæ. Quò pertinet verſus iſte:

Καὶ μὴν λαχνῶδες τῆδας αὐξηρᾶς χλόης.
Nempe herba floret grandior humum veſtiens.

Ut Septimius Florens reddidit; qui Latino verſu tragœdiam hanc eleganter vertit.

Ac in veteri etiam epigrammate drama ſatyricum idcirco dicitur παίγνια δι' ὕλαν ‡: nempe ob ſylvas, quæ in eo exhiberentur. Indeque & hoc Horatii in Arte:

Sylvis deducti caveant, me judice, Fauni.

‡ Luſus per ſylvam.

Cap. XX.

De Sillis.

1. §. *Argumento Satyricis ſimiles erant Silli. Nam maledicentiâ conveniunt.*

Ammianus Marcellinus lib. XXII, de Didymo, cognomento Chalcentero: *In illis ſex libris, ubi nonnunquam imperfectè Tullium reprehendit, ſillographos imitatus, ſcriptores maledicos, judicia doctarum aurium incuſat.* Adverſus eos Didymi libros ſcripſit Suetonius Tranquillus; teſte Suidâ *.

** In Δίδυμ@.*

2. §. *Ob hanc convenientiam etiam Satyras pro Sillis legimus.*

Appulejus in Floridis: *Canit Empedocles carmina, Plato dialogos, Socrates hymnos, Epicharmus modos, Xenophon hiſtorias, Xenocrates ſatyras.* Ubi rectè Caſaubonus vidit *Xenophanes* legi oportere. Nam Xenocrates quidem ἔπη †, ac παραινέσεις ‡; ediderat, teſte Laërtio *; at non Sillos. Sed eos, ut mox dicam, reliquerat Xenophanes: non propriè Satyras; quas Romanum eſſe carmen, conſtat ex Fabio †, & aliis.

† Carmina heroica.
‡ Hortationes.
** In vita Xenocratis.*
† Lib. 10. cap. 1.

3. §. Σίλλοι *verò factum ex* Σιλλαίνω: *ut quemadmodum à Satyris drama dictum* Σάτυροι, *ita à Silenis dicti ſint* Σίλλοι.

Quid mirum? utrique comites Bacchi; Satyri, & Sileni; utrique dicaces, & maledici; ſolùm ætate diſtabant; ut ſuperiùs diximus.

4. §. *Utcunque verò Silli maledicentiâ convenirent cùm Satyricis, quæ dramati tragico miſcebantur: eo tamen differebant, quod non drama erant, ſed poëma extra ſcenam.*

Conſtat hoc ex Sillis Timonis; de quibus mox loquar. Eoque ſolùm ἐν παρόδῳ ‡ de iis hic ſermo; ubi de dramatis propriè agitur.

‡ Obiter.

5. §. *Origo hujus poëmatis Homero tribuitur. Præcipuus verò in hoc genere Xenophanes Colophonius, Anaximandri æqualis.*

Euſtathius in Il. B *; Οἱ παλαιοὶ παρασημειοῦνται ἐνταῦθα, ὅτι οὐ μόνον Ξενοφάνης πεποίηκε Σίλλυς, ἐν οἷς ἰδοξίμησαν †, ἀλλὰ ϗ τέτυ εἴδυς πρῶτ@ κατῆρξεν Ὅμηρ@. *Veteres inde annotarunt, non Xenophanem ſolum feciſſe Sillos, quibus aliorum cenſuram exercet; ſed primum hoc poëſios genus cæpiſſe Homerum.* Puta, cùm Therſitem deſcribit, vel is Reges ridet. Ejus quoque, ut Σιλλογράφυ, meminit Strabo lib. XIV. Multaque ex ejus Sillis citant, non modò Sextus Empiricus, & alii τ̃ ἔξωθεν ‡: ſed etiam Sancti Patres, qui & *Silenos* vocant. Sillis ſuis reprehendebat in Homero, & Heſiodo, quæ ſtultè ſcripſerant de Diis: ut eſt apud Diogenem lib. IX.

** Pag. 204. edit. Rom.*
† Perperam in Romana editione eſt διδοξίμησαν.
‡ Externorum, ſive gentilium.

6. §. *Multis pòſt ſeculis, claruit Timo Phliaſius: qui & ipſe Sillis ſuis illuſtris fuit.*

Horum libri erant tres; in quibus, ut ſcepticus, dogmaticos omnes ridet: ut pluribus narrat Diogenes Laërtius in ejus vita. Ubi & tale Sillorum illius initium fuiſſe ait:

Ἔσπετε νῦν μοι ὅσοι πολυπράγμονες ἐστὲ σοφισταί.
Nunc huc ferte pedem, queis cura aliena, ſophiſtæ.

Vixit Timo temporibus regum, Antigoni, & Ptolemæi Philadelphi: ut ex Laërtio * cognoſcimus. Qui tamen eum Latinè initio vitæ legat, exiſtimare poſſit claruiſſe temporibus Tiberii Cæſaris, ſiqueque ei dicaſſe. Sed illud *Timon* delendum, quia eſt lemma capitis. Sic igitur caput incipit, *Apollonides Nicæus, qui non multò ante nos fuit, in primo de Sillis commentario, quem miſit ad Tiberium Cæſarem, Timonem ait patre Timarcho, genere Phliaſium fuiſſe.* Prorſus mentem Laërtii non cepere interpretes. Error ex eo, quia in Græco codice foret, Τίμων Ἀπολλωνίδης: cùm ſcribi debuerit, ΤΙΜΩΝ. Ἀπολλωνίδης. Nam ΤΙΜΩΝ, ut dictum, eſt lemma capitis. Caputque incipit ab Ἀπολλωνίδης.

** Lib. 9. in vita Timonis.*

7. §. *Scribebantur Silli tum carmine heroico, tum etiam elegiaco, & jambico.*

Xenophanes quidem ϗ ἔπεσι, ϗ ἐλεγείας, ϗ ἰάμβοις †, fecerat Sillos ſuos adverſus Homerum, & Heſiodum. Auctor Diogenes lib. IX. Atque ex elegiis ejus complura apud Athenæum legere eſt. Timonem heroico ſcripſiſſe, indicat

† Et hexametris, & elegiis, & jambis.

cat verſus proximè memoratus. Atque alios videas apud eundem de Anaxagora, Xenophonte, Euclide, Menedemo, Platone, Arceſilao, Clitomacho, Ariſtotele, Zenone, Cleanthe, Pythagora, Empedocle, Heraclito, Parmenide, Zenone Eleate, Democrito, Protagora, Pyrrhone, Epicuro. Apud eundem verò etiam Elegiacum habes in Pyrrhone. Atque hæc de Sillis obiter. Nec enim iis eſt locus in dramatis; ut dixi. At locus eſt illis, de quibus nunc dicam.

Cap. XXI.

DE FABULA RHINTONICA, SIVE HILARODIS, VEL SIMODIS.

1. §. *Satyrico etiam dramati affines erant fabulæ Rhintonicæ. Quippe & hæ mediæ erant naturæ inter comœdiam, & tragœdiam. Nomen verò iis à Rhintone, poëtâ Tarentino; qui primus tragœdiam ad hilaritatem deflexit: quæ iccirco* ἱλαροτραγῳδία *dicebatur; ſed vocabulo laxiori. Nam, ſi rem ſpectes, appellatio hæc dramati quoque ſatyrico competeret.*

Meminit Rhintonicarum Donatus, in prologo Adelphorum. Atque idem, niſi is potiùs Euanthius*, ait, ſic eas vocari *ab actore*†. Mallem *à poëta* dixiſſet. Quare legendum puto *auctore*. At negant aliqui, à poëta novum poſſe conſtitui fabulæ genus. Nempe arbitrantur, eodem jure ſic poſſe fabulas dividi in Plautinas, & Terentianas. Sed valde errant. Nam poëta Rhinton novum fabulæ genus induxit, quod inde *Rhintonicum* nominatum eſt; atque ab hilaritate tragœdiæ aliter vocatum ἱλαροτραγῳδία. Qua de re ſic Suidas: Ῥίνθων Ταραντῖνος κωμικὸς, ἀρχηγὸς τῆς καλουμένης ἱλαροτραγῳδίας, ὅ ἐστι φλυακογραφία. υἱὸς δὲ ἦν κεραμέως· γέγονεν ἐπὶ τοῦ πρώτου Πτολεμαίου· δράματα δὲ αὐτοῦ τραγικὰ, καὶ κωμικὰ λη΄. *Rhinton, Tarentinus comicus, auctor illius, quæ dicitur Hilarotragœdia: quæ eſt jocoſa, & ridicula ſcriptio. Fuit autem figuli filius, idque temporibus Ptolemæi primi. Ejus verò fabulæ tragicæ, & comicæ, ſunt* XXXVIII. Ubi perperam Græce doctiſſimus Æmilius Portus, pro φλυακογραφία, legit, φυλακογραφίαν, ac dici ait ab excubiarum deſcriptione. Non cogitavit, poëtam hunc fuiſſe φλύακα, hoc eſt, ſcriptorem φλυάκων, unde & φλύαξ dictus, quod Heſychius exponit γελωτοποιὸν, hoc eſt, *jocator*, vel *jocoſus*. Stephanus‡: καὶ Ῥίνθων Ταραντῖνος, φλύαξ, τὰ τραγικὰ μεταρρυθμίζων εἰς τὸ γελοῖον· φέρονται δ' αὐτοῦ δράματα τριακονταοκτώ. *Et Rhinton Tarentinus, qui ex tragicis fecit jocularе ac ridiculum fabulæ genus. Feruntur autem ejus fabulæ* XXXVIII. Meminere hujus Rhintonis etiam Tullius lib. 1 ad Att. epiſt. ult. & Hephæſtion in Enchiridio. Athenæus item in III, qui fabulam ejus laudat Amphitryonem. Si & hæc hilarotragœdia fuit, non primus ejus argumenti hilarotragœdiam fecerit Plautus. Lilius Gyraldus, penè initio dialogi tertii, mavult Rhintonicas referre inter fabulas Latinas, quàm Græcas. Sed ex iis, quæ diximus, liquet, Latinos eas accepiſſe à Græcis. Nec ſanè Tarentini Latinè, ſed Græcè, loquebantur; ut reliqua Magna Græcia, atque item Sicilia: quod addo, quia Rhinton aliis dicitur Syracuſanus. Nam in tertio ἀνθολογίας Tit. In Viros non illuſtres, eſt hoc Noſſidis epigramma:

> Καὶ καπυρὸν γελάσας παραμείβεο, καὶ φίλον εἰπὼν
> Ῥῆμ' ἐπ' ἐμοί. Ῥίνθων εἰμ' ὁ Συρακόσιος,
> Μουσάων ὀλίγη τις ἀηδονὶς, ἀλλὰ φλυάκων*
> Ἐκ τραγικῶν ἴδιον κισσὸν ἐδρεψάμεθα.
> *Et vehementer ridens præteri, (viator) & gratum dicens*
> *Verbum de me: Rinthon ſum Syracuſanus;*
> *Muſarum parva quædam philomela: ſed nugarum dehiſcentibus roſis*
> *Ex tragicis propriam decerpſimus hederam.*

* In Prolegomenis Terentianis.
† Sic enim vetus editio Tarviſina anno 1477. Stephanica anno 1529. Pariſina Lindenbruchii, & aliæ.
‡ In Τάρας.
* Al. κορύμβων. corymbis. Et præferre videtur Brodæus.

Nimirum crebrò ſcriptores duplex à loco habent cognomentum: quorum unum à patria ſumitur; alterum à loco, ubi ſedem fixerint diu. Igitur Rhinthon Syracuſis fuerit natus: at vixerit in molli Tarentinorum urbe, theatro, & luxu, celebratâ, ubi conveniens fuerit domicilium poëtæ huic ridiculo: Unde Noſſis, ut vidimus, καπυρὸν γελάσας*, & Varroni quoque *Rhinthon* pro *ſcurra*.

* Ingens ridens cachinnos.

2. §. *Nec* ἱλαροτραγῳδία *ſolùm dicta eſt; ſed &* ἱλαρῳδία. *Ut errent, quotquot hanc mimis accenſeant; qui gravitate etiam à comœdia vincebantur.*

Ariſtoxenum audiamus; qui hilarodiam docet proximum gravitatis locum obtinere poſt tragœdiam; magodiam verò poſt comœdiam: ita ut hilarodia ſit minùs gravis tragœdiâ; ſed gravior comœdiâ: magodia autem laſcivior ſit, quàm comœdia. Sic enim loquitur apud Athenæum lib. XIV: Τὴν † μὲν ἱλαρῳδίαν, σεμνὴν οὖσαν παρὰ τὴν τραγῳδίαν εἶναι, τὴν δὲ μαγῳδίαν, παρὰ τὴν κωμῳδίαν. Ibidem dicit Athenæus, hilarodos eſſe graviores Alexide, ac Sotade Maronite, & aliis κιναιδολόγοις ‡. Nam cum de his locutus eſſet, addit, Σεμνότερος * δὲ τούτων ἐστὶ ποιητῶν ὁ ἱλαρῳδὸς καλούμενος. οὐδὲν γὰρ σχινίζεται. Ubi ſive ſcripſerit σχινίζεται, ſive σχοινίζεται, vel aliter, de quo in Variis ſuis diſſerit Victorius †, ſatis liquet, illud velle, nihil eum agere, aut dicere, molliter, & effeminatè. Atque hoc ſequentia etiam ſatis oſtendunt. Sin ἱλαρῳδὸς gravior ſit κιναιδολόγοις: omnino hi erunt diverſi. Quod quidam non attendunt. Decipit eos, quod φλύακες à Suida exponantur κίναιδοι: ac Rhinto eidem ſit φλυακογράφος; uti & Stephano. Verba Suidæ ſunt: Σωτάδης ἔγραψε φλύακας, ἤτοι κιναίδους, διαλέκτῳ Ἰωνικῇ ‡. Sed cogitare oportet, vocem φλύακος interdum laxiùs ſumi; ut tum ἱλαρῳδοῖς, hoc eſt, hilarotragœdis, conveniat; tum κιναιδολόγοις, quos laſciviores fuiſſe conſtat. Quid mirum? Ἱλαρῳδοὶ, ſi cum tragicis poëtis conferantur, verè φλυακεύουσι, hoc eſt, *nugantur*. At ſi compares cum comicis, & præſertim cum μαγῳδοῖς: non ſunt φλύακες, ſive *nugatores*, ſed σεμνοὶ, ac *graves*. Quare ſi propriè, preſſeque loqui volumus; φλυακογράφοι, & κιναιδολόγοι, differunt gravitate; hi verè ſunt mimi, illi non item.

† Cap. 4. ſive pag. 621. edit. Commelin.
‡ Q. de cinædilogis.
* Gravior illis poëtis eſt, qui vocatur Hilarodus. Nihil enim in eo delicatum ac molle.
† Lib. 34. cap. 4.
‡ Sotades Phylacas, ſeu cinædos ſcripſit dialecto Ionicâ.

3. §. *Et ſanè, quia hilarodus aliquid gravius haberet; eo utebatur albâ veſte, coronâ aureâ, ac ſoleis, vel crepidis.*

Athenæus lib. XIV*: Χρῆται (ὁ Ἱλαρῳδὸς) ἐσθῆτι λευκῇ ἀνδρείᾳ· καὶ στεφανοῦται χρυσῷ στεφάνῳ· καὶ τὸ μὲν παλαιὸν ὑποδήμασιν ἐχρῆτο, ὥς φησιν ὁ Ἀριστοκλῆς, νῦν δὲ κρηπῖσι. *Utitur hilarodus veſte virili candidâ, ac coronam geſtat auream. Ac olim quidem ſoleæ pro calceamento fuere, ut Ariſtocles ait: nunc verò crepidæ.* Addit deinde, poëtam, non cantorem, vel tibicinem, coronari ſolere. Ψάλλει δ' αὐτῷ ἄρρην, ἢ θήλεια, ὡς καὶ τῷ αὐλῳδῷ. Δίδοται δὲ ὁ στέφανος τῷ ἱλαρῳδῷ, καὶ τῷ αὐλῳδῷ· οὐ τῷ ψάλτῃ, οὐδὲ τῷ αὐλητῇ. *Simul cum hilarodo canit mas, vel femina. Coronatur autem hilarodus, & aulodus; non cantor, vel tibicen.*

* Cap. 4. ſive pag. 621. edit. Commel.

4. §. *Nec* σιμῳδία *ab his diverſa eſt: quæ ſic nuncupata à Simone Magnete: cujus magnum inter hilarodos nomen fuit.*

Athenæus lib. XIV†: Καὶ οἱ καλούμενοι Ἱλαρῳδοὶ, οὓς νῦν τινες Σιμῳδοὺς καλοῦσιν, ὥς Ἀριστοκλῆς φησιν ἐν πρώτῳ περὶ χορῶν, τῷ τὸν Μάγνητα Σίμον διαπρέψαι μᾶλλον τῶν διὰ τοῦ ἱλαρῳδεῖν ποιητῶν, συνεχῶς ἡμῖν ἐπιφαίνονται. *Crebrò nobis exhibentur mimi, nomine hilarodi; quos nunc quidam Simodos vocant, ut ait Ariſtocles in primo de choris; eò quòd Simo Magnes hilarodis aliis fuerit elegantior, concinniorque.*

† Cap. 9. ſive pag. 620. edit. Commel.

Atque

Atque hæc tam multa, ex antiquis producta à nobis, ſatis oſtendunt, poſſe, & eleganter poſſe, poëma condi, quod mediæ ſit indolis inter comœdiam, & tragœdiam, eoque tragico comœdia dici poſſit: ut à Plauto factum dicebamus. Valde igitur ratio fugit Jaſonem Denoris, philoſophiæ moralis in Gymnaſio Patavino ante L. hoſce annos profeſſorem: qui, cùm Baptiſta Guarinus Ferrarienſis, non doctrinâ minùs, quam equeſtri dignitate ornatiſſimus, feciſſet tragicocomœdiam paſtoralem, quam *Paſtorem fidum* inſcripſerat; diſputationem de Poëſibus edidit; quâ oſtendere eſt conatus, hujuſmodi miſcellam poëſin eſſe inconvenientiſſimam, planeque monſtroſam. Id anno contigit CIƆ IƆLXXXVII. Sequenti verò anno Guarinus hoc poëſios genus defendit ſub *Verati* nomine. Huic libro cum Jaſon reſpondiſſet, Guarinus emiſit in lucem alterum Veratum, ſive, ut vocant, Replicationem irritati Academici: idque tantâ cum facundiâ, atque animi acerbitate, (caninam poſſimus facundiam dicere) ut credatur Jaſonem, niſi fato fuiſſet præreptus, ad laqueum fuiſſe redacturus; haut aliter, ac Lycamben olim Archilochus. Rem eam Antonius Riccobonus, profeſſor & ipſe Patavinus, narrat lib. IV. de Gymnaſio Patavino cap. VII.

CAP. XXII.

DE COMŒDIA; AC PRIMÙM DE VOCABULO, DEFINITIONE, DISCRIMINE EJUS A TRAGŒDIA, AC FINE.

1. §. *Hactenus dictum de tragœdia. Nunc agamus de comœdia: quæ vox* paganum cantum *ſignificat, à* κώμη, *&* ᾠδή. *Sic autem vocatur, quia à ruſticis profluxit ad urbanos.*

Niſi malis eſſe à Como, ut κωμῳδεῖν ſit *canere Como digna.* Κῶμος erat hilaritatis ac temulentiæ Deus: nempe, ut puto, à *Chamos:* quod Moabitarum numen; ut videmus Num. XXI. 29. & III. Reg. XI, 7. At *Chamos* fortaſſe à כמס *camas*, i. e. *abſcondere, latitare:* ut Chamos ſit Bacchus Νυκτέλιος. Sanè comeſſatio, quæ à Como nomen accepit, nihil aliud eſt, quàm convivium poſt cœnam in multam noctem. Pro hoc comœdiæ etymo facit, quòd, ut Athenæus ait lib. II. comœdia ſit inventa vindemiæ tempore: unde & hæc priùs habuit τρυγῳδίας nomen. Eò & in ſcena ſemper collocabatur ara Bacchi: ut ex Donato, ſive alio, * alibi diximus. At non audiendi propterea, qui κωμῳδίαν putant eſſe à κωμάζω. Nam ἀναλογία repugnat. Ut mirum ſit, ἔτυμον hoc mordicus defendi à L. Victore Fauſto, libello de comœdia. Nec magis audiri merentur; qui, ut apud Diomedem † legas, Epicharmum volunt, in inſula Co exſulantem, primum *hoc carmen frequentâſſe, & ſic à Co Comœdiam dici.* Quæ, puto, numquam ſcripſit Diomedes: ſed ab alio fuere ad marginem adjecta. Nec enim locum iſtic habent, ubi nunc leguntur: quia de etymo Comœdiæ, & ejus inventione apud Græcos, antea dictum erat. Iſtic verò, ubi ea referuntur, ſermo eſt de illis, qui apud Romanos primi fabulas docuere.

* *In prolegomenis Terentianis.*

† *Lib. 3.*

2. §. *Comœdia eſt poëma dramaticum, civium, ac vulgi actiones ſtylo populari imitans, non ſine ſalibus, ac jocis. Quod ſi rationem habeamus Comœdiæ, quæ obtinet: dicere poſſis, imitari actiones non civiles modò, ſed etiam privatas.*

Comœdia à Græcis ita definitur, ut Diomedes, & Donatus, referunt: Κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή. Quorum mentem ita expreſſit Diomedes: *Comœdia eſt privatæ, civiliſque fortunæ, ſine periculo vitæ, comprehenſio.* Eâ in definitione duo ſcrupulum injiciunt. Unum eſt, quòd dicitur comœdia eſſe ἀκίνδυνος ‡. Sed eò ſpectarunt, quòd, utcumque periclitentur amantes, & ſimiles; tamen illud leve ſit. Non enim de vita agitur; ſed ſolùm, an amicâ excidant, vel re ſimili. Accedit, quòd in cataſtrophe omnem illam curam ſequitur ſecuritas. Præterea culpatur, quòd comœdia dicatur eſſe πραγμάτων ἰδιωτικῶν: hoc eſt, ut Diomedes ait, *privatæ civiliſque fortunæ.* Atque ejus ſententiæ etiam eſt Donatus, ſeu Euanthius; cui *Comœdia eſt fabula, diverſa inſtituta continens, affectuumque civilium, ac privatarum rerum; quâ diſcitur, quid ſit in vitâ utile; quid contrà evitandum.* Huic opinioni adverſari illud videtur, quòd comœdia vetus etiam, quæ viri principes in adminiſtratione Reip. geſſerant, reprehendat, atque exagitet. Qualia certè privatarum rerum appellatione neutiquam continentur. Hunc ictum exire ſatis non poſſumus, niſi fateamur, definitionem illam eſſe comœdiæ Latinæ; vel Græcæ etiam, ſed novæ. Verior definitio ſit, ſi omittatur illud de actionibus privatis, ac ſolùm dicatur de actionibus civilibus. Nam Athenienſes illi, quos vetus comœdia vexabat, erant quidem maximi nominis viri; attamen civium, non regum, & principum nomine, continentur; quia Athenis, tempore veteris comœdiæ, δημοκρατία* obtinebat. Sed Julio Scaligero, quia omnis comœdiæ habere rationem voluit, placuit utrumque omittere. Ut cui definiatur †, *poema dramaticum, negotioſum, exitu lætum, ſtylo populari.* Interim negari nequit, ſi Plautinas, & Terentianas comœdias, ſpectemus; rectiùs à Camerario ‡ definiri comœdiam, poëma dramaticum (hoc eſt, in actionem implicitum, inque perſonas collatum) argumenti ficti de rebus, caſibus, negotiis, ſumtis e vita communi, & quaſi cotidianis eventis.

‡ *Periculi expers.*

* *Popularis ſtatus.*

† *Lib. 1. de re Poët. cap. 5.*

‡ *Libello de Carminibus Comicis, quod Plauto Camerarii præmittitur.*

3. §. *Differt ea à tragœdia variè: inter alia, inventione.*

Qua de re ſic Antiphanes, fabulâ, quæ *Poëſis* inſcribebatur, (niſi ea Ariſtophanis potiùs, vel Archippi) apud Athenæum, initio libri ſexti:

—— Μακάριόν ἐστιν ἡ τραγῳδία
Ποίημα κατὰ πάντ' εἴ γε,* πρῶτον οἱ λόγοι
Ὑπὸ τῶν θεατῶν εἰσιν ἐγνωρισμένοι,
Πρὶν καί τιν' εἰπεῖν, ὥσθ' ὑπομνῆσαι μόνον
Δεῖ τὸν ποιητήν. Οἰδίπουν γὰρ ἄν γε φῶ,
Τὰ δ' ἄλλα πάντ' ἴσασιν· ὁ πατὴρ Λάϊος,
Μήτηρ Ἰοκάστη, θυγατέρες, παῖδες τίνες·
Τί πείσεθ' οὗτος, τί πεποίηκεν. Ἂν πάλιν
Εἴπῃ τις Ἀλκμαίωνα, καὶ τὰ παιδία
Πάντ' εὐθὺς εἴρηχ', ὅτι μανεὶς ἀπέκτονε
Τὴν μητέρ'· ἀγανακτῶν δ' Ἄδραστος εὐθέως
Ἥξει· ὅτι δ' ἂν μηδὲν δύνωντ' εἰπεῖν ἔτι,
Κομιδῇ δ' ἀπειρήκασιν ἐν τοῖς δράμασιν,
Αἴρουσιν, ὥσπερ δάκτυλον, τὴν μηχανήν,
Καὶ τοῖς θεωμένοισιν ἀποχρώντως ἔχει.
Ἡμῖν δὲ ταῦτ' οὐκ ἔστιν. ἀλλὰ πάντα δεῖ
Εὑρεῖν, ὀνόματα καινὰ†, τὰ διῳκημένα
Πρότερον, τὰ νῦν παρόντα, τὴν καταστροφήν,
Τὴν εἰσβολήν· ἂν ἕν τι τούτων παραλίπῃ
Χρέμης τις, ἢ Φείδων τις ἐκσυρίττεται.
Πηλεῖ δὲ ταῦτ' ἔξεστι, καὶ Τεύκρῳ ποιεῖν.

Ea ſic reddidit Illuſtris vir, Hugo Grotius ‡:

—— Scilicet tragœdia
Felix poema eſt. Nam principio cognitum
Argumentum omni ſpectatori eſt, antequam
Verbum hiſcat aliquis. Nomen tantùm dicere
Poëtæ ſatis eſt. Œdipum præſcripſero:
Jam reliqua per ſe norunt: pater eſt Laius,
Jocaſta mater tum quinam, & filiæ;
Quid fecit, quid patietur ⸸. Si promiſerit
Alcmæona alius, ipſi dicent pueruli:
Hic ille eſt, qui interfecit matrem inſaniens:
Indignabundus veniet Adraſtus ſtatim.
Tum verò ubi nil ultrà, quod dicant, habent,
Et jam propemodum deplorata eſt fabula;
Tam facilè, quàm digitulum, tollunt machinam:

Al-

* *Εἴ γε eſt apud Athenæum: ſed perperam: ut monitum Grotio.*

† *Poſt καινὰ apud Athenæum inſeritur πάντα, ſed reclamante verſu: quod & Caſaubono viſum.*

‡ *In Excerptis è tragœdiis, & comœdiis Græcis.*

⸸ *Jacobus Hertelius πείσεται tranſtulit, perſuadebit: ſed perperàm. Eſt enim non à πείθω, ſed à πάσχω. futurum faciente πείσομαι, pro πήσομαι, à πάθω.*

Digitized by Google

Atque id ſatis eſſe credit ſpectantum favor.
At iſta nobis non licent; ſed omnia
Sunt invenienda, nomina inprimus nova,
Res ante-geſta, res præſentes, exitus,
Initia. Ex illis ſiqua pars defecerit;
Exſibilatur Phido, ſive ille eſt Chremes.
Illa alia facere Peleo, & Teucro, licet.

4. §. *Præcipuum autem, ac eſſentiale diſcrimen eſt, quòd in tragœdia ſit illuſtris perſonarum illuſtrium actio, terrorem continens, ac miſericordiam: in comœdiâ verò humilium perſonarum actio humilis, levis, ac ſubinde ridicula.*

De diſcrimine hoc comœdiæ, & tragœdiæ, Diomedes ſcribit his verbis: *Tragœdiâ introducuntur duces, heroës, reges: in Comœdia humiles, atque privatæ perſonæ. In illâ luctus, exſilia, cædes: in hac amores, virginum raptus. In illa frequenter, & penè ſemper, lætis rebus exitus triſtes, & liberorum, fortunarumque priorum, in pejus agnitio: in hac triſtibus lætiora ſuccedunt. Quare variâ definitione diſcretæ ſunt. Altera enim* ἀκίνδυνος περιοχὴ*: *altera* ἡρωικῆς τύχης περίστασις† *dicta.* Donatus, ſive Eugraphius, de eodem hoc pacto: *In comœdia mediocres fortunæ hominum, parvi impetus, periculaque, lætique ſunt exitus actionum. At in tragœdia omnia contraria; ingentes perſonæ, magni timores, exitus funeſti habentur. Et illic turbulenta prima, tranquilla ultima. In tragœdia contrario ordine res aguntur. Tum quod in tragœdia fugienda vitâ, in comœdiâ, capeſſenda exprimitur. Poſtremò, quòd omnis comœdia de fictis eſt argumentis: tragœdia ſæpe ab hiſtoricâ fide petitur.* Verùm ex multiplici hoc diſcrimine illud inprimis attendere oportet, quod eſſentiale eſt, ac quod iccirco in tragœdiæ definitione Ariſtoteles exprimendum putarit. Quale eſt, quòd tragœdia contineat gravem perſonæ gravis actionem, in qua terror ac miſericordia: comœdia verò perſonæ levioris habeat actionem levem, ac ſubinde ridiculam. Cætera diſcrimina perpetua non ſunt; quale illud, quòd ab exitu petitur. De quo poſtea dicemus.

* *Argumentum periculi expers.* † *Heroicæ fortunæ eventus, ſive comprehenſio.* De quo dictum hujus lib. cap. 13. §. 10.

5. §. *Finis comœdiæ eſt vitæ privatæ exemplum proponere, ut inde mores quiſque corrigat ſuos.*

Quomodo Demea apud Terentium Adelphis‡ ait:
Inſpicere, tanquam in ſpeculum, in vitas omnium
Jubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.

‡ *Act.* 3. *ſc.* 3.

Hinc Macrobius lib. 1. in Somn. Scipionis cap. 11. *Fabulæ, quarum nomen indicat falſi profeſſionem, aut tantùm conciliandæ auribus voluptatis, aut adhortationis quoque in bonam frugem gratiâ, reperta ſunt.* Subjicit deinde de primo diviſionis membro: *Auditum mulcent; velut comœdiæ, quales Menander, ejuſve imitatores, agendas dederunt.* De altero membro ſubdit poſtea: *Ex his autem, quæ ad quandam virtutis ſpeciem intellectum legentis hortantur, fit ſecunda diſcretio.* Hæc mens Macrobii, cujus verba, peſſimo ſenſu, in omnibus hactenus editionibus diſtinguuntur. Macrobio adſentit B. Hieronymus epiſtolâ ad Furiam: *Nec mirum, hoc figulum ſenſiſſe de vaſculo, quod ipſe fabricatus eſſet; cùm etiam Comicus, cujus finis eſt, humanos mores nôſſe, atque deſcribere, dixerit*, Sine Cerere, & Libero, friget Venus.* Illuſtrem etiam ipſius de hoc Ciceronis locum adducam cap. XXIV. §. 9.

* *Eunucho act.* 4. *ſc.* 5.

6. §. *In veteri autem comœdiâ etiam populo conſulebatur, quid pace, vel bello, facto opus eſſet: nec non magni nominis cives nominatim exagitabantur.*

Quâ comœdiæ parte id maximè fieri ſoleat, docet Ariſtophanis ſcholiaſtes; qui auctor eſt, comicis ἔθος εἶναι τοῦ ἐπιρρήματι χρηστὰ συμβουλεύειν τῇ πόλει, ἢ ἐλέγχειν τοὺς πονηρευομένους. *morem eſſe in epirrhemate, ſive acclamatione, ſalubria reip. conſulere, vel improbos inſectari.*

Cap. XXIII.

De comœdiæ origine, et progreſſu.

1. §. *Porrò, non uti tragœdiæ origo, & incrementum, ſcitur: ita etiam conſtat, quando, aut quomodo comœdia cœperit, & creverit.*

Ignorari cauſſam ejus Ariſtoteles† ait, διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι: hoc eſt, quòd paucos ea ſui ſtudioſos haberet. Eò autem pauci comœdiæ amatores erant, quia maledicentiæ plena eſſet; ut prope omnes ſibi ab ea metuerent. Atque hanc etiam cauſſam eſſe Ariſtoteles‡ ſcribit, cur ſerò admodum chorus Athenis comœdis datus ſit ab Archonte. Hoc eſt, cur minùs à magiſtratu ad choragum conducendum, & alia neceſſaria, ſint procuratæ impenſæ, quibus non ſufficeret poëta. Quâ de re Demoſthenes contra Midiam, & Hiero apud Stobæum. Verba alibi adducimus.

† *De Poët. cap.* 5. ‡ *Ibidem.*

2. §. *Illud quidem convenit, primum Homerum comœdiæ normam tradidiſſe: non quatenus vetus comœdia conviciari ſolet; ſed quoniam & Homerus res jocoſas, & viles, eſt imitatus; præſertim in poëmate eo, quod* Μαργείτης *dicebatur.*

In Margite igitur prævivit ad comœdiam: uti ad tragœdiæ drama in Iliade, & Odyſſeâ: quemadmodum Ariſtoteles* ait. Nempe quia in his res ſunt graves: in Margite erant viles. De quo etiam dictum libri hujus cap. 11. §. 4.

* *De Poët. cap* 4. *Sed qui Ariſtoteli* Μαργείτης, *is aliis* Μαργίτης. *Saltem* pro fatuo *ſic Plutarchus, Lucianus, Heſychius, Suidas, Euſtathius.*

3. §. *Itidem conſtat, non ſimul totam comœdiæ naturam repertam eſſe: ſed per partes id contigiſſe.*

Quomodo autem comœdia paullatim ad perfectionem ſuam pervenerit; docet his verbis Donatus, vel quiſquis auctor προλεγομένων in Terentium: *Comœdia ferè vetus, ut ipſa quoque olim tragœdia, ſimplex carmen fuit: quod chorus circa aras fumantes nunc ſpatiatus, nunc conſiſtens, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat. Sed primò una perſona ſubſtituta eſt cantoribus; quæ reſpondens alternis choro, locupletavit, variavitque rem muſicam. tum altera, tum tertia, & ad poſtremum, creſcente num[er]o, per auctores diverſos, perſonæ, pallæ, cothurni, ſocci, & cæteri ornatus, atque inſignia ſcenicorum reperta; & ad hoc unicuique ſuus habitus: & ad ultimum, qui primarum partium, qui ſecundarum, & tertiarum, qui quartarum, atque quinctarum actores eſſent.*

4. §. *At non æquè in confeſſo eſt, quis primus docuerit comœdiam. Imò de gente ipſa certatur. Nam Athenienſes hanc ſibi gloriam tribuebant. Apud quos Crates comicus fuit. Veriſimiliùs tamen eam ſibi laudem vindicabant Dorienſes; tum illi, qui in Sicilia habitabant, ubi Epicharmus fuit; tum Megarenſes, qui Doridem incolebant.*

Pro his ſtat etymon comœdiæ: ut quæ ſic vocetur, quia primùm ἐν κώμαις, id eſt, vicis acta ſit; ſive à ruſticis, ſive à Comicis ex urbe ejectis. Atqui Attici* vicos appellant δήμους, at Megarenſes κώμας; quâ tamen voce etiam Phocylides, Atticus ſcriptor, uſus: ſed accepere Athenienſes à Dorienſibus; ut argumento eſt, quòd eo rarò uſi Athenienſes. Pro Megarenſibus itidem eſt vox δραμάτων, h. e. *actuum.* Nam δρᾶν dicunt†, quod Athenienſes πράττειν. Denique apud Megarenſes Siculos fuit Epicharmus poëta Comicus. Quamquam, ut apud Suidam‡ videmus, alii Coum, aut Samium fuiſſe contendant. Fuit multò ante Chonnidam†, ut in Ariſtotelis‡ vulgaris codd. vocatur; vel potiùs Chionidem, ut legere jubet Lilius Gyraldus‡: item

* *Ariſtoteles de Poët. cap.* 3. † *Ariſt. ibidem.* ‡ *In* Ἐπίχαρμος. † Χωνίδα *eſt in nonnullis libris; in quo aliis* Χιωνίδη *per* ω. ‡ *Lib. de Poëtica cap.* 3. ‡ *Dialogo* 6. *de Poëtis.*

item

item ante Magnetem. Hoſce duos præſtantiſſimos Comicos apud ſe vixiſſe, Athenienſes prædicabant. Atque his quidem argumentis ipſe utitur Ariſtoteles in arte Poëtica *. Pro quo & illud facit, quòd Epicharmus, Suida teſte †, ſexennio ante bellum Perſicum fuit. Addit idem Suidas, ut eodem tempore apud Athenienſes fabulas ediderint tres illi, Εὐέτης, Εὐξενίδης, ϗ Μύλλος. Sed in Sicilia inventam eſſe Comœdiam, auctor eſt Theocritus. Atque idem Solinus ‡ ſcribit. Et ſanè, Epicharmi ætate, & alter in Sicilia comœdiam docuit. Fuit is Phormis, ſive potiùs Phormus, Syracuſanus, Gelonis tyranni familiaris. Hic, ut Suidas ait, ἐχρήσατο πρῶτος ἐνδύματι ποδήρει, ϗ σκηνῇ δερμάτων φοινικῶν. *Primus in ſcena talari uſus veſte: primus quoque ſcenam è puniceis fecit pellibus.* Ad talarem veſtem reſpicit Horatius, cùm ait in Arte:

* Cap. 3.
† In Epicharmus.
‡ Cap. 11. ſive poſterioris edit. cap. 5.

—— Traxitque vagus per pulpita veſtem.

Athenæus lib. XIV. citat Φόρμον ἐν Ἀταλάντῃ. Alia quoque ſeptem dramata ejus nominat Suidas in Φορμός. Apud Athenienſes primus Crates comœdias ſcripſit. Comicus autem ex Jambographo factus eſt; ut poſtea ex Ariſtotele dicemus. Meminit ejus & Laërtius, qui decem ait fuiſſe Cratetes. Primum autem fuiſſe τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητήν *. Apud Diomedem † tres iſti dicuntur primi fuiſſe Comici, Suſarion, Mullus, & Magnes. Atque ab eodem hi Suſarionis verſus referuntur.

* Veteris comœdiæ poëtam.
† Lib. 3. cap de Poematis generibus.

Ἀκούετε λέξιν· Σουσαρίων λέγει τάδε·
Κακὸν γυναῖκες· ἀλλ' ὅμως, ὦ δημόται,
Οὐκ ἔστιν εὑρεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ.
Audite verbum: Suſarion hæc prædicat:
Malum mulieres: attamen, cives mei,
Haud invenire ſit domum expertem mali.

Apud Clementem lib. I. Στρωματ. Comœdiam repeſiſſe dicitur Σισαρίων ὁ Ἰκαριεύς: ut fortaſſe, in verſiculis allatis, Σισαρίων debeat reſcribi. Sed de tribus hiſce Comicis inferiùs etiam aliquid dicam.

5. §. *Non dubium, quin & magna incrementa ceperit comœdia honoribus iis, qui decernebantur comicis, cùm viciſſent. Erant autem judices comicorum quinque.*

Unde proverbium, Ἐν πέντε κριτῶν γόνασι κεῖται, *in quinque judicum genibus ſitum eſt.* Quod de quinque Comicorum judicibus proverbialiter dici, prodidit Epicharmus, & ex eo Zenobius, exinde Suidas. Heſychii quoque eſt: Πέντε κριταὶ τοὺς κωμικοὺς ἔκρινον, οὐ μόνον Ἀθήνησιν, ἀλλὰ ϗ ἐν Σικελίᾳ. *Quinque judices. Tot enim de Comicis judicabant; non Athenis modò, ſed etiam in Sicilia.* In vulgatis eſt, πέντε κρίται. Sed κριταὶ rectè emendat Joannes a Wouvver Polymathiæ cap. XVI. Suetonii quoque eſt in Claudio cap. XI. *Comœdiam Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de ſententia judicum coronavit.*

6. §. *Apud Romanos prima dramatum gloria debetur Livio Andronico.*

De quo ex Cicerone, Livio, ac Valerio, ſuperius diximus. Neque id de tragœdia modò, ſed comœdiâ etiam, accipi velim. Præit ad hoc Donatus, vel alius, in Prolegomenis de Tragœdia, & Comœdia: *Comœdiam, & Tragœdiam togatam, primus Livius Andronicus repperit: aitque Comœdiam eſſe quotidianæ vitæ ſpeculum.* Acro in Horat. lib. II. epiſtol. ad Auguſtum: *Livius Andronicus, antiquiſſimus poëta, primus comœdias ſcripſit.* Caſſiodorus in Coſſ. *Tragœdia, & Comœdia, à L. Livio ad ſcenam data.* Interim fabellæ ejus *non ſatis dignæ, quæ iterum legantur*, etiam Ciceroni ‡ viſæ.

‡ In Bruto.

7. §. *Poſtea decem claruere comici: de quibus notum eſt judicium Volcatii Sedigiti.*

Quod apud Agellium habemus lib. XV. cap. XXIV. ſed in pleriſque libris legitur admodum vitioſè. Eſt verò hujuſmodi.

Cæcilio palmam Statio do Comico.
Plautus ſecundus facilè exſuperat cæteros.
Dein Nævius, qui ſervet pretium, tertius eſt. *
Si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio.
Poſt inſequi Licinium facio Attilium.
In ſexto conſequetur hos Terentius.
Turpilius ſeptimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco eſſe facilè facio Luſcium.
Decimum addo cauſſa antiquitatis Ennium.

* Al. qui ſervet, pretio in tertio eſt.

8. §. *Sed judicium ejus pro privato habendum, nec accurato: præ quo ſuſpiciendus veterum conſenſus. Sanè antiquitatis palmam tulere hi quatuor: duo, quos habemus, Plautus, Terentiuſque; duo item deperditi, Cæcilius, & Afranius.*

De Plauto quidem Varro Parmenone † ſcripſit, eum *ſermonibus palmam poſcere.* Atque idem ‡, ex ſententia præceptoris ſui L. Ælii Stilonis Præconini, ajebat, *Muſas Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latinè loqui vellent.* *Verborum Latinorum elegantiſſimus*, vel potiùs eligentiſſimus, dicitur Agellio ‖: imo * *linguæ, atque elegantiæ in verbis Latinæ princeps.* Cicero † etiam tribuit *jocandi genus elegans, urbanum, ingenioſum, facetum.* Sidonius item genium ‡ agnoſcit, & lepórem ‖. Sed, præter Plautum, trium aliorum grande decus fuit, quos (mirum) præterito Plauto, memorat Vellejus lib. I. *Dulceſque Latini lepóris facetiæ per Cæcilium, Terentium, & Afranium, ſuppari ætate floruerunt.* Ex quibus ſolus nunc ſupereſt Terentius: quem in ἤθεσι palmam poſcere, ait Varro Parmenone *. Atque idem in quincto de ſermone Latino, quod ex eo refert Chariſius Soſipater lib. II. ſic ſcripſit: Ἤθη *nulli alii ſervare convenit.* Et quid excellentius illo Afranii in Compitalibus?

† Apud Nonium in Poſcere.
‡ Apud Quinctilianum lib. 8. cap. 1.
‖ Lib. 1. cap. 7.
* Lib. 7. cap. 18.
† Lib. 1. de Officiis.
‡ Panegyrico ad Anthemium Auguſtum.
‖ Carm. 23.
* Apud Nonium in Poſcere.

Terentio non ſimilem dices quempiam.

Horatii quoque eſt in arte:

Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.

Ubi ſic Acro: *Arte, id eſt, proprietate verborum. Unde principatum inter omnes Comicos habere dicitur.* Sed per artem potiùs οἰκονομίας, ſive conſtitutionem fabulæ, intelligo: quâ parte Plauto etiam longiſſimè præſtitit Terentius; ut alibi dicemus. Nec mediocriter ad laudem Terentii facit, quòd fabulæ liberti hujus, nati Carthagine, referrentur ad Lælium, ſicut eſt apud Ciceronem lib. VII. epiſt. III. ad Atticum: vel ad Scipionem Africanum, ut eſt apud Fabium lib. X. cap. I. Quid mirum, cùm tanta ejus foret dictionis caſtimonia? *Lectum ſermonem* tribuit ei quoque, cùm Julius Cæſar, cujus verba inferiùs apponam; tum Auſonius in Protreptico.

Præter verò Plautum, & Terentium, (quos duos, ut principes, jungit Plinius lib. I. epiſt. XXVI.) magnus, ut dixi, honos Cæcilio & Afranio, fuit. Sanè Cicero, libro de optimo genere Oratorum, ait, *Cæcilium fortaſſe Comicorum eſſe optimum.* Saltem *in argumentis palmam poſcit*; ut Varro ait in Parmenone †. Πάθη verò etiam ſervat cum Trabea, & Attilio: ut eſt apud Soſipatrum Chariſium extremo libro II. Terentio interim, ac Plauto etiam, ratione ſermonis poſthabendus. Nam *malus eſt Latinitatis auctor*; ut Tullius cenſet ad Atticum lib. VII. epiſt. II.

† Apud Nonium in Poſcere.

Jam, quod ad Afranium, is in Togatis excelluit: ut Fabius refert lib. X. Ac Horatii eſt in Arte:

Dicitur Afrani toga conveniſſe Menandro.

Ut mirum ſit, Sedigito ne nominatum quidem. Scio, omitti etiam Varroni, cùm in Parmenone ait: *In argumentis Cæcilius palmam poſcit; in ἤθεσιν Terentius; in ſermonibus Plautus.* Sed hìc tantùm tres principes nominat Comicos. At non ferendum, ne in denis quidem Comicis locum meruiſſe, judicio Sedigiti. Sed judicium ejus non ita magni faciendum: ut vel inde licet æſtimare, quòd Terentio etiam præferat Attilium: quem duriſſimum

*Lib. 1. de Fin. bon. & mal. † In Compitalibus, apud Suetonium in Terentii vita falsò adjudicatâ Donato. * Lib. 2. epiſt. 1. † Al. Dorſenus. ‡ Agellius lib. 3. c. 3. * Varro apud Agell. ibidem.

mum judicat cum Licinio Tullius *. Quanto benignius is, quem diximus, Afranius †:

Terentio non ſimilem dices quempiam.

Vide ſis etiam, quæ de Terentio, Plauto, Cæcilio, diximus Oratoriarum Inſtitutionum lib. IV. cap. I. ſect. IX.

9. §. *Præter hactenus memoratos etiam in Comicis fuere Sutrius, Succius, Horatioque * deriſus Fabius Doſſenus †. Adhæc in Togatis excellentes, Atta, & Titinnius: item Aquilius, & M. Acuticus; quorum illi quædam tributa Plautina ‡: hujus aliqua adſcripta Plauto *: inſuper Inventius.*

Qui Varroni memoratur in V, & VI. de L. L. & Agellio lib. XVIII. cap. XII. Nam pro *Terentio* illic *Inventium* legi oportere, optimè oſtenſum Clariſſimo, Ampliſſimoque, Rutgerſio lib. IV. Var. Lect. cap. XIX.

10. §. *Omnino autem in comœdia Latini cedunt Græcis.*

Quâ de re ita Fabius lib. X. cap. I: *In comœdia maximè claudicamus: licet Varro dicat, Muſas, Ælii Stolonis ſententiâ, Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latinè loqui vellent; licet Cæcilium veteres laudibus ferant: licet Terentii ſcripta ad Scipionem Africanum referantur: quæ tamen ſunt in hoc genere elegantiſſima, & plus adhuc habitura gratiæ, ſi intra verſus trimetros ſtetiſſent.* Ac ſubſcribit huic ſententiæ melioris notæ Rhetor Antonius Lullus Balearis lib. VII. de Oratione cap. V: *De comœdia*, inquit, *idem, quod ſenſit Fabius, ſentio.* De Terentio verò ſic ibidem ſcribit: *Miratus ſæpius ego ſum, qui tanta fuerit populi Romani gravitas, atque conſtantia, tantuſque Latinæ dictionis amor, ut Terentianis fabulis capi potuerit: in quibus tam pauci riſus, uſque adeò rara ſcommata, [nec *] tam graves deceptiones. Sed agnoſco tempora. Vivebant tum Scipiones; Catonéſque erant in pretio; & incrementa fiebant tunc temporis illius imperii. Moribus populi in voluptatem prolabentibus, oratio facta eſt ſolutior.* Sanè Julius Cæſar (qui XC annis, poſtquam naufragio Terentius periiſſet, primum fuit adeptus conſulatum) doluit Terentium vinci à Menandro, ac Græcorum aliis. Sic enim ſcripſit, teſte Tranquillo in poëtæ hujus vita:

* Puto hanc voculam, aut ſimilem, apponi oportere.

Tu quoque, tu in ſummis, ô dimidiate Menander,
Poneris, & meritò, puri ſermonis amator:
Lenibus atque utinam ſcriptis adjuncta foret vis
Comica; ut æquato virtus polleret honore
Cum Græcis; neque in hac deſpectus parte jaceres.
Unum hoc maceror, & doleo tibi deeſſe, Terenti.

De origine, & progreſſu comœdiæ, tam apud Latinos, quàm Græcos, ſatis dictum. Deinceps de Conſtitutione comœdiæ agendum.

CAP. XXIV.

DE CONSTITUTIONE COMOEDIÆ.

1. §. *Res in comœdia finguntur.*

In veteri tamen comœdiâ etiam verâ habuere locum; ut poſtea dicemus. Imò & in fabulâ prætextatâ: ubi argumentum erat (ut Donatus ait †) *ab hiſtoria Romana.* Sed hanc potiùs tragœdiis annumerari antea monuimus.

† Sive alius, in prolegomenis Terentianis.

2. §. *Ac fingunt Latini omnia facta Athenis, vel ſaltem in Græcia.*

Plautus prologo Menæchm.

Atque hoc poëtæ faciunt in Comœdiis.
Omnes res geſtas eſſe Athenis autumant:
*Quò illud * vobis Græcum videatur magis.*

* Malim illud quò; trajectis vocibus, ut in trimetro hic ſynalœpha negligatur.

Subdit deinde argumentum Menæchmis eſſe de re, quæ Syracuſis contigerit, non Athenis.

Atque adeò hoc argumentum Græciſſat: tamen
Non Atticiſſat, verùm Siciliſſitat.

Syracuſæ verò etiam Græca civitas. Græcè enim loquebatur; uti & bona Italiæ pars, quæ *magna Græcia* dicebatur.

Nec ſanè Athenis omnia fingi facta; ſed quandoque aliâ urbe Græciæ, Caſaubonus oſtendit Animadverſionibus in Athenæum lib. III. cap. XXXIV.

3. §. *Quia verò fingere argumentum qualecumque licet: faciliùs eſt comœdiam ſcribere, quàm tragœdiam.*

Contrarium ajebat Antiphanes. Qui comico eò difficiliorem dicebat provinciam, quia fingendæ illi eſſent & perſonæ, & res tota. Verſus de eo Antiphanis ſuperiùs † retulimus. Nempe ſic omnes ſumus, ut non facilè patiamur, aliud videri ſtudium noſtro excellentius. Sed parum validum erat Comici illius argumentum; uti dictum. Nam faciliùs eſt ingenium oſtendere in argumento, quod ipſe fingas, uti libet: quàm ſi alter, majori ex parte, argumentum præſcripſerit. Quomodo declamatores multi diſerti fuere, qui miſeri eſſent oratores. Quod non aliunde erat, quàm quia in declamando argumentum ſumerent, quale vellent; & adverſarios inducerent loquentes, prout vellent. At in cauſſis ſeriis adverſarius materiem præſcribit, & argumenta, quibus reſpondere ſtatim oporteat.

† Cap. XXI. §. 3.

4. §. *Poteſt tamen comœdia etiam in vero verſari argumento.*

Id negat Donatus, ut ſuperiùs vidimus. Sed non attendit ad comœdiam veterem quæ ſæpe in veris verſabatur. Atque idem contingit in dramatis; quorum argumentum petitur è literis ſacris. Neque ideo hîc, ut putant nonnulli, imitatio erit nulla. Nam οἰκονομία ‡ dramatis eſt à poëta: & ut perſonas pleraſque accipiat, aliquas tamen addit: ut nuncii, nutricis, ſimiles: denique perſonis & his, & illis, mores attribuit.

‡ Conſtitutio.

5. §. *Comœdia agit de negotiis ſumtis è vita communi, & quaſi quotidianis eventis.*

Non imitatur res illuſtres, & terribiles, ut tragœdia: neque admirabiles, & prodigioſas, quales multæ in epopœia: ſed civiles, & privatas, ut amores adoleſcentum, avaritiam ſenum, fraudes ſervorum, & ſimiles; quæ alios ſollicitudine, alios lætitiâ adficiant. In quibus illud artificioſè eſt conſecutus Terentius, ut meretrices fingeret non quales ſunt, ſed meliores: & tamen non deeſſet iis voluptas, ob quam bonæ eſſe vellent. Ad allatum in comœdia, & tragœdia, argumenti diſcrimen alluſit Plinius lib. IX. epiſt. VII: *Plures villæ meæ; ſed duæ, ut maximè delectant, ita exercent. Altera impoſita ſaxis, more Baiano, lacum proſpicit: altera, æquè more Baiano, lacum tangit. Itaque illam, tragœdiam; hanc, appellare comœdiam ſoleo: illam, quòd quaſi cothurnis; hanc, quòd quaſi ſocculis ſuſtinetur.*

6. §. *Neque hoc faciliorem reddidit comœdiam; ſed magis operoſam. Nam quia res ſumit è communi vita, eo minùs hîc venia eſt locus.*

Horat. in Arte:

Creditur, ex medio quia res arceſſit, habere
Sudoris minimum. ſed habet comœdia tanto
Plus oneris, quanto veniæ minus.

7. §. *Comœdia exagitat κακίας, ſeu vitia hominum: at non omnia, ſed ea, quæ riſum potius, quam miſericordiam, cieant.*

Comœdia, teſte Ariſtotele*, verſatur circa turpia. Sed turpe aliud φθαρτικὸν †, aliud γελοῖον ‡. Illud dolorem patienti adfert, ſpectanti miſericordiam: hoc patienti pudorem, aliis riſum præbet. Prioris generis ſunt verbera, cædes, egeſtas, cæcitas, & ſimilia. Poſterioris eſt ridicula facies; ut Therſitæ. Comœdia vetus poſterius genus ſectatur. Quomodo Ariſtophanes in Nubibus ridet Socratem, quaſi doceret metiri pulicum ſaltus, aut quomodo inſecta bombitent. Etiam Latinis Comicis ejuſmodi ſunt avaritia Euchionis, jactatio militis glorioſi, & ſimilia: quæ, ut Ariſtoteles* loquitur, habent αἶσχος ἀνώδυνον †.

* De Poët. cap. 5. † Perdens hominem ‡ Ridiculum.

* De Poët. cap. 5. † Turpitudinem ſine dolore.

8. §. *Quemadmodum verò res in comœdia ſunt humiles, ac privatæ; ita & perſonæ.*

Idcirco Plautus Amphitryonem vocat *tragicocomœdiam*, quia in ea eſt perſonarum excellentia, & humilitas comicæ dictionis. Sic enim apud eum loquitur Mercurius ‡:

Faciam ut commiſta ſit tragicocomœdia.
Nam me perpetuo facere, ut ſit comœdia,
Reges quo veniant, & Di, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic ſervus quoque partes habet,
Faciam, proinde ut dixi, tragicocomœdiam.

In veteri tamen comœdia etiam Deum inducebant.

‡ Amphitryonis Prolog.

9. §. *Uti item fictum eſt argumentum comœdiæ; ita & perſonæ in eâ finguntur.*

Cicero pro Sexto Roſcio: *Certè ad rem nihil intereſt, utrùm hunc ego comicum adoleſcentem Eutychum, an aliquem ex agro Vejente nominem. Etenim hæc conficta a poëtis arbitror eſſe, ut effictos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſamque imaginem vitæ noſtræ quotidianæ videremus.*

10. §. *Debent autem perſonis nomina imponi rebus congruentia.*

Ut ſenex dicitur *Chremes*, ἀπὸ τοῦ χρέμπτεσθαι. i. ſcreatu: adoleſcens qui amat, *Pamphilus*: amata, *Glycerium*, vel *Philumena*: paraſitus, *Gnatho* ἀπὸ τῶν γνάθων. i. maxillis: ſervus, à ſervili curſu, *Dromo*; à gente *Syrus*, *Geta*, *Davus*; & apud Græcos, *Tibius*; atque ita in aliis. Interdum tamen per illuſionem nomen imponitur à contrario. Ut trapezitæ nomen apud Plautum* *Miſargyrides*, à μισάργυρος, quod eſt, argenti oſor.

* Moſtellar. act. 3. ſc. 1.

11. §. *Perſonæ in ſcena ſummùm tres loquuntur.*

Diomedes †: *Perſonæ diverbiorum, aut duæ, aut tres; rarò autem quatuor eſſe debent: ultrà augere numerum non licet.* Nec obſtat, quòd Andriæ act. III. ſc. 1. quinque perſonæ loquuntur; Myſis, Simo, Davus, Leſbia, Glycerium. Nam hic quoque, ut & antea monitum, tantùm quatuor in ſcena compârent; quia Glycerium non in ſcena eſt, ſed domi ſuæ; nec aliud dicit, quàm illud:

Iuno Lucina fer opem, ſerva me obſecro.

Sequitur deinde apud Diomedem: *in canticis autem una tantùm debet eſſe perſona: aut, ſi duæ fuerint, ita debent eſſe, ut ex occulto una audiat, nec colloquatur; ſed ſecum, ſi opus fuerit, verba faciat. In choris verò numerus perſonarum non eſt: quippe junctim omnes loqui debent, quaſi voce confuſâ, & concentum in unam vocem reformantes.*

† Lib 3. cap. de poematis generibus.

12. §. *Perturbationes in comœdia nec tam vehementes ſunt, nec tam multæ, ac in tragœdia fit.*

Inprimis verò ſedatus Terentius. Uti & indicat M. Tullius in poëmate, quòd, non *Limonem* quidem, ut vulgò in Terentii vita, cujus auctor Tranquillus, legi ſolet; ſed *Libonem* inſcripſit; miſiſſeque videtur ad Libonem Terentium poëtam, patriâ Fregellanum: cujus meminit Donatus in iis, quæ Terentii vitæ iſti, à Suetonio exaratæ, continuò ſubjecit. Ciceronis, quæ dixi, verba ſunt iſta:

Tu quoque, qui ſolus lecto ſermone, Terenti,
Converſum, expreſſumque Latinâ voce Menandrum
In medio populi ſedatis vocibus effers,
Quicquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Atque ut ſedatum hic, comem, dulcemque vocat Tullius; ita lenem ei dictionem tribuit Julius Cæſar: cujus verba paullò pòſt adferam.

13. §. *Nempe affectus hic cientur ob res leviores: ut dolor, non ob cædem; ſed quia metuas, ne excidas amicâ.*

Hac in re magna eſt laus Terentii. Quippe cujus *fabulæ eo ſunt temperamento, ut neque extumeſcant ad tragicam celſitudinem; neque abjiciantur ad hiſtrionicam**: ut de eo ſcribit Donatus †. Qui & addit, eâ in parte peccatum fuiſſe à Plauto, Afranio, Accio, & aliis magnis Comicis.

14. §. *Mores ſunt ſolutiores, & jocis, ac ſalibus conditi.*

In eo quoque à tragœdia differt. Unde Appulejus in III. Floridorum: *Joci non infra ſoccum, ſeria non uſque ad cothurnum.* Et Claudianus lib. 1. in Eutropium:

Quæ ſocci ſuperent riſus, luctuſque cothurni.

Hac parte, ut diximus, Plautus ſuperat Terentium: cujus tamen Phormione nihil lepidius. Nam in eâ, ut Donatus ait ‡, *cùm & protaſis, & epitaſis, & cataſtrophe, magni moliminis, & negotii ſint; ita variis leporibus adſperguntur, ut etiam rerum triſtium gravitatem poëta lepidus comicâ ſerenitate tranquillet.* Ultima ſcena abunde fidem fecerit.

* Sic eſt in veteri Tarviſinâ anni 1477. Stephanicâ anni 1529. & aliis: ſed magis placet, quod in Pariſina, à Fr. Lindenbruchio cum Mſſ. collatâ pro hiſtrionicam eſt mimicam vilitatem.

† Sive alius in Prolegomenis Terentianis.

‡ In Proleg. Phorm.

15. §. *Nec tamen joci pertinent ad οὐσίαν * comœdiæ.*

Siquidem Comœdiæ finis eſt τὸ χρήσιμον †, ſive deſcriptio, ac notitia morum humanorum; ut ex Hieronymo antè diximus. At hoc præſtari ſine jocis poteſt. Verùm populus iis mirè gaudet. Eoque comœdia vetus (cujus tempore penes populum poteſtas erat) tam multa eſt in riſu movendo; ut ex Ariſtophane videmus.

* Eſſentiam ſive naturam.

† Utile.

16. §. *Riſus in veteri comœdia præcipuè captatur ex dicacitate, & maledicentiâ. Sed eam poſtea & lex, & potentiæ Macedonicæ metus, & ratio ipſa correxit.*

Dicemus hac de re, cùm de comœdiæ veteris, mediæ, ac novæ, diſcrimine agemus.

17. §. *Inter alia riſus conveniebat ex parodiis, hoc eſt, ſeriis aliorum verſibus in ridiculum detortis.*

Ita cùm Æſchylus dixiſſet in Armorum Judicio*:

Δέσποιναι † πεντήκοντα Νηρῄδων κορῶν:

Ariſtophanes illud ad anguillam tranſtulit in Acharnenſibus:

* Teſte Ariſtophanis Scholiaſte in Acharn. ſcenâ, ubi Dicæopolis, & Bœotus, colloquuntur.

† Dominæ quinquaginta Nereidum puellarum.

Πρέσ-

Digitized by Google

Πρέσβειρα * πεντήκοντα Κωπαΐδων κορῶν †.

* Maxima natu quinquaginta Copaidum virginum. † Apud Scholiastem est χορῶν. Sed rectum est κορᾶν pro κορῶν. Nam Bœotum inducit loquentem.

Vide plura de eo apud Scaligerum rei Poëticæ lib. III. cap. IX.

18. §. *Etiam ad feſtivitatem quandoque apud populum facit, ſi præter exſpectationem idem de eodem dicatur. Cujuſmodi non pauca apud Plautum.*

Ut Captivis in Prologo:

Hos quos videtis ſtare captivos duos,
Illi qui adſtant, hi ſtant ambo, non ſedent.

Item Curcul. act. IV. ſc. IV.

Quos homini Dii ſunt propitii, ei non iratos puto.

Et Sticho Act. I. ſc. II.

E malis multis, malum quod minimum eſt, id minimum eſt malum. Hujuſmodi apud eum plura invenias.

19. §. *Hæc ſi crebra ſint, lepôrem amittunt. Imò Terentius, cujus caſtigatiſſimum judicium fuit, ſalibus planè abſtinet.*

Nempe quia cum periculo ſint conjuncta, magiſque vulgo placeant, quàm eruditis.

20. §. *In ſalibus igitur, & jocis, magno opus delectu. Ac præcipuè videndum, ne ſint frigidi, vel obſceni.*

Utroque, ut dixi, Plautus gratior erat in ſcena. Quid mirum? Terentius in pretio eſſe ſtuduit apud Scipiones, Furios, ac ſimiles: à quibus etiam in ſcribendo adjutari credebatur. Plautus autem placere maluit populo penè univerſo, quàm paucis bonis. Itaque nec jocis abſtinet ſæpe frigidis, vel planè obſcenis. Sanè Horatio diſplicuiſſe, indicio ſunt illa in Arte:

At veſtri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere ſales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtultè mirati: ſi modo ego, & vos,
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto.

Terentius igitur eâ parte potiùs imitandus. Nam neque ita conſectatur, ut frigidus fiat: obſcenitatem verò refugit. Itaque etiam cùm ſuſpicio rei inverecundæ eſſet injicienda, verecundè tamen id facit. Ut in Andriâ *:

* Act. I. ſc. 5.

Ego illam vidi virginem, formâ bonâ
Memini videre: quò æquior ſum Pamphilo,
Si ſe illam in ſomnis, quam illum amplecti maluit.

21. §. *Exitus comœdiæ eſt ejuſmodi, ut triſtibus læta ſuccedant: cùm in tragœdia contrà ferè lætis rebus ſit triſtis exitus.*

Ut ex Diomede ſuperiùs † diximus: ac Iſidorus quoque tradit lib. VIII. Orig. cap. VII. Atque eò reſpexit Donatus ‡, cùm ait Homerum *Iliadem inſtar tragœdiæ, Odyſſeam ad imaginem comœdiæ feciſſe.* Nam Ilias deſinit in morte Hectoris, in quo Ilii vires erant: Odyſſea terminatur in Ulyſſis felici reditu. Et ſanè etiam Odyſſeæ ſtylus remiſſior, quàm Iliadis. Falli nihilominus Donatum, alibi oſtendimus. Porrò, quia hilaris eſſe comœdiæ exitus ſolet, eò *comœdice* dixerunt, pro *hilariter.* Ut Feſtus Pompejus oſtendit iſtoc Plautino: *Euge, bene adſtiti, & dulcè, & comœdicè.*

† Cap. 22. §. 4.
‡ Sive malis Euanthius, in Prolegomenis Terentianis.

22. §. *Nec tamen exiſtimandum, exitum comœdiæ nihil triſtitiæ admittere. Nam exitus vel ſimplex erat, vel duplex. Simplex erat lætus. Duplex verò, his quidem lætus, aliis verò triſtis.*

Cujus generis Ariſtophanis Plutus: ubi, quòd Pluto viſus reſtituitur, nocet ſycophantis, & prurientibus vetulis; prodeſt probis, & juſtis: interim & nocet ſacerdotibus, quia homines ditati pro divitiis non amplius offerrent ſacrificia. In Nubibus item vapulat Strepſiades à Philippide filio: item ab irato Strepſiade, famuloque ejus, ſchola Socratis evertitur, incenditur, diripitur. In Equitibus Agoracritus, ſeu Allantopola, imperium accipit, Cleon eo dejicitur. Etiam in Phormione ſcenâ ultimâ, nihil magis perculſum Chremete; propterea quòd à Phormione libidinis fiat reus apud uxorem Nauſiſtratam. Quæ tamen utcumque lenitur; ut indicio eſt, quòd etſi necdum ignoſcat marito, tamen judicium omne relinquat filio ſuo Phædriæ: quem arceſſi jubet.

CAP. XXV.

DE DICTIONE COMICA, AC METRO.

1. §. *Venio ad dictionem comicam: quæ bifariam conſideratur; communiter, ſive ratione elegantiæ; & particulatim, ſeu ratione dramatis. Si elegantiam ſpectes; apud Græcos Ariſtophanes, & alii veteris comœdiæ ſcriptores, magis Attici habebantur, quàm ſcriptores novæ comœdiæ; qualis Menander.*

Sanè Phrynichus Arabius, ſophiſta Bithynus, opere eo, quod de Atticorum verborum delectu ad Cornelianum ſcripſit, paſſim Menandrum culpat, tanquam minùs Atticè loquentem. Vixit autem Phrynichus ille Antonini, & Commodi tempore; cui etiam apparatum ſuum Oratorium conſecravit; ut ex Photio * conſtat. Julius quoque Pollux, qui Onomaſticon ſuum eidem Commodo dicavit, negat ſe Menandri verbis uſurum; niſi & ea apud alios invenerit, vel non ſuppetant vocabula apud alios, quæ idem ſignificent.

* Biblioth. codice. 158.

2. §. *Apud Latinos ſumma eſt venuſtas, & elegantia Terentii. Proximas Plautus obtinet; imò, Varronis judicio, primas.*

Multùm etiam ad Comicam dictionem accedit Atticarum noctium ſcriptor Agellius. Sed de tribus iſtis abunde diximus in Inſtitutionibus Oratoriis †.

† Lib. 4. cap. 1. ſect. 9.

3. §. *Sin dictionem attendamus ratione dramatis, ea apta eſt pro rebus: eoque neutiquam grandis, ut eſt Tragica; ſed contrà humilis, ſuavis, & mediocri ornatu contenta.*

Nempe parùm omnino diſtat dictio ab oratione ſolutâ; niſi quòd metro ſit illigata. Hinc Cicero in Orat. Perfecto: *Itaque video, viſum eſſe nonnullis, Platonis, & Democriti locutionem, etſi abſit à verſu, tamen, quòd incitatiùs feratur, & clariſſimis verborum luminibus utatur, potiùs poëma putandum, quàm Comicorum poëtarum: apud quos, niſi quòd verſiculi ſint, nihil eſt aliud quotidiani diſſimile ſermonis.* Etiam comicam, & tragicam dictionem, diſtinguit Strabo lib. I. Ἑτέρα φράσις ἡ ποιητική, καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ποιητικῇ ἡ τραγική, καὶ ἡ κωμική. *Diverſa eſt dictio poëtica; inque poëticâ ipſâ alia eſt tragica quàm comica.* Fabius lib. X. cap. II. *Nec comœdia in cothurnos aſſurgit: nec contra tragœdia ſocco ingreditur.* Unde lucem capit hoc Severi Sulpicii dial. I. cap. XX. *Audietis me tamen, ut Gurdonicum hominem, nihil cum ſocco, aut cothurno, loquentem.* Socco repoſui, ubi vulgò *fucco.* Nihil, inquit, Comicæ elegantiæ, aut Tragicæ amplitudinis.

4. §. *Nec tamen ita mediocritatem ſectari debet, ut non quandoque paullùm aſſurgat. Quod fieri ſolet in choris.*

Ut in quibus Dii invocarentur. Sanè Ariſtophanis dictio in choris ſublimior, quàm aliàs. Sed chori, jam Menandri ætate, deſiere in comœdia.

5. §. *Item in iratis locum habet.*

Digitized by Google

* Moſtell. † Adelph. ‡ Sat. 4. lib. 1.

Ut indicio eſt ſermo Theuropidis apud Plautum *, Demeæ apud Terentium †. Itaque Horatius ‡ primò quidem ſic objicientem inducit adverſarium:

Iccirco quidam, comœdia, necne poëma
Eſſet, quæſivere; quod acer ſpiritus, ac vis
Nec verbis, nec rebus ineſt; niſi quòd pede certo
Differt ſermoni ſermo merus.

Continuò autem his verbis reſpondet:

—— At pater ardens
Sævit, quòd meretrice nepos inſanit amicâ
Filius, uxorem grandi cum dote recuſet,
Ebrius &, magnum quòd dedecus, ambulet ante
Noctem cum facibus.

In Arte etiam ait:

Interdum tamen & vocem comœdia tollit,
Iratuſque Chremes tumido delitigat ore.

Nempe, ut ſubjicit:

—— verba decent iratum plena minarum.

† In Phorm. proleg.

Idem de aliis affectibus judicium eſto. Ut in Phormione Terentii: de quo ſic Donatus †: *Hæc proprie tota motoria eſt, & in affectibus conſtituta pene majoribus, quàm Comicus ſtylus poſceret: niſi quòd arte poëtæ omnia moderata ſunt.* Quod ſi hac parte peccemus, audire cogemur:

‡ Horat. in Arte.

—— quod ‡ acer ſpiritus, ac vis,
Nec verbis, nec rebus ineſt.

* Apud Donatum, vel potiùs Suetonium, in Terentii vita.

In quo quàm facilè peccetur, arguit; quòd neque Terentius ipſe hac parte ſatisfecerit caſtigatiſſimi judicii viro, Cajo Cæſari. Hoc iſta oſtendunt *:

Tu quoque tu in ſummis, ô dimidiate Menander,
Poneris, & meritò, puri ſermonis amator.
Lenibus atque utinam dictis adjuncta foret vis
Comica, & æquato virtus polleret honore
Cum Græcis: neque in hac deſpectus parte jaceres.
Unum hoc maceror, & doleo, tibi deeſſe Terenti.

* Græcè Latineque editæ Baſileæ an. 1560.

Hac ſanè parte videtur ſuperior Plautus; uti & varietate tum argumentorum, tum dictionis. Nam Plautus ſemper ſtudet eſſe novus, ſuique diſſimilis; ſeu rem ſpectes, ſeu verba. In Terentio verò magnopere conveniunt argumenta fabularum: & quando de eadem re, aut ſimili, eſt ſermo, plurimùm nec abſimilis eſt dictio.

6. §. *Sententiæ in Comœdia ſunt rariores, ac vix aliæ, quàm pertinentes ad vitam quotidianam, & in frequentiori uſu poſitæ; ut ſunt proverbia.*

‡ Græcè Latineque editæ Baſileæ an. 1560.

Hoc ſatis liquet, non ex Comicis modò Latinis, ac Ariſtophane: ſed etiam quinquaginta deperditis: quorum γνώμας collegit Jacobus Hertelius ‡ Curienſis, Nariſcus.

7. §. *In comœdiis uſi carmine Jambico, quia vetus comœdia eſt orta ab jambographis: qui ſolent* ἰαμβίζειν, *hoc eſt, conviciari.*

* Lib. de Poëtica cap. 4.

Sanè cùm antiquitus eſſent, tum epici, qui hexametro tractarent res grandes; tum jambici, qui jambis conviciarentur: ex epicis quidem nata eſt tragœdia; quæ iccirco itidem res graves tractat: ex jambographis autem nata eſt comœdia vetus; quæ, reſervato eodem carminis genere itidem conviciari amabat. Ariſtoteles *: Οἱ δ' ἐφ' ἑκατέραν τὴν ποίησιν ὁρμῶντες κατὰ τὴν οἰκείαν φύσιν, οἱ μὲν ἀντὶ τῶν ἰάμβων, κωμῳδοποιοὶ ἐγίνοντο· οἱ δὲ ἀντὶ τῶν ἐπῶν, τραγῳδοδιδάσκαλοι. *Cùm verò ad alterutram poëſin quiſque pro naturâ, atque indole, ferretur; alii quidem pro jambis, comicam; alii, pro epico carmine, tragicam amplexi ſunt poëſin.* Hujus rei exemplum habemus in Cratete, Athenienſi Comico. Qui, ut Ariſtoteles ait, priùs jambographus fuit: poſtea verò ad comœdiam ſcribendam animum appulit. Et certè conveniunt jambici, & comici, in conviciis: differunt autem, quòd jambicus poëta non imitetur, cùm maledicit: comicus autem imitetur.

8. §. *Altera etiam ratio eſt, quia in ſermone familiari maximè intercurrunt jambici.*

* Lib. de Poëtica cap. 4.

Unde Ariſtoteles *: Μάλιστα λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστι, *è metris ſermoni maximè idoneum eſt jambicum.* Nempe jambicos verſus crebrò effundimus ignari: hexametros autem rarò admodum. Cicero in Oratore: *Sequitur ergo, ut, qui maximè cadant in orationem aptam numeri, videndum ſit. Sunt enim, qui jambicum putent, quod ſit orationi ſimillimus; quâ de cauſſa fieri, ut is potiſſimùm propter ſimilitudinis veritatem adhibeatur in fabulis, quòd ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiæ ſit accommodatior.*

9. §. *Utuntur Comici non dimetro modo, & trimetro; ſed & tetrametro.*

Quod reperit Boiſcus. Unde apud Rufinum libro de metris Comicis:

Tetrametros ſequitur, quos finxerat ille Boiſcus.

Subjicit deinde exemplum tale:

Mirabor † hoc ſi ſic abiret, & heri ſemper-lenitas.

† Ter. Andr. cap. 1. ſc. 1.

Aliquanto item pòſt de eodem ait:

Tetrametrum primus fertur poſuiſſe Boiſcus.

Suſpicetur aliquis pro *Boiſcus* legendum *Vopiſcus*: ut intelligatur Julius Cæſar Vopiſcus, qui tragœdiæ ſcriptor fuit, ac *Strabo* etiam, & *Seſquiculus* dictus; teſte Mario Victorino libro de Orthographiâ. Verùm obſtat, quòd hic Boiſcus non Romanus, ſed Cyzicenus fuit. Uti oſtendit epigramma de eo, quod ex Herodoto Rufinus adducit:

Βοΐσκος ὁ ἀπὸ Κυζίκου ‡ παντὸς γραφεὺς ποιήματος
Τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον Φοίβῳ τίθησι δῶρον.

‡ Vel ὑπό.

Boiſcus iſte Cyzicenus, ſcriptor omnis carminis,
Verſus pedum octo repperit, Phœboque dedicavit.

Prior verſus eſt acatalecticus, alter catalecticus: quo & ipſo Comici gaudent.

10. §. *Metrum in comœdia optimum, quod proximè accedit ad orationem ſolutam. Atque ea eſt cauſſa, cur in trimetro quinque prioribus ſedibus pro jambo, aut ſpondeo, etiam receperint, non tribrachyn modò; ſed & dactylum, & anapæſtum.*

* Non admodum ſtudiosè conſectari commodulationem: ſive parum ad metri rationem attendere.
† In Tarviſina vetere pro egerunt, eſt uſi ſint.
‡ Ter. Eunucho act. 1. ſc. 1.
‡ In cauda, ſive extremâ ſede, mutilus, ac imminutus.

Cicero in Orat. Perf. *At Comicorum ſenarii, propter ſimilitudinem ſermonis, ſic ſæpe ſunt abjecti; ut nonnunquam vix in his numerus, & verſus, intelligi poſſit.* Jure igitur Hephæſtion ait, Comicos κωλίαν * ἀντιποιεῖσθαι τῆς συμμετρίας. Cujus cauſſam ibidem legere eſt. Nec exemtus Terentius. Imò, ut Grammaticus antiquus in Prolegomenis Terentianis ait, *etſi veteres ipſi quoque in metris negligentiùs egerunt †, jambici verſûs duntaxat in ſecundo, & quarto loco: tamen à Terentio vincuntur reſolutione hujus metri, quantum poteſt, comminuti ad imaginem proſæ orationis.* Ut in illo ‡:

Excluſit: revocat. redeam? non, ſi me obſecret.

Et verſus tamen, ſi penultimam producas, ſit hexameter ſpondiacus.

Sic proſæ ſimillimus, & tamen hexameter μείουρος ‡ eſt iſte:

Tres unam pereunt adoleſcentes mulierem.

11. §. *Imò & Creticum admittere videtur.*

Quod planè mirum, cùm videatur alienus eſſe ab jambico. Nam carmen quidem hoc naturâ ſuâ jambum habet; ſed, ut in Arte ait Horatius, quia is eſt pes citus, eò etiam ſpondeum admiſit: jambus autem reſolvitur in tribrachyn: ſpondeus in dactylum, vel anapæſtum: at neuter in Creticum, ubi quinque tempora, contrà quàm in

ſpondeo

ſpondeo fit; qui quatuor ſolùm temporum. Ut Creticus non videatur cogi poſſe in jambicum. Aliter tamen cenſet Rufinus: apud quem legas:

Creticon Archilochus ſupra caput addit jambi.

Item poſtea:

Creticon Archilochus trimetro ſuperaddidit ingens.

Eadem mens Julii Scaligeri in Epinomide. Sed diſſentit Joachimus Camerarius, tum libro de carmine Comico; tum etiam in Problematis ſuis. Arbitratur ille, ubicunque Creticus videtur, olim ibi unâ minùs ſyllabâ fuiſſe enunciatum. Ut *meus*, quaſi *mus*, *voluptas*, quaſi *vluptas*; *apparandi*, quaſi *apprandi*. Ut in illo Terentii * ſenario:

Student facere, in apparando conſumunt diem.

* Adelph. act. 3. ſc. 7.

Atque ita in aliis. Quædam tamen loca incidunt, de quibus id difficile ſit dicere. Quare nolim de eo ulli litem movere. Videntur autem & Comici quandoque σκάζοντα † uſurpâſſe. Nam Titinnii ſunt in Barbato ‡:

Phrygio fui primò, beneque id opus ſcivi:
Reliqui id opus, aciaſque hero, atque heræ noſtræ.

Niſi potiùs ſic digeſſerat Titinnius:

—— Phrygio fui primò, beneque id opus
Sivi: reliqui id opus, aciaſque, hero, atque heræ
Noſtræ.

Atque id verius cenſeo.

† Jambicum claudicantem.
‡ Apud Nonium in Phrygio.

12. §. *Pro jambico quandoque etiam utuntur trochaico: videlicet, quia temporis intervallo ἰσοδυναμεῖ * jambico.*

* Parem vim habet.

Atque hîc quoque eadem libertas, ac in jambico. Nam admittit pedes omnes paris intervalli, jambo excepto: quem non minùs refugit, quàm trochæum verſus jambicus. Etiam Creticus hîc habere locum videtur. Ut Amphit. Act. I. Sc. III:

Sed ubi ſummus imperator non adeſt ad exercitum,
Citiùs, quod non facto eſt uſus, fit, quam quod facto'ſt opus.

Priori enim verſu quintum pedem conſtituunt *eſt ad ex.* Niſi, primâ vocali in *exercitum* abſorptâ, prima ejus vocis ſyllaba ſonuerit, ut in *Xerxes.*

13. §. *Eſtque tam in trochaico, quàm jambico, major Latinorum licentia, quàm Græcorum: ſive inertiâ id factum ſit, ſive judicio, ne dictio nimis aſſurgeret.*

Imò & Comici Latini, licet refugiant heroicos, pentametros, phalæcios, & ſimiles: ignari tamen in eos interdum incidunt. Ita Plautus in verſibus quadratis catalecticis, & hypercatalecticis, heroicos habet Trinummo Sc. Salſipotenti:

Sat ſcio in alto diſtraxiſſent, diſque tuliſſent.

Et mox:

Fluctus, atque procellæ, infenſæ frangere malum.

Item Rudente Act. IV. ſc. III. tres habes Adonios, vel unum hexametrum:

Quiſquis es, audi; furtum ego vidi, qui faciebat.

Etiam Trinummo Act. IV. ſc. III. Phalæcium legas:

Quin tu, quod periit, periiſſe ducis?

Uti & Moſtell. Act. II. ſc. I:

Nec ſumtus ibi ſumtui eſſe ducunt.

Apud Terentium Eun. Act. II. ſc. I. eſt iſte pentameter:

Ejicienda hercle hæc mollicies animi.

Cujuſmodi oſtendunt, quanta Comicorum fuerit Latinorum in jambicis, & trochaicis, licentia. Vide quæ de Comicis dimenſionibus ſcripſere Cæſar Scaliger, Goveanus, Glareanus, Camerarius, alii.

Cap. XXVI.

De comoediæ partibus accessoriis.

1. §. *Cùm partes comœdiæ, vel primariæ ſint, vel acceſſoriæ: de prioribus liquet ex iis: quæ de fabulæ conſtitutione dicebamus. Acceſſoriæ ſunt prologus, chorus, mimus, & canticum.*

Addit iis Scaliger * ἀργυρίων, ſeu argumentum, quo breviter recitatur ſumma totius fabulæ. Sed ea nihil Comico opus: neque Terentius, ſed Sulpicius Apollinaris, periochas iſtas Comico præmiſit. Idem Scaliger † canticum omiſit: quod cur addamus, poſtea meliùs patebit.

*Lib. I. de re Poëtica cap. 9.
† Ibid.

2. §. *Prologus eſt oratio, quæ ad ſpectatores ante legitimam fabulam habetur.*

Hôc nec Latini, nec Græci Tragici utuntur. Nec tamen puto, impediat quicquam, quo minùs imitari hac parte liceat Comicorum exemplum. Cur enim non iis æquè, ac Comicis, fas ſit commendare perſonam poëtæ? aut ad parandam benevolentiam, & attentionem, fabulæ exponere argumentum; hodie inprimis, quibus non ita notæ antiquorum fabulæ?

3. §. *In veteri fabulâ hujus uſum implebat παρέβασις ‡. Sed loco differt; quia hæc in medio ponebatur, prologus initio.*

Παρέβασις erat chori propria: atque ita dicebatur, cùm à propria materia ad ſpectatores converteret orationem.

‡ Tranſgreſſio, ſive digreſſio extra fabulæ argumentum.

4. §. *Quandoque &, apud vetuſtiores è Latinis, prologus eſt poſt particulam legitimæ fabulæ.*

Donatus in proleg. Phorm. *Prologus correptè ἀπὸ τοῦ προλέγειν dicitur, non productè ἀπὸ τοῦ πρωτολογεῖν. nam officium prologi ante actionem quidem rei ſemper eſt: verumtamen & poſt principium fabulæ inducitur: ut apud Plautum in Milite Glorioſo, & apud cæteros magnæ auctoritatis veteres poëtas.*

5. §. *Perſona, quæ prologum dicit, interdum eſt extra fabulam; interdum ad eam pertinet. Prius fit in prologo ſeparato. Qui quadruplex eſt, συστατικός, ἀναφορικός, ὑποθετικός, & μικτός.*

Donato * dicuntur *commendaticius*, *relativus*, *argumentativus*, *mixtus*. Sed perperam ὑποθετικὸν vertit *argumentativum*, cùm ὑπόθεσις *argumentum* ſignet, non *argumentationem*: quæ plurimùm differunt; ut è Logicis notum. Atque hoc in Donato etiam à Cæſare Scaligero reprehenſum. Sed quid, ſi neque hoc Donatus neſcierit: verùm ut ὑπόθεσις eſt *argumentum*, ſic ὑποθετικὸν novè reddiderit *argumentivum*: quia lingua Latina aliud nihil habet, niſi lubeat περιφράζειν †.

* Vel Evanthio, prolegomenis in Terent.
† Circuitione uti.

6. §. Συστατικὸς ‡ *eſt, quo fabula, vel poëta, commendatur:* ἀναφορικὸς *, *quo aut adverſario maledicta, aut gratia populo referuntur:* ὑποθετικὸς † *fabulæ argumentum exponit:* μικτὸς ‡ *plura horum, vel omnia in ſe continet.*

‡ Commendaticius.
* Relativus, ſive regerens.
† Argumentum narrans.
‡ Mixtus.

Verba ſunt Donati: præterquam quod μικτὸν imperfectè definiat, *qui omnia in ſe continet.* Nam & μικτὸς erit, ſi partim ſit συστατικός, partim ἀναφορικός: aut duo alia genera jungantur. Συστατικὸς eſt in Hecyra; ἀναφορικὸς in Andria; ὑποθετικὸς in Aulularia; μικτὸς in Caſina. Maximè autem Plautus amat ὑποθετικούς.

7. §. Al-

7. §. *Alterum prologi genus eſt conjunctum cum fabula; & à perſona recitatur ad fabulam pertinente.*

Unde ſuperiùs non ἁπλῶς * diximus, prologum eſſe orationem ante fabulam; ſed ante legitimam fabulam. In Amphitryone enim prologum dicit Mercurius; qui & bonam agit fabulæ partem.

** Simpliciter.*

8. §. *Prologus plurimùm eſt μονοπρόσωπος* †: *interdum & διπρόσωπος* ‡.

† Unius perſonæ. *‡ Duarum perſonarum.*

Μονοπρόσωπος eſt in Aulularia; ubi loquitur Lar familiaris; ut in Rudente, Arcturus. Διπρόσωπος eſt in Trinummo; ubi propter nequitiam adoleſcentis Leſbonici loquentes inducit Luxuriam, ejuſque filiam Inopiam.

9. §. *Conſtabat chorus apud Græcos hominibus* XXIV.

Teſtis Pollux lib. IV. cap. XV, & Anonymus Græcus in Ariſtophanis vita.

10. §. *Chorus ſe ad hiſtriones convertebat: vel, iis abſentibus, ad populum.*

Pleniùs de tota hac re vetus Grammaticus in prolegomenis Ariſtophanis: Ὁ χορὸς ὁ Κωμικὸς εἰσήγετο ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ, τῷ νῦν λεγομένῳ λογείῳ. καὶ ὅτε μὲν πρὸς τοὺς ὑποκριτὰς διελέγετο, πρὸς τὴν σκηνὴν ἀφεώρα. ὅτε δὲ ἀπελθόντων τῶν ὑποκριτῶν τοὺς ἀναπαίστους διεξῄει, πρὸς τὸν δῆμον ἀπεστρέφετο. καὶ τοῦτο ἐκαλεῖτο στροφή. ἦν δὲ τὰ ἰαμβεῖα τετράμετρα. εἶτα τὴν ἀντίστροφον προσᾴδοντες, πάλιν τετράμετρα ἐπέλεγον, εἰς ὧν στίχος. ἦν δὲ ἐπὶ τὸ πλεῖστον ις. ἐκαλεῖτο δὲ ταῦτα ἐπιῤῥήματα. ἡ δὲ ὅλη περίοδος τοῦ χοροῦ ἐκαλεῖτο παράβασις. *Inducebatur chorus Comicus in orcheſtram, qui nunc Logion dicitur. Ac cùm ille hiſtriones alloqueretur, ſcenam ſpectabat. At cùm hiſtriones receſſiſſent, & anapæſtos recitabat ad populum, convertebatur, & dicebatur Strophe. Erant autem * jambi octonarii. Tum Antiſtrophen accinentes, rurſum jambicis dicebant, ut eſſet verſus unius generis. Erantque ſummum verſus* XVI. *Vocabantur autem epirrhemata, q. d. adverbia. Totus verò chori tranſitus dicebatur parabaſis.*

** Priùs quidem fuere anapæſti, ut antea dictum: ſed poſtea, ut hîc memoratur, obtinuere jambici tetrametri.*

11. §. *Comœdia vetus non ſemper habuit chorum.*

Ut liquet ex Ariſtophanis Pluto: quæ ἐστέρηται τῶν χορῶν †, ut veteres ‡ monent. Idem tradunt de ejus Æoloſicone, fabulâ Hephæſtioni, & Suidæ, ſemel iterumque Athenæo, perſæpe autem Polluci memoratâ.

† Caruit choro. *‡ In Ariſtophanis prolegomenis.*

12. §. *Caruere & eo novi Comici.*

Ut Menander, & alii.

13. §. *Hos Latini ſunt ſecuti; ſublatoque ab iis choro, mimi ſunt inducti.*

Mimi verò, & ſignificantiùs pantomimi vocabantur, quia geſticulatione omnia imitarentur.

14. §. *Poſtea verò & mimi in comœdiis omiſſi, ac per ſe poëma juſtum, & ſegregum, conſtituerunt. Ac tum eorum in locum cantica ſucceſſere; hoc eſt, poſt ſingulos actus tibiis paribus, vel imparibus, canebatur.*

Hinc Diomedes *: *Membra comœdiarum tria; diverbium, canticum, chorus.* Subjungit mox de ſingulis ea, quæ alibi adducimus. Mimos verò priùs partem fuiſſe comœdiæ, inque eorum locum cantica eſſe ſurrogata, auctor eſt Suetonius; cujus verba apponam, cùm de Mimis agetur.

** Lib. 3. cap. de poematis generibus*

15. §. *Ultima hæc verba*, valete, & plaudite, *non ab actorum aliquo, ſed à cantore, vel alio dicuntur; ne parum ſeriò res acta videatur, ſi actores ipſi populum compellent.*

Hinc Horatius in Arte:

—— *Donec cantor, vos plaudite dicat.*

Apud Plautum, grex ea verba profert. Ait Jo. Anton. Viperanus †, Calliopium hæc dixiſſe, cùm agerentur fabulæ Terentianæ; ſed fallitur. Eſt enim id nomen Critici ejus, qui Terentii fabulas recenſuit.

† Lib. 2. de Poëtica cap. 15.

Cap. XXVII.

De variis comœdiæ formis, ac convenienti nominis impoſitione.

Hactenus egimus de comœdiæ formâ uſitatiori: præſertim illâ palliata Latinorum; qualis Plauti, & Terentii. Nunc aliqua etiam de formis adjungam cæteris.

1. §. *Comœdia Græcorum pro ætatibus dividitur in veterem, mediam, novam.*

Auctor præter Latinos Platonius περὶ διαφορᾶς τῶν περ' Ἕλλησι κωμῳδιῶν *: qui & accuratè de iis ſcribit. Habes in iis, quæ Græcis in Ariſtophanem ſcholiis præmittuntur.

** De differentiis comœdiarum apud Græcos.*

2. §. *Comœdia vetus eſt bipartita. Una antiquior, cujus nihil ſupereſt. Hæc auctorem habet Epicharmum Siculum; qui partim ante, partim belli Perſici tempore floruit.*

Quod non mirandum, quia annis vixit XCVII; ut eſt apud Lucianum in Macrobiis.

3. §. *Comœdia hæc rudis erat, & inculta. Gaudebat interim ſententiis: plenaque frugis erat; ſed innoxia. Jocos enim adſpergebat; ſed abſque felle: ut quæ Margitem Homeri ſequeretur.*

Ad hanc à Diomede referuntur tres illi; Magnes, qui perperam aliquibus *Machnes:* Mullus, qui aliquibus *Rullus:* & Suſarion, ſive Siſarion: de quibus ſuperiùs ‡ aliquid diximus. Malim autem medium illorum *Mullum* vocare: quia *Rullus* non ſit Græcum nomen, ſed Romanum, à *runula*; ut ab *una unula*, *ulla*. Runa teli genus, teſte Feſto; unde Ennius, *runata receſſit*. Ubi *runata*, eſt *pilata*; pro quo *praliata* malè eſt apud Iſidorum in Gloſſis, & Papiam. Qui Diomedi *Suſarion*, Clementi Σισαρίων, is incerto ſcriptori in Prolegomenis Ariſtophanis vocatur Σαννυρίων. Hic, ut ibidem legas, τὰ πρόσωπα εἰσῆγεν ἀτάκτως, καὶ μόνος ἦν γέλως τὸ κατασκευαζόμενον. *perſonas induxit inordinate, & ſolum riſui ſtudebat.* Unde ſatis videmus, abfuiſſe ab ea διασυρτικὸν, καὶ σκωπτικὸν εἶδος *. Neminem enim perſtringebat.

‡ Cap. 23. § 4.

** Genus dicendi, falſis dictis, ac ſcommatis illudens.*

4. §. *Exinde ſecuta eſt comœdia aliorum gaudens notâ, ac opprobrio. Hæc viguit temporibus belli Peloponneſiaci. Ac κατ' ἐξοχὴν* vetus comœdia *dicebatur. Eam excoluere Eupolis, & Cratinus: quorum hic actibus eam ſuis diſtinxit.*

Idem: Ὁ Κρατῖνος κατέστησε μὲν πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν, στήσας τὴν ἀταξίαν, καὶ τῷ χαρίεντι τῆς κωμῳδίας, τὸ ὠφέλιμον προσέθηκε, τοὺς κακῶς πράττοντας διαβάλλων, καὶ ὥσπερ δημοσίᾳ μάστιγι τῇ κωμῳδίᾳ κολάζων. *Cratinus primus in comœdia perſonas*

Digitized by Google

ſonas conſtituit, uſque ad ternas; atque ita effecit, ut minùs omnia eſſent inordinata. Idem jucundo addidit utile, exagitando malos, & eos caſtigando quaſi publico flagello.

5. §. *Ariſtophanes verò extremam manum appoſuit.*

Quod idem ille grammaticus teſtatur. Apud Platonium quoque legas, cùm Eupolis ſtuduiſſet delectationi; Cratinus verò in exagitando eſſet nimius; Ariſtophanem mediam iniiſſe viam. Οὔτε γὰρ πικρὸς λίαν ἐστὶν, ὥσπερ ὁ Κρατῖνος· οὔτε χαρίεις, ὥσπερ ὁ Εὔπολις· ἀλλ᾽ ἔχει καὶ πρὸς τοὺς ἁμαρτάνοντας τὸ σφοδρὸν τοῦ Κρατίνου, καὶ τὸ τοῦ ἐπιτρέχοντος χάριτος Εὐπόλιδος. *Nec enim admodum eſt acerbus, ut Cratinus: nec gratia illi ineſt, quam Eupolis habet: ſed in delinquentes ineſt ei vehementia Cratini, & in breviter quoque percurrendo gratia Eupolidis.*

6. §. *Mordaciſſima vetus hæc comœdia erat, & nonnunquam obſcena. Quibus ad ſatyricam acceſſit poëſin. Quin nominatim etiam perſtringebat vitam, moreſque primatum; quo nihil auribus popelli jucundius, acceptiuſque, eſſe poterat.*

Ita Ariſtophanes exagitat Cleonem, Braſidam, Lamachum, alios. De hac vexatione ſic ſcribit Horatius lib. I. Sat. IV.

> *Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſque, poëtæ,*
> *Atque alii, quorum comœdia priſca virorum eſt;*
> *Siquis erat dignus deſcribi, quòd malus, aut fur,*
> *Quòd mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui*
> *Famoſus; multâ cum libertate notabant.*

Hunc nominatim perſtringendi morem probat Donatus, ſive Euanthius *. Nam, ejus ſententiâ, *moribus multum profuit civitatis; cùm unuſquiſque caveret culpâ, ne ſpectaculo ceteris eſſet, & domeſtico probro.* Rectè fortaſſe, ſi probis pepercíſſent: uti Pericli, & Ariſtidi: item Socrati, & Euripidi; quorum illum in Nebulis, hunc in Equitibus, Ariſtophanes traducit. Eâ de re ſic M. Tullius lib. IV. de Rep. † *Quem illa* (comœdia vetus) *non attigit, vel potius, quem non vexavit? cui pepercit? Eſto. populares homines, improbos, in Rempublicam ſeditioſos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum læſit. Patiamur. Etſi hujuſmodi cives à cenſore meliùs eſt, quàm à poëta notari. Sed Periclem, cùm jam ſuæ civitati maximâ auctoritate plurimos annos domi, & belli, præfuiſſet, violari verſibus, & eos agi in ſcena, non plus decuit, quam ſi Plautus noſter voluiſſet, aut Nævius, P. & Cn. Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni maledicere.*

* In prolegomenis Terentianis.

† Apud Auguſtinum lib. 4. de Civit. Dei cap. 9.

Neque toti populo peperciſſe, arguunt convicia illa; ut cùm eum vocaret δῆμον πυκνίτην, *populum in Pnycen, qui concionis locus, adſiduè confluentem:* item δύσκολον γερόντιον, καὶ ὑπόκωφον, *ſenecionem difficilem, & ſurdaſtrum.*

7. §. *Cùm verò triginta tyranni impoſiti eſſent Athenienſium civitati, ſublata eſt hæc maledicentia, lege latâ, quâ cunctis in ſcena injuriâ affectis poëtam liceret in jus vocare.*

Nempe, dum Athenis δημοκρατία ‡ obtineret, impune à poëtis primores civitatis vexabantur. Imò & voluptatem inde populus capiebat; quia naturâ invidus eſt erga eos, qui plus poſſunt. At rebus populi attritis, imperioque paucorum commiſſo poteſtati; immane quantum poëtarum compeſcebatur licentia. Nam, ut ajebat ille, periculoſum erat in eum ſcribere, qui poterat proſcribere. Ab his lex propoſita fuit, ne quis proponeret carmen infame. Quod æquis animis acceptum, quia & læderent plures bonos. Hinc Horatius in Arte:

‡ Popularis ſtatus.

> *Succeſſit vetus his comœdia non ſine multâ*
> *Laude: ſed in vitium libertas excidit, & vim*
> *Dignam lege regi: lex eſt accepta, choruſque*
> *Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.*

Item Donatus, vel Euanthius: *Sed cum poëta abuti licentius ſtylo, & paſſim lædere ex libidine cœpiſſent plures bonos: ne quiſquam in alterum carmen infame proponeret lege latâ, ſiluere.* Quæ lex quàm juſta fuerit, argumento eſt, quòd etiam placuerit Romanis. Cicero lib. IV. de Republ. † *Noſtra contrà XII. tabulæ, cùm perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt:* SI QUIS OCCENTAVISSET, ACTITAVISSET, SIVE CARMEN CONDIDISSET, QUOD INFAMIAM FACERET, FLAGITIUMVE, ALTERI. *Præclarè. Judiciis enim, ac Magiſtratuum diſceptationibus legitimis, propoſitam vitam, non poëtarum ingeniis, habere debemus: nec probrum audire, niſi eâ lege, ut reſpondere liceat, & judicio defendere.* Meminit quoque hujus legis Arnobius lib. IV. *Carmen malum conſcribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, Decemviralibus ſcitis evadere noluiſtis impune.* Poſtea fuſtuarii pœna decreta. Unde Horat. epiſt. ad Auguſtum:

† Apud Auguſtinum lib. 2. de Civitate Dei cap. 9.

> —— *Quin etiam lex,*
> *Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam*
> *Deſcribi. Vertêre modum formidine fuſtis.*

Ubi Porphyrio: *Ideo, quia fuſtuarium ſupplicium conſtitutum erat in auctorem carminum infamium.* Etiam apud Cornutum eſt in Perſii ſat. I. *Lege XII. Tabul. cautum eſſe, ut fuſtibus feriretur, qui publicè invehebatur.* Tandem non alia, quàm infamiæ pœna fuit: de qua L. V. §. IX. & X. D. de injur.

8. §. *Ob eandem cauſſam non licuit Athenis fabulam dare populo, niſi prius judicâſſet magiſtratus, ejuſmodi eſſe, quæ nec legibus repugnaret, nec mores corrumperet.*

Eò reſpicit Plato libro VII. de Legibus *: Νῦν οὖν, ὦ παῖδες μαλακῶν Μουσῶν ἔκγονοι, ἐπιδείξαντες τοῖς ἄρχουσι πρῶτον τὰς ὑμετέρας παρὰ τὰς ἡμετέρας ᾠδὰς, ἂν μὲν τὰ αὐτά γε, ἢ καὶ βελτίω παρ᾽ ὑμῶν φαίνηται λεγόμενα, δώσομεν ὑμῖν χορόν· εἰ δὲ μὴ, ὦ φίλοι, οὐκ ἄν ποτε δυναίμεθα. *Nunc igitur, ô pueri prognati mollibus Muſis, ubi priùs oſtenderitis magiſtratibus cantiones veſtras, ut comparentur cum noſtris; ſi ea noſtris videbuntur meliores, tum demum vobis chorum dabimus: ſin minùs, amici, nequaquam id facere poterimus.* Idem Plato in IX. de Legibus † ſic ſcribit: Ποιητῇ δὲ κωμῳδίας, ἢ τινὸς ἰάμβων, ἢ μουσῶν μελῳδίας, μὴ ἐξέστω μήτε λόγῳ, μήτε εἰκόνι, μήτε θυμῷ, μήτε ἄνευ θυμοῦ, μηδαμῶς μηδένα τῶν πολιτῶν κωμῳδεῖν. Ἐὰν δέ τις ἀπειθῇ, τοὺς ἀθλοθέτας ἐξείργειν ἐκ τῆς χώρας τὸ παράπαν αὐθημερόν· ἢ ζημιοῦσθαι μναῖς τρισὶν, ἱεραῖς τοῦ Θεοῦ, οὗ ἂν ὁ ἀγὼν ᾖ. *Poëtæ Comico, vel Jambico, aut muſicæ melodiæ auctori, nec ſermone, nec imagine, ſive perſonâ, fas eſto ullius civium famæ detrahere; ſive hoc faciat per iram, ſive citra eam. Siquis ſecus faxit, eum athlothetæ eopſe die theatro exterminent: vel tribus mulctent minis; quæ conſecrentur Deo illi, cui ſacrum eſt certamen.*

* Tom. 2. pag. 817. edit. H. Steph.

† Pag. 935 ejuſdem edit. Steph.

9. §. *Magnum etiam terrorem injecit poëtis, quòd peſſimè ſua libertas ceſſiſſet Eupolidi.*

Nam ab Alcibiade, & aliis, mari ſubmerſus fuit, ut imitaretur nomen fabulæ ſuæ, quam Baptas inſcripſerat. Auctor præter alios, Platonius. Signari ab Ovidio putatur hoc verſu in Ibin:

> *Comicus ut liquidis periit, dum nabat, in undis.*

10. §. *Itaque potentiorum metus fecit, ut tolleretur chorus; in quo regnare inprimis maledicentia ſolet. Proque choro ſucceſſere παρεκβάσεις ‡, in quibus dicta, aut ſcripta poëtarum cavillarentur. Ceteros non apertè, ſed modeſtè, verecundeque, reprehendebant. Vitia enim civium univerſè perſtringebantur; nominibus verò parcebatur. Vel ſi unum aliquem ſignifica-*

‡ Digreſſiones.

*gnificarent, id fiebat ἐν αἰνίγμασι *. Atque hæc eſt Comœdia, quæ, poſt inventam tertiam, Media dicta eſt; vetere poſterior, antiquior novâ, ſed veteris ſimilior.*

* Obſcurè, & velut per ænigma.

In poëtis mediæ hujus comœdiæ maximum Athenis nomen fuit Philiſci, & Stephani: ut eſt in Prolegomenis Ariſtophanis. Alii ejus principem faciunt Platonem Comicum. Hi nominatim neminem perſtringebant, niſi ſuæ profeſſionis homines: quod per alios illis licebat. Hoc unum igitur ex veteri retinuere comœdia. Nam idem in ea factum erat. Quomodo Cratini Ὀδυσσεῖς † continebant διασυρμὸν ‡ Odyſſeæ Homericæ; ut ait Platonius.

† Ulyſſes. ‡ Irriſionem falſam.

11. §. *Poſtea etiam, inprimis regnante Alexandro M. ſiqua in vitia civium dicebantur; utcumque nominibus abſtineretur, potentiorum tamen ſuſpicio erat, ea in ſe dicta eſſe. Ita comœdia omnem reprehendendi poteſtatem amiſit: ortaque νέα κωμῳδία *: quæ ficto uſa eſt argumento; proque choris prologum aſſumſit.*

* Nova comœdia.

De hoc ita Donatus, ſive Euanthius †: Τὴν νέαν κωμῳδίαν, *hoc eſt, novam comœdiam, reperere poëtæ: quæ argumento communi magis, & generaliter ad omnes homines, qui mediocribus fortunis agunt, pertineret; & minùs amaritudinis ſpectatoribus, & eâdem operâ multum delectationis adferret.* In hâc comœdiâ Athenis præcipuum nomen fuit Philemonis, Menandri, Diphili, Philippidis, Poſidippi, & Apollodori: quo ordine hi recenſentur in Ariſtophanis prolegomenis Græcis. Sed omnium judicio maxima fuit gloria Menandri. Cui tamen ad novam comœdiam Cocalo ſuo præiverat Ariſtophanes. Ea in fabulâ minor erat amarities dicendi, & conviciandi licentia. Habuit ea prologum, rem novam; ſed choros omiſit. Nempe cùm primùm comœdia nihil eſſet, niſi chorus; poſtea perſonarum numerus acceſſit. Poſteaque perſonarum quidem numerus remanſit: at chorus eſt ſublatus. Ita primùm chorus fuit ſine perſonarum numero: poſtea perſonarum numerus ſine choro.

† In Prolegomenis Terentianis.

12. §. *Comœdia hæc nova multimodis differt à veteri. Nam ſumit vetus ſæpiùs argumenta vera; hæc ſemper ficta: illa eſt maledica; hæc aliquando quidem aculeos habet, ſed ſine cujuſquam contumelia. Nec eadem eſt partium, & actuum diſtinctio. Vetus quoque varia miſcet carminum genera; nova ſolùm jambicis, aut trochaicis, utitur. Denique nova ſtylo uſa eſt elegantiori & magis æquabili, quam vetus: cujus dictio ut grandior, ita minùs æquabilis.*

De poſtremo hoc ſic Grammaticus incertus περὶ κωμῳδίας in Ariſtoph. prolegom. Ἡ μὲν νέα τὸ σαφέστερον ἔχει τῇ νέᾳ κεχρημένη Ἀτθίδι· ἡ δὲ παλαιὰ, τὸ δεινὸν, καὶ ὑψηλὸν τοῦ λέγειν. *Comœdia nova majorem habet perſpicuitatem; quia ſermone utitur Attico. Vetus autem comœdia majorem habet acerbitatem, ac ſublimiorem dictionem.* Hoc inter alia movit Plutarchum, ut Menandri etiam dictionem tantopere præferat Ariſtophanicæ. Sed in Ariſtophane premendo non tenuit vir ſummus modum: credo amore Socratis, quem in Anyti, & Melyti gratiam, ſceleſtè apud plebem traduxerat Ariſtophanes.

13. §. *Ex triplici hac comœdia, Romani novam imitabantur. Eratque comœdia horum duplex, pro duplici argumento: alia palliata, ſive argumenti Græci; alia togata, ſive argumenti Romani.*

In priori hiſtriones palliati incedebant, more Græco: in alterâ togati, more Romano. Sed de hac diſtributione dictum ſuperius *, cùm generatim de dramate ageretur.

* Cap. 7. §. 2.

14. §. *Alia etiam Romanæ comœdiæ diviſio eſt in ſtatarias, motorias, & mixtas. In prima res ſunt quietiores; in altera magis turbulentæ; in tertia utrumque concurrit.*

Donatus in prolog. Adelph. *Duo agendi ſunt principales modi; motorius, & ſtatarius: ex quibus ille tertius naſcitur, qui dicitur* μικτὸς †. Idem, vel Euanthius, in prolegom. Terent. *Comœdiæ aut motoriæ ſunt, aut ſtatariæ, aut miſtæ. Motoriæ, turbulentæ; ſtatariæ, quietiores; miſtæ, ex utroque actu conſiſtentes.* Motoria eſt Amphitryo; ſtataria, Ciſtellaria; mixta, Eunuchus; imò & Andria. Ea tamen (ut Donatus ‡ ait) *majori ex parte motoria eſt.* Terent. prolog. Heaut.

† Mixtus.

‡ In Andriæ præfat.

—— Date poteſtatem mihi,
Statariam agere ut liceat per ſilentium,
Ne ſemper ſervus currens, iratus ſenex,
Edax paraſitus, ſycophanta autem impudens,
Avarus leno, aſſiduè agendi ſint mihi,
Clamore ſummo cum labore maxumo.

Cujus loci mentem non adſequitur Calpurnius. Neque enim eò reſpicit poëta, quòd ſtare dicitur fabula, cùm placet: ſed ſtatariam comœdiam motoriæ opponit. Neſcio autem, quid in mentem venerit erudito viro Jacobo Pontano ‡, cùm motoriæ exemplum eſſe dicit Heautontimorumenon. Nam poëta clarè ait in prologo, ſe ſtatariam agere velle.

‡ Lib. 2. poët. inſtit. cap. 13.

15. §. *A quibuſdam etiam, tam Romanis, quàm Græcis, comœdia dividitur in ſimplicem, & implicatam: item in moratam, & ridiculam. Simplex caret agnitione, & peripetiâ: quæ habet implicata. In moratâ mores dominantur; in ridiculâ joci, & ſales.*

Græcè dicuntur ἁπλαῖ, καὶ πεπλεγμέναι: item ἠθικαὶ, καὶ γελοῖαι. Variè autem hæc genera concurrunt: ſimplex, & morata, ſunt Adelphi: ſimplex, & ridicula, Aulularia. Implexa, & morata eſt Hecyra: implexa ac ridicula, Menæchmi. Græcorum exempla dabit Scaliger Epinomidos cap. IV.

16. §. *Curatè etiam circumſpiciendum, quale nomen detur comœdiæ. Nec enim veteres ipſi hac parte ſemper ſatisfaciunt auribus eruditorum.*

Ita videas, ut Jul. Scaliger in Hypercritico cap. III. improbet Plautinam *Rudentis* inſcriptionem, quòd non expleat argumentum: item *Truculenti*, quæ ſonum potiùs, atque exſpectationem ſuſtineat, quàm re præſtet: adhæc *Trinummi*, pro quo *Theſauri* nomen maluiſſet. Plura de comœdiæ inſcriptione diximus cap. VIII. cùm universè de proprio dramatis nomine ageremus.

Cap. XXXVIII.

De apparatu, et modulatione comica.

1. §. *Vidimus de comœdia in ſe: nunc illam conſiderabimus ratione theatri, & apparatûs. Ac primùm dicemus de modulatione: cujus cura ad hiſtrionicam pertinuit. Quo nomine nunc non ſolùm intelligo actores; ſed ſaltatores etiam, & muſicos, comprehendo.*

Hiſtrionis enim opera in his quatuor verſabatur; ſermone, cantu, harmoniâ, & ſaltatione. Quorum tria poſtrema modulationis nomine continentur. Sed ſi ſtrictè vocem hiſtrionis accipere lubet; dicendum, modulationem

nem pertinere ad muſicos; putà pythaulem, choraulem, & orcheſtas; qui poſtea dicti pantomimi.

2. §. *Saltatio Comica dicebatur, Κόρδαξ.*

Teſtis Athenæus lib. 1; ubi addit, tragicam eſſe dictam Ἐμμέλειαν, Satyricam Σίκιννιν: & ex his tribus conſtitiſſe ſaltationem Italicam, à Bathyllo repertam. Diximus de hoc cap. IX; quod eſt de dramatum melodia; deque eo iterum loquar, ubi devenero ad pantomimos.

3. §. *Apud Romanos primò, qui fabulam agebat, idem quoque canticum canebat, & ſaltabat. Quare, præter hiſtriones, ſolùm tibicine opus erat. Sed Livius Andronicus, cùm vocem obtudiſſet, (nam & ipſi poëtæ tum fabulas ſuas agebant) veniâ impetratâ, puerum adhibuit, qui tibicini præcineret. Ab eo tempore tres hi in comœdia officio diſtinguebantur; hiſtrio, cui diverbia conceſſa; puer, vel alius, qui præcineret; & tibicen, qui ſuccineret.*

Livius lib. VII: *Livius poſt aliquot annos, qui ab Satyris auſus eſt primus argumento fabulam ſerere, idem ſcilicet, id quod omnes tum erant, ſuorum carminum actor, dicitur, cùm ſæpius revocatus vocem obtudiſſet, veniâ petitâ, puerum ad canendum ante tibicinem cùm ſtatuiſſet, canticum egiſſe aliquanto magis vigenti motu, quia nihil vocis uſus impediebat, inde ad manum cantari hiſtrionibus cœptum, diverbiaque tantùm ipſorum voci relicta.* Sententia eſt, priùs hiſtrionem, & diverbia dixiſſe, & cantica ceciniſſe, ac ſaltâſſe. Sed cùm viderent, cantica magis vigente motu agi, ſiquis ſolùm ſaltaret: ſtatutum eſſe, ut, hiſtrione canticum ſaltante, non ipſe, ſed alter, illud cantaret. Ita hiſtrioni nullum relictum eſſe vocis officium, præterquam in diverbiis: cantica enim tacitum deſaltâſſe. Idem docet Valer. Max. lib. II. cap. IV. de eodem poëta: *Iſque ſui operis actor, cùm ſæpius à populo revocatus, vocem obtudiſſet, adhibito pueri, & tibicinis concentu, geſticulationem tacitus peregit.* Ex his liquet, canendi, & ſaltandi munia fuiſſe diſcreta; quia & ſaltatio anhelitui, & vox geſticulationi incommodaret. Quam & rationem adfert Lucianus libro de ſaltatione: Πάλαι μὲν αὐτοὶ καὶ ᾖδον, καὶ ὠρχοῦντο. εἶτα ἐπειδὴ κινουμένων τὸ ἆσθμα τὴν ᾠδὴν ἐπετάραττεν, ἄμεινον ἔδοξεν ἄλλους αὐτοῖς ὑπᾴδειν. *Olim iidem & canebant, & ſaltabant. Poſtea cùm motu corporis anhelitus cantum turbaret, melius viſum, ſi alii iis accinerent.* Hinc & Agellius * de mimis ſicinniſtis: *Saltabundi autem canebant, quæ nunc ſtantes canunt.*

* Lib. 20. cap. 3.

4. §. *Duo verò tibicinum genera erant; pythaulæ unum, qui in cantico ſuccineret; alterum choraulæ, qui in choro.*

Suetonius libro de Poëtis apud Diomedem †: *Primis temporibus omnia, quæ in ſcena verſantur, in comœdia agebantur. Nam Pantomimus, pythaules, & choraules, in comœdia canebant.* Sed in Græcâ quidem comœdiâ choraules erat: in Plautinis verò, ac Terentianis, nullus ejus uſus fuiſſet, quia choro carerent. Per pantomimum autem intelligit Suetonius ὀρχηςὴν ‡, qui antiquis temporibus cantica non ſolùm ſaltabat, ſed etiam canebat; ut ex Livio jam vidimus. Hujuſmodi ὀρχηςαὶ manibus, ac totius corporis geſtu, ea, quæ dicuntur, expreſſêre: unde & pantomimi vocabantur. Sed hoc nomen videntur demum accepiſſe, cùm extra dramata, in ſcena ſeorſum, artem ſuam exhiberent. Qui mos ſub Auguſto à Pylade, & Bathyllo cœpit. Antea autem vocati ὀρχηςαὶ, vel χειρονόμοι, vel χειρόσοφοι: Plauto *Ludii*, quaſi Lydii, à gente. Diximus hac de re lib. de Natura Rhetorices: pluraque inferiùs afferemus.

† Lib. 3. cap. de Poematis generibus.

‡ Saltatorem.

5. §. *Canebat Pythaules cantica in comœdiis tibiis duabus: quas uno inflabat ſpiritu. Canebatur autem, vel paribus, vel imparibus tibiis. Paribus bifariam; vel duabus dextris, vel ſiniſtris duabus. Imparibus autem, ſi unâ caneretur dextrâ, alterâ ſiniſtrâ: quæ impares dicuntur, quia ut numero foraminum, ſic etiam ſono differrent. Nam dextra habebat pauciora foramina, & ſonum proinde graviorem. Siniſtra foramina plura, & ſonus iccirco acutior. Dextra igitur, & ſiniſtra, ſi jungerentur, ſonus erat mixtus è gravi, & acuto. Ac tibia quidem dextra aliter Lydia dicebantur; ſiniſtra autem Sarrana: dextra, & ſiniſtra, vocata Phrygia. Lydia conveniebant rebus gravibus; Sarrana jocis; Phrygia, ſi gravitas jocis miſceretur.*

Euanthius, ſive quiſquis auctor Prolegom. in Ter. *Agebantur autem tibiis paribus, aut imparibus; & dextris, aut ſiniſtris. Dextra autem, & Lydia*, ſuâ gravitate ſeriam comœdiæ dictionem pronunciabant. Siniſtra, & Sarrana, acuminis levitate jocum in comœdia oſtendebant. Ubi autem dextrâ, & ſiniſtrâ, acta fabula inſcribebatur; mixtim joci, & gravitates, denunciabantur.* Donatus præfat. in Adelph. *Modulata eſt* (Adelphorum comœdia) *tibiis dextris, id eſt, Lydiis, ob ſeriam gravitatem; quâ ferè in omnibus comœdiis utitur hic poëta.* Ut Lydiæ dictæ à Tyrrhenis, qui Lydi fuere: ita Serranæ, vel Sarranæ, non à ſerræ ſtridore, quod Turnebo † viſum; ſed à Sarra, quæ aliter Tyrus. Nam civitas ea Orientis צר, *Tſor*; atque ex eo, S abjecto, *Tyrus*; abjecto T, Sarra. Unde *Sarranum oſtrum* ‡, pro purpura Tyria. De Sarranis pariter, ac Phrygiis, ſic Servius in illa IX. Æn. *Biforem dat tibia cantum. Biforem, id eſt biſonum, imparem. Et ſervavit eis tibiarum ſuarum, id eſt, Phrygiarum, naturam. Tibiæ aut Sarranæ dicuntur, quæ ſunt pares, & æquales habent cavernas: aut Phrygiæ, quæ & impares ſunt, & inæquales habent cavernas. Ergo biforem, diſſonum, diſſimilem. Non ſunt enim pari modulatione compoſita. Ut enim ait Varro: tibia Phrygia dextra unum foramen habet, ſiniſtra duo; quorum unum, acutum ſonum habet; alterum, gravem.* Unde Bacchii Iſagogice: Ὁ Δώριος * τρόπος βαρύτερος τοῦ μὲν Φρυγίου τόνῳ, τοῦ δὲ Λυδίου διτόνῳ. Et Appulejus † Antigenidam ait ceciniſſe, *ſeu tu velles Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Dorium bellicoſum.* Sed de tibiis iſtiuſmodi nos plura alibi dicemus; ac, ut puto, hujus operis libro III, quando de Melicis agemus. Vide etiam Nannium in Miſcellaneis lib. I. cap. VI, Brodæum Miſcell. lib. V. cap. XXXII, Aldum Manutium Nepotem lib. II. de Quæſitis per epiſtolam quæſt. IV, Petrum Fabrum in Agoniſticis, pluresque alios: in his maximum Salmaſium in Solini Polyhiſtora ‡, ac inprimis commentario in Vopiſcum *.

* Vulg. Dextræ autem tibiæ. Sed alterum illud in vet. cod. reperit Salmaſius.

† Adverſar. lib. 28. cap. 34.

‡ Virgil. 2. Georg.

* Dorius modus uno tono gravior eſt, quàm Phrygius: gemino autem, quàm Lydius.

† Lib. 1. Florid.

‡ Pag. 119.

* Pag. 449. uſque ad 504.

6. §. *Non totâ in fabulâ iiſdem ſemper modis utebantur: ſed & ſæpe eos mutabant. Quod cùm à Latinis fieret, adſcribi ſcenæ ſolet, M. M. C. Hoc eſt,* mutantur modi cantici.

Sanè Terentii Heautontimorumenos, ut eſt in ejus inſcriptione, *acta primùm tibiis imparibus*; hoc eſt, dextrâ, & ſiniſtrâ: *deinde duabus dextris*: prior eſt modus Phrygius, alter Lydius; ut diximus. Mirum verò, cùm in Adelphorum inſcriptione legamus, modos eorum fuiſſe Sarranos; hoc eſt, ex duabus tibiis ſiniſtris: tamen Donatum in præfatione dicere, modos fuiſſe Lydios; qui ſunt è duabus dextris. Hæc non aliter conciliare poſſumus, quàm ſi dicamus, modos priùs quidem Sarranos fuiſſe, at poſtea Lydios. Et hoc confirmat, quod ibidem legitur: *Sæpe* (poëta) *mutatis per ſcenam modis, cantica mutavit:*

Digitized by Google

tavit: quod ſignificat titulus ſcenæ, habens ſubjectas perſonis literas; M. M. C. De mutatione iſtâ ſic idem in prolegom. *Neque enim omnia iiſdem modis in uno cantico agebantur; ſed ſæpe mutatis. Ut ſignificant, qui tres numeros in comœdiis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius.*

7. §. *Poſt actum quemque tibicines canebant.*

Unde apud Plautum Pſeudolo ſervulus is, à quo nomen ei comœdiæ, his verbis concludit actum primum:

Concedere aliquantiſper hinc mihi intro lubet,
Dum concenturio in corde ſycophantias.
Tibicen vos interea hic delectaverit.

8. §. *Nec poëta, ſed alius, tibiæ modos adaptabat comœdiis.*

Modi tibiæ ſunt; quos Græci vocant νόμους αὐλῳδικούς. Ut, cùm Flaccus dicitur modos feciſſe comœdiarum Terentii, νόμους, ſive modulos muſicos, intelligi oportet.

9. §. *Ut poëtæ, & actoris: ita ejus etiam, qui modos feciſſet, nomen fabulæ præmittebatur.*

Euanthius proleg. in Ter. *Qui hujuſmodi modos faciebant, nomen in principio fabulæ & ſcriptoris, & actoris; ſuperponebant.* Ubi ſcripſiſſe ſuſpicior, *& actoris, & ſuum, ſuperponebant.* Saltem in Terentii comœdiis, præter nomen poëtæ, reperies tum nomina eorum, qui egerunt; tum qui modos fecere. Eorum, qui egere, hæc nomina: L. Ambivius Turpio, & L. Atilius Prænestinus, in Andria, Eunucho & Phormione: prior etiam in Heautont. item cum L. Sergio Turpione in Hecyra: poſterior, & Minutius Prothimus, in Adelphis. At modos omnium feciſſe dicitur Flaccus Claudii. Ubi ſervum; aut potius libertum, intellige. Etſi *Claudii filium* in Andriæ inſcriptione legi non ignoro: atque Antonium Auguſtinum putaſſe, Claudium non ſolùm nomen, ſed etiam prænomen fuiſſe. Mihi placet Mureti opinio; qui ex inſcriptione Andriæ vocabulum *filii* delendum arbitratur.

10. §. *Habitus perſonarum in comœdiis varius erat pro gente, ætate, fortunis, & vitæ genere. Aliter enim veſtiebantur Græci, quàm Romani; Romani, quàm Perſæ, aut Pœnus. Aliter item adoleſcens, & adoleſcentula; quàm ſenex, & matrona natu grandis. Aliter item divites, & felices; quàm pauperes, & infortunati. Aliter domini, quàm ſervi; philoſophi, quàm agricola, aut mercator. Aliter item iſti, quàm paraſitus, aut leno. Etiam ab illo honeſtæ virginis, aut fœminæ, multum abibat habitus meretricis.*

De hoc diſcrimine ita eſt apud Julium Pollucem lib. IV, cap. XVIII, cùm ait: Κωμικὴ δ᾽ ἐσθὴς ἐξωμίς. ἔστι δὲ χιτὼν λευκὸς, ἄσημος, κατὰ τὴν ἀριστερὰν πλευρὰν ῥαφὴν οὐκ ἔχων. γερόντων δὲ φορήματα ἱμάτιον καμπύλον*, φοινικὶς, ἢ μέλαν τι. τρυφερὸν ἱμάτιον φόρημα νεωτέρων. πήρα, βακτηρία, διφθέρα, ἐπὶ τῶν ἀγροίκων. παράσιτοι ἐσθῆτι μελαίνῃ, ἢ φαιᾷ, ἐχρῶντο. *Comica autem veſtis, exomis. Eſt verò ea tunica alba, ignobilis, in ſiniſtro latere ſuturam non habens. Senum autem indumentum pallium eſt intortum, purpureum, vel nigrum aliquod. Purpureum pallium eſt juniorum veſtimentum. Pera, baculus, tunica è pellibus, ruſticorum ſunt. Sed paraſiti veſte nigrâ, vel pullâ utebantur.* Etiam illuſtris eſt hac de re locus Donati, ſive Euanthii, in prolegomenis Terentianis: cujus idcirco verba apponam: *Comicis ſenibus candidus veſtitus inducitur; quod is antiquiſſimus fuiſſe memoratur. Adoleſcentibus diſcolor attribuitur. Servi comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiqua gratiâ; vel quo expeditiores agant. Paraſiti cum intortis palliis veniunt. Læto veſtitus candidus, ærumnoſo obſoletus, purpureus diviti, pauperi phœniceus datur, militi chlamys purpurea, puellæ habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varii coloris utitur. Meretrici, ob avaritiam, luteum datur.* Luteum nempe; quia auri eſt luteum. Sic quando adoleſcentibus verſicolor veſtis datur, id factum, quia facilè ſententiam vertunt. Ad ſervorum ſchema, præſertim properantium, pertinet quoque illud Plauti Captivis Act. IV. Sc. I.

Nunc res certa eſt, eodem pacto, ut comici ſervi ſolent,
Conjiciam in collum pallium.

Cui geminum hoc in Epidico, Act. II. Sc. II.

Age nunc jam, orna te Epidice, & palliolum in collum conjice.

Vide & Terent. Phorm. V. 6. verſ. 4. & 5. Ex his de ceteris eſt facilis conjectura. Nempe ſacerdotes talari veſte; nuncii penulis, & petaſati. Nautæ cum cauſea, pilei genere, & ita in aliis.

10. §. *Comica ſcena* ædificiorum privatorum, & mænianorum, habent ſpeciem, perſpectuſque * feneſtris diſpoſitos † (*imitatione*) communium ædificiorum rationibus.

Ut eſt apud Vitruvium lib. V. cap. VIII. Apud quem vox *imitatione* redundat. Puto, eſſe ex gloſſemate ejus qui vocem *rationibus* vellet interpretari.

Cap. XXIX.

De mimis: ac primùm, an hic iis locus; deque eorum vocabulo, ac definitione.

1. §. *Poſt comœdiam agemus de mimis: quia ex comœdiis ſunt nati: imò antiquitus pars fuere comœdiæ: eorumque in locum cantica ſucceſſerunt.*

Diſcere hoc eſt ex nobili Suetonii fragmento; quod ex Diomede ‡ exſcripſimus. *Primis temporibus omnia, quæ in ſcena verſantur, in Comœdia agebantur. Nam Pantomimus, & Pithaules, & Choraules, in Comœdia canebant. Sed quia non poterant omnia ſimul apud omnes artifices pariter excellere: ſiqui erant inter actores comœdiarum pro facultate & arte potiores, principatum ſibi artificii vindicabant. Sic factum eſt, ut, nolentibus cedere Mimis in artificio ſuo ceteris, ſeparatio fieret reliquorum. Nam dum potiores inferioribus, qui in omni ergaſterio erant, ſervire dedignabantur; ſe ipſos à comœdia ſeparaverunt: ac ſic factum eſt, ut, exemplo ſemel ſumto, unuſquiſque artis ſuæ rem exſequi cœperit, neque in Comœdiam venire: cujus rei indicia produnt nobis antiquæ Comœdiæ, in quibus invenimus;* ACTA TIBIIS PARIBUS; AUT IMPARIBUS; AUT SARRANIS. *Quando enim chorus canebat, choricis tibiis, id eſt, choraulicis, artifex concinebat. In Canticis autem, Pythaulicis, reſponſabat. Sed quod* PARIBUS TIBIIS, vel IMPARIBUS; *invenimus ſcriptum; hoc ſignificat, quòd ſiquando monodia agebat, unam tibiam inflabat; ſiquando ſynodia, utramque.* Non dubitandum, quin hæc ſint è libro Suetonii de ludis ac ſpectaculis; quem ab eo ſcriptum eſſe, teſtis Suidas: variaque inde depromunt Agellius, Tertullianus, Servius, Diomedes, Tzetzes. Abſque eo eſſet, dicerem eſſe ex libro ejus de Poëtis: unde & fragmentum adducit Iſidorus Originum lib. VIII. cap. VII. Imò ex eodem ſuperſunt vita Terentii, & Horatii. Ac, ut cenſeo, Lucani etiam, Perſii, & Juvenalis.

2. §. Non

* Sic eſt in MSS.

* Daniel Barbarus edidit proſpectus: ſed alteram propius accedit ad editionem Florentinam anni 1496, & alteram an. 1523: ubi eſt perſectuſque.

† Sic libri vett. quod temere Daniel Barbarus mutavit in diſpoſitis.

‡ Lib. 3. cap de variis poëmatum generibus.

2. §. *Non deſunt, qui mimos è dramatis omittant: ſed perperam, cùm iis conveniat dramatis definitio.*

Omittit Iſaacius Tzetzes prolegomenis in Lycophronem: ubi tria genera facit poëſios δραματικῆς, ſeu μιμητικῆς; comœdiam, tragœdiam, & ſatyricam. Sed cùm mimi ſint poëma agendo imitans; eos drama eſſe conſequitur. Itaque Diomedem ſequimur; qui quartam dramatis ſpeciem facit; ut vidimus ſuperiùs. Ac Ulpianus quoque in Demoſt. Philipp. II. mimicam poëſin comicæ, & tragicæ, jungit. Sic enim vocem μιμογελοίων* interpretans ſcribit: Ἀναγκαῖον τὸ τῆς προσθήκης· οὐχ ἁπλῶς γὰρ μίμησις γελοία τυγχάνει, ἀλλ' ἔστι καὶ σπουδαία. ἡ γὰρ τραγῳδία, μίμησις ἐστὶν ἠθῶν, καὶ παθῶν· καὶ ἡ κωμῳδία μίμησις, καὶ οἱ μῖμοι Σώφρονος. *Neceſſarium, quod additur.* (Nam non ſimpliciter *mimi*, ſed *mimi ridiculi* dicuntur.) *Nec enim omnis imitatio eſt ridicula, ſed eſt quoque ſeria. Quippe & tragœdia eſt imitatio morum, & affectuum; & comœdia imitatio eſt, & mimi Sophronis.* Plutarchus quoque huic ſententiæ favet, libro, quo terreſtria animalia, atque aquatilia, comparat. Nam attribuit mimo πλοκὴν δραματικὴν, καὶ πολυπρόσωπον, *fabulam perplexam, ac multis conſtantem perſonis.* Athenæus item lib. XIV. ex Soſibio vocat mimos κωμικῆς παιδιᾶς τρόπον παλαιόν, *comicæ luſionis modum vetuſtum.* Etiam Suidas † mimographum Philiſtionem appellat κωμικὸν, & ait ſcripſiſſe κωμῳδίας βιογραφικάς: ubi vulgò βαιογραφικάς: ſed rectè alterum repoſuit Joſ. Scaliger ‡. Nam βιολόγοι ſunt mimi, aliarumque ridicularum fabularum actores; ut Atellanarum. Κωμῳδίας igitur voce laxiùs uſus eſt Suidas: ut complectatur drama omne, quod privatas hominum actiones imitaretur.

* *Ridiculi imitantium.*

† *In Φιλιστίων.*

‡ *Annotat. in Euſeb. ad annum MMXXII.*

3. §. *Mimi autem nomine tum drama, tum actor ſignificatur.*

Nempe ut κῶμος tum *irriſorem*, tum *irriſionem* notat, μῶμος tum *irriſionem*, tum *eum qui irridet:* ſic μῖμος & *fabulam* & *hiſtrionem.*

4. §. *Eſtque impoſitum id nomen ab imitatione. Etſi enim non ſolus imitetur mimus; ſolus tamen, quaſi privilegio quodam, hoc nomen poſſidet.*

Videlicet ab imitatione vilium rerum, & levium perſonarum; ut eſt apud veterem Grammaticum in Prolegomenis Terentianis. Ac ſimiliter Diomedes: *Mimus dictus* παρὰ τὸ μιμεῖσθαι ‡; *non quaſi ſolus imitetur; cùm & alia poëmata idem faciant; ſed ſolus, quaſi privilegio quodam, quod fuit commune, poſſedit. Similiter atque is, qui verſum facit, dictus* ποιητὴς, *cùm tamen artifices, qui aliquid faciunt, non dicantur poëtæ.*

‡ *Ab imitatione.*

5. §. *Imitatio hæc tum ſermonis eſt, tum factorum: nec moratur pudorem, dum ciéat riſum. Unde non difficile eſt extruere definitionem Mimi.*

Diomedes lib. III. *Mimus eſt ſermonis cujuſlibet, motúſque ſine reverentia, vel factorum turpium cum laſcivia, imitatio. A Græcis ita definitur.* Μῖμος ἐστὶ μίμησις βίου, τά τε συγκεχωρημένα, καὶ ἀσυγχώρητα περιέχων. *Mimus eſt imitatio, quæ conceſſa, quæque inconceſſa, complectens.* Scaliger lib. I. de poët. cap. x. *Mimus eſt poëma, quodvis genus actionis imitans ita, ut ridiculum faciat.*

6. §. *Nec inficior, Comicos etiam ridicula multa, ac laſciva, imitari. Quod ex Ariſtophane, ac Plauto, ſatis videre eſt. Sed enim longè laſciviâ vincebant mimi. Præterea aliud erat diſcrimen, ac magis οὐσιῶδες.* Nam contrà quàm in comœdia ſolebat, nulla in mimis erat fabulæ conſtitutio; eoque aberant connexio, & ſolutio: quæ comœdiæ partes eſſe ſolent; ut antea vidimus.*

* *Ad rei pertinens naturam.*

Hinc Cicero pro Cælio: *Mimi ergo eſt jam exitus, non fabulæ: in quo cum clauſula non invenitur, fugit aliquis è manibus; deinde ſcabella concrepant, aulæum tollitur.* De iſtoc ſcabellorum, ubi & teſtarum crepitu, aliquid dicam in Pantomimis.

CAP. XXX.

DE MIMORUM FINE, AC MATERIE.

1. §. *Hæc ut planiora fiant, ordine de quinque illis agam: primùm de fine mimorum; deinde de materie, ſive objecto; poſtea de variis mimorum generibus pro varietate & gentis, & ſcenici apparatus: exinde de primis eorum initiis, & progreſſu, variiſque mimorum ſcriptoribus: ac denique quale de mimis judicium fuerit ſaniorum, ac veteris Eccleſiæ. Finis mimorum eſt geminus, ut univerſæ poëſios: docere, & delectare. Docent utilibus vitæ ſententiis: qualium ex P. Syro ſuperſunt non pauca.*

Hinc mimi dicebantur βιολόγοι, & ἠθολόγοι. Heſychius: Ἠθολόγος, θεατρικός. Sic exponit, quia mimi agerent in theatro.

2. §. *Etiam eo moribus conducebant, quòd homines improbos riderent ſalſis ſuis dictis, quæ* dicteria *vocantur.*

Latinam eſſe vocem Varro putabat à *dicendo*. Sed ἀναλογία eum linguæ Latinæ feſellit. Et ipſius eſt Varronis:

Et orthophallica attulit pſalteria,
Quibus ſonant in Græcia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia.

Nempe, ut Scaliger cenſet *, ex Græco δεικτήριον, quia eſſent δεῖγμα, atque experimentum mimorum in ſcenam ingredientium. Vel potiùs, ut Salmaſius † cenſet, à Græco δηκτήρια, quia his alii alios δάκνουσι, ſive mordent. Ut propriè *dicterium* ſit ſalſum ac mordax dictum. *Decterium* fuiſſet dicendum. Sed, ut idem monet, etiam *diatrita*, & *diatritarios* in vett. libb. legimus, pro *diatreta*, & *diatretariis*. Ac ſimiliter à Græco κολλήματα *coliphia* dixere pro *colephia*.

* *Notis in ſpheram barbaricam Manilii pag. 318.*

† *In Vopiſci Aurelianum.*

3. §. *Interdum verò mimi nec viris principibus parcebant.*

Capitolinus in M. Antonino: *Crimini ei datum eſt, quòd adulteros uxoris promoverit, Tertullum, & Vitilium, & Orphitum, & Moderatum, ad varios honores: cùm Tertullum etiam prandentem cum uxore deprehenderit. De quo mimus in ſcena, præſente Antonino, dixit, cùm ſtupidus nomen adulteri uxoris à ſerva quæreret, & ille diceret ter Tullus, & adhuc ſtupidus quæreret; reſpondet ille, Jam dixi ter, Tullus dicitur.*

4. §. *Atque hæc de priori fine, quo mimi mores corrigere ſtuduerunt. Alter finis erat, ut populum delectarent: quod conſequebantur dictis ridiculis.*

Appulejus Flor. *In theatro, ſi mimus eſt, riſeris.* Plutarchus quoque, lib. de animi tranquillitate, ex mimis ait in theatro captari ὠνητὸν γέλωτα, *venalem riſum.*

5. §. *Interea nec obſcœnis verbis, vel geſtibus, abſtinebant.*

Ovid. lib. II. Triſtium:

Scribere ſi fas eſt imitantes turpia mimos.

Unde liquet, cur jocos mimicos ab Oratore etiam ſegreget Cicero in ſecundo de Oratore.

6. §. *Atque ex eo, quòd ſic riſum captarent,* urbani, *ac* ſcurræ, *dicebantur.*

Plau-

Plautus Trinummo act. I. ſc. II.

—— Urbani aſſidui cives, quos ſcurras vocant.

Juvenalis ſat. XIII.

—— Mimum agit ille,
*Urbani qualem fugitivus * ſcurra Catulli.*

* Fugitivus probant vett. in Juven. gloſſa. Puto, eſſe ab errore memoriæ; quod Scaliger Not. in Catulli epigr. 22. pro eo poſuerit facundus: quamquam Taubmannus in Epidicum, & alii, eum hac parte ſequantur.

Signat mimographum Catullum. Etiam *ſcurras mimarios* vocat Capitolinus in Vero imperatore; *mimicos ſcurras* Vopiſcus in Aureliano. Arnobius lib. IV. *Etiam mimis, & ſcurrilibus ludicris, ſanctiſſimorum perſona interponuntur Deorum.* Prudentius hymno in Laurentium Martyrem:

Dum ſcurra ſaltat fabulam.

7. §. *Mimi, dum riſum captant, vicini ſunt planis: qui iidem dictis factiſve decipiebant ad riſum excitandum.*

Qualis Cephiſodorus, *plani* nomine ideo appellatus à Dionyſio Sinopenſe in fabula Dionyſio à ſe nuncupata; & à Nicoſtrato in Syro. Item Pantaleo planus, qui, ut Chryſippus philoſophus in quincto de honeſto, & voluptate prodidit, moribundus utrumque filium decepit, ſeorſum ſingulis dicendo, ubi aurum defodiſſet, cùm nihil ejus terram egerentes poſtea invenerint. Et iſta, & plura ejuſmodi, reperies apud Athenæum in XIV. †

† Pag. 616 edit. Commelin.

8. §. *Omne autem hujuſmodi ridiculorum genus exiguo loco, aut nullo, haberi ſolet à viris gravibus.*

Ut Anacharſide Scythâ; qui adductis in convivium hominibus ad riſum compoſitis, neutiquam riſit: ſed, ſimiâ adductâ, in riſum eſt ſolutus: ac cauſſam rogatus, reſpondit, animal illud eſſe ridiculum φύσει ‡, hominem ἐπιτηδεύσει ⸸. Teſtis Athenæus initio lib. XIV. Ubi & hoſce adducit verſus Euripidis in Menalippe vinculis adſtrictâ:

‡ Natura. ⸸ Arte ac ſtudio.

Ἀνδρῶν δὲ πολλοὶ τοῦ γέλωτος ἕνεκα
Ἀσκοῦσι χάριτας κερτόμους. ἐγὼ δέ πως
Μισῶ γελοίους, οἵτινες μὲν ἐπὶ σοφῶν
Ἀχάλιν᾽ ἔχουσι στόματα, κ᾽ εἰς ἀνδρῶν μὲν οὐ
Τελοῦσιν ἀριθμὸν, ἐν γέλωτι δ᾽ εὐπρεπεῖς,
Οἰκοῦσι δ᾽ οἴκους, καὶ τὰ ναυστολούμενα
Ἔσω δόμων σώζουσι.

Quos ſic vertit illuſtris H. Grotius:

Eſt excitandis riſibus natum genus,
Convitioſa Venere. Sed tales ego
Lepidos perodi. quippe ſapientes ſolent
Ore impudenti lædere, in rebus virûm
Nullius uſus, gratioſi in riſibus:
Bene interim habitant, atque corraſas opes
Intra coërcent limen.

8. §. *Fuere tamen & reges multi, qui caperentur ridiculis.*

Ut Philippus Amyntæ; qui LX. virorum collegio, quod Athenis in Diomeo, ſive Herculis templo, conveniret, talentum miſit, ut ſua ridiculè dicta ad ſe transmitteret. Teſtis Athenæus; qui & ridiculorum ſtudioſum fuiſſe ait Demetrium Poliorceten; item Romanum imperatorem Syllam, ac L. Anicium; de quo teſtem laudat Polybium.

9. §. *Ex iis, quæ hactenus diximus, videre etiam eſt, cujuſmodi illorum fuerit materies: nempe res, perſonæque viles; dicta vel ridicula, ſubinde etiam obſcæna; vel ſalſa, ac mordacia; ſententiæ etiam vitæ humanæ utiles. Interea non eadem mimorum omnium ratio erat. Παίγνια * mimi erant breviores; ſed in dicteriis immodici, ac ſæpe ſcurriles. Ὑποθέσεις † erant mimi longiores, ac modeſtiores: qui à natura comœdiæ propius abibant.*

* Ludicra.

† Argumenta.

Plutarchus Sympoſiacorum lib. VII. problem. VIII. Μίμοι τινές εἰσιν, ὧν τοὺς μὲν ὑποθέσεις, τοὺς δὲ παίγνια καλοῦσιν· ἁρμόζειν δ᾽ οὐδέτερον οἶμαι συμποσίῳ γένος· τὰς μὲν ὑποθέσεις, διὰ τὰ μήκη τῶν δραμάτων, καὶ τὸ δυσχορήγητον· τὰ δὲ παίγνια, διὰ πολλῆς γέμει βωμολοχίας, καὶ σπερμολογίας. *Sunt mimi, quorum alios vocant argumenta, alios ludicra, neutrum genus arbitror convivio convenire: non argumenta, quia longæ ejus actiones, & multis opus impenſis: non ludicra, quia ſic ſcatant ſcurrilitate, ac verbis inanibus.*

10. §. *Mimi non canebant, ſed dicebant.*

Unde vocabantur μιμολόγοι, βιολόγοι, ἠθολόγοι, ἀρεταλόγοι, γελολόγοι, atque aliter. Inque hoc differebant à comœdis Græcis, ac tragœdis utriuſque gentis. Unde Salmaſius * jure non de mimo, ut Scaligero † viſum; ſed de tragœdo, interpretatur illud Horatii de arte Poëtic.

* Notis in Vopiſci Aurelianum pag. 384.

† In Manilium. p. 398. & ſeq.

—— Donec cantor, vos plaudite, dicat.

Ubi *cantor* eſt hiſtrio, ſive actor fabulæ; ut ait Turnebus lib. IX. Adverſ. cap. XXIX. Nec tamen quivis hiſtrio, ſed tragœdus. Sanè & Prudentii eſt lib. II. contra Symmachum:

Ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato.

Gloſſæ: *Cantatores*, τραγῳδηταί. Ac recentioribus Græcis femina muſicaria vocatur τραγῳδὸς γυνή.

CAP. XXXI.

DE VARIIS MIMORUM GENERIBUS APUD GRÆCOS.

1. §. *Nec eo ſolùm variabant mimi, quòd alii tractarent παίγνια ‡, alii ὑποθέσεις ⸸: ſed aliis etiam pluribus differebant: unde & nominibus diſtinguebantur. Lacedæmonii eos vocabant δικηλιστάς.*

‡ Ludicra. ⸸ Argumenta.

Auctor Plutarchus in Ageſilao: ſed apud eum vitioſè ſcribitur δεικηλίκτης uti & in Apophthegmatis Laconicis. Docet idem Athenæus lib. XIV. * Ἐκαλοῦντο δὲ οἱ μετιόντες τὴν τοιαύτην παιδιὰν παρὰ τοῖς Λάκωσι δικηλισταί, ὡς ἄν τις σκευοποιοὺς εἴπῃ, καὶ μιμητάς. *Qui verò hos ludos profitebantur, ii à Laconibus dicebantur dicelistæ; tanquam ſcenicum inſtituentes apparatum, ac mimi.* Heſychius: Δίκηλον, μίμημα, εἴδωλον· ὅθεν παρὰ Λάκωσι δικηλίτας, ὁ μιμολόγος. Idem: Δικηλισταί, μιμηταὶ παρὰ Λάκωσι. Sine dubio eſt à δείκηλον, vel δίκηλον, quod à Suida exponitur μίμημα, ὁμοίωμα. A δείκω puto. Id enim veriſimilius, quàm ut propriè ſit Διὸς εἴκελον †, quod eſt apud Suidam. Scripſit περὶ δικηλιστῶν, uti & μιμηλῶν, teſte Suida ‡, Soſibius, Grammaticus Lacedæmonius: unus eorum, qui dicebantur λυτικοί, & ἐπιλυτικοί ⸸, quia ſcripta priorum reſolverent, & interpretarentur. Quomodo verò ille enucleator quæſtionum omnium, ſæpe etiam importunarum, ſuis quaſi pennis captus fuerit à Rege Ptolemæo Philadelpho, ſcitè narrat Athenæus in undecimo.

* Pag. 621. edit. Commelin.

† Jovis ſimulacrum.

‡ In Σωσίβιος.

⸸ Reſolutorii.

2. §. *Porrò cùm ſumma eſſet Laconum frugalitas; ludus hic dicelistarum apud eos non magni erat laboris: ſed populari ſolùm ſermone nunc imitabantur hortorum furem; nunc medicum peregrinum, præcepta ægris dantem.*

Ut ex Soſibio refert Athenæus lib. XIV.

3. §. *Ab aliis Græcorum vocabantur autocabdali, ithyphalli, phallophori, lyſiodi, & magodi.*

Athenæus lib. XIV. ait, à Sicyoniis dictos φαλλοφόρους, ab aliis αὐτοκαβδάλους, Italis magnæ Græciæ φλύακας, à multis σοφιστὰς, à Thebanis, qui propriis omnia nominibus ſignare ſolent, ἐθελοντὰς, hoc eſt, *volones*, aut *voluntarios*.

4. §. *An-*

4. §. *Autocabdali incedebant hederâ coronati, inceſſu tardo, tardo etiam ſermone.*

Auctor Athenæus lib. XIV, ex Semi Delii libro de Pæanibus. Nomen iis exinde, quòd non præmeditata effunderent, ad riſum captandum. Nam αὐτοκάβδαλα, Heſychio teſte, τὰ αὐτοσχέδια, καὶ ἁπλᾶ, hoc eſt, extemporanea, ac ſubito facta.

5. §. *Ithyphalli perſonas induebant ebriorum, coronas geſtabant, utebantur manicis violacei coloris, ac tunicis albo ad medium diſtinctis. Præcingebantur Tarentinorum amictu; qui è molliſſima erat lanâ, & uſque ad talos demittebatur. Iidem per veſtibulum ad orcheſtræ medium cùm veniſſent; convertebant ſe ad theatrum, ac loquebantur.*

Dicebant autem iſta, ut, ex eodem Semo, Athenæus ait:

Ἀνάγετε, εὐρυχωρίαν ποιεῖτε τῷ θεῷ.
Ἐθέλει γὰρ ὁ θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος διὰ μέσου βαδίζειν.
Abſcedite de via, laxum Deo ſpatium præbete.
Erectus Deus malleo ductus per medium theatrum ambulare vult.

Ubi per Deum malleo ductum ſignat æneum Bacchi ſimulacrum. Phallum verò geſtari ſolere, indicat & Arnobius lib. VII: *Mimis nimirum Dii gaudent, factis, & dictis turpibus, faſcinorum ingentium rubore.*

6. §. *Pallophori phallum ſequentes canebant. Ac qui eum geſtaret, rectà incedebat, fuligine faciem obducti. Qui ſequebantur, non erant perſonati; ſed tegebant ſe hederâ, ſerpyllo, acantho. Corona iis ex denſis floribus, & hederâ, more Bacchi. Amicti erant lanâ. Per mediam orcheſtram tranſibant in ſcenam: ubi aliqua modulati, ſannionum inſtar obvium quemque, atque id ſtantes, irridebant.*

Ita Atheneus lib. XIV, ex Semi Delii libro de Pæanibus. Unde & verſus hoſce refert, qui dicebantur, cùm phallophori in ſcenam primùm veniſſent:

Σοὶ Βάκχε τάνδε Μοῦσαν ἀγλαΐζομεν,
Ἁπλοῦν ῥυθμὸν χέοντες αἰόλῳ μέλει,
Καινὰν ἀπαρθένευτον. οὔ τι ταῖς πάρος
Κεχρημέναν ᾠδαῖσιν*, ἀλλ' ἀκήρατον
Κατάρχομεν τὸν ὕμνον.
Hac te ſplendida Muſa nos, Bacche, honoramus:
Simplices numeros vario fundentes carmine,
Intactos ſanè aliis. Non enim priùs uſurpatis
Cantibus utimur; ſed illibatum
Ordimur hymnum.

* *Leg.* ὕμνον ᾠδαῖσιν.

6. §. *Lyſiodi etiam, & magodi, mimorum genera ſunt: nec alio differunt, quàm quòd lyſiodi veſte virili uterentur, magodi autem muliebri.*

Quàm vicina ſint hæc duo genera, oſtendit, quòd Ariſtocles † in primo operis Muſici de magodo ſcripſerit: Οὗτος ‡ δέ ἐστιν ὁ αὐτὸς τῷ λυσιῳδῷ. Aliquo tamen differunt. Quid illud ſit, oſtendit Ariſtoxenus*, cùm ait, τὸν μὲν ἀνδρεῖα γυναικείοις προσώποις ὑποκρινόμενον, μαγῳδὸν καλεῖσθαι· τὸν δὲ γυναικεῖα ἀνδρείοις, λυσιῳδόν. Vulgò editum: τὸν μὲν ἀνδρεῖα καὶ γυναικεῖα πρόσωπα. Quod repugnat ſequentibus, τὸν δὲ γυναικεῖα ἀνδρείοις. Veram lectionem vidit Dalecampius: ut qui ſic verterit: *Magodum exponit, qui habitu muliebri viri perſonam agit: contrà Lyſiodum, qui mulieris, virili cultu.* Subjicit deinde: Τὰ αὐτὰ δὲ μέλη ᾄδουσι, καὶ τἆλλα πάντα δὲ ἐστὶν ὅμοια. *Eoſdem autem verſus canunt, ac alia etiam omnia ſimilia ſunt.* Poſtea de magodorum habitu addit, eos tympana habere, & cymbala, καὶ πάντα τὰ περὶ αὐτὸν ἐνδύματα γυναικεῖα· omniaque ejus indumenta muliebria. Quod ſuperiorem emendationem firmat. Subjicit, quales perſonas agant: quippe eos ὑποκρίνεσθαι ποτὲ μὲν γυναῖκας, καὶ μοιχοὺς, καὶ μαστροπούς· ποτὲ δὲ ἄνδρα μεθύοντα, καὶ ἐπὶ κῶμον παραγινόμενον πρὸς τὴν ἐρωμένην. *Quandoque eos perſonam agere feminæ, vel mœchi, vel lenonis: quandoque & viri ebrii, qui comeſſatum eat ad amicam.* Ait & ſæpe ſumere κωμικὰς ὑποθέσεις †, eaque ſuo adaptare inſtituto, ita ut laſcivius ac obſceniùs omnia repræſentent, quàm in comœdia fiat. Hæc ſatis oſtendunt, rectè Ariſtoxenum ſcripſiſſe, quemadmodum ἱλαρῳδία tragœdiæ cedit gravitate; ita eâdem comœdiæ cedere μαγῳδίαν. Cur verò μαγῳδία dicatur, hanc Athenæus ‡ cauſſam adfert; quia, ut in Perſia magi dicebantur pluvias ciere, & multa miranda pharmacis ſuis præſtare: ita hi quoque ſuo carmine prodigioſa multa, & mirificas exponerent medicamentorum vires. Ut videantur non diſſimiles fuiſſe medicis noſtris circumforaneis. Lyſiodi autem non à Lyſiis ſacris, quibus peragerentur, uti H. Stephanus* putabat: ſed eâdem ratione ab Lyſide auctore dicti; quâ Simodi, de quibus antea, à Simone Magnete nomen acceperunt.

† *Apud. Athen. lib. 14.*
‡ *Hic idem eſt, ac lyſiodus.*
* *Apud Athenæum lib. 14.*
† *Comica argumenta.*
‡ *Lib. 14.*
* *In Theſ. L. Gr.*

Cap. XXXII.

DE MIMIS LATINORUM PLANIPEDIBUS, ALIORUMQUE ETIAM MIMORUM SCENICO APPARATU.

1. §. *Hæc de variis mimorum generibus apud Græcos. Apud Latinos mimorum genus fuit, qui* planipedes *dicerentur. Nempe quia primitus non admitterentur in orcheſtram; ſed plano agerent pede, ſive in plano atque humili loco. Indeque & fabula* planipedia *dicta eſt.*

Planipedum meminit Juvenalis ſat. VIII, & Macrobius lib. II. Saturnal. cap. I. De iis ſic Diomedes lib. III: *Planipes Græcè dicitur Mimus. Ideo autem Latinè planipes, quòd actores planis pedibus, id eſt, nudis proſcenium introirent; non, ut Tragici actores, cum cothurnis; neque, ut Comici, cum ſoccis: ſive, quòd olim, non in ſuggeſtu ſcenæ, ſed in plano orcheſtræ, poſitis inſtrumentis mimicis, actitabant. Cujus planipedis Atta, Togatarum ſcriptor, ita in Æditiliâ fabulâ meminit:*

Daturine eſtis aurum? exſultat planipes.
Siquas tamen ex ſoccis fabulas fecerant, palliati pronunciabant.

Sed errat Diomedes, cùm idem *planipedem* fuiſſe putat, ac *mimum.* Nec enim quivis mimus planipes. Quæ ſententia refellitur iſtoc Burdigalenſis Auſonii epiſt. XIV: *Vide, mi Paulle, quàm ineptum laceſſieris, in verbis rudem, in eloquendo hiulcum, diluti ſalis, & fellis ignavi; nec de mimo planipedem, nec de comœdis hiſtrionem.* Ubi clarè indicat, mimos omnes fuiſſe planipedes; ſed non omnes planipedes mimos: quemadmodum non omnes hiſtriones comœdi, ſed comœdi omnes hiſtriones. Inter planipedes præcipui erant mimi; uti inter hiſtriones comœdi: ſed Auſonii temporibus; quibus tragœdi minùs erant in uſu. Ex duplici autem ἐτυμολογίᾳ, ab Diomede allatâ, poſteriorem magis probo. Nec enim *plano pede* dixere pro excalceato, ac nudo: etſi verum ſit, mimos, nudis egiſſe pedibus. Aliter tamen Donatus, ſive potiùs Euanthius, prolegomenis in Terentium: *Planipedia dicta ob humilitatem argumenti ejus, ac vilitatem actorum, qui non cothurno, aut ſocco, utuntur in ſcenâ; ſed plano pede.* Ubi ἀντίθεσις* ſatis docet, planum pedem dicere, qui expers ſit cothurni, ac ſocci; utpote nudus. Sed bene eſt, quòd idem, ſicuti & Diomedes, alterum, ac veriùs etymum, ſubjungit. *Vel, inquit, ideo quòd non ea negotia continet, quæ perſonarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium ſunt; ſed in plano,*

* *Oppoſitio.*

Digitized by Google

no, & humili loco. Ac favet huic etiam ſententiæ Verrius, ſive Feſtus Pompejus. Verba ejus ſunt in Mſo Farneſiano: *Orcheſtra, locus in ſcena, quo antea, qui nunc planipedes appellantur, non admittebantur hiſtriones, niſi tantùm interim dum fabulæ explicarentur, quæ ſine ipſis explicari non poterant.* Egere igitur non in orcheſtra; ſed plano, & humili loco. Indeque nomen. Sanè pro loco iſtiuſmodi, qualis area, etiam planum pedem dixit Vitruvius lib. VI. cap. XI, & lib. VII. cap. I, & IV. Ita & Gyraldus dialogo VI. de Poëtis, & Turnebus lib. XXII. Adverſ. cap. XXII.

Cæterum ei, quod dicebamus, planipedes eſſe mimorum genus, apponat fortaſſe aliquis, quod ante verba adlata ſic idem Euanthius ſcribat: *Comœdia multas ſpecies habet. Aut enim palliata eſt, aut togata, aut tabernaria, aut Atellana, aut planipedia.* Ubi videmus, mimum, & planipediam, referri, ut ſpecies oppoſitas. Cenſeô, haſce opiniones optimè conciliari, ſi dicamus, mimi vocem nunc laxè ſumi, nunc preſſè. Priori modo planipediam comprehendit; unde Feſtus in Orcheſtra, cùm mimos dixiſſet, διαφορᾶς ἕνεκα * addidit planipedes: quo ſatis indicat, non omnes, ſed quoſdam mimos, eſſe planipedes. Verba ipſa mox adferam. Poſteriori autem modo Euanthius uſurpat: ut qui mimum, & planipediam, pro diverſis habeat fabulis: unde colligimus, mimum κατ' ἐξοχὴν † poſuiſſe pro nobiliori ejus genere: quomodo planipediam excludit.

* *Diſcriminis cauſſa.*

† *Ob excellentiam.*

2. §. *Mimi planipedes erant reciniati.*

Qua de re ſic Feſtus Pompejus: *Recinium, omne veſtimentum quadratum. Is, qui duodecim* (Tabb.) *interpretati ſunt, eſſe dixerunt virilem togam, quâ mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo: unde reciniati mimi planipedes. Quam rem diligenter exſequitur Santra libro ſecundo de antiquitate verborum.* Plura de recinio, ſive ricinio, ſi voles, vide, quæ ex Varrone adducit Non. Marcellus.

3. §. *Verùm non in planipedibus tantùm, ſed aliis etiam Latinis mimis, videamus præcipua, quæ ad ſcenam pertinent. Mimos qui agerent, centunculis gaudebant, quia argumentum eſſet humile; perſonæ viles, atque abjectæ.*

Appulejus in Apologia: *Quid enim, ſi choragium thymelicum poſſideremus? num ex eo argumentarere, uti me conſueſſe tragœdi ſyrmate, hiſtrionis crocota, mimi centunculo?* Hoc quoque oſtendit, hilarodiam non pertinere ad mimos. Ut in qua uterentur veſte candidâ, & coronâ aureâ; ſicut ex Athenæo diximus.

4. §. *Sanniones mimum agebant raſis capitibus; quæ alaparum contumeliis objiciebant.*

Hinc Artemidorus lib. I. Oneirocrit. cap. XXIII. ait; malum eſſe, ſiquis ſomniet, ſibi omnem capillum deradi: præterquam Αἰγυπτίων θεῶν ἱερεῦσι, καὶ γελωτοποιοῖς, καὶ τοῖς ἔθος ἔχουσι ξυρᾶσθαι. *Ægyptiorum Deorum ſacerdotibus, & mimis, atque his, quibus mos eſt radi.* Per ſacerdotes Ægyptios intelligit Iſiacos: unde Ἰσιακῶν ξύρησις ‡ apud Plutarchum de Iſiride, & Oſiride. Et Martialis lib. XII. ep. XXIX:

‡ *Iſiacorum raſura.*

Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba.

Et Appulejus de iiſdem lib. X: *Hi capillum deraſi funditus vertice prænitentes.* Addit Artemidorus, non ſolùm Iſiacis id, quod dixi, ſomniare, bonum eſſe; ſed & ſannionibus mimicis: quia & illi in ſcena capite raſo; unde Nonius Marcellus: *Calvitur, dictum eſt, fruſtratur. Tractum à calvis mimicis, quòd ſint omnibus fruſtrati.* Hinc Ἀνθολογίας lib. II. cap. III:

—— Μῶρον ὁρῶ φαλακρόν.

—— *Calvum conſpicio hic fatuum.*

Puta non naturâ calvum, ſive vitio corporis; verùm ſtudio, ex capite raſo. Nam valde errat Theod. Marcilius, cùm in notis ad leges XII. Tabb. eodem refert illud dicterium in Julium Cæſarem †: *Mœchum calvum adducimus.* Ubi ait: *Calvum dici, ut in mimo, ridiculum.* Sanè ridiculè, cùm ſatis ſit notum, calvitium ſolere objici adulteris, quia ſæpius ſit à libidine. At poëta Græcus loquitur non de calvitie mœchorum; verùm ſannionum, ac mimorum. De quibus & locus iſte Arnobii lib. VII: *Mimis nimirum Dii gaudent; & illa vis præſtans, neque ullis hominum comprehenſa naturis, libentiſſimè commodat audiendis his aures: delectantur, ut res eſt, ſtupidorum capitibus raſis, ſalpictarum ſonitu, atque planſu.* Ubi eandem nos docet conſuetudinem, qua mimi vertice raſo præberent caput pulſandum. Nam *ſalpicta* notat ῥάπισμα, ut gloſſæ vett. exponunt. Alaparum, ictuumque iſtorum, meminit quoque Tertullianus, ac Cyprianus, uterque libro de Spectaculis. Et ante ſcriptores hoſce Eccleſiaſticos Martialis lib. II. epigramm. LXXII:

† *Sueton. Jul. cap. 51.*

*O tibi percíſum * eſt, quanto non ipſe Latinus*
Vilia Panniculi percutis ora ſono.

Et lib. V. epigr. LXIII:

O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini!
Te ſucceſſurum credo ego Panniculo.

* *Sic meliores libri, ac melius, quàm in nonnullis præciſum.*

5. §. *Ad mimum agendum etiam uſi canibus hiſtrioniam edoctis.*

Ut auctor Plutarchus, libro, quo comparat animalia terreſtria, & aquatilia. Qualia ſine dubio poëſin mimicam deſpectiorem reddidere.

Cap. XXXIII.

De mimorum initiis, ac progreſſu.

1. §. *Nunc de mimorum ſcriptoribus dicam. Ac rem, quàm potero, altiſſimè arceſſam. Sunt, qui ridiculorum inventionem Rhadamantho, & Palamedi, adſcribant.*

Hanc ſententiam Athenæus in XIV ‡ comprobat Anaxandridæ verſibus in Γεροντομανίᾳ *. Intellige autem artem ridicula dicendi, vel agendi. Nam velle definire, quando primùm quid ridiculè dictum, factumve ſit, id prorſus ridiculum puto. Credo, prope cum hominibus ipſis id cœptum: ac fortaſſe præcipua à pueris origo; qui ridiculè & voces, & geſtus, imitantur, non ſine parentum, aliorumque delectamento.

‡ *Pag. 614. edit. Commel.*

* *Senum amentia.*

2. §. *Alii, ut comœdiæ, propter Epicharmum; ita & mimorum inventionem tribuunt Siculis, idque ut videtur, propter Sophronem.*

Solinus cap. XI, ubi de Sicilia: *Hîc primùm inventa comœdia eſt: hic & cavillatio mimica in ſcenâ ſtetit.* Sanè Syracuſanus fuit Sophron: ut teſtantur Heſychius Mileſius, & Suidas in Σώφρων. Item Joannes Tzetzes Chil. X. hiſtor. CCCLV. Qui Sophronis Syracuſani mimos, à Dione emtos, & Platoni ait Donatos. Meminit ejus mimorum Ariſtoteles quoque de Poëtica cap. I, & Scholiaſtes Nicandri in Theriacis. Adhæc Athenæus lib. VIII, & Pollux lib. X, cap. XX; ubi uterque mentionem facit mimi, qui Νυμφοπόνος diceretur. Uti Ἄγγελον ejus laudat Germanicus, ſive ejus interpres in Arati Phænomena. *Sophron*, inquit, *in mimo, qui Nuncius inſcribitur: Omnes invocant Jovem omnium principem.* Etiam Θυννοθήραν, & Λογχάδας, celebrat Etymologici magni ſcriptor. Univerſi autem mimi vel ἀνδρεῖοι † erant, vel γυναικεῖοι ‡: quod partim ex pleriſque eorum, quos jam diximus, videre eſt; partim etiam ex Harpocratione, & Stobæo. At Heſychius, & Suidas, ajunt, fuiſſe ſcriptos

† *Viriles.*

‡ *Muliebres.*

ptos καταλογάδην Δωρίδι διαλέκτῳ, *oratione ſolutâ, linguâ Doricâ.* Fuiſſe obſcuriores, indicat hoc Statii Papinii lib. v. Sylv.

Sophronaque implicitum, tenuiſque arcana Corinnæ.

3. §. *Quanti ejus mimos fecerit Plato, oſtendit, quòd cùm antea negligerentur, primus eos in Græciam invexerit.*

Teſtis Diogenes *. Neglecti verò fuerint per longum ſpatium, ſi Sophron ætate vixerit Xerxis; ut Suidas ait. Sed addit, fuiſſe etiam temporibus Euripidis, qui Socratis æqualis. Quod ſi eſt, fuerit Sophron admodum longævus. Nam Socrates natus eodem anno, quo Xerxes exceſſit, nimirum Olympiadis LXVII. anno IV. ut monuit Apollodorus in Chronicis.

* In Platonis vita.

4. §. *Nec ætate hic Platonis erga Sophronem ardor reſerbuit. Nam ſemper iis indormiebat; imò etiam, cùm moreretur, capiti ſuppoſitos habuiſſe, traditum eſt.*

Teſtis Valerius Max. lib. VIII. cap. VII. *Altero etiam, & octogeſimo anno, decedens Plato ſub capite Sophronis mimos habuiſſe fertur.* Fabius lib. I. cap. XVII. *Sophron mimorum quidem ſcriptor; ſed quem Plato adeò probavit, ut ſuppoſitos capiti libros ejus, cùm moreretur, habuiſſe credatur.* Sanè indormire iis ſueviſſe, auctores etiam ſunt Heſychius Mileſius, & Suidas.

5. §. *Romæ inter mimos in honore habiti fuere Æſopus, & Q. Roſcius: tragœdus ille, hic comœdus. Mox magnum Laberii, & Publii Syri, paulloque poſt Philiſtionis Nicæni, nomen fuit.*

Æſopi hiſtrionis, Roſciique, crebra apud Tullium, & alios, mentio. Magnopere Roſcio delectatus L. Sylla: imò is cum Sorice pantomimo, & Metrobio lyſiodo, omnia apud eum poterat: ut Plutarchus in Syllæ vita ait. De Publio Laberio ſic Agellius lib. XVII. cap. XIV. *Publius mimos ſcriptitavit; dignuſque habitus eſt, qui ſuppar Laberio judicaretur.* Sed inprimis Macrobium vide in Saturnalibus lib. II. cap. VII. Mimi Laberiani, cui nomen *Scriptura*, & alterius, cui nomen *Reſtio*, meminit Agellius lib. III. cap. XVIII. & lib. X. cap. XVII. Atque horum quatuor ætas ſatis nota. Philiſtio, ſi Suidæ credimus, Socratis temporibus vixit: ſed non dubitandum, quin veriùs prodiderit Euſebius in Chronicis, fuiſſe extremis Auguſti temporibus. Ait Suidas, ſcripſiſſe comœdias βαιολογικάς: ſed legendum apud eum, βιολογικάς. Nam βιολόγοι *mimi.* Patriâ fuit Nicænus; ut mirum ſit, non meminiſſe ejus Stephanum in Νίκαια. Nempe moviſſe eum videtur diſſenſus, qui de patria ejus erat. Nam alii Pruſienſem, vel Sardianum putarunt, Suidâ teſte. Sed Nicænum clarè facit epigramma vetus: cujus priores verſus duos etiam Suidas adducit: integrè verò ſic legitur in Ἀνθολογίας lib. III. Tit. VI. εἰς ἄνδρας ἐπισήμους.

Ὁ τὸν πολύστονον ἀνθρώπων βίον
Γέλωτι κεράσας Νικαεὺς Φιλιστίων,
Ἐνταῦθα κεῖμαι, λείψανον παντὸς βίου
Πολλάκις ἀποθανὼν, ὧδε, δ' οὐδέ πώποτε.
Qui gemebundam (vel *multis gemitibus plenam*) *hominum vitam*
Riſu miſcui Nicænſis Philiſtion
Hic ſitus ſum, reliquiæ totius vitæ:
Sæpe mortuus, (hoc eſt, ob valetudinem plurimùm adverſam, ſæpe mortuus creditus) *ſic autem,* (hoc eſt, verè, ut hìc nunc jaceo) *nunquam.*

Atque huc, ni fallor, reſpexit Caſſiodorus lib. IV. epiſt. ult. *Mimus etiam, qui nunc tantummodo deriſui habetur, tantâ Philiſtionis cautelâ repertus eſt, ut ejus actus poneretur in literis: quatenus mundum curis edacibus æſtuantem lætiſſimis ſententiis temperaret.* Ubi aliqui *repararet.* Sed rectum *temperaret*, ut in Græco κεράσας. De eodem Martialis lib. II. epigr. XLI.

Mimos ridiculi Philiſtionis,
Et convivia nequiora vitâ.

Meminere & alii multi: Athenæus ſæpius, Julius Africanus epiſtolâ ad Originem περὶ τῆς κατὰ Σωσάνναν ἱστορίας *, Ammianus Marcellinus lib. XXX. Epiphanius lib. I. Hæreſi XXI. & lib. II. hæreſi LXVI. Chryſoſtomus T. VII. Εἰς † τὸ, ἐξελθόντες οἱ Φαρισαῖοι συμβούλιον ἔλαβον: ſed ibi perperam ſcriptum Φιλησίων: item Hieronymus Apolog. adversùs Rufinum: Caſſiodorus Formulâ LI. lib. IV. Heſychius Mileſius ſive Illuſtris in Philemone, Joannes Tzetzes Chil. VIII. hiſt. CCL. & Antonius Monachus in Meliſſâ ſuâ; qui & verſus ejus aliquoties adducit. Magnum & ætate Martialis fuit nomen Latini mimi: cujus epitaphium apud eum vide lib. IX. epig. XXVIII.

* Libro de hiſtoria Suſannæ.

† Pag. 328. edit. Savil. Homiliâ in verba illa: Phariſæi verò egreſſi conſilium ceperunt.

6. §. *Clarum etiam nomen Cn. Mattii fuit.*

Hominem impensè doctum vocat Agellius lib. X. cap. XXIV. ubi cum in mimiambis ait *die quarto*, pro *nudiuſquartus*, dixiſſe. Idem lib. XV. cap. XXV. appellat *virum eruditum*: ac itidem in mimiambis ait uſurpâſſe *recentatur* pro ἀνανεοῦται, & *edulcatur*, ut Græci ἡδύνει: ac lib. XX. cap. IX. ex ejuſdem mimiambis ſex citat σκάζοντας ‡: quibus ſe Antonius Julianus delectari dicebat ob nova verborum figmenta. De eodem ſic Terentianus Maurus:

‡ Claudicantes.

Hoc mimiambus Mattius dedit metro.
Nam vatem eundem eſt Attico thymo tinctum
Pari lepôre conſecutus, & metro.

Significat, ſcripſiſſe jambos Hipponactenos σκάζοντας, ac tum metrum, tum leporem Hipponactis expreſſiſſe.

7. §. *Domitiani temporibus claruit Lentulus mimus, homo nequam: cujus in fabula non fictus Laureolus in ficta cruce; ſed verus in vera cruce pependit, & ab urſo laceratus dignas ſceleribus ſuis pœnas dedit.*

Lentuli hujus meminit Martialis in Amphitheatro epigr. VI.

Nuda Caledonio ſic pectora præbuit urſo
Non falsâ pendens in cruce Laureolus.

At tum Laureoli, tum Lentuli, Juvenalis ſat. VIII.

Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me dignus verâ cruce.

Erat mimus ille homo improbus; unde ipſum cruce dignum fuiſſe pronunciat Juvenalis. Etiam Tertullianus, libro de Pallio cap. IV. meminit *mimographi Lentuli in Catinenſibus.* Idem in Apolog. cap. XV. ait; *Diſpicite Lentulorum, & Hoſtiliorum venuſtates, utrùm mimos, an Deos veſtros, rideatis.* Ubi & Hoſtilium mimographum videmus. De Lentulo item Hieronymus ad Sabinianum: *Hæc tibi relicta forte videantur, qui comœdis, & lyricis ſcriptoribus, mimis, & Lentulis, delectaris.*

8. §. *M. Antonini philoſophi temporibus in honore erat M. Marullus.*

Meminit Julius Capitolinus in M. Antonino Philoſopho: item Servius Honoratus in Ecl. VII. ubi hoc ex eo adducit: *Tu, ut Hector, ab Ilio nunquam recedis.* Ludit verò *Ilii* voce: quaſi *ilia* non eſſent ab *ile*, ſed ab *Ilium.*

9. §. *Fuere etiam alii multi: in his (de ætate neſcitur) L. Acilius; qui quo loco fuerit, indicat, quòd dictus ſit* archimimus.

Ut in veteri inſcriptione *: L. ACILIO L. F. POM. CUTICLÆ NOBILI ARCHIMIMO COMMUNI MUNERE ADLECTO DIURNO PARASITO APOLL. TRAGICO, COMICO PRIMO SUI TEMPORIS &c. Et alia †: L. ACILIO, L. FILIO POMP. EUTYCHÆ NOBILI ARCHIMIMO COMMUN.

* In collectione Inſcriptionum Gruterianâ pag. 330. num. 2.

† Ibidem pag. 1089. num. 6.

MIM. MIMOR. ADLECTO DIURNO PARASITO APOLL. TRAGICO, COMICO SUI TEMPORIS &c. Sic & *archimimas* dixere. Quomodo in quadam inſcriptione * Romæ memoratur ARETE ARCHIM. TEMPORIS SUI PRIMA DIURNA.

* Pag. 330. num. 4.

Cap. XXXIV.

De damno, quod ſapientum judicio darent mimi.

1. §. *Sed piget diutiùs mimis inſiſtere. Utcumque enim Sophron, Publius Syrus, Laberius, & alii nonnulli, quibus vita ſententiis, ac novorum verborum ſegmentis, multum ſint laudis conſecuti: plures tamen viris bonis diſplicuere, eo quòd dictis, ac geſtibus obſcenis, non tam mores populi corrigerent, quam corrumperent.*

Unde Horatio † conjunguntur:

Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne.

† Lib. 1. ſat. 2.

Ac ſimiliter *mimi*, & *balatrones*, ſociantur Vopiſco libro de vita Cari, Carini, & Numeriani. Nec enim audiendus Baptiſta Egnatius, qui poſteriori loco reponebat *ballones*: quomodo dicti aquarioli, ſive μεροδιάιτοι, qui Græcis βαλλιζεις ‡ ἀπὸ τοῦ βάλλειν τὸ ὕδωρ ʇ. Eſt & Joannis Sariſberienſis Policratici lib. 1. cap. VIII. *Satius fuerit otiari, quàm turpiter occupari. Hinc mimi, ſalii, vel ſaliares, balatrones, Æmiliani, gladiatores, palæſtritæ, gignadii, præſtigiatores, malefici quoque multi, & tota joculatorum ſcena procedit.*

‡ Vide Salmaſium ad Vopiſcum.

ʇ Quia immitterent ſive infunderent aquam.

2. §. *Non ignoravit hoc prudentiſſima Maſſilienſium civitas; quæ propterea mimos non admiſit.*

Valerius Maximus lib. II. cap. VI. *Eadem* (Maſſilienſium) *civitas ſeveritatis cuſtos acerrima eſt; nullum aditum in ſcenam mimis dando; quorum argumenta majore ex parte ſtuprorum continent actus; ne talia ſpectandi conſuetudo etiam imitandi licentiam ſumat.* Alia ibidem legas ad laudem ejuſce civitatis. Quò etiam pertinent iſta Ciceronis oratione pro L. Flacco: *Cujus ego* (Maſſilienſis) *civitatis diſciplinam, atque gravitatem, non ſolùm Græciæ, ſed haud ſcio, an cunctis gentibus anteponendam jure dicam: quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, diſciplinis, linguàque diviſa, cùm in ultimis terris cincta Gallorum gentibus, barbariæ fluctibus alluatur; ſic optimatum conſilio gubernatur, ut omnes ejus inſtituta laudare faciliùs poſſint, quàm æmulari.*

3. §. *Propterea & paſſim in mimos invehuntur veteris Eccleſiæ doctores.*

Tertullianus lib. de Spectaculis cap. XVII. *Similiter impudicitiam omnem amolimur. Hoc igitur modo etiam à theatro ſeparamur; quod eſt privatum conſiſtorium impudicitiæ; ubi nihil probatur, quàm quod alibi non probatur. Ita ſumma gratia ejus de ſpurcitia plurimùm concinnata eſt; quam Atellanus geſticulator, quam Mimus etiam per mulieres repræſentat, ſexum pudoris exterminans, ut faciliùs domi, quàm in ſcena, erubeſcant.* Minucius Felix in Octavio: *In ſcenis etiam non minor furor, turpitudo prolixior. Nunc enim mimus vel exponit adulteria, vel monſtrat: nunc enervis hiſtrio amorem, dum fingit, infligit.* Arnobius lib. IV. *Quid illa mimorum, atque exoleti generis multitudo?* Lactantius lib. VI. Divinarum Inſtitutionum cap. XX. *Quid de mimis loquar, corruptelarum præferentibus diſciplinam? qui docent adulteria, dum fingunt, & ſimulatis erudiunt ad vera. Admonentur utique quid facere poſſint, & inflammantur libidine, quæ aſpectu maximè concitatur; ac ſe quiſque pro ſexu in illis imaginibus præfigurat; probantque illa, dum rident, & adhærentibus vitiis corruptiores ad cubicula revertuntur: nec pueri modò, quos præmaturis vitiis imbui non oportet; ſed etiam ſenes, quos peccare jam non decet, in talem vitiorum ſemitam delabuntur.* Vide & quæ de hiſce mimis, & omni theatrorum fœditate, ſcribunt Epiphanius in fine librorum contra hæreſes, Chryſoſtomus homil. LXIX. cap. XXI. in cap. XXI. Matth. & homil. LXII. ad populum Antiochenum, & homil. in Pſal. L. Auguſtinus lib. I. de Conſenſu Euangel. cap. XXXIII. & lib. II. de ſymbol. cap. II. atque alii magno numero. Nec propterea prorſus theatra damnamus. Uſum retinemus: quem docet ſapiens ille Hiſpanus, Ludovicus Vives lib. III. de ratione dicendi, cap. De Poëticis *: *Quoniam theatrum ex promiſcua conſtat turba; viris, mulieribus, virginibus, pueris, puellis, animis rudibus, teneris, & ad corrumpendum obnoxiis; quantum ſcelus eſt venenum inter illos ſpargere? Ea propter ſcenica fabula proponant ſibi, tanquam album, commendationem virtutis, inſectationem vitiorum: doceant uſum verum, & prudentiam communem: nihil exprimant, unde molles animi flecti poſſint in pejus.*

* Pag. 146. edit. Baſil. an. 1555.

Cap. XXXV.

De Atellanis.

1. §. *Quas hactenus fabulas memoravimus, in Græcia agebantur linguâ Græcâ; apud Romanos autem Romanâ: nunc loquar de fabulis, quæ Romæ docerentur linguâ Oſcâ, quæque ab Atella, Oſcorum civitate, ubi primùm actitatæ,* Atellanæ *nominabantur.*

Ut Livius tradit lib. VII. Unde & *Oſci ludi* dicuntur Ciceroni lib. VII. epiſt. I. ad familiares; teſte Turnebo Adverſ. lib. XII. cap. XVIII. Nec aliter *Oſcum ludricum* vocat Tacitus in Annalium quarto; ut in Commentario ibidem obſervat Juſtus Lipſius. Portò linguam Oſcam à Latina diſcrepâſſe, ſatis indicat hoc Titinnii apud Feſtum †:

Qui Oſcè, & Volſcè, fabulantur: nam Latinè neſciunt.

† Lib. 13.

Interea Romani quoque eam intelligebant, quia dialecto ſolùm differret à Romana. Campanos, atque adeò Samnites ipſos, eâ uſos eſſe, ex Livio ſcimus. Portò etiam, poſtquam Oſca gens eſſe deſierat; dialectus hæc in ludis Oſcis permanſit. Cujus rei teſtis locuples Strabo lib. V. Ἴδιον δέ τι τοῖς Ὄσκοις καὶ τῷ τῶν Αὐσόνων ἔθνει συμβέβηκε· τῶν μὲν γὰρ Ὄσκων ἐκλελοιπότων, ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις· ὥστε ποιήματα σκηνοβατεῖσθαι, κατά τινα ἀγῶνα πάτριον, καὶ μιμολογεῖσθαι. *Peculiare quid Oſcis, & Auſonum genti, contingit. Cùm enim Oſci non ampliùs ſuperſint; eorum tamen ſermo permanet apud Romanos; ita ut ejuſmodi poemata, ac mimi, in ſcenam proferantur, quæ in certamine quodam, majorum inſtituto celebrantur.*

2. §. *Atellani aliter dicti* exodiarii, *ab exodio fabulæ, in quo intrabant ad riſum ciendum.*

Finis, ſive exitus rei, Græcis non ἔξοδος modò, ſed etiam ἐξόδιον dicitur. Sic uſus Plutarchus in Craſſo, è Latinis Varro; cujus tria adducit loca Marcellus. Habes & vocem apud Feſtum: *Ad exodium, ad exitum.* Fabulæ Atellanæ exodium legas apud Juvenalem ſat. VI.

Urbicus exodio riſum movet Atellanæ.

Quem ad locum ſic vetus interpres: *Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quòd ridiculus foret; ut quicquid lacrymarum, atque triſtitiæ, coëgiſſent ex tragicis affectibus, hujus ſpectaculi riſus detergeret.* Adjungit quoque Lucilii illud:

—— Principio dignum, exodiumque ſequatur.

Prout eum locum Salmaſius correxit Notis in Vopiſci Aurelianum ‡. Vulgo legitur, *exitus dignus*: videlicet ex

‡ Pag. 384.

ex gloſſa. Joſephus Scaliger commentario in Manilium arbitratur, quæ initio fabulæ interponerentur, vocata eſſe εἰσόδια; ut quæ in medio, ἐμβόλια; quæque in fine, ἐξόδια. Sed vide, an non magis placeat ſententia ejuſdem Salmaſii, viri non ſine laude nominandi. Docet vero, exodia fabularum non fuiſſe introducta in extremam fabulam, ut nomine exodii deceptus cùm veteri Juvenalis interprete Scaliger arbitrabatur; ſed fuiſſe rem à fabula prorſus ſeparatam: imò nec Julium Firmicum aliter capiendum, cùm ait, *effeminati corporis mollitie cinædos efficient, & qui veterum fabularum exitus in ſcenis ſæpe ſaltantes imitentur.* Ubi per *exitus fabularum*, non finem, ſed ipſas intelligit fabulas. Præterea eo ab Scaligero abit, quòd putat, ἐπεισόδια, & ἐμβόλια, fuiſſe diverſa in re ſcenicâ; indeque *emboliariam mulierem* Plinio* dictam, quia embolia ſaltaret in ſcena. Stephanus Pighius in Annalibus Romanis ad an. IↃCLXXI, ait emboliariam eſſe mimam *primùm ingredientem, quæ ſcenæ repræſentandæ argumentum populo demonſtrat, quemadmodum prologus apud Terentium.* Embolii voce uſus etiam Tullius. Ut lib. III. ad Quinctum Fratrem epiſt. I: *Mirificum ἐμβόλιον cogito in ſecundum meorum librorum inducere, dicentem Apollinem in conſilio Deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus eſſet.* Piſonem, & Gabinium ſignat. Luſit etiam ambiguo hoc vocabulo orat. pro Sextio: *Ipſe ille maximè ludius, non ſolum ſpectator; ſed actor, & acroama, qui omnia ſororis embolia novit.* Loquitur de P. Clodio; qui cum ſorore Clodiâ rem habuiſſe ferebatur.

* *Lib. 7. cap. 48, quod eſt de ſpatiis vitæ longiſſimis.*

3. §. *Hæ fabulæ partim ad comœdiæ, partim ad Satyricæ fabulæ naturam accedunt: ut dici poſſint comœdiæ ſatyricæ.*

Comœdiis accenſet Donatus, vel alius, proleg. in Ter. cum ait: *Comœdiarum formæ ſunt tres; palliatæ, Græcum habitum ferentes, quas nonnulli tabernarias vocant. Togatæ, juxta formam perſonarum, habitum togarum deſiderantes. Atellanæ, ſalibus, & jocis compoſitæ, quæ in ſe non habent, niſi vetuſtam elegantiam.* Ubi aliquis fortè *venuſtam* malit. Sed rectum eſt *vetuſtam*: quia in ridiculis intexendis *morem antiquum* ſequerentur, ut ait Livius, cujus verba mox adducam. Et hinc dicti ἀρχαιολόγοι, ut antea monitum. At Satyricæ fabulæ ſimiles eſſe dicit Diomedes lib. III: *Tertia ſpecies eſt fabularum Latinarum, quæ à civitate Oſcorum Atella, in qua primùm cœptæ, Atellanæ dictæ ſunt, argumentis, dictiſque jocularibus, ſimiles ſatyricis fabulis Græcis.* Ex his, puto, cognoſci poſſe, quid ſibi voluerit Athenæus lib. VI, cùm ſcribit, L. Syllam Romanâ linguâ ſcripſiſſe σατυρικὰς κωμῳδίας †. Nec enim Romani habuere comœdias Satyricas: ſed (ut optimè viri docti obſervant) eas intellexit, quæ hilaritate, & facetiis referrent Satyricas Græcorum: quales Romanis fuere, quæ Atellanæ dicebantur,

† *Comœdias ſatyricas.*

4. §. *Conveniunt cum Satyricis Atellanæ ſalibus, ac jocis.*

Valde enim falluntur ſummi viri, qui ajunt, Atellanas fuiſſe drama ſerium; jociſque, ac facetiis excluſis, ſeveritatem accepiſſe. Nam longè aliud Diomedis verba docent; imo & clarè contrarium evincit Livii ‡ locus, quem pro ſe adferunt. Is iſtiuſmodi eſt: *Poſtquam lege hac fabularum, ab riſu, ac ſoluto joco, res avocabatur, & ludus paullatim in artem verterat; juventus, hiſtrionibus fabularum actu relicto, ipſa inter ſe, more antiquo, ridicula intexta verſibus jactitare: quæ inde Exodia poſtea appellata, conſertaque fabellis potiſſimùm Atellanis ſunt. Quod genus ludorum ab Oſcis exceptum tenuit juventus; nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt.* Quid manifeſtius ex iſtis, quàm Atellanarum exodia non gravia, & ſeria; ſed ridicula, & jocularia fuiſſe? Quod & vetus Juvenalis interpres indicat, verbis iis, quæ aliquanto antè adducebamus. Non dubium igitur, quin exodia fuerint ſimilia Græcorum Satyris, qui adhibebantur ad exhilarandam tragœdiam. Hinc idem Juvenalis, uti paullò antè dictum:

‡ *Lib. 7.*

Urbicus exodio riſum movet Atellanæ
Geſtibus Autonoës.

Exodium Atellanæ etiam intellexit Suetonius in Domitiano: *Occidit & Helvidium filium, quòd, quaſi ſcenico exodio, ſub perſona Paridis, & Oenones, divortium ſuum cum uxore tractâſſet.*

5. §. *Differebant Atellanæ à ſatyricâ fabulâ perſonis: quæ Oſcæ hìc erant, non Satyri.*

Diomedes lib. III: *Latina Atellana à Græca Satyrica differt, quòd in Satyrica ferè Satyrorum perſonæ inducuntur, aut ſiquæ ſunt ridiculæ ſimiles Satyris; Autolycus, Burris. In Atellanâ Oſcæ perſonæ; ut Maccus.* Nam cur *Oſcæ*, non *obſcenæ*, legendum putem, mox liquebit.

6. §. *Differunt Atellanæ à mimis, quia joci exodii Atellanici gravitate Italicâ condiebantur. Quippe plurimùm erant ingenui; non turpes, & obſceni.*

Hinc Cicero ad Papirium lib. IX. epiſt. XVI: *Non Atellanum, ſed mimum introduxiſti.* Nimirum conqueritur Cicero, quòd à Papirio non modeſtè, & more Atellanarum, riſus ſit; ſed mimicè, & parùm verecundè. At neutiquam hujus loci ſententiam aſſecutus eſt Nicolaus Loënſis Epiphyllidum lib. II. cap. XII. ubi ex Tullio colligit, mimorum fabulas eaſdem fuiſſe poſteris, quæ priſcis erant Atellanæ. Lilius dial. VI. de poëtis, & Caſaubonus de ſat. legunt apud Diomedem: *In Atellana obſcenæ perſonæ; ut Maccus.* Ac ſic ediderat Joa. Cæſarius. Sed legendum *Oſcæ.* Nam Atella Oſcorum civitas, quorum perſonas inducebant. Obſcenæ verò perſonæ mimis potiùs conveniebant, quàm Atellanis; ut diximus.

7. §. *Hac de cauſa Atellanarum Actores honeſtiori loco erant, quàm cæteri hiſtriones.*

Livius lib. VII: *Eò inſtitutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, & ſtipendia, tanquam expertes artis ludicræ, faciant.* Valerius Max. lib. II. cap. IV. *Atellani ludi ab Oſcis adſciti ſunt: quod genus delectationis Italicâ ſeveritate temperatum; ideoque vacuum notâ eſt, nam neque tribu movetur, neque à militaribus ſtipendiis repellitur.* Unde aliqui cenſent, Atellanas illas, prout agebantur Atellæ, fuiſſe laſciviores: ſed Romanos, ut gravitate eorum dignum erat, jocos Atellanarum ſeveritate ſuâ temperâſſe. Quod ſi eſſet, puto, non *Italicâ*, ſed *Romanâ ſeveritate*, dixiſſet Valerius. Nec meliùs, qui ex verbis ejus colligunt, in Atellanis ſic ſevera fuiſſe exordia, ut jocos omnes excluderent. Eſtque error is contrarius illorum errori, qui obſcenum fuiſſe drama arbitrantur.

8. §. *Eâ etiam prærogativâ gaudebant, quòd, etſi diſplicuiſſent, non cogerentur propterea perſonas ponere in ſcena: à quo jure* perſonati *vocabantur.*

Feſtus: *Perſonata fabula quædam Nævii inſcribitur, quam putant quidam primùm* (actam) *à perſonatis hiſtrionibus. Sed cùm poſt multos annos comœdi, & tragœdi, perſonis uti cœperint: veriſimilius eſt, eam fabulam, propter inopiam comœdorum, actam novam per Atellanos; qui propriè vocantur Perſonati, quia jus eſt iis, non cogi in ſcena ponere perſonam; quòd cæteris hiſtrionibus pati neceſſe eſt.*

 9. §. In-

Googl

9. §. *Interim, ut omnia in deterius vergunt, credibile eſt, Atellanas etiam fabulas tandem, omiſſâ gravitate Italicâ, nequitias omnes expreſſiſſe.*

Itaque, quos *exodiarios* appellat Juvenalis interpres, ſignari puto à Julio Firmico lib. VI. Matheſ.* *Cum effeminati corporis mollitie cinædos efficient, & qui veterum fabularum exitus in ſcenis ſæpe ſaltantes imitentur.*

* Cap. 31, cujus lemma, Catholica ſiderum promiſcuè poſitorum decreta. pag. 178. edit. Hervag.

10. §. *Gaudebant Atellanarum ſcriptores verſu jambico, tum trimetro, in quo plures eſſent pedes triſyllabi; tum tetrametro brachycatalecto, qui trimetro ſyllabam brevem cum duabus longis ſuperaddit.*

De priori auctor Marius Victorinus lib. II. artis grammaticæ †. Nam cùm dixiſſet, metrum ſatyricum eſſe medium inter tragicum, & comicum ſtylum, ſubdit paullò pòſt: *Quod genus noſtri in Atellanis habent. Gaudent autem triſyllabo pede, & maximè tribrachy. Exemplum hujus:*

† Cap. de metro jambico.

Muſa Iovem laudate, & agiles date choros.

Idem libro III, quo loco de trimetro jambico tractat, cùm egiſſet de jambico tetrametro catalectico; quale illud,

Trahuntque magnis navitæ clamoribus carinas: ſubjungit iſta: *Frequens hoc Comicis metrum, & præcipuè antiquæ comœdiæ ſcriptoribus. Noſtri quoque Plautus, & Cæcilius, & Turpilius, non aſpernati ſunt. Atellanarum autem ſcriptores appetiverunt. Eſt enim jocoſis motibus emollitum, geſtibuſque agentium ſatis accommodatum.* Etiam apud Marium Plotium, libro eo, quem de metris reliquit, legere eſt ‡, Satyricum metrum conſtare ſpondeo, jambo, ſpondeo, tribrachy, & tribus jambis: ut ſit jambicum tetrametrum brachycatalectum. Quare, ſi, ut Victorinum dicentem audiimus, Atellanæ gaudent metro Satyrico: hoc ipſum quoque arguit, eas jambicum metrum amare. Adfert autem Plotius tale Satyrici exemplum, paulum à ſuperiori differens:

‡ Cap. de ſatyrico tetrametro coluro.

Τὸν Πύθιον, τὸν Δήλιον, ὃν ἔτικτε Βίχορον.

Ubi placet conjectura filii Iſaaci, J. C. ſic corrigentis:

Τὸν Πύθιον, τὸν Δήλιον, ὧ ἴσως εἴδει χορός *.

* Pythium eundemque Delium, quem amicus colit chorus.

Addit Plotius & hoc, è Victorino antè, ſed paullò aliter, adductum:

Muſa Iovem laudate, & agiles choros date.

Sed hìc legendum arbitror, *etiam agiles choros date.* Sic enim poſt tribrachyn tres jambi conſequentur. Aloqui ſecum Plotius pugnet.

11. §. *Romæ Atellanas celebrarunt Q. Novius, L. Pomponius Bononienſis, & Mummius.*

Macrobius lib. I. Saturnal. cap. X: *Mummius poſt Novium, & Pomponium, diu jacentem artem Atellaniam ſuſcitavit.* Pro *Novio* perperam ſæpius, vel *Nævium*, vel *Nonium*, legas. Quemadmodum & malè confundi videas à nonnullis L. Pomponium Bononienſem, quem Atellanarum ſcriptorem etiam Agellius † ſtatuit, & L. Pomponium Secundum, poëtam tragicum, cujus vitam Plinius ‡ ſcripſit. Nec abit à Macrobio Petrus Crinitus, cùm lib. I. de Poëtis cap. ult. Novio Pomponium poſtponit; etſi Glandorpius in Onomaſtico tradat, Macrobii verborum ordinem, ac ſententiam, totam invertere, adverſus notam hiſtoriæ veritatem. Quæ ſomniculoſè ſcripta. Mummii fragmentum habes loco Macrobii antè memorato.

† Lib 17. cap. 2.

‡ Plin. lib. 14. cap. 4.

CAP. XXXVI.

De PANTOMIMIS, ac primùm, an de iis in arte Poëtica, & ubi loci, agi oporteat. Deinde de vocabulo *Pantomimi*, ac in quo ejus conſtiterit artificium.

1. §. *Priuſquam à dramatis pedem moveam ad Epicos; agendum videtur de Pantomimus. Sed initio occurrendum, tum iis, qui arbitrantur, in arte Poëtica non eſſe pantomimis locum: tum his, qui id non diſſitentur; ſed judicant, poſt mimos proximè de pantomimis agi oportuiſſe. Pro prioribus video afferri illud poſſe, quòd Eloquentia, ut alibi * oſtendimus, tum eam comprehendat, quæ in oratione ſolutâ conſiſtit, ut Oratoria: tum ſororem ejus, Poëticen, quæ ſermone conſtat ligato. At quomodo eloqui dicatur, qui neutiquam loquitur? Hoc quidem pantomimus cum poëta habet commune, quod imitetur: verum eo differt, quod non canendo, loquendoque imitetur; verùm pedum agilitate, ac totius corporis geſtibus, præcipuè autem manuum imitatione. Huic argumento ſatis occurritur, ſi tum tempora artis diſtinguamus: tum etiam attendamus, quid poëta debuerit pantomimus. Primùm iidem cantores erant, & ſaltatores: utrumque enim munus hiſtriones ſuſtinebant, canendo in diverbiis, & ſaltando in canticis. Poſtea autem, nempe ab Livii Andronici temporibus, alii fuere, qui ſolùm ſaltarent: alii autem, qui non ſaltabundi, ſed ſtantes canerent, ac pronunciarent. Attamen tunc etiam fabula, quam poëta ſcripſerat, non agebatur, niſi & cantoribus, & hiſtrionibus, operam ſuam conferentibus: ut ſatis videamus, Poëticæ artis eſſe præſcribere legem, quâ fabula tum cani ſive pronunciari; tum etiam agi, ſaltarique debeant. Tertium tandem tempus, Auguſto imperante, ſucceſſit, quo ſeparata eſt ſaltatio à cantu, ſive pronunciatione; ſolumque fabula deſaltabantur. Sed ex iis, quæ diximus, liquet, utcunque perfectior ſit imitatio, quæ fit ſermone; tamen ſic quoque artem pantomimorum eſſe poëſios germen, cui argumentum, & numeros, ſuppeditet poëta.*

* Libro de natura, ac conſtitutione Poëtica cap. 1.

Atque hæc omnia plenius intelligentur ex iis, quæ de natura Pantomimices, ejuſque initiis, incremento, ac perfectione, deinceps à nobis dicentur. Vidimus, utrùm in Poëtica de Pantomimis agi oporteat.

2. §. *Alterum erat, quo loco de Pantomimis in arte Poëtica optimè agatur. Siquidem miretur fortaſſe aliquis, poſt Atellanas potiùs, quàm proximè poſt mimos, agi à nobis de pantomimis; cùm ipſa pantomimi appellatio aliud exigere videatur. Sed enim non tam vocis haberi oportet rationem; quàm videndum, quid rei exigat natura. At, uti dictum, perfectior eſt imitatio, quæ fit ſermone, quàm ſolo geſtu. Mimi autem tam voce, quàm geſtu, fabulam exprimebant. Atque idem factum in Atellanis. Hic verò loquimur de pantomis, non quales primitus fuere, quando pars erant comœdiæ, tragœdiæ, vel ſatyrorum, atque iidem & canerent, & ſaltarent: ſed illis, qui extra comœdiam, tragœdiam, aut ſatyros, ſoli in orcheſtram veniebant, ac taciti geſtu corporis, ac inprimis manuum miniſterio, fabulam deſaltabant.*

Priores illos etiam *pantomimos* dici poſſe, indicat Suetonius apud Diomedem his verbis: *Primis temporibus, omnia quæ in ſcena verſantur, in comœdia agebantur. Nam pantomimus, & pythaules, & choraules, in comœ-*

Cap. 29. §. 1. *comœdia canebant.* Integrum locum ſuperiùs * adduximus. Et profectò quid pantomimis proprium magis, quàm, ut Cyprianus libro de ſpectaculis de iis loquitur, *verba manibus expedire?*

3. §. *Quæ hactenus diximus, ad methodum, ſive ordinem, pertinent. Nunc de voce, & re ipſâ, videamus. Pantomimus ſic vocabatur, quaſi* παντων μιμ☉ †. *Ut qui non ſolùm res, perſonáſque viles, imitaretur; ſicut antea de mimis dicebamus: verùm, ut nomen indicio eſt, omnia prorſus, etiam facta Deorum, ac heroum, ducumque geſta.*

† Omnium imitator.

Quod planius fiet ex iis, quæ inferiùs referam de Pylade, & Bathyllo. Itaque ut παντόμιμον dicimus; ſic Antipater Theſſalonicenſis Piladem ait habere χεῖρας παμφώνες ‡, q. d. omniſonas, hoc eſt, nihil non exprimentes. Vox verò παντομίμος, ut Lucianus libro περὶ ὀρχήσεως ait, accepta eſt, ab Ἰταλιώταις, quo vocabulo ſignantur Tarentini, atque alii magnæ Græciæ populi. Latini non habent vocem propriam: ſed generatim *hiſtrionem* dixere. Unde gloſſæ vett. *Hiſtrio,* παντόμιμ☉. Imò nec *hiſtrionis* vox eſt originis Latinæ; ſed à Thuſcis accepta. Nam inde primò ludii, ſive ludiones. Livius lib. VII: *Acciti ex Etruria ludiones, ſine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu, ad tibicinis modos ſaltantes, haud indecoros motus, more Thuſco, dabant.* Taciti quoque eſt Annalium lib. XIV. cap. XXI: *A Thuſcis arceſſitos hiſtriones.* At Etruſci eos habuere à Lydis: unde & *ludii,* ac *ludiones* nominati. Veteres enim Romani ſcribebant *Ludi,* & *Lydi,* *Æguptus,* & *Ægyptus,* *Suria,* & *Syria*: quod ex antiquis monumentis dilucet. Etiam Ennius ſemper V pro Y poſuit: uti quoque F pro PH. Cicero in Oratore: *Burrum ſemper Ennius, nunquam Pyrrhum:*

‡ Lib. 4. Ἀνθολογίας, tit. 24. epigr. 8.

Ut patefecerunt Fruges ——

non Phryges. Ipſius antiqui declarant libri. Nec enim Græcam literam adhibebant. Hinc igitur à Lydia *Ludii.* Ovidius in primo de arte:

Dumque, rudem præbente modum tibicine Thuſco,
Lydius æquatam ter pede pulſat humum.

Ubi *Lydius,* an *Ludius,* ſcribas, parùm refert. Et hinc Joſephus Scaliger interpretatur Catulli illud epigr. XXXII:

Gaudete, voſque Lydiæ (ſive Ludiæ) *lacûs undæ.*

Et hoc Varronis lib. III. de R. R. *Cum inſulas Ludiano ritu* χορδόνας *vidiſſes.* Hoc eſt, hiſtrionum inſtar, ſubſilientes. Quomodo & Plautus Aulularia * dicit, avaro Euclioni, metuenti, ac ſollicito, ne olla eſſet ſurrepta, *cor artem facere ludicram,* ſicut Æſchylus καρδίαν ὀρχεῖ☉. Nam ὀρχησις, ſive ſaltatio, eſt artis ludicræ, ſive hiſtrionicæ. Itaque ut comœdus, ſive actor comœdiæ, & tragœdus, ſive actor tragœdiæ, dicebatur cantor: ſic hiſtrio vocabatur, qui fabulam ſaltaret. Diſtinguit hæc munia etiam Suetonius in Caligula †, ubi legas: *Canendi, ac ſaltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem ſpectaculis temperaret, quominùs & tragœdo pronuncianti concineret; & geſtum hiſtrionis, quaſi laudans, vel corrigens, palàm effingeret.* Ubi videmus, tragœdo tribui cantum: ſaltationem verò, geſtumque, hiſtrioni, ſive orcheſtæ, hoc eſt, ſaltatori. Quomodo & Paris eidem Tranquillo ‡ vocatur hiſtrio, quem conſtat fuiſſe pantomimum.

** Act. 4. ſc. 3.*

† Cap. 54.

‡ In Nerone cap. 54. & Domitiano cap. 3.

4. §. *Cùm autem veterum fabulas deſaltaret pantomimus; non ſolis imitabatur pedibus, unde ὀρχησις * dicebatur: ſed totius corporis geſtu, manuum inprimis: unde ei nomen* χειρονόμος. *Uti ars ipſa* χειρονομία, *quaſi dicas, lex eorum geſtuum, qui manibus fiunt.*

** Saltator.*

† Manibus loqui.

‡ Lib. 4. epigr. vett. edit. Pythæam. 1590.

Id Lucianus περὶ ὀρχήσεως dicit ταῖς χερσὶν λαλεῖν †. Quomodo & in veteri epigrammate de pantomimo legas ‡:

Ingreſſus ſcenam populum ſaltator adorat,
*Solerti ſpondens * prodere verba manu.*

** Perperam editum pendet.*

Ac eodem;

Tot linguæ, quot verba viro: mirabilis eſt ars,
Quæ facit articulos, voce ſilente, loqui.

Similiter Sidonius Apollinaris carm. XXIII, quod de Narbone:

Clauſis faucibus, & loquente geſtu.

Quem verſum non ex Caſſiodoro, ut vir doctus putabat, expreſſit; ſed ex eo potiùs Caſſiodorus: cùm Sidonius vixerit temporibus Theoderici Gothorum regis II, Thoriſmundi fratris ſucceſſoris, qui Avito auctor fuit imperii adſumendi, eumque copiis ſuis juvit: Caſſiodorus autem ab epiſtolis fuerit Theoderico, poſt Odoacrum exſtinctum, Italiæ regi. Verba Caſſiodori ſunt lib. I. Var. epiſt. XX, quæ ad Albinum, & Albienum: ubi pantomimorum artem ſic deſcribit: *Hanc partem Muſicæ diſciplinæ mutam nominavere Majores: ſcilicet quæ, ore clauſo, manibus loquitur, & quibuſdam geſticulationibus facit intelligi; quod vix narrante linguâ, aut ſcripturæ textu, poſſit agnoſci.* Pantomimum igitur ſignat Claudianus, cùm ait lib. de conſulatu Mallii Theodori:

Qui geſtu manibuſque loquax. ——

Pluráque in hanc rem adduxi lib. VI. Orator. inſtitutionum cap. XI. ſect. IV.

5. §. *Exprimit verò pantomimus non actiones modò: ſed etiam mores, & affectus.*

Hoc Neronis temporibus quidam artificioſè adeò fecit, ut Demetrius Cynicus; qui priùs abjectè admodum de Saltatione judicârat, quaſi tibiarum, fiſtularum, & crepituum, tantùm foret πάρεργον, ſive acceſſio; idem verò, poſtquam pantomimus quieſcere juſſiſſet canentes, & ſcabellis crepantes, ac Veneris, & Martis adulterium corporis geſtibus repræſentâſſet; hunc in modum exclamavit: Ἀκέω, ἄνθρωπε, ἃ ποιεῖς· οὐχ ὁρῶ μόνον· ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν. *Audio quæ facis, ô homo; nec video ſolùm, ſed manibus ipſis mihi loqui videris.* Nempe abſque ullo ſermone tam perſpicuè, ac ſubtiliter, geſticulabatur, ut quivis agnoſceret, Vulcanum à Sole commonitum, Marti, Venerique ſtruere inſidias, captos reti detineri, Martem ſupplicare. Venerem rubore ſuffundi, Deos ſpectatores variè affici. Narrat Lucianus περὶ ὀρχήσεως: ubi & alia ſubnectit, quæ magnitudinem, & vim ejus artis, oſtendant.

6. §. *Omnino autem grande eſt, quòd cuncta, quæ dicebamus, exprimere hiſtrio, ſive pantomimus poſſit, etiam ſine ope vel cantoris, vel alterius cujuſquam.*

Hoc abunde liquet ex iis, quæ proximè dicebamus de pantomimo illo, quem initio flocci faciebat Demetrius philoſophus, quaſi ars ejus ſolùm foret auctarium artis alienæ.

7. §. *Quamquam verò ars ea per ſe etiam ſubſiſteret, omniaque exprimeret ſine ullius acceſſione: plurimùm tamen habebat quempiam, qui voce caneret; item qui tibiis, ac fiſtulis, id faceret.*

Hinc Phœdrus lib. V. fab. LXXXVIII:
Princeps tibicen notior paullò fuit,
Operam Bathyllo ſolitus in ſcena dare.

8. §. *Itaque paſſim videas chorum tribui pantomimis; ad cujus cantum hi ſaltarent convenienti corporis motu.*

Sidonius Apollinaris lib. VIII. cap. IX, ita ſcribit: *Neque enim poſt opus miſſum ſupereſt, quid poëta vel vocaliſſimus agat; quem diſtantia loci nec hoc facere permittit,*

quod ſolent chori pantomimorum, qui bono cantu malè dictata commendant. Ad quæ verba Sirmondus ſimilia aliorum loca congeſſit: quæ quia apprimè ad rem faciunt, nec cauſſam video, cur ſuo honore fraudem laborem alienum; adſcribere ex eo non verebor. Manilius lib. v. Aſtronomicôn:

Omnes Fortunæ vultus per membra reducet,
Æquabitque choros cantu.

Caſſiodorus Senator lib. IV. Variar. ult. *Pantomimo, cùm primùm in ſcenam advenerit, adſiſtunt conſoni chori diverſis organis eruditi.* Ariſtænetus lib. I. epiſt. XXVI. ad pantomimam: Καὶ, οἷα τις Φάρι@ Πρωτεὺς, ἄλλοτε πρὸς ἄλλα μεταβεβλῆσθαι δοκεῖς πρὸς τὸ εὔμικον τοῦ ἐπιτρεχμάτων ᾠδῶν. *Ac, velut Proteus Pharius, nunc hanc, nunc illam, te in ſpeciem vertis, ſecundùm ſuaviter ſonans ſaltationis melos.* Similiterque B. Auguſtinus lib. II. de Symbolo ad catechumenos II. & vetus Poëta lib. IV. Epigrammatum collectionis Pithœanæ*, de Pantomimo.

Ingreſſus ſcenam populum ſaltator adorat,
Sollerti pendet † prodere verba manu.
Nam cùm grata chorus diffundit cantica dulcis,
Quæ reſonat cantor, motibus ipſe probat.

* Pag. 156 & ſeq. edit. Pariſ. an. 1590.
† Lego, ſpondet. In Mſſ eſt Sollertis pendet. Nempe s è priori voce transferendum ad ſequentem. Atque o, facili errore, abiit in e.

9. §. *Pantomimi utebantur veſte, atque habitu toto, illi maximè convenienti, cujus fabulam ſaltarent.*

In numine exemplo fuerit, quod de Munatio Planco refert Vellejus Paterculus lib. II. *Plancus, cùm cæruleatus, & nudus, caputque redimitus arundine, & caudam trahens, genibus innixus, Glaucum ſaltâſſet in convivio.* Nempe iſtiuſmodi ſchema numen iſtoc marinum potiſſimùm referebat. Sic, ſi Hercules eſſet repræſentandus, cum pelle leonina, arcu, pharetrâ ſagittis plenâ, & rhopalo dentato, comparebat. Sane Pylades, cum ageret Herculem Furentem, etiam tela in populum immittebat: atque idem fecit in convivio Auguſti; tulitque id Cæſar, ne crederetur major velle videri, quàm populus Romanus. Sæpe autem mulieris impudicæ perſonam ſuſtinebant. Tum gaudebant crocotâ. Hinc Appulejus in Apologia, juxta elegantiſſimam Salmaſii ‡ emendationem: *Quid enim ſi choragium Thymelicum poſſiderem? num ex eo argumentarere, etiam uti me conſueſſe tragœdi ſyrmate, hiſtrionis crocotâ, mimi centunculo?* Nempe tragœdi utebantur ſyrmate: hiſtriones ſive pantomimi crocotâ, & aliis veſtibus muliebribus, in quibus impudicarum mulierum geſtus exprimebant: centunculis verò mimi induebantur.

‡ Notis in Tertull. de Pallio.

Cap. XXXVII.

De pantomimorum initiis, ac perfectione, quæ fuit temporibus Cæſaris Auguſti.

1. §. *Videamus nunc de primis pantomimorum initiis, progreſſu item, ac perfectione: eò magis, quia quædam, antea nobis indicta, in hac eorum hiſtoria melius dicentur. Sed hic primùm diſtinguere oportet inter veteres, & novos pantomimos, ſive chironomos, vel hiſtriones. In veteribus item diſcrimen faciendum inter Græcos, & Romanos. Græcorum chironomos ab antiquiſſimis temporibus arceſſunt.*

Qua de re ſic Quinctilianus lib. I. cap. XI. *Chironomia eſt, ut nomine ipſo declaratur, lex geſtûs, & ab illis temporibus heroicis * orta eſt, & à ſummis, Græciæ viris, & ab ipſo etiam Socrate probata; à Platone † quoque in parte civilium poſita virtutum; & à Chryſippo ‡ in præceptis, de liberorum educatione compoſitis, non omiſſa.* Antiquior etiam Platone fuit Teleſis, ſive Teleſtes: de quo ſic Athenæus lib. I. Τέλεσις δὲ, ἢ Τελέστης, ὁ ὀρχηστοδιδάσκαλος, πολλὰ ἐξεύρηκε σχήματα, ἄκρως ταῖς χερσὶ τὰ λεγόμενα δεικνύουσαις. Ἀριστοκλῆς γοῦν φησιν, ὅτι Τελέστης, ὁ Αἰσχύλου ὀρχηστὴς, οὕτως ἦν τεχνίτης, ὥστε ἐν τῷ ὀρχεῖσθαι τοὺς ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, φανερὰ ποιῆσαι τὰ πράγματα δι' ὀρχήσεως. *Teleſis, ſive Teleſtes, ſaltandi magiſter, multos reperit modos argutiâ manuum exprimendi ea, quæ dicuntur. Ariſtocles ait, Teleſten, Æſchyli ſaltatorem, tantum fuiſſe ſaltandi artificem, ut, cùm ſaltaret ſeptem duces ad Thebas, quæcumque geſta erant, clare oculis ſubjiceret.* Quare extra controverſiam poni debet, artem pantomimicam fuiſſe vetuſtiſſimam: &, ſi minùs viſum referre ad tempora Heroica, ſaltem Æſchyli, ac Platonis temporibus fuit cognita. Verùm vetus illa conjungebatur cum comœdiis, tragœdiis, & ſatyris: iidemque & canebant, & ſaltabant. At novi pantomimi ſeparati erant à comœdia, tragœdia, & ſatyra; omniaque taciti geſtibus declarabant, quia manus erat pro lingua.

* Odyſſ. 3. & 8. & Iliad. 17.
† Lib. 3. de Rep. & lib 7. de Legg.
‡ Mirum, hujus operis non meminiſſe Laërtium in Chryſippo: ubi tot ejus volumina recenſet. Sed fortaſſe fuit majoris operis pars.

2. §. *Latini verò ſuos hiſtriones accepere à Thuſcis; ut illi à Lydis.*

Atque hoc cognoſcere eſt ex iis, quæ de *hiſtrionis*, & *ludionum* vocabulis, antea dicebamus.

3. §. *Sed quod attinet ad novos pantomimos, qui extra comœdiam, vel tragœdiam, in orcheſtram veniebant, & taciti deſaltabant fabulam; horum ars temporibus demum Cæſaris Auguſti cœpit, ipſo auctore Auguſto. Is, ut animos eorum, qui libertatem rigidiùs amarent, emolliret rebus ludicris: non modò hiſtriones verberum immunes eſſe juſſit *; quod priùs aliter fuit; ſed etiam pantomimorum artem, antea incognitam, primus in Urbem induxit; eâque in re operâ uſus eſt Pyladis Cilicis, & Bathylli Alexandrini.*

* Tacitus lib. I. Annal. Sueton. in Auguſt. cap. 45.

Suidas: Ὄρχησις παντόμιμος †. Ταύτην ὁ Αὔγουστος Καῖσαρ ἐφεῦρε, Πυλάδου καὶ Βαθύλλου ‡ πρῶτον αὐτὴν μετελθόντων. *Saltatio pantomimorum. Hanc Cæſar Auguſtus invenit, Pylade, & Bathyllo, primitus eam introducentibus.* Deque Auguſti etiam temporibus, non Tiberii (quod temporum minùs gnaro poterat videri) capiendum eſt, quod idem ait in Ἀθηνοδώρῳ: Κατὰ δὲ τοὺς καιροὺς ἐκείνους καὶ ἡ παντόμιμος ὄρχησις εἰσήχθη, οὔπω πρότερον οὖσα. *Illis temporibus introducta eſt ſaltatio pantomimorum, quæ antea non obtinebat.* Sanè Auguſti ætate inductam, etiam apud Zonaram legas lib. I. Primi verò pantomimi fuere Pylades Cilix, & Bathyllus Alexandrinus. Pyladi iccirco inventionem ejus tribuit Suidas in Πυλάδης: Bathyllo autem, & Pyladi pariter, Ariſtonicus; eumque ſecutus Athenæus libro primo, itemque Zoſimus. Sed, ut maximo Salmaſio * obſervatum, perperam apud Athenæum vulgò pro Πυλάδην legitur Πυλάδης; quaſi & Pylades hoc de Bathyllo ſcripſerit. At parum veriſimile eſt, uni æmulo ſuo laudem eam tribuere voluiſſe, quæ vel ſolùm ſua eſſet, vel cum Bathyllo communis. Bathyllum hunc percharum fuiſſe Mæcenati, indicat Dio lib. LIV. ubi eum ὁμότεχνον τῷ Πυλάδῃ † dicit. *Bathyllum Mæcenatis* nuncupat M. Seneca ‡. Sic enim legendum, non *Bathyllo Mæcenate*; ut ante nos monitum Juſto Lipſio ‡. Qui & in Præfat. epitomes, ſive excerptorum lib. III. rectè reponit: *Si Thrax eſſem, Fuſius eſſem: ſi Pantomimus eſſem, Bathyllus eſſem.* Ubi perperam vulgò, *Pantillus*. Meminit quoque Perſius ſat. V.

Tres tantùm ad numeros Satyri moveare Bathylli.

Ubi vetus interpres: *Bathyllus pantomimus fuit, Mæcenatis libertus.* Quod ſuperiorem Senecæ emendationem non parum firmat.

† Hoc paſſo Juſtus Lipſius, & Æmilius Portus, repoſuere; ubi antea male, παντόμιμος.
‡ Sic pro Βακχυλίδου debere reſcribi, ſatis eſt apertum ex iis, quæ de Pylade & Bathyllo pariter pantomimis referuntur.
* Notis in Vopiſcum pag. 497.
† Eandem ac Pylades, artem, exercuiſſe.
‡ Præfat. Controverſ. lib. 5 qui alius decimus.
‡ In Taciti Annalium lib. I.

4. §. *Horum duorum ſaltatio dicta eſt* Italica; *quia ab iis primò in ſcenam Romæ eſt introducta.*

Deque

Deque hac Italica ſaltatione commentarium Pylades ipſe ſcripſit: ut ex Suida, & Athenæo, mox referam.

5. §. Conſtabat verò ex triplici ſaltatione; comicâ, tragicâ, & ſatyricâ.

Suidas: Πυλάδης Κίλιξ ἀπὸ κώμης * μισθαρνῶν ἔγραψε περὶ ὀρχήσεως τῆς Ἰταλικῆς, ἥτις ἐστ' αὐτοῦ εὑρέθη ἀπὸ τῆς κωμικῆς καλουμένης ὀρχήσεως, ἥτις ἐκαλεῖτο κόρδαξ· καὶ τῆς τραγικῆς, ἥτις ἐκαλεῖτο ἐμμέλεια· καὶ τῆς σατυρικῆς, ἥτις σίκιννις. *Pylades Cilix, è pago mercenarius* (niſi obſcurus fuerit Miſtarnenſium pagus, ubi natus fuerit) *ſcripſit de ſaltatione Italica, compoſita ex comica, quæ vocabatur cordax; & tragica, quæ emmelia dicta; & ſatyrica, quæ nominata ſicinnis.* Verba Suidæ non bene ceperunt duo interpretes, Wolfius, & Æmilius Portus. Error ex eo, quòd non viderent, pro περὶ τῆς κωμικῆς, legi debere ἀπὸ τῆς κωμικῆς: prout rectè adducit Salmaſius †. Qui & ſagaciter, ut dixi, animadvertit, apud Athenæum pro Πυλάδης reſcribendum eſſe Πυλάδην. Verba Athenæi ſunt iſta libro primo ‡: Τοῦτον τὸν Βάθυλλον φησὶν Ἀριστόνικος, καὶ Πυλάδην, οὗ ἐστὶ σύγγραμμα περὶ ὀρχήσεως, τὴν Ἰταλικὴν ὄρχησιν συστήσασθαι ἐκ τῆς κωμικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο κόρδαξ, καὶ τῆς τραγικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο ἐμμέλεια, καὶ τῆς σατυρικῆς, ἣ ἐλέγετο σίκιννις. *Ariſtonicus ait, Bathyllum hunc, & Pyladem, qui librum de ſaltatione ſcripſit, Italicam ſaltationem compoſuiſſe ex comica, quæ cordax, tragica, quæ emmelia; & ſatyrica, quæ ſicinnis dicebatur.*

* Perperam vulgo κώμης, quod & Wolfius vidit.
† Notis in Vopiſcum pag. 497.
‡ §. Præcedenti.

6. §. Nec tamen hæc ita accipi debent, quaſi triplicem illam ſaltationem in unam confuderit, ut jura coquus ſolet: ſed quòd taciti comicas fabulas comicâ; tragicas tragicâ ſaltatione deſaltarent. Etſi igitur tam Pylades, quàm Bathyllus, utraſque ſaltaret fabulas; Pylades tamen in tragico, Bathyllus in comico, præcellebat argumento.

Unde Seneca lib. III. epitomes declamationum, controverſiâ I. *Et ut ad morbum meum te vocem, Pylades in comœdia, Bathyllus in tragœdia, multum à ſe aberant.* Sententia eſt, nec Pyladem fuiſſe Pyladem in comœdia; nec Bathyllum ſatis agnoſci potuiſſe in tragœdia. In cauſſa erat, quòd Pyladis ſaltatio eſſet gravis, ſeria, plena affectuum; eoque tragœdiæ conveniens, non item comœdiæ. Contrà Bathylli ſaltatio foret læta, jocoſa; ac propterea comico apta argumento, tragico non item. Auctores Plutarchus lib. VII. Sympoſiacôn cap. VIII. & Athenæus lib. I. Bathyllus igitur, ſi ſaltaret divos, vel heroas, non Jovem, vel Agamemnona repræſentabat, uti Pylades: ſed Bacchum cum Bacchis, & Satyris; Pana, Echo, Ledam à cygno violatam: unde Juvenalis ſat. VI.

Chironomon Ledam molli ſaltante Bathyllo.

7. §. Præterea Pylades chironomiam magnopere expolivit, atque auxit. Nam primus pro una tibia adhibuit plures; item fiſtulas, quod antea non factum; & choraulem cum choro; cùm antea pythaules accineret ſine choro.

Macrobius lib. II. Saturnal. *Hic* (Pylades) *ferebatur mutaſſe rudis illius ſaltationis ritum, quæ apud majores viguit, & venuſtam induxiſſe novitatem.* Subjungit deinde: *Interrogatus ab Auguſto; quæ ſaltationi contuliſſet, reſpondit:*

Αὐλῶν *, συρίγγων τ' ἐνοπήν, ὅμαδόν τ' ἀνθρώπων.

Verſus eſt Homeri penè initio Iliad. K. Ubi primò videmus nominari τοὺς αὐλοὺς, ſive *tibias*. Sanè & ante Pyladem mimi ad tibicinis cantum ſaltabant. Sed is plures adhibuit tibias: ut videre eſt ex Luciani libro περὶ ὀρχήσεως. Primus inſuper morem induxit, ut fiſtulæ præcinerent pantomimis ſaltantibus. De quo ibidem auctor Lucianus. Hieronymi eſt in Chronico Euſebiano: *Pylades Cilix pantomimus primus Romæ chorum ſibi, & fiſtulas præcinere fecit.* Ubi & videmus, chori meminiſſe, quem Homerus verſu proximè adlato vocat ὅμαδον ἀνθρώπων *. Ac facilè Salmaſio credo, intelligi choraulem cum ſeptem cantoribus: de quibus ſic in Mythologiâ Hyginus †: *Pythaules, qui Pythia cantaverat, ſeptem habuit palliatos, qui voce cantaverunt; unde poſtea appellatus eſt choraules.* Atque ex his verbis eadem cognoſcimus, pythaulæ nomen eſſe, non, (quod Lipſius ‡ & alii, putarunt) ἀπὸ τοῦ πίθου, ut ab ἀσκὸς *aſcaules*, qui Latinis *utricularius*: ſed ſic dici, quaſi *Pythiaulem*, quia Pythia cantaret: ut apud Horatium legimus ⸸:

— Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magiſtrum.

* Tibiarum, fiſtularumque ſonum, & multitudinem ac tumultum hominum.
* Hominum turbam.
† Cap. 273.
‡ Notis in Senecæ epiſt. 76.
⸸ Epiſt. ad Piſon.

Minimè omnium verò audiendus, qui * putat eſſe πειθαύλης, à cantus dulcedine, & ſuadela, quæ Græcis πειθώ. Sed impoſuere ei Gloſſographi, in quibus eſt: *Pythaulas, quaſi tibiis perſuadentes tibicines.* Quod indoctè dici, jure cenſet in Miſcellaneis † Brodæus.

* Nicolaus Loenſis lib. 3. Epiphyllidum cap. 27. Ac praivit ad errorem Cœlius Rhodiginus lib. 12. A. L. cap. 5.
† Lib. 2. cap. 13.

8. §. Adhæc Pylades adhibebat pedum ſonitum, dum pantomimus ſaltaret.

Ποδῶν κτύπον vocat Lucianus περὶ ὀρχήσεως. Uti κρουπέζας appellat, qui, ſaltante pantomimo, pede ſonum ederent. Iidem & ποδοκτύποι, & ποδοψόφοι dicebantur. Ut inde res ipſa ποδοκτυπία, & ποδοψοφία. Nempe ſublato pede tundebant ſcabellum, ut ſic moderarentur canticum: haut aliter ac nunc manu pulſant pulpitum, aut librum, qui ſymphoniacorum cantum temperant. Hoc *crepitus ſcabillorum* vocat Suetonius in Caligula, & exemplo ejus Arnobius. Lutatius etiam Placidus, ad illud Papinii lib. VII. Thebaidos,

— Et ad inſpirata rotari
Buxa, —

ſcribit hunc in modum:

Buxa, tibia, vel ſcabellum, quod in ſacris tibicines pede ſonare conſueverunt. Pro ſcabellis, ſive ſcamillis, etiam fuere teſtarum crepitus. Unde Juvenalis ſat. XI:

— Audiat ille
Teſtarum crepitus. —

Ubi ſic vetus interpres: *Teſtis enim antea percutiebant, ſaltantibus pantomimis: quia tunc non erat, ut meſochori percuterent manibus.* Prout verba interpretis ejus emendavit clariſſimus Salmaſius. Qui eruditè, fuſèque, de omni hac re ſcripſit Notis in Vopiſci Carum, Carinum, & Numerianum ‡. Adire eum omnino fuerit operæ: ut conſtet, quomodo ad ſaltationem pantomimorum ſoleat adhiberi non modò tibiarum, & fiſtularum; ſed & citharæ cantus, chorique concentus; item cymbalorum, ſcabellorum, & teſtularum crepitus; imò & manuum plauſus.

‡ Pag. 501. & ſeqq.

9. §. Magnum etiam Auguſti temporibus fuit Hylæ nomen; qui diſcipulus erat Pyladis, & de eruditione poſtmodo cum præceptore contendit.

Macrobius lib. II. Saturnal. cap. VII. *Pylades hiſtrio clarus in opere ſuo fuit temporibus Auguſti, & Hylam diſcipulum uſque ad æqualitatis contentionem eruditione provexit. Populus deinde inter utriuſque ſuffragia diviſus eſt: & cùm canticum quoddam ſaltaret Hylas, cujus clauſula erat,* τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα ⸸, *ſublimem, ingentemque Hylas velut metiebatur. Non tulit Pylades: & exclamavit è cavea,* Σὺ μακρόν, οὐ μέγαν ποιεῖς *. *Tunc populus eum coëgit idem ſaltare canticum; cumque ad locum veniſſet, quem reprehenderat, expreſſit cogitantem; nihil magis ratus magno duci convenire, quàm pro omnibus cogitare.* Subjicit continuò: *Saltavit Hylas Oedipodem: & Pylades hac voce ſecuritatem ſaltantis caſtigavit,* Σὺ βλέπεις †. Oportuiſſet Hylam clauſis oculis ſaltare, quia Œdipus, quem ſaltabat, cæcus erat. Paullò pòſt ſubjungit: *Idem* (Pylades) *cùm propter populi ſeditio-*

⸸ Magnum Agamemnona.
* Tu longum, non magnum facis.
† Tu vides.

ditionem pro contentione inter ſe, Hilamque, habitâ, concitatam indignationem excepiſſet Auguſti, reſpondit: Καὶ ἀχαριστεῖς βασιλεῦ; ἔασον αὐτοὺς περὶ ἡμᾶς ἀσχολεῖσθαι. Hoc eſt, *Etiam ingratus es, Imperator? Sine eos circa nos feriari.* Videlicet, ad tranquillitatem Reip. conducebat, ut populus non de Cæſaris dominatu cogitaret, ſed de ludorum nugis: cujus rei non ignarus Auguſtus, *cunctos dulcedine otii pellexit*; ut eſt apud Tacitum in primo Annalium.

Cap. XXXVIII.

De pantomimis, qui fuere poſt tempora Auguſti.

1. §. *Diu verò & Pyladis, & Bathylli, domus duravit; atque eorum diſcipuli*, Pyladæ, *&* Bathylli, *ſunt nuncupati: ſed qui* Pyladæ *dicerentur, primi illius Pylada inſtar, tragicam magis ſaltationem ſectabantur: quique appellarentur* Bathylli, *magis comico gaudebant argumento.*

De hiſce duabus pantomimorum familiis ſic Seneca lib. VII. Naturalium Quæſtionum cap. XXXII. *Quantâ curâ laboratur, ne cujus pantomimi nomen intercidat! Stat per ſucceſſores Pyladis, & Bathylli domus. Harum artium multi diſcipuli ſunt, multique doctores.* Ex Pyladæ domo fuit Pylades ille, de quo ſic lapis antiquus Mediolani*.

* *Inſcriptionum Gruteriana Collectionis pag. 1024. num. 5.*

THEOCRITO
AVGG. LIB.
PYLADI
PANTOMIMO
HONORATO
SPLENDIDISSIMIS
CIVITATIB. ITALIÆ.
ORNAMENTIS
DECURIONALIB. ORNA.
GREX
ROMANUS
OB MERITA EJUS
TITUL. MEMORIÆ
POSUIT.

À dextro latere eſt effigies viri palliati: à ſiniſtro autem chlamydati, lanceamque geſtantis manu ſiniſtrâ, dextrâ verò attollentis larvam. Effigies prior adſcriptum habet, IONA; poſterior, TROADAS, ac ſuperiùs, SUI TEMPORIS PRIMUS. Scio, quomodo hæc interpretetur Scaliger Animadverſionibus in Manilium. Sed magis placet ſententia clariſſimi Salmaſii †, cenſentis, illum Pyladem ſaltâſſe Iona, & Antigonen Euripidis: ac viciſſe utrâque eos, quibuſcum certâſſet. Adhæc Genuæ in antiquo lapide legas ‡:

† *Notis in Vopiſcum.*

‡ *Habes in Gruteriana Collectione pag. 331. num. 1.*

P. ÆLIUS AUG. LIB. PYLADES PANTOMIMUS HIERONICA INSTITUIT.

L. AURELIUS AUGG. LIB. PYLADES HIERONICA DISCIPULUS CONSUMMAVIT.

Ut ſuperior Pylades proprium Theocriti nomen habuit, ita videmus; duobus hîc commune quidem Pyladæ nomen fuiſſe ab arte hiſtrionicâ: ſed ab adoptione nuncupatos P. Ælium, & L. Aurelium. Atque ex his liquet, falli doctiſſimum Brodæum, cùm, Notis in Ἀνθολογίαν*, duos ſolùm agnoſcit Pyladas pantomimos; primum illum, qui temporibus claruit Auguſti, & alterum, quem præ pantomimis cæteris dilexit Trajanus Cæſar; ut eſt apud Dionem; ac cujus amore diſcruciari mulierem, à Galeno deprehenſum fuit.

* *Lib. 1. tit. 41. epigr. 2.*

2. §. *Inclytum etiam Neronis tempore paridis pantomimi nomen fuit.*

Quem à Nerone, ut gravem adverſarium, fuiſſe occiſum, tradit Tranquillus in vita ejus Imperatoris cap. LIV.

3. §. *Temporibus etiam Neronis, ac Veſpaſiani, claruit pantomimus Mythicus, vel potius Mithacus.*

De quo Plinius lib. VII. Naturalis Hiſtoriæ cap. LIII: *Et quos noſtra adnotavit ætas, duo equeſtris ordinis in eodem pantomimo Mythico, tum formâ præcellente.* Ita editum invenio in omnibus codd. etiam antiquiſſimâ Parmenſi anni CIↃCCCCLXXVI. In MSorum uno reperio *myſtico.* Sed facilè ſubſcripſero Salmaſio, legenti *Mithacus.* Nam uſitatum nomen Græcis Μύθακος, ad quod *Mythicus* proximè accedit.

4. §. *Credo, Cæſaris M. Ulpii Trajani libertus fuerit Apolauſtus ille, qui in commiſſione pantomimorum Romæ omnium victor fuit coronatus.*

Vetus inſcriptio*:

* *Gruterianæ inſcriptionum Collecti. p. 331.*

M. ULPIUS AUG. LIB. APOLAUSTUS
MAXIMUS PANTOMIMORUM
CORONATUS ADVERSUS HISTRIONES
ET OMNES SCÆNICOS
ARTIFICES XII.

Committi pantomimos ſolere, victoremque coronari; liquet etiam ex lapide de Theocrito Pylade: cujus inſcriptionem antea adduximus.

5. §. *Præterea temporibus Cæſaris Marci Antonini, cognomento Philoſophi, magnum nomen fuit Morphi pantomimi.*

Celebrat Galenus περὶ τοῦ προγινώσκειν.

6. §. *Etiam ſub Chriſtianis imperatoribus quidam celebres fuere pantomimi: ut Caramallus, & Phabaton.*

Quorum meminit Sidonius Apollinaris carm. XXIII, quod Narbo inſcribitur:

Coram te Caramallus, aut Phabaton,
Clauſis faucibus, & loquente geſtu,
Nutu, crure, genu, manu, rotatu,
Toto in ſchemate vel ſemel latebit.

Phabaton, quod ſciam, alibi memoratur nuſpiam. At Caramallus etiam celebratur in epiſtola Speuſippo tributâ ad Panaretam ὀρχηστρίδα †, quæ eſt ſexta, ac vigeſima, inter illas, quæ, à primæ epiſtolæ inſcriptione, *Ariſtæneti* vocari ſolent univerſæ. Utcunque hoc eſt; ſcriptor is non vixit ante Conſtantinum Magnum, cùm meminerit Novæ Romæ: &, ſi verum eſt nomen Ariſtæneti; vera etiam videri poſſit ætas, quam Barthius ‡ exiſtimat. Nempe ut ſit Flavius Ariſtænetus Honori Cæſaris in VI. conſulatu collega: quod fuit anno Chriſti CCCCIV; annis viginti ante imperium Valentiniani III; quo imperante cum Theodoſio Juniore, natus fuit Sidonius Apollinaris. Unius verò ſcriptoris eas eſſe epiſtolas, contrà quàm viri docti putarunt, extra controverſiam pono Nec enim ovum ovo eſt ſimilius, quàm dictio omnium harum epiſtolarum. Præter verò harunce auctorem, videas & Caramalli ejus meminiſſe Leontium, epigrammate, quod in Ἀνθολογίᾳ eſt lib. IV, tit. XXV, qui eſt εἰς ὀρχηστὰς, ἢ ὀρχηστρίδας*. Sic enim legi eum oportet; cùm Caracallus, in quem eſt primum Leontii epigramma, non ὀρχηστρὶς † fuerit, ſed ὀρχηστὴς ‡. Ac ſimiliter in lemmate ejus epigrammatis reſcribendum, εἰς εἰκόνα ὀρχηστοῦ, ut obſervatum Joſiæ Mercero; qui vidit, inde errorem ortum, quòd vocetur Caramallus, Μουσῶν δεκάτη, τετάρτη Χαρίτων*: quaſi hæc viro non poſſint convenire.

† *Pantomimam.*

‡ *Lib. 55. Adverſar. cap. 8.*

* *In pantomimos, & pantomimas.*

† *Pantomima.*

‡ *Pantomimus.*

* *Decima Muſarum, quarta Charitum.*

7. §. *Etiam deſitis Cæſaribus Romanis, pantomimi Romæ, atque in Italia, obtinuerunt.*

Ut

Digitized by Google

Ut liquet ex Caſſiodoro; qui Theoderico, Italiæ, & Gotthorum regi, ab epiſtolis fuit. Ejus eſt lib. I. Var. epiſt. xx: *Conſtituatur à vobis praſini pantomimus; quatenus ſumtum, quem pro ſpectaculo civitatis impendimus, electis contuliſſe videamur.*

Cap. XXXIX.

De damnis, quæ publico dant pantomimi; unde & urbe ſunt ejecti à Cæſaribus gentilibus, majori etiam jure rejecti à Chriſtianis.

1. §. *Vix autem dici poſſit, quanto in honore fuerint apud Romanos hiſtriones, ſive pantomimi. Primùm quidem apud Auguſtum, ac Mæcenatem: poſteaque apud Imperatores conſecutos. Is tantus fuit, ut domus eorum frequentarentur aſſiduè; non à vulgo duntaxat, ſed etiam Equitibus, imò Senatoribus quoque: qui ſubinde egredientibus claudebant latus; nec ipſi modò, ſed ſimiliter uxores.*

L. Seneca epiſt. XLVII: *Nobiliſſimos juvenes mancipia pantomimorum.* Et in fine libri I. Quæſtionum Natural. de arte pantomimorum: *Privatim urbe totâ ſonat pulpitum: in hoc viri, in hoc feminæ, tripudiant: inter ſe mares, uxoreſque contendunt, uter det latus illis.* Plinius lib. XXIX: *Nullius hiſtrionis* (hoc eſt, pantomimi,) *equorumve trigarii, comitatior egreſſus in publico erat.*

2. §. *Interim multa populo Romano damna dabant.*

Imò Zonoras non dubitat, pantomimos, ab Octaviano Cæſare inductos, cum antea eſſent incogniti, referre inter labefactati imperii Romani cauſſas.

3. §. *Inter damna erat, quòd mores corrumperent, partim nimiâ illâ familiaritate cum feminis, de qua diximus: partim etiam in ſcena, exprimendo corporis geſtu ſtupra, & adulteria: quæ cùm repræſentarent, docebant.*

Unde Firmicus, ut antea vidimus, cum pantomimis conjungit cinædos, effeminati corporis mollitie diffluentes. Eſt & Tertulliani libro de ſpectaculis: *Quid de pantomimo, qui etiam muliebriter curatur?* Ac alibi de iiſdem ait: *Quod corpus impurum, & ad iſtam artem effeminatione productum, Minervam aliquam, vel Herculem, repræſentat.*

4. §. *Vix aliter igitur fieri poterat, quin multum hîc libidine peccaretur; partim feminis in ſcena corruptis; partim aliis poſtea, ex familiaritate illâ, nimio pantomimi amore correptis.*

Tertullianus lib. de Spectaculis, ubi de univerſo iſtoc ſcenicorum genere, & aliis hujus farinæ, agit: *Quibus viri animas, feminæ autem illis etiam corpora ſua ſubſternunt.* Sic Juſtus Lipſius ſcitè emendabat eum locum comment. in lib. I. Annalium Taciti*.

*Pag 39. edit. Mor. an. 1627.

5. §. *Sed & illo nocuere pantomimi, quòd inſano ſui amore populum ſcinderent in partes, quæ etiam erumperent in ſeditionem. Tiberius igitur illos Româ ejecit: partim nempe ob ſeditiones, quæ propter eos fierent; partim ob ſtupra, & adulteria, quæ committerent.*

Tacitus lib. IV. Annal. *Poſtremò Cæſar de immodeſtia hiſtrionum retulit; multa ab iis in publicum ſeditioſè, fœda per domos tentari.* Ac mox: *Pulſi tum hiſtriones Italiâ.* Dio lib. LVIII: Τὰς δ' ὀρχηστὰς τῆς τε Ῥώμης ἐξήλασε, καὶ μηδαμόθι τῇ τέχνῃ χρῆσθαι προσέταξεν, ὅτι τάς τε γυναῖκας ᾔσχυνον, καὶ στάσεις ἤγειρον. *Pantomimos* (Tiberius) *Româ exturbavit, ac omnino arte eâ interdixit, eò quòd mulieres violarent, & turbas darent.* Etiam hôc principe decretum, ut Tacitus ait lib. I. Annalium*, *Ne domos pantomimorum ſenator introiret.* *Cap 77. §. 4.

6. §. *Temporibus etiam Neronis, fautores hiſtrionum in carcerem deducti.*

Tacitus lib. XXIII. Annal. † *Inter Vibullium prætorem, & plebei tribunum Antiſtium, ortum certamen, quod immodeſtos fautores hiſtrionum, & à prætore in vincula ductos, tribunus omitti juſſiſſet. Comprobavere Patres, incuſatâ Antiſtii licentiâ.* Hinc cognoſcimus, Senatum cenſuiſſe, jure fautores hiſtrionum, ſive pantomimorum, in carcerem conjectos. Quod ſi ſic cenſuere de hiſtrionum fautoribus, quàm deſpicatui habuere ipſos pantomimos! †Cap 28.

7. §. *Etiam cùm antea Imperatorum præconia in ludis, & theatris, à pantomimis ſaltarentur: Trajanus Cæſar interdixit, id ne fieret; quia laudes, ab effeminatis illis hiſtrionibus profectas, potiùs haberet pro nominis ſui dehoneſtamento. Tanti referre putavit, à quo quid fieret.*

Plinius in Panegirico, quo conſul Trajano Cæſari gratias egit: *Et quis jam locus miſeræ adulationis manebat, cùm laudes Imperatorum ludis etiam, & comeſſationibus ‡ celebrarentur, ſaltarenturque; atque in omne ludibrium effeminatis vocibus, modis, geſtibus, frangerentur? Sed illud indignius, quod eodem tempore, in Senatu, & in ſcena; ab hiſtrione, & à Conſule, laudabantur. Tu procul à tui cultu ludicras artes removiſti. Seria ergo te carmina, honorque æternus Annalium, non hæc brevis, & pudenda prædicatio, colit. Quin etiam tanto majore conſenſu in venerationem tui theatra ipſa conſurgent, quanto magis de te ſcena ſilebunt.*

‡ Al. commiſſionibus. Quod malim; ut hiſtrionum in theatro commiſſiones intelligantur.

8. §. *Nulli verò acerbiùs in eos invecti fuere veteribus Chriſtianis: qui indignum putabant, fracto, & cinædico corporis motu, ac geſticulatione impudiciſſimâ, ſtupra, & adulteria, ante oculos etiam adoleſcentulorum, & immaturarum virginum, ſic repræſentari, quaſi coram gererentur.*

Unde Salvianus lib. VI. de Gubernatione Dei: *De pantomimis piget dicere, quia pigeat malum vel noſſe.* Pleniùs de moribus eorum dilucet ex iis, quæ de mimis cap. XXXIV, ex antiquis Patribus, adducebamus; quæque inferiùs adjungam.

9. §. *Alterum acceſſit, quod non minùs Chriſtianorum animos à ludis nationum avertit. Nam & dies, quibus exhiberentur, feſti falſo erant numini, & in ejus honorem ludi fiebant; ut non infima pars fuerint cultûs idololatrici. Quocirca non dubitabant Patres de iis, qui à baptiſmate ludos iſtos accederent, triſtem hanc ferre ſententiam; excidere eos religione Chriſtianâ, quam fuerant profeſſi, cùm diabolo, & pompæ ejus renunciarent.*

Operæ pretium fuerit, ſi paullùm his inſiſtam. Priùs igitur referam veteris Eccleſiæ ritum; quo, ſive ſacro lavacro tingendi, ſive qui pro infantibus ſponderent, abrenunciarent Satanæ, operibus, ac pompæ ejus. Deinde oſtendam, veteres Chriſtianos per pompas Satanæ vel inprimis intellexiſſe ludos Diis ſacratos: atque hinc collegiſſe, eos, Deo rejecto, ad Satanam reverti, quotquot poſt baptiſmum ludis gentilitiis intereſſent. De illo veteris Eccleſiæ ritu auctor nobis vetus ſcriptor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. III. cap. XVIII. & lib. VII. cap. XLI. Item Ori-

* Pag. 248. edit. Froben. a. 1536.

Origenes in Numerorum cap. xxi.* *Recordetur unuſquiſque fidelium, cùm primùm venit ad aquas baptiſmi, cùm ſignacula fidei prima ſuſcepit, & ad fontem ſalutaris acceſſit; quibus ibi tunc uſus ſit verbis, & quid denunciaverit diabolo; non ſe uſurum pompis ejus; neque operibus ejus, neque ullis omnino ſervitiis ejus, ac voluptatibus, pariturum.* Alluſit quoque ad hunc morem P. Cyprianus genuino, abſque dubio, opuſculo de diſciplina, & habitu Virginum, §. 6. *In ſeculo accepta, & hic cum ſeculo remanſura, tam contemni debent, quàm mundus ipſe contemnitur; cujus pompis, & deliciis, jam tum renunciavimus, cùm meliore tranſgreſſu ad Deum venimus.* Meminit & Optatus Milevitanus lib. v. de ſchiſmate †. Ac ſæpius B. Ambroſius. Ut lib. 1. Hexameron cap. iv. *Derelinquit, & deſerit, qui abluitur, intelligibilem illum Pharaonem, principem iſtius mundi, dicens, Abrenuncio tibi diabole, & angelis tuis, & operibus tuis, imperiis tuis.* Item lib. 1. Sacrament. cap. 11. & lib. de iis, qui myſteriis initiantur cap. 11. Præterea Joannes Chryſoſtomus homil. xxi. ad Antiochenos, ſive catecheſi ad illuminandos ‡: καὶ μετὰ ταῦτα, οὐκ ἐγγράφως ἡμᾶς ἀπαιτεῖ, ἀλλ᾽ ἀρκεῖται ψιλῇ τῇ φωνῇ· κἂν εἴπῃς ἀπὸ διανοίας, Ἀποτάσσομαί σοι, Σατανᾶ, καὶ τῇ πομπῇ σου, τὸ πᾶν ἀπείληφε. *Poſt hæc non chirographa à nobis exigit; ſed ſolâ contentus eſt voce: modo ex animo dicas, Abrenuncio tibi Satana, & pompæ tuæ; totum recepit.* Similiaque habes apud eum in epiſt. ad Coloſſenſes, & alibi. Item apud B. Hieronymum in cap. v. Matth. uti & ſub ejus nomine alium Regulâ Monacharum cap. xxx. ‡. *Nihil ad vos, chariſſimæ dominæ, de pompis ſeculi attinet, quæ abrenunciaviſtis in baptiſmate mundo, diabolo, & pompis eorum: quod & poſtmodum confirmâſtis ſub pollicitatione juramenti in veſtra religionis ingreſſu.* Etiam ex B. Auguſtino, & aliis, plura adducit Gratianus Can. lxxiii. Mitto Cyrillum lib. vii. contra Julianum, Salvianum lib. 1, v. & vi. de Gubernat. Dei; cujus verba mox referam: tum autem Gregorium M. libr. Sacram. Bedam in Tob. viii. Ordinem Romanum de denunc. ſcrut. ad elect. & tit. de die Sabb. Sancti *, Rabanum Maurum †, ac deinceps quos non?

† Pag. 152. edit. Commelin. an. 1599.

‡ Tom 6. edit. Saviliana pag. 610.

‡ Tom. 4. edit. Frob. a. 1553. pag. 335.

* Collectionis Hittorpianæ pag. 76 edit. Pariſina an. 1610.

† Lib. 1. de Inſtitut. Clericorum lib. 1 cap. 27. quod eſt de catechizandi ordine.

Alterum erat, veteres, per pompam diaboli, intellexiſſe inter cætera ludos Diis gentium dicatos, ac propterea ſtatuiſſe, (ut formula à militia petitâ loquebantur) renunciare eos Deo, & ad Diaboli caſtra reverti: qui poſtquam Satanæ, & pompæ ejus in baptiſmate abrenunciaſſent, non dubitarent adire theatra, circum, locaque alia ludis gentilitiis conſecrata. Audiamus de iſto Lactantium lib. vi. Inſtitut. Divin. cap. xx. *Vitanda ergo ſpectacula omnia, non ſolùm ne quid vitiorum pectoribus inſideat, quæ ſedata, & pacifica eſſe debent; ſed ne cujus nos voluptatis conſuetudo deliniat, & à Deo, & bonis operibus avertat. Nam ludorum celebrationes Deorum feſta ſunt. Siquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes, ſunt conſtituta. Et primitùs quidem venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributa ſunt; ludi autem ſcenici, Libero; Circenſes, Neptuno; paullatim verò & cæteris Diis idem honos tribui cœpit; ſingulíſque ludi numinibus eorum conſecrati ſunt; ſicut Sicinius Capito in libris ſpectaculorum docet. Si quis igitur ſpectaculis intereſt, ad quæ religionis gratiâ convenitur, diſceſſit à Dei cultu, & ad Deos ſe contulit, quorum natales, & feſta celebravit.* Ac repetit hæc in epitome memorati operis cap. vi. *Ad celebrandos Deorum honores inventa memorantur ſpectacula. Nam munerum editione Saturno facta ſunt. Scena Liberi patris eſt. Ludi verò Circenſes Neptuno dicati putantur.* Chryſoſtomi inſuper verba apponam homil. xxi.*. ad Antiochenos, ſive catecheſi ad illuminandos: Πομπὴ δὲ Σατανική ἐστι θέατρα, καὶ ἱπποδρομίαι, καὶ πᾶσα ἁμαρτία, καὶ παρατήρησις ἡμερῶν, καὶ κληδονισμοί, καὶ σύμβολα. *Pompæ verò Satanicæ ſunt; theatra, circenſes, & omne peccatum, & dierum obſervatio, & præſagia, & omina.* Subjicit deinde, quid per σύμβολα, ſive omina deſignet. De theatris ſimiliter Salvianus Maſſilienſis lib. v. de Gubernatione Dei: *In ſpectaculis quædam apoſtaſia fidei eſt, & à ſymbolis ipſius, & cæleſtibus ſacramentis, letalis prævaricatio. Quæ eſt enim in baptiſmo ſalutari Chriſtianorum prima confeſſio? quâ ſcilicet, niſi ut renunciare ſe diabolo, ac pompis ejus, atque ſpectaculis, & operibus, proteſtentur? Ergo ſpectacula, & pompæ, etiam juxta noſtram profeſſionem, opera ſunt diaboli. Quomodo, ô Chriſtiane, ſpectacula poſt baptiſmum ſequeris, quæ opus eſſe diaboli confiteris? Renunciaſti ſemel diabolo, & ſpectaculis ejus; ac per hoc neceſſe eſt, prudens, & ſciens, dum ad ſpectacula remeas, ad diabolum te redire cognoſcas. Utrique enim rei ſimul renunciaſti, & unum utrumque eſſe dixiſti. Si ad unum reverteris, ad utrumque remeaſti. Abrenuntio enim, inquis, diabolo, pompis, ſpectaculis, & operibus ejus. Et quid poſtea? Credo, inquis, in Deum patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum filium ejus. Ergo primùm renunciatur diabolo, ut credatur Deo: quia qui non renunciat Diabolo, non credit Deo, & ideo quia, qui revertitur ad diabolum, relinquit Deum. Diabolus autem in ſpectaculis eſt, & pompis ſuis.* Idem lib. vi. *Per turpitudines criminoſas æterna illic ſalus Chriſtianæ plebis extinguitur, & per ſacrilegas ſuperſtitiones majeſtas divina violatur. Dubium enim non eſt, quod lædunt Deum; utpote idolis conſecrata. Colitur namque, & honoratur Minerva in Gymnaſiis, Venus in theatris, Neptunus in Circis, Mars in Arenis.* Ac ſimiliter Iſidorus lib. xviii. Originum cap. xli, li. & lix.

* Tom. 6. edit. Savil. pag. 610.

10. §. *Hiſce de cauſſis pantomimi, ac hiſtriones in veteri Eccleſia non admittebantur ad ſacram ſynaxin; niſi priùs artem ſuam miſſam facerent.*

Hunc in Africa etiam obtinuiſſe morem, liquet ex B. Cypriano epiſt. lxi. quæ eſt ad Eugratium, ſive Euchratium: *Conſulendum*, inquit, *me exiſtimaſti, quid mihi videatur, de hiſtrione quodam; qui, apud vos conſtitutus, in ejuſdem adhuc artis ſuæ dedecore perſeverat; & magiſter, & doctor, non erudiendorum, ſed perdendorum puerorum, id quod male didicit, cæteris quoque inſinuat; an talis debeat communicare nobiſcum. Puto, nec majeſtati divinæ, nec evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur.* Atque is, de quo nunc ſermo eſt nobis, non ipſe in ſcena agebat; quia ſciebat hoc eſſe indignum religione Chriſtianâ; ſed quoniam fortè non aliam didicerat artem præter hiſtrioniam, alios ſolùm, ut haberet, unde viveret, in hiſtrionia exercebat. Negat verò Cyprianus hoc excuſationi ſufficere. *Nec*, inquit, *excuſet ſe quiſquam, ſi à theatro ipſe ceſſaverit; cùm tamen hoc cæteros doceat. Non poteſt enim videri ceſſare, qui vicarios ſubſtituit, & qui pro ſe uno plures ſuccedaneos ſuggerit; contra inſtitutionem Dei, erudiens, & docens, quemadmodum maſculus frangatur in feminam, & ſexus arte mutetur, & diabolo divinum plaſma mutanti, per corrupti, atque enervati corporis delicta placeatur.* Poſtea docet, quomodo ſatius ſit ab Eccleſia ſuccurri talium egeſtati; modò ſeriò Chriſtianam religionem fuerint amplexi.

Similiter Hiſpani arcebant pantomimos, ac ſimiles, à ſacra Cœna. Concilium Illiberitanum can. lxii. *Si auriga, aut pantomimi, credere voluerint, placuit, ut priùs artibus ſuis renuncient; & tunc demum ſuſcipiantur, ita ut ulteriùs ad eas non revertantur. Quod ſi facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab Eccleſia.*

LIBRI SECUNDI INSTITUTIONUM POETICARUM FINIS.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII
INSTITUTIONUM POETICARUM
LIBER III.

Cap. I.

De epopoeiæ definitione, materia, et forma.

1. §. *Hactenus de poëſi dramaticâ egimus: ſequitur exegetica: in qua principem meretur locum Epopœia. Sumitur verò ea vox hoc loco non universè, ſed κατ' ἐξοχὴν**.

* Per excellentiam, pro digniori parte.

Nam etſi ἔπος universè verbum, ſive locutionem ſignet: magis tamen poëticæ trubuitur locutioni; inque hac ipſa convenit magis carmini hexametro: & in hexametro jure majori id ſibi nomen vindicat, quod imitatur actiones heroum. Hinc Euſtathius, prooemium Iliados exponens, ait: Ἔπος ἰδιάζεται ἐπὶ τῶν ῥαψῳδούντων κατά τι ἐξαίρετον· *ob excellentiorem quendam modum fit eorum proprium, quos rhapſodos vocamus*. Similiter, teſte eodem, ἐποποιοὶ ſpeciali ſignificatione dicuntur οἱ ἐν τῷ ἑξαμέτρῳ τὰ ἡρωϊκὰ πραγματευόμενοι(?) — οἱ ἐν τῷ ἑξαμέτρῳ τὰ ἡρωΐζοντες, hoc eſt, *qui carmine hexametro heroum res geſtas tractant*. Quos & Cicero *epicos* vocat libro de optimo genere oratorum.

2. §. *Eſt igitur epopœia, poëſis carmine hexametro perſonarum illuſtrium illuſtres actiones illuſtri narrans oratione.*

De quo convenit cum Iſacio Tzetze; qui initio προλεγομένων in Caſſandram, quatuor requirit in poëta epico; carmen hexametrum, fabulam, ſive imitationis allegoriam, hiſtoriam, ſive veterem rei memoriam, & orationem accommodatam, hoc eſt, majeſtatis plenam: ſine quorum aliquo negat, poëtam epicum dici poſſe. Nec multum à definitione noſtrâ diſtat illa Antonii Lulli lib. VII. de Orat. cap. V: *Epopœia eſt narratio continua rerum mirabilium, & novitate illuſtrium, verſu heroico deſcripta.* Sed noſtra manifeſtiùs tum materiam epici carminis, tum formam, exprimit.

3. §. *Materia continet tum perſonas, tum res. Perſonæ potiſſimùm ſunt grandes, & illuſtres; ut heroës, reges, duces: quandoque etiam dii, quorum concilia admiſcet. Res item ſunt graves, quales bellicæ.*

† In Arte. Utrumque complexus his verſibus Horatius †:

Res geſtæ, regumque, ducumque, & triſtia bella,
Quo ſcribi poſſent numero, monſtravit Homerus.

‡ Sat. 9. lib. 1. Hinc *forte epos* idem poëta ‡ appellat.

Ac ſimiliter Domitius Marſus de morte Tibulli, & Maronis, ait:

Te quoque Virgilio comitem non æqua Tibulle
Mors juvenem campos miſit ad Elyſios.
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

4. §. *Interim nec penitùs adſpernatur perſonas tenuiores: ut ſunt milites, nautæ, aurigæ, fabri. Quos adjungit, quia ſine iis conſtare nequit ſocietas humana. Similiter etiam admiſcentur res minores. Sed opera danda eſt, ut in minoribus perſonis illa ſaltem exponantur munia, atque opera, quæ in iis præcipua erunt; atque etiam, quatenus res ſinit, attollantur.*

Etſi igitur, quando perſonas, ac res tenues, admittit, videri poſſit ad comœdias accedere: tamen tum quoque magnum eſt diſcrimen. Nam comœdia gaudet jambico, quod ſermoni proximum: hexametrum refugit, ut nimis grande. Epos verò, ut mox dicam, exigit hexametrum. Imò ne quidem contentum eſt quovis hexametro; ſed ulteriùs requirit, ut conſtet ſententiis illuſtribus, verbis grandibus, & ornatis, & compoſitione decorâ, numeroſâque. His quippe ſublimior fit oratio; quæ alioqui, eò quod de perſonis, vel rebus ſit tenuioribus, amiſſâ majeſtate ſuâ fieret plebeja, ac quodammodo humi reperet.

5. §. *Forma epopœiæ in duobus conſiſtit; in metro, & imitandi ratione. Metrum eſſe hexametrum, antea diximus.*

Unde Papinius lib. V. Sylvarum, Epicedio in Patrem, ſic epicos deſcribit:

Quis labor Aonios ſeno pede ducere campos.

Imò & Ariſtoteli ἡ ἑξαμέτρῳ μιμητικὴ non alia eſt, quàm epopœia.

6. §. *Convenit quidem hoc metrum etiam rebus bucolicis, quas gracili ſe avenâ cecinisse ait Maro*: item ruſticis, & naturalibus: adhæc genethliacis, epithalamiis, epiſtolis, ſatyris, epigrammatis: at non dubium tamen, quin maximè conveniat geſtis heroum deſcribendis.* * 1. Æn.

Nec enim in rebus humanis, quicquam eſt gravius heroum geſtis; nec item in metris ullum eſt adeò grave, atque amplum, quàm hexametrum; quod ab heroum geſtis, in quibus occupari ſolet, heroicum vocatur.

7. §. *Sanè carminis Homerici majeſtas inprimis quidem eſt à rerum pondere, & ſpiritu poëtæ: ſed non dubium tamen, quin multùm de majeſtate carminis deceſſurum fuerit, ſi eadem jambico, aut trochaico, dixiſſet.*

Eſt enim jambus pes humilis; trochæus autem volubilis. Quare, ſi ſpectare volumus, ut ubique oportet, τὸ ἁρμόττον †: fatendum, utrumque hunc pedem illis magis convenire poëmatis, ubi homines inducuntur agentes, ut in dramatis fit. Et ſanè Horatius ‡ iccirco jambum eſſe ait *Alternis aptum ſermonibus.* † Quod convenit. ‡ Epiſt. ad Piſones.

 8. §. At-

Digitized by Google

8. §. *Atque hinc etiam liquet, cur heroum geſta deſcribi nequeant carmine ex variis verſuum generibus conſtante: quod Ariſtoteles * à Charemone factum ait.*

* De re Poët. cap. 24.

Nam cùm alii verſus ſint tardi, alii celeres, ac volubiles: ex miſtura hac confuſio quædam naſceretur. Quanto igitur ſatius eſt, prout res ſunt, ita aptare metrum!

9. §. *Alterum, quod formam conſtituat, erat imitatio epica, quæ fit narrando.*

Atque inde Ariſtoteli poëſis hæc dicitur διηγηματικὴ †: nempe quia in ea eſt ἀπαγγελία ‡. Neque ignoro, epopœiam vulgò ad mixtam referri poëſin; eò quòd poëta epicus perſonas etiam directâ oratione loquentes inducat. Sed cogitari oportuit, ſic quoque ſolùm eſſe poëtam, qui narret. Nimirum ſimilis eſt ratio, atque in hiſtoria; ubi orationes etiam exponi debent, quia illæ ſæpe præcipua fuere eventûs cauſſa. Nec propter orationes eas hiſtoria ad dialogorum pertinet naturam: quia orationes ſunt pars narrationis hiſtoricæ. Similiter nec ſermones alieni, quos poëta imitatur, induunt naturam dramatis: cùm pars ſint narrationis à poëta in propoſitione operis promiſſa. Par igitur ratio eſt, ſive poëta res geſtas exponat, ſive orationes referat: ſive item oratione utatur obliquâ, ſive directâ: cùm ea res non variet οὐσίαν *, quia utraque ſuo nomine poëta referat; contrà quàm fit in dramatate, ubi nihil ſuo nomine loquitur.

† Narrativa ‡ Narratio. * Naturam.

Cap. II.

Quomodo epopoeia conveniat cum tragoedia, et qui differat: utra item præſtet.

1. §. *Ex his, quæ de materia, & forma, epopœia diximus, cognoſcere eſt, quomodo conveniant, & differant, tragœdia, & epopœia. Conveniunt, quia utraque imitetur τὰ σπουδαῖα, hoc eſt, præſtantia, graviaque; non res humiles, ac viles; quas comœdia ſibi proponit.*

Hinc de tribus iſtis ſic Ovidius in primo de remedio amoris:

Fortia Mæonio gaudent pede bella referri.
Deliciis illic quis locus eſſe poteſt?
Grande ſonant tragici; tragicos decet ira cothurnos:
Verſibus e mediis ſoccus habendus erit.

Ubi per *ſoccum* comœdiam intelligi, & pueris eſt apertum.

2. §. *Affectus quoque pares propemodum.*

Unde Homerum Plato nunc tragicum, nunc tragicorum principem vocat in Thæteto, & x de Rep. Sunt & alia, quibus ſimiles ſint; ut οἰκονομία †, ac dictionis majeſtas. Sed de his poſtea.

† Conſtitutio.

3. §. *Differt autem epopœia à tragœdia, quòd tragœdia ſit drama: epopœia fere in ἀπαγγελίᾳ ‡ conſiſtat.*

‡ Narratione.

Hoc eſt, tragœdiâ alterius perſonæ ſermo refertur, reſque actione repræſentantur, ut geruntur. Nam δρᾶμα agentium, eſt repræſentatio, ut geſtæ fuerunt. Poëta enim res à ſeipſo nunciat: nec agentes, ſed, ut acta ſunt, narrat.

4. §. *Epopœia etiam ſolùm ſpectat fabulam, mores, dictionem, & ſententiam: at tragœdia & hæc quatuor, atque inſuper apparatum, ac modulationem, conſiderat.*

Hinc Ariſtoteles *: Ὅστις περὶ τραγῳδίας οἶδε σπουδαίας, καὶ φαύλης, οἶδε καὶ περὶ ἐπῶν· ἃ μὲν γὰρ ἐποποιία ἔχει, ὑπάρχει τῇ τραγῳδίᾳ· ἃ δ' αὐτῇ, οὐ πάντα ἐν τῇ ἐποποιίᾳ. *Qui novit inſignem tragœdiam diſtinguere à vili, idem & poſſit hoc in epico carmine. Quæ enim ſunt in epico, etiam ſunt in tragœdia. Quæ verò hæc habet, ea non omnia in epico inſunt.*

* Lib. de Poët. cap. 5.

5. §. *Etiam in epico carmine admiranda planè, ac, ſapientum judicio, incredibilia, fingere licebit: contrà quàm in tragœdia fit.*

Cujus cauſſa eſt, quòd hæc in epopœia narrentur; non agantur, ut in tragœdia fit.

6. §. *Præterea in epopœia eſt multarum, ac variarum actionum imitatio: in tragœdia autem unius, ac ſimplicis actionis; quam late, copioſeque tractat.*

Tragici enim ex epico aliquo, inprimis ex cyclo epico, partem aliquam excerpebant, quæ materies eſſet dramatis. Eò reſpexit Cicero epiſtolâ ad Lucceium, cùm imitari jubet poëtas, ac conſulatûs ſui geſta ſeorſum tractare extra hiſtoriam continuam: *Ut*, inquit, *in continuis tuis ſcriptis, in quibus perpetuam rerum geſtarum hiſtoriam complecteris, ſecernas hanc quaſi fabulam rerum, eventorumque noſtrorum: habet enim varios actus, multaſque actiones, & conſiliorum, & temporum.* Comparat materiem ſui conſulatûs cum dramate: quod unam tractat actionem; ſed multis actibus diſtinctam. At continuam ejus hiſtoriam confert cum κύκλῳ ἐπικῷ †: quo à poëtis variis fabulæ omnes, hiſtoricorum more, ordine exponebantur; ut ſuperius diximus. Imò non cum cyclicis modò poëtis componit, ſed univerſè cum ἐποποιίᾳ: quia in multa dramata dividi poteſt. Itaque Ariſtoteli dicitur πολύμυθες ‡: non quaſi non illa circa unam inprimis actionem verſetur; ſed quia ſingula ejus epiſodia poſſint eſſe tragœdiæ alicujus argumentum. Ac vitioſa ſit tragœdia, quæ ſit σύστημα ἐποποιικὸν *: ut ſiquis Iliada, vel Odyſſeam, vel Æneidem, unà velit tragœdiâ complecti. Nam epopœiæ quidem eſt χρόνος ἀόριστος †: at tragœdia non excedit Solis periodum. Quare tragicus unum tantùm epiſodium ex hujuſmodi opere ſeliget; cujuſmodi ſit Patrocli cædes, Ulyſſes procos occidens, cædes Turni. Hoc diſcrimen conſtitutionis epicæ, & tragicæ, non ſatis obſervârat Agatho poëta tragicus: ac propterea, ut ait Ariſtoteles ‡, ἐξέπεσεν *: quamquam alioquin egregius eſſet in iis, quæ περιπετείας † habent, atque actionibus etiam illis, quæ hac ipſa carent.

† Orbe epico. ‡ Multas continens fabulas. * Compages, & corpus integrum actionum, quale exhibent epici. † Tempus indefinitum. ‡ Cap. 18. * Exploſus eſt. † Rerum immutationem, ſive converſionem.

7. §. *Propterea quæri ſolet, utrùm tragœdia præſtet, an epopœia. Prius Ariſtoteli ‡ placuit, alterum Platoni *: cui hac parte potiùs ſubſcribendum, utcunque in nonnullis præſtet tragœdia.*

‡ Lib. de re poëtica cap. ult. * Lib. 2. & 3. de Legg.

Tragœdia eo vincit, quòd docet plures, ut populum Athenienſem. Eadem magis movet; quia actio accedit, cujus vim nemo ignorat. Ac præterea celeriùs conſequitur finem ſuum: quippe & intra paucas horas. Sed epopœia docet præſtantiores: ut Homerus Alexandrum. Nec eo minus moveat, quàm tragœdia illa; quæ ſolùm legitur. Nam quia tragœdia ſcribitur, ut agatur; multum de ea deperit, actione abſente. At imperfectionis eſt, non poſſe finem conſequi ſine apparatu ſcenico, operâque hiſtrionis. Epicus contrà nihil fiduciæ in hiſtrione reponit; ſed totus à ſe pendet. Quòd tragicus citò finem adipiſcitur; id eſt, quia cogitur brevis eſſe. Nec enim diu detinere auditorem in ſcena poſſit, ſi velit. Epicus ad illud non adſtringitur; eoque ut doceat plura, adhibet plura epiſodia, & longiora: nec ſolùm tractat res miſerabiles, & terri-

terribiles, ſed qualvis actiones illuſtres. Inque tam variis nectendis, plus ingenii, & induſtriæ, oſtendit. Itaque una epopœia Homerica plurimarum tragœdiarum ſuppeditat argumenta. Ut quod ineſt tragœdiæ, inſit epopœiæ, & copioſiùs, & majore artificio.

Cap. III.

De antiquitate, et auctore epopoeiæ.

1. §. *Quam antiquum ſit carmen epicum, ſive hexametrum, ex eo cognoſcere licet, quod ante etiam bellum Trojanum fuerit in uſu.*

Nam Herodotus in Terpſichore narrat, viſos ſibi tripodes Thebis Bœotiis in Apollinis Iſmeni templo Cadmeis inciſos literis, quæ magnam partem ſimiles eſſent Jonicis. In eorum tripodum uno fuiſſe inciſum:

Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν, ἐὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.
Obtulit Amphitryo me gentis Teleboarum.

Id erat circa ætatem Laji; qui Labdaci filius, Polydori nepos, pronepos Cadmi fuit: ut ſeculo uno, vel paullò amplius, poſt Joſuam vixerit. Addit deinde hexametros hoſce tripodi inſcriptos fuiſſe à Scæo, Hippocoontis filio; qui circiter tempora OEdipodis, Lajo geniti, vivebat:

Σκαιὸς πυγμαχέων με ἑκηβόλῳ Ἀπόλλωνι
Νικήσας ἀνέθηκε τεῒν περικαλλὲς ἄγαλμα.
Scæus in aſſueto pugilum certamine victor,
Me tibi ſacravit ſpecioſum munus, Apollo.

Tertio tripodi ait hoc inciſum fuiſſe à Laodamante, Eteoclis filio, qui ſolus imperium tenuit:

Λαοδάμας τρίποδ' αὐτὸν ἐϋσκόπῳ Ἀπόλλωνι
Μουναρχέων ἀνέθηκε τεῒν περικαλλὲς ἄγαλμα.
Laodamas iſtum tripodem, ſuâ in urbe monarcha,
Hoc inſigne decus tibi provide ſacrat Apollo.

2. §. *Auctor metri hexametri creditur nonnullis Phanothea, aliis Themis, aliis Phemonoë.*

Clemens Alexandrinus lib. I. Στρωμ. Ἔτι φασὶ τὸ ἑξάμετρον Φανοθέαν, τὴν γυναῖκα Ἰκαρίου· οἱ δὲ Θέμιν, μίαν τῶν Τιτανίδων, εὑρεῖν. *Praterea ajunt, Phanotheam, Icarii uxorem, inveniſſe heroicum hexametrum; alii vero Themin, unam ex Titanibus.* Plinius lib. VII. cap. LVII. *Verſum heroicum Pythio oraculo debemus.* Cum Plinio conveniunt, qui eam laudem tribuunt Phemonoë: ut quæ ſacerdos, & προφῆτις Apollinis, fuerit. Eſt hæc ſententia Euſtathii in Iliad. & Tzetzis proleg. in Lycophronem. Ac ſimiliter Fortunatianus in re Metrica. Imò & ante hos omnes, præterquam Plinium, idem dixerat Pauſanias in Phocicis. Et abſque dubio hæc cauſſa eſt, cur Lucanus lib. V. Phemonoën appellet eam quoque, quæ Appio Delphis reſponſa dabat. Sanè & Strabo lib. X. ait, πρώτην δὲ Φημονόην φασὶ γενέσθαι Πυθίαν*. Primus verſus, quem profudit, fuiſſe hic dicitur:

* *Pythiam primam fuiſſe ajunt Phemonoen.*

Συμφέρετε πτερά τ' οἰωνοί, κηρόν τε μέλισσαι.

Sententiam ſic expreſſeris:

Ferte &, aves, alas: &, apes, ſuperaddite ceram.

Vixiſſe aliqui Phemonoën ajunt temporibus Abantis, Argivorum regis; alii ſub Acriſio: ut de utroque teſtis eſt Clemens Alexandrinus lib. I. Στρωματ. Sed Clemens non tam eam carminis heroici inventricem putat, quàm primam heroico carmine vaticinatam. Quæ & Euſebii in Chronicis ſententia eſt. Vide & de ea Plinium lib. X. cap. III. & VIII. Servium in III. Æn. †, & ex eo Iſidorum Originum libro VIII. cap. VIII. In pleriſque codd. *Phemonoe* per OE legas; ſed perperam, cùm Græcis ſit Φημονόη.

† *Verſ. 46.*

3. §. *Quis verò Epopœia, prout non metrum ſolum reſpicit, ſed etiam geſta heroum fabuloſâ narratione imitatur, auctor ſit, penitus neſcitur: ſed illud conſtat Homerum eſſe principem epicorum.*

Diximus de eo ſuperiùs, cùm oſtenderemus, Homerum non primùm eſſe commentum fabuloſa illa de Diis; ſed ab antiquioribus ea accepiſſe, vel ſiqua adjecerit, hæc eſſe conſentanea illis, quæ finxerant priores. Iſacius Tzetzes, in Caſſandram Lycophronis, ait, quinque eſſe hujuſmodi poëtas, quibus epici nomen præcipue conveniat; Homerum, Heſiodum, Panyaſin, Antimachum, & Piſandrum. At juniores, inquit,

Ὅσσα τε φύλλα, καὶ ἄνθεα, γίνεται εἴαρος ὥρῃ.
Quot folia, & flores, naſcuntur tempore verno.

Ita enim ibi ex Il. β. legendum; ubi εἴαρος * vox vulgò præteritur. Quinque verò iſtis Græcorum antiquiſſimis, ſi ſolùm eos lubeat nominare, qui exſtant; totidem è Latinis opponi ajunt doctiſſimi viri; Virgilium, Lucanum, Silium Italicum, Statium, & Valerium Flaccum. Pleriſque tamen eorum ingenio ad poëſin facto non ceſſerit Claudianus; etſi totis ſit ſeculis recentior. Imò Lucanus, & Silius, non ſunt hujus loci; cùm argumentum hiſtoricum tractent. Et cur non Ovidium pro illis, ob divinum Metamorphoſios opus, Epicis liceat accenſere? Sed de his pluribus in libris de Poëtis. Nunc de epopœiæ Romanæ initiis videamus.

* *Veris.*

4. §. *Ex Latinis epico carmine primus laudem reportavit Ennius: etſi ante eum hoc uſus ſit Livius Andronicus.*

Scio, Yvonem Aremoricum, hoc eſt, Ioſephum Scaligerum, negare Livium verſibus heroicis ſcripſiſſe. Sed eum refellunt iſta Terentiani Mauri:

Livius ille vetus Grajo cognomine, ſuæ
Inſerit Inonis verſu, puto, tale documen.
Præmiſſo heroo ſubjungit namque μείουρον,
Hymno quando chorus feſto canit ore Triviæ:
Et jam purpureo ſuras include cothurno,
Balteus & revocet volucres in pectore ſinus:
Preſſaque jam gravidâ crepitent tibi terga pharetrâ:
Dirige odoriſequos ad cæca cubilia canes.

Clarè ait, Livium cum Grajo cognomine, hoc eſt, Andronicum, ſcripſiſſe verſus heroicos μειούρους: quales tres adducit, uno præmiſſo integro, ex eodem. Doctiſſimus Paſcaſius Groſippus † aliter etiam hoc oſtendere conatur. Nempe quia apud Feſtum in *Quamde* ex Livio adducantur hi duo verſus

† *Hic eſt, Caſpar Scioppius in paradoxis literariis epiſt. 13.*

Jupiter ut muro fretus mage, quamde manus ‡ *vi:*
Quamde tuas omnes legiones, ac populares.

‡ *Vel manûm vi, pro manuum.*

Sed verſus iſti ſunt ex Annalibus Ennii. Sanè in ſchedis Farneſianis eſt, *hujus*; unde fecere *Livius*, cùm *Ennius* debeat reponi. Alium etiam arietem idem intorquet. Nempe quod apud Diomedem lib. III. legatur: *Epos Latinum primus dignè ſcripſit Livius.* Atque ita quidem jam olim editio habuit, quam Ioannes Cæſarius caſtigavit. Sed in Putſchianâ eſt: *Epos Latinum primus digne ſcripſit is, qui res Romanorum* XVIII. *complexus eſt libris: qui & Annales inſcribuntur, quod ſingulorum fere annorum actus contineant.* Sanè periphraſi hac clarè Ennius ſignatur. Quod ſiquis omnino contendat, Diomedem nomen poëtæ expreſſiſſe, non multùm repugnabo, ſed pro *is* non *Livius*, verùm *Ennius*, erit reſcribendum: cujus de Annalibus res notiſſima: non de *Livii Romanide*; ut vocare viſum clariſſimo viro, quem dicebamus.

5. §. *Princeps verò epicorum, ſeculorum omnium conſenſu, eſt Virgilius. Qui & in multis Homero ſuperior videtur.* Οἰκονομίᾳ *tamen vinci, aliquorum eſt judicium.*

In his Antonii Lulli Balearis lib. VII. de Oratione cap. V. *In heroico verſu cedimus (certum eſt) œconomiâ Græco Homero: ſed tamen adeo præſtitit in cæteris Virgilius, ut*

ut huic uni cum Cicerone debeatur propagatio Romanæ eloquentia. Neque enim Imperio tantum tributum fuiſſe credibile eſt, ut illius cauſſà ſolùm, relicto Græcorum lepòre, ac venuſtate, cuncti mortales Latinam orationem ſectarentur. Quamquam certè plurimùm ad hoc potuit Imperium. Nam & in minutis locis, ac regionibus, ita experimur; ut idioma illud in pretio ſit, & honore, quo utuntur honoratiores; licet nec ſono, nec derivatione, aliis præſtet.

Cap. IV.

De propoſitione, et invocatione, carminis epici.

1. §. *Deinceps ab inventione, & propagatione epopœia, ad partitionem ejus tranſeamus. Sunt verò tres ejus partes; propoſitio, invocatio, & narratio. Propoſitio primariam duntaxat actionem refert.*

Multas exponere actiones dicitur epicus; & unam tantùm; quia una ſolùm eſt, ad quam omnes referuntur. Atque eo inter alia differt epopœia ab hiſtoria: cui propoſitum eſt, indiſcriminatim ἀξιομνημόνευτα * unius, vel plurium, geſta omnia referre. Plurium; ut Athenienſium, Spartanorum, Romanorum, Carthaginenſium. Unius; ut Miltiadis, Themiſtoclis, Romuli, Scipionis. Nam & unius vita viginti, aut triginta, vel plurium, aut pauciorum annorum geſta continet: quæ tot annis non poſſunt non eſſe plurima. Interdum tamen & hiſtorico una inprimis actio proponitur. Ut Salluſtio conjuratio Catilinaria. Sed ratò admodum hoc fit. Hic verò, cum Ariſtotele, illud exponimus, quod plurimùm contingit. Poëta igitur unicam ſolùm actionem proponit. Ut apud Maronem †:

* Memoriâ digna.
† 1. Æn.

Arma, virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinaque venit
Litora.

Neque eſt, quòd dicat aliquis, diverſa proponi, propter illa, *arma, virumque*. Nam eſt ἓν διὰ δυοῖν: *arma, virumque*, pro *virum armatum*. Ut, *pateris, & auro*, pro *pateris aureis*. Qua de re in Oratoris Inſtitut. plura diximus ‡. Itaque iis aſſentio, qui cenſent, tantundem eſſe, ac ſi exemplo dixiſſet Homerico,

‡ Lib. 5. cap. 4. ſect. 4.

Dic mihi Muſa virum, Trojæ qui primus ab oris.

Neque enim Maro perſequitur omnem Æneæ vitam: ſed ut, Trojâ captâ, everſâque, poſt multa pericula venerit in Italiam, ſibi divinitus promiſſam, atque ibi Turnum ſuſtulerit. Valde autem errant, qui putant, Maroni in animo fuiſſe XII. Æneidos libris ſubjungere reges Albanos, uſque ad Amulium; item res Romanas ad tempora uſque Auguſti. Neque enim ſic foret una actio, ac fabula: ſed neque aliquid magis monſtroſum fingi potuiſſet iſtiuſmodi opere, in quo mille amplius annorum hiſtoriam coactus fuiſſet breviter perſequi; idque poſt divinum opus, quo pauculos eſſet annos fusè adeò complexus. Nam ſi nudè illa narraſſet, quid aridius fuiſſet, & prioribus magis diſſimile? Sin epiſodia, & digreſſiones addidiſſet; quot poëtarum vitis ad eam rem opus fuiſſet!

2. §. *In propoſitione potiùs circumſcribitur perſona, de qua agendum; quàm nominatim exprimitur. Sed cùm proponi ſoleat, ut lux afferatur narrationi; nihil æque cavendum, quàm ne circumlocutione tenebras affundamus.*

Sanè nec Homerus, cùm proponit, Ulyſſem nominat; nec Maro Æneam: ſed ita de illis loquuntur, ut ſignari eos nemini ſit obſcurum.

3. §. *Imò quandoque, circumlocutione omiſſâ, patronymico utimur, vel proprio.*

Prius facit Statius initio Achilleidos. At proprium cum patronymico junxit Homerus in Iliade.

4. §. *Ita verò proponendum, ut abſit omnis ingenii, doctrinæque jactatio, omnis granditas, ac tumor, & exquiſitus ornatus.*

Horat. in Arte:

Nec ſic incipies, ut ſcriptor Cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient montes: naſcetur ridiculus mus.
Quanto rectiùs hic, qui nil molitur ineptè!
Dic mihi Muſa virum, captæ poſt tempora Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit, & urbes.
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem,
Cogitat: ut ſpecioſa dehinc miracula promat,
Antiphatem, Scyllamque, & cum Cyclope Charybdim.

Homeri ſimplicitatem ſecutus Maro. At non Lucanus, cujus initium affectatius, & tumidius:

Bella per Æmathios plusquam civilia campos,
Juſque datum ſceleri canimus, populumque potentem
In ſua victrici converſum viſcera dextrâ,
Cognataſque acies, & rupto fœdere regni,
Certatum totis concuſſi viribus orbis
In commune nefas, infeſtiſque obvia ſignis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

Quàm etiam ſonantia, vaſta, tumida, ſunt illa Statii Papinii in Achilleide:

Magnanimum Æacidem, formidatamque Tonanti
Progeniem canimus.

Ubi verſu primo ſexies A habemus; item tres voces tetraſyllabas: tertia etiam ſolis longis conſtat, &, ob ſequentem encliticam, ſe ipsâ productior videtur: pronunciationem ſanè moleſtiorem reddit.

5. §. *Ut citharœdi προοιμιάσματα, & tibicines προαύλιον, juſto præmittunt cantui: ſic poëta juſtæ propoſitioni quandoque aliquid præponunt, quod ad ſe pertineat.*

Ut Maro hæc, *Ille ego, qui quondam*: quæ Varius, & Tucca, ſuſtulere. Fecerat autem hoc Maro, more Ebræorum, Chaldæorumque: quibus eam eſſe conſuetudinem, fidem fecerint Prophetæ.

6. §. *Interdum & propoſitioni aliquid ſubjungunt, quod extra deſcriptionem quidem ſit; ſed valeat ad gratiam principis, vel populi, aucupandam.*

Ut illa apud Maronem *:

* 1. Æn.

—— Genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.

Quæ ſanè extra fabulam ſunt: ſed in Auguſti, populique Romani, gratiam dicuntur. Lucanus verò propoſitioni, priuſquam invocet, ſubjungit exſecrationem bellorum civilium. Sed hic ſubinde declamat veriùs, quàm canit: nec tam poëta eſt mythicus, de quo nunc agimus, quàm hiſtoricus. Sanè exordio convenit brevitas, quia, ubi auditor cognovit, quâ de re agendum ſit, ad narrationem feſtinat animus.

7. §. *Propoſitioni ſubjicitur à Latinis invocatio. Sed Græci ab invocatione ordiuntur.*

Sic Aratus:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα †. ——

Et Apollonius Rhodius:

Ἀρχόμενος σέο, Φοῖβε ‡. ——

Ubi ſic ſcholiaſtes:

Ἔθος ἀπὸ θεῶν προοιμιάζεσθαι ⸸.

† Ab Jove incipiamus.
‡ Incipiens à te, Phœbe.
⸸ Conſuetudo fuit à Diis proœmium ſumere.

Sed

Sed Maro, & Latinorum alii, priùs proponunt, quàm invocent. Alterutro ſaltem loco invocatio eſt neceſſaria. Nam ita omnium animis inſitum eſt, nihil magni ab homine præſtari poſſe ſine ope divinâ. Ergo & pietas poëtæ benevolentiam conciliat: &, quòd afflatu divino canere videatur, auctoritatem operi gignit.

8. §. *Inprimis autem invocabant Jovem, vel Apollinem, aut Muſas: in his præcipuè Calliopen.*

Pindarus Nemeorum od. II. Ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πολλὰ ἀοιδοὶ ἄρχονται Διὸς ἐκ προοιμίου. Alcaicis ſic verſibus reddidit Nicolaus Sudorius, Inquiſitionum in Curia Pariſienſi Præſes; cujus eò memini, quia metris Horatianis Pindarum univerſum venuſtè reddidit:

Ut conſuetes carmina Homeridæ,
Exordiuntur ab Jove maximo.

Eum in locum ſic vetus ſcholiaſtes: Αὐτοὶ οὖν τῆς ἀρχῆς ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐκ Διὸς ἐποιοῦντο προοιμιαζόμενοι, ἐνίοτε δ' ἐκ Μουσῶν. *Illi igitur ut plurimum, quando exordiuntur, initium ſumunt à Jove; quandoque & à Muſis.*

Cùm verò unam Muſarum invocarent, ferè ea Calliope erat. Ut Homerus*, cùm ſic incipit, Μῆνιν† ἄειδε θεά. Ridiculus verò erat Protagoras Sophiſta; cùm, teſte Ariſtotele‡, Homerum reprehenderet, quia non precetur hoc loco; ſed imperet. Nam, inquiebat, is imperat, qui jubet aliquid fieri, aut non fieri. At hoc facit, qui dicit, ἄειδε‡. Quam diſquiſitionem meritò Ariſtoteles rejicit à Poëtica: quippe quæ pertineat ad Grammaticen. Ejus enim eſt docere, modum illum dici imperativum; non quia eo ſemper imperemus, ſed quia ſæpius ſic utamur. Quomodo & cæteri modi, & in nominibus caſus, à præcipuo uſu appellantur.

* Il. A.
† Iram cane Dea.
‡ Lib. de re Poët. cap. 19.
‡ Cane.

9. §. *Nec, quòd initio operis invocarent Muſas, impediebat, quo minùs in magno opere iterum, ac ſæpius, illud facerent. Nempe quâ ratione oratores, non in exordio ſolùm, ſed in mediâ etiam oratione, poſcere attentionem ſolent.*

Virgil. VI. Æn.
Di, quibus imperium eſt animarum, umbræque ſilentes.
Æn. VII.
Tu vatem, tu Diva mone, dicam horrida bella.
Eodem lib. & X.
Pandite nunc Helicona Deæ, cantuſque movete.
Et in IX.
Vos, ô Calliope, precor adſpirate canenti.

10. §. *Poëtæ illi, qui non bella, ſed rerum naturam, vel agriculturam, vel res ſimiles, pangerent, Venerem etiam, Bacchum, Cererem, aliaque invocabant numina.*

Quamquam, qui heroum bella deſcribunt, non rogent Martem, & Bellonam, belli præſides Deos: tamen Lucretius, de Natura rerum ſcripturus, precatur Venerem, cui procreatio adſcribitur. Maro initio Georgicôn ſupplicat Diis, qui agriculturæ præſunt.

11. §. *Cæſarum verò temporibus, quia diviſum cum Jove imperium habere crederentur: etiam illos poëtæ invocabant; uti quandoque & alios illuſtres viros.*

Ita Maro in Georgicis veneratur Auguſtum; Ovidius in Faſtis Germanicum Cæſarem; Valerius Flaccus Veſpaſianum; Oppianus Antoninum. Imò Lucanus invocat monſtrum illud hominis, Neronem: Papinius itidem Domitianum,

—— Quem calvum dixit ſua Roma Neronem.*

* Juvenalis ſat. 4. & Auſonius in Cæſaribus.

12. §. *Nobis verò nemo in carmine rogandus, quem invocari Chriſtiana religio non permittit.*

Magni tamen poëtæ hac in re aberrârunt: atque in iis Actius Syncerus, qui in ſublimi poëmate de partu Virginis, gentilium poëtarum veſtigiis inſiſtens, & quidem in ſacra materia, Phœbum, ac Muſas precatur. Quemadmodum &, eodem in opere, Mariam inducit Sibyllinis intentam libris, ac Protea de Chriſto vaticinantem fingit. Scio, ſic excuſari ſolere, quòd poëma, non hiſtoriam condere inſtituerit. Mihi verò in ſacro argumento ſic ludere religio ſit.

Cap. V.

De carminis epici narratione, tum ratione actionis primariæ, tum etiam episodiorum.

1. §. *Venio ad narrationem ipſam, quæ eſt ficta actionis explicatio.*

Nam, ut ex Ariſtotele ſuperiùs diximus, οὐ τὸ τὰ γενόμενα λέγειν, τοῦτο ποιητοῦ ἔργον ἐστίν, ἀλλ' οἷα ἂν γένοιτο. *Poëtæ officium eſt, dicere non ea, quæ contigere; ſed cujuſmodi fieri potuiſſent.* Quamquam enim hoc universè verum non eſt, cùm quidam etiam ſint hiſtorici poëtæ: verum tamen eſt in epopœia, prout ea ſtrictè à nobis ſumitur hoc loco.

2. §. *Nec tamen hoc ita intelligi debet, quaſi poëta epicus non ſumat veram actionem explicandam: ſed quia veris plurima admiſceat falſa. Nimirum, ut de tragœdia diximus, ita in epopœia quoque ſatis eſt, ſi illud, quod in fabula præcipuum eſt, trahatur ex vero. Hoc enim faciet, ut cæteris etiam fides concilietur, majorque auctoritas.*

Hinc Lactantius Divin. Inſtitut. lib. I. cap. XI. *Neſciunt homines, qui ſit poëticæ licentiæ modus, quouſque progredi fingendo liceat: cùm officium poëtæ in eo ſit, ut ea, quæ verè geſta ſunt, in alias ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo converſa traducat. Totum autem, quod referas, fingere, id eſt, ineptum eſſe, & mendacem potius, quàm poëtam.* Nempe vera narratio juſtiùs ad hiſtoriam pertineat. Penitùs falſa, & vulgari opinioni planè adverſa, non inveniat fidem. Mediam igitur viam inſiſtunt epici. Nam multa quidem fingunt: ſed primaria actio hauritur ab hiſtoria. Vulgoque ea nota eſſe ſolet: quia regum, ducumque geſta latère non poſſunt. Ita Maro illa de Æneæ in Italiam adventu accepit ab hiſtoricis: ut argumento eſt, quòd idem apud Livium legas, qui priores in eo hiſtoricos ſecutus fuit. Contrà in comœdia fit; ubi planè non laboratur de vero; quia hæc humilium perſonarum actiones exponit: quæ cùm ignotæ ſint, nihil impedit, quo minùs totum comœdiæ argumentum ſit commentitium.

3. §. *Quòd ſiquid primaria actioni inſit, de quo diſcrepent priorum judicia; eorum ſequi ſententiam licebit, quos viſum erit.*

Ut in illo, utrùm Clytæmneſtra maritum in balneo, an inter pocula, interemerit. De quo veterum diſſenſum alibi* expoſuimus.

* Orat. Inſt. lib. I. cap. 6. ſect. 6.

4. §. *Porrò tum in falſis, tum veris, reſpicit poëta, non perſonam, quam deſcribit; ſed ipſum univerſale: hoc eſt, non ſatis ei eſt geſta exponere; ſed etiam exemplum præſtantis viri effingit.*

Ita Homerus Iliade depingit in Achille naturam iracundi,

Digitized by Google

di, ſed fortis: in Ulyſſe virum diſertum, & prudentem. Maro quoque in Ænea proponit regem pium, & magnanimum, quique, eo quòd dura ſit virtutis via, (ut propemodum verba poëtæ retineam)

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,
Tenderet in Latium, ſedes ubi fata quietis
Oſtendant.

Atque hoc eſt, cur Ariſtoteles, ut diximus, poëtam cenſeat magis philoſophum agere, quàm hiſtoricum. Magis enim reſpicit τὸ καθόλου *.

** Univerſale.*

5. §. Talis verò ad extremum ſervanda eſt perſona, qualis ab initio fuerit conſtituta.

‡ Epiſt. ad Piſones

Monet hoc Horatius ‡. Inque eo ab hiſtorico diſtat epicus. Nam cùm diverſa diverſis temporibus ſint hominum ſtudia, ac mores, ſæpe etiam contraria: ea ſic, uti fuere, enarrat hiſtoricus. Poëta, qui unam deſcribit actionem, ita omnia exſequitur, ut nihil pugnans in perſona videatur.

6. §. Quamquam narratio hæc plures complectitur actiones: ea tamen illarum eſt connexio, ut inde, non monſtrum illud, quod initio Artis Horatius deſcribit; ſed una reſultet fabula.

† Lib. 1. cap. 4. § 3.

De unitate hac fabulæ multa ſuperiùs † expoſui. Atque inferiùs quoque aliquid de eo dicendum erit; cùm oſtendam, ordinem fabulæ connexum eſſe, non fortuitum.

7. §. Ubique autem curandum, ut res afferantur novæ, & variæ: inque præſentibus futurorum ſemina adſpergantur; quò ita auditoris animus detineatur quaſi ſuſpenſus, & ad ſequentia magis feſtinet.

Non igitur poëta amplecti debet, quicquid primò ſe obtulerit: vulgatiſſima enim primò ſe ingerere ſolent. E magna ergo copia delectu eorum opus, quæ maximè ſunt admirabilia, diſſimiliaque. Talibus lubens immoratur animus, & deſiderio afficitur cætera etiam cognoſcendi.

8. §. Ac primò quidem de primaria actione cogitandum.

‡ Lib. 1. cap. 4.

Hoc eſt, nudâ, & ſine epiſodiis: qua de re ſatis dictum, cùm universè de fabula ‡ ageremus. Ex iis cognoſcere erat, aliud eſſe vitas ſcribere, aliud poëma condere. Cumque unum ſit poëma, unaque fabula, quæ unam explicat actionem: poëma quoque unius eſſe actionis oportere. Hoc ſedulò eſſe obſervatum ab Homero, & Marone. At diſparem fuiſſe rationem Heracleidos, Theſeidos: quia in iis non una attenderetur actio, reliqua velut epiſodia adderentur: ſed actiones ſingulas narrarent, ut primarias: quomodo facere ſolent vitarum ſcriptores. Atque auctor eſt Ariſtoteles, in idem vitium incidiſſe parvæ Iliados auctorem: qui non ipſe Homerus fuit, ſicut tradidere aliqui; ſed Leſches Leſbius: ut dicebamus lib. 1. cap. VII, & lib. II. cap. XIII.

9. §. Poſt actionem primariam videndum de epiſodiis, & digreſſionibus.

** Lib. 1. cap. 4. § 7.*

Quid epiſodia ſint, ſatis ibidem * oſtendimus.

10. §. Epiſodia ſunt hîc multa, varia, longa.

Ita epiſodion eſt totus Maronis ſecundus, tertiuſque Æneidos liber. Et quot, quamque longa epiſodia in Homero! Nam Ilias Homeri, ſi principem actionem ſpectes, continet unius anni geſta. Sed, epiſodiorum beneficio, decennii geſta complectitur. Parvi etiam temporis eſt Odyſſea: ſed ſterile argumentum epiſodiis mirè amplavit. Sanè epiſodia ex perſona Telemachi extenduntur uſque ad librum ſeptimum, ubi quædam ad primariam actionem pertinentia. Etiam octavo ſunt epiſodia. De nono, decimo, undecimo, duodecimo, jam diximus. Quamquam & ibidem, ac decimo tertio, & decimo quarto, membra primariæ habes actionis. Inſuper epiſodia ſunt ex parte Ulyſſis. Libro autem XVI, & ſequentibb. habentur agnitiones; quæ ſunt membra actionis, vel ipſa actio. Hujuſmodi epiſodia apud Homerum veteres diſtinctis vocare nominibus ſolent. Hinc eſt, quòd ab Ariſtotele in Poëtica citatur Homeri λιτάς, νίπτρα, ἔκθεσις. Νίπτρα ſunt pars ea, ubi Ulyſſes ex pedum lotione agnoſcitur. Ἔκθεσις, ubi idem à Phæacibus in litus Ithacenſe exponitur. Nempe commune aliquid habent Poëtarum epiſodia, & Oratorum loci communes. Ambo enim ornatûs, & amplificationis cauſſâ, aſſumuntur.

11. §. Epiſodia inprimis fingere licet in rebus longè remotis à temporibus noſtris.

Ut à Marone factum videmus, cùm ex Didone pudica facit impudicam. Nimirum non poterant iſta hominum memoriâ refelli. Siquidem, ſi hiſtoriam ſequimur, jam Dido Maronem antecesſerat octonis amplius ſeculis: ſin fabulam Maronianam, etiam plus undenis; cùm Troja ſit capta annis amplius quadringentis ante conditam Romam; ut Eratoſtheni oſtenſum, & alibi * expoſitum nobis.

** Lib 1. Oratoriarum Inſtitutionum cap. 6. ſect. 8.*

12. §. Differunt epiſodia tragædiæ, & epopœiæ; quòd illa ſint pauca, & ſumantur è rebus proximis; hæc multa eſſe poſſint, & diſſimilia.

Tragœdia enim imitatur agentes, eoque Solis circuitu abſolvitur. Ac proinde longa eſſe nequit: ſed properare debet ad agnitionem, & peripetiam. Non igitur aſſumet alia, quàm ſimilia, & quæ ſpectent finem actionis. Epopœia autem in narrando operam ponit; narratioque ejus longa eſſe debet. Adſumet igitur omnia, ſeu ſimilia, ſeu diſſimilia, modo aptè connecti, & novitate animum recreare poſſint. Hac de re ſic Antonius Lullus lib. VII. de Oratione cap. V: *Eſt in epopœia unius perſonæ una actio; ut in dramate ſed differt multarum fabularum inductione, non vulgarium, nec uſu tritarum; ſed diſſimilium vulgaribus, & uſitatis: ut Virgilius transformationes multas introduxit navium in Nymphas, Veneris in venatricem, Cupidinis in Aſcanium. Quod cùm ita ſit, epiſodiis variis, & multis, utendum. Nam & narratio excreſcere, quantum lubet, poteſt; & ratio carminis heroici omnia ſuſtinet. Quin etiam poëta ex perſona ſua quadam inſerit; etſi pauca.*

13. §. Quemadmodum autem tragædia illa, quæ agnitionem, & peripetiam habet, præſtat illi, quæ ſolum eſt παθητική †: ita & epopœia illa, quæ agnitionem, & peripetiam continet, eſt potior illâ, quæ ſolum ciet affectum.

† Affectus movens.

Sanè Ilias eſt quidem παθητική ‡; ut quando vulnera, & cædes, refert: ſed περιπέτειαν * quoque habet; ut cùm nunc Græci, nunc Trojani, narrantur victores. Victoria enim, & clades, commutant felicitatem, & infelicitatem. In Odyſſea verò cum hæc ipſa, tum etiam agnitionem habes. Nam lib. XVI. Telemachus agnoſcit patrem: lib. XVII. canis agnoſcit herum: libro alio Euryclea eum ex cicatrice, dum pedes lavat, agnoſcit: XXIII. agnoſcit illum Penelope: ultimo denique libro agnoſcitur à patre Laërte. Habet verò hoc agnitio, quòd magnam & admirationem, & voluptatem parit: imò ex agnitione hic, ut ſæpe aliàs, περιπέτεια † provenit. Nam Ulyſſes agnitus rem familiarem perducit in ſtatum meliorem. In Iliade verò agnitio quidem eſt, & περιπέτεια: ſed non alia, quàm

‡ Affectus ciens.

** Immutationem, ſive converſionem.*

† Converſio rei.

quæ

quæ ad epiſodia pertinet; non quâ fabula perducatur ad exitum. Idem de Æneide judicium eſto.

14. §. *Sed quæ in Epicis requirimus, ea exigi non debent à poëtis cyclicis; qui veteres fabulas ſimplici narratione ſine ullis epiſodiis narrabant.*

Scio, quid eruditiſſimi homines ſcripſerint de cyclo epico, ſive patulo orbe, ut vocat Horatius*. Scio etiam, quam variè abeant de poëtis cyclicis. Sed non poſſum adduci, ut idem eſſe cenſeam cyclicum, & epicum, vel ut exiſtimem, per *vilem orbem* à poëta intelligi quodvis epiſodium. *Orbem* malo interpretari fabulæ periodum, ſive ambitum, vel corpus epicorum, ſervato temporis ordine omnia ſine epiſodiis narrantium. Cyclicos † verò vocatos cenſeo, qui ſine epiſodiis, ac digreſſionibus, fabulas narrarent. Horum exemplo Ovidius in Metamorphoſi non unam ad actionem fabulas revocat; ſed omnes de corporibus in alias formas mutatis artificioſiſſimè connectit. Ut valde errent, qui eo nomine arguunt poëtam. Eſt in iis Antonius Lullus Balearis lib. VI. de oratione cap. V: ubi ſic ſcribit: *Rejectanda epiſodia affectata: in quibus eſt, inquam, manifeſta fictionis affectatio, aut non veriſimile argumentum. Quo in loco manifeſtè peccavit Ovidius, nimis affectatè connectens fabulas in Metamorphoſi. Nectit enim hiſtoriam; nec unam tamen actionem proſequitur, nec unam perſonam: & vim facit connectendis rebus adeò gravem, ut nemo tam firma ſit memoria, qui rem expoſitam continere queat, nedum intelligere.* Nempe exiſtimat Lullus, Ovidium, more Homeri, Maronis, ac ſimilium, debuiſſe unam ſibi actionem proponere, ad quam cæteræ referrentur. At quomodo hoc facere poſſit, qui orbem fabularum complecti volet, ut fecere cyclici: de quibus dicebamus lib. II. cap. XIII, quod eſt de tragœdiæ conſtitutione. Atqui cyclicos Naſo ſibi imitandos propoſuit. Ut præcipua ejus laus videatur, ſi fabulas omnes artificioſè connectat; quòd ab eo pulcrè adeò factum, ut mirari ſatis poſſit nemo. Equidem de me fateor; veriſſimum eſſe, quod de ſe ſcribit Guiljelmus Canterus lib. I. Novarum Lect. cap. XX: *Exiſtimo, multis, cùm Ovidii Transformationes legunt, idem quod mihi, ſæpe contingere; ut perpetuam illam, & nunquam interruptam narrationum tam variarum connexionem, ſatis mirari nequeant: quodque in hoc opere poëta tam convenienter propoſito ſuo, à prima mundi origine, ad ſua uſque tempora, carmen artificioſiſſimè deducat.* Subjungit deinde de ſe hunc in modum: *Quæ quidem res ita me ſemper delectavit, ut temperare mihi tandem non potuerim, quin, opere toto ſemel pervoluto, ordinis rationem per ſingulas fabellas conſiderarem, atque adeò totum opus, quaſi in epitomen quandam, redigerem: ut quam ex partibus ſingulis olim voluptatem ceperam, eam tunc è toto poëmate, breviter ſub oculos poſito, longè pleniorem perciperem: & poëtæ ingenium, cùm in aliis rebus multis, tum in hac præcipuè, non vulgare fuiſſe, deprehenderem.* Subjungit deinde fabularum ſeriem, & nexum artificioſiſſimum; quem ex ipſo peti Cantero malo.

* In Arte.

† Multa de iis, inter alios, Caſaubonus Animadverſionibus in Athenæum lib. 7. cap. 3. & 4. Ubi tamen quædam minùs curatè.

Cap. VI.

De Epopoeiæ magnitudine, et dispositione.

1. §. *Nunc de diſpoſitione dicendum. Cùm à Rhetoribus tres ſtatuantur narrationis virtutes; brevitas, perſpicuitas, & probabilitas: duas quidem poſteriores amat poëta epicus; de prima vero non laborat.*

Oratori quippe longo eſſe in narrando non licet; quia deinceps oportet, ut ſua confirmet, & aliena refellat, atque etiam peroret. Poëta verò nihil habet præter narrationem; quam iccirco amplificari variis epiſodiis, ac digreſſionibus, eſt opus.

2. §. *Interim magnitudo Epici poëmatis, ejuſmodi eſſe debet, ut ejus & principium, & finis, & quod interjectum eſt, uno videri intuitu poſſit.*

Fiet hoc, ſi una ſit actio primaria; cætera ſint epiſodia, perque occaſionem inducta. Quorum cùm ſingula tragœdiæ eſſe argumentum poſſint; liquet, unam epopœiam magnitudinem habere plurium tragœdiarum.

3. §. *De ordine Epopœiæ ſatis eſt res aperta ex iis, quæ diximus, cùm universè de fictione, ſeu fabula, ageremus.*

Videlicet lib. I. cap. IV, quod eſt de fictionis partitione, & cap. VII, quod eſt de fabulæ ordine. Ubi multa referebamus, quæ non minùs ad οἰκονομίαν* Epopœiæ, quàm alicujus dramatis, pertineant.

* Diſpoſitionem.

Cap. VII.

De epici carminis dictione, et cantu.

1. § *Proximum eſt, ut de Elocutione videamus. Carmen epicum verborum gravitate exprimit, & adæquat, rerum magnitudinem. Quare, ut ei majeſtatem conciliet, gaudet ſententiis illuſtribus, & verbis translatis.*

Ut quæ dignitatem addant, quia vulgaribus abſtinetur. Exempli gratià, grande eſt illud †:

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

† Æn.

At humile ſit, ſi propria ſubſtituas hoc pacto: Affectum auget interiùs, & occulto conſumitur amore.

2. §. *Eâdem de causâ gaudet ξενικοῖς, ſive peregrinis. Nam & hæc adferunt σεμνότητα, ſive gravitatem.*

Sanè Homerus varias idcirco miſcuit dialectos. Unde ſic Plutarchus‡ de eo: Λέξει δὲ ποικίλῃ κεχρημένος, τὰς ἀπὸ πάσης διαλέκτου τῶν Ἑλλήνων χαρακτῆρας ἐγκατέμιξεν· ἐξ ὧν δῆλός ἐστι, πᾶσαν μὲν Ἑλλάδα ἐπελθὼν, καὶ πᾶν ἔθνος. *Dictione autem variâ uſus, & ab omnibus petitâ dialectis Græcorum, dicendi formas permiſcuit: è quibus cognoſcitur, Græciam univerſam, omneſque ejus nationes, obiviſſe.*

‡ Libro de vita Homeri.

3. §. *Nec tamen pariter ubique ornatu opus eſt: ſed maximè, ſi res per ſe fuerint exiles.*

Hac de re ſic Ariſtoteles: Τῇ δὲ λέξει δεῖ διαπονεῖν ἐν τοῖς ἀργοῖς μέρεσι, καὶ μήτε ἠθικοῖς, μήτε διανοητικοῖς. *Dictionem eſſe elaboratam oportet, ſi res langueant, exileſque fuerint: non autem in moratis; neque iis, quæ argumentis, ac ſenſu abundant.* Rationem deinde addit: Ἀποκρύπτει γὰρ πάλιν ἡ λίαν λαμπρὰ λέξις τὰ ἤθη, καὶ τὰς διανοίας. *Nam nimis ſplendida dictio offuſcare iterum mores, & ſenſus, ſolet.* Qua de re plura diximus*, cùm universè ageremus de dictione poëtica.

* Libro primo hujus operis cap. 8.

4. §. *Ubique verò videndum, ne oratio ſit languida; ac contrà etiam curandum, ne ſit κακόζηλος †, & verbis, vel ſententiis malè affectatis, turgeſcens.*

† Malè imitans.

De perſpicuitate, ſuavitate, & aliis narrationis virtutibus, nihil nunc dicam: quoniam de iis abunde actum à nobis lib. VI. Inſtitutionum Oratoriarum.

Digitized by Google

5. §. *Atque hæc de verborum delectu, & ornatu. Sequitur de compoſitione. Huc refer, quod, ut magis inſurgat metrum, periodorum præſtat inæqualitas.*

Antonius Lullus lib. VII. de Oratione cap. v. *Ut poſſit* (epopœia) *inſurgere aliquando, & intumeſcere, conſequimur cæſurum, ac periodorum, ſolâ inæqualitate. Et magnum vitium incurrit Silius Italicus, cùm ita metitur:*

Ordior arma, quibus cælo ſe gloria tollit
Æneadum, patiturque ferox Oenotria jura
Carthago. Da, Muſa, decus memorare laborum
Antiqua Heſperiæ.

De quo etiam dictum lib. I. cap. VIII. §. 15.

6. §. *De numeris pleraque Grammatici præcipiunt, partim minuta, partim falſa.*

Sanè quis non judicium deſideret Servii in illud III. Æn.

Progreditur portu claſſes, & litora linquens.

Ubi Grammaticus ille ait: *Finitum eſt verſus participio, quod rarò fit apud Latinos; apud Græcos verò vitioſiſſimum eſt.* Atqui apud Homerum in fine verſus reperias μῆνιαίνων, ναίων, εἰδώς, aliaque: apud Maronem verò, *quaſſans, revertens, dehiſcens*, ac ſimilia. Alia etiam ejus generis apud Grammaticos invenio, quibus non inſiſtam. De numeris potiùs adferam pauca.

7. §. *Dactylis multis utimur ad deſcribendam celeritatem.*

Ut in curſu equi incitato:

* 8. Æn. *Quadrupedante * putrem ſonitu quatit ungula campum.*

Sic in temporis fugâ ſignandâ:

† Æn. 3. *Sed † fugit interea, fugit irreparabile tempus.*

Item Turni fugâ:

‡ 12. Æn. *Ni ‡ fuga ſubſidio veniat: fugit ocior euro.*

Et cùm claſſicum canitur:

‖ Æn. 9. *At ‖ tuba terribili ſonitu procul ære canoro.*

Cumque deſcribitur impetus ruentium ad certamen:

* Æn. 5. *Inde * ubi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes,*
Haut mora, proſiluere ſuis: ferit æthera clamor.

† Lib. 1. eleg. 5. Turbinis etiam celeritatem ſcitè deſcripſit Tibullus †:

Namque agor, ut per plana citus ſola verbere turbo.

Ubi tres continui dactyli celeritatem indicant. Ut quoque 11. Æn. de equo Trojano:

Illa ſubit, mediaque minans illabitur urbi.

8. §. *Mora verò, & tarditas, ſpondeis optimè repræſentatur.*

Ut de equo Trojano, cùm introduceretur in urbem:

‡ 2. Æn. *Et ‡ monſtrum infelix ſacratâ ſiſtimus arce.*

‖ 3. Georg. Deque magnâ cum difficultate liberatis fabrorum ictibus:

Illi ‖ inter ſeſe magna vi brachia jactant.

* Æn. 1. Similiter de molimine ventorum in illo *:

Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras.

† Ibid. Item in hoc †:

Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt.

‡ Ibid. Uti & de nixu undarum in maximis fluctibus concitandis ‡:

—— Et vaſtos volvunt ad litora fluctus.

‖ Æn. 5. Par ratio in illo ‖:

Nec nos obniti contrà, nec tendere tantùm
Poſſumus.

9. §. *Gravitas etiam perſonæ ſic optimè exprimitur.*

Ut majeſtas Latini in juvene Turno placando ‡: ‡ Æn. 9.

Olli ſedato reſpondit corde Latinus.

10. §. *Iiſdem ſpondiaci verſus conducunt ad exprimendam auctoritatem, & majeſtatem perſonæ: vel magnitudinem affectûs, vel rem inopinatam, magnamque.*

Ad majeſtatem perſonæ indicandam pertinet illud Ecl. IV.

Cara Deûm ſoboles, magnum Jovis incrementum.

Item hoc Æn. III.

Cum ſociis, natoque, penatibus, & magnis Dîs.

Affectûs magnitudinem repræſentat illud Catulli *: * Carm. de Nuptiis Thetidis, & Pelei.

Æquoreæ monſtrum Nereides admirantes.

Et hoc Maronis II. Æn.

Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit.

Ubi quaſi circumſpicientem repræſentat. Magnitudinem, ac difficultatem rei, indicat illud Æn. III.

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

Item hoc eoque libro:

Cauloniſque arces, & navifragum Scylaceum.

Quod & facit duobus in locis, quartâ, quinctâque in ſede, ſpondeum locando:

Aut † leves ocreas lento ducunt argento. † Æn. 7.

Saxa ‡ per, & ſcopulos, & depreſſas convalles. ‡ G. 3.

At Ennius ‖ etiam meris ſpondeis uſus: ‖ Teſte Donato, ubi de Metaplaſmo, & Atilius Fortunatianus.

Olli reſpondit rex Albaï Longaï.

Quod ad perſonæ gravitatem pertinet. Sed Maronem potiùs imitabimur, qui refûgit.

11. §. *Atque, ut generatim dicam, de compoſitione illud tenendum; tum juncturam literarum, tum pedes ipſos, ſic rei accommodari debere, ut ea geri potiùs, quàm cani; ſpectari magis, quàm audiri, videatur.*

Ita ruina impulſæ turris numeris ipſis quaſi ob oculos ponitur, cùm ait poëta *: * Æn. 2.

—— Convellimus altis
Sedibus, impulimuſque: ea lapſa repentè ruinam
Cum ſonitu trahit.

Ubi & dactylorum frequentia ruinam celeritate ſuâ quaſi antevertere conatur. Ad eandem repræſentandam, alibi † monoſyllabo verſum terminat: † Ibid.

—— Procumbit humi bos.

Quod, ut Jul. Scaliger obſervat, graphicum eſt magis, quàm ſi dixiſſet, *bos corruit iſtu.* Sic alibi ‡, ‡ Æn. 3.

—— Sub ilicibus ſus.

Et Horatius in Arte:

—— Naſcetur ridiculus mus.

Etiam cum nocte verſus ruere videtur, cùm Maro ſic definit ‖: ‖ Æn. 3.

—— Ruit Oceano nox.

Parque hujus ratio eſt,

*—— Inſequitur * cumulo præruptus aquæ mons.* * Æn. 1.

Quod jure prætulit, cùm poſſet,

—— Inſequitur tumidis mons incitus undis.

Nam prius illud ob oculos ponit undarum confluxum quaſi in montem. Ad acrimoniam verò facit iſtud:

—— En † hæc promiſſa fides eſt? † Æn. 4.

Vide de ſimilibus Scaligerum rei Poët. lib. XLIV. cap. VIII.

11. §. *Ad dictionem etiam pertinet, an eadem iiſdem dicenda ſint verbis. Sæpius ab Homero videmus eoſdem iterari verſus. Quod ſi in legationibus ſolùm fieret, vel mandatis præſcribendis, poterat exiſtimari; eò id factum, quia à mandatario, vel legato, nihil addi, nihil adimi, oporteat. Sed enim, alias etiam crebrò id facere poëtam, videas. Ut potiùs id proveniat ſimplicitatis ſtudio.*

Anti-

Digitized by Google

Antiquitas enim non tanti faciebat ornatum, pigmentaque orationis, quàm juniores ſolent; quibus calamiſtri, & lenocinia, magis curæ fuerunt. Ac eodem pertinet illud philoſophi noſtri Stagiritæ lib. II. Politicorum cap. VIII. ubi, cùm dixiſſet, Laconibus magnâ ex parte Cretenſes fuiſſe pro exemplo; continuò ſubjungit: Τὰ δὲ πλεῖστα τῶν ἀρχαίων ἧττον διήρθρωται τῶν νεωτέρων. *Plurima antiquorum minus ſunt exquiſita, quàm recentiorum.*

12. §. *Juniores verò, quia non adeò ſimplicitatem amarent, paullùm ab eo receſſeram; ſic tamen, ut ipſi etiam Latini ſæpius eoſdem iterarent verſus; quod factum videmus à Lucretio, Virgilio, aliis. Ac in Lucretio quidem à ſimplicitatis amore proficiſci credamus. At de Marone illud dicere poſſumus, fortaſſe ſe ipſum voluiſſe imitari, quia meliorem ducem non haberet. Adhæc, ſimilitudine iſtâ id ſibi propoſuiſſe, unius ut omnia eſſe poëtæ cognoſceretur.*

Atque hoc argumento non abſurdè colligitur, Cirin eſſe genuinum Maronis opus: quia verſus adeò multi ex Bucolicis, Georgicis, Æneide, in eo reperiuntur.

13. §. *Poſtremo loco aliquid addamus de carminum cantu in publicis conventibus. Ubi non propria ſolùm canebant poëtæ; ſed etiam aliena, præcipuè Homeri.*

Unde ὁμηρισταὶ dicti; teſte Athenæo lib. XIV. Talis erat rhapſodus ille, quem cum Socrate colloquentem facit Plato in Jone. Primus Homeriſtas in theatrum induxit Demetrius Phalereus. Non unius tamen Homeri; ſed etiam Heſiodi, Archilochi, Mimnermi, ac Phocylidis, carmina recitabant: ut ex Chamæleontis libro de Steſichoro prodit ibidem Athenæus *.

* Pag. 620 edit. Commelin.

14. §. *Non ſolet tamen epicus de modis eſſe ſollicitus: ſed hanc curam ferè muſico relinquebat. Quod in poëtarum quoque aliis habuit locum.*

Sic, ut idem Athenæus ait †, Xenophanes, Solon, Theognis, Phocylides, Periander Corinthius elegorum ſcriptor, aliique plurimi, contenti erant verſus condere metrorum ordine; verùm μὴ προσεπιτηδεύειν πρὸς τὰ ποιήματα μελῳδίαν· *modos carminibus ſuis non admoverunt.*

† Lib. 14. p. 632. edit. Commel.

15. §. *Sed epopœia voce quidem canebatur; non tamen lyram norat.*

Hoc etiam tradit Antonius Lullus lib. VII. de Oratione cap. quinto: *Manifeſtum igitur eſt, quàm illi decipiantur, qui ad lyram Virgilium canunt. Mixtum namque fieri quiddam oportet, ex continua voce, & diaſtematicâ; quod lyra, tibiave, non novit.* Loquitur abſque dubio de vera epopœia, non quovis metro heroico. Nam bucolicos verſus tibiâ cantitari, vel ex uno Marone ſatis conſtat. Cùm verò carmina pleraque ad tibiam, vel citharam, cani ſoleant: carminis Homerici ea eſt majeſtas, ut dixerit Alexander magnus, non ad citharam, ſed ad tubam, cani oportere.

16. §. *Porrò poëtæ, qui aliena carmina cantarent, virgam lauream manu tenebant: quod dicebant,* ἐπὶ ῥάβδῳ ᾄδειν ‡.

‡ Cum virga canere.

Id etiam Heſiodus fecit; ut oſtendunt hi verſus in Θεογονίᾳ:

Καί μοι σκῆπτρον ἔδον δάφνης ἐριθηλέος ὄζον,
Δρέψασθαι θηητόν· ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν
Θείην, ὥστε κλύοιμι τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Et mihi ſceptrum dederunt (Muſæ) *lauri præviridis ramum,*
Decerpere mirandum. inſpirarunt autem mihi vocem Divinam, ita ut perciperem tum futura, tum præterita.

Atque hos verſus ſignat Pauſanias in Bœoticis; cùm ſic de Heſiodo ſcribit: Οὐδέν τι οἰκεῖον Ἡσιόδῳ φόρημα. δῆλα γὰρ δὴ καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἐπῶν, ὅτι ἐπὶ ῥάβδῳ δάφνης ᾖδε. *Non fuit hoc proprium Heſiodo geſtamen. Nam manifeſtum eſt ex ejus verſibus, ad lauri virgam ceciniſſe.* Ac multorum ita fert opinio, hinc eſſe ortum nomen ῥαψῳδῶν *. Sed ἀναλογία tum ῥαβδῳδὸς requireret; quomodo αὐλῳδὸς, & λυρῳδὸς, dicimus. Quare rectiùs Philochorus; qui ſic dictos putabat ἀπὸ τοῦ συντιθέναι, καὶ ῥάπτειν τὰς ᾠδάς· *à componendis carminibus.* Eaque ſententia eo quoque comprobatur, quòd ῥαψῳδὸς à Pindaro † vocetur ῥαπτῶν ἐπέων ἀοιδός. Nempe ſimili tralatione, ac dicitur ὑφαίνειν ὕμνον, ac Latinis etiam *texere carmen.*

* Vide Euſtathium in Iliad. A. p. 6. edit. Rom.

† Nemeorum od. 2.

17. §. *Epicis victima taurus, ut tragicis hircus.*

Sanè exſtat carmen Maronis, ut putatur; quo taurum Veneri promittit, ſi ſibi detur Æneida perficere.

Cap. VIII.

De bucolico carmine.

1. §. *Vidimus hactenus de epopœiâ, quæ propriè id nomen poſſidet. Sunt præterea epici inferioris ordinis: ad quos, licet hexametrum carmen pangant, minimè tamen pertineant præcepta, quæ dedimus hactenus. Ac eorum alii quidem ſolo hexametro uſi; ut ſcriptores bucolici carminis, item ſatyrici: alii verò hexametro ſubdunt pentametrum, quos elegiacos nuncupamus. De triplici hoc genere, priuſquam ad melicos, ſive lyricos, accedamus, ordine nunc agemus. Ac primùm de carmine paſtorali, quod* bucolicum *dicitur; quia* βουκόλοι, *hoc eſt, bubulci, præcipuum inter paſtores obtinent locum.*

Nam inhonorati quidem ſunt ſubulci; at non item αἰπόλοι, ſive caprarii: magiſque in honore μηλονόμοι, ſeu opiliones; omniumque maximè βουκόλοι, ſeu bubulci. Unde poëtæ βουκολικοὶ κατ' ἐξοχὴν vocati. Nec enim ſolùm bubulcos; ſed universè paſtores, inducit in ſcenam: niſi quòd nulla ſit ratio habita ſubulcorum: imò, quod mirandum magis, ne eorum quidem, qui equos paſcunt. Quamquam neque hìc cauſſa ſit obſcura. Nam ſubulci ob ſordes animalis, cui animam pro ſale datam ex Chryſippo ajebat Varro, paſtorum omnium fuere contemtiſſimi; eoque neglecti. At qui equos paſcerent, eò ſunt præteriti, quia hoc animal magis bello utile, quàm agriculturæ, foret; quippe quod non cederet in alimoniam: ac ne quidem cultui agrorum inſerviret, ad quem bubus, non equis, uterentur.

2. §. *Eclogarum etiam nomen huic carmini tributum. Eſt verò Ecloga brevis imitatio carminis paſtoralis.*

Ecloga non dubium, quin ſit Græcum ἐκλογή; etſi quidam appellent *æglogam*, quaſi à capris eſſet, quæ Græcis αἶγες.

3. §. *Origo carminis bucolici eſt ab antiquis temporibus, quæ paſtorali vitâ gaudebant, & carmine hoc ſimplici ſeſe oblectabant.*

Carmen hoc aliqui inventum ajunt ab Apolline, cùm prope Amphryſum pecus Admeti regis paſceret: unde & *Nomius* appellatus. Alii à Mercurio, cùm paſtor eſſet. Alii à Pane; de quo etiam Maro ‡:

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Inſtituit.

‡ Eclog. 2.

Digitized by Google

Sed, miſſis Diis, intra homines conſiſtamus. Apud Diodorum Siculum lib. IV. legere eſt, Daphnin, Mercurii & Nymphæ filium, atque a Nymphis educatum, fuiſſe in Sicilia paſtorem, & muſicum egregium; inveniſſeque βουκολικὸν ποίημα, quod apud Siculos ſuâ quoque ætate in uſu eſſe ait. Diomedes * verò de eo ſic ſcribit: *Bucolica inſtituta ſunt, ſicut quidam putant, in Laconica; vel, ut alii, in Sicilia. Nam inter Lacedæmonios, & Siculos, varia fuit contentio. Sed quod ad Laconas pertinet, hæc eorum fuit origo. Quo tempore, adventante Xerxe in Græciam, omnes, deſerta Laconicâ, metu Barbarorum perterriti, in diverſas partes fugiſſe creduntur; & cum virgines timore laterent, ex hoc eveniſſe, ut eo die, quo ſolitus erat chorus virginum Dianæ Caryatidi hymnum canere, nemo ad ſolenne ſacrum inveniretur. Tunc itaque paſtores ex rure in urbem convenerunt, & ne ritus ſacrorum interrumperetur, paſtorali carmine compoſito, Deæ honorem celebraverunt; unde etiam βουκολισμὸς dictus. A Siculis autem origo quæ trahitur, hæc eſt. Antequam Hiero rex Syracuſas expugnaret, morbo Sicilia laborabat. Variis, & aſſiduis ceremoniis, Dianam placantes finem malis invenerunt; eandem Λύαν ‡ cognominaverunt, quaſi ſolutricem malorum. Inde res in conſuetudinem tracta eſt, ut greges ruſticorum theatrum ingrederentur, & de victoria canerent. Habitus verò hujuſmodi videbatur. Erat panis magnus, omnium ferarum imagine completus, & uter cum vino, & follis cum omni leguminum genere: inerat & corona in capite, & in manu pedum clavatum; atque ita victorum omnium fores multitudo circuibat, carmen in victoriam, quam adepti fuerant, canebant, & de eo folle limina frugibus ſpargebant. Nonnulli & in Italiam, & in Lydiam, & Ægyptum, tranſiiſſe creduntur; quos Lydiaſtas, & Bucoliſtas, appellaverunt. Quamquam eſt & alia opinio, circum pagos, & oppida, ſolitos fuiſſe paſtores, compoſito carmine precari pecorum, & frugum, omniumque rerum proventum; atque inde in hunc diem manere nomen, & ritum Bucolicorum. Putant autem quidam, hoc genus carminis primum Daphnim compoſuiſſe, deinde alios complures; inter quos Theocritum Syracuſanum, quem noſter imitatur.* De eadem re ſic Donatus in Maronis vita: *Originem bucolici carminis alii ob aliam cauſſam ferunt. Sunt enim, qui etiam à Lacedæmoniis paſtoribus Dianæ primum carmen hoc redditum dicant: cùm eidem Deæ propter bellum, quod toti Græciæ illo tempore Perſæ inferebant, exhiberi per virgines de more non poſſet. Alii ab Oreſte, circa Siciliam vago, id genus carminis Dianæ redditum loquuntur, & redditum per ipſum, atque paſtores: quo tempore de Scythia Taurica cum ſorore profugerat, ſubrepto numinis ſimulachro, & celato in faſce lignorum. Unde Faſcelinam † Dianam perhibent nuncupatam: apud cujus aras Oreſtes, per ſacerdotem ejuſdem numinis Iphigeniam, ſororem ſuam, à parricidio fuerat expiatus. Alii Apollini Nomio, paſtorali ſcilicet Deo: quâ tempeſtate Admeto boves paverat. Alii Libero, Nympharum, & Satyrorum, & id genus numinum, principi; quibus placet ruſticum carmen. Alii Mercurio, Daphnidis patri, paſtorum omnium principi, & apud Theocritum, & apud hunc ipſum* (Maronem.) *Alii in honorem Panos ſcribi putant, peculiariter paſtoralis Dei, itemque Sileni, Sylvani, atque Faunorum. Quæ cùm omnia dicuntur, illud erit probabiliſſimum, Bucolicum carmen originem ducere à priſcis temporibus, quibus vita paſtoralis exercita erat; & ideo velut aurei ſeculi ſpeciem in hujuſmodi perſonarum ſimplicitate cognoſci.* Ac pleraque etiam apud Servium legas initio Comment. Sed & Val. Probum vide; ut de Pomponio Sabino, quippe recentiſſimo, taceam. Ex Probo unum hoc addam; tradi ab eo, Diomum Siculum hoc carmen reperiſſe, aliterque vocari *aſtrabicum*, ab ἀστράβη, prout, Heſychio teſte, vocatur ſella lignea equis imponi ſolita, quam manu tenent inſidentes. De Diomo, Siculo bubulco, firmat Athenæus lib. XIV ‡: ubi ait, βουκολιασμὸν eſſe inventum hujus Diomi: ſic verò dici canticum eorum, qui pecus ad pabulum ducerent; ac meminiſſe ejus Epicharmum in Alcyone, & Ulyſſe naufrago.

Lib. 3. cap. de Poëmatum generibus.

‡ *Luam.*

† *Malim* Phacelinam, vel Facelinam. *Nec enim id nomen eſt à Latino* faſcis *vocabulo, ſed Græco* Φακέλω: *quod idem notat. Unde & Lucilio, ac Silio, duas primas corripit.*

‡ *Pag. 619 edit. Commel.*

In hocce veterum diſſenſu, iis potiùs acceſſero, qui inventum arbitrantur à Peloponneſiis, vel Siculis. Utrique enim Doricè loquebantur. Et bucolicum carmen Græcis Doricè eſt ſolùm ſcriptum. Pro Peloponneſiis eſt, tum quòd Arcades cantu præcellebant; unde illud Maronis †:

† *Ecl. 7.*

—— Arcades ambo,
Et cantare pares, & reſpondere parati.

Etiam Arcadiæ Deus Pan; cui tributam hanc gloriam antea diximus. In Peloponneſo quoque fuere Lacones; à quibus repertum id Xerxis temporibus, alii tradiderunt. Sed inprimis Siculis adſentio; qui, ut Comœdiæ, ſic etiam Bucolicæ poëſios, ſibi inventionem tribuebant. Sanè Maronis ‡ eſt,

‡ *Ecl. 6.*

Prima Syracuſio dignata eſt ludere verſu.

Sive hoc propter Diomum, de quo antea vidimus; ſive potiùs propter Theocritum, quem crebrò adeò imitatur. Sed & Siculus fuit Moſchus, poëta bucolicus, Theocrito antiquior. Pro Siculis etiam ſunt, qui originem arceſſunt, ſive ab Oreſte, è Scythia in Siciliam deferente ſimulacrum Dianæ Phacelidos, & paſtoribus convocatis inſtituente feſtum Dianæ, quod poſtea inter ruſticos permanſit: ſive ab Antiphemo, qui deductâ in Siciliam coloniâ, & urbe prope Gelam conditâ, in memoriam Mopſi, bucolico propterea carmine celebrati, ludos inſtituiſſe honori Dianæ Phacelidos creditur: ſive etiam ludi iſti apparati ob peſtilentiam in Sicilia, ante Hieronis tempora, ad Dianam donis, & carmine bucolico, placandam; quæ, ceſſante peſtilentiâ, Λύη, ſive Lua, iccirco dicta ſit.

4. §. *Conveniunt in eo comœdia, & bucolica poëſis, quòd utraque effingat imaginem vitæ humanæ: ſed differunt, quod comœdia imitetur vitam urbanam; bucolica poëſis imago ſit, ac ſimilitudo vitæ ruſticæ. Nam aratores, vinitores, olitores, inducit in ſcenam: ac præ cæteris aratores; quia hi maximè ob ſolitudinem, atque otium, naturam contemplantur, ac gaudent carmine. Simpliciores etiam ſunt, quia hominum careant commercio.*

Quod de nautis, & piſcatoribus, minùs poſſumus dicere. Actius tamen Sannazarius, hos etiam inducens Eclogis ſuis, ſatis feliciter id tractat argumentum.

5. §. *Quia verò paſtorales, & ruſticæ ſunt perſonæ, nomina etiam imponuntur à re paſtorali, ac ruſticâ.*

Servius in Ecl. 1: *Sciendum, & perſonas hujus operis ex majori parte nomina de rebus ruſticis habere confiſta: ut Melibœus, ὅτι μέλει αὐτῷ τῶν βοῶν, id eſt, quòd curam gerit boum. Et Tityrus: nam Laconum linguâ Tityrus dicitur aries major, qui gregem anteire conſueverit.* Hæc verò nomina vel fingit poëta, vel ab idoneis ſcriptoribus mutuatur.

6. §. *Interdum in ecloga unus eſt, qui loquitur: interdum ea dialogo inſtituitur.*

Prioris generis ecloga dicitur μονοπρόσωπος †: ut Virgilii Alexis. Poſterioris generis vocatur ἀμοιβαῖος ‡: ut Tityrus ejuſdem.

† *Unius perſonæ.*
‡ *Alterna, ſive mutuos habens ſermones.*

7. §. *Habet verò & hic locum, quod universè de poëmate dicebamus, aliud eſſe ἐξηγηματικὸν, ſive narrativum: aliud δραματικὸν, ſive activum; quod & διαλογητικὸν dicitur à perſonis colloquentibus: aliud μικτὸν, ſive mixtum.*

Nar-

Narrativum, ut Ecloga, quæ incipit:
Prima Syracuſio dignata eſt ludere verſu.
Activum, ut ea, cujus initium:
Tityre, tu patula recubans ſub tegmine fagi.
Mixtum, ut qua ſic auſpicatur:
Paſtorum Muſam Damonis, & Alpheſibæi.

Adeſt verò poëtæ perſona, in principio eclogæ, vel etiam fine. Et hæc de perſonis.

8. §. *Res item ſunt ruſticæ: eoque nihil hîc urbanum, nihil declamatorium. Imò ſimilitudo etiam, ac comparatio, à re ruſticâ ſumitur.*

Monitum id Servio Ecl. 1. Ita comparatio eſt ruſtica Ecl. v:
Nam neque me tantum venientis ſibilus auſtri,
Nec percuſſa juvant fluctu tam litora; nec quæ
Saxoſas inter decurrunt flumina valles.
Sic & anni computantur per meſſes. ut Eclog. 1:
Poſt aliquot, mea regna videns, mirabor ariſtas.

9. §. *Character præcipuè eſt humilis.*

Quandoque tamen adſurgit: ut illa Pollioni inſcripta, quæ minùs ruſtica. Unde Maro ipſe:
Sicelides Muſæ, paullò majora canamus.
Itidem minùs ruſticæ Silenus, & Gallus; ut monuit Donatus.

10. §. *Metrum eſt hexametrum: quod & narrationi aptum, & actioni non ineptum, niſi inſurgat.*

Imò fortaſſe, quia paſtores ſæpe perſuaſione vel ſapientiæ, vel formæ, vel alicujus virtutis, gravitatem præ ſe ferunt; eò quoque ſermones illorum gravi hoc carmine deſcribere voluerunt.

11. §. *Laudari hoc carmen ſolet, ſi primo loco ſit dactylus, & pedem abſolvat. Item ſi terminet quartum pedem vox aliqua, præſertim quæ item dactylus ſit.*

Maro, ſeu induſtriâ, ſeu caſu, prius in illo obſervat;
* Ecl. 1. *Tityre, * tu patula.*
† Ibid. Alterum autem, cùm ait †:
‡ Ecl. 3. *Nos ‡ patriæ fines, & dulcia.*
Utrumque autem in iſtoc:
Tityre, paſcentes à flumine reice capellas.

12. §. *Theocritus hoc ſedulò præſtat; Maro non item.*

Monuere iſtoc Terentianus, Donatus *, Servius †, Terentianus quidem his verbis:
* In vita Virgilii.
† In Ecl. 1.
Plurimus hoc pollet Siculæ telluris alumnus.
Noſter rarus eo paſtor Maro.
Difficultate territum id non obſervâſſe, Donati ‡ judicium eſt.

‡ In vita Virgilii, niſi illa Servii: quando & eam à ſe ſcriptam is ait in Ecl. 1. proximè antequam primum verſum interpretetur.

13. §. *Theocritus etiam in bucolico pentametrum ſubjungit hexametro: ſed rarò, nec niſi in cantilenis paſtorum. At nuſpiam id factum à Marone.*

Quem omnino imitari ſatius eſt.

14. §. *Inſtrumentum Muſicum, quo carmen hoc caneretur, σύριγξ erat, ſive fiſtula.*

Ea Panos creditur inventum; ut ex Marone antea dictum. Fiebat autem ex arundine, vel etiam cicutâ, fruticis genere, cujus caulis ſi vacuus non ſit, facili tamen operâ ſit vacuus. Ac primò quidem fiſtula conſtabat cannâ ſimplici: pòſt addita altera, exinde plures aliæ, donec ad ſeptenas deventum: unde Maro *: * Ecl. 2.
Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula.

Diſparibus ait, quia diſparis eſſent magnitudinis, planè ad ſimilitudinem pennarum in alis.

15. §. *Scena, in quam à poëtis bucolicis paſtores agentes, ac dicentes, inducerentur, arboribus conſtruebatur.*

Videlicet, ut imago quædam foret ruris, ſylvarumque.

16. §. *Bucolicis ſi viciſſent, præmium fuiſſe vitulam creditur.*

Quod adſtruunt illo Maronis:
Pierides vitulam lectori paſcite veſtro. Alii malunt eâ ſacra feciſſe; ut Epicos tauro.

17. §. *Porrò non omnes Bucolicorum eclogæ, vel idyllia, pro Bucolicis haberi debent; cùm quædam ſubinde alterius ſint argumenti.*

Servius in Virgilii vita: *Numerus Eclogarum manifeſtus eſt. Nam decem ſunt, ex quibus propriè bucolica ſeptem eſſe creduntur; quòd ex his excipiantur Pollio, Silenus, & Gallus.* Idem in Eclog. 1: *Sed eſt ſciendum, ſeptem eclogas eſſe meras ruſticas, quas Theocritus decem habet. Hic in tribus à bucolico carmine, ſed cum excuſatione, diſceſſit: ut in genethliaco Salonini, & in Sileni Theologia ‡, vel ut ex inſertis altioribus rebus poſſet placere, vel varietates implere non poterat.* Quod ad Theocritum, ſunt quidem plura Theocriti idyllia; ſed decem ſolùm bucolica ſunt: videlicet, ut viris eruditis placet, novem prima, & undecimum. Et hæc videtur cauſſa, cur, pro numero decem idylliorum, Σύριγξ, ſive Fiſtula, quam ſcriptis Bucolicis, velut artis ſuæ inſtrumentum, Deo Pani dicavit, conſtet denis verſibus παραλλήλοις, quaſi decem calamis; uti Salmaſius ingenioſè conjectat Notis in σύριγγα Theocriti.

‡ Sic eſt in edit. P. Danielis. Sed poſt Theologia addendum, & Gallo. Quod en Virgilii vita liquet: & res clamat.

18. §. *Fuere, præter Theocritum, bucolici ex Græcis Moſchus Syracuſanus, & Bion Smyrnæus.*

Eos eleganter Latino verſu reddidit Laurentius Gambara Brixianus: ſed majori fide Bonaventura Vulcanius; qui & brevibus illos notis illuſtravit: Moſchum etiam Adolphus Mekerchus.

19. §. *E Latinis, præter Maroniana, habemus bucolica M. Aurelii Olimpii Nemeſiani, poëtæ Carthaginenſis; eòque caſtigatioris T. Calpurnii Siculi ad Nemeſianum hunc eclogas.*

Non viderit hos, ut puto, Joannes Antonius Viperanus: ut qui in tertio de Re Poëtica ‡ ſcribat, *Inter Latinos unum habemus Virgilium, quem liceat imitari.* Nemeſiani quidem eclogæ ſunt quatuor, Calpurnii ſeptem. Vixere uterque temporibus Cari Imperatoris, & filiorum ejus Carini, ac Numeriani, Cæſarum: quod ſatis cognoſcere eſt ex Vopiſci Numeriano, & ipſius Nemeſiani Cynegetico. Quædam autem alter alteri ſublêgit. Inter alia apud utrumque legas: ‡ Cap. 7.
Te ſine, væ miſero mihi, lilia nigra videntur.
At tu ſi venias, & candida lilia fient.

Potiùs autem cenſeam eſſe Nemeſiani; quia Calpurnio is præſtitit, ſuaque Calpurnio miſit. Atque hæc de carmine Bucolico.

Cap. IX.

De satyra romana, ac primum de luciliana.

1. §. *Hac de carmine bucolico; ſequitur Satyra: cui nomen impoſitum eſt, vel à Satyrico illo perſtringendi more, qui in Satyrica poëſi, & ſillis, ac veteri comœdia fuit: vel à ſaturitate, ſive quia, quaſi per ſaturam, varium complecteretur argumentum.*

Satyra unde nomen acceperit,
Grammatici certant. ——
Ac penè adjecero,
—— *& adhuc ſub judice lis eſt.*

Duæ autem ſunt potiores ſententiæ: quas apud Diomedem, atque alios, legere eſt. Una eſt, ut ſic vocetur à Satyris; idque quia ſimilis ſit Satyricæ poëſi, ac Sillis, à quibus σατυρίζειν, ac σιλλαίνειν, etſi Pollux * putârit, σίλλους nuncupatos ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν. Sed magis ἀναλόγως Euſtathius †: cui, ut à Satyris dicimus σατυρίζειν, ſic à Sillis placet eſſe σιλλαίνειν. Utrumque notat διασύρειν, καὶ χλευάζειν ‡: quemadmodum & à comœdia veteri, quæ itidem homines traduceret, κωμῳδεῖν dicuntur, qui alios perſtringunt. Sanè σατυρίζειν, & κωμῳδεῖν, pro eodem ſumit Clemens Alexandrinus in Promperoptico. Plutarcho etiam, in Catone Cenſorio, Socrates dicitur σατυρικός, καὶ ὑβριστής ⸸. Hanc ſententiam confirmat, quòd ſumma eſſet convenientia ſatyræ Romanæ cum ſatyrico poëmate, ac comœdiâ veteri, & ſillis; & cum his præcipuè. Omnibus commune eſt, vitia hominum inſectari: ſed ſatyrica poëſis, & vetus comœdia, erant dramatica: non item Silli, quod ex Timonis Sillis liquet. Quare maximè cum his convenit. Nec enim Lucilii, Horatii, vel Perſii, ſatyræ ſunt dramata. Itaque & Appulejus Xenocratis σίλλους vocat ſatyras; non quia Græci ſatyras habuerint, ſed quia eſſent ſimilis naturæ. Neutrum enim eſt drama: utrumque autem perſtringit hominum vitia. Hæc ſi ἐτυμολογία placet, dicendum, *Satyra* eſſe à Σάτυρος, mutato genere; ut Græci dicunt ὁ χάρτης, Latini *hæc charta*. Vel ſtatuendum, *Satyra* κατὰ συγκοπὴν eſſe è *Satyrica*, ut Σίλλος, unde σιλλαίνειν, eſt à Σιληνός.

* Lib. 2. cap. 4.
† In Iliad. 8. pag. 104. edit. Rom.
‡ Satyricè illudere, ac deridere.
⸸ Satyricus, atque irriſor.

Altera verò Satyræ etymologia petitur ab ea ſignificatione *Satura*, quâ notat rerum miſcellam, & quaſi farraginem. De quo vocis ejus uſu pluribus poſtea * dicemus. Etymon hoc agnoſcit Porphyrio in Horatium; qui, poſt illa de Cereris lance, ait: *Ergo & hoc carmen propterea Saturam appellaverunt, quia multis, & variis rebus, refertum eſt.* Quare *ſatura* nomen fuerit à vario argumento: unde farragini comparatur à Juvenale †, cùm ait:

Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus, noſtri farrago libelli.

* Seq. cap. 10.
† Sat. 1.

Sanè varia admodum vitia ſunt, quæ in ſatyris inſectantur poëtæ: nec ſemper vituperant, interdum laudant. Neque etymon hoc tantùm conveniet ſatyræ Lucilianæ, ac ſimilibus; ſed etiam ſatyræ Ennii, ac Varronis: ubi non argumentum modò variat, ſed & oratio, ut quæ nunc proſa ſit, nunc vorſa: imò nec metrum hîc unum, ſed varium: fortaſſe ut in Chæremonis Hippocentauro; cui varium metrum; uti variis ex animantibus monſtrum illud conflatum, quod deſcribebat. Saturæ hæc ſignificatio ſit à ſaturitate, ſeu plenitate. Quæ ipſa ſignificatio à Græcis. Nam apud Heſychium, & Varinum, legas: Σατίουροι ‡, σκάφη βοτρύων, παρὰ Λάκωσιν. Sanè, extrito ι, σατύρα fit, ex quo *Satura*. Niſi utrobique σατύρα ſcribendum. Quippe ſatis veriſimile ſit, σατύραν dictam lancem eam, quam in ludis tragicis Satyri geſtarent. Siquidem tragici ludi in honorem Bacchi fiebant; & Satyri, qui Bacchi ſunt comites, tragœdiæ erant appendix. Quare & in lancibus iſtis potiſſimùm fuerunt uvæ; unde videmus, hîc exponi σκάφην βοτρύων ⸸. Nec ſemper tamen, aut ſolùm racemi in iis; ſed & poma varia, idque ad Nymphas alliciendas. De lancibus iſtis ſic Maro in II. Georg.

‡ Sateori, vaſa racemorum ſecundùm Lacedæmonios.
⸸ Vas, ſive Lancem racemorum.

Ergo ritè ſuum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lanceſque, & liba feremus.

Ab hac igitur varietate, quâ lances & caniſtra replebantur, ad alia ea vox videtur extenſa. Eam tamen opinionem rejicit Donatus *, his verbis: *Satyra à Satyris, quos illotos ſemper ac petulantes deos ſcimus eſſe, vocitata eſt: etſi aliunde nomen traxiſſe putant alii.* Hanc aliorum, quam dicit, ſententiam damnare non auſim. Movet me, quòd jam ante Livii Andronici tempora obtinuit ſatura; ut ex Livio poſtea planum fiet. Ea rudi illo ſeculo non videtur inſtituta ad exemplum Græcorum Satyrorum. Nec ſanè hi interloquebantur. Sed erant in eo joci, opprobria, fraudes, ac denique res omnis argumenti. Quæ rerum varietas conveniens ſaturæ nomen dare potuit. Nam à *ſaturus*, vel κατ' ἀποκοπὴν *ſatur*, h. e. plenus, ἀναλόγως eſt *ſatura*. A *ſatyra* verò eſſet *ſatyrica*. Cur Latini terminationem, & genus mutarent, cauſſa erat nulla. In χάρτης, & ſimilibus, ratio eſt diſpar. Nam nominativi nominum in της, aut τις, ab Æolibus efferuntur in A: ut εὐρύοπα Ζεύς †. Romana autem lingua non Jonicæ, ſed Æolicæ filia eſt; ut alibi oſtendimus. Quare cùm, pro χάρτης, καταπέλτης, μαργαρίτης, Æolum more dicerent, *charta*, *catapulta*, *margarita*, etiam genus mutarunt: quia, quæ ſic deſinerent apud Romanos, generis eſſent muliebris. Quod ipſum, quo minùs in *poëta*, & *propheta* facerent, obſtabat generalis regula. Cauſſa igitur aperta eſt, cur Romani non *hic chartes*, ſed *hæc charta* dixerint. At ratio adferri nequit, cur, cùm Græci οἱ Σάτυροι dicerent, Latini *hæc Satyra* præferrent. Aliquid eſſet, ſi Græci etiam pro poëmate τὴν Σατύραν dixiſſent. Sed ita locuti non ſunt. Nec ſi Σατύρα meretriculæ nomen fuerit, magnopere hoc ad rem facit: quando cauſſa non erat, cur poëmati ab ignota potiùs muliere, quàm à Satyrorum dicacitate, id nomen daretur. Neque hæc eo à me dicuntur, quaſi damnem ſententiam, quàm priori loco expoſuimus: ſed, ut oſtendam, uti olim de etymo Satyræ dubitatum; ita neque nunc deficere cauſſas, cur illud in ambiguo relinquere, ſatius videatur.

* Libello de Tragœdia, & Comœdia; niſi ejus auctor Cornutus, vel Aſper; vel potiùs Euanthius, ut antea diximus.
† Homero ſæpius.

2. §. *Non leve autem diſcrimen eſt inter ſatyram veterem, ſive extemporalem, & novam, ſive Lucilianam. Prioris natura intelligitur, ſi origo exponatur. Anno ab Urbe condità CCCLXXXIX *, ad avertendam peſtilentiam inſtituti ſunt ludi ſcenici. In his convicia alternis jactabant. Sed aberat carmen, aberat ὑπόκρισις, ſive actionis artificium. Poſtea verſus Feſcenninis ſimiles fundere cœpere. Etiam vocis geſtuumque imitatio acceſſit ab hiſtrionibus; qui ubi modos addidere, ſatyra enata eſt, rude atque extemporale poëma, uſque ad tempora Livii Andronici.*

* Secundùm Faſt. Capitol. Aliis ſequenti anno.

Livius lib. VII. *Et hoc, & inſequenti anno, T.* † *Sulpicio Petico, & C. Licinio Stolone* ‡ *coſſ. peſtilentia fuit. Eo nihil dignum memoriâ actum: niſi quod, pacis Deûm expoſcendæ cauſſâ, tertiò tum poſt conditam urbem, lectiſternium fuit. & cùm vis morbi, nec humanis conſiliis, nec ope divinâ, levaretur: victis ſuperſtitione animis, ludi quoque ſcenici, nova res bellicoſo populo (nam Circi modo ſpectaculum fuerat) inter alia cæleſtis iræ placamina inſtituta dicuntur. Ceterùm parva quoque, (ut ferme principia omnia) & ea ipſa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos ſaltantes, haut indecoros motus more Tuſco dabant. imitari deinde eos juventus, ſimul inconditis inter ſe jocularia fundentes, verſibus cœperunt. nec abſoni à voce motus erant. Accepta itaque res, ſæpiuſque uſurpando excitata. Vernaculis artificibus, quia hiſter, Tuſco verbo, ludio vocabatur, nomen hiſtrionibus inditum. qui non, ſicut antè, Feſcennino verſu ſimilem, incompoſitum temere, ac rudem, alternis jaciebant:*

† Sic Livius: ſed C. eſt in Faſtis Capitolinis.
‡ Sic & Val. Max. At Faſti Capitol. Calvo.

cinebant: ſed impletas modis ſatyras, deſcripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti, peragebant. Ex his non obſcurum eſt, quibus gradibus creverit ſatyra antiqua. Primus fuiſſe gradus dicitur, cùm ludi ſcenici eſſent *ſine carmine, & imitandorum carminum actu.* Alter, cùm *Feſcennino ſimiles verſus temere jacerentur.* Tertius, cùm fuere *συνῳδοι modis impleta, deſcripto ad tibicinem cantu, motu* etiam *congruenti* accedente. Non dubium igitur, quin ſatyra Romana primùm ſcenica fuerit, ac dramatica. Ut quæ inter ludos ſcenicos referatur, quæque ſucceſſerit verſibus Feſcenninis; ubi, ut Livius ait, rudem verſum alternis jaciebant. Quicum convenit illud Horatii *:

Feſcennina per hunc inventa licentia morem
Verſibus alternis opprobria fundere cœpit.

Nec ſimile aliquid fuit, ac cernere eſt in Theocriti Ὁδοιπόροις †, ubi caprarius Comates, & paſtor Lacon, rixantur. Item in Virgilii Palæmone. Videmus utrobique jactari convicia: ſed extra ſcenam, contrà quàm non modò in ſatyrico Græcorum dramate; ſed etiam in Romana veteri ſatyra, fiebat. Atque hæc convenientiam oſtendunt inter Satyros Græcos, & Satyram Romanam. Utraque enim ſcenica, utraque dicax. Diſcrimen interim grande erat; quia in Romana Satyra non fuere, qui Satyros referrent.

* In Arte.
† Viatoribus.

3. §. *Ex his cognoſcimus, cujuſmodi fuerit Satyra vetus ante tempora Livii Andronici: qui primus animos ab Satyrarum modis avocavit ad fabularum argumenta.*

Livius lib. VII: *Livius, poſt aliquot annos, ab ſatyris auſus eſt primus argumento fabulam ſerere.* Valerius lib. II. cap. IV: *Paullatim deinde ludicra ars ad ſatyrarum modos perrepſit: à quibus primus omnium poëta Livius ad fabularum argumenta ſpectantium animos tranſtulit.* Ubi fabulæ argumentum vocatur actionum plurium ſeries: cùm nempe actiones plures ſic junguntur, ut ex iis una fiat fabula.

4. §. *Andronici etiam temporibus agendi partes à poëta tranſlata ſunt ad hiſtriones. Quâ occaſione juventus Romana veteres jocos reduxit: non quidem, ut excluderet dramata Livii, vel aliorum; ſed ut ea jungeret fabulis, præſertim Atellanis. Nec jocoſa hæc poëmata* ſatyræ *tum ampliùs, ſed* exodia, *dicebantur.*

Livius lib. VII: *Poſtquam lege hac fabularum ab riſu, ac ſoluto joco, res avocabatur, & ludus in artem paullatim verterat; juventus, hiſtrionibus fabellarum actu relicto, ipſa inter ſe, more antiquo, ridicula intexta verſibus jactitare cœpit: quæ inde exodia poſtea appellata; conſertaque fabellis, potiſſimùm Atellanis, ſunt. quod genus ludorum ab Oſcis acceptum tenuit juventus: nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt.* Atellanici exodii meminit & Suetonius in Tiberio cap. XLV. ubi eo ait maximo aſſenſu exceptum illud, *Hircum vetulum capreis naturam ligurire.* Videlicet ambiguo *Capreæ* vocabulo, quia & loci, & animalis eſt nomen, alluſum fuit ad Græcum καπρίζειν. Apud eundem in Galba legas, *Atellanum canticum.* Et Juvenalis eſt ſat. VI:

Urbicus exodio riſum movet Atellanæ,
Geſtibus Autonoës.

Etiam apud veteres Grammaticos ſæpius reperias, *Q. Novius*, vel *Afranius*, vel *L. Pomponius in exodio.* Nempe, quia Atellanarum erant ſcriptores.

5. §. *Poſtquam* ſatyra *priori ſignificatione exolevit: ſic dici cœpit carmen maledicum, ad modum veteris comœdiæ, alios, ſed extra ſcenam, ridens. Hunc poëtarum morem caſtigandi vitia extra ſcenam primus induxit Lucilius; vel ſaltem primus eâ meruit laudem.*

Inventionem Satyræ Lucilio tribuunt Horatius, Fabius, alii. Sed ex Livio, & Valerio, vidimus, eam multò eſſe antiquiorem. Quomodo verò priores illi intelligendi ſint, docet Donatus, ſive alius, in Terentii Prolegomenis: cùm ſic de Satyræ poemate ſcribit: *Quod primò Lucilius novo conſcripſit modo, ut poëſin inde faceret, id eſt, unius carminis plures libros.* Reſervata igitur eſt à Lucilio forma veteris ſatyræ: verùm quia nova hæc non theatrica, ſed extra ſcenam foret, modum ejus oportuit immutari. Satyram verò novam non eſſe theatricam, ſatis eſt apertum. Atque inde apud Horatium * legas:

—— Hæc ego ludo,
Quæ nec in æde ſonent certantia, judice Tarpâ,
Nec redeant iterum atque iterum ſpectanda theatris.

* Lib. 1. ſat. 10.

6. §. *Materia, ſive ſubjectum ſatyræ hujus, per ſe ſunt vitia humana; per accidens quoque virtutes.*

Quomodo virtutem etiam commendat Lucilius in ſatyris. Verſus eos refert Lactantius †. Item viros bonos extulit. Unde de eo Horatius ‡:

Attamen & juſtum poteras, & dicere fortem
Scipiadem, ut ſapiens Lucilius.

Sed hoc ad οὐσίαν * ſatyræ non pertinet. At pertinet eò reprehendere illa, quæ mores ſpectant. Unde Horatius †, & Satyricorum alii, à Joanne Sareſberienſe paſſim vocantur *Ethici.* Ac Iſidorus lib. VIII. Orig. cap. VII. cenſere videtur, eò Satyros pingi nudos; quia à Satyris vitia hominum denudentur. Quare non ſatis magnificè de ſatyrica poëſi ſenſiſſe videtur Pineda, cùm in III. Reg. cap. XII, ubi de Salomonis ſapientia agit, ait poëſin, quam dixi, non valde vitæ neceſſariam, aut utilem. Cùm verò ſubjectum ſatyræ facio vitia hominum, etiam complector pœnas, quas idcirco perpeſſi. Ut quòd Galbæ † demeſſa eſt cauda ſalax: quòd vilius pugnis cæſus ‡.

† Lib. 6. Inſtitut. cap. 5.
‡ Lib. 2. ſat. 1.
* Naturam, ſive eſſentiam.
† Lib. 2. ſat. 2.
† Lib. 1. ſat. 4.
‡ Ibidem.

7. §. *Nec Satyra tam quævis vitia culpat, quàm ea, ob quæ homines ridemus.*

Nempe eadem materies, ac veteris comœdiæ. Unde Flaccus:

Siquis erat dignus deſcribi, quòd malus, aut fur,
Quòd mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus, multâ cum libertate notabant.

At non item exagitat vitia ferina potiùs, quàm humana; ut ſunt inceſtus, & parricidium: quæ magis tragœdiæ conveniunt. Quare reſtringi oportet verba Juvenalis, cùm rem quamlibet ſatyræ eſſe argumentum ſtatuit. Sic enim, ut diximus *, ſcribit †:

Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus noſtri eſt farrago libelli.

Idem tamen ſat. XV. etiam refert, hominem ab homine variè diſſectum, aëno coctum, vel aſſatum, atque etiam comeſtum. Quæ ſanè horrenda, nec ſatyræ convenientia. Verùm rectè jamdiu monitum à variis, non eſſe eam ſatyram Juvenalis.

* 1. §.
† Sat. 1.

8. §. *Eſt verò ſatyrici reprehendere mores non tam generatim, quàm ſingulatim; non tam præteritos, quàm ſui temporis.*

In quo itidem convenit cum veteri comœdia. Nam ut Ariſtophanes Cleonem, Hyperbolum, Alcibiadem, atque alios ejuſce ætatis, exagitat: ita & Lucilius non Tarquinium Superbum, aut Appium Decemvirum; ſed Lupum, Mutium, atque alios ſuæ ætatis. Quo igitur ætas vitiorum feracior, hoc tempus ſatyris aptius. Unde illud Juvenalis †:

† Sat. 1.

Diffi-

Difficile eſt Satyram non ſcribere.

* Ibid. Item*:

Et quando uberior vitiorum copia? quando
Major avaritiæ patuit ſinus? alea quando
Hos animos?

Perſius migrat hanc ſatyræ legem. Nam paucos ſanè ſuæ ætatis taxat; neque id, niſi generali nomine utens: qualia ſint Titii, aut Mævii: Itaque poëma ejus vix ſatyræ nomen meretur. Quippe quòd nominatim mordeat neminem. Ac interdum quoque Juvenalis hac in re à vera Satyræ forma receſſit.

9. §. *Cùm autem bifariam exagitentur vitia humana, apertè, vel occultè; poſterior modus longè eſt ſatyræ convenientior.*

† Lib. I. ſat. I. Prius Lucilius facit, *velut enſe ſtricto*; ut Juvenalis† ait: qui & hoc in eo laudat. Sed meliùs Horatius; qui ‡ Figuratè. id agit clam, & ἐσχηματισμένως‡. Unde de eo ſic Per- * Sat. I. ſius*:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

Sanè, ſi metrum exceperis, à natura Satyræ magis abeunt Juvenalis, & Perſius; quàm vel Seneca in Ludo Claudii, vel in dialogis Lucianus, vel in Cæſaribus ſuis Julianus. Nam illi magis lædunt, quàm ludunt; increpant magis, quàm pungunt. Hi verò ſalſi ubique, & lepidi, ac feſtivi. Qualis & Ariſtophanes.

10. §. *Ut igitur finis ſatyræ eſt mores emendare: ita forma ejus eſt ludus, ſive jocus ſalſus, & mordax. Nam dicacitas, & lepos, præcipuæ ſunt ſatyræ virtutes.*

Finem hunc, pariterque formam, complexus Per- † Sat. 5. ſius †:

—— pallentes radere mores
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.

11. §. *Ingenuus ille ludus ſermone conſtat partim acri, & dicaci; partim lepido, & urbano. Priori magis gaudet Juvenalis, poſteriori Horatius.*

‡ Lib. I. ſat. 10. Nempe quia, ut ipſe ait‡, (verba mox adferam) riſus interdum plus valet acrimoniâ. Unde & Gorgias Leonti- * Apud Ariſtotelem lib. 3. Rhetoricorum cap. 18. nus* ajebat, ſeria, & ſevera, riſu; ridicula ſeriis diſcuti oportere.

12. §. *Sed in jocando modum ſervare oportet, ne non tam ἀστεῖοι, ſive urbani ſimus; quàm βωμολόχοι, ſive ſcurræ.*

De quibus Ariſtoteles in IV. Nicomachiorum cap. VIII.

13. §. *In maledicendo ſatyra præivit comœdia vetus.*

† Lib. 3. cap. de variis poëmatum generibus. Unde Diomedi † pinguiori Minervâ ſic ſatyra definitur: *Satyra eſt carmen apud Romanos* (*non quidem apud Græcos*) *maledicum, & ad carpenda hominum vitia, archææ comœdiæ charactere compoſitum.* Horatius quoque ait, maledicentiam maximè propoſitam fuiſſe Lucilio.

‡ Lib. I. ſat. 4. Audiamus eum ‡:

Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſque poëtæ,
Atque alii, quorum comœdia priſca virorum eſt,
Si quis erat dignus deſcribi quòd malus, aut fur,
Aut mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui
Famoſus; multâ cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hoſce ſecutus,
Mutatis tantùm pedibus, numeriſque facetus,
Emunctæ naris.

* Lib. I. ſat. 10. Idem alibi* ait:

—— Ridiculum acri
Fortiùs, & meliùs, magnas plerumque ſecat res.
Illi, ſcripta quibus comœdia priſca, viris eſt,
Hôc ſtabant, hôc ſunt imitandi.

Hæc confirmantur illis Perſii*: * Sat. I.

—— Secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis†.

Similiter de eo Juvenalis‡. Et Plinius* quoque dicit, *primum Lucilium condidiſſe ſtyli naſum.* Atque ex his etiam liquet, cur Perſius† petat, ne, quibus placeant Eupolis, & veteres comœdiæ ſcriptores, abhorreant à ſatyris ſuis, quæ illis ſimiles ſint:

† Niſi pro in illis malis Iulis, hoc eſt, Iuli, ſive Aſcanii, nepotibus, ſive optimatibus Romanis. Ita I. Duza commentariolo in Horat. cap 9. Sed nihil cenſeo mutandum.
‡ Lib. I. ſat. I.
* Præfat. Hiſt. Nat.
† Sat. I.

—— Audaci quicumque afflate Cratino
Iratum Eupolidem, prægrandi cum ſene, palles,
Aſpice & hæc.

Ubi *prægrandis ſenex* dicitur Ariſtophanes. Atque hæc movere Donatum, ſive Euanthium, ut ſic ſcriberet: *Sed lege latâ, ne quiſquam in alterum infame carmen proponeret, aliud genus fabulæ, id eſt, ſatyra, ſumſit exordium.* Et fortaſſe idem Iſidorum compulit, ut libro VIII. Originum cap. VII, duo faceret Comicorum genera; unum vetus; quo refert Plautum, Attium, Terentium: alterum novum, quale eſſe ait Satyricorum; ut Horatii, Perſii, Juvenalis. Interim in eo errat Iſidorus, quod Plautum, Attium, Terentium, putat veterem comœdiam ſcripſiſſe: quòd item Juvenalem, & ſimiles ſatyricos, arbitratur Comicorum in numerum referri ſolere. Fefellit eum, quòd Prolegomenôn Terentii ſcriptor de ſatyra ſic loquatur. Nam cùm narrâſſet, ut veteri comœdiæ ſucceſſerit ſatyra, ubi vitia civium perſtringerentur, nominibus tamen parceretur; ſubjungit iſta: *Quod item genus comœdiæ multis obfuit poetis, cùm in ſuſpicionem potentibus civibus veniſſent, illorum facta deſcripſiſſe in pejus, ac deformâſſe genus ſtylo carminis. quod primò Lucilius novo conſcripſit modo, ut poëſin inde faceret, id eſt, unius carminis plures libros.* Sed Lucilii ſatyras non eſſe comœdiam, ſatis arguit, quòd drama non ſint.

14. §. *Satyra Romana utitur metro hexametro.*

In quo abit à Græcis, qui convicia jambo potiùs jactabant: ut ex Archilocho, & veteri conſtat comœdiâ. Unde Lucilius Horatio* dicitur * Lib. I. ſat. 4.

Mutatis tantùm pedibus, numeriſque facetus,
Emunctæ naris.

Apud nos, ut Antonius Lullus † ait, Perſius *cùm jambo cœpiſſet, eo relicto in hexametrum recidit.* Addit, propterea multùm ab illo lepôre deſciviſſe; quia Latinis in hoc genere malè conveniat cum jambo. Sed non ſatis Perſii conſilium perſpexit. Neque enim jambi iſti ſunt pars ſatyrarum: ſed prologus ab opere legitimo ſeparatus: quomodo & alii poetæ quandoque alio carminis genere poëmatis ſuis præluſere. Nam elegiaco conſtat anteloquium Claudiani: Statius, & Martialis, etiam præfantur ſolutâ oratione: quod & quandoque facit Auſonius. † Lib. 7. de Oratione cap. 5.

15. §. *Dictio laudatur non tam poëtica, quàm pedeſtris, ac ſermoni ſimilis, peneque extemporalis.*

Sermonem voco illum, qui in familiari eſt uſu. Quomodo eâ voce Plinius utitur lib. V. epiſt. ad Maximum: * *Iam tres abſolveras ſubtiles, & diligentes, atque inter ſermonem, hiſtoriamque, medios.* Itaque & comica dictio ſermo eſt; ſed pede adſtricta. Unde de eo ſic Horatius‡: ‡ Sat. 4. lib. I.

—— Niſi quòd pede certo
Differt ſermoni ſermo merus.

Atque inde *comicos ſermocinari* ait Appulejus in Floridis. *Comœdus*, inquit, *ſermocinatur, tragœdus vociferatur.* Hinc Horatius in Arte:

Non ego inornata, & dominantia nomina ſolùm,
Verbaque, Piſones, Satyrorum ſcriptor amabo.

Ubi

gitized by Google

Ubi clarè ait, ſatyræ ſcriptorem non ornatum ſectari; ſed verba propria, & dominantia. Hujuſmodi eſſe ſatyræ ſermonem, clarè indicat, quòd πεζὸν λόγον † ſatyris tribuit. Sic enim ait †:

* Pedeſtrem ſermonem. † Lib. 2. ſat. 6. ‡ Lib. 1. epiſt 4.

Quid prius illuſtrem ſatyris, Muſâque pedeſtri?

Ideo & *Sermones* vocat. Ut ad Tibullum ‡:

Albi, noſtrorum Sermonum candide judex.

Sermones dicti, quia oratio ſimilis ſermoni quotidiano. Hinc idem Horatius lib. 1. Sat. IV.

Primùm ego me illorum, dederim quibus eſſe poëtas,
Excerpam numero. neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis: neque ſiquis ſcribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poëtam.
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.

Et profectò, quotuſquiſque, ſi in epiſtola aliqua, vel oratione, hæc legat, ea aliud, quàm prorſam exiſtimet? *Deinde eo dormitum, non ſollicitus, mihi quòd cras ſurgendum ſit mane, obeundus Marſia.* At Horatii ſunt eodem verborum ordine lib. 1. Sat. VI.

Hoc præceptum non ſatis obſervat Juvenalis; cujus dictio epica: multoque minùs hac ſibi parte cavit Perſius; qui grandi ſcribit ſtylo. Atqui nihil æquè ornat ſatyram, quàm idea veritatis, & ſimplicitatis. Cui tralationes audaces adverſantur. Nempe, ut in Oratoriis noſtris ex Ariſtotele diximus, enthymemata elidunt affectus: atque idem faciunt acumina, & major ornatus.

16. §. *In numeris ſimiliter hic negligentia laudi ducitur.*

Sanè Horatius, qui in odis uſque adeò numeris ſtuduit, ut iccirco ab Ovidio ‡ *numeroſus* vocetur; idem tamen in ſatyris eos neglexit; non quia non aliter poſſet, ſed quia hunc neglectum ſatyris putaret convenire.

‡ Lib. 4. Triſt. eleg. 10.

17. §. *In totum verò vel Horatio, vel Juvenali, hoc poëſios genus principatum debet. Sed Horatio potiùs, ob ea, quæ diximus.*

Secus tamen ſentit Franciſcus Floridus lib. III. Lect. Subſicivarum cap. 1. *Junius Juvenalis, qui noſtra Satyra, meo judicio, ſummam manum impoſuit, omnibus numeris id poëmatis genus abſolvens, (licet Marullus Byzantius uni Horatio illud cum chely aliquid debuiſſe mentitus ſit) monſtroſam Ægyptiorum in quibuſdam diis adorandis ſuperſtitionem, levitatemque, elegantiſſimè deridens,* XV. *Satyram ſic auſpicatur.* Sed nec ſatis eſt æquus Horatio, qui Fabio * quoque *ad notandos hominum mores præcipuus* dicitur: & Marullum aſperiùs tractat, quàm propter eam ſententiam merebatur: & fallitur ipſe, cùm ſatyram decimamquintam eſſe Juvenalis putat.

* Lib. 10. cap. 1.

Etiam iniquus Horatio eſt Sebaſtianus Foxius lib. II. de imitatione, ſive ratione ſtyli, ubi inquit †: *Horatius in elegantia, puritateque orationis, ac, ſi poëticum Lyrici carminis lepôrem requiras, cunctorum facilè princeps: ſed in Satyra frigidior, longeque Perſio, aut Juvenale inferior: qui, tametſi minus illo in dicendo terſi, majorem tamen carminis habent ſpiritum, ac venuſtatem.*

† Fol 42. 6. edit. Antverp. an. 1554.

18. §. *Difficile autem eſt, ut ſatyrici poëtæ, qui particulatim ſugillant alios, apud poſteros in pretio ſint. Nam cùm nunc hos, nunc illos, obſcurè deſcribant; quia ſæpe tutum non ſit id facere apertè: ab ætate ſuâ utcumque poſſunt intelligi; à poſteris non item.*

Hoc ſatis videmus ex quibuſdam, qui patrum ætate, ac nobis etiam pueris, ſcripſêre ſatyras: atque aliquo fuere in precio, dum lector iis, quia caperet, caperetur: nunc quia ſæpe neſcitur, in quem aliquid, & quare dicatur, non leguntur, quia non intelliguntur. Ut ſimilis fati videantur, ac libelli famoſi, quos dicunt paſquillos. Nam valde mordent; ſed citò exoleſcunt. Audiamus de hoc etiam optimum Rhetorem, Antonium Lullum Balearem in VII. de Oratione cap. V. *Genus iſtud carminis* (ſatyrici) *imitati noſtrâ ætate ſunt Galli; gens ſanè acuta, & ad ſales, dictaque nata. Et nomen poëmati inditum, Gallus gallinaceus ad aſinum: quo primò uſum fuiſſe conſtat* (Clementem) *Marotum, lepidum certè poëtam epigrammaticum, in ſuis illis rhythmis, ſeu homœoteleutis vulgaribus. Itali priùs dixerant Paſquillos, ab informi quadam ſtatua Paſquilli, quæ Romæ eſt. Sed & Paſquilli, & Galli, ad aſinum, & ſimilia opera, diaria planè ſunt, haut longæ vitæ. Perſonas namque tractant paucis, nec niſi ejus ætatis notas hominibus; quorum niſi in promtu ſit interpretatio, faſtidium capit.*

CAP. X.

DE SATURA ENNII, AC VARRONIS.

1. §. *Præter Satyram utramque, (illam nempe veterem, & extemporalem, quæ ante Livium Andronicum erat, & novam ſive Lucilianam, quam Horatius ſecutus) fuit & media quadam, quæ priùs ab Ennio, & Pacuvio, poſteaque à Varrone, & aliis, exculta eſt. Hæc vario metrorum genere, diverſoque conſtabat argumento. Imò & partim è proſa, partim è carmine, nunc epico, nunc elegiaco, vel alio, contexebatur.*

Fortaſſe autem tam diverſa ſatyræ genera rectiùs etiam ſcribendi modo diſtinguantur. Nempe ut Lucilianas, vel Horatianas ſatyras, ac ſimiles, ſcribamus per Y: ex eorum ſententia, quibus id nomen à Satyrorum dicacitate impoſitum videtur. Nam ſi fuerit à *ſaturus*, quatenus varium, plenumque, notat, Græca vocalis non habeat locum: ſed per U, vel I, debeat efferri: ut *optumus*, & *optimus*, ſcribitur. Sed quicquid ſit de Satyra Luciliana, ſaltem Varroniana rectiùs per U, vel I, exprimitur. Ut quæ omnino dicatur ab ea *ſatura* ſignificatione, quatenus eſt lanx variis referta fructibus, vel quædam ciborum miſcella. Varro in Quæſtionibus Plautinis: *Satura eſt, ubi uva paſſa, & polenta, & nuclei pinei ex mulſo conſperſi.* Sive, ut alii emendant, *nuclei pini ex mulſo conſparſo.* Porrò, ut ſubdit Varro, *Adhac alii addunt & de malo Punico grana.* Ita uſurpatur apud Apicium, & in tabula ænea: EXTRA QUAM SIQUID IN SATURAM FERRETUR. Accepere eam vocem Romani à Sabinis: qui Romuli ipſius regno in Urbem recepti fuere cum rege ſuo Tatio. Sabini verò unde eam vocem hauſerint, facilè videt, qui ſcit, Sabinos eſſe Laconum colonos: unde poëtis Amyclæi, OEbalii, & Theramnæi, vocantur. Et ſanè σατιορεῖν, vel σατύρειν, eâ ſignificatione vocem eſſe Laconicam; clarè ex Heſychio, & Varino, in Originum libris oſtendimus. Quare ita ſtatuimus, *ſaturam* primò Romanis notâſſe id, quod dixi; nempe lancem onuſtam ciborum diverſitate. Poſtea id nomen κατὰ μεταφορὰν attributum farciminis generi varias res continenti: ut ex Varrone conſtat. Addunt Grammatici, etiam uſurpatum de lege multis aliis legibus confertâ. Ita Feſtus, Diomedes, Iſidorus. Atque hinc Gloſſæ Philoxeni: *Satura,* Νόμος πολλὰ περιέχων *. Nempe cum uno rogatu varia congeſta ferrentur. Quomodo T. Annius Luſcus in oratione adverſus T. Gracchum, Feſto teſte †, dixit: *Imperium, quod plebes per ſaturam dederat, id abrogatum eſt.* Ubi poteſtatem à plebe collatam tribunis falsè *imperium* vocat. Idque imperium ait collatum per ſaturam, quia unâ rogatione multa confusè erant propoſita. Ac ſimiliter, ut ibidem Feſtus indicat, C. Lælius ait: *Dein poſtero die, quaſi per ſaturam ſententiis exquiſitis, in deditionem accipitur.* Ubi itidem *per ſaturam* valet, collectim, ac raptim. At non video, ut hinc colligi poſſit, fuiſſe Romanis legem ullam, quæ *ſatura* diceretur. Nam Gracchi illud, *imperium per ſaturam* dare,

* Lex varia capita comprehendens. † In Satura.

dare, non poſſis exponere, per *legem ſaturam dare*: nec Lælii hoc, *ſententiam per ſaturam exquirere*, rectè interpreteris, *per ſaturam legem*. Quid enim utroque abſurdius? Sed utrumque valet, *mixtim*, *varie*, *ſine ordine*, *& diſtinctione*. Quod etiam liquet ex hiſce verbis Juſtiniani Imp. præfat. in Pandectas: *Hoc opus tradebatur, non ſecundum edicli perpetui ordinationem; ſed paſſim, & quaſi per ſaturam collectum, & utile cum inutilibus mixtum.* Atque hanc varietatem, & miſturam, etiam Soſipater reſpexit, cùm ait in ſecundo: *Adverbium Stoici πανδέκτην vocant, nam omnia in ſe capit, quaſi collata per ſaturam, conceſſâ ſibi rerum variâ poteſtate.* Etiam Peſcennius Feſtus (ut ex Lactantio videmus lib. I. cap. XXI.) ſcripſit *libros hiſtoriarum per ſaturam*; hoc eſt, in quibus nec gentes diſtinguerentur, nec temporis ordo obſervaretur. Quod Græci dicunt ποικίλην ἱστορίαν *, vel τῶν σποράδην λεγομένων †. Ab hac igitur *ſaturæ* ſignificatione, quâ, quod varium eſt, confuſumque, ſic dicitur; vocari ſimiliter cœpit poëmatis genus à vario metrorum genere compoſitum. Diomedes lib. III. *Olim carmen, quod ex variis poëmatibus conſtabat, ſatura vocabatur: quale ſcripſerunt Pacuvius, & Ennius.* Ubi mirum, Pacuvium Ennio præponi, qui ex Ennii ſorore fuerit natus; ut eſt apud Plinium lib. XXXV. Hiſt. Nat. cap. IV. Perperam pro eo *ex filia Enni natum* legas apud Hieronymum in Chronico. Porrò Enniana ſatura non diverſis ſolùm metris; ſed etiam argumentis, conſtabat: quod ſatis liquet ex fragmentis, quæ inde viri docti collegerunt. At Varro non tantùm vario & metro, & argumento, ſaturam condidit; ſed etiam proſam miſcebat carmini. Has ſaturas à Menippo, philoſopho Cynico, quem imitatus, *Menippeas* dixit. Agellius lib. II. cap. XVIII. *Servus Menippus fuit, cujus libros M. Varro in Saturis æmulatus eſt: quas alii Cynicas, ipſe appellat Menippeas.* Eas proſâ quoque, non autem diverſo ſolùm metro, fuiſſe exaratas, indicant hæc Fabii verba lib. X. cap. I. *Alterum illud eſt, & prius ſaturæ genus; quod non ſolâ carminum varietate miſtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditiſſimus.* Nam ſi non ſolùm carmine conſtiterit: proſâ etiam ſcriptum fuiſſe, conſequitur. Et ſanè id etiam cognoſcimus è fragmentis, quæ ſuperſunt. De proſa tamen tacet, ac ſolùm omnigeni carminis meminit Valerius Probus in Ecl. VI. *Varro Menippeus non à magiſtro, cujus ætas longè præceſſerat, nominatus: ſed à ſocietate ingenii, quòd is quoque omnigeno carmine ſatyras ſuas expoliverat.* Quamquam enim falli videtur, cùm ait, Menippi ſatyras omnigeno carmine compoſitas fuiſſe: tamen de Varronis Saturis, quas optimè nôrat, ſine dubio verum dixit. Quare hoc extra controverſiam eſto, eas, pro argumento diverſo, & proſâ, & carmine, eoque varii generis, fuiſſe conſcriptas.

* *Variam hiſtoriam.*
† *Eorum, quæ ſparſim dicuntur.*

Nempe ſimiles fuere ludo Senecæ in Claudium: ubi non metra modò varia, ſed & proſa, carmini eſt miſta. Quod ſcribendi genus, utcumque non à Satyrorum dicacitate, ſed à varietate, ut dictum, nomen acceperit; ad alios tamen ridendos valde eſt idoneum: unde & *Ludum* nominavit, quia Claudium illudit, atque irridet. Similiter Petronius, ut Neronis flagitia traducat, in opere ſuo nunc proſâ, nunc metro, eoque vario, utitur. Nec tamen neceſſarium ἁπλῶς *, ut alium rideamus. Nam & Martianus Capella, ſi vulgatis credimus libris, opus ſuum de artibus liberalibus *ſatyricon* inſcripſit. Ipſe poſtremo carmine *ſaturam* appellat. Sanè varium ejus argumentum, ac varium metrum; imò proſâ partim, partim carmine, contextum. Quod ſi exemplum placet, potuiſſet ſic quoque Boëthius vocare opus ſuum de conſolatione philoſophiæ. Quod & ipſum proſâ, & vario carminum genere, conſtat. Attamen non ad ridendum inſtituitur; ſed ut eâ varietate delectet, & faciliùs detergeat dolorem.

* *Simpliciter.*

Cap. IX.

De elegia.

1. §. *Poſtquam vidimus de carmine epico; cujus occaſione de Eclogis etiam, & Satyris, diximus: agendum videtur de Elegiis: ut quæ verſu priori hexametrum habeant; poſteriori alium, imparis quidem majeſtatis; ſed qui, ſi metrum tantummodo attendas, propè ab eo abeat.*

Unde Statius Papinius lib. V. Silvarum, Epicedio patris, cùm memoraſſet poëtas alios, de elegiographis ſic ſubdit:

Et quis laſcivâ vires tenuare Thaliâ
Dulce, vel heroos greſſu truncare tenores.

Hæc truncatio fit bifariam: vel enim præcedit hexametrum, ut ſolet; vel, quod valde inſolens, ſequitur: quomodo apud Athenæum lib. XIII. legas, Pythiam, ordine inverſo, oraculum dediſſe de Charitone, & Melanippo, idque ejuſmodi:

Εὐδαίμων * Χαρίτων, καὶ Μελάνιππος ἔφυ
Θείας ἁγητῆρες ἐφημερίοις φιλότητος.

Quæ verba malè cepit Dalecampius. Potiùs ſic reddas:

Ter felix Chariton, & Melanippus, erant
Humano generi auctores cæleſtis amoris.

* *Pag 602. edit. Commeliana.*

Ac ibidem legas, Dionyſium Athenienſem, cognomento Χαλκοῦν, ſive Æneum, poſtea in elegis ſuis ſimiliter hexametrum pentametro ſubjunxiſſe. Atque ex his liquet, oraculum Pythiæ, quod dixi, non eo verſuum ordine fuiſſe editum, quo legitur apud Ælianum lib. II. Var. Hiſt. cap. IV. Ubi hexameter præmittitur. Eſt etiam quando carmen è ſolis fit pentametris. Sed de eo in Melicis potiùs dicemus; cùm nihil ad elegos pertineat, ubi hexametro pentametrum, vel hoc illi, ſociatur.

2. §. *Nomen elegis eſt à flebili lugentium ſono, qui crebro* ἒ ἒ λέγειν. *Nempe quia carmen hoc convenit funebribus.*

Ita Proclus in Χρηστομαθείᾳ ait, ἁρμόζειν κατοιχομένοις, *convenire ſitis*, ſive *mortuis*. Hinc & elegiæ nomen acceſſit ἀπὸ τοῦ ἐλέου, *à miſeratione*. Favet Lucilius in ſecundo Ἀνθολογίας Tit. XL. ep. VII.

Εἰς ἐμὲ νῦν ἐλέγους ποίει πάλιν, εἰς ἐμὲ θρήνους,
Δῆμε, καὶ στιχίνῳ σφαζόμενον θανάτῳ.
In me nunc elegos iterum, & lugubria, tertor,
Pange: tuo etenim verſiculo perii.

Horatius quoque, ad Tibullum ſcribens †, *miſerabiles elegos* dixit. Cujus & ſimilem poſtea locum ponam, ac de eodem Tzetzæ verba. Nunc alios adducam teſtes. Naſo lib. V. Triſt.

† *Lib. I. od. 33.*

Flebilis ut noſter ſtatus eſt, ita flebile carmen.

Et de morte Tibulli:

Flebilis indignos, Elegeïa, ſolve capillos:
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Idem in epiſtola Sapphûs ait:

Flendus amor meus eſt. Elegeïa flebile carmen.

Hinc Terentianus Maurus:

Hos elegos dixere, ſolet quòd clauſula talis
Triſtibus, ut tradunt, aptior eſſe modis.

Accedat Boëthius initio operis de Conſolatione Philoſophiæ:

Flebilis heu mæſtos cogor inire modos.

Item: *Et veris Elegi fletibus ora rigant.* Itaque & ἐλεγεῖον dixere, quod cippo, ſive monumento, inſcriberetur. Heſychius: Ἐλεγεῖον, ἐπιτάφιον ποίημα. *Elogium* vocat Maro in Culice:

—— Tum fronte locatur
Elogium.

Et videri poſſit *elogium* eſſe ex Græco ἐλεγεῖον, ut *topium* ex τοπεῖον.

3. §. *Quis*

3. §. *Quis elegos invenerit, non ſatis convenit.*

Horatius in Arte:

Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant: & adhuc ſub judice lis eſt.

Sunt qui Midæ inventum id tribuant, cùm in matris funere crebrò principem hujus vocis ſyllabam iteráſſet. Sed hoc, ut ad vocem elegiæ aliquid faciat; ita, ſi de carmine loquamur, οὐδὲν πρὸς ἔπος *. Alii igitur hanc laudem aſſignant Terpandro Colophonio; alii Theocli Naxio, vel Eretrienſi.

* *Nihil ad rem facit.*

4. §. *Sed duo inprimis hac laude celebrantur: qui ſi non elegiam invenerint primi, primi ſaltem magnam eâ ſibi laudem pepererunt. Ii ſunt Callinus, & Mimnermus.*

Callinus ille Epheſius fuit. Ac Straboni lib. XIII. ſemel, iterumque, dicitur Καλλῖνος ὁ τῆς ἐλεγείας ποιητής †. Terentianus Maurus Callinoum appellat. Sic enim ille:

Pentametrum, dubitant, quis primus finxerit auctor.
Quidam non dubitant dicere Callinoum.

Nicolaus Briſſæus Montivillarius, qui Terentianum Maurum emendavit, & commentario auxit, negat ad hunc locum, aliquid ſe de Callino, vel Callinoo, alibi legiſſe. Nempe needum prodierat tunc Procli Chreſtomathia: quæ conſervata nobis Photii Patriarchæ beneficio ‡. In ea quatuor iſti dicuntur elegiæ eſſe principes; Callinus Epheſius, Mimnermus Colophonius, Philetas Cous, & Callimachus Cyrenæus. Imò meminere Callini etiam Pauſanias in Bœoticis, & Nicandri ſcholiaſtes: uti doctiſſimo Andreæ Schotto * obſervatum. Sed pro Καλλῖνος perperam apud Pauſaniam legitur, Καλαῖνος: uti apud Nicandri ſcholiaſten, Χαλῖνος. Mimnermus, cujus mentio jam facta, Olympiade claruit XXXVII, ut ſeptem ſapientibus antiquior ſit: quemadmodum auctor Suidas; ubi malè editum Μίμνερμος. De eo ſic Strabo lib. XIV: Ἄνδρες δ' ἐγένοντο Κολοφώνιοι τῶν μνημονευομένων, Μίμνερμος, αὐλητὴς ἅμα, καὶ ποιητὴς ἐλεγείας. *Fuere celebres Colophonii; ut Mimnermus, tibicen ſimul, & poëta elegiacus.* Celebrant eum quoque Ælianus lib. x. Var. Hiſt. cap. XXXVI, Pauſanias in Bœoticis, Athenæus lib. XIV, & XV; & ante tres iſtos Plutarchus lib. de Muſica, item de facie Lunæ, nec non de virtute morali: ubi diſtichon ejus adducit de amore, ſine quo nec vivere ſe velle ait. Unde Horatius lib. I. epiſt. ad Numicium:

Si, Mimnermus uti cenſet, ſine amore, jociſque,
Nil eſt jucundum; vivas in amore, jociſque.

Nempe tota penè ejus poëſis fuit amatoria. Unde Propertius lib. I. eleg. IX:

Plus in amore valet Mimnermi verſus Homero.
Carmina manſuetus levia quærit amor.

Solinus eundem cap. XLIII. inter inclyta Aſiaticorum ingenia reponit. Olympiade XXXVII. claruit; ut eſt apud Suidam. Sed corruptè apud eum vocatur Μίμνερμος. Quæ ex elegiis ejus colligi potuere, edidit cum illuſtrium feminarum, & Lyricorum carminibus, Fulvius Urſinus.

† *Callinus poëta elegiacus.*

‡ *In Bibliotheca cod. 239.*

* *Scholiis in Proclum.*

5. §. *Poſtea præcipua elegiæ gloria fuiſſe dicitur penes hos duos, Callimachum Cyrenæum, & Philetam Coum.*

Sed poſt Mimnermum; modò credamus emunctiſſimæ naris Horatio; qui ſic de eo ſcribit lib. II. ad Julium Florum:

Diſcedo Alcæus puncto illius, ille meo quis?
Quis niſi Callimachus? ſi plus adpoſcere viſus,
Fit Mimnermus.

Sed Callimachum, & Philetam, principes facit Quinctilianus lib. x. cap. I: *Tunc & elegiam vocabit in manus ſumere: cujus princeps habetur Callimachus: ſecundas, plurimorum confeſſione, Philetas occupavit.* Callimachus tamen non uſque adeò ingenio valuit, ſi audimus poëtarum ingenioſiſſimum Naſonem: cujus illud eſt in primo Amorum:

Battiades toto ſemper cantabitur orbe.
Quamvis ingenio non valet, arte valet.

Philetas, Suidâ teſte, temporibus claruit Philippi, Alexandri, & ſucceſſorum: ac Ptolemæi Philadelphi præceptor fuit: nec elegias modò, ſed epigrammata etiam, & alia ſcripſit. Ut mirum non ſit, ſi Apollonii Scholiaſtes citet ejus Telephum, (quod, ſine dubio, dramaticum fuit poëma:) vel, ſi hexametrorum poëta dicatur ab Æliano lib. x. Var. Hiſtor. cap. VI. Nec enim alius eſt, cùm ibidem inter mirè exiles, & macros referat: ipſe autem illum macri corporis Philetam vocârit Coum lib. IX. Var. Hiſtor. cap. XIV; uti & facit Heſychius Illuſtris. Hemiſtichium ejus habes apud Etymologum in Νῆ. Eidem in Ἔλλη citatur Philetas ἐν γλώσσαις. Ac ſcholiaſtæ Apollonii lib. IV. laudatur Φιλητᾶς ἐν ἀτάκτοις γλώσσαις. Qui idem videtur. Nam Straboni lib. XIV. inter illuſtres Coos refertur Φιλητᾶς ποιητὴς ἅμα, καὶ κριτικός *: ac Suidæ etiam dicitur γραμματικὸς κριτικός †. Porrò quia Cous hic Philetas, & Callimachus, palmam in elegia retulere; inde eſt quòd paſſim eos jungant poëtæ. Uti Ovidius in ſecundo de Remedio Amoris:

Callimachum fugito: non eſt inimicus amori.
Et cum Callimacho tu quoque, Coe, noces.

Etiam utrumque ſibi imitandum propoſuit Propertius. Unde illud lib. II. El. XXXIV:

Tu ſatius memorem ‡ Muſis imitere Philetam,
Et non inflati ſomnia Callimachi.

Item lib. III. El. I:

Callimachi manes, & Coi ſacra Philetæ,
In veſtrum, quæſo, me ſinite ire nemus.

Item El. VIII:

Inter Callimachi ſat erit placuiſſe libellos,
Et cecinisse modis, Coë poëta, tuis.

Item lib. IV. El. VI:

Cera Philetæis certet Romana corymbis,
Et Cyrenæas urna miniſtret aquas.

Junxit & eos Papinius in I. Sylv. & iis æmulum Propertium:

—— Hunc ipſe, choro plaudente, Philetas,
Callimachuſque ſenex, Umbroque Propertius antro.

* *Philetas Comicus ſimul, & Criticus.*

† *Grammaticus Criticus.*

‡ *Al. mollem.*

6. §. *Magnum etiam inter elegiographos Tyrtæi ſemper nomen fuit.*

Patriâ is Athenienſis, Laconum dux; de quo Juſtinus lib. III. Olympiade is fuit XXXVI: quod ex eodem colligitur; qui claruiſſe ait ſecundo bello Meſſeniaco: item ex Euſebii Chronicis: ſed perperam ibi *Myrtæus* pro *Tyrtæus* legitur; quod ſatis apertum puto, & aliis jam monitum. Eo autem magis miror ab judicibus iis, quos dixi, quatuor antea memoratos Tyrtæo præponi, quòd eum cum Homero (judicium hoc Fabius * etiam approbat) Horatius conjungat. Addere potuit, itidem ſociari à Platone lib. VIII. de Legg †. Celebratur etiam à Strabone, Plutarcho, Polyæno, Pauſania, Athenæo, & tot aliis. Quæ ejus colligi potuere, ab Fulvio Urſino edita ſunt cum Mimnermi elegiarum reliquiis. Prodiere unà cum novem illuſtrium poëtarum, & lyricorum deperditorum, verſibus, ab eodem Fulvio unum in corpus redactis ‡.

* *Lib. 10.*

† *Pag. 858. edit. H. Steph. Fuſiuſque de Tyrtæo idem lib. I. de Legg. pag. 629.*

‡ *Editi Plantinus an. 1568.*

7. §. *E Romanis elegia excelluere Tibullus, Propertius, Ovidius.*

Sanè Ovidius de ſe ipſo ſic canit extremo libro primo de remedio amoris:

Tantum ſe nobis elegi debere fatentur,
*Quantum Virgilio nobile debet opus *.*

* *Pro opus legendum fortè epos; ut hoc elegis opponatur. Sed vulgata lectio retinenda, ut ſimpliciter: nec puto, Ovidius cum dixiſſe Græcum illud, etſi eo utantur Horatius, & Martialis.*

8. §. *Ac primò quidem hoc carmine fuere uſi in funeribus; item in querimoniis amantium: poſtea etiam aman-*

amantes, voti ſui compotes facti, lætitiam ſuam eo carmine expreſſere.

Horat. in Arte:

Verſibus impariter junctis querimonia primùm,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

Iſac. Tzetzes proleg. in Lycophr. Ἐλεγειογράφων δὲ γνωρίσματα ποιητῶν, τὸ πρὸς τοὺς τεθνηκότας οἶκτους γεγραφέναι, καὶ ὀλοφύρσεις· ἐν ἐλεγείῳ τῷ μέτρῳ κυρίως, καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἑτέρως. *Elegiacos inde poëtas agnoſcimus, quòd in mortuos ſcribant commiſerationes, & lamenta, carmine elegiaco: nempe cùm propriè eo utuntur metro. nam per abuſionem ejus aliter quoque fit.* Abuſione hujuſmodi etiam amores eo metro perſcribuntur. Unde eſt, quòd elegia Ovidio petulans vocetur. Uti & Papinio*:

* Lib. 1. Sylv. epithalamio Sylvæ, & Violantillæ.

Quas inter vultum petulans elegia propinquat.

Eo autem juſtiùs carmen querulum, ac lugubre, eſt tranſlatum ad amores; quòd amantes ferè ſunt queruli, & amantium anima quodammodo ſit extra corpus: nempe non tam eſt, ubi homo animat, quàm ubi amat. Unde Plato ipſe ſic apud Laërtium de ſe, & Agathone, ait:

Τὴν † ψυχὴν Ἀγάθωνα φιλῶν ἐπὶ χείλεσιν εἶχον·
Ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων, ὡς διαβησομένη.

† Animam, Agathonem oſculans, in labris habebam. Venit enim infelix, tanquam abitura.

Item Q. Catulli eſt:

Aufugit mi animus: credo, ut ſolet, ad Theotimum.

Integrum epigramma videre eſt apud Agellium lib. XIX. cap. IX. Eſt verò è Græco verſum. Tantum pro Κηφισοῦ nomine *Theotimum* repoſuit Catullus. Quod cùm Agellius non attenderet, auſus eſt Latinum hoc opponere Græcorum lepôri.

9. §. *Nec ad amores ſolùm; ſed alia etiam, extenſa eſt hæc poeſis.*

Itaque Theognis præcepta ethica elegiaco carmine complexus eſt: Callimachus eo verſu celebrat comam Berenices: quod Catullus è Græco expreſſit ſimili metro: Ovidius eo ſcripſit Faſtos, atque alia.

10. §. *At non conveniunt elegiæ res ſublimes, & majeſtas heroica; cùm mediocritate ſuâ debeant eſſe contenta.*

Ovidius in primo de Remedio Amoris:

Fortia Mæonio gaudent pede bella referri.
Deliciis illic quis locus eſſe poteſt?
Blanda Pharetratos elegeia cantet amores,
Et levis arbitrio ludat amica ſuo.
Callimachi numeris non eſt dicendus Achilles.
Cydippe non eſt oris, Homere, tui.

Atque ideo, elegiam in tertio Amorum deſcribens, non eam à majeſtate commendat; ſed à vultu amabili, veſte tenui, ac molli:

Venit odoratis elegeïa nexa capillis:
Et, puto, pes illi longior alter erat.
Forma decens, veſtis tenuiſſima, vultus amantis:
In pedibus vitium cauſſa decoris erat.

Hinc etiam liquet, cur Propertius, cùm Callimachi, & Philetæ, manes invocaret, *tenuandi* verbum uſurpet ‡:

‡ Lib. 3. el. 1.

Dicite, quo pariter carmen tenuâſtis in antro.

Et, puto, hinc *exiguos* vocat *elegos* Horatius in Arte:

Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor.

In Faſtis interim Ovidius elegos ſublimiori aptavit materiæ: ſed non ſemel queritur de eo, quòd parùm id carmen eis conveniat. Ut cùm ait II. Faſt.

Quid volui demens elegis imponere tantum
Ponderis? Heroi res erat iſta pedis.

Sanè non ſolùm minùs gravis elegia erat ob pentametrum: ſed hexametri etiam in elegia non tam graves.

11. §. *Magnum interea elegiæ decus accedit ab antiquitatibus: uti hiſtoriis, ac fabulis, quæ in poëticâ ſupellectile illuſtrem merentur locum.*

Parte eâ Tibullum ſuperat Propertius.

12. §. *Funebre argumentum, à quo cœpiſſe elegiam dicebamus, plurimùm auſpicantur poëtæ à ſermone ad mortuum, vel parentes, vel fratres, & ſorores, vel cognatos, aut amicos.*

Exemplo eſto Pedo Albinovanus; qui, mortuo Druſo Germanico, Auguſti Cæſaris privigno, Tiberii, poſtea Imperatoris, fratre, elegantiſſimam ſcripſit elegiam, quam à Liviæ matris compellatione orditur. Imò in eadem toto carmine perſiſtit. Eſt idem Albinovanus, qui ejuſdem Druſi in Oceano navigationem reliquerat; poſteaque, ut ex Horatio ſagaciter odoratus eſt Joſephus Scaliger, Tiberii comes, ac ſcriba fuit. Initium, quod dicebam, ejuſmodi eſt:

Viſa diu felix, mater modò dicta Neronum.

(puta Tiberii, qui Auguſto ſucceſſit in imperio; & Druſi, quem utero geſtabat, cùm Auguſto nuberet)

Iam tibi dimidium nominis hujus abeſt.
Iam legis in Druſum miſerabile, Livia, carmen:
Unum, qui dicat jam tibi MATER, habes.
Nec tua te pietas diſtendit amore duorum:
Nec, poſito FILI nomine, dicis, UTER?

13. §. *Inchoare etiam ſolent à numine aliquo; idque variè, pro cujuſque vitæ genere.*

Ut in morte poëtæ, à Phœbo; philoſophi, à Pallade; militis, à Marte; amatoris, à Venere, aut Cupidine; ruſtici, à Pane, vel Fauno, aut Pale; nautæ, à Neptuno, vel Nymphis, præſertim ejus fluminis, ubi deceſſit. Atque hæc deinceps etiam materiem ſuggerunt elegiæ.

14. §. *Elegi tribus commendantur: primùm nativâ elegantiâ, & munditie: deinde molli, ac æquabili dictione; cui adverſantur colliſiones duræ, vel crebræ, omniſque aſperitas: præterea quâdam ſuavitate, quæ decorum, & pulchritudinem, ac omnino delicatum quid, ſuperaddit.*

Catullus hac parte non imitandus, quia horridulus ſæpe; præſertim in crebris eliſionibus, etiam in pentametri penthemimeri. Ut,

*Nec * deſiſtere amare, omnia ſi facias.* * Epigr. 76.

Item,

Quàm † modò qui me unum, atque unicum amicum habuit. † Epig. 74.

Item ‡: ‡ Carm. 69.

Quàm veniens una, atque altera rurſus hyems.

Adhæc *: * Ibid.

Ceſſarent neque triſti imbre madere genæ.

Et iſto †: † Ibid.

Muneraque Muſarum hinc petis, & Veneris.

Sed quamquam ille duriuſculè, nimiſque inaffectatè: non propterea tamen Antonio Lullo Baleâro, qui duriùs multò in VII. de Oratione cap. V. non veretur ſcribere, *plagis dignum, niſi penthemimeri dividatur alter verſus.* Illiberale ſanè judicium de equite Romano, poëta tanti pretii, judicio antiquitatis univerſæ. Nec defuit Catullo Græcorum exemplum. Eſt enim Callimachi apud Hephæſtionem ‡:

‡ Pag. 55. edit. Adr. Turnebi.

Ἱερὴ νῦν δὲ Διοσκουρίδεω γενεή.

Quaſi Latinè dicerem,

Sacrum jamque Dioſcuridis hoc genus eſt.

Nec dubium, quin niſi tot veterum deperiiſſent, longè plurimis ejuſce monetæ potuerit defendi.

15. §. Il-

15. §. *Illud ſatis vulgatum, ſolere elegiacum carmen diſticho quoque ſententiam abſolvere.*

Quod plurimùm fit: apud neminem tamen elegiacorum id perpetuum eſt.

16. §. *Quod ſi initio pentametri tam poſſit eſſe dactylus, ſequente ſpondeo, quàm ſpondeus, ſequente dactylo; potius dactylus præmitti ſolet.*

Ita poterat Tibullus:
Et culti teneat jugera multa ſoli.
* Lib. 1. el. 1. Sed maluit *:
Et teneat culti.
Poterat item:
Et duras ſedeo janitor ante fores.
† Ibid. Sed maluit †:
Et ſedeo duras.
Nempe poſterius numeroſius erat.

17. §. *Illud etiam minutum admodum, pentametrum diſſyllabo plurimùm terminari; rariùs tetraſyllabo, aut pentaſyllabo; vix autem triſyllabo.*

‡ Lib. 1. eleg. 7. Tetraſyllabo, ut apud Tibullum ‡:
Pomaque non notis legit ab arboribus.
* Lib. 1. eleg. 3. Item hoc Propertii *:
Libera jam duris cotibus Andromede.
† Lib. 1. el. 1. Pentaſyllabo, ut hoc ejuſdem †:
Contactum nullis antè cupidinibus.
‡ Lib. 1. el. 2. Item ‡:
Illis ampla ſatis forma pudicitia.
* Epigr. 68. Similiterque Catullus *:
Cum quibus illa malum fecit adulterium.
† Carm. 69. Triſyllabo, ut apud eundem Catullum †:
Jucundum cùm ætas florida ver ageret:
‡ Lib. 1. el. 10. Et illo Tibulli ‡:
Haſura in noſtro tela gerit latere.
Ovidius (ſi audimus Antonium Lullum lib. VII. de Orat. cap. V.) *nunquam, niſi diſſyllabâ dictione, clauſit pentametrum.* Sed plùs minùs decies triſyllabo, vel tetraſyllabo, pentametrum terminat: vix tamen, niſi in triſti argumento; cui mœſtior numerus videtur convenire.

18. §. *Videas etiam deſinere potiùs in nomen ſubſtantivum, quàm adjectivum, vel pronomen, vel participium.*

De adjectivo rarum eſt apud Tibullum, Propertium, Ovidium. Rariuſque exit in adverbium. In præpoſitionem verò, conjunctionem, vel interjectionem, terminatur iis nunquam. Sed minuta adeò, toties jam aliis dicta, quid ulteriùs conſectes?

19. §. *Poſtremo loco videamus de iis, quæ ſunt extra carmen: ut eſt inſtrumentum, quo elegia canitur; & modus, quo canitur. Elegiis funebribus tibia aptabatur.*

Mortuos tibiâ ſolere defleri, teſtis eſt Lucianus libello
* De luctu. περὶ πένθους *. Hinc Ovid. VI. Faſt.
Cantabat mæſtis tibia funeribus.
Et lib. V. Triſt. eleg. 1:
Interea noſtri quid agant, niſi triſte, libelli?
Tibia funeribus convenit iſta meis.
Item Artemidorus Oneirocriticôn lib. 1. cap. LVIII: Αὐλεῖν ἐν Πυθικοῖς αὐλοῖς, πένθος σημαίνει, ἢ ἀνάλογον πένθει λύπην· καὶ τοὺς νοσοῦντας ἀναιρεῖ· *Canere tibiis Pythiis luctum ſignificat, vel triſtitiam luctui ſimilem. Idem ægrotantes occidit.*

20. §. *Eſt verò mos is ab Oriente.*

In Judæa obtinuiſſe, indicat, quòd, ut legimus Matth. IX. 23. Chriſtus dicatur ædes ingreſſus puellæ mortuæ, ac vidiſſe iſtic τοὺς αὐλητὰς, καὶ τὸν ὄχλον θορυβούμενον· *tibicines, & turbam tumultuantem.* Par ratio Phœnicum; quorum linguâ tibiæ funebres etiam à Græcis γίγγρας, vel γίγγροι vocabantur: ut eſt apud Athenæum lib. IV, & Euſtathium in Iliad. Σ. Meminit ejus vocabuli etiam Pollux lib. IV. cap. XIV. Item Heſychius: Γιγγρίας, αὐλοὶ μακροὶ· ὅπερ ἔνιοι γίγγροι *. * Gingriæ, tibiæ longæ, quæ nonnullis gingri.

21. §. *Elegis, proprium tractantibus argumentum, quod querimoniam eſſe diximus, conveniebant, modi Lydii: quippe non Doriis ſolùm, ſed & Phrygiis, acutiores, eoque aptiores querimoniæ.*

Platoni in tertio de Rep. & ex eo Plutarcho lib. de Muſica, ἡ Λύδιος ἁρμονία † dicitur ὀξεῖα ‡, καὶ ἐπιτήδειος πρὸς θρήνους: atque addit, καὶ * τὴν πρώτην σύστασιν αὐτῆς θρηνώδη γενέσθαι. Sanè ut Teleſtes cantum hunc ὀξύφωνον †, ita Appulejus ‡ *Lydium querulum* dixit. Ac ab Ariſtoxeno Muſico * traditum, Olympum Muſicum in Pythonis ſepultura ad Lydios modulos tibiâ cecinitſe. † Lydia harmonia. ‡ Acuta & luctibus accommodata. * Primam ejus inſtitutionem fuiſſe lugubrem.

22. §. *Nec tamen in funeribus ſolùm adhibiti αὐλῳδοὶ †, ſed etiam κεραῦλαι, ſive ἐγκεραῦλαι ‡, qui pariter cornu, tibiamque, inflabant.* † Sonitu acuto ‡ Lib. 4. Met.

De quo genere ſic Heſychius *: Προσνεμῆσαι κέρατος τῷ αὐλῷ ἦδον, ὅθεν καὶ ὁ ἐγκεραύλης. Ait, tibiâ quidem ceciniſſe, ſed cui cornu adderetur: atque inde conflatam vocem κεραύλης, & ἐγκεραύλης: nempe ex κέρας †, & αὐλός ‡. Hinc plurimùm lucis accedit illi Papiniano in ſexto Sylvarum: * Lib. de Muſica. † Tibicines. ‡ Monumentarii ceraulæ.
Cùm ſignum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros ſuetum producere manes,
Lege Phrygum mæſtâ. * In Ἐγκαίρειον. Sed malim ἐγκήδειον.
Sententia eſt, morem hunc canendi ἐγκεραυλεῖν, *cornu, tibiaque*, fuiſſe à Phrygibus hauſtum; ac ſolere eo cantu, qui non acutum, ſed grave quid ſonabat, in puerorum funeribus cani. Eos, qui cornu, tibiâque, in funere cantarent, *monumentarios ceraulas* etiam Appulejus vocat lib. 1. Florid. ubi de Antigenida ſermo. † Cornu. ‡ Tibia.

23. §. *Tibicines verò, qui funebres nænias cantarent, non erant ex iis, qui hac arte excellerent; ſed planè è tibicinum vulgo.*

Iccirco Iſmenias, tibicen magni nominis, vel Antigenidas, & ipſe illuſtris tibicen, non ob aliud tantopere indignabatur, quàm quod vulgus, imò & ejus exemplo non vulgares homines, τυμβαύλας, ſive ſiticines, tibicinum nomine dignarentur. De Iſmenia id refert Dio Chryſoſtomus orat. XLIX: de Antigenida autem Appulejus lib. 1. Florid.

CAP. XII.

De MELICORUM, ſive *lyricorum* appellatione, & duplici ratione inſtrumentorum, quibus carmen eorum canebatur: unde & ipſi in duo genera dividuntur.

1. §. *Haſtenus de Epico carmine egimus, & illis poëmatis, quæ ad epos quadam ratione referuntur. Sequuntur melici, ſive lyrici: de quibus duo in conſiderationem veniunt: carmen ipſum, & eorum hiſtoria, qui hoc carmen vel invenerunt, vel celebrarunt. In carmine ipſo tria attendimus. Primùm loquar de vocabulo utroque: & quia lyricorum nomen*

Digitized by Google

men eſt ab inſtrumento, quo carmen illud canetur; addam quoque de organis huic carmini convenientibus; & melicos pro iſtis in duo genera diſpertiar. Deinde exponam, quale ſit argumentum carminis melici: ubi & poëtas melicos dividam pro triplici materia. Tertio loco agam de carminis ejuſce affectionibus, præcipuè de venuſtate, ac ſuavitate: ubi etiam dicam, quæ ſuavitatem hanc pariant. Ad primum quod attinet, melici vocantur, *quia μέλος canerent: huic verò non tam nomen à dulcedine mellis, quod Græcis μέλι dicitur; quàm quia μέλος idem ſit ac carmen; & ut carmen ad odas, ſic μέλος quoque ad carmen lyricum reſtringitur, ob ſingularem venuſtatem.*

Significatio verò ea, qua μέλος universè pro *carmine* ponitur, inde eſt, ut puto, quòd μέλος primariâ ſuâ ſignificatione notet *membrum*; carmen autem, ratione dimenſionis harmonicæ, μελῳδεῖν, ſive membratim, dividatur. Atque hoc omni quidem eſt carmini commune. Unde, ut Athenæus lib. XIV. teſtatur, poëtæ omnes ſua poëmata vocarunt μέλη. Poſtea carmen lyricum appellationem eam ſibi, tanquam propriam, vindicavit. Atque hoc inde evênit, quòd in eo maximè habenda eſſet ratio harmoniæ, quò ſic cani poſſet, ut pulſatum fidium ſonus cantui conveniret. Sic igitur ſtatuendum, ut *rhapſodia*, & *epos*, de quibus antea vidimus: ita & *melos*, quod nomen latiùs ſe priùs diffundebat, uſurpari poſtea cœpiſſe in ſignificatione minùs generali.

2. §. *Imò & naturâ ſuâ magis patent εἴδη, ᾠδή,* carmen: *quæ tamen uſus ſimiliter ad carmen lyricum reſtrinxit.*

Pindarus ſua carmina vocat εἴδη, quod ad verbum *formas*, vel *ſpecies*, ſonat: fortaſſe quia poëmata ſint quædam rerum imagines. Nam utcumque non imitentur actiones humanas; imitantur tamen mores, & affectus: præſertim in dramatum choris: ubi argumentum æquè fictum, ac in dramatum choris. Ejus diminutivum eſt εἰδύλλιον, quaſi formulam, hoc eſt, poëmatium dicas. Quomodo bucolica ſua inſcripſit Theocritus; poëmatia quædam Auſonius. Par ratio eſt in Græco ᾠδή, & Latino *carmen*. Vulgo Horatii libros *odarum* nuncupant. Ipſe non *odarum* inſcripſit; ſed *carminum* libros. Ubi ſatis liquet *carmen* ſtrictè ſumi.

3. §. *Quamvis verò iidem ſint* melici, *&* lyrici: *non tamen melicum carmen ad lyram ſemper canebatur. Duplicia enim inſtrumenta erant, quibus cantaretur melos: alia flatu complebantur, quæ ἔμπνευστα, Athenæo etiam ἐμφυσώμενα vocabantur; ut tibia, fiſtula: alia intendebantur nervis, quæ ἐντατὰ, vel ἔγχορδα dicta ſunt; ut lyra, cithara.*

Chryſoſtomus, protheoriâ in Pſalmos, duplici huic aliud addidit muſicorum inſtrumentorum genus, quod pulſatur; unde κρουστὸν nuncupatur: ut ſunt tympanum, ſiſtrum, cymbalum. Sed tertium hoc genus nihil ad præſens inſtitutum facit. Itaque de duplici ſolùm genere loquar: præſertim poſteriori, quando lyra, unde *lyricorum* nomen, inter organa Muſica principem facilè locum obtinet. Maximè in rebus lætis. Αὐλητικὴ * enim lugubri magis argumento conveniebat. Unde & in elegis ejus erat uſus; ut antè vidimus. Dixeris, ex ſententia Baptiſtæ Pii, etiam τοὺς ἐλεγειοποιοὺς ſive ἐλεγογράφους *melicorum* nomine contineri. Sic eum ſenſiſſe non diffiteor. Verùm omnino diſtincti ſunt generis. Et ſi elegiaci poëtæ ſub alio genere contineantur; potiùs, ut antea feci, ad epos reducam: videlicet quia prior verſus eſt heroicus, ac verſus alter ad ejus naturam proximè accedit. Quare hoc extra controverſiam eſto, tibiam tum epico, vel elegiaco, inſervire, tum etiam lyrico: quod quandoque tam bellè facit, ut videatur cum lyra certare. Unde chorus apud Sophoclem Trachiniis:

* *Tibia cantus.*

Ὁ καλλιβόας τάχ' ὑμῖν
Αὐλὸς οὐκ ἀναρσίαν
Ἰάχων καναχὰν ἐπάνεισιν,
Ἀλλὰ θείας
Ἀντίλυρον μούσας.

Pulchriſona jam vobis
Tibia non infeſtum
Reſonans ſtrepitum redit;
Sed divinum
Æquans lyra cantum.

4. §. *Cùm verò melicorum verſus ſoleant cantari ad organum muſicum: lyrica non erunt, quæ ſolâ ſemper voce canerentur.*

Hujuſmodi cantica, ut apud Athenæum * Trypho † tradit, fuere, ἱμαῖος, ſive ἐπιμύλιος, quæ à molentibus in piſtrino canebatur; textrinarum canticum, ἔλινος, de quo Epicharmus in Atalantis; carminantium, ἴουλος; nutricum lactantium καταβαυκαλήσεις; meſſorum λυτιέρσης. Ac ſimiles erant cantiones propriæ mercenariorum ad opus commeantium in agros, balneatorum, fruges pinſentium, aliorumque multorum; quas ex Athenæo petere ſatius ſit. * *Lib. 14 pag. 618 edit. Commel.* † *In ſecundo Nomenclaturarum.*

5. §. *Pro duplici, quod dixi, inſtrumentorum genere, duplices quoque erant melici poëtæ; quorum alii αὐλῳδοὶ ‡, alii λυρῳδοὶ ⊥ vocarentur.* ‡ *Tibicines.*

Propterea de hiſce inſtrumentis, & uſu eorum, paullò pluribus dicam. Ac primùm de tibiis videamus. Ubi exponam, tum earum materiam, ac varia genera; tum cantica, quæ ad eam canerentur. ⊥ *Lyræ ſidicines, ut Horatius loquitur lib. 4 od. 3. Nam lyricines reſugiſſe claſſicæ arbitror.*

6. §. *Tibiæ fiebant ex calamo, ære, loto, buxo, cornu vel oſſe cervi, lauri χαμαιζήλου ramo excavato.*

Auctor Pollux lib. IV. cap. IX. ubi interpres ὀστοῦν ἐλάφου perperam vertit *os elephanti*, pro *cervi*. Ex Horatio verò iis, unde tibiam Pollux ait fieri ſolere, addere eſt orichalcum.

7. §. *Erant autem variæ tibiarum genera, præcentoria, puellatoria, vel potiùs puellaria, vaſca, Lydia, Gingrina, atque alia.*

De quibus Solinus cap. XI. *Præcentoria* dictæ, quòd iis in Deorum epulis præcinerent: *Puellaria*, quia iis uterentur puellæ in choreis; *Vaſca*, quia ſoni vaſci, hoc eſt, levioris; ut rectè eam vocem ex gloſſis interpretatur Salmaſius. *Lydiæ* ſunt Thyrrhenæ: nam Tyrrheni ex Lydia. Eædem & *turaria*, quia earum in ſacrificiis uſus, cùm thus aris imponerent. *Gingrina* lugubrem vocem fundebat: atque ita dicta, quia Adonin Phœnices vocant Γίγγραν *. Nempe hujuſmodi cantu Adonidem lugere ſolent in ejus feſto. Vel *gingrina* ab anſerum ſono, qui *gingrire* dicuntur: unde *gingritor* Feſto, tibicen. * *Pollux lib. 4. cap. 10.*

8. §. *Inter cantica ad tibiam erat* πυθικὸς, νομὸς αὐλητικὸς †: *de quo inferiùs dicam. Erant & vulgaria multa cantica, quæ ad tibiam, atque id cum ſaltatione, canerentur.* † *Rythmus tibialis.*

Qualia hæc à Tryphone in ſecundo Nomenclaturarum, & exinde ab Athenæo lib. XIV. memorantur; κῶμος, βουκολιασμὸς, γίγγρας, τετράκωμος, ἐπιφαλλὸς, χορεῖος, καλλίνικος, πολεμικὸν, ἡδύκωμος, σικιννοτύρβη, θυροκοπικὸν, τὸ αὐτὸ καὶ κρουσίθυρον, κνισμὸς, μόθων. Atque hæc cantica, ut ibidem legas, πάντα μετ' ὀρχήσεως ηὐλεῖτο.

Digitized by

ᾠδεῖον. omnia canebantur tibiâ cum ſaltatione. Vide & Pollucem lib. IV. cap. XIV.

9. §. *Nec tamen in melicis ſolùm tibiæ uſus fuit; ſed & aliis poëmatis.*

Ut elegiacis, quemadmodum ſuprà diximus: bucolicis item, ut vel ſolus Maro fidem fecerit. Imò & in Comœdiis, choro ſublato, poſt actus ſingulos cani ſolet tibiis paribus, vel imparibus, dextris, vel ſiniſtris. Quæ cujuſmodi fuerint, explicat Donatus*. Item Aldus Nepos in Quæſitis per epiſtolam. Superiori etiam libro aliqua de eo diximus cap. XXVIII. ubi agimus de apparatu, & modulatione Comicâ.

* *Sive Euanthius, libello de tragœdia, & comœdia.*

10. §. *Hæc de αὐλητικῇ* †. *Venio ad κιθαριστικὴν* ‡, *quò pertinent αἱ πρὸς κιθάραν ᾠδαί* ǂ.

† *Cantu tibiali.*
‡ *Cantum citharæ.*
ǂ *Carmina ad citharam cani ſolita.*

Hoc eſt, *carmina, quæ ad citharam canerentur.* De his paſſim poëtæ gentiles: è Chriſtianis Prudentius*:

Da puer plectrum, choreis ut canam fidelibus
Dulce carmen, & melodum, geſta Chriſti inſignia.

* *Cathemerinôn hymno IX.*

Hoc qui facerent, dicti κιθαρῳδοί. Ab his differebant κιθαρισταί. Unde eos conjungit Æſchines adverſus Timarchum: περὶ αὐτὸν εἶχε κιθαριστὰς, καὶ κιθαρῳδούς. *Circum ſe habebat cithariſtas, & citharœdos.* Adducit Ammonius libello de ſimilibus, ac differentibus vocabulis: Κιθαριστὴς μὲν ἐστιν ὁ μόνον ψάλλων. κιθαρῳδὸς δὲ, ὁ ᾄδων καὶ ψάλλων. *Citharistes, qui ſolum pulſat citharam; citharœdus, qui & canit ipſe, & citharam pulſat.* Ac ſimiliter Budæus Annotationibus in Pandectas. Ea, quæ accinerentur ad citharam, etiam προσῳδίαι vocantur; ut ſcribit Julius Pollux †. Quare quiſquis eſt προσῳδὸς, idem & μελῳδὸς, & κιθαρῳδὸς: quod ex Ariſtophane etiam liquet.

† *Lib. 4. cap 9. ſect. 3.*

11. §. *Cùm verò ad citharam dico cani ſolere, etiam lyram intelligi volo.*

Diverſa quidem ſunt organa, lyra, & cithara; ut vel argumento eſt, quòd veteres Mercurium lyræ, Apollinem citharæ inventorem faciunt. Attamen adeò cognata ſunt, ut ſæpe, à veteribus confundantur. Nam, ut de Statio Papinio nihil dicam, qui lib. I. Achilleidos, & in decimo Thebaidos, pro eodem uſurpat teſtudinem, citharam, lyram: etiam Athenæus lib. XIV. de Clinia Pythagorico ſcribit, Εἴποτε χαλέπαινε διὰ τὴν ὀργὴν, ἀνελάμβανε τὴν λύραν. *Siquando ob iram eſſet factus moroſior, citharizabat lyrâ.* Hæc res decepit Antonium Majoragium, quando præfatione in Pindarum contendit, eos falli, qui lyram à cithara faciunt diverſam: etſi & multis idem argumenti probare adnitatur in opuſculo quodam ad Hieronymum Cardanum: quod in epiſtolicis quæſtionibus, ab nepote editis, primo loco collocatum.

CAP. XIII.

DE CARMINIS LYRICI ARGUMENTO.

1. §. *Secundo me loco dicturum receperam de Lyrici carminis materie, ſive argumento. Hoc nunc aggredior. Ac primùm, quaſi per ſaturam, quàm latè illud pateat, exponam. Deinde oſtendam, quomodo tam multa, variaque, ad quatuor ſumma genera reducantur. Quàm latè ſe diffundat, hinc liquebit. Pertinent huc hymni, & pæanes: nec non laudes heroum, & eorum, qui ſacris ludis vicerint; addo & martyrum. Pertinent eodem exhortationes ad virtutem: uti eſt ad pericula ſubeunda pro Rep. Cui argumento vicinum eſt vituperatio tum vitiorum, tum hominum. Pertinent item laudes fontium, montium, villarum, aliorumque locorum amœniorum. Pertinent quoque convivia amatoria, ſimiliaque jocoſa. Pertinent denique vota, preces, jurgia, querimonia, ac quidquid breviter lyricis numeris complecti licet.*

Materies carminis lyrici primò fuit in argumento gravi. Ut ſunt laudes Deorum, vel heroum. Unde Pindarus in Olympiis ſic od. II. orditur:

Ἀναξιφόρμιγγες * ὕμνοι,
Τίνα θεὸν, τίν' ἥρωα,
Τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν;

* *Hymni citharâ dominantes, quem Deum, quem heroa, quem virum, celebrabimus?*

Ac Horatius eum imitatus lib. I. od. XII.

Quem virum, aut heroa, lyra, vel acri
Tibiâ, ſumes celebrare, Clio?
Quem deum? cujus recinet jocoſa
Nomen imago?

Ad hymnos pertinent carmen Catulli ſeculare †, *Diana ſumus in fide:* & Horatii ‡, *Phœbe, ſylvarumque potens Diana.* Item ejuſdem illa ǂ, *Dianam teneræ dicite virgines.* Et alia. Ad grave etiam argumentum refer laudes Olympionicarum apud Pindarum; martyrum, apud Prudentium.

† *Carm. 35.*
‡ *Lib. Epod.*
ǂ *Lib. 1. od. 21.*

Poſtea extenſus odarum uſus ad convivia, & amatoria. Quod primus feciſſe dicitur Anacreon Tejus; ut ait Clemens Alex. lib. I. Στρωμ. Sanè de eo ſic ipſe Anacreon:

Θέλω λέγειν Ἀτρείδας,
Θέλω δὲ Κάδμον ᾄδειν·
Ἁ βάρβιτος δὲ χορδαῖς
Ἔρωτα μοῦνον ἠχεῖ.
Canam lubens Atridas,
Cantem lubenſque Cadmum:
Sed barbiti mihi unum
Chordæ ſonant amorem.

Utramque materiam complexus Horatius*:

Muſa dedit fidibus divos, pueroſque deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.

* *In Arte.*

Etiam graviora vires ſuas exſuperare, ait idem Venuſinus odâ VI. libri I. Ubi inter alia:

Conamur tenues grandia; dum pudor
Imbelliſque lyræ Muſa potens vetat,
Laudes egregii Cæſaris, & tuas,
Culpâ deterere ingeni.

Et poſtea:

Nos convivia, nos prælia virginum,
Sectis in juvenes unguibus acrium,
Cantamus vacui.

Idem lib. III. od. III.

Non hæc jocoſa conveniunt lyræ.
Quò Muſa tendis? deſine pervicax
Referre ſermones deorum, &
Magna modis tenuare parvis.

Et lib. IV. od. XV.

Phœbus volentem prælia me loqui,
Victas & urbes, increpuit lyrâ;
Ne parva Tyrrhenum per æquor
Vela darem. ——

Primus verò amatoria creditur eo carmine tractâſſe Alcman: cui tribuunt μέτρον ἀκόλαστον, ſive laſcivum. Alii tamen, ut eſt apud Athenæum in XIV. cenſet Ametora Cretenſem ex Eleutherna opido, primum apud ſuos amatoria lyricis ceciniſſe; atque ex eo poſteros eſſe vocatos *Ametores.*

Neque intra amatoria, & jocoſa, carmen conſtitit; ſed extendit ſe etiam ad commendationem parſimoniæ, vel alius virtutis, vel locorum. Item ad inſectationem perſonarum, aut vitiorum. Adhæc ad exhortationes, quales illæ ad capeſſendam Remp. aut fortiter ferendas calamitates. Præterea ad querelas, &, ut verbo dicam, omne illud, quod breviter verſibus lyricis conſtringi poſſit.

2. §. *Qui hæc tam multa, variaque, paucioribus maluerit comprehendere, commodè revocabit ea ad tria illa genera dicendi, Rhetoribus celebrata; laudativum, deliberativum, & accuſatorium, ſive*

Digitized by Google

ve juridiciale: quibus, ſi volet, addere poſſit narrativum.

Quomodo verò ad hæc referantur tam diverſa, id abunde à me expoſitum eſt in primo, tertioque Oratoriarum Inſtitutionum.

3. §. *Operæ verò precium fuerit videre, quomodo & Proclus poëmata omnia Melicorum in quatuor genera partiatur in Chreſtomathia ſua. Vel, inquit, referuntur ad Deos, vel ad homines, vel ad Deos pariter, & homines, vel ad fortuitos rerum eventus.*

Verba ejus habemus apud Photium in bibliotheca cod. CCXXXIX: Περὶ δὲ μελικῆς ποιήσεως φασὶν, ὡς πολυμερεστάτη τε, καὶ διαφόρους ἔχει τομάς· ἃ μὲν γὰρ αὐτῆς μεμέρισται θεοῖς· ἃ δὲ ἀνθρώποις· ἃ δὲ θεοῖς, καὶ ἀνθρώποις· ἃ δὲ εἰς προσπιπτούσας περιστάσεις. *Melici carminis multa eſſe genera dicunt, variaſque diviſiones. Quædam enim referuntur ad Deos, quædam ad homines, quædam ad Deos, & homines, quædam ad fortuitos rerum eventus.* In editis codd. deſiderantur verba illa, quæ adjeci: ἃ δὲ θεοῖς, καὶ ἀνθρώποις· *quædam ad Deos, & homines.* Verùm non tria, ſed quatuor, ab eo recenſita eſſe melicorum genera, ſatis liquet ex iis, quæ continuò ſubjungit, & nos proximè referemus.

4. §. *Ad honorem Deorum à Proclo referuntur hymnus, proſodion, dithyrambus, pæan, nomos, Adonidia, Iobacchus, hyporchemata.*

* Carmen in Deum.

Hymnus eſt ᾠδὴ εἰς θεὸν *, ut etiam ait Menander Rhetor lib. 1. cap. 1: item Sophoclis Scholiaſtes. Eum excogitaſſe creditur Steſichorus Himeræus; ut eſt apud Clementem lib. 1. Στρωμ. Apud Euſebium lib. 1. Præparat. Euangelicæ, dicitur ex Phœnicum Theologia, primam Sidonem reperiſſe hymnos: Ἀπὸ δὲ Πόντου γίνεται Σιδὼν ἡ καθ' ὑπερβολὴν εὐφωνίας πρώτη ὕμνον ᾠδῆς εὗρε. *A Ponto generata Sido: quæ, quadam vocis excellentiâ, prima reperit morem carmine pangendi hymnum.*

Hodie multi non ſolùm *hymnos* vocant, quibus compellamus Deum; ſed eos etiam, quibus ſanctos. Sic Franciſcus Bencius, Societatis Jeſu Theologus, quos ad ſanctos quoſdam dixerit, *hymnos* nuncupat. At antiquiſſimi non alios dixere hymnos, quàm illos ad Deum, & Chriſtum. Qua de re ſic Jacobus Pontanus, Theologus ejuſdem ſocietatis †: *Omnes*, inquit, *illi hymni, qui certo aliquo anni, noctis, aut diei tempore canendi, ſcribuntur, ut ab Aurelio Prudentio in lib.* Καθημερινῶν ‡ *ad galli cantum, ante cibum, poſt cibum, ante ſomnum, ad incenſum cerei paſchalis, in Epiphaniam: ab aliis in Pentecoſten, Natalem Chriſti, nomen Jeſu, ad preces matutinas tertiæ, nonæ, veſperas, completorium, &c. ad Deum pertinere, & Deo ipſi met conſcribi, intelliguntur: quod admonendum duxi.* Subjungit deinde, quod de Bencio dicebamus.

† Lib. 2. poëticarum inſtitutionum cap. 32.
‡ Hymnorum per horas diei.

Nunc reliqua Melicorum verſuum genera perſequamur. Προσόδιον canebatur ad tibias, cùm ad aras, aut templa, accederent. Itaque deducunt veteres ipſi ἀπὸ τοῦ προσιέναι *, ut Didymus †, Heſychius, Suidas, alii. Sed omnino eſt ἀπὸ τοῦ προσᾴδειν ‡. Quâ formâ ab eodem eſt προσῳδία, quod ad verbum *accentum* notat. Nec veriſimile eſt, id veteres ignoráſſe. Sed videntur προσόδιον per ο, non per ω, ſcripſiſſe. Atque ita in multis codd. hæc vox exarata.

* Adire.
† In Etymologico magno.
‡ Accinere.

Dithyrambus in honorem canebatur Bacchi. De hoc ſeorſum videbimus.

Pæan propriè erat in honorem Apollinis; ut ait Menander Rhetor *; ſive ejus, & Dianæ. Quibus & Romæ canebatur carmen ſeculare: ut ex Catullo, Horatioque, videmus. Atque hinc liquet, cur Ariſtoteles coram magiſtratibus, quos δήμους † dixere, accuſatus ſit, quòd in Hermiæ eunuchi honorem hymnum ſcripſiſſet. Nam is honos Diis proprius: ſed adulatores etiam aliis hunc honorem tribuere. Quo de pæanum abuſu vide Athenæum lib. VI, & XV: item Caſaubonum Animadv. in Athen. lib. VI. cap. XIV, & notis in Laërtium lib. V ‡.

* Lib. 1. cap. 1.
† F. δημάρχους. Coreſſores.
‡ In Vit. Ariſtotelis, ubi de pæane ab eo ſcripto.

Νόμος vocatur, velut norma quædam, & lex canendi. Profluxit à pæane: ſed in eo abit, quòd hic canatur ad averruncandum malum: νόμος ſimpliciter ad laudandum Apollinem. Quomodo verò à dithyrambo differat, poſtea dicetur. Reperit nomum Chryſothemis Cretenſis *; qui, cùm priores eum, choris conſtitutis, ad tibiam, vel lyram, canerent; primus decoro indutus amictu, & ſumta citharâ, ad Apollinis imitationem ſolus cecinit. Cumque is mirificè placuiſſet, imitati ſunt alii exemplum. Hunc carmen heroicum adhibuit Terpander. Poſtea nomum non parum auxit Arion Methymnæus. Ita de his Proclus. Exinde vel Phrynes Mitylenæus, ut idem auctor eſt; vel potiùs Timotheus Mileſius, ut alii magno conſenſu volunt, ſeptem chordas induxit, nomorumque cantionem perfecit. Inter νόμους erat Πυθικὸς †, qui dictus αὐλητικὸς ‡, quia caneretur ad tibiam. Pythii certaminis, in quo cantico hoc Pythio ad tibiam canebatur, quinque erant partes; ut ait Pollux lib. IV. cap. X. Eas fuiſſe ait πεῖραν *, κατακελευσμὸν †, ἰαμβικὸν, σπονδεῖον, & καταχόρευσιν ‡. Ἐν πείρᾳ Apollo ſibi de pugnæ loco proſpicit. Ἐν κατακελευσμῷ provocat draconem ad pugnam. In Jambico, pede prœliis apto, pugnat cum dracone. Ubi & σάλπιγγα * jungebant, & canticum, quod ὀδοντισμὸν dixere: videlicet quia draco tum, ſagittis petitus, dentibus frenderet. Ἐν σπονδείῳ, pede ſpondæo, ſive libationibus ob victoriam apto, vincit Apollo. Ἐν καταχορεύσει idem victor choreis indulget.

* Proclus, apud Photium. Etiam Chryſothemis hic memoratur in fragmento quod in editione Ludovici Carrionis Cenſorino ſubjungitur.
† Pythius.
‡ Tibialis.
* I. experimentum periculum faciens.
† Acclamationem adhortantis.
‡ Saltationem exultantis.
* Tubam.

Adonidia referebantur in honorem Adonidis. Uti ode XXX. Anacreontis, quæ in mortem Adonidis.

Iobacchus canebatur in feſtis, & ſacrificiis Bacchi, ingeminando *io, io, io*: item, *Bacche, Bacche, Bacche*: unde & nomen. Eſt verò illud *Bacche*, ter geminatum, ſimile illi Horatiano †, *Veris, & Favoni.*

† Lib. 1. od. 4.

Hyporchema cum ſaltatione cantabatur: ut eſt apud Athenæum lib. XIV. Hujuſmodi & Pindarus ſcripſit. Canebatur illud ad lyram, non ad tibiam; ut Comica, & Satyrica: qualia fuere Bathylli; ut videre eſt ex Plutarchi Sympoſiacis lib. VII. cap. VIII.

Hyporchematis inventores, ut Proclus ait, aliqui Curetas putant; aliqui Pyrrhum, Achillis filium, Pyrrhichæ ſaltationis auctorem.

5. §. *Alterum Melicorum genus pertinet ad homines. Hujuſmodi ſunt encomia, epinicii, ſcolia, amatoria, hymenæi, epithalamia, ſilli, lamentationes, & epicedia.*

Hæc genera refert Proclus in Chreſtomathia. *Encomia* quæ dicantur, ſatis eſt apertum vel è nomine ipſo. Primò enim hæc appellatio orta eſt, cùm ἐν κώμαις ‡, audientibus tribulibus, alicujus laudes referrentur, ſic ut longiùs procederet oratio. Vidimus de eo in Oratoriis Inſtitutionibus *. Sed hìc ſolùm de iis loquimur encomiis, quæ carmine lyrico contexerentur.

‡ In vicis.
* Lib. 1. cap 5. ſect. 2.

Epinicia, ſicut vox indicat, laudem victoris celebrabant: ut ſunt Pindarica omnia: quod ſatis oſtendunt tituli, Olympionicæ, Nemeonicæ, ac cæteri.

Scolia vulgò exiſtimantur ſic κατ' ἀντίφρασιν dicta, quaſi minime σκολιὰ, ſive obliqua. Sed in Oratoriis Inſtitutionibus † omnem ἀντίφρασιν exploſimus; niſi quatenus ſignat εὐφημισμὸν: ubi ſiniſtram traducitur in ſignificationem vox favoris plena: non, ut hic fieret, in favorabilem vox ſiniſtra. Quare rectiùs Proclus in Chreſtomathia: ubi ait, σκολιὰ ſic eſſe dicta, quia ſenſuum inſtrumentis jam præoccupatis, atque auditoribus vino exſolutis, ſumere barbitum ſoleant, ſeſeque ad canendum συγκυρτοῦσθαι (ſic legendum) hoc eſt, *incurvare.* Nam

† Lib. 4. cap. 13. ſect. 10.

σκο-

σκολιὸν, *incurvum, tortuoſum.* Erant verò ſcolia carmina, quæ inter pocula in laudem virorum præſtantium canebantur: ut in Harmodium, & Ariſtogitonem, tyrannicidas. Videtur autem & ſcolion potiùs, quàm pæan, fuiſſe carmen Ariſtotelis in Hermiam Eunuchum; de quo Laërtius, Athenæus, alii. Nec ſolùm laudes virorum σκολιοῖς cecinere; ſed etiam præcepta ſalutaria, & adhortationes. Velut illud; ὑγιαίνειν * μὲν ἄριστον, τὸ δ' δεύτερον καλὸν φυὴν γενέσθ, τρίτον δ' πλουτεῖν ἀδόλως. Quod ſcolio cani ſolere, ait Plato in Gorgia.

* *Optimum quidem ſanum eſſe; ſecundum verò eſſe pulcrum; tertium autem abſque dolo eſſe divitem.*

Ἐρωτικὰ, vel puerorum, vel virginum, laudes continebant.

Hymenæus in nuptiis canebatur. Præterea carmen triplex erat. ἐπιθαλάμιον à juvenibus, & virginibus, canebatur, ſponſo, ſponſâque, thalamum ingreſſis. Quo tempore etiam nuces ſpargebantur. Cauſſam adducit, præter alios, Muretus ad Catulli carmen nuptiale: quod perperam vocant *Epithalamium*, cùm potiùs ſit *Hymenæus*: ut liquet ex iis, quæ diximus. At κατακοιμητικὸν dicebatur, cùm cubitum iretur: ἐγερτικὸν, cùm ſponſus, ſponſaque, ſurgerent.

Silli convicia, & irriſiones, complectebantur. Sed de hoc ſatis actum, cùm de ſatyrica poëſi ageremus †.

† *Lib. hu-jus cap. 9. §. 1.*

Threnus, & *epicedium*, ſunt in mortuum: ſed *epicedium*, poſito cadavere in concelebratione funeris, recitabatur: *threnus* nulli tempori adſtringitur.

6. §. *Tertium melicorum genus eſt, quod pariter ad Deos, homineſque, pertinet. Ut ſunt* Παρθένια, Δαφνηφορικὰ, Ὀσχοφορικὰ, Εὐκτικά.

Haſce quatuor ſpecies adfert in Chreſtomathia Proclus. *Parthenia* canebantur à choris virginum. Quod & nomen indicat, & Ariſtophanis ſcholiaſtes in Aves: παρθένια inquit, ἃ αἱ παρθένοι ᾖδον*. Eorum genus ſunt Δαφνηφορικά. His ex eo nomen, quia in Bœotia nono quoque anno in Apollinis fanum à ſacerdotibus δάφναι, hoc eſt, *lauri*, inferrentur: ac χορὸς παρθένων, hoc eſt, *chorus virgineus*, hymnum illum parthenium cantaret. Quomodo verò hæc fieri ſoleant, & unde is mos cœperit, egregiè Proclus ibidem exponit. Daphnephoricis vicina erant Τριποδηφορικά, ubi, ut vox ipſa indicio eſt, tripus præferebatur. Hæc quoque unde originem traxerint, idem Proclus refert.

* *Parthenia, quæ virgines canebant.*

Ὀσχοφορικὰ (pro quo alii ſcribunt, ὠσχοφορικὰ) erant carmina, in quibus adoleſcentes duo Athenis, muliebri cultu, ὄσχην, ſive palmitem uvis maturis refertum, geſtantes (unde & carmini nomen) feſtum auſpicarentur. De his quoque Proclus rem pleniùs enarrat.

Εὐκτικὰ, ſive precatoria, vel votiva, erant carmina, quibus Deum aliquid rogarent. Quemadmodum ἀπευκτικὰ contrà erant, quibus aliquid imprecarentur. Vide Rhodiginum Lect. Antiq. lib. VII. cap. V.

Poſſis huc etiam referre, niſi ad primum genus malis ἐπιπομπευτικὰ, ſic dicta, quia in pompa canerentur. Ut à feminis in Cereris ſacris; à matronis, in illis Junonis; à caſtis virginibus, & pueris lectis, ut Horatius † ait, in ludis ſecularibus.

† *In Carmine ſeculari libro Epodôn.*

7. §. *Quartum eſt Proclo Melicorum genus, quod pertinet ad fortuitos rerum eventus.*

Græcè Proclo gemino in loco eſt, εἰς τὰς συμπιπτούσας περιστάσεις V. Cl. Andreas Schottus utrobique vertit, *ad fortuitas calamitates.* Perperam profectò, quaſi hoc carmen nonniſi in luctu, & calamitatibus caneretur. At Græca aliud ſonant; & quæ huc Proclus refert, aliud evincunt.

8. §. *Huic verò generi ſubjicit Pragmatica, Emporica, Apoſtolica, Gnomologica, Georgica, & Epiſtaltica.*

Πραγματικὰ, inquit, quæ res geſtas aliquorum continent. Hujuſmodi complures ſunt odæ apud Horatium.

Ἐμπορικὰ ſunt, ubi peregrinatio, ac negotiatio, ſe oſtendit. Intellige verò peregrinationes hominum. Nam quæ Divûm creduntur, ad hymnos pertinent: ut illæ Apollinis ad Delios, & Mileſios; Dianæ apud Argivos. Cujuſmodi hymnos Bacchylides reliquit: ut eſt apud Menandrum lib. de Genere demonſtrativo *.

* *Lib. 1. cap. 4.*

Ἀποστολικὰ dicuntur, quæ ſcribuntur in gratiam ejus, quem dimittimus, & alteri commendamus. Cujuſmodi argumentum etiam in epigrammatis videas: ut quibuſdam atpatoris in ſeptimo Ἀνθολογίας. Laxiùs aliquanto uſus eſt eâ voce ſcholiaſtes Pindari; cùm odam, ſive idyllium ſecundum Iſthmiorum, vocat ἀποστολικήν: quia licet in honorem ſcribatur Xenocratis Agrigentini, ad Thraſybulum tamen per Niceratum mittatur.

Γνωμολογικὰ continent παραίνεσιν, ſive admonitionem de moribus. Nec tamen, cum viro erudito, eò referri putandum poëmata Theognidis, vel illa, quæ Phocylidis dicuntur, vel carmen Lyſidis Pythagorici, quod aurea Pythagoræ carmina inſcribitur. Nec enim hæc lyrica ſunt; de quibus nunc ſermo. Sed apud Horatium multæ ſunt odæ παραινετικαί.

Γεωργικὰ loquuntur de agri ſitu, & habitu. Neutiquam verò huc pertinent Heſiodi, vel Maronis γεωργικά: ſed odæ, quæ ruris, vel agriculturæ laudationem continent; ut Horatii ſecunda libro Epodôn.

Ἐπισταλτικὰ vocantur, quæ dantur alicui ad obeunda mandata. Atque hæc ea ſunt genera, quæ Proclus in Chreſtomathia apud Photium recenſet.

9. §. *At non item conveniunt carmini lyrico regum hiſtoria, bellique deſcriptiones. Quamquam olim & iſta eo carmine retulerint.*

Ut Steſichorus fecit: qui, ut Fabius † ſcribit, *maxima bella, & clariſſimos canens duces, epici carminis onera lyrâ ſuſtinuit.* Eique par, vel prope æqualis Simonides prœlium navale ad Salamina geſtum μελικῶς, hoc eſt, Lyricis verſibus ſcripſit; Suidâ auctore. Atque, ut eos potiùs dicam, qui ſuperſunt, Pindarus longis illis odis ſatis oſtendit, quàm multa hoc genere olim complecti ſoleant. Quod magis pareret, ſi totus exſtaret. Nam libros XVII. dicitur reliquiſſe. Sanè, de varietate poëſios Pindaricæ, etiam teſtis eſt Horatius. Verùm ipſe potiùs Horatius ſequendus eſt nobis; qui non alia admiſit, quàm quæ breviter conſtringere liceret.

† *Lib. 10. cap. 1.*

10. §. *Quid mirum verò, ſi carmen lyricum non ſit idoneum gravi admodum argumento; quando nec ſermones admodum graves apti ſunt conviviis vulgaribus; ac carmen lyricum ad menſas inprimis cani ſolet?*

Unde Pindarus, Olymp. od. 1.

Οἷα * παίζομεν φίλαν
ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ
τράπεζαν.

* *Sicut viri nos frequentes ludimus amicam circa menſam.*

Ubi interpretem vide. Alios etiam de hoc more, vel aſſâ voce, vel fidibus, aut citharâ, in conviviis canendi, attulimus cap. IX; ubi poëſios originem apud Romanos explicamus. Quare nunc ſolùm apponam hoc Statii Papinii lib. V. Silvarum, Epicedio in Patrem:

Et quibus Arcadiâ carmen teſtudine menſis
Oda labor, nomenque fuit.

Modò viſum, illuſtriſſimum Maurerium ſequi; qui, ut alibi * etiam dicimus, conjectabat, ex *Cida*, prout eſt in vulgatis, *Oda* fieri debere. Non quaſi *oida*, poëta ſcripſerit, quia Græcè ſit ᾠδή: ſed quoniam litera O altero latere haut tota comparens, (ſive vetuſtate fuerit attrita, ſive pinguior charta parte eâ non ſatis admiſerit atramentum, viſum ſit eſſe *Ci.* Sanè *Cida*, non *Cyda*, eſt in commentario Calderini. Nec tamen, quæ diximus, pro

* *Lib. 2. cap. 12. ubi de ſeptem tragicis, quæ ſunt τραγῳδία dixere.*

V Miner-

Minervæ calculo haberi velim. Varia enim obduci poſſunt: de quibus adi in Papiniana ſua ſylva diſſerentem clariſſimum, & amiciſſimum, Jo. Freder. Gronovium.

Cap. XIV.

De ratione tractandi argumentum lyricum; Adhæc de motu, et saltatione lyrica, et lyricorum præmio.

1. §. *Expoſuimus, cujuſmodi ſit argumentum carminis lyrici. Proximum eſt, ut etiam videamus, quomodo id tractemus, tum ratione collocationis, tum dictionis. Ac ſic quidem res habet de exordio, parte loco primâ, ſed dignitate infimâ, nec neceſſariâ. Pindarus fere præludit, & altiùs repetit, & longiori principio utitur. Horatius longe parcior eſt.*

Qui & primo odarum, * exordii loco, præmiſit illam, qui incipit;

Mæcenas atavis edite regibus:

Uti eundem librum concluſit hac odâ:

Exegi monumentum ære perennius.

Quibuſdam & in medio operis præludit: ut quam ſic orditur †:

Quem virum, aut heroa, lyrâ, vel acri.

Item iſtâ ‡, cujus initium:

Deſcende cœlo, & dic age, tibia.

* Od. 1.
† Lib. 1. od. 12.
‡ Lib. 3. od. 4.

2. §. *Nec diverſis odis diverſum ſemper argumentum ſumamus, neceſſe eſt. Quandoque enim fas idem tractare; ſed aliter, atque aliter. Quippe non tam pauper eſt eloquentia, vel pedeſtris, vel ligata; ut nequeas idem variè efferre, idque cum ſplendore aliquo.*

Sic videmus, ſæpius idem dicere Horatium; ſed multum variat poëtæ imaginatio; quod in oratore requirit Theo *; nec minùs eſt verum in poëta. Scio, Horatium propterea culpari a Cæſare Scaligero †. Sed abunde ei occurrimus in Inſtitut. Orat. ‡

3. §. *Contra etiam eâdem odâ amplecti varia permiſſum: ut res multorum annorum: ſed ſic ut brevi omnia percurramus.*

* In Progymnaſmatis c. 1.
† In Hypercritico.
‡ Lib. 5. cap. 2. ſect. 6.

Exemplo ſunto, quæ Horatius ſic condenſat lib. IV. od. IV. Cum aquila, jam volare idonea, cumque catulo leonis, confert Druſum, bellum gerentem adverſus Rhætos, & Vindelicos. Hinc colligit, quanta ſit naturæ, & generis vis, ſi doctrina, & educatio acceſſerint. Deinde narrat Claudii Neronis de Aſdrubale victoriam, & ut poſtea ſereniores fulſerint dies Romanis. Poſtea Hannibalem inducit Romanos conferentem lupis, ilici, draconi Colchico, & Thebano; & quomodo viſo capite Aſdrubalis, agnoverit infelicitatem Karthaginis. Denique felicia omnia genti Claudiæ auguratur.

4. §. *Ordinem verò in vario argumento magis regit impetus poetæ, quàm anxia artis cura. Itaque conceſſum etiam eſt ſubitò ab uno ad aliud devolare argumentum.*

Fit hoc apud Pindarum ſæpe: ac ſubinde apud Horatium; ut lib. III. od. II. ubi ab abſtinentia confeſtim proſilit ad ſilentii laudem; nec redit ad id, unde abierat. Quare interdum planè exitus odæ abit ab initio: ut lib. I. od. III. & VII. & lib. II. od. XIII.

5. §. *Imò varietas hæc, atque immutatio, non modò eſt conceſſa: ſed magis commendat carmen lyricum. Fit autem ſæpe per digreſſionem.*

Sic crebrò in amœna quædam vireta digreditur Pindarus.

6. §. *Scitè etiam fit anticipatione temporis.*

Ut cùm inducimus aliquem vaticinantem, quæ ſcimus poſtea contigiſſe. Ita apud Horatium lib. 1. od. XV. Nerei vaticinium habemus de excidio Trojæ.

7. §. *Interdum fit immutatio per modum fabularem.*

Ut ſi rus aliquem invitare voles; inducito Faunos, & Nymphas, id facientes: ſi ad ſtudia aliquem invitare animus; faciant id Apollo, ac Muſæ: ſi propoſuens, ad bellum accendere, Mars erit idoneus: ſin avocare ab eo, Pax loquatur, vel Themis. Qualium exempla ſuppetunt abunde.

8. §. *Sunt & alia apud Horatium, & alios, immutandi rationes: ad quas attendere poëſios ſtudioſum oportet.*

Eò magis, quia non in lyrico ſolùm carmine; ſed etiam elegiâ, vel epigrammate, locum habent.

9. §. *Nihil vero eſt, cujus in carmine lyrico æquè ſtudioſum eſſe oporteat, quàm τῆς γλυκύτητος, ſive ſuavitatis.*

Nempe hoc ſuavitas eſt in lyricis, quod in epicis gravitas, in bucolicis ſimplicitas, in elegiis mollities, in comicis joci, in tragicis affectus, in ſatyris acerbitas, in epigrammatis acumen. Quomodo verò ſuavitas à pulchritudine differat, expoſitum nobis lib. IV. Orator. Inſtitut. cap. VII. ſect. XV.

10. §. *Suavitas ea partim reſultat ex rebus, partim è dictione, partim è numeris, ac cantu. In rebus oblectant naturâ ſuâ, amores, joci, convivia, atque omnis hilaris licentia.*

Hoc ſatis ex illis cognoſcere eſt, quæ de argumento, ſive materie lyricâ, diximus cap. ſuperiori. Item ex iis, quæ de ſuavitate afferimus in Oratoriis Inſtitutionibus, loco proximè memorato.

11. §. *In dictione oblectant lumina tum verborum, tum ſententiarum. Verba igitur ſunto picta, ac florida, & polita. Interim, ne ſuavitas iſta ſit expers majeſtatis, lyrici ſolent imitari dictionem Homeri.*

Sic τοὺς ἱερονίκας * canendo Homerum æmulatur Pindarus, ac epici carminis onus ſuſtinet lyræ nervis. Ac doctiſſimus vir eò referebat hoc Petronii penè initio Satirici: *Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat, cùm Pindarus, novemque Lyrici, Homericis verſibus canere non timuerunt.* Sic enim, particulâ *non* inſertâ, legere jubet. Sed omnino ſana eſt lectio hæc vulgaris, *Homericis verſibus canere timuerunt.* Nec enim de dictione, ſed de metro, loquitur Petronius: ut ſententia ſit; timuere carmine heroico uti, eoque lyrico cecinere. Quomodo Statius Papinius, qui tam multa ſcripſit carmine hexametro, Lucanum tamen celebraturus, non auſus id genus uſurpare, ſed phalæcios adhibuit. Unde ſic ipſe præfat. ſecundi Silvarum: *Excludit volumen Genethliacon Lucani, quod Polla Argentaria, cariſſima uxorum, cùm hunc diem fortè conſecraremus, imputari ſibi voluit. Ego non potui majorem tanti auctoris habere reverentiam, quàm quòd, laudes ejus dicturus, hexametros meos timui.* Adque hæc lubentiùs attuli propter Caſparem Barthium; qui Adverſariorum lib. XLIV. cap. VI. Petronii quidem locum eſſe ſanum, rectè monuit, ſed quantum videre poſſum, mentem ejus non ſatis perſpexit.

* In ſacris certaminibus victores.

12. §. Par-

Digitized by Google

12. §. *Partim ad res, partim ad dictionem pertinent γνῶμαι, ſive ſententiæ; ſive hæ ſint aperta, ſive verborum circuitu tecta.*

Prioris generis eſt lib. I. od. XXIV.

Durum, ſed levius fit patientiâ,
Quicquid corrigere eſt nefas.

Poſterioris generis eſt ejuſdem libri od. XI.

Tu ne quæſieris (ſcire nefas) quem mihi, quem tibi,
Finem Dî dederint.

Aperta ſententia fiat, ſi dixeris, Non eſt ſciſcitandus mortis dies. Inprimis verò conveniunt ſententiæ, cùm carmen definimus: ut in priori illorum, quæ memoravi, & od. XII. lib. IV.

Dulce eſt deſipere in loco.

Et lib. IV. od. XVI.

—— Multa petentibus
Deſunt multa. Bene eſt, cui Deus obtulit
Parca, quod ſatis eſt, manu.

13. §. *In numeris eſt metrum, ſive pedum collocatio metro Lyrico idonea.*

Valde enim eos ratio fugit, qui arbitrantur, quia Horatius * dicat, Pindarum numeris ferri lege ſolutis, eò verſus ejus eſſe exleges. Sanè longè alia eſt mens poëtæ: qui loquitur de dithyramborum opere deperdito; non odis, quibus celebravit hieronicas. Et, ut idem dixiſſet de illis odis, quas hodieque habemus, non intelligendus de collatione ſtropharum inter ſe; ubi unius ſtrophæ verſus alterius ſtrophæ verſibus reſpondet: ſed de verſuum varietate in una quapiam ſtropha. Verum, inquiunt, ſæpe ne quidem ſtrophæ duæ inter ſe metro conveniunt: ſed ſyllabâ quapiam abit à verſu illo, cui reſpondere oportebat: eoque negari nequit, in Pindaro magnam eſſe ἀμετρίαν, ac licentiam. Mihi verò ſecus videtur. Video enim, ubi peccari in metrum ajunt, idoneam afferri poſſe rationem, cur ſyllaba aliqua, quæ fuerat corripienda, ſit porrecta, vel contrà. Ut cùm Olymp. I. ſtroph. II. colo III. quatuor primæ ſyllabæ habentur pro choriambo. Scio, primam naturâ eſſe brevem, quæ in choriambo longa. Sed enim cogitandum, tres breves concurrere. Atqui poëtæ, ut Sophoclis interpres ait in Electram, *τριῶν ἐφεξῆς κειμένων βραχέων, μακρὰν ἐξ ἀνάγκης τὸ α ποιοῦσι διὰ τὸ μέτρον· tribus continuatis brevibus, primam ſyllabam neceſſario producunt propter metrum.* Atque hoc veriſſimum eſſe, cùm aliis Pindari verſibus elucet; ut cùm ejuſdem carminis antiſtroph. I. brevis eſt prima in ὕπατον ὀρυτίμα: ac alibi in ὕπατον ἔρχεται: item in μετὰ τριῶν. Nec imitari dubitant poëtæ alii. Sic enim Theognidi porrecta eſt ſecunda in διαβολίῃ, Maroni prima in *Priamides.*

** Lib. 4. od. 2.*

14. §. *Ac primitus quidem uniuſmodi erat metrum: velut totum Glyconium, Aſclepiadeum, aut Sapphicum.*

Hujuſmodi carmen dixere μονόκωλον, ſive uniforme. De cujus variis generibus abunde egi lib. de arte Metrica.

15. §. *Poſtea verſus miſceri cœperunt, quia varietate illâ aures magis demulcerentur.*

Itaque à στροφῇ, ſive verſu eo, poſt quem ad primum genus verſuum rediretur, carmen δίκωλον, τρίκωλον, vel τετράκωλον, dixere; ut itidem in arte Metrica dictum: quæ hìc reponere nihil attinet.

16. §. *Apud Latinos carmini Lyrico conveniunt; ex monocolis quidem, jambicum, trochaicum, choriambicum, & Ionicum à majore: ex dicolis verò, & tricolis, omnia; elegiaco excepto.*

Ex ſolo tamen pentametro ode eſt apud Heliodorum in Æthiopicis. Etiam triginta duos pentametros continuos habes apud Martianum Cappellam lib. IX. & Auſonius dicta VII. ſapientum totidem pentametris concluſit; ſed extra oden.

17. §. *Quod ſi venuſtatis petimus duces, ex Græcis nulli dulcedine ceſſerit Sappho; cujus tamen pauca exſtant: item Anacreon;*

Qui perſæpe cavâ teſtudine flevit amorem,
Non elaboratum ad pedem;

ut de eo ſcribit Horatius *. Deque eodem ſic Scaliger †, *in ἐρωτικοῖς Anacreon excelluit adeò, ut ejus dictio quovis Indicæ arundinis ſucco dulcior mihi videatur.* Ad ſuavitatem ejus plurimùm contuliſſe iterationem ejuſdem vocis, quivis facile intelligit.

** Lib. epod. od.*
† Lib. I. cap. 43.

18. §. *E Latinis, etiam cùm multi ſupereſſent, palmam ſuavitatis præripuit aliis Horatius.*

Omnium verò Horatii odarum ſuaviſſimæ Julio Scaligero videntur illæ duæ, quæ incipiunt, *Quem ‡ tu Melpomene ſemel:* &, *Donec ⸸ gratus eram tibi. Harum* inquit *, *ſimiles malim à me compoſitas, quàm Pythonicarum multas Pindari, & Nemeonicarum. Quarum ſimiles malim compoſuiſſe, quàm eſſe totius Tarraconenſis rex.*

‡ Lib. 4. od. 3.
⸸ Lib. 3. od. 9.
** Lib. 6. poet. cap. 7. pag. 880.*

19. §. *Hæc de carminis lyrici ſuavitate; quam cantus, fidiumque pulſus, non leviter auget. Multum etiam gratiæ addit motus, & ſaltatio. Quod ad motum, in lyricis antiquis vel ſolùm in orbem vertebantur, nec revertebantur; ac dicebantur carmina μονόστροφα: vel immoti conſiſtebant, ac vocabantur ἄστροφα.*

Prius illud fiebat in choris Bacchicis. Poſterioris generis fuerit prima Horatii ode.

20. §. *Poſtea dividi ode cœpit in στροφὴν, ἀντιστροφὴν, & ἐπῳδόν. Στροφὴ, ſive* converſio, *imitabatur motum cœli diurnum; atque ab Oriente erat in Occidentem. Ἀντιστροφὴ, ſive* reverſio *imitabatur motum planetarum; ac ab occaſu fiebat verſus ortum. Ἐπῳδὸς accinebatur poſt utrumque à ſtantibus, quo imago repræſentabatur terræ quieſcentis. Strophe, & antiſtrophe, totidem conſtabant verſibus, atque iiſdem. Epodus non adſtringebat ſe huic rei; quia & alios verſus adhibebat; & plures, pauciores ve.*

Nec unus, & idem, erat converſionis numerus. Erant nunc binæ, nunc ternæ converſiones; quandoque etiam plures. Sanè Alcman oden fecit XIV. ſtropharum: quarum ſeptem unius generis metro conſtabant; alio reliquæ.

21. §. *Saltationes lyricæ Græcis erant tres;* Πυῤῥίχη, *γυμνοπαιδικὴ, ὑπορχηματική. Quarum prima ſimilis ſatyricæ; altera gymnopædicæ, quæ tragicæ; tertia comicæ, quæ* cordax *dicta.*

Auctor Athenæus lib. XIV †. Pyrrhiche erat militaris, quam armati juvenes ſaltabant. Nominis cauſſam alibi ‡ adduximus. Hæc primùm inſtituta, ut diſcerent celeriter hoſti inſtare, vel etiam fugâ ſibi conſulere. In Gymnopædice adoleſcentes ſaltabant nudi: quod & vox indicat. Fiebat hoc in Dionyſiis. Ejus ſaltationis modum deſcribit Athenæus lib. XIV. Dipnoſoph. Ac cenſet Lilius Gyraldus dial. I. de Poëtis ⸸, illud ſaltationis genus intelligi, quod jam ſenex ſaltâſſe nudus dicebatur Dejotarus rex: ut conſtat ex oratione Ciceronis pro eo Rege. Ab hac ad Pyrrichen

† Pag. 630 edit. Commel.
‡ Libro de quatuor artibus popularibus, cap. de Gymnaſtica, § 52
⸸ Pag 24. edit. Baſ. an. 1580.

richen deveniebatur. Hypocrhematica eſt, in qua chorus canens ſaltat. Vide plura apud eundem, & Meurſium in Orcheſtra.

22. §. *In lyricorum poëtarum certaminibus qui viciſſet, juvencâ donabatur, quam & mactabat.*

Uti hircum tragici, taurum epici, & dithyrambici. Præmium non judex dabat, ſed a victo auferebatur. Tzetzes, immo prolegomen. in Lycophr. auctor eſt, lyricos præmium habuiſſe taurum: unde dicti ſint ταυροφάγοι*. Atque hujus opinionem etiam ſequitur Andreas Schottus, Notis in Procli Chreſtomathiam.

* *Tauri-vori.*

23. §. *Myrtea verò corona dabatur poëtis ἐρωτικοῖς, ſive amores ſcribentibus.*

Nimirum quia myrtus quidem dicata erat Cereri, & Baccho, ſine quibus friget Venus; imprimis verò ipſi eſſet Veneri ſacra.

Cap. XV.

Quis carmen melicum invenerit, et qui eo maxime excelluerint.

1. §. *Hactenus dictum de carmine lyrico. Deinceps, uti facturum me promiſeram, hiſtoriam perſequar eorum, qui, eo pangendo, nomen ſibi pepererunt. Inventionem lyrici carminis tribuunt Orpheo.*

Ita Plutarchus. Hymnum invênit Steſichorus Himeræus; choream Alcman Lacedæmonius; amatoria Anacreon Tejus: ὑπόρχημα, ſive canticum ad ſaltandum accommodatum, Pindarus Thebanus: quos verò νόμους vocant, primus in choro citharâ cecinit Timotheus Mileſius. Ita de iſtis Clemens Stromat. lib. 1.

2. §. *Hæc in genere principatum apud Græcos tulere hi decem: Steſichorus, Bacchylides, Ibycus, Anacreon, Pindarus, Simonides, Alcman, Alcæus, Sappho, & Corinna.*

Ita Tzetzes προλ. in Lycophr. Alii Corinnam prætereunt, ut ſint novem: de quibus hi verſus:

Λυρικοὶ ποιηταί εἰσιν ἐννέα, Σαπφὼ,
Στησίχορος, Ἴβυκος, Βακχυλίδης, Σιμωνίδης,
Ἀλκαῖος, Ἀλκμὰν, Ἀνακρέων, καὶ Πίνδαρος.
Lyrici poëtæ ſunt novem: Sappho puta,
Steſichorus, Ibycus, Bacchylides, Simonides,
Alcæus, Alcman, Anacreoque, & Pindarus.

Exſtant & verſus elegiaci Græci †, quibus lyricorum non modò nomina; ſed prætereà pater, & patria, & dialectus, memorantur. Primus ibi Alcæus dicitur ſcripſiſſe Æolicè, ac patriâ fuiſſe Mytilenæus: unde & Lesbius vocatur Moſcho in Bionis Epitaphio; Horatio ‡ item *Leſbius civis*; uti & *Leſbium plectrum* ⸸ propterea pro *Alcaico* dixit. Sappho deinde ſequitur; de quâ poſtea. Hinc ſubdit Steſichorum; qui Doricè ſcripſit, patriâque Siculus fuit; nempe Imeræus; ut ait Plutarchus περὶ Μουσικῆς, Pauſanias in Bœoticis, Corinthiacis, Arcadicis, & Phocicis; item Tzetzes. Hinc Ibycus ſe infert, Doricâ utens dialecto, patriâ Italus, ex urbe Rhegio. Tum Anacreon, qui Tejus Horatio vocatur Epodon od. xiv. & Ovidio in ſecundo Triſtium, item Suidæ. Hinc Doricâ utens linguâ Pindarus, patriâ Thebanus. Exinde Doricè itidem loquens, Simonides, ex Ceo inſula, ut etiam Cicero ait in 11. de Orat. unde poëmata ejus nunc *nenias* *, nunc *Camenas Ceas* vocat Horatius †. Poſtea excipit Bacchylides, itidem Ceus; teſte etiam Suida. Poſtremò memoratur Doricus poëta Alcman: qui Spartanus, vel Sardianus, ſive Lydus, fuit: ut eſt apud Antipatrum Theſſalonicenſem, & Leonidam in Ἀνθολογίᾳ, item Suidam.

† *In Lyricorum fragmentis à Fulvio Urſino editis p. 32.*
‡ *Lib. 1. od. 32.*
⸸ *Lib. 1. od. 26.*
* *Lib. 2. od. 1.*
† *Lib. 4. od. 9.*

Priori ſententiæ videtur faviſſe Statius Papinius lib. v. Sylvarum in Epicedio Patris; ubi legas:

—— Et tacitis Alcman canitur Amyclis,

Sed, ut Vellejus Paterculus lib. 1. ait, *Sparta talium ſtudiorum ſterilis fuit.* Quo firmatur, quod ibidem legas, *Alcmana falsò Lacones ſibi vindicare.* Quod de his judicium fuerit Quinctiliani, vide apud ipſum lib. x. Solùm apponam illa de Pindaro: *Novem Lyricorum longè Pindarus princeps, ſpiritus magnificentiâ, ſententiis, figuris, beatiſſimâ rerum verborumque copiâ, & velut quodam eloquentiæ flumine: propter quæ Horatius eum meritò credidit nemini imitabilem.* Etiam Pindarum aliis Lyricorum non obſcurè præponit Petronius, cùm pene initio Satirici ſic ſcribit: *Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat, cùm Pindarus, novemque Lyrici, Homericis verſibus canere timuerunt.* Ubi cùm Pindarum, & novem lyricos jungat; videtur eos ſecutus, qui, annumeratâ Corinnâ, decem lyricos ſtatuerunt. Scio, & Auſonium tantummodo novenos numerare. Ut qui idyllio iv. ſive gripho ternario, dicat:

Et lyrici vates numero ſunt Mnemoſynarum *.

Imò & eidem, epigrammate xxxi. Sappho, ut Muſarum, quæ novenæ, decima; ita Lyricorum nona nuncupatur:

Lesbia Pieriis Sappho ſoror addita Muſis,
Εἰμ' ἐνάτη Λυρικῶν, Ἀονίδων δεκάτη †.

* *Pro Muſarum, ſatis durè, & neſcio, an ullius exemplo: Mnemoſyne enim non niſi una, Muſarum mater.*
† *Sum nona in Lyricis, Aonidum decima.*

Unde apertum eſt, Sappho illi inter novem Lyricos vates reponi; Corinnam non item. Corinnæ tamen magnum ſemper nomen fuit: vel propterea, quia, imperitos nacta judices, ſuperârit Pindarum; teſte Plutarcho, libro, utrùm Athenienſes bello, an ſapientiâ præſtiterint. Imò quinquies ab ea victum, legas apud Ælianum lib. xiii. Var. Hiſtor. cap. xxv. & Suidam in Κόριννα. Quod ſi placet, etiam Petronio novenos ſolùm lyricos cenſeri, (& ſanè vix reperias, qui decem ponant, præter Tzetzem) putandum, quando ait, *Pindarum, & novem Lyricos*, copulam hìc eſſe ἐξηγητικὴν ‡, ut ſententia ſit, Pindarus, atque adeò novem Lyrici: hoc eſt, Pindarus, & Lyricorum cæteri, ſive octoni illi præter Pindarum. Qui noveni vocantur uſitatâ loquendi ratione: quopacto & Apoſtoli in Scripturis ⸸, à morte Judæ Iſcariotæ, nec dum alio in ejus locum allecto, nihilominus duodecim dicuntur, licet fuerint undeni. Ex hiſce novem Lyricis Sappho nomen fecit carmini Sapphico, Anacreon Anacreontico, Alcman Alcmanio, Alcæus Alcaico. Falluntur, quibus viſum, Horatium eſſe primum ejus carminis auctorem, quod Alcaicum nuncupatur. Nam hodieque fragmenta ſuperſunt eo verſuum genere ab Alcæo perſcripta. Quare non dubitandum, quin ab eo hoc carminis genus, uti & alia quædam, nomen acceperit. Imò Attilius Fortunatianus non eſt veritus ſcribere, quandoque haut rectè imitatum: ac pro exemplo promit illud †:

Lydia dic, per omnes
Te Deos oro: Sybarim cur properas amando
Perdere? ——

‡ *Interpretationis cauſſâ appoſitam.*
⸸ *Joan. 20. 24.*
† *Lib. 1. od. 8.*

Fœdus etiam error eſt doctiſſimi, & cultiſſimi Rhetoris, Antonii Lulli lib. vii. de Oratione cap. v. ubi de Lyricis agens, cum Simonidem dixiſſet vetuſtum eſſe ſcriptorem, Alcæum hunc ſubdit incidere in tempora Veſpaſiani. Quod ſi foret, quomodo eum imitari potuiſſet Horatius; qui annis prope octoginta, priuſquam imperaret Veſpaſianus, mortuus fuit? Vixit verò Alcæus temporibus Pittaci, unius è ſeptem ſapientibus Græciæ; quem & verſibus ſuis fœdè eſt inſectatus. Id fuerit jam ante Herodoti tempora; qui & ejus meminit, annis, antequam floreret Horatius, quingentis.

3. §. *Imò & novem lyricæ celebrantur: nempe, præter Sappho, & Corinnam, quas memoravimus, hæ ſeptem; Erinna, Myro, Teleſilla, Praxilla, Noſſis, Anyte, & Myrtis.*

Complexus univerſas carmine ſuo Antipater: quod habes

bes in primo Ἀνθολογίας, Tit. εἰς ποιητάς. Erinnæ eò juſtiùs primum dedimus locum; quia eam cum Corinnâ, poſt Sappho celebratiſſimâ, conjunxit Propertius lib. II. eleg. III:

Et ſua cùm antiquæ committit ſcripta Corinnæ,
Carminaque Erinnes non putat æqua ſuis.

Patria ei fuit Τῆνος, urbs Lacedæmonia; ut eſt apud Stephanum, ſive Hermolaum Byzantium. Tatianus Leſbiam appellat. Locum aliquis corruptum poſſet ſuſpicari. Sed ſimiliter Suidas: ac Euſtathius quoque, qui varias de patria ejus opiniones recenſet. Myro Rhodia fuit, vel Byzantia, mater Byzantini Homeri; de quo Chriſtodorus in quinto Ἀνθολογίας. Μοιρὼ vocatur Athenæo lib. XI, & Euſtathio ad Iliados Ω. In III. Ἀνθολογίας, Tit. εἰς ὄρνις, legas Erinnæ epigramma; quo dicitur Myro communem feciſſe tumulum locuſtæ, & cicadæ. Id de Myrone, ſignorum ex ære artifice, cum Varrone intellexit Plinius lib. XXXIV. cap. VIII. Sed manifeſto errore eum cum Myrone poëtriâ confudit. Teleſilla fuit Argiva, memorata etiam Apollodoro in bibliotheca, Luciano in Amoribus, Athenæo lib. XI, & XIV, Pauſaniæ in Corinthiacis, & tot aliis. Praxilla erat Sicyonia; teſte Athenæo lib. XIII, & XV, ac Euſtathio in Iliad. B. Ex ære eam fecit Lyſippus; ut ait Tatianus. Noſſidis unicum duntaxat ſupereſt epigramma in III Ἀνθολογίας*. At quatuordecim minimùm Anytas habemus. Vide de ea Pauſaniam in Phocicis. Myrtis fuit Anthedonia; teſte Plutarcho ἐν Ἑλληνικοῖς. Diſcipulus ejus Pindarus erat; ut auctor eſt Suidas in Πίνδαρος. Sed ſuo loco de ea tacet.

* *Tit. εἰς ἄνδρας σοφ. ἐποποιοὺς.*

4. §. *Ex Romanis propemodum unica laus penes Horatium fuit.*

De hoc, inter alios, Petronius Arbiter: *Homerus teſtis, & Lyrici, Romanusque Virgilius, & Horatii curioſa felicitas.* Quinctilianus lib. X, cap. I: *Horatius ferè ſolus legi dignus. Nam & inſurgit aliquando; plenus eſt jucunditatis, & gratiæ; & variis figuris, & verbis, feliciſſimè audax.* Tacitus, vel alius, de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Exigitur iam ab oratore etiam poëticus decor; non Attii, aut Pacuvii veterno inquinatus; ſed ex Horatii, & Virgilii & Lucani ſacrario prolatus.* Quinctiliani verbis inſtruit Antonius Lullus Balearis: ſed committere non potuit, quin aliquid culparet. Sic enim ſcribit lib. VII. de Orat. cap. V: *Lyra ſolùm digna eſt Horatii, quam audiamus. Inſurgit enim aliquando, & plenus eſt jucunditatis, & gratiæ: magis tamen figuris verborum varius, & ſententiarum, feliciter audax. Sed majorem mihi videtur habuiſſe rationem elegantiæ Romana, quam meliùs: & quis gratia poterat illâ ætate dici, fortè nunc eſſet ſeveritas.* Poſtrema illa mallem omiſiſſet, non Horatii cauſſâ, Lyrici exceptione omni majoris; ſed ipſius Lulli. Verùm is vir omnino Rhetoricæ artis, quàm Poëticæ, intelligentior fuit. Quod non ſemel oſtendit, ubi de poëtis judicare præſumit.

5. §. *Sed utcunque Horatius ſit lyricorum princeps; tamen & alii multi eo carmine valuerunt. Sanè Horatius ipſe Titium ab hac laude celebrat: poſt verò Horatium lyrâ claruere Cæſius, Baſſus, Veſtritius Spurinna, Septimius Afer, Phaliſcus, Alfius Avitus, aliique.*

Ex quibus Cæſius Baſſus vigebat ſub Claudio, ac Nerone: eſtque is, ad quem ſatyram ſcripſit Perſius. Veſtritius Spurinna fuit temporibus Domitiani, ac Trajani. Septimius Afer, Phaliſcus, Alfius Avitus, memorantur Terentiano Mauro: nec multò ante ejus tempora viguerunt: credo circa tempora Severi Imperatoris. Imò & Terentiano aliquis hic locus, cùm eleganter adeò de lyricis verſu lyrico ſcripſerit. Etiam his annumerandus C. Lænas: de quo Donatianus in Poëtica.

6. §. *Imò & in lyricis eſt locus nonnullis, qui aliâ potius laude celebrantur: ut epigrammatis Catullus. Nam & iis lyrica quædam admiſcuit. Idem de tragicis dixero. Etſi enim lyricus poëta (niſi quod ſpecies quædam dramatis odis inſit ἀνταποδοτικαῖς*) agentem inducat neminem, contra quàm dramaticus facit: Tragicus tamen perſonam ſuam imponit, ac commodat choro.*

* *Quæ mutua conſtant reſponſione: ut illa od. 9 l. 3.*

De choro verò ſatis diximus lib. II. cap. IX, & XVI: ubi de μελῳδίᾳ agimus.

Cap. XVI.

De dithyrambo.

1. §. *A carmine Lyrico me confero ad Dithyrambicum; quippe adeò vicinum, ut multi non ſeparent; ſed ſub Lyrico illud comprehendant.*

Separat Cicero †: imò & Ariſtoteles ‡, qui diverſa poëtarum genera facit epicos, lyricos, & dithyrambicos. Contrà ſub melicis dithyrambicos complectitur Proclus in Chreſtomathia. At Iſacius Tzetzes, prolegomenis in Lycophronis Caſſandram, eos nunc diſtinguit, nunc inter Lyricos refert. Poſterius facit, quia utrique ad lyram, vel tibiam, canerent: diſtinguit verò, quia dithyrambos altioris eſſe Muſæ agnoſcit. Alterum etiam eſt diſcrimen, quia dithyrambici ſerviere choris comœdiarum, & tragœdiarum: lyrici, ut & elegiaci, canebant ad menſam: quomodo ait Pindarus * carmen ſuum non ſine phorminge ceciniſſe φίλαν ἀμφὶ τράπεζαν †.

† *Initio libri de Optimo genere Oratorum.*
‡ *Lib. de Poëtica.*
* *Olymp. od. I.*
† *Ad menſam amicam.*

2. §. *Vocatur autem Dithyrambice ea poëſis, quâ Bacchum celebrabant Bacchico furore concitati.*

Ita Menander Rhetor lib. I. cap. I. Imò nomen quoque dithyrambicis ex eo, quia Bacchum laudarent: qui Græcis Διθύραμβος dicitur. Cauſſæ appellationis variè adferuntur. Nempe vel ſic vocatus, quaſi δὶς θύρας ἀμείβων: h. e. quia bis natus, ac duobus quaſi oſtiis egreſſus; quam cauſam & Pindari interpres adducit, & Tzetzes in Lycophronis Caſſandram: vel quia in antro διθυρί-τῃ, hoc eſt, duas habente portas, ſit educatus; quod eſt apud Proclum ‡, & alios: vel quia vinum, ut Plutarchus ait, facit σῆμα διθύρεν, quo epitheto etiam Græci vinum ornant: vel Διθύραμβος dictus, quaſi λυθίραμμος, ut eſt apud eundem Proclum: putà quia Nymphæ λῦθι ῥάμμα * acclamarunt parturienti Jovis femori, cui Bacchus aſſutus fuit, cùm eum enixa eſſet Semele, antequam concremaretur: quod & ipſum optimo jure confictum fuit; ut eo ſignificaretur, vinum hominum animos inflammare ad multa, atque accendere: quemadmodum & hanc ob ipſam cauſſam Ægyptii vinum vocabant ſanguinem gigantum; priſcique Ægyptiorum reges, uſque ad Pſammitichum, eo abſtinuerunt, ne ſe impiorum bellatorum ſanguine ad inſaniam redigerent; ut autor eſt Plutarchus lib. de Iſide, & Oſiride. Iſta oſtendunt quantopere de hoc varient gentiles, cur Liber ſit vocatus dithyrambus. Sed antiquitatum Judaicarum peritis longè illud, ut arbitror, veriſimilius videbitur; quòd, non ille dico Thebanus, ſed Indicus Διόνυσος, ſive Liber, ſit Noë: ut vel illud arguit, quòd Liber dicatur vitem repeviſſe; at Noachi hoc ſit inventum. Et profectò, ſi ratio viſa eſt idonea, cur Liberum bis natum dicerent, quia vitis, unde vinum generi humano, & ante Deucalionem fuerit, & poſt Deucalioneum diluvium denuo effloruerit; quæ ratio à Diodoro Siculo affertur lib. III: quis ambigat, quin Noë juſtiùs credatur bis natus; quia & antè univerſalem fuerit cataclyſmum, & poſt eum ſupervixerit cum familia ſua; unde propagatum eſt omne genus humanum? Atque hanc rationem memini

‡ *In Chreſtomathia apud Photium.*
* *Solve ligaturam, ſive ſuturam.*

mini me etiam adducere operis de Idololatriæ origine, & progreſſu, ſive Theologiæ gentilis, & Phyſices Chriſtianæ; lib. I. cap. XXV.

3. §. *Dithyrambum primus Corinthi in Dionyſiacis, vel Arion Methymnæus inſtituit, vel Philoxenus Cytherius.*

Arioni, poëtæ pariter, ac citharœdo, tribuit illum Ariſtoteles, ut traditum Proclo in Chreſtomathia. Eſt verò hic Arion, inſula Leſbius, urbe Methymnæus, ſeu hiſtoriâ, ſeu fabulâ de delphino vectore nobilis. Quem primum dithyrambos Corinthi docuiſſe multò ante Ariſtotelem prodiderat Herodotus in Clio. At alii hanc gloriam aſſignant Philoxeno Cytherio; ut auctor eſt Pindari Scholiaſtes. Carmine hic lyrico genealogiam Æacidarum ſcripſit; teſte Suida. Sed præterea quatuor & viginti dithyrambos reliquiſſe, idem Suidas obſervat. Addit inter alia, quæ apud eum legi malim, Euletidæ fuiſſe filium, patriâ autem Cytherium: à Calliſtrato tamen credi Heracleæ Ponticæ natum. De patria Suidæ aſſentit Iſacius Tzetzes: Διάσημος ποιητὴς, Φιλόξενος ὁ Κυθήριος, ὃς διθύραμβον, ἤτοι κυκλικὸν χορὸν, ἐν Κορίνθῳ πρῶτον ἔστησεν· *Inſignis poëta, Philoxenus Cytherius, qui dithyrambum, ac chorum cyclicum, primus inſtituit Corinthi.* Andr. Schottus, notis in Procli Chreſtomathiam, ſuperiora Tzetzæ verba ita interpretatur, quaſi & quidam fuerit dithyrambicus poëta Diaſemus. Sed Philoxenus eſt is, qui διάσημος, ſive *illuſtris* poëta, nuncupatur. Meminit hujus Philoxeni quoque Ariſtoteles in Poëtica, Dionyſius Halicarnaſſ. περὶ συνθέσεως ὀνομάτων, & Zenobius Proverbio, Οἵῳ * με ὁ δαίμων τέρατι συγκατέρξεν. Sed quid ſibi ibidem volunt hæc Tzetzæ verba: Διθύραμβοι δὲ Λάσος, Λαβρίνης, Ἑρμιονεύς. Siquid video, librarii, vel Tzetzæ, manifeſtus eſt error. Nam unus idemque eſt poëta, Λάσος † Χαβρίνου Ἑρμιονεύς. De quo vide Suidam. Sanè id cum non videret doctiſſimus Schottus ‡: ſemel iterumque ex uno tres nobis fabricat poëtas, Laſſum, Labrinum, & Hermioneum. De eodem ſic Clemens lib. I. Στρωματ. Διθύραμβον * ἐπενόησε Λάσος Ἑρμιονεύς. Hujus Laſi, ſive Laſſi, meminit quoque Ælianus lib. VII. Hiſtor. Animal. cap. XLVII. Teleſtæ dithyrambos ab Harpalo dono miſſos eſſe Alexandro, narrat in ejus vita Plutarchus. Ac mentio quoque ejus poëtæ fit apud Athenæum. Qui & laudat Alcymnium Chium, Lamproclem, pluresque alios. Etiam Diagoram Melium priùs fuiſſe poëtam dithyrambicum, ex Sexto Empirico diſcere eſt lib. VIII. πρὸς μαθηματικούς. Sed omnes referre longum ſit. Videbimus de iis in libris de Poëtis Græcis.

* *Quali me monſtro Deus hic incluſit!*
† *Laſus, Chabrini, vel Chabriæ filius, ex Hermione, Achaja urbe.*
‡ *Notis in Procli Chreſtomathiam.*
* *Dithyrambum, excogitavit Laſſus Hermioneus.*

4. §. *Ut Epici Muſas, maximè Calliopen; ita Dithyrambici invocabant Bacchum.*

Fere autem ſic incipiebant, Ἀμφίμοι ἄναξ: unde & Ἀμφιάνακτες dicebantur. Adi Suidam, & Ariſtophanis ſcholiaſtem in Nub.

5. §. *Dithyrambi initium inter pocula cepere in ruſticorum conviviis, & luſibus.*

Proclus in Chreſtomathia: Ἔοικε δὲ ὁ μὲν διθύραμβος ἀπὸ τῆς κατὰ τὰς ἀγροὺς παιδιᾶς, καὶ τῆς ἐν τοῖς πότοις εὐφροσύνης, εὑρεθῆναι. *Videtur dithyrambus in ruſticis luſibus inter pocula, & hilaritates, eſſe inventus.* Itaque deinceps etiam in dithyrambo fuere, ut idem ait, μέθη, καὶ παιδιά, *temulentia, & luſus.* Ac, ut apud Athenæum legas lib. XIV †, Φιλόχορος φησιν, ὡς οἱ παλαιοὶ σπένδοντες, οὐκ ἀεὶ διθυραμβοῦσιν, ἀλλ' ὅταν σπένδωσι τὸν μὲν Διόνυσον ἐν οἴνῳ καὶ μέθῃ· τὸν δ' Ἀπόλλωνα μεθ' ἡσυχίας καὶ τάξεως μέλποντες. *Philochorus ait, veteres, cùm libarent, non ſemper eſſe uſos dithyrambis; ſed vino madidos, & temulentos, & Liberum ſi patrem invocarent: ſin Apollinem, placidè & ordine cecin iſſe.* Subjicit deinde Archilochi illud: Ὡς Διωνύσοιο ἄνακτος καλὸν ἐξάρξαι μέλος οἶδα διθύραμβον, οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας. *Bacchi regis canticum elegans dithyrambicum auſpicari ſcio, vino fulmine percuſſa mente.* Item hoc Epicharmi in Philoctete:

† *P. 628. edit. Commel.*

> Οὐκ ἔστι διθύραμβος ὅκχ' ὕδωρ πίῃς.
> *Dithyrambus haut futurus eſt, ſi aquam bibas.*

Hinc proverbium:

> Διθυραμβοποιῶν νοῦν ἔχειν ἐλάττονα.
> *Habere, quàm dithyrambici, mentis minus.*

Furoris dithyrambici meminit & Proclus in Chreſtomathia, cùm ait: Ἔστι δὲ ὁ μὲν διθύραμβος κεκινημένος, καὶ πολὺ τὸ ἐνθουσιῶδες μετὰ χορείας ἐμφαίνων, εἰς πάθη κατασκευαζόμενος, τὰ μάλιστα οἰκεῖα τοῦ θεοῦ *. *Eſt verò dithyrambus incitatus, & multum furoris cum ſaltatione oſtendens, atque ad ciendos affectus comparatus; inprimis eos, qui huic deo conveniunt.* Hinc & διθυραμβεῖν, pro *furere.*

* *Al.* τῷ θεῷ.

6. §. *Quia verò ebrii canerent, eò & oratione uſi tumidâ, & vocabulis novis, iiſque longis, & compoſitis.*

Ariſtoteles lib. III. Rhetor. cap. III. Διὸ χρησιμώτατον ἡ διπλῆ λέξις τοῖς διθυραμβοποιοῖς †. Nec compoſitis ſolùm talibus gaudebant, qualia ſunt νομοθέτης, ac *Reſpublica*: ſed novis, & longis. Hinc Æſchylum dithyrambum vocat μιξοβόαν. Et Horatius ‡ de dithyrambis Pindari ſic ſcribit:

† *Ideo compoſita dictio maxime convenit dithyrambicis poëtis.*
‡ *Lib. 4. od. 2.*

> *Fervet, immenſuſque ruit profundo*
> *Pindarus ore;*
> *Laureâ donandus Apollinari,*
> *Seu per audaces nova dithyrambos*
> *Verba devolvit, numeriſque fertur*
> *Lege ſolutis.*

Ubi, ſi Hugolinum Martellium Hetruſcum audimus, cùm tria in poëſi ſpectentur, διάνοια, λέξις, καὶ μέτρον ‡: ad ſententiam pertinet audacia, ad verba novitas, ad metrum numeri exleges. Magis tamen placet, audaces dithyrambos vocari propter conceptus, voces, numeros: ut poëta ipſe cauſſam geminam afferat, cur audaces vocârit, primâ ſolùm omiſſâ: nempe partim, quia non dubitent nova fabricare verba; partim quia ſecurè tranſiliant legem, quam metro poſuerant poëtæ. Dithyrambicos verò quaſi furore corripi, etiam teſtis eſt Plato in Phædro: Ἐὰν ἄρα πολλάκις νυμφόληπτος, προϊόντος τοῦ λόγου, γένωμαι, μὴ θαυμάσῃς. τὰ νῦν γὰρ οὐ πόρρω διθυράμβων φθέγγομαι. *Si fortè ſæpius Nympharum afflatu, procedente ſermone, corripiar, ne mireris. Nam quæ modò dicebam, haut multùm abſunt à dithyrambis.* Quod veriſſimè Platonem de ſe ſcribere, rectè obſervat Dionyſius Halicarnaſſenſis epiſt. ad Cn. Pompejum. Nempe hauſerat hoc vitium à ſophiſtis: quorum dictio ſæpe διθυραμβώδης *, ut eam vocat Plutarchus in Sophiſtarum vitis. Sæpe & ejuſmodi dictio Nonni in Dionyſiacis. Quid mirum? Bacchum celebrabat: ut dithyrambica ab eo poëmate non ſint aliena. Quare nolim in eo ſingula exigere ad normam Homeri, & aliorum; quorum ſimplicior ac caſtigatior eſt dictio. Qui verò ſic ſcribere adſueviſſet, non potuit penitus hoc deſueſcere in ſacra Euangeliſtæ Joannis paraphraſi: ubi id minùs convenit. Quamquam non à conſuetudine ſola fuit: ſed ab ætate etiam, qua vixit. Quincto enim ſeculo claruit à Chriſto: quo plerique poëtarum turgidiori dictione gaudebant.

‡ *Sententia, dictio, metrum.*
* *Similis dithyrambo.*

7. §. *Dithyrambicarum pauca habemus apud vetuſtiores Græcos.*

Ut apud Ariſtophanem in Nubibus eſt, νεφέλαι βροντησικέραυνοι, q.d. *tonitru fulminantes nubes.* In iiſdem vocat πόντον βαρύβρομον; quaſi *graviſonum* dicas. Idem

in Ranis à πομφόλυξ, quo πέμφιξ ſive *bulla* notatur, & παφλάζειν, quòd de maris æſtu ac fervore propriè uſurpatur; vocem formavit πομφολυγοπαφλασμα, quo ſignificat bullam cum ſtrepitu erumpentem. Multa hujus generis adduximus in Oratorus *. Ob talia veteres Dithyrambicè eos loqui dicebant, qui tumido, inflatoque, uterentur orationis genere.

* Lib. 6. cap. 4. ſect. 1.

8. §. *A Latinis verò hoc carminis genus minùs fuit celebratum.*

Contrarium tamen dicere videtur Cicero lib. de perfecto Oratore: *Poëmatis Tragici, Comici, Epici, Melici etiam, ac Dithyrambici, quod magis eſt tractatum à Latinis, ſuum quodvis eſt diverſum à reliquis genus.* Sic enim eſt in codd. vulgatis: ac retinet eam lectionem Adrianus Turnebus lib. 1. Adverſar. cap. IV. Sed non dubium, quin verius ſit, quod ſuperiùs † dicebamus placuiſſe Romulo Amaſæo, & Dionyſio Lambino: *quod magis eſt tractatum à Latinis.* Vel legendum, *quod minore vi*: ut conjectat Andreas Schottus, Notis in Chreſtomathiam Procli. Non audiendus igitur Io. Antonius Viperanus, qui ‡, vulgari lectione deceptus, mirari ſe ait, negari à nonnullis, dithyrambos fuiſſe in uſu Latinis; cùm Cicero dicat, minus id carmen tractatum eſſe à Latinis. Nec ſolùm Ciceronis ævo, atque antea; ſed poſt etiam neglectui fuit. Hodie quidem nihil puto ejuſdem exſtare. Proximè tamen ad iſtiuſmodi dictionem accedebant galliambi. Nam & Galli in honorem. Cybelles carmina furentes canebant. Unde aliqua planè dithyrambica in Galliambo Catulli. Ut illa:

Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigera.

Item:

Ubi ſerva ſylvicultrix, ubi aper nemorivagus.

† Lib. 2. cap. 1. §. 7.

‡ Lib. 3. de re Poëtica cap. 42.

9. §. *Dithyrambici motu, cantuque, imitabantur Baccharum carmen. Canebant verò tibiis, quia earum ſonus acrior, ac vehementior ſit. Concinebant modis Phrygiis; quia hi concitatiores, ac convenientiores furore Bacchico raptis.*

Quod ut magis intelligatur, pauca de modis dicam. Modi quadruplices ſunt: de quibus ita Lucianus in Harmonide: Τῆς ἁρμονίας ἑκάστης διαφυλάττειν τὸ ἴδιον· τῆς Φρυγίου, τὸ ἔνθεον· τῆς Λυδίου, τὸ Βακχικόν· τῆς Δωρίου, τὸ σεμνόν· τῆς Ἰωνικῆς, τὸ γλαφυρόν. *Uniuſcujuſque harmonia ſuam eſt obſervare proprietatem: Phrygia impetum divinum; Lydia, Bacchicum; Doria, grave; Ionica, jucundum.* Sed Æolicum apponit Appulejus; ut quinæ fiant. Sic enim ſcribit in primo Floridorum: *Tibicen quidam fuit Antigenidas, omnis voculæ mellitus modulator, & idem omnis modi peritus modificator, ſeu tu velles Æolion ſimplex, ſeu Iaſium varium, ſeu Lydium querulum ſeu Phrygium religioſum, ſeu Doricum bellicoſum.* De inventoribus modorum ſic Plinius lib. VII. Nat. Hiſt. cap. LVI: *Obliquam tibiam Midas* (invênit) *in Phrygia; geminas tibias Marſyas in eâdem gente; Lydios modulos Amphion; Dorios Thamyras Thrax; Phrygios Marſyas Phryx.* Porrò Dithyrambos, & Dorios, & Phrygios, & Lydios modos uſurpâſſe, auctor eſt Dionyſius Halicarnaſſeus libro περὶ συνθέσ. ὀνομάτ. Sic enim ſcribit: Οἱ * δ' διθυραμβοποιοὶ καὶ τοὺς τρόπους μετέβαλλον, Δωρίους τε, καὶ Φρυγίους, καὶ Λυδίους ἐν τῷ ᾄσματι ποιοῦντες, καὶ τὰς μελῳδίας ἐξήλλαττον. Sed Ariſtoteles clarè ſcribit, Phrygiis uſos modulis: at Philoxenum melicum, cùm idem Doricis tentâſſet numeris, nihil profeciſſe. Polyxenum, fortaſſe alios ſecutus auctores, vocat Io. Antonius Viperanus, in tertio de Poëtica cap. ult. Sed Ariſtoteli, Dionyſio Halicarn. & Zenobio, is Philoxenus eſt; de quo antè dictum. Verba Ariſtotelis ſunt lib. VIII. Polit. cap. VII: Τῶν δὲ ἁρμονιῶν ἐν ταῖς Φρυγιστὶ μέλεσι λαμβάνει ταῦτα τὸ πρέπον· οἷον, ὁ διθύραμβος ὁμολογουμένως εἶναι δοκεῖ Φρύγιον· καὶ τούτου πολλὰ παραδείγματα λέγουσιν οἱ περὶ τὴν σύνεσιν ταύτην ἄλλα τε, καὶ διότι Φιλόξενος ἐγχειρήσας ἐν τῇ Δωριστὶ ποιῆσαι διθύραμβον τοὺς μύθους, οὐχ οἷός τ' ἦν, ἀλλ' ὑπὸ τῆς φύσεως αὐτῆς ἐξέπεσεν εἰς τὴν Φρυγιστὶ, τὴν προσήκουσαν ἁρμονίαν πάλιν. *Ex concentibus in Phrygio cantu decorum hæc ſumunt: quomodo dithyrambum eſſe cantum Phrygium, in confeſſo eſſe videtur. Quique huic ſe doctrinæ tradiderunt, multis exemplis id firmant; atque inter alia illo Philoxeni; qui Doricè aggreſſus fabulas facere dithyrambo, ita exſequi non potuit; ſed, naturâ eum ducente, delapſus eſt iterum in Phrygium, qui concentus erat conveniens.* Eadem de modis Phrygiis mens eſt Procli in Chreſtomathia; ubi de dithyrambo inquit: Τὸν Φρύγιον, καὶ Ὑποφρύγιον ἁρμόζεται. *Ac ille quidem modos Phrygios, & Hypophrygios, adhibet.*

* Dithyrambici verò etiam modos ipſos permutabant, Dorios, & Phrygios, & Lydios, in cantu facientes; atque ipſas melodias immutabant.

10. §. *Differunt eo dithyrambus, & nomus; quòd ille furibundum quid habeat; hic leniores cieat affectus: ille numeris feratur concitatioribus, hic magis remiſſis: ille verbis gaudeat duplicibus, hic ſimplicibus: ille harmonia Phrygia, hic Lydiâ: illic omnia temulentiæ ſimilia ſint, hic conveniant ſupplicationibus.*

Ita ſeparat hæc Proclus in Chreſtomathia. Niſi quòd apud eum legas contrarium de dictione. Sic enim ſcribitur vulgò: ὁ διθύραμβος ἀπλουστέροις * κέχρηται ταῖς λέξεσιν· ὁ δὲ νόμος διπλασίοις. *dithyrambus ſimplici utitur dictione: nomus verò compoſitis.* At hæc facilè refelluntur iis, quæ ſuperiùs diximus. Nec ſatis ſcio, utrùm Procli, aut Photii eclogarii παρόραμα ſit †, an librarii ſit error. Sed poſterius malo credere.

* Alii ἁπλουστέρως ſimplicius.

† Allucinatio.

11. §. *Saltatio eorum dicta eſt τυρβασία.*

Auctor Pollux lib. IV. cap. XIV. item Heſychius.

12. §. *Præmium dithyrambici certaminis erat bos.*

Unde Pindarus, de Corintho agens, ubi ſaltatio Dithyrambica eſt reperta, διθύραμβον vocat βοηλάταν, hoc eſt, boves agitantem. Aliis tamen tripus pro præmio fuiſſe dicitur. Ita Iſacius Tzetzes προλεγομένοις in Lycophronis Caſſandram.

Hactenus de Dithyrambis; de quibus plura diceremus, ſi exſtaret liber Demoſthenis Tracis περὶ διθυραμβοποιῶν Suidæ memoratus.

Cap. XVII.

De ithyphallicis.

1. §. *Vidimus de dithyrambicis: nec de phallicis videamus. Conveniunt hæc eo, quòd utrumque carmen fuerit in honorem Bacchi. Utrumque etiam antiquiſſimum; cùm ex illo tragœdia, ex hoc comœdia enata ſit.*

Auctor Ariſtoteles de Poëtica cap. IV.

2. §. *Nomen phallicis, & ithyphallicis, ex eo, quia, cùm carmen hoc caneretur in honorem Bacchi,* φαλλὸς, *ſeu* ἰθύφαλλος ‡, *perticæ impoſitus geſtaretur.*

‡ Penis erectus.

Φαλλὸς in quibuſdam libris exponitur σύκινον αἰδοῖον, quod ſit *veretrum ficulnum.* Sed legendum σκύτινον, hoc eſt, *coriaceum.* Ex eo ἰθύφαλλος. Arnobius lib. V: *In Liberi honorem patris ithyphallos ſubrigit Græcia.* Ubi *ſubrigit* inquit, quia ἰθύφαλλος notat τὸ ἐντεταμένον αἰδοῖον *, ut apud Euſtathium exponit Ælius Dionyſius. Sed addit, non ſolùm notare *ſurrectum penem*; verùm & ᾆσμα Διονυσιακὸν Ἀθήνησι † ſic vocari.

* Surrectum veretrum.

† Canticum Bacchanalibus Athenis cani ſolitum.

cari. Harpocratio ſimiliter ἰθυφάλλους ait fuiſſe ποιήματά τινα * ἐπὶ τῷ φαλλῷ ᾀδόμενα. Suidam etiam vide in φαλλοὶ, φαλλοφόροι, & ἰθύφαλλοι. In ſacris phallicis præcedebat ἡ κανηφόρος †, ſequebatur ὁ φαλλοφόρος ‡, poſtremi erant οἱ ᾄδοντες τὸ φαλλικόν ⊥. Vide ſuperſtitionis ejus imaginem apud Ariſtophanem Acharnanibus.

* Poëmata quædam ad penem cantata.
† Puella caniſtrum geſtans.
‡ Is qui phallum gereret.
⊥ Qui phallicum canerent.

3. §. *Metrum ithyphallicum conſtabat tribus trochæis. Sed ei Anapæſticum Partheniacum, vel tetrametrum dactylicum, vel jambicum trimetrum, vel aliud genus, præmittebant.*

Hermogenes lib. 1. de ideis cap. de orationis gravitate: Τὸ ἰθυφαλλικὸν * καλούμενον μέτρον ἐκ τριῶν συγκείμενον τροχαίων. Ita Ariſtophanis Scholiaſtes in εἰρήνῃ hunc chori verſum, ὦ φίλαι χορεύσατε, vocat τροχαϊκὸν ἰθύφαλλον. Idem in Veſpas: ὁ † ἰθύφαλλος τροχαϊκὴν συζυγίαν ἔχει δίμετρον βραχυκατάληκτον· τουτέστι, τρεῖς τροχαίους. Tres trochæi iſti initio fuere, Βάκχε, Βάκχε, Βάκχε. Ex Latinis de carmine hoc ſic Terentianus Maurus ‡:

Ithyphallica porrò dicarunt
Muſici poëtæ:
Qui ludicra carmina Baccho
Verſibus petulcis,
*Graio cum cortice phallo *,*
Tres dabant trochæos,
Ut nomine ſit ſonus ipſe;
Bacche, Bacche, Bacche.

Ubi videmus, ithyphallico præmitti Anapæſticum Partheniacum, ſive Phaliſcum; quod primâ ſede anapæſtum habet, vel ſpondæum; hinc geminum anapæſtum cum ſyllaba longa. Niſi quòd & ſecundâ ſede etiam ſpondeus ſit pro anapæſto. Ac verſ. ſeq. pro *permiſit* ſcr. *præmiſit*. Archilochus primus præmiſit dactylicum tetrametrum; teſte Hephæſtione †. Ejus illud:

Οὐκέθ' ὁμῶς θάλλεις ἁπαλὸν χρόα.
Κάρφεται γὰρ ἤδη.

At Callimachus primus, eodem auctore, præpoſuit jambicum ſenarium. Tale illud apud Athenæum lib. xi.

Ἐθύσαμεν γὰρ τήμερον συντέλεια
Πάντες οἱ τεχνῖται.

* Metrum, quod ithyphallicum vocatur, ex tribus compoſitum trochæis.
† Ithyphallus habet trochaicam copulam binariam pede deſectam: videlicet, ex tribus trochæis.
‡ Pag. 24. 23. edit. Putſchianæ.
* Monet in commentario ad hunc locum Nicolaus Briſſæus Montivillarius, (quem Simon Colinæus Pariſiis edidit anno 1531) alios legere hic phello, hoc eſt, ſubere. nam id Græcis φελλός.
† Cap. de metro trochaico.

4. §. *Quanquam autem ithyphalli ſacrati eſſent Baccho: tamen, adulatione Græcanicâ, etiam in hominum honorem componebantur. Quale illud, quod à choro cantatum Athenis, cùm obviam iretur Demetrio Poliorcetæ, poſt ſublatam Caſſandri tyrannidem, & libertatem ab eo urbi reſtitutam.*

Carmen illud ex Duride Samio refert Athenæus lib. vi. Sed priùs ita latuit, ut non agnoſceretur. Ut nunc agnoſcatur, debemus Iſaaco Caſaubono in Animadverſionibus ‡. Primi verſus ex reſiduis ſunt iſti:

Ὡς οἱ μέγιστοι τῶν θεῶν, καὶ φίλτατοι
Τῇ πόλει, πάρεισι.

Anteceſſerat, ut videtur, nunc verè eſſe gaudii tempus. Ratio hic additur, (ut numeros ſervemus)

Quòd venerint in urbem amici maximè,
Maximique divûm.

Cererem intelligit, & Demetrium. Nam quia Demetrius, cui hæc cecinere, venit in urbem tempore myſteriorum, Cereri Demetrium junxerunt, & ithyphallis eum, velut Bacchum, celebrarunt.

‡ Lib. 6. cap. 15.

5. §. *Atque hæc de ithyphallico trochaico: præter quod etiam eſt ithyphallicum dactylicum tetrametrum; quod tribus conſtat dactylis, & jambo.*

Eo ſemel uſus Boëthius lib. iii. met. 1.

Qui ſerere ingenuum volet agrum,
Liberat arva priùs fruticibus.

Differt à ſuperiori dactylico tetrametro, quòd in jambum deſinat, &, non ſequentibus trochæis, per ſe conſiſtat.

Cap. XVIII.

De Jambicis.

1. §. *Vidimus de lyricis, dithyrambicis, ithyphallicis: ſuperſunt iambici, & epigrammatographi.*

Jambicos à comicis, & tragicis, diſtinguit quoque Tzetzes προλεγ. in Lycophr. Et meritò ſanè. Nam Archilochus Parius comicus, aut dramaticus, non fuit; qui tamen jambicus fuit: imò & ἴαμβον * ἐπενόησεν, ut ait Clemens in 1. Στρωμ. Ariſtoteles quoque tragicis opponit jambicos. Commune quidem habent μέτρον: ſed differunt imitationis modo. Nam comici, & tragici, imitantur δρῶντες †: at jambici ſunt ἀπαγγελτικοὶ, ſive ἐξηγητικοὶ ‡. Quare ſeorſum nunc de jambicis agendum eſſe putavimus.

* Jambum excogitavit.
† Agendo.
‡ Narrantes.

2. §. *Ἴαμβος ſic appellatur ἀπὸ τοῦ ἰάπτειν, quod eſt,* conviciari, maledicere.

Niſi magis placet Ariſtotelis * ſententia, qui ἴαμβον dici putat ἀπὸ τοῦ ἰαμβίζειν, quod idem eſt, ac ἰάπτειν. Sed ἰαμβίζειν potiùs eſt ab ἴαμβος. Cur verò ab ἰάμβῳ ἴαμβον nominârint, meliùs liquebit mox, cùm de jambi uſu agetur. Nicandri ſcholiaſtes in Alexipharmaca cenſet, jambum ſic vocari ab Iambe ſervâ, genere Threſſâ, Echûs, & Panos, filiâ; quæ Cererem, cùm ea Proſerpinam quæreret, ac circa Eleuſinem ſaxo cuidam, quod ἀγέλαστον † dicitur, mœſta inſideret, hujuſmodi carmine, ridicula quædam dicens, oblectârit. Quod & apud Proclum legere eſt in Chreſtomathia. Sed hæc fabuloſa. Sanè hoc carminis genus necdum erat tempore Homeri. Qui idcirco Margitem poëma, quo conviciaretur, non jambico, ſed heroico verſu ſcripſit: ut teſtis eſt Ariſtoteles in arte Poëtica cap. iv.

* Lib. de Poëtica cap. 4.
† Riſus expers.

3. §. *Jamborum nomine complector nunc & σκάζοντα ‡:*

Sive ἴαμβον χωλὸν ⊥, quem excogitavit Hipponax Epheſius; ut ait Clemens in primo Στρωματ.

‡ Claudicantem jambicum.
⊥ Iambum claudum.

4. §. *Antiquiſſimus jamborum uſus in conviciando fuit.*

Proclus in Chreſtomathia ſcribit, ὁ * ἴαμβος παρείληφθαι ἐπὶ λοιδορίας τὸ παλαιόν. Atque addit, καὶ † γὰρ καὶ τὸ ἰαμβίζειν κατά τινα γλῶτταν, λοιδορεῖν ἔλεγον. Poſteaque addit, ſimiliter ab jambicis ἰαμβίζειν ‡ εἰς τὸ ὑβρίζειν ὑπὸ τῆς συνηθείας ἐκπεσεῖν· ὥσπερ ἀπὸ τῶν κωμικῶν, τὸ κωμῳδεῖσθαι. Similiter hanc vocem exponit Hephæſtionis ſcholiaſtes.

* Iambum fuiſſe ad conviciandum antiquitus comparatum.
† Quippe jambizein, quadam linguæ veteris proprietate, conviciari ſignificat.
‡ Vocem ἰαμβίζειν, q. d. jambizare, conſuetudine quadam receſſiſſe ad ſignificationem illam pro conviciari: ut à Comicis pro eodem dicitur κωμῳδεῖσθαι, q. d. comœdiari.

5. §. *Maximè autem choliambi uſus eſt in conviciando.*

Unde eo multùm utitur Martialis.

6. §. *Eſtque hic præcipuus carminis jambici uſus.*

Ovid. in primo de Remedio amoris:

Fortia Mæonio gaudent pede bella referri.
Deliciis illic quis locus eſſe poteſt?
Grande ſonant tragici: tragicos decet ira cothurnos
Verſibus è mediis ſoccus habendus erit.
Liber in adverſos hoſtes ſtringatur iambus;
Seu celer, extremum ſeu trahat ille pedem.
Blanda pharetratos elegeia cantet amores.
Cydippe non eſt oris Homere tui.

7. §. *Interim verò ad alios quoque uſus adhibetur: etiam in rebus lætis, ac jocoſis.*

Pro-

Proclus in Chreſtomathia: Ἔοικε δὲ ὁ ἴαμβος τὸ μὲν παλαιὸν ἐπὶ τοὺς ψόγους, καὶ ἔπαινον γραφομένων ὁμοίως λέγεσθαι. *Videtur autem jambus olim in vituperatione, ac in laudatione, æquè ſolitus adhiberi.* Addit deinde, cùm poſtea ad maledicta frequentiùs uſurparetur, ἰαμβίζειν pro *maledicere* cœpiſſe accipi. De quo antè dictum. Tzetzes prolegom. in Lycophr. Ἰαμβογράφων δὲ ποιητῶν γνώρισμα λοιδορίαι δι᾽ ἰάμβων· καταχρηστικῶς δὲ καὶ δι᾽ ἑτέρου οἱουδή τινος μέτρου *. Hephæſtionis interpres: Ἴαμβος † οὐ πᾶς ἐστὶ λοίδορος. ἐν κωμῳδίᾳ μὲν γὰρ στωμυλεύεται, καὶ λοιδορεῖ· ἐν τραγῳδίᾳ δὲ πενθεῖ. ἔσθ᾽ ὅτε δὲ καὶ ὕμνους γράφονται τούτῳ, ὥστε καὶ εὐσεβής.

* *Iambicorum poëtarum judicium ſunt convicia jambis jacta: quædam verò abuſu ea jaciuntur alio quolibet metro.*
† *Non quolibet jambus conviciatur. Siquidem in comœdia quidem loquaci garrit ore, & conviciatur: ſed in tragœdia luget. Quandoque etiam eo hymnum ſcribunt: ſic ut & pius ſit.*

8. §. *Inventor jambici putatur Archilochus Parius. Nonnulli tamen hanc laudem tribuunt Ananiæ, vel aliis.*

Priorem ſententiam ſequitur Vellejus Paterculus: cujus verba paullò pòſt adferemus. Hic eſt ille, de quo ſic Horatius in Arte:

Archilochum proprio rabies armavit iambo.

Ac quia Parius fuit, hinc idem *Parios jambos* dixit lib. I. epiſt. ad Mæcenat. Verba mox referam. Sunt etiam, qui jambos putent inventos à Simmia Rhodio, vel Simonide Amorgino, vel Ario, vel Anania. Tres verò in jambis excelluere; Archilochus Parius, Simonides Amorginus, & Hipponax Epheſius. Ita Proclus in Chreſtomathia. Sed Iſacius Tzetzes tres & ipſe recenſet: verùm pro Simonide Amorgino reponit Ananiam. Qui Athenæo lib. III. VII. & XIV. *Ananius* vocatur. Sed *Ananias* quoque eſt apud Hephæſtionem in Metricis, & Ariſtophanis ſcholiaſtem. Dalecampio videtur non ſatis fuiſſe notus. Quippe qui in XIV. Athenæi, ubi eſt Ἀνάνιος Ἱππῶναξ, pro Ἀνάνιος, ἢ Ἱππῶναξ, legendum putârit Κλαζομένιος Ἱππῶναξ. Quemadmodum verò Archilochus ſocerum ſuum Lycamben cum ſponſa ſua ad laqueum adegit: ita Hipponax amarulentiam verſuum exercuit erga Bupalum, & Anthermum, ſculptores; qui notabilem vultus ejus deformitatem ridentium oculis propoſuerant; teſte Plinio lib. XXXVI. cap. V. Conjunxit utrumque Horatius Epod. VI.

Qualis Lycambæ ſpretus infido gener,
Aut acer hoſtis Bupalo.

Item Cic. lib. III. de Nat. Deorum: *Neque enim, quem Hipponactis jambus læſerat, aut qui erat Archilochi verſu vulneratus, à Deo immiſſum dolorem, non conceptum à ſe ipſo, continebat*, &c.

9. §. *Nec Archilochus ſolùm reperit jambos; ſed & perfecit.*

Vellejus Paterculus lib. I. *Neque quemquam alium, cujus operis primus auctor fuit, in eo perfectiſſimum, præter Homerum, & Archilochum, reperiemus.* Quinctilianus lib. X. *Itaque ex tribus receptis auctoribus jamborum, ad ἕξιν ‡ maximè pertinebit unus Archilochus. Summa in hoc vis elocutionis; cùm valida, tum breves, vibrantesque ſententiæ; plurimùm ſanguinis, ac nervorum; adeò ut videatur quibuſdam, quòd quidem minor eſt, materiæ eſſe, non ingenii vitium.*

‡ *Habitum, ſive perfectionem.*

10. §. *Itaque & Archilochum inprimis in jambis ſibi imitandum propoſuit Horatius; non ut acerbitatem ejus, ſed ut numeros, atque animos, aſſumeret. In quo ſe Alcæi, & Sapphus exemplo, tuetur: qui ſimiliter ejus numeros temperarunt.*

Sic enim ſcribit epiſt. I. ad Mæcenatem:

Libera per vacuum poſui veſtigia princeps:
Non aliena meo preſſi pede. Qui ſibi fidit,
Dux regit examen. Parios ego primus iambos
Oſtendi Latio, numeros animoſque ſecutus
Archilochi; non res, & agentia verba Lycamben.
At ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quòd timui mutare modos, & carminis artem.
Temperat Archilochi Muſam pede maſcula Sappho;
Temperat Alcæus; ſed rebus & ordine diſpar.
Nec ſocerum quærit, quem verſibus oblinat atris:
Nec ſponſæ laqueum famoſo carmine nectit.

11. §. *Præter Archilochum in jambico magnum nomen retulit Simonides melicus.*

Proclus in Chreſtomathia *: Ἰάμβων δὲ ποιηταὶ, Ἀρχίλοχός τε ὁ Πάριος ἄριστος, καὶ Σιμωνίδης ὁ Ἀμοργῖνος, ἢ, ὥς τινες, Σάμιος. *Iamborum autem poëtæ, Archilochus Parius, qui optimus; & Simonides Amorginus, vel, ut alii cenſent, Samius.* Ubi ambigit, an Simonides fuerit è Samo. Sanè & Tzetzes in Chiliad. † ubi de literarum inventione agit, dubitat utrùm Simonides ille fuerit Samius, Amorgi filius, an Ceus, filius Leoprepis. Verùm non puto, ullum fuiſſe Simonidem Amorgi filium: ſed natum in inſula Amorgo, quæ una Cycladum, vel Sporadum erat. Strabo lib. X. Ἔστι δὲ καὶ Ἀμοργὸς τῶν Σποράδων, ὅθεν ἦν Σιμωνίδης ὁ τῶν Ἰάμβων ποιητής. *Eſt & Amorgus una Sporadum; unde erat Simonides, Iamborum poëta.* Ac ſimiliter Stephanus, ſive Hermolaus ‡; niſi quòd Amorgum Cycladum unam dicit; quæ tria habuerit opida, Ἀρκεσίνην, Μινώαν, & Αἰγιάλην: ex quarum ſecunda fuerit Simonides.

* *Apud Photium.*
† *Hiſtor. 398.*
‡ *In Ἀμοργός.*

12. §. *Longè major licentia eſt in carmine jambico, quàm tragico, vel epico.*

Multa enim vocabula admittit; quæ illi, pro gravitate ſuâ, reſpuunt. Atque hactenus de jambis.

Cap. XIX.

Quid sit epigramma; quam varium ejus argumentum; deque duplici epigrammatum genere.

1. §. *Sequitur epigramma: cui ex eo nomen, quia ſoleret inſcribi, vel apponi, columnis, muris, ædificiis, ſtatuis, tropæis, clypeis, navibus, atque aliis.*

Nam ἐπιγράφειν, *inſcribere*: ut ἐπιγραφὴ, & ἐπίγραμμα, idem ſint, ac *inſcriptio*. Imò, poſtquam inſcriptiones fieri cœperunt brevi carmine; etiam ἐπιγράφειν dixere, pro *epigramma ſcribere*. Ita uſurpat id verbum Plutarchus: ut Budæo oſtenſum in Commentariis linguæ Græcæ *. Paullatim verò reſtricta eſt laxior ſignificatio: quod deinceps oſtendam.

* *Pag. 591. edit. Rob. Steph.*

2. §. *Primùm hanc vocem, quaſi propriam fecere inſcriptionibus donariorum in templis: inde deventum ad eas, quæ foribus templorum apponerentur: mox ad illas, quibus publica ornarentur ædificia: tum etiam effigies Deorum, heroum, aliorumque virorum præſtantium, ſive ſuperſtitum, ſive etiam mortuorum. Inſcriptiones hæ nunc unâ conſtabant voce, nunc duabus, nunc pluribus: ac, cùm pluribus, nunc proſâ fiebant, nunc verſu.*

Unâ voce, ut ΕΝΤΑΛΙΟΣ apud Pauſaniam †; ΣΩΤΗΡ apud Ciceronem in Verrinis ‡. Duabus, ut in clypeo Demoſthenis ‖, cui inſcriptum ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ *. Pluribus, atque id proſâ, ut in tabula Delphica, quæ Plinii ætate, & antè, Romæ in bibliotheca Palatina Minervæ fuit dicata. Erat verò hujuſcemodi †: Ναυσικράτης Τισαμενοῦ Ἀθηναῖος Κόρῃ, καὶ Ἀθηνᾷ, ἀνέθηκεν. *Nauſicrates, Tiſameni filius, Athenienſis, ſuſpendit Dianæ, & Minervæ.* Sed Græca in MSo, quem conſului, valde ſunt corrupta. In aliquibus libris deſiderantur quatuor verba poſtrema. In editione Parmenſi ‡, Græca prorſus deſunt. Etiam Cyri ſepulcrum, ut eſt apud Strabonem ‖, hoc habuit:

† *Eliacis prioribus.*
‡ *Verr. 4.*
‖ *Plutarchus in vita Demoſthenis, & lib. de decem Rhetoribus: item Photius in bibliotheca cod. 265.*
* *Bona Fortuna.*
† *Plinius lib. 7. cap. 58.*
‡ *Anni 1475.*
‖ *Lib. 15.*

Ὦ ἄνθρωπε, ἐγὼ Κῦρος ὁ τὴν ἀρχὴν τοῖς Πέρσαις κτησάμενος, καὶ τῆς Ἀσίας βασιλεὺς μὴ μοι φθονήσῃς τοῦ μνήματος. *Mi homo, ſum Cyrus ille, qui Perſis imperium peperi, & Aſiæ rex fui. Quare ne ſepulcrum invideas mihi.* Si à Perſis ea fuerit inſcriptio, & à Græcis, devictâ Perſiâ, ad verbum Græcè reddita ſit: nihil de proſa hinc colligas. Sed credibilius eſt, à Græcis hanc eſſe, non converſam, ſed compoſitam.

Carmine verò heroico conſtant inſcriptiones tripodum ab Amphitryone, & aliis; quas ex Herodoti Terpſichore attuli ſuperiùs *. Etiam carmine ſcripta ἐπιγραφὴ † iſta Homeri, phialam ſibi datam Apollini conſecrantis: quam & apud Tzetzem habes Prolegomenis in Lycophronem:

Φοῖβε ἄναξ, δῶρόν τοι ἑλὼν τόδ' Ὅμηρος ἔδωκα
ἧσιν ἐπιφροσύναις· σὺ δέ μοι κλέος ἐσθλὸν ὀπάζοις.

(* Libri hujus tertii cap. 3. † Inſcriptio.)

Sententiam ſic exprimebam:

Quod donum accepit, conſultò donat Homerus,
Phœbe, tibi; huic contrà famam largire, decuſque.

3. §. *Hæc inſcriptionum brevitas grata admodum fuit: quia jucundum eſt citò aliquid, quod ſcire avemus, cognoſcere. Ac multo gratior facta, quando oratione fieret ligatâ: tum ob numerorum dulcedinem; tum quia faceret hoc ad faciliorem memoriam. Ob iſta poſtea quodvis argumentum ſic tractare ſunt aggreſſi; etiam ſiquid ſerium, vel jocoſum, amico eſſet perſcribendum, vel amicæ. Iſta ubi conſpicerent poetæ, hoc ſcribendi genus ſibi quaſi proprium vindicarunt, nullâ inſcriptionis habitâ ratione. Ita epigramma vocari cœpium quodvis breve carmen, aliquid indicans, vel ex propoſito aliud deducens. Quibus paucis verbis duo complectimur. Prius eſt, quòd eo intelligitur quodvis breve carmen. Ubi attendere oportet hæc duo, quod dicimus* quodvis carmen; *& addimus*, breve. *Quodvis eo ajebam, quia ad omnia ſe dicendi genera extendit. Nam laudat, vituperat; ſuadet, diſſuadet; ac ſimpliciter exponit. Tamque latè materies ejus patet, quam pariter, & epopœiæ, & tragœdiæ, & comœdiæ.*

Nam cum epico carmine commune habet, quòd laudet deos, & heroas, viroſque excellentes: uti & arbores, urbes, ac ſimilia. Cum tragœdia verò, quòd ea refert, quæ gignant dolorem, miſerationem, admirationem: dolorem, adferendo atrocia: miſerationem, iiſdem memorandis, ſi immerenti contingant, aut inter conjunctos, præſertim inter parentes, & liberos; vel fratres, & ſorores: deniquè admirationem, exponendo fortuita; inprimis ubi, præter opinionem, unum alterius eſt cauſſa, vel occaſio; ut ſit in Oedipi vita. Cum comœdia veteri hoc habet, quòd homines, vel nominatim, vel fictis nominibus, multo ſale defricat, atque irridet. De quo mox pluribus agemus.

4. §. *Nec ſimpliciter dicebamus, quodvis carmen; ſed breve. Nam cùm latè priùs pateret epigrammatis nomen, ſicut monuimus: poſtea nihil retinuit ex iis, quæ propria erant inſcriptionum, præter brevitatem.*

Hinc Parmenio in Anthologia lib. 1. tit. XLIV, epig. 1:

Φημὶ πολυστιχίην ἐπιγράμματος οὐ κατὰ Μούσας
Εἶναι. Μὴ ζητεῖτ' ἐν σταδίῳ δόλιχον.
Πολλὰ ἀνακυκλεῖται δολιχοῦ δρόμος· ἐν σταδίῳ δὲ
Ὀξὺς ἐλαυνομένου πνεύματός ἐστι τόνος.

Vir illuſtris Hugo Grotius ſic reddebat:

Nulla puto Muſis epigrammata longa placere:
Non hoc eſt ſtadium, credite, quod dolichus.
Multiplices dolichus flexus habet: hæc via longa.
Tenſior at multò ſpiritus in ſtadio.

5. §. *Imò epigramma unius etiam eſſe verſus poſſit.*

Ut hoc Maronis III. Æn.

Æneas hæc de Danais victoribus arma.

Et illud Martialis lib. VIII. ep. XIX:

Pauper videri Cinna vult: & eſt pauper.

Item hoc ejuſdem lib. VII. epig. XCIX:

Omnia Caſtor emit: ſic fiet, ut omnia vendat.

Etiam in Ἀνθολογίᾳ complura habes μονόστιχα *: ut Teonis lib. 1. tit. ult. in hebdomadem: item Coſmæ Mechanici lib. IV. tit. VIII; ubi & duo incerti, in centaurum: & Euodi in Echûs ſimulacrum eodem lib. tit. X.

(* Carmina unius verſiculi.)

6. §. *Nec propterea tamen iis accedimus, qui putant, epigramma non pluribus poſſe verſibus conſtare, quàm ternis, aut quaternis.*

Prius credidit Cyrillus; cujus illud proximè poſt Parmenionis epigramma, paullò antè adlatum:

Πάγκαλόν ἐστ' ἐπίγραμμα τὸ δίστιχον· ἢν δ' ὑπερέλθῃς
Τοὺς τρεῖς, ῥαψῳδεῖς, κοὐκ ἐπίγραμμα λέγεις.

Idem Clariſſimus Grotius ſic expreſſit:

Verſibus ex geminis bona ſunt epigrammata: quod ſi
Tres excedis; epos, non epigramma facis.

Alterum ſtatuit Sidonius Apollinaris lib. VIII. epiſt. IX: *Præterea, quod ad epigrammata ſpectat, non copiâ, ſed acumine placent; quæ nec breviùs diſticho, nec longiùs tetraſticho, finiebantur.*

7. §. *Quàm verò hæc falſa ſit ſententia; ſatis eſt apertum ex tot veterum epigrammatis; quæ ſunt hexaſticha, heptaſticha, octaſticha, enneaſticha, decaſticha.*

Imò & viginti diſtichorum eſt illud Martialis lib. 1. epigr. XLIX, quod in Licinianum. Ac L. verſuum elaboratum illud lib. III †. ad Baſſum, cujus initium eſt:

Bajana noſtri villa, Baſſe, Fauſtini.

(† Epigr. 58.)

Etiam, jam Martialis ævo, iſtiuſmodi epigrammata diſplicuere quibuſdam è Romanis: ſed imperitioribus; qualis ille Coſconius, quem Martialis magis idoneum ait, ut cum aurigis inungat rotarum axes, quàm ut de poëmatis judicium ferat. Sic enim ille lib. II. epigr. LXXVII:

Coſconi, qui longa putas epigrammata noſtra,
Utilis ungendis axibus eſſe potes.
Hac tu credideris longum ratione coloſſum,
Et puerum Bruti dixeris eſſe brevem.
Diſce, quod ignoras: Marſi, doctique Pedonis
Sæpe duplex unum pagina tractat opus.
Non ſunt longa, quibus nihil eſt quod demere poſſis.
Sed tu, Coſconi, diſticha longa facis.

Coſconius iſte, amore brevitatis, epigrammata ſua diſticho concludebat. Sed ſic quoque erant longa: quia nihil in iis erat argutum, vel ſalſum. Licet verò hæc ſingula fateamur; cavendum tamen, ne ſic epigramma excreſcat, ut elegia, ſimileve poema, videatur.

8. §. *Nec contenti eramus dicere, ſic vocari quodlibet breve carmen: ſed addebamus, duûm eſſe generum. Prius ſimpliciter indicat perſonam, factum, aut rem; ſive commendationis, ſive reprehenſionis, ſive ſimpliciter memoriæ ergo. Alterum ex propoſito aliud deducit; ſive illud majus ſit, ſive minus, ſive par, ſive contrarium.*

Prioris generis, quo aliquid indicatur, exemplum eſt hoc Martialis lib. 1. epigr. LXXV:

Dimidium donare Lino, quàm credere totum,
Qui mavult, mavult perdere dimidium.

Alterius generis, quo aliquid ex propoſito, quaſi ſubductâ ratione, colligitur, exemplum habemus in illo Catulli carm. VIII:

Quinctia formoſa eſt multis: mihi candida, longa,
Recta eſt. hæc ego ſic ſingula confiteor.

Totum

Digitized by Google

Totum illud formoſa nego. Nam nulla venuſtas,
Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.
Lesbia formoſa eſt: quæ cùm pulcherrima tota eſt,
Tum omnibus una omnes ſurripuit Veneres.

Deducitur in hoc genere majus, minus, par, vel contrarium.

Ac majus quidem, in primo epigrammate de amphitheatri ſpectaculis. Ubi poſt memoratum Ægyptiorum laborem in ſtruendibus Pyramidibus, Aſſyriorum in Babylone, Ionum in Dianæ Epheſiæ templo, aliorum item in cæteris orbis miraculis; hunc in modum definit:

Omnis Cæſareo cedat labor amphitheatro.
Unum pro cunctis fama loquatur opus.

Majus quoque deducitur lib. IX. epigr. IV; ubi concludit: utcumque ingentia ſint Jovis merita, plus tamen eum debere Domitiano: qui tot templa Jovi, & deorum aliis, excitârit. Falluntur, qui hîc minus colligi ſcripſerunt. Longe quidem Diis minor Domitianus. Sed videndum, quid voluerit Martialis: qui, ait, non poſſe Deos paria facere; ſed ſi Jupiter decidere rationes paret, fore, ut conturbatis rationibus, non dico ſortem, uſuramque, perſolvat; ſed nec unciam, ſive partem æris crediti, uſuræque, duodecimam.

E magis veriſimili de minus veriſimili probat lib. IX. epigr. XLIX. quod in Gallicum. Ubi, in perſona ſuą, hæredipetarum mores deſcribit, & quo pacto ſæpe hiantes illi corvi ſoleant eludi. Ait, ſe Gallici hæreditati inhiâſſe; illo viciſſim hoc agente, ut ab iis, quos hæreditatis ſpe lactaret, munera acciperet. Illum igitur juraſſe Martiali, fore ex quadrante hæredem. Ac propterea ſe dono miſiſſe aprum Calydonium. Sed, eo accepto, alios invitâſſe plurimos: ſibi ne hoc quidem honoris habitum eſſe, ut ultimus accumberet. Hinc ſatis ſe animadvertere, nihil de hæreditate ſibi ſperandum. Si enim, quod minus erat, non dederit; non eſſe veriſimile, largiturum id, quod longè ſit majus. Hic quoque videre oportet, non quid ſit majus; ſed quid veriſimile magis. Omnino autem à magis veriſimili venit ad id, quod minùs veriſimile.

Par inſinuat lib. I. epigr. LXII, ad Licinianum: ubi narrat, ut Verona Catullo ſit felix; Mantua Marone; Patavium Livio, Stellâ, Valerio Flacco; Ægyptus Apollodoro; Sulmo Ovidio; Corduba M. & L. Senecis, nec non Lucano; Gades C. Canio Rufo poëta; Emerita Auguſta Deciano Stoico. Colligit hinc fore, ut non minùs tum Liciniano ſuo, tum ſe etiam, gaudeat Bilbilis. Concludit enim, *Nec me tacebit Bilbilis.* Quaſi dicat, & ſe par decus ſcriptis ſuis meruiſſe: eoque non minora exſpectare.

A pari etiam eſt epigramma Catulli in Aſinium. Eo, cùm accuſâſſet illum, quòd tagaci ſiniſtrâ mappas convivarum involaret, ac ſua ſibi vellet remitti, ſic eum compellat:

Quare aut hendecaſyllabos trecentos
Exſpecta, aut mihi linteum remitte,
Quod me non movet æſtimatione;
Verùm eſt μνημόσυνον mei ſodalis.
Nam ſudaria Setaba ex Hiberis
Miſerunt mihi muneri Fabullus,
Et Veranius. Hæc amem, neceſſe eſt,
Ut Veraniolum meum, & Fabullum.

A contrario eſt, cùm gratias Ciceroni agit, & ſe cum eo confert, quaſi nimio diſtent intervallo, licet diverſo in genere. Sic enim, paucis interjectis, ſcribit:

Gratias tibi maximas Catullus
Agit, peſſimus omnium poëta,
Tanto peſſimus omnium poëta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Idem epigr. LXXXVI:

Odi, & amo: quare id faciam fortaſſe requiris:
Neſcio, ſed fieri ſentio, & excrucior.

Item Martialis lib. V. epigr. LXXXIV:

Inſequeris, fugio; fugis, inſequor. Hæc mihi mens eſt:
Velle tuum nolo, Dindyme: nolle volo.

Et lib. XII. epigram. XLVII:

Difficilis, facilis; jucundus, acerbus, es idem.
Nec tecum poſſum vivere, nec ſine te.

Ad contraria etiam refer, quod contradictorium dicitur. Ut *lugere*, & *non lugere*. Sic Martialis lib. I ep. XC:

Amiſſum non flet, cùm ſola eſt Gellia, patrem.
Cùm quis adeſt, juſſæ proſiliunt lacrymæ.
Non luget, quiſquis laudari, Gellia, quærit.
Ille dolet verè, qui ſine teſte dolet.

CAP. XX.

DE MODO TRACTANDI argumentum epigrammati conveniens.

1. §. *Vidimus, quid ſit epigramma, & quàm varium ejus argumentum, & ut duo ſint epigrammatum genera; hæc item in alia diſpeſcantur. Nunc oſtendam, aliter etiam variâſſe ejus tractandi modum, idque tam ratione rei, quàm dictionis. De re cognoſcimus præcipuè è reprehendendi modo. Nam qui vixerunt ſtante Rep. Romanâ, liberius, ac nominatim etiam, ſummos viros perſtringebant. Quemodo videmus Catullum nec Cæſari parcere, vel maximi nominis aliis.*

Itaque & viri principes ſibi à poëtis, ut ſatyricis, ac mimis, ſic epigrammatariis, cavebant. Quanto igitur magis à cæteris metuebantur! Quâ de re extremo de Imitatione opuſculo quædam ex Horatio adfero. Nunc, quia de Catullo proximè diximus; de hoc ipſo illuſtrem adferam Ciceronis locum ex lib. VII. epiſt. XI: ubi, ad Trebatium ſcribens, timere ſe ait, nę, ſi is tanto tempore cum Cæſare commoratus, inanis redeat domum; cùm à Decimo Laberio, mimorum ſcriptore dicaciſſimo, tum item à Valerio Catullo, epigrammatum conditore, multùm rideatur. Sic enim ait: *Sin fruſtra diutius abfueris: non modò Laberium; ſed etiam, ſodalem noſtrum, Valerium pertimeſco. Mira enim perſona induci poteſt Britannici juriſconſulti.* Scio de Catullo improbari hanc ſententiam à Paullo Manutio*. Mavult verò intelligere L. Valerium juriſconſultum; de quo Cicero lib. I. epiſt. ult. & epiſt. I. lib. III. Negat, convenire hoc Catullo, ut ſodalis Ciceronis, vel Trebatii, vocetur. Quaſi quicquam impedierit, quo minùs hoc à Tullio dici poſſit: cùm, quanti à Catullo haberetur, ex epigrammate eo † ad ipſum Ciceronem liqueat, quo gratias illi agit, eumque vocat diſertiſſimum Romuli nepotum, quot ſunt, quotque fuere. Et ſanè quanto meliùs, ubi de jocis ſermo, junguntur poëtæ duo, unus mimus, alter epigrammatum ſcriptor; de quorum ſalibus res conſtat: quàm poëta ſocietur cum Juris-conſulto! Ait Manutius, hoc ſi foret, poëtam vocaturum fuiſſe non Valerium, ſed Catullum. Quaſi interfuerit, num gentilitio nomine *Tullium* nominemus, an familiæ vocabulo *Ciceronem*: vel non æquè *Virgilium*, & *Horatium*, ſoleamus dicere, quàm *Maronem*, aut *Flaccum*.

* *In Commentario ad ea Ciceronis verba.*

† *Epig. 50.*

2. §. *At non eadem poëtis carpendi fiducia erat, quando Cæſares dominabantur. Unde eſt, quòd Martialis fictis nominibus perſtringere ſit contentus.*

Hoc Catulliani temporis, ſuique, diſcrimen ipſe adſignat in præfatione univerſi operis. Ubi, cùm dixiſſet, ſe *ludere, ſalvâ infimarum quoque perſonarum reverentiâ*; adjungit, *quæ adeo antiquis auctoribus defuit, ut nominibus non tantùm veris abuſi ſint; ſed etiam magnis. At mihi*, inquit, *fama vilius conſtet, & probetur in me noviſſimum ingenium.* Geminum etiam Martialis epigramma habemus lib. X: quorum utroque negat, ſe ullius epigrammatis eſſe auctorem, quo quis nominatim perſtringeretur. Prius ſic incipit ‡:

‡ *Lib. X. epigr. 5.*

Quiſquis ſtolave, purpurave contemtor,
Quos colere debet, læſit impio verſu,
Pontes per urbis erret exul, & clivos;
Interque raucos ultimus rogatores,
Oret caninas panis improbi buccas.

* Lib. 10. epig. 33. Alterum ita definit *:

Hunc ſervare modum noſtri novere libelli,
Parcere perſonis, dicere de vitiis.

De iſtiuſmodi felle ſic Sidonius carm. CXIX:

Aut mordax ſine felle Martialis.

3. §. *Sed ſive Catulli, ſive Martialis ætatem conſideres, in eo conveniunt, quod epigrammati* ſua ſit lingua, hoc eſt, mala; *ut Martialis* † *ipſe interpretatur. Seu verò priorem, ſeu alterum, imitari eſt lubido; illud ſemper cavendum, ne hæc lingua malitia damno ſit vel publico, vel auctori. Publico eſt noxia, ſi violemus bonos; quod non eſt boni. At ſapientis non eſt nocere ſibi: quod tamen faciunt, qui amicum malunt perdere, quàm dictum: nec grave ducunt violare eos, qui poſſunt ἀντιμυκτηρίζειν* ‡, *ſed gladio.*

† Præfat. lib 2.

‡ Viciſſim naſo ſuſpendere, atque irridere

Ut de Cn. Pompejo, Magni filio, C. Caſſius loquitur epiſtolâ ad Ciceronem *. Semper igitur cogitemus illud Senecæ in epigrammate quodam:

* Lib. 15. epiſt. 19.

Quare tolle jocos: non eſt jocus eſſe malignum.
Nunquam ſunt grati, qui nocuere ſales.

Ac præcipuè iſtud animo eorum obverſetur, qui, ardore aliorum famam proſcindendi, ſtylum acuunt in ſe longè meliores; ac, dum maledicis ſcriptis alios exagitant, non tam mores depingunt alienos, quàm ſuos.

4. §. *Hoc præterea cavendum, ne ſic culpemus ſeculi vitia, ut res ſpurcas referamus, & quidem, ſicut fieri ſolet, verbis Latinis, h. e. obſcenis. Quod qui faciunt, præterquam quod ſpurcitie verborum honeſtas aures vulnerant, etiam rebus iſtiuſmodi memorandis, dum narrant eas ſæpe eaſdem docent ignaros.*

In hoc Martialis turpiter ſe dedit. Qui etſi multum laudis meruit longè maximâ epigrammatum parte; tamen fœdis iſtis plus damni attulit. Quid igitur juvat, ſi voluerit corrigere ſpurcos mores: cùm hoc ſcribendi genere id potiùs ſit conſecutus, ut nullis æquè ſit in deliciis, quàm qui galbanis iſtis vivant moribus? Quod & de ſatyrico Juvenale jam olim conqueſti ſunt viri graves: ut videre eſt ex Ammiani Marcellini libro duodetrigeſimo.

5. §. *Satis diximus de ratione reprehendendi mores ſeculi: quod, ſi fiat, ut oportet, philoſopho dignum eſt argumentum. Videamus nunc de iſto, quod non ſolùm melle, & felle, commendantur epigrammata; ſed etiam ſale, & aceto: hoc eſt, dictis ſalſis, & acutis.*

Martialis lib. VII. epigr. XXIV:

Dulcia cùm tantùm ſcribas epigrammata ſemper,
Et ceruſſatâ candidiora nive;
Nullaque mica ſalis, nec amari fellis in illis
Gutta ſit; ô demens, vis tamen iſta legi.
Nec cibus ipſe juvat morſu fraudatus aceti:
Nec grata eſt facies, cui gelaſinus abeſt.
Infanti melimela dato, fatuaſque mariſcas:
Nam mihi, quæ novit pungere, Chia ſapit.

Atque ab hac laude, ſuâ etiam ætate, valde prædicabatur Martialis: qui de ſe ſic ſcribit lib. I. epigr. I:

Toto notus in orbe Martialis
Argutis epigrammatum libellis.

6. §. *Imò non ſolùm epigramma ſale, & argutiâ commendatur: ſed præcipua hæc ejus laus eſt; ut eâ parte ſimilia ſint apophthegmatis, in quibus idem uſu venit. Cumque epigramma nihil admittat inſulſi, frigidi, aut plebeii: maximè tamen in fine requiritur, quod acumine, aut lepôre, vel pondere, aliâve illecebra oblectet, inque intimos penetret ſenſuum receſſus.*

In fine enim, & aures, & animus, conquieſcunt: maximeque ea, quæ poſtremò dicuntur, inhærent, &, apum more, aculeum, ſed aliis, bonis ſaltem, innoxium relinquunt.

7. §. *Hæc de rebus dicta ſunto. Præterea verò, dictionis etiam ratione, non leve eſt diſcrimen inter illos, qui Romæ, ſtante Republicâ; quique ſub Cæſaribus, præſertim ſub Flaviâ gente, ac poſtea, vixerunt. Ut de priori tempore priùs dicam; Catullus eſt contentus vivos exprimere affectus nativâ elegantiâ, ac munditie, pede facili, & inelaborato. Nec Romani ante Valerium Catullum laude eâ caruerunt: ut oſtendunt Valerii Æditui, Porcii Catuli, & Q. Catuli verſus.*

Quos apud Agellium * Julianus Rhetor non dubitat Græcorum opponere facundiæ. Sed prætermiſiſſet verſus Q. Catuli: ſi ſciſſet, quod antea diximus, & priùs monitum Joſepho Scaligero, eos eſſe expreſſos è Græcis, hoc ſolùm excepto, quòd poeti Cephiſſi nomen immutârit. Vide maximi illius viri epiſtolam CCXLV, ad Claudium Salmaſium, tum magnam Reip. literariæ ſpem, nunc eximium ejus, & incomparabile ornamentum. Nec vitio hoc Catulo verterim. Omnino enim Græcis laudem hanc debent Romani, quòd ab iis prope omnia acceperint. Illis *dedit ore rotundo Muſa loqui*; ut ait Horatius †: iis *nihil negatum*, ut eſt apud Martialem ‡. Nec enim ad metri rationem hoc reſtringendum.

* Lib. 19. cap. 9.

† In Arte Poëtica.

‡ Lib 9. epigr. 12.

8. §. *At poſt Auguſti tempora, ſicut in Oratoria à declamatoribus inducta eſt affectatio acuminis, & ſententioſi, ut vocarunt, ſcribendi generis, ita cum epigrammatis etiam comparatum fuit. Atque hac in re imprimis à priſca ſimplicitate receſſerunt acuta Hiſpanorum ingenia. Ut nihil mirandum ſit, ſi multum adeò inter Veronenſem Catullum, ac Martialem Bilbilitanum, interſit.*

Hoc, quod de Hiſpanis diximus, maximè eluxit, ex Annæa gente. Nam & M. Annæus Seneca, philoſophi parens, id acutum ſcribendi genus uſurpavit in orationibus: & in philoſophia filius Lucius Annæus Seneca: & in tragœdiis, idem, aliique ex eâdem domo: in epico etiam carmine Annæus Lucanus: in hiſtoria quoque Annæus Seneca Florus.

9. §. *Inprimis verò ab epigrammate abeſſe verborum luxuries debet: Nam, quia brevitatem ſectatur, nihil otioſi, ac ſuperflui, admittit. Similiter verborum delicias refugit, ac ſimplicibus verbis argutari gaudet. Quid mirum? quando lenocinia iſta magis retundunt acumen, & quodammodo obſcurant.*

Hæc ſatis ſunt manifeſta ex Catullo, Martiale, epigrammatis à Petro Pithœo collectis, & Ἀνθολογίᾳ, quam, reſectis, ut poterat, obſcenis, dedit Maximus Planudes.

10. §. *Scribuntur epigrammata verſibus elegiacis, jambicis, tum rectis, tum claudicantibus, phalæciis; quandoque & heroicis, vel trochaicis.*

De heroicis aliqui negarunt: quos refellit Martialis lib. VI. epigr. LXV:

Hexa-

Digitized by Google

Hexametris epigramma facis? ſcio, dicere Tuccam.
Tucca, ſolet fieri: denique, Tucca licet.

De trochaicis conſtat ex illis, quæ jactata fuiſſe à militibus in Cæſaris triumpho, narrat Suetonius. Obſervant aliqui, magis in fine diſtichi elegiaci probari polyſyllaba, ſi epigramma, quàm ſi elegiam condamus. Item alia id genus minuta: quæ icciteo è metricæ artis libellis peti malo. Atque hæc de epigrammatis: quorum maximè commendantur, quæ, argutâ brevitate bonos laudando, culpando malos, emendant populi vitia. Quod ſanè majus quiddam eſt, quàm ludere, & jocari. Unde ſic Martialis lib. IV. epigr. XLIX.

Neſcis, crede mihi, quid ſint epigrammata, Flacce,
Qui tantùm luſus illa, jocoſque, putas.
Ille magis ludit, qui ſcribit prandia ſævi
Tereos, aut cœnam, crude Thyeſta, tuam.

Credo hoc epigramma ſcripſiſſe ad C. Valerium Flaccum Setinum Balbum, ſibi amiciſſimum, ut multis epigrammatis dilucet. Is, cùm caperetur carmine epico, ut Argonautica ejus oſtendunt: nihil mirum, ſi fuerit hortatus Martialem, ut miſſis epigrammatum luſibus, ac jocis, animum appelleret ad robuſtum carmen. Huic reſponſi illud dederit Martialis, nimis humiliter eum ſentire de epigrammate; qui non cogitet, ludos, jocoſque ſuos, eò ſpectare, ut cives ſuos reddat meliores: quo nihil melius poſſit philoſophus.

CAP. XXI.

DE EPITAPHIO.

1. §. *Ab epigrammate venio nunc ad epitaphia: quod ſeries, ac convenientia, exigere videntur, ſive laxiorem* epigrammatis *ſignificationem conſideremus, ſive ſtrictiorem ejus vocis uſum.*

Nam laxiùs ἐπίγραμμα eſt, quod alicui rei inſcribitur. At verſiculi, quos ἐπιταφίους dicimus, incidebantur ſepulcro. Sin ſtrictiùs accipiamus vocabulum *epigrammatis*; verſiculi ſepulcrales erant breve carmen, ſæpe etiam argutum; ut ſic quoque ad epigrammata pertineant preſſiùs acceptum. Quamvis verò non rarò hæc concurrant, ut idem propriè ſit ἐπίγραμμα, & ἐπιτάφιον: malui tamen ſeparatim de utroque agere; quia ut innumera ſunt epigrammata, hoc eſt, brevia, & arguta carmina, quæ tamen nullum habeant uſum in ſepulcris: ſic etiam longè plurima inſcribuntur ſepulcris, quæ non ſunt carmen ſepulcrale: cùm inſcriptiones hujuſcemodi ſæpe etiam fiant proſâ.

2. §. Ἐπιτάφιον ἆσμα *ſic vocatur vulgo, quia inſcribitur* ἐπὶ τῷ τάφῳ *. *Sed uſitatiùs antiquis* ἐπιτάφιος λόγος † *nominabatur, qui deceretur ad tumulum, ſive ſepulcrum. Ut liqueat, vocem* ἐπιτάφιος *naturâ ſuâ non minùs orationi ſolutæ convenire.*

* In ſepulcro.
† Oratio, ſive ſermo ſepulcralis

Talis eſt tributus Aſpaſiæ λόγος ἐπιτάφιος, apud Platonem in Menexeno. Qui ſic placuit Athenienſibus, ut quotannis publicè recitaretur. Sed hic ſolùm agimus de carmine ἐπιταφίῳ ‡; quod Latinis *carmen inciſum ſepulcro*. De quo Maro Ecl. V.

‡ Inſcripto in ſepulcro.

Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen.

Item Cicero pro Archia: *Decimus quidem Brutus, ſummus vir, & imperator, Attii amiciſſimi ſui carminibus templorum, ac monumentorum aditus exornavit ſuorum.* Idem Cicero *epigramma* appellat lib. V. Tuſcul. Quæſt. Ubi agens de Archimedis ſepulcro, quod Syracuſarum civitas ignoràſſet, niſi didiciſſet ab homine Arpinate, ſic inter alia ſcribit: *Cùm patefactus eſſet aditus, ad adverſam baſim acceſſimus. Apparebat epigramma exeſis poſterioribus partibus verſiculorum, dimidiatis ferè.* Eſt & Agellii lib. I. Noct. Att. cap. XXIV. *Trium poëtarum illuſtrium epigrammata, Cn. Nævii, M. Plauti, M. Pacuvii, quæ ipſi fecerunt, & incidenda ſuo ſepulcro reliquerunt, nobilitatis eorum gratiâ, & venuſtatis, ſcribenda in his commentariis eſſe duxi.*

3. §. *In epitaphio brevitas requirebatur: uti in omni epigrammate.*

Unde Ovid. lib. XIV. Metam.

—— Urnâque Æneia nutrix
Condita marmoreâ tumulo breve carmen habebat.

Idem lib. III. Faſt. de Didûs tumulo:

—— Tumulique in marmore carmen
Hoc breve, quod moriens ipſa reliquit, erat.

Et epiſtola Hypermneſtræ ad Lyncæum:

Sculptaque ſunt titulo noſtra ſepulcra brevi.

Item Martialis lib. X. epigr. LXXI.

Quiſquis læta tuis, & ſera parentibus optas
Fata, brevem titulum marmoris hujus ama.

4. §. *Itaque interdum & uno conſtabat verſu.*

Sic Maro in Eclogis: tumulo Daphnidis inſcriptum ait:

Daphnis ego in ſilvis hinc uſque ad ſidera notus.

Ovid. lib. II. Metam.

Corpora dant tumulo, ſignant quoque carmine ſaxum.
Hic ſitus eſt Phaëton, currus auriga paterni.

Etiam apud Phocam, verſibus de Virgilio, eſt hoc monoſtichum:

Hic Balliſta jacet: certo pede perge, viator.

5. §. *Sæpius verò diſticho comprehendebatur.*

Ut hoc Q. Ennii de P. Scipione Africano:

Heic eſt ille ſitus, quoi nemo civi' neque hoſtis,
Quibit pro factis reddere operæ precium.

Lucilius lib. XXII. Satyr. II.* de ſervo ſuo;

Servu' neque infidus domino, neque inutili' quoiquam,
Lucili columella hic ſitu' Metrophanes.

* Apud Donatum in Phorm. act 2. ſc. 1. & quod ad verſum poſteriorem, apud Martialem lib. 11. epig. 19.

Maroniano hoc quid notius?

Mantua me genuit. Calabri rapuere. Tenet nunc
Parthenope. Cecini paſcua, rura, duces.

Tibullus lib. III. eleg. II.

Sed triſtem mortis demonſtret litera cauſſam,
Atque hæc in celebri carmina fronte notet:
LYGDAMUS *hic ſitus eſt. Dolor huic, & cura Neæræ*
Conjugis erepta, cauſſa perire fuit.

Sibi etiam diſtichi contentus eſt titulum facere lib. I. eleg. III.

Quòd ſi fatales jam nunc explevimus annos
Fac lapis inſcriptis ſtet ſuper oſſa notis:
Hic jacet immiti conſumtus morte Tibullus,
Meſſallam terrâ, dum ſequiturque mari.

Fuit iiſdem, ac Tibullus, temporibus Puppius, poëta tragicus; ut cognoſcimus ex illo Horatii lib. I. epiſt. I.

Ut propius ſpectes lacrymoſa poemata Puppi.

Ubi *lacrymoſa* valet δακρυόεντα, *lacrymas cientia*: quod in tragœdia laudandum. Ad hæc verò Horatii verba annotavit Acro tale Puppium ſibi feciſſe carmen epitaphium:

Flebunt amici, & benè noti, mortem meam †.
Nam populus, jam me vivo, lacrymavit ſatis ‡.

† Alii, morte in mea.
‡ Al. lacrymatus eſt. Sed alterum malim.

Ovidius lib. III. Faſt. tale fingit carmen Didûs inſcriptum ſepulcro:

Præbuit Æneas & cauſſam mortis, & enſem:
Ipſa ſuâ Dido concidit icta manu.

Etiam ipſe ſepulcro ſuo incidendum diſtichon refert lib. III. Triſtium eleg. III.

Quoſque legas verſus oculo properante, viator,
Grandibus in tumuli marmore cæde notis:

Digitized by Google

Hic ego qui jaceo tenerorum luſor amorum,
Ingenio perii Naſo poëta meo.

Virginius Rufus hæc inſcribi juſſit: ut eſt apud Plinium libri VI. epiſt. X.

Hic ſitus eſt Rufus; pulſo qui Vindice, quondam
Imperium aſſeruit non ſibi, ſed patriæ.

Cujus rei etiam Xiphilinus meminit in Nerva. Eſt & Martialis lib. VI. epig. LII.

Hoc jacet in tumulo, raptus puerilibus annis,
Pantagathus, domini cura, dolorque, ſui.

6. §. *Rarius triſticho condita invenias.*

Tale interim hoc Plauti, è Varronis lib. de Poëtis ab Agellio* adductum:

* Lib. 1. cap. 24.

Poſtquam eſt morte † datus Plautus, Comœdia luget.
Scena eſt deſerta. dein riſus, ludu', jocuſque ‡.
Et numeri innumeri ſimul omnes collacrymarunt.

† Antiquè morte pro morti. Alii, mortem aptus, à verbo apiſci, pro compoſito adipiſci.

‡ Al. hinc ludus, riſuſque, jocuſque. Videlicet eo mutarunt, quia non cogitarent, poſtremam eſſe deſerta porrectam ob penthemimerim.

Ubi per *numeros innumeros* non carmen pariter, ac proſam, cum magno Turnebo ‡ capere oportet: ſed (ut ὀξύμωρον ſit) numeros Comicos; qui quodammodo lege ſunt ſoluti. Nempe, ut ait Terentianus Maurus.

In metra peccant arte, non inſcitiâ.

Non audiendus autem Valens Acidalius*, cùm cenſet, quatuor fuiſſe jambicos ſenarios. Et ſanè, ut de duobus primis, & quarto, aſſentiremus; in tertio ipſe conſtituendo, velut in Charybdi, laborat.

7. §. *Uſitatius erat, ut conſtringerentur tetraſticho.*

Tale hoc Cn. Nævii apud Agellium †, quod compoſitum ex jambicis ſenariis hypercatalecticis:

Mortales immortales flere ſi foret fas,
Flerent divæ Camenæ Nævium poëtam.
Itaque poſtquam eſt Orcino traditus theſauro,
Obliti ſunt Romæ loquier linguâ Latinâ.

Niſi verſu primo cum Paſſeratio ‡ malis:

Immortales mortales ſi fas eſſet flere.

Ac verſu poſtremo:

——linguâ loqui Latinâ.

‡ Lib. 10. Adverſ. cap. 12.

* Plautinarum divination. l. 1. cap. 1.

Tetraſtichon item eſt hoc epigramma Pacuvii, quod Agellius † dicit eſſe, *verecundiſſimum, & puriſſimum, dignumque ejus elegantiſſimâ gravitate.*

† Lib. 1. cap. 24.

Adoleſcens tametſi properas, hoc te ſaxum rogat,
Uti ad ſe adſpicias; deinde, quod ſcriptum eſt, legas.
Hic ſunt poetæ Marci Pacuvii ſita
Oſſa. Hoc volebam neſcius ne eſſes. Abei.

‡ Præfat. in Plautum.

‡ Lib. 1. cap. 24

Sed primus verſus laborat geminæ ſyllabæ exceſſu. Quare reſcribo:

Adoleſcens, tamenetſi properas, ſaxum hoc rogat.

Tamenetſi, pro *tametſi*, non apud Comicos modò legas; ſed etiam Ciceronem, & Cæſarem: ut Lucanum, Senecam, Ulpianum, & alios, mittam. Nec tamen damnem lectionem hanc Valentis Acidalii*:

* Initio Plautinarum Divinat.

Adoleſcens, tametſi properas, te hoc ſaxum rogat.

Ut ſecunda vox δισυλλάβως † efferatur. Atque idem malebat verſu ſecundo:

† Duabus ſolùm ſyllabis.

Uti ad ſe adſpiciens endo quod ſcriptum eſt legas.

Endoſcriptum, pro *inſcriptum*: ut *endoplorare*, pro *implorare*; *endofeſtare*, pro *infeſtare*, ſimiliaque: de quibus ago in Originum libris.

8. §. *Diſcrimen verò hic aliquod ſe offert inter Græcos, Romanoſque. Nam Græci, ſæpe quidem paucioribus; at non pluribus, quàm quaternis verſibus Heroicis, epigramma abſolvebant. In cauſſa erat, quòd zophorus, ſive coronis, haut plures ejus longitudinis admitteret. Latini verò ſubinde etiam hunc numerum excedebant.*

Ita quinque heroicorum eſt elogium, quod ſe Paulæ ſepulcro inciſiſſe ait B. Hieronymus, extrema epiſtolâ ad filiam ejus Euſtochium:

Scipio quam genuit, Pauli fudere parentes,
Gracchorum ſoboles, Agamemnonis inclyta proles,
Hoc jacet in tumulo: Paulam dixere priores:
Euſtochii genitrix, Romani prima ſenatûs,
Pauperiem Chriſti, & Bethlemitica rura ſecuta.

Atque idem ſex hoſce verſus in fronte ſpeluncæ incidi curavit:

Adſpicis anguſtum præciſâ rupe ſepulcrum?
Hoſpitium Paulæ eſt, cæleſtia regna tenentis.
Fratrem, cognatos, Romam, patriamque relinquens,
Divitias, ſobolem, Bethlemiti conditur antro.
Hic præſepe tuum Chriſte, atque hic myſtica Magi
Munera portantes hominique, Deoque, dedere.

Imò in quibuſdam locis additur;

Hic fruitura locis felix, ubi dona Magorum.

Sed jure eum verſum redundare, exiſtimat Eraſmus.

Complura etiam heroica, quæ quaternarium excedant, invenias in Pithœanâ Epigrammatum veterum Collectione lib. III. qui eſt de epitaphiis, & tumulis: item in Inſcriptionum Collectione Gruterianâ. Unum adſcribam in Soranum, militem Batavum Hadriani imperatoris, quod in ripa Danubii prope Budam ſepulcro inciſum legere eſt:

Ille ego Pannoniis quondam notiſſimus oris,
Inter mille viros primus, fortiſque Batavus;
Hadriano potui qui vindice, vaſta profundi*
Æquora Danubii cunctis tranſnare ſub armis;
Immiſſumque arcu, dum pendet in aëre telum,
Et redit, ex alia fixi, fregique ſagittâ;
Quem neque Romanus potuit, neque Barbarus unquam,
Non jaculo miles, non arcu vincere Parthus;
Hic ſitus, hoc memori ſaxo mea facta ſacravi.
Viderit, anne aliquis poſt me mea geſta ſequatur:
Exemplo mihi ſum, primus qui talia geſſi.

* Al. Trajano: ſed perperam. Nempe Hadriano τῇ συνιζήσει fit triſyllabum. At ſic ex Gerardi Noviomagi, & Verderii ſchedis legas in Gruterianis Inſcriptionibus pag. 562. num. 3.

At elegiacorum, quæ pluribus, quàm quaternis, conſtent verſibus, ea eſt copia, ut pigeat aliqua excerpere. Quod ipſum de jambicis dixero.

9. §. *Alterum etiam eſt, in quo Romanus mos diſtiterit à Græco. Romani enim plurimùm maluere ſolutâ oratione breviarium rerum geſtarum inſcribi monumento.*

Atque id partim, quia faciliùs eſſet ſolutâ oratione breviter, & perſpicuè, multa complecti: partim quia præſtare arbitrarentur, ut ex magnitudine geſtorum, quàm ex poëtæ inventione, atque ingenio, æternum conſequerentur nominis decus.

10. §. *Epigramma* ἐπιτάφιον † *ſcripturo deeſſe nequit argumentum; modò animum circumferre valet per omnes defuncti* περιστάσεις ‡. *Ut ſi conſideret ejus genus, patriam, ætatem, ſexum, facta, dignitatem, honores, mortis genus, honorum dolorem, quæque ad ſolatium pertinent.*

† Sepulcrale.

‡ Circumſtantias.

De his omnibus multa in Oratoriis Inſtitutionibus diximus; quæ non minùs in carmine habeant locum.

11. §. *Admodum autem vulgare eſt hodieque, gentilium inſtar, invehi in Ditem, Proſerpinam, Parcas; illiſque odium creare, quòd optima quæque rapiant primò: imò quicquid regit terras, & humanum genus, impietatis, ac crudelitatis arguere, quòd ſpem, vel decus patriæ, æternum vivere digniſſimum, triſtibus Orci tenebris præ invidia addixerint. Qualia licet pro luſibus, ac floſculis, & deliciis poëticis, cenſeantur: veriùs tamen habenda pro impiis; nec poëtæ magis conceſſis, quam cæteris.*

Scio,

Digitized by Google

Scio, contrà præcipere Thomam Corræum libro de conficiendis epigrammatis cap. XIX; DECET, inquit, *invehi in mortem, accuſare Parcas, ſolem, qui adſpexit, & paſſus eſt; in Lunam, & diem, qui non omnia obduxit nebulis.* Equidem multa feram in poëtis: ſed non ut, ipſi innumeris culpis immerſi, culpent bonitatis omnis fontem, & ore impio oblatrent Fata, ſive potiùs divinam voluntatem: cui acquieſcere ſemper debet homo Chriſtianus.

12. §. *At illud non invenuſtum, alloqui tumulum, vel urnam, quæ continet vitâ functum: vel Academiam, curiam, forum, patriam, quæ amiſit: vel religionem, aut fidem, ſi ſacerdos erat, vel vir pietate eximius. Mos etiam alloqui numina gentilium; quod in hymnis quidem, & ſacris poëmatis, prorſus improbandum; ut quæ hîs magis polluantur, quàm ornentur: ſed in epitaphiis, & luſibus aliis, magis ferri poſſe arbitror: quia jamdiu eſt, quòd, deſitâ inter Chriſtianos religione gentili, ea quodammodo exſuerint ſignificationem antiquam; nec tam nomina ſint numinum, quàm naturæ partium, vel affectionum: Apollo videlicet Sol; Neptunus mare, & ſic in cæteris. Quare fortaſſe poëta jus ſit in epitaphio, alloqui Apollinem, ſi defunctus fuerit medicus, vel poëta; ubi & Muſæ compellantur; Themidem, ſi Juriſconſultus; Martem, ſi imperator, aut miles; præcipuè ſiquis bello ceciderit; Neptunum, aut Nymphas, ſi nauta, vel ſiquis aquis perierit; vel Venerem, & Charites, ſi virgo venuſta, vel femina, quæ una omnibus Veneres, & Charites, ſurripuiſſe videatur; atque ita in cæteris.*

Atque hæc de alloquio Deorum non minùs in funebri elegia, aliove longo carmine, quàm in brevi epitaphio, locum habent. Exemplorum abunde eſt apud poëtas. Quare non ultra inſiſtam: niſi hoc præterea aliquis ſcire avet, ſolere epitaphii literas minio tingi. Cujus cauſſam Plinius adfert lib. XXXIII. cap. VII: *Minium in voluminum quoque ſcripturâ uſurpatur; clarioreſque literas vel in auro, vel in marmore etiam, in ſepulcris facit.* Ejuſmodi hoc loco plura adferrem, niſi ad artem Poëticam nihilo magis pertinerent.

CAP. XXII.

DE SYLVIS.

1. §. *Sunt & alia, quæ vel ad epigrammata, vel aliud ex iis, quæ diximus, carminis genus poſſis referre. Sed ea cum exiguo conſtent artificio, ſatis cognoſcuntur ex aliorum præceptis. In iis quoque reponere Sylvas licet.*

Atque huc etiam refert Antonius Lullus Balearis lib. VII. de Oratione cap. V. *Inter epigrammata*, inquit, *ſunto etiam Sylvæ.* Et favet quodammodo Statius Papinius præfat. in lib. II. Sylvarum; ubi ſic ſcribit ad Meliorem Atedium, cui ſylvam tertiam de Arbore Atedii, & quartam de ejus pſittaco, inſcripſit: *Arborem certè tuam, Melior, & Pſittacum, ſcis à me leves libellos, quaſi epigrammatis loco, ſcriptos.* Interim cùm epigrammatis loco ſcriptos dicat; patet, non ſubjici epigrammati, ſi propriè, anguſteque, hoc nomine utamur.

2. §. *Sunt verò Sylvæ, quæ Græci vocant σχεδιάσματα: puta carmina ſubito effuſa calore, nec anxiâ curâ ad incudem revocata. Quod ſi fieret, Sylvæ eſſe deſinerent.*

Id non ſatis perſpexit eruditus Rhetor, Antonius Lullus Balearis, loco antè memorato: ubi ſic ſcribit: *Sylvas ita dixerunt, tum quòd variis ex poëmatis conſtarent: tum quòd oblatam temerè materiam ex tempore, & ſtylo veloci, percurrerent, & tractarint, dum calor menti inſideret: poſtea verò repeterent, & verba emendarent, componerentque, jam non ex calore, ſed ex judicio.* Non inficias ero, verſus ſubito effuſos, relectos eſſe bis, ter, quater, vel ampliùs: quandoque etiam noctem, ac fortaſſe & alteram interceſſiſſe, priuſquam à pangendo, & ſubinde etiam ſtylum vertendo, abſiſteret poëta. Sed quantillum hoc præ illo, ut poëma, non nonum dico in annum, vel annum unum etiam, imò menſem, vel etiam hebdomadem unicam adſervetur. Statium audiamus Papinium, qui præfatione lib. I. Sylvarum poëmatia ejus libri vocat *libellos, qui ſubito calore, & quadam feſtinandi voluptate, ipſi fluxerant.* Adjicit deinde, *illa ſolam habere gratiam celeritatis:* &, ut certum ſpatium determinet, adjungit, *nullum ex illis biduo longius tractum; quædam & ſingulis diebus effuſa.* Quid iſtis manifeſtius? Miram etiam feſtinationem, ſine limæ acceſſione, indicant hæc ejuſdem in præfat. lib. II. Silvarum; Ubi Meliorem Atedium ſic affatur de epicedio in Glauciam, ejuſce Atedii libertum, patrono dilectiſſimum, ac Martiali etiam memoratum: *Primum* (opuſculum) *habet Glauciam noſtrum, cujus gratiſſimam infantiam, & qualem plerumque infelices ſortiuntur, apud te complexus amabam. Jam verò tibi hujus amiſſi recens vulnus, ut ſcis, epicedio proſecutus ſum, adeò feſtinanter, ut excuſandam habuerim affectibus tuis celeritatem. Nec nunc eam apud te jacto, qui noſti: ſed cæteris indico; nequis aſperiore limâ carmen examinet, & à confuſo ſcriptum, & dolenti datum; cùm penè ſupervacua ſint tardi ſolatia.* Ac ſimilia, quæ poſtea de ſequentibus ſubdit poëmatiis. Epiſtolâ etiam libro Silvarum tertio præmiſſâ legas: *Tibi certè, Polli dulciſſime, non habeo probandam diu libellorum iſtorum temeritatem; cùm ſcias, multos ex iis in ſinu tuo ſubitò natos, & hanc audaciam ſtili noſtri frequenter expaveas.*

3. §. *Utcunque verò ſylvas ad epigrammata referri videas; in eo tamen abeunt, quod longius producantur: ut ex Papinianis ſylvis videre eſt.*

Sidonius Apollinaris, proſâ quam Carmini XXII. in Burgum Pontii Leontii ſubjecit: *Siquis carmen prolixius eatenus duxerit eſſe culpandum, quod epigrammatis exceſſerit paucitatem, iſtum liquido patet, neque balneas Hetruſci, neque Cumas Flavii Earini* (ita, non *Sabini*, legi debere, ex eo, quòd in tertio Sylvarum ſic carmen id inſcribatur, optimè obſervatum clariſſimo, & præclarè de literis merenti, Petro Scriverio) *neque Tybur Vopiſci: neque omnino quicquam de Papinii noſtri Sylvulis lectitâſſe: quas omnes deſcriptiones vir ille præjudicatiſſimus, non diſtichorum, aut tetraſtichorum, ſtringit anguſtiis: ſed potiùs, ut Lyricus Flaccus in artis poëticæ volumine præcipit, multis, iiſdemque purpureis locorum communium pannis, ſemel inchoatas decenter extendit.*

4. §. *In ſylvis principatum nunc obtinet Papinius: ante quem Sylvas etiam ſcripſerat Annæus Lucanus; ſed deperierunt.*

Teſtis locuples nobis Grammaticus antiquus in vita Lucani: quam ex codice antiquiſſimo primus edidit Johan. Britannicus: ubi legas, poëtam eum, præter reſiduos lib. X. de bello Civili, ſcripſiſſe etiam Lytra Hectoris, Iliacon, Saturnalia, Catacauſmon, ſive de incendio Romæ, Sylvarum libros X, atque alia: de quibus fortaſſe operæ ſit videre, quæ diximus lib. I. de Hiſtoricis Latinis cap. XXVI.

Atque

Atque hîc finio Artis Poëticæ præcepta. Quorum uſum partim oſtendam opuſculo, quod lucubravi de Imitatione, cùm Oratoriâ, tum Poëticâ: partim libris pluribus de temporibus, & operibus Græcorum, Latinorumque poëtarum; non eorum modò, qui ſuperſunt; ſed etiam, qui injuriâ temporum perierunt. Neque hæc diu à me efflagitari ſinam, ſi divina bonitas tot moleſtiis implicito, ſæpius etiam adverſis preſſo, longiorem vitæ uſuram, ac pro gravi hac ætate valetudinem non incommodam conceſſerit. Faciliùs hoc me conſequi poſſe confido; ſi tu, Benevole Lector, qualeſcunque labores noſtros putabis non inutiles fore Reip. literariæ; eoque auctoris etiam dignaberis meminiſſe in precibus tuis ad Deum, datorem illum omnis boni, fontemque unicum: à quo poſt vitæ hujus bona, malaque, meliora, majoraque, in altera exſpecto. Quæ ipſa etiam Lectori meo voveo, exoptoque.

LIBRI TERTII INSTITUTIONUM POETICARUM

FINIS.

GERAR-

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE


IMITATIONE

cùm Oratoriâ, tum præcipuè Poëticâ;

DEQUE

RECITATIONE VETERUM,

LIBER.



AMSTELODAMI,
Ex Typographia P. & J. BLAEV,
Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
à SOMEREN, & GOETHALS,
M DC LXXXXVI.

Digitized by Google

NOBILISSIMO,

Ampliſſimo, ac Clariſſimo Viro,

JACOBO CATSIO,

Equiti, Præpotentium Hollandiæ, ac Weſtfriſiæ Ordinum Syndico Supremo, Magni Sigilli Cuſtodi,

GERARDUS JOANNES VOSSIUS

S. P. D.

QUamquam ingenii mei vires ſint exiguæ, virtus tua incredibilis; cui tantum quoque luminis interiores addunt literæ: auſus tamen ſum iterum uſurpare præclarum nomen tuum; eique inſcribere etiam hoc de Imitatione opuſculum. Nec feci illud ſtudio laudandi tui; cui ſatis eſt laudator unus, ſatis nullus: ſed cùm adſiduè merita tua animo obverſarentur meo; viſus ſum gemino cultus, ac devotionis argumento, meliùs obſervantiam in te meam proditurus poſteris; ad quos doctrinam, & famam decuſque propagant literæ, unicum immortalitatis inſtrumentum. Præterea cùm raro in te exemplo concurrant, ut omnibus, iis potiſſimùm, qui in illuſtri Ampliſſimorum Ordinum Conſeſſu pendêre ab ore tuo ſolent, vir habearis, ut patriæ amans, ſic inprimis prudens, ac diſertus: atque idem aureis dramatis, ac verſibus ad publicam morum emendationem compoſitis, jamdiu Poëtæ eximii nomen ubique ſis conſecutus: ad quem potiùs eum, qui de Oratoria, ac Poëtica imitatione, ſcriberet, ire oportuit, quàm Te, Vir maxime; qui, ut in ſtudiorum aliis, ita præcipuè in hujuſmodi argumento, ſcires, quid eſſet χρήσιμον & laudabile; ac culpis poſſes præfigere nigrum theta, ne alius iis trahatur in errorem. Jam quàm gratum mihi, quòd non modò argumentum intelligis; ſed etiam quia intelligis, amas auctorem. Qui mihi affectus verè pro auro: imò præ auro.

Nec animus eſt ultrà de hoc procudere ſermonem. Quàm enim malè minuto libello conveniret ingens prologus galeatus! Quod autem in ipſo opuſculo brevior fuerim, ex eo eſt, quòd ſufficere putarem, ſi paucis mentem meam exponerem; quia cætera aliunde peti poſſent. Ut prætercam, quòd, cùm hæc nôſſe interſit juventutis, ab ea inprimis legi vellem: illa verò naturâ ſit proclivis ad otium, & deſidiam; nec aliud æquè averſetur, quàm quos vocare ſolet longos logos. Quod ſi nihilominus opella hæc placere poſſit tantæ virtutis, doctrinæ, & dignitatis viro: abunde mihi compenſatus labor videtur. Sin minùs: ſed nolo malè mihi ominari, cùm ſciam, te ſolere

Meas eſſe aliquid putare nugas.

Amſtelodami. cIↃIↃCXLVII. Prid. Non. Sextiles.

Digitized by Google

BENEVOLE LECTOR,

SI moleſtum tibi non fuerit, Reip. literariæ tempora retro legere jam inde a proavorum ætate, vel paullò ulteriùs etiam rem arceſſere: ſatis conſpicuum erit, quomodo controverſia de Imitatione, tam in dicendo, quàm carmine pangendo, magnis ſtudiis, nec minori animorum contentione, agitata fuerit diutiſſimè à viris longè doctiſſimis, maximoque diſſitis locorum intervallo. Nam, ut inde initium faciam, unde ſtudia cultiora in reliquam ſe Europam primò diffuderunt; ex Italia continuò ſe offerent, Angelus Politianus, Paullus Corteſius, Joannes Franciſcus Picus, Petrus Bembus, Cælius Calcagninus, Bartholomæus Riccius: qui omnes, nec omnes tamen dixi, non ſine laude egregium hoc argumentum tractarunt. Atque idem in Hiſpania factum fuit à Sebaſtiano Foxio, & Ferdinando Matamoro. In Germania autem, ac Belgica, à Camerario, Omphalio, Bernardino Parthenio Spilimbergio, Joanne Sturmio, Andrea Schotto. Ex Pannonia, à Joanne Sambuco. Præcipuos retuli. Longum enim fuiſſet, ſi univerſos ex iiſdem terris memorare voluiſſem: multò etiam longius futurum, ſi addere præterea vellem aliis terris natos. Poſt operam tamen tam multorum, quique in literis noſtris nomen, decuſque, non leve geſſerunt; rogatus ſum à pluribus, ut ipſe etiam hac de re exponerem ſententiam meam. Sive verò hoc egerint, quia necdum in eos incidiſſent ſcriptores, quos antea laudavimus: ſive quia & breviùs hanc materiam conſtringi, & aliquid etiam novæ lucis affundi à me poſſe arbitrarentur: equidem parui iis; idque eò lubentiùs, quòd quæ de arte Oratoria, ac Poëtica, fusè adeò tot eſſem libris complexus, ſuo quaſi jure hoc à me depoſcere, vel etiam efflagitare, viderentur; quò ſic præceptorum omnium uſus in utrâque eloquentiâ clariùs eluceret. Nam cui bono arma, ſi uſum neſcias? Atqui ut poëtæ ajunt, Vulcanum arma in officina ſua fabricare; nec ipſum tamen uti; ſed tradere mox Achilli, vel Æneæ: ſic ars Rhetorica, ac Poëtica, cudunt tum notiones, ut vocant, ſecundas; tum præcepta varia: uſum verò eorum, quæ fabricarunt, Oratori relinquunt, vel Poëtæ. Præterea ut faciliùs in iſto morem gererem amicis, illud fecit, quòd dicerent, ſe ſcire, & ætatem, & occupationes meas; ac propterea nihil aliud petere, quàm paucarum pagellarum operam, eamque minimè operoſam. Honeſta mihi eorum viſa eſt oratio: quandoquidem & ipſe innumera bene dicta ex aliis peti mallem: ut qui nihil minus in animo haberem, quàm ut doctiſſimorum hominum ſcripta excuterem de manibus juventutis. Aggreſſus igitur ſum hoc quicquid eſt laboris. Quod quia partim ſcribendi, partim corrigendi operâ, continetur; eò poſtquam de Imitatione dixiſſem, agendum mihi quoque putavi de Recitatione, quâ veteres alienum judicium cognoſcebant. Unde & Silius Italicus, ut de eo Plinius * teſtatur, nonnunquam judicia hominum recitationibus experiebatur. Et à ſe id fieri ſolere, Plinius † narrat. Eſt omnino hoc majus quiddam; quàm arbitrantur vulgò. Siquidem ex alieni judicii cognitione plurimùm conſequitur mutatio, atque emendatio noſtri. Ut veriſſimè à Theophraſto * dictum ſit, Αἱ ἀναγνωρίσεις ποιοῦσιν ἐπανορθώσεις recitationes pariunt emendationes. Cui dicto bracteato utinam ævo noſtro magis eſſet fides! Reducto enim recitandi more, non toties homines, etiam erudititiſſimos, eorum, quæ jam omnium manibus verſarentur, pœniteret ſerò; poſtquam nullus amplius emendationi relictus eſſet locus. De tam utili inſtituto haut provehar longiùs; non tam, quòd uſque adeò verborum parcus eſſe ſoleam, quàm quia malim cætera ex ipſo opuſculo cognoſci.

GERAR-

* Lib. 3. epiſt. 6. † Lib. 7. epiſt. 17. * Apud Laërtium in ejus vita.

GERARDI JOANNIS VOSSII DE IMITATIONE, CUM ORATORIA, TUM PRÆCIPUE POETICA, LIBER, DEQUE RECITATIONE VETERUM.

Cap. I.

Argumentum operis: quid ſit imitatio, et an ea ſit neceſſaria.

1. §. *Compluribus libris, tum de facultatis Oratoriæ, tum de artis Poëticæ natura, ac præceptis, antehac vidimus. Sed mutilus omnis hic labor fuerit, niſi etiam acceſſerit ille de uſu, ſive exercitatione eâ, cui animus, poſtquam præcepta hauſimus, applicari ſolet, ac debet. Hæc potiſſimùm in imitatione conſiſtit: per quam intelligo conformationem noſtri ad alterius exemplum, ut ejus ſimiles fiamus.*

MAgnus in eo veterum eſt conſenſus *, tribus eſſe opus ad comparandam eloquentiam; ſive eam, quæ eſt Oratorum, ſive illam Poëtarum. Eorum primum ſtatuunt naturam, quæ incipit; alterum artem, quæ dirigit; tertium verò uſum, qui perficit. Unde ſolum hunc artifices facere ait poëtarum ingenioſiſſimus †. Uſus verò nomine hic intelligitur omnis illa exercitatio, quæ artis præcepta conſequitur; quaque dicendi, vel carminis pangendi, firma quædam facilitas comparatur. Sic enim Fabius Latinè reddit, quod Græci ἕξιν vocant, ac vulgò in ſcholis, non quidem ex uſu veterum, attamen verbo ad verbum non incommodè expreſſo, *habitum* appellant. Verba ejus ſunt lib. x. cap. 1. *Sed hæc eloquendi præcepta, ſicut cognitioni ſunt neceſſaria, ita non ſatis ad vim dicendi valent; niſi illis firma quædam facilitas, quæ apud Græcos ἕξις nominatur, acceſſerit.* Paullò pòſt vocat optimam, ac facillimam, faciendi aliquid rationem. Sic enim loquitur: *Eum, qui res invenire, & diſponere ſciat; verba quoque & eligendi, & collocandi, rationem perceperit; inſtruamus, quâ ratione, quæ didicit, facere quàm optimè, & quàm facillimè, poſſit.* Ubi cauſſam ab eo afferri videmus, cur, cùm novem prioribus libris artis Rhetoricæ præcepta eſſet complexus; decimo aggrediatur ea, quæ ad uſum pertinerent. Qualis eſt exercitatio ſtyli; quem Cicero quoque pro Rabirio vocat *magiſtrum optimum*: clareque primo de Oratore inquit, *magiſtrorum omnium præcepta ſuperare.* Atque eâdem mente *ſtylus dicendi opifex* eidem vocatur lib. 11. epiſt. xxv. ad Fabium Gallum. Pluraque de eo afferrem, niſi hoc alibi ‡ feciſſem.

* Ariſtoteles lib. 3. Rhetoric. cap. 12. & apud Laërtium in vita Ariſtot. item Plutarch. de liberis educandis.
† Lib. 2. de Arte Amandi.
‡ Libro de Natura, ac Conſtitutione Rhetoricæ cap. 8.

Fabii igitur exemplum ſequar: ac uti ille in Oratoria, ita in hac ipsâ quidem, ſed magis tamen in Poëtica, poſtquam de natura, ac conſtitutione, tum facultatis Oratoriæ, tum Poëticæ artis, utriuſque etiam præceptis, variis * egi libris: nunc ea perſequar, quæ pertinent ad uſum: quo nomine complector, tum imitationem eminentium virorum; tum etiam conatum meliorum, ſi conſequi liceat.

Imitationem appello operam, quâ nos componimus ad exemplum alterius, quò ſimiles reddamur. Ubi duo in imitatore diſtinguimus; officium, ac finem. Officium eſt, effingere ſe ad alterius naturam. Finis eſt, ſimilitudo ejus. Convenit verò Cornificius in primo ad Herennium; ubi imitatio eſſe dicitur, *quâ impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum ſimiles in dicendo velimus eſſe.*

* Uno de Natura Rhetoricæ, quinque Partitionum Oratoriarum, ſex Inſtitutionum Oratoriarum, uno de Natura Poëticæ, ac tribus Inſtitutionum Poëticarum libris.

2. §. *De hac operâ, quâ alium exprimere, ejuſque ſimiles fieri ſtudemus, quatuor iſta veniunt in conſiderationem: an imitandi ſint priores; qui legendi ſint ad imitandum; quomodo iidem legendi: ac denique, quomodo imitandi. De primo ita quorundam ſententia fert; nullius nos æmulos eſſe oportere: ſed ſuam cuique indolem ſequendam eſſe. Quam ſententiam fortaſſe probaremus, ſi tam feliciter ageretur cum omnibus, ut nullo indigerent doctore, ductoreque: nunc poſtquam vel duos, vel neminem, tam beatè naſci videmus; ut, nullo præeunte, per ſe ſatis conſpiciat, quid in quovis argumento, quavis etiam parte ejus, tum rerum, tum ordinis, tum dictionis ratione, optimum fuerit: neutiquam eſt dubitandum, quin tutiùs, certiuſque, ad Poëticæ facundiæ artem perveniamus, ſi eos nobis proponamus duces, quorum nomina conſenſus ſeculorum Æternitati conſecravit.*

Diſparis ſententiæ fuiſſe videtur Angelus Politianus: ſicut oſtendit epiſtola ejus ad Paullum Corteſium; quam legere eſt libro VIII. Sed enim abunde illi ſequenti epiſtolâ Corteſius occurrit. Ajebat Politianus, malle ſe hominem eſſe, quàm ſimiam: de qua Ennii illud notum:

Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis.

Credo equidem: ſed enim non loquimur de ridicula illa, ac deformi imitatione: verùm nativâ, qualis eſt liberorum, qui referunt parentes: unde Heſiodum ‡, Theocritum ⸸, & alios, ſecutus, poëta Venuſinus * ait:

Laudantur ſimili prole puerperæ.

Ac Senecæ eſt epiſt. LXXXIV. ubi de ſtylo loquitur: *Similem eſſe te volo, quomodo filium, non quomodo imaginem.*

‡ In Ἔργοις.
⸸ In Encomio Ptolemæi.
* Lib. 4. od. 5.

Digitized by Google

Nec majoris eſt momenti, quòd multi ajunt, animum, vireſque ejus dejici, imò abjici, ſi aſſiduè alteriùs eſſe ſimiles ſtudeamus. Utrùm exiſtimem, alienis ſemper veſtigiis eſſe inſiſtendum, ſic ut nihil ipſi auſimus, poſtea rectiùs exponam. Nunc illud dixero, admiratione, & imitatione eorum, quos orbis ſtupet, non dejici mentes noſtras; ſed inflammari ad virtutem, & gloriam: quomodo Themiſtoclem Miltiadis trophæa quieſcere non ſinebant: &, ut Salluſtius * ait, *Q. Maximum, P. Scipio, præterea civitatis Romanæ præclari viri, ſolitos ita dicere, cùm majorum imagines intuerentur, vehementiſſimè ſibi animum ad virtutem accendi.* Verùm quid multis opus? Nonne Plato † putabat, nihil ſine exemplo, rectè, certò, apteque fieri poſſe: ac propterea Deum ipſum in mundo hoc condendo mentis ſuæ ideam expreſſiſſe? Nonne & omnis ars eſt imitatrix naturæ? Unde Fabius lib. x. cap. II: *Ut invenire primùm fuit, eſtque præcipuum: ſic ea, quæ bene inventa ſunt, utile ſequi. Atque omnis vitæ ratio ſic conſtat, ut quæ probamus in aliis, facere ipſi velimus. Sic literarum ductus, ut ſcribendi fiat uſus, pueri ſequuntur. Sic Muſici docentium, pictores opera priorum, ruſtici probatam experimento culturam, in exemplum intuentur. Omnis denique diſciplinæ initia ad propoſitum ſibi præſcriptum formari videmus.* Ubi cernimus mentionem etiam picturæ. At cui poëſis ſimilior eſt, quàm picturæ? Atqui Apelles, pictorumque alii, priores ſequebantur: beneque ſecum agi putabant, ſi quid addere poſſent magiſtrorum inventis. Qua de re abunde diximus libro de quatuor diſciplinis popularibus: ubi de Graphice, & pictorum hiſtoria, egimus. Sed ipſos etiam poëtas cogitemus. Homerus, etſi aliter Vellejo * traditum ſit, habuit non paucos, quorum veſtigiis inſiſteret: ut libro primo de Poëtis Græcis docemus. Homerum ſecuti non Epici ſolùm; ſed etiam Tragici, imò & Lyrici. Latini quoque hunc ducem ſectabantur: Ut de Ennio conſtat, Homero altero, ſicut Horatius † vocat: quique ſomniavit ſemper-florentis Homeri ſpeciem, ex Acheronte venientem, ſibi narraſſe, ut anima ſua ſe inſinuâſſet priùs pavoni, ac deinde ex pavone tranſierit in Ennii corpus: quemadmodum eſt apud Lucretium lib. I: ac Perſius quoque indicat hiſce verſibus:

** Præfat. belli Jugurthini.*
† In Timæo: ubi & Proclum adi.
** Lib. I.*
† Lib. 2. epiſt. ad Auguſtum.

Cor jubet hoc Enni, poſtquam deſtertuit eſſe
Mæonides, Quintus pavone ex Pythagoræo.

Videlicet, ſicut Cicero ait in Somnio Scipionis: *Fit ferè, ut cogitationes, ſermoneſque noſtri, pariant aliquid in ſomno tale, quale de Homero ſcribit Ennius: de quo videlicet ſæpiſſimè vigilans ſolebat cogitare, & loqui.* Nec Homerum tantummodo æmulatus; ſed etiam Nævium; quippe pauxillo antiquiorem. Unde Cicero in Bruto ſic Ennium alloquitur: *Nec verò tibi aliter videri debet, qui à Nævio vel ſumſiſti multa, ſi fateris; vel, ſi negas, ſurripuiſti.* Plautus verò æmulatus Epicharmum: unde Horatio ‡ dicitur:

‡ Lib. 2. epiſt. ad Auguſt.

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi.

Terentius expreſſit cùm Apollodorum, & Diphilum, tum inprimis Menandrum: unde eum *dimidiatum Menandrum* C. Jul. Cæſar appellat in epigrammate. De Horatio ait Cæſar Scaliger *, in odis eum maximam partem à Lyricis Græcis eſſe ſuffuratum. Mallem *ſumſiſſe* dixiſſet. Sanè aliter de Marone loqui veritus eſſet. Qui tamen in Bucolicis ſecutus Theocritum, in Georgicis Heſiodum, in Æneide Homerum, in quarto ejus operis Apollonium: paſſim item Ennium, Lucretium, Latinorumque alios; ut oſtendit Macrobius in Saturnalium quincto, ſextoque. Parque ratio in facultate Oratoria: Cicero Demoſthenem ſibi inprimis propoſuit: unde & *Romanus Demoſthenes* dictus fuit; ut Plato *philoſophorum Homerus*; Philo, *alter Plato.* Demoſthenes Thucydidem octies manu ſuâ deſcripſit, ut dicendo meliùs exprimeret; teſte Luciano †, & Procopio. Erant nunc, qui divinis hiſce ingeniis ſe perſpicaciores putant. Neque ignoro, eos ſe tueri Plutarcho; qui imitatorem Timæum culpat in Niciæ, ac Dionis vitâ. Sed magnus ille vir, cauſſam ſuam egit; ut qui, vaſtâ rerum cognitione contentus, proprium ſectaretur ſcribendi genus. Et quem ille Timæum culpat, hunc valde extollit Cicero in Bruto, & libro de Oratore.

** Lib. 5. de re Poetica cap. 7.*
† Lib. πρὸς ἀπαίδευτον. Vide plura de eo in Oratoriis noſtris Inſtitut. lib 6. cap. 6. ſect. 2.

Cap. II.

Ad imitandum legi oportere eminentiſſimum, & aliquandiu ſolum; poſtea ſimillimum quemque; tandem etiam diſſimiles, ſed laude aliquâ conſpicuos. Nec ſemper in ſe optimum nobis deligendum ducem; ſed aliquando inferiorem, attamen ingenio noſtro magis convenientem.

1. §. *Quod ſi aliorum requiritur imitatio: conſequitur, eos eſſe legendos, vel audiendos nobis. Sed quæri video, utrùm audire, an legere, ſatius ſit. Quæ quæſtio plus adfert utilitatis in dramatis, præcipuè comœdiis, vel tragœdiis, quàm reliquâ poëſi; quia mos recitandi carmina, ut poſtea dicetur, propè exolevit. In dramatis verò comparatum fere eſt, uti in dicendo. Ubi & lectio, & auditio, proprias habent laudes. Magis enim excitat viva vox: ſed certiùs judicat, qui legit.*

Sic cenſet quoque Fabius Quinctilianus lib. x. cap. I: *Alia*, inquit, *legentes, alia audientes magis adjuvant. Excitat, qui dicit, ſpiritu ipſo; nec imagine, & ambitu rerum, ſed rebus incendit. Vivunt enim, & moventur; excipimuſque nova illa, velut naſcentia, cum favore, ac ſollicitudine.* Addit quædam alia in hanc mentem. Poſtea ſubjungit: *In lectione certius judicium, quod audienti frequenter, aut ſuus cuique favor, aut ille laudantium clamor, extorquet.* Præterea, ut mox ſequitur, *Lectio libera eſt, nec actionis impetu tranſcurrit: ſed repetere ſæpius licet, ſive dubites, ſive memoriæ affigere penitus velis.* Quod bonum lectionis præ auditu non in utrâque modò eloquentiâ obtinet; ſed in ſtudiis univerſis.

2. §. *Nec ſatis eſt ſcire, eſſe aliquos legendos nobis. Noſſe ultrà oportet, & qui legendi ſint, & quomodo legendi. De priori hactenus convenit non debere nos pro exemplo nobis proponere, niſi eminentiſſimum quemque. Stulti enim eſt, ubi aliter poſſis, malle deteriorum eſſe ſimilem, quàm meliorum.*

De oratoria teſtem habemus Plinium lib. I. epiſt. V: *Eſt mihi cum Cicerone æmulatio; nec ſum contentus eloquentiâ ſeculi noſtri. Nam ſtultiſſimum credo, ad imitandum non optima quæque proponere.* Orator igitur qui fieri volet, Ciceronem adſumat ducem: de quo notum illud Fabii lib. x. cap. I: *Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit.* Imò etiam T. Livius Patavinus, ut ibidem Fabius auctor eſt, in epiſtola ad filium ſcripſerat, *legendos Demoſthenem, atque Ciceronem: tum ita ut quiſque eſſet Demoſtheni, & Ciceroni, ſimillimus.* Quorum Demoſthenes (iterum cum Fabio * loquar) *ex magna parte Ciceronem, quantus eſt, fecit.* Cicerone autem haut meliorem linguæ Latinæ cenſorem, dicet quiſpiam. Abſque hoc foret, Terentius Varro, & Julius Cæſar (ille Romanorum omnium doctiſſimus, hic non inferior eo futurus, niſi maluiſſet ſuæ gentis eſſe fortiſſimus) non eum arbitrum elegiſſent, cùm uterque de Linguâ ſcriberet Latina; prior de Etymologia, de Analogia alter. Et quàm præclarum de cæleſtiſſimo hoc ore, ut de eo Vellejus loquitur, elogium habemus apud Plinium lib. VII. cap. XXX! Cujuſmodi antiquitatis totius judicia ſi velim congerere, quanta ſeges fiat! Et tamen nec ſeculo noſtro quædam allatrare eum deſinunt caniculæ. Præ eo commendant juventuti illos, qui aliquo loco fuere, poſtquam multum jam degeneraverat ſermo Romanus, &, quod non paullo indignius, quoſdam noſtri temporis, qui ſæpe ne Latinè quidem loquantur. Ab his ſcilicet ſapere diſcet

** ibid.*

ado-

adoleſcentia. Quæ potiùs fidem habere debet conſilio, quod dixi, T. Livii. Nec enim aurea Auguſti ætas, qua vixit; vel terſa adeò dictio, quâ ſcripſit; & prædicata omnibus retro ſeculis magnitudo ejus viri, ac virtus; dubium relinquunt, quin & potuerit, & voluerit, optimè conſultum ire filio, pignori cariſſimo.

Similiter in Poëtica imitabimur optimos; imò optima in optimis.

In Epico igitur carmine exemplum inprimis capiemus de Homero, vel Marone: in Lyrico, de Pindaro, vel Horatio: in comœdia imitabimur Ariſtophanem, Plautum, Terentium: in tragœdiâ Latinâ veſtigiis inſiſtemus Senecæ: in Græcâ, Æſchyli, Sophoclis, Euripidis. Omnino autem Græcos potiùs æmulabimur, quàm Latinos: atque è Græcis non tam Æſchylum, quàm Sophoclem, & Euripidem: quorum ille ſublimior dictione, hic affectus magis ciet. Fortaſſe haberent Latini, quos opponerent, ſi Varii Thyeſtes, aut Ovidii Medea exſtarent: de quibus veterum judicia attulimus Poëticarum Inſtitutionum lib. I I. cap. X I V. §. 10. Nunc nihil ſupereſt eorum, quæ aureâ Auguſti ætate ſcripta ſint; ſed ſolùm habemus, quæ facta jam declinante ſimplici candore ſermonis Romani. Ut mirum non ſit, ſi redoleant, paucis exceptis, declamatorum ambitionem. Nam quid ſanè Hercules Oeteus ad Sophoclis Trachinias, etſi idem ſit argumentum? Imò in pleriſque aliis etiam poëmatum generibus potiùs nobis proponemus Græcos. Latinorum enim vita ferè ſeverior erat; eoque & ſermo incultior. Græci magis voluptates ſectabantur; ex quibus naſcuntur ſermonis deliciæ.

3. §. *Sed non exiguus eorum numerus eſt, qui in dicendo, vel carmine, inſignem ſibi laudem pepererunt. Porrò igitur diſceptatio eſt, utrùm unus, an pauci, vel multi, aut etiam permulti, imò omnes, qui in aliquo ſint honore, æmulandi ſint nobis. A multis exordium capere velle, (ac magis permultis, vel omnibus) certa eſt omnis eloquentiæ peſtis. Hoc enim pacto manifeſtum incurrimus periculum exprimendi neminem: quando vaga illa, & inſtabilis multorum lectio, non ſinit nos ſcriptorem quemquam reddere nobis familiarem, ejuſque virtutes penitus introſpicere.*

Ut hic quoque locum habeat illud L. Senecæ epiſt. II: *Certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui ubique eſt. In peregrinatione agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt iis, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant; ſed omnia curſim, & properantes tranſmittunt.* Quæ deinceps non unâ ſimilitudine pluribus illuſtrat. Vide & initium epiſtolæ XLV.

4. §. *Præterea ſi initio, ſtylo, judicioque necdum firmato, promiſcuè tam multos, ac indolis planè diverſa, nobis imitandos proponimus; aliter fieri non poſſit, quin, ubi ad ſcriptionem deventum erit, nunc uberi utamur oratione, nunc jejunâ, atque aridâ; nunc item cultâ, ac politâ; nunc horridâ, ſqualidaque; ut cæteras dicendi formas prætercam.*

Proinde tot, & tam varia ingenia in unum conflando, quomodo non exſurgat prodigioſum aliquid? monſtrum videlicet, quale initio Artis ſuæ depingit Horatius.

5. §. *Conſequitur igitur, ut vel unus ſit imitandus, vel perpauci. Summos viros, qui hac parte diſcrepare videntur, cenſeo facilè conciliari. Primò enim deligendus eſt unus; ipſeque optimus, & eminentiſſimus. Ubi verò aliquamdiu eum verſavimus, alios etiam reddemus nobis perfamiliares; ſed conceptibus, ac dictione, quàm ſimillimos: & ſic, ut non eo principem illum deponamus de manibus; ſed pergamus eum vertere in ſanguinem, & ſuccum.*

Quinctilianus lib. X. cap. I: *Ac DIU optimus quiſque, & qui credentem ſibi minimè fallat, legendus eſt.*

6. §. *Poſtquam verò, & principis illius, & ei ſimillimorum lectione, ſubactius erit judicium noſtrum, uliter etiam ſociabimus eos, qui, ſi non in primis, vel etiam ſecundis, ſaltem in tertiis, vel ulteriùs etiam, conſiſtant. Utcumque enim illi inter eos, qui laudem meruere, majoribus, ac pluribus, vincantur à primis, & proximis; habent tamen illi quoque aliquid, quo principes exſuperent. Quid igitur impedit, quò minus horum etiam laudes ſtudeamus ſuperaddere? Sic enim propiùs aberimus ab ea perfectione, ad quam adſpiramus.*

Nec enim adeò feliciter agitur cum rebus humanis, ut uni omnia indulſerit natura. Verè M. Seneca præfat. lib. IV. epitom. *Magna, & varia res eſt, tum doctrina, tum eloquentia: nec alterutra adhuc ulli ſe totam indulſit. Satis felix eſt, qui in aliquam ejus partem eſt receptus.* Exemplum igitur aliud eſt perpetuum; ut Oratori Cicero, & huic ſimillimus quiſque: aliud arceſſitum; quando idem opem petit ab hiſtoricis, interdum & poëtis.

7. §. *Quæ haſtenus diximus, de iis intelligi volo, qui pares ſint futuri, ſi cum ſummis contendant. Sed enim quis ignorat, diſparibus adeò ingeniis, non omnia omnes poſſe, utcumque par fuerit induſtria.*

Nam ut non quævis calciamenta cuivis conveniunt pedi; ita non cuivis datum eſt quidvis imitari.

8. §. *Quare primò videndum, quo ingenium trahat, vel ducat.*

Siquidem, ut poëta ait Sulmonenſis,
Naturæ ſequimur ſemina quiſque ſuæ.
Unde eſt, quòd ferè ſic fieri videmus, ut, qui naturâ ſunt lenes, & moderati, quodvis argumentum leniter tractent: alii, naturâ graves, ac ſublimes; etiam humilia, contra rei naturam, magnificè exponant: alii denique, ingenio humili, ne quidem ſe attollant, ſi de rebus ſublimibus ſit ſermo. At quanto aliter Cicero, Maro, cæteri, qui rebus dictionem accommodant! Quare videndum cuique, quid naturæ congruat: ut etiam monitum Apollonio, epiſtolâ ad Scopelianum Rhetorem.

9. §. *Quòd ſi primò id neſcivimus nos, tentando ſaltem diſcamus, quid ingenium valeat. Et ſi nec nobis, nec ſapientibus ſatisfacimus, excuſſo onere ſuſcepto, in argumento alio, quam quærimus laudem, prudentiùs ſectemur.*

Videlicet, ſicut plurimùm conducibilius eſt, ſuæ ducere ſortis uxorem, ex illo Pittaci præcepto *, τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα †; quàm conjugem adſciſcere vel opulentiorem, vel majori genere prognatam: ſic non rarò præſtat, honore eſſe eo contentum, quem aſſequi valemus, quàm & minori hoc excidere, & fruſtrati majori illo, quem ſtultè ſperabamus.

* *Callimachus in Epigrammatis apud Laertium in Pittaco.*
† *Tu tibi ſume parem.*

10. §. *Neque hoc ſic accipi velim, quaſi facilè deſperare oporteat de ſummis. Aliquammulti enim, qui primò ſibi impares videbantur, ubi tentando magis vires ſuas didicerunt, eò pervenere, quo nunquam putaſſent.*

Ut

Ut igitur aliqui ſunt commonendi imbecillitatis ſuæ: ſic alii, ſuas ut diſcant vires. Pindarus, nimio fortaſſe ejus admiratori Horatio * viſus eſt ἀμίμητος †. Non ille quidem ἀμίμητος ‡: ſed ſatis fuerat dicere δυσμίμητον *. Cur enim natura non potuerit poſtea producere, quod aſſecuta eſt in Pindaro?

* Lib 4. od 2. † Inimitabilis. ‡ Imitatu facilis. * Difficilis imitatu.

Itaque illis, qui humiliter nimis de ſe ſentiunt, in animo eſſe velim iſtoc Cæſaris apud Salluſtium †: *Quocunque intenderis ingenium, valet.* Suffenis verò, & nimius ingenii ſui admiratoribus, dictum velim, quod olim in re aliâ monuit amandi magiſter ‡, fore, ut victores ſtent in arce Jovis; ſed ſi prudenter ament. Quod non fit ab iis, qui ſe ſemper neſciunt.

† In bello Catilinario. ‡ Lib 2. de Arte.

11. §. *Summa igitur eò redit; cùm non res ingenio, ſed ingenium rebus, debeat accommodari: optimum quidem in ſe, & laudatiſſimum, pro exemplo eſſe deligendum; quoties imitaturi ingenium congruit cum ingenio ejus, quem velit imitari. Sin hoc ſit impar, ac diſſimile: alium potiùs aſſumendum, cujus veſtigiis inſiſtamus: non quaſi in ſe is optimus ſit; ſed quia contenti eſſe debeamus eorum optimis, quibus convenit ingenium noſtrum.*

Videlicet alius dicitur *optimus abſolutione*; qualem animo magis concipere, quàm monſtrare datur: alius *optimus comparatione*; puta eorum, quos habemus. Inque his ipſis alius *in ſe optimus*; ut inter poëtas Homerus, aut Maro: alius ratione virium noſtrarum; qui huic ille, alius alii, pro cujuſque indole.

Icciro, cujus animus non in tantum aſſurgit, ut epopœiæ, vel tragœdiæ, ſufficiat: videat, an non par eſſe poſſit comœdiæ, vel elegiæ, vel epigrammatis. Quippe in horum etiam ſingulis non deſunt boni duces. Hoc ſui examen etiam locum habet in ſoluta oratione. Nec enim qui idonei ſunt epiſtolis ſcribendis, vel dialogis, iidem pares ſint texendæ hiſtoriæ, vel condendis orationibus forenſibus, vel ducum concionibus ad exercitum. Ubi plurimùm requiritur vehemens, atque ardens dicendi genus. Ut contrà hiſtoria ferè gaudet mediocri charactere: epiſtolæ familiares, & dialogi philoſophici, terſa quidem dictione, ſed tenui ſtylo, ac conciſo. Hoc non cogitant illi, qui ingenio, genioque ſuo argumentum quodvis metiuntur: in quo interdum quidem ab iis peccatur, qui, magnum aliquid ſemper ſpirantes, neſciunt animum etiam demittere in minutis: ſed ſæpius ab illis, qui, ob animum demiſſum, nunquam ſe attollentes, etiam in magnis ſunt humiles. Ut omnino conducat, priùs experimentum capere leviorum; ne objici poſſit, quod Sylla * dicebat Mario, ſeptimùm conſulis filio: Ἐρέτην δεῖ πρῶτον γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν. *Remigem priùs eſſe oportet, quàm clavo admoveas manum.* Cui adſidet ſenarius iſte Appuleji, in deperdito opere de Republica †.

* Plutarchus. ‡ Apud Fulgentium Placiadem in expoſit. ſerm. antiq. ad Chalcid.

Cap. III.

Quo pacto ſint legendi, quos volumus imitari.

1. §. *Expoſuimus, qui legendi ſint, atque imitandi. Sequitur, quomodo legere eos oporteat ſcriptores; quos ſcribendo exprimere optamus. Tria hic requirimus; amorem ejus, quem legimus; laboris in legendo conſtantiam; & eorum, quæ legimus, meditationem.*

Primum antecedit lectionem, alterum comitatur, tertium conſequitur.

2. §. *Amor excitatur, ſi ſciamus, quis, & quantus ille ſit, qui exemplo eſt futurus. Ex amore eo naſcitur deſiderium, quo ſimiles evadere cupimus. Hoc deſiderio accendimur ad eos legendum.*

Videlicet hîc ſe ratio habet, ut in ſcita corporis forma; quæ conſpecta amorem ciet. Unde illud, ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν *: & hoc Propertii †:

—— *Oculi ſunt in amore duces.*

Ut verò amor iſte eſt deſiderium fruitionis: ita hîc amor, & æſtimatio ſcriptoris, alterum ex ſe gignit deſiderium, quò vel ſimiles fiamus, vel ſaltem non longè abeamus.

* Ex conſpectu naſcitur amor. † Lib. 2. cap. 15.

3. §. *Legendi laborem non ſæpe, ac multùm, intermittere; ſed in eo conſtare nobis, debemus.*

Quæ duo etiam junxit Cicero deperditâ oratione pro Scauro ‡: *Poſſe Virtutem ſine præſidio Fortunæ, quò contendiſſet,* LABORE, ET CONSTANTIA, *pervenire.* Unde & Chriſtophorus Plantinus, vir typographiâ ſuâ præclarè de ſtudiis meritus, notiſſimum illud ſymbolum ſuum deſumſit.

‡ Apud Aſcon. Pedian.

4. §. *Ad hujus laboris conſtantiam requiritur, ut non contenti ſimus, ſemel legiſſe; ſed, ſicut agricolæ, laborem cum iteremus, ac tertiemus.*

Quinctilianus lib. x. cap. 1: *Repetamus, & tractemus, & ut cibos manſos, ac prope liquefactos, demittimus, quò faciliùs digerantur; ita lectio non cruda, ſed multâ iteratione mollita, & velut confecta, memoriæ, imitationique, tradatur.* Ac mox: *Diu non niſi optimus quiſque, & qui credentem ſibi minimè fallat, legendus eſt; ſed diligenter, ac pene ad ſcribendi ſollicitudinem: nec per partes modò ſcrutanda omnia; ſed perlectus liber utique ex integro reſumendus.*

5. §. *Imò ne illud quidem ſufficit, ut ſæpius aliquid legatur. Serio, & attentè, hoc fieri oportet: ſic ut pedem figamus, ubi ambigimus; donec meditatione aſſequamur, quæ mens fuerit auctoris; & quomodo ad uſum quidque debeat transferri. Et ſanè ſine iſtiuſmodi meditatione tam lectio eſt arida, quàm meditatio citra lectionem eſt erronea.*

Omnino igitur lectio, & meditatio, arctiſſimo ſocietatis vinculo colligari debent. Mera enim lectio non penetrat in animum. Siquidem attentione opus eſt in legendo; & ubi legeris, meditatione, cur quidque dicatur, cur ſic potiùs, quàm aliter, & quomodo lecta ad res ſimiles poſſimus transferre. Sine iſtis, quod legitur, non ſatis intelligitur; & minutum illud, quod capitur, eò quòd radice careat, non feret fructum. Imò facilè ejus ſubibit oblivio: quomodo, quæ non altè inhærent ſolo, ferè vento auferuntur. Ut mirandum non ſit, ſi ſæpe lectionis multijugæ homines exigui ſint judicii, ac penè nullius. Nimirum hoc inde eſt, quia memoriam onerant; judicium non acuunt, vel exercent. Sed ut hac parte delinquunt complures librorum helluones; qui multa vorant, nulla concoquunt: ita in contrarium peccant, qui, alienis laboribus contemtis, aſſidui ſunt in meditando; & quia aliena neſciunt, quæ multis plurimùm partibus ſunt veriora, melioraque; ſua toties ſomnia amplectuntur pro oraculis.

6 §. *Ad hujuſmodi vel lectionem, vel meditationem, ſunt inepti; qui non priùs vocum proprietatem tum ſimplicium, tum conjunctarum, didicerunt.*

Quomodo enim hæc præſtabit, qui ſcriptoris mentem non intelligit? Quem qui non capit, quo pacto eum poſſit imitari? Quamobrem de eorum ſtudiis deſperandum, qui, priuſquam tincti ſint literis, unde *eruditi* appellamur, ad eloquentiam, vel ſolutam, vel vinctam, animum applicarint.

7. §. Cum-

7. §. *Cumque meditatio non ad verba ſolùm ſe extendat; ſed ad conceptus ſcriptoris univerſos: quid manifeſtius, quàm verſandum eſſe animum, tum per ea, quæ inventionis ſunt, tum quæ diſpoſitionis, tum etiam elocutionis?*

In inventione attendimus ad argumentum fabulæ; inque eo tractando, λόγους, ἤθη, πάθη *. In diſpoſitione, utrùm naturæ, vel temporis ordo ſervetur, an artis; & cur ordo unus alteri præferatur. In elocutione potiſſimùm ſpectamus ſermonis characterem; qui quodammodo ipſius hominis eſt character.

* *Argumenta, mores, affectus.*

8. §. *Ubique verò conſideramus, à quo, qua in re, quo loco, quo tempore, quà occaſione, unumquodque promatur. Multa quippe loco, & tempore ſuo, bellè dicuntur; quæ vitioſa ſint, ſi alium in uſum detorſeris.*

Hoc non intelligunt, qui quidvis oblatum imitantur: quaſi ſatis ſit, aliquid inveniri apud ſcriptorem, qui omni exceptione ſit major; nec ſimul ſit conſiderandum, an non in uſûs ratione latum ſit diſcrimen.

9. §. *Poſtremo loco duo de lectione adjungam. Prius eſt, plurimùm referre in legendo, ut quàm emendatiſſimis codicibus utamur. Nec enim aliter fieri poteſt, quin ſi vitioſos ſequamur libros, vitioſa etiam ſit imitatio noſtra.*

Ut cùm Petrus Bembus uſurpat *multiſſimus*; deceptus editione Aſcenſianâ, quæ ad Atticum lib. XI. epiſt. II, *multiſſimus* habet pro *multis meis*. Quam multi etiam ſe cum Cicerone loqui putant, cùm dicunt *fidem adhibere*, pro credere! Atqui in optimis quibuſque Ciceronis libris pro eo ſemper eſt *fidem habere*. At *fidem adhibere* longè aliâ ſignificatione uſurpat: nempe quomodo dicimus *adhibere induſtriam*. Sic fuere, qui Plautina crederent *manſiſterna*, & *procerritus*. At pro priori nunc in bonis omnibus libris eſt *naſiterna*. Nec *procerrito*, ſed duabus vocibus *pro cerrito*. Multa ejus generis adduximus in libris de Vitiis Sermonis.

10. §. *Alterum eſt, etſi juniores ſuâ laude non ſint privandi; in imitando tamen longè præferri veteres oportere: partim quia juniores non accedant ad laudem antiquorum: partim quia, ut pares eſſent, tamen tutius inſiſtatur veterum veſtigiis. Nam horum dictio eò recta eſt, quòd ita fuerint locuti: juniorum autem tum demum probatur, quando cum antiquis conſentiunt: vitioſa contrà eſt, ſi temerè abeant.*

Qui recentiorum lectione ſic gaudent, in ore habere ſolent illud Taciti, vel alterius, libro de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Vitio malignitatis humana vetera eſſe in laude, præſentia in faſtidio.* Laudant quoque illud Martialis lib. V. epigr. X:

Eſſe quid hoc dicam, vivis quod fama negatur,
Et ſua quod rarus ſecula lector amet?
Hi ſunt invidiæ nimirum, Regule, mores;
Præferat antiquos ſemper ut illa novis.
Sic veterem ingrati Pompeji quærimus umbram:
Et laudant Catuli vilia templa ſenes.
Ennius eſt lectus, ſalvo tibi, Roma, Marone:
Et ſua riſerunt ſæcula Mæonidem.
Rara coronato plauſere theatra Menandro.
Nôrat Naſonem ſola Corinna ſuum.

Quæ cùm lego, planè cogito illud poëtæ:
Qui volet ingenio cedere, rarus erit.

Quamquam nunc non tam de ingeniis nobis eſt ſermo, quàm utriuſque eloquentiæ ſtudiis. Quibuſcum ſic comparatum eſt, ut de ſe Laberius* dicebat; ubi quid ad ſummum venerit claritatis gradum, ægrè conſiſtere, ac potiùs decidere, quàm deſcendat. Imò, ut daremus, cunctis artibus, ac ſcientiis, nos plurimùm vinci; nihil ſanè id mirandum foret; quando optimos annos tanto cum labore cogimur impendere addiſcendæ linguæ Latinæ, ac Græcæ; quarum alterutram ſaltem illi cum lacte imbibebant. Et, ut rem in pauca conferam, inprimis nunc agimus de dictione, quæ purior numquam, quam Julii, & Auguſti ætate fuit. At Taciti, ac Martialis ævo, quos obtendunt, paullùm jam deflexerat ſermo Romanus. Jam quàm diſpar ratio eſt ævi noſtri! quo is Romæ, totaque deſiit Italiâ: ut non aliam habeamus ſcribendi normam, quàm veteres illos, præcipuè claſſicos ſcriptores.

* *Apud Macrobium lib. 2. Saturnal. cap. 7.*

CAP. IV.

De modo imitandi alios.

1. §. *A lectione tranſeo ad ſcriptionem: quæ cùm maximam partem in recta præſtantium ſcriptorum imitatione conſiſtat; ante omnia videndum nobis, quomodo, & quouſque, imitari alios conveniat. Modus imitationis eſt duplex: puerilis, & virilis. Priori ſolùm proponimus nobis exemplum in verbis, ſive ſimplicibus, ſive conjunctis. Sed longè ulterius ſe virilis imitatio extendit. Nimirum corpus ipſum effingere oportet. Eoque aſſumendus eſt alterius ſpiritus, moreſque induendi. Quomodo futurum, ut ſimiles ſint conceptus; nec abſimili locutionis formâ eos exprimamus.*

Atque hæc ipſa non in Oratoria minus, quàm Poëticâ, locum habent. Scitâ hoc ſimilitudine illuſtrat Dionyſius Longinus περὶ ὕψους †: ubi ait, ſicut vates ex antro Phœbi concipit ſpiritum, quo adflata vaticinatur: ſic, qui præſtantes legunt ſcriptores, concipere ſpiritum ad ſimiliter ſcribendum. Ac video hac etiam ſimilitudine uſum eſſe Car. Sigonium oratt. de Eloquentia, atque alios.

† *De ſublimi charactere.*

2. §. *Præterea imitandi modus alius eſt ſervilis, alius verò ingenuus. Servilis ille anxius, & moroſus, cùm quaſi ſuperſtitione quadam ab eo, quem imitandum nobis propoſuimus, ne tranſverſum quidem digitum diſcedere audemus.*

Talibus dicere cum Horatio ‡ licet:
O imitatores, ſervum pecus! Ut mihi ſæpe
Bilem, ſæpe jocum veſtri movere tumultus!
Imò ſimiles videntur corniculæ Horatianæ, riſum moventis, poſtquam grex avium venerat ſuas repetitum plumas.

‡ *Lib. 1. epiſt. 19. ad Mæcenatem.*

3. §. *Ingenuam imitationem appello, quando non verbum verbo reddimus; ſed ſic aliena tractamus, ut non in alterius poſſeſſionem irruiſſe, ſed jure noſtro veniſſe, credamur: quæque aliena ſunt, ob diſſimilem faciem, non pro alienis habeantur, ſed agnoſcantur pro noſtris.*

Unde Horatius in Arte:
Publica materies privati juris erit, ſi
Nec circa vilem, patulumque moraberis orbem;
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres.
Quo loco non hoc negat, fidi eſſe interpretis verbum verbo reddere: ſed negat, poëtæ eſſe ſic imitari, ut verbum verbo reddat. Quippe ſicuti hoc in interprete laudatur; ita in oratore, vel poëtâ, nullam mereatur laudem. Ut omnino officia illorum plurimùm diſcrepent. De hac immutatione eorum, quæ imitari propoſuimus, ſic Seneca ſcribit epiſtola LXXXV: *Apes debemus imitari, & quæcunque ex diverſa lectione congeſſimus, ſeparare. Melius*

enim diſtincta ſervantur. Deinde adhibitâ ingenii noſtri curâ, & facultate, in unum ſaporem varia illa libamenta confundere: ut etiamſi apparuerit unde ſit, aliud tamen eſſe, quàm unde ſumtum eſt, appareat. Quod in corpore noſtro videmus, ſine ullâ operâ noſtrâ, facere naturam. Alimenta, quæ accepimus, quamdiu in ſuâ qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onera ſunt. At cùm ex eo, quod erant, mutata ſunt, tunc demum in vires, & in ſanguinem tranſeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, præſtemus: ut, quæcunque hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſint. Ac paullò pòſt: *Hoc faciat animus noſter. Omnia, quibus eſt adjutus, abſcondat. Ipſum tantùm oſtendat, quod effecit. Etiamſi alicujus in te comparebit ſimilitudo; ſimilem te eſſe volo, quomodo filium; non quomodo imaginem.* Quæ & chori poſtea ſimilitudine illuſtrat, *ubi ſingulorum latent voces, omnium apparent.*

4. §. *Eſt verò difficilis ſatis ratio faciendi ſua ex alienis, quoties ex uno aliquo illuſtri ſcriptore omnia petuntur. Periculum enim eſt, ne conſpicua nimium ſit imitatio; imò non tam imitatio, quàm plagium videatur. Quare hic inprimis eſt opus, ut illis, quæ quis tractarit prior, alia addamus, alia demamus; quædam mutemus; pleriſque alium ordinem, colorem, aut habitum, inducamus.*

Nuſpiam igitur minùs ſuffecerit puerilis illa immutatio, verba ſolùm varians. Quâ nihil facilius verborum copiam adſecuto, ſive ex eodem poëta, ſive ex variarum poëtarum συγκρίσει*. Proinde opus illâ maſculâ, ut dixi, imitatione; quâ & res mutamus, & aliter diſponimus; & quandoque etiam alium aſſumimus dicendi characterem: ut ſi unus ſcribat abundanter, alter preſsè; magnificè unus, alter ſubtiliter; graviter unus, ac ſeverè, alter lætè, ac urbanè; concitatè unus, alter moderatè. Etiam, quæ alter ſimpliciùs tractârit, ſplendidiùs reponere licet; dummodo non ſplendori operam demus, inſtar ſophiſtarum, omnia floſculis conſpergentium. Quod ſæpe non tam rem illuſtrat, quàm obſcurat, nec tam laudem, quàm odium parit: præſertim ſi tractemus ἠθικὰ, ἢ θεωρητικὰ†. In amatoriis enim, ac ſimilibus, pluſculum licet deliciis illis indulgere.

* Collatione.

† Moralia, vel ad contemplationem mentis pertinentia.

5. §. *Faciliùs proinde ex alienis noſtra faciemus, ſi non unum ſequamur; ſed plures. Quod ſimile erit, ac ſiquis, ex fontibus multis, rivum quempiam in animum derivet ſuum.*

Quemadmodum optimè monet Dionyſius Halicarnaſſenſis ‡. Idem hanc rem illuſtrat pulcherrimo Zeuxidos exemplo: quod à Tullio quoque refertur initio lib. II. de Inventione. Atque, ut ex Senecæ epiſtolis paullò antè dicebamus, exemplum etiam capere licet, non ex apibus modò, ſed etiam naturâ noſtrâ, tam varios cibos in ſanguinem, & ſuccum, convertente. Abunde hæc ex Marone, Horatio, atque aliis, dilucent: qui & æmulati ſunt priores, & æmulos ſuæ laudis nacti ſunt poſteros. Nec ea in poëtica ſolùm habent locum, ſed etiam Oratoria facultate: ubi exemplo nobis fuerit Cicero. Qui, ut de eo refert Quinctilianus lib. x. cap. I. *cùm ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſſet, videtur effinxiſſe vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis.*

‡ Lib. de præcipuis ſcriptoribus Græcis.

6. §. *Interim non omnia in ſummis etiam poëtis æmulari oportet. Quemadmodum enim Orator nunquam fuit, vel erit; quin perfectius aliquid animo concipi poſſit: ita nec Poëta ullus exſtitit, qui non humanitus aliquid patiatur; ut multis alibi ⟂ oſtendimus. Quare ea ſolùm imitari oportet, quæ à præſtantiſſimis hominibus laudi ducuntur.*

⟂ Lib. I. Inſtitut. Poët. c. 3.

Idem præcipit Quinctilianus lib. x. cap. II. *Exactiſſimo judicio examinandum in ipſis, quos elegerimus, quid ſit, ad quod efficiendum nos comparemus. Nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitioſa, & à doctis, inter ipſos etiam, mutuò reprehenſa.* Præcedenti etiam capite idem dixerat: *Neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia, quæ magni auctores dixerint, utique eſſe perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati: nec ſemper intendunt animum; & nonnunquam fatigantur; cùm Ciceroni dormitare interim Demoſthenes, Horatio verò etiam Homerus ipſe, videatur. Summi enim ſunt, homines tamen: acciditque iis, qui quicquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur, (id enim eſt facilius) ac ſe abunde ſimiles putent, ſi vitia magnorum conſequantur.* Nec prætereo, quod continuò ſubjungit: *Modeſtè tamen, & circumſpecto judicio, de tantis viris pronunciandum eſt; ne, quod pleriſque accidit, damnent, quæ non intelligunt: ac, ſi neceſſe eſt in alterutram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quàm multa diſplicere, maluerim.* Operæ me facturum puto, ſi hæc, de vitiis præſtantium etiam ſcriptorum fugiendis, aliquanto pleniùs exponam. Audivimus paullò antè Fabium dicentem, Ciceronis judicio dormitare interdum Demoſthenem. Atque idem Tullius * negat, nos in Thucydide imitari debere aſperam, & confragoſam dictionem: ac reprehendit eos, qui, cùm id facerent, germanos ſe Thucydidas putarent. Et quis excelſam Platonis dictionem non admiretur? Attamen acceſſero Dionyſio Halicarnaſſenſi: qui epiſtolâ ad Cn. Pompejum non pauca adfert, in quibus malim Demoſthenis eſſe ſimilior. Ac ne illud quidem laudo, quòd in dialogis ſuis diverſæ ætatis homines inducat loquentes; in quo malè præeuntem Platona malè ſecutus eſt Macrobius; manifeſto argumento, multùm referre, ut, qui imitari volet, virtutes à vitiis ſciat diſtinguere.

* In Oratore ad Brutum.

Ad poëtas etiam veniamus. Horum errores plurimos memoravimus libro primo Inſtitutionum Poëticarum cap. III. In quibus quis eos eſſe imitandos dicat, niſi cui ſic auctorum magnitudo præſtinxerit oculorum aciem, ut errores eſſe non videat? Quis enim temere nunc Homeri ſic veſtigiis inſiſtere paret, ut Deos inducat cum hominibus pugnantes, ac ab iiſdem vulneratos: vel fœde etiam libidini mancipatos tantopere, ut ſiqui hominum ita vitam componant ſuam, non ſues potiùs, quàm homines, imò quibuſvis etiam ſuppliciis digni, cenſeantur? Quantum item nomen Euripidis, divini viri! Nec propterea in moribus effingendis eum exprimere uſquequaque oportet. Sæpiuſcule in iſto peccat. Quid mirum, cùm res adeò ſit ardua? Jubent igitur in hoc potiùs imitari Sophoclem. Non refragor. Sed tamen cùm cogito, quàm multas Euripidis tragœdias habeamus præ Sophocleis; non injuriâ aliquis dixerit, nihil mirandum eſſe, ſi in pluribus ſæpius, quàm paucioribus, fuerit peccatum. Atque hæc de Græcis. Deinceps pauca etiam de Latinis dicam. Peccet in comœdia, qui æmulari volet frigidos Plauti ſales, & τὸ ἀνοικονόμητον †, quod in eo frequens. Nec in epigrammatis amem hiatus, vel crebras ſynalœphas Catulli. Neque in carmine epico ipſum ſequar Maronem, imperfecta relinquentem hemiſtichia. Hoc quoque imitandum ſibi exiſtimavit Aonius Palearius in lib. de Immortalitate Animorum. Sed non ſic præiverat hac parte Maro, quaſi id in laude poneret. Inde id potiùs profectum, quòd, morte præventus, non potuerit Æneida ex ſententia perficere. Etſi non valde repugnem, utcumque vita longè diuturnior obtigiſſet, interdum nihil fuiſſe mutaturum. Ut quando, in medio quaſi curſu, ſic deſerit lectorem, ac ſi vellit eum interquieſcere pauxillum, quò pleniùs illud conſideret, quod in animum deſcendere altiùs vellet. Ut cùm VI. Æn. Anchiſes ad Cæſarem, ex poſteris ſuis naſciturum ait:

† Vitioſam œconomiam, ſive diſpoſitionem.

> *Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo,*
> *Projice tela manu, ſanguis meus.*

7. §. In

7. §. *In iis, quæ non conveniat imitari, etiam reponimus obſcena; non ignari tamen, vix aliud eſſe, in quo multi veterum æquè ſe tueantur hac parte, quàm priorum exemplo.*

Sic Martialis utitur variorum exemplis præfat. lib. 1. item exemplo Cæſaris Auguſti lib. xi. epigr. xxi.

Cæſaris Auguſti laſcivos, livide, verſus
Sex lege, qui triſtis verba Latina legis.

Ubi verba Latina ſunt obſcena, & prætextata, ſimiliterque loquitur ſcriptor Ithyphallicus *. Etiam multorum ſe exemplo defendit Ovidius lib. ii. Triſtium. Item Plinius lib. v. epiſt. iii. *Facio nonnunquam verſiculos ſeveros parùm. Nec moleſtè fero, hanc eſſe de moribus meis exſtimationem; ut, qui neſciunt talia doctiſſimos, graviſſimos, ſanctiſſimos homines ſcriptitâſſe, me ſcribere mirentur.* Ac poſtea: *An ego verear (neminem viventium, ne quam in ſpeciem adulationis incidam, nominabo) ne me non ſatis deceat, quod decuit M. Tullium, Cajum Calvum, Aſinium Pollionem, Marcum Meſſalam, Quinctum Hortenſium, Marcum Brutum, Lucium Syllam, Quinctum Catulum, Quinctum Scævolam, Servium Sulpicium, Varronem, Torquatum, (imò Torquatos) C. Memmium, Lentulum Gætulicum, Annæum Senecam, Lucceium, & proximè Virginium Rufum, &, ſi non ſufficiunt exempla privata, Divum Julium, divum Auguſtum, divum Nervam, Titum Cæſarem. Neronem enim tranſeo, quamvis ſciam non corrumpi in deterius, quæ aliquando etiam à malis; ſed honeſta manere, quæ ſæpius à bonis fiunt: inter quos vel præcipuè numerandus P. Virgilius, Cornelius Nepos, & prius Ennius, Attiuſque. Non quidem hi Senatores. Sed ſanctitas morum non diſtat ordinibus.* Vides, quàm multos congeſſerit, ut ſe tueatur exemplo. Quo & ſe defendit lib. iv. epiſt. xiv. Itidem multos advocant Appuleius in Apologia, & Auſonius in præfatione Centonis. Sed malè præeuntes malè aliquis ſequatur. Si, ut Chriſtus docet †, de otioſo etiam verbo reddenda eſt ratio: quanto magis de obſcœno, ac moribus noxio! Obſcæna verò, quamcumque bellè dicantur, quid ſunt, niſi *mella venenum tegentia?* ut vocat Lactantius lib. v. Divin. Inſtitut. Bellè Auguſtinus lib. i. Confeſſ. cap. xvi. *Non accuſo verba, quaſi vaſa electa, atque precioſa; ſed vinum erroris, quod in eis nobis propinabatur ab ebriis doctoribus; & niſi biberemus, cædebamur; nec appellare ad aliquem judicem ſobrium licebat.* Imò gentiles quoque ejuſmodi ſcriptores ſpurcos damnârunt. Sic, ut Valerius Maximus refert lib. vi. cap. iv. *Lacedæmonii libros Archilochi è civitate ſuâ exportari juſſerunt, quòd eorum parùm verecundam, ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim eâ liberorum ſuorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quàm ingeniis prodeſſet.* Quantopere item Ovidius ipſe poëtarum iſtiuſmodi lectionem improbat in ſecundo de Remedio Amoris! Ut adversùs ſe cauſſam pronunciet, quando ſic queritur de exilio. Nam libri de Arte amandi altera erant cauſſa, cur ab Auguſto in Pontum fuerit relegatus. Plautus etiam laudat Captivos ſuos, quòd abeſſent ſpurcidici verſus. Et poteram longè plurima id genus congerere. Malim adiri ea, quæ de legendis poëtis Plutarchus, & Baſilius tradiderunt. Nec ignoro, quid ſcripſerit Catullus ‡:

Nam caſtum eſſe decet pium poëtam
Ipſum; verſiculos nihil neceſſe eſt:
Qui tum denique habent ſalem, ac leporem,
Si ſint molliculi, ac parum pudici.

Scilicet pietatem Catulli ſingularem cognoſcimus ex amoribus Lesbiæ, ſive Clodiæ potiùs; quæ P. Clodii ſoror erat, inimici Ciceronis; ac maritum habuit Q. Cæcilium Metellum Celerem, quem veneno necavit. De hoc etiam Ovidius in ſecundo Triſtium:

Sic ſua laſcivo cantata eſt ſæpe Catullo
Femina, cui falſum Lesbia nomen erat.
Nec contentus eâ, multos vulgavit amores;
In quibus ipſe ſuum faſſus adulterium eſt.

Nec moror illud Ovidii *:

Vita verecunda eſt, Muſa jocoſa mea.

Vel hoc apud Martialem in primo Epigram.

Laſciva eſt nobis pagina, vita proba eſt.

Aut hoc Voconii tumulo adſcriptum:

Laſcivus verſu, mente pudicus erat.

Solonem potiùs audio, qui apud Laërtium ait, τ̃ λόγον εἴδωλον εἶναι τ̃ ἔργων· *orationem factorum eſſe ſimulacrum.* Græcorum etiam parœmia erat; οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτον εἶναι καὶ τ̃ λόγον· καὶ πάλιν τὸ ἕτερον ὡσαύτως. *Cujuſmodi ſunt mores, ejuſmodi quoque oratio. Ac rurſum, qualis oratio, tales mores.* Refert Ariſtides in ſecunda Rhetorices adversùs Platonem defenſione. Ac, ut parœmiam Græcorum, idem refert L. Seneca in xx. ad Lucilium. Ut aliquem è junioribus quoque advocem, Muretus verè in Juvenilibus:

Rarò moribus exprimit Catonem,
Quiſquis verſibus exprimit Catullum.

8. §. *Præterea cavendum, ne imitemur loquendi modos, qui ſapiant impias opiniones. Quò refero etiam juramenti formulas,* hercle, medius fidius, *& ſimiles. Item cùm animas noſtras dicunt de Deo, vel ſempiternis ignibus decerptas. Cujuſmodi elegantioribus ingeniis facilè abblandiuntur: ſed periculum eſt, ne cum melle hauriatur venenum.*

Imitari ſe ajunt Tullium, non uno loco ſic loquentem: item Horatium †, qui mentem appellat *divinæ particulam auræ.* Sed ea proferuntur ex mente Platonis: cui, ut Plutarchus etiam teſtatur in Quæſtionibus Platonicis, anima & Dei eſt opus, quia eſt à Deo; & pars, quia eam fecerit ex *οὐσίᾳ* ‡ ſuâ. Chriſtiana verò religio non agnoſcit ulla Dei ἀποσπάσματι *, ἢ τμήματι, ἢ μορίῳ τ̃ τ̃ παντὸς ψυχῆς. Multos tamen viros egregios videas hodie ſic loqui: non quia ſic ſentiant omnes; ſed ſæpius, quia non ſatis conſiderent, quid legant, vel ſcribant.

9. §. *Etiam, cùm priſcos imitamur, obſoleta commutabimus uſitatis.*

Obſoletis verò qui ſic gaudent, meritò comparantur feminis malaciâ, ſive picâ, laborantibus: quales, cùm ſuppetant cibi boni, ac ſalubres, malunt tamen carbones, aliaque edulia abſurdiſſima.

10. §. *Quandoque tamen tempora incidunt, quibus etiam ſit locus obſoletis. Ut ſi inducamus Deos loquentes, vel priſci temporis ſenes. Vel aliàs, ſi inde orationi accedat majeſtas. Adhæc in oratione auſterâ.*

Quâ de re abunde diximus lib. iv. Inſtitutionum Oratoriarum cap. i. ſect. vii.

11. §. *Nec ſolùm vitioſa eſt imitatio, ſi vitia ſectemur: ſed etiam malè imitando non malè dicta: ut ſi frequentemus, quæ rarò uſurpata, vel probantur, vel feruntur.*

In utroque vitii genere peccabat L. Arruntius: de quo ſic L. Seneca epiſt. cxiv. *Quæ apud Salluſtium rara fuerunt, apud hunc crebra ſunt, & pænè continua, nec ſine cauſſâ. ille enim in hæc incidebat: at hic illa quærebat. Vides autem quid ſequatur, ubi alicui vitium pro exemplo eſt. Dixit Salluſtius: Aquis hiemantibus. Arruntius in primo libro belli Punici ait: Repentè hiemavit tempeſtas. Et alio loco, cùm dicere vellet, frigidum annum fuiſſe, ait: Totus hiemavit annus. Et alio loco: Inde ſexaginta onerarias, leves præter militem, & neceſſarios nautarum, hiemante Aquilone miſit. Non deſiit omnibus locis hoc verbum infulcire. Quodam loco Salluſtius dicit; inter arma civilia æqui boni famas petit. Arruntius non temperavit, quo minus*

* Turnebus lib 24. Adverſ. cap. 5.

† Matth. 12. 36.

‡ Epigr. 16.

* Lib. 2. Triſt. aliquanto ante ea, quæ diximus.

† Lib. 2. ſat. 2.

‡ Eſſentia.

* Delibramenta, ſive ramenta, ſegmenta, & particulas animæ Univerſi.

nius primò ſtatim libro poneret: Ingentes eſſe famas de Regulo. Videant quidam Ciceronis imitatores, ne aliquando ſimilis poſſint criminis argui. Nam & aliqua ſunt apud Tullium rara. De quibus conſtaret magis, ſi exſtaret Chariſio bis * memoratus Statilii Maximi liber de ſingularibus apud Ciceronem.

* *Lib. 2. cap. de Adverbio ex Cominiano.*

12. §. *Utrumque vitium Græci* ‡ *κακοζηλίαν vocant; Latini* † malam affectationem.

‡ *Demetrius Phaler. de Elocutione, & Lucianus de Saltatione.*
† *Quinctilianus lib. 8. cap. 3.*

Qualem imitationem comparare licet iſti, quam de ſimia narrat Ælianus lib. VII. de Animalibus cap. XXI. Ea, poſtquam viderat, quomodo nutrix puſionem faſciis evolveret, aquâ etiam in pelvi ablueret; conſpicata receſſiſſe nutricem, ac cæteros, per feneſtellam fortè apertam deſiliit ad infantulum, è cunis arripuit, faſciiſque explicitis, è cacabo igni appoſito tenerum corpuſculum perfudit aquâ; ſed ferventi. Quod non imitari erat, ſed occidere. Poſſis & κακοζήλους ‡ illos conferre cum diſcipulis vel Platonis, κυρτότητα * ejus emulantibus; vel Ariſtotelis, τραυλότητι † magiſtri ſequentibus; ut de utriſque auctor eſt Plutarchus lib. de audiendis poëtis: vel illis Porcii Latronis, cuminum edentibus, quò referrent præceptoris Pallorem: ut ex Plinio cognoſcimus lib. XX. cap. XIV. De Latronis verò pallore, teſtis etiam familiaris ejus M. Seneca Præfat. lib. I. Controverſ.

‡ *Imitatores malos.*
* *Curvitatem.*
† *Balbutiem.*

13. §. *Atque ex his cognoſcere fuit, non ſolùm, quomodo imitari conveniat; ſed ex parte etiam, quouſque id agendum. Nempe, ut de poſteriori nunc pauca ſuperaddam, ſic imitationem commendo, ut nec ab omnibus, nec ubique, nec ſemper requiram. Ac præſertim laxiores dedero habenas iis, quibus ingenium obtigit excellentius, & ætas, atque uſus, judicium firmavit. Qualibus audendum aliquid de ſuo. Nec enim ſtrenue ſatis ſequitur, qui perpetuò aliena premit veſtigia. Et ſegnis eſt ingenii, duce ſemper indigere. Quanto pulchrius, cum iis, quos prius ſequebamur duces, tandem contendere, bonâ ſpe, poſſe eos à nobis vinci, vel inveniendi acumine, vel οἰκονομίας ‡ felicitate, vel verborum elegantiâ, aut ſententiarum gravitate! Quomodo & priores exſuperabimus, & poſteros demerebimur, bona propria addendo priorum inventis.*

‡ *Collocationis, ſive ordinis.*

Exemplo fuerit Maro, qui multa feliciùs expreſſit, quàm illi, quos eſt ſecutus. Et, puto, idem diceremus de Horatio, ſi exſtarent tot Lyrici veteres. Item de Propertio, ſi haberemus Philetæ, & Callimachi elegias. Salluſtius quoque, Thucydideæ æmulus brevitatis, eum in ſuis cecidit caſtris. Ac Marco Ciceroni ſimilem tribuit gloriam Quinctilianus lib. X. cap. I. Ubi cùm dixiſſet, eum effinxiſſe vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis; poſtea ſubdit: *Nec verò, quod in quoque optimum fuit, ſtudio conſecutus eſt tantum; ſed plurimas, vel potiùs omnes ex ſe ipſo virtutes extulit immortalis ingenii beatiſſimâ ubertate.* Quare rectè idem Fabius cap. ſequenti: *Imitatio ipſa per ſe non ſufficit, vel quia pigri eſt ingenii, contentum eſſe iis, quæ ſunt ab aliis inventa. Quid enim futurum erat temporibus illis, quæ ſine exemplo fuerunt, ſi homines nihil, niſi quod jam cognoviſſent, faciendum ſibi, aut cogitandum, putaſſent? Nempe nihil fuiſſet inventum. Cur igitur nefas eſt reperiri aliquid à nobis, quod antè non fuerit?* Et poſt pauca: *Turpe illud eſt, contentum eſſe id conſequi, quod imiteris. Nam quid erat futurum, ſi nemo plus effeciſſet eo, quem ſequebatur. Nihil in poëtis ſupra Livium Andronicum, nihil in hiſtoriis ſupra Pontificum annales haberemus; ratibus adhuc navigaremus; non eſſet pictura, niſi quæ lineas modò extremas umbræ, quam corpora in Sole feciſſent, circumſcriberet. Ac, ſi omnia percenſeas, nulla ſit ars, qualis inventa eſt, nec intra initium ſtetit. Nihil enim creſcit ſolâ imitatione.* Scitè poſtea ſubdit: *Etiam, qui ſumma non appetunt, contendere potiùs, quàm ſequi, debent. Nam qui agit, ut prior ſit; forſitan etiam, ſi non tranſierit, æquabit. Eum verò nemo poteſt æquare, cujus veſtigiis ſibi utique inſiſtendum putat. Neceſſe eſt enim ſemper ſit poſterior, qui ſequitur.* Fateri interea cogimur, perdifficile eſſe, etiam ingeniis felicibus, ſed modeſtis, perſuadere, ſe, modò contenderint, exſuperare poſſe Homerum, Sophoclem, Demoſthenem; vel Ciceronem, Maronem, Horatium, atque alios, quos in faſtigio alterutrius eloquentiæ conſtituit vetuſtas. Vident enim, (ut Vellejus ait) *eminentiſſima cujuſque profeſſionis ingenia in idem artari temporis congruens ſpatium.* Quomodo, ut poſtea ſubjungit, *Una, neque multorum annorum ſpatio diviſa ætas, per divini ſpiritus viros, Æſchylum, Sophoclem, Euripidem, illuſtravit tragœdiam: una priſcam illam, & veterem, ſub Cratino, Ariſtophane, & Eupolide, comœdiam.* Atque idem poſtea de novis Comicis refert: deque philoſophis, nec non oratoribus; quos *adeò* ait *artari anguſtiis temporum, ut memoriâ dignus alter ab altero videri nemo nequiverit.* Sed enim diceret Fabius, non ingeniorum culpâ factum eſſe, quòd poſterior ætas non tulerit prioribus pares, vel ſuperiores: ſed, ut omnia noſtra ſunt inſtabilia, ita cum hominibus mutari eorum ſtudia, ac conatus. Præterea clarum eſt, nec Fabium omnia ab omnibus exigere: cùm ibidem præcipiat, ut quiſque in imitando conſideret, quid humeri valeant ſufferre. Nempe hujuſmodi ab iis ſolum requirit, quos, ut ſic dicam, Apollo, ſive Mercurius, aut Muſæ, benevolis, atque amicis oculis adſpexerint naſcentes: ab eximiis videlicet ingenii dotibus inſtructis, non ex animis vulgaribus. Denique ſufficere illud debet, quòd Fabius ait; pulcrâ hac cum eminentiſſimis contentione illud profici, quòd, ſi eos non vincamus, minimùm æquemus; vel ſi hoc etiam exciderimus, ſaltem non tanto abſimus intervallo, quàm ſi, deſperatione quadam, contenti fuiſſemus ſemper ſequi.

Cap. V.

De meditatione futuri operis, antequam ſcribere aggrediamur; inque ſcribendo curâ, atque induſtriâ.

1. §. *Expoſuimus, quomodo, & quatenus ſit inſiſtendum veſtigiis eorum, quos elegimus nobis verborum, & conceptuum duces. Poſt hujus rei notitiam cogitare licebit de opere, quod molimur. Priuſquam tamen animum ad ſcribendum applicamus; ſedulò meditari oportet de forma, ac conſpectu operis futuri.*

Præmeditationem hoc vocare poſſumus; quia naturâ, ac tempore, prævertat tum meditationem illam in ſcribendo, tum alteram in corrigendo. Ut triplex hìc tempus in conſiderationem veniat: unum ante ſcriptionem, quando delineamus quæ ſcribemus: alterum in ſcribendo, cùm particulatim ſingula commentando exſequimur: tertium poſt ſcriptionem, quod emendationi inſumitur. Quam verò *præmeditationem* dicebamus, ea Xenophonti, initio Κύρου παιδείας, ἔννοια: Ariſtoteli in Ethicis ἐννόησις vocatur. Eidem clarè ſic deſcribitur, μελέτη τοῦ νοῦ περὶ τοῦ ζητήματος. Quaſi dicas, meditatio, ſive accurata ejus cogitatio, de quo quæritur, ſive de quo acturi ſumus. Joannes Sturmius lib. de Imitatione appellat *commentationem.* Sed ea vox ambigua videtur, cùm nunc notet excogitare, invenire nunc ſcribendo componere: quomodo & paullò antè capiebam. Interim prior ſignificatio eſt nativa: cùm à μένος, ſint *mens, reminiſcor, comminiſcor, commentor,* atque alia.

2. §. *Hanc præmeditationem eſſe neceſſariam, ſatis ex*

ex eo cognoſcitur, quòd nec omnes, nec ſemper, felices adeo ſimus, ut optima nobis primò veniant in mentem. Quare ne poſtea, multùm jam opere provecto, nihil egerimus, ac, unâ omnibus liturâ deletis, deſiſtere ab inſtituto, vel novum ordiri laborem, cogamur: initio per omnia verſandus eſt animus, donec ſtatuere liceat, quomodo totum operis corpus formari, ac conſtrui, oporteat.

Similiter igitur hìc comparatum eſt, ac cum pictura: ubi, ſi in extimis corporis lineamentis fuerit peccatum; quicquid interiùs pingitur, vitioſum eſſe, neceſſe eſt. Ac par ratio eſt prudenter volentis ædificare. Primò enim animo concipit optimam ædificii formam. Subinde etiam ex argilla, aliâve rudi materiâ; qualecumque ſpecimen format; ut inde certiùs, exiguâque impensâ, de fabrica, ſumtûs ſæpe ingentis futura, poſſit judicare. Tum demum, pro ratione operis concepti, ligna, lapides; cæteramque convehit materiem. Ac tandem fundamenta jacit, columnas erigit, cæteraque exequitur. Hæc niſi ratio ineatur, quantæ poſtea & moleſtiæ erit, & ſumtûs, corrigere, quod fuerat peccatum! Optimè hoc perſpexit Quinctilianus, lib. x. cap. III. Verba adſcribi merentur. *Diverſum eſt huic eorum vitium, qui primò decurrere per materiam ſtylo quàm velociſſime volunt; &, ſequentes calorem, atque impetum, ex tempore ſcribunt (hanc* SYLVAM *vocant) repetunt deinde, & componunt, quæ effuderunt. Sed verba emendantur, & numeri; manet in rebus temere congeſtis, quæ fuit, levitas. Protinus ergo adhibere curam rectius erit, atque ab initio ſic opus ducere, ut calandum, non ex integro fabricandum ſit.*

3. §. *Præmeditationem hanc operis univerſi excipit ſingularum partium cura. Qui labor non ſubitus, ac præceps; ſed tardus, ac cautus eſſe debet.*

Quod & ipſum non in Oratoria minùs, quàm Poëticâ, locum habet. Uti apud Ciceronem docet Craſſus lib. I. de Oratore: *Si*, inquit, *ſubitam, & fortuitam orationem, commentatio, & cogitatio facilè vincit: hanc ipſam profectò aſſidua ac diligens ſcriptura ſuperabit.* Ac ſimiliter ibidem: *Etſi*, inquit, *utile eſt, etiam ſubitò ſæpe dicere, tamen illud utilius, ſumto ſpatio ad cogitandum, paratiùs, atque accuratiùs, dicere.*

4. §. *Imprimis verò longior hæc meditatio in initiis requiritur. Nam tarde ſcribendo conſequimur, ut & bene, & citò, ſcribamus. Sed citò ſcribendo multi bene ſcribendi facultatem perdiderunt.*

Hoc etiam in utrâque facundiâ habet locum. Fabius lib. x. cap. III.

5. §. *Interea, ſeu proſâ, ſive carmine, aliquid molimur; utile eſt, ut ſcribendi laborem lectione aliorum, imprimis eius, cujus volumus eſſe ſimiles, diffindamus. Sic enim laſſi ſcribendo, recreabimur legendo: & novâ paſti alimoniâ novum hauriemus ſpiritum de alieno.*

Seneca epiſt. LXXXIV: *Sunt lectiones, ut exiſtimo, neceſſariæ, primùm, ne ſim me uno contentus: deinde, ut cùm ab aliis quæſita cognovero, tum & de inventis judicem, & cogitem de inveniendis. Alit lectio ingenium, & ſtudio fatigatum, non ſine ſtudio tamèn, reficit. Nec ſcribere tamen, nec tantùm legere debemus. altera res contriſtabit, & vires exhauriet, de ſtilo dico: altera ſolvet, ac diluet. Invicem hoc illo commutandum eſt, & alterum altero temperandum: ut, quicquid lectione collectum eſt, ſtilus redigat in corpus.*

CAP. VI.

DE EMENDATIONE.

1. §. *Ab imitatione nunc ad eorum, quæ ſcripſimus, limam, atque emendationem, accedo. Quâ nihil utilius.*

Unde Fabius lib. x. cap. IX: *Emendatio, pars ſtudiorum longe utiliſſima. Neque enim ſine cauſſa creditum eſt, ſtylum non minùs agere, cùm delet.*

2. §. *Atque hoc dictum volo, tum de iis, quæ ſolutâ, tum quæ vinctâ, ſcribimus oratione.*

Iſocrates etiam decennium Panegyrico impendit; Plato non deſiit decus, ac venuſtatem, addere dialogis ſuis ad annum uſque octogeſimum. De utroque, præter alios, auctor nobis Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. de Collocatione verborum. An tam anxiâ curâ ſit opus, poſtea exponam. Sufficit nunc videre, quàm emendationi ſtuduerint veteres, etiam Oratores, ac philoſophi. Nec minùs exemplum capere eſt è poëtis, etiam Latinis. Auctor eſt Donatus, Virgilio hunc morem fuiſſe, ut horis matutinis plurimos ſcriberet verſus: horis verò pomeridianis, ubi calor ille deferbuiſſet, eoſdem incudi redderet, ac limaret: ac ſæpe ex centenis vix quaternos, aut ſenos, reliquiſſe non aliqua ex parte immutatos: ac propterea dicere ſolere, ſe, urſæ in modum, fœtus edere informes, quos deinde lambendo informaret. Itaque ſeptennium corrigendis tribuiſſe Georgicis creditur. Ex eodem Donato cognoſcimus, propoſitum fuiſſe Maroni, proficiſci Athenas, ut ibi triennium limandæ Æneidi impenderet. Nondum ſibi ſatisfaciebat divinus animus; eoque, ubi mortem videt imminere, comburi Æneida poſcebat. Nec Ovidio Metamorphoſis ſua ſatis viſa eſt emendata: quo nomine queritur in Triſtium lib. I, & III. Itaque, in exilium iturus, eam decrêrat incendere: uti aliquot aliis libris factum; quemadmodum refert ipſe lib. IV. Triſt. el. x. Sed de metamorphoſi fruſtra ita cogitabat, quia jam deſcripſerant amici.

3. §. *Valde igitur eos ratio fugit, qui, exiſtimant, ſatis eſſe, ſubito multos effudiſſe verſus; atque hanc facilitatem appellant ingenii ubertatem.*

Abunde eos refellit Horatius lib. I. Sat. IV:

—— Neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis; neque ſiquis ſcribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poëtam.
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.

Peccabat hac in parte Lucilius: de quo ſic idem Horatius*:

Nam fuit hoc vitioſus. in hora ſæpe ducentos,
Ut magnum, verſus dictabat ſtans pede in uno.
Cùm flueret lutulentus, erat quod tollere velles:
Garrulus, atque piger ſcribendi ferre laborem;
Scribendi rectè, nam ut multum, nil moror.

* *Ibidem.*

Quotquot verò ſolâ ſcribendi facilitate ſpiritus ſumunt; ſimiles videntur Agatharcho pictori, de celeritate ſuâ in pingendo glorianti: cui Zeuxis ajebat, *diu ſe pingere, quia pingeret æternitati*: ut eſt apud Valerium. Ac alteri itidem ſe jactanti apud Apellem de tabula citiſſime depictâ: reſpondit nobiliſſimus pictor, opus ipſum monſtrare, eum verum dicere. Potiùs igitur imitandus Ariſtides †; qui Marco Imperatori roganti, quando eum eſſet auditurus, unum ſibi diem meditandi popoſcit; ac rationem hanc addidit: Οὐ γὰρ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων: *non ſumus è numero vomentium, ſed cum cura aliquid elaborantium.* Rectè Plutarchus in Pericle: Ἡ γὰρ ἐν τῷ ποιεῖν εὐχέρεια, καὶ ταχύτης, οὐκ ἐντίθησι βάρος ἔργῳ μόνιμον,

† *Eunapius in Proæreſio.*

μον, οὐδὲ κάλλους ἀκρίβειαν· ὁ δ' εἰς τὴν γένεσιν τῷ πόνῳ προσδανεισθεὶς χρόνος ἐν τῇ σωτηρίᾳ τοῦ γενομένου τὴν ἰσχὺν ἀποδίδωσιν. *Nam facilitas operis, ac celeritas, non addit illi ſolidum pondus, neque accuratam elegantiam. At ſi labori tempus longum quaſi fœnerato acceſſerit, robur naſcenti additur operi.*

Memini me illorum commonere glorioſulum quendam, eâ parte peccantem, quòd, quæ ſubitò ſcripſiſſet, continuò ſineret in manus doctiſſimorum hominum venire. Ob oculos etiam ponebam, in quibus peccâſſet. Ille, magnâ ſui fiduciâ, unum hoc reſpondere, Quotuſque videbit hæc meliùs dici poſſe? Quid tum ego aliud facerem, quàm ut reſponderem illi verſibus Horatii *, qui fortè tum animo occurrebant.

* *In Arte Poëtica.*

Non quivis videt immodulata poëmata judex,
Et data Romanis venia eſt indigna poetis:
Iccircone vager, ſcribamque licenter? an omnes
Viſuros peccata putem mea? tutus, & intra
Spem veniæ cautus: vitavi denique culpam,
Non laudem merui.

Dixeris, multum laudis meruiſſe Lucilium; qui, ut antea ex Horatio vidimus, multos ſubito calore verſus, bonos, malos, effundebat; nec eos revocabat ad incudem. Sed hac parte etiam pro me reſpondet idem Horatius †.

† *Lib. 1. ſat. 10.*

—— Fuerit Lucilius, inquam,
Comis, & urbanus, fuerit limatior idem,
Quam ‡ rudis, & Græcis intacti carminis auctor,
Quamque poëtarum ſeniorum turba. Sed ille,
Si foret hoc noſtrum fato delapſus in ævum,
Detereret ſibi multa; recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur; & in verſu faciendo
Sæpe caput ſcaberet, vivos & roderet ungues.

‡ *Caſaub.* Quam Rudius Græcis i. e. 2. *Nam ſatis conſtat, Ennium fuiſſe Rudium.*

Aliter animati pueris ſcribunt, & vulgò; non quæ iterum legi mereantur, vel vivere deinceps poſſint. Hoc quoque firmemus illo Horatii ſat. ult. libri primi:

Sæpe ſtilum vertas, iterum quæ digna legi ſint
Scripturus; neque te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?

Concludam hoc ejuſdem monito, ſic Piſones compellantis:

Pompilius ſanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non caſtigavit ad unguem.

4. §. *Quemadmodum verò emendatione nihil utilius: ita nec eâdem difficilius quicquam.*

Polycletus pulchrè de arte ſuâ ajebat, χαλεπώτατον εἶναι τὸ ἔργον, ὅταν ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γίνεται· *difficillimum eſſe opus, cùm in unguibus eſt lutum.* Idem de poëſi dixeris. Unde Horatius:

Nec virtute foret, clariſve potentius armis,
Quàm linguâ Latium, ſi non offenderet unum
Quemque poëtarum limæ labor, & mora.

Item Ovidius:

Corrigere at tanto res eſt magis ardua, quanto
Magnus Ariſtarcho major Homerus erat.

Ubi mirum eſt, poëtam ingenioſiſſimum uſque adeò pugnantia dicere. Notum enim eſt, ab Ariſtarcho emendatos Homeri verſus: eoque ſi corrigere ſit majus, quàm ſcribere; majus ſanè videatur eſſe, quod Ariſtarchus egit, quàm quod Homerus. At ipſe id negat Ovidius. Quare de Ariſtarcho rectiùs ſiluiſſet. Reprehendit hoc nomine Ovidium Cæſar Scaliger in Hypercritico. Nec tamen deeſt prorſus, quod pro Naſone reſpondeam. Diſtinguere enim oportet emendationem poëtæ, ſua ad incudem revocantis; & illam Critici corrigentis, quæ librarii peccarunt. De priori loquitur Ovidius.

5. §. *Cumque emendatione vel addamus, vel detrahamus, vel immutemus; tertium horum eſt omnium operoſiſſimum.*

Vocant Græci πρόσθεσιν, ἀφαίρεσιν, & ἀλλοίωσιν, ſive καταλλαξιν. Primæ eſt locus, ſi quid deficiat: alteri, ſi ſuperſit: tertiæ, variis de cauſſis; ut ſi proprio præſtet μεταφορικόν, quia ſit ἐμφαντικώτερον *: vel ſiquid immutemus, ob ποικιλίαν †, quia voce aliquâ paullò etiam antè uſi ſimus: vel propter εὐφωνίαν ‡, quia dictio ſic jucundiùs accidat ad aures. Præter quas aliæ etiam ſunt commutandi cauſſæ. De iis ſic Fabius lib. x. cap. iv. de emendatione: *Hujus eſt adjicere, detrahere, mutare. Sed facilius in his, ſimpliciuſque judicium, quæ replenda, vel dejicienda ſunt: premere verò tumentia, humilia extollere, luxuriantia adſtringere, inordinata digerere, ſoluta componere, exultantia coercere, duplicis operæ. Nam & demenda ſunt, quæ placuerant; & invenienda, quæ fugerant.* Rationem eam corrigendi Horatius docet his verbis ‡:

* *Significantius.*
† *Varietatem.*
‡ *Sonum ſuaviorem.*

Vir bonus, & prudens, verſus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum, ambitioſa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambiguè dictum, mutanda notabit.

‡ *In Poët. Arte.*

6. §. *Quod ſiquid non ſatisfaciat, nec melius occurrat: omittere illud ſatius eſt, & aliud cogitare, quod faciliùs expolire valeamus.*

Horat. de Quinctilio Varo, nobili poëta *:

* *In Arte Poët.*

Quinctilio ſiquid recitares, Corrige ſodes
Hoc, ajebat, & hoc: melius te poſſe negares,
Bis terque expertum fruſtra: delere jubebat,
Et male tornatos incudi reddere verſus.

7. §. *Ut verò rectiùs conſpiciamus, quæ emendari oporteat: aggrediemur noſtra, velut aliena, atque id per intervalla.*

Fabius lib. x. cap. ii. *Nec dubium eſt, optimum eſſe emendandi genus, ſi ſcripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea poſt intervallum, velut nova, atque aliena, redeamus, ne nobis ſcripta noſtra, tanquam recentes fœtus, blandiantur.*

8. §. *Et tamen modum etiam in corrigendo tenere oportet. Modus is tum in rebus, tum in tempore, conſideratur. Ratione rerum exigitur, ne, dum nunquam nobis ſatisfacimus, & poſterius quidque magis placet, recta etiam depravemus.*

De hoc ita Fabius lib. x. cap. iv. *Et ipſa emendatio finem habet. Sunt enim, qui ad omnia ſcripta, tanquam vitioſa, redeant: & quaſi nihil fas ſit rectum eſſe, quod primum eſt; melius exiſtiment, quicquid eſt aliud: idque faciunt, quoties librum in manum reſumſerint; ſimiles medicis etiam integra ſecantibus. Accidit itaque, ut cicatroſa ſint, & exanguia, & curâ pejora. Sit igitur aliquando, quod placeat; ut opus poliat lima, non exterat.*

9. §. *Etiam temporis ratione peccatur: ut ab iis, qui nunquam ſciunt manum de tabula tollere, ac limam protrahunt in annum decimum, vel vitam univerſam.*

Qua de re ſic ibidem ſtatuit Fabius Quinctilianus: *Temporis quoque eſſe debet modus. Nam quod Cinna Smyrnam novem annis accepimus ſcriptam, & Panegyricum Iſocratis, qui parciſſimè, decem annis dicunt elaboratum, ad Oratorem nihil pertinet: cujus nullum erit, ſi tam tardum fuerit, auxilium.* Ubi quod de Oratore ait, aliquammultùm reſtringere oportet. Nec enim Cicero, optimus omnium patronus, claudicare auxilium ſuum ſinebat,

ſi poſt

ſi poſt habitam orationem, eam corrigeret, priuſquam in manus hominum veniret. Primò quippe commentarios conficiebat; tum cauſſas agebat; hinc magnâ curâ orationes ſcribebat, & limabat. Qua de re plura dicerem, niſi abunde hoc feciſſem in Oratoriis Inſtitutionibus lib. IV. cap. X. ſect. VI. Ad illud verò, quod Cinnæ Smyrnam annis ait novenis elaboratam, reſpexit quoque Horatius, quando ait*,

* In Arte.

—— Nonumque prematur in annum.

Multoque antè Catullus; cujus illud †:

† Carm. 96.

Smyrna mei Cinnæ nonam poſt denique meſſem,
Quàm cœpta eſt, nonamque edita poſt hyemem.

Sed magis id opus Grammaticis placuit, quàm poëtis. Curâ enim nimis anxia fecit obſcurum. Sed eruditis olim commentariis illuſtravit L. Craſſitius. Martialis* verò negat, ſe velle ſic ſcribere: atque optat ſua ut carmina

* Lib. 10. epig. 21.

Grammaticis placeant, & ſine grammaticis.

CAP. VII.

DE RECITATIONE.

1. §. *Quæ hactenus de emendatione attulimus, pertinent univerſa propriè ad judicii limam. Sed nulli ſecurè licet conquieſcere in judicio ſuo: quando, ut proverbio dicitur, alia aliis placent; ſed ſuum cuique pulcrum: ſcruta etiam ſcrutarius laudat; ac innumeri ſua amant ſine rivali.*

Quod & indicat hoc Catulli †:

† Epigr. 22. ad Varum.

—— Suus quoique attributus eſt error.
Sed non videmus, manticæ quod in tergo eſt.

Ubi ad notiſſimam Æſopi fabulam alluſit.

2. §. *Atque iſtiuſmodi* φιλαυτία ‡ *locum habet in omni genere ſcribendi; ſive tractemus divina, ſive humana. Inque humanis non illa modò ſcientia naturalis, quò pertinet quoque Medicina; ſed etiam ſcientia moralis, ac civilis; ad quam refertur Juriſprudentia. Verùm nunc imprimis conſideramus Eloquentiam; quatenus in hiſce omnibus, imò & iis, quæ ad vocabula attinent, tractandis elucet. Cùm verò gemina ſit Eloquentia; quarum una in proſa oratione, altera verò in vinctâ conſiſtat: omnino in utrâque exigitur, ut ne opinioni noſtræ nimium fidamus.*

‡ Nimius amor ſui.

Φιλαυτίαν illam etiam habere locum in iis, qui ſibi Oratores, vel Hiſtorici videntur, teſtis eſt Lucianus libro de ſcribenda Hiſtoria: ubi narrat, ut poſtquam bellum adversùs Armenios geri cœpit, quaſi è terra ſubitò enata ſit maxima hiſtoricorum ſeges; quorum nemo non ſibi inter hiſtoriæ principes locum ſuum tueri poſſe videretur. Οὐδεὶς ὅστις οὐχ ἱστορίαν συγγράφει· μᾶλλον δὲ Θουκυδίδαι, καὶ Ἡρόδοτοι, καὶ Ξενοφῶντες ἡμῖν ἅπαντες, καὶ ὡς ἔοικεν, ἀληθὲς ἄρ' ἦν ἐκεῖνο τὸ πόλεμος ἁπάντων πατήρ. εἴγε καὶ συγγραφέας τοσούτους ἀνέφυσεν, ὑπὸ μιᾷ τῇ πληγῇ. *Nullus nunc eſt, qui non hiſtoriam ſcribat. Quin cuncti nobis facti ſunt Thucydides, Herodoti, ac Xenophontes: atque, ut apparet, verum eſt, quod vulgò dicitur, Bellum eſt omnium pater; quandoquidem tot nobis hiſtoriarum ſcriptores procreavit, idque unâ hac plagâ.*

3. §. *Imprimis autem in carmine innumeros invaſit ſacer ille morbus (niſi is furor potiùs dici debet) ut ſe poëtas, & quidem optimos, putarent, qui in poëtarum hortis adhuc, quod dicitur, inter apia conſiſterent.*

De iſtoc audiamus Ciceronem lib. V. Tuſcul. Quæſt. *Adhuc neminem cognovi poëtam (& mihi fuit cum Aquinio amicitia) qui ſibi non optimus videretur.* Aquinii iſtius etiam meminit Catullus epigr. ad Calvum: ubi Cœſium ei jungit, & Suffenum: ac tales vocat,

Secli incommoda, peſſimos poëtas.

Nec relatu indignum, quod Lucianus narrat initio ejus libri, cujus proximè meminimus. Ait, ſub Lyſimacho rege contigiſſe Abderæ, (quæ Thraciæ eſt civitas, Democriti patria) ut poſtquam Archelaus tragœdus in magno æſtu egiſſet Euripidis Andromedam; multi è theatro redierint febricitantes; mox urbs plena fuerit pallidis, & macilentis, qui verſus ex ea fabula recitarent, omneſque ad agendam tragœdiam impellerentur: duraſſeque hunc animi morbum, donec, ſuperveniente hieme, frigus deliria, ac nugas iſtas ſedaret. Subdit deinde, ut tum omnes ſibi videbantur poëtæ; ſic nunc omnes ſibi videri hiſtoricos; de quo antè dicebamus.

4. §. *Optima igitur ea veterum conſuetudo erat; quâ, licet ſibi ſcribendo, & emendo, jam ſatisfacerent; non propterea ſinerent ſua in omnium manus venire; ſed ea peritis, atque intelligentibus recitarent; quò priùs corrigerent, quæ his jure diſplicuiſſent.*

Hunc recitandi finem fuiſſe, indicat Plinius lib. V. epiſt. III. ubi cùm de Attio, & Ennio, eſſet locutus, ſubjungit: *Recito tamen, quod illi an fecerint neſcio etiam: ſed illi ſuo judicio poterant eſſe contenti: mihi modeſtior conſtantia eſt, quàm ut ſatis abſolutum putem, quod à me probetur.* Varia deinde recitationis commoda recenſet. *Itaque,* inquit, *has recitationis cauſſas ſequor. Primum quòd ipſe, qui recitat, aliquanto acriùs ſcriptis ſuis auditorum reverentiâ intendit. Deinde quòd, de quibus dubitet, quaſi ex conſilii ſententia ſtatuit. Multa etiam à multis admonetur: & ſi non admoneatur, quid quiſque ſentiat, perſpicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio: quæ ſatis apertis notis judicium ab humanitate diſcernunt. Atque adeò, ſicui fortè eorum, qui interfuerunt, cura fuerit eadem illa legere; intelliget, me quædam aut commutâſſe, aut præteriiſſe; fortaſſe etiam ex ſuo judicio, quamvis ipſe nihil dixerit mihi.*

5. §. *Ambitioſuli verò alio fine recitabant: videlicet non tam emendandi gratiâ, quàm ut captarent inanem gloriam.*

Tales damnat Tacitus, ſive quiſquis auctor ille dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ, ubi de Saleio Baſſo: *Et ut beatiſſimus recitationem ejus eventus proſequatur; omnis illa laus intra unum, aut alterum diem, velut in herba, & flore præcepta, ad nullam certam, & ſolidam pervenit frugem: nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut manſurum in animo cujuſquam beneficium, ſed clamorem vagum, & voces inanes, & gaudium volucre.* Hujuſmodi vanæ gloriæ aucupes nihil proficiunt, quia non ſuſtinent audire verum; inſtar illius, qui Martialem ſemper rogaret, ut ſibi verum diceret de libellis, quos recitâſſet. Scitè ei reſpondet poëta*: * Lib. 8. ep. 76.

Durum eſt me tibi, quod petis, negare.
Vero veriùs ergo quid ſit audi,
Verum, Gallice, non libenter audis.

6. §. *Quemadmodum autem erant, qui recitarent, ut laudarentur: ita & fuere, qui recitantes laudarent ſportula, vel cœna ergo.*

Unde Petronius in Satirico: *Multo me turpior es tu hercule, qui, ut foris cœnares, poëtam laudaſti.* Martialis lib. VI. in Pomponium:

Quod tam grande σοφῶς clamat tibi turba togata;
Non tu Pomponi; cœna diſerta tua eſt.

Vide & lib. II. epigr. XXVII. Et præcipuè, quæ cap. VIII. de diſcernendis auditorum judiciis dicam. Hujuſmodi auditores, qui conducerentur, ut illud σοφῶς † acclamarent, & alterius laudes dicerent, ſcitè olim vocarunt tum σοφοκλεῖς, alluſione ad poëtæ tragici nomen; tum *laudicenos*, alluſione ad urbem Laodiceæ, quæ & *Laudicea*,

† Sapienter.

dicea, ut laotomia, *lautumia.* Vide Plinium lib. XI. epiſt. XIV.

7. §. *Sapientis igitur non eſt advocare alios, quàm rei intelligentes, & verè candidos. Ac primùm quidem ſuffecerint duo, tres. Poſtea plures ſunto. Et, ut cuncta complectar, non videtur melior ratio, quàm quâ Plinius minor praivit.*

Pleniùs de hoc loquar cap. VIII. Nunc ſolùm audiamus Plinium lib. VII. epiſt. XVII. *Nullum emendandi genus omitto: ac primùm, qua ſcripſi, mecum ipſe pertracto: deinde duobus, aut tribus, lego: mox aliis trado annotanda; notaſque eorum, ſi dubito, cum uno rurſus, aut altero, penſito: noviſſimè pluribus recito; ac, ſiquid mihi credis, tunc acerrimè emendo: nam tanto diligentiùs, quanto ſollicitiùs, intendo. Optimè autem reverentia, pudor, metus, judicant.* Et aliquanto pòſt, cùm de tragico Pomponio, ad populum provocante, eſſet locutus, iſta ſubjungit: *Tantum ille populo dabat. Rectè, an ſecus, nihil ad me. Ego enim non populum advocare; ſed certos, electoſque, ſoleo, quos intuear, quibus credam, quos denique & tanquam ſingulos obſervem, & tanquam non ſingulos timeam.*

8. §. *Recitatio hac tam in ſolutâ oratione, quam vinctâ, obtinebat.*

De proſâ videmus ex Catullo: cui, ad cœnam vocato, Sextius orationem ſuam legit adverſùs Attium competitorem. Atque hactenus ex more Sextius fecit. Sed malè illud, quòd oratio, quàm prælegit, tam frigida erat, ut, ea audita, Catullus magno frigore ſit correptus; imò, ſi poëtæ * ludenti credimus, neceſſe habuerit ſe recipere in villam ſuam, ſeu Sabinam, ſeu Tiburtem, ſaltem in confinio utriuſque conſtitutam, quò iſtic calorem, ac valetudinem priſtinam recuperaret. Audiamus etiam Plin. lib. VII. epiſt. XVII. *Miror, quod ſcribis, fuiſſe quoſdam, qui reprehenderent, quod orationes omnino recitarem. niſi verò has ſolas non putant emendandas. A quibus libenter requiſierim, cur concedant (ſi concedunt tamen) hiſtoriam debere recitari, qua non oſtentationi, ſed fidei, veritatique componitur.*

* Epigr. 45. ad fundum.

Sed de poëtis potiùs loquamur. Quanti & ingenii, & nominis, Ovidius fuit! Et ille tamen ex eorum ſententia, quibus recitâſſet, ſi non continuò (ſubinde enim ſibi etiam in vitiis placebat) poſtea ſaltem, ubi meliùs penſiculâſſet, ſua corrigebat. Unde eſt, quòd cùm priùs in libris de Arte amandi ſcripſiſſet;

Egelidum Borean, egelidumque Notum:

nunc tamen, ex emendatione ipſius poëtæ, legatur;

Et gelidum Borean, præcipitemque Notum.

Etiam Plinius de hac conſuetudine ſic ſcribit lib. I. epiſt. XIII. quæ ad Soſium Senecionem: *Magnum proventum poëtarum annus hic attulit. Toto menſe Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis.* Eſtque tota hoc de more epiſtola, & multorum ſimul deſidiâ ad audiendum. Idem lib. VII. epiſt. XVII. ait, Pomponium Secundum, poëtam tragicum, recitare ſua aliis ſolere. Ibidem etiam adverſùs eos diſſerit, qui nollent orationes recitari; ac quærit, quare id magis probent in poëmatis. *Cur,* inquit, *concedunt debere recitari tragœdiam, qua non auditorium, ſed ſcenam, & auditores; cur lyrica, qua non lectorem, ſed chorum, & lyram, poſcunt. At horum recitatio uſu jam recepta eſt. num ergo culpandus eſt ille, qui cœpit?* Videmus hic de tragicis, & lyricis. At de comicis etiam, & elegis, & ſatyris, cognoſcere eſt ex Juvenale ſat. I.

Semper ego auditor tantùm? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theſeide Codri?
Impunè ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic elegos? impunè diem conſumſerit ingens
Telephus? aut, ſummi plenâ jam margine libri,
Scriptus & in tergo, necdum finitus Oreſtes?

Ubi Elegos apertè nominat: de Togatis pertinet ad Comicos: de Telepho, & Oreſte, ad Tragicos: de Theſeide ad eoſdem, vel ad Epicos: ad Satyricos verò, quod ait, ſi alii tam variis poëmatis moleſtiam ſibi crearint, velle ſe nunc talionis pœna eos afficere, &, ſatyras ſuas recitando, viciſſim iis moleſtiam afferre.

9. §. *Multùm verò diſtat, utrùm ipſe recitet auctor; an alius. Utrumque obtinuit: ſed poſterius ſolùm in viris principibus.*

Nihil igitur mirum, ſi ipſe recitârit Terentius; quem è ſervo libertum fecit Terentius Lucanus, Senator Romanus. Unde Donatus, ut vulgò creditur, ſed potiùs Suetonius, in Comici ejus vita: *Andriam cùm primùm Ædilibus daret, juſſus antè Cæcilio recitare; ad cœnantem cùm veniſſet, dictus eſt, initium quidem fabula, quòd erat contemtiore veſtitu, ſubſellio juxta lectulum reſidens legiſſe: poſt paucos verò verſus invitatus, ut accumberet, cœnâſſe unà; deinde cætera percurriſſe, non ſine magnâ Cæcilii admiratione.* Vix tamen exemplum iſtoc eſt hujus loci: quia Terentius non ſponte recitavit, ut aliorum judicium cognoſceret: ſed juſſus ab Ædilibus recitare; ne ageretur publicè fabula, priuſquam conſtaret, an eſſet digna agi. Aptius exemplum, verùm non in fabulæ recitatione, ſed præcipuè hiſtoriæ, habemus in Claudio Cæſare: qui nunquam in adoleſcentia per alium legebat: ſed demùm in principatu. Suetonius in ejus Vita cap. XLI: *Hiſtoriam in adoleſcentia, hortante T. Livio, Sulpitio verò Flavo etiam adjutante, ſcribere aggreſſus eſt. Et cùm primùm frequenti auditorio is commiſiſſet, ægre perlegit. Nam cùm initio recitationis, defractis compluribus ſubſelliis obeſitate cujuſdam, riſus exortus eſſet; ne ſedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex intervallo ſubinde facti reminiſceretur, cachinnoſque revocaret.* Continuò deinde ſubjungit: *Alia multa recitavit in principatu, non ipſe, ſed per lectorem.*

Sed duplices ſunt principum per alios recitationes: quæ confundi non debent. Hic loquimur ſolùm de iis, quibus aliorum explorarent judicia de ſuis ingenii, doctrinæque monumentis. At præterea, ſiquid publicè decerni vellent, orationem ſuam de eo jubebant in Senatu recitari per quæſtorem. De hoc vide Barnabam Briſſonium Selectarum ex Jure Civili Antiquitatum lib. I. cap. XVII.

10. §. *Locus, ubi recitarent, vel publicus fuit, vel privatus. Publicus Romæ erat, quem Cæſar Hadrianus huic rei extruxit, &* Athenæum *appellavit.*

Aurelius Victor in Adriano: *Gymnaſia, doctoreſque curare occœpit, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, conſtitueret.* Quibus verbis eos inferiùs refellam, qui, jam Horatii ætate, hoc fuiſſe Athenæum, inque eo Poëtarum judices convenire ſolitos, arbitrantur. Nominis cauſſam indicat Dio, ſive Xiphilinus, in extremo eorum, quæ retulit de Didio Juliano. Nempe ait, ſic vocatum διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παιδευομένων ἀσκήσεως. *ab eruditorum hominum in eo exercitatione.* Unde liquet, decipi eos, qui putant, fuiſſe ſic dictum, quia eſſet templum Minervæ. At longè ſpiſſiùs errat Theodorus Marſilius (quem & ſequitur Raderus ad Martialem *) cùm putat, per Athenæum intelligi ædem Apollinis Capitolini, vel potiùs Palatini. Nam Athenæum Romanum, ut ex Victore vidimus, ab Hadriani demum temporibus fuit. Itaque nec ullus ante eum meminit. Hic autem poëtas, ac rhetores recitâſſe, indicat illud Julii Capitolini in Pertinace: *Cùm Pertinax eo die proceſſionem, quam ad Athenæum paraverat, ut audiret poetam, ob ſacrificii præſagium diſtuliſſet.* Firmat quoque Lampridius in Alexandro: *Ad Athenæum,*

* Lib. 10. epig. 70.

au-

audiendorum & Græcorum, & Latinorum rhetorum, vel poëtarum causſâ, frequenter proceſſit. Adhæc Jul. Capitolinus in Gordianis: *Poſtea, ubi adoleuit, controverſiis declamavit, audientibus etiam imperatoribus ſuis.* Et B. Hieronymus de obitu Paullinæ ad Pammachium: *Quando omne Athenæum ſcholaſticorum vocibus perſonabat.* Poſt Athenæum videtur Romæ exſtructum eſſe auditorium Capitolinum: cujus Impp. Theodoſius, & Valentinianus, meminerunt in utroque Codice*. Athenis publicum auditorium erat Agrippeum in Ceramico: de quo Philoſtratus in Alexandro Sophiſta. Præterea in publicis recitationis locis fuere theatra magnarum civitatum†, non Ἑλληνικὰ‡ modò; de quibus Themiſtius*: ſed etiam Ἰταλικὰ, καὶ Ἀσιανὰ†; de quibus Syneſius‡. Nec tamen per θέατρα ſemper intelligi opus ea, in quibus ludi ſpectari ſolerent. Nam & θέατρα dixere ad horum ſimilitudinem facta, & plurimorum hominum capacia, non ludis, ſed recitationibus deſtinata. Erant verò vel δημόσια, ſive publica: vel ἰδιωτικὰ, ſive privata. Amborum meminit in Juliano Eunapius. Ac quandoque videas, *theatra*, & *auditoria*, conjungi. Philo de quærend. erudit. Τὰ δὲ ἀκροατήρια, τὰ δὲ θέατρα πληροῦται· *plena ſunt auditoria, & theatra.* Tacitus, ſive Fabius in Dialogo: *Te ab auditoriis, & theatris, in forum, & ad cauſſas, & ad vera prælia voco.* Prior horum ſub Claudio, alter ſub Domitiano vixit. Petronius, qui claruit ſub Nerone, meminit poëtæ recitantis in porticu, ac lapidibus inde exacti. Verba adferam cap. x. §. 2. Sub Antoninis floruere Ariſtides, & Appulejus: quorum ille orationem de concordia habuit in βουλευτηρίῳ, ſive curia: hic diſſeruit in baſilica; ut refert ipſe in Apologia. Atque ex his liquet, quantopere paſſim auditoria variarint. Sed ad Romanos revertor.

* Theodoſ. & Juſtin. tit. de ſtudiis liberal. Rom. & Conſtantinop.
† Appulejus Flor. lib. 4. & Themiſt. orat. 16.
‡ Græca.
* Orat. 7.
† Italica & Græca.
‡ In Dione.

11. §. *Ante Athenæum, ab Hadriano Romæ exſtructum, non pauci privatis potiùs uſi locis videntur. Ut Domitiani temporibus domo Stellæ, hortis Frontonis, ac ſimilibus.*

Martialis lib. IV. epigr. VI:
In Stella recitat domo libellos.

Juvenal. Sat. I:
Frontonis platani, convulſaque marmora clamant
Semper, & aſſiduo rupta lectore columna.

Plinius lib. VIII. epiſt. XII: *Titinnius Capito domum ſuam recitantibus præbet.* Arrianus Epicteti lib. III. cap. XXIII: Ἄκουσόν μου σήμερον διαλεγομένου ἐν τῇ οἰκίᾳ τῇ Κοδράτου· *Audi me hodie diſſerentem in ædibus Quadrati.*

12. §. *Sæpe etiam, & rhetoribus, & poëtis, conducenda erat domus, in quam auditores convenirent.*

De Rhetoribus, ſive Scholaſticis, eſt illud Taciti, vel alterius in dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Domum mutuatur, & auditorium exſtruit, & ſubſellia conducit, ut beatiſſimus recitationem ejus eventus conſequatur.* De poëtis verò eſt hoc Juvenalis ſat. VII:
—— Cùm jam celebres, notique poëtæ,
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent.

Et paullò pòſt:
Ipſe facit verſus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos: &, ſi dulcedine famæ
Succenſus recites, Maculonis commodat ædes.

13. §. *Conductâ domo etiam neceſſe habebant ſuis ſumtibus exſtruere celſam ſedem, unde legerent; item ſubſellia, in quibus auditores conſiderent.*

Perſ. ſat. I:
Sede leges celſâ. ——

Juvenal. ſat. VII:
Nemo dabit regum quanti ſubſellia conſtent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis poſita eſt orcheſtra cathedris.

Sententia eſt, regum neminem tantum daturum, quanti tria hæc conſtant in auditoriis; primùm ſubſellia in media planicie, quaſi auditorum plebi diſpoſita: deinde anabathra, quæ Platoni in Protagora, & Epicteto apud Arrianum*, βάθρα, Eunapio in Proæreſio σανίδες: videlicet cuneata, & adſurgentia illa ſubſellia, quæ ad latera in orbem erant, ac gradibus quibuſdam adſcendebantur; unde & ἀναβάθρων nomen: ac denique in fronte orcheſtra, ſive cathedræ conductitiæ primariis viris conſtitutæ ante recitantis pulpitum, quod θρόνον, λόφον, βῆμα ὑψηλὸν dixere: uti & *ſedem celſam* Perſius†. Hujuſmodi tamen conſeſſus quidam ſophi, tanquam ſoli oſtentationi forent, penitùs aſpernabantur: ut Menedemus apud Laërtium. Etiam Socrates, Plutarcho teſte, contemſit.

* Lib. 3. cap. 23.
† Sat. 1.

14. §. *Poſt hæc indicebant diem: videlicet poſterum, aut perendinum. Fiebat hoc voce, codicillis, libello.*

De die eſt hoc Juvenalis ſat. VII:
—— Lætam fecit cùm Statius urbem,
Promiſitque diem.

Sermo eſt de Statio Papinio. Quandoque autem recitaturi circuibant, atque ipſi audituros voce invitabant: quod Syneſius in Dione dicit θυροκοπεῖν, *fores pultare.* Interdum codicillos mittebant, qui pro literis erant. Quandoque & in publico ſparſim libellos proponebant. Utrumque hunc modum adſignat Plinius junior: *Hunc librum cum amicis recitare voluiſſem; non per codicillos, non per libellos, ſed ſi commodum, & valde vacaret, admonitis, fœdiſſimis inſuper tempeſtatibus, per biduum convenerunt.* De poſteriori item modo Tacitus, vel quiſquis ſcriptor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Cùm toto anno* (Salejus Baſſus) *per omnes dies, magnâ noctium parte, unum librum extudit, & elucubravit; rogare ultro, & ambire cogitur, ut ſint, qui dignentur audire: & nec id quidem gratis: nam & domum mutuatur, & ſubſellia conducit, & libellos diſpergit.*

15. §. *Is etiam, qui recitaturus erat, ferè ad majorem elegantiam, atque oſtentationem, prodibat comâ, barbâque pexâ, pallio recenti, vel Romæ togâ à fullone candenti, cum annulo, in quo gemma, præcipuè ſardonyx, incluſa.*

Jure hunc morem ridet Perſius ſat. I:
Scilicet hæc populo, pexuſque, togaque recenti,
Et natalitiâ tandem cum ſardonyche albus,
Sede leges celſâ, liquido cùm plaſmate guttur
Mobile collueris.

Item Arrianus Epicteti ſui lib. III. cap. XXIII: Τοῦτο ἵνα γένηται, δεῖ πῆξαι χίλια βάθρα, καὶ παρακληθῆναι τοὺς ἀκουσομένους, καὶ ἐν κομψῷ στολίῳ, ἢ τριβωνίῳ, ἀναβάντα ἐπὶ πύλβινον, διαγράφειν πῶς Ἀχιλλεὺς ἀπέθανε. *Hoc ut fiat, mille oportet collocare ſubſellia, & advocari auditores, & te eleganti tunicâ, aut pallio, in pulvinum adſcendere, & deſcribere, quomodo mortuus ſit Achilles.* Syneſius item in Dione*, cùm alia de recitatore refert, tum illud quoque: Ὁ δὲ καὶ ἐλούσατο πρὸ τῆς κυρίας, καὶ εἰς αὐτὴν ἀπήντησεν, ἐσθῆτι καὶ σχήματι σοβαρῷ, ἵνα καὶ θέαμα καλὸν ᾖ, καὶ προσγελᾷ τῷ θεάτρῳ, καὶ χαίρειν δοκῇ. *Hic verò, & lotus fuit ante præſcriptum diem, & ad eum adfuit, veſte, ac cultu corporis, geſtuque ſuperbo, ac inſolenti; ut & elegans eſſet ſpectaculum, & conſidentibus in theatro arrideret, atque inde gauderet.*

* Pag 55. edit. Pariſ. a. 1612.

16. §. *Recitantes verò in cathedra, cui impoſitum eſſet pulvinum, conſidebant: contrà quàm ſolent dicentes, qui ſtabant.*

 Per-

Perſius, ut jam vidimus,

Sede leges celſa. ——

Plinius lib. VI. epiſt. VI: *Dicenti mihi ſollicitè aſſiſtit, aſſidet recitanti.*

De hoc etiam dicentium, ac recitantum, diſcrimine, vide eundem lib. II. epiſt. XIX, quæ ad Cerealem. Negat verò actionem eam vim habere, quam dicentium. *Qui*, inquit, *ſedentes agunt, quamvis illis maxima ex parte ſuperſint eadem illa, quæ ſtantibus: tamen hoc quod ſedent, quaſi debilitentur, & deprimantur. Recitantium verò præcipua pronunciationis adjumenta, oculi, manus, præpediuntur: quo minùs mirum eſt, ſi auditorum intentio langueſcit, nullis extrinſecùs aut blandimentis capta, aut aculeis excitata.* In pulvino recitantes conſediſſe, indicant verba illa Arriani, quæ antè adduximus, ἀναβάντα ἐπὶ πύλβινον, *adſcendentem in pulvinum.* Ubi *pulvinum* dixit pro *cathedra*, in qua pulvinus: ut *pulvinum* pro *lectica*, in qua pulvinus, ait Seneca Conſolatione ad Marciam cap. XVI: *Clœlia exprobrat juvenibus noſtris pulvinum adſcendentibus, in ea illos urbe ſic ingredi, in quâ etiam feminas equo donavimus.* Πυλβῖνι vox, qua Arrianus utitur, accepta à Latinis: pro qua πύλβιον eſt apud Erotianum in lexico Hippocratico. Sed non ſine mendi ſuſpicione. Nam πύλβινον eſſe reſcribendum, in eruditiſſimo ſuo Gloſſario cenſet ὁ μακαρίτης Joan. Meurſius. Quomodo & pro eo πυλβινάριοι eſt in vett. Gloſſis. Sed Maximus Caſaubonus, commentario in Perſium, ambigit, an non apud Arrianum pro πύλβινον legi debeat πύλπιτον. Ut ſimile ſit illi Juvenalis ſat. VII:

Hunc tamen invideas vati, quem pulpita poſcunt.

Cap. VIII.

Quo pacto, qui recitarent, cognoſcerent judicium auditorum.

1. §. *Atque hæc dicta ſunto de recitatione. Proximum eſt, ut referam, quo pacto auditores judicium ſuum teſtari ſoleant de eo, qui orationem, aut carmen, recitâſſet. Fiebat hoc trifariam; ſilentio, voce, geſtu. Silentium potuit eſſe à triplici cauſſa; contemtu, invidiâ, admiratione. Nam utcunque præclarus eſſet ſermo recitantis; ſilere poterant imperiti, quia contemnerent; eoque nec acclamatione, vel plauſu dignarentur. Silere poterant periti; ſed ſuperbi, atque invidi; qui inhumani eſſe mallent, quàm teſtimonio ſuo augere gloriam alterius. Poterant denique ſilere benevoli, & intelligentes; in qualibus vehemens attentio, ſummaque admiratio, ſilentium gigneret.*

De ſilentio imperitorum ſatis eſt res aperta. Quomodo enim laudent, quod non intelligunt. De invidorum ſilentio eſt illud Plinii lib. VI. epiſt. XVII, quæ ad Reſtitutum: *Indignationem, quam in cujuſdam amici auditorio cepi, non poſſum mihi temperare, quo minùs apud te, quia non contigit coram, per epiſtolam effundam. Recitabatur liber abſolutiſſimus: hunc duo, aut tres, ut ſibi, & paucis, videntur diſerti, ſurdis mutiſque ſimiles, audiebant. Non labra diduxerunt, non moverunt manum, non denique aſſurrexerunt ſaltem laſſitudine ſedendi. Quæ tanta gravitas? quæ tanta ſapientia? quæ imò pigritia, arrogantia, ſiniſteritas, ac potiùs amentia, in hoc totum diem impendere, ut offendas, ut inimicum relinquas; ad quem, tanquam amiciſſimum, veneris? Diſertior ipſe es? tanto magis ne invideris. nam qui invidet, minor eſt.* De ſilentio admirantium eſt illud Muſonii philoſophi apud Agellium lib. V. cap. I: *Magna laus non abeſt ab admiratione: admiratio autem quæ maxima eſt, non parit verba, ſed ſilentium.* Atque addit ex eo, quomodo Homerus propterea, cùm Ulyſſem induxiſſet narrantem labores ſuos, non auditores dicat exſultâſſe, vel vociferatos; ſed conſiluiſſe univerſos, quaſi attonitos, & obſtupefactos. Quanto aliter fuerit animatum declamatorum vulgus, indicat Fabius lib. IV. cap. II. *Non ferunt illud intentionis ſilentium; nec ſibi diſerti videntur, niſi omnia tumultu, ac vociferatione, concuſſerint.* Ubi *intentionis ſilentium* dixit, ut Plinius in epiſtolis *ſilentium intentum. Cùm*, inquit, *dico, vel cùm recito, non minùs ſilentio, quàm clamore, delector: ſit modò ſilentium acre, & intentum, & cupidum ulteriora audiendi.* Cùm adeò multiplex ſilentii ſit cauſſa, nihil neceſſe eſt, ad unam reſtringere illud Plinii lib. V. epiſt. III. *Quid quiſque ſentiat, perſpicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio; quæ ſatis apertis notis judicium ab humanitate diſcernunt.* De ſilentio hactenus.

2. §. *Alter modus cognoſcendi auditorum judicii eſt per vocem, ſive acclamationem. Sed vox ea vel naturâ ſignificabat, vel hominum inſtituto. Poſterior vel unius erat vocabuli, vel orationis. Eſt & altera diviſio, quâ acclamatio vel eſt ſecunda, qualis faventium: vel adverſa, ut eorum, qui male volunt recitanti.*

Judicium hoc, quod voce fit, Plutarchus lib. de audiendis Poëtis, vocat κραυγάς, ſive *clamores*. At ἐκβοήσεις, ſive *vociferationes*, appellat Themiſtius initio orationis primæ. Deque hujuſmodi clamoribus capiendus eſt Tacitus, vel Fabius, dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ, cùm ait: *Nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut manſurum in animo cujuſquam beneficium; ſed clamorem magnum, & voces inanes.* Plinius lib. I. epiſt. XIII. *Memoriâ parentum Claudium Cæſarem ferunt, cùm in palatio ſpatiaretur, audiſſetque clamorem, cauſſam requiſiſſe: cumque dictum eſſet, recitare Nonianum, ſubitum recitanti, inopinatumque, veniſſe.*

Clamor iſte vel fuit ἄσημος *, atque ἄναρθρος †, vel σημαντικὸς ‡, & ἔναρθρος ⸸. Prior boatum magis referebat, quàm verba. Poſterior fuit duplex. Nam vel unâ fiebat voce, vel pluribus. Unâ, ut apud Iſocratem ὑπερβαλλόντως *: apud Platonem, εὖ †, & ὑπέρευ ‡, apud Theophraſtum ⸸ ὀρθῶς *: apud Arrianum † θαυμαστῶς ‡, ὑπερφυῶς ⸸ apud Plutarchum * ἀνθηρῶς †, δριμέως ‡, εὐφυῶς ⸸; apud varios σοφῶς *, καλῶς †, ὀρθῶς ‡; quandoque etiam, Plutarcho ⸸ teſte, θείως *, & θεοφορήτως †: imò, ut idem ‡ ait, etiam δαιμονίως ⸸, & μεγάλως *. Ac præterea, & ναὶ, & φεῦ, de quorum priori ex Dione †, & Arriano ‡; de altero, ex Tertulliano ⸸, oſtendit Ludovicus Creſollius in Theatro Rhetorico *. Apud Latinos obtinebant *bene*, *præclarè*, *bellè*, *feſtivè*, ut eſt apud Tullium †; apud Horatium ‡, *pulcrè*, *rectè*: apud Perſium ⸸, *euge*: apud Martialem *, *Effectè*, *graviter*, *citò*, *nequiter*, *euge*, *beatè*.

Imò & his, Græcorum more, *ſophôs* acclamatum; ut ex variis † conſtat.

Vidimus de clamore unius vocis. Interdum verò acclamabant pluribus vocabulis. Ut cùm, Philoſtrato teſtante, Herodi Attico dictum, εἷς ὡς Δημοσθένης, *es alter Demoſthenes.* Vel cùm, ut Eunapius ait ‡, dictum Proæreſio, Ἑρμοῦ λογίου τύπος, *Mercurii, eloquentiæ præſidis, typus.* Similiaque de Nicete ſophiſta, qui ſub Nerva floruerit, & Antipatro, liberorum Severi doctore, legimus apud Philoſtratum ⸸.

Altera clamorum diviſio erat in ſecundos, & adverſos. Secundos Seneca epiſt. LIX. *acclamationis ſecundæ favorem* vocat; Fabius lib. X. cap. I. *laudantium clamorem.* Εὐφήμους βοὰς nominat Heliodorus lib. X. & apud Photium Hime-

* *Nihil ex inſtituto ſignificans.*
† *Inarticulatus.*
‡ *Ex inſtituto ſignificans.*
⸸ *Articulatus.*
* *Excellenter.*
† *Bene.*
‡ *Optimè.*
⸸ *In Characteribus.*
* *Rectè.*
† *In Epicteto.*
‡ *Mirabiliter.*
⸸ *Supra modum egregiè.*
* *De auditione.*
† *Floridè.*
‡ *Acriter.*
⸸ *Ingenioſe.*
* *Sapienter.*
† *Pulcrè.*
‡ *Verè.*
⸸ *De auditione.*
* *Divinè.*
† *Divino impetu.*

‡ *Libro de ſe ipſo laudando* ⸸ *Divinè.* * *Magnificè.* † *In Nerone.* ‡ *Lib. 3. Epicteti.* ⸸ *Adverſus Valentinianum cap 8.* * *Theatri Rhetorici lib. 3. cap. 20. ſect. 5* † *Lib. 3. de Orat.* ‡ *Epiſt. ad Piſones.* ⸸ *Sat. 1. verſ. 63.* * *Martial. lib. 2. epig. 27* † *Idem lib. 1. epig. 4 & lib 5. epig. 93 Plin in epiſt. Sidonius lib. 1. epiſt. 9. lib 8 ep. 6. lib 9. ep. 23 & ſemel iterumque in Carminum libris.* ‡ *In Proæreſio.* ⸸ *De vitis Sophiſt. lib. 1. & 2.*

Himerius Sophiſta; qui claruit temporibus Juliani Cæſaris, teſte Suidâ.

Adverſa acclamatio Plutarcho in Cæſare dicitur θόρυβος πονηρός. Atque clamor iſtiuſmodi fiebat, quia diſpliceret vel is, qui diceret; vel id, quod diceretur. Prioris generis erat, cùm boni obſtreperent Graccho, vel Catilinæ: ut eſt apud eundem Plutarchum. Quemadmodum verò acclamationis favore recitantes gaudebant; ita exhorreſcebant adverſam: imò populo acclamante, ſæpe è ſuggeſto deſcendebant ὠχροὶ, καὶ τρέμοντες *, ut ait Julianus orat. I. Panegyr.

* *Pallidi, ac trementes.*

Poſterioris generis exemplum eſt apud Ciceronem Philipp. VI. Retulerat Cicero L. Antonii impudentiam, ſtatuæ inſcribentis, *Quinque & triginta tribus patrono populi Romani.* Eo dicto, ſic compellavit idem populum Romanum: *Igitur eſt patronus L. Antonius?* Tum concio, acclamatione obſtrepens, oſtendit ſe averſari talem patronum. Exinde Cicero ſubjicit: *Malam quidem illi peſtem. Clamori enim veſtro aſſentior.* Simile exemplum habemus apud B. Chryſoſtomum, homil. V. in epiſt. ad Titum. Narrârat morem Laconum; apud quos nudæ etiam virgines in conſpectu virorum luctarentur. Concio, à tam obſcena conſuetudine abhorrens, exclamavit. Tum Chryſoſtomus ſubjecit: πολλὰ ὑμῖν γένοιτο ἀγαθὰ, ὅτι οὐδὲ τὸ ῥῆμα ἀκοῦσαι φέρετε. *Multa vobis eveniant bona, qui ne quidem referri iſta ſuſtinetis.*

3. §. *Ab acclamatione tum ſecundâ, tum adverſâ, venio ad manuum plauſum, qui Græcis κρότος.*

Quo pacto is fieret, indicat Philoſtratus junior in Icone Comi: Μιμεῖται τινα ἡ γραφὴ καὶ κρότον, οὗ μάλιστα δεῖται ὁ Κῶμος. καὶ ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεσταλμένοις, ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν πλήττει εἰς τὸ κοῖλον, ἵν' ὦσιν αἱ χεῖρες ξύμφωνοι, πληττόμεναι τρόπῳ κυμβάλων. *Plauſum etiam quemdam imitatur pictura, cujus maximè indiget Comus. Nam dextera contractis digitis ſubjectam ſiniſtram ad cavum ferit; ut percuſſæ manus, cymbalorum more, fiant conſona.*

4. §. *Præterea verò inter favoris indicia erat ſubſultatio, & circumactio totius corporis.*

Quod Chryſoſtomo in verba Jeſaiæ homil. I. eſt τοῖς ποσὶν ἐφάλλεσθαι, καὶ ὅλῳ περικλᾶσθαι τῷ σώματι. Quo de ſic Fabius lib. XI. cap. III. *Nunc proni, & ſuccincti ad omnem clauſulam, non exſurgunt modò, verùm etiam excurrunt, & cum indecorâ exſultatione conclamant.* Atque inprimis ea in pueris improbat ibidem, his verbis: *Minimè verò permittenda pueris, ut fit apud pleroſque, adſurgendi, exſultandique in laudando licentia.* Meminit & moris Hieronymus epiſt. LXXV. *Me dicente, ex latere ſubſultabas, & plaudebas manu, & applodebas pede.* Ut verò Fabium vidimus id dicere indecoram exſultationem: ita & Plutarchus de auditione * appellat πήδησιν μετὰ χαρᾶς ἀπειροκάλου πρὸς ἔπαινον, *eruptionem cum inepto gaudio ad laudandum.* item † ἀσχημονεῖν, καὶ σολοικίζειν περὶ τὴν ἀκρόασιν, *indecoros geſtus edere, & ſolœciſmum facere in audiendo.* Ibidem vocat φορτικὰ σχήματα ‡, *importunos, & odioſos geſtus.* Euſebius quoque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. IX. cap. XXIV. ubi de Paullo Samoſateno ſermo, hæc duo opponit, ἀκόσμως ἀκροᾶσθαι, *indecore auſcultare,* & σεμνοπρεπῶς, καὶ εὐτάκτως ἀκούειν, *audire tum graviter, ac decorè, tum compoſitè, ac modeſtè.* Obſervat eruditiſſimus Ludovicus Creſollius etiam in hiſce ἐπισημασίαις ‡ fuiſſe, quòd veſtem concuterent. De hoc, & aliis, videſis eum Theatri Rhetorici lib. III. cap. XX. inprimis ſect. II.

* *Pag. 40. edit. Pariſ. an. 1624.*
† *Pag. 45.*
‡ *Pag. 40. Cruſerius parum commodè vertit, importunas figuras.*
‡ *Animi ſignificationibus.*

5. §. *Etiam poſt recitationem fautores oſculabantur tum poëtam, tum ſophiſtam.*

De poëtâ baſiis excepto eſt hoc Martialis lib. I. epigr. LXXVII.

—— At circum pulpita noſtra,
Et ſteriles cathedras, baſia ſola crepant.

De ſophiſta exemplum habes in Proæreſio: de quo ſic Eunapius: Καὶ τὰ στέρνα τοῦ σοφιστοῦ περιλιχμησάμενοι, καθάπερ ἀγάλματός τινος θεοῦ, πάντες οἱ παρόντες, οἱ μὲν πόδας, οἱ δὲ καὶ χεῖρας, προσεκύνουν· οἱ δὲ θεὸν ἔφασαν, οἱ δὲ Ἑρμοῦ Λογίου τύπον. *Atque omnes, qui aderant, circumlambendo ſophiſtæ pectus, velut alicujus Dei, alii pedes, alii manus, oſculabantur: ac aliqui vocabant Deum, nonnulli Mercurium, eloquentiæ præſidem.*

6. §. *Præterea etiam, honoris ergò, à recitatione deducebant domum.*

Quod Libanio in Progymnaſmatis eſt προπέμπεσθαι ἀπὸ τοῦ βήματος λαμπρότερον· *à pulpito, ac cathedrâ, ſplendido comitatu domum reduci.* Exemplum apud Agellium habemus lib. XV. cap. I. ubi, cùm narrâſſet, quomodo Antonius Julianus delectabiliter, & feliciter, declamâſſet, ſubjungit: *Nos ergo, familiares ejus, circumfuſi undique, eum proſequebamur domum.* Etiam apud Eunapium legimus, quomodo Proæreſius, Proconſulis juſſu, habuerit orationem, planè admirandam. Subjungit deinde: Ὁ δὲ * ἀνθύπατος, καὶ δορυφορῶν, μετὰ πάντων ἐκ τῶν δυνάμεων ἐκ τοῦ θεάτρου παρέπεμψε. Sed legendum: μετὰ πάντων δορυφόρων, καὶ τῶν δυνάμεων. Latinè ſonet: *Proconſul verò cum ſatellitibus, ac copiis ſuis, honorificè domum reduxit.*

* *Initio pag. 149. edit. Commelin.*

7. §. *Mirum verò, ex hiſce laudandi, & ſignificandi judicii ſui modis, acclamationem, & applauſum, è ſcholis, & auditoriis, tranſmigrâſſe in templa Chriſtianorum, ſacraſque conciones.*

Cognoſcere hoc eſt ex B. Auguſtino ſerm. XL. de Temp. Ubi, cùm egregiam de concupiſcentia ſententiam protuliſſet; eâque auditâ populus acclamâſſet; ſubjungere Auguſtinum videmus: *Unde omnes acclamâſtis, niſi quia omnes agnoviſtis?* Superiùs etiam adduximus Chryſoſtomi verba, quæ dixit, cùm populus voce improbaſſet Lacænarum virginum morem, à S. Patre memoratum.

8. §. *Verùm hanc conſuetudinem SSi Patres ferebant quidem, eò quòd ſignum foret, tum attentionis, tum etiam approbationis eorum, quæ dicerentur. At interea eam habebant ſuſpectam; quia ſaperet levitatem popularem; magiſque deceret theatra, quam ſacras conciones; ubi conveniret intentum ſilentium cum moribus gravibus, ac modeſtis. Unde & mos iſte, à verbi divini præconibus ſæpius reprehenſus, tandem prorſus exolevit.*

Tuliſſe eos hunc morem, indicant illa B. Auguſtini ſerm. V. de verbis Domini: *Laudes iſtæ veſtræ gravant nos potiùs, & in periculum mittunt. Toleramus illas, & tremiſcimus inter illas. Tamen, fratres mei, iſtæ laudes veſtræ folia ſunt arborum: fructus quæritur.* Quaſi dicat, ut folia in arboribus delectant, ſed fructus proſunt: ita placet quidem, quòd videamus verba noſtra à vobis approbari: ſed tum demum proderint illa vobis, ſi ſecundùm ea compoſueritis vitam veſtram. Reprehendit morem hunc B. Hieronymus præfat. lib. III. in epiſt. ad Gal. *Jam in Eccleſiis iſta quæruntur, omiſſaque Apoſtolicorum ſimplicitate, & puritate verborum, quaſi ad Athenæum, & ad auditoria convenitur, ut plauſus circumſtantium ſuſcitentur.* Culpat præterea B. Chryſoſtomus homiliâ II. de verbis Jeſaiæ. Audiamus eum ſermonibus in Act. Apoſt. Πολλάκις ἐνενόησα θεῖναι νόμον τὸν κωλύοντα τοὺς κρότους. *Sæpenumero mecum cogitavi de lege, qui plauſus prohiberetur.* Sed quod B. Chryſoſtomus intermiſit, fortaſſe exſilio impeditus; id malum epiſcopi, gliſcente

ſe indies populi levitate, acri reprehenſione, vel aliter, ſuſtulerunt: ut argumento eſt, quòd prorſus exolevit. Nimirum piis, ac gravibus, non alia mens erat, quàm S. Valeriano; qui, de animi demiſſione diſſerens, ait, *Non ſtudia laudis poſtulat, non favorem vocis exſpectat; odit acclamantium choros.* Sed quid mirum de ſanctis hiſce patribus, cùm in ſuis etiam auditoriis, ac theatris, multò antè improbarint gentiles? Uti è philoſophis L. Seneca epiſt. LII, & Epictetus apud Arrianum lib. III. cap. XXIII. Imò damnavere etiam rhetorum prudentiores: ut Porcius Latro apud M. Senecam Controverſ. XIX, & Hippodromus Theſſalus apud Philoſtratum lib. II. de vitis Sophiſtarum.

Cap. IX.

De discernendis auditorum Judiciis.

1. §. *Expoſuimus, quomodo auditores vel dent, vel videri velint dare ſigna ſenſus ſui de recitantis ſive oratione, ſive carmine. Conſequitur, ut referam, quo loco opiniones hujuſmodi, ſeu inſita, ſeu ſimulata, cenſenda ſint. Eſt verò quæſtio hæc tripartita. Primo videndum, quorum laudes pro nihilo ſint ducenda. Dein, quorum ad judicia attendere oporteat ſtudioſè. Denique, an ſemper in eorum ſententiam pedibus ſit eundum nobis. De primo ſic habe. Exiguo, imò nullo, haberi loco merentur præconia eorum, qui nobis obnoxii ſunt. Ejuſmodi ſunt laudes diſcipulorum; ac eorum, qui cœnam, vel ſportulam exſpectant; omnium denique ex pacto laudantium, ut qui pretio ad hoc fuerint conducti.*

Diſcipulorum eò juſtiùs meminimus, quia ſophiſtæ dicturi olim ſoleant eos comites aſſumere, ut applauderent magiſtro. Atque inde eſt, quòd, ut refert Eunapius*, proconſul Romanus, cùm Athenis agendum eſſet de cauſſa Juliani Rhetoris, initio denunciavit, μηδένα κροτῆσαι τῶν μαθητῶν τὸν λέγοντα· *ne diſcipulorum quiſquam plauderet dicenti.* Quomodo verò ab his veritatem exigas, qui obnoxii ſunt doctori ſuo; nec alio cum fine ſectantur, quàm ut *belle*, *euge*, vel ſimile, acclament? Atque idem dixero de cœnipetis, vel ſportulam exſpectantibus, vel ad laudandum pretio redemtis. Eſt de iis hoc Plinii lib. II. epiſt. XIX: *Heri duo nomenclatores mei ternis denariis ad laudandum trahebantur. Tanti conſtat, ut ſis diſertiſſimus.* Item hoc Ariſtidis orat. περὶ τοῦ παραφθέγματος, ſive de perperam dicto †: Θαυμάζω δ' ὅπως σὺ πεφυκὼς πρὸς τὸ παιδαγωγεῖν, οὐχ ὁρᾷς τούτους τοὺς ἀργυρίου τὸν ἔπαινον ὠνουμένους, οὐ μόνον ἐν ταῖς ἐπιδείξεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς θεάτροις. *Miror, quod cum ad alios ſis docendos natus, non videas illos, qui pecuniâ laudem, non in declamationibus modò, ſed etiam in theatris, redimunt.* Elegans ejus rei exemplum habemus Varum Ionicum: quod refert Philoſtratus in Polemonis vita. Ejuſmodi laudationes, plauſuſque emtos, Chryſoſtomus quidem vocat εὐφημίας ὠνητὰς ‡. Themiſtius autem orat. IV. ἐκ προαγγελίας, *laudes ex pacto, ſive denunciatione:* quibus opponit ἐπαίνους ἀδόλους, καὶ ἀληθινοὺς, καὶ αὐτοκελεύστους. *laudes ſinceros, veros, & ſponte attributos.* Turbam verò, ad laudandum conductam, Quinctilianus lib. IV. cap. II. nominat *diſpoſitam multitudinem ad plauſum.* Xiphilinus ex Dione vocat ἴδιον σύστημα*, ubi Neroni ait fuiſſe talem cœtum, qui laudes, plauſuſque, auſpicaretur, ut cæteri ſequerentur exemplum. Lucianus ἐν Ῥητόρων διδασκάλῳ nuncupat χορὸν οἰκεῖον †: ac quaſi auctor eſt Rhetori, ut hujuſmodi multitudinem ſibi comparet, quò diſertior habeatur. Tertullianus libro adverſus Valentinianum appellat *familiam:* ubi ſermo eſt de ſcholaſticis Phoſphoro φῶς acclamantibus. Omnis verò turba illa conducta verè hiſtrioniam facit. Unde Horatius negat, ulli eſſe habendam fidem, quem munere fecerimus noſtrum.

* *In vita Juliani Cappadocis.*
† *Pag. 687. editionis P. Stephani.*
‡ *Laudationes pretio paratas.*
* *Proprium cætum.*
† *Chorum domeſticum.*

—— Clamabit enim, pulcrè, bene, rectè;
Palleſcet ſuper his; etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem; ſaliet, tundet pede terram.

Quod deinde ſcitâ ſimilitudine illuſtrat:

Ut qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: ſic
Deriſor vero plus laudatore movetur.

2. §. *Alterum erat cujuſmodi auditorum judicium in pretio haberi debeat. Tales ſunt, in quibus hæc duo concurrunt: ut bene poſſint judicare, & facere id velint. Ut poſſint, requiritur prudentia. Ut velint, probitas, & benevolentia.*

Quæ ipſo in conſultore requirit Ariſtoteles lib. II. Rhetor. cap. I: Τοῦ μὲν οὖν αὐτοὺς εἶναι πιστοὺς τοὺς λέγοντας, τρία ἐστὶ τὰ αἴτια· τοσαῦτα γάρ ἐστι δι' ἃ πιστεύομεν, ἔξω τῶν ἀποδείξεων. ἔστι δὲ ταῦτα, φρόνησις, καὶ ἀρετὴ, καὶ εὔνοια. Διαψεύδονται γὰρ περὶ ὧν λέγουσιν, ἢ συμβουλεύουσιν, ἢ διὰ πάντα ταῦτα, ἢ διὰ τούτων τι. Ἢ γὰρ δι' ἀφροσύνην οὐκ ὀρθῶς τοῦτο δοξάζουσιν· ἢ δοξάζοντες ὀρθῶς, διὰ μοχθηρίαν οὐ τὰ δοκοῦντα λέγουσιν· ἢ φρόνιμοι μὲν, καὶ ἐπιεικεῖς εἰσιν, ἀλλ' οὐκ εὔνοι· διόπερ ἐνδέχεται μὴ τὰ βέλτιστα συμβουλεύειν γινώσκοντας. καὶ παρὰ ταῦτα οὐδέν. *Ut verò dicenti fides habeatur, tribus de cauſſis fit. Tot enim ſunt res, propter quas credimus, præter argumentationem. Sunt autem iſta; prudentia, probitas, benevolentia. Falluntur enim homines, falluntque in iis, quæ dicunt, aut conſulunt; aut propter omnia hæc, aut aliquid illorum. Aut enim ob imprudentiam non rectè ſentiunt: vel ſi rectè ſentiant, ob imprudentiam non rectè declarant: aut ſunt quidem prudentes, & probi viri, ſed non benevoli; eoque fit, ut, licet optima nôrint, non tamen ea ſuadeant. Et præter hæc tria, nullum eſt aliud.*

3. §. *Tertium erat, quatenus ſtare conveniat eorum judicio, qui tum rei fuerint intelligentes; tum probi etiam, ac benevoli exiſtimantur. De iſto dixero, à talibus monitos, non debere eſſe pertinaces in ſuis tuendis. Alioqui deſinent monere.*

Unde Horatius epiſt. ad Piſones:

Quinctilio quicquid recitares, Corrige, ſodes;
Hoc, ajebat, & hoc.

Ac mox:

Si defendere delictum, quàm vertere malles;
Nullum ultrà verbum, aut operam ſumebat inanem,
Quin, ſine rivali, teque, & tua, ſolus amares.

4. §. *Interim, agnoſco, neque noſtrum, neque alienum nos judicium debere nimis, vel admirari, vel contemnere: eoque in hoc noſtri, & aliorum diſſenſu, nihil temere eſſe agendum: ſed novo eſſe opus examine, quo excutiamus utriuſque judicii cauſſas; ac tum demum ſtatuamus, utrùm alienum ſequi judicium præſtet, an perſiſtendum ſit in noſtro.*

Nec enim nos ſolùm falli poſſumus: ſed etiam auditor, vel lector. Eoque nec ἀβασανίστως* alienum ſemper judicium præferremus: ſed tum demum decretoriam feremus ſententiam, ubi ad κρίσιν † alterius, omnibus penſiculatis, acceſſerit ἐπίκρισις ‡ noſtra. Sanè Plinius* narrat de Pomponio tragico, cum, ſi moneretur, ac ſua præferret, provocaſſe ad populum; ut, eo cognito, vel aſſentiret monitori; vel populari, ſuffultus judicio, perſeveraret in ſuo. Præcipuè autem fas provocare ab judice, alioqui docto, ſed in poëſi habente Midæ aures. Qualis

* *Citra examen.*
† *Judicium.*
‡ *Judicium de iis, quæ prius ſunt judicata.*
* *In epiſt.*

Lau-

Laurentius Valla. Quàm enim ineptus fuerit poëtarum cenſor; argumento eſſe poſſit, quòd, ut Jovianus Pontanus † tradidit, Maroni anteferret verſus Pindari iſtius, Latino carmine Homeri ſcribentis epitomen; cujus initium:

† *Lib.* I. *de ſermone.*

Iram pande mihi Pelida, Diva, ſuperbi,
Triſtia qui miſeris ingeſſit funera Grajis.

Quanto poëſios intelligentior fuit Cæſar Scaliger! qui de Latinis, cùm veteribus, tum recentibus poëtis, judicium ſuum retulit in Hypercritico. Et tamen de pleriſque ſeveriùs multò exercuit cenſuram, quàm neceſſe foret. Itaque eam non cæteris modò; ſed neque filio Joſepho, ſemper potuit comprobare. Quæ omnia hoc ſolùm à me ſine dicuntur, ut meliùs videamus, licere interdum ad alium judicem provocare.

5. §. *Sed neque inutile eſt, etiam exquirere, quale ſit judicium malevolorum. Nam invidi non raro oculatiores ſunt in perſpiciendis vitiis alienis; quàm ſummi etiam fautores; quos amor ſæpius cæcos facit.*

Adeundus de hoc Plutarchus, libro de utilitate ex inimicis capiendâ.

CAP. X.

DE JUDICIO POPULARI.

1. §. *Hactenus actum de judicibus privatim ad audiendum adſcitis. Deinceps de publico dicam judicio. Cujus duo ſunt genera. Eſt cùm populus ipſe publico in loco convenit, audit, judicat. Eſt cùm non tam populus judicium fert; quàm unus, pluresve, qui vel ſummam obtineant poteſtatem, vel ab eo judices recitantium ſint conſtituti. Priùs loquar de judicio populi, in theatrum, vel porticum, ad audiendum convocati.*

De populo, in theatro conveniente, eſt illud, ſeu Taciti, ſeu potiùs Fabii, dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Teſtes Auguſti epiſtola, teſtis ipſe populus; qui, auditis in theatro verſibus Virgilii, ſurrexit univerſus, & fortè præſentem, ſpectantemque Virgilium, veneratus eſt ſic, quaſi Auguſtum.* At de populo, in porticu audiente, legas apud Petronium Arbitrum: cujus verba mox adducam. Ubi & aliorum de judicibus publicitus conſtitutis.

2. §. *De populi judicio ſic cenſeo, plurimùm eſſe imperitum, incertum, ſubinde & periculoſum.*

Imperitum quidem, propter amentiam vulgi, ſæpe non plus ſapientis, quàm grundile illud pecus, cui anima pro ſale data perhibetur. Audiamus Ciceronem pro Roſcio: *Ex opinione*, (populus) *multa; ex veritate, pauca judicat.* Item pro Plancio: *Non delectu, aut ſapientiâ ducitur ad judicandum; ſed impetu, & quadam etiam temeritate.* Ac inibi: *Non eſt conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia.*

Nec imperitum modò eſt vulgus; ſed etiam inſtabile. Atque hinc idem pro Muræna: *Vulgo nihil incertius.* Nempe, ut ait Salluſtius in Jugurthina, *ingenio eſt mobili.* Unde & illud, quòd, ut ibidem legas, *ſit ſeditioſum, atque diſcordioſum, cupidum novarum rerum, quieti & otio adverſum.* Ac hinc quoque liquet, quod tertio loco attuli, eſſe periculoſum. Præſertim ex eo, quòd ferè efferis ſit moribus. Uſque adeò, ut quandoque poëtam, ſeu merentem, ſeu immerentem, lapidibus inceſſat. Unde Petronius Arb. *Ex his, qui in porticibus ſpatiabantur, lapides in recitantem Eumolpum jecerunt. Ac ille, qui plauſum ingenii ſui noverat, operuit caput, extraque templum profugit.*

3. §. *Nec propterea judicium populi prorſus habere diſpretui oportet. Nec enim ſemper errat. Atque eſt, cum bonos ſequitur duces.*

Scitè Salluſtius epiſtolâ ad Cæſarem de Rep. ordinanda: *Multitudo vulgi, more magis, quàm judicio, poſt alius alium, quaſi prudentiorem, ſequuntur.* Videlicet, ut Seneca ait lib. de vita beata *, *pecorum ritu ſequuntur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum eſt, ſed quà itur.* Interdum tamen multitudo per ſe videt. Quandoque etiam bonos nanciſcitur duces.

* *Cap.* I.

4. §. *In hoc rerum incerto videre eſt, quoſdam, maximè poëtas dramaticos, judicium populi magni adeò feciſſe, ut illud eorum etiam judicio præferrent, quos privatim advocâſſent. Alios contrà, contempto populi judicio, in ſuo maluiſſe judicio acquieſcere; vel eorum, quos elegiſſent.*

Utriuſque exemplum dabo; prioris Pomponium tragicum, alterius Plinium juniorem. De priori ſic Plinius lib. VII. ep. XVII: *Pomponius ſecundus, hic ſcriptor tragœdiarum, ſiquid fortè familiarior amicus tollendum, ipſe retinendum, arbitraretur, dicere ſolebat,* AD POPULUM PROVOCO: *atque ita ex populi vel ſilentio, vel aſſenſu, aut ſuam, aut amici ſententiam, ſequebatur.* De altero autem, ſe ipſo videlicet, idem Plinius, poſt verba proximè allata, hæc continuò ſubjungit: *Tantum ille* (Pomponius) *populo dabat. Rectè, an ſecus, nihil ad me. Ego enim non populum advocare; ſed certos, electoſque, ſoleo.* Similiter Horatius ſat. IV. lib. I:

Nec recito cuiquam, niſi amicis.——

Nec aliter Auguſtus: de quo ita, in Vita ejus, Tranquillus: *Nonnulla* (è ſcriptis ſuis) *in cœtu familiarium, velut in auditorio, recitavit.* Etiam M. Senecæ eſt præfatione epitomes lib. IV. Controverſ. *Pollio Aſinius nunquam, admiſſâ multitudine, declamavit: nec illi ambitio in ſtudiis defuit.*

CAP. XI.

DE JUDICIBUS RECITATIONI PRÆFECTIS.

1. §. *Venio ad judicium eorum, qui certamini præerant poëtico. Ea certandi, & judicandi, conſuetudo, Trojanis fuiſſe temporibus antiquior perhibetur. Quod ſi eſt, faciliùs fidem inveniet, quod de Homeri, & Heſiodi certamine, prodiderunt.*

De antiquitate tantâ teſtis eſt nobis Plutarchus Sympoſiacôn libro quinto, quæſtione ſecundâ. Ubi tangit, quomodo in funebribus Patrocli ludis certatum ſit, non haſtam jaciendo, ſed dicendo; atque ut victorem præmio Achilles ornârit. Item ut Acaſtus, in funere Peliæ patris, inſtituerit certamen Poëticum, in quo vicerit Sibylla. Atque ejus rei auctores laudat Aceſandrum in opere de Africa, & Polemonem de Theſauris Delphicis. Ubi etiam legi ait, ut in Theſauris Sicyoniis repoſitus fuerit libellus aureus, ab Ariſtomacha poëtria dedicatus, cùm Iſthmia viciſſet. Tangit etiam de Oclyci Theſſali ſepultura, & Amphidamantis Chalcidenſis; quando certâſſe dicuntur Homerus, & Heſiodus. Ac meminit etiam ejus certaminis in VII. Sapientum Convivio.

Digitized by Google

2. §. *Quia verò nullum eſt tam laudabile inſtitutum, quod non corrumpi queat: hinc ſæpe etiam factum videmus, ut, penes quos publica eſſet judicandi poteſtas, deteriores præferrent melioribus. Neque id ſemper ab imperitia erat; ſed quandoque etiam ab ambitu certantium, & judicum favore. Nec propterea abrogari ea debuit judicandi conſuetudo: ſed tanto majori cautione in publicorum judicum delectu opus fuit.*

Ajunt in certamine Homeri, ac Heſiodi, prælatum fuiſſe Heſiodum. Quod fuerit ab imperitia Panœdis regis. Conſtat etiam de Pindaro victo à Corinna. Atque ut Euripides, cùm quinque & centum tragœdias feciſſet, in omnibus, ſolùm quinque exceptis, victus ſit, ſæpe etiam à poëtis ignaviſſimis; ut ex Varrone prodidit Agellius lib. XVII. cap. IV. Ubi quoque narrat de Menandro; ut cùm centum & novem, octove, aut, ut idem Apollodorus malebat, centum & quinque tragœdias compoſuerit; octies ſolùm vicerit: inque iis, qui eum *ambitu, gratiâque, & factionibus* * ſuperârint, etiam fuerit Philemon, *nequaquam par ſcriptor:* unde cùm eum Menander forte habuiſſet obvium, *Quæſo*, inquiebat, *Philemo, bonâ veniâ, dic mihi: cum me vincis, non erubeſcis?*

* *Agellius ibidem.*

3. §. *Nec in Macedonia modò, vel reliquâ Græciâ, conſuetudo ea fuit; ſed derivata etiam eſt in Ægyptum ſub Ptolemæis.*

Hoc cognoſcere eſt ex Vitruvio in præfatione libri ſeptimi: ubi cùm de Attalicis regibus egiſſet, & narrâſſet, ut Ptolemæus æmulus eorum fuerit, ſubjungit iſta: *Itaque Muſis, & Apollini, ludos dedicavit: & quemadmodum athletarum, ſic communium ſcriptorum victoribus præmia, & honores, conſtituit. His ita inſtitutis, cùm ludi adeſſent, judices literati, qui ea probarent, erant legendi.* Hinc addit, ut, ſex judicibus lectis, ſeptimus ſit additus Ariſtophanes; non ille Comicus, qui multò antiquior Alexandro, ac Ptolemæis; ſed ejus nominis alius. Tum ſubdit: *Primo poëtarum ordine ad certationem inducto, cùm recitarentur ſcripta, populus cunctus ſignificando monebat judices; quid probarent. Et quem maximè animadverterunt multitudini placuiſſe, ei primum præmium, inſequenti ſecundum, tribuerunt.* Operæ etiam eſt addere, quæ ſubjecit de judicio diſpari ſex judicum, & ſeptimi his additi, Ariſtophanis. Hæc ſic enarrat: *Ariſtophanes verò, cùm ab eo ſententia rogaretur, eum primum pronunciari juſſit, qui minimè populo placuiſſet. Cum autem rex, & univerſi, vehementer indignarentur; ſurrexit, & rogando impetravit, ut paterentur ſe dicere. Itaque, ſilentio facto, docuit, unum ex his eum eſſe poëtam; cæteros aliena recitaviſſe. Oportere autem judicantes, non furta, ſed ſcripta probare. Admirante populo, & rege dubitante, fretus memoriâ, è certis armariis, infinita volumina eduxit, &, ea cum recitatis conferendo, coëgit ipſos furatos de ſe confiteri. Itaque rex juſſit cum his agi furti; condemnatoſque cum ignominia dimiſit. Ariſtophanem verò ampliſſimis muneribus ornavit, & ſupra bibliothecam conſtituit.* Atque hinc etiam conſpicere eſt, quantum imperito judici interſit peritus.

4. §. *Inprimis verò meminere antiqui judicum, qui publicè ferrent judicium de dramatis. Athenis quidem Comicorum quinque erant judices.*

Unde Suidas: Ἐν πέντε κριτῶν γόνασι. *In quinque judicum genibus:* puta κεῖται, ſive ſitum hoc eſt negotium. Addit autem, inde originem eſſe proverbii, quòd τὸ παλαιὸν πέντε κριταὶ ἔκρινον τοὺς κωμικούς, ὡς φησὶν Ἐπίχαρμος. *antiquitus quinque judices judicabant de Comicis; ut ait Epicharmus.* Poſtea ſubdit, de genibus eò dici, quia ſimiliter Homerum legeretur,

> —— Θεῶν ἐν γόνασι κεῖται.
> *Deorum in genibus ſitum eſt.*

Hoc verò inde profectum, quia in tabellis ſcriberent vota ſua; eaque genibus ſtatuarum, Deos repræſentantium, affigerent: unde Juvenal. ſat. X, 55:

> *Propter quæ fas eſt genua incerare deorum.*

Quæ verò ex Suida attuli, etiam apud Zenobium centuria III. proverbio LXIV. legas. Heſychii quoque eſt, juxta certiſſimam Joannis Wouweri * emendationem, ab Andrea etiam Schotto † comprobatam: Πέντε κριταὶ (ubi vulgò, πεντεκαῖται) τοῖς κωμικοῖς ἔκρινον, οὐ μόνον Ἀθήνησιν, ἀλλὰ καὶ ἐν Σικελίᾳ. *Quinque judicabant Comicos, non Athenis modò; ſed in Sicilia quoque.* Unde videmus, non Athenis tantummodo, ſed in Sicilia quoque, obtinuiſſe hunc morem.

* *Polymathiæ cap. 16.*
† *Notis ad Zenobium.*

5. §. *Tandem etiam à Romanis hic mos eſt receptus.*

Argumento fuerit Sp. Metius Tarpa. De quo Horatius lib. I. Sat. X:

> *Quæ nec in æde ſonent certantia judice Tarpâ.*

Ubi ſic ſcholiaſtes: *Metius Tarpa fuit judex Criticus, auditor aſſiduus poëmatum, & poëtarum, in æde Apollinis, ſeu Muſarum; quò convenire ſolebant poëtæ, ſuaque ſcripta recitare: quæ niſi à Tarpa, aut alio Critico, qui numero erant quinque, probarentur, in ſcenam non deferebantur.*

Ubi videmus *in æde* exponi *Apollinis.* Quomodo & vetus ſcholiaſtes interpretatur hoc ejuſdem poëtæ ‡:

> *Spectemus vacuam Romanis vatibus ædem.*

‡ *Lib. 2. epiſt. 2.*

At valde ratio fugit alium Horatii interpretem, cùm *in æde* explicat *in Athenæo.* Juſtus Lipſius, epiſtolâ eruditâ ad Othonem Hartium Senatorem, quæ eſt duodequinquageſima libri III. epiſtolarum ad Belgas, negat ſe illud de æde Apollinis Palatini velle refellere: ſed de Athenæo magis ſibi liquere ex Capitolino, & Lampridio. Hærere tamen, & quærere, an Athenæum illud Romæ adeò ſit antiquum, ut ejus meminiſſe potuerit Horatius. Non hoc ſcripſiſſet ſummus vir, ſi occurriſſent illi Sexti Aurelii Victoris verba, allata nobis cap. VII. §. 10. Clarè enim iis dicitur, Athenæum Romæ demum eſſe extructum ab Cæſare Hadriano. Ejuſdem Tarpæ mentio quoque fit apud Horatium in Arte:

> —— *Siquid tamen olim*
> *Scripſeris, in Meti deſcendat judicis aures.*

Ubi videmus, itidem *judicem* vocari. Cùm verò continuò ſubdit,

> *Et patris, & noſtras:*

oſtendit hujus Critici judicio excludere ſe nolle vel ſuum poëtæ, vel illud parentis Piſonis; cujus voce Piſonem juvenem ad rectum fingi, ait alibi.

Achilles Statius Luſitanus, in Notis ad ſuperiorem Horatii locum, ait, non meminiſſe ſe, alibi de Metio hoc quicquam legere. Sed mentio ejus quoque eſt ſat. X. libri I.

Digitized by Google

libri I. cùm ait, *Quæ nec in æde ſonent certantia judice Tarpâ.* Nominat quoque Cicero epiſt. I. ad Marium lib. VII. *Nobis autem erant ea perpetienda, quæ ſcilicet P. * Metius probaviſſet.* Nam idem eſt Metius, qui Tarpa; ut ex veteri ſcholiaſte diſcimus. Poſtea etiam mos ille duravit: unde in veteri inſcriptione, quam alibi † integram adducimus: HIC CUM ESSET ANNORUM XIII. ROMÆ CERTAMINE JOVIS CAPITOLINI LUSTRO SEXTO CLARITATE INGENII CORONATUS EST INTER POETAS LATINOS OMNIBUS SENTENTIIS JUDICUM.

* Al. Sp. Macius.
† Lib. 2. cap. 10. §. 14.

6. §. *Imò & aliis Italiæ locis judices fuere, à quibus victores comici coronarentur.*

Ut Neapoli, ubi non gymnicum modò, ſed & muſicum fuiſſe certamen, indicat Strabo lib. V. De Comico certamine alibi ‡ etiam attulimus hæc verba Tranquilli in Claudio cap. XI. *Comœdiam Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de ſententia judicum coronavit.* Solere coronari poëtas victores, indicat etiam vetus inſcriptio, quam afferebamus Inſtitutionum Poëticarum lib II. cap. X. §. 14.

‡ Lib. 2. cap. 10. §. 13.

7. §. *Nec Comicorum ſolùm, ſed & Tragicorum, publici fuere judices.*

Ut cùm primam Sophocles fabulam Athenis daret, archonte Apheplione, Olympiadis LXXIV. anno IV. De quo Plutarchus in Cimone: Ἔθεντο δ' εἰς μνήμην αὐτοῦ, καὶ τὴν τῶν τραγῳδῶν κρίσιν ὀνομαστὴν γενομένην. πρώτην γὰρ διδασκαλίαν τοῦ Σοφοκλέους, ἔτι νέου καθέντος, Ἀφεψίων ὁ ἄρχων, φιλονεικίας οὔσης καὶ παρατάξεως τῶν θεατῶν, κριτὰς μὲν οὐκ ἐκλήρωσε τοῦ ἀγῶνος. ὡς δὲ Κίμων μετὰ τῶν συστρατήγων προελθὼν εἰς τὸ θέατρον ἐποιήσατο τῷ θεῷ τὰς νενομισμένας σπονδὰς, οὐκ ἀφῆκεν αὐτοὺς ἀπελθεῖν, ἀλλ' ὁρκώσας, ἠνάγκασε καθίσαι, καὶ κρῖναι δέκα ὄντας, ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἕκαστον· ὁ μὲν οὖν ἀγὼν, καὶ διὰ τὸ τῶν κριτῶν ἀξίωμα, τὴν φιλοτιμίαν ὑπερέβαλε. Νικήσαντος δὲ τοῦ Σοφοκλέους, λέγεται τὸν Αἰσχύλον περιπαθῆ γενόμενον, καὶ βαρέως ἐνεγκόντα, χρόνον οὐ πολὺν Ἀθήνησι διαγαγεῖν, εἶτ' οἴχεσθαι δι' ὀργὴν εἰς Σικελίαν· ὅπου καὶ τελευτήσας περὶ Γέλαν τέθαπται. *In hujus quoque memoriam tragœdorum celebratum judicium conſtituere. Nam cùm primam fabulam Sophocles, etiamnum juvenis, dediſſet; contentio autem eſſet, & concertatio ſpectatorum; Aphepſion archon non erat ſortitus judices certaminis. Ubi verò Cimon, cum collegis ducibus theatrum ingreſſus, ſollemnia libamina Deo fecit: non dimiſit eos, ſed illos decem ex ſingulis tribubus coëgit juratos conſidêre, & diſceptare. Exceſſit autem, ob dignitatem judicum, certamen ambitionem. Victore Sophocle, Æſchylum fama tenet diſcruciatum; atque id iniquo animo ferentem, non diu Athenis hæſiſſe; inde profectum fuiſſe ex indignatione in Siciliam: ubi defunctus quoque, & circa Gelam humatus eſt.* Idem, lib. II. de Fortuna Alexandri, narrat de certamine duorum tragœdorum in Cypro, Theſſali, & Athenodori, præſente Alexandro Magno: qui cùm à judicibus, nobiliſſimis inſulæ viris, Athenedorus eſſet victor pronunciatus; ajebat, parte ſe regni redemtum velle, ne victum conſpiceret Theſſalum: nec tamen verba cum judicibus propterea commutavit, eò quòd putaret juri cedendum. Meminit & tragici certaminis lib. V. Sympoſiacôn quæſt. II. Item apud Agellium lib. X. cap. XVIII. legere eſt, ut cùm Artemiſia dicaret Mauſoli monumentum; ad laudes ejus decertandas venerint Theopompus, Theodectes, Naucrites; ac viciſſe Theopompum, Iſocratis diſcipulum: Theodectis autem ſuo etiam tempore tragœdiam exſtare, quæ *Mauſolus* inſcriberetur.

8. §. *Hæc de judicibus publicè conſtitutis. Quomodo judicium quidem ſcitur alienum; ſed ſæpe non ſine honoris diſpendio, & ortâ inde animi ægritudine.*

Quod cognoſcere licet, cùm aliis exemplis, tum illo Æſchyli à Sophocle victi: de quo ex Plutarcho antea diximus.

9. §. *Nunc quia publici judices non ſunt, privata ſaltem metuere judicia cogimur. In Republica enim literariâ cuilibet liberum eſt ſuffragium; etſi diſparis ſit auctoritatis.*

Videlicet, quod de ſanctitate morum Plinium dicere antea * audivimus, id in doctrina etiam locum habet, eam *non diſtare ordinibus.* * Cap. 4. §. 7.

10. §. *Qui verò naturâ ad Poëticen factus non eſt, rectius abſtinet à verſibus, non recitandis modò, ſed etiam faciendis. Neque enim ſimilis eſt poëtarum ratio, atque aliorum. Nam medicis, juriſconſultis, architectis, & ſimilibus, carere non poſſumus: eoque etiam laudantur, qui mediocriter in arte ſuâ ſunt verſati. At nemo cogitur, ut carmen ſcribat; cùm liceat cuique ſenſa ſua effari proſâ. Propterea nec laudem meretur poëta, niſi qui excellit.*

Horatius in Arte:

—— Hoc tibi dictum
Tolle memor: Certis medium & tolerabile rebus
Rectè concedi: conſultus juris, & actor
Cauſſarum mediocris, abeſt virtute diſerti
Meſſalla; nec ſcit, quantum Caſſelius Aulus:
Sed tamen in pretio eſt. Mediocribus eſſe poëtis,
Non homines, non Dî, non conceſſere columnæ.

Nempe ſimiliter hîc comparatum, ac in convivio; ubi muſica adhibenda non eſt, ſi careat concentu: nec unguentum potui addendum, niſi liquidius: neque cum papavere apponendum mel amarius, quale Sardum, aut Corſicum. Aut enim hujuſmodi condimenta optima eſſe oportet, aut ſupervacua cenſentur. Quod iſtis verſibus ibidem Horatius expreſſit.

Ut gratas inter menſas ſymphonia diſcors,
Et craſſum unguentum, & Sardo cum melle papaver
Offendunt; poterat duci quia cœna ſine iſtis:
Sic animis natum, inventumque poëma juvandis,
Si paullùm ſummo diſceſſit, vergit ad imum.

Sed, ut bene ait Ariſtoteles †, φίλαυτοι πάντες, καὶ τὰ αὐτῶν ἀνάγκη ἡδέα εἶναι πᾶσιν: *omnes ſui amantes ſunt; ſibique perſuadent, neceſſe eſſe, ut ſua aliis omnibus placeant.* Hinc denſa eorum ſeges, qui poëma invitâ ſcribant Minervâ; ut ibidem legere eſt. Ac ſimiliter idem Venuſinus, in ſecundo epiſtolarum, ad Auguſtum inquit: † Lib. 1. Rhetor. cap. 11.

Navem agere ignarus navis timet: abrotonum ægro
Non audet, niſi qui didicit, dare. quod medicorum eſt,
Promittunt medici. tractant fabrilia fabri.
Scribimus indocti, doctique poëmata paſſim.

Eò autem magis mali poëtæ ab illa poëtandi prurigine abſtinere debent: quia, ut feſtivè ait poëta Venuſinus ‡, ‡ In Arte vers poëtica.

Digitized by Google

viri prudentes fugiunt tales, velut ſcabioſos, aut fanaticos: etiam vulgi fiunt fabula, pueriſque ipſis ridiculi ſunt: quin ſi in aquas inciderent, fortaſſe nemo eſſet, qui curaret ſervare: crederentur enim ſe ſponte in eas præcipitâſſe, ut eo ſibi nomen pararent. Quomodo Empedoclem ajunt inſiluiſſe in Ætnam, ut, corpore nuſquam invento, raptus à Diis crederetur. Quæ omnia, ut dixi, idem Horatius venuſtiſſimè expreſſit. Atque in hoc nobilis ille poëta, idemque poëtices doctor egregius, præcipiendi finem facit. Cujus exemplo, in eodem monitu, exitum expedio eorum, quæ poſt commentarios de natura, ac præceptis artis poëticæ, addidi nunc de Imitatione; univerſè quidem, ut eâdem conſultum irem futuro Oratori; ſed ſic, ut laborem hunc inprimis Poëticæ gratiâ ſuſceperim.

FINIS.

GERAR-

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII


DE

VETERUM POETARUM TEMPORIBUS

LIBRI DUO,

QUI SUNT

DE POETIS GRÆCIS ET LATINIS.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & J. BLAEU,

Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,

à SOMEREN, & GOETHALS,

M DC LXXXXVI.

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS
LECTORI.

NEque Vossium, neque Opera ejus tibi laudabo, Lector benevole, nec huic vino iſtâ opus eſt hederâ: cui enim ex ſcriptis ejus non lucet, quod vir ille & ingenioſos diligentiâ vicerit, & ingenio diligentes. In tanta ſiquidem naturæ bonitate, quanta non multis ſingulis ætatibus contingit, magis affixus hærebat libris, quam ii ſolent, qui quo minus ingenio valent, ſubſidio ſibi comparant induſtriam. Perſpectum id omnibus qui eum familiarius noverunt, nec dubium eſſe poteſt iis, qui in ſcriptis ejus vel mediocriter ſunt verſati. Quare cum nonnulli poſthumi ejus filii omnibus

Digitized by Google

non tantum probantibus, ſed etiam plaudentibus in lucem jam publicam prodierint; non dubito, quin hic ejus de POETIS GRÆCIS ET LATINIS partus, eodem ſydere naſcetur, & obſtetricante tuâ Lector benevolentiâ ſuſcipietur, quâ jam alii ſuſcepti fuerunt. Vale & fave.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE

VETERUM POETARUM TEMPORIBUS

LIBER PRIOR,

QUI EST

DE POETIS GRÆCIS.

CAP. I.

Oracula, quæ Sibyllarum dicuntur, eſſe ſuppoſititia, & quando eorum vixerint auctores.

DE cauſſis ac origine Poëſios ſatis diximus in commentario de natura ac conſtitutione artis Poëticæ. Seorſum nunc agere animus eſt de progreſſu, ac diſtinctis antiquorum Poëtarum temporibus. Cum verò conveniat à vetuſtiſſimis eſſe auſpicandum, primò in diſquiſitionem venit, num Sibyllis, an Orpheo ac Muſæo, an Homero & Heſiodo, is honos potiſſimum debeatur. Sanè ſi ea eſt Sibyllinorum oraculorum antiquitas, quam ſibi eorum auctores vindicant, nullum poëma his vetuſtius habent Græci. Sed enim quæ ſic hodie & à multis retro ſeculis, inſcribuntur, planè diverſa ſunt ab iis, quorum Livius, & alii, ante Chriſtiana per orbem religionis notitiam meminerunt. Quod primò evincitur ex argumento planè diſpari, cùm gentilium illa non Chriſtianum, ſed gentilem ſuaſerint idololatriam.

Quale eſt Æſculapium ab Epidauro, matrem Idæam à Peſſinunte, Romam eſſe arceſſendam: præterea ad ædem Saturni eſſe immolandum, ac lectiſternium habendum: Iovi ludos magnos, & ædes Veneri Erycinæ vovendas: humanas eſſe hoſtias immolandas, Galli, & Gallæ, Græci, & Græcæ, ac ſimilia. At Sibyllina, quæ exſtant, invehuntur in Deorum cultum, & contrà unius veri Dei filiique ejus Jeſu Chriſti cultum ſuadent. Alia igitur ſunt hæc ab illis, quæ Romæ à Xviris conſuli ſolebant uſque ad Theodoſii ſenioris imperium, ac imperante ejus filio Honorio à Stilichone combuſta ſunt, idque magno cum dolore gentilium: quod vel oſtendunt verſus Rutilii Numatiani in Gall. Itiner. lib, II:

Nec tantum Geticis graſſatus proditor armis,
Ante Sibyllina fata cremavit Opis.
Odimus Althæam conſumti fœdere torris,
Niſæum crimen flere putantur aves.
At Stilicho æterni fatalia pignora libri,
Et plenas voluit præcipitare colus.

Et antea ſcripſerat idem:

Quo magis eſt facinus diri Stilichonis acerbum,
Proditor arcani qui fuit imperii.

Non ita indignè tuliſſet Stilichonis factum tantus religionis Chriſtianæ hoſtis, ſi ii libri continuiſſent myſteria omnia religionis Chriſtianæ. Imò neque id ſi eſſet, ea Chriſtiani concremaſſent.

Accedit, quòd abſurdum ſit putare, cæcas gentes & in tenebris oberrantes, majori luce de Meſſia & Chriſtianæ fidei myſteriis fuiſſe divinitus illuſtratas, quam populum Iſraëliticum, quem in proprium peculium ſibi Deus elegiſſet. Siquidem Sibyllina hæc oracula longè apertius omnia prædicant de Chriſto, quàm à Prophetis factum fuit.

Ut cùm Ieſaias contentus ſit dicere Virginem parituram, Sibylla vocat eam virginem *Mariam*: & cum pueri nomen prætereat Propheta, Sibylla exprimit nomen *Jeſu*, quod ipſa mater Domini non niſi jam deſponſata ab Angelo didicit. Nec ullus Propheta prædixit Chriſtum eſſe baptizandum in Jordane. At Sibylla non hoc tantum dicit; ſed addit fore, ut ibi θεοφάνεια fiat totius Trinitatis. Suntque plura id genus: cujuſmodi myſteria ſi Deus gentibus revelavit, longè major iis lux affulſerit, quam populo Dei electo, qui promiſſionem habuit venturi Meſſiæ.

Adhæc Sibyllina gentium oracula intricata erant, & perplexa: hic contrà, ſi paucula exceperimus, omnia ſunt liquida apertaque.

Videlicet hæc ordine & tam perſpicuè omnia enarrant, ut hiſtoria, non vaticinia videantur. Quam verò gentilium illa fuerint intellectu difficilia, ex eo eſt cognoſcere, quod dicerent perplexa quæque eſſe foliis Sibyllæ obſcuriora.

Denique magna fuerit majeſtas oraculorum Sibyllinorum, ſi Homerus ipſe ei carmina ſua ſublegerit:

Ut à Diodoro Siculo lib. II. refertur, ac à Boccho quoque proditum eſſe Solinus ait cap. VIII.

At à Sibyllinis hiſce longè abeſt illa Homerica majeſtas, ſi perpaucula quædam hemiſtichia excipiamus.

Imò multa ne quidem ſatis Græca ſunt. Etiam ineptiæ hic quædam: quale eſt, quod Δία ait vocatum ἀπὸ τοῦ διαπέμπειν, quia miſſus eſſet in Phrygiam, ut Saturnum lateret: item quod Ἀδὰμ origo generis humani dicitur

 nomi-

Digitized by Google

nomine ſuo ſignare quatuor mundi plagas, per Α ἀνατολὴν, per Δ δύσιν, per alterum Α ἄρκτον, per Μ μεσημβρίαν: quæ ſine dubio ſunt otioſi hominis commentum, non alicujus θεοπνεύστου effatum.

Atque ex his quidem dilucet, Sibyllina quæ dicuntur oracula neutiquam eſſe genuina. Porrò videndum, an non ex opere ipſo poſſit cognoſci, quando autor vixerit, vel vixiſſe ſe dicat. Atque hoc ad inſtitutum tria imprimis loca ſe offerunt, quibus ætatem ſuam teſtetur non obſcurè, ſive unus is ſit ſcriptor, ſive plures; de quo eâdem videbimus. Ac primi quidem libri auctor idem videtur ac ille ſecundi, propterea quòd perſequatur ſecundo id, quod in calce primi promittitur. Fuerit autem ille temporibus diluvii univerſalis; imò nurus Noachi, ſi de ſe ſcribenti credimus.

Nam ait ſe cum marito, & Noë, & affinibus ac eorum uxoribus, fuiſſe in Arca, tempore diluvii, cujus hiſtoriam, uti & eorum, quæ contigere ab origine mundi, eodem libro enarrat.

Alter locus eſt libro tertio, cujus auctor plurimis ſeculis recentior fuerit. Nam ait, ab initio regni Græcorum effluxiſſe annos mille quingentos. Sed hoc quadrifariam intelligi poteſt, pro quadruplici initio imperii Græcanici. Primum eſt ab Ægialeo.

Quo nihil antiquius habent res Græcorum, Pauſania teſte. Nempe is eſt, qui condidit imperium Ægialeæ, ſeu Sicyonis.

Sic intelligi debeant tempora Nahoris, & filii ejus Tharachi, qui Abrahami pater fuit.

Quomodo ab diluvio anni fuerint quaſi trecenti, ſecundum rationes Hebræorum.

Alterum initium eſt ab Inacho, conditore regni Argivorum:

Quo nihil vetuſtius Græcis poſt Ægialeum. *Priſcum* ideo vocat Horatius lib. II, od. III. Ac lib. III, od. XIX. opponit Inachum, & Codrum, illum ut regum Argivorum primum, qui multo antiquiores Atticis: hunc ut è regibus Athenienſibus ultimum.

Porrò Inachus incidit in tempora Iſaaci Patriarchæ, quaſi quinquennio à morte Abrahami.

Dependet ejuſce rei notitia ex γενεαῖς, quas veteres conſtituunt inter Inachum, & excidium Romanum. Sed de iſtoc potiùs audiendi Africanus, & Euſebius, quam Tatianus, Clemens Alex. I. Strom. & Origenes lib. IV. contra Celſum. Aliquanto enim hi juniorem faciunt Inachum, quàm oportet.

Tertium initium eſt ab Ogyge:

A quo Eleuſis in Attica eſt condita. Ab hoc etiam antiqua omnia dixere Ogygia. Ejus etiam tempore memorabile in Attica diluvium contigiſſe dicitur.

Atque hoc etiam tempus incidit in ætatem Iſaaci: ſed ſenis.

Quid mirum? quando is Inacho paullo junior. Sanè Inachus Euſebio reponitur ad num. CLX, Ogyges ad num. CCXXXVI. Prior numerus convenit ei tempori, quo nati Iſaaco Eſau & Jacob. Alter cùm Jacob metu Eſavi è domo paterna abiit in Meſopotamiam, ubi ſerviit Labani.

Quartum initium eſt à Cecrope, primo Athenienſium rege.

Sive ſecundo, ſi Actæus ante eum imperavit, ut vult Pauſanias.

Sic cœperit imperium Græcorum temporibus Moſis.

Nempe anno Moſis XXXV, ſecundum Euſebium: ante excidium Trojæ annis CCCLXXV.

Pro tam vario initio variat etiam tempus, quo vixerit is ſcriptor. Si enim annos illos CIↃ IↃ *ab Ægialeo numeremus: fuerit libri tertii ſcriptor tempore captivitatis Babylonicæ. Si ab Inacho, vixerit tempore Ochi Perſarum regis, & Philippi Macedonis, Amyntæ filii. Si ab Ogyge, æqualis ſit eorum ducum, qui inter ſe partiti ſunt imperium Alexandri M. Sin à Cecrope incipiendum, incidet ætas ejus in tempora Cæſaris Auguſti.*

Atque hæc de auctore libri tertii.

Supereſt tertius locus, qui eſt libro quinto: ubi ait auctor ſe vidiſſe incendium ſecundum templi Veſtæ, quod contigit temporibus Commodi Imperatoris.

Nempe anno Urbis Conditæ IↃ CCCC XLIV. Caſſio Aproniano, & M. Atilio Metilio Bradua II. Coſſ. quando non modo ædis Veſtæ, ſed palatium etiam, & magna Urbis pars incendio abſumta: ut eſt apud Herodianum lib. I. At prius ædis Veſtæ incendium fuit anno Urbis IↃXIII. A Manlio Torquato, & Q. Lutatio Cerco Coſſ. Eo Pontifex M. erat L. Cæcilius Metellus, qui Pii nomen ſortitus ob ea, quæ oculis ambuſtis brachio ſemiuſtulato tum temporis perpeſſus, dum Palladii, ac Penates ſecreta imperii pignora, incendio eripit.

Ex his colligi videtur, non unum, ſed tres minimum, eſſe horum oraculorum auctores. Deinceps oſtendam, nullum eſſe ex iis, qui bona fide ſcripſerit; ſed omnes fucum feciſſe lectori ſcientes, volentes.

Metuerem, ne parum placitura eſſet hæc ſententia nonnullis, propterea, quod S. Patres Sibyllinorum oraculorum auctoritate impugnent gentiles: & multa adferant, quæ hodieque in his libris legere ſit. Veruntamen, quæ ſuperiùs commemoravi, ea adeò manifeſta ſunt, ut qui naris ſunt non nimis obeſæ, facilè poſſint fraudem ſubodorari. Vel ſiquid dubii adhuc relinquatur, illud facilè eximent, quæ deinceps adferam.

Primùm enim, quis ita ſtultè ſapit, ut perſuadere ſibi poſſit, primum ſecundumque librum ſcriptum eſſe ab aliqua, quæ jam ante diluvium nupta, & cum Noacho fuerit in arca? nonne id ſi eſſet, aliquis ante Chriſtum, vel proximis à Chriſto ſeculis, rei tam mirandæ meminiſſet? Et quando iſta ſcripſit? num antequam Babel conderetur, ac gentes diſpergerentur? At tum una omnium hominum lingua erat, quæ ſanè Græca non erat. An poſtea ſcripſiſſe dicemus? Atqui ut Græca fuiſſet lingua, talis tamen non erat, qualis horum librorum dictio eſt.

Multis enim ſeculis volutis alia eſſe lingua ſolet ab ea, quæ fuerat priùs. At dictio hæc eſt, non cujuſmodi Homeri, aut Heſiodi, ætate erat; multò minùs, cujuſmodi fuerat mille annis ante: ſed eſt, qualis erat aliquanto poſt Chriſti tempora; totis bis mille annis à diluvio, imò aliquot ſeculis amplius.

Quid quod Juſtinus Martyr, Tatianus, Clemens Alexandrinus, Euſebius, ac tot alii ex ſanctis Patribus,

Digitized by Google

bus, aperte ajunt nullam è Sibyllis eſſe Moſe antiquiorem.

Hoccine dicturos fuiſſe putemus, ſi eorum temporibus iſta extitiſſent? Quamobrem aliud ſtatuere non poſſum, quàm auctorem eum, vel conſarcinatorem, poſt Conſtantini M. tempora vixiſſe: nempe poſt exceſſum Patrum, quos antea commemoravi.

Videamus nunc de ſcriptore eo, qui ait eſſe annos mille quingentos ab initio regni Græcorum. Quod tempus, ſi ab Ægialeo ordiamur, incidit in captivitatem Babylonicam, ut antea dixi. Quomodo igitur Sibylla hæc potuit vaticinari illa de Moſe, ac regno Salomonis, quæ eodem libro tertio leguntur?

Nam multis illa ſeculis captivitatem Babylonicam antecedunt: vaticinia autem non ſunt de præteritis, ſed de futuris.

Ac multo minus vaticinia dici merentur, ſi ab Inacho, vel Ogyge, vel Cecrope ordiamur. Imò cum anni illi mille quingenti, ſi à Cecrope incipiamus, deſinant in Auguſto, jam nec pro vaticiniis haberi poſſunt, quæ ibidem prædicuntur de Monarchia Aſſyria, Perſica, Græca, & Romana.

Atque hæc quoque fraudem ſcriptoris ſatis detegunt.

Supereſt tertius locus, qui eſt lib. v: unde colligi dixi; ſcriptorem eum vixiſſe temporibus Commodi Cæſaris. Et ſane hic genuinum tempus adſignatur. Quod etiam firmatur loco alio, ubi mentio fit agonis Iſelaſtici, qui, ut ex Plinio conſtat, inſtitutus fuit tempore Trajani. Idem eo evincitur, quod quindecim tantum Imperatorum geſta deſcribantur: ac poſt Hadrianum tres ſecuturi dicantur, Antonini duo, & Commodus. Siquidem meritò ſuſpectum eſt, quod non ultrà progrediatur auctor. Nempe eo uſque procedere auſus fuit, quia præterita tutò poterant referri, in ſequentibus ars ſua impoſtorem deſtituit, quia nondum ea evenissent.

Hanc ſuſpicionem non leviter firmat, quòd demum Antoninorum & Commodi tempore citari Sibyllina oracula cœperint. Inſuper, quòd opiniones hic inveniantur circa ea demum tempora exortæ. Uti improbos poſt ſecula aliquot æterno tandem liberandos ſupplicio: quod Origenes ſenſit. Item Neronem ſuo tempore occultatum eſſe denuo producendum: atque hunc fore Antichriſtum: quod ex eo multi, Auguſtino teſte, colligebant, quia dicat Apoſtolus Paulus, *Myſterium iniquitatis jamnunc operatur.* Denique hiſce temporibus inveniebantur non pauci, qui bene ſe putarent mereri de religione Chriſtiana, ſi libris etiam ſuppoſititiis gentiles addicere poſſent ad religionem Chriſtianam. Unde tot libri, aliqui etiam Apoſtolorum nominibus inſignes, qui poſtea à Gelaſio & Concilio Romano, inter apocrypha ſunt relati. Quales non ſemper hæreticos, ſed & homines pios habuere auctores. Sanè Tertullianus teſtis eſt libro de baptiſmo, fuiſſe *in Aſia Presbyterum, qui ſcripturam de Tecla conſtruxerit, quaſi titulo Pauli de ſuo cumulans:* atque eum *convictum atque confeſſum, id ſe amore Pauli feciſſe; loco deceſſiſſe.*

Ex his ita colligimus, Sibyllina oracula, quæ hodieque octo libris collecta ſuperſunt, conficta eſſe, & ſuppoſititia: vel ſiqua in iis genuina ſuperſint, ſaltem iis vetera illa mirifice eſſe interpolata, aliis mutatis, aliis additis; præſertim iſtis, quæ clarius multo nobis religionis myſteria, & Euangelicam hiſtoriam deſcribunt, quàm à Prophetis ipſis factum erat.

Atque hæc omnia non parum lucis accipient ex doctiſſimi Opſopæi notis, quæ Sibyllinis oraculis addidit in editione eorum Pariſienſi. Ad ea, ne hic longior ſim, lectorem meum remitto.

CAP. II.

De ætate Homeri, ac Heſiodi: ubi & de Arctino, & Creophylo.

Sunt alii, qui Orpheum, ac Muſæum, cenſeant antiquiores Homero: ac illius ſupereſſe hymnos, hujus verò poematium de amore Herûs, & Leandri. Sed qui ante bellum Trojanum fuiſſe dicuntur, à Poëtis ficti ſunt, ut oſtendimus lib. I. de re Poëtica. Quæ verò nunc Orphei nomen ferunt, non ſunt antiquiora Piſiſtrati temporibus. Muſæus verò Grammaticus extremi imperii Romani.

Atque hæc planiora fient ex iis, quæ in Poëtarum Græcorum ſerie deinceps dicentur. Ex iis interim, quæ diximus, etiam ſtatuere eſt de Eumolpo, ſive Eleuſinius is, ſive fuerit Athenienſis. Ante Homerum fuiſſe, ac filium fuiſſe Muſæi, Orphei diſcipulum proditum eſt à Suida: atque addit, tria ſcripſiſſe millia verſuum: in his etiam de Cereris Initiis. De quibus eo minùs nunc laborandum nobis, quia nihil ſupereſt, quod vel ejus ſit, vel eſſe exiſtimetur.

Quare ſic ſtatuimus, nihil nunc antiquius habere Græcos, poëmatis Homeri, & Heſiodi: ut ab his meritò initium capiamus. Sed quando hi vixerint, veteres ipſi certant incerti. De Homero priùs videbimus.

De hoc ita Gellius lib. XVII. cap. XXI. *De Homero, & Heſiodo inter omnes fere ſcriptores conſtitit, ætatem eos egiſſe vel iiſdem fere temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem: utrumque tamen ante Romam conditam vixiſſe Silviis Alba regnantibus, annis poſt bellum Trojanum, ut Caſſius in primo Annalium de Homero atque Heſiodo, ſcriptum reliquit, plus centum atque ſexaginta; ante Romam autem conditam, ut Cornelius Nepos in primo Chronicorum de Homero ſcripſit, annis circiter centum & ſexaginta.* Cyrillus lib. I. adverſus Julianum ait nonnullos quidem putare Homerum & Heſiodum fuiſſe annis CLXV. à bello Trojano: cùm apud Latinos imperaret Alba Sylvius: ſed alios putare Heſiodum centum annis juniorem Homero, vixiſſeque tempore Procæ Sylvii. Suidas refert Heſiodum videri quibuſdam Homero antiquiorem, aliis verò æqualem haberi: ac XXXII. annis ante primam Olympiadem vixiſſe.

Fuſius verò variantes ſententias exponit Euſebius in Chronicis in temporibus Samuëlis & Saulis: *Homerus, ſecundùm quorundam opinionem, his fuiſſe temporibus judicatur. Quanta autem de eo apud veteres diſſonantia fuerit, manifeſtum eſſe poterit ex ſequentibus. Quidam eum, ex quibus Crates, ante deſcenſum Heraclidarum ponunt. Eratoſthenes poſt centum annos Trojanæ captivitatis. Ariſtarchus Ionicâ migratione, ſive poſt annos centum. Philochorus migrationis Ionicæ tempore, ſub Archippo Athenienſium magiſtratu, & poſt captam Trojam anno* CLXXX. *Apollodorus Athenienſis* CCLX. *anno everſionis Ilii. Extiterunt alii, qui modico ante, quam Olympiades inciperent, id eſt,* CCCC. *retro annis à Trojana captivitate eum fuiſſe putant, licet Archilochus viceſimam tertiam Olympiadem, & quingenteſimum Trojanæ everſionis annum ſupputet.* Vide quæ ad hæc verba Joſephus Scaliger annotavit.

Noſtra hæc ſententia eſt, eum qui Homerum Olympiadum initio, vel paullò poſt, Romuli puta temporibus, vixiſſe dixerit, non longe aberraturum.

Oſtendi id oratione de laudibus Græcæ linguæ habita,

Digitized by Google

cum in Leidenſi Batavorum Academia ejus linguæ profeſſionem auſpicarer. Quippe in ea inter alia πολυθρύλητον hanc quæſtionem non incurioſè excuſſi.

Hac ſententia multum roboris accipit, ſi Homeri diſcipulus fuerit Arctinus Mileſius, ac primâ is, tertiâve, vel etiam nonâ, vixerit Olympiade.

Homeri fuiſſe diſcipulum, à Suida, & Tzetze, traditum eſt. Ac Suidas id proditum ait ab Artemone Clazomenio, in libro de Homero. Ad Olympiadem primam refert Cyrillus lib. I. adverſus Julianum. Ac præivit Euſebius in Chronico Canone: ubi ad annum ſecundum Olympiadis primæ legas: *Arctinus Mileſius verſificator florentiſſimus habetur.* Etiam facilè conciliatur hoc cum eo, quod idem Olymp. III. anno II. alios ſecutus, ſcribit: agnitum eo tempore Arctinum, ac ſcripſiſſe Æthiopidam (ἢ Αἰθιοπίδα) & Ilii πέρσιν, ſive ἅλωσιν, h. eſt excidium. Imò neque pugnat, quòd Anonymus in Olympiadum deſcriptione rejicit ad annum I. Olymp. IX. Nil enim impedit, quo minus octonis floruerit Olympiadibus: annis videlicet XXX. vel paullò ampliùs. Denique & ſatis conveniunt iſta cum iis, qui Homerum ajunt vixiſſe temporibus Procæ Sylvii, qui Romuli proavus fuit. Quippe inter Procæ exceſſum, & Romuli regnum, ſolùm eſt intervallum annorum XLI. Et potuerit Homerus Procæ pariter, ac Amulii, atque adeo Romuli, temporibus fuiſſe in honore. Summam hujus Poëtæ antiquitatem etiam agnoſcit Dionyſius Halic. lib. I. Antiquitat. Meminere & Clemens Alexandrinus lib. VI. Στρωμ.*. & Diomedes lib. III. ubi de Jambo. Sed perperam in Dionyſio *Aratinum*, in Clemente *Archinum* legas.

* Pag. 166.

Sed ſi poſt Romulum vixit Homerus, ſaltem non rejiciendus ultra Numæ tempora: quod nemo veterum fecit: ne Archilochus quidem, qui floruiſſe ajebat Olymp. XXIII. *anno ab Troja excidio quingenteſimo.*

Teſtis Euſebius in Chronicis ad num. ƆCCCCVIII. ſive octavum annum Samuelis. Et convenit iſtoc cum eo, quod Clemens Alexandrinus ait Arctinum cum Leſche Lesbio, Iliadis parvæ conditore commiſſum, & ab eo victum, Olymp. XXX.

Ex Homeri ætate etiam ſtatuere eſt de ætate Creophyli, Aſtyclis filii, Chii vel Samii poëtæ: ſive ejus filiam habuerit uxorem: ſive ſolùm amicus fuerit, atque hoſpes, & ea propter ab eo acceperit poëma de captivitate Oechaliæ.

Utrumque apud Suidam legitur.

Itidem de Heſiodi ætate concertationem eſſe dicebamus.

Cicero multò juniorem Homero putavit. Uti & Porphyrius, ac Solinus; quorum ille annis C, hic CXXX. poſt Homerum vixiſſe exiſtimat. Alii eo quòd ſimplicior ſit, antiquiorem fuiſſe conjectant. Plurium verò opinio eſt fuiſſe æqualem. Uti Varro in primo de Imaginibus, teſte Agellio, Vellejus Paterculus lib. I. Plutarchus in v. Sympoſiacôn, & VII. Sapientum Convivio, item Philoſtratus.

In eo diſſenſu, ob plurium conſenſum, & quæ de certamine Homeri ac Heſiodi prodita ſunt, malumus nos aggregare iis, qui aliquo tempore ſimul vixiſſe exiſtimant.

Nec multum abit, quòd apud Cyrillum legas, floruiſſe Heſiodum paullo ante primam Olympiadem, regnante in Latio Proca Sylvio: vel quo alii claruiſſe dicunt, Olymp. IV. ut eſt apud Euſebium in Chronicis. Apud quem etiam legas ad præcedentem Olymp. floruiſſe tum Eumelum Poëtam, qui Bugoniam & Europam ſcripſit. Fuerint igitur & Heſiodus, ac Eumelus æquales. Nec multum abit Tzetzes, qui Heſiodum refert ad Olymp. XI. Operæ verò eſt attendere ad id, quòd Heſiodus ipſe ſcribat, ſuâ ætate Arcturum ἀκρόνυχον in Bœotia exortum fuiſſe VIII. die Martii: unde Poëtæ hujus ætas in tantum ſaltem poſſit colligi, ut error ſiquis ſit, ſaltem intra LXX. annos ſit conſtitutus; ſicuti obſervat Joſ. Scaliger in Euſebianis Animadverſ. num. MCCLV.

Etiam à Suida Perſes cui Heſiodus ſcribit, fuiſſe dicitur ἐποποιὸς: de cujus ætate ex illa Heſiodi ſtatuendum, cum Heſiodi fuerit frater.

CAP. III.

DE TEMPORIBUS POETARUM qui fuere ante imperium Perſicum.

Poſtquam de Homero, & Heſiodo vidimus, nunc alios perſequar, qui deinde conſecuti. Inque tam numeroſo eorum exercitu imitabor bonos duces: qui exercitum in legiones, has in centurias diſpeſcunt. Ac primum quidem univerſè Poëtas Græcos diſpeſcimus in quinque ætates, quas in minora deinde tempora dividam. Prima ætas fuit temporibus imperii Medici; altera Perſici, tertia Græci, quarta Cæſarum veteris aut novæ Romæ, uſque ad captam Conſtantinopolim, quinta complectitur quidquid inde fuit vel erit.

Medorum imperium incipit ab Arbace, qui Sardanapalum imperio privavit annis centum ante primam Olympiadem. Tenuit is imperium annis XXVIII. Ei ſucceſſit Mandauces, qui regnavit annis L. Tertius fuit Soſarmus: qui annis rexit XXX. Auctores iſtorum nobis Diodorus Siculus, atque Euſebius. Soſarmo vigeſimum ſecundum regnante annum ab Iphito inſtauratus eſt agon Olympicus: ac circa hæc tempora Homerum, & Heſiodorum vixiſſe, antea docebamus. Nunc exponemus, qui Poëtarum Græcorum claruerint uſque ad Olympiadis LV. annum ſecundum, quo Aſtyages nonus ac poſtremus Medorum rex imperio privatus eſt à Cyro nepote, primo Perſarum Rege. Inde alteram ordior Poëtarum ætatem uſque ad Darium Codomannum, regem Perſarum ultimum, ab Alexandro M. victum; quod factum Olymp. CXII. anno II. Tertiam ætatem ſtatuimus ſub Alexandro Aſiæ victore, & præcipuè ſub Ptolomæorum temporibus. Horum imperium definit victa Cleopatra ab Auguſto Cæſare, annoque proximo ſibi mortem conſciſcente, quod factum Olympiadis CLXXXVII. anno III. annis XXX. ante æram Chriſtianam. Quarta inde extenditur uſque ad Conſtantinopolim à Muhammede II. imperio Turcico adjectam: quod factum anno Chriſti CIↃ CCCC LIII. Unde quintam ætatem auſpicamur.

Primâ ætate, hoc eſt, Medicis temporibus vixere Eumelus, Cinæthon, Alcman, Megaloſtrate, Archilochus, Simonides Amorginus, Ariſtoxenes Selinuntius, Leſches Lesbius, Terpander, Piſander, Tyrtæus, Draco, Abaris, Arion Methymnæus, Steſichorus, Sappho, Alcæus, Epimenides, Bias Prienenſis, Solon, Dropides, Chilo, Thales, Pittacus, Periander, Cherſias, Theſpis, Mimnermus, Ηοίων καὶ Ν'αυπάδ⊙ *auctor; Anacharſis Scyta, Ariſteas Proconneſius.*

Diſtinctiùs aliquanto hæc exponam.

Olymp. III. an. II. claruit Eumelus Poëta, qui Bugoniam, ſive de apum generatione, item Europam ſcripſit: ut eſt apud Euſebium in Chronico. At idem poſtea Olymp. IX. an. IV. inquit: *Eumelus Corinthius verſificator* (ἐποποιὸς) *agnoſcitur, & Sibylla Erythræa.* Itidem apud Clementem Alexandrinum in primo Στρωματέων legas: Εὔμηλος ὁ Κορίνθιος πρεσβύτερος ὢν ἐπιβεβληκέναι Ἀρχίᾳ τῷ Συρακούσας κτίσαντι. *Eumelus Corinthius,*

cùm

cùm antiquior eſſet, pervenit uſque ad tempora Archia, qui Syracuſas condidit. Syracuſæ verò ab Archia conditæ circa Olymp. XI. Hiſtoricum Poëtam, præeunte Pauſania, appellat Scholiaſtes Pindari in Olympionic. od. XIII. ubi & octo ejus verſus adducit. Eoſdem refert Iſacius Tzetzes commentario in Lycophronem. Sed is citat eos fide Theopompi: quod oſtendit, Eumelum ipſum non eſſe ab eo viſum. Sunt autem verſus illi ex Corinthiacis; ut argumento eſt, quod iis in verſibus agit de Ephyre: quomodo Corinthus priùs vocabatur. Refert autem, quomodo, cùm in diviſione inter Aëten, & Aloëum; factâ, Ephyra Aëtæ ceſſiſſet, hanc Buno commiſerit, ipſe in Colchida profecturus, ut ibi, juxta oraculum, urbem conderet. Quemadmodum autem hoc opus incipiebat à diviſione inter Aëten, & Aloëum, Solis filios: ita perducebatur uſque ad Jaſonis reditum à Colchide. Eoque Argonautica expeditio erat pars hiſtoriæ Corinthiacæ. Hæc ita eſſe, partim ex Pauſaniæ Corinthiacis, partim ex iis cognoſcere eſt, quæ ex Eumelo citant Scholiaſtes Apollonii in extremum lib. III. & Euripidis interpres in Medeam. Aliqua etiam de hoc Eumelo attulimus in IV. de Hiſtoricis Græcis cap. I.

Olymp. V. anno III. ut in Chronicis eſt Euſebianis, *Cinathon, Lacedæmonius Poëta, qui Telegoniam ſcripſit, agnoſcitur.* Κιναίθων ὁ λάκων, ὁ τὴν Τηλεγονίαν γράψας. hoc eſt, de Telegono, quo nomine fuit Ulyſſis ex Circe filius, conditor Tuſculi in Italia. At alius ab eo Κίναιθος ὁ Χῖος, Homericorum carminum conſarcinator, qui claruit Olymp. LXIX. ut ait Pindari Scholiaſtes Nemeonic. od. II. Vide, quæ ad eam Olymp. dicemus.

Ad IX. Olympiadem Eumelum, de quo III. Olymp. dictum, Gyraldus refert. Nempe nihil prohibet, quominus Olympiade III. & IX. claruerit. Item tum vixiſſe dicitur Sibylla Erythrea; ſed de Sibyllis dictum antea. Arctinum ad hancce Olympiadem refert Suidas: atque addit, quadringentis id annis fuiſſe à captâ Trojâ. Sanè annis ab urbis ejus excidio CCCCVI. Olympiades cœpere. Sed de Arctino ſatis dictum cap. II.

Olymp. XXVII. vixit Alcman Poëta Lyricus, qui, utpote Lacedæmonius, linguâ ſcripſit Doricâ. Eſt verò diverſus ab Alcmane Meſſenio, itidem Lyrico. Sanè diſtinguit Suidas quem ſequimur, ad XXVII. Olymp. Idem verò claruit etiamnum Olymp. XXX. an. IV. quæ referre maluit Euſebius in Chronicis, ut mox referam. Sed quid de eo dicemus, quod Euſebius, cùm memoraſſet priùs ad Olymp. XXX. poſtea, alios credo ſecutus auctores, ad Olympiada refert XLII. Sanè hic idem eſſe Alcman nequit: ſed potiùs ſit Meſſenius. Nam prior, ut Suidas ait, claruit quo tempore in Lydia regnum tenuit Ardys, Gygis filius, pater Sadyattis, avus Alyattis, proavus Crœſi: quem Cyrus evertit. Cœpit verò Ardys regere Olymp. XXVI. an. III.

Megaloſtrate Poëtria, amaſia Alcmanis fuit: cujus & in eam verſus legas apud Athenæum.

Olymp. XXIX. an. II. ut eſt in Chronicis Euſebii, *Archilochus, & Simonides, & Ariſtoxenus, inſignes habentur.* Quod ad Archilochum Parium, Tatianus orat. contra Græcos, & Cyrillus lib. I. contra Julianum, referunt ad Olymp. XXIII. Verùm hæc facilè conciliantur: cum Candaulis & Gygis temporibus claruiſſe dicat Herodotus. At non puto audiendum anonymum in Olympiadum deſcriptione, qui nunc refert ad Olymp. XV. an. I. nunc Olymp. XVIII. an. I. & Olymp. XIX. ann. III. Eſt verò Archilochus ille, qui verſibus ſuis Lycamben ad laqueum adegit. Fuit plurimorum nervorum, multi ſanguinis, & validus ſententiis Poëta: ſed virulentus, & inverecundus, unde & Lacedæmone ejus libris fuit interdictum. Fuit & alter Archilochus; de quo Olymp. XCIV. dicemus.

Simonides Melicus, qui temporibus belli Medici vixit, quatuor vel quinque literas alphabeto finito adjecit, atque ita illud primus abſolvit.

De Simonide, quem tam antiquum Euſebius facit, meritò quæritur, quis ille ſit. Nam multi ejus nominis fuere. Satis liquet, non eſſe Simonidem Ceum, Lyricum, quem Xerxis, Themiſtoclis, & Hieronis Syracuſani temporibus claruiſſe, certiſſimum eſt. Multo minus fuerit ejus ex filia nepos, qui ante bellum Peloponneſiacum Genealogiæ, & Inventionum libros reliquit. Neque item his junior Simonides Magneſius, itidem epici carminis Poëta; qui Antiochi magni res geſtas deſcripſit. Sed apud Suidam duos præterea ejus nominis Poëtas invenio. Unus fuit Caryſtius, vel Eretrienſis, qui reliquit Græcorum conventum in Aulidem, trimetrorum lib. II, & de Iphigenia unum. Alter erat Crinei filius, Amorginus dictus à patria Amorgo, una ex inſulis Cycladibus: qui præter elegiarum libros ſcripſit jambos, unde & ἰαμβογράφος vocatus: imò & ſecundum nonnullos, Suida teſte, primus hoc carminis genere uſus fuit. Quod antiquiſſimum eſſe arguit. Imò idem Grammaticus dicit claruiſſe poſt bellum Trojanum annis CCCCVI. Quomodo fuerit circa initium Olympiadum. Verùm cenſeo centenarium excidiſſe librarii culpâ: ac pro μϛ, quod ſit CCCCVI, reſcribi oportere νϛ, hoc eſt DVI. Quod tempus proximè abit ab Euſebiano numero. Incidit enim in Olympiadem XXVI. Quando clareſcere fortaſſe cœpit, qui majus nomen adeptus Olymp. XXIX. Et ſanè hanc conjecturam noſtram firmant iſta Procli apud Photium: Ἰάμβων ᾗ ποιηταὶ, Ἀρχίλοχος ᾗ ὁ Πάριος ἄριστος, καὶ Σιμωνίδης ὁ Ἀμοργῖνος, ἢ ὡς ἔνιοι, Σάμιος. Samium etiam vocat Tzetzes in Chiliadibus hiſtoricis. Vide & quæ de eo diximus in IV. de Hiſtoricis Græcis lib. IV. cap. XIII.

Quem tertio loco memorabat Euſebius, is eſt Ariſtoxenus Selinuntius. Ac quòd de ejus ætate diximus, convenit cum eo, quod ab Hephæſtione proditum eſt, multò fuiſſe antiquiorem Epicharmo, & ab hoc etiam illum celebrari. Tetigimus hoc quoque lib. I. de Hiſtoricis Græcis cap. IX.

Olymp. XXX. anno IV. claruere Alcmæon, & Leſches Leſbius; ut eſt in Chronicis Euſebii. Sed pro *Alcmæon*, quomodo & Lilius Gyraldus legit, reſcribi debet Alcman, quod facilè vidit Joſ. Scaliger. Sed de Alcmane ſatis dictum in Olymp. XXVII. Leſches Leſbius, ut idem Euſebius auctor eſt, parvam condidit Iliadem. Ex qua & Pindarum aliqua eſſe mutuatum, Græci ejus interpretes obſervant.

Olymp. XXXIII, an. II, in Chronicis Euſebii memoratur Terpander inſignis idem & Muſicus & Poëta. Sed Glaucus Italus, libro de antiquis Muſicis ac Poëtis, cum multò antiquiorem ſtatuit Archilocho, quem ad Olymp. XV. referebamus. Patriam ejus indicat Stephanus in Κάμιρος.

Olympiade etiam XXXIII. à plurimis vixiſſe putatur Piſander, etſi aliqui Heſiodo antiquiorem, vel Eumolpi æqualem arbitrentur. Heracleida, ſive Herculis labores libris ſcripſit duobus: ubi primus Herculi tribuit clavam. Ejus de Hercule, & Stymphaliis avibus ſententiam, Pauſanias refert in Arcadicis. Uti in Corinthiacis docet, quid tradiderit de fabula Lernæa. Alia etiam præter Heracleida ei tribuêre, cum ea potiùs forent Ariſtæi Poëtæ, teſte Suida. Meminere ejus quoque Hyginius in Poëtico Aſtronomico, ubi de Leone, Cenſorinus in fragmento, cap. IX, ubi antiquiſſimis annumerat Poëtis, Ariſtophanis Scholiaſtes, & Fulgentius lib. I. Μυθολογικῶν.

Olymp. XXXV. fuit Tyrtæus, ut ait Suidas. Et tempora conveniunt, cùm Meſſenium bellum cœperit Olymp. XXV, ac duraret annis XX; eo autem in bello Lacones hoc duce uſi ſint. Fuit Poëta elegiacus. Quare Suidas addit æqualem eſſe VII. Sapientibus, vel paullò antiquiorem.

Olymp. XXXVI, ſecundum Euſebium, ſive aliis XXXIX, claruit legiſlator Athenienſium Draco, cujus leges quia leviora etiam delicta morte punirent, non atramento, ſed ſanguine, ſcriptæ, neque hominis, ſed draconis eſſe, dictæ ſunt. Hic tribus verſuum millibus ſcripſiſſe dicitur Hypothecas, ſive vitæ præcepta.

Ad hæc etiam tempora, ut puto, referendus Abaris

Scytha,

Scytha, &, ut Harpocration ait Scytharum ad Athenienſes legatus, Pythagoræ, ſecundum Jamblichum, diſcipulus. Scripſit carmine iter Apollinis ad Hyperboreos, oracula Scythica, Hebri nuptias, & καθαρμοὺς ſive expiationes. Supereſt ejus ad Phalarim epiſtola: niſi ab alio ea ſcripta, uti & quæ Phalaridis dicuntur. Luciani eſſe illas, ſuſpicio eſt doctiſſimi Lilii Gyraldi tertio de Poëtis dialogo. Præterea neque hæc bene conveniunt, ut ad Phalaridem ſcripſerit, qui Pythagoræ fuerit diſcipulus. Siquidem Phalaris tyrannidem exercuit ab Olymp. xxx. an. II, uſque ad Olymp. xxxvIII, an. II; teſte Euſebio. Fuerit igitur temporibus Tullii Hoſtilii, & Anci Martii. At Pythagoras claruit Olymp. Lx, anno I, cùm Piſiſtratus, & Hippias, Athenis tyrannidem exercerent: ac mortuus Olymp. Lxx, an. Iv. Quare floruerit partim Tarquinii Superbi temporibus, partim primis aliquot annis partæ populo Romano libertatis: unde conſequitur, ſi Abaris Pythagoræ fuerit diſcipulus, æqualem fuiſſe Æſchylo: quando is clareſcere cœpit, quo anno Pythagoras eſt mortuus. At antiqui omnes de Abari loquuntur, ut non Pythagora modò, ſed Solone etiam antiquiori. Quare veriſimilius eſt vixiſſe temporibus Phalaridis, & hoc ſive doctiſſimum Lucianum, ſive alium, attendiſſe, cum ſub ejus nomine epiſtolam ad Phalaridem concinnaret.

Arion Methymnæus, Lyricus fuit, teſte Suida Olymp. xxxvIII, ac quibuſdam Alcmanis fuiſſe diſcipulus traditur. Scripſit cantica, προοίμια dicta, verſibus mille. Fertur etiam, eodem teſtante, chorum inſtituiſſe, & dithyrambum cecinîſſe, & introduxiſſe Satyros verſibus loquentes.

Olymp. xLII, an. I, Steſichorus, Poëta Lyricus, clarus habetur; ut eſt in Chronicis Euſebii. Et benè convenit, quod Suidas ait natum Olymp. xxxvII. Cujus ſi annus primus intelligatur Olympiade hac xLII, ſolum annorum fuerit xx. Sed vixit ad Olymp. Lv, an. I: ut teſtantur Euſebius, Suidas, & Anonymus in Deſcriptione Olympiadum. Fuerit igitur tum annorum LxxII. Suidas ait juniorem Alcmane: quicum convenit, quod Alcmanem cum Euſebio ad Olymp. xxvII, & xxx, referebamus. Palinodiæ in laudem Helenæ, quàm priùs vituperârat, meminit inter tot alios, Philoſtratus lib. vI. de vita Apollonii cap. vI. Sed iſtic pro Μεγαρὶς ἀνδρὸς, legendum, quod & editor Morellus vidit, Ἱμεραὶς ἀνδρός.

Aliquis exiſtimare poſſit Sappho vixiſſe tempore Archilochi, & Hipponactis, quia hos Sapphus amatoris Diphilus in Comœdia induxerit. Sed hoc non majoris putandum, quàm quòd Hermeſionax, eam ſcribit amatam ab Anacreonte: cum Sappho vixerit Olympiade xLII, Anacreon autem LxI. Quare, ut Athenæus obſervat lib. xIII, ſunt hi Poëtarum luſus: ut etiam dicebamus lib. I. de Hiſtoricis Græcis cap. I.

Olympiade eâdem claruit Sappho Leſbia, Poëtria Lyrica; ut ait Suidas: atque addit, eâdem ætate fuiſſe Alcæum, Steſichorum, & Pittacum. Ac facile cum eo conciliare eſt, quòd Euſebius ad xLIv. Olympiadis an. II. refert. Scripſit Epigrammata, elegias, jambos, & monodias. Diſtingue vero duas Sapphones, unam Eretriam, alteram a Phaone adamatam, ut eſt apud Athenæum lib. xIII.

Ejus ἑταίρα fuiſſe dicitur Erinna Poëtria: ut perperam referatur ad Olymp. cvI: ut iſtic dicam.

Sapphus etiam æqualis Damophila, Pamphili uxor: cujus de hymnis aliiſque Poëmatis Philoſtratus in Apollonii vita.

Olymp. xLIv, anno II, ut Euſebius in Chronicis tradit, Alcæus Poëta clarus habetur. Et firmatur tum eo, quod Periandri temporibus vixiſſe dicat Herodotus lib. v, tum inimicitiis, quas geſſit cum Pittaco, ſeptem ſapientum uno; qui claruit Olymp. xLII; ut teſtantur Diogenes Laërtius in ejus Vita, Cyrillus lib. I. adverſus Julianum, Anonymus in deſcriptione Olympiadum, & Suidas in Πίτ]ακος. Propter verò hunc Alcæi animum, quo non ſolum armis, ſed etiam carmine tyrannos eſt perſecutus, Horatius lib. Iv, od. Ix, Alcæi minaces vocat Camœnas.

Porrò & Pittacus, cui cum Alcæo inimicitiæ, Poëta fuit. Nam teſte Suida reliquit verſus Elegiacos ſexcentos. Defunctus Olymp. LII, an. III.

Olympiade etiam xLIv, Epimenides Cretenſis, jam ſenex à Cylonio ſcelere purgavit, atque expiavit Athenas; ut Suidas tradit: qui & auctor eſt, eum verſibus reliquiſſe μυστήρια ſive initia, καθαρμοί, ſive potius καθαρμοὺς, hoc eſt, purgationes, ſive expiationes, & alia obſcura. Argonautica etiam dicitur ſcripſiſſe verſibus ſexies millenis, & quingentis. Item de theogonia, ac Curetum & Corybantum generatione verſus quinquies millenos. Telchiniacæ etiam hiſtoriæ auctor habitus, teſte Athenæo. Sunt qui loco Periandri inter vII Sapientes repoſuerint. Plura de eo diximus in Hiſtoricorum Græcorum hiſtoria lib. Iv, cap. I.

Epimenidis etiam ac vII ſapientum tempore claruit Bias Prienenſis, ipſe etiam unus è vII ſapientibus. Poëma de Ionia condidiſſe, auctor nobis eſt Laërtius.

Olymp. xLvI. Solon viguit: legiſlator idem ac Poëta; cujus vitam èx Laërtio, & Plutarcho, petere licet.

Solonis frater Dropides fuit, carmine olim clarus, Solone licet inferior. Ad eum Plato referebat genus maternum.

Iiſdem temporibus ac Solon fuere Chilo, Thales, Pittacus, Periander: qui & inter vII Sapientes numerantur. Chilo elegiam reliquit ducentorum verſuum. Thales de meteoris, æquinoctiis, atque aliis, ſcripſit carmine. Pittacus ſexcentis elegiacis verſibus Mityleneis ſuis leges dedit. Periander item ἐλεγοποιὸς ab Athenæo vocatur. Periander is Corinthi tyrannidem obtinuit Olymp. xxxvIII. ac deinceps. Annis obtinuiſſe xLIv. cognoſcimus ex Ariſtotelis Polit. lib. v, cap. xII.

Iiſdem claruit temporibus Cherſias Orchomenius, cujus verſus Pauſanias in Bœoticis adducit. Ætatem eam cognoſcimus exinde, quod cum Periandro, de quo dixi, inimicitias geſſerit; ſed Chilonis operâ fuerint reconciliati.

Theſpis etiam Tragicus Solonis fuit temporibus; ut ex Laërtio ſatis conſtat. Suidas tamen ait Tragœdias egiſſe Olymp. LxI. Ut idem Suidas ait, primus fuco facie illitâ fabulas egit; inde portulacâ texit: hinc larvarum velis. Vide & Horatium in Arte, & quæ ad eum interpretes annotarunt. Sunt qui hunc primum faciant tragicorum: alii primum ajunt Epigenem Sicyonium: ab eo autem Theſpidem fuiſſe ſecundum, imò aliis eſt ſextus decimus, eodem Suida auctore.

Paullo ante Solonem, ac Solonis etiam temporibus, claruit Mimnermus Colophonius, vel Smyrnæus. Elegiacis Poëtis accenſet Cenſorinus in Fragmento cap. Ix. Apud Pauſaniam quoque in Bœoticis, legas elegiaco verſu tradidiſſe pugnam Smyrnæorum contra Gygen, & Lydos. Etiam Ἐρωτικὰ ſcripſiſſe indicat illud Propertii lib. I:

Plus in amore valet Mimnermi verſus Homero.

Superſunt hodieque ejus verſus, adverſus Solonis ſententiam annum ſeptuageſimum homini ſupremum ſtatuentis. Nam ille octogeſimum potiùs fatalem arbitrabatur.

Etiam ad hæc tempora referendus videtur auctor τῶν Ἠοίων, καὶ τῆς Ἀσπίδος, qui perperam creditur Heſiodus: ut optimè Scaligero monitum epiſt. ccxLvII. ad Claudium Salmaſium.

Olymp. L. regnare cœpit Crœſus: cujus tempore (ut Suidas ait) fuit Anacharſis Scytha, regis Scythici frater, ſed matre Græca natus, anchoræ, & rotæ figulinæ inventor. Scytharum leges verſibus ſcripſit, & verſus octingentos περὶ εὐτελείας τοῦ εἰς τὸν ἀνθρώπινον βίον. *De vita humana fragilitate.*

Crœſi Cyrique temporibus etiam, Suida teſte, vixit Ari-

Ariſteas Proconneſius: qui hiſtoriam Arimaſpiorum tribus libris perſcripſit verſu hexametro. Hic ille eſt, cujus animam dixere, cum vellet corpore ſolitam exire, inque idem reverti: quod & de Hermotimo Clazomenio proditum eſt. Plura de ſcriptore hoc diximus in primo de Hiſtoricis Græcis cap. I, lib. IV, & cap. II. Nempe quia idem & Poëta, & Hiſtoricus fuit: ut alii multi.

Cap. IV.

DE IIS SECUNDÆ ÆTATIS POETIS GRÆCIS, qui fuere ab initio Monarchiæ Perſicæ, uſque ad pugnam Marathoniam.

Vidimus de Poëtarum iis, qui vixere ante tempora imperii Perſici. Ad eos nunc venio, qui claruere poſtquam Babylona cœpit Cyrus, Medisque dejectis ſummum obtinuit imperium: atque id donec ultimo Perſarum Rege, Dario Codomanno, ad Arbela devicto ad Alexandrum Magnum imperium Aſiæ eſt tranſlatum.

Id ſpatium eſt annorum quaſi CCXXX.

Dividitur autem hoc intervallum in quatuor partes; à Perſica Cyri Monarchia ad pugnam Marathoniam; inde ad pacem inter Perſas, & Athenienſes, & αὐτονομίαν Græcis in Aſia conceſſam; hinc ad captas ab Lyſandro Athenas, & XXX. tyrannos Athenis impoſitos: atque exinde ad imperii Perſici finem in Dario Codomanno ad Arbela devicto ab Alexandro Magno.

Ab eo tempore, quo Babylona Cyrus cepit, à quo tempore Perſica cœpit Μοναρχία, uſque ad pugnam Marathoniam, à Dario Hyſtaſpida pugnatam, intervallum eſt annorum LXVIII. Nam incipit id tempus ab Olympiadis LV. anno I, & deſinit in anno LXXII. anno I.

Alterum tempus, ut incipit ab anno LXXII. anno I, ita extenditur uſque ad Olymp. LXXXII. an. IV. Ut intervallum ſit annorum XLIII.

Tertium tempus, quod à pace eſt inter Perſas, & Græcos initâ, uſque ad captas à Lyſandro Athenas, eſt ab Olympiadis XXXII. anno IV, uſque ad Olymp. XCIV. an. I. Ut intervallum ſit annorum XLVI.

Quartum eſt tempus ab Athenis à Lyſandro captis uſque Alexandrum Darii ad Arbela victorem, ac incipit ab Olympiadis XCIV. an. I, uſque ad Olymp. CXII. anno II, ac continet intervallum annorum LXXIII.

Vixere intra primum tempus, nempe ante Marathoniam pugnam Symonides Ceus, Theognis Megarenſis, Xenophanes Colophonius, Hippicus, vel potius Ibycus, Hipys Rheginus, Phocylides, Hipponax, Anacreon, Chœrillus, Theano Pythagorica, Melanippides, Onomacritus, Cleobolina, Phrynichus, Cynæthus Chius, Heraclitus Σκοτεινός, *Chionides, Æſchylus, Charilus, Pratinas, Empedocles.*

Quos omnes operæ fuerit, ſuis temporibus diſtinguere.

Olymp. LV. fuit Simonides Ceus, Leoprepis filius; ut eſt in Chronicis Euſebii. Suidas refert ad Olymp. ſequentem: ſed apud eundem legas, vixiſſe ad uſque Olymp. LXXVIII, ac cùm obiret, annorum fuiſſe LXXXIX. Quare videatur potiùs natus fuiſſe Olymp LV, vel LVI: ac floruiſſe Olymp. LXV. Objiciat aliquis memorari Teognidi; qui, ut mox referam, claruit Olymp. LVIII. Sed enim potuit & Theognis iſta ſcripſiſſe admodum ſenex. Vel hoc eſt, vel in numeris vitium ſit. Sanè vixiſſe temporibus Themiſtoclis, ac Euripidis, ex iis liquet quæ de Timocreonte dicam in Olymp. LXXV. idem patet ex eo, quod cum ille, tum Æſchylus, ſe contulerint ad Hieronem, regem Syracuſanum, ut eſt apud Pauſaniam in Atticis. Poëta fuit Lyricus, ac inter alia, ut ex Suida ſcitur, Doricâ dialecto ſcripſit Xerxis navale prælium cum Græcis, navale item prælium ad Salaminem: quod commiſſum Olympiade LXXV. Quod ipſum oſtendit necdum claruiſſe anno LV. Credo ex eo obortus error, quod γέγονε nunc natum eſſe, nunc fuiſſe, vel claruiſſe ſignificet.

Excelluit Simonides in cienda commiſeratione teſte Quinctiliano, & Dionyſio Halicarnaſſenſi. Unde Catullus:

Paullum quidlibet allocutionis
Mæſtius lacrymis Simonideis.

Horatius lib. II. od. I

Sed ne relictis, Muſa procax, jocis,
Ceæ retractes munera næniæ.

Ubi *nænia* eſt carmen lugubre: *Cea* verò, ſive Cejæ, ut Theocritus * Κήϊος dicit, idem eſt, ac Simonideæ. Eſt * Idyll. 17.
vero hic Simonides, qui cum XVI literis vetuſtis quatuor adjeciſſet Palamedes, Θ, Ζ, Φ, Χ, quatuor alias adjunxit, duas longas Η, & Ω, & duas duplices, Ξ, & Ψ. Quamquam de iſto nec ſatis conſentiant veteres; vel ſaltem diſſentiant codices, librariorum fortaſſe culpa. Vide Plinium, Marium Victorinum, & Suidam. Item quæ in primo de Arte Grammatica dicebamus. Plures verò hujus nominis Poëtas fuiſſe, dixi Olymp. XXIX. Ex quibus unus fuiſſe dicitur hujus Simonidis θυγατριδοῦς, ſive ex filia nepos. De quo poſtea.

Theognis Megarenſis ὁ γνωμολόγος fuit natus Megaris non Siciliæ, uti Plato putavit; ſed Atticæ, ut ex ipſo Theognide non obſcurè colligit Valerius Arpocratio: & ex eo Scaliger oſtendit, quod bellum deprecatur à civitate Alcathoi, h. e. Megaris Atticæ, Alcathoi opere. Lilius Gyraldus ait natum Olymp. LIX. Sed Euſebius (ſi interpreti Hieronymo fides) ad Olymp. LVIII an. II ait; *Theognes Poëta clarus habetur.* Ut temporibus fuerit Crœſi. Sed diu ſupervixit: nempe uſque ad initium belli Perſici. Meminit ipſe Simonidis, Leoprepis filii: & Onomacriti, qui Ὀρφικὰ ſcripſit. Vide & alia, quæ hac faciant, apud Scaligerum Animadverſionibus Euſebianis numero MCCCCLXX. Ex Suida diſcimus, & alterum fuiſſe Theognidem, ſed tragicum, qui ob frigida dramata Nix diceretur.

Olymp. LX in pretio erat Xenophanes Colophonius, Poëta Phyſicus. Juniorem facere videtur Euſebius in Chronicis, qui refert ad Olymp. LVI, an. IV. Sed ex Athenæi lib. II liquet, ſcripſiſſe, poſtquam Darius in Græciam irrupiſſet. Id fuit anno II Olymp. LXXII. Quid mirum, cum ultrà XCII annum vixerit? Vitam ejus habes apud Laërtium: è qua diſcere eſt, etiam ſcripſiſſe carmine de Origine Colophonis, item de migratione in Coloniam Eleam, quæ eſt in Italia. Apud Hieronymum in Chronico Euſebiano etiam legas tragœdias ſcripſiſſe: ſed falli videtur. Nihil enim tale ullus veterum. Fragmenta in Poëſi Philoſophica colligit H. Stephanus. Syllos etiam ſcripſiſſe, ex Strabone ſcimus: ac memorat quoque Ariſtophanis Scholiaſtes. Video & ſeu eundem, ſeu alium Xenophanem ἐν τῷ συλλογισμῷ citari ab Athenæo lib. X. Alius ſane Xenophanes Heracleopolites Fulgentio lib. I. Mythologicôn.

Olymp. LX, an. I, *Hippicus carminum ſcriptor agnoſcitur:* ut idem ait Euſebius. Sed nullus ejus nominis Poëta celebratur. Num *Hippias* legendum? de quo Pauſanias lib. II. Eliacorum, & Scholiaſtes Pindari in Pyth. IV. Sed obſtat, quòd is fuerit Poëta elegiacus, non Lyricus ſive carminum ſcriptor, ut hic vocatur. An potius Ibycus reſcribendum? Quo inclinat Pontacus. Celebratur is Poëta Platoni in Parmenide, Ciceroni in IV. Tuſcul. Quæſt. item Pauſaniæ lib. II, Athenæo ſæpius. De morte exſtat Antipatri epitaphium. Notus & Auſonii verſus:

Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.

Fragmenta Ibyci in illis Lyricorum collegit H. Stephanus. Imò quid ſi ſcribamus apud Euſebium Hipys, vel

Digitized by Google

Hippys, Ἵπυς, ἢ Ἵππυς. Proximè enim ad hoc accedit Ἵππικός. Et credibile ſatis, ſic immutaſſe qui Hippyn ignorarent. Tempora etiam conveniunt, cum Darii & Xerxis tempore vixerit. Poëta item fuit: imò parodiam, & choliambum, atque alia invenit. Quàm varia ſcripſerit lib. IV. de Hiſtoricis Græcis cap. III.

Olympiadis ejuſdem anno IV. eodem Euſebio auctore, clarus fuit Phocylides: ſed alius ab eo, cujus carmen hodie habemus. Is, quem dixi, Mileſius fuit, teſte Stephano. Hic multo recentior, & quidem Judæus Alexandrinus, ſi non potiùs Chriſtianus.

Eapſe Olympiade floruit Hipponax. Plinius lib. XXXV. cap. V. *Hipponactis Poëtæ ætate, quem certum eſt LX. Olympiade fuiſſe.* Perperam igitur ab Euſebio in Chronicis ad Olympiada XXIII. refertur.

Olymp. LXI. & LXII. floruit Anacreon Tejus, teſte Euſebio, & Suida. Nempe temporibus Polycratis Samiorum tyranni, ut eſt apud Pauſaniam in Atticis. Eique & carus fuit. Quid mirum? cùm verſibus ſuis eum celebraret: ut eſt apud Strabonem.

Olymp. LXIV. fuit Chœrillus, Athenienſis tragicus, ac fabulas edidit CL. vicit XIII. A quibuſdam traditur primus larvarum, ac veſtitus Scenici fuiſſe auctor. Teſtis Suidas.

Olymp. LXV. claruit Theano, Pythonactis filia, Pythagoræ Philoſophi uxor: ex qua ſuſcepit Telaugem, Mneſarchum, Myiam, & Arignoten: ut eſt apud Suidam, qui & auctor eſt reliquiſſe eam poëma verſibus hexametris, ac patriâ fuiſſe Cretſam: à quibuſdam tamen Crotoniatim dici. Poſteriores ſecutus eſt Clemens Alexandrinus, cum lib. I. Στρωματ. ait, Θεανὼ ἡ Κροτωνιᾶτις πρώτη γυναικῶν φιλοσοφῆσαι, καὶ ποιήματα γράψαι. *Theano Crotoniatim primam mulierum eſſe philoſophatam, & poëmata ſcripſiſſe.* Hæc, defuncto marito, ſcholam ſuſcepit regendam, cum filiis Telauge & Mneſarcho: quorum Telauges præceptor fuit Empedoclis Agrigentini. Auctor

* Pag. 24. edit. Commelin.

Theodoretus in ſecundo Θεραπευτικῶν *. Præter hanc, ut Suidas ait, fuere duæ aliæ hujus nominis. Una eſt Theano Locrenſis, poëtria Lyrica, Euſtathio etiam memorata in Iliad. B †. Altera autem Theano Metapontina,

† Pag. 329. edit. Rom.

vel Thuria, filia Leophronis, uxor autem Caryſti, vel Crotonis, vel Brotini Pythagorei. Hanc addit ſcripſiſſe de Pythagora. Item de virtute ad Hippodamum Thurium, & Apophthegmata Pythagoreorum. Memorabile illud dictum mulieri eſſe fas ſacrificare eopſe die, quo rem habuerit cum viro, dummodo is proprius ſit maritus: ab aliis quidem dicitur eſſe Theanûs, uxoris Pythagoræ: ab aliis autem uxoris Brotini: quemadmodum de utraque refert Jamblichus lib. de Vita Pythagoræ cap. XXVIII ‡.

‡ Pag. 125. editionis Commelinianæ an. 1598.

Meminit & Theanûs Plutarchus libro, qui inſcribitur γαμικὰ παραγγέλματα. Quod ſi genuinæ fuerint epiſtolæ tres Theanûs, ab Aldo, & H. Stephano Græcè editæ, ab Arcerio redditæ Latinæ: fuerint Theanus poſterioris, quæ Brotini uxor fuiſſe traditur.

Eadem LXV. Olympiade, Suida teſte, claruit Melanippides, Critonis filius, Melius: qui plurimos Dithyramborum libros, & heroico verſu exarata, elegias item & epigrammata, atque alia, reliquit. Melanippidæ in Danaidibus meminit Athenæus lib. XIV. Verum is eum facit Mileſium, non Melium. Sed hic potius fuerit junior Melanippides, de quo infra Olympiade LXXX.

Potius Olympiade hac LXV. claruiſſe Simonidem, quàm LV. quod apud Suidam eſt, cognoſcere eſt ex iis, quæ ad LV. Olymp. dicebamus.

Olymp. item LXV. claruit Onomacritus, Athenienſis vates. Clemens Alexandrinus lib. I. Στρωμάτων, ait eum vixiſſe circa Olympiadem quinquageſimam. Sed veriſimilius ſit ſexageſimam ſcripſiſſe. Nam addit claruiſſe tempore principatus Piſiſtratidarum. Atqui Piſiſtratus, qui ter tyrannidem invaſit, primo eam obtinuit Olympiadis LV. anno I. Obiit Olymp. LXIII. an. ult. Ejus filius Hipparchus ab Harmodio, & Ariſtogitone fuit interemtus Olymp. LXVI. anno IV. Ac proximæ Olymp. an. III. planè ea tyrannis fuit exſtincta Alcmæonidas, non ſine opera Lacedæmoniorum, annis XX. ante pugnam Marathoniam. Atque hæc de ætate Onomacriti firmantur iis, quæ ex Herodoto mox in Laſo dicam. Hujus Onomacriti poëmata ſunt ea quæ Orphei dicebantur: item χρησμοὶ ſive reſponſa, quæ Muſæo adſcribebantur. Orphei ἐποποιίας τε καὶ θεολογίας meminit Philoſtratus de vita Apollonii lib. IV. cap. VII. Cluverius in Sicilia * refert Orphea,

* Pag. 234.

Argonauticorum ſcriptorem, ad Olympiada LV. Nempe quia tum Piſiſtratus imperium invaſit, uti dicebamus. At minime adſentiendum doctiſſimo Stephano Pighio, quando libro eo, qui Themis Dea, ſive de Lege divinâ inſcribitur, tradit † Orphea eſſe hymnorum auctorem, qui

† Pag 31. edit. Plantin.

hodie ſuperſint, eſſeque eundem, quem Euſebius in Chronico, ac Suidas, ante bellum Trojanum vixiſſe ajunt, quemque Juſtinus Martyr in Parænetico ad Græcos ait poſt Hymnos iſtos quæ πολυθεότητα docent, in Ægyptum fuiſſe profectum, atque ibi, cùm verum Dei cultum ab Hebræis didiciſſet, παλινῳδίαν cecіniſſe. Nihiloque verius eſt, quod nonnulli, ut ibidem Pighius refert, Muſæum illum ad quem, ut filium, Orpheus ſcribit, divinum legiſlatorem Moſem fuiſſe arbitrantur.

Onomacrito æqualis fuit Λᾶσος Χαβρίνου Ἑρμιονεύς, ex quo vir doctus perperam tres cudit Poëtas, Laſum, Chabrinum, & Hermioneum. Apud Suidam legas vixiſſe Olymp. H, hoc eſt, VIII. Sed adverſatur, quod mox ſequitur vixiſſe temporibus Darii Hyſtaſpidæ. Quare ſcribendum Ὀλυμπ. Ο, hoc eſt, Olymp. LXX. Hoc etiam ex Herodoto cognoſcere eſt lib. VII. ubi refert, Onomacritum ab Hipparcho, Piſiſtrati filio, ejectum Athenis, quia Laſus Hermionenſis reperiſſet, eum inter ſortes Muſæi, etiam illud inſeruiſſe, inſulas Lemno adſitas, quandoque mari eſſe abſorbendas. Idem Suidas, uti & Ariſtophanis Scholiaſtes in Veſpas ſunt auctores primum ſcripſiſſe de Muſica, primum etiam carmine dithyrambico certaſſe, ac inſtituiſſe diſputationes contentioſas. Item ut à nonnullis annumeretur ſeptem ſapientibus, nomine ejus in Periandri locum ſuffecto. Quam Muſices fuerit ſtudioſus, arguunt, quæ de eo narrat Theo Smyrnæus lib. II. Mathemat. cap. XII. Athenæus in X. auctor eſt ſcripſiſſe odam ἄσιγμον * inſcriptam *Centauros*. Etiam in VII. legas jocum in piſces ὀψῶν.

* In qua nullum foret ſigma.

Plutarchus quoque lib. περὶ δυσωπίας cùm Laſus Hermioneus Xenophanem vocaret timidum, quòd nollet ſecum teſſeris ludere: reſpondiſſe Xenophanem, timidum ſe in iis eſſe, quæ non forent decora. Unde video colligere, doctiſſimum Bullialdum †, non vixiſſe, ut Philoſophum

† Notis in Theonis Smyrnæi lib. 2. cap. 12.

deceret, eumque ab illo eſſe diverſum, qui inter ſeptem ſapientes referretur. Non defuere tamen alii, ſapientia celebres, qui non penitus refugerent teſſeræ ludum. Utcunque hoc eſt, ſaltem alius ab hoc fuit Laſus Magneſius Φαινομένων ſcriptor: ut legere eſt apud Anonymum in vita Arati. Ubi & ab Laſo τοῦ Ἑρμιονέως diſtinguitur. Dicimus de hoc Laſo etiam libro de Scientiis Mathematicis, quo loco de veteribus Muſicis tractamus.

Circa hæc tempora etiam claruit Cleobulina Lindia poëtria, quæ ænigmata verſibus reliquit hexametris, Cratino etiam celebrata. Filia fuit Cleobuli, unius ex VII. Sapientibus Græciæ, qui ſenex deceſſit Olymp. LXX. Teſtes Laërtius lib. I. Athenæus lib. X. cap. XV. & Suidas in Κλεόβουλος.

Olymp. LXVII. Suida teſtante, fuit Phrynichus, Athenienſis tragicus, diſcipulus Theſpidis ejus, qui primus Tragicam artem reperiſſe dicitur. Ipſe primus muliebrem perſonam induxit in Scenam, ac tetrametrum reperit, ac, Polyphradmonis ipſe filius, filium habuit Polyphradmonem, itidem tragicum. Phrynichi tragœdias novem Suidas enarrat: quarum nomina Pleuronia, Ægyptii, Actæon, Alceſtis, Antæus, ſive Libyes, Dicæi, Perſæ, Synthoci, & Danaides. Alius verò ab eo Phrynichus Comicus fuit: de quo dicam Olympiade LXXXVI.

Olymp. LXIX. fuit Cynæthus Chius, qui primus Syracuſis conſarcinavit carmina Homeri eaque publicè recitavit: ut eſt apud Anonymum in deſcriptione Olympiadum: item

item Pindari Scholiaſtem in od. II. Utrumque locum adducit Meurſius de Archontibus Athenienſ. lib. II. cap. I. Sed in poſteriori editum κτ̀ τὴν ἑξηκοστὴν Ὀλυμπιάδα; ubi rectè ἐννάτην additur in ſcholiaſte.

Heraclitus quoque Epheſius, cognomento Epheſius circa Olympiadem vixit LXIX. ac literas ad eum Darii Hyſtaſpidæ habemus apud Laërtium lib. IX. Hic eſt ille qui dictus Σκοτεινὸς, ſive Obſcurus. Suidas de eo: Ἔγραψε πολλὰ ποιητικῶς *. Unde & in Poëtis video à Lilio Gyraldo memorari Dialogo III. Hiſtoriæ de Poëtis. Sed metuo ne id magis pertineat ad dictionem ποιητικωτέραν, quàm proſæ conveniat.

* *Scripſit multa Poëticè.*

Olymp. LXX. nempe annis octo ante pugnam Marathoniam, ut ex Suida liquet, fuit Chionides, Χιωνίδης, pro quo apud Athenæum perperam Χιονίδης. De ætate etiam conſentit Anonymus in deſcriptione Olympiadum. Patriâ fuit Athenæus, ac primus, ex quorundam ſententiâ, veteris Comœdiæ Poëta. Ex hujus fabulis fuere Heros, Mendici, Perſæ ſive Aſſyrii. Heroas laudat Pollux lib. X. cap. VIII. & Suidas in Ἄγνος, Mendicas verò Athenæus lib. III.

Olymp. LXXI. an. I. claruit Æſchylus, ut ait Euſebius in Chronicis, & firmat Agellius lib. XVII. cap. XXI. præſertim quando ipſe in Marathonia pugna fortiter pugnavit; ut etiam eſt apud Suidam. Perperam verò eſt apud eundem Suidam in Αἰσχύλῳ certaſſe θ' Ὀλυμπιάδι, quod eſt, Olympiade IX. ubi ſcribendum ο' Ὀλυμπιάδι, h. e. LXX. Olympiade. Quod & Scaligero, ac Meurſio monitum. Perperam etiam Scholiaſtes Æſchyli, in vita Scholiis præmiſſâ, floruiſſe ait κτ̀ τὴν μ' Ὀλυμπιάδα, h. e. XL. Olymp. Nam & iſtic ſimiliter O reſcribendum. Ad Hieronem, regem Syracuſanum, fuiſſe profectum, ait Pauſanias in Atticis. Atque addit idem feciſſe Simonidem: ut aliquamdiu ſimul vixerint. Primus hic, ut apud Suidam eſt, reperit ut tragici induerent perſonas terribiles, & fecibus inunctas; item ut cothurnis, ſive grandioribus calceis uterentur. Cum Tragœdias fecerit XC, vicit vicies octies, imò ut alii ajunt, ſolum decies ter. Anno ætatis LVIII. eo, quòd illo Tragœdiam agente tabulata concidiſſent, in Siciliam confugit: in via, dum nudo conquieſcit capite, aquila, calvam ejus rupem arbitrata, teſtudinem, quo perfringeret, in eam dimiſit: unde vita exceſſit, ut eſt apud Suidam.

Eo tempore etiam claruit Chœrilus, ut liquebit ex iis quæ mox in Pratinas dicam.

Floruit tum quoque Pratinas Phliaſius tragicus: ut qui certarit cum Æſchylo, & Chœrilo: ſicut teſtantur Suidas in Πρατίνας, & Anonymus in deſcriptione Olympiadum. Primus hic Satyros dedit; ut Suidas teſtatur. Athenæus lib. IX. eum citat in Δυσμαίναις, ἢ Καρυάτισι; ubi Caryatides ſunt, quæ Dianæ Caryatidi annuas agerent Choreas.

Olymp. LXXI. an. I. Archonte Hipparcho, Empedocles Agrigentinus κέλητι ſive equo ſingulari vicit, ut teſtis eſt Laërtius in ejus Vita, & Anonymus in Deſcriptione Olympiadum. Vide, quæ dixi in Hiſtoricis Græcis lib. IV. cap. III. item quæ dicam ad Olymp. LXXXIV.

Olymp. LXXI. anno II. Archonte Philippo naſcitur Sophocles tragicus, ut ait Anonymus in Deſcriptione Olympiadum, & Scholiaſtes Sophoclis in ejus vita. Suidas, & alii quidam, natalem ejus rejiciunt in Olymp. LXXIII. unde & XVII. annis dicunt Socrate antiquiorem. Ac meminit ejuſce opinionis etiam Anonymus, quem dixi. Obiit anno poſt mortem Euripidis VI. ut eſt apud eundem Suidam. Ex quo etiam diſcere eſt, quomodo primus ſit uſus tribus hiſtrionibus, eoque qui dicitur τριταγωνιστὴς, ſive tertiarum partium actor: quomodo item primus induxerit chorum XV. juvenum, cum ante XII. ſolum ingrederentur. Fabulas fecit CXXIII. ac vicies quater victoriam retulit. Ad extremam ſenectutem Tragœdias fecit: ut videre eſt ex iis, quæ de OEdipo ejus Coloneo Cicero narrat in Catone, & Appulejus in Apologia priore. Quanti eum fecerit Maro, ſatis indicatur illo in Eclogis:

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

Divinum Poëtam vocat Cicero in ſecundo de Divinatione. Habuit & nepotem cognominem: qui XI. imo XL ut produnt alii: Tragœdias fecerit, ſed ſepties vicerit. Vide & de Sophocle Olymp. LXXVI. & XCII.

CAP. V.

De iis qui à pugna Marathonia vixere uſque ad Pacem Antalcidæ.

Secundum tempus ſtatuebamus quod interjectum eſt inter pugnam Marathoniam, ſive Olymp. LXXII. an. I. & pacem Antalcidæ, ſive Olymp. LXXXII. an. IV. Intra hoc tempus claruere, Panyaſis, Ion Tragicus, Phormus Comicus, Magnes Comicus, Achæus, Timocreon Rhodius, Chœrilus Samius, Sophron mimographus, Simonides nepos, Æſchylus, Pindarus, Corinna, Onomacritus, Sophocles, Panyaſis, Steſimbrotus, Melanippides junior, Cratinus, Plato Comicus, Ariſtarchus Tragicus, Bacchylides, Crates Comicus, Teleſilla, Praxilla, Dionyſius Pheræus.

Dicam ordine de ſingulis.

Olymp. LXXII. *Panyaſis Poëta habetur illuſtris:* ut eſt in Chronico Euſebii canone. Nempe eopſe anno, quo CCC Fabii ad Cremeram cæſi à Vejentibus. Anonymus Olympiadum ſcriptor refert ad Olymp. LXXVIII. Ut videatur & tum fuiſſe. Quantus fuerit Poëta, arguit, quod fuerit è VI illis, quos, ut Oppiani interpres ait, κατ' ἐξοχὴν Poëtæ nomine dignabantur. Hi fuere Homerus, Eupolis, Heſiodus, Antimachus, Nicander, & Panyaſis. Herodoti vel avunculus, vel patruelis fuiſſe dicitur. De ejus Heracleide & Jonicis, deque ſtylo, in Græcorum Hiſtoricorum hiſtoria ſatis diximus lib. IV. cap. VI.

Etiam Olymp. LXXII. Suida teſte, & Anonymo in Deſcriptione Olymp. Ion Chius, Poëta tragicus, fabulas docere cœpit: quas alii XII, XXX alii, vel etiam L. fuiſſe ajunt. Ariſtophanes in Εἰρήνῃ eum vocat Ἀοῖον, q. d. matutinum, vel orientalem. Ἴων ἐν Φοίνικι, ἢ Καινεῖ memoratur Athenæo lib. X. Ionis Chii epigramma de Pherecyde in Philoſophi hujus vita citat Laërtius. Idem in vita Socratis refert quomodo is Philoſophus cum Archelao ſit peregrinatus. Tzetzes Chil. III. Hiſt. CXV. refert ex eodem, quomodo Hercules habuerit tres ordines dentium. Nec alium Ionem intelligo, apud Plinium lib. XVIII. cap. XXXI. ubi ex eo refert tempus, quo Capella, quo item Hœdi oriuntur. Vide etiam de Ione pauca apud doctiſſimum Paullum Leopardum lib. II. Emendationum, cap. XX.

Dinolochum ad LXXII. Olympiada refert Suidas, uti & Gyraldus. Sed de eo dicam Olymp. XCII. Epicharmi tempore etiam claruit Phormus Syracuſius, qui præfuit ſtudiis liberorum Gelonis Siciliæ tyranni. Ejus ſeptem memorantur fabulæ Admetus, Alcimus, Alcyones, Ilii vaſtatio, Hippos, Cepheus ſive Cephalæa, Perſeus. Sed Athenæus in XIV. etiam celebrat Phormi Atalantam. Sed alii de auctore dubitarunt: unde Heſychius: Ὁ τὰς Ἀταλάντας συνθείς. Primus hic ποδήρει ſive talari veſte prodiit in ſcenam, & ſcenam puniceis veſtibus obduxit. Meminit & ejus Poëtæ Ariſtoteles in Arte Poëtica: ſed apud eum perperam Phormis legitur.

His etiam temporibus claruit Magnes Athenienſis, antiquæ Comœdiæ Poëta: ut qui adoleſcens attigerit ſenem Epicharmum; teſte Suida. Ac meminit ejus Ariſtophanes Equitibus*. Ex quo cognoſcere eſt, cum primas antea in Comœdia ſoleret obtinere, poſtea exſibilari ſolitum in theatro. Memorat Julius Pollux lib. II. cap. IV. & lib. VII. cap. XXXIX. ubi citatur ἐν Λυδοῖς.

* *Pag. 118.*

Olymp. LXXIV. uſque ad LXXXII. claruit Achæus Pythodori, & Pythoridis filius: qui cum XLIII. vel ſecundum alios XXX. vel XXIV. fecerit fabulas, ſemel duntaxat vicit. Inter alias ejus eſt Κύκνος. Nam ſic apud Athenæum, pro κύκλος ſcribi debere, obſervatum Turnebo & Caſaubono. Ejuſdem Μοῖραι Athenæo lib VII.

Olymp. LXXV. an. I. cùm Xerxes tranſmitteret in Græciam,

ciam, natus eſt Euripides, teſtibus Laërtio in ejus vita, Suida in Εὐριπίδης, & Thoma Magiſtro in vita ejus Poëtæ. De eo plura Olymp. LXXVII.

Hac LXXV Olympiade fuit Timocreon Rhodius, veteris Comœdiæ ſcriptor, qui graves inimicitias geſſit tum cum Simonide Melico, qui Olympiade demum LXXVIII deceſſit; tum Themiſtocle, qui Olymp. LXXV ad Salamina vicit; & Olymp. LXXVII accuſatus Argos profugit. Scripſit Comœdiam in Simonidem, & Themiſtoclem, atque alia, ut ex Suida cognoſcimus. Quale ejus fuerit epitaphium, Athenæus dicet.

Eadem LXXV Olympiade, ut Suidas tradit, fuit Chœrilus Samius. Carmine deſcripſit Victoriam, quam Athenienſes de Xerxe reportarunt, ac pro ſingulis poëmatis verſibus ſtaterem reportavit. Decretumque ut carmen ejus una cum Homerico recitaretur. Etiam Lamiaca, & alia ei tribuuntur. Apud Archelaum in Macedonia mortuus eſt. Diverſus ab hoc Chœrilo, qui Alexandrum Magnum incultis verſibus celebravit. Sanè inter eos pluſquam totius ſeculi eſt intervallum. Sed idemne, qui ſemper cum Lyſandro erat, ut ejus res geſtas pangeret: ut apud Plutarchum legere eſt? Vix id temporis ratio ſinit, cùm inter Athenas a Xerxe & Liſandro captas interſint Olympiades undeviginti.

Etiam tum floruit Sophron Syracuſanus, Agathoclis, & Damnaſyllidis, filius, quem Xerxis, & Euripidis, temporibus fuiſſe, clarè ait Suidas. Sanè Olympiade LXXV exuſtæ Athenæ à Xerxe, ac proximâ florere cœpit Euripides: ut hæc ſatis conveniant. Sed in alio eſt difficultas non levis, quòd Suidas cum dixiſſet, Sophronem & viriles, & muliebres mimos ſcripſiſſe continuo ſubjungat, Εἰσὶ δὲ καταλογάδην, διαλέκτῳ Δωρίδι· *Sunt autem ſolutâ oratione ſcripti, linguâ Doricâ.* Nec enim mimi ejus poëma dici poſſunt, ſi non fuere carmen. Noſtra hæc ſententia eſt, vel locum eſſe corruptum, vel Suidam errare. Cauſſam adduximus jam artis Poëticæ lib. I, cap II, ubi fuſe hæc excuſſimus. Quanti verò Sophronem fecerit Plato, arguit, quòd eos aſſiduè lectitarit, quandoque etiam ſuppoſuerit pulvino. Virilium, ac muliebrium ejus mimorum, meminit Pollux lib. IV, cap. XXIV. Uti & Athenæus lib. III, & XI. Qui & Παιδικὰ adducit lib. VII, ſi recta eſt Caſauboni emendatio. Niſi ea Sophronis Comici: de quo Olympiade CXXVII.

Fuit & tum Simonides Ceus Simonidis Lyrici ex filia nepos. Sanè avus vixit temporibus Xerxis, Themiſtoclis, Hieronis Syracuſani, ac cùm iſti, tum Simonides admodum ſenex adhuc in vivis fuere Olymp. LXXVII. At nepos dicitur Suidæ claruiſſe ante bellum Peloponneſiacum: quod incidit in Olymp. LXXXVII. Genealogiam tribus libris, ac totidem libris εὑρημάτων ſive Inventiones perſcripſit; ut ex Suida cognoſcimus.

Olymp. LXXVI an. IV. Æſchylus tragicus certavit, ac vicit Phineo, Perſis, Glauco Potnienſi, & Porthmeo: ut eſt apud Anonymum in Deſcriptione Olympiadum, ac meminit ejuſce victoriæ etiam Scholiaſtes Æſchyli in Perſarum argumento. De morte ejus dicam Olymp. LXXXI.

Eodem tempore, quo viguit Æſchylus, Euſebio teſte, etiam claruit Pindarus Thebanus, Myrtidis Poëtæ diſcipulus. Apud alios legas, fuiſſe Olymp. LXV. Sed vitioſis codicibus puto deceptos. Sanè apud Suidam quidem reperias claruiſſe Olympiade LXV: ſed additur, ſub expeditione Xerxis; quæ in LXXV Olymp. incidit. Fuit non lyricus ſolum, & dithyrambicus poëta: ſed præterea tragœdias fecit, & Epigrammata, atque alia.

Æqualis Pindaro Corinna Theſpia, vel Corinthia, diſcipula Myrtidis, cognomento Muſa Lyrica: imò quinquies fertur Pindarum viciſſe: ut eſt apud Helianum & alios.

Ab aliquibus etiam ad hæc tempora Onomacritus refertur, Orphaicorum auctor, quæ perperam ipſius Orphei dicuntur. Eum rectius, ut puto, referebamus antea ad Olymp. LXVI.

Olymp. LXXVI claruere Sophocles, & Euripides: ut eſt apud Euſebium in Chr. Nempe Socratis temporibus. Sed de his etiam poſtea.

Circa Olymp. LXXVIII nonnullis fuiſſe dicitur *Panyaſis*, Poëta Heroicus, Herodoti avunculus, vel patruelis. Diximus de eo Olymp. LXXII. Meminit quoque ejus Artemidorus lib. I, cap. LXVI *. *Pag. 55.

Steſimbrotus Panyaſi æqualis fuit. uti argumento eſt, quod Antimachus Clarius Panyaſim, & Steſimbrotum audivit: ac Platonem interea ætate anteceſſerit, cujus juventus in Antimachi incidit ſenectutem: quemadmodum in Antimacho ad Olymp. XCIII dicemus.

Circa Olympiadem LXXX imperare cœpit Perdiccas Macedoniæ rex, & imperium uſque ad extremam Olympiadem LXXXVIII, qua Archelaus ei ſucceſſit. Hujus Perdiccæ temporibus, Suida teſte, claruit Melanippides junior, qui lyricos, & dithyrambos reliquit: natus è ſorore ejus Melanippidæ, itidem Lyrici, de quo in Olympiade LXV dicebamus.

Olymp. LXXXI an. I cum Callias archon foret, mortuus eſt Æſchylus, ut traditum eſt Scholiaſtæ Acharnenſibus. Porrò à morte etiam fabulæ ejus, ſed emendatiores, à Poëtarum aliis actæ ſunt in Dionyſiis, atque ita qui vicerat vivus, etiam mortuus aliis prælatus. Id voluit Philoſtratus in Apollonii vita lib. VI, cap. VI: Ἐκάλουν δὲ καὶ τεθνεῶτα ἐς Διονύσια. τὰ γὰρ τοῦ Αἰσχύλου ψηφισαμένων (αὐτῶν) ἀνεδιδάσκετο, καὶ ἐνίκα ἐκ καινῆς. Quæ non ſatis cepit interpres regius, Fred. Morellius, cum ſic vertit: *Et in Dionyſii feſtis etiam mortuum convocant. Quæ enim ab Æſchylo inventa fuerunt, ediſcuntur, ac præ cæteris habentur in pretio.* Sed non eſt aſſecutus Philoſtrati mentem. Quæ hujuſmodi eſt. Etiam mortuum advocant ad Dionyſiorum feſtum, (quo tragœdiæ etiam agebantur.) Nam ex decreto Athenienſium iterum ejus fabulæ docebantur, denuoque vincebat Æſchylus. Nempe idem dicit ac Fabius lib. X: *Tragœdias primus in lucem Æſchylus protulit, ſublimis, & gravis, & grandiloquus, ſæpe uſque ad vitium: ſed rudis in pleriſque, & incompoſitus: propter quod correctas ejus fabulas in certamen deferre poſterioribus Poëtis Athenienſes permiſere. Suntque eo modo multi coronati.* Idem legas in vita Æſchyli, quæ à Scholiaſte præmittitur Poëtæ. In iis, qui ſic vicerint, coronamque meruerint, fuere duo ejus filii Euphorion, & Bion: qua de re dixi lib. II artis Poëticæ, cap. XIII, §. IV.

Olympiade LXXXI, anno II, ut in Chronico Euſebii eſt, claruit Cratinus Athenienſis, veteris comœdiæ poëta; qui cùm fabulas XXI ſcripſerit, novies vicit, Suida teſtante. Ejus Θρᾶτται, ſive Threſſas, vel Threicias, Pollux memorat lib. X, cap. XIX; item Ὧρας lib. VI, cap. II, & lib. VII, cap. XXX: ad hæc Athenæus lib. IX, & Harpocratio in Ξυνῳδὸς, Heſychius in Κάπον, & Μυσίκαρφι. Etiam ejuſdem Cratini bubulcum laudat Athenæus lib. XIV. Πυτίνην Pollux lib. X, cap. XIV, & Priſcianus lib. XVIII. Cratini Junioris Omphala Athenæo lib. XV. Πυτίνη Cratini acta Olymp. LXXXIX, an. I, ut inferius dicam. Sed hic alius, ut infra videbimus.

Eadem Olymp. LXXXI, an. II, ab Euſebio memoratur Plato, Comœdiarum ſcriptor, ſæpe, cùm Polluci, Athenæo & aliis memoratus. Illuſtre in eo dicendi genus agnoſcit Athenæus. Duo de triginta fabulas reliquiſſe ait Suidas. Adonis ejus citatur Julio Polluci lib. X, cap. XXIV, & Athenæo lib. X. Αἱ ἀφ' ἱερῶν, ſive mulieres Deo ſacræ, quaſi ἱεροδούλας nuncupes, Polluci lib. VI, & Heſychio in Λίνον. Γρῦπας laudat Harpocration in Πλημμελαίνοντες. Europam Athenæus lib. VII. Λάκωνας Athenæo lib. IX, quam tamen fabulam alii Sthenelo adjudicarunt, ut ex Harpocratione conſtat. Ionem idem advocat alibi. Lacones Athenæus lib IX, ſed dubitante de auctore Harpocratione. Legatos Athenæus lib. VI, & Harpocration in Ἀποκηρύττοντες, & Ζητητής. Mammacythum, teſte Heſychio in Μαμμάκυθος. Mox Longa Polluci lib. VI, cap. XXXIII. Phaonem Athenæo lib. IV, & Harpocrationi in

Αἰναι-

Ἀναίνεται. Piſandrum Plutarcho in vita Antiphontis, (ubi ἐν Πεισάνδρῳ ſcribendum, ut monitum Caſaubono) & Athenæo lib. IX. Σύρφακα ſive Μορμοθήρεχν, Athenæo lib. VIII, Harpocrationi in Κατακίσεις, & Heſychio in Παλινδορία, Διακεκχύμενον, Athenæo lib. III, & Polluci lib. VII, cap. XXIX, ex Caſauboni correctione.

Ad annum proximum in eodem Chronico Hieronymiano refertur Ariſtarchus Tegeates, Poëta tragicus. Docuit tragœdias LXX: bis ſolùm vicit. Ultra annum centeſimum vixit. Suidam ſi ſadi. Alius ab eo Ariſtarchus Grammaticus qui Homerum correxit. De hoc in Ptolomæi Philometoris temporibus dicam.

Ad ejuſdem Olymp. LXXXII, an. II, Euſebius in Chronicis refert Bacchylidem Ceum Lyricum, è Simonidis fratre natum. Idem tamen poſtea refert ad Olymp. LXXXVII, an. II. Nempe nihil prohibet, quominus utroque tempore claruit, cum tantum ſit quinque Olympiadum, ſive XX annorum intervallum. Hujus Bacchylidæ poëmata in Pythiis ab Hierone prælata fuere Pindaricis; ut eſt apud Pindari interpretes. Magnopere etiam eo delectatum Julianum Imper. dicet Ammianus Marcellinus. Hymnos ejus, qui dicuntur ἀποπεμπτικοί, memorat Menander Rhetor.

Ad ejuſdem Olymp. LXXXII, an. II, ab Euſebio in Chronicis refertur Crates Comicus. Ariſtoteli quoque in poëtica laudatus. Athenienſis & Ariſtophani in Equitibus. Hujus Γείτονας memorat Athenæus lib. IX, & Pollux ſub finem lib. VII, item lib. X, cap. XXVI. Lamiam Pollux lib. IX, Παιδιὰς ſive Luſiones Athenæus lib. XI, Synariſtuſas Pollux lib. VI, cap. XVII. Planè alius à Cratete Thriaſio, de quo Olymp. CXIII.

Eadem Olymp. LXXXII, an. II, vixiſſe ab Euſebio dicitur Teleſilla, poëtria Argiva, ex qua quædam adducit Hephæſtio. Poëtriis melicis accenſet Cenſorinus in Fragmento cap. IX. Hæc Argivis feminis tantum animi inſpiravit; ut Spartiatas fugarent. de quo etiam Clemens Alexandrinus lib. IV Stromat.* De ſtatua ejus vide Pauſaniam, Suidam, ac imprimis Plutarchum lib. de mulierum virtutibus.

* Pag. 380. edit. Lugdun.

Item eidem Euſebio vixiſſe tum dicitur Praxilla, poëtria Sicyonia, ab Antipatro Theſſalo in novem poëtriis Lyricis noto Epigrammate memorata. Meminit ejus inter alios Athenæus lib. XIII. Dithyrambos reliquiſſe & ab ea metrum Praxillium eſſe dictum, ex Hephæſtione conſtat. De ejus Adonide vide Zenodotum in Proverbio, Stolidior Adonide. De Carneo quid ſcripſerit, dicet Pauſanias in Laconicis. Supereſt ejus Carmen ad puerum Calain.

Ad hanc LXXXII. Olympiadem etiam ab Euſebio videas referri Cleobulinam Lindiam, ut puto, ex Rhodo. Sed ea antiquior fuerit, ſi pater ejus Cleobulus Soloni fuerit familiaris. Vide, quæ diximus Olymp. LXVI.

Verius ad ea tempora refertur Dionyſius Pheræus, Plutarcho, ut Poëta memoratus. Ætatem indicat, quod filium habuerit Hieronem, cujus conſilio & hortatu magnas res geſſerit Nicias, Athenienſium Dux. Satis autem conſtat Niciam claruiſſe tempore belli Peloponneſiaci.

CAP. VI.

De iis, qui à Pace Antalcidæ claruere, uſque ad captas à Lyſandro Athenas.

Sequitur tertium Imperii Perſici tempus; quod ſtatuebamus inter pacem Antalcidæ, & captas à Lyſandro Athenas: eſtque intervallum annorum XLVI. Fuere interea hi Poëſi celebres: Aſpaſia Mileſia, Hermippus Comicus, Empedocles, Epicharmus, Simonides Junior. De Archelao expenſum. Ariſtophanes, Theætus, Eupolis, Teleclides, Morychus, Parmenides, Phrynichus Comicus, Lycus & Amipſias Comici, Euphorio, Euripides, Theodectes, Nicomachus, Theognis Comicus, Philocles, Cephiſodorus, Diocles, Sibyllius, Philonides, Nicochares, Ariſtylus, Bacchylides, Apollodorus, Ariſtomenes Comicus, Pherecrates, Agathon, Euenus, Archippus, Timotheus Mileſius, Dinolochus, Philiſtion Pruſaenſis, Chærophon, Charemon, Theophilus, Antiphanes Caryſtius, Dionyſius tyrannus, Antimachus Clarius.

De ſingulis pauca ſubjungam.

Aſpaſia Mileſia etſi magis celebretur ut Σοφίστρια, καὶ διδάσκαλος λόγων ῥητορικῶν*, ſicut eſt apud Suidam: tamen & carmine celebris fuit, quod ex Athenæo cognoſcimus. Ætatem ſatis inde cognoſcimus, quòd Periclis prius amaſia, poſtea & conjux fuit, & bellum concitavit Samiacum, ac Peloponneſiacum: quorum illud cæpit Olympiadis LXXXIV, an. IV, hoc Olymp. LXXXVII, an. II.

* *Sophiſtria, & eloquentiæ magiſtra.*

Tum etiam claruit Hermippus Comicus Luſcus, qui in Periclem ſcripſit Anapæſticos, & Aſpaſiam accuſavit, quod cum Pericle faceret lenocinium. Quadraginta ſcripſiſſe fabulas, auctor eſt Suidas. Ex quibus Comœdiis Pollux lib. VII, citat Μοίρας, & Δημότας, quarum & Athenæus meminit lib. VII. idemque Athenæus lib. III, laudat Ἀρτοπώλιδας, lib. XV, Φορμοφόρους. Aliaſque cum apud eoſdem tum quoque apud Stephanum & alios legere eſt.

Olymp. LXXXIV in pretio erat Empedocles Agrigentinus: ut teſtis Diogenes Laërtius, & Anonymus in Deſcriptione Olympiadum. Agellius lib. XVII, cap. XXI, ait Empedoclem in ſcientiæ naturalis ſtudio floruiſſe circa id tempus, quo ad Cremeram cæſi Fabii trecenti. Id fuit Olymp. LXXVII, an. I. Ut falli putem, qui Parmenidis diſcipulum credunt: ut dicam in Olymp. LXXXVI, an. I. Vitam ejus ſcripſit Laërtius. Poëta uterque Phyſicus fuit. Fragmenta in poëſi Philoſophica collegit Henr. Stephanus. Etiam libellus exſtat de ſideribus octavi orbis, qui Empedoclis Sphæra inſcribitur. Elegantiſſime Senariis Latinis reddidit recenſuitque Q. Septimius Flor. Chriſtianus, ac Sphæram veterem Græcam inſcripſit †. Credat aliquis, eſſe particulam ex tribus libris, quos de rerum natura Empedocles ſcripſit: unde multa citant Ariſtoteles, Plutarchus, Athenæus, Sextus Pyrrhonius, & è noſtris Clemens. Sed obſtat, quod ea fuerint heroïco verſu ſcripta: hæc jambis conſtent. Quare veriſimilius eſt auctorem eſſe Demetrium Triclinium, cujus ſcholia habemus in Sophoclem. Vel auctor is, vel ſaltem διορθωτής, quod præmiſſa indicat ὑφήγεια. Aliqua etiam de Empedocle dixi in Olymp. LXXI, & alibi plura dicemus. Quam varii veterum Empedoclis verſus citent, liquet ex Collectaneis H. Stephani in poëſi Philoſophica. Iis ſcriptoribus adde Philoſtratum lib. I. de vita Apollonii, cap. I, ubi duos verſus adducit, & Pachymerii Commentarios in Ariſtotelem, ubi multos ejus elegantiſſimos verſiculos reperire eſt.

† *Excudit Morellius Lutetiæ an 1587. Qui & Græca primus ediderat in lucem anno 1586.*

Eodem, ac Empedocles, tempore claruit Epicharmus, uterque nimirum Siculus, & Pythagoræ auditor. Uterque etiam poëta Phyſicus. Hujus itidem vitam à Laërtio, fragmenta ex Henrici Stephani poëſi Philoſophica petere eſt. Duas ab eo literas Θ, & Χ, repertas ab Ariſtotele, & Plinio proditum eſt. In epithetis excelluiſſe legas apud Demetrium libro περὶ ἑρμηνείας. Vixit annis XCVII, teſte Luciano in Macrobiis. Unde eſt, quod aliqui Perſicis temporibus, alii ante ea vixiſſe memorant. Fabulæ ejus multæ celebrantur. In iis eſt Ἐλπὶς ἢ πλοῦτος Athenæo lib. VI. Priori nomine vocat Pollux lib. X. cap. XXXVI. Item Περίαλλος, Athenæo lib. IV. Niſi Περίαλλος, vel Περίλαλος ſcribendum, ut corrigunt homines doctiſſimi. In iiſdem Ὀρύα, vel Ὀρύα. Fabulæ cuidam nomen Ἀγρωστῖνος. Quid mirum? Sic Siculi dixere, pro eo, quod Græcorum alii Ἀγροῖκος, h. e. ruſticus. Etiam ſcriptus Epicharmo geminus. Ὀδυσσεὺς, Αὐτόμολος καὶ Ναυαγός. Adhæc Λόγος, ἢ Λογίνα. Item Buſiris, de qua Athenæus lib. X. Et Megaris apud eundem lib. VII, & initio IX. Ἐν πυρκαεῖ Προμηθεῖ citat Pollux lib. X. cap. XXIII. Idem verò πυρκαεῖς,

καὶ πυρφόρος, quo nomine Æſchyli fabula fuit. Ex Epicharmi Hebes Nuptiis quædam legas apud Athenæum lib. III. Item alii ex aliis.

Olymp. LXXXIV. etiam claruit Simonides Junior, Simonidis Lyrici è filia nepos. Sed ambigo, an & in Poëtis ei ſit locus. Dixi de eo in IV. de Hiſt. Lat. cap. VI.

Etiam Olymp. LXXXIV. fuit Archelaus Athenienſis ſive Mileſius, Anaxagoræ diſcipulus; qui primus Philoſophiam naturalem ex Ionia tranſtulit Athenas, & eo dictus eſt Phyſicus, quia in hoc quodammodo deſiit Philoſophia naturalis, Socrate diſcipulo moralem introducente. Quamquam & Archelaus de morali quædam docuit: ſed quæ auſpicatus ille, ea Socrates perfecit. Atque iſtorum quidem auctor nobis Laërtius. Idem, ut ait Suidas, συνέταξε φυσιολογίαν *. Id ſic Lilius Gyraldus vertit in III Dialogo de Poëtis †: *quæ naturæ propria ſunt, multis verſibus collegit*. Itaque & Archelaum inter Poëtas recenſet. Sed addit Poëtam Phyſicum eſſe alium ab Socratis magiſtro. At unde id adſtruat, non video. Nam Suidas clare φυσιολογίαν conſcriptam ab Archelao Phyſico, Socratis magiſtro. Imò nec video, unde colligat, quempiam Archelaum carmine ſcripſiſſe de rerum natura. Saltem ex verbo συντάττειν, quo Suidas utitur, id colligi nequit. Et Laërtius, cùm dicat tres præterea Archelaos fuiſſe, non tamen Poëtam in iis memorat.

* *Compoſuit Philoſophiam*
† *Pag. 108.*

Olymp. LXXXV. an. IV. ut Euſebius ait, *Ariſtophanes clarus habetur, & Sophocles Poëta Tragicus*. Verum Sophocles jam claruit Olymp. LXXVII. ut antea dictum. Ariſtophanis ætas ſatis cognoſcitur vel ex eo, quòd æqualis fuerit Socratis, quem in Nebulis fœdè conviciis proſcidit. Item Cleoni, & Niciæ, principibus civitatis, quorum illum in Equitibus exagitavit, hunc in fabula Georgia. Sed & propter ejus maledicentiam in proceres Alcibiades legem tulit, ne quis Comicus nominatim aliquem in fabula reprehenderet. Ita factum ut Ariſtophanes induceret medium Comœdiæ genus inter veteris maledicentiam, ac novæ delicias. Hoc homine mihi ἀστικώτερον, vel πολιτικώτερον: nec facile aliud æquè culpâris, quam quòd nec pepercerit Socrati, Philoſophiæ parenti, Vide de Ariſtophane etiam Olymp. LXXXIX. & XCI.

Periclis & Ariſtophanis tempore, ut ex Plutarcho, & aliis, conſtat, claruit Teleclides, Athenienſis Comicus. Cujus Πρυτάνεις citat Athenæus lib. XI. Sterrhos idem Athenæus lib. IX. & ex eo Suidas. Fuere & qui ei tribuerent Hiſtoriam Telchiniacam; ut auctor eſt Athenæus lib. VII. Ariſtophanis etiam æqualis Morychus Tragicus, à Comico illo deriſus. Ab hoc proverbium, Morycho ſtultior.

Etiam Olympiadis LXXXV. anno quarto archonte Euthymene actæ Eupolidis Νουμηνίαι: ut eſt apud Ariſtophanis Scholiaſtem in argumento Acharnenſium. Id quarto erat anno poſt decretum factum, ne deinceps Athenis Comœdiæ ullæ agerentur. Nam id contigit Olympiadis LXXXV. an. I. archonte Myrichide, ſive Morychide: ut eſt apud Anonymum in Deſcriptione Olympiadum. Sanè inter hunc Myrichidem, ſive ut Suidas vocat, Morychidem, & quem dixi Euthymenem, ſub quo id decretum eſt abrogatum, duo ſolùm fuere archontes, Glaucides, & Theodorus. De Eupolide plura dicam Olymp. LXXXVII. an. III.

Olymp. LXXXVI. an. I. ut eſt apud Euſebium in Chronicis, floret Parmenides, Poëta Phyſicus, Xenophanis diſcipulus, ut etiam apud Themiſtium eſt. Ejus nomine Dialogum inſcripſit Plato. Fragmenta habes in poëſi Philoſophica, quam H. Stephanus collegit. Vitam videre eſt apud Laërtium. Apud Suidam legas, à quibuſdam credi præceptorem Empedoclis. Hoc non video, quomodo conſiſtat cum iis, quæ de Empedoclis ætate antea dicebam. Quare iis malo ſubſcribere, qui putant, ut apud eundem Suidam dicitur, Empedoclem fuiſſe diſcipulum Telaugis ejus, qui Pythagoræ filius fuit.

Olympiade etiam LXXXVI. Suida teſte, fuit Phrynichus veteris Comœdiæ Poëta. Cujus hæ Comœdiæ memorantur à Suida, Ephialtes, Connus, Cronus, Comaſtæ, Satyri, Tragœdi, ſive Apeleutheri, Monotropus, Muſæ, Myſtes, Poaſtriæ, & Satyri. Ubi ſi error non eſt, geminam Satyrorum nomine fabulam ſcripſerit. Κρόνον laudat Athenæus lib. IX. Tragœdos idem lib. VI. & Arpocration voce Διάθεσις, Μονότροπον Pollux lib. VII. cap. V. atque ultimo, & Ariſtophanis Scholiaſtes ad Aves. Ποάστριαι (quomodo dictæ feminæ ſarrientes, ac herbas noxias evellentes) memorantur Polluci lib. III. cap. X. & lib. X. cap. XXXVI. Athenæus lib. III. imo & X. cùm pro παστρίαις ſcribi debere Ποαστρίαις rectè viderit Caſaubonus, adhæc Harpocratio in Ἐξάλης. Κωμασταί, ut poſtea dicam, actæ Olymp. XCI. an. II. Muſæ ejuſdem Olymp. XCII. an. III. Meminere hujus Poëtæ etiam Pauſanias, Hephæſtion, atque alii.

Eadem ac Phrynichus ætate vixere etiam Lycus vel Lycis, & Amepſias, Comici ambo, ſed frigidi & ab Ariſtophane deriſi. Amepſias ut Socratem traduxerit, dicit Laërtius in ejus Philoſophi vita. De ejus Comœdiis dicam & Olymp. LXXXIX. & XCI.

Olymp. LXXXVII. an. I. Euripides Phœniſſis editis cum Euphorione certavit, & Sophocle: ut Anonymus Olympiadum ſcriptor teſtis eſt. Tum quidem ingenii ſui fœtum primò ediſiſſe, etiam Chronicus Euſebii canon teſtatur. Eum eſſe Poëtarum τραγικώτατον, ait Ariſtoteles in arte Poëtica. Auditor Anaxagoræ Phyſici fuit: in Rhetoricis Prodicum Ceum audivit: in moralibus doctore uſus Socrate. Quæ non alio fine commemoro, quàm ut liqueat, quantis doctoribus uſi ſint Poëtæ, qui ad grandem Poëticæ laudis arcem adſurrexerint. Sepultus eſt in Macedonia, cum ad regem ejus Macedoniam eſſet profectus: ut ait Pauſanias in Atticis. Sed videtur dubitaſſe de pervulgato mortis genere.

Euripidi fabulam ſcripturo ejus argumentum ac faciem primam delineabat Theodectes. Unde ſic Antiphanes:

Ὁ τὰ κεφάλαια συλλέγων Εὐριπίδῃ.

Qui prima capita Euripidi delineat.

Sed hic nequit eſſe Theodectes, Ariſtotelis condiſcipulus: de quo Olymp. CIII.

Nicomachus Athenienſis iiſdem fuit temporibus. Ut qui etiam Sophoclem, & Euripidem aliquando vicerit. Oedipo inprimis eſt celebratus.

Tum etiam Theognis Comicus: ſed frigidus adeò, ut Χιὼν ſive Nix diceretur. Ætatem indicat, quod cum Euripide à Nicomacho ſit victus.

Euripidi æqualis fuit Philocles Comicus, ex Æſchyli ſorore natus, teſte Suida, & Ariſtophani ob deformitatem capitis deriſus in Theſmophoriazuſis. Hujus Τηρεὺς ἢ Ἔποψ memoratur à Scholiaſte Ariſtophanis, & Stobæo ſerm. X. atque aliis. Ejus filii Morſimus, & Philippides, Poëtæ: de quibus poſtea.

Cephiſodorus Athenienſis veteris Tragœdiæ Poëta fuit, quales Æſchyli temporibus, vel circa ea vixerunt. Ejus fabulæ Antilais, Amazones, Trophonius, Sus. Auctor Suidas. Alius ab eo eſt Cephiſodorus, qui nomen adeptus hiſtoria ſua belli ſacri, ſive Phocici. Uti & alius ejus nominis eſt, Iſocratis diſcipulus: ut diximus in tertio de Hiſtoricis Græcis.

Socrates fabulas Æſopicas verſibus reddidit: quos apud Platonem laudat Cebes.

Circa hæc etiam tempora fuit Diocles Athenienſis, veteris Comœdiæ Poëta, cujus Meliſſas laudat Athenæus lib. X. & Pollux lib. X. cap. XXIV. Atque iidem etiam memorant ejus Θάλατταν.

Item Philyllius, veteris & ipſe Comœdiæ Poëta: quem ἐν Φρεωρύχῳ citat Athenæus lib. XIV. & Pollux lib. VII. Alias ejus fabulas recenſet. Eſt & alter Philyllius, item Poëta, de quo dicam in Poëtis ætatis incertæ.

Item Sannyrio (pro quo *Samyriôn* perperam editum eſt apud Lylium), fuit veteris Comœdiæ Poëta, ob gracilitatem à Strattide Comico dictus *Canabus*, ut è Polluce cognoſcimus. Hujus fabula Γέλως memoratur Athenæo lib. VII. Sed præterea ab eo ſcriptæ Δανάη, Ἰώ, Ψυχασταί, ut ait Suidas.

Adhæc Ænicus, cujus Antea Polluci refertur.

Præ-

Præterea & his temporibus itidem veteris Comœdiæ Poëta Philonides Athenienſis, quem & ipſum more ſuo ridet Ariſtophanes. Prius fullo fuit. Sæpius memorat Athenæus: etſi ſit, ubi id nomen in Philochorum mutarit Dalecampius.

Philonidæ verò ejus filius Nicochares fuit, & ipſe Comicus, quem itidem exagitat Ariſtophanes. Philonidæ κοθόρνυς laudat Pollux lib. IX. & Athenæus lib. VI. Sed de hoc ad Olymp. XCVII.

Ariſtylus Poëta non magni momenti à Comico Ariſtophane ridetur, ut neutiquam ſit veriſimilis eorum opinio, qui fuiſſe hujus filium arbitrantur.

Ejuſdem LXXXVII. Olymp. an. II. *Bacchylides carminum ſcriptor agnoſcitur:* ut eſt in Chronicis Euſebii. Sed de eo jam dictum Olympiade LXXXII. an. II.

Ejuſdem Olympiadis LXXXVII. an. II. Archonte Apollodoro, (quo tempore Platona Philoſophum fuiſſe natum, ab Athenæo traditum eſt) fabulas docuit Eupolis: ut eſt apud Scholiaſtem Ariſtophanis in Prolegomenis, & Anonymum in Olympiadum deſcriptione. Sed & Olymp. LXXXV. an. IV. h. e. ſexennio ante ſpatium proximè aſſignatum claruiſſe, ſuperiùs ex aliis auctoribus dicebamus. Contra juniorem facere videtur in Chronicis Euſebius: cui Olympiadis LXXXVIII. an. I. *Eupolis & Ariſtophanes, ſcriptores Comœdiarum agnoſcuntur.* Sed tres hæ ſententiæ facilè conciliantur, cùm inter extremas ſententias tantum ſit intervallum annorum decem. Ejus Δῆμοι memorantur Athenæo lib. III.

Olymp. LXXXVIII. claruit Ariſtomenes Athenienſis Comicus, unus eorum, qui ἐπιδεύτεροι, ſive ſecundarii vocabantur. Auctores Suidas, & Anonymus in deſcriptione Olymp. Ac convenit hoc, quod Suidæ dicitur vixiſſe tempore belli Peloponneſiaci: quod cœpit Olymp. LXXXVII. an. I. Lilio non aſſentio: qui vult poſt id bellum fuiſſe Olymp. XCVII. Cognomentum habuit θυροποιός, *januarum fabricator*; ut eſt apud Suidam. Ubi aliqui malunt τυροποιὸς, *caſeos parans.* De Admeto ab eo acta dicam Olymp. XCVII. an. IV.

Olymp. LXXXIX. an. I. Archonte Iſarcho, actæ primò Ariſtophanis Νεφέλαι, Cratini Πυτίνη, Amipſiæ Κόννος: ut idem Olympiadum ſcriptor tradit, & Scholiaſtes Ariſtophanis in Nubium Argumento. Anno II. actæ ſecundo Ariſtophanis Nubes, item Veſpæ: ut teſtes idem Anonymus in Olympiadum deſcript. & Scholiaſtes Ariſtophanis in fabularum argumento. De Amipſiæ Κωμαςαῖς dicam Olymp. XCI. an. II. Ejuſdem Σφενδόνη memoratur Athenæo, & Polluci. Pro quo, ut Caſaubono monitum, corruptè interdum legas Φείδων, aut Φένδων.

Theodorus Poëta ridetur ab Ariſtophane, cujus æqualis fuit.

Olymp. LXXXIX. an. III. Eupolidis Athenienſis Poëtæ Comici Κόλακες acta, archonte Alcæo, ut eſt apud Athenæum lib. V. & Anonymum in Deſcriptione Olympiadum. Νυμλωίαι ejuſdem, actæ Olymp. LXXXV. anno IV. uti dictum. Αὐτόλυκος ejuſdem acta anno ſeq. Septendecim annos natus docere fabulas cœpit: quas XVII. fecit, vicit autem ſepties. Ejus δρᾶμα Capræ citatur Plutarcho Sympoſiacôn lib. IV. Polluci lib. IX. cap. XXIV. Macrobio, Erotiano in Πρόμαλον, & Scholiaſtæ Ariſtophanis in Veſpas. Ejuſdem Δῆμοι Polluci lib. VII. cap. XXVII. & XXX. ac lib. IX. Harpocrationi in Ὀξυθυμία, Priſciano lib. VIII. Εἱλῶτες Athenæo lib. IV. & Polluci lib. IX. Φίλοι Athenæo lib. VI. & Harpocratio in Παρέσεως, ac Parœmiographi in proverbio. Οὐδὲ πωτ' ἴσχει ἡ θύρα. Προσπάλτιοι (quod nomen à Proſpalta, Atticæ populo) Athenæo lib. VII. Πόλεις Polluci lib. VII. cap. II. Ejuſdem Eupolidis Ταξιάρχοι, vel Ταξιάρχαι, laudantur Athenæo lib. IV. & Polluci lib. VII. Similiter memoratur Χρυσοῦν γένος, ſive Χρυσογένης Polluci lib. VII. cap. XXII. & Ariſtophanis Scholiaſtæ in Ranas. Fortaſſe & dramatis nomen *Maricas.* Quinctiliano: *Apud Eupolin Maricas, qui eſt Hyperbolus, nihil ſe ex Muſicis ſcire, niſi literas confitetur.* In bello Laconico militans naufragio periit in Helleſponto: unde, ut Suidas nos docet, decretum, ne poſtea Poëtæ militarent. Alii volunt ab Alcibiade in mare conjectum, quod in eum ſcripſiſſet Baptas. Aliqui id agnoſcunt: ſed tandem ajunt eluctatum. In Ægina mortuum refert Ælianus libris de Animalibus.

Olymp. LXXXIX. an. IV. archonte Ariſtione, (perperam apud Diodorum Ariſtone) Eupolis docuit Αὐτόλυκον, & Pherecrates Ἀργείυς, ut tradit Anonymus in Deſcript. Olympiadum, & Athenæus lib. V. Sed perperam apud Anonymum illum eſt Ἀργείυς, pro Ἀγρίυς, ut eſt apud Athenæum, & alios. De ætate Pherecratis etiam firmat, quod Eupolis, Ariſtophanes, Plato Comicus, Phrynichus, & Pherecrates, eadem ætate floruiſſe, dicat Suidas in Πλάτων. De Platone jam dictum Olymp. LXXXVI. Ubi & de Phrynicho actum. Pherecratis αὐτόμολοι citantur Athenæo lib. III. & Suidæ. Δυλοδιδάσκαλος eidem Athenæo ſæpius. Κραπατάλλοι ejuſdem eopſe libro. Ἰπνὸς ἢ Παννυχὶς, ejuſdem lib. XIII. & Pollucis lib. X. cap. XLVIII. Ἀγρίυς laudat idem Athenæus ſæpius. Μεταλλεῖς Athenæus lib. III. & Erotianus in Ἀρμῷ. Sed Eratoſthenes Nicomacho adjudicabat: ut eſt apud Harpocrationem Μένδηροι Pherecratis citantur Athenæo lib. VI. Niſi pro Μενδήροις legendum ἐν Ἀγρίοις, ut Caſaubono viſum, cui adſentio. Eundem ἐν Πετάλῃ citat Athenæus lib. VIII. Pollux lib. VII. cap. XXX. & lib. X. cap. XX. item Priſcianus lib. XVIII. Heſychius in Μεταλλεῖον. Pherecrati etiam Chiron, incerti licet auctoris tribui ſolet: ut conſtat ex Athenæi lib. IX. & XIV. Χείρωνας vocat Priſcianus lib. XVIII. Etiam in Etymologico Magno, voce Βοηδρομιών, ubi citatur Pherecydes ἐν Αὐτόχθοσι, doctiſſimo Sylburgio adſentio, qui pro Φερεκύδης legere malit Φερεκράτης. Licet non ignorem eodem opere Pherecydem citari in Ἄρυσιν, & Παιδάριον, & Πολέμων, & Γῆς. Sed de Pherecyde alibi dictum.

Olymp. XC. an. I. Agathon Tragicus vicit Lenæis: ut eſt apud Anonymum in Deſcript. Olymp. & Athenæum lib. V. Ejus τὰ ἐπινίκια ἑστιάται apud Platonem in Convivio. De hoc Poëta ſic Philoſtratus libro I. de vitis Sophiſtarum in Gorgia*: Ἀγάθων δὲ ὁ τραγῳδίας ποιητής, ὃν ἡ κωμῳδία, σοφόν τε, καὶ καλλιεπῆ οἶδε, πολλαχοῦ τῶν Ἰαμβείων γοργιάζει. *Agathon autem, tragicus Poëta, quem comœdia ſapientem, & elegantem, eſſe novit, in iambicis ſuis plurimum æmulus eſt Gorgiæ.* Vide etiam, quæ dicam ad Olymp. CI.

* Pag. 497. edit. Pariſ. an. 1608.

Olympiade eadem XCI. fuit Euenus, Poëta elegiacus. Ætatem ejus inde cognoſcimus, quod fuerit præceptor Philiſti hiſtorici, qui Olymp. XCIII. an. III. cùm Dionyſius Senior ab Syracuſanis mulctaretur ob rem malè geſtam adverſus Carthaginenſes, ſe prædam pro illo dedit. Pluraque de Philiſto illo diximus lib. I. de Hiſtoricis Græcis, cap. VI. Eueni verſum etiam Ariſtoteles adducit, ut oſtendat conſuetudinem eſſe alteram naturam. Etiam Eueni duo ſuperſunt Epigrammata in Cnidiam Venerem, & tertium in Myronis vaccam.

Olymp. XCI. an. I. archonte Ariſtomneſto, Archippus Comicus unicâ vicit fabulâ: ut eſt apud Suidam in Ἄρχιππος, & Anonymum, qui Olympiades deſcripſit. Idem Piſces edidit, quos Julius Pollux laudat lib. X. cap. V. ac ſæpius Athenæus. Præterea ſcripſit πλοῦτον, ut liquet ex Polluce lib. VII. cap. XIV. & Ariſtophanis Scholiaſte ad Veſpas. Ejus fabularum aliquæ Ariſtophani tributæ. Auctor vitæ Scholiaſtis: Ἔγραψε δὲ δράματα μδ (Suid. νδ) ὧν ἀντιλέγεται τέσσαρα ὡς οὐχὶ ὄντα αὐτοῦ. ἔστι δὲ ταῦτα· Ποίησις, Ναύαγος, Νῆσοι, Νίοβις. Ἃ τινὲς ἔφασαν εἶναι τοῦ Ἀρχίππου.

Ariſtophani item æqualis Strattis ut ex Plutarcho in Iſocrate colligo: ubi ait, ab utroque eorum, Ariſtophane inquam, & Strattide, Theodorum, Iſocratis patrem ob filiam fuiſſe notatum in Comœdiis. In Strattidis fabulis fuere ψυχασαὶ, quo & nomine fabula fuit Sannyrionis. Cæteras ejus fabulas recenſet Caſaubonus in Athen. lib. VII. cap. XXIII. ubi & refellit errorem Suidæ exiſtimantis Strat-

tidem fuiſſe tragicum, qui Comicus fuit. Nec minùs Gyraldo aberratum, cum duos Strattides, unum Comicum, alterum Tragicum facit.

Olympiadis ejuſdem anno II, Archonte Chabria, actæ Ariſtophanis Aves Athenis, ut Anonymus ait in Olymp. Deſcript. item Amphiaraus ejuſdem, teſte Ariſtophanis Scholiaſte in Avium argumento. Imò & actæ tum Amipſiæ Κωμασαί, & Phrynichi Μονότροπος, ut in altero Ariſtophanicæ ejus Comœdiæ argumento legere eſt.

Olymp. XCII an. III, Archonte Glaucippo, acta Sophoclis Φιλοκτήτης: ut tradit Anonymus in Olympiadibus, & Scholiaſtes in ejus fabulæ argumento. De natali ejus dictum Olymp. LXXI an. II.

Hac etiam Olympiade, vel aliquanto antè Dinolochus (Δεινόλοχος) Syracuſanus aut Agrigentinus, Poëta Comicus: qui Doricâ Dialecto XIV fabulas ſcripſit: ut auctor Suidas. Sed addit, vixiſſe ἐπὶ τῆς ογ' Ὀλυμπιάδος, Olymp. LXXIII. Quod eſſe nequit, ſi ut proxime ſubdit, Epicharmi fuerit, vel filius, vel diſcipulus: vel ſi fuerit Epicharmi ἀνταγωνιστής, ſive adverſarius: ut Ælianus ait lib. VI. de Animalibus, cap. LI. Nam is claruit anno LXXXIV; ut ſuperiùs vidimus.

Olymp. ejuſdem anno III, Archonte Callia, Sophocles, & Euripides, obiere: ut de utroque teſtis Diodorus Siculus lib. XIII, & Anonymus in Deſcriptione Olymp. Euſebius in Chronico refert ad hujuſce Olymp. an. I. Chronicon Alexandrinum ad Olympiados proximæ an. III. Apulejus verò ait Sophoclem fuiſſe ſuperſtitem Euripidi: & quidam demum, ſi Suidam audimus, ſexennio poſt eum obiiſſe. Eopſe anno Ariſtophanes docuit Ranas, teſte Anonymo in Deſcriptione Olympiadum: item Phrynichus Muſas, & Plato Comicus Cleophontem: ut ait Ariſtophanis Scholiaſtes in argumento Ranarum.

His etiam temporibus viguit Philiſtion Pruſæenſis, vel Sardianus: ut qui tempore Socratis obierit. Scripſit, Suida teſte, Comœdias βιολογικάς, vel potiùs βιολογικάς, h. e. mimicas. In fabulis fuit ὁ φιλογέλως, ſive riſus amans. Alius ab eo Philiſtion Locrus vetus medicus, & nobilis: ut eum vocat Agellius lib. XVII, cap. XI. Ac fortaſſe apud Fulgentium lib. I. Mythologicôn, cap. de lauro, ubi citatur Philocrus de Somniorum interpretatione reponi *Philiſtion Locrus* debet.

Chærophon tragicus, patriâ Athenienſis, iiſdem, Philippi nempe Macedonis temporibus vixit: ut eſt apud Ulpianum Rhetorem: ut arguit, quod fuerit Socrati & Demoſtheni familiaris. Is de Heraclidarum deſcenſu ſcripſit Tragœdiam. Etiam mentio ejus fit apud Ariſtophanem in Nubibus, Athenæum, Philoſtratum in Sophiſtarum vitis.

Chæremon Comicus etiam tum vixerit: ſi quod apud Lilium legas, Socratis diſcipulus fuerit. Ariſtoteles in Rhetoricis ejus Pentheum celebrat. In fabula Hippocentauro, omne metrorum genus miſcuit. Meminit & Athenæus; ut etiam Urei & Alpheſibœæ, pluresque fabulas recenlet Suidas: atque addit, diverſum ab eo eſſe Hieroglyphicorum ſcriptorem.

Theophilus, Medicus Epidaurius, Comicus Poëta, extremis Euripidis temporibus vixit: atque ejus epitaphium ſcripſiſſe dicitur: quod alii Thucydidi tribuerunt. Ejus Pancratiaſta ab Athenæo citatur lib. X. Sed & alias memorant idem, ac Suidas.

Olymp. XCIII an. I, archonte Euctemone, claruit Antiphanes Caryſtius, Mediæ Comœdiæ Poëta, ut eſt apud Suidam in Ἀντιφάνης, & Anonymum in Deſcript. Olymp. Atque addit Suidas, reliquiſſe filium, Comicum & ipſum. De hoc Antiphane Athenæus initio lib. XIII Deipnoſophiſticôn: Ἀντιφάνης ὁ κωμῳδοποιὸς ὡς ἀνεγίνωσκέ τινα τῷ βασιλεῖ Ἀλεξάνδρῳ τῶν ἑαυτοῦ κωμῳδιῶν· (ὁ δὲ δῆλος ἦν οὐ πάνυ τι ἀποδεχόμενος) δεῖ γὰρ, ἔφησεν, ὦ βασιλεῦ, τὸν ταῦτα ἀποδεχόμενον, ἀπὸ συμβολῶν τε πολλάκις δεδειπνηκέναι, καὶ περὶ ἑταίρας πλεονάκις, καὶ εἰληφέναι, καὶ δεδωκέναι πληγάς. *Antiphanes Comicus, cum ſuarum comœdiarum quandam Alexandro recitaſſet, & non admodum acceptum fuiſſe Rex præ ſe ferret, Oportet inquit, ô Rex, hæc qui probaturus ſit, è ſymbolis crebro cœnâſſe, & ſæpius apud ſcortum plagas multas & accepiſſe, & intuliſſe.* Plurimæ Antiphanis citantur: ut Ἀκέστρια ſive Sartrix Athenæo lib. VII, IX, & XIII, & Polluci lib. IV, cap. XIX. Ἀλιευομένη Polluci lib. IX. Archeſtrata, - - - - - - - - - Αὑτοῦ ἐρῶν, ſive Seipſum amans, Athenæo lib. X, & Polluci lib. X, cap. XXXII. Æſculapius Athen. lib. XI, Ἄντεια Athenæo lib. XII, Βομβυλιός, à poculi genere, Athenæo lib. III. Βοιωτία Polluci lib. X. cap. XXIII: pro quo perperam Βοιώτιον apud Athenæum, ut obſervatum Caſaubono. Etiam laudatur in Κνοιθιδεὶ ἢ Γάστρωνι Athenæo lib. X: niſi ſcribendum Σκοιθιδεί, de quo ad Athenæum Caſaubonum Animadv. lib. VII, cap. IX. Κύκλωψ memoratur Polluci lib. VII, & IX. Κύρηβος Κύρηκος Athenæo lib. IV. Δραπεταγωγός, ſive ſervum retrahens è fuga, Athenæo lib. IV. Milanion Athen. lib. X. Myſtis Polluci lib. X, cap. XIX. Παιδεραστής Athen. lib. VII. Προβατεύς ſive Opilio, vel Paſtor, Athen. lib. VII. Problema Athen. lib. X. Ruſticus ſive Butalio Athen. lib. VII, Sappho Athen. lib. X. Scythæ Polluci lib. VII, cap. XIII, & Athenæo lib. VI. Θορυκίων, Athen. lib. IV. Traumatias Polluci lib. IV, cap. XXV. Θωρίκιοι, Athenæo lib. XII. Obiit in Chio annos natus LXXIV filium relinquens Stephanum, itidem Comicum Poëtam.

Olympiade XCIII, an. IV, Dionyſius Siciliæ tyrannidem invadit: obiit verò Olymp. CIII, anno I. Præter hiſtorias, etiam Comœdias & Tragœdias ſcripſit. Dionyſii tyranni Adonidem citat Athenæus. Imò & Θεσμοφόρον. Nam adſentio Caſaubono lib. IX reſcribenti Διονυσίῳ ἐν Θεσμοφόρῳ, ubi vulgo Διονύσῳ.

Dionyſio æqualis fuit Antipho Rhamnuſius, quem, ut Poëtam, etiam laudat Ariſtoteles libro de Poëtica. Cumque Dionyſio, & domi ſolus Tragœdias fecit. Comicum etiam fuiſſe ait Philoſtratus. Artem etiam oratione ſanandi morbos profitebatur. Imò idem quoque orator fuit. Ac vitam fuſe deſcribunt Plutarchus de X Oratoribus, & Philoſtratus in Sophiſtis. Ex Plutarcho cognoſcimus, temporibus vixiſſe Socratis, Alcibiadis, Critiæ, ac interfectum eſſe à XXX tyrannis, ſicut antea retulerat Theopompus XV Philippicâ. Alii tamen ajunt, ut ibidem legas, in Sicilia occiſum à tyranno Dionyſio majore, ſive quia dixiſſet optimum eſſe illud æs, unde Harmodii, & Ariſtogitonis ſtatuæ eſſent conflatæ, quo pacto ad necandum regem incitare videbatur, ſive quia Dionyſii regis comœdias conviciis proſcinderet. Siquidem Dionyſium fuiſſe Poëtam, antea diximus. Interim iſta etiam de tempore conveniunt. Sed ut de Dionyſio verius putem, facit, quòd Ariſtoteles lib. de Poëtica ait, cùm Dionyſii juſſu ad ſupplicium duceretur cum aliis, & hi caput velarent præ pudore, rogaſſe eos, ecquid metuerent nequis eos craſtino conſpiceret.

Iiſdem temporibus claruit Sthenelus tragicus, memoratus Ariſtoteli in Poëtica, & Harpocrationi. De ætate ex eo cognoſcimus, quòd ejus, ut æqualis, meminit Lyſias, qui Periclis, Peloponneſiaci belli, & XXX tyrannorum temporibus vixit.

Etiam Olymp. XCIII, an. IV, archonte Alexia, floruit Antimachus Clarius, (Clarium Poëtam vocat Ovidius) ſive, ſecundum alios Colophonius. Vicinæ ſunt Clari & Colophonis civitates. De ætate eſt apud Anonymum in Deſcriptione Olympiadum. Atque hoc eo firmatur, quòd æqualis fuerit Lyſandro, à quo Nicerato Heracleotæ poſthabitus: item Platoni Philoſopho, quo audiente, Thebaida ſuam recitavit; ſed adhuc juvene: unde Suidas ait fuiſſe Platone antiquiorem: uti juniorem dicit Panyaſi, & Steſimbroto, quos audiverit. In heroico ſecundas ei ab Homero Grammatici dedere, teſte Fabio. Reprehenſus tamen, ut tumidus, & verboſus: qua de re non eſt animus Lilium in poëtarum hiſtoria exſcribere: vel etiam Turnebum Adverſariorum lib. XXVIII, cap. XXXVIII.

Hic

Hic cum Hadriani Cæſaris tempore à plurimis ignoraretur, uſque adeò tamen illi placuit, ut cogitârit de abolendo Homero, inque ejus locum ſubſtituendo Antimacho: quemadmodum ex Dione narrat Xiphilinus*.

Alius eſt ab Antimacho Heliopolita, qui Κοσμοποιΐαν ter mille ſeptingentis octoginta † verſibus deſcripſit. Alius item ab Antimacho Melico poëta, cui cognomen Ψεκάς, quia familiaribus colloquiis, inſtar ψεκάδος, ſive minutiſſimæ pluviæ, irrigaret atque aſpergeret, nec niſi doctiores à ſe dimitteret.

* P. 258. edit. H. Steph.

† Perperam in Wolfii tranſlatione deter millenis prætermittitur. Nam Græce eſt χιλια.

Cap. VII.

De Poëtis Græcis, qui poſt captas à Lyſandro Athenas claruere, uſque ad Μοναρχίαν Grecorum.

Supereſt quarta imperii Perſici pars: ubi dicendum de Poëtis, qui floruere poſt captas à Lyſandro Athenas, uſque ad Μοναρχίαν *Græcorum, ſive Darium Codomannum ab Alexandro devictum.*

Quod ſpatium eſt annorum LXXIII. Nempe ab Olymp. XCIV, anno I, uſque ad Olympiadis CXII, annum II; quo cœpit Μοναρχία Græcorum.

Hoc intervallo claruerunt Antilochus, Critias, Morſimus, Iſocrates vel Aphareus, Aſclepiades Tragicus, Strattis, Aſtydamas Tragicus, Iophon, Socrates, Melitus, Diogenes ſive Oenomaus, Melanthius, Timotheus Mileſius, Philoxenus Cytherius, Teleſtes Selinuntius, Sophocles, Amphis Comicus, Ariſtophanes Comicus, Nicophon, Alcæus, Nicochares, Apollophanes, Lyſis Pythagoricus, Carcini duo, Eudoxus Cnidius, Anaxilas, Anaxandrides, Eubulus Cettius, Mneſimachus, Araros, Philetærus Comicus, Agathon, Aſtydamas, Theopompus Comicus, Nicoſtratus, Theodectes, Pigres, Ephippus, Epicrates, Philippus, Erinna Poëtria, Xenoclides, Æſchines, Philetas Cous, Soſicles Syracuſius, Myrtilus, Hermippus, Euphantus, Crantor Solenſis.

Hos etiam ſuis ſingulos Olympiadibus diſtinguemus.

Olymp. XCIV in honore erat Antilochus: qui cum carmine Lyſandri laudes ſcripſiſſet, ab eo, Plutarcho teſte, donatus eſt pileo Laconico argenti pleno. Lyſander is Athenas cœpit Olymp. XCIV, an. I.

Olymp. eâdem claruit Critias, unus è XXX tyrannis, Athenienſium civitati impoſitis à Lyſandro; imò eorum facilè princeps: quem loquentem in Dialogis inducit Plato. Poëta fuit elegiacus; ut arguit, quod ad Alcibiadem etiam elegiam ſcripſit. Sed cùm id carmen non admittat tres continuas breves, quales in Ἀλκιβιάδην, jambicum pro pentametro ſubſtituit. Luculentum Critiæ fragmentum Jambicum apud Sextum Philoſophum ſupereſt. Alium Critiam puto, Callæſchri filium poëtam: cujus verſus refert Athenæus lib. I, X, XIII.

Claruit & tum Morſimus, filius Philoclis, qui ex ſorore Æſchyli natus fuit. Eum ridet Ariſtophanes hoc verſu:

καὶ διδασκοίμην προσᾴδειν Μορσίμου τραγῳδίαν.
Atque accinere condocerem Morſimi Tragœdia.

Ejus filius Aſtydamas fuit: de quo deinceps.

Olymp. XCV, ac deinceps, claruit Iſocrates: natus Olymp. LXXXVI, ſeptennio ante Platonem. Suidæ interpres Portus errat, quando tum claruiſſe ait. Natum debuerat dicere. Græcè eſt: Γενόμενος ἐπὶ τῆς πϛ' Ὀλυμπιάδος, ὅ ἐστι μετὰ τὰ Πελοποννησιακά. Sanè hic dicitur id tempus incidere poſt bellum Peloponneſiacum. At id finitum captis à Lyſandro Athenis Olymp. XCIV, an. I: ut non poſſit per Olymp. LXXXVI intelligi alia, quam quâ natus. Iſocratis verò meminimus hoc loco, quia Gyraldus cenſet eundem fuiſſe poëtam tragicum: idque ex uno Plutarcho in Rhetorum Vitis: de quo in Aphareo mox dicam. Ibidem legas in Mauſoli funere certaſſe eo in certamine, quod Artemiſia conſtituerat. Sed verius, ut puto, Suidas; qui putat eum fuiſſe alium Iſocratem hujus Iſocratis diſcipulum, ex Ponto Apolloniatem, vel ut alii volunt, Heracleotam. De certaminis ejus tempore dicam in Olympiade CIII.

Aphareus, privignus Iſocratis, ſcripſit Tragœdias XXXVII: ut eſt legere apud Plutarchum in vitis X Rhetorum, ubi de Iſocrate. Lilius tamen Gyraldus Dialogo VII de Poëtarum hiſtoria ait vitrici opus fuiſſe: atque hoc ex Plutarcho relucere. Equidem planè metuo, ne eum fugerit ratio. Nam quæ Plutarchus dicit de Tragœdiis, ejuſdem eſſe ait, ac ejus cujus fuere orationes, de quibus anteceſſit. At illas iſtic Apharei dici, ſatis eſt apertum.

His etiam temporibus claruit Strattis, tragicus Athenienſis: cujus fabulæ memorantur Athenæo, & Suidæ. Ætatem oſtendit, quod Theodorum, Iſocratis parentem, propter filiam, Iſocratis ſororem, Ariſtophanes, & Strattis notarint in Comœdiis. Iſocrates verò natus Olymp. LXXXVI, annis VII ante Platonem. Ac XXX tyrannorum tempore claruiſſe, ex Plutarcho in X Rhetorum vitis, ſatis eſt apertum. Tyrannis ea cœpit Olymp. XCIV.

Aſclepiadis, Tragœdiarum ſcriptoris, qui Iſocratis fuerit diſcipulus, meminit Plutarchus in Vita Iſocratis, libro eo, quo X Rhetorum vitas eſt complexus.

Olymp. XCV, anno II archonte Ariſtocrate, Aſtydamas Tragicus fabulas ſuas edere eſt exorſus: ut eſt apud Diodorum Siculum lib. XIV, & Anonymum in Deſcriptione Olympiadum. Fuit Iſocratis auditor: ſed ab Eloquentiæ ſtudio ſe ad Tragœdiam ſcribendam convertit. Fecit fabulas CCXL: ſed vicit ſolum XV. De utroque teſtis Suidas. Filium habuit cognominem: de quo Olymp. CII.

His etiam temporibus clareſcere cœperit Iophon Tragicus, Sophoclis Tragici, ut Suidas ait, filius, præter quem & alter ei filius fuit, ſed nothus nomine Ariſton. Alius ab eo Iophon Gnoſius, qui vatum oracula carmine expreſſit Heroico, teſte Pauſania in Atticis*.

Socrati etiam aliquis hîc eſt locus: ut qui paullo ante finem vitæ, ſcripſerit Hymnum in Apollinem, & fabulas Æſopicas carmine reddiderit. Plato in Phædone †: Ὁ οὖν Κέβης ὑπολαβὼν, Νὴ τὸν Δία, ἔφη, ὦ Σώκρατες, εὖ γ' ἐποίησας ἀναμνήσας με. περὶ γάρ τοι τῶν ποιημάτων ὧν πεποίηκας, ἐντείνας τοὺς τοῦ Αἰσώπου λόγους, καὶ τὸ εἰς τὸν Ἀπόλλω προοίμιον, καὶ ἄλλοι τινές με ἤροντο ἤδη, ἀτὰρ καὶ Εὐηνὸς πρώην, ὅ, τι ποτὲ διανοηθεὶς, ἐπειδὴ δεῦρο ἦλθες, ἐποίησας αὐτὰ, πρότερον οὐδὲν πώποτε ποιήσας. *Cebes igitur ſic excepit, Per Iovem, inquit, bene factum, quod mihi hæc in memoriam revoces. Quippe de poëmatis, quæ nuper feciſti, innuebat autem fabulas Æſopicas carmine redditas, & hymnum Apollinis, & alii ante me interrogarunt, tum & nuper Euenus, quâ de cauſſa, poſtquam huc veniſti, iſtos verſus feceris, cùm antea nunquam feceris verſus.*

* Pag. 64. verſ. 4.

† Tom. 1. pag. 60. edit. Henr. Steph.

Etiam Olympiade hac, quâ Socrates cicutam bibit, vixit Melitus Orator, atque idem Tragicus poëta; ſed, ut veteres tradidere, ὑπόψυχρος, quaſi dicas, ſubfrigidus. Eſt hic ille, qui cum Lycone, & Anyto, Socratem accuſavit; ut eſt apud Suidam. Ariſtophanes etiam ridet eum; qui tamen non minùs Socrati fuit infeſtus, ut ex ejus Nebulis liquet.

Olymp. eâdem, ac ſeqq. nempe cum XXX tyranni Athenis imperarent, claruiſſe Suidæ dicitur Diogenes, aliter dictus Oenomaus, Athenienſis Tragicus, Octonas ejus fabulas memorat idem Suidas. Laudat & Athenæus lib. XIV. Obſcurus erat, quia conſectaretur voces priſcas, ut in Melanthio dicam.

Diogeni huic æqualis Melanthius: qui de quadam Diogenis

genis

genis Tragœdia rogatus judicium, reſpondit, ſe eam non conſpicere tot vocum obſcurarum involucris obtectam. Auctor Plutarchus libro de audiendo. Tragicus fuit, & elegiacus, ut ex Athenæo conſtat. Simleriana epitome Tragicum, & elegiacum diverſos facit: ſed cauſam non video. Meminit & ſemel iterumque Melanthii Plutarchus in Cimone: ubi & diſtichon ejus in Cimonis laudem citat. At alius, Μελάνθι☉, qui περὶ μυστηρίων ſcripſit. Citat Ariſtophanis Scholiaſtes*. De Melanthus etiam dixi lib. III. de Hiſtoricis Græcis. * Pag. 592.

Ejuſdem Olympiadis XCV. anno III. Ithycle archonte, claruere quatuor inſignes Poëtæ Dithyrambici, Timotheus Mileſius, Philoxenus Cytherius, Teleſtes Selinuntius, & Polyeidus: ut eſt apud Diodorum lib. XIV. & ex eo apud Anonymum in Olympiadum deſcriptione. Sed legas utrobique Τιμόθεον Φιλήσιον, pro Μιλήσιον, ut ex Stephano in Μίλητ☉, & Suida legi oportere vidit Meurſius lib. III. de Archontibus cap. XVI. Ubi & Stephani de eo verba ſic corrigit: Τιμόθε☉ ὁ κιθαρῳδὸς ἐποίησε Νόμων κιθαρῳδικῶν βίβλους ὀκτωκαίδεκα, εἰς ἐπῶν ὀκτάκις χιλίων τὸν ἀριθμὸν καὶ προνόμια αὐλῶν χίλια. Perperam vulgò pro αὐλῶν legitur ἄλλων. Apud Suidam verò eſt verſibus ſcripſiſſe, νόμους, ſive modos Muſicos XIX. Imò apud Clementem lib. I. Στρωματέων legas, primum eſſe, qui in choro citharâ cecinerit νόμους. Idem Suidas addit, etiam feciſſe Dithyrambos XVIII. hymnos XXI. προοίμια XXXVI. Διασκευάς, ſive apparatus vel deſcriptiones VIII. Adhæc Dianam, Encomium, Phinidas, Laërtem, & Perſas, ſive Ναύπλιον, ſic rectè legitur apud Suidam. At perperam apud Athenæum lib. VIII. pro Ναύπλιον eſt Ναυτίλον. Atque eodem libro ab Athenæo citatus Timothei Charon ὁ ἐν Νιόβης. Vide & quæ de hoc Poëta diximus Poëticarum Inſtitut. lib. III. cap. XIII. §. IV. & cap. XVI. §. III. & IX.

Eſt verò hic Timotheus ille, qui decimam, & undecimam chordam Lyræ addidit, ac veterem Muſicam fecit molliorem: & contra quem Spartanorum decretum exſtat apud Boëthium. Nam eum vixiſſe temporibus Euripidis, & regis Philippi Macedonis, apud Suidam legas: qui & ait, deceſſiſſe annos natum XCVII. Ac ſatis convenit quòd ab Archelao rege dicitur fuiſſe perſtrictus ob avaritiam. Idem & Tragicus Poëta fuit: interque alia edidit Σεμέλης ὠδῖνα, *Semeles partum*: in qua fabula induxerat Semelen, dum parit, indecorè ejulantem. Eoque nomine à Stratonico fuit reprehenſus: ut obſervatum Paulo Leopardo. Vide & Caſaubonum Animadv. in Athenæum lib. VIII. cap. XI. At alius Timotheus, mediæ Comœdiæ Poëta: cujus hæc dramata à Suida memorantur, Πύκτης, ſive Pugil, Παρακαταθήκη, Depoſitum, Μεταβαλλόμεν☉, ἢ Μεταφερόμεν☉, Mutatus ſive Tranſlatus, Κυνάριον ſive Catellus, cujus meminit Athenæus in VI. De Timotheo utroque ſatis.

Timotheo Mileſio ὁμήλικα faciebamus Philoxenum Cytherium: à quo dithyrambos eſſe inventos putavit Pindari Scholiaſtes. Sed hac parte magis fidem meretur Herodotus in Clio. Is Arionem Lesbium ſive Methymnæum, fabula de vectore delphino nobilem, primum fuiſſe, ait qui Corinthi docuerit dithyrambos. Atque idem etiam proditum ab Ariſtotele: ut teſtis eſt Proclus in Chreſtomathia. Sanè Philoxenus Cytherius multo poſt Herodotum vixit: nempe Platonis temporibus. Nam & is Syracuſanorum tyranno Dionyſio juniori familiaris fuit; ut Pauſanias in Atticis ait. Sed idem ab eo eſt interemtus, poſtquam eum ἐσχηματισμένως † detulerat in Cyclope ſuo, ſive de amoribus Cyclopis, & Galateæ. Meminere Athenæus lib. I. & Ælianus lib. XII. Var. Hiſt. cap. XLIV. Idem Convivium ſcripſit: unde quædam adducit Athenæus lib. IV. & XIV. Cujuſmodi ejus dictio, & ingenium fuerit Iſaacus Caſaubonus dicet Animadverſionum in Athenæum lib. IV. cap. XI. Nempe planè ad laſciviam, & nugas comparata. † Figuratè.

Tertius eorum, quos ex Diodoro æquales fuiſſe dicebamus, Teleſtes Comicus erat. Cujus dithyrambos ab Harpalo eſſe dono miſſos Alexandro Magno, in hujus vita refert Alexander Magnus. A Suida duæ ejus fabulæ ex Athenæi decimo quarto memorantur, Argo, & Æſculapius

Quartus erat ὁ Πολύειδ☉, qui, ut loco ante memorato Diodorus Siculus ait, etiam Pictoriâ, & Muſicâ arte excelluit.

Olympiadis ejuſce XCV. anno IV. Lyſiade archonte, fabulas edere cœpit Sophocles, Sophoclis filius, ut tradidit Anonymus in Olymp. deſcriptione.

Iiſdem temporibus fuit Amphis Comicus. Sanè Platonis ætate vixiſſe, ex Laërtio cognoſcimus. Amphidis Γυναικομανίαν laudat Athenæus in XIV.

Olymp. XCVII. an. IV. Antipatro archonte, Ariſtophanes edidit Plutum: ut ait Anonymus Olympiadum ſcriptor. Item tum edidit Ariſtomenes Admetum; Nicophon, Adonidem, Arceſilas, Nicochares, Lacones; Alcæus, Paſiphaën; ut ait Scholiaſtes Ariſtophanis argumento Pluti. De Ariſtomene dictum Olymp. LXXXVIII. Nicophon (Νικοφῶν) veteris Comœdiæ Poëta memoratur Athenæo lib. III. ἐν τοῖς Χειρογάστορσιν. Uti & lib. IX. ac XIII. Suidæ Poëta vocatur Νικόφρων, fabula ἐγχειρογάστορες. Nicophonti itidem Πανὸς Γοναὶ & Pandora tribuuntur à Polluce lib. VII. cap. X. & lib. X. cap. XXXIV. Adhæc Athenæo, & Scholiaſte Ariſtophanis ad Aves. At Nicophronti non uno in loco adſignat Suidas. Præterea, ut eſt apud Suidam ſcripta ab eo, Ἐξ ᾅδου ἀνιών, ab inferis veniens, & Sirenes.

Etiam ætate Ariſtophanis, ut dixi, claruit Alcæus: non ille lyricus, de quo antea dictum; ſed comicus: quem decem Comœdias reliquiſſe, auctor eſt Suidas. Earum Endymio memoratur Polluci lib. IX. Paſiphaë eidem lib. X. qua cum Ariſtophane Athenis certavit. Athenæo etiam citantur Palæſtine, Nuptiæ ſacræ, Sorores ſtuprum paſſæ, Ganymedes, & Calliſto.

Claruit & tum, ut puto Calliſtratus, Athenienſis Comicus, Ariſtophanis præcipuè æmulus.

Ariſtophanis etiam temporibus, ut item dictum à Suida, fuiſſe Nicochares, dicitur, Athenienſis Comicus, filius Philonidæ illius Comici, de quo dicebamus Olymp. LXXXVII. Ejus Nicocharis hæ fabulæ eidem Suidæ memorantur: Amymone, Pelops, Galatea, Hercules uxorem ducens, Hercules choragus, Cretenſes, Lacones, Lemniæ, Centauri, & Χειρογάστορες. Herculem Choragum nominat & Pollux lib. VII. cap. XII. Herculem Γαμούμενον, ſive Nubentem idem lib. VII. cap. XI. Lemnias idem lib. X. cap. XXIV. & Athenæus lib. VII. Chirogaſtoras Athenæus lib. XIV. Deliada præterea Ariſtoteles memorat in Poëtica.

Apollophanes ab his temporibus non poteſt multum abfuiſſe, cum antiquum eum Comicum ſtatuat Suidas: qui & quinque ejus fabulas recenſet. Etiam Comicum dicit Ælianus lib. VI. Hiſtor. Animalium cap. LII. Cæterum etiam Apollophanem in Epico carmine recenſet Fulgentius lib. I. Mythologicôn*. Alius ab eo Apollophanes memoratur Plinio, qui Stoicus fuit. * Pag. 162.

Olympiade XCVIII. claruit Lyſis Pythagoricus, qui cum Thebas profugiſſet, præceptor fuit Epaminondæ; ut eſt apud Laërtium in Pythagora. Atque hujus ſunt, quæ vulgo dicuntur aurea carmina Pythagoræ. Operæ eſt ipſum Diogenem † audire: Τὸ δὲ φερόμενον, ὡς Πυθαγόρου, Λύσιδός ἐστι τοῦ Πυθαγορικοῦ, φυγόντ☉ εἰς Θήβας καὶ Ἐπαμινώνδα καθηγησαμένου. *Quod autem nomine Pythagoræ legitur, Lyſidis eſt Tarentini Pythagorici: qui cùm Thebas profugiſſet, Epaminondam inſtituit.* † Pag. 571.

Olymp. C. atque ante claruit divinus Plato: qui & ipſe ut Laërtius prodidit, Tragœdias ſcripſit: ſed ipſe poſtea, ut cum Catullo loquar, infelicibus ululavit lignis.

Ad eandem C. Olympiadem, eoque ad tempora Philippi Macedonis refertur à Suida, ut & Anonymo in Deſcriptione Olympiadum, Carcinus Tragicus Athenienſis. Hujus fabulæ Achilles, & Semele ab Athenæo memorantur. Nec Tragicus modò, ſed & lyricus fuit: ut liquet ex Athenæi lib. VIII. Acerbè eum exagitat Ariſtophanes. Alius ab eo Carcinus Agrigentinus, apud eundem Suidam.

Hujus

Hujus Πλοῦτοι memorat Athenæus lib. III. Alii eam fabulam Πλοῦτον nuncupant: quomodo & fabulam ſuam Ariſtophanes inſcripſit. Iiſdem verò temporibus vixit ac prior: ſiquidem, ut à Polycrito Mendeſio proditum eſt, cum Æſchine Socratico Syracuſis apud Dionyſium fuit. At Dionyſius pater deceſſit Olymp. CIII.

His etiam temporibus fuit Eudoxus Cnidius, clariſſimi nominis Aſtrologus, Platonis æqualis: qui hoc loco refertur Suidæ fide: nam is Aſtrologiam ab eo ſcriptam ait δι' ἐπῶν, ſive carmine hexametro. Mortuus eſt anno ætatis ſuæ LIII. Olympiade CLIII. ut eſt apud Laërtium, qui ejus vitam perſcripſit. Atque idem memorat ibidem & alterum Eudoxum Siculum, Poëtam Comicum: qui ter certamine vicit urbano, quinquies verò in Lenæis, ut ab Apollodoro ſcriptum in Chronicis.

Anaxilas itidem (quod nomen idem, ac Anaxilaus, ut Pterelas idem ac Pterelaus, Arceſilas, ac Arceſilaus) temporibus, ut puto, Philippi M. vixit: Platonem quidem perſtrinxit fabula, quæ Botrylion dicta. Ab Athenæo lib. IV. citatur ἐν Λυροποιῷ, niſi legendum μυροποιῷ, quod apud Stobæum ſerm. LV. vel Λυτροποιῷ, à quo non abhorret Caſaubonus: ſed ſic ut Λυροποιὸς magis probet, eamque vocem etiam reſtituat Athenæo lib. XII. ubi vulgo legitur Λυροποιῷ. Idem Athenæus lib. VI. citat ἀνανδρείαν, h. e. copiam fortium virorum. Etiam Anaxilæ Μονότροπος citatur Athenæo. Sic verò dixere σκληρὸν καὶ δυσαπεχθῆ, καὶ πρὸς ἅπαν ἀντιτείνοντα, ut eſt apud Galenum lib. III. de differentia pulſuum.

Olymp. CI. an. II. archonte Chariandro, claruit Anaxandrides Rhodius, vel Colophonius, Poëta Comicus: ut teſtantur Suidas, & Anonymus Olympiadum ſcriptor. Nec ſanè junior eſſe vel Platone poſſit, quem ab eo vexatum, ex Laërtio conſtat; vel etiam Ariſtotele, qui eum citat in III. Rhetoric. item in Ethicis. Et quid apertius ex eo, quod Philippi Macedonis ludis interfuiſſe dicat Suidas? Ejus Ὀδυσσεὺς Athenæo laudatur. Cùm autem LXV. fabulas ſcripſerit, decies vicit. Idem, ut apud eundem Suidam eſt, πρῶτος ἔρωτας, καὶ παρθένων φθορὰς εἰσήγαγεν. *Primus amores, & ſtupra virginum introduxit in ſcenam.* Athenæo lib. XV. citatur Alexandridæ Ὕβρις ἢ Κόνδυλος. Eundem arbitror. Sanè Anaxandrides & Alexandrides ſæpe confunduntur: qua de re Caſaubonus in Athenæum lib. VI. cap. XVIII.

Itidem Olymp. CI. fuit Eubulus Cettius, itidem Comicus: ut retulerunt iidem; Anonymus inquam Olympiadum ſcriptor, & Suidas, cui dicitur μεθόριος τῆς μέσης Κωμῳδίας καὶ παλαιᾶς, *in veteris mediæque Comœdiæ confinio conſtitutus.* Fabulas docuit XXIV. teſte Suida. Nutrices Eubuli citat Athenæus lib. VII. & VIII. Cercopes item lib. X. Calatophoros Ammonius: Clepſydram Athenæus, ſic dictam à meretricula Metiche, quæ Venerem amantibus ad clepſydram admetiretur.

Fuit tum quoque Mneſimachus, mediæ Comœdiæ Poëta, Laërtio etiam laudatus initio vitæ Socratis Suidas ait memorari ab Athenæo ejus Ἱπποτρόφον, Βούσιριν, καὶ Φίλιππον. Nempe Ἱπποτρόφου, ſive equiſonis, meminit lib. IX. Buſiridis lib. X. Philippi lib. VIII. & X. Videtur autem apud Suidam excidiſſe, Δύσκολον, ſive Moroſum: quam Mneſimachi fabulam idem Athenæus citat lib. VIII.

Etiam Olymp. CI. fuit Araros (Ἀραρὼς) Comicus, qui fabulas edidit, Cænea, Campylion, Panos partum, Hymenæum, Adonidem, & Parthenidium, ſive Virgunculas. Ariſtophanis Comici filius fuit; Suida teſte. Hymenæum idem citat in Ἀναθεῖναι. Etiam Cocalum ei tribuêre: quam tamen alii attribuerunt patri. Vide, quæ de iſto Caſaubonus ad Athenæum lib. III. cap. II. Adi & cap. XXXV. ubi de illo, Ψυχρότερος Ἀραρότος, *Frigidior Ararote.* Frigidus enim Poëta fuit.

His temporibus etiam fuerit Philetærus Athenienſis Comicus: quod tamen non aliunde colligitur, quam quia filius fuerit Ariſtophanis. Sed quid ſi alterius fuerit filius ab Ariſtophane illo inclyto Comico. Fabulæ ab eo viginti exaratæ dicuntur: in quibus Κυνηγὶς Athenæo, ſive, ut Suidæ dicitur, Κυνηγίας.

Agathon Tragicus, itemque *Agathon* Comicus his fuere temporibus: nempe Platonis æquales, quantum ex Suida cognoſcere eſt. Tragicus tamen antiquior, ut colligo ex iis, quæ dicta Olymp. XC. an. I. Comici, ut puto, Agathonis eſt hic verſus apud Ariſtotelem *, & Simplicium †;

Τέχνη τύχην ἔστερξε, καὶ τύχη τέχνην.

Fortunaque artis, arſque Fortunæ eſt amans.

* Lib. 6. Ethic. cap. 4.

† In Z. Φυσ. ἀκροασ.

Circa Olymp. CII. claruit Aſtydamas junior, Poëta tragicus, ejus tragici Aſtydamantis filius, de quo Olymp. XCV. an. II. dicebamus. Ejus hæ fabulæ memorantur à Suida: Hercules Satyricus, Epigoni, Ajax furens, Bellerophontes, Tyro, Alcmene, Phœnix, Palamedes.

Hiſce etiam temporibus claruit Theopompus, non ille Iſocratis diſcipulus, nobilis Orator, & Hiſtoricus, de quo in Hiſtoricis Græcis diximus; ſed alius, veteris Comœdiæ Poëta, paullo junior Ariſtophane æqualis Platonis, quam & perſtrinxit. Junior tamen ſit, ſi, ut quidam voluere, ejus fuerit Theodectæ filius: de quo in Ptolemæi Philadelphi temporibus dicemus. Hujus drama Ἡδυχάρης citatur Athenæo lib. VII. & XV. item Laërtio in Platone. Etiam Ἄλθαι memorantur eidem Athenæo, vel potiùs Ἄλθη, ut eſt apud Heſychium. Item Pamphilia refertur Athenæo lib. XI. ac Medus ibidem. Irenen quoque ſcripſit, ut indicat Pollux lib. III. cap. XXVI. & XXVII. Suidas ait fabulas ſcripſiſſe XXIV. Cæterarum nomina vide apud Ioannem Meurſium Notis in Apollonium Δύσκολον. Hephæſtion ab eo carmen Θεοπόμπειον dictum ait. Meminit & Fulgentius Placiades carminis ejus Cypriaci. Alius ab hoc Theopompus Colophonius, ἐποποιὸς, Athenæo celebratus: cujus opus Ἁρμάτιον.

Circa hæc tempora, ut arbitror etiam vixerit Nicoſtratus, Poëta Comicus, cognomento, ut Laërtius ait, Clytemnæſtra. Cujus fabulas aliquot memorat Athenæus. Etiam Pollux lib. V. cap. XVI. Nicandrum, & Nicoſtratum vocat κωμῳδοδιδασκάλους, ſive comicos magiſtros. Nec alius eſt, qui, eo quod hiſtrioniam optimè exerceret, (unde in proverbium abiit ποιήσω πάντα κατὰ Νικόστρατον *) Κιθαρῳδὸς fuit nuncupatus. Quomodo eum vocat Stephanus in Ἄργος: ubi & verſum ejus citat hexametrum. Ac meminit quoque Nicoſtrati in Γάγγρα. Quamquam non ignorem & alterum fuiſſe Nicoſtratum Macedonem oratorem, quem Æſopæis & dramaticis fabulis delectatum ait Hermogenes. Puto is fuerit, cujus meminit Dionyſius Halicarnaſſenſis in præceptis de oratione nuptiali; ubi in ejuſmodi oratione jubet, uti ſtylo tenui, Xenophontis, & Nicoſtrati exemplo. Ex libro ejus de Nuptiis fragmentum citat Stobæus in præceptis nuptialibus: item in ſermone de petitione uxoris.

* Omnia, ut Nicoſtratus, faciam.

Olymp. CIII. anno I. Theopompus, Naucrates, Iſocrates, & Theodectes in Mauſoli funere, poſtulato Artemiſiæ, certarunt, ac vicit Theodectes: ut ait Anonymus in Olympiadum deſcriptione: ſed Theopompus vicerit, ſi audimus Suidam in Θεοδέκτης. De tempore interim ambo conveniunt. Fuit Theodectes patria Phaſelites ex Lycia, Platonis & Iſocratis diſcipulus. Ajunt & Ariſtotelis fuiſſe diſcipulum. De quo ambigo plurimum. Nam grandior natu Ariſtotele fuit. Siquidem eo tempore, quo Theodectes in funere certavit Mauſoli, Ariſtoteles annum agens duodevigeſimum Athenas venit ad audiendum Platonem, eumque annis audivit XX. Sic ſanè Anonymus, quem dixi. Vel potiùs Athenas venit anno ſequenti; ut eſt apud Dionyſium Halicarnaſſenſem epiſtolâ ad Ammæum. Obiit verò ante Alexandrum M. ut ex eo cognoſcimus, quod cum Alexander adverſus Perſas proficiſceretur, ac Phaſelidem, Lyciæ urbem veniens, in foro conſpexiſſet ſtatuam Theodectæ jam defuncto à civibus ſuis poſitam, ipſe à cœna temulentus egrediens coronas ei crebras impoſuerit conſuetudinis memor, quæ cum illo per Ariſtotelem, & Philoſophiam interceſſiſſet. Tragœdias reliquit

reliquit L, Rhetoricam metro exaratam. In Tragœdiis fuit Mauſolus: de qua Agellius lib. x, cap. xvi11, atque addit: *In hac eum magis, quam in proſa placuiſſe, Hyginus in Exemplis refert.* Quia verò dictum de Artemiſia, non omittam hoc loco de fratre ejus, cui nomen Pigres vel Tigres: qui Iliados ſingulis verſibus hexametris pentametrum de ſuo ſubjunxit atque ita Iliadem in Elegiam convertit. Etiam ei, ut ex Suida conſtat, tribuerunt Margitem, & βατραχομυομαχίαν, atque alia. Aliis is Thigretus. Sanè & Henricus Stephanus lib. II ſchediaſmate xx11 refert, ſe in exemplar quoddam incidiſſe ubi adſcriptum foret Batrachomyomachiæ nomen Pigreti, vel Tigreti Cari.

Ephippus Athenienſis mediæ Comœdiæ, Poëta dicitur Suidæ, ac, ut puto, circa Platonis vel Ariſtotelis tempora claruit. Ejus Codonem citat Athenæus lib. v11, & x1v. Item ex Philyra (à meretrice id nominis) & Obeliaphoris quædam adducit lib. v111. Alius ab eo Ephippus Olynthius, hiſtoricus; de quo in Græcis hiſtoricis* dictum.

* *Lib. 3. cap. 9.*

Mediæ item Comœdiæ poëta Epicrates Ambraciota, in cujus fabulis Amazones, & Emporus, apud Suidam. Chorum ejuſdem citat Ælianus in Animalium Hiſtoria. Platonem, & Speuſippum ab eo exagitatos conſtat, tanquam nimis anxiè curioſos in indagandis animalium ac plantarum naturis.

Par eidem vel ſuppar Philippus, itidem mediæ Comœdiæ poëta: cujus fabulam Κωδωνιαςαὶ memorat Suidas: idque, ut ait, ex Athenæi Dipnoſophiſtis: ubi tamen hodie fruſtra quæras. Sed Ephippi Cydonem laudat, uti diximus. Ac lib. v111 Ephippi Κυρηνικοῖς vel Κυρηνιασαῖς citat. Itaque Suidam hæc confudiſſe arbitratur Casaubonus: idque eò magis, quia & alibi Philippi, & Ephippi Comicorum nomina confunduntur. Vide eum lib. v111 Animadverſ. cap. xv.

Olymp. cv1 an. 1v, *Erinna poëtria agnoſcitur*, ut eſt in Chronicis Euſebii: ſed perperam, ſi Sapphûs fuit amica, ut antea diximus, ex Tatiano, & Suida. Ac Erinna quidem hexametro ſuperaſſe, Lyrico Sapphoni in veteribus eſt epigrammatis. Vide Olymp. xL11.

Hiſce etiam temporibus Xenoclides; quem ut Poëtam bonum laudat Demoſthenes. Ejus interpres Ulpianus ait fuiſſe Athenienſem, cumque priùs in Macedonia verſaretur à rege Philippo, Amyntæ filio, qui imperare cœpit Olymp. cv, eâ juſſum excedere.

Æſchines Athenienſis, priuſquam ad eloquentiam ac Remp. animum appelleret, Tragicus Poëta fuit. Vide ejus vitam apud Plutarchum in x Oratoribus, & Philoſtratum in Vitis Sophiſtarum.

Olymp. cx, multo etiam antè, ac poſt claruit Philetas Cous, quem Ovidius ac Propertius celebrant. Hic claruit non modò ſub Philippo, & Alexandro: ſed etiam admodum ſenex à Ptolemæo Lagide præfectus fuit ſtudiis filii Philadelphi. Grammaticus idem ac Criticus fuit: & elegias, epigrammata, atque alia reliquit: quorum teſtis Suidas. Vide & quæ de Phileta diximus lib. 111 de Hiſtoricis Græcis.

Item tum fuit Soſicles Syracoſius poëta Tragicus. Nempe Suida teſte, claruit extremis Philippi temporibus item ſub Alexandro M. imò eadem, qua Alexander, Olympiade deceſſit. Fabulas fecit Lxx111, ac ſepties vicit. Quibuſdam habitus eſt unus ex Pleiade ſeptem tragicorum: de qua poſtea dicam.

His etiam temporibus fuere, nempe, Ariſtophane, ut puto paullo juniores, Myrtilus, & Hermippus, duo veteris Comœdiæ poëtæ: quorum Myrtilus docuit Amores, & Tetanopanes, ſive arrectos, & cum rigido pene Panes. Julius Pollux lib. v1, cap. v11, damnat vocabulum Καταφαγᾶς †, ut Παμπονηρὸς *: etſi & Æſchylus & Myrtilus eo uſi ſunt.

† *Comœdo* * *Plane mirioſum.*

Hermippus verò, qui luſcus erat, Comœdias fecit xL. Ejus Δημόται Polluci citatur lib. v11, 1x, x, & Athenæo lib. v11. Αἶγες memorantur Polluci lib. v11, & x. Phormophori Athenæo lib. xv, & eodem, ὁ Κωμῳδοποιός. Θεοί, lib. 1x. Ætatem Hermippi indicat, quod accuſarit Aſpaſiam, quia cum Pericle lenocinium faceret.

Hiſce item temporibus fuit Euphanthus Olynthius, qui, præter temporis ſui hiſtoriam, etiam plurimas ſcripſit Tragœdias, iiſque maximè fuit in poëtarum certaminibus probatus: ut ait Laërtius. Atque idem tradit, præceptorem quidem fuiſſe Antigoni regis; diſcipulum verò Eubulidis, qui Ariſtotelis, & Zenonis temporibus claruit. De eo quoque in Hiſtoricis Græcis diximus.

Extremis etiam Philippi temporibus fuit Crantor Solenſis, Xenocratis auditor, poëmata dicitur ſcripſiſſe, quæ obſignata in Minervæ templo depoſuerit. Vide ejus vitam apud Laërtium lib. 1v. Ætatem inde cognoſcimus, quòd Xenocrates annos natus Lxxx11 deceſſerit anno 11 Olympiadis cx.

Cap. VIII.

De Poëtarum Græcorum ætate tertia; quæ fuit ſub Alexandro Magno, & ejus ſucceſſoribus, uſque ad mortem Cleopatræ.

Deventum ad tertiam ætatem Poëtarum Græcorum, quæ ſub Alexandro Perſarum Rege, & Syromacedonum, ac Ptolemæorum regum imperio fuit: ut incipiat à pugna ad Arbelam quæ incidit in Olympiadis cx11 *an.* 11: *deſinat verò in morte Cleopatræ ſive Olymp.* cLxxxv11 *an.* 111. *Hoc intervallo claruerunt: Philippides, Neophron, Lycon Comicus, Alexis, Chœrilus, Agis Argivus, Æſchrion, Ariſtoteles, Crates duo, Thraſius & Thebanus, Archedicus Comicus, Menander, Philemones duo, Lycius Samius, Apollodorus Gelous, Philetas Cous, Euhemerus, Simmias Rhodius, Poſidippus, Diphilus, Rhinton, Sophylus, Zenodotus, Theocritus, Antagoras, Hermodotus, Anaxippus, Poſidippus, Callimachus, Heraclitus Halicarnaſſeus, Timon Phliaſius, Aratus, Sophron Comicus, Cleanthes, Damoxenes Comicus, Myro Byzantia, Lycophron, Æantides, Philiſcus Tragicus à Philiſco Comico diverſus. Alexander Ætolus, Ariſtonymus, Eratoſthenes, Apollonius, Euphorio, Rhianus, Callimachus junior, Simonides Magneſius, Moſchus, Siculus, Nicander Ætolus, Soſitheus Syracuſanus, Apollodorus, Grammaticus, Antipater Sidonius, Anaxipolis Thaſius, Dionyſius Scytobrachion, Archias, Parthenius.*

Ætates ſingulorum per Olympiades diſtinguam, ac prius per ipſum Alexandrum: mox per reges Ptolemæos.

Olympiade cx1, qua regere cœpit Alexander, fuit Philippides, Athenienſis, Morſimi, de quo dictum, frater, novæ Comœdiæ poëta, qui fabulas edidit xLv, ut eſt apud Suidam. Philippidæ Συμπλέκουσαι memorantur Athenæo lib. xv, ſive Συμπλέκων, ut eſt apud Pollucem lib. 1x. Fuit, Plutarcho teſte, familiaris regi Lyſimacho, à quo rogatus, quæ dona cuperet, reſpondit, quæcunque πλὴν τῶν ἀπορρήτων, *arcanis exceptis*. Cùm præter opinionem victor eſſet pronunciatus, præ gaudio eſt exſtinctus: ut narrat Agellius.

Sub eodem Alexandro claruit Neophon ſive Neophron, Tragicus Sicyonius, qui cxx edidit Tragœdias. Ejus quoque credita eſt eſſe Medea, quæ Euripidi tribui ſolet. Primus induxit in ſcenam pædagogos, & ſervorum tormenta. Calliſtheni Philoſopho amicus fuit, ac propterea ab Alexandro, cum Calliſthenem interficeret, unà neci datus. Auctor omnium iſtorum Suidas.

Item ſub hoc rege fuit Lycon Comicus: de quo Plutarchus in vita Alexandri, & lib. 11 de fortuna Alexandri.

Sub eodem Rege Alexandro claruit Alexis, mediæ Co-

Comœdiæ poëta; qui, ut ex Suida cognoſcimus, fuit πάτρως, ſive patruus Menandri: de quo mox dicam. Ἐν Λευκαδίᾳ ἢ Δραπέταις citatur Athenæus lib. III, & ut videtur, Pollux lib. x, cap. XXI, apud quem Λευκάδι ſcriptum. Ibidem Athenæo citatur Ἀπεγλαυκωμένος, vel potiùs ἀπηγλαυκωμένος: de cujus fabulæ nomine vide Caſaubonum Animadverſ. in Athen. lib. III, cap. XXXI. Γυναικοκρατία memoratur Athenæo, eodem libro: ſed apud Pollucem pro eo γυναικοκρατία eſt lib. IX. Hoc *imperium muliebre*; prius *expeditionem muliebrem* ſonet. Δραπετίδης Athenæo lib. IV: ſive Δραπέτις, ut eſt apud Pollucem lib. x, cap. XXVI. Ποιητὴς vel Ποιηταὶ Athenæo lib. III, & IV. Polluci vel eadem vel alia fabula Ποιήτρια lib. IX. Τιτθὴ Athen. lib. VI, vel Τηθύς, ut eſt lib. x. Tociſta Athenæo lib. x. Hippiſcus, eidem ſæpius. Κύκνος eidem lib. XI. Polyclea, lib. XIV. Βρεττία, ibidem. Midda, ſive Medon, apud Pollucem. Tarentini, Polluci lib. x, cap. XIII. Ὀδυσσεὺς ὑφαίνων, etiam memoratur, & Κωμιάδης. Sed hanc alii tribuerunt Amphidi.

Olymp. CXIII vixere duo hi Chœrilus, & Agis Argivus, poëta uterque, malus. Jungit eos Curtius lib. VIII: *Agis quidam Argivus, peſſimorum carminum poſt Chœrilum conditor.* De poſteriori ſic Horatius lib. II. Epiſt.

Gratus Alexandro Regi Magno fuit ille
Chœrilus, incultis qui verſibus, & malè natis
Retulit acceptos regale numiſma Philippos.

Ubi qui honos optimo poëtæ Chœrilo Tragico contigit ab Archelao Rege: is ab Alexandro Rege habitus dicitur peſſimo poëtæ Chœrilo. Ut videatur Horatius duos Chœrilos confudiſſe. Vide quæ de altero Chœrilo dicebamus Olymp. LXXV.

Æſchrion Mitylenæus quoque tum fuit, Ariſtoteli imprimis carus: ut Lilio obſervatum, qui teſtem prodit Nicandrum in lib. de diſciplina Ariſtotelis.

Nec penitus nobis prætereundus Ariſtoteles. Qui, ut apud Laërtium eſt in vita Philoſophi, præter tres libros de re poëtica, alium item de poëtica, librum item de Tragœdiis, præter item pæana in Hermiam eunuchum, geminum condidit carmen, quorum prius ad Democritum ſcripſit, ſi fidendum Ambroſio, & Brognolo interpretibus. Sed ſcripſerat Ariſtoteles Πρὸς Φιλόξενον, α'. πρὸς Δημόκριτον α'. *Ad Philoxenum librum ſcribit unum: unum item ad Democritum.* Qui libri, ut qui præcedunt, proſâ fuere ſcripti. Deinde de duplici poëmate ſubjungit. Prius fuit epicum: quod ſic ait cepiſſe:

Ἁγνὲ θεῶν, πρέσβυτ' ἑκατηβόλε·——
Sancte Deûm longeque ſenex jaculans.——

Alterum erat elegia, cujus initium tale:

Καλλιτέκνου μητρὸς θύγατερ.——
Artibus exculta genitricis filia.——

Subdit deinde Laërtius: Μυριάδες σίχων τέτταρες, καὶ τετταράκοντα πρὸς τοῖς πεντακισχιλίοις καὶ διακοσίοις ἑβδομήκοντα. Quæ Ambroſius & Brognolus ſic reddidere: *Plus minus quadragies quinquies mille trecenti, & triginta.* Primum illud *plus minus* non eſt in Græcis. Præterea pro *trecenti*, & *triginta*, vertendum, *ducenti ac ſeptuaginta.* Valde autem errant, qui exiſtimant, elegiam hanc, vel poëma utrumque, tot verſuum fuiſſe. Quantum nec Homerus ſcripſit. Sed poſt commemoratum librorum Ariſtotelis indicem, mox, quo de magnitudine omnium conſtaret, ſubjungit, quot verſuum, h. e. (ut vulgo parum Latinè dicunt) quot linearum, aut regularum fuerint opera Ariſtotelis univerſa. Nam ut Latinis verſus, ſic Græcis σίχος, non in carmine duntaxat, ſed etiam in proſa oratione locum habet.

Sub Alexandro & Ptolemæo claruere Cratetes duo. Unus fuit Thriaſius, Philoſophus Academicus, Polemonis auditor, ſucceſſoremque in ſchola habuit Arceſilam, Mediæ Academiæ conditorem. Thriaſius vero vocatus à pago Thria, inter Athenas, & Eleuſina. Librum de Comœdia conſcripſiſſe, teſtis eſt Laërtius: qui & novem alios memorat Cratetas: in his unum, Poëtam Comicum: alium epigrammatum conditorem. Lilius Dialog. VI, & Cratetis Tragici meminit: atque eum putat eundem ac Cratetem Thebanum Philoſophum Cynicum. Thebanum hunc verſus ſcripſiſſe, liquet ex Demetrii Phalerei libro de Elocutione: ac imprimis ex vita ejus in ſexto Laërtii: ubi claruiſſe dicitur Olymp. CXIII: ut liqueat eodem fuiſſe tempore, ac Cratetа Thriaſium, de quo priùs agebamus. Non occurrit verò, unde hauſerint, quod de Cratete Tragico ajunt. Sed de Comico teſtes etiam Ariſtophanes in Equitibus, & Ariſtoteles in Poëtica. Eum Olymp. LXXXI vixiſſe, monitum ſuperius. At Crates Mallotes non tam Poëta fuit, quam Poëtarum cenſor. Is Ptolemæi Philometoris, ac Ariſtarchi temporibus fuit.

Etiam tum viguit Heraclides Ponticus priùs Speuſippi, exinde Ariſtotelis auditor. Hic, ut ex Ariſtoxeno Muſico Laërtius in ejus vita refert, Tragœdias fecit, iiſque Theſpidis nomen præfixit. Varia etiam ad Poëticam & Poëtas pertinentia idem memorat: in his de Homero & Heſiodo: ſed quæ Chamæleon ſibi ſuffuratum diceret.

Ad hæc etiam tempora refero Archedicum Comicum: in cujus fabulis Theſaurus. Multa ſcripſiſſe dicitur de Demochare, qui è Demoſthenis fratre natus erat.

Primi Ptolemæi, ſive Lagidæ imperium numeramus ab exceſſu Alexandri, qui erat Olymp. CXIV an. I. Etſi aliquot poſt annis demum diadema adſumſerit.

Olymp. etiam CXIV viguit Menander, Diopithis * filius, Theophraſti diſcipulus, novæ Comœdiæ princeps. Et tamen cùm ſcripſerit fabulas CVIII; octonis ſolum vicit. Tantùm valuit judicum gratia, atque ambitus; ut ait A. Gellius. Olymp. CXIV an. III, Archonte Diocle, vel Philocle, primam docuit fabulam, cui nomen Ὀργή: ut cognoſcere eſt ex Anonymo Olympiadum ſcriptore, & Ariſtophanis Scholiaſte, Prolegomenis de Comœdia: ſive uno poſt anno, ut eſt in Chronicis Euſebii: Natus erat Olymp. CIX anno III Soſigene Archonte: mortuus vero Olymp. CXXI, anno IV; anno XXXII Ptolemæi Lagidæ: ut eſt in Chronicis Euſebii: vel potiùs Olymp. CXXII an. I, Lagidæ an. XXXIII; ut Vetus inſcriptio indicat. In Collectaneis Gruteri pag. CLXXVII, num. II. Operæ autem eſt videre, quæ de hoc diſſerit ὁ μακαρίτης Meurſius lib. IV de Archontibus, cap. XVIII. Sepultus fuit in via, quæ ex Piræeo Athenas ducit: ut eſt apud Pauſaniam in Atticis. Apud Michaëlem Neandrum lego, in Conſtantinopolitanis Bibliothecis exſtare XXIV Comœdias Menandri cum explicatione Michaëlis Pſelli. Ac meminit quoque Leo Allatius libro de Pſellis †. Sed non injuriâ metuo, ne illi à plano quopiam Neandro fucus factus ſit. In hujus Comœdiis fuit Πτωχὴ, ἢ Ῥοδίας, Athenæo laudata lib. XIV, & Polluci lib. x, cap. XXXI. Item Παρακαταθήκη, eidem Athenæo lib. XIII. Adhæc Ἁλιεὺς, ut vocatur Athenæo lib. XI; ſive Ἁλιεῖς, ut dicitur Julio Polluci lib. x, cap. XXX. Qui & ipſe tamen etiam ſingulo vocat numero. Item Συναριστῶσαι, Plinio lib. XXIII. Ἀναξιάγραφος, qua fabula inſignem deſcripſit Luconem. Vide de ea Caſaubonum in Athenæi lib. VI, cap. XI. Ἀδελφοὶ item, quo nomine & Hegeſippus, ac Diphilus fabulam ſcripſere, è Latinis Terentius Ἐπιτρέποντες Athenæo lib. XIV, Harpocrationi in Ματρυλεῖον, & Ἐχῖνος, Stobæo ſerm. XXX: è Latinis etiam Sidonius Apollinaris lib. IV, epiſt. XII. Caſaubono etiam aſſentio apud Priſcianum lib. XVIII, ubi citatur Menander in Ἐπιτρέπεις, legi debere Ἐπιτρέπουσι, vel Ἐπιτρέπουσι. Δύσκολος, Athenæo lib. IV. Ὀργὴ Athenæo ibidem, & Polluci lib. VI, cap. XVII. Nauclerus Athenæo ibidem: fortaſſe idem drama, quod Κυβερνῆται Polluci. Ἐπίκληρος prior, Athenæo lib. IX. Ἐπίκληρος poſterior, Harpocrationi. Δίδυμαι ſive Geminæ, eidem Athenæo lib. IX, & Harpocrationi. Καρχηδόνιος, ſive Carthaginenſis, vel plurali, Καρχηδόνιοι, Athenæo lib. IX, & Scholiaſtæ Ariſtophanis ad Veſpas, Ἀῤῥηφόρος Polluci lib. x, cap. XLV. Philadelphi, Polluci eodem libro. Etiam

* Pauſanias in Atticis, Diog. Laertius in vita Theophraſti.

† Pag 63.

* Col. 2672. in vers. Grammat. edit. Putſchiana.

Etiam Thraſyleontem memorat Athenæus*. Menandri Phaſma memorat Atilius Fortunatianus initio fragmenti de carmine Sotadeo.

Iiſdem ac Menander temporibus, ſed natu paullo grandior, claruit Philemon novæ Comœdiæ Poëta, vel ut Apulejus ait, mediæ. Filius fuit Damonis, qui claruit ſub Alexandro M. uti Philemon ſub Antigono rege. Proximum meruit locum à Menandro, cui & ſæpe prælatus: unde aliquando & Menander: *Quæſo, Philemon, bonâ fide dic mihi: cùm me vincis, non erubeſcis?* Ejus in fabulis fuit Ἔμπορος, cujus imitatione Plautus fecit Mercator. Ipſum audiamus Comicum:

Græcè hæc vocatur Emporos Philemonis.
Eadem Latinè Mercator Marci Accii.

Etiam memoratur Philemon Comicus ἐν Μετιόντι, ſive potiùs Μεθύοντι, ut aliqui jamdudum apud Athenæum emendarunt. Item ἐν Ἁρπαζομένῳ, ut eſt apud Athenæum lib. XIV, & Pollucem lib. X, cap. XXIV: vel ἐν Ἁρπαζομένῃ, ut eſt apud eundem Pollucem lib. VII, cap. IX. De morte Philemonis mirè variant veteres: credo, quia plures Philemones fuere, in iis & Philemonis ſuperioris filius, qui LIV fabulas reliquit: ut refert Suidas.

Etiam cum Menandro in agone Poëtico certavit: eumque vicit. Theophraſto fuit familiaris. Fabulas ejus citat Athenæus. Præter quas etiam ſcripſit ὀψωνητικὴν τέχνην, *obſonandi artem.* Theophraſtus condidit de Comœdia librum, item alterum de eodem argumento, alium item de Comœdia, item librum de metris: ut auctor eſt Laërtius.

Apollodorus Gelous eodem, ut Suidas ait, tempore vixit, quo Menander Comicus: & ſeptem ejus fabulæ ſunt. Ἀποκαρτερῶν ſive inediâ ſibi mortem conſciſcens, quæ & dicebatur Philadelphi, Δευσοποιοί, ſive Tinctores, Ἱέρεια, ſive ſacra, Γραμματειδιοποιὸς, Pſeudeas, Siſyphus, & Æſchrion. Ex hiſce prima memoratur Athenæo lib. XI, qui & libro III. adducit ejus Ἀπολιπούσαν, ſive fœminam animo defectam. Niſi Ἀπολιποῦσα legendum: quando & Suidæ memoratur ἐν Καρυστίοις Ἀπολιπούσῃ. Julius Pollux lib. X, cap. XXIII, citat ejus γραμματοποιόν, ſive potius γραμματειδιοποιόν, ut vocandum cenſet Caſaubonus Animadverſionibus in Athenæum lib. VII, cap. VI. Idem Pollux lib. X, cap. XXXI, memorat ejus Ψευδαίαντα, ſive *falſum Ajacem.* Diverſus ab eo Apollodorus Athenienſis, qui, ut apud eundem Suidam legas, fabulas fecit XLVII: ſed quinquies ſolùm vicit. Apud Scipionem Tettium commentario de Apollodoris legas feciſſe Comœdias XLVI. Sed Suidas ait μζ. Ex iis Feſtus Pompejus in Urbis etymo citat Euxenidem: Ephebon Ammonius libro de ſimilibus & differentibus vocibus. Ambigo Geloi, an Athenienſis ſit ἡ τοῦ νεὼ ποίησις, *de templo poëſis.* Polluci memorata lib. X, cap. LI. Alius item Apollodorus Tarſenſis Tragicus: cujus ſex hæ fabulæ eidem memorantur, Ἀκανθοπλὴξ, ſive ſpinâ percuſſus, Τεκνοκτόνος, ſive liberorum interemtor, Ἕλληνες, ſive Græci, Θυέστης, Ἱκέτιδες, ſive ſupplices, & Ὀδυσσεύς, *Ulyſſes.* Denique alius ab his Apollodorus Aſclepiadæ filius Grammaticus Panætii Rhodii Philoſophi, & Ariſtarchi Grammatici diſcipulus, repertor verſuum tragijamborum, ut idem Suidas auctor eſt. Deque eo Plinius lib. VII. Eſtque is cujus habemus Bibliothecam, ſive de Diis libros III. Athenæus lib. VI citat Apollodorum Caryſtium ἐν Γραμματειδιοποιῷ, ſive potius Γραμματιδιοποιῷ, h. e. litium procuratore, cujus erat γραμματίδια facere. At Pollux lib. X, cap. XXIII tribuit Apollodoro Geloo. Unde idem videri poſſit Caryſtius, & Gelous. Sed Pollux eos apertè diſtinguit. Quare potiùs ſtatuendum, nec veteres ſatis conveniſſe in eo, utrius Comici fabula hæc foret. Vide de his Caſaubonum Animadverſ. in Athen. lib. VII, cap. VI. Ex Apollodoro Comico Phormionem, & Hecyram tranſtulit Terentius: ut ait Donatus.

Tum etiam claruit Euhemerus, cujus de Deorum hiſtoria opus tranſtulit Latinè Ennius. Memorat inter Poëtas Gyraldus: incertus tamen an carmine ſcripſerit. Sed Cenſorinus in Fragmento cap. IX. clarè elegiarius accenſet. Ætatem arguit, quod Caſſandro regi familiaris fuit: ut eſt apud Euſebium lib. II. Præparationis Evangelicæ: ſed Trapezuntius ea in tranſlatione ſua, ut alia plurima, præterit. Vide de eo, quæ diximus in Hiſtoricis Græcis lib. I. cap. XI.

Simmias Rhodius claruit, quantum videre poſſum, temporibus Ptolemæi Lagidæ: multum ſanè junior eſſe nequit, cùm Hephæſtio ſtatuat antiquiorem Philico, ſeu Philiſco, uno τῆς πλειάδος, quem ſub Philadelpho floruiſſe, mox dicam. Exſtat hodieque Ovum hujus Simmiæ, quod Theocriti ſubjici ſolet. Eruditis id Notis Salmaſius illuſtravit. Sed de ætate objici nobis poſſint Suidæ verba, qui ait Simmiam fuiſſe Samium, poſtea Amorginum dictum, quia a Samiis eſſet miſſus ad Amorgum condendam. Addit id factum annis CCCCVI. à capta Troja: quod fuerit, ſi Eratoſthenem audimus, anno ante cœptas Olympiades. Sed omnino Suidæ is locus eſt corruptiſſimus. Nam Simmias, & Simonides, conflantur in unum, quod facile videbit, qui de ætate Simonidis eadem legi ſciat in Simonide Amorgino. Numerum etiam eſſe vitiatum, & pro μς debere υς legi, diximus: in Olympiade XXIX. cum de tribus illis, Archilocho, Simonide, & Ariſtoxeno loquaremur. Simmiæ Rhodio Parthenius debet hiſtoriam XXXIII. Exſtat ejus poëmatium quod Πέλεκυς ſive Securis inſcribitur. Nempe eſt quaſi inſcriptio ſecuris Minervæ ab Epeo dicatæ, poſtquam ea fabricaſſet equum Darium. Genuinum eſſe arguit, quod Hephæſtio citat Simmiam ἐν πελέκει. Etiam exſtat ejuſdem Ovum, quod vocat Dorciæ luſciniæ, ut ſuum ſignificaret. Nam luſciniam dixit pro Poëta, Poëtarum more, qui eos nunc luſcinias, nunc olores ſolent appellare. Atque hoc quoque poëmatium, ut Simmiæ, idem Hephæſtio agnoſcit. Utrumque autem eruditis notis illuſtravit Salmaſius. Ex quo etiam verſum illum, quo auctor Securis Bion Rhodius prædicatur, non à Simmia eſſe, ſed ineptè ab alio aſſutum.

Fuit tum quoque Poſidippus, Caſſandri Poëta, & à Menandri exceſſu in nova Comœdia princeps. Ejus fabulæ fuere XXX. in quibus Pomoboſcus, ſive leno meretricem alens. Agellius lib. II. ſic orditur cap. XXIII. *Comœdias lectitamus noſtrorum Poëtarum ſumtas ac verſas de Græcis, Menandro, ac Poſidio, aut Apollodoro aut Alexide ac quibuſdam item aliis Comicis.* Ubi, ut obſervatum Lilio Gyraldo de Poëtarum Hiſtoria dialogo VII. pro *Poſidio* legendum *Poſidonio:* qui Menandro ſubjungitur, quia mortuo illo in Comœdia nova tenuit principatum. Alius ab eo Poſidippus Epigrammatum ſcriptor: quem citant Athenæus, Scholiaſtes Apollonii, & Stobæus.

Diphilus Sinopenſis paullo fuit junior Menandro. Inter alias Comœdiam ſcripſit Synapothneſcontes: quam è Plauto tranſtuliſſe ait Terentius. Fecit Ἀδελφοὺς ut & Menander, ac Hegeſippus. Item Ἔμπορον ſive Mercatorem: quo nomine & Philemon ſcripſit fabulam. Ejuſdem Ἀπολιποῦσα Athenæo citatur lib. IV. uti & Ἐναγίζοντες, ſive *Parentantes,* quæ fabula alibi dicitur Ἐναγίσματα ſive *Parentalia.* At lib. VI. citat ἐν Ἐλαιηφοροῦσι: nempe à feſto, cui nomen Ἐλαιηφόρια, ut ex Pollucis lib. ultimo videre eſt. Lib. XI. citat Athenæus in Πιθραύστῃ, pro quo Τιθραυσίῳ, à vici Attici nomine, legendum putat Caſaubonus. Libro XI. Athenæi memoratur Αἱρησιτειχεύς: quæ fabula emendatior ab auctore facta, iterumque edita, dicta eſt Εὐνοῦχος, ἢ Στρατιώτης. Sed & Μνημάτιον Diphili memorat Athenæus, & Hecaten Pollux lib. X. cap. XX.

Sub eodem Lagide, Suida teſte, claruit Rhinton Tarentinus, figuli filius, qui XXXVIII reliquit fabulas partim comicas, partim tragicas. Idem eſt auctor fabulæ, quæ dicta ἱλαροτραγῳδία, atque eſt Φυλακογραφία, ut vulgo quidem legitur apud Suidam, quaſi nomen foret ab excubiarum deſcriptione: vel potius Φλυακογραφία, à deſcriptione jocorum & ridiculoſorum.

Lagidæ etiam tempore fuit Sophilus Sicyonius, ſive, juxta alios, Thebanus, Poëta Comicus: ex cujus Comœdia, quæ Γάμος dicebatur, Laërtius in Stilpone verſum citat jambicum, quo reprehendit Stilponem Megarenſem. Is Stilpo, uti & Crates, præceptor fuit Zenonis Cittici: unde & Sopyli ætatem cognoſcimus.

Item tum fuit Stephanus, mediæ Comœdiæ Poëta, filius Alexidis Comici: quem patruum fuiſſe Menandri tradiderunt.

Præterea ſub primo Ptolemæo fuit Zenodotus Epheſius, diſcipulus Philetæ, ac Lagidæ filiorum præceptor. Nempe in hoc munere, Philetæ ſucceſſit, ex magiſtri, ut puto, commendatione. Nam & Philetam docuiſſe eos, antea diximus. Is intelligendus in hoc Furii Bibaculi adverſus Valerium Catonem:

En cor Zenodoti! en jecur Cratetis.

Sub eodem Lagide, & Ptolemæo Philadelpho, qui patri ſucceſſit Olymp. cxxiii. an. iv. viguit Theocritus Syracuſanus. Decem fecit eclogas ruſticas: ut & Servius monuit. Poſtque earum editionem fecit σύριγγα, ſive inſcriptionem, quæ fiſtulam referret: ac σύριγγα, ſive fiſtulam, propter eam ſimilitudinem vocavit. Quamquam verò fiſtula ſoleat diſparibus ſeptem compingi cicutis: ut apud Maronem eſt, nihilominus conſtare eam voluit denis verſibus, quia ipſe decem feciſſet eclogas: ac Pani Sylveſtri numini dicavit, velut inſtrumentum, quo Sylveſtrem Muſam ceciniſſet.

Antigoni hujus, Macedoniæ Regis temporibus, etiam claruit Antagoras Rhodius, eique perfamiliaris fuit: ut ex Pauſaniæ Atticis, ubi de Poëtis, qui Regibus familiares fuere, loquitur, item ex Plutarcho, & Athenæo, cognoſcimus. Thebaida ſcripſit. Supereſt ejus in Crantora epigramma.

Item fuit temporibus Antigoni Poëta Hermodotus; ut ex Plutarchi conſtat Apophthegmatis, ac libro ejus de Iſide & Oſiride.

Claruit & tum Anaxippus, novæ Comœdiæ Poëta: nempe ſub Antigono, & Demetrio Poliorcete; ut eſt apud Suidam. Citharœdum, aliaſque ejus fabulas citat Athenæus.

Item Poſidippus Comicus, qui fabulas reliquit xxx. ac tertio à Menandri morte anno docuit, ut idem Suidas ait.

Olymp. cxxv. ſub Philadelpho uſque ad Ptolemæum iii. ſive Euergetem, claruit Callimachus Cyrenenſis: quod vel cognoſcimus ex carmine de coma Beronices, Latinè reddito à Catullo. Fere hymnos, vel elegias, vel epigrammata ſcribebat. Quo nomine iniqua experiebatur judicia: unde ipſe in Apollinis hymno:

> Ὁ φθόνος Ἀπόλλωνος ἐς οὔατα λάθριος εἶπεν·
> Οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει.

Quibus contra aggerebat Callimachus μέγα βιβλίον μέγα εἶναι κακὸν, magnum librum magnum eſſe malum. Ac planè ſubſcripſerim Scaligero, ac Caſaubono, quando cenſent, eo reſpexiſſe Martialem, cùm ait:

> *Cui legiſſe ſatis non eſt epigrammata centum,*
> *Nil illi ſatis eſt Caditiane mali.*

Sic enim legendum, non *Seditiane*. Aſſiduis tamen convitiis victus, *Hecalen* ſcripſit: ut Scholiaſtes indicat ad verba, quæ ex hymno Apollinis adduximus. Imò & Αἴτια ejus majus ipſa Hecale opus. Alius verò ab hoc Callimachus Colophonius, memoratus, inter alios Tatiano orat. ad Gentes, & Euſebio lib. x. Præparat. Evangelicæ *.

* Pag. 239. edit. Rob. Steph.

Callimachi hujus ætate fuit quoque Heraclitus Halicarnaſſeus: qui & epigramma in ejus obitum ſcripſit, quod legere eſt apud Laërtium lib. ix. in vita Heracliti.

Item Philadelphi temporibus erat Timon Phliaſius, Poëta Phyſicus, ſecta Pyrrhonius, diverſus omnino ab illo μισανθρώπῳ, qui Peloponneſiaci belli temporibus vixit. At hic Phliaſius carus fuit Antigono Gonatæ: qui quarto Philadelphi anno regnare cœpit, atque annis xxxv. imperium tenuit. Scripſit hexametra, Tragœdias lx. Comœdias xxx. Satyras, Sillorum libros iii. & Cinædos. Περὶ τῶν Τίμωνος Σίλλων * ſcripſit Sotion: ut videre eſt ex Athenæi xii. Credo, opere eo occurrere voluiſſe convitiis, quibus Philoſophos impetierat. Satis hoc inde veriſimile eſt, quod idem Sotion etiam ſcripſerat ταῖς διαδοχαῖς: ſive de Philoſophorum ſucceſſionibus: ut oſtenſum operis de Hiſtoricis Græcis lib. ii. cap vii. Plura de Sillis Timonis dicebamus libro ii. de arte Poëtica cap. xx. quæ repetere hoc loco nihil attinet. Vitam Timonis Laërtius narrat. Fragmenta quædam ejus in Poëſi Philoſophica exhibet Henr. Stephanus.

* De Timonis Sillis.

Olymp. cxxvii. an. i. Ptolemæi Philadelphi an. vi. Aratus Cilix, quippe Solenſis, cognoſcitur: ut ait Euſebius in Chronicis. Atque hoc firmatur, quòd interfuerit nuptiis Antigoni, Gonatæ regis, Demetrii Poliorcetæ filii, cumque eo permanſerit ad finem vitæ: ut ex Suida ſcimus. Sanè Antigono huic familiarem fuiſſe, etiam apud Pauſaniam in Atticis legas. Mirum, quàm multos fuerit nactus interpretes: ex deperditis ſunt Ariſtarchus Samius, Ariſtylli duo Geometræ, Crates, Euæneti duo, Crates, Numenius Grammaticus, Pyrrhus Magneſius, Thales quiſpiam, & Zeno.

Olympiade cxxvii. anno ii. obiit Epicurus: non cvii. ut eſt apud Laërtium. Nimirum εἰκοστῆς ſive vigeſimæ librarii culpâ excidit. Ut ſatis ex eo liquet, quòd Pytharato prætore id factum fuit: quemadmodum eſt apud Ciceronem de Fato. Et clarè de Olymp. cxxvii. eſt apud Suidam. Idem ex eo conſequitur, quod moriens fuerit annorum lxxii. Quàm ridiculè igitur nunc apud Laërtium legitur natum Olymp. cix. anno iii. Soſigene Archonte: at annos natum lxxii. obiiſſe Olymp. cxxvii. Pytharato auctore. Atque hæc non tam propter Epicurum ſcripſimus, quam Sophronem, qui circa hæc floruit tempora. Nam amavit Danaën, cui mater Leontium fuit, Epicuri amica. Porrò inter alia non mimographi Sophronis, de quo dictum Olymp. lxxv. ſed hujus Comici eſſe cenſeo fabulam Νυμφοκόμον, ſive ſponſæ ornatricem, quam citat Pollux lib. x.

Olymp. cxxix. an. i. Zenoni Cittico, Euſebio teſte, in ſchola ſucceſſit Cleanthes, Poëta Phyſicus; verſus ejus partim hexametros, partim jambicos in Poëſi Philoſophica H. Stephanus collegit, vitam Laërtius enarrat: in qua etiam de Poëta librum ſcripſiſſe refert.

Sub hoc Philadelpho etiam vixiſſe cenſeo Damoxenum, ac fuiſſe extremis Epicuri temporibus, ac deinceps. Is vero deceſſit xiv. anno Philadelphi, annorum lxxii, de quo mox pluribus. fuit hic Damoxenus Athenienſis Comicus: cujus ad lxx. verſus nobis conſervavit Athenæus lib. iii. ubi inter alia ait coquus, ſe artem ſuam eſſe doctum ab Epicuro. Ejus σύντροφοι ſive *ſimul educati*; & ἑαυτὸν πενθῶν, ſive ſeipſum lugens, ex eodem Athenæo citantur à Suida.

Tum etiam fuerit Myro Byzantia, ſi fuerit mater Homeri Tragici, de quo mox loquar. Sed ut paullo juniorem putem facit, quòd Suidæ dicitur Ὁμήρου τοῦ Τραγικοῦ θυγάτηρ, γυνὴ Ἀνδρομάχου τοῦ ἐπικληθέντος Φιλολόγου. Reliquit verſus elegiacos, ac melicos, multumque Athenæo celebratur.

Etiam ſub Philadelpho claruit Lycophron. Sed varios fuiſſe ejus nomine dicet Tzetzes Chil. viii. Hiſt. cciv. Is, de quo nunc ſermo nobis, fuit Chalcidenſis, idem Grammaticus, ac Poëta Tragicus, ſed ut ex Alexandra ejus, ſive Caſſandra liquet, valde obſcurus: unde Papinius lib. v. Sylv. in Epicedio Patris:

Carmina Battiadæ, tenebraſque Lycophronis atri.

Sanè & in eum commentatus olim Dection, cujus meminit Etymologici magni auctor in voce Ἤπιος. Item Orus, & Theon. Sed periere pariter. Ex iis ſua congeſſit, ſed ſubinde nugis ſuis admiſtis, Iſacius Tzetzes. Quæ præterea Lycophron ſcripſerit, dicet Suidas. Porrò & hic Lycophron, & quinque iſti antea memorati, Theocritus, Nicander, Callimachus, Apollonius, & Aratus, ac præterea Homerus junior, Tragicus Poëta, Myrus

Byzantiæ poëtriæ filius, conſtituunt celebrem illam Poëtarum πλειάδα, ita dictam quia ſic in Poëſi reluxerint Ptolemæi Philadelphi temporibus, uti ſtellæ ſeptem in ſidere Pleiados. Septem verò illos memoravimus, ut facit Iſacius Tzetzes ſuo in Lycophronis Caſſandram commentario. Sed aliter Scholiaſtes Theocriti, qui ex ſeptem memoratis omittit Nicandrum, ac Callimachum; proque iis reponit Æantidem, & Philicon. At Hephæſtionis Scholiaſtæ ſic vocantur, Homerus junior, Soſitheus, Lycophron, Alexander, Philicus, Dionyſiades, & Æantides. Sed homines doctiſſimi pro Φίλικος, tum apud Theocriti, tum etiam Hephæſtionis Scholiaſtem, reponunt Φιλίσκος, idque auctoritate impulſi Suidæ, qui, ſex ordine Philiſcos memorans, huic ſecundum tribuit locum; ac ne diverſum putet, ait patria fuiſſe Corcyreum, vixiſſe ſub Philadelpho, eſſeque unum ex illis ſeptem qui πλειάδα conſtituerent. Credo id moverit quoque magnum Turnebum, ut licet, Mss codices ſecutus in ipſo Hephæſtione, & ejus Scholiaſte Φίλικος edidiſſet, tamen in Indice reponeret, Φιλίσκος Κερκυραῖος. Sed omnino Φίλικος retinendum. Nam quis melius nomen nôrit, quam Poëta ipſe? At is ſe Φίλικον vocat ſecundâ brevi. Facit id verſu iſto ab Hephæſtione adducto, quo gloriatur à ſe eſſe inventum id carminis genus, quod quinque conſtat choriambis, & bacchio.

* Pag. 31. Verſus eſt iſte *.

> Καινογράφης | συνθέσεως | τῆς Φιλίκε | γραμματικοὶ |
> δῶρα φέρω | πρὸς ὑμᾶς. |

Vel hoc ſolum omnem nodum poſſit diſſolvere. Eſt verò in hoc nomine etiam peccatum apud Atilium Fortunatianum in Arte Medica: ubi cap. VI. ſic incipit: *Phalacius verſus ex duplici pede conſtat, quem Bacchium muſici, choriambicum grammatici vocant. Habet longam, & duas breves, & longam.* Omnino reſcribendum *Philicius*. Sequitur deinde: *Hoc autem Phalacus conſcripſit hymnos Cereri, & Libero, tali genere metro: quod ſcilicet eſt:* - - - - - - - - - - - - - - - - - - - *deorum convenire venerationi credidit.* Primùm pro *Phalacus*; & hic, & deinceps, *Philicus* reponi debet. Præterea hiatus ille ſic ſupplendus:

> Τῇ χθονίῃ μυστικὰ Δήμητρί τε, καὶ Περσεφόνῃ, καὶ
> Κλυμένῳ τὰ δῶρα.

Sic enim carmen illud in Cererem ac Liberum incipiebat: ut locuples nobis teſtis eſt Hephæſtio *. Apud Marium Plotium in Arte de Metris † carmen hoc *Philicum* vocatur. Corrige *Philicium*. Gloriabatur Philicus ſe hoc metrum reperiſſe: ut videre eſt ex verſu ejus antea adlato. Sed hanc jactantiam ejus refellit eo Hephæſtion, quod eo metro uſus antea ſit Simmias Rhodius in Securi: unde verſum hunc adducit:

* Pag. 31.
† Col. 2655. edit Putſchianæ.

> Ἀνδροθέα | δῶρον ὁ Φω | κεὺς κρατερᾶς | μηδοσύνας |
> ἦρα τίνων Ἀθάνα.

Atque item in Alis:

> Λεύσσετε τὸν | γᾶς τε βαθυ | στέρνου ἄνα | κτ' ἀκμονίδαν |
> τ' ἄλλυδις | ἑδράσαντο.

Unde colligit, Philicum non tam hoc metrum inveniſſe, quàm tota eo ſcripſiſſe poëmata.

Et hæc de Philico.

Vidimus autem in Pleiade iſta etiam reponi tum Homerum juniorem, tum Alexandrum.

Homerus Poëta Tragicus fuit, filius Myrûs Byzantiæ, de qua dictum. Patria fuit Hieropolitanus: ut eſt apud Stephanum, qui quatuor Hierapoles ſtatuit: unam inter Phrygiam, & Lydiam, alteram in Græcia; tertiam in Syria, quartam in Caria, atque ex quarta illa juniorem hunc Homerum fuiſſe ait.

Intelligendus verò Alexander Ætolus, Grammaticus, quem in ſeptem tragicorum pleiade idem Suidas reponit. Ex ejus Apolline elegantiſſimum carmen adducit Parthenius Eroticon cap. IV. Tres item verſus refert Strabo lib. XII. quos ipſos etiam adfert lib. XIV. De Soſitheo dicam in Olymp. CLXVI. Paullò aliter Pleiada enarrat Hephæſtionis Scholiaſtes alter, qui pro Homero reponit Διονυσιάδην, ſive Διονυσίδην, ut Strabo vocat lib. XIV: nempe ut qui uni Hephæſtionis Scholiaſtæ eſt Αἰαντιάδης is alteri eſt Αἰαντίδης. Præterea qui uni Scholiaſtæ Σωσίθεος, is alteri Σωσιφάνης. Imo Suidæ Soſicles Syracuſius, de quo dixi Olymp. CX, unus è Pleiade ſtatuitur. Porrò hæc diverſitas ſcriptorum partim eſt ex eo, quod alii Poëtarum ἁπλῶς, alii tragicorum πλειάδα recenſent, partim ex judiciorum diverſitate, qua alium alii præferrent.

Ariſtonymus Comicus, Suida teſte, vixit ſub eodem Philadelpho, pariterque ſub ſucceſſore ejus Philopatore, ac in Bibliothecæ cura, uti Eratoſtheni Apollonius, ita Apollonio hic Ariſtonymus ſucceſſit. Ad Eumenem iturus ſtranguria obiit anno ætatis LXXVII, ut eſt apud Suidam.

Philadelpho ſucceſſit tertius Ptolemæus, cognomento Euergetes, Olymp. CXXXIII, an. II. Sub eo claruere hi tres, Eratoſthenes, Apollonius Alexandrinus, Euphorion. Nam eos fuiſſe συγχρόνους clarè ait Suidas in Ἀπολλώνιος. Dicam de iis ordine. Eratoſthenes erat natus ſub Ptolemæo ſecundo ſeu Philadelpho Olymp. CXXVI. Inter cætera etiam condidiſſe poëmata, ſatis ex Suida conſtat. Atque, ut idem ait, à tertio ſive Euergete Athenis fuit Alexandriam arceſſitus. Ac claruit non ſub hoc modo rege, ſed etiam ſucceſſore Ptolemæo tertio ſive Euergeta, & inde uſque ad annum ætatis LXXX; h. e. Olympiadem CXLVI: cujus initium incidit in annum quinti Ptolemæi, ſive Epiphanis annum Ptolemæi quinti octavum. Eratoſthenem, ut Poëtam egregium etiam Strabo laudat in ultimo γεωγραφικῶν. Sed ille non modo poëta, verum in omni diſciplinarum genere ſubactus, ſic tamen ut vix nulli principem ei locum adſignarent, ſed τὸ Βῆτα vocarent: quaſi qui in ſecundis conſiſteret. Non, ut apud Suidam legitur, βήματα, ſive gradus. Atque hinc etiam liquet, cur primus acceperit *Philologi* nomen: uti apud Latinos poſtea Atteius. Teſtis de utroque Suetonius in Claris Grammaticis.

Apollonius Rhodius, Argonauticôn ſcriptor, diſcipulus Callimachi, ſed ingratus; unde & præceptor eum carmine vexavit, in quo Ibidem vocavit. Atque hoc exemplum in Ibide ſibi propoſuit Ovidius. In Bibliothecæ Alexandrinæ curatione ſucceſſit Eratoſtheni, teſte Suida. Doctiſſimis eum commentariis illuſtravit Tarrhæus; prout Scholiaſten illum etiam appellat Henricus Stephanus præfatione in Parrhaſium de rebus per epiſtolam quæſitis.

Tertius erat Euphorion Chalcidenſis; qui natus fuit Olymp. CXXVI, quo tempore Pyrrhus in Italia victus; ut ait Suidas. Lacydæ fuit diſcipulus: qui ſcholam habere cœpit eadem Olympiade, qua hic natus: obiit vero Olympiade CXXX. Ad Antiochum Magnum profectus, ab eo Bibliothecæ fuit præfectus. Quam varia carmine heroico reliquerit, Suidas enarrat. Aliqua ejus fragmenta reperire eſt apud poëtarum interpretes. Ciceroni de Divinatione lib. II dicitur poëta obſcurus. Nimirum ob tot fabulas, quas adducit. Sed idcirco gratior fuit Tiberio Cæſari; qui eum, uti & Rhianum, ac Parthenium maximè amabat: ut Suetonius ait in vita Tiberii cap. LXX. Eum cum Parthenio etiam conjungit Lucianus libro de conſcribenda Hiſtoria. Eratoſthenis quoque æqualis Rhianus, patria, ſecundum aliquos, Benæus, è Creta, qui carmine ſcripſit bellum à Lacedæmoniis annis XX geſtum adverſus Meſſenios. Sed & Theſſalica, Stephano teſte, & alia, conſignavit. Sæpius ejus verſus citat Apollonii interpres. Dixi de eo plura lib. I. Hiſt. Græc. cap. XVII.

Præterea ſub Euergete claruit Callimachus junior, poëta heroicus, è ſuperioris Callimachi ſorore natus: ut ex Suida cognoſcimus.

Olymp. CXL, an. I, regnare cœpit Ptolemæus quartus ſive Philopater: biennio poſtquam imperare in Syria cœpiſſet Antiochus Magnus. Rexit Antiochus annis XXXVI, ſed Ptolemæus ſolum XVII.

Olymp.

Olymp. CXLVI, Eratoſthenes obiit annos natus LXXX: ut antea ex Suida diximus. Ex quo & ætatem videmus diſcipuli ejus Ariſtophanis Byzantii Grammatici: Ariſtarchi autem præceptoris: ut ſub Philopatore, & Epiphane vixerit. Hoc addidi, quia hinc aliorum quoque ætatem cognoſcimus.

Olymp. CXLIX, an. II, regnare cœpit Ptolemæus quintus, cognomento Epiphanes. Claruit tum Simonides Magneſius, qui carmine ſignavit res geſtas Antiochi Magni. Ut ſatis liqueat omnino alium eſſe à longè antiquiore Simonide: qui inter IX lyricos numeratur.

Olymp. CLV, an. I, imperare cœpit Ptolemæus VI, cognomento φιλομήτωρ. Sub quo claruere duo Grammatici bene de Poëtis meriti, Ariſtarchus Samius, & Crates Timocratis filius, Mellotes Philoſophus Stoicus, cognomento Homericus & Criticus: qui libris novem ſcripſit διόρθωσιν * Iliadis & Odyſſeæ: teſte Suida. Ac Ariſtarchum quidem Philometor præfecit ſtudiis filii ſui Ptolemæi Lathyri, ac annis vixit LXXII, teſte Suida: ut etiam claruerit ſub Ptolemæo Phyſcone. Hujus Ariſtarchi ætate claruit Moſchus Siculus, bucolicus Poëta: ut quem Ariſtarcho fuiſſe familiarem dicat Suidas.

* Emendatiorem.

Olymp. CLVIII, an. III, regnare cœpit Ptolemæus ſeptimus, ſive Phyſcon.

Hujus temporibus claruit Nicander Colophonius, ſive Ætolus. Nam Anonymus vitæ ejus ſcriptor ait claruiſſe temporibus Attali, extremi regis Pergameni. At is regere cœpit Olympiad. CLX, an. III. Obiit verò hærede relicto populo Romano, Olymp. CLXI, an. IV. Exſtant ejus Θηριακά, & Ἀλεξιφάρμακα. In Θηριακά, præter alios, commentarium ſcripſit Demetrius Phalereus: ut indicat Stephanus in Κορώπη. Quiſquis ille, ſatis temporum ratio docet non poſſe eſſe inclytum illum Demetrium Phalereum, qui Ptolemæi Lagidæ temporibus claruit; ac Bibliothecæ præfuit. Præter ea, quæ dixi, etiam ſcripſit ἑτεροιούμενα, opus non abſimile Ovidianæ Metamorphoſeo. Meminere Athenæus, Antonius Liberalis, Tzetzes. Alia etiam multa reliquerat. De quibus dixi in Hiſtoricis Græcis lib. IV, cap. IV.

Sub eodem Olymp. CLXVI claruiſſe à Suida dicitur Soſitheus Syracuſanus, vel Athenienſis, aut Alexandrinus. Poëta fuit Tragicus; imò unus habitus ex Pleiade Tragicorum: ſicut ſuperius diximus. Ut vel hinc liqueat, non una vixiſſe ætate, qui Pleiada illam conſtituere exiſtimati. Alii verò ſerius vixiſſe ajunt: puta Olymp. CLXIV: quos ſequitur Lilius. Sed hæc non pugnant, quia tempus hoc ſub eodem ſit Phyſcone.

Olympiadis CLXV, an. I, Ptolemæus octavus, cognomento Lathyrus, Phyſconis filius, parenti in regno ſucceſſit. At Olymp. CLXVIII, an. II, pulſo Lathyro à matre Cleopatra ſuffectus frater Ptolemæus IX, ſive Alexander. Olympiade verò CLXXI, an. IV, pulſo Ptolemæo IX, ſive Alexandro, revocatus eſt Ptolemæus octavus, ſive Lathyrus, ac quatuordecim hinc annis imperium tenuit.

Olymp. CLXIX, an. II, quo Conſules fuere Marius IV, & Catulus claruit Antipater Sidonius; de quo ſic Cicero in libris de Oratore: *Quid ſi Antipater ille Sidonius, quem tu probe Catule meminiſti, ſolitus eſt verſibus hexametros, alioſque, variis modis atque numeris fundere ex tempore tantumque hominis ingenioſi, ac memoris valuit exercitatio, ut cùm ſe mente ac voluntate conjeciſſet in verſum verba ſequerentur.* Diximus de eo quædam lib. III de Hiſtoricis Græcis. Mirum eſt, quod de eo Valerius Max. ac Plinius prodidere quotannis non niſi ſemel febri ſolere corripi, idque natali die, atque eodem deceſſiſſe. Apollodorus Grammaticus, Aſclepiadis filius, Ariſtarchi Grammatici, de quo ante dicebamus, & Panætii Rhodii Philoſophi auditor. Atque hic eſt, qui reperit id carminis genus, quod tragijambum dixere.

Etiam ad Lathyri tempora referendus videtur Anaxipolis Thaſius: modo ſanus ſit locus iſte Plinii lib. XIV, cap. XIV, prout legitur in antiqua editione Parmenſi *. *Sic quoque diu* (vina) *tranſmarina fuerunt in auctoritate, ad atavos uſque noſtros: ſicut apparet ex illo Comici verſu Anaxipolis Thaſii:* * An. 1476.

Quinque Thaſii vini inde depromam, Falerni bina.

Anaxipolis inter rei ruſticæ ſcriptores etiam memoratur Terentio Varroni. Sed quanto ſit Varrone antiquior, non aliunde colligas, quàm ex eo, quòd Plinius hic (modo ſanus is locus; aliter enim recentiores editiones) dicat ſic Anaxipolidem ſcripſiſſe ætate atavorum: quod ſi generationi cuique annos demus XXX, id fuerit ante annos CL: quando Lathyrus regnabat.

Item eo regnante, circa Olympiadem CLXXIII, tum fuerit Dionyſius Σκυτοβραχίων, qui & Σκυτεύς, ſive ſutor. Paullo enim ante Ciceronis ac Cæſaris tempora floruerit, ſi ut à pleriſque proditus ait Suetonius, in illius contubernio Alexandriæ vixit M. Antonius Gnifo: qui æqualis Cæſari ac Tullio fuit. Qua de re & aliquid dictum in Hiſtoricis Græcis lib. IV, cap. V. Mileſium aliqui vocant; ſed Suidas Mitylenæum, qui & vocat ἐποποιόν, ac ſcripſiſſe ait Bacchi & Minervæ expeditionem, & Argonauticorum libros VI: ſed hæc eſſe quidem μυθικά, verum oratione proſa ad Parmenonam ſcripta.

Olymp. CLXXIV an. II regnare cœpit Ptolemæus X, ſive Auletes.

Eo imperante, nempe Olymp. CLXXX, an. I, h. e. anno Urbis DCXCII, Metello & Afranio Coſſ. Cicero dixit pro A. Licinio Archia Poëta: ut Sebaſt. Corradus colligit ex epiſt. XIII lib. I ad Att. Deſcripſit bellum Cimbricum; ac carmen de conſulatu Ciceronis fuerat exorſus. Hodieque aliquot ejus epigrammata in Ἀνθολογίᾳ ſuperſunt. Meminere ejus etiam Fabius, ac Tacitus.

Itèm hoc tempore vivebat Alexander Poëta: tempore nimirum Ciceronis, qui ſic de eo ad Atticum lib. VI: *Libros Alexandri negligentis hominis, & non boni Poëtæ, ſed tamen non inutilis, tibi remiſi.* Et alibi eodem libro: *A Vibio libros accepi: Poëta ineptus: nec tamen ſcit nihil: ſed eſt non inutilis: deſcribo, & remitto.* Videmus, ut parum magnificè de eo ſentiat Tullius. Ait Lilius Gyraldus ſe aliquoties dubitâſſe, an non is ſit Alexander Epheſius, cognomento Lychnus, Poëta & Orator, quem Strabo lib. XIV dicit fuiſſe ex recentioribus: ut tempora videantur convenire. Coſmographiam carmine reliquit. Vide quæ de eo diximus in III de Hiſtoricis Græcis.

Etiam Ptolemæi Auletæ temporibus floruit Theophanes Leſbius, Magni Pompeji familiaris, in expeditionibus comes, & eorum, quæ geſſit, Hiſtoricus. De Hiſtoria ejus diximus lib. I Hiſtor. Græc. cap. XXIII. Idem verò & nobilis Poëta fuit. Hodieque in tertio ἀνθολογίας duo habemus Theophanis epigrammata; quæ Leſbii hujus eſſe, Lilii Gyraldi judicium eſt dialogo IV Hiſtoriæ de Poëtis. Imò idem bellum Mithridaticum carmine epico ſcriptum tradit. Eſtque in eadem ſententia Janus Douza Nordovix præfatione hiſtoriæ ſuæ metricæ de rebus à priſcis Hollandiæ Comitibus geſtis. Sed puto, id ſi eſſet, Plutarchus non eum vocaſſet συγγραφέα, verum ποιητήν.

Claruit & Ciceronis ætate Philodemus, Poëta Epicureus, patria, ut ex Strabone conſtat, Gadaræus, Ciceroni memoratus orat. in Piſonem, ubi ſic Aſconius Pedianus: *Philodemum ſignificat, qui fuit Epicureus illa ætate nobiliſſimus, cujus & poëmata ſunt.* Gyraldus ſuſpicatur eundem, quem nominat Horatius.

Eodem Aulete regnante floruit Parthenius Poëta ἐρωτικός. Nam tempore belli Mithridatici captus fuit, eoque præceptore in Græcis uſus eſt Virgilius; ut apud Macrobium legere eſt lib. V. Saturn. cap. XVII. Etiam quædam ex ejus carmine expreſſit: ut ibidem legas de verſu iſtoc:

Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

Quod ex illo Parthenii:

Γλαύκῳ, καὶ Νηρεῖ, καὶ Ἰνώῳ Μελικέρτῃ.

Quid quod in codice Bibliothecæ Ambroſianæ, quæ eſt Mediolani; ad P. Virgilii Moretum hæc adſcripta leguntur, ut filio meo Iſaaco cum Italiam luſtraret, obſervatum: *Parthenius Moretum ſcripſit in Græco quem Virgilius imitatus eſt.* Quod valde adverſatur Scaligero, poëma id, licet elegantiſſimum, Virgilii eſſe neganti. Nec enim imperiti hominis commentum eſſe poteſt: ſed exſcriptum ſine dubio ex codice venerandæ antiquitatis. Quod ſi Virgilii fuerit præceptor, omnino alius ab eo videatur, quem ad Tiberii uſque tempora vixiſſe, ait Suidas. Niſi eo placet ad Tiberii tempora referri à Suida, quia dicarit ſuum opus Tiberio; quod facere potuit, ſimulac rem bello præclarè gerere cœpit: id vero fuit annis XXIX ante principatum ejus. Vide, quæ diximus de eo lib. II, cap. I, Hiſtoriæ Hiſtoricorum Græcorum.

Olymp. CLXXXII, an. II, regnare cœpere Ptolemæus XI, ſive Dionyſius, ac ſoror Cleopatra.

Horum tempore fuit Theodoris poëta, qui varia ſcripſit interque alia verſus in Cleopatram; ut eſt apud Suidam.

Item Boëthus Tarſenſis, qui carmine celebravit victoriam M. Antonii apud Philippos: ut refert Strabo. Videtur idem Boëthus, cujus in Ἀνθολογίᾳ quædam habemus epigrammata.

Auguſtum Cæſarem etiam Græcos verſus feciſſe, cognoſcimus ex Suetonio in vita ejus cap. XCVIII, Plinio lib. XXXV, cap. X, & Macrobio lib. II Saturn. cap. IV.

Cap. IX.

De quarta Poëtarum Græcorum ætate à morte Cleopatræ uſque ad Conſtantinopolin à Muhammede captam.

Sequitur quarta Poëtarum Græcorum ætas: quæ incipit ab Ægypto in Provinciam à Romanis redactam, ſive morte Cleopatræ, quæ poſtrema ſucceſſorum Alexandri imperium tenuit. Extenditur verò ad captam à Turcis Conſtantinopolim, quæ res incidit in annum CIↃ CCCCLIII.

Ætatem ſingulorum ſubjungam; ſed ut res planior ſit, non tam Olympiadibus diſtinguam, ut antè: quam Imperatoribus, ſub quibus vixere.

Auguſti ætate fuit Hemitheon Sybarita, Philoni *, ac Luciano †, memoratus: ex quibus conſtat verſus ejus fuiſſe, ac Sybaritica urbe condignos. Conqueritur Ovidius quod ſibi ſolum fuerit vertendum magis, quam poëtæ, qui multo ſcripſerat impudicius. Locus eſt lib. Triſtium II ad Auguſtum:

Nec qui compoſuit nuper Sybaritida fugit.

Sybaritidem eam ſignat Martialis lib. XII, epigr. XCVII ad Rufum:

Muſæi pathiciſſimos libellos,
Qui certant Sybariticos libellos.

Domitius Calderinus ait Sybariticos dici vel à Sybari poëta, vel urbe ejus nomen. Sed ejus nominis poëta fuit nullus.

Auguſti temporibus claruit quoque Iuba, rex Mauritaniæ, qui inter alia etiam carmine gaudebat. Ejus verſus in Leontem Argivum, ex Amaranti libris de ſcena refert Athenæus lib. VIII.

Nicolaus Damaſcenus Auguſto Cæſari cariſſimus fuit, inque omni ſtudiorum genere excelluit. Sanè Comœdias etiam, & Tragœdias, ſcripſit, eaſque δεδοκίμους ‡, ut ait Suidas. In iis fuit Tragœdia Suſanna, cujus meminit Euſtathius in Dionyſii Περιηγήσει, ubi de Tigride: Καθὰ καὶ ὁ γράψας τὸ δρᾶμα τῆς Σωσαννίδος, οἷμαι ὁ Δαμασκηνός *. In iis quæ proſa exaravit fuit liber de Vita ſua. Item de Inſtitutione Cæſaris Auguſti. Adhæc Hiſtoria καθολικὴ, ſive univerſalis. Ex quibus omnibus Henricus Valeſius primus edidit excerpta, quæ deſumſit ex Conſtantini Porphyrogenniti Collectaneis, libro de Virtutibus ac Vitiis. Addidit verò & quæ ex Hiſtoria univerſali hauſerat Stobæus. Plura de hoc Nicolao dixi lib. II de Hiſtoricis Græcis.

* In vita Moſis.

† Lib. de inerudito multos emente libros.

‡ Doctorum judicio probatas, ſive minime contemnendas.

* Quemadmodum & ſcriptor dramatis de Suſanna, Damaſcenus ut arbitror.

Antipater Theſſalonicenſis vixit tempore Auguſti Cæſaris: ut qui ſaltantem viderit Pyladem pantomimum: ſicut conſtat ex quodam ejus epigrammate Ἀνθολογίας lib. IV. Tit. εἰς ὀρχηστρίδας. At eum ac Bathyllum primos fuiſſe pantomimos, ac ſub Auguſto claruiſſe, ſatis notum ex Dione, Zoſimo, Suida, atque aliis. Alius eſt ab Antipatro Sidonio. Utriuſque multa epigrammata habemus in Græcorum Epigrammatum collectione.

Boëthus ejuſdem ætatis poëta eſt: ut qui & ipſe Pyladem viderit ſaltantem, ſicut indicat ejus epigramma, quod eſt lib. I Ἀνθολογίας Tit. εἰς αὐλητὰς, καὶ ὀρχηστὰς †. Condidit & carmen in victoriam, quam de Bruto Caſſioque conſecuti Octavius Auguſtus, & Antonius, in campis Philippicis: quemadmodum auctor eſt Strabo lib. XIV, ubi eum vocat, κακὸν ‡ δὲ ποιητὴν, κακὸν δὲ πολίτην. Ut & alia de eo legas, quæ de ætate non ſinant nos dubitare.

Auguſti, vel ſaltem Tiberii temporibus vixerit Dionyſius Alexandrinus, cujus hodie habemus περιήγησιν. De eo ſic in vita ejus Anonymus Scholiaſtes hactenus ineditus: Διονύσιος ὁ περιηγητὴς γεγονὼς υἱὸς Διονυσίου Ἀλεξανδρέως. Γέγονε δὲ ἐπὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν χρόνων μετὰ Αὔγουστον Καίσαρα, ἢ ἐπὶ αὐτοῦ. Diximus de eo pluribus in Græcorum Hiſtoricorum Hiſtoria lib. II, cap. III: Ubi de Auguſto Plinii verbis firmavimus. In quo ſi fallimur, proximum eſſe, ut dicam vixiſſe ſub divis fratribus, M. Aurelio, & L. Vero: ut hos ipſos intellexerit, cum Romam vocat magnam domum ſuorum dominorum, ſive, ut Græcè apud eum eſt, ἀνάκτων. Quomodo conſules nunquam vocaſſet. Igitur intelligit Imperatores. Sed quos ſignet non ſatis paret. Joſephus Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis ad an. CIↃCCXV per ἀνάκτας ſignari cenſet Severum cum filiis Geta, & Caracalla; quos ipſos per *triplicem poteſtatem* intellexit Tertullianus libro de Pallio; Sed cauſſæ nihil video, cur tam ſero vixiſſe credamus, contra veterum omnium opinionem. Nec neceſſe cenſeo, ut per ἄνακτας intelligamus Cæſares: cum poſſit ſignaſſe principes imperii Romani: & fortaſſe cum Auguſto Antonium, nondum hoſtem. Sed ſi omnino capere placet de iis, qui Cæſares dicerentur, non de Severo & filiis interpretabor, verùm divis fratribus, quos dixi. Nam non Severi demum, ac liberorum temporibus claruiſſe arguit, quod antiquior ſit Oppiano, qui Severi ætate floruit. Hoc liquet ex Tzetzæ, vel alterius inedita paraphraſi Oppiani ἰξευτικῶν, ſive de Aucupio librorum, quæ ſic deſinunt: Τοσαῦτά μοι, κράτιστε βασιλεῦ, περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς ἄγρας τῶν ὀρνίθων ἐστὶν εἰπεῖν. Διονύσιος δὲ αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ Λητοῦς Ἀπόλλωνος διδαχθῆναι φησί. *Hæc, optime Imperator, de vita, & captura avium, habui dicere. Dionyſius verò ait, homines ea eſſe edoctos ab Apolline, Latonæ filio.* Ubi vix alium putem intelligi, quam Dionyſium antea memoratum nobis. Quamquam Euſtathius tradat ὀρνιθιακὰ, quidem à quibuſdam Dionyſii τοῦ περιηγητοῦ, ab aliis verò Dionyſii Philadelphenſis exiſtimari. Sed de Dionyſio ſatis.

† In tibicines, & pantomimos.

‡ Malum & Poetam, & civem.

Tiberius Cæſar non Latinos modò, ſed Græcos etiam verſus fecit. Suetonius in Vita ejus cap. LXX: *Fecit & Græca poëmata, imitatus Euphorionem, & Rhianum, & Parthenium, quibus Poëtis admodum delectatus ſcripta eorum, & imagines, publicis Bibliothecis inter veteres, & præcipuos auctores dedicavit.*

Cæſar Germanicus, Druſi ex minore Antonia filius fuit. Eum veneno per Piſonem in Syria ſuſtulit Tiberius Cæſar. Hic, ut ait Tranquillus lib. IV, cap. III, *inter cætera ſtudiorum monumenta reliquit & Comœdias Græcas.* In Ἀνθολογίᾳ etiam Græci exſtant verſus in Themiſtoclem: dubium hujuſne Germanici, an Domitiani Cæſaris.

Nero-

Neroni poëma elegiacum de Theriaca inſcripſit Andromachus pater, patria Cretenſis, profeſſione Medicus. Sæpius meminit Galenus, qui & integrum carmen recitat libro ad Piſonem de Theriaca, & in primo de Antidotis.

Titum Cæſ. verſibus polluiſſe ac poëmata, & Tragœdias, Græcè ſcripſiſſe, teſtes Eutropius, Iſidorus, Suidas. Imò Tranquillo etiam, Latinâ Græcâque linguâ *in fingendis poëmatis promtum & facilis* fuiſſe dicitur. Ut non ab adulatione profectum videatur illud Plinii Senioris præfatione quam ad eum Naturali Hiſtoriæ præmiſit: *Quanto tu ore patris laudes tonas? quanto fratris amas! Quantus in Poëtica es! O magna fœcunditas animi. Quemadmodum fratrem quoque imitareris excogitaſti.* Extremis verbis ſignificat, exemplo fratris Domitiani, licet minoris natu, ſe contuliſſe ad Poëticam.

Sub Diocletiano vixit, ac encomium ejus, Suida auctore, ſcripſit Soterichus Aſites, Poëta heroicus: Diocletiani etiam encomium carmine ſcripſit: item Baſſarica, ſive Dionyſiaca, vitam Apollonii Tyanei, atque alia.

Sub Nerva etiam & Trajano claruit Serapio Athenienſis, Poëta & Medicus, Plutarcho amicus; quem de eo vide lib. de Oraculo Delphico.

Tum etiam fuit Rufus Epheſius, qui, præter alia, ſex libros de herbis verſu ſcripſit hexametro; ut ait Galenus lib. VI. de facultatibus ſimplicium medicamentorum. Sæpe ejus mimmere, Oribaſius, Ægineta, Aëtius.

Caninius Rufus municeps C. Plinii Novocomenſis fuit; ut liquet ex epiſtola tertia libro primo. Ubi eum hortatur, ut miſſis curis humilibus & ſordidis curis ſe in alto pinguique otio ſtudiis aſſereret: quippe jam tempus eſſe, hoc ut agat. Idem verò ad eundem lib. VIII. epiſt. IV. ſcribit. Eam ſic epiſtolam orditur; *Optimè facis, quòd bellum Dacicum ſcribere paras.* Id carmine aggreſſum, & quidem Græco, ſequentia oſtendunt. Utrùm vero hoc opus abſolverit, inque hominum manus venerit, dicere vix habeo. Non arbitror, quando ut ſcriptorum quos habemus, altum de eo ſilentium eſt.

Ptolemæus Alexandrinus, Hephæſtionis filius, cognomento Chennus, vixit ſub Trajano, & Adriano Imperatoribus, ac præter Hiſtoriam admirabilem, ſcripſit drama hiſtoricum, quod Sphingem vocavit: item Ἀνθόμηρον, quod poëma XXIV. libris conſtabat. Item alia. Auctor Suidas. Ἀνθόμηρον vero appellavit, non quia adverſus Homerum ſcripſiſſet, ſed quia adæquaſſet numerum librorum Iliados Homericæ: ut alibi * etiam diximus.

* Lib. 2 de Hiſtor. Græcis cap. 10.

Trajani, & Adriani tempore etiam fuit Admetus; ſed indignus, cui inſiſtam, quando ποιητὴς φαῦλος, *Poëta ineptus*, Luciano dicitur in Demonacte: ubi & verſiculus ejus memoratur, quem voluit monumento ſuo inſcribi. Is hujuſmodi fuit:

> Γαῖα, λαβ' Ἀδμήτου ἔλυτρον βῆ δ' εἰς Θεὸν αὐτός.
> *Terra cape Admeti ſpolium. Cœlum ipſe petivit.*

Quo audito, Demonax dixit, eſſe epigramma elegans, ac magno ſe empturum, ut diu fuiſſet inſcriptum. Eo indicabat præſtitiſſe, ſi ante multo mortuus eſſet. Demonax ille Epictetum audivit, & locutus cum Phavorino, Peregrino, Herode Attico, atque etiam Luciano. Quid mirum, quando penè centenarius evaſit: ut idem Lucianus auctor eſt.

Adriani Cæſaris epigramma in ἡμίξηρον, ſive ſemiaridum, habemus in Ἀνθολογίᾳ. Item verſiculum in tumulum Pompeji, ibidem. Spartianus in vita ejus non habuit pro bono Poëta. Sed ſunt verſiculi ejus, qui exſtant, ſatis elegantes.

Adriani Cæſaris, Suida teſte, libertus vel è præcipuis amicus fuit Meſomedes Cretenſis lyricus, interque alia celebravit Antinoum, delicias Adriani.

Ejuſdem Adriani temporibus claruit.... Poëta Epicus. De ætate teſtis Euſtathius *. Scripſit ἔργα θαλάσσια, unde fabellam de pompilo piſce vide apud Athenæum lib. VII. †. Apud eundem lib. XI. ‡ legas ſcripſiſſe Κογχορηίδα.

* Pag. 1616. edit. Rom. † Pag. 283 edit. Græcol. ‡ Pag. 478.

M. Antonini Cæſaris temporibus claruiſſe à Suida dicitur Marcellus Sidites, à Sida Pamphyliæ civitate ita dictus: qui artem medicam XLII. duobus libris verſibus heroicis perſcripſit. Hieronymus contra Jovinianum: *Legat, qui velit, Ariſtophanem, & Theophraſtum proſa, Marcellum Siditen, & noſtrum Flavium, verſibus differentes.*

M. Antonini Philoſophi Imp. claruit Iſagoras, Poëta Tragicus, diſcipulus Chreſti Byzantius. Meminit Philoſtratus.

Sub Severo fuit Neſtor Larandenſis, qui panxit Ἰλιάδα λειπογράμματον *: ita ut libro primo deeſſet prima litera, puta A; in ſecundo nuſquam inveniretur litera ſecunda, videlicet B; in tertio tertia deeſſet, Γ, atque ita in cæteris. Similiter Odyſſeam λειπογράμματον ſcripſit Tryphyodorus, ut dicam inferiùs.

* Iliada literarum aliquâ carentem.

Oppianus Cilix vixit ſub Antonino non Philoſopho, quod in Euſebii Chronico Hieronymiano perperam ſcriptum, ſed Caracalla, cui & ſua Ἁλιευτικὰ, vivo adhuc patre Severo dicavit. Ut κυνηγετικὰ eidem obtulit patre mortuo. Ac circa finem imperii ejus Caracallæ lue exceſſit. Ut Scaliger adverſus Hieronymum, & Oppiani Scholiaſtem Græcum obſervat Euſeb. Animad.

Alexander Severus Imp. teſte Lampridio, *vitas principum bonorum verſibus ſcripſit.* Græco autem id feciſſe ſermone, colligo inde quod initio vitæ dicat, *In Latinis non multum profecit, nec valde amavit Latinam facundiam.* Ac poſtea: *Facundia fuit Græca magis quàm Latina; nec verſu invenuſtus.* Ac poſt multa ſequitur: *Lectioni Græcæ operam majorem dabat.* Ac item poſtea: *Habebat, quam privatim conviviaretur, & librum in menſa, & legebat; ſed Græca magis. Latinos autem Poëtas lectitabat.* Sed qui iſti boni principes, quorum vitas Alexander deſcripſit? Docet id nos Vopiſcus in Aureliano his verbis: *Ab Auguſto in Diocletianum, Maximianumque, principes, quæ ſeries purpuratorum ſit, index publicus tenet. Sed in his optimi, ipſe Auguſtus, Flavius Veſpaſianus, Titus Cocceius Nerva, divus Trajanus, divus Adrianus, Pius & Marcus Antonini, Severus Afer, Alexander Mammææ; divus Claudius, & divus Aurelianus. Vide quæſo, quàm pauci ſint principes boni: ut bene dictum ſit à quodam mimico ſcurra Claudii, In uno annulo bonos principes poſſe deſcribi atque depingi.*

Quamobrem ita ſtatuo, vitas octo eorum, quos ante Alexandrum ipſum refert Vopiſcus, Imperatorem eum verſibus conſignâſſe.

Sub Alexandro hoc Mammææ filio, Suida teſte, fuit Piſander Larandenſis, aut Lycaon, ἐποποιὸς, qui carmine conſcripſit variam hiſtoriam libris VI. eamque inſcripſit ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν, quia nempe Iovis & Iunonis nuptias celebraret. Alius & Piſander Poëta fuit, ſed multo antiquior: de quo dictum in Olymp. XXXIII.

Opilius Macrinus, qui poſt Antoninum Baſſianum, Cæſar fuit, verſus ac epigrammata ſcripſit: etiam à quodam Græcis verſibus impetitus, jambico carmine reſpondit. Vide ejus vitam à Iulio Capitolino perſcriptam.

Sub Diocletiano vixit Soterichus Oaſites, Poëta epicus, qui & Diocletiani encomium ſcripſit: & Baſſarica ſive Dionyſiaca. Suidam adi, & quæ dixi in Hiſtoria Hiſtoricorum Poëtarum lib. II.

His etiam temporibus fuit Triphyllius Epiſcopus Cyprius, diſcipulus Spiridionis qui Tremithuntis Cypriorum fuit Epiſcopus. Hic Spiridionis ejus miracula, ac vitam verſibus deſcripſit Jambicis: ut eſt apud Suidam. Spiridionis ætatem ex eo cognoſcimus, quod Concilio interfuit Niceno. Vide de eo lib. I. Tripartitæ Hiſt. cap. X.

Sub Conſtantini liberis, item Iuliano, ac imprimis Valentiniano & Valente claruit Apollinaris Laodiceæ in Syria Epiſcopus: imò & attigit tempora Theodoſii M. Hic nulli ſuæ ætatis variâ ac ſolidâ doctrinâ ceſſit: &, quod Theologorum Græcorum non paucis defuit, Hebraicæ linguæ admodum peritus fuit. Utinam exſtarent XXX. ejus libri adverſus Porphyrium; quæ inter opera ejus

maximè probari ait Hieronymus in ſcriptoribus Eccleſiaſticis. In iis Euſebii etiam, ac Methodii induſtriam viciſſe, ait Philoſtorgius. Qui & hunc & Baſilium, ac Nazianzenum, inter ſe confert, uti & ex eo facit Suidas. Hoc loco autem memoratus nobis, quia & ſacrâ poëſi fuerit inclytus. Supereſt Pſalmorum paraphraſis, ſanè luculenta. Etiam Chriſtus Patiens à quibuſdam hujus eſſe, non Nazianzeni, putatur. De hoc Apollinare ita Ioannes Sa-
* Pag. 570. resberienſis lib. VIII. de Nugis Curialium cap. XXI.* *Scripſit Apollinaris, vir doctus, & ingenioſus, heroicis verſibus, pro Homeri poëmate Hebraicam antiquitatem, & in alio opere imitatus eſt Comœdias Menandri fabuloſitate deductâ. Euripidis quoque Tragœdias, & lyram Pindari ſecutus eſt, & abſolute dicendum, quia ex divi-*
† Encyclicas. *nis ſcripturis argumenta ſumens, endeticas † lectiones tempore parvo compoſuit; numero, virtute, moribus, conſcriptione, charactere, & diſpoſitione Græcorum valde pares.* Tantus vir non parum de ingenii doctrinæque laudibus detrivit novo dogmate, quo ſtatuit, Λόγον non mentem aſſumſiſſe humanam ſed ſolum corpus animâ præditum ſenſivâ. Nempe eo differebat ab Arrianis, quod hi putarent, adſumſiſſe corpus ἄψυχον, ille autem ἐμψυχωμένον ψυχῇ ζωτικῇ: quia, ut ajebat, nihil attineret ab ea aſſumi νοῦν, quia anima ſenſiva gubernaretur à Λόγῳ. Ut rationali anima nihil illi opus foret, qui aliquid haberet longè excellentius ac perfectius. De quo ita Vincentius Lirinenſis in Commonitorio: *Quid illo præſtantius acumine, exercitatione, doctrinâ? Quàm multas ille hæreſes multis voluminibus oppreſſerit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio eſt opus illud triginta non minus librorum nobiliſſimum, & maximum, quo inſanas Porphyrii calumnias magnâ probationum mole confudit. Longum eſt univerſa ipſius opera commemorare, quibus profectò ſummis ædificatoribus Eccleſiæ par eſſe potuiſſet, niſi profanâ illâ hæreticæ curioſitatis libidine novum neſcio quod adinveniſſet, quo & functos labores ſuos velut cujuſdam lepræ admixtione fœdaret, ut doctrina ejus non tam ædificatio, quàm tentatio potiùs Eccleſiaſtica, videretur.* Audiamus & Theophilum, Alexandrinum Epiſcopum, libro I. Paſchali: *Ceſſent Apollinaris diſcipuli ea, quæ contra Eccleſiaſticas regulas eſt locutus, propter alia ejus ſcripta defendere. Licet enim adverſus Arrianos, & Eunomianos, ſcripſerit, & Origenem, alioſque hæreticos, ſua diſputatione ſubverterit, tamen, qui me-*
‡ Deuteron. 1.17. *mor eſt illius præcepti ‡, Non accipies perſonam in judicio; veritatem ſemper debet deligere, non perſonas, &c.* Plura de Apollinari ſi voles, adde, quæ dixi libro ſecundo de Hiſtoricis Græcis cap. XVIII.

A Conſtantio conſors imperii factus eſt Iulianus anno CCCLVI. ſed ſolus imperavit anno CCCLXI. ac ſequenti. Hujus tempore fuit Eudæmon Peluſiotes, ut qui Libanii Rhetoris fuerit æqualis. Præter ea, quæ ad artem Grammaticam, ac Rhetoricam, pertinerent, varia poëmata condidiſſe, ex Suida cognoſcitur.

Domini ſui Iuliani Imp. geſta Calliſtus, qui eum in Perſica expeditione comitabatur, carmine heroico deſcripſit: ut eſt apud Socratem Hiſt. Eccleſ. lib. III. cap. XVIII. & Nicephron lib. X. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. XXXIV.

Sub Iuliano Imperatore etiam claruit Mileſius è Smyrna Ioniæ, quem Anatolius, vir ſummus maximo amore complectebatur. Poëſi ſe dabat & quidem omni carminis generi; ut auctor eſt Eunapius.

Item, eodem Eunapio teſte, tum fuit Ionicus Sardenſis, idem Medicus, & Poëta.

Gregorius Nazianzenus, qui eâdem ac Apollinaris ætate fuit, varia ſcripſit verſibus hexametris, atque aliis: quæ hodieque ſuperſunt. Major octogenario, anno Theodoſii Magni XIII. exceſſit è vita. Meminit & in ſcriptoribus illuſtribus Hieronymus, cujus præceptor fuit. Quanti ſemper habitus ſit, arguit, quod κατ' ἐξοχὴν Theologi nomen meruit.

Tum etiam claruit Amphilochius Iconii Epiſcopus, cui Baſilius librum de Spiritu S. dicavit. Inter alia carmen jambicum ſcripſit ad Seleucum, quinam Scripturæ libri ſint legendi. Latinè id habes in Bibliotheca ſanctorum PP. tom. VIII. edit. II.

Arcadii, & Theodoſii Iunioris temporibus enituere Euſebius Scholaſticus, & Ammonius. Ambo autem carmine deſcripſerunt bellum, quod adverſus Gainam, Gothorum regem, geſtum fuit. Meminit utriuſque Socrates lib. VI. cap. VI. & exinde Nicephorus lib. XIII. cap. VI. Dixi de utroque etiam in Hiſtoricis Græcis lib. IV. cap. XVIII.

Venio ad tempora Theodoſii Iunioris.

Ejus conjux fuit Eudocia, Leontii Sophiſtæ Athenienſis filia, antequam Chriſtiano fonte tingeretur ac Imperatori nuberet, Athenais dicta, tum deinde nuncupata Εὐδοκία, quia licet humili eſſet loco nata, ob eximias tamen animi ac corporis dotes ſic placuiſſet Imperatori, ut eam ſibi connubio jungere dignaretur. Hoc factum cum & ipſa & Imperator eſſent vicennes; Anno ſequenti peperit Eudoxiam, quæ poſtea Imperatori Valentiniano III. nupſit. Vigeſimo quarto Imperatoris anno, ſuoque Eudocia, renunciatur Auguſta. Anno ætatis XLIV. incidit in Imperatoris indignationem deprehenſa in mendacio ob μῆλον Ἔριδος, ut vocat Nicephorus, h. e. malum Eridis, ubi Langus perperam *contentionis ovum* vertit, ut multis obſervatum. Anno LIX. deceſſit in Palæſtina: cum antè juraſſet ſe puram eſſe criminis à Paullino. Quantum verò carmine etiam valuerit, docet Socrates lib. VII. cap. XXII. ubi vocat ἐλλόγιμον*, atque à patre Leontio inſtitutam in omni litera- * Diſertam.
rum genere, & cum maritus victoriam de rege Perſarum eſſet adeptus, de ea poëma feciſſe carmine heroico. Etiam ex Photii cod. CLXXXIII. & ſeq. cognoſcere eſt, eam reliquiſſe octateuchum, pro librorum numero, octo libris carmine heroico perſcriptam. Operam hanc plurimum laudat Photius. Atque addit, ſimili artificio condidiſſe μετάφρασιν metricam Zachariæ, & Danielis Prophetarum. Item libros tres carmine feciſſe in laudem B. martyris Cypriani. At nulla apud hos mentio eſt Homerici Centonis de Chriſto, qui hodieque exſtat. Et ſanè eum Aldus Manu-
tius †, & H. Stephanus ‡, tanquam incerti ſcriptoris ede- † An. 1504.
re maluerunt. Aliquorum opinio eſt eſſe Patricii Presbyte- ‡ An. 1578.
ri; de quo in Zenonis temporibus dicemus.

Eodem Theodoſio imperante claruit Cyrus Panopolita, carus ejus conjugi Eudociæ, ac ad Urbis præfecturam evectus, poſtea Cotyaci, Phrygiæ Urbe Epiſcopus, ad uſque tempora Leonis Imper. quemadmodum auctor eſt Suidas.

Item tum fuit Syneſius Ptolemaidos Epiſcopus: imò ad Theodoſium hunc ſcripſiſſe, teſtem habemus Euagrium lib. I. Hiſtor. cap. XV. Præter alia hymnos reliquit decem: quorum trina tralatio Guilhelmi Canteri, Franciſci Porti Cretenſis, & Dionyſii Petavii. Fortaſſis certiora quis ex eo colliget, quod apud Suidam legamus Auſonium Sophiſtam epiſtolas, & alia quædam ſcripſiſſe ad Nonnum.

Ejuſdem Imperatoris temporibus floruiſſe arbitror Nonnum Panapolitem, cujus paraphraſin, & Dionyſia habemus. Agathia eſſe antiquiorem certum eſt, cùm hic ejus meminerit. Vixit verò Agathias ſub Cæſare Iuſtiniano; ut mox dicam. Chryſoſtomo eſſe juniorem inde colligo, quod uſque adeo multis Chryſoſtomi veſtigiis, in Ioanne interpretando, inſiſtere amet. Præterea id dictio indicat Sophiſtica; qualis ſeculo quinto fuit ac deinceps: uti ex Heliodoro, Syneſio, & aliis liquet. Ac ſimiles è Poëtis Quinctus, Thryphiodorus, alii; de quibus mox dicam. Vixit tum, ut jam dixi, Syneſius, Cyrenes Epiſcopus; qui epiſtola XLIII. ad Anaſtaſium exaratâ meminit Nonni, *bona patris ſui Soſenæ ad alios transferentur.* Etiam tum claruit Nonnus Monachus & Epiſcopus è Taberonenſium Monaſterio: qui S. Pelagiam, aliter Margaritam vocatam, convertit; ut fusè in Pelagiæ vita narrat Iacobus, Diaconus Heliopoleos. Equidem vel utrumque, vel alterum eundem putem, quia tempora con-

convenıunt: Alioquin non ignoro, complures ejus fuiſſe nominis. Et *nonni* vocabulum natura eſt commune, ſive appellativum, ut vocant, ac ſignificat ſanctum, vel pietate & caſtitate celebrem; ac ſimile eſt *nonna*, unde Hieronymus ad Euſtachium: *Caſtà vocantur & nonna.* Hodieque virgines Chriſto dicatæ vocantur *nonna.* Atque ex his ſatis liquet, quantopere fugerit ratio doctiſſimum virum Carolum Paſchalium lib. I Coronarum cap. XVI; ubi ex Ovidii Faſtorum tertio, quatuor adducit Poëtæ ejus verſus de corona Bacchi hederacea, ac deinde binos ex Nonni Dionyſiacôn nono ſubjungit, atque ait, ſi Ovidius ſuos non verterit è Nonno, ſaltem inde ſententiam deſumſiſſe: quale nihil dixiſſet, ſi magis conſtitiſſet de Nonni hujus ætate. Nam ſatis ex iis, quæ diximus, liquet, Nonnum Ovidio quadringentis eſſe annis juniorem.

Tum etiam Proclus Lycius vixit, Philoſophus Platonicus, cujus hymni ſunt pares illis Orpheo tributis. Fuit diſcipulus Syriani Alexandrini, & Plutarchi filii Neſtorii: præceptor Marini Neapolitani. Quam varia ſcripſerit, dicet Suidas. Multa hodieque ſuperſunt. Scripſit quoque adverſus Chriſtianos; quibus Joannis cognomento Philoponus, vel Grammaticus, reſpondit.

Anno CCCCLVIII, ac deinceps, ſub Leone in Oriente, Majoriano Cæſare in Occidente claruit Iſaacus, ſacerdos Antiochenus; de quo ſic Gennadius in illuſtribus viris: *Iſaac presbyter Antiochenæ Eccleſiæ, ſcripſit Syro ſermone longo tempore, & multa: præcipuâ tamen curâ adverſum Neſtorianos, & Eutychianos. Ruinam etiam Antiochiæ elegiaco carmine planxit, coadjutores imbuens ſono, quo Ephrem Diaconus Nicomediæ lapſum. Moritur Leone, & Majorano regnantibus.*

Leonis ac Zenonis temporibus Petrus Ediſſenus ſacerdos claruit. De quo ſic Gennadius in viris illuſtribus: *Petrus Edeſſenæ Eccleſiæ presbyter, declamator inſignis, ſcripſit variarum cauſſarum tractatus, & in morem ſancti Ephrem Diaconi pſalmos metro compoſuit.*

Zenonis Imperatoris temporibus, ut ex Zonara*, ac Cedreno cognoſcimus, claruit Pelagius Patricius, qui Ὁμηρόκεντρα, ſive Homericos centones de Chriſto fecit. Etiam in Bibliotheca quondam Palatina num. CCCXXVI, ſtatuitur Patricii presbyteri poëmatium Homericis verſibus de Chriſti incarnatione, vita, ac morte. Ac numero CCCLXXXII refertur Patricii Homerocentra, ſeu Chriſtias ex Iliade & Odyſſea Homerica. Multis perſuaſum fuit eſſe opus Eudociæ Imperatricis: de qua in Theodoſii Junioris temporibus diximus. Sed ut tum monebamus, hoc ſi eſſet, meminiſſet ejus Photius, qui de ſcriptis Eudociæ loquitur cod. CLXXXIII, & ſeq. Quare non diſplicet, quod in re incerta, nec Aldus Manutius, nec H. Stephanus, nec qui Pariſinæ editioni anni CIↃ IↃ CIX præfuerunt, nomen vel hujus, vel illius apponendum putarunt. Magis tamen eò inclinat animus, ut Patricii, quam ut Eudociæ laborem arbitrer.

* *Annalium tom. 3 in Vita Baſilii imperat.*

Sub eodem Zenone floruit Pamprepius Panopolitanus, etiam gratiâ apud eum valuit. Magni fuit Procli diſcipulus, inque religioni gentili perſtitit, nec id diſſimulavit, ubi omnes videret in Urbe Chriſtianos. Vide de eo multis diſſerentem Suidam.

Item tum fuit Marinus Neapolitanus, Procli itidem diſcipulus: cujus & vitam deſcripſit, idque, ut Suidas ait, καταλογάδην, καὶ ἐπικῶς, proſâ, & verſu.

Sub Anaſtaſio claruit, Suida teſte, Chriſtodorus: qui libris ſex complexus Ἰσαυρίας ἅλωσιν, ſive de Iſauria ab Anaſtaſio ſubacta. Alia ejuſdem refert Suidas.

Sub Anaſtaſio Imp. quoque, ut eſt apud Suidam, vixit Timotheus Gazæus, Grammaticus, qui in Anaſtaſium condidit Tragœdiam de Demoſio, qui Chryſargyrus vocatur. Verſu etiam de quadrupedibus, avibus ac ſerpentibus peregrinis & prodigioſis ſcripſit.

Etiam horum temporibus, puta poſt Marcianum, ſub Leone, Zenone, & Anaſtaſio, quantum videre poſſum, vixere Quinctus, Coluthus, Tryphiodorus, Muſæus. Sane ætate non admodum diſpares eſſe, ſimilis dictio oſtendit.

Ex his Quinctus libris XIV ſcripſit τὰ μεθ' Ὅμηρον, ſive Παραλειπόμενα: quomodo inſcripſit, quia Homerus hiſtoriam de Ilio non abſolvit. Vulgo ſolent Calabrum vocare, quia eum Beſſarion, Nicææ Cardinalis, extra Hydruntem, maritimum Calabriæ oppidum in pervetuſta æde B. Nicolai reperit. Atque hoc etiam in Græca Conſtantini Laſcaris Grammatica legere eſt. Nunc veriſimiliùs Smyrnæum nuncupant: quia ipſe lib. XIV dicat, ſe περικλύτοις ſive illuſtribus Muſarum ovibus Smyrnæ paſcendis, operam dediſſe: ex quo ſi de patria haud certò colligitur, ſaltem videmus ſcholam non infrequentem præſtantium diſcipulorum habuiſſe Smyrnæ. At nullo nititur fundamento, quod eum Ptolemæus Flavius* Romanum putavit. * *Cap. 32.*

Coluthus fuit Ægyptius, videlicet Lycopolites, ut fuerit ex Thebaide. Ejus librum de raptu Helenæ ibidem reperit Beſſario. Tempore Anaſtaſii Imperatoris clarè ait Suidas: qui & Calydonicorum ejus, & Perſicorum meminit.

Tryphiodorus itidem Ægyptius fuit. Ejus de Trojano excidio poëma primus divulgavit Aldus. Præterea verò alia multa reliquiſſe, ex Suida cognoſcimus. Inter hæc eſt Odyſſea λειπογράμματος †: de qua & Heſychius Mileſius teſtatur. In earum primo nullum erat A, in ſecundo nullum B, atque ita deinceps quiſque ὀδυσσείας liber eâ carebat literâ, quæ numerum libri indicaret. Ac ſimiliter Severi Imperatoris temporibus fecerat Iliada λειπογράμματον Neſtor Larandenſis: ut ſuperiùs, & alibi quoque nobis dictum ‡. Miror verò à Gyraldo dialogo de Poëtis tertio* memorari inter Poëtas, qui ſub Ptolemæis vixere.

† *Literarum aliquâ carens.*
‡ *Lib. 2. de Hiſtor. Græcis, cap. 4.*
* *P. 123. edit. Baſil. 1580.*

Muſæum, qui amores Leandri, & Herûs, conſcripſit, Cæſar Scaliger (at quantus vir!) in ſuis de re Poëtica libris Homero præmiſit, quia hunc putaret eſſe illum; cujus à Virgilio fit mentio in ſexto magni operis. Sed nihil manifeſtius, quàm hunc vixiſſe ſub Auguſtis, & quidem poſt quartum ſeculum. Itaque hìc, de quo jam ſermo nobis, in vett. libb. dicitur, Μουσαῖος ὁ Γραμματικός.

Etiam ſub Anaſtaſio Imperatore, ut teſtis eſt Suidas, claruit Marianus, Marſi filius: qui, ut idem ait, ſcripſit metaphraſin Theocriti jambis ter mille centenis & quinquaginta, item metaphraſin Apollonii Argonauticorum jamborum quinque millibus, ſexcentis, & octo. Præterea metaphraſin Callimachi Hecales, Hymnorum, Cauſſarum, & Epigrammatis ſexies millenis octingentis & denis, metaphraſin Arati jambis mille, centum, ac quadraginta, theriacorum Nicandri jambis mille trecentis ſeptuaginta, ac ſimiliter aliorum complurium Poëtarum.

Paulus Cyrus Florus Silentiarius Juſtiniani tempore, vel paullo antè, templum Conſtantinopolitanum carmine deſcripſit; ut teſtatur Agathius lib. V, ubi & præclarum ejus elogium invenies, aliaque etiam poëmata ediſſe cognoſces. De ætate auctor quoque nobis Suidas; qui clarè ait Agathiam cum Silentiario, & Conſule Macedonio, & Triboniano, vixiſſe ſub imperio Juſtiniani.

Juſtiniani Cæſaris tempore claruit Agathias Scholaſticus Smyrnæus, qui præter Hiſtoriam de Beliſario, ac Narſete, etiam carmine Daphniaca ſcripſit, ac complura etiam Epigrammata ſuperſunt in Ἀνθολογίᾳ. Vide Suidam.

Sub eodem Juſtiniano fuit Tribonianus Sidetes, qui verſibus reliquit commentarium in Canonem Ptolemæi. Item carmine ſcripſit de menſium permutatione. Atque alia, de quibus apud Suidam.

Eunomianus Suidæ memoratur verbo Εὐνομιανός, atque item voce Ἔλλων. Ætatem indicat, quod eum ſub Juſtiniano imperatore Beliſarius è ſacro fonte ſuſcepit. Sed non ſatis eſt evidens, utrum hic ſit Poëta ille Ortho-

doxus

doxus Eunomianus, cujus in hiſtoriam Philoſtorgii Arriani epigramma eſt in codice epigrammatum olim Palatino, nunc Vaticano, atque ab Jacobo Gothofredo præmiſſum accuratæ editioni Philoſtorgii.

Sub Heraclio, qui Phocæ Imper. ſucceſſit, fuit Georgius Piſides, Conſtantinopolitanus Diaconus, & Χαρτοφύλαξ, ſive Chartularius, ut Suidas auctor eſt, & Nicephorus lib. XVIII Hiſt. Eccleſ. cap. XLVIII. Jambicis trimetris ſcripſit de Vanitate; item de operibus ſex dierum: ex quo ſolum ſuperſunt verſus CIↃLXXXVIII; ſed olim erant verſuum tria millia, ut eſt apud Suidam. Interim ex deperditis paucula ſuperſunt fragmenta apud Suidam in Στιγμείτης, Σφύζω, Τέλμα, Ἡρακλεία λίθος, ἀπόσπονδος, κίβδηλος, & Ἀρχιμήδης. Item Georgium Cedrenum in Heraclio. Imp. & Nicetam lib. X Theſauri Orthodoxi, qui ipſi apud Nicephorum leguntur loco antè memorato. In Mſo Codice Bibliothecæ Auguſtanæ inſcriptio prologi eſt iſtiuſmodi: Γεωργίου*, Διακόνου τῆς ἁγίας Ἐκκλησίας τοῦ Πισίδου προοίμιον τῆς ἑξαημέρου διὰ ἰαμβῶν στίχων. Ex eodem Suida diſcimus etiam ſcripſiſſe alia. Sed de his in Hiſtoricis Græcis diximus.

* *Georgii, Diaconi ſanctæ Eccleſiæ, cognomento Piſidæ, proœmium opificii ſex dierum, verſibus jambicis.*

Leonis Iſauri, & Conſtantini Copronymi temporibus fuit Joannes Damaſcenus: qui imprimis inclaruit lib. IV de fide Orthodoxa: in quo Petro Lombardo Sententiarum Magiſtro, magnam partem præivit. Alia etiam multa ſcripſit, quæ exſtant. Deperiit vero Suſannæ drama: cujus meminit Euſtathius commentario in περιήγησιν Dionyſii Afri.

Iiſdem temporibus floruit Coſmas Hieroſolymitanus, cognomento ἁγιοπολίτης, Epiſcopus Urbis Μαϊούμα. Ejus hymni tredecim Latinè exſtant in Bibliotheca SS. Patrum Tom. VIII. edit. II.

Michaël Pſellus vixit ſub Conſtantino Monomacho, ac Michaële Stratiota, & Iſaacio Comneno: at floruit imprimis ſub duobus Ducibus Conſtantino, & Michaële; quorum ille cœpit imperare anno CIↃLIX: hic deſiit anno CIↃLXXVIII. Verum & ſub Nicephoro Botoniate fuerit, & Alexio Comneno; ſi ejus eſt præfatio præmiſſa Dioptræ à Philippo Solitario ſcriptæ verſibus Politicis. Nam Philippus ait, ſe ea ſcripſiſſe anno Alexii decimoſexto, à natali Chriſti CIↃCV. Fuit Pſellus omnijugæ doctrinæ, atque idem πολυγραφώτατος; atque inter alia tam multa, quorum Catalogum doctiſſimus Leo Allatius texuit diſſertatione de Pſellis, complutia perſcripſit carmine jambico, aut verſibus politicis. Ut verſus jambicos de vitiis, & virtutibus; quos Heraclidis Pontici Allegoriis ſubjunxit Geſnerus. Sanè huic Michaëli tribuit quoque Andr. Schottus præfat. in Cantica Cant. ſed diſſentiente collega meo doctiſſimo Joanne Meurſio, qui Joannis Pſelli putabat. Utrumque de iſto, Michaëli exaravit carmina in Cantica Canticorum, ſynopſin legum verſibus politicis, verſus protoſyncellum, ænigmata verſibus politicis, verſus politicos de Grammatica ad Conſtantinum Monomachum: item περὶ ἀντιστοίχων: adhæc explanationem vocum obſcurarum: ex quibus nonnulla citat Suidas: multaque alia, quæ ex eodem Allatio petere eſt, qui & verſus ejus ineditos appoſuit non paucos. Ad poëſin quodammodo etiam referre poſſis, quod ſoluto ſermone ſcripſerit paraphraſin Iliadis Homericæ; cujus initium: Τὴν ὀργὴν εἰπέ, ὦ Θεά, τοῦ υἱοῦ τοῦ Πηλέως.

Michaël Ducas Imperator diſcipulus fuit Michaëlis Pſelli: à quo variis excultus diſciplinis. Imprimis vero ſe oblectavit verſibus faciendis, ut Hiſtorici Græci teſtantur.

Initio ſeculi decimitertii claruit Ephraëm; qui carmine jambico Chronicon condidit de Imperatoribus Conſtantinopolitanis. Diximus de eo in Hiſtoricis Græcis lib. II, cap. XXIX.

Poſt hoſce magis, & magis, jacere poëſios ſtudium cœpit, uſque ad Conſtantinopolin redactam in poteſtatem Muhammedis: quorum iccirco nomina ac tempora referre haud operæ putavi.

Præſertim quando curioſis hac parte ſatisfacere poſſit Lilius Gyraldus: uti & in priorum temporum multis: quos laudant Athenæus, Suidas, Stobæus, Ἀνθολογία à Maximo Planude collecta, ut alios taceam. Is Planudes, cùm triplex exſtaret epigrammatum editio, una Meleagri, altera Philippi, tertia autem Agathiæ; ex tribus illis collegit quæ maximè arriſerunt, ac ſeptem libris titulis κατὰ στοιχεῖα diſpoſitis, digeſſit. Etſi autem propoſitum ei fuerit omittere impia, imò & obſcena: quædam tamen reliquit, quibus tectiùs aliquid laſcivi contineretur. Ad poëſin etiam pertinet, quod Ovidii Metamorphoſin Græcè reddidit, ſed proſâ Catonis etiam diſticha expreſſit verſibus Græcis. Eorum cenſuram eruditam ſcripſit Joſephus Scaliger. Etiam ipſius Planudis quædam exſtant carmina in Bibliotheca Bavarica. Aſſentiri verò non poſſum Poſſevino, qui in Apparatu ſacro*, ait Maximum Planudem claruiſſe tempore Concilii Baſileenſis, quod inchoatum anno CIↃCCCCXXXI. Potius adſentio Genebrardo in Chronicis, qui floruiſſe ait anno CIↃCCCLXX. Ac favet Raphaël Volaterranus in Anthropologia ſua, ſive commentariorum Urbanorum lib. XVII. Ubi ſic ſcribit: *Maximus Planudes, monachus Conſtantinopolitanus, vir planè doctiſſimus, vehementiſque ingenii, abhinc annos fere CL, Romana ab initio favit: ob quam rem ab Imperatore Conſtantinopolitano multa paſſus, in cuſtodiam tandem conjectus, contrà ſentire coactus eſt, tribus editis contra Romanam Eccleſiam argumentationibus. Quas ætate noſtra Beſſario, Cardinalis Nicenus perlegens mirari ſolebat, virum cæteris in ſcriptis excellentem, ſummumque Philoſophum tam ineruditos infirmoſque edidiſſe ſyllogiſmos, haud ob aliam putabat cauſſam, quàm quod ea, quæ metu perſcripſerit, animo improbaverit.* Ac plura de eodem inibi legas; uti & apud Poſſevinum in Apparatu Sacro.

* *Voce Maximus Planudes.*

Capta verò Conſtantinopoli, plus Græca Poëſis in Italia, quàm Græcia vigere cœpit.

Sanè præclarum Muſuri Cretenſis ingenium ſatis teſtantur pauca illa epigrammata: inter alia illud Platonis operibus præfixum: cujus ergo maximè à Leone decimo factus putatur Archiepiſcopus Epidaurenſis. Non adſpernanda iiſdem temporibus illa Joannis Laſcaris, ſed quæ tamen non augeant viri nomen. Et jam poſt Græcos Itali, & alii, feliciter tentare. Primus, ut puto, Angelus Politianus, etſi non omnia pari ſucceſſu: non parùm verò laudis meruit epigrammate in Venerem Armatam, & imprimis illo, in Venerem Ἀναδυομένην†, quæ cum antiquis certant.

† *Emergentem.*

Anno CIↃIↃXXXI carmine Græco, quali nunc lingua utuntur Græci, Leonardus Fortius Romanus ſcripſit de re militari, & inſtrumentis bellicis, additis etiam imaginibus.

by Google

DE POETIS GRÆCIS INCERTÆ ÆTATIS.

AGathyllus Arcas, Poëta elegiographus ab Dionyſio * Halicarn. laudatur in iis, quæ de adventu Æneæ in Italiam prodidit. Diximus & de eo in tertio de Hiſtoricis Græcis, ubi de Demagora.

** Lib. 1. Antiquit. Rom.*

Alcander Poëtane, an alius generis ſcriptor fuerit, non video unde colligi poſſit, niſi forte hoc ex loco Clementis Alex. in προτρεπτ. Τὰς δὲ Μούσας †, ἃς Ἀλκανδρος Διὸς καὶ Μνημοσύνης γενεαλογεῖ, καὶ οἱ λοιποὶ ποιηταὶ καὶ συγγραφεῖς ἐκθειάζουσι καὶ σέβουσιν.

† Muſas vero, quas Alcander genus ducere ait à Jove & Mnemoſyne, ac reliqui Poëtæ & ſcriptores pro diis habent ac venerantur.

Alcimenes duo fuere, Megarenſis Tragicus, & Athenienſis Comicus, uterque Suidæ memoratus. Poſterioris Theſaurum, & Peccantes, citat Athenæus.

Ananius jambographus fuit. Meminit Athenæus in tertio, Dipnoſoph. & Iſaacius in Lycophronem, quo loco de jambographis agit.

Anthippus Comicus fuit.

Anyte Poëtria Tatiano memoratur. Superſunt ejus quidem verſus in aves, & epigramma in Themiſtoclem.

Archeſtratus ſive is Syracuſanus, ſive Gelous, Terpſionis diſcipulus, carmine conſcripſit quæ ad gulam ac ventrem pertinent: eoque poëma id dicebatur γαστρονομία, γαστρολογία, ἡδυπάθεια, δειπνολογία, ὀψολογία, vel ὀψοποιΐα. Eſſe eam Epicureæ Philoſophiæ metropolim dicebat Chryſippus.

Ariſtæus carmine ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν libros ſcripſit.

Ariſton Chius Tragicus, qui cum in Meneſtheum, virum fortem Tragœdiam ſcripſiſſet, urbe Athenarum pulſus eſt; ut memorat Plutarchus. Meminit & Laërtius lib. VII. in extrema Zenonis vita.

Ariſtophon Poëta Philoctetem fecit, cujus meminit Plutarchus.

Aſius Poëta, patriâ Samius fuit, filius Amphiptolemi, ac ἐγενεαλόγησε, ſive genealogias conſcripſit. De patre patriâque auctor Pauſanias in Achaicis; de opere memorato, teſtis idem in Meſſenicis. Meminit quoque carminum Aſii in priore Eliacorum, & Bæoticis. Binos quoque verſus memorat pene initio Arcadicorum. Etiam Poëtam nominat in Corinthiacorum ſecundo. Athenæus item in tertio veterem vocat Poëtam: ac in duodecimo ſeptem memorat verſus, quos ex eo citârit Duris hiſtoricus. De Metabi, & Menalippes fabula carmen reliquiſſe, auctor eſt Didymus, ſive alius, ſcholiis in Odyſſ.

Augeas Athenienſis, mediæ Comœdiæ Poëta, cujus fabulæ Ruſticus, & Poëta. Vide Suidam. Stephanus verò & Augen μελοποιὸν memorat. Sed is alius, patria Tegeates, ex Creta.

Autocrates Athenienſis Comicus, cujus fabula Tympaniſtes apud Suidam.

Axionicus memoratur Athenæo. Fabulæ ejus Phileuripides, Chalcidicus, & Tyrrhenus.

Babrias fabulas Æſopicas Græcis jambis expreſſas in duo volumina coartavit: ut eſt apud Avienum præfat. fabularum Æſopicarum ad Theodoſium Ambroſium. Aliis non Babrias, ſed Gabrias vocatur. Verùm *Babrias* auctoritate Suidæ comprobatur. Quæ verò fabulæ jambis ſcriptæ Gabriæ nomen præferunt, potiùs ſunt Ignatii Diaconi: ſi quibuſdam Mſsis fides, ut in Oratoriis etiam diximus.

Batton Comicus, cujus fabulæ Androphonos, & Euergetæ. Meminere Athenæus, & Suidas.

Batalus Epheſius Poëta, vel, ut Libanius ait, tibicen, vel hiſtrio, juxta Thomam Magiſtrum; quod nomen Demoſtheni ab inimicis datum.

Blæſius σπουδαιογελοίων ποιητὴς, natus fuit in Capriis, Italiæ inſula, teſte Stephano in Καπρίῃ.

Bæotus parodiarum Poëta fuit, alius à Tarſenſi, de quo dictum Olymp. CLXXXII.

Boiſcus Cyzicenus reperit jambicum tetrametrum octonarium: qua de re diximus lib. II. de re Poëtica, cap. XXV.

Butas Poëta elegiacus de Romanorum rebus cauſſas attulit fabuloſas. Lupercalium cauſſas inde adducit Plutarchus in Romulo. Meminit & Arnobius in V. *Sicut ſuis ſcribit in Cauſſalibus Butas.* Perperam vulgo *putas*. Quod & Pithæus vidit, & ab eo monitus Heraldus; cùm priùs eos ſecutus foret, qui pro *putas*, *Plutarchus* reſcribunt; perperam profectò, cùm à Plutarcho Butas citetur; quemadmodum vidimus. Diximus de eo quoque lib. III. de Hiſtoricis Græcis.

Callias Athenienſis, filius Lyſimachi σχοινοπλόκου, ſive reſtionis, unde, & ipſe σχοινίον, ſive funiculus, dicebatur. In ejus Tragœdiis fuit Grammatica, quam memorat Athenæus lib. X. Item ſcripſit Cyclopes: quas advocat Pollux lib. VII. cap. XXIV. & XXVI. Præterea à Suida referuntur Ægyptius, Atalanta, Pedetæ (Πεδῆται) Ranæ, & Σχυλαζόντες.

Callinus ἐν τοῖς ἐλεγείοις citatur Athenæo lib. XII. Antiquior fuit iis, quæ adverſa perpeſſi Magnetes. Clemens Alex. lib. I. Stromat. Καλλῖνος δὲ πρεσβύτερος οὐ μακρῷ. τῶν γὰρ Μαγνήτων ὁ μὲν Ἀρχίλοχος ἀπολωλότων, ὁ δὲ εὐημερούντων μέμνηται. Vide & de Callino Strabonem lib. XIII.

Cantharus Athenienſis Comicus, cujus fabulæ Medea, Tereus, Symmachiæ, Myrmeces, & Aëdones; ut eſt apud Suidam. Tereus citatur Athenæo lib. III. ac ejus nominis fabula ſcripta è Græcis Philetæro, è Latinis Livio Andronico.

Capito Alexandrinus Poëta ἐποποιὸς ad Philopappum ſcripſit commentarios, quos Athenæus citat lib. VIII. item ἐρωτικὰ, de quibus idem lib. VII. Alium eſſe à Capitone, hiſtorico Lycio, dictum lib. III. de Hiſtoricis Græcis.

Capnias Poëta memoratur Suidæ, dicitque nihil ſcripſiſſe præclari: ut nihil mirum, ſi omnia ejus abierint in fumum, qui Græcis κάπνος, unde nomen Poëtæ Καπνίας.

Carneades, Poëta elegiacus, ſed frigidus: alius à Carneade Philoſopho. De utroque eſt apud Laërtium lib. IV. Suidas & tertium memorat, itidem Philoſophum, Anaxagoræ Philoſophum. Sed de Poëta ſilet.

Cato ſive Batto Comicus.

Charmus Syracuſanus reliquit Δειπνολογίαν, ſive Ὀψολογίαν, vel Ἡδυλογίαν aut Γαστρονομίαν.

Chryſippus Georgicorum ſcriptor memoratur inter quatuor Chryſippos a Laërtio lib. VII. Eoque in Poëtis recenſet Lilius Gyraldus Hiſtoriæ de Poëtis lib. III. Sed non video, cur non poſſit proſâ de re ruſtica ſcripſiſſe, ut alii multi.

Chryſippus καταβαυκαλήσεις, ut vocat Athenæus lib. XIV. h. e. nutricularum nænias. Quinctilianus lib. I. cap. X. *Chryſippus etiam nutricum quæ adhibentur infantibus, allectationi ſuum quoddam carmen adſignat.* Sed de Chryſippo nihil video quod ad Poëtas. Nam καταβαυκαλήσεις iſtæ ſunt Chryſippi Stoici, cujus nota eſt ætas.

Chryſippi Tyanei Ἀρτοκοπικόν, ſive de panis conficiendi ratione, Athenæo lib. XIV. Non multo ante Athenæum vixit.

Clearchus Comicus, cujus fabula Corinthii: unde ſententiam citat Athenæus in XIV.

Cleomenes Rheginus Poëta fuit dithyrambicus, ac poëma reliquit, cui nomen Meleagrum. In eo retulit,

albi fuiſſe coloris aptum Calydonium: ut legere eſt apud Athenæum in nono Δειπνοσοφ. Fortaſſe alius ab hoc Cleomenes ille, quem Clemens Alexandrinus lib. I. Στρωματ. ait librum reliquiſſe περὶ Ἡσιόδου, ſive de Poëta Heſiodo fuerit, ſive potiùs in poëmata ejus commentarius.

Cleophon Athenienſis Tragicus, cujus fabulæ Actæon, Achilles, Telephus, aliæ quas Suidas recenſet. In iis & Δεξάμενος, ſive *Accipiens*. Niſi id potiùs cognomentum alicujus fabulæ. Ad Thyeſtem Lilius referebat. Sed ordo facit, ut ambigam. Nam inter Bacchas, & Erigonem collocatur.

Clidemi Atthidem Athenæus citat.

Clonas Tegeates, vel, ſecundum alios, Thebanus, relatus inter Poëtas elegiographos, & epicos. Primus reperiſſe dicitur nomos, ſive leges muſicas: quamquam alii ab Ardalo, unde Muſæ ſunt Ardalides dictæ, repertas putent. Sed nihil impedit, quo minus νόμοι alii ab hoc, alii ab altero ſint reperti. Quicum convenit, quod aliqui à Clona ſolum Apothetum, & Schœniona repertos prodiderunt.

Corinnus primus dicitur Iliadem compoſuiſſe carmine: ſuaque inde, ut ajunt, hauſerit Homerus. Addunt Palamedis fuiſſe diſcipulum: ut ex Suida cognoſcimus. Mihi non modo de ætate incertum eſt, ſed etiam an fuerit. Dixi de eo in quarto de Hiſtoricis Græcis, cap. I.

Cyliſcus Tragicus, quem Protogenes meditantem depinxit, ut refert Plinius lib XXXV. Hiſt. Nat.

Damocharis Poëtria, cujus & quædam epigrammata ſuperſunt.

Damocrates, Servilius de arte medicâ carmine varia perſcripſit; ut ex pluribus Galeni locis, item Plinii lib. XXV. cognoſcimus.

Daphitas, Poëta, & Grammaticus, ob maledicentiam in reges, cruci fuit affixus in Thorace Magneſiæ monte.

Demetrii Poëtæ Græci fuere complures: unus Tarſenſis ſatyricus; alius jambicus; alius Comicus, alius denique epicus.

Demetrii Phalerei Comici, fabulam nomine Siciliæ memorat Athenæus lib. III. ubi quatuor inde ſenarios adducit.

Demochares Solenſis (vel Solius, Δημήτριος ὁ Σόλιος) memoratur Plutarcho in vita Demetrii Poliorcetæ. Ubi refert, ut ſicut Demetrio huic Lamia erat meretrix, ita & ſibi Lamia foret, eoque fabulam ſuam Demetrium inſcripſerit. Mirum ejus non meminiſſe Lilium.

Dexicrates Athenienſis Comicus, cujus fabula ὑφ' ἑαυτῶν πλανώμενοι, à ſemetipſis aberrantes, ſive mente abalienati. Meminere Athenæus, & Suidas.

Dicæogenes, Tragicus, & dithyrambicus, Harpocrationi, & Suidæ memoratur.

Dionyſiodorus Trœzenius. Ejus verſus citatur à Plutarcho initio Arati. Meminit & Apollonii Scholiaſtes, ubi ex eo tradit κέσμιλον eſſe Meromium.

Dionyſius, cognomento ἰταίτης, ſcripſit elegiarum libros, quibus hiſtoriam XV. Eroticῶn debet Parthenienſis. Interpres Elaiten vocat ubi in Græco ἰταίτην, hoc eſt, circulator.

Dioxippus Athenienſis Comicus reliquit fabulas haſce, Philargyrum, Diadicazomenum, Hiſtoriographum, & Antipornoboſcos.

Doſiadas condidit è verſibus βωμὸν ſive aram, à figura ſic dictam. Meminit ejus Lucianus in Lexiphane. Patriâ Rhodium fuiſſe, liquet ex Græcis Scholiis ad Ovum Simmiæ. Primus edidit Salmaſius, ac eruditis Scholiis emendavit. At altera ara, quæ Theocrito ſolet ſubjungi, nec Theocriti, nec Doſiadæ eſt; ut eidem Salmaſio oſtenſum.

Ecphantidis Comici ætas, ſi unus modo Chœrilus Poëta fuiſſet ex eo cognoſci poſſet, quòd famulus ei fuerit Chœrilus, qui in Comœdiis ſcribendis adjutabat: ut eſt apud Heſychium in Ἐκκεχοιριλωμένη. Sed fuiſſe Chœrilos plures diximus ad Olymp. LXXV.

Elephantis, ſive Elephantine Poëtria κατακλίσεις, ſive varia concubitus genera deſcripſit. Memoratur in Priapejis: item Martiali lib. XII. epigr. XLIII. nec non Tatiano Aſſyrio adverſus gentes. Spiſſus eſt error Iulii Cæſaris Capacii lib. II. Hiſtoriæ Neapolitanæ*, ubi non Poëtriam, ſed Poëtam fuiſſe exiſtimat. * Pag. 550.

Epigenis Μνημάτιον. Athen. lib. XI.

Epilycus Poëta Chius fuit teſte Athenæo. Meminit & Suidas in Cratete.

Epinicus Comicus, cujus fabula Ὑποβαλλομένη citatur Athenæo.

Euages literarum patrum gnarus, ſed ingenii felicitate nomen Poëtæ aſſecutus. De quo Dionyſius in Hiſtoria Muſica ſcripſit.

Euangelus Comicus, cujus fabula Ἀνακαλυπτομένη, ut Athenæo vocatur lib. XIV. ſive ἀνακαλυπτόμενος, ut dicitur Suidæ. Vide quæ de eo Athenæi loco Caſaubonus annotat in Animadverſionibus†. † Pag. 648.

Euanthes, Poëta Epicus, ex quo aliqua de Glauco Anthedonio, & Ariadne à Theſeo relicta in Dia, Athenæus narrat in Dipnoſophiſticis.

Eudemus Poëta medicus, ut liquet ex Galeni lib. II. de Antidotis.

Euphron Comicus; cujus fabulæ Muſæ, Synephebi, Theori, Æſchra: meminere Athenæus, Suidas Stobæus.

Euphronius Poëta Straboni memoratus, qui refert, multa ſcripſiſſe de Priapo, cumque à flumine dixiſſe Orneatem.

Euthycles ſcripſit Ἄσωτον ἢ Ἐπιστολήν, de qua Suidas: item Ἀταλάντην, apud parœmiographos in βοῦς ἕβδομος.

Euthydemus, Athenienſis Poëta quædam ſua ſub nomine edidit Heſiodi.

Ezechiel, Poëta Iudæus, Tragœdiam de Moſe conſcripſit. Inſcribitur id drama Ἐξαγωγή, h. e. eductio, ſive liberatio Hebræorum. Antiquitatem arguit, quòd meminere Clemens Alexandrinus lib. I. Stromaton, & Euſebius Pamphili lib. IX. Præparationis. Exſtat Græce, cum tralatione, cum proſa oratione, tum verſu, quæ à Federico Morello*. * Edit. Pariſ. an. 1609.

Hedylogus Samius Poëta, vel, ut alii volunt, Athenienſis, Athenæo memoratur lib. IV. ubi & quædam ejus epigrammata referuntur. Mater ei Hedyle Samia Poëtria. Uti & Hedyle matrem habuit Poëtriam, Moſchinæ Atticæ filiam. Hæc jambis delectata.

Hegemon, Poëta epicus, bellum deſcripſit Leuctricum, quod inter Thebanos, & Lacedæmonios fuit: ut eſt apud Stephanum in Ἀλεξάνδρεια: quæ Trojanæ regionis urbs, & Hegemonis patria fuit. Ac videtur idem Hegemon; ex cujus Dardanicis quædam adducit Ælianus. Diximus de eo in Hiſtoricis Græcis lib. III.

Alius verò Hegemon Thaſius, cognomento Φακῆ, ſive Lens, vel Lentulus; qui cœnatum ἀναγραφὰς, ſive inſcriptiones ſcripſit. Fecit & parodias, gigantomachiam, & veterem Comœdiam, nomine Philinnam. In Comœdia viles repræſentabat perſonas: ut & Nicocharis Athenienſis. Teſtis de utroque Ariſtoteles libro de Poëtica.

Hegeſianax, qui aliis Ageſianax, fabulas carmine reliquit; ut ex Hygino, atque aliis videre eſt. Verſus ejus varios adducit Plutarchus libro de facie & adſpectu in Luna apparente. Quædam etiam Pauſanias ex Atthide ejus.

Hegias Trœzenius Poëta memoratur à Pauſania.

Heliodorus Poëta, & Medicus; ut liquet ex Galeni lib. II. de Antidotis: ubi & ex ejus Ἀπολυτικῷ † adducit verſus pluſculos memoratu dignos. Meminit ibidem Heliodori Athenienſis, Poëtæ Tragici: ſeu idem is, ſive alius. † Reſolutorius.

Heniochus, mediæ Comœdiæ Poëta: Athenæo memoratus, & Theophili in Lexico. Fabulas ejus recenſet Suidas.

Heraclides ποιητικὸς, τέχνας γεγραφὼς *: item alius ejuſce nominis, argutus epigrammatum ſcriptor, ſunt in XIV. illis ejus nominis à Laërtio memoratis extremo lib. V. ‡ Poeticus, qui præcepta ſcripſit.

Hera-

Heraclitus Poëta lyricus, cujus fuit carmen de duodecim Diis, memoratur Laërtio, lib. noni extremo.

Hermeſianax Colophonius, Poëta elegiacus, de patria Colophone egregium carmen condidit, ut ex Pauſania cognoſcere eſt. Fuit & alter ejus nominis, qui ſcripſit Perſica. Vide quæ diximus in Hiſtoricis Græcis lib. III.

Heſtiæa Alexandrina, Poëtria, ex Demetrio memoratur Straboni.

Hyperochus Cumanus juxta nonnullos is fuit, qui carmine panxit hiſtoriam Cumanam. Ea Athenæo, & Pauſaniæ memoratur: ut in tertio de Poëtis Græcis oſtenſum.

Ibycus Reginus memoratur Æliano lib. VI Hiſtor. Animal. cap. LI. Item Apollonii Scholiaſtæ lib. I.*

*Pag. 12.

Leontius Argivus Tragicus Poëta, de quo Argivus.

Licymnius Chius Athenæus lib. XIII. Μελοποιὸν † vocat Parthenius, Erotic. qui ex eo narrationem citat XXII.

†*Lyricum Poëtam.*

Lyceon Λυκίων myſteriorum effatu carmine complexus; ut pluribus Pauſanias à Corinthiacis docet.

Lyſimachus Bœotus Comicus; de quo Lucianus in Vocalium judicio.

Lyſippus Tragicus, Athenæo & Suidæ memoratus.

Leuceas Argivus Poëta carmine ſcripſit de gentibus, & earum inſtitutis ac moribus; ut ex Pauſania cognoſcimus.

Machon Sicyonius vel Corinthius, vel Caryſtius, (nec enim de patria conveniunt) reliquit Gnathænam, Manian, Nico, Hippen, & Phrynen. Memorat Athenæus. Docuit verò Alexandriæ. Ex eo Stratonici acutè dicta adfert Athenæus lib. VIII, cap. IX.

Manethos Mendeſius, vel Diospolites, δι' ἐπῶν ‡, ut ait Suidas, ſcripſit φυσιολογικά, ſive de natura, ἀποτελεσματικά, ſive de ſiderum effectibus, & alia quædam, ἀστρονομούμενα, ſive ad ſiderum ſcientiam pertinentia. Credo idem ac is qui ἐν τῇ τῶν φυσικῶν ἐπιτομῇ citatur à Laërtio in prooemia. At alius eſt Manethos Sebennyta, ſummi ſacerdotis Ægyptiaci, qui temporibus Ptolemæi Philadelphi annales Ægyptios condidit. De eo dictum in Hiſtoricis Græcis lib. I, cap. XIV.

‡*Verſibus.*

Maracbus, vel Malachus Poëta Syracuſanus, Ariſtoteli in quæſtionibus memoratur, atque ab eo tum maximè in verſibus pangendis valuiſſe memoratur, cùm minus eſſet mentis ſuæ compos.

Marci Epiſcopi Hydrunti hymnus in magno Sabbatho Latinè legitur in Bibliotheca Patrum Tom. VIII, edit. II. Græcè verò eſt ἀκροστιχίς.

Matreas ὁ Αλεξανδρεύς, de cujus ænigmate dixi in Oratoriis Inſtitut.

Matro Poëta parodiam fecit Homericam, ubi prior quidem verſus Homericus cum levicula immutatione, alter verò Matronis. Habes poëmatium apud Athenæum, venuſtum planè, niſi quatenus corruptum. Vide omnino de eo Caſaubonum Animadverſ. in Athenæum lib. IV, cap. V.

Melanopus Cumanus, Poëta, ut puto, antiquus. Pauſanias in Æliacis.

Menecrates Syracuſius Poëta, cujus fabulæ Maneſtor, & Hermioneus citantur ab Athenæo.

Menelaus Ægeus, Poëta heroicus, Thebaidem libris duodecim condidit: ut eſt apud Suidam. Alius ab eo eſt Menelaus Anæus, Stephano memoratus, Philoſophus, & Hiſtoricus; de quo in Hiſtoricis Græcis dixi.

Metagenis duo dramata, Αὖραι, & Μαμμάκυθος.

Metagenes Comicus Athenienſis ſervi filius fuit. Ejus Μαμμάκυθον fabulam citat Athenæus in VIII, & Suidas. Aliæ quoque fabulæ ejus recenſentur Suidæ, ſed quædam corruptè, ut Lilius arbitratur. Eum adi.

Mnaſalces Platæenſis è Sicyonia fuit, teſte Strabone. Quædam ejus epigrammata apud Athenæum leguntur.

Mæro Poëtria in Neptunum hymnum ſcripſit. Eadem citatur Μοιρὼ ἐν ἀραῖς, Mæro in execrationibus, Parthenio Erot. cap. XXVII.

Naucrates Comœdiam fecit Perſidem. Athenæus lib. IX: Ναυκράτης ὁ κωμῳδοποιὸς ἐν Περσίδι*. Ubi Lilius Gyraldus, videtur Ναυσικράτης legiſſe; ut in Nauſicrate dicam.

Naucrates Comicus in Perſide.

Naumachius, Poëta Chriſtianus, laudatur ab Arſenio Monembuſiæ Epiſcopo: qui & varios ejus verſus adducit. Meminere & Eraſmus, ac Lilius.

Nauſicrates reliquit Comœdiam Ναυκλήρους, ſive Naviculatores. Ter ejus in ſeptimo meminit Athenæus. Lilius Gyraldus Hiſtoriæ Poëtarum dialogo VII †, ait etiam Perſidem. Sed hic Athenæo lib. IX *Naucrates* vocatur: uti proximè dixi.

†*P. 295. edit. Baſil.*

Nicænetus Abderites, vel Samius, Poëta egregius, Athenæo memoratur lib. XIII, ac XV. & Parthenio in Eroticis, fabula de Biblide, & Cauno, item de Lyrici Phoronei fabula. Lilius Gyraldus dialogo III, de Poëtarum hiſtoria ‡ ait etiam reliquiſſe hiſtoriam Indigenam, h. e. Abderiticam, vel Samiam. Quod libris de Hiſtoricis Græcis refellimus.

‡*P. 130.*

Nicocles Comicus Ἀκαρεῖς, vel potius Ἰκαριεῖς, reliquit. Ariſtophani fuit æqualis. Vide de eo Caſaubonum Animadverſionum in Athenæum lib. VIII. cap. V.

Nonnus memoratus nobis in Theodoſii Junioris temporibus.

Noſſis, Poëtria inter lyricas memoratur Antipatro Theſſalo epigrammate notiſſima. Ac hodieque quædam ejus habentur.

Nothippus Tragicus, cognomento ὀψοφάγος, Athenæo memoratur.

Olen etiam inter hymnographos fuit. Ejus hymni in Junonem ita meminit Pauſanias in Atticis: Καὶ * θύουσί τε Εἰλειθυίᾳ Δήλιοι, καὶ ὕμνον ᾄδουσιν Ὠλῆνος. Item in Corinthiacis mentionem ejuſdem hymni facit. Fecit & hymnum in Achæian: ut idem Pauſanias teſtatur priore Eliacorum. Verba ſunt: Εἶναι † δὲ ἀνθρώπους, οἳ ὑπὲρ τὸν ἄνεμον οἰκοῦσι τὸν Βορέαν, πρῶτος μὲν ἐν ὕμνῳ τῷ ἐς Ἀχαιίαν ἐποίησεν Ὠλὴν ὁ Λύκιος. Ex eodem Pauſania in Phocicis diſcimus: Ὠλῆνα ‡ ᾆσαι πρῶτον τὸ ἑξάμετρον.

Et ſacrificant Lucinæ Delii, & hymnum canunt Olenis.

†*Eſſe homines, qui habitant ſupra ventum boream.*

Ophelion, Poëta Comicus: de quo Athenæus, & Suidas.

Palladas Poëta Iſacio Tzetzæ laudatur. Ejus Epigrammata in Anthologia laudantur. Ac valde laudat P. Victorius lib. XVI Var. cap. XV. At valde ridet H. Stephanus. Nempe rarò eſt, ut in ſtudiis etiam idem omnium ſit palatum.

‡*Primum repperiſſe ſenarios longiores. ut vertit Amaſæus interpres.*

Pancrates, Poëta Arcas, ſcripſit ἔργα θαλάσσια*: unde & aliqua adducit Athenæus.

Opera maritima.

Panolbius epitaphion ſcripſit in Hypatiam Erythræi filiam: item carmen ad Etherium, atque alia.

Patroclis ſenarii aliquot ſunt apud Stobæum, ſermone de inſperatis eventibus. Fortaſſe idem eſt ac Patrocles Thurius, de quo ſic Clemens in Protreptico: Πατροκλῆς τε ὁ Θούριος, καὶ Σοφοκλῆς ὁ νεώτερος ἐν τρισὶ τραγῳδίαις ἱστορῶν τῶν Διοσκούρων πέρι. *Patrocles Thurius, & Sophocles Junior, in Tragœdiis tribus, referunt de Dioſcuris.* Videri poſſit fuiſſe Poëta Tragicus, uti Sophocles Junior, cui jungi vidimus. Et fortaſſe illud de tribus Tragœdiis ad utrumque pertinet. Res foret liquidior, niſi & alii ejus nominis fuiſſent: ut Patrocles Geographus, Straboni memoratus lib. XI.

Petreius, vel Petridius, vel Petrichus aut Petricus (variè ea vox ſcripta invenitur) Plinio memoratur lib. XXI, cap. XV: *Illinitur &* (caucalis herba) *contra venena marinorum ſicut Petricus in Carmine ſuo ſignificat.* Ophiaca ſcripſerat: unde idem lib. XX, cap. XXIII: *Petricus, qui ophiaca ſcripſit, & Micthon, qui rhizotomumena, adverſus ſerpentes, nihil hippomarathro efficacius putant.*

Phanocles, qui in Oroſii, aliiſque codd. nonnullis perperam Panocles vocatur, carmen reliquit de Ganymedis

raptu à Tantalo: unde bellum inter Troëm, & Tantalum. Ejus verſus aliquos apud Stobæum habemus.

Phædimus, Stephano teſte, natus in oppido Macedoniæ, cui nomen Biſanthe, Poëta fuit elegiacus.

Pherenicus Heracleota, Poëta epicus, ex quo refert Athenæus, ut Nympha quædam, inter Hamadryadas alias, genuerit Σταφύλην, ſive vitem, & Συκῆν, ſive ficum: unde & Hipponax has dixerit ſorores. Plura de eo diximus in tertio de Hiſtoricis Græcis.

Philænis Leucadia, Poëtria, deſcripſit varios concubitus. Niſi potiùs Philocrates Athenienſis eorum fuit auctor, quæ ejus nomen præferebat. Hoc quidem Philænis ajebat. Memoratur Xenophonti in ſecundo Ἀπομνημονευμάτων, & in III Ἀνθολογίας, item Suidæ.

Philyllius poëmate jambico egit de urbibus: unde quædam Athenæus adducit lib. III, IV, & IX. Etiam Pollux, Stephanus, & Suidas, memorant: ut dixi libro III, de Hiſtoricis Græcis. Alius eſt Philyllius veteris Comœdiæ Poëta, de quo dixi cap. VI.

Philiſcus Comicus haſce (ut eſt apud Suidam) Comœdias reliquit: Adonin, Iovis natales, Themiſtoclem, Olympum, Panos γονὴν, h. e. natales ſive ortum, item Dianæ, adhæc Apollinis ortum. Diverſus ab hoc Philiſcus Thaſius: qui de apibus ſcripſit, & quia in deſertis apes coleret, *Agrius* dictus eſt, ut narrat Plinius lib. XI, cap. IX.

Philoſtratus Athenienſis, præter vitas Pelopidæ, & Epaminondæ, etiam ſcripſit Theſeida, teſte Laërtio.

Phlegides Poëta memoratur Ariſtoteli de Somno & Vigilia: item Themiſtio.

Phœnicides Comicus, teſte Athenæo & Suida reliquit fabulam Philarchum Μισούμενον, ſive exoſum.

Polycritus Siculorum geſta carmine heroico expreſſit: ut eſt apud Ariſtotelem ſive alium de admirandis auditionibus. Præcipuè autem deſcripſit res Dionyſii regis. Vide, quæ fusè de eo diximus in tertio de Hiſtoricis Græcis.

Polyeuctus Comicus peſſimi nominis. Ejus Heniochos laudat Athenæus lib. IX. item Suidas.

Prodicus Phocæus, Poëta epicus Minyada ſcripſit, opus hiſtoriis ac fabulis refertum: unde Polygnotus quædam picturarum cœpit argumenta; teſte Pauſania. Diverſus ab eo Prodicus Ceus, Euripidis magiſter, ex veteribus Sophiſtis, qui retulit, quomodo Herculi deliberando de vitæ inſtituto Voluptas ac Virtus adſtiterint, & qua uſæ oratione: ut eſt apud Xenophontem lib. II Ἀπομνημ. Ciceronem lib. I Off. Silium Italicum lib. XV, & Quinctil. lib. IX, cap. I.

Polymneſtus, Mileti filius, Poëta Colophonius carmen orthium, vel ut alii vocant orthrium conſcripſit: item quod ab eo *Polymneſtium* dictum eſt Sminthia quoque in Rhodo cecinit: ut ex Athenæo videre eſt. Ob fœditatem reprehenſus ab Ariſtophane Equitibus: Imò & Cratino memoratus; ut Suidas docet: adhæc Alcmani, & Pindaro. Atque ex his antiquitatem ejus cognoſcimus. Celebrant quoque Plutarchus, & Pauſanias. Nomen non inſcitum. Nam πολύμνηστος, *multis ambitus*: ut Homero * πολυμνήστη, ea, cujus multi ſint, aut fuerint, μνηστῆρες, *proci*. *Odyſſ. ξ.

Polyzelus Poëta reliquit Niptram, Muſarum generationem, Dionyſii & Veneris, aliaque.

Promathidas Heracleota, Mimijamborum Poëta.

Ptolemæus Cytherius, Poëta epicus, ſcripſit de mirificis viribus herbæ, quæ ψαλακάνθη dicebatur; ut apud Suidam legere eſt. Niſi, quod Lilius Gyraldus dialogo IV Hiſt. de Poëtis arbitratur, legi debet πυρακάνθη, quæ eadem eſt, ac ſcolymus, teſte Dioſcoride. Videtur autem hic eſſe ille, cujus in Ἀνθολογίᾳ habemus epigrammata: ut lib. I, εἰς μαθήματα, & lib. III, εἰς Τίμωνα τὸν μισάνθρωπον.

Pythangelus Tragicus, Poëta Grammaticus memoratus; ſed flagitioſis moribus, quam carmine notior.

Pythoſtratus Theſeidos poëma conſcripſit. Ejus & fratris ejus, qui fuit Xenophon Athenienſis, ſed à nobili Grylli filio diverſus, meminit Laërtius in Xenophontis vita, ubi VII Xenophontes recenſet.

Sacadas Argivus, qui ſtrophas reperit, & chorum Doricum inſtituit, &, ſecundum aliquos, endymatia. Vetuſtatem docet, quod ejus Pindarus meminit. Celebrant & Plutarchus ac Pauſanias.

Sacas, poëta Tragicus, teſte Suida. Non meminit Lilius: niſi idem ac Sacadas, de quo proximè dictum.

Scythinus Tejus, qui Diogeni in Heraclito ὁ τῶν ἰάμβων ποιητὴς, ubi & adverſus Heraclitum σκολιὸν ſcripſiſſe dicitur, Stobæo etiam memoratur lib. de Natura, & Stephano in Τέως. Vide quæ de eodem Scythino dixi Hiſtoriæ Hiſtoricorum Græcorum libro III.

Seleucus Tarſenſis Ἁλιευτικῶν libros quatuor panxit carmine: ut ex octavo Athenæi conſtat. Fuere & alii ejus nominis Scriptores: de quibus dixi in tertio de Hiſtoricis Græcis.

Silanionis Poëtæ meminit Plutarchus libro, qui inſcribitur: Quomodo oporteat adoleſcentem Poëtas audire.

Simonides Caryſtius, vel Eretrienſis, poëta, Suida teſte, deſcripſit conventum Græcorum in Aulide: item libros duos trimetris jambicis: adhæc de Iphigenia librum. Atque hoc etiam monitum nobis, cum de Simonide Ceo Lyrico agerem ad Olymp. XXIX.

Simulus poëta res Romanas carmine perſecutus. Ejus quoſdam verſus de Tarpeja prodente arcem Gallis (ut poëta is ſcribit, cùm Sabinis dicere debuerit) refert Plutarchus in Romulo.

Sopater Parius Φλυακογράφος, niſi potius legendum Φλυαρογράφος: illud in cortice ſcribentem, hoc nugarum ſcriptorem ſignificat. Comœdias ejus refert Suidas: qui & alterum memorat Sopatrum, parodiarum ſcriptorem, auctorem fabulæ Bacchidos etiam citatæ Athenæo: qui poëtæ huic Phacii tribuit cognomen.

Spintharus Heracleotes, poëta Tragicus, memoratus etiam Diogeni Laërtio: cujus fabulæ Semelæ fulminata, & Hercules ardens.

Stephanus Sabbaita, h. e. ſectator B. Sabbæ. Cujus memoria celebratur à Græcis V Kal. Novembris. Stephanus is putatur eſſe auctor Tragœdiæ de nece Chriſti.

Straton, mediæ Comœdiæ Poëta, cujus fabula Phœnix. Meminit Suidas. Alius ab eo Strato epigrammatis celebratus.

Sybaris Poëta fuerit, ſi audimus Domitianum Calderinum, hoc colligentem ex illo Martialis lib. XII, epigr. XCVII:

Qui certant Sibaryticis libellis.

Sed merito hoc nomine reprehenditur à Politiano in Miſcellaneis cap. XV.

Theodoſius Tripolites carmen hexametrum de vere, atque alia, reliquit, teſte Suida. Præter eum & alter eſt Theodoſius Tripolites, cujus Sphæricorum libros III primus Græcè edidit Joannes Pena Mathematicus Gallus. Ac conqueritur eum à Cnei Pompeji temporibus ad ſua uſque delituiſſe in Bibliothecis. Ait & pleraque ex eo hauſta à Ptolemæo, Pappo Proclo, Theone: quæ auctoritatem non minus, quam vetuſtatem oſtendunt.

Theolytus Methymnæus è Leſbo Bacchica ſcripſit: quæ citat Athenæus. Item, ſecundum aliquos de Glauco vinculo ex vite vincto à Baccho, quod vim inferre voluiſſet Ariadnæ in Naxo relictæ. Meminit Theolyti hujus quoque Apollonii Scholiaſtes in primum Argonauticôn *. *Pag. 45.

Theodoridas Poëta Syracuſanus, cujus carmen memorat Athenæus lib. XI. Meminit & Theodoridæ Stephanus in Κάρυσος.

Theodori Tragici meminit Laërtius.

Theodorus Colophonius carmen ſcripſit, quod τῶν ὡρῶν, ſive quatuor anni partibus cani ſoleat: ut eſt apud Pollucem lib. IV, cap. VII.

Theophanes epiſcopus Nicenus, præter libros adverſus Ni-

Nicenos, etiam hymnos ſcripſit Theodoro Prodromo memoratos. Hymnum in Annuntiationem ſanctiſſimæ Deiparæ, habes Latinè in VIII Tomo Biblioth. SS. PP. edit. II. Eſt verò Græcè ἀκροστιχίς.

Timachidas Rhodius cœnarum ἀναγραφὰς * fecit carmine libris XI; teſte Suida: atque ex eo opere quoſdam hexametros de pompilo piſce adducit Athenæus.

* Deſcriptiones.

Timocles fuere duo, ambo Comici, ut eſt apud Suidam. Prior Athenienſis, cujus has refert fabulas, Demoſatyros, Centaurum, Caunias epiſtolas, Ἐπιχαιρέκακον, Philodicaſten pugilem. Alterius has recenſet: Διονυσιάζουσας, ſive Bacchi orgia celebrantes, Πολυπράγμονας, Icarios, Delum, Lethen, Dionyſum, Conisalum, Porphyram, quæ Xenarchi eſſe videatur, Heroas, Dracontium, Neæram, ſic à meretricis nomine appellatam, Oreſtem, & Marathonios. Atque hæc hauſta ait ex Athenæi Dipnoſophiſtis. Vide quæ ad eum in lib. VII, ac IX, Caſaubonus annotavit.

Timeſitheus Tragicus, cujus Tragœdiæ, Danaides duæ, Hectoris redemtio, Ixion, Capanæus, Memnon, Proci, Iovis proles, Helenæ repetitio, Oreſtes, Pylades, Caſtor & Pollux.

Xenarchus, Poëta Comicus, quam antiquus ſit, oſtendit, quòd Ariſtoteli etiam memoretur libro de re Poëtica. Varias ejus fabulas referunt Athenæus, & Suidas.

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE

VETERUM POETARUM

TEMPORIBUS

LIBER ALTER,

QUI EST

DE POETIS LATINIS.

Cap. I.

De temporibus quibus honos Poëſios crevit apud Romanos.

A Græcis Poëtis ad Latinos venio: qui fortaſſe rudia Poëſios elementa non alteri debent genti: attamen quin juſtam Poëſin à Græcis acceperint, minime ambiguum eſt.

Unde vates Venuſinus:

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agreſti Latio: ſic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, & grave virus
Munditiæ pepulere ——

Atque huc etiam pertinent, quæ ſubjungit:

Serus enim Græcis admovit acumina chartis,
Et poſt Punica bella quietus quærere cœpit,
Quid Sophocles, & Theſpis, & Æſchylus, utile ferrent.

Quomodo verò intelligi debeat, quòd ait, Romanos poëſin didiciſſe à Græcis victis, & poſt bella Punica, h. e. ſecundo jam geri cœpto, meliùs intelligetur ex iis, quæ poſthac dicam.

Hoſce Latinos in duo tempora diſpeſco. Prius incipit ab urbis incunabulis, ſeque extendit ad poëſin quaſi extinctam, ſepultamque. Poſterius incipit à poëſi quaſi ab Orco revocata: quod factum quatuor abhinc ſeculis. Prioris temporis quinque ſunt ætates; puerilis, creſcens, adulta, decreſcens, decrepita. Prima ſub Regibus fuit, ac deinceps, uſque ad finem primi belli Punici. Quippe Romanos nec antiquiſſimis temporibus plane fuiſſe ἀμούσους, arguunt hymni Saliares, & alii, qui obtinuere à temporibus Numæ Pompilii.

Quintilianus lib. I. cap. XVII. *Verſus quoque Saliorum habent carmen. Quæ cum ſint à Numa rege inſtituta, faciunt manifeſtum, ne illis quidem, qui rudes ac bellicoſi videntur, curam Muſices, quantam illa recipiebat ætas, defuiſſe.* Satis indicat, fuiſſe verſus, ſed rudes & agreſtes,

—— *quales olim vates Faunique canebant.*

Qualis eorum fuerit lingua, vel ex iis paucis poſſit intelligi, quæ adferimus lib. IV. Oratoriarum Inſtitut. cap. I. ſect. VII. quæ eſt de obſoletis.

Etiam in legibus XII. Tabularum interdicitur carmine malo.

Hoc eſt, tum carmine magico, ut quo incantabant fruges alienas; quemadmodum ex Plinio conſtat lib. XXVIII. tum famoſo, quo quis alterius famam & vitam coinquinaret: ut auctor eſt Cicero lib. IV. de Rep. Arnobius lib. IV. Auguſtinus ex Cicerone lib. II. de Civ. Dei, cap. IX. ut Juriſconſultos veteres mittam. Verum his in locis *carmen* non eſt juſtum poëma, ſed cantiuncula.

Etiam vivendi præcepta carmine complectebantur.

Quò reſpiciens Tullius ait in ſecundo de Legg. *Diſcebamus pueri XII. ut carmen neceſſarium.*

Moris quoque erat, ut in conviviis vel aſſâ voce, vel fidibus, aut tibiis canerent carmina in laudem majorum.

Hinc Varro apud Nonium * ait in ſecundo de vita populi Romani: *In conviviis pueri modeſti, ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, & aſſâ voce, & cum tibicine.* Fidibus eadem cecinisse, indicat Fabius lib. I. cap. XVII. *Veterum quoque Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit.* De carmine hoc in menſis cani ſolito etiam loquitur idem Tullius ex Catonis Originibus, in I. Tuſc. Quæſt. & libro de claris Oratoribus: verba ejus ſunt, *Carmina multis ſeculis ante ſuam ætatem in epulis eſſe cantata de clarorum virorum laudibus.*

* *In Aſſâ.*

Atque hæc de puerili ætate: venio ad creſcentem, ſive quando juſtum etiam poëma dari cœptum. Serò admodum Romani ſacratiſſima, ſecretiſſimaque illa Muſarum penetralia ingreſſi ſunt: nec niſi Olympiadis CXXXV. an. I. ſive primo poſt bellum primum Punicum anno: h. e. Urbis Conditæ IↃXIV. quando Livius Andronicus primus fabulam docuit C. Claudio Centone, & M. Sempronio Tuditano Coſſ. ducentis annis antequam per Maronem & Horatium poëſis ſuam conſequeretur perfectionem.

Cicero in Bruto: *Hic Livius primus fabulam C. Clodio Cæci filio, & M. Tuditano Coſſ. docuit, anno ipſo antequam natus eſt Ennius: poſt Romam conditam autem quartodecimo † & quingenteſimo, ut hic* (Pomponius Atticus in Annalibus) *ait, quem nos ſequimur.* Agellius lib.

† *Al. 513.*

lib. XVII. cap. XXI. *Pace cum Pœnis factâ, Coſſ. Claudio Centhone, Appii Cæci filio, & M. Sempronio Tuditano, primus omnium L. Livius* * *Poëta fabulas docere Romæ cœpit, poſt Sophoclis & Euripidis mortem annis plus fere centum, & ſexaginta; poſt Menandri, annis circiter quinquaginta duobus.* Adde, CCXXI. ante exceſſum Maronis: qui Horatii mortem anteceſſit novennio.

* M. Livius.

Livii hujus exemplum quinquennio poſt conſecutus Cn. Nævius, qui bello Punico primo militavit, & ejus belli hiſtoriam reliquit: varias item fabulas docuit, ac primam quidem anno Urbis IↃ XIX.

Agellius lib. XVII. cap. XXI. *Eodemque anno* (quingenteſimo undeviceſimo) *Cn. Nævius Poëta fabulas apud populum dedit. Quem M. Varro in libro de Poëtis primo, ſtipendia feciſſe ait bello Punico primo: idque ipſum Nævium dicere in eo carmine, quod de eodem bello ſcripſit.* Cæterum Nævius etiamnum Poëtarum extremis temporibus belli Hannibalici, quo tempore & Plautus fabulas dabat. Hoc ita eſſe, liquet ex ipſo, optante illis, ut proſperaret bellum hoc Punicum, quò victi Pœni luant pœnas. Nævium autem tum fuiſſe, indicant verſiculi iſti * de eo in carcerem conjecto:

* Milite Glorioſo act. 2. ſc. 2.

Nam os columnatum Poëtæ ineſſe audivi barbaro,
Cui bini cuſtodes ſemper totis horis accubant.

Dixi de iſtoc in Oratoriis Inſtitut. lib. IV. cap. X. ſect. III. Triennio ante pacem Pœnis redditam, exceſſit: quod fuit M. Cornelio Cethego, & P. Sempronio Tuditano Coſſ. Quicum & convenit tempus quod his verbis aſſignat B. Hieronymus in Chronico Euſebii: *Olympiade* CXLIV. *Nævius Comicus Uticæ moritur, pulſus Româ factione nobilium, ac præcipuè Metelli.* Eſt is annus, quo P. Scipio in Africam trajecit. Plura de Nævio dixi in opere de Hiſtoricis Latinis lib. I. cap. II. Ea repetere nihil attinet: Atque ex hiſce videre eſt, cur etſi rudia quædam initia poëſios fuerint mox à primo bello Punico: ob incrementum tamen illuſtre, quod mox cœpit bello Annibalico, Porcius Licinius ſcripſerit ſeriùs Poëticam cœpiſſe. Ejus hoſce verſus adducit Agellius lib. ſeptimodecimo cap. ult.

Punico bello ſecundo Muſa pinnato gradu
Intulit ſe bellicoſam Romuli in gentem feram.

Cœpit verò hoc bellum anno Urbis IↃ XXXVI. P. Cornelio Scipione, & Tito Sempronio Longo Coſſ. Pax data Pœnis anno IↃ LI. Cn. Cornelio Lentulo, & P. Ælio Pæto Coſſ.

Mortuo jam Nævio clareſcere Romæ cœpit Quinctus Ennius.

Eum ex Cicerone & Agellio, diximus natum anno Urb. IↃ XIV. C. Mamilio Turrino, & Q. Valerio Faltone Coſſ. Quadragenarius in Sardinia vixit, atque iſtic M. Porcium Prætorem docuit Græcas literas: ut eſt apud S. Aurelium Victorem lib. de Viris illuſtribus cap. XLVII. Id fuit anno Urbis IↃ L, L. Cornelio Lentulo, & P. Villio Tappulo Coſſ. Anno proximo, T. Quinctio Flaminino, & S. Ælio Pæto Coſſ. è Sardinia à Catone Romam eſt deductus. Cùm LXVII. annum ageret, annalem XII. ſcribebat: ut ait Agellius lib. XVII. cap. XXI. Obiit verò Q. Marcio Philippo, & Cn. Servilio Cæpione Coſſ. ut ait Tullius in Bruto, & de Senectute. Quo tempore fuit ſeptuagenarius: ut ex iis liquet, quæ de natali ejus antea adduximus. Id fuerit totis annis XIV. poſt mortem Plauti. Hieronymus Ennii mortem refert uno anno poſt, quam Cicero facit: nempe non ad Olymp. CLII. annum IV. ſed Olymp. CLIII. annum I. Sic enim ad eum annum ſcribit: *Ennius Poëta ſeptuagenario major articulari morbo periit: ſepultuſque in Scipionis monumento, viâ Appiâ intra primum ab Urbe miliarium. Quidam oſſa ejus Rudiam ex Janiculo tranſlata affirmant.* Alia etiam quædam de Ennio, quæ reponere nihil attinet, dixi lib. I. de Hiſtoricis Latinis cap. II.

Iiſdem temporibus claruit P. Licinius Tegula: de quo dubium, idemne ſit ac Licinius Imbrex, Poëta Comicus.

P. Licinius Tegula anno Urbis conditæ IↃ LIV. carmen ſcripſit à ter novenis virginibus decantandum: ubi antea factum ab Livio Andronico. Livius Patavinus lib. XXI. *Carmen præterea ab ter novenis virginibus cani per urbem juſſerunt.* Et mox: *Carmen, ſicut patrum memoria Livius, ita tum condidit P. Licinius Tegula.* Videri poſſit idem eſſe ac Licinius Imbrex, antiquus Comœdiarum ſcriptor. Siquidem Imbrex eſt incurvum genus tegulæ: unde Plautus Moſtell. act. II. ſc. VI. *Quod meas confregiſti imbrices, & tegulas*, quaſi dicat imbrices, & tegularum alias. Gloſſ. Philox. *Imbrex*, καλυπτήρ. Itaque & Poëtam eundem cenſet Glandorpius in Onomaſtico Romano. De Imbrice ſic Agellius lib. XIII. cap. XXI. *Licinius Imbrex vetus Comœdiarum ſcriptor, in fabula quæ Neæra inſcripta eſt, ita ſcribit:*

Nolo ego Neæram te vocent, ſed Nerienem;.
Cum quidem Marti es in connubium data.

Ubi ne in jambico prima ſede ſit trochæus, pro *Cum quidem*, malim *Quandoquidem*. Præterea ne ſic ſede tertia ſit trochæus trajectus vocibus malim, *es Marti*. Vel hoc pacto: *Quandoquidem in connubium Marti es data.* Eſt verò hic Licinius ille, cui inter Comicos quartum locum tribuit Volcatius Sedigitus, apud eundem Agellium lib. XV. cap. XXIV.

Si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio.

Ita legendus is verſus è Mſo. In Stephanicâ, claudicat verſus ob defectum vocis *detur*. Quam habet etiam Lilius dialogo VIII. Meminit & hujus Poëtæ Cicero ad Atticum primo de Finibus, & libb. de Divinatione, ac Feſtus Pompejus in *Imbrex*, ubi hoc ait eſſe Comici nomen: item in *Obſitum*: ſed iſtic vocatur C. Licinius Imbrex. Fortaſſe igitur diverſus ſit ab illo Livii Licinio Tegula, qui ab eo *Publius* vocatur.

Fuere etiam tum Cæcilius Comicus, & M. Pacuvius tragicus.

Cicero in Bruto: *Mitto C. Lælium, P. Scipionem. Ætatis illius iſta fuit laus, tanquam innocentia, ſic Latinè loquendi; non omnium tamen: nam illorum æquales Cæcilium, & Pacuvium male locutos videmus.* De iiſdem ſic in Chronico Hieronymus ex Tranquillo.

Olymp. CL. an. II. Statius Cæcilius Comœdiarum ſcriptor clarus habetur, natione Inſuber Gallus, & Ennii primum contubernalis. Quidam Mediolanenſem ferunt. Mortuus eſt anno poſt mortem Ennii, & juxta Janiculum ſepultus. De eodem ſic Agellius lib. IV. cap. XX. *Statius ſervile nomen fuit. Plerique apud veteres ſervi eo nomine fuerunt. Cæcilius quoque ille Comœdiarum Poëta inclytus ſervus fuit: & propterea nomen habuit Statius. Sed poſtea verſus eſt, quaſi in cognomentum: appellatuſque Cæcilius Statius.* In Cæcilii fabulis *Aſotus* fuit: quod nomen & fabulæ ſuæ fecerat Euthycles Comicus, & è Latinis Ennius. In iiſdem Synariſtoſæ; teſte Agellio lib. XV. cap. XV. Quomodo & è Græcis fabulam inſcripſerant Crates, ac Menander. Sed & alias plurimas fabulas: quarum nomina ac fragmenta collegit Robertus Stephanus. Quamquam verò Cicero, ad Atticum ſcribens, malum vocet Latinitatis auctorem: Volcatius tamen Sedigitus inter Comicos ei dat principatum.

De Pacuvio ſic in Chronico Hieronymiano: *Olymp. CLVI. an. III. Pacuvius Brunduſinus, Tragœdiarum ſcriptor, clarus habetur: vixitque Romæ, quoad picturam exercuit, ac fabulas vendidit. Deinde Tarentum tranſgreſſus prope nonagenarius diem obiit.* Fuit vero Pacuvius ex ſorore Ennii natus: qui avunculi veſtigiis inſiſtens, artem Poëticam ſcenæ gloriâ fecit clariorem, ut ait Plinius lib. XXXV. Hiſt. Nat. cap. IV. Fuit in fabulis ejus

Ore-

Oreſtes, ſive Duloreſtes. Meminere Feſtus ac Nonius. De eadem apud Ciceronem in dialogo de Amicitia ſic loquitur C. Lælius: *Qui clamores tota cavea nuper in hoſpitis mei, & amici M. Pacuvii nova fabula, cum ignorante Rege, uter eſſet Oreſtes, Pylades Oreſtem ſe eſſe diceret, ut pro illo necaretur: Oreſtes autem ita ut erat, Oreſtem ſe eſſe perſeveraret? Stantes plaudebant in re ficta: quid arbitremur in vera facturos fuiſſe.* Acta Romæ anno Urbis Iↄ c xx i v. C. Sempronio Tuditano, & M. Aquillio Nepote Coſſ. Etiam in ejus fabulis *Epiſtola*: quomodo & Euthycles antea fabulæ nomen dederat ἀσώτῳ ſive Ἐπιστολῆς.

Pacuvio aliquanto junior Attius fuit; ſic tamen, ut eodem aliquanto tempore fabulam docuerint.

Cicero in Bruto: *Attius iiſdem Ædilibus ait, ſe & Pacuvium docuiſſe fabulam, cum ille, LXXX. ipſe XXX.* Conferamus cum iſtis, quæ Petrus Crinitus ſcribit lib. I. de Poëtis Latinis, cap. V. *Pacuvius paulo ſenior fuit L. Attio; & in iiſdem adibus, ut refert M. Cicero, fabulas docuere, paucis quidem annis interpoſuere.* Videlicet Crinitum decepere corrupti Ciceronis codices; in quibus *adibus* ſcriptum eſſet pro *ædilibus*. Ex Ædilibus iis ſine dubio fuit P. Licinius Craſſus Mucianus, qui ædilis curulis fuit anno Urbis Iↄ c x i v. C. Lælio Sapiente, & Q. Servilio Cæpione Coſſ. Eſt is, qui *habuit rerum bonarum maxima & præcipua quinque; quod eſſet ditiſſimus, quod nobiliſſimus, quod eloquentiſſimus, quod Juriſconſultiſſimus, quod Pontifex Max.* ut ex Sempronio Aſellione Agellius refert lib. I. cap. XIII. Præterea, contrà quam ſcribit Crinitus, neque hoc dicit Cicero, paucos fuiſſe annos interpoſitos, inter tempus, quo Pacuvius prius, ac poſtea Attius doceret: ſed ſcribit eodem anno docuiſſe: etſi Attius foret totis L. annis junior. Adi & Agellium lib. XIII. cap. II. item Hieronymum in Chronico, num. MDCCC. LXXVIII. Hujus verba ſunt: *Olymp. CLX. Lucius Accius Tragœdiarum ſcriptor clarus habetur natus Mancino, & Serrano Coſſ. parentibus libertinis: & ſeni jam Pacuvio Tarenti ſua ſcripta recitavit; à quo & fundus Accianus juxta Piſaurum dicitur, quia illuc inter colonos fuerat ex Urbe deductus.* Inter alias fabulas *Nuptias* docuit; uti & Pomponius, ac Laberius: atque ante hos Diphilus Γάμους, ut eſt apud Athenæum lib. VI. Docuit quoque Mercatorem, ut ex Varrone conſtat: credo Diphili & Philemonis exemplo, qui Ἔμπορον edidere. Attius hic familiaris fuit D.* Junio Bruto Callaico, qui anno Urbis Iↄ c x x i i. Popillio Lænate, & P. Rutilio Coſſ. de Luſitanis, & Callaicis triumphavit, & templa à ſe ex manubiis conſecrata Poëtæ Attii verſibus exornavit: ut refert Cicero pro Archia, & in Bruto: item Valer. Maximus lib. VIII. cap. XIV.

* D. non A. ut corrupte eſt in Velleji libris.

Attilium quoque circa hæc tempora vixiſſe arbitror. Cujus Electram Suetonius adducit in Julio cap. LXXXIV.

Caſaubonus tamen pro *Attilii Electra* reponit *Attii*: ſed, ut agnoſcit, contra omnium codicum fidem. Quod nolim factum: præſertim cum Electram Sophoclis ab eo Latinè redditam clarè dicat Cicero in primo de Finibus: ubi & Licinii de hoc Poëta judicium memorat. *A quibus*, inquit, *tantum diſſentio, ut cum Sophocles vel optime ſcripſerit Electram, tamen malè converſam Attilii mihi legendam putem: de quo Licinius:*

> *Ferreum ſcriptorem opinor; verum ſcriptorem tamen,*
> *Ut legendus ſit.*

Sic Licinii verba in metrum redigi oportet, ut fiat ſeſquitrochaicus. Sunt qui legant, *verum exſcriptorem tamen*: quia, ut præceſſit, deſcripſerit Sophoclem. Sed nihil opus mutato: cùm ſententia ſit. Eſt ſcriptor durus, nec eò tamen non referendus in numerum ſcriptorum, cum legi mereatur. Videlicet verſu Licinii judicium ſuum firmat Cicero, quia dixerat, etiam Attilium, etſi malum interpretem, ſibi legendum videri. Ut verò Licinius *ferreum* appellat, ita & *duriſſimum Poëtam* nuncupat Cicero ad Att. lib. XIV. epiſt. XXIII. Tragicum iſtic nominari ait Lilius Gyraldus, quod eſt μνημονικὸν ἁμάρτημα. Tragicus tamen fuiſſe videri poſſit, quia argumentum de Electra Tragicum ſit. Attamen, quæ ex eo Cicero citat ad Atticum ſcribens, quæ item adducunt Varro, & Macrobius, magis redolent ſocum, quàm Tragicum. Et, quod caput eſt, Volcatius Sedigitus, apud Agellium lib. XV. cap. XXIV. eum Comicum ſtatuit, interque Comicos decem, locum ei tribuit ſextum. Sed credo, Tragœdiam quidem Sophoclis verterit: in Comico verò argumento ſuopte uſus ſit ingenio.

Vixit & Pacuvii Attiique Plautus. nempe extremis aliquot annis belli Punici ſecundi, ſive Annibalici, ac proximis XVII.

Nec enim poſſum aſſentire B. Hieronymo in Chronicis: qui ſic ſcribit ad an. I. Olymp. CXLVI. *Plautus ex Umbria Sarſinas Romæ moritur, qui propter annonæ difficultatem ad molas manuarias piſtorem ſe locaverat. Ibi, quoties ab opere vacaſſet, ſcribere fabulas ſolitus, ac vendere.* Is annus erat Urbis conditæ Iↄ I V: quo Conſules erant P. Sulpicius Galba Max. & C. Aurelius Cotta. Id ob Hieronymo ex Tranquillo exſcriptum ait Scaliger in Animadverſionibus. Sed difficulter credo ita ſcripſiſſe Tranquillum. Nam annis poſt XIII. ſuperfuiſſe, ex Cicerone cognoſcimus, qui auctor eſt in Bruto, mortuum anno Urbis CIↄ LXXV. P. Claudio Pulcro, & L. Porcio Licino Coſſ. hoc eſt, Olymp. CXLIX. anno I.

Plauto vel par, vel ſuppar fuit Cn. Aquilius, Poëta Comicus, memoratus Varroni lib. V. de L. L. *Accenſum ſolitum ciere, Bœotia oſtendit,* (*quam Comœdiam Aquilii eſſe dicunt*) *hoc verſu:*

> *Ubi primum accenſus clamârit meridiem.*

Ac magni ſanè nominis fuerit, cùm quædam ejus Comœdiæ tributæ fuerint Plauto, ſi eidem Varroni credimus. Qua de re ſic Agellius lib. III. cap. III. *Præter illas unam & viginti, quæ Varronianæ vocantur, quas idcirco à cæteris ſegregavit, quoniam dubioſæ non erant, ſed conſenſu omnium Plauti eſſe cenſebantur, quaſdam item alias probavit* (Varro) *adductus ſtylo atque facetia ſermonis Plauto congruentis: eaſque jam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit, ſicut iſtam quam nuperrime legebamus, cui eſt nomen Bœotia. Nam cum in illis una & viginti non ſit, & eſſe Aquilii dicatur; nihil tamen Varro dubitavit, quin Plauti foret.*

Puto & tum fuerit M. Acuticus, cujus erant quædam Comœdiæ, quæ Plauti Sarſinatis creditæ. Hac de re ita Varro libro de Comœdiis Plautinis: *Nam nec Gemini, nec Leones, nec Condalium, nec Anus Plauti, nec Bis compreſſa, nec Bœotia unquam fuit, neque adeo Ἄγροικος, neque Commorientes, ſed M. Acutici.* Miror verò Varronem hic negare Bœotiam eſſe Plauti, eamque M. Acutico tribuere, cum idem non dubitarit, quin Plautina foret, ut eſt apud Agellium. Eum vide lib. III. cap. III. Niſi forte duo fuerint Comici, quorum uterque ſcripſerit Bœotiam. Miror quoque Varronem de Commorientibus abiiſſe à Terentio, cujus illud in prologo Adelphorum:

> *Synapothneſcontes Diphili Comœdia eſt,*
> *Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.*

Fuerit & circa hæc tempora Plautius Comicus: quando à Varrone lib. de Comœdiis Plautinis (ut Agellius ait lib. III. cap. III.) *ſcriptum eſt, Plautium fuiſſe quempiam Poëtam Comœdiarum. cujus quoniam fabulæ PLAUTI inſcripta forent, acceptas eſſe quaſi Plautinas, cum eſſent non à Plauto Plautinæ, ſed à Plautio Plautianæ.*

Item tum claruit in Satyra Lucilius.

Pacuvio, & Accio, florentibus viguiſſe, docet Velleius Paterculus lib. II. & Quinctilianus lib. XVII. cap. XXI. Natus Lucilius Olympiad. CLIII. ut apud Hieronymum in Chronico eſt ex Suetonio. Ac ibidem legas Olymp. CLXIX.

clxix. Neapoli mortuum, anno ætatis xlvi. ac publico funere elatum. Magnus fuit Magni Pompeji avunculus; ut teſtis eſt Porphyrio. Bello Numantino ſub Scipione Africano militavit. Primus Satyram induxit. In qua eſt magna uſus libertate, ſi non nimia. Culpatum jam olim, quod Græca miſcuerit Latinis. Vide Horatii lib. i, ſat. x, & quæ iſtic interpretes annotarunt. Porro non indigni conſideratione ſunt octo de Lucilio verſus, qui in aliquot Mſsis codicibus vulgari ejus Satyræ initio præponuntur. Eos non apponam, quia ex Lambino peti poſſunt. Omnino ſunt valde antiqui, quicquid dicat Lambinus.

Iiſdem temporibus ſummus honos Terentio fuit.

Nempe floruit medio tempore inter bellum Punicum ſecundum, ac tertium. Obiit verò decennio antequam tertium cœpit: quâ de re ſic B. Hieronymus in Chronico Euſebiano: *Olymp.* clv, *an.* iii, *Publius Terentius Afer Comœdiarum ſcriptor ob ingenium, formam, libertate donatus in Arcadia moritur, qui primam Andriam antequam Ædilibus venderet Cæcilio multum ſe miranti legit.* Quæ exſcripſit è Tranquillo in Terentii vita. Rectene verò eum, cui recitatum, Cæcilium vocent, mox dicam. Ex eadem interim cognoſcere eſt, quoſdam putare juniorem: nempe æqualem P. Scipionis Africani minoris, & Lælii Sapientis. Vide Tranquillum in vita ejus Donato tributa: ſed falſo, cùm in vitæ fine diſertim dicatur, *Hæc Suetonius Tranquillus.* Quæ verba ſatis clarè docent conſequentia de Terentio Libone, item de Comœdia, & Tragœdia eſſe alterius ſcriptoris: Donati puta, niſi malis Cornuti, vel Aſperi.

Terentii Comœdiæ hoc actæ ſunt ordine.

Anno Urbis Iↄlxxxviii, C. Sulpicio Gallo, & M. Claudio Marcello Coſſ. Andria eſt acta, M. Fulvio, & M. Acilio Glabrione ædilibus Curulibus. Ac priùs juſſus eſt Terentius recitare eam ædili Acilio: qui eam plurimum admiratus fuit. Apud Tranquillum in vita Terentii *Cæcilio* pro *Acilio* perperam legitur: erroremque eum ſecutus eſt Petrus Crinitus. Sed Cæcilius nobilis Poëta Comicus biennio ante deceſſerat, anno poſt Ennii mortem, L. Paullo ii, & C. Craſſo Coſſ.

Anno Urbis Iↄlxxxix, T. Manlio Torquato, & Cn. Octavio Nepote Coſſ. Sexto Julio Cæſare, & Cn. Cornelio Dolabella ædilibus Curulibus primum acta eſt Hecyra: ſed avocatus ab ea populus introductis pugilum & funambulorum ſpectaculo: ut ex prologo Hecyræ cognoſcimus.

Anno Urbis Iↄxci, Ti. Sempronio Graccho, & M. Iuventio Thalna Coſſ. L. Cornelio Lentulo Lupo, & L. Valerio Flacco ædilibus Curulibus acta eſt Heautontimorumenos Terentii.

Anno Urbis Iↄxcii, M. Valerio Meſſalla, & C. Fannio Strabone Coſſ. L. Poſtumio Albino, & L. Cornelio Albino ædilibus Curulibus, actæ ſunt Terentii Eunuchus, & Phormio, ſed illa Megalenſibus, hæc Romanis ludis.

Anno Urbis Iↄxciv, L. Anicio Gallo, & M. Cornelio Cethego Coſſ. a filiis L. Æmilii Paulli dati ſunt ludi funebres: quibus Adelphi dati ſunt. Eopſe anno, ſecundo ab iiſdem data eſt Hecyra: ſed neque tunc peragi potuit propter gladiatorum exſpectationem, ut ipſe indicat Poëta. Ergo eopſe anno ab ædilibus Q. Fulvio Nobiliore, & L. Marcio Cenſoribus, tertium data, ac tum peracta eſt.

Creditus vero Terentius adjutari in Comœdiis ab C. Lælio, qui poſtea dictus Sapiens, & P. Cornelio Scipione Africano Æmiliano. Horum prior fuit filius illius Lælii, qui familiaris Africano erat ſuperiori: ipſe itidem familiaris Scipioni Æmiliano: vir ingenio doctrinâque pollens, poëſi etiam & oratoriâ egregius, Diogenis Stoici in adoleſcentia, poſteaque Panetii auditor. Scipio autem Æmilianus, uſque adeo familiaris fuit Poëtæ, ut Valgius, & Memmius ſcripſerint eum, Scipionis fabulas edidiſſe pro ſuis. Adjutum ſe ab duobus illis nec ipſe negat, partim quia ſic erat, partim quia non ingratum iis hunc eſſe rumorem ſciret. Vide Poëtam ipſum in prologo Adelphorum, & Tranquillum in poëtæ vita.

Anno Urbis Iↄxcv, Cn. Cornelio Dolabella, & M. Fulvio Nobiliore Coſſ. Terentius à nonnullis eſſe in Arcadia mortuus dicitur. Suetonio in ejus vita teſtante. Marianus Scotus, neſcio quos ſecutus auctores, in Achaja mortuum ait quadriennio pòſt: nempe anno Iↄxcix, P. Cornelio Scipione Naſica ii, & M. Claudio Marcello ii Coſſ.

Terentii ætate fuerunt Quinctus Fabius Labeo, & M. Popilius Conſulares viri, ac Poëtæ.

Quos Santra à Terentio intelligi putabat, cùm loquitur de iis, à quibus in ſcribendo adjutaretur. Auctor Suetonius in vita Terentii Donato perperam tributa.

Luſcius, Poëta Comicus, Terentii æqualis. Fabulam docuit Theſaurum: cujus argumentum adfert Donatus in Eunucho. Eſt is cui Volcatius Sedigitus in cenſione Comicorum nonum dat locum, hoc verſu:

Nono loco eſſe facile facio Luſcium.

Ait Gyraldus, eam domum, quæ publicè ædificata fuit Antiocho regis filio obſidi, poſtea Poëta Luſcii fuiſſe. Sed apud Aſconium*, qui id ex Attici hauſit annalibus, non *Luſcii* legitur, ſed *Lucii*, ut habet editio Haganoenſis an. cIↄIↄxxxv; vel *Lucilii Poëtæ*: ſicuti eſt in optima Hottomanni editione. Et veriſimilius poſterius hoc, quia Lucilius fuit eques Romanus, magnus Pompeji avunculus; ut tantæ ædes ei magis convenerint. Qui poëtam hunc non *Luſcium* vocant, ſed Lucium, falluntur, quia hoc Lucius eſt prænomen; ſed Luſcius gentilitium. Nam & L. Luſcius Ocrea Senator fuit, de quo Cicero pro Q. Roſcio: & L. Luſcio, centurio Syllanus, de cujus damnatione Aſconius ad orat. in toga candida contra L. Anton. & L. Catil. competitores.

* *In Piſon.*

Etiam tum floruit Turpilius Comicus.

Qui, ut ex Tranquillo in Chronicis Hieronymus refert, *ſenex admodum* Sinueſſæ mortuus Olymp. clxix, qua ipſa exceſſiſſe Lucilium dicebamus. Turpilii Thraſyleontem citat Nonius. In hac fabula ſecutus eſt Menandrum: ex cujus Thraſyleonte quædam citat Arpocratio. Turpilii Fugitivos ac Leucadiam laudant Varro, Nonius, alii. Eam fecerat exemplo Alexidis, cujus Λευκαδίαν ἢ Δραπέτας citat Athenæus lib. iii. Idem tranſtulit Alexidis Demetrium. Ex ea ſunt iſta apud Nonium:

Antea ſi flabat aquila, aut auſter, inopiâ
Erat piſcati.

Hæc, ut Caſaubono † obſervatum, ſunt expreſſa ex his Alexidis:

Πρότερον μὲν εἰ πνεύσειε βοῤῥᾶς, ἢ νότος
Ἐν τῇ θαλάττῃ λαμπρὸς, ἰχθὺς οὐκ ἐνῆν.

† *Lib. 8. Animadverſionum in Athenæum c. 4.*

Anno Urbis Iↄcxxv, ac deinceps claruit C. Lucilius, eques Romanus, Africano Æmiliano, ſub quo ad Numantiam militavit‡, ac C. Lælio, & Perſio familiaris. Patria ei Sueſſa Pometia, Auruncorum oppidum: unde *magnus Auruncæ alumnus*, dicitur Juvenalis ſat. i. Natus Olympiade clviii; ut eſt in Chronicis Hieronymi. Planè veriſimile eſt, per hunc Poëtam Luciliam familiam factam eſſe Senatoriam, quod cenſet Sebaſtianus Corradus. Sanè Lucilia mater Cn. Pompeji Magni Senatoria ſtirpe prognata fuit: ut eſt apud Vellejum*. Hæc verò patruum habuit Lucilium Poëtam: itidem Luciliam dictam, ſororem Poëtæ Lucilii: ut Lucilius Cn. Pompeji fuerit avunculus magnus: ſicut eſt apud veterem Horatii interpretem, lib. ii, ſat. i. Atque ibidem propter natales hoſce Lucilii fatetur ſe Horatius infra Lucilii genus eſſe. *Satyra primus inſignem laudem adeptus*: ut eſt apud Quinctilianum lib.x,

‡ *Vellejus lib. 2.*

* *Lib. 2.*

lib. X, cap. I. Iccirco *primus condidiſſe*, *ſtyli naſum* dicitur Plinio in Præfat. Hiſt. nat. Etiam Comœdiam reliquit, ut eſt apud Porphyrionem in artem Poët. Horat. *Nummulariam* appellat Fulgentius de Priſco ſermone. Etiam ejus Epodos hymnos citat Nonius in *Exgium*. In Hieronymi Chronico legas Olymp. CLIX, Neapoli mortuum annos natum XLVI, & publico funere elatum. Fragmenta ex triginta ejus Satyrarum libris collegit notiſque illuſtravit, Franciſcus Douza *Iani* filius.

Olymp. CLXIX, an. II: *M. Furius Poëta, cognomento Bibaculus, Cremonæ naſcitur*: ut eſt in Chronico Hieronymi.

Eadem Olympiade an. III, h. e. anno ab V. C. ſexcenteſimo quinquageſimo Conſules fuere C. Marius IV, & Q. Luratius Catulus: quorum hic poëta fuit, ut liquet ex verſibus ejus in primo de Nat. Deorum, & Agellii lib. XIX, cap. IX. Sunt verò impudici: eoque à Plinio etiam inter laſcivos poëtas refertur lib. V, epiſtolâ ad Ariſtonem. Vide quæ diximus lib. I, de Hiſtoricis Latinis, cap. IX.

Eodem tempore floruit A. Furius Antias: quippe Q. Catuli, de quo proximè dictum, familiaris: ut oſtendunt hæc verba Ciceronis in Bruto: *Ex eo libro, quem* (Q. Catulus) *de conſulatu, & de rebus geſtis ſuis conſcriptum miſit ad A. Furium Poëtam familiarem ſuum.* Veterem poëtam vocat Agellius. Macrobius verò in VI Saturnalium oſtendit, multa ab eo mutuatum eſſe Virgilium. Alius ab eo M. Furius Bibaculus; de quo inferius dicetur.

Fuere iiſdem temporibus, C. Titius, poëta Tragicus, & imitator ejus Afranius, qui in Togatis, & Atellanis excelluit.

Cicero in Bruto: *Ejuſdem fere temporis fuit eques Romanus C. Titius; qui meo judicio, eò perveniſſe videtur, quo potuit fere Latinus Orator ſine Græcis literis, & ſine multo uſu pervenire. Hujus orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut penè Attico ſtilo ſcripta eſſe videantur. Eaſdem Tragœdias ſatis quidem ille acutè, ſed parum tragicè tranſtulit. Quem ſtudebat imitari, L. Afranius poëta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut ſcitis, diſertus.* Afranium hunc fuiſſe Terentio juniorem, iſte ejus verſus oſtendit, honoris ſanè pleniſſimus:

Terentio non ſimilem dices quempiam.

De eodem eſt hoc Horatii in Arte:

Dicitur Afrani toga conveniſſe Menandro.

Menandro inquit, quia Comicus Comici ſibi propoſuit exemplum. Velleji etiam Paterculi eſt lib. I: *Dulceſque Latini ſermonis facetiæ, per Cæcilium, Terentiumque, & Afranium, ſuppari ætate floruerunt.* Etiam Quinctiliani eſt lib. X, cap. I; *Togatis excellit Afranius.* Quam inſulſum igitur apud Agellium eſt judicium Volcatii Sedigiti de decem Comicis, ubi Afranium ne nominat quidem, cum meminerit etiam Attilii, qui Ciceroni *durissimus* fuiſſe dicitur, eoque & Licinio *ferreus* eſt vocatus. Fallitur vero Antonius Delrius, cum & Afranium in Tragicis recenſet. In egregio hoc poëta nihil æquè culpandum, quam mores. Unde Quinctilianus loco ante memorato: *Utinam non inquinaſſet argumenta puerorum fœdis amoribus, mores ſuos faſſus.* Pertinet eodem hoc Auſonii * de pathico Philoctetæ morbo, deliciarum Herculis:

* Epigr. 70.

Præter legitimi genitalia fœdera cœtus
Repperit obſcenas Veneres vitioſa libido,
Herculis heredi quam Lemnia ſuaſit egeſtas,
Quam toga facundi ſcenis agitavit Afrani.

Alii quoque partim iiſdem, partim ſecutis fuere temporibus, qui ad creſcentem pertineant ætatem. Alii item in lucem tum editi, penes quos poëſios poſtea principatus fuit. Claruere autem Novius, & Pomponius, Atellanarum ſcriptores, Titius Quinctius Atta, Togatarum ſcriptor.

Euſebii verba adferam.

Olymp. CLXXI: *Titus Lucretius poëta naſcitur: qui poſtea amatorio poculo in furorem verſus, cum aliquot libros per intervalla inſaniæ ſcripſiſſet, quos poſtea Cicero emendavit, propria ſe manu interfecit, anno ætatis quadrageſimo quarto.* Hæc ille. Ad idem tempus refero Q. Novium, Atellanarum ſcriptorem: cujus complura à Nonio Marcello adducuntur. Nam par ei, vel ſuppar Pomponius, ſuppar Mummius: de quibus ſic Macrobius lib. I Saturn. cap. X: *Mummius poſt Novium, & Pomponium, diu jacentem artem Atellaniam ſuſcitavit.* De Pomponii verò ætate ſic Euſebius Olymp. CLXXIII, an. I, *L. Pomponius Bononienſis Atellanarum ſcriptor clarus habetur.* Fuiſſe vero Pomponium inter Novium, & Mummium; colligo ex Macrobii lib. I, cap. X. Verba jam attulimus. Fabulam ſcripſit Adelphos, ut & Terentius, ac è Græcis Menander, & Hegeſippus. Item fecit Aleones: quibus videtur expreſſiſſe κυβευτὰς Alexidis. Diverſus planè eſt à Pomponio conſulari poëta: de quo in Caji, & Claudii Cæſarum temporibus dicam.

Fuit & tum L. Plotius, qui teſte Tullio, carus fuit C. Mario, quia geſta ſua ab eo celebrari poſſe arbitraretur.

Sequitur apud Hieronymum.

Olymp. CLXXIII, *an.* II, *C. Valerius Catullus, ſcriptor Lyricus, Veronæ naſcitur.*

Ubi pro *Lyrico* mallem epigrammatum ſcriptorem dixiſſet. Vide quæ de Catullo hoc dicam ad Olymp. CLXXX, an. IV.

Olymp. CLXXII, an. III, ſive anno Urbis IↃCLXIV, L. Julio Cæſare, & P. Rutilio Lupo Coſſ. ædilis curulis fuit C. Julius Cæſar Strabo, ut eum Paterculus, & Tranquillus vocant. Orator fuit, ſed minimè vehemens, ſed ut Cicero ait in Bruto, *nemo lepôre, nemo ſuavitate conditior.* Atque ut ibidem ſubjungit, *ex ejus Tragœdiis lenitas ſine nervis perſpici poteſt.*

Olymp. CLXXII, anno IV, ſive ab V. Cond. an. IↃCLXV, Cicero vertit Aratum: nempe anno ætatis XVII: unde id à ſe, admodum adoleſcentulo factum ait lib. II de Nat. Deor. Etiam Cicero tum, vel circa id tempus, nempe dum apud Scævolam juri operam daret, carmine tractavit res geſtas municipis ſui Marii ſepties conſulis. De quo opere Scævola dicebat, *Caneſcet ſeclis innumerabilibus.* De hoc labore ejus dixi lib. I Hiſtor. Latin. cap. XI. Fecit & de conſulatu ſuo carmine libros tres; ut dicam Olymp. CLXXX.

L. Cornelius Sylla, Imperator Romanus, ſcripſit σατυρικὰς κωμῳδίας τῇ πατρίῳ φωνῇ *, ut ait Athenæus lib. VI. Atque idem inibi ex Nicolai Damaſceni hiſtoriarum lib. XXVII narrat, uſque adeo delectatum fuiſſe mimis ac γελωτοποιοῖς †, ut iis agri publici multa donaret jugera. A Plutarcho in ejus vita narratur etiam verſus feciſſe, cùm Athenas obſideret. Quod fuit Olymp. CLXXIII, an. III.

* Satyricas Comœdias, patria ſive Romana lingua.
† Ridiculis.

Olymp. CLXXIV, an. III: *P. Terentius Varro vico Atace in Provincia Narbonenſi naſcitur; qui poſtea* XXXV *annum agens Græcas literas cum ſummo ſtudio didicit.* Vide Olymp. CLXXXIII, an. II.

Olymp. CLXXV: *Titus Quinctius Atta ſcriptor Togatarum Romæ moritur: ſepultuſque viâ Prænestinâ ad milliarium ſecundum.*

Perperam pro eo, quinario omiſſo, apud Gyraldum legas Olymp. CLXX. Meminit præter Grammaticos Horatius. Sequitur deinde apud Hieronymum.

Olymp. CLXXVII, an. III, (ut eſt apud Hieronymum) *Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, haud procul à Mantua naſcitur Pompejo & Craſſo Coſſ.* Similiter planè Donatus ſive alius, in Vita Virgilii. Eſt is annus Urbis conditæ IↃCLXXXIV, quo Cicero Verrem

repe-

repetundarum poſtulavit. Vide de eodem Olymp. CLXXX, an. III.

Eodem anno, nempe Pompejo, & Craſſo Conſulibus, creditur deceſſiſſe T. Lucretius. Quod ſi eſt, obierit anno ætatis XXVI. Nam natus Olymp. CLXXI, an. II, ut ſuperiùs diximus, h. e. an. Urbis IↃCLIX. De mortis genere ex Hieronymo dictum ad Olympiadem proximè memoratam.

Dedicavit Lucretius poëma ſuum C. Memmio, Lucii filio, viro doctiſſimo: ac iiſdem cum Lucretio præceptoribus uſo. Is poſt malè obitam Bithyniæ præturam à Julio Cæſare accuſatus, ſed à judicibus ut videtur, abſolutus, poſtea accuſatus fuit ambitus, & licet à Cicerone defenderetur, condemnatus, in Græciam exulatus fuit. Non modò Orator fuit, de quo Cicero in Bruto, ſed etiam poëta; ſed parum ſeverus: unde de eo Ovidius in II Triſtium:

Quid referam Ticida, quid Memmi carmen, apud quem
Nomen adeſt rebus, nominibuſque pudor?

Etiam ut in poëſi durior reprehenditur apud Agellium lib. XIX, cap. IX.

Olymp. CLXXVII, an. IV, ſive anno V. C. IↃCLXXXV, cum Cæcilio Metello Cretico Conſul fuit Q. Hortenſius, quicum de Eloquentia cum Cicerone certamen fuit. Præterquam quòd ſummus fuerit orator, idem etiam ſcripſit poëmata; ſed laſciva, ut ex Ovidio in Elegis ſcimus, & Agellio lib. XIX, cap. IX.

Olymp. CLXXIX, an. II, ſive Urbis Conditæ an. IↃCXCI, Conſul fuit M. Cicero: cujus tempore floruere M. Valerius Cato, & M. Furius Bibaculus. Cato reliquit Lydiam, & Dianam. Vide, quæ de eo in illuſtribus Grammaticis retulit Tranquillus. Atque ibidem de eo verſus legas Furii Bibaculi. Uti & hoc in Orbilium Grammaticum:

Orbilium ubinam eſt litterarum oblivio.

Ejuſdem Furii eſt:

Jupiter hibernas canâ nive conſpuit Alpes.

Dura ſanè tralatione: unde Horatius παρωδίζων ait lib. II, ſat. V.

Furius hibernas canâ nive conſpuit Alpes.

Diximus de hoc in Oratoriarum Inſtitutionum lib. IV, cap. VI, ſect. X. Porrò proximè ante verſum adlatum præmiſerat Horatius:

—— Seu pingui tentus omaſo.

Unde cognoſcimus Furium hunc fuiſſe obeſum, & vilibus ſe obſoniis ſolitum explere. Utcunque verò eum rideat Horatius, fuiſſe tamen poëtam non malum & eo colligimus, quod ſæpius eum imitatus ſit Virgilius: ut tradit Macrobius lib. VI Saturn. cap. I. Ubi legas ex VI Annal.

Quod genus hoc hominum Saturno ſancte create?

Et primo:

Interea Oceani linquens Aurora cubile.

Et decimo:

Rumoreſque ferunt varios, & multa requirunt.

Ac ibidem:

Confirmat dictis ſimul, atque exſuſcitat acres
Ad bellandum animos, reficitque ad prælia mentes.

Agellius quoque ex eo hæc adducit lib. XVIII, cap. X:

Sanguine diluitur tellus, cava terra luteſcit.
Omnia nocteſcunt tenebris caliginis atræ.
Increſcunt animi, vireſcit vulnere virtus.
Sicut ſulca levis, volitat ſuper æquora claſſis.
Spiritus Eurorum virides cum purpurat undas.
Quo magis in patriis poſſint opuleſcere campis.

Ut Catullum, ſic Bibaculum contumelioſa in Julium Cæſarem carmina ſcripſiſſe, Suetonius, & Tacitus, ſunt auctores. Eſt vero hic Furius diverſus à Furio Antiate, de quo dictum Olymp. CLXIX. Adi & quæ attuli in Hiſtoricis Latinis lib. I, cap. XII.

Ciceroni æqualis, ut notum, T. Pomponius Atticus: cujus vitam elegantiſſime deſcripſit Cornelius nepos. In ea legas: *Attigit quoque poëticen, credimus, ne ejus expers eſſet ſuavitatis. Namque verſibus, qui honore rerumque geſtarum amplitudine cæteros Romani populi præſtiterunt, expoſuit: ita ut, ſub ſingulorum imaginibus, facta, magiſtratuſque eorum non amplius quaternis, quiniſque verſibus deſcripſerit. quòd vix credendum ſit, tantas res tam breviter potuiſſe declarari.* Obiit annos natus LXXVII C. Domitio, & C. Soſio Coſſ. h. e. anno Urbis IↃCCXXI, anno uno ante Antonium cum Cleopatra ab Auguſto victum. Plura de eo diximus in Hiſtoricis cùm Græcis, tum Latinis.

Olymp. CLXXX, an. II. Cicero conjectus eſt in exilium: ante quod tempus jam tres libros ſcripſerat verſibus de conſulatu ſuo: ſed, poſtquam ab exilio rediit, limavit, ac publici juris fecit. Qua de re diximus, in primo de Hiſtoricis Latinis, cap. XI. De verſu ab eo Arato egi Olympiade CLXXXII. Ubi & de Mario ſepties Conſule: cujus res geſtas itidem carmine exaravit.

Quincti Ciceronis verſus XX, de XII ſignis hodieque ſuperſunt in veterum poëmatiis*.

Olym. CLXXX, an. III, ut eſt apud Hieronymum in Chronicis, *Virgilius Cremonæ ſtudiis eruditur.* Eſt is annus Urbis IↃCXCVI, quo Conſules fuere Gabinius, ac Piſo, Ciceroque in exilium ejectus.

* *Collectionis Pythœanæ p. 89.*

Olymp. CLXXX, an. IV, ut Hieronymus inquit, *Catullus trigeſimo ætatis anno Romæ moritur.* Nempe Lentulo, & Metello Coſſ. quibus Cicero ab exilio revocatus.

Catulli ætate fuere tres hi mali poëtæ Cæſius, Aquinius, & Suffenus. Unde ipſe, cum Saturnalibus à Licinio Calvo accepiſſet quoſdam ineptos poëtas, quos ille à Sylla literatore accepiſſet; dicit ſe ſimili merce velle eum remunerari.

Nam ſi luxerit, ad librariorum
Curram ſcrinia. Cæſios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his ſuppliciis remunerabor.

Cæſii eſt verſus iſte, ſane ineptus:

Has res ad te ſcriptas Luci miſimus Æli.

Aquinii, ut mali poëtæ, meminit Tullius in Tuſculanis. De Suffeno eſt epigramma Catulli ad Varum. Nec enim Muretum audio, qui Fufenum legit.

Iiſdem ac Cicero temporibus claruit Varro: ſed Cicerone paullo antiquior fuit. De natali enim Varronis ſic Hieronymus in Chronico ad Olymp. CLXVI, an. I: *M. Terentius Varro Philoſophus, & poëta naſcitur.* Id fit anno Urbis IↃCXXXVIII. Ac poſtea ad Olymp. CLXVIII, an. III ait: *Cicero Arpini naſcitur, matre Helviâ, patre equeſtris ordinis ex regio Volſcorum genere. Cn. Pompejus Magnus oritur.* Hoc fit anno Urbis IↃCXLVIII. Ut Varro decennio anteceſſerit Ciceronem ac Pompejum. Ac ſub Pompejo idem inter duces fuit bello adverſus piratas, coronaque roſtrata ab eo donatus. Hoc fuit Olymp. CLXXVIII, an. II, ſive Urbis conditæ an. IↃCLXXXVII, quo Conſules erant C. Calpurnius Piſo, & M. Acilius Glabrio. Tum Varro annorum erat quinquaginta: Pompejus, ac Cicero, quadraginta. Quam verò Ciceroni fuerit amicus, præter alia oſtendit, quòd uti Varro Ciceroni libros de L. L. dedicavit: ita Cicero ad Varronem miſit libros Academicos: ut de compluribus ad eum epiſtolis taceam. Ex variis Varronis poëmatiis fragmenta ſuperſunt, præcipuè ex ſatyris Menippeis. Habes & varia ejus epigrammata in Appendice Virgiliana, quam Scaliger collegit: item in Collectione Epigrammatum veterum, quæ prodiit curâ Petri Pythœi. Sedulò verò diſtinguendum inter duos Varrones, hunc togatorum doctiſſimum, illum patria Atacinum: quorum poëmatia vides à multis confundi; quandoque etiam à Lilio Gyraldo, ut in iſto Atacini:

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo: credimus eſſe Deos?

Vitam Varronis ſcripſit M. Vertranius Maurus: ſed ſatis jejunè. Non luſerit operam, qui majoris ſit eruditionis at-

que induſtriæ, ſi melius mereri hac parte volet de doctiſſimo, ſi non Græcorum quoque, ſaltem Romanorum.

Hæc Hieronymus. Ex iis verò, quæ de Catullo, ac Marone, proximè diximus, liquet Poëticè magis, quàm verè, ſcribere Martialem:

Sic forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere paſſerem Maroni.

Ubi per paſſerem συνεκδοχικῶς intelligitur totum poëma: nempe ab initio, quia primum epigramma foret de paſſere. At nunquam Catullum Maroni ſua miſiſſe, liquet ex ætate Virgilii, quam diximus. Icciroo Martialis addidit *forſan*. Sic deinde pergit Hieronymus:

Olymp. CLXXXI. *Virgilius ſumtâ togâ Mediolanum tranſgreditur, & poſt breve tempus Romam pergit.*

Anno ſane XVII. ſumſiſſe hanc togam in Virgiliana Donati vita legas. Atque hoc etiam arguit, non ejus tum ætatis fuiſſe Maronem, ut ei Catullus ſua mitteret carmina.

Ejuſdem Olymp. CLXXXI. anno III. ſive Urbis conditæ anno IↃCC. claruit Dec. Laberius. Eo quippe anno ſcripſit Cicero epiſtolam Trebatio, quæ exſtat in ſexto epiſtolarum: ubi ait, ſi non augeat rem ſuam apud Cæſarem, ſatius eſſe ut Romam revertatur, ne vacuus rediens rideatur à Laberio, & Valerio. Nempe eo reſpicit, uſque adeò eſſet dicax. Laberii hi mimi ab Agellio memorantur, Rector, Salinator, Scripturæ: à Charſio autem hi: Aquæ, Aries, Augur, Cæculi, Crevus, Tuſcus: à Nonio Annales, Aquæ caldæ, Aulularia, Belbum, Calli, Carcer, Catularium, Centenarium, Χαῖρε, Cithera, Compitalia, Cropium, Finalia, Fullonica, Imago, Lacus Avernus, Macchus, Nuptiæ, Panilica, Paupertas, Primum, Sedigitus, Sorores, Tucca, Tuſcus, Virgo. Elegantiſſimos verſus, quos fecit à Publio Syro victus, apud Macrobium habes in Saturn. Nec tamen multum placuit Horatio: quemadmodum indicant hæc verba ſat. ult. lib. II.

Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cætera (de Lucilio ſermo eſt) *nam ſic*
Et Laberi mimos, ut pulcra poëmata mirer.

De morte ejus dicam Olymp. CLXXXIV.

Hiſce etiam temporibus claruit Albinus, non quidem A. Poſthumius Albinus, qui Conſul fuit anno IↃCII. cum L. Licinio Lucullo, ac res Romanas Græcè ſcripſit: ſed alius, qui res Romanas carmine cecinit Latino. Hic enim ſcripſit poſt maximas res à Pompejo geſtas: ut indicant tres hi verſus ex primo rerum Romanarum libro adducti à Priſciano lib. VII.

Ille cui ternis Capitolia celſa
Sponte Deûm patuere, cui freta nulla repoſtos
Abſcondere ſinus, non tuta manibus urbes.

Quæ intelligenda de triplici Pompeji victoria ex tribus mundi partibus, ex Africa de Iarba, ex Hiſpania de Sertorio, ex Aſia de Mithridate, ac piratis. Hoſce duos Albinos, quos Geſnerus confundit, diſtinximus etiam in opere de Hiſtoricis Græcis lib. I. cap. XX. & de Hiſtoricis Latinis lib. I. cap. VI.

C. Helvius Cinnæ Smyrnam ſcripſit, poëma obſcurum ac difficile, quod interpretatus Craſſitius Grammaticus. Unde illud epigramma:

Uni Craſſitio ſe credere Smyrna probavit.
Deſinite indocti connubio hanc petere.
Soli Craſſitio ſe dixit nubere velle:
Intima cui ſoli nota ſua extiterint.

Etiam tetraſtichon ejus de Arati poëmate deſcripto in malva apud Iſidorum habemus.

C. Licinii Calvi eſt illud in Cn. Pompejum:

Magnus quem metuunt omnes digito caput uno
Scalpit. Quid credas hunc ſibi velle? Virum.

Dixi de hoc epigrammate lib. IV. Inſtitutionum Oratoriarum.

Macer, ab ſcriptore Θηριακῶν diverſus Iliaca ſcripſit, ſed Homero prætermiſſa. Vide Scaligerum ad Euſeb.*

* Pag. 157.

CAP. II.

De temporibus, quibus maximè viguit poëſis apud Romanos.

Atque hactenus de ætate poëſios creſcente. Nunc ad ἀκμὴν devenimus, quam incipimus à Julii Cæſaris dictatura, quando claruit Catullus: terminamus verò in medio Tiberii principatu: ſub quo & Ovidius deceſſit. Dicam de iis, qui interea floruerunt. Quales Laberius, Publius Syrus, Cornificius.

Exſequar de ſingulis. Cæſar μοναρχίαν imperii rapuit Romam Olympiadis CLXXXIII. an. I.

Ipſum verò Iulium non ſummo modo Imperatorem fuiſſe, ſed egregium quoque Oratorem, ac Poëtam, cognoſcere eſt ex veteribus. In Terentium ſex ejus verſus hexametros refert Tranquillus in Terentii vita: quæ perperam tribuitur Ælio Donato. Suetonius in Iulio cap. LVI. ait *reliquiſſe prætereà poëma, quod inſcribitur Iter, & feciſſe dum ab Urbe in Hiſpaniam ulteriorem quarto & vigeſimo die pervenit.* Poſtea ſubdit adoleſcentulum etiam feciſſe Tragœdiam Oedipum: ſed vetuiſſe Auguſtum publicari in epiſtola ad Pompejum Macrum, cui ordinandas Bibliothecas delegaverat. Tum etiam cum à piratis captus eſſet, carmine ſcripſiſſe, eaque prælegiſſe piratis auctor eſt Plutarchus. Quæ ſanè magnum poëſios amorem oſtendunt. Eſt & ejus hoc diſtichum:

Feltria perpetuo nivium damnata rigore,
Forte mihi poſthac non adeunda, vale.

Tum claruit Valerius Soranus, ut cognoſcere eſt ex eo, quòd ejus, ut hominis familiaris, meminit M. Cicero in Bruto, quem ea ipſa Olympiade, qua Dictaturam invaſit Cæſar, paullo ante mortem Catonis, conſcripſit. Adſeram ipſa Tullii verba: *Q. & D. Valerii Sorani, vicini, & familiares mei, non tam in dicendo admirabiles, quam docti & Græcis literis, & Latinis.* Ex Sorano hos verſus adduxit Varro lib. de cultu Deorum:

Jupiter omnipotens regum rex ipſe, Deûmque
Progenitor, genitrixque Deum, Deus unus, & omnes.

Quæ dicta ex Stoicorum opinione. His enim unum eſt Naturæ numen, ſi mundum attendas univerſum. Sed multa ſunt numina, quatenus variæ mundi partes replentur ſpiritu divino. Sed de iſtoc ſatis in opere de Theologia gentili.

Iulio Cæſari amiciſſimus fuit Cn. Mattius, vir, ut Gellius vocat, doctiſſimus, mimiamborum Poëta, Varroni, Agellio, Terentio Mauro, Nonio, & Priſciano, memoratus. Sed ſæpius nomen eſt corruptum, ut mox planius fiet. Scripſit mimiambos ſuos ſcazonte Hipponacteo. Ex iis eſt iſtoc:

Jamjam albicaſſit Phœbus & recentatur,
Commune lumen omnibus voluptaſque.

Item illud:

Quapropter edulcare convenit vitam,
Curaſque acerbas ſenſibus gubernare.

Aliaque apud Grammaticos. Præterea carmine reddidit Iliada Homeri, ut Odyſſeam multò antea Livius Andronicus. Pluſculis hoc exemplis comprobatum Scaligero in iiſdem Conjectaneis. Ex ſeptimo Iliadis eſt iſtoc:

Dum dat vincenti præceps victoria palmam.

Sed in editione Aldina pro *Cn. Mattium* eſt *Trimatium*. Itaque Mariangelus Accurſius vocat Poëtam *Trimatium*: idem ejus exemplo facit Elias Vinetus ad primum Auſonii epigramma. Imò Gyraldus in doctiſſima ſua de Poëtis hiſtoria dialogo IV. memorat Trimatium inter Poëtas Latinos. Glandorpius quoque in Onomaſtico Romano *Trimatium* nuncupat. Quid memorem alios, antecedentium gregem incautè ſequentes. Sed ecce apud Priſcianum in ſeptimo ex Cn. Manlio citatur iſtoc:

—— Celeriſſimus advolat Hector.

Itaque

Itaque & Cn. Manlius Gyraldo eſt in Poëtis Latinis. Sed apud Priſcianum *Cn. Mattius* legere convenit: ut liquet ex memoratis.

Etiam Nummius Craſſus à Lilio reponitur in Poëtis, qui Iliada ſcripſerint. Ex ejus operis lib. XXIII. Priſcianus in IX. adducit, ſecundum codices quoſdam:

Nam non connivi oculos ego deinde ſopore.

In Mſò noſtro eſt *Ninnius Craſſus*. Et profectò vel *Nummius*, aut *Ninnius Craſſus* dictus eſt, vel *Cn. Mattius* reſcribendum. Diximus de iſto in tertio de Analogia cap. XXI. De *Ninnio* nunc etiam magis placet: eumque ſignavit Cilnius Mæcenas iſtoc ad Horatium Poëtam *:

* Apud Suetonium in vita Horatii, à Nannio edita.

Ni te viſceribus meis Horati
Plus jam diligo; tu tuum ſodalem
Ninnio videas ſtrigoſiorem.

Ubi quidam libri *Mimo*, alii *Nimio*: utrumque metro reclamante. Nempe Ninnius, ejuſdem temporis Poëta, riſus fuerit ob macilentiam: atque eò reſpexerit Mæcenas. Quamquam non ignoro legere aliquos, *Hinno me vid. ſtr.* *Hinnus* verò idem ac *hinuleus*, ſive *inuleus*: de quo in Originum libris.

Iulii Cæſaris tempore claruit Hoſtius, qui bellum Iſtricum carmine deſcripſit. Unde Macrobius exiſtimat Maronem quædam hauſiſſe. Plura de eo diximus lib. I. de Hiſtoricis Latinis, cap. XVI.

Olymp. CLXXXIII. an. II. ſive anno Urbis IↃCCVII. quo Cæſar bellum in Ægypto confecit, ac Pharnacen devicit in Ponto, Varro Atacinus anno ætatis XXXV. Græcis dat operam literis: ut ex iis liquet: quæ ſuperius dicebamus. Itaque ante non poſſit ſcripſiſſe libros quatuor Argonauticôn: in quibus Apollonii Argonautica ita expreſſit, ut alieni operis non aſpernandus interpres fuiſſe Quinctiliano viſus ſit. Præterea verò belli Sequanici libros carmine conſcripſit. Item Europam. Plura de eo diximus in Hiſtoricis lib. I. cap. XVI.

Olymp. CLXXXIV. *anno* II. *poſt exceſſum Laberii, mimorum honos omnis penes P. Syrum fuit.*

Qua de re ſic Hieronymus:

Olymp. CLXXXIV. an. II. *Laberius Mimorum ſcriptor decimo menſe poſt C. Julii Cæſaris interitum Puteolis moritur.*

Publius Mimographus, natione Syrus, Romæ ſcenam tenet.

In Euſebio Scaligeri cædes Julii Cæſaris refertur ad Olymp. CLXXXIV. an. II. ſed perperam, cùm occiſus ſit an. I. At mors Laberii, quæ contigit initio anni ſequentis, pertinet ad an. II. Nempe Olympias CLXXXIV. anno uno, culpâ puto typographi, juſtum nunc tempus anticipat.

Eodem anno II. Hirtio & Panſa Conſ. nati duo Poëtæ inclyti Ovidius, & Tibullus. Sanè uterque ſe natum ait,

Cùm cecidit fato Conſul uterque ſuo.

Quod de aliis Coſſ. intelligi nequit.

Eopſe anno, ut apud Hieronymum eſt, *Cornificius Poëta à militibus deſtitutus interiit, quos ſæpe fugientes galeatos lepores appellaverat. Hujus ſoror Cornificia, cujus exſtant inſignia epigrammata.*

Non dubium verò, quin idem ſit Cornificius, ac obtrectator ille Virgilii, de quo in vita ejus apud Donatum. At non æquè apertum, idemne ſit ac ille, de quo conqueritur Catullus in epigr. aut ad quem Ciceronis exſtant epiſtolæ, vel cujus ſunt Rhetorica ad Herennium, falsò attributa Ciceroni.

Ejuſdem verò CLXXXIV. Olympiadis, anno III. ad Philippos periere Brutus, & Caſſius: nempe anno Urbis IↃCCXII. M. Æmilio Lepido, & L. Munatio Planco Coſſ. Poſt hanc Philippenſem victoriam triumvirorum juſſu veteranis agri ſunt diviſi trans Padum: ſed Aſinius Pollio, Alfenus Varius, & Cornelius Gallus, Virgilium præſtitere indemnem: ut apud Donatum eſt in vita Maronis. His igitur, ut ſe gratum præſtaret, Bucolica aggreſſus eſt, eò lubentius, quod argumentum antea ſuſceptum difficultate deterreret; ut ipſe indicat in Sileno.

Octavius Auguſtus, ut de eo ait Tranquillus in ejus vita cap. LXXXV. *Poeticam ſummatim attigit. Unus liber exſtat ſcriptus ab eo hexametris verſibus, cujus & argumentum, & titulus eſt Sicilia. Exſtat alter æquè modicus Epigrammatum, quæ fere tempore balnei meditabatur. Nam Tragœdiam magno impetu exorſus, non ſuccedente ſtylo, abolevit: quærentibuſque amicis, quidnam Ajax ageret, reſpondit, Ajacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe.* Hexaſtichon ejus molliſſimum de ſe, & Fulvia adducit Martialis lib. XI. epigr. XXI. Sed non ſunt Auguſti in Virgilium verſus, qui dicuntur.

C. Aſinius Pollio Orator, ac Conſularis (Conſul fuit anno Urbis IↃCCXIII.) ſcriptor fuit Tragœdiarum Latinarum, ſive prætextarum: quas carmine ſcripſit jambico trimetro. Unde Horatius ſat. X. lib. II.

—— *Pollio regum*
Facta canit pede ter percuſſo. ——

Atque idem od. I. lib. II. quæ eſt ad hunc Pollionem:

Paulum ſevera Muſa tragœdiæ
Deſit theatris.

Nova, mirandaque ejus carmina etiam celebrat Maro Ecloga III. ubi & Servius monet, Pollionem hunc Tragœdiarum, & hiſtoriarum fuiſſe ſcriptorem. De Dalmatis triumphaſſe, ac octogenarium in villa Tuſculana obiiſſe, ait Hieronymus in Chronicis. Varia ejus dicta celebrantur. Ut illud ad Auguſtum, rogantem, ut ſecum ad bellum proficiſceretur Actiacum: *Mea in Antonium merita majora ſunt: illius in me beneficia notiora. Itaque diſcrimini veſtro me ſubtraham, & ero præda victoris.* Item cum Auguſtus in eum ſcripſiſſet Feſcenninos: *At ego taceo: non eſt enim facile in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere.* Etiam ut Pollionis accepiſſe ſe ait Plinius: *Commode agendo factum eſt, ut ſæpe agerem: ſæpe agendo, ut minus commode.* Nempe quia facilè agendo amittitur benè dicendi facultas.

Caſſius Severus Parmenſis, unus fuit percuſſorum Cæſaris, ac ſicuti ex iis primus pœnas dedit Trebonius, ita poſtremus eorum Caſſius iſte: ut proditum Vellejo Paterculo, & Oroſio lib. VI. cap. XIX. Bruto Caſſioque victis, ſecutus eſt Sex. Pompejum. Hinc Antonium, cujus legatus multa fortiter geſſit: de quibus Plutarchus, & Appianus *. Antonio devicto Q. Varum miſit Auguſtus, ad eum interimendum. Is cum ſtudentem reperiſſet eum combuſſit cum ſcriniis, & libris, in quibus multa de parte adverſa, (ut vehementis erat ingenii) acerbè admodum ſcripſerat. Hinc ſic de eo Horatius ſat. X. lib. I.

* Lib. 5. bellorum civilium.

—— *Amet ſcripſiſſe ducentos*
Ante cibum verſus, totidem cœnatus: Etruſci
Quale fuit Caſſi rapido ferventius amni
Ingenium: capſis quem fama eſt eſſe, libriſque
Ambuſtum propriis. ——

Aliorum tamen judicium Varum hunc è Caſſii libris Thyeſtem Tragœdiam abſtuliſſe, ac pro ſua edidiſſe: qua de re ſic vetus Horatii interpres in illud lib. I. epiſt. IV. ad Tibullum:

Scribere, quod Caſſi Parmenſis opuſcula vincat.

Hic (Caſſius) *aliquot generibus ſtylum exercuit: inter quæ opera elegi, & epigrammata laudantur. Quinctius autem Varus ab Auguſto miſſus, ut eum interficeret, ſtudentem reperit, &, perempto eo, ſcrinium cum libris tulit: unde multi crediderunt, Thyeſtem Caſſii Parmenſis fuiſſe. Scripſerat enim multas alias Tragœdias.* Verùm non ſi Thyeſtæ autor non ſit, eo hinc fuerit ablegandus. Nam, ut Fabius ait lib. X. *Cornelius Severus, etiamſi verſificator, quàm Poëta, melior, ſi ad exemplum primi libri bellum Siculum perſcripſiſſet, vindicaret ſibi jure ſecundum locum.* Niſi pro *Siculum* hìc reſcribi debet *civile*: quæ conjectura eſt Joſephi Scaligeri in Animadverſionibus Euſebianis. De ingenii verò vehementia quod diximus, etiam liquet ex Horatio & interprete veteri od. VI. lib. Epodon. Epiſtolam ejus ad Antonium citat Plinius lib. XXXI. cap. II. Verſus

ejus de Orpheo in Brutiis repertos primus edidit Achilles Statius Luſitanus: ſuiſque in Suetonium de claris Grammaticis Notis ſubtexuit. Sed iis adſentio, qui carmen id genuinum negant, ac tentandi gratia ab ipſo Achille Statio ſcriptum arbitrantur. Alia etiam adferrem: ſed malim adiri, quæ in Hiſtoricis Latinis dixi lib. I, cap. XXI.

Gracchus quoque Vario, de quo paullo ante dictum, æqualis, poëta itidem Tragicus. Imò uterque Thyeſtem ſcripſit. Unde Ovidius in ultimo de Ponto:

Cùm Varius Gracchuſque darent fera dicta tyranno.

Ubi per tyrannum ſignat Thyeſtem. Ex Gracchi Thyeſte verſum citat Priſcianus in VI.

Codrus poëta fuit, quo tempore Bucolica ſcripſit Maro. Laudat Eclog. VII:

Nymphæ, noſter amor, Libethrides aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite. Proxima Phœbi
Verſibus ille facit.

Ubi ſic Servius: *Codrus poëta ejuſdem temporis fuit; ut Valgius in Elegis ſuis refert.* At planè diverſus ille Codrus ſub Domitiano, poëta infelix, qui Theſeida ſcripſit: unde Juvenalis ſat. I:

—— Vexatus toties rauci Theſeide Codri.

Maroni itidem æquales, ſed infelices poëtæ, Bavius, Mævius, Anſer. De quibus Maro ipſe in Eclogis: Servius cum alibi, tum in Ecl. VII.

Triumvirorum item temporibus, ac deinceps, fuit C. Rabirius, poëta grandiloquus: uſque adeo ut hac parte proximus à Virgilio crederetur. Deſcripſit bellum Actiacum inter Antonium & Octavium. Meminit quoque Ovidius lib. IV, eleg. ult.

—— Magnique Rabirius oris.

Pluribus de eo diximus in Hiſtoricis Latinis, lib. I, cap. XXI. Ubi & aliquid dictum de ſatyra Rabirii, vel Rubrii, quam laudat Fulgentius Planciades.

Etiam tum claruit L. Julius Calidius: ut indicat hic locus Cornelii Nepotis in T. Pomponii Attici vita: *Idem* (Atticus) *L. Julium Calidium, quem poſt Lucretii, Catullique mortem, multò elegantiſſimum poëtam noſtram tuliſſe ætatem, vere videor poſſe contendere.* Obiit Atticus, ut ex eodem conſtat Nepote, Cn. Domitio Ahenobarbo; & C. Soſio Coſſ. hoc eſt anno Iↄ CCXXII. Id fuerit Olymp. CLXXXIX, an. I. Sed Catullus, poſt cujus mortem, claruiſſe dicit Nepos, obiit Olymp. CLXXX, an. IV, ut antea diximus; hoc eſt, anno Urbis Iↄ CXCIV.

Sequitur deinde in Chronico Euſebii.

Olymp. CLXXXVI, an. III, *M. Bavius, poëta, quem Virgilius in Bucolicis notat, in Cappadocia moritur.*

Reſpicit illud in Eclogis,

Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mævi.

In Mævium eſt Horatii lib. Epodon, od. X, qua navigationem ei adverſam exoptat, ac *olentem* vocat, credo ob hircuminaſorum peſtem, ut vocat Catullus.

Etiam Paro à Gyraldo inter malos poëtas, qui Maronem riſerint, refertur. Movit eum vita poëtæ à Donato ſcripta. Sed opinio hæc à librarii errore profecta, cum, ut aliis jam obſervatum, pro *Paro quidam*, ut etiam eſt in editione Rob. Stephani, legi debeat παρῳδήσας.

Olymp. CLXXXVIII, an. I: *M. Terentius Varro Philoſophus prope nonagenarius moritur.*

An. II: *Cornelius Gallus Forojulienſis poëta, à quo primum Ægyptum rectam ſupra diximus, quadrageſimo ætatis ſuæ anno propriâ ſe manu interfecit* *. At Maximiani ſunt, quæ Cornelio Gallo tribuuntur vulgo: etiam à Petro Crinito lib. de Poëtis, Rob. Titio lib. I locorum controverſorum cap. XV, & Sebaſtianus Foxius lib. II de Imitatione ſive ratione Styli †: qui eum Tibullo & Propertio non inferiorem ait in carmine elegiaco. Quanto rectius Maximianum hunc poëtam barbarum vocat Yvo Villiomarus adverſus Titium, quem dixi. Et ſanè in Mſo noſtro non Gallo, ſed Maximiano attribuuntur. Plerique confundunt Cornelium Gallum, primum Ægypti præfectum, cui Publio eſſe prænomen potuit, & Ælium Gallum, præfectum tertium; inter quos Cajus Petronius fuit medius. Hunc ordinem obſervat Strabo lib. XVII ‡. Atque hic optimè id nôſſe potuit, qui Ælio Gallo amicus, ac familiaris fuit; ut ipſe refert lib. II *, & XVII †. In quo deceptus fuit Dio lib. LIII, ubi, poſt Cornelium Gallum proximè ſubjungit Ælium Gallum, huic verò Petronium: quæ planè adverſantur non Straboni modo, ſed etiam Fl. Joſepho. Plura de his annotavit Clariſſimus Henricus Valeſius annotationibus in lib. XVII Ammiani Marcellini. Sed non video, cur ibidem dicat, ut à Caſaubono, ita me quoque confundi duos Ægypti præfectos, Cornelium Gallum, & Ælium Gallum. Nam ſolùm dico primum præfectum fuiſſe Cornelium Gallum, Virgilii amicum, cui Parthenius ſua dicavit ἐρωτικά. Quæ veriſſima ſunt. Nec enim Parthenius Gallum, cui ſua inſcribit ἐρωτικά, Ælium, ſed *Cornelium* appellat.

* Similiter Donatus in vita Virgilii.
† Fol. I.
‡ P. 788. edit. Pariſ. 1620.
* P. 118 ejuſdem edit.
† P. 816.

C. Cilnius Mæcenas aliquem hic ſibi locum depoſcit, non modò, ut maximus Poëtarum fautor & patronus: ſed etiam ob proprios verſus: licet oratio ejus, & proſa, & carmine foret mollis, ac κακόζηλος. Itaque Auguſtus Cæſar, ut Suetonius in vita ejus tradit cap. LXXVI, *exagitabat nonnunquam Mæcenatem ſuum, cujus* μυροβρεχεῖς, *ut ait, cincinnos uſquequaque perſecutus, & imitando per jocum irriſit.* Macrobius item lib. II Saturn. cap. IV: *Auguſtus, quia Mæcenatem ſuum noverat eſſe ſtylo remiſſo, molli, & diſſoluto, talem ſe in epiſtolis, quas ad eum ſcribebat, ſæpius exhibebat: & contra caſtigationem loquendi, quam aliàs ille ſcribendo ſervabat, in epiſtola ad Mæcenatem familiari plura in jocos effuſa ſubtexuit. Vale mel gentium Medullia, ebur ex Hetruria, laſer Aretinum, adamas ſupernas, Tiberinum margaritum, Cilniorum ſmaragde, jaſpi figulorum, berylle Porſennæ, carbunculum Italiæ,* καὶ ἵνα συντέμω πάντα, μάλαγμα *mœcharum.* Prout quidem verba ejus reſtituenda putavit Caſaubonus. Rident & ejus dictionem Seneca, ac Tacitus. Quam verò dictione erat mollis, tam vita diſcinctus: quamquam (ut alibi ait Seneca) ingenium haberet virile ac grande. Et elegia in obitum ejus purgare eum adnititur, ab iis, quorum accuſaretur. Verſiculos quoſdam Mæcenatis collegit Lilius: quibus adde carmen illud, quòd eſt in Horatii vita à Tranquillo ſcripta. Superſunt ejus tres verſus in Cybellen matrem *: item ſeptem Glyconii de vitæ dulcedine †: tres Phalæcii ad Horatium, è vita ejus ad Tranquillum ſcripta. Item quinque alii in obitum Horatii.

* In Epigr. vet. p. 4.
† Pag. 39.

Horatio, ut videtur, æqualis fuit Plotius Criſpinus. Hic Stoicam ſectam profeſſus, atque idem poëta; ſed cujus verſus numero forent multi, levis verò ponderis. Cùm aliis in locis ejus meminit Horatius, tum ſat. I, lib. I:

Iam ſatis eſt: ne me Criſpini ſcrinia lippi
Compilàſſe putes, verbum non amplius addam.

Olymp. CXC, an. II: *Virgilius Brunduſii moritur, Sentio Saturnino, & Lucretio Cinna Conſulibus. Oſſa ejus Neapolim tranſlata in ſecundo ab Urbe miliario ſepeliuntur, titulo iſtiuſmodi ſupraſcripto, quem moriens ipſe dictaverat:*

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini paſcua, rura, duces.

Statuam Mantuæ conſtitutam Maroni ante hos annos ducentos Carolus de Malateſtis, tanquam quæ nihil ad religionem Chriſtianam pertineret, dejici curavit. Habeoque orationem Mſam adverſus Carolum iis temporibus ſuper hoc exaratam, ſatis ſane acerbam: & tamen auctor ait, acerbius ſe ſcripturum fuiſſe, ſi tutum fuiſſet in eos ſcribere, qui poſſent proſcribere. Nomen auctoris non apponitur: ſed permiſta legitur orationibus, libelliſque Guarini, ac diſcipulorum, qui auctore magiſtro hujuſmodi oneris aliquid ſuſcipere ſolerent. Ut videri poſſit ſcripta ab ipſo Guarino Veronenſi, clariſſimo ſui temporis viro, vel ſaltem diſcipulorum aliquo. Et ſanè indignus ille Carolus amore ac præconio fuit omnium eruditorum, qui Sirenophœnici Poëtarum non modo non adſurge-

ſurgeret, ſed ſtatuam dejectum iret poſitam in patria urbe, cui ille æternum decus attuliſſet. Priapeja quoque Virgilio attribui ſolent, cum nihil æquè ac tam impudici verſus conveniant verecundiæ ac virginali ori Maronis, qui propterea Parthenias diceretur. Nec tamen repugnem, quo minus aliqua minùs inverecunda, fuerint a Marone. Sed ſam diſpar dictio ſatis docet eſſe à variis, ac de nonnullis eſſe Tibulli & aliorum conſtat. Non diſplicet eorum opinio, qui putant juſſu Mæcenatis à Virgilio collecta, & eo Maroni attributa. Quippe in Mæcenatis hortis erat ſacellum Priapi, ubi Poëtæ verſus ſuos, quos in ridiculi numinis honorem ſcripſiſſent, affigere ſolebant.

Anno cxc, *Varius & Tucca, Virgilii, & Horatii contubernales Poëtæ habentur illuſtres: qui Æneadum poſtea libros emendarunt ſub eâ lege, ut nihil adderent.*

Horum L. Varius quantus fuerit Poëta oſtendit iſtoc Horatii lib. I, od. VI ad Agrippam:

Scriberis Vario fortis, & hoſtium
Victor, Mæonii carminis aliti.

Ubi videmus vocari Poëtam Mæonii ſive Homerici carminis. Nam & univerſè *aves*, & εἰδικῶς *cygni* ſæpe pro Poëtis ſumuntur. Idem ad Auguſtum epiſtolâ lib. II:

Dilecti tibi Virgilius, Variuſque Poëtæ.

Item lib. I, ſat. VI:

—— optimus olim
Virgilius, poſt hunc Varius, dixere quid eſſem.

Item epiſtolâ ad Piſones de Arte Poëticâ:

—— Quid autem
Cæcilio, Plautoque, dabit Romanus, ademtum
Virgilio, Varioque?

Omnino verò hic diverſus eſt ab Varo illo, quem Maro celebrat Ecl. IX. Varus enim ille non Varius vocabatur. Nec Varium Maro uſpiam laudat. Varius hic ſcripſit Tragœdias: ſed imprimis celebratus Thyeſte: modò ea fabula non fuerit vel Maronis: de quo legas apud Donatum in Virgilii vita: vel Caſſii Parmenſis, quod tradit vetus Horatii interpres.

Alter erat Plotius Tucca: ut vocat Cornutus, vetus Perſii interpres: qui de Tuccetis loquens Galliæ Ciſalpinæ, priùs ait dictum Tuccetam, poſteaque autem appellatum eſſe Tuccam.

Olymp. CXCI, an. I: Hieronymi quoque eſt: *Æmilius Macer Veronenſis Poëta in Aſia moritur.*

Aliquid de eo diximus in Hiſtoricis Latinis lib. I, cap. X. De herbis ſcripſerat: unde Ovidius in Triſtibus *:

Sæpe ſuas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque nocet ſerpens, quæ juvat herba, Macer.

* Lib. 4. el. 10.

Unde liquet ſcripſiſſe de avibus, ſerpentibus, & herbis. Præterea verò cecinit παραλειπόμενα Homeri. Unde idem †:

Tu canis æterno quicquid reſtabat Homero,
Ne careant ſummâ Troica bella manu.

† Lib. 2. de Ponto, el. 10.

Ideo *Iliacum Macrum* vocat idem Ponticorum elegia ultima. Plura de eo diximus in Hiſtoricis Græcis lib. I, cap. XVI.

Hodie exſtat Æmilius Macer de herbarum virtutibus, cum commentariis Joannis Atrociani editus Friburgi anno CIↃ IↃ XXX. Viderat id poëma jam ante Raphaël Volaterranus: ſed valde fallitur, cùm poſtquam de Macro, quem Ovidius laudat, ita ſcribit: *Opus autem de herbis ad noſtram uſque pervenit ætatem.* Verùm hoc facilè eo refellitur, quòd Macer, qui exſtat, meminerit Plinii, qui non Auguſti, ut Ovidius; ſed Neronis, & Veſpaſiani temporibus claruit. Atque hæc agnoſcit Joannes Atrocianus: ſed ait, eum quem habemus, eſſe alterum Macrum, ad quem Plinius junior ſcribit lib. III: Verba ejus ſunt: *Atque hunc Plinianum Macrum hujus operis fuiſſe auctorem aſſeruerim, quod Plinius adhortatur illum ad ſimile quid elaborandum.* Sed qui epiſtolam legerit, nihil tale inveniet. Et quid multis opus eſt verbis? Rectè de hoc Cæſar Scaliger in Hypercritico: *Is cujus opus in manibus habemus, neque Poëta fuit, neque bonus medicus, neque ſincerus verſificator.* Hunc Macrum variis in locis ſequi amat Schola Salernitana: imò quandoque integros ex eo verſus exſcribit: uti ex iis videre, quæ utrique prodita de abſynthio, hyſſopo, & aliis.

Ad Euſebium nunc, ſive Hieronymum potius redeamus.

Olymp. CXCII, an III: *Horatius quinquageſimo ætatis ſuæ anno Romæ moritur.* De arte Horatii ſic Cæſar Scaliger præfat. in libros de Re Poëtica: *Horatius artem cùm inſcripſit, adeo ſine ulla docet arte, ut Satyræ propius totum opus illud eſſe videatur.* Sed fallitur, cum ab Horatio eſſe inſcriptionem eam arbitratur. Vera enim inſcriptio eſt, *epiſtola ad Piſones.* Non magis verò Horatius addit illud *De arte Poëtica*, quam epiſtolæ ad Auguſtum addidit *De veteribus, & novis Poëtis*, aut illi ad Numicium, *De finibus bonorum:* ac par aliarum eſt ratio, quarum nulli Horatius argumentum appoſuit, ſed poſtea alii addiderunt.

Paullo poſt exceſſum Horatii claruit *Philiſtio.* Ut Euſebius indicat, ſive potius Hieronymus in Chronico ad Olymp. CXCVI, an. III: *Philiſtio Mimographus, natione Magneſianus, Romæ clarus habetur.* De hoc Martialis lib. II, epigr. XLI:

Mimos ridiculi Philiſtionis.

Etiam memoratur Sidonio Apollinari Marcellino, aliis. Cùm daret Mimum, cui nomen φιλογέλως, riſu quidem implevit theatrum, ſed & ipſe eodem mortuus eſt.

Poſtea eſt apud Hieronymum.

Olymp. CXCIX, an. I: *Ovidius poëta in exilio diem obiit, & juxta oppidum Tomos ſepelitur.*

Inter cætera ejus, quæ referre nihil attinet, cum omnium manibus verſetur, ſunt epiſtolæ Heroidum: ſed non omnes ſunt unius ſcriptoris. Ipſe lib. II Amorum, eleg. XVIII, ut ſuas agnoſcit, illam Penelopes ad Ulyſſem, Phyllidis ad Demophoontem, Canaces ad Macareum, Hipſipyles ad Iaſonem, Ariadnes ad Theſeum, Phædræ ad Hippolytum, Didus ad Æneam, item Sapphus ad Phaonem. Sed Joſephi Scaligeri judicio, præterea ejus videntur iſtæ: Briſeidis ad Achillem, Oenones ad Paridem, Hermiones ad Oreſtem, Dejaniræ ad Herculem, Canaces ad Macareum, Medeæ ad Iaſonem, Laodamiæ ad Proteſilaum, Hypermneſtræ ad Linum, ſive Lynceum, quæ autem Sabini potius videantur, inferiùs dicetur. Etiam Ovidius tranſtulit Aratea: unde duos verſus Probus adducit in Georg.

Multa ſcripſit Ovidius, quæ deperierunt: ut ſunt VI Faſtorum libri poſteriores, laudatiſſima Tragœdia Medea, phænomena, vaticinia, laudes Auguſti, liber in malos Poëtas, epigrammata; è quibus verſus ille apud Martialem in ſecundo epigr.

Ride ſi ſapis ô puella ride.

Etiam orſus librum de bello Actiaco, & libellum linguâ Geticâ. De quo ſic ipſe lib. IV de Ponto, eleg. XIII:

Ah pudet, & Getico ſcripſi ſermone libellum,
Structaque ſunt noſtris barbara verba modis.
Et placui, gratare mihi, cœpique Poëtæ
Inter inhumanos nomen habere Getas.
Materiam quæris? laudes de Cæſare dixi.
Adjuta eſt novitas numine noſtra Dei.
Nam patris Auguſti docui mortale fuiſſe
Corpus: in ætherias numen abiſſe domos.
Eſſe parem virtute patri, qui frena rogatus
Sæpe recuſati cœperit imperii.

Unde liquet ſcripſiſſe Tiberio imperante. Cumque adeò facilis ejus dictio videatur, ſubinde tamen occurrit, ubi ob trajectionem verborum duriuſculus dicatur. Ut cùm ſic incipit libros de arte Amandi:

Siquis in hoc artem populo non novit amandi.

Maluerit aliquis:

Siquis in hoc populo legem non novit amandi.

Ac ipſe hoc mallem: ſi *legis* vocabulo *artis* nomen ſatis ex-

exprimeretur. Eidem multa falſo attributa, ut carmen panegyricum ad Piſonem; cujus in Mſo hæc inſcriptio:

Lucani catalecton de laude Piſonis.

Quædam etiam deterioris notæ: ut Grammatici cujuſdam Chriſtiani Philomela, alius item Pulex, & alia quædam. Aliqua verò hominum ſunt nec mediocriter eruditorum: in his libri tres de Vetula, minùs etiam Ovidium referentes, quàm ſimius hominem. Nec ab inſulſis librariis Ovidii eſſe nomen impoſitum, ſed ſcriptore ipſo, indicat hoc lib. II.

—— In nova formas
Corpora mutatas cecini.

Et lib. III.

—— Memini dicens hæc de Jove verba.
Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli.
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Quæ ſunt ex lib. I. Metamorphoſ. Etiam loquitur poſtea quaſi inter Getas degeret, ac ſubdit:

Nam quoniam reditum mihi jam ſperare negatum eſt,
Opto mori.

Vide autem ſtultitiam Poëtaſtri. Etiam Ovidium inducit loquentem, quaſi Euangelium legiſſet:

Hujus cultorem me repromitto futurum,
Dum tamen ipſe trahat, quia ſi non traxerit, ipſi
Nemo placere poteſt, & ad ipſum nemo venire.

Ovidii de vetula meminere, Theodericus de Niem in Nemore unionis tract. VI. cap. XXXVIII. & Gobellinus Perſona in Coſmodromio ætatis III. cap. XVI. & ætat. IV. cap. X. Meminit quoque, ſed ut ſuſpecti ſcriptoris, Henricus de Hervordia in Saxonia. In hiſtoria Laurentii Mulleri, atque exinde in Glandorpii Onomaſtico legas hodieque exſtare verſus monumento Ovidii inciſos, eſſe verò hujuſmodi:

Hic ſitus eſt vates, quem divi Cæſaris ira
Auguſti Latia cedere juſſit humo.
Sæpe miſer voluit patriis occumbere terris,
Sed fruſtra: hunc illi fata dedere locum.

Verum neutiquam hæc ſapiunt ævum Auguſti, vel Tiberii.

Atque hos memorat Hieronymus. Præter quos alii etiam nomen egregium retulere.

Talis fuit.

Item Propertius, patria Umber, ut ipſe ſcribit, æmulus Philetæ Coi, & Callimachi Cyrenæi, unde & ſe Romanum vocat Callimachum. Conqueritur & ſe excidiſſe agris paternis in diviſione ea, quæ ſub Triumviris facta militibus. Puella, quam Cynthiam vocat, vero nomine Hoſtia eſt dicta, ut ex Appulejo conſtat. Videtur autem fuiſſe filia Hoſtii, qui de bello Iſtrico ſcribit, ut ſuperius relatum. Ab hoc, cujus quatuor elegiarum libros habemus, diverſus eſt is Propertius ex quo Fulgentius Planciades libello ad Chalcidium Grammaticum citat: *Catillata geris vadimonia publicum proſtibulum.*

Item Sextilius Ena Cordubenſis, majoris ingenii Poëta, quàm doctrinæ: ut in eo locum videatur habuiſſe, quod Cicero de Cordubenſibus ajebat, quiddam pingue ſonare. Hic aliquando in domo Corvini Meſſallæ carmen recitaturus de proſcriptione ac morte Ciceronis, ſic cœpit:

Deflendus Cicero eſt, Latiæque ſilentia linguæ.

Erat inter auditores C. Aſinius Pollio, qui continuo ſurrexit, compellans Meſſallam: *Tu Meſſalla videris, quid tibi liberum ſit in domo tua: ego iſtum non ſum auditurus, cui mutus videor*, ac continuo deceſſit, ne cæteros audiret verſus: ut eſt apud Senecam Suaſoriâ penultimâ. Nec hoc factum Aſinii magnopere mirandum. Nam facundus quidem orator, ſed *infeſtiſſimus famæ* Ciceronis permanſit, ut eſt apud M. Senecam Suaſoriâ VI. Vide quæ de eo in Hiſtoricis Latinis dixi lib. I. cap. XVII.

A. Cornelius Alpinus, ex Gyraldi, Lambini, ac aliorum quorundam ſententiâ, deſignatur verſibus hiſce Horatii lib. I. ſat. X.

Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque
Defingit Rheni luteum caput, hæc ego ludo.

Volunt autem Memnonia ſcripſiſſe, ſive hiſtoriam Memnonis ab Achille interfecti. Lambinus putat *jugulare* dicecere, quia ineptè adeò deſcribat, ut antea jugulatum ab Achille, ſecundo ipſe videatur jugulare. Sed ſimplicius dixeris, *jugulare* ſumi, pro jugulatum deſcribere. Poëtæ enim hoc facere dicuntur, quòd carmine referunt. Interim metuo, ne ſatis ſit incertum quod de Cornelio Alpino, ac Memnoniorum opere dixi, quando de Poëta Cornelio Alpino ſilent veteres, ac per fabulam de Memnone intelligere poſſis hiſtoriam belli Trojani, quæ mortem Memnonis comprehendit. Iliada enim varii ſcripſere. Nec aſſentire iis poſſum, qui per *Alpinum* intelligunt Cornelium Gallum.

Item Gratius, Cynegeticon ſcriptor: de quo Ovidius ultimâ Ponticorum elegia:

Aptaque venanti Gratius arma daret.

Hunc primùm è Galliis ſecum attulit, & ut lucem publicam videret fecit Actius Sannazarius, ut in Nemeſiano, & Calpurnio dicemus.

At Ovidio æqualis Pedo Albinovanus: quem *ſidereum* vocat Ovidius elegia ultima Ponticorum. Atque ad eundem eſt Ovidii elegia X. ejuſdem libri. Ubi inter alia hic verſus:

Si roget hæc aliquis, cur ſint narrata Pedoni.

Unde is qui edidit Theſaurum Linguæ ſive Romanum Forum, colligit Pedonem Ovidio Pedonium vocari. Quod ridiculum eſt, cum *Pedoni* ſit dandi, non vocandi caſus. Theſeida ſcripſiſſe indicat paullo poſt Ovidius; ſed non injuriâ multi referunt ſic ſcribentem;

Qui quamquam eſt factis ingens, & conditur à te
Vix tanto, quanto debuit ore cani.

Videtur enim detrahere Pedoni, quaſi dictione ſuâ non exprimat Theſei magnitudinem. Sed corruptus eſt locus, & quod Joſ. Scaligero obſervatum, pro *Vix* legendum *Vir*. Scripſit quoque de navigatione Germanici: quo ex opere XXIII. verſus refert M. Seneca Suaſoria prima. Etiam epigrammata ſcripſiſſe colligitur ex Martialis lib. II. epigr. LXXVII. quod eſt in Coſconium. At ſupereſt elegia ejus in mortem Druſi. Neronis ad Liviam Auguſtam, ſanè elegantiſſima, & digna ſidereo Poëtâ. At aliter videtur detributa ei elegia in obitum Mæcenatis. Quare in animum inducere non poſſum, eſſe ejuſdem Poëtæ, licet non ignorem aliam fuiſſe mentem Joſepho Scaligero.

Ovidii quoque temporibus vivebat Aulus Sabinus. Quæ ſcripſerit, docebit Ovidius Amorum lib. II. eleg. XVIII.

Quàm citò de toto rediit celer orbe Sabinus,
Scriptaque diverſis rettulit ille locis.
Candida Penelope ſignum cognovit Ulyſſis,
Legit ab Hippolyto ſcripta noverca ſuo.
Jam pius Æneas miſeræ reſcripſit Eliſæ:
Quodque legat Phyllis, ſi modò vivat, habet.
Triſtis ad Hipſipylen ab Jaſone littera venit:
Dat votam Phœbo Lesbis amica lyram.

Scripſit igitur epiſtolam Ulyſſis ad Penelopen, Hippolyti ad Phædram, Æneæ ad Didonem, Demophoontis ad Phylliden, Jaſonis ad Hipſipylen, & illam Sapphûs extremo loco memoratam. Harum verò omnium exſtat nulla. Scio ſub nomine Sabini legi ternas, Ulyſſis ad Penelopen, Demophoontis ad Philliden, & Paridis ad Oenonen. Sed indignæ prorſus Sabino, vel aliquo illius temporis Poëta: quin neque noſtro ſi ævo ſcriptæ forent, multum laudis mererentur. Sed non dubium, quin, ſi non omnes, ſaltem aliquæ ex ſex iſtis Sabini ſint, quæ inter Ovidianas leguntur: Paridis ad Helenam, Helenæ ad Paridem; Leandri ad Heronem, Herûs ad Leandrum; Acontii ad Cydippen, Cydippes ad Paridem. Plura verò Sabinum ſcripſiſſe, indicat Ovidius lib. IV. Ponticorum, eleg. XVI.

Quique ſuam Trœzen, imperfectumque dierum
Deſeruit celeri morte Sabinus opus.

Unde cognoſcimus obiiſſe Sabinum ante Ovidium. Ex eo quo-

quoque *Træzen*, vel *Træzena* meminit, colligunt Træzenia ſcripſiſſe. Sed alii legunt Triſenen, quam fuiſſe ajunt amicam. Dierum opus, Faſtos interpretantur, vel opus, quale Heſiodi Ἡμέραι.

Etiam Auguſti ætate claruit Titius Septimius, Lyrico, & Tragico carmine pollens: unde Horatius lib. I. epiſt. III.

Quid Titius Romana brevi venturus in ora
Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus,
Faſtidire lacus, & rivos auſus apertos;
Vt valet? ut meminit noſtri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos ſtudet auſpice Muſa?
An tragica deſævit, & ampullatur in arte?

Quæ ad verba ſic vetus interpres à Cruquio editus: *Titius Septimius carmina, & tragœdias ſcripſit; ſed libri ejus nulli exſtant. Hujus autem inſigne monumentum eſt infra Aritiam.* At alius ut temporum ratio docet, eſt C. Titius, tragicus & ipſe; ut ſuperiùs diximus.

Auguſti item temporibus fuit Cornelius Severus, cujus exſtat carmen de Ætna perperam olim Virgilio tributum. Apud M. Senecam in Suaſoria VI. etiam ejus de Ciceronis nece verſus habemus: credo ex ejus opere de bello Siculo: quod ſcripſiſſe teſtis Fabius in X. Etiam vetus Perſii interpres ex eo adducit hunc verſum:

Pinea frondoſi dum murmurat Apennini.

Eſt ad eum Ovidii elegia in IV. de Ponto, quæ incipit:

Quod legis ô vates magnorum maxime regum.

Regum vatem appellat quomodo Ponticorum elegiâ ultimâ dicitur *Latio dediſſe carmen regale*. Niſi *vatum* legi debet, ut dicat, Marone, Horatioque, & quibuſdam aliis, jam mortuis, Severum inter magnos vates principatum tenere.

Ariſtius Fuſcus ab Horatio memoratur lib. I. ſat. IX. Ac ad eum eſt od. XXII. lib. I. Lilio refertur inter Poëtas, ſive ut Comicus, ſive ut Tragicus: illud Porphyrio, hoc Acron prodidit. Ambigo quia de eo nihil Cruquianus interpres, ex melioris notæ codd. non malo judicio expreſſus.

Horatio æqualis Domitius Marſus, qui Amazonidem ſcripſit, & alia. Inter ſui temporis Poëtas refert Ovidius eleg. ult. Ponticorum.

Cum foret & Marſus, magnique Rabirius oris.

Epigramma ejus ſupereſt in Tibullum. Diximus de eo in Hiſtoricis Latinis lib. I. cap. XVI.

Fannius Poëta dicitur fuiſſe non admodum bonus: cujus tamen poëmata in ædem Apollinis & Muſarum, aliamve Bibliothecam publicam cum imagine fuerint delata. Unde Horatius lib. I. ſat. IV.

—— Beatus Fannius, ultro
Delatis capſis, & imagine: cum mea nemo
Scripta legat, vulgò recitare timentis. ——

Eundem ſat. X. *ineptum* vocat. Quid igitur inſiſtamus?

At T. Valgius magnus omnino Poëta fuerit, quando ſic de eo Tibullus ad Meſſalam:

—— Æterno propior non alter Homero.

Eundem Horatius lib. I. ſat. X. cum Virgilio, Vario, Mæcenate, atque aliis, conjungit, quibus ſi placere poſſit, negat ſe ineptorum hominum judicia morari.

Inter eoſdem ibidem ab Horatio reponitur Octavius Poëta, & Hiſtoricus. Hunc meri pocula abſtulere, vel bilis; ut liquet ex carmine in ejus mortem: quod eſt in Appendice Virgiliana. Vide Petrum Victorium Variarum Lect. lib. XIV. cap. VII.

Ponticus Propertio æqualis: qui ſic ad eum ſcribit lib. I. eleg. VII.

Cùm tibi Cadmeæ dicantur, Pontice, Thebæ,
Armaque fraternæ triſtia militiæ.

Idem non dubitat cum Homero componere. Continuò enim ſubjungit:

Atque ita ſim felix, primo contendis Homero.

Nec Thebanum modò bellum ceciniſſe: ſed etiam amores, cognoſcimus ex lib. ejuſdem eleg. IX. Ovidio etiam conjunctiſſimus fuit, ut oſtendit iſtoc.

Ponticus heroo, Battus quoque clarus Iambo,
Dulcia convictus membra fuere mei.

C. Meliſſus Mæcenatis libertus, ac ab Auguſto Bibliothecæ in Octavia porticu præfectus, inter Comicos ab Ovidio refertur elegiâ ultimâ de Ponto:

Et tua cum ſocco Muſa, Meliſſe levis.

Novum genus Togatarum reperit, quas inſcripſit *Trabeatas*, ut eſt apud Tranquillum in illuſtribus Grammaticis. Alius, ab eo eſt Helius Meliſſus Grammaticus, qui vixit tempore Hadriani Cæſaris: de eo judicium Agellii vide in XVIII. Noctium Atticarum.

Ovidio item æqualis Turanius Tragicus. De quo ſic Naſo ipſe elegiâ Ponticorum ultimâ:

Muſaque Turani Tragicis innixa cothurnis.

Ubi tamen quidam Mſſi *Taratani*.

Item Lupus Siculus, ſuarum fabularum idem auctor & actor, teſte eodem Ovidio; qui ſic de eo lib. IV. Ponticorum, eleg. XVI.

Trinacriuſque ſuæ Perſeïdos auctor, & actor,
Tantalidæ reducis, Tyndaridoſque Lupus.

Adhæc Carus, qui de Hercule carmen condidit. Unde Ovidius ibidem:

Et qui Junonem læſiſſet in Hercule, Carus,
Junonis ſi jam non gener ille foret.

Item duo Poëtæ nomine Priſci, & Poëta Numa. Unde inibi:

Et cum ſubtili Priſcus uterque Numa.

Marius quoque, felix vario carminis genere fuiſſe dicitur Ovidio; cujus verſus ille ibidem:

Et Marius ſcripti dexter in omne genus.

Ambigit Gyraldus, an non fuerit Rhetor Marius, qui eo tempore inclytus fuit. Tum quippe iidem ſæpius Rhetores, & Poëtæ.

Adhæc Proculus, imitator Callimachi; unde Ovidius inibi:

Callimachi Proculus molle teneret iter.

Item Fontanus, qui deſcripſit Naiadas à Satyris amatas. Ovidius ibidem:

Naiadas à Satyris caneret Fontanus amatas.

Ac de Capella, Poëta elegiaco, ſubdit:

Clauderet imparibus verba Capella modis.

Item C. Cotta: de quo ſic Ovid. lib. IV. de Ponto, eleg. XVI. ubi ſui temporis Poëtas enumerat:

Te tamen in turba non auſim, Cotta, ſilere.
Pieridum lumen, præſidiumque fori:
Maternos Cottas cui, Meſſallaſque paternos,
Maxima nobilitas ingeminata dedit.

Inſuper Julius Montanus hexametro, & elegiaco pollens carmine; unde ſic ibidem Ovidius:

Quique vel imparibus numeris, Montane, vel æquis
Sufficis, & gemino carmine nomen habes.

Hic eſt ille, qui dicere ſolet, (ut eſt apud Donatum in Virgilii vita,) *involaturum ſe quædam Virgilio, ſi & vocem poſſet, & os, & hypocriſin. Eoſdem enim verſus, eo pronunciante, bene ſonare; ſine illo marceſcere, quaſi mutos.* Meminit quoque ejus uterque Seneca, Marcus Controverſia XVI. Lucius epiſt. CXXIII.

Accedat Largus; de quo ſic inibi Ovidius:

Ingeniique ſui dictus cognomine Largus,
Gallica qui Phrygium ducit in arva ſenem.

Hoc eſt, qui de Antenore ſcripſit Phrygia profugo, ac ſedem ponente in Venetia, Galliæ Ciſalpinæ regione.

Item Camerinus, & Thuſcus: quorum ille carmen ſcripſit de Hectore tracto: alter de Phyllide, ſeu amica, ſeu illa Thraciæ regina, Lycurgi, & Cruſtumenæ filia, quam Demophoon, Theſei, & Phædræ filius amavit. De utroque ſic ibidem Naſo:

Quique canit domito Camerinus ab Hectore Trojam,
Quique ſuâ nomen Phyllide Thuſcus habet.

Manilius, ſive, ut in variis eſt libris, Manlius, cujus Aſtronomicon habemus, extrema Auguſti ætate vixiſſe creditur. Sanè meminit Varianæ cladis, quæ quinquennio

nio contigit ante exceſſum Auguſti. Antiquior igitur eſſe Auguſto non poſſit. Verùm ſi Ovidio fuerit æqualis mirum ejus Ovidium ultimâ Ponticorum elegiâ non meminiſſe. Etſi non ignorem, ipſum dicere quoſdam à ſe præteriri. Præterea dictio videtur ſuadere potiùs vixiſſe ſenioris Theodoſii temporibus. Imò clariſſimo Gevartio videtur eſſe is Manlius Theodorus, quem ab ſiderali ſcientia prædicat Claudianus in panegyrico ad eum ſcripto. Vide eum Notis in Statii lib. III Silv. carm. III: ubi & pluribus ſe argumentis id oſtenſurum in Electis pollicetur. Si ævi ſit Auguſtæi, eum ſibi imitandum propoſuerit Julius Firmicus, qui ſub Conſtantino M. vixit. Sin Theodoſianâ vixerit ætate, Manlius Firmicum carmine expreſſerit. Quæ opinio nobis placuit lib. II de Arte Grammatica, cap. XXVI. Nunc in alteram magis ſententiam propendeo. Legenti enim Manilium, iterum, iterumque omnia Auguſti temporibus videntur convenire.

C. Aſinius Gallus, filius C. Aſinii Pollionis, de quo ante diximus, Conſul fuit anno V. ƆCCXLVI, maritus Vipſaniæ, M. Agrippæ filiæ, & ex ea trium Conſularium parens, tandem à Tiberio ob connubium & linguæ libertatem, fame enectus; patre verò Aſinii Galli, qui cum Statilio Corvinio in Claudium Cæſarem conſpiravit. Hic libros ſcripſit de comparatione patris ſui, & Ciceronis, quibus patrem prætulit, teſte Plinio lib. VII, epiſt. ad Pontium. Iis verò reſpondiſſe Claudium Cæſarem, ex Suetonio cognoſcimus. A Plinio in epiſtolis ejus quoque carmina laudari, lego apud Lilium dialogo VIII. De hoc ambigo: ſed Tranquillus de illuſtribus Grammaticis ait hoc ejus epigramma eſſe in M. Pomponium Marcellum pugilem, & Grammaticum:

Qui caput ad lævam deicit *, *gloſſemata nobis*
Præcipit: os nullum, vel potius pugilis.

* *Demittit, conjectat.*

Sic enim legendus is locus è Mſſis. Valde ratio fugit Glandorpium, quando, in onomaſtico Romano, hunc eſſe eum, quem pater Pollio, captis à ſe Salonis, Saloninum vocavit, ac cujus γενεθλιακὸν Maro celebravit Eclog. IV. Nam is nono à nativitate die deceſſe, ut à Servio proditum, & infantem deceſſiſſe elucet, ſiquis poſtremos ejus eclogæ verſus attenderit.

Extremis Auguſti temporibus fuit Abronius Silo.

Quippe cujus filius quidem vixerit, cum ſupereſſet etiamnum M. Seneca, Lucii parens: quique ipſe auditor fuerit Porcii Latronis, qui obiit Olymp. CXCIV, anno I, triennio ante communem æram Chriſtianorum. De hoc Poëta ſic ſcribit M. Seneca Suaſoria II: *Memini auditorem Latronis Abronum* (leg. Abronium) *Silonem, patrem hujus Silonis, qui pantomimis fabulas ſcripſit, & ingenium grande non tantùm deſeruit, ſed poſuit, recitare carmen, in quo agnovimus ſenſum Latronis in his verſibus:*

Ite agite ò Danai, magnum Pæana canentes:
Ite triumphantes, belli mora concidit Hector.

Ubi duos videmus memorati Silones: patrem filiumque, filium ait fabulas ſcripſiſſe pantomimis: ex paternis verſibus promit duos: prior expreſſus ex illo VI Æn.

—— *Lætumque choro pæana canentes.*

In poſteriori commendat hoc,

—— *Belli mora concidat Hector.*

Sed utcunque venuſtum, ait tamen vinci à Marone, qui illud ſic expreſſerit XI Æn.

Quicquid apud duræ ceſſatum eſt mœnia Trojæ,
Hectoris Æneæque manu victoria Grajûm
Hæſit. ——

Imò nec Maro ipſe ſe ſatis probabat. Meſſallæ, qui ajebat Poëtam hic debuiſſe deſinere, nec addere, quod ſequitur:

—— *Et in decimum veſtigia retulit annum.*

Etiam Claudio Tiberio Cæſari aliquis in Poëtis locus; ut indicant hæc Suetonii in vita ejus cap. LXX: *Compoſuit & carmen lyricum, cujus eſt titulus, Conqueſtio de L. Cæſaris morte.* Græca etiam poëmata feciſſe in Poëtis Græcis dictum.

Germanicus Cæſar, filius Druſi adoptatus à Tiberio fuit. Atque ab eodem, anno ætatis XXXIV, veneno per Piſonem ſublatus. Hunc, ut Poëtam, celebrat Ovidius in Faſtis, quos ei dicavit, item carmine ad Suillium. Et fortaſſe ejus, non Domitiani Germanici carmen eſt, quod in veteribus epigrammatis legas, de puero Thrace, cui glacie caput abſciſſum.

Sub Tiberio item vixit Phædrus Thrax, Auguſti Cæſaris libertus, & qui ſe Auguſtum dicat vidiſſe jus dicentem, & Bathyllum Cilnii Mæcenatis ſaltantem. Reliquit quinque libros fabularum Æſopicarum jambicis conſcriptos. Antiquiſſimus, qui earum meminerit eſt Avienus præfatione in fabulas Æſopicas ad Theodoſium Macrobium. Nec mirum adeo non meminiſſe Senecam, ubi loquitur de fabularum Æſopicarum ſcriptoribus. Nam de Romanis loquitur: hic ſe Thracem prædicat.

Claruit quoque ſub Auguſto, ac Tiberio ſub quo obiit, C. Lutorius Priſcus; de quo ſic Dio lib. XXVII: Ἐκδημοῦντος δὲ τοῦ Τιβερίου, Γάϊος Λουτώριος Πρίσκος, ἱππεὺς, ἄλλως τε μέγα ἐπὶ ποιήσει φρονῶν, καὶ ἐπιτάφιον ἐπὶ τῷ Γερμανικῷ ἐπιφανῆ συγγράψας, ὥστε καὶ χρήματα δι' αὐτὸν πολλὰ λαβεῖν αἰτίαν ἔσχεν, ὡς καὶ ἐπὶ τῷ Δρούσου ποίημα περὶ τὴν νόσον αὐτοῦ συντεθεικώς· καὶ ἐκρίθη τε διὰ τοῦτο ἐν τῇ βουλῇ, καὶ κατεδικάσθη, καὶ ἀπέθανεν. *Tiberio ab urbe abſente, C. Lutorius Priſcus, eques, magni alioquin nominis poëta, qui in Germanici mortem inſigne carmen compoſuerat, ac magnam pro eo pecuniam acceperat accuſatus eſt, quod per morbum Druſi, carmen in eum ſcripſiſſet; ejuſque rei cauſſâ à Senatu condemnatus obiit.*

Ælius quoque Saturninus carmina famoſa in Tiberium Cæſarem ſparſit: eoque nomine damnatus, de Capitolio præceps datus eſt: ut narrat Dio lib. LVIII. Quapropter à Gyraldo Dialog. IV in Poëtis memoratur, Rectène, an ſecus, faciliùs diceremus, ſi verſus exſtarent.

Alphius Avitus, quantum poſſum videre, Auguſti & Tiberii temporibus vixit. Sic ſane ſtatuendum, ſi ſit Alfius ille Flavus, Ceſtii auditor, qui æqualis fuit M. Senecæ: ut liquet ex Controverſ. XV. Atque ejuſdem ſunt iſta lib. I, controv. I: *Hunc partem memini apud Ceſtium declamari ab Alfio Flavo: ad quem audiendum me fama perduxerat: qui cum prætextatus eſſet, tanta opinionis fuit, ut P. Romano puer eloquentiâ notus eſſet. Semper de illius ingenio Ceſtius, & prædicavit, & timuit. Ajebat tam immaturè magnum ingenium non eſſe vitale: ſed tanto concurſu hominum audiebatur, ut rarò poſt illum auderet Ceſtius dicere. Ipſe omnia mala faciebat ingenio ſuo: naturalis tamen illa vis eminebat: quæ poſt multos annos tametſi deſidiâ obruto, & CARMINIBUS enervata, vigorem tamen ſuum tenuit.* Ubi videmus, ut ad poëſin animum appulerit. Quare ſatis veriſimile videtur, dictum eſſe Flavum Alfium Avitum. Scripſit duos libros virorum Excellentium. Unde Priſcianus lib. VIII, hos verſiculos citat de ludi literarii magiſtro filios principum Faliſcorum adducente ad M. Furium Camillum ſed ab eo victo, & pueris tradito, ut verberibus in urbem redigerent:

Tum literator creditos
Ludo Faliſcûm liberos,
Cauſſatus in campi patens
Extraque mari ducere,
Spatiando paullatim trahit,
Hoſtilis ad valli latus.

Sanè hos eſſe ejuſdem Flavi Alphii verſus etiam cenſet Henricus Valeſius notis in excerpta Dionis Coccejani *. Quemadmodum & ad hanc hiſtoriam refert illa ejuſdem Alfii Aviti:

* *Pag. 81.*

Seu tute mavis obſides,
Seu tute captivos habe.

Ita enim legere jubet: ubi in vulgatis pro *obſides* eſt

hoſpi-

hoſpites. Præter Priſcianum hujus Alfii Aviti etiam meminit Terentianus Maurus.

M. Æmilius Scaurus, Tragœdiam ſcripſit, cui nomen Atreus: in ea è ſubditis aliquis, verbis monebat Euripideis, ut ſtultitiam ferret imperantis. Tiberius judicabat ſe ſchemate notari: verùm, inquiebat, Atreus hic de Scauro faciet Ajacem: ac, confiсto crimine de conſuetudine cum Livilla, adegit eò, ut Poëta ſibi ipſi manus adſerret. Auctor Dio lib. LVIII.

Fuit & tum C. Cominius, eques Romanus; quem Tacitus lib. III probroſum ait carmen in Tiberium ſcripſiſſe: ſed parcitum illi ob preces fratris, qui Senator erat. Ambigo verò an propter hoc carmen, quod à Gyraldo factum, in Poëtarum numerum referri mereatur.

Lucium Feneſtellam prætterimus, non quaſi non hujus ſit temporis, (nam noviſſimo Tiberii principatu deceſſiſſe Plinius refert lib. XXXIII, cap. XI,) ſed quoniam Poëta non erat. Scio apud Hieronymum in Chronico Euſebiano Olymp. CCXCIX, an. III, ſive ab Ovidii exceſſu an. II, dici, *Hiſtoriarum & carminum ſcriptorem.* Sed pro *carminum* puto *annalium* legi oportere. Vide quæ de eo diximus in Hiſtoricis Latinis lib. I, cap. XIX.

CAP. III.

De temporibus, quibus poëſios Latinæ honos decrevit: ac primò à medio Tiberii principatu uſque ad Nervæ ac Trajani tempora.

Quartam ſtatuebamus ætatem decreſcentem: cujus partes facimus duas; meliorem unam, nec longè ab optima recedentem: alteram ſequiorum temporum. Priorem à principatu Tiberii extendimus, uſque ad principatum Nervæ, ac Trajani. Diſtinctè agemus primùm de iis, qui vixere è domo Julia ſive Auguſta, deinde iis qui è gente Flavia. Utrobique prius loquar de ſuperſtitibus: hinc de deperditis. Sub temporibus domus Auguſtæ ſuperſunt Seneca, Perſius, Lucanus, Petronius, Silius.

De primo ſic ex Suetonio Hieronymus in Chronicis:

Olymp. CCXI, an. I: *L. Annæus Seneca Cordubenſis, præceptor Neronis, & patruus Lucani Poëtæ, inciſione venarum, & veneno hauſto periit.*

In Poëtis ei locum dedimus, non quaſi omnium eum Tragœdiarum parentem, putemus, quas tribui vulgo videmus: ſed quia non dubium, quin in illis quædam ſint genuini ejus fœtus. Quam ſpiſſus verò eorum error, qui propter ſuppoſiticias illas Senecæ & Pauli Apoſtoli epiſtolas judicarunt, fuiſſe hominem Chriſtianum. Sanè aliud nos B. Auguſtinus docet; qui hæc ejus verba de Judæis adducit: *Interim uſque eo ſceleratiſſima gentis conſuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta ſit. Victi victoribus leges dederunt.* Unde (ut Pithœus* obſervavit) Rutilius Numatianus illud mutuatus in Itinerario de eadem gente:

Victoreſque ſuos natio victa premit.

Ubi Judæorum nomine etiam Chriſtianos comprehendit. Plura de Seneca non addam, quia ſufficere arbitror, quæ accuratè de eo congeſſere Juſtus Lipſius, & Petrus Scriverius: ac ipſe quoque adſero lib. I de Hiſtoricis Latinis, cap. XXVI.

* *Notis in Epigram. & poëm. vetera, p. 476.*

Subdit deinde idem Hieronymus.

Olymp. CCX, an. II: *Perſius moritur anno ætatis ſuæ XXIX.*

Is Aulus Perſius Flaccus è Perſiorum gente nobiliſſima, ac Flaccorum familia. Nec cenſeo in Perſia gente alios, quàm Flaccos inveniri. Confudit Io. Fungerus † hunc Poëtam cum C. Perſio Flacco, ætatis ſuæ doctiſſimo, qui anno Urbis IƆCVIII Quæſtor provincialis fuit, ac biennio poſt Prætor. Putat Fungerus de hoc intelligi debere, quod, ut Cicero ait in Bruto, C. Lucilius Poëta Cn. Pompeji avunculus magnus dicebat ſe Perſii exactum reformidare judicium, eoque malle legi à Decimo Lælio, viro erudito, ſed qui cum Perſio non poſſet conferri. Atque inter hos duos prope ducentorum eſt annorum intervallum. Hac de ἀσυγχρονίᾳ etiam in Oratoriis Inſtitutionibus diximus lib. IV, cap. XI, ſect. VI. Nec jam repoſuiſſem, niſi vellem, ut juventus hinc videat, quam neceſſaria ſit doctrina temporum: cujus neglectu ſpiſſe fœdeque adeò peccatur à viris alioqui non ineruditis. Quamquam nec tanti id foret, ſi unus ille ſic exorbitaret. Sexcenta id genus poteram ex aliis adferre: pluſcula etiam ex veteribus ipſis. Cætera de Perſio pete ex vita ejus à Tranquillo ſcripta.

† *In nova proverbiorum Farragine.*

De Lucano ſic idem Hieronymus ad Olymp. CCX, anno III: *M. Annæus Lucanus, Cordubenſis Poëta, in Piſoniana conjuratione deprehenſus, brachium ad ſecandas venas medico præbuit.* Hujus Lucani vita extſtat à Suetonio exarata. Etiam fuſe de eo ago lib. I de Hiſtoricis Latinis, cap. XXVI, præſertim altera, quam molimur, editione. Uxor Lucani Polla Argentaria poſt exceſſum mariti Pharſaliam ejus emendavit: imo & viventem in carmine dicitur adjuvaſſe. De ea ſic apud Papinium loquitur Calliope*.

Nec ſolum dabo carminum nitorem:
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam atque ingenio tuo decoram:
Qualem blanda Venus, daretque Iuno.

* *Lib. 2. Sylvarum, genethliaco Lucani.*

Sub Nerone etiam fuit Petronius Arbiter; qui Principis ſui vitam ſub exoletorum nominibus deſcripſit. *Elegantiæ Arbiter* Tacito dicitur XVI Annal. ac narrat, ut ſe erudito luxu perdiderit. Non minùs *nequitiæ* Arbitrum appellàris ſcriptorem, ut jam alii dixere, puriſſimæ impuritatis. De eo judicia veterum, ac juniorum, accurate Editores collegerunt.

Item Conſulatum ultimo Neronis anno geſſit Silius Italicus. Unde liquet, quantopere fallatur Sebaſtianus Foxius Hiſpalenſis lib. II de Imitatione ſive ratione ſtyli †: ubi Silium hunc ait vixiſſe poſt Martialem, Papinium, Valerium Flaccum, & ſi Dis placet, etiam Claudianum. Sic dictus ab Italica. Sed quæritur, ab utra ſic Italica vocetur. Aliqui ajunt ita dici ab Italica, Hiſpaniæ ulterioris urbe, monumento victoriæ P. Cornelii Scipionis Africani majoris: quod ex Plinio, & Africano conſtat. Atque ex oratione Hadriani Cæſaris Agellius lib. XVI, cap. XIII, narrat, Italicenſes, uti & Uticenſes, cum ſuis moribus legibuſque uti poſſent, in jus coloniarum mutare geſtiviſſe. Quod verò Stephanus Pighius in Annalibus Romanis ad an. IƆCX, quo Conſules erant Appius Claudius Pulcher, & Q. Cæcilius Macedonicus, arbitratur, Italicam hanc fuiſſe veterem Romanorum coloniam, id cautè accipiendum, ut ex iis liquet, quæ diximus. Sed præter Trajani & Adriani patriam hanc civitatem & altera fuit, & altera Italica, Pelignorum civitas à Sulmone ſeptem paſſuum millibus diſtans, quæ aliter Corfinium dicebatur Italica in Italia. Atque ab hac Silio Poëtæ Italici nomen fuit. Ab illa Hiſpaniæ potiùs *Italicenſis* eſſet vocatus: ut ex memorato Agellii loco videre eſt. Ac puto ſi Hiſpanus fuiſſet, non hoc ignorare nos ſiviſſet Hiſpanus Martialis, qui ſæpius ad eum ſcribit, ut peramicum. Non hoc reticuiſſet, quod ad Hiſpaniæ ſuæ decus magnopere pertineret. Fuit Perſiæ dictionis Poëta; ſed majoris curæ, quam ingenii. Nota quæ de eo ſcripſerint æquales Martialis, Tacitus, Plinius. Fuſeque de eo dictum nobis in Hiſtoricis Latinis lib. I, cap. XXIX. Ea reponere hic nihil attinet. Primus de eo caſtigationibus ſuis bene mereri voluit Domitius Calderinus. Primus cum commentario edidit Petrus Marſus: qui Venetiis editus anno CIƆCCCCLXXXIII à Baptiſta de Tortis. Poſtea debuit Modio, Heinſio, & imprimis Dauſquejo.

† *Fol. 43.*

Atque hi quidem ſuperſunt. Dicam de deperditis. In his Cn. Lentulus Gentulicus, qui Tiberii ac Claudii tem-

Digitized by Google

temporibus fuit, nec hiſtoriâ ſolum, ſed carmine etiam claruit:

ut oſtendi lib. I de Hiſtor. Lat. cap. XXV.

Item Claudiani avi Grammaticus, ac Poëta, Q. Rhemmius Palæmon.

Hieronymus refert ad Olymp. CCVI, an. IV, qui Claudii eſt nonus. De hoc Suetonius in illuſtribus Grammaticis: ubi leges, *poëmata feciſſe ex tempore*: item *ſcripſiſſe variis, nec vulgaribus metris.* Puto Sotadico, Galliambico, & aliis. Martialis de eo lib. II, epigr. LXXXVI:

Scribat carmina circulis Palæmon.
Me raris juvat auribus placere.

Ab eo nomen papyro Fannianæ: de qua Guilandinum adi. Tribui ſolet illi carmen de ponderibus, & menſuris: ſed alii codd. adſignant Remo Favino. Fortaſſe *Remus* fecere ex *Remmius*, vel potiùs *Rhemmius*; ut legitur id nomen in veteri inſcriptione: *Favinus* autem ex *Fannius*, corruptum videri poſſit.

In deperditis quoque eſt P. Pomponius Secundus, vir Conſularis, atque idem Poëta Tragicus: qui Caji, & Claudii Cæſarum temporibus floruit.

Cujus vitam deſcripſit Plinius, ut ipſe ait lib. XIV Hiſt. Nat. cap. IV. Conſul fuit IↃCCLXXXII, & IↃCCXCIV. Refert de eo Plinius in epiſtolis, ſiquid in Tragœdiis amicus tollendum arbitraretur, ille autem retinendum putaret, dicere ſolitum: *Ad populum provoco.* Eum ſibi viſum ait Quinctilianus lib. X, cap. I. Nempe ſenex admodum Inſtitutiones ſuas Fabius ſcripſit. Inter Pomponium, & Senecam, aliquando præfationibus tractatum, an ut *expectoras*, & *exanimas* dicitur: ita & rectè Attius dixerit *gradus eliminas*: ſicut idem Fabius tradit lib. VIII, cap. III. Ac duos etiam hoſce jungit Terentianus Maurus in Centimetro:

In Tragicis junxere Choris hunc ſæpe diſerti
Annæus Seneca, & Pomponius ante Secundus.

Præterea in deperditis eſt Poëtis Annæus Cornutus, Perſii præceptor, qui Claudii & Neronis tempore fuit.

Vetus vita Perſii: quæ ex Suetonio de Claris Poëtis deſumta: *Cornutus illo tempore Tragicus fuit, ſectæ Poeticæ.* Ubi ſine dubio *Stoicæ* ſcribendum.

In Neronis temporibus ex deperditis ipſe eſt Nero: qui non laudem modo poëſios affectavit, ut velle videntur Perſius, Tacitus, ac Suetonius; ſed egregius omnino Poëta fuit; ut non modo Senecæ, ac Martialis judicium eſt, ſed pauxilli verſus indicio ſunt, iis quos Seneca laudat, & quos Perſius ridet, ſuis meliores. atque alii apud Grammaticos.

Vide tum Perſ. ſat. I; Tacitum Annal. XV, & Suetonium in Nerone; tum Senecam Nat. Quæſt. lib. I, cap. V; & Martialem lib. VIII epigr. LXX, & lib. IX, epigr. XXVII, quorum utrumque de Nerva. Inter alia ſcripſit Troica; è quibus tres verſus ſunt apud ineditum veterem Lucani Scholiaſtem. Etiam hoc ejus hemiſtichium, *Sub terris tonuiſſe putes*; habes in vetere Lucani vita. Sed valde deceptus M. Antonius Delrius, cùm ſuis de Tragœdia in Senecam Prolegomenis arbitratur ex Seneca, ac Philoſtrato colligere ſibi poſſe videtur, Neronem etiam Tragœdias ſcripſiſſe. Apud Philoſtratum quidem non aliud legas, quàm de citharœdo carmina canente, quæ ex Oreſte, Antigona, & aliis Tragœdiis, Nero Latinè verterat. Vide eum de vita Apollonii lib. IV, cap. XIII.

Neronis etiam ævo fuit Cæſius Baſſus, Poëta Lyricus; ad quem Perſius ſcripſit ſatyram VI. ubi inter alia:

Jamne lyra, & Tetrico vivunt tibi pectine chordæ?

Tetrico inquit, quia ad Sabinos ſe recepiſſet, quorum mons Tetricus. Mox ad eundem ait:

Atque marem ſtrepitum fidis intendiſſe Latinæ,
Mox juvenes agitare jocos, & pollice honeſto
Egregios luſiſſe ſenes.

Unde argumentum eorum cognoſcimus, quæ caneret Cæſius. Vidit eum Fabius: ac quanti fecerit arguit, quòd dicat lib. X. *Lyricorum Horatius fere ſolus legi dignus. Si quem adjicere velis, is erit Cæſius Baſſus, quem nuper vidimus.* Diomedes lib. IV. ex Cæſio Baſſo citat hoc carmen Moloſſicum,

Romani Gallis devictis ſunt victores.

Quamquam in veteri quoque libro Celſius Baſſus vocetur, verſuſque is ſic concipiatur:

Romani victores Germanis devictis.

Auctor Scoppius Suſpect. Lect. lib. V. epiſt. XXII. De *Celſii* nomine planè diſſentio. Sed ut de Germanis Baſſus ſcripſerit, quia iis temporibus bellum Romanis ſemper cum Germanis. Non videtur verò is verſus eſſe ex Lyricis: potiùs ex epico ſit carmine: vel ex præfatione Lyricorum, quam proſa ſcripſiſſet. Nam & Oratoribus, ac Hiſtoricis ejuſmodi ſæpe verſus exciderunt: ut oſtendi Oratoriarum Inſtitut. lib. IV. cap. IV. ſect. III. Sunt qui eidem Cæſio tribuant commentaria in Arateum. Sed de eo dictum nobis lib. I. de Hiſtoricis Latinis, cap. XXII.

Neronis quoque ævo fuit Labeo; quem Perſius ſignat initio ſat. I.

Ne mihi Polydamas, & Trojades Labeonem
Prætulerint.

Ubi ſic Cornutus, vel quiſquis ille vetus interpres: *Labeo tranſtulit Iliada, & Odyſſeam verbum ex verbo, ridiculè ſatis, quod verba potiùs, quam ſenſum ſecutus ſit. Ejus eſt ille verſus:*

Crudum manduces Priamum, Priamique piſinnos.

Expreſſit verò hoc ex Iliados B.

Ὠμὸν βεβρώθοις Πρίαμον, Πριάμοιό τε παῖδας.

Nempe *piſinnos* poſuit pro liberis. Puto eſſe à puſus, quod pro puero legas apud Lucretium, & veteri epigrammate in Caſcam. Atque inde & puſio ac puſillus. Dicebatur vero is Poëta Attius Labeo, unde idem Perſius ea ipſe ſatyra:

—— Non hic eſt Ilias Atti
Ebria veratro.

Fuit & tum Euodus (Εὔοδος) Rhodius, Poëta Epicus, idque ſermone Latino. Jam Suidæ tempore deperierat, ut apud illum legere eſt.

Antiſtius Soſianus factitatis in Neronem carminibus probroſis, exilio multatus: ut ait Tacitus lib. XVI. Annalium, cap. XIV. ex diſtinctione Freinshemiana. Atque idem ejus meminit lib. XIII. Annal. cap. XXVIII. & lib. XVI. Annal. cap. XXI.

Venio ad eos, qui vixere ſub Flavia gente, h. e. Veſpaſiano, ac filiis duobus, Tito, & Domitiano.

Duobus laudatis principibus, tertio illaudato; unde vetus epigr.

Flavia gens, quantum tibi tertius abſtulit hæres!
Pene fuit tanti non habuiſſe duos.

Ex iis, qui ſub his claruere, ſuperſunt Statius Papinius, Valerius Flaccus, Valerius Martialis, Decius Juvenalis, & Sulpitia Poëtria, ac fortaſſe etiam Terentianus Maurus.

De his nihil Hieronymus in Chronicis, uti nec Poëtarum aliis poſt Perſium ac Lucanum: cujus cauſſa eſt, quod in prioribus Poëtis Latinis deſcriberet Suetonii librum de Poëtis: is verò de hiſce maluerit poſteritati judicium relinquere, quia ſuæ forent ætatis ſcriptores.

Sca-

Statius Papinius Poëta, qui ſub Domitiano vixit, perperam confunditur cum Statio Poëta, cognomine Surculo, qui claruit ſub Nerone. De Rhetore ſunt illa Hieronymi in Chronico Euſebiano: Olymp. cc ix. an. 1. (eſt is Neronis ſecundus) *Statius Surculus Toloſenſis in Galliis celeberrimè Rhetoricam docet.* Ejus nomen verum ex Suetonii libello de claris Rhetoribus ſupereſt, ubi non *Surculus* vocatur, ſed Urſulus, uti & in Chronico Mſo ad S. Victoris. *Urſi* enim, & *Urſuli* familiæ ſunt nomina, ut ex vett. inſcriptionibus conſtat. At Papinius Poëta nec *Urſuli*, vel *Surculi*, cognomen habuit, nec Toloſenſis fuit, ſed Neapolitanus. Reliquit v Sylvarum libros, xii Thebaidos, v Achilleidos. In Thebaida & Achilleida commentatus Placidus Lactantius; quem neceſſe eſt poſt annum vixiſſe quadringenteſimum cùm Sedulium citet, Theodoſiani ævi ſcriptorem: imò & poſt quingenteſimum fuerit, cùm Boëthii meminerit. Eſt verò commentarius ejus cento ex Servii Hygeni Mythologicis, & Aſtronomico Arateo, & quibuſdam aliis, quos ad verbum exſcribit. Eſt idem, qui argumenta reliquit Ovidianæ Metamorphoſeos. Etſi non ignorem à quibuſdam *Lutatium* dici. Prius nomen agnoſcit & Boccacius lib. 1. de Genealogia Deorum*: *Lactantius, inſignis homo, doctuſque, ſuper Statium ſcribens.* Nec diſplicet, quod ſuſpicantur eaſdem videri gloſſas, quæ Placidi dicuntur. Mirum verò Martialem, cùm adeò celebret Stellam Poëtam, de quo inferiùs dicam, non meminiſſe Statii, tanti amici Stellæ, ut ei miſerit primum Sylvarum. Nempe ab invidia id profectum videtur. Non ferebat Martialis Papinium tantopere in gratiâ eſſe apud Domitianum, idque ob extemporalem in carmine felicitatem, qua Martialis longè vincebatur. Parum amicum Papinio fuiſſe Martialem ex eo colligitur, quod nunquam æqualis ſui meminerit: tum aliis, quæ legas apud Gevartium ad 1. Silvarum, cap. xxxv.

* Pag. 8.

C. Valerius Flaccus è Setia fuit, Campaniæ urbe: ſed in Veneta regione ſedem habuit: unde ſpem Antenorei laris vocat Martialis lib. 1. epig. lxxix. Reliquit octo Argonauticorum libros; ſed imperfectos, unde Quinctilianus conqueritur in ejus obitum multum fuiſſe amiſſum. Quam Martiali fuerit carus, liquet ex eo, quod ibidem vocet *curarum pretium non vile ſuarum.* Pauperem fuiſſe, ex eodem epigrammate cognoſcitur.

M. Valerius Martialis Bilbili in Celtiberia natus, tempore Claudii Imper. ſub Nerone annos natus xx. Romam venit, atque annos iſtic egit. xxxv. Tito, ac imprimis Domitiano carus fuit, à quibus & donatus jure trium liberorum. Etiam tribunus, & equeſtris dignitatis fuit. At non item in honore fuit mortuo Domitiano. Itaque ſub Trajano in patriam rediit: atque ibi conſcripto libro epigrammatum duodecimo, partim tædio patriæ, quia non in honore eſſet, quanto fuerat Romæ, partim etiam à civibus ſuis ſugillaretur, tædio vitæ, ut veriſimile eſt, deceſſit. De morte ejus exſtat epiſtola Plinii ad Priſcum. Coquus vocatus non puto Lampridio, attamen Joanni Sariſberienſi lib. viii Curialium, cap. xiii. Jacobo Magno Toletano in Sophologio plus xxv locis, Vincentio Belluacenſi lib. iii. Speculi Doctrinalis, cap. xxxvii. ſemel item Richardo Buri in Philobiblio. Nec repugnem quo minus ei hoc nomen à paterno opificio adhæſerit. Non dubium, quin ejus ſint xiv. epigrammatum libri: quorum duo poſtremi Xeniorum, & Aphoretorum libri dicuntur. Sed, qui præmitti ſolet, ſpectaculorum libellus, videtur eſſe collectus è variorum libellis, qui Domitiani ſpectacula celebrarint. Uti & in Priapejis factum, ubi quædam Catulli, Tibulli, Ovidii, Petronii, aliorumque.

Decius Junius Juvenalis Aquinas fere ad mediam uſque ætatem declamavit: poſtea vitiis offenſus Satyras ſcripſit. Sed cum ſchemate notaſſet Paridem pantomimum, jam octogenarius ſpecie honoris præfectus eſt cohortis in extima Ægypto. Atque iſtic veriſimile, eſt ſcripſiſſe Satyram de portentis Ægypti, quæ ad Voluſium; & ad Gallum alteram de militiæ incommodis.

Sulpitiæ ſatyra exſtat unica. Sed caſtos præterea amores ſcripſit marito Calæno. Meminit eorum præter Martialem, (qui lib. x. epigr. xxxv. impensè laudat) Sidonius Apollinaris carm. ix. Credo ex iis eſſe illud apud Juvenalis interpretem in ſat. vi:

Ne me cadurcis deſtitutam faſciis
Nudam Calano concubantem proferat.

Caleni mariti ipſa meminit in ſatyra; ac Martialis quoque epigr. xxxviii. libri memorati. Eſt ejus de ſeſe in eadem ſatyra:

Primaque Romanas docui contendere Grajis.

Fortaſſe verò & tum vixit Terentianus Maurus, cujus ſuaviſſimum carmen ſupereſt de arte metrica. Id quidem neceſſe eſt fateri, Ii is eſt de quo Martialis lib. 1. epigr. lxxxvii.

Tam longè eſt mihi, quàm Terentianus
Qui nunc Niliacam regit Syenem.

Mirè vero de ætate hujus Terentiani loquitur Lilius Gyraldus in Hiſtoriæ Poëtarum dialogo x*. Quippe cùm dixiſſet, non liquido ſe comperiſſe, quando hic vixiſſet, ſubjungit ea floruiſſe tempeſtate, qua Latinæ literæ in Africam migravere: hoc autem factum ait Septimii, quem ipſe alibi Statii Papinii æqualem facit. item tempore Appuleji, qui vixit, ſub divis fratribus. Adhæc tempore Severi, qui ſub Severo claruit. Tum ait tempore Cypriani, qui fuit tempore Valeriani; ac denique concludit, fuiſſe non multo ante tempora Conſtantinorum. Ita ut ſpatium ab eo aſſignatum annos contineat quaſi ducentos. Puto Terentianum Maurum eſſe eum ad quem librum ſuum περὶ ὕψους ſcripſit Longinus: Eum compellat ubi comparat Demoſthenem ac Ciceronem, ac Terentiano ait ſe accuratius judicium relinquere, ut Latinè doctiori.

* Pag. 364.

Ex deperditis ſunt iſti: Curiatius Maternus, Sallejus Baſſus, Curtius Montanus, Titus Veſpaſianus, ac frater Domitianus, Turnus, Scæva Memor, Aruntius Stella, Codrus, Paccius, Fauſtus, Rubrenus Lappa, Canius, Paſſienus.

Curiatius Maternus Tragœdiam ſcripſit Medeam & Thyeſtem, ut videre è ſcriptore de cauſſis corruptæ eloquentiæ: qui dialogus ſexto Veſpaſiani anno habitus fingitur, ut ſatis inde Materni ætas diluceat.

Sallejus Baſſus à Veſpaſiano Imperatore L ſeſtertiis eſt donatus. Ut egregium Poëtam celebrant Tacitus, ac Fabius. Diximus de eo in Hiſtoricis Latinis lib. 1. cap. xxii.

Sub Veſpaſiano etiam claruit Curtius Montanus Orator, quem & carmina ſcripſiſſe docent illa Taciti: *Num Montanum deteſtanda carmina factitantem, eludere impunè ſinerent?* Ac poſt pauca: *Indignum, Montanum, probè viventem, exturrem agi, quia famoſi carminis protulerit ingenium.* Meminit quoque lib. iv. Hiſtor. Exſtat quoque ad eum epiſtola Plinii lib. vii. de monumento Pallantis liberti.

Titum carmine Latino multum polluiſſe, dixi cum de Poëtis Græcis ageremus.

Domitianum item multum eo valuiſſe, ſcimus non ex Fabio modo cui Poëtarum maximus vocatur, (hic enim videri poſſit adulari, quia ſororis eſſet liberis præfectus) ſed etiam ex Martiali, & Valerio Flacco†. Nec movet, quòd Tacitus ait magis ſimulâſſe Poëticam, quàm amaſſe. Nam Aratea tranſlatio, quantum valuerit, teſtatur. Siquidem eam Domitiani eſſe vix dubitandum, qui Germanici nomen à victa gente meruit.

† Lib. 1. Argonaut.

Sub Tito & Domitiano fuere duo fratres Turnus, Poëta Satyricus, Scæva Memor, Poeta Tragicus, Canius, Paſſienus.

Duorum priorum meminit Martialis lib. xi. epigr. xi.

Contulit ad Satyras ingentia pectora Turnus.
Cur non ad Memoris carmina? frater erat.

Meminit & utriuſque vetus Juvenalis Scholiaſtes in ſat. 1. & Sidonius Apollinaris carm. v. Turni memorat Rutilius in Itinerario:

Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit.

De Memore eſt hoc Martialis lib. XI. epigr. X.

Clarus fronde Jovis, Romani fama cothurni
Spirat Apelleâ redditus arte Memor.

Fulgentius Planciades ex Memoris Tragœdia Hercule citat hæc verba: *Ferte ſuppetias optimi comites.* Non prætereundum putavi, Joſephum Scaligerum in ea ſuſpicione fuiſſe, Tragœdiam Octaviam, quæ Senecæ tribuitur, eſſe Scævæ Memoris.

Aruntius Stella carmine deſcripſit Domitiani victoriam de Sarmatis. Item ut Catullus Lesbiæ, ſive Clodiæ ſuæ paſſerem epigrammate celebravit, ita & hic carmine columbam ſuæ Ianthidos ſive Violantillæ, vel, ut à ſeipſe maluit vocare, Aſteridos, quia ſtella Græcis ἀϛὴρ: imò & ab ἀϛέρος, *ſtera*, à quo *ſterula*, unde *ſtella*. Mirâ verò adulatione Martialis non dubitavit ſcribere tanto præſtare columbam ſtellæ paſſeri Catulliano: quanto columba paſſere eſt major. Nempe tam bono judicio hoc ſcriptum, quam Martialis ac Statius Lucanum præferunt Maroni. Quid inſulſius? Stellæ & Violantillæ nuptias celebrat Statius in primo Sylvarum.

De Codro Theſeidos auctore, à Juvenale deriſo occaſione alterius Codri antea diximus. Veteri tamen Juvenalis Scholiaſte ad Satyram primam is *Cordus* dicitur. *Cordus hic Poëta fuit vitioſus, qui Tragœdiam Theſei ſcripſit. de quo Virgilius dixit.*

Iiſdem temporibus à Paccio Alcithoen editam, à Fauſto Thebas, & Terea, à Rubreno Lappa Atrea, Pelopeam, Philomelam, ex Juvenalis ſat. VII. cognoſcimus.

Item in Poëtis eo tempore Marcus Unicus, Ligurinus, Luſtricus Brutianus: de quibus apud Martialem. De poſtremo etiam apud Plinium. Sub Domitiano etiam Romæ fuit Theodorus Poëta, cujus domus & poëmata combuſta, ut Martialis tradit lib. XI. ep. XCIV. Judæum fuiſſe indicat ſequens epigramma. Nam eundem fuiſſe, teſtantur veteres libri.

Domitiani etiam ætate, ac fortaſſe deinceps, claruit Canius, Poëta Gaditanus: de quo Martialis lib. III. epigr. XX. Facetum fuiſſe, ac riſum aliis ciere, ipſumque ridere ſolitum ex eo epigrammate cognoſcas: item ejuſdem libri epigr. LXII. Uxorem habuit Theophilam, magnæ literaturæ ac judicii: alteram Sappho, ſed moribus meliorem. Unde Martialis lib. VII. epigr. LXVIII.

Caſtior hac, & non doctior illa fuit.

Etiam Licinianus tum fuit: cui patria eadem, ac Martialis: unde ille lib. I. epigr. LII. poſtquam de Catulli, Maronis, & aliorum Poëtarum patria dixiſſet, ſubjungit,

Te Liciniane gloriabitur noſtra,
Nec me tacebit Bilbilis.

Nec enim Liciane legi debere, arguit, quod prima ſit correpta: ut illo Catulli:

Heſterno Licini die otioſi.

Voconius victor, ut Poëta celebratur, Martiali lib. VII. epigr. XXVIII. de Teſtilo puero. Vide de eo Plinium lib. II. epiſt. ad Priſcum. Adrianus Cæſar, ut eſt apud Appulejum, tumulum ejus veneratus: & de eo ſcripſit,

Laſcivus verſu, mente pudicus erat.

Apollinaris etiam tum vixit, quem celebrat Martialis lib. VII. epigr. XXV. Eum in Poëtis memorat Lilius. Sed non ſat firmo argumento. Nec enim ſi delectaretur epigrammatis, eo & ipſe fuerit Poëta.

Nec ſatis video, cur æqualem eorum Votienum referat inter Poëtas. Scio illud Martialis lib. VIII. epigr. LXXII.

Docti patria Narbo Votieni.

Sed non ſi doctus, eo Poëta.

Paſſienus item ſub Flaviis, ac deinceps, claruit. Poëta fuit elegiacus, patriâ Mevanienſis ex Umbria, Propertii Poëtæ nepos, vel pronepos, eumque in elegiis imitabatur. Plinius lib. VI. epiſt. ad Romanum: *Mirificæ rei non interfuiſti: ne ego quidem, ſed me recens fabula excepit. Paſſienus Paulus, ſplendidus eques Romanus, & imprimis eruditus, ſcribit elegos. Gentilitium hoc illi. Eſt enim municeps Propertii, atque etiam inter maiores ſuos Propertium numerat. Is cùm recitaret, ita cœpit*, PRISCE IUBES. Subdit deinde, ut eo ſic exorſo Priſcus Iabolenus, egregius Juriſconſultus, ſed dubiæ ſanitatis, reſponderit, *Ego verò non jubeo:* atque inde magnus ſit ortus riſus: eaque res Paſſieno recitanti multum attulerit frigoris. De tribus Paſſienis avo, patre, filio, multa Andreas Scottus diſſertatione de claris apud M. Senecam Rhetoribus. Is de quo nunc ſermo, ab elegis poſtea ſe ad Lyrica convertit, atque uti in elegis Propertium, ita in Lyricis Horatium ſibi imitandum propoſuit. Teſtis idem Plinius lib. IX epiſtolâ ad Severum: ubi & plura de ejus laudibus. At planè alius eſt Vibius Paſſienus, qui ſeſquiſeculo poſt ſub Gallieno Proconſul Africæ fuit; ut Trebellius Pollio narrat.

Sub Domitiano etiam ac Nerva fuere duo impuriſſimi Poëtæ, Sabellus, qui varia concubituum genera deſcripſit, & Muſæus, qui Latino itidem carmine molliſſimo ſcripſit.

De Sabello teſtis Martialis lib. XII, epigr. XLIII. De Muſæo ejuſdem libri epigr. XCVII.

CAP. IV.

De Poëtis Latinis à Nervæ & Trajani temporibus, uſque ad Romani imperii finem in Occidente.

Altera decreſcentis ætatis pars, à Trajani temporibus extenditur, uſque ad Romam ab Odoacro captam. Hoc temporis intervallo vixere Terentianus Maurus, Syenes in Ægypto præfectus, cujus de re metrica elegans extat opus; Calpurnius, & Nemeſianus, Bucolici ſcriptores, poſteaque Prudentius, cumque Paulino ſuo Auſonius: item Claudianus, grandis ſpiritus Poëta, atque alii.

Dividemus hoc tempus in tres partes à Trajano uſque ad Conſtantinum M. qui imperii ſedem Conſtantinopolim tranſtulit: inde ad diviſum imperium à filiis Theodoſii Magni, Arcadio, & Honorio. Hinc ad Occidentis imperium à Monyllo Auguſtulo amiſſum.

Paucos è ſingulis dabo temporibus. Ac primùm de primo.

Trajani temporibus fuit Virgilius Romanus, Poëta Comicus, atque idem mimijamborum ſcriptor.

Præclarum ejus elogium eſt apud Plinium lib. VI, epiſt. ad Caninium Ruſum.

Ipſe etiam Adrianus Cæſar carmine certavit; ut cum Julio Floro, in quem ejus Anacreonticos refert Spartianus. Ibidem & leges jambicos, quos moriturus fecit. Sunt verò ſatis venuſti, ut cauſſæ nihil fuerit, cur eos Spartianus diceret non eſſe meliores, quam quos Græcè fecit: præſertim cum & Græci ſatis ſint elegantes: ut alibi diximus. Pentametrum in tumulum Voconii habemus apud Appulejum in Apologia. Eruditiſſimus Pithœus putabat etiam Hadriani eſſe quindecim illos Anacreonticos in tertio veterum epigrammatum ſect. XI. Sed ut diſſentiam facit, quòd ſæpius in metrum peccatur. Fortaſſe tamen Græcè ſcripſerat Hadrianus: quæ ſic alius vertit. Verius Hadriani eſt, quod in eadem epigrammatum Collectione legitur lib. IV, atque incipit *, *Ut belli ſonuere tubæ.* * P. 158.

Trajani, & Adriani ævo fuit Annæus Florus.

De Trajano arguit præfatio, quam præmiſit libb. IV Hiſtor. Rom. de Adriano cognoſcimus, ex ejus verſiculis ad Adrianum, & illis, quibus Hadrianus reſpondit: item epiſtola Flori ad Hadrianum: unde Chariſius hæc citat verba: *Poëmatis delector.* Nam eundem eſſe, ac Hiſtoricum illum, vel declamatorem verius oſtendimus lib. I

de

de Hiſtor. Latinis cap. xxx. Ubi & dicimus, hujus Flori videri Octaviam Senecæ, Philoſopho perperam tributam, (nec enim eo dignum) erroremque ex eo ortum quod & Florus iſte L. Annæus Seneca diceretur.

Sub Trajano & Hadriano etiam fuit Annianus: de quo ita Agellius lib. vii, cap. vii: *Annianus Poeta, præter ingenii amœnitates, literarum quoque veterum, & rationum in literis oppido quàm peritus fuit.* Meminit idem lib. xx, cap. viii: *Annianus Poeta in fundo ſuo, quem in agro Faliſco poſſidebat, agitare erat ſolitus vindemiam hilarè atque amœniter. Ad eos dies me, & quoſdam item alios familiares vocavit.* Ex iis ætas ſatis dilucet. Anniani verſuum Feſcenninorum, quales in nuptiis cani ſolent, meminit Idyllio xxviii, in quo cento nuptialis.

Sub Hadriano, & Antonino Pio fuit Julius Paullus, qui Agellio lib. xix, cap. vii dicitur, *Poeta, vir bonus, & rerum literarumque veterum impenſè doctus.* Laudat quoque lib. i, cap. xxii, & lib. v, cap. iv.

Marcus Marullus mimos docuit temporibus M. Antonini Philoſophi. Vide de eo Capitolinum. Hujus eſt illud
* In Ecl. 7. apud Servium *: *Tu, ut Hector ab ilio nunquam recedis.* Luſit in voce *ilii*, non ſolum notaret urbem Trojanam, ſed etiam inteſtinum tenue, quod *ile*, non *ilium* vocatur.

Tertullianus Carthaginenſis Severi Imper. temporibus vixit. Inter cætera carmine ſcripſit libros quinque adverſus Marcionem; ſed quos non abſolverit. Sibi enim ereptos queritur, & mendoſiſſimè editos. Et ſanè ſi ex iis, quæ nunc habemus, metiendus ſit Tertullianus, non mereatur in Poëtis locum. Sanè quoties in metrum peccet liquet, vel ex paucis illis, quæ in ſecundo de arte Grammatica, cap. xxix. Idem ſecundam in Eccleſia, nempe altero *e* exemto, corripere non dubitavit. Ut ſecundo adverſus Marcionem:

Sic & Apoſtolico decurrit Ecleſia verbo.

Et in tertio:

Eſſe caput Chriſtum, ſunt cujus Ecleſia membra.

Quod exemplum in hac ipſa voce Paulinus, & Venantius Fortunatus, ſequi non dubitarunt. Credo eſſe ex eo, quod iis temporibus ſimiliter pronunciarent. Ejuſdem Tertulliani, (quemadmodum ex vett. libb. cognoſcitur) eſt carmen de Sodomis, quod Cypriano tribui ſolet. Carmen etiam de Jona ac Ninive, ejuſdem eſt auctoris. Habes in Bibliotheca SS. Patrum Tom. ii, edit. ii.

Sub Severo, filioque Caracalla, vixit Q. Serenus Samonicus. Permulta ſcripſit partim ad hiſtoriam pertinentia, quæ univerſa periêre: partim ad rerum naturam, ex quibus ſoli de medicina libri carmine conſcripti ad nos pervenerunt. Congeſſerat ingentem Bibliothecam: ut in qua forent ad lxii millia librorum. Eo à Caracalla in cœna interemto de quo teſtis Spartianus, filius Bibliothecæ hæres fuit. Is præceptor fuit junioris Gordiani: cui & moriens omnem reliquit Bibliothecam: eoque is in doctorum imprimis notitiam pervenit. Vide quæ diximus in Hiſtoricis Latinis lib. ii, cap. ii.

Toxotius Senator poëmata reliquit. Ætatem inde cognoſcimus, quòd uxorem habuerit Juniam Tabillam Antonini Cæſaris proneptem. Poëmata etiamnum exſtabant tempore Capitolini.

Gordianus Cæſar pater, quæ carmine ſcripſerit, refert his verbis Capitolinus in Gordianis: *Scripſit etiam ille Antoniniada, hoc eſt, Antoninum Pium, & Antoninum Marcum, verſibus diſertiſſimis, libris* xxx, *vitam illorum, & bella, & publicè privatimque geſta perſcribens.*

M. Aurelius Olympius Nemeſianus Carthaginenſis Poëta Cynegeticon reliquit. Item Eclogas iv. Ad eundem T. Calphurnius Siculus miſit Eclogas vii. Meminit utriuſque Flavius Vopiſcus. Ex quo etiam videre eſt, vixiſſe eos temporibus Cari Imperatoris, ac filiorum ejus Charini, & Numeriani. Præterea Lilius Gyraldus adfert fragmentum ab Actio Sannazario ſibi oſtenſum, quo eos, quos diximus, celebrat Imperatores: ut de ætate ſatis ſit apertum. Nec parum hi Poëtæ eidem Sannazario debent. Siquidem is codicem vetuſtum Longobardicis literis ſcriptum ex Galliis attulit: in quo præter Gratii Cynegeticon, & Ovidii Halieuticon, ſed ἀκέφαλον, etiam Nemeſianus, & Calpurnius forent. Deſcriptum verò Georgio Logo Sileſio erudito juveni donavit: qui univerſos Paulo Manutio * excudendos dedit. Mirum verò duos illos jam * An.
temporibus nepotum Caroli M. ante annos prope octin- 1538.
gentos ſolere prælegi in Scholis. Sic enim eorum temporum ſcriptor Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus ad Hincmarum Laudunenſem: *Aliter reſpondere non potui, niſi ut venatores feralustra ſequentes agere, auditu & lectione puer ſcholarius in libro, qui inſcribitur, Cynegeticon Carthaginenſis Aurelii didici*, &c.

B. Cæcilius Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus eſt factus ſub Philippo Imperatore, anno Chriſti ccl. Ac porro ea in dignitate fuit cum ſub Decio, Gallo, & Voluſiano, tum Valeriano, & Gallieno: ſub quibus perſecutione contra Chriſtianos octava anno Chriſti cclx coronam martyrii accepit. Quatuor ei carmina tribuuntur. Primùm Geneſis. Tum Sodoma. Sed Tertulliani creduntur à Sixto Senenſi. Hinc carmen in Senatorem Apoſtatam. Quod ut Cypriani non ſit, antiqui tamen eſt ſcriptoris. Ac poſtremo Hymnus de Paſcha Domini. Verum nonnulli codd. præferunt nomen Victorini Pictavienſis.

Gallienus etiam Cæſar, Valeriani ejus filius, qui captivus in miſera ſervitute apud Perſas conſenuit, carmine excelluit. Specimen ſunto hi verſus, è carmine quod fecit, cùm fratrum filii ducerent uxores:

Ite, ait, ô pueri, pariter ſudate medullis.
Omnibus inter vos: non murmura veſtra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oſcula conchæ.

Numerianus Cæſar quantum valuerit poëſi, hæc de eo indicant verba Flavii Vopiſci Syracuſii: *Verſu talis fuiſſe prædicatur, ut omnes Poëtas ſui temporis vicerit. Nam & cùm Olympio Nemeſiano contendit, qui ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ, & ναυτικὰ ſcripſit, quique omnibus coloniis illuſtratus emicuit, & Aurelium Apollinarem jamborum ſcriptorem, qui patris ejus geſta in literas retulit, iiſdem, quæ recitaverat, editis, veluti radio Solis obtexit.*

Sub Conſtantino Magno claruit Arnobii diſcipulus Rhemnius Fannius, Grammaticus, & Poëta, Arnobii diſcipulus, ut ait Hieronymus, qui aliis Favinus, & cum Fannio Palæmone, de quo in Claudiani dictum temporibus, confunditur à nonnullis. Fannius iſte elegans carmen de medicinalibus miſit ad Lactantium Firmianum. Ac ejuſdem videtur liber carmine hexametro exaratus de ponderibus, ac menſuris. Perperam Priſciano attribui ſolet.

Sub Conſtantino M. etiam claruit Tiberianus: de quo ſic Hieronymus in Chronico Euſebiano Olympiade cclxxviii, an. iv: *Tiberianus vir diſertus præfectus prætorii Gallias regit.* Aliqui tamen MSS habent Titianus. Hujus Tiberiani, ut Gyraldus cenſet, eſt verſus iſte:

Aurum quo precio reſerantur limina divum.

Atque ejuſdem putat verſus, quos citat in Mythologicos item in explicatione ſermonis antiqui, ubi Tiberiani trochaicus iſte adfertur:

Aureos ſubducit ignes ſudus ora Lucifer.

P. Optatianus Porphyrius Panegyricum miſit Conſtantino Magno, eoque meruit ab exilio revocari. Non tam ingenium, vel ſpiritum Poëticum, in eo laudes, quam ingentem laborem atque induſtriam. Meminere Hieronymus in Chronico, Fulgentius in Mytholog. ii, ubi de Venere, Beda de arte Metrica, & Rhabanus Maurus prologo libri de laudibus S. Crucis. Prodiit ex Velſeriana Bibliotheca Auguſtæ Vindel. * Valde deceptus fuit doctiſſi- * An.
mus Baronius, cùm putaret, carminis hujus auctorem 1595.
fuiſſe Porphyrium illum, qui contra Chriſtianos ſcripſit.

Vide

Vide quæ dixi in Græcorum Hiſtoricorum Hiſtoria lib. II, cap. XVI.

Juvencus presbyter, nobilis Hiſpanus claruit iiſdem temporibus, teſte Hieronymo: nempe circa an. CCCXXXI, ut eſt apud Proſperum. Euangelicam hiſtoriam, Matthæum ſecutus, libris IV, verſu hexametro expreſſit. Ex eo & B. Hieronymus comment. in Matthæum hunc verſum laudat:

Aurum, thus, myrrham, regique, hominique, Deoque.

Idem Hieronymus in Vitis illuſtribus ait & quædam hexametris verſibus ſcripſiſſe, quæ ad ordinem Sacramentorum pertineant.

Lactantius Firmianus, Arnobii diſcipulus, Nicomediæ Rhetoricen docuit. A Conſtantino M. præfectus fuit ſtudiis Criſpi Cæſaris, à patre poſtea interemti, cum inceſtus, falſo licet, accuſaretur. Carmine hexametro Odœporicon, teſte Hieronymo, ſcripſit. Fuit hoc de itinere ejus ex Africa Nicomediam uſque. Tribuuntur ei carmen de Paſſione Domini: item de Reſurrectione, ac Paſchate. Sed ſunt ea Venantiani Fortunati. Adhæc adſcribitur ei carmen de Phœnice: ſed hoc hominis videtur gentilis: cùm de Phœbo loquatur, ut vero numine, ac Phœnice, tanquam ejus ſacerdote.

Sub Conſtantio, principe Arriano, fuit Hilarius Pictavienſis, Epiſcopus; qui primus hymnorum gloria claruit: ut eſt apud Iſidorum lib. I, de Officiis Eccleſiaſt. Tres hodie ſuperſunt hymni. Ille verò, qui inſcriptus Apræ ſorori, tanto eſt viro indignus.

Sub Conſtantio etiam Romæ Rhetoricam docuit Marius Victorinus Afer: B. Hieronymi in Rhetoricis præceptor, cujus carmen hexametrum ſupereſt de VII fratribus Maccabæis cum matre ab Antiocho Epiphane interemtis. Vide de eo Hieronymum in Vitis illuſtribus.

Extremis liberorum Conſtantini temporibus, ac ſub Juliano Cæſare ac Valentiniano claruit Aquilius (al. Attilius, vel Cæcilius) Severus: de quo ſic Hieronymus in Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Aquilius Severus, in Hiſpania, de genere illius Severi, ad quem Lactantii duo epiſtolarum ſcribuntur libri, compoſuit volumen, quaſi* ὁδοιπορικὸν, *totius ſuæ vitæ ſtatum continens, tam proſâ, quàm verſibus, quod vocavit* καταστροφὴν, *ſive* πεῖραν, *& ſub Valentiniano Principe obiit.* In collectione epigrammatum & poëmatiorum veterum, quæ Lutetiæ Pariſiorum prodiit * cura Petri Pythæi, (is enim & collectionis, & notarum auctor, etſi nomen non expreſſit) legas Eclogam bucolicam ſic inſcriptam †: Carmen *Severi Sancti, id eſt, Endeleichi Rhetoris, de mortibus boum.* Sed annotat Pithœus, videri hunc eo, de quo Hieronymus, antiquiorem.

* An. 1590.
† Pag. 448.

Auſonius Burdigalenſis vixit Valentiniano, Gratiano, & Theodoſio Imperatoribus, ac à Gratiano diſcipulo ad Conſulatum etiam evectus fuit, poſt quem & varia jam ſenem ſcripſiſſe, ipſe indicat. Poëta fuit gentilis, quemadmodum ex Paullino liquet: ut quæ Chriſtum celebrant, perperam illi ſint tributa. Guilhelmus Canterus Prolegomenis in Euripidem: *Auſonii diſticha, quæ hactenus Catoni vulgus adſcripſit.*

Gratianus Cæſar Auſonii Poëtæ diſcipulus fuit. Deque eo ſic Sextus Aurelius Victor: *Fuit autem Gratianus litteris haut mediocriter inſtitutus: carmen facere, ornatè loqui, Rhetorum more.* Hæc in Principe pulcra: vix tanti tamen, ut eò Poëtis accenſeri mereatur.

Gratiani ac Theodoſii temporibus fuit Rufus Feſtus Avienus: qui Aratum, & Dionyſii περιήγησιν carmine Latino tranſtulit: item carmen jambicum de oris maritimis ſcripſit, idque ad Probum Conſularem, ut verſu primo, & ſæpius ſequentibus indicatur. Multa ex veteribus libb. in utroque opere emendatius edidit Pithœus.* Nec alium puto Avienum, quem loquentem inducit Macrobius in Saturnalibus. Idem etiam videtur, qui fabulas Æſopicas carmine ſignavit elegiaco. Quamquam in nonnullis codd. is *Anianus*, atque etiam *Anienus*, imò & *Abidenus* vocetur. Præterea epigrammatum veterum à Pithœo collectorum lib. IV. † eſt Feſti Avieni Sirenum allegoria. Item carmen ad Flavianum Myrmeicum v. c. † Atque aliud ad amicos de agro ‡. Præterea verò univerſum Livium jambicis verſibus expreſſit: ut auctor eſt Servius in X. Æn. Atque idem & alibi ejus meminit. Quid mirum, cùm & ille Macrobio fuerit æqualis? Etiam, ut nuperi ſcriptoris, mentionem facit B. Hieronymus comment. in epiſt. ad Titum. Diximus de eo quoque lib. II. de Hiſtoricis Latinis, cap. IX.

* In Epigrammatis, & Poëmatiis vett. Lutetiæ excuſis.
* Pariſ. edit. an. 1590.
† Pag. 186.
‡ Pag. 187.

Valentiniani, Gratiani, Valentiniani junioris, & Theodoſii Magni temporibus Romanæ Urbis Epiſcopus fuit Damaſus Hiſpanus: cujus carmina varia leguntur, hymni etiam canuntur in Eccleſia. Ut Poëta etiam celebratur à Suida. Octogenarius ſub Theodoſio diſceſſit, ut eſt apud eundem Suidam.

Temporibus Maximi Cæſaris, qui Gratiano interemto tyrannidem invaſit, fuit Latronianus Hiſpanus, Poëta celebris, ſed Priſcilliani collega quicum Treviris à Maximo eſt ob hæreſin capitis damnatus. De hoc ſic B. Hieronymus in ſcriptoribus Eccleſiaſticis: *Latronianus provinciæ Hiſpaniæ, valde eruditus, & in metrico opere veteribus comparandus, caſus eſt & ipſe Treviris cum Priſcilliano, Feliciſſimo, Juliano, Euchrotia, ejuſdem factionis auctoribus. Exſtant ejus ingenii opera, diverſis metris edita.* Contigit hoc anno Chriſti CCCLXXXV. Cæterum qui in Hieronymi codd. *Latronianus*, is Sophronio interpreti dicitur *Matronianus*. Atque ita apud Hieronymum quoque legere maluit Eraſmus.

Titianus Rhetor apud Viſontionem & Lugdunum ſcholam rexit municipalem: ut cognoſcere eſt ex Auſonii Gratiarum actione. Atque idem jambicis ſenariis ſive trimetris apologos ſcripſit; unde idem Auſonius epiſt. ad Probum, Prætorio præfectum:

Æſopiam trimetriam,
Quam vertit exili ſtilo
Pedeſtre concinnans opus
Fandi Titianus artifex.

Sub Theodoſio item claruit Marcellus vir illuſtris, Ex-magiſtro Officior. Theodoſii Imp. Hujus carmen de Medicina eſt in epigrammatis ac poëmatiis vett. à Pithœo collectis, ac Lutetiæ editis*.

* An. 1590.

Gratiani ac Theodoſii temporibus fuit Ambroſius, Mediolanenſis Epiſcopus, ſeptem fecit hymnos de opere creationis, quorum meminit B. Auguſtinus lib. IX. Confeſſionum: ac duo cola recitat ex hymno ſeptimo: quod & à Beda factum lib. de re Metrica. Præterea ei adſcribuntur hymni XXVII. Vide tom. V. operum ejus. Diſticha ſcripta in Baſilica Ambroſiana, quæ ipſius Ambroſii creduntur, vide tom. VIII. Bibliothecæ SS. Patrum, edit. II. Exceſſit anno CCCCXCVII. qui tertius Honorii, & Arcadii.

Sub Theodoſio Magno, ejuſque liberis, claruit Aurelius Prudentius Clemens. Natus is fuit F. Philippo, & Salea Coſſ. anno Urbis CIƆ CI. Ut ipſe indicat in Præfatione Καθημερινῶν:

Irrepſit ſubito canities ſeni,
Oblitum veteris me Saliæ Conſulis arguens
Sub quo prima dies mihi.

Prout nunc in optimis eſt libris: ubi priores perperam *Meſſalia*, vel *Maſſalia*.

Reliquit carmine Ψυχομαχίαν, καθημερινὸν, ἀποθέωσιν, ἁμαρτιγένειαν, περὶ στεφάνων, ſive de martyrum coronis, & duos contra Symmachum libros. Vide de eo Gennadium, & quæ dixi lib. II. Hiſtoriæ Hiſtoricorum Latin. cap. X. Inter opera Prudentii etiam legitur enchiridion veteris & novi teſtamenti. Cujus auctor Amœnus dicitur in Mſſis. Aliqui Sedulio tribuunt: de quo poſtea.

Claudianus, Poëta magni ſpiritus, ab Arcadio, & Honorio, ſtatuam meruit in foro Romano. Alexandrinum fuiſſe, ex eo rectè colligebat Crinitus, quòd ipſe epigrammate ad Gennadium Proconſulem ſcribat:

Grajorum populis, & NOSTRO cognite Nilo.

Gen-

Gentilis fuit, ac quidem pervicax: ut ex Auguſtino, & Oroſio conſtat. Nec obſtat carmen de Chriſto, quod in editione Veneta Andreæ Aſulani, Claudiani nomen præfert. In aliis enim libris adſignatur Damaſo Papæ. Nec ignoro etiam in nonnullis Mssis Claudiani nomen inveniri. Sed ut Claudiani eſſet, non hujus fuerit, ſed Claudiani Mamerti, qui ſub Zenone vixit.

Pontius Paulinus, Epiſcopus Nolanus, claruit ſub Theodoſio M. & ejus liberis: licet Georgius Fabricius referat ad tempora Marciani Imp. Hieronymo, & Auguſtino laudatur. Ad Auſonium præceptorem ejus carmina habemus, uti & Auſonii ad Paulinum. Condidit & carmine ſex libros de vita S. Martini, item carmen de Natali Celſi pueri, item S. Felicis Nolani, atque alia, quæ ſuperſunt. Sed deperiit poëma de regibus, quo Suetonium in compendium redegerat. Atque ex eo poëmatio verſus aliquos Auſonius conſervavit. Vide de eo plura lib. II. de Hiſtor. Lat. cap. XII. Nunc ſolùm addam, ævi vitio potius, quàm ſuo, ſæpius negligere modulum ſyllabarum. Ut cum H ei conſona cenſetur. Hinc epiſt. II. ad Auſonium:

Sibi repoſcens ab homine munus ſuum.

Senarius eſt jambicus ſede tertia habens tribrachyn. Ejuſdem eſt iſtoc ad Cytherium:

Exul ſoli, & hoſpes ſali.

Similiaque alibi. Mediam quoque in *abyſſus* pro abyſſus idem corripit Paulinus carm. XXVI.

Effractiſque abyſis cælos penetravit apertos.

Paullini eſt lib. I. de vita B. Martini:

Sed meritum moderante Deo. ——

Nempe eadem licentiâ, ut in Notis monuit Franciſcus Juretus, qua primam in *Euangelium* corripit. Item in *Erumna.* Ut lib. II. ejuſdem operis:

—— *Triſtem miſeretur erumnam.*

Diaconus Paullino triſyllabum: ut lib. II. de vita S. Martini:

Sed Diaconus qui forte aderat vix codice rapto.

Atque alibi non ſemel. Idem lib. VI. de vita, priorem in *clamor* corripit. Quod &, ſecundum veteres codd. factum Juvenco lib. IV.

Idem Paullinus Nat. IV. Felicis:

Cùm pia ſacrilego quateretur Ecleſia bello.

Ac ſimiliter non ſemel de vita B. Martini. Ac præiſſe in eo Tertulliano dictum antea.

Flavius, Hieronymi æqualis, carmine hexametro de re medica ſcripſit. Hieronymus contra Jovinianum: *Legat, qui volet, Ariſtotelem, & Theophraſtum proſâ, Marcellum Siditen, & noſtrum Flavium, carmine diſſerentes.*

Honorii quoque temporibus viguit Licentius Hipponenſis, B. Auguſtino, Hipponenſi antiſtiti, perfamiliaris: qui in Academicis ejus meminit, ut Poëtæ celebris, item exarati ab eo poëmatis de amoribus Pyrami, ac Thisbes. Mentionem etiam faciunt Paulinus, ac Poſidonius. Præterea hymnos, & alia reliquit.

Honorii item ætate, poſt Stiliconis cædem & Romam ab Alaricho captam, quod fuit anno Chr. CCCCX. fuit Rutilius Claudius Numatianus Gallus: cujus habemus Itinerarium carmine eleganter perſcriptum, ſed odium ſpirans religionis Judaicæ, ac Chriſtianæ. Obſervat verò Pithœus *ex ordine navigationis, & itinere, videri quadam in eo confuſa ac tranſpoſita.* Plura de eo lib. II. de Hiſtor. Lat. cap. XV.

Æqualis illi Decius ſatyricus, qui Rutilio dicitur

—— *Lucilli nobile pignus.*

Ac de eodem inquit:

Hujus vulnificis ſatyra ludente, Camœnis
Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit.
Inſtituit veterem cenſoria lima pudorem,
Dumque malos carpit, præcipit eſſe bonos.

Theodoſiani vel Honorii ævo vixiſſe videtur ſcriptor Comœdiæ, quæ Plauti Querolus, vel Aulularia eſt: quemadmodum etiam judicat Petrus Daniel, qui primus edidit, ac Cardinali Odoni Colignio Caſtilionæo dicavit. Atque hoc partim è dictione colligit, partim quòd inſcribitur Rutilio: is autem videatur Rutilius Claudius, Itinerarii ſcriptor, de quo proximè loquebamur. Aliis autem putatur auctor Gildaſius Brito: quemadmodum etiam apud Barthium in Adverſariis eſt lib. XLIV. cap. IX. qui & eo, & proximo capite totus eſt, ut hanc fabulam expendat. Is verò Gildaſius Brito non eſt alius, quàm Gildas Bathonicus, ſic dictus ab urbe Badonis, quæ nunc Bathonia in Sumerſetenſi Angliæ agro ſita. Gildas is natus fuit anno Iↄ XX. hiſtoriam verò ſuam edidit anno Iↄ LXIV. ut oſtenſum Reverendiſſimo doctiſſimoque Uſſerio in Eccleſiaſticis Britanniæ Antiquitatibus extremo cap. XIII. Ut tum fuerit annorum tantum XLIV. Sed credibile eſt complures poſt annos vixiſſe. ut propterea Polydorus Virgilius referat ad an. Iↄ LXXX. niſi potiùs is ſecutus Rodolphum de Diceto, qui, ſed perperam, ſcripſiſſe opus memoratum ait anno Iↄ LXXXIV. Tritthemius verò claruiſſe dicit an. Iↄ C. Veriſimilius foret tum obiiſſe. Cæterùm quo minùs fabula hæc Gildæ ejus videatur, facit quod dictio ſit venuſtior, & facilior, quam in epiſtola de excidio ac conqueſtu Britanniæ: de qua diximus lib. II. Hiſtoriæ Hiſtoricorum Latinorum, cap. XXI. Quamquam dicere poſſis, Comœdiam ſcripſiſſe, cùm adoleſcens, ac recens eſſet à ſtudiis literarum, & literati, ſeu magiſtri, ſeu alterius operâ aſſiduè adjutaretur: at jam annis graviorem, ac præterea gravatum curâ Eccleſiæ, multiſque adverſis longè aliter ſcripſiſſe. Equidem poſſim hac parte ſuffragari; ſi codices Mssi hunc Querolum ut dicitur, tribuant Gildæ: ſed nihil iſtoc magnopere ad rem, ſi alius is eſt Querulus: videlicet epiſtola, qua conqueritur de ſtatu Britanniæ. Quæ itidem ſummi viri Uſſerii ſententia eſt *. Fortaſſe aliquis cum Barthio † auctorem *Plautum* putet vocatum, partim, ob libros illos, quibus PLAUTI QUEROLUS, ſive AULULARIA inſcribitur: partim etiam, quia Plauti dicitur à Vitale Gallico, qui Elegiaco carmine expreſſit. Mihi verò omnino veriſimilius fit, eo Plauti nomen impoſitum, quia exemplo fabulæ verè Plautinæ Aulularia & ipſa ſcriberetur.

* *Antiquit. Britann. cap.* 13.

† *Adverſariorum lib.* 44. *cap.* 13.

Honorii, & Theodoſii junioris ætate fuit Proba Falconia, ſeu Faltonia, uxor Adelphii, proconſularis viri, mater Julianæ, S. Demetriadis avia. Hæc Chriſti vitam conſcripſit centone Virgiliano. Habes in Bibliotheca SS. Patrum Tom. VIII, edit. II. Ambigunt alii, quia Iſidorus eos, vel iis ſimiles factos dicat à Pomponio nobili Poëta. Malè audiit Proba, quaſi ea urbem Romam Alaricho prodidiſſet. Sed eam ab hoc crimine purgat Cæſar Baronius.

Cælius Sedulius, presbyter Scotus ſub Theodoſio Juniore vixit, ut rectè eſt apud Tritthemium. Fallitur Sigebertus, cum toto pene ſeculo antiquiorem facit. Nam vixiſſe ait ſub liberis Conſtantini M. Meminit & Iſidorus in Catalogo: ſed de ætate tacet. Scripſit proſa explanationem epiſtolarum Paulinarum, quam ex variis excerpſit. Negat id opus ſibi viſum Poſſevinus in Apparatu Sacro. Sed edidit Henricus Petri Baſileæ an. cIↄ Iↄ XXVIII. Præterea reliquit carmine hexametro quatuor libros operis Paſchalis. Ejus etiam mentio apud Gelaſium Papam in Decretis diſtinct. XV; ubi legi ſolet: *Viri venerabilis Sedulii opus Paſchale, quod hæreticis deſcripſit verſibus, inſigni laude proferimus.* Sed pro *hæreticis* debere *heroicis* legi, jam ante ſeculum monuit Pierius Valerianus orat. pro Sacerdotum barbis. Hoc opus etiam proſâ conſcripſit poſtea: ac habes in Bibliotheca Patrum Tom. VIII, edit. II. Ubi etiam vide quæ in Notis ad eum ſcriptorem obſervavit Franciſcus Juretus. Inſuper & duos reliquit hymnos, quorum unus Natali Dominico, alter feſto Epiphaniæ in Eccleſia cani ſolet. In Sedulium gemina exſtat ἀκροστίχις, una Liberii, altera Beliſarii. Utrobique & primæ, & ultimæ verſuum literæ conficiunt SEDULIUS ANTISTES.

Proſper Aquitanicus claruit extremis Valentiniani III, temporibus, ac deinceps ſub Maximo, Avito, Majorano,

rano, & Severa. Carmen ejus adverſus ingratos, aliaque, in omnium ſunt manibus. Multa de Proſpero hoc diximus libro I Hiſtoriæ Pelagianæ, cap. XVIII.

Cajus Sollius Apollinaris Sidonius patrem habuit, qui ſub Honorio Imp. fuerit Tribunus Notarius, & Præfectus prætorio Galliarum. Natus ipſe ſub Theodoſio juniore, & Valentiniano III. Ter utriuſque militiæ magiſter fuit, quater prætorio præfectus. Multum auctoritate valuit apud Auguſtos Petronium Auguſtum, Avitum, Majorianum. Aviti etiam gener fuit, ac perfamiliaris Theoderico Gothorum regi: inter quem & Majorianum, Sidonio conciliante pactum initum eſt. A Majoriano etiam Comitis honore auctus. Sub Severo Auguſto Arverniam adverſus incurſus barbarorum defendit. Sub Anthemio etiam magno in honore fuit. Poſt varias verò dignitates jam quadragenarius, factus eſt Arvernorum Epiſcopus: ac tum totum ſe ſacris ſtudiis dedit, relictâ poëſi. Sic enim ſcribit lib. IX, epiſt. XII, quæ ad Oreſium eſt: *Sic (pagina tua) oblectat eloquio, quæ turbat imperio: quippe quæ parum metiens, quid ordinis agam, carmina à nobis nunc nova petat. Primum ab exordio religioſæ profeſſionis, huic principaliter exercitio renuntiavi: quia nimirum facilitati poſſet accommodari, ſi me occupaſſet levitas verſuum, quem reſpicere cœperat gravitas actionum.* Quæ cùm ſcriberet, jam tres Olympiadas, ut ibidem legere eſt, Epiſcopus fuerat. Quantum autem valuerit poëſi, partim oſtendit, quod in Trajani foro ſtatuam meruit cum laurea Apollinari: partim elucet ex XXIV poëmatis, quæ habemus. Atque ex his etiam liquet, rectè à Gennadio dici, vixiſſe ſub Leone: qui imperare cœpit in Oriente anno CCCCLV. Addit ibidem etiam de Zenone, qui imperium adeptus CCCCLXXIV. A Baronio ejus obitus refertur in annum CCCCLXXXIV: qui annus eſt nonus Odoacri, Italiæ regis. Itaque fortaſſe aliquis putaverit in Odoacri temporibus memorari debuiſſe. Verùm quia nunc de poëſi loquimur, cujus ſtudium Sidonius, ex quo eſt factus Epiſcopus (quod fuit anno Urbis CCCCLXXII) intermiſit: ejus potius ante deſitum Cæſarum in Occidente imperium, quàm dignitate eâ collapſa, meminimus. In metra ſæpius peccat, ut multis exemplis oſtenſum lib. II de Arte, cap. XXXIX. Sufficerent igitur nunc iſte Phalæcius:

Et Phœbo melior lyriſtes ipſo.

Nempe non attendit, quod Græcè ſit λυριστής, ſed ſolum quod ætate ea illa in AS & ES corriperent. Unde Symposius:

Cætera mando focis, ſpernunt, quæ dentes acuti.

Ut in codice antiquiſſimo reperit Salmaſius*.

(* Notis ad Capitolinum, pag. 156.)

Imò tanto ante ſcripſerat Prudentius:

Colluces inſignis ſtolâ.

Qui jambicus eſt dimeter. Quid quod jam ætate Alexandri Severi al. Heliogabali ſic ſcribebant. Unde apud Lampridium in ejus vita:

Pulcrum quod vides eſſe noſtrum regem.

Item,

Pulcrum quod putas eſſe veſtrum regem.

Quæ attuli, ut liqueat Sidonium non tam in eo peccaſſe vitio ſuo, quam conſuetudine plurium ſeculorum abreptum. Audiamus & quid de omni ejus dictione cenſeat Ludovicus Vives lib. III de ratione dicendi, cap. de Poëticis†: *Verba antiquaria, & novata, & phraſis dura, atque novata, & phraſis dura, atque horrida, minus multò notabilia ſunt in oratione numeris adſtricta: quod eſt animadvertere in multis: velut in Sidonio Apollinare, & Martiano Capella: quorum proſa abſurdiſſima eſt, verſum non penitus rejicias.*

(† p. 148. edit. Baſil. an. 1555.)

Sidonio æqualis Victorius Poëta: quem hoc nomine celebrat is quem dixi, Sidonius lib. V, epiſt. ult.

Salvianus Maſſilienſis presbyter, ac poſtea Epiſcopus, claruit temporibus non Arcadii & Honorii, ut cenſet Andreas Libavius, ſed Leonis ac Majoriani. Inter Poëtas ab aliquibus reponitur propter iſta Gennadii: *In morem Græcorum de principio Geneſis, uſque ad conditionem hominis, compoſuit verſu quaſi hexametro lib. I.* Sed placet conjectura eorum, qui ajunt exemplo Baſilii, & Ambroſii, ſcripſiſſe Hexaëmeron, ſive volumen de operibus ſex dierum: ejuſce operis magnitudinem indicaſſe ex numero verſuum, qui non minus in proſa, quàm carmine ſolet numerari: ut ex multis veterum teſtimoniis cognoſcere eſt. Quare cum Ritterſhuſio puto ſcribendum: *Compoſuit verſibus quaſi...... Hexaemeron*, lib. I. Nimirum numerus verſuum excidit. Ut nihil ſit, cur & carmine ſcripſiſſe exiſtimemus.

Cap. V.

De quartæ ætatis Poëtis Latinis ab amiſſo Occidentis imperio, uſque ad idem à Carolo M. inſtauratum.

Ab amiſſo Occidentis imperio, vel paullo ante, incipit ætas decrepita: quam in duas partes diſpeſcemus. Prior eſt ab imperio Occidentis per Auguſtulum Momyllum amiſſo, uſque ad idem inſtauratum per Carolum Magnum. In hoc optimus, & ſupra ætatem bonus eſt Severinus Boëthius. Nec eo penitus ſua laude fruſtrandi cæteri.

Ætatem celebriorum apponam.

Claudianus Mamertus, Viennenſis Epiſcopus, claruit Zenone imperante: etſi Bellarminus in ſcriptoribus Eccleſiaſticis ſub Valentiniano III, & Theodoſio Juniore, cenſeat viguiſſe. Præter præclarum trium librorum opus de ſtatu animæ carmen reliquit contra vanos Poëtas. Hujus quoque videntur eſſe carmina de Chriſto, quæ in Claudiano leguntur. Nam ille Theodoſiani ævi ſcriptor gentilis fuit, ut ex Auguſtino, Oroſio, atque aliis, conſtat. Qui ſi tandem factus eſſet Chriſtianus, verbo hæc tetigiſſent. De ætate vero quod dixi, ſatis arguit, quod in opere memorato Eucherii, Lugdunenſis Epiſcopi, ut æqualis, meminerit. Item quod opus ſuum de anima Sidonio Apollinari emendandum ac divulgandum miſit.

Sub Zenone etiam claruit Claudius Marius Victor, Rhetor Maſſilienſis, qui in Geneſin carmine hexametro ſcripſit libros IV ad Ætherium filium. Item carmen ad Salmonem Abbatem de perverſis ſeculi moribus. Utrumque habes in octavo Tomo Biblioth. SS. Patrum edit. II. Fuiſſe literaturæ ſecularis, quam ſacrarum literarum peritiorem, judicium eſt Gennadii Maſſilienſis: quod & ſecutus eſt Ado Viennenſis.

Alcimus Ecdicius Avitus, Archiepiſcopus Viennenſis, Zenonis, & Anaſtaſii temporibus claruit. Supersunt verſu hexametro lib. V, de mundi origine, de peccati origine, de ſententia Dei, de diluvio, deque tranſitu maris rubri. Item ad Fuſcinam ſororem liber de conſolatoria caſtitatis laude. Etiam proſâ ſupereſt homilia de feſto Rogationum, & prima ejus inſtitutione. Meminit & Alcimi hujus Venantius Fortunatus, qui claruit circa annum DLXX. At ratio fugit, cùm Lilium Gyraldum dialogo V Hiſtoriæ Poëtarum, tum Cæſarem Baronium in Martyrologio Nonis Februarii; cùm hunc Alcimum intelligi putant à Sidonio Apollinari lib. VIII, epiſt. XI, quæ exarata eſt ad Lupum. Nam loquitur ille de Latino Alcimo Alethio, Nitiobrige, ſive Aginnenſi, qui inter Profeſſores Burdigalenſes memoratur Auſonio carm. II; & B. Hieronymo in Chronico Euſebiano laudatur ad annum Chriſti CCCLX: *Alcimus, & Delphinius Rhetores in Aquitania florentiſſime docent.* Ut inter Alcimum Rhetoricæ Profeſſorem, & Alcimum Epiſcopum ac Poëtam, totius ſit ſeculi intervallum.

Anno quarto Anaſtaſii Turcius Rufus Aſterius conſulatum geſſit cum Flavio Præſidio. Huic in codd. nonnullis carmen tribuitur, quo Vetus & Novum Teſtamentum conferuntur. Sed alii Sedulio adſignant: nonnulli & Claudiano Mamerto.

Ge-

Gelaſius Papa, qui, temporibus Anaſtaſii Imperatoris, Romanæ Eccleſiæ præfuit, ab anno cccc xc i i uſque ad cccc xc v i, inter alia etiam condidit hymnos Eccleſiaſticos.

Quibus temporibus in Oriente Zeno, poſteaque Anaſtaſius, in Italia Odoacer, & exinde Theodericus rexit, claruit Anitius Manlius Boëthius Severinus, vir Latinè & Græcè doctiſſimus, in omni diſciplinarum genere excellens, quoque Roma à Varronis temporibus non habuerit undecumque doctiorem. Quantum idem carmine valuerit, oſtendunt libri v de conſolatione Philoſophiæ, quos exul Ticini ſcripſit. Omnino nihil in poëſi venuſtius habuit, vel illud ævum, vel etiam quod proximè anteceſſit. Uxorem habuit cui nomen Helpis: quæ & ipſa literis, ac imprimis poëſi excelluiſſe dicitur. Vir fuit Conſularis, & filios duos Patricium, & Hypatium, Conſules vidit. Cùm verò ob literas ad Anaſtaſium Imp. ſcriptas, & alia quædam, ſuſpectus eſſet Theoderico regi, quaſi ſtuderet recuperandæ libertati, juſſu ejus unà cum ſocero Symmacho, eſt interemtus.

Sub Anaſtaſio, Orientis Imperatore, Theoderico Amalo Oſtgottho, Italiæ rege, & Anaſtaſio, Symmacho, ac Hormiſda Papis, claruit Ennodius Ticinenſis Epiſcopus, qui perperam nonnullis Euodius vocatur, ac Ennodius Juvenalis dicitur à Bernardo Sacco Hiſtoriæ Ticinenſis lib. v i i i, cap. i. Epiſcopus factus anno Urbis cccc xc, obiit verò anno Iↄ xv i. Ejus cùm epiſtolas, orationes, ac panegyricos, tum hymnos ac epigrammata edidit, emendavit, notiſque illuſtravit Andreas Schottus.

Fulgentius Ruſpæ in Africa Epiſcopus vixit anno quingenteſimo: temporibus Traſamundi Regis: adverſus cujus errores tres libros ſcripſit. Alia etiam ejus multa in manibus ſunt. Obiit anno Iↄ xx i x. De eo ſic Sigebertus in Catalogo: *Ne videar humana miſcere divinis non commemorabo ſacris memorabile hujus viri opus, qui totum opus Virgilii ad Phyſicam rationem referens, in luteo quodammodo maſſa, auri metallum quæſivit, & repertum concoxit.* Signat vero id opus, quod inſcribitur Fabii Planciadis Fulgentii de allegoria librorum Virgilii ad Chalcidium Grammaticum. Is verò ſine dubio alius eſt ab Epiſcopo Ruſpenſi. Nempe Grammaticus is, cujus & Mythologicôn libri exſtant; cujus item Expoſitionem ſermonum antiquorum ad eundem Chalcidium Grammaticum Nonio Marcello ſubjecit Hadrianus Marcellus, uti & poſt alii. Atque hujus fortaſſe fuerint Aſtronomica Fulgentio tributa: ac carmine ſcripta hexametro, cujus fragmentum habemus in epigrammatis ac poëmatis ex collectione Pythœi cum ejus notis Lutetiæ excuſis*. Imò quid ſi nec Fulgentii quidem ſit, ſed Iſidori: quandoquidem hoc poëma ſæpe illius operibus ſubjicitur, nullo auctoris nomine expreſſo, ut Pithœus refert. Qui & negat contemnendam eſſe conjecturam hominis doctiſſimi, qui arbitratur eſſe Varronis Atacini. * An. 1590.

Fuit etiam Zenonis & Anaſtaſii Theodolus, cujus carmina ſuperſunt de miraculis veteris Teſtamenti.

Theodolo æqualis Godelbertus, qui carmine heroico complexus hiſtoriam à mundi creatione uſque ad partum Virginis, & allegorias etiam eorum adjunxit. Hodieque exſtat.

Ruſticus Helpidius vir nobilis, ac quæſtorius, idemque Medicus Theoderici Gothorum Regis. Scripſit carmine hexametro hiſtoriam Veteris & Novi Teſtamenti. Item de beneficiis Jeſu Chriſti. Atque hæc edita à Georgio Fabricio. Sed periit, quam conſcripſerat conſolationem doloris. Cujus Operis ipſe mentionem facit his verſibus:

Hinc etiam noſtro nugata eſt ſchema dolori,
Garrula mendoſis fingens ſatyromata Muſis,
Falleret ut trepidos cantatrix pagina queſtus.

Etiam tum Priſcianus Grammaticus, Caſſiodori æqualis, ac eidem memoratus Conſtantinopoli claruit. Cui ſi quis hic locus, id fuerit, quia carmine Latino Dionyſii Afri *περιήγησιν* expreſſit. Aliqui tamen Rhemnii Fannii eſſe arbitrantur. Et, ut cenſeo, verius. Etiam epitome Φαινομένων, h. e. ſexdecim verſus hexametri de ſideribus eidem tribuuntur in prætermiſſis epigrammatum, & poëmatiorum, quæ ex collectione Pithœana prodierunt Pariſiis*. * An. 1590.

Anaſtaſii Imp. anno xxv i i habita Synodus Tarraconenſis; Chriſti anno Iↄ xv i i. Ei interfuit Orentius, Tarraconenſis Epiſcopus, atque idem Poëta; de quo ſic Sigebertus Gemblacenſis virorum illuſtrium cap. xx i v: *Orentius Commonitorium Fidelibus ſcripſit metro heroico, ut mulceat legentem ſuavi breviloquio.* Cæſar Baronius in Annal. Eccleſiaſt. an. cccc lxxx i cenſet eundem eſſe, ac eum, cui Sidonius Apollinaris ſcribit lib. i x, epiſt. xx. Ac movet eum tum vicinitas nominis, quia hic Orentius, ille Oreſius dicitur: tum idem ſtudium, quia Tarraconenſis hic Poëta fuit, & Oreſius à Sidonio petierat, ſibi carmina ejus tranſmitti. Sed quis non videt, quàm hæc infirma ſint? Præterea nec tempora ſatis conveniunt, quia Sidonius ſeptennio deceſſerat antequam Zenoni ſuccederet Anaſtaſius.

Temporibus Juſtini Thracis Marcus, Monachus Benedictinus, Benedicti ipſius diſcipulus, vitam præceptoris ſui, non invenuſtè, pro illis temporibus, carmine hexametro conſcripſit.

Sub Juſtiniano Imper. circa annum Iↄ lx fuit Arator, qui hiſtoriam Apoſtolicam libris duobus è Luca expreſſit; unde ipſe:

Verſibus ergo canam, quos Lucas rettulit Actus.

Item:

De qua pauca canam, Luca narrante, relata.

Cùm gemina ſit præfatio, videtur priùs hoc opus dicaſſe Abbati Floriano; imo autem Vigilio, qui ab anno Iↄ xl uſque ad Iↄ lv, Romanus fuit Epiſcopus. Atque hæc conveniunt cum eo quod ſub Juſtiniano vixiſſe ajunt Paulus Diaconus †, & Palmerius. Nec multum abit, quod Aldus in gloſſemate quodam reperit, claruiſſe anno Iↄ xl i v. At de ætate ejus Platina audiri non debet. † *Hiſt. Rom. & Longobard.*

Sub Juſtino juniore, qui anno Iↄ lxv ſucceſſit Juſtiniano, claruit Venantius Honorius Clementianus Fortunatus: cujus patriam, domicilium, ac ſcripta, memoramus lib. i i de Hiſtoricis Latinis, cap. xx i i. De ætate arguit, quod Juſtino huic, & uxori ejus Sophiæ Imperatrici Hodœporicon miſit. Carmine ejus exſtat liber de Partu Virginis. Alter de beneficiis Chriſti, atque alia, in his libri de B. Martino: quædam etiam in Eccleſia canuntur. Vide de eo Aimoinum de geſtis Francorum lib. i i i, cap. x i i i: item quæ de eo diximus in Hiſtoricis Latinis lib. i i, cap. xx i i. Quanti eum fecerit Hilduinus, ex eo cognoſcere eſt, quòd epiſtolâ ad Ludovicum Pium Imperatorem, non contentus, ob acumen, & elegantiam, *Scholaſticum* vocare, *Scholaſticiſſimum* dicat. Præclarum quoque de eo judicium eſt Barthii Adverſariorum libro xl v i, cap. i i i. Appellat *maximi ingenii vatem.* Ibidem dicitur *ad eum, velut ad Calliopium quempiam, magiſtrum & coryphæum Muſicorum modulaminum, reſpexiſſe omnium ſequentium Poëtarum chorum.* Et poſt aliqua adjungit: *Mirandum acumen ingenii in hoc autore fuit; etiam doctrina omnibus fere coætaneis excellentior.*

Sub Juſtino Juniore (qui Juſtiniano ſucceſſit anno Iↄ lxv, ac imperium annis tenuit xv i i) vixit Corippus Grammaticus: qui de laudibus Juſtini II Auguſti carmine heroico quatuor ſcripſit libros. Præfatio operis eſt ad Anaſtaſium Quæſtorem, & Magiſtrum. Primus edidit, ac notis illuſtravit Michaël Ruizius Aſſagrius Celtiber. De Corippo hoc ita Nicolaus Alemannus præfatione in Procopii Cæſarienſis lib. i x, qui Ἀνέκδοτα dici ſolet: *Corippus Africanus tam improvidus eſt Juſtiniani, atque Juſtini adulator, quam levis Poëta: in alterius enim laudibus exſultans, alterius in vituperationem labitur incautus, vel potius adductus veritate.* Quæ poſtrema verba addit, propter fœda Juſtiniani vitia, quæ non Procopius

modò,

modò, ſed alii etiam hiſtorici referunt: in his Evagrius lib. IV. cap. XXIX. & XXXI. præterea Zonaras Tom. III. Plura diximus in Hiſtoricis Latinis lib. III. cap. III.

Sub eodem Juſtino claruit Stephanus, presbyter Africanus: qui carmine videtur ſcripſiſſe vitam S. Germani: idque poſtulato S. Anacharii, Epiſcopi Antiſſiodorenſis. Vide quæ in Hiſtoricis Latinis memorato loco attulimus.

Mauritii temporibus, vel circiter, vixit Martianus Mineus Felix Capella, paullo ante tempora Cæſaris Heraclii: ut in Chronologia ſua cenſet Joſephus Blancanus; quem etiam ſequitur Chriſtophorus Scheiner Suevus, S. I. Theologus, eruditi operis, quod Roſam Urſinam inſcripſit, lib. IV. parte II. cap. XXIX *. In quo hæſere alii, ut Jacobus Gualterius Tabula Chronographica ſecunda ad tempora Antonini. Primus eum reperit Thadæus Ugoletus Italus; ut ait Pignorius epiſt. XVI. ad Franciſcum Polam. Primus veterum, qui ejus meminerit, creditur eſſe Severinus Boëthius: qui tempore vixit Theodorici, Gotthorum regis, h. e. circa annum quingenteſimum. Hic lib. I. de diſciplina Scholarium cap. I. Martianum inter eos reponit ſcriptores, qui, ut verbis ejus utar, *ſunt indaga[illegible], memorialique cellula commendandi*. Sed auctor ejus libri eſt indoctus impoſtor, atque indignus, qui memoretur. Meminit quoque Eckerhartus in vita B. Notkeri cap. X. † Quod ad auctorem ipſum, barbarum vocat Joſephus Scaliger Notis ad Cirin. Auctorem ſanè doctum appellat Scheinerus in Roſa Urſina capite ante memorato ‡. Quæ facile conciliantur. Nam ſcriptor eruditus quidem, ſed ſemibarbarus, partim vitio gentis, quia Afer erat; partim ætatis, quoniam collabente vixit ſermone Latino; partim quia multijugæ dictioni attendit magis, quàm ſermoni Romano. Vulgo inſcribitur *Satyricon*. Sed Capella ipſe *Satyram* ſemper appellat. Nempe quia tum vario ſcribatur argumento, adhæc proſâ, & carmen miſceantur, præterea vario ſcribatur metro: eâ nempe ratione, qua Varronis ſatyræ ſic vocantur. De quibus Probus in Ecl. VI. & alii. Alexander Neckam jam circa annum CIↃ CC XXX. commentario Martianum illuſtravit: ut auctor eſt Balæus Centur. III. ſcript. Eccleſiaſt. Quale de proſa ejus pariter ac carmine judicium fuerit Ludovici Vivis, legere apud eum poſſis lib. III. de ratione dicendi, cap. de Poëticis ‖. Verba ejus adduximus, cùm de Sidonio Apollinare ageremus.

* Pag. 761.
† Pag. 946.
‡ Pag. 763.
‖ Pag. 148. edit. Baſil. an. 1555.

Temporibus Heraclii Imperatoris an. IↃCXXVI. & XI. ſeq. Romæ ſedit Honorius Papa. Cui in Bibliotheca SS. Patrum Tom. VIII. tribuuntur duodecim diſticha de Apoſtolis in Chriſti ad cælos adſcenſione obſtupeſcentibus. Sed veriſimiliùs creditur, eſſe Venantii Fortunati: qui dictus Venantius Honorius Clementianus Fortunatus. Extremis Heraclii temporibus, ac ſub tribus ejus filiis Conſtantino, Heracleona, ac imprimis Conſtantis, claruit Hildephonſus, ſive Illephonſus, qui & Alphonſus, Toletanus Epiſcopus, qui primus creditur inſtituiſſe Feſtum Conceptionis B. Virginis. Hic varios ſcripſit hymnos: item epitaphia, atque epigrammata. Obiit ſub Conſtante anno IↃCLXVII. Vide & quæ de eo diximus in Hiſtoricis Latinis lib. II. cap. XXVI.

Eodem Conſtante, filioque ejus Conſtantino Pogonato imperantibus, quo tempore Francorum rex erat Clodovæus II. vixit Drepanius Florus, natione Gallus: cujus pſalmos, hymnos, & alia quædam habemus Tom. VIII. Biblioth. SS. Patrum edit. II. Dubitabat Georgius Fabricius an hic Poëta Drepanius eſſet idem ac Rhetor Latinus Pacatus Drepanius. Sed hujus panegyricus ſcriptus eſt ad Theodoſium Senatorem. Poëtæ autem carmen habemus ad Moduinum, Auguſtodinenſem Epiſcopum, qui aliquanto poſt Gregorii M. tempora fuit.

Temporibus Cæſaris Juſtiniani Junioris, qui poſtquam à Leontio patricio fuit imperio dejectus, ac naribus truncatus, nomen ῥινότμητε accepit, item hujuſce Leontii ætate, nec non Tiberii Apſimari, ac poſtquam Juſtinianus recuperavit imperium, claruit Aldhelmus, qui & *Althelmus*, & *Aldelmus*, corruptè verò *Anthelmus*. Nomen enim eſt Saxonicum à veteri galea, quæ illis *althelm*. Patrem habuit Kentenum Inæ Occidentalium Saxonum regis fratrem. Poſtquam Galliæ, & Italiæ gymnaſia adiiſſet, in Bladunenſi, ſive, ut poſtea dixere, Malmeſburienſi Monaſterio Abbas fuit. Hinc primus Occidentalium Saxonum in oppido Shirburnenſi factus eſt Epiſcopus. Latinis, Græcis, divinis, humanis, literis, ſuæ ætatis Theologorum ceſſit nemini. Utraque etiam eloquentiâ, Oratoria ac Poëtica, excelluit. De eo verſus eſt ille:

Aldhelmus cecinit millenis verſibus odas.

Inter cætera laudem ſibi peperit XXXVIII. verſibus heroicis; quorum primæ literæ deſcendendo, ultimæ adſcendendo, efficiant verſum illum, unde incipit carmen:

Metrica tirones nunc promant carmina caſtos.

Ut taceam, quòd & ultimus verſus retrogrado ſi ordine literas legas, eundem efficit verſum. Habes id carmen in ſcriptoribus Anglicanis Joannis Pitſei, ad annum IↃCCVII. quo Aldhelmus vitâ exceſſit. Inter alia de virginitate etiam librum carmine reliquit hexametro. Sed temporum vitio ſubinde in metrum peccat, præſertim in Græcis. In mediam in *machæra* corripit:

Igneas & maceras, & rubras vivice virgas.

Item:

Iccirco maceram ſtricto mucrone vibrabat.

At Græcè eſt μάχαιρα. Priori verſu videmus & ſecundam in *vivice* ſeu *vibice* corripi, cùm longa ſit. Ejuſdem Aldhelmi eſt eodem opere:

Plurima ſchematiſans ſacra molimina mentis.

Atqui tertiam in *ſchematizo* eſſe porrectam arguit duplex quæ ſequitur. Græcè enim à σχῆμα σχηματίζω.

Beda Venerabilis, presbyter Anglus, vixit temporibus Juſtiniani Junioris, & ſequentium Impp. etiam Conſtantini Copronymi. Sanè anno IↃCCXXXI. ſuperſtitem fuiſſe, ipſe indicat Hiſtoriæ Anglicanæ lib. V. prope finem. In tot voluminibus non modo librum de arte metrica legas; ſed carmen de Juſtini martyrio. Item hymnos reliquit. Adhæc compoſitionem horologii carmine hexametro: quæ extremum locum obtinet in epigrammatis, & poëmatis, curâ Pithœi Lutetiæ excuſis *. Notis ad ea poëmata meminit Pithœus † eclogæ à Beda ſcriptæ de conflictu veris, & hyemis. Sed addit non putaſſe editione dignam; licet exemplaria ad manum eſſent. Vide plura de Beda in Hiſtoricis Latinis lib. II. cap. XXVIII.

* An. 1590.
† Pag. 477. edit. Lutet.

Imperante in Oriente Conſtantino Copronymo, Pipino in Francia, Oſwulpho in Northumbria, vel, ut brevius dicam, anno IↃCCL, vixit in Anglia Ethelwolphus Bernicius, qui & Lupus nominatur. Hic de origine fani B. Petri ad Orientale Berniciorum litus carmine luſit ad Epiſcopum Egbertum. Dixi de eo lib. II. Hiſtoriæ Hiſtoricorum Latinorum, cap. XXIX.

Paulus Diaconus Aquileienſis, à Carolo rege, poſtea Magno, captus cum rege Longobardorum Deſiderio an. IↃCCLXXIV. Præter ea quæ proſâ reliquit, etiam condidit hymnos ſacros: in quibus ille, in Eccleſia cani ſolitus in natali S. Joa. Baptiſtæ. Initium eſt, *Ut queant laxis reſonare fibris.*

Etiam Caroli Magni temporibus fuit is qui ſeu vero ſeu ficto nomine appellatur Ferius Hilpericus. Heroico carmine exaravit congreſſum Caroli M. & Leonis Pontificis. Mſs exſtat apud Helvetios in Monaſterio S. Galli. Aliquorum ea eſt opinio, genuinum eſſe auctorem Alcuinum. Sed Barthio alia mens lib. XLVI. Adverſar. cap. II. ubi & multa in eo ſcriptore illuſtrat. Cenſet verò Alcuinum, præclarum virum, ac Theologum non tam fœde fuiſſe adulatum diſcipulo ſuo Carolo, quem, ab omnium artium ſcientia celebrat, nimium quantum, ac planè ſupra verum. Ergo mavult credere, carmen id eſſe ab aliquo Alcuini diſcipulo, Caroli condiſcipulo. Idem ait Notas in eum ſcriptorem editas à Goldaſto. Mihi necdum videre contigit.

Tum quoque fuerit Petrus Appollonius Collatius, presbyter Novarienſis, ſi audimus Margarinum de la Bigne,

Bigne, Theologum Sorbonæ. Sed videtur Politiano par, vel ſuppar, ut diximus lib. III. de Hiſtoricis Latinis, cap. x. Carmine heroico quatuor edidit libros de excidio Hieroſolymorum.

CAP. VI.

De quartæ ac decrepitæ ætatis Poëtis Latinis à Caroli M. temporibus uſque ad exceſſum Ludovici Bavari.

Altera decrepitæ ætatis pars eſt ab inſtaurato Occidentis imperio per Carolum M. quod factum anno Iↄ ccc. *uſque ad extima tempora Ludovici Bavari, ſeu prima Caroli* IV. *qui Ludovico ſucceſſit anno* cIↄ ccc XLVIII. *Ut hoc ſpatium ſit annorum quaſi* Iↄ L. *Ea ætas magis magiſque defecit, uſque dum planè fieret* μιξοβάρβαρος.

Ætatem aliquot celebriorum excerpam: ubi priùs dixero, nec ipſum Carolum videri à carmine pangendo abhorruiſſe. Sanè apud Turpinum legas in ejus vita verſus, quos in Rolandi mortem profudiſſe dicitur. Eorum initium eſt, *Tu patriam repetis.* Sed quam exiguæ fidei ſit Turpinus iſte, ſive Tilpinus, oſtendimus in ſecundo de Hiſtoricis Latinis, cap. XXX. paucis item cap. XLVIII. in Calliſti II. Fortaſſe melioris notæ eſt epitaphium, quod ſcripſiſſe dicitur Hadriano Papæ, & Platinæ ſubjungitur ab Onuphrio Panvinio.

Ludovici Pii temporibus claruit Theodulphus, prius Abbas Floriacenſis, ac deinde Epiſcopus Aurelianenſis. Ejus eſt carmen, quod in Palmarum die cani ſolet:

Gloria, laus, & honor, tibi ſit Rex Chriſte redemtor.

* Edit. 2. Alia ejuſdem vide Tom. VIII. Bibliothecæ Patrum*.

Æqualis ei Rabanus Maurus, qui anno Iↄ ccc XXIV. factus eſt Abbas Fuldenſis: anno autem Iↄ ccc XLVIII. Epiſcopus Moguntinus. Auctor iſtorum mihi Vincentius Bellovacenſis Doctrinalis ſui lib. XVIII. cap. LIX. Ubi & vocatur *Poëtarum ſui temporis nullis ſecundus.* Hoc Poëtæ nomen ſibi imprimis paravit poëmate iſogrammatico quod inſcribitur de ſanctæ Crucis laudibus: ac in medio deſcendendo habet,

Forma ſacrata Crucis venerando fulget amictu:

in medio autem à dextra eundo in ſiniſtram habet,

Magnus veſtis honor, latus loquor hoc nationi.

Ubi licentius prima in *nationi* corripitur. Scripſit hoc poëma ad Gregorium IV. quo mortuo illud miſit ad Sergium ſucceſſorem.

860. Rabani Mauri diſcipulus fuit Strabus Monachus Fuldenſis: qui Ludovici, & Lotharii Imperatorum temporibus claruit, ac præ cæteris celebratur Gloſſâ ordinaria in Scripturam univerſam. Rabano dictante ſcribere ſolitum, ait Vincentius Doctrinalis lib. XVIII. cap. LIX. Hic verò nobis memoratur, quia ejuſdem cùm ab aliis, tum Joanne Atrociano, creditur liber, qui inſcribitur: *Strabi Galli, Poëtæ, & Theologi doctiſſimi, ad Grimaldum Cœnobii S. Galli Abbatem Hortulus.* Tritthemius in ſcriptoribus Eccleſiaſticis refert uno in opere ad an. Iↄ ccc XL. altero Iↄ ccc LX. quod malim. At neutro loco Hortuli meminit.

880. Ad Carolum Calvum Hugubaldus poëma ſuum miſit de laude Calvorum. Ejus initium,

Carmina clariſona Calvi cantate Camœnæ.

888. Item tum circa an. Iↄ ccc LXXX. floruit Gallus Milo. Scripſit ad eundem Carolum Calvum carmen de Sobrietate. Præfuit Cœnobio S. Amandi, cujus & vitam exaravit.

Sub Carolo III. cognomento Craſſo fuit, Hericus ſive Ericus Altiſſiodorenſis, cujus poëma exſtat de vita S. Germani. Vidimus de eo in Hiſtoricis Latinis lib. II. cap. XXXVIII.

Item tum claruit Abbo, Monachus Cœnobii S. Germani à Pratis, Aimoini diſcipulus, carmine duos edidit libros de obſeſſa à Normannis, ſive Danis Lutetia: qui hodieque ſuperſunt. Diximus de eo in Hiſtoricis Latinis lib. II. cap. XXXVIII. Barthius lib. XXXIII. Adverſariorum, cap. XIV. ait, Albonem cognomen habuiſſe *Cernui.* Multum metuo ne opinio iſta non aliunde ſit oborta, quàm quòd Abbo ipſe dicat alicubi:

Cernuus Abbo tuus jugiter.

Ubi *Cernuus* planè eſt appellativum.

Othone I, & II. Imperatoribus floruit Rhoſoita, ſive Roſwid, monialis, ut vocant: quæ de geſtis Othonum heroico carmine ſcripſit panegyricum: item Comœdias VI. & elegiacum carmen de laudibus B. Virginis. Qui vixiſſe ajunt, quo tempore dicitur Ioanna Papiſſa fuiſſe, eo refelluntur, quòd hæc ſcripſerit Othonum Cæſarum geſta, ut diximus. At Otho II. deſiit vivere anno Iↄ cccc LXXXIII. Adi etiam de hac virgine quæ diximus lib. II. de Hiſtoricis Latinis, cap. XLI.

Othonis III. ætate, ut Martinus Polonus in Chronicis 1000.
auctor eſt, fuit Fulbertus Carnotenſis. Obiit anno cIↄ
XXVIII. Exſtat ejus* verſus hexametri de beata Virgine, * Edit.
de S. Cruce, de timore, ſpe, & amore, de ſe ipſo, Pariſ. an.
hymnus ſapphico verſu, atque alia. Sed & ſpeciem tro- 1608.
chaicorum æmulantur verſus de S. Pantaleone: quorum initium,

Quantas cadis Chriſtiani gregis inhorruerit
Sub Maximiani quondam impia tyrannide
Revoluta manifeſtant ſcripturarum pagina.
Tunc Euſtorchius Senator quidam Nicomediæ,
Habitabat quidam & natus nomine Pantaleon
Et decore corporali clarus & ingenio.

Atque ita deinceps. Sed verſu iſtoc,

Dum languore fatigatis ſanitatem reparant miſeris:

Vox ultima tolli debet. Simile metrum hymni de S. Piato, cujus initium:

In tellure Beneventi claris ortus patribus
Inſignis mundo Piatus ſacris fultus moribus.
Mox puer Chriſtum ſequendo admirandis niſibus.

Hinc ſupereſt vox *inſignis.* Sequitur deinde:

Poſt adultus vilipendit vanam mundi gloriam,
De ſuis nihil reſervans præter veſtem ſimplicem.
Sed quæcunque poſſidebat dans fomentis pauperum.

Deinceps quædam corrupta: ſed ei non difficilia emendatu, qui ad rhythmum attenderit. Ut in iis, quæ proximè ſequuntur, hoc, vel ſimili modo:

Neſcius Romam pergit vir, illic & conjungitur
Dionyſio, ſuiſque ſanctis conſodalibus.
Cœtu ſanctorum virorum lumen viget additus
His perfectis prædicare Chriſtum genti Gallicæ.

Ac poſtea:

Chriſto convertit virorum terna dena millia.

Verba illa *& illum fortiter debellaret* ſunt è gloſſemate interpretantis illa, *hoſti non ſuccumberet.* Similiter poſt è gloſſemate videtur, *virulentis auribus.* Paullo poſt puto ſcripſerit:

Viquæ fama eſt militare promtus, vinci neſcius,
Nexus vicit, flagra vicit, & immanes impetus.

Item,

Dumque gleba conderetur glorioſi martyris.

Suſtuli *corpus*, ut gloſſema vocis *gleba.* Ultimum verſum ſic reſtituo:

Cujus caro tunc probabat conregnare cœlitus.

Ubi vulgo *regnare*, deficiente ſyllaba. Item hymno de Trinitate legendum:

Nihil enim Patre Deo gignitur niſi Deus.

Et poſtea:

Is neglectus perdit male populum Judaicum.

Etiam penultimo verſu ſic ſuppleveris:

Oſtendit quondam Propheta quaſi jam viſibilem.

Num & locum inter Poëtas dabimus Medicis Scholæ Salernitanæ, qui Roberto Normanniæ Duce, à bello Sacro redeunte, & de fiſtula brachii conſulente, anſam præbuere verſibus ſcribendi de conſervanda valetudine?

Id factum circa annum cIↄ xc1x, imperante Henrico IV. Is Robertus erat Angliæ rex deſignatus; quæ cauſſa eſt, cur ſic opus incipiat:

Anglorum Regi dicit Schola tota Salerni.

Henrici III temporibus anno cIↄ L fuit Marbodæus Gallus, præſul Rhedenenſis, qui Thebæorum vitam carmine comprehendit, aliaque in Canticis Salomonis. Videndum item, an non idem ſit Marbodæus Gallus Cænomanenſis, qui carmine ſcripſit de gemmarum lapidumque pretioſorum formis, natura, ac viribus. Meminit Vincentius Bellovacenſis lib. 1x ſpeculi Naturalis ſingulis pene capitibus. Item Bartholomæus Anglicus lib. xv1. Scholiis ſuis illuſtrarunt Alardus Amſtelredamus, & Pictorius Villingenſis *.

* Coloniæ excudit Hero Alopecius an. 1539.

Floreti ætas ignota non ſit, ſi idem ſit, ac dicunt, qui B. Bernardus Claræuallenſis Abbas ‡. Nam vixit is anno cIↄ cxxx. Sed alius Bernardus; alius, qui e Bernardo excerpſit flores, eoſque verſibus complexus, & inde nomen habet Floreti.

‡ Coloniæ exſtulat cum Commentar. an. 1501.

Henrici IV temporibus circa annum cIↄ Lx claruit Amatus, Caſinenſis Monaſterii Monachus: qui quatuor libros
1036. carmine ſcripſit de geſtis Apoſtolorum Petri ac Pauli: ut eſt apud Leonem Marſicanum in Chronico Caſinenſi lib. 111, cap. xxx1v. De hoc etiam dictum in Hiſtoricis Latinis lib. 11, cap. xLv1.

Ejuſdem Imperatoris temporibus circa annum cIↄ Lxxx fuit Sigebertus Gallus; qui varia carmine ſignavit. Partes Imperatoris ſecutus eſt adverſus Gregorium VII.

Eodem tempore fuit Hydalbertus: cujus heroici & elegiaci verſus ſuperſunt. Obiit anno cIↄ c. Eundem cenſeo, ac Hildebertum; de quo mox dicam.

Extremis Henrici IV temporibus circa annum cIↄ xc fuit Guido, Ambianenſis Epiſcopus, qui metro heroico deſcripſit vitam Guilhelmi Conquæſtoris, Angliæ Regis, & Normanniæ Ducis, qui obiit anno cIↄ Lxxx1x. Meminit Guilielmus Meticenſis lib. v1 de geſtis Normannorum, cap. xL111.

1125. Temporibus Imperatoris Lotharii II, ſive Honorii II Papæ, claruit Hildebertus Cenomanenſis priùs presbyter, poſteaque Turonenſis Epiſcopus. Hic carmine reddidit vitam S. Mariæ Ægyptiacæ: quam Paulus, Neapolitanæ Eccleſiæ Diaconus e Græco proſâ Latinâ expreſſerat. Meminit Henricus de Candavo libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, cap. v111. Etiam verſus ejus de Myſterio Miſſæ habes in Bibliotheca Patrum edit. 11. Complures ejuſdem verſus de S. Trinitate, aliiſque, exſcripſit Antoninus in Speculi Hiſtorialis Parte 111, Tit. xv1, cap. 1x, §. 1, & nonnullis ſequentibus. Egimus de eo pluribus in Hiſtoricis Latinis lib. 11, cap. xL1x.

Temporibus Frederici Barbaroſſæ, anno cIↄ cLxx claruit Petrus de Riga Remenſis, qui carmine Leonino complexus eſt Vetus & Novum Teſtamentum. Id volumen *Aurorum* inſcripſit.

1186. Gothefridus Viterbienſis Conradi III, & Frederici I, ſive Barbaroſſæ, Notarius fuit. Chronicon ſuum univerſale partim proſâ, partim carmine conſcripſit. Producit hoc uſque ad an. cIↄ cLxxxv1.

Guntherus claruit temporibus Frederici Barbaroſſæ, & Henrici VI, qui Frederico ſucceſſit anno cIↄ cxc. Guntherus hic priùs ſcripſit Solymarium, ſive expeditionem Conradi Imp. in terram ſanctam adverſus Saracenos. Poſtea aggreſſus eſt Ligurinum, ſive x libros adverſus Ligures ſeu Mediolanenſes. Sic enim *Ligurum* voce conſtanter utitur. Id opus vivo Frederico ſcripſit, eique, ut ipſe ait, oſtendit. Sequitur verò Othonem Friſingenſem, qui patruus erat Frederici, & Radevicum Friſingenſem, qui Othonem de Frederici geſtis continuavit. Poëta eſt pro ætate ea & ingenio, & ſpiritu bonus. Sanè non indiſertè ſcripſiſſe, quantum potuit in illo ævo, etiam judicium eſt Jani Duzæ præfatione altera Annalium Batavicorum, quos carmine ſignavit. Lilius dialogo v, Hiſt. Poët. refert & ſcri-
† P. 223 pſiſſe carmine vitam B. Cyriaci †. Ajunt & exſtare opus ejus Mſum de rebus Germanicis: verene, an ſecus, dicere non habeo. Diverſum autem eſſe à Gunthero Elnonenſi, temporum ratio oſtendit; cùm prioris meminerit Sigebertus, qui anno obiit cIↄ cx11. At Barbaroſſâ, cujus geſta Guntherus deſcribit, imperare demum cœpit anno cIↄ cL11. Confundunt tamen hoſce duos viri eruditi: in his Sanderus lib. 11 de ſcriptoribus Flandricis, ac Sweertius in Athenis Belgicis. Uterque enim Guntherum Elnonenſem, & eum, cujus Ligurinum habemus, eundem putarunt: cùm inter eos intervallum ſit annorum quinquaginta.

Æqualis huic, ut Lilius * ait Theodoricus Leodienſis, * Dialogo
qui varias Sanctorum vitas perſcripſit. 5. Hiſtor. Poet.
Proximus eſt Joſephus Exonienſis, ſive Devonius Iſcanus, Anglus; cujus ſex libri exſtant de bello Trojano. Hi pag. 224.
à Cornelio Nepote ex Darete Phrygio carmine tranſlati perperam dicuntur. Claruit in Anglia temporibus Henrici II, Richardi, & Joannis, Angliæ Regum. Nempe ante annum cIↄ cc, ac poſtea. Dixi de eo pluribus in Hiſtoricorum Latinorum Hiſtoria lib. 11, cap. Lv1.

Anno cIↄ ccL claruit Philippus Gualterus Caſtellionius, qui & pro Gualtero vocatur *Galfridus*; ſed perperam. Epiſcopus fuit Magalonenſis. Eſt autem Magallona mediterranei maris inſula, Galliæ adverſa, ubi olim civitas fuit, ac templum Canonicorum S. Auguſtini, qui ſubecant Archiepiſco Narbonenſi. Sed Papa Paulus III anno cIↄ Iↄ xxxv1 tranſtulit ſedem eorum in urbem Montis Peſſulani. Trithemius, & alii, appellant Magolenſem, ſed perperam, ut Sweertio bene obſervatum. Carmine hic, idque libris novem condidit Alexandreida, ſive libros 1x de geſtis Alexandri M. Henricus Gandavenſis in Catalogo cap. xx, hoc de libro ſic ſcribit: *Qui in Scholis Grammaticorum tantæ dignitatis eſt hodie, ut præ ipſo veterum Poëtarum lectio negligatur.* Mſum ejus exemplar exſtat Cantabrigiæ in Bibliotheca publica: atque alterum in Collegio S. Benedicti. Prius illud exaratum anno cIↄ ccc Lx1v. Præfatio incipit, *Moris uſitati.* Etiam Oxonii Mſus in Bibliotheca Bodleiana. Præterea librum reliquit de Mahumeto, qui Mſus ſupereſt in Monaſterio Afflìgemenſi. Ut nihil dicam de epiſtolis in Pſalterium; aut de morali dogmate Philoſophorum: quod opus Mſum adſervatur Gandavi apud Carthuſianos. Eruditi quidam viri Caſtellione obiiſſe putant, propter illud monoſtichum, quod apud antea memoratum Henricum Gandavenſem legere eſt:

Inſula me genuit, rapuit Caſtellio nomen.

Integrum ſi epitaphium voles, ſequebatur,

Perſtrepuitque modis Gallia tota meis.

Puto ego prioris verſus aliam eſſe mentem: Nempe ut dicatur, Inſulæ quidem natum eſſe, eoque Inſulenſem dici debuiſſe, ſed hoc nominis patriæ urbi ereptum eſſe eo quod vulgo diceretur Philippus à Caſtellione, Henricus à Gandavo, Sixtus Senenſis, atque alii quidam, duos memorant Guilhelmos Inſulenſes: ſed unus idemque eſt. De hoc Gualtero tale eſt judicium Barthii Adverſariorum lib. xxx. cap. 1, ubi ait: *Eſſe melioris ingenii, quam ætatis, ſcriptorem.* Ex lib. xx11, cap. xv1: *Philippus Gualterus, homo pro eo ævo ingenioſus, eruditus, eloquens, modo argutias Scholaſticas caviſſet, & non miſceret omnia abſque judicio. Sed id vitium temporum fuit, quo nihil diſſimulare poterant, quod ſcirent, quin, quovis loco infercirent; ad oſtentationem polymathiæ ſcilicet.* Eodem reſpexit Janus Duza præfatione alterâ in Annales Batavicos carmine ſcriptos: ſed hic vix dignum ait, qui iterum legatur. Et jam olim eum ſugillare non dubitavit Alanus in Anticlaudiano ſuo, ubi eum Mævium vocat, quem, ut malum Poëtam perſtrinxit Maro in Bucolicis. Verba Alani ſunt:

—— Priami fortunas intonat illic
Mævius, in cælum audens os ponere mutum,
Geſta ducis Macetûm tenebroſi carminis umbrâ
Pingere dum tentat, in primo limine feſſus
Hæret, & ignavam queritur torpeſcere Muſam.

Ubi cùm dicit, eum intonare Priami fortunam, reſpicit

ex Horatii locum in Arte, ubi Poëtam malum reprehendit, qui ſic ordiatur:

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

Rodolphi Habſpurgenſis, Adolphi Naſſovii, & Alberti Auſtriaci temporibus nimirum an. cIↃ CC LXXX, ac deinceps claruit Stephanardus è Vicomercato, Monachus Dominicanus, qui Chronicon carmine reliquit. De hoc diximus in Hiſtoricis Latinis lib. II, cap. LXII. Ubi & dictum de Stephanardo Flamma, qui idem videtur. Hujus cum nomine legitur carmen de inſidiis, quas Epiſcopus Comenſis ſtruxerat Ottoni Vicecomiti.

Anno cIↃ CCC, ſub Alberto Cæſare fuit Alanus de Inſulis, Teutonicus, ſcriptor operis contra Claudiani Rufinum; unde *Anticlaudianus* vocatur. Hic eſt ille, qui vocatus *Doctor Univerſalis*, ob omnium diſciplinarum notitiam. Exſtat quoque ejus opus de Planctu naturæ, partim proſâ, partim carmine: quod & in membranis habeo exaratum. Siculum quidem ajunt, ſed malo iis accedere, qui Teutonem arbitrantur. In his Tritthemius, qui & alia ejus ſcripta commemorat.

Anno cIↃ CCC V ſedere cœpit Clemens Papa ejus nominis quinctus. Ad eum Guidus præſul ſcripſit carmine, quam vocabat Bibliæ Margaritam.

Anno cIↃ CCC X, quando regnabat Henricus VII, Guido Ferrarienſis, Ord. Prædicatorum, patriæ poſtea Epiſcopus, exemplo Petri Rigonſis, carmine utriuſque Teſtamenti libros hiſtoricè & allegoricè enarravit; atque id Papæ opus *Margaritam Bibliæ* inſcripſit, &, quod ætatem ſatis indicat, Papæ Clementi VII, inſcripſit. Nec video, quid hic in Tritthemio culpet Poſſevinus.

CAP. VII.

De renaſcente Poëſi Latina, à temporibus Ludovici Bavari.

Vidimus hactenus de temporibus Poëtarum prioribus, à primis Latinæ Poëſios incunabulis uſque ad quaſi moribundam vel etiam mortuam & exſtinctam. Sed ætate Franciſci Petrarchæ denuo ea cœpit revireſcere.

Nimirum penè extremis Ludovici IV temporibus, ſive circa annum cIↃ CCC XL: quando Petrarcha longe lateque diffundere cœpit ingenii divini, doctrinæque mirandæ varia monumenta.

Joannis Boccacii hujuſmodi de eo judicium eſt præfat. operis de genealogia Deorum: *Præclariſſimi viri Fr. Petrarchæ jamdiu ego auditor ſum. homo eſt cæleſti ingenio præditus, & perenni memoria, at & facundia admirabili.* Hujuſmodi elogiorum pleni ſunt libri. Contentus nunc ero hoc Deſiderii Eraſmi in Ciceroniano ſuo: *Refloreſcentis eloquentiæ princeps apud Italos videtur fuiſſe Franciſcus Petrarcha, ſuâ ætate celebris ac magnus; nunc vix eſt in manibus. ingenium ardens, magna rerum cognitio, nec mediocris eloquendi vis.* Subjungit deinde, *Blondum ac Boccacium hoc inferiores fuiſſe, tum in dicendi viribus, tum in Romani ſermonis proprietate.* Ac loquitur quidem ille de eloquentia Oratoria. Nobis verò ſermo nunc de Poëtica: cujus luculentum documentum habemus in Africæ libris IX, quibus bellum Punicum expoſuit. Nimirum deperiiſſe putabatur Silius Italicus, qui demum temporibus Concilii Baſilienſis in Germania eſt inventus. Hoc Africæ opus ut ſibi dicaretur, petiit à Petrarcha Robertus Hieroſolymorum, & Siciliæ rex, teſte diſcipulo ejus Jo. Boccatio lib. XV, Genealogiæ Deorum, cap. XIII. Complura de Petrarcha diximus in Hiſtoricis Latinis lib. III, cap. I. Ubi natum dicebamus anno cIↃ CCC IV: claruiſſe autem cIↃ CCC XL, ac proximis XXV annis: obiiſſe ſeptuagenarium an. cIↃ CCC LXXV. Pompam Funebrem, qua elatus, deſcripſit Henricus Calderius lib. VI, cap. XCII, de geſtis & origine Patavinorum, ſive quis alius ejus operis eſt auctor. Verba ejus, quæ mihi ſuggeſſit clariſſimus Pignorius, apponam, eo libentius, quia ſcriptor is nondum lucem vidit: *Anno cIↃ CCC LXIX, Franciſcus cognomento Petrarcha, Poëta celeberrimus, Eccleſiæ Cathedralis Paduæ Canonicus, in pago Arquato, haut tanti viri fama in obſcuro, non ſine omnium graviſſimo dolore, ex hac vita XIV Kal. Aug. felix in cælum migravit. Cujus funus ſatis, uti par erat, amplum; viri clariſſimi, Franciſcus Carrarienſis, qui tunc temporis Patavio imperabat, Epiſcopus quoque, Abbates complures Cœnobiorum, totius urbis ac Diœceſis antiſtites, Gymnaſii Patavini publici Doctores, ac Univerſitatis ſcholares cohoneſtandum religioſiſſimè curarunt. Cujus cadaver pheretro panno ex auro ſtrato, ac umbella itidem aurea pellibus ex armellinis contexta ſuper impoſitum, cùm bis octo viri excellentiſſimè humeris uſque ad ſacram Arquati ædem publice detuliſſent, ibi frater Bonaventura Peraginus *, qui poſtea fuit Cardinalis, ejus laudes ac vitæ integritatem funebri oratione illuſtravit.* Hactenus Calderius: verè univerſa, prætterquam de die atque anno emortuali. Nec enim XV Kal. Sext. ſed XI Kal. deceſſit. Neque anno cIↃ CCC LXIX, ſed cIↃ CCC LXXIV, anno plus dicit Mathæus Palmerius in Chronicis. At Volaterranus lib. XXI, juſtum numerum ſexennio exſuperat. Siquidem natum ait anno cIↃ CCC IV, obiiſſeque anno ætatis LXXVI. Utrumque refellunt verba jam ab eo tempore tumulo inſcripta, quo oſſa præſtantiſſimi viri condita ea fuere. Apponam ea, prout è marmore ipſo deſcripſit, atque ad me humaniſſimè tranſmiſit Laur. Pignorius:

* Vide de eo Scardeonium lib. 2. rerum Patavin. claſſ. 7.

Frigida Franciſci lapis hic tegit oſſa Petrarchæ.
Suſcipe Virgo parens animam, ſate Virgine parce,
Feſſaque jam terris cæli requieſcat in arce.
M CCC LXXIIII, XIIII Julii.

Varia ex variis de Petrarchæ laudibus vide apud Polycarpum Palermum, I.C. Veronenſem, de Patria Plinii Senioris lib. II. cap. VII †. Paullus Manutius Comment. in Ciceronis lib. I, ad Q. Fratrem epiſtolam II: *Franciſcus Petrarcha, Poëta ſermonis Italici omnium elegantiſſimus, Latini veteris haut valde bonus.*

† P. 106. & ſeqq.

Etſi verò ad meliùs de Poëſi, ac univerſis literis, ſperandum, ſignum Petrarcha ſuſtuliſſet: nihilominus poſtea quoque, multi in carmine ivere potius deſipientium ſemitâ, quàm ſapientum viâ. Imò vix dici poteſt, quàm multi tum quoque amarint priorum ineptias, ac barbariem. Itaque & vulgò vel fingebantur, vel paullo ante ficta legebantur carmina inſubida ſub nominibus magnorum Poëtarum. Ut ſub nominibus Macri Cornelii Galli, Ovidii, atque aliorum.

Exemplo fuerint libri de Vetula, & alia, quæ ſuperiùs memoravimus.

Anno cIↃ CCCC, claruit Joannes Gerſon, Cancellarius Academiæ Pariſienſis: qui non proſâ modò, ſed carmine etiam permulta ſcripſit. Ea in operum tomis legere eſt.

Inter Petrarcham, ac Pontanum, non occurrit melior Maphæus Vegio, qui præter epigrammata ſcripſit librum Æneidos tertiumdecimum.

Fuit, ut vocant, Datarius Martini Papæ, ejus nominis quincti; qui ſedit ab anno cIↃ CCCC XVII, uſque ad cIↃ CCCC XXXI.

Sigiſmundi & Frederici III, Auſtriaci, poëſi claruit Conradus Moguntinus: nempe quando imperavit in Galliis Carolus VII. 1440.

Magna vero incrementa poëſis cœpit temporibus Ioviani Pontani: qui clarere cœpit circa annum cIↃ CCCC LX, ac ſeptuaginta octo natus deceſſit anno cIↃ IↃ V.

Hujus luculentum imprimis elogium habemus apud Franciſcum Floridum Sabinum Apologia adverſus linguæ

Latinæ calumniatores, ubi cum locutus eſſet de præclaris ſcriptoribus, qui proximis ducentis aut trecentis annis vixiſſet, iſtic ſubjungit: *Eorum ſummum eſt Johannem Jovianum Pontanum, nemo indignatur: is quo cum omnia, tum duo præſtantiſſima fuere, quod talem in dicendo copiam, facilitatem, elegantiam, proprietatemque, ſuperioribus annis, extincta pene Latina lingua reddidit, ut florentiſſimo Auguſti ſeculo natum cenſeas: quodque & carmine unus, & ſolutâ ratione tantum vera gloria adeptus eſt; quantum vix in eorum unoquoque ſeparatim non modo recentiores, ſed antiquorum eam pauci ſint aſſecuti. Nam quid eſt ejus dialogo jucundius, doctius, ſuavius? quos omnes ut effuſius non laudem, unicus certè, quem Actium inſcripſit, in quo de Virgilianis numeris, & hiſtoria virtutibus proprietateque agit, neminem milleſimum ac trecenteſimum abhinc annum extitiſſe, qui veterum authorum vim, robur, artificiumque exactius, quam ille ſcrutatus fuerit, dilucide oſtendit. Quid eſt enim in heroici carminis majeſtate, ſono, candore, dulcedine, aſperitate, gravitate, hilaritate, nitore, altitudine, aliiſque ornatibus, quod ille non in Virgilio ita propriè diligenterque obſervarit, ut alium neges in eodem opere meliorem exiſtere poſſe? Ejuſdem vero de Obedientia, Fortitudine, Principe, Liberalitate, Prudentia, Magnanimitate, Immanitate, ac Fortitudine libri, maximam omnium rerum, quæ in illo fuit cognitionem, ſingularemque candorem cum ſumma facilitate legentibus adprimè oſtendunt. At hiſtoriam, quam lepide ſcripſit? Quantus extitit in poëſi? Quis Latinorum cæleſtia cecinit melius? quis hendecaſyllabo poſt Catullum Pontano anteponetur? Faciunt hæc omnia, ut iis aſſentiar, qui eum quoddam reviviſcentis naturæ miraculum fuiſſe arbitrantur. Nec qui, quam hujus ſcripta ad Ciceronianam phraſin examinet, quod ne ipſum quidem affectaſſe ſatis liquet, cum pluribus verbis uſus ſit, quæ Ciceroni in mentem nunquam venerunt. Sed non fugit tantus vir obtrectatores, quum ſint & ii non mediocriter docti, qui eruditionem Pontano tribuant, judicium adimant. Miremur, ſi non & M. Cicero Romanæ eloquentiæ Oceanus, exuccus, languidus, enervis, aridus, jejunus, ac diſſolutus, ab hujuſcemodi calumniatoribus dictus eſt.* Vide & quæ de laudibus ejus viri diximus in Hiſtoricis Latinis lib. III. cap. VIII.

Iiſdem verò temporibus ac Jovianus Pontanus, etiam Angelus Politianus, cum aliis laudibus, tum carmine excelluit.

Divinum Poëtam vocat Paulus Jovius lib. I, de vita Leonis X. Baccius Ugolinus, epiſtolâ ad Robertum Salviatum, dicitur *alterum* cum Pico Mirandula *ætatis ſuæ miraculum.* Eraſmus in Ciceroniano de eo ſic ſcribit: *Fateor Angelum prorſus Angelica fuiſſe mente, rarum naturæ miraculum ad quodcunque ſcripti genus applicaret animum.* A Colvio, Notis in primum Floridorum Appuleji, vocatur *primus Italorum.* Scaliger de eodem ſic in Caſtigationibus Catullianis: *Marullus ridet Politianum, virum non ſolum ſe majorem, ſed & nullo noſtræ ætatis inferiorem.* Quadragenarius obiit, idque eodem anno, quo ac Joannes Picus Mirandulanus, & Hermolaus Barbarus; nempe anno cIↃ CCCC XCIV. De morte ejus ſic Joannes Pierius Valerianus de literatorum infelicitate lib. II. *Angelus Politianus nullius ignarus eruditionis & diſciplinæ, cùm in adverſa Medicæorum procerum tempora incidiſſet, inclinantibus jam Petri, quem ipſe literis inſtituerat, rebus, in eam incidit ægritudinem, ut in multis & variis moleſtiis cogitationibuſque conſolationem nullam admittere voluerit, atque ita demum dolore mæſtitiaque confectus expirarit. Quodque illi longe fuit infelicius, conficta in eum turpitudinis fabula, maledicentiſſimis obtrectationibus proſciſſus, calumniatuſque eſt. Utque ea gens* (Florentina) *promptiſſima eſt ad inſimulandum, in invidiam Petri ipſius ignominioſam aliam mortis voluntariæ cauſſam univerſo terrarum orbi magna cum ejus infamia propalarunt.* Vulgarem tamen opinionem ſecutus quoque Paulus Jovius: uti Jovium Julius Scaliger, cujus illud in Poëmatis:

Obſceno moreris, ſed Politiane furore.

Ut de Melanchthone taceam, qui * ait, ſemel ſolum ſacras literas legiſſe, dixiſſeque nullum ſe tempus pejus collocaſſe. Quod & Ludovicus Vives prodidit, ut alios mittam. Id ſanè parum credibile de eo, qui Sacerdos fuerit, ac Canonicus Florentinus. Etiam parum convenire cum eo videtur, quod ipſe Politianus lib. IV. epiſt. X. ſcribat, ſe tempore Quadrageſimali publicè ſacras literas populo enarraſſe. Vide & quæ de eo diximus in Hiſtoricis Latinis lib. III. cap. VIII.

* *Tom. 3. Declamationum pag. 545.*

Anno Chriſti cIↃ CCCC LX. claruit Nicolaus Valla, ſive de Valle: qui carmine Latino reddidit Homeri Iliad. lib. III, IV, V, XIII. (ſed ducenti, & amplius, poſtremi verſus deſiderantur) XVIII, ex XIX. paucula, item XX. & tres poſtremos. Prodiere hi libri primùm à morte Vallæ Romæ, anno Chriſti cIↃ CCCC LXXIV. in domo Joannis de Lignamine Meſſanenſis; qui ſe vocat S. D. N. familiarem. In eadem editione hic Nicolaus de Valle dicitur Legum Doctor, Baſilicæ Principis Apoſtolorum Romæ Canonicus. Additur libros eos complere, vel emendare non potuiſſe, morte præventum. Ex eadem edit. cognoſcas fuiſſe filium Lælii de Valle, I. V D. & Sacri Conſiſtorii, ac pauperum Advocati. Poſtea hi libri Baſileæ, anno videlicet cIↃ IↃ XLI. ſunt recuſi, unà cum ſex de bello Trojano libris Joſephi Iſcani Angli, Cornelio Nepoti perperam tributis: &, ut vocant Pindaro Thebano, ac Homeri libro I, II, IX, X. Latino carmine ab Vincentio Opſopæo redditis; ut deſiderentur liber VI, VII, VIII, X, XI, XII. XV, XVI, XVII.

De Franciſco Philelpho dixi lib. III. de Hiſtoricis Latinis. Idem arte Poëtica ſtuduit nomen propagare. In his libris X. Hecatoſtichorum, quorum quiſque ſatyras decem continet; unde hecatoſtichum ultimum ſic inchoat:

Hæc, Alphonſe, tuo ſurgens centeſima tandem
Nomine claudat opus ſatyris hecatoſticha centum
Per decadas.

Fini operis hæc ſubjunxit: *Franciſcus Philelphus huic ſatyrarum operi extremam manum Mediolani impoſuit, die Martis, Kal. Decembribus, anno à Natali Chriſti* cIↃ CCCC XLVIII. Sed demum duodetriginta annis poſt opus hoc prodiit in lucem Mediolani per Chriſtophorum Valdarfer Ratiſponenſem. Nempe jam tum latè per Italiam ſe diffuderant, qui artem callerent Typographicam. Ignoſcendum autem ſeculo, quo vixit, quod crebro adeo in metrum peccat. Ut lib. I. Satyrarum, Hecatoſticha nona:

—— Teneat veſtibula cuſtos
Pervigil.

Et poſt aliquammulta:

Intravit plenis non ultima matula terris.

Lib. VI. Hecatoſticha decima:

—— Acribus urit
Ignibus expertem mulieris, in impia lapſam
Flagitia.

Cæteroquin valuit etiam extemporali verſu. Unde Laurentius Humfredus lib. III. de Ratione interpretandi †: *Legimus Franciſcum Philelphum Latina, Græca, Lyrica hexametra, proſaica, ex tempore dictaſſe.*

† *Pag. 511.*

Nec juſtas laudes detractum ivero Michaëli Marullo; qui patriâ licet Conſtantinopolitanus foret; Romanas tamen Muſas magis excoluit, quàm Græcas, multumque iis laudis acquiſivit.

Diſcipulus fuit Joviani Pontani, Politiano æqualis, ſed aſſiduus ejus obtrectator, doctrinâ licet inferior, nec par lepôre; ut Vivis etiam, aliorumque judicium eſt. Refert de eo Raphaël Volaterranus, cùm hoſpitio ſuo eſſet uſus, quo die diſceſſit, eo in Cæcina, amne Hetruriæ, fuiſſe ſubmerſum. Id factum XVII. Kal. Jul. an. cIↃ IↃ XI.

Nec

Nec multò poſt Pontani obitum grande meritò nomen fuit Actii Synceri Sannazarii:

Inprimis verò id ſibi peperit libris tribus de Partu Virginis: ob quos luculentum Leonis X elogium meruit anno cIↃ IↃ XXI: iterumque à Clemente VII an. cIↃ IↃ XXVI: quo ipſo & Romæ in lucem prodiere cum Lamentatione de morte Chriſti, Piſcatoria, & Eclogis.

Uti verò à Petrarcha initium eſt Poëſios renaſcentis: ita temporibus Sannazarii eadem jam videtur perveniſſe ad vigorem. Illum conſecuti præſtantium Poëtarum alii: & quidem nonnulli pares, aliqui ſuppares.

Uti Hieronymus Vida, Balthaſar Caſtilionæus, & alii multi, qui avorum, patrum, ac noſtra fuerint, vel ſint ætate. Horum non eſt animus numerum inire; præſertim viventium, etſi alioqui eos ſaltem non præterirem, quibuſcum amicitiæ uſus interceſſit; qualis ὁ μακαρίτης Dominicus Baudius, hoſpitii uſu conjunctus: item collegæ duo, ſummi viri, Daniel Heinſius, & Caſparus Barlæus; ut jam taceam, ſeculi noſtri grande ornamentum, vel miraculum potiùs, illuſtriſſimum heroa, Hugonem Grotium, Sereniſſimæ Reginæ, ac regni Suecici tot jam annos Legatum ad Chriſtianiſſimum Galliarum Regem.

Atque hæc de temporibus Poëtarum tum Græcorum, tum Latinorum: in quibus omnibus longe fuiſſem longior niſi accuratè de Poëtarum ſingulis diſſeruiſſet Lilius Gyraldus Ferrarienſis.

Cujus extat Hiſtoria dialogis decem perſcripta de Poëtis antiquis; duobus de ſui temporis Poëtis: opus ſicut magni ingenii, & judicii, ſic ingentis doctrinæ, atque induſtriæ: ita ut exſpectandum non ſit, nequis deinceps hanc denuo provinciam ſuſcipiat. Eſt ubi hujus, vel illius Poëtæ hiſtoriam, accuratius aliquis tractare valeat, & ſanè id in paucis: at ab aggrediundo iterum tam vaſto labore non modò eruditorum vulgus, ſed etiam ſanos omnes deterruit. Videlicet poſt meſſem tam luculentam nihil fere niſi quædam ſpicilegia reliquit. Quare facilem mihi, ſi nunc brevior fuero, veniam ſpero.

Eo igitur ſolo hiſtoriam hanc concludam, & Græcis, & Latinis Poëtis, ſuam laudem deberi. Sed ſiquis inter eos comparationem inſtituere volet, minimùm inventionis gloria debetur Græcis, quos ſibi imitandos propoſuerunt Latini. Præterea fatendum Latinos ferè à Græcis vinci lepore; ſed vincere gravitate: quia non bene conveniant gravitas, & lepos, Romani autem graviores, eoque minus culti, ac lepidi.

Quæ & ſententia eſt Antonii Lulli Balearis lib. VII de Oratione, cap. V. *Quorum*, inquit, *vita ſeverior eſt, eorum ſolet oratio tam aridior incultiorque eſſe, quàm gravior: & ex voluptatibus vitæ deliciæ omnes exiſtunt ſermones.* Nec propterea tamen acceſſero Lullo, nimis detrahenti Romanis: ſicuti cùm ante proximè allata verba præmittit: *Ut ſemper mea conſtat ſententia, multa conantur Latini in carmine: ſed pauca præſtant, & invitâ omnia conantur, ut dicitur, Minervâ.*

Cap. VIII.

De Poëtis Latinis incertæ ætatis: quos tamen fuiſſe conſtet ante tempora Caroli Magni.

Amœnus in codd. Mſſis vocatur auctor enchiridii veteris & N. T. quod in Prudentii operibus legi ſolet. Joannes Sichardus Sedulii eſſe exiſtimabat. Amœnum vocat & Fabricius in editione Chriſtianorum Poëtarum: item Margarinus Bigneus Tom. VIII Bibliothecæ Sanctorum Patrum.

Arrianus Poëta, ut ajunt, Tiberii temporibus vixit, qui & ejus carminibus delectabatur. Ita eſt in Bibliotheca Geſneri à Simlero in epitomen contracta, & à Wolfio adaucta. Ac legas ibidem id tradi à Suetonio Tranquillo. Non dubium, quin reſpiciatur ad locum illum in Tiberio cap. LXX: *Fecit & Græca carmina, imitatus Euphorionem, & Rhianum, & Parthenium:* ubi pro *Rhianum* legit *Arrianum.* Et ſæpe profectò *Rhiani* vox in *Arriani* corrupta. Videamus autem an multo meliora ſint, quæ de Arriano Poëta tradidit doctiſſimus Lilius Gyraldus Hiſtoriæ de Poëtis dialogo IV. Ait Lilius Alexandreida feciſſe, ſive de geſtis Alexandri M. rhapſodias XXIV: item nonnulla poëmata ad Attalum regem Pergamenum. Adhæc ait ſcripſiſſe μετάφρασιν Georgicorum Virgilii. Si poëmata ſua miſerit regi Attalo, vixerit ante annum urbis conditæ IↃCXXI. Eo enim Attalus moriens regnum Pergamenum legavit populo Romano. At Virgilius demum natus annis poſt CLXIII: nempe anno Urbis IↃCLXXXIV. Quomodo igitur, qui claruit tempore regni Pergameni, Virgilium potuit transferre. Impoſuit Gyraldo, quod dicat Suidas, & inter Arriani opera memoret, εἰς Ἄτταλον τὸν Περγαμηνὸν ποιήματα. Quod ſignificet *in Attalum.* Potuit autem deſito etiam imperio Pergameno, uti Magnum Alexandrum, ſic Pergamenum Attalum celebrare. Vel ſi ad Attalum verſus ſuos miſerit, Suidas duos confuderit Arrianos, unum longè antiquiorem Marone, alterum eo juniorem. Et maximè eo inclinat animus.

Aulus Serenus Poëta lyricus. Antiquum eſſe oſtendit, quod ejus meminerit Terentianus. Præter quem meminere Diomedes, & Nonius. Item Fortunatianus, & Capella, qui ex eo citant hunc ex metris brevibus verſum:

Perit avipedis animula leporis.

Adhæc Servius, & Hieronymus: quorum prior ait *adinſtar* pro inſtar dixiſſe.

C. Julius Solinus, vide inferius in Solinus.

Calpurnius, alius à Bucolicorum, ut puto, ſcriptore, Comœdiam ſcripſit, quæ Phroneſis diceretur. Inde Fulgentius Planciades libello de antiqui ſermonis expoſitione citat; *Ubi tu naſiternatus aquam petas.*

Dorcatius Poëta memoratur Iſidoro lib. XVIII. Orig. cap. LXIX: ubi pilam ſic dici ait à pilis quibus repletur: pilorumque menſuram oſtendit iſtis Dorcatii verſibus:

Neu tu parce pilos vivaces condere cervi,
Uncia donec erit geminam ſuper addita libram.

Endeleichus Rhetor, ſive Severus Sanctus eclogam ſcripſit de mortibus boum: quam ab Elia Vineto Sanctone acceptam publici juris Pithæus fecit in epigrammatis & poëmatis veteribus, Lutetiæ editis anno cIↃ IↃXC. Vide etiam quæ dixi de Severo in temporibus Juliani.

Fabius Dorſennus, vel Doſſennus, (variant enim codices) Atellanarum Poëta, Horatio memoratur lib. II epiſt. Plinio lib. XIV, cap. XIII, ubi & ex eo verſus. Item citat Feſtus in *Temetum*, Monumento ejus hic titulus:

Hoſpes reſiſte, & ſophiam Doſſenni lege.

Refert Seneca epiſt. LXXXIX.

Gannius Poëta, è cujus II, & IV, verſus adducunt, de vocabulo *adoris.*

Hoſtilius annales pop. Rom. Ennii exemplo carmine conſcripſit: unde verſum adducit Priſcianus in ſexto. Fuit & Hoſtilius Mimographus, memoratus Tertulliano Apologetici cap. XV.

Juventius Comicus memoratur à Varrone lib. V. de L. L. item lib. VI. Imò & apud Agellium lib. XVIII, cap. XII, pro *Terentio Juventius* reponendum; ut rectè obſervatum Jano Rutgerſio lib. IV Var. Lect. cap. XIX.

Lælius inter Poëtas refertur Lilio dial. IV, ac Ἐρωτοπαίγνια reliquiſſe dicitur. Et ſanè ſic libri plerique. At non minus corruptè, quàm cùm in nonnullis codd.

Crotopagnia legitur pro *Erotopagnia.* Poëta verò is dictus *Lævius.*

Lævius Poëta Centauros edidit: unde Feſtus in voce Petrarum citat: *Vbi ego ſæpe petris.* Idem Ἐρωτοπαίγνια ſcripſit: ut valde veriſimile ſit apud Appulejum in Apologia pro *Lælium* debere *Lævium* reſcribi, quando ſex jambicos dimetros refert, planè pertinentes ad luſus amatorios.

Lentulus mimographus laudatur Tertulliano lib. de Pallio, cap. IV. Idem Lentulus ſignatur in Apologetico, ubi cum Hoſtilio ſociatur.

Mummius, poſt Novium, & Pomponium, diu jacentem Atellanarum artem ſuſcitavit: ut ſcribit Macrobius lib. I. Saturnal. cap. X. Fallitur Petrus Crinitus *, cùm ait à Macrobio eſſe ſcriptum: *Poſt Novium Pomponius atque Mommius præclari habentur.* Nam contra apud Macrobium Mummius poſt Novium & Pomponium dicitur claruiſſe. Hujuſce Mummii verſus, quos mox adducit Macrobius, ſic numeris reddere conatus Lipſius †:

* Lib. I de Poetis Latinis, cap. 18.

† Lib. I. Saturn. cap. 4.

—— Noſtri majores veluti bene
Multa inſtituere, ſic hoc optimè frigore
Fecere ſummo dies ſeptem Saturnalia.

Sed ſic quoque numeri claudicant. Cenſeo duos fuiſſe trochaicos tetrametros ſive octonarios catalecticos, hoc pacto:

Noſtri majores veluti bene multa, inſtituere hoc optimè,
A frigore fecere ſummo ſeptem Saturnalia.

Inſtituere πτερογυλλαίβως extulit Poëta. Particulam *ſic* perperam inſerſit Lipſius, cùm apud Macrobium non ſit. Vocem *dies* expunximus, natam è gloſſemate. Quandoque eam intelligi ſolere, indicat hoc Novii paullo ante memorati nobis:

Olim exſpectata ſeptem veniunt Saturnalia.

Puto apud Novium fuit *Quando olim*, vel ſimile, ut & is ſit trochaicus, quales antea à Mummio adlati.

Oſidius, ſive Hoſidius Geta Medeam Tragœdiam ex Virgilio pleniſſimè expreſſit; ut eſt apud Tertullianum libro de præſcriptionibus adverſus Hæreticos. Cento eſt ex Virgilianis verſibus confectus: de quo Salmaſius Notis in Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores. Non puto eſſe eum Hoſidium Getam, qui à Triumviris proſcriptus, à filio autem eſt ſervatus: ut eſt apud Appianum lib. IV. belli Civilis, ac Dionem lib. XLVII. Nam eo tempore nullum adhuc Virgilii nomen erat. Fortaſſe igitur filius fuit, qui patrem dicitur ſervaſſe. Niſi C. Hoſidius, qui ſub Claudio, licet necdum Conſul, Conſulares meruit honores: ut eſt apud Dionem lib. LX.

Rutilius Geminus præter Pontificales libros, unde quædam de fratribus arvalibus citantur, ſcripſit Tragœdiam Aſtyanacta. Meminit Fulgentius Planciades in Expoſitione Verborum.

Severus Rhetor & Poëta Chriſtianus carmen ſcripſit de mortibus boum. Quod exſtat in Bibliotheca SS. Patrum Tom. VIII. edit. II. In Poſſevini Apparatu Sacro ineptè editum *Severini Rectoris de moribus boum.* Carmen eſt bucolicum Aſclepiadeis, & Glyconiis verſibus. Querimoniam continet hominis gentilis de peſtilentia armenta tota tollente, & conſilium hominis Chriſtiani de agnoſcendo Chriſto, cujus crux & hominibus medeatur, & mutis animantibus.

C. Iulius Solinus, cujus Polyhiſtora habemus, etiam Ponticon ſcripſit carmine hexametro. Fragmentum ejus eſt in poëmatiis veteribus Collectionis Pithœanæ *.

* Pag. 121. edit. Parſ. an. 1590.

Succius Comicus Fulgentio Placiadi memoratur. In fabulis ejus fuit Piſcatoria.

Suevius, Poëta epicus, *vir longè doctiſſimus* dicitur à Macrobio lib. II. Saturnal. cap. XIV. Ibidem ex ejuſdem idyllio, quod inſcripſerat *Moretum*, adducit octo verſus continuos. In quibus, ubi vulgo legitur,

—— fera prælia bello
In Perſas retulere:

Legi debet *tetulere*, ut ſimile ſit illi Enniano,

Ilia dia nepos, quas ærumnas tetuliſti.

Meminit & cap. proximo, ubi docet Perſicum in malis numeraſſe. Adducit & verſiculum lib. VI. cap. I. ac hemiſtichium libri ejuſdem cap. V. Scaligero Notis in Moretum, (quod perperam Maroni attributum, ac, ut cenſet Scaliger, potius eſt Auli Septimii Severi) non Suevius, ſed Succius vocatur. Sed conſtans adeò lectio eſt tot Macrobii locorum, ut non putem *Suevii* nomen mutandum. Et metuo, ne *Succius* alius fuerit.

Sympoſius carmine hexametro ænigmata centum conſcripſit: quæ Ioſephus Caſtalio Anconitanus I. C. Scholiis illuſtravit. Sunt verò non invenuſta; utcunque Lilius Gyraldus haut magni ea feciſſe videatur, in libello de Ænigmatis; ubi adfert Sympoſii ænigma de ſomno. Sed præter ea, quæ excuſa habemus, ſuperſunt alia ſatis frigida, aliqua etiam obſcœna: quæ icirco omiſſa. Et propter iſta ſic Lilius ſcripſerit, qui conſpexerat opus integrum.

Terentius Libo Fregellanus, Poëta, diverſus à Terentio Afro libertino, cujus ſex Comœdias habemus. Meminit ex Metio Donatus in iis, quæ vitæ Terentii ex Tranquillo deſcriptæ ſubjunxit.

Cap. IX

De Poëtis Latinis incertæ ætatis, qui fuerint poſt tempora Caroli M.

Antigammatatus Lilio † memoratus, ſed negat ſe noſſe ætatem.

† Pag. 224.

Decionus Emeritenſis, Poëta ac Philoſophus fuit.

Dracontius hexaëmeron, ſive de opere ſex dierum, ſcripſit carmine heroico. Primi è Bibliotheca S. Victoris edidere Pariſienſes: poſteaque mendis aliquot ſublatis Georgius Fabricius: hinc Bibliothecæ SS. Patrum à ſe editæ editione II, Tom. VIII. inſeruit Margarinus de La-Bigne.

Facetus Poëta memoratur Lilio * ſed in iis, quorum ætatem ignoret.

* Pag. 224.

Floretus Poëta à Lilio † refertur: ſed negat ſe ſcire, quando vixerit.

† P. 224.

Gamphredus novam condidit Poëticam: ut ait Lilius dial. V. Hiſt. Poët. ‡.

‡ P. 224.

Ioannes Nantuillenſis Anglicus Architenium ſcripſit, quod ita ab argumento vocavit. De hoc ſic Lilius Hiſt. Poët. dial. V ‡: *Ejus quidem carmina turgida, & ſonora, ſed incondita, & barbara: nihilominus ea non legiſſe vos pigeat.*

† P. 222.

Pamphili elegos, ſe puero, legi in ſcholis ſolere, auctor eſt Lilius Gyraldus Hiſt. Poët. dialogo V. *

* P. 224.

Romulus ad Tyberinum filium fabulas carmine ſcripſit, quas Æſopicas nuncupavit, quia Æſopum in fingendo imitaretur.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
LOCUPLETISSIMUS
OMNIUM HUJUS VOLUMINIS LIBRORUM.

Numerus paginam, littera a, primam, b, ſecundam columnam indicat.

A.

ABaris Scytha, 201.b. 202.a

Abbo, 253.b

Abderitæ febricitantes ſibi viſi ſunt poëtæ; & unde id fuerit, 183.b

Aben-roës perperam Poëticam Dialecticæ partem ſtatuit, 19.a

Abrahami patriarchæ avus Serug ſtatuarius erat, 53.a

abrenunciare Satanæ, & pompæ ejus, mos olim fuit baptizandis, 130.a

Abronius Silo, 242.a

Acaſtus in funere Peliæ patris certamen inſtituit poëticum, 189.b

Accius poëta in Achille deſcribendo à Cicerone præfertur Homero; ſed injuriâ, 49.b

acclamatio auditorum quotuplex, 186.b. è ſcholis tranſmigravit quoque in templa Chriſtianorum, 187.b. ferebant quidem eam conſuetudinem SS. Patres; ſed tamen habebant ſuſpectam, 188.a. quomodo exoleverit, ibid. damnârunt quoque eam gentiles Philoſophi, & Rhetorum ſapientiores, ibid. etiam emebatur, ibid.

acerbitas præcipuum in ſatyris, 154.b

Aceſandri opus de Africa, 189.b

Achæus Eretrienſis mixtæ tragœdiæ excellens ſcriptor, 97.a. ejus Hercules Satyricus, item Vulcanus Satyricus, & Iris Satyrica, 98.b

Achæus Pythodori, 205.b

Achilles an ſapienter inducatur ab Homero, Græcis nutu prohibens, ne telis ſuis Hectorem impetant, 50.a. Achilles aliis ſenior Patroclo: aliis junior; aliis æqualis, 45.b. Achillis perſona cur diademate ornetur, 112.a

Achilles Statius in eo deceptus, quòd alium putârit Tarpam judicem, de quo Horatius in *Satyris*; alium Metium judicem, de quo idem in Arte, 190.b. 191.a

acrimonia in hexametri fine monoſyllabis repræſentata, 138.b

actio una primaria unius eſt poëmatis, 62.b. actiones multas exponit Epicus: ſed quæ ad unam referantur, 134.a. actio primaria priùs eſt excogitanda; poſtea de epiſodiis videndum, 136.a. actiones plenæ πάθους, ac præcipuè miſerabiles, & terribles, conveniunt maximè tragœdiis, 89.a.b. magis etiam movent clades inter conjunctos, 90.a. actionum cauſſæ duæ; ſententia, & mores, 59.b

Actius Sannazarius, 140.b

Actius Syncerus Sannazarius, 257.a

actores fabularum Græcis in honore erant; Romanis non item, 82.b. 83.a

actores in dramate ne plures ſunto, quam quatuordecim, 76.a

actus unde in dramate dicantur: choro eos dividi ſolere, vel tibicinum cantu: etiam ſipario indicium factum, ſi actus immutaretur, 75.b. actus non plures ſunt quinis: & quomodo inter ſe diſtinguantur, ibid. actus veteribus non porrigitur ultra ſcenam ſeptimam, 76.a. ejus magnitudo variat, ibid. actus tertius an quandoque in dramate extremus, ibid.

acumina ſectantur epigrammatarii: quod inprimis factum à Martiale, totâque domo Annæi, 164.b. ſed utendum modicè; inſtar eorum, qui Auguſti ætate, vel antea vixerunt, ibid. verborum deliciæ retundunt acumen, & obſcurant, ibid. acuminum affectatio demum eſt Romæ inducta, ubi corrumpi cœptus erat ſermo, 62.a

Acuticus, 232.b

Adamum putant Ebræi eſſe pſalmi xcij auctorem, 31.b

Adelmus, vide Aldhelmus.

Admetus, 221.a

admonitio res aſpera, eoque à poëta edulcatur fabulis, 23.a

adoleſcentia non ſolùm arcenda eſt à malis ſodalibus: ſed etiam à malis libris, 21.b

adoleſcentibus quare verſicolor veſtis attributa, 116.b

Adonidia, in Adonidem Hymnus, 152.b

Adrianus Cæſar, 221.a. 246.b

adulatio familiare poëtis malum; nec omnibus tamen, 22.a

adulatrix ars eſt Rhetorices pars, ibid.

adverbium cur Stoici πανδέκτην vocent, 146.a

Æantides, 218.a

æcloga perperam ſcribi, 139.b

Ægyptii Reges ante Pſammetichum abſtinuerunt vino, 157.b

ᾄδειν Poëtarum proprium; & unde verbi ejus origo, 43.b

Ælianus Pythiæ oraculum refert, præcedente pentametrum hexametro; quod editum fuit, præeunte pentametro; 146.b

Ælius Saturninus, 242.b

Æmilii Porti in Suida emendatio refellitur, 103.a

Æmilius Macer Veronenſis opus de avibus, ſerpentibus, & herbis, conſignavit, 16.b. 239.a

Æmilius Scaurus, 243.a

Æneas pii, & magnanimi principis exemplum, 22.b

Æneidos quæ actio primaria; quæ item epiſodia ejus, ac digreſſiones, 56.a

Æneis, amiſſo metro, hiſtoria fieret fabularis, 10.b

Ænicus, 209.a

Æſchines, cùm in adoleſcentiâ, tragœdias actitârit, poſtmodum Oratorum à Demoſthene proximus evaſit, 82.b

Æſchines Athenienſis, 214.a

Æſchrion Mitylenæus, 215.a

Æſchylus, 205.a. 206.b

Æſchylus in vino creditus ſcribere tragœdias, 28.b

Æſchylus, Sophocles, & Euripides, quantum ætate diſtent, 86.b

Æſchylus in ſomnio monitus, ut tragœdiam ſcriberet, 85.a. tragœdias primus in lucem protulit; teſte Quinctiliano, ibid. ejus fabulæ, correctæ à poſterioribus Poëtis, in certamen delatæ, ibid. duos adhibendo hiſtriones, primus diverbia induxit, ibid & 85.b. duos reliquit filios: quorum uterque tragœdiam excoluit, 85.a. idem chori numerum minuit, cædes à ſcena removit, pulpita induxit, cultu magis convenienti heroas induit, ibid. ſeq. præterea pallæ tragicæ inventor; primus etiam in dramate adſumſit perſonas, 81.b. 83.b. 96.b. idem primus è ſcenâ ſubduxit, quæ atrocitate ſui nimium commovent, 90.b. Æſchylus ob tam multa, quæ illi tragœdia deberet, ab Athenienſibus eſt habitus Tragœdiæ parens, ac in Dionyſiis etiam advocabatur, 85.b. interim deliquit, quod Ulyſſem induxerit ſeveriorem, & ſimpliciorem, quàm indoles ejus ferret, 57.a. Æſchylus triplicem Promethea ſcripſit, triplici cognomento, 79.b. ut in Prometheo abeat à prioribus, 57.b. Æſchylus culpatus, quòd, cùm drama unius eſſe diei, ſummùm bidui, oporteat; ille Nioben induxerit ad tumulum tertio die lugentem, 73.b. ejus in Agamemnone peccatum, 50.a. idem etiam in ſatyrico poëmate grandem retinuit characterem: ſed perperam, 100.b. Æſchyli verba quædam tumida, nec tragœdiæ apta, 92.a. 93.a. interim dictio ejus illuſtris, ibid. Æſchyli quæ laudes & vitia, judicio Quinctiliani, 86.b

Æſchylus, à Sophocle victus, præ dolore Athenis in Siciliam deceſſit; ubi & obiit, 191.b

Æſopus tragœdus inter mimos Romæ celebris, 121.a

affectatio mala quæ, 180.a

affectûs magnitudo ſpondiacis verſibus exprimitur, 138.b. affectus quibus elidantur, 145.a. ſunt in tragicis præcipuum, 154.b. affectus utrùm tragœdiâ excitentur, an componantur, 90.a

Afranius, 234.a

Afranius Togatas ſcripſit, quibus excelluit, 97.a. 106.b

Africa an cervos gignat; deque eo conciliatæ veterum, ac juniorum ſententiæ, 54.a

Agamemnon exemplar æqui judicis, 22.b

Aganippes fons an Pegaſi ungulâ apertus ſit; quod voluiſſe videtur Solinus, 29.b

Agatharchidæ illuſtre teſtimonium de immenſâ poëtarum in fingendo licentiâ, 46.b. 47.a

Agatharchidis Samii judicio, poëta magis ſtudet jucunda dicere, quàm utilia, 20.a

Agatharchus Athenis primus ſcenam fecit, & de ea tragœdiam reliquit, 82.a

Agatharchus pictor ſe jactabat de celeritate pingendi: & cujuſmodi reſponſum acceperit à Zeuxide, 181.b

Agathias Smyrnæus, 223.b

Agathon Comicus, 213.b

Agathon Tragicus, 209.b. 213.b

Agathonis Samii, poëtæ tragici, ætas; & ut fuerit exploſus, cùm tragœdiâ, non quam ſed plures, foret actiones complexus, 87.b. Agatho fecit tragœdiam, nomine Ἄνθος; in quâ & nomina, & res finxit, 89.b. Agatho tragicus, ob neglectum epicæ, & tragicæ diſcrimen, reprehenſus, 132.b. Agathonis dictum; veriſimile eſſe multa fieri, contra quàm veriſimile, 48.a

Agathyllus Arcas, 225.a

Agis Argivus, 215.a

agnitione quo pacto fabula ſolvatur. *Vide* ἀναγνώρισις.

Agrigentum quando conditum, 51.b

Agrippeum Athenis, 185. a
Ajaci inſania cur à Minervâ immittatur, 89. b Ajaci, ſed furenti, ab Homero impius tribuitur ſermo, 49. b
Ajax furens quomodo deſcribendus, 22. b
Αἰτιγμὸ, pro ſermone poëtico, 64. b
Alanus de Inſulis, 255. a
alapis percutiebantur ſannionum capita, 120. b
Albinus, 236. a
Alcæi Lesbii, ſive Mytilenæi poëtæ, ætas, 156. a Alcaici carminis inventor, non Horatius, ſed Alcæus, 156. b. Alcæus inter lyricos principes, 156. a. Alcæus Archilochi numeros temperavit, imitaturus eum, 161. a
Alcæus Comicus, 212. b
Alcæus Lyricus ebrius ſcripſit poëmata, 28. b 200. a. b
Alcander, 225. a
Alciati error, iyngi tribuentis vim pellendi amoris, 55 b. item alter, quòd iyngem putârit motacillam, & Baccho ſacram, ibid.
Alcimenes Athenienſis Comicus, 225. a
Alcimenes Megarenſis Tragicus, ibid.
Alcimus Ecdicius Avitus, 250. b
Alcman primus amatoria creditur carmine lyrico ceciniſſe. 154. b. Alcman inter decem lyricorum principes: & ut de ejus patriâ varient judicia, 156. a. Alcman Lacedæmonius carminis choreæ convenientis inventor, ibid. Alcman oden fecit XIV ſtropharum, 155. b
Alcman Lacedæmonius, 201. a. b
Alcman Meſſenius, 201. a
Alcymnius Chius, dithyrambicus poëta, 158. a
Aldhelmus, 252. b
Alexamenes Tejus primus è Socraticis dialogos edidit, 15. b
Alexander M. quanti fecerit Homerum, Pindarum, Chærilum, 25. a
Alexander Ætolus, 218. a. b
Alexander Epheſius, 219. b
Alexander Severus, 221. b
Alexandrinæ bibliothecæ præfectus quomodo victorem pronunciârit, quem populus, & Ptolomæus rex, improbarant, 190. a
Alexandro M. dithyrambi Teleſtæ dono miſſi ab Harpalo, 158. b
Alexis Comicus, 214. b. 215. a
Alfius Avitus, lyricus, 157. a
Aloëi filii ad IX orgyarum longitudinem, & IX cubitorum longitudinem, excreviſſe à poëtis dicuntur, 46. b
Alphenus Varius, 237. a
Alphius Avitus, 242. b
Alphonſus Toletanus, *vide* Hildephonſus.
Alpinus, *vide* Cornelius Alpinus.
amatoria, ἐρωτικὰ, pueros, vel virgines laudavere, 153. a. iis primus excelluit Anacreon Teius, 156. a. vel Ametor Cretenſis, 151. b
amatoriis non dedecet luxurians, ac ſplendidior dictio, 178. a
amatoriæ epiſtolæ à poëſi ſolùm conſtant, quòd earum oratio ſit ſoluta, 9. a
Amatus, 254. a
Ambroſius Epiſcopus, 248. b
Amepſias, 208. b. 209. b
Americani quomodo poſteris tradiderint geſta majorum, 12. a
Ametor, rex Cretenſis, à quo Ametores dicti, primus lyrico carmine amatoria dicitur ceciniſſe, 151. b
Aminocles triremes invenit; & quando is vixerit, 53. a
Ammonius, 222. b
Amœnus, 257. a
amor quoſdam poëtas facit eximios, 21. a. b
amor alicujus ſcriptoris quomodo excitetur, 176. a
Amorgus, inſularum Sporadum, ſeu Cycladum, una, 161. b
ἀμφιάνακτες cur dicti dithyrambici, 158 a
Amphilochius, 222. a
Amphis Comicus, 212. b
ampullas projicere, quid Horatio ſit, 92. b
anabathra quæ dicta, 155. b
Anacharſis cur, adductis in convivium hominibus, ad riſum compoſitis, neutiquam riſerit, 118. a
Anacharſis Scytha, 202. b
Anacreon Tejus, 204. a
Anacreon Tejus odarum uſum ad convivia, & amatoria, extendit primus, 151. b 156. a. Anacreon, lyricæ venuſtatis dux, 155. b. Unus è decem principibus lyricorum, 156. a. Anacreon an rectè cornua tribuat cervæ, 53. b
ἀναγνώρισις quid ſit, ac quotuplex, 58. a. per ſe delectat; magis tamen, ſi habeat περιπέτειαν 58. b. maximè, ſi ea fuerit à fabulæ οἰκονομίᾳ, ibid. Sex ejuſmodi ex Ariſtotele, ibid. & 59. a, b. ἀναγνώρισις, ſive agnitio Odyſſea, 136. b
Ananius, qui & Ananias, Iambici inventor exiſtimatur, 161. a. alius ab Hipponacte, etſi aliter videri poſſit; quia vulgò legitur apud Athenæum, Ἀνάνιος Ἱππῶναξ, pro ἢ Ἱππῶναξ, ibid. & 225. a
anapæſticum Partheniacum, quod Ithyphallico verſui præmitti ſolitum, 160. a
Anaxagoras in fabricatione mundi ab Ariſtotele comparatus poëtis tragicis, ad Deum è machina refugientibus, 57. a
Anaxandrides Colophonius, 213. a
Anaxilas, ibid.
Anaximenes quare culpatus à Theocrito Chio, 43. b
Anaxipolis Thaſius, 219. b
Anaxippus, 217. a
anchora Seleucidarum ſignum ingenitum. 58. b
Andreæ Schotti lapſus, Tullio eam tribuentis opinionem, quam ex mente attulerat Epicureorum, non ſuâ, 19. b
Andreas Schottus ex uno tres facit poëtas, 158. a. ejus alucinatio in verbis Tzetzæ de Philoxeno poëtâ διωνίμῳ, ibid. ejuſdem ἀνέχεσθαι περὶ τὰς ἀποφθεγματικὰς ἐκφράσεις, 153. a. ab eodem de gnomologico carmine receſſum, 153. b
Angeli Politiani de imitatione opinioni occurritur, 173. b
Angelus Politianus, 156. a
Anianus, *vide* Feſtus Avienus.
anima, Platonis judicio, ex Dei οὐσίᾳ eſt decerpta, 179. b
animal ſemper inſomne poëtis confictum in dracone Colchico, 46. b
Annæa Senecarum domus acumina magis ſectabatur, quàm veteres Romani; & unde id ſit, 164. b
Annæus Cornutus, *vide* Cornutus.
Annæus Florus, *vide* Florus.
Annianus, 246. b
annulus recitantium ferè incluſum habuit ſardonychem, 185. b
Anſer, 238. a
Antagoras Rhodius, 217. a
ἀνταπόδοσις quid ſit in choro, 96. a
Anthelmus, *vide* Aldhelmus.
Anthemius à Theotimo celebratus, 25. a
Anthermus Hipponactis deformitatem ſculptam videntium oculis propoſuit, 161. a
Anthippus, 225. a
ἀντιχόριον, 78. a
Antigammaratus, 259. a
Antigenidas tibicen, 148. a
Antilochus, 211. a
Antimachus Clarius, 210 b
Antimachus Heliopolita, 211. a
Antimachus Pſecas, ibid.
Antiochus Heliopolitanus mundi ſtructuram carmine conſignavit, 16. b
Antipater Sidonius, 219. a
Antipater Theſſalonicenſis, 220. b
Antiphanes Cariſtius, 210. a
Antiphani Comico tragœdia eſt viſa poëma beatum, quia multum accipit ex hiſtoria; cùm omnia Comico ſint fingenda, 89. b. Unde & facilius credidit tragœdiam ſcribere, quàm comœdiam, 107. b ejuſdem Antiphanis verſus de diſcrimine poëtæ comici, & tragici, 104. b
Antiphemus ludos inſtituit honori Dianæ Phaleccidos, 140. b
Antipho Ramnuſius, 210. b
Antiphon portentorum interpres, 25. b
antiphrates rejectæ. 152. b
antiqui magis amantes ſimplicitatis; juniores magis lenocinii, & ornatûs, 139. a
Antiſtius Soſianus, 244. b
ἀντιστροφὴ in ſaltatione tragica qualis fuerit, 95. b ſecunda pars odæ fuit, 155. b
ἀντίστροφος quid in choro, 96. a
L. Antonii impudentia, 186. a
Antonius Lullus Balearis notatus, ob errorem de ætate Alcæi lyrici, 156. b ejuſdem judicium de Tragœdiis Senecæ parum æquum, etſi Hiſpani de Hiſpano, 87. a. ſimiliter ejus judicium de Metamorphoſi Ovidii improbatum, 137. a error ejus de Sylvarum poëmatis, 167. a
Antonius Majoragius lyram cum citharâ confundit, 151. a
Anyte, 225. a
Anyte, una novem lyricarum, 157. a plures aliæ ejus nominis, ibid.
Aonius Palearius culpatus ob hemiſtichia, 178 a
Aphareus, 211. b
apis animal poëtæ cognatum, 62. a
Aphthonii error, 14. a
Apolauſtus, Trajani libertus, Romæ in commiſſione pantomimorum omnium victor fuit coronatus, 128. b
Apollinaris, 222. a. 246. a
Apollo quare à lauro daret Delphis oracula, 24. b
Apollodorus correctus, 12. a
Apollodorus, novæ comœdiæ poëta, 114. a ejus Ἐπιδικαζόμενον expreſſit Terentius in Phormione, 80. a
Apollodorus à Terentio expreſſus, 173. a
Apollodorus Caryſtius, 216. a
Apollodorus Gelous, ibid.
Apollonii error, qui Argonautarum profectionem quatuor tantùm menſium fuiſſe tradit, 52. b
Apollonius Rhodius, 218. b
Apollonius Collatius, 152. b
Apollophanes Comicus, 212. b
Apollophanes Epicus, ibid.
apologi differunt à fabulis poëticis, 18. b ſine tamen conveniunt, ibid.
apona tellus, pro Patavina, 52. b
apoſtolica carmina, 153. b
apparatus fabulæ ad hiſtrionem quidem pertinet, non poëtam: jure tamen ab Ariſtotele conſideratur in dramate; etſi aliter viſum Cæſari Scaligero, 74. a
ἀπὸ λύρας carmina quæ, 153 a
aquam bibens non panget dithyrambum, *Proverb.* 158. b
aquila unica cuique legioni, 52. a
Aquilius Comicus, 107. a
Aquilius Severus, 248. a
Aquinus, 235. b
Aquinus peſſimus poëta, 183. a
aræ duæ in ſcenâ, Liberi, & ejus numinis, cui ludi ſacrabantur, 82. b
Araros Comicus, 213. a
Arator, 251. b
Aratus Cilix, 217. b
ἀρβύλαι, calceamenti altioris genus, quo, Æſchylo auctore, uſi ſunt tragici, 85. b
Arcades primi dicuntur è terra nati, 47. a Iidem celebres cantu, 140. b.
ἀρχαιολόγοι, qui Atellanas ſcriberent, 123. a
Archedicus Comicus, 215 b
Archelaus tragœdus, actâ Euripidis Andromedâ, Abderitas, ex æſtu febricitantes, è morbo reddidit deliros poëtas, 183 b
Archelaus Athenienſis, 208 a
Archeſtratus, 225. a
Archias, 219. b
Archias, quia interemiſſet Archilochum (claruit ſub Dario, Hyſtaſpis filio) templo exire juſſus ab Apolline Delphico, 25. a

Archias poëta, Ciceronis æqualis, ſcripſit de bello Cimbrico, 17. a apud Marium, & Lucullum, in pretio erat, 26. a
Archilochi libri quare à Lacedæmoniis ejecti, 179. a
Archilochus ab Archia interemtus; ut Euſebius hunc vocat, qui Plutarcho Callondes, 25. a
Archilochus Parius, jambicum excogitavit, inque eo excelluit, 161. a. Lycambem ſocerum ſuum, & cum eo ſponſam, ad laqueum adegit, ibid. Archilochus primus ithyphallico præmiſit dactylicum tetrametrum, 160. a. Archilochum Horatius quo pacto imitatus, 161. a
Archilochus Parius, 201. a
archimimus, & archimima, 121. b. ſeq.
Archippus, 209 b
Arctinus Mileſius, 199. b
Argis ſtatua Mityi erecta, in eum, qui Mityn occiderat, incidit, eumque interfecit, 90. a
argonautica alterius ſunt, quàm Orphei, 31. b
argumentum idem Lyricus diverſis odis tractare poteſt aliter, aliterque, 154. a
argumentum tragicum unde trahendum, 88. b. Priſcis quare fuerit rarum, ibid.
Argus, Iûs cuſtos, an rectè Ariſtorides Ovidio dicatur, 53. a
Arignote, 204. a
Arion Methymnæus nomum (Apollinis is hymnus) auxit, 152. b. idem Dithyrambos inſtituit, 148. b Delphinus eum vexiſſe dicitur, ibid.
Arion Methymnæus, 202. a
Ariphrades immeritò culpabat in tragicis, quòd recederent à communi ſermone, 92. a
Ariſtæneto tributarum epiſtolarum auctor quando vixerit, 128. b
Ariſtæus, 225. a
Ariſtarchus Samius, 219. a
Ariſtarchus Tegeates, 207. a
Ariſtarchus Grammaticus, ibid.
Ariſteas Proconneſius, 202. b
ἀριστεροστάτης in choro quis, 95. b
Ariſtides Sophiſta quid reſponderit Cæſari Antonino, volenti audire ex tempore dicentem, 181. b
Ariſtius Fuſcus, 241. a
Ariſtodemus, licet hiſtrio fuerat, tamen ſæpius legati functus eſt officio, 81. b
Ariſtomachæ poëtriæ, in Iſthniis victricis, libellus in theſauris Sycioniis repoſitus, 189. b
Ariſtomenes Athenienſis, 209. a
Ariſton Chius, 225. a
Ariſtonymus Comicus, 218. b
Ariſtophanes multa ridet in Euripide, 15. a ejus facundia canina, 28. b. ebrius ſcripſit comœdias, ibid.
Ariſtophanes Comœdiam perfecit, 112. b Ariſtophanes Menandro ad novam comœdiam prævivit Cocalo ſuâ; & qualis ea fuerit, 114. a. Ariſtophanes, & alii veteris comœdiæ ſcriptores, apud Græcos magis Attici habebantur, quàm ſcriptores novæ comœdiæ, 109. b. Ariſtophanis tamen dictio à Plutarcho poſthabebatur dictioni Menandri, 114. a. nimius eſt in Ariſtophane culpando Plutarchus; & unde id ſit, ibid.
Ariſtophanes Byzantius, poëtarum judex, 87. a
Ariſtophanes poëticorum certaminum judex, & poſtmodo Alexandrinæ bibliothecæ præfectus, 190. a
Ariſtophanes Comicus, 208. a. 209. a. 210. a.
Ariſtophanes Grammaticus, 219. a
Ariſtophon, 225. a
Ariſtoridæ duo, 53. a
Ariſtoteles, 215. a
Ariſtoteles quid ſignificet per ψιλὰς λόγους, 9. a. Socraticos ſermones poëmatum nomine dignatur. ibid. nunquam agnovit poëma ἄμετρον, 9. b. multa arguit in Euripide, 15. a libros tres de poëtis ſcripſit, 15. b. laudatus ob ingentem poëticæ artis intelligentiam, ibid. plures uno de hac arte libros ſcripſit, ibid. eos exaravit ſenex, ibid. quæ ex opere eo perierint, 16. a. vivo Platone ſcholam inſtituit, ibid. in acroamaticis non niſi ab acutis, & intentis, intelligitur, 20. b
Ariſtoteles alius à Stagirita, Syrenaicus; quique itidem Poëticam ſcripſit, 16. a
Ariſtoteles optimam tragœdiæ formam præſcripſit, 89. a. quare de apparatu tragico nihil præcipiat, 96. b. cur idem tragœdiæ finem ſtatuat eſſe affectuum purgationem; cum Plato contrà cenſeat, eorum eſſe flabellum, 90. a Ariſtoteles in eo, quod ſex res in dramate attendat, adverſus Cæſarem Scaligerum defenditur, 74. a. cur auleticen, citharisticen, & ſaltatoriam, inter poëſios genera reponat, licet ſermonis ſint expertes, 70. b Ariſtoteles olim accuſatus ob hymnum Hermiæ ſcriptum, 152. a. videri autem propriè non ὕμνον fuiſſe, ſed σκολιὸν ᾆσμα, 153. a. Ariſtotelis, & Scaligeri, ſententiæ ἐναντιοφανεῖς conciliatæ, 49. a
Ariſtotelis diſcipuli imitabantur magiſtri ſui balbutiem, 180. a
Ariſtoxenus Selinuntius, 201. b
Ariſtylus, 209. a
Arius, inventor jambici, 161. a
Armenicum bellum temporibus Antonini ut multos procreârit hiſtoricos, 183. a
Arminius priſcis Germanis carminibus patriis celebratus, 12. a
Arrianus, 257. b
Arruntius quàm malè imitatus fuerit Salluſtium, 179. b
Aruntius Stella, 245. b. ſeq.
ars, in poëſi etiam, dux certior natura, 15. a. nulla tam laudabilis, quin eâ abutantur homines, 21. b
ars ſtatuaria tempore jam Abrahami patriarchæ erat, 53. a
ars omnis imitatrix naturæ, 174. a
Artemeſiâ, Cariæ reginâ, Mauſoleum dicante, qui ad maritum ejus laudandum acceſſerint, 191. a
ἀρτίμετρα quæ, 21. a
aſa priſcum pro ara, 10. a
Aſclepiades, 211. b
Aſinius Gallus, 242. a
Aſinius Pollio, 237. a
Aſinius Pollio non ſolet advocare multitudinem, ut ſua recitaret, 189. b
Aſius Samius, 225. a
Aſopodori de Cupidine liber à poëſi ſolùm differebat, quòd ſcriptus eſſet proſa, 9. a
Aſpaſia Mileſia, 207. b
ἀσπίδος auctor, 202. b
aſſâ voce, vel fidibus, canere in conviviis, mos melicorum, 153. b
ἀσκώλια, & ἀσκωλιάζειν, quid, 71. b
aſſurgendi in theatris honos rarus, 26. a
aſtrabicum carmen, 140. a
Aſtydamantis Hercules Satyricus, 100. a
Aſtydamas, 211. b
Aſtydamas junior, 213. b
Atellanæ fabulæ quæ, & unde dictæ, 125. b. 126. a. Atellanicum exodium quale, 137. b. Atellani iidem, ac exodiarii, 122. b. proximè accedunt ad fabulas ſatyricas; imprimis ſalibus, ac jocis, 123. a. b. falli interim, qui eas putant eſſe drama ſatyricum; & quomodo differant, ibid. ut diſcrepent à mimis, ibid. atellanæ, & togatæ fabulæ, habuere pauciores perſonas palliatis, 76. a. & 79. b. atellanarum actores quare honeſtiores fuerint, quàm cæteri hiſtriones, 123. b. earum perſonæ non obſcenæ, ſed Oſcæ, appellandæ, ibid. earum ſcriptores verſu jambico gaudebant, ibid. qui poëtæ atellanas Romæ celebrarint, 124. a. b
Athenæus Romæ ab Hadriano exſtructum, 184. b. nominis cauſſa, ibid. in eo poëtæ, ac rhetores recitabant, ibid. & 185. a. ignotum fuiſſe Horatio, 190. b
Athenæum Romæ ab Hadriano exſtructum, 184. b. nominis cauſa, ibid. in eo poëtæ, ac rhetores recitabant, ibid. 185. a. ignotum fuiſſe Horatio, 190. b
Athenienſes primos è terra ſe dicebant natos 47. a. eorum vetus poëſis cujuſmodi fuerit, 71. b. vindicabant ſibi inventionem tragœdiæ; ſed Doribus refragantibus, 84. b. imò & à ſe comœdiam repertam gloriabantur, 105. b
Athenodori tragœdi cum Theſſalo certamen, quem vicit, dolente id multùm Alexandro M. 191. a
Atta, *vide* Titus Q. Atta.
Atta, Togatarum ſcriptor, 107. a
attentionem poſcere ſolent Oratores, non initio ſolùm; ſed & in orationis medio, 135. a
Atticus, 235. a
Attilius, 232. a
Attilius Comicus, immeritò à Sedigito eſt prælatus Terentio, 106. b
Attilius Fortunatianus non eſt veritus culpare Horatium, quaſi vitioſè interdum Alcæum imitetur, 156. b
Attius, 232. a
Attius cur in poëtarum collegio nec Cæſari Straboni aſſurrexerit, 26. a
Attius, & Pacuvius, Romanæ tragœdiæ principes, 93. b. Attius, & Ennius rarò paribus ſedibus ſpondeo uſi in jambico, 90. b. Attii magna in numeris licentia fuit: ut hac parte tragico minùs ſit imitandus Senecâ, 94. a. multa idem magnis viris epitaphia conſcripſit, 165. a
Attius Labeo, *vide* Labeo.
Auberius Maurerius, Chriſtieniſſimi Regis legatus ad fœderatos Belgas, 86. b
auctores magni quandoque labuntur; eoque non omnia in iis imitanda, 178. a b
audientes magis excitamur, quàm legentes: legentes certiùs judicamus, quàm audientes, 174. b
auditorii, ubi poëtæ, & ſophiſtæ recitarent, partes tres: ſubſellia in planicie media; anabathra ad latera; & orcheſtra in fronte, 185. b
auditorium capitolinum Romæ poſt Athenæum exſtructum, 185. a. auditoria ſæpe etiam conducebantur, ibid in iis poëtæ, & oratores, ſuis ſumtibus, exſtruebant ſedem, & ſubſellia, ibid. nonnunquam in ædibus, erant privatis, 185 b
auditorum judicia quomodo diſcernantur, 188. a
aves unguento perfuſæ à virginibus, antequam demitterentur, 20. b
Avienus, *vide* Feſtus Avienus.
Augeas Athenienſis, 225. a
Auguſtus Cæſar, 220. a. 237. a
Auguſtus Cæſar cur noluerit nepotibus ſuis aſſurgi à populo, 26. a
Auguſtus Cæſar hiſtriones verberum immunes eſſe juſſit; primuſque pantomimorum artem in urbem induxit, 126. b
Auguſtus Cæſar non multitudini, ſed familiaribus ſolùm, recitabat ſua, 189. b
αὐλητικὴ, & harmoniâ, & rhythmo, imitatur, 9. b
αὐλητικῆς ubi præcipuus uſus, 150. a
auletice, citharistice, & ſaltatoria, ab Ariſtotele reponuntur inter genera poëſios & quo pacto id capiendum ſit, 70. b
Aulus Sabinus, *vide* Sabinus.
Aulus Serenus, 257 b
αὐλῳδοὶ in funeribus, 149. b
Aurelius Olympius Nemeſianus, 247. a
Aurelius Prudentius, 248. b
Auſelii, antique pro Aurelii, 10. a
Auſonius Burdigalenſis, 248. a
Auſonius cur poëmatica inſcripſet idyllia, 142. b
Autocrates Athenienſis, 225. a
αὐτοκάβδαλοι, 118. b. eorum veſtitus, & geſtus, 119. a. unde ſic dicti, ibid.
αὐτοσχεδιάσματα poëſios cauſſa, 30. b
αὐτοσχέδια fuere cantica prima, 71. b. eaque fuere initium dramatum, 72. a
Axionicus, 225. a

B.

Babrias, 225. a
Bacchas furere acri humore melancholico, non divino ſpiritu, percitas, 29. a
Bacchi nativitas; & quæ cauſſa fabulæ, 157. b. Baccho quantus fuerit terror injectus à Lycurgo, 47. a. Bacchus dithyrambicorum numen, 158. a. Βάκχε, Βάκχε, Βάκχε, trochaicum ithyphallicum primum, 160. a. Bacchi ſacra conſtitere carmine dithyrambico, & phallico: ex illo tragœdia; ex hoc nata eſt comœdia, 72. a. Bacchi feſtum cur ἀμπέλια veteres vocarint, 71. b. Baccho cur ſacrarint ludos ſcenicos, ibid.
Baccho, quare tributa corona hederacea, 42. a. b
Bacchylides cur corvo à Pindaro comparatus, 14. b
Bacchylides Ceus, unus principum decem lyricorum, 156. a. 207. a
Bæotus, 225. b
Baliones qui, 122. a
Balthaſar Caſtilionæus, 257. a
Baptiſtæ Eguatii in Vopiſco emendatio rejecta, 122. a
Baptiſtæ Pii error ἰαλγημοὺς cum melicis poëtis confundentis, 150. a. b
baptizandi in veteri Eccleſia renunciabant Satanæ, ac pompæ ejus: quo pompæ nomine etiam ludos theatricos Diis dicatos intelligebant, 130. a
bardi apud Gallos in pretio, 12. a. Heroum geſta carminibus celebrârant, ibid.
Barthaſius, poëta Gallus, 16. b
Baſilica etiam præbita ſophiſtis, ut orationes ibi recitarent, 185. a
Baſilius profeſſionis inſignia deſpexit, 25. a
Baſſus, vide Cæſius, & Sallejus Baſſus.
βάθρον, quæ & ἀνάβαθρα. 185. b
Bathyllus Alexandrinus, pantomimus, Mæcenatis libertus, 126. b. Saltationis Italicæ inventor fuit, 78. a. 115. a. idem in comico argumento plus valuit Pylade, 127. a. Bathylli domus à morte ejus diu ſtetit, 128. a. Bathyllus pro quovis qui in domo ejus Bathyllum imitaretur, ibid.
Batton, 225. a
Batulus, ibid.
Bavius, 238. a
beanorum, ut vocant, depoſitio quàm antiqua, 25. a
beatus aliquis dicitur, non ob animi inclinationem; ſed propter actiones ſecundùm virtutem, 45. a
Beda Venerabilis, 252. b
Bencii, & Pontani, diſpar judicium de canticis in honorem Sanctorum, num hymni iis nomen conveniat, 152. a
Beroſus vulgaris, ſuppoſiticius Annii Viterbienſis fœtus, 12. a
Bias Prienenſis, 202. b
Bio Æſchyli filius, poëta tragicus, ex iis qui θυμελικοὶ vocati, 88. a
βιολόγοι, pro mimis, 117. b. 121. a
Bion Smyrnæus, bucolicus, 141. b
Blæſus, 225. a
Boëthius, vide Severinus Boëthius.
Boethius Tarſenſis, 210. a
βουλάτης διθύραμβος cur ſit dictus, 159. b
Boiſcus, 225. b
Boiſcus, Cyzicenus poëta, primus reperit jambicum tetrametrum, 110. b
bos, dithyrambici certaminis præmium, 159. b. vel tripus, ibid.
Boſporo unde nomen datum fabulentur, 46. b
βουκολισμὸς quid, 140. a
βουκολιασμὸς, inter cantica ad tibiam, 150. b
boum Solis carnes inter aſſandum vocem edentes humanam, 47. a
brevitatem narrationis non curat epicus poëta, 137. b
brevium trium ſi fuerit concurſus, prima à poëtis in hexametro producitur, 155. a
Brodæus fallitur, cùm duos ſolùm agnoſcit Pyladas pantomimos, 116. b
βροντοποιοῦμενος, 158. b
Brotini, vel Brontini quædam Orphei credita, 31. b
Buchanani error, Iephthe ſuâ ſpatium complectentis minimùm duorum menſium, 73. b
Bucolici qui Græcis poëtæ, 141. b. qui item Latinis, ibid.
Bucolicum carmen eſt narrativum, activum, aut mixtum, 140. b. quas res tractet, & qualis ejus character, 141. a. cur metro gaudeat hexametro, ibid. quid in pedibus ejus Theocritus obſervet: negligat autem Maro, ibid. Bucolica nomina, & perſonæ, 140. b. Bucolici verſus tibiâ cantitati, 139. b. vel fiſtulâ, 140. a
Bupalus notabilem Hipponactis deformitatem ſculptam ridentium oculis propoſuit, 161. a
Burrus, perſona dramatica, 100. a
Butas, 225. a

C.

CÆcilii Comici laus, ſecundùm Ciceronem, 106. b. malus Latinitatis auctor, 91. a. 107. a
Cæcilius Comicus, 231. b. 233. a
Cæcilius Cyprianus, 247. b
Cædes cur à ſcena removerit, perque nuncios primus narrârit Æſchylus, 85. a. b. cædeſne, vel dilaceratio vera hominis ſceleroſi, poſſit in ludis permitti, ibid.
Cælius Sedulius, vide Sedulius.
Cæneus Lapitha ex virgine in marem converſus, 46. b
Cæſar Scaliger in quo præter morem ab Ariſtotele receſſerit, 10. b. putat, hiſtoriam à poëſi non differre, niſi modo dictionis, ibid. poëta bonus; ſed longè melior poëticæ artis ſcriptor, 15. a
Cæſar Scaliger parùm intellexit Ariſtotelem de ſextuplici dramatis curâ ſcribentem, 74 a. quo pacto idem tragœdiam definiat: atque ejus ſententia improbata, 84. a. idem injuriâ Donatum culpat, quòd neget perſonam ſæpius, quàm quinquies, uno in dramate poſſe exire, 75. b. εἰσόδους, & καταστάσεις, diſtinguit; quæ veteres uno ἐπεισόδιος nomine fuerant complexi, 76. b. allata ab eo chori definitio expenſa, 77. b
Cæſar Scaliger: in ſuo de poëtis judicio, aliquoties fallit, falliturque, 189. a
Cæſaris Michaelis Parapinacis ſtultitia, 8. b. fuiſſe à magiſtro Pſello eluſum, ibid.
Cæſius, 235. b
Cæſius, poëta malus, 183. a
Cæſius Baſſus lyricus, 157. a. 244. b
Calidius, 238. a
Callias Athenienſis, 225. b
Callimachus, etſi minùs ingenio, quàm arte, valeret; magno tamen loco habitus ab antiquis poëtis, 15. a. 27. a
Callimachus Cyrenæus, unus è quatuor elegiæ principibus apud Græcos, 147. a. 217. a. ejus error cervo tribuentis cornua, ex recepto poëtarum errore, 53. b
Callimachus Colophonius, 217. a
Callimachus Iunior, 218. b
Callinus, 225. b
Callinus, vel Callinoïs, auctor pentametri, 147. a. Epheſius fuit, ibid. perperam Calainus, vel Chalinus vocatur, ibid.
Calliope hederâ coronata, 24. a
Calliope præcipua in Muſarum invocatione, 135. a
Calliopius quis, deque eo Viperani error, 112. b
Calphurnius Brixienſis, 257. b
Calphurnius Siculus, 247. a
Calphurnii Brixienſis lapſus in comœdia ſtataria, 114. b
Calpurnii Siculi duo verſus, qui etiam apud Nemeſianum, æqualem ejus, inveniuntur, 138. b
Calliſtratus Athenienſis, 212. b
Calliſtus, 222. a
calvitium adulteris quare ſoleat objici, 120. b
Calvus Nero, pro Domitiano, 135. b
Camenæ priùs vocatæ Caſmenæ, & Carmenæ, 10. a. unde ſic dictæ, 32. b
Camerarius quomodo comœdiam definiat, 104. b
Camerinus, 241. b
canendi, & ſaltandi munia, quæ primitus conjuncta, cur poſtea fuerint diſcreta, 115. a
canes hiſtrioniam edocti, 120. b
canina eloquentia poëtis non paucis jure objicitur, 22. a
Caninii bellum Dacicum, 17. a
Caninius Rufus, 221. a
Canius, 245. b
Cantharus, 225. b
cantica, quæ ſolâ ſemper voce canerentur, 150 b. canticum ſaltationi aptum Pindarus invênit, 156. a. canticum in dramate quare monodium dictum, 80. b. in hoc canebat pythaules, ibid. cantica in honorem ſanctorum an rectè hymni dicantur: diverſumque de eo Franciſci Bencii, ac Jacobi Pontani, judicium, 152. b. canticorum ad tibiam nomina, 150. b
cantus lyricorum, ſuavitatem auget, 155. b. cantores, & ſaltatores, primitus iidem; & cur poſtea ſeparati, 82. b. cantoribus uter muſti plenus ſolemne præmium erat, 83. b
Capella, 241. b. 246. a
caper cur præmium cantûs, & quare Baccho mactaretur, 71. b
Capito Alexandrinus, 225. b
Capitolinum auditorium videri Athenæo Romano recentius, 185. a
Capnias, 225. b
caprarii ſubulcis digniores, 139. b
Caramallus pantomimus, 128. b
Carcinus cur exploſus, cùm ejus Amphiaraus ageretur, 97. b. ejuſdem Medea, 88. a. eidem in Thyeſte ἀναγνώρισις erat è ſigno ſtellæ ingenitæ, 58. b
Carcinus Agrigentinus, 213 a
Carcinus Tragicus Athenienſis, ibid.
carmen, & proſa, ut conceptibus, atque aliis differant, 44. b. carmen nunc generale eſt nomen; nunc particulatim dicitur de carmine lyrico, 150. a. poſteriori ſignificatione carmina eadem, ac ᾄσματα quæ quandoque & ᾠδὴ, ibid. carmen ſeculare quibus divis caneretur, 152. b. à quibus caneretur, 153. a. carmen infame Athenis lege prohibitum; & qua occaſione id factum, 113. b. quæ Romæ ejuſmodi carminis auctores pœna manſerit, ibid.
carmine priùs literarum monumenta ad poſteros tranſmiſſa, 7. a. carmen à caſno, vel quaſi canimen, 10. a. eo priùs ſcripta eſt res vera, quàm fabulæ, 14. a. carminum antiquitas, quibus amores canerentur, 11. b
Carneades, 225. b
Caroli Paſchalii de Nonno ἀναχρονισμός, 24. b
Carolus Sigonius laudatus, 17. a
Carus, 241. b
Caſauboni in Diomede emendatio expenſa, 100. a. ejus de poëtis Cyclicis judicium expenſum, 137. a
caſno antiquè, pro cano; indeque caſmen, pro carmen, 10. a
Caſpar Barthius, propè infinitæ lectionis vir, fallitur, dum Terentium, & Plautum, Græcorum ritus imitantes, culpæ reos cenſet, 78. b. idem immeritò in comicis culpat, quòd magis ad Græcum loquantur ritum, quam Romanum, ibid. ejuſdem de Petronii loco ſententia expenſa, 154. b
Caſparis Barthii alucinatio, tribuentis Ari-

Ariſtidi, quæ ſunt Platonis, 29. b
Caſparus Barlæus, 257. a
Caſſius Severus, 237. b
cataſtaſis quæ Cæſari Scaligero vocatur, ea veteribus erat poſterior epitaſeos pars, 76. b
cataſtrophe quid ſit, ibid.
cathedræ ſublimi cum pulvino inſidebant poetæ recitantes, 185. b
Cato, 235. a
Cato ſeu Batto, 225. b
Cato Cenſorius creditur Ennium ſecum in Sardiniam aſſumſiſſe, 25. b. refellitur, ibid. quando quæſtor fuerit, ibid. idem poëſis iniquior, ibid.
Catulli quàm impia pietas, quam jactat, 179. a. ejus Leſbia quæ, ibid. quantum frigoris contraxerit auditâ frigidiſſimâ Sextii oratione, 184. a
Catulli Veronenſis laus, 164. b. per Leſbiam intellexit Clodiam, 89. b. aſperè nimis ab Antonio Lullo exceptus, 148. b. Catulli carmen nuptiale, non epithalamium; ſed Hymenæus, dicendum, 153. a. Catulli dithyrambica, 159. a. aliquis ei quoque in lyricis eſt locus, 157. b. Catulliani numeri in elegiis duriuſculi, 67. a. alius ab hoc Catullus mimographus, 118. a
Catullus, 234. b. 235. a. b
Catullus quando verſiculos talem habere putarit: atque ejus ſententia rejecta, 21. b
Ceæ Camœnæ Horatio, quæ ſunt Simonidis Cei, 156. a
celeritas dactylis ab epico exprimitur, 138. a
celocem qui nequit regere, onerariam petit. *Proverb.* 177. b
centunculo induebantur mimi, 126. a
Cephiſodorus, 208. b
Cephiſodorus planus, 118. a
ceraulæ quinam, 149. b
Cercopis Pithagorici carmina perperam Orpheo adſcripta, 31. b
certamina poetarum, 156. a
cervæ an ſint cornua; ut voluere Pindarus, Anacreon, Sophocles, Euripides, Callimachus, 53. b. Cervus quadricornis Nicocreontis, ibid. Africa an generet cervos, ibid.
Chæremon geſta heroum deſcripſit vario verſuum genere: atque hoc in eo improbatum, 131. b. poëma, in quo miſcella hæc poëſis, Centaurus ab eo, vel Hippocentaurus dicebatur: & quæ cauſſa ejus nominis, 70. b. 142. a
Chæremon Comicus, 210. a
Chærophon Athenienſis, ibid.
Chamæleontis de Theſpide liber, 85. a
character poëmatis variat pro argumento, 67. a
Charinus Syracuſanus, 225. b
Charondæ leges in conviviis canebantur à Thuriis, 17. b
charta, margarita, & ſimilia, cur Latinis ſint feminina; cùm Græcè in virili efferantur, 142. b
χειρόνομοι, 125. a
Cherſias Orchomenius, 202. b
Chilo, ibid.
Chionides, 205. a
chironomia quid, quàm ſit vetus, & quantis viris approbata, & ut à Pylade ſit expolita, 126. a
Chœrilus poeta ignobilis, ab Alexandro magni habitus, 25. a. 206. a. 215. a
Chœrilus Athenienſis, 204. a
Chœrilus Liſandro carus, 206. b
Chœrilus Samius, ibid.
choliambi uſus in conviciando, 160. b
Chonnides comicus, 105. a
choragus à Poetâ inſtrui debet, 81. b. quare ſic dictus, ibid.
choraulæ, & pithaulæ diſcrimen, 115. a. b
choream invênit Alcman Lacedæmonius, 156. a
χορεῖος inter cantica ad tibiam, 150. b. 151. a
χορηγία in choro quid, 94. b. 95. a
chorus quid ſit, 77. b. ejus argumentum unde petendum, ibid. à quibus in dramate repertus, ibid. chori tragici initium ob antiquitatem planè neſcitur, 84. b. ejus inventrix fingitur Euterpe, ibid. choro primitus tota conſtitit comœdia: poſtea interdum aberat à comœdia veteri: denique planè eo caruit nova Græcorum comœdia: quod exemplum Latini fuere ſecuti in ſua comœdia, 112. a. 114. a. chori comici jam Menandri ætate deſiere, 109. b. chorus canens populum ſpectabat, 77. b. Quare introductus, & de quâ re egerit, ibid. uter potiùs hac in re imitandus, Sophocles, an Euripides, ibid. ejus officium expreſſit Horatius, 78. a. poſt actum quinctum alius erat naturæ, quàm priores, ibid. cur ex mulieribus, aut viris, non pueris, conſtare debeat, ibid. tria præcipuè genera ſaltationum obſervabat, ibid. quandoque non ſaltabat; ſed tantummodo canebat, vel dicebat, ibid. chorus interdum totus ſimul canebat: quandoque verò in partes dividebatur, quæ canerent alternis, ibid. quandoque etiam non canebat, ſed dicebat ſolùm, ibid. quæ circa chorum ſunt, imminuit Æſchylus, 85. a. b. chori diſpar numerus in tragœdia, & comœdia: in tragœdia primitus fuere L. homines: ſed poſtea lege decretum, ut ſolùm forent XV: quod factum temporibus Æſchyli, 95. a. in comœdia autem fuere XXIV perſonæ, 112. a. chorum appellans nunc ſingulo utitur numero, nunc plurativo: non quaſi non pluribus conſtaret chorus; ſed quia unus ſoleret loqui. 78. b. chori tragici partes ſunt, παροδος, στάσιμοι, & κομμός, 94. b. 95. a. exibat chorus vel κατὰ ζυγά, vel κατὰ στίχους, ibid. chori Græcis nunc plures, nunc pauciores: ſaltatio chori qualis: ſepties ſaltâſſe chorum in orcheſtra; unde & ſeptem erant chori ὀρχήσεις, 95. b. 96. a chorus comicus quando ſe ad hiſtriones; quando item ad populum converterit, 112 a. chorus ſtatarius tragicus cur reſpuat trochæum, & anapæſtum, 95. a. chorus pantomimis tributus ob cujus cantum ſaltârit, 125. b. chorici Bacchici carmina μονῳδία, 155. b. chorus quàm variâ ſoleat uti harmoniâ, 81. a. chori cantus cur ſynodium diceretur, 80. b
chriſtianorum poëtarum Helleniſmus, Deum, & fata culpantium, ob hominem vita ereptum, 167. a
chriſtianus princeps an hominem ſupplicio dignum dedere poſſit tragœdiam acturis; ut ad populi oblectationem, non fictum, ſed verum de eo ſupplicium ſumatur, 91 a
Chriſtodorus, 223. a
chromatico in tragœdia abſtinuere, 96. a
Chryſippus librum reliquit de liberorum educatione, 126. a
Chryſippus Georgicorum ſcriptor, 225. b
Chryſippus καπηλικός, ibid.
Chryſippus Tyaneus, ibid.
Chryſothemis Cretenſis nomum reperit, 152. b
Cicero, *vide* Quinctus & Tullius Cicero.
Cicero libro de optimo genere Oratorum non omnia poetarum genera adduxit, 70. a. idem cur, in Achille deſcribendo, Homero Accium prætulerit, 49. a. Cicero non Limonem, ſed Libonem ſcripſit, 108. b. Ciceronis locus de dithyrambici poematis genere; an magis fuerit tractatum à Latinis, quàm Græcis, 159. a. ejuſdem in epiſtolis locus explicatus contra Paulli Manutii mentem, 163. b. Ciceroni, ac Virgilio plurimùm debet propagatio Romanæ eloquentiæ, 134. a
Cicerone nullus dux potior Oratori, 174. b. eum filio ſuo præ omnibus commendabat M. Livius, ibid. Varro, & Cæſar, quæ de L. L. ſcripſiſſent, huic dicarunt, ut arbitro optimo, ibid. totum ut ſe contulerit ad imitationem Græcorum; & quorum virtutes præcipuè expreſſerit, 178. a. longè ſuperavit eos, quos eſt imitatus, 180. a. triplex ejus cura in orationibus meditandis, habendis, limandis, 183. a. b
Ciceronis ſententia: Fieri Oratores, naſci poetas, 14. a
Cilnius Mecænas, *vide* Mecænas.
Cimbris poeſis magno jam olim in pretio, 26. a
Cinæthon Lacedæmonius, 201. a
Cinna, 236. a
Cinnæ Smyrna annis novenis elaborata, 183. a. Grammaticis magis placuit, quàm poetis, 183. b. à L. Craſſitio commentariis illuſtrata, ibid.
Ciris genuinum Maronis opus, 139. a
citharæ inventor Apollo, 151. a. citharâ initio uſi in tragœdia, 96. a
citò ſcribendo, nec acquiritur, nec jam acquiſita retinetur, benè ſcribendi facultas, 181. a
clamor auditorum quotuplex, 186. b. 187. a
C. Lænas, lyricus, 157. a
Cl. Salmaſius, 103. b. 126. b. 128. a
Claudianus, 248. b
Claudianus Mamertus, 250. b
Claudius Pulcher ſcenam variis ornavit picturis: primus etiam modum docuit verum tonitru propiùs imitandi: unde Claudiana tonitrua dicuntur, 81. b
Claudius Cæſar in adoleſcentia ipſe recitabat ſua; ſed per alium in principatu, 184. b. ridiculum, quod eo contigit recitante, ibid.
Claudius Marcius Victor, 250. b
Cleanthes, 217. b
Clearchus comicus, 225. b
Cleobulina, 204. b. 207. a
Cleomenes, 225. b
Cleophon in eo peccavit, quòd dictionem potiùs comicam, quàm tragicam, in tragœdiis uſurparet, 92. a. Cleophon poeta exprimebat ſimiles, 69. b
Cleophon Athenienſis, 226. a
clepſydrâ uſi, & in poëſi dramatica, & in orationibus habendis; ne vel poetæ, vel oratores, nimis rem producendo faſtidium adferrent, 73. a
Clidemus, 226. a
Clonas Tegeates, ibid.
Cnæus Aquilius, 232. b
Cn. Mattius reliquit jambos Hipponacteos σκάζοντας, 121. b
Cn. Nævii epitaphium, Paſſeratii operâ emendatius, 166. a
cocalus Ariſtophanis cujuſmodi, 114. a
Codri Theſeis poema quale, 61. b
Codrus, 238. a
Codrus, Theſeidos auctor, 246. a
Coluthus Ægyptius, 223. b
comeſſatio, quid propriè ſignificet, & ex quo nomen acceperit, 104. a
Cominius, 243. a
comicos quos ſequi conveniat, 175. a. eorum Athenis quinque judices, 190. b. item in Sicilia, ibid. certamen Neapoli, 191. a
commentatio quid, & unde dicta, 180. b
comœdia nata è phallicis, 72. a. 159. b. quando cœperit, 105. b. cur paucos ſui ſtudioſos habuerit, ibid. quomodo ad perfectionem pervenerit, ibid. quis primuſeam docuerit, ibid. de inventione comœdiæ certamen inter Athenienſes, & Dores, fuit, 106. a. comœdia primùm in Siciliâ inventa, ſecundùm Solinum, 110. b
comœdia vetus, qualis initio erat, jocos adſpergebat; ſed ſine felle; exemplo Margitis Homerici, 112. b. poſtea nihil eâ fuit mordacius; ut quæ nec primoribus viris, nec toti parceret populo, 113 a. orta hæc comœdia à jambographis, 110 a. eadem in maledicendo Satyræ prævivit, 144. a. comediæ veteris dica-

dicacitas legibus reſtricta, 108. b. quandoque ea choro caruit, 112. a. ſub xxx tyrannis deſiit: & quâ occaſione id contigerit, 113. a. ea mediæ origo comœdiæ, 113. b. 114. a. qui mediam excoluerint, ibid.
comœdia Romana imitatam eſt Græcam novam: ac duplex fuit, palliata, & togata; & quomodo hæ differant, 114. b. altera ejus diviſio in ſtatariam, motoriam, & mixtam, ibid. item tertia in ſimplicem, & implicatam; ac quarta in moratam, & ridiculam, ibid. comœdia cur apud Romanos gratior fuerit, quàm tragœdia, 90. a. comœdiâ Latini à Græcis vincuntur, 107. a
comœdia, & epos, uti differant, 131. a. 132. a. 135. b comici, & tragici, epiſodia initio collocant; epici verò ſæpius in medio, 64. a. comœdia, & bucolicum carmen, quo diſtent, 140. b. comœdia, & mimus, quo diſcrepent, 170. a
comœdiæ unde nomen, & cur ea priùs dicta τρυγῳδία, 104. a. 105. b, ejus definitio, 104. a. variè differt à tragœdia: ſed eo imprimis, quòd perſonas habeat humiles; non illuſtres, ut tragœdia, 104. b. 105. a. finis comœdiæ, 105. a. b. deque eodem Ciceronis verba, 76. a
comœdiæ primitus res expreſſere, prout factæ erant, 12. b
comœdiæ conſtitutio: ac primò, cujuſmodi in eâ res, & ubi agi fingantur, 107. a. an non quandoque in vero verſetur argumento. Et utrùm ſi fictum, an ſi verum ſit argumentum, faciliùs ſcribatur, 107. a. b. cujuſmodi vitia exagitet, ibid. perſonæ in ea humiles, ac fictæ, 108. a. quibus apta imponenda nomina, ibid. perſonæ ſummùm tres, ibid. affectus quales in eâ, item mores, ac joci. 108. a. b. 109. a. exitus comœdiæ nunc lætus duntaxat; nunc his lætus illis triſtis, 109 a
de comœdiæ partibus acceſſoriis: ut ſunt prologus, chorus, mimus, & canticum. Ac primo quid prologus ſit; deque ejus, & παραβάσεως loco; & prologi perſona; & variis prologi generibus, 111. b. 112. a. deinde de choro comico: quot ille perſonis conſtiterit: ut nunc ſe ad hiſtriones, nunc ad populum converterit: cumque comœdia primitus nihil fuerit niſi chorus, poſtea etiam choro caruerit: ac Latini choro ſublato mimos induxerint: ut tandem & mimi omiſſi peculiare carmen conſtituerint: mimis verò cantica ſucceſſerint, 112. a b.
de variis comœdiæ formis. Ac primùm, ut comœdia Græcorum fuerit triplex; vetus, media, nova: vetus ipſa duplex; una antiquior, rudiorque, bonæ licet frugis; ut illa Epicharmi: altera minùs antiqua; quam Eupolis, & Cratinus, excoluere, ibid.
comica dictio qualis, 109. b. magis Attica Ariſtophani, quàm Menandro, ibid. venuſtior Terentio, quàm comicorum aliis, ibid. character humilis; ſic tamen, ut quandoque adſurgat, ibid. ſententiæ hic raræ, 110. a. cur comœdia jambicis gaudeat, ibid. cur & trochaicis utatur, 111. a. trochaicus in comœdia verſus an creticum admittat, ibid.
comica modulatio, 114. b. ſaltatio comica quomodo dicta, 115. a. comica veſtis cujuſmodi, ſecundùm Pollucem, 116. b. ſcenæ in comœdia quales, ibid.
comici Latini nobiliores referuntur, 107. a. Latini cedunt Græcis, ibid. comicorum Latinorum licentia fuit major, tam in trochaico, quàm jambico, 111. a. interdum incidunt in heroicos, pentametros, phalæcios, ibid. quinque comicorum judices, 106. a
Conradus Moguntius, 255. b
conſules novi an novo ſemper prodierint anno; ut Ovid. autumat, 51. b
convicia à Græcis, jambico; à Romanis ſatyricis, hexametro jactabantur, 144. b
conviciari, antiquiſſimus jamborum uſus, 160. b
copia verborum cur neceſſariò comparanda ſit futuro poëtæ, 65. b
Corinna, 206. a
Corinnæ magnum nomen ex eo, quia quinquies vicerit Pindarum: & an inter principes lyricos æquè, ac Sappho, numeretur, 156. a
Corinnus, 226. a
Corippus, 251. b
Cornelii Nepotis error, 25. b
Cornelius Severus melior verſificator, quàm poëta, 8. b. 241. a. ejus bellum Siculum, 17. a
Cornelius Alpinus, 242. a
Cornelius Gallus, 237. a
Cornelius Sylla, *vide* Sylla
Cornificia, 237 a
Cornificius, 236. b
Cornutus, 244 a
coronandi poëtas conſuetudo eſt antiquiſſima: & quàm recens illa creandi poëtas laureatos, 24. b
Coſconius, ſeu vero, ſeu ficto nomine, imperitus epigrammatum cenſor, 162. b
Coſmas Hagiopolites, 224. a
cothurni cur inventi, 96. a
Cotta, 241. b
Crantor Solenſis, 214. b. Homerum, & Euripidem, omnibus poëtis præpoſuit, 86. b
L. Craſſitius Helvii Cinnæ Smyrnem interpretatus, 183. a
Crates ex poëta jambico factus comicus, 110. a. apud Athenienſes primus comœdias ſcripſit, 106. a
Crates Athenienſis, 207. a
Crates Mallotes, 215. b. 219. a
Crates Thebanus, 215 b
Crates Thriaſius, ibid.
Cratinus primus in comœdia perſonas inſtituit uſque ad ternas, 112. b. idem acerbus, 113. a. mediæ fuit comœdiæ poëta: ac ejus fabulâ, quam Ulyſſem inſcripſerat, Homeri Odyſſea irridebatur, 114. a
Cratinus Athenienſis, 206. b. 209. a
Creophylus Chius, 200. a
Crepidatæ fabulæ quæ ſint Donato, & cur ſic dictæ, 78. b
Critias Athenienſis, 211. a
Crito, Socratis æqualis, de Poëtica ſcripſit, 15. b
crocotâ induti pantomimi impudicarum mulierum geſtus exprimebant, 126. a
Cupidines multi ſtatuuntur à multis: ſed Senecæ, & Luciano, ſunt duo, & ejus rei cauſſa, 21. a
Curetes, hyporchematis inventores, 152. b
curia quandoque patuit Sophiſtis, orationibus recitandis, 185. a
Curiatius Maternus, 245. b
Curtius Montanus, ibid.
Cybelles in honorem Galliambis canebatur, 159. b
Cyclus epicus continuam hiſtoriam exponit, quæ in multa dramata dividi poteſt, 132. b. Cyclici poëtæ quinam dicti, 63. a
cygnis an, quod & Ariſtoteli viſum, cantus ſit tribuendus, 53.
Cyliſcus Tragicus, 226. a
Cynethus Chius, 204. b
Cyprianus, *vide* Cæcilius Cyprianus.
Cyri ſepulcrum; & inſcriptio ejus, 162. a
Cyrillus poëta falsò credidit epigramma ſummùm eſſe trium verſuum, 162. b
Cyrus Xenophontis meliùs ad exemplum: at Herodoti veriùs expreſſus, 22.
Cyrus Xenophonti non ut fuit, ſed ſecundùm optimam regis formam, deſcribitur, 61. a
Cyrus Panopolita, 222. b

D.

DActylus præ ſpondeo initium facit pentametri, 149. a
dactylicum tetrametrum ſolis dactylis, vel ſpondeis, conſtans. Quale præmittitur ithyphallico ex tribus trochæis, 160. a. dactylicum tetrametrum tribus dactylis, & jambo, conſtans: quod & ipſum ithyphallicum vocatur, ibid.
dactylorum in epopœia commendatio, 138. a. b
Dæmone an opus poëtis ad carmen pangendum, 29. a. Dæmones eſſe, ex naturæ principiis cognoſci nequit, ibid.
Dalecampii ἀσύγχυμα in oraculi Pythiæ interpretatione, 146. b. ejus de Ananio opinio rejecta, 161. a
Damaſcenus, *vide* Nicolaus Damaſcenus.
Damaſus, 248. b
Damocharus, 226. a
Damocrates, ibid.
Damophila, 202. a
Damoxenus, 217. b
Danaë, ab Acriſio patre, ſubmerſa, viva ac ſoſpes delata in Seriphum, Cycladum unam, 47. a
Dani antiqui majorum acta patrii ſermonis carminibus vulgabant, 12. a
Daniel Heinſius, 92. b. 257. a
Daphitas, 226. a
δυσφθεγγὴς quæ, & unde nuncupata, 153. a
Daphnis paſtor, & muſicus, 139. b
Decius, *vide* Laberius.
δεικηλισταί, 118. b
delectatio finis poëtices; ſed non ſola, nec totius operis ratione, 18. a
Delrii de Solini loco ſententia rejecta, 29. b
Demetrius Cynicus, de ſaltatione priùs admodum abjectè judicans, poſtmodum, ubi vidit pantomimum, Veneris & Martis adulterium corporis geſtibus repræſentantem, magnificè de arte ſenſit, & locutus eſt, 125. b
Demetrius Poliorcetes, juxta Cererem tanquam Bacchus, ithyphallico celebratus, 99. a
Demetrius Comicus, 226. a
Demetrius Epicus, ibid.
Demetrius Iambicus, ibid.
Demetrius Satyricus, ibid.
Demochares, ibid.
Democritus de poëſi, & carmine egit, 15. a. b. idem furorem in poëta exigit, 28. a. b. magis poëticè ſcripſit, quàm comici poëtæ, 65. a
Demonax philoſophus priùs in poëſi, & Oratoriâ, enutritus; atque eo nomine laudatus à Luciano, 23. b
Demoſthenes quoties manu ſuâ deſcripſerit Thucydidem, 174. a
Demoſthenis Thracis liber περὶ διθυραμβοποιῶν, qui intercidit, 159. b
Deorum habitus qualis eſſe debeat, 96. b
deſperandum haut facilè etiam de ſummis, 175. b
Devonius Iſcanus, *vide* Joſephus Exonienſis.
Deus è machina non advocandus, ubi aliter licet fabulam ſolvere, 57. a
δευτεραγωνιστὴς quis, 85. a. b
Dexicrates, 226. a
δεξιοστάτης in choro quis, 95. b
Diaboli pompæ à veteribus Chriſtianis accenſebantur ludi theatrici, tum quia diis dicati, tum propter obſcenitatem, 130. a. b
Diagoras Melius, dithyrambicus poëta, 158. a
dialecticæ initium num dederit Plato, an Zeno, 86. a
dialectos quare miſceat Homerus, 137
Dianæ feſtum, & ludi, à quibus inſtituti, 140. b
Διάνοια, *vide* Sententia.
Diaſemus poëta proprio nomine vocatus eſt nul-

nullus; contrà quàm putavit Andr. Schottus, 158. a
Dicæogenes, 216. a
Dicelistæ qui, 118. b
ἀγροικία, 78. a
dictamen ſemibarbaris pro poëmate, 8. b
dicterium quid ſit, & unde ſic dictum, 117. b.
dictio quid, 64. a. ad eam pertinet metrum, ibid. dictio poëtica tum ſonum literarum attendit, tum verborum rerumque ordinem, 66. a. dictione etiam levia attollantur, & gravia deprimuntur, 64. a. variat pro perſona, 74. b. pro ejus enim conditione aut ſublimis, aut humilis eſſe debet, 93. a. poëtica dictio minimè eſt plebeja: ſed grandior, ornatiorque, 64. a. ac primùm ſolo rhythmo vulgarem excedebat: exinde & ſpiritu poëtico: denique etiam metro, 66. b. interim nimis ſplendida mores, & ſenſus, offuſcat, 93. a. cur dictionis luxuries minùs conveniat tragœdiæ, ibid. dictio Euripidis, & Sophoclis, imò & Homeri, expenditur, ibid. lyricorum dictio imitatur Homericam, 93. b
dictionis non alios cur duces ſequi oporteat, quàm optimi ævi ſcriptores, 177. b
διδάσκειν propriè dicebantur poëtæ ſcenici, 72. a. uti ipſi διδάσκαλοι, ibid.
Dido apud Virgilium, non Punico, ſed Romano ritu, ſacra facit, 53. a. Dido caſta, & univira, 45. b. Didonis ſeculum, 136. b
Didymus Chalcenterus ſillographos imitatus eſt maledicentiâ, 102. a. b
Diem recitandi & poëtæ, & ſophiſtæ, indicebant vel voce, vel codicillis, vel libello, 190. b
διηγηματικὰ ποιήματα quæ, 132. a
Dii fato ſubjiciuntur à Stoicis, Homero, Platone, 47. b. Dii in dramate ubi, & quando, introducendi, 89. a. Diis affinguntur, ἀδίκημα, & impia, à poetis, 48. a
Dinolochus Agrigentinus, 205. b. 210. a
Diocles Athenienſis, 208. b
Diodori Siculi judicio, Poëtica delectat magis, quàm juvat, 20. a
Diogenes Athenienſis, *vide* Oenomaus.
Diogenis Laërtii vulgata lectio defenſa, 15. b. ejuſdem locus alius emendatus, ibid.
Diomedes Grammaticus emendatus, 123. b. ejus locus ſuſpectus, 104. a. vulgata illius lectio defenſa, 100. a. ejuſdem error, planipedes, & mimos, confundentis, 119. b. idem illuſtratus, 133. b
Diomedis judicium de Poëtices definitione expenſum, 13. b
Diomus, ſiculus bubulcus, 140. b
Dionyſiades, 218. a
Dionyſii Hal. judicium de dictione Platonis, 65. a
Dionyſiodorus, 216. a
Dionyſius Alexandrinus, 210. b
Dionyſius Alexandrinus Χαλκοῦς pentametrum in elegiis præmiſit hexametro, 146. b
Dionyſius Epaites, 226. a
Dionyſius Pheræus, 207. a
Dionyſius Σκυτοβραχίων, 219. b
Dionyſius Tyrannus, 210. b
Διόνυσος, Liber, puta Indicus, non Thebanus, haut alius eſt à Noë, 157. b
Dioxippus Athenienſis, 226. a
Diphilus, poëta novæ Comœdiæ, 114. a idem inter eos, quos Terentius imitabatur, 174. a
Diphilus Sinopenſis, 216. b
diſcipulorum laudes quare ſint rejiciendæ, 188. a
dithyrambus utrùm ſub carmine lyrico contineatur; an diſtinctum conſtituat carminis genus, 157. b. unde ei nomen, ibid. canebatur in honorem Bacchi, ibid. dithyrambici invocabant Bacchum, 158. a. initium huic carmini à conviviis ruſticis, 97. a. quis primus ſcripſerit dithyrambos, 158. a. dithyrambici poetæ complures enumerantur, ibid. gaudent vocabulis compoſitis, ac longis, ibid. dithyrambica compoſitio, ac tranſlatio, tragicis fugienda, 93. a. διθυραμβεῖν, furere, 158. b. *proverbio dictum*, minùs dithyrambicis mentis compos, ibid. cur Horatius dithyrambos vocet audaces ibid. dithyrambicè qui loquantur, 159. a. aquæ potores non ſcribere dithyrambos, 158. b. dithyrambus, & nomus, quomodo differant, 159. b. dithyrambica poeſis ſimilior eſt Tragœdiæ; illa autem nomorum, comœdiæ, 69. b. dithyrambicum poëma non magis à Latinis, quod legas in vulgatis Ciceronis codicibus; ſed minùs à Latinis tractatum fuit, 70. a. & inprimis, 159. a. dithyrambicorum motus, cantuſque, ibid. eorundem modi Muſici, ibid. dithyrambici ſaltatio à quibus reperta Corinthi, 158. a. 159. b. dithyrambici certaminis præmium, ibid.
diverbium quid ſit, 75. b. ejus diſtributio in actus, & ſcenas, ibid. altera in protaſin, epitaſin, & cataſtrophen diviſio, 76. b. diverbiorum auctor Æſchylus, 85. a
docere proprium ſcenicorum, 72. a
doctores juriſprudentiæ creandi mos quando cœperit, 25. a
doctrina, & eloquentia, nulli ſe totam indulgent, 179. a
Dominicus Baudius, 257. a
Domitianus permiſit, ut in fabulâ verum, ſed de improbo, ſumeretur ſupplicium, 91. a
Domitianus Cæſar, 245. b
Domitianus Germanicus, 242. b
Domitius Marſus, 241. a
domum deduci ſolere poëtas à recitatione, honoris ergo, 187. b
Donatus, ſive Euanthius, fallitur, cùm putat, protaſin ſemper primo actu abſolvi, 76. b. idem defenſus adverſus Cæſarem Scaligerum ſuper numero, quo perſona exit in dramate, 75. b. idem ſive potiùs Euanthius, emendatus, 103. a. Donati error de modis tibiarum in Adelphis, 115. b
Dorcatius, 257. b
Doricæ harmoniæ majeſtas, 96. a. Dorienſes cum Athenienſibus de tragœdiæ inventione certant. 84. b. quomodo iidem probatum iverint, comœdiam à ſe inventam, 105. b
Doſiadas, 216. a
Draco Athenienſium Legiſlator, 201. b
Dracontius, 259. b
dramatica poëſis quæ ſit, & drama unde dicatur, 70. b. verſus ſine meditatione effuſi origo fuere dramaticæ poëſios, 72. a. 84. b. eſtque ea origo à feſtis diebus, Baccho ſacratis; unde & dramata Baccho dicata, 71. a. dramatica omnis poëſis exordium cepit à priſcis, qui pagatim habitarent, 99. b. ejus inventionem Homero tribuunt Græci, 72. a. ex Romanis dramatum ſcriptoribus primus eſt Livius Andronicus, ibid. drama repræſentat actionem humanam, 74. a. dramatis unius una eſt actio primaria; ac improbata eò dramata ἐπεισοδιώδη, 72. b. dramatum nobiliora ſunt tragicum, & comicum: ignobiliora, ſatyricum, & mimicum, 78. b. dramatis partes ratione qualitatis, 74. a. b. ejus partes ratione quantitatis, 75. a. 94. a. idem cur à veteribus dividatur in diverbium, canticum, & chorum, 69. b. drama, ſive potiùs diverbium, meliùs, Græci partiuntur in protaſin, epitaſin, & cataſtrophen, quàm Latini in actus quinque, 77. a. alia dramatis diviſio in prologum, epiſodium, exodum, & chorum: ſed non alio hanc differre, quàm quòd chorum ſuperaddat: eoque non ſolius diverbii, ſed totius dramatis diviſio ſit, ibid. dramatis in actus partitio eſt vetus: ſed illa in ſcenas eſt Grammaticorum inventum, 75. b. drama naturâ ſuâ unius diei ſpacium, vel paullò majus, exigit, 73. a. interdum bidui eſt, 73. b. atque hoc differt ab epopœia, quæ unius eſt anni, vel duorum; cùm drama contineat res diei unius, vel bidui, 64. a. drama cur metro gaudeat jambico, 75. a. drama metri expers an præſtet, 74. b. 75. a. dramatis apparatus à Theſpide neglectus, 81. b. cum oportet à poëtâ inſtrui, ne decorum omittatur, ibid. convenire debet perſonis, ibid. cur rectiùs vocetur oſtentus, ibid. ab Ariſtotele dicitur ornatus viſionis, ibid. ejus materies, ibid. dramatis nomen imitator non mutet, 80. a. dramatis triplex virtus, 73. a. circa quid verſetur, ibid. ejus magnitudo bifariam ſpectatur, ibid. dramati ſuum unde nomen faciendum, 79. b.
Drepanius Florus, 252. a
Dropides, 202. b
Druidæ in honore apud Gallos, 12. a. Philoſophiæ erant moralis doctores, ibid.

E.

Ecdicius Avitus, *vide* Alcimus Ecdicius Avitus.
ecloga quid, 139. b. etymon vocis, ibid. μονοπρόσωπον, & ἀμοιβαῖον, 140. b. eclogæ non omnes bucolicæ, 141. b
Ecphantides, 226. a
ἔγερσις, carmen nuptiale, cùm ſurgitur, 153. a
ἐγκαταυλεῖν canendi mos à Phrygibus ortus, & qualis fuerit, 149. b. ἐγκαταύλησιν quinam, ibid.
εἴδη, carmina, 150. a
εἰδύλλιον, poëmatium, ibid.
εἴσοδος de ingreſſu chori in poëſi ſatyrica, 101. b
ἐκπίπτειν τῆς σκηνῆς dictus poëta, cùm fabula exigeretur, 97. b
ἔκθεσις Homeri, 136. b
ἔκστασις altera poëſios cauſſa, 27. a
elegia, ubi pentametrum præcedat, hexametrum ſequatur, 146. b
elegiæ vix continent imitationem, 13. a
elegiæ unde nomen, 146. b. inventor quis, 147. a. quatuor ejus principes apud Græcos, ibid. at tres apud Latinos, 147. b. primitus elegiâ uſi in funebribus: poſtea quoque in amatoriis, 147. b. aliis item, 148. a. at non eſt apta canendis rebus bellicis, ibid. ſed nec Lyrico convenit, 155. a. magiſne elegiaci ad epicos, an lyricos referendi, 150. a. b. elegiæ tibiis canebantur, 149. a. modi Muſici ejus quales, 149. b
elegiacum diſtichon ferè ſententiam abſolvit, 149. a. elegiaci canebant ad menſam, 157. b.
Elephantis, ſive Elephantine, 226. a. b
ἔλεγος, quale canticum, 150. b
elogium Maroni ἐλεγεῖον, 146. b
eloquentia duplex; Oratorum una, altera poëtarum, 7. a. habent ambæ aliquid commune, ibid. utraque exigit, ut quis vir ſit prudens, & bonus, 19. a
eloquentiæ tum Oratoriæ, tum poëticæ, opes ſunt tantæ, ut cum laude idem poſſit argumentum variè, & eleganter, tractare, 154. a
eloquentiæ, tum Oratoriæ, tum Poëticæ, tria principia: natura, quæ educat; ars, quæ dirigit; & uſus, qui ad perfectionem deducit, 173. a. quorum uſus, quia perficit, ſolus facere artificem videtur, ibid. eloquentia nulli ſe totam induſit, 175. b
emboliaria mulier, 123. b
embolium, ibid.
emendatio pars ſtudiorum utiliſſima, 181. b. eâ nihil difficilius, 182. a. aggredienda per intervalla, 182. b. nec nimis diu ei inſiſtendum, ne oratio curâ nimiâ fiat exanguis, ibid.

ἐμπεσεῖν, 78. a
ἐμμέλεια, ſaltatio tragica, 95. b
Empedocles de rerum natura carmine ſcripſit, 8. b. idem philoſophus magis, quam poëta, ibid. poëſis ejus philoſophica, 10. b. res naturales verſibus prodidit, ſine fabularum involucris, 12. b. & tamen ab Ariſtotele ποιητὴν dicitur, ibid. Homeri fuit imitator, 15. b. quare credatur inſiluiſſe in Ætnam, 192 a
Empedocles Agrigentinus, 205. a. 207. b
emporica carmina, 153. b
ἐν πέντε κριτῶν γούνασι, proverbium; & unde ei origo, 190. a
Ena, vide Sextilius Ena.
encomia unde dicta, 151. b
Endeleichus, 257. b
endo, pro in, 166. a
Ennius parco ſumtu Romæ habitat, 25. b. quàm carus Fulvio Nobiliori, Scipioni Æmiliano, & Scipioni Naſicæ, ibid. finxit, ſibi, in Parnaſſo ſomnianti, viſum eſſe Homerum, ac didiciſſe ex eo, ſe animam habere, quæ olim Homeri, poſteaque pavonis fuiſſet, 30. a. Ennius, Acciuſque, rarò ſecundâ, vel quartâ ſede, in jambico ſpondeum admiſere, 94. a. Ennius, quamvis Livius Andronicus ante eum carmine ſit uſus epico, primus tamen in hoc reportavit laudem, 133. b. idem ſemper U pro Y poſuit, ut Fruges pro Phryges, 125. a. idem etiam ex meris ſpondeis verſum fecit; ſed refugit Maro, 138. b. Ennius, Homerus alter, 174. a. ſomniavit Homeri animam tranſiiſſe in ſe, ibid. æmulatus etiam eſt Nævium, ibid.
Ennodius Ticinenſis, 251. a
ἐνθουσιασμὸν quomodo Cicero interpretetur, 28. a. unde eum provenire Plato; unde item Ariſtoteles exiſtimarit, 29. a
enthymema, an exemplum, plus in homine valeat, 27. a. b
Ἠοίων auctor, 202. b
Ephialtes primus cum Otho Muſis in Helicone ſacrificium fecit, 31. b
Ephippus Athenienſis, 214. a
Ephorus tres ſolùm agnovit Muſas, 31. b
Ephraëm, 224 a. b
ἐπὶ ῥάβδῳ ᾄδειν, quid, & quorum, 139. a.
Epibycus, 226. b
epicedium, quid, 153. a
Epicharmus, 207. b
Epicharmus Siculus, in Inſulâ Co exulans, primus Comœdias feciſſe dicitur, 104. a. quando, & quàm diu vixerit, 112. b. pro exemplo fuit Plauto, 174. a
epico in carmine qui imitandi, 175. a
Epicrates Ambraciota, 214. a
epicum carmen quale eſſe debeat, 9. a
epicum carmen antiquius eſt bello Trojano, 133. a. ejus quis auctor, ibid. epici Græcorum poëtæ præcipui quinque, ſecundùm Tzetzem, 133. b. totidem his Latinos opponunt, ibid. epico in poëta quatuor requiri; metrum hexametrum, narrationem fabuloſam, ſed ex hiſtoria promanantem, & dictionem heroum geſtis convenientem, 131. a. quomodo hic multis; quomodo unam tantùm dicatur exponere actionem, 134. a. planè attendit τὸ πρέπον; eoque magis eſt philoſophus, quàm hiſtoricus, 136. a. idem omnia ſuo nomine loquitur, 132. a. epici poëtæ qualis narratio, 74. a. non eſt ſollicitus de modis Muſicis, 139. a
ἐπαιρόμενοι ἄρχοντες, 20. a
Epicurus omnes rejiciebat poëtas, ut Reip. noxios, 19. b. 217. b
Epigenes Sicyonius, Dorienſium opinione, primus tragicus fuit, 85. a. 216. b
epigrammata nullam ferè habent imitationem, 13. a
epigrammati unde nomen, 161. b
epigrammatum ſcriptores ante Cæſarum dominatum nominatim perſtringere quoſvis ſolent: poſtea non eâdem ſeduciâ, 163. b. 164. b. epigrammatis dictio, ibid. epigramma refugit lenocinia, & delicias verborum, ibid. cujuſmodi metro ſcribantur epigrammata, ibid. epigrammatum duo genera: unum ſimpliciter aliquid indicans; alterum ex aliquo quippiam colligens: & quomodo poſterius genus in alia dividatur, 161. b. 163. a. epigrammatis tractandi modus, 163. b. epigrammatariorum jam ante Catullum laus, 164. b. ingenia eorum poſt Auguſti tempora a priſca ſimplicitate receſſerunt, ibid.
ἐπιγράφειν, epigramma ſcribere, ibid. epigrammatis vox nunc laxiùs, nunc ſtrictiùs ſumitur, 165. a. epigramma eſt quodvis breve carmen, aliquid indicans, vel ex propoſito aliud diducens, 162. a. b. quam illud habeat cum aliis poëmatis cognationem, ibid. epigrammatis primordia, 161. b. & progreſſus, 162. a. quandoque ſolùm unius eſt verſiculi, ibid. falluntur interim, qui ſummùm trium eſſe verſuum arbitrantur: in quibus Cyrillus poëta, 162. b. vel IV verſuum; ut Sidonius Apollinaris, ibid. at neutiquam debet excreſcere in magnitudinem elegiæ, ſimiliſve poëmatis, ibid. epigrammatis materies quàm latè pateat, 164. b. epigrammatis redduntur cives meliores, 165. a. ut eorum ſcriptor illud poſſit, quo nihil meliùs valet philoſophus, ibid. epigrammatis ſua eſt lingua; hoc eſt, mala, 103. a. cavendum interea, ne illa damno ſit, vel publico, vel auctori, ibid. epigrammata commendantur melle, ſale, aceto, 164. a. ſimilia ſunt apophthegmatis, ibid. aculeum in fine relinquunt, 164. b
ἐπιλήνιοι, 118. b
Epimenides Cretenſis, 201. b
ἐπιμύλιος ᾠδή, 150. b
epinicii qui cantus, 152. a
Epinicus, 226. b
ἐπίφαλλος, inter nomos tibiales, 150. b
ἐπιπομπευτικὰ carmina, quæ, 153. a
ἐπίρρημα quid in choro, 96. a
epiſodium quid, 56. a. quomodo Ariſtoteli definiatur, 77. a. quare ſic dicatur, ibid. epiſodia, & epiſodicæ fabulæ, quomodo differant, 57. a. epiſodia, & embolia, an in re ſcenicâ ſint diverſa, 123. a. cujuſmodi epiſodia eſſe conveniat, 56. a. ubi iis in fabula inprimis ſit locus, 56. b. & 64. a. digreſſionibus maximè conveniunt, ibid. quando fingenda, & unde arceſſenda, & cujuſmodi ea eſſe conveniat in tragœdiis, 98. a. epiſodia in epopœia cujuſmodi ſint, 74. b. quæ epiſodia Æneidos: quæ item Odyſſeæ, & Iliados, 56. a. epiſodia quando liceat fingere in temporibus longè diſſitis: quid item illa tragœdiæ, & epopœiæ, habeant commune, 136. b. ſingula epopœiæ epiſodia poſſunt eſſe tragœdiæ argumentum, 131. b. 133. a. 137. b
epiſtaltica carmina, 153. b
epiſtola interdum à poëta præmittebatur tragœdiæ ad drama populo commendandum: cumque tragicorum morem imitatus eſt Martialis in epigrammatum libris, 98. a. b
epitaphium unde dictum: ac quandoque id eſſe epigramma, at non ſemper, 165. b.
ἐπιτάφιος λόγος Aſpaſiæ tributus apud Platonem: qui ſic placuit Athenienſibus, ut quotannis publicè recitaretur, ibid. epitaphium, quod ſimul foret epigramma, brevitate commendabatur: ac interdum conſtabat verſu uno, ibid. ſæpius diſticho comprehenſum, ibid. rariùs triſticho conditum invenias, 166. a. uſitatiùs conſtringebatur tetraſtico, ibid. apud Romanos quoque pluribus, 166. b. epitaphiorum argumentum unde petatur, ibid. improbantur ea, quæ in numen, vel pro numine habita invehuntur, ob mortem immaturam, ibid. epitaphiorum literæ minio tingebantur, 176 a. epitaphia cur Romani proſâ maluerint exarare, quàm carmine, 165. b
epitaſeos munus, 76. b. definitio, ibid. laxiùs eâ voce uſi fuere veteres, quàm Cæſar Scaliger, ibid.
epithalamium quid, 153. a
ἐπῳδὸς, tertia odæ pars, 155. b
ἐπῳδὸς in tragœdia qualis, 95. b
epopœiæ definitio, 131. a. materia, ſive perſonæ, & res, ibid. forma, ſive metrum, & imitandi ratio, 131. b. 132. a. utrùm pertineat ad poëſin διηγηματικὴν, an μικτὴν, ibid. quomodo conveniat cum tragœdia, ibid. quo pacto ab eâdem differat, ibid. utra præſtet, deque eo Platonica opinio Ariſtotelicæ prælata, 132. b. 133. a. epopœia quo differat, ab hiſtoriâ, 134. a. ejus magnitudo, & diſpoſitio, 137. a. b. ejuſdem partes tres; propoſitio, invocatio, & narratio, 134. a. epopœia in eo diſtat à dramate, quòd hoc unius diei actionem exponat; epopœia anni, vel biennii, 64. a. imò epopœia temporis dicitur indefiniti, 73. a. 132. b. epopœia quænam præſtantior, 136. b. ejus elocutio, 137. b. gaudet tranſlatis, & peregrinis, ibid. voce, non ad lyram, canebatur, 139 a
ἔπος generatim, pro quolibet verbo; ſtrictè, pro poëmate; ſtrictiùs, pro hexametro; ſtrictiſſimè, pro eo, quod canit res geſtas heroum, 131. a
equi cum Achille diſſertantes, 46. b
equos paſcentium cur nulla habita ratio in carmine bucolico, 139 b
equus ligneus cur à Græcis fabricatus, 47. a
equus publicus Romanorum, 52. a
Eraſmus deceptus, cùm Iliadem ad Tragœdiæ, Odyſſeam ad Comœdiæ imaginem, factam arbitratur, 27. b
Eratoſthenes, 218. b. quantopere poëtas contemſerit, 20. a
Ericus Altiſſiodorenſis, 253. a
Erinna, 214. a. inter novem lyricas, 157. a. patria ejus, ibid.
Erotiani locus expenſus, 186 a
Ethelwolphus Bernicius, 252. b
ἦθη, & ἠθικὸς λόγος, vide Mores, & Morata oratio.
Ethici pro ſatyricis, 143. b
Euages, 216. b
Euangelus, ibid.
Euanthes, ibid.
Euanthius diſſertationis de tragœdiâ & comœdiâ auctor, 75. b. quando is vixerit, & quanti nominis fuerit, ibid. idem fortè emendatus, 116. a. mimum, & planipediam, pro diverſis habet fabulis, 110 a
Eubulus Cettius, 213 a
Euchemerus, 216. a. b
Eudæmon Peluſiotes, 212. a
Eudemus, 226. b
Eudocia, 221. b
Eudoxus Cnidius, 213. a
Euenus, 209 b
Euetes, Euxenides, & Mylus, Comici poëtæ, Epicharmi æquales, 106. a
Eugenius Phryx de metro tragico, 94 a
evidentia duplex, ſecundùm Simplicium, 21. a
εὐκτικὰ carmina quæ, 153. a
Eumelus, unus è poëtis Cyclicis, 88. b. 200 b
Eumolpus, 199 b
Eunapius emendatus, 187 b
Eunomianus, 213. b
Euodus Rhodius, 244. b
Euphantus Olynthius, 211 a
εὐφημίας ὀνομασία, 188. a
Euphorio, Æſchyli tragici filius, paternis fabulis à ſe emendatis quater vicit, 85. a
Euphorio, 208. b
Euphorion Chalcidenſis, 218. b
Euphron, 216. b
Euphronius, ibid.
εὐφυΐα poeticæ eſt origo, 27. a. ubi eâ inprimis ſit opus, 27. b

Eu-

Eupolis, 209. a. b. ob Baptas ſcriptas, ab Alcibiade, & aliis, mari eſt ſubmerſus, 113. b.

Euripidem, excellentis licet ingenii poëtam, in multis tamen ridet Ariſtophanes; arguit Ariſtoteles, 15. a. non tam defuit ei natura, quàm ars, ibid. ab Ariſtotele reprehenſus, quòd putârit, Ætolis ſiniſtrum pedem fuiſſe nudum, 15. b. à Socrate adjutus in tragœdiis ſcribendis, 20. a. ab Apollinis oraculo laudatus, 25. a

Euripides, 208 b. 210. a. quantum ætate, tum Æſchylo, tum Sophocli, ceſſerit, 86. b. ejus Iphigenia argumenti eſt ſimplicis, 68. a. duplicem ſcripſit Iphigeniam, unam in Aulide, alteram in Tauris. ejus Iphigenia in Tauris commendatur ἀναγνωρισμῷ, 67. b. error ejus de cornuta cerva, oblatâ pro Iphigenia, 53. b. unicum ejus poëma ſatyricum ſupereſt, 100. b. Euripides, & Sophocles, eo differebant, quòd ille effingeret homines, quales ſunt; hic, quales eſſe oporteret, 49. b. eſt ubi Euripides vincat Sophoclem; eſt ubi ab eo vincatur, 86. a. Homerum, & Euripidem, pro exemplo poſuit Crantor Solenſis, 86. b. Euripides in Medea potiùs imitandus, quàm Carcinus, 88. a. in Satyrico poëmate rectiùs tenui uſus eſt ſtylo, quàm Æſchylus grandi, 100. b. an tribuenda ei conſummata Tragœdiæ gloria, 86. a. cur in Phœniſſis ſic moveat affectus, cùm agit de OEdipode in exilium conjecto, 94. b. qualis Euripides Ariſtoteli videatur, 88. a. arguitur ejus, quòd ſubinde parùm veriſimilia fingat, ibid. Philoſophanti, & Oratori, utilior eſt, quàm Sophocles, ibid. quomodo in Helenæ fabula à prioribus receſſerit, 57. b. idem reprehenſus, quòd Telephum induxiſſet mendicum, 92. b. vitio ei verſum, quòd vitioſiores Oreſtis mores expreſſerit, 59. b. ſeq. quomodo ſe defenderit, cùm eum criminarentur, quòd Phædram, Jocaſtam, aliaſque mulieres ſceleſtas, induxerit in ſcenam, 88. a. Euripidis error in Hippolyto; quem ſecutus Seneca, 51. a. peccat ſententiarum copiâ; quem dum Seneca vincere conatur, magis delinquit, 61 b. malè Ulyſſem ejulantem facit, 60. b. malè & Hecubam inducit intempeſtivè ejulantem, ibid. vitioſum etiam Ariſtoteli creditum, quòd Menalippe apud eum, ex Anaxagoræ ſententia, philoſophatur, ibid. fortaſſe &, cùm inducit Eteoclem jus omne aſpernantem, ibid. adhæc quòd in Iphigenia non ſervet morum æquabilitatem; ſuper quo tamen idem excuſatus, ibid. & 61. a. etiam peccat, cùm in Phœniſſis Jocaſtam inducit vaticinantem; quæ nec vates eſſet, nec à vatibus haberet, quæ diceret, 89. a. interdum quoque migrat officium chori: quod rectiùs exſequitur Sophocles, 78. a. quandoque nec dictio ejus ſatis aſſurgit, 93. a. quomodo ſe excuſârit, ab Hygiænonte ob impium accuſatus ſermonem, 49. b. idem, Archelao rege poſcente, ut de ſe tragœdiam faceret, rogavit Deos, ne unquam accideret regi tragœdiâ dignum, 90. a. quandoque pugnantia ſcribit, nec bene fabulam diſponit: quod variis oſtenſum argumentis, 50. a. b. idem in Phœniſſis malè Jocaſtam inducit futura exponentem, cùm ipſa pars ſit dramatis, 94. b. Euripidis Latinus interpres culpatur, quòd ἅρμα reddat torquem; cùm notet haſtile, 51. a. Euripides ſæpiuſcule in moribus effingendis peccat, 178. b victus nonnunquam ab ignaviſſimis, 190. a

Euſebius Scholaſticus, 222. b

εὐκόσμητος tragœdia laudatur, 98. a

Euterpe, Muſarum una, chori dicitur tragici inventrix, 99. a.

Euthycles, 226. b

Euthydemus, 226. b

Eutychiani junioris error de poëticæ, & hiſtoriæ, diſcrimine, 44. b

examen ſui, quàm neceſſarium, antequam aliquid aggrediamur, 44. a

exegetica poëſis quæ, 69. b. in eâ principem meretur locum Epopœia, 231. a

exemplo poëtæ eſſe debet, non hic vel ille; ſed idea boni, rectique; quæ ſola perfecta eſt, & æterna, 60 a

exemplum imitandi aliud perpetuum, aliud arceſſitum, 175. b

ἕξις quomodo interpretetur Quinctilianus, 173. a

exodium quid, & qui exodiarii, 122. b. Atellanica exodia ſimilia erant ſatyris Græcorum, 123. b. eorum joci condiebantur gravitate Italicâ, ibid. quâ occaſione cœperint exodia apud Romanos, 143. a

ἔξοδος Ariſtoteli, quod aliis cataſtrophe fabulæ, 77. a

ἐξωμίς, cujuſmodi veſtis, 116. a

exordio epico brevitas convenit, 134. b

Ezechiel, 226. b. religionis Judaicæ poëta tragicus, drama fecit Græcum de eductione Iſraëlitarum ex Ægypto, 91. b.

F.

FAbius Doſſenus Comicus, 107. a

Fabius Quinctil. cùm novem prioribus libris artis Rhetoricæ præcepta eſſet complexus, quare decimo aggrediatur illa, quæ ad uſum pertinent, 173. a. b

Fabius Dorſenſis, 257. b

fabula de ramo aureo an myſticum quid ſignificet, 46. a. de Perſei expeditione refellitur ab Agatharchida, 46. b

fabulæ οἰκονομία quomodo & fit, & non fit, veræ actionis, 17. b. fabularum uſus varii, 20. b. quibus proſint, ibid. vulgum non corrigunt, ſed corrumpunt, ibid. opera naturæ per allegoriam indicant, 21. a. cur antiqui maluerunt involvere iis arcana naturæ, quàm ea tradere apertè, ibid. non quævis pueris diſcendæ; ſed quæ moribus conducunt, ibid. fabulis multi ad bonam frugem revocantur, 23. a. rudia etiam iis juvantur ingenia, 24. b. fabulæ ἦθος, 70. b. fabulæ definitio juxta Ciceronem, Aphthonium, Ariſtotelem, 45. a. multæ poëtarum fabulæ primâ facie perabſurdæ ab Agatharchida concervatæ, 46. b. 47. a. fabularum ſcriptores vocati doctores, 72. b. fabulæ, & hiſtoriæ, diſpoſitio diſcrepat, 62. a. b. fabula priùs à poeta concipitur ſimpliciter, ſic ut una ſolùm actio obverſetur: hinc eadem epiſodiis, & digreſſionibus, augetur, 55. a. in ſimplici conſtitutione attenditur ejus tum connexio, tum ſolutio, 55. b. quæ duo tranſitu connectuntur, ibid. & 56. a. fabulæ exodia cujuſmodi, ibid. & ſeq. fabula quæ exodica Ariſtoteli dicatur, 57. a. fabulæ ſolutio bifariam fit; ex ſe, & è machina, ibid. ex ſe ſolvi dicitur, quæ exitum habet veriſimilem, vel neceſſarium, 57. b. optimè fabula ſolvitur per commutationem, vel agnitionem; & quàm variè id fiat, 58. a. b. fabula ſi à nemine fuerit antea tractata, licet pro arbitratu fingere ea, quæ ad connexionem, & ſolutionem, pertinent, 97. b. imò, fabulâ necdum receptâ, etiam in primaria actione à prioribus licet diſcrepare, 86 b. ſin fabula fuerit recepta; non immutanda eſt fabulæ conſtitutio; licet fuerit abſurda, 88. a. fabularum aliæ veriſimiles, ut poëticæ: aliæ non item, ut apologi, 45. a. Macrobio prius genus non tam fabula, quàm fabuloſa narratio, cenſetur, ibid. fabula alia ſimplex, & expedita; alia implicita, & connexa, 67. b. ſimplex nec περιπέτειαν, nec ἀναγνώρισιν, habet: qualis Sophoclis Ajax Flagellifer, Plauti Aſinaria, & quædam aliæ, ibid. eſtque hujuſmodi fabula magis naturalis: ſed niſi arte condiatur, minùs delectat, ibid. fabula implexa, & περιπέτειαν, & ἀναγνώρισιν, vel alterutram ſaltem, obtinet, ibid. Jucundior autem, ubi ambæ concurrunt, ibid. altera eſt fabulæ diviſio in ſimplicem, ſive eam, quæ ſimplicis eſt conſtitutionis; & duplicem, ſive duplicis conſtitutionis, 68. a. tertia fabulæ diviſio in moratam, patheticam, & mixtam, ibid. fabulæ apud Romanos aliæ erant palliatæ, aliæ togatæ, 78. b. togatæ quando cœperint, ibid. eas primus ſaltavit Stephanio, ibid. fabulis prætextatis non fuiſſe actum de pueris, & puellis prætextatis, 79. a. comœdiis, an tragœdiis, ſint accenſendæ, ibid. unica hodie ſupereſt, Octavia, Senecæ perperam attributa, ibid. fabulæ Rhintonicæ dramati affines erant, 103. a. unde iis nomen, ibid. fabulæ partes; connexio, & ſolutio. illa ſe extendit, uſque dum eſt fortunæ immutatio: hæc reliquum continet, 55. b. ambæ connectuntur μεταβάσει, ſive tranſitu, ibid. hiſce ita conceptis, dilatatur fabula epiſodiis, & digreſſionibus, 56. a. fabulæ partes ratione quantitatis duæ; diverbium, & choricum, 75. a. in quibus conſiſtat pulchritudo fabulæ, 68. b. fabula ſcripta movet legentes: ſed acta magis affectus ciet, 74. a. fabulæ dramaticæ è plauſtris agebantur, 85. a. fabulæ ejuſmodi præmittebatur non ſolùm nomen poëtæ; ſed etiam actoris; imò & illius, qui modos feciſſet, 116. a. pro fabulæ argumento variabant modi, 81. a. 115. b

fabulo quis, 71. a

Facelina Diana, 140. a

facetus, 259. b

facinora ab ignorantibus, & gnaris, commiſſa, quomodo differant, 90. b. fœda & atrocia, quare non ob oculos in ſcenâ poni debeant, ibid.

factores qui ſint Catoni, 8. a. qui Plauto, ibid.

factus quid Varroni, 8. a

famam utrùm ſequi, an hiſtoriam, in dramate præſtet, 59. a

Fannius, 241. a

Fauſtus, 245. b

Fauſtus Andrelinus poëta qualis, 43. b unica in ejus poëmatis ſyllaba deſideratur, ibid

fecibus cur ora perleverint, ante repertas perſonas, 83. b

felicis eſt vel partem aliquam recipere doctrinæ, & eloquentiæ, 175. b

Feneſtella, 243. a

Ferius Hilpericus, 252. b

Feſcennini verſus ante ſatyram erant in uſu, 32. a. quales initio, 142. b

feſiæ, pro feriæ, 10 a

feſti dies inſtituti, tum ad numinis cultum, tum ad animi hilaritatem, 71. a. eſſe dies feſtos à natura, vel numinis miſericordiâ, ibid.

Feſti locus emendatur, 133. b

Feſtus Avienus, 248. a

fictionis poëticæ non mendacia dici merentur, cùm veriùs ſint figuræ dictionis; ſecundùm B. Auguſtinum, 45. b. fictionis poëticæ in ſimplicem, & fabuloſam, partitio, 54 b. quæ in fabuloſâ conſiderentur, ibid. quomodo ad quatuor genera revocentur ab Hermogene, ibid. & 55. a. priùs ſimpliciter fingitur fabulâ; deinde epiſodiis, & digreſſionibus, ornatur, ibid. fictis rebus ficta convenit dictio, 64. b. fictis cur magis gaudeant poëtæ, 45. a. b. vide figmenta.

fidem adhibere, pro credere, perperam dicitur: ac quæ verâ eorum verborum ſignificatio, 177. a. fidem ſuaſori habemus, ſi eum credamus tum prudentem; qualis bene judicat: tum probum, ac benevolum; qualis velit bene ſuadere, 183. b. cur interim nec talium judicio ſtare ſemper conveniat, ibid.

fidium pulſus ſuavitatem lyricorum auget, 155. b
figmenta poëtarum cujuſmodi eſſe conveniat, 46. a. figmenta nova prioribus eſſe conſentanea oportet, ibid. figmenta poëtarum, & populi differunt, 45. b
fingenda potiùs veriſimilia, quàm ſolùm poſſibilia: & ex veriſimilibus præſtant, quæ ſæpius, quàm quæ rarò, contingunt, 46. a. interdum tamen rarò obtingentia præferuntur; quia majorem gignunt admirationem, ibid. fingendi poteſtas quanta ſit poëtis conceſſa, 45. a. b. fingere conceditur epico incredibilia; tragico non item, 132. b. fingere ſecuriùs licet in fabula, quam ante nos tractârit nemo, 97. b
fiſtula bucolicorum unde fieret, 141. a
Flavius, 249. a
Floretus, 254. a. 259. b
Florus, 246. b
Fontanus, 241. b
fontes tres, ſpiritum inſpirantes poëticum, 29. b
Fracaſtorii Siphylis, 51. a. ejuſdem lapſus, *ſcarum*, & *ſqualum*, confundentis, 4. b
Fracaſtorius de morbo Gallico, 17. a.
Franc. Lindenbrochius, 75. b
Franciſcus Floridus injuriâ Horatium Juvenali poſtponit in ſatyra, 145. a
Franciſcus Petrarcha, 255. a
Franciſcus Philelphus, 256. b
Friſchlinus malè Iſmaëlem, & Chamum in Rebecca ſua, per Caſtorem, qui aliquot ſeculis poſt Iſmaëlem vixit jurantem inducit, 52. b
Fulbertus Carnotenſis, 253. b
Fulgentius, 146. a. 250. a
Fulvii Nobilioris erga poëtas, & præſertim Ennium, amor, 25. b
Funebre argumentum quomodo ordiendum, 148. b
Furii annales, 17. a
Furius, 234. a
Furius Bibaculus, *vide* Marcus Furius Bibaculus.
furoris poëtici nomine quid intelligatur, 27. a. præter vulgarem furor eſt quadruplex; vatum ille à Phœbo; myſticus à Baccho; poëticus ab Apolline, & Muſis; amatorius à Venere, & Cupidine, 28. a. b. furoris poëtici vis ex Agathia, Platone, Ariſtide, 28. b. 29. a. provenit is à quinque cauſſis, 29. a. b. furorem in poëta quid appellent; & tralatitium eſſe uſum ejus vocis, 29. b
Fuſcus, *vide* Auguſtus Fuſcus.
Fuſii, pro Furii, 10. a
fuſtuario puniti, qui carmen ſcriberent infame, 113. b
futurorum prædictio quibus tribuenda, 89. a

G.

GAlli priſci hiſtoriam carmine ſuæ gentis reliquerunt, 11. b. Ineuntes prœlium canebant, ululabant, tripudiabant, 12. a
Galliambi proximè ad dithyrambos accedebant, 159. a
Gallienus Cæſar, 247. b
Gallus Milo, 253. a
Gamphredus, 259. b
Gannius, 257. b
Gaſpar Sardus, perperam Dialecticæ partem ſtatuit Poëticam, 19. a
Gela quando condita, 51. b
Gellius, ſive malis Agellius, ad Comicam dictionem multùm accedit, 109. b. ejus ἀδολεσχία, Romanum in epigrammatis, leporem illi Græcorum conferentis, 148. a
genealogiæ ſcriptoribus, & quorum poëmata omnium temporum geſta, aut fabulas comprehendunt, licet varias perſequi, & connectere actiones, 63. a
gentiles ipſi ſpurcos ſcriptores damnârunt, 179. a
gentilium numina an fas alloqui poëtæ Chriſtiano, 166. b
Gentulicus, *vide* Lentulus Gentulicus.
genua Deorum incerare, quid ſit Juvenali, 190. b
Georgica carmina, 153. b
Georgius Piſides, 224. a
Germani priſci heroas ſuos celebrabant carminibus, quod unicum illis annalium genus; partim ad memoriam rerum conſervandam, partim ut animos accenderent ad virtutem, 12. a
Germanicus Cæſar, 221. a. 242. b
Gildas Albanius quando claruerit, 17. b
Gildas Batonicus quo tempore vixerit, ibid.
Gildaſius Brito, 249. b
γίγγρας Phœnicibus idem, ac Adonis, 150. b. inter cantica, ibid.
γιγγρεῖαι, ſive γίγγροι, 149. a
gingrina tibia, 150. b
gingritor, tibicen, ibid.
Glandorpius refellitur, 124 a
Glaucus, numen marinum, quo veſtis habitu repræſentaretur, 126. a
γνῶμαι odas exornant, 154. b
gnomologica carmina, 153. b
Godelbertus, 251. a
Gordianus Cæſar Pater, 247. b
Gorgiæ dictum de modo alios refellendi, 144. a
Gracchus, 237. b
Græci cur potiùs æmulandi, quàm Latini, 175. a
Græcorum conſuetudo leges, & decreta publica ad lyram canendi, 17. b. quare ſtudia à fabulis ordiri ſoleant, capiant, 23. b. immeritò ſibi vindicant primam inventæ poëſios gloriam, 31. b
grallatores qui, 102. a
grammatica nomen tragœdiæ mixtæ, 97. a
graſſatores, pro poëtis, 22. a. 25. a
Gratianus Cæſar, 248. a
Gratius, 240. b
gravitas, præcipuum in Epico poëta, 154. b. gravitas perſonæ ſpondiaco verſu exprimitur, 138. b
Gregorius Nazianzenus, 222. a
Gronovius, 154. a
Gualtherus Caſtellionius, *vide* Philippus Gualterus Caſtellionius.
Guarinus, *Paſtoris fidi* ſcriptor, ab Jaſone Denoris iniquè reprehenſus, 104. a
Guido Ambianenſis, 254. a
Guido Ferrarienſis, 255 a
Guidus, ibid.
Guilielmi Canteri judicium de Ovidii Metamorphoſi, 137. a
γυμνοπαιδικὴ qualis ſaltatio, 155. b
Guntherus, 254. a
Guntherus Elnonenſis, 254. b
γύπωνες iidem ac calobathrarii, 102. a

H.

HAdrianus Cæſar Romæ exſtruxit Athenæum, 184. b
harmonia in choro, Doria, vel Hypodoria; Phrygia, vel Hypophrygia; Lydia, vel Mixolydia, 81. a. harmonia tragica duplex, 96. a. aliis, quadruplex, ibid. harmoniæ muſicæ varii modi, 159. a. harmoniæ in choro plures recenſentur, 81. a
haſtæ dormientium quo pacto fuerint humo infixæ, 53. b
Hebræorum poëſis cujuſmodi; atque ut in ea rhythmus, non metrum, obſervetur, 30. b
Hecuba exemplum viciſſitudinis in rebus humanis, 22. b. eadem typus callidi conſilii, ibid. in canem converſa, 46. b
hederâ cur poëtæ coronarentur: nec quavis tamen id fieri ſolere; ſed eâ, quæ nigris foret corymbis, 24. a. vim habet refrigerandi, 24. b. libidinis eſt ſymbolum, ibid.
Hedylogus Samius, 226. b
Hegemon de bello Leuctrico, 17. a
Hegemon Thaſius, poëta Comicus, exprimebat viles, 69. b. 226. b
Hegemon Epicus, 226. b
Hegeſianax, ibid.
Hegias, ibid.
Helena agnoſcit ſibi caninos fuiſſe oculos, eò quòd Paridem ſit ſecuta, 49. b
Heliconis mons unde dictus; cur Muſis ſacratus; cur Heſiodus finxerit ſe in eo, dum pecus paſcit, factum poëtam, 30. a
Heliodorus quodammodo poëtis annumerandus, 9. a. 226. b
Helpis, 251. a
Helvius Cinna, *vide* Cinna.
Hemitheon Sybarita, 220. a
Heniochus, 226. b
Heraclides Ponticus, 215. b. non diſtinxit inter Homeri laudes, & culpas, 10. a
Heraclides Poëticus, 226. b
Heraclitus, ibid.
Heraclitus Epheſius, 205. a
Heraclitus Halicarnaſſeus, 217. a
Hercules Muſagetes, 25. b
Hercules ollâ vaſtâ emetiens maria, 46. b idem quomodo à pantomimis repræſentatus, 126. a. Hercules Licymnius tragicocomœdia, 79. a
Hercules Oetæus Senecæ nihil ad Sophoclis Trachinias, 175. a
Herennius quare librum ſuum ad Galienum inſcripſerit de rege poëta, 19. a
Hermeſianax Colophonius, 226. b
Hermioneus malè poëtis annumeratur ab Andrea Schotto, 152. b
Hermippus Comicus, 207. b. 214. a
Hermodotus, 217. a
Hermogenes ſenſit, poëticam ad voluptatem collineare, tanquam finem, 20. a. quomodo fabuloſos conceptus ad quatuor referat genera, 54. b. 55. a
Herodici Perinthii deſcenſus ad inferos malè Orphei putabatur, 31. b
Herodoti ætas, 156. b
heroicum carmen adhibitum ad τὸν νόμον, Apollinis hymnum, 152. b
Heroum animæ, etiam in furore, aliud ſpirant, quàm vulgares, 22. b
Heſiodus, 199. b. 200. a. σοφιστὴς à Cratino vocatus, 8. a. eum commendant utilitas, & voluptas, 18. a. in Θεογονίᾳ non poëta, ſed theologus, 18. b. cur, pecus in Helicone paſcens, poëta dicatur evaſiſſe, 30. a. errat, cùm fingit aquilam bibentem aquam, 53. b. à rege Panœde Homero prælatus, 190. b
Heſtiæa, 225. a
Heſychii locus de Bardis correctus, 12. a
Heſychius emendatus, 149. b. 190. b
hexametrum quibus rebus conveniat, 131. b
Hiarnus, ob poëſios peritiam, rex à Cimbris conſtitutus, 26. a
Hiero à Simonide commendatus, 25. a
Hieronymi de metro tum Hebræorum, tum Pindari, error, 30. b
Hieronymus Vida, 257. a. artificioſiſſimè de arte poëtica egit, 15. a
Hilarius Pictavienſis, 248. a
hilarodia an ad mimos pertineat, 120. a. hilarodus quo habitu proceſſerit, 103. b
Hildebertus, 254. a
Hildephonſus Toletanus, 252. a
Himerius Sophiſta, ſub Iuliano, 187 a
Hipparchus, 204. a
Hippicus, *vide* Ibycus.
Hippocrates cur pileatus, 96. b
Hippocrenes fons cur Pegaſi ungulâ apertus, & idem hauſtus, poëtas facere, creditus ſit, 29. b
Hippolytus documentum pudici, & ſeveri adoleſcentis, 22. b
Hipponax, 204. a
Hipponax Epheſius claudicantem verſum jambicum excogitavit, 160. b. ejus amarulentia verſuum in Bupalum, & Anthermum, ſculptores, 161. a
Hipys Rheginus, 204. a.
hircus, quia vinearum hoſtis, mactabatur Baccho: atque idem præmium ejus, qui

qui in dramatis viciſſet: ac quando is mos cœperit, 83. b. 94. b

Hiſpanorum acuta ingenia, in ſcribendis epigrammatis, à priſcâ ſimplicitate receſſerunt, 164. b

hiſtoria à poëſi unum differat, niſi modo dictionis, 10. b. defenditur hoc contra multorum ſententiam, ibid. ſi è proſa fiat carmen, hiſtoriæ nomen retinet, ibid. ejus anima veritas eſt; non genus dictionis, ibid. carmine etiam tractatur, 17. a. hiſtoria poëſios fundamentum, 87. b. hiſtorico quantum debeat epicus, 136. a. hiſtoria, & epopœia, multas referunt actiones; ſed cum hoc diſcrimine, quòd hiſtoria id faciat ſine diſcrimine; epopœia non alias memoret actiones, quàm quæ ad unam referantur, 134 a. quandoque autem, ſed raró, unam etiam hiſtoriæ actionem proponi, ibid. hiſtoriæ per ſatyram ſcriptæ, 146. a

hiſtoricorum ſeges, ſubitâ proveniens occaſione belli Armenii, temporibus Antonini Cæſaris, 183. a

hiſtoricus, an poëta, propiùs ad philoſophum accedat, 22. a. b

hiſtrionis vox an originis ſit Latinæ, 125. a. Latini ſuos hiſtriones acceperunt à Thuſcis, ut hi à Lydis, 126. b. hiſtrionum numerus, & munus, 82. a. hiſtriones duo primùm ab Æſchylo inducti, 85. a. b. tertius tragœdiæ à Sophocle acceſſit, ibid. ſi hiſtriones peccarent, exſibilabantur, 82. a. antequam perſonas adſumtère, fecibus ora oblinebant, ibid. apud Romanos nullâ in tribu erant: eoque nec honores poterant conſequi in Rep. 83. a

Homeriſtæ qui, 77. b

Homerus, 199. b. 200. a. σοφιστὴς dictus à Cratino; 8. a. cum Heſiodo commendatur, quia utile miſcuerit dulci, 18. a. cur à Platone è ſua exterminatus Republ. 20. a. non tam expulſus à Platone, quàm cum honore dimiſſus, 20. b. meliùs virtutem docet philoſophis, ſecundùm Horatium, 22. b. in Iliade exprimit heroëm bellicoſum; in Odyſſea prudentem, ibid. malè quidam putant, eum Iliada, inſtar tragœdiæ; Odyſſeam verò, comœdiæ ſimilem feciſſe, 27. b. Ilias ejus, & Odyſſea, quomodo differant, ibid. Homerum omnes Græciæ regiones obiiſſe unde colligatur, 137. b. eo in opere perfectiſſimus dicitur Vellejo, cujus primus eſſet auctor, 161. a. verſus ejus tubâ magis, quàm lyrâ, canendi, 139. a. phialam ſibi dono datam Phœbo cum inſcriptione conſecravit, 162. a. quorundam judicio Maronem vincit οἰκονομίᾳ, 133. b. Deos, uti & Plato, ac Stoici, fato ſubjicit, 47. b. malè audit ob figmenta de Diis, ibid. ſiquidem Diis exilia hominibus ingentia tribuit; atque ita ex hominibus facit Deos; homines verò ex Diis; de quibus nec loqui veretur tanquam ſuibus: ob cujuſmodi etiam ab Iſocrate, & Cicerone reprehenſum, 48. a. b. minùs interim in culpa eſſe Homerum, quàm Orphea; qui eâ parte præivit Homero, 48. b. 49. a. Homerus impiè loquentes inducit, ſed furentes, vel iratos, 49. b. Homericæ Odyſſeæ, & Iliados, argumentum, 55. a. quæ utriuſque poëmatis actio ſit primaria, quæque epiſodia cenſenda, 56. a. Homerus Iliade tragœdiæ; Odyſſeâ, comœdiæ, imaginem dicitur condidiſſe, 72. a. & 109 a. ſed ſi Homerus ad Comœdiam præivit, non id factum Iliade, ſed Margite, 72. a. 105. b. At verè tam Odyſſeâ, quàm Iliade, eſt tragicorum parens, 93. a. 132. b. idem in Odyſſea interdum accedit ad σκηνογραφίαν, 99. a. Iliada à decimo demum anno rerum ad Trojam geſtarum auſpicatur, 63. b. Odyſſeam quoque penè ab ultimis inchoat, ibid. Homerus ab Ariſtotele, & Philoſtrato, Jure reprehenſus, quòd ſapientiſſimum Ulyſſem ſic finxerit inebriatum, ut neſciret, quomodo à Phæacibus ad Ithacenſes litos deveniſſet, 50. a. idem poëta à Zoilo Amphipolita reprehenſus fuit, quòd juſſerit ſapientiſſimis viris meracius vinum propinari. Sed de iſto à Plutarcho excuſatur, 49. b. falſus poeta in eo, quòd putârit, ter quotidie maris æſtum contingere, 53. b. Homerus, an Attius poëta rectiùs Achillem deſcripſerit, 42. a. b. an Homerus in Hectoris fuga ſapienter expreſſerit Achillem, 50. a. Homerus etiam habuit, quos imitaretur, 174. a. eum imitati Epici, Tragici, Lyrici, etiam è Latinis, ibid. quâ parte non ſequendus, 178. b. ejus cum Heſiodo certamen, 189. b

Homerus junior, filius Merûs, quando vixerit, 86. b. 218. a

Honorius Papa, 252. a

Horatii epiſtola ad Piſones jam olim de Arte inſcripta, 15. a. ejus parum accurata eſt οἰκονομία, 32. b. Horatii laudes, 157. a. eſt lyricæ ſuavitatis dux, 155. b. quæ odæ ejus ſint omnium ſuaviſſimæ, ibid. non odarum, ut vulgò nuncupant, ſed carminum inſcripſit libros, 150. a. Pindarum eſt imitatus, 151. b. in quibus ſit æmulatus Archilochum, 161. a. Alcaicum carmen non reperit primus; ſed ab Alcæo accepit, 156. b. an quandoque haut rectè eum imitetur, ibid. cujuſmodi ejus ſint exordia, 154. a. cur dithyrambos vocet audaces, 158. b. quid appellet numeros lege ſolutos, 155. a. quid per orbem patulum intellexerit, 88. b. Horatii in ſatyris ſermo, ſi metrum ſolveris, non poëticus eſt, ſed vulgaris, 65. a. cùm in odis ſit numeroſus, in ſatyris numeros neglexit, 145. a. quo nomine in ſatyris præſtet aliis, 144. b. præceptum ejus de fabulis fingendis, 49. a. Horatius contra Cæſ. Scaligerum defenſus, 154. a

Horatius, 238. b. 239. a. in odis maximam partem à Lyricis Græcis deſumſit, 174. a. verba ejus de diſcrimine interpretis, & poetæ alium imitantis, 177. b. ubi de æde loquitur, in qua poëtæ, & eorum judices, convenirent, perperam intelligi Athenæum, quod multò poſtea extructum, 190. b

Hortenſius, 235. a

Hoſtii bellum Iſtricum, 17. a

Hoſtilius, 257. b

Hoſtilius mimographus, 121. b. 157. b

Hoſtius, 237. a

Hugobaldus, 253. a

Hugo Grotius, 58. a. 60. b. 85. a. 104. b. 162. a. b. 257. a

Hugolini Martellii opinio de uſu vocis διανοίας apud Ariſtotelem expenditur, 158. b.

Hugonis Grotii laus, 17. b. 26. a

Hydalbertus. 254. a

Hygiænonti quomodo occurrerit Euripides ob impium accuſatus ſermonem, 49. b.

Hylas, Pyladis diſcipulus, Auguſti temporibus de artis ſuæ peritiâ cum præceptore non feliciter ſatis contendit. 127. b

hymenæus, quale carmen, 153. a

hymnorum antiquitas, 11. b. fuere prius, quàm poëſis ea, quæ in imitatione conſiſtit, 12. a. hymni Gentilium an pertineat ad poëtarum figmenta, 16. b

hymnum invenit Steſichorus Himeræus, 156. a. an id nomen hymni conveniat canticis in honorem Sanctorum, 152. a. hymni rhythmici, 66. b

Hyperochus, 217. a

hyporchema qualis hymnus, 151. a. ejus inventores, ibid.

hypothericum malè argumentativum reddi à Donato, vel Euanthio: ſed fortaſſe ſcripſiſſe argumentivum, 111, b

I.

JAcobus Uſſerius, Archiepiſcopus Armachanus, 17. b. 18. a

Jambe ſerva Cererem, cùm ſaxo cuidam mœſta inſideret, carmine jambico oblectavit, 160. b

ἰαμβίζειν, pro conviciari, 152. b

Jambus unde dictus, 160. b. pes eſt humilis, ac dictioni conveniens; unde & λεκτικὸς Ariſtoteli vocatur, 75. a. Jambici carminis inventio quàm variis tribuatur, 160. b. 161. a. antiquiſſimus ejus uſus in conviciando fuit: poſtea etiam adhibitum in rebus lætis ac jocoſis, 160. b. Jambicum carmen eſt recentius Homero: qui iccirco Margitem heroico verſu ſcripſit, ibid. etiam jambico uſi exegetici: ut Archilochus, ibid. maximè tamen convenit dramati: cujus cauſſa eſt, quòd propè accedat ad orationem pedeſtrem, 110. a. unde etiam, qui proſâ ſcribunt, ſæpe in hoc metrum incidunt inviti, 75. a. Jambici in Comœdiis cur tanta ſit licentia, 110. b. an in iis & Creticum admittat, ibid. & 111. a. an item ſpondeum verſu ultimo, ut fiat ſcazon, ibid. in trimetris tragicorum jambus vix habet locum ſede quinctâ: ſed convenientior eſt ſpondeus, vel anapæſtus, 94. a. Jambicum trimetrum quandoque Ithyphallico præmittitur, 160. a. Ἴαμβικὴ, pars tertia certaminis Pythii, 152. b

Jaſon Denoris reprehenſus, quòd neget, poëma eſſe medium inter comœdiam, & tragœdiam, 104. a

Ibycus, unus è decem principibus Lyricis, 156. a. 203. b

Ibycus Rheginus, 227. a

idea an quinctum ſit cauſſæ genus, 27. a. unde naſcatur, ibid.

idem quomodo ſæpius dicant, & poëtæ, & oratores, 154. a

idylliorum vox convenit etiam iis, quæ non ſunt carmina bucolica, 141. b

ἱλαροτραγῳδία, 103. a. quæ & ἱλαρῳδία, 103. b. proximum gravitatis locum obtinet poſt tragœdiam, ibid.

Ilias Homeri, ſi metrum ſolvas, fiet hiſtoria fabularis. 10. b. malè ea poëſis dicitur ab Aphthonio, 14. a. Ilias qualis epopœia, 136. b

Illyrii quo pacto quieturi, haſtam infixerint terræ, 53. b

imaginatio Poëtæ, & Oratoris, multùm variant, tum quoque, cùm idem tractant argumentum, 93. a

ἱερῶν ἀγών, 150. a

imitandi ſtudio, & voluptati inde provenienti, variæ artes originem debent, 26. b

imitari an oporteat, 173. a. quos conveniat, 174. b. multos imitari velle eſt damnoſum, 175. a. unus igitur, vel alter, diu ſequendus; deinde aſſumendi ii, qui propiùs ad priores accedunt, ibid. imitandi ſunt eorum optimi, quibus convenit ingenium noſtrum, 176. a. illi quomodo legendi, 176. b. imitari non omnia in optimis, ſed optima oportet: cùm quandoque & magni auctores labantur, 178. a. b. quouſque facere id liceat, 180 a. b

imitatio quid ſit, 173. b. ejus officium, ac finis, ibid. quatuor in ea conſideranda, ibid. ex admiratione profecta magnorum virorum animos ad virtutem, & gloriam, accendit, 174. a. alia puerilis, alia virilis: alia item ſervilis, alia ingenua, 177. b. laudatur non conſpicua nimis; & quomodo ea occultetur, 178. a. quæ mala ſit, 179. b. imitatio poëtica quid ſit, & quomodo imitatio, ac fictio, differant, 44 b. imitatio κατὰ τὸ δυνατὸν inſtituenda, & quomodo hic τὸ δυνατὸν intelligi debeat, 47. b. imitatio veri, ex mente Ariſtotelis, eſt duplex; una ſecundùm id, quod eſt veriſimile; altera ſecun-

ſecundum neceſſarium, 49. a. utraque varie ſit, ibid. imitatio nunc totius eſt poeſios; quomodo poeta etiam imitatur in ſimplici narratione: nunc certæ eſt poeſios; ejus videlicet, quâ poeta non ipſe loquitur, ſed loquentes alios inducit, 70. a. imitationis modus triplex; ἐξηγηματικὸς, διαλογικὸς, ſive δραματικὸς, & μικτὸς, 69. b. 70. a. imitatio epica quomodo fiat, 132. a. imitatio quæ fit ſermone, perfectior eſt illâ, quæ ſolius eſt geſtus, 24. b
immutandi ſermonis cauſſæ, 182. b
imperativus modus non ſolùm imperat; ſed etiam precatur, 135. a
Indi hymnos in Deorum laudes canebant, 16. b
inferorum commenta varia nihil habentia veriſimile, 47. a
ingenii ubi præcipuè egeat poëſis, 27. b. ejus diverſitas facit, ut alii graviores; alii leviores imitentur actiones, ibid. vino ſæpe excitatur, 28. b
ingenium quid valeat, videndum, priuſquam aliquem nobis pro exemplo ſtatuamus, 175 b. ingenia eminentiſſima in quoque ſcribendi genere ferè unâ, & eâdem ætate, vixerunt, 180. b
inopinata ſpondeis exprimuntur, 138. b
inſcriptiones quarum rerum fuerint, 161. b. unâ, duabus, pluribuſque vocibus, conſtabant, ibid. & 162. a
inſiliendi utribus lubricis conſuetudo in feſto Bacchi, 71. b
inſtrumenta duplicia, quibus melos canebatur, 150. a
interpretis, & imitatoris, diſcrimen, 177. b
invocatio ſubjicitur propoſitioni à Latinis, à Græcis præmittitur, 134. b. invocatione cur ſit opus; eâque & poëtæ benevolentiam, & operi conciliari auctoritatem, 135. a. quæ numina ſoleant à poëta Epico invocari, ibid. invocantur gentilibus poëtis numina non initio tantùm, ſed & in medio, ibid.
Joach. Camerarii judicium de Ariſtotelis arte Poëtica improbatum, 16. a
Joannes Serranus, Platonis interpres, mentem philoſophi de tribus poëſios generibus parùm perſpexit, 69. b
Joan. Ant. Viperanus, corrupto Ciceronis loco, de dithyrambici poëmatis tractatione apud Latinos, deceptus, 159. a. eidem malè Polyxenus dicitur, qui eſt Philoxenus, 159. a
Joannes Damaſcenus, 224. a
Joannes Laſcares, 224. b
Joannes Gerſon, 255. b
Joannes Nantuillenſis, 259. b
Joannis Sariſburienſis de Lucano judicium, 9. a
Johacchus, ad Bacchum hymnus, 152. b
joci, in comicis præcipuum, 154. b. joci Atellanici, & Mimici, plurimùm differebant, 123. b. jocandi modus, 144. b. jocus non eſt, malignum eſſe, 164. a
Jon Tragicus, 205. b
Jonica harmonia qualis, 96. a
Jonicus Sardenſis, 221. a
Jonis Tragici Ternarius falsò Orphei creditus, 31. b
Jophon Gnoſius, 211. b
Jophon Tragicus, ibid.
Jornandis in hiſtoria Getica de Lucano judicium, 9. a
Joſephus Exonienſis, 254. b
Jovianus Pontanus, 255. b
ἴουλος, carminantium cantilena, 150. b
Iphigenia cur priùs patri ſupplicans, ne mactetur Dianæ; mox alacris, & parata ad moriendum, inducta fuerit ab Euripide, 61. a
Iſaacus Antiochenus, 223. a
Iſacii Tzetzis verſus ex Homero emendatus, 133. b
Iſagoras, 221. b
Iſiaci ſacerdotes capitibus erant raſis, 120. a
Iſidori lapſus de comicis veteribus, & novis, 144. b
Iſidorus, 251. a
Iſidorus Peluſiota ſuper eo rejectus quòd poëtas ait voluptates ſine judicio ſectari, 15. a
Iſmenias tibicen, 149. b
Iſocrates, 211. a. 213. b. impias poëtarum fabulas perſtringit, 48. b. decennium impendit emendando Panegyrico, 181. b
Iſraëlitis gloria debetur inventi carminis; ſed expertis metri, quod à Græcis, 32. a. quanto antè apud hos poëſis viguerit, quàm eâ uterentur Græci, ibid.
iterati verſus Homero indicant ſtudium ſimplicitatis, 138. b
Ithyphallicum carmen unde dictum, 160. a. conſtabat tribus trochæis, ibid. ſed ei præmittebatur Anapæſticum Parthenianum, vel tetrametrum dactylicum, vel Jambicum trimetrum, ibid. cùm propriè foret in honorem Bacchi; adulatio tamen etiam in hominum honorem tranſtulit, ibid. Ithyphallicum dactylicum tetrametrum quale, ibid. Ithyphalli, mimorum genus, 118. b. quales perſonas inducerint; & eorum cinctus, 119. a
juba, 210. a
Jubal, Adami trinepos, citharam, & organa Muſica, reperit, 11. a
jubilandi verbum fortaſſe à Jubal, qui citharisticen reperit, 11. a
judices poëtarum in certaminibus annuis, 87. a. judices certamini Epico præpoſiti, 189. b. certandi & judicandi conſuetudinis antiquitas, ibid. corrupti judices ſæpe deteriores præferebant melioribus, 190. a. quibus locis fuerint, 190. b
judicium auditores teſtabantur trifariam; ſilentio, voce, geſtu, 186. a. judicii alieni, etiam in prudentibus, probis, & benevolis, cauſſas expendi oportere, 188. b. popularis genera duo, 189. a. in Rep. literaria judicium cuique liberum, 191. b
Juliani Deſertoris qualis ſatyra in Cæſares, 145. a
Julianus rhetor apud Agellium notatus, quòd neſcierit, Q. Catuli verſus eſſe expreſſos è Græcis, 164. b. Julianus Deſertor quæ requirat in poëta, & philoſopho, 28. a
Julii Scaligeri ſententia de materia Poëticæ conciliata cum opinione Ariſtotelis, 49. a. eidem occurritur, Horatium culpanti, 154. a. idem mavult Horatii quaſdam odas compoſuiſſe, quàm regnare, ibid.
Julius Cæſar, 236. b
Julius Calidius, *vide* Calidius.
Julius Montanus, *vide* Montanus.
Julius Paulus, 247. a
Jupiter ſervatus à Titanibus, licet inviſis, 47. b. inducebatur habitu coloris calaici, ſive punicei, ad alborem vergentis, 96. b
Juvenalis, 245. a. qualis in ſatyra, 144. a. b. 145. a. dictio ejus minùs ſatyræ conveniens, quàm Horatiana, 156. a. Juvenalis jam olim culpatus, quòd vitia reprehendendo illa doceret; eoque in deliciis foret ad vitia proclivibus, 164. a. ejus locus de multiplici recitationum genere, 184. b
juvenca, lyrici poëtæ victoris in certamine præmium, 156 a
Juvencus, 248. a
Juventius Comicus, 107. a. 257. b
Iûs fabula, 46. b
Juſtus Vondelius, 59. a
iynx amorem conciliat. 54 b. diverſa eſt à motacilla; nec Baccho, ſed Veneri ſacra, ibid.

K.

Κακοζηλία, 180. a
καλλίνικος tibiâ canebatur, 150. b
κανηφόρος in phallicis quis, 160 a.
καταγλῶν, 143. b.
καταβαυκαλήσεις, nutricum lactantium cantiunculæ, 150. b
κατακελευσμὸς, pars certaminis Pythii ſecunda, 152. b
κατακοίμησις, carmen nuptiale, cùm cubitum itur, 153. a
καταχόρευσις, quincta pars certaminis Pythii, 152. b
κεραῦλαι, 88. a
κιθαρισικὴ harmoniâ, & rhythmo, imitatur, 9. b. 151. a
κιθαρῳδοὶ, & κιθαρισταὶ, differunt, 151. a
κωμασμὸς inter cantica ad tibiam, 150. b.
κομμάτιον in choro, 96. a
κομμὸς, quæ tragœdiæ pars, 95. a
κόρδαξ Comica ſaltatio, 115. a
κορυφαῖος in cantu quis, 78. a
κρουσίθυρον, genus cantici ad tibiam, 150. b
κύκλος, ſive orbis, unde Cyclici poëtæ dicuntur, quos fuerit poëtas complexus, 88. b
κῶλα, unde μονόκωλα, δίκωλα, τρίκωλα, πολύκωλα, 155. a
κολάβρισμος eadem, ac μόθων, 102. a
κῶμος inter cantica ad tibiam, 150. b
κωμῳδεῖν, 142. a
κωφὰ πρόσωπα quæ, 74. b

L.

LAbeo, 224. b
Laberii mimi, 121. a. ejus dictum, 177. b
Laberius, 236. a. b
labore, & conſtantiâ, omnia confici, 176. b
Labrinus perperam poëtis accenſetur à viro erudito, 158. a
Lacones bucolici carminis habiti auctores, 140. b
Lactantium, Papinii interpretem, confundere Pirenen, & Hippocrenen, 29. b
Lactantius Firmianus, 248. a
Laertii interpres notatur, 13. b. ejus interpretes caſtigati, 101. b
Lævius, 258. a
Lamprocles, dithyrambicus poëta, 158. a
lanx ſatura, 141. b
Lappa. *vide* Rubrenus Lappa.
Largus, 242. a
laſes, *pro* lares, 10. a
Laſes Hermonienſis, 204. b
Λάσος, vel Λᾶσος, Χαβρίνου Ἑρμιονεύς, unus poëta, ex quo Andr. Schottus incautiùs tres fecit, 158. a
Laſus Magneſius, 204. b
Latis eadem, ac Ops, 99. a
Latina verba, pro obſcœnis, 179. a
Latinus mimus, 121. b
Latronianus, 248. b
laudationes omnes non habendæ pro adulationibus, 22. a. laudis contemtu contemnuntur virtutes, ibid.
Laudicenos quos vocarint, 184. a
lauream virgam manu tenebant, qui epos recitarent, 139. a
Laurentius Gambara Brixianus, 141. b
Laurentius Valla quàm ineptus poëtarum cenſor, 189 a
Laureolus, ob nefaria crimina, in tragœdiâ vivus dilaceratur, 91. a
λαυρεάτης quis in choro, 97. a
lectio etiam poëtarum furore poëtico implet mentes ad eum idoneas, 29. b. lectio bonorum ſcriptorum qualis eſſe debeat, 176. b. arida eſt, ac ſterilis, quam non ſollicita meditatio comitatur, ibid. lectionis multijugæ homines cur ſæpe exigui ſint judicii, ibid.
Ledæ ovum, unde Helena, 46. b
leges utiliter verſibus tradi, 17. a
legens certiùs judicat audiente, 174. b. legere, & ſcribere, alternis oportet, & quæ commoda lectio adferat ſcribenti, 181. a
Lentulus mimus, homo nequam, fabulam fecit de Laureolo, in cruce verâ verè pendente, & verè lacerato ab urſo, 121. b. 258. b. Lentulus Gentulicus, 243. b
Leonardus Fortius, 224. b
Leontius, 227. a
Lesbia

Lesbia Catulli falſo dicta nomine, 179.a.b
Lesbium plectrum Horatio, pro Alcaico, 156.a
Leſches Lesbius, ſive Mitylenæus, minoris auctor Iliadis, 62.b. 200.a. in quo peccârit, ibid. unus è poëtis Cyclicis, 88.b
Leuceas Argivus, 227.a
lex Athenis, nequis proponere carmen infame: quâ deſiit comœdia vetus, 113.a ac lex ea placuit etiam Romanis, 113.b an Romanis lex ulla, quæ ſatura diceretur, 145.b
liberalium feſto cantoribus novum vinum dabatur, 83.b
Licentius Hipponenſis, 249.a
Licinianus, 246.a
Licinius Imbrex, 231.b
Licinius Calvus, 236.a
Licymnius, 227.a
Ligurinus, 246.a
Lilius Gyraldus malè cenſet hilarotragœdiam eſſe inventum Latinorum, 103.a
Linus antiquiſſimæ poëſios triumvir, 31.a. nominis etymon, ibid.
literas penè ſingulas expendit poëta; quia aliæ his, aliæ aliis rebus exprimendis inſerviant, 66.a
Livii Patavini hiſtoria à quo carmine jambico expreſſa, 8.b
Livio Andronico adtributa ſedes in Aventino, 8.a. quâ mente ſcriptor Horatio vocetur, ibid.
Livius Andronicus, 230.b. primus apud Latinos fabulam dedit, & quando id factum, 72.a. 106.a. 115.a. 143.a. quare dramatis ſuis adhibuerit puerum, qui tibicini præcineret, 115.a. ante Ennium Epico uſus carmine, 133.b
λόγος Ariſtoteli non de proſâ oratione, ſed de poëticâ dicitur, 9.b
Longolius qualis viſus Conſtantino Laſcari. 43.b
Lucanus, 243.a. hiſtoricus magis, quàm poëta, 9.a. Lucanus an poëta dici mereatur, 44.b. declamator, & hiſtoricus, potiùs eſt, quam poëta mythicus, 134.b. Lucanus laudatus, quòd, etſi ſit hiſtoricus poëta, tamen unam primariò actionem ſibi proponat, 63.a. idem adverſus Cæſarem Scaligerum defenſus, quòd poëma ſuum *Pharſaliam* inſcripſerit, ibid. at falſus Lucanus, cum ad Ariminum pluribus à Cæſare legionibus pugnatum ait, 52.a. idem in epiſodiis, & digreſſionibus, crebrò peccat, dum, oſtentationis ergò, aliena ſæpe arceſſit, 56.b. Lucani in proponendo tumor, 134.b. ejuſdem error de umbra in Arabia eunte dextrorſum, 54.a. item de Timavi fonte ad fontem Aponum, 52.b
Lucianus quatenus poëtis accenſendus, 9.a. Lucianus in dialogis verè ſatyricus, 144.a
Lucilius, 233.b. an rectè poëma, & poëſin diſtinxerit, 13.b. 14.a. Lucilius novæ ſatyræ inventor, 143.b. ab Horatio reprehenſus ob extemporale eoque lutulentum ſcribendi genus, 181.b. perexiguam eo laudem eſt commeritus, quòd multos ſimul verſus effunderet, 182.a
Lucius Feneſtella, *vide* Feneſtella.
Lucius Pomponius Secundus, poëta tragicus, 124.a
L. Pomponius Bononienſis, Atellanarum ſcriptor, ibid.
L. Acilius, Archimimus dictus, 121.b
Lucretiani numeri duriores, 61.b
Lucretius, 234.b. putabat, homines Muſicen didiciſſe ab avibus, 7.a
ludi ſcenici, ad avertendam peſtilentiam, quando inſtituti, 142.b. ludi hi Baccho ſacri, 130.a. ludi Circenſes ſacri Neptuno, 130.a.b
ludicra ars, pro hiſtrionia, 125.a
ludii iidem, ac ὀρχησταί, & unde ludiorum nomen, 115.a. 125.a
ludis ineſcatus populus non cogitat de rebus novis, 128.a
Ludovicus Caſtelvetrus reprehenſus, 29.a
Luiſinus memoriâ de Telepho lapſus, 89.b
Lullus Balearis deceptus eo, quòd Ovidium ſemper putat pentametrum diſyllabo terminare, 149.a
Lupus Siculus, 241.b
Luſcius, 233.b
Luſtricus Brutianus, 246.a
Lutorius Priſcus, 242.b
Lycambes ab Archilocho ad laqueum adactus, 161.a
Lyceon, 227.a
Lycon Comicus, 214.b
Lycophron Chalcidenſis, 217.b
Lycurgus, Thraciæ rex, cur excidi juſſerit vites, 21.a
Lycus vel Lycis, 208.b
lydia tibia, 150.b. lydia harmonia quo ab aliis differat, 96.a. qualis item Hypolydia, ibid. lydii modi cur elegiis apti, 149.b
lydiaſtæ qui, 140.a
Λύα Diana, quaſi ſolutrix malorum, 140.a.b
lyræ inventor, Mercurius, 151.a. lyra magis idonea lætis; ut tibia triſtibus, 150.a. lyræ an conveniat epicum carmen, 153.b. 154.b.
lyrici vix habent imitationem, 13.a. lyrici poëtæ unde dicti, 150.a. quibus, præter lyram, inſtrumentis cantârint melos, ibid. lyrici carminis inventores, & principes, 156.a. lyricæ venuſtatis duces, 155.b. unde ea reſultet venuſtas, 154.b. lyrici poëtæ principes decem apud Græcos, 156.a. lyricæ iis poëtriæ novem, 157.a. lyrici Latini, ibid. lyrici carminis materies, & argumentum, 150.a. 154.a. eâdem odâ varium tractat argumentum, ibid. lyrici unde exordium petant, ibid. lyrico carmini quæ metrorum conveniant genera, 155.a. hoc carmen ad menſas aptum, 153.b. 157.a. lyricorum ſententiæ quales, 154.b. quales item numeri, 155.a. eorum oblectatio in rebus, & dictione, 154.b. numeris, 155.a. cantu, 155.b. lyricorum licentia in numeris, & ſyllabis porrigendis, 155.a
Lyrico in carmine qui aſſumendi pro exemplo ſint, 175.a
λυρῳδοί, 150.b
Lyſimachus, 227.a
Lyſidis Pythagorici aurea carmina, 153.b
lyſiodi, & magodi, veſtitu differebant, 119.b. priores unde dicti, ibid.
Lyſippus, 227.a
Lyſis Pythagoricus, 212.b
λῦθι ἰάμμε, parturienti Jovis femori acclamatum à Nymphis, 157.b
Λιτυέρσης, meſſorum canticum, 150.b
Λυτικοὶ Grammatici qui dicerentur, 118.b

M.

MAcer, 239.a. in Iliade non unam videtur actionem inprimis ſibi deſcribendam propoſuiſſe; ſed omnia ad Trojam geſta, 62.b. 63.a
Macer, *vide* Æmilius Macer.
machinæ uſus eſt ad ſolutionem fabulæ, ubi poëta ſe aliter extricare non poſſit, 57.a. 94.b. utimur ea, vel ut referantur res præteritæ, ſed ignotæ: vel ut prædicantur, aut mandentur futura, ibid.
Machnes poëta perperam dicitur, qui eſt Magnes, 112.b
Machon Sicyonius, 227.a
Macrobius Platonis exemplo deceptus, 178.b
Mæro, 227.b
Mævius, 238.a
Mæſon Megarenſis, perſonæ cujuſdam generis à ſe denominatæ inventor, 82.a
Magnes, Comicus antiquiſſimus, 106.a. 205.b
magnitudo cujuſmodi in poëmate requiratur, 68.b
magodia unde, & cur, ſic dicatur, 119.a. ea eſt laſcivior, quàm comœdia, 103.b
μαγῳδοί in choro quid dixerint, 96.a
Mamertus, *vide* Claudianus Mamertus.
mandragora vitibus utilis, 23.a
Manethos Mendeſius, 227.a
Manilius, 241.b
Manlius Theodorus, 242.a
manſiſterna corruptè pro naſiterna, 177.a
Maphæus Vegius, 255.b
Marachus, 227.a
Maracus, Syracuſanus poëta, quando optimè carmen ſcriberet, 29.a
Marbodæus Gallus, 254.b
Marcellus, 248.b
Marcellus Sidites, 221.b
M. Aurelii Olympii Nemeſiani bucolica, 241.b
M. Acuticus Comicus, 107.a
M. Marullus mimus, M. Antonini philoſophi temporibus in pretio erat, 121.b
Marcus Antoninus Philoſophus à Ruſtico didicit abſtinere Rhetoricâ, Poëticâ, & Aſtrologiâ, 10.a
Marcus Epiſcopus Hydrunti, 227.a
M. Benedictinus, 251.b
M. Furius Bibaculus, 234.a
M. Marullus, 247.a
M. Popilius, 233.b
Marcus Unicus, 246.a
Margites an ab Homero ſcriptus, jam olim dubitatum fuit: & unde id nomen huic datum poëmati, 72.a. 105.b
Marianus, 223.b
Marinus Neapolitanus, 223.a
Marius, 241.b
Marius Victor, *vide* Claudius Marius Victor.
Marius Victorinus, 248.a
Maro contra hiſtoriam peccat ſæpius, 51.b. cur illa de ſe addiderit propoſitioni Æneidos, quæ Varius, & Tucca, auferre maluerunt, 47.a
Marotus Gallus à Lullo Hiſpano in epigrammatis laudatus, 145.b
Mars ab Oto, & Ephialte vinculis conſtrictus, 47.b. 48.a. Martis habitus coloris ignei, ſive flammei, 96.b
Marſilii Ficini verſio improbata, 19.a
Marſus, *vide* Domitius Marſus.
Martiali quid verba Latina, 179.a
Martialis, 245.a. dum vitia reprehendit, eadem docet; eoque nocet, 164.a. Martialis cur fictis nominibus perſtringeret, non apertè, ut fecerat Catullus, 163.b. cur acumina magis ſectetur, quàm Catullus, 164.b. Martialis error, cùm noctuas cenſet non videre manè, 54.a. Martialis locus illuſtratus, 163.a
Martianus Capella, 252.a. cur operi ſuo nomen ſatyrici, vel ſaturæ, dederit, 146.a
Maſſilienſes quare mimos non admiſerint, 122.a
materia Poëtices, *vide* Poëtica.
Maternus, *vide* Curiatius Maternus.
Matreas, 227.a
Matro, 227.b
Mattius, 136.b
Mattius, jamborum Hipponacteorum poëta, 121.b
Maurerii de Stat. Papinii loco conjectura, 153.b
Maximianus, 241.a
Maximus Planudes, *vide* Planudes.
Maximus Tyrius non ſatis cauſſam perſpexit, cur Plato Homerum è ſua ejiciat Republica, 20.a
Mecænas, 238.b
Medea hircum vetulum coquendo reduxit ad juveniles annos, 47.a
medici, & chirurgi, priùs iidem fuere, qui muneribus poſtea diſtincti, 80.a
meditatio in legendo maximè neceſſaria, 176.b. quouſque ſe extendat, 177.a
Megaloſtrate, 201.a
Megara Siciliæ quando condita, 51.b
Melanippides dithyrambicus, in quo deſiit mos poëtarum conducendi tibicines 80.b
Melanippides Junior, 206.b
Melanippides Melus, 204.a

Melanippides Mileſius, 204.a
Melanopus, 217.a
Melanthius, 211.a
Melibœus, ὁ μέλει τῶν βοῶν, 140.b
Melici poetæ unde dicti, 150.a
Melicorum poëmatiorum genera quatuor, 155.a.b. *vide* cætera in Lyrici.
C. Meliſſus, 241.b
H. Meliſſus, ibid.
Melithus, 211.b
melodia, & apparatus, cur ab Ariſtotele requirantur in dramate, cùm ea non ad poëtam, ſed hiſtrionem pertineant, 74.a. melodia non eſt artis poeticæ pars, ſed extra artem ad Muſicam pertinet, 79.b
μελῳδὸς, ἀοιδὸς, κιθαρῳδὸς, ſynonyma, 151.a
μέλος cur pro carmine ponatur, cùm propriè membrum ſignet, 150.a. melos ex tribus conſtat; ſermone, harmoniâ, & rhythmo, ſeu numero, 69.a
Memmius, 235.a
Memor, *vide* Scæva Memor.
Menalippen nil mirum ſic apud Euripidem philoſophari, cum inſtituta fuerit à Neptuno, 60.b
Menander, 215.b. princeps novæ comœdiæ poeta, 114.a. quid reſponderit mirantibus, necdum abſolviſſe eum fabulam, quamvis inſtarent Dionyſia, quibus agi illam oporteret, 74.a. non tam Atticè eſt locutus, quàm Ariſtophanes, 109.b. ejus tamen dictio Ariſtophanicæ prælata à Plutarcho, 114.a. Menander dimidiatus de Terentio, 174.a. octies ſolùm Menander vicit, cùm ultra centum comœdias compoſuerit, 190.a. dictum ejus ad Philemonem, ibid.
mendacia ſunt pulcra, quæ docent ſapere 45.b
Menecrates, 227.a
Menedemus philoſophus magnifica auditoria contemſit, 185.b
Menelaus unicam, an duas habuerit filias, 51.b
Menelaus Ægeus, 227.a
Menippus Cynicus, unde Varro ſaturis ſuis Menippearum nomen dedit, 146.a
Mercurius Ægyptius poëſios, & vocum harmoniæ, auctor creditus, 31.b. Oſiridis fuiſſe ſcriba putatur, ibid.
meretrici in comœdiis quare veſtitus ſit datus luteus, 116.b
Meſomedes Cretenſis, 221.a
Metagenes, 227.a
Metagenes Athenienſis, ibid.
Metius Tarpa, poëtarum judex, 190.b
Metrodorus Lampſacenus totum Homerum in allegorias deflexit, 20.b
metrum ſolum Ariſtoteli non facit poëtam, 8.b. eſt de οὐσίᾳ poëſios, 10.b. idem quoque ejus forma, 16.b. metrum eſt rhythmi proles, juxta Suidam, 69.a. quo pacto differat à rhythmo, 66.a. poſterius eſt rhythmo, & ſpiritu poëtico, ibid. ejus neceſſitas, ibid. quod metrum in comœdia optimum, 110.b. metri ratione an poëtæ poſſint dividi, 70.b
Michaël Ducas, 224.a
Michaël Pſellus, ibid.
Michaël Marullus, 256.b
Michaëlis Parapinacis amentia, ac faſtus, 8.b
Midas num inventor elegiæ, 147.a
Mileſius, 222.a
mimi, & pantomimi, unde dicti, 112.a 117.a. mimi in locum chori fuere inducti, 112.a. ita facti ſunt pars fabulæ; ſed poſtea per ſe conſtituerunt poema, 112.a. 117.a. mimi è dramatis perperam excluſi, ibid. mimi nomine tum drama, tum actor ſignificatur, ibid. mimorum definitio, ibid. eorum finis, & materies, 117.b. item inventores, 120.b. mimorum varia genera apud Græcos, 118.b. Latinorum mimi unde planipedes ſint vocati, 119.b. mimi planipedes reciniati, 120.a. iidem centunculis induti, ibid. & 126.a. pudorem non morabantur, dum cierent riſum, 117.a. majori ex parte referebant ſtuprorum actus, 122.a. obſcenis & verbis, & geſtibus, gaudebant, 117.b. eoque Oratori non conveniebant, ibid. imò Plutarchus propterea etiam negat locum iis dandum in convivio, 118.b. quantum damni dederint Reip. 122.a. à doctoribus Eccleſiæ paſſim perſtringuntur, ibid.
Mimnermus elegiæ princeps, 85.a.b. ætas ejus, ibid.
Mimnermus Colophonius, 202.b
Minerva ſe hirundine occultans, 47.b
minio literæ in marmore ſepulcrali tingebantur. 167.a
Minoi, nonniſi affuſâ aquâ ferventi, potuit vita eripi, 47.a
Mityi ſtatua Argis, caſu eum necavit, à quo Mitys erat interemtus, 58.a. 90.a
μυξοτέρας de Æſchylo, 158.b
M. M. C. quid ſignificârit, 115.b
Mnaſalces, 227.a
Mnemoſynæ, pro Muſis, Auſonio, in margine, 156.b
Mneſarchus, 204.a
Mneſimachus, 213.a
modi conjugationum Grammatici à præcipuo ſui uſu nomen ſumunt, 135.a
modi harmoniæ muſicæ à quibus inventi, 659.a. modi tibiarum in cantico interdum mutabantur, cùm agerentur comœdiæ, 115.b. modos facientis nomen præmittebatur fabulæ, 116.a. modus cantûs, fabulam præcedens, exercitatis in ejuſmodi re indicio erat, quæ fabula eſſet agenda, 81.a
modulatio, fabulæ condimentum, 80.b. partim in cantico, partim in choro, locum habuit, ibid. in illo pithaules, in hoc choraules, canebat, ibid.
Μοιρὼ, una è novem lyricis poëtriis, 157.a
mollicies præcipuum in elegiis, 154.b
μονόστροφα carmen quod, 155.b
μονῳδίαι quid, 80.b
monoſyllaba in fine hexametri, ad repræſentandam celeritatem, & gignendam acrimoniam, 138.b
Montanus, 241.b
Montanus, *vide* Curtius Montanus.
monumentarii κεραῦλαι, ἐγκεραῦλαι, 149.b
Mopſus cur bucolico carmine celebratus, 140.b
morata oratio quæ, 59.b. moratæ orationi, enthymematis, & argumento ſacro non convenit magnus verborum ſplendor, 65.b
Morphus pantomimus, M. Antonini Cæſaris tempore celebris, 128.b
Morſimus, 211.a
morte datus, pro morti, antiquè, 166.a, in margine.
Morychus Tragicus, 208.a
mos Ariſtoteli definitur, 59.b. mores ex ſermone, vel actu aliquo, cognoſcuntur, 45.a. mores convenientes cuique tribuendi, 60.a. mores ſunt duorum generum, 59.b. morum index, partim ſermo eſt, partim actio, ibid. morum mutatio quando locum inveniat, 60.a. ab Euripide in Creonte adhibita, ibid.
Moſaica poëſis quanto antiquior ſit Græcâ, ac Romanâ, 32.a. Moſes XI compoſuiſſe pſalmos creditur, ibid.
Moſchus poeta Theocrito prior, 140.b. ejus Latini interpretes, 141.b
Moſchus Siculus, 219.a
μέλος, inter cantica ad tibiam, 150.b
motus, & ſaltatio, ſuavitatem lyricorum auget, 155.b
μεσαυλικαὶ, μεσαυλήματα, & μεσαυλικοὶ, qui dicantur, 28.b
Mullus, vel Mylus Comicus, 106.a
multiſſimus perperam creditur Ciceronianum, 177.a
Mummius, 258.b. Atellanicam artem reſuſcitavit, 124.a
Mureti dictio non ſatis aſſurgit in ſuo Julio Cæſare, 94.a
Muſæ aliæ virgines, aliæ meretriculæ, 21.b. Muſarum furor poëtis neceſſarius, 29.a. illis primitus à Iove poëſis conceſſa, 31.a. Μῶσαι quid ſignificent, ibid. priùs ſolùm tres numero, 31.b. unde Pierides dictæ, ibid.
Muſæus, 223.b. 246.b
Muſæus Grammaticus, 223.b. plus arti in carmine de Leandro debet, quàm ingenio, 15.a. de remediis morborum ſcripſit Muſæus, credo alius, 16.b. at omnino diverſus ille Poëſios ante bellum Trojanum triumvir, 31.a. unde is Muſæus ſit dictus, ibid.
Muſarum ſingulæ unde nomen fuerint conſecutæ, 67.a
muſica Ariſtoteli ſub poëtica comprehenditur: unde & auletice ei, citharistice, & ſaltatoria, partes ſunt poëſios, 70.b. muſica inſtrumenta, vel ἐμπνευστὰ, vel ἔντατα, vel κρουστά, 150.a. muſicæ harmoniæ modos qui invenerint, 159.a. muſica muta, de arte pantomimorum, 125.b
muſicen homines ab avibus didicerunt, 11.a. quæ ore fit, ſimplicior eſt, & naturâ prior, ibid. tempore etiam præcedere credibile, ibid. muſica illa pedum item antiquiſſima, ibid. non ſine cantu agitari ſolet, ibid. cur quandoque ſumatur pro poëtica, 32.a
muſici antiquitus iidem erant, ac poëtæ, 32.a. poſtea ſeparati, ibid.
Muſurus Cretenſis, 224.b
Myia, 204.a
Myro Byzantia, 217.b
Myro, vel Mœro, inter novem lyricas, 157.a. ejus patria, ibid.
Myro, ſignorum ex ære artifex, ibid.
Myrtilos, 214.a
Myrtis, inter novem lyricas, ibid. patria Anthedon, & diſcipulus Pindarus, ibid.
Mythicus, vel Mithæcus, pantomimus, Neronis, & Veſpaſiani temporibus claruit, 128.a

N.

NÆvius, 231.a
narrari, non oculo ſubjici debere, nimis atrocia, vel fœda: narranda autem vel ab eo, qui facinus patravit; vel qui, cùm fieret, vidit, 90.a.b
narratio cujuſmodi poëtæ epici, 74.a. narrationis epicæ virtutes tres, 75.b
naturæ debentur poëſios initia; & quid per naturam hic intelligatur, 26.b. 27.a
Naucrates, 213.b. 227.b
Naumachus, 227.b
Nauſicrates, ibid.
nautæ eclogis inducti, 140.b
Nazianzenus, ſive Apollinaris potiùs, an tragœdiam ſuam de Chriſto Patiente rectè inſcripſerit, 80.a. eò in hac tragœdia peccat, quòd comicâ utatur dictione. 92.a
Neapoli non gymnicum modò, ſed & muſicum, fuit certamen, 191.a
Nemeſiani, & Calpurnii verſus duo, iidem, 141.b
Nemeſianus, *vide* Aurelius Olympius Nemeſianus.
Nemrodus an primus inſtituerit cantica, 32.a
Neophon ſive Neophron Sicyonius, 214.b
Neoptolemus de arte poetica ſcripſit, 17.b. cur cum diademate induceretur, 96.b
Nero Imperator, 221.a
Nero Cæſar, 244.a
Neſtor Larandenſis, 221.b
Nicænetus Abderites, 227.b
Nicander in Theriacis carmen, non poema, compoſuit, 8.b
Nicander Colophonius ſive Ætolus, 219.a
Nicandri ſcholiaſtes emendatus in nomine Callini, 147.a
Niciæ Eleatæ Θεογονία, & Bacchica, falsò Orpheo adſcripta, 31.b
Nicochares, 209.a. 211.b
Nicocharis Athenienſis, poeta comicus, exprimebat viles, 69.b
Nicocles, 227.b
Nicolaus Briſſæus Montivillarius, 147.a
Nicolaus Loenſis refellitur, 213.b

Ni-

Nicolaus Sudorius, Pindari interpres, 14. b. 135. a
Nicolaus Damaſcenus, 210. a
Nicolaus Valla, 256. b
Nicomachus Athenienſis, 208. b
Nicophon, 212. b
Nicoſtratus Comicus, 213. b.
Nicoſtratus Macedo, ibid.
Ninnius Craſſus, 237. a
νίπτρα Homeri, 136. b
noctuæ cur mane, & veſperi, meliùs videant, 54. a
nomen fabulæ oportet convenire, 114. b. nomen dramati à quatuor rebus indi, 79. b
nomina perſonarum in fabulis unde petenda, 74. b
Nomius Apollo unde dictus, 139. b
νόμος αὐλητικός, 150. b
νόμος invênit Chryſothemis; auxere alii; perfecit Timotheus Mileſius, 156. a. & imprimis, 152. b. nomus quibus differat à dithyrambo, 159. b. nomus, & pæan, quomodo differant, 152. b. nomorum poeſis gravitate ceſſit, Dithyrambicæ, & Tragœdiæ; contra quàm viſum Robortelio, 69. b
Nonius emendatus, 16. b
Nonni dictio ſæpe διθυραμβώδης, 158. b. atque unde hoc ſit, ibid.
Nonnum an potuerit imitari Naſo; quod vir eruditus retulit, 24. b
Nonnus Monachus, 222. b
Nonnus Panopolites, ibid.
Noſſis, inter novem lyricas, 157. a. 227. b
Nothippus, 217. b
Novius, vide Quinctus.
Novius, 234. a
Numa, 241. b
Numa Pompilius numerorum vim in carminibus non neglexit, 12. b. idem rex doctiſſimus, ibid.
numeri tardiùs obſervati in proſa, quàm in carmine, 7. a. non neglecti à Numa Pompilio, & majoribus Romanis, 11. b
Numerianus Cæſar, 247. b
numerus rhythmum, ac metrum, comprehendit, 66. b. numeri metri epici, 166. a. numeri innumeri qui dicantur, ibid.
numina quæ à gentilibus poëtis invocantur, 73. b

O.

OBſcœna quâ mente in tragœdiis fuiſſe dicantur, 100. b
obſcœni poëtæ quantopere noceant, 20. b. 21. b. quomodo ſe aliorum exemplo ſoleant tueri, 179. a. propinant mella venenum tegentia, 179. a
obſcuritas, ſive τὸ αἰνιγματῶδες, orationi adfert magnificentiam, 65. a
Octavia, quæ Senecæ eſſe putatur, tragœdiarum locum tenet poſtremum, 93. b
Octavius, 241. a
Octavius Auguſtus, vide Auguſtus.
oculis quæ ſubjici non debeant, ſed ſolùm referri, 90. a. b
Oda prima Horatii, carmen σύστημα, 155. b Odarum diviſio, ibid. Odis antapodoticis ineſt quædam dramatis ſpecies, 157. b
ᾠδὴ, carmen, 150. a
ἀντιστροφὴς quale canticum, 152. b
Odyſſea, qualis epopœia, 136. b. Odyſſeæ diſpoſitio, 63. b. Odyſſea falſò creditur eſſe comœdiæ imago, 72. a
OEnomaus, 211. b
officium poëtæ duplex, pro duplici poëtarum genere, 18. b. officium poëtæ ex Lactantio, 135. b
Olen, 227. b
Olympi Muſici de poëtarum inſpiratione judicium, 29. a
Olympiodori de Platonis dictione judicium 65. a
Olympus Muſicus, 149. b
Onagris caret Italia, deque eo Maronis error, 54. a
Onomacriti oracula, & initia, perperam Orpheo adtributa, 31. b
Onomacritus, 206. a
operis totius forma priùs animo concipienda, quàm ſcribere aggrediamur, 181. a
Ophelion, 206. a
opiliones, bubulcis proximi in honore, 139. b
Opilius Macrinus, 221. b
Oppiani error, equum exiſtimantis velociorem equâ, 54. a. item in eo, quòd putarit arcus eſſe eburnos, ibid.
Oppianus Cilix, 221. b
ὄψις in dramate quid, 81. b
Optatianus Porphyrius, 247. b
optimus alius dicitur abſolutè, alius comparatè: idque vel in ſe, vel pro viribus noſtris, 176. a
oratio ſoluta antecedit ligatam ut naturâ, ſic tempore, 7. b
orationis ſplendor ſophiſticus ſæpe non illuſtrat, ſed obſcurat; nec amorem, ſed odium, gignit, 178. a
oratoria, & poëtice, germanæ ſorores: quarum illa natu major, etſi aliter veteribus viſum, 7. a. oratoria facultas, poſt Auguſti ævum, affectatione acuminis, & ſententiarum, paullatim degeneravit, 164. b
orator à poëta ſolo verſu diſtinguitur, 12. b. orator futurus à poëtica incipere debet, 23. b. cur ſæpe fabellis perſuadeat populo, quod oratione ſeverâ non poſſet, ibid. eorum duo genera; quorum alii enthymematis magis perturbant; alii exemplis non minùs perſuadent, 27. a
orbis vilis quis Horatio dicatur, 237. a
Orcheſtra qualis, & ejus uſus, 82. a
ordine verborum multùm conſulitur venuſtati, 67. a
ordinis quantopere ratio habenda ſit poëtæ, 62. a. alius ordo poëtæ, quàm hiſtorico, 62. b. poëta enim ea tantùm jungit, quæ eundem ſpectant finem, ibid. poëta ſæpe incipit à mediis, 63. b
Orientus Tarraconenſis, 251. b
Oreſtes unde agnoverit Iphigeniam, & Electram; & unde ab iis agnitus, 59. a. unde ſe Laji eſſe filium cognôrit, ibid. feſtum Dianæ inſtituit in Sicilia, 140. b
ὄργανα κρουστά, 150. a
orientis populi fabellis gaudent, 23. b
ornatui verborum quando inprimis ſtudendum, 65. b. ubi idem vix habeat locum, 66. a
Orphei qui philoſophiam ſequebantur, quare uterentur allegoriis, 18. b. ei inventæ poëſios gloria tribuitur, 31. a. idem Herculis coævus, ibid. malè à nonnullis fuiſſe creditur XI. ſeculis ante bellum Trojanum, ibid. Orphei duo, ibid. nominis etymon, ibid. Orphei ſcripta deperdita, 31. b. Ariſtoteli nunquam fuiſſe creditur, ibid. illi multa variorum falsò tributa, ibid.
Orpheus, 199. b. pro numero dierum, quos annus habere credebatur, trecentos & ſexaginta deos introduxit, ſecundùm Juſtinum Martyrem, 48. b. idem lyrici carminis inventor, 156. a
ὅρμος quid ſit, 51. a
Oſca lingua an diſcrepet à Latinâ, 122. b
Oſci ludi unde dicti, 122. b
αἰσχροφωνία cujuſmodi 153. a
oſculo excepti poëtæ à recitatione, ac domum deducti honoris ergo, 187. b
Oſidius Geta, 258. b
Oſiris Ægyptius poëſios auctor, 31. b. muſarum pater, idemque, qui Græcis Apollo, ibid.
Othus, & Ephialtes, primi in Helicone Muſis ſacrificarunt, 31. b
οὐδὲν πρὸς Διόνυσον proverbium, unde originem ceperit, 99. b
Ovidii Medea, 175. a. metamorphoſin ſuam habuit pro non ſatis emendatâ, 181. b. à Cæſaris Scaligero culpatus, 182. a. defenſus ex parte, ibid. quandoque ex illorum ſententia, quibus ſua recitâſſet, ea correxit, 184. a.
Ovidius 236. b. 237. a. 239. b. 240. a. Ovidius an Nonnum ſit imitatus; quod putabat Car. Paſchalius, 24. b. ᾠδὴ quid, 32. a. Ovidius elegiæ princeps, 147. b. tragœdiâ Medeâ multum laudis meruit, 93. b. metamorphoſi ſuâ non ad unam actionem revocat cuncta, ſed ad varias actiones, ac grande poëtæ artificium in fabulis connectendis, 137. a. Ovidius de Athenis, & Thebis loquitur, quales ſuâ erant ætate, oblitus ſe Pythagoram inducere loquentem, 50. b. ejuſdem error de novi conſulatus exordio, 51. b. ſeq. alius de Archilocho ab Hectore devicto, 52. a. deque Romulo dante equum publicum, ibid. in quo delinquat ejus dictio, 93. a. non ſemper, quod Lullus putavit, diſſyllabo claudit pentametrum, 149. a

P.

PAcatus Drepanius, 252. a
Paccius, 246. a
Pacuvius Tragicus, 231. b
Pacuvius, & Attius, in tragicis poëtis cæteros exſuperant, 93. a. eorum Pacuvius doctior, 93. b. Pacuvius non Ennii filiâ, ut eſt apud B. Hieronymum; ſed ejus ſorore, natus fuit, 84. a. Pacuvii epitaphium emendatum, 166. a
Pæan, hymnus in Apollinem, 152. a. ejus abuſus, 152. b
παίγνια, mimi breviores, 118. a
Palæmon, vide Rhemnius Palæmon.
Palæphatus Athenienſis mundi ſtructuram carmine conſignavit, 16. b
Palamedes ridiculorum inventor creditur, 120. b
Palla tragica Æſchyli eſt inventum, 96. b
Palladas, 227. b
palliatis fabulis unde nomen: ac crepidatas videri eaſdem, 78. b
Pamphilus, 259. b
Pamprejus Panopolitanus, 223. a
pancarpiâ qui coronati, 24. b. quid ea ſit, ibid.
Pancrates, 227. b
Pandectes cur Stoicis adverbium dicatur, 146. a
Panica quid, & unde iis nomen, 102. a
Panœdes rex, imperitus de poëtis judex, 196. a
Panolbius, 227. b
Pantaleo planus, 118. a
Pantomimis an, & ubi, in arte poëticâ ſit locus, 124. b. vocabuli etymon, ibid. & 125. a. vox παντόμιμος eſt è magna Græcia, ibid. παντόμιμος aliter ὀρχηστὴς vocatus, & χειρονόμος, ibid. & 115. a. nempe quia manibus verba expediret: unde & dictæ ejus χεῖρες πάνσοφοι, 125. a. non actiones modò expreſſit; ſed etiam mores, & affectus, 125. b. etſi ars ejus per ſe conſiſteret; plurimùm tamen adhibebat cantorem, vel tibicinem, 126. a. veſte convenienti repræſentabat perſonas, ibid. pantomimorum initia, progreſſus, & perfectio, 126. a. b. veteres, novique pantomimi, inter ſe diſcrepant, ibid. novi quando cœperint, ibid. & 115. a. qui poſt Auguſti tempora, 128. a. Pantomimi, etiam deſitis imperatoribus Romanis, Romæ, atque in Italia, obtinebant, 128. b. domus eorum ab Equitibus, ac ipſis Senatoribus, frequentatæ; Matronæ etiam gaudebant iis latus claudere, 129. a. quæ damna dederint Reip. ibid. à Tiberio Româ ejecti, ibid. Neronis tempore eorum fautores in carcerem conjecti, ibid. Trajanus ab iis in ſcena noluit laudari, 129. b. Pantomimi quantopere damnati à veteribus Chriſtianis, ibid. artem eorum referebant ad Satanæ pompam, ibid.
Panyaſis, 205. a
Papinii lapſus Livium Patavinum vocantis

Timavi alumnum, 52. b. Papinii verbis lux, 149. b. Papinii in proponendo tumor, 134. b
Papinius quantâ ſæpius feſtinatione ſuas ſcripſerit ſylvas, 167. b. in ſylvis obtinet principatum, ibid.
Papinius, *vide* Statius Papinius.
Papiſii dixerunt vetuſti, pro Papirii, 10 a
παπποσίληνος, avus Sileni, & quomodo effingeretur, 99. b. 100. a
παράβασις in choro propriè quæ dicta, 96. a. παραβάσεις chori ſeptem, & quod cujuſque nomen, 95. b. παράβασις chori, licet prologi munia impleat, non tamen initio ponitur; ſed medio, 111. b. παράβασις verò totus chori tranſitus dicebatur, 112. a. quâ occaſione pro choro ſucceſſerint παρεκβάσεις, 113. b
παραβολή pro eo, quod Hebræis maſchal, 64. b
Paraſiti habitus niger, vel pullus, 116. a
παραστάτης in choro quis, 78. a
παρέτρεπον quid, 65. a
Parii jambi Horatio dicuntur ab auctore, Archilocho Pario, 161. a
Paris pantomimus, Neronis tempore celebris, 128. a. cur occiſus à Nerone, ibid. quare Tranquillo vocetur hiſtrio, 125. a
Parmenides Phyſicus, 208. a. in Phyſicis carmen, non poëma, condidit, 8. b. ejus de rerum natura poëſis, 16. b. 18. b
Parnaſſus unde dictus. quare Muſis dicatus, cur item, qui in eo ſomniaret, poeta fieri crederetur, 30. a
Paro, 238. a
πάροδος in choro quid, 94. b
partes primas, ſecundas, tertias, quis agere in fabula dicatur, 79. b
Parthenia quale melos, 153. a
Parthenius, 219. b
Paſcaſius Groſippus, ſive Gaſpar Scoppius, corrupto videtur Feſti loco deceptus, 133. b
Paſiphaës commiſtio cum Tauro, & Tyro fluvio, 46. b
Paſſienus, 246. a
paſtorale carmen, & origo ejus, 139. b
paſtorum uxores initio mundi infantibus modos lallâſſe ſomniferos, & canticis ſolatas eſſe operis laborem, veriſimile, 11. a. primorum etiam parentum ætate canendo ſe in agris oblectarunt, ibid. etiam amatoria cecinere, ibid. uterque ſexus miſtim paſcebat, & magnâ corporis parte nudus, ibid. cur dicantur primi poëſim reperiſſe, 31. b
patria variorum poëtarum, & aliorum, è Martiale, 163. a
Patrocles, 227. b.
Patrocli in funere dicendo certatum, 189. b
Patroclus, an Achilles, ſenior fuerit, diſſentiunt poetæ, 45 b
Paulæ epitaphium, ejus ſepulcro, B. Hieronymi curâ, inſculptum, 166. a
Paulli Merulæ alucinatio, 25. b
Paulli Manutii opinio de Ciceronis in epiſtolis loco refellitur, 163. b
Paulinus, 249. a
B. Paulus trium poëtarum uſus teſtimonio, 25. a
Paullus Benius Eugubinus culpatur, quòd drama metri expers præferat ei, quod metrum obſervat, 74. b. 75. a
Paulus Cyrus Florus, 223. b
Paulus Silentiarius, ibid.
Paulus Diaconus, 252. b
Pauſanias emendatus in voce Callini, 147. a
Pauſon pictor deteriores imitabatur; Polygnotus meliores; Dionyſius ſimiles, 59. b
Pedo Albinovanus, elegiographus, 148. b. 240. b
πεῖρα, certaminis Pythii pars prima, 152. b
Pelagius Patricius, 223. a
Peloponneſii, vel Siculi invenere carmen bucolicum, 140. b
Penelope, impudica, 45. b
pentametri auctor Callinous, 147. a. pentametrum quot ſyllabarum vocabulis terminetur, 149. a. pentametri uſus eſt apud Theocritum in bucolico, 141. b. poëmatia ex continuis pentametris, 155. b
penthemimeris durè in pentametro negligitur, 148. b
per ſaturam; id eſt collectim, ſive raptim, 145. b
peregrinationes Deorum, 153. b
Periander, 202. b
periodorum inæqualitas quid præſtet in epopœiâ, 138. a
Peripateticorum de Diis ſententia, 47. b
περιπέτεια, ac λύσις, cur maximè nobis curæ eſſe debeant, 97. b. περιπέτεια Iliadis, & Odyſſeæ, 136. b. περιπετείας in Sophoclis, & Senecæ Oedipo, exemplum, 57. b. adhæc in Euripidis Iphigenia in Tauris, 58. a. item in aliis aliquot fabulis, ibid. quantopere περιπέτεια delectet, ibid. cujuſmodi περιπέτεια verè id nomen mereatur, ibid. quando optima ſit, ibid.
Perſes, 200. b
Perſius qualis in ſatyra, 144. a. b. 243. a. idem adverſus Antonium Lullum defenſus, ibid. ejus dictio grandior, quàm ſatyræ conveniat: eâque parte Horatio, cedit, 145. a
perſonæ gravitas, auctoritas, majeſtas, in epico, uti & tragico carmine, exprimitur ſpondeis, 135. a. perſonarum in dramatis diviſio, 74. b. perſona prologi interdum eſt extra fabulam; interdum ad eam pertinet, 111. b. perſonæ plurimùm tres ſolùm colloquuntur in ſcena; ac magis hoc obſervat Terentius, quàm Plautus, 76. a. ſunt plures in fabulis palliatis, quam togatis, 76. a. perſonæ in dramate non ſæpius exire debent, quàm quinquies; ſecundùm Donatum: qui à Cæſare Scaligero ob hanc ſententiam culpatur; ſed injuriâ, 75. b. aliquando autem ſemel tantùm exire, 76. b. ac in tragœdia ſæpius exire, quàm comœdiâ, ibid. perſonarum nomina ex hiſtoria accipit tragicus; ſed fingit ea comicus, 89. a. perſonis Comicis qualia nomina imponenda, 74. b. illarum habitus in Comœdiis varius erat pro ætate, fortunis, & vitæ genere, 116. a
perſonarum ante uſum fecibus ora perlinebant, & ejus cauſſa, 83. b. perſonas reperit Æſchylus, 85. a. b. perſonati qui drama egerint primi, 82. a. perſonati pro Atellanis, & cauſſa ejus nominis, 124. a
pertinaces in ſuis tuendis hoc conſequuntur, ut monitor deinceps deſinat monere, 188. b
Petrarcha, *vide* Franciſcus Petrarcha.
Petrejus vel Petridus, 227. b
Petri Bembi error, 177. a
Petri Meneni error de tonitru in ſcena ſolito excitari, 82. b
Petri Scriverii in Sidonio Apollinari emendatio, 167. b
Petronii de Lucano judicium, 9. a. item de diſcrimine hiſtorici, & poetæ, 44. b. ejuſdem locus expenſus, 154. b
Petronius, 243. a
Petrus Apollonius Collatius, *vide* Apollonius Collatius.
Petrus Ediſſenus, 223. a
Petrus de Riga, 254. a
Phabaton pantomimus, 128. b
Phacelis, ſive Phacelina Diana, ab Oreſte è Scythiâ in Siciliam delata, 140. a
Phædimus, 227. b
Phædra typus, fœdè, inſaneque, amantis, 22. b
Phædrus, 242. b
Phalaridis Epiſtolæ, 202. a
Phalaris Steſichoro templum exſtruxit, 25. a
phaliſcum carmen ithyphallico præmitti ſolitum, 160. a
Phaliſcus lyricus, 157. a
phallicum carmen in quibus conveniat cum dithyrambico, 159. b. unde nomen, ibid.
phallophori in phallicis, 118. b. 160. a. quomodo proceſſerint in ſcenam, & ut obvium quemque irriſerint, 119. a
φαλλὸς, σκύτινον αἰδοῖον, non σύκινον, 159. b
Phanocles, 227. b
Phanothea habita epici carminis auctor, 133. a
phantaſia in homine magis efficax, quam aliis animantibus, 27. a
Pharſaliæ nomine an rectè poëma ſuum de bello Civili Lucanus inſcripſerit, 63. a
Phemonoë, prophetis Apollinis, credita eſſe carminis epici auctor, & quando vixerit, 133. a. ejus cauſſa inventæ poëſios, 31. a
Pherecrates, 209. b
Pherenicus, 228. a
phiala ab Homero Apollini dicata cum inſcriptione, 162. a
Philænus, 228. a
φιλαυτία vexat omne ſcriptorum genus, 183. a
Philelphus, *vide* Franciſcus Philelphus.
Philemon, novæ comœdiæ poëta, 114. a. 216. a. nequaquam par Menandro ſcriptor; cui tamen prælatus à populo imperito, 190. a
Philemon Junior, ibid.
Philetærus, 213. a
Philetas Cous, unus ex quatuor illis, qui apud Græcos elegiæ forent principes; & quando claruerit, 174. a. 147. b. 214. a. nec poëta ſolùm, ſed etiam Criticus fuit, ibid.
Philicus, 218. a
Philippi Cæſaris de poëtis judicium, 26. a
Philippides, novæ comœdiæ poëta, 114. a. 214. b
Philippus rex, Amyntæ filius, quàm ridiculorum fuerit amans, 118. a
Philippus Gualtherus Caſtellonius, 254. b
Philippus, 214. a
Philiſcus, 228. a
Philiſcus, & Stephanus, præcipui comœdiæ mediæ ſcriptores, 114. a
Philiſtio, 239. b
Philiſtion Locrus, 210. a
Philiſtion Pruſæenſis, ibid.
Philiſtionis ætas, patria, & quæ ſcripſerit, 121. a. b
Philiſtus, *vide* Philicus.
Philocles Comicus, 208. b
Philodemus Gadaræus, 219. b
Philonides Athenienſis, 209. a
philoſophiæ prima pars, Phyſica, Pherecydem, Pythagoram, &c. altera, h. e. Ethice, Socratem; tertia, Dialectica, Platonem, vel Zenonem, habuit auctorem, 87. a
Philoſophus conſiderat univerſum; hiſtoricus ſingularia; poëta aliquid habet commune cum utroque, 22. a. b
Philoſtratus, 228. a
Philoxenes Cytherius, 212. a
Philoxenus Cytherius poëta lyricus, ac dithyrambicus, quo parente, & ubi natus, 158. a. cùm dithyrambos canere Doriis modis vellet; nihil profecit, 159. a. à rege Dionyſio, quem in Cyclope ſuo deriſerat, eſt interemtus, 100. a
Philyllius Comicus, 208. b
Philyllius Jambicus, 228. a
Phlegides, ibid.
φλύακες, 118. b. 119 a
Phocylides Alexandrinus, 204. a
Phocylides Mileſius, ibid.
Phœnicides, 228. a
Phœnicum Theologia tota pertinet ad naturæ ſcientiam, 31. a
Phorcides anus tres unius oculi uſu, quem commutarent, vitam tranſigentes, 47. a
Phormioni Terentianæ unde nomen, 79. b
Phormis, ſeu Phormus, comicus Siculus, Epicharmi æqualis, 106. a
Phormus Comicus, 209. a
Phrygia harmonia qualis, 96. a
Phrynes Mitylenæus ſeptem chordas induxit ad nomorum cantionem perficiendam, 152. b
Phrynichus Tragœdiam poſt Theſpidem excoluit, 84 b
Phrynichus Comicus, 210. a
Phrynichus Tragicus, 204. b
Phyliſcus, 218. a

Phyſici

Phyſici poëtæ, ut Xenophanes, Parmenides, Empedocles, 16. b
pictores primitus quàm fuerint rudes, 30. b
pictura triplex genus in Pauſone, Dionyſio, & Polygnoto, repræſentatur, 59. b
pictura quando, & à quibus, inventa ſit, 53. a. picturæ in ſcenis Romanorum variæ, 81. b
picturæ, & poëſios ſimilitudo, 8. b
Pierus Macedo novem conſtituit Muſas, 31. b primus iis ſacrificavit, ibid.
Pigres, *vide* Tigretus.
Pindarus gloriabatur, ſe naturâ carmen ſcribere, non arte, ut alii: unde ſe aquilæ, illos corvis comparabat, 14. b. ejus ædibus parcitum ab Alexandro Magno, 25. a. à Corinna victus, 190. a. an ἀμίμητος, 175. b
Pindarus Thebanus, 206 a. ὑπόρχημα invênit, 156. a. diſcipulus Myrtidos poëtriæ fuit, 157. a. idem decem lyricorum facilè princeps, 156. b. quàm varia ſit idylliis complexus, 153. b. multa ſcripſit, quæ periere, ibid. numeri ejus non ſunt exleges: deque iis Horatii verba exponuntur, 155. a. quædam ejus verba tumidiora, quàm ut tragico conveniant argumento, 93. a. dithyrambi illius quales, 158 b. Pindari, & Horatii, in exordiis differentia, 154. a. Pindari, & aliorum error, cervæ tribuentium cornua, 53. b
Pindarus alius, poëtaſter Latinus, quantus fuerit poeta, judicio Laur. Vallæ, 189. a
Pineda reprehenſus, quòd non ſatis magnificè ſenſerit de ſatyricâ poëſi, 143. b
Pirenes aquæ, ſi biberetur, poëtam facere credebatur, 29. b
Piſander, 201. b. à nuptiis Iovis, & Iunonis, exorſus, fabulas omnes, atque hiſtorias, ad ſuam uſque ætatem connexuit: eumque exſcripſit Maro in 11. Æn. 63. a
Piſander Larandenſis, 221. b
piſcatores, eclogis inducti, 140. b
Piſeus Thyrrhenus roſtra navium ærata, & tubas æneas, primus reperit, 52. b. ſeq.
pithaulæ, & choraulæ diſcrimen, 115. b.
Pittaci ætas; qui unus è ſeptem Græciæ ſapientibus fuit, 156. b
Pittacus, 202. b
planipides, & mimi, differunt, 119. b. planipedia unde ſic appellata, ibid.
Plantini ſymbolum, Labore, & Conſtantia ex Cicerone deſumtum, 176. b
Planudes, 224. b
Plato, vel potiùs Zeno, inveniſſe creditur Dialecticam, 86. a
Plato Remp. non cujuſmodi eſt, ſed qualem eſſe oporteat, deſcribit, 61. a. cur poëtas in ſuam non recipiat Remp. 48. b. 60. a. meritò culpatur, quòd uſque adeò ſit conſectatus dictionis magnificentiam, 65. a. magis poëticè ſcribit Comicis, ibid. nec tamen invidiæ tribuendum, quòd Homerum ex ſua ejiciat Rep. ibid. & 65. b. Homerum ſtudioſiſſimè imitatus eſt, 93. a. judicium ejus de ſermone poëtico, 65. a. Platonis, ac Democriti dictio magis ad poëma accedit, quàm illa Comicorum, 109. b. Platonis dictio prope dithyrambica: quod vitii hauſit à ſui ævi ſophiſtis, 158. b. Plato putabat, nil ſine exemplo rectè, certò, apteque fieri, 174. a. vitio illi verſum, quòd in Dialogis ſuis diverſæ ætatis homines inducat loquentes, 178. b. opinio ejus de animæ divinitate, 179. b. venuſtatem addidit Dialogis ad annum uſque octogeſimum, 181. b. diſcipuli ejus imitabantur magiſtri curvitatem, 180. a
Plato Comicus. 206. b. 207. a. princeps mediæ Comœdiæ poëta, 114. a
Plato Tragicus, 212. b
Platonis dialogi rectè ad imitationem revocantur, 9. b. primos in dialogis ſemper Socrati tribuit, 10. a. poëmata comica, tragica, ac ſimilia, rejicit, 13. a. nullum admittit poetam, quàm qui eſt Deorum, & bonorum virorum, laudator, ibid. quo ætatis anno deceſſerit, 15. b. ejus dialogi quatenus poëma dici poſſint, 17. b. cenſebat, poëtas Reip. eſſe noxios: nec eò omnem damnat poëſin, ſed Homericam, 19. a. cur Homerum è ſua ejiciat Rep. 20. a. magnificè interim ſenſit de poëtis, ibid. non benè ideam quinctam ſtatuit cauſſarum genus, 27. a
plaudere, actâ fabulâ, nunc cantor, nunc alius, jubebat, 112. b
plauſus manuum inter ſigna judicii auditorum, 187. a
Plautius, 232. b
Plautus, 231. a. 232. b. verborum Latinorum eligentiſſimus, 106. b. idem & argumentorum, & dictionis varietate, exſuperat Terentium, 110. a. quare jocos ſæpe frigidos, & obſcœnos, protulerit, 109. a. multa è Græco in Latinum tranſtulit, 78. b. etiam plures, quàm quatuor, inducit in ſcena loquentes: in quo accuratior eſt Terentius, 76. a. in affectibus peccat, 108. b. perperam inducit Soſiam, & Mercurium, nato necdum Hercule, per Herculem jurantes, 52. b. in Pſeudolo, errore, pro Æſone poſuit Peliam, 51. b. ejus in Captivis peccatum, 50. b. ejuſdem error geographicus in Curculione, 52. b. item ſpiſſus error in ἀναγνωρίσει Amphitryonis, 73 b. ejus Aſinaria fabula eſt ſimplex, non implicita, 67. b. miles illius Glorioſus eſt venuſtior ob ἀναγνώρισιν, ibid. Amphitryo ejuſdem quare tragicocomœdia vocetur, 109. a. Plauti epitaphium expenſum, 166. a. Plauti Querulus, 74. b. 75. a. Plautus ſecutus eſt Epicharmum Siculum, 174. a. ejus ſubinde vitioſa eſt œconomia, 178. b
Plinii erratum, quo poëtriam Myro, & Myronem, artificem ſignorum ex ære, non diſtinxit, 157.
Plinius junior quomodo tueatur ſe, quòd faciat verſiculos minùs ſeveros, 179. a. ejus in recitando conſuetudo, 184. a
Plotino cantica εἰς τὰς ἐνδιδομένας, καὶ τὰ ἀδόμενα, dividuntur: & quid utroque ſignârit, 43. a
Plotius, 234. b. Grammaticus ſemel, iterumque, emendatus, 124. a
Plotius Criſpinus, 238. b
Plotius Tucca, 239. a
Plutarcho occurritur imitationem culpanti, 174. a
Plutarchus emendatus, 15. b. improbat opinionem Epicuri de arte poëticâ acatio celeri effugiendâ, 20. a
πνιγηρόν, & πυδεφόρος, 127. b
poëma, ſi in proſam redigatur, poëmatis nomen amittit, 10. b. in eo non ſemper fabula requiritur, 11. a. idem nec ſemper metrum habet, ibid. errori adverſæ ſententiæ occurſum, ibid. gradus admittit, 13. b. poëma, poëſis, & poëtica, differunt, ibid. & 14. a. poëma non conſtat undique fictis actionibus, 17. b. poëmatum alia dramatica; ut comœdiæ, & tragœdiæ: alia exegetica; quæ partim heroica, vel elegiaca; partim lyrica, aut dithyrambica; partim epigrammatica, 33. b
poëmata antiqua omnium diſciplinarum ſemina continent, 43. b. poëma condere, & vitas ſcribere, in quo differant, 62. b. poëmata ab illuſtrioribus initiis profluere debent, 64. a. & exitu inopinato finiri, ibid. quomodo poëma reddatur pulchrum, 68. b. poëmatum tria genera à Platone conſtituta, διηγηματικόν, δι' ἀπαγγελίας, διηγηματικὸν διὰ μιμήσεως, καὶ δι' ἀμφοτέρων, 69. b. 70. a
pœna Romæ decreta infamis libelli auctoribus, 123. a
poëſios definitio, juxta Poſidonium, 64. b. poëſios initia, 72. a. poëſis triplex: una ſolo utitur ſermone, vel ſolo rhythmo: altera rhythmo, & harmoniâ: tertia & ſermone, & harmoniâ, & rhythmo, 69. a. b. poëſis duplex antiquis enata temporibus, ex eo, quòd duplici de cauſſa feſtis diebus convenirent, ad cultum Deorum, & animorum hilaritatem, 71. a. poëſis cur picturæ comparata, 44. b. ſeq. poëſis ſcenica unde enata ſit, 71. b. poëſios partes trifariam differunt: re, quâ imitamur; re, quam imitamur; & modo, quo imitamur, 69. a
poëſis quomodo vocetur Hebraicè, 7. b ejus origo, ſecundùm Suetonium, eſt inde, quòd homines, exutâ feritate cultûs, & ſermonis magnificentiam ad religionis ſplendorem excogitârint, 8. b. anima ejus eſt imitatio, 8. a. fabularum, & figmentorum expers Platoni non agnoſcitur pro vera poëſi, ibid. eadem tacita dicitur pictura, ibid. Ariſtoteli ſex illius genera, 9. b. cui nulla eſt ſine metro, ibid. illa de geſtis, ac laudibus virorum præſtantium, quando cœperit, 11. b. canebatur in epulis, ibid. poëſis eſt oratio metrica, fabulam continens, 12. b. quinctuplex ejus materia extra figmenta, 13. a. quandoque ſumitur pro poemate, 13. b. Nonio eſt perpetuum argumentum ex rhythmis, 14. a. Donato, ſive Euanthio, unius carminis plures libri, ibid. res ſacra, ac divina, 14 b. tota debetur naturæ, atque afflatui divino, 14. a. majus exigere ingenium, quàm oratoriam, 14. b. maximè in eâ opus judicio; contrà, quàm Iſidorus Peluſiota putabat, 15. a. multum debet arti, ibid. quomodo Stoicis definiatur, 16. a. forma ejus eſt metrum, ac ſpiritus poëticus, 17. b. vitæ eſt humanæ imitatrix, 18. b. habet μιμητικὴν ὑπόθεσιν, ibid. Epicuro dicitur pernicioſum fabularum illectamentum, 19. b. in eâ, judicio illius, nulla eſt ſolida utilitas; ſed ſolùm puerilis delectatio, ibid. poëſis actiones imitans plus ingenii exigit, quàm ubi nihil, aut parum, opus fingere, 27. b. initia ejus rudia, 30. a. à paſtoribus reperta, & in Græcia primitus celebrata, 31. b. origo tamen prima Orientis populis debetur, 32. a
poëtæ opus eſt omnium doctrinarum vel notitiâ, vel ſaltem guſtu, 44. a. nec tamen eſt omniſcius: & ferè, quæ ſcit, aliunde didicit: ſolùm à ſe habet fabulam, numerum, & ſpiritum, quo animat dictionem: eoque non philoſophiam docet, ut poëta, ſed ut philoſophus; nec hiſtoriam tradit, ut poëta, ſed ut hiſtoricus; utcumque variet tradendi modo, 43. b. ſeq poëtæ, & hiſtorici conceptus, quantum diſtent, 44. b. officium ejus eſt imitari, ac fingere, ibid. imitatur actiones humanas, eaſque fictis fabulis exprimit, ibid. nonnunquam res planè invertit: ut cùm Penelope fingitur caſta, Dido impudica; cùm illa fortaſſe meretrix, hæc caſta, fuerit, 45. b. quantâ in fingendo licentiâ utatur, 46. b. poetas imitari καὶ τὸ δυνατὸν, quomodo capiendum, 47. b. quatenus in ſacro argumento abire iis liceat extra Scripturas, 59. b. poëtis propter actiones exponendi etiam mores, ibid. præſertim cùm morum ſint doctores, 59. b. nec omnes tamen uſos oratione moratâ; ut præcipit Ariſtoteles, ibid. quid in ſingulis poëtarum generibus præcipuum eſſe debeat, 154. b poëtæ ob ſuavitatem, & concinnitatem in digerendo, apibus comparati, 62. a. Impetus poëtæ eſt ſupra artem, 154. a. ſecundùm Ciceronem, aliâ poëtæ loquuntur lingua, ac Oratores, 64. b. licentia eorum in cudendis verbis novis, 65. a. magis gaudent ſermone figurato, ibid. poëta odit vulgaria, 68. b. nulla iis prærogativa legibus Romanis, 83. a. hircus tamen in tragœdiis præmium: in aliis aliud: præcipuè cùm poëtarum eſſent certamina, 156. a. ita præmium in ludis Capi-

tolinis ſcenicæ coronæ, 87. a. etiam poetis ſtatuæ ponebantur, 83. a. poetis vitio verſum, quòd deos ſuos dedecorent, 47. b. item quòd multa abſurda, & incredibilia, proferant, 46. a. quodoque ſic inter ſe diſſentiant, 45. b. adhæc, quòd Bacchi magis, quàm Muſarum afflatu, carmen fundant, 83. b. errores poetarum alii per ſe, alii ex accidenti, 49. b. ſed peccata per accidens veniam merentur, 51. a. ad duo genera revocantur, ibid. lapſus poëtarum in locorum ſitu, 52. b. in temporum ratione, ibid. in familiarum confuſione, 53. a. in re militari. 53. b. in ſcientia naturali, 54 a. b. etiam magica, 54. a

poëtarum unde nomen deductum, 7. b. Dramatici humanæ vitæ magiſtri, 8. a. Latinis ſcribæ, aut ſcriptores, ibid. προφῆται dicti, item διδάσκαλοι, atque alia eorum nomina, ibid. utrùm à faciendis verſibus, an à fingendis fabulis, nomen acceperint, 8. b. veterum de eo ſententia, ibid. illorum dictio vulgaris eſſe non debet, ibid. poëta quis, ex Horatii ſententia, dici mereatur, ibid. à metro potiùs, quàm imitatione, nomen accepit, 10. b. Hebræis quomodo dicatur, ibid. non ſolùm agit de vita, & moribus; ſed etiam occultis naturæ, 12. b. priſci non res fictas, ſed veras decantabant, ibid. ab Oratore verſu ſolo diſtinguuntur, ibid. poſtea à fingendis fabulis dicti, 13. a. cur dicantur ποιηταὶ, ibid. poetæ etiam cenſendi, qui carmen elegans condunt, ſine fictione, ſive imitatione, ibid. etiam illi, qui fabulis abſtinebant, ποιηταὶ dicebantur, ibid. divino furore correpti, 14. b. fictis fabulis homines docent virtutem, 16. a. 18. b. quantum ſibi Theologorum nomen vindicent, 16. b. poëtane, Phyſicus, an Theologus, ſit dicendus, 18. b. qui Deorum amores, ac concubitus narrant, quare id faciant, ibid. officium eorum duplex, ibid. efficiunt cives bonos, ibid. quid habeant commune cum hiſtoricis, & philoſophis, ibid. multum faciunt ad vitam illam, quam optamus, 19. a. poëta, ut doctor virtutis, priùs ipſe vir bonus eſſe debet, ibid. item ſapiens; & quomodo hic voce ſapientis utamur, ibid. poëta Proclo dicitur magnus magni politici magiſter, ibid. qui putarint, eos noxios eſſe Reip. nec juvare animos, niſi pueriles, 19. b. an ad delectationem & voluptatem, omnia dirigant, ibid. facilè irretire poſſunt animos incautos, ibid. deorum interpretes, ibid. qui Deorum certamina & amores, narrant, an ſint noxii, 20. b. quare, & quibus, legendi, ibid. libidinoſi vitandi, præſertim adoleſcentiæ, 21. a. qui legendi, qui item fugiendi, ibid. poeta obſcæni Muſas amant meretriculas, ibid. non paucis eorum jure objici tum adulationem fœdam, tum eloquentiam caninam, 22. a. in quibus hiſtorico ſint præferendi, 22. b. cur meliùs virtutem doceant, 23. a. cur hederâ coronati, 24. a. quare item lauro redimiti, 24. b. cunctis penè gentibus in honore, 25. a. poëtarum collegium Romæ inſtitutum, 25. b. an debeatur illis immunitas, 26. a. poëtis tria neceſſaria, juxta Julianum: Dei ſpiritus, amor, & tempus, 28. a. inclyti poëtæ quando naſcantur, juxta Julium Firmicum, ibid. quo pacto ad pangendum carmen incitentur; quæ mentis excitatio furor vocatur, 29. a. ad carmen pangendum nihil eis opus ſpiritu Deorum; ſed humoris melancholici acrimoniâ, ibid. poëtarum genera quot, 70. a. poëta dramaticus primitus ſuas agebat fabulas; iiſque iis canebat, 80. b ſi vel connexione, vel ſolutione, differat à prioribus; novam condidiſſe fabulam dicitur, 57. b. inprimis dramaticis ingenio, & induſtriâ, opus eſt in extremo actu, 57. a. poetis in ſolutione agnitionis variare licet, 59. a. comici veteres Athenis, obtinente democratiâ, impune vexabant primores Athenienſium, 113. b. ſed, permiſſu legum, licuit poëtas maledicos in jus vocare, ibid. nec poëtis permittendum, ut vel malos taxent cives; quod potiùs eſt officium Cenſoris, 113. a. poëta epicus, uti & tragicus, principia ſumit ab hiſtoria, 87. b. ejus officium eſt, verè geſta traducere in alias ſpecies variis figuris, 135. b. idem, ut & tragicus, alium, quàm hiſtoricus, ordinem ſequitur, 62. a. b. à mediis ſæpe ei incipiendum, 63. a. quo pacto hoc intelligendum, 63. a. b. cauſſa gemina, cur non ſit inchoandum ab initio; una, quia una ſolùm ſit actio primaria: altera, quia principium oporteat eſſe illuſtre, 63. b. poëtæ cyclici qui, 63. a. ſunt vulgare argumentum ſecuti, 88. b. eorum nomina, ibid. an Heſiodo, & Ovidio, hoc nomen conveniat, ibid. cætera de poetis vide in ſingulis poëtarum generibus; puta voce Comici, Tragici, Epici, Lyrici, atque aliis. poetarum ſpurcorum catalogus, 179. a. poëta quis demum ſit Horatio, 181. b. quiſque ſibi optimus videtur, 182. a. illorum uno anno quantus proventus, Plinii ætate, 184. a. poſt recitationem oſculo excepti, ac deducti domum, 187. b. laudem non meretur, niſi qui excellit; & cur id in poëtis magis exigatur, quàm medicis, juriſconſultis, & ſimilibus. 191. b

poëticæ artis pars communis conſiderat tum res, & earum ordinem: tum verba, eorumque numeros, ſive metrum, 43. a. ut Oratoria, ita & poëtica ars, agit de inventione, diſpoſitione, & elocutione, ibid. poëtices pars propria in tot diſpeſcitur partes, quot ſunt ſpecies poëmatum, 69. a

poëtice, & oratoria, ſorores germanæ: quarum hanc eſſe antiquiorem, contra veteres oſtenſum, 7. a. quid ſit poëtice, 13. b. laxè ſumitur à Suida, ac Rabbinis, ibid. preſsè uſurpatur ab Ariſtotele, & Poſidonio, ibid. rectè eam ſtatui artem, 15. a. quare dicta μιμητική, εἰκαστική, εἰκονοποιητική, εἰδωλοποιητική, 16. a. poëticæ artis utrùm materia ſint res omnes; an ſola figmenta, ſive fabulæ, ibid. non hominum modò; ſed Deorum etiam mores imitatur, 16. b. nec ſolùm circa figmenta verſatur; ſed etiam res divinas, ibid. naturales, ibid. hiſtorias, 17. a. vitæ præcepta, 17. b. ac ea, quæ ſunt artis, ibid. conciliatæ eorum ſententiæ, qui tradunt poëtas circa res omnes verſari; quique contendunt, ſolùm fabulas tractare, ibid. poëtices, pro duplici uſu vocabuli, finis eſt duplex. Si enim poeticam intelligamus laxè, quatenus ſibi proponit res omnes, finis ejus in parte quidem operis ſolùm fuerit delectatio: at ratione totius operis, ſemper eſſe debet, ſimul docere, & delectare, at poeticæ preſſè ſic vocatæ, ac fabularum figmenta exponentis, finis eſt fictis fabulis jucundè ea docere, quibus animi à vitiis purgentur, 18. a. b. politicæ eſt miniſtra, 19 a. poeticæ, & rhetoricæ, quid commune ſit, 19. b. ad oratoriam præparat, 21. a. dici poſſet prima philoſophia, quia ætatem primam formet, 23. b. etiam ab hac rectè auſpicatur, qui deſtinatur imperio, ibid. nominis honorem diſpenſat, 25. a. diu apud Romanos nullo in pretio fuit, 25. b. ab agreſti, & militari populo, ægrè recepta, ibid. tria ejus principia; natura, initia extemporalia, & ars, 26. b. cauſſa ejus efficiens gemina, 27. a. 30. b. ab Orientis populis defluxit ad Græcos, 31. a. origo, ibid. optima ejus diviſio in partem communem, & propriam, 33. b. poeticæ artis ſcriptores veteres, & recentes, 15. a b

ποιεῖν à ποιῶ eſſe videtur, 8. a. poetis quid, 12. b. ποιηταὶ veriùs dicuntur, qui & metrum, & rem faciant, 13. a

ποίησις barbarè redditur dictamen, 8. a

ποίησις non aliud, quàm λόγος ἔμμετρος, 12. b

πολεμικὸν inter cantica ad tibiam, 150. a

Polemon de theſauris Delphicis, 189. b

πολιτεία interdum ſtrictè ſumta, interdum laxe, 10. a. ejus finis, 19. a. quare Rhetoricâ utatur, & Poeticâ, ibid.

Politianus, vide Angelus Politianus.

Polla Argentaria, 243. b

Polluci ſilli ἀπὸ τοῦ σιλλαίνειν; cùm potiùs verbum hoc ſit à Sillis, 142. a. Pollucis interpres notatus, 150. a

Polychronii, Apameæ Epiſcopi, judicium de auctore, vel interprete libri Job, 32. a

Polycletus quando putârit in arte ſtatuaria laborem eſſe difficillimum, 182. a

Polycritus de rebus Siculis, 17. a. 228. a

Polydectis in ſaxum converſus, 46. b

Polydori è cadavere virgulta enaſci, finxit Maro: & quomodo commentum tale, etſi ἀδύνατον, poſſit defendi, 46. a

Polydorus typus divitis, 22. b

Polyeidus, 212. b

Polyeuctus, 228. a

Polygnotus pictor in quo à Pauſone, & Dionyſio, differret. 59. b

Polymeſtor exemplum avaritiæ, 22. b

Polymneſtus, 228. a

Polyphradmon, 204 b

Polyxena typus animi generoſi, 22. b

Polyzelus, 228. a

πομφολυγοπάφλασμα, 159. a

Pomponius, 249. b

Pomponius Secundus, 244. a. quanti fecerit populi judicium: at non item Plinius junior, 189. b

Pomponius Bononienſis, 334. b

Pomponius Atticus, vide Atticus.

Pontanus, vide Jovianus Pontanus.

Pontani lapſus, Heautontimorumenon exiſtimantis eſſe comœdiam motoriam, 114. b

Ponticus, 241. a

Pontus, pater Sidonis, ſecundùm Phœnices, 152. a

Popilius, vide M. Popilius.

populi ea eſt indoles, ut ex inſectatione magnatum magnam capiat voluptatem, 113. a. populi mendacia multùm differunt ab illis poetarum, 45. b

populus Romæ ad audiendum in porticum, vel theatrum, convocari ſolebat, 189. a. ejus judicium imperitum, inſtabile, periculoſum, ibid. non ſemper tamen diſpretui habendum: quia quandoque per ſe videt; quandoque bonos ſequitur duces, 189. b

Porcii Latronis diſcipuli edebant cuminum, ut pallerent inſtar magiſtri, 180. a

Porcius Catulus, deque ejus verſibus judicium, 164. b

Porcius Licinius, 231. a

Porphyrius, vide Optatianus Porphyrius.

Poſidippus Comicus, 216. b

Poſidippus Epigrammatum ſcriptor, ibid.

Poſidonius quomodo poeſin definierit, 65. a

πάλβιον poſterioribus Græcis ex pulvinum, 186. a. idem πυλβινάριον, & fortaſſe πάλβιον, ibid.

præcentoria tibia, 150. b

præludium operis Lyricus etiam in medio ponit, 154. a

præmeditatio futuri operis quàm neceſſaria, 180. b. quomodo aliter dicta, ibid.

prætexta non puerilis modò veſtis fuit; ſed etiam magiſtratus Romani; atque inde fabulis prætextatis nomen datum, 79. a

prætextatæ fabulæ quæ, & unde, dictæ, ibid.

prætor Athenis tibicines procurabat choris, 81. a

Pragmatica carmina, 153. b

Pratinas Phliaſius primus ſatyricam fabulam exhibuit, 83. b

Pratinas Phliaſius, 205. a

Praxilla

Praxilla Sicyonia, una è novem lyricis, 157.a. 207.a
priapeium carmen convenit poeſi ſatyricæ, 101.b
Priapus cur hederâ coronatus, 24.b
principes viri, ſtante republicâ Romanâ, à ſatyricis, mimis, & epigrammatariis, metuebant ſibi, 163.b
principum per alios recitationes duplices, 184.b
Priſcianuſ, 251.b
Priſcus, 241.b
Proba Falconia, 249.b
probabilia, quæ fieri nequeunt, potiùs poetæ ſunt eligenda; quàm improbabilia, quæ fieri poſſunt, 48.a
procerritus barbarum, ex corrupta Plauti lectione, 177.a
Proclus apud Photium emendatus, 152.a. ejuſdem verba expenſa de diſcrimine nomi, ac dithyrambi: ac ſi non Photii, ſaltem librarii lapſu, ita ſcriptum videri, 159.b. ab interprete Schotto verba Procli de quarto Melicorum genere minùs intellecta, 153.a
Proclus Conſtantinopolitanus ſua de poeticâ ex Græcis excerpſit, 15.b
Proclus Lycius, 223.b
Proculus, 241.b
Prodicus, 228.a
prologus unde dictus, 111.b. prologi vox aliter ſumitur Ariſtoteli, quàm à Latinis, 77.a. prologus quid, 111.a.b. eo Tragici apud Græcos, utebantur; ſed ſic, ut prologus foret unius è tragicis perſonis, 94.a. at non utebantur, prologi voce acceptâ more Latinorum: nempe ut poeta ipſe prologum dicat, 111.b. locum ejus in veteri fabula παρέμβασις implebat, ibid. eſt quadruplex prologus, ibid. prologi hypothetici quod nomen ſit Latinum: & an prologus mixtus rectè definiatur ab Euanthio, ibid. prologus non ſemper eſt μονοπρόσωπος, 112.a
Promathidas, 228.a
Propertius, 240.a. Philetæ, & Callimachi, æmulus, 147.b. quâ parte ſuperet Tibullum, 148.b. unus eſt è tribus elegiæ Romanæ principibus, 147.b
Propertius Umber, 240.a
propoſitio epopœiæ pars eſt, 134.a. ea perſonam non tam exprimit, quàm circumloquitur; ſed clarè, 134.a.b. Homerum, & Maronem, imitandos; qui ſimpliciùs proponunt: quod tumidiùs, & affectatiùs, faciunt Lucanus, & Papinius, ibid. quædam propoſitioni quandoque adde vel de poëta, vel ad captandam benevolentiam, ibid.
proſæ artificium ſeriùs obtinuit, quàm carminis, 7.a
προσῳδίαι, quæ accinuntur ad citharam, 151.a
προσόδιον, & προσῴδιον, diverſimodè ſcribuntur; ſed idem ſignant, 152.a
Proſper Aquitanicus, 249.b
Protagoras ſophiſta ridiculè ajebat, Homerum iſtis, μῆνιν ἄειδε, non precari, ſed imperare, 135.a
πρωταγωνιστὴς quis, 85.a.b
protaſis quid ſit, 76.b. eam excipiebat epitaſis, ibid. protaſis non ſemper primo actu abſolvitur; contrà quàm Euanthius putavit, ibid.
protrepticus furor Cælio Aureliano eſt, qui ab Apolline immittitur, & Muſis, 28.b
prudentia indiſerta præſtat ſtultitiæ loquaci, 18.a
Prudentius quoque comparat poëſin cum picturâ: ſed hic planè odiosè, 45.a
Prudentius, *vide* Aurelius Prudentius.
Pſalmi, ſive hymni, nobiliſſimum poëtæ opus, 13.a
Ptolemæus Alexandrinus, 221.a
Ptolemæus Cytherius, 228.a
Publius Licinius Tegula, 231.b
Publius Syrus, 236.b. 237.a
puellatoria, vel puellaria tibia, 150.b
pueris fabulæ cujuſmodi diſcendæ, 21.a. fabellis capiuntur, 23.a
pulchritudo poëmatis in quibus conſiſtat, 68.a.b
pulpiti in ſcena inventor Æſchylus, 85.a
pulſus fidium ſuavitatem lyricorum auget, 155.b
pulvinus pro cathedra, in qua pulvinus, Arriano, 156.a. pro lectica, ibid.
Puppii, poetæ tragici, epitaphium, 165.b
purpurea veſtis in Comœdia erat juniorum, 116.a
Pylades Cilix, & Bathyllus Alexandrinus, primi pantomimi fuere, 81.a.b. 126.b. horum ſaltatio quare Italica dicta, 127.a. prior in comœdiâ; alter in tragœdiâ, præcellebat, ibid. prior de ea quoque commentarium reliquit, 81.b. eorum etiam diſcipuli Pyladæ, & Bathylli, ſunt nuncupati, 128.a. in tragœdia plus poterat Bathyllo, 81.b. 127.a. quibus decorârit ſaltationem, ac chironomiam, ibid. idem pedum ſonitum adhibuit, ſaltante pantomimo, 127.b
Pyrrhus hyporchematis, pyrrhichæque inventor, 152.b. pyrrhicha qualis ſaltatio, 155.b. ejus inventor, 152.b. pyrrhicha, & emmelia, duo honeſta ſaltationis genera, à Platone laudantur, 95.b
Pythagoras quare Homerum apud inferos torqueri dixerit, 48.b. Pythagoræ tributa carmina aurea ſunt Lyſidis Pythagorici, 153.b
Pythagorici numeris philoſophiam obſcurarunt, 20.b. Pythagorea μετεμψύχωσις, 30.a
Pythangelus, 228.a
pythaulæ nomen unde falsò deducant, & quod ſit verum ἔτυμον, 127.b. quare poſtea appellatus ſit choraules, ibid. quomodo in comœdiis cecinerit, 115.b. in cantico pythicis reſponſabat, 80.b
Pythiæ oraculum, in quo pentameter verſus hexametrum præcedit, 146.b
Pythii certaminis partes quinque, 152.b
πυθικὸς, νόμος αὐλητικός, ibid.
Pythoſtratus, 228.a

Q.

QUerulus comœdia quando ſcripta, 18.a. quo orationis genere compoſita, ibid. quis comœdiæ ejus ſit auctor, ibid. querulus, quæ Plauti dicitur, eſt metri expers, 74.b. 75.a
Q. Catuli epigramma, tantopere laudatum Gellio, è Græcis eſt tranſlatum, 164.b
Quinctilii Vari, poëtarum judicis, conſuetudo, 16.a. 182.b
Quinctus, 223.a
Quinctus Novius Romæ Atellanas celebravit, 124.a
Quinctus Cicero, 235.b
Quinctus Ennius, 231.a
Quinctus Fabius Labeo, 233.b
Quinctus Lutatius Catulus, 234.a

R.

RAbanus Maurus, 253.a
Rabbini laxiùs uſurpant Poëtices vocabulum, 13.b
Rabirii libellum Actiacum, 17.a
Rabirius, 238.a
Raderi error, 184.b
rami aurei fabula apud Maronem myſtica eſt, 46.a
ῥαψῳδοὶ unde nomen, 139.b
rarò contingentia à poëtis ſubinde finguntur, quia majorem hæc pariunt admirationem, 46.a
recinium quid; 120.a
recitationis finis emendatio, 183.b. varia ejus commoda, ibid.
recitaturi ſeu carmen, ſeu orationem, ut comti, ornatique, ſoleant prodire, 185.b. recitantes carmen, ſediſſe; ſed orationem habentes, ſtetiſſe, ibid. recitandi orationes conſuetudo à Plinio defenſa, 184.a
regna priſcis ſæpe temporibus communia fratribus, aut dividua, 60.b
remigem priùs eſſe oportet, quàm gubernatorem. Proverb. 176.a
reprehendendi modus, quo uſi epigrammatum ſcriptores, 163.b. ſi ſpurca ſpurcè reprehendamus, mores corrumpimus: ſin fiat, ut oportet, philoſopho dignum eſt argumentum, 164.a 165.a
Rhadamanthus, & Palamedes, ridiculorum inventores putantur, 120.b
Rhemnius Fannius, 247.b
Rhemnius Palæmon, 247.a
rhetor multò eſt infra Poëtices grandiloquentiam, 64.b
Rhetorice cum ab Ariſtotele appellatur pars Dialecticæ, non id niſi cum reſtrictione aliquâ intelligi oportere, 19.b
Rhianus Benæus, 218.b
Rhinto, poeta Tarentinus, Rhintonicæ fabulæ inventor, primus tragœdiam ad hilaritatem deflexit, & quot fabulas reliquerit, 103.a. cur Φλύαξ dictus, ibid. nonnullis Syracuſanum dici pro Tarentino; & unde id eſſe videatur, 103.a.b Rhinton, pro ſcurra, ibid.
Rhoſaita Monialis, 253.b.
rhythmus quid ſit, 43.a. latiùs patet metro, 69.a. rhythmus quomodo differat a metro, & in quibus conſiſtat, 66.a
ridiculorum amantes varii viri principes, 118.a
ridiculus caſus obeſi pondere ſuo frangentis ſubſellia, & eo cachinnos excitantis, etiam Claudio Cæſari, hiſtoriam ſuam recitanti, 184.b
Rinthon Tarentinus, 216.b
riſus unde in comœdia concilietur, 108.b. in eo captando caſtigatius Terentii, quàm Plauti, judicium fuit, ibid. riſus interdum plus valet acrimoniâ, 144.a
Robertus, Hieroſolymorum & Siciliæ rex, cùm in pueritia torpido foret ingenio, per Æſopicas fabellas primò ſtudiorum amore allectus, alter tandem Salamo evaſit, 23.a
Robortelli judicio, poëma etiam ſine metro ſit, modò adſit imitatio, 9.a. ejus de Sophronis mimis ſententia refutatur, 10.a
Robortelius de Nomorum poëſi improbatus, 69.b
Roma quando à Gallis capta, 51.b
Romanorum dicacitas in imperatores ſuos, quando triumpharent, 100.b
Romuli haſta in monte Albano floruit, & fronduit, 46.b
Romulus, 259.b
Ronſardus, Poëta Gallus, Ajacem Telamonium inter Trojæ expugnatores primò recenſuit; ſed mutavit, 52.a
Roſcius comœdus inter mimos celebris, 121.a. quare ei familiaris eſſe Cicero dignaretur, cùm tamen hiſtriones contemtui eſſent Romanis, 82.b
roſtra navium quando ex ære fieri cœperint, 53.a
Rubrenus Lappa, 245.b
Rufus Avienus Livium carmine jambico expreſſit, 8.b
Rufus Epheſius, 221.a
Rufus Aſterius, *vide* Turcius Aſterius Rufus,
Rufus Feſtus Avienus, *vide* Feſtus Avienus.
Rullum perperam vocari Comicum, qui eſt Mullus; & unde Latinis Rulli nomen, 112.b
runa quid, unde runati, 112.b
ruſticus habitus erat tunica pelliceacum pera, & baculo, 116.a
Ruſticus Helpidius, 251.a
Rutilius Claudius Numantianus Gallus, 249.a
Rutilius Geminus, 258.b

S.

SAbellus, 246. b
Sabini, Laconum coloni, 145. b
Sabinus, 240. b
Sacadas, 228. b
Sacas, ibid.
ſacerdotes multa accipiunt à poëtis, 11. b
Salejus Baſſus, 245. b. recitator ambitioſulus, 183. b
Salernitanæ Scholæ Autores, 253. b
ſales, qui nocent, nunquam ſunt grati, 164. a
ſaliares Hymni, 230. a
Salluſtii prava imitatio, 179. b. Thucydidem ipſe ſic eſt æmulatus, ut eum in ſuis ceciderit caſtris, 180. a
Salmaſius, 141. b. *vide* Claud. Salmaſ.
ſalpicta, apud Arnobium, quid ſignificet, 120. b
ſaltationis in dramate tria genera à Satyris, Liberi miniſtris, inventa, & appellata, 81. a. ea ſunt, ἐμμέλεια, ſaltatio tragica, comica κόρδαξ, & ſatyrica σίκιννις, ibid. atque his tribus conſtabat ſaltatio Italica, ibid. & 117. a. Italicam hanc ſaltationem Bathyllus & Pylades, invenere, ibid. ſaltatio Pyladis Tragica, Bathylli Comica, 81. b. ſaltationis tragicæ erant tres partes, στροφὴ, ἀντιστροφὴ, & ἐπῳδὸς; & quomodo hæ differant, 95. b. ſaltationes lyricæ tres: augerique iis lyrici carminis ſuavitatem, 155. b
ſaltatores, & cantores, diu iidem fuere, poſtea ſeparati, 82. b. ſaltatores comici quare deſierint canere, 115. a
Salvianus Maſſilienſis, 250. a
Samnites Oſcâ linguâ uſi ſunt, 122. b
σανίδες in auditoriis idem ac anabathra, 185. b
Sannazarius notatus, ob gentilium numinum invocationem in ſacro poëmate, 74. a
Sannazarius, *vide* Actius Syncerus Sannazarius.
ſanniones mimum agebant raſis capitibus; quæ alapis percutiebantur, 120. a
Sannyrio, 209. a
σαννυρίων, *vide* Suſarion.
ſapientum, & vulgi, ſententiæ de diis differunt, 47. b
Sappho, una è novem Lyricis poëtriis, 156. a. b. 157. a. dicta eſt lyricorum nona, Muſarum decima, 156. b. dulcedine carminis nulli ceſſit, 155. b. Archilochum ſic imitabatur, ut numeros etiam temperaret, 155. b. mixolydiæ harmoniæ inventrix fuit, 96. a
Sappho Eretria, 102. a
Sappho Lesbia, ibid.
Sarra cur eadem ac Tyrus, 115. b
ſarranæ tibiæ, *vide* ſerranæ.
σατύρα quid, 145. b. σάτυροι, 142. a
ſatura lanx unde dicta, 145. b. ſatura lex ecqua Romanis, ibid.
Saturæ Menippeæ, 146. a
Saturnii verſus inconditi, 30. b
Saturnus unde dictus, 99. a. Saturni habitus eſt coloris fibrini, 96. b. Saturno venationes attribuebantur, 130. a
ſatyra, & ſatura, ſive ſatira, differunt, 145. b. ſatyra unde dicatur, duplex ſententia expenditur, 142. a. ſatyræ, ac ſatyrici poëmatis, convenientia, ibid. ſatyræ non ſunt dramata, ibid. ſatyræ veteris, ſive extemporalis, & novæ, ſive Lucilianæ, diſcrimen, 142. b. prioris origo, ibid. quibus gradibus creverit, 143. a. ſatyræ quando verſæ in exodia, ibid. ſatyra quâ occaſione nata credatur ex comœdia, 144. b. ejus materies ſunt, non vitia modò, ſed etiam virtutes, 143. b. vitia autem reprehendit, ob quæ ridemus; idque ſigillatim, ac ſui temporis, ibid. ſatyræ, quia obſcurè carpunt, à poſteris ſæpe non intelliguntur; eoque facilè exoleſcunt, 145. a. earum qualis dictio, 144. b. grandes tranſlationes, ac ornatus nimius, non conveniunt illis, 145. a. ſatyra Romana hexametro jactat convicia; cùm Græci id faciant jambico, 144. b
ſatyræ, & ſatyrici nomen, convenit etiam carmini, ubi nulla eſt irriſio, 146. a. ſatyræ ſcriptores cujuſmodi vitia inſectentur, 142. b. nec tamen ſemper vituperant, ibid. ſecundùm Pinedam, poëſis ea non valde eſt vitæ neceſſaria, vel utilis, 143. b. ſatyrici poëtæ cur vocentur Ethici, ibid.
Satyri, & Sileni, differunt, 98. b. Satyri unde dicti, ibid. cur pingantur nudi, 143. b. eorum veſtitus, 101. b. Satyri τῷ πλαγιαύλῳ, ſive curvâ, uſi tibiâ, 72. a
Satyri Græci, & Satyra Romana, differebant, 81. b. Satyri quare, poſt delitos dithyrambos, Satyricis inducti, 99. b.
ſatyrica poëſis tragœdiæ cur interſeri, vel ſubjici, cœperit, 100. b. ſatyrica velut tragœdiæ παίγνιον eſt, ibid. eſt hæc poëſis reperta à ruſticis, 99. b. an prior ſit tragicâ, ibid. ejus incrementum, ibid. ſatyrica poëſis lamentis miſcet hilaritatem, 98. b. in hac Satyros inducere agentes: unde poëſi id nomen, ibid. quot perſonas habuerit, 99 b. ſermo qualis eſſe ſoleat, 100. a. dictio grandior erat Comicâ, 72. a. cur tetrametris uſa, ibid. & 101. a. nec abhorret a trimetris; ſubinde & triſyllabis gaudet, ibid. item metro Priapeio, 101. b. metro gaudet, quali Atellanæ, 124. a
σατυρικαὶ κωμῳδίαι erant fere, quales Atellanæ fabulæ, 123. a. b
Satyricus Hercules, Alcmæon, Vulcanus; & Iris Satyrica, 100. a
Satyris nulla penè imitatio, 13. a
σατυρίζειν, unde σατυρισμοί, 99. a. 142. a
ſatyroma an dicatur, 99. a
ſatyrus pro poemate ſatyrico, 99. a
ſcabillorum, & teſtarum, crepitus, 127. b
Scæva Memor, 245. b
ſcarus marinos ſcopulos, ſqualus flumina amat, 54. b
ſcazon jambus, 160. b
ſcena ubi, & quomodo, exſtructa fuerit, 82. a. ejus inventor Agatharchus, ibid. in eâdem duæ aræ poni ſolebant, 82. b. picturis ornabatur, ibid. ſcenæ in Tragœdia apparatus, 69 b. ſcenæ ſatyricæ ornatus, 102. a. ſcenæ Comicæ quales, 116. b. ſcena bucolica arboribus conſtruebatur, 141. b. ſcenæ cur vocentur in dramate partes minores: ſed eam actuum in ſcenas diviſionem fuiſſe antiquis ignotam, 75. b. ſcenæ quomodo diſtinguantur, 76. a
ſcenica ſaltatio triplex fuit; comica, tragica, & ſatyrica, 78. a. 81. a. cum dramate primò conjuncta, ibid.
ſcenici poëtæ apud Græcos primitus ipſi ſua agebant dramata, ipſi etiam canebant: poſtea verò ſuo pretio conduxere tibicines: tandem ſine poëtæ ſumtu tibicines habuère, 80. b. ſcenici fabularum actores apud Græcos in honore erant, 82. b. apud Romanos non item, 83 a
ſceptrum, palla, cothurni, ad tragicum apparatum pertinent, 96. b
Scythinus Tejus, 228 b
Scipio Gentilis malè Poëticam Dialecticæ partem facit, 19. a
ſcribæ quales apud Romanos, 8. a. eorum locus, ibid.
ſcribendi calor noxius, non priùs conceptâ totius operis formâ, 181. a. ſcribere cur tandem oporteat, ibid.
ſculptora ſolam figuram imitatur, 9. b
ſcurra, pro mimo, 118. a
Sedulius, 249. b
Seleuci poſteri ancoram in femore, veluti notam generis naturalem, habuere, 58. b
Seleucus, 228. b
Selinus quando condita, 51. b
Seneca, 243. a. Seneca tragicus ita conſectatur acumina, ut mores minùs appareant, 91. b. eſt quidem gravis; ſed ſententiis adeò creber, ut vim affectuum elidant, 87. a. quod inprimis factum videas in Hercule OEtæo, 61. b. imitari voluit Euripidem; ſed ad ejus laudem non pervenit, ibid. in Hippolyto eſt ab Euripide in errorem abductus, 52. a. ejuſdem error in Medea, & alius in Thyeſte, ibid. reprehenditur, quòd Medeam liberos cunctis intuentibus, interficientem induxerit, 91. a. OEdipodis οἰκονομία, 56. b. propoſitum in Hercule Furente, 55. b. eſt ea fabula ἁπλῆ, non πεπλεγμένη, 67. b
Senecæ philoſophi ludus in Claudium qualis, 144. a. 146. a. Senecæ tributæ tragœdiæ non unius, ſed variorum ſunt, 93. b
ſententia definitur, 61. b. uſus ſententiarum in quinque partibus conſiſtit, 61. b. vim habent ad reddendam orationem moratam: etiam animos concitant, ibid. quaſi oracula humana ſunt, ibid. nunquam tamen ſunt condenſandæ, nec paſſim inſerciendæ; quia ſenſus enervant, & frangunt, ibid. qui morbus nunc regnat: ſed demum cœpit, ubi corrumpi cœperat ſermo Romanus, ibid. ſententiæ Lyricorum quales, 154. b
ſenum veſtis candida, 116. a
Septimus Afer lyricus, 157. a
Serapio Athenienſis, 221. a
Serenus Samonicus, 247. a
Sergii Polentis ludicrum epitaphium, 18. a. b
ſeria, & ſevera, riſu; ridicula ſeriis diſcutienda, 144. a
ſermo, pro pedeſtri ſermone; qualis in ſatyra, & comœdia: unde comœdus dicitur ſermocinari, 145. a. ſermo ornatus, licet rerum inanis, magis imperito vulgo eſt admirationi; quàm prudens, ſed incomtus, 64. b. ſermo poetarum mirè variat, 66. a
ſermonis cura triplex; ut ſit emendatus, ornatus, & modulatus, 7. b
ſerranis, vel ſarranis tibiis, unde nomen, 115. b
Servii Grammatici de Lucano judicium, 9. a
Servius deceptus de verſibus participio finitis apud Homerum, 138. a
Severinus Boëthius, 250. b
Severus Sanctus, *vide* Endeleichus.
Sextilius Ena, 240. a
Sextius oratione ſuâ quantum frigoris attulerit Catullo, 184. a
Sextus Aurelius Victor, ſive ſcriptor de viris illuſtribus, refellitur, 25. b
σπασμοί nunc laxè, nunc preſſè ſumi, 10. a
Sibyllarum furor provenit, juxta Platonem, ab Apolline, 28. a. b. ſecundùm Ariſtotelem verò, ab acrimonia humoris melancholici, 29. a. quomodo utramque opinionem conciliârit Avicennas, ibid.
Sibyllina Carmina, 197. a. qui, quot & quando eorum vixerint auctores, 198. b. 199. a. b
Sibyllius, 207. b
Sicinius orator quàm ſui oblivîſceretur in ſcribendo, 50. b
ſicinnis, ſaltatio Satyricæ poëſeos, 99. b. ea ab inventore ſic eſt dicta, 101. b. affectu carebat, ibid.
Siculis inprimis deberi carmen Bucolicum, 140. b. iiſdem, ut propter Epicharmum, comœdiæ; ita & mimorum inventio, propter Sophronem, tribuitur, 120. b
Sido Ponti filia, prima carmine hymnum ceciniſſe dicitur, 30. a
Sidon prima hymnos reperit, ſecundùm Phœnicum theologiam, 152. a
Sidonius Apollinaris, 250. a. malè credidit epigramma minimùm eſſe diſtichi, ſummùm tetraſtichi, 162. b. idem emendatus in nomine Flavii Sabini, pro Ezrini, 197. b. perperam dicitur imitatus Caſſiodorum, cùm ætas amborum reclamet, 125. b. ejus lapſus, collocantis Timavi fontem ad fontem Aponum, 52. b
Sigebertus Gallus, 252. a
ſignum Seleucidarum ἔμφυτον, 58. b. ſi-
gna

gna agnitionis duplicia; congenita, & adventitia, ibid. adventitiorum item duo genera, ibid.
σιμικινέφη, inter cantica ad tibiam, 150. b
Silanio, 228. b
Sileni credebantur eſſe nutricii Bacchi, Satyri colluſores, 100. a. Silenorum veſtitus, 101. b
ſilentii auditorum cauſſa triplex, 186. a
Silius, 243. a. b
Silius Italicus in eo culpatur, quòd non unam ſibi actionem propoſuerit; ſed multas, 63. a. idem æqualitate periodorum, colorum, & commatum, initio operis invenuſtior eſt, 67. a. 137. b
σιλλαίνειν, à Sillis; non contrà, 142. a
ſillus quis & unde id nominis, 99. a. 102. b. 142. a. ſillographia, & ſatyrica poëſis, quare conjungantur, 99. a. quæ ſillis cum ſatyrico poëmate communia ſint, 102. a. 142. a. quo abeant à ſatyricis, 102. b. eorum inventio, vel origo, tribuitur Homero, ibid. quo carminis genere ſcripti, ibid. Proclus in Chreſtomathia ſillos refert inter carmina melica, 152. b
Silones duo, *vide* Abronius Silo.
ſimiæ ridicula, ſed noxia imitatio, 180. a
ſimilis aliter ſimia, aliter ſilius, 173. b
Simmias Rhodius, 216. b. ſecundùm aliquos, jambi repertor, 161. a
σιμῳδία eadem, ac ἱλαρῳδία, 103. b
Simon Magnes excelluit in hilarotragœdia: unde & ab eo nomen Simodiæ accepit, 103. b
Simonidem cum corvo comparârit Pindarus, 14. b
Simonides unus è decem præcipuis poëtis Lyricis, 156. b. ejus patria quæ fuerit, 161. b. epici carminis onus lyrâ ſuſtinuit, 153. b. aliqui exiſtimant, primùm jambos inveniſſe, 161. a. cur poëſin dixerit eſſe picturam loquentem, 44. b. 45. a
Simonides Amorginus, 201. b
Simonides Cariſtius, ibid.
Simonides Ceus, ibid.
Simonides Junior, 208. a
Simonides Magneſius, 201. b
ſimplicitas præcipuum in bucolicis poëtis, 154. b ſimplicitatis ſtudium apud antiquos majus, quàm juniores, 138. b
Simulus, 228. b
ſiparium quid, 75. b
σισυρίων, *vide* Suſarion.
σκάζοντες non conveniunt dramati. 75. a
σκολιὰ ᾄσματα quæ, & unde ita dicta, 152. b. etiam de ſalutaribus erant præceptis, 153. a
ſocco ingreditur dictio comica; cothurno tragica, 109. b
Socrates, 208. b. 211. b. Æſopi fabulas metro expreſſit, 9. b. per Socraticos ſermones quid Ariſtoteles intelligat, ibid. Socrati primas ſemper à Platone tribui in Dialogis, ibid. Socrates nihil fecit pulpita, anabathra, ac ſimilia, 185. b
ſolatia tarda penè ſunt ſupervacua, 167. b
Solini locus expenſus, 29. b
Solinus, 259. a
ſolis habitus habuit colorem mali citrei, 96. b
Solon Legiſlator, 202. b. leges ſuas verſibus explicuit, 17. a. ejus operis initium, ibid.
Sopater Parius, 228. b
Sophilus Sicyonius, 217. a
Sophiſtæ à recitationum oſculo excepti, 187. b. dicturi comites aſſumebant diſcipulos, ut applauderent magiſtro, 188. a
σοφισταί, pro mimis, 118. b. ſophiſtarum antiquorum dictio ſæpe διθυραμβώδης, 158. b
Sophocles, 208. a. 210. a. quantum ætate inferior fuerit Æſchylo, ac ſuperior Euripide, 89. b. Euripidem vincit ſublimi ſermone: ſed minus eo eſt perſpicuus, 86. a. 92. a. idem homines, quales eſſe oportet, effingit: at Euripides, uti ſunt, 49 b. meliùs chori officium perſpexit, quàm Euripides, 78. a. Sophocles in OEdipo habet minimè veriſimilia: ſed, ſi non tollit, ſaltem minuit culpam, quòd ea poſuerit extra fabulam; puta in epiſodio, 87. b. at graviùs peccat in Electra, ubi inducit pædagogum è ludis Pythiis nunciantem Oreſtæ mortem, ibid. quare aliter de Jocaſta ſcribat Sophocles, quam Euripides in Phœniſſis, 88. a. priorum ſecutus errorem cervæ tribuit cornua, 53. b. idem reprehenſus, quòd duas tribuerit filias Menelao, 52. b. quodque, agens de temporibus Herculis, alluſerit ad dictum Solonis, tot ſeculis junioris, ibid. ejus in Myſis ſuis peccatum, 50. a. quantopere in OEdipo ſuo feſtinet, ne fabula ultra diem producatur, 73. b. citharâ luſit, cùm ageretur ejus tragœdia nomine Thamyris, ſive Thamyras, 80. a. quid in Ajace ſuo ſibi propoſuerit, 55. a. b. ejus Ajax flagellifer eſt fabula ſimplex, 67. b. OEdipus quoque exemplum præbet fabulæ, quæ ſimplicis ſit argumenti, 68. a at duplicis eſt ejuſdem Electra, ibid. ejus Antigone περιπέτειαν habet, non ἀναγνώρισιν, 67. b. at in OEdipo utraque concurrit, ibid. duplex ejus Philoctetes; unus in Lemno, alter ad Trojam, 80. a. an ſcripſerit φιλοτίμως: deque eo H. Stephani opinio rejecta, ibid. fecit quoque αἰχμαλωτίδας, ibid. Sophoclis dictio tragœdiæ aptiſſima, 93. a. Sophocli tragœdia debuit tertium hiſtrionem, ornatum ſcenæ tragicæ, & quòd chorus non è XII. ſed ex XV. conſtaret, 86. a. Sophocles minùs peccat in moribus Euripide, 178. b. Æſchylum vicit, 191. a
Sophocles Junior, 211. b
σοφοκλεῖς, qui dicerentur, 183. b
σοφοί, & σοφισταί, de Muſicis, ſive poëtis, 32. b
σοφῶς, acclamandi formula, 183. b
Sophron Comicus, 217. b
Sophron Mimographus, 206. a
Sophronis mimi verſibus, non proſâ, ſcripti, contra ſententiam Suidæ, & Franciſci Robortelli, 10 a
Sophronis Syracuſani mimi varii, 120. b. fuiſſe illos obſcuriores, 121. a. quanti eos fecerit Plato, ibid.
Sorani, militis Batavi fortiſſimi ſub Hadriano Cæſare, epitaphium, 166. b
Soſibius Grammaticus, 118. b
Soſicles Syracuſius, 206. a
Soſitheus, 219. a
Soſitheus Syracuſanus poëmata ſcripſit, & orationem proſam, 10. a
Sotades φλύακας, ſive κιναίδους, ſcripſit linguâ Ionicâ, 103. b
Soterichus Oaſites, 221. b
ſparta ſtudiorum poëtices ſterilis, 156. b
Sparti, è ſatis à Cadmo dentibus draconis enati, lanceæ ſignum in corpore à nativitate habuerunt, 58. b
Spintharus Heracleotes, 218. b
ſpiritus excitatior concipitur legendo, ut vatibus ex antro, 177. b
σπονδεῖον, quarta Pythii certaminis pars, 152. b
ſpondeus paribus ſedibus parùm convenit in jambicis tragicis, 94. a. ſpondeorum uſus eſt apud epicos ad tarditatem indicandam, 138. a. ſpondiacorum verſuum uſus, 138. b. & diverſitas, ibid.
σπουδαία πρᾶξις quæ Ariſtoteli dicatur, 84. a
Spurius Tarpa, poëtarum judex, 190. b
ſquali, & ſcari, diverſa natura, 54. b
στάσιμον carmen quod, 155. b
Staſini poëtæ lapſus in Cypria Iliade, 62. b
Statilii Maximi liber de ſingularibus apud Cic. 180. a
Statius Papinius, 245. a. jure ne glorietur, quòd univerſam Achillis perſequatur vitam, 62. b. Thebaide ſuâ nimis diſtentus vincitur in certamine Jovis Capitolini, 83. a
Statius Surculus, 245. a
Stella, *vide* Aruntius Stella.
ſtella ſignum agnitionis Carcino in Tragœdia ſuâ, 58. b
Sthenelus, 210. b
Stentor quinquaginta alios clamore æquabat, 48. a
Stephanardus è Vicomercato, 255. a
Stephanio togatarius, 78. b
Stephanus, mediæ comœdiæ poëta, 114. a
Stephanus Comicus, 217. a
Stephanus Sabbaïta, 228. b
Steſichoro templum extructum, 25. a
Steſichorus Himeræus, unus è novem, ſive decem, Lyricis, 156. a. 202. a. onus carminis Epici ſuſtinuit lyra, 153. b. hymnos invenit, 152. a. 156. a
Steſimbrotus, 206. b
Strabo, 234. b
Strabus Fuldenſis, 253. a
Straton, 218. b
Strattis, 209. b. 211. b
στροφή, ἀντιστροφή, & ἐπῳδός, 155. b. στροφή prima pars odæ, ibid. στροφή in ſaltatione quomodo fieret, 95. b. quid in choro στροφή dicatur, 96. a
Sturmii error de Cleophonte, quem falsò oratorem putavit, 92. a
ſtyli exercitatio magiſter optimus, 173. a. in epiſtolis, dialogis, hiſtoria, atque orationibus forenſibus, admodum eſt diſpar, 176. a
ſuavitas præcipuè exigitur à Lyrico, unde ea reſultet, 154. a
ſubſultatio inter favoris indicia, 187. a. pueris non permittenda, ibid. improbatur à multis, ibid.
Succius Comicus, 107. a. 258. b
Suetonii Tranquilli error, 8. b
Suetonius adverſus Didymum Chalcenteron ſcripſit, 102. a. b. ejus verba illuſtria ex libro deperdito de ludis, ac ſpectaculis, 116 b
Suevius, 259. b
Suffenus, 235. b. poëta malus, 183. a
Suidæ error de ætate Philiſtionis, 121. a. ejuſdem locus expoſitus, 127. a. alter ejuſdem emendatus, 147. a
Suidas falsò ſcribit, Sophronis mimos proſâ fuiſſe compoſitos, 10. a. locus ejus de Soſitheo Syracuſano reſtitutus, ibid.
Sulpicia, 244. b. 245. a
Suſarion Comicus, 106 a. 112. b
Sutrius comicus, 107. a
σύκινον αἰδοῖον in phallicis perperam ſtatuitur, cùm dicendum ſit σκύτινον, 159. b
Sybaris, 228. b
Syenes, 246. b
Sylla imperator fecit comœdias Satyricas, ſive fabulas Atellanas, 123. a. 234. b
Sylvæ ſubito calore effundebantur, 167. a. quantâ cum feſtinatione eas ſcripſerit Statius Papinius, 167. b. longiùs producuntur, quàm epigrammata, ibid. principatum in Sylvis obtinet Papinius, ibid. etiam Lucanus Sylvas fecit, ibid.
Sympoſius, 259. b
Syneſius, 212. b
ſynodium, & monodium, quomodo differant, 80. b
ſyrma tragicum, Æſchyli inventum, 96. b

T.

TAbellæ, vota continentes, genibus Deorum adfixæ, 190. b
Tarpa, *vide*, Spurius Tarpa.
tabernariæ fabulæ quales, & unde ſic vocatæ, 79. a. eædem, ac palliatæ, 123. a
Talos, Minois cuſtos, ter diebus ſingulis circumiens Cretam, inque talo vitam poſſidens, 47. a
tamenetſi, pro, tametſi, 166. a
tametſi διασυλλάβως fortaſſe pronunciatum, ibid.
Tantali ſupplicium, ex Agatharchide, 46. b
tarditas rei ab epicis repræſentatur ſpondeis, 138. a
taurus ab aliquibus epicorum, & dithyrambicorum; ab aliis lyricorum; dicitur præmium in certaminibus fuiſſe, 156. a
ταυροφάγοι cur dicti poëtæ lyrici, 156. a
Telauges, 204. a
Teleclides, 208. a

Telephus, Philetæ Coi drama, 147. b
Teleſilla Argiva, una è poetriis novem lyricis, 157. a. 207. a
Teleſis, ſive Teleſtes, ſaltandi magiſter, multa reperit argutia manuum exprimenda, 126. a
Teleſtes, poëta dithyrambicus, 158 a. 212. a
Terentianus Maurus, 244. b. 245. b. mirâ carminis ſuavitate tractavit artem metricam, 66. a. 174. a
Terentii laus, 106. b. caſtigatiſſimum ejus judicium fuit, 109 a. nempe hic Scipionibus, & aliis paucis; Plautus plebi magis ſtuduit placere, ibid. collaudatus, quòd meretrices etiam meliores effingeret, quam forent, 107. b. varietate tamen argumenti vincitur à Plauto, 110. a. ſed magna virtus Terentii in affectuum temperamento, 108. b. Terentio quoque id obſervatum, ut quarta perſona ſit κωφὸν πρόσωπον, vel cùm una ſolùm colloquatur; quod Plauto neglectum, 76. a. Terentianæ dictiones laus è Libone Ciceronis, ibid. Terentius, ac Plautus, defenſi, quòd in fabulis ſuis ritus ſequantur Græcos, 78. b. Terentii Andria quomodo primò ſimpliciter fuerit concepta, 55. b. Andria & ἀναγνωρίσει, & περιπετείᾳ, commendatur, 67. b. Andria duplicis fabulæ argumentum præbet, 68. a. ac ſimiliter Heautontimorumenos, ibid. eandem commendat ἀναγνώρισις, 67. b. Terentius ubique, præterquam in Phormione, retinuit nomen fabulæ, à poëta eo impoſitum, quem imitaretur, 80. a. Phormio ejus lepidus, 108. b. hecyra venuſtior ſit ἀναγνωρίσει, 67. b
Terentius, 233. a. b. expreſſit Apollodorum, Diphilum, & Menandrum, 174. a. quomodo à Cærio exceptus, Andriam ei recitaturus Ædilium juſſu, 184. b
Terentius Libo, 259. b
Terpander, 201. b
Terpander Antiſſæus modos poëmatibus primus adjecit, 17. a. Lacedæmoniorum leges verſibus ſcripſit, ibid.
Terpander Colophonius habitus elegiæ inventor, 147. a. idem heroicum carmen adhibuit ad τὸν νόμον, Apollinis hymnum, 152. b
Tertullianus, 247. a
teſtis ſonitum edebant, ſaltantibus pantomimis, 127. b
teſtudo, cithara, lyra, quandoque ſynonyma, 151. a
τετράκωλον, inter cantica ad tibiam, 150. b
τετραλογίας τεχνικαί, 87. a. τετραλογία, ſi fabulis certaretur quaternis, 98. b
tetrametrum quare in tragœdiis primitus uſurpatum, 93. b. tetrametrum dactylicum ithyphallico præmitti ſolitum, 160. a
Thales Mileſius, 201. b
Theano Locrenſis, 204. b
Theano Metapontina, ibid.
Theano Pythagorica, ibid.
Thearus, 209. a
theatralem poëſin cur Plato è ſua ejiciat Republicâ, 60. a
theatri forma, 81. a. in eo erat ſcena, orcheſtra, & proſcenium, ibid. erat privatum impudicitiæ conſiſtorium; Tertulliano judice, 122. a
theatri vox etiam accommodata locis ad eorum inſtar, ubi ludi ſpectarentur, factis, licet ſolùm inſervirent recitationibus audiendis, 185. a
Themis habita epici carminis auctor, 133. a
Theocles Naxius, vel Eretrienſis habitus nonnullis elegiæ inventor, 147. a
Theocritus, 217. a
Theocritus Bucolicus Moſcho recentior, 140. b. comœdiæ inventionem Sicilienſibus aſſeribit, 106 a. Theocritus quandoque, ſed raro, pentametrum ſubjungit hexametro in bucolico, 141. a. quare poëmata ſua idyllia inſcripſerit, 150. a. ejus ratio metrica, in carmine Bucolico, paulùm à Marone differens, 141. a. ejuſdem Fiſtula, vel σύριγξ, quare decem conſtet verſibus ἀνισοκώλοις, 141. b
Theodectes, 203. b. 213. b. Platonis, Iſocratis, & Ariſtotelis, diſcipulus, 15. b
Theodectis tragœdia, Mauſolus inſcripta, 191. a
Theodolus, 251. a
Theodonis, 220. a
Theodoreti judicium de Platone Homerum ex ſua exterminante Rep. 20. b
Theodori Marcilii lapſus, 120. b
Theodori Marſilii ſpiſſus de Athenæo error, 148. b
Theodoricus Leodienſis, 254. b
Theodoridas, 228. b
Theodorus, 246. a
Theodorus Colophonius, 228. b
Theodorus Tragicus, ibid.
Theodoſius Tripolites, ibid.
Theodulphus, 253. a
Theogneti Theſſali ſacri ſermones malè Orphei crediti, 31 b
Theognes Megarenſis, 203. b
Theognis carmen, non poëma, condidit, 8. b
Theognis Nix, 208. b
Theoclytus, 228. b
Theologia Græcanica maximè fabuloſa, 11. b. ideoque à Romanis non admiſſa, quorum Theologia melior, ibid. Varroni triplex, 18. b
Theophanes Lesbius, 219. b
Theophanes Nicænus, 228. b
Theophilus Epidaurus, 210. a
Theopompus Comicus, 213. a
Theopompus Iſocratis diſcipulus, Theodecten, & Naucritem, vicit, 191. a
Theophraſtus, 216. a
Theſei ætas, 51. a. ejus ad ſepulcrum tragici certârunt; eaque tragœdia vetuſtiſſima putatur, 84. b
Theſeus imago principis trucis, 22. b
Theſpis, 202. b. ex arte primus tragœdiam docuit, 85. a. ſine apparatu, & ſcena, recitabat ſua è plauſtro, 81. b. unum tragœdiæ addidit hiſtrionem, 84. b
Theſſali, & Athenodori, tragœdorum, certamen, præſente Alex. M. & quàm ægrè is tulerit, victum eſſe Theſſalum, 191. a
Thomas Corræus culpatus, quòd in Epitaphiis laudet Helleniſmum, 167. a
threnus, & epicedium, quomodo differant, 153. a
θρόνος, de celſa ſede, unde poëta recitaret, 185. b
Thucydidæ dictio confragoſa, 178. b
Thucydides ex Atticiſmo ſplendidè quidem; ſed obſcurè, loquitur, 92. a
Thurii leges Charondæ in conviviis canebant, 17. b
θυρσοκόπος, 185. b
Thuſcus, 241. b
Tiberianus, 247. b
Tiberius cur pantomimos Româ ejecerit, 129. a
Tiberius Cæſar, 220. b. 242. b
tibiarum materies, 150. b. tibiæ dextræ, ſive Lydiæ; ſiniſtræ, ſive Sarranæ; ac mediæ inter has Phrygiæ, 115. b. quando his, vel illis, cani ſoleat, & quam variè id factum; deque modis in eâdem fabulâ mutatis, ibid. tibia præcentoria, puellaria, vaſca, Lydia, gingrina, 150. b. de vaſca etiam, 72. a. tibiâ poſt actum quemque canebatur, 116. a. non tamen à poëta, ſed alio, ibid. tibiæ carmini funebri aptæ, 149 a. 150. a
tibicines in dramate nunc choris accinebant, nunc choris præibant, 81. a. cecinere in choro nunc Doriâ harmoniâ, nunc Phrygiâ, nunc Lydiâ; interdum verò modos hoſce remittebant, ibid. tibicinum duo genera; pythaulæ & choraulæ, 115. a. poſt actum quemque canebant, 116. a.
tibicines in funeribus, 116 a
Tibullus, 237. a. elegiâ primus excelluit apud Romanos, 147. b
Tigretus, 214. a
Timachidas Rhodius, 219. a
Timæus ob imitationem culpatur à Plutarcho, 174. a. contrà à Cicerone laudatus, ibid.
Timeſitheus, 229. b
Timo Phliaſius quo tempore Sillis ſuis illuſtris fuerit, 102. b. eorum initium, ibid.
Timocles, 219. a
Timocles Athenienſis, ibid.
Timoclis Syracuſani Σωτήρια falsò Orphei feruntur, 31. b
Timocreon Rhodius, 206. a
Timon Phliaſius, 217. a. b
Timotheus Gazæus, 223. a
Timotheus Mileſius, 212. a. primus citharâ cecinit νόμους, 156. a. ex quorundam ſententia, ſeptem chordas induxit ad nomorum cantionem perficiendam, 152. b
Titianus, 248. b
T. Calpurnii Siculi eclogæ ad Nemeſianum, 141. b
Titinius Togatarum ſcriptor, 79 a. 107. a. ejus duo verſus metro redditi, 111. a
Titius lyricus, 157. a. 234. a
Titius Septimius, 241. a
Titus Cæſar, 221. a. 245. b
Titus Q. Atta, 234. b
Tityros, Laconum linguâ, aries, qui gregem anteit, 140 b
togatæ quæ fabulæ laxè dicerentur, 78. b. duo earum genera; prætextatæ, & quæ propriè magis togatæ vocabantur, 79. a. in quo hæ differrent, ibid. togatarum pauciores actores, quàm palliatarum, 79. a
togatarius, togatarum actor, 78. b. primus togatarius Stephanio, memoratus Tranquillo, Plinioque, ibid.
tonitru quo pacto primitus imitari in ſcena ſoleant, 86. b
Torquatus apud Ciceronem Philoſophiæ Epicureæ defenſor, 19. b. idem contemptor poëſios, ibid.
Toxotius, 247. a
trabea triplex Romanis, 79. a. trabeatæ fabulæ quæ, ibid.
Tragici ſeptem, Pleiadis nomine ſignati, quando vixerint, 86. b. quomodo delectare Tragici poſſint, cùm triſtia, ac luctûs plena, repræſentent, 84. b. perſonarum nomina non fingunt; ſed ex veteri deſumunt hiſtoria, 89. a. de rebus vilibus minimè iis loquendum, 92. b. quid præterea iis fugiendum, ibid. & 93. a. chromatico, & rhythmo, abſtinebant, 96. a. quando tragicis conceſſum fabulam ſolvere per machinam ſcenicam, 94. b. an, Comicorum exemplo, iis uti liceat prologo, 111. b. aliquâ etiam ratione tragici indigent lyricis, 96. a. dithyrambis tamen iis abſtinendum, 93. a. quando iis licitum ſit aliquatenus ad dictionem Comicam accedere, 92. b
tragœdia, ſecundùm Ariſtotelem, eſt epopœiâ melior, 33. a
tragœdiæ nomen initio comœdiæ quoque commune erat, 83. b. utriuſque inventio poſt ebrietatem extitit, ibid. quare τρυγῳδίας nomen adepta ſit, ibid. cur prius in honorem Bacchi inſtituta, ibid. de ejus appellatione variæ ſententiæ, ibid. unde dicatur, ibid. tragœdia quid ſit, 84. a. quid Theophraſto ſit, & aliis, 88. b. ejus definitio allata à Minturno explicatur, ibid. ſpectatoribus quare proſit, 84. a. tragœdia, & comœdia, in quo differant, ibid. tragœdiæ antiquitas, origo, incrementum, & perfectio, traditur, 84. b. hæc priùs exculta; ſed comœdia priùs cœpiſſe videtur, ibid. tragœdia è dithyrambis dicitur enata, 159. b. alii epicis originem debere arbitrantur, 110. a. quicum convenit, quòd Homerus creditur primus imaginem condidiſſe tragœdiæ, 72. a. de tragœdiæ inventione certant Athenienſes, & Dorienſes, 84. b. tragœdia habet initium à Theſpide, ab Æſchylo incrementum, à Sophocle perfectio-

ſectionem, 86. a. diu ſolo conſtitit choro: cui Theſpis unum addidit hiſtrionem, 84. b. tragœdia apud Romanos cœpit à Livio Andronico, 87. a. tragœdiæ materies, ſive argumentum, petitur ex vero; non ſic tamen, ut totum ſit hiſtoria, 87. a. b. quia verò ſummam accipit ab hiſtoria, eò beatum poëma appellabat Antiphanes Comicus, 89. b. etiam, ubi hiſtoriæ addit figmenta, veriſimilia nihilominus conſectatur, 87. a. b. cur pauca ſint tragœdiarum argumenta, 88. b. finis tragœdiæ proximus eſt repræſentare felicitatem, & infelicitatem humanam, 73. b. at ultimus finis eſt affectus in ordinem redigere; deque hoc fine diſſenſus Platonis, & Ariſtotelis, 90. a. tragœdia eo differt à Comœdiâ, quòd illa plurimùm triſti, hæc ſemper læto exitu terminetur, 91. a. quare interdum prorumpat ex atroci miſeriâ in gaudium inopinatum, ibid. nec tamen exitu læto nomen ſuum amittat, 91. b. tragœdia, & epos, quo pacto differant, ac conveniant, 132 a. utrùm hæc, an illa, præſtet, 132. b. in conſtitutione tragœdiæ ſex conſiderantur: de quibus ordine actum, 87. a. & deinceps. Tragœdiarum optimæ, ubi perſonæ, nec probæ penitùs, nec prorſus improbæ, 89. a. item quæ ἀναγνώρισιν, & περιπέτειαν habent, 136. b. virtus quoque tragœdiæ, ſi ſit ἁπλοῦν, 98. a. at vitioſa eſt, quæ πολύμυθος ſit plurimarum actionum, 132. b. quales tragœdiæ maximè conveniant actiones, 89. b 90. a. tragœdiâ triplicia poſſunt repræſentari, 91. a. in ea, quæ verè tragica ſit, ut principia ſunt ſedatiora, ita horribiles eſſe exitus ſolent, ibid. quales eſſe debeant tragœdiæ mores, 91. b. cur tragœdiam matronæ gravi, & verecundæ, conferat Horatius, ibid. quando dicitur multa habere obſcena, id intelligendum ratione poëſios ſatyricæ, quæ jungebatur, 100. b. tragœdiæ tempus conſiſtit intra Solis periodum; imò paucas intra horas finem conſequitur, 132. b. quando fabulam ſolvat apparitione è machina, 94. b. tragœdiæ partes ratione qualitatis ſex conſtituuntur ab Ariſtotele: quarum à poëta quatuor dependent; duæ ab aliorum induſtria, 73. b. tragœdiæ partes ratione quantitatis, 94. a. cur illa prologum non agnoſcat, 94. b. tragœdia vel palliata, vel prætextata: item vel pura, vel mixta: adhæc vel implexa, vel pathetica, vel moralis, vel fabuloſa, 97. a. tragœdia quare primò amârit jambicos tetrametros, 93. b. triſyllabi pedes minùs ei conveniunt in jambicis, ibid. tragœdia quinctâ ſede in jambico trimetro mavult ſpondeum, vel anapæſtum, quàm jambum, 94. a. utrùm metro carere poſſit, ibid. quæ illi convenerit harmonia, 96. a. tragœdiæ ſcribendæ methodus, 79. a
tragicos quos oporteat imitari, 175. a. eorum judices Athenis, 191. a
Trajanus noluit in ſcena laudari à pantomimis, 129. b
Triboniianos Sidetes, 223. b
τετραλογία, ſi ternis fabulis contenderetur, 98. b
Triphyllius, 221. b
τριποδὶ φορικὰ qualia carmina, 153. a
tripus, præmium certaminis dithyrambici, 159. b
triremes quando inventæ, 53. a
triſyllabi pedes minùs conveniunt jambicis tragicis, 93. b
τριταγωνιστὴς quis, 86. a
τριτοστάτης in choro quis, 78. a
τριτοστάτης in choro quæ, 95. b
trochæus, pes volubilis, quibus conveniat poëmatis, 131. b. trochaicum ithyphallicum primum, 160. a
Troja quando capta, 136. b
τρὺξ non modo fex, ſed etiam novum vinum, 83. b
Tryphyodorus, 223. b
tubæ æneæ inventor, 53. a
Tullius Cicero, 234. b. 235. b
Turanius, 241. b
Turcius Rufus Aſterius, 250. b
Turnebus rectène numeros innumeros interpretetur, 166. a
Turnus, 245. b
turpia viſu narranda in ſcena, non repræſentanda, 74. b
Turpilius Comicus, 233. b
τυμβαῦλαι, non tibicines propriè, ſed tibicinum vulgus, & ſiticines, 152. b
Tynnichus Chalcidenſis, cùm nihil tale antea feciſſet, furore poëtico impulſus, hymnum magnâ cum laude in Apollinem ſcripſit, 29. a
θυρεοκοπικόν, inter cantica tibialia, 150. b
Tyrrhenis origo ex Lydiâ, ibid.
Tyrtæus elegiographus, 147. b. 201. b. ejus ætas, 147. b

V.

U Veteres Romani pro y poſuere, 125. a
Valens Acidalius an rectè Plauti epitaphium interpretetur, 106. a
Valerius Æditunsj, deque ejus verſibus judicium, 164. b
Valerius Flaccus, 245. a. Argonauticôn ſcriptor, Martiali peramicus, 165. a. an rectè inducat Boream ab Æolo petentem, ut perdat Argonautas, in quibus ſui forent liberi, 50 b. idem in eo peccat, quòd multas æquè actiones, non unam primariò, ſibi proponat, 63. a
Valerius Pudens, cùm eſſet tredecim annorum, Romæ coronatus eſt inter poëtas, ſtatuâque honoratus, 83. a
Valerius Cato, *vide* Cato.
Valerius Soranus, 236. b
Valeſii, pro Valerii, antiquè, 10. a
Valgius, 241. a
Vari Thyeſtes, 175. a
variè quomodo idem à Lyrico argumentum tractetur, 93. a
Varius, 239. a
Varius Thyeſte tragœdiâ magnum inprimis nomen eſt conſecutus, 93. b
Varro Atacinus, 237. a. 251. a
Varro Romanus, 235. b. 238. a
Varroni triplex Theologia, 18. b
Varronis ſaturæ unde dictæ Menippææ, 146. a. partim proſâ, partim diverſo erant metro exaratæ, ibid. ejus erratum de Myrone, 157. a
Varus, 237. b
vaſca tibia, 72. a. 150. b
Vegetii de loco conjectura, 116. b
Venantius Fortunatus, 241. a. 251. b
Veneris habitus erat coloris albi, 96. b
Venetus, Puteolanus epiſcopus, 52. a. falli eum, cùm Hebræos ait poëſin ſuam accepiſſe ab Aſſyriis, ibid.
Venus alia cœleſtis, alia vulgaris, 21. a
venuſtas lyrica unde reſultet, 154. b. venuſtatis lyricæ duces, 155. b
verba rebus aptanda, non res verbis, 43. b. verborum delectus in epopœiâ, 137. b. ornatus, ibid. compoſitio, ibid. verborum delectu, & magnificentiâ inprimis, convenit tragicus cum Epico, 92. a
veriſimilium definitio, 46. a. 47. b. hæc poëtæ fingenda; plurimùm quidem, quæ ſæpe obtingunt; ſubinde etiam rarò contingentia; quia hujuſmodi majori ſunt admirationi, 46. a. cur veriſimilia in tragœdiis maximè attendenda, 87. b
veritas in fabulis, juxta Macrobium, per ficta quædam profertur, 45. a
verſus aut ſubitò fiunt, aut anxiâ curâ ad incudem revocantur, 167. a. b
Veſtitius Spurinna lyricus, 257. a
veſtis concuſſio inter ea erat, quibus auditores, de poëta quid ſentirent, indicabant, 187. a
veteres in imitatione præferendi, 177. a. occurſum iis, quæ contrà opponant, ibid.
Vibius Paſſienus, 246. b
Victorinus Pictavienſis, 247. b
Victorius, 249. b. non ſatis vidit, quid Horatio ſit, projicere ampullas, 92. b
victorum poëtarum in certaminibus præmia, 156. a
vinum calore ſuo ingenium torpidius excitat ad carmen feliciùs ſcribendum: qui furor Bacchicus vocatur, 28. b. vinum facit νόημα ἄθυρον, 157. a. vocatur Ægyptiis ſanguis gigantum, ibid.
Viperani de dithyrambis opinio rejecta, 159. a
vires ſuas expendere unumquemque debere, priuſquam ſcribat: & in quibus hoc ſui examen conſiſtat, 44. b. vires cuique ſuas expendendas, priuſquam grande aliquid ſeriò ordiatur, 176. a
Virgilii vita utrùm ſit Donati, ut inſcribitur; an Servii, qui eam à ſe ſcriptam refert, 141. a. Virgilius ſe oſtendit nullius diſciplinæ ignarum, 43. b. cur ſe ipſum imitatus, 139. a. ubi argumentum tenue eſt, ibi verbis gaudet ſplendidis, 65. b. Virgilii eclogæ non omnes bucolicæ, 141. b. Virgilius cur Silenum, non verò Satyrum, induxerit loquentem de rerum principiis, & aliis maximè remotis, 98. b. quid in Æneide ſuâ tractandum ſuſceperit, 94. b. Æneæ res deſcripturus incipit ab anno ſeptimo, 63. b. Virgilio non fuiſſe in animo Æneæ geſtis ſubdere res regum Albanorum, ac Romanas, uſque ad Auguſtum, 134 a. in fingendo eſt Homero longè modeſtior, 46. a. interim & ipſe multa protulit, quæ fidem planè exſuperant, ibid. Virgilius, an Homerus, οἰκονομίᾳ vincat, 133. b. Virgilius librum ſecundum Æneidos è Piſandro penè de verbo ad verbum tranſcripſit, 63. a. refugit meros ſpondeos, 138. b. mortem multifariam περιφράζει, 65. b. Virgilius triremes tribuit temporibus Trojanis, multò poſtea repertis, 53. a. idem de pictura Trojani temporis defenſus adverſus Verderium, ibid. Virgilius culpatus, quòd Didonem inducat ſacra facientem ritu, non Punico, ſed Romano, 43. b. Virgilii, onagros Italiæ tribuentis, error, 54. a. an rectè cervos tribuat Africæ, cùm iſtic gigni negent Herodotus, & Ariſtoteles, 53. b
Virgilius, 235. a. b. 237. a. 238. b. in Ænea pii, ac magnanimi principis exemplar exprimit, 22. b. à populo illi quantus in theatro honos habitus, 26. a. Virgilius quos ſit ſecutus, 174. a. quare imperfecta reliquerit hemiſtichia, 178. b. multa feliciùs expreſſit, quàm illi, quos eſt imitatus, 180. a. mos ejus in ſcribendis verſibus, 181. b. ſeptennium tribuit corrigendis Georgicis, ibid. moriturus quare Æneida comburi juſſerit, ibid. quantus illi honos habitus à populo Romano, 189. a
Virgilius Romanus, 246. b
virtutis alicujus exemplum expreſſuris primò conſtituenda eſt perſona, quæ à virtute eâ poſſit commendari. Deinde ea virtus conſideranda iis in concreto, non abſtracto, 61. a
vitæ præcepta tum moralia, tum civilia, utiliter carmine conſtringi, 17. a
vitia quâ ratione culpanda ſint epigrammatis, 164. a. vitiorum illa, quæ ferina dicimus, atque iſta, ob quæ homines ridemus, ſunt diverſæ poëſios materies, 143. b
Ulyſſes non eodem modo conceptus ab Æſchylo, Sophocle, Euripide, 23. a
Ulyſſes in quo parum ſapienter ab Homero effingatur, 50. a. Ulyſſes cur pileatus, & de reliquo ejus habitu, 96. b. Ulyſſes unde redux agnitus ſit à ſuis, 58. b
Voconius Victor, 246. a
Vopiſcus Strabo Seſquiculus, poëta tragicus, 110. b
vota, in ceratis ſcripta tabellis, affigebantur ad genua in ſtatuis Deorum, 190. q

Votienus; 246. a
urbanus, pro mimo; 117. b
Uſſerius, *vide* Jacobus Uſſerius.
uſus, quia artem perficit, ſolus artificem facere dictus eſt, 173. a
utribus ex pelle hircinâ, & vino plenis, inſiliebant in feſto Bacchi; quod iccirco *ἀσκωλιάζειν* dixere, 71. b
Vulcanus *ἀπάτωρ*, ut Pallas *ἀμήτωρ*, 47. a
vulgus quo pacto fabulis corrumpatur, 20. b

X.

XEnarchi mimi, & dialogi, 10. a
Xenarchus, 219. b
Xenoclides, 214. a
Xenocratis *ἔπη*, ac *παρῳδίαι*: ac nomen ejus corruptè legi apud Appuleium, 102. b præcipuus fuit Sillorum ſcriptor, & quando vixerit, ibid.
Xenophanes (perperam editum Xenocrates) Sillos adverſus Homerum, & Heſiodum, ſcripſit, 102. b. quo carminis genere uſus ſit in Sillis, ibid. quos philoſophos Sillis perſtrinxerit, 103. a
Xenophanes Colophonius, 203. b
Xenophanes Heracleopolites, ibid.
Xenophanis poëſis de rerum natura, 16. b
Xenophonti quid propoſitum in Cyropædia, 49. b
Xeuxis pictor non exprimebat *ἦθη*, 59. b

Y.

Y*ποθέσεις*, mimi longiores, 118. a
ὑπορχηματικὴ qualis ſaltatio, 155. b. reperta hæc ab Alcmane Lyrico, 156. a
ὑπόρχημα Pindarus Thebanus invenit, 156. a
Yvo Aremoricus, ſive Joſephus Scaliger, perperam negat, Livium Andronicum carmine ſcripſiſſe heroico, 133. b

Z.

ZAbarella Poëticam malè ſtatuit Dialecticæ partem, 19. a
Zeno Citticus librum fecit de poëmatis, 15. b. Zeno Dialecticæ inventor, 86. a. Zoilus refellitur; in eo Homerum culpans, quòd Patroclum induceret, Achillis juſſu, meracius vinum legatis propinantem, 49. b
Zenodotus Epheſius, 217. a
Zeuxis, quid reſponderit Agatharcho, de celeritate in pingendo glorianti, 181. b
zopyri fuere crateres; qui Orphei credi ſolent, 31. b
ζωρότερον vinum quod Homero, 49. b
ζυγὰ quæ in choro ſint dicta, 95. a

F I N I S.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
ARTIUM
ET
SCIENTIARUM
NATURA
AC
CONSTITUTIONE
LIBRI QUINQUE.

Antehac diverſis titulis editi.



AMSTELODAMI,
Ex Typographia P. & J. BLAEV,
Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,
à SOMEREN, & GOETHALS,
M DC LXXXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEVOLE LECTOR.

M*Irari noli, ſub novo titulo exhiberi tibi librum non novum, plureſque antehac ſeorſim diverſis titulis editos, in unum nunc conſpici redactos, & ſub eodem titulo omnes comprehenſos. Mutationis hujus cauſas habuimus graves. Prodiere anno ſæculi hujus quinquageſimo* Gerardi Joannis Voſſii de Quatuor Artibus Popularibus, de Philologia, & de Scientiis Mathematicis *libri tres. Anno quinquageſimo octavo* de Logices & Rhetorices Natura ac Conſtitutione *libri duo editi ſunt, non aliter, ac ſi ſinguli integri eſſent tractatus, ſolummodo ob argumenti ſimilitudinem conjuncti, non vero alterius tractatus partes: cum tamen* de Rhetorices Naturâ *liber jam plures ante annos lucem conſpexiſſet, alter autem* de Logices Naturâ *ex ipſo libri initio cum libris tribus prioribus cohærere appareat, cum quibus alter nihil commune habet. Tandem hoſce eodem anno* de Philoſophia, & Philoſophorum ſectis *libri duo ſecuti ſunt: cum tamen libri* de Philoſophia *initium, eum cum libris, quos* de Artibus Liberalibus *ſcripſerat autor, eſſe connexum manifeſte doceat: alter vero* de Philoſophorum ſectis *proprio talo ſtare, neque cum priore cohærere videatur. Ut itaque tractatus hic integritati ſuæ reſtituatur, membra illius divulſa recolligere, in unum corpus redigere, titulumque toti operi convenientem præponere neceſſe fuit. Titulus ut operi Voſſiano quam aptiſſime quadret, ex* lib. 1. cap. 1. §. 2. *deſumtus eſt. Opus ipſum in quinque diſtributum eſt libros;*

quorum primus de Quatuor Artibus Popularibus *tractat. Sequentibus tribus libris diſciplinarum quibus ad Philoſophiam præparamur orbis traditur, cujus tres partes enumerat Voſſius*, Philologiam, Matheſin, & Logicam. *Libro itaque ſecundo deſcribit* Philologiam, *ſub quâ comprehendit* Grammaticam, Rhetoricam, Metricam, Hiſtoricen, *quam diſtribuit in* Geographiam, Chronographiam, Genealogiam, *&* Hiſtoriam *proprie dictam. Tertio libro enarrat* Matheſin, *omneſque ſcientias Mathematicas: Quarto* Logicam. *Atque ita abſoluto Artium Liberalium orbe, tandem libro quinto ad* Philoſophiam *tranſit; cujus poſtquam omnes partes deſcripſit toti huic de artibus & ſcientiis operi finem imponit. Quia vero de* Philoſophorum ſectis *liber cum ultimo hoc affinitatem quandam habere videtur, illique in priore editione junctus fuit, ne opus hoc mutilaſſe videamur, eum appendicis inſtar illi denuo ſubjunximus. Dedicationes, quæ in prioribus editionibus ſingulis libris tanquam diverſis tractatibus præfixæ fuerunt, nunc, ne aliqua ratione tractatus hic, quem unum tantum eſſe jam oſtendimus, divellatur, in illius initio ſimul exhibuimus, ut nihil quod in prioribus editionibus exſtat in hac deſideretur. Vale, & laboribus noſtris fave.*

DEDI-

Digitized by

DEDICATIO
LIBRI PRIMI.

Nobiliſſimis, Ampliſſimis, & Prudentiſſimis Dominis,
AMSTELODAMENSIS
REIPUBLICÆ
CONSULIBUS,

D. ANTHONIO OETGENS A WAEVEREN,
Equiti, Domino in Waeveren, Boxthol, & Ruyge Wilnis;

D. GUALTERO VALKONIER;

D. CORNELIO BICKERO A ZWIETEN,
Domino in Zwieten;

D. NICOLAO CORVER.

NEC NON
Nobiliſſimis, ac Ampliſſimis Dominis,
VIRIS CONSULARIBUS,

D. GERARDO SCHAEP,
Illuſtriſſimorum Fœderatæ Belgicæ Ordinum Conſiliario, & ad Sereniſſimum Daniæ RegemExlegato, Athenæi Lugduno-Batavi Curatori;

D. GUILIELMO BACKERO DE CORNELIIS,
Equiti S. Marci, ac Senatûs Delegatorum Hollandiæ, & Weſt-Friſiæ, Aſſeſſori;

D. CORNELIO GRAE·F,
Domino in Polsbroeck, Theſaurario;

Illuſtris hujus Scholæ Curatoribus;

Opus hoc Viri Clariſſimi
GERARDI JOANNIS VOSSII
de quatuor Artibus Popularibus,

humillimè dedicat
FRANCISCUS JUNIUS F. N.

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, & Spectatiſſimi VIRI,

EAm videmus eſſe humanæ naturæ faciem, ut ſecundis quiſque efferamur rebus; &, dum quid fortè nobis videmur habere præ aliis, extollamus inde ſupercilium, atque etiam ſupra alios noſmet cenſeamus. Neque, ut dictu difficile eſt, quod potiſſimùm hominum genus hic peſſimus ſui amor ita tranſverſum rapiat, magis explicare liceat, quinam majore, vel ſuo, vel minorum, malo ita inſaniant. Nimirum ad Regis exemplum univerſus orbis componitur, nec minùs in Procerum mores Civitas, quàm in Præceptoris ſui verba jurat, qui Muſarum initiatur

Digitized by Google

tiatur ſacris: planè ut animum, qui inter hæc nutritur, quamquam malarum artium cæteroquin inſolentem, abripi, atque corrumpi neceſſum ſit, dum ſuis ſub ducibus cæcutire diſcit. Uſque adeò rarum eſt, ut quis ſe ad aliorum demittat mediocritatem. Veſtra tamen virtus eſt, NOBILISSIMI VIRI, ut, cùm maximæ Batavorum præſitis Urbi, tamen ne minimum quidem deſpiciatis, non dicam, civium Veſtrorum, qui non minùs ſe amari à Vobis, quàm Vos à ſe coli ſciunt; ſed exterorum etiam, qui potentiam Veſtram non tam mirantur, quàm Humanitatem laudant. Et quemadmodum totus ad Urbem Veſtram confluit mundus, ita prædicat idem, numquam à Veſtro ſe dimitti vultu, quin multò recedat lætior. Certè hæc ipſa non unis vicibus ab Incomparabili Viro, D. GERARDO JOANNE VOSSIO, Amitæ meæ marito, nunc ad beatiores ſedes tranſlato, audire me memini. Equidem non ignarus ſum, quàm non liceat Divinæ refragari voluntati; dolemus tamen, quòd hæc ipſi, uti ſtatuerat, in publico teſtari non licuerit, inſcripturo Vobis hoc ſuum, quod offerimus Vobis, VIRI NOBILISSIMI, &c, quæ jam edimus, reliqua. Quòd tardiùs hæc lucem videant, domeſtico dolori dabitis: quo & hæc ipſa tangi videbantur, quæ ante diem parente ſuo orbata ſunt: qui ſanè eò uſque jam illa perduxerat, ut brevi in publicum fuiſſent proditura. Enimverò, præterquam quòd ita in fatis fuerit, illud etiam acceſſit incommodi, quòd nec Unicus ex numeroſâ prole ſuperſtes Filius, Vir Eximius, ISAACUS VOSSIUS, Amitinus meus, quia Arctois hinc procul in plagis degeret, neque ego, aliquantò pòſt demum ex Avita Patria in meam redux, adfuerimus, quo tempore diem ſuum obiit Vir immortalitate digniſſimus, niſi hac morte ad immortalitatem tranſeundum eſſet. Itaque hinc factum, ut diutius ſubſtiterint prǽla; quæ tutius etiam id exiſtimabant, ne nimium feſtinâſſe dici poſſent. Poſtmodum, ubi vidi, nihil deſiderari aliud præter curam, ut bellè procederent operæ typographicæ; ac cognovi non diſplicere Clariſſimo Amitino meo, ut, quicquid id eſſet, in me ſuſciperem, totus in eo fui, ut prodirent quamprimùm, quæ adeò avide ab orbe literato exſpectari non poteram eſſe neſcius. Certus verò ſum, hæc hilari fronte Vos accepturos, quia VOSSIANA ſunt: quæ, quia VOSSIUM benevolentiâ ſummâ, ac amore, proſecuti eſtis, non amari à Vobis non queant. Quid quòd eò etiam placebunt magis, quòd, quæ Vobis dicamus, NOBILISSIMI VIRI, ſint veſtra? non tam iccircò, quia Urbe in Veſtra nata ſint, ac primam illic quoque intueantur lucem; quàm quia ipſi horum fœtuum Parenti Vobis eos conſecrare fuerit animus. Cui ſanè ejus voluntati eò etiam lubentius morem gerimus, quòd ſuprema, ſanctaque ſit; ac qualem omnino expediat habere exitum, ut verbis Jureconſulti hic utar. Quin potius præſtamus hic Vobis, quæ rectâ, ut loquuntur, viâ ad Vos jam tranſiiſſe dici poterant? Multùm verò etiam nobis gratulabimur, ſi ſtudium noſtrum, ac qualemcumque hanc curam probari Vobis animadverterimus; atque addetis animum, NOBILISSIMI VIRI, ut alacriores eamus ad alia, quæ ſuperſunt ſummi hujus Viri, cùm edita, at quæ manu ſuâ pluribus in locis eum auxit in modum, ut nova penè videantur; tum inedita, quæ ſanè longo intervallo editorum ſuperant numerum: ex quibus quid magis ab Eruditis deſideratur, quàm vaſtum illud, atque integri Vicennii, opus Originum; quàm aliquot reliqui de Idololatria Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana, tomi; aliquot itidem operis de Vitiis Sermonis Latini; multaque adeò Theologica, Philoſophica, Philologica, ſub quibus Chronologica comprehendo, quæ ſingula hic non recenſebo, ne complures paginas implere opus habeam. Horum autem, quæ jam edimus, NOBILISSIMI VIRI, operum primum naturam tradit quatuor artium popularium, Grammatiſtices, Gymnaſtices, Muſices, & Graphices; quas *populares* vocat Vir ſummus, quòd exerceri iis ſoleant honeſtiorum è populo liberi.

beri. Prioris autem qui neſcit, aut non agnoſcit, uſum, næ ille ignorat, quomodo ad divinitatem accedatur proximè. Nempe illius beneficio per omne vivimus ævum, nec iis, qui ante nos vixere, loquimur tantùm, ſed & iis, qui multis poſt nos vivent ſæculis, ut tum, cùm fuimus, etiamnum eſſe dicamur. Alteram negligat, cui ſua non eſt curæ ſanitas; neque enim hæc πρὸς ὑγίειαν conſervandam modò, ſed & acquirendam plurimum confert: quod de Muſice etiam tradit Galenus; cujus utriuſque amorem homini quoque ingenitum eſſe idem exiſtimat. At tantò hæc illâ dignior inſuper, ac præſtantior videri poſſit, quantum animus, cujus utimur imperio, corpori antiſtat: quippe quæ honeſtâ non minùs animum, quàm aures, voluptate afficiat; imò ſæpe præſtet, ut hic vitæ mortalium imperator ſecum conſonet. De Pictura verò nimis iniquè judicant, qui ex artibus liberalibus eam ejiciunt. Imo verò nonne hæc quibuſdam gentibus loco ſcripturæ fuit? nonne ejus quoque ope, ac intuitu, addiſcit longa poſteritas, quod multis Hiſtoricorum ſæpe continetur paginis? Ut mittam nunc elegantiorum artificum tabulas, *ubi*, ut ait ſedulus ille naturæ indagator, *intelligitur plus ſemper, quam pingitur; &, cùm ars ſumma ſit, ingenium tamen ſupra artem eſt.* Et præterea Q. Maximus, P. Scipio, alii, ſi quando majorum intuerentur imagines, ſibi vehementiſſimè animum ad virtutes accendi dixere; non quòd cera illa, aut figura tantam in ſeſe haberet vim; ſed quòd memoriâ rerum geſtarum ea flamma egregiis Viris in pectore creſcat, nec ſedetur prius, quàm virtus eorum famam, atque gloriam adæquârit: ut huc traham, quæ narrat in operis principio Jugurthini belli ſcriptor. Sed, dum hic de Pictoribus mihi ſermo eſt, occurrit monitum Pictorum venuſtiſſimi, de tabula tollendam eſſe manum; ne, ut nocet ſæpe nimia eorum diligentia, mea quoque, nimis prolixa, ingrata ſit præfatio.

Voto itaque finiam,

VIRI NOBILISSIMI, ET AMPLISSIMI:

Ut quàm diutiſſimè vos ſervet incolumes ſupremus ille rerum Arbiter; curaſque, quas publico omnium, Veſtroque, dicatis bono, ſecundet, quò floreat magis magiſque Veſtra, quæ florentiſſima, ac nulli jam in toto ferè terrarum orbe ſecunda eſt, Reſpublica. Dabam Amſtelodami poſtrid. Non. Quinctil. St. Gregor. cIↃ IↃ C L.

Nobiliſſimorum, & Ampliſſimorum
Nominum Veſtrorum

devotiſſimus cultor

FRANCISCUS JUNIUS F. N.

DEDI-

DEDICATIO
LIBRI SECUNDI.

Nobiliſſimis, ac Ampliſſimis, Dominis,

VIRIS CONSULARIBUS,

D. GERARDO SCHAEP,
Illuſtriſſimorum Fœderatæ Belgicæ Ordinum Conſiliario, & ad Sereniſſimum Daniæ Regem Exlegato, Athenæi Lugduno-Batavi Curatori;

D. GUILIELMO BACKERO DE CORNELIIS,
Equiti S.Marci, ac Senatûs Delegatorum Hollandiæ, & Weſt-Friſiæ, Aſſeſſori;

D. CORNELIO GRAEF,
Domino in Polsbroeck, Theſaurario;

Illuſtris hujus Scholæ

CURATORIBUS;

Opus hoc Clariſſimi Viri

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE PHILOLOGIA

humillimè dedicat

FRANCISCUS JUNIUS F.N.

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, & Spectatiſſimi VIRI,

QUotieſcunque humani generis indolem intueor, diuque, ac multùm, cogito, id animo occurrit ſemper, quàm nemo hîc ſit, qui non aliquâ ſciendi, ac diſcendi, cupidine teneatur. Sed enim neſcio, quo fato fiat, quòd, cùm ſcire velint omnes, pauci adeò ſint, qui, quo diſcendum quidque ſit modo, quâ methodo, aut ſciant; aut, quod pejus eſt, vel ſcire ſaltem laborent. Atque illi quidem, cùm in primâ ætate negligant laborum gradus, nec, quâ lege proficiant, curent; ac dein, maturiores facti, continuo ad vota properent; ſi quid etiam ſciunt, ſanè, id quòd ſciant, neceſſe eſt, neſciant; quia nempe aut ſolidâ deſtituantur ratione, aut eâ uti non poſſint: unde fit, ut, cùm in forum venerint, deficiant ſæpe, & obmuteſcant, quaſi, ut loquitur Satyricus, in alium terrarum orbem delati; imo ſæpius etiam eſt, ut labent. At vero hi magis peccant, qui, cùm videant, multis opus eſſe artibus, ut ad ſolidam eruditionem accedatur; principia conſultò negligunt, quo citiùs ſpacia decurrant: ac, ut ad inſtitutum noſtrum veniam, artibus liberalibus erudiri nolunt, quia illæ, ut ajunt, virtutem non dent; quaſi verò iis non opus ſit, ut animos ad accipiendam virtutem præparent. Et tamen hi ipſi etiam tolerabiliores eſſent, ſi,

Digitized by Google

ſi, poſteaquam jam arbitrio ſuo didicerint eſſe diſerti, cùm jam ſe ſcire quid credunt; quamvis reverâ neſciant, non ambitione abrepti, & faſtu, qui an non inſcitiæ germanus eſt? alios omnes ſaniùs edoctos, atque omnia, infra ſe ponerent. Et ſanè his moribus jam vivitur, ut non modò non aliud laudent, quàm quo ipſi valeant, ſed non rarò etiam vix aliud agnoſcant erudito homine dignum. Multa vero ſe neſcire ſcivit Pythagoras Samius: qui, quamquam longo ſtudio, atque accuratâ rerum omnium cognitione, ad faſtigium humanæ ſcientiæ perveniſſe videri poſſet, quantum Gentili quidem licebat; non ſe σοφὸν, ſive Sapientem; ſed φιλόσοφον, ſive Sapientiæ ſtudioſum & amantem, nuncupari juſſit; quod videret, quam id ſit exiguum, quod ſciri hic vocamus: ſiquidem, præterquam quòd plura ſint quæ ignoramus, ſæpe etiam eorum, quæ ſcire nos exiſtimamus, veritas in obſcuro lateat; ut adeò ſolius Dei ſit, *Scio, nec mutor*, dicere. Offerimus hic Vobis, VIRI NOBILISSIMI, eximii GERARDI IOANNIS VOSSII, de Philologia opus, quod eodem ad Vos, quo primum etiam, jure ſpectat. Eo docet, quis artibus, quas feri homines, qui mores ſuos iis emolliri nolunt, adeò ſpretui habent, debeatur honos. Eo monet, ut *contemnamus & ipſi eos, qui contemptim adeò de humanitatis ſtudiis loquuntur; quando ſatis graves inſcitiæ ſuæ pœnas luunt, dum nihil illorum capiunt, quæ aſſiduè captant; nec aliâ de cauſſâ ſic erga penitiores inſaniunt literas, quàm quia ſui ſimiles velint eſſe cæteros.* Videre hîc eſt, qui ad ſtudia admitti debeant; quantò major naturæ, quàm ſexûs, habenda ſit ratio: quam ad rem præivit jam laudatus nobis ſapientiæ magiſter Pythagoras; qui, ut Crotoniatem, atque alios, quos minùs idoneos exploràſſet, remiſit; ita, quibus finxerat

De meliore luto Titan præcordia,

οὐ μόνον ἄνδρας, ἀλλὰ καὶ γυναῖκας, in diſciplinam recepit. De ipſis nunc artibus ſtrictim quid dicere inſtitui, non quidem iis, quæ πολυμαθείας nomine veniunt; ut ſunt Philologia, Matheſis, & Logice; ſed de Grammatice, Rhetorice, Metrice, & Hiſtoria, quas Philologia ſub ſe comprehendit. Scio equidem, Grammatices vocabulum aliquando pro Philologia accipi, ſed ſit id κατὰ κατάχρησιν, καὶ οὐ λόγῳ κυρίῳ. Propriè itaque ſumta vel præcepta tradit, vel vocum docet ſignificationes. Illa qui negligit, non video, quomodo rectè loqui poſſit; qui has, non loquetur, quin lædat Romanas aures: quinetiam qui harum proprietates inſuper habet, magno conatu efficiet, ne alios intelligat, imò ne ipſe intelligatur. Illa referuntur ad Grammaticen, quam Methodicen, ſive Technicen, nuncupant: & quam in artem ab Ariſtotele primùm redactam primus docuit Epicurus; hæ ad Grammaticen Exegeticen, cujus ope ſæpe fit, ut, quæ aliàs ejus ignaro difficillima videri poſſint, facili labore explicemus. Refert Pomponius Iureconſultus *l. 2. D. de Or. Iur.* §. *Poſt hos.* 46. Tuberonem doctiſſimum fuiſſe habitum publici, ſimul & privati, juris interpretem, ac complures eum utriuſque operis libros reliquiſſe: ſed parum gratos fuiſſe ejus libros, quod ſermone antiquo uſus eſſet. Contra vero Antiſtium Labeonem plurimam etiam, ſed feliciorem, ſtudiis operam dediſſe; ac difficillimos etiam juris nodos ſolviſſe ex verborum proprietate. Atque huc ſpectant tot leges ejus, quæ in penultimo Pandectarum titulo *de verbor. ſignif.* exſtant. Curam rectè loquendi excipit altera, quæ eſt ornatè loquendi, quam Rhetoricam dicimus. Ab ea diverſa eſt Eloquentia, quæ alio nomine Rhetorica facultas nuncupatur; quod nempe hæc circa externum, illa circa internum, ſermonis ornatum magis verſetur. Utrobique palmam feret ille, qui verba aptârit rebus; & parva ſubmiſſè, media modicè, magna granditer proferre noverit, ut alicubi loquitur Caſſiodorus: at optimè eſt, ubi & linguam,

 guam,

guam, & pectus, loquentis, ſcribentiſque, mirari licet; quorum illam in Ariſtotele, hoc in ipſo Cicerone deſideravere. Danda etiam ſedulo eſt opera, ne loquentiæ multum, ſapientiæ parum dicatur habere oratio. Metrices ſanè utilitatem ſatis illa indicant, quæ de Orpheo, ac Amphione, fabulis involuta, narrantur. Altera Philologiæ pars eſt Hiſtoria, illa temporum teſtis, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, & nuncia vetuſtatis. Agit ea vel de locis, de quibus eſt Geographia: vel de temporibus, quam Chronologiam vocant, vel de ſtirpibus, quæ Genealogia dicitur; vel de actionibus, quæ propriè ſibi nomen Hiſtoriæ vindicat. Hæc ſine iſtis nulla eſt; ſiquidem ſine locorum cognitione nemo ſcriptores vel ſacros, vel externos, intellexerit. Temporum qui non habet rationem, non conciliabit Scripturas. Genealogiæ neget neceſſitatem, qui negare volet hiſtorias potiſſimum de perſonis eſſe, quæ familiis diſtinguuntur. At verò qui hiſce ſe imbuit, facilè veram hiſtoriam à ficta; ſacram à profana, dignoſcet. Hiſtoriam autem legere quâ lege, & methodo oporteat, hoc in opere tradit Clariſſimus VOSSIUS, quod eo accipite animo, VIRI NOBILISSIMI, quo, ſi per fata liceret, ipſe offerret vobis. Valete, VIRI NOBILISSIMI, ac Reipublicæ Veſtræ, & literarum, bono diu, ac feliciter, vivite incolumes. Amſtelodami v Id. Quinctil. St. Greg. cIↃ IↃ cL: quo die, ſuperioris ſeculi anno triceſimo ſexto, terras reliquit ingens illud literarum decus DESIDERIUS ERASMUS.

Nobiliſſimorum, & Ampliſſimorum
Nominum Veſtrorum

devotiſſimus cultor

FRANCISCUS IUNIUS F. N.

DEDI-

DEDICATIO
LIBRI TERTII.

Nobiliſſimis, Ampliſſimis, & Prudentiſſimis Dominis,

AMSTELODAMENSIS

REIPUBLICÆ

CONSULIBUS,

D. ANTHONIO OETGENS à WAEVEREN,
Equiti, Domino in Waeveren, Bothshol, & Ruyge-Wilniſſe;

D. CORNELIO BICKERO à ZWIETEN,
Domino in Zwieten;

D. NICOLAO CORVER;

D. FRANCISCO BANNING KOCK,
Equiti D. Michaëlis, Domino in Purmerland, & Ilpendam, &c.

Opus hoc Clariſſimi Viri
GERARDI JOANNIS VOSSII
De Scientiis Mathematicis

humillimè dedicat

FRANCISCUS IUNIUS F. N.

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, & Spectatiſſimi VIRI,

SÆpe animum meum mirari ſubit, eas à tam paucis addiſci diſciplinas, quæ propriè hoc nomen poſſident. Mathematicæ enim vocantur, quia μαθεῖν ſit diſcere. Sunt, quibus id inde eſſe videatur, quia ob ſubtilitatem ſuam addiſci nequeant, niſi alio docente. Eâ Anatolius ſententiâ fuit. In quo faciliùs aſſentiremus, niſi etiam in naturæ ſcientia tot eſſent inexplicabilis labyrinthi: pariterque in aliis artibus, ac doctrinis, tam multa laterent in obſcuro: ut iccirco in hac judicii infirmitate doctore ad illas opus ſit. Quare iis potius acceſſero, qui hoc nomen eò promeruiſſe exiſtimant, quòd, etſi antiquiſſimis temporibus contenti forent, ſi natare, & literas, ſcirent; ſi curſu, haſta, pila, ſaliendo, armis, equo, aliiſque exercitiis firmarent corporis vires; ſi canendi etiam arte honeſtam caperent voluptatem: poſtea tamen cogitare cœperint de uberiori animi paſtu, ac ſolæ tum fuerint Mathematicæ, quibus mentem excitarent, acuerent, ac perficerent: ubi verò his veluti ſcalis ulteriùs, etiam in cœlos ipſos, aſcenderunt, ut amplius ſolæ non forent, hoc tamen ſibi vindicarent, quòd ſaltem eſſent primæ, quia nonniſi geminis iſtis alis, quas ſuppeditat numerandi, & menſurandi diſciplina, ſubvolari poſſe altiùs crederetur. Atque is quidem ſcientiis iſtis honor multis manſit ſeculis. Inprimis autem perdidit hoc decus, ex quo ſordere in ſcholis Plato, atque unus regnare cœpit Ariſtoteles. In quo facilè apud eos invenero fidem, qui

ſciunt,

ſciunt, cujuſmodi ante hos annos quingentos philoſophia ſit invecta à Scholaſticis. Inde jam illam anguſtis adeò terminis circumſcripſere, ut Philoſophus haberetur, qui neglecto erudito illo pulvere in uno ſe Ariſtotele exercuiſſet, quaſi & is ſine Matheſi poſſet intelligi. Ac, quaſi non ſatis eſſet in iſto peccaſſe, placuit in philoſophia ſpinas magis ſectari, quàm roſas, ita ut magna nunc opus ſit ſollertiâ in tot vepretis ſuccidendis. Quid quod contemptis etiam humanitatis ſtudiis, totâque politiori literaturâ, induxere barbarum ſermonis genus? ſcilicet ut haberent ſimiles labris lactucas. Sed de Scholaſticis nunc non eſt dicendi locus; niſi fortaſſe quatenus & illi, quos ad Matheſios ſtudia amor, & genius ſuus finxiſſet, paſſi ſint, ſimili ſe barbarie abripi, quaſi torrente quodam, qui omnes longè lateque agros inundaret. Et ſanè ut hi ridiculi ſunt, qui diſſerere prius de omni re volunt, quàm rectè loqui didicerint; ita illos, utut multùm jam ſibi profeciſſe videantur, multum ſcire, parum ſapere meritò dicere liceat; ſi quid etiam ſcire eos exiſtimandum eſt, qui magis credunt ſenſui, cui potiſſimùm fidem habet naturalis ſcientia, quàm rationi, ad cujus obruſſam cuncta exigit Matheſis. Nec ſolus contra eos agat Ariſtoteles, qui, in hoc præceptoris ſui inſiſtens veſtigiis, ſua paſſim Mathematicis rationibus firmat, & probat; ſed & ejus, quos tanti faciunt, ſectatores, quorum Simplicio teſte, *ut literæ diſcendæ ſunt ad Mathemata percipienda, ita ea propter Philoſophiam.* Et quidni igitur illi, qui illotis, ut ille apud Gellium quæritur, pedibus repente ad Philoſophos divertunt ἀθεώρητοι, ἄμυσοι, ἀγεωμέτρητοι, remitti poſſint, additâ Xenocratis, qui Speuſippo, Platonis diſcipulo, ſucceſſit, increpatione, Λαβὰς γὰρ ὐκ ἔχετε φιλοσοφίας. Nimirum & ipſe Plato, cui Matheſis προπαίδεια, καὶ κατὰ παίδευσιν ὁδὸς, dicebatur, foribus gymnaſii inſcripſerat, Οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. Verumenimverò cùm omnes artes, atque diſciplinæ, uno quaſi vinculo connectantur, ut difficile ſit, ſolidam unius adipiſci cognitionem, niſi quis & reliquis mediocriter imbutus ſit, id præ aliis ſibi vindicat Matheſis, quòd non alia æquè diſciplina ſingulis, & omnibus, facem præbeat: unde eos, qui Matheſi dediſſent operam, εἰς πάντα μαθήματα ὀξῦς φαίνεται, ajebat divinus Plato. Et reverâ ſi philoſophiam intueri libet, in qua non ejus parte Mathematum uſus elucet? Imo etiam in ipſo Philoſophiæ organo, quod *Logicen* dicimus, is paret, cum Ariſtoteles in Analyticis ſuis nonniſi Mathematicis exemplis gaudeat. Quomodo natura ſine Matheſi intelligi poſſit, cùm Deus omnia in numero, pondere & menſurâ diſpoſuerit? cùm videamus veriſſimum eſſe Platonis illud, τὸν θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν? An non efficit eadem, ut quaſi gradibus, ſicut dicebat Aſclepius, ad cognitionem τῶν ὄντων perveniat Metaphyſicus? Quantopere verò etiam in omni vitæ genere eam non ignorare opus ſit, nemo, niſi qui veritati bellum indixerit, neget, ſi vel ſingulas Matheſios partes attendat. Pythagoreorum judicio ſapientiſſimus dicebatur, qui numeros inveniſſet. Nempe horum etiam beneficio ſacras explicamus paginas; adeo quidem, ut nolit B. Auguſtinus *quemquam ad rerum divinarum, atque humanarum, cognitionem accedere, niſi priùs numerandi artem addidicerit.* Et quis igitur illud probet, quod *c. ſi quis artem.* x. *diſtinct.* XXXVII dicitur; *Si quis artem noverit Grammaticam, vel Dialecticam, ut rectè loquendi rationem habeat, & inter falſa, ac vera, dijudicet, non improbamus. Geometria, & Arithmetica, & Muſica, habent in ſua ſcientia veritatem, ſed non eſt ſcientia illa ſcientia pietatis. Scientia pietatis eſt, nôſſe legem, intelligere prophetas, evangelio credere, apoſtolos non ignorare. Grammaticorum autem doctrina etiam poteſt proficere ad vitam, dummodo ad meliores uſus fuerit aſſumta.* Et utique, ſi *ſcientia pietatis eſt legem nôſſe, intelligere Prophetas,* an non talis Arithmetice, atque Geometrice, ſcientia cenſenda eſt, ſine quarum ope eſſet, ut nec perfectè ſci-

ſciri lex, nec ſervari poſſet? At quàm multa ſunt, quæ nonniſi Arithmeticus, aut Geometra, intelligat? Per Grammaticorum doctrinam ſi non aliam hîc intelligit, quàm Grammatiſticen, ſive legendi, ſcribendique, ſcientiam; dici poſſit, non ad vitam tantùm eam proficere, ſed etiam ad adquirendam illam pietatis ſcientiam: quandoquidem hæc lectionem aſſiduam legis, prophetarum, euangelii, ac apoſtolorum deſiderat. Et tamen ſic piè quoque monet, *proficere eam, dummodo ad meliores uſus fuerit aſſumpta.* Scilicet,

Nil prodeſt, quòd non lædere poſſit idem.

Quâ etiam de cauſſâ nolebat Thamus, Ægyptiarum Thebarum Rex, artem hanc in regnum ſuum induci. Qua de cauſſa Licinius Imperator literas vocabat *virus, & publicam peſtem:* quomodo ſanè ex Græcorum literis elementariis novam excogitabant hæreſin olim Marcus, & Colarbaſus. Sin de arte Grammatica loquitur, à qua quis literatus, ac multis tinctus literis, dicitur; nonne hæc, modò laxiùs, ac pro Philologia, eam accipias, Geographiam, Genealogiam, Chronologiam ſub ſe continet, quas & Matheſis explicat? quamquam non eam inficias tractari iſtas diſciplinas aliter paullò à Philologo, aliter à Mathematico. Mitiganda ſunt itaque priora illa ex can. *Turbat.* VIII. *d. diſtinct. Turbat acumen legentium, & deficere cogit, qui eos à legendis ſecularibus literis omnino æſtimat prohibendos, in quibus ſi qua inventa ſunt utilia, quaſi ſua ſumere licet. Alioquin nec Moſes, nec Daniel, Ægyptiorum paterentur erudiri literis, quorum tamen ſuperſtitiones ſimul, & delicias horrebant. Nec ipſe magiſter gentium aliquot verſus poëtarum ſuis vel ſcriptis indidiſſet, vel dictis.* Ægyptiorum hîc meminit Beda. Nempe ab his, ac Phœnicibus, Arithmeticam accepit Pythagoras; illoſque inveniſſe πεττείαν, καὶ κυβείαν Plato autor eſt in Phædro. Ac omnino huc facit c. *De quibuſdam,* XII. *d. diſtinct. De quibuſdam locis ad nos refertur, neque magiſtros, neque curam inveniri pro ſtudio literarum. Iccirco in univerſis epiſcopis, ſubjectiſque plebibus, & aliis locis, in quibus neceſſitas occurrerit, omnino cura, & diligentia adhibeatur, ut magiſtri & doctores conſtituantur, qui ſtudia literarum, liberaliumque artium aſſiduè doceant, quia in his maximè divina manifeſtantur, atque declarantur mandata.* Quin etiam inter ea, quæ Sacerdotibus ad diſcendum neceſſaria ſunt, *computus* refertur, cujus ſi ei deſit notitia, *ſacerdotis nomen vix in eo conſtabit; quia valdè periculoſæ ſunt euangelicæ minæ, quibus dicitur; Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadent.* c. *Quæ ipſis* v. *diſtinct.* XXXVIII. Ac ſexcenta talia ſunt, quorum omnium inſtar hæc, quæ retulimus, cenſemus. Neque aliis debemus Geometriam, quam Ægyptiorum Numini *Theut*, ſive jam inde in Græciam eam tranſtulerint Thales Mileſius, & Ameriſtus; ſive Mœris, &, quem diximus, Pythagoras. Jam vero quantum Juriſconſultis utraque hæc ſcientia proſit, facilè viderint, qui ſecundum proportionem Arithmeticam, & Geometricam, in juſtitia diſtributiva, ut loquuntur, & commutativâ, omnia agi ſciunt. Atque hæc proportionum doctrina multum etiam attulerit lucis legenti Stagiritæ moralia. Geometriæ verò dignitas fecit etiam, ut de Jure Romano immunitatibus gauderent, qui eam docebant; ut videre eſt *in l.* 2. *C. de excuſat. artific.* quippe quod ex quadam Theodoſii conſtitutione ſpectabiles eſſent: quanquam favor pupillorum contrà voluerit, ne à tutelis vacarent. *l.* 22. *D. de excuſat.* Utramque etiam Theſſalo filio diſcendam præcipit magnus Hippocrates, non tam ideo, quod doctior futurus eſſet, quàm quod eo pacto doctior redderetur Medicus. Sine Logiſtica nec pacis, nec belli, temporibus conſiſterent Reſpublicæ. Et ſtipes omnino ſit, oportet, quem non movere poſſit

 illa

illa animorum excitatrix Muſica, cujus beneficio omnes abſtergemus laborum moleſtias. Quinimo

Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blandâ
Ducere, quò vellet.

Atque ut hæ duæ ſcientiæ Arithmeticæ ſubalternantur, ita Optice, ac Geodæſia Geometriæ ſubſunt. Quanta illius ſit dignitas, ex organo ejus, quod oculi ſunt, animadvertimus. Inde etiam eſt, quod cujuſque rei magnitudinem, altitudinem ſciamus, ac diſtantiam; quod per ſpeculorum compoſitiones pro uno centum referamus: quod cœleſtia, & in terris longiùs à nobis remota, accuratiùs intueamur myopes quoque ac ſenes. Geodæſia terrarum longitudines, latitudines, & profunditates menſurare docet; & præſtat, ne exiſtimemus, eandem eſſe regionum magnitudinem, quæ eodem continentur ambitu; Megalopolin videlicet majorem eſſe Lacedæmone, quòd illa quinquaginta, hæc quadraginta octo ſtadiorum ambitu eſſet, cùm contrà hæc duplo major illa fuerit, ſi Polybio credimus. Aſtronomiam quid magis commendat, quàm ſubjecti nobilitas. Enarrant cœli gloriam Dei, atque os occludunt illis,

—— Vacuo qui currere ſemina motu
Affirmant, magnumque novas per inane figuras
Fortunâ; non arte, regi.

Quid hic ad terrena illa quaſi obbruteſcimus homines? quanto laudatius eſt cœlum, quàm cœlata vaſa; cœli flores, quàm hortenſes, intueri! Illic nobis eſſe patriam vel Anaxagoras doceat; qui cœli quoque, & ſolis, intuendi cauſſa ſe ajebat natum. Ptolomæus, quotieſcunque ſidera conſiderabat, non terram ſe calcare, ſed cum Jove ambroſia ſe veſci, & nectare, jactabat. Atque hoc de cœlis ſtudium inter cætera Mathematica principem ſemper locum habuit, dignumque præ aliis eſt cœleſtibus animis, ac principibus præſertim cœlitus datis; unde, ſi ſtudium aliud, hoc à magnis regibus maximè excultum fuiſſe legimus. Salomo, ille Regum ſapientiſſimus, nonne cognoſcebat conſtitutionem mundi, & vim elementorum; ſolſtitiorum mutationes, & varietates tempeſtatum; anni circuitus, & ſtellarum ſitus? nonne Julius Cæſar

Media inter prælia ſemper
Stellarum, cœlique plagis, ſuperiſque vacabat?

Quid Alphonſum, Caſtellæ, & Legionis Regem, memorem, cujus tabulas Aſtronomicas habemus, cui operi concinnando præfuit Rabbi Iſaac Hazan? At ubi quoque non maximus ejus uſus elucet? Quæ ſine temporum annorum, ac dierum, diſtinctione diu floreat Reſpublica, ſive commune ejus bonum, ſive privatam ſingulorum vitam ſpectes? Eclipſin quod ignoraret Nicias, detrimentum; quod ſciret Pericles, commodum Athenienſibus attulit. Quid ſine ea ſit agricultura? quid res nautica? quid omnis ſcientia? quid illa prudentiæ genitrix, ac rerum agendarum magiſtra Hiſtoria? quid denique uterque hujus oculus, Chronologia, & Geographia, ſine quibus ea cæca ſit, ac mutila. Apage vero illam Aſtrologiam ἀποτελεσματικὴν, de cujus cultoribus vulgatum illud veriſſimum eſt; Quantum metiuntur Aſtronomi, tantum mentiuntur Aſtrologi; quibus an non adverſatur Sacra Scriptura? quæ non indicari poſſe ab homine, quid poſt ſe futurum ſit, paſſim docet; cujus mentem Patres etiam ſequuntur. Atque exoſum fuiſſe id ſtudium vel Doctor ille mirabilis Rogerus Baconus ſuo exemplo probet, quem à Clemente IV. in carcerem legimus conjectum, quod à malevolis, ac ſanæ Matheſios imperitis Magiæ dæmoniacæ accuſaretur. Et, ut Gentiles etiam

Dig

etiam ad teſtimonium citem, ſic Metius Pompoſianus, quod habere Imperatoriam geneſin vulgo ferebatur; ſic aruſpex, ex Germania miſſus, qui, de fulgure conſultus, mutationem rerum prædixerat, Domitiani Cæſaris juſſu miſerrimè periere. Sed an non is omnium conjectat optimè, qui magiſtra mente, ac duce prudentia, regitur? qui ea, quæ tot ante ſe contigere ſeculis, cum præſentibus, præſentia cum futuris confert. Et rectè igitur monet Philoſophus Stagiræus, Φρονίμου, καὶ σοφοῦ, ταχεῖαν εἶναι τὴν μαντικὴν, καὶ μόνου. Sed tranſeo ad artium antiquiſſimam Mechanicen; de cujus multiplici utilitate ſatius ferè ſit tacere, quàm pauca dicere; cum videam, VIRI NOBILISSIMI, ne ullam quidem ejus partem negligi hac Veſtra in Urbe: quam & Minervæ, & Mercurii, domicilium quis rectè nuncupârit, ſiquidem dubitare liceat, utrumne orbis literatus ob Veſtrum ergà eruditos ſtudium, ac amorem, an univerſus mundus magis ei debeat, quòd ex eâ, quaſi ex quodam omnium rerum promptuario, neceſſaria quævis adipiſcatur. Habet autem hæc ars, ſi Philoſopho credimus, multa, quæ hominem in admirationem rapiant, adeò ut, cùm æmula naturæ ſit, eam etiam vincere videri poſſit. Quid quis miretur magis, quàm artem manganariam? cujus ope Archimedes Syracuſanus non modo regiam navem, cui movendæ non ſufficiebant totius Siciliæ vires, in mare protraxit; ſed totam etiam terram moturum ſe dixit, ſi locus extra eam daretur, in quo conſiſteret. Αὐτοματοποιητικὴν ipſi veteres θαυματοποιητικὴν dixere. Et ſanè quem non moveant, moventia ſe per aëra, & ſpiritus, αὐτόματα? Lignea Archytæ Tarentini columba, vitrea Syracuſii ſenis ſphæra, quorum non tum veterum, tum recentiorum celebrantur ſcriptis? Atque hæc quidem non cœlum tantùm & ſidera referebat, ſed etiam motus cœleſtes, ortuſque ſiderum, & occaſus; Ut nugantur autem, qui fabuloſam eſſe Archytæ columbam exiſtimant; ita fallunt, ac falluntur, etiam, qui ſphæram hanc Ovidii tempore Romæ fuiſſe aſſervatam dicunt. Gnomonicen non niſi Cynici, aut Paraſiti, improbent; illi quidem, quòd omnem penè diſciplinarum orbem inſuper habeant; hi, quod uterus ſit ipſis beſtiarum ritu ſolarium. Ante inventa in Græcia horologia umbram pedibus dimetiebantur, ut ſic conſtaret, quanta diei pars præteriiſſet, quanta ſupereſſet. Sic Archimedes ex umbrarum incrementis collegerat, quantum arenarum capere poſſet mundus. Horologia vero poſt reperta non alio fuere facta artificio, ac noſtra. Horas ſingulas literæ numerales à prima ad duodecimam deſignabant, quarum prioribus ſex quiſque ſuis vacabat negotiis, pomeridianis reliquis curabat corpus; quod quatuor literæ inſequentes jubere videbantur ΖΗΘΙ id eſt, *vive*; quod pro genio indulgere ſumebant homines geniales. Romani vero proceres pueros ad hoc habuere, qui nunciarent horas, eo quod nimis moleſtum videretur in forum currere, in quo tum unicum horologium, ex Sicilia advectum erat poſitum. Sed ceſſo plura dicere, quandoquidem plenius tractentur omnia in hoc Incomparabilis VOSSII de ſcientiis Mathematicis opere: quod Veſtrum jam facimus, VIRI NOBILISSIMI, vel Veſtrum ipſe potius fecit ὁ μακαρίτης. Licebit & hic aſpicere tempora, ac ætates non quidem eorum omnium, qui fuere Matheſios gnari; quia ſic enumerare fuiſſet opus Pythagoricos omnes, ac Platonicos, ſiquidem eorum Matheſios ignarus erat nullus; ſed eorum, qui docendo, ſcribendoque Matheſin illuſtravere: quod olim quoque præſtiterat Eudemus. At ſic quoque ſingulos veteres, ac recentiores, recenſere, Deus bone, quàm foret longum! Jam tamen id ipſum verſabat animo Vir ſummus, atque agendo indefeſſus; Nec dubium eſt, quin liberaſſet fidem, niſi aliter placuiſſet illi, in cujus arbitrio res, ac ſpes noſtræ ſunt. Cum autem cogitaret ſubinde ingraveſcens ſenium, ſupremam huic operi manum impoſuit primum, ut haberet hoc ſaltem literata poſteritas,

ritas, ſi fortè quid humanitus contingeret, antequam ad cætera progrederetur. Quibus fidem facit id, quod in fronte libri adſcripſerat. *Diutius ſi immorer, vereor, ne videar immori velle.* Vobis vero inſcribi hoc opus, VIRI NOBILISSIMI, voluit ὁ μακαρίτης, ut conſtaret orbi literato, ac doctæ poſteritati, amari ſe ab illis, qui leges dant Urbi, quæ terrâ marique longè lateque dominatur; quæ Belgicæ noſtræ non horreum modo, ac cella penaria eſt, ſed quaſi ærarium, ac cella, ſi ita loqui licet, pecuniaria. Illud vero quis non miretur, quod, cum ſit φιλοξενίης στέγος ἀκλήιστον, totique pateat, eundemque permeet, urbs una mundo, omnes, quotquot eam habitant, ejus libertati tam impensè faveant; quam nec niſi ſua cum anima boni cives amitti velint; & cum plerumque aliàs ſuus ſingulas gentes ducat genius, omnes ejus ex orbe toto incolæ in idem conveniant, idemque omnes quovis in diſcrimine pariter, ac amicè, Veſtro ductu, velint, & nolint. Finiam iiſdem penè verbis, quibus Panegyrin ſuam de laudibus Stiliconis inchoavit Claudianus,

Continuent Superi pleno ſic Veſtra favore
Gaudia, ſucceſſuſque novis ſucceſſibus addant.

Valete, & vigete quàm diutiſſimè, & feliciſſimè, VIRI NOBILISSIMI.
Amſtelodami poſtrid. Id. Sextil. St. Greg. CIↃ IↃ CL.

Nobiliſſimorum, & Ampliſſimorum
Nominum Veſtrorum

devotiſſimus cultor

FRANCISCUS JUNIUS F. N.

DEDI-

DEDICATIO
LIBRI QUINTI.

ILLUSTRISSIMO VIRO

CONRADO van BEUNINGEN

FOEDERATI BELGII

Ad Sereniſſ. & Potentiſſ.

DANIÆ REGEM,

LEGATO.

Iſ. Voſſius S. P

QUamvis, *Vir Illuſtriſſime*, liber hic parentis mei, non ita ſit elaboratus, atque illa ſcripta, quorum ipſe præfuit editioni; quia tamen olim cum eum pervolveres, non indignus viſus fuit, qui in communes prodiret uſus; non rectè me facturum exiſtimavi, ſi illum diutius premerem, ac non concrederem judiciis ſeculi tam boni, tam benigni, quo futiles & abortivi etiam fœtus, cum plauſu & admiratione excipiuntur. Optaſſem quidem ut ſuperſtiti fata permiſiſſent argumentum hoc, nec ignobile nec injucundum eatenus perpolire, ut opus non eſſet ex aliena culpa exemplum petere; verùm cum alterutrum faciendum fuerit, malui tuum ſequi conſilium, quod mihi legis inſtar eſt, quam tineis gratificari, quarum inopiæ, ut ſemper, ita quoque nunc ſatis liberaliter ſuccurritur. Fruſtra verò eſſem, ſi illud qualecumque ſcriptum, alterius tutelæ & patrocinio committerem, atque ejus, cujus arbitratu lucem adſpicit. Ipſa hoc jubet æquitas, ſed multò magis officii noſtri id exigit ratio. Cum enim jam à tot annis amicitia & familiaritate tua fruar, fueritque mihi illa ſemper & honori & voluptati, ingratus eſſem ſi ullam negligerem occaſionem, quà non ſtudium ac obſervantiam teſtarer, ac cum præſentibus non liceat obſequiis, tralativo ſaltem affectus genere, abſentem colerem, ac porrò demereri conarer. Jucunda res eſt amari à quibuſcumque etiam; ſed verò quid jucundius, quid pulchrius, quam eorum promereri benevolentiam, quorum virtutes etiam invitos ac nolentes rapere poſſint? Quis non talium amicitiam omnibus votis adquirere, adquiſitam verò tanquam lucem oculorum conſervare quàm maximè cupiat? Adeone verò quis ſit barbarus, ut qui ingenium & ſuavitatem morum tuorum perſpectam habeat, familiaritatem etiam non ambiat, ac perpetuo illa frui deſideret? Taceo reliqua, quæ vel leviter perſtringere vix audeam, gnarus quàm id mihi difficile, tibi ingratum, aliis vero ſit futurum invidioſum. Me tamen ſilente, ſciunt omnes, & ii præcipuè quibus curæ eſt ſalus communis, quanto cum honore, & hîc in patria, & foris apud Reges, partes & Reipublicæ, & tuas, ſuſtinueris. In literis quantum valeas, norunt qui te, & literas norunt. Nemo niſi malignus aut hebes inficias iverit, pervolviſſe te quicquid in omni penè ſtudiorum genere utile eſt ac ſcitu dignum, nec ſumma tantum libaſſe, ſed & illa hauſiſſe, quæ in receſſu latent, & in ipſos quodammodo humanæ ſcientiæ fontes penetraſſe.

Digitized by Google

traſſe. Parcius quàm ſentiam hæc à me dicuntur, æmulis tamen quibuſdam, ea ipſa quoque videbuntur nimia. Sed an quia iſti mali, ideo veritas diſſimulanda; aut quod vitiis faveant, propterεane deſerenda fuerit probitas? Laudandi eſſent ſi imitarentur, quæ carpunt. Verum quia deſperant id ſe efficere poſſe, ideo carpunt. Propriis non fidunt virtutibus, & ob hoc ipſum invident alienis. At quid hic ea commemoro, quæ ne tu ipſe quidem ad te pertinere exiſtimas? Tuebuntur te mores tui, nec paucorum malevolentia oberit, ut ſpero, quò minus & patria, & boni cives, merita tua agnoſcant. Utinam ille quamprimum dies adfulgeat, quo transactis feliciter negotiis, Regum controverſiis ſopitis, ac pacatis gentium odiis, tibi, & publicè, & privatim condignæ rependantur grates. Hoc commune eſt omnium bonorum votum. Huic etiam noſtrum nos adjungimus, nempe ut munuſculum illud æquo ſuſcipias animo, nec pro tenuitate ejus affectus ineas rationem. Dabimus forſan aliàs majora melioraque, hoc tempore nihil potuimus amantius.

Hagæ-Comitis. XII. *Decemb.* CIↃ IↃC LVII.

FRAN-

FRANCISCUS JUNIUS F. N.

LECTORI BENEVOLO.

HActenus voce vivâ, juxta & ſcriptis te docuit Vir Incomparabilis GERARDUS JOANNES VOSSIUS; nunc te docebit mutus tantum, qui non niſi meliore ſui parte ſuperſtes ſit. Hactenus vitâ, & moribus, oſtendit, qualem Te eſſe vellet, nunc ſui Tibi reliquit memoriam; ut, talem fuiſſe cum ſcias, talis tu quoque ut ſis, deſudes. Septuageſimum tertium agebat annum, cum fato cederet: at quinquageſimus ſecundus jam tum erat, quod ore, ac calamo juviſſet Remp. literariam. Si humanam cogitamus ſortem, vitam ille longam vixit, atque eò longam magis, quò melius totam collocavit; & tamen cui non reliquit ſui deſiderium, eò quòd, cum omnibus prodeſſe poſſet, is eſſet, qui omnibus omni ſtudio etiam prodeſſe vellet, atque ita quidem, * ut non valetudini curandæ, vel rei ſtruendæ, ſtudioſe daret operam, ſed cum prioris haud levi periculo, & certo alterius diſpendio impenſiùs ſemper publicis ſtuderet commodis: planè ad exemplum priſci Catonis, qui multo ſurgebat mane, atque imo ipsâ etiam nocte, quò vacaret ſtudiis, ac meditaretur quid Reip. foret utile, poſthabitâ etiam rei familiaris ratione: Quinimo cum ſciret illud

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,

inſomnes traducebat noctes & vir, & ſenex, quâ ætate ſibi jam parcere potuiſſet; omne id temporis perdi ratus, quod publico bono non impendiſſet. Quid quòd ne inter ipſas quidem epulas ſibi temperaret, quominus vel lectitaret libros, vel cogitationibus inhæreret, adeò ut ipſe viderim aliquoties dexteram ejus neceſſariis uſibus ab uxore aptari, ut inediæ ſuccurreret; Et quo igitur jure malignitatem naturæ incuſant, quaſi ſortem noſtram iniquiorem fecerit alterâ mutorum animantium, quibus aliquot edurare indulſerit ſecula, cùm nobis tantò citerior ſtet terminus, qui, dum prodigi ætatis ſuæ ſunt, atque eâ uti neſciunt, brevem vitam faciunt, cum aliis, qui ſemetipſos magis curant, tempora deeſſe videant. Omne penè, quod hic in terris egit tempus, ita egit vir ſummus, ut unius cujuſque momenti ferè rationem reddere vellet, nec poſſet minus. Loquuntur id, & loquentur, tot ejus labores, quos numquam ſuo precio æſtimare queat juſta poſteritas. In iis dubius ſis, quid potiſſimum mirari conveniat, candide Lector; omnigenam ne magis, ac ſolidam eruditionem; an verò piam magis, ac modeſtam. Pulcra fuit illa Ægyptiorum conſuetudo, quâ non licebat aliquod præclarum inventum ſacrarum ædium columnis inſcribere, niſi prius ab aliis ejus artis maximè gnaris id probaretur. Legat hos, ac ſanè judicet eruditus orbis, non vidit, aut videbit unquam, quod magis Æternitatis Ædi inſcribi mereatur. Adducam huc Illuſtris Viri, D. HUGONIS GROTII, Sereniſſimæ Gotthorum Reginæ ad Chriſtianiſſimum Regem, dum viveret, Legati, de unico illo, at inexhauſtæ eruditionis, opere de Theologia Gentili judicium: Proximis, inquit, diebus aliquid nactus ocii legi, eâ, quâ omnia tua ſoleo, aviditate ac animi affectu, tua de Idololatria: in quo contrà feciſti, quàm nunc fieri ſolet; plerique enim titulos ſuos opere non implent: tu aliter nos decipis, plus dando, quàm eras pollicitus. Nam præter omnium gentium hiſtoriam, naturæ nobis pandis myſteria, & in tantâ rerum congerie ſervas, quod difficillimum eſt, ordinem. Præterea quoties veterum aut ſcriptura, aut ſenſus, in dubium venit, oſtendis, quàm exacta ſit judicii tui trutina. Tum verò pietatis, ac probitatis ſemina ita ubique inſpergis, ut non alium nôrim librum efficaciorem corrigendis ſeculi moribus: ac paulo poſt: Libros & ego poſſum mittere, ſed non tales; Tu & me, & alios, docere plurima nôſti, ego Tibi tantùm oſtendere, quæ nôſti. Ecce & aliud Illuſtris Viri, ac τοῦ πάνυ CLAUDII SALMASII, de Arte ejus Grammatica ita loquentis: Quantas tibi agam gratias, neſcio; quantas debeam, ſcio; quem non uno nomine obligatum tenes memoriâ tam recenti, ut de prioribus ſileam beneficiis, quæ plurima ſunt. Tuum de Grammatica arte accepi exactiſſimum in hoc genere opus, & cui nullum priorum, vel priſci ævi, vel noſtri, poſſit comparari. Non pueris tantùm hæc ſcripta, ſed Viris qui hinc haurient, unde doctiores evadant, quæque aliunde doceri non poſſent. Plurima Incomparabilis hujus paris, atque aliorum, de ſummi VOSSII ſcriptis elogia hic ne exſpecta, quia tum ea exhibere viſum eſt ſatius, cùm vitam ejus ac ſeriem operum, editorum, atque ineditorum, ſimul dabimus. Pace tamen Tua, mi Lector, hic addam Epigramma Ingenioſiſſimi Poëtæ Batavi, IUSTI VONDELII in VOSSII effigiem, quam in τοῦ μακαρίτου muſæo ante octennium delineavit Sandrardus; quod nos è Belgico ita aliquando vertimus:

Sex denos nihil eſt numeret ſi VOSSIUS annos,
  Candidior niveis frons erit illa comis;
Hâc habitat cuncti ſub fronte ſcientia ſecli,
  Condita quæque libris condita habet cerebro.
Quid chartis hominem cingis, *Sandrarde*, libriſque,
  Charta, liber, quicquam ſi capit, ille capit.

Ut autem erat ille βιβλιοθήκη ἔμψυχος, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον, atque omnium artium, & doctrinarum, promuſcondus, ita liberis non minùs, quàm libris ornavit ſeculum, ut dubium effecerit, ſcriberetne accuratiùs, an gigneret feliciùs, quemadmodum alicubi loquitur Illuſtris GROTIUS. Atque ii quidem patri ſimillimi ea etiam edidere ſcripta, quæ non niſi cum pereunte mundo perire poſſint. Cum verò numero novem eſſent filii, filiæque, omneſque pariter linguarum peritiâ, ac quovis ſtudiorum genere inter ſe certarent, meritò ipſius ædes, quod de Pythagoricis dicebatur, Apollinis, novemque Muſarum, vocâſſes habitaculum. At enim horret animus, dum liberos cogito. Vix viderat illos ad juſtam vitæ, & gloriæ, maturitatem excreviſſe Parens, cum ecce turbato mortalitatis ordine contra commune Parentium votum videt alterum alterius quaſi premere veſtigia, dum ad vocantis Dei nutum ſe ſiſtunt penè omnes. Quis neget omnem humanitatis ſenſum exuiſſe Tiberium, qui felicem vocabat Priamum, quod ſuperſtes omnium ſuorum extitiſſet? Quis ſortis ſuæ, ſuorumque memor, Camillum laudet, qui amiſſo filio dolori ſuccubuit; adeò quidem, ut non niſi inter ipſos mulierum cœtus muliebrem in modum caſum filii dolens inveniretur? Summus VOSSIUS, quanquam eos amiſiſſet filios, qui paternis paſſibus contenderent, quouſque gloria eniti poteſt, quales etiam pro ſuo in literas amore non filios non lugere non poſſet, quovis tamen dolore ſe oſtendit potentiorem, cui ſuccumbere triſtiſſimis cladibus ducebat triſtius. Enimverò non Periclem, non Xenophontem, non Anaxagoram Clazomenium, conſtantis in adverſis animi exempla, jactet antiquitas, quos nempe erigere poterat pulcra filiorum in bello pro patria virtus; VOSSIUS lectiſſimæ, atque eruditæ filiæ CORNELIÆ prope inclytam Leidam aquis hyberno frigore concretis fidem frangentibus miſerrimè ſubmerſæ iturus exſequias, cum cor-

* Ita auctor ipſe de ſe in præfat. præmiſſa lib. III. de Theolog. Gentil.

pus humandum oſtendi ſibi peteret, atque agrè ab amicis, quòd crudum vulnus ſic refricari crederent, id obtineret, ubi vidiſſet, dictavit ipſe aſtantibus ſolatia, monuitque divinæ acquieſcendum eſſe voluntati, ac nihil fieri ἄλογον παρὰ τῷ λόγῳ τῷ ἡμετέρῳ, κἂν ἡμῖν οὕτω φαίνηται. *Deſinerem hic, mi Lector, niſi apprimè huc ſpectaret, quod mihi ad exteras terras diſceſſuro monitum pro viatico ſe dare ajebat*; Tria ſunt longè pulcherrima: Unum, ut veritatem, tamquam optimum animi pabulum, magis etiam amemus, quàm nos ipſos. Alterum eſt, ut benefici ſimus erga alios, quando non aliò propiùs ad Deum acceditur. Tertium, ut, quia vitam hanc ſine multis adverſis decurrere non licet, fortiter ea feramus, gnari illa bono noſtro immitti à Deo: imperitorum verò calumnias pro pulicis morſu habeamus, quando turpe eſt, ſapientem ex inſipientum ſermone pendere: nec quiſquam ſapiens, niſi patiens; imo ſæpe etiam eſt, ut ex inimicorum dictis magis ſapere diſcamus. *Ita vixit hic literati orbis Imperator, neque aliter receſſit à nobis, quanquam non receſſerit totus: Reliquit enim liberos ſuos, Eximium nempe Virum* Isaacum Vossium, *inſigne ſui ævi decus, ac ex Clariſſimo* Matthæo *nepotem ſibi cognominem,* Gerardum, *in quibus eum aliquando agnoſcemus, cernemus, tenebimus, ut immutem paullo Ambroſii illa in funere Theodoſii. Pauca hæc de Incomparabili* Vossio *dicere viſum fuit, qui multa ipſo digna, nedum omnia, dicere non poſſem* ῥήτωρ ἄφωνος. *Facienda hæc juſta erant Amitæ marito, facienda erant Præceptori optimè de me merito, cui etiam plus, quàm Parenti, deberi ajebat magnus Macedo. Nihil affectui hic à me datum; at verò, ut nec huic paria inveniſſem verba, ita nec ille, quanquam aliàs in laudes plerumque ingenioſior, ſi verba dictâſſet, vel minimam ejus laudum adæquâſſet partem. Vale, mi Lector, ac fruere hiſce* Vossii *ſummi, quæ Tui, ac publici, juris jam facimus, operibus; & propediem alia exſpecta, quibus prela fervent. Amſtelodami* VI *Id. Quintil. St. Gregor.* CIↃ IↃCL.

GERAR-

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
ARTIUM ET SCIENTIARUM NATURA ET CONSTITUTIONE
LIBER I.
SIVE DE QUATUOR ARTIBUS POPULARIBUS.

Cap. I.

DE QUADRIPARTITA ARTIUM ac ſcientiarum omnium diſtributione.

1. §. *Artes, ac ſcientiæ, divinitus homini conceſſa, ad quatuor genera revocantur: quædam ſunt vulgares; ut ſellularia, & his ſimiles: aliæ liberales magis, ſed populi communes; ut Grammatiſtice, Gymnaſtice, & quædam aliæ: aliquæ proximè ad philoſophiam præparant; ut ἐγκύκλιοι, ſive quas diſciplinarum orbem dicimus: aliæ ſapere hominem docent; ut quæ philoſophiæ nomine continentur.*

CUm artibus, ac ſcientiis ita fere comparatum videtur, uti olim cum civibus Romanis. Quorum quatuor genera obſervo. Alii enim in claſſe erant nulla; ut proletarii, ſive capitecenſi: alii in aliqua, ſed non principe; ut plebejorum illi, qui *aſſidui* dicerentur: alii in claſſe prima; qui duplices, minoris dignationis, equites; majoris, Senatores. Ex quibus Senator eſſe non poterat, niſi qui octingenta haberet. Hæc noſtris temporibus fuerint viginti millia ſcutatorum ſive ducatonum, vel Philippeorum, ſive ſexaginta Karoleorum millia. Eques minimum poſſidebat quadringenta; hoc eſt decem millia ſcutatorum, ſive Karoleorum triginta millia. Nempe denario habito pro decuma parte ſcutati, ſive trium florenorum. Infra hunc cenſum qui Romæ foret, haberet tamen quod in cenſum deferret; pro opum magnitudine in unam ex quatuor proximis claſſibus referebatur. Etſi igitur plebejus foret, aſſiduus tamen erat. Sic verò dictus, quia aſſes duit, hoc eſt, det. Nam antiqui ex *dôo duo* fecere, unde *perduint*, atque alia apud Comicos. Minimus cenſus fuit quinctæ claſſis, qui erat mille ducentorum, & quingentorum æris: hoc eſt, Karoleorum trecentorum, & ſeptuaginta quinque. Qui tantum æris non haberet, extra claſſem erat: ac quia ære non poterat, ſolo capite cenſebatur, ac licet cenſu non valeret, prole tamen ſufficiendâ Rempub. juvabat. A priori is *capitecenſi*; ab altero, *proletarii* nomen accepit.

Cum proletariis, ſive capitecenſis (fruſtra enim hi apud Agellium diſtinguuntur) conferre mihi videor poſſe artes eas, quæ à cerdonibus, & fece populi exercerentur: ut ſutoriam, ſartoriam, & ſimiles: quas iccirco *vulgares* dicemus.

Cùm plebejis aſſiduis contulero artes, quæ liberales habitæ; interim forent extra diſciplinarum orbem; ut legendi, ſcribendique ars; adhæc illa diſco, curſu, vel cæſtibus decertandi; item canendi peritia; atque, ex multorum judicio, etiam ars pingendi. Has artes dicemus *populares*. quia dignior *populi* vox, quam *plebis*; uti *plebis* dignior, quàm *vulgi*. Populus enim, præter proletarios, etiam aſſiduos, ipſoſque equites, quandoque & ſenatores, comprehendit. Sed hic attendimus honeſtiorem plebis partem; nempe florem ejus, non fecem: prout in vino diſtinguere ſolemus.

Splendido equitum ordini reſpondere videtur *ἐγκυκλοπαιδεία*, ſive orbis diſciplinarum. Vulgò vocant ſeptem artes liberales. Dixeris, etiam artes, quas proximè nominavimus, in liberalium eſſe numerum relatas. Memini: ſed ſui ſunt gradus artibus liberalibus. Quis autem dubitet, quin Grammatiſtice, quam legendi ſcribendique artem dicimus, minoris ſit dignitatis, quam Grammatice, ſive purè loquendi ars? Quid etiam manifeſtius, quàm Muſicen, quatenus non aliud eâ intelligitur, quam cantandi peritia, quam & teneræ ætati concedimus, honore eſſe longè inferiorem Muſicâ ſcientiâ, prout à Mathematicis traditur; quam & Muſicam philoſophiam dixeris, ſi cum Peripateticis Matheſin, non *προπαιδείας*, ſed *παιδείας*, ſive ipſius Philoſophiæ partem facere voles? Nec ſanè *πένταθλον*, ſive quinquertionem eſſe, tam liberale eſt, quàm orbem diſciplinarum ſeptem abſolviſſe. Quare ſi priores dixeris artes liberales, has *liberaliores* vocare liceat.

Ampliſſimo Senatus ordini reſpondet philoſophia: ad quam etiam revocatur Eloquentia. Adhæc Juriſprudentia, Medicina; imò & Theologia, quatenus eſt ſacra philoſophia, in eo interim ab humana differens philoſophia, quòd non ex cauſſis naturalibus, ſed principiis ſupernaturalibus, proficiſcatur. Haſce diſciplinas non *liberales* modò, vel *liberaliores*, ſed *liberaliſſimas*, dicere poſſumus. Verùm, quia in hoc negotio inſolens ſit talis appellatio, potiùs *principes ſcientias* dicamus, vel, ſi malis, *liberas*; quia non modò liberis dignæ, ſed animum etiam liberent vitiis. Sapere enim docent: quod verè eſt liberum eſſe, & ab tyrannide affectuum immunem, ſoli numini, & animæ ſuæ, ac publico bono mancipatum: qualis mancipatus ipſiſſima eſt hominis libertas.

2. §. *Agere nobis animus eſt de natura ac conſtitutione artium, & ſcientiarum omnium, quas diximus: niſi quòd decretum breviſſimè defungi iis artibus, quæ Græcis vocantur φαῦλαι, ἀνελεύθεροι, βάναυσοι, ἀγοραῖοι, viles, illiberales, ſordidæ,* circumforaneæ. *Cujuſmodi ſunt illa, quæ nullum, vel exiguum animi ſtudium requirunt, ac ſolùm occupantur in quæſtu faciendo, & pecuniâ congerendâ: unde &* mercenariæ *dicuntur, ſervis omnino digniores.*

Hujuſmodi ſunt, quas tractant ſellularii artifices; prout appellat Appulejus lib. 11. Florid. ubi de Pythagora ſermo,

mo, qui priùs δακτυλιογλύφος, ſive gemmarum ſculptor, fuit.

3. §. *Nec tamen ἁπλῶς ſunt viles.*

Quia, ut initio Nicomachiorum Ariſtoteles ait, πᾶσα τέχνη ἀγαθοῦ τινὸς ἐφίεσθαι δοκεῖ: *omnis ars boni aliquid appetere videtur.*

4. §. *Neque obſcurum arbitror, cujuſmodi bonum artes mercenariæ appetant, ſunt enim Politices famulæ, ad hoc comparatæ, ut ſocietas civilis nullum deſideret, vel præſidium, vel ornamentum, ad bene beateque vivendum. vile autem non eſt, quod poſſidentem vel meliorem, vel utiliorem ſibi, aut Reipub. reddat.*

Sanè non abhorruêre ab opificio Apoſtoli: ut B. Paulus; de quo Act. xx, & 1 Cor. IV. 12. unde de eodem ſic B. Auguſtinus de opere monachorum, cap. XIII: *Innocenter, & honeſtè, quæ apta ſunt humanis uſibus, operabatur: ſicut ſe habent opera fabrorum, ſtructorum, ſutorum, ruſticorum, & his ſimilia. Neque enim honeſtas ipſa reprehendit, quod reprehendit ſuperbia eorum, qui vocari honeſti amant, ſed eſſe non amant.* Valde hæc firmantur eò, quòd artes hujuſmodi ſanctificavit ipſe ſoſpitator Chriſtus: quippe qui cum Joſepho fabrilem artem exercuerit, ut Juſtinus Martyr, Baſilius M. & veterum alii, cenſent. Et Deus ad nuditatem velandam primis parentibus fecit δερματίνας, ſive pelliceas tunicas; ut eſt Gen. III. Quod propriè capiendum; non item de carne, aut pelle humanâ; quaſi ſine pelle primus homo conditus fuerit. Quam Gnoſticorum ſententiam fuiſſe, docet Tertullianus libro de Reſurrectione carnis. Ac Ioanni Hieroſolymitano eandem placuiſſe, auctor eſt B. Hieronymus.

5. §. *Quare, ut puto, melius nobiſcum* vulgares *dixeris, quàm* illiberales, *aut* viles.

Vulgares quidem Poſidonius vocat, & ex eo Seneca epiſt. LXXXVIII. Verba ejus adduco libri proximi, qui de Philologia erit, cap. II.

6. §. *Sed etſi vulgares illæ non ἁπλῶς, comparatè tamen* illiberales, *ac viles, dici merentur. Nam fere ita fit, ut qui ſemper in tabernis conſident, corpore ſint ignavo, minuſque idoneo ad militiam: etiam, dum vilibus rebus diſtinentur, animum plerumque quaſi abjiciunt, & ineptum reddunt ad capeſſendam Remp.*

Hinc Ariſtoteles ibidem, βάναυσον ἔργον εἶναι δεῖ τοῦτο νομίζειν, καὶ τέχνην ταύτην, καὶ μάθησιν, ὅσαι πρὸς τὰς χρήσεις, καὶ τὰς πράξεις, τὰς τῆς ἀρετῆς, ἄχρηστον ἀπεργάζονται τὸ σῶμα τῶν ἐλευθέρων, ἢ τὴν ψυχὴν, ἢ τὴν διάνοιαν. *ſordidum eſſe opus hoc oportet, exiſtimare, & artem hanc, & doctrinam, quæcunque ad uſum, & actiones virtutis, efficiunt inutile corpus liberorum hominum, aut animum, aut mentem.* Præterea, cur ſellulariæ artes, imò & aliæ, quibus victus paratur, ingenuo homine indignæ exiſtimentur; ratio eſt illa, quòd, quò quæſtum faciant, ab aliis pendeant, quibus adulari, ſeque ſubmittere cogantur: cùm contrà homo ingenuus debeat animo eſſe libero, non verò animi candorem polluere ac maculare, ut aliis placeat. Sed ſcitum eſt, quod Ariſtoteles mox ſubjicit, poſt verba antea adlata, etiam philoſophiam, ac ſcientias liberales, reddi ſordidas, & illiberales, ſi quis in iis modum non ſervet, ſed προσεδρεύῃ λίαν πρὸς τὸ ἐντελές: hoc eſt, *aſſiduus in iis ſit, ut perfectè aſſequatur.* Quæ res profectò impedit multos actus civiles. Multoque illiberalius eſt ſolùm, aut præcipuè tractare liberales ſcientias quæſtûs, vel ambitionis cauſâ. Quâ ratione eædem etiam ex liberalibus fiunt illiberales. At longè ſecus eſt, ſi ſolùm, aut potiſſimùm diſcamus virtutis cauſâ, ac ut amicis proſimus in publico; quemadmodum ibidem rectè monuit Stagirita noſter.

CAP. II.

DE GRAMMATISTICE.

1. §. *A vulgaribus artibus, quibus humillimi de plebe, ac infima multitudo, ſeſe occupat, venio ad illas, quibus exercentur liberi honeſtiorum è populo: unde hujuſmodi artes vocabamus* populares. *Quales apud Græcos fuere quatuor hæc partim pueritiæ, partim primæ adoleſcentiæ ſtudia; Grammatiſtice, Gymnaſtice, Muſice, ac, quorundam judicio, etiam Graphice, ſive Pictoria.*

ARiſtoteles lib. VIII. Polit. cap. III: Ἔστι δὲ τέτταρα σχεδὸν, ἃ παιδεύειν εἰώθασι, γράμματα, καὶ γυμναστικὴν, καὶ μουσικὴν, καὶ τέταρτον ἔνιοι γραφικήν. *Sunt autem quatuor fere, in quibus erudire pueros conſuêrunt; litera, gymnaſtice, muſice, &, juxta aliquos, ars pingendi.*

2. §. *Grammatiſtice eſt legendi, ſcribendique ſcientia.*

Ita ab Aſclepiade proprio nomine dicta eſt, quam Ariſtoteles ſuperius γράμματα, ſive *literas*, appellabat. Plato eam γραμματικὴν vocat: uti & Ariſtoteles lib. VI Topic. ubi definitur ſcientia legendi, & ſcribendi. Ac ſimiliter appellat Sextus Empiricus lib. I. adverſus Mathemat. Talis nimirum ſcientia initiò *Grammatice* dicebatur, quia tota occupetur in literis: quomodo & Γραμματικὴ nomen fuit nobilis tragœdiæ, quam, argumento ex literis ducto, ſcripſerat Callias Athenienſis; de quo multa Athenæus in decimo; ac quædam etiam Cæſar Scaliger lib. I de re poëtica cap. VIII.

Grammatiſticen quoque nuncupant *literas elementarias*; ut Julius Capitolinus in Pertinace: *Puer literis elementariis, & calculo imbutus.* Ubi intelligit *prima elementa*: de quibus Horatius epiſt. ad Piſones:

—— Ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint ut diſcere prima.

Ab his diverſæ prorſus ſunt *literæ*, unde dicuntur *literati*; non *literatores*, ſive γραμματικοί. Sed Grammaticen conſiderabimus libro de Philologia. Nunc de Grammatiſtice progrediamur.

3. §. *Etſi hæc ars exiſtimetur vilis; uſus tamen ejus tantus eſt, ut vix ullis laudibus ſatis poſſit prædicari. Præcipua tamen ejus utilitas in hoc conſiſtit, quòd ſic occurritur hominum oblivioni, cùm nemo omnium, quæ videt, vel audit, ſemper valeat meminiſſe. Nec negotia, vel commercia, abſque ea poſſunt conſiſtere. Maximus quoque uſus eſt in fœderibus, & pactis, ad homines in officio continendos. Magnum præterea eſt, quòd ſcripturâ etiam abſentibus mentem noſtram aperimus. Præterea hac arte prodimus poſteris, quæ multò ante ætatem eorum contigerunt, ne, puerorum ſimiles, ſui ſolum temporis res ſciant, ac divinam neſciant providentiam in mundo hoc gubernando. Orbis quoque diſciplinarum, ac philoſophia univerſa, quatenus naturæ lumine cognita eſt, ad incana ſecula propagatur. Imò ſcriptione etiam mortui vivunt, ac loquuntur, beneque de orbe merentur: ad hæc ipſi etiam ſcriptores famam conſequuntur immortalem: quæ, quia ſenio non conſumitur, propiùs ad Deum acceditur. Denique optimum ac ſapientiſſimum Numen, pro infinito erga nos amore ſuo, eo Verbum ſuum voluit ſcriptis conſignari,*

quò

quo ab oblivione hominum vindicaretur, nec agros mortales lateret via, quo, velut ſcalis quibuſdam, ad arces ſcandimus cœleſtes.

Pleraque eorum, quæ ad ſeculum hoc pertinent, complexus eſt Philemon Comicus apud Joa. Stobæum in Florilegio:

Οὐχὶ μόνον εὗρε τοῦτο Κάδμος πῶς λαλεῖν
Αὐτοῖς, ἀντιχωροῦντας πολὺν ἀπ' ἀλλήλων χρόνον.
Οὐδ' ὃν σιωπῶν μηδέ πώποτ' μηδ' εἰς πάλιν
Ἐπιλέγοντ' ἡμῖν μαθεῖν, ἐμβλέψας δέ μου
Τοῖς τοῦ χρόνου τοῦ παντὸς οἴσετ', αὐτὰ καὶ
Ψυχῆς ἰατρεῖον κατέλιπεν τὰ γράμματα.

Ea ſic totidem ſenariis reddidit illuſtriſſimus Suecici regni, dum viveret, ad regem Chriſtianiſſimum Legatus, Hugo Grotius*:

Nec ille tantùm reperit, quo pacto diu
Abſentes alter colloquantur alteri,
Et qua ratione, quod quis addidicit ſemel,
Oblivionis è poteſtate eximat,
Retro geſta repræſentans: verùm adeò inſuper
Reliquit animi mediatricis literas.

* In Florilegii Stobæani Excerptis.

Similia ex aliis de multiplici adeò Grammatiſticæ, ſive literationis uſu adduximus lib. I. de Arte Grammatica cap. III; quæ inde peti, quàm hic repeti, malo.

Porrò in multiplici adeò utilitate, nihil æquè admirationem meretur, quàm quòd de abſentibus, ac poſteris, utrobique dicebamus. Quid enim ſtupendum magis, quàm quòd cum iis etiam ſermonem feramus, qui immenſis regionum, ac marium ſpatiis diſtant? Aut quid permirum æquè, quàm quòd poſt fata loquemur etiam, non dico cum necdum nunc natis, ſed verò plurimis demum ſeculis poſt nos futuris. O divinum Scripturæ beneficium! Tu ſola facis, ut abſentes non abſimus, muti loquamur, mortui vivamus. Conctos ſeu diſſitos, ſeu defunctos, ſiſtis præſentes: quoſque corporeis oculis nec videmus, nec audimus, eos in ingenii doctrinæque monumentis, & conſpicimus, & ſæpe, quaſi extra nos poſiti, non ſine horrore loquentes audimus. Videlicet ſcriptura, quaſi altera lingua, ſermonis uſum præſtat, ut tum vel maximè manus, ac calami, ſilentibus nobis ſint loquaces. De hoc literario miraculo plerique omnes parùm cogitamus. In cauſſa eſt, quòd ei adſueverimus à pueris; quomodo nec vulgus miranda Solis attendit, quia eum quiſque conſpicit, ſimul ac penè luminis hujus, auræque ætheræ, fruitur uſurâ. At longè aliter affectæ ſunt gentes illæ, quæ legere, ſcribereque, prorſus neſciunt; nec fando de ea audierunt quicquam. Ut terriſiis compertum, quæ proavorum demum memoriâ in notitiam noſtram venerunt. Amœnum illud de mancipio Peruano in Braſilia. Miſerat eum dominus ad virum nobilem cum corbe ficuum pleno, ac literis. Mancipium deliciis captum bonam in via partem voravit. Cui miſſus erat, è literis deprehendit, quantum abſumſiſſet. Quare nequitiæ arguit. Hic mendacii arguere literas, ſeque diris devovere, ſi reus furti inveniretur. Denuo à domino mittitur cum ficubus, & literis. Iam metuere literas cœperat, quaſi videre, & viſa proloqui ſcirent. Comeſturus igitur ficus, priùs ſub ſaxo abdidit literas, eique inſedit. Viâ confectâ, reliquum tradidit cum literis. Iterum arguitur. Ille negare factum, quòd ſciret literas in obſcuro non potuiſſe id conſpicere. Et fortaſſis permanſiſſet animus, niſi tergo à domino Ibericis funibus, vel virgis ulmeis, percuſſo, in poſterum etiam Plautinam metuiſſet virgidemiam. Narrat rem Ludovicus Richeomus libello Gallico de Valedictione animæ. Aliaque de hoc Indorum ſtupore Ludovicus Vives in dialogis, Lælius Biſciola lib. VI ſubſicivarum cap. XII, Petrus Cieza Tom. II Hiſt. Peruanæ cap. XXXIV, Hermannus Hugo præfat. operis de ſcribendi origine, pluresque, qui de orbe novo ſcripſerunt.

4. §. *Multiplicem adeò fructum Grammatiſtica ex parte etiam vidit Epicurus. Quare, utcunque ei diſciplinæ haud neceſſaria viderentur, hanc tamen utilem, fatebatur.*

Ut Sextus Empiricus ait contra Mathematicos cap. II.

5. §. *Et tamen diffiteri non poſſumus, maximum ſæpe eſſe hujus artis abuſum. Nam quicquid penè mali committitur linguâ, idem & ſcriptione.*

Unde Thamus, qui Thebis Ægyptiis, imperitavit, urbe cujus cuſtos fuit Deus Ammon, noluit literariam artem in regnum induci. Quod de Arithmetica etiam, & Geometria, atque Aſtrologia, judicium ejus erat. Platonem vide in Phœdro*, &, ſi juniores præterea opus adire, Cælium Rhodiginum lib. XXXII cap. XV. Etiam Licinius Imperator literas vocabat virus, & publicam peſtem: ut eſt apud Sex. Aurelium Victorem.

* Tom. 3. pag. 274. & ſequent. edit. Henr. Steph.

6. §. *Inter damna illa Grammatiſtica eſt, quòd crebrò non moribus modò noceat; ſed & hæreſes peſtiferas propaget.*

Imò Marcus, & Colarbaſus (qui in Philaſtrii codd. perperam C. Baſſus vocatur) ex Græcorum alphabeto novam fabricarunt hæreſin; de qua Irenæus fusè, & paucis Tertullianus lib. de hæreſibus; ut poſteriores prætercam.

7. §. *Verum, ut ait Naſo lib. II Triſt.* Nil prodeſt quod non lædere poſſit idem. *Quare non, propter abuſum, tollendum eſt præclarum inventum, verùm legibus coerceri debet.*

Alioqui cùm eadem dicantur, & ſcribantur, ſæpiuſque linguâ, quàm ſcriptione peccetur; neceſſe foret illis literarum contemptoribus linguam præcidi, ne quid poſtea dicant, quod indictum oporteret.

8. §. *Præclarum hoc artificium, ſecundùm fabularem hiſtoriam, Parcis debetur.*

Sic Higynus lib. de Fabulis cap. CCLXXVII. Hanc verò opinionem inde cenſeo proveniſſe, quòd Parcæ crederentur ſcribæ Iovis, quæ Fatum cujuſque in tabulis exararent æneis.

9. §. *Sin veriori inſiſtendum hiſtoriæ; Romani quidem videntur ſuas accepiſſe literas ab Euandro; qui eas ex Arcadia in Latium intulit: Arcades verò accepere à Bœotis; illi à Cadmo Phœnice, Thebana in Bœotia arcis conditore: ut Græci Phœniciæ debeant literarum gloriam. Phœnicia autem, ſive Cananæa litera, non alia, quàm vetuſtiores Hebrææ; hæ verò eædem ac Samaritanæ, uſque ad captivitatem Chaldaicam. Poſtea enim Judæi illis Chaldæorum uſi ſunt. Hebræi porrò Cananæas, ſive Samaritanas literas habuere ab Moyſe, vel potiùs eo antiquiore Abrahamo, vel ſecundùm alios, Setho, Adami filio, vel ipſo etiam Adamo. Qui fortaſſe nec alius ab Theuth, unde Ægyptii ſe literas habere prædicabant. Niſi Theuth ipſe eſt Deus, à quo Adamus eas fuerit edoctus.*

Sanè Græcum Θεὸς, unde Latinum *Deus*, idem eſt ac *Theus*. Notiſſimum enim, quàm facilè pluribus in linguis finale S, & T, ſoleant commutari. At literarum ſcientiam eſſe donum divinum, etiam gentes judicarunt. Hinc Plutarchus quoque initio libelli de Iſide & Oſiride: Ἑρμῆν γραμματικῆς, καὶ μουσικῆς, εἶναι εὑρετὴν νομίζουσι. *Mercurium Grammatices, & Muſices, inventorem cenſent.* Ac poſtea ait, Mercurium ſtatui parentem Iſidos. Dixerat verò antea, de inſcriptione templi Minervæ Saitidos loquens, eandem credi *Iſidem*, ac *Minervam*:

quæ

quæ ſine dubio ſapientia eſt divina; vel humana quidem, ſed divinitus inſpirata. Verùm de inventione literarum apud Latinos, Græcos, & Hebræos, adi ſis Lilium Gyraldum, dialogo primo de Hiſtoria Poëtarum*. Item quæ fusè hoc de argumento diſſeruimus lib. 1. artis Grammaticæ cap. IX, X, XI: quibus diſtinctè egimus de inventoribus literarum variis in gentibus; præcipuè tribus illis, quas dicebamus.

* *Pag. 6 & aliquot ſequentibus uſque ad p. 13.*

10. §. *Modus, quo nunc hoc nobile ſcribendi artificium addiſcatur, non unius eſt generis. Utile imprimis eſt, ut quis non modò bonum ad exemplum fingat literarum ductus; ſed etiam videat ſcribentem. Tantum enim hic juvat conſpectus iſte; quanto in aliis multis viva vox magis afficit. Conducit & pueri manum primitus dirigere, vel initio in tabula pulvere oblitâ ſtylo pingere. Vel aliquid optimè ſcriptum ſubjicere membranæ pellucidæ, in qua ſcribendum. Vel ſi in membrana, ubi alter priùs ſtylo æreo, aut argenteo, literarum figuras leviter impreſſerit, puer ductus impreſſos atramento imitetur. Vel ſi in tabella, in qua litera inciſa, puer per ſulcos ſtylum ducat. Quo pacto, quia ob latera ſulcorum manus nequit aberrare, etiam cæci quidam ſcribere didicerunt.*

Atque hunc modum poſtremum etiam commendat Fabius; ac rationem addit, lib. 1. cap. 1: *Cum verò jam ductus ſequi cœperit, non inutile erit, eas tabellæ quam optimè inſculpi; ut per illos velut ſulcos ducatur ſtylus. Nam neque errabit, quemadmodum in ceris (continebitur enim utrimque Marginibus) neque extra præſcriptum poterit egredi, & celeriùs, ac ſæpius, ſequendo certa veſtigia, firmabit articulos: neque egebit adjutorio manum ſuam manu ſuperimpoſita regentis.*

11. §. *Nec ſatis eſt, ſi puer ſic ſcribere ſciat, ut legi poſſit: ſed danda eſt opera, ut bellè, & celeriter ſcribat.*

Et rem, & cauſſam ibidem Fabius dicit: *Non eſt aliena res, quæ fere ab honeſtis negligi ſolet, cura bene, ac velociter ſcribendi. Nam cum ſit in ſtudiis præcipuum, quoque ſolo verus ille profectus, & altis radicibus nixus, paretur, ſcribere: tardior ſtylus cogitationem moratur; rudis & confuſus intellectu caret: unde ſequitur alter dictandi, quæ ex his transferenda ſunt, labor.* Bellè autem ſcribere cenſendi, qui obſervant figuram literarum, contextum, ſeriem, ac proportionem. At mæandros, ac redimicula, minutarum mentium oblectamenta, ſapientis eſt nihil morari; quia & ſcribentem onerant, & ſcripturam obſcurant. Solùm igitur culpamus, qui vitioſos fingunt characteres, vel proportionem literarum negligunt, aut verſus habent obliquos, vel vacillantes. Quales non leguntur cum voluptate; imò ſæpe negliguntur; quia nemo velit ſibi legenti crucem figi. Quin ipſos ſcribentes elegantior manus delectat; eoque lubentiùs, & faciliùs ſcribunt: ac paullatim non modò ſcitè, ſed velociter etiam pingunt. Sed ſi quis perpetuò celeriter ſcribere volet; periculum eſt, ne ſcitè ſcribendi, ſi quam habet, amittat facultatem.

12. §. *Porrò non par facilitas eſt quavis in lingua, ut ſcribere diſcamus. His Belgicæ terris, quibus varia adeò obtinet ſcriptura, facillima ratio videtur, ſi ordiatur puer à manu, quam* Italicam, *vel* curſoriam *vulgò vocant. Nam paucas ſi nôrit literarum figuras, nullo negotio ſciet cæteras.*

Ut ſi primò diſcat ſcribere ablativum *ficlo*, vel *locis*. Eædem enim utrobique literæ. Primò, lineolam rectam minorem efformando, ſciet *i*: longiuſculam, nôrit *l*. mox obliquam effingat, tum ſemicircularem *c*, tum circularem *o*. hinc addat mixtam ex recta, & obliqua, *ſ*. Jam vocem *ficlo* habemus. Videamus de literarum aliarum figuris. Ex recta minori, nempe *i*, ſciet *u*, *n*, *m*. Nec ab *i* multum abeunt *r*, & *t*. Ex obliqua *c* nôrit *e*, uti ex eodem *c*, vel *o*, ſciet *a*. Ex mixta *ſ*, diſcet *f*. Jam ex recta, & longiori *l*, & minori, ſciet *h*, & pauxillâ immutatione inde cognoſcet *k*. Ex recta longiori, & obliqua *c*, vel *o*, efformabit *b*, & *p*; *d*, & *q*; à quo non longè abit *g*. Quomodo omnes habemus literas uſitatiores: cunctas videlicet, præter tres Græcas, *x*, *y*, *z*. Scio, qui unius horæ ſpatio, cùm antea legere, ſcribereque, prorſus neſcirent, haſce literarum figuras ſic ſatis commodè expreſſerint. Et de Grammatiſtice ſatis. Cætera enim, ad literas pertinentia, accuratè proſequimur in primo memorati antea operis de arte Grammatica.

CAP. III.

DE GYMNASTICA.

1. §. *Sequitur Gymnaſtice: quam inter populares artes ſecundo loco etiam Ariſtoteles reponit.*

VErba ejus ex octavo Politicorum ſuperiori capite adduximus.

2. §. *Ea ſic dicta eſt, quòd plurimùm vel nudi toti, vel ſolùm verenda ſubligaculis contecti, decertarent.*

De athletis, quin nudarentur, poſteaque inungerentur oleo palæſtræ, nulli dubium eſt. Imò in nummis ſæpe totos videas nudos: ſed Græcos. A Romanis diutiùs fuit conſultum verecundiæ. Diſcoboli non ὁλογυμνοί, *toti nudi*; ſed ſeminudi. Jaculatores ſæpe veſtiti; nec ſemper tamen; quemadmodum poſtea dicam. Sicuti & de curſoribus.

3. §. *Gymnaſtice eſt ars, quæ in exercitatione corporis verſatur.*

Galenus libello ad Thraſybulum: Ἡ τέχνη γυμναστικὴ ἐστιν ἐπιστήμη τῆς ἐν πᾶσι γυμνασίοις δυνάμεως. *Ars Gymnaſtica eſt ea, ex qua exercitationum omnium facultates ſcimus.* Nempe, ut Ariſtoteles ait initio IV Polit. ejus eſt docere, ἄσκησις σώματι ποία τε ποίῳ συμφέρει, καὶ τίς ἀρίστη. *qualis exercitatio cuique corpori conveniat, & quæ optima ſit.* Itaque Latinè *exercitatoriam* dixeris.

4. §. *Quanti Gymnaſticen fecerint veteres, arguit, quòd & ei numen proprium, Mercurium puta, præfecerint.*

Hinc Heliodorus lib. X: Τὴν ἐναγώνιον Ἑρμοῦ τέχνην ἠκριβωκώς. *In concertatoria Mercurii arte exercitatiſſimus.* Horatii quoque eſt lib. 1. carm. ad Mercurium:

Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti catus, & decoræ
More palæſtræ.

5. §. *Nec tamen gymnaſiis Mercurius præerat ſolus: verum & Apollo Enagonius.*

Quemadmodum Athenis gymnaſio in Lyceo à Lycurgo Oratore exſtructo: ſicut eſt apud Lucianum in Anacharſi, ſive de Gymnaſiis: ut præteream, quòd Herculi etiam, ac Theſeo, ſtatuæ in Gymnaſiis fuerunt conſtitutæ.

6. §. *Artis hujus ſubjectum eſt corpus humanum, quatenus aptum eſt ad ſanitatem in ſeſe conſervandam.*

Nam Medicina quidem magis in hoc eſt, ut morbum

ex-

expellat: Gymnaſtica autem tota eſt in eo, ut *εὐεξίαν*, ſive habitum bonum, qui ſanitatis eſt vel pars, vel cauſſa, cuſtodiat, aut præſtet.

7. §. *Locus, ubi ſe exercerent*, gymnaſium *dicebatur.*

Nempe quia nudi in eo exercerentur; quemadmodum dictum.

8. §. *Atque hoc quidem propriè erat gymnaſium: laxius tamen extenſa eſt ſignificatio: quia in eodem & philoſophari ſolent, & lavari.*

Itaque gymnaſium aliqui ſolùm accedebant, ut animum exercerent, audiendo philoſophos, rhetores, mathematicos, vel alios. Alii ſolùm, ut exercerent corpus. Alii tantùm, ut lavarentur. Quidam verò propter hæc omnia. Alexander Severus Imp. domi legebat: ac deinde exercebat corpus, & lavabatur. Lampridius in ejus vita, poſtquam narrâſſet, quorum lectione imprimis caperetur: *Poſt lectionem*, inquit, *operam palaſtræ, aut ſphæriſterio, aut curſui, aut luctaminibus mollioribus, dabat. Atque inde unctus lavabatur.*

9. §. *Primæ gymnaſii partes erant porticus plenæ exhedris; in quibus philoſophi, aliique, conſidentes diſputarent.*

Vitruvius lib. v, cap. xi, ubi de palæſtrarum ædificatione: *Conſtituantur in tribus porticibus exhedræ ſpatioſæ, habentes ſedes; in quibus philoſophi, rhetoreſque, ac reliqui, qui ſtudiis delectantur, ſedentes diſputare poſſint.* Hujuſmodi ἐξέδρας, quæ ὑποκοριστικῶς dicta ἐξέδρια, etiam Cicero habuit in villa ſua Tuſculana. Sic enim ſcribit ad M. Fabium Gallum lib. vii, epiſt. xxiii: *Exhedria quædam mihi nova ſunt inſtituta in porticula Tuſculana: ea volebam tabulis exornare.*

10. §. *Alter locus erat*, ἐφήβιον, *vel* ἐφηβεῖον, *ubi ephebi, ſive puberes, exercebant corpus.*

Sic ſanè & Mercurialis lib. iii. de re Gymnaſtica cap. viii. Ac meritò abit à Guilielmo Choulo; qui ludum literarium ſignari hoc nomine arbitrabatur. At temere à Mercuriali receſſit doctiſſimus Petrus Faber lib. iii Agoniſticôn cap. xxvii: ubi per *ephebæum* intelligit ganeam, ſive lupanar; illudque palæſtræ genus, quod κλινοπάλην dixere. Nec meliora, quæ addit de ἐφηβητηρίοις, & voce ἐφηβεῖον. Mercuriali aſſentit quoque in Vitruviano lexico Bernardinus Baldus, Guaſtallæ abbas. Et rectè docet, *ephebium*, vel *ephebeum*; non *ephebæum*, ſcribi oportere. Nam ἐφήβαιον, *pubes:* at locus gymnaſii ἐφήβιον, vel ἐφηβεῖον.

11. §. *Tertiùs locus eſt* κωρύκιον, *vel* κωρυκεῖον, *ubi folle luſorio, ac pilâ luſitarent.*

Sic vocem eam apud Vitruvium interpretantur Barbarus, ac Baldus. Philander, cùm in vulgatis Vitruvii exemplaribus eſſet *corticeum*, emendabat *coricium*, ἀπὸ τῆς κόρης, ut intelligatur locus, ubi κόραι, ſive puellæ exercerentur; quomodo ut ephebis, ſic & puellis, fuerit locus in gymnaſio, ubi ſe exercerent. Sed de eo ſilentium eſt apud veteres. Nihilo melior eſt altera ejuſdem doctiſſimi viri conjectura: quâ legi poſſe ait κουρητήριον, *tonſtrina*, ἀπὸ τῆς κουρᾶς, *tonſura*. Quis enim veterum tonſtrinam gymnaſii partem fecit?

12. §. *Quarta pars erat elæothesium; ubi unguenta reponerentur.*

Quod nomen indicat, vocem conflatam ex ἔλαιον, *oleum*, & θέσις *poſitio*. Ut nihil opus ſit cum Philandro reſcribere *elæodeuſium*, ἀπὸ τοῦ δεύειν, hoc eſt, *rigando*. Virgilius Æn. iii:

Exercet patrias oleo labente palæſtras.

Aliter dicebatur ἀλειπτήριον, ab ἀλείφειν, *inungere*. Ea unctio duplex: una ante exercitationem, quæ fiebat ceromate, ſic dicto, quia cera eſſet oleo ſubacta; cui poſtea pulvis affundebatur. Altera inunctio fiebat oleo magis pretioſo: quippe variis odoribus condito. De utraque hac inunctione adi Mercurialem lib. i Gymnaſtices, cap. viii.

13. §. *Quinta pars, coniſterium; ubi qui inuncti erant, pulvere adſpergebantur.*

Vox eſt à κόνις, hoc eſt, *pulvis*. Fallitur Perottus, qui intelligebat ἀποδυτήριον, ubi veſtes exuerent. *Spoliarium* Latini dixere. Omnino enim ſignatur locus, ubi luctaturi, poſtquam inuncti eſſent, pulvere reſpergerentur, ne ob lubricitatem olei, parùm validè ſe mutuò comprehenderent in lucta. Nec eam ad rem quovis uſi pulvere, ſed fere Ægyptio: ut (verba Plinii ſunt lib. xxxv, cap. xiii) *è Nilo arenâ tenuiſſimâ ad debellanda corpora palæſtræ ſtudiis.* Ac Tranquillus in Nerone cap. xlv meminit *Alexandrinæ navis, pulverem luctatorium aulicis advehentis.*

14. §. *Sexta pars ipſius palæſtræ fuit locus; ubi luctabantur; ſic* ἀπὸ τῆς πάλης, *ſive luctæ dictus. Septima* σφαιριστήριον, *ubi* τῇ σφαίρᾳ *ſive pilâ exercerentur. Octava inter porticus, & muros, ubi currebatur. Nonus xyſtos, & xyſta, continebat.*

Xyſti Latinis porticus tectæ, ubi athletæ hieme exercerentur. *Xyſta*, ſubdiales ambulationes, ubi athletæ exercerentur æſtate.

Sic Mercurialis lib. i, cap. ix. Aliis *Xyſtus* idem eſt, ac palæſtra, quam cum Mercuriali ſextam partem faciebam. Græci Xyſta περιδρομίδας dixere; ut eſt apud Vitruvium lib. v, cap. xi, & lib. vi, cap. vi. Budæus tamen in Pandectas (ſed improbante in Theſauro ſuo H. Stephano) παραδρομίδας legit: eumque in Vitruviano lexico ſequitur Bernardinus Baldus Urbinas.

15. §. *Decimus locus balnea, ubi nunc calidâ, nunc frigidâ, lavabantur.*

Hic & Laconicum, in quo calore ſicco ſudor eliciebatur. De Gymnaſio, & ejus partibus, ſatis pro inſtituto.

16. §. *Finis Gymnaſticæ eſt conſervare valetudinem, ac bonum corporis habitum comparare.*

Auctor Ariſtoteles lib. viii Polit. ubi ait, conferre *γυμναστικὴν πρὸς ἀνδρείαν, ad fortitudinem:* ſive *πρὸς ὑγίειαν, καὶ ἀλκὴν, ad ſanitatem, & robur.* Ac eadem mens Galeno in tertio Ὑγιεινῶν*. Nempe ut otio corpus fit ſegne, ac torpidum; ita exercitatione bonum acquirit habitum. * *Salubrium.*

17. §. *Bonus iſte habitus corporis in robore, & agilitate, potiſſimùm conſiſtit. Ex quibus duobus, robur quidem athletis magis conducit: ſed agilitatis major eſt uſus in bello.*

Scivit hoc Epaminondas: de quo ſic in vita ejus Cornelius Nepos: *Poſtquam ephebus factus eſt, & palæſtræ dare operam cœpit: non tam magnitudini virium ſervivit, quàm velocitati. Illam enim ad athletarum uſum; hanc ad belli exiſtimabat utilitatem pertinere. Itaque exercebatur plurimùm currendo, & luctando, ad eum finem, quoad ſtans complecti poſſet, atque contendere.*

Ob hunc agilitatis, ac velocitatis uſum in re bellica, Achillis ad laudem prædicat Homerus, quòd fuerit πόδας ὠκύς, hoc eſt, *acupedius*, juxta illud Feſti, ſive Paulli: *Acupedius dicebatur, cui præcipuum erat in currendo acumen pedum.* Sed de uſu Gymnaſticæ in bello mox pluribus dicemus.

18. §. *Nec ſolùm prodeſt valetudini conſervandæ, ſed etiam acquirendæ.*

Itaque, ut auctor eſt Ælianus lib. IV Var. Hiſt. cap. XV, Strato, Corragi filius, valetudini ab hac arte remedium quæſivit; ac tantum profecit, ut uno die apud Olympiam luctâ, & pancratio, pronunciaretur victor.

19. §. *Ægyptii tamen, grammatiſtice contenti, gymnaſticen negligebant.*

Teſtis Diodorus Siculus lib. I, ubi de iis ſic ſcribit: Παλαίστραν οὐ νόμιμόν ἐστι παρ' αὐτοῖς μανθάνειν. ὑπολαμβάνουσι γὰρ ἐκ μὲν τῶν καθ' ἡμέραν ἐν τῇ παλαίστρᾳ γυμνασίων τοὺς νέους οὐχ' ὑγίειαν ἕξειν, ἀλλὰ ῥώμην ὀλιγοχρόνιον, καὶ παντελῶς ἐπικίνδυνον. *Palaſtram verò apud eos diſcere non eſt moris. Nam è quotidianis palæſtræ exercitiis non ſanitatem, ſed exigui temporis robur, & omnino periculoſum, comparari junioribus exiſtimant.*

20. §. *Imò nec Romanis veteribus publica fuere gymnaſia, quibus juventus ſeſe exerceret.*

Hinc Vitruvius, qui ſub Auguſto vixit, lib. V cap. XI: *Nunc mihi videtur (tametſi non ſint Italicæ conſuetudinis) palæſtrarum ædificationes tradere explicatè, & quemadmodum apud Græcos conſtituantur monſtrare.* Itaque Budæus Annot. in Pandect. ad L. Athletas, poſtquam è Plauti Bacchidibus verſus adduxiſſet, de curſu, lucta, diſco, pila, & aliis puerorum exercitiis, ſubjungit deinde *: *Quod de inſtitutione Græcorum intelligendum. Romani enim id genus exercitamentis non utebantur.* Ac aliquanto pòſt †: *Palæſtra, id eſt, ædificia, exercendis & corporis, & animi viribus, accommodata, Græcorum conſuetudinis erant; Romanorum non erant; apud quos ephebia non erant, id eſt, loca puberibus exercendis conſtructa.*

* Fol. 95. edit. Rob. Steph.
† Fol. 96.

21. §. *Græcis contrà Gymnaſtice magno in honore erat; apud quos etiam gymnica certamina in ſacris adhibita ſunt ludis, ut populus ad ea libentiùs confluerer.*

Quâ de re Plutarchus in V. Sympoſiacôn. Loquimur verò nunc de ludis Gymnicis: à quibus diverſi erant tum Equeſtres, ſive Circenſes; tum ſcenici, ſive muſici.

22. §. *Finis ludorum erat horum duplex. Unus fuit religio Deorum. Nam credebant ſic honorari Deos; eoque faciliùs omnia ab iis impetrari.*

Verùm quòd in vanorum fieret Deorum honorem, idem in contemtum vertebat veri Numinis. Unde Cyprianus libro de ſpectaculis: *Omnia iſta ſpectaculorum genera damnavit* (Scriptura) *quando idololatriam ſuſtulit, ludorum omnium matrem.*

23. §. *Alter finis erat voluptas, quam inde populus caperet.*

Nempe idem ludorum erat Gymnicorum finis, ac Circenſium, nec non ſcenicorum, ſive τῶν τὴν θεατρικὴν μουσικὴν μεταχειριζομένων, ut Ariſtoteles vocat, Politicorum lib. VIII.

24. §. *Iam ante Trojana tempora certatum diſco, luctâ, curſu, & ſimilibus; ſi credimus Statio Papinio.*

Cujus illud in VI Thebaidos de Tydeo:

Ille quidem & diſco bonus, & contendere curſu,
Nec caſtu bellare minor. Sed corde labores
Ante alios erat uncta Pales.

Niſi malis, *uncta Pale:* ut non ſignificetur ruſticum numen Pales; ſed Dea Πάλη, ſive Lucta, palæſtræ præſes. Sic cenſet P. Faber lib. II Agoniſt. cap. V.

25. §. *Quod ſi Papinii parum valeat auctoritas: ſaltem (niſi nec Homero credatur) Iliacis temporibus obtinebant.*

Liquet hoc ex Iliados Β, & Ψ, Odyſſ. Θ, ac Ψ: ubi Græcos milites in caſtris ſe his exercuiſſe memorat.

26. §. *Sed quæ Homerus refert, quædam tantummodo Gymnaſticæ ſemina fuere. Sanè non multò ante Platonis tempora pueris, ac juvenibus, gymnaſia ſunt conſtituta.*

Auctor eſt Galenus ad Thraſybulum: imò & Plato id ſatis docet in Protagora, & alibi. Mox autem ab anno ſeptimo pueros in Grammaticis, ac Gymnaſticis, inſtitui ſolere, ait Xenocrates, Platonis diſcipulus, eleganti libello de Morte, quem tranſtulit Ficinus. Multumque ad laudem pertinuiſſe juventutis, ſi eo ſtudio excelleret, verba hæc docent Philolachis adoleſcentis apud Plautum Moſtell. act. I, ſc. II:

Quo neque induſtrior de juventute erat,
Arte gymnaſticâ, diſco, haſtis, pilâ,
Curſu, armis, equo.

Item Bacchidibus act. III. ſc. III:

Nego tibi hoc annis viginti fuiſſe primis copiæ,
Digitum longè à pædagogo pedem ut efferres ædibus:
Ante Solem exorientem niſi in palæſtram veneras,
Gymnaſii præfecto haut mediocris pœnas penderes.
Id quoi obtigerat, hoc etiam ad malum arceſſebatur malum,
Et diſcipulus, & magiſter, perhibebantur improbi.
Ibi curſu, luctando, haſtâ, diſco, pugillatu, pilâ,
Saliendo, ſeſe exercebant magis, quàm ſcorto, aut ſaviis.

Similis eſt apud Terentium locus Eunucho act. III. ſc. II.

27. §. *Ac ſic quidem apud Græcos fuit. Etſi verò Romanis ante Auguſtum, & aliquanto poſt, Gymnaſia publica non erant; minimè tamen exercitationes negligebant. Quippe juventuti Romanæ in campo Martio mos erat exerceri curruum, vel equorum decertatione; item pilâ, ac palæſtrâ. In Tiberi etiam natare ſolent.*

Strabo lib. V *: Τούτων δὲ τὰ πλεῖστα ὁ Μάρτιος ἔχει κάμπος, πρὸς τῇ φύσει προσλαβὼν καὶ τὸν ἐκ τῆς προνοίας κόσμον· καὶ γὰρ τὸ μέγεθος τοῦ πεδίου θαυμαστὸν ἅμα, καὶ τὰς ἁρματοδρομίας, καὶ τὴν ἄλλην ἱππασίαν, ἀκώλυτον παρέχον τῷ τοσούτῳ πλήθει, τῶν σφαίρᾳ, καὶ κίρκῳ, καὶ παλαίστρᾳ, γυμναζομένων. *Horum pleraque Martius habet campus, cùm natura, tum hominum prudentiâ ornatus. Nam & magnitudo ejus mirabilis eſt, & curruum, equorumque decurſionibus, liberè patet, tantaque multitudini pilâ, ac palæſtrâ, ſe exercentium.* Sed pro κίρκῳ, ut obſervatum Caſaubono, legendum videtur κρίκῳ, ut reſpiciat exercitationis genus, quod κρικηλασίαν Oribaſius appellat. Vel referendum ad diſcum. Romanas etiam exercitationes memorat Horatius lib. I. od. VIII; ubi refert equitationem in campo Martio, natationem in Tiberi, (à quo & campus Martius dictus eſt Tiberinus) palæſtram, ſive luctam inunctorum olivo, diſci jactationem, & emiſſionem jaculi. Nec juvenes ſolùm ſe exercebant; ſed etiam

* p. 236. edit. Parſ. an. 1620.

jam viri. Ex innumeris exemplo fuerit Cæſar Auguſtus, qui quo pacto exercere corpus ſoleat, in vita ejus Tranquillus docet cap. LXXXIII: *Exercitationes campeſtres equorum, & armorum, ſtatim poſt bella civilia omiſit: & ad pilam primò, folliculumque tranſiit: mox nihil aliud quàm vectabatur, & deambulabat, ita ut in extremis ſpatiis ſubſultim decurreret.* Primò hìc memorantur equitatio, & certamen in armis. Hinc partim pila trigonalis, qua ludentes terni triangulum faciebant: partim folliculis; ſive follis pugillatorius, qui non cubito, ut follis ſic ἀπλῶς dictus, ſed pugno, ſive pugillo impellebatur, unde *pugillatorius* Plauto * dicitur: præter quæ pilæ genera erat paganica, & harpaſtum. Exinde ſequuntur vectatio, ſeu vehiculo, ſeu lecticâ, vel ſellâ: & deambulatio, quæ deſinat in curſu cum ſaltu. Addit deinde, ſic ſe exercuiſſe Auguſtum, non ſolùm, ut ſolent in campo Martio, verenda velatum ſubligari, quod inde *campeſtra* dictum: ſed corpore etiam reliquo tectum, lodiculâ, & ſeſtertio; vel potiùs ſegeſtri; ut eruditi corrigunt.

* Rud. act. 3. ſc. 4.

28. §. *Serò autem, nec niſi tempore Neronis, Romæ exſtrui cœpere Gymnaſia.*

Neronis Gymnaſium ictu fulminis conflagraſſe, eſt apud Tacitum in XV Annalium. Etiam poſtea exſtructa eſſe alia hujuſmodi exercitiis, argumento eſt P. Victor, qui ſub Valentiniano Imp. vixit. Is enim, in deſcriptione Romæ, meminit ſtadiorum; quæ fuiſſe ludis gymnicis deſtinata, credibile eſt. Pluraque de hoc Petrus Faber in Agoniſticis lib. III, cap. XV.

29. §. *Poſſit Ægyptiorum, veterumque Romanorum opinio, cum illa Græcorum ſententia ex parte conciliari, ſi diſcrimen inter ætates, & exercitia gymnaſtica ſtatuamus. Conveniunt enim corpori exercitia moderata, non immodica. Pueris item leviores conducunt exercitationes; non athletica; quæ & formam corrumpunt, & incrementum corporis impediunt.*

Hoc eſt, quod Ariſtoteles ſuadet*, μέχρι μὲν ἥβης κουφότερα γυμνάσια προσοιστέον, *uſque ad pubertatem leviores adhibendæ exercitationes.* Jubet mox, βίαιον τροφὴν, καὶ τοὺς πρὸς ἀνάγκην πόνους, ἀπείργειν, *arcere victum violentum, & labores ad neceſſitatem impoſitos.* Quæ judicat eſſe ἐμπόδιον πρὸς τὴν αὔξησιν, *impedimentum, quò minùs corpus creſcat.* Unde & ait, demum triennio poſt pubertatem locum habere duros illos labores, & adſtrictam cibi rationem; quam vocat ἀναγκοφαγίαν: niſi ſcripſerit, ξηροφαγίαν, ut eſt in libris aliis, & Aquinas etiam legit, quia nempe alimentum ſiccum valeat ad corpus firmandum.

* Lib. 8. Polit. c. 4.

30. §. *Imò ne firmatiori quidem ætati habitus conducit athleticus, ſi quis ad civilia munera enutriatur. Neque enim ad conſervandam ſufficit Rempubl. corporis robur: ac vel maximè tempus eſt concedendum addiſcendis virtutibus civili vitæ neceſſariis.*

At robore ſolo primas tenere, ſive, ut Ariſtoteles loquitur ‡, πεπαιδαγωγοῦσιν, θηριῶδές ἐστι, *ferinum eſt.* Quomodo lupus valet robore; ſed nulli ſe periculo honeſtatis causâ exponeret. Mirum autem eſt, Rufum Perinthium, ut in Sophiſtarum vitis Philoſtratus refert, ſe athletico cibo, ac labori, ſponte adſtrinxiſſe, ut ita corpus eſſet valentius. Neque enim vel civili dignitati, vel diſciplinis liberalibus, eo robore eſt opus.

‡ Lib. 8. Polit. c. 4.

31. §. *Nimirum Gymnaſtica tres ſunt formæ; ſimplex, bellica, & athletica. Simplici id ſolùm propoſitum fuit, ut modico exercitio ſanitas conſervetur, ac bonus habitus vel defendatur, vel augeatur.*

Liquet hoc ex iis, quæ de fine Gymnaſticæ antea diximus.

32. §. *Bellicæque idem finis: nempe ut exercitiis firmentur corporis vires. Sed præterea eſt alter quoque, ut ad rem militarem magis reddat idoneos.*

Plato in VIII de Legibus*: Ἔστι γοῦν πάντων πολεμικώτατον ἡ σώματος ὀξύτης, πάντως ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ποδῶν, ἡ δὲ καὶ ἀπὸ τῶν χειρῶν. φυγεῖν μὲν καὶ ἑλεῖν, ἡ τῶν ποδῶν. ἡ δ' ἐν ταῖς συμπλοκαῖς μάχη, καὶ σύστασις, ἰσχύος καὶ ῥώμης δεομένη. *Omnium igitur maximè ad bellum confert corporis celeritas, ſive agilitas, partim quidem pedum, partim manuum: ad fugiendum quidem, & inſequendum, pedum: ſed pugna, & conflictus, in quibus conſeruntur manus, viribus & robore indigent.*

* Edit. H. Steph. Tom. 2. pag. 832. & 833.

33. §. *Ideo Cretenſes, cùm armorum uſu interdixiſſent ſervis, etiam interdixere Gymnaſiis.*

Teſtis Ariſtoteles lib. II Politicorum cap. III: Κρῆτες γὰρ τἆλλα ταὐτὰ τοῖς δούλοις ἀφέντες, μόνον ἀπειρήκασι τὰ γυμνάσια, καὶ τὴν τῶν ὅπλων κτῆσιν. *Cretenſes enim, cùm alia ſervis permitterent, gymnaſiis ſolùm iis interdixere, & armorum uſu.* Atque hæc de bellica Gymnaſticæ forma.

34. §. *Athletica forma ſolùm præſtabat corporis magnitudinem, robur, ac celeritatem: idque ut in his aliquis præcelleret cæteris, ac honorem pro præmio referret.*

Curæ enim hoc iis erat, qui in gymnaſiis exercerentur, ut fierent ἀθληταὶ τῶν γυμνικῶν ἀγώνων, prout eos vocat Xenophon de dictis & factis Socratis. Nomen verò Athletarum magis ad ludos ſpectare Gymnicos, auctor eſt Julius Pollux.

35. §. *Athletica hæc, dum tota eſt in eo, ut corpus reddat craſſius, ac robuſtius, ferè reddebat torpidos, ac ſegnes.*

Conqueruntur de hoc Plato, Galenus, Plutarchus. Ac hic quidem ex eo colligit, militari vitæ eſſe inutilem, imò noxiam. Vide ejus Philopœmenem.

36. §. *Quintuplex verò gymnicum exercitium ſtatui ſolet: curſus, ſaltus, diſcus, jaculum, lucta.*

Quæ Simonides lib. I cap. I Ἀνθολογ. hoc verſu complexus:

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Euſtathius † verò in Homeri Iliad. Ψ, hoc refert ordine: ἅλμα, πάλην, δισκοβολίαν, κόντον, καὶ δρόμον. Scholiaſtæ Pindari, ac Sophoclis, hoc modo: ἅλμα, δίσκος, ἀκόντιον, δρόμος, καὶ πάλη. Atque ab his πένταθλοι vocabantur, Latinis *quinquertiones.*

† Fol. 1320.

37. §. *A curſu incipiamus, quando is naturâ eſt primus. Hujus certamen publicum primi inſtituere Elienſes.*

Teſtis Pauſanias quincto, & ſexto Eliacorum.

38. §. *In curſu propriè non tam de robore, quàm agilitate, certamen fuit. Quamquam agilitas illa haut expers eſſe roboris debet.*

Itaque veteres interdum laxiùs uſi voce ἰσχύος, & ῥώμης*, ſicut includat τὸ τάχος †. At preſſius accipi dicendum, quando ἰσχὺς, & τάχος, conjunguntur. Atque hinc non difficile eſt ſtatuere de quæſtione illa, an ταχὺς ‡ ſit ἰσχυρός *.

* Roboris. † Celeritatem. ‡ Velox. * Robuſtus.

39. §. Cur-

39. §. *Curſus eſt triplex; in anteriora, in poſteriora, & in orbem.*

Ita Antyllus apud Oribaſium.

40. §. *Præterea à curſu alii dicebantur* σταδιοδρόμοι, *alii* δολιχοδρόμοι, *alii* διαυλοδρόμοι, *alii* ὁπλιτοδρόμοι.

Σταδιοδρόμοις curſus erat unius tantum ſtadii. Unde Tzetzes * de iis, ἁπλοῦν ποιοῦνται τὸν δρόμον. Sic enim apud eum reſcripſerim cum P. Fabro lib. I Agoniſticôn cap. XXVIII. Δολιχοδρόμοι ſic dicebantur, quia duplex uno curſu ſtadium percurrerent; ſed ſine recurſu. Hinc proverbium apud Pollucem, Μὴ ζήτει ἐν σταδίῳ δόλιχον: quo ſignificatur, in minori non eſſe majus quærendum. Διαυλοδρόμοι duplicis ſtadii curſum à carceribus ad metam currebant, & recurrebant. Unde Ariſtophanis ſcholiaſtes: Δίαυλος ὁ διπλοῦν ἔχων τὸν δρόμον ἐν τῇ πορείᾳ, τὸ πληρῶσαι τὸ στάδιον, καὶ ὑποστρέψαι. Nomen ex eo, quia ſtadium, ubi currerent, anguſtum foret, ſed porrectum: qualis eſt figura τοῦ αὐλοῦ, ſive tibiæ. Ὁπλιτοδρόμοι in ſtadio decurrebant armati.

* Lib. 3. Hiſt. Chil. 6.

41. §. *Curſores habuere endromidas: quod calciamenti genus erat.*

Nomen ἀπὸ τοῦ δρέμειν, quod eſt currere, quia curſum juvarent.

42. §. *A duabus verò rebus quandoque curſoribus impedimentum fuit; à liene, & à zona, ſive ſubligari. Sed lienem athleta propterea inurebant.*

Ita Plinius lib. XI cap. XXXVII.

43. §. *Quod ad zonam, Olympiadis quintadecimæ anno primo ab Archonte Hippomene conſtitutum fuit, ut ſine zona, eoque prorſus nudi curſitarent.*

Idque occaſione eâ, quòd Orſippus Megarenſis curſu eſſet ſuperatus, eo quòd ſubligaculum impediiſſet curſum; vel, ut alii narrant, cingulum decidere ſiviſſet, quo expeditiùs curreret, atque ita victor evaſiſſet. Auctores ejus rei Pauſanias in Atticis, Poëta incertus in Anthologia epigrammate de Orſippo, Euſebius Chron. I, Anonymus Olympiadum ſcriptor, Iſidorus Originum lib. XVIII, cap. XVII, Homeri Scholiaſtes anonymus in Iliad. Ψ, Nicas, ſive Etymologi magni ſcriptor in Γυμνασία.

44. §. *Utile eſt hoc certamen ſanitati, ac bono habitui, vel conſervando, vel conſequendo. Præcipuè autem habiliores, & expeditiores, ad rem militarem facit.*

Ita Plato in VIII. de Legg. Ideo, Salluſtio teſte, Pompejus cum agilibus ſaltu, cum velocibus curſu certabat. Aliter tamen Diogenes Cynicus; qui apud Dionem Chryſoſtomum in Diogene, ſive Iſthmico, contendit, τὸ τάχος δειλίας σημεῖον εἶναι, *velocitatem eſſe ſignum ignaviæ, & timoris.* Atque hoc eo adſtruere conatur, quòd animalia maximè timida ſint celerrima: ut lepus, cervus. Mirùm verò Galenum idem ſentire libro ad Thraſybulum.

45. §. *Hæc ſententia refellitur eo, quòd etiam in bello tempora poſſunt incidere, quibus ſatius ſit ſe ſubducere, totumque exercitum meliori reſervare tempori, quàm ſtultè prælium committere.*

Aliter, ſcio, animati fuere Lacones; in his Callicratidas; qui, ut Plutarchus narrat in Apophthegmatis Laconicis, cùm ei ad Argenuſas pugnaturo diceretur, plures eſſe Athenienſium triremes, reſpondit, καὶ τί τοῦτο; ἀλλὰ φεύγειν αἰσχρὸν, καὶ βλαβερὸν τῇ Σπάρτῃ. μένοντα δὲ ἢ ἀποθανεῖν ἢ νικᾶν, ἄριστον. *Quid tum? Spartæ turpe ac noxium eſt fugere: optimum verò permanentem aut mori, aut vincere.* Hæc convenientia ſunt tumori Spartano: qui interdum damnoſus publico fuit. Potius igitur audiamus Papinium in VI Theb. *

* Verſ. 550.

Sollicitat nunc ampla viros ad præmia curſu
Perceleres. Agile ſtudium, & tenuiſſima virtus,
Pacis opus, cùm ſacra vocant, nec inutile bellis
Subſidium, ſi dextra neget.

Notum illud Demoſthenicum:

Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.
Pugnabis ille denuo, qui fugerit.

Quo de dixi pluribus lib. II Oratoriarum Inſtitut. cap. VIII §. IV.

46. §. *Nec ſolùm velocitas in fugiendo hoſtem utilis eſt; ſed etiam in ſequendo.*

Et huc potiſſimùm, vel ſolùm etiam, reſpexit Homerus, cùm toties Achillem ſuum *pedibus celerem* appellat; ut antea dicebamus.

47. §. *Curſui naturâ proximus eſt ſaltus, itidem communis nobis cum multis animantibus. Hujus multa admodum genera apud veteres fuere.*

De quibus & varii ſcripſerunt; teſte Luciano περὶ ὀρχήσεως. Sed omnium eorum libri deperiere. Damnum hoc reſarcire, ut potuit, voluit clariſſimus, & amiciſſimus, dum viveret, collega noſter Ioannes Meurſius in Orcheſtra ſua. Eſt verò Saltatio ars, ſed immaterialis. Nec enim natura ad imitationem ſuppeditat ei materiam: ſed ſolùm motu, & habitu, conſtat. Præterea nec opus poſt ſe relinquit.

48. §. *Saltatio eſt triplex; in altum, in longum, & quæ fit pedes alternis attollendo, ut facere ſolent Salii ſacerdotes, cùm ancilia per urbem geſtant; vel fullones cùm pedum inſultu veſtem cogunt, ac durant.*

Hæc tria genera memorat Seneca epiſtolâ XV: ubi & alia multa de exercitatione corporis. Pauca adſcribam: *Sunt exercitationes & faciles, & breves, quæ corpus, & ſine mora laxent, & tempori parcant: cujus præcipua ratio habenda eſt. Curſus, & cum aliquo pondere manus mota, & ſaltus, vel ille, qui corpus in altum levat, vel ille, qui in longum mittit, vel ille (ut ita dicam) Saliaris, aut (ut contumelioſiùs dicam) fullonius.*

49. §. *Aliter etiam ſaltatio dividitur. Nam alia* κυβιστική, *alia* σφαιριστική, *alia quæ ſimpliciter* ὀρχηστική *vocaretur.*

Κυβιστικὴ erat, quando homines manibus, ac pedibus, ſe ita contorquerent, ut converſione ſui inſiſterent capiti. Quòd & circulatores lucelli causâ agunt, & pueros videmus imitari in luſibus ſuis. Hoc qui facerent, *cernui*, & *cernuli*, dicebantur: unde *cernuare*, & *cernulare*, quod Græcis κυβιστᾶν. Diximus de eo pluribus in Originum libris. Σφαιριστικὴ erat, ubi pilâ ludentes ſaltarent: ut liquet ex Homero Odyſſ. VI. De ὀρχήσει, ſimpliciter ſic dictâ, res magis perſpicua eſt.

50. §. *Porrò ne Lacedæmonii quidem ſaltationem omnem refugerunt. Interim eam ſolùm complexi, quam ad bellum conducere putarent.*

Ita

Digitized by Google

Ita Fabius Quinctilianus libro I Oratoriarum Inſtitutionum cap. XI.

51. §. *Saltationis bellicæ genera erant βρυαλλικτὴ, καπεία, κολαβρισμὸς, πρύλις, πυῤῥίχη, τελεσίας.*

Nihil verò opus, ut puto, exſcribere, quæ de ſingulis horum ex veteribus attulit Io. Meurſius in Orcheſtra ſua.

52. §. *Præcipua in iis Pyrricha fuit.*

Sic dicta à Pyrrho, Achillis filio, ſecundùm Solinum, Diomedem, Proclum; vel à Pyrricho Lacone, aut Cretenſi, ſecundùm Strabonem, Athenæum, Euſtathium. Sanè & Lacones hanc inter exercitationes habuere, tanquam bello utilem; teſte Fabio lib. I cap. XI: & Cretenſes eam pueros edocebant; ut auctor eſt Nicolaus Damaſcenus, libro de moribus gentium, apud Stobæum Ecloga XLII. Marius Plotius, libro de Metris, utramque adfert nominis cauſſam. Nam pro *Pyrrho Cydonio* legendum apud eum *Pyricho*; ut jam aliis eſt obſervatum ex iis, quos dixi: item Nonno Dionyſiacorum lib. XXVIII, & Euſtathio Iliad. E. Alii, etiam Ariſtoteles, alias adferunt nominis cauſſas: de quibus parum laborandum.

53. §. *Fuit ea armatum ſaltationis genus: inque militaribus exercitationibus reponebatur.*

Latini *bellicrepam* vocabant; teſte Feſto Pompejo, Quid mirum autem, ſi putârint conducere militiæ; quando non modò in armis fieret; ſed præterea imitaretur omnes corporis flexus, quibus & telorum, & cominus pugnantium ictus, exirent: ut in alterum latus declinando, cedendo retro, ſubſiliendo, demittendo ſe humi. Imò & actus referebat, quibus hoſtis peteretur, gladio, jaculo, ſagittâ; idque & alacriter, & decorè: quis ſine ſaltatio fuerit turpis, & ingrata. Atque ex hiſce liquet, non ſaltâſſe modò, ſed etiam manibus eſſe geſticulatos: eoque πυῤῥίχη aliter dicta χειρονομία, teſte Athenæo lib. XIV, & Euſtathio in Iliad. N. Ac ſimiliter Heſychio, χειρονόμος, ὀρχηστής. Et Columellæ eſt præfat. lib. I: *Geſticulatorem ſcrupuloſiſſimè requirant ſaltationis, ac muſicæ rationis ſtudioſi.*

54. §. *Proxima poſt Pyrricham dignationis erat ἐμμέλεια.*

Saltationem fuiſſe tragicam, teſtes ſunt Heſychius, & Ammonius de Differentiis Vocabulorum, in voce Κόρδαξ. Vulgò quidem apud eum legitur: Καλεῖται ἡ μὲν στρατιωτικὴ ὄρχησις, Ἐμμέλεια. Σίκιννις δὲ, ἡ σατυρική· Κόρδαξ δὲ, ἡ κωμική. Sed pro στρατιωτικὴ legendum eſſe τραγικὴ, abundè liquet ex iis, quæ de triplici hoc ſaltationis genere habet Lucianus Περὶ Ὀρχήσεως, & imprimis Athenæus lib. primo. Verba eorum adducimus in ſecundo de arte Poëtica; ubi de chorico dramate agimus.

55. §. *Ad curſum, & ſaltum, referre poſſis pilæ ludum. Nec tamen crura ſolùm exercet; ſed etiam lacertos; imò omnes corporis partes, ipſos etiam oculos.*

Qua de re abunde Galenus libro περὶ σφαίρας.

56. §. *Græcis id certamen dicitur σφαιρομαχία.*

Sed ambiguo vocabulo, quia ſimiliter vocabatur certamen pugilum, quibus ſphæræ pro cæſtibus. Auctor Pollux lib. III cap. ult.

57. §. *Pars item gymnaſii, ubi ſe pilâ exercebant, σφαιριστήριον nominatum. Septima ea pars è denis eſt Hieronymo Mercuriali.*

Pilæ ludum primus reperit Pythus: ut eſt apud Plinium lib. VII cap. LVI. Aliquibus tamen in libris, ut Chifletiano codice, eſt *Picus.*

58. §. *Σφαιριστικὴ hæc ars à Mileſiis damnabatur, quia athletæ, in coronariis certaminibus ſæpius præmium adepti, cenſerent, pilæ luſum ad nullum eorum certaminum quicquam conferre.*

Auctor Euſtathius in Homeri Ulyſſ. Θ*. *Fol. 160.

59. §. *Imò nec inter ſacros fuit agones, qui Olympiæ, Delphis, Corinthi, aut Nemeæ, inſtituti.*

Nimirum, quia valetudini ſolùm conducere putarent; non item ad ſacros agonas, vel ad rem bellicam.

60. §. *Athenienſes tamen tanti fecere, ut Alexandrum Caryſtium ſphariſtam civitate donarint, ac ſtatuam etiam in ejus memoriam conſtituerint.*

Id de Athenienſibus narrat Euſtathius in Odyſſ. Θ †. †Fol. 160.

61. §. *Græca pila, alia major erat, alia minor: parva item varia genera. Præterea erat pila inanis.*

Quam *follem* Romani vocant; ut mox dicam.

62. §. *Non tam pila ludus, quàm aliquid ſimile, Græcis erat, quod κώρυκον dixere.*

Cujuſmodi fuerit, Antyllus apud Oribaſium docet Collectaneorum lib. VI. Atque hinc κωρυκοβαλία Aretæo. Aliud eſſe, quàm pilam, vel illud argumento erit, quòd corycum è culmine gymnaſiorum ſuſpenderent.

63. §. *Romanis quatuor fuere pilæ genera; trigonalis, follis, paganica, & harpaſtum.*

Quæ omnia nomine pilæ Italicæ complexus eſt Cælius Aurelianus. Particulatim verò memorat Martialis lib. VII epigr. XXVII:

Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat.

Et mox:

Non harpaſta vagus pulverulenta rapis.

Ubi per *pilam* κατ' ἐξοχὴν, ut aliàs ſæpe, trigon, ſive trigonalis intelligitur; ita dicta, quia tres luſores ſic ſtaret, ut trigonum ſpatio, ac figurâ, efficerent. Hi nunc pilam excipiebant; nunc propellebant; ac cavebant ſtudioſè, ne in terram concideret. Follis erat ex aluta, vento ſive aëre inflatâ. Major brachio impellebatur, minor pugno; unde *follem pugillatorium* vocat Plautus Rudente. Facile erat luſus genus; eoque magis pueris, & ſenibus, conveniens; quàm validæ juventuti. Unde Martiali lib. XIV epig. XLVII:

Ite procul juvenes: mitis mihi convenit ætas.
Folle decet pueros ludere, folle ſenes.

Paganicæ inde nomen, quòd imprimis eâ uterentur in pagis. Major erat trigonali, minor folle; unde Martialis lib. XIV epigr. XLV.

Hæc quæ difficilis turget paganica plumâ,
Folle minùs laxâ eſt, & minùs arcta pilâ.

Harpaſta Mercuriali videtur fuiſſe minimum pilæ genus: atque ita dictum, quia ludentium alter alteri eam eriperet. Ludus ipſe φαινίνδα, teſte Athenæo: nempe ἀπὸ τῆς ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων, quia longiùs à luſoribus jaceretur. Sed de hoc luſus genere non multùm audeo polliceri. Quanto enim veteribus notius erat;

tanto

tanto minùs de eo ſibi dicendum putarunt. Hinc tenebræ nobis.

64. §. *Tertium genus gymnici certaminis erat δισκοβολία. Diſcus verò, vel æneus erat, vel ferreus, vel lapideus, vel etiam ligneus. Inque medio ſui foramen habuit, ac amento circumnexus, non modò lacertorum viribus, ſed etiam arte quadam, emittebatur.*

Meminit ejuſce exercitationis etiam Homerus Odyſſ. Θ:

Μνηστῆρες δὲ πάροιθεν Ὀδυσσῆος μεγάροιο
Δίσκοισιν τέρποντο, καὶ αἰγανέῃσιν ἱέντες
Ἐν τυκτῷ δαπέδῳ.
Proci verò ante Ulyſſis domum
Diſcis delectabantur, & jaculis mittendis,
In area ad eam rem facta.

De materie ejus, quod dicebamus, non uno loco pro-
* P. 344. & 1591. edit. Rom. ditum eſt ab Euſtathio *: qui & vocem δίσκος ait eſſe à δίκω, hoc eſt, βάλλω.

65. §. *Diſco bifariam certabatur; quis longiùs projeciſſet, vel quis propiùs termino.*

In poſteriori diſcobolià vitioſum erat diſcum jacere ultra
† Signum. σημεῖον †, ut Odyſſ. Θ, in illo Phæacum certamine, de
‡ P. 1591. quo dictum. Euſtathium ‡ vide.

66. §. *Diſcoboli, ut & curſores, aperto capite certabant.*

Non petaſati; ut traditum Pithœo: ſed petaſati erant aurigæ; ut ex Athenæo conſtat. Diſcobolo verò capite nudo certâſſe, videre eſt è Ligoriana tabula apud Mercurialem.

67. §. *Vicina verò erant δισκοβολία, & ἁλτηροβολία. Ut illic diſcus manu projiciebatur, ita hic ἁλτῆρες.*

De jactu τῶν ἁλτήρων agit Antyllus apud Oribaſium. Etiam egit Budæus; & adverſus eum Cornarius; ac pro Cornario Mercurialis lib. II Gymnaſtic. cap. XII.

68. §. *Quartus locus eſto jaculationi: quæ fit manu, jaculo, amento.*

Etſi enim jaculatio, laxiùs acceptâ, comprehendat τοξοτικὴν, καὶ ἀκοντιστικὴν, ſive *ſagittatoriam, & jaculatoriam*: hoc tamen loco propriè intelligitur non illa, quæ fit arcu, & ſagitta, ſed quæ fit jaculo; quod manu jaciebatur, &, ut fortiùs id fieret, amento. Jaculi, diſcique jactum jungit quoque Homerus verſibus antè adductis. Item Horatius libr. I od. VIII:

Neque jam livida geſtat armis
Brachia, ſæpe diſco,
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito.

Jaculatores veſtibus induti exercebantur; ſi audimus
* P. 1334. Euſtathium in Iliad. Ψ *: ubi ait, prudenter à Poëta Regem induci jaculando ſe exercentem; quia non decuiſſet eum aliquod certamen, ubi neceſſe fuiſſet corpus denudare. Interea neque ambiguum mihi, quin plerique in hac exercitatione nudis eſſe corporibus ſoleant, ſaltem poſt tempora Homerica. Nec enim potuiſſet alioqui gymnicum dici certamen.

69. §. *Præcipuum verò, ex quinque antea memoratis certaminibus, erat πάλη, ſive lucta.*

A quâ verbum παλαίειν, *luctari*: uti hinc παλαιστής, & παλαιστρίτης, *luctator*; ut etiam in Gloſſis Cyrilli exponitur. Item, παλαίστρα, *luctationis locus*. Imò & totum Gymnaſium ſæpe *palæſtræ* nomine συνεκδοχικῶς intelligitur. Ac ſimiliter ſæpè *athletæ* κατ' ἐξοχὴν ſoli luctatores. Πάλην verò dici volunt à πηλὸς, ſive Dorice παλὸς, hoc eſt, *lutum*. Nempe quia athletæ priùs ceromate perfundebantur; deinde reſpergerentur arenâ, ac pulvere. Hujuſmodi inunctio non habebat locum in ſaltatoribus, diſcobolis, & pugilibus.

70. §. *Duo verò tempora in lucta diſtinguimus. Primum ante Theſea fuit; quando ſolâ magnitudine, ponderéque, & naturæ viribus nixi, luctarentur. Alterum cœpit à Theſeo; qui primus addidit artem παλαιστρικὴν.*

Quem luctationis *aſtum* vocat Papinius. Eam artem à Theſeo eſſe, auctor nobis eſt Pauſanias in Atticis. Atque addit, eâ victum ab illo Cercyonem; luctâ licet illâ ætate inclytum. Qualis & iiſdem temporibus fuit Antæus: ſed hunc devicit Hercules. Utriuſque meminit eo nomine etiam Plato in VII de Legg. Quemadmodum vero Hercules athleticum certamen inſtituit Olympiæ: Ita ludos gymnicos in Iſthmo Corinthiaco conſtituit Theſeus: ut apud Pauſaniam eſt initio Corinthiacorum, & Plinium lib. VII Natur. Hiſt. cap. LVI.

71. §. *In lucta proprium erat τὸ συμπλέκεσθαι.*

Sive nodus, vel mutuus nexus; unde *catenatas palæſtras* dixit Papinius lib. II Sylvarum Epicedio in Glauciam Melioris.

72. §. *Etſi verò in lucta multum valeret robur; plus tamen potuit pondus.*

Sive, ut Græci dicunt, ὄγκος, καὶ πολυσαρκία. Idem cenſet Fabius lib. XII: *In luctandi certamine plus pondere, & firmitate, & ſpiritu, agitur.*

73. §. *Erat lucta duplex; ſtataria, & volutatoria. Ad ſtatariam pertinet ἀκροχειρία; quâ ſummis tantum manibus depugnabant. Porro in hoc pugnæ genere palmam præripiebat alteri, qui ter eum humi proſtraviſſet.*

Hoc ut faciliùs poſſent, in complectendo pedes captabant. Quo reſpexit Plautus Pſeudolo act. V. ſc. I:

Magnum hoc vitium vino eſt.
Pedes captat primùm. Luctator doloſu' ſt.

Hæc pars dicebatur καταβλητική, ſive projectoria.

74. §. *In volutatoriâ autem victor cenſebatur, quem ſic alter ſibi ſubjeciſſet, ut prorſus in ſua haberet poteſtate.*

Et hujus, & ſuperioris luctæ, apud Mercurialem habes imaginem lib. II Gymnaſticæ cap. VIII.

75. §. *Palæſtricο magiſtro proximus ab Agonetheta honos erat.*

Lydo Plautino * dictus *Gymnaſii præfectus*, Græcis παιδοτρίβης: Platoni etiam in II de Rep. παιδοτρίβης τῶν νέων. * Bacchid. act 3. ſc. 3.

76. §. *Ab hiſce quinque exercitationibus πένταθλοι Græcis nuncupati, Latinis* quinquertiones.

Feſtus: *Quinquertium vocabant antiqui, quem Græci πένταθλον; ut indicat verſus hic:*

Omnis æqualis vincebat quinquertio.

Livius quoque ipſos athletas ſic nominat.

Quinquertiones præco in medium vocat.

Ubi ſede quartâ συναλοιφὴ neglecta, niſi D inſerto, veterum more, *præcod* ſcribamus. Etiam in gloſſis vett. legas: Πένταθλος, *quinquertius*. Quæ fuerint quinque illæ artes, unde *quinquertii* nomen, non aperit Feſtus: etſi

Digitized by Google

etſi aliter dicant, Petrus Faber in Agoniſticis, & Matthias Martinius in Etymologico. Sed ex Græca explicatione liquet, non alias artes ſignare, quàm eas, quas ex Simonide, & Euſtathio, memoravimus. Democritus philoſophus vocatus eſt πένταθλος *: ſed κατὰ μεταφορὰν, ut indicant hæc Laërtii verba: Ἦν † ὡς ἀληθῶς ἐν φιλοσοφίᾳ πένταθλος. τὰ γὰρ φυσικὰ, καὶ τὰ ἠθικὰ, καὶ ἄλλα τὰ μαθηματικὰ, καὶ τοὺς ἐγκυκλίους λόγους, καὶ περὶ τεχνῶν πᾶσαν, εἶχεν ἐμπειρίαν. Ubi ex Suida reſcribendum videtur, Ἤσκητο γὰρ τὰ φυσικὰ, ut corrigit P. Faber Agoniſticorum lib. I. cap. XXX.

*Quinquertio.
† Siquidem verè erat in philoſophia quinquertio. Nam & rerum naturalium, & matheſeos, & liberalium diſciplinarum orbis, & artium omnium, peritiam habuit longo uſu firmatam.
‡ Athletæ.
* Leves.
† Graves.
‡ Palæſtritarum lucta ſummis certantium manibus, ſine reliqui corporis complexu.*

77. §. *Ex hiſce gymnicis certaminibus alia erant levia, alia gravia. Levia curſus, & ſaltus: in gravibus lucta.*

Hinc Dionyſio Halicarn. lib. VII Antiquit. ἀγωνισταὶ ‡ alii κοῦφοι *, alii βαρεῖς †. In levibus etiam ἀκροχειρισμὸν ‡ reponit Hieronymus Mercurialis: quem vide lib. VI de re Gymnaſt. cap. III. Dubitare tamen de eo videtur Petrus Faber lib. I Agoniſt. cap. XXX, & XXXI.

78. §. *Quod ſi lucta in gravibus reponebantur; quanto magis in his locum meruerit ἡ πυγμὴ, ſive pugilatus, qui poſtea acceſſit.*

Temporibus vetuſtis eo præcelluere Epeus, & Amycus: ut eſt apud Platonem in VII de Legg. Notum etiam de Caſtore, pugile eximio, qui Amycum interemit.

79. §. *In pugilatu primò pugnis ſolùm pugnabatur.*

Donatus in Prolog. Hecyræ: *Pugil dictus eſt à pugna, & pugna à pugno. Veteres namque, ante uſum ferri, & armorum, pugnis, & calcibus, & morſibus, corporumque luctatione, certabant.* Similiter, qui Latinis *pugil*, Græcis πύκτης, à πὺξ, *pugno*. Heſychius, Πὺξ, πυγμὴ, χεὶρ θ᾽ ὅ. Imò & *pugnus* à πὺξ, non à πυκνὸς, hoc eſt, *denſus*, quia pugnus fiat condenſatione manus; ut Cæſar Scaliger putabat. Qui & *manum* dici credidit à μανὸς, hoc eſt, *rarus*, quod denſo opponitur; nempe quia manus explicita rarum quid eſt, ſi compares cum contractâ in pugnum.

80. §. *Stantes verò pugnis decertabant.*

Hoc Luciano eſt τὸ παίειν ἀλλήλους ὀρθοστάδην, *rectos ſtare, ac ſe invicem ferire.*

81. §. *Poſtea, ut fortiùs ferirent, uſi ſunt caſtibus; vel ſphæris, quæ pro caſtibus forent. Unde tantum erat periculi, ut nonnulli in luctando exſpirarent.*

Imò vel à ſolis pugnis periculum erat temporibus, ſive locis prope aures. Unde aures luctaturi muniebant tegumentis; quæ ἀμφωτίδας vocat Clemens Alexandrinus in Pædagogo, lib. II *:

** Pag 6. quod eſt περὶ αἰσχρολογίας, ſive de turpiloquio.*

82. §. *Atque ut homo non interimeretur; ſic tamen ſæpe mulcabatur, ut poſt pugnam adeò cruentatus non poſſet dignoſci. Dentes etiam, oſſaque, luxabant, aut frangebant.*

Satis hinc liquet, non cujuſvis fuiſſe eo pacto decertare; ſed ſolùm magno corpore, ac robore præditi. Unde pugillatum, *virtutem* vocat Iſidorus lib. XVIII Originum cap. XVIII. Nam in gymnicis certaminibus reponit virtutem; perque eam ſe intelligere ait *immenſitatem* virium in labore, & pondere. O miſeram virtutem atque exercitationem, quâ fieret corpus deformius, membraque redderentur infirmiora, & minùs idonea ad vitæ actus! Iure igitur damnat Galenus lib. ad Thraſybulum. Et tamen non pauci pecuniâ ad hujuſmodi certamina conducebantur. Cyprianus de Spectaculis: *Ictibus infelix facies locatur, ut infelicior venter ſaginetur.* Idcirco, ut crudelior, ab Ammiano Marcellino lib. XIV culpatur Conſtantinus Cæſar: qui nullo æquè certamine, ac pugilatu, caperetur, cæteris licet duro magis, diroque.

83. §. *Poſtea pugillatui acceſſit quoque παγκράτιον: quod, Suida teſte, aliter dicebatur παμμάχιον. In eo pugnis, & calcibus, decertabant: ut luctâ conſtiterit, & pugilatu.*

Quemadmodum & apud Plutarchum legas lib. II Sympoſiac. quæſt. IV, Lucianum in Anacharſide, ſive de Gymnaſiis, & Nicephorum Gregoram ad Syneſium. Ariſtophanis igitur Scholiaſtes, cum octo enumerat gymnica certamina, uti peccat, cùm non videt, στάδιον, δίαυλον, δόλιχον, ὁπλιτόδρομον, ad unam curſus exercitationem pertinere: ita etiam errat, cum inter πάλην, & πυγμὴν, medium interſerit παγκράτιον, quaſi non ex utraque componeretur. Atque ex his etiam liquet, decipi ſummum virum Iſaacum Caſaubonum, cum in legationibus è Polybio excerptis num. LXXXI *, παγκρατιαστὴς transfert *quinquertio*, qui Græcis πένταθλος. ** P. 907.*

84. §. *Pammachio, ſive pancratio, primus Olympia victor fuit Hercules: à quo Olympiaci ludi ſacrati fuere Pelopi, Tantali filio, Herculis atavo materno.*

Ut Hyginus, Solinus, & alii ſunt auctores. Unde Auſonius Idyllio XXIII:

Tantalidæ Pelopi mœſtum dicat Elis honorem.

85. §. *Hujus quoque certaminis non magna erat dignatio ſapientibus, ob ſimile ab ictu periculum. Sed nonnulli ſatis bene pugnis, vel caſtibus, depexi, ut graviora evitarent, manum demittebant. Nempe contraria erant ſigna, porrectio manus, & demiſſio. Porrectio indicium erat animi ad certamen prompti, paratique.*

Unde Papinius VI Thebaidos:

Promiſere manus.

Ut illa porrectio fuerit pugilatûs prooemium.

86. §. *Demiſſio autem manûs erat argumentum diffidentis ſuis viribus, ſeque victum turpiter agnoſcentis. Quæritur, an & ea obtinuerit apud Spartanos. Uſi quidem pugilatu, etiam pancratio, ac caſtu. Imò & ſequior ſexus iis decertabat.*

Quod ex illis Propertii clarè elucet lib. III eleg. XIII:

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæſtræ:
Sed mage virginei tot bona gymnaſii.
Quod non infames exercet corpore laudes
Inter luctantes nuda puella viros:
Cùm pila veloces fallit per brachia jactus,
Increpat & verſi clavis adunca trochi:
Pulverulentaque ad extremas ſtat femina metas,
Et patitur duro vulnera pancratio:
Nunc ligat ad caſtum gaudentia brachia loris:
Miſſile nunc diſci pondus in orbe rotat:
Gyrum pulſat equis, niveum latus enſe revincit,
Virgineumque cavo protegit ære caput.

Pluſcula adſcripſi, ut eâdem, de aliis etiam Spartanarum exercitationibus, liqueret. De virginibus ſimilia Xenophon †, Plutarchus ‡, vetus poëta apud Ciceronem *, Claudianus †.

*† De Rep. Laced.
‡ In Lycurgo.
* Tuſc. 2.
† De Manlii conſulatu.*

87. §. *Sed Lacedæmoniis turpe viſum manus dimittere, ſeque victum agnoſcere. Ac propterea interdictum iis, ne foris, ubi illa demiſſio obtineret, pugilatu, aut pancratio, vel caſtibus, certarent. Domi quidem*

ſic

ſic exercebantur: ſed interimi maluiſſent, quàm manus dimittere, ſeque victos confiteri.

Nimirum Lacedæmonii voluere, ut ſui eſſent animis invicti. Ac ne Magnus quidem Alexander iſtiuſmodi certamen probabat. Itaque alia quidem edi jubebat: ea autem, quæ proximè retuli, non item: teſte Plutarcho in ejus vita.

88. §. *Major verò dignatio, atque ad militiam & fortitudinem uſus, pugna gladiatoria fuit. Quæ vel inter duos erat* (μονομαχίαν *vocant;*) *vel inter plures.*

Atque ad utramque præparabat decertatio cum umbra; quæ σκιαμαχία dicitur: vel cum palo; de qua Juvenalis ſat. VI, & Vegetius lib. I de Re militari cap. XI.

89. §. *Etiam ad militiam præparat venatio: & hoc præterea habet, quòd in ea concurrant* ἄσκησις ψυχικὴ, καὶ σωματικὴ*.

* *Exercitatio animi, & corporis.*

Sed de hac potiùs dicemus, ubi deventum erit ad eas artes, quas complexu ſuo continet naturæ ſcientia, quatenus non in contemplatione conſiſtit, ſed in operando: ut fieri videmus in medicina, agriculturæ ſcientia, & ſimilibus.

90. §. *Nec qui vehementes ejuſmodi corporis exercitationes non ſufferunt, eò omnis exercitii eſſe expertes debent. Quædam enim haut magnas corporis vires requirunt. Atque iis etiam conveniunt, qui penè aſſidui ſunt in ſtudiis: item ſenibus, atque aliis naturæ imbecillioris. In his primum ſibi locum vindicat deambulatio.*

Laudat eam quoque L. Seneca epiſt. XV. Verba mox adferam. Hujus ergo Romæ erat porticus Pompeja, memorata non ſolùm Propertio, Ovidio, Martiali; ſed etiam Catullo epigr. LVI, quod ad Camerium, ubi *Magni ambulatio* vocatur.

91. §. *Item ſtare erectum: quod ambulatione ipsâ vehementius exercitium eſt.*

Quomodo & avibus longè eſt moleſtius, ſi in aëre non moveantur, quàm ſi volent.

92. §. *Vectatio etiam, ſive geſtatio, multum corpori conducit.*

Seneca epiſt. XV: *Geſtatio & corpus concutit, & ſtudio non officit: poſſis legere, poſſis dictare, poſſis loqui, poſſis audire: quorum nihil nec ambulatio quidem vetat fieri.* Idem epiſt. LVI: *Mihi tamen opus erat concutere corpus, ut ſive bilis inſederat faucibus, diſcuteretur; ſive ipſe ex aliqua cauſſâ ſpiritus denſior erat, extenuaret illum jactatio.* Laudat & Plinius lib. XXVIII.

93. §. *Vectatio hæc vel in aquis fit, vel in terra. In aquis navigatio dicitur.*

Commendat eam Celſus lib. II cap. de Geſtatione: *Genera geſtationum plura: ſed tamen leviſſima eſt navi, vel in portu, vel in flumine: vehementior in alto mari.*

94. §. *In terra vel ab animato fit, vel inanimo. Animato, ut* ἱππασία, *ſive equitatio.*

Cujus inventor Bellerophon dicitur Plinio lib. VII. cap. LVI.

95. §. *Inanimo quæ debetur, particulatim, ſed generis nomine, vocatur* geſtatio.

Quæ quia & ipſa corpus exercet, eò à fine γυμνασία vocatur. Gloſſæ Philoxeni: *Geſtatur*, γυμνάζεται. *Geſtor*, γυμναστής. *Geſto*, γυμνάζομαι. *Geſto*, γυμνάζω. *Geſtantur*, γυμνάζονται. *Geſtatio*, γυμνασία. At propriè magis eædem Gloſſæ: *Geſtatio*, αἰώρα. Item Gloſſæ Cyrilli: Αἰώρα, *geſtatio*. Αἰωρίζεται, *geſtatur*.

96. §. *Fit hujuſmodi geſtatio trifariam, lecticâ, ſcamno, ſive ſellâ, & vehiculo.*

Cornelius Celſus lib. II cap. de Geſtatione: *Vehementior geſtatio lecticâ, aut ſcamno; acrior vehiculo.* Vide Iuſtum Lipſium lib. I Centuriæ Miſcellaneæ epiſt. XI, quæ ad Abrahamum Ortelium. Item de lecticæ ac ſellæ forma adi eundem lib. I Electorum cap. XIX.

97. §. *Quid quòd ne infantes quidem prorſus exercitiis carent? Nam præterquam quòd ulnis geſtentur, & curriculis puerilibus vehantur: etiam agitantur in cunis, vel lectis penſilibus.*

Hic poſterior modus Aſclepiadis eſt inventum: ut auctor eſt Plinius lib. XXVI cap. III.

98. §. *De gymnaſtica ſatis. Cætera peti olim potuere ex antiquis artis gymnaſticæ ſcriptoribus.*

Quales Hippocrates, Diocles, Praxagoras, Philotimus, Eraſiſtratus, Erophilus, Aſclepiades, Theo, Diotimus. Quorum commentarii à veteribus citantur.

99. §. *Sed, his deperditis, adeundi, qui ex antiquis obſervarunt eò pertinentia, & literis conſignarunt. Uti ſunt Hieronymus Mercurialis, & Petrus Faber.*

Ille libris ſex, quos *de arte Gymnaſtica* inſcripſit; hic tribus Agoniſticôn libris. Juvabunt etiam alii; ut Budæus Annotat. in Pandectas ad L. Athletas; item Cæſar Scaliger lib. I de Re Poëtica cap. XXII; adhæc Meurſius de ludis Græcorum, & alii nonnulli. Joannes Sariſberienſis de nugis Curialium lib. VIII, cap. XII: *In omnibus, quæ ſimpliciter expetibilia ſunt, quo intentiora ſunt in qualitate boni, eo expetibiliora ſunt. Sed ex adjunctis poſſunt nonnulla eſſe ſuſpecta. Lucius Sylla, vir tanti nominis optimè cantaſſe traditur: ſed dotem libidinis, & crudelitatis notâ, perſtrinxit. Catoni quoque viſum eſt, bene cantare non ſerii hominis eſſe. Unde nimirum Marcum, ſenatorem non ignobilem, Cæcilium ſpatiatorem, & Feſcenninum vocat; eumque ſtaticulos dare, his verbis ait: Deſcendit de cantherio, inde ſtaticulos dare, ridicularia fundere. Et alibi: Præterea cantat, ubi collibuit; interdum Græcos verſus agit, jocos dicit, voces demutat*, ſtaticulos dat.* Hauſit iſta de Catone ex Macrobii lib. II Saturnal. cap. X.

* *Demutat.*

CAP. IV.

DE MUSICE.

1. §. *Sequitur Muſice: quam ſi ratione πράξεως attendas, ſimpliciter definias canendi artem: ſin θεωρίαν conſideres, potius dicendum, eſſe ſcientiam ſonorum, quatenus ſunt numeroſi.*

Nempe duo ſpectantur in objecto Muſices; materiale, ſive res conſiderata; & formale, ſive modus conſiderandi. Priùs eſt ſonus: de cujus natura abunde videor dixiſſe operis de Theologia gentili, & phyſiologia Chriſtiana, lib. III cap. XXVII. Alterum eſt numerus, ac menſura. Nam Muſice numerat ſonos; eorumque longitudinem, & altitudinem metitur.

2. §. *Ali-*

Digitized by Google

2. §. *Aliter* Harmonice, *vel* Canonice, *nuncupatur.*

Imò ſunt, quibus *Muſices* vox diſpliceat: quia Muſæ ſunt victitia impiarum gentium numina; nec conveniens ſit, nobiliſſimæ arti, à vero numine nobis conceſſæ, à gentili numine nomen dare. Sed non attendunt, quemadmodum Juſtitia, Fides, Miſericordia, Febris, Pallor, priùs fuere, quàm in Deorum numerum referrentur: ita priùs fuiſſe Muſas, quàm Deæ crederentur. Nam primò *Muſa* haut aliud ſignificabat, quàm artem, ſive diſciplinam. Id enim Hebræis eſt מוסר Moſar; unde Doricum Μῶσα, pro quo alii Μοῦσα maluere. Etſi verò artes ſint complures; huic tamen id κατ' ἐξοχὴν * datum, quia olim ab ea caperent initium diſciplinarum. Interim, quia nomen id naturâ ſuâ latè admodum patet; non impedio, quo minùs *Harmonicam* potiùs dicamus. Nam ſonorum harmoniam docet. *Canonicam* etiam vocarunt. Agellius lib. XVI, cap. XVIII: *Pars quadam Geometriæ* ὀπτικὴ *appellatur, quæ ad oculos pertinet: pars altera, quæ ad aures,* κανονικὴ *vocatur; quâ Muſici in fundamento artis ſuæ utuntur.* Item: Κανονικὴ *longitudines, & altitudines vocis, metitur.* Interea nec hæc voces ambiguitatis ſunt expertes, cùm etiam accipi ſoleant pro parte aliqua hujus artis; ut inferius dicemus. Imo eſt & affectuum harmonia quædam, quam *vitæ concentum* dicimus: alia item qualitatum corporis, quam *temperamentum* vocamus. Hæc Phyſica, altera Ethica eſt harmonia. De neutra agi hoc loco; imò ἀκύρως † admodum utramque *harmoniam* vocari; ſatis puto apertum. Nimirum hoc loco agendum duntaxat de harmonia illa, quam aurium judicio percipimus. Eſt enim hujus artis ſonos diſtinguere, ac dijudicare.

* Per excellentiam.

† Improprie.

3. §. *Muſicen dividunt in naturalem, & artificioſam: naturalem autem in cæleſtem, & eam, quæ cæleſti in homine reſpondet. Eſtque ea Pythagoreorum diſtinctio: qui credebant, concitatiſſimo cæleſtium orbium motu ſonum cieri ſuaviſſimum, ſed quem aures noſtræ non percipiant, quia à primordiis ei adſueverimus.*

Quemadmodum obſurdeſcunt fabri ferrarii ad malleorum ictus, & accolæ caraduporum Nili, ad perpetuum fluvii ſonum de præfractis montium delabentis. Hanc opinionem ſecutus Dorylaus, cælum vocabat *organum Dei*, per Deum intelligens ſolem; quomodo & Manilius, aliique, nomine *Dei* utuntur. Et Varro, eodem reſpiciens, cœlum appellat *divûm lyram* ſat. ὄνος λύρας:

Quam mobilem Divûm lyram Sol ἁρμογῇ
Quadam gubernans motibus Diis veget.

Etiam eſt Varronis Atacini:

Et ſeptem æternis ſonitum dare vocibus orbes
Nitentes aliis alios.

Ubi *niti* poni videtur pro *obniti*, & *obluctari*. Imò ſequitur hanc quoque ſententiam Philo Judæus, libro *quòd ſomnia immittantur à Deo*. Vult autem, duo eſſe in mundo hoc, quæ Deum celebrent; cælum, & mentem humanam: cælumque eſſe inſtrumentum Muſices archetypon, tam affabrè elaboratum, ut hymnis perpetuo Dei reſonet laudem. Quæ opinio etſi fortaſſe non eſt vera; nihil tamen habet abſurdi. Ex Ariſtotelis tamen ſententia, hoc de cælorum concentu à Pythagora ἐμμελῶς * μὲν λέγεται, καὶ μουσικῶς· ἀδύνατον δὲ τοῦτον ἔχειν τὸν τρόπον. Vide eum lib. II de Cœlo cap. IX ‡: ubi totus eſt in opinione eâ refellendâ. Adi & Ciceronem in Somnio Scipionis, Philonem libro de ſomniis, Boëthium lib. I Muſic. cap. X. Nec alienus ab eâ ſententiâ B. Ambroſius videtur, præfat. comment. in Pſalmos: ſed lib. II Hexaem. cap. II ait, parum validis hanc opinionem argumentis eſſe ſubnixam.

* Concinne quidem, muſiceque dicitur: at fieri nequit, ut ſe res ita habeat.

‡ Textu 53.

4. §. *Hoc loco non de harmonia cæleſti agendum; quando, ecquæ ea, an nulla ſit, neſcitur, cùm ad nullius aures pertingat: ſed ſolum de illa, quæ humano fit artificio. Ac primum de origine ejus videndum. Nec enim deſunt, qui aves oſcines cenſeant homini ad cantum præiviſſe.*

Hæc ſententia eſt Chamæleontis Pontici: cujus verba apud Athenæum reperias lib. IX. Ac favet Lucretius iis, quæ de Muſices origine cecinit lib. V. Neque id magis eſt abſurdum, quàm quòd hirundini acceptam ferunt artem ædificandi; araneæ, artem texendi; vel quòd ab aſino ἀμπελοτομίαν * didiciſſe volunt Nauplienſes, cùm animadvertiſſent vites ab eo arroſas meliùs creviſſe; teſte Pauſania in Corinthiacis: qui & tradit, ideo Silenum, Liberi patris comitem, & cuſtodem, aſino imponi à poëtis.

* Putationem vitium.

5. §. *Alii turpe arbitrantur homini abjudicare tam nobilis artis inventum. Sed putant, philoſopho tribui debere; nec alii quàm Pythagoræ; quem ajunt numeros primum obſervaſſe ex alternis fabrorum ictibus.*

Ex illis enim reſultat συμφωνία, ac concentus. Atque eò reſpexit divinus poëta IV Georg.

Illi inter ſeſe magnâ vi brachia tollunt
In numerum.

Hoc eſt, in ordinem; ut exponit Servius. Et Callimachus hymno in Dianam, de iiſdem Cyclopibus:

Εὖθ' οἵγε ῥαιστῆρας ἀειράμενοι ὑπὲρ ὤμου
Ἢ χαλκὸν ζείοντα καμινόθεν, ἠὲ σίδηρον,
Ἀμβολαδὶς τετύποντες, ἐπὶ μέγα μοχθήσειαν.

Ubi ἀμβολαδὶς eſt, ἐκ διαδοχῆς, ut exponit ſcholiaſtes. Latine eos verſus ſic expreſſit Floridus Sabinus, inque tralatione ſua retinuit Bonaventura Vulcanus.

At poſtquam in vacuas elatus malleus auras
Percuſſit ſtridens incurvâ forcipe ferrum;
Perque vices connixi id pulſavêre Cyclôpes.

6. §. *Sed hæc ſententia omnibus ſine dubio ridicula videbitur, qui aliquam temporum notitiam habent. Nam multò Pythagorâ antiquior eſt Homerus: apud quem crebra eſt Muſices mentio. At Homero longè vetuſtior eſt Muſice, cùm ea fuerit ante diluvium.*

Nam trinepos Adami Jobal citharâ, & tibiâ canendi artem reperit; ut ex divino Moſe † notum. Non dubium autem, quin ore priùs cecinerint, quam organis. Quâ de re plura nos libro de natura, ac conſtitutione Poëtices.

† Geneſ. 4. 21.

7. §. *Et quid mirum, cùm homini naturâ ſit ingenitus, ſicut Gymnaſtices, de quâ antè dictum, ſic etiam Muſices amor?*

Ut de utraque auctor Galenus lib. I de tuenda valetudine. Ubi ait, cunctos homines ad Muſicen, ac Gymnaſticen, propenſos naſci; nec quicquam reperiri, quod corpus, & animum, hiſce duobus magis componat, & ad bonam frugem inducat.

8. §. *Rectè igitur cenſent, qui è diſciplinis nihil Muſices volunt eſſe antiquius.*

Atque id gentiles etiam agnovere. Fabius lib. I cap. XVIII ‡: *Timagenes auctor eſt, omnium in litteris ſtudiorum antiquiſſimam Muſicen extitiſſe.* Ægyptii tribuêre inventionem ejus Μανέρωτι Ægyptio, quem in conviviis ſuis cantabant: ut auctor eſt Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride.

‡ Sive alias 10.

9. §. *Poſſis tamen & defendere eos, qui Pythagoram faciunt Muſices auctorem: dummodo intelligatur Muſice, quatenus diſciplina eſt ſonos acutos, & graves, non ſenſu modò, ſed ſubtiliori etiam ratione, perpendens.*

Nam,

Nam, ut ſuperiùs, diximus, Muſice bifariam conſideratur, prout θεωρίαν * propoſitam habet, & prout πρᾶξιν †. Priori modo ſcientia eſt, ac ſonos ratione diſcernit, quod ſpectavit Pithagoras. Poſteriori ars eſt, & ſonos non niſi aurium judicio menſurat: quod multis ſeculis priùs obtinuit: atque eo modo poſtea conſideravit Ariſtoxenus in iis, quæ de Muſicis reliquit.

[* *Speculationem.* † *Actionem.*]

10. §. *At notæ ſex, quibus vulgò utimur, nec dum fuere ante annos ſexcentos. Siquidem eas invenit Guido, abbas, Aretinus, is, qui adverſus Berengarium ſcripſit.*

Auctor Sigebertus in Chronicis ad annum ↀXXVIII: unde & Guidonis illius ætatem cognoſcimus. Nempe claruit temporibus Conradi junioris; ut etiam eſt apud Trithemium de viris illuſtribus ordinis Benedictini lib. II cap. LXXIV. Perperam aliqui toto ſeculo faciunt juniorem. Notarum ſex nomina ſunt in Sapphicis iſtis Pauli, Romanæ eccleſiæ diaconi:

UT queant laxis RE ſonare fibris
MI ra geſtorum FA muli tuorum,
SO LVe polluti LA biis reatum.

Occaſioneque ejus hymni nomina iſthæc notis fuêrunt impoſita, extrahendo, tum initialem ſyllabam verſus, tum eam, quæ eſt poſt penthemimerim. Alius è junioribus eas Notas uni hoc pacto verſiculo incluſit.

Cur adhibes triſti numeros, cantumque labori?
Ut RElevet MIſerum FAtum, SOLitoſque LAbores.

Græci necdum iis utuntur: ſed alia habent ſigna in libris, unde vocem ſciant variare. Eas vide apud Cruſium, Turcogræciæ lib. I, annot. in Malaxi hiſtoriam patriarchalem ſextam. Multa etiam de notis Muſices veteribus, mediis, novis, invenies apud Cl. V. veterem condiſcipulum noſtrum, Erycium Puteanum in Muſathena ejus, inprimis cap. VIII, IX, X.

11. §. *Muſices finis eſt honeſta aurium, atque animi, voluptas.*

Unde παιδιὰν ‡ vocat Athenæus in XIV. Niſi παιδείαν ‡ legendum. Sanè utrumque de Muſice veriſſimum. Nec eò contemnenda, quia ad modum luſûs oblectet. Nam, ut ait Poëta *, [‡ *Diſciplinam.*]

Quod caret alternâ requie, durabile non eſt. [* *Ovid. epiſt. Phædræ ad Hippol.*]

Eoque opus eſt animis, & corporibus noſtris, otio, quod poſt negotia recreet, & reficiat, ut ad labores deinde alacriùs redeamus. Unde & Dion dicebat, tria eſſe, quæ quiete accipiant vigorem; τόξον, λύραν, καὶ ἄνθρωπον. † Scitè etiam Fabius lib. I, cap. X: *Muſicen Natura ipſa videtur, ad tolerandos faciliùs labores, velut muneri nobis dediſſe.* Sed imprimis vide Ariſtotelem lib. VIII. Polit. ubi fusè docet, τὴν φύσιν αὐτὴν ζητεῖν, μὴ μόνον ἀσχολεῖν ὀρθῶς, ἀλλὰ καὶ σχολάζειν δύνασθαι καλῶς. *Naturam ipſam quærere non ſolum rectè in negotio, verùm honeſtè etiam in otio verſari.* Tantùm oportet & tempore otiari, & cum modo. Siquidem οὐ τέλος τοῦ βίου ἡ παιδιὰ ἡμῖν. *non ludere eſt finis vitæ nobis:* verùm oportet καιροφυλακεῖν, καὶ εἰσάγειν παιδιὰς φαρμακείας χάριν. *temporis habere rationem, & adhibere ludum medicamenti cauſſâ.* Quòd poſtea, de requie agens, his verbis explicat: τῆς γὰρ διὰ τῶν πόνων λύπης ἰατρεία τίς ἐστι. *medicina enim quædam eſt triſtitiæ ejus, quæ naſcitur à laboribus.* Quid mirum? quando, ut idem ait, ἔχει ἡ μουσικὴ τὴν ἡδονὴν φυσικήν. *muſica habet naturalem voluptatem.* Unde, ut ibidem Ariſtoteles ſubjungit, ſic poëta Muſæus, βροτοῖς ἥδιστον ἀείδειν, *Homini res jucundiſſima cantus.* [† *Arcum, lyram, & hominem.*]

Etſi verò antiquum eſſe admodum neceſſe ſit, cujus hìc meminerit Ariſtoteles: non tamen ille exiſtimandus eſt, qui Orpheo erat σύγχρονος ‡, ac Homero præponitur à Marone in VI Æneidos: ſed is, cujus Theogonia, & Sphæra, olim circumferebatur; ut conſtat ex Laërtii proœmio; ſive verum ei Muſæi nomen; ſive id fictitium. At cave, aſſentiaris ſummo viro Cæſari Scaligero; qui in libris de re Poëtica exiſtimat, hunc eſſe eum, cujus de amoribus Herûs, & Leandri, lepidum exſtat poëma. Nam ille Ariſtotele, & Marone, longè junior fuit; ut mirandum non ſit, ſi nemo ejus ante Tzetzem meminerit. Vera nempe hujus poëmatis eſt inſcriptiò, Μουσαίου τοῦ Γραμματικοῦ: quæ in vett. codd. inventa eſt à Michaële Sophiano. Sed à Muſæo ad Muſicen redeo. Hæc dulcedine ſuâ idem præſtat, ac ſomnus, & vinum liberaliùs hauſtum. Tria enim hæc, ut Ariſtoteles ait, παύει μερίμνας, *curas graves ſedant.* Et magnam profectò Muſices ſuavitatem eſſe oportet; quando etiam Lacedæmonii hac utebantur ad vitæ auſteritatem modulorum dulcedine temperandam; ut eſt apud Athenæum lib. XIV. Hac etiam infantes permulcentur; hac opifices, & mulieres, ſolantur laborem. Quærat aliquis, unde ea ſit Muſicæ vis in animos humanos. Pithagoras, & Platonici, putarunt, eſſe ex reminiſcentia harmoniæ cœleſtis; quam audierint, antequam in corpora hæc immitterentur. Sed Chriſtianis convenit, animas demùm, cùm infunduntur, creari; vel ſaltem non niſi, cum propagantur, initium capere. Herophilus eſſe eam putabat cauſſam, quòd anima ipſa ſit harmonia. Verùm non harmonia eſt, ſed harmonica: ut quæ ſit ἐντελέχεια, ac forma ſubſtantialis; non accidens, quale eſt harmonia. Quare potiùs dixero, eſſe hoc à ſenſûs natura: nec minùs ſurdi eſſe quæſtionem, cur tam libenter audiamus harmonica; quàm, ut Ariſtoteles ajebat, quæſtio eſt cæci, cur tanta cum voluptate cernamus pulcra. Atque hanc nativam Muſices vim etiam arguit, quòd ejus ſuavitatem muta percipiunt animantia. Unde Tullius pro Archia: *Beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur.* Pythocharis tibicen dicitur luporum impetum cohibuiſſe vehementi, & concitato tibiæ cantu: ut eſt apud Ælianum Hiſt. Animal. lib. XI, cap. XVIII. Atque idem libro XII cap. XLIV docet, quomodo elephanti, capti Muſicâ, manſueſcant; uti & equæ Libycæ, quæ eâdem (quaſi hymenæus canatur) in Venerem incitantur. Idem de elephantis dixerat Strabo in XV. Ælianus itidem ejuſdem lib. XII. cap. XLV, delphines cantu delectari, oſtendit hiſtoriâ Arionis Methymnæi; de quo Plinius lib. IX, cap. VIII, & Solinus cap. XXII. Idem Ælianus cap. XLVI tradit, ut apri, & cervi, Muſicâ capiantur. Porphyrius quoque, in tertio de abſtinendo ab eſu animalium, in literas retulit, elephantos, & equos; ac piſcium etiam nonnullos, demulceri tibiis, ac fiſtulis. Plura autem Martianus Capella lib. IX: *Animalium verò ſenſus meis cantibus incunctanter adduci, ſaltem Thracius cithariſta incunctanter perdocuit; in quo non fabula, ſed veritas, gloriam procreavit. Unde enim cervi fiſtulis capiuntur? Piſces in ſtagno Alexandriæ crepitu detinentur? Cygnos Hyperboreos citharæ cantus adducit? Elephantes indicos organicâ permulſos detineri voce compertum? Fiſtulis aves allici comprobatum? Fides delphinis amicitiam hominum perſuadere? Quid? cantibus allici, diſrumpique ſerpentes?* Vide & Gyraldum dialog. I Hiſtor. Poëtarum*. [‡ *Æqualis.*] [* *Pag. 18. edit. Baſil. a. 1580.*]

12. §. *Honeſta hæc Muſices voluptas etiam valetudini confert.*

Jamblichus in Pythagoræ vita cap. XXVIII †: Ὑπελάμβανε δὲ καὶ τὴν μουσικὴν μεγάλα συμβάλλεσθαι πρὸς ὑγείαν, ἄν τις αὐτῇ χρῆται κατὰ τοὺς προσήκοντας τρόπους. *Exiſtimabat autem, & Muſicen multum conferre ad ſanitatem, ſi quis eâ, quomodo convenit, utatur.* [† *P. 148.*]

13. §. *Quin morbis etiam certis mederi, traditum eſt.*

Uti iſchiadicis; quemadmodum à Theophraſto eſt proditum. Athenæus lib. XIV: Ὅτι δὲ καὶ νόσους ἰᾶται μουσική, Θεόφραστος ἱστόρησεν, ἐν τῷ περὶ ἐνθουσιασμοῦ, ἰσχιακὰς

φάσκων

φάσκων ἀνόσους διατελεῖν, εἰ καταυλήσει τις τοῦ τόπου τῇ Φρυγιστὶ ἁρμονίᾳ. *Morbis auxiliari Muſicen, Theophraſtus libro de Enthuſiaſmo ſcripſit, & qui vexantur coxendice, eo cruciatu liberari, ſiquis, dum dolor urget, tibiis Phrygiam modorum harmoniam canat.* Apollonius Caryſtius in hiſtoriis mirabilibus *: Ἄξια δ' ἐστὶν ἐπισημειώσεως τὰ εἰρημένα Θεοφράστῳ ἐν τῷ περὶ ἐνθουσιασμῶν. Φησὶ γὰρ ἐκεῖνος, τὴν μουσικὴν πολλὰ τῶν περὶ ψυχὴν, καὶ τὸ σῶμα γιγνομένων παθῶν, ἰατρεύειν. καθάπερ λειποθυμίας, φόβους, καὶ τὰς ἐπὶ μακρὸν γιγνομένας τῆς διανοίας ἐκστάσεις. ἰᾶται γὰρ, φησιν, ἡ καταύλησις, καὶ ἰσχιάδα, καὶ ἐπιληψίαν. *Hæc verò digna ſunt animadverſione dicta à Theophraſto, in libro de divinis furoribus. Scribit, Muſicen multis animi corporiſque affectionibus mederi: ut animi defectui, metus, diuturnis mentis alienationibus. Sanat, inquit, fiſtula cantus etiam iſchiadem, & morbum comitialem.* Subjungit deinde, multos ſuâ ætate, ac potiſſimùm Thebanos, tibiæ cantu mederi morbis conſueviſſe. Agellius lib. IV. cap. XIII. *Proditum hoc à pleriſque eſt, & memoriæ mandatum; iſchiaci cùm maximè doleant, tum, ſi modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores. Ego nuperrimè in libro Theophraſti ſcriptum inveni, viperarum morſibus tibicinem, ſcitè modulateque adhibitum, mederi. Refert etiam idem Democriti liber, qui inſcribitur περὶ λοιμῶν, ἢ λοιμικῶν κακῶν ‡, in quo docet, pluribus hominum morſibus medicinam fuiſſe incentiones tibiarum. Tanta prorſus eſt affinitas corporibus hominum, mentibuſque; & propterea quoque vitiis, aut medelis animorum, & corporum.* Sed imprimis illuſtris ille locus eſt Martiani Capellæ lib. IX. ubi ſic Muſicen loquentem inducit: *Quid? afflictationibus corporeis nonne aſſiduâ meditatione ſuccurri? Febrem curabant, vulneraque veteres cantione. Aſclepiades item tuba ſurdiſſimis medebatur. Iſchiadas quis neſciat expelli aulica* (αὐλικῇ, ſive tibiali) *ſuavitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat. Thaletem Cretenſem citharæ ſuavitate compertum eſt morbos, ac peſtilentiam, fugaviſſe. Herophilus ægrorum venas rhythmorum collatione penſabat.* Hujuſmodi à Galeno * etiam, & medicorum aliis, prodita: quos longum ſit apponere. Cælius id vocat, *loca dolentia decantare*; quod à fiſtulare quodam factum, Philiſtionis frater prodidit; ut idem ait. Vide & Gyraldum dialogo I. Hiſtor. Poëtarum †. Illud poſtremò addamus, erraſſe Agellium; quando, ut ſuprà vidimus, ait, Theophraſto ſcriptum, *iſchiacos minus dolere, ſi modulis lenibus tibicen incinat.* Nam, quod à Mureto etiam in Variis Lect. obſervatum fuit, & ex Theophraſti verbis adductis ab Athenæo videre eſt; ſanabantur τῇ Φρυγιστὶ ἁρμονίᾳ ‡. At modi Phrygii non lenes fuere; ſed graves, ac vehementes. Unde eorum uſus erat in ſacris matris Phrygiæ, ad furorem concitandum. Eoque ſpectat hoc Catulli carm. de Berecynthia:

Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo.

Ac metuit Muretus, ne in altero quoque ab eodem Agellio ſit aberratum: quando nempe ait, mederi Muſicen à vipera morſis. Exiſtimat enim, hoc non de vipera, ſed phalangio, ſcripſiſſe, aranei genere, à Tarento, urbe, quæ nunc *Taranto*, *tarantola* vocato. Ab hoc morſi infecto tibicinum cantu, quaſi è gravi ſomno, excitantur; atque inde, parum compotes mentis, ſubſiliunt, ac tripudiant, donec laſſati ſudore diffluant, ac concidant tandem. Paullò tamen aliter hanc rem memorant alii. Sed ſi tarantulam intellexit Theophraſtus, non ita multùm hoc argumentum facit ad quæſtionem illam, utrùm cantus ad tibiam ſanet morbos. Nam tibia quidem ab illo aranei genere morſis animum ad tripudiandum accendit: ſed vehemens, ac diutina ſaltatio, præſtat, ut venenum à corde propellatur, atque unà cum ſudore expellatur foras. Hæc igitur Muſices vis non tam ad corpus pertinet, quàm animum; de quo nunc dicere aggredior. Sed id tamen monendum prius, habere hoc quoque Muſicam, quòd, qui viſûs ſenſu non valent, ſenſu auditûs poſſint excellere. Ita Ludovicus Broomannus, à nativitate cæcus,

* *Cap. 48. & 49.*

‡ *De peſtibus, aut peſtilentibus malis.*

* *Lib. I, de Sanitate tuenda cap. 11.*

† *Pag. 17 edit. Baſil. cap. 1580*

‡ *Concentu Phrygio.*

Artium liberalium doctor, Juris Candidatus, & Muſices princeps, obiit Bruxellis anno CIↃ IↃ XCVII.

14. §. *Etiam Muſice magnam obtinet vim in animos humanos. Quod & poetarum fabulæ teſtatum faciunt.*

Ut cum Amphion Muſicus, Jovis ex Antiope filius, dictus eſt ſaxa, hoc eſt, ſaxeos, duroſque Thebanos, qui à finitimis Phlegræis vehementer oppugnabantur, ita permulſiſſe citharâ, ut urbem turribus, & mœnibus, munirent, ac foſſâ cingerent. Horatius lib. III. od. XI.

Movit Amphion lapides canendo.

Et Epiſtolâ ad Piſones:

Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis.

15. §. *Sed nihil opus ad fabulas recurrere, quando tam multa ſe offerunt in vita humana, quæ doceant, quantum Muſice proſit ad eam honeſtè traducendam: ut primum eo, quod aſſuefaciat ad iis gaudendum, quibus gaudere eſt honeſtum.*

Hoc nomine Muſicen laudat Ariſtoteles VIII. Polit. Quid autem melius gaudio innoxio; imò à noxiis voluptatibus avocanti? Quemadmodum igitur infantibus, ne frangant vaſa, ex Architæ Tarentini ſententia, datur πλαταγὴ, ſive *crepitaculum*, quo ſe oblectent: ita, πλαταγῆς loco, paullò provectioribus cantum, ne malè agant, concedemus. Nam, ut Ariſtoteles inquit, οὐ δύναται τὸ νέον ἡσυχάζειν. *Quod juvenile eſt, nequit requieſcere.*

16. §. *Ac majus illud, quòd Muſice etiam, tum animum ſegnem excitat ad agendum; tum affectibus æſtuantem ſedat, & à motibus turbidis purgat.*

Docet id Plato libris de Rep. & in quarto de Legibus. Unde Cicero in ſecundo de Legibus: *Aſſentior Platoni, nihil tam facile in animos teneros, atque molles, influere, quàm varios canendi ſonos: quorum, dici vix poteſt, quanta ſit vis in utramque partem: namque & incitat languentes, & langueſacit excitatos; & tum remittit animos, tum contrahit.* Ante etiam Platonem, hanc Pythagoræ fuiſſe ſententiam, auctor eſt Strabo lib. X. Atque ex eo mos ille Pythagoræ, & ſectatorum ejus, fuit, ut lyræ cantu animum tum ad laborem accenderent, tum ad tranquillitatem traducerent: ut teſtantur Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride, Malchus, ſive Porphyrius in vita Pythagoræ, Jamblichus in ejuſdem vita cap. XXV, & XXXII. atque, è Latinis, Cicero in procemio lib. IV. Tuſc. Quæſt. Seneca lib. III. de Ira cap. IX. & Quinctilianus lib. IX. cap. IV. Hujus verba ſunt: *Pythagoreis certè moris fuit, &, cùm evigilaſſent, animos ad lyram excitare, quo eſſent ad agendum erectiores: &, cùm ſomnum peterent, ad eandem priùs lenire mentes, ut, ſi quid fuiſſet turbidiorum cogitationum, componerent.* Idem lib. I. cap. X. *Pythagoram, accepimus, concitatos ad vim pudicæ domui afferendam juvenes, juſſa mutare in Spondeum modos tibicinâ, compoſuiſſe.* Quod ipſum etiam commemorat Boëthius, Muſices lib. I. cap. I. Ammonius in Porphyrii Iſagogen, & interpres Græcus Hermogenis in librum περὶ ἰδεῶν. Ac Ammonius quidem, inde comprobat *, Muſicen κοιμίζειν τὰ τῆς ψυχῆς πάθη, διεγείρειν δ' αὐτὴν ἐπ' ἀρετήν: *animi affectiones ſopire, dirigereque ad virtutes.* Hermogenis, quem dixi, interpres †, cùm alia ibidem addit; tum ut Empedocles Agrigentinus citharæ cantu adoleſcentem cohibuerit à parricidio. Adhæc ut Lacedæmonii tibiæ cantu ad arma conceſſerint. Notum etiam, ut iidem, cùm ſeditione laborarent, juſſi ſint cantorem Lesbium arceſſere: cumque Terpandrum in συσσιτίοις ‡ canentem audiiſſent, diſcordiâ omiſſâ, in gratiam redierint. Vide Plutarchum lib. de Muſica, & Suidam in Proverbio, Μετὰ Λέσβιον ᾠδόν *. Achillem citharæ cantu mitigatum, apud Homerum videmus.

* *Pag. 12. & ſeq. edit. Ven.*

† *Idem tradit Baſilius de legendis Græcorum ſive gentilium libris: item Suidas in Τιμόθεος.*

‡ *Sodalitiis, quibus ſimul victus capitur* [illegible]

* *Poſt Leſbium cantorem.*

Nempe, ut Athenæus in xiv. ait, hanc ſolam illi, ad ſedandum animum irâ antea inflammatum, Homerus reliquit ex ſpoliis Eetionis; qui, Thebarum Ciliciæ rex, Andromaches, Hectori nuptæ, parens fuit. Etiam Getarum legati, ſi pacis, vel induciarum ergò, mitterentur, ubi pacato eſſet opus animo, citharam pulſantes advenebant: ut idem ait ex Theopompi hiſtoriarum lib. XLVI. Adhæc Clinias Pythagoricus, ut ibidem Athenæus memorat, homo aſper, & iracundus, ſiquando excanduiſſet, lyrâ aſſumtâ, canere ſolebat; ac, cauſſam rogatus, reſpondit, Πραΰνομαι, *miteſco*: quod etiam refert Ælianus Variæ Hiſtor. lib. XIV. cap. XXIII. credo ex Chamæleonte Pontico. Nam hunc ejus rei auctorem laudat Athenæus lib. XIV. Qui hinc Muſicen colligit. * καὶ τὰ ἤθη παιδεύειν, καὶ τοὺς θυμοειδεῖς, καὶ τὰς γνώμας διαφόρους, κατεπραΰνειν. *Et mores componere, & iratos, mentiſque parum compotes, lenire ac demulcere.* Cantica, quibus animi à motibus purgarentur Ariſtoteli in VIII. Polit. dicuntur μέλη καθαρτικά. Hujuſmodi autem κάθαρσιν † præcipuè faciunt ſacra cantica: ubi & ſoni dulcedo, & verborum ſignificatio, animum demulcet. Non poſſumus hujus rei illuſtris habere exemplum, quam quod etiam dæmonem fugat: ut conſtat ex hiſtoria Saulis, & Davidis: de qua lib. I. Samuel. cap. XVI. 23. Cauſſam ejus efficaciæ variis inquirunt. De hoc aliquid jam antè diximus. Deque eodem vide Joannem Sareſberienſem lib. I. Policratici cap. VI. Lilium Gyraldum dialogo Hiſt. Poët. & Franciſcum Valleſium ſacræ philoſophiæ cap. XXVIII. Sed imprimis adi Athanaſium Kircherum artis Magneticæ libro tertio cap. I. ubi & in pleroſumque cauſſas accuratè inquirit. Atque idem fuſè tradit, cujuſmodi harmoniâ à Tarantala icti ſanentur, ac quicquid ad animalis ejus naturam, vel ab eo infectorum ſanationem, pertinet. Ea inde peti malo.

* Pag. 623. edit. Commeliane.

† Animi purgationem.

17. §. *Quid mirum igitur, ſi ſoli Arcadum Cinathenſes uſque adeò fuerint efferi, ac crudeles; quando ſoli eorum à Muſicis forent alieni?*

Cui potiùs de iſto credamus, quàm Arcadi Polybio, quippe Megalopoli nato, & eam afferenti cauſſam lib. IV *. Ipſum adi, & Athenæum in XIV †. Interim cum multum adeò cælum ſolumque poſſint, (ut pro quibus variare temperamentum ſoleat, uti pro hoc mores) minimè dubium, quin multum etiam contulerit tellus, quam inhabitarent. Nam, ut Athenæus ibidem ait, Cinæthenſes, & ſoli, & cæli ratione, aſperrimum Arcadiæ locum incolebant ‡. Τοῖς τόποις συνεξομοιοῦσθαι, πεφύκαμεν πάντες ἄνθρωποι. *Loco ut ſimiles fiamus omnes, comparatum eſt à natura.*

* Pag. 286 & ſeqq. edit. Wechelianæ. 1609. † 626. edit. Commel. ‡ Pag. 617. edit. Commel.

18. §. *Fuere tamen & gentium aliæ, quæ, ut Gymnaſticen, ita etiam Muſicen, aſpernarentur. Tales Ægyptii: qui eâ mores credebant molles reddi, & effeminatos.*

Diodorus Siculus de iis libro I. Πάλαιστραν, καὶ Μουσικὴν, οὐ νόμιμόν ἐστι παρ' αὐτοῖς μανθάνειν. *Palæſtram, & Muſicam, apud eos diſcere, non eſt moris.* Et mox: Τὴν δὲ Μουσικὴν νομίζουσιν οὐ μόνον ἄχρηστον ὑπάρχειν, ἀλλὰ καὶ βλαβερὰν, ὡς ἂν ἐκθηλύνουσαν τὰς τῶν ἀνδρῶν ψυχάς. *Muſicam non modo inutilem, ſed & noxiam eſſe, ut quæ virorum animos effeminet, perſuaſum habent.* Ac ſimile videtur judicium Dionyſ. Halicarnaſſenſ. in præceptis de oratione Panegyrica. ‡.

‡ Pag. 33. & 34. edit. Wechel. Græc. ac Lat. an. 1615.

19. §. *Nec negamus, eſſe Muſicen, quæ molles faciat; ut Ionicam: ſed hoc genus non præjudicat cæteris; velut Dorico, quod maſculos inſpirat animos.*

Qua de re pluribus dicam mox, ubi variè diſtribuam Muſicen.

20. §. *Magis fortaſſe aliquis mirabitur, quòd & philoſophi quidam, qui omne genus Muſicen nôſſe poterunt, omnem tamen Muſicam damnarunt. Tales Cynici fuerunt.*

Auctor Laërtius lib. VI. Atque ibidem ait, ut Diogenes Cynicus cuidam, artem eam oſtentanti, dixerit,

Γνώμαις γὰρ ἀνδρῶν εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις·
Εὖ δ' οἶκος, οὐ ψαλμοῖσι, καὶ τερετίσμασι.
Recte regetur civitas prudentiâ:
Recte ſimul canendo non regitur domus.

21. §. *Quin fœdiſſimè de hac arte Ephorus ſenſit, Iſocratis unà cum Theopompo diſcipulus.*

De quo ſic Polybius lib. IV.* Οὐ γὰρ ἡγητέον, μουσικὴν, ὡς Ἔφορός φησιν ἐν τῷ προοιμίῳ τῆς ὅλης πραγματείας, οὐδαμῶς ἁρμόζοντα λόγον αὐτῷ ῥίψας, ἐπ' ἀπάτῃ, καὶ γοητείᾳ, παρεισῆχθαι τοῖς ἀνθρώποις. *Neque enim putandum, quod Ephorus univerſi operis ſui initio ait, vocem effutiens ſe minime dignam, Muſicam ad fraudem, & deceptionem, fuiſſe inter homines inductam.* Quod Ephori dictum ex Polybio etiam adducit, at damnat, Athenæus in XIV. †

* Pag. 289. edit. Wechel. a. 1609.

† Pag. 626. edit. Commelin. an. 1597.

22. §. *Vulgo autem longè alia opinio, atque conſuetudo, erat Græcis: qui cum Grammaticè, & Gymnaſtice, ſociabant Muſicen.*

Hoc cùm aliunde, tum ex Terentio in Eunucho ‡, comœdiâ palliatâ, ſatis liquet; unde, quæ fuerint ingenuæ pueritiæ ſtudia apud Græcos, clarè elucet. Nam Chæream, qui pro eunucho deducebatur, ſic commendat Parmeno:

‡ Act. 3. ſc. 2.

Fac periculum in literis,
Fac in palæſtra, in Muſicis. Quæ liberum
Scire æquum eſt adoleſcentem, ſollertem dabo.

Imò hinc colligere eſt, etiam ſervitia his imbui ſolere. Nam Chærea quidem erat ingenuus; ſed pro ſervo fuit introductus. Sic enim Comicus ‡ de eunucho:

‡ Act. 2. ſc. 3.

CHÆR. *O fortunatum iſtum eunuchum, qui in hanc detur domum!*
PARM. *Quid ita? CH. Rogitas? ſummâ formâ ſemper* CONSERVAM *domi*
Videbit, conloquetur, aderit unà in unis ædibus.
Cibum nonnunquam capiet cum ea, interdum propter dormiet.

Vides eunuchum, & virginem, conſervos dici. Chærea igitur, quia pro Doro eunucho, qui Thaidi meretrici donatus (at ingenui non donabantur aliis, nedum meretricibus) commendatur, tanquam bonæ notæ ſervus. Nempe ſervi etiam Grammaticen, Muſicen, & ſimiles diſcebant artes; quò domini plus ex iis utilitatis caperent, atque etiam poſſent cariùs divendi. Ac ſervus unus ab altero inſtruebatur: unde idem Horatius lib. II. epiſt. VII. ſub nomine Davi, ſervi edocti à Criſpini, philoſophi Stoici, ſervo, ſic ſcribit:

Dum, quæ Criſpini docuit me janitor, edo.

Sententia igitur Terentii eſt: Dorus tibi dono datus, etſi ſervili ſit conditione (nec alioqui donari potuiſſet) tam peritus eſt in literis, Muſicis, & palæſtrâ, ut cum ingenuis poſſit certare. Adde, quòd ex quatuor ingenuæ pueritiæ ſtudiis, Ariſtoteli in VIII. Politicorum memoratis, ſolam præterit picturam: quia eam ſervis diſcere non liceret: immò nec ingenui omnes eam docebantur. Etſi verò plerique ſervos etiam inſtrui curabant tribus iſtis, quas diximus, diſciplinis: non tamen hæc in ſervis exigebantur. Unde Cicero ad Att.* *Neque ullam ſpem prædæ, niſi ex mancipiis: ex quibus nullos puto te Literis, aut Muſicis, eruditos exſpectare.* At diſpar erat ratio in ingenuis: quibus turpe hæc ſtudia neſcire. Hinc Cicero libro IV. Acad. Quæſt. *In Geometriâne quid ſit verum, aut falſum, Dialecticus judicabat? an in Literis, aut in Muſicis? At ea non novit. In Philoſophia igitur.* Ubi Muſicis videmus ſociari tum Literas, ſive Grammaticen; tum Geometriam,

* Lib. 4. epiſt. 15.

triam, ſub quâ & Arithmetice comprehenditur; tum Philoſophiam. Sed Philoſophia poſtremum obtinet locum; quia Literæ, Muſica, & Matheſis, ad Philoſophiam muniunt viam. Addam illuſtrem Quinctiliani locum è lib. I. cap. XVII: *Grammatice quondam, ac Muſice, junctæ fuerunt. Siquidem Archytas, atque Ariſtoxenus, etiam ſubjectam Grammaticen Muſicæ putaverunt: & eoſdem utriuſque rei præceptores fuiſſe, cùm Sophron oſtendit; mimorum quidem ſcriptor, ſed quem Plato adeò probavit, ut ſuppoſitos capiti libros ejus, cum moreretur, habuiſſe tradatur; tum Eupolis, apud quem Prodamus & Muſicen, & Literas, docet. Et Maricas, qui eſt Hyperbolus, nihil ſe ex Muſice ſcire, niſi literas, confitetur. Ariſtophanes quoque non uno libro, ſic inſtitui pueros antiquitus ſolitos eſſe, demonſtrat. Et, apud Menandrum in Hypobolimæo, ſenex repoſcenti filium patri, velut rationem impendiorum, quæ in educationem contulerat, opponens, pſaltis ſe; & geometris multa dicit dediſſe.*

24. §. *Nuſquam verò major in Græcia Muſicis honos, quàm apud Arcadas, fuit, ſi exceperis Cinæthenſes; de quibus dictum §. 17.*

Polybius lib. IV: Οὐδὲ νομίζειν τοὺς πρώτους Ἀρκάδων εἰς τὴν ὅλην πολιτείαν ἐπὶ τοσοῦτον εἰσαγαγεῖν μουσικήν, ὥστε μὴ μόνον παισὶν οὖσιν, ἀλλὰ καὶ νεανίσκοις γενομένοις ἕως τριάκοντ᾽ ἐτῶν, κατ᾽ ἀνάγκην σύντροφον ποιεῖν αὐτήν, τἄλλα τοῖς βίοις ὄντας αὐστηροτάτους, ταῦτα γὰρ πᾶσίν ἐστι γνώριμα, καὶ συνήθη. διότι σχεδὸν παρὰ μόνοις Ἀρκάσι, πρῶτον μὲν οἱ παῖδες ἐκ νηπίων ᾄδειν ἐθίζονται κατὰ νόμους τοὺς ὕμνους, καὶ παιᾶνας, οἷς ἕκαστοι κατὰ τὰ πάτρια τοὺς ἐπιχωρίους ἥρωας καὶ θεοὺς ὑμνοῦσι. μετὰ δὲ ταῦτα τοὺς Φιλοξένου, καὶ Τιμοθέου νόμους μανθάνοντες, πολλῇ φιλοτιμίᾳ χορεύουσι κατ᾽ ἐνιαυτὸν τοῖς Διονυσιακοῖς αὐλοῖς ἐν τοῖς θεάτροις· οἱ μὲν παῖδες, τοὺς παιδικοὺς ἀγῶνας· οἱ δὲ νεανίσκοι, τοὺς τῶν ἀνδρῶν λεγομένους. *Neque exiſtimandum, primos Arcades ſine ratione in Repub. ſuâ formandâ Muſicæ tantum tribuiſſe, ut cum cæteris vitæ inſtitutis uterentur ſeveriſſimis, in Muſicâ tamen erudiri non ſolùm pueros juberent; verùm etiam adoleſcentes, ac juvenes, ad annum uſque trigeſimum. Nam, ut notum, uſuque compertum eſt omnibus, ſoli fermè ſunt Arcades, apud quos pueri primò ab ipſa infantia ex legibus aſſueſcant, hymnos & pæanes canere; quibus more patrio ſinguli ſuos heroas, & deos concelebrant. Deinde Philoxeni, ac Timothei nomos addiſcentes, quotannis per Liberalia ipſi in theatris cum ſaltatione, & tibiis, ſummo ſtudio puerilia, quæ vocant, ludicra pueri agitant; juvenes, quæ dicuntur virorum.* Atque idem, ſed Polybium teſtem

Pag. 626. edit. Commel. advocans, paucis etiam tradit Athenæus lib. XIV*.

25. §. *Imò apud Arcadas ne turpe quidem habebatur, ſi diſciplinas, quis cæteras neſciret, dummodo Muſicam calleret.*

Polybius ibidem: Τῶν μὲν ἄλλων μαθημάτων ἀρνηθῆναί τι μὴ γινώσκειν, οὐδὲν αἰσχρὸν ἡγοῦνται· τήν γε μὴν ᾠδὴν οὔτ᾽ ἀρνηθῆναι δύνανται, διὰ τὸ κατ᾽ ἀνάγκην πάντας μανθάνειν· οὔθ᾽ ὁμολογοῦντες ἀποτρίβεσθαι, διὰ τὸ τῶν αἰσχρῶν παρ᾽ αὐτοῖς νομίζεσθαι τοῦτο. *Cæterarum quidem diſciplinarum aliquam ſe tenere ſi quis negaverit, probri loco non ducunt: at cantandi peritiam neque negare poſſunt; quia diſcendi neceſſitas omnibus incumbit: neque peritiam fatentes, quominùs canant, ullam excuſationem adferre; quoniam id turpe moribus ipſorum habetur.* Quod & ipſum Polybii teſtimonio comprobat Athenæus libro antea memorato. Ex quibus ſatis liquet, cur Maro in Bucolicis dicat:

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & reſpondere parati.

Ac ſimilia alibi, & apud alios, legas.

26. §. *Lacones etiam, utcunque duri, & agreſtes, non tamen ab arte Muſica fuere alieni.*

Teſte Tullio lib. II Tuſcul. Quæſt. Gravem verò, & maſculum, eorum fuiſſe Muſicen, ex Athenæo inferiùs liquebit.

27. §. *Sed Romanorum hac parte longè aliud, quàm Græcorum, judicium fuit.*

Quod diſcrimen clarè oſtendit Cornelius Nepos in operis ſui de Imperatoribus præfatione: *Non dubito*, inquit, *fore, Attice, qui hoc genus ſcripturæ leve, & non ſatis dignum ſummorum virorum perſonis, judicent; cum relatum legent, quis Muſicam docuerit Epaminondam; aut in ejus virtutibus commemorari, ſaltaſſe eum commodè, ſcienterque tibiis cantâſſe. Sed hi erunt fere, qui expertes literarum Græcarum, nihil rectum; niſi quod ipſorum moribus conveniat, putabant. Hi ſi didicerint, non eadem eſſe omnibus honeſta, atque turpia; ſed omnia majorum inſtitutis judicari; non admirabuntur, nos, in Grajorum virtutibus exponendis, mores eorum ſecutos.* Idem in Epaminonda, cùm illa de cantatione ad tibiam, & ſaltatione, atque alia, memorâſſet, iſta adjungit: *Atque hæc ad noſtram conſuetudinem ſunt levia, & potiùs contemnenda: at in Græcia utique magnæ laudi erant.*

28. §. *Nec tamen Romana gravitas ab eo abhorruit, ut adoleſcentulæ primariæ diſcerent lyrâ canere.*

Ita, ut alias omittam, Cornelia, filia Metelli Scipionis, Muſicis etiam exculta fuit. Unde de ea Plutarchus in Pompejo: Καὶ γὰρ περὶ γράμματα καλῶς ἤσκητο, καὶ περὶ λύραν, καὶ γεωμετρίαν. *Quippe in literatura pulchrè erat exercitata, & lyra cantu, & geometriâ.*

29. §. *Imò aliqui etiam viri ſummi, ſed rari admodum, videntur ab hoc ſtudio laudem, & oblectamentum, petiiſſe.*

In his Maſurius Juriſconſultus, non ille, qui ſub Tiberio Cæſare claruit, & à Perſio in Satyris memoratur; ſed alter junior, Ulpiano æqualis: de quo ſic Athenæus in quartodecimo: Μασούριος ὁ πάντα ἄριστος, καὶ σοφός· καὶ γὰρ νόμων ἐξηγητὴς οὐδενὸς δεύτερος, καὶ περὶ μουσικὴν ἐνδιατρίβων ἀεί. *Maſurius, vir longe optimus, & ſapiens; qui & interpres legum fuit nulli ſecundus, & muſicis aſſiduam operam navavit.*

30. §. *Hæc inter Romanos, Græcoſque, & earundem gentium inter ſe ipſas, diverſitas judiciorum, partim eſt à varia gentium indole, partim ſectarum, aut ſingulorum genio diverſo.*

Neque enim ea morum gravitas Græcis erat, quæ Romanis; non amor is amœnitatum Cynicis, aut Stoicis fuit, qui Academicis, vel Peripateticis; ut de Epicureis nihil dicam: nec in eâdem ſectâ, vel extra ſectam, par omnium genius fuit.

31. §. *Præterea certum eſt, non poſſe de cunctis Muſices generibus ſimile judicium ferri. Quod ut pareat, diſtinguemus Muſicam, tum pro ſono, & inſtrumentis; tum pro modis harmoniæ diverſis. Pro ſono, Muſice eſt duplex; quia ſonus ille harmonicus, vel fit fractione aëris, vel aquæ. Circa poſteriorem hanc Hydraulice verſatur: quam Cteſibius inveniſſe dicitur.*

Auctores Vitruvius lib. IX cap. IX, & Plinius lib. VII cap. XXXVII.

32. §. *Prior verò ſonus, vel ore fit, vel organis. Eum, qui ore fit, dirigit Harmonice.*

Sic dicta κατ' ἐξοχὴν. Alioquin ſonus harmonicus univerſæ eſt Muſices objectum.

33. §. *Organica fit inſtrumentis: quorum alia* ἐμπνευστὰ, *quæ ſpiritu inflantur, alia* ἔγχορδα, *ſive* ἔντατα, *quæ nervis aut filis aneis intenduntur; alia* κρουόμενα, *ſive* κρουστὰ, *quæ pulſantur.*

Ἐμπνευστὰ ſunt buccina, tuba, lituus, &c. Ἔγχορδα, cithara, barbitus, nablia, &c. Κρουστὰ, tympanum, cymbalum, ſiſtrum.

34. §. *Hoc Muſices genere dicimur* pſallere.

Nempe ore quidem canimus: fidibus, vel alio organo, pſallimus. Cicero invectivâ in Catilinam ſecundâ: *Pueri tam delicati, non ſolùm amare, & amari, neque cantare, & pſallere; ſed etiam ſicas vibrare, & ſpargere venena didicerunt.* Suetonius in Tito: *Ne muſica quidem rudis; ut qui cantaret, & pſalleret, jucundè, ſcienterque.* Nec diffitendum etiam, cani fidibus. Ideò enim Agellius, cùm de oris, & fidium cantu, dicere vellet, ſic inquit lib. XIX cap. IX: *Deſideravit exhiberi, quos habere eum ſciebat, ſcitiſſimos utriuſque ſexus, qui canerent voce, & qui pſallerent.* Nempe canerent *voce* ait, quia & pſallentes canunt: unde & *pſaltria* eadem ac *fidicina*: & *cantare tibiis* dixit Cornelius Nepos; ut jam vidimus. Ubi igitur *canere* ſimpliciter dicitur, & *pſallere* ei apponitur, prius de cantu, qui voce fit, intelligendum.

35. §. *Mirè verò tibicinum ars apud Græcos commendabatur.*

Hoc multis adſtruit Athenæus extremo libro IV. Ac primùm ex Chamæleontis Heracleotæ Προτρεπτικῷ, ſive Exhortatorio, refert, Lacedæmonios, ac Thebanos omnes, tibiæ cantui operam navâſſe: item Heracleotas, Ponti accolas; Athenienſium quoque clariſſimos, ut Calliam Hipponici filium, & Critiam Callæſchri. Duris quoque, ut ibidem legimus, in libro de Euripide, ac Sophocle, tradidit, Alcibiadem didiciſſe tibiâ canere à clariſſimo tibicine Pronomo. Etiam Pythagorici idem fecere: ut Euphranor, qui de Tibiis librum reliquit, & clariſſimus ille Archytas Tarentinus, nec non Philolaus. Epaminondas didicit eandem artem ab Olympiodoro, & Orthagora; ut ibidem legimus. Sed de Epaminonda mox pluribus, cùm de ſaltatione dicetur.

36. §. *Tribus verò hiſce Muſices formis, Harmonica, Organica, & Hydraulica, quas ſolas Varro agnovit, videtur & quarta, nempe, ut Lucianus vocat,* ὀρχηστική, *h.e.* ſaltatoria, *quæ pedibus fit, adjici debere.*

Sanè Muſices eam partem facit Julius Pollux lib. IV cap. XIII. Atque iccirco, ut *canere*, & *pſallere*, de quo vidimus, ſubinde conjunguntur; ita & *pſallere*, & *ſaltare*. Salluſtius in Conjuratione Catilinæ: *Hæc mulier* (de Sempronia ſermo) *literis Græcis & Latinis docta: pſallere, & ſaltare elegantiùs, quàm neceſſe eſt probæ.*

37. §. *Ad ſaltationis honorem pertinet, quòd hoc Muſices genere etiam populus Dei in eo celebrando uteretur.*

Hoc ex Scripturis ſatis eſt manifeſtum. At gentiles itidem hyporchemata canebant in Deorum ſacrificiis; neque initiari potuere abſque tripudiis. Apud Romanos item Salii, Martis Sacerdotes, tripudiabant per urbem, ſollemnia cantantes carmina. Præſilebat unus, ex eo præſul dictus, certaſque adhibebat geſticulationes, ac corporis circumvolutiones. Id videntur dixiſſe *amtruare*, à *trua*, quod à τορύνη. Hinc reliqui Salii exemplum ejus imitabantur: quod eſt *redamtruare*. Lucilius, ſecundùm emendationem Scaligeri:

Præſul ut amtruat, inde & vulgu' redamtruat olli.

38. §. *Etiam extra ſacra apud Græcos magnus ſaltationis honos fuit.*

Sanè Socrates apud Platonem ſtatuit eam in feriis diſciplinis. Et eximios viros illam didiciſſe, conſtat; uti Epaminondam: de quo ſic Tullius lib. III de Orat. *Thebanum Epaminondam, haud ſcio, an ſummum omnis Græciæ.* Deque eodem ita Cornelius Nepos in ejus vita: *Eruditus ſic, ut nemo Thebanus magis. nam & citharizare, & cantare ad chordarum ſonum, doctus eſt à Dionyſio: qui non minore fuit in muſicis gloriâ, quàm Damon, aut Lamprus, quorum pervulgata ſunt nomina: carmina cantare tibiis ab Olympiodoro, ſaltare à Calliphrone.*

39. §. *Nec Romana gravitas primitus eam eſt aſpernata in juventute, vel matronis honeſtis: ſed demum poſtquam luxuriæ eſſe inſtrumentum cœpit. Præſertim ſiquis nimium curioſè eam artem didiciſſet.*

Liquet hoc ex Salluſtii loco de Sempronia antea memorato: de quo ſic Macrobius lib. III Saturnal. cap. X: *Taceo, quòd matronæ etiam ſaltationem non inhoneſtam putabant: ſed inter probas quoque earum erat ſaltandi cura, dummodo non curioſa, uſque ad artis perfectionem. Quid enim ait Salluſtius? Pſallere, & ſaltare elegantius, quàm neceſſe eſt probæ. Adeò & ipſe Semproniam reprehendit, non quòd ſaltare, ſed quòd optimè ſciret.* Idem poſtea firmat ex Scipionis Africani Æmiliani oratione contra legem judiciariam Tiberii Gracchi. Idem quod ſaltationis, non ſtudio dico, ſed peritiâ, gloriati ſint Gabinius conſularis, Ciceronis inimicus; M. Cœlius, quem Cicero defendit; & Licinius Craſſus, qui cum patre à Parthis interfectus.

40. §. *In poëſi triplex adhibita eſt ſaltatio;* ἐμμέλεια, κόρδαξ, σίκιννις. *Prima tragica; comica altera; tertia ſatyrica.*

Ita Julius Pollux lib. IV cap. XIV, Athenæus lib. I, Scholiaſtes Ariſtophanis in Nubes, Euſtathius ad Iliados Σ. Imò & Ammonius in Κόρδαξ. Sed apud eum perperam στρατηγικὴ legitur pro τραγικῆ.

41. §. *Saltatio Italica, quam reperit Bathyllus Alexandrinus, conſtabat ex triplici ſaltationis genere antea memorato.*

Athenæus Deipnoſophiſticôn lib. I: Τῆς ὀρχήσεως τῆς τραγικῆς καλουμένης πρῶτος εἰσηγητὴς γέγονε Βάθυλλος ὁ Ἀλεξανδρεύς, ὅν φησι νομίμως ὀρχήσασθαι Σέλευκος, τοῦτον τὸν Βάθυλλόν φησι Ἀριστόνικος, καὶ Πυλάδης, οὗ ἐστι καὶ σύγγραμμα περὶ ὀρχήσεως, τὴν Ἰταλικὴν ὄρχησιν συστήσασθαι ἐκ τῆς κωμικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο κόρδαξ· καὶ τῆς τραγικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο ἐμμέλεια. καὶ τῆς σατυρικῆς, ἣ ἐλέγετο σίκιννις· διὸ καὶ οἱ σάτυροι σικιννισταί. *Saltationis Tragicæ primus auctor fuiſſe traditur Bathyllus Alexandrinus; quem rectè ſaltâſſe ait Seleucus. Ariſtonicus, & Pylades, qui de ſaltatione librum edidit, Italicam ſaltationem ab hoc Bathyllo ſcribunt conflatam fuiſſe è Comica, quam Cordaca nominabant; Tragicam, quam Emmeliam, & Satyrica, quam Sicinnim; unde & Satyrarum Scriptores Sicinniſtæ nominarunt.* Subjicit deinde diſcrimen inter ſaltationem Bathylli, & Pyladis: illam Pyla-

Pyladis fuiſſe ait ὀγκώδη, παθητικήν τε καὶ πολύκοπον· *faſtuoſam, affectibus movendis idoneam, & operoſam:* Bathylli verò ἱλαρωτέραν, *hilarem magis.*

42. §. *Saltationis vim oſtendit Memphis Pythagoreus, idemque egregius ſaltator, qui Pythagoricam philoſophiam, in ſilentio conſiſtentem, ſaltando plenius demonſtravit, quàm qui dicendi artem profitentur.*

Refert Athenæus lib. I. Ac ibidem legas ex Xenophonte, ut Socrati etiam grata fuerit Memphitica hæc ſaltatio. Sed & Teleſtes, Æſchyli ſaltator, tragœdiam quandam integram ſaltando expreſſit, docuitque. Protei quoque fabula, & Empuſæ ſpectrum, originem cepere ex eo, quòd ſaltando illi omnes formas referret, & hac celeritate pedum in ſaltando mirum in modum polleret. Mitto de Corybantibus, Caſtore, & Polluce, Orpheo, Muſæo, Baccho ipſo, ſaltatoribus eximiis; ut ex poëtis cognoſcimus.

43. §. *Hactenus vidimus de Muſices diverſitate, partim pro diverſi elementi, aëris puta, vel aquæ, agitatione; partim pro inſtrumentis diverſis. Sequitur diviſio à modis; qui, pro fine diverſo, aliter atque aliter vocem flectunt. Hi fines variant pro moribus gentium. Quarum præcipuè in conſiderationem veniunt Æoles, Dores, Iones.*

Ita nobili teſte ſuffultus Athenæus lib. XIV. Ἡρακλείδης δ' ὁ Ποντικὸς ἐν τρίτῳ περὶ Μουσικῆς, οὐδ' ἁρμονίαν φησὶ δεῖν καλεῖσθαι τὴν Φρύγιον, καθάπερ οὐδὲ τὴν Λύδιον. Ἁρμονίας γὰρ εἶναι τρεῖς. Τρία γὰρ καὶ γενέσθαι Ἑλλήνων γένη, Δωριεῖς, Αἰολεῖς, Ἴωνας. *Heraclides Ponticus lib.* III. *de Muſica, nec Phrygiam cenſet vocandam harmoniam, nec Lydiam. Tres enim Græcorum nationes eſſe; Æolas, Doras, Ionas, moribus inter ſe non parum diſſidentes.*

44. §. *Ionum cantus hilaris, ac mollis, erat; propterea quòd illis dominati ſunt barbari Alvareges, qui mollitie diffluebant. Doricus cantus, pro natura gentis, non diffuſus, aut hilaris, non varius, ac multiplex, ſed vehemens, ſeverus, tetricus. Æolicus ſuperbus, ac tumidus; uti elata ipſa gens, equorum ſtudio, & conviviis amplis, gaudens.*

Sic de hiſce etiam Athenæus ibidem. Ubi & legas, Lacedæmonios patriam ſervare conſuetudinem; hoc eſt, Doricam harmoniam. Theſſalos verò ſequi modos Æolios, quia, ut ab Æolibus orti, ita eandem vitæ rationem teneant. Modoſque Æolicos dici quoque Hypodoricos, quòd non ſint Dorici prorſus, propiùs interim ad eos accedant. Mileſiorum verò ingenium in Ionibus relucere; qui molles; unde, juxta certiſſimam Scaligeri emendationem, ſic Martialis, vel aliis, epigrammatis de Amphitheatro:

Nec Trivia templo molles laudentur Iones.

Hiſce verò modis addi præcipuè ſolent cantus Lydius, & Phrygius: quos Heraclides, ut antea ex Athenæo vidimus, negabat à tribus illis memoratis eſſe diverſos: nempe quia putaret, ad eos poſſe revocari; nec φύσει * ipſâ differre, ſed accidente duntaxat. Erat autem Muſica Lydorum querula: Phrygum verò, quæ Ariſtoxeno teſte, Hyagnidis Phrygis inventum erat, gravis ac vehemens: & ut Dorica animum inſpirabat bellicum, ita Phrygia ciebat religionem, ſive ſuperſtitionem potiùs. Atque hæc duo Muſices genera, puta Lydorum, ac Phrygum, ſi audimus Athenæum lib. XIV †. Græcis demum innotuerunt, quando utraque gens cum Pelope in Peloponneſum deſcendit. Cæterùm Alexander Cornelius, patriâ Coryæus, cognomento Polyhiſtor, librum compoſuit, quo egit de Muſicis Phrygiis. Memorat Plutarchus initio libri de Muſica. Sed omnia ejus viri deperierunt.

* *Natura, ſive eſſentia.*

† *Pag. 625. edit. Commelin.*

45. §. *Cum igitur minimè par omnis cantûs ratio ſit; ac ille maſculum inſpiret animum; alius verò emolliat: planè opus eſt diſpicere, cujuſmodi cantus pro tempore quoque alicui conveniat; ne pro medicina quis damnum ferat.*

Hinc Ammonius in Porphyrii Iſagogen: Ἀκούοντες σάλπιγγος, θυμικώτερον διατιθέμεθα, καὶ διὰ τοῦτο ἐν πολέμοις ἡ σάλπιγξ ἐπιτηδεύεται. ἀκούοντες δὲ θεατρικῶν μελῶν, ἐκλυτώτερον διακείμεθα τὰς ψυχάς. *Cum tubam audimus, vehementius animo concitamur, & audaciores reddimur: ac propterea ejus uſus eſt in bello. Sin in theatris audiamus dulcia illa cantica, animo eſſe incipimus remiſſo, ac diſſoluto.* De hac Muſices varietate ſic Maximus Tyrius orat. VII. Οὐδὲ γὰρ τῆς ἐν Μουσικῇ μελῶν εἷς νόμος, οὐδὲ χρόνος. Καλὸν μὲν ἐν πολέμῳ τὸ ὄρθιον· καλὸν δὲ ἐν συμποσίῳ τὸ παροίνιον. Καὶ καλὸν μὲν Λακεδαιμονίοις τὸ ἐμβατήριον. καλὸν δὲ Ἀθηναίοις τὸ κύκλιον. Καὶ καλὸν μὲν ἐν διώξει τὸ ἐγκελευστικόν. καλὸν δὲ ἐν φυγῇ τὸ ἀνακλητικόν. *Nec enim in Muſicis unus eſt modus, aut unum tempus. Pulchrum in bello id, quod orthion nominant: pulchrum in convivio id, quod parœnion vocatur. Ac Lacedæmoniis pulchrum, quod embaterion appellatur: Athenienſibus verò, quod Cyclion dicunt. Pulchrum inſequenti hoſtem, quod enceleuſticon: pulchrum fugienti, quod anacleticon nuncupatur.* De hac modorum diverſitate ſic ſcribit Caſſiodorus Variarum lib. II. epiſt. XL. ad Boëthium: *Hoc totum inter homines quinque tonis agitur; qui ſinguli provinciarum, ubi reperti ſunt, nominibus vocitantur. Miſeratio quippe divina localiter ſparſit gratiam, dum omnia ſua valde fecit eſſe laudanda. Dorius pudicitiæ largitor, & caſtitatis effector eſt. Phrygius pugnas excitat, & votum furoris inflammat. Æolius animi tempeſtates tranquillat, ſomnumque jam placatis attribuit. Iaſtius intellectum obtuſis acuit, & terreno deſiderio gravatis cœleſtium appetentiam bonorum operator indulget. Lydius, contra nimias curas, animæque tædia, repertus, remiſſione reparat, & oblectatione corroborat.* Ad Phrygium numerum pertinent hæc Martiani Capellæ lib. IX. *Quid quòd bella, victoriaque undique meis cantibus conquiſita? Nam Cretes ad citharam dimicabant: Lacedæmonii ad tibias.* De utraque hac gente ſimiliter Polybius lib. IV. Οὐδὲ τοὺς παλαιοὺς Κρητῶν, καὶ Λακεδαιμονίων, αὐλὸν, καὶ ῥυθμὸν εἰς τὸν πόλεμον, ἀντὶ σάλπιγγος, εἰκῇ νομιστέον εἰσαγαγεῖν. *Neque exiſtimandum, veteres Lacedæmonios, & Cretenſes, loco tubæ tibiam, & rhythmum, ad bella ſine cauſſa uſurpâſſe.* Similiter de utriuſque Agellius lib. I. cap. XI. ubi de Lacedæmoniis auctorem laudat Thucydidem; apud quem id legas in quincto belli Peloponneſiaci. De Cretenſibus non tuetur ſe ſcriptore antiquo: ſed poterat adducere Heraclidem in Politicis, ac Polybium, cujus jam verba retulimus; & ſe paullò vetuſtiorem Plutarchum lib. de Muſica. Poſteaque idem relatum à Martiano Capella lib. IX. & Græco Hermogenis interprete in librum περὶ ἰδεῶν. Ubi & illud memorat, ut Timotheus cantu ſuo Alexandrum M. ad arma concitârit. Quod etiam refert Dio Chryſoſtomus orat. I. de Regno, & B. Baſilius de legendis Græcorum, ſive potiùs gentilium libris. Ac geminum hiſce, quod de Antigenida tibicine ἁρμάτειον νόμον * concinente refert Plutarchus lib. II. de fortuna, vel virtute Alexandri †: ubi regem eum ait ſic fuiſſe eo cantico inflammatum ut cum impetu arma, quæ in proximo conſpiceret, continuò arriperet, ac teſtimonium ferret Spartiatis ita canentibus: Ἕρπει γὰρ ἄντα τῶ σιδάρω τὸ καλῶς κιθαρίσδεν. Quod Budæus reddidit, *Viget enim in ferrum ſcitè fidibus canere.* Mirum etiam exemplum de citharœdo, & Erico II. Daniæ rege, prodidit Saxo Grammaticus lib. XII. ‡. Et illi Alexandri M. exemplo, quod jam vidimus, ſimile de Hippolyto Medice, Cardinale in Pannonia apud exercitum (legatus erat) agente, narrat Hieronymus Magius Var. Lect. lib. IV. cap. XIII. Et quid mirum, ſi Muſica tantum in animos poſſit humanos; quando & equi tubarum cantu ad prœlium animantur? Quod cùm experientiâ ſit notiſſimum; Plinium, Heliodorum, cæteros, nihil opus ad partes advocare. Quemadmodum autem tubarum clangor

* *Modum harmation.*

† *Pag. 597 edit. H. Stephan. At non de Antigenida, ſed Timotheo id referunt alii: in his Suidas in* Τιμόθεος.

‡ *Pag. 226 edit. Sorana.*

clangor eam vim habet in hominibus, & mutis animantibus: ita contra ululatus barbaricus maximè dejicit animos non adſuetos. Ideo Parthi non cornibus, aut tubis, claſſicum canunt; ſed pulſantes ligna cavata, & corio obducta, quibus ærea circumpoſuere tintinnabula, ad terrendum hoſtem, fuſcum, & dirum edunt clangorem: qui ululatus verius ſit, ſed tonitruis habens aſperitatem. Hoc valde perculit exercitum M. Craſſi cum Parthis pugnaturi: ut eſt apud Plutarchum in Craſſo: ubi addit *, τῶν αἰσθητηρίων ἀκοὴ ταρακτικώτατόν ἐστι τῆς ψυχῆς, καὶ τὰ περὶ ταύτην πάθη τάχιστα, καὶ μάλιστα ἐξίστησι τὴν διάνοιαν. *ab auditûs ſenſu animum turbari maximè, ejuſque ociſſimè cieri affectum, ac potiſſimùm mentem de ſtatu dejici.*

* Pag. 1010. edit. H. Stephan.

46. §. *Nihil verò æquè diſparem arguit vim Muſices, quàm quòd, eâ immutatâ, immutari etiam Reip. forma ſolet.*

Propterea Timotheus Mileſius, qui temporibus claruit Philippi, Amyntæ filii, patris Alexandri Magni, cùm in magade, organo Muſico, plures adhibuiſſet nervos, quàm antea ſolerent; in judicium eſt vocatus, quaſi priſcam labefaceret Muſicen: ut eſt apud Athenæum lib. XIV. Hinc Cicero lib. II. de Legg. *Graviter olim iſta vindicabat vetus illa Græcia, longè providens, quàm ſenſim pernicies illapſa civium animos malis ſtudiis, maliſque doctrinis, repentè totas civitates everteret. Siquidem illa ſevera Lacedæmon nervos juſſit, quos plures, quàm ſeptem haberet, in Timothei fidibus demi.* Terpandro etiam, cum chordam unam in cithara intendiſſet citra neceſſitatem: mulcta fuit ab Ephoris indicta, ac paxillo cithara ejus ſuſpenſa in rei memoriam. Atque idem Phrynnidi contigit Teſtis Plutarchus περὶ μουσικῆς.

47. §. *Interim dubiæ ſit diſquiſitionis, meliuſne dicatur, Muſicâ immutatâ etiam verti formam Reipublicæ; an inverſis Reip. moribus, Muſicam quoque immutari. Prius eſt Damonis; quem Plato ſequi voluit. Sed alteram in opinionem Cicero fuit proclivior.*

De Damone teſtis Plato ipſe in IV. de Rep. ubi eum ait dixiſſe, *non poſſe Muſicen immutari in Rep. quin continuò magna ſequatur Reip. immutatio.* Sed non prorſus aſſenſiſſe Tullium, hæc indicant verba in III. de Legibus: *Idque haut paullò eſt verius, quàm quod Platoni noſtro placet; qui, Muſicorum cantibus, ait, mutatis, mutari civitatum ſtatus.* Sed fuſiùs hoc ipſum exponit libro de Legibus ſecundo, his verbis: *Civitatumque hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum conſervare modum; quarum mores, lapſi ad mollitiem, pariter ſunt immutati cum cantibus: aut hac dulcedine, corruptelâque, depravati, ut quidam putant: aut cum ſeveritas eorum ob alia vitia cecidiſſet, tum fuit in auribus, animiſque mutatis, etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem ſapientiſſimus vir Græciæ, longeque doctiſſimus, valde hanc labem veretur. Negat enim, mutari poſſe Muſicas leges ſine immutatione legum publicarum: ego autem nec valde id timendum, nec planè contemnendum puto.* Videmus aliquem hic diſſenſum; nec obſcura ejus ratio eſt. Apud Romanos fuit parvum Muſices decus; ut immutatio ejus, Ciceronis ætate, vel exigua fuerit, vel nulla. Diſpar ratio apud Græcos; ubi magnus ejus artis honos; & pluribus viris cordatis obſervatum, vel cum Muſica immutatos mores; ut voluit Plato; vel cum moribus Muſicen; ut maluit Tullius.

48. §. *Quamquam verò tanta ſit vis Muſices: nihil tamen opus, accuratè eam diſcere univerſos: ſed ſufficit in multis, ſi impendant horas quaſdam ſubſicivas. Minimè omnium verò ab iis exigam, qui aut voce minùs valent, aut naturâ ad hoc ſtudium minùs trahuntur. Tum illis, qui ad ſpem Reip. educantur: in qualibus ſæpe guſtus aliquis Muſices ſufferit: præſertim cùm fructum hujus artis conſequi iis liceat cantu etiam alieno; utcunque ipſi non admodum ejus ſint intelligentes. Ut mittam, quod, extra hymnos ſacros, rarò admodum cantent viri graves, inque dignitate conſtituti. Magis id faciunt vitâ ſordidi, vel vino madidi: alii vix aliter, quàm ſi animum lubeat remittere, ac penè dixerim amittere.*

Cui, poſt tot allata antè Muſices præconia, in extremo hic videamur non honeſtè ſatis loqui de arte honeſtiſſima: is videat, quid Ariſtoteles ipſe dicat libro antè memorato: Οὐ γὰρ ὁ Ζεὺς αὐτὸς ᾄδει, καὶ κιθαρίζει τοῖς ποιηταῖς· ἀλλὰ καὶ βαναύσους καλοῦμεν τοὺς τοιούτους, καὶ τὸ πράττειν οὐκ ἀνδρὸς μὴ μεθύοντος, ἢ παίζοντος. *Non enim Jupiter canit, neque utitur citharâ apud poetas. Quin & tales vocamus ſordidos: atque hoc agere non putamus viri, niſi vel ebrii, vel ludentis.*

49. §. *Imò Muſica Phrygia, ac Dithyrambica, & quæcunque animos concitat, ne pueris quidem convenit; uti nec feminis: ſed illa duntaxat, quæ animos ſedat.*

Unde Socrates apud Platonem libris de Rep. tibiam improbat: ut quæ animos accendat, præſertim in feminis, quæ iis uſæ ad furorem concitandum in Orgiis Bacchi, & ſacris Magnæ Matris: ubi idcirco & tympanis, ac cymbalis locus. Ac putat Ariſtoteles, quòd Minerva dicitur tibias abjeciſſe, (de quo Melanippidis verſus habemus in quartodecimo Athenæi) id non tam fingi, quòd tibiæ cantus vultum reddat deformem, quàm quia animum perturbet, quem in ſapiente ſedatum eſſe convenit. Jamblichus verò, in vita Pythagoræ, utramque hanc cauſſam junxit: ubi rationes adfert, cur Pythagoras lyram potiùs amârit, quàm tibiam. Sic enim ſcribit cap. XXV. Τοὺς γὰρ αὐλοὺς ὑπελάμβανεν ὑβριστικόν τι, καὶ πανηγυρικὸν, καὶ οὐδαμῶς ἐλευθέριον τὸν ἦχον ἔχειν. *Putabat enim, tibias ſonum habere ad contumelias concitantem, & magis aptum populi conventui, & omnino illiberalem.* Latini tamen aliter videntur judicâſſe. Nam, ut initio quarti Tuſcul. Qu. ex Catonis Originibus refertur, *mos fuit epularum, ut deinceps qui accumberent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes, atque virtutes.* Sed aliter Græci: qui in conviviis lyrâ utebantur: quam cùm Themiſtocles recuſâſſet, habitus eſt indoctior; ut prodidit Tullius I. Tuſc. Quæſt. Mirum verò, quòd Plato, (ut VIII. Polit. Ariſtoteles obſervat) cùm tibiam arceat, tamen Phrygios modos admittat. Nam quæ vis tibiæ in inſtrumentis: eadem in harmoniis eſt modi Phrygii. Eoque Ariſtoteles rectiùs commendat modos Dorios: quibus omnes conſentiunt ineſſe στασιμώτατον, καὶ ἀνδρεῖόν τι, *ſtabile quid, & maſculum.* Ne id quidem prætereundum, utcunque primitus apud Athenienſes, præſertim poſt bellum Medicum, gliſcente luxu, magnus fuerit honos tibiis; poſt tempora tamen Alcibiadis habitam rem ſordidam ac illiberalem. Teſtis apud Platonem Socrates, ſic Alcibiadem alloquens: Ἔμαθες γὰρ σύ γε, ὧν ἐγὼ μέμνημαι, γράμματα, καὶ κιθαρίζειν, καὶ παλαίειν· οὐ γὰρ δὴ αὐλεῖν γε ἤθελες μαθεῖν. *Quantum enim memini, didiciſti legere, ſcribereque, & citharâ canere: nam tibiâ canere noluiſti diſcere.*

50. §. *Quare quis magis notitiâ Muſices laudari, quàm ignorantiâ ejus culpari, mereatur: præſertim ſiquis animum totum applicuerit gravioribus.*

Socrates quidem jam ſenex à Conno didicit fidibus canere: & in Epaminonda laudatur, quòd commodè ac ſcienter tibiis cantaret: quin ejus etiam præceptores celebrantur, in citharizando Dionyſius, in cantu tibiæ Olympiodorus, in ſaltando Calliphron; teſte Nepote in ejus vita. At Themiſtocles, magnus imperator, neſciebat eam artem. Unde cùm in epulis recuſâſſet lyram, habitus eſt indoctior; ut eſt in Ciceronis Tuſculanis. Sed oggerebat The-

Themiſtocles, ſe, etſi neſciret canendi artem: tamen ſcire artem, quâ civitas ex parva redderetur magna. Spartani Muſicen quidem diſcebant; ſed veterem, & ſimplicem. Itaque in eos, qui aliquid innovarent, tanquam malè ingenioſos, & qui Muſicen veram potiùs corrumperent, ter animadverſum fuit; teſte Athenæo in xiv*. Nempe in Terpandrum, Timotheum, & Phrynnidem; ut ſuperiùs † diximus. Romanis verò moribus levis erat Muſices honos: quod ſatis indicat Cornelius Nepos in Vitarum proœmio. Hodie autem ſiquis eam ſolùm deguſtârit, ignorantia illa eo minùs vitio verti debet, quòd vetus Muſica jam diu degeneravit. Nam ſi exceperis, quæ fiunt, tum ſecundùm Scripturam; ubi præcipitur, ut Deum pſalmis, ſacriſque canticis, celebremus: tum ex medicorum præſcripto, qui Muſicen ad melancholiæ morbum proclivibus magno cum fructu commendant: pauci omnino hac arte utuntur ad perturbationes animi ſedandas; plurimi ad voluptatem; nec rarò etiam luxuriem, & protervìam: quo nomine & de ſuo jam olim ævo conqueſtus fuit Athenæus lib. xiv. Plura qui de Muſica, ac ſaltatione, volet, adeat Plutarchi librum de Muſica, Lucianum de ſaltatione, Athenæum lib. xiv: ut præteream ipſos artis ejuſce ſcriptores, tum veteres, tum recentes.

*P. 628. edit. Commelin.

† 46. §.

Cap. V.
DE GRAPHICE,
Sive arte pingendi.

1. §. *Tribus iis artibus, quas diximus, ab aliquibus etiam jungebatur pictura.*

Docet hoc præter Ariſtotelem, & alios, Galenus. Quia verò, quæ ſuperiùs dicebamus de diviſione artium in liberales, & illiberales, non leviter firmat: verba ejus apponam. Sic igitur ille in Exhort. ad perdiſcendas artes: Τέχνην ἀσκητέον ἐστὶ διὰ παντὸς τοῦ βίου παραμένουσαν. Ἀλλὰ διττῆς οὔσης διαφορᾶς τῆς πρώτης ἐν ταῖς τέχναις· ἔνιαι μὲν γὰρ αὐτῶν λογικαί τ᾽ εἰσὶ, καὶ σεμναί· τινὲς δ᾽ εὐκαταφρόνητοι, καὶ διὰ τῶν τοῦ σώματος πόνων, ἃς δὴ βαναύσους τε καὶ χειρωνακτικὰς ὀνομάζουσιν. Ἄμεινον ἂν εἴη τοῦ προτέρου γένους τῶν τεχνῶν μετέρχεσθαί τινα· τὸ γάρ τοι δεύτερον γένος αὐτῶν, ἀπολείπειν εἴωθε γηρῶντας τοὺς τεχνίτας· εἰσὶ δ᾽ ἐκ τοῦ προτέρου γένους, ἰατρική τε, καὶ ῥητορικὴ, καὶ μουσικὴ, γεωμετρία τε, καὶ ἀριθμητικὴ, καὶ λογιστικὴ, καὶ ἀστρονομία, καὶ γραμματικὴ, καὶ νομική. Πρόσθες δ᾽ εἰ βούλει ταύταις πλαστικήν τε, καὶ γραφικήν· εἰ γὰρ καὶ διὰ τῶν χειρῶν ἐνεργοῦσιν, ἀλλ᾽ οὐκ ἰσχύος νεανικῆς δεῖται τὸ ἔργον αὐτῶν. *Ars aliqua perdiſcenda eſt per omnem vitam permanſura. Porrò cùm primâ diviſione in geminum diſcrimen artes diſtribuantur (quædam enim ex bis ratione conſtant, ſuntque liberales & honeſtæ: quædam contrà contemptibiles, quod corporis laboribus conſtent; quas ſedentarias, ac manuarias, vocant) præſtiterit ex priore genere quampiam diſcere. Nam poſterius illud genus deſtituere ſolet ſenectute gravatos artifices. Prioris autem generis ſunt Medicina, Rhetorica, Muſica, Geometria, & Arithmetica, Dialectica, Aſtronomia, Grammatica, ac Legum peritia. Adde his, ſi voles, fingendi, pingendique artificium: quamquam enim ambo manuariâ conſtent operâ, neutrius tamen exercitatio eget robore juvenili.* Sed Galenus, ut videmus, etiam pro arte liberali habet πλαστικὴν, ſive fingendi artem ex argillâ, cerâ, aliâve materiâ: unde ſimilitudine peritiâ de mollibus, ac cereis puerorum ingeniis, ait Horatius lib. ii epiſt. ii:

—*argillâ quidvis imitaberis udâ.*

Verùm aliis ſola eſt liberalis γραφικὴ, ſive pingendi ars, quæ in tabula penicillo lineas ducit, & colores addit, ut homines, beſtias, plantas, ædificia, ac alias res, exprimat. Utrique interim commune, quod de γραφικῇ* dicebat Socrates, eam εἰκασίαν εἶναι τῶν ὁρωμένων· *eſſe imitationem, ſive repræſentationem eorum, quæ videntur.*

* Arte pingendi.

2. §. *Græcorum de hac arte judicium oſtendit, quòd ingenui ſolùm pueri diagraphicen in buxo diſcerent.*

Itaque graphis, quâ in pingendo opus, ſervis interdicta. De hoc mox Plinii verba adducam.

3. §. *Ars pingendi initia ſua habet à Natura. Nam inſitum eſt nobis imitari: ac magnam ex imitatione capimus voluptatem; cui ars incrementa ſua debet.*

Hinc Philoſtratus lib. ii de vita Apollonii cap. x ait: ἡμᾶς φύσει τὸ μιμητικὸν ἔχειν· *nos naturâ habere imitandi facultatem.* Ac poſtea: Ἄμφω ὁμολογοῦμεν, μιμητικὴν μὲν ἐκ φύσεως τοῖς ἀνθρώποις ἥκειν· τὴν γραφικὴν δὲ ἐκ τέχνης. *Ambo conſentimus, imitandi facultatem à natura hominibus advenire: pingendi verò peritiam ab arte proficiſci.* Alter item Philoſtratus in præfatione bipartiti Iconum operis: Διὰ ξυμμετρίας ἢ λόγου ἡ τέχνη ἅπτεται· καὶ βουλομένῳ μὲν σοφίζεσθαι, θεῶν τὸ εὕρημα, διά τε τὰ ἐν γῇ εἴδη, ὁπόσα τοὺς λειμῶνας αἱ Ὧραι γράφουσι, διά τε τὰ ἐν οὐρανῷ φαινόμενα· βασανίζοντι δὲ τὴν γένεσιν τῆς τέχνης, μίμησις μὲν, εὕρημα πρεσβύτατον, καὶ ξυγγενέστατον τῇ φύσει. Εὗρον δὲ αὐτὴν σοφοὶ ἄνδρες, τὸ μὲν ζωγραφίαν, τὸ δὲ πλαστικὴν φήσαντες. *Per proportionis commenſum, ſive membrorum congruentiam, ars ipſa rationem attingit: & ſiquis, Sophiſtarum more, loqui voluerit, Deorum eſt inventum, cùm ob ſpecies, quibus in terra Horæ* (hæ Deæ præſunt quatuor anni tempeſtatibus) *pingunt prata; tum vel maximè, quæ in cœlo apparent. Perſcrutanti autem ipſius artis ortum, imitatio utique eſt vetuſtiſſimum inventum, naturæque cognatum. Ipſam autem ſapientes excogitarunt viri, partim pingendi, partim fingendi artem appellantes.* De naturali iſto imitandi ſtudio ſatis diximus libro de Natura, ac Conſtitutione Poëticæ cap. xi. Quid mirum verò, ſi & Poëtica, & Pictura, ſimilem habeant originem, quando & aliis in multis conveniunt? ſic ut à Simonide dictum ſit, picturam eſſe tacentem poëſin: poëſin autem loquentem picturam. Refert quoque Plutarchus lib. de audiendis Poëtis.

4. §. *Eſtque hæc ars vetuſtiſſima: utcumque Plinius putârit, eam necdum Trojanis fuiſſe temporibus. Contrarium enim tum ex Homero evincitur; quo auctore, Vulcanus in Achillis clypeo cœlavit cœlum, ſidera, terraſque: tum Heſiodo, cœlaturam clypei Herculei deſcribente.*

Scio, de cœlatura utrobique eſſe ſermonem, non picturâ. Sed etiam hæc eſt pictura quædam, laxiùs eâ voce acceptâ, utcumque cœlo, non penicillo fiat. Nec cœlaturam ſimplici picturâ, quæ cretâ, vel aliter, ſolis fieret lineamentis, ſine coloribus, vetuſtiorem eſſe, credibile eſt. Objicere etiam poſſis, hæc non ſine errore poëtarum dici; qui de Trojani excidii tempore, & eo, quod anteceſſit, ſic locuti ſint, tanquam ſuo: à cujuſmodi erroribus non eſſe immunes poëtas, cùm alibi* oſtendi, tum imprimis lib. i Artis Poëticæ cap. iii. Sed enim ut hoc largiremur, alia ſuppetunt, quibus major etiam antiquitas adſtruatur. Ut iis, quæ de Dædalo narrat Apollodorus lib. iii bibliothecæ. Fuiſſe eum ait filium Eupalami, nepotem Metionis ex Alcippe, architectum optimum, imò πρῶτον ἀγαλμάτων εὑρετήν: *primum repertorem imaginum, & ſimulachrorum.* At Dædalus non antè bellum modò Trojanum, ſed & ante Argonauticam expeditionem fuit: ut ex Euſebio liquet, qui de eo ſic ſcribit ad annum DCCXXVII: *Dædalus viſus eſt ſimulachra feciſſe moventia. Primus enim omnium pedes ſtatuarum à ſe invicem ſeparavit, aliis conjunctim eos fabricantibus. Palephatus memorat.* Ubi duo de Dædalo

* Lib. 4. Orator. Inſtit. cap. 11. ſect. 7.

f

dalo referuntur, quòd ſimulachra ejus fuerint pedibus diſcretis, & ab interna vi moverentur. In quibus priorum ſuperavit induſtriam; qui ſimulachra fecerant pedibus junctis, non diſcretis, quales ambulantium: præterea neſciebant ſuis ſimulacris infundere argentum vivum, quo agitante, naturaliter, & per ſe moveri viderentur. Male verò vel Euſebius, vel Hieronymus, cur αὐτοκίνητα* viderentur, propriè cauſſam putat, quòd pedes eſſent diſcreti. Nam ut ſtatua ſit pedibus disjunctis, non eo videatur per ſe moveri: ſed hoc aliam habet cauſſam, quam jam adduximus ex Themiſtio. Quod ſi ante Dædalum ſtatuæ erant pedibus junctis, antiquiores Dædalo ſtatuæ ſint; credo à Telchinibus; de quibus ſic Siculus lib. v bibliothecæ: Ἀγάλματα θεῶν πρῶτοι κατασκευάσαι λέγονται, καί τινα τῶν ἀρχαίων ἀφιδρυμάτων ἀπ' ἐκείνων ἐπονομάζεσθαι· *Primi dicuntur fabricâſſe quadam ſimulacra Deorum, & quadam è veteribus ſimulachris ab hiſce Telchinibus Telchinia cognominari.* Quid jam de eo dicemus, quòd, ut Flavius Joſephus lib. III Antiquit. cap. IV, & IX, imò Moſes ipſe Exodi cap. XXXI, narrat, Deus Beſeleelem, & Ooliabum, deſignârit tabernaculi architectos? in quo opus ſculpturâ, & cœlaturâ: velut in Cherubim effigurandis, atque aliis. Quid quòd ipſe Tara, Abrahæ patriarchæ parens, dicitur fuiſſe ἀγαλματοποιός*: quodque Seruchus, filius Ragau, ſive Rehu, Abrahami proavus, primus ſtatuas ſtatuiſſe viris fortibus putatur? Qua de re etiam diximus lib. III de gentili Theologia, & Phyſiologia Chriſtiana, cap. XLV. Quantillo ſic à diluvio abſumus. Nam Sem, filius Noë, Seruchi tritavus fuit. Scio hæc de ſtatuaria, ſculpturâque, & cœlaturâ, referri, non picturâ: ſed adeò hæc affinia ſunt, ut vulgatus interpres I, ſive III Reg. cap. VI. 32, dicat, *Sculpſit in eis picturam Cherubim.* Ubi Hebræa ſonat, *calavit in eis calaturas Cherubim.* Vel potiùs, *exſculpſit ſculpturis Cherubim.* Sive, ut ſocer meus, Fr. Junius, in ſua bibliorum tralatione, reddidit, *incidit cæſuras Cherubinorum.* Nec veriſimile eſt, picturam multò fuiſſe poſteriorem ſculpturâ, vel cœlaturâ.

* Per ſe mobilia.

* Statuarius.

5. §. *Si Græcos audimus, origo picturæ fuit ex lineis umbra hominis circumductu. Poſtea & intus lineas ſparſere. Hinc deventum ad picturam μονοχρώματον, ſive qua ſingulis fiat coloribus. Poſt & umbras invenere, ac lumen, aliaque.*

Plinius lib. XXXV, cap. III: *De picturæ initiis incerta, nec inſtituti operis quæſtio eſt. Ægyptii ſex millibus annorum apud ipſos inventam, priuſquam in Græciam tranſiret, adfirmant, vanâ prædicatione, ut palam eſt. Græci autem alii Sicyone, alii apud Corinthios repertam, omnes umbrâ hominis lineis circumductâ. Itaque talem primam fuiſſe: ſecundam ſingulis coloribus, & monochromaton dictam, poſtquam operoſior inventa erat, duratque talis etiam nunc. Inventam linearem dicunt à Philocle Ægyptio, vel Cleanthe Corinthio. Primi exercuere Ardices Corinthius, & Telephanes Sicyonius, ſine ullo etiamnum colore, jam tamen ſpargentes lineas intus. Ideo &, quos pingerent, adſcribere inſtitutum. Primus invênit eas colorare teſtâ, ut ferunt, trita, Cleophantus Corinthius. Hunc, aut eodem nomine alium fuiſſe, quem tradit Cornelius Nepos, ſecutum in Italiam Demaratum, Tarquinii Priſci Romani Regis patrem, fugientem à Corintho injurias Cypſelli tyranni, mox docebimus. Iam enim abſoluta erat pictura, etiam in Italia.* Quod antiquis Italiæ picturis poſtea demonſtrat. De progreſſu artis deinde cap. V ſic ſcribit: *Tandem ſe ars ipſa diſtinxit: & invenit lumen, atque umbras, differentiâ colorum alternâ vice ſeſe excitante. Deinde adjectus eſt ſplendor: alius hic, quàm lumen: quem quia inter hoc, & umbram, eſſet, appellaverunt tonon: commiſſuras verò colorum, & tranſitus, harmogen.* Etiam de artis hujus progreſſu, naturâque, illuſtris eſt locus Philoſtrati lib. II de vita Apollonii cap. X. Ubi negat, ſolùm picturam eſſe, quæ coloribus fit diverſis. Ac rationem hanc ſubjicit: Καὶ γὰρ ἓν χρῶμα εἰς αὐτὴν ἤρκεσε τοῖς γε ἀρχαιοτέροις τῶν γραφέων· καὶ προϊοῦσα, τεττάρων· εἶτα πλειόνων ἥψατο· *Quippe & unus color veteribus illis pictoribus ſuffecit: &, procedente arte, quatuor erant ſatis: inde paullatim plures, pluresque, adhibiti.* Addit deinde alterum argumentum, quòd pictura etiam ſit abſque ullo colore: ut ſi cretâ ſolùm duxeris lineamenta Indi, ſive Æthiopis: quem non aliter concipias, quàm nigrum, ſi ſimas videas nares, genas eminentes, capillorum cincinnos, & quandam ſtuporis imaginem oculis circumfuſam. Ac notum, ut Apelles, cùm Rex Ptolemæus putaret, eum non invitatum acceſſiſſe convivium, ac propterea excandeſceret, carbone aſſumto, de foco, ſic in pariete depinxerit eum, qui invitâſſet; ut continuò à re[illegible] dignoſceretur. Cùm igitur, etiam ubi color abeſt, ex ſimilitudine formæ ſit agnitio; pictura etiam hæc dici debet: quantoque ſimplicior, tanto exiſtimanda antiquior. Tardiùs enim, ut Philoſtratus ait, color acceſſit: ac primò unicus; hinc quaterni; deinde plures. Hodie pictores habent decem colores palmarios: quos recenſet Cæſar Bullingerus lib. II de Pictura, ac Scalptura, cap. III.

6. §. *Interim hæc pingendi ars ſerò admodum à Græcis ipſis in liberalium eſt artium numerum recepta: factumque id primò auctoritate Pamphili Macedonis, qui Apellis præceptor fuit.*

De hoc, & aliis antè memoratis, ſic ſcribit Plinius lib. XXXV cap. X: ubi de Pamphile Macedone agit. *Primus in pictura omnibus literis eruditus, præcipuè Arithmetice, & Geometrice: ſine quibus negabat artem perfici poſſe. Docuit neminem minoris talento annis decem: quam mercedem & Apelles, & Melanthius, ei dedere. Et hujus auctoritate effectum eſt Sicyone primùm, deinde & in tota Græcia, ut pueri ingenui ante omnia diagraphicen, hoc eſt, picturam in buxo, docerentur; reciperetúrque ars ea in primum gradum liberalium. Semper quidem honos ei fuit, ut ingenui eam exercerent, mox ut honeſti; perpetuo interdicto, ne ſervitia docerentur. Ideo neque in hac, neque in toreutice, ullius, qui ſervierit, opera celebratur.* Quo loco in conſiderationem venit, quòd, utcumque pictura demum Philippi Magni temporibus majori in honore eſſe cœperit; tamen antea quoque in pretio fuiſſe dicatur. Atque hoc etiam cognoſcere eſt ex Thaletis verbis apud Stobæum; ubi ille Ionicæ ſectæ conditor conqueritur, pueros primùm tradi pædotribæ, harmonico, & pictori; adultiorem verò ætatem Arithmetico, & Geometræ.

7. §. *Iis, qui nobiliſſima hujus artis gloria invident, vel ſaltem eam juſto neſciunt pretio æſtimare, in ore illud eſſe ſolet, ex falſis nec lucem veritatis hauriri, nec utilitatem percipi; juxta illud Luciani**, τὸ χρήσιμον ἐκ τοῦ ἀληθοῦς μόνου συνάγεται†: *picturam verò nihil habere veri, cùm non res ipſas repræſentet, ſed rerum imagines duntaxat; quandoque & falſarum, velut chimæræ, & ſimilium.*

* Lib. de conſcribenda Hiſtoria.

† Utile ex ſola veritate colligitur. puta, per ſe: nam per accidens etiam ex falſis tum verum ſequitur, tum utilitas prómanat.

Atque huc referunt illud Lucilianum lib. XX:

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa.

Per pictorum verò pergulam intelligitur projecti, ſive Mœniani genus; ubi pictores opera ſua perfecta populo proponerent. Sic pergulæ Apelleæ meminit Plinius lib. XXXV, cap. X. Eſt & in Codice Theodoſiano de excuſat. artif. leg. IV de Picturæ profeſſoribus: *Ad negotiatorum quoque conlationem non devocari. Si modò ea in mercibus habeant, quæ ſunt propria artis ipſorum: pergulas, & officinas, in locis publicis ſine penſione obtineant.*

8. §. *Qui verò tam iniqui ſunt hujus artis judices, mirum ſi non & poëſin ex liberalibus ſtudiis quaſi furcillis ejiciant, ob ſummam ejus affinitatem cum pictura. Quod enim illa calamo, hæc exprimit penicillo.*

Itaque verſus Homeri, quibus effinxit Iovem, ut Phi-

diæ

diæ ad ſculpendum, ſic Euphranori ad pingendum, præbuere archetypon. Ut hac etiam parte verum ſit, quod ait Horatius in Arte:

Ut pictura, poëſis erit. ——

9. §. *Imò eſt, in quo magnam poëſios partem ſuperet pictura. Ut eo, quod oculis corporis, non animi ſolùm, aliquid repræſentet.*

Atqui, ut idem ait Horatius in Arte:

Segniùs irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradet ſpectator.

10. §. *Atque hoc non leviter ad laudem Picturæ pertinet: magis verò, quòd non modò eſt, ubi Poeſin vel æquet, vel vincat: ſed etiam paria Hiſtoriæ faciat. Nam & Pictura res geſtas ad poſteros tranſmittit. Unde illi quoque, qui legere hiſtorias neſciunt, ex picturis eas diſcunt. Præterea, ut Hiſtoria, ſic pictæ etiam imagines vehementer ad virtutem, & gloriam accendunt.*

Ut qui Hiſtoriæ utilitatem meritò prædicant, hunc etiam Picturæ uſum agnoſcere cogantur. Atque iſta bonam partem etiam ad plaſticæ, ſculpturæ, & ſtatuariæ laudem pertinent. Salluſtius in belli Jugurthini præfatione: *Sæpe audivi, Quintum Maximum: Publium Scipionem, præterea civitatis noſtræ præclaros viros, ſolitos ita dicere; Cùm majorum imagines intuerentur, vehementiſſimè ſibi animum ad virtutem accendi. Scilicet, non ceram illam, neque figuram, tantam vim in ſeſe habere; ſed memoriâ rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere; neque priùs ſedari, quàm virtus eorum famam, atque gloriam, adæquaverit.*

11. §. *Adde quòd pleraque omnia naturæ, & artis opera, meliùs penicillo pictoris, quàm calamo hiſtorici, ſeu naturalis, ſeu civilis, ob oculos ponantur.*

Ut ſi deſcribenda ſit forma hominis, muti animantis, plantæ, templi, arcis, pontis, & ſimilium.

12. §. *Adhæc cùm pictura conſtet luce, & umbrâ; ac artis ſit opus umbram luci immittere, aut lucem umbrâ obſcurare: ſatis liquet, picturâ etiam mediocri cognitione judicium acui in luminibus, coloribus, & umbris dignoſcendis.*

Quæ res multùm confert & in naturæ ſcientiâ, & in vitâ civili.

13. §. *At cavendus artis abuſus: qualis eſt, ſi illa pingantur, unde corrumpuntur mores.*

Ut ſunt concubitus, præcipuè deorum. Exemplum habemus in Terentiano Chærea, quem ſic Comicus ille loquentem inducit*:

* *Eunuch. act. 3. ſc. 5.*

—— *Dum apparatur, virgo in conclavi ſedet*
Suſpectans tabulam quandam pictam: ibi inerat pictura, hæc Iovem
Quo pacto Danaæ miſiſſe aiunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id ſpectare cœpi: & quia conſimilem luſerat
Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi:
Deum ſeſe in hominem convertiſſe; atque in alienas tegulas
Veniſſe clanculum per impluvium; fucum factum mulieri.
At quem Deum? qui templa cæli ſumma ſonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? ego illud verò ita feci, ac lubens.

Quem ad locum ſic Donatus: *Philoſophicè nunc Terentius demonſtravit, quam cladem moribus hominum, & civitatibus, adferant pigmenta poëtarum, cùm exempla ſcelerum adferunt peccaturis.* Propertium etiam audiamus lib. II, eleg. VI:

Quæ manus obſcœnas depinxit prima tabellas;
Et poſuit caſtâ turpia viſa domo:
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiaque ſuæ noluit eſſe rudes.

Firmat hanc ſententiam illud Achillis Tatii lib. I de Clitophontis, & Leucippes amoribus: Κἂν γὰρ εἰς σωφροσύνην τις ἑαυτὸν νουθετῇ, τῷ παραδείγματι πρὸς τὴν μίμησιν ἐρεθίζεται, καὶ μάλιστα ὅταν ᾖ τοῦ κρείττονος τὸ παράδειγμα. *Etſi ad temperantiam aliquis ſe comparârit; exemplo tamen trahitur ad imitandum; eoque faciliùs, quò nobilius ſe offerat exemplum.* Exinde rationem hanc ſubjungit, quòd quis, pudore pulſo, quo priùs abſterrebatur à peccando, mox cogitans, quantus ille ſit, qui præiverit, ad licentiam provehatur ſimile patrandi.

14. §. *Jure igitur Thebis lege prohibitum fuit, nequid obſcœni pingeretur, vel fingeretur: multaque irrogata adverſus eam peccantibus:*

Ut eſt apud Ælianum lib. IV Var. Hiſtor. cap. IV. Nempe in picturis comparatum, ut in mimis; quos eampſe ob cauſſam arcebant Maſſilienſes. De quibus ſic Valerius Maximus lib. II, cap. VI: *Maſſilia ſeveritatis cuſtos acerrima eſt, nullum aditum in ſcenam mimis dando; quorum argumenta majore ex parte ſtuprorum continent actus; ne talia ſpectandi conſuetudo etiam imitandi licentiam ſumat.*

15. §. *Ut verò ars hæc ſummæ eſt utilitatis, ita & difficultatis. Cujus cauſſa eſt, quòd ejus perfectio multarum adeò diſciplinarum auxilium requirit. Ac primùm pictor à Geometra accipit lineam, & ſymmetriam.*

Imò Pamphilus Macedo, Apellis præceptor, negebat perfici artem poſſe, ſine Arithmetica, & Geometriâ: quibus ille primus pictorum fuit excultus; ut ex Plinio antea vidimus.

16. §. *Ab optica capit hæc duo, umbram, & lumen.*

Quorum umbra facit receſſum, ſive ut aliqua longiùs diſtare videantur: lumen verò præſtat, ut quid emineat, ſive ut propiùs abeſſe videatur. Ad prius conducit ater color, ad alterum candidus. De hoc invento ſuperiùs Plinii verba adduximus. Atque abunde hæc elucent ex Amulii Minerva; de qua Plinius lib. XXXV, cap. X: Apellis Herculeaverſo; de qua idem lib. XXXVI, cap. V: item ex Bupalo, & Anthermo in Chio; de quibus Lucianus in Dea Syria. Vide & Tzetzem Chil. XI, hiſtor. CCCLXXXI; ac præcipuè lib. VIII, cap. CXCI. Ubi hæc illuſtrat Phidiæ, & Alcamenis exemplo.

17. §. *Præterea in pictore requiritur naturæ ſcientia. Eſt enim cum eo comparatum, uti cum hiſtorico. Quia, ut in geſtis narrandis, nec fingere licet, quod non evênit; nec præterire, quod evênit: ita neque pictori conceſſum vel exprimere falſum, vel omittere verum.*

Nempe γραφὴ τὴν ἀλήθειαν τιμᾷ*, ut ait Philoſtratus lib. I Iconum; ubi de Narciſſo. Itaque & Petronius Arbiter in Protogenis rudimentis laudat, quod ſic cum

* *Pictura colit veritatem.*

na-

naturæ veritate certarent, ut non ſine quodam horrore tractarentur. Icci rco & ἀνατομὴ, ſive incidendi corporis ſcientia, plurimùm confert pictori. Nec, ut puto obſcura eſt ejus ratio. Exactiùs enim ejus gnarus humani corporis proportionem in ſingulis ſervabit membris. Cumque non eadem in omnibus ſit proportio; faciliùs pulchriorem diſcernet. Nec enim in uno omnia ſunt præſtantiſſima. Ideo Zeuxis Helenam Crotoniatis picturus, ex ingenti multitudine virginum de publico conſilio unum in locum conductarum, quinque delegit; ut ex ſingulis, quod ſpecioſiſſimum foret, excerperet. Teſtis M. Tullius initio ſecundi de Inventione. Atque eandem rem narrat Plinius lib. xxxv. cap. ix. In eo tamen abit, quòd non de Crotoniatis, qui in Italia, id referat; ſed de Agrigentinis, qui in Sicilia. Interim convenit iis, quòd uterque dicat, Helenam pictam; non Venerem, quod putabat Cæſar Bullingerus lib. ii. de Pictura cap. xiii.

18. §. *Nec ſufficit formam noſſe hominis; ſed noſſe etiam convenit illam multarum animantium, plantarum, omnium denique, quæ orbis continet. Nam neque ſummi pictores effugere potuerunt, quin naturæ ignoratione in pingendo aliquid humanitus paterentur.*

Exemplo fuerit Nicon, vel, juxta alios, Apelles Epheſius; cui, cùm cætera equum ſcientiſſimè pinxiſſet, unum hoc jure objectum, quòd utrique palpebræ appoſuiſſet cilia, cùm inferior iis careat. Narrat Ælianus lib. iv. de Animal. cap. l. Apud Pollucem lib. iv. cap. ii. ſect. xii. pictor is non Νίκων, ſed Μίκων appellatur. Atque addit, neſciviſſe pictorem, piſcibus non eſſe palpebras, avibus palpebras, non pilos, quadrupedibus pilos, ſed ſolùm in palpebra ſuperiori, non utrâque, ut homini. Tzetzes Chiliad. xii. hiſtor. ccccxxvii. hunc Niconem appellat, ſed aliis ait vocari Polygnoſtum. Equum verò eum in varia porticu pictum fuiſſe. Sed pro Πολύγνωςος legendum Πολύγνωτος: de quo poſtea dicetur.

19. §. *A Φυσιογνωμία, & morum ſcientiâ, ſumit pictor mores, & affectus.*

Unde eſt, quòd aliter exprimit lenem, quàm iracundum; miſericordem, quàm crudelem; fortem, quam fugacem; humilem, quàm gloriæ avidum; atque ita in cæteris. Hinc Graphice Calliſtrato, ubi Æſculapii ſtatuam deſcribit, vocatur ἠθοποιὸς τέχνη, *ars mores effingens.* Ac poterat ſimiliter παθοποιὸς* dicere.

* *Affectus effingens.*

20. §. *Imò & in veteribus hiſtoriis rectè pingendis multum accurata antiquitatis notitia conducit.*

Ut in variarum gentium habitu: item formis templorum, altarium, theatrorum, accubitûs ad menſas, navigiorum, pluriumque id genus: quæ partim ex hiſtoricorum, atque aliorum libris; partim è ruinis, lapidibus, & nummis vett. cognoſcere licet.

21. §. *Nec ſolùm difficultas artis ex his elucet; ſed etiam quanta ejus ſit tum ſubtilitas, tum nobilitas, ac dignitas.*

Cardanus lib. xvii. de Subtilitate †: *Eſt pictura mechanicarum omnium artium ſubtiliſſima; eadem verò & nobiliſſima. Nam quicquid plaſtice, aut ſculptura conatur, mirabiliùs pictura fingit, addit umbras, & colores, & opticen ſibi jungit, novis etiam additis quibuſdam inventionibus. Nam pictorem omnia neceſſe eſt ſcire, quoniam omnia imitatur. Eſt philoſophus, pictor, architectus, & diſſectionis artifex.*

† Pag. 573. edit. Lugdunenſis anni 1580.

22. *Quæque de picturæ præſtantia diximus, ea magnam etiam partem communia ſunt artibus cognatis, vel affinibus. Hujuſmodi eſt ſculptura, quæ facit imagines in ligno prominentes: ſtatuaria, quæ idem præſtat in lapide, & metallo: cœlatura, quæ in ligno, lapide, metallove, imagines facit cavas: adhæc duæ illæ valde vicinæ; chymice, ſive fuſoria, quæ imaginem è metallo, aliâve materiâ, fundit: & plaſtice, quæ ex argilla, gypſo, vel ſimili materie, imagines facit.*

De quibus omnibus, poſtquam de naturali ſcientia egero, in artibus iis dicam, quæ ſecundùm ſcientiam naturæ operantur.

23. §. *Interim hasce etiam artes univerſas dignitate exſuperat pictura.*

Quod & Cardani judicium eſt in xvii. de Subtilitate: *Cùm videantur tria repræſentandi genera; primum quidem in ſuperficiebus, vocaturque pictura: alterum in corporibus jam factis, cælando, ſculpendoque: tertium, quod ipſa efficit corpora; vocaturque plaſtice: manifeſtum eſt picturam omnium harum eſſe difficillimam, atque ideo nobiliſſimam.* Id deinde firmat his verbis: *Picturæ partes tres ſunt; delineatio, umbra, atque color. Cùm enim in plano effingere corpora cogatur; umbrarum, & delineationum auxilio indiget: ob idque aliis artibus, quæ in corporibus ipſis effigies exprimunt, difficilior eſt.* Michaël tamen Angelus Bonarota judicabat, ſculpturam eſſe difficiliorem picturâ: eoque plura pinxit, quàm ſculpſit. Nempe quia in ſtatua ſint diverſi magis adſpectus pleni anaglyphi. Atque eam quoque ſententiam probat Cæſar Bullingerus*. Ludovicus Demontioſius † judicium ſuum non promit: ſed contentus eſt dicere: *Rerum ſimilitudines exprimere, & quicquid orbis complectitur, imitari, fictorum, & pictorum, propria laus ſemper fuit, dubiâ adhuc inter eos palmâ.*

* *Lib. 1. de pictura & ſtatuaria cap. 7.*
† *In Commentariis de ſculptura, & pictura antiquorum.*

24. §. *Atque hæc univerſè dicta ſunto de artis naturâ, ac præſtantia. Sequitur nunc, ut de Partitione ejus videamus. Prope autem cum Graphice comparatum eſt, ſicut cum Oratoria facultate. In hac primùm ſunt argumenta invenienda; deinde, quæ inveneris, collocanda; poſt ubi diſpoſueris, verborum, ſententiarumque, luminibus ornanda; ac denique voce, & geſtu, animanda. Pro quibus Oratoria dividitur in Inventionem, Diſpoſitionem, Elocutionem, & Pronunciationem, ſive Actionem. Itidem in arte Graphica primùm excogitare oportet materiem, atque argumentum ejus, quod pingere velimus. Hinc cogitandum, tum quo loco quidque debeat collocari: tum quis conveniat commenſus ſingularum partium, quem Græci dicunt συμμετρίαν. Exinde diſpiciendum de colore: quo comprehenduntur tum lumen, atque umbra; tum ſplendor, & opacitas. Denique exigitur decor à geſtu, & actione. Ubi manus, oculi, membra alia, in conſiderationem veniunt. Ac, pro hiſce quatuor, totidem Graphices partes ſtatuamus: inventionem, ſive argumentum, vel materiem: οἰκονομίαν, ſive diſpoſitionem, ac ſimul ξυμμετρίαν, quæ & ἀναλογία, vel ἁρμονία, appellatur: colorem, hoc eſt, tum lumen, & umbram, tum ſplendorem, & opacitatem: ac denique motum, ſive geſtum, qui quaſi vitam quandam inſpirat.*

Ut inventionem etiam inter partes Graphicæ referamus, ratione compellimur. Nec enim ſapientis eſt aliquid aggredi, unde laudem ſperet, niſi præmeditatò; atque ubi non ingenium modò, ſed etiam judicium intenderit. Vidit hoc etiam Nicias pictor: qui, ut Demetrius Phalereus ait lib. de Elocutione ‡, ᾤετο τὴν ὑπόθεσιν αὐτὴν μέρος εἶναι τῆς ζωγραφικῆς τέχνης, ὥσπερ τοὺς μύθους τῶν ποιητῶν· *putabat argumentum ipſum partem eſſe artis pictorum; quemadmodum fabulas poëtarum.* Quod verò hic ὑπόθεσιν nominat,

‡ §. 67.

ſiat, hoc idem etiam vocat γνώμην τῆς γραφῆς ‡. Aliis ἔννοια * appellatur. Philoſtrato dicitur, τὸ τῆς ζωγραφίας δρᾶμα †, & ἱστορία τοῦ ἔργου ‡.

Partem alteram ſtatuebamus eſſe οἰκονομίαν. Sed & τάξις, & σύνθεσις, appellatur: etſi interdum ab οἰκονομίᾳ diſtinguantur; ut ex Fabio liquet. Horatio in Arte vocatur *ſeries*, *juncturaque*. Qui & de eàdem ſic præcipit:

Singula quæque locum teneant ſortita decenter.

De poëſi ille quidem: ſed par eſt ratio picturæ. Hinc Cicero in Oratore: *Siquis Phidiæ clypeum diſſolverit, collocationis univerſam ſpeciem diſtulerit.*

Nec tamen ſufficit partium ordo; ſed etiam requiritur (quam & diverſam partem ſtatuere poſſis) earum convenientia, atque inter ſe conſenſus. Græci ξυμμετρίαν, ἀναλογίαν, vel ἁρμονίαν appellant. Plinius lib. XXXIV. cap. VIII. negat, Latinis vocem eſſe, quâ exprimant συμμετρίαν. Plinius tamen junior lib. II. epiſt. V. *congruentiam, & æqualitatem* vocat. Sic enim ſcribit: *Si avulſum ſtatuæ caput, aut membrum aliquod, inſpiceres; non tu quidem eo ipſo poſſes congruentiam, æqualitatemque, deprehendere: poſſes tamen judicare, an id ipſum ſatis elegans eſſet.* De hac ſic in Stobæi Eclogis Ethicis cap. V. Τὸ κάλλος τοῦ σώματός ἐστι συμμετρία τῶν μελῶν καθεστώτων αὐτῷ πρὸς ἄλληλά τε, καὶ πρὸς τὸ ὅλον· *Pulcritudo corporis eſt congruentia membrorum apte conſtitutorum intuendo invicem, & conferendo totum.* Duo igitur poſt repertam materiam, ſive hiſtoriam, conjungere oportet: attendendum, tum ad diſpoſitionem; cui adverſatur, ſi partem unam loco alterius collocâris: tum ad commenſum; cui contrarium, ſi non obſervetur magnitudo, quam exigunt partes ſingulæ, tum inter ſe, tum cum toto collatæ.

Exhinc diſpiciendum de coloribus: ſub quibus continentur, tum lumen, atque umbra; quibus fit, ut quædam in opere videantur eminere, quædam recedere: tum ſplendor, qui eſt quædam luminis intentio, & tenebræ, quæ ſunt profundioris umbræ quædam quaſi opacitas. Unde Plutarchus de diſcrim. adulatoris, & amici: Οἱ ζωγράφοι τὰ φωτεινὰ καὶ λαμπρὰ τοῖς σκιεροῖς, καὶ σκοτεινοῖς, ἐπιτείνουσιν ἐγγὺς παρατιθεμένοις· *Pictores lucida, & ſplendida, umbroſis, & tenebroſis intendunt prope conſtitutis.* Luciano in Zeuxide hoc eſt, τῶν χρωμάτων ἀκριβῆ τὴν κρᾶσιν, καὶ εὔκαιρον τὴν ἐπιβολὴν, ποιήσασθαι, καὶ σκιάσαι εἰς δέον· *colores accurate miſcere, & tempeſtivam adjectionem facere, & decenter inumbrare.*

Supereſt decor à geſtu, & actione: qui *motus* vocatur Tertulliano lib. II. adverſus Marcionem: *Imago cum omnes lineas exprimat veritatis, vi tamen ipsâ caret, non habens motum.* Et ante eum Appuleio in Apologia: *Deeſt & luto vigor, & ſaxo color, & picturæ rigor, & motus omnibus, qui præcipuâ fide ſimilitudinem repræſentat:* ubi plura de eo paullò poſt ſubjungit. Motus hic variat pro hominis natura, & affectu: atque attenditur tum ratione faciei, ac imprimis vultus: tum etiam manuum. Facies ut dictum, diſcernitur ex φυσιογνωμονίᾳ *: quæ docet cognoſcere ex ea hominum mores. Sed præcipuè conſiderandum, quo pacto varient vultus, & geſtus, pro vario affectu. Aliter enim hi ſe habent in pollicente, quàm minante: item aliter in metuente ſupplicium, quàm gaudente: atque ita in aliis. Nec ſolùm hæc conſiderantur in vultu, & maximè oculis, manifeſtiſſimis animi teſtibus; ſed etiam manibus, quæ & ipſæ loquuntur. Non parum iſta omnia lucis accipiunt ex illis, quæ in Oratoriis Inſtitutionibus † fusè diſſerimus de Actione, ſive corporis geſtibus. Prout enim geſtus exiguntur in Oratore, ita etiam exprimuntur à Pictore.

‡ *Mentem picturæ.*
* *Notitia, ſive intelligentia.*
† *Fabula picturis.*
‡ *Hiſtoria operis.*
* *Peritia de natura hominis judicandi ex conſpectu corporis.* Corruptis codicibus decepti φυσιογνωμίαν vocant.
† *Lib. 6. cap. ult.*

25. §. *Atque hæc quidem ſunt quatuor, vel, ſi οἰκονομίαν, & συμμετρίαν, ſeparare malis, quinque pictoris officia: pro quibus etiam totidem ſtatuimus Graphices partes. Longè verò utiliſſimum eſt, ad ſingula horum attendere in præſtantium artificum operibus. Nec tamen ſatis eſt ea conſideràſſe. Præterea opus eſt, ut ipſi imitemur.*

Theo Sophiſta Progymnaſm. cap. XI. Τοῖς ζωγραφεῖν βουλομένοις, οὐδὲν ὄφελος κατανοεῖν τά τε Ἀπελλοῦ, καὶ Πρωτογένους, καὶ Ἀντιφίλου ἔργα, ἐὰν μὴ καὶ αὐτοὶ γράφειν ἐπιχειρῶσιν· *Pictura ſtudioſis nihil profuerit, cognoviſſe Apellis, Protogenis, & Antiphili tabulas; niſi & ipſi pingere ſint aggreſſi.*

26. §. *Priuſquam verò manum admoveamus tabulæ, diſcere convenit colorum nomina; & quomodo terantur, diluantur, ac miſceantur (quò alia quadam exſtent, ac promineant; alia autem ſuas habeant umbras, ac receſſus). Præcipui colorum quatuor ſunt; albus, niger, ruber, cæruleus. Ex quibus albus, & niger, ruber, & cæruleus, maximè diſtant. Ab albo eſt lumen, ſive claritas; & tonos, ſive intentior luminis ſplendor. Ab atro verò eſt umbra, & opacitas.*

Plinius lib. XXXV. cap. V. *Indicare naturas colorum, cauſſa inſtituti operis prior eſt. Tandem ſe ars ipſa diſtinxit, & invênit lumen, atque umbras; differentiâ colorum alternâ vice ſeſe excitante. Deinde adjectus eſt ſplendor: alius hic, quàm lumen: quem quia inter hoc, & umbram eſſet, appellaverunt tonon: commiſſuras verò colorum, & tranſitus, harmogen.*

27. §. *Ex quatuor colorum, quos diximus, mixturâ fiunt cæteri. Ex albo enim, & nigro, componitur cineraceus; ex rubro, & nigro, fulvus; viridis ex rubro, & cæruleo; ex viridi, & rubro, luteus; ex albo, & cæruleo, caſius; & ex his item alii, atque alii, magno numero.*

Iis, quæ de ſile Attico, unde fit color luteus, & purpureus, objici poſſunt, abunde occurrit Ludovicus Demontioſius: quem adi lib. de Pictura *: ubi & Philandrum, ac Budæum, hac parte deſerit. Cæſar Bullingerus denos ſtatuit præcipuos noſtræ ætatis colores. Vide eum de his diſſerentem lib. II. de Pictura, & Statuaria, cap. II. Omnino autem cenſeo, & ſenos illos, quos quatuor memoratis ſuperaddit, ex priorum fieri mixtura.

* *Pag. 256. & ſeq.*

28. §. *Ubi quis colores, & eorum mixturam, didicerit; tempus eſt, ut ipſe pingere aliquid tentet: ſed ſtultum ſit, ſuæ tum velle phantaſiæ indulgere; cùm ferè ſic uſu veniat, ut quis peſſimus ſit ſui magiſter. Quare, optimum nobis artificem ob oculos ponamus, oportet.*

Quinctilianus lib. X. cap. II. *Omnis vitæ ratio ſic conſtat, ut, quæ probamus in aliis, facere ipſi velimus. Sic literarum ductus, ut ſcribendi fiat uſus, pueri ſequuntur; ſic Muſici vocem docentium; pictores opera priorum; ruſtici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. Omnis denique diſciplinæ initia ad propoſitum ſibi præſcriptum formari videmus.*

29. §. *Imitatio hæc in delineando conſiſtit, & colorando. Delineatio potiſſima eſt, ac difficillima Graphices pars. Unde & multi excellentes artifices intra hanc ſolam ſe continent. Eſt verò delineatio duplex: una vacua; atque hæc ſolùm extremis conſtat lineis: altera plena, quæ interioribus etiam partibus ſuas dat lineas.*

Imprimis verò laborandum de extremo ambitu; in quo peccari videas à multis: ut qui in medio corpore maximè ſint ſolliciti. At talium planè inutilis, & irritus, eſt labor. Nam, ſi quid vitii fuerit in ambitu; toto peccari opere neceſſe eſt.

30 §. *In delineatione potiſſimùm attendimus exteriorem corporis humani formam.*

In cauſſa eſt, quòd, uti in ſcientia naturali præcipuè in conſiderationem venit homo, quia, ut veteres magno numero * dixere, eſt μικρόκοσμος †, ac proinde, etiam quicquid eſt extra ſe, continet: ita in picturâ quoque, ſculpturâque, familiam ducit forma hominis externa: quippe quæ una comprehendat, quicquid ineſt in aliarum rerum vel lineis, vel coloribus.

* *Manil. lib 4. Jul. Firmicus præfat. lib 3 Matheſeos. Olympiodorus in I Meteorolog. & ex veteri Eccleſiaſticis complures.* † *Parvus mundus.*

31. §. *In homine delineando hic ordo ſervetur; ut priùs aliquod hominis membrum deſcribere diſcamus; deinde autem totum hominis corpus.*

Idque nunc figurâ rectâ, nunc obliquâ; quandoque & juſto majori; quo procul adſpicientibus videatur habere modum, quem natura conceſſit.

32. §. *Tum demum cura ſuccedat, ea quæ formavimus, ac figuravimus, etiam colorandi.*

Delineationem, Grammaticen picturæ; colorationem ejus, Rhetoricen poſſumus dicere. Cardanus tamen lib. XVII de Subulitate ‡ tres haſce picturæ partes facit; delineationem, umbram, & colorem. Sed ſub colore umbram, & lumen, meliùs comprehendi, liquet ex iis, quæ paulò antè diximus.

‡ *P. 574. edit Lugd. a. 1580.*

33. §. *Pictura eſt duplex. Vel enim unus duntaxat color tabulæ inducitur, vel varius. Sive autem is unus ſit, cujuſmodi pictura dicitur Monochroma: ſive etiam varius; utrobique ſit, ut umbra, & lux, ſuis ſpargantur locis.*

Monochromate ante annos non ita multos excelluit in Italia Polydorus, cujus ut Lud. Demontioſius refert *, *extant multa præclara opera Romæ, fœcundi admodum ingenii partus.*

* *Lib. de Pictura pag. 155.*

34. §. *In multicolore picturâ præcipua eſſe harmoges cura debet.*

Sic Plinius commiſſuram colorum, & tranſitum vocat lib. XXXV, cap. V. Hac ἁρμογῇ, etſi ultima plurimùm diſtent; paullatim tamen minuitur diſcrimen, ſic ut in confinio partes, quæ ſe tangunt, ſenſui idem videantur. Quod qui ignorat, quomodo vel iridem pingeret, vel Centaurum?

35. §. *Atque hæc dicta ſunto de Picturæ tum natura, & inventione: tum uſu, difficultate, ac dignitate: tum etiam partitione, ac diſcendi ordine. Deinceps ex pictorum hiſtoria præcipuos recenſebo: aliquid etiam de artis hujus ſcriptoribus adjungam. Ordior autem à Græcis; quos in tria tempora diſpeſco. Primum eſt eorum, qui vixere ante bellum Perſicum. Ut ſunt, Telephanes Sicyonius; & tres hi Corinthii, Cleanthes, Ardices, & Cleophantus.*

De quibus Plinii verba ſuperiùs adduximus. Ac Cleanthis etiam meminit Strabo lib. VIII: ubi ejus refert picturas in templo Alphæoniæ: unam item Aregontis, itidem Corinthii. Cleophantum dicebamus cum Demarato, Tarquinii Priſci parente, Corintho veniſſe in Italiam: unde conſequitur claruiſſe ætate Anci Marcii regis. Sed ſi vera memorant, in ipſo antiquior fuerit Bularchus: quippe Romuli regis æqualis. De hoc ita Plinius lib. XXXV cap. VIII: *In confeſſo, Bularchi pictoris tabulam, in qua erat Magnetum prælium à Candaule, rege Lydiæ, Heraclidarum noviſſimo, qui & Myrſilus vocatus eſt, repenſam auro. Tanta jam dignatio picturæ erat. Id circa ætatem Romuli acciderit, neceſſe eſt. Duo enim deviceſimâ Olympiade interiit Candaules; aut, ut quidam tradunt, eodem anno, quo Romulus, niſi fallor; manifeſtâ jam tum claritate artis, atque abſolutione. Quod ſi recipi neceſſe eſt; ſimul apparet, multò vetuſtiora principia eſſe; eoſque, qui monochromata pinxerint (quorum ætas non traditur) aliquanto ante fuiſſe; Hygiænontem, Dinian, Charmam, &, qui primus marem feminamque diſcreverit, Eumarum Athenienſem, figuras omnes imitari auſum; quique inventa ejus excoluerit, Cimonem Cleonæum. Hic catagrapha invenit, hoc eſt, obliquas imagines, & varie formare vultus, reſpicientes, ſuſpicientesque, & deſpicientes. Articulis etiam membra diſtinxit. Venas protulit; præterque in veſte, & rugas, & ſinus invênit.* Atque hi fuere antè bellum Perſicum; quòd incidit in Olympiadem LXX.

36. §. *Sed quia antiquiſſima illa multum habent incerti; venio ad alterum picturæ tempus, quod incipit à bello Perſico: hoc verò incidit in Olympiadem LXX: quâ ipſâ mortuus eſt Pythagoras, annis XII poſt Romæ ejectos reges. Ex his octogeſimâ tertia Olympiade erat Panæus, Phidiæ frater; qui & ipſe initio pictor fuit: item Timagoras Chalcidenſis, qui à Panæo ſuperatus Pythiis. Atque hoc primum fuit picturæ certamen publicè inſtitutum.*

Plinius lib. XXXV cap. IX: *Quin imò certamen picturæ, etiam florente eo* (Panæo,) *inſtitutum eſt Corinthi, ac Delphis, primuſque omnium certavit cum Timagora Chalcidenſe, ſuperatus ab eo Pythiis: quod & ipſius Timagoræ carmine vetuſto apparet, Chronicorum errore non dubio.*

37. §. *Ante XC Olympiadem claruit etiam Polygnotus Thaſius: eſtque multùm inventis ſuis celebratus à poſteris.*

Meminit Plato lib. III Politic. cui dicitur, Πολύγνωτος ὁ τοῦ Ἀγλαοφῶντος ἀνδριαντοποιός *. Qui tamen non ſtatuarius modò; ſed & pictor fuit. Item Dionyſius Halicarn. diſſertatione de Demoſthenis acumine, ac VI: ubi duos addit, de quibus mox dicam. Nulli, inquit, niſi qui multum temporis in tractandis artificum operibus inſumſerint, dicere poſſint de picturis eorum; Πολυγνώτου μὲν αὕτη, Τιμάνθους δ᾽ ἐκείνη, αὕτη δὲ Παρρασίου· *Hæc Polygnoti, iſta Timanthis, illa verò Parrhaſii.* De Polygnoto etiam ſic Plinius lib. XXXV cap. IX: *Poſt hos clari fuere ante nonageſimam Olympiadem; ſicut Polygnotus Thaſius; qui primus mulieres lucidâ veſte pinxit, capita earum mitris verſicoloribus operuit, plurimumque picturæ primus contulit. Siquidem inſtituit os adaperire, dentes oſtendere, vultum ab antiquo rigore variare.* Addit deinde hunc, cum mercede pinxiſſet pater Mycon, gratuitò Athenis pinxiſſe porticum, dictam ποικίλην †: ac propterea Amphyctiones, quod eſt publicum Græciæ concilium, hoſpitia ei gratuita decreviſſe. Cum Zeuxide, & Euphranore, conjungit eum Philoſtratus in vita Apollonii lib. II cap. IX.

* *Polygnotus Aglaophontis filius ſtatuarius.* † *Variam.*

38. §. *Sequitur tertium, ac præcipuum picturæ tempus: quod incipit ab Olympiade XCIII, quâ Athenæ à Lyſandro captæ. Tum refulſit Apollodorus Athenienſis.*

Hic, ut Plinius ibidem ait, *primus ſpecies exprimere inſtituit, primuſque gloriam penicillo jure contulit.* Atque hoc in cauſſa eſt, cur ab eo tertiam, ac celeberrimam, ordiar pictorum ætatem. De eodem ſic Plutarchus, Bellone, an pace, illuſtriores fuerint Athenienſes: Ἀπολλόδωρος ὁ ζωγράφος, ἀνθρώπων ἐξευρὼν φθορὰν, καὶ ἀπόχρωσιν σκιᾶς, Ἀθηναῖος ἦν. *Apollodorus pictor, qui primus inter homines reperit colorum miſturas, & umbræ uſum, Athenienſis erat.* Ubi φθορὰν non corruptionem, vel interitum, expoſui ut vox ſonat, ſed *mixturam*: quia, ut Porphyrius lib. IV περὶ ἀποχῆς *, ait, τὰς μίξεις φθορὰς οἱ ζωγράφοι λέγουσιν· *colorum mixtura à picto-*

* *De abſtinentia animalium.*

pictoribus vocantur voce, quæ corruptiones ſonat. Cauſſam ejus nominis adfert idem Plutarchus, quòd ex mixtura ſincerorum, ſed diſcordium pigmentorum, eorum fiat mutatio, ac putrefactio. Vide eum lib. VIII Sympoſiacôn, cap. V, & libro περὶ τοῦ Εἰ ἐν Δελφοῖς.

39. §. *At Olympiade XCV claruit Zeuxis Heracleotes.*

De quo Plinius, poſt verba proximè allata, continuò ſubjungit: *Ab hoc* (Apollodoro) *artis fores apertas Zeuxis Heracleotes intravit Olympiadis nonageſimæ quintæ anno quarto, audentemque jam aliquid penicillum ad magnam gloriam perduxit.* Interim in eo vincebatur à Polygnoto: quòd hujus imagines eſſent ἠθικαί. Ariſtoteles Poëtices cap. VI: Οἷον καὶ τῶν γραφέων Ζεῦξις πρὸς Πολύγνωτον πέπονθεν, ὁ μὲν γὰρ Πολύγνωτος ἀγαθὸς ἠθογράφος· ἡ δὲ Ζεύξιδος γραφὴ οὐδὲν ἔχει ἦθος. *Plane ut inter pictores Zeuxis à Polygnoto differebat. Polygnotus enim mores hominum belle exprimebat: Zeuxidis pictura mores planè non habet.* Sed poſtrema verba paullùm reſtringi opus. Nam Plinii de Zeuxide eſt lib. XXXV cap. IX: *Fecit & Penelopen, in qua pinxiſſe mores videtur.* De Helenæ ſimulacro, ab eo Crotoniatis picto, eleganter ſcribit Cicero, initio ſecundi de Inventione. Et errat itaque Plinius, cum ſcribit id Agrigentinis ab eo pictum eſſe. Notum etiam ex M. Seneca *, & Plinio †, de uvis ab eo pictis, ad quas advolarent aves; & quàm ægrè hoc tulerit, quòd non meliùs pinxiſſet puerum, quem alioqui aves metuiſſent. Hic opera ſua (ſed cùm jam arte ſuâ magnas paraſſet opes) donare, quàm vendere, maluit. Ut Alcmenam Agrigentinis, Pana Archelao. Videlicet ea, ut Plinius inquit, *nullo ſatis digno pretio permutari poſſe dicebat.* Suo athletæ ſubſcripſerat verſum exinde celebrem:

*Lib. 10. contro. verſ. 5.
‡ Lib. 35. cap. 10.

Μωμήσεταί τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται.
Culpaveris faciliùs hac, quàm imitaberis.

Sed Plutarchus id ſubſcriptum ait ab Apollodoro, non Zeuxide. De eodem ita Quinctilianus lib. XII cap. X: *Poſt* (Polygnotum, atque Aglaophontem) *Zeuxis, atque Parrhaſius, plurimùm arti addiderunt. Quorum prior luminum, umbrarumque inveniſſe rationem; ſecundus examinâſſe ſubtilius lineas, traditur. Nam Zeuxis plus membris corporis dedit, id amplius, atque auguſtius, ratus, atque, ut exiſtimant, Homerum ſecutus, cui validiſſima quæque forma etiam in feminis placet.* Quàm verò Zeuxis etiam celebris fuerit in vulgo, indicat hoc Plautinum Pœnulo Act. V, ſc. *Fuit hodie:*

—— O Apella, ô Zeuxis pictor,
Cur numero eſtis mortui, hinc exemplum ut pingeretis?
Nam alios pictores nihil moror hujuſmodi tractare exempla.

40. §. *Æquales Zeuxidis quatuor fuere nobiles pictores.*

Auctor Plinius ibidem.

41. §. *Primus eorum Timanthes.*

De quo ſic idem Plinius cap. prox. *Timanthi plurimum adfuit ingenii. Ejus enim eſt Iphigenia, oratorum laudibus celebrata; quâ ſtante ad aras periturâ, cùm mœſtos pinxiſſet omnes, præcipue patruum* (Menelaum;) *cum triſtitiæ omnem imaginem conſumſiſſet, patris ipſius vultum velavit, quem dignè non poterat oſtendere. Sunt & alia ingenii ejus exemplaria: veluti Cyclops dormiens in parvula tabella: cujus & ſic magnitudinem exprimere cupiens, pinxit juxta Satyros, thyrſo pollicem ejus metientes: atque in omnibus ejus operibus intelligitur plus ſemper, quàm pingitur; & cum ars ſumma ſit, ingenium tamen ultra artem eſt.* De Iphigenia Timanthis ſimilia apud Valerium Max. legas lib. VIII cap. IX, & Quinctilianum lib. II cap. XIII; ubi ſcitè ait: *In oratione operienda ſunt quædam, ſive oſtendi non debent, ſive exprimi pro dignitate non poſſunt. Ut fecit Timanthes, ut opinor, Cithnius, in ea tabula, qua Coloten Tejum vicit. Nam cum in Iphigeniæ immolatione pinxiſſet triſtem Calchantem, triſtiorem Ulyſſem, addidiſſet Menelao, quem ſummum poterat ars efficere mœrorem; conſumtis affectibus, non reperiens, quo dignè modo patris vultum poſſet exprimere, velavit ejus caput; & ſuo cuique animo dedit æſtimandum.* Etiam in Timanthis picturis fuit pugna Arati, Pellenenſes ab Ætolorum incurſione liberantis: uti eſt apud Plutarchum in Arato.

42. §. *Alter Androcydes fuit:*

A quo, ut Plutarchus in Pelopida ait, picta Thebanorum victoria, duce Charone ad Platæas. Maximè verò laudati piſces ab eo picti: in quibus eò creditur magis intendiſſe ingenium, atque induſtriam, quòd eſu illorum imprimis caperetur: ut idem Plutarchus docet lib. IV Sympoſ. quæſt. II.

43. §. *Tertius erat Eupompus, præceptor Pamphili, qui Apellis magiſter fuit. Ab hoc Eupompo eſt, quòd duobus picturæ generibus, quæ ſola ante eum nota erant, Helladico puta, & Ionico ſive Aſiatico, acceſſerit tertium, Helladico in Atticum diviſo, & Sicyonium; quod ſic dictum, quia Eupompus Sicyonius eſſet.*

Auctor Plinius lib. XXXV cap. X. Apud eundem cap. VIII legas de Lyſippo: *Primò ærarium fabrum audendi rationem cœpiſſe pictoris. Eupompi reſponſo. Eum enim interrogatum, quem ſequeretur antecedentium, dixiſſe, demonſtratâ hominum multitudine, Naturam ipſam imitandam, non artificem.*

44. §. *Quartus fuit Parrhaſius Athenienſis, vel, ut alii volunt, Epheſius: qui* συμμετρίαν * *meliùs prioribus obſervavit.*

* Commenſum, ſive naturalem membrorum competentiam.

Hunc Xenophon lib. III Ἀπομνημονευμάτων ‡ cum Socrate loquentem inducit: quod ætatem indicat. Atque ejus rei etiam meminit Quinctilianus lib. XII cap. X: ſubdit verò, *plurimùm arti addidiſſe*: nempe quia *examinârit ſubtiliùs lineas. Siquidem ita circumſcripſerit omnia, ut eum legumlatorem vocent; quia Deorum, atque heroum effigies, quales ab eo ſunt traditæ, cæteri, tanquam ita neceſſe ſit, ſequantur.* Cum Scopa, nobili ſtatuario, & Ciceroni etiam laudato in primo de Divinatione, jungit eum Horatius lib. IV od. VIII:

‡ Memorabilium.

—— Divite me ſcilicet artium,
Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas;
Hic ſaxo, liquidis ille coloribus,
Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.

Cum Apelle ſociat Diodorus Siculus lib. XXVI: Οὔτε Ἀπελλῆς, ἢ Παῤῥάσιος, οἱ τοῖς ἐμπειρικῶς κεκραμένοις χρώμασι προαγαγόντες εἰς ἀκρότατον ζωγραφικὴν τέχνην. *Neque Apelles, vel Parrhaſius, qui, uſu edocti, coloribus bene temperatis, artem pictoriam ad ſummum provexerunt.* Inter cætera pinxit Parrhaſius Ulyſſis furorem: ut eſt apud Plutarchum libro, Quomodo ſint audienda poëmata. Hic & certavit cum Timanthe: quem inter quatuorviros illos antea primo loco memoravi. De certamine eo ſic Plinius lib. XXXV cap. X: *Ergo magnis ſuffragiis ſuperatus à Timanthe Sami in Ajace, armorumque judicio, herois nomine ſe moleſte ferre ajebat, quòd iterum ab indigno victus eſſet.* Rem eandem narrat Athenæus lib. XII. Solùm non exprimit nomen illius, qui Parrhaſium viciſſet. Meminit ejus Himerius quoque: Δότε μοι τὴν Ζεύξιδος τέχνην, καὶ τὰ Παῤῥασίου σοφίσματα. *Date mihi Zeuxidis artem, & Parrhaſii in pingendo peritiam.*

45. §. *Olym-*

45. §. *Olympiade* CIV *clarus fuit Euphranor Iſthmius.*

Plinius lib. XXXV cap. XI: *Poſt eum* (de Pauſia dixerat) *eminuit longe ante omnes Euphranor Iſthmius, Olympiade centeſimâ quartâ. Hic primus videtur expreſſiſſe dignitates heroum, & uſurpaſſe ſymmetriam.* De eodem ſic Fabius lib. XII cap. X: *Euphranorem admirandum facit, quòd & cæteris optimis ſtudiis inter præcipuos, & pingendi, fingendique, idem mirus artifex fuit.* De Iove, ab eo effićto ex Homero, antè vidimus. Cum Polycleto jungitur in Hiſtoria Miſcella Pauli Diaconi lib. X: ubi ſic de Hadriano Imper. *Pictor, fictorque ex ære, & marmore, proximè Polycletos, & Euphranoras.* Sic enim legendus is locus. Imò & Olympiodorus lib. I. Meteorologicôn Zeuxidi, & Polygnoto, Euphranora ſociat; & dicit tres hoſce pulcre umbras expreſſiſſe, nec non τὸ εἰσέχον, καὶ ἐξέχον· *quod intus ſe recipit, & quod eminet.*

46. §. *Olympiade* CV *magno in pretio erat Pamphilus, Apellis, præceptor; qui primus in Pictura omnibus literis eruditus fuit.*

Ut ex Plinio ſuperiùs dicebamus. Eum à cura, unà cum Melanthio, celebrat Fabius lib. XII cap. X. Verba mox apponam.

47. §. *Olympiade* CXII *floruit Ariſtides Thebanus: qui primus ἤθη * expreſſit, & ad συμμετρίαν † præceſſit.*

* Mores.
† Membrorum commenſum.

De hoc ita Plinius lib. XXXV cap. X: *Ariſtides Thebanus omnium primus animum pinxit, & ſenſus omnes expreſſit, quos vocant Græci ἤθη: item perturbationes: durior paullò in coloribus.* Ejus verò quod de ſenſibus dixit, hujuſmodi exemplum ſubdit: *Hujus pictura eſt, oppido capto ad matris morientis è vulnere mammam adrepens infans: intelligiturque ſentire mater, & timere, ne, emortuo lacte, ſanguinem infans lambat.* Xenophon tamen lib. III Ἀπομνημον. ait, Socratem philoſophum, ſuum Platoniſque præceptorem, qui, ut pater ſtatuarius, ita ipſe initio pictor fuit, primum συμμετρίαν dediſſe picturæ: eundem etiam, & Clitonem, primos docuiſſe mores, & varios referre oculorum obtutus. Nempe ad ἤθη, & συμμετρίαν, præivit: ſed inventa ejus auxere alii: quibus ideo gloria hæc tributa: præſertim Socrate aliunde ſat gloriæ adepto.

48. §. *Etiam Ariſtides nonnullis ex antiquis primus docuiſſe creditur ἐγκαυστικὴν ſive artem ceris pingendi, picturamque inurendi.*

Sic enim Plinius lib. XXXV cap. XI: *Ceris pingere, ac picturam inurere, quis primus excogitaverit, non conſtat. Quidam Ariſtidis inventum putant, poſtea conſummatum à Praxitele.* Artis hujus duplex erat ratio: una conſtabat cerâ pigmentis variis tinctâ; altera autem in ebore fiebat ceſtro, ſive veruculo igni calefacto. Unde ſic ibidem Plinius: *Encauſto pingendi duo fuiſſe antiquitus genera conſtat; cerâ, & in ebore, ceſtro, id eſt, veruculo; donec claſſes pingi cœpere. Hoc tertium acceſſit, reſolutis igni ceris penicillo utendi: quæ pictura in navibus nec ſole, nec ſale, ventiſque, corrumpitur.* Vide, quæ de hac arte diximus lib. IV de Theologia gentili, ac Phyſiologia Chriſtiana, cap. XCI. Utraque verò encauſtices ratio exolevit, hodieque ignoratur. Interim ſuam de hac ratione inurendi conjecturam afferre non gravatus eſt Ludovicus Demontioſius libro de Pictura ‡. Proximè verò ad veterum encauſtum accedit, quod *ſmaltum*, vocabulo ab Italis profecto, nuncupatur. Uſus eâ voce etiam Anaſtaſius bibliothecarius. Eſtque ab [illegible] Gallicum *email*: unde, qui id inurunt, *emailleurs*.

‡ P. 159. & ſeq.

49. §. *Verùm non tam gloria eſt Ariſtidis, quòd artem illam invenerit, quàm quòd eam auxerit: ſicut alii quoque poſtea illi quædam addiderunt.*

Hoc Plinius * nos docet: qui cum de Ariſtide dixiſſet. verbis proximè memoratis hæc ſubjungit: *Sed aliquanto vetuſtiores encauſticæ picturæ exſtitere: ut Polygnoti, & Nicanoris, & Arceſilai Pariorum. Lyſippus quoque Æginæ picturæ ſuæ inſcripſit ἐνέκαυσεν: quod profectò non feciſſet, niſi encauſticâ inventâ. Pamphilum quoque, Apellis præceptor, non pinxiſſe tantùm encauſticâ; ſed etiam docuiſſe traditur Pauſiam Sicyonium †, primùm in hoc genere nobilem. Brietis filius hic fuit, ejuſdemque primò diſcipulus.* Etiam Nicias huc pertinet: de quo ſic idem libri ejuſdem cap. IV: *Idem* (Auguſtus) *in Curia quoque, quam in Comitio conſecrabat, duas tabulas impreſſit parieti: Nemeam ſedentem ſupra leonem, palmigeram ipſam, adſtante cum baculo ſene, cujus ſupra caput tabula bigæ dependet. Nicias ſcripſit ſe inuſſiſſe: tali enim uſus eſt verbo.*

* Lib. 35. cap. 11.

† De quo plura Plinius paulo poſt; ut & lib. 21. cap. 2. Et Horatii lib. 2. ſat. 7. Pauſiaca torpes, inſane, tabellâ.

50. §. *Æqualis hujus Ariſtidis fuit Apelles; qui, quicquid vel ante, vel ſuâ ætate, pictorum fuit, Venere exſuperavit: unde nec ab alio, quàm Apelle, pingi voluit Alexander Magnus.*

De hoc ſic Plinius loco antè dicto: *Omnes priùs genitos, futuroſque poſtea, ſuperavit Apelles; conſque Olympiade* CXII *in pictura provectus, ut plura ſolus propè, quam cæteri omnes, contulerit; voluminibus etiam editis, quæ doctrinam eam continent. Præcipua ejus in arte venuſtas fuit, cùm eâdem ætate maximi pictores eſſent; quorum opera cum admiraretur, collaudatis omnibus, deeſſe iis unam illam Venerem dicebat, quam Græci Charita vocant: cætera omnia contigiſſe; ſed hâc ſoli ſibi neminem parem. Et aliam gloriam uſurpavit, cùm Protogenis opus immenſi laboris, ac curæ ſupra modum anxiæ, miraretur. Dixit enim, omnia ſibi cum illo paria eſſe, aut illi meliora; ſed uno ſe præſtare, quod manum ille de tabula neſciret tollere: memorabili præcepto, nocere ſæpe nimiam diligentiam.* De eodem refert inter alia, ut fuerit illi *perpetua conſuetudo, nunquam tam occupatam diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem: quod ab eo in proverbium venit.* Sed quid narrem cætera? Quin potiùs ipſe adeatur Plinius. Sunt enim venuſtiſſima. At lapſus hic fuit Eraſmus, qui * exiſtimavit Apelli objectum fuiſſe, *quòd manum de tabula neſciret tollere.* Quàm verò non fugerit ipſum, quantus eſſet artifex; præter ea, quæ Plinius narrat, illud etiam arguit, quòd, ut Plutarchus ait in ſecundo de fortuna Alexandri, duos eſſe diceret Alexandros, unum Philippi, ἀνίκητον; alterum Appellis, ἀμίμητον. Ab hoc ſolo pingi voluiſſe Alexandrum, tradit Valerius Max. lib. VIII cap. XI: *Quantum porrò dignitatis à rege Alexandro tributum arti exiſtimamus; qui ſe & pingi ab uno Apelle, & fingi à Lyſippo tantùm, voluit?* Et Plinius lib. VII cap. XXXVII: *Idem hic Imperator edixit, ne quis ipſum alius, quàm Apelles, pingeret; quàm Pyrgoteles, ſculperet; quàm Lyſippus, ex ære duceret.* Multum gloriæ meruit pingendo Venerem ἀναδυομένην, ſive *è mari emergentem.* Quam fecit ad exemplum Campaſpes, pellicis Alexandri: ut eſt apud Plinium lib. XXXV cap. X. Vel, ut Athenæus lib. XIII † narrat, exemplo Phrynes, conventibus Eleuſiniis, aut Neptuni feriis, nudæ, ac capillo paſſo, mare ingredientis. De hac ita Ovidius lib. IV de Ponto eleg. I:

* Dialogo de Pronuntiatione.

† P. 591. ed. Cant.

Ut Venus artificis labor eſt, & gloria Coi,
Æquoreo madidas quæ premit imbre comas.

Ac Propertius lib. III eleg. VIII:

In Veneris tabulâ ſummam ſibi ponit Apelles.

Etiam, ut Plinius ait lib. XXXV cap. X, *pinxit Apelles, quæ pingi non poſſunt; tonitrua, fulgetra, fulguraque: Bronten, Aſtrapen, Ceraunobolon, appellant.* Ob hæc, & alia, poſuere *Apellis* nomen pro ſum-

ſummo pictore; ut *Homeri* pro poëta eximio. Statius Papinius lib. I. Sylv.

—— Apellea cuperent te ſcribere cera.

Ubi *ſcribere* dixit pro *pingere*, more Græco, quibus γράφειν utrumque notat; unde pingendi ars iis γραφικὴ vocatur. Ac ſic quoque non ſolùm ſcripta, ſed etiam picta, legi dicimus. Maro VI. Æn. de Dædali pictura:

—— Quin protinus omnia
Perlegerent oculis.

50. §. *Apellis quoque æqualis erat Protogenes.*

Ejus cognoſcendi cauſſâ Apelles, cùm Rhodum navigâſſet, & domum ejus veniſſet, quam anus adſervabat; penicillo ex colore tenuem duxit lineam. Protogenes domum reverſus ex ſubtilitate vidit ab Apelle ductam: perque Apellis lineam colore alio duxit tenuiorem. Eam poſtea conſpiciens Apelles, per hanc ipſam duxit longè tenuiſſimam. Refert Plinius lib. XXXV. cap. XIII. Sed non convenit, de quo certarint duo hi nobiles artifices. Quid Ludovicus Demontioſius cenſeat, videre apud eum potes libro de Pictura *. Eum verò refellit Salmaſius in Exercitationibus Plinianis ad Solinum †. Protogenis etiam meminit Petronius Arbiter: *Protogenis rudimenta, cum ipſius naturæ veritate certantia, non ſine quodam horrore tractavi.* Item Quinctilianus lib. XII. cap. X. Verba eò lubentiùs adſcribam, quia & alios inibi memorat nobiles pictores, antea, ſi Pamphilum exceperis, nobis indictos: *Floruit*, inquit, *circa Philippum, & uſque ad ſucceſſores Alexandri, pictura præcipuè; ſed diverſis virtutibus. Nam curâ Protogenes; ratione Pamphilus, ac Melanthius; facilitate Antiphilus; concipiendis viſionibus, quas* φαντασίας *vocant, Theon Samius.* Subdit deinde de Apelle, & Euphranore; de quibus antea vidimus.

* Pag. 251. & ſeq. edit. Leidenſis.
† Pag. 5.

52. §. *Apellis, & æqualium ætate, ars ſummo in gradu fuit: nec enim eorum, qui poſtea ſecuti, artem quiſquam provexit.*

Imò neque fuit aliquis, qui, Apelle morte prærepto, quò abſolveret Venerem Cois inchoatam, ad lineamenta præſcripta operi ſuccederet: ut auctor eſt Plinius.

53. §. *Sed fuere, qui, deteriora ſecuti, picturam ad humiliora revocarent, inque iſtiuſmodi etiam laudem invenirent: qualis Pyreicus.*

Plinius lib. XXXV. cap. X. *Subtexi par eſt minoris picturæ celebres in penicillo: è quibus fuit Pyreicus, arte paucis poſtferendus. Propoſito neſcio an deſtruxerit ſe; quoniam humilia quidem ſecutus, humilitatis tamen ſummam adeptus eſt gloriam. Tonſtrinas, ſutrinaſque pinxit, & aſellos, & obſonia, ac ſimilia, ob hoc cognominatus Rhyparographos, in iis conſummata voluptatis. Quippe ea pluris veniere, quàm maxima multorum.* Subjungit & alios, qui minutis laudem quæſierint: ut Callicles, & Calaces. Sed utroque ait genere valuiſſe Antiphilum: qui (verba Plinii ſunt) *jocoſo nomine Gryllum ridiculi habitûs pinxit. Unde hoc genus picturæ grylli vocantur.* Ac ſimiliter Germani, & Belgæ, grillen dicunt de nugacibus, & ridiculis cogitationibus, vel dictis.

54. §. *Atque hi nobiles imprimis fuere picturis. Imò ex iis aliqui etiam libris de pingendi arte, vel picturis, ac pictoribus, laudem peperere: ut Euphranor, Pamphilus, Apelles, & Protogenes.*

De Euphranore ſic Plinius lib. XXXV. cap. XI. *Volumina quoque compoſuit de ſymmetria, & coloribus.* De Pamphilo autor Suidas: qui egiſſe ait περὶ γραφικῆς, καὶ ζωγράφων ἐνδόξων *De pictura & pictoribus illuſtribus.* Apelles de arte ſua ad Perſeum diſcipulum ſcripſit: ut eſt apud Plinium lib. XXXV. cap. X. penè extremo. Protogenes pictor condidit libros duos περὶ γραφικῆς, καὶ σχημάτων. *de pictura, & figuris.* Auctor Suidas.

55. §. *Præter iſtos etiam alii è Græcis de pictura, vel pictoribus, commentati. Ut ex iis, qui ſuperſunt, Philoſtratus, & Calliſtratus: ex deperditis Anaximenes, Antigonus, Ariſtodemus, Artemon, Callixenus, Duris, Hegeſander, Hypſicrates, Iamblichus, Melanthius, Polemon, Porphyrius, Theophanes, Democritus.*

Anaximenis de antiquis picturis liber memoratur Fulgentio libro III. Mytholog. fabulâ de Actæone.

Antigoni, qui de Pictura ſcripſerit, mentionem facit Plinius libro XXXV. cap. X. ac operis ejus περὶ πινάκων, *de tabulis*, meminit Laertius in Chryſippo. Suſpicor, eundem eſſe Antigonum ſtatuarium, quem de ſua arte volumina reliquiſſe, autor eſt idem Plinius libro XXXIV. cap. VIII.

Ariſtodemus à Caria originem ducebat; atque ejus ſe hoſpitio uſum eſſe ait Philoſtratus præfat. lib. prioris Iconum. Sic enim ſcribit: Ὅσοι μὲν ἂν κράτος ἤγειντο τῆς ἐπιστήμης, καὶ ὅσοι πόλεις, καὶ ὅσοι βασιλεῖς, ἔρωτι εἰς αὐτὴν ἐχρήσαντο, ἄλλοις τε εἴρηται, καὶ Ἀριστοδήμῳ τῷ ἐκ Καρίας ὃν ἐγὼ ἐπὶ ζωγραφίας ξένον ἐποιησάμην ἐτῶν τεσσάρων. *Quot verò ad hujuſce ſcientiæ culmen pervenerint, ac quot civitates, & reges, ſtudio eam fuerint proſecuti; cùm ab aliis, tum ab Ariſtodemo, ex Caria oriundo, literarum monumentis eſt proditum: quicum ego ob picturam quadriennio hoſpitio junctus fui.* Sed niſi ſcias, quando Ariſtodemus ille vixerit, neſcitur, quouſque pictorum hiſtoriam, & picturæ amantium civitatum, aut regum, perduxerit. Ætatem verò ejus non aliunde ſcire poſſumus, quàm ex Philoſtrati hujus ætate. Si audimus Suidam, is bipartiti Iconum operis ſcriptor vixerit ſub Severo Imp. uſque ad Philippum. Sed τοῦ μακαρίτου clariſſimi Meurſii opinio erat, floruiſſe temporibus Neronis, uſque ad tempora Trajani. Vide ejus diſſertationem de tribus Philoſtratis: quàm Philoſtrati epiſtolis, primùm à ſe editis, ſubjecit. Hoc ſi eſt, Ariſtodemus Plinio fuerit æqualis: &, utcunque ſupervixerit, non multum tamen poſt eum hiſtoriam pictorum potuerit producere.

Artemon quoque περὶ ζωγράφων * librum compoſuit: ut eſt apud Harpocrationem in Πολύγνωτος.

* De Pictoribus.

Callixenus reliquit ζωγράφων τε, καὶ ἀνδριαντοποιῶν ἀναγραφὴν, *pictorum, & ſtatuariorum deſcriptionem.* Ex hoc librum ſuum decimum excerpſerat Sopater: ut auctor eſt Photius.

Duris περὶ ζωγραφίας, *de pictura*, citatur à Diogene Laërtio in vita Thaletis.

Hegeſander non ſolùm de ſtatuis, ſed & imaginibus, ſive picturis, volumen edidit: ut cognoſcimus ex Athenæi lib. V. ubi memorat ejus ὑπόμνημα ἀνδριάντων, καὶ ἀγαλμάτων †. Sanè ἄγαλμα poni pro γραφῇ, Suidas ait. Ariſtoteles tamen diſtinguit: ut qui in VII. Polit. dicat, μήτε ἄγαλμα, μήτε γραφὴν ‡.

† Commentarium de ſtatuis, & picturis.
‡ Neque ſimulacrorum, neque picturam.

Hypſicratis περὶ πινάκων, *de tabulis*, mentio eſt apud Laërtium in vita Chryſippi.

Jamblichus librum elucubravit περὶ ἀγαλμάτων, *de ſimulachris & imaginibus.* Refutavit hoc opus Philoponus. Adi de utroque Photium.

Melanthius pictor περὶ ζωγραφικῆς ‡ memoratur Laërtio in vita Polemonis.

‡ De pictura.

Polemon, teſtante Athenæo lib. XIII. ſcripſit περὶ ζωγράφων πρὸς Ἀντίγονον *de pictoribus ad Antigonum.* Item libros reliquit περὶ πινάκων, *de tabulis*: ut eſt apud Laërtium in Chryſippo, & Athenæum lib. XI. & XIII.

Porphyrius item περὶ ἀγαλμάτων * egit. Ex eo quædam legere eſt apud Stobæum in Eclogis Phyſicis cap. XXV. Sed is non tam egit de arte, quàm de cultu.

* De ſimulachris.

De Paſitele ſic Plinius lib. XXXVI. cap. V. *Quinque volumina ſcripſit nobilium operum in toto orbe. Natus hic in Græcia Italiæ ora, &, civitate Romanâ donatus cum ſuis*

oppidanis, Iovem fecit eburneum in Metelli æde, quâ Campus petitur. Cum Praxitele eum aliqui confundunt: in his Cæſar Bullingerus de Pictura lib. II.

Theophanes περὶ γραφικῆς ‡ laudatur Laërtio in Ariſtippo. Democritus etiam de pictura ſcripſit; ut eſt apud Laërtium in ejus vita. ‡ *De pictura.*

56. §. *Græcis addo Afrum, ſed Regem, & qui Græcè ſcripſerit. Eſt is Iuba, Mauritaniæ rex.*

Qui *ſtudiorum claritate memorabilior etiam, quàm regni:* ut de eo loquitur Plinius lib. v. cap. I. Ex ejus libris περὶ ζωγράφων * octavum citat Harpocration in Παῤῥάσιος. Eundem etiam περὶ γραφικῆς † ſcripſiſſe; cognoſcimus, tum ex eodem Harpocratione in Πολύγνωτος: tum Photio, qui ex Sopatri excerptis citat ſecundum Iubæ de Pictura librum. * *De pictoribus.* † *De pictura.*

57. §. *Apud Romanos exiguus pingendi arti honos fuit: ut mirandum non ſit, ſi pauciſſimi eam exercuerint.*

Ex viris illuſtribus celebratur C. Fabius, Marci filius; qui anno Urbis IↃL., ut Plinius ait lib. xxxv. cap. IV. ædem Salutis pinxit; indeque *Pictoris* cognomen familiæ intulit primus. Pater fuit C. Fabii, qui anno IↃLXXXV. nempe xxxv. annis poſt pictam à patre ædem Salutis, cum Q. Ogulnio Gallo conſul fuit. Multiplicem viri docti errorem, duos, quos diximus, & præterea alios duos Fabios Pictores, confundentis, abunde refutavimus lib. I. de Hiſtoricis Latinis cap. III. Petrus Gregorius Tholoſanus Syntaxeos Artis Mirabilis lib. XXXI. cap. I. ait, Fabio id datum eſſe laudi, quòd ædem eam pinxerit: & hoc proditum eſſe à M. Cicerone in primo Tuſcul. Quæſt. At contrarium potiùs dicit. Ipſum audiamus Tullium: *An cenſemus, ſi Fabio, nobiliſſimo homini, laudi datum eſſet, quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polycletos, & Parrhaſios, fuiſſe?* Clarè, cur non celebrati ſint Romani ab arte pingendi, cauſſam eſſe ait, non ab ingeniorum defectu; ſed quòd non arti huic, uti apud Græcos, ſic apud Romanos etiam, ſuus foret honos. Et ſanè poſtea quoque Pacuvius poëta pingendo non tantùm ab arte hac honoris accepit, quàm arti dedit. Plinius loco antè memorato: *Proxime* (poſt Fabium Pictorem) *celebrata eſt in foro Boario æde Herculis Pacuvii poëtæ pictura. Ennii ſorore genitus hic fuit: clarioremque eam artem Romæ fecit gloriâ ſcenæ.* Ecce clariorem eo ait factam artem, quòd illam non ſe indignam putaret Pacuvius: qui poëta ipſe eſſet inclytus, & avunculum habuerit Ennium, magni ſpiritus poëtam, & Africano ſuperiori carum. Subjungit deinde Plinius: *Poſtea* (pictura) *non eſt ſpectata honeſtis manibus; niſi fortè quis Turpilium, equitem Romanum è Venetia noſtræ ætatis, velit referre, hodieque pulcris ejus operibus Veronæ exſtantibus. Lævâ is manu pinxit, quod de nullo ante memoratur.* Videmus, ut à tempore Pacuvii, qui anno Urbis ſexcenteſimo, paullo ante III bellum Punicum, claruit, ad ſuam uſque ætatem; hoc eſt, ducentorum annorum ſpatio, neget quemquam pinxiſſe honeſtiorem civem. Excipit tamen mox Q. Pedium, puerum quidem, ſed illuſtri genere natum: ut quem dicat aviam habuiſſe ex familia Meſſallæ Oratoris, nepotem præterea fuiſſe conſularis, & triumphalis viri, à Cæſare Dictatore cohæredis Auguſto dati. Conſulatum enim geſſit anno Urbis IↃCCXI: qui ſex habuit conſules: primum Hirtium, ac Panſam: iis in magiſtratu occiſis, Pedium, quem diximus, & Octavium, cui poſtea Auguſto cognomen fuit: ac denique his ſuffectos C. Carrinatem, & Ventidium Baſſum. Tam illuſtrem puerum in pingendo ſe exercuiſſe, mirari deſinet, qui ſciat, quod Plinius ait, naturâ mutum fuiſſe. Nempe nulla tali diſciplinâ convenientior viſa eſt; atque Auguſtus ipſe, qui puerum attigit ſanguine, judicium hoc comprobavit. Porrò, ut addit Plinius, *puer magni profectus in ea arte obiit.* Interim celebrantur etiam Cæſares quidam ab artis hujus peritia: ut Hadrianus, qui, ut Xiphilinus de eo ſcribit, καὶ ἔπλασε, καὶ ἔγραψε, *& ſtatuas fecit, & tabulas pinxit.* Item M. Antoninus Philoſophus, qui, ut tradit Julius Capitolinus, *operam pingendo ſub magiſtro Diogneto dedit.* Sed enim iſta didicere, cum ſpes imperii foret nulla. Ut non magis hoc ad picturæ commendationem facere videatur, quam vitæ paſtorali pretium ſtatuit, quòd Cæſar Fla. Valer. Juſtinus Juſtiniani avunculus, teneris in annis boves paverit; vel etiam, quòd David Rex primùm fuerit opilio.

58. §. *Utcunque verò Romani putare ſoleant, infra ſuam eſſe dignitatem, ſi pingerent: picturas tamen excellentium artificum magno in pretio habuerunt.*

Qui tabulis publicè propoſitis Arti præcipuè dignationem fecerint, Plinius dicet lib. xxxv. cap. IV. Vide cum lib. xxxv. cap. XI. ubi de L. Æmilio Paulo, & Metrodoro Philoſopho, ac pictore, loquitur. Verba ejus adduxi lib. III. de Hiſtor. Græc. voce *Metrodorus.*

59. §. *Ex Latinis etiam imagines præſtantium virorum ſuis fuere complexi libris T. P. Atticus, & T. Varro.*

Plinius lib. xxxv. cap. XI. *Imaginum amore flagraſſe quondam, teſtes ſunt, & Atticus ille Ciceronis, edito de his volumine, & M. Varro, benigniſſimo invento, inſertis voluminum ſuorum fecunditati, non nominibus tantum ſeptingentorum illuſtrium; ſed & aliquo modo imaginibus, non paſſus intercidere figuras; aut vetuſtatem ævi contra homines valere; inventione muneris etiam Diis invidioſus; quando immortalitatem non ſolùm dedit, verum etiam in omnes terras miſit; ut præſentes eſſe ubique, & claudi poſſent.* Plura tam de Attici, quàm Varronis illo opere, afferimus lib. I. de Hiſtoricis Latinis cap. XI. & XII. ac permulta, de Varroniano volumine, σὺν Θεῷ adjungam editione ſecundâ.

60. §. *Poſt multorum decurſum ſeculorum, in Italia primum, avorum noſtrorum ævo, pictura iterum caput extulit. Præcipuam verò ſuperiori ſeculo gloriam meruere ſex iſti: Raphaël Urbinas, Michael Angelus Bonarota, Antonius Corrigienſis Titianus, Sebaſtianus Venetus, Julius Romanus, Antonius Sartorius.*

Quorum alius hâc, alius aliâ laude præſtantior fuit. Lambertus Lombardus Leodicenſis, celebris, magnique judicii, dum viveret, pictor, præſertim poſtquam cum Reginaldo Polo in Italiam fuerat profectus, ut videre eſt in vita ejus ab homine erudito eleganter exaratâ, atque ab Huberto Goltzio in lucem editâ; hujuſmodi de pleriſque illorum judicium ferebat. Raphaëli Urbinati tribuebat * χάριτα, ſive Venerem, quam uni ſibi reſervabat Apelles, cùm aliis paria, vel etiam majora, eſſe paratus eſſet agnoſcere. In Titiano Veneto extollebat *amœnitatem, vivacitatemque, res ipſas naturales ſimilitudine adeo indiſcretâ repræſentantium, ut vel acerrimo oculorum ſenſu ad primum adſpectum non rarò imponerent.* In eâdem vitâ legas †. *Adjumento majoris illius obſcuritatis umbrarum omnes propemodum pictores ante Titianum imaginibus ſuis hanc eminendi, atque exſtandi, vim addere conati fuerunt. Nam hic quidem denſa illa umbrarum opacitate, & quaſi inamœna quâdam nocte, repudiatâ, hanc lætam, nitidam, atque oculis naturâ lucis amantibus gratiſſimam, ac proinde perfectiſſimam, colorum addendorum rationem excogitavit: in qua omnibus ad unum hujus ætatis pictoribus adhuc præcellere exiſtimatur.* Idem Lambertus Lombardus, ut in ejus vita ‡ ſcriptum, Michaelem-Angelum Bonam-rotam Florentinum, cumque eo Bacium Bandinellum, itidem Florentinum, nec non Andream Mantineum, *velut tres heroas ſuſpiciebat, & venerabatur;* pro-

* Pag. 13. edit. Goltzianæ an. 1565.
† Pag. 13.
‡ Pag. 15.

propterea quòd abſolutiorem intelligentiam, exactiuſque judicium, in horum, quàm reliquorum operibus exiſtimabat ab iis deprehendi poſſe, quorum ſeniores, & religioſiores oculi magis, quam manus facilitatem, eamque, quam dixi Venerem, & colorum lenocinia ſpectarent. Obiit hic Bonarota Romæ annos natus LXXXVIII.

Quæri inter picturæ amatores ſolet, utrum recentiores veterum laudem adæquârint, vel etiam vicerint. Ac imprimis controverſia eſt de Apelle, & Michaële Angelo. Contentus ero de iſto etiam adferre judicium ejuſdem Lamberti Lombardi: *Quidam Michelangeli opera antiquis non æquant modo, ſed etiam præferunt. Ipſe* (Lamp. Lombardus) *quamquam de hoc viro inter noſtri temporis artificio idem, quod Græcus poëta de umbra Tireſiæ inter reliquos manes, ſentiret: permittebat ſibi tamen hac in re ab illis judicibus diſſentire: meque interdum, animi cauſſâ, eorum ſententiam juveniliter defendentem ludens rogabat, ut hunc ſibi errorem, ex nimia, ſi ita videri vellem, adverſus auguſtam illam antiquitatem, reverentia natum, ignoſcerem.* Fuſiùs deinde diſſerit, unde ſit, quòd pictores, ſculptoreſque, qui atavorum temporibus fuere, longius receſſerint ab antiquis: atque inde provenerit, ut, quamquam, qui poſtea ſecuti, longiùs hanc artem provexerint, nondum tamen ad priſcum decus perduxerint. Pauca exſcribam: idque eò lubentiùs, quia non ſolùm pertinet ad evellendum multis errorem de graphice, vel ſculptura; ſed in cæteris etiam ſcientiis, & artibus liberalibus, in quibus non minùs peccari penè ab omni juventute ſolet. Sic igitur ille de cauſſis corruptæ picturæ. *Hoc ingenioſè, & rectè, meo quidem judicio, inde eveniſſe conjiciebat, quod hi infeliciorum temporum artifices canonum artis ſibi à doctiſſimis majoribus, velut per manus, traditorum, partim adhuc memores, in ſolis illis acquieviſſent, non jam ampliùs reſpicientes ad res naturales, nec, uti par erat, ipſique majores factitaverant, earum imitandarum ſtudium canonibus adjungentes, donec ſenſim ipſi canones hac rerum naturalium imitatione, tanquam alimento quodam ſuo, deſtituti, ex eorum memoria effluxerunt: ac deinceps recentiores artifices, amiſſis jam canonibus, in ſolam rerum naturalium imitationem incertâ manu, quaque temere, & ſine lege ferretur, incumbere coacti ſint, ut denuo ex hac diuturna, & aſſiduâ exercitatione, canones paullatim elicerent; quos quidem canones, quoniam pauci recentiores artifices aliquâ eruditi ingenii laude floruerint, vero conſentaneum ſit, nondum ad eam certitudinem, & perfectionem, perductos eſſe, quam antiquis ſeculis obtinuerunt, poſt diuturnam ſcilicet exercitationem complurium ingenioſiſſimorum artificum, non interruptâ ſerie ſibi mutuo ſuccedentium, quo tempore Græcia, omnibus jam gravioribus bellis defuncta, ac tranquilla pacis, atque otii facta compos, in literarum, & humanitatis ſtudiis acquieſcebat, accedente illâ quoque hujus antiquâ perfectionis, & quidem præcipuâ fortaſſis, cauſſâ, quòd apud veteres Græcos Graphice (credo quidem ſculptura quoque, cùm ambæ, quæ arctiſſimè inter ſe fœdere mutuâ ope indigentes, eodem ſemper tempore, ac pari paſſu, ad perfectionem tetenderint) quoniam in primo gradu artium liberalium habebatur, ita ut perpetuo interdicto ſervitia inde arcerentur; ab ingenuis, mox ab honeſtis tantùm exercebatur, quorum quod & liberalior eſſet educatio, & mediocres ſaltem facultates, non tam illi quæſtus, quam honeſtæ voluptatis causâ, arti operam dabant. Itaque cùm nullâ inſigni neceſſitate victûs aſſiduo manuum labore parandi premerentur, ac proinde eo tantum tempore, cum liberet, animuſque alacer, & promtus, ſponte ſua eo ferretur, artem exercerent: atque hujus ipſius temporis tantum, quantum vellent, in operibus ſuis exactè perpoliendis poſſent conſumere; facilè fiebat, ut hominibus ingenioſis, nec ullius rei, præter laudem, avidis, aliquâ operis ſui perfectione magnopere delectatis, plures indies viæ, & rationes ad ejuſdem perfectionis incrementa, ac tandem ſupremum gradum conſequendum in mentem venirent. Ecquam enim aliam cauſſam eſſe dicemus, cur ne in alio quidem ullo genere artium liberalium hoc ſeculo habeamus, qui cum veteribus illis doctis, quorum multo maximam fuiſſe copiam ex hiſtoriis colligimus, conferri queant? niſi quod ii, qui nunc ſtudiorum cauſſâ ad Academias ſe conferunt, homines ferè tenues, atque à ſordida educatione, animo humili, & abjecto, non aliis ſe diſciplinis dedunt, quam è quibus uberius lucrum ſperent, atque has quidem ipſas eatenus duntaxat perſequuntur, quoad illas ad lucrum ipſum facere videant, reliquis earum partibus, quarum quò minus quæſtuoſa, eo fere eſt liberalior cognitio, prateritis, atque neglectis.*

61. §. *Fuere & qui Patrum ævo egregiè de arte pingendi ſcripſerint: ut inter Germanos Albertus Durerus de Συμμετρίᾳ; inter Italos Leo Baptiſta Albertus, qui anno* CIↃ IↃ XL. *libros tres de pictura reliquit.*

Natus eſt ille Norbergæ anno CIↃ CCCCLXXI. ac obiit in patria anno CIↃ IↃ XXVIII. Multum etiam conferet Pomponii Gaurici de Sculptura liber, ac Ludovici Demontioſii de veterum ſculptura, cælatura, gemmarum ſcalptura, & pictura libri duo. Sed omne punctum tuliſſe videtur, Vir Nobilis, & affinis conjunctiſſimus, Franciſcus Junius, qui tres reliquit libros de pictura, ſanè ut multijugæ lectionis, ita bonæ frugis plenos. Ex his, atque aliis, plurima petere eſt nobis indicta. Nec enim Graphicen ipſam tradere animus fuit: ſed ſolùm Naturam, & Conſtitutionem ejus; niſi quòd ad inventionem, & propagationem Artis oſtendendam, addidi pauca de illuſtrium Pictorum hiſtoria: quemadmodum in cæteris etiam artibus, ac ſcientiis facere propoſui.

F I N I S.

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
ARTIUM ET SCIENTIARUM NATURA AC CONSTITUTIONE
LIBER II.
SIVE DE PHILOLOGIA.

Cap. I.

Quia Philologia pars eſt Polymathiæ; ut hæc liberalium ſtudiorum: eò initio adſertur diſtributio totius liberalium artium, ac ſcientiarum orbis: atque uſus, & præſtanſtantia eorum etiam ſtudiorum exponitur, quibus ad diſciplinas graviores præparamur.

1. §. *De Grammatiſtice, Gymnaſtice, Muſice, Graphice, ſuperiori nobis libro ſermo fuit. Quæ artes, ut liberales dici merentur, collata cum illis* βαναύσοις, *ſive vulgaribus, ac ſellulariis: ita magis liberalibus ſimiles, quàm liberales videantur, ſi comparemus eas cum diſciplinarum iis, de quibus deinceps agere propoſui. Siquidem quatuor iſtarum, de quibus vidimus, nulla orationem dirigit, vel rationem: nulla etiam (niſi quatenus pariter pertinent ad* πολυμάθειαν, *vel ipſam philoſophiam) pietate, aut prudentiâ, inſtruit mentes noſtras.*

AC ſatis quidem liquet, tum de Grammatiſtice, tum de Gymnaſtice. Prior enim ſolùm ſigna tradit, quibus liberales ſcientiæ conſignentur. Altera corpus, non animum, exercet. Verùm de Muſice, & Pictoriâ video quibuſdam aliter videri. Ac de Muſica quidem eò diſſentiunt, quia hæc modulatione ſonorum affectûs componat: ut ex iis videre fuit, quæ de Doricis, & Æoliis modis, antea dicta ſunt. Non diffiteor. Verùm pertinet eadem ad Polymathiam, cùm unam eſſe conſtet è ſeptem artibus liberalibus. Præterea in quadrigâ illâ popularium artium propriè locum habet practica illa Muſica, quâ pueri imbuuntur. At θεωρία * eorum eſt μαθηματικώτερος †, ac ſublimioris conſiderationis: quomodo huc refertur. Atqui, inquiunt, Muſice naturâ ſuâ inſtillat teneris animis bene vivendi præcepta, vel exempla. Multum dicerent, ſi hæc præſtaret de ſuo. At longè aliter eſt: quandoquidem exempla petit ab Hiſtoria, vel Poëſi: præcepta haurit è philoſophia morali; quod ex Theognide, & aliis liquet. Solùm igitur à ſe habet modulationem ſonorum: quæ animos quidem ſtudiis, vel negotiis laſſos recreat, ut alacriores redeant ad labores. Verùm hoc eſt animum ad ſtudia, & virtutis opera præparantis: non jam ſtudio aliquo, quò fiat ſapientior, vel melior, occupantis. Graphice denique, ſive pingendi ars, nihil proprium obtinet, niſi artificium feliciter aliquid repræſentandi. Pingit exemplum virtutis: ſed ab hiſtorico, ſi verum; ſin fictum, à poëta illud mutuatur. Animalis, vel plantæ figuram ob oculos ponit: ſed hanc accipit ab hiſtoria naturali. Atque ita in cæteris. Ut magnam habeat affinitatem cum Grammatiſtice. Quod hæc literis, quæ vocum ſunt ſymbola, id illa imaginibus, quæ non vocum, ſed rerum ſigna ſunt, ſignificat. Et ita quidem cum quatuor illis artibus eſt comparatum.

* Contemplatio.
† Mathematica magis.

2. §. *At longè aliter eſt de diſciplinis illis, quas, tanquam ſuperioris ordinis, à quatuor popularibus ſecrevimus. Hæ à quibuſdam diſpeſcuntur in* παιδείαν, λόγον, καὶ ἐπιστήμην, *eruditionem, orationis, rationiſque diſciplinas, & ſcientiam.*

Hæc tria quia retinuiſſet, nihil ſe amiſiſſe ajebat Stilpo Megarenſis: ut Laërtius in ejus vita refert, & ex eo Heſychius Illuſtris. Porrò per ἐπιστήμην videtur intellexiſſe Philoſophiam. Per λόγον autem, Grammaticen, Rhetoricen, Poëticen, Logicen. Per παιδείαν verò, Hiſtoriam, & Matheſin.

3. §. *Alii apertiùs aliquantò dividunt in hæc quinque;* τὰ φυσικὰ, τὰ ἠθικὰ, τὰ μαθηματικὰ, τοὺς ἐγκυκλίους λόγους, καὶ περὶ τέχνας πάσας ἐμπειρίαν· *naturalia, moralia, mathematica, doctrinam, quæ orationem & rationem format, omnemque artium peritiam.*

Quæ univerſa calluiſſe dicitur Democritus Abderita: unde, & πένταθλος, ſive *quinquertio*, eſt nuncupatus. Auctor Laërtius in Democrito. Poſtea verò, ubi memorat, quæ de ſingulis horum ſcripſerit Democritus, τοὺς ἐγκυκλίους λόγους vocat μουσικά: eoque refert poëſin, vocabulorum explicationem, & alia. Per τεχνικὰ verò, quæ poſtremum obtinent locum, intelligit medicinam, picturam, artem militarem, & quæ hujuſmodi ſunt.

4. §. *Evidentior, pleniórque mihi diſtributio videtur in doctrinam verborum, & rerum. Verborum illa eſt tum Grammatices, tum etiam artis Rhetoricæ, & Poëticæ, quatenus circa ſermonem verſantur.*

Nam ratione rerum ſublimioris ſunt conſiderationis, & Eloquentiæ nomine continentur; ut poſtea dicetur.

5. §. *Doctrina rerum eſt quadruplex. Nimirum vel eſt memoriæ, ut Hiſtoria ſive naturæ, ſive geſtorum: vel phantaſiæ, ut Poëſis: vel rationis, ut Philoſophia: vel revelationis, ut Theologia.*

Ac omnis hæc doctrina, veriùs *doctrina* nomen meretur, cùm ſermo potiùs ſit vehiculum doctrinæ.

6. §. *Omnium autem apertiſſimè diviſurus mihi videor in tria diſciplinarum genera: primum earum, quæ per-*

pertinent ad πολυμάθειαν; ut quæ viam parant ad Philoſophiam. Alterum illarum, quæ pars ſunt Philoſophiæ, ſtudiorum reginæ. Tertium eſt hujus Reginæ comitum, ac inſtrumentorum; cujuſmodi utraque eſt Eloquentia.

Eloquentia eſt inſtrumentum hominis Politici; non quidem ad Prudentiam civilem conſequendam, ſed exercendam. Niſi laxè lubeat prudentiam capere, quatenus tum in agendo, tum in dicendo conſiſtit.

Ut diſtributio hæc faciliùs intelligatur, à fonte rem arceſſam, deque univerſæ doctrinæ ratione pauca dicam.

Quotquot ſtudiis incumbimus, ad horum aliquid collimamus: ut alii alios intelligamus: ut ſciamus res divinas, & humanas: ut bene dicamus. Proque triplici hoc ſtudiorum faſtigio, triplex eſt doctrinæ genus; linguarum, ſapientiæ, & eloquentiæ. Sed ſapientiæ ſtudium partim circa ſingula verſatur: partim circa univerſa genera. Singulorum eſt hiſtoria: quæ vel rerum naturam, vel geſta Dei, ac hominum deſcribit. Univerſum genus conſiderant hæc tria; Chriſtiana pietas, prudentia civilis, & ſcientia naturalis. Pietas Chriſtiana præſtat, ut tum ipſi bene ex naturæ, ſive rationis, præſcripto vivamus, tum ut beati ſimus poſt hanc vitam. Prudentia civilis, ut rectè aliis præſimus in terris. Scientia naturalis, ut ſciamus rerum naturalium cauſſas. Nam eò hæc hiſtoriam naturalem excedit, quòd illa narret, quæ ſenſibus obſervantur: hæc verò ratione indaget occultas rerum cauſſas. Supereſt eloquentia, cujus incunabula habemus in elegantia, & ubertate ſermonis; & eatenus pertinet ad prævias diſciplinas. Conſummatur autem, ſi cum prudentia civili conjungatur. Quod cùm fit, magnum eſt Politici hominis inſtrumentum ad flectendos animos in ſenatu, in judiciis, in concione, in caſtris. Per univerſa hæc ſtudia animum ſuum diffuderat Julianus Cæſar: magnus omnino vir; ſed major futurus, niſi Libanium nimis æſtimâſſet. De eo ſic Ammianus Marcellinus lib. XVI: *Per omnia* PHILOSOPHIÆ *membra prudenter diſputando, currebat. Sed tamen, cùm hæc effectè, pleneque colligeret, nec humiliora deſpexit:* POETICAM *mediocriter, & * RHETORICAM, (*ut oſtendit orationum, epiſtolarumque ejus cum gravitate comitas incorrupta) & noſtrarum, externarumque rerum* HISTORIAM *multiformem. Super his aderat Latinè quoque diſſerendi** *ſufficiens* SERMO. A ſummis ad ima deſcendit Ammianus. Nos contra adſcendemus ab imis. Videmus, ut eum laudet à ſermone etiam Latino; hactenus ſaltem, quòd eâ parte etiam ſuffecerit. Græci autem ſermonis ea eſt illi elegantia, is nitor, ea facundia, ut omnes rapiat in admirationem ſui. Tribuit quoque hiſtoriarum notitiam & rhetorices, ac poëticæ. Atque hujuſmodi fuiſſe ait in ſtudiis humilioribus. Imprimis verò attendiſſe ad philoſophiam, ſic ut de quacunque ejus parte prudenter diſſereret.

*Valeſius, differenti.

Hiſce generatim delibatis veriùs, quàm expoſitis, nunc à πολυμαθείᾳ, cujus partem eſſe Philologiam, inferiùs liquebit, initium capiamus: ac proximè quidem à vocabulo ipſo, & aliis ejus appellationibus: quandoquidem ea petuntur à natura, atque uſu ejus: de quibus hoc loco ſingulatim agere, propoſitum eſt nobis.

7. §. *Artes, quibus ad philoſophiam præparamur, Græcis propterea προπαιδείας, vel προπαιδευμάτων nomine, cenſentur. Et quia latè hæ artes patent, etiam πολυμαθείας, vel πολυμαθημοσύνης, Latinis* variæ eruditionis, *nomen obtinent. Præterea nuncupant ἐγκυκλοπαιδείαν, quam Latini* diſciplinarum orbem *reddiderunt. Artes ipſæ ſimiliter ἐγκύκλιοι dicuntur, vel τῶν ἐλευθέρων. Quomodo & Latini* artes *vocant* liberales, *tanquam libero homine dignas.*

Sanè ſi Ariſtoteles ipſe quatuor eas, de quibus ſuperiori libro egimus, τῶν ἐλευθέρων ἐπιστήμας † in octavo Politicorum nominat: quanto magis id nominis tribuendum illis, quibus ad philoſophiam proximè præparamur! Imò has ἐγκυκλίους Seneca quoque *liberales* appellat epiſt. LXXXVIII. Sed exiſtimat, id vocabulum aliquanto eſſe anguſtius, quàm ut orbi diſciplinarum conveniat. Mavult ideo *pueriles* vocare; idque præeunte Poſidonio; ex cujus ſententia quatuor ſtatuit genera artium. *Sunt*, inquit, *vulgares, ſunt ludicræ, ſunt pueriles, ſunt liberales. Vulgares, opificum; quæ manu conſtant, & ad inſtruendam vitam occupatæ ſunt. Ludicræ, quæ ad voluptatem oculorum, atque aurium, tendunt. Pueriles, & aliquid habentes liberalibus ſimile, quas ἐγκυκλίους Græci, noſtri liberales vocant. Solæ autem liberales ſunt, imò, ut veriùs dicam, liberæ, quibus cura animi virtus eſt.* Sed nihil cauſſæ eſt, cur diſciplinas, quas ille *pueriles* vocat, honeſto *liberalium artium* nomine fraudemus. Nec enim dicuntur *liberales*, quia liberum faciunt; quod ſola Philoſophia promittit, & præſtat: ſed *quia libero homine dignæ ſunt*; ut ibidem ipſe agnoſcit Seneca. Hinc Terentius Eunucho * ſic eas περιφερεῖς: *Quas liberum ſcire æquum eſt:* quæ Comici verba infra pleniùs explicabimus. Idem videtur Plinius velle in præfat. libri XIV: *Peſſum*, inquit, *iere vitæ pretia: omneſque à maximo bono liberales dictæ artes, in contrarium cecidere; ac ſervitute ſolâ profici cœptum.* Ubi maximum bonum vocat libertatem; unde ei ſervitutem opponit: ut ſententia Plinii ſit, *liberales* dici ex eo, quia conveniant illis, qui fruuntur libertate. Atque eodem ſenſu à Cicerone, Ovidio, & aliis, *ingenuæ* vocantur.

‡ Scientias liberorum hominum.

* Act. 3. ſc. 2.

His artibus animus noſter ad Philoſophiam præparatur. Unde Pythagoras apud Stobæum ſermone XLI: Ὡς περὶ τῶν μεγάλων μυστηρίων τὰ μικρὰ παραδοτέον, καὶ περὶ φιλοσοφίας παιδείαν. *Ut ante majora myſteria tradi debent minora: ſic & artes liberales ante Philoſophiam.* Cui ſimile hoc Simplicii in Enchiridon Epicteti †: Ἀδύνατον πρὸ τῶν μικρῶν φασὶ τῶν μεγάλων μεταλαχεῖν. *Nec enim fieri poſſe ajunt, ut participes ſimus majorum myſteriorum, minorum expertes.* Eadem mens Senecæ epiſt. LXXXVIII: *Quare liberalibus artibus filios erudimus? Non quia virtutem dare poſſint; ſed quia animos ad accipiendam illam præparent.* Ibidem de his artibus inquit: *Rudimenta ſunt noſtra, non opera.* Nec abeunt vel Judæi, vel Chriſtiani. Lactantii enim eſt lib. III, cap. XXV. *Multis artibus opus eſt, ut ad Philoſophiam poſſit accedi.* Ac Philo Judæus πολυμάθειαν, ſive ἐγκυκλοπαιδείαν, vocat prooemium, & veſtibulum ſapientiæ. Quemadmodum & famulam ejus appellat, & cum Agar confert, quæ Saræ ancilla erat. Eleganti etiam allegoriâ ait, ut Abraham priùs ex Agar ſuſcepit, quàm Saræ miſceretur: ita nos priùs miſceri ancillæ Philoſophiæ, hoc eſt, liberalibus diſciplinis, quàm prolem ex virtute concipimus. Multus eſt in hoc argumento libro περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου. Ac inter cætera ſic ſcribit: Οὐ γὰρ ἐσμὲν ἱκανοὶ δέξασθαί πω γονὰς ἀρετῆς, εἰ μὴ πρότερον ἐντύχωμεν αὐτῆς τῇ θεραπαινίδι· θεραπαινὶς δὲ σοφίας, ἡ διὰ τῶν προπαιδευμάτων ἐγκύκλιος μουσική, καὶ λογική. ὥσπερ γὰρ ἐν μὲν οἰκίαις αὔλειοι πρόκεινται κλισιάδων· ἐν δὲ πόλεσι τὰ προάστεια, δι' ὧν εἴσω βαδίζειν ἔνεστιν· οὕτως καὶ ἀρετῆς πρόκειται τὰ ἐγκύκλια. ταῦτα γὰρ ὁδός ἐστιν ἐπ' ἐκείνην φέρουσα. χρὴ δὲ εἰδέναι, ὅτι τῶν μεγάλων ὑποθέσεων μεγάλα καὶ τὰ προοίμια εἶναι, συμβέβηκε· μεγίστη δὲ ὑπόθεσις ἀρετή. καὶ γὰρ περὶ μεγίστην ὕλην καταγίνεται τὸν σύμπαντα ἀνθρώπων βίον. εἰκότως οὖν, οὐ βραχέσι χρήσεται προοιμίοις, ἀλλὰ γραμματικῇ, γεωμετρίᾳ, ἀστρονομίᾳ, ῥητορικῇ, μουσικῇ, τῇ ἄλλῃ λογικῇ θεωρίᾳ πάσῃ, ὧν ἐστι σύμβολον ἡ Σάρρας θεραπαινὶς Ἄγαρ. *Non ſumus enim idonei prolem ex virtute ſuſcipere, niſi priùs congrediamur cum ejus famula. Eſt autem ſapientiæ famula Muſica, Logicaque, quâ liberaliter inſtituimur. Sicut enim in domibus veſtibula ſunt ante januam, & urbes habent ſua ſuburbia, per quæ adeuntur: ita & ante virtutem artes liberales ſitæ ſunt. Nam illa per hanc viam aditur. Sciendum autem, quòd magnorum argumentorum magna eſſe convenit etiam prooemia. Atqui*

† Pag. 17.

virtus

virtus eſt argumentum maximum. Habet enim materiam maximam; videlicet totam hominum vitam. Meritò igitur non parvo utetur proœmio; ſed Grammaticâ, Geometriâ, Aſtronomiâ, Rhetoricâ, Muſicâ, reliquâ contemplatione Logicâ univerſâ, quæ ſignificantur per Agar, Saræ famulam. Quid hinc manifeſtius, quàm ſermocinandi, & ratiocinandi artes, ac præterea diſciplinas Mathematicas, præmitti philoſophiæ debere? Objectet aliquis Heracliti illud*, πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει, *varia eruditio mentem non docet.* Item, quòd Cynici † τὰ ἐγκύκλια μαθήματα rejicerent. Atque idem de Stoicis dicat, & Epicureis, ipſoque Senecâ; qui utramque hanc ſectam ſectabatur, & ex duabus facere voluit unum. Nam & ille variam eruditionem ridere videtur lib. de brevitate vitæ cap. XIV: item ep. LXXXVIII. Verùm omnes iſti non aliud volunt, quàm liberalibus diſciplinis non eſſe inhærendum, quia non dent virtutem; ſed tantùm præparent; ac rudimenta eſſe debeant, non opera; quemadmodum antea ex ipſo Seneca dicebamus. Nec Sanctorum patrum illi, qui ſecularia reprehendunt ſtudia, alios damnant, quàm qui modum in his ſtudiis non tenerent; cumque famulari veræ debeant ſapientiæ; ea nihilominus ſupra dominam ipſam efferrent: ut gentiles faciebant, & plerique Chriſtianorum; qui ex Philologis, ac Philoſophis, in Eccleſiam recepti, ſic prima ſtudia miſcerent ſacro, ut Chriſtianam religionem non ornarent, ſed corrumperent. Cæteroquin ſatis videbant liberalia ſtudia eſſe donum Dei, atque eruditionem inter humana bona primum tenere locum: de quo Nazianzenus oratione in laudem S. Baſilii. Imò quantum Chriſtianis ex eruditione variâ accedat, non ignoravit Julianus Cæſar: qui evertendæ religioni noſtræ facilem eſſe viam arbitrabatur, ſi iis politioris literaturæ ſcriptores non prælegerentur in ſcholis: ut videre eſt apud Nazianzenum Invectivâ I. in Julianum, Socratem lib. III, cap. XII, & XVI, ac Sozomenum in Tripart. lib. VI, cap. XXXVII. Ac ne Chriſtianos id falsò objectâſſe credas, agnoſcit & homo gentilis, Ammianus Marcellinus: qui gemino in loco, libro videlicet XXII, atque iterum XXV, narrat ‡, ut prohibuerit, nequis Chriſtianus doceret Grammaticen, vel Rhetoricen. Quibus nominibus humaniores omnes literas, hoc eſt, proprietatem vocabulorum, hiſtoriam univerſam, ſtyli doctrinam, ac enarrationem oratorum, poëtarumque, complectebatur. Nimirum acutus, ac perſpicax Imperator ſatis videbat, quo pacto maximè poſſet nocere religioni Chriſtianæ. Utinam modò nunc non pauci adeò, quos illuſtri loco in Eccleſia ſua conſtituit Deus, tam parum eſſent oculati, ut necdum viderent, quantum hæc ſtudia humanitatis majoribus conferrent; eoque ſibi, & aliis, perſuaſum irent, ſufficere ſi illa minora guſtemus, ut, crocodili metu, canis ſolet Nilum. Quales tantùm non dicunt, deſipuiſſe Julianum; cùm ex Grammaticis, & Rhetoricis, ad Chriſtianam religionem multum adeò utilitatis redundare arbitraretur. Equidem dixero à multis eſſe luſtris, quòd experientia quæ ſtultorum etiam magiſtra eſſe ſolet, didici, in hiſce etiam literis noſtris locum habere illud Aſcræi vatis *: πλέον ἥμισυ παντός †: majoraque eſſe ſperanda ab iis, qui, penitioribus priùs literis imbuti, poſt operam dimidiam, vel longè minorem etiam, minoribus ſtudiis impenſam, reliquum dimidium in majoribus decurrere geſtiunt; quàm illis, qui, hiſce levioribus contemtis, ad graviora continuò provolârunt, longâque etiam ætate conſenuerunt, & ſolâ hac fiduciâ magni ſibi videntur Ariſtarchi; cùm interim nihil ab iis ſperare liceat eruditis vel oculis, vel auribus dignum; benequeagi nobiſcum putemus, ſi non tales bellum literis, & literatis indicant. Quod non pauci faciunt. Sed hos, qui contemtim adeò de humanitatis ſtudiis loquuntur, contemnamus & ipſi; quando graves ſatis inſcitiæ ſuæ pœnas luunt, dum nihil illorum capiunt, quæ aſſiduè captant; nec aliâ de cauſâ ſic erga penitiores inſaniunt literas, quàm quia ſui ſimiles eſſe velint cæteros. Quam cauſſam verè adſignat magnus ille & re, & nomine, Theologus, Gregorius Nazianz. orat. in fun. Baſilii: Οὐκοῦν ἀτιμαστέον τὴν παίδευσιν, ὅτι τοῦτο δοκεῖ τισιν, ἀλλὰ σκαιούς, καὶ ἀπαιδεύτους ὑποληπτέον τοὺς οὕτως ἔχοντας, οἳ βούλοιντ' ἂν ἅπαντας εἶναι καθ' ἑαυτούς, ἵν' ἐν τῷ κοινῷ τὸ κατ' αὐτοὺς κρύπτηται, καὶ τοὺς τῆς ἀπαιδευσίας ἐλέγχους διαδιδράσκωσιν. *Non igitur honore ſuo fraudanda eſt eruditio, quia ſic videatur nonnullis: ſed potius eos eſſe leves, & imperitos exiſtimabimus, qui ita ſunt animati: qui vellent omnes ſibi eſſe aggregatos, ut in communi illo grege captus eorum lateat, & inſcitiæ reprehenſionem effugiant.* Quæ verba etiam Juſto Lypſio adducta lib. I Manud. ad Stoic. philoſoph. Sed Græca non ſatis cepit: ut vel illud arguit, quòd ſic vertat, *cenſendum leves, & imperitos illos ſic affici.*

** Apud Laërtium in Heraclito.*
† Idem extremo l. 6.
‡ P. 239. & 316. edit. Hamburgenſis à Lindenbruchio procuratæ.
** Heſiod. lib. 1. ἔργ. καὶ ἡμερ.*
† Dimidium plus toto.

CAP. II.

Qui admitti ad ſtudia debeant: inque his etiam feminas reponendas: item de ordine ſtudiorum.

1. §. *Quod ſi artes hæ præparant ad omnis ſapientiæ, ac prudentiæ ſtudium, quod* Philoſophiam *dicimus: non poteſt non uterque ſexus ad has artes admitti. Scio, id negari à nonnullis; qui inde pudicitiæ periculum eſſe arbitrantur. Sed ſi recta, ac conveniens ineatur ſtudiorum ratio, nullam animis inferent noxam.*

Quod ſapiens ille Hiſpanus, Lodovicus Vives, oſtendit partim de Inſtitutione Chriſtianæ feminæ lib. I; partim libro de Officio mariti cap. de diſciplina feminæ.

2. §. *Et ſanè qui ſexum alterum ad ſtudia idoneum negant, jam olim rejecti fuere ab omnibus philoſophis.*

Quippe Pythagoras, ut in ejus vita refert Malchus, hoc eſt, Porphyrius, inſtituit οὐ μόνον ἄνδρας, ἀλλὰ καὶ γυναῖκας, *non ſolum viros, ſed & feminas.* Inque his ibidem refertur Theano; uti & ab Jamblicho in ejuſdem Pythagoræ vitâ. Et ante hos idem tradiderat Didymus libro de Philoſophia: unde hoc refert Clemens lib. I Stromat. Θεανὼ τὴν Κροτωνιᾶτιν πρώτην γυναικῶν φιλοσοφῆσαι, καὶ ποιήματα γράψαι· *primam feminarum Theano, & philoſophatam eſſe, & poëmata ſcripſiſſe.* Fuiſſe eam Brontini Crotoniatæ filiam, ipſius Pythagoræ uxorem, proditum eſt Laërtio lib. VIII, & Theodereto † Serm. II de principio adverſus Gentes. Nec aliter animati fuere Stoici, Epicurei, ac Academici ipſi. De quo ſic Lactantius lib. III, cap. XXV: *Senſerunt hoc adeò Stoici, qui & ſervis, & mulieribus, philoſophandum eſſe dixerunt: Epicurus quoque, qui rudes omnium literarum ad philoſophiam invitat: item Plato, qui civitatem de ſapientibus voluit componere.* De Epicureis etiam firmat, quod mox ſubjungit: *Denique nullas unquam mulieres philoſophari docuerunt, præter unam ex omni memoria Themiſten.* Ea Themiſte erat Leontii conjux, ad quam Epicurus ſcripſit. Ut nihil cauſſæ ſit, cur *Themiſtoclea* legamus, Quamquam hoc quoque inſtitutum noſtrum firmet: ſed de Pythagoricis. Themiſtoclea enim Pithagoræ ſoror fuit.

† In Græcarum affectionum Curatione pag. 24. edit. Commelin.

3. §. *Verùm ſectas mittamus. Quantus earum numerus, quæ ſive alicui ſe ſectæ addixerint, ſive minùs; pulcram ſibi laudem pararint eruditione!*

Innumerus propè earum numerus eſt: & multas retulimus quadruplici opere de Græcis, Latiniſque, tum hiſtoricis, tum poëtis. Ne tamen nihil nunc agam, pluſculas adducam: ſed vix alias, quàm iis libris indictas nobis.

In his Arignote, quæ de Geſtis Dionyſii Tyranni ſcripſit, Ἀριγνώτη ἡ τὰ περὶ Διονύσιον γεγραφυῖα. Memoratur Clementi Alexandrino lib. IV Stromat.

Heſtiæa Alexandrina Grammatica ſcripſit, utrum, quæ Homerus retulit de bello Trojano, fabula ſint, an hiſtoria: ut Strabo refert lib. XIII. Meminit & Anonymus in Iliad. Γ *.

*Pag. 61. edit. Baſil.

Arete, Ariſtippi Cyrenaici, qui Socratem audivit, filia, à parente fuit inſtituta; uti ab hac filius Ariſtippus, ex eo dictus μητροδίδακτος. Atque ab hoc Ariſtippo Theodorus, qui primò ἄθεος, poſtea θεὸς appellatus eſt. Ut de ſingulis horum auctor nobis eſt Laërtius lib. II.

Hellanicus, & ex eo Tatianus, initio libri adverſus Græcos, ait, Atoſſam in Perſia imperâſſe, primamque docuiſſe ἐπιςολὰς συντάσσειν, *epiſtolas ſcribere.*

Alexandri Magni ætate, videlicet Olympiade CXI, claruit Hipparchia, ſoror Metroclis Cynici, uxor Cratetis Cynici: de qua pluſcula Laërtius lib. VI. Ea ſcripſit de argumentis philoſophicis, item epicheremata, & quæſtiones ad Theodorum, cognomento Atheum: ut eſt apud Suidam.

De Pamphilæ Ægyptiæ, quæ Neronis tempore vixit, octo libris hiſtoriæ miſcellæ, vidimus lib. II de Hiſtoricis Græcis cap. VII.

Athenæo lib. I cap. VIII celebratur Agallis Corcyrea grammatica: à qua in literas relatum ait, pilæ luſum eſſe repertum à Nauſicaa: ſed exiſtimat eam hoc dediſſe honori ſuæ gentis. Nam Dicæarchum Sicyoniis quidem, Hippaſum verò Lacedæmoniis tribuere. Sed pro Agallide eſt, quòd Homerus ſolam ex heroinis Nauſicaam inducat pilâ ludentem. Cæterùm quam Athenæus vocat Agallidem, (ſic enim conſtanter in ejus legitur codicibus) hæc Suidæ dicitur Anagallis. Et videtur hæc verior eſſe ſcriptura: partim quia mendi ſuſpicionem tollit ſeries literarum: partim quòd ἀναγαλλὶς etiam herbæ ſit nomen; & non ſit inuſitatum, nomina à plantis imponi; ut ex Fabiis, Piſonibus, Lentulis, Ciceronibus, liquet.

Tres Romanas feminas his verbis celebrat Quinctilianus l. I. cap. I: *Gracchorum eloquentiæ multùm contuliſſe accepimus Corneliam matrem; cujus doctiſſimus ſermo in poſteros quoque eſt epiſtolis traditus: & Lælii filia reddidiſſe in loquendo paternam eloquentiam dicitur: & Quincti Hortenſii filiæ oratio, apud Triumviros habita, legitur non tantùm in ſexus honorem.* De Hortenſia idem reperias apud Valerium Maximum lib. VIII, c. III, & Appianum lib. IV de bellis civilibus *. Tacet Fabius de literatiſſima Vari conjuge: de qua Servius in Eclog. III: item de Cornificia; de qua ſic Euſebius, ſive potiùs ex Tranquillo Hieronymus in Chronico ad annum CIƆ IƆ CCCC LXXVI: *Cornificius poëta, à militibus deſtitutus, interiit; quos, ſæpe fugientes, galeatos lepores appellaverat. Hujus ſoror Cornificia; cujus exſtant inſignia epigrammata.* Quæ verba varii poſtea exſcripſêre: in his etiam Vincentius Bellovacenſis lib. XXXII Speculi Natur. cap. LI. Sed malè apud eum legitur *Cornificina.* Joanni Glandorpio in onomaſtico veriſimiliter eadem videtur ac illa, de qua ſic Guido Bituricenſis, titulo de Memoria: *Cornificia, mulier Romana, quæ, regnante Cæſare Octaviano, claruit, dicere ſolita eſt, ſolam doctrinam liberam eſſe, in quam fortuna tela ſua figere non poſſet.*

†P. 608. edit. H. Steph.

Eruditam Canii uxorem Theophilam laudat Martialis lib. VII, epigr. 68.

Hæc eſt illa tibi promiſſa Theophila, Cani,
Cujus Cecropia pectora dote madent;
Hanc ſibi jure petat magni ſenis Atticus hortus,
Nec minus eſſe ſuam Stoica turba velit.
Vivet opus, quodcunque per has emiſeris aures:
Tam non fœmineum, nec populare ſapit.
Non tua Pantheniс nimium ſe præferat illi,
Quamvis Pierio ſit bene nota choro.
Carmina fingentem Sappho laudabit amatrix:
Caſtior hac, & non doctior illa fuit.

Catharina Alexandrina, virgo doctiſſima, ſi Actis ejus credimus, claruit ſub Maximino; ac XVIII annos nata, cum quinquaginta philoſophis diſputâſſe dicitur; eoſque ſubtilitate ſermonis viciſſe, atque ad Chriſtianam convertiſſe religionem. Paſſio ejus refertur ad annum Chriſti CCCVII. Meminere ejus Beda, Uſuardus, Ado. In vett. codd. *Æcatharina*, vel *He-catharina* dicitur: quod corruptum videtur ex Ἡ Καθαρῖνα.

Et quid doctius Zenobiâ, Palmyrenorum reginâ, religione Judæâ? quæ quanta fuerit, ex Aureliani Cæſaris ad Senatum Romanum literis apud Trebellium Pollionem videre eſt. Idem Pollio refert, eam ſciſſe Latinè, locutam quoque Ægyptiacè: Hiſtoriam etiam Alexandrinam, atque Orientalem, compendio conſtrinxiſſe. Latinam Græcè legerat. Ad Græcas verò literas, ut Flavius Vopiſcus ait, magiſtrum habuit Dionyſium Longinum, Porphyrii philoſophi antea magiſtrum, ac, ut Eunapius eum vocabat, βιβλιοθήκην ἔμψυχον, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον· *vivam bibliothecam, & ambulans muſæum*: cujus & hodie aureolus exſtat liber περὶ ὕψους, ſive *de ſublimi charactere.*

Soſipatra etiam, Euſtathii, magni nominis viri, conjux, ut Eunapii in Ædeſio verba uſurpem, τά τε τῶν ποιητῶν βιβλία διὰ ςόματος εἶχε, καὶ φιλοσόφων, καὶ ῥητόρων· καὶ ὅσα γε τοῖς πεπονηκόσι, καὶ τεταλαιπωρημένοις μόλις ὑπῆρχε, καὶ ἀμυδρῶς εἰδέναι· ταῦτα ἐκείνη μετ' ὀλιγωρίας ἔφραζεν, εὐκόλως, καὶ ἀλύπως εἰς τὸ σαφὲς ἐπιτέχουσα· *non poëtarum modò, ſed etiam philoſophorum, atque oratorum ſcripta, in ore habebat; & quæ cæteri difficulter, atque obſcure poterant percipere, neque niſi cum magno molimine, & ingeniorum tormento, hæc illa otioſe, citra laborem, explicabat, prompteque declarabat.* Narrat item, licet maritus Euſtathius ſummus eſſet vir; illam tamen ſic præluxiſſe, ut propter ſui excellentiam obſcurârit mariti gloriam. Refert præterea, ut poſt mariti exceſſum liberos inſtituerit domi: & in hac re opitulatus fuerit ejus amantiſſimus Ædeſius.

Quid dicam de Euſtochio, Paullæ Romanæ filiâ, Hebraicè, Græcè Latineque doctâ, inque ſacrarum literarum lectione pene aſſiduâ? de cujus laudibus plura apud B. Hieronymum. Quid de aliis loquar, ad quas epiſtolæ exſtant ejuſdem Hieronymi? Ut ſunt Paulla, Læta, Fabiola, Marcella, Furia, Demetrias, Salvina, Gerontia. Quid eas quoque, ad quas literas habemus, Ambroſii, Auguſtini, Fulgentii? Quarum doctrinam illæ ipſæ epiſtolæ teſtantur.

Hypatia illius Theonis Alexandrini, cujus ſcripta habemus, filia fuit, & Aſtronomicarum rerum valde intelligens: ſed Alexandrini ejus corpus diſcerpſêre, ac fruſtatim ſparſerunt. Quam rem breviter tangit Heſychius Mileſius. Res autem ita habet. Quia frequentiùs eſſet cum Oreſte, calumniæ occaſio data eſt clero B. Cyrilli. Ex eo Lector Petrus alicunde redeuntem curru detraxit: inde in Eccleſiam protracta, veſtibus nudata, in fruſta diſſecta, combuſtaque. Vide hæc fuſe narrantem Socratem Hiſtor. Eccleſ. lib. VII. cap. XV. & Nicephorum Calliſtum lib. XIV. cap. XVI. ac imprimis Suidam in Ὑπατία. E junioribus adi Savilium Prælectionibus in Euclidem *. Exſtant ad eam epiſtolæ Syneſii; ubi nunc inſcribit, τῇ φιλοσόφῳ Ὑπατίᾳ, nunc ſimpliciter τῇ φιλοσόφῳ. Etiam Pauli Silentiarii in eam epigramma habemus lib. I. Ἀνθολογίας. Quamquam verò non poſſim non dolere tam triſti Hypatiæ fato; non tamen tam iraſcor B. Cyrillo, patriarchæ Alexandrino, quem ab eo facinore plane immunem fuiſſe confido; quàm Theodoro, Lectori ejus, ac concitatæ ab illo plebi Alexandrinæ.

* Pag. 15. 16. & ſeq.

Ac iiſdem temporibus claruit Eudocia, Athenais priùs dicta, Leontii philoſophi filia, uxor Cæſaris Theodoſii junioris, Græcis, Latiniſque literis imbuta, poëmatum ſtudioſa, matheſios, ac philoſophiæ ſtudiis egregie exculta: de qua plura Socrates lib. VII. Hiſt. Eccl. cap. XXI. Theodorus Lector initio Collectaneorum, Chronicon Alexandrinum, Conſtantinus Manaſſes, ac Nicephorus.

Circa annum Chriſti quingenteſimum, doctrinæ, & ſapien-

ſapientiæ nomine celebrata eſt Amalaſuenta, filia Theoderici, regis Gothorum, uxor Eutharici Cillicæ, cui palmata veſtis *, ſive conſularis dignitas, collata ab Iuſtino Imperatore; Athalarici autem Regis mater: de qua ſic, inter alia, Caſſiodorus lib. X, Variarum epiſt. IV. *Hinc eſt, quòd ejus doctrina mirabilis per multiplices linguas magnâ ubertate diffunditur. Cujus ingenium ita paratum reperitur ad ſubitum, ut non putetur eſſe terrenum. In libris Regum Regina Auſtri veniſſe legitur ad diſcendam ſapientiam Salomonis: hic Principes audiant, quod ſub admiratione cognoſcant.* Tam erudita, & prudens regina, nihil æquè ſtuduit, quàm ut filius Athalaricus, (quo annos tantùm octonos nato, ipſa habenas regni ſuſcepit, anno Chriſti IↃXV) ſedulò literarum ſtudiis incumberet: ſed, per Gothos eapropter tumultuantes, coacta eſt deſiſtere ab inſtituto: ut Procopius eſt teſtis lib. I. de Bello Gothico. Qui & de nece ejus narrat: uti quoque Jornandes. Incidit mors ejus in annum Chriſti IↃ XXXIV.

* Caſſiodorus lib. 6. epiſt. 1.

Helpis, Boëthii (quo Romanus orbis poſt Varronem, & Nigidium Figulum, nihil habuit doctius) erudita conjux, anno floruit IↃ XXX. Reliquit hymnos in Apoſtolos.

Juſtiniani Cæſaris temporibus claruit etiam Theodora, orta à Sampſigeramo, & Monimo: à quibus & Iamblichus genus ducebat. Fuit hæc fœmina gentilis: ſed nec philoſophiæ imperita, nec Poëticæ, vel Grammaticæ; imò ad Geometricas, & Arithmeticas ſpeculationes evecta: inſtituta autem ab Iſidoro Philoſopho, & Damaſco Damaſcio: quorum hic vitam illi Iſidori dedicavit. Auctor Photius cap. CLXXXI.

Anno IↃ XC, quo obiit S. Radegundis, in honore erat alumna ejus Bandoninia, quæ de ſanctæ dominæ ſuæ vita librum reliquit. Habes apud Surium a. d. XIII. Auguſt.

Circa annum IↃ C LXXX. claruit Hilda Abbatiſſa Angla, Heretici principis Deiriorum filia ex Breſquida, ut Beda vocat, ſive ut alii appellant, Beorwida, ſoror Herelwidæ, quæ mater fuit Aldulphi, Orientalium Anglorum regis. A multiplici doctrina celebrat Joannes Pitſeus in ſcriptoribus Anglicanis. Vide de ea Bedæ Hiſtoriam Eccleſ. gentis Angl. lib. IV. cap. XXIII. ubi inter alia commemorat, ut etiam reges, & principes, ab ea conſilium petierint; quod prudentiam arguit: item ut ex ejus monaſterio quinque viderit epiſcopatûs honorem adeptos: quod, inter alia, oſtendit doctrinæ, ac pietatis zelum.

Circa annum IↃ CC LXX. S. Rictruda, virgo nobilis, multum profecit in literis ſub magiſtro Alcuino. Poſt cujus ex Anglia diſceſſum, in monaſterio S. Benedicti apud Cantuarienſes, porrò ſtudiis inſudavit. Epiſtolis, & aliis memoratur: quæ in Anglicanis Bibliothecis adſervantur.

Anno IↃ CC LXXX. in pretio ob eruditionem, inque aliis convertendis ſanctimoniam, fuit S. Walpurga, ſive Walpurgis, S. Winibaldi, & Willibaldi ſoror. Condidit Hodœporicon fratris Willibaldi. Vitam Walpurgæ ſcripſit Philippus Aichſtadianus. Exſtat Tom. IV. Antiquæ Lectionis Henrici Caniſii.

Duobus quaſi ſeculis junior hac fuit Rhoſoita monialis, ut loquuntur. Nam claruit ſub Cæſare Othone primo, & ſecundo. Latinè, Græceque erat docta. Panegyricum de Othonum geſtis ſcripſit, item comœdias ſex, laudes B. Virginis verſu elegiaco, eodem B. Dionyſii vitam, atque alia. Plura de ea diximus in Hiſtoricis Latinis: item lib. de poëtis Latinis.

Anno Chriſti CIↃ C XL. claruit Anna Comnena, Alexii Comneni, Imperatoris Conſtantinopolitani, filia: quæ Alexiade ſuâ, ſive quindecim libris de geſtis Alexii Comneni patris ſui, doctrinam, & facundiam, pariter comprobavit. Atque hoc magis parebit, ubi integrum ediderit clariſſimus, & amiciſſimus, Joannes Gronovius. Cujus ingenio, ac doctrinæ, multa jam debet, pluraque brevi hoc ſeculum debebit. Dixi etiam de Comnena lib. II. de Hiſtoricis Græcis cap. XXVII.

Anno CIↃ C XLVIII. claruit S. Hildegardis Moguntina; cujus viſiones eo ipſo anno, commendante Bernardo, abbate Claravallis, comprobavit Eugenius Papa III. Vitam ejus, à Theodoro Abbate ſcriptam, habes apud Surium a. d. XVII. Sept. Quæ monumenta hiſtorica reliquerit, expoſui in opere de hiſtoricis Latinis. Verùm multa alia præterea exaravit: quæ dicit Geſnerus, ac pleniùs Poſſevinus.

Æqualis ei S. Elizabetha Schonaugienſis, ſoror Ecberti regis: cujus viſiones cum illis Hildegardis, & Mechthildis, editæ ab H. Stephano ſeniore *. Præterea ſermones, epiſtolas, atque alia, ſcripſit: quibus non eſt animus immorari.

* Pariſ. an. 1513.

Anno CIↃ CC III. obiit Aleonora Regina, Guilielmi, Aquitaniæ Ducis, & Pictonum Comitis, filia; prius Ludovico, Regi Galliæ, exinde Henrico II. Angliæ Regi, nupta, & ex eo mater Joannis Anglorum Regis. Ab eruditione, ac prudentia, multùm celebrata eſt. Scripſit epiſtolas ad Cœleſtinum Papam, Henricum Cæſarem, Richardum & Joannem filios. Vide plura apud Matthæum Pariſium, nec non Balæum.

Anno Chriſti CIↃ CCC LXXX. exceſſit S. Catharina Senenſis. Hujus exſtant epiſtolæ, & varii tractatus, dialogi formâ conſcripti. Vitam ejus poſteris tradidit Raimundus, Dominicani ordinis, cui ea confiteri ſoleret peccata.

Anno CIↃ CCCC LXXXIV. ſub Carolo VIII. Galliæ Rege, claruit Gabriela Borbonia, Trimoliæ Principis conjux. Quam varia ſcripſerit, Joannes Bochetius in Annalibus Aquitaniæ dicet, atque ex eo Poſſevinus in Apparatu Sacro.

Anno Chriſti CIↃ CCCC LXXXVII. plurimum laudis conſecuta eſt Caſſandra Fidelis, virgo Veneta: quæ in Gymnaſio Patavino pro Bertutio Lamberto, Canonico Concordienſi, ſanguine ſibi conjuncto, cùm ſupremam in Philoſophia lauream conſequeretur, luculentam habuit orationem, typis poſtmodò excuſam Mutinæ †. Vide de ea Baptiſtam Fulgoſum Memorabilium lib. VIII. cap. III: item Angelum Politianum epiſtola ‡ ad eam, quâ ut eruditiſſimam, ac decus Italiæ, celebrat.

† An. 1487.
‡ Lib. 3. epiſt. 17.

Anno CIↃ IↃ Alexandra, Bartholomæi Scalæ filia, Florentiæ nata, Latinas Græcaſque literas docta claruit; quod etiam teſtatur Angelus Politianus epigrammate, quo eam celebrat. Deceſſit anno CIↃ IↃ VI.

Etiam eruditione, & erga literatos amore, laudis multum meruit Margarita Valeſia, Navarrorum regina: cujus filia Joanna ex Antonio Borbonio, Vindocinorum Principe, orbi dedit Henricum IV. Galliarum regem. Vide de reginæ ejus laudibus Scævolam Sammarthanum in Elogiis Gallorum lib. II.

De Joanna Blanchetta, & Novella, ſic Leander Albertus Bononienſis in deſcriptione Romanulæ *: *Mulieres etiam literis eruditas, ornataſque, Bononia tulit: inter quas Ioanna, Matthæi Blanchetti filia, Bonſignori Bonſignorii uxor: quæ & eleganter Latinè loquebatur, & Germanica, Bohemicaque lingua habebat uſum. Novella, Joannis Andreæ filia, Joanniſque Lignani conjux, patre occupato, munus ejus ex ſuggeſtu docendi ſuſtinebat.*

* Pag. 515. edit. Colon. ann. 1567.

De Catharina Landa cognoſcimus ex libro ſecundo epiſtolarum Bembi †.

† Pag. 615. 616.

Anno Chriſti CIↃ IↃ XXXIII. Catharina, Angliæ Regina, matertera Caroli V. Imperatoris, dimiſſa eſt à marito Henrico VIII. Ac triennio poſt obiit. Hæc reliquit Meditationes in Pſalmos: item librum de lamentatione peccatoris: ut eſt apud Iſingrinium.

Quid dicam de ſorore ejus Joanna, nupta Philippo, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, perque uxorem Hiſpaniæ Regi? Quæ ex tempore etiam Latino ſermone reſpondebat orationibus, de more apud novos Principes oppidatim habitis: uti narrat Ludovicus Vives ‡. Qui & addit de eruditione civis ſuæ Valentinæ, Menciæ Mendozæ, Marchionis Zeneti filiæ. Item civis alterius Angelæ Zabatæ, *incredibili ad omnis generis literas ingenii celeritate,*

‡ Lib. de inſtitutione feminæ c. 3.

ritate, ac dexteritate; pudicitiâ, ac prudentiâ ſingulari. Subdit deinde de Thomæ Mori filiabus, *Margarita, Elizabetha, Cæcilia; atque earum conſanguinea, Margarita Gigia.* De Moro ipſo inquit, *Pater non contentus eſſe caſtiſſimas, etiam doctiſſimas ut eſſent curavit; ſic fore judicans, ut veriùs, firmiùſque eſſent caſtæ.*

Quanta etiam eruditio Fulviæ Olympiæ Moratæ, Peregrini Morati filiæ, Guntheri conjugis! de qua Lilius Gyraldus in Poëtarum hiſtoria*: ac monumenta ejus hodieque ſuperſunt, quæ abunde eam commendant. Obiit Heidelbergæ 26. Octob. ætatis ſuæ anno 28.

* Pag. 410.

Æqualis illi Hippolyta Taurella: ut elucet ex illis, quæ ſcriptis Moratæ adjuncta.

Quanta item doctrina Elizabethæ, Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ reginæ! de qua non repeto, quæ ad illuſtriſſimum Carolum, Walliæ principem, Sereniſſimi Caroli, magnæ Britanniæ monarchæ filium, præfati ſumus in noſtros de arte Grammatica commentarios.

De doctrina eximia Ianæ Graiæ, Henrici, Suffolciæ Ducis, filiæ, legere eſt apud Thomam Chalonerum Anglum †.

† Pag. 208.

Latinis, Græciſque, literis egregiè exculta fuit. Annos nata XVII. Chriſti anno cIↄ Iↄ LIV. ob non repudiatos Anglici Regni honores decollata eſt, unà cum marito Gilberto Dudlejo, filio Joannis, Ducis Northumbriæ, cui anno præcedenti cervices præcidi juſſerat Maria, Angliæ Regina.

Loiſa Sigæa Toletana Græcas itidem, & Hebræas literas didicit; ac propterea à Luſitaniæ Regina intra aulam recepta inter illuſtres feminas; Obiit anno cIↄ Iↄ LX.

Anno cIↄ Iↄ CV. Juliana Morella Barcinonenſis, virgo Hiſpana, ætatis ſuæ duodecimo, Cappucinorum habitu induta, publicè Theſes Philoſophicas defendit: quas inſcripſit Margaritæ Auſtriacæ, Hiſpaniarum, Indiarumque, Reginæ. Morella hæc tum Latinè docta, tum Græcè etiam, ac Hebraicè; nec Philoſophiæ modò, ſed & Iuriſprudentiæ ſtudioſa, Muſicis etiam inſtrumentis canere perita, artibus etiam aliis exculta. Narrat Gretzerus in Poſthumo rerum Variarum opere à Stegelio collecto, lib. II. cap. IV. ubi additur, florere etiamnum Lugduni in Galliis. Obiit vero Gretzerus anno hujus ſeculi XXV. ut triennio poſt illa poſthuma prodierint.

Neque hoc tempore deeſt fœderatæ Belgicæ illuſtre, & admirandum Annæ Schurmannæ ingenium, nobilis Virginis; ſed variâ linguarum, artium, doctrinarumque notitiâ longè nobilioris.

Paucas haſce ſi addideris poëtriis, & hiſtoricis, de quibus in amborum hiſtoria diximus, ſufficere nunc poſſe arbitror inſtituto noſtro. Plures ſuggerent, qui de illuſtribus feminis ſcripſere: quales è veteribus Plutarchus: è junioribus Iacobus Philippus Bergomas, & Joannes Sabbatinus. Sed imprimis adeatur ſyllabus doctarum feminarum, quem in libris de Nobilitate exhibet Tiraquellus, multijugæ eruditionis Iuriſconſultus: utcunque in indiculo iſto quem dixi, crebrò viri doctiſſimi judicium requiram. Etiam juvabit ὁ μακαρίτης Ioannes Bevervicius, in opere de excellentia ſexus feminei: ut mittam Bibliothecarum ſcriptores.

4. §. *Sic verò ſequiori ſexui liberales artes, ac doctrinarum ſtudia, commendo, ut & parentes, & magiſtros, velim ad duo præcipuè attendere. Vnum eſt, quandoquidem ſcientia, Apoſtolo* etiam teſte, inflat: ne virgines, diſciplinis imbutæ, alias præ ſe aſpernentur, & omnino moribus fiant inſuavibus, atque acerbis. Alterum, ne nimis ſint curioſæ; eaque etiam ſcire laborent, quæ ſatius ſit neſcire, quando fœda iſta, ut Plinius † ait,* Qui narrat, docet.

* 1 Cor. 8. 1.

† In epiſtolis.

Obſervat hoc Plutarchus in Pompejo; ubi ſermo illi eſt de Cornelia. Ea fuit filia Cornelii Scipionis Naſicæ; qui, à Cæcilio Metello Pio adoptatus, Metellus Scipio dictus fuit. Priùs verò nupſit P. Licinio Craſſo juniori. Eo cum patre interempto à Parthis, nupſit Cn. Pompejo M. De hac ſic Plutarchus in Pompejo: Ἐνῆν δὲ τῇ κόρῃ πολλὰ φίλτρα δίχα τοῦ ἀφ᾽ ὥρας. καὶ γὰρ περὶ γράμματα καλῶς ἤσκητο, καὶ περὶ λύραν, καὶ γεωμετρίαν, καὶ λόγων φιλοσόφων εἴθιστο χρησίμως ἀκούειν. καὶ προσῆν τούτοις ἦθος ἀηδίας, καὶ περιεργίας καθαρὸν, ἃ δὴ νέαις προστρίβεται γυναιξὶ τὰ τοιαῦτα μαθήματα. *Et, præter ætatis florem, alia quoque fuere, quibus allicere in amorem ſui poſſet. Nam pulcrè ſe exercuerat in literis, & lyram pulſando, & geometricis. Philoſophorum etiam ſermonibus cum fructu adſueverat. Et acceſſerant iis mores alieni ab omni auſteritate, & curioſitate: quibus diſciplina illa imbuunt juvenculas.* Videmus, ut dicat, juvenculas literarum ſtudiis reddi, tum ἀηδεῖς, hoc eſt, ingratis moribus, ac ſuperbis, & odioſis; tum περιέργους, id eſt, nimis curioſis. Nec tamen id perpetuum eſſe, oſtendit, quòd neutrum in Cornelia habuerit locum. Et ſimilium exempla ſunt complura: ut Euſtochii, à ſanctimonia etiam laudatiſſimæ; de qua antè diximus. Interim quia ſic fieri ſolet, niſi parentes, ac doctores, monitis ſuis ſedulò ſexui huic caverint; eò non dubitavit Iuvenalis ſic ſcribere Sat. VI.

Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit,
Dicendi genus, aut curvum ſermone rotato
Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes:
Sed quædam ex libris & non intelligat. Odi
Hanc ego, quæ repetit, volvitque Palæmonis artem,
Servata ſemper lege, & ratione loquendi;
Ignotoſque mihi tenet antiquaria verſus:
Nec curanda viris opica caſtigat amicæ
Verba. Solœciſmum liceat feciſſe marito.

Iis, quæ adverſus iſta adferri ſolent, abunde occurrit ſapiens ille Hiſpanus, Ludovicus Vives, lib. de inſtitutione feminæ; præſertim cap. III, quod eſt de doctrina puellarum.

5. §. *Etſi verò uterque ſexus ad ſtudia admittitur; non omnes tamen albâ ſignari lineâ debent. Imò nec mares promiſcuè admittendi; ſed qui naturâ ad ea idonei ſunt.*

Quamquam enim multum valet doctrina; potiores tamen partes ſunt naturæ. Unde Tullius pro Archia: *Sæpius ad laudem, atque virtutem, naturam ſine doctrina, quàm ſine natura valuiſſe doctrinam.*

6. §. *Naturæ autem nomine intelligimus, tum ingenium, quo facilè propoſita percipimus; tum judicium, quò percepta diſcernimus, vel approbando, vel improbando. Quod ad memoriam, ea ſub ingenio comprehenditur.*

Hac olim magis opus erat, quia tum non è ſcripto, ſed memoriter docebatur. Quam rationem Plato præfert in Philebo. Vel ſi ſcripto complecterentur diſciplinam; id eâ fiebat brevitate, & obſcuritate, ut non intelligerentur ab aliis, quàm qui antea audiiſſent, ac potiùs nutus, quàm præcepta, viderentur; quemadmodum ait Galenus.

7. §. *De natura conjecturam olim faciebat Pythagoras ex corporis conſtitutione; ne, ſi inepti forent, operam luderet.*

Hinc Agellius lib. I. cap. IX. *Iam à principio adoleſcentes, qui ſeſe ad diſcendum obtulerant,* ἐφυσιογνωμόνει. *Id verbum ſignificat, mores, naturaſque hominum, conjectatione quadam de oris, & vultus ingenio, deque totius corporis filo, atque habitu, ſciſcitari. Eum, qui exploratus ab eo, idoneuſque fuerat, recipi in diſciplinam ſtatim jubebat.* Ubi pro *idoneuſque*, deletâ copulâ, *idoneus* malim: ſententia eſt, quem explorando repererat idoneum.

idoneum. Hac de cauſſâ idem Pythagoras admittere ad diſciplinam noluit Cylonem, nobilem Crotoniatem; in quo, ex corporis lineamentis, vitioſum, ac crudelem animum, perſpexerat: ut ait Malchus, ſive Porphyrius, in Pythagoræ vita.

9. §. *Bonitas naturæ non in eo ſolùm conſiſtit, ut idonei ſimus ad facilè aliquid apprehendendum, atque illud retinendum: vel etiam ut acri, pro ætate, judicio polleamus: ſed ſimul, ut amore flagremus ſtudiorum, ac gloria.*

Hujuſmodi εὐφυΐαν animadvertit Herodotus in Thucydide, adoleſcente: unde patri ejus Oloro, ſive Ocolo, dicebat, filium ἔχειν * ψυχὴν ὀργῶσαν εἰς τὰ μαθήματα, ut auctor eſt Suidas. Notum illud Solonis, Ἀεὶ γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος †. Et Cato ‡, Senatus princeps, jam ſenex, Græcas diſcebat literas. Bartholus quoque Juriſconſ. ætate ſenili literis Hebraïcis immortuus eſt. Hermolaus Barbarus, cùm dictionum in utraque lingua curioſiſſimus eſſet, eas à quovis diſcere non eſt dedignatus; uſque adeò, ut etiam à vicinis, ac familiari quovis obvio, percunctari non erubeſceret, ſi quid oriretur dubii. Hæc prodita à multis; inter alios Laurentio Humfredo ⱡ lib. I I I de rat. Interpret.

* Animum habet incitatum ad diſciplinas.
† Semper ſeneſco multa diſcens.
‡ Plutarchus in vita Catonis majoris.
ⱡ De Barthol. p. 160. De Barbaro. p. 535. De priori vide & Itamem Fichardum in Iuriſconſultorum Vitis.

10. §. *Multi verò naturâ quidem accenduntur ad amorem doctrinarum, ac gloriæ: ſed quia adoleſcentia eſt natura proclivis à labore ad otium, ſæpe illi naturæ igniculi ſegnium, atque imperitorum conſuetudine, magnam partem ſuffocantur. Plurimùm igitur valet, ſi ſubinde ſuſcitentur; præſertim ab eo, cujus multum valeat auctoritas.*

Hoc quàm neceſſarium ſit, facilè liquebit cogitanti, conſtare animum noſtrum intellectu, & voluntate: eoque non ſatis eſſe, ut ſciamus; quod eſt intellectus: ſed exigi præterea, ut quæ ſcimus, cupiamus; quod eſt voluntatis.

11. §. *Quare ne in doctore quidem ſufficit* τὸ διδασκαλικόν*: ſed inſuper exigitur* τὸ προτρεπτικόν, ἢ νουθετικόν.

Hoc eſt, ut non contentus ſit, ea tradere, quæ ad ſcientiam aliquam pertineant; ſed ſciat etiam, voluntati ſubdere faces, quò iis accenſus diſcipulus ardeat amore ſcientiæ; nec magno, ac diuturno labore, terreatur. Non ſemper verò eſt, ut doctor utrumque vel valeat, vel præſtet, vel etiam velit. Sua quemque docendi ratio delectat: & eſt qui hoc, eſt qui altero genere excellat. Exemplum capiamus ex iis, quæ de virtute præceperunt. Propè nihil μεθοδικώτερον iis, quæ de ſingulis virtutibus Ariſtoteles conſignavit. Sed animum non æquè afficit; nec efficit, ut velim, quod ſciam. Plus parte hac valent, quæ Seneca, Plutarchus, & ſimiles reliquerunt. Magis hi calcaria, ac ſtimulos ſubdunt voluntati.

12. §. *Non igitur dubium, quin plurimum in animis valeant humanis monita, & adhortationes.*

Quas idcirco commendat Plato in Euthydemo. Multis uti Pythagoras ſolet. Ac complures leguntur apud Jamblichum de ſecta Pythagoreorum. Ariſtoteles quoque varias ſcripſit: ut ex Laërtio, Alexandro, & Stobæo conſtat. Ac Theophraſtum quoque edidiſſe orationem ejus argumenti, idem Laërtius auctor eſt. Galenus adhæc orationem reliquit, quâ ad Medicinæ ſtudium adhortatur; dummodo oratio ſit genuina. Galeno quidem eam Hieronymus quoque tribuit adverſus Jovinianum.

13. §. *Eſtque iſtiuſmodi monitorum, ac hortatuum, eo major neceſſitas, quod tanta ſit ſtudiorum difficultas. Sæpe enim veritas, quam ſapiens magis amat, quàm ſe ipſum, demerſa in Democriti puteo latet. Adde jam, quod ſolida doctrina non ſe unam intra ſcientiam, vel alteram etiam, continet: ſed artes comprehendit univerſas. Meliùs quippe conjunctim, quàm ſeparatim, intelliguntur: idque propter commune, atque hoc arctiſſimum vinculum, quo colligantur.*

Quò pertinet hoc Ariſtotelis lib. I Anal. Poſt. Ἐπικοινωνοῦσι πᾶσαι αἱ ἐπιστῆμαι ἀλλήλαις. Cicero *: *Omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur.* Indeque Græculis Μοῦσαι creduntur dictæ, quaſi ὁμοῦσαι: ut eſt apud Syneſium in Dione, & Caſſiodorum lib. I I I, Var. Imò quaſi una eſt ſcientia: ſecundum illud Heracliti, ἐκ † πάντων ἕν, καὶ ἐξ ἑνὸς πάντα. Eoque curandum, ne ſic unam univerſalis ſcientiæ partem colamus, ut cæteras negligamus. Quod ſi parte quapiam claudicet eruditio noſtra, ſatius eſt admirari, quæ neſcimus, quàm damnare, quia neſcimus. Sed inſcitia, & faſtus, hoc non ſinunt, ideoque ſic ferè uſu venit, ut omnes propè inventa, & doctrinam aliorum, aſpernentur. Præter faſtum concurrit inertia. Ad vaſtam eruditionem opus multâ lectione, & meditatione. At otii ſunt amantes. Ergo pauca legunt, pauciora meditantur: & omnino malunt videri docti, quàm eſſe. Unde eſt, quòd ſi quid audiant indictum: non dubitent ridere, vel damnare, ne videantur aliquid neſcire. Tanto autem magis eâ parte peccant doctores, quanto eorum major eſt auctoritas. Quam malè igitur in Academiis, & illuſtribus Gymnaſiis, merentur de juventute, qui ſuum ſic ſtudium commendant, ut deprimant alienum: ac, quas ſcientias, vel ignaviâ, vel temporum infelicitate, non didicêre in adoleſcentia: eas propterea calumnientur; quia ſuâ putant referre, ne plus ſapiant alii, quàm ipſi. Mea verò ſic fert ratio, atque animus, in Scholis bene conſtitutis eum animum doctoribus adeſſe omnibus oportere, ut quamquam definita ſingulis officia ſint, tamen ſubinde reſpiciant ad univerſam ſtudiorum compagem; ac, licet unam ipſi doceant diſciplinam, reliquas tamen deſeri nolint, verùm pariter commendent.

* Pro Archia.
† Ex omnibus unum, atque ex uno omnia.

14. §. *Sed omnibus accuratè cognoſcendis non ſufficit vita humana; eoque ſtudiorum tempora duas in partes diſpeſcemus. Prius ſibi vindicat generalis rerum omnium doctrina. Alterum expoſcit exquiſita unius, vel alterius ſcientiæ doctrina. Ut generalem illam notitiam conſequamur, duobus opus eſt. Quorum prius eſt* εὐταξία, *ſive ordo commodus, quo diſciplinæ ſingulæ, & ſingularum partes, ſuo & loco, & tempore, diſcuntur. Ordo enim omnia nectit, ut ex multis fiat unum: faciliùs verò unum, quam multa, tum percipimus, tum animo retinemus.*

Nimirum in ſtudiis comparatum eſt, ſicut in annulis; quorum ſi plurimos circumgeſtes, facilè aliquos deperdas: ſin eorum ſit, ut Tertulliani * voce utar, concatenatio; unum cuſtodiens, ſervâris omnes. Itidem in diſciplinis, ubi omnia probè compoſita, nexaque, uno cognito, vel retento facilè alterum cognoſcetur; vel ſi effluxerit, ex eo, quod inhæret, in memoriam revocabitur.

* Apolog.

15. §. *Præter verò ordinem, modum etiam in diſciplinis tam variis tenere eſt opus.*

Nam, ut eſt initio aphoriſmorum Hippocratis, *vita brevis, ars longa.* Nota etiam Theophraſti † de vitæ brevitate querimonia.

† Apud Cicer. lib. 3. Tuſcul. Quæſtion. & Laërtium in ejus vita.

16. §. Mo-

Digitized by Google

16. §. *Modus verò is eſto, ut communiora, & vulgatiora omnes in omnibus ſciant diſciplinis: quibus verò felicius ingenium, & otii abunde, & doctorum affatim, hi etiam ulteriùs tendant, totaſque diſciplinas ſaltem κατ' ἐπιτομὴν cognoſcant, ſuperfluis ſolùm, vel minùs utilibus, receſſis. Aliter enim ſcientiæ, vel arti, operam dabunt, quibus illud ſtudium eſt gradus; aliter quibus eſt apex. Poſtea & illis, quos priùs dicebamus, & hiſce beatioribus, certa eſt diſciplinæ inſiſtendum: cujus ἀκρίβειαν, & exquiſitam cognitionem ſibi proponere oportet.*

Nam ſi in generali ubique notitiâ ſubſiſtamus, audire cogemur vulgatum illud, *De omnibus aliquid, de toto nihil.* Et hoc Martialis*, *Quiſquis ubique habitat, Maxime, nuſquam habitat.*

*Lib. 7. epigr. 72.

Cap. III.

DE POLYMATHIÆ diviſione in Philologiam, Matheſin, & Logicam.

1. §. *Hactenus generalia ſumus proſecuti. Imò, quæ proximè de ſtudiorum ordine dicebamus, non ad Philoſophiam minus, quàm Polymathiam, ſive diſciplinæ orbem, pertinent. Deinceps, ut pareat, quæ artes utroque vocabulo contineantur, diviſionem ejus orbis inſtituere animus eſt. Sunt verò* Πολυμαθείας *partes tres: una eſt* Philologia, *quæ aliter* Grammatice *vocatur; altera eſt* Matheſis: *tertia autem* Logice *dicitur.*

Πολυμάθεια, quæ & Πολυμαθημοσύνη † nuncupatur, propriè ſignat, tum Grammaticen, ſtylique elegantiam: tum Hiſtoriarum, ac fabularum notitiam. Quod indicat Philo περὶ τῆς προπαιδεύματα συνόδου. Ubi clarè ait, Grammaticen enarrando hiſtorias, quæ apud Poëtas, & alios, leguntur, νόησιν, καὶ πολυμάθειαν ἐργάζεσθαι. *notitiam, variamque eruditionem adferre.* Eodem opere conjungit πολυμάθειαν, & ἐγκύκλιον θεωρίαν: ut pro eodem habuiſſe videatur. Sed γραμματικὴ quidem ἐγκυκλοπαιδεία, vel ἐγκύκλιος παιδεία vocatur; verum κατὰ κατάχρησιν, οὐ λόγῳ κυρίῳ, ut Tzetzes ait in Hiſtor. Chil. Latinè ut eam dicere poſſimus, indicat Fabius lib. 1, cap. XVI: *Nunc*, inquit, *de cæteris artibus, quibus inſtituendos, priuſquam tradantur Rhetori, pueros exiſtimo, ſtrictim ſubjungam, ut efficiatur orbis ille diſciplinæ, quem Græci* ἐγκύκλιον παιδείαν *vocant.* Photius in biblioth. ait, Helladii lexicon utile eſſe ad πολυμάθειαν, quia contineat μαρτυρίας τε ῥητόρων τε, καὶ τῶν εἰς ποιητικὴν μέγα κλέος ἐχόντων· *teſtimonia oratorum, & eorum, qui è poëſi magnam gloriam retulere.* Unde liquet, curam ſtyli, tum liberi, tum ligati, ad πολυμάθειαν pertinere. Sed præterea continet Dialecticen, & Matheſin. Nam & eas, &, quas diximus, diſciplinas, ἐν προπαιδεύμασι numerat Philo Judæus. Uti & Quinctilianus lib. 1, Clemens in ϛρωματέων libris, Origenes in Philocalia, Syneſius in Dione, & Theologorum alii. Similiter Sextus Empiricus libris, quos ſcripſit adverſus ſtudia, quæ ante Philoſophiam diſci ſolent. Imò & eadem Porphyrio mens opere eo, quod hiſtoriam Philoſophicam inſcripſerat: ut diſcere eſt ex Joannis Tzetzis Hiſtor. Chil. XI, ſect. CCCLXXVII. Sic enim Grammaticus is ſcribit:

† Athenæum lib. 13.

Δευτέρως δὲ ἐγκύκλια μαθήματα καλοῦνται.
Ὁ κύκλος τὸ συμπέρασμα πάντων τῶν μαθημάτων,
Γραμματικῆς, ῥητορικῆς, αὐτῆς φιλοσοφίας,
Καὶ τῶν τεσσάρων δὲ τεχνῶν τῶν ὑπ' αὐτὴν κειμένων,
Τῆς ἀριθμητικῆς, μουσικῆς, καὶ τῆς γεωμετρίας,
Καὶ τῆς οὐρανοβάμονος αὐτῆς ἀστρονομίας.
Ἐγκύκλια μαθήματα δευτέρως, ταῦτα πάντα.
Ὡς ἔγραψε Πορφύριος ἐν βίοις φιλοσόφων,
Καὶ ἕτεροι μυρίοι δὲ τῶν λογιμωτάτων ἄνδρες.
Secundo autem circulares diſciplinæ vocantur.
Circulus enim concluſio eſt omnium diſciplinarum;
Grammatices, Rhetorices, ipſius Philoſophiæ,
Et quatuor artium ſub ipſa poſitarum,
Arithmetices, Muſices, Geometriæ,
Et cœlum aſcendentis ipſius Aſtronomiæ,
Circulares diſciplinæ ſecundò hæ omnes ſunt:
Ut ſcripſit Porphyrius in vitis philoſophorum,
Et alii innumeri doctiſſimorum virorum.

In uno abit Porphyrius, quòd ἐγκυκλίων nomine complectitur ipſam Philoſophiam: nempe ut apicem eorum. Sed hanc excludit Seneca epiſt. LXXXIX: ubi & ipſe eas diſciplinas ex Poſidonio ἐγκυκλίους vocat. Quemadmodum & Laërtius nominat ἐγκύκλιον παιδείαν, Plutarchus ἐγκύκλια παιδεύματα. Porphyrium eas tenuiſſe diſciplinas, teſtatur Eunapius in Vitis Philoſophorum. Perſecutus eaſdem Varro libro de novem diſciplinis: quem Vitruvius, Nonius, & alii laudant. Item Martianus Capella de nuptiis Philologiæ; cujus liber III, IV, V, de Grammatica, Dialectica, Rhetorica: quatuor ſequentes, de quatuor agunt diſciplinis mathematicis. Nec aliter Caſſiodorus de orbe diſciplinarum liberalium, & Iſidorus prioribus Originum libris. Ut ſatis liqueat, Latinorum de orbe diſciplinarum eandem, ac Græcorum, fuiſſe ſententiam.

Cuncta verò hæc Grammatices nomine ſæpius comprehenduntur; quemadmodum diximus. Nihil igitur mirum, ſi magnificè adeò de hujus ſtudii dignitate, & difficultate, ſtatuat Eraſmus in Origenis vita: *Siquis dicat, Grammatices profeſſionem nihil habere memorabile: ſciat, olim ſenile, & arduum fuiſſe negotium. Nec enim à doctore tantùm expectabatur declinationum, conjugationum, & conſtructionum ratio; ſed præter ſermonis elegantiam, præter plurimorum auctorum lectionem; præter antiquitatis, & omnium hiſtoriarum notitiam, requirebatur Poëtices, Rhetorices, Dialectices, Arithmetices, & Coſmographiæ, Muſiceſque cognitio. Minore negotio tres juris doctores abſolveris, quàm unum Grammaticum, qualis fuit Ariſtarchus apud Græcos, apud Latinos Servius, ac Donatus.* Hæc de Πολυμαθείᾳ universè.

Cap. IV.

PHILOLOGIAM occupari circa SERMONIS curam, & HISTORIAM: priorem dividi in GRAMMATICEN, RHETORICAM ARTEM, & METRICAM: Grammaticen in METHODICEN, & EXEGETICEN, quarum Methodice tradat artis præcepta.

1. §. *Philologia diſpeſcitur in duas partes: prior continet artes ſermonis formatrices. Altera eſt hiſtoria omnigena.*

Veteribus aliter *Grammatice* dicitur: unde eſt, quòd videas, à veterum pleriſque hiſtoriarum, fabularumque peritiam, ſtatui partem Grammatices: ubi nec Grammatiſtice intelligenda, quæ contenta eſt docere artem legendi, & literas formandi: nec ſola Grammatice Technice, quæ præcepta artis methodicè tradit: nec ſola Grammatice propriè dicta, quæ præter artis præcepta vocum ſignificationes docet: ſed ea, quam Philologiam aliter dicimus: quæ, præter curam ſermonis, veras, fictaſque hiſtorias comprehendit. Seneca epiſt. LXXXVIII: *Grammaticus circa curam ſermonis verſatur: &, ſi latius verſari vult, circa hiſtorias.*

2. §. *In ſermone attenditur puritas, ornatus, & metrum.*

Veniam mihi dari poſtulo, ſi utar *puritatis* vocabulo, iis ignoto, qui purè, terſeque olim loquebantur. Exiſtimo

mo enim, non Grammaticis minùs conceſſum eſſe, vocabula quædam comminiſci in Arte ſuâ neceſſaria, quàm aliis illud artium, vel ſcientiarum ſcriptoribus, permittitur. Quomodo Cicero non dubitavit in Civili Philoſophia fingere *beatitudo*, & *beatitas*: ut meliùs exprimeret, quod Græci *εὐδαιμονίαν* appellant. Sanè non video, quomodo aliter, quàm *puritatis* voce, exprimere poſſimus, quod Hermogenes *καθαρότητα* appellat. Sed uti in epiſtolis, vel orationibus, Cicero non uſurpâſſet *beatitatis* vocem: itidem nec *puritatis* vocabulo facilè utar extra pomœria earum artium, quæ circa ſermonem verſantur. Quia verò, ut diximus, in ſermone non ſolùm conſideratur puritas; ſed ornatus etiam, ac metrum: eò veteres, cùm perſuaſum haberent, Grammatici eſſe omnia tradere, quæ ad ſermonem pertinent, tria iſtæc curæ ejus ſubjecerunt. Fuit etiam hujus ſententiæ Seneca. Nam, ut proximè vidimus, principem Grammatices curam eſſe dicit ſermonis; neque determinat ad puritatem ſermonis, ut ornatum ejus videatur complexus. Mox etiam agnoſcit, ſecundum quoſdam metricam artem credi partem Grammatices. Sed nobis omnis ille ſermo eſt Grammaticus, qui nititur veterum loquendi conſuetudine; eoque nihil habet *βάρβαρον*, nihil *σόλοικον*. Ad quas verò diſciplinas ornatus, & metrum pertineant, inferiùs explicabitur. Fatemur quidem, partes poſſe Grammatices dici: ſed quatenus per eam intelligitur Philologia, ſive, ut Tranquillus vocat, *varia eruditio*: non item, ſi ſermo ſit de Grammatice propriè dictâ, quæ ab arte Rhetorica, & Metrica, propriis cancellis ſeparatur.

3. §. *Ut purus ſermo ſit, præſtat Grammatice; primariò quidem in ſermone; ſecundariò verò in ſcriptione.*

Unde nutrici rectè comparatur. Nam præ foribus templi, in quo Sapientia, & Prudentia habitant, docet nos ſermocinari, ut in illis Divarum adytis, & intelligamus, & intelligamur. Imò non ſolum præſtat, ut meliùs percipiamus, loquamur, ſcribamus: ſed etiam facilius, certiuſque, & doceamus, & diſcamus: ut de commodis cæteris taceam. Quocirca qui hanc negligunt, ſimiles iis ſunt, qui veſtibulum nondum ingreſſi ſunt, & jam ſomniant de penetrali: vel etiam qui necdum fundamentum poſuerint, & jam cogitant de tecto: vel qui aliquem putant virum poſſe fieri, qui non priùs fuerit puer. At Fabium audiamus, qui lib. I. ait, Grammaticen plus habere operis, quàm oſtentationis, & niſi ea fundamenta aliarum artium feliciter jeceris, corruiturum, quicquid ſuperſtruxeris. Nimirum ut ædificare volentibus prior eſt fundamenti cura, proxima autem ſtructuræ: ita etiam ſe res habet in doctrinarum ſtudiis. Fundamentum autem ponit literatura, ſive varia eruditio: quam Philologiam dicimus, vel etiam Grammaticen. Quod nomen nunc contemptui eſt; ſed inſipientibus: qui neſciunt plus habere momenti in receſſu, quàm promittat in fronte. Alioqui non de hac arte ſcripſiſſent Ter. Varro, & Julius Cæſar: ille diſciplinarum omnium cognitione nulli ſecundus; hic rerum geſtarum magnitudine facilè princeps.

4. §. *Grammatices igitur nomine intelligitur hoc loco, non vulgaris illa, quæ eſt legendi, ſcribendique ars, & pleriſque* Grammatiſtice *dicitur: ſed doctior illa, quæ eſt bene loquendi ars, maximorumque eſt virorum ſtudio elaborata, ac perfecta.*

Grammatiſticen, & *Grammaticen*, apertè ſatis diſtinguit Lactantius lib. III. cap. XXV. De Grammatiſtice primùm, ut anteà diximus, ſic ſcribit: *Diſcenda iſta communes literæ propter uſum legendi: quia in tanta rerum varietate, nec diſci audiendo poſſunt omnia, nec memoriâ contineri.* Continuò de Grammatica hæc ſubdit: *Grammaticis quoque non parum operæ dandum eſt, ut rectam loquendi rationem ſcias. Id multos annos auferat, neceſſe eſt.* Hæ artes cùm valde differant, tamen communi Grammatices nomine cenſebantur. Unde ſic Sextus Empiricus: Γραμματικὴ λέγεται κατὰ ὁμωνυμίαν, κοινῶς τε καὶ ἰδίως· καὶ κοινῶς μὲν ὁποιωνδήποτε γραμμάτων εἴδησις, ἐάν τε Ἑλληνικῶν, ἐάν τε βαρβαρικῶν, ἣν συνήθως γραμματιστικὴν καλοῦμεν. ἰδιαίτερον τε ἡ διπλῆς, καὶ τοῖς περὶ Κράτητα τὸν Μαλλώτην, Ἀριστοφάνην τε, καὶ Ἀρίσταρχον, ἐκπονηθεῖσα. *Grammatice dicitur æquivocè, communiter, & propriè: ac communiter quidem cognitio quarumcunque literarum, ſive Græcarum, ſive barbararum: quam Grammatiſticen ſolemus appellare. Propriè autem, quæ eſt perfecta, atque abſoluta labore ac ſtudio Cratetis Malloiæ, Ariſtophanis, & Ariſtarchi.* Nempe initio Grammatice non aliud, quàm legere, & ſcribere, docebat: poſteà paullatim variis aucta eſt acceſſionibus, ac vetus tamen nomen reſervavit.

Haut aliter ac Geometria retinuit nomen, etiam cùm non in unius terræ menſuratione ſe occuparet; ſed ad alia multa extenderetur. Quamquàm cum *γράμματα* non ſolùm dicantur vocum elementa; ſed & eruditio ipſa; quomodo Latini quoque *literas* diverſimodè uſurpant: dicere liceat, ut ait Aſclepiades, priorem Grammaticen ſic dici à priori ſignificatione, à poſteriori poſteriorem; quomodo Grammaticus idem ſit, ac multis literis tinctus. Verùm hoc ſenſu non ſola puri ſermonis doctrina, quam nunc *Grammaticen* dicimus: ſed etiam peritia ornatè dicendi, ac metricè, imò & hiſtoriarum, ac fabularum enarratio, Grammatice fuerit. Nempe idem fuerit *Grammatice*, & *Philologia*. Neque negare poſſumus, ſæpè veteribus eundem dici Grammaticum, ac Philologum. Sed nunc ſumimus pro ea Philologiæ parte, quæ purè loqui docet.

5. §. *Doctrina puri ſermonis eſt bipartita. Una eſt de ſermonis veluti corpore; quæ Methodice dicitur, vel Technice, quaſi* artificioſam *dicas. Hæc artis præcepta tradit, & fabricat notiones ſecundas; quod commune habet cum Logica, Rhetorica, Poëtica, & Hiſtorica. Sed eò differt, quod Grammatices notionibus ſecundis ſolùm dirigimur in purè loquendo. Cujuſmodi ſunt vocalis, ſemivocalis, liquida, diphthongus, nomen, verbum, ſubſtantivum, adjectivum, genus, ſpecies, declinatio, modus, perſona, conjugatio, zeugma, enallage, antimeria, & ſimilia.*

Ut hæc de ſecundis notionibus meliùs intelligantur, paullò altiùs rem arceſſam. Quæcunque in diſciplinarum orbe, ac univerſo ſapientiæ ſtudio, tractantur, ea partim à mente ſunt humanâ, eique ſemper inſunt: partim à mente non ſunt; eoque ita ſunt in animâ, ut etiam ſint extra animam. Poſteriora hæc vocant vulgò *entia realia*, nec non *intentiones*, *ſive notiones primas*. At priora illa nominant *entia rationis*: ab Avicennæ interprete appellantur *ſecunda intellecta*; ab aliis dicuntur *intentiones*, *ſeu notiones ſecundæ*, quaſi dicas notiones notionum, & conceptuum conceptus: ſuntque nihil aliud, quàm voces artificiales ab intellectu humano fabricatæ, ut ſint inſtrumenta inſervientia cognitioni primarum notionum. Ac Philoſophia quidem, tum *θεωρητική*, quæ Metaphyſica, ac Phyſica, &, multorum judicio, Mathematica comprehendit; tum *πρακτική*, ad quam Ethica, Politica, & OEconomica pertinent; ferè ea tantùm conſiderat, quæ in rerum natura extra intellectum ſubſiſtere dicebamus. Ferè, inquam; nam Aſtrologia quoque, quam alii Mathematicæ, alii Phyſicæ faciunt partem (uti rectiùs ſentiant, alibi oſtendemus) conſiderat notiones ſecundas: ut ſunt polus, zodiacus, epicyclus, &c. At circa illa, quæ mens humana efficit, ex profeſſo verſantur quinque diſciplinæ; Grammatica, Logica, Oratoria, Poëtica, & Hiſtorica. Non quidem me fugit, ſummum virum Julium Scaligerum cap. XXX. Ideæ ſuæ poëticæ, tres ſolùm facere diſciplinas organicas. Verùm is tres poſtremas ſtatuit ſub una com-

comprehendi, cui proprium necdum inditum ſit nomen. Ex hiſce verò artibus aliæ aliis latiùs diffunduntur. Quippe earum quædam ſunt totius Philoſophiæ inſtrumenta; ut Grammatica, quæ ſermonem; & Logica, quæ rationem dirigit: aliæ verò ſolius ſunt Politicæ organa; ut Oratoria, Poëtica, & Hiſtorica; quæ tres non ſolùm ſpectant orationem, ut Grammatica; nec ſolam rationem, ut Logica; ſed & orationem, & rationem.

6. §. *Primus Grammaticen hanc, quæ* Methodice *dicitur, in artem redegit Ariſtoteles.*

Auctor Dio Chryſoſtomus orat. LIII. quæ eſt de Homero. Primus verò docuiſſe eam traditur Epicurus; ut in vita ejus ex Hermippo prodidit Laërtius.

7. §. *Eſtque vel vulgaris, vel philoſophica. Ad priorem pertinet, cùm de alicujus Nominis genere, vel caſu patrio: aut de Verbi cujuſpiam tempore præterito, vel reliquâ inflexione, ac ſimilibus, informandus eſt rudis animus. Poſterior verò ad obruſſam Logicæ accuratè omnia definit, ac dividit, atque etiam ad minutias deſcendit: præterea, ut in rebus philoſophi ſolent, omnium cauſſas adfert. Cujuſmodi obſervationes licet plurimùm juvent, & acuant, mediocriter eruditos; incipientibus tamen magis nocent. Pauca igitur præceptaiis, eaque facilia, ſuffecerint. Quin nulla potiùs ſunto, quàm multa, & ſubtilia.*

Cujuſmodi ſe paſſim offerunt apud magnum Cæſarem Scaligerum in libris de Cauſſis L. L. Nec diffiteor, plurima ejus notæ non ab aliis duntaxat; ſed à nobis etiam, adferri ſeptemplici de Arte Grammatica commentario. Talia morentur potiùs prima ſtudia, quàm promoveant. Quid quòd multa aggeri ſolent, non modò diſconvenientia primæ ætati; ſed etiam falſa? Equidem ſic exiſtimo, quòd tanta eſſe inſcitia ſoleat; poſtquam annis compluribus opera eſt data ſtudiis, id non modò eſſe ab imperitia præfectorum; ſed altero etiam malo, quòd bona quoque ingenia uſque adeò diu detineantur in Grammatices Methodices, penè dixerim, ergaſtulo: ubi diſcere coguntur ætati illi tetrica, neque neceſſaria; ſubinde etiam falſa, magnoque labore dediſcenda. Sic abit prima, bonaque ætas: quæ non capitur illis canonibus, imò nec capit. Melior eſt proficiendi modus, ſi poſt præcepta pauca, nempe ſola neceſſaria, aut valdè utilia, contingat ſtatim aëre, ac luce, frui bonorum ſcriptorum; cumque lectione eorum exercitium ſtyli conjungatur. Nec eò rejicio, qui operosè de hac arte ſcripſerunt: ſed volo, ut ætas jam adultior, judicioque firmatior, legat eos accuratè, vel minimùm percurrat, quæ de præceptis iſtis, cauſſiſque ſermonis Latini, eruditi homines obſervarunt. Quem niſi laborem refugerent multi; majus honoris pretium exſpectare poterant ab ſolidè eruditis, præcipuè poſteris. Nunc dum partim deſidiâ, partim inani quadam fiduciâ ſui, priuſquam in iſta penetrârint, diffundere gaudent ingenii doctrinæque ſuæ monumenta: illuſtres quidem animi dotes aperiunt; ſed ob Grammatices, ac penitioris literaturæ inſcitiam, riſum ſæpe debent non eruditiſſimis modò; ſed etiam iis, quos ridere ipſi amant, ac grandi ſupercilio, tanquam immane quantum ſupra eos evecti, vix alio, quàm pædagogorum nomine, dignantur.

8. §. *Altera etiam Grammatices Technica diviſio eſt. Nam quemadmodum Grammatice & legendi, & ſcribendi ſcientiam continet: itidem Grammatice Methodica, ſive Technica, vel de lectione eſt, & Ὀρθοέπεια dicitur: vel de ſcriptione, quæ Ὀρθογραφία nominatur. Ὀρθοέπεια tum de ſingulis eſt vocibus, tum de conjunctis. Prior tractat de vocum claſſibus, ac claſſium ſingularum affectionibus: inque claſſibus vocum, variabilium præcipuè, ἀναλογίαν, & ἀνωμαλίαν, attendit.*

Ἀναλογίαν defendit Ariſtarchus, ἀνωμαλίαν Crates. Vide Varronis tres libros de Analogia: & ad eos libros appendicem H. Stephani. Adhæc Cæſarem Scaligerum de cauſſis L. L. Vulgò, quam ἀναλογίας, & ἀνωμαλίας doctrinam vocamus, ἐτυμολογίαν nuncupant; ſed perperam: cùm hujus ſolùm ſit vocum origines explicare; ut inferiùs dicetur.

9. §. *Ad privarum vocum ὀρθοέπειαν etiam προσῳδία pertinet: cumque ἀναλογία, & ἀνωμαλία, conſiderent vocis οὐσίαν; hæc attendit ejus moderamentum ratione ſoni. Proque triplici affectione ſyllabæ; longitudine, latitudine, & profunditate; diſtinctè agit, ratione primi, de tono ſive tenore, qui κατ' ἐξοχὴν* accentus *dicitur, etſi naturâ tam late ea vox pateat, quàm προσῳδία; ratione alterius, tractat de ſpiritu; ratione tertii, de quantitate.*

Hujus igitur partis eſt docere, num ſyllaba acuatur, gravetur, an circumflectatur; num ſpiritum habeat lenem, an denſum; num brevis ſit, longa, an communis. At nimis ejus limites extendunt, qui eidem ſubjiciunt modulationem carminis. Nam de pedibus, & variis verſuum generibus, tractare, artis eſt Metricæ: quæ licet longe aliud ſit ac Poëtice, uti aliud carmen ſcribere, quàm poëtam eſſe; ad elementa tamen Poëticæ pertinet. Interim φιλολογίας eſſe partem, dubium non eſt.

10. §. *In conjunctis vocibus conſideratur ſtructura congrua; tum ea, quæ eſt naturalis, tum quæ contra naturam.*

Congruam Apollonius ὁ Δύσκολος, nunc τὸ κατάλληλον τῆς συντάξεως vocat, nunc καταλληλότητα λόγου, nunc δέουσαν σύνταξιν τῶν ῥημάτων. Quemadmodum & idem ſermonem vitioſum appellat ἀκατάλληλον. Orationis naturalis exemplum eſt, cum κοινῶς dicitur ζῶα τρέχουσι: at contra naturam dicitur ζῶα τρέχει, quod Atticum eſt: vel ſi malis, Bœoticum; ut ſtatuit Apollonius lib. III. cap. x. De Ὀρθοεπείᾳ hactenus.

11. §. *Ὀρθογραφίας vocabulo intelligimus hoc loco, non eam, quam Grammatiſtice tradit; ſed de qua diligenter adeò ſcripſere eruditiſſimi Grammatici, cum Græci, tum Latini.*

Ut è Græcis Didymus, Tryphon, Herodianus, Eudæmon, Arcadius, Hyperchio, & tot alii, quos laudant Stephanus περὶ πόλεων, & Suidas. E Latinis Verrius Flaccus, teſte Tranquillo, & Velius Longus; quem Commelinus juris fecit publici cum caſtigationibus ſoceri mei, Franciſci Junii Biturigis. Item undecim alii, ex quibus ſua collegit Caſſiodorus. Unde ſic ipſe verſibus iis, quos præfationi ſubjunxit:

Omnia cùm veterum ſint deflorata libellis;
Multa loqui breviter ſit novitatis opus.

In vulgatis eſt *explorata*. Sed *deflorata* malui, quia ipſe in præfatione ſic dicat: *Ad orthographos excutiendos anno ætatis meæ nonageſimo tertio, Domino adjuvante, perveni. Ex quibus ſi in unum valuero deflorata colligere: confuſionem emendator, atque ſcriptor, arbitror, ulteriùs non habebit.* Etiam ſubditum libello: *Explicit Caſſiodori Senatoris de Orthographia liber ex duodecim auctorum epiſtolis defloratus.* Hoc ſeculo etiam varii de ea re ſcripſere. Sed uti priorum induſtriam vicerat Aldus Nepos: ita eum, & alios, longe poſt ſe reliquit Claudius Dauſquius, eruditiſſimis duobus de Orthographia libris. Multa etiam nos de ea in Originum opere. Crebrò enim ex etymo recta ſcribendi ratio dilucet: quod & præſtat analogia. Adhæc veteres codd. Mſſi: item ſaxorum, nummorum,

gemmarum, aliorumque inſcriptiones antiquæ. Sextus Empiricus hujus etiam doctrinæ vanitatem ἐκ τῆς διαφωνίας convincere conatur. Sed quantillum hoc, quòd in ſcribendi ratione ſit diſſenſus: cùm ne in rebus quidem longe maximis, & certiſſimis, convenire homines ſoleant. Tanta eſt diſſentiendi prurigo.

12. §. *Ad Ὀρθογραφίαν etiam pertinet ratio tum interpungendi; tum ſcribendi διὰ σημείων, ſive per ſiglas: item illa per notas.*

De interpunctione quædam ſcripſimus; uti ante nos Aldus. Per ſiglas, hoc eſt, literas ſingulas, vel etiam per plurium literarum compendia, exarare docent Valerius Probus, Mango, Petrus Diaconus. Uti per notas, quæ literæ non ſunt, Tullius Tyro, & L. Seneca. Erat & ſcribendi ratio Hieroglyphica; de qua Horapollo. Et hæc de Methodice.

Cap. V.

DE GRAMMATICES EA PARTE, quæ Exegetice dicitur: ac primùm de illa vocum ſingularum, ubi & de Etymologia.

1. §. *De Methodice ſatis dictum eſt: deinceps ad Exegeticen tranſeamus. Sed primùm tollenda eſt vocis ambiguitas. Sunt qui per eam intelligant explicationem omnium, quæ in ſcriptoribus, poetis imprimis, difficilia occurrunt.*

ITaque Quinctilianus lib. 1. interpretatur *auctorum enarrationem:* Varro item apud Diomedem, *obſcurorum ſenſuum, quæſtionumque, explicationem.*

2. §. *Sed hæc ſententia, quod pace veterum dixerim, per eſt abſurda. Nam ſic Grammaticus fuerit nemo, niſi qui idem ſit philoſophus.*

Quomodo enim alioqui interpretabitur Lucretium, aut Manilium: Parmenidem, aut Meliſſum? Quomodo item alios, qui multa ex penitiſſima adſpergunt philoſophia?

3. §. *Aliis Exegetice ea ſolùm exponit, quæ ad verba, vel hiſtoriam, pertinent. Quo pacto Grammatice idem fuerit, ac Philologia.*

Ac ſic uſus Dionyſius Thrax; cui hæc pars eſt λέξεων, καὶ ἱστοριῶν ἀπόδοσις· *enarratio verborum, ac hiſtoriarum.*

4. §. *Verùm jam antea Philologiam in Grammaticen, ac Hiſtoriarum enarrationem, diviſimus. Supereſt igitur, ut Exegetice ſolùm tradat vocum ſignificationes: quæ ſermoni ſunt inſtar animæ.*

Ut qui hanc partem aſpernetur, eâdem omnem contemnat doctrinam. Nec enim rerum peritiam conſequimur, niſi per verba, rerum ſymbola. Hac ſententiâ optimè retundi puto, tum Grammaticorum faſtum, tum contemtum. Nec enim ferendus eſt tumor illorum, qui omnia omnium interpretari Grammatici eſſe ajunt: quaſi is ſuis limitibus contentus, cuncta nihilominus animo complectatur: de quibus dici, vel ſcribi poſſit: neque quicquam ſit, cujus ignorantia eum moretur. Ex parte alterâ pipulo digna eorum eſt inſcitia, qui vulgarium vocabulorum notitiâ leviter tincti, animum ad graviora ſtudia appellunt. Quales quomodo ſapientiæ, aut prudentiæ ſtudiis, imbuantur; cùm non capiant, quæ dicantur? Nimis etiam jejunè de Grammatice ſentiunt, qui agnoſcunt, neceſſariam eſſe accuratam verborum intelligentiam: ſed pertinere negant ad Grammaticum. Nam cujus fuerit vocabula exponere, ſi Grammatici non ſit? Philoſophi, inquiunt: quia is rerum ſit intelligentiſſimus. Verùm hinc non aliud evincas, quàm dignum eſſe philoſopho negotium, ſi vocabula rebus imponat: non item, ubi ea impoſita ſint, non eſſe Grammatici ea interpretari.

5. §. *Eſt verò hæc pars Grammatices magis neceſſaria, quàm prior. Siquidem inventus eſt ſermo, ut ſenſa animi noſtri aliis promamus. At intelligor etiam, licet peccem adverſus canonas Grammaticos. Verùm ſi neglectâ vocum propriâ ſignificatione aliud pro alio dicam, res intelligi non poteſt.*

Sic non minùs intelligor, ſi *oportuebat* dicam, quàm *oportebat*; *reminiſco*, quàm *reminiſcor*; *apoſtrophus geminus*, quàm *gemina*; *adfertur bonum nuncium*, quàm *bonus nuncius*. At non intelligar ab homine Romano, ſi, ut nunc fit, *palmam dixero* pro *buxo*; *luſcus* pro *ſtrabone*; *humilitas* pro *modeſtia*; *indigitare* pro *nominare*. Quanto minùs, ſi nec ſemibarbari ſic loquantur: ut ſi *crus* dicam pro *ſura*; *atramentum*, pro *rubrica*; *formoſus* pro *honeſto*, & ſimilia; quemadmodum fuſè oſtendo in opere de Vitiis ſermonis, & Gloſſematis.

6. §. *Itaque in omni ſtudiorum genere primum eſt proprietatem vocum nôſſe: indeque multas tollere controverſias datur.*

Quanti in medicina, atque adeò omni ſcientia, ſit nomina rerum ſcire, & ut ex inſcitia eorum multiplex proveniat rerum ignorantia; luculentè docet medicus eximius, Ioan. Manardus lib. 11, epiſt. 1. Sanè & Antiſtius Labeo ex verborum proprietate difficillimos juris laqueos ſolvebat. Nec dubium, quin in divinis quoque id habeat locum. Unde R. David Kimchi: *Qui ſtudet Legis divinæ ſcientiam ſibi comparare, neque diſcit fundamentum literaturæ; ſimilis eſt aratori, qui agit boves, nullamque in manu habet virgam, aut ſtimulum aculeatum.*

7. §. *Nec utile ſolùm, vel potiùs neceſſarium, ad rerum intelligentiam eſt nôſſe vocum proprietatem: ſed etiam decorum.*

Nemo enim ignorat, quantum multi gloriæ eo uno retulerint, quòd Græcos ſcriptores, aut vernaculâ linguâ ſcriptos, eleganter, & eruditè tranſtulerint Latinè, aut Latinos etiam ſcriptores Græcè.

8. §. *Atque hæc dicta volumus, non ſolùm ob linguæ Latinæ ſtudium; ſed etiam Græcæ: quæ, ubi mediocriter Latinè cœpimus balbutire, comes eſſe Græca debet. Nam prima illa ætas, partim quia memoriâ magis valet, partim quoniam diſciplinâ faciliùs continetur, aptior eſt diſcendis utriuſque linguæ elementis. Si differre hoc ſtudium velimus, donec exactè calleamus Latinè: ferè ita uſu venit, ut vel ſocordiâ, vel deſperatione, negligantur Græcæ; certiſſimo, maximoque ſtudiorum omnium diſpendio; cùm ad ſolidam eruditionem Latinæ non ſufficiant literæ.*

Nam innumera ſunt Græcè ſcripta, quæ vel tranſlata non ſint, vel perperam verſa. Imò etiam in benè redditis, quoties locus occurrit difficilior, recurrendum ad fontem Græcum. Si enim accuratè, & certò rem ſcire avemus: quomodo in re obſcurâ ſtatuemus de mente ſcriptoris, niſi priùs viderimus, quid auctor ſuâ dicat linguâ? Ex quibus etiam liquet, quanta ſit Hebrææ linguæ neceſſitas ad intelligendum vetus inſtrumentum. Nec jucundius modò Græca leguntur, quàm Latina: ſed, quod longè majus eſt, faciliùs etiam ex iis rerum notitia paratur. Cujus cauſſâ eſt, quòd omnia perſpicuè magis, ac ſignificantiùs, tradunt. Adeò ut ſi ſermone alio efferre quid velimus; mul-

multum neceſſariæ lucis decedat. Quod fit ob divitias ſermonis Græci, ad quas nunquam aſpirarunt Latini. Itaque Lucretius queritur de Latii ſermonis egeſtate; ut ipſe appellat*. Agellius quoque lib. XI, cap. XVI ait: *Adjecimus ſæpè animum ad vocabula rerum non pauciſſima; quæ neque ſingulis verbis, ut à Græcis; neque, ſi maximè pluribus eas res verbis dicamus, tam dilucidè, tamque aptè, demonſtrari Latinâ oratione poſſunt, quàm Græci ea dicunt privis vocibus.* Et poſt aliqua, *Sed hujus, inquam, tui erroris culpam eſſe intelligo in mea ſcilicet infacundiâ, qui ne pluribus quidem verbis potuerim non obſcuriſſimè dicere, quod à Græcis perfectiſſimè uno verbo, & planiſſimè, dicitur.* Vis & Chriſtiani nominis venerandum teſtem, B. Hieronymum? Ait ille: *Proprietatem Græcam Latinus ſermo non exprimit.* Exemplum hujus rei etiam capere poſſumus ex M. Tullio†, qui cum illud Ariſtippi Socratici referret, *Habeo Laida, non habeor à Laide*, ſubjungit: *Græcè hoc melius: tu, ſi voles, interpretabere.* Item Tiberius Cæſar, μονοπώλιον nominaturus‡ in Senatu, priùs veniam poſtulavit, quòd ſibi verbo peregrino, ob ſermonis Latini egeſtatem, utendum eſſet. Idem cùm in quodam decreto Patrum, ubi de ſumtibus conviviorum, ac ſupellectilis, quæſtio foret, num vaſa prohiberentur argentea, quæ ἔμβλημα haberent, cenſuit, pro voce *emblematis* reponendam Latinam; vel ſi ea foret nulla, pluribus, & verborum ambitu, enunciandam; ut ex Tranquillo*, & Dione†, cognoſcere eſt. Hæc de Exegetice univerſè. Nunc partes ejus conſiderabimus.

*Lib. 1. verſ. 139. 831: item lib. 3 verſ. 841.

†Lib. 9. epiſt. ultimo.

‡ Sueton. in Tiber. c. 71.

* Ibidem.

†Lib. 57.

9. §. *Ut de Methodice vidimus; ſic etiam Exegetice vel privarum eſt vocum, vel junctarum. Privæ ſunt vel indigenæ, vel peregrinæ: priores vel propriâ, ſive nativâ ſignificatione ſumuntur, vel tralatitiâ. Item vel ſunt uſitatæ, vel raræ, vel obliviæ ſive obſoletæ.*

Varro lib. VI de L. L. *Igitur quoniam hæc ſunt tripartita verba, quæ ſunt aut noſtra, aut aliena, aut oblivia: de noſtris dicam, cur ſint; de alienis, unde ſint; de obliviis relinquam: quorum partem, cum ita invenerim, ut opinor, ſcribam.* Sive, ut mente optima Wouwerius in Polymathia legendum cenſet cap. IX: *cùm certum non invenerim; ut opinor, ſcribam.* Aliter etiam tripartita fit diviſio. Vel enim vox linguæ eſt noſtræ; vel ex dialecto; vel ex gloſſâ, ſive à barbaris accepta. Poſſis & quadripartitam facere, illa noſtræ, ſive Latinæ linguæ vocabula dividendo in propria, & figurata. Ariſtoteles lib. de Poëtica*, & figurata, & illa è gloſſâ, vocat ξενικὰ, ſive *peregrina.* *Sic enim ſcribit: Ξενικὸν δὲ λέγω γλῶτταν, καὶ μεταφορὰν, καὶ πᾶν τὸ παρὰ τὸ κύριον. *Peregrinum voco, & quod è lingua aliâ, & quod per tranſlationem dictum, atque adeò, quicquid ab uſu proprio recedit.* Sed non dubium, quin τῶ ξενικῶν vocabulum non tam conveniat omnibus figuratis, quàm vocibus ex alia dialecto; ac præcipuè illis ex aliena lingua adſcitis. Unde Clemens Alexandrinus lib. I Στρωματέων: Ἀφελληνίζουσι δὲ ἔχους τὰς βαρβάρων φωνὰς, μηδὲ διαλέκτους, ἀλλὰ γλώσσας λέγεσθαι. *Barbarorum voces haut intellectas, non dialectos dici, ſed gloſſas.* Sæpe tamen *gloſſarum*, vel *gloſſematum* voce intelliguntur non ſolæ voces barbaræ; ſed etiam dialecti, & obſoletæ, & in univerſum, quarum ſignificatio minùs eſt obvia. Varro in VI de L. L. *Camillum, qui gloſſemata interpretati, dixerunt miniſtrum.* Quinctilianus etiam lib. I, cap. XIV, *gloſſas*, & *gloſſemata*, nunc *interpretationem linguæ ſecretioris*, nunc *voces minus uſitatas*, exponit. Ac Galenus quoque in gloſſis Hippocraticis clare ſic dici ait, quæ olim fuere in uſu, ſed eſſe deſierunt.

*Cap. 22.

10. §. *Exegetices privarum vocum vel miniſtra, vel pars eſt ἐτυμολογία, ſive originatio. Quippe ex vocum origine proprietas vocabuli meliùs cognoſcitur: atque ita ex vi verbi ad rei naturam faciliùs, certiuſque, devenitur.*

Hoc etiam iſtius vocabuli ἐτυμολογία oſtendit. Nam ab eis quidem eſt ἐτὸς, & ἐτεὸς, unde ἔτυμον, *verum.* Sanè & Heſychio ἔτυμα, καὶ ἐτεὰ, exponuntur ἀληθῆ, καὶ ἀγαθά. Cicero† itaque ἐτυμολογίαν vertit veriloquium. Malim περιφράζων reddere *veram nominis rationem.* Quamquam Agellius lib. I, cap. XVIII dixerit *ratione etymologicâ falſâ.* Sed ἀκύρως illi ἐτυμολογία non tam *vera nominis ratio*; quam univerſè *nominis ratio* dicitur. Quomodo paullò pòſt ait: *Varro in primore libro ſcripſit de ratione vocabulorum ſcitiſſimè.* Ac ſic quoque ubique ſe interpretatum ait Cæſar Scaliger lib. III Poëtices, cap. LV. Nempe ita uſus obtinuit, ut, laxiùs extenſâ ſignificatione, eâ voce utamur pro quavis ratione, quâ vox à voce formatur. Anaſtaſio monacho ita definitur: Ἐτυμολογία ἐστὶν ἡ τῆς δυνάμεως τοῦ ὀνόματος ὀρθότης ἐξ αὐτοῦ τοῦ ὀνόματος ἑρμηνευομένη. Sententia eſt: *Etymologia eſt, cùm, ad vim vocabuli exprimendam, rectè illud & verè eſſe nomini impoſitum ex ipſo vocabulo oſtenditur.* Iſidorus lib. I Orig. cap. XXVIII: *Etymologia eſt origo vocabulorum, cùm vis verbi, vel nominis, per interpretationem colligitur.* Ut abunde liqueat, quantopere eos ratio fugerit, qui, contra uſum veterum, ἐτυμολογίαν dixere eam Grammatices Methodicæ partem, quæ voces ſingulas ad octo, vel plures, pauciorefve, revocat claſſes, & ſecundùm claſſium proprietatem voces eas expendit. Sanè veteres eam partem ἀναλογίας, & ἀνωμαλίας nominibus, malunt nuncupare; quia circa hæc duo potiſſimùm verſatur.

† In Top.

Habet igitur ἐτυμολογία ſe ad Exegeticen penè, uti ſcientia naturalis, quam Phyſicen dicimus, ad Hiſtoriam naturalem. Hiſtoria enim tantùm nude, quid ſit, docet. Phyſice inquirit in omnium cauſſas. Siquidem philoſophia eſt rerum divinarum, humanarumque, per cauſſas cognitio. Ut qui cauſſas negligit, naturæ quidem hiſtoriam tradat: ſed phyſici munus non impleat. Similiter Exegetice à ſe hoc habet, quòd vocum ſignificationes doceat, atque inter proprias, & tralatitias, diſtinguat. Sed etymologiæ eſt cauſſas aperire, cur rei cuique vocabulum ejuſmodi ſit datum, & cur quid propriè, ac primariò, hoc ſignet; ad aliud verò, atque aliud, poſtea ſit tranſlatum. Ex origine autem proprietas vocis cognoſcitur: quomodo de rerum proprietate inter eos, qui ad hæreditatem eandem adſpirant, exinde quòd hic propiùs, ille longiùs, ab origine alicujus abſit, judicium ferri ſolet. Itaque & hic ferè res ſe habet, uti cum hiſtoria. Nec enim eam intelligere poſſis, niſi genus, & ſtirpem iſtorum, nôris, quorum geſta narrantur. Siquidem cùm multi ſint ὁμώνυμοι, nomina eorum confundentur: ut Decii patris cum filio, Scipionis Africani majoris cum minore: ac par ratio in tot Metellis, atque aliis. Ita & voces ὁμώνυμοι, vel diverſæ, ſed ſimiles, promiſcuè uſurpantur à non paucis; quia, ob originis ignorantiam, eorum, propriam ac nativam ſignificationem neſciunt. Quæ pluribus ſumus perſecuti ob illos, qui nobilem hanc doctrinam eo culpant, quia ignorant.

11. §. *Origo ea interdum ex eadem linguâ arceſſitur: ut in Latinis è Latinâ, in Græcis è Græca: interdum autem ex aliena; ut in Latinis à Græca, præſertim illâ Æolum*: in Græcis verò ab Oriente, præcipuè Syria.*

* Quinctilianus lib. I cap. 6.

Nuſquam verò magis ineptiunt Græculi Grammatici; quandoque & Plato, & Stoici, ac philoſophorum alii; quàm in origine vocum explicandâ: cujus cauſſa præcipua partim inde eſt, quòd plerorumque ea foret opinio, voces ſignificare naturâ; partim ab aliarum linguarum, præcipuè Orientalium, ignorantiâ. Qua de re alibi fuſiùs, ut ſpero, dicam. Quod verò doctiſſimus Varro, etiam in iis, quæ Latinos à Græcis accepiſſe, extra controverſiam poni debet, ſæpenumero ſe adeò turpiter det, ab invidia imprimis

imprimis fuiſſe profectum videtur. Ut cùm ei derivatur *ager* ab agendo, *pater* à patefaciendo ſemine, & id genus trecenta. Nimirum ægre poterat adduci, ut fateretur, Romanos illis debere linguam ſuam, quibus imperarent: quorum etiam aſſentationes, ac levitatem, uſque adeò odiſſent. Atque hoc nomine Quinctilianus * vir acris judicii, jure Varronem culpavit. Similiter Platonem alii. Proclus tamen Platonem, in ſcholiis ad ejus Cratylum, defendit. Et favet ei quoque Nigidius Figulus apud Agellium.

* Lib. 1. cap. 6.

12. §. *Ex Latinis (ut de Varrone nunc taceam) Verrius Flaccus, nepotum Auguſti magiſter, libros de Verborum ſignificatione edidit; ac paſſim etiam originem vocum expoſuit.*

Eos libros laudant Plinius, Agellius, Chariſius, Diomedes, Velius longus, Priſcianus, & præ cæteris Feſtus Pompejus; qui Verrium in epitomen redegit, nec reſecare multa contentus, etiam Critici munus obeundo, judicium tulit, ſæpe æquum, ſubinde iniquum. Sed, qui non optime meritus eſt de Verrio, nactus eſt alium; qui deterius etiam de illo mereretur. Is fuit Paulus Diaconus; qui, temporibus Karoli Magni, ipſum etiam Feſtum redegit in compendium; hoc eſt, Verrium è verre majalem fecit, planeque eviravit. Sed bene eſt, quòd ſummus vir Antonius Auguſtinus, dum litibus judicandis Romæ operam daret, poſteaque ex Alliſano, & Ilerdenſi epiſcopo, Tarraconenſis factus Archiepiſcopus, ipſius Feſti fragmentum ex Bibliotheca Farneſiana juris publici fecerit cum eruditis notis: poſteaque cum longe doctiſſimis obſervationibus publicârit Ioſephus Scaliger, etiam illa, ubi Paullum duntaxat haberemus. Nec fruſtrandus ſuâ gloriâ Fulvius Urſinus: qui Feſti fragmentum longè accuratiùs poſtea cum Mſo contulit: ac præterea alterum Feſti fragmentum, quod Pomponii Læti quondam fuerat, adjecit. Farneſianum in litera M cœpit; in T deſiit. Illud Læti item incipit in M; atque in V terminatur. De Feſto hoc tale eſt Ioſephi Scaligeri † judicium: *Feſto ſcriptorem utiliorem lingua Latina non habet.*

† In præfat. ad Feſtum.

13. §. *Nihil ad Feſtum Nonius: ſcriptor, quod mirum, etiam Priſciano laudatus: at, ſi verum dicere licet, nec eruditione, nec judicio laudabilis. Quo tamen carere nequeamus, propter allata tot veterum fragmenta, quæ alibi non reperias. Sanè hoc nomine exſuperat, quicquid eſt veterum Grammaticorum.*

Omnium codicum Mſsorum antiquiſſimus videtur ille è bibliotheca S. Victoris Pariſienſis; & fortaſſe è quo Mſsi cæteri ſint expreſſi. Eum inprimis codicem ſecutus maximus vir Ioſias Mercerus in editione ea, quâ longè poſt ſe reliquit Hadriani Iunii, Dionyſii Gothofredi, aliorumque induſtriam.

14. §. *Utilis etiam opera eſt, quam Iſidorus, Hiſpalenſis Eccleſia Epiſcopus Metropolitanus, præſtitit in* XX *Originum libris.*

Quos ex optimis quibuſque ſcriptoribus, pleriſque etiam Eccleſiaſticis, compilavit. Claruit mox à temporibus Mauritii Imperatoris, & Reccaredi, Hiſpaniæ regis. Caſtigatiorem edidit Baſileæ Bonaventura Vulcanius, præceptor meus: ſed multo poſtea ex Mſsis Codd. emendatiorem juris publici Pariſiis ‡ fecit Jacobus du Breul Monachus S. Germani à Pratis: qui &, unde pleraque omnia hauſerit, in notis ſuis expoſuit.

‡ An. 1601.

15. §. *Ad ἐξήγησιν etiam pertinent Cornelius Fronto, Fulgentius Planciades, & alii:*

De quibus diximus libro I de Arte Grammatica cap. V.

16. §. *Ἐξηγητικὴν etiam exornarunt multi è Græcis ſcriptoribus, & quidem, cùm adhuc ea lingua obtineret.*

Sic, Photio teſte in bibliotheca, ſcripſit Dorotheus περὶ τῶν ξένως εἰρημένων λέξεων. Etiam περὶ γλωσσῶν egit Pamphilus Alexandrinus, Grammaticus Ἀρισταρχεῖος, unus ex iis, quos exſcribit Suidas. De iiſdem egere, Simmias Rhodius, Amerias Macedo, Clitarchus, Philoxenus, & tot alii, memorati cùm aliis, tum Athenæo, & Suidæ: à quo & XII. illi, è quibus ſua congeſſit, in veſtibulo operis referuntur.

17. §. *Ex iis, qui ſuperſunt, præcipui ſunt nominis Julius Pollux, Harpocration, Heſychius, Suidas.*

Quorum Pollux Onomaſticon ſuum Cæſari Commodo dicavit. Harpocratio Valerius dictus, Rhetor Alexandrinus, λεξικὸν decem Rhetorum reliquit. Ac vel hic eſt Harpocratio ille, quem Veri imperatoris præceptorem fuiſſe Capitolinus ſcribit: vel is fuerit Ælius Harpocratio Sophiſta; à quo & ipſo Suidas ait actum eſſe de vocibus, quæ Rhetoribus ignotæ. Multa iiſdem verbis tradidit, quibus Athenæus; ut vel hic Harpocrationem, vel is Athenæum exſcripſerit. Nempe æquales fuere, utcumque fortaſſis alter alteri ſupervixerit. Sanè & Athenæus claruit temporibus Antonini Philoſophi, & L. Veri Impp. ac poſtea etiam vixiſſe, arguit, quòd libro XII. quædam narret de Commodo Imperatore: idque eâ libertate, ut ad Pertinacis etiam, ac Severi tempora perveniſſe videatur. Heſychii λεξικὸν Græcæ linguæ theſaurum ducebat præceptor in Græcis meus Bon. Vulcanius *. Qui & gentilem, non Chriſtianum, fuiſſe, cenſet †. Mihi ille, quem gentilem fuiſſe Suidas putat, diverſus ab hoc videtur. Sanè lexici ſcriptor tam multa admiſcet è Scripturis, eorumque Græcis interpretibus, ut non aliud liceat ſuſpicari. Suidas minimùm ante annos vixit quingentos: nempe temporibus Alexii Comneni. Imò, ſi idem eſt Suidas, cujus meminit Stephanus, ſive Hermolaus Byzantius, qui Juſtiniani Imperatoris temporibus in epitomen redegit, ante annos fuerit millenos. Hoc ſi placet, multa addiderint juniores; quomodo Calepinus toties recoctus varia à variis percepit incrementa. Nec è recentioribus ſuâ laude ſpoliandus Varinus Phavorinus Camers, epiſcopus Nucerinus; qui lexicon ſuum, Joannis Laſcaris etiam, & Scipionis Carteromachi verſibus meritò prædicatum, Iulio de Medices Cardinali dicavit: ut, quam recens ſit, non poſſit ignorari. Angelus Politianus Græco quodam epigrammate ſic laudat, ut hominem Latinum (Camertium enim ei patria, ut ajebam) dicat ἀντιπελαργοῦντα nunc ipſam ſuſtinere, atque alere Græciam.

* Annot. in Callim. hym. Dianæ.

† Annot. in Call. hymn. Iovis.

Cap. VI.

DE EXEGETICE vocum conjunctarum.

1. §. *Hactenus de Exegetice vocum ſingularum. Superiùs verò dicebamus, quemadmodum Technice non in privis tantùm vocibus occupatur, ſed etiam in earum ſtructura: ita & Exegeticen non ſolum vocum ſingularum vim exponere, ſed ſimul conjunctarum. Atque ad hanc partem referendi, qui proverbiorum vim, & originem, enarrant. Quales olim multi fuere magni nominis: ſed quorum ſcripta injuriâ temporum nobis deperierint.*

In his Ariſtoteles fuit, cujus παροιμιῶν librum memorat Diogenes Laërtius, atque alii. A Cephiſodoro tamen, Iſocratis diſcipulo, eoque Ariſtoteli iniquiori, reprehenſus hoc nomine fuit, ὡς οὐ ποιήσας λόγου ἄξιον τὸ παροιμίας ἀθροῖσαι· *quaſi non opera pretium feciſſet coacervandis adagiis.*

adagiis. Teſtis Athenæus lib. I. Verùm non eo minùs magiſtri veſtigiis inſtitit Theophraſtus: qui & ipſe de Proverbiis ſcripſit; ut indicat Harpocration in Ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι. Sed & idem factum ab altero Ariſtotelis auditore, Clearcho Solenſi: ut ſcimus ex Athenæi Δειπνοσοφ. lib. IV. & VII. Facileque aſſentior Schotto, etiam apud Theocriti ſcholiaſten, non valde antiquum, in idyll. V. nomen *Clearchi*, pro *Cleanthis*, reponi oportere. Ex Suida diſcere eſt, itidem proverbia collegiſſe Æſchylum, Theætetum, Ariſtarchum, Demonem: cujus & liber de Proverbiis decimus quartus laudatur ab eo, qui voces Demoſthenicas expoſuit. Atque idem Suidas, & Lamprias in indice librorum Plutarchi, memorant Seleucum περὶ τῶν παρ' Ἀλεξανδρεῦσι παροιμιῶν *. Adhæc Didymi meminit Helladius in Chreſtomathia apud Photium in bibliotheca. Imò ex eo, & Tharræo, ſua ſe compilâſſe, agnoſcit Zenobius. Atque idem, præter Æſchylum, de quo dixi, celebrat quoque Mylonem παροιμιογράφον. Apud Stephanum in Τέρινα etiam videas tractâſſe hôc argumento Apollonidem Nicenum. E Latinis veteribus non occurrit alius, præter L. Appulejum Madaurenſem. Proverbiorum ejus librum ſecundum citat Soſipater lib. II.

* De proverbiis apud Alexandrinos.

2. §. *Eorum, qui ad tempora noſtra perdurarunt, duo illi ſunt antiquiſſimi; Zenodotus, ſive potius Zenobius, & Diogenianus Heracleota: quorum uterque vixit temporibus Hadriani Cæſaris.*

De amborum ætate teſtis Suidas. Priorem ſæpius Zenodotum, rariùs Zenobium vocat Eraſmus: nec de priori auctoritas deficit. Nam ipſe prolegomenis in Chiliadas ait, ſequi ſe Ariſtophanis ſcholiaſtem ἐν Νεφέλαις, ubi ſic vocetur. Videtur interim præſtare *Zenobii* appellatio; quando ita Suidas, & ipſius Zenobii codd. Addit Suidas, tribus libris ſua exſcripſiſſe ex Didymo, & Tarrhæo. Alter erat Diogenianus Heracleota, dubium, utrum ex Ponti, an aliâ Heracleâ. Operis περὶ παροιμιῶν meminit quoque Suidas: ubi manifeſto errore legitur, περὶ ποταμῶν, & περὶ ποταμῶν ſcripſiſſe. Nam ſine dubio adſentiendum Andr. Schotto; qui poſteriori loco περὶ παροιμιῶν corrigit: quod opus hodieque exſtare dicebamus. Primus verò è codice Electoralis bibliothecæ Palatinæ, & altero V. Cl. Petri Pantini, publici juris fecit Andreas Schottus, vir non uno nomine præclarè meritus de Rep. literaria. Ex hoc Diogeniano adagia ſe in lexicon ſuum transſcripſiſſe, refert ipſe Heſychius in præfatione, quæ eſt ad Eulogium ſodalem.

3. §. *Huicce pari geminam Schottus proverbiorum appendicem addidit; è Vaticana unam bibliotheca, ex Suida alteram.*

Vidit priorem Eraſmus: ſed non ſatis liquet, cur eam *Plutarchi* vocet. Num dicemus, illum cum *Plutarchi* codicibus reperiſſe compactam: atque inde credidiſſe, vel Chæronenſis illius, vel junioris eſſe Plutarchi fœtum? Quicquid iſtius fuerit, ſaltem Plutarchi eſſe ſenioris opus nequit. Nam in Proverbiis numerat adag. LXXXIX. Σαοὺλ ἐν προφήταις, *Saul in Prophetis.* Deductum hoc adagium ex I. ſive III Regum cap. X. Unde proverbium nemo peteret gentilis. Nec vel Lamprias ejus operis meminit Indice operum Plutarchi; nec Plutarcho tribuit ante Eraſmum quiſquam.

4. §. *Superſunt & parœmiæ Michaëlis Apoſtolii: qui non niſi ante annos circiter ducentos vixit.*

Quippe familiaris Gemiſti Plethonis, æqualis etiam Beſſarionis, patriarchæ Niceni. Ac exſtat quoque ejus panegyricus ad Fredericum III. Imperatorem. Parœmias illius primus Baſileæ edidit Hervagius anno CIↃ IↃ XXXVIII. Sed duplo auctius id opus prodiit poſtea curâ Petri Pantini, & Andreæ Schotti.

5. §. *E Latinis, quos habemus, præcipuam meruit laudem Deſiderius Eraſmus.*

Cœpiſſe ſe ait hoc proverbiorum argumentum tractare anno CIↃ IↃ. Atque ante obitum decies, & ampliùs, auctius ſemper auctiuſque, divulgavit. Poſt eum multi alii hanc provinciam ſuſceperunt. In his erudita emicat induſtria Hadriani Junii Hornani; qui Eraſmo octo centurias, & dimidiam adjunxit. Proxima laus videtur Joannis Alex. Braſſicani, & Joan. Ulpii. Sed omnes nihil attinet memorare: quando vulgo uno fere volumine cum Eraſmi, & Junii Proverbiis, excudi ſolent.

6. §. *Præterquam verò, quòd proverbiorum notitia plurimùm conferat ad meliùs intelligendos veteres ſcriptores; quæ res ad Grammaticen pertinet: etiam uſus eorum ornatum adfert orationi; quâ parte inſervit arti Rhetoricæ.*

Vide Demetrium περὶ ἑρμηνείας.

7. §. *Nec modò arti Rhetoricæ conducit; ſed, quod longè excellentius, etiam facultati Oratoriæ. Siquidem ea, ob antiquitatem, adferunt majeſtatem, & pondus quoddam, orationi, ad faciliùs perſuadendum.*

Ideo Ariſtoteles quoque ea lib. I. Rhetoricorum * inter argumenta ἄτεχνα † reponit, velut illuſtre teſtimonii genus. Fabius quoque lib. V. cum exemplis conjungit, ac Deorum ſubjungit oraculis. Magnopere etiam vim eorum aperit; quòd, ut ibidem legas, *Non duràſſent æternum, niſi vera omnibus viderentur.*

* Cap. ult. ex vulgari diſtinctione; ſive ſecundùm illam Danielis Barbari, & Sturmii, cap. 45.
† Inartificialia.

8. §. *Multa adhuc proverbia hiſtoriæ lucem præbent; uti ipſa viciſſim ex hiſtoria capiunt lucem.*

Quod inde eſt, quia pleriſque ab veteri hiſtoria fit origo. Quale illud, *Veriora iis, quæ ad Sagram acciderunt. Haud curæ Hippoclidi,* &c.

9. §. *Præcipua verò adagiorum eſt utilitas, quòd magnam partem ad vitæ inſtitutionem pertineant.*

Uſque adeò, ut Donatus, ac Diomedes, in adagio τὸ γνωμικὸν requirant; perperam quidem; luculento interim argumento, ſic plurimùm contingere. Atque idem magni Ariſtotelis judicium fuit; ut refert Syneſius, Cyrenenſis epiſcopus, in Encomio Calvitii ‡: Ἡ παροιμία σοφόν. Πῶς δ' οὐχὶ σοφόν; περὶ ὧν Ἀριστοτέλης φησὶν, ὅτι παλαιᾶς εἰσι φιλοσοφίας, ἐν ταῖς μεγίσταις ἀνθρώπων φθοραῖς ἀπολομένης ἐγκαταλείμματα, περισωθέντα διὰ συντομίαν, καὶ δεξιότητα. Παροιμία δὴ καὶ τοῦτο καὶ λόγος ἔχων ἀξίωμα τῷ ὅθεν κατηνέχθη φιλοσοφίας τὴν ἀρχαιότητα, ὥστε βόειον ἐπιβλέπειν αὐτῇ. Πάμπολυ γὰρ οἱ πάλαι τῶν νῦν εἰς ἀλήθειαν εὐστοχώτεροι. *Parœmia quiddam ſapiens eſt. Quidni enim? cum Ariſtoteles dicat, parœmias veteris eſſe philoſophiæ, magnâ humanarum rerum calamitate, deperditæ, reliquias quaſdam, partim ob compendium, ac brevitatem, partim ob gratiam quandam, ac dexteritatem, perdurantes. Proverbium enim ſermo eſt dignitatem habens, è philoſophia, unde antiquitatem traxit, depromtam. Adeò ut gravi ac torvo vultu eam intueatur. Veteres enim longè perſpicaciores fuere in veritate cognoſcendâ, quàm qui nunc ſunt.*

‡ Editionis Turnebi pag. 59. ſive Pariſinæ anni 1612. pag. 85.

CAP. VII.

Ad puram dictionem comparandam non ſufficere lectionem Grammaticorum: ſed requiri, ut verſemus, & imitemur bonos auctores: & quis ordo in iis ſervandus. Præterea quid de veteribus ſentiendum, qui Gramma-

ticorum curæ ſubjecerunt poëtarum enarrationem, & judicium de ſcriptoribus.

1. §. *Quamquam verò purè loquendi diſciplina ſolùm verſetur circa artis præcepta, & verborum ſignificationes: non propterea exiſtimandum, ſolùm Grammaticis legendis perveniri ad puri ſermonis laudem. Præterea enim diligenti lectione, & imitatione claſſicorum ſcriptorum, opus eſt.*

Imò ne quidem differenda horum lectio, uſque dum multùm in nobilibus illis technicis, & lexicographis, quos diximus, erimus verſati: ſed verſandi ſunt nobis, ſimulac facilioribus aliquot præceptis, & notitiâ vocum communiorum, fuerimus imbuti; ſic ut jam balbutire Latinè incipiamus. Ubi verò & longiùs paullò provecti erimus, tum demum addemus vetuſtos illos technicos, etymologos, & cæteros vocum explanatores, quò ex iis etiam cauſſas diſcamus ſermonis Latini.

2. §. *In legendis auctoribus planè ordo aliquis eſt ſervandus. Nempe à facilioribus incipiendum: ut ſunt fabellæ Æſopicæ, vel colloquia familiaria, aut deſumta ex hiſtoria ſacra, ut ita cum linguæ notitia ſimul pietas, ac boni mores imbibantur. Hinc legendi ſcriptores claſſici: quales è Latinis præcipuè ſunt Cicero, Cæſar, Terentius.*

Scriptor, ut ad nomen ipſum alludamus, *terendus*, adoleſcentiæ noctu, diuque.

3. §. *Hinc ad alios, atque alios, deveniendum, idque eo ordine, ut ultimi legantur, qui plurimùm ab felici Auguſti ævo receſſerint.*

Sed de hoc Latinorum ſcriptorum delectu accuratiùs diximus in Partitionibus Oratoriis *.

* *Lib. 4. cap. 1. §. 61. ac deinceps.*

4. §. *Quod de ordine ſtudiorum dicebamus in Latinis; idem in Græcis habet locum. Quare neque hìc ab amplis nobiliorum Grammaticorum commentariis veniendum ad auctores bonos: ſed ab his ad Grammaticos illos. Inque auctoribus præmittendi faciliores.*

Ut, præter fabellas Æſopi, ſunt faciliores dialogi Luciani, nihil moribus noxium habentes. Inde & Ariſtophanes addatur, & cætera Luciani: item Herodotus, & Xenophon; Iſocrates, & Demoſthenes. Ab his ad alios gradum capeſſemus.

5. §. *Olim verborum Græcorum doctrina initio ex Homero, & poëtarum aliis, diſcebatur.*

Unde apud Sextum Dionyſio Thraci in præceptis Grammatices definitur hæc ars, ἐμπειρία τῶν παρὰ ποιηταῖς, καὶ συγγραφεῦσι, λεγομένων: *experientia eorum, quæ dicuntur à poëtis, ac ſcriptoribus.* Ubi Ptolemæo Peripatetico diſplicet, quòd vocet ἐμπειρίαν. Atque idem improbat Aſclepiades, qui retinet definitionem Dionyſii, exceptâ voce ἐμπειρίας. Porrò ex eo, quòd Dionyſius, & Aſclepiades, poëtis opponant τοὺς συγγραφεῖς; rectè colligit Sextus, intelligi τοὺς καταλογάδην πραγματευσαμένους, *eos qui proſâ ſcripſere.* Nec multùm abeunt Demetrius Chlorus & alii; qui ut Sextus ait, maluere dicere, eſſe eam τέχνην τῶν παρὰ ποιηταῖς τε, καὶ τῶν κατὰ τὴν κοινὴν συνήθειαν λέξεων εἴδησιν: *notitiam vocum, quæ apud poëtas ſunt, quæque in communi uſu.*

6. §. *Nunc ſatius eſt incipere ab illis, qui proſâ ſcripſerunt. Nam communis loquendi forma, qualis ea eſt, quæ proſa dicitur, eſt fundamentum dictionis Poëticæ; quæ peculiaris lingua eſt, ac ferè figurata; ut per vulgarem illam debeat exponi. At prius neceſſe eſt intelligi poëtarum interpretes, quàm nos poſſe poëtas intelligere ſperemus. Olim autem diſpar erat ratio; quia tum lingua Latina, ac Græca, erant vernacula, ut interpretum linguam noverint à pueritia.*

Quare, ſi rem accuratè inſpiciamus, non alius nunc ordo eſt ineundus, ac olim. Nam ætatis ſolùm, non ordinis eſt diſcrimen. Olim quippe linguam vulgarem à teneris diſcebant unguiculis; grandiuſculi ad poëtas animum appellebant: nos grandiuſculi acquirimus notitiam linguæ vulgaris, ac natu majores diſcimus poëtas.

7. §. *Ordinem hunc etiam natura comprobat. Prius enim eſt ſimpliciter loqui, quàm ornatè; prius ornatè, quàm metro.*

Triplex quippe eſt ſtudium ſermonis à natura nobis datum: loquendi emendatè, ornatè, & modulatè. Unde tres illæ artes, Grammatice, Rhetorice, Metrice: quarum poſterior priorem ſemper continet: quomodo in circulis circa centrum idem deſcriptis major ſemper continet minorem. Itaque à Grammatice adſcendimus ad Rhetoricen, quæ emendato ſermoni adjungit ornatum: à Rhetorice adſcendimus ad Verſificatoriam. Sic liceat eam appellare, quæ ſermoni emendato, comtoque, metrum ſuperaddit.

8. §. *Nec aſſidua bonorum ſcriptorum lectio ſufficit: ſed etiam requiritur imitatio, ſecundùm illud,* Solus & artifices, qui facit, uſus erit.

Cujuſmodi ea imitatio eſſe debeat, jam plures tradiderer in his Sebaſtianus Foxius Morzilius Hiſpalenſis libris duobus, quos de imitatione, ſeu de informandi ſtyli ratione inſcripſit. Atque hi non ad puram modò, ſed ornatam etiam orationem, atque adeò planè oratoriam, muniunt viam. Vide commentariolum noſtrum de Imitatione oratoria, ac poëtica, & veterum recitatione.

9. §. *Hæc doctrina de puro ſermone bonam nobis primæ ætatis partem abſumit. Quod olim non erat neceſſe: præſertim in Græcia: quia, ut diximus, linguam Græcam, quâ artes omnes, ac philoſophia ipſa tradita eſt, penè cum lacte hauriebant.*

Eaque potiſſima eſt ratio, cur olim ad tantum faſtigium pervenerint philoſophi in Græcia. Nam bonos annos, quos in Latinæ, Græcæque linguæ ſtudio inſumimus, illi matheſi, ac philoſophiæ impendebant.

QUia ſatis ex his liquet, quæ requirantur purum ad ſermonem comparandum: ab Grammatice jam ad proximas abirem diſciplinas; niſi manum injicerent aliqui, qui latiùs, quàm nos fecimus, Grammaticos limites extenderunt. Hoc autem trifariam faciunt. Primùm, quia per *Methodicen* non ſolùm intelligunt præcepta bene loquendi, ſive puri ſermonis: ſed etiam de tropis, & ſchematibus: item de modulatione carminis. Sed cur ea, propriè ſi loqui velimus, non ſint pars Grammatices; mox dicam, ubi ad artem Rhetoricam, & Metricam, fuerit deventum. Alterum eſt, quòd per *Exegeticen* intelligunt non ſolùm, quæ ad ſignificationes vocum pertinent, ſed enarrationem quoque ſcriptorum; præſertim poëtarum. Sic Fabius lib. 1, cap. IV: *Hæc profeſſio breviſſimè in duas partes dividitur; rectè loquendi ſcientiam, & poëtarum enarrationem.* Hanc ſub alio etiam nomine alii ſubjiciunt Grammaticæ: ut ex Sexto Empirico mox videbimus. Opinio hæc inde orta eſt, quòd Grammatici poëtas explicarent, & alios ſcriptores: poëtarum verò, oratorum, hiſtoricorum ſcripta, referta ſint multis ad rerum naturam, & alias ſcientias, pertinentibus. Verùm parum cogitarunt, Grammaticum non enarrare iſta ex Grammaticis;

ſed

ſed aliis ſcientiis: eoque propriè iſta pertinere ad alios; uti aſtrologicorum explicationem ad aſtrologum; medicarum rerum ad medicum; atque ita in cæteris: in quibus Grammaticus cæcutit; niſi idem aliis ſit ſcientiis imbutus. Nempe Grammaticus, quatenus Grammaticus, ſolùm judicium fert de iis, quæ ad verborum curam pertinent: vel, ſi per Grammaticen intelligatur φιλολογία, de iis præterea, quæ ad hiſtoriam vel veram, vel fabularem referuntur, vel inde dependent: ut ſi ex phraſi, hiſtoria, vel fabula, liqueat de loci emendatione; vel an liber, aut verſus ſit genuinus. Sic igitur ſtatuendum, diſtributionem Grammatices ab iis allatam, non eſſe petitam ex natura artis, ſed profeſſione artificum; qui temporibus veteribus etiam poëtas enarrabant; non ſolùm ope Grammatices; ſed aliarum etiam ſcientiarum, quas ſibi multo ſtudio comparârant. Tertium quoque eſt, in quo ab iis abeamus; uti quòd Grammatices etiam partem faciant κριτικὴν: quam ita appellant, quia de omnibus ſcriptoribus, poëtis præcipuè, judicium ferat. Atque hanc ſententiam etiam adducit Sextus Empiricus: ſed aliter nuncupat. Locus eſt adverſus Grammaticos cap. IV: ubi cùm primam Grammatices partem feciſſet τεχνικὴν, ſive *artificioſam*; alteram ἱστορικὴν; tertiam nominat ἰδιαίτερον, ſive *magis propriam*. Eamque ait exponere difficilia omnia in poëtis, & aliis ſcriptoribus: item germana diſtinguere ab adulterinis. De poëtarum enarratione quod ait, ſatis excuſſimus, cùm de ἐξηγητικῇ diceremus. Ad judicium quod attinet de ſcriptis, aut verſibus genuinis; ſunt quidem aliquæ in iſto etiam Grammatici partes; ut ſi ex impura dictione colligat, aliquid non eſſe germanum: item partes ſunt philologi, ut ſi de eo ſtatuat ex ἀναχρονίᾳ, vel quia ſcriptor meminerit illorum, qui longe poſt vixerint: ſed majores partes ſunt ejus, qui πολυμάθειαν profiteatur: qualis ex matheſi quoque judicium faciet: maximè verò, ſi quis præterea philoſophiam, medicinam, juriſprudentiam, animo ſit complexus. Nam & poëtæ, atque alii, etiam admiſcere, vel tangere quædam ſolent, ex penitiori philoſophia, & ejus ſtolonibus, depromta. Atque hæc ſatis oſtendunt, alios eſſe Criticos, alios Grammaticos: quod etiam Cratetis judicium fuit; ut Sextus Empiricus ait adverſus Grammaticos cap. III. Vide & fuſe eundem de iſto diſſerentem cap. XIII. Pluribuſque hoc oſtendam, cùm de Philoſophiæ ſtolonibus diſſeram.

CAP. VIII.

DE ARTE RHETORICA.

1. §. *Habemus de puritate: nunc videamus de cura ornatus; circa quem ars Rhetorice verſatur.*

NEc de nihilo putandum, quòd *artem* potius dicam, quàm *facultatem*; cum plurimum hæ diſtent. Ars Rhetorice ſolum agit de interno ſermonis ornatu: non item de externo; cujuſmodi eſt à pronunciatione, ſive actione idoneâ. Ac multò minus tractat de inventione argumentorum ad perſuadendum aptorum; vel de eorum οἰκονομίᾳ, ſive diſpoſitione. At univerſa iſtæc complectitur facultas Rhetorice, ſive Oratoria, quæ & Eloquentia dicitur. Tam grande diſcrimen proficiſcitur à materia, & fine diverſo. Omnis materies quodammodo eſt capax ornatus: qui hoc unum præſtat, ut quid ſuaviùs accidat ad aures. Hoc locum quoque habet in epiſtola familiari de prædioli ubertate, & elegantiâ, de villici fuga, in nuncio de morte conjugis, vel fratris, vel ludis in urbe propediem futuris: item de ſiderum natura, vel animalium, aliiſque hujuſcemodi. At Oratoria facultas proprie regnat in ſenatu, vel judiciis, vel ad populum: inque judiciis agitur de juſto, & injuſto; in deliberationibus de honeſto, & turpi; utili, & inutili. Unde Oratores non tam prodeunt ex Rhetorum Gymnaſiis, quàm Philoſophorum ſpatiis: ut Cicero etiam in Oratore teſtatur. Idem ex eo cognoſcimus, quòd Cicero, & alii, Oratoriam definiunt ſcientiam prudenter, copioſe, ornateque dicendi. Ut omnino ad prudentiam politicam pertineat. Hæc enim partim in actione, partim in oratione civili, attenditur: quemadmodum pleniùs explicabitur, cùm de philoſophia practica, & variis ſtudiis ex ea prognatis, dicetur.

2. §. *Partes artis Rhetoricæ ſunt duæ. Prior tradit generalia Elocutionis præcepta, non habitâ ratione materiæ, vel characteris. Eſtque hæc partim de compoſitione, partim dignitate. Compoſitio vel eſt de junctura, ſive literarum concurſu: vel de periodo, ac numero. Dignitas eſt de tropis, & ſchematibus. Pars Rhetorices altera continet præcepta ſpecialia pro diverſitate materiæ, ac characterum.*

Quemadmodum in domo extruendâ partim ad ea attenditur, quæ eam firmiorem reddant, partim quæ elegantiorem: ita in oratione condendâ ſtudemus, ut ea ſit tum pura, tum venuſta & elegans. Sed conditor orationis prius præſtat, quatenus eſt Grammaticus: poſterius, quatenus idem eſt Rhetor. Utcunque enim ſint diverſa artificia, in eodem tamen artifice concurrunt. Hæc venuſtas obſervatur, tum in compoſitione; quæ juncturam, periodum, & numerum comprehendit: tum dignitate; quæ tropos, & ſchemata adſumit. Interim ſingula horum variare debent pro argumento, & genio cujuſque. Unde varius character; tenuis, medius, ac ſublimis. Eaque ſpecialis doctrina quaſi Colophonem imponit arti Rhetoricæ.

3. §. *De elocutione, ſive ornatu, præcipua Gorgiæ, & aliorum Sophiſtarum cura eſſe ſolet.*

Imò & Iſocrates hac parte erat nimis anxius. Itaque ut fucatam, & calamiſtris inuſtam, meretrici ſimilem dicebat Cæſar Scaliger; qui Platonicam dictionem matronæ gravi, ac decoræ: Ariſtotelicam virgini honeſtæ conferebat.

4. §. *Scriptores de Elocutione extant complures. Pauca, ſed bona, tradidit Ariſtoteles in Rhetoricorum tertio. Longè verò accuratius, ac fuſius, de ea tractarunt juniores. Ex iis ſuperſunt, Dionyſius Halicarnaſſenſis in Criticis, ac Rhetoricis; Hermogenes* περὶ ἰδεῶν; *Demetrius Alexandrinus, qui vulgò Phalereus; Longinus* περὶ ὕψους. *Item è Latinis, Tullius, Rutilius Lupus, Quinctilianus, Aquila Romanus, Julius Ruſinianus, Ruffinus.*

De hiſce abunde diximus lib. de natura Rhetorices, & Rhetoribus antiquis.

5. §. *Plerique Grammatici veteres hanc ornandæ dictionis curam magnâ ex parte ſibi vindicarunt. Ut qui de tropis, & ſchematibus, egerunt in Grammaticis Inſtitutionibus.*

Factum hoc à Chariſio lib. II, Diomede lib. II, item Donato; ut mittam juniorum non paucos.

6. §. *Ac de tropis quidem nolim cum iis ſerram reciprocare. Quippe Grammatici eſt interpretari ſignificationes verborum. At hoc accurate fieri nequit, niſi doceatur, quæ propria, ac princeps fuerit ſignificatio; quæ aliena: & quâ de cauſſa in alienâ ſumatur: cauſſæ verò iſtæ pro natura troporum variant.*

Siquidem vel in alienam ſignificationem vox transfertur ob ſimilitudinem; ut in metaphora fit: vel ob vinculum non eſſentiale quidem, attamen quale eſt rei, & ejus, quod

rei ineſt, vel adeſt: quemadmodum ubi unum eſt cauſſa externa, alterum effectum; vel unum eſt ſubjectum, alterum adjunctum; cujuſmodi permutat metonymia: vel ob nexum ἐνουσιώδη*; ſicuti quando unum eſt totum, alterum pars; qualium ſignificationem invertit ſynecdoche. Hæc in ſignificationibus vocabulorum exponendis ſedulò diſtinguere debet Grammaticus; quandò plurimùm ea res facit ad naturam vocum meliùs intelligendam; cùm eadem vox aliud poſſit ſignificare propriè, aliud κατὰ μεταφορὰν, aliud κατὰ μετωνυμίαν; aliud κατὰ συνεκδοχήν. Unde tantus ſæpe interpretum diſſenſus; præſertim in Hebræis.

* *Eſſentialem.*

7. §. *Verùm diſpar eſt ſchematum ratio: ubi non attenditur ornatus ab inverſione ſignificationis; ſed formis aliis, orationem velut coloratâ veſte induentibus, vel geſtuum diverſitate quaſi animantibus. Quæ nihil ad Grammaticum; prout quidem id vocabuli nunc ſumimus.*

Sic enim munia ſua explêrit, ſi tradat, ſine quibus purus eſſe ſermo non poſſit. Alia ſi addat, jam aliena invadit.

8. §. *Olim tamen Grammatici quidam, ne ſchematum quidem doctrinâ contenti, etiam profitebantur dicendi elementa, quæ Græci vocant προγυμνάσματα.*

Unde & Priſcianus Grammaticus de Præexercitamentis ſcripſit.

9. §. *Sed omnino prudentiùs alii eâ parte cedebant illis, qui propria hæc artis eſſe dicerent, à qua Rhetores vocarentur.*

Parum interim refert, utrùm à Grammaticis ea, an à Rhetoribus, hauriantur; dummodò ſuo tempore diſcamus: hoc eſt, ubi in verborum proprietate, ac differentiis, mediocriter erimus verſati, & aliquem etiam in hiſtoriis, ac fabulis, fecerimus progreſſum. Antea id conari ſit operam ludere. Notum illud Comici†: *Sine pennis volare haud facile eſt.*

† *Plaut. Pæn.*

Cap. IX.

DE ARTE METRICA.

1. §. *Vidimus de ſermone puro, ornatoque: qualis in proſa etiam eſſe debet. Venio nunc ad metrum; quod præſtat, ut quid carmen & ſit, & dicatur.*

HAbet quidem & numerum Orator: ſed is diverſus eſt à poëtico: nec *metrum*, ſed *rhythmus* vocatur. Quæ duo quomodo differant, expoſui lib. IV Inſtit. Orat. cap. IV, ſect. II.

2. §. *Quemadmodum verò pleriqne ex Grammaticis antiquis ſibi vindicarunt artem Rhetoricam: ita & nonnulli putarunt, Grammatices partem eſſe rationem condendi carminis.*

Hinc Seneca epiſt. LXXXVIII: *Grammaticus circa curam ſermonis verſatur; &, ſi latiùs vagari vult, circa hiſtorias; jam, ut latiſſimè fines ſuos proferat, circa carmina.* Mox etiam tria hæc conjungit, verborum diligentiam; hiſtoriarum, fabularumque notitiam; & legem, ſive modificationem verſuum. Et Diomedes quidem, ex tribus rei Grammaticæ libris, tertium poëticæ impendit. Pluresque alios mox referemus.

3. §. *Noſtra verò hæc ſententia eſt, licere adverſus Grammaticum lineam poſcere, ſi profiteatur, non alia tradere ſe velle, quàm illa ſua artis, atque intereà doceat artem metricam. Si enim Grammatici ſolum fuerit explicare, tum quid unaquæque vox ſignificet; tum vocum ἀναλογίαν, & ἀνωμαλίαν, & quæ alia pertinent ad præcepta puri ſermonis: Metrica ars ſtatui nequit Grammatices pars; cùm aliud ſit purè, aliud ornatè, aliud metricè loqui.*

Interim, ne videamur λογομαχεῖν; agnoſcimus lubentes, Metricam etiam dici poſſe Grammaticæ partem; ſi cum Seneca, Fabio, & veterum aliis, eo nomine intelligamus Philologiam. Hæc enim præter pure loquendi peritiam, ulteriorem etiam ſtyli curam comprehendit: eam nempe, quam arti rhetoricæ, ac metricæ, debemus. Imò & hiſtoriam, tum veram, tum fabularem, ſuo ambitu complectitur. Denique, tam latè ab antiquis ſumi ſolet, ut Grammatices, ſive Philologiæ partem facerent Criticen, ſcientiarum omnium difficillimam: ut quæ de cunctis ſcriptoribus, præcipuè poëtis, judicium promittat; neque id universè modò, ſed etiam de ſingulis, quæ, in iis legendis, veniant in controverſiam. Quæ de iſto ſententia ſit noſtra, jam antea expoſuimus.

4. §. *Metricæ artis utilitas eſt, quòd, quæ involvantur numeris, & quaſi claudantur, ea tum majori legantur voluptate, atque audiantur, tum diutius retineantur.*

Sanè oracula, & ſalubria vitæ præcepta, non aliâ de cauſſâ numeris incluſere; quàm quia & ſuavius, & altiùs, in pectus deſcenderent.

5. §. *Partes artis metricæ ſunt duæ: una communis, ſive eorum, quæ omni metro competunt: altera propria, ſive illorum, quæ certi ſunt metri.*

In priori partim agitur de pedibus, unde metrum conſtat: partim de metri definitione, & quomodo à rhythmo diſtinguatur: partim de metri affectionibus; ut ſunt tres iſtæ, cæſura, quales triemimeris, penthemimeris, &c. κατάληξις, ſive depoſitio, cujus ratione verſus dicitur acatalecticus, catalecticus, &c. dimenſio, quæ per μονοποδίαν fit, vel διποδίαν. Altera pars diſtinctè agit, tum de unius generis verſibus; uti de carmine heroico, jambico, trochaico, choriambico, ac cæteris: tum de carmine ex diverſis metris compoſito, & vario ejus diſcrimine pro colis, & ſtrophis.

6. §. *Metrorum non unus eſt inventor; ſed pro metrorum varietate ſunt alii, atque alii.*

Heroico nihil antiquius apud Græcos. Hoc inveniſſe creditur Phanothea, una ex Apollinis vatibus: quæ ſub Abante Argivo, vel Acriſio, vixiſſe dicitur. Iambum, ut ajunt, Ananias reperit, perfecit Archilochus Parius. Quis auctor ſit Pherecratii, Archilochii, Anacreontei, Sapphici, Phalæcii, Glyconii, Aſclepiadei, Alcmanii, ipsâ appellatione indicari videtur. Credibile tamen eſt nomen interdum datum, non ab auctore; ſed eo, qui præcipuè illud nobilitârit.

7. §. *Ex Græcis, artis metricæ ſcriptoribus, præcipua eſt laus Hephæſtionis.*

Sub Hadriano Imper. claruit, & cum Scauro, ac Harpocratione, inter Veri Imper. præceptores reponitur à Capitolino.

8. §. *Ex Latinis hanc artem ſuaviſſimis verſiculis conſtrinxit Terentianus Maurus, Syenes in Ægypto præfectus. Proſâ de eâdem egere, Diomedes libro IV, duo Marii, Victorinus, & Plotius, Ser-*

vius

Digitized by Google

vius in Centum metris ad Albinum. Adhac Caſtus Baſſus, & Atilius Fortunatianus.

Ut Cenſorinum præteream, vel quiſquis ille fragmenti à Carrione editi cum Cenſorino auctor. Sed & Priſcianus tractavit de metris Comicis; ac particularim de Terentianis Ruſinus. Atque hactenus de ſermonis puritate, ornatu, metro: in quibus primam Philologiæ partem verſari dicebamus.

Cap. X.

De Philologiæ parte altera, quæ Hiſtorice dicitur: ac primùm de ejus diviſione in Geographiam, Chronographiam, Genealogiam, & Hiſtoriam propriè dictam.

1. §. *Altera Philologia cura eſt enarratio hiſtoriarum. Unde ea* Hiſtorice *dicitur. Propriè autem hiſtoria eſt rei geſta expoſitio. Sed laxiùs nunc eo nomine etiam antiquitates, ritus, ac jus antiquum, intelligimus. Nempe eo, quòd hac, etſi diverſa ſint, arctiſſimo tamen vinculo cohareant. Quin & fabula eo nomine continentur.*

DE hac Philo περὶ τῆς εἰς προπαιδεύματα συνόδου· Γραμματικὴ ἱστορίας τὰς παρὰ ποιηταῖς, καὶ συγγραφεῦσιν ἀναδιδάξασα, νόησιν καὶ πολυμάθειαν ἐργάσεται. *Grammatica hiſtorias, qua apud poëtas, & alios ſcriptores ſunt, enarrans, variam eruditionem conferet.* Videmus ut non ἁπλῶς Hiſtorias dicat, ſed addat, quæ leguntur apud Poëtas, & alios ſcriptores; ex quibus Hiſtorici κατ' ἐξοχὴν συγγραφεῖς dicuntur. Quo ſatis indicat, ſe *Hiſtoria* nomine non veras modò, ſed etiam fabuloſas narrationes complecti. Quod pluribus mox explicabimus.

2. §. *Studium hoc antiquitate etiam commendatur. Nec enim hiſtoriâ Moſaicâ ſcriptum ullum vetuſtius eſt.*

Ut valde erret Plinius lib. VII. cap. LVI. ubi hiſtoriam ait à Cadmo Mileſio inventam. Nam Cadmus ille, ut paullo junior Orpheo fuerit, quod apud Suidam legere eſt; tamen ſic quoque penè ſeculis tribus diſtet à Moſe. Reverà autem vixit paullo ante expeditionem Perſarum in Græciam; ut teſtis eſt Flavius Ioſephus priori contra Apionem libro. Ita ut Cadmus, qui antiquiſſimus eſt Græcorum Hiſtoricus, ſit nongentis annis recentior Moſe.

3. §. *Materia hiſtoria eſt quadruplex. Nam vel eſt locorum, vel temporum, vel generis, vel actionum. De locis eſt Geographia; de temporibus, Chronographia; de genere, ſeu ſtirpibus, Genealogice. Suntque ha tres quaſi faces hiſtoria de actionibus: qua quartum obtinet locum; ac pracipuè nomen* Hiſtoriæ *meretur.*

Præit ad hanc diviſionem quadripartitam Aſclepiades apud Sextum Empiricum. Ubi hiſtoriam ait verſari circa perſonas; actiones, loca, tempora: perſonas verò eſſe divinas, humanas, heroïcas. Ac convenit Varro*, cùm omnia vocabula referri ait, ad quatuor has claſſes; corpus, actionem, locum, tempus. Sed omnium apertiſſimè Euſtathius, Theſſalonicenſis Epiſcopus, commentario ſuo in Dionyſium de ſitu orbis. Ubi hiſtoriam dividit in τὸ τοπικὸν, χρονικὸν, γενεαλογικὸν, καὶ πραγματικόν. Propriè autem hiſtoria eſt, quæ τὸ πραγματικὸν exponit. Ejus verò quaſi oculi, aut faces, ſunt γενεαλογία, γεωγραφία, & χρονολογία.

* Lib. 4. de L. L.

Cap. XI.

De Geographia, ac ejus origine, & uſu; deque veteribus Geographis, tum Græcis, tum Latinis.

1. §. *Geographia deſcribit, tum Oceanum, ac maria; tum continentes, inſulas, ac peninſulas.*

NImirum agit de tota ſphæra terreſtri: eoque non modò terrarum ſitum depingit, quæ propriè ſit γεωγραφία, ut vocabulum indicat: ſed etiam aquarum, quæ dicitur ὑδρογραφία.

2. §. *Continet* γεωγραφία χωρογραφίαν, *&* τοπογραφίαν: *quarum illa regionem quampiam, hac aliquem locum ob oculos ponit.*

Sic χωρογραφίας ſit, ſi exponas ſitum Græciæ: at τοπογραφίας fuerit, ſi deſcribas Tempe Theſſala.

3. §. *Eſtque geographia miſta ex hiſtoria naturali, & civili.*

Nam ut loca à natura, ita oppida ſunt ab hominibus.

4. §. *Ut geometria cœpit à geographia: ita hac à geodaſia: qua primordia ſua Ægyptiis debet.*

Quippe hi terris à Nilo irrigatis, terminiſque poſtea alluvione turbatis, de agrorum finibus, ac limitibus conſtituendis, agere cœperunt. Id fieri non potuit ſine menſuratione terræ: unde nomen γεωμετρίας. Ut γεωδαισίας à diviſione ejus, quæ fit limitibus agrorum cuique aſſignatis.

5. §. *Tanta verò eſt geographia neceſſitas, ut ſine ea nec ſcriptores ſacri, nec externi, poſſint intelligi.*

Nam quis locorum ignorans intelligat peregrinationes patriarcharum in Geneſi deſcriptas? aut populi Iſraëlitici pugnas cum gentibus vicinis? aut minas Jeſaiæ interminantis excidium Babyloniis, Aſſyriis, Moabitis, Ammonitis, Syriis, Idumæis, Tyriis? aut de Chriſto in Nazareth concepto, in Bethlehem nato, in Capernaum habitante, Lazarum ſuſcitante in Bethania, filium viduæ in Nain, ac tot Palæſtinæ locis concionante, & miraculis ſuam confirmante doctrinam, tandem Hieroſolymis crucifixo in monte Calvariæ, è monte Olivarum adſcendente in cœlos? aut peregrinationem Pauli in Actis memoratam? aut in Eccleſiæ hiſtoria Sanctorum Patrum vitas ac martyria, & de conciliis habitis tam variis terrarum locis? Quodque primùm à Belo in Chaldæa Babylone dicitur imperatum, à Nino in Nini urbe, quæ Ninive dicitur Hebræis: poſtea in Media Ecbatanis: hinc Perſepoli in Perſia? aut cùm dicitur Perſas Helleſpontum junxiſſe ponte, Athon perfodiſſe, pugnâſſe cum Græcis ad Thermopylas, in campis Marathoniis, ad Salaminem, Mycalen, Plateas? Ac par ratio de Æneæ, & Ulyſſis peregrinatione: de expeditione Alexandri Magni: de armis à Romanis per tot regiones circumlatis. Mitto cætera; quæ omnia referre longum foret.

6. §. *Homeri atate quaſi incunabula Geographia fuerunt.*

Valde interim, pro illis temporibus, fuiſſe intelligentem Geographiæ, partim Hipparchi, & aliorum auctoritate, partim perſpicuis argumentis, comprobat Strabo libro I.

7. §. *Primi, qui Geographiam poſt Homerum attigere, philoſophi fuerunt; ut Anaximander Mileſius, ejuſque civis Hecataus: item Democritus, Eudoxus, Ephorus, Dicaarchus, aliique complures: & his atate poſteriores, Eratoſthenes, Polybius, Poſidonius, philoſophi & ipſi.*

Dicam de ſingulis, &, ratione temporis habitâ, alios interſeram, nondum memoratos nobis. Ut auctor eſt Strabo, initio Geographicorum, poſt Homerum primi hanc ſcientiam excoluere Anaximander Mileſius, Tha-

Digitized by Google

letis diſcipulus ; & civis ejus Hecatæus ; ut idem poſtea refert ex Eratoſthene. Atque addit, primum fuiſſe hunc Anaximandrum, qui Geographicam ediderit tabulam. Unde de eodem ſic Laërtius *, Γῆς, καὶ θαλάσσης περίμετρον πρῶτος ἔγραψε· *primus terræ, mariſque, circuitum deſcripſit.* Claruit iis temporibus, quibus Romæ regnabat Servius Tullius. Anno ſecundo Olympiadis LVIII. annum agebat LXIV. ut ex Apollodori Athenienſis Chronicis ab Laërtio proditum eſt. Hecatæus Mileſius illuſtre ſibi nomen paravit περιηγήσει Aſiæ, & Europæ; quarum meminit Athenæus : Libyæ item Stephano memoratæ. Rufi Avieni ætate etiamnum exſtitiſſe, arguit, quòd dicat, ſe eum ſequi in deſcriptione oræ maritumæ.

* *In ejus vita.*

Temporibus Xerxis, Artaxerxis Longimani, ac deinceps, Democritus Mileſius magnum nomen peperit variis monumentis : in quibus & Κοσμογραφία fuit, teſte Laërtio.

Regnante Artaxerxe, cui Μνήμων cognomen, Eudoxus reliquit τῆς γῆς περίοδον, Athenæo, & aliis, crebrò laudatam.

Proximè poſt eum, inter Geographos, etiam à Strabone, Ephorus reponitur. Is multa ad temporum ſitum pertinentia inſperſerat illis XXX. libris, quibus ſeptingentorum, & quinquaginta annorum hiſtoriam de geſtis, tam barbarorum, quàm Græcorum, complexus erat. Non tamen magnam adeò peritiam ſtudii habuiſſe Geographici, legere eſt apud Diodorum Siculum, & Flavium Joſephum: quorum ille inſcitiam de Ægypto, alter de Iberis arguit. Iſocratis fuit diſcipulus; ut claruerit ſub Artaxerxe Ocho, & deinceps.

Darii Codomanni, & Alexandri Magni temporibus claruit Scylax Caryandenſis : cujus ſupereſt γῆς περίοδος, ſive περίπλους. Iſtoc opere non ſolùm agit de illis intra columnas Herculis; ut ex vulgatis Suidæ codd. aliquis poſſit exiſtimare; ſed etiam extra eas. Eum multis locis emendavit, Notiſque illuſtravit, filius meus Iſaacus Voſſius. Eum, ſi voles, adi.

Dicæarchus Meſſenius, Ariſtotelis diſcipulus, Theophraſto inſcripſit libros tres de populis Græciæ, & moribus, ac civitatibus. Hodieque inde quædam ſuperſunt. Firmat & Suidas; qui ſcripſiſſe ait καταμέτρησιν τῶν ἐν Πελοποννήσῳ ὀρῶν *. Neque hoc illi uſque adeò operoſum; quia, ut Plinius ait lib. II. cap. LXV. *Regum curâ montes permenſus fuit.*

* *Dimenſiones montium in Peloponneſo.*

Temporibus Ptolomæi Philadelphi fuit Pytheas Maſſilienſis; qui condidit opus de ambitu terræ.

Item Hanno Carthaginenſis ; qui olim Periplum Africæ Punicâ conſignavit linguâ. Ea Græcè reddita perduravit.

Temporibus Ptolemæi Euergetæ claruit βῆτα illud eruditorum Eratoſthenes Cyrenæus, qui inter alia γεωγραφίαν condidit; inque eam etiam Timoſthenis, paullò ſe antiquioris, librum de portibus tranſtulit.

Polybius † cui inter Geographos, poſt Eratoſthenem, à Strabone datur locus, non quidem de geographia libros ſcripſit : ex iis tamen, quæ in hiſtoriarum opere admiſcet, abunde videmus, quantum huic ſtudio operæ dederit. Claruit temporibus Ptolomæi Philometoris.

† *Vide de eo Strabonem lib. I. & XVII.*

Artemidorus Epheſius, qui XI. lib. periplum orbis complexus, temporibus fuit Ptolemæi Lathyri : ut quem Olympiade CLXIX. floruiſſe, in περιηγήσει ſua dicat Marcianus Heracleota, ſcriptor temporis incerti ; ſed Stephano etiam in Ethnicis memoratus. Hujus Marciani περιήγησιν carmine ſcriptam jambico primus edidit David Heſchælius : uti & ejuſdem περίπλουν maris, tum Eoi, tum Occidentalis; atque inſularum etiam, quæ eo continentur.

Polybio ſubdit idem Strabo Poſidonium. Credo, is Apameenſis fuit, quem Cicero Rhodi audivit; ut tempore ejuſdem Lathyri, imò & Auletæ, vixerit. Movet, quòd Strabo recenſet philoſophos, geographiæ peritos. At hic in philoſophia Stoica excelluit; ut ex Athenæo, & Suida, conſtat. Adde quòd Polybio proximè ſubjungitur. At Apameenſis hic hiſtoriam ſuam, quæ libris conſtabat LII. inde eſt exorſus, ubi deſiit Polybius: quemadmodum ex Suida ſcimus. Hoc ſi non eſt, fuerit Poſidonius Olbiopolita : quem idem Grammaticus tradit hiſtorica, ac geographica varia, reliquiſſe. Nam præter Atticam hiſtoriam, condidit Libyca lib. XI. atque egit de regione Tyria, item de Oceano, & terris illi vicinis.

Sub Auguſto, vel non multò poſt, claruit Iſidorus Characenus. Parthiam deſcripſit; unde σταθμοὺς Παρθικοὺς primus edidit Heſchælius. Patria ei Charax; non urbs ejus nominis, quæ in Taurica Cherſoneſo, ſecundùm Ptolemæum; ſed quam idem in Parthia agnoſcit. Parthus igitur fuit; ut optimè potuerit Parthiam deſcribere. Meminit exilii Tiridatis, Parthorum regis. Nam ubi Heſchælius edidit Ἐτειριδάτης, in Regio Pariſienſi codice eſt ἢ Τιριδάτης. Unde ætatem cognoſcimus. Præſertim cùm Plinio toties memoretur. Ut eo antiquiorem eſſe, neceſſe ſit.

8. §. *Sed præcipuè juvabunt, qui poſt hos vixere; Strabo Amaſenus, & Claudius Ptolemæus; paulloque Strabone antiquior Dionyſius* περιηγητὴς, *in quem utilis exſtat commentarius Euſtathii, Theſſalonicenſis Epiſcopi. Præclare etiam Arrianus Nicomedienſis condidit gemini maris periplum. Docebit etiam non pauca Stephanus, ſive Hermolaus Byzantius in Ethnicis.*

Ætatem Dionyſii ejus, cujus περιήγησιν cum Euſtathii Theſſalonicenſis commentario habemus, indicat, quòd ab Cæſare Auguſto, in Parthos, & Arabas ituro, in Armeniam fuerit præmiſſus; teſte Plinio lib. VI. cap. XXVII. Ætatem ejus pleniùs oſtendo lib. II. de Hiſtor. Græc. cap. III. uti & patriam Alexandriam, non illam Ægypti, aut Syriæ, ſed oppidum Suſianæ ad ſinum Arabicum, inter Tigrim, & Eulæum fluvium. Præter hunc Dionyſium Alexandrinum duo fuere alii ejuſdem nominis qui περιηγήσεις ſcripſere ; Mileſius unus, qui ipſo etiam Herodoto antiquior ; alter Samius, aliis Rhodius dictus, quod Rhodi habitaret, atque ibi Sacerdos eſſet Solis. Plura, ſis, pete ex dicto capite III. neque enim actum agere libet. At ſatis prædicari nequit doctrina, & induſtria Strabonis Amaſeni, ſcriptoris graviſſimi; quem Stratonem vocari debere, perperam in Peripateticis ſuis Diſcuſſionibus contendit Franciſcus Patricius. Nec inutile ſit jungere Græcam ejus epitomen. Arrianus Nicomedienſis Epicteti diſcipulus fuit, ac ponti Euxini, & maris Erythrei periplum dicavit Cæſari Hadriano. Nec ſatis quis laudàrit operam Claudii Ptolemæi : quem in geographicis diviniſſimum, ac ſapientiſſimum virum appellat Heracleota Marcianus initio peripli. Fuit Ptolemæus temporibus Marci Aurelii Imperatoris. Hermolaus Byzantius redegit in compendium Stephani opus de populis, & civitatibus; atque id dicavit Juſtiniano Imperatori.

Sub Conſtantino Duca, uxore Eudoxia, Romano Diogene, & Michaële Duca, claruit Michaël Pſellus : cujus de terræ ſitu, figura, & magnitudine, opuſculum Mſum eſt in bibliothecis Clariſſimorum Virorum, Jacobi Sirmondi, & Patricii Junii.

Extremis Græcorum Imperatorum temporibus fuit Georgius Gemiſtus, Beſſarionis, & Michaëlis Apoſtolii æqualis. Ex Geographicis ejus laboribus ſupereſt in Regia Pariſienſi bibliotheca emendatio aliquot errorum Strabonis. In bibliotheca item Oxonienſi deſcriptio Græciæ, uti & Peloponneſi : hæc ex Ptolemæo; illa ex Strabone; ut non multùm juvare eum poſſit, qui jam fontes adierit.

Præter iſtos alii etiam non pauci inediti adſervantur in bibliothecis publicis, ac privatis. In his etiam eſt Agathemeri Orthonis hypotypoſis Geographiæ : quam, inter alios hujus argumenti ſcriptores, filius Iſaacus Voſſius juris faciet publici. De Græcis hactenus.

9. §. *E Latinis præſtantiſſimi ſunt Pomponius Mela, & Plinius Secundus.*

Cicero ad Att. lib. II epiſt. VI refert, ſe aliquando meditatum eſſe opus Geographicum. Nec deperiiſſe propterea putandum. Nam addit ipſe, ſe poſtea difficultate deterritum. Ex iis igitur, quos habemus, antiquiſſimi ſunt Mela, & Plinius: quorum ille Claudii Cæſaris, hic Veſpaſiani temporibus floruit.

10. §. *His adde C. Julium Solinum:*

Qui priùs inſcripſerat opus ſuum, *Collectanea rerum memorabilium:* unde à veteribus ſæpe adducitur *Solinus in Collectaneis*, vel *in Memorabilibus*. Sed ſecundæ editioni hunc titulum fecit: *C. Julii Solini Polyhiſtor ab ipſo editus, & recognitus.* Unde & à Priſciano *Solinus in Polyhiſtore* citatur. Etſi verò accuratè, quandò vixerit, dicere non poſſumus: non multò tamen Plinio junior fuit. At eos valde ratio fugit, qui non è Plinio Solinum; ſed Plinium è Solino; pleraque exſcripſiſſe arbitrantur. Quos eo etiam maximus Salmaſius * refellit; quòd Plinius † quidem ſic ſcribat: *Proximo bello, quod cum Oeenſibus geſſere initiis Veſpaſiani imperatoris:* apud Solinum ‡ verò ſit: *Veſpaſiano principe, bello, quod cum Oeenſibus geſtum.* Videmus, ut Plinius *proximum* dicat, quia verè proximum erat, cùm ea Plinius commentaretur: at Solinus, quia poſterior, neceſſe habuit vocabulum *proximum* omittere.

* *Exercitationibus in Solinum* pag. 383.
† *Lib.* 5. *Hiſt. Nat.* cap. 5.
‡ Cap. 32. *ex diſtinct. vulgari: ex Salmaſiana autem* 29.

11. §. *Iunge his, quæ Vibius Sequeſter ad Virgilianum filium ſcripſit de nominibus fluminum, fontium, lacuum, nemorum, paludum, & gentium; quæ poëtis memorantur.*

Primus Romæ edidit Mazochius, inde Venetiis Aldus. Poſtea ex duobus Mſsis emendavit Ioſias Simlerus. Plurimum huic ſcriptori debet Ioannes Boccacius; qui ante annos circiter trecentos libellum & ipſe reliquit, hac inſcriptione *: *Ioannis Boccacii de Certaldo de montibus, ſylvis, fontibus, lacubus, fluminibus, ſtagnis, ſeu paludibus, de nominibus maris.* Nec inutile ſit eos ſcriptores conferre. Cùm verò paſſim exſcribat Vibium; mirum ſanè ejus nuſquam mentionem facere. Tantùm enim ſignat his verbis: *ſecundum quoſdam, quidam, ut placet aliquibus, alii verò dicunt, ut quidam dicunt.* Ut meritò hac parte candorem viri requiramus. Vitioſis codicibus decepti ſunt, qui *Equeſtrem* vocant; ut Vincentius Mirabella Syracuſanus †. At rectè *Vibium Sequeſtrem* nuncupat Ianus Parrhaſius ad Claudiani lib. II ‡:

* *Edit. Venet. an.* 1514.
† P. 104.
‡ P. 191. *edit. Baſil. an.* 1539.

12. §. *Item adde Martianum Capellam, & Iſidorum Hiſpalenſem.*

Illum lib. VI de nuptiis Philologiæ: hunc Originum lib. XIII, XIV, XV. Martianum primus in lucem protraxit Thadæus Ugoletus Italus: pluraque de eo dixi lib. III de Hiſtoricis Latinis: ubi de eo actum, propter geographica, quæ omnigenæ hiſtoriæ pars ſunt. De Iſidoro autem Hiſpalenſi vidimus ejuſdem operis lib. II, cap. XXV.

13. §. *Mitto de interpretibus Latinis Dionyſianæ περιηγήσεως; quales Feſtus Avienus, & Priſcianus Cæſarienſis.*

Quorum prior Macrobio æqualis fuit; alter Caſſiodoro: ut toto ſeculo diſtent. Sed Avienus præterea jambis dedit oræ maritimæ deſcriptionem. Verùm ſupereſt tantummodo fragmentum à Gadibus Maſſiliam uſque.

14. §. *Præterea conducit Provinciarum Romanarum libellus.*

Quem per Oporinum, Baſileenſem typographum, anno CIↃ IↃLI Antonius Schonhovius Belga primus in lucem dedit, ac Eutropio, & Notitiæ Imperii, ſubjunxit. At annis prope L pòſt ex membranis Caroli Langii (quem Belgarum doctiſſimum Lipſius dicebat) auctiùs, & emendatiùs, Coloniæ edendum curavit Andreas Schottus *, & Antonini Itinerario ſubjecit.

* *A.* 1600.

15. §. *Adhæc utilis Notitia utriuſque Imperii.*

Sive libelli duo, qui continent dignitates, adminiſtrationeſque, tam civiles, quàm militares, in Oriente pariter, & Occidente. Valde eos fallit opinio, qui auctorem putarunt Monachum Fuldenſem. Multa enim oſtendunt, ſcriptos eſſe temporibus Theodoſii junioris: imò nec Alciatus dubitat in Parergis † ſuis vocare, *Breviarium Theodoſii Iunioris.* Ambiguum, utrùm ex libris, an ingenio. Primus, Caſſandri hortatu, Antonius Schonhovius cum Eutropio edi curavit ab Oporino; ac provinciarum Romanarum libellum, de quo dixi, à ſe integritati reſtitutum, adjecit. Poſtea hancce Imperii Notitiam cum duobus Mſsis contulit, ac multò emendatiùs edidit, ubertimo etiam commentario illuſtravit, Guidus Pancirolus I. C. & in Patavino Gymnaſio, dum viveret, Iuris interpres.

† *Lib.* 5. *cap.* 13.

16. §. *Nec inutilis liber B. Hieronymo tributus, qui inſcribitur de locis Sanctis.*

Nec tamen eſſe Sancti illius Patris, arguit, quòd, ubi de Smyrna agitur, hæc verba legere ſit: *Hieronymus in libris Hebræorum nominum ponit Smyrnam, & interpretatur Amaram.* Dubitat igitur de eo Eraſmus: rejicit verò Sixtus Senenſis Sanctæ Bibliothecæ lib. IV, verbo, *Hieronymus*; & Marianus Victorius in argumento, quod præmiſit tractatui de Act. Apoſt. item Torniellus in Annalibus ad annum mundi, MMCXLII ‡. Bedæ potiùs fuerit, in cujus libris invenias.

‡ P. 178.

17. §. *Ad Geographiam etiam pertinent Itineraria: ut illud Antonino Auguſto adſcriptum, ſive id ſit Iulii Oratoris, ſive Æthici Iſtri.*

In nonnullis inſcribitur Antonio Auguſto; quo nomine quidam eſt inter Γεωπονικῶν ſcriptores. in codice alio, ex Bibliotheca S. Galli, dicitur Antonii Auguſtalis. Iulio Oratori in aliis tribuitur libris; in quibus exaratum: *Iulio, Oratori utriuſque artis.* Puto, ſignari ἄζυγα θέμιν, ut Agathias Scholaſticus in Epigrammatis appellat: videlicet & illam, quæ propriè magis Oratoria; & alteram, quæ Poëtica dicitur. In codice Thuanæo hæc ad calcem operis ſunt adjecta: *Hæc omnia in deſcriptione recta Orthographia tranſtulit, publica rei conſulens, Iulius Honorius, magiſter peritus; atque, ſine aliquâ dubitatione, doctiſſimus. Illo nolente, ac ſubterfugiente, noſtra parvitas protulit, divulgavit, & publicæ ſcientiæ obtulit.* Eſſe autem id opus Iulii Oratoris, valde eſt veriſimile, ob verba illa Caſſiodori de Divinis lectionibus cap. XXV, quod eſt de Coſmographis legendis: *Libellum Iulii Oratoris, quem vobis reliqui, ſtudioſè legere feſtinetis: qui maria, inſulas, montes famoſos, provincias, civitates, flumina, gentes, ita quadrifariâ diſtinctione complexus eſt; ut pene nihil libro ipſi deſit, quod ad Coſmographi notitiam cognoſcitur pertinere.* Non defuere tamen, qui propterea conjectarent, eſſe id opus Iulii Cæſaris: cui tributum fuiſſe hoc opuſculum, liquet ex Cuſpiniano; uti & Felice Malleolo in Dialogo de Nobilitate. Ad hunc errorem præivere Mſsi Codd. qui ſic ordiuntur: INCIPIT CHRONICA IULII CÆSARIS.

Alii

Digitized by Google

Alii Æthico Iſtro adjudicant, partim quia & Æthici, & Antonini, ut vocant, itinerario eadem præmittitur præfatio: partim quoniam Flodoardus (qui ante annos vixit propè octingentos) in Rhemenſium Pontificum hiſtoria lib. I, cap. I, ex Æthici Coſmographia adducit, quæ in Antonini hoc Itinerario leguntur. Sanè, quin vel Iulii Oratoris, vel Æthici ſit, minimè dubitandum: quandoquidem Antoninorum eſſe non poſſit; ne illius quidem, qui Cæſaris Severi filius fuit; cùm mentio in Itinerario hoc fiat Maximinianopolis, Conſtantinopolis, Conſtantinæ, & aliarum urbium, quæ longè poſt Cæſarum illorum tempora demum exſtructæ ſunt, vel hoc nomen adeptæ.

18. §. *Nec laude ſuâ fruſtrandum eſt itinerarium à Burdigala ad Hieroſolymam uſque, & ab Heraclea per Aulonam, & Romam, Mediolanum uſque.*

Quod ſcriptum videtur temporibus Conſtantini M. ut mentio Conſulis Xenophili, & Regis Annibaliani, etiam Ammiano, qui paullo poſterior, memorati, non obſcurè arguit. Inſtituitur id per civitates, vicos, manſiones, & mutationes: quomodo vocârunt, quando veredorum, jumentorumque fieret commutatio. Primus è vetuſto codice in lucem edidit Petrus Pithœus, vir præclarè de univerſâ meritus antiquitate.

19. §. *Supereſt quoque itinerarium Rutilii Claudii, ſive Numatiani, ſive Minutiani.*

Qui ſub Honorio Cæſare claruit, poëta diſertus; ſed Chriſtiano nomini infeſtiſſimus. Mitto itineraria alia: uti illud B. Antonini Martyris, à Claudio Menardo ante annos ſex ſeptem editum: quod aliquantò ante Bedæ tempora ſcriptum fuit. Item itinerarium Benjamini Tudelenſis, ſcriptoris Hebræi: quod primus Latinè reddidit Ben. Arias Montanus Hiſpalenſis; ac poſt eum vir Nob. Conſtantinus L'Empereur, vetus in Leidenſi Academia collega, vir de literis Hebræis præclarè merens; qui & Benjamino huic notas addidit pereruditas.

20. §. *Nec aſpernandi Arabes, præſertim Abilphedeas.*

Quem principem Coſmographum vocare non dubitat Poſtellus in præfatione Coſmographiæ ſuæ ad Cæſarem Ferdinandum. Præclare etiam ante annos quingentos Orbem in VII climata diviſum deſcripſit Nubienſis ille, quem ex Arabico Latinum fecere Gabriël Sionita, & Ioannes Heſronita.

21. §. *At immane quantum lucis accedit ex tabulis. Quæ jam antiquis temporibus obtinuere apud Græcos.*

Anaximandrum primum fuiſſe, qui ejuſmodi tabulam exhiberet, diximus antea. Herodotus lib. V. refert, ut Ariſtagoras, Hiſtiæi gener, ac conſobrinus, Mileti tyrannus, Spartam venerit, ἔχων χάλκεον πίνακα, ἐν τῷ γῆς ἁπάσης περίοδος ἐνετέτμητο, καὶ θάλασσά τε πᾶσα, καὶ ποταμοὶ πάντες. *æream habens tabellam, in qua inciſus erat totius terræ ambitus, mareque univerſum, ac flumina omnia.* Apud Ælianum lib. III. Var. Hiſtor. cap. XXVIII legimus, ut Socrates Alcibiadi, agris ſuis ad Urbem tumido, tabulam monſtrârit, atque in eo agros eos juſſerit oſtendi: cumque hoc non poſſe apparêret, his eum affatus ſit verbis: Ἐπὶ τούτοις μέγα φρονεῖς, οἵπερ οὐδὲν μέρος τῆς γῆς εἰσιν; *Iis te effers, quæ nulla ſunt terræ pars?* ſive, quæ geographus ne dignatus quidem fuerit exprimere in ſua terræ deſcriptione. In Theophraſti teſtamento, Laërtio auctore, & illud mandatum, ἀναθεῖναι τοὺς πίνακας, ἐν οἷς αἱ τῆς γῆς περίοδοί εἰσιν, εἰς τὴν κάτω στοὰν· *tabulas, in quibus terræ ambitus deſcriberetur, in inferiore porticu reponi.* Non perſequar cæteros. Solùm, quia de Græcis nunc loquimur, illud addam; etſi ſua laus in Græciæ deſcriptione Sophiano debeatur, Ioannem tamen Laurenbergium, Soranæ apud Danos Academiæ Profeſſorem eruditiſſimum longè eum à tergo reliquiſſe: quod propediem planum orbi fiet, in tot, quas inclyta Blaeuwiana officina dabit, Græciæ tabulis accuratiſſimis.

22. §. *Atque uti apud Græcos, ita etiam apud Romanos, obtinuere tabulæ iſtiuſmodi, quibus terra, ac maria, deſcriberentur.*

Unde Propertius lib. IV eleg. III:

Cogor & e tabula pictos ediſcere mundos.

Varro lib. I de R. R. cap. II: *Offendi ibi C. Fundanium, ſocerum meum, & C. Cranium, equitem R. Socraticum, & P. Agraſium publicanum, ſpectantes in pariete pictam Italiam.* Vitruvius lib. VIII Architecturæ cap. II: *Hæc ſic fieri, teſtimonio poſſunt eſſe capita fluminum, quæ orbe terrarum chorographiis picta inveniuntur.* Adhæc *orbem etiam terrarum ſpectandum Urbi propoſuere Cæſar Auguſtus, & M. Agrippa, magnâ vir diligentiâ, inque hoc opere curâ:* ut refert Plinius l. III, c. II. *Metius Pompoſianus depictum orbem terræ in membranis circumferebat:* ut ait Tranquillus*: ſed hoc in cauſſis ejus interimendi arripuit Domitianus, inde conjectans, eum orbis imperium affectare: præſertim cùm & imperatoriam habere geneſin ferretur, & circumferret etiam ex Livio conciones regum, ac ducum: quaſi nempe id faceret, quòd ſibi ad imperatoriam dignitatem magnopere eſſent uſui futuræ. L. Annæus Florus, qui & Seneca, in præfatione Hiſtor. *Faciam, quòd ſolent, qui terrarum ſitus pingunt; in brevi quaſi tabella, totam ejus imaginem amplectar.*

* In Domit. c. 10.

23. §. *Omnium verò tabularum veterum, quæ exſtant, antiquiſſimæ ſunt, tum iſta ſecundùm Ptolemæum deſcripta ab Agathodæmone Grammatico, ad quem Iſidori Peluſiotæ exſtant epiſtolæ aliquot: tum illa, nonniſi eruditiſſimis profutura, è Conradi Peutingeri, patricii Auguſtani, bibliotheca, à M. Velſero, publici juris facta, ſegmentis octonis.*

Priora duo ſegmenta eruditis notis idem illuſtravit Velſerus, Duumvir.

24. §. *Nec tabulæ ſolùm proſunt Grammaticæ Exegeticæ, ſive intelligendis melius ſcriptoribus; verùm & peregrinantibus, tum privata ob negotia, tum publica: ut proconſulibus, & proprætoribus, in provinciam ituris: nunc, & olim, imperatoribus in caſtris metandis.*

Quippe, ut Vegetius ait lib. III, cap. VI, *Qui rem militarem ſtudioſius didicerunt, aſſerunt, plura in itineribus, quàm in ipſa acie, pericula ſolere contingere. Nam in conflictu armati ſunt omnes, & hoſtem cominus vident, & ad pugnandum animo veniunt præparati. In itinere minùs armatus, minuſque attentus eſt miles; &, ſuperveniente impetu, vel fraude, repente turbatur.* Ac mox ſubjungit: *Ideoque itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, pleniſſimè debet habere perſcripta: ita ut locorum intervalla, non ſolùm paſſuum numero, ſed etiam qualitates perdiſcat: compendia, diverticula, montes, flumina ad fidem deſcripta conſideret, uſque eò, ut ſolertiores duces itineraria provinciarum, in quibus neceſſitas geritur, non tantùm adnotata, ſed etiam picta habuiſſe firmentur; ut non ſolùm conſilio mentis, verùm aſpectu oculorum, viam profecturi eligerent.* Pluraque inibi. Sed & B. Ambroſius quædam in Pſalm. CXVIII, Serm. V.

25. §. *In*

25. §. *In hujuſmodi antiqui orbis tabulis multum refert, ut illis utamur, quæ poſteriorum curâ emendatius, vel auctius prodeunt.*

Itaque Iulianus imperator non tam gaudet de tranſmiſſâ ſibi tabulâ quapiam, quàm quòd exactior foret, & accuratior prioribus. Sic enim ſcribit poſteriori ad Alypium epiſtolâ: Ἤδη μὲν ἐτύγχανον ἀνειμένος τῆς νόσου τὴν γεωγραφίαν ὅτε ἀπέστειλας. οὐ μὴν ἔλαττον διὰ τοῦτο ἡδέως ἐδεξάμην τὸ παρὰ σοῦ πινάκιον ἀποσταλέν. ἔχει μὲν γὰρ καὶ τὰ διαγράμματα τῶν πρόσθεν βέλτιον, καὶ κατεμούσωσας αὐτὸ προσθεὶς τοὺς ἰάμβους. *Jam eram morbo liberatus, cum Geographiam miſiſti: non tamen propterea minùs grata mihi fuit tabella abs te miſſa. Sunt enim in ea deſcriptiones meliores, quàm antehac; & jambis exornâſti.*

26. §. *Nec ſufficit ſcire vetera gentium, vel urbium, nomina, ac ſitus: ſed etiam diſcere convenit, quæ hodie obtinent.*

Omnia enim mutantur. Unde Sulpicius ad Ciceronem lib. IV. epiſt. Cic. *Quæ oppida quondam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata, & diruta, ante oculos jacent.* Nota & Pythagoræ de Athenis, ac Thebis, querela apud Ovidium XV. Met. Sed clarè imprimis Seneca ad Albinam: *Aſſiduus humani generis diſcurſus eſt. Quotidie aliquid in tam magno orbe mutatur. Nova gentium nomina, exſtinctis nominibus prioribus, aut in acceſſionem validioris converſis, oriuntur,* &c.

27. §. *Præterea etiam cognoſcendæ ſunt regiones illæ, quæ incognitæ erant antiquis. Olim enim tres ſolùm continentes notæ erant: Europa, &, hac major, Africa, maximaque omnium Aſia. Imò ne extrema quidem, vel Septentrionis, vel Africæ, vel Aſiæ, quondam innotuerant. Præterea avorum ævo acceſſit notitia tum Americæ, ſive Indiæ Occidentalis; tum Magellanicæ, ſive terræ Auſtralis. Quarum prior à Chriſtophoro Columbo reperta anno* CIↃ CCCC XCII. *ac quinquennio pòſt anno* CIↃ IↃ XCVII. *feliciùs detecta ab Americo Veſpuccio Florentino, à quo &* Americæ *nomen accepit. Poſterior verò ſic dicta à Ferdinando Magellano, qui anno* CIↃ IↃ XXII. *Moluccas petens inſulas, eas auſus fuit terras accedere; atque iis* Magellanicæ *nomen dedit.*

Multis interim viris eruditis non videntur antiqui penitùs ignorâſſe duas illas continentes. Nam ad Americam cenſent pertinere, quæ de Atlantide tradit Plato: quæque Ariſtoteles refert de Phœnicum Gaditanorum ad ignotas regiones profectione; ac navigatione Carthaginenſium ad Inſulam magnam, & deſertam; ſed fertilem. Item Auſtralem ſpectare judicant, quæ de itinere Iamboli legere eſt apud Diodorum Siculum lib. II. Etiam Strabo lib. II. veriſimile eſſe ait, alias eſſe terras præter tum agnitas. Ac imprimis illuſtre eſt illud apud Feſtum Avienum in deſcriptione oræ maritimæ: poſtquam de Albionis inſulâ, & Hiberniâ, egiſſet:

Tarteſſiiſque in terminos Oeſtrumnidum
Negotiandi mos erat: Carthaginis
Etiam coloni, & vulgus inter Herculis*
Agitans columnas, hæc adibant æquora:
Quæ Himilco Pœnus menſibus vix quattuor,
Ut ipſe ſemet rem probâſſe retulit,
Enavigantem poſſe tranſmitti aſſerit.
Hic nulla late flabra propellunt ratem:
Sic ſegnis humor æquoris pigri ſtupet.
Adjicit & illud: plurimum inter gurgites
Extare fucum, & ſæpe virgulti vice
Retinere puppim. Dicit hic nihilominus,
Non in profundum terga dimitti maris,

* Coloni *repoſui; pro quo in Pythæana epigrammatum, & poëmatiorum, editione eſt* colonis; *verſu & ſententia reclamante.*

Parvoque aquarum vix ſupertexi ſolum:
Obire ſemper huc, & huc, ponti feras
Navigia lenta, & languide repentia
Inter natare belluas.

De his pluribus dicerem, ſi paucis putarem me poſſe defungi. Sed, σὺν Θεῷ, ſingula alibi fuſiùs expendam.

28. §. *Ex junioribus, qui orbem totum deſcripſerint, præcipuè excellit Gerardus Mercator.*

Laudabilis quidem opera olim Æneæ Sylvii, Raphaëlis Volaterrani, Bilibaldi Pircheimeri, Sebaſtiani Munſteri, Joachimi Vadiani, atque aliorum. Sed eò hos taceo, quia juniorum induſtria pleraque omnia accuratius exceſſit. Atque idem dixero de Brocardo monacho, Beato Rhenano, Jacobo Ziglero, Leandro Alberto, atque aliis, qui ſolùm regionem aliquam deſcripſêre. Nulli verò juniorum plus geographia, quàm, ſummo viro, Gerardo Mercatori, debet. Proxima diu Ortelio laus; quia tabulas ex hiſtoria omnigena utiliter illuſtravit; matheſeos interim ſcientiâ neutiquam cum Mercatore conferendus. Utinam verò ſupereſſet ornatiſſimus urbis hujus Amſtelodamenſis civis, Guilhelmus Blaeuw, magni & Nobiliſſimi Viri Tychonis Brahei diſcipulus, vir magnificè, accuratis ſuis tabulis de arte hac, doctorum omnium judicio, prometitus: cujus ego non poſſum non cum dolore meminiſſe, quando cogito, quantum in eo viro hæc diſciplina amiſerit. Bene tamen eſt, quòd reliquerit dignum ſe filium Joannem Blaeuw, Juriſconſultum quidem, paternis interim inſiſtentem veſtigiis; nec typographicâ modò arte, ſed expoliendâ etiam geographiâ tum veteri, tum novâ, præclarè admodum de ſtudiis merentem.

CAP. XII.

DE CHRONOLOGIA.

1. §. *Chronologia ſequitur, quæ tempora numerat. Hæc ut multis multorum libris eſt tractata; ita necdum eſt plenè reperta.*

Olim jam Plutarchus in Solone eſt conqueſtus, quàm intricata eſſet ratiocinatio illa temporum in veteribus Græcorum rebus: quod nec minùs de Hebræorum temporibus dicere poſſumus; ut diſcrepantes ſummorum etiam virorum ſententiæ oſtendunt. In quibus & ipſi diſſident Græci Bibliorum codices ab Hebræis. Sed Hebræos potiùs ſequendos eſſe, vix hodiè ambigit quiſquam. Non aſpernanda de hocce diſcrimine in Nicephori Chronologiam Camerarius annotavit. Sed accuratiùs de re totâ recentiores Chronologi; iique magno numero.

2. §. *Planè autem ſcire Chronologum neceſſe eſt; tum diverſam annorum rationem apud gentes varias; tum* ἐποχὰς, *ſive æræ diverſitatem.*

Nam Hebræi numerant ab orbis initio; Græci per Olympiades; Romani ab Urbe conditâ; poſteriores ab Diocletiano uſque ad tempora Juſtiniani; Hiſpani ab Auguſti anno XLII. uſque ad Ferdinandi Catholici tempora; Chriſtiani Græci, ac Romani, per indictiones ab anno Chriſti CCCXIII. quo Maxentius eſt à Conſtantino victus, & pax data Eccleſiis. Sed receptiſſima eſt Chriſtianis conſuetudo numerandi à Chriſto nato, vel circumciſo: quæ æra cœpit à Dionyſio Exiguo, abbate Romano. Saraceni verò ordiuntur à fuga Mahumeti; quæ incidit in annum Chriſti IↃ C XXIII.

3. §. *Ex Græcorum antiquis, in temporum ratione, juvabit præcipuè Euſebius Pamphili, Cæſarienſis epiſcopus. Qui ab orbe condito Chronicon reliquit uſque ad vicennalia Conſtantini, ſive annum Chriſti* CCC XXVI.

Permulta hauſit ex Julio Africano; qui primus Chriſtianorum de temporibus ſcripſit; eaque deduxit uſque ad an. Chriſti CCXX. Euſebium verò exſcripſit, aſſiduus ejus obtrectator Georgius Syncellus; qui temporibus licet Karoli M. claruerit: morte tamen præventus, ne quidem, quò uſque Euſebius, Chronicon perduxit. Deſinit enim in Maximiani, & Maximini imperio.

4. §. *Ex Latinis non parum B. Hieronymo debemus, qui & Euſebium Latinè edidit, & ei ex Tranquillo, & aliis, multa inſeruit, & præterea eum continuavit uſque ad an.* CCCLXXIX.

Interim eſt, ubi Euſebium temporum ratio fugerit; aut B. Hieronymus, variis diſtentus, non aptè ſatis Euſebii mentem expreſſerit. Ob iſta, & alia, proderit utrumque legere cum animadverſionibus Scaligeri, nunquam ſatis laudatis: non quaſi ignorem & illi quædam excidiſſe. Sed hoc innumeris bonis facilè compenſat. Nec humana ſinit imbecillitas, ut quiſquam tam grande quid ſtudeat, nec alicubi humanum quid patiatur. Quare qui in eo caſtigando tam ſe acerbos præbent, utcunque non pauca meliùs dicant; tamen negare non debent, plurimùm ſe illi debere. Imò quodammodo oblivíſci videntur, ſe etiam homines eſſe, ac periculum eſſe à talionis lege. Denique hoc pacto ſe à ſcribendo deterrere ingenia, ad bene merendum de ſtudiis, nata. Præterea & operæ ſit addere Euſebii Chronico Arnoldi Pontaci, Epiſcopi Vaſatenſis, caſtigationes, & notas: quæ, animadverſionibus Scaligeri penè jam excuſis, in lucem prodierunt.

5. §. *Hieronymum continuavit B. Proſper, uſque ad annum Chr.* CCCC XLVI. *Idacius, uſque ad annum* CCCC LXXVII. *ſive ſecundum Anthemii Imper. conſulatum. Marcellinus Comes, uſque ad annum* IↃ XXXIV. *Victor Tunnunenſis, uſque ad ann.* IↃ LXV. *quo Juſtiniano Juſtinus junior ſucceſſit. Joannes, Abbas monaſterii Biclarienſis, uſque ad ann.* IↃ XCIII.

Quos omnes habes in Temporum Theſauro, quem publici juris fecit Joſephus Scaliger. Sed Idacium cum faſtis conſularibus, item Marcellinum Comitem, integriores poſtea, auctioreſque, edidit Jac. Sirmondus, vir de antiquitate, & hoc nomine, & aliis majoribus, optimè meritus.

6. §. *E junioribus laudari ſolent Matthæus Beroaldus, Guil. Genebrardus, Gerardus Mercator, Joannes Funccius, Abrahamus Bucholcerus, & complures alii. Sed proximis his annis magna acceſſio facta eſt, cùm ab aliis, tum maximè Joſepho Scaligero, & Dionyſio Petavio: etſi ſic quoque multa ſint intricata, & obſcura, aliorumque induſtria relicta.*

Cujus inter alias ea eſt cauſſa, quòd ſcientia hæc in multis dependeat à cœli obſervatione: at calculus Aſtronomicus multas adhuc habeat difficultates. Interea contentus erit puer Indice Bucholceri, vel Chronicis Sethi Calviſii, ac parte eâ, quam exhibet Petavius. Sed de Chronologia in partibus Matheſios iterum dicendum erit. Quare hic ſiſto.

CAP. XIII.

DE GENEALOGIIS.

1. §. *Sequitur τὸ γενεαλογικόν. Hoc explicat familias eorum, qui in imperio fuere.*

IMò quandoque etiam eorum, qui præclarè de ſtudiis merentur.

2. §. *Neceſſitas hujus partis ex eo conſpicitur, quòd hiſtoria potiſſimùm ſunt de perſonis: perſonæ autem familiis diſtinguuntur.*

Unde liquet, non poſſe hiſtorias abſque hac parte intelligi. Accedit & altera utilitas. Nam iis, qui rebus geſtis, vel etiam doctrinarum ſtudiis, devinxere ſibi alios, debetur honos ſuus: honos autem iſte maximus eſt, ut conſervetur eorum memoria. Eaque res etiam alios deinceps incitabit ad pariter bene merendum de Republica.

3. §. *Itaque ex veteribus Græcorum multi in hoc argumento deſudarunt. Sed magnam partem deperierunt: ut Acuſilaus Argivus, Hecatæus, Pherecydes Athenienſis, Simonides Ceus, Suidas, atque alii.*

Ex quibus Acuſilaus Argivus tempore Cambyſis, vel circiter, claruit. Ἐν τῷ περὶ γενεαλογιῶν citat eum Apollonii ſcholiaſtes in IV. Hecatæus ἐν β΄ γενεαλογιῶν laudatur Arpocrationi, voce Ἀδελφίζειν. Librum III. advocat Athenæus lib. IV. Quartum Stephanus in αἰθάλη, ἄμφελος, Εὐρώπη, μύγισσι, & alibi ſæpe. Epimenides duos γενεαλογιῶν libros ſcripſit; teſte Laërtio. Cui & Pherecydes Athenienſis ὁ γενεαλόγος memoratur, à Syrio, Pythagoræ magiſtro, diverſus. Simonides Ceus, cognomine Melicertes, tres de genealogiis libros condidit, Suidâ auctore. Imò & Suidam ἐν γενεαλογίαις adducit Stephanus, voce Ἄμυρος. Sed qui Stephani tempora ſciat, facilè videt, diverſum eſſe ab eo, cujus hodieque lexicon habemus: cùm hic demum paullò ante annum claruerit CIↃ C. at Stephanus ante tempora vixerit Juſtiniani Imperatoris; quo regnante, eum Hermolaus Byzantius in epitomen redegit. Alios etiam in opere de Hiſtoricis Græcis memoravimus.

4. §. *Ex ſuperſtitibus multùm in Deorum, & Heroum genealogia, juvabit bibliotheca Apollodori.*

Ex quo, fabulis præteritis, hiſtoria generis, ac temporis, nullo negotio fiat.

5. §. *Ex Romanis præcipuè induſtria eluxit T. Pomponii Attici.*

Teſtis in ejus vita Cornelius Nepos; ubi ait, antiquitatem totam ab eo expoſitam volumine illo, quo magiſtratus ornavit. *Atque*, inquit, *quod difficillimum fuit, ſic familiarium originem ſubtexuit, ut ex eo clarorum virorum imagines poſſimus cognoſcere.* Hinc ſubjungit: *Fecit hoc idem ſeparatim in aliis libris; ut, M. Bruti rogatu, Juniam familiam à ſtirpe ad hanc ætatem ordine enumeraverit; notans, qui à quoque ortus, quos honores, quibuſque temporibus cepiſſet. Pari modo Marcelli Claudii de Marcellorum, Scipionis, Cornelii, & Fabii Maximi, Fabiorum, & Æmiliorum. Quibus libris nihil poteſt eſſe dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitia clarorum virorum.* Ex hoc opere etiam fuiſſe videntur illa de gente Papiria; quæ ſignat Cicero lib. IX. epiſt. ad Papirium Pætum.

6. §. *Etiam M. Valerius Meſſalla, jam ſenex, de Romanis familiis librum fecit.*

Teſtis Plinius: qui & quædam inde non ſemel adducit. Sed qui hodie Meſſallæ tribuitur liber, de progenie Auguſti Cæſaris, ſuppoſititius eſt. Vide de Meſſalla hoc noſtram Latinorum Hiſtoricorum hiſtoriam lib. I. cap. XVIII.

7. §. *Genealogiarum etiam codicem reliquit C. Julius Hyginus.*

Ipſe auctor in Poëtico Aſtronomico: quo loco de Perſeo

ſeo loquitur. *Grææ*, inquit, *fuerunt Gorgonum cuſtodes: de quo in primo libro Genealogiarum ſcripſimus.*

8. §. *Noſtrâ ætate hanc hiſtoriæ partem præclarè excoluit Reinerus Reineccius Steinhemius.*

Qui & ipſe, non contentus familias nudè delineâſſe, etiam tempora, quibus floruere ſinguli, addit; & quæ præcipuè geſſerint, exponit: auctores etiam apponit, unde pleniùs omnia hauriantur.

9. §. *De Romanis quoque familiis pulchrè tractarunt Antonius Auguſtinus, & Fulvius Urſinus: uti & Richardus Streinius.*

Qui Baro Auſtriacus fuit, gratiâque ob eruditionem valuit apud Imperatorem Maximilianum II. Præterea Joannes Glandorpius commentarios edidit de familia Antoniâ, & Juliâ. Juvabit quoque ejus Hiſtoriæ Romanæ Onomaſticon, opus licet poſtumum.

10. §. *Nec honore ſuo fraudandus eſt Ubbo Emmius; qui Chronologico operi alterum adjecit Genealogicum.*

Eo tabulis complexus familias gentis Hebrææ, variarum in Oriente, & Africâ; Græcorum item, & Romanorum imperatorum, tam Orientis, quàm Occidentis; regum adhæc Hieroſolymæ, poſt urbem à Chriſtianis captam; regumque Galliæ ex Saxonibus. Atque hæc de hiſtoria γεωγραφικῇ, χρονολογικῇ, & γενεαλογικῇ.

Cap. XIV.

DE HISTORIA PRAGMATICA, ſive propriè dictâ.

1. §. *Hiſtoria* πραγματικὴ *ſupereſt; quæ vel vera eſt; ut eorum, qui propriè magis hiſtorici dicuntur; velut Thucydida, ac Livii: vel ficta; qualis epicorum, atque etiam Xenophontis in Cyri* παιδείᾳ*: vel media, ac quaſi vera; ut in comœdiis, & mimis.*

Ita diſtribuit Aſclepiades apud Empiricum.

2. §. *Hiſtoria vera dividitur in ſacram, civilem, & literariam. Sacra, vel verè ejuſmodi eſt, vel errore hominum talis cenſetur. Verè ſacra, ratione auctoris, diſtribuitur in divinam, & humanam. Divina, ſive divinitus inſpirata, Scriptura ſacra canone continetur. Eſtque exarata partim à Moſe, & Prophetis; partim ab Apoſtolis, & Euangeliſtis. Humana eſt, quæ de rebus Eccleſiæ ab aliis Eccleſiaſticis viris eſt perſcripta. Ac ratione argumenti diſpeſcitur in Iudaicam, & Chriſtianam. Quanquam verò humana hæc neutiquam ejuſdem eſt auctoritatis, ac divina: maximos tamen & ipſa uſus habet.*

Nam, ut de Chriſtiana ſolùm dicam; primùm univerſè ex ea diſcimus converſionem gentium, ſucceſſionem Epiſcoporum in præcipuis Eccleſiis, & conſervationem Euangelii adverſus tyrannos, & hæreticos: quæ providentiam Dei in conſervanda Eccleſiâ oſtendunt; noſque de veritate Euangelii mirè confirmant. Deinde particulatim nos docent, quæ pertinent ad doctrinam Chriſtianam, & vitam informandam, & Eccleſiæ politiam. Ad doctrinam; quia videmus, quid ubique, & ab omnibus, creditum ſit. Inque controverſiis, quid ſenſerint plures, aut doctiores, melioreſque. Item ubi alii alios tulerint, ubi non item. Ratione vitæ; quia in ſanctorum vitis pulcherrima habemus virtutum omnium exempla; ac præcipuè conſtantiæ in martyribus. Ratione politiæ; quia videre inde eſt, quatenus olim forma eadem fuerit regiminis in omnibus Eccleſiis; quatenus item diverſis, aut temporibus, aut locis, fuerit variatum. Hæc de hiſtoria verè ſacra.

3. §. *Non re, ſed hominum opinione ſacra eſt, quæ ad religionem pertinet gentilem, aut Muhamedanam. Quam & ipſam cognoſcere operæ eſt.*

Si non ob aliud; ſaltem, ut, falſam religionem ſolidè refellendo, alios eâ infectos ad Chriſtianam religionem faciliùs adducamus. Hoc liquet ex Tatiano, Clemente, Tertulliano, Origene, Arnobio, Lactantio, & aliis, qui adversùs nationes ſcripſerunt.

4. §. *Hiſtoria civilis comprehendit antiquitates, memorias, & hiſtoriam juſtam. Antiquitates ſunt reliquiæ antiqui temporis, tabellis alicujus naufragii non abſimiles.*

Ut ſint quaſi picturâ deformatâ. Sed latiùs *antiquitatis* nomine uſi fuere Joſephus, & Dionyſius.

5. §. *Memoriæ ſunt initia legitimæ hiſtoriæ. Nam actiones quidem, & eventus, ordine ſuo exponunt; ſed occaſiones, conſilia, orationes, ac ſimilia omittunt.*

Hujuſmodi hiſtoriæ ſunt non epitomæ ſolùm; ſed & qui propriè dicuntur commentarii: ſuntque ſimiles picturæ inchoatæ. At Cæſar eſt *commentarii* nomine abuſus, cùm ſuos ſic libros inſcripſit.

6. §. *Hiſtoria juſta addit perſonarum characterem, conſiliorum trepidationem, prætextus, imperii arcana.*

Ut apud Thucydidem, Salluſtium, alioſque, videmus.

7. §. *Ad Hiſtoriam juſtam pertinent tum annales; qui portionem temporis complectuntur: tum vitæ; quæ perſonam aliquam deſcribunt: tum relationes; quæ illuſtrem aliquam actionem, ſive rem geſtam repræſentant.*

Annalium exemplum Tacitus dabit; vitarum, Plutarchus, relationis, Xenophon in expeditione Cyri.

8. §. *Hiſtoria literaria, ſive ſcholaſtica, eſt de viris doctis, eorum ſcriptis, & ſcientiarum incrementis. Item de artium inventoribus, earumque progreſſu.*

Qua in hiſtoria cæteris præivit Xenophon. Nam ἱστορίαν φιλοσόφων πρῶτος ἔγραψε, ut in vita ejus Laërtius monet, atque ex eo Suidas: Ξενοφῶν*, Γρύλλου, Ἀθηναῖος, φιλόσοφος Σωκρατικὸς, ὃς πρῶτος ἔγραψε βίους φιλοσόφων. Quod opus utinam exſtaret. Niſi hoc ſolùm voluere, ſcribendo de vita, ac morte Socratis, præiſſe omnibus, qui in ſcholaſtica hiſtoria ſe occuparunt. Quales poſtea Socion in libris διαδοχῆς†, & alii, qui non exſtant.

* Xenophon, Grylli filius, Athenienſis, philoſophus Socraticus; qui primus ſcripſit vitas philoſophorum.
† Succeſſionis.

9. §. *Ex Hiſtoricis iis, qui ſuperſunt, hac de parte habemus, Laërtium, Philoſtratum, Eunapium, Heſychium Illuſtrem, Suidam: atque è Latinis Ciceronem de claris Oratoribus, & Suetonium de illuſtribus Grammaticis, ac Rhetoribus, & aliquot poëtis.*

Propè etiam omnes huc pertinent eorum, qui de illuſtribus Eccleſiæ viris ſcripſêre: ut fecerunt B. Hieronymus, Gennadius Maſſilienſis, Iſidorus Hiſpalenſis, Hildephonſus Toletanus, Sigebertus Honorius Auguſtodunenſis, & Henricus de Gandavo.

10. §. *E junioribus huc refer Polydorum Virgilium, & Lilium Gyraldum de poëtis: quæque de Rhetoribus an-*

Google

antiquis, ac imprimis de Hiſtoricis Latinis, & Græcis, imò & poëtis, ſcripſimus.

Etiam inter Eccleſiaſticos ſcriptores multi huc pertinent. Vide bibliothecam Trithemii, ac Simleri. Item varios de vitis Theologorum, Iuriſconſultorum, ac Medicorum.

11. §. *Aliter autem hiſtoriam tractat Philologus; aliter Philoſophus. Hic prudentiam civilem ſibi proponit; eoque attendit ad cauſſas ſingulas, & in modo etiam, quo quid geſtum, minutatim ſingula conſiderat. At Grammatico ſatis ferè eſt, eventum nôſſe: ſaltem non ultrà requirit, quàm ad intelligendos ſcriptores, maximeque poëtas, opus eſt. Nec tamen eorum ſimiles eſſe oportet, qui tantummodo hiſtoriam Romanam deguſtant: ſed circumferendus eſt animus per omne ævum, ac gentes prope omnes.*

At nunc pleriſque ſufficit, ſi ſciant aliquid de Romulo, Camillo, Scipione, Sylla, Pompejo, Cæſare, &c. vel ulteriùs, ſi pergant, tangunt aliquid de Miltiade, Themiſtocle, Ariſtide, &c. At per omnia eundum loca, ac tempora. Primùm ſciendæ res Hebræorum, ab orbe condito, uſque ad excidium Hieroſolymæ. Iungendæ cum his res Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Ægyptiorum. Tum Græcorum res diſcendæ; maximè Athenienſium, Spartanorum, Macedonum, & ſucceſſorum Alexandri Magni. Exinde Romanorum geſta, uſque ad Momyllum Auguſtulum. Denique etiam gentium, quæ partem obtinerent imperii Romani; idque ad noſtra uſque tempora. Hoc vocare poſſumus κύκλον ἱςορικὸν, *orbem hiſtoricum*; quomodo κύκλυς nomine hiſtorias ſuas inſcripſit Dionyſius Mileſius; ut teſtis eſt Suidas, & Pindari Scholiaſtes ad Od. IV Iſthm. Arduum hoc dicat aliquis. Mihi verò non videtur res operoſa. Paucorum enim menſium negotium eſt. Multùm enim jam in univerſitatis hiſtoriâ profecit; qui animo ſit complexus hiſtoriam ſacram Sulpicii Severi, Juſtinianam trogi Epitomen, Florum, cum Aurelio Victore, & duos tres ſimiles libellos. Quærat aliquis, quid dicam de Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Polybio, Diodoro, Dionyſio, Livio, Plutarcho, aliis? Equidem non impedio, quò minùs initio, unus alter eorum, præſertim, qui καθολικὴν hiſtoriam tractant, legantur attentè: ſed continuatam cunctorum lectionem probare neutiquam poſſum, priuſquam diſciplinarum quis orbem abſolverit. Nam omnium curata lectio longi temporis res eſt. At quemadmodum, qui diu admodum abfuerit domo, reverti obliviſcitur: ita qui in hiſtoricorum libris annos complures trivere, non facilè ad diſciplinarum orbem redeunt. Quare poſt lectos aliquos nobiles ſcriptores, qui vere, & eleganter, tempora tradiderunt; aliquamdiu ſuffecerit nôſſe, quibus in ſcriptoribus ſingula pleniùs perſcribantur, ut ſi opus ſit, eò recurratur: ubi opus non eſt, ad diſciplinas alias graſſemur.

12. §. *Hæc de Hiſtoriâ verâ: ſequitur ficta. Ut illa epicorum. Niſi malis dicere mixtam è verâ, & fictâ. In hac verum eſt à falſo diſcernendum. Quod ſi fiat, hiſtoria, quæ vera eſt ſapientiæ, ac prudentiæ, mater, multum inde accipiet lucis. Ex fictis etiam eruenda eſt myſtica interpretatio: ſub cujus involucro, nunc naturæ myſteria, nunc prudentiæ præcepta, continentur.*

De naturæ myſteriis liquet ex Heraclidis allegoriis: longeque manifeſtius eſt fictis exemplis virtutem doceri à poëtis. Ut Poëtices eadem ſit utilitas, ac hiſtoriæ. Imò Ariſtoteles dicere non veretur, Poëticen habere conjunctionem majorem cum Philoſophia, quàm Hiſtoriam ipſam: quia hæc tantummodo narrat, quid contigerit; Poëtice autem quid fieri debuerit. Itaque nec Horatius dubitat laudem eam tribuere Homero, quòd melius, pleniuſque, quid honeſtum, quid turpe, quid utile, quid inutile ſit, doceat, quàm philoſophi ipſi. Atque hæc cauſſa eſt, cur olim à Poëtis ſoleant auſpicari. Sed de Poëtica ſeorſum pluribus agemus.

13. §. *Prodeſt Hiſtoria, tum Grammatico, quatenus facit ad ſcriptores melius intelligendos: tum cæteris ſtudiis, quæ hiſtoriam de ſua artis, ac ſcientiæ, ſcriptoribus noſſe debent: imprimis verò Theologiæ, ac Politicæ: illi propter hiſtoriam Eccleſiaſticam: huic propter hiſtoriam civilem, de qua poſtea dicemus.*

Hanc rem fuſiùs perſequimur oratione de hiſtoria: quæ jam juris facta eſt publici. Etiam vide ſis, quæ de utilitate hiſtoriæ ſcribit Alciatus præfat. notarum in Taciti annales; David Chytræus de lectione hiſtoricorum, &c. Et ſanè antiqui Patres, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, aliique, hiſtoriis, omnique literaturâ, fuerunt excultiſſimi. Etiam Romanæ antiquitatis notitiam verè dixeris incunabula Juriſprudentiæ.

14. §. *At magnum inprimis illud eſt hiſtoriæ bonum, quod ſpeculum ſit providentiæ divinæ.*

Quæ & in Judaïcis, & Chriſtianis, & gentilium rebus, dilucet. Aliquantò fuſiùs hæc diducam, quàm alia hoc in opere ſoleo: atque id propterea, quia omnium nobis ſtudiorum finis pietas eſſe debet: nec ulla æquè nos ad Deum ducant, quàm Hiſtoria, Phyſice, & S. Scriptura. Nunc de Hiſtoria loquar. Omnis hiſtoria exponit, vel quæ Deus per ſe, aut Spiritus miniſtros, fecit; vel quæ homines egerunt. Atqui ſi providentia Dei etiam ſe exſerit in minima re quaque, cùm nec paſſerculi in terram concidant citra voluntatem patris cæleſtis*: quam eum curam * Matth.
gerere putandum vitæ, & actorum hominis? Cujus rei 10. 29.
ſinguli quidem capere ex nobis exemplum poſſumus; ſi cogitare velimus, quoties ab incunabulis per omnem vitam divino beneficio liberati ſimus ab igni, ferro, veneno, inſidiis, aliiſque periculis. Sed malo paullum inſiſtere ſacro exemplo patriarchæ Joſephi; cujus ex vita undique divina elucet providentia. Hunc cùm fratres, præ invidia, perditum ire vellent; Iſmaëlitis vendiderunt. At Deus ſcelus eorum dirigit ad gloriam Joſephi, ad fratrum, & Jacobi, ſalutem, ad Ægyptiorum bonum & ipſius Pharaonis. Somnium, quod Deus immiſerat Joſepho, invidiam illi fecit. Somnium Pharaoni immiſſum, è ſqualle ſituque carceris Joſephum exemit. Cùm nihil paſtoribus eſſet inviſius apud Ægyptios; Rex Ægyptius Iſraëlitis optimos, regni agros aſſignat. Nimirum ſicut agricola ſulcis aquam
derivat per prata: ſic, ut Salomo † ait, Deus inclinat cor † Proverb.
Regis, quò viſum eſt. Atque hæc ſingulos potiùs ſpectant. 21. 1.
Qui ſi citra providentiam nec exiguo tempore ſubſiſtant; quantò minus abſque numinis curâ tot ſeculis durare imperia ulla poſſent! Et profectò longè ea res humanam exſuperat ſapientiam: quod fateri cogemur, ſi attendamus ad improborum multitudinem, & tot caſuum incertum, ac quaſi agnatas vices. Multoque hæc manifeſtiora fiunt; quoties Deo viſum eſt transferre imperia de gente in gentem. Excitat enim ille tum Cyrum aliquem, aut Alexandrum, aut Cæſarem; cui illa quoque, quæ ex humana ſapientia minimè pendent, non modò ex voto fluunt, ſed etiam ſupra votum. Atqui ut Venerem ſemel iterumque jacere caſus videtur; centies verò id præſtare, eſt artis opus: ita unus, alterque felix ſucceſſus poterat videri à temeritate fortunæ: ſed quòd, in ſolita hac rerum humanarum varietate, tanta eſt ſimilitudo eventuum, qui in unum conſpirant; id verò non aliunde eſſe poſſit, quam à provida ejus cura, qui univerſum temperat. Sed nimium quantum à nobis abit Epicuri ſchola. Quippe contra plane ex vita humana, cujus ſpeculum eſt hiſtoria, colligit illa, Deum non curare mortalia. Prora, & puppis, ei eſt querimonia hæc vetus; quòd bonis ſit malè, malis bene.

Quod divinæ bonitati, ac juſtitiæ, ait repugnare. Gravis profectò ea eſt, ut numinis, ita hiſtoriæ etiam, accuſatio: de qua ſi idcirco paullò fuſiùs dixero, venia mihi facile dabitur. Nam penitus evellendus eſt error tam peſtilens ex animis mortalium. Nimirum miſeris illis imponit, quòd tam facilè judicium ferunt, priuſquam conſpiciant rerum exitus. Ut ſi quis ex divendito Joſepho, aut Abſolomo, cùm pro patre regeret, ſententiam pronunciaret; nec ea conſideret, quæ poſtea contigerunt. Quale quid, ut de
Pſ. 14. 1. notiſſimo Davidis * exemplo taceam, etiam Claudianus poëta ſibi obveniſſe agnoſcit; cùm Rufinum, hominem improbum, videret ad ſummos honores evectum. Hinc ingenua ejus confeſſio:

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.

Sed audiamus etiam, quid revocârit eum ad mentem ſaniorem:

Abſtulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Abſolvitque Deos. Iam non ad culmina rerum
Injuſtos creviſſe queror. Tolluntur in altum,
Ut lapſu graviore ruant.

Siſtendum igitur judicium, uſque dum videamus, quem res habitura ſit exitum. Nam utcunque diu floreant improbi; poſtea tamen pœnæ tarditas ejus penſatur magnitudine.

Quæ ſæpiſſime etiam liberos, ac nepotes, involvit. Non rarò quidem transferuntur pii in ſedes meliores, priuſquam Deus mirandum hoc judicium exerceat in malos. Sed quæ tum non vident pii, vident eorum poſteri: ut innumeris docemur hiſtoriæ exemplis. Quare non in exigua vitæ particula animus nobis defigendus; ſed circumferendus ille per hiſtoriam, ac vitam univerſam: ne ſimiles iis videamur, qui in pictura, vel ſtatua, non ſingulas partes accuratè perluſtrant; ſed digiti, vel auriculæ artificio, obſtupeſcunt; ita ut nec uno totum adſpectu contemplentur. Sunt verò & aliæ tam gravis erroris cauſſæ. Quid autem impedit, quò minus in his etiam ad fontes digitum intendamus? Eâdem enim & Deo honorem ſuum vindicabimus, cujus illi providentiam negant; & genuinum tutabimur hiſtoriæ decus, ne Fortunæ ea potiùs, quàm Providentiæ divinæ, ſpeculum exiſtimetur. Eſt verò alterum ejus, quem dixi erroris caput, quòd ſententiam tam facilè de bonis ferunt; cùm, qui boni ſint, ignorent. Bonus, inquiunt, Pompejus vincitur à Cæſare: cujus cauſſam etiam Cato improbavit. At quid ſi negemus, & Pompejum inter bonos reponi oportere? Nec enim minor erat ejus ambitio, quàm Cæſaris. Non majorem ferebat Cæſar; ne parem quidem Pompejus. Uterque inſidias ſtruebat libertati Reipublicæ. Solùm tectiùs id faciebat Pompejus. Nec dignus ille ulteriùs favore erat numinis; qui victo, vinctoque Ariſtobulo, reſerâſſet
† Joſeph. lib. 14. Tacit. lib. 21. Ampoſ. lib. 18. c. 45. Hieroſolymis ſancta ſanctorum †, locaque ea profanis oculis luſtrâſſet, & pedibus calcâſſet, quæ ſolùm ſacerdoti ſummo adſpicere, atque ingredi, fas erat.

Nec minùs errant, quòd bona pro malis habent, mala pro bonis. Bonum, inquiunt, eſt honos præturæ: in qua Vatinius præfertur Catoni, peſſimus optimo. Bonum verò quod noxium? Atqui honores, & opes ſi in malos incidant, in perniciem cedunt. Nec bona ſunt, quoties iis fruſtrantur boni, vel his fraudantur ab improbis: quin ſæpe ea eſt via ad virtutem, & gloriam. Fateor quidem, non hoc ſibi improbos propoſitum habere, cùm vexant bonos, ſed tamen hoc ſibi proponit Deus, cùm vexari bonos permittit. Quemadmodum igitur non inclemens eſt medicus, cùm membrum putridum urit, & ſecat; neque hic præſentem cogitare dolorem oportet; ſed ſecuturam corporis ſanitatem: ita neque Deus eſt immiſericors, cùm opes, vel honores, eripit bonis; quia, ut, quid iis verè bonum ſit, videt; ita ab eo quoque providet ſuis. Verum, inquiunt, miſerum eſt probos ab improbis vitâ ipſâ exui, quæ non redit. Quomodo & ſuo, & Athenarum malo, ſublatus eſt Socrates; qui ab oraculo pronunciatus erat hominum ſapientiſſimus. Sed temerè ſibi ſumunt, quòd vitam negant redire. Quantò meliùs Euripides, vitam hanc veriùs eſſe mortem, & quod mortem vocamus, vitam. Nec vel Socrates morte ſuâ miſer, vel eâ Athenæ infelices. Quantillum enim eſt, quòd Socrati paucorum annorum vita deceſſerit: qui fortaſſe morbis, ac miſeriis fuiſſent impliciti. Profectò leve hoc ſempiterni nominis gloriâ abunde penſatur. Athenæ verò Socratem quidem amiſerunt: ſed accepere exemplum conſtantiæ in morte; quod faces, & ſtimulos, adderet ad pietatem; & metum numinis, quantum cæca illa gentilium religio pateretur.

15. §. *Atque ex his abunde cognoſcitur Hiſtoria natura, & multiplex utilitas. Quòd ſi qui his, & ſimilibus, accenſi, diffundere ſe parent per latos, lateſque, Hiſtoria omnigena campos, ſeriò eos monendos cenſeo, ut ne quaſi terris ignotis, ſine duce, diu, multumque, vagentur incerti: ſed priùs cum animo ſuo diſpicere ſeriò velint, quibus, & quo ordine legendis, certiùs, faciliuſque, comparare ſibi notitiam poſſint Hiſtoria univerſa.*

Qui animum ad hiſtoriam appellere volet, optimè auſpicabitur à generali notitiâ omnium locorum, ac temporum. Ac propterea primùm è generali aliquâ totius orbis tabulâ addiſcet præcipuas mundi partes; & quibus limitibus hæ diſtinguantur.

Hinc ſeorſim generales Europæ, Aſiæ, Africæ, atque Americæ, tabulas contuebitur: ut inde cognoſcat præcipuarum regionum ſitum. Addo his typum veteris imperii Romani.

Ab hiſce veniendum ad tabulas particulares regionum; de quibus præcipuæ tractant Hiſtoriæ. Ut Palæſtinæ, & vicinarum regionum, ob hiſtoriam ſacram. Item Italiæ, Græciæ, Galliæ, Germaniæ, Hiſpaniæ.

Vetus ſitus optimè cognoſcetur è tabulis Ptolemaicis à Mercatore concinnatis. Longeque emendatiùs brevi prodibunt induſtria Ioan. Blaeuw, cum caſtigationibus & notis filii mei Iſaaci. Utile etiam eſt, ad manum ſemper eſſe Onomaſticon, ſive, ut ipſe inſcripſit, Theſaurum Geographicum Ortelii; donec uberiorem orbi dederit officina Blaeuviana. Breviter ex antiquis orbem deſcripſêre Mela, Plinius, Solinus, Dionyſius in περιηγήσει. E junioribus Glareanus, & Cluverius.

Fusè, & graviter, de omnibus olim Strabo; quatenus quidem orbis tunc cognitus erat. Sed partim ut recens ſimul ſitus addiſcatur; partim quòd ſuperiori ſeculo, novis terris inventis, Geographiæ acceſſit; operæ ſit addere Geographica Bertii, & Ortelii Theatrum orbis terrarum, aut Atlantem Mercatoris: potiſſimùm novum Atlantem Guil. & Ioan. Blaeu.

Ubi quis ex ſex ſeptem tabulis, & compendio aliquo Geographico mediocrem ſibi notitiam parârit nobilium terrarum, & præcipuarum in iis urbium: pari ratione ex canone aliquo Geographico addiſcere opus erit generalem ævi omnis deſcriptionem. Ubi conducent duo canones illi Chronologici, Ubbonis Emmii, quos compendioſos, & ſuccinctos appellat, ac pleniori, & fuſiori, ſuæ Chronologiæ præmiſit.

Multùm tamen lucis acceſſerit, ſi diſtinctè omnia tempora quatuor tabulis proponantur. Quarum *prima* contineat res Hebræorum, ab orbe condito, uſque ad excidium Hieroſolymitanum.

Altera complectatur res Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, & Græcorum. Ex quibus Aſſyriæ res incipiunt à Nino, Medicæ ab Arbace, Perſicæ à Cyro, & Græcæ, prout hic conſiderantur, ab Alexandro Magno: deſinunt autem in Cleopatra ab Auguſto devictâ.

Tertia tabula contineat res Romanas ab Romulo uſque ad diviſum imperium inter filios Theodoſii; vel uſque ad Romam ab Odoacro captam.

Quarta tabulis duabus quaſi proponat hoc Orientis Imperium,

perium, uſque ad captam Conſtantinopolin: inde Imperium Occidentis, uſque ad noſtra tempora.

Pleniùs hæc repræſentabunt Euſebii, & Zonaræ Chronicon; cum appendicibus Hieronymi, Proſperi, Marcellini, & utriuſque Palmerii. Item Chronologia Bucholceri, & Calviſii. Et Chronicon à tribus illis Carione, Melanchtone, & Peucero conſcriptum. Sed in annorum ratione ſequendi potiùs juniores; præſertim in annis mundi.

Vidimus de generali notitiâ omnium locorum, & temporum: deinde veniendum ad particularem. Ac prout hiſtoria erit, ita ei præmitti debet notitia regionis, de qua hiſtoria ea tractat.

Non dubium autem, quin in hiſtoria particulari incipiendum ſit à ſacra: ſive rebus Hebræorum, Veteri Teſtamento præſcriptis: & vitâ Chriſti, ac Apoſtolorum; de quibus in N. T. Hæc ſummatim comprehendit Sulpicius Severus; ac penè hiſtoriam ſacram perducit ad annum à Chriſto nato cccc. Cui addere non inutile ſit Hiſtoriam Eccleſiaſticam Pappi, & Hiſtoriolas, quas in Chronologia ſua habet Abrahamus Bucholcerus. Hæc initiis ſufficient.

Poſtea verò utramque perficient hanc partem Joſephus, Euſebius, Socrates, Theodoretus, Euagrius, Nicephorus. Item Anaſtaſius, Luitprandus, Abbo & Platina de vitis Pontificum. Sed fuſiſſime omnium Centuriatores Magdenburgenſes, & Baronius; cujus gemina extat epitome. Judicio verò non exiguo opus eſt in Centuriatoribus; nec in Baronio, minori; quem interea negare non poſſumus præclarè meritum eſſe de antiquitate Eccleſiaſticâ.

Poſt cognitam Eccleſiæ hiſtoriam, quid turpiùs ignoremus, quam quæ vel noſtris, vel parentum, aut avorum, vel proavorum temporibus, partim terris contigerunt noſtris, partim vicinis? Hæc enim cùm vulgò etiam cognita ſint, & in conviviis, ac circulis narrari ſoleant, omnino turpiter ſe homo dederit literatus, ſi iſta neſciat, quæ ſunt quaſi ante pedes. Batavo igitur neceſſe ſit ſcire, quo pacto Comitatus Hollandiæ ad Hannonios, hinc ad Bavaros, poſtea ad Burgundos, inde ad Auſtriacos, atque Hiſpanos pervenerit. Item geſta Caroli V. Initia tumultuum Belgicorum, bellum quod tot annis duravit, & quæ interea temporis memoratu digniora in Germaniâ, Galliâ, Britanniâ & vicinis evenerunt terris. Nec nôſſe ea magni erit laboris, qui à pueris etiam pleraque eorum à parentibus, & ſenibus audiimus. Operæ nihilominus fuerit legere etiam hiſtoricum unum, alterum, qui breviter iſta ſint complexi; uti à nonnullis Chronologis factum.

Poſtea autem hæc fuſiùs diſcere licebit è Sleidano, Thuano, Cambdeno, Meterano, Bortio, Reidano, aliis.

Poſtquam res maximè memorabiles temporum noſtrorum, & ſeculi, quod proximè anteceſſit, animo inſcripſerimus, accingemus nos ad gentium Scriptores antiquos. Atque ex his primi legendi, qui res tractant Romanas. Cujus rei ratio ſatis eſt aperta. Nam auſpicari ſtudia ſolemus à Cicerone, & aliis Scriptoribus Latinis, qui abſque mediocri intelligentiâ hiſtoriæ Romanæ intelligi minimè poſſunt: ut in quibus paſſim Romuli, Numæ, Tarquinii, Camilli, Marii, Syllæ, & aliorum ducum Romanorum, mentio fiat.

Summatim autem res eas cognoſcere licebit ex Floro, cum commentariis Stadii, Vellejo, Eutropio, Sexto Aurelio Victore, Rufo, Pomponio Læto, & Baptiſta Egnatio de principibus Romanis. Conducet & Zonaras. Sed accuratiùs de iſtis è Latinis quidem Livius, Salluſtius, Cæſar, Suetonius, Tacitus, Spartianus cum annexis Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus: item Ammianus. E Græcis, Dionyſius, Polybius, Plutarchus, Appianus, Herodianus, Dio, Xiphilinus, Agathias, Procopius. E junioribus plurimùm juvabunt annales Stephani Pighii. A rebus Romanis veniendum ad res externas: hoc eſt, Aſſyrias, Medicas, Perſicas, Græcas. De quibus ſtrictim Iuſtinus, Cornelius Nepos, & nonnihil etiam Vellejus, atque Oroſius; & ubi hi deſinunt, Zonaras. Plenius autem de omnibus Herodotus, Thucydides, Xenophon, Polybius, Diodorus Siculus, Plutarchus, Arrianus: & è Latinis, Curtius in Alexandri geſtis.

Poſtremus locus eſt Hiſtoriæ (ut cum Romanis ſic loquar) Barbaricæ: hoc eſt, gentium earum, partem quæ obtinent veteris Imperii Romani, aut nunquam ſub eorum imperio fuerunt.

Hic primò quiſque ordietur ab antiquitatibus ſuæ gentis. Ut Batavus à Batavis, de quibus Grotius: item Duza in annalibus, etiam Ioannis à Leidis, & Beka: breviſſimè autem Barlandus: majori curâ filius meus ὁ μακαρίτης Matthæus Voſſius ab initiis Comitatûs Hollandici uſque ad ea tempora, quibus à Jacoba Bavara tranſlatus eſt Comitatenſis honos ad Philippum Burgundum.

Inde ad gentes alias ſe conferet: atque eas primùm, quibuſcum nationi ſuæ aut fœdus eſt, aut bellum. Utile autem in quavis gente erit, unum aliquem ſeligere, qui potiſſimas in ejus gentis hiſtoriâ obtinere videatur. Ut in Gothicis Iornandem, in Longobardicis Paullum Diaconum, in Slavicis Helmoldum, in Francicis Paullum Æmilium, in Hiſpanicis Marianam, in Scoticis Buchananum, in Flandricis Mejerum, in Burgundicis Heuterum, in Auſtriacis Lazium, in Saxonicis Crantzium, in Danicis Saxonem Grammaticum, in Boicis Aventinum, in Hungaricis Bonfinium, in Polonicis Cromerum, atque ita in aliis.

F I N I S.

GERAR-

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
ARTIUM ET SCIENTIARUM
NATURA AC CONSTITUTIONE
LIBER III.
SIVE DE MATHESI.

CAP. I.

DE MATHESI GENERATIM; ſive de Matheſios vocabulo, & circa quas res ſcientiæ Mathematicæ verſentur.

1. §. *A Philologia nunc me confero ad Matheſin. Quarum unam alterius alii comitem faciunt, alii aſſeclam. De eo convenit, utramque eſſe Polymathiæ partem: ut utraque, ſicut & Logica, Philoſophiæ debeat præmitti. Initio eſto à voce Matheſios: quæ, ſi nativam vim attendas, πάντα μαθήματα, ſive diſciplinas comprehendit univerſas.*

SIc voce μαθημάτων utitur Sextus Pyrrhonius, cùm libros x. inſcribit adverſus Mathematicos. Nec enim tam diſputat adverſus Arithmeticen, & Geometriam; quàm Grammaticen, Hiſtoriam, Poëticen, Rhetoricen, Aſtrologiam judiciariam, Muſicen, Logicen, Phyſicen, Ethicen.

2. §. *Sed hîc ſolùm intelligimus diſciplinas, quæ quantitatem conſiderant. Hæ, ſi Platoni in Menone credimus, Mathematica dicuntur; quia cùm omnis diſciplinæ facilè reminiſcamur, tum præcipuè iſtarum.*

Ac ejuſdem ſententiæ eſt Proclus, commentario in librum primum Euclidis; ubi tradit, nullo in ſtudio æquè, ac in Matheſi, locum habere illam æternarum cogitationum ἀνάμνησιν, ſive recordationem, quâ dirigitur animus ad recolendas formas menti impreſſas.

3. §. *Sed hæc ſententia parvo negotio refellitur. Nam ſi ſcientia noſtra nihil aliud foret, quàm ἀνάμνησις, ſive reminiſcentia; ſane & antequam ſciamus, recordaremur nos ſciviſſe id, quod diſcere ſtudemus: & poſtquam didicimus, illud, ut antè cognitum, recognoſceremus. Præterea ad diſcendum nullâ, vel exiguâ, opus foret operâ ſenſuum exteriorum: ſolaque ſufficeret vis facultatis imaginativæ, ſive cogitatricis. Adhæc quia ſcientiæ eſſent à natura, ea autem ad unum fertur; omnium cogitatio ſimilis, atque eadem, foret: omnes verum, in animis latens, recordaremur; nec opinionibus ſcinderemur tam diverſis; vel tot ſpiſſis etiam erroribus implicaremur.*

Vide pluribus de his apud Thomam in I parte, qu. LXXXIV. artic. III. nec non Pererium de communibus rerum naturalium principiis, & affectionibus lib. III. cap. VII.

4. §. *Quare iis potiùs aſſentimus, qui exinde ſcientias Mathematicas dici volunt, quia primitus ſolæ diſcerentur; antequam animum appellerent ad philoſophiam naturalem, vel civilem. Nec valde iis repugnem, qui ajunt* Μαθήσεως, *hoc eſt*, diſciplinæ *nomen, κατ' ἐξοχὴν eſſe impoſitum, ob ſummam rei Mathematicæ conſtantiam, certamque demonſtrandi rationem: ſive, quia certis, & invictis argumentis, animos diſcentium confirmarent. Et ſi verò inde nomen eſſe minimè videatur: illud tamen veriſſimum eſt, diſciplinas Mathematicas totius eſſe Philoſophiæ certiſſimas, præque aliis propriè magis* ſcientiarum *nomen mereri.*

Quàm multa enim intricata ſunt in Metaphyſicis de cauſſa prima! Quàm multa etiam obſcura, & incerta, in univerſa rerum naturâ! At in Matheſi omnia nituntur principiis nobiſcum natis; ac tam claris, & apertis, ut nemo auſit refragari. Eoque diſciplinæ Mathematicæ, ob certum earum, ſolæ ſunt philoſophiæ cauſſæ; ut ex Platone, Xenocrate, & aliis, poſtea dicam. Unde verò proveniat hæc Mathematicorum (liceat eo uti vocabulo) certitudo; inferiùs meliùs exponetur.

5. §. *Objectum Matheſios eſt non quodvis ens, ut Metaphyſices; ſed certum genus.*

Ariſtoteles lib. V. Metaphyſ. cap. I. Ἔστιν ἐπιστήμη τις, ἣ θεωρεῖ τὸ ὂν, ᾗ ὄν, καὶ τὰ τούτῳ ὑπάρχοντα καθ' αὑτό. Ἀλλὰ μέρος αὐτοῦ τι ἀποτεμόμεναι θεωροῦσι περὶ τούτου τὸ συμβεβηκός, οἷον αἱ μαθηματικαὶ τῶν ἐπιστημῶν. *Eſt ſcientia quædam, quæ ens ſub ratione entis conſiderat, quæque huic per ſe inſunt. At aliæ partem, ſive à genere ſpeciem, reſecantes, quicquid accidit ei contemplantur: ut ſcientia Mathematica.*

6. §. *Hoc* τοῦ ὄντος μέρος * *eſt* τὸ ποσὸν, καὶ πηλίκον, quotum & quantum; *ſive numerus, & magnitudo; atque, ut unâ voce dicam, quantitas.* * *Pars ejus quod eſt.*

Ita Ariſtoteles quoque lib. VI. Metaphyſ. ſumm. I. ex diſtinctione Beſſarionis, & lib. II. φυσικ. ἀκροάσ. cap. II.

7. §. *Quantitatem verò non conſiderat Matheſis, quatenus eſt in rebus ſenſibilibus: ſed mente à materia ſingulari, & ſenſili, abſtractam: eoque ſolùm ſe occupat in materie, quæ intelligitur. Quantitatem igitur conſiderat ut quantitatem.*

Hinc lib. I. Metaphyſ. cap. X. ſumm. II. dicitur verſari circa τὸ ἐν αἰσθητοῖς ὑπάρχον, ἀλλ' οὐχ ᾗ αἰσθητόν *exi-*

ſtens

Digitized by Google

ſtens in rebus ſenſilibus, at non quatenus eſt ſenſilis. Et lib. VI. Metaphyſ. ſumm. I. objectum ejus eſſe ait νοητὸν, καὶ ἀκίνητον, *intellectile, & immobile.* Νοητὸν vocat, quia conſpicere eſt illud oculis τοῦ νοῦ, ſive mentis. Ἀκίνητον verò, quia non mutatur; ſed eodem ſemper ſe modo habet. Atque idem Matheſi ſubjicit τὸ ἐξ ἀφαιρέσεως ὄν, *quod eſt ex abſtractione:* ut lib. III. de Cælo c. VII. & lib. I. de Anima text. XVII. Etiam propterea εἶδος, ſive *ideam*, vocat libello de lineis commenſurabilibus. Tria videlicet ſunt τῶν ὄντων * genera. Primùm τὰ νοητὰ, ſive intelligibilia: ut Deus, & Angeli; qui & re, & ratione, à materia ſunt abſtracti; ac ad Metaphyſicam pertinent. Deinde αἰσθητὰ, ſive ſenſilia: ut terra, arbor; quæ & re, & ratione, ſunt materiæ conjuncta; ac Phyſices ſunt objectum. Denique τὰ διανοητὰ, ſive cogitatione comprehenſa: ut rectum, curvum; quæ licet ſubjecto ſemper inhæreant, ſine eo tamen mente concipiuntur, & definiuntur; ac referuntur ad Matheſin, ſi ἁπλῶς conſiderentur. Nam materiæ innexa non ſunt conſiderationis Mathematicæ, ſed Phyſicæ: ut ſimum, quod eſt excavatio in naſo.

* Eorum, quæ ſunt.

8. §. *Objectum hoc Matheſios formaliter, ac perfectè ineſt intellectui divino, angelico, humano: in quantitate autem materiali ineſt ſolùm (ut in ſcholis loqui ſolent) virtualiter, & imperfectè.*

Sanè circulus, qualem Geometria conſiderat, non terræ, aut aquæ globo, ineſt; non ſcypho aureo, tornatove è buxo; non in ipſis etiam cælis.

9. §. *Nec idcirco hujuſmodi abſtracta quantitas eſt figmentum, ſomnium, mendacium. Neque enim abſtractio iſta ſtatuit aliquid eſſe extra materiem; ſed tantummodo ſine materie conſiderat, quod materia inhæret.*

Quod ſuo jure facit; quia materies in Matheſi non pertinet ad eſſentiam. Unde & ſine materie definitur. Ut cùm dico, lineam eſſe longitudinem latitudinis expertem: triangulum eſſe figuram tribus rectis lineis contentam: circulum eſſe figuram unâ comprehenſam lineâ. Ubi non attenditur, aurea, an argentea; ærea, ferrea, an lignea ſit materies.

10. §. *Imò tantùm abeſt, ut abſtractio fallat, ut ejus beneficio meliùs perſpiciamus formas Mathematicas. Nam ſine abſtractione, ob materiæ ruditatem, ac imperfectionem, non cognoſcerentur.*

E. G. Linea recta tangit ſphæram æneam *in puncto:* ut etiam refert Ariſtoteles lib. I. de anima textu XIII. At non eſt in rerum naturâ ulla ſphæra, quæ ſolùm tangat κατὰ στιγμήν †. Semper enim parte aliqua ſuperficiei ſuæ attingit ſubjectam lineam planam; quemadmodum Geometris objiciebat Protagoras: ut eſt apud Ariſtotelem lib. III. Metaphyſ. cap. II. Quod inde eſt, quia non ſit in rebus exquiſita rectitudo, perfectave rotunditas. Sed quam non eſt cernere corporis oculis; hanc Mathematicus ope abſtractionis videt oculis mentis.

† In puncto.

11. §. *Cùm verò & disciplinæ aliæ abſtractione utantur: diſtinguendum eſt inter abſtractionem aliarum ſcientiarum, & illam; quâ utitur Mathematicus. Prior eſt à materia ſenſili, & corruptibili. Poſterior autem ab omni materia; puta & ſenſili, & intelligibili; ſingulari, & univerſali.*

E. G. Phyſicus animo concipit cælum, non hoc cælum: ut eſt lib. I. de Cælo, text. XCII. & III. Metaphyſ. text. IX. alioquin, intereunte re quâpiam, etiam ejus ſcientia deperiret; ſicut ibidem refertur. Metaphyſicus verò non attendit ullam materiam; ſed conſiderat formam, ut οὐσίαν, quæ nulli inſit ſubjecto; proprietates item, quæ à nullo ſubjecto dependent. Ariſtoteles lib. I. Poſter. Analyt. * text. XV. τὰ γὰρ μαθήματα περὶ εἴδη ἐστίν. οὐ γὰρ καθ' ὑποκειμένου τινός. εἰ γὰρ καὶ καθ' ὑποκειμένου τινός τὰ γεωμετρικά ἐστιν· ἀλλ' οὐχ ᾗ γεωμετρικὰ καθ' ὑποκειμένου. *Mathematica enim ſcientia verſantur circa formas: nec enim in ullo ſunt ſubjecto. Etſi enim res geometricæ in aliquo ſint ſubjecto, non tamen, quatenus geometricæ, ſunt in ſubjecto.*

* Juxta Pacianam diſtinct. c. 13. at juxta vulgatam, cap. 10.

12. §. *Atque hæc dicta ſunto de Mathematices ſubjecto; ac quidem utraque ejus parte; tum quæ materiæ locum tenet; tum quæ formæ locum obtinet. Materies quippe eſt res conſiderata; puta quantitas. Forma eſt modus conſiderandi; videlicet, quatenus ea in intellectu à materia abſtrahitur.*

Ubi modus conſiderandi reſtringit rem conſideratam. Quomodo corpus hominis in medicina eſt ſubjectum; ſed quatenus ſanabile. Hic ſimiliter res conſiderata eſt commune quid; ſed quod coarctetur per modum conſiderandi: qui facit, ut res conſiderata ſit ſcientiæ æqualis.

Cap. II.

De multiplici utilitate Matheſios in omnibus penè artibus, ac ſcientiis, totaque vita humana.

1. §. *Quandoquidem igitur vidimus de Matheſios οὐσίᾳ †: nunc finalem, & efficientem cauſſam conſideremus. Finis nomine utilitatem intelligo. Difficile verò dictu eſt, quot, & quanta ſint Matheſios commoda: ſive eam in ſe attendas, ſive quatenus ad diſciplinas alias ſe extendit. In ſe, ſive ἁπλῶς conſiderata, magnum hoc bonum menti præſtat humanæ, quòd eam maximopere excitat, acuit, ac perficit.*

† Eſſentia.

Quâ de re ſic Proclus extremis penè commentarii verbis in lib. I. Euclidis *: τὸ ἔργον ἄρα τῆς ἐπιστήμης ταύτης, ὁποῖον δή τί ἐστιν ἐκ τοῦ ὀνόματος δηλοῦται, κινητικὸν τῆς νοήσεως, καὶ καθαρτικὸν τῆς διανοίας. καὶ ἐκφαντικὸν τῶν κατ' οὐσίαν ἡμῖν ὑπαρχόντων εἰδῶν, λήθης τε καὶ ἀγνοίας ἀφαιρετικὸν, ὧν ἀπὸ τῆς γενέσεως ἔχομεν, καὶ ἀπολυτικὸν τῶν ἐκ τῆς ἀλογίας δεσμῶν, κατὰ τὸν θεὸν, ὄντως ὄντα τῆς ἐπιστήμης ταύτης ἔφορον, ὃς προαγόμενος εἰς τὸ ἐμφανὲς τὰ νοερὰ δῶρα, πληροῖ δὲ πάντα τῶν θείων λόγων, κινεῖ δὲ τὰς ψυχὰς ἐπὶ νοῦν, καὶ ὥσπερ ἐκ κάρου βαθέως ἀνεγείρει, διὰ ζητήσεως δὲ ἐπιστρέφει πρὸς αὐτὰς, καὶ διὰ μανείας τελειοῖ, καὶ διὰ ῥεύσεως τοῦ καθαροῦ νοῦ πρὸς τὴν μακαρίαν ζωήν. Locus ex parte eſt corruptus. Latinè ſic reddebat Conradus Daſypodius in Mathematum Protheoriâ, propoſitione III. †. *Opus, atque officium hujus ſcientiæ quale ſit, à nomine ſit manifeſtum. Id nempe, quod inſitam movet cognitionem, & promit formas, quæ nobis ſecundùm eſſentiam inſunt: & aufert oblivionem, atque ignorantiam, quæ nobis ab ortu noſtro innata ſunt: & ſolvit vincula, quæ ab irrationabilitate proveniunt, ad Dei planè ſimilitudinem, hujus ſcientiæ præſidis: qui intelligentiæ munera manifeſtat, & cuncta divinis complet rationibus: animas quoque ad mentem erigit, ac veluti è profundo exſuſcitat ſopore: & inquiſitione ad ſe ipſas convertit: & quâdam obſtetricatione perficit: puraque mentis inventione, ad jucundiorem vitam deducit.* Non inquiram in ſingula. Duo ſolùm dicam. Prius eſt, quòd ubi Græcè eſt διὰ μανείας τελειοῖ, verterit interpres, *quâdam obſtetricatione perficit.* Ut videatur pro μανείας legiſſe μαίας, quod *obſtetricem* notat: unde μαιεύειν *obſtetricem agere.* Sed malim legere μνείας, quod ſæpe idem ac μνήμη, *memoria.* Hæc enim eſt, quæ ſcientiam parit, ſecundùm illud Afranii ‡, in Togata, cui *Sella* nomen dederat.

* Pag. 14.

† Pag. 9.

Uſus me genuit, mater peperit Memoria.
Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam.

‡ Apud Agellium lib. 13. cap. 8.

Præterea idem interpres, ubi Græcè eſt, καὶ διὰ ῥεύσεως τοῦ καθαροῦ νοῦ, vertit, *puraque mentis inventione:* ut videatur legendum putâſſe, εὑρέσεως. Verùm ῥεύσεως rectum arbitror: ut ſententia ſit, fluxione, vel effluxu puræ mentis, ſive meditationis, ad beatiorem vitam perveniri.

2. §. *Altera*

2. §. *Altera Matheſios utilitas ſe exerit in omni diſciplinarum genere. Quæ attenditur tum univerſè, tum particulatim. Univerſè, quatenus ingenium, quod acui his diſciplinis dicebamus, exerit ſe in omni diſciplinarum genere.*

Quippe etiam, qui tardioris ſunt ingenii, redduntur longe ſollertiores, ſi ad Arithmeticen animum appellant: ut ex Platone antea vidimus. Ac de Geometria idem tradit Quinctilianus lib. I. cap. XVI. *In Geometria*, inquit, *partem fatentur eſſe utilem teneris ætatibus: agitari namque animos, atque acui ingenia; & celeritatem percipiendi venire inde concedunt.* Et quomodo aliter eſſe poſſit, cùm in Matheſi perpetuò ſit ratiocinandum? Propterea lib. VII de Rep. ait, Matheſi imbutos εἰς πάντα τὰ μαθήματα ὀξεῖς φαίνεσθαι, *ad omnes diſciplinas acres, promtoſque apparere.* Icirco etiam eam appellat κατὰ παιδείαν ὁδὸν, *viam ad eruditionem.*

3. §. *Particulatim hoc primum apparet iis in ſcientiis, quæ licet non ſint partes puræ matheſios, ei tamen ſunt ὑπάλληλοι*: ut ſunt Aſtrologia, Muſice, atque alia Matheſios filiæ, & propagines.*

* *Subalternæ, ſive ſubordinatæ.*

Nam quid aliud eſt Aſtrologia, quàm numeratio motuum cæleſtium, & menſuratio æthereorum corporum, ſecundùm longitudinem, latitudinem, & altitudinem? At numerare docet Arithmetica; menſurare Geometria. Ideoque ut omnes Aſtrologorum hypotheſes intercidiſſent, ratio eas inſtauraret: quia eam ad rem ſolùm Logicen cum Arithmetice, & Geometriâ, ſciri opus ſit. Muſice item numerat ſonos, & concentus, eorumque intervalla, ac ſyſtemata. Quare ὑπάλληλος, ſive ſubalterna eſt Arithmeticæ. Optica ſimiliter ſubordinata eſt Geometriæ. Quam applicat luci, umbræ, colori: atque de veritate, & allucinatione, ſtatuit è ſitu, motu, numero, magnitudine; ſeu viſus ſit rectus, ſeu ſpeculo reflexus, ſeu, ob diverſam intermediorum corporum denſitatem, ac raritatem, refractus. Geodæſia verò quid eſt, niſi terræ menſuratio? Satis etiam apertus eſt Arithmeticæ uſus in Logiſtica; & tum ejuſdem, tum Geometriæ neceſſitas in Mechanice.

4. §. *Præterea per univerſam philoſophiam ejus uſus eſt multò maximus: idque quia matheſis arctâ adeò ſocietate cum philoſophia eſt connexa.*

Eò reſpicit Lactantius lib. III. cap. XXIV. †. *Grammatice multos annos auferat, neceſſe eſt. Nec Oratoria quidem ignoranda eſt. Geometria quoque, & Muſica, & Aſtrologia, neceſſaria eſt; quod hæ artes cum philoſophia habent aliquam ſocietatem.*

† *In edit. Plantinianâ Thomaſii: ſed cap. 25. edit. Baſ. Xyſti Betuleji.*

5. §. *Societas hæc primùm elucet è ſcientia naturali.*

Nec enim vel humani corporis fabrica ſatis intelligitur ſine matheſi. Ut cur muſculorum tendines hìc in oſſium capita, alibi in os medium inſerantur. In meteoris etiam quid manifeſtius? Nec enim ſine opticorum, & catoptricorum ope, intelligere poſſis naturam circuli lactei, cometarum, ventorum, iridis, pareliorum, virgarum, aliorumque hujuſcemodi. Quid dicam de figura univerſi, de ſtellarum motu, magnitudine, diſtantiâ? de inæqualitate dierum, ac noctium, de diverſitate climatum? cur ſol maturiùs ortus pluvias comminetur? cur ad Septemtrionem locis videatur antequàm ſupra horizontem evectus? cur, ſi ortum verſus navigans, occurrat naviganti ad occaſum, diverſimodè tempus numerent, cùm uni dies deſiat, alteri ſuperſit, quibus umbræ dextræ, vel ſiniſtræ, quibus intra annum binæ æſtates, atque hyemes, quomodo duorum eodem natorum momento, tandem & uno denatorum, alter alterum ſuperare poſſit dierum multitudine? Suntque hujus generis plurima alia. Quid mirum verò, ſi Natura ſine Matheſi nequeat intelligi; quando Deus, (ut eſt Sapientiæ XI.) πάντα μέτρῳ, καὶ ἀριθμῷ, καὶ σταθμῷ διέταξε, *omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuit.* Quod terminis artis diceretur, eum omnia condidiſſe Geometricè, Arithmeticè, & Staticè ſeu Iſorropicè. Quomodo Plato ait, τὸν Θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν, *Deum ſemper Geometriam exercere.* Atque idem apud Plutarchum eſt in VIII. Συμποσ. Nimirum illud voluit, Deum non initio modò omnia ſuis terminis, ac figuris, circumſcripſiſſe; numero etiam ac proportionis pondere conſtrinxiſſe: ſed in iſta mutabilitate, rerumque ortu, & interitu, ſimiliter omnia conſervare. Et ſanè cauſſa omnis, tum naturalis, tum ſupernaturalis, ex iſtis dependet: quod vel ex humano corpore cognoſcitur; ſeu ſtamus, ſeu ſedemus; ſeu ſurgimus, ſeu concidimus. Nam totum hoc eſt à Geometricis angulis, ac figuris, earumque commodâ proportione. Quod ipſum mihi voluiſſe videtur Tullius, cùm ſic ſcribit lib. I. Tuſcul. Quæſt. *Proximè autem Ariſtoxenus Muſicus, idemque philoſophus, intentionem ipſius corporis quandam velut in cantu, & fidibus, quæ harmonia dicitur, ſic ex corporis totius natura, & figurâ, varios motus cieri, tanquam in cantu ſonos. Hic ab artificio ſuo non receſſit: & tamen dixit aliquid, quod ipſum, quale eſſet, erat multò antè & dictum, & explanatum, à Platone.*

6. §. *Nec ſolùm præſtat, ut rerum natura meliùs intelligatur; ſed ſimul, ut in Medicina meliùs ad uſum transferatur.*

Unde Hippocrates Cous epiſtolâ ſuâ præcipit Theſſalo filio, ut Arithmeticen, & Geometricen, diſcat; non ad ſplendorem vitæ; ſed ad uſum artis medicæ. Nam Arithmetices beneficio cogniturum morborum intenſiones, remiſſiones, periodos, mutationes: Geometriæ ope rectiùs perſpecturum oſſium ſitum, luxationes, contritiones, exemtiones; omniumque affectuum curationes. Atque idem oſtendit Ariſtoteles lib. de motu animalium. Etiam Galenus miratur medicorum illos, qui in Matheſios ſtudioſos adeò invehuntur, poſſe in animum inducere, ut laudent Hippocratem, nec eum imitari velint; cùm is ſenſerit, Arithmeticen, & Geometriam, ſummo eſſe ad Medicinam adjumento.

7. §. *Cùm verò Medicina ſit Phyſices propago; ea, quæ proximè diximus, ad naturæ etiam ſcientiam rectè referuntur. Illud magis mirandum, Matheſin quoque ad Metaphyſicen, & rerum immaterialium conſiderationem, viam præparare.*

Ut quæ ſit ἀναγκαστικὴ φιλοσόφου διανοίας πρὸς τὸ ἄνω χωρεῖν, εἰς ἐκεῖνον τὸν τόπον, ἐν ᾧ ἐστι τὸ εὐδαιμονέστατον τοῦ ὄντος. *Efficiens, ut philoſophi mens ſe attollat illum in locum, ubi eſt ens beatiſſimum.* Item, μεταστρεπτικὴ τοῦ νοῦ ἐπὶ τὴν τοῦ ὄντος θέαν. *convertens intellectum ad viſionem entis*: videlicet, quia facit κατιδεῖν ῥᾷον τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν· *ut faciliùs videamus formam ipſius boni.* Quæ, aliaque hujuſmodi, videre eſt apud Platonem lib. VII. de Rep. Item in Epinomide. Ubi quoque legimus, eam munire viam ad Dialecticen; per quam Plato intelligit, non Τοπικὴν, ſive artem probabiliter in utramque partem diſſerendi; ſicut vocem hanc Ariſtoteles uſurpat: verùm Μεταφυσικὴν, non ἁπλῶς quidem; ſed quatenus utitur eadem Logices inſtrumento: ut omnino hoc nomen Platoni Metaphycen, & Logicen, comprehendat. Ac ſimiliter eo vocabulo uti etiam Platonici ſolent: ut Theo Smyrnæus Mathematicorum lib. I, cap. I: ubi hoc ipſum adſtruit ex Platone. Idem liquet ex hiſce verbis Plotini: Παιδευτέον τοὺς νέους τὰ μαθήματα πρὸς συνεθισμὸν τῆς ἀσωμάτου φύσεως. *Tradenda adoleſcentibus ſcientia Mathematica, ut ſic adſueſcant contemplationi naturæ incorporeæ.* Firmat etiam id ipſum Proclus Diadochus, in lib. I Euclidis:

ubi docet, Mathematicas diſciplinas eſſe medias inter Phyſicen, & Metaphyſicen: quia Phyſice verſatur circa materialia; Metaphyſice circa materiæ expertia; Matheſis verò tractet ea, quæ mediæ ſunt naturæ: quippe re quidem materialia; ſed intellectu à materie abſtracta. Itaque ibidem ait Proclus, τῇ ἁπλότητι * vinci à rebus materiæ expertibus: at τῇ ἀκριβείᾳ προὐπερέχειν, καὶ τρανεστέρας ἔχειν ἐμφάσεις τῶν αἰσθητῶν τῆς νοερᾶς οὐσίας. *eſſe accuratiores, & manifeſtiùs oſtendere res intelligibiles, quàm faciunt, quæ circa ſenſilia verſantur.* Addit quoque mox, diſciplinas haſce propterea conſtitutas eſſe ἐν προθύροις τῶν πρώτων εἰδῶν, *in veſtibulo primarum formarum: hoc eſt,* τῶν νοητῶν, *quæ ſolo intellectu percipiuntur.* Operæ etiam fuerit hoc adſtruere verbis Aſclepii †, philoſophi Tralliani, Ammonii diſcipuli, Commentario in librum primum Arithmetices Nicomachi Geraſeni: Ἐπεὶ δὲ ἐν φθορᾷ, καὶ ὕλῃ, ἐσμὲν, ἥ τις νόθῳ λογισμῷ ληπτή ἐστιν, ὥς φησι Πλάτων· οὐ δυνάμεθα ἀμέσως εἰς τὰ ἄυλα χωρεῖν, ἐπειδὴ μέλλομεν πάσχειν, ἃ πάσχουσιν οἱ ἐκ σκοτεινοῦ οἴκου ἀμέσως ἐπὶ φωτεινὸν ἐρχόμενοι. ἔδει γὰρ κατὰ βραχὺ προσιέναι πρότερον ἐπὶ σύμμετρον, καὶ οὕτως ἐπὶ τὸ φωτεινότερον. οὕτω κἀνταῦθα· ἐπειδὴ τὰ μαθήματα μέσα ἐστίν. καὶ γὰρ χωριστά εἰσι, καὶ ἀχώριστα, καὶ ἀποβάθρας χώραν περιέχουσι. δεῖ δὲ διὰ τούτων ἀνελθεῖν ἡμᾶς ἐπὶ τὰ ἀεὶ, καὶ ὡσαύτως ἔχοντα. μάλιστα δὲ ἐρχόμεθα διὰ τῆς Ἀριθμητικῆς. *Quoniam corruptionis, & materiæ compedibus tenemur; quæ ſpuriâ ratiocinatione comprehenſibilis eſt, ut ait Plato: directè, & ſine medio, ad immaterialia pervenire non poſſumus. Siquidem idem nobis eveniet, ac illis; qui ex cæca domo in claram continuò, ac ſine medio, tranſeunt: quos oportebat ſenſim progredi, priuſque domum ingredi mediocribus luminibus illuſtratam, deinde clariorem. Pari modo in philoſophia ſe gerere oportet; cùm Mathemata media ſint conditionis, ac naturæ. Partim quippe à materia ſeparari poſſunt, partimque inſeparabilia ſunt. Scamna ſunt, quibus adſcendere debemus ad illa, quæ eodem ſemper modo ſe habent: maximè verò per Arithmeticen ad illa pervenimus.* Etiam idem Aſclepius (quod ex parte quoque videre fuit è verbis adlatis) in eo conſentit Nicomacho, quòd Mathematicas ſcientias appellet κλίμακας, καὶ ἀναβάθρας *gradus, & ſcamna,* quibus ad cognitionem τῶν ὄντων, hoc eſt, Dialecticen, ſive Metaphyſicen, pervenitur.

* Simplicitate.

† Verba ea è codice Mſo Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi adduxit Iſmaël Bullialdus Notis in Theonem Smyrnæum. pag. 193.

8. §. *Nec in Philoſophia ſolùm theoreticâ relucet ea utilitas: ſed etiam practicâ.*

Quod ex Platone cognoſcimus lib. v de Legg. item Epinomide, & v i i de Rep.

9. §. *Hoc quoque omnes Philoſophiæ amantes ad Matheſin accendere oportet, quòd philoſophorum principes, Plato, atque Ariſtoteles, in illis etiam, ubi res ipſa, quam docent, ſine matheſios ope videbatur poſſe intelligi, è matheſi nihilominus ſtudeant lucem fœnerare.*

Unde Fabius lib. i, cap. x v i i: *Plato cùm in aliis quibuſdam, tum præcipuè in Timæo, ne intelligi quidem, niſi ab iis, qui hanc quoque partem diſciplinæ diligenter perceperint, poteſt.* Ut cùm in Timæo docet, mundi animam à Deo componi ex rationibus, & proportionibus Arithmeticis: corpus autem fabricari ex figuris Geometricis. Item cùm in Menone Socratem inducit diſſerentem cum puero de quadrato quadrati duplo: inque Thæteto, ubi agit de numero æqualiter, vel inæqualiter inæquali. Etiam luculentiſſimè hoc è diverſis Platonis locis, atque imprimis è libris de Rep. & Epinomide, demonſtrat Theo Smyrnæus Platonicus, initio libri, qui inſcribitur, τῶν κατὰ Μαθηματικὴν χρησίμων εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν· *Expoſitio eorum, quæ in Mathematicis ad Platonis lectionem utilia ſunt.* Quod opus ante triennium ‡ è bibliotheca Thuanæâ in lucem edidit clariſſimus Iſmaël Bullialdus. Atque ut de Ariſtotele etiam aliquid dicam: nonne in Organo, more Mathematicorum, ſua demonſtrat, ſæpe etiam ab iis vocabula mutuatur? Quantum etiam lucis adfert doctrina de proportione Arithmeticâ, & Geometricâ, ad ea, quæ de juſtitia in commutando, & diſtribuendo, dicuntur Ethicorum libro v; quæque de amicitia lib. v i i i, & i x, diſſeruntur? Quis ſeptimum Naturalis Auſcultationis ſine matheſi? quis octavum Politicorum capiat Muſices ignarus?

‡ Lutetiæ Paris. ann. 1644.

10. §. *Nec modò in philoſophia addiſcendâ, vel intelligendis philoſophis, Matheſios ſcientiis opus eſt: ſed etiam in* μηχανικοῖς, *ſive artibus, quæ Politicæ inſerviunt; atque adeò in omni vitæ genere, quo Reſp. vel juvatur, vel ornatur. Ac primùm hoc ſatis elucet in Architectonice: quæ præeſt ſtructuræ ædium; ſine quibus evitare aëris injurias, reſque noſtras tueri adverſus fures, & raptores, non poſſumus. Adhæc Architectonice munit urbes, ut ſic meliùs ſervetur ſocietas humana; ac alii aliis faciliùs opem feramus, & adverſus hoſtium invaſionem ſimus tutiores. Etiam Architecturæ militaris beneficio caſtra metamur, acies ſtruimus, denſamus, porrigimus.*

Unde Plato lib. v i i de Republ. * Τὸ ποῖον; ἦ γεωμετρίαν (ἔφη) λέγεις; Αὐτὸ τοῦτο ἦν δ' ἐγώ. Ὅσον μὲν (ἔφη) πρὸς τὰ πολεμικὰ αὐτοῦ τείνει, δῆλον ὅτι προσήκει. πρὸς γὰρ τὰς στρατοπεδεύσεις, καὶ καταλήψεις χωρίων, καὶ συναγωγὰς, καὶ ἐκτάσεις στρατιᾶς, καὶ ὅσα δὴ ἄλλα σχηματίζουσι τὰ στρατόπεδα ἐν αὐταῖς τε ταῖς μάχαις, καὶ πορείαις, διαφέροι ἂν αὐτὸς ἑαυτοῦ, γεωμετρικός τε, καὶ μὴ, ὤν. *Quidnam illud eſt? Nonne, inquit, Geometriam ſignificas? Illam ipſam, inquam. Quatenus enim, inquit, ad bellicas adminiſtrationes confert, haćtenus videlicet nobis convenit. Nam & ad caſtrorum metationes, & occupationem locorum opportunorum, & ad acies denſo ordine ſtruendas, vel longè exporrigendas, ceteraſque id genus figuras repræſentandas, quibus diſponi debent exercitus, vel in pugnis, vel in itineribus, permultum ſanè diſtat, utrùm quis peritus ſit, an imperitus Geometriæ:* Quorum verborum partem etiam citat Theo Smyrnæus in primo Mathematicorum cap. i †.

* Edit. H. Steph. Tom. 2. pag. 526.

† Pag. 7. edit. Pariſ. an. 1644.

11. §. *Quomodo etiam ſocietas humana conſtare poteſt ſine commerciis? vel commercia fuerint ſine ea Matheſios parte, quæ* ἰσοῤῥοπίαν, *ſive æquilibrium, præſtat? Libra enim, ſtateraque æqualitate, juſtitia in commerciis conſervatur. Nec variarum gentium commercia, è quibus non modò percipimus tot utilia vitæ; ſed etiam quæ voluptati inſerviunt, & animæ, & corporis; conſtant ſine navigandi arte; quæ tota à Matheſi dependet.* Aſtrologiam nauticam vocant. *Et quid apertius, quàm univerſam Matheſin, Arithmeticen imprimis, inſervire tum* ἐμπόροις, *ſive mercatoribus; tum* καπήλοις, *ſive cauponibus, & inſtitoribus?*

Quomodo hi differant, poſt Platonem *, indicat Themiſtius orat. i v: Ἡ μὲν ἐξ ἄλλης πόλεως εἰς ἄλλην ὠνῇ τε, καὶ πράσει χρωμένη, καὶ μεταβάλλουσα τὰ ἀγώγιμα, ἐμπορικὴ ὀνομάζεται. ἡ δὲ ἐν πόλει μιᾷ καθημένη ἀπαλλακτικὴ τῶν αὐτῶν τούτων, εἰ μὲν αὐτουργοῦσα τὰ αὑτῆς νομίσματος ἀποδιδοῖτο, ὥσπερ οἱ μάγειροι, καὶ οἱ βαλανεῖς, αὐτοπολικὴ ἂν αὐτὴ ἐνδίκως καλοῖτο· ἡ δὲ τὰ ἀλλότρια ὠνουμένη καπηλική. *Quæ ex una civitate in aliam emtione, & diſtractione mercium, earumque permutatione, exercetur,* Emporica *appellatur. Quæ verò in urbe unâ conſiſtens merces diſtrahit, ſi pecuniâ opera divendat ſua, ut ſolent coqui, & balnearii,* Autopolice *jure appellatur. Quæ verò aliena emit, ut divendat,* Cauponatio *eſt.* Hoc cauponis, & mercatoris diſcrimen etiam adfert ſcholiaſtes Ariſtophanis in Plutum: Κάπηλος ὁ ἀγοράζων ἀπὸ τοῦ αὐτοπώλου· καὶ πωλῶν ἐν τῇ χώρᾳ ἐν ᾗ ἠγο-

* Lib. 2. de Rep. edit. H. Steph. Tom. 2. pag. 371.

ἠγόρασεν. Ἔμπορος δὲ ὁ ἀγοράζων, καὶ ἐπὶ ξένης πωλῶν, ἢ ἀπὸ τῶν αὐτοπωλῶν, ἢ ἀπὸ τῶν καπήλων. *Caupo eſt, qui, quæ emit à propria vendente, divendit ibidem loci, ubi emit. Mercator eſt, qui vendit apud exteros, quæ emit à propria vendente, aut caupone.* Ipſum adi fuſiùs de iſtiuſmodi differentem *.

* Pag. 53. & 54. edit. Frobeniana.

12. §. *Quamquam verò mercatura, & cauponatio, neceſſaria ſunt Reipublicæ: non tamen Mathematicum divitias ſibi proponit: ut qui ab avaritia longè abſit: ſed contemplatione eſt contentus: in hoc Philoſophum Theoreticum imitans, cui Matheſis inſervit.*

Itaque Themiſtius orat. 1. non ſinit philoſophum dare operam mercaturæ. Quemadmodum nec ſacerdotibus Ægyptiis id fas erat; ut, ex Chæremone Stoico, teſtis eſt Porphyrius lib. IV de abſtinentia ab animalibus †. Sic enim ſcribit: Ἀποπεπαυμένοι δὲ πᾶσαν τὴν ἄλλην ἐργασίαν, καὶ πόρους ἀνθρωπίνους, ἀπεδίδοσαν ὅλον τὸν βίον τῇ τῶν θείων θεωρίᾳ, καὶ θεάσει. *Dimiſſis exercitiis cæteris, atque artibus, ad quæſtum comparatis, omnem vitam impendunt rerum divinarum contemplationi, atque inſpectioni.*

† P. 363. edit. Lugd. an. 1620.

13. §. *De pictura etiam liquet, eam à Geometra accipere lineam, & magnitudinem, ab Optica ſumere lumen, & umbram, ſplendorem, & opacitatem.*

At minimùm tres ſunt Picturæ partes; delineatio, umbra, & color. In quas picturam dividit Cardanus lib. XVII de Subtilitate ‡. A lumine, & umbrâ, dependet diſtantiæ diſcrimen: à delineatione, commenſus partium, ſive συμμετρία. Primus verò Matheſin cum arte hac conjunxit Pamphilus, Appellis, præceptor: qui & negabat pingendi artem ſine Arithmetice, & Geometriâ, poſſe perfici: ut alibi dictum ex Plinii lib. XXXV, cap. X.

‡ P. 574. edit. Lugd. an. 1580.

14. §. *Atque hæc etiam locum habent in artibus cognatis: quales ſunt ſculptura, ſtatuaria, cælatura, & ſimiles. Quid jam artibus cæteris inſiſtam? Quod de Deo, ac naturâ, dicebat Plato, id de homine, atque arte, quæ naturam imitatur, itidem verum eſt, aſſiduè & illum, & hanc, γεωμετρεῖν *.*

* Geometricè dimetiri.

Quamobrem de utilitate Matheſios hæc dixiſſe ſuffecerit. Præſertim quandò de ea particulatim, ac fuſiùs, agendum erit in ſingulis Matheſios diſciplinis.

Cap. III.

Nihil eſſe Matheſi certius; & à quibus hoc cauſſis contingat. Nihil iiſdem, ubi elementa cognôris, eſſe jucundius: præſertim poſt nova reperta. Nec tamen tam partem eſſe philoſophiæ; quàm ad hanc munire viam.

1. §. *Ad tantam Matheſios ſcientiarum utilitatem accedit illud, quòd nihil illis certius ſit; nihil, quod æquè animum reddat † ἀμετάπτωτον ‡; magis etiam, quàm Phyſicæ demonſtrationes ſolent.*

† Ariſtotel. lib. 1. Anal. Poſt. cap. 2. contextu 17.
‡ Ejuſmodi, ut nequeat labi, aut errare.

Unde Averroës in II Metaphyſ. comm. XVI: *Demonſtrationes Mathematicæ ſunt in primo ordine certitudinis; ac demonſtrationes naturales conſequuntur eas in hoc.* Et Ariſtoteles ipſe certiſſimas demonſtrationes vocat *Mathematicas*: perque Mathematicum docendi genus intelligit exquiſitum, & omnibus numeris perfectum. Vide eum lib. II Metaph. cap. III cont. XVI, & III de Cælo cap. VII cont. LXV, & lib. I Eth. Nicom. cap. III.

2. §. *Quòd verò Matheſis certior ſit ſcientiâ, non morali modò, aut civili, ſed etiam naturali; à triplici cauſſâ promanat. Quarum prima eſt, quòd Mathematicus refugiat rationes probabiles, nec niſi ἀποδείξεις * admittat.*

* Demonſtrationes.

Icciroo Ariſtoteles ait, tantumdem eſſe, ſi feras Mathematicum probabilibus argumentis contentum, ac ſi ab Oratore poſcas ἀποδείξεις.

3. §. *Altera eſt, quòd Mathematicus non curet judicium ſenſus, qui ſubinde fallit: ſed cuncta exigat ad rectæ rationis obruſſam.*

At quanto aliter ſe in Phyſicis res habet! ubi magis ſenſui fides habenda, quàm rationi; nec rationi credendum, niſi congruat ſenſui: ut Ariſtoteles agnoſcit lib. III de Generat. Animal. cap. X. Imò, ut VIII φυσ. ἀκροάσ. legas cap. III, contextu XXII, ζητεῖν λόγον ἀφέντας τὴν αἴσθησιν, ἀῤῥωστία τίς ἐστι διανοίας. *rationem* (in manifeſtis) *quærere, omiſſo ſenſu, eſt infirmitas quædam intellectûs.* Ac lib. II ejuſdem operis cap. I cont. VI ait, ridiculum ſe fore, ſi demonſtrare velet, eſſe naturam, cùm hoc ſit manifeſtum. τὸ δὲ δεικνύναι τὰ φανερὰ διὰ τῶν ἀφανῶν, οὐ δυναμένου κρίνειν ἐστὶ τὸ δι᾽ αὑτὸ, καὶ μὴ δι᾽ αὑτὸ, γνώριμον. *Demonſtrare, quæ ſunt manifeſta, ejus eſt, qui non poſſit dijudicare per ſe nota, & non nota per ſe.*

4. §. *Tertia ratio petitur à demonſtrationum Mathematicarum evidentiâ: quæ tanta eſt, ut per eas omnia reddantur intellectui clariora, quàm cùm Phyſicus utitur demonſtratione.*

Atque hinc fit, ut theoremata quædam mathematica, quæ primo videantur eſſe abſurda, & ἀδύνατα †, ea Mathematicus tam clarè demonſtret, ut quis non jam credat modò; ſed etiam contrarium ejus falſum exiſtimet, atque ἀδύνατον prorſus.

† Ejuſmodi, ut fieri nequeant.

5. §. *Nec ſolùm Matheſi nihil eſt certius; ſed nihil etiam jucundius: præſertim ſi in feracibus ejus latifundiis illa contingat felicitas, ut quis aliquid novi quærat, & inveniat.*

Itaque Thales Mileſius bovem Muſis immolavit, cùm trianguli æquilateri in circulo inſcriptionem repeiſſet: Perſeus Dæmonas propitiavit, ob helicis inventionem: Pythagoras, ob inventum à ſe penultimum in primo elementorum Euclidis theorema, quod eſt de ratione laterum trianguli rectanguli, hecatomben liberaliter immolavit. Horum Laërtius teſtis. Archimedes, deprehenſo furto in coronâ regis aurea, balneo exiliit, ac nudus domum properavit, clamans, εὕρηκα, εὕρηκα ‡. Idem ſepulchro voluit cylindrum inſcribi. Eratoſthenes, inventâ cubi duplicatione, anathematis loco eam in templo ſuſpendit. Claudius Ptolemæus, quoties ſidera conſiderabat, non ſe terram calcare gloriabatur; ſed cum Iove veſci ambroſiâ, & nectare. Eudoxus Cnidius tanto ardore Aſtrologiæ correptus fuit, ut diceret, velle ſe, (ſicut de Phaëtonte traditum à Poëtis) Solari æſtu comburi, dummodo liceat priùs, ſic Soli adſtare, ut ſimul ejus formam, ac magnitudinem, cognoſceret.

‡ Reperi; reperi.

6. §. *Cùm igitur multiplici adeò nomine commendetur Matheſis: quis tulerit eos, qui tam contemtim de ea ſenſerunt? uti jam olim factum eſt à nonnullis; maximè Ariſtippo Sophiſtâ, & Epicuro.*

Eorum prior utilitatem ullam adferre negabat; ut eſt apud Ariſtotelem lib. III Metaphyſ. cap. II, & interpretem ejus Syrianum. Alterum verò totam putâſſe falſam,

Digitized by Google

auctor eſt M. Tullius lib. IV Academicarum Quæſtionum, cap. XXXIII. Ac Epicuro, poſtquam eum audiiſſet, adſenſit Polyænus; qui magnus ante Mathematicus dicitur; ut ibidem refert Tullius. Non abſurdè itaque Petrus Ramus contemtores Matheſios *Ariſtippeos*, & *Epicureos*, nuncupabat.

7. §. *Quanquam verò tantus ſit Matheſios uſus in Philoſophia, & vitâ univerſâ; adhæc nihil diſciplinis illis certius ſit, nihil, modò quis elementa ſit emenſus, jucundius fuerit: non tamen philoſophia pars ſtatui debet, cum ejus ſit miniſtra. Sat igitur laudis illi fuerit, quod fateamur, hujus ope cauſſas rerum innumerarum, præcipuè in rerum naturâ, intelligi, varioſque effectus produci vitæ humanæ utiles.*

Ammonius tamen, & ejus ſectatores, Philoſophiæ partem ſtatuunt. Nobis Peripateticorum ſententia magis placet. Quibus & Cynici, &, horum exemplo, Stoici, aſſenſere. Quamvis de his minùs mirum; cùm vix aliam agnoſcant Philoſophiam, quàm moralem. Negant enim, ullam ſcientiam partem eſſe Philoſophiæ, ſi nihil adferat præſidii ad bene beateque vivendum. Talem autem ajunt eſſe Matheſin; ut eſt apud Senecam, epiſt. LXXXIX. Atque eadem mens Sexti Empirici, lib. III de philoſophia: ubi propterea ipſam Phyſiologiam reponit in προπαιδείᾳ. In quo a Peripateticis planè receſſerunt: ut videre etiam eſt ex Alexandro Aphrodiſienſi in primum priorum Analyticorum. Ubi & occurrit Stoicorum argumento; contraque eos diſſerit de maxima Geometriæ utilitate ad philoſophandum. Porrò & B. Auguſtinus, ſeu Peripateticos, ſeu Stoicos, ſecutus, Matheſin putavit non eſſe partem Philoſophiæ. Vide eum lib. I Retractationum cap. VI. Sed Peripateticos potiùs ſequi, inde colligo; quòd, enumerans diſciplinas, prætereat ſcientiam naturalem, quam iccirco ſub philoſophia complexus videtur. Si quis nihilominus velit Matheſin conſtituere tertiam theoreticæ philoſophiæ partem: nolim cum eo ſerram reciprocare. Nam & id dicere poſſumus, laxiùs *philoſophiæ* nomine utendo. Et ſanè non προπαιδείας, ſed παιδείας portio dici debet, ſi θεωρητικῆς φιλοσοφίας tres ſunt partes: quarum una contempletur formas corporis expertes; ut Metaphyſice: altera corpori immerſas, ut Phyſice: tertia reapſe materiæ conjunctas, intellectu autem ſeparatas, ut Matheſis, quod à Peripateticis traditur; atque etiam legas apud Ptolemæum in proœmio μεγάλης συντάξεως, & apud Theonem in commentario ad eum locum. Imò tam laxè etiam Philoſophia interdum ſumitur, ut & Logicen comprehendat: etſi non tam pars ſit, quàm inſtrumentum; ut ſuo loco pleniùs oſtendam.

CAP. IV.

Quis locus in diſcendi ordine conveniat Matheſi: & à quibus Græci Matheſin didicerint.

1. §. *Quòd ſi Matheſis ad Philoſophiam ſternit viam; ut fusè antea comprobavimus: non obſcurè conſequi videtur, etiam ante Philoſophiam diſci oportere. Aliter ſi fiat, cogamur judicium præcipitare de rebus. Diſſentit tamen Ammonius; qui intermedium illi tribuit locum inter Phyſicen, & Metaphyſicen.*

Movet eum, quòd objectum Matheſios inter Phyſicen, & Metaphyſicen, mediæ ſit naturæ. Nam Phyſice verſatur circa formas corpori immerſas: ut elementa, plantas, animalia. Metaphyſice autem, ſaltem nobilior ejus pars, quam *Hyperphyſicen* dicere poſſumus, agit de formis corporis expertibus; ut Deo, & intelligentiis. Matheſis verò ſe mediam his infert; quia formas conſiderat, reverâ quidem corpori inhærentes, intellectu autem abſtractas. Vide Ammonium commentario in Iſagogen Porphyrii.

2. §. *Et hactenus quidem Ammonio aſſentiendum, quod Metaphyſicen cenſeat poſteriorem: Matheſi enim, velut ſcalis, adſcendendum eſſe juventuti ad mentes cæleſtes.*

Pro qua ſententia etiam Plotinum laudat; qui dixerit, juvenes ſic præparari ad cognitionem ejus naturæ, quæ corporis eſt expers.

3. §. *Sed enim valde decipitur; cùm cenſet, Phyſiologiam quoque diſcendi ordine eſſe Matheſi priorem. Quæ ſententia abunde eo refellitur, quòd ab ignaro Matheſios Phyſice intelligi non poſſit.*

Uti multis comprobavi cap. ſecundo §. V.

4. §. *Quòd ſi auctoritatibus pugnandum ſit; tam multi philoſophorum obduci Ammonio, & ejus ſectatoribus, poſſunt; ut facile liqueat ſententiam Ammonii non eſſe Iovis Ammonis calculum. Ac primùm de Pythagora, & ſectatoribus, conſtat.*

Agellius lib. I cap. X: *Ubi* (quos in diſciplinam recepiſſet) *res didicerant rerum omnium difficillimas, tacere, audireque; atque eſſe jam cœperant ſilentio eruditi, cui erat nomen ἐχεμυθία: tum verba facere, & quærere, quæque audiſſent ſcribere, & quæ ipſi opinarentur expromere, poteſtas erat. Hi dicebantur in eo tempore μαθηματικοί: ſcilicet ab iis artibus, quas jam diſcere, atque meditari, inceptaverant: quoniam geometriam, gnomonicam, muſicam, cæteraſque item diſciplinas altiores* (aſtrologiam imprimis intellige) *μαθήματα veteres Græci appellabant: vulgus autem, quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, Mathematicos appellat. Exinde, his ſcientiæ ſtudiis ornati, ad perficienda mundi opera, & principia naturæ, adſcendebant: ac tunc denique nominabantur φυσικοί.* Hunc morem etiam multis poſt ſeculis ſervarunt ſectatores. Itaque cùm B. Juſtinus ſe vellet in diſciplinam tradere cuidam magni nominis Mathematico; is rejecit eum; poſtquam negâſſet, ſe in Muſicis, Aſtrologicis, & Geometriâ, eſſe verſatum. Vide ſanctiſſimum Martyrem dialogo cum Tryphone Judæo *. * p. 169, edit. Commelin.

5. §. *Pythagoram verò, uti in aliis multis, ita in hoc etiam, ſecuti ſunt Plato, & Æſchines Socraticus.*

De Platone liquet ex libro VII de legibus. Item ex VII de Rep. ubi Matheſin icciro vocat προπαιδείαν, q. d. primam inſtitutionem, vel eruditionis elementa. Item appellat τὴν παιδείας ὁδὸν *viam ad doctrinam*. Inter alia movit Platonem, quòd his diſciplinis ingenium acuatur, ad faciliùs percipienda, quæ ſubtiliter à philoſophis diſputantur. Itaque in VII de Rep. ait, eos, qui naturâ facti ſunt ad Logiſticam, faciliùs cætera quoque ſtudia capere: ac illos etiam, qui ingenio ſunt tardiuſculi, acui hujus artis uſu, atque exercitatione: ſicut antea dicebamus. Sed quid multis opus? quando foribus quoque gymnaſii inſcripſerat, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω· *nemo huc ingrediatur geometriæ ignarus.* De Æſchine autem cognoſcimus ex Axiocho; qui dialogus non Platonem, vel etiam Xenocratem, habet auctorem; ſed Æſchinem Socraticum; ut ex Harpocratione, & Laërtio, conſtat. In eo conqueritur, pueris præponi tum Criticos, ſive Grammaticos; tum Geometras, ſive Mathematicos: hinc eos in Lyceum mitti, atque Academiam.

6. §. *Nec alia mens fuit iis, qui in Academia poſt Platonem docuerunt.*

Ut

Digitized by Google

Ut Xenocrati, qui Speuſippo, ut ille Platoni, ſucceſſit. Hic cùm quidam Matheſios ignarus audire illum vellet, dixit, eum magis eſſe idoneum lanæ carminandæ: abire igitur juſſit, ac rationem hanc addit: Λαβὰς γὰρ οὐκ ἔχεις φιλοσοφίας*. Nempe quia Philoſophia ſine Matheſi, apprehendi, aut comprehendi non poſſit.

** Nec enim habes anſas Philoſophiæ.*

7. §. *Ariſtoteles quoque, etſi in multis non arctè adeò hæſerit magiſtro, in hoc tamen ejus inſtitit veſtigiis.*

Præter alia verò, illud etiam movit eum, quòd puer quoque eſſe mathematicus poſſit; phyſicus verò, quia ad hoc clara requiritur experientia, eſſe non poſſit; ut legere eſt lib. VI. Eth. Nicomach. † Eadem mens interpretibus. Ex quibus Simplicius commentario in librum II. de Cælo, *Litera*, inquit, (ea Grammatice eſt) *diſcenda ad Mathemata percipienda: ea autem propter Philoſophiam.* Itaque & Matheſin philoſophiæ præmittit Thomas Aquinas comment. in lib. VI. Nicomach.

† Cap. 8.

8. §. *Ex his nulli obſcurum eſſe poteſt, quantopere fallantur, & fallant; tum qui nondum initiatos matheſi ad philoſophiæ ſacra admittunt: tum quicunque perſuaſi ſunt, poſſe aliquem egregium philoſophum evadere matheſi neglectâ.*

Eſt error iſte juventutis prope epidemicus. Nec heri demum, aut nudiuſtertius cœpiſſe, arguit querimonia graviſſimi philoſophi Tauri: qui Hadriani Cæſaris temporibus vixit. Ejus hic ſermo eſt apud Agellium lib. I. cap. IX. *Nunc iſti, qui repente pedibus illotis ad philoſophos divertunt, non eſt hoc ſatis, quòd ſunt omnino ἀθεώρητοι, ἄμουσοι, ἀγεωμέτρητοι*: ſed legem etiam dant, quâ philoſophari diſcant. Alius ait: Hoc me primùm doce. Item alius: Hoc volo, inquit, diſcere; iſtud nolo. Hic à Sympoſio Platonis incipere geſtit, propter Alcibiadis comeſſationem: ille à Phædro, propter Lyſiæ orationem.*

** A Contemplatione, à Muſis, à Geometria penitùs alieni.*

9. §. *Nec veteres Matheſin ante philoſophiam duntaxat diſcebant; ſed etiam ante organum ejus, quòd Logicen dicimus. Ac in cauſſa eſt, quòd Matheſis ſit facilior.*

Ab hoc more eſt, quòd Ariſtoteles in Analyticis gaudeat exemplis Mathematicis. Ea res olim, cùm nemo Matheſios ignarus ad Analyticen admitteretur, multum lucis affundebat. Nunc, mutato illo ordine diſcendi, obſcuritatem potiùs adfert. Itaque Petrus Catena Venetus, S. Theologiæ doctor, & liberalium artium in Patavino Gymnaſio profeſſor, planè operæ fecit, cùm quæ in Porphyrii Iſagoge, & Organo Ariſtotelis, è Matheſi adducuntur, commentario ſeorſum ſibi illuſtranda exiſtimavit ‡. Dixerit aliquis, ut in Topicis, ita in his etiam, uti potuiſſe exemplis poëtarum, vel oratorum, aut è communi vita petitis. Sed obſtat, quòd in demonſtrando nulla adhiberi poterant exempla æquè idonea, ac Mathematica. Nam diſciplinas Mathematicas omnium humanarum artium eſſe certiſſimas, ſatis convenit. Mirum verò ab hoc ordine poſtea eſſe receſſum à nonnullis. In quibus jam ante annos mille Iſidorus Hiſpalenſis fuit: qui in ſecundo Originum priùs de Dialecticis, quam Matheſi, tractat. Similiter exinde barbari ſcriptores: qui Grammaticam, Rhetoricam, & Dialecticam, *trivium*; quatuor verò diſciplinas Mathematicas, *quadrivium* vocare ſolent. Ut Gulielmus Hirſaugienſis, ad quem exſtant Anſelmi Cantuarienſis epiſtolæ. Is in ſententiis, quæ præmiſſæ ſunt inſtitutionibus ejus Aſtronomicis, primò diſcere præcipit Grammaticen; quòd ejus beneficio rectè ſcribatur, & pronuntietur. Hinc Dialecticen, quia probare docet, quod probari decet. Tum Rhetoricen, quoniam artificium tradat exornandæ orationis. Poſt has jubet diſcere, ut ipſe vocat, quadrivium; primò Arithmeticen, tum Muſicen; hinc Geometriam, exinde Aſtronomiam. Etiam de Logicis adſenſit Thomas Aquinas comment. in lib. VI. Nicomach. Movet eum, quia, ut Mathematicæ diſciplinæ tradantur, methodo opus eſt; quæ ex Logicis diſcitur. Sed hoc argumentum eſt parvi momenti. Nam & Grammatice traditur methodo Logicâ: nec propterea ante Grammaticen Logice tradi debeat.

‡ Venetiis Franciſcus Marcolinus excudit anno 1556. ſed præterito in frontiſpicio auctoris nomine, quem indicat præfatio.

10. §. *Etiam à Græcis ante Rhetoricen Matheſis tradebatur. Cujus rei gemina eſt cauſſa. Una eſt, quia Rhetorice nihil adferat præſidii ad Matheſin vel docendam, vel diſcendam.*

Siquidem, ut Ariſtoteles ait in tertio Rhetoricorum, præcepta de Elocutione penè ad omnes artes addiſcendas requiruntur, præterquam Mathematicas: ubi locum habet illud Manilii:

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

In cæteris veteres minimùm exordio, & epilogo, utebantur; eaque artificio Rhetorico contexebant.

11. §. *Altera, cur Matheſis ante Rhetoricen diſceretur, ratio ea fuit, quia Rhetorice eſt difficilior.*

Unde Sexto Empirico lib. II. adverſus diſciplinas, dicitur ἀνδρικωτέρα, hoc eſt, robuſtior; nempè, ut ſubdit, conveniens foro, & judiciis: addo ego, & curiæ. Mirum interea eundem Sextum opere eo priùs de Grammaticis tractare, hinc de Rhetoricis, tum de Matheſi. Imò Iſidorus quoque priùs de Rhetoricis, quàm Logicis, & Matheſi, agit: planè contra veterum conſuetudinem; uti diximus.

12. §. *Quin Platonis ætate jungebatur cum legendi, ſcribendique ſcientiâ; hoc eſt, Grammatiſtice, ut nunc vocamus; ſive potiùs Grammatice, ut tum loquebantur.*

Liquet hoc ex Platonis lib. VII. de Rep. item Epinomide, aliiſque ejus libris. Nimirum philoſophi veteres exiſtimâſſe videntur, poſtquam pueri literas formare didicerint, optimè diſci, quomodo exprimantur lineæ, circulus, quadratum, & aliæ figuræ Geometricæ; quarum pleraſque in literis etiam cernere eſt. Atque hanc Platonis auctoritatem eò lubentiùs adfero, quia Thomas Oliverius Burienſis, libro de ſophiſmatum præſtigiis cavendis, cap. V. cùm idem probatum ire vellet, Cardanum laudat, qui id de antiquis prodiderit; quaſi potiùs hic Cardano de Platone, quàm Platoni de ſe ipſo, credere debeamus.

13. §. *Sed paullò alia eſt ratio temporum noſtrorum. Nam, ut libro de Philologia dictum fuit, cùm, utrùm à poëtis incipiendum ſit, diſſereremus, Græcis Græca, Romanis Romana lingua, cum lacte ipſo hauriebatur: ut nulla ex parte tam operoſum iis fuerit his informari linguis, quàm eſt nobis. Quid mirum igitur, ſi nunc non continuò poſt Grammatiſticen diſcatur; ſed demum poſt Grammaticen, vel potiùs unà cum Grammatice? Saltem elementa Matheſios utiliter cum Grammaticis, totâque Philologiâ, jungentur.*

Nec metuendum, ne ſtudium hoc pueritiæ captum excedat. Ariſtoteles enim, ut §. 7. diximus, agnoſcit, νέον, ſive parvulum, præſtare aliquid in matheſi poſſe; dummodò attendat, & bonus doctor obtingat. Idem liquet ex illo, quem Plato de Geometria loquentem inducit in Menone. Quod exemplum & Tullius refert lib. I. Tuſcul. Quæſtionum.

14. §. *Quæ hactenus diximus, univerſè ad Matheſin pertinent. Nec arbitror quicquam magnopere requiri. Niſi illud fortaſſe, quibus mathematum inventionem debeamus. Sed de iſto meliùs in ſingulis*

agant diſciplinis. Nunc contentus ero dicere, ab Ægyptiis accepiſſe Græcos; & in his nullis æquè debere, ac Pythagoræ.

De Ægyptiis auctor eſt nobis Ariſtoteles lib. I. Metaphyſ. cap. I. Διὸ περὶ Αἴγυπτον αἱ μαθηματικαὶ πρῶτον τέχναι συνέστησαν. Ἐκεῖ γὰρ ἀφείθη σχολάζειν τὸ τῶν ἱερέων ἔθνος· *Idcirco circa Ægyptum primò conſtitutæ ſunt artes Mathematicæ: illic enim permiſſum fuit, ut vacaret ſacerdotum natio.* De Pythagora, & ſectatoribus apud eundem in primo Metaph. cap. V. legas, Οἱ καλούμενοι Πυθαγόρειοι τῶν μαθημάτων ἁψάμενοι πρῶτον· *primi, qui Pythagorici vocantur, operam dedere Mathematicis.* Sed de his pleniùs dicam libro de Philoſophorum ſectis: ubi inter cætera agendum erit de philoſophia, tum Ægyptiacâ, tum Pythagoricâ.

CAP. V.

De Matheſios diviſione in puram, & mixtam; puræ, in univerſalem, & particularem; particularis, in Arithmeticen, & Geometriam.

1. §. *Sequitur nunc, ut ad diviſionem Matheſios tranſeamus. Eſt verò Matheſis, alia omnino Mathematica; alia mixta, ſive concreta.*

* De voluptate.

ITa Plato in Philebo, ſive περὶ ἡδονῆς*, eumque in diviſione hac ſecutus eſt Ariſtoteles. Nimirum in mixta etiam Matheſi conſideratur quantitas; ſed cum motu, ſono, luce, vel re aliâ. Soli puræ propriè convenit Matheſios nomen, ſecundùm Pythagoram; ut tradit Anatolius.

2. §. *Mathematica omnino, ſeu pura, conſiderant res planè abſtractas.*

Τὰ ὄντα ἐξ ἀφαιρέσεως, ut Græci dicunt: hoc eſt, dimenſionem, & numerationem νοερῶς, ſive mente ſolùm, conſiderant κατ' εἰλικρίνειαν, hoc eſt, defæcatè, nullâ materie, ſive re ſenſili, vel dimenſionem, vel numerationem, ſubeunte. Contrà quàm in Aſtrologia, Geographiâ, Muſice, Optice, & aliis, fit: ſicut poſtea demonſtrabitur.

3. §. *Pura hujus Matheſios, pro duabus quantitatis ſpeciebus, continuâ videlicet, ac diſcretâ, duæ ſunt ſcientiæ; Arithmetice, & Geometria.*

† Pag. 11.
‡ Primas, ac maximè proprias partes.

Auctor Plato lib. VII. de Rep. Ac Proclus, in primum Euclidis †, vocat hæc πρώτιστα, καὶ κυριώτατα μέρη ‡. Etiam Nicomachus Geraſenus lib. I. Arithmetices citat ex Archyta Tarentino hæc verba: (Doricè autem ſcripſit) Ταῦτα γὰρ τὰ μαθήματα δοκοῦντι ἦμεν ἀδελφεά· περὶ γὰρ ἀδελφεὰ τὰ τοῦ ὄντος πρώτιστα δύο εἴδεα τὴν ἀναστροφὰν ἔχει. *Hæ diſciplinæ Mathematicæ videntur eſſe cognatæ. Verſantur enim circa cognatas duas primas ejus, quod eſt, ſpecies.* Per primas autem τοῦ ὄντος ſpecies intelligit τὸ ποσὸν, *quantum diſcretum*, καὶ τὸ πηλίκον, *quantum continuum.* Ac Ariſtoteles etiam lib. IV. Metaphyſ. cap. I. ſum. I. Arithmeticen, & Geometriam, *primas ſcientias* nuncupat; alias autem ſecundas. Vide & lib. XIII. Metaphyſic. ſum. I. cap. III.

4. §. *Habent verò hæ duæ diſciplinæ complura communia.*

‡ Pag. 17. & 18. edit. Baſil.

Proclus in lib. I. Euclidis ‡: Κοινὰ δέ ἐστιν ἀμφοτέρων τὰ κατὰ τὰς τομὰς, οἵας Εὐκλείδης ἐν τῷ δευτέρῳ παραδίδωσι, πλὴν τῆς τὴν εὐθεῖαν εἰς ἄκρον, καὶ μέσον, τεμνούσης. Τῶν δ' αὖ κοινῶν τούτων θεωρημάτων, τὰ μὲν ἀπὸ γεωμετρίας εἰς ἀριθμητικὴν μετάγεται, τὰ δ' ἔμπαλιν ἀπὸ ἀριθμητικῆς εἰς γεωμετρίαν, τὰ δ' ὁμοίως ἀμφοτέραις πρόσεστι, ἀπὸ τῆς ὅλης μαθηματικῆς ἐπιστήμης εἰς αὐτὰς καθήκοντα. *Communia verò ſunt ambabus illa de ſectionibus, quas Euclides tradit lib. II. præterquam de rectâ in extremo, aut medio, ſectâ. Communium verò theorematum quædam è Geometria traducuntur in Arithmeticam; quædam contrà ex Arithmetica in Geometriam; alia item æquè ac ſimiliter conveniunt ambabus, quæ ex univerſa Matheſios ſcientiâ utrique competunt.* Plura deinde ſubjungit ad hæc illuſtranda. Quæcunque igitur axiomata numero, & magnitudini, ſunt communia, ea ad univerſalem Matheſin pertinent. Ut illud, Τὰ ἑνὶ, καὶ ταὐτῷ ἴσα, καὶ ἀλλήλοις ἀξιοῦμεν εἶναι ἴσα. *Uni, eidemque, æqualia, etiam inter ſe æqualia eſſe ducimus.* Similiter, Ἀπὸ τῶν ἴσων ἴσα ἀφαιρουμένων ἴσα λείπεται. *Ab æqualibus ſi auferas æqualia, reſtabunt æqualia.* Quod apud Ariſtotelem etiam legas lib. I. Priorum Analyticorum cap. XXIV. & lib. I. Poſter. Analy. text. LXXIV. Item, Διπλάσιον, τὸ ἐν ἴσῳ ὑπερέχον· ἥμισυ, τὸ ἐν ἴσῳ ὑπερεχόμενον; *Duplum eſt quod exſuperat æquali, ſive altero tanto: dimidium verò, quod æquali exſuperatur.* Quod Ariſtoteles etiam refert lib. VI. Topic. cap. IX.

5. §. *Quocirca puram, ac ſic propriè dictam Matheſin, rectè diſtribuas in partes duas: quarum prior ſit univerſalis, quæ tradit numero, ac magnitudini communia: altera verò particularis, quæ diſtinctè tractet, tum de iis, quæ propria ſunt numerandi diſciplinæ; tum iſtis, quæ peculiaria ſunt ſcientiæ magnitudinum, ac figurarum.*

* Cap. 17. circa fin.
† Pag. 23.

Hæc etiam mens fuit Benedicti Pererii lib. I. de communibus rerum naturalium principiis *: *Non eſt dubium, quin ſit aliqua ſcientia Mathematica communis; quæ debeat ſpeculari affectiones communes magnitudini, & numero; quæ tamen ſcientia à Mathematicis non numeratur diſtincta à Geometria, & Arithmetica.* Pluribus verò hanc rem perſequitur Adrianus Romanus in Apologia pro Archimede. Ubi capite VI. ſic ſcribit †: *Nomine ergo Mathematicarum demonſtrationum nec Arithmeticæ, nec Geometricæ, intelligendæ ſunt. Quæ ergo ſunt demonſtrationes Mathematicæ? Cùm rem hanc penitùs inſpicerem, iis verbis, nobile quoddam contineri paradoxum deprehendi. Nimirum ſcientiam eſſe quandam Mathematicam, communem Arithmeticæ, & Geometriæ, ad quam ſpectarent affectiones communes omnibus quantitatibus. Cùm autem proportio ſit omnibus quantitatibus communis, non abſtractis tantùm; ut numeris, & magnitudinibus; ſed concretis etiam; uti, temporibus, ſonis, vocibus, locis, motibus, potentiis: (nam hæc omnia, & plura alia, proportionem dicuntur habere, ſi eorum habitudo conſideretur, ſecundùm quantitatem) cùm, inquam, proportio tam multis rebus inſit, mirum non eſt, propoſitiones eas, quæ ſpectant ad analogias, uti erat illa Eutochii, Proportio ex proportionibus, &c. nec poſſe dici Arithmeticas, nec Geometricas: quia non numeris, vel magnitudinibus tantùm; ſed utriſque eorum, & multis aliis, conveniant; ideoque ad ſcientiam aliquam univerſalem jure meritò pertinere exiſtimandum eſt; quam Eutochius vocat abſolutè Mathematicam. Dum hanc mentem Eutochii eſſe, omnino mihi perſuaderem, veritatemque indagarem: tandem ſententiam ejus non modò eſſe tolerabilem; ſed etiam veriſſimam, & neceſſariam, deprehendi: imò non dubito, quin mecum ſentire cogantur omnes, qui rationes noſtras paucułas intellexerint. Inprimis Mathematici eſſe agere de omni quantitate abſtractâ in confeſſo eſt. Secundò in quantitatibus eas conſiderat affectiones Mathematicus, quæ ad menſurabilitatem ſpectant: inter quas potiſſima eſt proportio, & analogia. Nunc ita arguo. Multæ ſunt affectiones quantitatum, quæ nec numeris, nec magnitudinibus, ſunt propriæ: ſed omni conveniunt quantitati. Quis eas demonſtrabit? Geometra, an Arithmeticus? Geometra ſanè eas magnitudinibus accommodatas demonſtrare poterit: uti & Arithmeticus numeris proprias. Sed cùm ſint affectiones communes omni*

quan-

quantitati, ea non alterius erunt ſcientiæ Mathematicæ, quàm ejus, quæ, communis exiſtens, de omni agit quantitate. V. G. Propoſitio ſit talis: Si quatuor ſint quantitates, quarum ſit prima ad ſecundam, uti tertia ad quartam: erit & convertendo, ut ſecunda ad primam: ita quarta ad tertiam. Quæro an hæc propoſitio ita ſit peculiaris alicui quantitati, ut alteri non conveniat. Nemo hoc affirmaverit, opinor: cùm conſtet, eam omni convenire quantitati: uti numeris, lineis, planis, ſolidis, ſonis, motibus, &c. ſive prior ratio habeat terminos ejuſdem generis cum poſteriori, ſive diverſos. Si itaque propoſitio hæc ita quantitati conveniat, ut omni ſit communis; quis eam demonſtrabit? Geometra ſanè, & Arithmeticus, id univerſaliter efficere non poſſunt; cùm Arithmeticus non de aliis agat quantitatibus, quàm de numeris, nec Geometra de aliis, quam magnitudinibus. Communis ergo ſcientia id munus erit. Similes autem propoſitiones adferre licebit quàm plurimas. Quare & fateri convenit, eſſe aliquam ſcientiam univerſalem; quæ propoſitiones omni convenientes quantitati complectatur. Nec his contentus Adrianus Romanus fuit; ſed deinceps univerſalis hujus, ſive primæ matheſios, ideam ſubjungit; digniſſimam ſanè, ut attentè conſideretur. Vide eum Apologiæ pro Archimede cap. VII.

6. §. *Hactenus, veteres, ſecuti, duas ſolùm memoravimus puras Matheſios partes. Exiſtimo autem, cum juniorum nonnullis, rectè poſſe tertiam addi, Staticam videlicet. Nam cùm, ut Sapiens ‡ ait, Deus omnia condiderit in numero, pondere, & menſura: totidem etiam Matheſios eſſe partes conſequitur: quarum una de numero agat, Arithmetice; de pondere altera, Statice; tertia de magnitudinis menſura, Geometria.*

‡ *Sapient. Sal. cap. 11. 21.*

Veteres, ſcio, aliter; quibus Statice eſt pars Matheſios mixtæ. Sed, cur meræ eſſe Matheſios partem, magis fiat veriſimile; dicam, ubi devenero ad Mechanicen: quam Statices, ſive ſcientiæ de Ponderibus, eſſe propaginem, oſtendam. Nunc opinioni inſiſtam vulgari.

CAP. VI.

DE ARITHMETICES OBJECTO.

1. §. *Diſtinctè priùs dicam de Arithmetica: quæ ſic vocatur ab objecto ſuo; quod eſt ἀριθμὸς, ſive* numerus.

Dici verò ἀριθμὸς creditur, quaſi ἄρθμος, ab ἄρω, *apto, coagmento*; quia fiat ἐκ μονάδων ἁρμογῆς*. *Numerus* verò, non à *nummo*; ut putavit Iſidorus †: (numerus enim ante nummum fuit) ſed à νομὴ, *diſtributio*; quòd à νέμω, *diſtribuo*; quia, quod multum eſt, in unitates dividitur *Siphra* vocem, (pro qua perperam plerique *cifra* ſcribunt,) ab Indis eſſe acceptam, cenſet Georgius Valla. Sed planè eſt ab Arabibus, ſive Saracenis, qui in Hiſpania vixere. Sanè & Hebræis סֵפֶר ſephar, *numerus, enumeratio*; à סָפַר ſaphar, *numerare*. Imò & ab eodem verbo *numerus*, dicitur מִסְפָּר miſphar. Ac ampliſſimo, clariſſimoque Joanni Brunæo, I. C. & Illuſtribus Zelandiæ Patribus à ſecretis, veriſimile viſum, exinde potiùs venire Latinum *numerus*. Nempe ut priùs fuerit *nuſmerus*: ſicut antè dixere *duſmoſus*, pro *dumoſus*; *Caſmena*, pro *Camena*; *Caſmillus*, pro *Camillus*; unde & Maro XI. Æn.

* *Unitatum conjunctione.*
† *Lib. 3. Orig. cap. 3.*

——— *Matriſque vocavit*
Nomine Caſmilla, mutatâ parte, Camillam.

Ac, ſecundùm Varronem, *omen* eſt ex *oſmen*; ſecundùm Rhemnium Palæmonem, *idem* ex *iſdem*. Dixeris præterea, non modò B abjici; ſed etiam M in N converti. Verùm utrumque etiam fieri videas in *gener*, à γαμβρός. B item omiſſum in *omitto*, pro *obmitto*, *operire* ab *ob*, & antiquo *perire*, pro *parare*: *radius*, & *rudis*, pro *virga*, à ῥάβδος: *rigo* à βρέχω. M verò in N abire, oſtendunt *catena*, à κάθεμα; *pugnus* à πυγμή; à μειδιῶ *nideo*; unde *renidere* apud Horatium; à μύκητος, *muceris*, unde *mux*; ἀ μὴ, *ne*; & alia id genus.

2. §. *Verſatur verò Arithmetice circa numerum, quatenus eſt numerus.*

Plato in Philebo, & VI. de Rep. numerum ſic conſideratum vocat διανοητικὸν, ſive *mentalem*: Ariſtoteles in Metaphyſicis, & Ethicis Nicomachiis, nuncupat ἀριθμητικὸν, μαθηματικὸν, & εἰδητικὸν. Huic opponitur numerus is; qui Platoni itidem in Philebo dicitur μεταχειριζόμενος, quia quaſi ſub manibus ſit poſitus. Prior eſt à materie abſtractus; hic cum ea concretus: ut ex iis liquet, quæ dicebam, cùm generatim agerem de Matheſios objecto.

3. §. *Definiri autem numerus ſolet, multitudo ex unitatibus conſtituta.*

Sic ibidem * Iſidorus; idque præeunte Euclide; cui definitur †, τὸ ἐκ μονάδων συγκείμενον πλῆθος, *ex unitatibus collecta multitudo*. Uti & Thalete, ſecuto Ægyptios; cui eſt μονάδων σύστημα, *unitatum conſtructio*. Nec abiere Pythagoras, & Eudoxus Pythagoricus: quorum definitiones habet Iamblichus in Nicomachi Arithmeticen. Ubi & aliam Hippaſi Acuſmatici, aliam item Philolai, recenſet. Quas ad Theonem Smyrnæum ex Mſo codice Regio adduxit Bullialdus ‡. Theoni autem lib. I. Mathematicorum cap. III. ſimiliter definitur, σύστημα μονάδων, ἢ προποδισμὸς πλήθους ἀπὸ μονάδος ἀρχόμενος, καὶ ἀναποδισμὸς εἰς μονάδα καταλήγων· *collectio unitatum, vel progreſſio multitudinis, ab uno incipiens, & regreſſus in unum definens.* Ex iſtiuſmodi deſcriptionibus colligit Iſidorus inibi, *unum eſſe ſemen numeri, non numerum.* Quæ etiam Ariſtotelis ſententia fuit. Ramo autem numerus eſt, quo numeramus. Sanè, unitate ablatâ, eſt alius numerus; ex pari, impar; & contrà. At, inquiunt, ut punctum ſe habet ad lineam; ſic unitas ad numerum. Punctum autem non eſt linea: proinde nec unitas fuerit numerus. At quid ſi negemus, ſimilem eſſe amborum rationem? Unitas enim eſt poſitivum quid. Punctum autem eſt imaginarium: eſtque vel negatio ulterioris extenſionis, vel negatio interciſionis. Ut ex imaginario non liceat colligere de quopiam reali, ſive poſitivo. Interim, ſi nolimus λογομαχεῖν ‡, non ſit difficile has ſententias conciliare. Ut ſi dicamus, *numeri* vocem nunc laxè ſumi, nunc preſſè: ſi laxè uſurpes, unitatem comprehendi ſub numero: ſin preſſè, numero opponi; eoque non eſſe numerum; ſed ejus principium, ac partem; & quidem ejuſmodi partem, quæ non poſſit in partes alias reſolvi: ſicuti eſt apud Ariſtotelem lib. III. Metaphyſ. contextu XVI. & lib. X. cont. XC. & XCI. Dixeris, μονάδα * etiam in partes reſolvi: ut liquet ex numeris fractis. Sed enim, non ut eſt numerus; verùm quatenus eſt magnitudo: cùm numeri fracti nihil aliud ſint, quàm partes integri. Ut cùm unius horæ, vel ulnæ, dimidium, aut quadrantem, dicimus.

* *Lib. 3. Originum cap. 3.*
† *Elem 6. defin. 2.*
‡ *Pag. 226.*
‡ *De verbis contendere.*
* *Unitatem.*

4. §. *Agit verò Arithmeticus tum de numero integro, tum fracto.*

Quorum prior (modò unitatem pro numero habeamus) in illum unitatis, & multitudinis, dividitur. Unitas fuerit principium numeri: multitudo eſt unitatum collectio. Fractus verò numerus dicitur, qui ex unitate fit diviſa.

CAP. VII.

De Arithmetices dignitate, ac multiplici uſu; quantoque per eam perſpicaciores reddamur in omni diſciplinarum, & vitæ, genere.

1. §. *Di-*

Digitized by

1. §. *Dignitatem hujus ſcientiæ oſtendit; quòd numerare ſit hominis proprium.*

UT Ariſtoteles ait in problematis, ſect. xxx, quæſt. v. Meritò igitur in ſtolidis habitus eſt Amphiſtides; qui magno labore didicit numerare uſque ad quinarium; nec progredi ulteriùs potuit. De quo plura, æquè ridicula, Suidas in Γελοῖος.

2. §. *Quin, Pythagoreorum judicio, primum ſapientiæ opus eſt, numeros ſcire; alterum ſermocinari.*

Τούτων γὰρ λόγος, σοφώτατον μὲν εἶναι τὸν εὑρόντα τὸν ἀριθμόν· δεύτερον δὲ τὸν τὰ ὀνόματα θέμενον· ut ait Proclus. *Eorum quippe is ſermo, ſapientiſſimum eſſe, qui reperit numeros: proximum, qui nomina impoſuerit.*

3. §. *Utilitatem verò ejus, nemo ſatis prædicaverit. Ex parte hoc cognoſcere fuit ex illis, quæ de Matheſios uſu generatim dicebamus. Nunc juvabit, particulatim quædam ſuperaddere. Planè miranda ſunt, tum in diſciplinis, tum in vita univerſa, quæ Arithmetices regulis poſſunt cognoſci.*

Selecta hujus rei exempla compluria Mathematices auditoribus in collegio Muſſipontino diſputationibus ſuis propoſuit vir longe acutiſſimus, ac doctiſſimus: quem nominarem, ſi propoſitionibus illis ad diſputandum propoſitis ſuum appoſuiſſet nomen. Poſtea etiam apud Hugonem Sempelium *, atque alios, non diſſimilia inveni. Ex iis exempla quædam deinceps excerpam, alia etiam nonnulla adſpergam.

* *De Mathematicis diſciplinis lib. 2. & 3.*

4. §. *Sanè in vita hinc multa amœna quæſtiuncula ſolvuntur.*

Ut ſi poma centum ſic diſponas, ut ſingula paſſu uno diſtent, ac ſingulatim ea adferri, & corbi debeant imponi: conficiendum ſit iter duarum leucarum Gallicarum, & quod excurrit. Si quis ſeptem ſe prandio excepturos promittat, uſquedum eò ipſo ſedeant ordine, quo ſederint aliquando: fieri poſſet, ut annis quatuordecim numquam eodem ſedeant ordine; eoque, ſi promiſſo ſtare pergat, tot annos apud eum prandere liceat.

5. §. *Sed inſiſtamus magis ſeriis. Ac primùm cogitemus, quanto etiam perſpicacior fiat tum Grammaticus, tum Poeta, tum Muſicus; ſic hac fuerit ſcientiâ inſtructus.*

Nam Arithmeticus linguæ etiam, quam voles, ignarus, literis datis, omnes ejus linguæ ſyllabas poſſit colligere; ex ſyllabis voces omnes, & ex vocum conjunctione conceptus omnes, atque adeò libros omnes, vel ſcriptos, vel ſcribendos, repræſentaverit. Oſtendet, ſi in nomine ſexdecim litterarum omnia anagrammata colligerentur, plus ſcribendum, ac legendum, fore, quam contineatur vaſto Calepini totiès recocti volumine: item, ſi è quatuor, vel quinque proximis verſibus colligerentur omnes literarum complicationes, poſſibilem fore, ejuſmodi chartarum acervum, qui ad cælum uſque pertingat, non ſolùm qua nunc altitudine eſt, ſed ſi vel toties altius foret; quot arenulæ ſunt maris, imò quòd continere cælùm ipſum poſſit. Videbit quoque, hunc verſum de Beata Virgine τῇ θεοτόκῳ †:

Tot tibi ſunt dotes, Virgo, quot ſidera cælo,

poſſe ἁπλῶς inverti modis 40320: at ſalvâ lege metricâ, 1022. Illum autem verſum, *Rex, lex, ſol, lux, dux, fons, mons, ſpes, pax, petra, Chriſtus*; etiam variari poſſe modis 3628800: atque itidem ſalvâ lege, ut ſic dicam, Pediâ. Muſices imperitus numerandi arte componet omnium cantionum cantilenas, quotquot intra definitos octavarum limites fieri poſſunt.

† *Deipara.*

6. §. *Confert præterea ad rem familiarem; cùm ſine numerorum doctrinâ gubernari nequeant domeſtica. Præſertim autem prodeſt agricolis, & mercatoribus, atque adeò omnibus, qui vitam amant χρηματιστικὴν †:*

† *Quæſtuariam; ſive acquirendæ pecuniæ comparatam.*

Hinc enim diſcere eſt, ab unico frumenti grano, annis duodecim, proventum fore granorum 244140625000000000000; ſi annuatim ſerantur ſingula, ſingulaque grana producant quinquaginta. Quæ ſumma duodecim impleret urbes Lutetiâ Pariſiorum majores; ac ſi aurei quadrans pro ſingulis ſolvatur menſuris, pretium conficiat aureorum 61135156250000: quantæ opes exſuperant, quicquid toto orbe eſt in principum, ac privatorum theſauris. Item hinc videre, ſi piſum quodque producat quotannis piſa triginta; ex piſo unico, intra annos xii, fore proventum eum piſorum, qui cariùs vendatur, quàm aureis 1060882000000, terramque univerſam contegere poſſit inſigni altitudine. Similiter ſe res habet in animantibus. Centum oves, intra ſpatium xvi annorum, fœturâ ſuâ implere valeant pretium aureorum 61689600. Ex una ſue, duodecim annorum intervallo, tantus porcorum proventus eſſe poſſit; ut, ſi unicuique alendo quotannis aſſignetur aureus, porcorum huic immenſo gregi alendo nec ſuffecturi ſint annui Imperatoris Turcici reditus.

Avicularum complures, nullâ earum intereunte, intra octennium excreverint uſque ad 33474272. In piſcibus, ſi cyprinorum generatio annis fuerit duodecim, ac ſenis piſcibus ſpatium detur unius pedis: nec totum mare iis ſufficerit. Atque ex his facile eſt ſtatuere de cæteris, plantis, & animantibus. Quæ brevi temporis ſpatio orbem implerent univerſum. Neque hæc Mercuriales viri neſcivere apud Romanos. Audiamus Horatium in Arte:

Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum diducere.

Quod ſi ſcirent, audiebant, quod mox ſequitur:

Rem poteris ſervare tuam.

7. §. *In architectura par ratio eſt.*

Ubi ſcitum hoc de Dinochare architecto; qui ajebat ‡ Alexandro magno ſe ex Atho monte ſtatuam facturum hominis, in cujus palma eſſet urbs centenorum millium capax. Ex palma arithmeticus indicium feret de magnitudine ſtatuæ, ac ipſius montis. Coloſſus Rhodius, Plinio † auctore, erat ſeptuaginta cubitorum, atque ære ejus, cùm fractus fuit, onerati fuere nonaginta cameli; teſtibus hiſtoricis. Hinc Arithmeticus colligit, coloſſum fuiſſe librarum 1080000. Videbit etiam, quod dicunt ‡, paucos hominum potuiſſe coloſſi pollicem amplecti; id non de utroque brachio, ſed de manibus, vel alterutro brachio intelligi debere. Videbit & Arithmeticus, ſolum omne, vel Amſtelodamenſe hoc, vel Madritanæ urbis in Hiſpaniis, vel Pariſienſis in Galliis, poſſe inaurari ſex libris auri ductilis. Videbit, poſſe intra urbem fieri duas plateas rectas, quibus eundo plus temporis requiratur, quàm ſi totam circumeamus urbem; ut hac ratione contentum ſit majus continente, non modò in lineis; ſed etiam in ſuperficiebus.

‡ *Vitruvius præfatione lib. 2: ſed Plutarchus geminis in loco hunc Staſicratem appellat.*
† *Lib. 34. cap. 7. At ſimiliter Feſtus: ut qui dicat fuiſſe pedum 105.*
‡ *Plin. ibid.*

8. §. *Nec ſolùm rei multitudo hac arte cognoſcitur; ſed etiam ex portiuncula rei, ſeu naturalis, ſeu artificialis, numerorum ope, totius colligitur magnitudo.*

Uti ex ungue leo, ex ungula aſinus, ex plintho columna, ex parte templi Salomonici templum univerſum. Nec multùm abit, cùm ex ſtadio colligitur, quantus fuerit Hercules; de quo Agellius initio Atticarum Noctium. Aut cùm ex pollice, thyrſo à Satyris dimenſo, colligere eſſet ma-

Digitized by Google

* Plin. lib. 35. cap. 10.

magnitudinem Cyclopis*. Aut cùm ex umbrarum ratione colligitur, quanta ſit corporis luminoſi magnitudo, vel diſtantia à nobis.

9. §. *Moralem etiam philoſophiam hinc lucem capere, arguit, quòd Ariſtoteles diſpeſcat juſtitiam in διανεμητικὴν, ſive diſtributivam, & συναλλακτικὴν, ſive commutativam, quarum poſterior conſiſtit in proportione Arithmetica; altera in Geometrica.*

Vide Ariſtotelem lib. v, cap. vii; & ibidem interpretes.

10. §. *In ipſa quoque Theologiâ uſus ejus eſt longè maximus.*

Unde ſic B. Auguſtinus lib. de Arithmetica: *Nemo ad rerum divinarum, humanarumque, cognitionem accedat, niſi priùs numerandi artem addiſcat.* Hoc multis exemplis comprobatur. E. G. in fabrica arcæ Noë; quæ tam capax fuit, ut omnes caperet animalium ſpecies; atque id eo numero, quo Deus juſſerat, unà cum victu ſingulorum annuo. Nihil hic, ad veritatem rei adverſus calumniatores tuendam, opus eſt cubitos fingere ſeſquipedalibus majores. Siquidem Arithmeticus oſtendet, fieri id poſſe, ſi trecentos ſit cubitos longa, quinquaginta lata, triginta alta. Item monſtrabit, ab octo animabus intra ducentos annos potuiſſe tantam exiſtere copiam, ut Monarchia conderetur, ac ſub Nino exercitus colligeretur hominum circiter 2000000. Oſtendet idem, intra breve temporis ſpatium tot Abrahæ poſteros fuiſſe; quot in cælo ſtellas videmus: imò plures, quàm cœlum caperet ſtellas ſextæ magnitudinis. Utrùm tamen exſuperârit numerum ſtellarum, quas per teleſcopium Batavicum conſpicere eſt, non ſatis eſt apertum. Etiam oſtendet, ex ſeptuaginta Iſraëlitis, qui ingreſſi in Ægyptum fuêre, poſt annos ducentos, & quindecim, propagari potuiſſe, homines 3002750. Quid jam dicam de maris ænei capacitate? Quid de pondere coronæ Regis Ammonitarum? Idem colliget ex iis, quæ de armatura Goliathi in Scripturis referuntur, fuiſſe eam quingentarum librarum. Item ex eo, quòd Abſolomi capilli pependiſſe dicuntur ſiclos ducentos, videt fore capillos octo librarum: unde malit, ſiclos eos intelligere de pondere auri tantundem valentis. Quid item addam de horologio Achazi, Jeſ. xxxviii, verſ. 8. De quo dixi lib. ii Phyſiologiæ Chriſtianæ cap. ix. Sed adeundus præterea Schonbergerus in Sole illuſtrato. Facilè etiam Arithmeticus occurret gentilibus, ac curioſis omnibus; quibus ex terræ parvitate, hominumque multitudine, oboritur difficultas in iis, quæ pertinent ad reſurrectionem, & judicium. Nam ſi mundus ſteterit ſex mille annis, & ea fœcunditas ubique ponatur, quæ in Galliis eſt, ac quindecim annis renovaretur omnium hominum numerus; Arithmeticus colligit, illis ſexies mille annis numerum omnium hominum fore 19329375 00000. Sed cùm rara ſint loca, quæ fœcunditate certent cum Galliis; ac poſt bella, & peſtilentias, pauciores ſint homines; imò vix trigeſimo anno renovetur mundus: colliget numerum hominum, qui ſex mille annis ſint, nondum fore millies mille millionum. Dicet etiam, quot homines poſſint capere globum terræ, & aquæ; ſi, ubi ſtarent, ſingulis daretur paſſus quadratus. Nempe homines ſtarent 1484568000000 0. Videt etiam, ſi numerus is ſtatuatur, quem intra ſexies mille annos fore ponebamus, ſingulisque aſſignaretur paſſus quadratus: ſolùm occupatum iri quadrageſimam partem terræ. Quòd, ſi mundus durârit pluſquam ducentis; fortè duodecim annorum millibus, caperet univerſos quarta pars continentis. Videt, ſi ex numero hominum allato, intra ſexies mille annos, damnentur octingenties mille milliones: conſequi, quotannis damnari ultra decem milliones; ſingulis autem diebus, pluſquam viginti ſeptem millia. Qui numerus, etſi multis juſto major videatur; tamen omnis ille numerus damnatorum, ſi ſingulis darentur decem pedes cubici, contineri poſſet ſolâ duarum leucarum cavitate cubicâ. Similiter, ſi duodecim annorum millibus duret mundus; & ſint vicies mille milliones beatorum: quotannis ſalvabuntur mille, & quingenta millia; ſingulis diebus ſupra quatuor millia. Quomodo, ſi capacitatem Empyrei attendamus, & deſcriptionem civitatis typicæ Apocalypſ. cap. xxi: tantum unicuique beato ſpacium eſſe poſſit, quantum in terris eſt, non unius; ſed plurium regnorum.

Cap. VIII.

Quibus Arithmeticen debeamus; quibus item numerorum notas Græcas, Romanas, & Barbaricas; quæ ſifra dicuntur.

1. §. *Atque hæc, quæ tum antea de Matheſios uſu univerſè diximus; tum quæ proximè particulatim de Arithmetice attulimus: inflammare nos ad nobiliſſimæ ſcientiæ ſtudium, atque amorem, debent. Videamus nunc, quibus præclaram adeò ſcientiam debeamus. Ac Græci quidem hauſere eam à Phœnicibus; qui cùm longè, lateque, mercaturam exercerent, hanc artem præ cæteris excoluere.*

Idcirco à Phœnicibus Arithmeticen diſcere voluit Pythagoras: uti ab Ægyptiis Geometriam; à Chaldæis Aſtrologiam. Malchus, ſive Porphyrius, in vita Pythagoræ: Ἔτι δὲ καὶ περὶ τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ οἱ πλείους, τὰ μὲν μαθηματικῶν καλουμένων ἐπιστημῶν, παρ' Αἰγυπτίων τε, καὶ Χαλδαίων, καὶ Φοινίκων, φασὶν, ἐκμαθεῖν. Γεωμετρίας μὲν γὰρ ἐκ παλαιῶν χρόνων ἐπιμεληθῆναι Αἰγυπτίους· τὰ δὲ περὶ ἀριθμούς τε, καὶ λογισμοὺς, Φοίνικας· Χαλδαίους δὲ τὰ περὶ τὸν οὐρανὸν θεωρήματα. *Iam, quod ad doctrinam, ajunt complures, diſciplinas, ut vocant, mathematicas, didiciſſe ab Ægyptiis, Chaldæis, & Phœnicibus. Ægyptios enim, jam à temporibus antiquis, Geometriæ ſtuduiſſe; Phœnices numero, & rationibus; Chaldæos contemplationi cæleſtium.*

2. §. *Flavius tamen Joſephus exiſtimat, Pythagoram accepiſſe Arithmeticen ab Ægyptiis: eos habuiſſe illam ab Abrahamo patriarchâ, dum aliquamdiu in Ægypto moraretur.*

Sed cùm Phœnices tanti fuerint in hac arte, eò quòd negotiarentur penè cum omnibus nationibus, quæ mare mediterraneum accolunt; atque iiſdem commercia cum Ægyptiis forent: potiùs cenſeo, à Phœnicibus eos hanc artem didiciſſe: quamquam non repugno, quò minùs his Ægyptii quidam fuerint permiſti: quandoquidem & Phœnicibus commercia fuerint cum Ægyptiis. Sanè pro Ægyptiis etiam facit, quòd Plato in Phædro ait, Ægyptios inveniſſe πεττείαν, καὶ κυβείαν. Ubi neutiquam intelligit ludum cuborum, & aliæ; ſed artem calculis, & cubis numerandi. Nam is ludus, quem dixi, Palamedis eſt inventum, ut eſt apud Sophoclem in Palamede.

3. §. *Addam nunc, à quibus ſint numerorum notæ, tum Græcæ, ac Romanæ: tum barbaricæ, quas ſifram dicimus. Illa Græcorum unde ſint, ex eo perſpicere eſt, quòd pro numerorum notis utantur literis alphabeticis; at literarum notas debuerint Cadmo Phœnici.*

Quem primùm eas in Græciam intuliſſe, auctores habemus Herodotum, Plinium, Plutarchum, Clementem, & alios: ut oſtenſum nobis lib. i de arte Grammaticâ cap. x. Antiquum verò eſſe Græcis hunc ſcribendi morem, indicant leges Solonis; in quibus, ut ſe vidiſſe ait Herodianus, pecuniariæ mulctæ his literis indicabantur. Atque addit idem Herodianus (vixit autem temporibus Commodi

modi Cæſaris; quippe filius Apollonii Dyſcoli, qui ſub M. Antonino Romam venit) Καὶ στήλας τὰς παλαιὰς, καὶ ψηφίσματα, καὶ νόμους πολλοὺς, οὕτως ἐστὶν εὑρέσθαι. *columnas veteres, & decreta, & leges multas, cum ejuſmodi eſt notis invenire.* De hiſce Græcorum notis plura ibidem vide; & quæ in Græcæ Grammaticæ Inſtitutionibus diximus.

4. §. *Romani quoque, pro numeri figuris, utuntur literis.*

In horum characteribus antiquiſſimos eſſe cenſeo illos μονάδος, δεκάδος, ἑκατοντάδος *. Μονάδος nota fuit linea ſimplex, ut & apud Græcos: non quia I ſit princeps litera in ἓν pro μία, ut voluit Priſcianus: ſed quia ſimplex ductus ſimplici numero conveniret. Denario autem duas dedere lineas decuſſatas X. Centenario ter nas ⊏⊐; pro quibus poſtea ad facilitatem manus maluere C. Ut decipiantur, qui cum Priſciano putant, C valere centum, quia ſit princeps ejus vocis litera. Poſtea moleſtum videbatur, ab unitate uſque ad denarium ſemper lineolis uti ſimplicibus, & à denario uſque ad centenarium lineolis decuſſatis. Præterea moleſtiam afferebat toties uti triplici lineolâ, ſive totidem C, uſque ad quingentos, imò millenos, atque ultra. Primùm igitur placuit notam comminiſci inter μονάδα 1, & δεκάδα 2: deinde inter δεκάδα, & ἑκατοντάδα 3: denique & inter ἑκατοντάδα, ac χιλιάδα 4, nota invenienda erat. His omnibus ſic ivere conſultum. Quinario, & quinquagenario, danda fuit nota duarum linearum; quia centenarius erat trium: quem numerum, ut major erat, ita pluribus conſtare lineis oportebat. Duabus igitur lineis erat exprimendus: ſed diverſâ ratione ac denarius. Meritò igitur placuit, ut quinarius, ſicut dimidium eſt denarii X, ſic dimidium exprimeret: partem videlicet ſuperiorem, hoc pacto V. Quis enim probare poſſit illud Priſciani, V ſignificare quinque, quia quinta ſit vocalis? Quodque ad quinquagenarii notam, quia dimidium eſt centenarii, tribus lineolis ⊏ exarati; viſum fuit lineolam auferre ſuperiorem: ut remaneat L. Nimis argutè Priſcianus; cùm ait, eò L poni, quia Græcis N valeat quinquaginta, & Latini quandoque L dicant pro N, ut *limfa*, pro νύμφη. Supererat, ut etiam nota fingeretur quingentorum, & millenarii. Centenarius erat ex lineis tribus. Quingentis igitur datus ex lineis quatuor, hoc modo I⊐, ſive Iↄ; unde poſtea D factum; ut fallantur, qui exiſtimant, ſemper fuiſſe D; atque eo ſignari dimidium millenarii, quia D ſit princeps litera in voce *dimidium*. Millenario autem datæ lineæ quinque, hoc modo, [I]; vel ob facilitatem manus ∞: item cIↄ; quia dimidio exſuperaret is numerus quingentos, cujus nota erat Iↄ.

** Unitatis, denarii, centenarii.*

1 Unitatem. 2 Denarium 3 Centenarium. 4 Millenarium.

5. §. *Barbaras numeri notas, quas ſiphras nominamus; quidam factas putant ex figuris Græcanicarum literarum corruptis.*

In his eſt Conradus Daſypodius, in primo Inſtitutionum Mathematicarum. Atque arbitrabatur, illud non obſcurum fore, ſiquis has ambarum figuras intueatur:

β.	γ.	δ.	ε.	ς.	ζ.	η.	θ.
2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.

6. §. *Sed veriſimilius eſſe cenſeo, Europæos cæteros accepiſſe ab Hiſpanis; eos à Mauris; illos ab Arabibus; hos à Perſis, vel Indis.*

Certiora autem afferremus, ſi conſtaret, ecqua Orientis natio utatur literis, vel numerorum notis, quæ cum ſifris vulgatis conveniant.

7. §. *Porrò nonniſi anni ſunt circiter* CCCC., *ſaltem infra quadringentos, quòd eas ſifras accepimus.*

Unde certum argumentum capere eſt, nummos, aliaque hujus generis, in quibus ſifræ compareant, non majoris eſſe vetuſtatis. Itaque grandis ille argenteus nummus Marquardi Freheri, qui effigiem habuit Conſtantini Imperatoris equitantis, antiquum eſſe, jure negabat Joſephus Scaliger; quia in eo comparent notæ hæ Arithmeticæ, 234. cujuſmodi characteres non eſt reperire in libris Græcis Aſtrologicis, & Logiſticis, vel computis Eccleſiaſticis, multò ante captam Conſtantinopolin exaratis. Porrò aliqua immutatio etiam in hiſce notis contigit. Nam in lapidibus, & libris, ante annos ducentos exaratum video eſſe Λ pro 7, X pro 4.

CAP. IX.

Quem in diſcendi ordine locum teneat Arithmetice, & quomodo dividatur.

1. §. *Proximum eſt, ut diſpiciamus, quo loco addiſcenda ſit Arithmetice: videlicet utrùm diſcendi ordine præcedat Geometriam; an hæc potius debeat prævertere. Noſtra hæc ſententia eſt, ab Arithmetice initium capi oportere.*

UT quæ ſit parens Geometriæ, eoque naturâ prior. Quod oſtendit Nicomachus Geraſenus, Ὅσῳ συναναιρεῖ ἑαυτῇ τὰ λοιπὰ, οὐ συναναιρεῖται δὲ ἐκείνοις. *quatenus ſublatâ illâ* (puta Arithmetice) *ruunt reliqua* (*diſciplina Mathematica:*) *at non perit illa aliis ſublatis.* Atque hoc probat deinde inductione. Quippe, ſublato numero, de quo Arithmeticus tractat, tollitur Geometria; quæ verſatur circa lineas, & figuras planas, triangulas, quadrangulas, & multangulas. Si enim tria non ſint; evaneſcit triangulus. At non è contrario quoque fit. Eſtque par ratio in Muſicis. Siquidem in concentu διὰ τεσσάρων eſt ratio ejus, quod tertiâ ſit parte majus. In διὰ πέντε eſt ſeſqui. In διὰ πασῶν eſt duplex. At ſi jungas διὰ πασῶν, καὶ διὰ πέντε, erit ratio triplex. In δὶς διὰ πασῶν quadruplex. Itidem fit in Aſtrologia. Numeris enim explicantur ſiderum ortus, occaſus, progreſſus, ſchematiſmi. Quare rectè Caſſiodorus*: *Primam omnium eſſe voluerunt Arithmeticen; propterea quòd Muſica, & Geometria, & Aſtronomia, indigent Arithmeticâ, ut virtutes ſuas valeant explicare. Verbi gratiâ, ſimplum ad duplum; quod habet Muſica, indiget Arithmeticâ.* Pluraque inibi hanc in mentem. Etiam ἡ ἀριθμητικὴ ἀκριβεστέρα τῆς γεωμετρίας †: qua de re Proclum adi in primum Euclidis‡.

** Penè initio Mathematica.*

† Arithmetice eſt accuratior Geometria. *‡ Pag. 17.*

2. §. *Tandem etiam de partitione videamus. Arithmetice vel* θεωρητικὴ *eſt, vel* πρακτική. *Theoretice* (*quæ eſt pure Mathematica, eoque hic conſideratur*) *exponit numerorum naturam, proprietates, proportiones, & figuras. Atque hujus partes ſunt duæ: prior eſt de numeris linearibus, & planis; altera verò de ſolidis.*

Nimirum conſiderat primùm ſpecies numeri, quæ ab unitate fluunt: hinc attendit orientes inde numeros planos, tum ſimiles, tum diſſimiles: poſtea de numeris ſolidis tractat. Sic, priores ſecutus, dividit & Proclus in primum Euclidis*: Τῆς † δὲ ἀριθμητικῆς ὡσαύτως ἡ διαίρεσις, εἴς τε τὴν τῶν γραμμικῶν ἀριθμῶν θεωρίαν, καὶ τὴν τῶν ἐπιπέδων, καὶ τὴν τῶν στερεῶν. Quæ pluribus deinde firmat. Lucem verò hæc diſtributio capiet ex Geometriæ diviſione; quam inferiùs adferemus.

** Pag 12.* *† Arithmetices verò talis eſt diviſio, in conſiderationem linearium numerorum, ac planorum, & ſolidorum.*

Juniores plerique paullò aliter Arithmeticen diſtribuunt: nec incommodè. Nempe in ſimplicem, & comparativam. In quarum priori ſimpliciter agitur, tum de numeris integris, tum fractis. Ac primùm de notatione; quæ notis quemvis numerum exprimit: tum numeratione è datis numeris, alium inveniente, de quo dubitabatur. In numeratione attendunt primò numerum ſimplicem; qualis eſt additionis, & ſubductionis: tum multiplicem; cujuſ-

cujuſmodi eſt multiplicationis, & diviſionis. Priuſquam verò ad numerum fractum accedatur, tractant de numerorum diviſione in primos inter ſe, & compoſitos: quorum priores non recipiunt communem diviſorem: poſteriores à communi ſiunt diviſore. Exinde de fracto agunt numero: deque reductione numerorum, vel factorum, vel integrorum, nec non numeratione partium è datis partibus duabus. A ſimplici hac numerorum ratione tranſitur ad Arithmeticen comparativam; quâ numerus cum numero confertur; & affectio inter numeros, differentia videlicet, vel ratio, attenditur. Quæ comparatio vel Arithmetica eſt, vel Geometrica. Atque huc etiam pertinent, tum regula aurea, quâ è tribus proportionalibus numeris invenitur quartus proportionalis: tum regula ſocietatis, ſic dicta, quia communia ſociorum, & lucra, & damna, per hanc regulam dividuntur, ac judicantur: tum regula alligationis; quæ res varii precii miſcet, ut quis medio conſtituto pretio, eo emat omnes: tum regula falſi, ſic vocata, quia ex falſo poſito colligat verum, quod occultum eſt.

Algebram aliqui Arithmetices ſtatuunt partem; alii ſcientiam ex duabus puris, Arithmetice, & Geometria, compoſitam; eoque omnium earum, quæ à materie ſeparata ſit, puriſſimam. Mediam autem volunt intra ambas; quia tum numeros conſideret, tum lineas, ſuperficies, & corpora, hæc item ut numeros, attendat; illos in hæc, hæc in illos, quaſi artis quodam miraculo, commutet; & utriuſque artis nexu, ac velut cinno, eò mentem attollat humanam, quò nemo adſurgere illam poſſe exiſtimâſſet. Si omnia omnium elogia, qui hac de ſcientia egerint, adſcribere velim, viatico opus ſit. Vox *Algebra* ab Arabibus eſt: quibus, ut Poſſevinus * interpretatur, ſignat reſtaurationem, ſive potiùs inſtaurationem numeri. Aliterque dicta eſt *Almucabala*. Alii ab Hebræis arceſſunt, ut alibi refero.

* *Lib. 15. Bibliothecæ ſelectæ, pag. 181. edit. Rom.*

Initia hujus artis creditur Plato inveniſſe. Theoni *Analyſis* vocatur, ac definitur, *Aſſumtio quæſiti, tanquam inventi, per conſequentia, tanquam conceſſum.* Franciſco Vietæ diſtribuitur in tres partes; Zeteticam, Poriſticam, & Exegeticam. Zetetica reperitur æqualitas, vel proportio, magnitudinis, quæſitæ ad illa, quæ data ſunt. Poriſticæ æqualitatem, vel proportionem propoſiti theorematis, examinat; ac quid verum ſit, oſtendit. Exegetice æqualitatis, vel proportionis quæſitæ magnitudinem, ſeu quantitatem, exhibet; idque Arithmetice; ſive in numeris id fiat; ſive numerus quæratur in magnitudine, ſeu quantitate continuâ, ſi quæſtio de eâ fuerit inſtituta. Porrò partes ſingulæ diſpeſcuntur ſecundùm dimenſiones, & varios poteſtatum gradus: videlicet tum laterum, ſive longitudinum; tum quadratorum, & planorum; tum cuborum, & ſolidorum.

Videntur autem Romani, ac Græci, non potuiſſe perfecti eſſe Arithmetici, vel Algebræ gnari; propter defectum notarum Arithmeticarum, quas ab Arabibus accepimus. Sine illis enim non valuere decimarum periodos exprimere. Quâ de re vide Simonem Stevinum lib. 1. Geographiæ, definitione ſextâ; quæ eſt de erudito ſeculo. In hoc autem ab Arabibus abimus; quòd illi punctum pro *o* uſurparint. Nos o maluimus, quia puncto apud nos ſententiæ finiunt. Factum igitur hoc ad ambiguitatem vitandam; ut eidem Stevino monitum: qui Joſepho Scaligero, quicquid hoc obſervationis, fert acceptum.

CAP. X.

DE CLARIS ARITHMETICES ſcriptoribus, tum veteribus, tum novis.

1. §. *Vidimus, quæ ſint partes Arithmetices: de ſingulis verò plura addere non eſt animus. Neque enim ipſam tradimus ſcientiam, ſed de ea ſcribimus. Quamobrem nihil ſupereſt, quàm ut memoremus, quos ſequi conveniat duces: ut ex iis hauriat, qui ſcientia hujus tenetur amore. Ac è veteribus quidem accurate de ea egit Euclides lib.* VIII, VII, IX. *Item Nicomachus Geraſenus.*

Ejus Arithmetices meminit etiam Photius in Μυριοβίβλῳ. Libris conſtat duobus: in quorum priorem Joachimus Camerarius explicationem ſcripſit: eamque Logiſticæ ſuæ ſubtexuit. Præterea Nicomachus reliquit Ἀριθμητικὰ θεολογούμενα libris duobus: unde excerpta illa ſunt Anonymi ſcriptoris in Theologia Arithmetices. Ex iis excerptis Camerarius hauſit diſſertationem, quæ inſcribitur, *Arithmetica ſymbola*; & explicationi Nicomachi ſubjunguntur. Utrumque hoc opus, & Nicomachi Arithmeticen dico, & Theologiam Arithmeticam, Lutetiæ excudit Chriſtianus Wechelus *. Arithmeticen Nicomachi Commentario explicuit Aſclepius, philoſophus Trallianus, Ammonii diſcipulus. Item Jamblichus, qui Mſtus ſupereſt in bibliotheca regis Chriſtianiſſimi. Apud Poſſevinum in bibliotheca ſelecta lib. xv. cap. III. † reperias, etiam commentatum in eum fuiſſe Joannem Grammaticum.

* *Arithmeticen quidem anno 1538. Theologiam verò Arithmeticam anno 1543.* † *Pag. 182 edit. Rom.*

2. §. *Magna etiam laus eſt Diophanti Alexandrini.*

Qui tredecim dicitur Arithmetices libros condidiſſe. Atque exſtare eos ajunt in bibliotheca Vaticana. Sex quidem, quos ab Andrea Dudithio, Cæſareo apud Polonos Oratore, acceperat, Latinè vertit Xylander: uti & ejuſdem Diophanti librum de numeris πολυγώνοις, ſive multangulis. Item Maximi Planudis commentarios in duos libros priores. Suum adhæc commentarium Diophanto addidit idem Xylander, vir eruditiſſimus, beneque de Diophanto, ac hoc nomine de ipſa numerandi arte, commeritus. Longè tamen majora jamdiu exſpectamus à viro variæ eruditionis, Mathematico acutiſſimo, Joanne Pellio, Britanno, nunc in illuſtri Bredano Gymnaſio Matheſios Profeſſore; antea verò, in Amſtelodamenſi noſtro, collegâ cariſſimo: ubi Diophantum publicè cum ſummâ admiratione omnium enarrantem, ac intima & difficillima quæque penetrantem, ſæpius audivimus. Quanti verò jam olim habitus ſit Diophantus; arguit, quòd eum cum Pythagora conjungat Joannes, patriarcha Hieroſolymitanus, in vita Joannis Damaſceni: ubi cùm Damaſceni, & Coſmæ, in Arithmeticis peritiam vellet extollere, hunc in modum ait *: Ἀναλογίας † δὲ Ἀριθμητικὰς οὕτως ἐξησκήκασιν [illegible], ὡς Πυθαγόρας, καὶ Διόφαντος. Quod ad ætatem ejus; ſub Antonino Cæſ. floruiſſe, ait Raphaël Bombellus; eumque ſecutus Jacobus de Billy Compendienſis; uterque in præfatione Algebræ. Itaque & proximè ante Ptolomæi Peluſiotæ tempora eum conſtituit Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum ‡. Ut falli videantur, qui, ante natum Chriſtum in pretio fuiſſe, tradiderunt. Diophanto inventionem Algebræ adſcribit Joannes Regiomontanus, præfatione in Alfraganum. Alii tamen à Gebro, Arabe Aſtronomo, repertam prædicant. Sed rectiùs Regiomontanus; cum Diophantus ipſe invento hoc glorietur; nec alteri cognitum id fuiſſe artificium, tradat. Vide eum in XIII. librorum præfatione.

* *Pag. 683 edit. Baſil.* † *Proportiones Arithmeticas non minus feliciter ſunt aſſecuti, quam vel Pythagoras, vel Diophantus ipſe.* ‡ *Undecimo Mathematicorum ſeculo, Chriſti ſecundo, pag. 51.*

3. §. *Præclara etiam eſt opera Theonis Smyrnæi, cujus ſupereſt Arithmetice.*

Uti & Muſice ejuſdem. Sed deperiere illius Geometria, Stereometria, & Aſtrologia. In quas quinque partes diviſerat Matheſin. Arithmeticen ex Illuſtriſſimi Thuani bibliotheca primus edidit Vir clar. Iſmaël Bullialdus: Latineque eandem vertit, & eruditis notis illuſtravit. Scriptor eſt bene antiquus: ac facilè eidem Bullialdo aſſenſero; qui arbitratur, fuiſſe ὁμήλικα * Plutarcho; ac eſſe Theonem illum, quem is libello de facie in orbe Lunæ differentem inducit de maculis Lunaribus. Quem item Ptolomæus (qui paullò pôſt, tempore nempe Antonini

* *Æqualem, ſive coætaneum.*

tonini Pii, claruit) Theonem Mathematicum vocat lib. IX μεγάλης συντάξεως * cap. IX, & lib. X cap. I. Quem item Proclus lib. I in Timæum appellat Theonem Platonicum: Theo autem junior, commentario in Ptolomæum, nuncupat Θέωνα παλαιὸν †. Eſtque hoc opus Arithmeticum eò memorabilius, quòd non modò eruditè adeò cuncta exponat: ſed etiam ex Philolao, Laſo Hermionenſi, Hippaſo, Metapontino, Eudoxo, Archytâ, Empedocle, Eratoſthene, Herophilo, Timotheo, Euandro, Ariſtotele; ejuſque diſcipulis, Ariſtoxeno, & Adraſto Peripatetico; Poſidonio adhæc, & Thraſyllo; permulta referat, quæ alibi fruſtra quæras. Ut omnino, ob hunc ſcriptorem, debeamus plurimùm tum Thuano, tum Bullialdo. Quod magis dicet, qui ut mereatur, legere non gravabitur.

* *Magnæ conſtructionis.*
† *Theonem veterem.*

4. §. *Elementa Arithmetices compendio conſtrinxit Michael Pſellus.*

Qui claruit ſub Baſilio, Romani junioris filio, & ſucceſſore Ioannis Zimiſcis: videlicet anno CIↃVIII. Nec ſolùm σύνοψιν * Arithmeticæ reliquit; ſed etiam Geometriæ, Muſices, & Aſtronomiæ. Primus eum divulgavit Arſenius, Epidauri Epiſcopus †. Vertit poſtea tres libros priores Elias Vinetus Santo ‡. Nam pro quarto ſubſtituit Procli ſphæram. At quatuor tranſtulit notaſque addidit, Guil. Xilander. Plura de Pſello ſi voles, vide, quæ ſcripſimus lib. II de Hiſtoricis Græcis cap. XXVI. Seculis aliquot junior Pſello fuit Georgius Pachymeres; qui & ipſe quatuor iſtarum ſcientiarum σύστημα * reliquit. Sed id necdum in lucem prodiit: Mſum verò adſervatur in bibliotheca regis Chriſtianiſſimi. Ex eo, quòd Pſello longè juniorem dicebamus, cognoſcere eſt, quantopere ratio fugerit doctiſſimum Conradum Geſnerum; qui Athanaſio æqualem putabat: ut de eo ſcripſit Philippus Bechius præfatione, quam ejuſdem Pachymeræ compendio Philoſophiæ Latinè à ſe reddito præmiſit.

* *Conſpectum, ſive compendium.*
† *Venet. an. 1532.*
‡ *Editi Pariſiis an. 1557.*
* *Collectionem, ſive compagem.*

5. §. *E Latinis primus de Arithmetica, ac reliquâ Matheſi, imo & diſciplinarum aliis, ſcripſit Terentius Varro.*

Arithmetices meminit Cenſorinus de die Natali cap. II: *Ut Varro teſtatur in eo libro, cui titulus eſt Atticus; & eſt de numeris.* Ubi in editione Eliæ Vineti pro *Atticus* eſt *Articulus*; quomodo & citat Delrio, initio Commentariorum in Senecæ Medeam †. Vertranius Maurus, in vita Terentii Varronis, ſcribit hoc pacto: *De Arithmetica libellus ejuſdem eſt hodie quoque ſuperſtes, divinitus à M. Varrone ſcriptus; uti ſunt omnia ab illo profecta. Eum nos Romæ cum P. Fabro, Augerioque Ferrario, viris doctis, amiciſque noſtris, ex bibliotheca Rudolphi Cardinalis adſervatum, apud Laurentem Stroſſium Cardinalem vidimus.* Hæc cùm ille jam ante an. LXXXVI ſcripſerit, mirum ſanè necdum lucem videre. Mirum magis, nec jam olim meminiſſe ejus operis Caſſiodorum: cujus verba mox adferam. Videtur autem hic liber pars fuiſſe operis majoris *de novem diſciplinis.* Cujus meminit Vitruvius præfatione lib. VII. Hoc eò refero lubentiùs, quia præteriit illud Vertranius Maurus in Vita Varronis; ubi ejus opera commemorat. Uti & omiſit librum *de Architectura:* De quo ibidem Vitruvius. Item *Tuberonem*, ſive *de origine Romanâ.* Quem laudat Cenſorinus cap. IX. Nec non *de rebus navalibus.* De quo ſic Ioannes Sariſberienſis lib. II cap. II: *Sed & aves, & piſces, certiſſimè* (malim *certiſſima*) *vident ſigna: quæ Virgilius, & Lucanus, divino comprehendunt ingenio. Sed & Varro* IN LIBRIS NAVALIBUS, *dum ſollicitos inſtruit nautas.*

† *Pag. 7.*

6. §. *Poſt Varronem proximè Arithmeticen ſcripſit L. Appulejus Madaurenſis, Platonicus Philoſophus.*

Poſt Varronem dicimus: non *primum Latinorum*; quod apud Petrum Pithœum legas Subſecivorum lib. II, cap. X. Sed eum is decepit, quem citat Caſſiodorus libro de Mathematicis diſciplinis; ubi, cap. de Arithmetica, ſic inquit: *Reliqua indigent Arithmeticâ diſciplinâ: quam apud Græcos Nicomachus diligenter expoſuit. Hunc primum Madaurenſis Appulejus; deinde magnificus vir Boëthius, Latino ſermone tranſlatum, Romanis contulit legitandum. Quibus, ut ajunt, ſiquis ſæpius utitur, lucidiſſimâ procul dubio ratione perfunditur.* Pro quibus in Compendio, quod de Mathematicis diſciplinis ex Caſſiodoro editum eſt Lutetiæ Pariſiorum * (factum id ſcimus, etſi in titulo prætereatur, à Gulielmo Poſtello) hæc ſolùm legas: *Hujus diſciplinæ tota vis in exemplis, additionibus, & detractionibus partium, eſt ſita: quam partem qui volet pleniſſimè perno ſſe, L. Appulejum legat; qui primus Latinis hac argumenta illuſtravit.* Fortaſſe autem eò Varronem præterit Caſſiodorus, quia non tam artem ipſam tradiderit, quàm de arte ſcripſerit. Inter quæ quantum interſit, non hic modò, ſed in omnibus diſciplinis, ſæpius oſtenſum nobis. Caſſiodorum exſcripſit Iſidorus Hiſpalenſis. Cujus hæc verba lib. III Originum cap. II: *Numeri diſciplinam apud Græcos primum Pythagoram autumant conſcripſiſſe: ac deinde à Nicomacho diffuſius eſſe compoſitam: quam apud Latinos primus Appuleius, deinde Boëthius, tranſtulerunt.*

* *à Vaſcoſano anno 1540.*

7. §. *Tribus ampliùs ſeculis poſt Appulejum de Arithmetice duos reliquit libros Severinus Boëthius, ſanè eruditos.*

Quorum, ut jam vidimus, meminere etiam Caſſiodorus, Boëthio ſuppar, & toto hoc ſeculo junior Iſidorus. In Boëthium exſtant commentarii Girardi Rufi, & Iodoci Clichthovei. Item ejus epitome Jacobi Fabri Stapulenſis, & Franciſci Maurolyci.

8. §. *Inter eos, qui, barbaris temporibus, de hac arte ſcripſerint, fuit Alexander de Villa Dei Dolenſis.*

Claruit tempore Friderici II, anno CIↃCCXL. Reliquit etiam de Sphæra librum, & Computum Eccleſiaſticum. Sed nullo æquè inclaruit, quàm Doctrinali puerorum, ſive arte Grammaticâ: quæ ante ſeſquiſeculum regnare in Scholis ſolet; partim prout ipſe ſcripſerat, partim ut varii id opus emendare erant aggreſſi. Sed talium temporum ſcriptores miſſos faciamus.

9. §. *Ante annos centum, ac quod excurrit, magnâ cum laude, præcipuè ob ſermonem purum, ac perſpicuum, de arte ſupputandi egit Cuthbertus Tonſtallus.*

Edidit eum Robertus Stephanus anno CIↃ IↃ XXIX. Dunelmenſis eſt factus epiſcopus anno CIↃ IↃ XXX. Annos natus LXXXV obiit, anno Chriſti CIↃ IↃ LIX. De eo ſic Thomas Morus epiſtolâ quadam ad Eraſmum: *Tonſtallo ut nemo eſt omnibus bonis literis inſtructior, nemo in vitâ, moribuſque, ſeverior; ita nemo eſt uſquam in convictu jucundior.* Vitam ejus, variamque fortunam, habes apud Franciſcum Godwinum, opere de Angliæ Præſulibus.

10. §. *Nec ſine laude nominandus eſt Hieronymus Cardanus Mediolanenſis: qui anno CIↃ IↃ XLIV claruit, ac deinceps uſque ad CIↃ IↃ LXXVI; quo vitâ exceſſit, annos natus LXXVI.*

Ejus in hac arte ſunt Practica Arithmeticæ, & menſurandi ſingularis. Opus de proportionibus motuum, numerorum, ſonorum, ponderum, &c. Ars magna de regulis

regulis Algebraicis, quam *regulam Coſs* vocant: Iodocus Willichius *ſchematiſticam* appellat. Adhæc de Aliza regulâ liber. Epiſtolæ, & quæſita Algebraica. Et his in libris, ac illis, quæ de reliqua ſunt matheſi, inque naturæ ſcientiâ, ac medicinâ, aliiſque, tot nova adfert, ut ſummus vir Andreas Alciatus eum vocare ſoleat, *virum inventionum*. Quin *ingenium profundiſſimum*, *feliciſſimum*, & *incomparabile*, ei tribuit Cæſar Scaliger: quæ magna eſt laus ab adverſario tam gravi, & acerbo. De vita, librisque ſuis, commentarium ipſe ſcripſit: quem cum luculenta ſua de Cardani laudibus, ac vitiis, præfatione in lucem edidit Gabriël Naudæus *.

* *Pariſiis* 1643.

11. §. *Quid jam de Henrico Glareano, Franciſco Maurolyco, Gemmâ Friſio, Petro Ramo, Chriſtophoro Clavio, & tot aliis dicam?*

Quorum catalogum texit Hugo Sempelius Scotus, indice eo, quem ſubjunxit duodecim libris ſuis de Mathematicis diſciplinis. Nomina verò numerorum Pythagorica optimè, paucis licet, Camerarius exponit in explicatione libri primi Nicomachi; cui, ut dixi, adduntur *ſymbola Arithmetica*. At accuratè imprimis, doctèque, eam rem pertractat Joannes Meurſius in denario ſuo; quem vir is, atque amicus ſummus, nomini meo inſcripſit.

12. §. *Hiſce Græcis, ac Latinis, duos ſubjungam, Mahomet Moſis filium, Arabem: & alterum, qui Hebraicè artem hanc conſignavit: eſt is R. Abraham Cai; quem Latinè reddidit Oſualdus Schreckenfuſius.*

Cum ejuſdem Rabbini libro de Sphæra Hebraicè, ac Latinè, edidit Henricus Petri anno CIↃ IↃ XLVI. Prior verò Algebræ propè inventor habetur; atque à Cardano †, inter XII ſubtilia orbis ingenia, nono reponitur loco.

† *Subtilitatum lib.* 16.

CAP. XI.

DE GEOMETRIÆ VOCABULO, & objecto: ac jure eam in ſcientiarum numerum referri.

1. §. *Arithmeticen excipit Geometria: quæ eſt ſcientia bene metiendi, puta omnia materiata; utcumque à ſolius terræ dimenſione nomen acceperit.*

DE vocabulo hujus ſcientiæ ita Nicodemus Friſchlinus celetiſſimi Grammatici dialogo primo ‡: *Ampliſſima eſt, & pulcherrima ſcientia figurarum. At quàm eſt ineptè ſortita nomen Geometria!* Sed quid Friſchlinum advoco; qui videam, Platoni etiam in Epinomide videri id ὄνομα γελοῖον, *vocabulum ridiculum*? Verùm cogitare oportuit, à terræ menſuratione hanc artem cœpiſſe: quæ poſtea ad maria, & aëris, ac cæli ſpatia eſt extenſa: ut cap. proximo pleniùs dicetur. Atque hoc neque Servius neſcivit: cujus verba cap. XIII apponam. Quare non tam ridiculum dici id nomen debet; quàm ut ſignificatû anguſtius. Quod in multis quoque aliis vocabulis uſu venit. Quemadmodum in non paucis contrà etiam videre eſt, latiùs patere originem vocis, ac vim nativam; quàm uſus permittat. Ut, in hac ipſa ſcientia, τετράγωνον vox oſtendit. Nam, ſi originem attendas, ſignificet omne quadrangulum. Atqui uſus non admittit ſignificationem aliam, quàm pro illo genere quadranguli, quod *quadratum* dicitur Latinis: ſive ubi quatuor recti ſunt anguli, lateraque ſunt æqualia. A primo igitur uſu, qui in menſuratione terræ fuit, nomen eſt *Geometria*. Sed poſtquam ſe latiùs ſcientia hæc diffudit: vox etiam diffuſa eſt ad omnem continuæ quantitatis dimenſionem; atque adeò ejus etiam, quæ eſt in ſermone. Unde videmus, Ariſtoteli quoque * orationem ad quantum referri. Imò & Varro apud Iulium Frontinum † auctor eſt, Geometriæ partem, quæ vocum longitudines, & altitudines, menſu certo diſtinguit, Κανονικὴν à Græcis nuncupari. Ubi per *Canonicam* deſignat *Harmonicam*; quam Muſicam dicimus. Quod ſi hujus ſcientiæ vocabulum malis laxius, & ſignificantius; liceat cum Platone ‡ Μετρητικὴν vocare; vel cum aliis Μεγεθικήν. Etiam pro Γεωμετρίᾳ poſſis Παντομετρίαν dicere.

‡ *Pag.* 34. & 35.

* *Categor. libro, cap.* 6. §. 2.

† *Lib. de limitibus agrorum.*

‡ *In Philebo.*

2. §. *Objectum igitur eſt magnitudo, ſive quantitas continua.*

Proinde objecto differt Geometria ab Arithmetica. Hæc verſatur circa quantitatem συνεχῆ, ſive continuam; illa διωρισμένην, ſive diſcretam: hæc circa πηλίκον, ſive quantum; quia quærit, quàm magnum: illa circa πόσον, ſive quotum; quia attendit, quàm multum: hæc circa μέγεθος, ſive magnitudinem; illa circa τὸ πλῆθος, ſive multitudinem. Præter quas duas quantitatis ſpecies non eſt tertia: niſi hanc ſtatuere lubeat pondus, ſive momentum: ut, Simplicio teſte, ſenſerunt Archytas, Athenodorus, & Ptolemæus. Sed de iſto alibi agemus. Nunc ſolùm oſtendam, quantum inter duo illa duarum ſcientiarum objecta diſcriminis ſit. Partes quantitatis συνεχοῦς, ſive continuæ, communi copulantur termino: cùm numerorum nullus ſit communis terminus; ſed partes eorum ſint διῃρημέναι, ſive diſcretæ. Præterea in multitudine eſt multum, & paucum: in magnitudine autem magnum, & parvum. Inſuper in magnitudine conſideramus, tum θέσιν, ſive poſitionem, tum etiam figuram: numerus verò eſt ἀνθέσιτος, *abſque poſitione*; uti & ſine figura: quippe ubi attendere ſit τάξιν, ſive *ordinem*. Adhæc in numeris eſt minimum, non maximum: in magnitudine contrà eſt maximum, non minimum. Multitudini ſi quid addas, vel demas, idem numerus non manet: magnitudini aliquid addere poſſis, vel adimere; nec forma, ſive ſpecies, eò mutabitur. Unde numeri comparantur οὐσίαις, ſive eſſentiis: ut apud Ariſtotelem legere eſt in Logicis, Phyſicis, Metaphyſicis.

3. §. *Cùm verò dicitur, objectum Geometriæ eſſe magnitudinem; ſolùm materiale affertur, ſive res conſiderata. Quod ei commune eſt cum Phyſica. Sed hæc magnitudinem corporis attendit, quatenus ea eſt immerſa materiæ, ac corporibus motui obnoxiis. Geometria verò contemplatur corporis naturalis extremitates, cogitatione ab omni materia, & motu, ſeparatas.*

Has vocamus *ſpecies Mathematicas*, ſive Geometricas, quæ materiam quidem habent; ſed, ut Ariſtoteles loquitur, νοητὴν ‡, non αἰσθητὴν *. Atque ex hiſce, quæ de objecto Geometriæ retuli, lucem capit; quando ea Proclo definitur, ſcientia, quæ verſatur in cognitione magnitudinum, figurarum, &, quibus hæ continentur, extremorum; item rationum, & affectionum, quæ in illis cernuntur, ac cohærent; ipſa quidem progrediens à puncto individuo per lineas, & ſuperficies, donec ad ſolida conſcendat, variaſque ipſorum differentias patefaciat.

† *Quæ animo, ac ratione, intelligatur.*

* *Quæ ſub ſenſum cadat.*

4. §. *Geometriam eſſe ſcientiam, evincitur ex eo, quòd, quatenus eſt theoretica, de ſubjecto ſuo demonſtrat varias continuæ quantitatis proprietates, ac proportiones. Quatenus item practica eſt, metiatur lineas, ſuperficies, & ſolida: lineas quidem per lineam determinatam; ſuperficies per quadratam; ſolidum autem per cubum. In quibus omnibus dimenſionum regula eſt linea perpendicularis.*

In demonſtrationibus verò iſtis Geometria aſſenſum non rogat; ſed evidentiâ certiſſimâ extorquet. Unde Se-

neca lib. 1 Natural. Quæſt. *Rationes, quæ à Geometris adferuntur, non perſuadent; ſed cogunt.*

5. §. *Agimus autem nunc de Geometria, quatenus eſt* θεωρητική*.

* Contemplativa.

Quæ abſtractè rei menſuræ capacis affectiones mente conſiderat, menſuramque certis ſchematibus illuſtrat, ac demonſtrat. At πρακτικὴ †, adhibendo inſtrumentum aliquod, puta decempedam, vel ſimile, trinam rei materiatæ menſuram oſtendit. Hoc facit Geodæſia: quæ à priore mutuatur, quicquid certi habet; ut ſuo loco explicabitur.

† Activa.

6. §. *Sive autem Arithmetices objectum priùs ſit Geometriæ objecto; uti ſuperiùs oſtenſum: ſive contrà eſt; ut alii arbitrantur, qui quantitatem diſcretam pendére ajunt à continua; quia hæc ſit unum quid; multitudo autem, (nam unitatem eſſe numerum negant) naturâ ſit unitate poſterior: illud ſaltem extra controverſiam ponimus, Arithmeticen eſſe doctrinæ ordine priorem; ut liquere ex iis exiſtimo, quæ cap. 1 diximus.*

Objectant, cur Geometria poſterior ſit ordine doctrinæ, gravem ſatis rationem eſſe, quòd ſubtilior ſit. Atque hæc etiam Cardani opinio fuit. Ac video eſſe viros eximios, quibus idem placeat. Sed veriſimilius puto, conſiderationem magnitudinis à numeris pendêre: & quicquid in conſideratione magnitudinis eſt ſubtile, id eſſe ex numerorum ratione: quemadmodum de hoc occurrit Cardano Cæſar Scaliger exercitatione CCCXXI.

CAP. XII.

DE MULTIPLICI UTILITATE GEOMETRIÆ.

1. §. *Non injuriâ aliquis miretur, tam nobilem ſcientiam deſpretui fuiſſe Cynicis, ut inutilem.*

QUemadmodum & ſcientiam naturalem, ac Logicen, Muſicen, & Ἐγκυκλιοπαιδεύματα, reſpuebant; ac ſoli intenti erant Philoſophiæ morali; ut Laërtius monet lib. VI. Etiam Geometriam θαυμαστὴν, *admirabilem*, vocat Lucianus in Hermotimo, ſive Sectis; non quia laudare ei animus ſit; ſed quia, ut ait, falſis principiis ſemel ſibi conceſſis, admirabiles, & falſas planè res conficiat. Verùm non mirum hoc eo ab homine ſcribi, qui velit, πάντας*, ὡς ἔπος εἰπεῖν, περὶ ὄνου σκιᾶς μάχεσθαι τοὺς φιλοσοφοῦντας; ut idem coepſe ſcribit libro.

* Omnes, ut ita dixerim, de aſini umbrâ pugnare philoſophos.

2. §. *Uſus verò Geometriæ magna ex parte cognoſcitur ex iis, quæ generatim de utilitate Matheſios ſupra diximus. Nunc, ut in Arithmeticis quoque fecimus, ſic communia attingam, ut imprimis propria magis Geometriæ exponam. Ac primum univerſe id verum eſt, eam aptiores reddere ad omne diſciplinæ genus.*

Ariſtoteles lib. X Ethicorum cap. V: Γεωμετρικοὶ γίνονται χαίροντες τῷ γεωμετρεῖν, καὶ κατανοοῦσιν ἕκαστα μᾶλλον. *Geometræ fiunt, ſingulaque rectiùs aſſequuntur, qui Geometriâ delectantur.*

3. §. *Iam quod ad ſcientias ſingulas, luculentè admodum ſe uſus illius exerit in Phyſicis. Quid mirum? quando Deus ipſe in hoc univerſo, utcunque longè, lateque pateat, omnia nihilominus, lineas, ſuperficies, corpora, quâdam ſimilitudine, ac proportione, commetitur, conſtituit, ac conſervat.*

Ideo Plato in Philebo ait, Deum ἀεὶ γεωμετρεῖν, hoc eſt, *aſſiduum eſſe Geometram.* De quo & ſuperiùs dictum.

4. §. *Inque eo ſapientiam Dei longè meliùs Geometra perſpicit. Nam ex perfectione, & capacitate rotundæ figuræ, apparet; cur cælum, cæleſtiaque corpora; item elementa, & mixta, uti plantæ, & animalium membra; rotundæ ſint figuræ, etiam teſtæ cochlearum. Cur item animalia pleraque opera faciant ſua rotunda, vel figurâ ad rotundam proximè accedente. Ut aves nidos ſuos, araneæ telas.*

Nimirum cauſſa eſt, quòd figura rotunda inter iſoperimetras ſit capaciſſima. Uti & aliæ eò ſunt capaciores, quo propiùs ad rotundam accedunt. Unde hexagona capacior quadratâ. Eoque apes eâ cellulas ſuas figurant. Nec enim rotunda figura in hexagonum, vel hexagona in quadratum, vel aliam iſoperimetram, abibit eâdem capacitate: ſed, ut tantundem contineatur, neceſſe ſit, comprimi partes contentas: uti rarefieri eas, ac diduci ſit opus, ſi ex quadrata, vel hexagonâ, fiat rotunda iſoperimetra. Hæc verbis Fabii mox fient clariora.

5. §. *Quare non adſentio Peripateticorum illis, qui Geometriæ ajunt vacandum; ſed paucis.*

Nempe ut olim de univerſa Philoſophia à nonnullis dicebatur, *Philoſophandum; ſed paucis.* Verùm audiamus de iſtis Galilæum Galilæi in Syſtemate Coſmico dialogo III*: *Subtilitates iſtas Geometricas Ariſtoteles in Platone reprehendit; dum eum accuſat, quòd nimio Geometriæ ſtudio à ſolidè philoſophandi ratione diſceſſit longiùs. Cogniti mihi fuere ſummi philoſophi peripatetici, qui diſcipulos ſuos dehortati ſunt à ſtudio Mathematicarum diſciplinarum: utpote quæ reddant intellectum cavillationibus inhiantem, & ad bene philoſophandum inhabilem. Quod inſtitutum è diametro inſtituto Platonis adverſatur, qui non admiſit ad philoſophiam, niſi Geometriæ exactiſſimè gnarum.* Quibus deinde Salviatum ſic reſpondentem inducit †: *Applaudo conſilio veſtrorum illorum Peripateticorum, abſterrentium diſcipulos ſuos à Geometria: nec enim ars ulla eſt ad detegendas ipſorum fallacias accommodatior.* Interea idem Galilæus dialogo primo agnoſcit ‡ *cum Ariſtotele, in rebus naturalibus non ſemper eſſe demonſtrationis Mathematicæ neceſſitatem exigendam.* Sed addit, *ubi haberi ea nequit: at cùm eſt in promtu, quidni adhiberemus illam?*

* P. 194. editionis Lugdun. an. 1641.

† Pag. ſeq.

‡ Pag. 5.

6. §. *Item neceſſaria eſt ad Philoſophiam πρακτικὴν, tum moralem, tum civilem; maximeque in re militari.*

De morali ſatis eſt apertum: quandoquidem, ut apud Platonem eſt in ſexto de Legibus, omnes hoc liberales artes habent; ut homo, qui alioqui animalium eſſet ferociſſimus, tantopere cicuretur diſciplinis, ut nihil eo manſuetius ſit. Unde & Ovidius ait*:

——Ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

* Lib. 1. de Ponto eleg. 6.

Major etiam ex Geometria fructus ad eos redundat, qui Remp. gubernant. Siquidem horum eſt prævidere, ut vaſa, ac ſupellectilia, ſuam habeant menſuram. Maximumque emolumentum inde capit res militaris. Nec enim caſtra, vel acies, ſine hac ſcientiâ diſponi poſſunt. Imò efficiet hujus artis gnarus, ut eædem acies, vel majores, vel minores quàm ſunt, videantur. Majores ſi aciem figurâ quadratâ diſponat; minores, ſi formâ circuli. Longum ſit, recenſere velle, in quàm multis, & quantopere, hæc ſcientia utilis, imò neceſſaria ſit rei militari. Fusè id factum ab Hugone Sempelio lib. II de Mathematicis diſciplinis c. 11. Ubi diſtinctè hoc oſtendit, tum in militum delectu, tum in caſtrorum metatione, tum acie ordinandâ,

dâ, tum ſtratagematis, tum naumachiâ, tum propugnaculis muniendis.

7. §. *Ad civilem etiam prudentiam refero artem hiſtoriæ ſcribendæ: partim quia hiſtoria eſt mater prudentiæ civilis; partim etiam, quoniam eloquentia, quæ hominis politici eſt inſtrumentum, ad condendam hiſtoriam ſit opus. Atqui cùm magnus ſit Geometriæ uſus in hiſtoria intelligendâ; major tamen in conſignandâ, præcipuè in deſcribendis locis, ac machinis.*

Qua in re inſcitiam produnt, qui quantitatem loci ex ambitu metiuntur. Ut qui putant, ſufficere ad magnitudinem inſulæ noſcendam, ſi dicant, quanto temporis ſpatio ſit opus ad eam circumnavigandum. Scitè hac de re
* Sive ſecundum Rob. Stephani edit. cap. 18. Quinctilianus lib. I, cap. X*: *Quis non ita proponenti credat, Quorum locorum extrema linea eandem menſuram colligunt, eorum ſpatium quoque, quod his lineis continetur, par ſit, neceſſe eſt? At id falſum eſt. Nam plurimum refert, cujus ſit forma ille circuitus: reprehenſique à Geometris ſunt hiſtorici; qui magnitudines inſularum ſatis ſignificari navigationis ambitu crediderunt. Nam ut quæque forma perfectiſſima, ita capaciſſima eſt. Ideoque illa circumcurrens linea ſi efficiet orbem, quæ forma eſt in planis maximè perfecta, amplius ſpatium complectetur, quàm ſi quadratum paribus oris efficiat. Rurſus quadrata triangulis, triangula ipſa plus æquis lateribus, quàm inæqualibus.* Plutaque ibidem in hanc mentem. Ac ante Fabium idem monitum Polybio; ut in Geodæſia dicam.

8. §. *Etiam ejus uſus eſt Medicis, præcipuè in Chirurgice.*

Sanè in quibuſdam ea ſubeſt Geometræ: ut cùm ſpeculatur cauſſam, cur vulnera rotunda difficiliùs ſanentur. Ex Geometria enim id eſſe rationis cognoſcit, quòd in rotundo vulnere partes à ſe longiùs diſtent.

9. §. *Nec nulla ejus Iuriſconſultis, vel Oratoribus, utilitas eſt.*

Sæpe enim quæſtio eſt de agro, & fundis dividendis. Quod Geometriæ ope præſtatur. Vide Fabium lib. I, cap.
† Al. 10, ut Vaſcoſani editio. XVIII †; ubi Geometriam oratori commodam eſſe oſtendit. Quædam jam inde paullò antè adduximus; cùm de hiſtoria loqueremur. Et niſi ea utilis foret Iuriſconſulto; non haberemus reſcriptum illud Diocletiani, & Maximini: *Artem Geometriæ*, (par autem ratio eſt Arithmeticæ) *diſcere, atque exercere, publicè intereſt.* Vide, in operibus Ioannis Buteonis Delphinatis, diſſertationem ejus, quâ docet, Geometriæ notitiam eſſe Iuriſconſulto neceſſariam.

10. §. *Denique etiam Theologiæ Chriſtianæ utilis eſt.*

Ut iis, quæ de ſtructura templi Salomonici dicuntur in ſcripturis, deque ſancta illa Ezechielis civitate; quæ abſque Geometris non intelliguntur, cùm magnitudines, & menſuræ, Geometricè definiantur. Nec ſine Geometrico radio definire eſt, quæ de longitudine, & latitudine arcarum, ſcribuntur. Suntque in ſcripturis alia genus compluria. Inter cætera de forma, & capacitate, quâ fuit arca Noë. Quo de argumento item Ioannes Buteo ad Franciſcum Turnonium Cardinalem commentabatur anno CIϽ IϽ XLIV.

CAP. XIII.

De Geometria in Ægypto repertâ; inde in Græciam tranſlatâ: deque iis, qui ibidem eam excoluerint ante Euclidem.

1. §. *Geometriam inveniſſe ab Ægyptiis dicitur Theut quod numinis Ægyptium eſt nomen.*

AUctor Plato in Phædro. Nimirum videbant, tam nobilis ſcientiæ gloriam nulli, niſi Deo tribui oportere. At *Theut* Deus. Nec aliunde ſunt Θεὸς, & *Deus*. Solùm diverſa eſt extrema litera. Sed S, & T, ſolent variis in linguis commutari. Sic Græcis γλῶσσα, & γλῶττα dicitur, ὀρύσσω, & ὀρύττω. Germanis das / dat / waſſer / water. Etiam ex Hebræo *Tſade*, alii S, alii T, retinuere. Sic, ex צר *tſor*, Græci Τύρος, Latini veteres *Sarra*, fecerunt. Pro *Theut* verò etiam *Thot*, ſive *Thoth*, dixere. Unde & primum menſem Ægyptii, quia initia omnia numini tribui oporteret, *Thoth* appellârunt.

2. §. *Alii tradunt, Geometriam ab Ægyptiis eſſe neceſſitate repertam; cùm Nilus, annuâ inundatione ſuâ oblimando collimitia, agros confunderet: eoque, ne limitum incertum æternam crearet diſſenſionem, ac litium materiem, arte, viâque opus foret, quâ, dimetiendis agris, controverſiæ dirimerentur.*

Sic Herodotus lib. II, & Strabo lib. XVII. Unde lucem capit, quod ſuperiùs dicebamus, initia hujus ſcientiæ fuiſſe à dimenſione terræ; ac licet poſtea ad alia fuerit extenta; vetus tamen nomen retinuiſſe. Servius in Ecl. III: *Inventa hæc eſt ars tempore, quo Nilus, plus æquo creſcens, confudit terminos poſſeſſionum: ad quos innovandos adhibiti ſunt philoſophi, qui lineis diviſerunt agros: inde Geometria dicitur; cùm non tantùm terræ, ſed & maris, & cæli, & aëris, ſpatia metiri conſueverit.* Similiter Caſſiodorus, & è Græcis Proclus. Ac, ut antiquiſſimos potiùs advocem, favet Herodotus in Euterpe: Δοκέει δέ μοι ἐνθεῦτεν γεωμετρίη εὑρεθεῖσα, ἐς τὴν Ἑλλάδα ἐπανελθεῖν. *Videtur mihi Geometria, hic* (in Ægypto) *inventa, in Græciam veniſſe.* Ubi duo dicit, Geometriam ab Ægyptiis inventam; Græcos verò eam ab Ægyptiis didiciſſe. Utcunque verò Geometriæ initia ruſticis extorſerit neceſſitas; poſtea tamen ibidem hoc ſtudium admodum excoluere Ægyptii ſacerdotes: ut qui ingenio, & otio, abundarent. Quam rationem etiam adducit Ariſtoteles lib. I Metaphyſ. c. I.

3. §. *Ex Ægypto in Græciam primus tranſtulit Thales Mileſius.*

Auctor Laërtius lib. I. Hinc Appulejus lib. IV Floridorum: *Thales Mileſius Geometricæ penes Graios primus repertor.* Cum eo à Proclo jungitur Ameriſtus, frater Steſichori poëtæ.

4. §. *Alii hanc gloriam tribuunt Mœridi, & Pythagoræ*, qui Thaletis, & Mœridis, initia amplificavit.

Laërtius de Pythagora: Τοῦτον καὶ γεωμετρίαν ἐπὶ πέρας ἀγαγεῖν, Μοίριδος πρῶτον εὑρόντος τὰς ἀρχὰς τῶν στοιχείων αὐτῆς· ὥς φησιν Ἀντικλείδης ἐν δευτέρῳ περὶ Ἀλεξάνδρου. *Hunc & Geometriam perfeciſſe, cùm Mœris antea ejus initia repeririſſet; ut auctor eſt Anticlides in ſecundo de Alexandro.* Subdit deinde ex Apollodoro, hecatomben ſacrificâſſe, ubi comperiſſet, trianguli ὀρθογωνίου * latus ſubjectum valere tantundem, ac quæ illud continerent. * Rectis angulis.

5. §. Poſt

5. §. *Poſt Pythagoram hoc ſtudium excoluere Anaxagoras Clazomenius, Oenopides Chius, Theodorus Cyrenæus, Anaxagorâ paullò junior, Hippocrates Chius, Plato, eodemque tempore Leodamas Thaſius, Archytas Tarentinus, Theætetus Athenienſis; qui contemplationibus ſuis hanc ſcientiam magnoperè firmarunt. Adhæc Leodamante poſterior Neoclides, & ejus diſcipulus Leo; qui duo adjecere multa priorum inventis. Quin Leo etiam elementa ſcientiæ hujus accuratè conſignavit. Multum & laudis meruit Eudoxus Cnidius, Platoni familiaris. Exinde Amyclas Heracleotes, & Menæchmus, Eudoxi diſcipulus, fraterque ejus Dinoſtratus, qui Geometriam reddidit perfectiorem. Adhæc Theudius Magnes; qui univerſam calluit philoſophiam, & Geometriæ elementa conſcripſit, multoque latiùs extendit. Porrò etiam Cyzicinus Athenienſis his claruit temporibus; & cùm in reliqua Matheſi, tum præcipuè in Geometria, præclarus fuit. Atque hi in Academia ſimul vacabant quæſtionibus Geometricis enucleandis. Hermotimus item Colophonius inventis Eudoxi, & Theæteti, varia addidit. Imò & Philippus Medmæus, Platonis diſcipulus, magiſtri monitu, varia in Geometricis eſt commentus, quæ ad illuſtrandam Platonis philoſophiam facere arbitraretur.*

Ita de hiſce omnibus Proclus Diadochus libro ſecundo commentariorum in primum Elementorum Euclidis *. Primus ex iis Dinoſtratus reperit τετραγωνίζουσαν †, ſive volutam delumbatam, quam poſtea excoluere Nicomedes, & Hippias. Mirum verò, non meminiſſe Proclum Ariſtæi ſenioris: de quo ſic Pappus lib. VII. Mathematicæ Collectionis ‡: *Euclides autem ſecutus Ariſtæum, ſcriptorem luculentum in iis, quæ de conicis tradiderat; neque antevertens, neque volens eorum tractationem deſtruere, cùm mitiſſimus eſſet, & benignus erga omnes; præſertim erga eos, qui Mathematicas diſciplinas aliqua ex parte augere, & amplificare poſſent.* Reliquit verò Ariſtæus hic libros V. τόπων στερεῶν, *locorum ſolidorum*: ut ex eodem Pappo ibidem diſcimus.

* Pag. 19. editionis Hervagianæ.
† Quadrantariam.
‡ Fol. 164. b. edit. Piſaurenſis 1588.

Ariſtotelem quoque prætteritum eſſe, videmus; licet tum, quem inſcripſit Μαθηματικὸν ‡, tum περὶ μονάδος * librum, ediderit; teſte Laërtio. Imò hodieque, modò genuinus, Ariſtotelis ſupereſt libellus περὶ ἀτόμων γραμμῶν, *de lineis inſecabilibus*. Quem primus Græcè edidit H. Stephanus; ac Latinè reddidit Julius Martianus Rota. Antea pro Ariſtotelis libello, quem dixi, legebatur Georgii Pachymerii paraphraſis. Huic enim tribui oportere, monuit Joannes Baptiſta Camotius; is, cujus in primum Metaphyſicorum Theophraſti exſtant commentarii Græci, à Turriſano editi †. Tam Ariſtotelis opuſculum, quàm Pachymerii paraphraſin, Græcè habes in longe omnium optimâ Sylburgianâ Ariſtotelis editione.

‡ Mathematicum
* De unitate.
† Venetiis an. 1551.

CAP. XIV.

DE GEOMETRIÆ DIVISIONE in planorum, & ſolidorum doctrinam; ac in utraque, tum cauſſarum conſideratione, tum uſus.

1. §. *Nunc de partitione Geometriæ videamus. Multorum ea eſt opinio, cùm magnitudo, uti dictum, ſit objectum Geometriæ; ea verò ſit triplex: tres quoque eſſe Geometriæ partes. Quarum prima verſetur circa lineam; altera, circa ſuperficiem; tertia, circa corpus, ſive ſolidum.*

E Quibus linea unius eſt dimenſionis: quippe ſolùm longa, eâque puncto terminata; quod licet principium ſit magnitudinis, omnis tamen magnitudinis eſt expers. Nec enim hic punctum intelligitur phyſicum; quale manu pingimus, pictum oculis cernimus: ſed Mathematicum; quod nonniſi animo concipimus. Ex puncti hujuſmodi fluxu, motuque, oritur linea; ut inde ſuperficies: quæ à linea quidem habet longitudinem; ab ejus verò fluxu accipit latitudinem: ut ſi cogitemus lineam tranſverſam moveri. Similiter, ſi concipiamus ſuperficiem elevari, exſurgit corpus Mathematicum, ſive ſolidum: quod ut longitudinem, ac latitudinem, accipit à ſuperficie; ſic ab elevatione, ſive motu, ad duo illa ſuperaddit profundum, ſive altum; quæ duo non differunt, niſi ut via, quæ Thebis ducit Athenas, & Athenis Thebas. Nam quod profundum eſt ſpectanti deorſum; id altum eſt ſuſpicienti: etſi id diſcrimen negligant poëtæ; qui & *cælum* dicunt *profundum*, & *altum* ajunt pro mari.

2. §. *Quamquam verò nolim diſtributioni illi magnopere adverſari: magis tamen placet, nec doctrinam de puncto, nec illam de linea, eſſe partem Geometriæ diſtinctam; ſed ſub planorum doctrinâ, ut εἰσαγωγικῷ *, contineri.*

* Introductionem.

Perſpicuè ſatis hac de re Commandinus prolegomenis in Euclidem: *Geometria dividitur in planorum, & ſolidorum contemplationem; quæ ſtereometria appellatur. Siquidem circa puncta, & lineas, peculiaris quædam non eſt tractatio: quoniam neque figura in his ulla ſine planis, vel ſolidis, fieri poſſit. Geometria enim nihil aliud æquè agit, niſi ut plana, & ſolida, vel conſtituat, vel jam conſtituta, inter ſe comparet, aut dividat.* Nec ſanè in Elementis ſuis Euclides peculiariter tractat de punctis, & lineis; ut monet Proclus.

3. §. *Imò nonnullis ne quidem ſolidorum doctrina pars Geometriæ videtur. Siquidem* γεωμετρίαν, & στερεομετρίαν, *pro diverſis habent diſciplinis. Quippe volunt,* γεωμετρίαν *ſe continere intra ſuperficies. Scientiam verò diverſam eſſe, quæ ſolida contempletur; ut cubum, conum, atque alia.*

Atque ita hiſce vocibus etiam uſus eſt Ariſtoteles: ut qui libro primo Analyticorum poſteriorum † tradat, Optica ſimiliter eſſe affecta ad Geometriam, ac Mechanice ad Stereometriam.

4. §. *Sed Euclidem potiùs ſequimur; cui* ἐπιπεδομετρία †, & στερεομετρία ‡, *non diverſæ ſunt ſcientiæ; ſed ſcientiæ unius partes diverſæ.*

Quam rem mox, de Euclidis monumentis acturi, pleniùs explicabimus. Prior aliter dicitur ἐπιπέδων θεωρία *.

† Contextu 100. ſive cap. 10. vulgatæ diſtinctionis: at cap. 13. diſtinct. Pacianæ.
† Planorum menſura.
‡ Solidorum menſura.
* Planorum, ſive ſuperficierum, contemplatio.

5. §. *Uti verò in Arithmeticis; ſic etiam in hiſce duabus, ſive diſciplinis, ſive potiùs diſciplinæ unius partibus, duas res conſideramus. Priorem locum obtinent cauſſæ, ſive demonſtrationes.*

Nam, ut Serenus Antinſenſis ait, præfat. libri de ſectione cylindri: *Abſurdum omnino videtur, Geometras de problemate Geometrico ſine demonſtratione quicquam affirmare. Oratio enim probabilis, & ſine ullo artificio, à Geometria alieniſſima eſt.*

6. §. *Nec tamen ſingularum propoſitionum cauſſas diſcere eſt opus, prout eas tradidit Theo. Nam id operoſum eſt: nec ut id fiat, quicquam urget.*

Satius igitur omnino ſit, communia habere præcepta; unde demonſtratio ſingulis poſſit propoſitionibus adaptari.

7. §. *Alterum; quod utrobique attendere oportet, eſt uſus. Videndum enim, quas ad res demonſtrationes ſingulæ accommodentur.*

Rectè verò prætereuntur, quæ uſum habent nullum, atque ad ſterilem contemplationem pertinent.

Cap. XV.

DE EUCLIDE, ET EJUS GEOMETRICIS.

1. §. *Atque ex his cognoſcere fuit de Geometriæ naturâ, utilitate, inventione, diſtributione, ac tradendi modo. Nunc exponam, unde nobilem adeò ſcientiam diſcere ſit. Ac primùm dicam de omnium eorum, quorum labores in Geometria habemus, antiquiſſimo. Eſt is Euclides. Ut cumque enim multi ante eum Geometræ fuerint, non in Ægypto ſolùm, ſed etiam Græciâ; aliqui etiam quædam literis conſignârint: hic tamen primus omnium Græcorum omnia collegit, collecta digeſſit, quæque negligentiùs probarentur, accuratiùs demonſtravit.*

Ac propterea pingebatur digitis dimetiens. Unde Sidonius Apollinaris lib. IX. epiſt. IX. ait: *Per gymnaſia, vel prytanea, pingi Zenonem fronte contractâ; Chryſippum digitis, propter numerorum indicia, reſtrictis; Euclidem, propter menſurarum ſpatia, laxatis; Cleanthem, propter utrumque, corroſis.* Intelligendus verò eſt non Megarenſis ille, Eriſticæ ſectæ conditor, cujus vitam Laërtius ſcripſit: ſed alter, Mathematicus. Prior Megaris Atticis ſolebat noctu Athenas ire ad audiendum Socratem: ut æqualis fuerit Platonis; qui & ejus meminit in Thæteto. Alter, Proclo Diadocho, in ſecundo commentariorum, teſtante, in Ægypto, ſub Ptolomæo, Lagi filio, docuit; ut eâdem, ac Theophraſtus, ætate claruerit. Quare hos inter Euclides annorum quaſi XC. fuerit intervallum. Atque hoc eò magis commonere operæ duxi; quia non Conradus modò Geſnerus in bibliothecâ ſuâ; ſed alii, magno numero, contrà ſenſerint: imò his omnibus ad errorem præiverit Valerius Maximus lib. VIII. cap. XII. ubi ait, conductores ſacræ aræ à Platone miſſos ad Euclidem Geometram. Quanquam ne quidem de Socratico illud ſit verum; ſed problema rejecerit Plato ad diſcipulos. Vide Philoponum in lib. I. poſt. Annal. cap. VII. Ac meminit hiſtoriæ etiam Plutarchus libro de EI Delphico. Ex iiſdem conſtat, apud Valerium non, *conductores ſacræ arcis*; ut Stephanus Pighius, contra omnium codicum fidem, repoſuit; ſed *ſacræ aræ*, legi oportere. Quod ex iis, quos dixi, ſcriptoribus rectè monitum, tum Federico Commandino, inſigni Mathematico; tum doctiſſimo Savilio; illi in prolegomenis Elementorum Euclidis: huic prælectione I. in Euclidem. Valde autem illud commendat ſcholam ab Euclide erectam Alexandriæ, quòd non ſolùm multos reliquerit diſcipulos; de quo auctor Pappus in ſeptimo Collectionum Mathematicarum; ſed ab ejus tempore, uſque ad tempora Sarracenica, vix ullum invenire ſit nobilem Mathematicum; quin vel patriâ fuerit Alexandrinus, vel ſaltem Alexandriæ dederit operam Matheſi.

2. §. *Opus ſuum Euclides Elementa inſcribit.*

Ut Porphyrius librum de V vocibus ἁπλῶς appellat εἰσαγωγὴν *; cùm Logicam introductionem intelligeret: ſic Euclides opus ſuum στοιχείωσιν ‡, vel στοιχείων βιβλία ⸸, inſcripſit; cùm ſignare vellet Geometrica. Ab his στοιχείων libris στοιχειωτὴς * vocatur Proclo.

* *Introductionem.* ‡ *Elementorum doctrina.* ⸸ *Elementorum libri.* * *Elementorum ſcriptor.*

3. §. *Conſtant hæc elementa libris* XV.

Niſi quòd de duobus poſtremis res non ſit ita aperta. Plerique eos non Euclidis putant, ſed commentarios Hypſiclis Alexandrini. Alii & ipſos libros Hypſicli tribuunt. Sanè in Græca editione decimuſquartus præfationem habet propriam: quam nec primus habet Euclidis: non vano argumento, libros duos ultimos alterius eſſe, quàm Euclidis.

4. §. *Partes hujus operis, propriè ſunt duæ *: ἐπιπεδοθεωρία, ſive planorum doctrina, & στερεομετρία, ſive ſolidorum contemplatio. Sed στερεομετρία intelligi nequit ſine notitia linearum συμμέτρων †, & ἀσυμμέτρων ‡. Nec hanc ſcire poſſumus, niſi notitiam habeamus numerorum. Quare Euclides elementa ſua Geometrica commodè in quatuor diſpeſcuit partes. Prima eſt ἐπιπεδοθεωρία ⸸, quæ ſex libris continetur: quatuor primis agitur de planis abſolutè: duobus proximis comparatè, ſive de proportionibus: in genere quidem libro quinto; particulatim verò libro ſexto. Altera pars eſt de numerorum affectionibus: nempe liber ſeptimus, octavus, & nonus; qui* Arithmeticorum *vocantur. Tertia eſt de lineis συμμέτροις *, & ἀσυμμέτροις †. Unde hæc pars Συμμετρία dicitur: ac libro decimo continetur. Quarta eſt στερεομετρία, ſive de ſolidis. Quæ quinque reſiduis libris abſolvitur.*

* *Proclus in I Eucl. p. II.* † *Paris menſura.* ‡ *Imparis menſura.* ⸸ *Planorum doctrina.*

Atque hæc de Euclide, & ejus Geometricis. Quorum, ut Cardanus lib. XVI. de Subtilitate ait: *inconcuſſa dogmatum firmitas, perfectioque adeò abſoluta, ut nullum opus jure huic aliud comparare audeas. Quibus fit, ut adeò veritatis lux in eo refulgeat; ut ſoli hi in arduis quæſtionibus videantur poſſe à vero falſum diſcernere, qui Euclidem habent familiarem.* Porrò, præter στοιχεῖα hæc, etiam ſcripſit Euclides, Optica, Catoptrica, Muſica, Data, & Phænomena: quæ ſuperſunt, Latineque ea, Muſicis exceptis, vertit Bartholomæus Zambertus, ac, quem antè dixi, Hervagius excudit. Data etiam è Græcis Latina fecit Claudius Hardy, Chriſtiani filius *, ac feliciùs id præſtitit, quàm antea Zambertus. Idem etiam Græcè edidit unà cum Marini philoſophi commentario. Locis quoque obſcurioribus addidit ſcholia, non illa modò, quæ è veteri ſcholiaſte verterat Zambertus; ſed etiam propria. Eſſe id opus genuinum, auctores habemus Pappum ibi, & ejus interpretem Marinum. Atque ut germanum opus, ita & multum adfert momenti ad veteres Geometras intelligendos; Archimedem, Apollonium, Pappum, Eutocium, alioſque. Præterea neceſſarium eſt ad inſtaurationem analyſeos, cùm analyſis haut aliud ſit, ac Dati inventio: ut ex eodem Pappo conſtat initio lib. VII. Et hæc de Datis Euclidis. Item fecit Euclides librum de diviſionibus. Præterea quatuor libros Conicorum, & tres Poriſmatum. Inſuper duos τόπων πρὸς ἐπιφανείᾳ *. Meminere Proclus †, & Pappus ‡: ſed perierunt.

* *Inter quas eſt quantitatis commenſus.* † *Inter quas commenſus quantitatis non eſt.*

* *Habes etiam in Merſennii Synopſi Mathematica pag. 273.*

* *Locorum ad ſuperficiem.* † *Commentario in Euclidem.* ‡ *Lib. 7. Mathematicæ Collectionis.*

Cap. XVI.

De Geometricis ſcriptoribus, qui poſt Euclidem claruerunt; partim ante Auguſtum Cæſarem, partim ſub Auguſtis.

1. §. *Proxima poſt Euclidem antiquitatis ex iis, qui exſtant, eſt Apollonius Pergæus. Claruit enim ſub Ptolomæo Euergete.*

Natus eſt Pergæ, civitate Pamphyliæ. De ætate autem ejus, quod dixi, auctor eſt Heraclius in Archimedis vitâ, & exinde Eutocius Aſcalonita, initio commentariorum in Conica Apollonii. Ubi & ex Gemini Mathematicarum præceptionum libro ſexto refert, ut ob conicam hanc ſcientiam à ſuæ ætatis hominibus nuncupatus ſit *magnus Geometra.* Euclidis diſcipulos, quod & ipſum ætatem indicat, Alexandriæ audivit. A quibus cùm multa accepiſſet; non diffi-

difficile adeò fuit quatuor Conicorum Euclidis libros commentario illuſtrare, ac totidem alios adjungere: ut in univerſum conicorum eſſent libri VIII. ſicut auctor eſt Pappus Alexandrinus libro VII. Mathematicæ Collectionis. Atque eodem libro alia quoque ejuſdem Apollonii memorat. Videlicet libros duos περὶ λόγου ἀποτομῆς, *de proportionis ſectione:* totidem περὶ χωρίου ἀποτομῆς, *de ſpatii ſectione:* etiam duos διωρισμένης τομῆς, *determinata ſectionis:* ac totidem ἐπαφῶν, *tactionum:* duos quoque νεύσεων, *inclinationum:* ac ſimiliter duos τόπων ἐπιπέδων, *planorum locorum.* Quorum Pappos alios vocat ἐφεκτικοὺς, *in ſe ſolis conſiſtentes:* alios διεξοδικοὺς, *extra ſeſe tendentes.* Cæterùm fuere olim, qui Conica non eſſe Apollonii Pergæi, ſed Archimedis putarent. Exiſtimavit hoc Heraclius ille, qui Archimedis vitam retulit. Ejus verba inde adducit Eutocius, quibus ait, Archimedem primum omnium conſignâſſe elementa Conica: Apollonium autem, cùm ea ſciret necdum edita eſſe ab auctore, involâſſe in illa, proque ſuis edidiſſe. Ac videtur id poſſe ipſius Archimedis verbis comprobari. Nam ipſe operis de conicis elementis meminit, partim libro περὶ κωνοειδέων, καὶ σφαιροειδέων, ante propoſitionem quartam; partim in τετραγωνισμῷ παραβολῆς ante propoſitionem quartam. Utrobique enim ait, id, de quo loquitur, demonſtratum eſſe in libris Conicis. Niſi quis cenſeat, reſpici Euclidis quatuor Conicorum libros: quorum Pappus mentionem facit in ſeptimo Mathematicarum Collectionum libro. Verùm, ſi alienum opus ſignaret Archimedes, non ſic loqueretur. Solet enim tum dicere, priores id demonſtraſſe. Et ſanè Archimedi non fuiſſe ignotum, conos ſecari poſſe planis, quæ ad latus coni habeant inclinationem differentem, ſatis comprobat contra Eutocium, & alios, Guido Ubaldus initio commentarii in ſecundum ἰσορροπικῶν Archimedis. Quæ cùm conſidero, nolim de auctore multùm contendere. Et fortaſſe rudiores Archimedis chartas nactus fuit Apollonius, atque eas perfecit. Utcunque eſt, ante hæc de Conicis edita ab Apollonio, imperfecta erat eorum notitia: ut tradit Eutocius Aſcalonita initio Commentarii ſui in Conica Apollonii. Atque, Ariſtæi judicio, Pappi eadem mens fuit. Conicorum hodie duntaxat libri quatuor ſuperſunt: qui elementa totius conicæ doctrinæ continent. Eos primus tranſtulit Ioan. Baptiſta Memmius; ſed infeliciter, eò quòd argumentum operis non intelligeret: unde non vidit ſat manifeſtas Græci codicis mendas, ac ſæpe pueriliter alucinatur: ſicut monitum Franciſco Maurolyco, præfatione in Coſmographiam ſuam. Operæ igitur fecit Federicus Commandinus: qui denuò Latinè vertit, Bononiæque edidit, anno CIↃ IↃ LXVI. Nec tamen omnia in eo vertendo potuit Commandinus. Uſque adeò corruptus erat Græcus codex. Quare in Latinis vitioſum ſequi codicem eſt coactus; ut ipſe agnoſcit. Itaque Marinus Gheraldus, Patricius Raguſinus, operam non refûgit reſtituendi codicem in genuinam auctoris ſententiam, ſolvendique problemata: quo Apollonium quaſi ad vitam revocavit; unde etiam opus ſuum *Apollonium redivivum* inſcripſit. Alia quoque Apollonii hujus citant Proclus in Euclidem, ubi laudantur Ἀπολλώνιος ὁ Περγαῖος ἐν τῷ Ὠκυβόῳ. Fortaſſe reſcribendum τῇ Ὠκυβόῃ. Quæ vox fuerit à βοῇ ſignificante pugnam: ut ſæpe apud Homerum: ὠκυβόαι τεχυμάχαι. Et Eutocius Aſcalonita libro de dimenſione circuli. Eutocius hic etiam in Conica Apollonii commentatus fuit. Eum quoque commentarium Latinè vertit Commandinus. Utcumque verò nunc quatuor duntaxat Conicorum libros habeamus, ſicut diximus: Arabicè tamen tres præterea ex Oriente eſt nactus clariſſimus Jacobus Golius, antehac, in Academia Leidenſi, collega conjunctiſſimus. Cui multum Arabicæ debent literæ, ac Matheſis univerſa: plura verò propediem debebunt; præſertim ubi etiam tres illi Conicorum libri viderint lucem. Quærat aliquis, quid factum ſit de libro octavo. Cognoſcimus de hoc ex codice Goliano: ubi ad calcem erat adſcriptum, eò non fuiſſe Arabicè tranſlatum; quia etiam liber ille deſideraretur in codicibus Græcis, unde Arabes cætera tranſtuliſſent. Sed doctiſſimus Merſennius, præfatione in Apollonii Conica; quæ ſunt in ejus Συνόψει Mathematicâ; Arabicè & illum exſtare ait: imò omnes Apollonii libros eâ linguâ legi; ſanè plures etiam, quàm enumerârit Pappus. Atque horum teſtem citat Aben Nedin; qui librum contexuit de philoſophis Arabibus, omniumque eorum ſcripta memoravit, qui fuere à quadringènteſimo poſt Muhammedem anno. Interim, (ut idem Merſennius addit) Claudii Mydorgii, patricii Pariſini, ea eſt ſuſpicio, tres illos Conicorum librorum, qui ab Arabibus Apollonii creduntur, non eſſe genuinos; verùm ab aliquo ſuppoſitos, qui ſub Apollonii nomine facere voluerit fucum. Atque hoc inde colligit; quòd libro quincto primâ Propoſit. in VI Apollonii non tantummodo in cono recto, ſed in ſcaleno etiam quolibet, & portionibus quibuſvis, demonſtret poſſibilia quæque. Atque hæc de ſcriptis Apollonii. Meminit auctoris quoque Vitruvius lib. I cap. I. Cardanus in XVI de Subtilitate ei ſeptimum inter ſubtilia orbis ingenia tribuit locum.

2. §. *Tertius eorum, quos habemus, eſt Archimedes Syracuſanus, divini vir ingenii; qui priorum omnium luminibus obſtruxit.*

Cardano lib. XVI de Subtilit. dicitur, Mathematices *non tam primus auctor, quàm inimitabilis.* Hoc multis videtur oſtendiſſe. Patriæ enim muros diu adverſus Romanos machinis bellicis tutatus fuit, claſſemque hoſtilem exuſſit, pice navium concipiente ignem è calore radiorum ſolarium reflexo per ſpecula: ut tradit, præter Livium, Valerium, & Plutarchum, Galenus lib. III de Conſtitutionibus. Captis verò à M. Marcello Syracuſis, Olympiadis CXLII anno primo, à milite fuit interemtus; ſed contrà quàm interdixerat Imperator. De quo ſic Plinius Natur. Hiſtor. lib. VII cap. XLVIII: *Grande & Archimedi Geometricæ, ac Machinalis ſcientiæ, teſtimonium M. Marcelli contigit interdicto, cum Syracuſæ caperentur, ne violaretur unus, niſi feſelliſſet imperium militaris imprudentia.* Præterea rationem invenit mixtionis auri, & argenti in corona Hieronis, Syracuſani regis. Omnem rem narrat Vitruvius. Cujus verba in ſcholiis illuſtrat David Rivaltus in ſua Archimedis editione*. Etiam de inventis ejus dicent Eutocius, & Diogenes Laërtius. Unde præſtantiam Geometriæ videmus. Nec tamen ex iis duntaxat metiri illam decet; cùm magis miranda præſtari ejus beneficio poſſint. Pluſcula Archimedis ſuperſunt. Ut περὶ κωνοειδέων, καὶ σφαιροειδέων, nec non περὶ ἑλίκων, deque arenæ numero; qui liber ψαμμίτης inſcribitur; præterea quadratura parabolæ. Adhæc libri duo περὶ ὀχουμένων †. Quos Græcè edidit David Rivaltus à Flurantia ‡ Pluribus de eo loquar in Mechanicis. Tum item tria hæc, in quæ etiam Eutocii Aſcalonitæ habemus commentarios; de ſphæra, & cylindro, circuli dimenſio, & iſorrhopica. Cuncta hæc Archimedis, & Eutocii, captâ Conſtantinopoli, perlata ſunt in Italiam; inde à ſummo Mathematico, Ioanne Regiomontano, vecta ſunt in Germaniam; ubi primò curâ Thomæ Venatorii ab Hervagio* fuere excuſa. In ſecundo Eutocii commentario habemus XII Mathematicorum ſententias de Deliaco problemate duplicandi cubi, ſive inter duas rectas datas inveniendi medias proportionales. Ii Mathematici ſunt, Plato, Hero, Philo Byzantius, Apollonius Pergæus, Diocles, Pappus, Sporus, Menæchmus, Archytas, Eudoxus, Eratoſthenes, & Nicomedes. Exiſtimabat Joſephus Scaliger in Cyclometricis, peccare in eo Archimedem, quòd ſua oſtendat οὐκ ἐπιστημονικῶς, ἀλλὰ παραλογιστικῶς †: ut qui in Geometricis utatur numeris. Sed pro Archimede luculentam Apologeticam ſcripſit Adrianus Romanus: eâ oſtendit, rectè ad demonſtrationes Geometricas numeros aſſumi; propterea quòd ſic non ex una ſcientia particulari trans-

* *p. 534. & ſeqq. edit. Pariſ. anno 1615.*

† *De iis, quæ in humido feruntur.*

‡ *Pariſ. an. 1615.*

* *An. 1544.*

† *Non ſcientiam gignendo, ſed fallacibus argumentis inducendo in errorem.*

tranſcendatur in alteram; ſed adſumantur argumenta ex ſcientia univerſali, ſive Arithmeticæ, & Geometriæ, communi: quod rectè fieri, abunde ſuperiùs oſtendimus; cùm Matheſin divideremus, in univerſalem, ſive primam, & particularem, ſive ſecundam: quarum prior tradit numero, & magnitudini communia: poſterior autem vel numeri, vel magnitudinis, propria. Quantopere placuerint libri Archimedis de ſphæra, & cylindro, documento illud erit, quòd ſepulcro ejus ambo fuerint inciſa. Quo indicio M. Cicero ſepulcrum deprehendit, quod ipſi ignorabant Syracuſani: ut ipſe de ſe gloriatur Tullius. Cum libro Archimedis de arenæ numero utile fuerit jungere digreſſionem Chriſtophori Clavii de eodem argumento, quam habes Commentario in Sphæram Joannis de Sacrobuſto*.

* P. 237. edit. S. Gervaſii anno 1608.

3. §. *Sub eodem Evergete, ac inprimis ſucceſſore ejus Philopatore, atque etiam Epiphane, floruit Eratoſthenes Cyrenæus, qui eruditorum τὸ βῆτα † dicebatur. Hic quantus in Geometria fuerit, cùm aliunde ſciri potuit, tum ex iis, quæ de duplicatione cubi reliquerat.*

† Secundus.

De iſto proximè ex Eutocio dixi. Iterumque agam, ubi ad Geographiam fuerit deventum.

4. §. *Olymp.* CLVIII, *quâ regnare cœpit Ptolemæus Phyſcon, ſive Evergetes* II, *claruit ſenior Hero, patriâ Alexandrinus: cujus πνευματικὰ, & alia, ſuperſunt.*

Sed de hoc, & juniore Herone, potiùs in Mechanicis loquar.

5. §. *Quadam etiam Ciceronis, ac Pompeji, temporibus de Geometria ſcripſit Geminus.*

Hoc indicat catalogus librorum ex Barocciana bibliothecâ in Angliam delatus. Sed necdum vidit lucem. Quamquam verò Proclus commentario in Euclidem ſemper vocet Γεμῖνον, circumflexâ penultimâ: vix dubitem tamen, quin ſit nomen Romanum. Sanè Gemini, Geminii, & Geminiani, celebrantur in antiquis ſcriptoribus, & inſcriptionibus. Fuerit, credo, libertus alicujus cum hoc nomine. Plura de Gemino in Aſtrologis adferam.

6. §. *Quantum videre licet, claruit iiſdem temporibus Theodoſius Tripolites; qui partem Geometriæ de figura ſphæricâ libris tribus utiliſſimis egregiè excoluit.*

Eos Græcè edidit, Latineque vertit, ac Lutetiæ Wecheli typis mandavit, Joannes Pena, Mathematicus Regius. Compluria ex eo Ptolemæus hauſit; & Ptolemæo recentiores, Pappus, Proclus, Theon. Multa item; ſed, diſſimulato Theodoſii nomine; exſcripſit Vitellio: ob quæ tamen maxime fuit admirationi. Arabes etiam in linguam ſuam tranſtulerunt. Ex Arabico verò Latinè verſus fuit à Platone Tiburtino; ut auctor eſt, qui de ſpeculis uſtoriis ſcripſit. Eaque interpretatio Venetiis excuſa. Sed immane quantum ab hac tralatione abit illa Joannis Penæ; qui è Græco fonte optimâ fide convertit. Quanquam autem Theodoſius hic Tripolites inſcribatur, eoque nomine à Suida etiam memoretur: non dubium tamen, quin idem ſit ac Bithynus ille Theodoſius, profeſſione philoſophus, quem Mathematicis diſciplinis, uti & filios ejus, præſtitiſſe, ait Strabo lib. XII. Ut Pompeji Magni temporibus vixiſſe videatur. Nec obſtat, quòd dicatur Bithynus. Nam fortaſſe ex Bithynia Tripolin in Africam abiit, atque ibi ſedem fixit. Quomodo Hipparchus eidem Straboni eſt Bithynus; qui Ptolemæo, & aliis, eſt Rhodius. Scripſit etiam περὶ οἰκήσεων ‡, & libros II περὶ ἡμερῶν, καὶ νυκτῶν*. Quæ Græcè in Bibliotheca Regiâ Lutetiæ adſervantur. Latinè Argentorati edi curavit Petrus Daſypodius, an. CIↃ IↃ LXXII.

‡ De habitationibus.
* De diebus & noctibus.

7. §. *Trajani temporibus Romæ claruit Menelaus, Geometra eximius: cum cujus obſervationibus ſuas confert Ptolemæus in mag*[illegible] *συντάξεως opere.*

Hic in Sphæricorum libris magna ex parte triangulorum doctrinam complexus fuit. Sed de hoc in Sphæricis dicam pluribus.

8. §. *Theodoſio Magno imperante, (qui anno Chriſti* CCCXCV *vitâ exceſſit) poſt Heronem ſeniorem præcipuè ex veteribus, claruit Pappus Alexandrinus; qui octo μαθηματικῶν συναγωγῶν* libros reliquit: ſed duo primi videntur deperiiſſe.*

* Mathematicarum collectionum.

Tertius liber inter alia occupatur in exſolvendo problemate Deliaco de duplicatione cubi; ſive de variis rationibus inter duas lineas rectas inveniendi medias proportionales. In ſexto illuſtrat Theodoſii ſphærica: uti in ſeptimo varia Apollonii Pergæi. Octavus eſt mechanicus: atque ipſe fatetur, pleraque ſe hauſiſſe ex Herone. Sex hoſce libros, qui Libitinam effugerunt, Latinè reddidit, caſtigavit, & uberi commentario explicuit, Federicus Commandinus Urbinas. Poſthumum verò hoc opus in lucem prodiit Piſauri anno CIↃ IↃ LXXXVIII: idque curâ Franciſci Mariæ II Urbinatium Ducis: abſque quo fuiſſet, tardiùs in manus hominum veniſſet, duabus ſororibus, Commandini hæredibus, gravi lite diſtractis; ut gener ipſe ſcribit. Ex Merſennio † cognoſco, Græce Pappum exſtare in Bibliotheca Dom. Leſcuyer, Galli, Senatoris eximii.

† Præfat. in ſynopſin Mathematicam.

9. §. *Iiſdem ſenioris Theodoſii temporibus floruit Theon Alexandrinus: cui multum debet elementorum volumen Euclidi tributum.*

Non quaſi Euclides, ut quidam ineptè cenſent, ſolas ſcripſerit concluſiones; demonſtrationes autem reliquerit aliis, quas Theon idcirco addiderit. Ac longè minùs, quaſi nullæ ſint partes Euclidis; ſed Theon, & concluſionum, & demonſtrationum, auctor ſit. Quæ ſententia eo refellitur, quòd Proclus, & Boëthius; imò & Alexander Aphrodiſeus, qui Theone antiquior fuit; multa Euclidi tributa iiſdem verbis, atque eodem ordine, ſub Euclidis nomine citent. Vera autem de hoc opinio eſt, quòd Theo novam Euclidis editionem adornârit; in qua Euclidea & meliùs digeſſerit, & aliquot locis auxerit. Quod ita eſſe, oſtendit pluribus Savilius prælectione ſecundâ in Euclidem. Præſtantiſſimus hic Mathematicus filiam habuit Hypatiam, ingenio præſtantem, & Philoſophiæ, atque Aſtrologiæ, intelligentiſſimam; quæ in ſchola Platonicâ, à Plotino per ſeſquiſeculum deductâ, ſucceſſit. Ad eam ſex ſeptem exſtant Syneſii epiſtolæ: quæ nunc quidem inſcribuntur, Ὑπατίᾳ τῇ φιλοσόφῳ*; nunc vero ἁπλῶς, τῇ φιλοσόφῳ †. Porrò de ipſa etiam Geometria bene voluit mereri. Nam commentarium fecit in Conica Apollonii; ut auctor eſt Suidas. De triſtiſſimo præſtantiſſimæ feminæ exitu; qui incidit in VIII annum Theodoſii junioris, Chriſti verò CCCCXV; vide, quæ Socrates ſcripſit Hiſtor. Eccleſ. lib. VII cap. XV. Atque hæc ſatis parentis etiam ætatem docent. Quam & ipſam ex Mſo codice ad Euclidem comprobat Savilius prælect. prima ‡.

* Hypatiæ philoſophæ.
† Simpliciter ſic, philoſophæ.
‡ Cap. 2.

10. §. *At non item ætatem dicere poſſumus Sereni Antinſenſis: multum licet laudis meruerit; duobus ad Cyrum libris. Quorum prior eſt de ſectione cylindri, alter de ſectione coni per verticem, quâ variæ triangulorum ſpecies conſtituuntur.*

Nimirum, cùm vulgo perſuaſum foret, ut Serenus ipſe

ipſe ait, *tranſverſam cylindri ſectionem longe diverſam eſſe ab ea ſectione coni, quæ ellipſis appellatur*: priori libro ſibi oſtendere propoſuit, *cylindri recti ſectionem eandem eſſe, quæ ellipſis recti coni*. Poſteriori verò, *cùm ſectio conorum, quæ per verticem fit, triangula in conis conſtituat*, oſtendit, *quàm ea res variam, ac pulcram, habeat conſiderationem*. Ac facere ſe id ait, quia doctrina hæc profundiore indigeret Geometriâ; priores verò eam inexplicatam reliquiſſent. Græcè in quibuſdam Bibliothecis Manuſcriptus ſupereſt. Promiſerat ejus editionem Franciſcus Maurolycus: verùm mors prævênit. Bene autem eſt, quòd Latinè vertit, ac commentario illuſtravit, Federicus Commandinus Urbinas. Unà cum Apollonio Pergæo Bononiæ editus eſt anno CIↃ IↃLXVI. De Græcis Geometris hæc dicta ſunto. Plures ſuperſunt; de quorum pleriſque obiter in mixtæ Matheſios ſcriptoribus loquar.

Cap. XVI.

DE GEOMETRIÆ SCRIPTORIBUS Latinis, & Arabibus; præcipuis etiam ad noſtra uſque tempora deductis.

1. §. *De Latinis nunc videamus, ac pariter Arabibus. Latinorum, ut arbitror, primus, Terentius Varro de Geometria librum reliquit ad M. Cœlium Rufum.*

Uti eſt apud Frontinum de limitibus agrorum. Sive, ut in aliis eſt libris, ad Sylvium Rufum. Si prius placet; fuerit is, quem Cicero oratione, quæ exſtat, defendit; ac cujus, in epiſtolis ad familiares, liber octavus ad Ciceronem exſtat. Ejus vitam ſtudioſè initio Commentariorum in hunc Cælii librum Paulus Manutius collegit. Præterea *Menſuralium Varronis* meminit Priſcianus lib. X; ubi inde verbum *inſio* adducit.

2. §. *Verùm Varronis nihil hodie exſtat. Ex iis verò, quos habemus, longo poſt tempore præter Severinum Boethium, cujus duo ſuperſunt de Geographia libri, præterea vixere duo; ſed qui non multùm juvare Geometriæ ſtudioſum poſſint. Prior eſt Aurelius Caſſiodorus: qui anno claruit IↃXXX, ac Theoderico, Italiæ regi, ab epiſtolis fuit. Hujus opuſculum exſtat de IV diſciplinis Mathematicis; Arithmeticâ, Muſicâ, Geometriâ, Aſtronomiâ. Nec minus brevitate nimiâ ſpem legentium penitùs deſtituit Martianus Capella; qui vel par, vel ſuppar, Caſſiodoro videtur. Ejus liber ſextus de Geometria inſcribitur. Sed totus penè abſumitur in Geographia, ſive locorum potiùs hiſtoriâ: quam & ipſam jejunè ſatis tractat. Solùm extima paucilla pagina de Geometria tradunt quædam pervulgata.*

De Caſſiodoro plura diximus lib. II de Hiſtoricis Latinis, cap. XIX. De Martiano egimus ejuſdem operis lib. III inter ſcriptores ætatis incertæ. Ajunt paullò ante ſexcenteſimum vixiſſe annum. Sed ex Codd. Mſſis cognoſcimus, jam Juſtiniani ævo ex mendoſiſſimis codd. Romæ fuiſſe recenſitum à Meliore Felice, Rhetore. Quare ſi non antiquior fuerit Caſſiodoro; ſaltem multò junior eſſe non poſſit. Vide &, quæ de eo afferam cap. XXXIV, quæque dicimus in Poëtis Latinis.

3. §. *Anno* CIↃL *floruit Hermannus Contractus, Comes Heringenſis; filius Volfradi Comitis, cœnobii S. Galli monachus; qui, inter cætera, de quadratura circuli ſcripſit.*

Ætatem inde cognoſcimus, quòd perduxerit Chronicon ſuum uſque ad annum CIↃLII. Plura de hoc in hiſtoricis Latinis adduximus lib. II, cap. XL.

4. §. *Arabum etiam jam ab eo tempore, quo Saraceni, conſtitutâ, pacatâque Republicâ, ſe Matheſios ſtudiis dederunt. In hacce ſcientiâ ſtudium eluxit. In hiſce Machometi Bagdedini: cui adſcribitur liber de ſuperficierum diviſionibus.*

Is à Ioanne Dee Londinenſi, & Federico Commandino Urbinate, unà cum ejuſdem Commandini de eâdem re libello, Piſauri prodiit Italicè anno CIↃ IↃLXX, apud Hieronymum Concordiam. Sed enim meritò ambigitur, an non hic liber ſit Euclidis, & Arabicè tranſlatus. Nam Euclidem de diviſionibus ſcripſiſſe, auctor eſt Proclus in Euclidem. Aliqui etiam ætatem ſeu Bagdedini, ſive Bagdanini, hujus, in dubium vocant. Vixiſſe enim arbitrantur, anno non IↃCCI, ſed paullo poſt annum IↃCCCC.

5. §. *Alchindus Arabs libellum reliquit ſex quantitatum.*

Quo nihil ingenioſius: ut Hieronymus Cardanus ait lib. XVI Subtilitatum: ubi & inter XII ſubulia orbis ingenia decimum Alchindo locum defert.

6. §. *Imò Euclidem Latini priùs ex Arabico tranſlatum habuere, quàm ex Græco fonte.*

Quemadmodum & ante cc, & infrà, annos, non alia Ariſtotelis, Galeni, Ptolemæi, aliorumque multorum, interpretatio in manibus erat, quàm ex Arabica verſione Latinè, vel ſemibarbarè potiùs, expreſſa.

7. §. *Ex Arabico autem vertit Ioannes Campanus.*

De quo ſic Raphaël Volaterranus ſcribit lib. XXI: *Poſt veteres illos Mathematicos primus effulſit circa Salutis annum* MI. Hunc *Philoſophum*, & *Aſtrologum*, *omnium opinione, ſuo tempore celeberrimum*, vocat Trithemius in ſcriptoribus Eccleſiaſticis: atque addit, *dici claruiſſe ſub Henrico Rege* III, *anno Domini* CIↃXXX. Sed Franciſcus Maurolycus Meſſanenſis, præfatione Coſmographiæ ad Bembum, objicit ei, quòd terminos Euclideos ſubinde perverterit. Cauſſam aperit Chriſtophorus Clavius; qui præfatione in Euclidem, in eo reprehendit, quòd *ſecutus in omnibus ſit traditionem Arabum, qui magna ex parte Euclidis ordinem, & methodum, perverterunt, verbaque propoſitionum ejuſdem locis non paucis immutârunt; ut verus, germanuſque auctoris ſenſus, perdifficilè poſſit intelligi.* Scripſit etiam de quadratura circuli. Item de compoſitione quadrantis. Niſi duo fuere Campani Mathematici: de quo in Aſtrologis agam cap. XXXV, §. 25.

8. §. *Etiam anno hoc* CIↃCXXX *Athelardus, ſive Adelardus, Anglus, monachus Bathonienſis, Euclidis Geometriam ex Arabico tranſtulit Latinè.*

Mſus exſtat Oxonii in Collegio Trinitatis. Vir fuit in omni penè ſtudiorum genere volutatus. Etiam ex Arabico vertit Erichiaſarim; qui eſt de VII planetis. Nec Arabicè ſciviſſe, mirandum: quando non modò Galliam, Germaniam, Italiam, adiit: ſed etiam Hiſpaniam, Ægyptum, Arabiam ipſam. Multa & ipſe ſcripſit; in his librum de VII artibus liberalibus. Plura de eo in Aſtrologis dicemus.

9. §. *Anno Chr.* CIↃCCLX *magna fuit exiſtimatio Alberti M. viri genere illuſtris, doctrinâque illuſtrioris: qui, inter alia, libros IV de Arithmeticâ, Geometriâ, Muſicâ, & Aſtrologiâ, ſcripſit.*

Ortus fuit è Sueviæ regulis Bolſtatenſibus. Pariſiis, & Coloniæ Agrippinæ, docuit; diſcipulumque habuit Thomam

mam Aquinatem. Cogentibus Urbano IV. & Rodolpho Imper. factus eſt Epiſcopus Ratiſponenſis. Anno obiit CIƆCCVIII. ætatis LXXXVII.

10. §. *Anno* CIƆ CCCC XL, *videlicet tempore Nicolai V, & Concilii Baſileenſis, ac* XXIV. *annis ſequentibus, magno etiam ob Matheſin in pretio fuit Nicolaus de Cuſa, epiſcopus Brixienſis, & presbyter Cardinalis, titulo S. Petri ad Vincula.*

Vir tantus, ut, quemadmodum de eo cenſet Faber Stapulenſis, Mathematicas *diſciplinas nemo profundiùs penetrârit*: quippe, ut ſubdit idem, *quæ ante omne ævum latuerunt, maxima ſacra Matheſios myſteria aperuerit.* Inter cætera ejus Mathematica exſtat *liber de tranſmutationibus Geometricis*: alter *de quadratura circuli*: item alius *de una recti, curvique menſurâ.* Quâ fit, ut *recta linea tot pedes habeat rectos, quot arcus curvos.* Cuſanus dictus à Cuſa, pago natali in diœceſi Trevirenſi, ad ripam Moſellæ, & Urſi-caſtri, in honorem S. Nicolai à ſe exſtructi, reditibus, & prædiis ditati, bibliothecâ etiam inſtructi. Obiit anno CIƆ CCCC LXIV. ætatis ſuæ LXIII.

11. §. *Anno Chriſti* CIƆ CCCC LXIV. *Joannes Mullerus ſive Molitor, à patria dictus. Regiomontanus Venetiis librum de Triangulis ſcripſit: etiam Nicolai Cuſani Cardinalis librum de quadratura circuli refutavit.*

Laus ea eſt Regiomontani, quòd ante eum nemo abſolutè adeò tradiderit triangulorum planorum, & ſphæricorum, ſcientiam: quâ quid utilius, ac neceſſarium magis partim ad dimenſiones locorum terrâ, marique; partim ad Ptolemaicam, & Copernicanam doctrinam de revolutionibus orbium cæleſtium? Et hæc quidem ille Venetiis. Romam deinde, quò cum Beſſarione Cardinale, poſt obitum Purbachii, profectus fuerat, abiit: ubi gravia ei certamina fuere cum filiis Georgii Trapezuntii, propterea quòd alucinationes patris oſtenderat, partim in Ptolemæo vertendo, partim commentario in Theonem, commiſſas. Obiit anno, ut aliqui cenſent, poſt milleſimum, & quadringenteſimum. LXX. ut alii; ſeptennio pòſt; quod Bucholcherus putavit: imò ſunt, qui mortem prorogent in annum CIƆ CCCC LXXXIX. ut Albertus Crantzius. Pluribus de Regiomontano agam in Aſtrologis cap. XXXV. §. 45.

12. §. *Circa annum* CIƆ CCCC LXXX. *honeſtum in Mathematicis locum obtinuit Joannes Wernerus: cujus in Geometricis, Geographicis, & Aſtrologicis, compluria ſuperſunt.*

In his de elementis Conicis; de modis duplicandi cubum; de ſectione ſphæræ ſub data ratione; quatuor item de triangulis libri, & alia. Adverſus Wernerum, clariſſimum Noribergenſium Mathematicum, diſſerit Franciſcus Barocius, in opere de problematis admirandi demonſtratione *.

* *Digreſſione contra Wernerum, pag. 175. & 4. ſeqq.*

13. §. *Anno* CIƆ CCCC XC. *omni ſtudiorum genere eminebat Hermolaus Barbarus, Aquileienſis Patriarcha; qui cùm alia multa, tum etiam quæſtiones Geometricas, ſcripſit.*

Majus tamen nomen ſibi peperit aliis: imprimis caſtigationibus Plinianis; quas Romæ jam Cardinalis edidit anno CIƆ XCIII. Plura de eo vide in noſtra Latinorum Hiſtoricorum Hiſtoriâ.

14. §. *Albertus Durerus claruit anno* CIƆ IƆ, *ac Geometricarum Inſtitutionum libros reliquit: atque ejus ſcientiæ beneficio picturam, qua arte excelluit, ad ſeveriorem legem reſtrinxit, ac prope abſolvit.*

Natus Noribergæ anno CIƆ CCCC LXXI. atque ibidem obiit anno CIƆ IƆ XXVIII.

15. §. *Anno* CIƆ IƆ, *ac deinceps, claruit Bartholomæus Zamberius Venetus: qui cùm videret, quantum Campani expoſitio abiret à codice Græco, operæ ſe facturum putavit, ſi de fonte Græco exprimeret Euclidem.*

Ejus verſionem Pariſiis excudit Henricus Stephanus ſenior, anno CIƆ IƆ XXVI. idque ex recognitione Michaëlis Pontani. Poſteaque Euclides cum utraque illâ, unâ Campani, alterâ Zamberti, tralatione, excuſus fuit ab Hervagio anno CIƆ IƆ XXXVII. Additaque, ex eâdem Zamberti interpretatione, alia Euclidis compluria. Idem Euclidis Optica, Catoptrica, Phænomena, & Data, Latinè reddidit; ut dixi, cùm de Euclide * ageremus.

* *In addendis pag. 54. verſ. 23.*

16. §. *Ac Zamberius quidem vir erat Græcè ſciens: ſed cùm Matheſin minus intelligeret, videre non valuit Græci codicis mendas; eoque non potuit non multa perperam transferre. Sæpeque Euclidis terminos pervertit.*

Quod de eo judicium eſt, ut aliorum, ſic Franciſci Maurolyci Meſſanenſis Siculi, præfatione Coſmographiæ ſuæ ad Bembum.

17. §. *Anno* CIƆ IƆ X *claruit Carolus Bovillus Veromanduus Samarobrinus. Multa admodum poſteris reliquit: in iis de quadratura circuli, & ſex libros introductionis Geometricæ: item de Mathematicis, ſive Geometricis, corporibus.*

Uti & de Mathematicis ſupplementis: & Mathematicum opus quadripartitum. Plura de eo referam cap. LII. §. 3.

18. §. *Anno* CIƆ IƆ XX. *claruit Petrus Cirvellus, Daroca natus Celtiberorum oppido; qui præter ea, de quibus in Aſtrologicis dicam, notas in Euclidem, uti & Compendium quatuor diſciplinarum Mathematicarum, reliquit.*

Theologus fuit, ac præterea de ſuperiore loco Matheſin profeſſus eſt in Academia Complutenſi, recens erectâ à Franciſco Ximenes, primùm monacho Ordinis Minorum de Obſervantia, inde Archiepiſco Toletano, atque anno CIƆ IƆ VII. à Julio II. creato presbytero Cardinale tit. S. Balbinæ. Atque hoc eò lubentiùs adjeci, quia illius curæ Biblia Complutenſia, opus nunquam ſatis laudatum, debemus: prætereaque Petrus Cirvellus illi per fuerit familiaris. Ximenii Cardinalis vitam ſcripſit Alvarus Gometius: cujus lib. IV. hoc etiam Petri Cirvelli refert ἀπόφθεγμα, quod Compluti eſſet in ore multorum: *Nullum ſe diem ſuaviùs tranſigere, quàm cùm populus tauroboliis, aliiſque ludis, diſtentus, ſtudia minime impediret.* Equidem non diſſimile de me cogitare ſoleo, pluvio ac turbido cælo; quo, ob ceſſationem aſſiduè interpellantium, mihi eſſe ſolet tanto mens tranquillior, quanto minùs ſerenum pacatumque cælum, niſi tam horrida ſit tempeſtas, ut à ſtudiis avocet cogitatio periclitantium mari.

19. §. *Anno* CIƆ IƆ XXV. *ac* XXX. *proximis, claruit Orontius Fineus, qui de geometria ſcripſit libros duos, item demonſtrationes in ſex libros priores Euclidis. Adhuc de quadratura circuli inventa, & demonſtrata; de circuli menſura, & ratione circumferentiæ ad diametrum; de multangularum omnium, & regularium figurarum deſcriptione; aliaque.*

Primus hic Matheſios regius in Galliis profeſſor fuit. Cæterum in Euclide ſuo nullam Græci codicis habuit rationem. Etiam Arabicam magis tralationem, quàm Græcum contextum, ſequitur. Obiit anno Chr. CIↃ IↃ L. paullò major ſexagenario.

20. §. *Anno* CIↃ IↃ LV. *magno in pretio erat Jacobus Peletarius, ingens Cenomanorum decus. Qui itidem commentatus in Euclidem fuit.*

Sed uti Orontius, ita hic quoque, magis Arabicam ſequitur verſionem, quàm textum Græcum. Scripſit etiam de dimenſione circuli, deque contactu linearum, nec non de duabus lineis in eodem plano neque concurrentibus, neque parallelis. Memoriam etiam ſui reliquit libris de conſtitutione horoſcopi: adhæc compendio de fractionibus aſtronomis: item cognoſcendis memoriâ ſolâ calendis, nonis, idibus, feſtis mobilibus, locoque Solis, & Lunæ, in Zodiaco. Uti Orontii, ita hujus quoque elogium, apud Scævolam Sammarthanum habes. Ob pluſculos tamen errores ejus ſatius fuerit lectioni ejus conjungere Antidotum Petri Nonii; quod eſt de erratis Oruntii.

21. §. *Eodem tempore ingenio, doctrinâque, in Matheſi præluſtris erat Nicolaus Copernicus. Qui, inter cætera, canonem de triangulis conſignavit.*

Imprimis verò memoriam poſteri temporis ſempiternam conſequetur opere revolutionum: de quo in Aſtrologis fuſiùs loquar.

22. §. *Nec jam eo tempore vile decus tenuit Copernici diſcipulus Georgius Joachimus Rheticus; qui, non contentus edere grande præceptoris opus de revolutionibus orbium cæleſtium, ipſe canonem triangulorum conſcripſit.*

Sed hunc, ut poſtulârat Rheticus, abſolvit Valentinus Otho, Frederici IV. Electoris Mathematicus. Poſtea quoque Bartholomæus Pitiſcus Sileſius emendavit. Etiam Rheticus incredibili labore ac ſumtu ſupputavit canonem ſinuum ad radium 1. 00000. 00000. 00000. Et ad dena quæque ſcrupula ſecunda Quadrantis. Unà cum ſinibus primi, & poſtremi gradus, ad eundem radium, & ad ſingula ſcrupula ſecunda quadrantis, adjunctis ubique differentiis primis, & ſecundis, atque, ubi res tulit, etiam tertiis. Quam ſummi viri operam Bartholomæus Pitiſcus Grungerbenſis Sileſius Francofurtenſibus Hofmanni typis divulgavit anno CIↃ IↃ CXIII. Plura de Rhetico in Aſtrologis dicentur.

23. §. *Anno* CIↃ IↃ LII. *Philippus Apianus patri ſuo Petro Apiano Ingolſtadii in docenda Matheſi ſucceſſit. Inde anno* CIↃ IↃ LXVIII. *deceſſit religionis ergo. Anno* CIↃ IↃ LXX. *Tubingæ cœpit profiteri; ac per annos* XIV. *ingenti cum laude docuit. Multa quoque in Aſtrologia, ac univerſa Matheſi, ſcripſit.*

Compluria tamen, morte præventus, perficere non potuit: ut ſunt Sciotherica, Geodæſia, Optica, Gnomonica, Horologica, Meteoroſcopice, Dioptrice, Horoſcopia, aliaque. De hoc etiam in Geographis agendi ſe offeret occaſio.

24. §. *Anno ejuſdem ſeculi quinquageſimo quinto, & exinde ad uſque* LXXII. *ut eloquentiæ ſtudio, ita Matheſios, floruit Petrus Ramus Veromanduus; præſertim Arithmetices, & Geometriæ. Ac Arithmetices quidem* II, *Geometriæ* XXVII. *libros reliquit. Quos ut emendatiores haberemus, Lazari Schoneri opera effecit.*

Quid poſt Euclidem in Geometria præſtandum ſibi putârit P. Ramus, fuſè exponit idem Schonerus, epiſtola ad Illuſtriſſimum principem Mauritium, Landgravium Haſſiæ; quam quinque Ramææ Arithmeticæ, & XXVII. Geometriæ libris, præmiſit. *Matheſios materia eſt primum Arithmetica de numero; tum Geometrica de magnitudine. Ergo P. Ramus, quod erat Arithmeticum, jubente artis ipſius definitione, Arithmeticæ ſubjecit; & incluſit ſic, ut neque omitteret, quæ eſſent neceſſaria; neque inculcaret ſuperflua. Id in definitionibus, propoſitionibuſque ſuis, Euclides, ſive Theon, elementorum ante P. Ramum auctor, non omnino fecit; cum numerandi principia, additionem, ſubductionem, multiplicationem, diviſionem, ſine quibus cognoſci, & exerceri ars non poterat, præterit; cùm allegationem neglexit; cùm Arithmeticam proportionem, aut non agnovit, aut ſuo nomine nunquam nominavit, nuſquam definivit. Hujuſmodi defectus perquam graves accidere diſcentibus neceſſe eſt. De numeris porro nihil à P. Ramo bis dictum, nihil denuo inculcatum. At Euclides, quæ in quinto libro dixerat, iiſdem in ſeptimo iteratis, creare ſe faſtidium lectori non ſentit. Quare Arithmetica materies P. Ramo, quàm Euclidi, lectior eſt; quæque copia melioris largitate deſideriis magis ſatisfaciat. Quid vero in Geometria, cujus nomine ſtereometria quoque continetur, qualis P. Ramus eſt? Lineam docet non modò rectam, ſed etiam curvam; neque curvam tantum peripheriam, ſed etiam helicem, agnoſcit: helicem verò diſſimulat Euclides. Superficiem tum planam, tum gibbam, habet Ramus: Euclides hîc duplicis defectûs inopiâ laborat. Nam in planorum doctrina dimenſionem circuli nullam producit: de gibba verò ſuperfice ne ſuſpicatur quidem. Sic in ſolidis ortum pyramidis, ſphæræ, coni, cylindri, cùm diligenter attendat P. Ramus: Euclides id ad ſe pertinere minùs arbitratur. Inopia igitur Geometrica Euclidem Ramo facit inferiorem. Sed redundantia Geometricorum redditne partum Euclidis alicubi deformem? certè. Nam cùm librorum ejus nullus ſit major decimo, qui Geometricos antecedentes quinque propemodum æquet magnitudine: nullus eſt inutilior; nullus, qui bona ingenia magis ab his ſtudiis deterruerit. Abjecit hæc monſtra P. Ramus; idemque, ob eandem cauſſam, deinceps è ſtereometria vix tertiam partem retinuit. Atque hæc in Euclide Mathematica duplex redundantia cùm ſit in propoſitionibus Arithmeticis, & Geometricis tam gravis: in demonſtrationibus, quæ propoſitionibus adjunctæ ſunt, longè gravior eſt.* Ac de hac etiam parte multa ſubjungit: ſed exſcribere cætera piget. Cui iſta non ſufficiunt, ex auctore ipſo petat reliqua. Nec propterea vel Ramo, vel Schonero, per omnia adſenſero. Pulcrè de Matheſi meritum eſſe Ramum, non diffiteor. Sed nec vel Schonerus, vel Ramus ipſe, modum tenuit in Euclide culpando. Ut cùm ita inclementer Ramus tractat eum, quia initio non definiat Geometriam: quaſi id non ſatis fuerit perſpicuum; quaſi etiam id non ad artis naturam potiùs, quàm præcepta ejus, pertineat. Item repudiat, ac culpat, quòd Euclidi centrum definitur in circulo illud punctum, à quo omnes rectæ ad peripheriam deductæ ſunt æquales. Peccari hîc ait adverſus legem καθόλου πρῶτον: eoque definiri debere, punctum in figura medium. Quaſi in triangulo punctum ullum ſit, unde lineæ ad latera trianguli ductæ ſint æquales. Interemtus hic vir fuit in laniena Pariſienſi anno CIↃ IↃ LXXII. inque propinquum Sequanam conjectus; idque à diſcipulis Carpenterii, barbaro more, in gratiam, ut creditur, præceptoris, imò, ut ajunt, ejus hortatu; viri in Platonica quidem, & Ariſtotelica philoſophia egregii; ſed qui perpetuam Ariſtotelis inſectationem ferre in Ramo minimè potuiſſet: unde illud pluſquam Vatinianum adverſus eum odium exarſit.

25. §. *Iiſdem temporibus in pretio fuit nobilis Gallus, Franciſcus Foxius Candalla; qui cùm videret, multos Arabicâ Euclidis tralatione erroribus variis implicari;*

plicari; nec immunes eſſe ab hoc vitio ipſos Matheſios doctores; quales in Gallia ipſa Orontius, & Peletarius, fuiſſent: denuo Euclidem tranſtulit ex Græco.

Interim in eo meritò culpatur, quòd nimium ſibi in vertendo permiſerit; ac imprimis, quòd, demonſtrationibus Græci codicis deſertis, ſuas pro iis ſubſtituerit. Summus interim vir fuit, deque Matheſi hoc etiam nomine præclarè meritus, quòd, paucis, priuſquam obiret, menſibus, inſigni liberalitate Burdigalæ profeſſionem inſtituerit Mathematicam. Hoc etiam illi debemus, quòd Euclidi de ſuo addiderit librum ſextumdecimum. Obiit nonagenarius an. CIↃ IↃ XCIV, eo ipſo, quo Galliarum Rex Henricus IV. inunctus fuit. Vide de eo elogia Scævolæ Sammarthani.

26. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXII *claruit Federicus Commandinus Urbinas. Modeſtior hic Candallâ in vertendo Euclide fuit. Siquidem is Græcos codices bonâ eſt fide ſecutus, niſi loca eſſent corrupta: & præclare eum inſuper commentario illuſtravit.*

Is Piſauri editus anno CIↃ IↃ LXXII. Sanè inter Euclidis interpretes, Candalla hic, &, de quo mox dicam, Chriſtophorus Clavius, palmam præripuere cæteris. Nec Euclidem modò tranſtulit; ſed etiam Apollonii Conica, Ariſtarchum Samium, Bagdadinum de diviſione figurarum, Heronis ſpiritalia, & Pappum Alexandrinum.

27. §. *Anno* CIↃ IↃ LVII. *Conradus Daſypodius, Matheſios apud Argentinenſes profeſſor, Euclidem explicuit, & edidit: Heronem item Alexandrinum de vocabulis Geometricis Græcè, cum tralatione ſuâ, publici juris fecit.*

Plura de eo in Opticis referam.

28. §. *Anno* CIↃ IↃ LVIII. *Heidelbergæ in Græcarum literarum profeſſione Jacobo Micyllo ſucceſſit Guilielmus Xilander*; vir Philoſophicis, & Mathematicis ſtudiis, clarus; *ut de eo ſcribit Thuanus* *.

* *Hiſt. an.* 1575.

Pſellum de quatuor diſciplinis Mathematicis vertit Latinè. Ad Arithmeticen particulatim pertinent, quæ de Diophanto ab eo Latinè reddito ſuperiùs dicebamus. Algebram etiam reliquit. Hujus verò loci eſt, quòd ſex libros Euclidis è Græcis tranſtulit Germanicè, ac commentariis illuſtravit. De Geographicis inferiùs loquar. Obiit Heidelbergæ anno CIↃ IↃ LXXVI, annos natus XLIV.

29. §. *Ab anno Chriſti* CIↃ IↃ LXXXV, *uſque ad* CIↃ IↃ XC, *Romæ ſedit Sixtus* V: *qui Pontifex bene eſt de ſtudiis meritus, cum aliis nominibus; tum etiam prælo Arabico, quod antea in Europa erat nullum. Id inſtitutum Romæ anno* CIↃ IↃ LXXXIX. *atque hoc loco à nobis memoratur, quia primùm eo prælo prodierit Arabicè Euclides.*

Uti & Avicenna, & quatuor Euangeliſtæ, & alia.

30. §. *Anno* CIↃ IↃ XC. *Simon Stevinus Brugenſis ſcripſit doctrinam triangulorum, & libros ſex praxios Geometricæ.*

Hæc, aliaque ejus hypomnemata Mathematica Latinè vertit ſæpius nobis opere hoc memoratus Willibrordus Snellius. Plura de Stevino promam in Aſtrologis, Geographis, & Mechanicis.

31. §. *Adrianus Romanus Lovanienſis, Eques auratus, ac Medicus Cæſareus, jam claruit anno* CIↃ IↃ XCIII. *Anno* CIↃ IↃ XCVII. *Wirceburgi edebat ea, quæ ad Archimedem ſcripſit. Anno autem* CIↃ IↃ CX *in nova Zamoſcii urbe Matheſin profiteri cœpit. Multa in Geometri, aplura in reliquâ Matheſi reliquit.*

Ejus, inter alia ſunt, methodus Polygonorum, canon triangulorum ſphæricorum, & alia. Dum ad aquas Spadanas proficiſcitur, moritur Moguntiæ an. CIↃ IↃ CXVI. Iterum de eo dicendum erit in Aſtrologis.

32. §. *Anno* CIↃ IↃ C. *eruditis omne punctum ferre viſus fuit Chriſtophorus Clavius Germanus Bambergenſis, Matheſios Romæ profeſſor.*

In qua variis monumentis nominis ſui decus ad poſteros propagavit. Ad Geometriam pertinent commentarii ejus in Elementa Euclidis. Adhæc Geometria Practica. Item liber de figuris iſoperimetris. Idem non modò Theodoſii Tripolitæ ſphæricorum libros III illuſtravit: ſed ipſe etiam ſcripſit de binis lineis tangentibus, & ſecantibus, triangula, rectilinea, & ſphærica.

33. §. *Anno Chr.* CIↃ IↃ XCIV. *Jacobus Chriſtmannus, profeſſor Academiæ Heidelbergenſis, vir ut literis Hebræis & Arabicis, ita Mathematicis quoque diſciplinis, præclarè excultus, edidit tractatum Geometricum de quadratura circuli, ut Cyclometrica Joſephi Scaligeri convelleret.*

Plura de eo in Aſtrologis dicam.

34. §. *Anno* CIↃ IↃ XCIX. *Bartholomæus Pitiſcus Grunbergenſis, Sileſius, edidit libros quinque trigonometriæ, ſive de dimenſione triangulorum. Iterumque, & auctiùs,* CIↃ IↃ CXII.

Præcipuos autem dimetiendi modos, atque expeditiſſimos, eſſe tradit vel per quadrangula, vel per triangula rectangula. Etiam eopſe an. CIↃ IↃ CXII divulgavit canonem triangulorum, ut vocat, emendatiſſimum, & ad uſum accommodatiſſimum, qui ad trigonometriam pertineret.

35. §. *Anno* CIↃ IↃ CXX. *in Friſia Academia Franekerana Matheſin docuit Adrianus Metius Alcmarianus; cujus exſtant Geometriæ libri ſex. Uti & liber de trigonometria planorum.*

Sive de reſolutione triangulorum, auxilio canonis triangulorum per auream proportionum Arithmeticarum regulam; quæ, tribus quibuſque datis facit, ut ex quatuor numeris inter ſe proportionalibus inveniatur quartus. Librum quoque reliquit de uſu circini, & regulæ proportionalis. Uſus verò is conſiſtit in lineis rectis, & circularibus dividendis; nec non figuris planis, & ſolidis dimetiendis, aliiſque operationibus Geometricis. Fratrem habuit Jacobum Metium, qui teleſcopium Batavum reperit. Et ille quidem perſpicillo hoc ſolùm uſus in terris: ut in turribus dimetiendis, quæ tribus, quatuorve milliaribus abeſſent. Sed Galilæi de Galilæis illa laus eſt, quod hunc tubum Batavum cælo admovit, & tot præclara hoc teleſcopio reperit in planetarum numero, atque aliis.

36. §. *Anno* CIↃ IↃ CXIII. *Willebrordus Snellius à Roien Leidæ in patris Rodolphi Snellii, Matheſios profeſſoris, ſuffectus fuit. Latinè vertit Apollonii Pergæi libros de ſectione determinatâ, & de rationis ac ſpatii de ſectione. Ipſe cum alia in Matheſi ſcripſit, tum Cyclometricum, ſive de circuli dimenſione,*

ſione. Poſt ejus exceſſum etiam in lucem prodiere Canonica Triangulorum doctrinæ libri IV. Unde triangulorum, tum planorum, tum ſphæricorum, expedita eſt dimenſio.*

* *Leidæ an. 1627.*

Quo, ut de eo cenſet Merſennius, videtur perfeciſſe Archimedis librum de circuli dimenſione. De eo iterum in Geographis dicendum erit. Summus omnino vir fuit, quod non ſolùm omnes vident ex tot ejus præclaris ingenii, doctrinæque monumentis, ſed longè nos meliùs perſpeximus, cùm familiariter illo collega amiciſſimo in Academia Lugduno-Batava uteremur: ac ſæpe cùm de aliis, tum imprimis de rebus Aſtrologicis, ſermo nobis eſſet. Magno noſtro, imò totius Reip. literariæ dolore, deceſſit anno CIƆ IƆCXXVI; cui hoc qualicunque epigrammate parentavimus:

Mens Snelli cognata aſtris, contermina mundo,
Dimenſa eſt terras, æthereaſque plagas.
Omnia luſtrârat, niſi quæ mortalibus ægris
Scire nefas, necdum ſed ſatiata fuit.
Cui viciſſe leve eſt homines, miſcetur Olympo,
Ut ſuperis ſeſe gaudeat eſſe parem.
Et nunc, quas oculis terras Natura negârat,
Diffuſas latè ſpectat ab arce poli:
Et quæ nec ſerâ numeremus ſidera nocte,
Sub pedibus clarâ conſpicit illa die.

Non facilè dixerim, quàm multi præterea animo obverſentur præcellentes noſtræ ætatis Geometræ, quibuſque ejus ſcientiæ gnaris laudatiſſimi. In his eſt vir nobilis, C. Mydorgius: cujus Conica Apollonium Pergæum ſuperare, judicium eſt Marini Merſennii in Hydraulicis ‡. Item Bonaventura Gavallierus, cujus ingenium, doctrinaque abunde elucet ex Geometria per indiviſibilia. Unde ſubtiliſſimum idem Merſennius vocat præfatione Mechanicorum. Adhæc Lucas Valerius libris tribus de centro gravitatis ſolidorum. Quo de opere præclarè admodum idem Merſennius judicat in Synopſi Mathematica*. Hoc opere, ut inquit, *oſtendit centrum gravitatis non ſolum conoidis parabolici, ſed etiam hyperbolici, & fruſti utriuſque, & portionis utriuſque conoidis, & portionis fruſti, & hemiſphærii, & hemiſphæroidis, & ſphæroidis uno, & duobus parallelis abſciſſa.* Laudat quoque hoc volumen, *& magno eſſe acumine præſcriptum*, ait Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum †. Quid jam dicam de Claudio Richardo, profeſſore regio in Academia Madritenſi? qui ante biennium, videlicet anno CIƆ IƆCXLV, commentarium reliquit in Euclidem, Iſidorum, Hypſiclem Alexandrinum de corporibus regularibus, Procli propoſitiones Geometricas, & proportionales inter duas datas rectas. Alterum item volumen in Zenodorum de figuris iſoperimetris, in opera Archimedis, Apollonium Pergæum, & Serenum Antinſenſem. Adhæc tertium in Theodoſium Tripoliten, Menelaum de triangulis Sphæricis, & Pappi Alexandrini propoſitiones Geometricas. Quid item addam de Gregorio à S. Vincentio, Societatis Jeſu Theologo? qui hocce anno CIƆ IƆCXLVII de quadratura circuli nobile edidit volumen? Quis finis erit, ſi perſequi velim tot noſtri temporis nomina præclarè de Geometria, ac reliquâ Matheſi, merentium? Quare planè ſatius puto, ſi eos nominandi curam aliis relinquam qui meliùs nobis ſciant ſuo ſingulos pretio æſtimare.

‡ *P. 193.*

* *P. 405.*

† *Pag. 63.*

37. §. *Interim poſt tantorum virorum experimenta, ac demonſtrationes, eamque inſtrumentorum copiam, quam hodie habemus, nihilominus ſupereſſe videntur in hac arte, quæ necdum perfectionem ſuam fuerint conſecuta.*

Talis eſt quæſtio de quadratura circuli: quæ tot jam olim præclara exercuit ingenia. Uti Pythagoræ, Platonis, Hippocratis Chii, Dinoſtrati, Menæchmi, Cononis Hamæi, Euclidis, Antiphonis, Brylonis, Hipparchi, Archimedis, Ptolemæi, Apollonii Pergæi, Nicomedis, Philonis Gaditani, Spori, Pappi Alexandrini, Boëthii, Hermanni Contracti, aliorumque veterum. Nec minùs ſuperiori ſeculo, & noſtro, agitata eſt à Nicolao Cuſano, Joanne Regiomontano, Orontio Delphinate, Franciſco Vieta, Joſepho Scaligero, Ludolfo de Coln, Hadriano Romano, Joanne Alfonſo Molinenſi Cano, Willebrordo Snellio, Henrico Briggio Anglo, Chriſtiano Severini Longomontano, Joanne Pellio Cambrobritanno, Gregorio à S. Vincentio, aliiſque ſummi ingenii viris. Ut de Arabibus taceam. Num quæſtionis ſubtilitatem, an ingenii humani imbecillitatem, in cauſſa eſſe dicemus, quòd ſeculis tot fuerit deſudatum in nodo ſolvendo, qui adhuc ſit involutus? Non ſpiralis ratio magni Archimedis, non illa quadratrix Pappi, ſufficere. Prætulere hi lucem non exiguam. Nec leve fuit, quod poſteriores addiderunt. Sed ſic quoque ea quæſtio parte ſui manſit tenebris obſepta. Nimirum longè à carceribus eſt procurſum: necdum tamen ad metam eſt perventum.

Atque idem dixero de problemate Deliaco, ſive de duplicatione cubi. Quæ fieri nequit, niſi immittendo duas rectas lineas continuè proportionales inter datas alias duas lineas rectas. Quo in problemate laboratum olim à Platone, Archyta Tarentino, Menæchmo, Eratoſthene, Philone Byzantio, Herone, Apollonio Pergæo, Nicomede, Diocle, Sporo. E junioribus verò ab Joanne Wernero, nec non (ut de Joanne Moltħero Haſſo taceam) Chriſtophoro Gruenbergio; illo, (ut ait Claudius Richardus, commentario in Euclidem, Hypſiclem, & alios*) cujus Geometrica ſunt omnia circa pondera, & centrum gravitatis, quæ in commentariis de templo Salomonico legere eſt apud Joannem Baptiſtam Villalpandum.

* *In librorum argumentis.*

CAP. XVII.

DE DIVISIONE MATHESIOS MIXTÆ.

1. §. *Hæc de Mathematicis puris, ſive meris, ac propriè dictis. Sequuntur mixta, & aliquatenus Phyſica, ſive cum re ſenſili concreta; unde & medias poſſis dicere.*

NAm hujuſmodi Matheſis accommodat τὸ ἄϋλον † ad αἰσθητὰ, καὶ ἔνυλα ‡. Ita ut adæquatum mixtæ Matheſios ſubjectum ſit τὸ ποσὸν, καὶ πηλίκον μεμιγμένον μετὰ τῆς ὕλης· *quotum, & quantum, cum materia mixtum.* Unde diſciplinæ hujuſmodi fiunt συνόροι τῇ φυσικῇ· *finitimæ naturali ſcientiæ.* Itaque Ariſtoteles lib. II φυσικῆς ἀκροάσεως* cap. II vocat φυσικώτερα μαθήματα †. Ac poſſunt dici coloniæ Matheſios: quomodo Geometriam metropolim omnium Mathematicarum ſcientiarum vocat Philo. Eoque, qui miſta hæc μαθήματα ſine Arithmeticis, & Geometricis, diſcere volet,

—— ceratis ope Dædaleâ
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto:

Ut in re aliâ eſt apud Flaccum ‡.

† *Id, quod eſt materiæ expers.* ‡ *Senſilia, & materiata.* * *Naturalis auſcultationis.* † *Scientiæ Mathematicæ magis naturales.*

‡ *Lib. 4. od. 11.*

2. §. *Ex iſtiuſmodi ſcientiis principes ſunt duæ; Muſice, & Aſtrologia.*

Quæ duabus meris, Arithmeticæ, & Geometriæ, additæ, conſtituunt τῆς τετρακτὺν τῆς ἐπιστημῶν*: ut quidam nuncupant quatuor illas ſcientias Mathematicas, quas diximus. Boëthius *quadrivium* appellat; ac ſine hoc quadrivio ad philoſophiam negat poſſe perveniri. Verba ejus ſunt Arithmetices cap. primo: *Manifeſtum eſt, haud quemquam in Philoſophia diſciplinis ad cumulum perfectionis evadere, niſi cui talis prudentiæ nobilitas quodam quaſi quadrivio veſtigatur.* Ac paullò pòſt, cum duplicem ſtatuiſſet quantitatem, multitudinem, & magnitudinem;

* *Quaternarium illum ſcientiarum.*

dinem; iſta ſubjungit: *Illam multitudinem, quæ per ſe eſt, Arithmetica ſpeculatur integritas. Illam verò, quæ ad aliquid, Muſici modulaminis temperamenta pernoſcunt. Immobilis verò magnitudinis Geometrica notitiam pollicetur. Mobilis ſcientiam, Aſtronomicæ diſciplinæ peritia vindicavit.* Nec multò pòſt inquit: *Hoc illud quadrivium eſt, quo iis viandum ſit, quibus excellentior animus à nobiſcum procreatis ſenſibus ad intelligentiæ certiora perducitur.*

3. §. *Perfectiùs verò eas recenſent, quibus ſex hujus generis ſcientiæ memorantur; Canonica, ſive Muſica, Logiſtica, ſive Supputatrix, vel Calculatoria, Optica, ſeu Perſpectiva, Geodæſia, Coſmographia, & Mechanica.*

Ita Geminus: quem & ſequitur Proclus in lib. 1 Euclidis*. Idem quoque in Anatolii fragmento legas†.

* Pag. 11.

† Cum Heronis Mathematica Nomenclatura edidit Conradus Daſypodius Argentorati anno 1579. fol. 30, & 31.

4. §. *Ex ſex iſtis, duæ primæ ὑπάλληλοι, hoc eſt, ſubordinatæ, vel ſubalternatæ ſunt Arithmeticæ; videlicet Logiſtica, & Muſica: mediæ autem duæ ſubſunt Geometriæ; puta Optica, & Geodæſia: ac duæ poſtremæ, nempe Coſmographia, & Mechanice, ita originem ex Geometria ducunt; ut perficiantur ab Arithmetice.*

Hæc inde dilucent, quòd in ſcientiis puris, & ſubalternantibus, idem ſit ſubjectum, ac eſt in his mixtis, & ſubalternatis: ſed hoc diſcrimine, quòd poſteriores materiali ſubjecti addant ſenſibilem qualitatem, quæ præteritur in ſubjecto ſubalternantis. Item ex eo, quòd quæ in puris, ac ſubalternantibus, à priori ſunt demonſtrata, ac rationem habuere concluſionis; hæc in mixta, ac ſubalternatâ, citra probationem ſumantur principii inſtar, ſive elementi. De iſtiuſmodi ſcientiarum ſubalternatione loquitur Ariſtoteles lib. 1 Poſter. Analyt. contextu C‡: Ἄλλον δὲ τρόπον διαφέρει τὸ διότι τοῦ ὅτι, τῷ δι' ἄλλης ἐπιστήμης ἑκάτερον θεωρεῖν. τοιαῦτα δ' ἐστὶν, ὅσα οὕτως ἔχει πρὸς ἄλληλα, ὥστ' εἶναι θάτερον ὑπὸ θάτερον, οἷον τὰ ὀπτικὰ πρὸς γεωμετρίαν, καὶ τὰ μηχανικὰ πρὸς στερεομετρίαν, καὶ τὰ ἁρμονικὰ πρὸς ἀριθμητικὴν, καὶ τὰ φαινόμενα πρὸς ἀστρολογικήν. *Alio autem modo differunt, cur ſit, & quod ſit. Ejuſmodi verò ſunt, quæ ita inter ſe ſunt affecta; ut alterum ſit ſub altero. Quemadmodum Optica ſunt affecta ad Geometriam, & Mechanice ad Stereometriam, & Muſica ad Arithmeticam, & Phænomena, ſive apparentia, ad Aſtrologiam.* Vide & ejuſdem libri context. LXIX.

‡ Sive, ſecundum vulgarem diſtinctionem, cap. 10. ſecundùm illam Julii Pacii, c. 14.

5. §. *Quanquam verò alii aliter dividant Matheſin mixtam: putamus tamen ſenarium, quem cum Platonicis ſequimur, plenum eſſe, & perfectum. Addunt alias ſcientias alii: ſed quæ ſub prioribus contineantur: ut Catoptrica, & Scenographia, ſub Opticis: item ſub Mechanice, Hydraulica, Gnomonica, Dioptrica, aliaque multa. Quædam verò ne continentur quidem ſub Matheſi. Nec enim exiſtimandum, omnes illas diſciplinas eſſe Mathematicas, quæ ſubinde utuntur rationibus Mathematicis. Quod faciunt etiam ars militaris, medica, & illa ſcribendæ hiſtoriæ. Nulla tamen earum pars eſt Matheſios; etſi minimè ſua expleverit munia ſine cognitione Matheſios.*

Quare priuſquam ſcientiam aliquam alteri eſſe ὑπάλληλον dicamus, diſpicere oportet, an concurrant illæ conditiones, quas ad ſubalternationem Ariſtoteles requirit lib. 1 Poſter. Analyt. cap. VII contextu XX, & cap. X cont. XXX. Sunt autem hæ tres. I. Ut ſcientiæ inferioris ſubjectum contineatur totum ſubjecto ſcientiæ ſuperioris. II. Ut ſubjectum ſcientiæ inferioris accidentariâ conditione reſtringatur: atque eâ coarctatione differat à ſuperioris ſcientiæ ſubjecto. III. Ut principia inferioris ſcientiæ in ea ſcientia habeantur pro certis, nec tamen probentur; ſed illud fiat in ſcientia ſuperiori. Sic Geometria conſiderat lineam ἁπλῶς; Optice, non item: ſed reſtringit ſubjectum illud; quia conſiderat lineam, quatenus eſt viſibilis. Præterea principia ſcientiæ ſuæ non demonſtrat ipſa; ſed, ut loquuntur, ſupponit illa: demonſtrantur autem in Geometria. Evidens igitur eſt, Opticen eſſe Geometriæ ὑπάλληλον. Par ratio in aliis Mathematis ὑπαλλήλοις. At longè aliter ſe res habet in medicina, arte militari, atque aliis; utcumque uſus Matheſios in iis quoque ſcientiis ſit manifeſtus.

6. §. *Porrò ſex Mathematicæ, quas dixi, diſciplinæ in eo quidem conveniunt, quod conſiderant quantitatem rei materiali, ac ſenſibili, immerſam: in quo differunt à Mathematicis puris: interim nunc contemplatione ſunt contentæ; quomodo dicuntur contemplativæ, ſive ſpeculativæ: nunc contemplationem dirigunt ad opus; ac vocantur practicæ. Etſi verò, utcunque conſideres, ſua illis ſit certitudo: non tamen hæc tanta eſt, ac puræ Matheſios.*

In cauſſa eſt, quòd Arithmetice, & Geometria, afferant cauſas univerſalium, idque rerum, quas intellectu comprehendimus: ſex verò, quas memoravi, ſcientiæ, univerſalia principia applicent ad res, quæ ſub ſenſus cadunt.

7. §. *Ex hiſce ſex diſciplinis, uti ex veteribus, Arithmeticen, & Geometriam (ſub quibus Logiſticen, & Geodæſiam, pleroſque videas complecti) maximè excoluit Euclides: ita Archimedes Muſicen, Opticen, maximeque Mechanicen: Ptolemæus Aſtrologiam, & Geographiam, præcipuè tradidit.*

De hiſce, ac cæteris quoque mixtæ Matheſios ſcriptoribus, in ſingulis potiùs ſcientiis dicam. Nunc ordine agamus de hiſce ſcientiis: in quibus prima eſt Logiſtice.

CAP. XVIII.

DE LOGISTICE.

1. §. *Ac primò de Logiſtica tollenda eſt vocis ambiguitas. Nam laxè λογίζεσθαι eſt* ratiocinari: *ſtrictè autem*, per numeros ratiocinari. *Poſteriori modo hic ſumitur. Sed neque hac diſtinctione omnis ſublata eſt ὁμωνυμία. Platoni enim in Gorgia ſic Logiſtice, & Arithmetice, ſociantur; ut ſatis liqueat, ei Logiſticen latiùs patere: ac Arithmeticen quidem numerorum generationem, & naturam, conſiderare: Logiſticen verò ſe extendere ad Arithmeticen, Geometriam, Muſicen, & Aſtrologiam: quippe quæ locum habeat, ubicunque eſt λόγος, hoc eſt,* δυοῖν ὅρων ὁμογενῶν ἡ πρὸς ἀλλήλους αὐτῶν ποιὰ σχέσις· duorum terminorum homogeneorum inter ſe certa habitudo.

Prout λόγος, unde Λογιστικὴ dicta eſt, à Theone Smyrnæo definitur lib. II Mathematicorum; qui eſt de Muſica, cap. XIX. Vide, quæ de allato Arithmetices, ac Logiſtices, diſcrimine, ad eumpſe Theonem, Iſmaël Bullialdus annotavit lib. I Mathemat. cap. I*.

* P. 197. & ſeqq.

2. §. *Hic verò intelligitur Logiſtice, ſive ſupputatrix, applicans ſe ad variarum rerum, quas ſenſu percipimus, enumerationem. Eoque eſt Arithmetice practica.*

O Multi

Multi propterea eam ſub Arithmetica comprehendunt. Sed eò differt, quòd Arithmeticen applicet iis, quæ in ſenſus incurrunt. Non enim conſiderat affectiones numerorum per ſe; ſed quatenus involutæ ſunt rebus iis, quas ſenſibus haurimus. Hoc perſpicuè ſatis indicat Proclus in lib. 1 Euclidis *: οὐ δ' αὖ ὁ λογιστικὸς αὐτὰ καθ' αὑτὰ θεωρεῖ τὰ πάθη τῶν ἀριθμῶν, ἀλλ' ἐπὶ τῶν αἰσθητῶν, ὅθεν καὶ τὴν ἐπωνυμίαν τοῖς ἀπὸ τῶν μετρουμένων τίθεται. *Nec enim Logiſticus, ſeu ſupputator, affectiones numerorum ſecundum ſe ipſas conſiderat; ſed in rebus ſenſilibus; unde & denominationem apponit à re numeratâ.* Quandoque & *Logiſtica* ſtrictè admodum capitur pro Logiſticâ Aſtronomicâ, quæ rationem docet Phyſicas minutias, ſive ſcrupulos Aſtrologicos, ad motus cæli, & tempora Aſtrologica, ſupputandi. Quid mirum ſic κατ' ἐξοχὴν accipi, cùm præ cæteris emineant cæleſtia?

* Pag. 12.

Nec ſola tamen corpora numeramus; ſed etiam colores, figuras, aliaque accidentia. Verùm eam circa corpus verſari diximus; quia plurimùm eſt corporum. Aliud etiam eſt, quo ab Arithmetica ſpeculatrice diſtinguatur. Nam etſi Logiſtice ſæpè ſolius Arithmetices ope indigeat: nec raro tamen Geometria requiritur; propterea quòd opus ſit etiam magnitudinem expendi. Eoque multum in calculo hærebit, qui ſolùm Arithmeticen didicit: nullo autem negotio quæſtioni ſatisfaciet, qui novit magnitudinum ſcientiam.

3. §. *Uſus Logiſticæ magnam partem elucet ex iis, quæ dicebamus de Arithmeticis.*

Nempe hac Principi opus; ut, pro cenſûs ratione, prudenter ſtatuat de vectigali. Hac cuivis hominum generi ſuccurritur; quia dirimit, ac componit lites: quæ ferè ex numerandi inſcitiâ proveniunt. Particularim ut juvet agricolam, dictum antea. Magis etiam prodeſt mercatoribus; quorum unus hujus ſcientiâ rem augebit; alter ejus imperitiâ excidet fortunis. Sicut etiam in Architectura fit. Quàm multi enim, ob hujus artis ignorantiam, ædes exſtruunt magnis impenſis; ſed inutiles. Item in re militari. Nec enim vel Macedonicam phalangem ordinâris ſine Logiſtica: nec tripartitam aciem Romanam, haſtatorum, principum, & triariorum; ut de auxiliaribus taceam. Obſeſſi ſint milites octies milleni, & quingenti, nec ſpes ſit obſidionis ſolvendæ, niſi exacto biennio; ac ſolùm victus ſuppetat ad menſes undenos. Logiſticæ beneficio videbit militiæ præfectus, vel alius, tantùm retineri poſſe milites ter millenos, ſeptingentos, & quadraginta. Sed de uſu in arte militari adi fuſè hoc argumentum tractantem Hugonem Sempilium lib. 11 de Mathematicis diſciplinis cap. 111.

4. §. *Logiſtica vel eſt* συνθετική, *quam* compoſitoriam *dicere poſſumus: vel eſt* ἀναλυτική, *quæ fit reſolvendo. Prior vel eſt vulgaris, ac communis doctorum, & indoctorum; vel artificioſa planè, ut* λογιστικὴ τῶν ἑξηκοντάδων, *ſive ſexagenaria; quæ ſic dicitur, quia numerum init è ſexagenis, vel ſexageſimarum ſcrupulis. Poſterior vel utitur* ὑποθέσει ὡρισμένῃ, hypotheſi finitâ; *quo pertinent poſitionum falſarum regula: vel* ὑποθέσει ἀορίστῳ, hypotheſi infinitâ; *quæ traditur regulis Algebraicis.*

Hanc etiam nuncupant regulam de Coſa, artem magnam; item regulam de re, & cenſu. Verùm de Algebra longè aliter ſtatuunt, quibus placet, eam eſſe Mathematicam puram. Non quidem negant, etiam in ea, quæ materiæ miſcetur, eſſe uſum illius longè maximum. Sed ajunt, ſi naturam ſpectes, in ſe, non in ordine ad aliud, conſiderari: quâ de re diximus cap. 1x, §. 2 †.

† In addendis.

Sed Arithmetice mixta his multo ulterius ſe diffundit. Ac primùm dividunt eam, partim in Logiſticam, Apologiſticam, & Analogiſticam: partim in Figuratam, & Geometricam. Logiſtica eſt triplex: quarum prima eſt popularis, quæ circa pondera, & menſuras operatur. Altera eſt Phyſica, quæ Aſtrologiæ opitulatur in computatione graduum, & minutorum: unde & *Sexagenaria* nuncupatur. Tertia eſt Canonica, ſive tabularis: quæ eſt de ſinibus, tangentibus, ſecantibus, & logarithmis. Apologiſtica præcipuè eſt principum, vel mercatorum. Analogiſtica eſt progreſſionum, proportionum, combinationum. Figurata, & Geometrica, quodammodo ipſam induunt Geometriam. Illa in Geneſi, & Analyſi, per numeros fit figuratos: hæc tum per ineffabiles, ſive ſurdos; tum per aſymmetros, ſive incommenſurabiles.

5. §. *Scripſit de Algebra ſex libros Barlaamus. Appellat autem* Logiſticen Aſtronomicam.

Quod commodè capiendum. Nec enim hæc doctrina eſt Aſtronomiæ propria: ſed Geographiæ, & artibus aliis, communis. Quare non minùs *Logiſticen Geographicam* poſſis dicere. Sed *Aſtrologicam* appellavit; quia uſus ejus in hac etiam ſcientia ſit maximus: illa verò, ob dignitatem argumenti, ſcientiis aliis præcellat. Vixit autem Barlaamus anno cIↃcccL: ut ex æquali ejus Joan. Boccacio conſtat, præfat. operis de Genealogia Deorum. Vide & quæ de eo Pontanus ad Cantacuzenum annotavit lib. 11 cap. xxxix *: ac imprimis, quæ de illo, & adverſario ejus Palamâ, exaravit ad ejuſdem libri cap. xl †.

* Sive pag. 1101.
† Sive pag. 360, & ſeqq.

6. §. *Ac Barlaamus quidem Græce ſcripſit. Latinè verò Logiſtices agrum excoluit Joannes Suiſſer, Scotus, ab eximia hujus artis peritiâ, mirâque ſubtilitate, vulgò dictus* Calculator.

De quo ſic Cardanus in xvi de Subtilitate: *Ex quo haut dubium eſſe reor, barbaros* (ſic Itali ferè omnes vocant tranſalpinos) *ingenio nobis haut eſſe inferiores: quandoquidem ſub bruma cælo diviſa toto orbe Britannia duos tam clari ingenii viros emiſerit.* Deſignantur ab eo Ioannes Scotus Duns, qui vulgò *Doctor ſubtilis*; &, quem dixi, Ioannes Calculator.

7. §. *Avorum etiam, noſtroque ſeculo, Logiſticen ſcripſere permulti: in his Jacobus Micyllus Argentinenſis; qui anno viguit* cIↃIↃxxx, *ac deinceps.*

Micylli nomen retinuit, quòd puer ſcitè admodum egiſſet perſonam Micylli, unius ex interlocutoribus in dialogo Luciani, qui ὄνειρος, ἢ ἀλεκτρυὼν *, inſcribitur. Anno cIↃIↃxxxii Heidelbergæ docere cœpit literas Græcas. Recenſione Ovidii, variiſque Luciani Latinè redditis, non mediocrem laudem meruit. Uti & poëſi. Ac diſcipulum habuit Lotichium: qui in elegiis condendis exſuperavit Germaniam univerſam. Sed hic loci non ob iſta Micyllum memoramus: verùm ob duos Arithmetices Logiſticæ libros; quos ex variis collegit, atque utiliſſimis illuſtravit exemplis. Hoc quoque ſi ſcire aves, filios reliquit duos; ſed mitè diſparis ſortis. Nam eorum Iulius fuit I. C. & Cancellarius Ludovici, Electoris Palatini; alter verò ſartor erat Heidelbergenſis. Obiit anno cIↃIↃxlviii. Etiam Logiſticen fecit Ioannes Buteo Delphinas, idem Iuriſconſultus, & Mathematicus inſignis: de quo plura in Mechanicis dicam: nec non maximus vir, Joachimus Camerarius: ac complures alii; quos referrem, niſi jamdudum à ſcientiarum aliis avocarer. Illos igitur ex aliis peti malo.

* Somnium, ſive Gallus.

Cap. XIX.

DE MUSICÆ CONTEMPLATIVÆ objecto; ac duplici ejus κριτηρίῳ; & pro eo variantibus Muſicorum ſectis.

1. §. *A Logiſtice nunc venio ad ſcientiam Muſicam, itidem Arithmeticæ* ὑπάλληλον: *ut quæ ſonos vocum* redu-

reducat ad numeros, eoſque Arithmeticè demonſtret. Ac primùm hic quoque diſtinguenda eſt vox ὁμώνυμος. Siquidem Muſice interdum laxè adeò patet; ut omnem diſciplinarum orbem, atque adeò ipſam comprehendat Philoſophiam.

QUod oſtendit Ariſtophanis ſcholiaſtes ad verſum illum in Equitum Comœdia:

* Ἀλλ' ὦ 'γαθ' οὐδὲ Μουσικὴν ἐπίσταμαι.

Ubi ſcribit: ὅτι † Μουσικὴν τὴν ἐγκύκλιον παιδείαν φησί. Audiamus etiam Quinctilianum lib. I cap. XVI: *Nam quis ignorat, Muſicen, ut de hac primùm loquar, tantum jam antiquis illis temporibus, non ſtudii modò, verùm etiam venerationis habuiſſe, ut iidem Muſici, & vates, & ſapientes, judicarentur.* Ac prævivit Plato in Phædone; ubi ſermo de ſomnio immiſſo Socrati, ac is jubetur Muſicam exercere, ὡς φιλοσοφίας μὲν οὔσης μεγίστης Μουσικῆς· *quia Philoſophia ſit maxima Muſice.* Nimirum Muſices nomine etiam intellexere harmoniam affectuum, atque ipſam virtutem: de qua ſymphonia legere eſt plura apud Ariſtidem Quinctilianum libro de Muſica; qui Mſus exſtat in bibliotheca Thuanæâ, unde aliqua huc pertinentia adducit Bullialdus, Notis ad Theonem Smyrnæum *.

** At, ô bone, haud ego Muſicen intelligo.*
† Quod Muſicen dicit orbem diſciplinarum.
** pag. 110.*

2. §. *Sed ea ſignificatio non eſt præſentis inſtituti: ubi ſolùm attenditur ſonorum contemplatio. Unde definitur,* ἐπιστήμη τοῦ μέλους, καὶ τῶν περὶ μέλος συμβαινόντων· ſcientia conſiderans melos, & quæ ad illud pertinent.

Nec quòd de ea egimus libro primo, cùm verſaremur circa quatuor diſciplinas populares, prohibet quicquam, quò minùs de illa iterum loquamur. Nam aliud eſt Muſica vulgaris: aliud Muſica θεωρητική †. Prior uſu, atque exercitatione, addiſcitur ἄνευ μαθήσεως, ſive abſque contemplatione eorum, quæ in ſcientiis Mathematicis traduntur. Poſterior à nullo poteſt intelligi, niſi priùs ſe exercuerit in Arithmeticis: unde, ut ſuperiore ſcientiâ, theoremata ſua deſumit. Non igitur tam eſt ars canendi, quàm ſcientia ſonorum; ac vis ejus in demonſtrationibus conſiſtit. Subinde tamen aliqua, quæ ſunt Muſices practicæ, obiter adſpergam.

† Contemplationi addicta.

3. §. **In objecto hujus ſcientiæ duo ſunt conſideranda: materiale, ſive res conſiderata; & formale, ſive conſiderandi modus. Prius eſt ſonus: poſterius cognoſcimus ex eo, quod non ſimpliciter dicitur verſari circa ſonum; ſed quatenus is aurium, & rationis judicio, numeratur, ac menſuratur.*

Vt dicere poſſis, Muſicen nihil eſſe aliud, quàm Arithmeticen in ſonis: in quibus harmonicas concentuum cauſſas, ac ſonorum intervalla, diſtinguit. Facit id duplici κριτηρίῳ ‡; uno ſensûs, altero rationis: de quibus inferiùs pluribus agetur. Duplicem igitur cauſſam attendimus in Muſices objecto; remotam, & proximam. Remota eſt numerus: proxima eſt ſonorum proportio. Ex quibus duobus συμφωνία, ſive conſonantia, componitur. Vt Muſicen poſſis dicere, ſcientiam de numero ſonoro, ſive ſono numeroſo.

‡ Iudicandi inſtrumento.

4. §. *Græci propriam ſoni, quatenus ratione numeri ſpectatur, appellationem invenêre. Ea eſt* ῥυθμός. *Latini autem generali appellatione* numeri *contenti fuerunt.*

Veteres Muſici, & qui ſcientiam eorum numerorum tradiderunt, numerum dixerunt eſſe temporum ordinem; Plato motûs ordinem; Longinus, Rhetor κριτικώτατος *, metri ſpiritum. Longum fuerit, ſi velim etiam adſcribere definitiones adlatas ab Ariſtoxeno lib. I Element. Harmon. Nicomacho Geraſeno lib. II Enchiridii Harmon. Ptolomæo lib. I Harmon. cap. IV. Inde peti malo. Vel etiam ex Bullialdo, Notis ad cap. I Muſicorum Theonis Smyrnæi †, Prolixè etiam de definitione hac Petrus Victorius: ſed inprimis de diſcrimine metri, ac rhythmi. Vide eum in lib. III Ariſtot. Rhetor. ‡ ad illa verba, τὸ δὲ σχῆμα * τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι, μήτε ἄρρυθμον. Quod ſi Muſices eſt etiam metiri vocum longitudines, & altitudines; ut ab Agellio quoque traditum eſt lib. XVI, cap. XVIII, ſine dubio non parum conferet ad eam Geometria; cùm ejus ſit quantitatem metiri. Atque hoc ſatis videre eſt ex toni; & hemitonii leimatici ἀνατομῇ †: ubi multùm ſe cruciabit Arithmeticus; Geometra verò, ex doctrinâ de magnitudinum dimenſione, facilè rem expediet.

** Summi judicii.*
† P. 248. 249.
‡ P. 513. edit. Florent.
** Formam orationis oportet neque ſervare leges metricas, neque eſſe numerorum expertem.*
† Sectione.

5. §. *Objectum hoc, quod rhythmum, ſive numerum ſonorum eſſe dicebamus, conſiderabat Socrates, cùm Muſicen in voce conſtitueret. Sed negari nequit, eam non voce modò, ſed etiam corporis motu, conſtare. Unde hanc in utroque iſtorum ſtatuebat Ariſtoxenus. Sed cùm & vox, & corporis motus, pendeant ab animi motu, optimè judicabat Theophraſtus, in tribus eam conſiſtere, voce, corporiſque, & animi, motu.*

Quemadmodum tradit ex veteribus Gyraldus Dialogo I Hiſt. Poët. ‡

‡ P. 17. edit. Baſil.

6. §. *Quæritur, an Muſica practica ſit* ὑπάλληλος *ſpeculativa. Propriè id dici non poteſt. Sed, qui ſic loquuntur, illud ſolùm attendunt, quòd Muſica practica dirigatur à Muſica ſpeculativa in nonnullis cognoſcendis. Non igitur practica eſt* ὑπάλληλος, *niſi quatenus interdum ſpeculationi indulget.*

Sic Muſicus etiam practicus ſpeculando obſervat notarum, ut vocant, proportionem, atque harmoniam. Atque idem format vocem ſecundùm notas muſicas, nunc eam attollendo, nunc deprimendo, atque aliter. Prior cura eſt ſpeculationis: altera πράξεως. Quæ tantopere diſtant, ut ſubinde proportionem, & harmoniam, notarum probè intelligens, non valeat tamen vocem ex arte formare. Quare ſic ſtatuendum, Muſicam practicam ὑπάλληλον quidem eſſe ratione quarundam ſpeculationum: ſed non eſſe ſubalternam, quatenus practica eſt. Cui ſimilia videmus in aliis etiam artibus, ac ſcientiis: ut pluribus tradit Martinus Smiglecius in Logicis, Diſputatione XVII, quæſt. VIII.

7. §. *Muſica partim Canonicâ nititur ratione, partim Mathematicâ. Canonicâ quidem, quatenus ſubnixa eſt ſenſuum judicio: Mathematicâ autem, quatenus pro fundamento habet rationis, ac ſpeculationis, rectitudinem.*

Unde Vitruvius lib. I, cap. I: *Muſicen autem ſciat oportet, uti canonicam rationem, & Mathematicam notam habeat.* Quæ verò poſtea Harmonice, ea priùs dicebatur Canonica. Cur priùs ſic vocata ſit, expoſuit Ptolemaïs Cyrenaica, &, ex clariſſima hac feminâ, Porphyrius in Harmonicis. Ubi Ptolemaïdis verba iſta citat: Ἡ οὖν Κανονικὴ πραγματεία κατὰ τίνας μᾶλλον ἐστὶ καθόλου; Κατὰ τοὺς Πυθαγορικούς. ἣν γὰρ νῦν Ἁρμονικὴν λέγομεν, ἐκεῖνοι Κανονικὴν ὠνόμαζον. Ἀπό τινος Κανονικὴν αὐτὴν λέγομεν; Οὐχ, ὡς ἔνιοι νομίζουσι, ἀπὸ τοῦ κανόνος ὀργάνου παρονομασθεῖσαν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς εὐθύτητος, ὡς διὰ ταύτης τῆς πραγματείας τὸ ὀρθὸν τοῦ λόγου εὑρίσκοντος. Καὶ κατὰ τῶν ἡρμοσμένων ὑποδειγμάτων; Κανονικὴν γέ τοι καλοῦσι, καὶ τὴν ἐπὶ συρίγγων, καὶ αὐλῶν, καὶ τῶν ἄλλων πραγματείαν. καίτοι τούτων μὴ Κανονικῶν ὄντων, ἀλλ' ἐπεὶ αὐτοῖς οἱ λόγοι, καὶ τὰ θεωρήματα ἁρμόζονται· κανονικὰ καὶ αὐτὰ προσαγορεύουσι. Μᾶλλον οὖν τὸ ὄργανον ἀπὸ τῆς Κανονικῆς πραγματείας κανὼν ὠνομάσθη. Κανονικὸς δ' ἐστὶ καθόλου ὁ ἁρμονικός, ὁ περὶ τῶν ἡρμοσμένων ποιῶν τοὺς λόγους. Διαφέρουσι δὲ Μουσικοί, καὶ οἱ Κανονικοί. Μουσικοὶ μὲν γὰρ λέγονται οἱ ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ὁρμώμενοι ἁρμονικοί. Κανονικοὶ δὲ οἱ Πυθαγορικοί, οἱ ἁρμονικοί. Εἰσὶ δὲ καὶ

ἑκάτεροι τῷ γένει Μουσικοί. *Canonicum ergo ſtudium ſecundum quos generalius eſt? Juxta Pythagoricos. Quam enim nunc harmonicam vocamus, canonicam illi dicebant. Cur verò illam nominamus Canonicam? Non, ut aliquibus viſum fuit, à canone inſtrumento; ſed à rectitudine. Siquidem ratio id, quod eſt rectum, reperit utendo canonibus, ſive regulis harmonicis. Etiam in inſtrumentis harmonicâ lege compoſitis? Canonicam appellant, quòd in fiſtulis, tibiis, atque aliis inſtrumentis, adhibeant ſtudium, ac curam: quæ etſi non ſit canonica, ſic tamen vocatur, quia fiat ſecundùm rationes, & theoremata Canonica. Potius ergo inſtrumentum à canonica effectione ſic eſt denominatum. Canonicus verò univerſè eſt harmonicus, qui circa id, quod harmoniâ conſtat, ratiocinando verſatur. Differunt autem Muſici, & Harmonici. Muſici enim dicuntur Harmonici illi, qui ordiuntur à ſenſibus. Canonici verò ſunt Pythagorici; qui & Harmonici. Utrique verò generatim Muſici nuncupantur.* His ex Ptolemaide allatis, alia etiam per interrogationem, & reſponſionem ſcripta, ex eâdem ſubjungit. Sunt autem iſta: Ἡ κατὰ τὴν κανονικὴν θεωρία ἐκ τίνων συνίσταται; ἐκ τῶν παρὰ τοῖς μουσικοῖς ὑποτεθειμένων, καὶ ἐκ τῶν παρὰ τοῖς Μαθηματικοῖς λαμβανομένων. Ἔστι δὲ τὰ παρὰ τοῖς ὑποτεθειμένα, ὅσα παρὰ τῶν αἰσθήσεων λαμβάνουσιν οἱ κανονικοί. Οἷον τὸ, εἶναι τινὰ σύμφωνα, καὶ διάφωνα διαστήματα· καὶ τὸ εἶναι σύνθετον τὸ διὰ πασῶν ἔκ τε τοῦ διατεσσάρων, καὶ τοῦ διαπέντε. καὶ τὸ εἶναι τόνον, τὴν δὲ ὑπεροχὴν τοῦ διαπέντε παρὰ τοῦ διατεσσάρων, καὶ τὰ ὅμοια. Τὰ δὲ παρὰ τοῖς Μαθηματικοῖς λαμβανόμενα, ὅσα ἰδίως οἱ Κανονικοὶ τῷ λόγῳ θεωροῦσιν, ἐκ τῶν τῆς αἰσθήσεως ἀφορμῶν μόνον κινηθέντες. οἷον τὸ εἶναι ἐν ἀριθμῶν λόγοις τὰ διαστήματα, καὶ τὸ εἶναι ἐξ ἀριθμῶν συγκρεσῶν τὸν φθόγγον*, καὶ τὰ παραπλήσια. *Ex quibus conſtat ſpeculatio, quæ circa canonem verſatur? Ex illis, quæ ex modulatione ſupponuntur: item iis, quæ è Mathematicis adſumuntur principiis. Apud Muſicos ſuppoſita ſunt, quæcunque Canonici à ſenſibus accipiunt. Cujuſmodi ſunt iſta, eſſe quædam intervalla, quædam conſona, quædam diſſona. Compoſitum eſſe diapaſôn ex diapente, & diateſſarôn. Tonum eſſe exceſſum, quo diapente exſuperat diateſſarôn, & his ſimilia. A Mathematicis verò accipiuntur, quæ Canonici peculiari modo ſpeculantur, ratione eorum tantùm incitati, quæ ſenſui occurrunt. Quale eſt, intervalla conſiſtere in numerorum ratione. Item, Sonos, qui conſonantias efficiunt, conſtare numeris inter ſe compoſitis.*

* Τοὺς φθόγγους legit Bullialdus: quem vide ad Theonis Smyrnæi l. 2. Mathemat. cap. 35. pag. 277.

8. §. *Ab hac diverſitate in dijudicandis ſonis ortum eſt, ut tria Muſicorum ſtatuantur genera. Nam alii omnem concentum ratione dijudicabant; ut Pythagorici: alii ſenſu; ut qui ſequerentur Ariſtoxenum: alii & rationem, & ſenſum, attendebant; ut à Ptolemæo factum fuit.*

De tribus hiſce ſectis ſic Ptolemaïs Cyrenaica apud Porphyrium in Harmonicen Ptolomæi: Τῶν ἐν Μουσικῇ διαπρεψάντων τίς ἡ διαφορά; Οἱ μὲν γὰρ τὸν λόγον προέκριναν αὐτὸν, οἱ δὲ τὴν αἴσθησιν, οἱ δὲ συναμφότερον. *In Muſica excellentium quod eſt diſcrimen? Alii quidem rationis judicium prætulerunt; alii verò ſenſum; alii utrumque junxerunt.* Idem de duabus prioribus ſectis ſic inibi ſcribit: Πολλῶν αἱρέσεων οὐσῶν ἐν Μουσικῇ περὶ τὸ ἡρμοσμένον, ὦ Εὐδόξιε, δύο πρωτεύειν ἄν τις ὑπολάβοι, τήν τε Πυθαγόρειον, καὶ τὴν Ἀριστοξένειον, ὧν καὶ τὰ δόγματα εἰς ἔτι καὶ νῦν σωζόμενα φαίνεται. *Cùm multa ſint in Muſica ſectæ, quæ circa harmoniam verſentur, ô Eudoxi; duas meritò quis præſtare aliis exiſtimet; Pythagoricam, & Ariſtoxeniam: quarum hodieque dogmata ſuperſunt.* Eò autem Pythagoras parvi faciebat ſenſûs judicium; quia cenſeret, illud non eſſe ſatis accuratum. Ariſtoxenus autem ſenſibus malebat fidere, quòd judicaret, rationes, quas Pythagoras adferret, eſſe alienas à ſenſibus, imò iis adverſas. Qua de re ſic Ariſtoxenus lib. 1 Harmon. Elem. Καὶ τὴν μὲν αἴσθησιν ἐκκλίνοντες, ὡς οὖσαν οὐκ ἀκριβῆ, νοητὰς δὲ κατασκευάζοντες αἰτίας, καὶ φάσκοντες λόγους τέ τινας ἀριθμῶν εἶναι, καὶ τάχη πρὸς ἄλληλα, ἐν οἷς τό, τε ὀξὺ, καὶ βαρὺ γίνεται, πάντων ἀλλοτριωτάτους λόγους λέγοντες, καὶ ἐναντιωτάτους τοῖς φαινομένοις. *Senſum devitantes, ut minùs accuratum, atque excogitantes cauſſas quaſdam intelligibiles, atque aſſerentes eſſe aliquas numerorum rationes, ſed celeres inter ſe; quibus acutus, & gravis edutur ſonus: quas adduxere maximè alienas à ſenſilibus, & iis contrarias.*

9. §. *Præter verò tres haſce ſectas; Pythagoricam, Ariſtoxeniam, & Ptolemaicam, fuere & aliæ; ſed minus nobiles.*

Commemorat eas Porphyrius commentario in Harmonicen Ptolomæi, post verba proximè inde adducta: Ὅτι μὲν γὰρ ἐγένοντο πλείους, αἱ μὲν πρὸς τοῦ Ἀριστοξένου, οἷα ἡ Ἐπιγόνειος, καὶ Δαμώνειος, καὶ Ἐρατόκλειος, Ἀγηνόρειός τε, καὶ τινες ἄλλαι, ὧν καὶ αὐτὸς μνημονεύει· αἱ δὲ μετ᾽ αὐτὸν, ὡς ἄλλοι μετέγραψαν, οἷα ἡ Ἀρχεστράτειος, καὶ ἡ Ἀγώνειος, καὶ ἡ Φιλίσκειος, καὶ ἡ Ἑρμίππειος, καὶ εἴ τινες ἄλλαι. *Fuere & aliæ ſectæ; nonnullæ quidem ante Ariſtoxenum; ut Epigonia, Damonia, Eratoclia, Agenoria, & aliæ quædam; quarum ille meminit: nonnullæ verò poſt Ariſtoxenum, ab aliis deſcriptæ; ut ſunt Archeſtratia, Agonia, Philiſcia, Hermippia; & ſi quæ aliæ.* Pluribus de Muſicorum diſcrimine Theo Smyrnæus lib. 1 Mathem. cap. 1, & ad eum in Notis Iſmaël Bullialdus†.

† P. 205. & 206.

10. §. *Porrò Concentûs veteribus ſex genera ſunt; Diateſſaron, Diapente, Diapaſon, Diſdiateſſaron, Diſdiapente, & Diſdiapaſon. Nunc appellant, quartam, quinctam, octavam, & harum duplices, undecimam, duodecimam, & decimamquinctam.*

De ſex conſonantiis ita Vitruvius libri v, cap. iv: *Concentus, quos natura hominis modulari poteſt, (Græcè Symphoniæ dicuntur) ſunt ſex: Diateſſaron, Diapente, Diapaſon, Diapaſon cum Diateſſaron, Diapaſon cum Diapente, & Diſdiapaſon. Ideoque & à numero nomina receperunt: quod cum vox conſtiterit in una ſonorum finitione, ab eaque ſe flectens mutaverit, & pervenerit in quartam terminationem, appellatur Diateſſaron; in quinctam, diapente; in octavam, diapaſon; in octavam, & dimidiam, diapaſon, & diateſſaron; in nonam, & dimidiam, diapaſon, & diapente; in xv, diſdiapaſon. Non enim inter duo intervalla, cùm chordarum ſonitus, aut vocis cantus, factus fuerit, nec in tertia, aut ſexta, aut ſeptima, poſſunt conſonantiæ fieri. Sed (ut ſuprà ſcriptum eſt) diateſſaron, & diapente, ex ordine ad diapaſon convenientes, ex natura vocis congruentis habent finitiones. Et ei concentus procreantur ex conjunctione ſonituum, qui Græcè phthongi dicuntur.* Adduxi Vitruvii verba, prout ea correxit Guilielmus Philander Caſtilionius editione Tornetianâ anno CIↃ IↃ LII: poſteaque Andreas Pappus lib. primo de Conſonantiis cap. III. Neque ex priorum editionum lectione commodam eſt elicere ſententiam.

CAP. XX.

DE MUSICES ANTIQUITATE; & quantum ea Pythagoræ debeat, & quis primus de Muſicis ſcripſerit. Item alii aliquot veteres Muſices ſcriptores; ſed qui injuriâ temporum deperierint.

1. §. *Hinc jam videamus de Muſices vetuſtate: quæ quanta fuerit, cognoſcere ex eo licet; quòd jam ante bellum Trojanum certamina fuiſſe Muſica traditum ſit.*

IN quibus (ut Hyginus ait fabulâ CCLXXIII) *Olympus, Marſyæ diſcipulus* (vicit) *tibiis; Orpheus, Oeagri filius, citharâ; Linus, Apollinis filius, cantu; Eumolpus,*

pus, Neptuni filius, ad Olympi tibias, voce. De Olympo illo ſæpius Plutarchus libro de Muſicâ. Nec dubium, quin de eo, & cæteris, ad ſua uſque tempora ſcripſerit Glaucus Italus; qui librum fecit de Poëtis, & Muſicis antiquis. Cujus eodem opere meminit Plutarchus. Multum interim metuo, ne vera, meraque ſit fabula, quod de tanta certaminum Muſicorum antiquitate in fabuloſo opere prædicat Hyginus. Certiora adduximus libro de Poëtices naturâ ac conſtitutione, cap. III.

2. §. *Quatenus verò Muſice in θεωρίᾳ conſiſtit; nec eam aurium modò judicio metimur, ſed etiam rationis: Pythagoræ imprimis debetur.*

Qui in fabrorum ferrariorum officinis, ex malleorum ictibus, obſervavit diateſſarôn, diapente, & diapaſôn: ut narrant Nicomachus lib. I, & Boëthius lib. I, cap. X. Ac aliquid quoque de eo diximus in IV de popularibus diſciplinis cap. IV, §. 5, 6, 9. Vide etiam Cenſorinum cap. X. Iamblichum in vita Pythagoræ lib. I, cap. XXVI, Macrobium in Somnium Scipionis lib. II, cap. I. Ab hoc Muſicorum illi, qui ſonos ratione potiùs, quàm ſenſu, diſcernerent, *Pythagorici* vocabantur; ut oſtendimus capite antecedenti.

3. §. *Etiam Pythagoras lyræ chordam addidit octavam: atque ita præivit cæteris, qui in tantum auxere, ut ſyſtema tandem chordarum foret octodecim.*

Si enim Diodorum Siculum audimus lib. I, Lyra, quam Mercurius reperit, nonniſi τρίχορδος* fuit. Sed magnificè magis de eo cenſent poëtæ: uti & Lucianus in dialogo Vulcani, & Apollinis; ac Nicomachus lib. II: qui lyram eam ἑπτάχορδον † fuiſſe dicunt. Atque, ut addit Nicomachus, hac canere à Mercurio edoctus fuit Orpheus. Illi verò, ut idem ait, diſcipulus fuit Thamyris, & Linus, à diſcipulo Hercule occiſus: adhæc Amphium Thebanus. Severinus tamen Boëthius tradit, lyram Orphei fuiſſe τετράχορδον ‡. Illud convenit, lyram jam ætate Pythagoræ fuiſſe ἑπτάχορδον*. Ac ſingulæ chordæ erant planetæ conſecratæ. Nempe hoc pacto:

* *Trium chordarum.*
† *Septem chordarum.*
‡ *Quatuor chordarum.*
* *Septem chordarum.*

☽ *νήτη συνημμένων.*
♀ *παρανήτη συνημμένων.*
☿ *τρίτη συνημμένων.*
☉ *μέση.*
♂ *λιχανὸς μέσων.*
♃ *παρυπάτη μέσων.*
♄ *ὑπάτη μέσων.*

In quo tamen à Pythagora abiit Ptolomæus. Qui ſub finem libri tertii ſic de planetis conſtituit:

☽ *ὑπάτη μέσων.*
♀ *μέση.*
☉ *παραμέση.*
☿ *τρίτη διεζευγμένων.*
♂ *παρανήτη διεζευγμένων.*
♃ *νήτη διεζευγμένων.*
♄ *νήτη ὑπερβολαίων.*

Eò autem attendit Ptolemæus, quòd quantò motus planetæ proprius eſt tardior; tantò celeriùs planetes rapitur à primo mobili: ut Saturni ſonus ſit acutiſſimus, quia diurnus ejus motus eſt velociſſimus. Lunæ autem ſonus graviſſimus ſit, quòd tardiùs planetis cæteris rapiatur à primo mobili. Vidit autem Pythagoras, lyram, quæ tantùm eſſet ſeptem chordarum, non poſſe complecti diapaſôn: ac propterea inter mediam, & tertiam conjunctarum, inſeruit chordam, quæ tono differret à media, hemitonio à tertia conjunctarum; quæ parameſe vocatur. Auctor Nicomachus Geraſenus lib. I. Poſtea Theophraſtus Pierites nonam addidit chordam. Decimam verò Hiſtiæus Colophonius. Undecimam Timotheus Mileſius. Tandem verò ita crevit chordarum numerus, ut eſſent octodecim: quomodo cùm in octachordo tantùm duo ſint tetrachorda, quinque in uno ſyſtemate eſſe tetrachorda cœperunt.

4. §. *Alia inſuper inſtrumenta ab aliis inventa: ut* Ἐπιγόνειον *ab Epigono Ambraciotâ.*

Julius Pollux lib. IV Onomaſtici cap. IX: Ἐπιγόνειον δὲ κέκληται μὲν ἀπὸ τοῦ εὑρόντος. ὁ δὲ Ἐπίγονος ἦν γένει μὲν Ἀμβρακιώτης, τιμῇ δὲ Σικυώνιος, πρῶτος ἐπικρούσας ἄνευ πλήκτρου. *Epigonium ab Epigono nomen habet. Epigonus autem genere Ambraciota, honore Sicyonius erat, ac primus abſque plectro pulſavit.* Hujus Ambraciotæ ſectatores dicebantur Ἐπιγόνειοι. Statuêre autem cum Laſo, ſonum habere latitudinem: ut auctor eſt Ariſtoxenus lib. I Elementorum Harmonicorum.

5. §. *Monochordum verò eſt ab Arabibus, pandura ab Aſſyriis, illud quinque chordarum à Scythis, ſithyra à Lybibus, vel potius Troglodytis, aut Thracibus.*

De quibus fuſiùs Pollux loco antè memorato.

6. §. *Primus de Muſica ſcripſit Laſus Hermionenſis: qui vixit temporibus Darii Hyſtaſpidæ.*

Suidas, & Ariſtophanis ſcholiaſtes in Veſpas: Λάσος Χαβρίνου* Ἑρμιονεὺς πόλεως τῆς Ἀχαΐας, γεγονὼς κατὰ τὴν ο† Ὀλυμπιάδα ὅτε Δαρεῖος ὁ Ὑστάσπου. τινὲς δὲ τοῦτον συναριθμοῦσι τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς, ἀντὶ Περιάνδρου. πρῶτος δὲ οὗτος περὶ Μουσικῆς ἔγραψε λόγον, καὶ διθύραμβον εἰς ἀγῶνα εἰσήγαγε, καὶ τοὺς ἐριστικοὺς εἰσηγήσατο λόγους. *Laſus, Charbini ‡ filius, ex Hermione, Achaja urbe, fuit Olympiade LXX, temporibus Darii Hyſtaſpis F. Quidam eum annumerant ſeptem ſapientibus, eumque Periandri loco conſtituunt. Primus hic de Muſica ſcripſit, & carmine dithyrambico certavit, & diſputationes inſtituit contentioſas.* Quàm ſtudioſus fuerit Muſices, ex iis etiam cognoſcere eſt, quæ de eo, & Hippaſo Metapontino, refert Theo Smyrnæus Mathematicorum lib. II cap. XII; quòd eſt περὶ τῆς διέσεως*. Valde ratio fugit doctiſſimum Andream Schottum, cùm ex uno hoc, qui dictus Λάσος Χαβρίνου Ἑρμιονεὺς, tres facit poëtas, Λάσον, Χαβρίνον, & Ἑρμιονέα. Qua de re diximus lib. III Poëticarum Inſtitutionum cap. XVI †. Pluraque de hoc Laſo adferam opere de Poëtis Græcis.

* *Ita quoque eſt in Suidæ editione Aldina: corrigendum Χαβρίνου.*
† *Sic leg. non H. hoc eſt. 8.*
‡ *Cabrinini, ut dictum.*
* *De ſono, qui minor eſt hemitonio.*
† *Pag 87.*

7. §. *Circa Olympiadem LXXX fuit Democritus Abderita. Scripſit de concentu, & harmonia:*

Ut auctor eſt Laërtius in ejus vitâ; ubi & plura ejus ad Muſicen pertinentia recenſet.

8. §. *Poſtea alii, atque alii de hac arte egerunt. In quibus etiam Ariſtoteles fuit, & Theophraſtus.*

Ut de utroque teſtis nobis Laërtius in eorum vitâ. Ac Theophraſtum quidem, præter tres de Muſica libros, etiam librum de Muſicis, reliquiſſe, idem Laërtius narrat.

9. §. *Tiberii Cæſaris temporibus claruit Thraſyllus: qui & ipſe de Muſica, & harmoniâ, ſcripſit.*

Ac citat ex opere illo aliqua Theo Smyrnæus Mathematicorum libro ſecundo; qui eſt de Muſica. Meminit ejus quoque Plutarchus libro de Muſica, Laërtius in Democriti vitâ, ac Porphyrius in vita Plotini. E Latinis item Tacitus in Annal. Suetonius in Tiberio, Juvenalis Sat. VI, & ad eam vetus Scholiaſtes. Sed longum fuerit, ſi velim etiam deperditos ſectari. Ad alia igitur accedo.

CAP. XXI.

DE UTILITATE MUSICES.

1. §. *Quæ quantaque ſint Muſices bona, ſatis vidit prudentiſſima Athenienſium civitas; quæ lege juſſit, ut parentes in Muſicis, & Gymnaſticâ, liberos erudirent.*

Plato in Critone: Ἢ οὐ καλῶς προσέταττον ἡμῶν οἱ ἐπὶ τούτῳ τεταγμένοι νόμοι παραγγέλλοντες τῷ πατρὶ τῷ σῷ σε ἐν μουσικῇ, καὶ γυμναστικῇ παιδεύειν; *Annon rectè ſtatuerunt leges nobis conſcriptæ, juſſeruntque patrem tuum, te in Muſica, & in Gymnaſtica, exercere?*

2. §. *Inter ea bona eſt, quòd Muſica non ſinat animam torpere; ſed igniculos in ea latentes ſuſcitet, haut ſecus ac ignem folle excitamus.*

Quod Græci dicunt ἀναῤῥιπίζειν. Unde Lucianus in Anacharſide: ubi Solonem ſic loquentem inducit: Τὴν μὲν τοίνυν ψυχὴν μουσικῇ τε πρῶτον, καὶ ἀριθμητικῇ ἀναῤῥιπίζομεν. *Animam Muſicâ, & Arithmeticâ primùm excitamus.*

3. §. *Præterea nullum eſt hominum genus, cui non cantus abſtergeat moleſtiam laboris, ac ſolatium adferat.*

Unde Chryſoſtomus homil. in Pſalm. XLI: Οὕτω γοῦν ἡμῶν ἡ φύσις πρὸς τὰ ᾄσματα, καὶ τὰ μέλη ἡδέως ἔχει καὶ οἰκείως, ὡς καὶ τὰ ὑπομάζια παιδία κλαυθμυριζόμενα, καὶ δυσχεραίνοντα οὕτω κατακοιμίζεσθαι, αἱ γοῦν τίτθαι ἐν ταῖς ἀγκάλαις αὐτὰ βαστάζουσαι, πολλάκις ἀπιοῦσαί τε καὶ ἐπανιοῦσαι, καί τινα αὐτοῖς κατεπᾴδουσαι ᾄσματα παιδικά, οὕτως αὐτῶν τὰ βλέφαρα κατακοιμίζουσι. Διὰ τοῦτο καὶ ὁδοιπόροι πολλάκις, κατὰ μεσημβρίαν ἐλαύνοντες ὑποζύγια, ᾄδοντες τοῦτο ποιοῦσι, τὴν ἐκ τῆς ὁδοιπορίας ταλαιπωρίαν ταῖς ᾠδαῖς ἐκείναις παραμυθούμενοι. οὐχ ὁδοιπόροι δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ γεωπόνοι ληνοβατοῦντες, καὶ τρυγῶντες, καὶ ἀμπέλους θεραπεύοντες, καὶ ἄλλο ὁτιοῦν ἐργαζόμενοι, πολλάκις ᾄδουσι· καὶ ναῦται κωπηλατοῦντες τοῦτο ποιοῦσιν· ἤδη δὲ καὶ γυναῖκες ἱστουργοῦσαι, καὶ τῇ κερκίδι τοὺς στήμονας συγκεχυμένους διακρίνουσαι, πολλάκις μὲν καὶ καθ' ἑαυτὴν ἑκάστη, πολλάκις δὲ καὶ συμφώνως ἅπασαι, μίαν τινὰ μελῳδίαν ᾄδουσι. ποιοῦσι δὲ τοῦτο καὶ γυναῖκες, καὶ ὁδοιπόροι, καὶ γεωπόνοι, καὶ ναῦται, τῷ ᾄσματι τὸν ἐκ τῶν ἔργων πόνον παραμυθήσασθαι σπεύδοντες, ὡς τῆς ψυχῆς εἰ μέλους ἀκούσειε, καὶ ᾠδῆς ῥᾷον ἅπαντα ἐνεγκεῖν δυναμένης τὰ ὀχληρὰ, καὶ ἐπίπονα. *Noſtra certè natura uſque adeò delectatur canticis, & carminibus, & tantam cum eis habet neceſſitudinem, & convenientiam; ut vel infantes ab uberibus pendentes, ſi fleant, & affliктentur, eâ ratione ſopiantur. Nutrices quidem certè, quæ eos geſtant in ulnis, ſæpe abeuntes, & redeuntes, & quædam puerilia eis carmina decantantes, ſupercilia eorum ita ſopiunt. Quocirca ſæpe viatores meridie agentes jugalia animalia, hoc faciunt canentes, itineris moleſtiam illis conſolantes. Nec ſolùm viatores; ſed etiam agricolæ uvas in torculari calcantes, vindemiantes, & vites colentes, & quodcunque aliud opus facientes, ſæpe cantant. Nautæ quoque remos impellentes hoc faciunt. Iam verò mulieres quoque texentes, & confuſa ſtamina radio diſcernentes; ſæpe quidem & per ſe ſingulæ, ſæpe autem etiam omnes concorditer unam quandam melodiam concinunt. Hoc autem faciunt & mulieres, & viatores, & agricolæ, & nautæ, qui ex opere faciendo ſuſcipitur laborem cantu conſolari volentes; eò, quòd anima, ſi carmen, & canticum audierit, moleſta, & difficilia, ſit faciliùs toleratura.*

4. §. *Ad medicinam pertinet, quòd Muſice multis etiam morbis medeatur.*

Sed de iſto ſatis diximus libro de quatuor popularibus diſciplinis cap. IV, §. XIII.

5. §. *Quid jam de re militari dicam?*

Ubi moris eſt,

*Ære * ciere viros, Martemque accendere cantu.* * 6. Æn.

Unde Fabius lib. II cap. XIII: *Quid autem aliud, in noſtris legionibus, cornua, ac tubæ faciunt? quorum concentus quantò eſt vehementior, tantò Romana in bellis gloria cæteris præſtat.* Multùm interea hîc à gentibus variatum. Vide Gellium lib. I cap. XI, & Lipſium lib. IV de Militia Romana Dialogo X.

6. §. *Magnus etiam Muſices uſus eſt in Oratoria, propter rhythmum; & in Poëtica, propter metrum.*

In dicendo ſuavis ille concentus εὐρυθμία † vocatur. De qua Quinctilianus lib. I cap. XVII. Poëtis verò convenit μέλος ἔμμετρον ‡. Cumque ῥυθμὸς oriatur è collocatione verborum: μέτρον provenit è vocis illo flexu, qui poëtarum eſt. Theo Smyrnæus lib. I Mathematicorum cap. I. ſtatuit eſſe εὐσχημοσύνην περὶ μέλος, εὐαρμοστίαν περὶ ἁρμονίας, εὐρυθμίαν περὶ ῥυθμῶν· *Decorem in cantu, in harmonia leporem*, (quo fit, ne ſoni durè aures feriant) *at numerum concinnum in rhythmo.* De his Plato lib. III de Rep. ac in Sympoſio: item Lucianus περὶ εἰκόνων.

† *Rhythmi, ſive numeri Oratorii concinnitas.*

‡ *Carmen, ſive metro conſtans melos.*

7. §. *Iam quanti illud putamus, quòd Muſices etiam uſus ſit in ſacris? Ut arguit, quòd in divinis officiis eâ uſi ſint Judæi.*

Ita Pharaone ſubmerſo, ut legimus Exodi XV, Iſraëlitæ, qui mare rubrum tranſierant, tum voce, tum etiam tympanis, aliiſque Muſicis inſtrumentis, Deo gratias egerunt. Imò David, & Salomon etiam, cantorum ordines in templo Dei, conſtituerunt. Denique Eſſeni quoque eam conſuetudinem reſervârunt: ut liquet ex Philonis libro de vita Contemplativâ.

8. §. *Præterea Chriſtiani jam Apoſtolicis temporibus Muſicâ utebantur: idque ex præcepto Pauli ad Coloſſ. III, & ad Epheſ. V. Ac poſtea, etiam hunc canendi morem in Eccleſia obtinuiſſe, tam gentiles, quàm Sancti Patres, nobis teſtantur.*

E Gentilibus Plinius Novocomenſis lib. X epiſtolâ ad Trajanum, numero XCVII, & Lucianus in Philopatr. E Chriſtianis Juſtinus Martyr orat. ad Antoninum Cæſarem, Clemens Alexandrinus Pædag. lib. II cap. IV, Tertullianus Apolog. cap. XXXIX, ac deinceps alii magno numero.

9. §. *Nec obſcura eſt ratio, cur & Synagoga, & Eccleſia, pſalmis uſæ ſint. Nam cantus divinus abducit animos à curis humanis, eoſque elevat ad meditationes rerum cæleſtium.*

Quâ de re ſic B. Chryſoſtomus in pſal. XLI: Οὐδὲν οὕτως ἀνίστησι ψυχὴν, καὶ πτεροῖ, καὶ τῆς γῆς ἀπαλλάττει, καὶ τῶν τοῦ σώματος ἀπολύει δεσμῶν, καὶ φιλοσοφεῖν ποιεῖ, καὶ πάντων καταγελᾷν τῶν βιωτικῶν, ὡς μέλος συμφωνίας, καὶ ῥυθμῷ συγκείμενον θεῖον ᾆσμα. *Nihil animam æquè erigit, & alatam quodammodo efficit, & à terra liberat, & exſolvit à vinculis corporis, & amore ſapientiæ afficit, &, ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit, ut verſus modulatus, & divinum canticum numero compoſitum.* Nec in ſacris ſolùm cantus; ſed & ſaltatio obtinuit: ut oſtenſum lib. de popularibus quatuor diſciplinis cap. IV, §. XXXVI.

10. §. *Nul-*

Digitized by Google

10. §. *Nulla tamen in divinis utilitas eſt cantus, ſi labiis ſolùm Deus celebretur, ac non ſimul corde.*

Hieronymus in epiſt. ad Epheſ. cap. v: *Nec in tragedorum modum guttur, & fauces, dulci medicamine colliniendas, ut in Eccleſia theatrales moduli audiantur, & cantica; ſed in timore, in opere, in ſcientia Scripturarum.* Quod ſi humana imbecillitas non ſinat, ut ſemper reapſe divinis intentus ſit animus, ſicut oportet: ſaltem eâ mente cantus fiat, & de cogitationis evagatione doleamus. Id eſt, quòd dicunt ſcholaſtici, ſi non attentio ſit actualis, virtualem ſaltem requiri. Quâ de re Thomas Aquinas, atque ejus interpretes, II. II, quæſt. LXXXIII, artic. XIII.

11. §. *Itaque nec hoc egere veteres Chriſtiani; ut minurutionum delicias ſectarentur.*

Siquidem ſic cantabant, quemadmodum Ambroſius ait in Pſalmos, *ut viciniores eſſent pronunciantibus, quàm cantantibus.* Et ſanè qualem eſſe conveniat Eccleſiæ cantum non incommode nuper exponere eſt aggreſſus Gallus ano-
*Pag. 69, & 70. nymus Conſultatione de Horis Canonicis *.

12. §. *Aliis verò modulis uſa Græcorum Eccleſia, aliis Occidentales.*

† Cap. 9. Ex Ekkehardo, decano S. Galli, in Notkeri vitâ †, & iis, quæ ad eum annotavit Goldaſtus, cognoſcimus, Græcorum Muſicen vocitatam *Frigdoram*; quia ex Phrygiis, & Doriis modulis, conſtaret. Mallem igitur *Phrygiodoriam* dixiſſent. Alteram verò appellârunt *Occidentariam*; qui in Occidente uſurparent. Latinè magis *Occidentalem* nomináſſent. Eſt verò is cantus, qui in Eccleſia obtinet Romanâ, & aliis, quæ ritus Romanos receperunt. Primus eum in Eccleſiam Mediolanenſem B. Ambroſius induxit. Poſtea illum in Romanâ inſtituit Gregorius Magnus: ab hac autem Alemannicæ, & Francicæ Eccleſiæ, acceperunt. Sed cantus is longo temporis tractu apud Alemannos, ſive Germanos, adeò fuit corruptus, ut neceſſe fuerit poſtmodo veram Muſicen reſtitui. Quemadmodum pluribus narrat vetus Hugonis Reutlingenſis interpres: atque exinde Spelmannus in Gloſſario ſuo, voce *Frigdora.* Ubi & plura ex eodem memorat de Muſicorum tonis. Atque addit de renovatione Muſices anno factâ CIↃCCC: ut Fr. Petrus Herp, Monachus Dominicanus, ad annum hunc annotârit in Chronico Francofurtenſi: *Muſica*, inquit, *ampliata eſt. Nam novi cantores ſurrexere, & componiſtæ, & figuriſtæ inceperunt alios modos aſſuere.* Atque hæc de multiplici Muſices utilitate. De qua etiam oratio exſtat Antonii Majoragii. Aliqua etiam Vir Clariſſimus, ac in pueritia condiſcipulus, & ex ſtudiorum conjunctione amiciſſimus ſemper, Erycius Puteanus, in Muſathenâ ſuâ cap. VI, & XII. Nec pauciora nos libro de popularibus quatuor diſciplinis. Nunc ad partitionem Muſices, variaque ejus genera, accedamus.

Cap. XXII.

DE MUSICES PARTIBUS, generibus; ac præcipuis ejus, quos habemus, ſcriptoribus.

1. §. *Dividitur Muſica in tres partes; harmonicam, rhythmicam, & metricam. Quarum harmonica in ſonis perpendet acutum, & grave: rhythmica celeritatem, & tarditatem: metrica longitudinem, & brevitatem. Prima circa melodiam, altera circa rhythmum, tertia circa metrum, ac poëmata, occupatur.*

ITa Ptolemæus, cui Ἁρμονικὴ δύναμις ἐστὶ καταληπτικὴ τῆς ἐν τοῖς ψόφοις, περὶ τὸ ὀξὺ, καὶ βαρὺ διαφορῶν· *harmonica eſt facultas apprehendens ſonorum differentias ratione acuminis, & gravitatis.* Ubi dicit, verſari circa φωνὴν *. Quod commune habet cum rhythmicâ, & * *Vocem.*
metricâ: eoque opus fuit, addi conſiderandi modum, quò ab his diſcernatur. Modus iſte eſt, quòd in ſonis attendat τὸ ὀξὺ, καὶ βαρὺ, *acutum, & grave.* Nam & Rhythmica quidem circa φωνὴν † occupatur: ſed conſiderat in ea τὴν ταχύτητα, καὶ βραδύτητα, *celeritatem, & tarditatem.* † *Vocem, ſive ſonum.* Numerat enim ſyllabas, eaſque ad aurium judicium examinat; non tamen habitâ ratione quantitatis. At μετρικὴ, ſive ποιητικὴ, diſpicit, utrùm ſyllabæ ſint breves, an longæ. Perfectum verò μέλος exigit tum μελῳδίαν, tum ῥυθμὸν, tum etiam μέτρον. Ac rhythmus quidem ſine metro eſſe poteſt: ſed metrum nequit eſſe ſine rhythmo. De hoc diſcrimine vide Auguſtinum lib. v de Muſica, & quæ exinde depromſit Beda, quæque Joſephus Scaliger ad Hieronymi præfationem in Chronicon Euſebianum annotavit. Porrò ex tribus, quas dixi, partibus, prima, ſive Harmonica, agit de ſeptem iſtis. Primùm περὶ χορδῶν, καὶ φθόγγων, *de chordis, & ſonis:* puta ſtatis, aut mobilibus. Deinde περὶ τῶν διαστημάτων, *de intervallis* vocum. Hinc περὶ τῶν συστημάτων, *de conſtitutionibus*, quæ à pluribus, quàm duobus, intervallis comprehenduntur. Tum περὶ γενῶν, *de generibus* modulandi, ac tetrachordi qualiſcumque conſtitutionibus. Poſt hæc περὶ τόνων, καὶ τρόπων, *de tonis, & tropis.* Adhæc περὶ μεταβολῆς, *de mutatione.* Ac denique περὶ τῆς μελοποιΐας, *de conficiendis modulationibus.* Rhythmica agit de quinque rebus. His videlicet. I. de primis temporibus, ſive quæ primò ſenſu apprehendimus. II. de generibus rhythmicis, pedumque differentiis. III. de celeritate, aut tarditate temporum. IV. de mutatione rhythmorum. V. de facultate efficiendi rhythmos, quam ῥυθμοποιΐαν vocant. Ac ſimiliter Metrica de totidem rebus tractat. I. περὶ στοιχείων, *de elementis*, ſive literis. II. περὶ συλλαβῶν, *de ſyllabis.* III. περὶ ποδῶν, *de pedibus.* IV. περὶ μέτρων, *de metris.* V. περὶ ποιημάτων, *de poëmatis.* Atque hæc eſt Muſices totius Theoreticæ facies; quam ſimiliter tradit Conradus Daſypodius lib. II Inſtitutionum Mathematicarum ⊥, & in ⊥ *Fol. 30. & 31.*
Protheoria Mathematica ‡. Utrobique etiam Muſicen Practicam diſtribuit εἰς τὸ χρηστικὸν, ſive quod ſuperioribus utitur, & τὸ ἐξαγγελτικὸν, quo ea, quæ jam effecta ſunt, enunciantur. ‡ *Pag 24, & 25.* Prior pars continet hæc tria; μελοποιΐαν, ῥυθμοποιΐαν, & ποίησιν, ſive facultatem efficiendi harmoniam, rhythmum, & carmen. Pars altera illi eſt triplex, una ὀργανικὴ, ſi fiat per inſtrumenta Muſica: altera φωνητικὴ, ſive ᾠδικὴ, quæ voce fit, ſive cantu: tertia ὑποκριτικὴ, ſive hiſtrionica, quæ in dramatis adhibetur ab hiſtrionibus ad movendos ſpectatorum animos.

2. §. *Muſica verò genera ſunt tria;* διάτονον, χρωματικὸν, *&* ἐναρμόνιον.

Quorum primum, ut eſt apud Theonem Smyrnæum *, * *Lib. 2. Mathemat. c. 9.*
ἤτοι ὅτι διὰ τῶν τόνων τὸ πλεῖστον διοδεύει, ἢ ὅτι σεμνόν τι, καὶ ἐρρωμένον, καὶ εὔτονον· *vel quia per tonos ut plurimum progreditur: vel propter gravitatem, robur, & firmitudinem.* Ac ſolùm hoc genus Muſices conſiderat in libris ſuis Plato. Sanè habet majeſtatem quandam, ac innatum vigorem. At duo alia genera magis inſerviunt mollioribus affectibus exprimendis. Ac Chromaticum quidem vocatur, quia, ad magis ornandum, diatonico colorem addit. Nam dimidio tono recedit ab eo. Cujuſmodi modulatio remiſſior eſt, eoque amori, vel luctui exprimendo, eſt convenientior. Enharmonium progreditur per δίεσιν, ſive quartam toni partem, hinc aliam quartam, & ditonum incompoſitum. Reperit Olympus; ut ex Ariſtoxeno refert Plutarchus libro de Muſica. Vide de hiſce tribus modulationis generibus Theonem lib. II, cap. IX, X, XI, XII; item Ariſtoxenum, Nicomachum, alios.

3. §. *Præterea dividi ſolet Muſica in Planam, & Figuratam. Prior aliter Choralis dicitur, vel etiam Gregoriana, ab auctore Gregorio Magno. Figurata vocatur, quia minuritionibus, & figuris, gaudet. Utraque duum eſt generum: una in componendo conſiſtit, altera in praxi, ſive uſu. Etſi verò compoſitio ſit contemplationis, non cantûs; tamen aliquid utriuſque habet, quia ſpeculatio illa ex artis principiis citiùs, & faciliùs modum practicum præſcribit. Quæ in uſu ſe exerit, ea vel voce fit, vel organis, vel ex utroque genere miſcetur.*

Nunc loquor de organis, quibus Muſici utuntur ἁρμόνως. Præter quæ ſunt tintinnabula per rotas, & pondera ad numeros Muſicos ſonantia: item machinæ pneumaticæ, & hydraulicæ: & alia Muſica organa automata: de quibus in Mechanicis dicam, quò αὐτόματα pertinent.

4. §. *Poſteriores etiam diviſere Muſicen Eccleſiaſticam in Frigdoram, & Occidentanam: illa Græcarum habuit Eccleſiarum modulos: hæc verò eſt cantus Eccleſiæ Romanæ.*

Sic videas nuncupari ab Ekkehardo in vita Notkeri cap. IX. Ac Frigdora, ſive potius Phrygdora, vel Phrygidoria, eſt dicta inde, quòd conſtaret cantu Phrygio, & Dorio. Occidentana (maluiſſem verò *occidentalem* dixiſſent) ex eo nomen eſt ſortita, quòd obtineret in Occidente, ſive Eccleſia Romana, & aliis, quæ ejus ritus ſequerentur.

5. §. *Quod verò de partibus, ac generibus Muſices dicebamus, tum locum habet in Muſica harmonicâ, tum etiam organicâ: ſive illâ, quæ aſſâ, hoc eſt, merâ hominis voce fit, tum quæ fit inſtrumentis.*

Utrumque Muſices genus jungit Varro lib. II de vita populi Romani*: *In conviviis pueri modeſti, ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, & aſſâ voce, & cum tibicine.* Idem Cato, vel de liberis educandis†: *Melos alterum in cantibus eſt bipartitum: unum quod eſt in aſſâ voce; alterum, quod vocant organicum.* Ex quibus non obſcurè cognoſcimus, vel valde falli Paullum Diaconum, vel librarium perperam poſuiſſe; *Aſſa dicebatur cantus tibiarum.* Omnino enim ſcripſerat Feſtus, vel hoc, vel ſimili modo: *Aſſa dicebatur ſine cantu tibiarum.* Admodum autem laxè *organici* voce uſus Varro, cùm & hydraulicam comprehendat: quam tertiam ipſe Muſices ſpeciem alibi agnoſcit. Imò & ὀρχηστική, ſive *ſaltatrix*, eſt pars Muſices: uti diximus libro de IV popularibus diſciplinis. Ea repetere hoc loco nihil attinet.

* Apud Nonium in Aſſa.

† Apud Nonium ibidem.

6. §. *Ut plura de ſingulis Muſices partibus, aut generibus, dicamus, non ſinit ratio inſtituti noſtri. Ipſam qui artem noſſe volet, adeat è Græcis Ariſtoxenum Tarentinum, Euclidem, Nicomachum Geraſenum, & Alypium. Ut mittam eos, qui adhuc ineditis in bibliothecis adſervantur.*

Euclidis εἰσαγωγὴν ἁρμονικὴν doctiſſimus vir Joannes Pena primus divulgavit Lutetiæ ann. CIƆ IƆ LVII. Sed opus id mutilum eſt. Multis verò in locis Antonius Poſſevinus integritati reſtituit ex Vaticanæ bibliothecæ, & Fulvii Urſini, Codd. Mſsis Græcis: notas item margini addidit. Habes apud eum Bibliothecæ Selectæ lib. XV, cap. VI. Mirum verò tam multa hic legi, quæ etiam habentur iiſdem verbis apud Ariſtidem Quinctilianum, & Emmanuelem Briennium. Nempe alii alios, illaudato more, exſcripſerunt. Ariſtoxeni, filii Mneſiæ, ſive Spinthari Tarentini, libros tres elementorum Muſicorum è Græcis Latinos fecit Antonius Hermannus Gogava Gravienſis: uti & Nicomachi Gezaleni de eodem argumento libros duos. Meminit hujuſce operis, ſive Lucianus, ſive quiſquis auctor eſt dialogi, qui Philopatris inſcribitur. At unà cum Alypii εἰσαγωγῇ Μουσικῇ primus Græcè divulgavit Joannes Meurſius, vir multis nominibus præclarè meritus de literis Græcis. Ariſtoxenus ille Ariſtotelis diſcipulus fuit, ſummus vir, ac, ut de eo Gellius loquitur, *literarum veterum diligentiſſimus:* ſed uno vehementer culpandus, quòd, ex quo Ariſtoteles ſucceſſorem ſibi in ſchola Theophraſtum elegiſſet, contumelioſè ſemper de magiſtro loqui ſoleat; ut narrat Suidas. Qui & auctor eſt, ἀριθμεῖσθαι αὐτοῦ τὰ βιβλία εἰς υνγ, *numerare ejus libros ad* CCCC LIII. Nicomachus, qui philoſophus fuit Pythagoricus, laudatur Photio biblioth. cod. CLXXXVII. Alypius Caſſiodoro lib. de Muſica; ubi & addit, ab amico ſuo Mutiano, viro diſertiſſimo, Latinè fuiſſe verſum librum, quem de Muſica eleganter, & prolixè ſcripſerat Gaudentius. Inſcribitur id Gaudentii opus, εἰσαγωγὴ ἁρμονική: ac Græcè ſupereſt in bibliotheca regiâ Gallicanâ, & olim Electorali Palatinâ, quæ Romam vecta. Ibidem Caſſiodorus ex Muſices ſcriptoribus meminit Varronis, Ptolemæi, & Cenſorini. Ptolemæum laudat & Nicomachus lib. II. Ejus Harmonicorum libros tres Græcè manuſcriptos Oxonienſi bibliothecæ dedit Henricus Savilius. Etiam ille Ariſtidis Quinctiliani περὶ Μουσικῆς adſervatur in bibliotheca Lugduno-Batavâ; ſed admodum corruptè exaratus. Videtur is, qui Athenæo memoratur in Deipnoſophiſtis. In eâdem bibliotheca eſt & Bacchii εἰσαγωγὴ Μουσική. Cleomedis ut Arithmetica, ita & Ἁρμονικά, habet Bibliotheca Vaticana, & illa S. Floræ. Dioclis Ἁρμονικὰ ſuperſunt in Bibliothecis Italiæ. Porphyrius in illa Regis Galliarum. Item Joannes Pediaſimus in aula Conſtantinopolitana ὕπατος ‡ τῶν Φιλοσόφων, καὶ διάκονος lib. de Muſices Harmoniis. In utrâque verò eſt Manuel Bryennius: uti & in illâ Thuani. Operæ verò fuerit legiſſe etiam Plutarchi de Muſica librum, Dionyſium Halicarnaſſenſem de Collocat. Verb. cap. XXXII, & XXXIII, nec non Cenſorinum, præſertim cap. X.

‡ Præſes philoſophorum, ac diaconus. Atque idem chartophylax.

7. §. *E Latinis de Muſica poſt Varronem, & alios, qui deperierunt, ſcripſit B. Auguſtinus.*

Qui ſex, quos habemus, libros, ut ſuos agnoſcit lib. I Retractationum cap. VI: ubi ait, ſe Mediolani, cùm eſſet baptizatus, libros eos exorſum: perfeciſſe autem, cùm ex Italia in Africam eſſet reverſus.

8. §. *Etiam ſuperſunt Martianus Capella, & Aurelius Caſſiodorus. Sed inprimis adeundus Severinus Boëthius. Qui de Muſica quinque libros reliquit. Hoc duobus quaſi ſeculis junior venerabilis Beda. Cujus ſuperſunt Muſica Theorica, & Quadrata. Anno item* CIƆ L. *de Muſica, & monochordo, ſcripſit Hermannus Contractus.*

De quo in Aſtrologis dicam pluribus. Cæterùm & Boëthius, & veterum alii, tantùm fuere uſi tonis majoribus, nondum repertis minoribus, & ſemitoniis, non veterum dico; ſed noſtris: de quo Merſennius lib. IV Harmoniæ, monito IV*.

* P. 367.

9. §. *Anno* CIƆ LXX, *temporibus nempe Gregorii* VII, *claruit Guido, ſive Guidmundus, patria Aretinus, priùs monachus cœnobii Crucis Hectonis, ſive S. Leufredi apud Ebroicenſes Normannos; poſteaque Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, & Archiepiſcopus Averſanus. Hic dum monachus eſſet, duos ad præſulem Theobaldum ſcripſit libros de Muſica; quorum prior proſâ conſtat, alter carmine partim heroico, partim trochaico rhythmico.*

Idem eſt, ac ille, qui adverſus Berengarium ſcripſit libros tres de corpore, & ſanguine Domini, in Euchariſtiæ Sacramento. Tritthemius refert ad annum CIƆ XXX: Sigebertus CIƆ XXVIII. Ubi etiam narrat, de inventis ab

eo

eo Muſicorum modulorum, quibus utimur, notis. De eo dixi libro de quatuor popularibus diſciplinis, cap. x, §. 10.

10. §. *Anno* CIↃCCXL, *in pretio fuit Albertus, Epiſcopus Ratiſponenſis, cognomento Magnus: qui & ipſe, uti de Arithmetica, Geometria, Aſtrologia, ac ſcientiarum aliis: ita de Muſica quoque librum condidit.*

Obiit octogenarius ſub Rodolpho Imperatore, anno Chr. CIↃCCLXXX. Quæ præterea reliquerit, Trithemius fusè exponit. Eumque ſecutus ſum in anno ætatis, quem dixi. Ac ſimiliter Sixtus Senenſis in bibliotheca ſua. Iſengrinius tamen ait, obiiſſe anno ætatis LXXXVII. Et huic credere maluit Poſſevinus in Apparatu Sacro. Puto, non feciſſet, ſi ſciſſet, Trithemio aliter traditum; nec uno in opere; ſed tum illo illuſtrium Germaniæ virorum, tum altero ſcriptorum Eccleſiaſticorum.

11. §. *Anno* CIↃIↃIII, *ac deinceps, claruit Jacobus Faber Stapulenſis: interque tot alia,* IV *de Muſica libros reliquit* *.

* Pariſiis editi an. 1551.

Ipſe *Elementa Muſicalia inſcripſit.* Operiſque initio duos laudat in hac ſcientia præceptores ſuos; Jacobum Labinium, & Iacobum Turbelinum. Hoſce libros tanti fecit eximius Mathematicus Joſephus Blancanus, ut inde potiſſimum jubeat † auſpicari; his lectis accedere ad Severinum Boëthium; tum ad Ariſtoxenum, Ptolemæum, Euclidem. Elogium Stapulenſis habes apud Scævolam Sammarthanum. Satis doctè explicuiſſe, quicquid de Muſicis ſcripſerat Boëthius, judicium eſt Poſſevini lib. XV Bibliothecæ Selectæ cap. V *.

† Apparatu ad Mathematicos.

* p. 184. edit. Rom.

12. §. *Anno* CIↃIↃXVIII *Franchinus Gafurius Laudenſis opus Mediolani edidit de Harmonia inſtrumentorum Muſicorum.*

Cujus & apologiam ſcripſit adverſus Muſicos Bononienſes. Regius Muſicus fuit, publiceque artem eam eſt profeſſus; etiam Mediolanenſis delubri fuit phonaſcus. Mirum à Blancano † referri ad an. CIↃCCCXCVI.

† In Chronol Mathem.

13. §. *Arbitror & his temporibus vixiſſe Ludovicum Florianum Mediolanenſem, qui Muſica ſcripſit* θεωρίαν.

In eâ ſpeculatur multa, de quibus ſiluerant priores. Excudêre Venetiis fratres de Sabio an. CIↃIↃXXIX. Blancanus in Chronol. Mathem. pro Mediolanenſi Mutinenſem facit.

14. §. *Anno* CIↃIↃXXX, *& poſt, plurimum laudis meruit Henricus Loricus Glareanus Helvetius: qui anno* CIↃIↃXLIX *eruditos de Muſicis libros divulgavit.*

In pretio eſſe cœpit anno Chr. CIↃIↃXII; quo lauro poëticâ, & annulo fuit donatus à Maximiliano I. Vir fuit ingentis, ac variæ admodum eruditionis: etiam Criticus non paullò melior, quàm multi perſuaſum aliis volunt. Obiit Friburgi anno Chr. CIↃIↃLXIII, ætatis ſuæ LXXV.

15. §. *Solâ verò praxi inclaruit Orlandus Laſſus. Is anno* CIↃIↃLVII *ab Alberto, Bavariæ duce, Monachium eſt vocatus, ut præeſſet ſacello Muſico. Plurimæ ejus circumferuntur cantiones variis in terris.*

Hic toto orbe clariſſimus Muſicus natus montibus Hannoniis obiit Monachii anno Chr. CIↃIↃXCIII, ætatis ſuæ LXXIII, poſtquam Alberti, & Guilielmi, Bavariæ Ducum, annis XX Muſicus fuiſſet: etiam à Cæſare Maximiliano II nobilitatis inſignia eſſet conſecutus. De canticis ejus vide Thuanum libro CIX ‡. Eſt verò *Orlandi* nomen κατὰ μετάθεσιν ex *Rolandi*; quod aliis *Rulandi*. Sic in Calendario Romano videas, menſe Julio, & Auguſto, *Rulandum*, & *Orlandum*, quaſi diverſa ſint nomina, celebrari.

‡ In fine.

16. §. *Exinde quoque varii, ſcribendo de hac arte, inclaruere. Ut ante annos non multos Vincentius Galilæus libro de nova, & antiqua Muſica.*

Ex quo jucundum fuerit, inter cætera, videre veterum Muſicorum notas, additas Dionyſii in Muſam jambis. Differit eo contra melopœos, quos vulgò *contrapuntiſtas* vocant; multaque eorum errata oſtendit. Merſennii, & Blancani, de eo judicium promam §. ſeq.

17. §. *Marinus item Merſennius Harmoniæ libros* IV, *ſanè pulcros, Pariſiis edidit an.* CIↃIↃCXLIV.

Eorum primus eſt de numero, pondere, & menſurâ, ſonorum. Alter de arte cantuum componendorum, ſive de Melopœia. Tertius de arte ſymphoniæ, ſive de compoſitione harmonicâ plurium vocum. Quartus de inſtrumentis Muſicis. Quo tantùm de paucis eorum agit, ut guſtum faciat ſeptem librorum; quibus de omnibus ſe ἐν ἑτέροις acturum promittit. Laudat * inibi Franciſcum Salinatem; uti & Joſephum Zarlinum, qui Italicè ſcripſit *Inſtitutioni harmoniche*, *Demonſtrationi harmoniche*, *Supplementi Muſicali*. Item Vincentium Galilæum; qui & ipſe Italicè quinque reliquit Dialogos de Muſica antiquâ, & novellâ: quod opus, Joſephi Blancani † judicio, *neceſſarium eſt ad Muſicam noſtri temporis corrigendam, & inſtaurandam veterem.* Adhæc Petrum Ceronem; nec non Eraſmum Horicium Germanum; qui opus ſuum dicavit Grimano Cardinali; ſed, ut puto, hactenus ineditum. Præterea cognitum mihi in hac Hollandia, Albertum Bannium, virum eruditum: ſed qui ante annum circiter in vicina urbe Harlemenſi deceſſerit; non multò poſtquam delicias ſuas Muſicas juris feciſſet publici, nobiſque, affectus ſui ſymbolum, tranſmiſiſſet. Inſuper Joannem Baptiſtam Donium, nobilem Florentinum, amatum mihi, ut domui meæ amicum: qui ante menſem & ipſe magno tum eruditorum dolore, tum literarum damno, meliores petiit ſedes. Multi etiam alii bene de hac ſcientia vel noſtro, vel ſuperioribus ſeculis, meriti obſervantur. Eos nôſſe ſi voles, vide amplum Muſicorum indicem; quem eruditiſſimus Hugo Sempilius Scotus contexuit libro duodecimo de Mathematicis diſciplinis.

* Lib. 4. Harmon. cap. 4. pag. 367.

† Apparatûs ad Mathematicas diſciplinas lib. 12. pag. 209.

CAP. XXIII.

DE OPTICE:
Ac primùm, cui ſcientiæ ſit ὑπάλληλος; deque ejus objecto.

1. §. *Vidimus de duabus ſcientiis Mathematicis, Arithmetica ὑπαλλήλοις, ſive ſubordinatis. Venio nunc ad proximas duas, ſubalternatas Geometriæ. Hæ ſunt Optice, & Geodæſia. Quarum Optice, vulgò minus commodè* Perſpectiva *vocatur; cum potius dicenda fuerit* Adſpectiva. *Etſi verò de radiis viſûs, & lucis, ſive de viſione, & illuminatione, tractet: tamen à priori duntaxat, videlicet* ἀπὸ τῆς ὄψεως ‡, *nomen accepit. Geometriæ autem ὑπάλληλος eſt; quia in viſionis, & illuminationis radiis, lineas, angulos, ſuperficies, pyramides, conos, axes, aliaque, quæ ad Geometriæ objectum pertinent, conſideret; iiſque utatur ad ea demonſtranda, quæ viſui, & illuminationi, accidunt.*

‡ A viſione.

VErſatur igitur circa radiaturam à corpore viſibili ſparſam, oculoque receptam: ſive circa radios viſûs, & lucis, radiorumque reflexiones, & infractiones. Duo enim hæc ſunt viſûs objecta; lumen, & color, quæ permiſcentur. Nam colores alii ſunt reales, alii intentionales;

utrique veri. Sed reales ſunt magis durabiles; quia præcipuè pendent à verâ mixtione primarum qualitatum: ſic tamen, ut accedat tum certus denſitatis, & opacitatis gradus; tum certus congreſſus luminis, quod otioſos ſuſcitat colores, & ab objectis deciſos vehit ad oculos. Realis fuerit color, ſi auri pigmento miſceatur Indicum; unde reſultat color viridis. Intentionales autem eò ſunt verſatiles, quia magis dependent à lumine. Quomodo color quoque viridis repræſentabitur, ſi cæruleum corpus perfundas lumine candelæ. Ubi mixtio partim eſt à vera qualitatum miſturâ, partim ex luminis appulſu: magiſque a lumine, quàm à qualitatibus, vel primis, vel ſecundis. Ab hoc qualitatum, & luminis, coitu, eſt apparens illa colorum varietas in hominum pilis, avium plumis, piſcium ſquamis, pleriſque litoris lapillis, notæque ejus aliis. Cujus diverſitatis cauſſam nemo hactenus ſatis explicavit. Quemadmodum neque, cur albor viſum congreget; nigror diſſipet; rubor inflammet; color cæruleus, flavus, ac viridis, maximè oblectent.

2. §. *Scientia hac, uti dictum, ſubalternatur Geometriæ.*

Quod etiam traditum Ariſtoteli lib. 1 Poſter. Analyt. contextu C *, Vbi, cùm dixiſſet, eſſe ſcientias quaſdam ita inter ſe affectas, ὡς † εἶναι θάτερον ὑπὸ θάτερον: hujusmodi eſſe ait ὀπτικὰ ‡ πρὸς γεωμετρίαν.

* Sive c. 10. vel ſecundum Pacii diſt. cap 13.
† Ut una ſit ſub altera.
‡ Optica ad Geometriam.

3. §. *Nempe Geometria agit ἁπλῶς de linea: Optica autem, quia ejus eſt proſpectûs rationem reddere, tractat de linea, ut eſt viſibilis.*

Pro quo aliqui malunt dicere. Opticen conſiderare τὴν ὄψιν *; ſed quatenus eſt γραμμή †. In radiis enim viſoriis conſiderat lineas, angulos, pyramidas, & ſimilia. Sive hoc, ſive priori modo loquaris, Optice non οὐσίᾳ ‡ ipſa differet à Geometria; ſed accidente duntaxat. Ἔκγονον, ſive *progeniem* Geometriæ, vocat Proclus in librum 1 Euclidis *. Nempe ſubjectum ejus, quod eſt μέγεθος ὁρατὸν †, eſt affectio corporum naturalium; unde & Phyſicæ eſt conſiderationis: ſed Mathematicæ, non Phyſicæ, eſt ſpeculationis; quatenus ejus argumenta, non à rebus ſenſilibus; ſed principiis Geometricis, petuntur. Interim multa à Phyſicis mutuatur. Neque bifariam ſcientia quæpiam alteri ſubjicitur: ſecundùm ſe integram, vel ſolùm circa partem. Priori ratione Optice ſubjicitur Geometriæ: poſteriori Phyſica Opticæ, ſicut in doctrina de iride: ut eſt lib. 1 Poſter. Analyt. cap. x, contextu xxx.

* Viſionem.
† Linea.
‡ Eſſentiâ.
* P. 12.
† Magnitudo viſibilis.

4. §. *Ac ſicut Optica eſt ſub Geometria; ita ſcientia de iride eſt ſub Optica.*

Ut Ariſtoteles ait ejuſdem libri contextu CII. Atque addit, τὸ ὅτι φυσικοῦ εἰδέναι· τὸ δὲ διότι, ὀπτικοῦ, ἢ ἁπλῶς, ἢ κατὰ τὸ μάθημα. *ſcire, quod quid ſit, eſt Phyſici: ſed cur ſit, eſt Optici, aut ſimpliciter, aut ratione ſcientiæ Mathematicæ.*

Cap. XXIV.

De Optices dignitate, ac multiplici uſu.

1. §. *Optices dignitatem cognoſcimus ex nobilitate organi ejus, quod ſunt oculi, præcipuum cognitionis inſtrumentum: his enim omnem philoſophiam debemus.*

QUod apud Platonem legas in Timæo, ac Philonem de mundi Opificio. Ejuſdem eſt hoc libro de legibus ſpecialibus ‡: φιλοσοφίαν ὤμβρησε μὲν οὐρανός, ἐχώρησε δὲ ὁ ἀνθρώπινος νοῦς, ἐξεπόρισε δὲ ὄψις· πρώτη γὰρ αὕτη κατεῖδε τὰς λεωφόρους ἀπ᾽ αἰθέρος ὁδούς. Quæ ſic expreſſit Gelenius: *Philoſophia defluxit quidem e cælo in hominum animos: ſed oculis ſequeſtris deducta eſt in hoſpitium. nam hi primi conſpexerunt vias, quæ à cælo ad nos tendunt, regias.*

‡ P. 622. edit. Col. All. anni 1613.

2. §. *Etiam Opticæ dignitatem oſtendit objecti præſtantia; cùm luce, & coloribus, nihil ſit melius, vel jucundius. Idem præſtat cognoſcendi modus, intellectionis æmulus; cùm nudam objecti imaginem recipere ſufficiat; eoque ab objecto minimè immutetur organum. Neque enim ab albore res albeſcit oculus. Adhac excellentiam ejus clarè evincit cognitionis certum præ ſenſuum aliis; cùm ſæpe ipſius tactûs errores detegat viſus, quàm contrà fiat. Præterea id facit velocitas. Nec enim modò fulgur conſpicimus, priuſquam tonitru audiamus, licet tempore concurrant: ſed etiam momento penè viſus è terris pervolat in cælos. Unde & videmus, ad maximè diſtantia pertingere. Quantò enim hac parte exſuperat auditum! magis ſanè, quàm hic odoratum, vel is guſtum, & tactum: qui non percipiunt niſi proximè admota. Adhac nullo ſenſu plures cognoſcimus differentias. Ut ſunt colorum varietas, corporum magnitudo, continuitas, diſcretio, ac numerus; figura item, proportio, intervallum, ſitus, motus, & quies.*

Ex quibus lux per ſe, & primò, movet viſum: color per ſe quidem; ſed ſecundariò; quippe lucis acceſſu. Cætera verò omnia ſunt communia viſûs objecta; cùm aliis etiam ſenſibus percipi poſſint. Illud etiam inter lucem, & colorem, diſcriminis eſt: quòd lux, incidens in corpora, repercuſſa aliquid ſemper auferat: veluti membranulas ineffabilis tenuitatis. Nec enim ſpecies viſibiles, ut ſunt lumen, & color, quæ in oculos ſe ingerunt, ſunt accidentia materiæ penitus expertia, ſed ſubſtantiales ἀποῤῥοίαι *, ſive imagines corporeæ, ac materiales. Quod etiam de colore, ſono, odore, virtute magnetis, & aliis hujuſcemodi, dixero. Atque hæc pluribus demonſtrat Gaſſendus libro de magnitudine Solis humilis, & ſublimis. Ubi & oſtendit colores in collo columbæ, caudâ pavonis, iride, & ſimilibus, prout lux variat, variè afficere ſenſûs inſtrumentum: ac proinde non falli in his ſenſum, cujus non eſt judicare, niſi κατὰ δόκησιν †, ſed decipi mentem, cujus eſt opinio. Falſitatem enim eſſe in judicio. Senſum itaque rectè percipere apparentiam: ſed mentem malè, ſecundùm apparentiam, judicium ferre, cùm ejus ſit, ἀλήθειαν ‡ ſibi proponere, omniaque ſolidâ ratione metiri.

* Effluxus, ſive profluvia.
† Secundùm id, quod apparet.
‡ Veritatem.

3. §. *Nunc de maxima univerſa Opticæ utilitate videamus. Eſt verò uſus ejus ſummus in cognoſcenda cujuſque rei magnitudine, altitudine, diſtantiâ.*

Ex umbris enim perſpicitur magnitudo corporis opaci; & viciſſim ex magnitudine opaci ſtatuitur de umbra; item ex opaco, & umbrâ, de altitudine, & magnitudine, corporis luminoſi. Ut ſe habeant umbræ ad corpus opacum, ac luminoſum, velut gnomones in horologiis.

4. §. *Itaque ſine Opticis in mirandis naturæ tam cæleſtis, quàm elementaris, etiam cum oculis aberratur.*

Fusè hoc demonſtrat Joannes Pena, Regius quondam Pariſiis profeſſor, epiſtolâ luculentâ ad Carolum Lotharingum Cardinalem, quam Euclidis Opticis, & Catoptricis, præmiſit.

5. §. *Imò hujus beneficio ulterius etiam progreſſi ſumus in Phyſicis, & Aſtrologicis, quàm antea factum fuit etiam à ſummis ingeniis.*

Tubo enim dioptrico cognoſcimus maculas in Sole; Lunæ ſuperficiem eſſe inæqualem, ac quaſi montibus attolli, quaſi vallibus deprimi; viam lacteam, contra quàm Ari-

Ariſtoteli viſum erat, nihil eſſe niſi condenſationem ſtellarum minutarum; Jovem à quatuor planetis circuiri certis periodis, & intervallis; Venerem, Lunæ inſtar, nunc plenam eſſe, nunc in cornua abire; Saturni globum faciem habere triplicem; Mercurium, reliquorum inſtar planetarum, corpore eſſe opaco, & à Sole lumen accipere. Quæ omnia qui cogitet, nonne Opticen dicet, quaſi ſcalas eſſe, quibus in cælum adſcendatur?

6. §. *In terris etiam miranda planè, ac ſtupenda, à gnaris Optices fiunt.*

Ut cùm ſpeculorum compoſitione pro uno referimus centum, aut cùm facimus, ut homo videatur capite deorſum ambulare, aut colorem faciei pro lubitu variamus, aut manes etiam videmur ab inferis ſuſcitare, ſiſtereque Helenam, Hectorem, Æneam, Didonem, Scipionem, Auguſtum, & alios, quos lubet. Cujus rei rationem ſcitè Pena deſcribit eâ epiſtolâ, quam diximus.

7. §. *Quid de re bellicâ dicendum? cujus experimenta magna dedit Archimedes.*

Ut quando naves accendit Marcelli Syracuſas obſidentis, ſicut auctor eſt Galenus libro de temperamentis, & Anthemius initio Optices; factumque id ſpeculo parabolico, quo nullum vehementius ſolares congregat radios. Poſteaque Conſtantinopoli imitatus eſt Proclus; ut teſtatur Zonaras tertio ſuæ hiſtoriæ tomo *. Adhæc, cùm ſolus deduxit navem Hieronis regis; quod non poterant univerſæ Siciliæ vires. Hodieque eſt pervulgatum, radiis Solis, ad certum punctum collectis, plumbum liqueſacere; lignum, ac ſtipulas, accendere. Nec, niſi Optices præſidio, metiri intervallum, vel modum, valemus, quo baliſtis, catapultis, ac machinis noſtris æneis, mœnia, vel portas, quatere poſſimus.

* Pag. 46. edit. Oper.

8. §. *Quid præterea de Architectura ſtatuemus? ubi dici nequit, quoties, ex Optices ignorantiâ, partes ædium malè coagmententur.*

Nunc ſcaporum cum baſibus, nunc ſuperiorum, inferiorumque ordinum, nunc intercolumniorum ἀσυμμετρίας †.

† Defectu commenſûs, ſeu legitimæ proportionis.

9. §. *Quantum etiam eſt, quod ſtatuarii huic arti debent; præſertim in ſtatuis ſublimi loco collocandis! Quantum item pictores; dum colores variant pro colore, umbrâ, ſitu, denſitatis, & opacitatis gradu, radiorumque refractione!*

Itaque in tabula planâ repræſentant colles, & arbores eminentes; contraque atria intus ducentia. Sanè, Optices ignorantiâ, plurimi etiam in rebus longè remotis ita accuratè pingunt, ut in homullo numeres pilos, arbores omnes fronde diſcernas. Quaſi non priùs rerum pereant imagines, quàm colores. Etiam Optice pictorem juvare poſſit ſpeciebus illis intentionalibus, quæ clauſo undique, & obſcuro cubiculo, excipiuntur in charta albâ per foramen minutum, & vitrum modicè convexum. Hujuſmodi enim ſpecies etiam colores referunt, atque ex iis, ut magnitudo, ita & diſtantia, Geometricè cognoſcitur.

10. §. *Nec leviter Optica debent ſenes, ac myopes, quòd & acutiùs, & longius vident perſpicillis cujuſque viſui accommodatis.*

Ac ne horum quidem notitiam veteres habuere. Aliter, ſcio, Guido Pancirollus I.C. in Novis Repertis Tit. XV, ac Salmuthus ſuis ad eum Notis. Tuentur verò ſe iſtoc Plauti:

Vitrum cedo, neceſſe eſt conſpicillo uti.

Quod negant aliter, quàm de ſpecillis ocularis, poſſe intelligi. Sed multimodis falluntur. Primùm nego, hæc eſſe Plauti: nego etiam, hæc legi apud veterum quemquam. Sed Plauti eſt Ciſtellariâ act. 1, ſc. 1:

Mater pompam me ſpectatum duxit: dum redeo domum

Conſpicillo conſecutu'ſt clanculum me uſque ad fores.

Ubi ſine dubio *conſpicillum* eſt locus, unde quis conſpicere poſſit. Sicut interpretatur Nonius Marcellus: qui & ex Plauti medico adducit:

In conſpicillo adſervabam pallium obſervabam.

Sive potiùs, ut ἁπλῶς eſt in Mſo noſtro:

In conſpicillo adſervabam pallium.

Ubi non aliter capere poſſis, quàm illo Ciſtellariæ loco. De ocularis illis ſpecillis, ſive perſpicillis, (ſic enim vocare malim) vide Joannem Baptiſtam Portum lib. XVII Magiæ Nat. cap. XI, & Levinum Lemnium lib. IV de occultis Naturæ Miraculis cap. VI.

CAP. XXV.

DE DIVISIONE OPTICES.

1. §. *Optice non uno dividitur modo. Aliqui tres ejus partes faciunt, pro triplici radiorum profuſione; directâ, repercuſſâ, & infractâ. Græci vocant ἰθυφάνειαν, διάκλασιν, & ἀνάκλασιν. Directa viſio, & illuminatio eſt, quæ fit per lineas rectas ſimpliciter. Qualis duo requirit: nempe tum ut per unum fiat medium, velut aërem: tum ut ſine ſpeculo fiat viſio, atque illuminatio. Hæc Optices pars generis nomine* Optice *vocatur: vel, ſi malis,* Optice ſpecialis. *Viſio, & illuminatio repercuſſa, ſive reflexa, fit in κατόπτροις, ſive ſpeculis: unde & pars hæc vocatur* Catoptrica. *Viſio, & illuminatio refracta fit, cùm radii refringuntur, propterea quòd tranſeant per medium raritate, & denſitate, differens: Velut partim per aëra, partim per aquam. Atque hanc alii nuncupant* Dioptricam, *alii* Μεσοπτικήν.

Sic dividit, inter alios, Blanchanus in ſuo ad ſcientias Mathematicas apparatu *. Sed & ante ſecula aliquot Joannes Cantuarienſis ſuam, ut vocavit, Perſpectivam, ſimiliter diſtribuit: proque triplici iſtac viſione, & illuminatione, tres Opticæ libros fecit.

* P. 106.

2. §. *Alii in Optica ſpeciali non ſolùm tractant de ἰθυφανείᾳ, ſive viſione, & illuminatione directâ; ſed etiam, quantum ſatis eſt, adſpergunt de ἀνακλάσεως, ſive de radio refracto. De ſecunda verò parte, quæ eſt Catoptrica, ſive ſpecularia, conveniunt cum aliis. At, pro Dioptrica, tertiam partem ſtatuunt Scenographiam: quæ res adſpectabiles, prout ſe conſpiciendas viſui noſtro offerunt, in re alia exprimit, ac depingit. Vulgò σκιαγραφίαν, vel σκιογραφίαν, quaſi τῶν σκιῶν γραφικὴν †, appellant.*

† Umbratilem picturam.

Ita & Proclus in primum Euclidis ‡: Ἡ μὲν ταῖς ὄψεσι γράμμαις χρωμένη, καὶ ταῖς ἐκ τούτων συνισταμέναις γωνίαις διαιρουμένη ἐστὶ, εἴς τε τὴν ἰδίως καλουμένην ὀπτικὴν, —— καὶ εἰς τὴν κατοπτρικὴν σύμπασαν, —— καὶ τὴν λεγομένην σκιογραφικήν. *Quæ lineis, quatenus viſibiles ſunt, utitur, anguliſque exinde conſtitutis; ac dividitur in Opticam ſic propriè dictam, —— & Catoptricam univerſam, —— atque illam, quæ Sciographica nuncupatur.* Malim verò eos ſequi, quibus Σκηνογραφία eſt pars Opticæ ſpecialis. Verſatur enim circa projecturas, quæ fiunt radio directo; non reflexo, vel refracto. Atque hoc magis patebit ex iis, quæ proximè ſubjungam.

‡ P. 12.

3. §. *Optica ſpecialis exponit cauſſas, cur ea, quareſtâ viſione, atque illuminatione, videmus, ſeſe, pro diverſo ſitu, ac diſtantiâ, aliter, atque aliter, viſui offerant.*

Digitized by Google

Ubi in conſiderationem veniunt hæc quinque; objectum, medium, inſtrumentum, viſionis modus, ac quotuplex ſit viſio. De quibus omnibus actum eſt à nobis lib. III Phyſiologiæ Chriſtianæ cap. XXIII, & tribus ſequentibus. Superſunt verò definitiones, axiomata, poſtulata, & theoremata: quæ ex Opticis petantur.

4. §. *Optice hæc ſpecialis variat pro triplici projecturâ; orthographicâ, ſtereographicâ, & ſcenographicâ. Prima continet deſcriptionem ex radiis ad planum rectis. Altera corporis objecti peripheriam, & profunditatem, quaſi eſſet corpus tranſparens, in plano deſcribit. Tertia res in plano eo modo refert, quo radii ab objecto producuntur ad oculum: nempe ratione pyramidali; cùm ſublimioribus radiis altiora, humilioribus humiliora, ſiniſterioribus ſiniſtra conſpiciuntur.*

Pleniùs harum trium partium diſcrimen, uſumque ſingularum, & quàm jucunda, utiliaque ex iis emergant problemata, breviter exponit Hugo Sempilius de Mathematicis diſciplinis lib. IV, cap. VII. Porrò tertia pars à nonnullis vocatur *Sciographia*. Sed hoc nomine dicitur pars Graphicæ, ſive artis pingendi, quæ picturâ exprimit, ac repræſentat, tempore nocturno facta. Ut ſi pingatur Judas Chriſtum noctu prodens. Quare cùm antiquioribus potius dicemus *Scenographiam*: quaſi τ̃ σκηνῶν γραφικὴν. Atque ita etiam appellat Politianus in Panepiſtemone. Uti & Commandinus Prolegomenis in Euclidem, aliique multi. Pars ea docet, quomodo illa, quorum imago exhibetur, commodè, ſciteque, pro diſtantiis, & altitudine, appareant. Cujus exemplum habemus in porticu longâ; ubi ultima tabulati pars deprimi, ac pavimenti ultima attolli, parietes ultimi contrahi videntur. Non igitur veram docet æqualitatem; ſed quæ viſui commodè ſe offerat. Ideoque, ſi circulus debeat repræſentari, ſæpe non circulum referre jubet, ſed ellipſes: quadrata item docet repræſentare, non ut ſunt; ſed alterâ parte longius productâ. Ad tertiam hanc Opticæ generalis partem, quam *ſcenographicam* vocabamus, pertinet etiam planiſphærii doctrina, quam Ptolomæus tradidit; uti & Jordanus Nemorarius. Atque hæc de Optice ſpeciali, & iis, quæ ad directam viſionem pertinent.

5. §. *Altera Optica generalis pars, quam* Catoptricen *vocari diximus, verſatur circa reflexiones varias, ac multiplices. Quæ fiunt à corporibus politis, & ſpecularibus.*

Ut ſunt vitra terminata, metalla terſa, aqua, gemmæ, ſimiliaque. Cælius Rhodiginus lib. XV Antiq. Lect. cap. XIII, ait, *Opticen id efficere admirandum, ut in ſpeculo uno rei unius plures ſeſe oſtentent imagines.* Rectè, ſi generatim *Optices* voce utamur; quomodo tres ſpecies antè memoratas complectitur. Sed propriè, preſſeque loquendo, non hoc eſt Opticæ, ſed Catoptricæ; quam Latinè *Speculariam* dixeris.

6. §. *In Catoptricis primò nôſſe oportet, quæ omni reflexioni ſunt communia. Deinde particulatim cognoſcendum, cujuſmodi ſint imaginum apparitiones in ſpeculis, tum planis, tum ſphæricis; iiſque vel convexis, vel concavis. Item columnaribus ſeu convexis, ſeu concavis. Præterea conicis, ſive convexis, ſive concavis. Inſuper quales imagines reſultent ex variis ſpeculorum miſtionibus. Adhæc de ſpeculis concavis uſtoriis.*

Catoptrices ope longè diſſita conſpicimus, longinqua exurimus, imagines in aëre pendulas oſtendimus, imò repræſentamus. Facimus ex pulviſculo montem, ex pilo elephantum, ex humano capite caninum, aſininum, aut ſuillum. Quæ quomodo fiant, aliaque hujus generis, oſtendet Joannes Baptiſta Portus Neopolitanus Magiæ naturalis lib. XVII. Complura etiam perſtringit Hugo Sempilius lib. IV de diſciplinis Mathematicis cap. VIII. Ubi inter alia de ſpeculis planis hæc refert: *Si vitrum in fornace fervens quantulacunque coloris parte defædetur, & croceum injeceris; ſpectantis imago icterica videbitur: ſi nigrum, lurida, deformi pallore ſpernenda: ſi pluſculum addideris, Æthiopis; ſi rubrum, ebrioſi. Si ſuperficies illa ſpeculi, quæ oculis objectatur, plana, exacteque ad libellam explanata, altera retrorſum in ipſius medio retuſum angulum explicet, ut in medio elatior pars, in extremis acuta, & depreſſa; ſpectantis facies per medium diviſa apparebit. Si pars ei ſpeculi, quæ e regione oris fuerit poſita, retro in torulum, vel retuſum umbonem, promineat; videbitur os extrorſum porrigi, velut aſininum. Si è regione oculorum tumeat; oculi ita extra mitti videbuntur, ut ſquillarum appareant. Si ſpeculum planum à ſua planitie, & rectitudine, undulis deficiat; tota facies varia, & deformis ſpectabitur. Si ſpeculi corpus ſolidum ex vitro conflatur ſemidigitalis craſſitudinis; explaneturque eo modo, ut ex una parte craſſities intacta, ex altera verò utrinſque ſuperficiei lineæ concurrant, veluti cultri acies acuta; fiatque altera ſpeculi tabella eodem modo, vel plures, & ultima bracteâ ſtanneâ inducantur, & una ſupra alteram accommodetur: ſic intuentis facies geminata videbitur, una ponè alteram, & infima ſemper obſcurioris coloris. Et ſi tres tabellas aptes; tergemina videbitur imago. Sic ſpeculis planis litera in pariete longè remoto legenda ejaculantur; & amici per intervallum diſtantes colloqui poſſunt; nec non caput deorſum, pedes ſurſum apparebunt; imò una imago veniens in uno plano, in altero recedens conſpicietur. Denique in eodem ſpeculo plano viginti, & plura ſimulachra, vel pauciora, pro libitu videbuntur. Alia ſunt planorum genera, quæ nil niſi, quæ volueris, oſtendent; alia, quæ imagines in aëre volantes exhibent; alia ſunt theatralia, alia amphitheatralia; alia ex reciproco ſpeculorum jaculatu repræſentant columnas, ſtylobata, & ornamenta, recto architecturæ ordine ſervato; ut nil jucundius, nil certè admirabilius occurſet oculis noſtris. Eodem ferè modo ex ſpeculis planis arculæ conſtruuntur; in fundo, fornicibus, & parietibus, margarita, gemmæ, aves, & nummi pendent; & ex ſpeculorum reflexionibus adeo multiplicantur, ut ditiſſimi theſauri ſimulacrum præbeant.*

Poſtea idem Sempilius ſubjungit: *In ſpeculis concavis ſphæricis multa, ac mira contemplamur. Ut, quomodo punctum inverſionis imaginum cognoſcatur. Cur infra punctum illud, & ſpeculum, majora omnia videantur. Quomodo ſpeculo concavo ignis accendatur. Cur ſpeculo concavo imago in aëre pendula appareat, & penitus à ſpeculo ſemota; eoque major, quò centro propinquior. Et ſi magna erit ſpeculi portio; poſſibile non eſt, quin mireris. Nam ſiquis ſpeculum ſtricto mucrone invaſerit, videbitur ab altero invadi, & manu perfodi. Si candelam oſtendas; videbitur in aëre accenſa. Si vis, ut ſpectrum longius egrediatur; tunc à puncto invento declinabis longiùs à dextris, vel ſiniſtris. Quomodo calorem, frigus, & vocem ſpeculo concavo reflectes. Quomodo ea videre potes noctu, quæ longè fiant. Quomodo paucis ſpeculo magnam aulam illuminare, & notas alicui clam ſignificare, & nocte intempeſtâ ſiderum luce epiſtolas legere, imò domum, vel arcem comburere ſine periculo detectionis.* Pluraque inibi & de his, & columnaribus, ac conicis ſpeculis, miranda legas.

7. §. *Supereſt tertia pars Opticæ generalis. Quemadmodum autem prima pars inſpicit projecturas orthographiæ, ſtereographiæ, & ſcenographiæ; altera expendit varias catoptricorum ſpecies, ac proprietates: ita hæc pars tertia incertis, & fluxis refractionibus, leges ſcribit.*

Atque ut primus modus directè fit per medium diaphanum:

num: alter verò à politis corporibus per reflexionem contingit: ita tertius hic evenit per refractionem à pluribus corporibus diaphanis inter oculum, & objectum, intermediis. Inque hac parte primò conſiderantur quatuor iſta, quæ ad refractionem requiruntur: punctum illud, cujus refringitur forma; refractionis punctum; centrum viſus; & linea perpendicularis à puncto refractionis ducta uſque ad ſuperficiem, unde fit refractio. Deinde aperiuntur variæ cauſſæ, quibus fit, ut fallat nos refractio. Tertio loco explicantur refractiones, quæ fiunt tribus radiis parallelis per diaphanum tranſeuntibus; uno quidem per centrum, duobus verò præter centrum. Quarto expenduntur loco refractiones in corporibus cæleſtibus: ut ſunt iris, parelia, virga, halo, corona; quæ in aëre fiunt. Quinto loco agitur de refractionibus cæleſtibus; cujuſmodi hæc ſunt, prout ea recenſet Sempelius, qui ad Scheinerum nos remittit: *Cur Sol, oculo extra centrum terræ immoto, circumactus, omnes fere varietates objiciat, quoad figuram, & quoad magnitudinem. Cur in zenith rotundus, at juſto minor; in nadir rotundus, at juſto major, appareat. Cur intra zenith, & horizontem; minor altitudine, quàm longitudine, utrâque tamen defectâ, appareat. Cur in horizonte ſenſibili Sol viſus ſolâ altitudine deficiat; longitudine naturalis appareat. Cur intra horizontem, & nadir, altitudine protenſior appareat, quàm longitudine; utrâque tamen excedente.* Atque hæc de tribus Optices partibus, & ſingularum uſu, mirandiſque effectis.

CAP. XXVI.

DE PRÆCIPUIS OPTICÆ SCRIPTORIBUS.

1. §. *Ex veteribus de Optice videantur Euclidis Optica, & Catoptrica.*

QUæ introducunt in hanc ſcientiam. Interpretatio Joannis Pena cæteris præfertur. At, ut inquit Joſephus Blancanus Bononienſis *, *verſio Zamberti indiget correctione, & expoſitione. Italica verſio, & expoſitio Ignatii Dantis multis ſcatet paralogiſmis, & mutila apparet. Maurolycus in indice ſuorum operum teſtatur, ſe ea tranſtuliſſe, & expoſuiſſe: ſed editorem aliquem exſpectant.* Sub Ptolomæo Lagi filio floruit: ut alibi dictum.

[* *Apparatu in ſtudias Mathematicas fol. 101. b.*]

2. §. *Supereſt præterea Archimedis libellus de ſpeculis uſtoriis parabolicis.*

De quo & Ptolomæus egit: ut indicat Maurolycus in operum ſuorum indice. Sed necdum lucem vidit.

3. §. *Habemus etiam ex Heliodori Lariſſæi Opticis fragmentum quoddam.*

Quod ab Ignatio Dante cum Opticis Euclidis, Italicè à ſe redditis, editum eſt. Plura de hoc dicam, cùm de Damiano, Herodiani Lariſſæi parente, loquar cap. LIX, §. 1.

4. §. *Temporibus Philippi, Macedoniæ regis, quidam de Opticis, & Enopticis, ſcripſit, qui apud Suidam vocatur* Philoſophus: *ſed ſine dubio corruptum eſt nomen: fortaſſe eſt* Philippus Opuntius.

Quam opinionem habes in Epitome bibliothecæ Geſneri. Socratis & Platonis auditor fuit. Varia etiam reliquit in Arithmeticis, & Aſtrologis, teſte Suida. Ut verò apud eum legendum videatur Φίλιππος ὁ Ὀπούντιος, veriſimile facit, quòd idem auctor eſt, ſcripſiſſe quoque περὶ Λοχρῶν τῶν Ὀπουντίων †.

[† *De Locris Opuntiis.*]

5. §. *De Opticis olim quoque exſtabat Ariſtotelis liber.*

Ejus Laërtius meminit in ſyllabo; ac fortaſſe Heſychius Illuſtris. Sed apud Heſychium pro Ὀπλικὰ potiùs legendum eſt Τοπικὰ: ut rectè monitum H. Stephano, & Caſaubono. Nam ſermo ibi eſt de inventione argumentorum, quæ è Topicis, & Methodicis libris, petebatur. Cæterum Optica Ariſtotelis viderat quoque Vincentius Bellovacenſis; ut ipſe indicat. Eo in libro Ariſtoteles novam attulit ſententiam de cono viſivo: quem non, ut alii, vel rotundum putabat, vel quadratum; ſed, quod inter ea medium eſt, hexagonum, nempe ut duo ſint anguli ex parte ſuperficiei ſuperâ, duo ex parte ejus inferâ; ſinguli ex latere dextro, & ſiniſtro. Ex latere enim anguſtiùs patet adſpectus: liberiùs, & certiùs, & ſuperâ, inferâque, diffunditur. Sed hæc ex Opticis accuratiùs cognoſcere eſt.

6. §. *Sub M. Aurelio imperatore Ptolemæus Alexandrinus claruit. Qui planiſphærium reliquit.*

Hic loci meminimus, quia planiſphærii doctrina pertinet ad Scenographicam, tertiam ſpecialis Opticæ partem; ut ſuperiùs diximus. Porrò planiſpherium Ptolemæi non habemus Græcè; ſed Latinè ex Arabico tranſlatum. Quando is liber fuerit Latinè redditus; oſtendunt hæc verba Rodulphi Brugenſis ad Theodericum Platonicum, præfatione Latinè tralationi præmiſſâ: *His habitis ne diu differamus, ab ipſis Ptolemæi tractatus initium ſtatuamus; non aliâ transferendi lege, quàm quâ antea ipſum in Arabicam Maſlem tranſtulit. Facta eſt tranſlatio hæc Toloſæ, Kalendis Junii, anno Domini* CIↃCXLIV. Hoc Planiſphærium Ptolemæi unà cum Jordani Nemorarii planiſphærio, I. Valderus ſubjunxit Procli ſphæræ, & Arati Phænomenis, à ſe editis ‡. [‡ *An. 1536.*]

7. §. *Marinus etiam ſcripſit Prævia ad Optica, Opticorum lib. 1, unum item Catoptricorum.*

Præter quæ edidit Commentarium in Data Euclidis, prævia ad Phænomena, & Phænomenon lib. 1. Si idem eſt ac Marinus Neapolitanus, vixerit ſub Zenone Imperatore, ac fuerit diſcipulus Procli Lycii. At cave, propter ambiguum nomen, ad Opticam referas Dioptram, ſive Perſpectivam, attributam Michaëli Pſello. Nam id opus non Mathematicum eſt, ſed Theologicum: ſermones nempe quatuor, in quibus diſputant anima, & corpus. Imò neque Pſelli id opus eſt, ſed Philippi Solitarii. Solùm præfatio eſt Pſelli: ut diſſertatione de Pſellis obſervatum Leoni Allatio *. [* *Pag. 61.*]

8. §. *Laudem etiam merentur Optica Alhazonis, ſive Alhazeni, acuti Arabis.*

Aliter *Allacen* nuncupant. Ætas non ſatis eſt aperta Tycho Brahe oratione eâ, quam, Matheſin docere exorſus, in Hafnienſi habuit Academia anno CIↃ IↃ LXXIV, non dubitat eum juniorem ſtatuere Vitellione, qui intra annos vixit quadringentos, ut mox dicam. Brahei verba ſunt: *Optices elementa Vitellio decem libris tradidit: & poſt illum, Alhaſon Arabs.* Longè veriſimilius, qui duobus circiter ſeculis Vitellione cenſent vetuſtiorem: eoque ad undecimum Chriſti ſeculum referunt; quos inferiùs in Aſtrologis ſequar †. Sed utcunque ſunt iſta: Illud liquet, claruiſſe, cùm Saraceni in Hiſpanis, per eos ſtudia Matheſios, ibi multùm florerent. Optica ejus habemus in Theſauro Opticæ. Etiam Optica ex Arabibus ſcripſiſſe dicitur Alchabitius: cujus & ſunt quædam in Aſtrologicis. Aliqui *Abdilazam* nuncupant.

[† *Cap 35. & §. 15.*]

9. §. *Pulcra item eſt opera Vitellonis, ſive malis Vitellionis, quam Opticis impendit libris x. Utcunque verò*

Digitized by Google

verò multùm laudis meruerit: fatendum tamen, hauſiſſe ſua ex quatuor iſtis; Euclide, Archimede, Ptolemao, & Alhazeno. Ac ſic quoque reperias in eo, quæ emendationis egeant.

Vixit anno CIↃCCLII. Habes verò in Theſauro Opticæ. Unde liquebit, quanta cum laude priorum Optica congeſſerit, & digeſſerit. De ætate nobiſcum conſentit Gauricus in Calendario Eccleſiaſtico: niſi quòd ad annum referat CIↃCCLXXIV: quæ facilè conciliantur. Etiam de ſeculo conveniunt Fredericus Reuſnerus, eumque ſecutus Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum *. * Pag. 58.

10. §. *Nec multo poſt Perſpectivam communem libro uno, altero item Perſpectivam particularem, conſignavit Joannes Peccamus.*

Fuit S. Bonaventuræ diſcipulus; quod ætatem indicat. Paupere licet loco natus, ad magnos tamen, & varios eſt honores evectus; tandemque fuit Archiepiſcopus Cantuarienſis, & Angliæ totius Primas. Thomam Walſingamum adi ad an. CIↃCCLXXIX, & conſequentem. Idem eſt, qui à dignitate, quàm geſſiſſe ajebam, nuncupatur, Joannes Cantuarienſis. Laudem verò eo præcipuè meretur, quòd ſatis ſit perſpicuus.

11. §. *Circa horum tempora claruit etiam Rogerus Baconus, Anglus, ordinis S. Franciſci monachus: qui ut omnes artes, ac ſcientias, penetraverat; ita varia etiam in iis ſcripſit: in his Perſpectivæ ſingularis librum unum, tres Perſpectivæ diſtinctæ, adhuc unum Perſpectivæ continuæ; item librum de viſu, & ſpeculis, alium de ſpeculi facultate, nec non de forma reſultante in ſpeculo, deque ſpeculis uſtoriis.*

Vir fuit ad miraculum & doctus, & ſubtilis: mirandaque adeò ope Matheſios præſtabat, ut ab invidis, ac imperitis, apud Papam Clementem IV magiæ dæmoniacæ fuerit accuſatus, & propterea aliquamdiu in carcere detentus. Ingenioſiſſimum etiam nuncupat, ingeniorum Phœnix ſuo ſeculo, Joannes Picus Mirandulanus. Optica illius commendat quoque Maurolycus. Sepultus eſt Oxonii in monachorum ſui ordinis cœnobio, an. CIↃCCLXXXIV. Plura de eo dicam in Aſtrologis cap. XXXV. §. 32. item in addendis Muſicis, Geographis, Mechanicis.

12. §. *Commendantur & Optica Joannis Petſan.*

Etiam à Joſepho Blancano. Emendata à ſe eſſe, ait Franciſcus Maurolycus.

13. §. *Subtiliſſimas etiam in Aſtrologicis, & Opticis, quaſtiones reliquit Blaſius Pelacanus Parmenſis.*

Is ſub Joanne Galeacio Ticini docuit; ut ex Paullo Jovio cognoſcimus.

14. §. *Multi & alii ſe offerunt, qui ſuperiori ſeculo vixerint, vel noſtro. Iis enim temporibus multum Optica promoverunt, ob ſingulare Conicorum ſtudium.*

Dicam de præcipuis: ſed quaſi per ſaturam. Joanni Petſan, & aliis, de quibus proximè loquebar, idem Blancanus, in Apparatu ſuo ad ſcientias Mathematicas, quò faciliùs ad hujus doctrinæ faſtigium pertingamus, jungere jubet Orontium de ſpeculo uſtorio: item Maurolyci Photiſmos, & Diaphana, de Specillis, & Iride. Præterea idem nos remittit ad Joannis Baptiſtæ Portæ lib. IX de refractione. Etiam Catoptrica compoſuiſſe, necdum tamen vidiſſe lucem, auctor eſt idem Blancanus in Chronol. Mathem. †. † P. 63.

Præterea commendat, Joannis Kepleri Paralipomena ad Vitellionem, atque ejuſdem Optica, & Dioptrica. Item Guidi Ubaldi Marchionis Perſpectivam Scenographicam; quâ inſtauravit artem Democriti, & Anaxagoræ. Adhæc, quæ paucis Marinus Ghetaldus reliquit de Parabola, & ſpeculo uſtorio. Inſuper Tractatum de radiis viſus, & lucis, in vitris perſpectivis, & iride; ubi eſt de inchoata teleſcopii demonſtratione. Præterea perſpectivam variorum Italicè ſcribentium: videlicet Vignolæ, Sebaſtiani Serlii, Danielis Barbari, atque aliorum. Qualis Piſanus, patriâ Cameracenſis: cujus Optica Georgius Hartmannus correctiora edidit Noribergæ an. CIↃ IↃ XLII. Nec indictus abibit nobis Conradus Daſypodius, Petri filius, apud Argentinenſes Matheſios profeſſor: qui Catoptrica Euclidis Græcè edidit, ac Latinè. Etiam propoſitiones Opticas, & Catoptricas ipſe conſcripſit. Diſcipulus fuit Chriſtiani Herlini, Argentinenſis, non inceleberis Mathematici; de quo Philippus Melancthon, vir de Matheſios etiam ſtudiis præclarè meritus in Germania, dicere illud ſolet, ſe grandi illâ, quâ tum eſſet, ætate, Herlini fore auditorem, ſi Argentinæ viveret. Ejus Herlini, & Jacobi Bedroti curæ, omne id debetur, quo Baſileenſis Athenæi editio Aldinæ præſtat. Eſt verò multo ea caſtigatior, & notis ac indicibus auctior. Præceptori huic ſuo in Matheſi ſucceſſit Daſypodius. Præter verò Heronem de vocabulis Geometricis, in Geometris antea nobis memoratum; præter item illa in Opticis, & Catoptricis, proximè adlata; in Logiſticis etiam, ac Harmonicis, & Aſtrologicis, quædam conſignavit. Multoque plura fuere, quæ affecta potiùs habuit, quàm confecta. Obiit ſenex anno CIↃ IↃ C. Grata etiam eſſe opera debet Frederici Riſneri, qui, præterquam quod Alhazenum, & Vitellionem, emendavit, adhuc adoleſcens Petrum Ramum juvit in inchoandâ Optice, & poſt ejus mortem, qualem nunc habemus, libris quatuor abſolvit. Nec paullo perfectior foret, niſi diutina obſtitiſſet invaletudo; quam mors conſecuta. Poſt exceſſum illius hanc operam ejus ab hæredibus Riſneri emit Illuſtriſſimus Haſſiæ Landgravius Mauritius, inque publicum emiſit, operâ in hoc uſus Nicolai Crugii.

Nec parum laudis meruit Franciſcus Aquilonius Bruxellenſis, qui ſex Opticorum libros reliquit. Cautione tamen in iis opus eſſe, judicium eſt Joſephi Blancani, in Apparatu ad ſcientias Mathematicas *. Etiam Catoptrica, & Dioptrica, promiſiſſe, videmus ex catalogo, quem de ſcriptoribus Societatis Jeſu reliquit Petrus Ribadeneira, vel potius is, qui appendicem adtexuit. Sed eum mors prævênit. Obiit verò Hiſpali, anno CIↃ IↃ CXVII. Nec prætereundi nobis doctiſſimi duo Galli ſuperſtites; Martinus Merſennius Minimus, & vir nobilis Renatus des Chartes. Eorum prior edidit † Optices libros VII: quibus claudit Geometriæ, mixtæque Matheſios σύνοψιν. Ac primus quidem liber continet Opticam laxè ſic dictam. Agit autem initio de luce, corpore luminoſo, & umbrâ. Deinde de coloribus; & aliis viſus objectis, & ſpeciebus intentionalibus, quarum ope videmus objecta, deque oculi fabrica: poſtea de modo, quo percipimus objecta communia: ac denique de fallaciis adſpectus, & reliquis ad Opticen pertinentibus. Alter liber eſt de Catoptrica: ac primò de ſpeculis univerſè, & ſpeculis planis particulatim. Deinde de ſpeculis ſphæricis, deque cylindricis, & pyramidalibus, tum convexis, tum concavis. Hinc de ſpeculis ellipticis, hyperbolicis, & parabolicis. Liber tertius eſt de Dioptrica. Ubi primò agit de Dioptricæ principiis. Deinde de Dioptricis inſtrumentis, & aliis Anaclaſticæ principiis. Poſtea de perſpicillis viſum juvantibus. Ac poſtremò de tubis, ſive teleſcopiis inventis ab Hollandis, ad ſidera verò applicatis ab Galilæo de Galilæis; ſive de junctis lentibus cavis, & convexis. Liber quartus eſt de parallaxibus, ſive apparentis loci à vero diſtantiâ, naſcente à linea à centro terræ ad phœnomenon in ſublimi conſpectum; & linea ab oculo, vel ſuperficie terræ, ad idem phænomenon: quarum priorem lineam metereoſcopica inſtrumenta exhibent perpendiculo, alteram dioptrâ. Quinctus liber eſt de uſu Opticæ in Pictura, & ar-

* Fol. 108. b. & 109 a.

† Pariſiis an. 1644.

& artibus vicinis. His ſextum addit, & ſeptimum, duorum clariſſimorum in his ſtudiis Anglorum; illum Gualteri Werneri; hunc D. Thomæ Hobbes Angli, ſed Pariſiis viventis.

Dioptrice autem Renati des Chartes ſubtiliter diſſerit de decem hiſce capitibus. I. de lumine. II. de refractione. III. de oculo. IV. de ſenſibus in genere. V. de imaginibus, quæ formantur in fundo oculi. VI. de viſione. VII. de modis viſum perficiendi. VIII. de figuris, quæ pellucida corpora requirunt, ad detorquendos refractione radios, omnibus modis viſioni inſervientibus. IX. de ſpecillis. X. de modo expoliendi vitra. Gallicè ſcripſit: ſed amicus Latinè vertit. Multorum verò longè alias reddit cauſſas, quàm priores fecere. Excudit in Amſtelodamenſi hac urbe Elzevirius an. CIↃ IↃCXLIV.

Cap. XXVII.

DE GEODÆSIA.

1. §. *Sequitur* Γεωδαισία.

QUomodo etiam Ariſtoteles vocat in ſecundo Metaphyſicorum cap. 11.

2. §. *Ad verbum* terrarum diviſionem, *ſive* partitionem *ſignat. Proprieque eſt ſcientia menſurandi terrarum longitudines, latitudines, & profunditates. Laxè verò eſt ſcientia, ſive ars, cujuſvis rei materiata magnitudinem notâ quapiam menſurâ inveniendi.*

Notæ illæ rerum menſuræ, ſicut Vitruvius, & Hero, tradunt, ex homine ſumuntur: ut liquet ex vocabulis *digiti, pedis, cubiti, paſſûs.* Ex his digitus eſt quatuor granorum hordeaciorum; ut granum hordei menſura ſit minima. At quatuor digiti conſtituunt palmum. Quatuor palmi efficiunt pedem. Cubitus verò ab extimo cubiti uſque ad longiſſimi digiti extremum eſt ſeſquipes. Paſſus Geometricus eſt quinque pedum. Unde jam oritur Græcorum ſtadium; quod eſt CXXV paſſuum: & Latinorum milliarium, quod eſt mille paſſuum. Atque ex his etiam liquet de jugero, ſchœno, paraſangâ.

3. §. *Hac porrò ſcientia, ſeu propriè, ſeu laxè ſumas, Geometriæ eſt* ὑπάλληλος. *Differunt interim, quòd Geometria agat de* νοητοῖς, *ſive intellectualibus: Geodaſia, de* αἰσθητοῖς, *ſive ſenſilibus. Nec enim hæc metitur conos, vel cylindros: ſed acervos, ut conos; puteos, ut cylindros: idque vel ſubtiliùs, ut radiis ſolaribus: vel craſſiùs, ut perpendiculo.*

Quæ abunde docent, utcunque Geometria videatur præceptis jejuna, atque arida, uſu tamen eſſe longè maximam; ac ſplendidiſſimam. Hac enim geodæta metitur fundos, nauta aquas, geographus regiones, mechanicus machinas, architectus artificia, pictor tabulas, ſtatuarius ſigna: imò hujus, ac Arithmeticæ alis, ſubvectus Aſtrologus involat in cælos, aſtraque metitur.

4. §. *Licet verò hæc ſcientia ſit nixa principiis Geometriæ: qui tamen Geometriam diſcat ob Geodaſiam, non neceſſe habet diſcere demonſtrationes Geometricas; ſed ei præceptis à Geodaſia propoſitis credere ſufficit.*

Munere enim decempedatoris rectè fungitur, utcunque cauſſas non intelligat exactè.

5. §. *Geodaſia utilitas eſt ſumma in agris, cæteriſque ſolidis corporibus metiendis. Ut illis etiam, qui ſolo omnia quæſtu metiuntur, cara eſſe hæc diſciplina debeat. In bello prodeſt, indicando montium, turriumque altitudines inacceſſas, ac latitudines fluviorum, proque dimenſione ſpatii, ſcalarum menſuras ad urbes invadendas, & rationem dirigendi tormenta bellica.*

Ut pertineat ad Geodæſiam architectura militaris, ſive ratio civitates, terraſque ſuas muniendi, alienas oppugnandi: & quicquid pertinet ad Πολιορκητικὴν: de quâ eleganter, & accuratè Lipſius. Barbari hanc partem *Fortificationem* vocant. Hujuſce utilitatis longè maxima dedit experimenta Illuſtriſſimus Mauritius, Arauſionenſium Princeps, & Fœderatæ Belgicæ Gubernator: ut ejus victoriæ clamant, hujus ſcientiæ peritiâ captis tot urbibus, ac propugnaculis.

6. §. *Subinde verò ignorantiâ Geodaſiæ etiam hiſtoriographi falluntur in magnitudine regionum, inſularum, urbium, caſtrorum, deſcribendâ.*

Illuſtribus hoc Quinctiliani verbis comprobavimus, cùm de Geometriæ utilitate ageremus. Nunc igitur malim adducere illa graviſſimi ſcriptoris Polybii lib. IX *: Οἱ δὲ πλεῖστοι τῶν ἀνθρώπων ἐξ αὐτῆς τῆς περιμέτρου τεκμαίρονται τὰ μεγέθη τῶν προειρημένων. λοιπὸν, ὅταν εἴπῃ τις τὴν μὲν τῶν Μεγαλοπολιτῶν πόλιν πεντήκοντα σταδίων ἔχειν τὴν περίβολον, τὴν δὲ τῶν Λακεδαιμονίων ὀκτὼ καὶ τετταράκοντα, τῷ δὲ μεγέθει διπλασίαν εἶναι τὴν Λακεδαίμονα τῆς Μεγάλης πόλεως, ἄπιστον αὐτοῖς εἶναι δοκεῖ τὸ λεγόμενον. ἂν δὲ καὶ ξυναυξῆσαί τις βουλόμενος τὴν ἀπορίαν εἴπῃ, ὅτι δυνατόν ἐστι τετταράκοντα σταδίων πόλιν ἢ στρατοπεδείαν ἔχουσαν τὴν περιγραφὴν διπλασίαν γίνεσθαι τῆς ἑκατὸν σταδίων ἐχούσης τὴν περίμετρον, τελέως ἐκπληκτικὸν αὐτοῖς φαίνεται τὸ λεγόμενον. τούτου δ' ἐστὶν αἴτιον, ὅτι τῶν ἐν τοῖς παιδικοῖς μαθήμασι παραδιδομένων ἡμῖν διὰ τῆς γεωμετρίας οὐ μνημονεύομεν. *Plerique ſanè hominum ex ipſo ambitu magnitudines urbium, & caſtrorum conjectant; ac propterea, ſi quem dicentem audierint, urbem Lacedamoniorum, quæ patet in circuitu ſtadia tantùm octo, & quadraginta, duplo majorem obtinere magnitudinem ejus, quam habet urbs Megalopolitarum, cujus ambitus eſt ſtadiorum quinquaginta, dictu fidem omnem abrogant. Quòd ſi augendæ admirationi dicat aliquis, poſſe fieri, ut vel oppidum, vel caſtra, ſpatio quadraginta ſtadiorum circumſcripta, majora duplo ſint habentibus in circuitu ſtadia centum, planè obſtupeſcunt. Id autem ex eo fit, quòd parum eorum meminimus, quæ inter pueriles diſciplinas in Geometria doceri ſolemus.* Similem deinde eorum ſubjungit errorem, qui arbitrantur, urbes inter anfractus, & tumulos poſitas, plura continere ædificia, quàm ubi plana eſt ſuperficies. Non malè ratiocinarentur, ſi domus æſtimandæ eſſent ratione clivorum, indeque dependerent. Nunc aſſurgunt ad angulos rectos, ut ſuperficies tectorum æqualium parallela ſit ſuperficiei illius plani, cui & collium, & ædificiorum fundamenta ſunt innixa. Cujuſmodi, ut Polybius concludit, ignorare non debent ἡγεῖσθαι καὶ πολιτεύεσθαι βουλόμενοι: *qui exercitum ducere, vel remp. adminiſtrare, volunt.*

* P. 558. edit. Wechel. an. 1609.

7. §. *Ad Geodaſiam pertinet Gromatice: cujus finis eſt legitima limitum directio: quæ fit ex principiis geometricis.*

Sic dicta à *groma*, quod à γνώμων. Unde gromatici, qui Ciceroni in Agraria prima finitores dicuntur: *Finitorem mittant: ratum ſit, quod finitor illi, à quo miſſus erit, renuntiaverit.* Iidem *ſocii Arvales.* Græcis etiam οἱ περὶ ὅρων διαγινώσκοντες δικασταί. Quos ſignant Imperatores Theodoſius & Valentinianus: *Ita namque in mandato ad Florentium P. P. O. ſcriptum invenimus: Ope atque auxilio noſtra Clementia de Magiſtris agrorum, & geometria, vel finium regundorum, vel maximè de diſcipulis eorum, curâ magnâ ſancimus, ut Spectabiles ſcribantur, &, uſque dum profeſſi fuerint, Clariſſimi ſcribantur.*

8. §. Ex

8. §. *Ex Græcis de Geodæſia monumentum reliquit Cteſibius.*

Quod in Vaticana dicitur exſtare bibliotheca. Vide Poſſevinum lib XV bibliothecæ ſelectæ cap. VIII *.

* P. 201. edit. Rom.

9. §. *Etiam de ea egit Hero junior.*

Perperam enim duos Herones confundunt. Senior quippe vixit Olymp. CLXV, ſub Ptolomæo Euergete II; ut ſeculo junior ſit Archimede, ſeculo autem vetuſtior Vitruvio. Atque hujus ſunt Πνευματικὰ, ſive & Spiritalia, & Βελοποιϊκὰ, ſive Teliſactiva, aliaque, de quibus dicam, ubi ad Μηχανικὴν devenero. At Hero ille, qui Geodæſiam ſcripſit, (ut Juſto Lipſio obſervatum in Poliorceticis lib I dialogo VI) *ſub Imperatoribus Græcis, & in Chriſtiana religione, quod ex ſcriptis innoteſcit, vixit. Latinè editus & verſus eſt à Franciſco Barocio, patricio Veneto, anno* CIƆ IƆ LXXII. Adi vitam Heronis Bernardino Baldo exaratam, & Βελοποιϊκοῖς ſubjunctam †.

† P. 72.

10. §. *Etiam Græcè Geodæſiæ methodum ſcriptis mandavit Iſaacius Argyrus monachus.*

Græcè Venetiis fuit in bibliotheca Diegi Hurtadi.

11. §. *E Latinis veteribus de agrorum dimenſione, & conſtitutione limitum, egere Siculus Flaccus, Julius Frontinus, Aggenus Urbicus, Hyginus Gromaticus, pluresque alii.*

Primus eos typis divulgavit Adrianus Turnebus; notis verò poſtea illuſtravit Nicolaus Rigaltius.

12. §. *Proximo etiam ſeculo Joannes Buteo Delphinus librum edidit de fluviaticis inſulis ſecundum jus civile dividendis.*

Juriſconſultus fuit, ac Mathematicus inſignis. Opera ejus Lugduni in Galliis à Thoma Bertello excuſa fuere anno CIƆ IƆ LIV.

13. §. *Nec proximis quinquaginta annis defuere, qui hanc diſciplinam excolerent. In his fuere Bartholomæus Pitiſcus Grunbergenſis, & Adrianus Metius Alcmarianus.*

Prior anno CIƆ IƆ CIX problematum Geodæticorum librum, ſive de agro plano metiendo, ac dividendo, edidit; quem libris quinque Trigonometriæ ſubjecit: ſeque in Problematis primum ait Geodæticis locum dediſſe, quia, ut ajebat Socrates, princeps ille ſit Geometriæ finis, metiri, ac dividere agrum planum. Alter verò anno CIƆ IƆ CXX Geodæſiam tradidit Geometriæ Practicæ parte ſecundâ ‡. Etiam ὁ μακαρίτης collega meus Martinus Hortenſius Delphenſis, cùm à morte Wilibrordi Snellii ederet quatuor ejus canonicæ triangulorum, doctrinæ libros: de ſuo illis addidit Geodæticorum, & Sphæricorum, tractatus duos *. Unde præcipuus Trigonometricarum propoſitionum uſus elucet.

‡ *Secundò, atque emendatius prodiit Leidæ apud Elſevirios, anno* 1640.
* *Leidæ an.* 1627.

CAP. XXVIII.

DE COSMOGRAPHIÆ PARTE EA, quam Aſtronomiam dicimus; deque ejus objecto; item de ejus nobilitate, quæ ex ſubjecto, & certâ probandi ratione, oſtenditur.

1. §. *Habemus de duabus ſcientiis Arithmetica ὑπαλλήλοις, duabus item Geometriæ ſubalternis. Superſunt duæ, quæ Arithmetica, & Geometriæ, atque aliarum quoque ope ac auxilio, perficiuntur. Sunt hæ Coſmographia, & Mechanice. Quarum Coſmographia eſt totius ſphæræ mundanæ, ſive compagis cælo, & elementis conſtantis, ratione principiorum, partium, & affectionum, artificioſa, atque erudita deſcriptio. Hæc Geometriæ ſubalternatur, quatenus partium mundi magnitudines contemplatur: Arithmeticæ, quatenus numerat motus cæleſtes.*

Quamvis vero dignitate, & ſubjecti ratione, prior ſit ſcientiis, de quibus diximus; cognitione tamen eſt poſterior. Ut quæ ſine Arithmeticis calculis, & delineationibus Geometricis, intelligi non poſſit.

2. §. *Hinc vulgaris illa opinio profluxit, Coſmographiam eſſe Matheſios partem. Propriè tamen medium inter Matheſin, & Phyſicen locum obtinet. Magiſque ad Phyſicen referenda, quàm Matheſin; quia non ex famulante diſciplina, ſed dominante, cenſere eam convenit.*

Atque idem dictum eſto de Optice, & Mechanice. Quare qui Matheſi haſce diſciplinas ſubjiciunt, nimis de iis abjectè, nimis verò magnificè de Matheſi, judicium ferunt. Atque hoc magis liquebit, cùm deventum erit ad ſcientias, arteſque cæteras, quæ ſubjacent Phyſicæ.

3. §. *Comprehendit autem Aſtronomiam, & Geographiam. Quarum* ἀστρονομία *ita dicitur* ἀπὸ τοῦ νόμου τῶν ἄστρων, *quia docet, quâ lege moveantur, ac regantur aſtra. Aliter etiam* ἀστρολογία *vocabatur veteribus. Sed diſtinxere poſteriores; qui ſic dicere maluerant ſolam μαντικὴν, ſive divinatricem. Nunc promiſcuè ſumimus pro ſcientia illa, quæ corporum cæleſtium motum, magnitudinem, figuras, ac illuminandi vim, conſiderat.*

Plato *Aſtronomiam*, Ariſtoteles vocat *Aſtrologiam*; idque ἀρχαϊκῶς, ut ait Simplicius in libros de cœlo. Idem in φυσ. ἀκρ. β, ait, cùm Aſtrologia divinatrix nondum eſſet illata in Græciam, promiſcuè uſurpari ſolere *Aſtronomiæ*, & *Aſtrologiæ* vocabula: à recentioribus autem *Aſtronomiam* vocatam, quæ docet, cæleſtium corporum motus; *Aſtrologiam* autem, quæ ἀποτελέσματα tradit, atque eventa.

4. §. *Aſtrologia contemplatur corpus ſolidum, non quodvis, ſed naturale. Unde & ejus principia adſumit.*

Strabo lib. II *: Ὁ ἀστρονόμος ἔλαβε τὰς ἀρχὰς παρὰ τοῦ φυσικοῦ. *Aſtronomus principia mutuatur à Phyſico.*

* *Pag.* 12. *edit. Pariſ. an.* 1620.

5. §. *Atque in eo, quòd verſetur circa corpus naturale, differt à Mechanice: ut quæ conſideret arte conſtantia.*

Ut planius fiet, ubi ad Mechanicen deventum erit.

6. §. *Neque etiam ἁπλῶς naturale corpus conſiderat; ſed quatenus movetur ſecundùm trinam dimenſionem: longitudinis quidem ab occaſu in ortum, & contra; latitudinis, à Zodiaco verſus polos; profunditatis verò, cùm quæruntur uniuſcujuſque planetæ, & orbitæ ejus, à centro mundi diſtantia, & intervalla.*

Nec tamen in hoc omnes conveniunt: cùm alii dicant, cælum moveri, ac conſequenter ſtellas: alii tradant moveri quidem ſtellas; at cælum eſſe immobile. Quâ de controverſia abunde egi lib. II Phyſiologiæ Chriſtianæ cap. XXXVIII, & XXXIX.

7. §. Nec

7. §. *Nec verſatur circa quodvis corpus naturale; ſed cæleſte.*

Quo ſeparatur non modò à Phyſica, quæ quodvis corpus naturale conſiderat; ſed etiam à Geographia, quæ non cælum modò, verùm etiam terræ, & aquæ globum, menſurat.

8. §. *Quamquam verò Aſtrologiam poſſis dicere partem Phyſices, quatenus corpus cæleſte eſt naturale, & naturales ſunt cauſſa, atque eventus, quos exponit: diverſa tamen ſcientia eſt, quatenus modus conſiderandi eſt diverſus. Nam Phyſice ſpeculatur corpus cæleſte, quatenus eſt tale: Aſtrologia, quatenus circa medium verſatur.*

Scientia quidem eſt, quia verſatur circa res neceſſarias. Quippe ſubjectum ejus, (à quo in definitione ſcientiarum ſumitur differentia) eſt corpus cæleſte: ſed quatenus circa medium mobile eſt. Ut ſubjecti hujus ſint partes duæ; materialis, & formalis. Materialis, ſive res conſiderata, eſt corpus cæleſte. Hujus enim principia, & affectiones, explicat. Quæ duo in quavis demonſtratione conſiderari debent: unde Ariſtoteles lib. I Poſt. Analyt. part. LVI, & LXXVI, ait, omnem demonſtrationem circa tria eſſe; nempe, ſubjectum, principia, & affectiones. Pars formalis, ſive modus conſiderandi, indicatur illis verbis, *quatenus circa medium mobile eſt*. Nam Phyſice verſatur quidem circa cælum; ſed quatenus corpus naturale eſt. At Aſtrologia id conſiderat, quatenus circa medium movetur: recteque dicatur Geometria in corporibus cæleſtibus occupata, quorum motus, magnitudines, ac diſtantias exponit. Cùm verò Aſtrologia de corpore cæleſti agat, quatenus circa centrum movetur: non obſcura eſt ratio, cur, (quod inſulſum eſſe homines, penè dixerim inſulſi, judicant) etiam de elementis, atque imprimis de terra, circa quam cæli moventur, egerit Ptolemæus in Μεγάλῃ συντάξει, quam Arabes *Almageſtum* nominant; itemque Alphraganus, atque alii.

9. §. *Nobilitas Aſtrologiæ cognoſcitur ex duobus: ex nobilitate ſubjecti, & ratione ejus formali.*

Quibus duobus modis metiri cujuſque ſcientiæ præſtantiam Philoſophus jubet.

10. §. *Ac ſubjectum quidem eò in rationem venit; quia melius eſt pauca ſcire de re eximia, quàm multa de vili:*

Ut Ariſtoteles ait in II de Cælo, & XII Metaphyſ. & XVI de Animalibus; cui etiam ſubſcribit interpres ejus Averroes; ut cæteros mittam.

11. §. *Quid autem in hac mundi compage ſublimius, majus, excellentius eſt corpore cæleſti? Atqui hoc eſt ſubjectum hujus ſcientiæ.*

Quare non verè minùs, quam ſcitè, canit Ovidius in primo Faſtorum*: * Verſ. 297.

Felices animæ, quibus hæc cognoſcere primis,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Credibile eſt illos pariter vitiiſque, jociſque,
Altiùs humanis exſeruiſſe caput.
Non Venus, & vinum, ſublimia pectora fregit,
Officiumque fori, militiæve labor.
Nec levis ambitio, perfuſaque gloria fuco,
Magnarumque fames ſollicitavit opum.
Admovere oculis diſtantia ſidera noſtris,
Ætheraque ingenio ſuppoſuere ſuo.
Sic petitur cælum: non ut ferat Oſſan Olympus,
Summaque Peliacus ſidera tangat apex.

Quid igitur potius contemplemur, quàm cælos? Præſertim quando Deus ipſe propterea

Os * *homini ſublime dedit, cælumque tueri* * Ovid. 1. Met.
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Videt quidem & vulgus Solem, ac Lunam: ſed propè inſtar mutorum animantium. Quippe non videt ſolem ab occaſu in ortu contra motum diurnum ferri per circulum obliquum, & hoc inæqualiter: atque ab eo motu tum anni quantitatem definiri, tum inæqualitatem dierum, & noctium, gigni. Non videt, lunam nunc curſum accelerare, nunc retardare; nunc item propiorem eſſe terræ, nunc ab eâ remotiorem. Non videt, cæteros etiam planetas obniti motui diurno, ac nunc intendere greſſum, nunc remittere: interdum etiam conſiſtere, ac relegere veſtigia ſua, varieque extra orbitam Solis nunc Auſtrum, nunc Septentrionem verſus ferri. Hæc vulgus non videt; nec, ſi videat, cauſſas eorum animo aſſequatur. Nec magis videt, Solem eſſe terrâ centies ſexagies majorem; contrà lunam, quæ videtur penè Soli æqualis, vix eſſe quadrageſimam terræ partem: nec videt ſtellarum fixarum minimas eſſe terræ globo aliquoties majores: maximas autem pluſquam centies exſuperare molem terræ.

12. §. *Præterea, ut dicebamus, nobilitas hujus ſcientiæ æſtimatur, ex ſubjecti ratione formali; quia certiùs demonſtrat ſcientiis non Mathematicis.*

Sanè, ut Philoſophus in primo Poſter. Anal. docet, ſcire eſt rem per cauſſam cognoſcere: ac proinde, quo certior cauſſa erit, eo nobilior fuerit ſcientia. Atqui Aſtrologia argumentis probat Arithmeticâ, & Geometricâ Matheſi ſubnixis; quibus nihil certius: ut antea dictum ex Averroe in lib. II Metaphyſ. Eoque nec dubitandum, quin certiora ſint ejus argumenta, quàm Phyſica; niſi quatenus Phyſice argumenta quædam petit è Matheſi.

13. §. *Nec facile ullum eſt ſtudium invenire, quod magis excoluerint ipſi reges, & principes. Ac primum ipſe Salomo.*

Qui in Sapientiæ libro cap. VII verſ. 17, & tribus ſequentibus, ſic loquens inducitur: *Ipſe mihi dedit eorum, quæ ſunt, cognitionem certam: ut cognoſcam conſtitutionem mundi, & vim elementorum; principium, & finem, mediumque temporum; ſolſtitiorum mutationes, & varietates tempeſtatum; anni circuitus, & ſtellarum ſitus; naturas animantium, & animos beſtiarum, ſpirituum vires, & cogitationes hominum; differentias plantarum, & radicum facultates.* Ubi eorum, quorum cognitio Salomoni tribuitur, alia pertinere videmus ad coſmographiam, ac utramque ejus partem, geographiam, & aſtrologiam: alia item ad ſcientiam naturalem: imò & ad prudentiam civilem, quò lubens referam, quod dicitur de cogitationibus hominum. Nec enim arbitror Aſtrologiam judiciariam ſignari.

14. §. *Præterea idem factum à Julio Cæſare.*

Unde ſic apud Lucanum ait lib. X:

——Media inter prælia ſemper
Stellarum, cælique plagis, Superiſque vacavi;
Nec meus Eudoxi vincetur faſtibus annus.

Etiam Hadrianus Cæſar quotannis ſibi prognoſticon ſcribebat. De Alphonſo rege, ejuſque tabulis, inferiùs dicam.

Cap. XXIX.

De Aſtrologiæ ingenti, ac multiplici utilitate, in omni vita: pariterque de ejus difficultate, & unde ea naſcatur.

1. §. *Atque iſta quidem, quàm nobilis, atque auguſta hæc ſit ſcientia, oſtendunt. At non leviùs eam commendant tot argumenta, quæ petuntur ab uſu ejus multiplici, tum privatim, tum publicè. Ac privatim quidem bifariam. Primùm ad pietatem; deinde ad modeſtiam. Ad pietatem confert, quia cælorum opificium attendendo, tam amplum, tam ornatum, tam varium, tot bona, commodaque adferens, non ſummam modò, ac honeſtiſſimam capimus animi voluptatem; ſed præterea Dei videntes ſapientiam, bonitatem, potentiam, providentiam, magis inde conditorem, rectoremque cognoſcimus, cognitum admiramur, admirantes etiam noſtri officii commonemur; quod eſt Dei amor, ac cultus.*

Hinc Job. xxxv, 5: *Suſpicite cælum, intuemini, & contemplamini æthera.* Etiam à divino pſalte dicitur*, *Cælos Dei gloriam enarrare.* Ac ab Apoſtolo Paulo initio epiſtolæ ad Romanos†, hominem, contemplando opera Dei, ad ejus potentiam, ac divinitatem, adſcendere. Vide & Sapient. cap. XIII. Plurimaque id genus ſunt in Scripturis. Plato etiam in ſeptimo de Rep.‡ ait, hanc ἀναγκάζειν* ψυχὴν εἰς τὸ ἄνω ὁρᾶν. Xenophon†, admiratione mundi, colligit eum eſſe σοφοῦ τινος δημιουργοῦ, καὶ φιλοζώου τέχνημα‡, atque adeò agitari, conſervari, & gubernari à mente æterna. Ariſtoteles lib. VIII φυσικῆς ἀκροάσεως. ex motu cæleſti colligit æternum motorem. Itaque & Nazianzenus Orat. x prædicat fratrem ſuum Cæſarium, ut excellentem virum, & virtutibus ornatiſſimum, aſtrologiæ etiam deditum: ſed addit, *ut laudaret creatorem ſuum; iis reſectis, quæ prava eſſent.*

* Pſal. 18. 2.
† Cap. 1. verſ. 20.
‡ Edit. H. St. Tom. 2. pag. 529.
* Cogere ut animum attollamus ſurſum.
† Lib. 1 Ἀπομνημονευμάτων.
‡ Opificium ſapientis cujuſdam artificis, & amantis naturæ humanæ.

2. §. *Imò vix dici poteſt, quàm multa ſint in ſcientia naturæ, unde ſe nequeat extricare Phyſicus, niſi ſubſidium petat ab Aſtrologis. Duo nunc illuſtria ponam, quorum prius eſt de galaxia; alterum de maris æſtu.*

Diſputatur enim utrum galaxia, ſive circulus lacteus, ſit in aëre, an in cœlo. Prius cenſuit Ariſtoteles libris Meteorologicis. Sed Averroës ait, ſe Cordubæ in Hiſpania, & Marochi in Africa, ſidus aquilæ vidiſſe in eodem margine lacteæ viæ; quod longè aliter foret, ſi circulus ille lacteus eſſet ſub luna. Tanta enim locorum diſtantia afferret in viſione paralaxin magnam. Etiam Tycho Brahe* teleſcopio deprehendit, galaxiam eſſe circulum luminoſum ex congerie innumerarum ſtellarum minutarum. Quod verò ad maris fluxum, & refluxum, ab Aſtrologis fuit animadverſum, mare intumeſcere ſub perpendiculo Lunæ, ſupra, vel infra, Lunam conſtitutæ. Unde collegerunt, Lunam, cùm perpendiculariter imminet mari, ſive inſigni rarefactione, ſive virtute quâdam magneticâ, ſpiritum aquæ marinæ commovere, & in aëra attrahere, unde mare intumeſcat.

* In nuncio ſidereo pag. 32.

3. §. *Ad mores verò, præcipueque illam nunquam ſatis laudatam, nunquam ſatis adoleſcentiæ laudandam modeſtiam, mirè etiam hæc ſideralis ſcientia conducit. Nam cùm ita cum hominibus ſit comparatum, ut ſtulto amore, atque adeò admiratione ſplendidi illius luti, quod aurum, vel argentum dicimus, propemodum obbruteſcant: ferè ita uſu venit, ut poſtquam animum occupârint conſideratione rerum cæleſtium, ſordere incipiant terrena; nempe parva præ magnis, humilia præ ſublimibus, caduca præ perpetuis.*

Modeſtè igitur de opibus ſuis, ac potentiâ ſentiunt, videntque in rebus humanis, nihil eſſe pulchrum, præter virtutum, & maximarum rerum notitiam. Ad quæ qui animum applicuerit, non putat ſibi ultrà in cœnoſa homo figendum animum; ſed caput ultra nubes exſerendum, imò elevandum uſque ad orbes cæleſtes: qualis cogitatio præterquam quod animum, caducis alioqui plus ſatis intentum, attollit ad cogitanda cæleſtia, etiam voluptate eum perfundit ſimili quodammodo illi cæleſtium incolarum.

4. §. *Atque hæc privatim ſpectant ſingulos. Præterea maximus eſt Aſtrologiæ uſus in Politia, omnique ſocietate humanâ. Nam motus cæleſtis nobis eſt norma temporis in vita noſtra demetienda; in contractibus, ac negotiis; in urbanis, & militaribus; in publicis omnibus, & privatis.*

Quomodo enim abſque horarum, menſium, annorum notitiâ conſtare poſſit, quando vel quamdiu aliquid geſtum ſit, Quàm fœda abſque iſtis confuſio foret in univerſa Republica! Quam neceſſitatem vel Faſtorum uſus docet prope ubique gentium. Videmus etiam, quantum Nicias detrimentum attulerit Athenienſibus; dum, eclipſi territus, non eſt auſus educere exercitum. Contrà autem, quantum etiam, ſcientiâ hujus rei, eidem populo profuerit Pericles: Romano item exercitui Sulpicius. Nec ignotum puto, quantum prædictione ejus metum Jamaicenſibus incuſſerit Chriſtophorus Columbus; ſic ut ſponte hoſtili ejus exercitui frumentum ſuppeditarent, & ſupplices, quòd antè id negâſſent, veniam expoſcerent: ut epiſtolâ, ad Carolum V, quam præmiſit operi ſuo de ſphæra in plano deſcribendâ, refert Joannes de Roias*.

* Pariſiis excudit Vaſcoſanus.

5. §. *Oeconomicæ etiam utilem eſſe, arguit factum Thaletis Mileſii, qui cùm ex Aſtrologia prævidiſſet futuram anni fertilitatem, omnes in agro Mileſio oleas coëmit, priuſquam florere cœpiſſent.*

Quo oſtendit ſapienti, ſi volet rem facere, non deeſſe ſcientiam, quâ poſſit diteſcere. Rem ex Hieronymo Rhodio narrat Diogenes.

6. §. *Etiam quàm Reip. neceſſaria ſit, liquet ex ſummo ejus uſu in agricultura, & re nautica: quarum utrâque quid neceſſarium magis? Illa enim Reip. ſuppeditat, quæ domi naſcuntur; hæc cætera, quæ aliunde, ſæpe per longinqua maria, petuntur.*

At agricolæ metiuntur tempora ortu ſiderum: unde Maro† ſe pollicetur dicturum, † 1 Georg.

——*quo ſidere terram Vertere conveniat.*

Nec ſolùm in ſemente; ſed etiam inſitione, plantatione, & aliis, tempus attenditur. Præterea nauta ab Aſtrologia diſcit opportunum navigandi tempus. Et quomodo ſine ſiderum notitia terras petet diſſitas longè, ac ſæpe alio ſub Sole calentes? Imò agricolæ, & nautæ, ſunt, qui ſtellis ſua impoſuerint nomina. De nautis idem Maro‡: ‡ 1 Georg.

Navita tum ſtellis numeros, & nomina, fecit,
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.

Ejuſdem Maronis eſt*: * 1 Georg.

Hinc tempeſtates dubio prædiſcere cælo
Poſſumus; hinc meſſiſque diem, tempuſque ferendi,
Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat; quando armatas deducere claſſes,
Aut tempeſtivam ſilvis evertere pinum.

Præ-

Præterea cùm in nautica ſit uſus magnetis, ſeſe in æquilibrio ad mundi polos convertentis: magnes verò etiam ad novem gradus, interdum etiam ad undecim deflectat, quis non videt, niſi ex Aſtrologia hac parte emendare uſum acus magneticæ ſciat: quantopere ſit aberraturus ab eo, quod ſibi propoſuit?

Adhæc egregii vident naucleri ex Aſtrologia, cur ab Occidente in Orientem navigantes, orbe circùmnavigato, uno die in maritimis ſuis faſtis abundent: contrà autem, ſi ab Oriente iter inſtituerint verſus Occidentem, die uno deficiant. Paruit hoc ex periodo Ferdinandi Magellani anno CIↃ IↃ XIX. Reverſi enim ſunt, ſecundum ſuum diarium, VII Septembris; qui aliis tantummodo ſextus erat: ut monuere jam multi; in his Cardanus lib. XII de Rerum varietate. Etiam Belgis anno CIↃ IↃ C XXIII, cùm ad Moluccas perveniſſent, unus eſt deſideratus dies. Quinctus enim Martii erat dies ſecundùm faſtos ſuos: incolis autem erat Martii ſextus. Nempe ratio diſcriminis fuit, quòd illi navigârint adverſus motum Solis diurnum: hi verò ſecundùm eum. Quæ res litem movere poſſit Iudæis: aliis eorum ab Oriente in Occidentem, aliis ab Occidente in Orientem navigantibus. Verùm de hoc curæ eſto Rabbinis.

7. §. *In ſacris etiam ceremoniis quantus ſit Aſtronomiæ uſus, docet controverſia de celebratione Paſchatis: quæ, à tempore Papæ Victoris cœpta, tandem eſt deciſa in concilio Niceno. Ac par ratio eſt de reliquis feſtis mobilibus.*

Quod etiam videre veteres Dani, atque alii Septentrionis populi: qui ex vario ligni genere inſtrumentum faciebant, cui inſcribebant literas Dominicales, feſtos dies, aureum numerum, lunæ φάσεις, totamque faſtorum rationem. Id vocarunt rimſtok. Vide de iſto Olaum Magnum lib. XVI Hiſtoriæ Septentr. cap. XX, & XXIV: ac imprimis Olaum Wormium in Faſtis Danicis lib. I, cap. II, III, & ſeqq.

8. §. *Et Medicorum in Rep. neceſſitatem quis non videt? At tempora iis ſunt in morbis obſervanda: ut omnino Medicina dirigatur notitiâ Aſtrologiæ.*

Quod etiam Hippocratis judicium eſt. Ut qui ſect. IV aphoriſm. V ſtatuat, Caniculâ oriente moleſtas eſſe purgationes. Etiam in venæ ſectione conducit attendere incrementa, ac decrementa Lunæ: quia in humorem dominatur, proque luminis varietate variè afficit ægrotos. Præterea critici dies ex ſiderum ratione dependent. Quare & Galenus ægros commonet, ne ſe committant medicis, qui neſciant temporum motus, & opportunitates. Nec propterea Medicis audienda ſunt Aſtrologorum commenta, à Saturno in Ariete pectus regi, à Jove ſtomachum, à Marte caput, à Sole ſemora, à Venere pedes, à Mercurio crura, à Luna genua. Unde ſanè didicerunt ſic dignitates eſſe diſpenſatas inter ſigna cæleſtia? Nec ea eſt adſpectus trigoni, vel tetragoni, aut hexagoni vis, in morbis, quam ſomniant. Quàm miſerè cum ægrotis ageretur, ſi medicus ſemper exſpectare velit, donec alia ſit conſtitutio planetæ, aliuſque planetarum adſpectus! Quare ut ad generalia quædam attendi debeat, ea ſanè pauca ſunt: & ejuſmodi, ut haut magnopere ſollicitum eſſe conveniat de cauſſis univerſalibus, ac remotis; ſed ſolùm de proximis, ac præcipuis. Imò, quoties ex dilatione pharmaci, vel φλεβοτομίας, vitæ periculum imminet; quod inſtat, agendum, nullâ prorſus ſiderum habitâ ratione. Audiamus de iſto Joannem Manardum lib. II, epiſt. I: *Franciſcus Bencius, Ugonis Senenſis filius, præceptor olim in Medicina meus, (aliorum pace dixerim) medicorum in Italia noſtrâ ætate facile princeps, nihil unquam cæleſte obſervavit: ſed quoties occaſio urgebat, in ipſis Solis Lunæque congreſſibus, & purgationem, & venæ ſectionem imperabat. Unde evenit, ut cum præſtantis cujuſdam viri curationi, unà cum Hieronymo Manfredo, Aſtrologo ſui temporis famoſiſſimo, Bononiæ præeſſet; immineretque ſimul & purgandi neceſſitas, & luminarium coitus: aſtrologo reclamante, & ægrotanti mortem minitante, potione ad Bencii imperium exhibitâ, infirmum è gravi morbo convaluiſſe. Rectè igitur, & ſibi, & ægrotis, medici conſulent, ſi quoties vacuandum videtur, lotium magis, quàm aſtrum, inſpicient, & venarum pulſationem potius, quam ſtellarum obſervabunt configurationem.* Nimium igitur Aſtrologiæ adſcribunt, qui, non contenti dicere, eam eſſe Medicinæ utilem, ipſius Medicinæ faciunt partem. Ut Nicolaus Prucnerus, epiſtolâ ad Ottonem Brunsfelſium, Medicum, & Matheſios amatorem; quam Julio Firmico præmiſit*.

* In Editione Hervagiana an. 1533.

9. §. *Sed alias etiam ſcientias conſideremus. Quomodo ſine ea poetas intelligere poſſumus, cùm ſæpe adeò tempora deſcribant ab ortu, & occaſu ſiderum? Quid Metaphyſicis futurum? qui ex cæleſtium orbium motu, naturam, & numerum colligunt intelligentiarum†. Quid Phyſices parti, quæ Meteorologice vocatur? Siquidem cometa, venti, pluviæ, ſerenitas, & ſimilia, ex conſtitutione ſiderum dependent. Quid cæteris ſcientiis Mathematicis? Ac primùm Geographia, quo nomine & hydrographiam nunc complector. Sanè nec ſtudium illud auſpicari licet, niſi doctrinâ circulorum cæleſtium prius imbuto. Quodque adeò variant terrarum plagæ, & Oceani loca, ex cæleſtibus ratio peti debet. Deindè quid ſine ea Chronographia foret? Quando ex anni Solaris, vel Lunaris magnitudine; item ex eclipſibus, quas hiſtorici annotârunt; ac ex rebus aliis id genus, ſæpius decidenda eſt controverſia de tempore, quo quid geſtum fuit. Denique quid alioquin fiet Optica? Cùm ſcientia hac metiatur radios, quos cæleſtia fundunt corpora. In quo ſæpius aberrabit Opticus, niſi ab Aſtrologo edoceatur, quanta fieri ſoleant allucinationes viſûs circa mundi formas, & motus.*

† Ariſtot. lib. 12 Metaphyſ.

Pauca hìc ex multis ſolùm attigimus. Nam ſingulis ſi inſiſtam, juſtus fiat commentarius.

10. §. *Præterea Hiſtorice, ſive ars condendæ hiſtoriæ, ſcientiam Aſtrologiæ requirit.*

Vt, inter alia, cùm in urbium, aut regionum deſcriptione, clima eſt indicandum.

11. §. *Utinam verò tam præclarum ſtudium non etiam foret tot implicitum difficultatibus! Quod arguit tantus ſummorum etiam virorum diſſenſus ſuper orbium cæleſtium, ſiderumque naturâ, ac numero: horum etiam magnitudine, diſtantiâ, motibus, atque aliis.*

Atque hinc illud in libro Sapientiæ cap. IX. verſ. 15, 16, 17. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Et difficile exiſtimamus, quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore: quæ autem in cælis ſunt, quis inveſtigabit? Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimis?*

12. §. *Difficultatem ejus ſtudii etiam oſtendit, quòd multarum adeò ſcientiarum ope, atque auxilio, ad eam opus eſt. Ac primùm Aſtrologica hiſtoria: puta obſervationum de longitudine, ac brevitate dierum, deque varia anni formâ pro imperiis diverſis: item de eclipſibus, quas variis in locis hiſtorici ſignârunt: tum autem, quæ de ſtellis primi monuere Hipparchus, Ptolomæus, Albategnius; poſteaque Nicolaus Copernicus, Tycho Brahe, Galilæus de Galilæis, atque alii vel veterum, vel recentiorum.*

Cujuſmodi vocamus nomine *hiſtoria Aſtrologica*, quia rerum ſint ſingularium: ut quatenus ſingularia ſunt, eorum ſcientia eſſe non poſſit. Nam ſingularia ſunt caduca; ſcientia autem eſt rerum æternarum; ut ſunt univerſalia, quæ ex ſingularibus colliguntur. Obſervationes igitur ſingulares non pars ſunt ſcientiæ Aſtrologicæ; ſed fundamentum.

12. §. *Adhac indiget Phyſicis.*

Nec enim Aſtrologo licet hypotheſes fingere Naturæ adverſas. Eoque cognoſcenda illi eſt natura corporum cæleſtium.

13. §. *Item Opticis opus.*

Ut propter refractionum doctrinam.

14. §. *Sed imprimis exiguntur Arithmetice, & Geometria. E quibus χορηγία eſt Geometra. Nititur enim præclarâ, & ingenioſâ, planeque mirandâ triangulorum doctrinâ, tam planorum, quàm ſphæricorum. Exinde Arithmeticus per Logiſticen Geometræ ſuperadditur ad ultimum ἀποτέλεσμα conficiendum.*

Idcirco dicebat Plato, duabus quaſi alis, Arithmetice, & Geometria, mentem humanam è terris ad contemplationem rerum cæleſtium ſubvolâſſe.

Cap. XXX.

DE ASTROLOGIÆ antiquitate; & qui in Oriente, vel Africâ, eam excoluerint primi.

1. §. *Ob multiplicem adeò aſtronomiæ utilitatem, gentes etiam ejus inventionem numini tribuerunt. Nempe Muſarum uni, quæ Vranie dicitur.*

Unde Vetus poëta lib. I Ἀνθολογίας, tit. εἰς μούσας.
Οὐρανίη πόλον εὗρε, καὶ οὐρανίων χορὸν ἄστρων*.
Ac Auſonius Epigr. CXXXVIII:
Vranie cæli motus ſcrutatur, & aſtra.

* *Vranie polum invenit, & cæleſtium chorum aſtrorum.*

2. *Sed Deus cauſſa eſt univerſalis omnis boni. Quare nunc potiùs videndum eſt de hominibus: nempe quo pacto, & à quibus ſideralis ſcientia ſit reperta. Non dubium verò, quin ea cœperit ab obſervationibus ortûs, & occasûs ſiderum, qui provenit ab revolutione primi mobilis.*

Sanè hiſtoria Aſtrologiæ eſt prior ſcientiâ ejus: cùm illa ſingularium ſit; hæc univerſalium, quæ ex ſingularibus colliguntur: ut dictum † antea.

† *Cap. præcedenti* §. 11.

3. §. *Nec tardè adeò ad ſcientiam ejus deventum, quàm quis poſſit exiſtimare. Nam antiquitatem ejus oſtendit, quòd jam reperta fuerit ante diluvium; cùm homines feliciori cælo, & ingenio; diuturniori etiam vitâ fruerentur.*

Nam Moſes, Geneſ. XVII dicit, Noë eſſe arcam ingreſſum menſis ſecundi die XVII: meminit & menſis ſeptimi, item decimi: ad hæc docet, anno hoc exacto, proximi anni menſis ſecundi die XXVII egreſſum eſſe ex arca. Unde liquet, quàm ridiculi ſint, qui putant, annum ante diluvium fuiſſe menſtruum, non menſium duodecim. Eàdem videmus, veriſſimè à Beroſo attributam. Noacho ſcientiam ſideralem: ſciviſſeque patriarchas ante diluvium conficeri annum Lunâ duodecies ad Solem reversâ, priuſquam Sol ſemel abſolviſſet curſum, adverſâ etiam converſione Zodiacum emetiendo.

4. §. *Imò credibile eſt, Adamum fuiſſe primum Aſtrologum: ab eo ſcientiam didiciſſe filium Sethum, inde Adami nepotes, & pronepotes.*

Atque hi, cùm Adamus prædixiſſet, mundum priùs aquâ, ac poſtea igni periturum, duas fecêre columnas, ac utrique, quæ de ſideribus obſervâſſent, inſcripſêre. Earum una fuiſſe dicitur lateritia, altera lapidea: idque eo fine, ut ſi diluvio lateritia corrumperetur, ſuperſtes eſſet altera; eaque, quæ inſcripta eſſent, legenda poſteris exhiberet. Hæc dicta ſunto fide Flavii Joſephi lib. I Antiq. cap. II*. Atque addit: Μένει (ἡ λιθίνη) ἄχρι καὶ δεῦρο κατὰ τὴν Συριάδα. *Exſtat* (lapidea illa) *hodieque in Syria.* Illud quidem conſtat, valde antiquam eſſe conſuetudinem lapidibus aliquid inſcribendi, ne in oblivionem veniret. Quomodo & Moſaicæ legis tabulæ è lapide fuerunt. Et Iobi quoque eſt cap. XIX: *Utinam ſcribantur mea dicta, utinam in libro exarentur, ferreo, plumbeoque ſtylo in perpetuum inſculpta ſaxo*, &c. Imò a Tacito quoque proditum eſt, antiquiſſima memoriæ monumenta inſcripta ſaxis fuiſſe. Quicquid verò eſt de columnis illis; planè credibile eſt, Aſtrologiam fuiſſe repertam ab antiquis Patribus; qui admodum fuêre longævi. Nam ad inventionem ſideralis ſcientiæ ſeculorum aliquot ſpatio opus eſt: & digna erat ſcientia hæc, in quâ nobiles illæ animæ ſe occuparent. Pro hac ſententia, quam idem Joſephus cap. VII ejuſdem libri memorat, facit, quod Enoch, proavus Noë, ſcriptis dicitur ſideralem ſcientiam prodidiſſe: atque ajunt, libros eos hodieque exſtare in regno reginæ Sabæ. Legit, multaque inde citat Tertullianus, libro de Idololatria cap. IV, & XV: adhæc de cultu feminarum cap. X, & imprimis lib. de habitu muliebri cap. III: ubi variis argumentis conatur comprobare codices eos fuiſſe genuinos: iis etiam, quæ obduci poſſe viderentur, occurrit. De iiſdem ſic Origenes Homil. XXVIII in Numeros †: *Videtis, quibus, vel quorum appellationibus, vocabuliſque, diſtincta, & nomina non ſolùm plagarum cæli, ſed etiam omnium ſtellarum, ſiderumque, ſignata. Qui enim fecit multitudinem ſtellarum (ut ait Propheta ‡) omnibus eis nomina vocat. de quibus quidem nominibus plurima in libellis, qui appellantur Enoch, ſecreta continentur, & arcana: ſed libelli ipſi non videntur apud Hebræos in auctoritate haberi.* Præterea Euſebius, lib. IX Præparationis Euangelicæ, ab Alexandro Polyhiſtore ex Eupolemo proditum ait, Enochum fuiſſe Aſtrologiæ inventorem, non Atlantem; niſi eundem viſum ſit ſtatuere Atlantem, ac Enochum. Etiam B. Auguſtinus lib. XVIII de Civitate Dei cap. XXXVIII, parum veriſimile exiſtimat; opuſcula illa ad Chriſtiana uſque tempora durâſſe. Vide & Sixtum Senenſem in biblioth. voce *Enoch*, & Pamelium ad Tertull. pluribus locis, maximè de habitu muliebri cap. III. Atque hæc de temporibus ante cataclyſmum.

* Al. 4.

† P. 322. edit Baſil. an. 1536.

‡ Pſ. 146. (al. 147)

5. §. *Poſt diluvium, genteſque per orbem diſperſas, Aſtrologiæ ſtudium à variis nationibus excultum videtur. Nam quaſdam obſervationes à Noacho, ac nepotibus, hauſerant; ut mirum nihil ſit, ſi penè eodem tempore variis in regionibus varii ſidera obſervârint. Atque hinc illa inter gentes concertatio de inventa Aſtrologiæ gloriâ. Sed cùm extra controverſiam ſit, genus humanum ex Aſiâ, non modò ratione Adami, ſed etiam Noachi, in Africam, Europam, parteſque orbis alias ſe profundiſſe: omnino ſic ſtatui debet, Aſiaticis hanc gloriam referri acceptam oportere. Cumque latè pateant Aſiæ gentes; lubentes nos iis aggregamus, qui Babyloniis potiſſimùm, ſive Chaldæis, gloriam illam vindicant.*

Herodotus in Euterpe: Πόλον μὲν γὰρ, καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες.

Digitized by Google

tur. *Polum equidem, & gnomonem, parteſque diei duodecim, didicerunt Græci a Babyloniis.* Similiter Diodorus Siculus lib. III Antiquitat. ubi Chaldæis hanc laudem tribuit, quòd longâ obſervatione aſtrorum naturam curſumque diligentiſſimè ſint ſcrutati, multaque futura hominibus prædixerint. Audiamus quoque Ciceronem in primo de Divinatione: *Principio Aſſyrii, ut ab ultimis auctoritatem repetam, propter planitiem, magnitudinemque regionum, quas incolebant, cùm cælum ex omni parte patens, atque apertum, intuerentur, trajectiones, motuſque ſtellarum, obſervaverunt.* Non dubium verò, quin ab antiquis temporibus apud eos ſtudium hoc viguerit; utcunque modum omnem de vetuſtate hujus ſcientiæ apud ſe eorum excellerit jactatio. Sic enim Tullius eodem libro loquitur: *Contemnamus etiam Babylonios, & eos, qui è Caucaſo ſigna cæli ſervantes, numeris, & motibus ſtellarum curſus perſequuntur: condemnemus, inquam, hos, aut ſtultitiæ, aut vanitatis, aut imprudentiæ; qui CCCCLXX millia annorum, ut ipſi dicunt, monumentis comprehenſa continent, & mentiri judicemus, nec ſeculorum reliquorum judicium, quod de ipſis futurum ſit, pertimeſcere.* Ac, ne librarii errorem putes, eundem numerum aſſignat quoque lib. II de Divinatione: *Aiunt quadringenta, & ſeptuaginta millia annorum in periclitandis, experiundiſque pueris, quicumque eſſent nati, Babylonios poſuiſſe.* Veriora Ariſtoteli Calliſthenes Babylone perſcripſit; quemadmodum inferiùs dicetur. Nec leve putandum, quòd Æſchylus in Prometheo gloriantem hunc ipſum inducat, nec æſtatis, nec hiemis, vel veris, ſignum fuiſſe cognitum; donec ipſe hoc oſtenderet ex ortu ſiderum, vel occaſu. Quam opinionem etiam ſecutus eſt Servius in VII Eclogam: *Prometheus Aſſyriis primus Aſtrologiam indicavit: quam, reſidens in monte altiſſimo Caucaſo, nimiâ curâ, & ſollicitudine, deprehenderat. Hic autem mons poſitus circa Aſſyrios vicinus eſt penè ſideribus; unde etiam majora aſtra demonſtrat, & diligenter eorum ortus, occaſuſque, ſignificat.* Ut non dubium videatur, quin primi hac ſcientiâ in gentibus claruerint Aſſyrii, ac Babylonii.

6. §. *Cùm verò hanc laudem tribuimus Chaldæis, minimè excludimus Patriarcham Abrahamum, natione Chaldæum, & pro ſummo ſemper Aſtrologo Orientis habitum.*

Unde & de eo ſic Euſebius ex Eupolemo lib. IX Præparationis Euangelicæ cap. XVII *: Καὶ τὴν ἀστρολογίαν, καὶ Χαλδαϊκὴν, εὑρεῖν· *& Aſtrologiam, & Chaldaicam, inveniſſe.* Atque hæc Euſebius ex Eupolemo, Eupolemus ex Alexandro Polyhiſtore. (* P. 419. edit. Pariſinæ, anni 1628.)

Idem Euſebius ejuſdem libri cap. XVIII narrat ex Artapani de rebus Judaicis hiſtoria, ab eodem Abrahamo Ægyptios quoque hanc ſcientiam didiciſſe. Etiam cap. XIX commemorat, Melonem opere adverſus Judæos agnoſcere, Abrahamum fuiſſe virum ſapientem. Atque eundem Beroſus intellexit, cùm, Euſebio teſte, eodem libro cap. XVI ait: Μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ Χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνὴρ, καὶ μέγας, καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος. *Decimâ verò poſt diluvium generatione apud Chaldæos, erat vir juſtus, ac magnus, & cæleſtium habens experientiam.* Cui iſta meliùs conveniant, quàm Abrahamo Patriarchæ? Nam quantus is vir! quantæ pietatis! Ex Ur Chaldæorum in Palæſtinam, inde in Ægyptum vênit. Ut ſideralis ſcientiæ intelligens promiſſionem accepit de ſobole ſtellis æquandâ. Et quod caput, ut ab Adamo Noachus, ita à Noacho decimus fuit Abrahamus. Eoque veriſſimè dixerit Beroſus, decem generationibus à diluvio abfuiſſe.

7. §. *Utcumque verò Aſtrologus fuerit ſummus, non tamen tam eam reperit primus, quàm aliunde accepit: fortaſſe à Thare.*

Quæ & opinio Philonis libro de nobilitate fuit: ubi ſic ſcribit de Abrahamo, & patre ejus Thare *: ὁ δὲ τῶν Ἰουδαίων ἔθνους ὁ πρεσβύτατος γένος μὲν ἦν Χαλδαῖος, πατρὸς δὲ ἀστρονομικοῦ τῶν ἀεὶ τὰ μαθήματα διατριβόντων. *Primus parens Judæorum Chaldæus erat natione patre prognatus dedito ſiderali ſcientiæ, uno ex iis, qui circa Matheſin verſarentur.* (* P. 702 edit. Colon. Allobr. an. 1613.)

8. §. *Sed neque Thare inventor hujus eſt ſcientiæ exiſtimandus. Nempe non unus Abrahamus, vel unà Thare; ſed alii quoque ex poſteris Noë, fuere ejus ſtudii intelligentes: unde Thare, & Abraham, hauſerunt, & fortaſſe majorum reperta inventis propriis auxerunt.*

Fundamentum hujus ſententiæ eſt, quòd mihi non obſcurè antea ex Scripturis videor comprobâſſe, Aſtrologiam jam ante diluvium fuiſſe inventam: inde habuiſſe Noë: ab illo, & liberis, ad poſteros deveniſſe. Ac ne illud quidem dicere poſſim, pluſne deſertores veri numinis, an qui verum cultum retinerent, repertis priorum addiderint. Nec enim ſi pietas defuerit, eò ingenium defuiſſe exiſtimandum. Sanè Caini poſteros videmus magis à Moſe † celebrari ab inventione artium, quàm illos Sethi. Ut poſſit idem contigiſſe poſt diluvium. Quare non auſim dicere, plus Aſtrologiam Abrahamo, vel Thare, debuiſſe, quàm Chaldæorum aliis, divini cultûs deſertoribus: præſertim quando Thare quoque non modò cum idololatris verſatus, ſed iiſdem etiam in Scripturis ‡ annumeratur: etſi non dubitem, quin vero numini adhæſerit, quando cum filio ex Ur Chaldæorum profectus eſt in Meſopotamiam. († Gen. c. 4. ‡ Joſua cap. 24. verſ. 2. ubi Maſium, & alios, vide.)

9. §. *Pro hac Chaldæorum gloriâ etiam eſt, quòd ſoli Chaldæorum genti hoc proprium eſt, quòd ejus nomen pro* Aſtrologis *ſumatur.*

Imprimis tamen pro *genethliacis.* Ut apud Catonem de R. R. cap. V. Sic ſæpe uſurpat Gellius lib. XIV, cap. I: ut Ciceronem, Tacitum, alios, prætercam.

10. §. *Interea Chaldæis in Oriente addere liceat Bactrianos, propter Zoroaſtrem.*

De quo ſic Juſtinus, Trogi Epitomes lib. I: *Poſtremum illi (Nino) bellum cum Zoroaſtre, rege Bactrianorum, fuit: qui primus dicitur artes magicas inveniſſe, & mundi principia,* SIDERUMQUE MOTUS *diligenter obſervâſſe.*

11. §. *Ab Aſſyriis verò, ac Babyloniis, cenſeo, accepiſſe hanc ſcientiam Ægyptios: ac primos quidem, vel ſaltem in gentium primis. Ut verò ſic ſentiam, facit, tum quòd ſumma ſoli Ægyptii planities contemplandis ſideribus eſſet peridonea; tum perpetua cæli ſerenitas.*

Nec enim in Ægypto, ut Tibullus * ait,

—— *pluvio ſupplicat herba Jovi.* (* Lib. 1. eleg. 7.)

Satis verò eſt veriſimile, per Abrahamum ad Ægyptios perveniſſe. Qua de re quædam etiam ex Joſephi lib. I Antiquitatum cap. IX † adducebamus lib. de ſectis Philoſophorum, ubi de Chaldaica philoſophia agimus. († Al. 15. & 16.)

12. §. *Aliqui tamen ab Ægyptiis ajunt Aſtrologiam repertam; ſi non ſolis, ſaltem pariter cum Babyloniis.*

Cicero lib. primo de Divinatione: *Ægyptii, & Babylonii, in camporum patentium æquoribus habitantes, cùm ex terra nihil emineret, quod contemplationi cæli officere poſſet, omnem curam in ſiderum cognitione poſuerunt.* Videtur hoc inde eſſe, quòd Græci ab utraque

gente Kalendaria, & Hemerologia, accepere. Sic enim Theon Alexandrinus de iis ſcribit in Διοσημείᾳ Arati: Ἐδέξαντο δὲ αὐτὰ Ἕλληνες παρὰ Αἰγυπτίων, καὶ Χαλδαίων. *Accepere enim illa Græci ab Ægyptiis, & Chaldæis.* Ubi videmus, pro *Babyloniis* dicere *Chaldæos*: quos
* Bibliotheca l. 2. Diodorus Siculus * ait Babyloniorum fuiſſe antiquiſſimos, eamque apud ſuos obtinuiſſe auctoritatem, quam ſacerdotes apud Ægyptios. Sed profectò *Chaldæi* gentis propriè eſt nomen: quòd poſtea Græci ſectæ eſſe voluerunt.

13. §. *Imò aliqui dicere non verentur, Babylonios ab Ægyptiis eam ſcientiam didiciſſe.*

Huc pertinet, quòd Diodorus Siculus lib. I tradit, Babylonem eſſe Ægyptiorum coloniam, à Belo, Neptuni, & Lybies filio, deductam: ab eo Babylone inſtitutum ſacerdotum collegium; qui, ut in Ægypto fieri ſoleret, ſidera obſervarent. Ac conveniunt illa Hygini fab. CCLXXII: *Euhadnes, qui in Chaldæa de mari exiſſe dicitur, Aſtrologiam interpretatus eſt.* Nam *de mari exiiſſe* dictus fuit, quia mari adveniſſet; eoque & Neptuni filium finxere. Mater Libya, quia Ægyptus Libyæ pars. Difficile verò dictu, ecquid veri huic ſubſit fabellæ. Sed fabulam accipe aliam, quæ & ipſa Ægyptio homini Aſtrologiæ inventionem tribuat. Ut quem dicat adſcendiſſe è mari rubro; quod Aſiam, & Africam diſtinguit. De hoc ita Photius in bibliotheca ſua codice CCLXXIX refert ex Helladii Beſantinoi Chreſtomathiæ libro IV: Ἄνδρα τινά, ὀνομαζόμενον Ὤην, ἐκ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἀνελθεῖν, τὰ μὲν ἄλλα μέλη ἰχθύος ἔχοντα, κεφαλὴν δὲ, καὶ πόδας, καὶ χεῖρας, ἀνδρός· καὶ καταδεῖξαι τήν τε ἀστρονομίαν, καὶ τὰ γράμματα. οἱ δὲ αὐτὸν ἐκ τοῦ πρωτογόνου πεφηνέναι λέγουσιν Ὤου, καὶ μαρτυρεῖ τοὔνομα· ἄνθρωπον δὲ ὄντα τὰ πάντα, ἰχθὺν δόξαι, διότι περιημφίεστο κητώδη δοράν. *Virum quendam, nomine Oen, emerſiſſe è mari rubro, habentem cætera quidem membra piſcis; caput verò, & pedes, & manus viri; & oſtendiſſe Aſtronomiam, ac literas. Nonnulli ajunt, hunc natum eſſe ex primo parente Oi, nomenque teſtatur: omnino autem eſſe hominem; ſed videri piſcem, eo quòd pelle cetaceâ indueretur.* Non dubito autem, quin vera ſit illuſtris Salmaſii conjectura in
† P. 575. Plinianis ad Solinum exercitationibus †; ubi pro ἐκ τοῦ πρωτογόνου Ὤου legit ᾠοῦ, hoc eſt, *ex primigenio ovo*. Nempe ut ſimilis fuerit genitura, ac Dercetûs, ſive Atergatis, vel ſaltem Deæ Syriæ, itidem ovo prognatæ: unde dii Syri *ovorum progenies* Arnobio dicuntur. Pluribus de hoc diximus lib. I Idololatriæ paganicæ, & Chriſtianæ Phyſiologiæ, cap. XXIII.

14. §. *Mirum verò, ſi ante Babylonios hæc ſcientia fuerit Ægyptiis nota; tam tardas eſſe obſervationes Ægyptiorum; Babyloniorum verò tam antiquas. Nec enim ulla Ægyptiorum ſunt, quæ præeant exceſſum Alexandri M. ita ut Græci ipſi habeant vetuſtiores: puta illas Euctemonis, & Metonis, quæ centum annis anteceſſere epocham Alexandri. At Babyloniorum obſervationes annis penè bis millenis præcedunt Alexandrum.*

Sanè Beroſus, qui Olympiade vixit CXXX, item Critodemus, tradidere, habuiſſe eos obſervationes coctilibus lateribus inſcriptas annorum CCCCLXXX. Epigenes autem,
‡ Lib. 7. (quem Seneca ‡ ait apud Babylonios ſtudiorum cauſſâ
Quæſt. commoratum) dicit, IↃCCXX annorum obſervationes
Nat. c. 3. habuiſſe. Unde Epigene, ſic Beroſo, & Critodemo, auctor nobis Plinius lib. VII, cap. LVII. Inter eclipſes Lunares, ab Hipparcho collectas; ſunt tres illæ, quæ contigere tempore Nabonaſſari, annis ante Chriſtum IↃCCXX. Sed omnia exſuperant, quæ Calliſthenes, cùm Babylone ageret, Ariſtoteli ſcripſit. Nam is ajebat habere obſervationes CIↃ IↃ CCCC XCIII annorum; ut à Porphyrio relatum. Atque iis abunde refelluntur, quæ de quadringentis, & ſeptuaginta annorum millibus, jactabant: ut ex Ciceronis de Divinatione libris antea vidimus.

15. §. *Ex his liquet, ut aliqui Babyloniis, alii Ægyptiis, inventionem tribuant Aſtrologiæ; nonnulli etiam ſtatuant, communem eſſe hanc utrique nationi gloriam; quia eodem tempore ambæ eidem ſtudio inſudârint. Ecce autem, hiſce ſic decertantibus, quaſi medios ſe interſerunt alii, qui utramque gentem eo fraudent honore: ut qui inventionis decus adſignent Æthiopibus, ab his ad Ægyptios, inde demum ad Chaldæos, eam ſcientiam propagatam exiſtiment.*

Eſt hæc ſententia Luciani libro περὶ Ἀστρολογίης: ubi refert, Æthiopes primos obſervâſſe cauſſas phaſeωn Lunarium: primos animadvertiſſe Lunam non lucere propriâ luce; ſed eam mutuari à Sole: præterea vidiſſe etiam aliorum planetarum motus, nominaque indidiſſe apta, atque idonea; ut quæ ſigna rerum forent.

16. §. *Hæc eo minoris nobis momenti videntur, quia tot ante Lucianum ſeculis aliter à cunctis traditum fuit.*

Vixit verò Lucianus demum ſub Antoninis.

17. §. *Nec ſoli in Aſia Babylonii Aſtrologiæ periti fuere, ſed etiam Arabes: quemadmodum ex Iobi Hiſtoria * videmus: ubi mentio fit Pleiadum, Orionis, & Arcturi: ut hinc etiam videre liceat, quàm antiqua ſint illa ſiderum appellationes.* * Cap. 9. verſ. 9.

Ætatem Iobi abunde conſideravimus lib. II de Gentili Theologia, ſive de Idololatriæ origine & progreſſu, cap. III. Atque hæc de populis Orientis, nec non Ægyptiis: qui, parte ſui ultra Nilum, Aſiæ, licet perperam, accenſeri ſolent.

18. §. *In Africa item, præter Ægyptios, (ſi Lucianum audimus) etiam Æthiopes, Aſtrologiam excoluere in ultima Africa Mauri; qui eam ab Atlante didicerunt, Mauritania rege.*

Auctor Plinius lib. VII, cap. LVI: ubi Atlantem hunc Libyæ filium vocat. Ab eodem & Atlas mons, & accolæ ejus, quos Plinius † negat propriis uti nominibus, com- † Lib. 5.
mune *Atlantum* nomen acceperunt. Primus ſphæram cap. 8.
inveniſſe creditur; ut teſtatur Diodorus Siculus lib. V. Quantus profectò aſtrologus olim habitus fuerit; argumento illud erit, quòd à poëtis dicatur cælum humeris ſuis ſuſtinere: unde *bajulum*, *tibicinem*, & *deſtinam cæli*, vocat Arnobius. Ab eodem eſt, quòd ſigna, quibus alia fulciuntur in ædificiis, dicuntur *Telamones*. quia nempe Atlas appellatus fuerit *Telamo*; ut ait Servius in IV Georg. & IV Æn. Et origo eadem utrique voci. Nam Græcum *Atlantis* nomen videtur eſſe ab α ἐπιτατικῷ, & τλᾷν, quod eſt *tolerare*, *perferre*. Τλάω autem contractum ex ταλάω, unde *Telamo*. Quin Latinum *tolo*, quod poſtea *tollo*, venit à τλῶ, *e* in *o* converſo; ut à *benus bonus*, ab *hemo homo*, ab *elus olus*, ab *Apello Apollo*. *Tolo* autem idem, quod *ſuſtineo*; unde *tolero*: imò & *tetuli*, ac poſtea *tuli*, & ſupinum *telatum*, poſtea *tlatum*, &, ob molliorem ſonum, *latum*.

19. §. *Vixiſſe hic Atlas creditur ſexennio poſt exceſſum Joſephi patriarchæ: vel, ſecundùm alios, ſexto poſt natum Moſem legiſlatorem.*

Utramque ſententiam legere eſt apud Euſebium in Chronicis. Ad Abrahæ quidem annum CCCLXXIX annotavit:

tavit: *Atlas, frater Promethei, præcipuus Aſtrologus fuit: qui ob eruditionem diſciplinæ, etiam cœlum ſuſtinere dictus eſt.* Ad annum verò cccc xxx, hoc pacto: *Quidam ſcribunt Prometheum, & Epimetheum, & Atlantem, fratrem Promethei, & Argum cuncta cernentem, & Io, filiam Promethei*, his fuiſſe temporibus.* Sed neque ſic diſſenſum omnem explicuimus. Nam continuò ſubjungit: *Alii verò* (fuiſſe ajunt) *ætate Cecropis: nonnulli ante Cecropem annis* LX, *ſive* XC. Si Atlas pater fuit Antæi, Antæus Herculi æqualis; unâ ſolùm generatione anteceſſerit Herculem. Hercules verò multò poſterior Cecrope: ille, inquam, Thebanus, qui xxx circiter annis claruit ante excidium Trojanum. Sed de Cecrope etiam favent Tatianus, & Clemens Alex.† quorum verba: Κατὰ ‡ δὲ Τριόπαν Προμηθεὺς, καὶ Ἄτλας, καὶ Ἐπιμηθεὺς, καὶ ὁ διφυὴς Κέκροψ, καὶ Ἰώ. At Triopas ab Euſebio ſtatuitur ſeptimus rex Argivus; referturque ad tempora Cecropis, ac Moſis in eremo philoſophantis. Vide eum ad annum Abrahæ cccclxv. Neſcio verò, quid in mentem venerit illis, qui eundem credunt Atlantem, ac Enochum. Quam opinionem ponit, nec refellit, ſummus Mathematicus, Joannes Stadius, in præfatione tabularum Bergenſium. *Atlantem*, inquit, *Promethei regis fratrem, Enoch fuiſſe contendunt plerique, ac quadrageſimo poſt Abrahamum excedentem anno, ſphæram mortalibus primitus oſtendiſſe.* Antiquiſſimus verò, apud quem illud legas, eſt Euſebius lib. ix Præparationis Euangelicæ cap. xvii ‡; ubi teſtimonium adducit Alexandri Cornelii Polyhiſtoris, Eupolemi de Judæis verba exſcribentis. Atqui hæc ſententia planè eſt abſurda. Nam ſi Atlas Moſis, vel circiter, tempore fuit; quomodo is poſſit eſſe Enoch, qui ante diluvium vixit, & Adamum habuit tritavum, Noë pronepotem?

* *Scaliger ad hunc locum cenſet, Euſebium ſic per incogitantiam ſcripſiſſe, quia Io filia fuerit Iaſi, non Promethei: uti neque Cadmi, quod Etymologus putavit, in* Βιαρ ops. *Sed nulla hic eſt incogitantia: quia & Promethei filia dicitur Clementi lib. 1 Strom. pag. 236. edit. ann. 1616.*

† *Lib. 1 Stromat. pag. 235. edit. Leid. an. 1616.*

‡ *Tempore autem Triopæ Prometheus, & Atlas, & Epimetheus, & duplicis naturæ Cecrops, & Io. Sic Euſeb. Ubi in vulgatis Clementis edd. eſt* Ἰὼ, *pro* Ἰώ.

‡ *P. 429. edit. Pariſ. an. 1628.*

20. §. *Ex his liquet, barbaris tres præcipuè ſectas fuiſſe Aſtrologicas pro tribus gentibus ante memoratis.*

Quas etiam Plinius eſt complexus lib. vii, cap. lvii: *Aſtrologiam* (invênit) *Atlas, Lybiæ filius; ut alii, Ægyptii; ut alii, Aſſyrii.* Ubi videmus, Æthiopas prætериri; de quibus ſolus Lucianus.

21. §. *In ſectis hiſce nullam habuêre Græci, vel Romani, rationem Atlanticæ Aſtrologiæ. Nam, ſecundùm Romanos, Aſtrologiæ tres ſolum fuere ſectæ; Chaldæa, Ægyptia, Græca.*

Ut ait Plinius lib. xviii, cap. xxv. Ac deinde ſubjungit: *His addidit apud nos quartam Cæſar Dictator, annos ad Solis curſum dirigens ſingulos, Soſigene, perito ejus ſcientiæ, adhibito. Et ea ipſa ratio poſtea, comperto errore, correcta eſt.* Sed cur Africanam, ſive Atlanticam, prætereunt? num quia eadem ſit, ac Chaldaica, vel Ægyptia? An quia, qualis ea foret, & in quibus differret, non ſatis eſſet cognitum? Unde verò Græci, & Romani Aſtrologiam hauſerint, commodiùs dicetur, poſtquam attulero diſtributionem hujus ſcientiæ. Nec enim in doctrina de motibus, & menſura corporum cæleſtium, tantum Ægyptiis, vel Chaldæis, debent Europæi, quantum in arte eâ, quæ ex hora natalitia docet de toto vitæ curſu, ac morte, judicare. In priori verò multa aliorum inventis addiderunt Græci.

Cap. XXXI.

DE ASTRONOMIÆ DIVISIONE in Meteorologicam, & Apoteleſmaticam: prioris verò in primam, & ortam: primæ in doctrinam ſphæricam, & theoriam planetarum: ortæ in theoriam partium temporis, & applicationem ejus in canone mathematico, & calendario. Apoteleſmaticæ verò in generalem, & ſpecialem: ſpecialis in illam totarum regionum, urbiumque, & alteram ſingulorum hominum.

1. §. *Partes Aſtronomiæ ſunt duæ: una* μετεωρολογική, *ſive* μετεωροσκοπική: *altera* ἀποτελεσματική, *ſive* ποιητική. *Quarum prior junioribus* Ἀστρονομία *dici ſolet; poſterior* Ἀστρολογία.

PRimitus etiam prior dicta eſt Ἀστρολογία, quod ex Platone, Ariſtotele, & aliis, conſtat. Sed poſtquam ἀποτελεσματική, hoc eſt, judiciaria, ſive divinatrix, in Græciam eſt introducta, priorem, ut antea diximus, propriè Ἀστρονομίαν; poſteriorem appellârunt Ἀστρολογίαν. Unde illud pervulgatum, Quantum Aſtronomi metiuntur, tantum Aſtrologi mentiuntur.

2. §. Μετεωρολογικῆς, *ſive* Μετεωροσκοπικῆς *nomen petitur à ſubjecto: id ſunt ſidera cæleſtia; quorum motus, magnitudinem, figuram, & diſtantiam, exponit.*

Siquidem & ſidera appellantur μετέωρα: non verò ſolum corpora imperfectè mixta, de quibus in Μετεωρολογικῶν libris tractat Ariſtoteles. Pars hæc duplici fungitur officio. Partim enim obſervat, & colligit, hiſtoriam motuum cœleſtium tum primi, tum ſecundorum: ubi pro fundamento eſt poli elevatio: partim verò demonſtrationes obſervationibus ſuperſtruit: hypotheſes enim excogitat, unde cauſſæ iſtiuſmodi motuum ſciantur.

3. §. Μετεωρολογικῆς *partes ſunt duæ: doctrina ſphærica, & theoria planetarum. Prior eſt de motu primo, ſive diurno; qui inferioribus ſphæris communis eſt cum primo mobili, atque ab ortu fit in occaſum, orbique præſtat τὴν νυχθημερινὴν ἐξαλλαγήν*. Poſterior eſt de motu ſecundo, qui ab Occidente fit in Orientem, & periodos habet inæquales.*

* *Diei, & noctis, immutationem, ac diverſitatem.*

Doctrina igitur ſphærica verſatur circa primum motum, qui eſt circumgyratio primi mobilis; hoc eſt, nonæ, vel, ſecundùm alios, decimæ ſphæræ: ſive *ſphæra* nomine deſignes corpus ſolidum; perfectè rotundum; quâ ratione conſiderat Sacroboſcus, utràque ▭, quam adfert, definitione; ſive intelligas corpus non quidem ſolidum, ſed pertuſum; quam ſphæram nuncupant *armillarem*, eò quòd in ea ſint variæ quaſi armillæ, ſeu circuli; ſine illo, ut meliùs intelligatur, quomodo fiat primi mobilis motus, qui ſubjectum eſt doctrinæ ſphæricæ. Si diſtinctè ſcire voles, quæ illius ſint loci; ſic habe. Pertinet huc definitio ſphæræ, & generatim, & ſpeciatim illa rectæ, & obliquæ. Item doctrina de orbibus decem; & primi mobilis axe, nec non extremitatibus ejus, qui *poli* dicuntur; deque circulis mobilibus, & immobilibus; majoribus, & minoribus; principalibus, & ſecundariis. Adhæc de ſtellarum fixarum hiſtoria, & affectionibus. Inque hiſtoria ea tractat de diviſione ſtellarum ratione quantitatis; ſive de ſextuplici magnitudine, & ſtellis novem obſcuris, ac quinque nebuloſis. In affectionibus ſtellarum exponitur ortus, & occaſus, Coſmicus, Chronicus, & Heliacus. Ad Heliacum pertinet ἀναφορὰ, ſive adſcenſus, & καταφορὰ, ſive deſcenſus. Item hîc enarratur longitudo ſtellæ, latitudo, & declinatio; ſive diſtantia à principio Arietis, ab ecliptica, & ab æquatore.

4. §. *Ad partis hujus μετεωροσκοπικῆς praxin pertinent* Διοπτρική, *&* Γνωμονική. *Quarum prior per inſtrumenta, quæ dioptrica dicuntur, ſitus aſtrorum, & motus obſervat.*

Inſtrumenta illa tria imprimis fuerunt; regula parallactica, armilla zodiaci, & quod *torquetum* vocatur. Reliqua minoris ſunt momenti. His juniores adjunxerunt quadrantem, radium, & annulum aſtronomicum. Tycho Brahe in obſervationibus ſuis præcipuè utebatur, tum quadrante azimuthali; quo tam azimutha, quam altitudines ſiderum,

rum, cognoſcebat: tum armillâ æquatoriâ, quam adhibuit in obſervandis ſiderum declinationibus, & adſcenſionibus rectæ ſtellæ, unà cum hora in æquatore à meridie numeratâ: tum ſextante aſtronomico trigonico, utili cognoſcendis ſiderum diſtantiis; quandoque & rimandis altitudinibus non incommodo.

5. §. *Gnomonice dicitur ea pars Aſtronomiæ, quæ exquirit rationem ſolariorum.*

Ubi horam cognoſcimus ex umbra, quam facit *γνώμων*, ſive veruтum, quod & *umbilicus Solis* vocatur, Græcè etiam *σκιαθήρας*, vel *σκιαθήριον*, hoc eſt, *umbra indagator.* Nempe quia umbra eſt pro ſcalis in cœlos. Pleniùs de iſto dicemus in Mechanice; cujus eſt fabricare inſtrumenta ad horam ex umbra cognoſcendam.

6. §. *Hæc de doctrina ſphærica. Sequitur theoria planetarum: quæ eſt bipartita. Una eſt generalis, quæ universè agit de planetis.*

Ea exponit, cur *planetæ*, ſive errones, dicantur, & numerum eorum. Tractat item de orbibus concentricis, & eccentricis: adhæc de motu illorum ſecundùm longitudinem, & latitudinem: præterea quomodo nunc directi ferantur in ſigna conſequentia: nunc retrogradi, in antecedentia, nunc ſtationarii fiant, quia ſub eodem eclipticæ loco videntur conſiſtere: atque ut tardi videantur in apogæo; celeris in epigæo: quomodo ad apogæum adſcendant; ad epigæum deſcendant: deque quinctuplici planetarum adſpectu, *συνοδικῷ*, *ἑξαγώνῳ*, *τετραγώνῳ*, *τριγώνῳ*, ac *διαμέτρῳ*.

7. §. *Specialis tractat de motu, & affectionibus, ſingulorum planetarum.*

Ac primùm de Solis magnitudine; deque orbibus tribus, uno eccentrico, duobus qui apogæum, & perigæum deferant; & motu Solis tum communi, ſive diurno, tum proprio, quo zodiacum quotannis percurrit. Exinde de Lunæ magnitudine, orbibus, motu proprio, phaſi, quâ major, minorve. Hinc de theoria Saturni, Jovis, Martis. Poſtea de theoria Veneris, ac Mercurii. Ac denique de planetarum parallaxi, & eclipſi.

8. §. *Hactenus de Aſtronomia prima: ſequitur de orta: quæ motum, menſuramque cæleſtium corporum exponit ratione temporis: ac vulgò* Computus *nuncupatur; quæ, tempora computando, aſtronomiam docet applicare ad res civiles, vel eccleſiaſticas.*

Nempe ut Matheſis, applicata aſtris, dicitur *Aſtronomia*: ita Aſtronomia applicata rebus Eccleſiaſticis, vel civilibus, appellatur *Computus.* Ut Aſtronomia prima ſit ſimplicior, quàm orta; quia longiùs hic à meta Matheſi abitur.

9. §. *Computatricis Aſtronomiæ partes ſunt duæ: una continet θεωρίαν, πρᾶξιν altera. Prior agit de partibus temporis, tum minoribus, minuto, horâ, die; tum majoribus, hebdomade, menſe, anno.*

Atque hìc inter alia diſtinguitur dies in naturalem, & artificialem. Ille eſt XXIV æqualium horarum, & ejus quod excurrit; quod quia pauxillum, eò vulgò non attenditur. Accuratè tamen ſi loquendum, dies non abſolvitur revolutione æquatoris; ſed addi oportet portiunculam, quam interea ſol in ecliptica percurrit motu proprio. Quæ portiuncula eſt trecenteſima ſexageſima pars periodi ſolaris. Artificialis dies continet ſpatium, quo ſol noſtrum illuſtrat hemiſphærium. Eſtque æqualis ſemper ſub æquatore: ſed nunc major, nunc minor, extra æquatorem: ſic tamen ut ubique terrarum lux, & tenebræ, æqualiter dividantur; quia quanto hieme dies ſunt breviores, tanto ſunt longiores æſtate. Itidem agitur de multiplici anno: uti ſidereo, quo ſol ab ſtella fixa, velut cornu Arietis, vel corde Leonis, eodem revertitur: deque anno civili, qui pro gentibus variat: ſed ſic, ut inprimis in uſu fuerint Chaldaicus, & Ægyptius.

10. §. *Pars altera Aſtronomiæ Computatricis dividitur in Canonem Mathematicum, & Kalendarium. Ille ſyſtema multorum annorum, nunc plurium, nunc pauciorum, conſtituit.*

Quomodo habemus canonem Mathematicum Ptolomæi de regum, & imperatorum annis: cujus magna quidem pars eſt in Theonis Commentariis: pleniùs autem editus à Setho, Calviſio, Petavio, aliis: ſpero autem, hoc ipſo integriùs proditurum aliquando filii Iſaaci operâ. In hac parte agitur de cyclo Solis, & Lunæ, ac Indictione, & Epactis.

11. §. *Kalendarium menſes, dieſque aſtronomicos, & politicos, artificioſè digerit.*

Variant autem Kalendaria pro varia anni deſcriptione. Sic alia Turcarum Kalendaria, alia vagi anni Ægyptiorum, ac Perſarum, alia Judæorum, alia Chriſtianorum, ſive Julianum attendas annum, ſive Gregorianum. De quibus omnibus, præ cæteris, Joſephum Scaligerum vide, & Dionyſium Petavium. Item quæ adſeram cap. XXXIX, §. 8. ubi, alios ſecuti, Computatricem, & Computum, diſtinguimus: ac illam quidem diſpeſcimus in Geometricam, & Tabularem: hunc verò in Aſtrologicum, Politicum, & Eccleſiaſticum.

12. §. *Dixi de Aſtrologia μετεωρολογικῇ. Sequitur ἀποτελεσματικὴ, ſive μαντικὴ: cujus duæ ſunt partes; una generalis, de modo, quo ſidera in hæc inferiora agunt, deque ſiderum vi, atque efficaciâ: altera ſpecialis, quæ partim totas gentes, præcipuaſque earum civitates, attendit; deque earum natura, ſtudiis, ac moribus, ex cælo, cui ſubjacent, colligit: partim de ſingulorum hominum moribus, ac fortunâ, prædicit ex conſtitutione cæli, quæ tempore nativitatis fuit. Pars hæc poſterior* Γενεθλιακὴ *nominatur.*

Utrùm verò Aſtrologia divinatrix Phyſicæ potiùs, an Aſtrologiæ, pars ſit, inferiùs exponam. Nunc, quia in Aſtrologiæ partitione verſamur; hoc unum ſubjungam, alios aliquanto aliter eam diſpeſcere. Facit hoc poſt Politianum * Cælius Rhodiginus lib. XII cap. IX, ubi eam diſtribuit in Gnomonicen, Meteoroſcopicen, & Dioptricen. *Gnomonice*, inquit, *ſolariorum diſcriminatis umbris, horas veruto, ſive gnomone, pernotat. Meteoroſcopice elevationum differentias, aſtrorumque exquirit diſtantias; nec non multa, variaque alia, ad aſtrologiæ inſpectionem tendentia, perdocet. Tertia pars Dioptrice ſolis, & lunæ, cæterorumque intervalla hujuſmodi internoſcit inſtrumentis: inter quæ aſtrolabii eſt inventio, quam Ptolemæo Syneſius attribuit; quod eſt Politiano † item obſervatum: cujus partes, vagina ipſa continens tympana, in quibus æquinoctialis, tropicique deſcribuntur circi; quique alternis horizonti ſunt anapherici: tum ſupra tympana, quæ vocatur aranea, deſignatur; in qua zodiacus, & clara quædam ſidera, cernuntur; ut per noctem, quota ſit hora, quotumque temporis momentum, reperiamus.* Ac ſimiliter partitur Caſpar Peucerus in Elementis doctrinæ de circulis cœleſtibus, & primo motu. Satis verò ex iis, quæ ſuperiùs diximus, liquere arbitror, diviſionem hanc eſſe mutilam; nec totam Meterologicam, nedum Apoteleſmaticam, complecti.

Bartholomæus Pitiſcus Grunbergenſis eam hunc in modum diviſit, præfatione illâ, quam problematis aſtronomicis

* *In Panepiſtemone.*

† *Ibid.*

micis præmiſit: *Aſtrologiæ partes, meo quidem judicio, ſunt duæ: una de motu ſtellarum omnium communi: altera de motu, tam fixarum, quàm erraticarum, proprio. Motus ſtellarum omnium communis rurſum eſt duplex: unus revolutionis, alter trepidationis. Motus revolutionis ſtellarum omnium communis eſt motus circularis perfectus, & æqualis, circa axem mundi, ſuper polis mundi, non in nona, vel decima aliqua ſphæra, ſed in ſolo Dei juſſu fixis; ab ortu in occaſum tendens, & periodo ſuâ definiens tempus, quod Græci νυχθήμερον, quaſi dicas noctidiurnum, Latini diem civilem vocant. Motus trepidationis ſtellarum omnium communis eſt motus circularis imperfectus, & inæqualis circa axem coluri ſolſtitiorum: quo tota cælorum machina, tanquam axi zodiaci adfixa, modò ad axem mundi accedit propiùs, modò ab eo abſcedit longiùs, & ita obliquitatem zodiaci, & æquatoris, modò majorem facit, modò minorem, hinc inde à medio digrediens per ſcrupula prima duodecim, & ad idem extremum rediens, annis Ægyptiis 3434. Motus longitudinis, tam fixarum, quàm erraticarum, proprius omnis, eſt motus circularis perfectus, & quod ad apparentiam inæqualis; ab occaſu in ortum: fixarum, & Solis, circa axem zodiaci; reliquarum erraticarum circa proprios quoſdam axes, & inter ſeſe, & ab axe zodiaci diverſos: unde ipſis, præter motum longitudinis, etiam motus latitudinis ineſſe dicitur.* Ex hacce hypotheſi deinde ſic problematum Aſtronomicorum opus dividit: *De motu igitur revolutionis, ſtellarum omnium communi, erit problematum noſtrorum liber primus. De motu trepidationis, itidem ſtellarum omnium communi, liber ſecundus. De motu fixarum proprio, liber tertius. De motu Solis proprio, liber quartus. De motu Lunæ proprio, liber quintus. De calculo Eclipſium Solis, & Lunæ, liber ſextus, & poſtremus.* Sed neque ſic univerſam Aſtronomiam comprehendere, agnoſcet, cui non erit grave, conferre hæc cum partium ſingulis, quas antea enumeravimus.

Cap. XXXII.

De origine Aſtronomiæ apud Græcos, & progreſſu ejus, uſque ad Thaletem.

1. §. *Vidimus de tam variis Aſtronomiæ partibus. Minimè verò exiſtimandum, eodem tempore illas ad Græcorum notitiam perveniſſe. Tardiùs enim acceperunt aſtrologiam divinatricem, quàm meteorologicam: atque in hac ipſa priùs ſphærica doctrina fuit illis cognita, quàm theoria planetarum. Quàm ſerò enim hanc didicerint, inferiùs liquebit, cùm de Eudoxo loquar. Et tamen, jam belli Trojani tempore, Græcos aliquam habuiſſe præcipuorum ſiderum notitiam, ex veteribus poëtis poſſe colligi videtur.*

UT ex eo, quòd Homerus referat, à Vulcano ipſo ſidera fuiſſe Achillis clypeo inſculpta. Ad ſideralem etiam ſcientiam pertinet, quòd Endymion Lunam dicitur adamâſſe. Fortaſſe &, quòd Phaëtontem ajunt rexiſſe Solis curſum. Ut inde ſit fabulæ origo, quòd, ſicut Endymion Lunæ; ita Phaëton Solis curſum obſervârit: ſed priuſquam obſervationes ſuas poſſet ad finem perducere, vitâ ſit functus. Quomodo interpretatur Anonymus περὶ ἀπίστων *: quem cum Heraclito, & aliis, primus Romæ † edidit Leo Allatius. Quid dicam de Orione, & Perſeo? quid de Chirone Centauro, Orpheo, & ejus lyrâ in cælum relatâ? Quæ omnia ad primordia Aſtrologiæ reducuntur à Luciano libro de Aſtrologia; ut antea dictum. Ac pertinet eò quoque illud Feſti Pompeji: *Hercules Aſtrologus dictus, quòd eo die ſe flammis injecit, quo futura erat obſcuratio Solis.* Sophocles etiam, in Palamede, heroi huic laudem illam adſignat, quòd menſuras, & converſiones ſiderum, commonſtrârit primus.

* *Incredibilibus, cap 13, quod eſt de Phaëtonte.*

† *An. 1641.*

2. §. *Sed mittemus tempus μυθικὸν, ſive fabuloſum; ac de ſolo dicemus hiſtorico; quod Varro inchoat ab initio Olympiadum: ſive ab anno periodi Julianæ ter milleſimo, nongenteſimo, trigeſimo octavo: quò, eas ab Hercule quondam inſtitutas, ac multis ſeculis intermiſſas, Iphitus, Praxonidæ filius, inſtauravit, annis ab excidio Trojæ* CCCCVI. *Hi ludi verè erant temporum cuſtos; cumque Atticis archontibus conſpirabant: unde à Græcis duo iſta ſolent annotari; quis ὀλυμπιονίκης, & quis ἄρχων fuiſſet.*

Non potuere autem obſervari ſine cognitione curſus Lunaris, Solariſque. Erat Græcis annus Lunaris dierum CCCLIV. Sed, ut eum componerent ad curſum Solis, alternis bienniis nunc XXII, nunc XXIII dies, intercalabant. Quo anno XXIII dierum fieret intercalatio, celebrabantur ſacra ludicra Olympiaca: videlicet quincto quoque anno, non quidem abſoluto, etſi Olympias Auſonio quinquennis dicatur; ſed inchoante; cùm Olympias omnis fuerit interjecta inter Lunares duas συζυγίας, ſive conjunctiones. Ac primus quidem quadriennii menſis à novilunio initium capiebat: ludi autem Olympiaci incipiebant lunâ XV, peracto novilunio.

3. §. *Omnino hæc requirebant mediocrem curſus Solaris, & Lunaris, notitiam. Præterea præcipuorum ſiderum ortus, & occaſus, habuiſſe notos, videmus ex Heſiodo; qui de iis in ἔργοις egit, ut agricolæ ſcirent, quo tempore quidque fieri à ſe oporteret.*

Vixit autem Heſiodus circa Olympiadum initium: ut oſtendimus lib. 1 de Poëtis Græcis.

4. §. *Sed rudia hæc fuere Aſtronomiæ initia præ illa, qualis poſtea fuit.*

Unde his ſe continentes Plato vocat ἀστρονομοῦντας * κατ' Ἡσίοδον.

* *Aſtrologos ſecundum Heſiodum.*

5. §. *Et tamen tantus Græcorum faſtus fuit, ut plerique Rhodiis ſuis non dubitarent Aſtrologiæ inventionem adſcribere; nec ſe ab Ægyptiis, vel Chaldæis; ſed Ægyptios, qui in arte hac fuere conſummatiſſimi, eam à Rhodiis ſuis accepiſſe contenderent; idque non longè à diluvio.*

Narrat rem Diodorus Siculus lib. V. Rhodus inſula, ut ait, Telchinum olim ſedes fuit; qui è Caphira, Oceani filiâ, nati, Neptunum à Rhea ſibi commiſſum educârunt. Primi etiam Deos ſtatuis honorârunt. Unde & apud Lindios Apollo Telchinius vocabatur. Ajunt, & formas, cùm vellent, immutâſſe; & potuiſſe nubes, pluvias, grandinem, & nives, inducere; quæ magorum propria habentur. Sororem habuere Haliam: cui Neptunus jam adultus fuit mixtus. Inde nati, puella una Rhodos, à qua inſulæ nomen datum; filii item ſex. Ac Telchines quidem, cùm diluvium fore præſagirent, inſulâ egreſſi ſunt, ac variis vagati locis. Unus eorum illam in terram, quæ ab eo dicta eſt Lycia; ubi Apollinis Lycii fanum. Diluvii tempore plurimi periere. Servati, qui ſe in montes recepiſſent. Poſtea Sol, amore Rhodi captus, inſulam exſiccavit, & terram reddidit fœcundam: unde ſeptem orti αὐτόχθονες ſive *indigenæ*, vel *aborigines*: qui iccirco, ex eo, quòd Sol Græcis Ἥλιος, communi nomine *Heliadæ* vocabantur. Propriis verò nominibus appellati ſunt, Ochimus, Cercaphus, Macar, Actis, Tenages, Triopas, & Candalus. Soror iis unica Electryone, quæ cùm virgo obiiſſet, divinos meruit honores. Cæterùm Heliadæ omnes, originis memores, aſtrorum ſtudio ſe dederunt. In quo præcipuè, ob acrimoniam ingenii

genii excelluit Tenages. Unde invidiâ fratrum eſt ſublatus. Hoc ubi emanavit, cuncti ſolum vertere ſunt coacti. Ac, ut alii aliò, ita Actis in Ægyptum profectus fuit, ubi urbem condidit, quam à patris nomine Heliopolim, hoc eſt, Solis civitatem, nominavit. Idem in Ægygtum Aſtrologiæ ſtudium invexit.

6. §. *Sed parùm fidei hæc fabula meretur: majoremque partem Magis ad naturæ opera pertinet, quàm ad res hominum geſtas.*

Nempe ex eo orta eſt, quòd Rhodii ſint homines inſulares, ac fuerint diu maris potentes, eoque Aſtrologiæ gnari, quando, ad nauticam hac ſcientiâ eſt opus: ipſaque etiam inſula fuerit Soli ſacra; uti & traditum Pindaro Εἰδυλ. Z. Unde etiam eſt, quòd erexere Soli coloſſum, unum ex VII orbis miraculis. Hæc inde etiam comprobantur, quòd Neptunus à matre eſt Rhodiis commendatus: quodque idem commixtus fuit cum ſorore Telchinum, quæ ἀπὸ τῆς ἁλὸς dicta Ἁλία, hoc eſt, *Marina*: tum etiam quod fratres pariter vocabantur *Heliadæ* à Deo, in cujus tutela foret inſula: quodque præterea, qui fratrum unus in Ægyptum profugit, & condidit in ea urbem à patre dictam Heliopolim, is vocatus eſt *Actis*. Nam ἀκτὶς Græcis *radius*: qui Solis habitus eſt filius, quia radii è Sole promanant.

7. §. *Alii Græcorum, ne ſcientiam adeò nobilem Chaldæis, vel Ægyptiis, viderentur debere, commenti ſunt, ſe initia hauſiſſe ab Orpheo Thrace Aſtrologo, Oeagri, & Calliopes, filio. Ut qui primus eam ſub fabularum involucris obſcurè tradiderit Græcis. Cujus etiam lyra ſeptem habens chordas ſeptem errantium ſtellarum fuerit ſymbolum. Ac propterea magna illi Orphei lyra, quicum etiam in ſaxis exprimi ſolet, ab Græcis eſſe hoc habitum honoris, ut in cælis ſtellas complures* lyram Orphei *appellarent*.

Quemadmodum apud Lucianum περὶ Ἀϛρολογίας legere eſt.

8. §. *Sed & argumentum illud de myſteriis Orphei eſt infirmum; cùm adeò ea fuerint obſcura, ut non intelligerentur à Græcis. Et de Lyra Orphei quid firmi habet? Quare perſiſtimus in eorum ſententia, qui arbitrantur, Aſtrologiam à Thalete primùm invectam eſſe in Græciam.*

* *In vita Thaletis.*

Auctor Laërtius, qui ſic de eo*: Δοκεῖ δὲ κατά τινας πρῶτος ἀϛρολογῆσαι, καὶ ἡλιακὰς ἐκλείψεις, καὶ τροπὰς προειπεῖν· ὥς φησιν Εὔδημος ἐν τῇ περὶ τῶν Ἀϛρολογουμένων ἱϛορίᾳ. *Pleriſque primus videtur Aſtrologiæ vacâſſe, & Solis defectus, converſioneſque, prædixiſſe: ut Eudemus ait in Aſtrologicâ hiſtoriâ.* Atque idem ex ejuſdem Eudemi hiſtoriâ Aſtrologicâ prodidit Theo Smyrnæus. Eâ hiſtoriâ tractarat Eudemus de aſtrologis, & cujuſque inventis. Plinii quoque eſt lib. II cap. XII: *Apud Græcos inveſtigavit primus omnium Thales Mileſius Olympiadis* XLVIII *anno* IV, *prædicto Solis defectu, qui, Alyatte rege, factus eſt, urbis conditæ* CLXX. Prædixiſſe Eclipſin Olympiad. XLVIII an. II, apud Euſebium legas ad Abrahæ annum MCCCCXXX. Primus quoque Thales, ut in ejuſdem vitâ monet Laërtius, curſum Solis à converſione ad converſionem repetit: primus Solis magnitudini Lunarem orbem comparatum ſeptingenteſimam dixit, & vigeſimam illius partem eſſe: primus etiam diem menſis ultimam τριακάδα † nuncupavit. Idem Laërtius ex Callimacho refert, ut Thales invenerit Cynoſuram, ſeu Urſam minorem. Hyginus quoque ait, primum vocaſſe ἄρκτον ‡, & ex Herodoto Mileſio addit, eum fuiſſe Phœnicem. Atque hanc de patria quorundam fuiſſe opinionem, etiam apud Euſebium legas lib. X Præparationis Evangelicæ c. II. Nempe natus quidem in Phœniciâ; inde autem cum Neleo profectus Miletum fuit: ubi priùs Remp. adminiſtravit; poſteaque ad naturæ ſpeculationem ſe contulit; ut eſt apud eundem Laërtium. Hæc faciunt, ut exiſtimem, *Cynoſura* nomen quoque eſſe Phœnicium. Nempe ut *ura* ſit, non ab οὐρὰ, hoc eſt, *cauda*; ſed Hebræo אור, hoc eſt, *lumen*, *flamma*, *ignis*: *Cynos* autem non à κυνὸς, *canis*, ſed à כנס, *colligere*: ut *Cynoſura* ſignet *collectionem luminis*. Vel à Chaldæo טבור, *umbilicus*. Sanè טבור אורא, *umbilicus ignis*, vel *igneus*. Converſione enim ſui exiguum efficit circulum, qui eſt quaſi umbilicus igneus. Et quid mirum, ſi ſidus hoc nomen habuerit Phœnicium; cùm Phœnices, ſecundùm illud, in mari dirigant curſum ſuum? Unde & aliter Φοινίκη nominatur. Imò omnis ſideralis ſcientia eſt à Phœnicibus; ut ait Plinius lib. V cap. XII. Natus verò Thales XXXV Olymp. anno II: obiit Olymp. LVIII, annum agens nonageſimum; ut ex Apollodoro in literas retulit jam ſæpius memoratus Diogenes.

† *Trigeſimam.*

‡ *Urſam.*

Cap. XXXIII.

De progreſſu Aſtronomiæ apud Græcos, à Thaletis temporibus, uſque ad Ariſtarchum Samium & Archimedem.

1. §. *Thaletis auditor fuit Anaximander Mileſius: qui docuit, terram ſe habere inſtar centri, & eſſe globoſam: Solem terræ magnitudinem æquare. Solis quoque converſionem, & æquinoctia oſtendit, ac primus horas docuit ex umbra gnomonis deſtinguere. Sphæram etiam conſtruxit, ac terræ, mariſque circuitus, deſcripſit.*

IN Aſtrologia ſphæram inveniſſe, refert Plinius l. VII cap. LVI. Theon quoque Smyrnæus ab Eudemo, in hiſtoriâ Aſtrologicâ, traditum ait; ab Anaximandro inventum, ὅτι ἐϛὶν ἡ γῆ μετέωρος, καὶ κινεῖται περὶ τὸ τοῦ κόσμου μέσον. *Quod terra ſit in ſublimi pendens, & moveatur circa mundi medium.* Eadem Laërtius, atque alia: & addit ex Chronicis Apollodori Athenienſis, anno ſecundo Olympiadis LVIII annum egiſſe ſexageſimum quartum. Eâdem Olympiade *primus ſigniferi obliquitatem intellexit; hoc eſt, rerum fores aperuit*; ut Plinius ait lib. II, cap. VIII. Sed ut ibidem ſubditur, *Signa deinde in eo Cleoſtratus, & prima Arietis, ac Sagittarii.* Fuit is Cleoſtratus Tenedius, auctor ὀκταετηρίδος, qui in Zodiaco primus ſigna ♈, & ♐ notavit. Verùm obliquitatem Zodiaci tribuunt alii non Anaximandro; ſed Pythagoræ, vel Oenopidæ Chio; teſte Diodoro Siculo lib. I, Plutarcho de Placitis Philoſoph. ac Cenſorino de die Natali cap. XIX. Eſtque hic Oenopides ille, quem Ælianus* ait annum magnum vertentem annis definiiſſe undeſexaginta. Imò ab Eudemo idem proditum eſt in hiſtoriâ Aſtrologicâ; cujus præter Laërtium in Thalete, & Simplicium de Cælo, etiam meminit Theon Smyrnæus his verbis: Εὔδημος ἱϛορεῖ ἐν ταῖς Ἀϛρολογίαις, ὅτι Οἰνοπίδης εὗρε πρῶτος τὴν τοῦ Ζωδιακοῦ διάζωσιν, καὶ τὴν τοῦ μεγάλου ἐνιαυτοῦ περίϛασιν. *Eudemus narrat in Aſtrologicis, Oenopidem inveniſſe Zodiaci obliquam poſitionem magnique anni conſtitutionem.* Apud eundem Plinium libri ejuſce cap. LXXIX, legas, ut Anaximander hic Lacedæmonios monuerit de urbe, ac tectis cuſtodiendis, quia inſtaret terræmotus: poſteaque urbem corruiſſe, & magnam partem montis Taygeti abruptam. Atque hæc oſtendunt, quantus is vir fuerit in ſiderali ſcientia, ac univerſâ rerum naturâ.

* *Lib. 10. Variæ Hiſtoriæ c. 7.*

2. §. *Anaximandri Mileſii diſcipulus fuit Anaximenes Mileſius: qui tradidit, Lunam notho lumine lucere; eoque, terrâ inter Solem, & Lunam, interpoſitâ, lumine privari.*

Ita

Ita Eudemus in hiſtoria Aſtrologica, teſte Theone Smyrnæo: ubi tribuit hoc repertum, ὅτι ἡ Σελήνη ἐκ τοῦ Ἡλίου ἔχει φῶς, καὶ πῶς ἐκλείπει τρόπον. *Quòd Luna à Sole lumen mutuetur, & quodammodo illius fiat deliquium.*

3. §. *Idem Anaximenes docuit, ſidera, non ſupra; ſed circa terram, motus ſuos peragere.*

Auctor Laërtius: qui & ex Apollodoro refert, ſexageſimâ tertiâ Olympiade natum eſſe; ac, quo tempore Sardes captæ, obiiſſe diem. Duas etiam ejus epiſtolas adducit ad Pythagoram. Hæc ſanè non bene conveniunt. Sed omnino corruptus eſt in Laërtio numerus anni natalis. Nam clarus jam erat Olymp. LVI an. II; ut Euſebius in Chronicis tradit, & Ionicæ ſectæ calculus docet. Sanè jam captæ erant Sardes ante natalem, quem Laërtius tradit. Nam ea urbs in poteſtatem Cyri vênit anno III Olympiadis LVIII; ut idem Euſebius auctor eſt: vel potiùs anno I Olym. LIX; ut voluit Soſicrates.

4. §. *Anaximenem hunc audivit Anaxagoras Clazomenius; qui Solem dicebat eſſe maſſam rotundam, eamque candentem, Peloponneſo majorem: quin cælum totum ex lapidibus eſſe, qui vix unquam decidant ob vehementem cæli circumgyrationem: interdum tamen aliquem excidere: imo Olympiadis LXXVIII anno ſecundo prædictum ab eo fuit de lapide è cælis caſuro: idque factum narrant in Thracia ad Ægos flumen. Lunam ajebat habere colles, & valles, variaque habitacula: lacteum orbem eſſe ſolaris luminis reflexionem non-intermicantibus ſtellis: cometas gigni eò, quòd planetæ concurrendo emittant flammulas, quæ ab aëre ad modum ſcintillarum agitentur.*

Auctor eſt horum Laërtius lib. II. De prædictione ruituri è cælis lapidis habes etiam apud Plinium lib. II, cap. LVIII, & Plutarchum in Lyſandro. Caſum eum refert Euſebius ad an. Abrahæ MDLII, Olympiadis LXXVIII an. IV. Erat Anaxagoras in tranſitu Xerxis annorum XX, ac poſtea vixit annis LII: nam obiit annos natus LXXII. Ita Laërtius. Sed hoc non bellè convenit cum eo, quòd ex Apollodori Chronicis ſubjungit, floruiſſe Olymp. LXX; obiiſſe anno I Olymp. LXXVIII. Nam ſic fuerit ſolùm intervallum quatuor Olympiadum; quia Xerxis tranſitus incidit in Olympiadis LXXIV an. IV. Omnino igitur corrigendus eſt Laërtius, ac reſcribendum: Φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς χρονικοῖς γεγενῆσθαι αὐτὸν τῇ ἑβδομηκοστῇ Ὀλυμπιάδι, τεθνηκέναι δὲ τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ὀγδοηκοστῆς ὀγδόης. *Ait Apollodorus in Chronicis, fuiſſe in pretio Olympiade* LXX, *mortuum anno* I *Olympiadis* LXXXVIII. Ita intervallum ſit Olympiadum XIII, unde conſiunt anni LII: quot à Xerxis tranſitu vixiſſe dicebamus. Et ſanè ſi LXXVIII anno I obiiſſet, quomodo Olymp. LXXVIII anno ſive quarto, ſecundum Euſebium, ſive etiam ſecundo, prædixiſſet de lapide delapſuro? Tum enim id factum eſſe, Plinius tradit loco antè aſſignato. Summum ejus in Aſtrologicis ardorem arguit, quòd, quærente quopiam, cur eſſet natus, finem hunc attulerit, ut ſpecularetur Solem, Lunam, cælos: item cùm publica, privataque negligentem rogâſſet quiſpiam, an non patriam curaret, reſponderit, eam multùm ſibi curæ eſſe: ac ſimul digitum in cælum intendens, cæleſtem illam patriam oſtenderit. De utroque auctor eſt Laërtius.

5. §. *Sed, quos proximè dixi, philoſophi ſectæ fuere Ionicæ. Italicæ autem princeps eſt Pythagoras; qui in Italia docuit eo tempore, quo Anaximenes Mileti; ad quem etiam literæ ejus exſtant. Pythagoras verò Aſtrologiam didicit ab Ægyptiis, & Chaldæis.*

Quod oſtenſum eſt nobis lib. de ſectis philoſophorum. Clarere cœpit Olympiade LX; ut ait Laërtius: mortuus LXX; ut eſt apud Euſebium. Ut ſatis liqueat, quàm ſpiſſus ſit error eorum, qui Numam Pompilium fuiſſe Pythagoræ diſcipulum crediderunt. Quippe Numa cœpit imperare Olympiade XVI. Pythagoras claruit, ut dixi, LX; ſive temporibus Tarquinii Superbi. Mortuus verò eſt anno quarto Olymp. LXX; ſive anno XIII poſt reges ejectos.

6. §. *Primus dicitur Pythagoras obſervâſſe obliquitatem Eclipticæ.*

Ita Plutarchus de Placitis Philoſophorum lib. II. cap. XII. Hanc tamen laudem tribuêre alii Anaximandro; ut ſuperiùs * vidimus; eandemque ſibi vindicabat Oenopides * §. 1.
Chius: qui & anni magnitudinem definivit dierum CCCLXV, dierumque XXII partem undeſexageſimam. Teſtis Cenſorinus cap. XIX.

7. §. *Plurimùm propterea Pythagoræ, atque ejus aſſeclis, Græci debent. Uti & in universâ planetarum* θεωρίᾳ.

Geminus lib. εἰσαγωγῆς cap. I: Ὑπόκειται γὰρ πρὸς ὅλην τὴν ἀστρολογίαν, ἥλιόν τε καὶ σελήνην, καὶ τοὺς ε πλανήτας ἰσοταχῶς, καὶ ἐγκυκλίως, καὶ ὑπεναντίως τῷ κόσμῳ κινεῖσθαι. οἱ γὰρ Πυθαγόρειοι πρῶτοι προσελθόντες ταῖς τοιαύταις ζητήσεσι ὑπέθεντο ἐγκυκλίους, καὶ ὁμαλὰς ἡλίου, καὶ σελήνης, καὶ τῶν πέντε πλανητῶν ἀστέρων τὰς κινήσεις. τὴν γὰρ τοιαύτην ἀταξίαν οὐ προσεδέξαντο πρὸς τὰ θεῖα, καὶ αἰώνια, ὡς ποτὲ μὲν ταχίον κινεῖσθαι, ποτὲ δὲ βραδίον, ποτὲ δὲ ἑστηκέναι, ὡς δὴ καὶ καλοῦσι στηριγμοὺς ἐπὶ τῶν ε πλανητῶν ἀστέρων. *In tota enim Aſtronomia ſupponuntur motus Solis, & Lunæ, & quinque Planetarum æquales, & circulares, contrariique quotidianæ mundi revolutioni. Primi certè Pythagorici, cùm inveſtigationi talium rerum animum adjecerint, ſuppoſuerunt motus circulares, & æquales Solis, Lunæ, & aliorum quinque Planetarum. Talem enim in divinis non admiſerunt confuſionem, inque æternis rebus, ut quandoque celeriùs, quandoque tardiùs moveantur, alias verò ſtent; prout dicunt in quinque planetis eſſe ſtationum puncta.*

8. §. *Inter alia ejus dogmata erat, terram moveri, ſtare Solem, & cælum. Nempe & terram eſſe planetam: inque centro mundi conſtitutam, inter Martem, & Venerem, circumvolvi circa Solem.*

Ac ſimiliter Philolaus Crotoniates, philoſophus Pythagoricus; qui Platonis temporibus claruit; ſed ante eum deceſſit. Fuit verò à Crotoniatis ſuis interemtus, quia tyrannidem affectâſſe crederetur. Ejus librum Plato à propinquis Philolai emit XL minis Alexandrinis; ut ex Hermippo Laërtius tradidit libro VIII. Ait ibidem, τὴν γῆν κινεῖσθαι κατὰ κύκλον, πρῶτον εἰπεῖν· *primum dixiſſe, terram in orbem ferri.* Addit deinde, Οἱ δὲ Ἱκέταν Συρακούσιον φασίν· *Alii verò ajunt primùm hoc docuiſſe Hicetam Syracuſium.* Sed uterque eſt Pythagora poſterior. Sunt qui pro *Hiceta* ſcribant *Nicetam*; ut & Stadius præfat. Tabb. Bergenſ. Sed diverſa nomina ſunt. Præterea de orbiculari terræ motu ſenſere idem Seleucus, Cleanthes Samius, Leucippus, Ecphantus, & Heraclides Ponticus: imò, ut Theophraſto proditum, hanc etiam ſententiam ſecutus eſt Plato jam ſenex. Avorum ævo eam revocare ſtuduit Nicolaus Copernicus; quem ſecuti complures: tueturque hodie inter alios Iſmaël Bulialdus libris IV de vero Mundi ſyſtemate.

9. §. *Circa Olympiadem* LXXX *floruit Democritus Abderita, ſive, ſecundùm alios, Mileſius, Anaxagoræ, ac Leucippi, diſcipulus: qui ſcripſit de ſideribus vagis; de magno anno, ſive aſtronomia, de polo.*

Ut in ejus vita tradit Diogenes Laërtius. Theophraſtum de Aſtrologia Democriti librum feciſſe, referam §. 18.

10. *Etiam tum, ac deinceps, in pretio fuit Empedocles Agrigentinus: cujus ſub nomine Sphæra legitur.*

Parmenidis, Pythagoræ, & Anaxagoræ auditor fuit, præceptor Gorgiæ Leontini; teſte Laërtio, qui & floruiſſe refert Olympiade LXXXIV. Sed Sphæra, quæ Empedoclis dicitur, potiùs cenſenda eſt Demetrii Triclinii.

11. §. *Olympiadis* LXXXVII *anno* I, *anno Nabonaſſari* CCCXVII, *Urbis conditæ* CCCXXII, *ſolſtitium Athenis obſervabant Euctemon, & Meton, Pauſaniæ filius. Ac eodem, vel præcedenti anno, idem Meton publicavit ſuam* ἐννεακαιδεκαετηρίδα *: *atque ita emendavit octaëterida, uti octaëteris correxerat tetraëterida.*

* *Novemdecennalis circuli tabulam.*

Primùm enim tetraëteride utebantur Græci; quæ Elidenſis Olympias dicta, ut Pythia Delphis. Hujus primus menſis erat Lunaris; ſequentes non item. Errorem eum, Olympiadis LXI anno ſecundo, corrigere ſtuduit Cleoſtratus, is, quem Zodiaci partes, initiaque Arietis, ac Sagittarii, primum obſervâſſe, Plinius †, & Hyginus, produnt. Hic, cùm videret, Solem, & Lunam, non intra id ſpatium redire ad idem punctum; pro tetraëteride introduxit octaëterida ‡, quæ erat annorum CIƆCIƆCXXXII; alternisque habebat menſes cavos, & plenos: anni verò communes fuere dierum CCCLIV: embolimæi autem CCCLXXXIV. In hac octaëteride deprehenſum eſt vitium ab Harpalo commiſſum. Id quando factum ſit, exactè dici nequit. Pro octaëteride igitur Cleoſtrati recepta eſt octaëteris Harpali cum parapegmate, ſtellarumque ſignificationibus. Unde quædam à Plinio citata; ut videre eſt ex indice lib. XVIII. Meminit ejus Harpali quoque Feſtus Avienus his verbis:

Nam qua Solem hiberna novem putat æthere volvi,
Ut ſpatium Luna redeat, vetus Harpalus, ipſam
Ocius in ſedem, momentaque priſca reducit.

† *Lib. 2. cap. 12.*

‡ *Diodorus Siculus lib. 12.*

Sententia eſt, ex Harpali mente, nono quoque anno exſpirante, neomeniam redire in eandem horam, in idemque punctum, in quo novennio antè fuit. Harpali verò opinionem eſſe erroneam, vidit Meton Pauſaniæ filius: qui excogitavit ἐννεακαιδεκαετηρίδα, ſive circulum decemnovennalem, quem *aureum numerum* dicimus. Meminit quoque Diodorus Siculus lib. XII ad Olymp. LXXXVI an. III. Eſt verò hæc ἐννεακαιδεκαετηρὶς dierum ſolidorum 6940. Poſt ea, quæ de Harpalo dixi, ſic de Metone Feſtus Avienus:

Illius ad numeros prolixa decennia rurſum
Adjeciſſe Meton Cecropeâ dicitur arte,
Inſeditque animis. Tenuit rem Græcia ſollers
Protinus, & longos inventam miſit in annos.

Exordium verò hoc periodi Metonicæ erat à ſolſtitio; unde ſubdit:

Sed primæva Meton exordia ſumſit ab anno,
Torreret rutilo cùm Phœbus ſidere Cancrum.

Hanc periodum annorum XIX etiam Euctemon, & Philippus, amplexi fuere; ut ex Gemino cognoſcimus. Philippi hujus, ac pariter Euctemonis, & Metonis, meminit Vitruvius lib. IX, cap. VII. Sed locus eſt corruptiſſimus. Vulgo enim ſic legitur: *Siderum & occaſus, & ortus, tempeſtatumque ſignificatus, Eudoxus, Eudæmon, Calliſtus, Melo, Philippus, Hipparchus, Aratus, cæterique ex Aſtrologia parapegmatorum diſciplinis invenerunt, & eas poſteris explicatas reliquerunt.* Ubi pro *Eudemon, Calliſtus, Melo*, ſine dubio legendum, *Euctemon, Calippus, Meto.* Sed non hic ſolum, ſed ut Reverendiſſimo Uſſerio monitum *, etiam apud Simplicium in ſecundum de Cœlo peccatum: ubi vulgo legitur τῷ Ἀλμαίωνι, καὶ τῷ Μίμωνι, pro τῷ Εὐκτήμονι, καὶ τῷ Μέτωνι. Imo & in Arabum verſionibus corruptè eſt *Octimonis*, & *Matheonis*.

* *Lib. de Macedonum, & Aſianorum, anno Solari c. 7.*

12. §. *Poſt Metonis hujus tempora conſuetudo obtinuit per Græciæ urbes, ut in publico affigerentur parapegmata, ſive tabulæ; in quibus annotarentur ſiderum ortus, & occaſus; ut inde cognoſceretur craſis, ſive conſtitutio aëris, & quid operis pro eo tempore facere oporteret.*

Theon Alexandrinus ad Arati Διοσημεῖα: Οἱ δὲ μετὰ Μέτωνα ἀστρονόμοι, καὶ πίνακας ἐν ταῖς πόλεσιν ἔθηκαν, περὶ τῆς ἡλίου περιφορῶν τῆς ἐννεακαιδεκαετηρίδων, ὅτι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τοιόσδε ἔσται χειμὼν, καὶ τοιόνδε ἔαρ, καὶ τοιόνδε θέρος, καὶ τοιόνδε φθινόπωρον, καὶ τοιοίδε ἄνεμοι, καὶ πολλὰ πρὸς βιωφελεῖς χρείας τοῖς ἀνθρώποις. *Aſtronomi verò, qui poſt Metonem fuere, poſuerunt tabulas in urbibus, de Solis circumvolutionibus novendecennalibus; unde cognoſcebatur, qualis unoquoque anno foret hyems, quale ver, qualis æſtas, qualis auctumnus, & quales venti, aliaque multa utilia ad uſus vitæ humanæ.* Meminit quoque hujusmodi hemerologiorum, ac tabularum in Græciæ urbibus affigi ſolitarum, Geminus, diſſertatione, cujus titulus eſt, Εἰς τὰ φαινόμενα †, ſectione, περὶ ἐπισημασιῶν ‡. Eſt interim, in quo hi duo nobiliſſimi ſcriptores diſſideant. Sed de iſto alibi.

† *Ad ea, quibus agitur de apparentibus in cœlo.*

‡ *De ſignificationibus.*

13. §. *Olympiad.* XCIX, *ac deinceps, etiam* CIII, *claruit Eudoxus, Æſchinis filius. Cnidius, nobilis Geometra, & Aſtrologus. Hic, ut eſt apud Laërtium, ab Archyta Tarentino Geometriam didicit, atque, annos natus* XXIII, *audiit Platonem: poſtea in Ægypto ſacerdotibus, & aſtrologis, anno toto, & quatuor vacavit menſibus; teſte eodem Laërtio. Conferendo etiam ſeipſum intervalla, quæ Ægyptii annotârant, animadvertit errorem octaëteridis Harpalicæ; aliamque octaëterida induxit: ſed fruſtra poſt Metonis enneadecaëterida; quæ melius conciliabat Solis, Lunæque curſum, quàm octaëteris, non Calliſtrati modò, vel Harpali; ſed etiam Eudoxi.*

Aliqui tamen non Eudoxi eam octaëterida fuiſſe volunt; ſed Doſithei; ut teſtis eſt Cenſorinus. Quod ad ætatem Eudoxi, apud Laërtium extremo libro VIII legas in Romana Aldobrandini editione, ἤκμαζε κατὰ τὴν γ' καὶ ο' Ὀλυμπιάδα, hoc eſt, *floruiſſe circa* LXXIII *Olympiada.* Sed veriùs eſt in Stephanica, γ' καὶ ρ', hoc eſt, CIII. Bis de eodem loquitur Euſebius in Chronicis. Priori loco prodidit, floruiſſe Olymp. LXXXIX an. III; quo in Græcia claruit Alcibiades; inque Perſis imperabat Darius Nothus. Poſtea verò, alios ſecutus auctores, claruiſſe ait Olymp. XCVII an. I: nempe paullo poſt mortem Socratis, cùm Romam invaderent Galli Senones. Eos inter numeros eſt intervallum annorum XXX. Neutrum verò iſtorum probare poſſumus; ſi verum eſt, cùm in Ægyptum proficiſceretur, habuiſſe ab Ageſilao rege commendatitias ad Nectabin, ſive Nectanabim, Ægyptiorum regem: qui regnare cœpit Olympiadis XCVIII an. II. Nam in Ægypto demum hoc pacto ſacerdotibus factus eſt familiaris, atque ab iis edoctus eſt aſtrorum doctrinam; ſicut apud eundem eſt Laërtium. Antea ſuam ſcripſiſſe octaëterida, nemo ſapiens dixerit. Quare ante Olympiadem XCVIII in Aſtrologia floruiſſe non poſſit; ut falſus ſit uterque numerus Euſebii. Idem Diogenes lib. VIII ait, in Ægyptum abiiſſe cum Chryſippo medico. Strabo verò lib. XVII cum Platone dicit profectum. Id verum non puto. Sanè Platonem fuiſſe Euripidis comitem, Laërtius refert lib. III. Chriſtophorus Clavius, commentario in cap. I Sphæræ Io. de Sacroboſco *, ait Ægyptiorum fuiſſe, & Chaldæorum auditorem. De Chaldæis vellem idoneum laudâſſet auctorem. In Ægypto quamdiu fuerit, itidem diſſentiunt. Apud Strabonem lib XVII legas, τρισκαίδεκα ἔτη, *annos* XIII. In epitome verò ſolùm eſt τρία, *annos* III. Apud Laërtium eſt, ἐνιαυτὸν καὶ μῆνας τέτταρας, *annum unum, & menſes quatuor.* Narrat idem Laërtius ex commentariis Phavorini; quomodo Eudoxus, dum in Ægy-

* *Pag. 4. edit. Genevenſis an. 1606.*

Ægypto moratur, cum Ichonuphi Heliopolitano profectus fuerit Memphim, atque Apis hìc illius pallium linxerit; ac ſacerdotes inde collegerint, fore quidem *ἔνδοξον, ἀλλ' ὀλιγοχρόνιον celebrem; ſed brevis vitæ.* Mortuus verò eſt annum agens LIII: ut Laërtius narrat, ac carmine ſuo repetit; ubi cùm non notæ; ſed vocabula exprimantur, vitium in numeris eſſe vix poſſit. Quare omnino falſus eſt Joſephus Scaliger, cùm in animadverſionibus Euſebianis adeò vivacem fuiſſe narrat, ut annos vixerit CIII, & ad Alexandri pertigerit ſucceſſores. Nemini quidem veterum aliquid de tanta proditum ætate. Sed Olympiade CIII claruiſſe ait Laërtius. Verùm quid hæc commune habent? Utcumque eſt, ſatis ætatem indicat, quòd Platonem audierit, ut diximus: quòd item Ariſtotelis fuerit æqualis. Apud Simplicium, commentario in lib. II de Cælo, legere eſt, ut, cùm Eudoxus Cnidius introduxiſſet hypotheſes circulorum revolventium, Calippus Cyzicenus, & Polemarchus, Eudoxi familiaris, Athenas ſint profecti, cumque Ariſtotele contulerint ſuper Eudoxi reperto, & aliqua quidem correxerint; alia verò ſupplêrint. Ac Ariſtoteli quidem placuiſſe hypotheſes homocentrorum, quia doctrinæ ejus conveniret, omnia moveri circa medium univerſi: diſplicuiſſe verò hypotheſes eccentricorum. Omnino autem Eudoxus fuit, (ut apud Ciceronem in ſecundo de Divinatione legas) *in Aſtrologia, judicio doctiſſimorum hominum, facile princeps.* Nota & Julii Cæſaris gloriatio apud Lucanum lib. X:

Nec meus Eudoxi vincetur faſtibus annus.

Quomodo Cæſar, vel Lucanus, neutiquam loqueretur, ſi præſtare hac ſcientia alium putaſſet. Duos reliquit libros; quorum unus Ἔνοπτρον, ſive Speculum, alter Φαινομένων, ſive Apparentium, inſcriptus fuit; ut teſtis eſt Hipparchus ad Aratum *. Alia etiam quædam, nunc indicta nobis, attulimus lib. I de Hiſtoricis Græcis cap. VI.

* P. 171. edit. Pariſ.

14. §. *Olymp.* CX, *quo tempore, uti & deinceps, Ariſtoteles florebat. Autolycus in pretio fuit: cujus exſtant libri duo; unus de ſphæra, quæ movetur; alter item de Ortu, & Occaſu ſiderum inerrantium.*

De ætate colligimus inde, quòd fuerit præceptor Arceſilai Seuthi, ſive Scythi filii; ut eſt apud Laërtium in philoſophi ejus vita. Is verò, ut ex Apollodori Chronicis ibidem legas, claruit Olympiade CXX. En alterum etiam argumentum, quòd Arceſilaus ille non Autolycum modò; ſed etiam audierit Theophraſtum. Porrò librum ejus de ſphæra Latinè reddidit Joſephus Auria Neapolitanus. Uti & de ſiderum ortu, atque occaſu, libellos duos: quorum exemplar Græcum, quod habebat ipſe, cum quinque contulit Vaticanis: Latinè adhæc vertit; quemadmodum & quæ iis in libris ſcholia Græca reperiſſet. Demonſtrationes etiam, quæ aberant, ex Euclidis Phænomenis, vel σφαιρικοῖς Theodoſii, adjecit.

15. §. *Imò &* Ἀστρολογικὸν *reliquit Ariſtoteles.*

Ut eſt apud Laërtium in ejus vita. Qui & Μαθηματικὸν, deque tempeſtatum ſignis, ſcripſiſſe, auctor eſt.

16. §. *Olympiadis* CXII *anno* III, *ſive Nabonaſſari* CCCCXIX, *quo Darius, Alexandrum fugiens, à Beſſo fuit interemtus, cœpit periodus Calippi, Mathematici Cyziceni, qui, deprehenſo vitio in enneadecaëteride Metonis, periodum induxit quatuor* ἐννεαδεκαετηρίδων *Metonis, ſive annorum* LXXVI. *Ea non ab æquinoctio auctumnali, ſed præcedenti ſolſtitio, incipiebat; ut ex Ptolemæo colligitur.*

Meminit hujus Calippi Ptolemæus lib. V Μεγάλης Συντάξεως cap. III. Cœpit verò ea periodus ſexennio antequam Babylone excederet Alexander.

17. §. *Calippi æquales fuere Timochares, & Ariſtyllus.*

Quorum induſtriâ ſtellarum fixarum declinationes ex Hipparcho apud Ptolomæum habemus. Vide eum lib. VII μεγάλης συντάξεως cap. II, & III. Unde cognoſcas, à Timochare deprehenſam eſſe Lunam juxta Scorpii ſtellam, cùm Sol eſſet in XXVI gradu Sagittarii, Luna in gradu I. XV' Scorpii: idque factum Olympiadis CXXI an. II, Nabonaſſari anno CCCCLIV, Calippicæ periodi primæ anno XXXVI, Poſideonis XXV, incipiente horâ X.

18. §. *Olympiade* CXX *clarum illud Theophraſti jubar longè, lateque, nominis ſui radios diſpergebat. Hic de Aſtrologia Democriti, librum reliquit. Item* Ἀστρολογικῆς ἱστορίας *libros ſex.*

Ut de utroque opere auctor eſt Laërtius in ejus vita.

19. §. *Olympiade* CXXVII, *Euſebio teſte, claruit Aratus, ſcriptor* Φαινομένων; *quæ non tam propriâ fretus obſervatione exaravit, quàm Eudoxi commentarios ſecutus.*

Erat Aratus is Tarſenſis; ut Aſclepiades Myrleanus voluit lib. XI de Grammaticis: vel fuerit Cilix, nempe Solenſis, ut maluit Callimachus Cyrenenſis. Nec ſponte hoc poëma condidit; ſed juſſu regis Macedoniæ, qui ajebat, ſic Eudoxum ab eo redditum iri ἐνδοξότερον *. Is rex erat Antigonus Gonatas, Demetrii Poliorcetæ filius, Seleuci Nicanoris gener: quo tempore Ptolomæus Philadelphus in Ægypto regnabat. Cùm verò pangeret hoc poëma ſphæræ θέσιν conſtituit ſecundùm clima Helleſponti, ac Macedoniæ; ut ad Φαινομένων cap. XXV Achilles Tatius annotavit. Atque inde Theo in Scholiis emendandus; apud quem legitur volgò: πρὸς τὸ κλίμα τῆς Ἑλλησπόντου, καὶ Λακεδαίμονος, δοκεῖ τὴν τῶν Φαινομένων πραγματείαν συντεθεῖναι. καὶ ἔστι πιθανὸν ἐκεῖσε διατρίβειν, ἔνθα καὶ τοὺς λόγους ἐποίησεν. *Ad Helleſponti, & Lacedæmonis clima, videtur phænomena ſua accommodâſſe. Ac veriſimile eſt, ibi illum vixiſſe, ubi & libros ſuos conſcripſit.* Nam quis ignorat, Lacedæmona non eſſe ejuſdem climatis, ac Helleſpontum; ſed Macedoniam? ut quoque proditum ab Achille Tatio: & apud Theonem legi oportere, monuit Dionyſius Petavius in Auctario operis de Doctrina temporum lib. IV, cap. V †.

* Clariorem.

† P. 151.

20. §. *Porrò in hoc poëmate Aratus, non cælum modò ſtellarum figuris pingit: ſed præterea docet, cujuſmodi tempeſtas ortu, vel occaſu ſiderum, ſignificetur: ac interdum etiam fabulas adſpergit.*

Fabularum earum expoſitio ad Grammaticum potiùs; ſive Philologum, pertinet, quàm Aſtrologum. Multas verò ſtellas unâ figurâ, nomineque uno, complexi ſunt Aſtrologi, ut ſic memoriæ conſulerent. Cur verò ejuſmodi figuras, ac nomina potiùs finxerint, quàm alia; triplex videtur ratio poſſe adferri. Una eſt ſimilitudo; ut in plauſtro. Altera adulatio, vel hiſtoriæ perennitas; ut in coma Beronices. Tertia effectus; ut in Hyadibus, quæ pluviam ortu ſuo efficiunt. Hæc qui attendere volet, veram nominis rationem à fabuloſa faciliùs dignoſcet.

21. §. *Vix autem dici poteſt, quàm multi ex antiquis olim fuerint dignati Aratum hunc commentariis ſuis illuſtrare.*

Hoc ut liqueat, indiculum ſubdam eorum. Sunt verò iſti: Ageſianax, Alexandri duo, Ætolus, & Epheſius, Antigonus Grammaticus, Apollonii duo, Grammaticus, & Geometra, Ariſtarchi duo, Grammaticus, & Samius, Ari-

Ariſtophanes, Ariſtylli duo geometræ, major, minorque, Attalus Rhodius, Hipparchi æqualis, qui eum accuratiùs prioribus commentatum ait, Boëthus, Callimachus Cyrenæus, Calliſtratus Tenedius, Crates, Didymi duo, Gnidius, & alter cognomento Πονηρὸς, ſive *Laborioſus*, Diodorus, Eratoſthenes, Euæneti (εὐαίνετοι) duo, Geminus, Heliodorus Stoicus, Hermippi duo, quorum alter Peripateticus, Hipparchus Bithynus, Numenius Grammaticus, Parmenides, Parmeniſcus Grammaticus, Pyrrhus Magneſius, Sminthes, Sporus Nicenus, Thales, Timotheus, Zeno.

22. §. *Olymp.* cxx, *ac deinceps, nempe temporibus Ptolemæi Philadelphi, ac Euergetæ, claruit Conon Mathematicus; qui Solis, Lunæque, defectuum obſervationes collegit, comamque Beronices ſideribus intulit.*

Vide illuſtrem ejus laudationem apud Catullum de Coma Beronices: quod carmen ex Callimacho Latinis reddidit verſibus. Ex Callimacho illa ſunt apud Theonem comment. in Aratum:

Ἠ' δὲ Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερονίκης
Βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

Apud Catullum eſt:

Idem me ille Conon cæleſti numine vidit
E Beroniceo vertice cæſariem
Fulgentem clare; quam multis illa deorum
Non ſine taurino ſanguine pollicita eſt.

Cononis, ut æqualis, meminit Archimedes præfat. libri de ſphæra, ac cylindro, ad Doſitheum. Ubi ait, ſe velle illa in lucem dare, adhuc vivo Conone. Sed jam erat mortuus, cùm ederet librum ſecundum; ut ex ejuſdem præfatione liquet. Facit verò ejus mentionem, ut ex amicis antea reliqui, &, dum viveret, admodum familiaris.

Cap. XXXIV.

De Aſtronomiæ progreſſu ab Ariſtarcho Samio, & Archimede, uſque ad tempora Juſtiniani.

1. §. *Olympiade* cxl *grande nomen fuit Ariſtarchi Samii; qui Pythagoram, Philolaum, atque alios, ſecutus, terram credidit moveri, ſole immoto.*

NOn eſſe poſteriorem Archimede, de quo mox dicam, manifeſtum eſt ex eo, quòd hujus ille meminerit libro de numero arenæ. Fuiſſe *ὁμόχρονον* *, etiam opinio
* *Æqualem.* eſt Joannis Stadii in præfatione Tabularum Bergenſium. Sed ait, claruiſſe Olymp. cxliv. Quod ſi eſt, ſupervixerit Archimedi; cùm is captis à Marcello Syracuſis fuerit occiſus: quod accidit Olympiadis cxlii anno i. Nec ſuper iſto ſerram reciprocem; quia non eâ ætate fuit Archimedes, ut, niſi vis inferretur, non multos poſſet annos ſupervivere. Verùm non pauci multò judicant Archimede vetuſtiorem. In his doctiſſimus Libertus Fromondus; qui, initio libri de Orbe terræ immobili, ambigit, utrùm ex duobus Samiis Pythagoras, an Ariſtarchus, fuerit antiquior. Quod diſcrimen non eſt leve: ſi Archimedes ei par fuerit, vel ſuppar. Nam Pythagoras, ſecundùm Euſebium, exceſſit Olympiadis lxx anno iv; Archimedes, captis à Marcello Syracuſis, interfectus Olympiadis cxlii anno i. Prius fuit anno Urbis cclvii: alterum, anno Iↄxlii. ut intervallum ſit annorum cclxxxv †.
† 257. 285. —— 542. In Geſneri epitome à Simlero adauctâ lego, floruiſſe ſub Artaxerxe Longimano: qui imperare cœpit anno i Olympiadis lxxix, ſive anno Urbis ccxc. Hodie nihil hujus Ariſtarchi Samii habemus, præterquam de magnitudinibus, & diſtantiis Solis, & Lunæ: quem cum Pappi Alexandrini explicationibus Latinè vertit, & commentariis ſuis illuſtravit Federicus Commandinus ‡.
‡ *Piſauri an.* 1572.

2. §. *Eâdem Olympiade Archimedes quoque in ſolſtitiis notandis operam poſuit. Nempe Nabonaſſari anno* Iↄxxx.

Cùm Syracuſæ à Marcello caperentur interemtus eſt Olymp. cxlii an. i, anno Nabonaſſari Iↄxxxvii, qui erat Romæ conditæ Iↄxlii. De hoc ita Cic. lib. i Tuſc. Quæſt. *Archimedes cùm Lunæ, Solis, quinque errantium motus, in ſphæram illigavit, effecit idem, quod ille, qui in Timæo mundum ædificavit Deus, ut tarditate, & celeritate, diſſimillimos motus una regeret converſio. Quod ſi in hoc mundo fieri ſine Deo non poteſt; ne in ſphæra quidem eoſdem motus Archimedes ſine divino ingenio potuiſſet imitari.* Vide, quæ ſuperiùs de eo in Geometricis diximus *. * *Cap.* 16. §. 2.

3. §. *Olymp.* cxliv *an.* i, *Nabonaſſaris anno* Iↄxlv, *Romæ conditæ* Iↄl, *Ptolemæo Philometori ſucceſſit Ptolemæus Epiphanes. Sub quorum utroque claruit Eratoſthenes Cyrenæus, bibliothecæ Alexandrinæ præfectus: qui obſervavit tropicorum diſtantiam, ac cælorum motus; libro etiam, qui* Ἑρμῆς *inſcribebatur, de zonis egit. Ejuſdem ſuaſu Alexandriæ ſunt conſtitutæ armillæ, ac regulæ, ad quotidie obſervandum motus cæleſtes.*

Rationem terræ dimetiendæ tradidiſſe, auctor eſt Cleomedes in primo de mundo. Atque idem, ut prodit Eutocius Aſcalonita, docuit, duabus datis rectis, non duas modò, ſed quot luberet, invenire medio loco proportionales. Canon temporum, quem reliquit, commendatur à Dionyſio Halicarnaſſæo. Vir fuit undecunque doctiſſimus: quâ de re multa diximus lib. i de Hiſtoricis Græcis cap. xvii. Cardanus in xvi Subtilitatum, ut Archimedi primam, ſic proximam huic tribuit ingenii laudem.

4. §. *Olympiade* cliv, *ac novem ſequentibus, effulſit Hipparchus Nicenus, Aſtrologorum ſuo tempore princeps.*

Nunquam ſatis laudatus dicitur Plinio lib. ii, cap. xxvi. Ex quorundam ſententia, idem ſit, ac Abrahis: in quibus eſt Lucas Gauricus, in Calendario Eccleſiaſtico Novo †. Sed alii diverſos cenſent: ut eſt apud Clavium † *Pag.* 16. *edit. Venet. anno* 1552.
comment. in Sacroboſcum ‡. Patria ei Nicea, Bithyniæ urbs: cui ſententiæ favet Strabo. Ptolomæo tamen Rhodius eſt: de quo dixi cap. xvi, §. vi. De ætate liquet ex ‡ *Pag.* 4.
iis, quæ ſe de æquinoctio ſæpius animadvertiſſe annotavit. Nam Olymp. cliv anno iii, ſive Nabonaſſari Iↄlxxxvii, obſervabat æquinoctium auctumnale, Meſori xxx, id eſt, Octobris iii, fer. ii. Idem tertio poſt anno, Nabonaſſari Iↄxc, vidit æquinoctium auctumnale incidere Neomeniâ Epagom. mane, Sept. xxvii, fer. vii. Sequenti anno, ſive Nabonaſſari Iↄxci, deprehendit, auctumnale æquinoctium eſſe Sept. xxvii, meridie, fer. i. Idem quartò æquinoctium obſervat. Olymp. clviii an. ii, anno Nabonaſſari Iↄcii, epag. iii ſeq. iv, mediâ nocte, Sept. xxvii fer. i. Ac ſequ. anno, nempe Nabonaſſari Iↄciii, animadvertit æquinoctium vernum eſſe Mechir xxvii, ſive Martii xiv. Eodemque anno comperit auctumnale æquinoctium obtingere Epagom. iv, ſive Sept. xxvii, fer. ii, mane. Olymp. clix an. ii, ſive Nabonaſſari Iↄcvi, Hipparchus auctumnale æquinoctium obſervavit Epagom. iv, fer. vi, mane, Sept. xxvii. Idem Olymp. clxi an. ii, ſive Nabonaſſari Iↄccxiv, Mechir xxix, ſeq. xxx, poſt mediam noctem, Martii xxiv ineunte fer. iv. Etiam Olymp. clxiii, an i, ſive Nabonaſſari Iↄcxxi, deprehendit vernum æquinoctium Phamenot i, ſub occaſum Solis, ſive Martii xxiii, fer. v. De his verò octo obſervationibus Hipparchi auctor eſt nobis Ptolomæus: de prima quidem lib. ii, de ſeptem

ſecutis

ſecutis lib. III. Inter primam, & ultimam, intervallum eſt annorum XXXIV: quo tempore in Ægypto regnarunt, priùs Ptolomæus Philometor, poſteaque Ptolomæus Euergetes Phyſcon. Convenit de ætate Suidas. Sed nimis laxè ait, vixiſſe eum, dum ſub Conſulibus ſua adhuc libertas conſtaret Romanis. Apertiùs, diſtinctiuſque, dixiſſet, floruiſſe Perſeo à Romanis capto, ac tempore belli Punici III, & Numantini.

5. §. *Inclaruit Hipparchus opere de conſtitutione ſtellarum inerrantium, & ſtatione immotâ, deque menſtruo Lunæ motu, ſecundùm latitudinem: adhæc in aſteriſmos.*

Teſtis Suidas. Sed apud eum vulgò editum, καὶ * εἰς τοὺς ἀρίστους: quaſi in optimum quemque calamum ſtrinxiſſet; ut video cepiſſe interpretem. Fortaſſe, per librum εἰς ἀστερισμούς, Suidas intellexit commentarium: de quo nunc dicam.

* *Atque in optimos.*

6. §. *Idem in Aratea tribus eſt libris commentatus: quibus oſtendit, omnia eum ſua hauſiſſe ex Eudoxo; ac ubi hic falſus fuit, etiam falli Aratum: uti & æqualem ſuum Attalum Grammaticum; qui, commentario ſuo in Aratum, hujus, ac Eudoxi veſtigiis, ubique inſtitit.*

Nempe adverſus tres illos opus ſuum edolavit Hipparchus. Dixi de hoc quoque ſuperiùs, cùm Græcos Arati interpretes enumerarem. Cæterùm iſtoc Hipparchi opus primus è bibliotheca Medicea publici juris fecit Petrus Victorius: pluribus verò locis emendavit, ac Latinè etiam reddidit, Dionyſius Petavius.

7. §. *Circa Olymp.* CLXXVIII *vixit Geminus, patriâ Rhodius: cujus pereruditа Iſagoge complectitur doctrinam ſphæricam.*

Valde ratio fugit Henricum Brucæum †, cùm Aſtrologos temporibus diſtinguens, Geminum collocat poſt Pappum Alexandrinum; qui demum floruit tempore Cæſaris Theodoſii majoris: at Geminus æqualis erat Ciceronis, ac Pompeji: ut Petavio oſtenſum Notis ad Geminum. Gemini meminit etiam Proclus ad priores Euclidis libros, qui Γεμῖνον ‡ vocat, cum circumflexo. Romanum tamen nomen videri dicebamus cap. XVI, §. 5. Primus Geminum vulgavit Græcè Edo Hildericus, additâ etiam tralatione ſuâ Latinâ. Altorphii verò edidit anno CIↃ IↃ XC. Secutus eſt unicum exemplar, quod variorum fuit; uti Joannis Sambuci Pannonii, Henrici Savilii Angli, Andreæ Dudithii, Cæſarei Oratoris, atque item aliorum. Hanc editionem Henricus Briggius, Oxonienſis Mathematicus, ſedulò contulit cum codice Oxonienſis Bibliothecæ. Cum altero poſtea item codice conferebat Dionyſius Petavius: qui, gemino hoc codice adjutus, nobiliſſimum ſcriptorem multis in locis emendatiùs emiſit *.

† *In catalogo Aſtrologorum quem libris tribus de motu primo ſubjunxit. Nec multò melius Joſephus Blancanus: qui in Chronologia Mathematica ad ſeculum 13. p. 52. ad quartum à Chriſto ſeculum refert.*
‡ *Pag. 12 Edit. Baſil. an. 1533.*
* *Pariſiis an. 1630.*

8. §. *Iiſdem temporibus claruit Theodoſius Tripolitanus: cujus tres Sphæricorum libri ſuperſunt; item quæ ſcripſit de diebus, & noctibus; deque habitationibus.*

Ex Sphæricis non pauca deſumſit Ptolomæus: magis etiam Pappus Theo, & alii conſecuti. Quanti eum quoque Arabes fecerint, argumento eſt, quòd in ſuam transfuderint linguam. Ex Arabico deinde, ante annos circiter quingentos, Latinè tranſlatus fuit. Quod à Platone Tiburtino factum fuiſſe, legas apud auctorem libelli de ſpeculis uſtoriis †: eo nempe, à quo & Almanſoris Judicia ex Arabico Latinè verſa ſunt. Sed immane quantum intereſt inter genuinum Theodoſium, & Arabicè loquentem; uſque adeò, ut ob tam multa addita alius videri poſſit. Quæ res compulit Joannem Penam, regium apud Pariſienſes Mathematicum, ut, non contentus Græcè edere, quod per ſe magnam laudem merebatur, ex Græco etiam faceret Latinum ‡. Libros duos περὶ νυκτῶν, καὶ ἡμερῶν *, ſe editurum promittit Joſephus Auria Neapolitanus †. Duodecim Theodoſii propoſitiones de Habitationibus etiam Merſennius dedit in Synopſi Mathematica ‡.

† *Venetiis excuſus ante annos 130.*
‡ *Pariſiis editus an. 1558.*
* *De noctibus, ac diebus.*
† *Præfatione ad lectorem, quam Autolyci libris de vario aſtrorum inerrantium ortu, & occaſu, præmiſit.*
‡ *P. 246. & tribus ſequentibus.*

9. §. *Item tum fuit Soſigenes Ægyptius; cujus operâ uſus eſt Julius Cæſar in anno ad curſum Solis accommodando.*

Atque accuratiùs id feciſſet, niſi Soſigenes ipſe hæſitâſſet in eo, quibus diebus cardines illigari, ac æquinoctia, nec non ſolſtitium, & bruma conſtitui deberent. Plinius de eo, lib. XVIII, cap. XXV: *Trinis commentationibus, quamquam diligentior eſſet cæteris, non ceſſavit tamen addubitare, ipſe ſemet corrigendo.*

10. §. *Circa Olympiadem* CXI, *ac deinceps nempe extremis Neronis temporibus, & ſub Veſpaſiano, magnum ſibi decus hac ſcientiâ peperit Andromachus Cretenſis: qui primus dicitur edidiſſe theoricas planetarum.*

Conſentiunt de eo Lucas Gauricus, & Chriſtophorus Clavius: niſi quòd Gauricus perperam *Andronicum* vocat, qui Clavio rectiùs *Andromachus*. Illum vide in Calendario Eccleſiaſtico *: hunc commentario in Sphæram Joan. de Sacrobosco †.

* *Fol. 16. edit. Venet. apud Iunt. an. 1552.*
† *In cap. 1 pag. 4.*

11. §. *Olymp.* CCXVII *ann.* IV, *Nabonaſſari* IↃCCCXL, *Domitiano tenente imperium Romanum, Agrippa Mathematicus in Bithynia obſervabat Lunæ conjunctionem cum Plejadibus, Novemb.* XXIX. *ineunte horâ noctis tertiâ, mediam ante noctem horis æqualibus quinque.*

Refert Ptolomæus lib. VII μεγάλης συντάξεως cap. III ‡.

‡ *P. 170. edit. Baſileenſis, anni 1538.*

12. §. *Trajani temporibus claruit Menelaus: cujus tres ſuperſunt Sphæricorum libri.*

Meminit Ptolomæus lib. VII μεγάλης συντάξεως cap. III ‡. De hoc ſic Merſennius præfat. in Menelaum: *Menelaus, qui & Mileus, Geometra præſtantiſſimus, annis fermè centum ſtellas Romæ, ac Rhodi, obſervâſſe narratur, in ipſis magnæ Conſtructionis libris; ubi Ptolomæus ſuas cum illius obſervationibus confert. Scripſit hic poſt Theodoſium (qui Sphærica elementa primus tradidit) Sphæricorum libellos tres acutiſſimis demonſtrationibus refertos. Ex quorum tertio Ptolomæus ſumſiſſe videtur, quicquid de ſphæralibus triangulis tradidit in primo, & ſecundo ſui magni voluminis. Hos Menelai libellos cùm ego in antiquis ex membrana codicibus inveniſſem: conatus ſum eos, quoniam corruptiſſimum erat exemplar, emendare, ac reſtituere; nec non quamplurimis tum neceſſariis, tum argutis adaugere propoſitionibus.* Menelai propoſitiones ſic correctas, & adauctas, habes in Merſennii Mathematicâ συνόψει *. Quod verò Merſennius ait, *Menelaum* aliter *Mileum* appellari: (ac ſic vocari video à Luca Gaurico in Calendario Eccleſiaſtico novo †) metuo, ne error ſit, ac *Meleus*, vel *Mileus*, compendio literarum, ſive, ut vulgò loquuntur, abbreviaturâ, fuerit exaratum, pro eo, quod integrè foret, *Menelaus*. Porrò Menelai iſta cùm apud Ptolomæum legiſſet *perſpicaciſſimus*, ut eum vocat Merſennius ‡, *Tebitius, animadvertit eadem & meliori ordine, & faciliùs, oſtendi potuiſſe: quemadmodum è libello apparet, in quo Ptolemæum carpit.*

‡ *P. 170, & 171.*
* *P. 205. uſque ad 230.*
† *Fol. 16 a edit. Venetæ apud Iuntam an. 1552.*
‡ *Synopſeos Mathematicæ pag. 230.*

13. §. *Nec multò pòſt vixit Theon, Mathematicus dictus, patriâ Smyrnæus: qui Alexandriæ motus cœli obſervavit.*

Obſervationes quaſdam memorat Ptolomæus. Opuſcula ejus aliqua primus edidit doctiſſimus Iſmael Bullialdus: qui

qui & in Prolegomenis, fuiſſe Smyrnæum, liquidò oſtendit. Sed Joſ. Blancanus compluribus ſeculis juniorem credit. Videri poſſint duo fuiſſe Theones Smyrnæi: de quo alibi hoc ipſo opere dicetur.

14. §. *Paullò poſt eum, puta Olymp.* CCXXXV, *ac deinceps, ſub Marco Aurelio Cæſare, variis monumentis immortale ſibi nominis decus peperit Claudius Ptolemæus.*

De ætate teſtis Suidas, imò ipſe de ſe Ptolomæus: ut qui lib. III μεγάλης Συντάξεως cap. II referat ſe Alexandriæ obſervâſſe æquinoctium vernum *apparens* horâ primâ poſt meridiem: *verum* horâ ſecundâ à meridie: id autem fuiſſe (ut Chriſtiano more numerem) anno CXL. Mart. die XXII. At nimium quantum errant, qui Ptolomæum hunc arbitrantur fuiſſe unum ex regibus Ægyptiis. Ut, qui edidit eum, Simon Grynæus, & ante hunc alii, Albumazarem in eo ſecuti. Imò Petrus Cirvellus Darocenſis Hiſpanus, præfat. commentarii ſui in Sphæram mundi*, non dubitat definire, Ptolomæum eum fuiſſe Philadelphum, Lagi filium.

* *Edit. Pariſ. anno* 1508.

15. §. *Atque hic Ptolemæus in doctrina ſiderum primas tenet.*

Unde θαυμάσιος, ſive *admirandus*, dici à Græcis ſolet: nempe ut Plato à ſectatoribus vocatus θεῖος, ſive *divinus*; Ariſtoteles δαιμόνιος, ſive *dæmonum ſimilis*; qui quaſi dii minorum gentium ſortem excedere humanam, diiſque majorum gentium vicini exiſtimabantur. Huic proximæ poſt Archimedem debentur ingenii laudes, judice Cardano †; quia *tam claras ſiderum rationes ut in æternum ſufficerent, excogitavit; ſoluſque divini opificii modum, & ſubtilitatem, exprimere auſus eſt; ut inveniſſe non dicam.*

† *Lib.* 16 *Subtilit.*

16. §. *Itaque eum, non ſolùm quidem, ſed præcipuè tamen, in pretio habuit ſchola Alexandrina. Duo enim fuere volumina, quæ imprimis legeret. Prius erat ἡ μεγάλη σύνταξις Cl. Ptolemæi Peluſienſis, quem μέγαν ἀστρονόμον dicebant:*

ut teſtis eſt Suidas in Πτολεμαῖος. Aureum verè opus, quod ab auctore inſcriptum μαθηματικὴ σύνταξις; vulgò autem vocatur μεγίστη σύνταξις, & ab Arabibus dicitur *Almageſtum*, ab Arabico articulo *Al*, & Græco μέγιστος, quaſi dicas id volumen Græco more τὸ μέγιστον.

17. §. *Huic operi Ptolemaico jungi oportet Theonis Alexandrini commentarios.*

Hi primùm in lucem prodierunt curâ Joachimi Camerarii; idque ſecundùm codicem Græcum, qui à Beſſarione Cardinale allatus erat è Græcia in Italiam; inde à Joanne Regiomontano in Germaniam. Sed pro libris XIII ſuperſunt duntaxat XI. Nam in illo Beſſarionis codice deſiderabatur finis commentariorum in librum X, in totum undecimum, & initium duodecimi: ut admodum ſit veriſimile, nuſpiam in Græcia hæc potuiſſe inveniri. De ætate Theonis poſtea dicam. Theonis commentarium in primum μεγάλης συντάξεως librum Latinè reddidit Joannes Baptiſta Neapolitanus ‡.

‡ *Excuſus Neapoli an.* 1605.

18. §. *Alter verò ſcholæ Alexandrinæ codex dicebatur* μικρὸς Ἀστρονόμος *, *ſive, ut Pappus* † *appellat,* μικρὸς ἀστρονομούμενος ‡. *Ac continebat hic libros* IX; *Theodoſii ſphæricorum libros* III, *Euclidis Optica, ejuſdem Phænomena, Theodoſium de habitationibus, ejuſdem de noctibus, & diebus, libros* II, *Autolycum de ſphæra mota, ejuſdem libros* II *de ortu, & occaſu, Ariſtarchum Samium de magnitudinibus, & diſtantiis Solis, & Lunæ, ac Hypſiclis ἀναφορικόν, ſive de Aſcenſionibus.*

* *Aſtronomus parvus.*
† *Lib.* 6.
‡ *Minor de re aſtronomicâ.*

Qui novem libri uno volumine in variis Italiæ, ac Galliæ bibliothecis Græcè junctim ſuperſunt. Atque ab Henrico Savilio, partim excuſi, partim Mſsi, donati ſunt Academiæ Oxonienſi. Ex his Theodoſii ſphærica fundamentum continent Aſtrologiæ, ac præcipuè doctrinæ ſphæricæ; ut mirandum ſit, non magis hactenus nota eſſe in ſcholis. De Opticis, & Phænomenis Euclidis, quia paſſim habentur, nihil addere eſt animus. Sequitur deinde de habitationibus liber Theodoſii: item Autolyci de Sphæra. Vertit Federicus Commandinus: ſicuti & Ariſtarchi Samii librum, quemadmodum antea diximus*. Numerum claudit Hypſicles: cujus Ἀναφορικός † etiam eſt in bibliotheca Vaticana.

* *Hoc capite ad* 15.
† *De Aſcenſionibus.*

19. §. *Nuper verò, beneficio Dionyſii Petavii, prodiit quoque Ptolemæi liber, quo complexus fuit* φάσεις ἀπλανῶν ἐπισημασιῶν, apparitiones inerrantium, & ſignificationes.

Quem qui contulerit cum illo à Nicolao Leonico Thomæo Latinè reddito, facilè videbit, eum, quem dixi, genuinum eſſe, illum Leonici, etſi & ipſe ſimilem præferat inſcriptionem, non eſſe Ptolomæi, ſed alterius centonem ex variis parapegmatis confectum: & quidem, ut Petavius cenſet, ſine ordine, ac judicio. Vide eum in Auctario operis de Doctrina Temp. lib. VII, cap. V ‡.

‡ *P.* 267.

20. §. *Quemadmodum verò Ptolemæus eſt ſecutus Hipparchum; qui, uti & Adraſtus, rejectis homocentris, & revolventibus, amplexus eſt eccentros, & epicyclos; ſicuti Theon teſtatur: ita Ptolemæum ſecuti ſunt juniores omnes, uſque ad Copernicum.*

Excipio Thebitium ben-Core, & Alphonſinos. Ab aliis nihil in hypotheſibus Ptolemaicis immutatum fuit.

Priuſquam verò abeam à Ptolomæo, aliquid addam de tot parapegmatis, quæ tribuunt Ptolomæo. Faciam verò id verbis Jacobi Uſſerii, Archiepiſcopi Armachani, & Hiberniæ Primatis; viri vaſtæ eruditionis, nec ſine laude nominandi: *Ptolemæi autem nomen præferentia quatuor vidimus parapegmata. Primum hoc ipſum, & illius proprium, hujuſmodi prænotatum titulo:* Κλαυδίου Πτολεμαίου φάσεις ἀπλανῶν ἀστέρων, καὶ συναγωγὴ ἐπισημασιῶν. Ubi *σημασίας ex veterum tabulis,* φάσεις *verò ſuo tempori congruentes, ex proprio calculo exhibet, ſecundùm diverſitatem climatum, quæ horarum maxima, in unoquoque diei numero appoſito, deſignat. Hujus exemplar Græcum integrum communicavit nobis D. Henricus Savilius, cujus partem tantùm, eamque ipſam admodum mutilam, & depravatam, Græco-Latina Dionyſii Petavii continet editio; licet* XXXVIII *ante illum annis Federicus Bonaventura Urbinas totum Latinè à ſe verſum in lucem emiſerit. Secundum falsò Ptolemæi nomen venditatum Parapegma, vulgatus ille eſt de ſtellarum inerrantium ſignificationibus libellus, qui ex Græco per Nicolaum Leonicum in Latinum tranſlatus fuiſſe dicitur: cùm vel ab ipſo Nicolao, vel ab alio aliquo rerum harum imperitiſſimo, ex Ovidio, & aliis Latinis auctoribus, nullo judicio fuerit congeſtus. Tertium, & brevius, & nullius planè momenti, anno* CIƆCCCXLV *Aſtrologicæ ſuæ Summæ inſeruit Joannes Eſchenden. Quartum ſubjectum habebatur Iſagogico Aſtrologiæ Ptolemæi, ex Arabico ab Abrahamo de Balmes converſo, quod non aliud eſt, quàm Gemini Iſagoge in Phænomena, cujus editionem ex codice, quem Viennæ à Joanne Sambuco Savilius noſter nactus eſt, expreſſam non ſolum cum Arabico iſto Iſagogico, ſed etiam cum alio MSo Græco, & Vaticani exemplaris ἀπογραφίαις, ab eodem præſtantiſſimo viro acceptis, diligenter contulimus.*

21. §. *Longe*

Google

21. §. *Longo poſt Ptolemæum intervallo, nempe Valentiniani, & Theodoſii M. temporibus, effulſit Pappus Alexandrinus qui Mathematicâ σωτάξει in Ptolemæum magnum eſt nomen conſecutus.*

Etiam ſuperſunt ejus explicationes in Ariſtarchum Samium de magnitudinibus, & diſtantiis Solis, ac Lunæ. Convertit Latinè, ut & Ariſtarchum, Federicus Commandinus. Editus eſt Piſauri an. CIↃ IↃ LXXII.

22. §. *Eodem, ac Pappus, tempore floruit Theon, itidem Alexandrinus: cujus ſimiliter commentarius ſupereſt in σωτάξιν Ptolemæi.*

* p. 334. In ſexto ejuſce operis * meminit ipſe, ut obſervârit Eclipſin Solarem, quæ fuit anno Nabonaſſari CIↃ CXII; hoc eſt, Chriſti CCCLXV. Quæ præterea literis commiſerit, docebit Suidas. Miror autem ab erudito Mathematico † ad tempora Adriani Cæſaris referri. Qui error eſt annorum amplius ducentorum.

† *In ſerie Aſtrologorum à primis Patribus uſque ad annum Chriſti 1550.*

23. §. *Theonis hujus filia erat Aſtronomiæ ſtudio præcellens Hypatia: quæ invidiâ (pudet dicere) à Chriſtianis interempta eſt Alexandriæ; quo tempore patriarcha foret B. Cyrillus.*

Vide de eo Suidam, & Heſychium Illuſtrem ‡.

‡ *Onomatologo in* Ὑπατίᾳ.

24. §. *Imperante Theodoſio II, circa annum Chriſti* CCCCXXVII *claruiſſe dicitur Cleomedes: cujus libris duobus exſtat* κυκλικὴ θεωρία μετεώρων, *ſive circularis meteororum inſpectio.*

In editis eſt Μετεώρων. Sed in melioribus Mſsis ſolùm eſt κυκλικὴ θεωρία. Vertit eam Georgius Valla Placentinus. Græcè primus edidit Conradus Neobarius *; poſtea Henricus Petri †; exinde item alii.

* *Pariſiis an. 1539.* † *Baſileæ an. 1561.*

25. §. *Circa annum Chriſti quingenteſimum Athenis Thius Mathematicus in ſideribus obſervandis operam poſuit.*

Hujus obſervationes ſeptem, ad motuum mediorum in antecedentia, & conſequentia ſecula conſtitutionem utiles, anno CIↃ IↃ CXLV edidit Pariſiis Iſmaël Bullialdus. Eò verò gratiores eſſe debent, quòd à Claudio Ptolomæo uſque ad Albategnium nullæ exſtent cæleſtium motuum obſervationes. Exſcripſit eas è vett. codd. manuſcr. Bibliothecæ Regiæ.

26. §. *Tum quoque memoriam ſui nominis conſecrabat nobilis & grammaticus, & philoſophus, Proclus Lycius: cujus, inter alia multa, Sphæram habemus, imprimis agentem de circulis cæleſtibus. Sed monumentis aliis plus laudis meruit: quia hoc opus exſcripſit ex Iſagoge Gemini, Geometræ & Aſtrologi; quem Ciceronis ætate viguiſſe, antea dicebamus. Idem Proclus paraphraſin edidit,* εἰς τὴν τοῦ Πτολεμαίου τετράβιβλον, *ſive libros quatuor de effectionibus.*

Cognomen huic Διάδοχος ‡ erat. Syriani fuit auditor, præceptor Marini Neapolitani; ut vixerit circa annum Chriſti IↃ. Vertit ejus ſphæram Thomas Linacer. Poſteaque, Elias Vinetus Santo *: qui ſcriptorem hunc, contra veterum morem, *Proculum* appellat. Scholiis illuſtravit Eraſmus Oſualdus Schreckenfuſius. At luculentum in eam commentarium edidit Joannes Stoeflerus Juſtingenſis. Sed nimium quantum ratio fugit, tum Lucam Gauricum; qui in Calendario Eccleſiaſtico claruiſſe ait anno Chriſti XCV; quod fuerit ſub Domitiano, & Nerva: tum Schreckenfuſium, quando ait vixiſſe temporibus Trajani Cæſaris. Minùs à vero calculo abſuit, toto interim ſeculo aberravit, eruditus Mathematicus, qui in ſerie aſtrologorum eum refert ad annum Chriſti CCCXC. Sphæram Procli, quam dixi, vel potiùs Gemini, ex codicum Mſorum collatione reſtituit Joan. Bainbridge, Aſtronomiæ in Academia Oxonienſi profeſſor *. Paraphraſis Procli in tetrabiblon Græcè cum tralatione Leonis Allatii prodiit Leidæ an. CIↃ IↃ CXXXV typis Elzevirianis: Aliqui etiam Proclo adſcribunt commentarium in τετράβιβλον † Ptolomæi: qui ex vitioſiſſimo codice, ſed tanquam Anonymi, unà cum interpretatione viri docti, Baſilienſium prælo prodiit anno CIↃ IↃ LI.

‡ *Succeſſor.* * *An. 1555 editis Baſil. Operis.* * *Prodiit Londini an. 1620.* † *Quadripartitum.*

27. §. *Atque ex his ſatis pâret quoque ætas Marini: qui Præviæ ad Phænomena reliquit, & Phænomenωn librum ſingularem.*

Modò is non alius à Marino Neapolitano, Procli ejus diſcipulo, de quo dictum.

28. §. *Etiam Juſtiniani Cæſaris temporibus in hac ſcientia magni pendebatur Joannes Laurentius Philadelphenſis Lydus.*

De ætate eâ auctor eſt nobis Photius cod. CLXXX, & Theophylactus Simocatta Hiſtoriarum libro VII. Quæ vulgaverit, indicat his verbis Suidas: Ἰωάννης Φιλαδελφεὺς Λυδός. Οὗτος ἔγραψε περὶ μηνῶν βιβλίον ἕν· καὶ περὶ διοσημειῶν ἕτερον, καὶ ἄλλον τινῶν ὑποθέσεων μαθηματικῶν. προσομιλεῖ δὲ ταῦτα Γαβριήλῳ τινὶ ὑπάρχῳ. *Joannes Philadelphenſis Lydus. Hic ſcripſit de Menſibus librum unum. Item de oſtentis librum alterum. Deque aliis Mathematicis argumentis. Hæc autem dedicavit Gabrieli cuidam Præfecto.* De eodem ita Photius cod. CLXXX: Ἀνεγνώσθησαν Ἰωάννου Λαυρεντίου Φιλαδελφέως τοῦ Λυδοῦ, πραγματεῖαι τρεῖς· περὶ διοσημειῶν, περὶ μηνῶν, περὶ ἀρχῶν πολιτικῶν. *Legi Joannis Laurentii Philadelphenſis Lydi tractatus tres; de prodigiis, de menſibus, & de politicis magiſtratibus.* Quibus de libris deinde judicium ſuum ſubjungit: uti & de ſtylo, ac religione. Meminit quoque diurnæ, ac menſtruæ ejus obſervationis Leo Imperator in Tacticorum epilogo. In priori etiam parte, vel fortaſſe ſeorſum, ſcripſerat περὶ φυσικῆς ἡμέρας ‡.

‡ *De die naturali.*

29. §. *His, quos ſecundùm ætatem, ut potui, digeſſi, ſubdam Achillem Tatium; qui, quando vixerit, certò dicere non poſſum. Reliquit de Sphæra librum *; cujus pars videtur commentarius in Aratum.*

* *Suidas.*

A Petro Victorio is editus è bibliotheca Medicea, poſteaque etiam Latinè redditus à Dionyſio Petavio. Nec alius eſt ab illo, qui amores reliquit Leucippes, & Clitophontis; Ante annos quidem circiter XC Latinè redditus ab Annibale Crucejo Mediolanenſi, Græcè verò è Bibliotheca Palatina primùm publicatus ab Hieronymo Commelino. Sed, auctiorem, & caſtigatiorem, unà cum notis ſuis edidit ſuperiori anno ὁ πάνυ Claudius Salmaſius. Meminit quoque ejus operis Photius in bibliotheca. Gentilem fuiſſe, cùm iſtæc exararet, ſatis cognoſcere eſt ex iis, quæ de puerorum amore refert, quæque de adulterio ſuo narrat Clitopho. Ob ſpuria hujuſmodi, argumentum damnat Photius: ut certiſſima ſit Salmaſii conjectura, decem jambicos ex Ἀνθολογίᾳ ineditâ, quibus ἐρωτικὰ Tatii impensè laudantur, non Photii eſſe; ſed Cæſaris Leonis Philoſophi. Sed tandem factus eſt Chriſtianus, atque adeò Epiſcopus; ut quidem eſt apud Suidam. Qui interim perperam Στάτιον appellat. Τάτιος enim Photio vocatur cod. LXXXVII. Ac ſimiliter inſcribitur in codd. Mſsis, unde excuſi fuere amores illi Clitophontis, & Leucippes.

Cap. XXXV.

DE ASTRONOMIÆ STUDIO apud Latinos, uſque ad tempora Karoli M.

1. §. *A Græcis venio ad Romanos: quorum Rex Numa, Græcorum exemplo, ſic annum diſpenſavit, ut, quo Lunaris annus cum ſolari conveniret, alternis bienniis nunc* XXII, *nunc* XXIII *dies, intercalaret; quod fiebat poſt Terminalia.*

VIdebat, Lunarem annum ſolùm eſſe dierum CCCLIV: Solarem autem CCCLXV, & quadrantis: unde conſequitur, ſi anno utamur Lunari; ut intervallum reditus Solaris conveniat cum revolutionibus Lunæ, quarto quoque anno intercalari oportere dies XLV. Hos dies ita diviſit, ut ſi priori biennio adderet XXII dies, altero insereret XXIII. Interim iſto abiit à Græcis, quod annum à bruma inchoaret, quem Græci ordirentur à ſolſtitio, ac Romulus à verno æquinoctio incepiſſet. Hæc intercalandi ratio ſi ſervata eſſet, non multum turbata fuiſſet anni ratio. Sed Pontificum quid culpâ evenerit, & tanto ut malo Cæſar dictator fecerit medicinam, paullò pòſt dicemus.

2. §. *Anno Urbis* IↃLXXX *Aſtrologia ſcientiâ multum profuit Romanis C. Sulpicius Gallus, Legatus L. Æmilii Paulli, bellum adverſus Perſen gerentis. Nam cum Luna ſerenâ nocte defectus magnum incuſſiſſet metum exercitui Romano; nec cum hoſte conſerere manum auderet: luculentâ oratione oſtendit, id naturâ ſtatis fieri temporibus; eoque in prodigium trahi minimè oportere. Ita Aſtrologia debuit populus Romanus, quòd, metu exemto, fortiter pugnârit, ac nobilem illam victoriam reportârit de Perſe.*

Rem narrant, ſed ſic ut paullum varient, Livius lib XLIV, Valerius Maximus lib. VIII, cap. XI, Quinctilianus lib. I, cap. X, Plinius lib. II, cap. XII, Plutarchus in Paullo Æmilio, Julius Frontinus Stratagematum lib. I, cap. ult.

3. §. *At Latinorum nemo tantum laudis meruit, quantum Cæſar Dictator: qui veterem annum Romanum caſtigavit, tantopere antea perturbatum, ut menſes hiberni inciderent in autumnum, verni in hiemem. Ut igitur annus Soli conveniret, inter Novembrem, ac Decembrem, præter Merkedonium, ſive intercalarium menſem, qui in Emendationis Julianæ annum inciderat, menſes alios duos interpoſuit. Unde ultimus confuſionis annus fuit menſium* XV, *ſive dierum* CCCCXLV. *Factaque hæc emendatio eſt C. Julio Cæſare* III, *& M. Æmilio Lepido Coſſ. Dictaturæ anno* III, *Urbis conditæ* IↃCCVIII, *ante vulgarem Chriſti æram* XLVI.

Clarè Cenſorinus cap. X: *Adeoque aberratum eſt, ut C. Cæſar Pontifex Maximus ſuo* III, *& M. Æmilii Lepidi conſulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menſes intercalarios dierum* LXVII *in menſem Novembrem, & Decembrem, interponeret; cum jam menſe Februario dies tres & viginti intercalâſſet faceretque eum annum dierum quadringentorum quadraginta quinque.* Vide & Suetonium in Iulio cap. LX, Dionem lib. LXIII, Solinum cap. III, & Macrobium lib. I Saturn. cap. XIV.

4. §. *Cæterùm rem tam præclaram; quâ nihil in geſtis Cæſaris illuſtrius, ac cujus utilitatem longè maximam hodieque toto terrarum orbe experimur; non ſatis fuere aſſecuti ſacerdotes. Nam cùm quarto quoque anno deſito diem intercalari oporteret: Pontifices eum poſt mortem Cæſaris intercalârunt quarto quoque inchoante: unde factum, ut per annos ſex, & triginta, qui fuerant ab emendatione Julianâ, duodecies fuerit intercalatum, cùm dies ſuffecerint noveni. Errorem igitur hunc, quo annus Jul. do triduo epocham ante vertebat; emendavit Cæſar Auguſtus ex S. C. tranſmittendo annos duodecim ſine biſexto. Statuit hoc Auguſtus, Martio Cenſorino, & C. Aſinio Gallo Coſſ. anno Juliano* XXXVIII, *Urbis conditæ* IↃCCXLVI, *ante æram Chriſti Dionyſianam octavo. Ac, ne deinceps intercalando peccaretur, ordinem à ſe conſtitutum æneæ juſſit tabulæ incidi.*

Horum teſtes habemus Suetonium in Auguſto cap. XXXI, Cenſorinum cap. XXII, præcipueque Solinum cap. III, & Macrobium lib. I Saturnal. cap. XIV.

5. §. *Pauci verò fuere è Romanis, qui ſcribendo hoc ſtudium illuſtrârint. Factum hoc interim Græcè à Cæſare Dictatore, & L. Arruntio.*

Id non de Arruntio modò, ſed etiam Cæſare Dictatore, colligo ex Plinii lib. primo: qui in indiculo auctorum, quos ſecutus eſt libro decimo octavo, ait: *L. Arruntio, qui Græce de aſtris ſcripſit; Cæſare dictatore, qui item.* Ubi ἀπὸ κοινοῦ repetendum, *Græce ſcripſit.* Et ideo credo Græcè maluit; quòd in hoc Aſtrologiæ ſtudio uteretur familiariter Soſigene Ægyptio, Græcè gnaro: at non Latinè. Macrobius lib. I Saturn. cap. XVI: *Julius Cæſar ſiderum motus, de quibus non indoctos libros reliquit, ab Ægyptiis diſciplinis hauſit.* Permulta ex opere Cæſaris de ortu & occaſu ſiderum refert Plinius lib. XVIII, cap. XXV, XXVI, XXVII, XXVIII. Idem Aratum Latino carmine reddidit: ſi credimus Julio Firmico lib. II Matheſ. nec non lib. VIII cap. V, & Suidæ in Γάϊος Ἰούλιος. Sed cenſeo, Aratea Cæſaris Germanici non eſſe Cæſaris Dictatoris, verùm Domitiani; quâ de re dixi in opere de poëtis Latinis. Cæterùm quod priorem horum L. Arruntium vocarem, id non alio nititur, quàm allatis Plinii verbis: quæ, ſicuti retuli, in editis omnibus leguntur, etiam antiquâ Parmenſi anni CIↃCCCCLXXVI. Atque idem Plinius Arruntium inter ſcriptores, unde profecit, commemorat in indice libri III, & V. Et ſanè ſatis noti Arruntii ex Paterculo, utroque Seneca, Martiale, Tacito, etiam Digeſtis, item Plutarcho, Appiano, ac Dione. Eſt tamen, quod de nomine ſcrupulum injiciat. Nam in Plinii verbis adductis MSus noſter habet, *L. Tarruntius.* Ut legendum videatur *L. Tarrutius.* Proclivis enim in hoc vocabulo lapſus. Quomodo & apud Solinum cap. II; ubi de Urbis natali agitur, in membranis legas, *Sicut L. Aruntius prodidit, Mathematicorum nobiliſſimus.* ubi ſine dubio melius editi, *L. Taruntius*, vel *L. Tarruntius.* Nec enim alius ſignatur, quàm ille Ciceroni memoratus in ſecundo de divinatione: *L. quidem Taruntius Firmanus, familiaris noſter, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam natalem repetebat ab iis Palilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus, Romamque, cum eſſet in jugo Luna, conditam accepimus.* Quare apud Plinium etiam *Tarruntius* malo: pro quo Plutarchus in Romulo Ταῤῥούτιος, ν omiſſo: ut Græci Ὀρτήσιος, pro Latino *Hortenſius*; Πούδης pro Latino *Pudens.*

6. §. *Latinè hoc argumentum tractârunt tres iſti, Julio Cæſari æquales; M. Cicero, Terentius Varro, & Nigidius Figulus.*

Ille omnium Romanorum eloquentiſſimus; hi verò omnium doctiſſimi fuere. Cicero Aratum Latino reddidit carmine. Varroniani operis de Aſtrologia meminit Caſſiodorus in Mathematicis diſciplinis. Nigidii commentarium de Sphæra Græcanicâ, & Barbaricâ, citat Servius in primum Georgicôn. Nec dubito, quin inde ſint tam

tam multa, quæ de ſideribus paſſim è Figulo adducit is, qui commentatus eſt in Aratea Cæſaris Germanici. Atque idem Figulus librum etiam fecit de tonitruum per ſingulos menſes, ac dies, ſignificatione. Eum Joannes Laurentius Lydus, domo Philadelphenſis è Latino vertit. Lydum è bibliotheca Palatina exſcripſit Joannes Meurſius. Græcè verò Janus Rutgerſius divulgavit in Variis ſuis Lectionibus libro III, cap. XVI. Vixit Lydus ille tempore Juſtiniani: ut liquet ex libro VII Theophylacti Simocatti cap. XVI. Meminere ejus quoque Photius, ac Suidas: imò & Leo Imperator in Epilogo Tacticorum, uti videre eſt ex interpretatione Joannis Checi Britanni. Nam in Palatino codice verba ea deſiderantur.

7. §. *Sub Auguſto etiam M. Manilius carmine complexus eſt ſphæram barbaricam.*

De hoc quoque actum eſt nobis in opere de Poëtis Latinis.

8. §. *Auguſti etiam libertus fuiſſe creditur C. Julius Hyginus: cujus habemus Aſtronomicum Poëticum, ſive hiſtoriam ſiderum: item de ſideribus fabulas.*

Sed cùm meminerit Imperatorum, poſſit videri ſub Antoninis vixiſſe: quæ ſuſpicio eſt Barthii lib. II Adverſar. cap. XX. Unum tamen obſtare mihi videtur, quòd ſit dictus C. Julius à patrono ſuo. At hoc Octaviani Cæſaris nomen; non cujuſquam ex Antoninis. Quid ſi igitur adoptatus ſit à Iulia, Severi conjuge. Nam & ſic *Imperatores* dicere potuit, quia ſimul imperarent, Severus, & bini liberi, Caracalla, & Geta: quorum imperium intelligit Tertullianus*, *per præſentis imperii triplicem virtutem, Deo tot Auguſtis in unum favente.*

* De Pallio cap. 2.

9. §. *Sub Cæſare Gordiano, anno Chriſti* CCXXXVIII, *Cenſorinus aureolum edidit libellum de Die Natali: in quo permulta admiſcet, quæ ad Aſtronomiam pertineant.*

Plura de eo attuli lib. II de Hiſtoricis Latinis cap. III.

10. §. *Gratiano, Valentiniano, & Theodoſio imperatoribus, anno videlicet* CCCLXXX, *claruit Rufus Feſtus Avienus: qui & ipſe Arati Phænomena Latino carmine expreſſit.*

Quæ præterea reliquerit, retulimus itidem libro de Poëtis Latinis.

11. §. *Circa annum* IↃXXX *de quatuor ſcientiis Mathematicis, ſed paucis, egit Aurelius Caſſiodorus.*

De quo dictum nobis lib. II de Hiſtoricis Latinis cap. XIX.

12. §. *Æqualis ei Dionyſius, abbas Romanus, cognomento Exiguus.*

De quo loquar in Chronologis, & Computi ſcriptoribus.

13. §. *Circa hæc tempora fuiſſe etiam videtur Martianus Capella: qui libro octavo de Aſtrologia tractat.*

Patricius libro de Poëtica cenſet, fuiſſe æqualem Iſidoro Hiſpalenſi: de quo mox dicam. Etiam Joſephus Blancanus† vixiſſe arbitratur paullò ante tempora Heraclii: qui imperare cœpit anno IↃCX. Sed cur ante Juſtinianum putem viguiſſe, expoſui cap. XVI, §. 2.

† In Mathematicorum chronologia ad an. Chriſti 601.

14. §. *Anno ſexcenteſimo fuit Iſidorus Hiſpalenſis: qui libro Originum tertio de quatuor ſcientiis Mathematicis; imprimis autem de Aſtronomia, egit.*

Præfuit Eccleſiæ Hiſpalenſi annis XL. Obiit æræ Hiſpanicæ anno IↃCLXXIV; ut traditum diſcipulo ejus Redemto, qui præſens adfuit morienti. Id, ablatis XXXVIII annis, fuerit æræ Dionyſianæ anno IↃCXXXII. Fuſius de eo diſſerui lib. II de Hiſtoricis Latinis cap. XXV.

15. §. *Althelmus, qui & Aldelmus, & Adelmus, anno floruit* IↃCLXXX; *interque alia, ut opere de Arithmetica; ita & de Aſtrologia, nominis decus quæſivit.*

Claruit temporibus Juſtiniani Junioris, & duorum imperatorum, qui imperium ejus diſtiderunt. In Anglia priùs Malmesburienſis abbas, poſtea Epiſcopus Shirburnenſis fuit. Obiit anno IↃCCIX. Vide de eo Bedam lib. V Hiſtor. cap. IX. Vitam ejus apud Surium habes XXV Maji. Plura de eo diximus opere de Poëtis Latinis. Etiam hoc ipſo volumine meminero in Chronologis cap. LXVII.

16. §. *Præclarum quoque in hac ſiderum ſcientiâ ſtudium fuit Venerabilis Bedæ, qui clariſſimi inſtar ſideris effulſit anno Chriſti* IↃCCXXX.

Superſunt ejus liber de argumentis Lunæ, de Ephemeride, de emboliſmis, de circulo decemnovennali, de cyclo paſchali, de circulis ſphæræ, & polo, de planetis, & ſignis cæleſtibus, de aſtrolabio, de paſchæ celebratione, ſive de æquinoctio vernali.

17. §. *De Aſtrologia etiam commentatus Flaccus Albinus, ſive Alcuinus diaconus, Bedæ diſcipulus; qui anno floruit* IↃCCLX.

Natus eſt in Angliæ agro Eboracenſi, ac diaconi honore contentus fuit. Ab Offa, Merciorum rege, ob negotium de pace ineundâ, aliaque, ad Carolum M. miſſus, ab eo honorificè adeò eſt exceptus, ut in Gallia apud illum permaneret. Cui & perſuaſit, ut Pariſienſem conſtitueret Academiam; uti & Ticinenſem. Anglorum, poſt Bedam, judicio Vincentii Bellovacenſis, doctiſſimus erat. Inter cætera ſtudia Matheſin calluit univerſam, ac publicè docuit. De VII etiam artibus liberalibus ſcripſit. In Cormaricenſi cœnobio, quod ad S. Paulum vocatur, ſitumque eſt in agro Turonenſi, anno obiit IↃCCXC.

CAP. XXXVI.

DE ASTRONOMIS LATINIS, Arabibus, atque aliis; qui claruere à temporibus Caroli M. uſque ad annum CIↃ IↃ.

1. §. *Ab Alcuino hoc Aſtrologiæ peritiam hauſit, præter tot alios, etiam Karolus Magnus. Itaque & Ephemerides conſcripſit; ac ut foris venando, ita domi obſervando ſidera, imprimis delectabatur. Anni etiam menſibus, ac ventis, nomina impoſuit Germanica, quæ obtinent. Ac eodem tempore non abſimile fuit ſtudium regis Perſici: qui cùm Aſtrologiæ multùm amore caperetur, & Carolum M. pariter ſciret adfectum; Padebornam illi, quod Weſtfaliæ eſt oppidum, planetarum miſit horologium adfabrè admodum fabricatum; quod non admirationi minùs Karolo fuit, quàm voluptati.*

Hiſtoriam complures retulere; ſed ante omnes Eginhartus, ſcriba, & alumnus, ac demum gener Karoli M. in Vita ejuſce Imperatoris: vel, ſi alius, ſaltem ejuſdem temporis ſcriptor; ut planum eſt ex iis, quæ commemorat ad an. IↃCCCVII de obſervatione cæleſti ſui temporis. Quæ tam eſt accurata, ut ſatis liqueat, ſcriptorem eum inſignem fuiſſe Aſtrologum. Huic obſervationi iſta ſubjungit: *Ratbertus miſſus imperatoris, qui de Oriente revertebatur, defunctus eſt: & legatus regis Perſarum,*

nomine Abdella, cum monachis de Hieruſalem, qui legatione Thomæ patriarchæ fungebantur, quorum nomina fuere Georgius, & Felix, ad Imperatorem pervenerunt: munera deferentes, quæ prædictus rex imperatori miſerat. Deinde cujuſmodi hæc munera fuerint, adjicit. Ac inter alia, fuiſſe inquit, *horologium ex orichalco arte mechanicâ mirificè compoſitum; in quo duodecim horarum curſus ad clepſydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo ſubjectum ſibi cymbalum tinnire faciebant, additis in eodem ejuſdem numeri equitibus, qui per* XII *feneſtras completis horis exibant, & impulſu egreſſionis ſuæ totidem feneſtras, quæ priùs erant apertæ, claudebant: nec non & alia multa erant in ipſo horologio, quæ nunc enumerare longum eſt.*

2. §. *Nec multò poſt hunccе Perſarum regem, Aſtrologiæ ſtudium eluxit in Maimone, Babylone Saracenorum rege: qui anno Chriſti* IƆCCCXXVII, *Hegiræ* CCXII, *Arabicè reddi curavit Mathematicam σύνταξιν* Ptolemæi.*

* Conſtructionem.

Quam Græci, ut antea diximus, nuncupant, μεγίστην σύνταξιν, Arabes, præmiſſo ſuo articulo, *Almageſtum* vocitârunt. Tranſlatioque ea dicitur numeros habere minùs corruptos; ut, alios ſecutus, Conradus Geſnerus ait Tomo II Bibliothecæ lib. VIII, tit. II de Aſtronomia.

3. §. *Eodem tempore imperabat Almeon, rex Arabum, qui* L *annis ante Albategnium obſervabat maximam Solis declinationem* 23. 51 †: *atque uni terræ gradui deberi milliaria* LVI.

† *Al.* 23. 34.

Hæc obſervâſſe narratur in campis Singar, juxta Babyloniam. Henrico Bruceo dicitur *Alcmeon*: quod potiùs Græcum eſt nomen. Sic ſanè dictus Amphiarai, & Eriphyles filius: item philoſophus Crotoniata, Pythagoræ auditor: ut mittam minùs cognitos. Sed rex Aſtrologus, de quo nunc ſermo, Arabibus nuncupatur *Almamon*, unde *Almeon*. Aliqui duobus ſeculis, nonnulli etiam tribus, juniorem arbitrantur, quàm diximus. Referunt enim alii ad an. CIƆXLVIII; alii ad annum CIƆCXL. Sed falli utroſque neceſſe eſt; ſi verum eſt fuiſſe, cùm literæ apud Arabas inciperent florere, annis, ut ajunt, L ante Albategnium: de cujus ætate mox loquar.

4. §. *Maimoni, & Almeoni, par, vel ſuppar, fuit Albumaſar, ſive Aboaſſar, Arabs Aſtrologus.*

Anno enim floruit IƆCCCXLIV; ut etiam eſt apud Lucam Gauricum in Calendario Eccleſiaſtico Novo †. Robertus Brugenſis in præfatione ad Planiſphærium Ptolomæi ait, ut Albeten commodiſſimè reſtrinxit μεγάλην σύνταξιν, ſive almageſtum: ita ab hoc Albumaſare τετράβιβλον, ſive quadripartitam conſtructionem, quæ eſt de judiciis aſtrologicis, (*tetraſtin* ipſe vocat imperitè) non commodè minus fuiſſe ampliatum. Similiter ex eo Conradus Geſnerus Tomo ſecundo Bibliothecæ. Albumaſaris flores Aſtrologici anno CIƆCCCCLXXXVIII Auguſtæ Vindelicorum excuſi ſunt cum zodiaci, & planetarum, figuris. Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum * refert ad decimum Chriſti ſeculum: ut ſeculo poſterior videri poſſit.

‡ *Fol.* 16. *edit. Venetæ apud Iuntam an.* 1552.

* *P.* 56. *edit. Bononienſis, an.* 1615.

5. §. *Anno Chriſti* IƆCCCLXXIX *fuit Muhammedes Alfraganus, qui Aſtrologica edidit elementa.*

Alfraganus idem eſt, ac *Ferganenſis*. Vox enim eſt ex Arabico articulo *al*, & *Fergana*, civitate, ac provincia Sogdianæ. Ut rectiùs dicendus ſit *Alferganus*. Scripſit Elementa Aſtrologica: quæ Arabicè edidit, ac Latinè reddidit ſummus vir, dumque in Academia Leidenſi viverem, collega amiciſſimus, Jacobus Golius; à quo, ſi fata ſinant, alia quoque, & nihil, niſi pulcrum, exſpectamus. Reliquit etiam librum de Sciatericis. Item alium de Planiſphærii formâ, diviſione, atque uſu. Etiam librum ejus de aggregationibus ſtellarum memorat Guilielmus Paſtregicus Veronenſis †. De ætate quod diximus, idem Golius colligebat ex Albufergio in Scriptorum veterum, ac recentiorum, catalogo. Ubi eum recenſet inter illos Mathematicos, qui vixere circa tempora Almamonis Imperatoris. Is verò claruit circa annum Chriſti IƆCCCLXXXIII; ut videre eſt ex hiſtoria Saracenica. Quare non aſſentio Joſepho Blancano, qui in Chronologia Mathematicorum ad decimum Chriſti ſeculum refert ‡. Memorat idem clariſſimus Golius, hujus Alfragani, ſive Alfergani, etiam meminiſſe Ibn Ionis in Tabulis Hakimicis, ſic dictis ab Hakimo, Ægypti rege; cui eas dicavit. Is verò Ibn obiit anno Chriſti IƆCCCCLX. Quantopere Alfraganus in Arithmeticis quoque excelluerit, argumento eſt, quòd Arabibus κατ' ἐξοχὴν *Logiſta* dicatur.

† *Venetiis excuſus an.* 1547. *à Nicolao de Baſcarinis.*

‡ *P.* 56.

6. §. *Poſtea, eorum, qui apud Arabas Aſtrologiâ grande ſibi nomen pepererunt, princeps fuit Albategnius Syrus: qui claruit circa annum Chriſti* IƆCCCLXXXVIII *; *multaque magni momenti circa Solem, Lunam, ſtellas fixas, & obliquitatem zodiaci, obſervavit.*

* *Ita & Lucas Gauricus in Calendario Eccleſiaſtico Novo, fol.* 16. *b. edit. Venet. apud Iuntam. an.* 1552.

Aliter dictus *Mahumedes Aractenſis*. Ac *Aractenſis* † quidem, quia floruit Aractæ ‡ in Syria. Comperit is Solis declinationem eſſe grad. 23. 35: ac primam Arietis poſt æquinoctium grad. 18. 2. Obſervationes, quas dixi, excuſæ ſunt Noribergæ. De ætate ex ipſo Albategnio cognoſcere licet. Nam anno Chr. IƆCCCLXXXII, die IX Septemb. ait ſe verum æquinoctium auctumnale Aractæ in Syria obſervâſſe horis IV cum dimidia, & quartâ prope. Accedit, quòd à morte Alexandri M. annos numeret CIƆCCVI. At ea anteceſſit æram Chriſti vulgarem annis CCCXXII. Quos ſi auferas à numero Aractenſis, ſuperſunt CIƆCCIV.

† *Joſepho Blancano Aracenſis.*

‡ *Blancano Aracæ.*

7. §. *Circa annum Chriſti* IƆCCCCXXXVI *locis fixarum cognoſcendis totum ſe dabat Ebennozophim:*

qui nonnullis *Azophi* vocatur. Ab aliis tamen ad annum Chriſti CIƆLXI refertur.

8. §. *Eodem tempore, vel paullò pòſt, Alfarabius, Arabs Aſtrologus, in pretio erat: nempe quaſi ſeculo poſt Albategnium Aractenſem.*

Sic quoque Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum *. Sed non bene ſecum convenit, quando ait †, Albategnium Syrum annis CCCLXXXI ante Alfarabium obſervâſſe maximam Solis declinationem eſſe 23. 35: & primam Arietis poſt æquinoctium grad. 18. 2. Nam in his temporis numeris, quos eâdem refert paginâ, diſcrimen eſt annorum prope ducentorum.

* *P.* 56.

† *Eadem pag.*

9. §. *Ad hoc ſeculum, quod nonum eſt à Chriſti natali, refertur etiam à Joſepho Blancano ‡ Geber, ſive Gebrus Arabs: qui novem libris expoſuit* Μεγάλην σύνταξιν *Ptolemæi.*

‡ *In Chronologia Mathematicorum pag.* 56.

Id opus Geberi Noribergæ editum eſt à Petrejo, anno CIƆ IƆ XXXIII, cum inſtrumento primi mobilis Petri Apiani. Initio de ſphæricis agit triangulis, quantum quidem exigitur ad calculum Aſtronomicum. Ex hoc volumine, ut Merſennius ait ‡, *multa ſumſit Georgius Purbachius, & Joannes Regiomontanus, dum prædictum opus Ptolemaicum, in epitomen ornatiſſimè redigunt.* Studuit hoc Geber, ut Ptolomæum in Aſtrologia emendaret. Sed Nicolaus Copernicus Ptolomæi calumniatorem vocat. Hieronymo autem Cardano, in Subtilitatum ſextodecimo, Geber præclara inter ingenia undecimum tenet locum.

‡ *In Synopſi Mathematica pag.* 230.

10. §. *Jam-*

10. §. *Jamdudum fortaſſe tempus eſt, ut ad Latinos redeamus. Anno* ꟾↄ cccclxxx *non exiguo honore honeſtabatur Abbo, Abbas Floriacenſis: qui, præter alia, librum fecit in calculum Victoris: alium item de motibus ſtellarum.*

A monachis interemtus eſt anno ciↄ iii; ut eſt apud Sigebertum in Chronicis. Occaſionem, & modum, narrat Glaber, lib. iii, cap. iii.

11. §. *Anno Chriſti* ciↄ l, *& genere, & doctrinâ, clarus fuit Hermannus Contractus. Matheſi excelluit: in qua, præter duos de Muſica libros, unum item de monochordo, alterumque de quadratura circuli; reliquit etiam, quæ magis hujus ſunt loci; libros puta de compoſitione Aſtrolabii, de Eclipſibus, &, de quo in Chronologis loquar, de Computo.*

Filius fuit Wolferadi Varingenſis Comitis, monachus Augienſis, à membrorum contractione *Contracti* nomen conſecutus. Chronicon ſuum perduxit uſque ad an. ciↄ lii. ac biennio pòſt deceſſit. Nam anni aliquot ſequentes ſunt à Bertoldo. Diximus de hoc opere in Hiſtoricis Latinis lib. ii cap. xliv.

12. §. *Anno* ciↄ lxxx, *nempe imperante Henrico* iv, *Guilhelmus, Hirſaugienſis abbas, in diœceſi Spirenſi, magno in honore fuit: quippe omnium in Germania eo tempore doctiſſimus. Memoriam ſui conſecutus eſt libris tribus philoſophicarum, & aſtronomicarum Inſtitutionum*.*

** Edidit Baſileæ Henricus Petri.*

Exſtant ad eum epiſtolæ quædam B. Anſelmi Cantuarienſis. In Muſicis etiam excelluit. Eundem miraculis coruſcâſſe, à Trithemio traditum eſt.

13. §. *Circa annum Chriſt.* ciↄ lxxx *celebratus eſt Arzahel, ſive Arzachel Hiſpanus: à quo edita ſunt, quæ de obliquitate zodiaci obſervârat.*

In iis fuit, maximam Solis declinationem ſuo tempore eſſe grad. 23. 34. Sed, quod ad ætatem, alii centenis antea annis, videlicet centum annis poſt Albategnium, floruiſſe autoritate, tradiderunt. Malim ego adſentire Henrico Bruzeo †, & Joſepho ‡ Blancano.

† In Catalogo Aſtrologorum, quem tribus de Motu libris ſubtexuit.
‡ In Chronologia Mathematicorum p. 57.

14. §. *Iiſdem temporibus in Perſia hoc ſtudium viguit, tabulæque Aſtrologicæ ſunt conditæ, novâque anni ratio inita eſt.*

Atque eam ſequuntur hodieque Perſæ.

15. §. *Etiam ſeculo hoc, quod à Chriſto erat undecimum, floruit Alhazenus; cujus de crepuſculis opus habemus.*

Præter quòd etiam Opticis nomen meruit. De iis vidimus cap. xxvi.

16. §. *Anno* ciↄ c *fuit Sigebertus Gemblacenſis: temporibus nempe Henrici* iv; *cujus & partes ſecutus eſt contra Gregorium* vii, *& Paſchalem* ii.

Quantum in computatione temporum, ſecundùm Solis, Lunæque curſum, ſtudii poſuerit: & ut inter Bedam, ac Dionyſium, inceſſerit medius: ipſe meliùs dicet extremo illuſtrium ſcriptorum catalogo; ubi ſuis de ſcriptis loquitur. Diximus de eo quædam lib. ii Hiſtoriæ de Hiſtoricis Lat. cap. xlviii.

17. §. *Anno* ciↄ cxxx *claruit in Anglia Athelardus, ſive Adelardus, monachus Bathonenſis. Scripſit librum de Aſtrolabio. Adhæc de* vii *artibus liberalibus. Idem Erichiafarim de* vii *planetis Latinè ex Arabico vertit.*

Varia etiam in Phyſicis, & Medicinâ, conſignavit. Ex præfatione operis de cauſis naturalium compoſitorum (quod Oxonii Mſum exſtat in Collegio Corporis Chriſti) pâtet, quod dicebam, vixiſſe anno ciↄ cxxx: nempe in Anglia regnante Henrico I. Vir omnino fuit undecunque doctus. Vide & quæ in Geometris de eo diximus.

18. §. *Circa annum* ciↄ cxlii *Alfraganum Latinè convertit Joannes Hiſpalenſis.*

Auctor Chriſtmannus, & ex eo Joſ. Blancanus*, & ante utrumque Joachimus Hellerus, qui anno ciↄ iↄxlviii Joannem Hiſpalenſem Norbergæ edidit in lucem, cum præfatione ſua. Atque ait Hellerus, ab hoc Hiſpalenſi, non Alfraganum modò, ſed etiam Arabum Aſtrologorum alios, Latinè eſſe redditos: ſi Latina dici meretur uſque adeo barbara tranſlatio.

** In Chronolog. Math. pag. 57.*

19. §. *Anno item* ciↄ cxlii *Almeon Almanſorius Arabs, annis poſt Arzaëlem* lxx, *reperit maximam Solis declinationem eſſe* 23. 35.

Ita Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum. Sed quantopere varient alii; dixi ſuperius §. 3. Fortaſſe ab Almeon, Arabum rege, diverſus eſt hic Almeon Almanſor. Almanſoris aphoriſmos, ſive propoſitiones, ac ſententias Aſtrologicas ad Saracenorum regem Baſileæ anno ciↄ iↄxxx Hervagius edidit, unà cum Julio Firmico, & aliis.

20. §. *Etiam hoc ſeculo, poſt Chriſtum duodecimo, excelluit Humenus Ægyptius; qui Arabicè conſignavit tabulas Aſtronomicas* †.

Eas in bibliotheca Palatina manuſcriptas adverſari, auctor eſt Chriſtmannus in Alfraganum.

† Blancanus ejuſdem operis pag. 57.

21. §. *Anno* ciↄ cxlv *claruit Abraham Abenezra aſtronomus:*

ut ſtatuit Lucas Gauricus initio penè Computi Eccleſiaſtici ‡ Sed in Simleriana Geſneri epitome lego, claruiſſe anno ciↄ ccxvii. Edidit librum de luminaribus, & criticis diebus, qui à Michaële Angelo Blondo recognitus, ac Romæ editus eſt an. ciↄ iↄxliv.

‡ Fol. 16.

22. §. *Anno* ciↄ cxlix *multum honoris retulit Averroës, ſive Aben-Roës, medicus Cordubenſis; qui epitomen edidit magnæ Ptolemæi Conſtructionis.*

Hic, quia in omnes Ariſtotelis libros fecit commentarios, eo *Commentatoris magni*, vel ſimpliciter *Commentatoris*, nomen accepit. Epitomes Ptolemaicæ meminit Joan. Picus Mirandulanus opere contra Aſtrologos, & ex eo Joſephus Blancanus in Mathematicorum Chronologia*. Geſnerus paraphraſin appellat.

** Pag. 57.*

23. §. *Anno* ciↄ clxx, *ſub rege Anglorum Henrico* ii, *vivebat Clemens Langthonienſis presbyter, & canonicus: qui, præter illa, quæ commentatus eſt in Sacras Scripturas, etiam librum elaboravit de orbibus cæleſtibus.*

Valde eum Clementem prædicat Silveſter Gyraldus: qui ei ſuppar fuit; ut liquet ex illis, quæ diximus in Hiſtoricis Latinis lib. ii cap. liv.

24. §. *Eodem ſeculo, nempe duodecimo à natali Chriſti, vixit R. Abraham, Cajus, qui de Sphæra ſcripſit.*

Ita Chriſtmannus in Alphrag. & ex eo Joſeph. Blancanus opere proximè memorato *. ** Pag. 57.*

25. §. *Anno* c I ͻ cc *claruit Campanus, Novarienſis Italus: reliquit verò computum Eccleſiaſticum, librum de compoſitione quadrantis, calendarium, ſphæram, theoricas planetarum.*

Apud Simlerum in epitome Geſneri legas, etiam, in bibliotheca M. Dreſſeri, fuiſſe *Campani de Novaria* (Italiæ id Tranſpadanæ oppidum eſt) *breviloquium duodecim ſignorum zodiaci.* Computum majorem, & minorem, a ſe anno ſcriptum c I ͻ cc, ipſe ait: ut ex eo teſtatur Joſephus Blancanus. Quod ſi eſt, deceptus fuerit Raphaël Volaterranus; qui ait, ducentis prope annis antea floruiſſe. Verba ejus attulimus cap. xvi §. 7. Vel dicendum eſt, Volaterranum de ætate fuiſſe falſum; vel ſtatuendum, Campanum illum, qui Euclidem ex Arabico Latinè vertit, ab hoc alium fuiſſe: nempe, ut aliqui ajunt, non Novarienſem Italum; ſed Gallum Tranſalpinum. Qui, ut in Simleriana Geſneri epitome legas, anno vixerit c I ͻ xxx. Blancanus tamen eundem arbitratur.

26. §. *Campani hujus Novarienſis æqualis erat Jordanus Nemorarius: qui nomen egregium ſibi paravit demonſtratione aſtrolabii, & planiſphærio.*

Quod à Valdero Baſileæ excuſum fuit cum Theonis commentariis in Aratum. De ætate, quod dixi, inde colligit Joſephus Blancanus †: quòd Jordanus Nemorarius, libro de Ponderibus, meminerit Campani: & Campanus, in defenſione quincti elementi, citet Jordanum Nemorarium. De quo pluribus dicam cap. LI, §. 5. Idem Iordanus etiam reliquit Arithmetica elementa, & Data Arithmetica. Inque Arithmetica commentarium, & demonſtrationes, ſcripſit Faber Stapulenſis. Sed nihil iſta ad Aſtrologos, de quibus nunc ſermo.

† In Chronologia Mathematicorum ad ſeculum vigeſimum primum.

27. §. *Anno* c I ͻ cc I I *floruit Hali, filius Abenragelis, aſtronomus.*

Ita Luc. Gauricus in Calendario Eccleſiaſtico ‡. Sed junior fuerit, ſi Arabs hic, ut dicunt alii, natus ſit anno Hegiræ cccLVI. Capit ea initium ab anno Chr. I ͻ cxxII, qui Nabonaſſaris eſt c I ͻ cccLxx. Quomodo natus ſit anno I ͻ cccc xc, claruerit autem circa annum c I ͻ xL, vel c I ͻ L: ut ſeſquiſeculi circiter ſit intervallum. Hiſpanicè ex Arabico reddidit, juſſu Alphonſi, Caſtellæ regis, Iuda ben-Muſce: ex Hiſpanico Latinè, Ægidius de Tebaldis Parmenſis *.

‡ Fol. 16. edit Venetæ an. 1552.

** Edit. Venet. an. 1485.*

28. §. *Ex imperatoribus Chriſtianis primus, Fridericus* II *ſtudium hoc, cùm prorſus jacéret, ſuſcitare conatus eſt ad Arabum exemplum. Juſſit verò* μεγάλην *Ptolemæi* σύνταξιν † *ex Arabico Latinè verti.*

† Magnam conſtructionem.

Quod circa annum eſt factum c I ͻ ccxxx.

29. §. *Anno* c I ͻ ccxxxII *longe lateque nominis famam diffundebat Joannes de Sacro-Buſto ‡, vel Boſco. De ingenio, doctrinâque ejus, exiſtimare poſſumus ex Sphæra mundi; quæ hactenus ferè in Scholis obtinet. Adhæc ex opere de Aſtrolabio. Alius item, de quibus in Chronologis dicam.*

‡ Sic Jacobus Faber nuncupat.

Elias Vinetus, qui notis ſuis Sphæram ejus illuſtravit, Brabantum eſſe putavit. Sed omnino Anglus fuit, ac natus in oppido Eboracenſi Holiwod, quod nunc *Holifax* appellatur. Oxonii operam ſtudiis dedit: ſed reliquam vitam tranſegit Pariſiis. Ubi etiam vitâ exceſſit, anno c I ͻ ccLvi: ut colligere eſt ex rudibus his verſiculis, qui, cum Aſtrolabio ejus, inſculpti ſunt lapidi ſepulcrali:

M Chriſti, bis C, quarto deno quater anno,
De Sacroboſco diſcrevit tempora ramus,
Gratia cui nomen dederat divina Joannes.

Sphæræ ejus quatuor ſunt partes. Quarum prima eſt de partibus ſphæræ, & formâ mundi. Altera de circulis ſphæræ. Tertia de motu ſecundo; ſive de ortu, & occaſu ſignorum, diverſitate dierum, noctiumque, deque diviſione climatum. Quarta eſt de motu primo, qui xxiv horarum ſpatio ab ortu fit in occaſum, deque cauſſis eclipſium.

30. §. *Anno* c I ͻ ccxxxv. *non ſine gloria vivebat Jacobus Alkindus: qui, inter alia, ſcripſit de radiis ſtellarum.*

De ætate adſentit Lucas Gauricus in Calendario Eccleſiaſtico.

31. §. *Anno* c I ͻ ccLv. *magni in Anglia nominis, terriſque exteris, meritò fuit Rogerius Baconus; qui multa, ut in reliqua Matheſi, ita & in Aſtrologia elucubravit.*

In his de utilitate Aſtrologiæ, de locis ſtellarum, de radiis Solaribus, adſpectibus Lunæ, introductionem in Aſtrologiam, de judiciis Aſtrologiæ, prognoſtica ex ſiderum curſu. Doctor fuit Academiæ Oxonienſis, & à ſuis vocatus eſt *Doctor mirabilis.* Ioſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum * ait, eum vixiſſe ſeculo ſequenti, ſub Clemente V; qui ſedere cœpit anno c I ͻ cccv. Sed planè eſt deceptus. Nam fato exceſſit Baconus c I ͻ ccLxxxIV. Debuerat dicere, ſub Clemente IV; qui anno c I ͻ ccLxxv, & duobus ſequentibus, epiſcopus Urbis fuit. Ab hoc enim in carcerem eſt conjectus, malevolis, ac Matheſios imperitis, accuſantibus eum Magiæ demoniacæ: ut his faveam, qui illi adaptant Ovidianum † iſtoc: ** Pag. 58.* *† Eleg. de Nuce.*

Fructus obeſt, peperiſſe nocet, nocet eſſe feracem.

Plura de eo diximus cap. xxvI, §. 10.

32. §. *Anno* c I ͻ ccLxx *Alphonſus rex Caſtellæ, & Legionis, tabulas edidit Aſtronomicas:*

quæ exinde dicuntur *Alphonſina.* De his ita Petrus Cirvellus Darocenſis, Præfatione in ſphæram Mundi: *Illuſtriſſimus Hiſpaniæ, & Romanorum, Rex Alphonſus hujus nominis decimus, etſi in multis doctrinis fuerit peritiſſimus, Aſtrologiam tamen ſibi dilectam prælegit, famatiſſimaſque cæleſtium motuum tabulas miro quodam artificio compoſuit. In quibus ad totum tempus poſt univerſale diluvium omnium ſtellarum cognitarum loca, & motus, certâ numeri ratione tradidit. Unde omnes priores Aſtrologos tabularios concordavit, correxit, & declaravit. Ideoque princeps tabularum dicitur.* Nec tamen unius hæc Alphonſi gloria videtur. Siquidem ad hoc opus concinnandum Iudæos complures arceſſivit in civitatem Toletanam. Præcipuus eorum fuit Rabbi Iſaac Hazan, id eſt, *cantor:* quomodo eſt vocatus, quia Toletanæ foret ſynagogæ cantor. Ac Iudæi Hiſpalenſes teſtantur, eum harum fuiſſe tabularum auctorem: ut eſt apud Auguſtinum, Ricium, Abrahami Zacuthi, Aſtrologi eximii, in Salmanticenſi ſchola diſcipulum, libro de motu Octavæ ſphæræ. Dicitur rex Alphonſus in hoc opus impendiſſe quadraginta ducatorum millia. Grande quidem pretium; ſi privatum aliquem attendas: nec nimium tamen, pro regiâ dignitate, & immortali nomine, quod eo pacto ſibi comparavit.

33. §. An-

33. §. *Anno* CIↃCCLXXXIV *fuit Guido Bonatus Foro-Julienſis aſtrologus.*

Scripſit Theoricas planetarum*: uti & de Aſtrologia judiciaria. Quâ quantum valuerit, à variis, (in his etiam ab Henrico Ranzovio in Collectaneis prædictionum Aſtrologicarum †) eo arguunt exemplo: *Guidoni, Montuferrati Comiti, diem prædixit; quo, ſi Foro-Livio egreſſus aſtu invaderet hoſtes, victoriâ potiretur: ſed in coxa vulnus accepturus eſſet. Atque, ut Guido Comes ſermoni fidem haberet, ipſe egredi urbe unà cum Comite, & intereſſe pugnæ voluit; ſtupaſque, ova, & alia, quibus vulneri nondum facto opem ferret, ſecum extulit. Secutoque pugnæ, atque victoriâ, eventu, quem prædixerat, vulnus Comiti illatum eſt.*

* Excuſa Venetiis an. 1506.
† Pag. 50. edit. Plantin. anno 1580.

34. §. *Anno* CIↃCCXCIII *honos ſuus eſſe cœpit Guilbelmo de S. Godialdo.*

Videlicet annis viginti, & ampliùs, poſt editas Alphonſi tabulas.

35. §. *Paullò poſt annum* CIↃCCC, *nempe annis à Ptolemæo* CIↃCXL, *Thebith primus in Aſtrologiam induxit motum trepidationis, ſive acceſſus, & receſſus.*

Thebith duplicem octavæ ſphæræ motum tribuit: unum à primo mobili, ſive ſphæra nona; diurnum videlicet: alterum verò proprium, ſuper circulis parvis: qui Trepidationis nuncupatur. Itidem duplicem ſtatuit eclipticam, fixam in nona ſphæra, & mobilem in ſphæra nova: ſic ut capita arietis, & libræ mobilis, circumferantur duobus circulis exiguis, quorum poli ſint capita arietis, & libræ, eclipticæ fixæ. Multi tamen non admiſere hunc motum. Inter alios eum impugnat Auguſtinus Ricius libro de motu ſphææ octavæ, Lutetiæ edito. Aliqui Thebitium vixiſſe ajunt anno CIↃCCLXX. Sed cùm hoc ſolùm ſit annorum XXX intervallum, facilè ea conciliantur. Non item, quod Joſephus Blancanus tradit, floruiſſe anno CIↃCXL. Nec bene cum eo convenit, quod vixiſſe refert annis L poſt Almeonem Almanſorium. Nam ſi Almeon, ut ipſe ait Blancanus, claruit anno CIↃCXL; non tantùm L, ſed CXXX annorum fuerit intervallum.

36. §. *Anno* CIↃCCCIII *Prophatius Judæus in Hiſpania obſervandis motibus cæleſtibus dabat operam: atque maximam Solis declinationem annotabat eſſe grad.* 23. 32.

Alii Profatium referunt ad annum CIↃCCVIII. Eoque ὁμήλικον* ei ſtatuunt non Tebit Chore, ſed Hali Aben-ragel. Puto, ſententiam priorem eſſe veriorem. Quam & ſequitur Henricus Bruchæus Aloſtanus, in catalogo aſtrologorum; quem tribus de mobili primo libris ſubjunxit. Aliorum etiam Judæorum operam utilem ſcio; ſed quorum ætatem ſubinde nequeam aſſerere. Ut R. Abraham Cai: de cujus Arithmeticis antea dictum. Idem verò & ſphæram Hebraicè ſcripſit: quam Latinam fecit Oſwaldus Schrekenfuſius: ſcholia autem addidit Seb. Munſterus.

* Æqualem.

37. §. *Anno* CIↃCCCXX. *admirationi erat Petrus Aponenſis: qui reliquit Aſtrolabium planum, in quo horâ qualibet, ac minuto, cognoſcere ſit domorum cæli æquationes; moram concepti in utero infantis; item conditionem jam editi in lucem; idque pro quolibet mundi climate.*

Venetiis excuſus anno CIↃ IↃII. Eſt verò hic Aponenſis idem ille, qui *Conciliator* dictus, ob librum, quo veterum medicorum ſcripta conciliat. Ex eo, quòd librum ſuum de medicinâ omnimodâ ad Joannem Papam XXII miſit, ætatem cognoſcimus. Nam anno is CIↃCCCXVI, & ſequentibus XVII, Romanæ præfuit Eccleſiæ.

38. §. *Anno* CIↃCCCXL. *floruit Robertus ſive Rupertus Holkoth, Anglus; qui, præter illa ſacri argumenti, reliquit librum de motibus ſtellarum, atque alium de ſtellarum effectibus.*

Northamptoniæ fuit natus, Ordinis S. Dominici, Oxonii profeſſor Theologiæ, obiit anno CIↃCCCLXXVI, regnante apud Anglos Eduardo III. Opuſculorum, quæ dixi, non meminit Pitſeus; ſed non omiſit Poſſevinus.

39. §. *Anno item* CIↃCCCL, *ſub Anglorum rege Eduardo* III, *aſtrologiæ ſtudio nomen meruit Climitonus Langleius: qui librum emiſit de orbibus aſtrologicis.*

Meminit Geſnerus, inque Anglicis ſcriptoribus Pitſeus.

40. §. *Anno item* CIↃCCCL. *in pretio erat Guilhelmus Griſauntus, pater Papæ Urbani* V; *qui antea idem, quod parens, nomen habuit, ac ſummus Mathematicus, & Medicus inſignis, fuit. Præter librum de quadratura circuli, ſcripſit de qualitatibus aſtrorum, & opus alterum de ſignificationibus eorum, item de magnitudine Solis.*

De eo in Geometris quoque dictum* nobis.

* In Addendis.

41. §. *Anno* CIↃCCCLV. *floruit in Anglia Nicolaus Linnenſis: qui varia in Aſtrologia conſignavit.*

Ut canones tabularum, de figuris, & ſignis, de ſphæra judiciali, de natura zodiaci, de planetarum domibus, de aſtrologorum dogmatis, de mundi revolutione, de uſu Aſtrolabii, de eclipſi Solis, de aſtrorum judiciis. Obiit in cœnobio, quod Linnæ fuit in regione Nortfolciæ, anno CIↃCCCLXX.

42. §. *Anno* CIↃCCCC. *Viennæ Aſtrologiam cœpit docere Joannes de Gmunden.*

Edidit tabulas de motibus planetarum, deque luminarium eclipſibus ad meridianum Viennenſem. Etiam faſtos, ſive calendarium, condidit, multis quod annis inſerviret. Item egit de Aſtrolabio, & aliis. Quæ adſervantur in Viennenſi bibliotheca Facultatis artium. Obiit Viennæ CIↃCCCCXLII.

43. §. *Anno Chriſti* CIↃCCCCXI. *Petrus de Alliaco, Archiepiſcopus Cameracenſis, factus eſt ab Joanne* XXIII *Cardinalis. Hic vulgavit quæſtiones in Sphæram Joannis de Sacrobuſco. Item librum de Concordia Theologiæ cum Aſtrologia, & Hiſtoria.*

Sed in eo peccavit, quòd putârit, Chriſti nativitatem præſciri potuiſſe ex Genethliacis obſervationibus; atque ad hoc comprobandum adferat, quòd, ob apparitionem ſtellæ, Magi venerint ad conſpiciendum Chriſtum. Adi de iſto Sixtum Senenſem lib. V Bibliothecæ ſanctæ annotatione XV, & LXXXI; item lib. VI annotat. X.

44. §. *Circa annum* CIↃCCCCXL. *illuſtris fama erat Nicolaus Cuſanus ex Brixinenſi epiſcopo, Titulo S. Petri ad Vincula Cardinalis, natione Germanus ex ditione Trevirenſi: cujus, inter alia multa; eſt Reparatio Calendarii, & correctio Tabb. Alphonſi.*

De

Digitized by Google

De Cuſano hoc, à Cuſa, vico Trevirenſi, nomen ſortito, tale Ioannis Fabri Stapulenſis judicium eſt, neminem diſciplinas Mathematicas profundius penetrâſſe. Obiit anno CIↃCCCCLXIV, annos natus LXIII.

45. §. *Anno* CIↃCCCCL, *in Italia claruit Dominicus Maria Bononienſis, Copernici præceptor: in Germania, Georgius Purbachius, præceptor Joannis Mulleri Regiomontani; qui non multum magiſtro ſupervixit.*

De primo, & Copernico, adhuc adoleſcente, ſic ſcribit Georgius Ioachimus Rheticus narratione primâ, de libris Revolutionum Nic. Copernici *: *D. Doctor meus* (Copernicus) *Bononiæ non tam diſcipulus, quàm adjutor, & teſtis, obſervationum doctiſſimi viri Dominici Mariæ.*

* *Fol.* 10. *b. edit. Baſil. an.* 1541.

Purbachius, qui Tritthemio *de Burbach*, ad limites Auſtriæ, & Bavariæ, natus fuit anno CIↃ CCCCXXIII, III Kal. Junias. Ac ſub Frederico Imperatore, Pio, & Paulo Pontificibus, Philoſophiam, & Theologiam, in Auſtriacorum Gymnaſio Viennenſi docuit. Eo tempore ad Fredericum Imperatorem legatus fuit Beſſario Cardinalis; qui Purbachio perſuaſit, ut ſe, quò Græcè diſceret, in Italiam comitaretur. Atque ejuſdem juſſu aggreſſus eſt ſcribere compendium Ptolemaicæ μεγάλης συντάξεως †. Sed vix ſextum abſolverat librum, cùm immatura eum mors auferret. Quod fuit anno CIↃCCCCLXII, VI Idus Aprilis, anno ætatis XXXIX. De hoc opere ſic ſcribit Eraſmus Reinholdus præfat. in Theoricam Purbachii: *Verſatus fuit maximo ſtudio in lectione Ptolemæi: quem ita probè calluit, ut non tantùm ſententias, & rem ipſam; ſed verba quoque, memoriâ tenuerit. Cùm itaque videret Purbachius, nullam exſtare commodam* εἰσαγωγὴν ‡, *quæ rectè, ac perſpicuè, traderet hujuſmodi elementa cæleſtium motuum* (*Cremonenſis enim Theoricæ multis in locis ineptè claudicant*) *etſi in epitome ſatis occupatus eſſet; tamen non piguit eum, hæc quoque rudimenta de planetarum motibus conſcribere ad promovenda ſtudia Aſtronomica, ac edidit hoc compendium biennio ante ſuum obitum; quo etiam tempore obſervavit cùm alia, tum maximam Solis declinationem.* Obiit an. CIↃCCCCLXI in complexibus diſcipuli ſui, Joannis Regiomontani: cui & perficiendum id opus legârat. Itaque de eo quoque pauca hic dicam.

† *Conſtructionis Magnæ.*

‡ *Introductionem.*

Regiomontanus ille natus fuit anno CIↃ CCCC XXXVI. Primus in annos multos Ephemerides divulgavit. Commentaria reliquit in illa Archimedis, ubi Eutocius nos deſtituit. Fecit idem tabulas directionum, ac eclipſeos: Theonem etiam Alexandrinum adverſus Georgium Trapezuntium defendit. Alia quoque multa exaravit: quorum catalogum ipſe fecit, & Geſnerus priori ſuæ bibliothecæ tomo inſeruit. Sed nonnulla eorum deperierunt. Nullo verò operum magis celebratur, quàm Theoricis planetarum. Quibus in Baſileenſi editione an. CIↃ IↃLXIX adduntur ejus diſſertationes adverſus Gerardi Cremonenſis ſuper Theoricis deliria. Romam à Sixto IV Pontifice vocatus fuit ad emendationem Calendarii. Sed priuſquam cœpta poſſet perficere, ipſe etiam, annos ſolùm natus XXXIII, veneno ab invidis, ut fertur, exſtinctus fuit; videlicet à Trapezontii filiis *. Quod anno Chriſti fuit CIↃCCCCLXIX; poſt præceptorem Purbachium ſexennio. Quamquam de iſto non omnes conveniant: ut dictum cap. XVI §. XI.

* *Ita eſt apud auctorem Computi novi Eccleſiaſtici Venetiis editi à Petro Lichtenſtein an.* 1519.

46. §. *Anno* CIↃCCCCLXII *Joannes Blanchinus Ferrarienſis pulcrum ſibi nomen paravit tabulis motuum cæleſtium.*

Haſce tabulas Aſtronomicas, inque eas canones caſtigatiores, cum additamentis, & tabellis novis, edi Venetiis * curavit Lucas Gauricus. Vide, quæ dicam cap. ſeq. §. 2.

* *Per Iuntam an.* 1526.

47. §. *Anno* CIↃ IↃLXXXV *Joannes Antonius Maginus Venetiis tabulas divulgavit ſecundorum Mobilium cæleſtium. Item anno* CIↃ IↃLXXXIX *ibidem emiſit Novas cæleſtium orbium Theoricas cum Obſervationibus Nicolai Copernici. Adhæc an.* CIↃ IↃCIV *de primo mobili. Et anno* CIↃ IↃCVIII *de Aſtrologica ratione, ac uſu dierum Criticorum. Item de legitimo Aſtrologiæ in Medicina uſu. Præterea Bononiæ anno* CIↃ IↃ C IX *tabulas generales de primo mobili. Etiam tabulas proportionales ad uſum tabulæ generalis.*

Quæ præterea in Ephemeridibus præſtiterit, refero cap. LXVIII, §. 16.

48. §. *Anno* CIↃ CCCC XC *longè, lateque diffundebatur nomen Marſilii Ficini: qui Apologiâ ſuâ comprobat, aſtrologiam, & medicinam, ad ſacerdotes pertinere.*

Etiam tres libros fecit de vita: in quibus ex Aſtrologia divinatrice multa admiſcuit ſuperſtitioſa. Lecto tamen opere Pici Mirandulani adverſus Aſtrologos, vanitatem ejus ſcientiæ, ſive Græcè malis, ματαιοτεχνίας, dicitur deprehendiſſe, ac rejeciſſe. Magnus omnino vir erat; præſertim in Philoſophia Platonicâ. Quare miror, ſummum itidem virum, Ludovicum Vivem, cùm locutus eſſet de epiſtolis Angeli Politiani, Hermolai Barbari, atque aliorum, ſubjungere deinde: *Admiſcuit ſe his philoſophaſter Marſilius Ficinus, ut oloribus gavia: atque epiſtolas compoſuit, ut de Platonicis quæſtionibus diſputaret, dictione invenuſtâ, & moleſtâ.*

49. §. *Anno* CIↃCCCCXCI *ſcientia hæc magna cepit incrementa Noribergæ in Franconia per Bernardum Gualtherum, Regiomontani diſcipulum.*

Qui, partim Alhazeni, & Vitellionis auctoritate; partim experientiâ edoctus; tradidit, quanti ſit momenti doctrina Refractionum, in ſideribus horizonti vicinis.

50. §. *Anno* CIↃCCCCXCIV *Joannes Abioſus Neapolitanus ex Balneolo, Medicinæ Doctor, & Matheſios profeſſor, dialogos edidit, quibus Aſtrologiam divinatricem defendit.*

Multa quoque eo in opere prædicit de ſchiſmatis, & futurâ Eccleſiæ immutatione. Dicavit opus hoc Siciliæ regi Alphonſo.

51. §. *Anno* CIↃ IↃ *vixit R. Abraham Zacuti, Emanuelis, Luſitaniæ regis, Aſtrologus. Reliquit Faſtos, ſive Almanach perpetuum omnium cæli motuum.*

Excuſum Venetiis anno CIↃ IↃ II. Memorat † in eo quoque Abenvergæ Hebræi tabulas Aſtronomicas. Sed tempus, quo vixit, præteriit.

† *In præfatione.*

Cap. XXXVII.

De Aſtrologis Latinis ab anno CIↃ IↃ, uſque ad annum CIↃ IↃCXLVIII.

1. §. *Devenimus ad ſeculum à Chriſti natali quintumdecimum: quo, ut ſtudia cætera; ſic etiam ſcientia Mathematica: tantopere ſe per orbem Chriſtianum diffuderunt; ut quàm facile ſit referre Aſtrologorum tempora, utpote noſtris adeò vicina; tam ob ingentem eorum copiam, difficile ſit enumerare univerſos. Præcipuè igitur illos primæ caveæ conſectabor. Nec propterea diſpretui erunt multi minoris ordinis, modò non quæſiti ſponte etiam ſe animo obtulerint. Ordiar à Joanne Wernero Germano; qui anno* CIↃ IↃXIV *ſedulò admodum ſiderum motus obſervabat, ſcripſiſ-*

que

que illuſtrabat. Reliquit de motu octavæ ſphæræ tractatus duos: quibus maximam Solis declinationem ſtatuit grad. 23. 28: primam Arietis ab æquinoctio grad. 26.

NAtus fuit anno CIↃCCCCLXVIII.

2. §. *Etiam iis temporibus fuit Joannes Blanchinus; quem aliqui Mutinenſem, alii Ferrarienſem, ajunt. Compoſuit tabulas Aſtronomicas, & canones in eas.*

Venetiis ab Iunta editus eſt caſtigatior operâ Lucæ Gaurici, cum ejuſdem additamentis, ac tabulis novis, ut dixi cap. ſuper. §. 46. Sed, alios iſtic ſecutus auctores, referebam ad annum CIↃCCCCLXII. Diſcrimen eſt annorum LII. Sed, ſi ad grandem pervenerit ætatem, utrobique conſtare ratio poſſit.

3. §. *Anno* CIↃIↃXVI, *in Schola Tubingenſi Matheſin docuit Joannes Stœflerus.*

Iuſtingæ in Suevia natus fuit anno Chriſti CIↃCCCCLII. Edidit Ephemerides: quæ ab anno incipiunt CIↃCCCCXXXII, ac deſinunt in CIↃIↃXXV. Item vulgavit rationem componendi aſtrolabii; commentarium in ſphæram Procli; calculum Romanum magnum, quem Cæſari Maximiliano I. dicavit; adhæc tabulas Aſtronomicas. Atque hæc Latinè. Germanicè verò commentatus eſt de dimenſione per aſtrolabium, & quadrantem; & ſupputationem conjunctionum, atque oppoſitionum; & cyclorum antiquorum redargutionem cum Eclipſium redargutione. Quid in Geographia præſtiterit, ſuo loco dicam. In Matheſi eum adoleſcens admodum Tubingæ audivit quoque Phil. Melanchthon: unde tantus illi Matheſios amor omni in vita. Obiit quaſi octogenarius, anno Chriſti CIↃIↃXXXI. De morte ejus ſic nonnemo, penes quem fides eſto: *Joannes Stœflerus Juſtingenſis Suevus, Mathematicus inſignis C. S. E. certo die periculum ſibi è ruina imminere prævideràt: ædes ſuas ſatis firmas noverat; convocat in Muſæum ſuum viros eruditos, quorum conſuetudine, & ſermonibus, recrearetur. Orta inter ſobria pocula diſputatio. Ad controverſiam explicandam, è ſuperiore loco librum depromit: Sed, laxato clavo, aſſer, in quo ſtabant libri, in caput ejus decidit, & inſigne vulnus infelici ſeni infligit: qui mortuus eſt die* XVI *Februarii an.* CIↃIↃXXXI, *ætatis* LXXXIII *menſe ferè* II, *Tubingæ.*

4. §. *Anno* CIↃIↃXXX, *vixit Henricus Baerſius, aliter Vekenſtiil, Mathematicus, & Typographus Lovanienſis.*

Anno CIↃIↃXXVIII edidit, ſed nomine ſuo præterito, *tabulas perpetuas longitudinum, ac latitudinum planetarum, ad meridianum Lovanienſem.* Biennio pòſt, expreſſo nomine, emiſit libellum *de compoſitione, & uſu decretorii planetarum.* Anno CIↃIↃXXXV alterum *de compoſitione, & uſu quadrantis.*

5. §. *Etiam hoc anno* CIↃIↃXXX, *vivebat Joannes Cario; qui practicas Aſtrologicas reliquit; nec non Ephemerides ab anno* CIↃIↃXXXVI, *uſque ad* CIↃIↃL.

Nunc imprimis famam obtinet Chronico ſuo. Præſertim editionibus iis, quas Melanchthon contexit; atque auxit; & à Melanchthonis morte ejus gener Caſparus Peucerus, uſque ad Carolum V. Natus Cario fuit anno CIↃCCCCXCIX: obiit anno CIↃIↃXXXVIII, ætatis ſuæ XXXIX.

6. §. *Anno Chriſti* CIↃIↃXXXVI, *ac deinceps, magnam ſui admirationem concivit Nicolaus Copernicus Torunienſis Boruſſus, Canonicus Varmienſis; cujus habemus de Revolutionibus Orbium cæleſtium libros* VI. *Iis docet, quaſdam Ptolemaïcas hypotheſes eſſe abſurdas, & axiomatis Mathematicis adverſas. Item computationem Alphonſinam motibus cæleſtibus non reſpondere. Hypotheſes igitur aliter conſtituit: ſed ſic, ut multa repugnent dogmatis Ariſtotelicis per tot ſecula receptis. Quale eſt, quòd ſtatuit Solem in centro univerſi quieſcere: terræ, & aquæ globum, cum vicino aëre, circa Solem motu triplici moveri: octavam ſphæram conſiſtere immotam.*

Interea, ut in oratione * de ſcientiis Mathematicis ait Tycho Braheus, *nihil abſurdi admittit; quod in Ptolemaicis, & hypotheſibus, ſi rem penitiùs introſpicias, animadvertere licet. Hæ enim ſiderum motus in ſuis epicyclis, & eccentricis, reſpectu eorundem circulorum centri, irregulares, quod abſurdum eſt, conſtituunt, regularemque ſiderum motum per irregularitatem inconvenienter ſalvant.* De eodem ſic Iſmaël Bulialdus in Prolegomenis Aſtronomiæ Philolaïcæ: *Nicolaus Copernicus, vir abſolutæ ſubtilitatis, non ſolùm obſervator fuit; ſed etiam hypotheſeos Pythagoricæ antiquæ inſtaurator. Per eum enim ex humanis cogitationibus exemtæ ſunt Ptolemaicarum hypotheſeôn tricæ, & circulorum multiplicium involutiones, & ad Phyſicam ſimplicitatem revocatæ ſunt hominum mentes.* Natus fuit anno CIↃCCCCLXXIII, Febr. die XIX, hor. IV, ſcrup. XLVIII: ſeptuagenarius obiit anno CIↃIↃXLIII.

* Edita Hamburgi in Offic. Froben. an. 1621.

7. §. *Multimodis verò differunt ſphæra Ptolemaica, & Copernicana. In Ptolemaica ſphæra orbis ſtellarum fixarum diurno motu circa terram quieſcentem circumvolvitur ſpatio horarum* XXIV. *In illa Nicolai Copernici contrà, quieſcente cælo, ſtelliſque fixis, terræ globus ab occidente in orientem periodum abſolvit. In priori ſol, terrâ immotâ: annuo ſpatio permeat zodiacum. In poſteriori terra movetur per eclipticam, ſole immoto. Denique in Ptolemaicâ, Luna menſtruo ſpatio tranſit zodiacum. In Copernicanâ autem, Luna circumfertur terræ, propriamque abſolvit periodum. Nec tamen Copernici opinionem prorſus eſſe novam putandum; cùm illam Philolai, & alteram Heraclidis Pontici, ac Ecphanti, compoſuerit, & ex illis duabus fecerit propriam.*

De duabus illis opinionibus antiquis ſic ſcribit Plutarchus lib. III de Placitis Philoſophorum cap. XIII: Οἱ μὲν ἄλλοι μένειν τὴν γῆν· Φιλόλαος δ' ὁ Πυθαγόρειος κύκλῳ περιφέρεσθαι περὶ τὸ πῦρ κατὰ κύκλου λοξοῦ, ὁμοιοτρόπως ἡλίῳ, καὶ σελήνῃ. Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς, καὶ Ἔκφαντος ὁ Πυθαγόρειος, κινοῦσι μὲν τὴν γῆν, οὐ μήν γε μεταβατικῶς, τροχοῦ δίκην ἐνζωνισμένην ἀπὸ δυσμῶν ἐπ' ἀνατολὰς περὶ τὸ ἴδιον αὐτῆς κέντρον· *Alii* (cenſent) *terram manere immotam: Philolaus Pythagoricus, in orbem eam circumferri circum ignem* (id eſt, Solem) *circulo obliquo, quem Sol motu, & Luna menſtruo, deſcribere vulgò creditur. Heraclides Ponticus, & Ecphantus Pythagoreus, motum terræ tribuunt; non ut loco ſuo excedat, ſed, rotæ inſtar, circa axem circumvertatur ab Occaſu verſus Ortum circa ſuum centrum.* Ex quibus duabus opinionibus componitur ſententia Nicolai Copernici. Siquidem ſtatuit cum Philolao, terram moveri circa Solem; eumque motum eſſe annuum: ſtatuit quoque cum Heraclide; terram, rotæ inſtar, moveri circa axem ſuum; atque hunc eſſe motum diurnum. Obiit ſeptuagènarius anno Chr. CIↃIↃXLIII.

8. §. *Anno* CIↃIↃXXIV, *ac* XXX *conſecutis, erat Petrus Apianus, aſtrologus egregius; & quadrante, aliiſque inſtrumentis aſtronomicis, ſibi multum laudis parabat.*

Cæſari Carolo V. fuit gratiſſimus; qui Ingolſtadio, ubi Matheſin docuit, arceſſitum, equeſtri dignitate ornavit. Vide, quæ de eo dicam in Geographis.

9. §. *Anno* CIↃ IↃ XXVI, *ac deinceps, imprimis* CIↃ IↃ L, *poſteaque, magnam in Aſtrologia ingenii, doctrinaque laudem adeptus fuit Lucas Gauricus Neapolitanus.*

Hic caſtigavit tabulas Alphonſinas; nec non illas Ioannis Regiomontani: adhæc, ut antea dixi, iſtas Ioannis Blanchini. Præterea annotationibus ſuis illuſtravit Ptolemæi Conſtructionem magnam. Emiſit quoque diſſertationem de Eclipſi miraculoſâ in Paſſione Domini. Tandem à Papa Paulo III. evectus eſt ad epiſcopatum Civitatenſem.

* Vulgò Sterck.

10. §. *Anno* CIↃ IↃ XXX, *ac ſex ſeptem ſequentibus, Joachimus Fortius* Ringelbergius Andoverpianus à facilitate ingenii, variâque doctrinâ, laudem meruit, tum Lovanii, ac in variis Galliæ Academiis docendo; tum purâ, & eleganti dictione edolando complura opuſcula in ἐγκυκλοπαιδείᾳ. In his de Horoſcopo, Tempore, & Coſmographiâ. Item tres Aſtrologicarum Inſtitutionum libros.*

Qui ut incipientibus ſunt utiles; ita, ad penitiora jam admiſſis, nihil penè promunt, niſi pervulgatum. Deſiderius tamen Eraſmus dignos judicavit, quos carmine commendaret juventuti. Videlicet ingenium amabat, & terſam, ac perſpicuam dictionem iis in ſcientiis, quæ vulgò barbarè tractarentur. Nec omnia ab uno exigi oportet: ſed cogitandum, quàm ſerò animum ad ſtudia appulerit. Primùm enim in aula Cæſaris Maximiliani dedit ſe literis ſcitè formandis; uti & picturæ, ac cælaturæ. Anno demum ſeptimodecimo Lovanium ſe contulit, ut prima addiſceret Latinæ linguæ elementa. Novi neminem, qui tanti faceret Ringelbergium, ac conjunctiſſimus in Leidenſi Academia collega meus Thomas Erpenius. Hoc inde erat, quòd lectione opuſculi de ratione ſtudii, ad amorem literarum, ac philoſophiæ, imprimis eſſet accenſus. Itaque libro illi ſe debere profitebatur, quòd is evaſiſſet, quem videremus. Quamquam verò Hebraicis, & Arabicis prælum aſſiduè ferveret: tamen laborem operis ejus typis ſuis divulgandi ſponte adſumſit, non lucelli ſpe, ſed tantummodo, quòd non diffideret poſſe alios etiam lectione illius ad ſimilem ſtudiorum amorem inflammari. Vitam ſuam Ringelbergius magna ex parte deſcripſit volumine, quod dicebam †; item illo de homine. Poſteaque idem fecit Andreas Hyperius, oratione in ejus laudem habitâ: quæ unà cum Ringelbergii opuſculis excuſa eſt à Sebaſtiano Gryphio. Eopſe anno diceſſit, quo Eraſmus; vel ſaltem uno ſolùm anno poſt.

† *Capite, cujus lemma*, Qua ratione vitare poſſis in ſcribendo tædium.

11. §. *Anno* CIↃ IↃ XXX. *Sebaſtianus Munſterus, duabus rebus multum laudis meruit; Hebraïs literis, & Matheſi.*

Ad Aſtronomiam pertinent Horologiographia in plano, concavo, convexo, locoque erecto. Item organum uranicum; in quo theoricæ planetarum, eorumque motus, ad annos uſque centum, & ultrà. Item Canones ſuper novo luminarium inſtrumento. Plura de eo in Geographis afferam.

12. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXV. *Joannes Dryander in Marpurgenſi Academia docuit, multaque in Aſtrologia elaboravit.*

Ut de annulo Aſtronomico, de cylindro Aſtronomico, de globo cæleſti, de varia compoſitione horologiorum ſolarium, de uſu inſtrumenti ad horas noctu ex ſtellarum inſpectione cognoſcendas, de quadrante, de aſtrolabio toti inſerviente Europæ, & alia quædam. Complura etiam reliquit in medicina; de quibus in Chronologia Medicorum dicemus. Obiit Marpurgi, an. CIↃ IↃ LX.

13. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ XXXV. *floruit Joannes Schonerus. Hic tabulas reliquit Aſtrologicas; quas, ob perſpicuitatem, vocant* reſolutas. *Item Regiomontani genethliacum auxit.*

Natus Caroloſtadii, Franciæ Orientalis oppido, anno CIↃ CCCC LXXVII. Docuit Mathemata Noribergæ. Anno CIↃ IↃ XLV edidit ibidem libros tres de judiciis Nativitatum: quos & Melanchthon præfatione ſua commendavit. Septuagenarius, obiit Noribergæ, anno Chriſti CIↃ IↃ LXVII.

14. §. *Tum quoque claruit Eraſmus Reinholdus; qui, ut aberrantes cæleſtium revolutionum tabulas reficeret, Obſervationes ſuas Prutenicas ex Copernici hypotheſibus deduxit.*

Natus fuit in oppido Thuringiæ Salfeld. Docuit in Academia Witebergenſi. Anno Chr. CIↃ IↃ XLIX, qui ætatis erat trigeſimus octavus, Græcè, Latinèque edidit primum μεγάλης συντάξεως, ac aliquot in eo locorum explicationes adjecit. In parentum, ac liberorum amplexu, an. CIↃ IↃ LIII, vitam finiit hoc verſu, *Vixi, & quem dederas curſum mihi, Chriſte, peregi.*

15. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ XL, *ac deinceps, grande in Matheſi nomen fuit Georgii Joachimi, à patria nuncupati* Rhetici. *Eam in Witebergenſi Academia docuit; præcipuè Aſtrologiam; in qua Alfraganum enarravit.*

Cùm Witebergæ traderet Matheſin, & famâ de novis Copernici hypotheſibus accepiſſet: profeſſione deſertâ ad eum profectus fuit; atque ut in reſolutionum opere perſiſteret, hortari non deſiit. Memorat hoc ipſe epiſtolâ, quam præmiſit orationi de laude Aſtrologiæ, & Geometriæ, editæ Norbergæ*. Anno CIↃ IↃ XLI, biennio ante mortem Copernici, narrationem † de ejus Revolutionum libris, miſit ad Joannem Schonerum. Etiam, eo mortuo, illius labores publici juris fecit. Ipſe Ephemerides novas, ſecundùm Copernici doctrinam, elucubravit, ad annum uſque CIↃ IↃ LI. Quàm multa etiam alia in Aſtrologiæ ſtudio partim effecerit, partim molitus ſit, ex epiſtola ejus ad Petrum Ramum cognoſces. Natus fuit Rheticus in oppido Veltkirchen an. CIↃ IↃ XIV. Obiit anno CIↃ IↃ LXXVI.

* *Apud Petrejum.*
† *Baſil. edita à Rob. Wintero an.* 1541.

16. §. *Joannes de Rojas claruit anno* CIↃ IↃ XL: *tempore nempe Cæſaris Caroli V; cui dicavit opus ſuum de ſphæra in plano deſcribendâ.*

Vulgò *Planiſphærium* vocant. Excudit Pariſiis Vaſcoſanus.

17. §. *Anno eodem claruit Petrus Nonius Salacienſis Luſitanus: cujus exſtat liber de crepuſculis; item annotationes in Theoricas planetarum Purbachii.*

Conimbricenſi in Academia Matheſin eſt profeſſus. Ejus de crepuſculis opuſculum ad Joannem III. Luſitaniæ Regem, prodiit anno CIↃ IↃ XLII, unà cum ejuſdem argumenti libello, quem fecit Alhazenus Arabs, ſive Allacen. Notæ ejus in Purbachium laudantur, tum ab acumine, & perſpicuitate; tum etiam quòd multa dicat aliis indicta; varioſque aliorum corrigat errores. Conimbricæ prodiit, uti & Baſileæ; unà cum ejus libro de navigandi arte.

18. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ XLI. *Eraſmus Oſwaldus Schreckenfuchſius Friburgi Briſgoja Mathemata, & Hebræas literas, profiteri cœpit: ac in*

In utroque ſtudio complura reliquit monumenta.

Ut in Aſtrologia, commentaria in Sphæram Joannis de Sacrobosco, annotationes in Ptolomæi μεγάλην σύνταξιν*, librum de primo mobili, & theoricâ planetarum, alium de gentium calendariis. Ex Hebræo etiam vertit ſphæram R. Abraham Cai. Diſcipulus fuit Sebaſtiani Munſteri. Anno obiit CIↃ IↃ LXXIX. ætatis LXVIII.

* *Magnam conſtructionem.*

19. §. *Anno* CIↃ IↃ XLII, *ac deinceps, in honore erat Rainerus Gemma Friſius, medicus, & mathematicus, apud Lovanienſes: qui, præter Arithmeticen, compluria quoque emiſit ad Aſtronomiam pertinentia.*

Natus fuit Doccomi in Friſia anno CIↃ IↃ VIII. Arithmetices practicæ methodum edidit anno CIↃ IↃ XL. Quam annis tredecim poſtea Pariſiis Jacobus Peletarius ſcholiis illuſtravit. Anno CIↃ IↃ XLII, poſtquam decoratus eſſet laureâ, ut vocant, doctorali, publicè Lovanii Matheſin cœpit profiteri. Anno CIↃ IↃ XLVIII divulgavit opus de uſu annuli Aſtronomici. Poſtea de principiis aſtronomiæ, & coſmographiæ: deque uſu radii aſtronomici, ſeu regulæ Hipparchi: item de aſtrolabio catholico, & uſu ejuſdem. Obiit Lovanii, ſeptem, vel ultrà, menſes conflictatus calculo, anno CIↃ IↃ LV, relicto paternæ cathedræ hærede Cornelio Gemma filio.

20. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ XLIV *literis, & Matheſi, clarus erat Joannes Stadius Belga. Primùm apud Pariſienſes, deinde & Lovanienſes, docuit: utrobique Matheſin; hic & hiſtoriam.*

Ephemerides, inter alia, edidit; quas *tabulas Bergenſes* inſcripſit, in gratiam Roberti à Bergis, Leodicenſis epiſcopi. Item reliquit tabulas æquabilis, & apparentis motus cæleſtium corporum. Virum doctiſſimum, & Mathematicum ſollertiſſimum, appellat Valentinus Naiboda. Filium habuit Hieronymum Stadium, cui Huberti Goltzii filia nupſit. Nepotem ex Catharina filia Iuſtum Ryckium Gandavenſem; cujus exſtat Commentarius elegans de Capitolio Romano, aliaque compluria. Obiit anno Chriſti CIↃ IↃ LXXIX, ætat. LIII.

21. §. *Paullò poſt pulcram Aſtronomiæ operam navabat Michaël Mæſtlinus.*

Iunior in Italia egit; ubi cùm pro Copernicanâ ſententiâ publicè in Lyceo orationem habuiſſet; Galilæus Galilæius, perpenſis ejus argumentis, etſi antea Ariſtoteli, & Ptolomæo, penitùs addictus, poſtea pedibus, ſive animo potiùs, in ejus ivit ſententiam. Priùs in oppido Bachnanus parochus fuit; exinde in Academia Heidelbergenſi; ac tandem ibidem Matheſios profeſſor. Quo tempore edidit IV Aſtronomiæ libros. Poſtea Matheſin docuit apud Tubingenſes. Ubi opus memoratum denuò edidit, ſed recognitum ſedulò.

22. §. *Anno* CIↃ IↃ LVII, *ac proximis* XLVII *annis, in pretio erat Conradus Daſypodius, Matheſios apud Argentinenſes profeſſor: cujus Aſtronomica præcepta, & alia, exſtant.*

Diximus de eo in Optices ſcriptoribus.

23. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ LX *claruit Michaël Beutherus, vir undecunque doctus, ac Aſtrologiæ etiam, & Chronologiæ ſtudiis, egregiè excultus.*

Natus Carolopoli, ſive Caroloſtadii, Franciæ Orientalis oppido, tribus milliaribus diſtante Wurtzburgo. In Matheſi Witebergæ Eraſmum Reinholdum audivit. Anno Chriſti CIↃ IↃ XLVI, ætatis XXIV, ac ſequenti, in Academia Gryphiſwaldenſi cùm poëſin, atque hiſtoriam, tum Matheſin publicè eſt profeſſus. Hinc Gallias, atque Italiam, adiit: ac Medicinæ doctor à Gabriële Fallopio Patavii renunciatus fuit: poſteaque Ferrariæ à Renato Cato in Iure utroque ſupremam lauream accepit. Pariſiis publicè de annorum ſupputatione docuit. Othoni Henrico, Electori Palatino à conſiliis Eccleſiaſticis, & bibliothecâ, fuit. Eumpſe in locum poſtea fuit reſtitutus à Frederico III Pio. Plurima conſignavit: In Aſtrologia ſunt hæc, de globo Aſtronomico; de circulis; de correctione novi Calendarii Gregoriani. Etiam ediſſertavit de LXX hebdomadibus Danielis; quo anni tempore mundus ſit creatus; quo die Chriſtus ſit mortuus. Obiit anno Chriſti CIↃ IↃ LXXXVII, ætatis LXV.

24. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ LX *floruit Gerardus Mercator; vir de Aſtrologia, ac reliqua Matheſi, præclarè meritus.*

Natus eſt Rupelmundæ in Flandria an. CIↃ IↃ XII. Imperatori Carolo V. varia confecit inſtrumenta Mathematica. Poſtea & globo complexus fuit planetarum, ac ſignorum cæleſtium, conſtitutionem. Lovanio Duysburgum profectus, imperatori duos fecit globos; unum cryſtallinum, alterum ligneum; illum cæleſtem, hunc terreſtrem. Pluribus de eo in Geographis, & Chronologis, diſſeram.

25. §. *Anno* CIↃ IↃ LXX *Henricus Brucæus Aloſtanus Flander, Medicus, & Mathematicus, divulgabat Roſtochii tres libros de motu primo. Item poſteà Inſtitutiones Sphæræ.*

Lutetiæ Adr. Turnebo, & Petro Ramo, fuit familiaris. Romæ docuit Matheſin. Roſtochii item annis XXV. Obiit ibidem anno CIↃ IↃ XCIII, anno ætatis LXII. Libros ejus de motu primo à ſe repurgatos Roſtochii anno CIↃ IↃ CIV emiſit Eraſmus Stockmannus, philoſophiæ naturalis ibidem profeſſor. Quantus idem Brucæus in medicina fuerit, indicant Miſcellanea Medica neceſſarii, ac propinqui mei, Henrici Smetii: ubi variæ utriuſque, ac pereruditæ epiſtolæ.

26. §. *Anno item* CIↃ IↃ LXXII, *ac* XXXIV *proximis annis, ſempiternam ſui memoriam literariæ Reip. intulit Tycho Brahe, Ottonis F. qui in ſiderum obſervatione nulli priorum ceſſit; inque numero fixarum obſervando, non acquievit Hipparcho; imò Ptolomæi, & Alphonſinorum induſtriam, exſuperavit.*

Hujus aurei exſtant libri Aſtronomiæ inſtauratæ: quibus, ut antea in Ptolomæo Copernicus; ita ipſe in Copernico multa correxit. Itaque exinde tres præcipuæ fuerunt Aſtrologorum ſectæ: quarum Tychoniana foret media inter Pythagoricam, ſive Copernicanam, & Ariſtoteleam, ſive Ptolemaicam. Tychonis Brahe Aphoriſmorum pars prima agit de reſtitutione motuum Solis, & Lunæ, ſtellarumque inerrantium; potiſſimùm verò de nova ſtella anni CIↃ IↃ LXXII. Altera, de mundi ætherei recentioribus phænomenis; ac præcipuè de cometa an. CIↃ IↃ LXXVII. Tertia continet epiſtolas Aſtronomicas. Natus Knudſtorpii prope Londam in Scania, an. CIↃ IↃ XLVI. Fuit eques Danus, Dom. de Knudſtrup, conditor arcis Uranienburg in Huenna, Danici Helleſponti inſulâ, inventor, ſtructorque inſtrumentorum Mathematicorum, quæ in eâdem arce repoſita ſunt. Ad inſtaurandam Aſtrologiam quaſi palatium condidit, inſtrumentis ingens pretium impendit, operas plurimas aluit: ita ut inſumſerit huic rei ducenta aureorum millia. Ex effigie operibus additâ liquet, an. Chr. CIↃ IↃ LXXXVI an-

Digitized by Google

annum egiſſe XL. Obiit, Pragæ Bohemorum, anno CIↃ IↃ CI.

27. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ LXXIV, *Hermannus Witekindus Heidelbergæ edidit librum de Sphæra mundi; deque temporum ratione apud Chriſtianos. Idem poſtea tradidit rationem formandi horologia.*

Imò jam ante an. CIↃ IↃ LXXIV quædam emiſerat in lucem: ſed diſſimilis argumenti. Heidelbergæ, ubi Matheſios profeſſor fuit, obiit anno Chriſti CIↃ IↃ CIII, ætatis LXXX.

28. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXVII, *Franciſcus Junctinus Florentinus annos tum natus* LVI, *accuratos edebat commentarios in Sphæram Joannis de Sacro-Boſco.*

Excudit Io. Tornæſius Lugduni Seguſianorum anno CIↃ IↃ LXXVII. Etiam ibidem anno CIↃ IↃ LXXII prodiit ejus Speculum Aſtronomicum. Adhæc reliquit tractatus duos ad judicandum de Revolutionibus aſtrorum. Nec Philoſophus modò, & Aſtrologus fuit: ſed etiam Theologiæ Doctor.

29. §. *Nicodemum Friſchlinum, qui anno claruit* CIↃ IↃ LXXX, *puto, omitti poſſe, ut Grammaticis magis, ac poëſi, intentum: quamquam in Tubingenſi Academia, ſed vicariâ operâ pro abſente Philippo Apiano, docuerit Matheſin: etiam de Aſtrologia quædam in literas retulerit.*

Videlicet lib. V Aſtronomiæ, quibus Aſtrologicas divinationes paſſim refellit. Editi Francofurti anno CIↃ IↃ CI. Obiit anno Chriſti CIↃ IↃ XC, ſuæ ætatis XLIV, idque miſerabili fato. Cùm enim ob ea, quæ ore nimis libero effutiiſſet de viris nobiliſſimis, in carcerem eſſet conjectus Moguntiæ, atque inde deductus foret in Wittenbergici ſoli arcem Hohenauracenſem, quò captivitatem effugeret, pannos diſcidit, ut his colligatis ſe demitteret: ſed, funis hujuſce perfidiâ, in alias aliaſque petras præceps datus, confractis membris, exſpiravit.

30. §. *Nefas fuerit, non memorare hoc loco Illuſtriſſimum, ac laudatiſſimum principem, Guilhelmum, Haſſiæ Landgravium: qui Caſſellis, locis idoneis, collocavit, tum Quadrantes Geometricos ad percipiendam ſiderum altitudinem; tum Sextantes ad diſtantiam eorum cognoſcendam. Ac ab anno* CIↃ IↃ LXI, *uſque ad* CIↃ IↃ XCVII, *partim per ſe multa obſervavit, partim per alios, maximè illos, quos eam ad rem aluit, Chriſtophorum Rhotmannum, & Juſtum Byrgium, ſollertis induſtriæ organopœum.*

Horum obſervationes Leidæ anno CIↃ IↃ CXVIII, divulgavit eximius eâ in Academiâ collega meus Willebrordus Snellius.

31. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXII *claruit Aloiſius Lilius, Medicinæ doctor: cujus operâ uſus eſt Gregorius XIII. in corrigendo Calendario, quod anno ſequenti introductum fuit.*

Cauſſa emendationis fuit, quòd annus Julianus cæleſtem annum undecim excederet ſcrupulis horariis: nempe propè quinctâ horæ parte: ita ut à temporibus Julii Cæſaris, uſque ad illa Gregorii XIII, penè XIV diebus paſcha celeriùs celebraretur, quàm oporteret, ratione habitâ anni cæleſtis.

32. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXVIII, *naturæ, & matheſios ſcientiâ, clarum ſibi nomen peperit nobiliſſimus vir Joannes Baptiſta à Porta Neapolitanus: qui emiſit interpretationem primi libri* μεγάλης συντάξεως *cum comment. Theonis.*

Inprimis autem inclaruit XX libris Magiæ Naturalis: qui primò tantùm quatuor fuere, à Plantino editi, auctore tum vix ex ephebis egreſſo: anno verò quincto & trigeſimo pòſt, emiſſi libris XVI auctiores. Multa in iis ſunt naturæ miracula, ob quæ Bodinus in Dæmonologia ſua Portam, ut magum veneficum, inceſſit; librumque ejus flammis dignum arbitratur. Inique prorſus, ut vident naturæ, & matheſios intelligentes. Effigiem Portæ videre eſt in Muſæo Hiſtorico Joannis Imperialis *: ubi & Elogium ejus deinceps. Neapoli ſeptuagenarius obiit an. CIↃ IↃ CXV.

* *Edit. Venetiis 1640. pag. 122.*

33. §. *Anno* CIↃ IↃ XC, *claruit Joannes Buſæus Noviomagenſis: qui diſputationem apologeticam ſcripſit pro Calendario Gregoriano contra Jacobum Herbrandum, Theologum Tubingenſem.*

Plurima etiam alia edidit; ſed in ſacris: de quibus in Societatis Jeſu ſcriptoribus agit Ribadeneira.

34. §. *Anno* CIↃ IↃ XCI, *Adrianus Romanus Lovanii librum vulgavit de cælorum numero, & ordine.*

Diximus de eo in Geometris. Pluraque de variis ejus ſcriptis legas in bibliotheca Belgica Valerii Andreæ Deſſelii I.C.

35. §. *Ejuſdem temporibus magnum meritò Franciſci Vietæ nomen fuit. Cujus utinam ſupereſſet* Harmonicon cæleſte.

Hoc de opere ſic ſcribit Iſmaël Bullialdus in Prolegomenis Aſtronomiæ ſuæ Philolaicæ: *Vir illuſtriſſimus, Petrus Puteanus, utendum olim dederat P. Marino Merſennio, Religioſo Ordinis Minimorum; ut ipſius cupiditati, quâ res novas, ac non vulgares, appetit, morem gereret. Hic vir optimus, ac facilis, à quodam viro non bonæ fidei illo libro emunctus eſt; ita ut nec ipſum Puteano reddere potuerit, nec Reſp. literaria fructum aliquem ex eo capere. Quamdiu enim vixit iſte, nec reddere voluit, nec copiam illius facere: &, niſi fallor, meditabatur ſibi adrogare Vietæ hoc opus, veri auctoris nomine ſuppreſſo.* Vietam *Mathematicorum noſtri ſæculi coryphæum* appellat David Rivaltus à Flurantia †, Regi Ludovico III. à conſiliis, & ſtudiis. Continuationem algebræ proportionalis, quam Vieta reliquit, *acutiſſimum opus* vocat Joſephus Blancanus ‡. Plura de eo in Chronologis dicam.

† *Prolegomenis in Archimedem.*

‡ *In Chronologia Mathematicorum p. 62, 63.*

36. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ XC, *Jacobus Chriſtmannus Muhammedis Alfragani Arabis Chronologica, & Aſtronomica elementa, è libris bibliothecæ Electoris Palatini, Heidelbergæ Latinè vertit, explevit, & ſcholiis illuſtravit. Commentarium etiam adjunxit, quo explicuit calendarium Romanum, Ægyptiacum, Arabicum, Perſicum, Syriacum, & Hebræum. Idem anno* CIↃ IↃ CI, *emiſit Baſileæ Obſervationes Solares. His explicat verum Solis motum in zodiaco, omnemque triangulorum doctrinam apparentibus cæli motibus accommodat. Decennio pòſt de theorica Lunæ ex novis egit hypotheſibus, ad verum Lunæ locum in zodiaco facilè inveniendum. Inde anno ſequenti ſolutionem nodi Gordii ex doctrina ſinuum edidit; eique ſubjunxit appendicem obſervationum per radium artificioſum circa Saturnum, & lucidiores ſtellas fixas.*

Quid verò præſtiterit in Chronologia, inferiùs exponam.

37. §. *Anno eodem multis virtutibus eluxit Simon Stevinus Brugenſis, Illuſtriſſimi Arauſionenſium principis Mauritii Mathematicus. Is de cæli motu egit libris tribus.*

Quorum primus eſt de planetarum, ſtellarumque fixarum motu, ex obſervationum ephemeridibus terrâ immotâ deducto. Alter eſt de motûs planetarum inveſtigatione ex ratiocinatione Mathematica terrâ ſtabili, & hypotheſi anomaliæ primæ. Tertius eſt de anomalia ſecunda: ubi Coperniceæ hypotheſes in terræ converſione, & motu, exprimuntur.

38. §. *Tum quoque vivebat Bernardinus Salinus: Societatis Jeſu Theologus: qui libro ſingulari varia eſt complexus problemata Aſtronomica.*

Aſſervatur id opus ineditum Genuæ in Collegio Societatis Jeſu. Uti & alia ejuſdem: in his libri duo, quibus, ex hypotheſi rectæ, & æqualis περιφερείας *, plurima πορίσματα † demonſtrat. Adhæc liber de menſuris Geometricis. Obiit circa annum CIↃ IↃ CVIII.

* *Circumferentiæ.*
† *Conſectaria.*

39. §. *Anno* CIↃ IↃ C, *& aliquanto antè, magnâ in æſtimatione fuit Chriſtophorus Clavius Bambergenſis. Cujus exſtant uberes commentarii in Sphæram Joannis de Sacroboſco. Computus Eccleſiaſticus. Aſtrolabii forma, atque uſus. Apologia Calendarii adverſus Michaëlem Mæſtlinum. Caſtigatio Scaligeri, caſtigare volentis calendarium Gregorianum.*

Plura de eo in ſcientiarum aliis dicimus. Obiit anno CIↃ IↃ CXII, annorum prope LXXV. De Aſtrolabio ejus tale eſt judicium Poſſevini in bibliotheca ſelectâ lib. XV, cap. VIII: *Aſtrolabio demonſtrativo, ſine inſtrumento per ſolum circinum, & regulam, omnia, quæ ad primum mobile pertinent, inveniuntur certiſſimè: ita ut jam centies latiùs pateat, quàm antea. Opus à nemine hactenus tentatum, ac noviſſimè à Chriſtophoro Clavio editum Romæ* CIↃ IↃ XCIII.

40. §. *Anno* CIↃ IↃ CV, *ac deinceps, multum laudis meruit Galilæus de Galilæis, magni Hetruriæ Ducis Mathematicus.*

Hic obſervavit motus comitum Jovis, Saturni phaſin nunc rotundi, nunc oblongi, Veneris ad modum Lunæ incrementa, & decrementa inæqualem Lunæ ſuperficiem, maculas Solares, ac revolutionem Solis circa axem proprium. Anno CIↃ IↃ CXL fatis conceſſit, cùm ſeptennio ante durè habitus eſſet Romæ, à Congregatione Cardinalium, ob Pythagoræ, & Copernici, ſententiam de diurno terræ motu, quam, ut Sacris literis adverſantem, idem cœtus jam anno damnârat CIↃ IↃ CXVI. Hac de ita anno CIↃ IↃ CXXXIII, Bruxellæ Lovanium ad Cornelium Janſenium, Regium Scripturarum in Lovanienſi Academia interpretem, ſcribebat Illuſtr. Fabius de Longaniſſa, Archiepiſcopus Compſanus, ac Pontificis Romani in Belgica, & Burgundico Comitatu, Nuncius: *Quàm opinionem cùm Galilæo Galilæi Florentino tam ſcripto, quàm voce, docere poſtmodo prohibuiſſet S. Officii Congregatio, eo non obſtante, idem Galilæus libellum quemdam, qui Galilæus Galilæi inſcribitur, quique Copernici doctrinam redolet, prælo mandare auſus eſt. Verùm hic in S. Officio Inquiſitioni exhibitus, carcerique mancipatus, erronei dogmatis pravitatem penitus abjurare coactus eſt: in cuſtodia illa eò uſque detinendus, donec Eminentiſſimis D D. Cardinalibus ſufficientem egiſſe pœnitentiam videbitur.*

41. §. *Anno* CIↃ IↃ CXII, *Bartholomæus Pitiſcus Sileſius Grunbergenſis edidit ſex libros problematum Aſtronomicorum.*

Recuſi verò anno CIↃ IↃ CXIX, ſubjunctique operi ejus de triangulorum dimenſione.

42. §. *Etiam anno* CIↃ IↃ CXII, *Matheſin in Bononienſi Academiâ publicè docebat Joannes Antonius Manginus. Edidit Theoricas planetarum novas, ſecundùm obſervationes Copernici; item tabulas ſecundorum mobilium; primum mobile; tabulas directionum; ephemerides ad annos quinquaginta; aliaque,*

de quibus in Geographis dicam.

43. §. *Anno* CIↃ IↃ CXII, *bene de Aſtrologia merebatur Chriſtophorus Scheiner, Germanus, Societatis Jeſu Theologus; qui ſub nomine Apellis poſt tabulam latentis, ut aliorum judicia cognoſceret, libellum edidit de maculis ſolaribus. Etiam alterum emiſit de Sole elliptico.*

Labores ejus non minori lêgi fructu, quàm voluptate. Atque hic etiam eſt, qui primus Marte ſuo, ac ſine Theſeo, de Solaribus maculis ſcripſiſſe dicitur à Joſ. Blancano *; nec gnarus fuiſſe, quid alii in eodem argumento tum temporis meditarentur.

* *In Chronologia Mathematicorum pag. 64.*

44. §. *Anno* CIↃ IↃ CXVII, *claruit Redemtus Baranzanus Vercellenſis: cujus exſtat* Οὐρανοσκοπία, *ſive univerſa cœlorum doctrina: opus tamen Phyſicum magis, quàm Mathematicum.*

Redemtus is Sacerdos fuit Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli. Annecii, Sabaudiæ civitate, in Academia Patrum Paulinorum, Matheſin, ac Philoſophiam, docuit.

45. §. *Anno* CIↃ IↃ CXVII, *magni nominis fuit Joannes Keplerus. Prodierat è ſchola Mæſtlini, quem audiit Tubingæ. Primùm Rodolphi imperatoris, exinde Matthiæ, tandem & Ferdinandi Cæſ. Mathematicus fuit. Volumen condidit de motibus ſtellæ Martis. Etiam Optica Aſtrologica reliquit. Adhæc librum de Cometis. Nec non Ephemeridas. Item Tabulas Rudolſinas, & diſſertationem de nuncio ſidereo, atque alia. Præcæteris verò laudatur Epitome Aſtronomiæ Copernicanæ.*

Quam perſpicuâ methodo adornavit; & ſic, ut illis, quæ priores dixerant, etiam admiſceat nova. Conſtat verò libris VII; quorum tribus primis proſequitur doctrinam ſphæricam; quos octennio edidit poſt librum de Martis ſtellâ; anno nempe CIↃ IↃ CXVII: tribus proximis theoricam planetarum exponit. Quorum quartum emiſit quadriennio poſt ſphæricam: uti anno pòſt, quinctum, ſextumque: imò & ſeptimum; qui eſt de motu ſphæræ octavæ; & pariter ad ſphæricam, ac theoricam, pertinet.

46. §. *Anno* CIↃ IↃ CXX, *grande ſibi nomen peperit Chriſtophorus Longomontanus, Severini filius, Danus. Qui, poſtquam octennio vixiſſet integro cum Tychone Brahe, ejuſque obſervationibus cæleſtibus interfuiſſet, plurimùm etiam præfuiſſet: Matheſin, in Academia patria, magnâ cum laude docuit. Quantus vir fuerit, oſtendit ejus Aſtrologia Danica* †.

† *Excudêre Blauwii fratres Amſtelodami an.* 1640.

Cujus pars prior ſphæricam doctrinam libris duobus exponit. Ac, præmiſſâ doctrinâ de analyſi triangulorum, cæli materiâ, & aliis, ſphæræ ex circulis armillaribus ſtructuram tradit libro primo: ſecundo autem uſum ejuſmodi ſphæræ per varia problemata demonſtrat. Pars verò poſterior itidem libris duobus comprehendit theorias planetarum. Ac priori quidem, poſtquam deſcripſit mundum, ſecundùm triplicem hypotheſin, veterem Ptolomæi, mediam Nicolai Copernici, recentem Tychonis Brahe: tractat de apparentibus ſtellarum fixarum motibus; item Solis,

& Lunæ, deque Eclipſibus, & aliis. Secundo autem theoricorum libro agit de motibus reliquorum quinque planetarum; idque ſecundùm triplicem illam hypotheſin, quam dicebamus. Hiſce, ab auctore eodem, acceſſit Aſtrologiæ Danicæ appendix de adſcititiis cæli phænomenis; videlicet de ſtellis novis, & cometis. Obiit octogenario major anno cIↄ Iↄ cxlvii.

47. §. *Anno cIↄ Iↄ cxxviii, nomen ſuum late diffundebat Guilielmus Janſſonius Cæſius, ſive Blaeu, Amſtelodamenſis, præclare de Rep. ac literis meritus: partim in re Geographicâ, de qua inferiùs dicetur, partim in Aſtrologica. Nam vir hic ingenio, & judicio maximus, ſphæris, globiſque cæleſtibus, conſtruendis, priorum omnium longè vicit induſtriam; ſive accuratam ſpectes dimenſionem, ſive diſparem globorum magnitudinem, quæ in maximis tanta fuit, ut diameter pertingat ad pedes geometricos duos, ac dimidium. Et, quod non vulgaris, ac tralatitia eſt gloria, primus omnium duplicem fecit ſphæram Copernicanam. Una eſt generalis, quâ oculis manibuſque omnium ſubjiciebat diſpoſitionem mundi; ubi Sol quieſceret in centro, circa eum Mercurii ſphæra moveretur, circa illum ſphæra Veneris; Luna verò, Terraque, inter orbem Veneris, & Martis, eclipticam annuo ſpatio percurrerent; ſupra ſphæram Martis eſſet illa Iovis; uti ulteriùs ſphæra Saturni; extima autem foret illa fixarum, ipſa etiam immobilis. Sphæra altera eſt particularis: ac proponit motum terræ duplicem, diurnum circa axem ſuum, & annuum per eclipticam.*

Sanè ab Archimedis temporibus, uſque ad noſtra, nihil tale orbis conſpexerat. Atque ubi primùm vidit, ductus eſt in admirationem viri. Hinc jam amari ille à maximis Mathematicis. Quod imprimis de Willebrordo Snellio, Adriano Metio, & tot aliis, poſſim dicere. Etiam Mathematicus egregius, Philippus Lansbergius, adſpectabilis cæli typum, quem inſeruit commentationibus ſuis de motu terræ diurno, & annuo, non alteri dicandum putavit, quàm, ut inſcriptio habet, *Guilielmo Cæſio, editis Aſtronomicis globis, & tabulis Coſmographicis, viro clariſſimo.* Non parum etiam gloriæ, artificum judicio, meruiſſe Blaeuwius cenſetur ingenti, ac pulcherrimo quadrante: qui Lugduni Batavorum conſpicitur in turri, unde obſervationes fiunt Aſtronomicæ.

48. §. *Nec in hoc ſolo ingenium, doctrinaque Blaeuwii eluxit; ſed etiam ſcriptis utiliſſimis: imprimis Inſtitutione Aſtronomicâ bipartitâ. Priore parte ſcientiam hanc tradit ſecundùm mentem Ptolomæi, ex hypotheſi terræ quieſcentis. Parte alterâ eam docet ſecundum ſententiam Copernici, ex hypotheſi terræ mobilis.*

Patrio ipſe ſermone conſcripſit: ſed Latinè reddidit Martinus Hortenſius, Matheſios, paucos ante annos, in hoc Amſtelodamenſium Lyceo Profeſſor; de quo mox pluribus loquar.

49. §. *Quod ſi fata Blaeuwio longiorem conceſſiſſent vitam: multa etiam alia uſûs maximi haberemus. Inter cætera animo agitabat deſcriptionem Cæli in plano, quæ LX ingentibus laminis comprehenderetur.*

Aliquarum delineationes adhuc videre eſt: unius etiam, ſtellis expreſſis; necdum tamen ſingulis ad finem perductis. Sed quod mors præveniens, non ſivit facere optimum, & clariſſimum ſenem; id ſperat ſe præſtiturum filius eo patre digniſſimus, Ioannes Blaeuwius, Iuriſconſultus idem, atque Matheſios ſtudiis, Geographiæ imprimis, & Aſtrologiæ, egregiè excultus.

50. §. *Anno cIↄ Iↄ cxxx præclarum per Germaniam, & terras alias, nomen fuit Wilhelmi Schickardi: cujus, inter cætera, exſtat ad Petrum Gaſſendum diſſertatio de Mercurio ſub Sole viſo, & aliis novitatibus Vranicis.*

Tubingæ ea prodiit anno cIↄ Iↄ cxxxii. Vir fuit non Orientalibus modò literis, quas publicè in Tubingenſi profitebatur Academia; ſed Mathematicis etiam ſcientiis, excellens. Longeque plura ejus haberemus, niſi bonâ cum ætate magno malo publico mors eripuiſſet nobis ante annos circiter duodecim.

51. §. *Tum temporis quoque, ac multò item antè, Franekeræ in Friſia Matheſin publicè eſt profeſſus Adrianus Metius Alcmarianus: Hic an. cIↄ Iↄ cxxxi, in lucem emiſit Primum mobile; in quo de ſphæra, planiſphærio, ſive Aſtrolabio, triangulis ſphæricis, tabulis Aſtronomicis, & loxodromicis, item lineamentis Geometricis.*

Biennio pòſt emendatius hoc opus edidit Amſtelodami Guilhelmus Blaeu. Atque idem Metius anno cIↄ Iↄ cxl, in Geometriæ ſuæ parte quinctâ, complexus eſt problemata Aſtronomica Geometricè delineata, & Arithmeticè reſoluta; ut inſcriptio præfert. Excudit Franekeræ Udalricus Balk anno cIↄ Iↄ cxl. Adriani hujus frater Iacobus Metius fuit, qui tubum Opticum, ſive teleſcopium, invenit. Hujus ope in ſiderum doctrina plus ſcitur hodie, quàm omnis novit antiquitas. Atque, ob tam nobile inventum, hic etiam Iacobo Metio deberetur locus, ſi teleſcopii uſum tam ad ſidera, quàm ad alia in terris longè diſſita, applicâſſet. Metii igitur eſt, quòd ejus ope tam longè in terris diſtantia videamus: etiam, ut ajunt, literas, tribus paſſuum millibus diſſitas. At non, quòd montes ejus ope in Luna cernamus majores noſtris: quod ex umbris in Luna colligunt. Ut taceam de tot planetis, & ſtellis fixis. Nempe, ut dixi, ea eſt gloria Galilæi de Galilæis.

52. §. *Longum ſit omnes noſtri ævi, jam defunctos, referre. Interim vetus conjunctio non ſinit præterire meum, dum viveret, in Academia Leidenſi collegam, Wilibrordum Snellium Veteraquinatem.*

De quo ſic Iſmaël Bullialdus, Prolegomenis in Philolaicam Aſtronomiam: *Quis aut cogitatione profundior, aut ſagacior in inveſtigando, aut ad veritatis Mathematicæ perſpicientiam acutior, & in problematis ſolvendis ſubtilior? Aſtronomiæ quoque operam dedit: &, niſi morte præmaturâ præventus fuiſſet, tantâ erat ingenii facilitate præditus, ut plurima deperdita in lucem revocare potuerit, & repertis quamplurima nova addere.* Inter alia anno cIↄ Iↄ cxix, edidit deſcriptionem cometæ ejus, qui anno præeunte effulſerat. Magnus omnino vir fuit: ſed non ſuo pretio æſtimatus à ſuis. Nempe iis ferè moribus nunc vivitur, ut vix aliud laudent, niſi quo ipſi valeant; cætera verò ſtudia, ne minores habeantur ob inſcitiam, per eos pedibus trahantur licet. De eo vidimus quoque cap. xvi, §. 35.

53. §. *Nec alterum omiſero collegam: ſed hunc in illuſtri Amſtelodamenſium Gymnaſio. Is eſt Martinus Hortenſius Delphenſis, Matheſios in hac urbe, dum vita erat, profeſſor: cujus exſtat reſponſio ad ea, quæ Keplerus, Cæſareus Mathematicus, præfixerat Ephemeridi anni cIↄ Iↄ cxxxiv. Item diſſertatio de Mercurio ſub Sole viſo, & Venere inviſa; exarata ad Petrum Gaſſendum, Gallum, inſignem Mathematicum, qui & ipſe hoc argumentum tractârat.*

De-

Deceſſit Hortenſius ante ſexennium. Atque hæc dicta ſunto de Aſtrologiæ parte μετεωρολογικῇ, quâ ſphæricam doctrinam, & planetarum θεωρίαν, contineri dicebamus: ſimul etiam de chronologia eorum, qui Aſtrologiæ ſcientiâ claruere: ſed ſic, ut nec omnes dicerem, qui fato conceſſere; quod nimis longi fuiſſet laboris: & eos præterirem, qui ſuperſtites forent. De his quoque jam pluſcula in chartas conjeci: at longè plura deſidero. Puto, aliàs ſe melior de iis offeret agendi occaſio.

Cap. XXXVIII.

DE ASTROLOGIÆ APOTELESMATICÆ, ſive divinatricis, objecto, partitione, & aliquot ſcriptoribus.

1. §. *Nunc venio ad Aſtrologiam judiciariam, in qua de natura ejus diſſeram pluribus: de autoribus verò ejus, primis quaſi digitis attingere contentus ero; eò quòd in ſcriptoribus τῆς μετεωρολογικῆς complures illorum etiam attigerim, qui partem alteram conſignaſſent. Quoniam enim nonnulli utramque literis mandaſſent: eâdem operâ, & hujus, & illius partis ſcriptores complecti viſum fuit. Pars ea, quæ nunc ſequitur, Græcis dicitur ἀποτελεσματική; quia docet ἀποτελεσμάτων, ſive effectus ſiderum.*

NEmpe ἀπὸ τοῦ ἀποτελεῖν, quod eſt rem perducere ad finem; qui Græcis τέλος. Ut idem ſit ac *efficere*, vel *perficere*. Unde ἀποτελέσματα univerſè *effectus*; & particulatim, *effectus ſiderum*, ſecundùm Mathematicos. Quamobrem ἀποτελέσματα nihil aliud ſunt, quàm reſponſa aſtrologorum ex ſtellarum compoſitione, mutuoque adſpectu, qui eſt in hora natali. Et hac de cauſſa etiam ποιητική vocatur; quaſi dicas *effectricem*; quia exponit ſiderum effectus.

2. §. *Sed ſi rem ad vivum reſecemus, omnis hæc doctrina, quatenus ſcientiæ nomen meretur, non Aſtronomiæ pars eſt; ſed ſcientia naturalis. Fundamentum enim ejus ſunt vires ſiderum in hæc inferiora; planetarum imprimis.*

Ubi duo attendimus; id quod agit, & in quod agit. Agunt ſidera; idque lumine vel proprio, ut Sol; vel alieno, ut Luna. Ab utroque hoc lumine eſt ἀπόῤῥοια, ſive defluxus: cujus vires variant pro ſitu, ac luce ſideris. Agunt ſidera in elementa, & inde conflata etiam corpora humana; ut quæ inde non ſolùm componantur in ortu ſuo; ſed etiam alantur.

3. §. *Hæc manifeſtè Phyſicæ ſunt conſiderationis. Nec ſana, quæ docet, Mathematicis, ſed Phyſicis rationibus, demonſtrat. Qui verò Aſtrologiæ partem ſtatuerunt, eò ſolùm moti ſunt; quòd indigeat Aſtronomiæ ſcientiâ, imprimis ejus calculo: propter quem & ipſa* Aſtrologiæ *ſibi nomen vindicavit.*

Quæ etſi ita ſunt; vulgarem nihilominus opinionem ſequar: deque hac non in Philoſophia Naturali; ſed in Mathematicis ſcientiis, nunc loquar.

4. §. *Partes Apoteleſmatices ſunt duæ: una εἰσαγωγική*; quæ eſt de vocabulis artis, tabularum uſu, & ſimilibus: altera eſt ἐνιώδης †; quæ ex conſtitutione cœli, ac ſiderum, futura prædicit. Iſagogice vel eſt canonica, vel thematica. Canonica planetarum, aliorumque ſiderum, naturas, & commixtiones, atque habitudines, expendit. Thematica docet ad tempus aſſignatum erigere cœli figuram inque eâ (quam etiam* thema, *vel* ſchema, *vocitant) obſervare tum duodecim cœli domicilia; tum inſcripta iis ſidera. Atque hæc de iis; quæ rem in ſe conſiderant, non in ordine ad aliud. Poſterior itidem bipartita. Una pars eſt τὸ προγνωστικὸν δι' ἀστρολογίας: per quam non ſolùm eclipſes prædicimus; ſed etiam ventum, pluviam, ſerenitatem, & tempeſtatem, inundationem, ſeminandi, plantandi, metendi tempus, ſanitatem, morbos, dies criticos, aliaque, quæ ſimiliter à cauſſis naturalibus dependent. Atque hæc ſatis oſtendunt, quantus ſit ejus artis uſus ruſticis in agricultura, nautis ratione mercaturæ, & medicis in morbis. Sed omnis hæc pars, ut dixi, potiùs videtur Phyſicæ accenſenda.*

* Introductoria.
† Effectualis.

Hujuſmodi prognoſtica ſunt apud Aratum, & Maronem primo Georgicôn. Etiam huc pertinent prognoſtica de futuro anni ſtatu ex Caniculæ ortu; quæ ex Georgicis Diophanis habes in Geoponicis Conſtantino Cæſari dicatis lib. I, cap. VIII: uti & alia ex aliis, eodem libro. Pluribus dixi de talibus libro II Theologiæ Gentilis, & Phyſicæ Chriſtianæ cap. XXXV, & XLVIII.

5. §. *Altera pars Apoteleſmaticæ ἐνιώδης prædicit ex cœli conſtitutione, tum regionum, urbiumque; tum etiam hominum ſingulorum ingenia, ſtudia, mores, ac fortunam.*

Eſt igitur partim univerſalis, quæ circa regionum, vel urbium, præcipuè metropolitanarum, imperium, ac fata, occupatur: partim ſingularis, quæ ex cœli inſpectione ſtatuit de ſingulorum hominum naturâ, ac fortunâ.

6. §. *Priorem partem etiam dicere poſſumus πολιτικήν; quia toti politiæ, integris puta civitatibus, totiſque, imperiis, ſua fata prænunciat.*

Ut quàm feliciter, & quamdiu Reſp. ſit duratura. Sic temporibus Conſtantini M. cùm is conderet Conſtantinopolin, Valens, nobilis ejus ætatis Mathematicus, ex cœleſti themate, prædicebat fatum novæ urbis; ut auctor eſt Zonaras. Item Cedrenus, in anno Conſtantini vigeſimo, quo Conſtantinopoleos urbem præfecit, Οὐάλεντα Ἀστρονόμον appellat*. Credo is eſt, cujus ex primo Floridorum libro quædam publicavit Joachimus Camerarius in Aſtrologicis veterum opuſculis †. Ubi vocatur Veſtius Valens Antiochenus. Similiterque antea è veteris Romæ natalibus fata ejus prædicebat L. Tarrutius Firmatus Mathematicus: de quo Cicero lib. II de Divinat. & Plutarchus in Romulo.

* P. 233. edit Baſil.
† Norimbergæ an. 1532.

7. §. *Altera verò pars, quæ non ad hoc, illudve imperium, ſed hunc, illumve hominem, reſtringitur, dici ſolet γενεθλιακή; quia conſideret ſidera γενέθλια, ſive natalitia. Siquidem ex conſtitutione illâ ſiderum, quæ fuit tempore nativitatis, colligit de cujuſque ingenio, ac naturâ: atque inde etiam prædicit de toto vitæ genere; ſive quæ eventura ſint univerſo vitæ curriculo: imò & quando, & cujuſmodi mortis genere, quiſque ſit obiturus.*

Hinc, qui ſtudium iſtoc genethliologiæ (ſic appellat Vitruvius ‡) profitentur, Græcis γενεθλιαλόγοι, vocantur: Gellio * quoque *genethliaci*. Etiam κατ' ἐξοχὴν *Aſtrologi* dicuntur, vel *Mathematici*: & à gente, quæ artem reperit, *Chaldæi*. Quibuſcum tamen de invento hoc certant Ægyptii. De his pluribus dixi Theologiæ gentilis, & Phyſiologiæ Chriſtianæ, lib. II, cap. XLVII. Porrò aliqui Politicæ, & Genethliacæ, tertiam addunt partem, magis hiſce ſpecialem, quam idcirco εἰδικωτέραν poſſis dicere. Tradit ea judicium de initiis operum, actionum, ægritudinum. Atque hæc è ſideribus decernit de cujuſque περιστάσεως eventu.

‡ Lib. 9. cap. 7.
* Lib. 14. cap. 1.

8. §. At-

8. §. *Atque hæc de partitione Apoteleſmatica dicta ſunto. Deinceps aliquot ejus ſcriptores excerpam.* Περὶ μαντείας ἀστέρων *condidit quatuor libros Apollonius Tyaneus:*

ut in vita ejus prodidit Philoſtratus lib. III, cap. XIII.

9. §. *Sed quandoquidem hoc volumen non exſtat; videamus potius de iis, quæ ſuperſunt. Uti eſt Ptolemæi* τετράβιβλος σύνταξις, *ſive quadripartita compoſitio, quæ ſcripta ad Syrum fratrem.*

Latinè primus reddidit doctiſſimus Leo Allatius*. Huic operi junge Porphyrii philoſophi εἰσαγωγὴν εἰς τὴν ἀποτελεσματικὴν τοῦ Πτολεμαίου: nec non anonymi, ſive Procli, ut quidam putant, ἐξήγησιν εἰς τετράβιβλον τοῦ Πτολεμαίου. Utrumque hoc opus Græce, Latineque, Baſileæ edidit Henricus Petri†.

* *Græcè, Latineque Leidæ excuſus ab Elſeviriis an.* 1635.
† *Anno* 1559.

10. §. *Item adi Ptolemæi Centiloquium, ſive centum enuntiata, vel ſententias, ad eundem Syrum. Græcè* Καρπὸς‡ *inſcribitur: idque ab ipſo auctore. Nimirum, quia eo in libro indicat Ptolomæus, quis fructus ex Apoteleſmaticis percipi poſſit.*

‡ *Fructus.*

Latinè reddidit Jovianus Pontanus, & commentario illuſtravit: uti & factum antea à Trapezuntio. Mirum verò à nonnullis putari Centiloquii opus non Ptolomæi eſſe; ſed Hermetis. Quæ etiam opinio fuiſſe videtur Hieronymi Cardani ad lib. III Ptolomæi de Aſtrorum Judiciis textu III*. Sic enim ſcribit: *Secunda concordia eſt à Luna, & eſt Hermetis: ut etiam recitat Haly hic in commento. Ex quo patet, quòd etiam, judicio Haly, centiloquium ſit Hermetis; & non Ptolemæi: etſi poſtmodum, illud exponendo, mutaverit ſententiam. Dicit ergo Hermes,* &c. Sanè extat, neſcio cujus, Hermetis liber de Revolutionibus Nativitatum; ſed ſolùm Latinè, inque, incerto interprete: editus verò ab Hieronymo Wolfio†: qui in præfatione hunc in modum loquitur: *Etſi, quis Hermes iſte fuerit, ignoro,* (τρισμέγιστον *quidem illum, cui centum ſententiæ Aſtrologicæ, haut ſcio quàm rectè, adſcribuntur, non fuiſſe, perſuaſum habeo:) nec fuiſſe Græcum; ſed alterius alicujus nationis, ſive Arabem, ſive Saracenum, ex multis ejus locis intelligi poteſt: tamen Latinæ converſionis veſtigia eò me deducunt, ut hoc opus è Græco tranſlatum eſſe credam, fide ſanè optimâ, vel immodicâ potiùs religione: unde ipſa dictio alicubi, & obſcurata, & propè contaminata eſt.*

* *P.* 457 *edit. Lugdunenſis an.* 1555.
† *Baſileæ excuſus ab Henrico Petri anno* 1559; *unà cum Porphyrii Iſagoge in Ptolemæum.*

11. §. *Utile etiam erit è Græcis conſulere alios: ſed longum fuerit omnes nunc referre.*

In his ſunt excerpta ex Hephæſtione Thebano, & veterum aliis, περὶ τῆς ιβ μορίων ὀνομασίας, καὶ δυνάμεως‡: & alter libellus, ὅσα* οἱ πλανώμενοι ἀστέρες ἐν ἑκάστῳ τῶν ζωδίων σημαίνουσιν. Item Hermetis Triſmegiſti, ut quidem inſcriptio habet, ἰατρομαθηματικὰ†, πρὸς Ἄμμωνα Αἰγύπτιον. Tria hæc opuſcula Græcè cum tralatione ſuâ, uti & libellum de circulo Solari, primus edidit Joachimus Camerarius. Adde etiam Florida Veſtii Valentis Antiocheni à Camerario edita. Sed nomen ei non *Veſtio*, ut magni illius viri codex habuit; verùm *Vettius* fuit. Græcè autem ſcripſiſſe, arguit tum patria Antiochia; tum quòd Geſnerus priori tomo bibliothecæ referat, Valentis hujus Ἀνθολογιῶν, ſive florilegium, Græcè exſtare Romæ.

‡ *De duodecim locorum, ſive ſignorum appellationibus, ac viribus.*
* *Quid planetæ in uno quoque duodecim ſignorum cæleſtium ſignificent.*
† *Medicandi ratio accommodata Aſtrologiæ, ad Ammonem Ægyptium.*

12. §. *E Latinis adi potiſſimùm Marci Manilii ſphæram barbaricam, & Julii Firmici Materni Aſtronomicôn libros* VIII. *Qui ſcriptores mutuò ſibi allucent facem.*

De Manilio dixi opere de Poëtis Latinis. Quod ad Firmicum, is Conſtantini Magni, & liberorum ejus, temporibus vixit. Primus verò hujus artis patrocinium ſuſcepit: ſic tamen, ut callidè negaret, imperatoriam geneſin eſſe aſtrologorum regulis ſubjectam. Satis verò frigidè Firmicum laudat hujus ſcientiæ ſcientiſſimus Hieronymus Cardanus in quartum Ptolomæi, contextu LXXIV; ubi, commendato Ptolomæo, ſubjungit: *Quare dico cavendum eſſe ab omnibus aliis libris; niſi quis velit legere commentaria Haly, & Firmicum ob linguæ candorem, & memoriam vetuſtatis.* De Haly illo jam nunc dicam.

13. §. *Latinis addere poſſis Arabum nonnullos.*

Scio, quàm aſperè de his ſentiant Latinorum ſcriptorum plerique. Verùm multò aliter Hieronymus Cardanus lib. II de Aſtrorum Judiciis‡: *Sed hoc vitium tanta negligentia ob id ſolum nobis contingit, quòd malimus videri, quàm eſſe: quo cùm caruerint Arabes, meritò digniores laude videntur. Atque eâ ratione maximè damnandi, qui illos tam impudenter inſectantur; niſi quòd illi præſtare voluerint, ipſi re ipſâ præſtent. At verò, qui ſolùm in eos invehuntur, ut aliquis eſſe videantur; nonne illud Horatianum* manes Arabum jure objicient?*

Tu, cùm ſis, quod ego, & fortaſſis nequior, ultro
Inſectere, velut melior? verbiſque decoris
Obvolvas vitium? Quid ſi me ſtultior ipſe
Quingentis empto drachmis deprehenderis?

Particulatim magis deinde ſubjungit: *Quandoquidem maxima laus fuerit Haly Rodoam, ea ſcripſiſſe temporibus illis infelicibus, linguaque tum rudi; quæ noſtri cum tanta copia librorum, tam felici ævo, nec imitari, nedum æquare, potuerunt: Græcorum verò quiſquis ille fuit, qui commentaria ea ſcripſit, nugaciſſimus, atque rudiſſimus, improbiſſimuſque, tantum chartam perdiderit: nec ullum alium videam, qui non plus præſtet Grammaticum, quàm Aſtrologum: meritò plus dicemus fuiſſe Arabibus ſedulitatis, atque induſtriæ. Atque hujus, qualiſcunque ad nos venerit, laboribus adjutum me plurimùm, fateor; nec ullius alterius quoquam. Græcorum, & recentiorum, plus felicitatis, ambitioniſque, ac nugarum.*

‡ *P.* 351. *edit. Lugdunenſis an.* 1555.
* *Sat.* 7. *lib.* 2.

14. §. *Ex Arabibus imprimis ſe offert Albohazen Haly, filius Abenragelis; qui librum reliquit de aſtrorum judiciis, ſive fatis ſtellarum.*

Diximus cap. XXXV, §. 27, quando vixerit, &, ut annis minimum L pòſt, juſſu Alphonſi X, Caſtellæ regis, cognomento Aſtronomi, (qui regnare anno cœpit CIↃCCLII) ex Arabico Hiſpanicè, & ex Hiſpanico Latinè, redditus ſit. De quo edoctus ſum è proœmio Latini interpretis, quod ſic ſonat: *Hic eſt liber magnus, & completus, quem Haly, Abenragel filius, ſummus Aſtrologus, compoſuit de judiciis aſtrorum; quem Juda filius Muſce, præcepto domini Alphonſi Romanorum†, & Caſtellæ, Dei gratiâ regis illuſtris, tranſtulit de Arabico in maternum, videlicet Hiſpanicum, idioma. Et quem Ægidius de Tebaldis Parmenſis, aulæ imperialis notarius, unà cum Petro de Regio, ipſius aulæ protonotario, tranſtulit in Latinum.* Volumen hoc Venetiis prodiit anno CIↃCCCCLXXXII; atque iterum anno CIↃIↃIII, recenſente Bartholomæo Alten de Nuſia Germano, artium, & Medicinæ, doctore: poſtmodo item Baſileæ anno CIↃIↃL. Cardani de eo judicium jam vidimus‡. Interim homo Arabs, inſcitiâ Græci ſermonis, ſæpe non adſequitur Ptolomæi mentem. Longè eam meliùs perſpexere Jovianus Pontanus, & Georgius Trapezuntius. Utcunque verò Haly, ignorantiâ Græcæ linguæ, ſubinde abeat à Ptolomæo: hoc tamen laudis habet, quòd tum quoque docere poſſit: ut qui multa ipſe ingenio ſuo perſpexerit.

† *Erat ab Electoribus plerìſque creatus imperator: ſed non adiit imperium, quod dicitur Romanum.*
‡ *Superiori §.*

CAP.

Cap. XXXIX.

UTRUM APOTELESMATICÆ locus ſit aliquis inter ſcientias Philoſopho dignas, præſertim Chriſtiano.

1. §. *Nec, hiſce expoſitis, de Aſtrologia ἀποτελεσματικῇ manum tollo. Prius enim expedienda eſt gravis illa controverſia, an etiam Aſtrologia hæc divinatrix inter ſcientias reponi mereatur: ac non potius pro vana debeat haberi, & Chriſtiano indignâ. Breviter hac de re diſſerui alio in opere *. Nunc fuſius ea deducam. Summa còredit, hanc ſive ſcientiam, ſive artem, quatenus ſideribus ſubjicit liberum arbitrium, & homini tribuit notitiam futurorum contingentium; multis nominibus vanitatis, imò impietatis, convinci. Ac primùm adverſatur ſacris literis.*

* Lib. 2. de origine, & progreſſu idololatriæ, cap. 48.

NAm Jeſaiæ eſt cap. XLI, verſ. 23: *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dii eſtis vos.* Et cap. XLIV, verſ. 25: *Ego ſum Dominus irrita faciens ſigna divinorum, & hariolos in furorem vertens, convertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens.* Et cap. XLVII, verſ. 10 adverſus Chaldæos, ſive Aſtronomos, ait: *Sapientia tua, & ſcientia tua hæc, decepit te.* Poſteaque verſ. 12 habes: *Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tuâ; ſi fortè quid proſit tibi, aut ſi poſſis fieri fortior. Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum: ſtent, & ſalvent te augures cæli, qui contemplabantur ſidera, & supputabant menſes, ut ex eis annuntiarent ventura tibi.* Item Hierem. cap. X, verſ. 2: *Juxta vias gentium nolite diſcere; & à ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vana ſunt.* Salomon Eccleſ. cap. X, verſ. 14: *Ignorat homo, quid ante ſe fuerit: & quid poſt ſe futurum ſit, quis poterit indicare?*

2. §. *Nec ignoro, Aſtronomos è Scripturis pro divinatrice arte ſuâ adducere Dei verba initio Geneſ.* Fiant luminaria in firmamento cæli; & dividant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora.

Ubi ſigna intelligi futurorum eventuum, etiam judicium fuit Origenis; teſte Euſebio lib. VI Præparationis Euangelicæ cap. IX.

3. §. *Sed non hic intelliguntur ſigna eorum, quæ in vita hominibus contingent; verùm dierum, menſium, annorum, annique tempeſtatum, quatuorque anni Horarum, quarum vicibus res generantur, & conſervantur.*

Nempe cùm dicit Deus, *ſint in ſigna, & tempora*, ſententia eſt, *ſint in ſigna temporum.* Ut ſit ſchema, quod Græcis ἓν διὰ δυοῖν, barbaris vulgò *Hendyadis* vocatur. Tempora verò propriè dicuntur ver, æſtas, auctumnus, hyems: & è conſequenti tempus ſeminandi, plantandi, metendi, vindemiandi, navigandi, &c. Quare nihil hæc ad prognoſtica Aſtrologiæ judiciariæ. Vide, quæ ad allata Moſis verba diſſerunt veteres, ac recentes interpretes.

4. §. *Hæc de SS. Scripturis. Quarum hanc eſſe mentem, quam diximus, adſentiunt quoque antiqui Patres.*

Vide Concilium Bracarenſe I cap. V, & Toletanum I in aſſertione Fidei contra Priſcillianiſtas: item Partem II Decret. cap. XXIX primis V quæſtionibus. Egregium Bardeſanis Syri judicium, & alterum Origenis contra Aſtrologos, ſive Chaldæos, invenies apud Euſebium lib. VI Præparationis Euangelicæ cap. VIII, & IX. Præterea accede Baſilium homilia VI in Geneſin, Chryſoſtomum in cap. II Matth. ac Gregorium Magnum ibidem: præcipuè Auguſtinum lib. II ſuper Geneſin ad literam, & lib. V de Civitate Dei cap. IV; ubi exemplo Jacob, & Eſau, fatum Chaldaicum refellit. Adhæc cap. VI; idem diluit exemplo geminorum ſui temporis: item cap. VII, ubi ſcitè admodum docet, ne in granis quidem eodem tempore ſeminatis ſidera eundem præſtare effectum; cùm alia interimantur rubigine, alia depopulentur aves, alia homines avellant. Hæc, inquit, ſi granorum ratio eſt, an putemus, plus poſſe ſidera in homines, quibus liberum eſt arbitrium? Pluraque alia ibidem in hanc mentem legas. Adi eundem quoque contra Fauſtum Manichæum l. II, cap. V, & in Euangelium Joannis tractatu VIII, ac in Pſalm. VII circa finem. Pulcherrima etiam oratio eſt, quam habuit B. Auguſtinus in Mathematici cujuſdam reconciliatione cum Eccleſia: ut apud eum videre eſt in Pſal. LXI †: *Iſte*, inquit, *ex Chriſtiano, & fideli, pœnitens redit, & territus poteſtate Domini, convertitur ad miſericordiam Domini. Seductus enim ab inimico, cum eſſet fidelis, diu Mathematicus fuit; ſeductus ſeducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia locutus eſt contra Deum; qui dedit hominibus poteſtatem faciendi, quod bonum eſt, & non faciendi, quod malum eſt. Iſte dicebat, quia adulterium non faciebat voluntas propria, ſed Venus: & homicidium non faciebat voluntas propria, ſed Mars: & juſtum non faciebat Deus, ſed Jupiter: & alia multa ſacrilega non parva. Quàm multis eum putatis Chriſtianis nummos abſtuliſſe? Quàm multi ab illo emerunt mendacium, quibus dicebamus:* Filii hominum, uſque quò graves corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Modò, ſicut de illo credendum eſt, horruit mendacium, & multorum hominum interitum: ſe aliquando à diabolo ſenſit illectum: convertitur ad Deum pœnitens.* Et aliquantò pòſt: *Noſtis in Actibus Apoſtolorum eſſe ſcriptum cap. XIX; quia multi perditi, id eſt, talium artium homines, & doctrinarum nefariarum ſectatores, omnes codices ſuos ad Apoſtolos attulerunt: & incenſi ſunt libri tam multi, ut pertineret ad ſcriptorem æſtimationem eorum facere, & ſummam pretii conſcribere. Hoc utique propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi deſperarentur ab illo, qui novit quærere, quod perierat. Perierat ergo iſte: nunc quæſitus, inventus, adductus eſt: portat ſecum codices incendendos, per quos fuerat incendendus; ut, illis in ignem miſſis, ipſe in refrigerium tranſeat. Ante Paſcha enim cœpit petere de Eccleſia Chriſti medicinam: ſed quia talis eſt ars, in quâ exercitatus erat, quæ ſuſpecta eſſet de mendacio, atque fallaciâ: dilatus eſt, ne tentaret: & aliquando tamen admiſſus eſt, ne perículoſius tentaretur.* Hactenus magnus ille antiſtes Hipponenſis.

† P. 632. edit. Froben. an. 1556.

Pſal. 4. 2.

5. §. *Ratione etiam hæc ſcientia refellitur. Præcipuum Sanctorum Patrum argumentum eſt; quòd, ſi voluntas ſubjecta ſit neceſſitati aſtrorum, pereat arbitrii libertas: quam qui negat, ut B. Hieronymus ait ‡, Catholicus non eſt.*

‡ Ut & Hypognoſticôn ſcriptor lib. 3.

Paſſim hoc argumento pugnant Patres: quos ſecutus Thomas Aquinas libello de iudiciis aſtrorum ad fratrem Reginaldum: *Voluntas hominis non eſt ſubjecta neceſſitati aſtrorum. Alioquin periret liberum arbitrium: quo ſublato, non imputarentur homini bona opera ad meritum, nec mala ad ſupplicium. Et ideo certiſſimè tenendum eſt cuilibet Chriſtiano, quòd ea, quæ ex voluntate hominis dependent, qualia ſunt humana opera, non ex neceſſitate aſtris ſubduntur. Et ideo dicit Jeremias cap. X: A ſignis cæli nolite metuere, quæ gentes timent.*

6. §. *Et ſi ex ſideribus ſciuntur hominibus eventura; vel illa oſtendunt, ut cauſſæ, vel ut ſigna, vel utroque modo. Verùm neutro id fit modo. Si, ut cauſſæ ſignificarent; jam omnium malorum, quæ homines patrant,*

maximorum etiam ſcelerum, cauſſa forent. Nec modus placet, quo id fieri aſſerunt. Ajunt, ſidera poſiturâ ſuâ homini imprimere temperamentum, unde actiones, fortunaque omnis, dependeant. Atqui (ut mittam nunc, quod temperamentum educatione, vel corrigitur, vel corrumpitur,) ſiquid imprimatur à ſiderum ſitu, potiùs imprimitur ſemini in conceptu, quàm fœtui in partu.

Nec Aſtrologi hoc diffitentur: verùm agnoſcunt, ſciri non poſſe exactè tempus conceptûs; eoque eſſe recurrendum ad tempus nativitatis; quæ facilè à multis præſentibus obſervatur. Non jam contendero, quàm proclivis hac parte in mulierculis ſit error. Inquient, non artem tum falli; ſed ex falſâ hypotheſi falſum judicium ferri. Quare illud potiùs dicam, non eſſe nexum neceſſarium inter tempus conceptûs, & partûs. Aliæ aliis diutiùs geſtant: & cauſſa celerioris partûs ſæpe eſt à gaudio inopinato, vel ſubito terrore. Etiam tempus partûs variat à diverſa corporis conſtitutione: quæ his faciliorem, illis difficiliorem partum facit: nativitatis verò momentis variatis, etiam variat horoſcopus, ac pro eo judicium aſtrologi.

7. §. *Propterea alii ſciri cenſent ex ſideribus, non ut cauſſis, ſed ut ſignis.*

Quam aliquorum fuiſſe ſententiam, etiam Auguſtinus ait lib. v de Civitate Dei cap. 1. In iis Origenes fuit commentario in Geneſin; teſte Euſebio lib. vi Præparationis Euangelicæ: qui clarè hanc ejus mentem fuiſſe dicit; ſignificare, quid eventurum ſit, non quid efficiant. Atque eo fine adduxit Origenes librum, cui titulus, *Narratio Joſephi*: in quo Jacob patriarcha filiis exponit ſingulis eventura; eaque ſe in tabulis legiſſe cæleſtibus ait. Similiter Origenis diſcipulus Plotinus libro, *Virum ſtellæ aliquid efficiant.* Etiam Porphyrius de ſe narrat, cùm conſilium cepiſſet interimendi ſui; prævidiſſe id Plotinum è ſideribus, atque à fœdo hoc facinore deterruiſſe. Multuſque in tuenda illâ opinione eſt Julius Sirenius lib. de Fato cap. xxxv.

8. §. *Sed hæc ſententia, inter alia, eo refellitur, quòd ſi ſidera certò aliquid ſignificent, neceſſe fuerit, & ſignum, & ſignatum habere, communem cauſſam ſuperiorem: quomodo iris nec cauſſa, nec effectus eſt ſerenitatis; ſed ſignum duntaxat. Atqui ſuperior communis cauſſa alia adferri nequit, quam Deus, vel angeli; qui ſi, movendo cælos, certas inſcribant ſideribus notas, unde futura omnia, quaſi legendo, ſciantur ab artis Aſtrologicæ peritis: unde, quæſo, quid notæ illæ tam variarum rerum ſignificent, homines didicere?*

Divinitus id revelatum ajunt Adamo, vel Enocho. Vel ab Angelo Raphaële eam edoctum Tobiam. Verùm ubi hoc Scriptura? aut quis hoc è ſanctis Patribus? Quare vaniſſimorum eſt hominum commentum.

9. §. *Præterea ſcientia omnis ſubnixa eſt obſervatione ſingularium. At Aſtrologi non potuere ex ſimili ſtellarum poſiturâ ſimilem colligere eventum humanarum rerum; cùm, non dico ſemel, iterumque duntaxat, ſed nunquam ſimilis fuerit cælorum conſtitutio. Quippe orbis octavus nonniſi xxxvi annorum millibus curſum ſuum abſolvit.*

Atque hoc argumento Phavorinus apud Gellium lib. xiv, cap. 1 refutat Genethliacos.

10. §. *Nec ignoro, Chaldæos prædicâſſe, ſe annorum quadringentorum, & ſeptuaginta millium, obſervationes habuiſſe monumentis comprehenſas: ut eſt apud Ciceronem in primo, & ſecundo, de Divinatione. Verùm nihil eâ jactatione inanius, ac putidius eſſe, ſatis omnes vident. Sanè Simplicius, in ſecundum lib. Ariſtotelis de Cælo, ſolùm ſcribit de duobus annorum millibus:*

ut quidem eſt in vulgatis Simplicii codd. Nam Henricus Savilius lecturâ ſecunda in Euclidem ait, in codice ſuo manuſcripto eſſe unius, & triginta millium. Sed neque ſic fuerit unquam eadem cæli poſitura; cùm minimùm ad hoc xxxvi millia requirantur. Imò quorundam ea magni nominis Mathematicorum opinio eſt, cælorum motus inter ſe eſſe incommenſurabiles; eoque nec ſtatui poſſe, quando eadem ſit cælorum conſtitutio. Sed quid multis Chaldæos opus refellere, quando conſtat, ſi Hebræos Scripturæ codices ſequamur, mundum necdum ſex annorum millibus ſtetiſſe?

11. §. *Ex iis, quæ de Chaldæis diximus, etiam refellitur Ægyptiorum jactatio.*

De qua ſic B. Auguſtinus lib. xviii de Civit. Dei cap. xl: *Fruſtra vaniſſimâ præſumtione garriunt quidam, dicentes, ex quo rationem ſiderum comprehendit Ægyptus, amplius, quàm centum annorum millia numerari. In quibus enim libris iſtum numerum collegerunt; qui non multùm ante annorum duo millia literas, magiſtrâ Iſide, didicerunt? non enim parvus auctor eſt in hiſtoria Varro, qui hoc prodidit.* A Varrone tamen hac parte abiere alii: quorum aliqui ab Iſide, uſque ad Alexandrum M. annos numerant plures decies millenis: aliqui item paullò minùs, quàm ter & vicies mille; ut eſt apud Diodorum Siculum lib. 1. Sed neque ſic una unquam fuerit cæleſtium ſiderum poſitura. Adhæc nihil vanius iſtac Ægyptiorum opinione. Sanè Manetho Sebennita, flamen Heliopolitanus, ante Alexandrum ſtatuit dynaſtias unam, & triginta: atque eas imperâſſe tradit annis quinquies millenis trecentis, & ſexaginta quinque. Verùm ne ab orbe quidem condito, nedum ab diluvio, multoque minus ab Phelegi tempore, quando mundus diviſus fuit, tantùm temporis effluxerat. Sanè à Phelego, uſque ad Alexandrum Magnum, ſolùm anni ſunt mille octingenti ſexaginta. Unde verò ſit, quòd Manethos etiam, qui ſe exſcripſiſſe ſua ex columnis Seriadicis, & monumentis aliis, gloriatur, tantopere in temporum ratione ſit alucinatus, abunde expoſitum nobis lib. 1 de Theologia gentili, & Phyſicâ Chriſtianâ, cap. xxviii.

12. §. *Et quomodo Aſtronomi ex ſiderum concurſu ſcire valeant humanas actiones, cæteroſque eventus, cùm iidem multa ſidera ignorent?*

Quemadmodum arguit, quòd variis temporibus novæ ſint ſtellæ conſpectæ: ut illa tempore Hipparchi, de qua Plinius libro ii, cap. xxvi: item alia anni CIↃ IↃ LXXII: ut mittam cæteras, quæ etiam citra tubum Batavum conſpici valuerunt. Tubo autem hoc, ſive teleſcopio, plures deprehenſi planetæ, pluresque ſtellæ fixæ.

13. §. *Nec tamen negamus, à cælo eſſe temperamentum; pro temperamento autem variare mores animi. Sed contendimus, cælum tantummodo eſſe cauſſam univerſalem: ut in ea eventus particulares non niſi indefinitè, & indeterminatè, contineantur. Adhæc volitio eſt libera: nec eam homo ſcit, antequam velit: nedum alius ſciat, quæ ſit alteri voluntas futura. Minimeque omnium præſciri poſſunt, quæ Deus agere decrevit. Quid enim nos poſſimus præſcire Numinis decreta, qui nec poſſumus humana; ne eorum quidem, qui nobiſcum degunt, atque etiam geniti à nobis, vel toro juncti una nobiſcum facti ſunt caro?*

Quare

Quare impietas eſt, omnium eorum, quæ contingunt etiam miraculo, vel magicis artibus, rationem ex ſideribus adducere. Quale eſt, quòd ſcribit Haly, filius Abenragelis, ſe præſente, in Regiâ infantem recens natum, vix primi diei ſpatio completo, loqui cœpiſſe, ac manu ſigna feciſſe: rege autem conſternato ſupra modum, exclamâſſe, *Sum infeliciter natus ad prodendum regni amiſſionem, & gentis perniciem, ac deſolationem.* Quibus enunciatis, concíderit exanimis. Id retulere quidam eveniſſe ob conjunctionem Mercurii, Veneris, Iovis, & Martis. Alii tribuêre dæmoni Mercuriali. At ſi res ita contigit; cui dubium, quin nullæ naturales cauſæ afferri poſſint; ſed vel miraculum id à Deo factum ſit, vel meræ diaboli fuerint præſtigiæ?

14. §. *Mirum verò tam turpiter hac parte dediſſe etiam ſe hominem Chriſtianum, eumque doctiſſimum: Petrum dico Alliacenſem, epiſcopum Cameracenſem: qui in libro ſuo de Concordia hiſtoria, & aſtrologia divinatricis, etiam diluvium Noë, natalem Domini, & miracula ejuſdem, omniaque prodigia, ex Aſtrologia hac præſciri, ac prædici potuiſſe, arbitratur.*

Valde etiam futile eſt fundamentum, quod arti iſti ponit. Ait, ab initio mundi uſque ad diluvium fluxiſſe annos CIↃIↃCIↃXLII: à diluvio ad natalem Chriſti CIↃCIↃCIↃCII. His ita conſtitutis, totus eſt in eo, ut oſtendat, quandocunque mirandum aliquid contigit in terris; etiam illuſtrem aliquam ſtellarum conjunctionem appruiſſe in cælis. Atqui falſiſſimum eſt, quod ſibi ſumit de anno, vel diluvii, vel natalis Domini: nec levis eſt error, ſed ſpiſſiſſimus; in priori quidem numero annorum penè ſexcentorum; in altero autem paulò pauciorum. Quid mirum? Omnino Cameracenſis fuit Chronologiæ imperitiſſimus: ut vel arguit, quòd Arrianam hæreſin cœpiſſe dicat anno Chriſti ſeptingenteſimo: quam veriſimiliùs tum penè exſtinctam dixiſſet. Ortam verò conſtat ferè initio ſeculi quarti.

15. §. *Denique etiam experientia Aſtronomiis adverſatur: cùm toties prædictiones eorum inanes, falſaque, ſint comperta.*

Cicero lib. II de Divinat. *Quid plura? quoties refelluntur Chaldæi! quàm multa ego Pompejo, quàm multa Craſſo, quàm multa huic ipſi Cæſari, à Chaldæis dicta memini; neminem eorum, niſi ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate, eſſe moriturum: ut mihi permirum videatur, quemquam exſtare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re, & eventis, refelli.* Seneca in Ἀποκολοκυνθώσει, ſive ludo de morte Claudii, inducit Mercurium his verbis affantem Parcarum unam: *Patere Mathematicos aliquando verum dicere; qui illum, ex quo princeps factus eſt, omnibus annis, omnibus menſibus, efferunt.*

16. §. *Verùm, inquiunt, complura memorantur exempla, ubi dictis eventus reſponderit.*

Ut in ipſo Mirandulano Pico, vel Phœnice potiùs; qui hanc artem impugnare aggreſſus fuit ex artis ipſius principiis, idque occaſione eâ, quòd tres Aſtrologi prædixiſſent, eum periturum anno ætatis XXXIII: quam prædictionem eventus comprobavit. Ac ſimilia quædam exempla congerunt; ex quibus colligunt, alii quidem artem hanc eſſe in ſeſe certiſſimam; artifices verò errare interdum; quia nullæ artes in hac vita perfectè ſciantur, nedum illa ſideralis: alii autem contenti ſunt concludere, probabile aliquid ineſſe huic arti, ac ſolùm opus eſſe, ut in rebus tam difficilibus artifices ſeſe contineant intra metas.

17. §. *De eo noſtra hæc ſententia eſt, poſſe aliquando ab hominibus vafris futura aſtute prædici: poſſe etiam à non aſtutis prædici fortuitò; cùm mirum non ſit, ſi vel artis neſcius, totum diem aſſiduè manu jaculum, vel arcu ſagittam mittens, aliquando tangat, ad quòd collinearat.*

Similiter Phavorinus apud Agellium lib. XIV, cap. I: *Non comprehenſa, neque definita, neque percepta, dicunt; ſed lubricâ, atque ambagioſâ conjectatione nitentes, inter falſa, atque vera, pedetentim, quaſi per tenebras, ingredientes eunt: & aut multa tentando incidunt repentè imprudentes in veritatem; aut ipſorum, qui eos conſulunt, multâ credulitate ducente, præveniunt callidè ad ea, quæ vera ſunt: & icciro videntur in præteritis rebus, quàm futuris, veritatem faciliùs imitari. Iſta tamen omnia, quæ aut temerè, aut aſtutè, vera dicunt, præ cæteris, quæ mentiuntur, pars non ſunt milleſima.*

18. §. *Interdum item Mathematici verum quidem prædicunt, non arte, vel verſutiâ ſuâ, vel fortuitò; ſed diaboli indicio.*

Quæ beati etiam Auguſtini, ac Thomæ Aquinatis, ſententia eſt. Thomæ verba ſunt iſta, opuſculo de judiciis aſtrorum: *Diabolus, ut homines pertrahat in errorem, immiſcet ſe operibus eorum Chriſtianorum, qui judiciis aſtrorum utuntur. Et ideo Auguſtinus dicit II ſuper Geneſ. ad literam: Fatendum eſt, quòd à Mathematicis vera dicuntur, inſtinctu quodam occultiſſimo dici, quod mentes humanæ neſcientes patiuntur: quod tantum ad decipiendos homines ſit ſpirituum immundorum, & ſeductorum operatione; quibus quædam vera de temporalibus nôſſe permittuntur. Et ideo dicit Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana, quòd hujuſmodi obſervationes aſtrorum, referendæ ſint ad quædam pacta cum dæmonibus habita. Eſt autem Chriſtiano omnino vitandum, pactum, vel ſocietatem, cum dæmonibus habere; ſecundùm illud Apoſtoli I Corinth. cap. X, Nolo vos fieri ſocios dæmoniorum. Et ideo certò tenendum eſt, grave peccatum eſſe, circa ea, quæ ad voluntatem hominis pertinent, uti aſtrorum judiciis.*

19. §. *Intereà ne dæmones quidem certò futura poſſunt prædicere; utcunque ſciant, & quid homo decreverit; & quid ipſi ſtatuerint, operari. Nam & homo ſubinde levi de cauſſâ ſententiam mutat: & diaboli ſæpe impediuntur, quo minus poſſint, quod volunt: & Deus quædam interdum operatur præter naturæ ordinem.*

Ex quibus videre eſt, cur ſpiritus maligni ſæpe ſint mendaces; cùm vel maximè hoc agunt, ut ſint veraces.

20. §. *Atque hæc de Aſtrologia judiciaria ſuffecerint pro inſtituto hujus loci. Plures ſi voles, ii, qui artem hanc impugnant, adeantur.*

Ut Joannes Sariſberienſis lib. II Policratici cap. XIX, Hieronymus Savonarola opere egregio adverſus Aſtrologiam divinatricem, Joannes Picus Mirandulanus libris de Prænotione, Antonius Bernardus Mirandulanus Monomachiæ lib. XXII, XXIII, & XXIV, Albertus Pighius Campenſis adverſus prognoſtica vulgaria libro tripartito ad Auguſtinum Niphum Sinueſſanum *, Michaël Medina lib. II de recta in Deum fide, Julius Cyrenius in libris de Fato, Joannes Lenſæus Belliolanus oratione contra Genethliacorum ſuperſtitionem, Thomas Garzæus in univerſali Platea, Franciſcus Valleſius de ſacra Philoſophia cap. XXXI, Petrus Gregorius Toloſanus in arte mirabili, Pererius lib. ſecundo in Geneſin: atque idem tres condidit libros adverſus

* Edidit H Stephanus ſenior an. 15..

Digitized by Google

verſus fallaces, & ſuperſtitioſas artes; videlicet Magiæ, Onirocritices, & Aſtrologiæ judiciariæ. Adhæc conſulantur Poſſevinus in bibliotheca ſelecta, Georgius Raguſejus Venetus libro de divinatione, Joannes Nicius Erythræus epiſtolâ XII, ad Equitem Gaſparem Cælium lib. XII, & alii. E quibus unius verba promam; quia ſtudium hoc commendârit, magnique fecerit. Eſt is Joannes Ant. Maginus; cujus hæc verba in Iſagoge Aſtrologica Tract. I, cap. I: *Non mirum videri debet, ſi Albumaſſar cum tota vetuſtate, nec non Eſcuidus, cum pleriſque aliis recentioribus ſcriptoribus, de hac ſcientia, quam ſibi, & intelligentiis, reſervavit Deus, tam ſtolide, & tenebricosè, pertractârint.* De univerſa verò Aſtrologia, quam ſic extollit, & prædicat, iſta ſubdit: *Quamquam Chaldæi, Arabes, & Judæi, taleſque inculti Auctores, qui, æquo divinandi cupidiores, eam amplificare volentes, multa inania deliramenta illi immiſcuerunt; ut puta ſortes, ſeu rerum partes, decurias, ſeu ſignorum facies; & ſimulachra, quæ cum his cooriri dicunt; duodenarias, novenarias, fridarias, gradus lucidos, tenebricoſos, fumoſos, vacuos, maſculinos, femininos, horas planetis adſignatas, & alia. Quinimo non ſolùm hæc principia falsò ſunt commenti: verùm integros etiam tractatus, ut de interrogationibus, imaginibus, &, majori ex parte, de electionibus, abſque ullo naturali fundamento: compilaverunt; quam quidem Arabum ſuperſtitioſam barbariem permulti, tum præteriti ſeculi, tum ætatis noſtræ, viri (taceo hos, qui veram ſcientiæ ſemitam ſequuntur) ob quandam facilitatem ineptè ſectando, in multos, maximoſque errores incurrerunt; ita ut non ſolùm à vulgo irrideantur, à prudentibus reprehendantur, ſed non immeritò etiam exoſi, & ſuſpecti, ab Eccleſia Catholica habeantur.*

CAP. XL.

DE CHRONOLOGIA.

1. §. *Ad Aſtrologiam reducitur non modò* Προγνωστικὸν τῆς Ἀστρολογίας, *de quo cap. præcedenti ſatis diximus: ſed etiam* Χρονολογία, *quæ eſt temporum doctrina, ſive ſcientia.*

VIdimus de Chronologia pleraque libro de Philologia cap. XII: nempe quatenus Hiſtoria, cujus oculus eſt Chronologia, pars eſt Philologiæ. Nunc de ea agendum, quatenus dependet, tum à numerorum ſcientia, tum præcipuè à doctrina motuum cæleſtium. Sideralis enim ſcientia probat, quæ ſtatuit. Inde Philologia accipit concluſiones; utcumque cauſſas ſæpe ignoret. Nempe duo hîc attendimus; materiam, & formam. Materia ſunt res geſtæ: quam Chronologus accipit ab Hiſtorico. Forma eſt temporis ex certis indiciis demonſtratio: quam hiſtoricus diſcit à Chronologo. Hiſtoricus fusè exſequitur rei geſtæ cauſſam, modum, & ordinem; eoque laudatior eſt, quo id magis ſtylo fecerit hiſtorico. Sed probationes temporum præterit; vel eas ſolùm delibat, idque raro. Quippe ferè ſufficit ei τὸ ὅτι *: τὸ διότι † Chronologo relinquit. Chronologus igitur tantummodo tangit res geſtas; quia fuſiùs eas peti vult ex hiſtoricis: verùm ſubtiliter, & enucleatè, inquirit in temporum rationem; ut huc pertineant ἀποδείξεις Ἀστρολογικαί ‡.

* Probatio, quod res ſit.
† Demonſtrationem, quare res ſit.
‡ Demonſtrationes Aſtrologicæ.

2. §. Χρονολογίαν *eſſe ſcientiam, dubium non eſt. Tam enim eſt temporis doctrina per cauſſas, quàm rerum aliarum. Nec vile id putandum, circa quod verſatur; cùm nihil ſit tempore præſtantius: ut quod originem ducat è cælo; ſaltem ex ejus motu, & converſione, cognoſcatur.*

Sed ut tempore nihil excellentius, ita quoque nihil eo eſt perceptu difficilius: quia omnes quidem tempus capimus animo; verùm quid illud ſit, explicare verbis non poſſumus, ut ait B. Auguſtinus Confeſſionum lib. XI, cap. XXV. Dixeris, ejus quidem eſſe ſcientiam: ſed illam ad Phyſicum pertinere: quomodo Ariſtotelem videmus de tempore tractare in quinto φυσικῆς ἀκροάσεως. Huic rei nullo negotio occurret, qui ſciat, tempus ad diverſas pertinere diſciplinas pro diverſa conſiderandi formâ. A philoſopho naturali attenditur, quia ſit univerſalis corporum omnium naturalium affectio. Ad Aſtrologum, quoniam numerus, & menſura ſecundùm prius, & poſterius, ex corporum cæleſtium motu indagatur. Ad Chronologum, quatenus accommodatur ad uſus humanos, ac civiles, quibus præſcribitur, tanquam actionum forma, ac regula; ſicut ex popularibus etiam faſtis videmus.

3. §. *Eſſe verò hanc ſcientiam mixtæ Matheſios partem, non obſcurè ex eo elucet, quod Matheſis in dimetiendo conſiſtat; Aſtrologia autem dimetiatur durationem rei: ut aliæ mixtæ Matheſios partes, vel qualitatem alicujus corporis menſurant, vel ipſum corpus. Particulatim verò eſt* ὑπάλληλος *, *tum Arithmeticæ; ſine qua annos, ejuſque partes, non poſſumus computare: tum Aſtronomiæ; quia hæc cæleſtes motûs docet; motûs verò iſti diſponunt annos cæleſtes, & tempora hiſtoriarum ſignant, quæ Chronologia aperit.*

* Subordinata.

Exemplo res planior fiet. Chronologi eſt exponere, quando capta ſit Conſtantinopolis. Mirum in re tam illuſtri ſic variare hiſtoricos. Sed bene eſt, quòd conſtat ex iis, incidere id tempus in XXIX diem Maji, feriam III, quæ Martis dicitur. Quod fuit anno Chriſti CIↃCCCCLIII. Ita ex feria hebdomadis etiam tempus, quo Muhammedes Conſtantinopolin cepit, colligit Scaliger: cui hac parte adſentit Gordonus. Accipe & alterum exemplum. Helgaldus, ſive Helgaudus, Floriacenſis monachus, in vita Rotbertii, ſive Roberti Pii, Gallorum Regis, ſic de morte ejus ſcribit: *Ante ſuum ſanctiſſimum obitum, qui XIII Kal. Auguſti exſtitit, die paſſionis Apoſtolorum Sanctorum, Sol ad ſimilitudinem quartæ Lunæ, ſubtractis radiis, fuſcatus apparuit in toto mundo, horâ diei ſextâ palleſcens ſuper homines. Quorum viſus ita obnubilavit, ut nullus alium recognoſceret; donec quoddam recognoſcendi tranſiret ſpatium. Quid autem portenderit: in proximo patuit; cùm nil nobis miſerius aluit †, quàm de ſuâ morte dolorem intolerabilem, reliquerit. A die enim ſancti Petri ad ſui ſanctiſſimi tranſitus diem XX, & unus dies, ſupputantur.* Hæc ille ad annum Chriſti CIↃXXXII. Ac ſimiliter legas in fragmentis Hiſtoriæ Francorum Helgaldo, & Glabro, appenſis. Sed audiamus Cæſarem Baronium ad an. ſequentem: *Cùm Helgaldus affirmet, eo anno eſſe defunctum, quo contigit Solis eclipſis III Kal. Julii, ipſâ die natali Petri & Pauli, horâ ſextâ diei, XXI die ab eâdem eclipſi XIII Kalend. Auguſti: dubitandi nullus remanet locus, hoc anno (CIↃXXXIII,) & non ſuperiori, eundem regem ex hac vitâ migrâſſe. Etenim hoc anno milleſimo trigeſimo tertio factum eſt novilunium III Kalend. Julii: anno verò ſuperiori milleſimo trigeſimo ſecundo factum eſt novilunium IV Idus Junii. Itaque eclipſin non anno ſuperiori; ſed præſenti, oportuit contigiſſe.*

† Ita eſt in editione Franciſci du Cheſne Tom 4 ſcriptorum Hiſtor. Franc. p. 77. Sed, puto, pro aluit, reſcribendum, aliud.

4. §. *Atque hinc etiam liquet, quantus Chronologo Aſtronomicarum ſit tabularum uſus, ad annum unum ab alio diſcernendum.*

Nec enim omnes, qui Aſtrologiam didicerunt, uſque adeò in hac ſcientia ſunt ſubacti, ut per ſe motûs videant cæleſtes. Ad tabulas igitur Aſtrologicas recurrunt. Nec inficior, diſſentire tabulas; cùm priores emendârit Ptolomæus, Ptolomæum Alfraganus, Alfraganum Alfonſus, Alfonſum juniores. Verùm non tacito eruditorum conſenſu convenit, haberi nunc tabulas certiores, quàm olim. Haut nego, poſſe & deinceps incrementum hujus ſcientiæ fieri. Sed enim, ut in temporum minutiis ſcrupulus aliquis porrò ſuperſit; ratio tamen in majoribus conſtabit.

ſtabit. Unde illi, qui Mathematicas tabulas culpant, ut vanas, & fallaces; ipſi tamen hiſce utuntur: ſicut inter alios Salianus in Annalibus anno Chriſti XXXIV numer. XXXVIII; ubi eclipſin Lunarem, quam veteres ajunt contigiſſe Æmilio II, & Craſſo coſſ. Nonis Septembribus, nihilominus, compulſus argumento, revocat ad XXI Julii. Etiam Gordonus Tom. I. Chron. cap. XVIII, & XIX, non dubitat affirmare, nullas hactenus editas eſſe tabulas, ex quibus de veris ſtellarum motibus certò aliquid ſtatui queat. Et tamen non veretur calculum adjicere Scaligeri ſententiæ de tempore captæ Conſtantinopolis, idque ſolùm ob harunce tabularum fidem. Poteram alios allegare complures: ſed ſuffecerit audire de hoc argumento diſſerentem Petavium lib. VII de Doctrina Temporum cap. VII: *Eſt ea res Chronologia neceſſaria penitus; cujus ope, atque ductu, velut Ariadnei fili, ex innumeris ſeſe quæſtionum ambagibus expediet; ac vel errorem, vel quod errore turpius eſt, doctrinæ ſuæ conflictum, contrarietatemque, vitabit. Quibus incommodis duobus carere illius Chronologia non poteſt, qui hac velut hoſpitali teſſerâ deſtitutus, per longinqua tempora peregrinari induxerit.*

5. §. *Chronologiæ maximus eſt fructus ad intelligendam ſacram Scripturam. Siquidem in prædictionibus prophetarum ſine hac Cimmeriæ ſunt tenebræ: ut liquet ex hebdomadibus Danielis, & Apocalypſi. Præterea ſine hac conciliare non poſſumus plurima, quæ in temporibus pugnare videntur. Unde ſcrupulus injici poſſit mentibus humanis, quaſi ſecum pugnent; eoque fundamentum, cui innititur fides noſtra, planè ſit incertum.*

Hac de re ita Joannes Funccius, epiſtolâ ad Albertum, Marchionem Brandenburgicum, quâ Chronologiam ſuam illi dicavit: *His adde, quàm ſint hæc ſtudia non dicam utilia, ſed potiùs neceſſaria, ad confirmandas conſcientias adverſus inſperatos Satanæ inſultus: qui, cùm aliâ viâ pios abſterrere nequit, totum fundamentum evellere conatur, ſuggerendo: Quid ſi Scriptura te ſeducat? Hac enim tentatione (Deus novit, quod non mentior) me, ut hoc onus in hac fabricanda Chronologia ſuſciperem, inprimis vel invitum compulit. Nam cùm primùm ad Theologiæ ſtudium animum appuliſſem; confeſtim me aggreſſus eſt hujuſmodi ſollicitare verſutiis: nempe ſacras hiſtorias mundi, quæ tamen à prudentiſſimis omnium ſeculorum viris conſcriptæ ſint, nullum omnino habere teſtimonium: ideo certitudinem earum vacillare. Atque hujuſmodi technas confirmare conabatur maximè temporum* διαφωνία *. *Nam cùm Scripturæ iis cum hiſtoriis, quod ad tempora, non convenirent (ut primo adſpectu videbatur:) vanam eſſe fiduciam arguebat, quæ tam incertis niteretur.* Ipſe etiam in homines incidi, cætera eruditos, ſed in temporum doctrina parum verſatos: qui non ob aliud æquè veritatem Scripturæ in dubium vocarent, quàm quòd tempora in iis non ſatis viderentur conſentire. Quò tam noxiam iis opinionem evellerem; juſſi, ut in medium adferrent, quæ putarent diſcrepare. Equidem conciliando ἐναντιοφανῆ †, ſingulis, ut debui, occurri. Videre tandem & inſcitiam ſuam, & chronologiæ neceſſitatem. Mihi verò perjucundum fuit, quòd tam bona opera nec mihi, nec illis, periiſſet.

* *Diſcrepantia.*

† *Quæ viderentur contraria.*

6. §. *Nec ſacræ modò hiſtoriæ Chronologia utilis eſt, ac neceſſaria; ſed etiam externæ, quam vulgò profanam, imperitiores præcipuè, appellant. Neceſſitas hæc vel ex eo elucet, quòd, quoties aliquid narratur, mox feratur animus ad cogitationem, ubi, & quando, illud geſtum ſit: nec ſatis rem nobis intelligere videmur, niſi utrumque horum pariter aſſequamur: præcipuè quid priùs, quid poſteriùs, contigerit. Ut omnino omnis hiſtoria, niſi temporum ſerie dirigatur, obſcura ſit, ac mutila.*

Quâ de re ſic Gerardus Mercator *: *Chronologia eſt veluti primæ hiſtoriæ adumbratio, & rudis quædam imago: in qua primariæ partes juxta magnitudinem, ſitum, & proportionem, diſponuntur; quas deinde perpoliens hiſtoria, totam imaginem perficit; ut, ſine Chronologia, confuſa membrorum congeries, & monſtrum planè fiat hiſtoria.* Hoc dicere de Turcorum narrationibus plurimis poſſumus; in quibus mira eſt ἀνιστορησία †. Nam neque temporum, neque ætatum, habent rationem; omneſque hiſtorias miſcent, & confundunt, ut ait Augerius Busbequius epiſt. I.

* *Epiſtola ad Lectorem, quam Chronologiæ ſuæ præmiſit.*

† *Hiſtoriarum ignoratio.*

7. §. *Denique, ut dictum etiam, cùm de Aſtrologia ageremus* ‡; *in feſtis Eccleſiæ mobilibus, in mercantium commerciis, imò in univerſa vita civili; niſi certa præſcribatur temporis norma, ac regula; omnia erunt confuſa, & incerta.*

‡ *Cap* 29. §. 3. & 6.

Liquet hoc ex enormi illâ anni ratione, quæ fuit, antequam Julius Cæſar, ut Pontifex Maximus, (pontificibus enim Romæ commiſſa erat cura intercalationis, ſicut apud Athenienſes Hierophantis) annum, Soſigenis Ægyptii operâ, emendaret. Hiberni quippe menſes occuparant auctumnalium locum: auctumnales æſtatis, æſtivi veris, verni hyemis; ut alibi * dictum. Quò tandem hæc res abiiſſet, niſi ut in æſtate hiemem, hieme æſtatem haberemus?

* *Cap* 35. §. 3.

8. §. *Dividitur Chronologia ſic univerſè dicta in Computatricem, & eam quæ preſſius Chronologiæ nomen obtinet. Hæ partes eo differunt, quòd prior non ſolùm computet tempus præteritum, ſed etiam futurum: ut quando ſit futurum paſcha, & ſimilia ad Eccleſiæ computum pertinentia. At poſterior ſolùm eſt temporis præteriti. Prior eſt* ὑπάλληλος † *Arithmeticæ; altera Aſtrologiæ.*

† *Subalternata.*

Arithmeticis enim debet notitiam cyclorum Solis, & Lunæ, aurei numeri, & epactæ. Ubi ex numerorum principiis, & cauſſis, ratio petitur. Ab Aſtrologia autem iſta accipit: redire Solem ad eundem locum poſt CCCLXV dies, & minùs quartâ diei parte. Etſi curſus Solis ſit æqualis, inæqualem tamen videri nobis; cùm majus ſit intervallum ab æquinoctio verno ad auctumnale, quàm contrà: & hujus rei cauſſam eſſe, quòd Solem conſpiciamus è centro alieno. Lunam aſſequi Solem exactis diebus XXIX, horis XII, ſcrupulis 44′, 3″. Solarem fieri eclipſin in novilunio: ſed Lunarem in plenilunio. Atque id genus complura. Poſſis verò & hanc partem, quam laxè *computatricem* vocabamus, dividere cum aliis in eam, quæ ſtrictiùs *Supputatrix* dicitur, & illam, quæ *Computus* vocatur. Prior ipſa ad certum tempus ſupputat, ſive colligit, loca ſiderum errantium, fixorumque. Atque hinc Ephemeridibus eſt origo, & aliis tabulis Aſtronomicis. Eſtque vel *Geometrica*, quæ triangulorum calculum adhibet: vel *tabularis*, quæ tabularum jam antè compoſitarum compendio utitur. Poſterior verò, quam *Computum* nominant, diſpeſcitur in Aſtronomicum, Politicum, & Eccleſiaſticum. *Aſtronomicus* eſt numerus motûs cæleſtis, ratione primi mobilis, vel ſecundorum mobilium, vel ex primo ſecundoque, pluribuſve ſecundis mixtus. Ut huc pertineant annus Solaris, Lunaris, vel alterius planetæ, aut ſideris. *Politicus* eſt norma, quâ unaquæque gens rerum durationem ad imitationem temporis cæleſtis numerat, ac menſurat. Eſtque vel ſimplex, ſive unius periodi; ut dies, menſis lunaris, ſolaris: vel multiplex, ſive plurium periodorum, ut hebdomas, annus Lunaris, luſtrum, cyclus. Initium verò capimus à facto quopiam illuſtri: ut orbe creato, diluvio, peregrinatione Abrahæ, ingreſſu in terram Canaan, templo Salomonis exſtructo, vel diruto, conditâ Româ, Conſulibus, monarchiâ Cæſaris, nato Chriſto &c. *Eccleſiaſticus* eſt Calendarii, quo Chriſtiani dirigunt feſta mobilia, ac fixa: eſtque vel vetus, qui à

Julio

Julio Cæſare, & Patribus Concilii Niceni, originem cepit: vel novus, cujus initium eſt à Gregorio XIII.

9. §. *Quæ preſſiùs Χρονολογία vocatur, diſteſcitur in εἰσαγωγικὴν*, & ἰδιαιτέραν†. Prior exponit τὰ τεχνικὰ‡, quæ ſunt doctrinæ Chronologicæ elementa. Poſterior tractat τὰ ἱστορούμενα*: ut quæ ſua rebus geſtis tempora ex cæleſtibus adaptet indiciis.*

** Introductionem. † Magis proprie ita dictam. ‡ Artis vocabula. * Res memoriæ proditas.*

Ad priorem igitur partem pertinet de varia annorum apud varias gentes ratione; ut de anno Lunari, & Solari, de menſibus Atticis, de periodo Calippicâ, de anno Nabonaſſari, Juliano, Muhammedico, & aliis id genus multis. Ad poſteriorem refertur, quamdiu Iudices in Iſraële imperarint, quandiu à Cyri initio duràrit imperium Perſicum, unde incipiant LXX hebdomades Danielis, quotâ Olympiade, & quo anno ejus, condita ſit Roma, quibus conſulibus natus ſit Chriſtus, ſimiliaque alia.

10. §. *Poſteriori parte agitur de temporibus, vel collectim; ut cùm priùs anni unius imperii referuntur, inde alterius, tum alius, atque ita porrò: vel per annos extenſos; ut quando res variorum imperiorum inter ſe comparantur.*

Idem voluit Anianus, vetus monachus Ægyptius: juxta quem bifariam inſtituitur Chronologia, καθ' ὁμάδας† χρόνων, vel κατὰ πλάτος‡. Prior modus, puta ille per annos collectos, omnia omnium geſta conjicit in unum temporis intervallum. Atque ita Euſebius, Africani exemplo, priorem ſcripſit Chronicorum librum; qui eſt παντοδαπὴ ἱστορία*. Pleniuſque ea, addo & certiùs, ex Scaligeri canonum Iſagoge cognoſcitur. Alter modus illa, quæ in genere, κατ' ἀνακεφαλαιώσεις†, digerit per ἁπλᾶ ἔτη‡, ſive per plenam annorum omnium expanſionem, & mutuam epocharum, rerumque à diverſis gentibus geſtarum, comparationem. Nam & annos cum annis, archontes cum conſulibus, reges cum Cæſaribus, externa cum vernaculis confert. Eumque modum Euſebius init in poſteriori Chronicorum libro.

*† Per collectionem annorum. ‡ Secundùm latitudinem ſuam. * Omnigena hiſtoria. † Per recapitulationem, ſive ſumma rerum faſtigia perſequendo. ‡ Annos ſimplices.*

Cap. XLI.

De temporibus Chriſtianorum, qui ipſi de temporibus ſcripſerunt: uſque ad annum Chriſti CIↃ IↃ.

1. §. *Sequitur, ut Chronologorum χρονολογίαν contexamus; tam eorum, qui à Barbaris* computiſtæ *vocantur; quàm qui, vocabulo ſtrictiùs accepto, Chronologorum nomen poſſident. De gentilibus tamen nunc non loquar: ſed petere eos licebit ex utroque volumine noſtro de hiſtoricis Græcis, & Latinis. Contentus igitur ero Chriſtianis; qui ſoli mundi natalem, & antiquiſſima tempora, noverunt; eoque pleniùs, certiùſque tempora omnia tractàrunt. Multos interim, ac multa præteribo; quia jam ea expoſuerim in hiſtoricorum hiſtoriâ.*

Nec eſt, quòd aliquis dicat, ſi inter hiſtoricos ſit Chronologis locus; non poſſe eos, nec debere huc referri. Cùm enim Chronologiam definimus hiſtoriam temporum: duo dicimus; eam eſſe hiſtoriam quandam, ut ideo Chronologi rectè in hiſtoricis memorentur; & eſſe non quamvis hiſtoriam, ſed illam temporum; quatenus nempe numerat motus cæleſtes, ut ſecundùm eos digerantur res geſtæ: quod Mathematicæ eſt conſiderationis; ut ad Mathematicorum quoque hiſtoriam Chronologi pertineant.

2. §. *Sub Alexandro Severo, anno Chriſti* CCXX, *pietate, ac doctrinâ, illuſtris fuit Hippolytus martyr, Arabum metropolitanus: qui reliquit temporum canones, & ἐννεακαιδεκαετηρίδα* Paſchalem.*

** Decemnovemnalem circulum.*

Primus Computatorum de cyclo paſchali aliquid tentavit; quem ſecuti poſtea alii. Enumerat eos Iſidorus Hiſpalenſis lib. VI Originum cap. XVII: *Paſchalem cyclum Hippolytus epiſcopus, temporibus Alexandri Imperatoris, primus conſcripſit. Poſt quem probatiſſimi autores Euſebius Cæſarienſis, Theophilus Alexandrinus, Proſper quoque natione Aquitanus, atque Victorinus‡, amplificatis ejuſdem feſtivitatis rationibus, multiplices circulos ediderunt, cujus quidem rationem beatiſſimus Cyrillus, Alexandrinæ urbis epiſcopus, in* XCV *annos per quinquies* XIX *calculans, quoto calendas, vel Luna, debeat paſchalis ſolemnitas celebrari, ſummâ brevitate notavit.* Horum ætatem, aliorumque, deinceps afferemus. De Hippolyto autem plura ſi voles, adi, quæ diximus lib. IV de Hiſtoricis Græcis cap. I.

‡ Al. codd. Victorius. Et veriùs, ut deinceps liquebit.

3. §. *Sub eodem Alexandro Cæſ. ex Chronologis Chriſtianis, qui quidem res geſtas digeſſerint, antiquiſſimus cenſendus Julius Africanus; quem in Chronicis ſuis exſcribere Euſebius Cæſarienſis ſolet.*

Diximus de eo lib. II Hiſtoriæ Hiſtoricorum Græcorum cap. XV. Trithemius ait, alia etiam multa literis ſignâſſe, in his, de Paſcha: ſed vidiſſe negat: nec ſcio, qui operis ejus fecerit mentionem.

4. §. *Anno* CCL *grandis exiſtimationis erat Dionyſius Alexandrinus, Cypriani æqualis, epiſcopatu prior, morte poſterior. Hic complures de Paſcha, ſuo tempore celebrando, epiſtolas exaravit.*

Obiit XII anno Gallieni imperatoris. Vide B. Hieronymum in ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

5. §. *Euſebius Pamphili, Cæſarienſis epiſcopus, claruit temporibus Conſtantini M. ac liberorum. Hic Chronicos omnimodæ hiſtoriæ Canonas duobus reliquit libris. At perperam creditur auctor cycli novennalis.*

Quem ad errorem præivit Beda libro de ratione temporum cap. XLII. Poſſevinus verò in Apparatu arbitratur, eo deceptum, quòd Euſebius librum quendam de Paſchate obtulerit Cæſari Conſtantino. Verùm de cyclo paſchali ſcripſiſſe, ſed poſt alios; cognoſcimus ex Iſidori verbis ſuperiùs allatis. Fuſius de Euſebio hoc dixi lib. II de Hiſtoricis Græcis cap. XVII.

6. §. *Sub Theodoſio ſeniore, imperatoris hujus juſſu, cyclum Paſchalem ordinavit Theophilus, epiſcopus Alexandrinus. Ejus tres ſuperſunt epiſtolæ Paſchales, interprete B. Hieronymo.*

Solet verò quotannis ejuſmodi epiſtolas exarare: ut conſtat ex Syneſii epiſt. IX. Etiam adverſus Origenem ſcripſit, & alia quædam. Vide Hieronymi epiſtolam ad hunc Theophilum, & apologiâ ſecundâ adverſus Rufinum. Item Gennadium in Catalogo. Joannes Damaſcenus lib. III de Imaginibus culpat eum, quòd non eſſet paſſus Chryſoſtomi nomen recitari in Eccleſia. At, ut optimum, ſanctæque memoriæ præſulem, laudat Leo Magnus epiſt. LII ad epiſcopos Galliæ ſcriptâ, & LXIV, quæ eſt ad Marcianum Auguſtum.

7. §. *Sub Arcadio Cæſare, Theodoſii M. filio, in pretio fuere duo monachi Ægyptii; Anianus, qui exemplo Euſebii, Chronologiam condidit; & Panodorus,*

dem, qui ad exactiorem Chronologiam adtulit ſcientiam Aſtrologiæ.

Vide de his noſtram hiſtoricorum Græcorum hiſtoriam lib. II, cap. XX.

8. §. *Cyrillus, epiſcopus Alexandrinus, anno Chriſti* CCCCXXXI *præſes fuit in Synodo œcumenicâ Epheſinâ. Scripſit inter tot alia de Cyclo Paſchali.*

Auctor Iſidorus Hiſpalenſis lib. VI Originum cap. XVII, & ex eo Sigebertus Gemblacenſis: *Cyrillus, epiſcopus Alexandrinus, Cyclos quinque decemnovennalium cyclorum ſcripſit; qui faciunt annos* XCV: *in quibus primus, & ultimus Paſcha terminus, invenitur: ſed neque tamen in eo tota Paſcha varietas terminatur.*

9. §. *Anno* CCCCLX *effulſit inſigne ſidus Proſperi Aquitanici: qui inter cætera reliquit Cyclum Paſchalem.*

Liquet hoc ex verbis Gennadii de Victorini Aquitanici cyclo; quæ inferius adducam: item ex Iſidori Hiſpalenſis verbis ſuperiùs allatis. Plura de Proſpero ſi voles, adi, quæ dixi, Hiſtoriæ Pelagianæ lib. I, cap. XVIII, lib. II de Hiſtoricis Latinis cap. XVII.

10. §. *Anno* CCCCLXV *claruit Victorinus, natione Aquitanicus; quem nonnulli, & ut puto, rectiùs,* Victorium *appellant. Romam is, ob Aſtrologiæ peritiam, ab Hilaro Papa vocatus fuit, ad calendarium corrigendum.*

Gennadius in Catalogo cap. XXXVIII: *Victorinus, natione Aquitanicus, calculator Scripturarum, invitatus à S. Hilaro, Urbis Romæ epiſcopo, compoſuit Paſchalem curſum indagatione cautiſſimâ poſt quatuor priores, qui compoſuerunt: id eſt, Hippolytum, Euſebium, Theophilum, & Proſperum: & protendit annorum ſeriem uſque ad annum quingenteſimum trigeſimum ſecundum; ita ut quingenteſimo tertio anno Paſchalis reincipiat ſolemnitas eodem menſe, & die; eâdem & Lunâ, quâ primùm paſſio, ac reſurrectio Domini, facta eſt.* Meminit etiam Iſidorus Hiſpalenſis, cujus verba ſuperiùs adduxi §. 2: item Marianus Scotus ad an. CCCCLXIII. Beda, ut mox dicam, & ex eo Sigebertus Gembl. cap. XX, referunt, ut Victorini hujus cyclum refutârit Victor Capuanus.

11. §. *Deſitis quoque imperatoribus Occidentis, non defuere, qui, in ratione temporum, induſtriæ plurimum collocarent. In his fuit ſub Juſtino, & Juſtiniano Cæſaribus, Dionyſius Abbas Romanus, cognomento Exiguus.*

Qui anno Chriſti IↃXXVI exarabat cyclum ſuum Paſchalem; vel potiùs emendabat cyclum Victorini, ſive, ut in aliis eſt codicibus, Victorii: quemadmodum antea Victorius caſtigârat cyclum Theophili, epiſcopi Conſtantinopolitani; ille item Cyrilli, ejuſdem Urbis epiſcopi. Ab hoc Dionyſio cœpit conſuetudo annos numerandi à nato Chriſto: uti antea ordiebantur Romani ab urbe conditâ; Græci veteres ab Olympiadum initio; Syromacedones, & pleriquè Orientis alii, ab initio Seleuci Nicanoris, ſive duodecimo anno ab exceſſu Alexandri; ab orbe condito Conſtantinopolitani, aliique eorum exemplo. Hinc æra vulgaris nunc *Dionyſiana* dicitur à multis. Quæ minimùm biennio prævertit verùm Chriſti natalem. Nam mortuus eſt Herodes Magnus, circa Paſcha; ſi non quadriennio, vel triennio, ſaltem biennio toto ante æram vulgarem. Quod cognoſcere eſt ex Flavio Joſepho lib. XVII Antiq. Jud. cap. VIII, & XI. Imò ex Dione idem comprobatur. Atqui poſt Chriſtum natum ſuperfuiſſe Herodem, ſatis liquet ex Euangelio B. Matthæi. Atque hunc errorem ſuum etiam, dum viveret, agnovit Dionyſius; ut prodidit Sigebertus, & ex eo Paulus Foroſempronienſis lib. XIII, cap. VI. Plura de hoc Dionyſio diximus in ſecundo de Hiſtoricis Latinis; de re ipſa autem in Opuſculo de annis Chriſti nati, baptizati, & mortui.

12. §. *Etiam temporibus Juſtiniani Magni, nempe anno* IↃXL, *grandis exiſtimationis erat S. Victor, Capuanus Epiſcopus: qui de cyclo Paſchali volumen condidit.*

Teſtis Beda libro de VI ætatibus; & de ratione Temporum cap. XLVIII.

13. §. *S. Maximus martyr ſub Heraclio imperatore multa perpeſſus eſt à monothelitis. Plurima ſcripſit, partim edita, partim inedita: in his de Paſcha Dominico, ubi totius Kalend. ratio corrigitur; cum brevi ſub finem Chronologia.*

Exſtat in bibliotheca Vaticana, codice eo, qui numeratur CCCXXXV. Auctor Baronius VIII Tom. Annalium, ad an. IↃCXL: ubi de Maximi hujus operibus agit. Etiam codice Vaticano ſe uſum ait Petavius in Prolegomenis operis de Doctrina Temporum cap. IV. Obiit anno IↃCLVII.

14. §. *Anno* IↃCCXXX *vivebat venerabilis Beda: interque alia famam obtinuit libris de temporum ratione, de ſex ætatibus mundi, de temporibus ad intelligendum ſupputationem temporum Sacræ Scripturæ.*

Plura de eo in Aſtrologis, & alibi, hoc ipſo opere, diximus: imprimis autem de eo vidimus in Hiſtoricis Latinis.

15. §. *Seculo ſequenti, nempe undecimo à Chriſti natali, Iſaacius Argyrus Græcè de Paſchatis correctione commentabatur;*

ut Chriſtophorus Clavius in Calendario, & ex eo Blancanus in Chronologia Mathematicorum * ait. Sed vide, an * *Pag 57.*
non de ætate longè meliùs Joſephus Scaliger in quarto de emendatione temporum †. Pugnat eo, quòd ſe dicat † *P. 306. editionis Raphelengianæ.*
ſcripſiſſe anno 6885 annorum Græcorum, quod fuerit anno Chr. CIↃCCCLXXII. Illuſtre ex Argyri Computo Excerptum ibidem videre licet. Quàm multa præterea in Matheſi ediderit, è Geſnerianæ bibliothecæ Tom. I, & imprimis Simlerianâ epitome, cognoſces.

16. §. *Hoc ſeculo etiam fuit, anno Chriſti* MIↃL, *non corpuſculo quidem, ſed genere, & doctrinâ, egregius, Hermannus Contractus; qui & ipſe Computum reliquit.*

De hoc ſemel, iterumque, antea diximus: ac fuſiùs in opere de Hiſtoricis Latinis.

17. §. *Eodem ſeculo, anno videlicet* CIↃLXVI *in pretio erat Franco, ſcholaſticus Leodicenſis: qui Computum ſimiliter condidit Eccleſiaſticum.*

Sed maximè gloriam meruit opere de quadratura circuli.

18. §. *Anno* CIↃLXX, *ac deinceps, Marianus Scotus illuſtrem poſuit operam in annis Domini colligendis. Emiſit librum de Computo, item Emendationes Dionyſii, adhæc de Cyclo Paſchali. Reliquit & Chronicon, quod perduxit uſque ad annum* CIↃLXXXIII.

Eo

Digitized by Google

Eo de opere, deque auctore ipſo, pluribus egi lib. II de Hiſtoricis Latinis cap. XLVII.

19. §. *Anno* CIↃCCCLXXXVI *inter præcipuos ſui ſeculi viros cenſebatur Simon Bredonus Anglus; qui librum contexuit in Roberti Lincolnienſis Computum Eccleſiaſticum.*

Diximus de eo plura in Aſtrologis hujus temporis.

20. §. *Anno* CIↃCCCCXIV *Petrus ab Alliaco, Archiepiſcopus Cameracenſis, & Cardinalis, Joannis Gerſonis præceptor, ſcripſit de emendatione Calendarii: quam ſuaſit Concilio Conſtantienſi.*

Ita Blancanus*. Nullam tamen ejus operis mentionem video apud Bellarminum in ſcriptoribus Eccleſiaſticis, vel Poſſevini Apparatu ſacro.

* *In Chronolog. Mathem. pag.* 59.

Cap. XLII.

De Computi ſcriptoribus, ac Chronologis, qui claruere proximo ſeſquiſeculo.

1. §. *Deventum ad annum Chriſti* CIↃ IↃ: *à quo tempore, omnibus penè Chriſtiani orbis terris, ut reliqua Matheſios, ita quoque Chronologia ſcientia, à præclaris ingeniis exculta fuit, majoraque etiam, quàm ante, incrementa ſuſcepit; Leone* X. *in Italia, Maximiliano Cæſare in Germania, Franciſco* I. *in Gallia, Henrico* VIII. *in Anglia, & aliis alibi certatim excitantibus ſtudia literarum. Ac in Italia quidem ſub Leone decimo, qui anno* CIↃ IↃ XIII, *& ſequenti octennio, Romæ ſedit, Paullus Midelburgenſis, epiſcopus Semproneienſis, de calendarii emendatione, ſive de Paſchatis obſervatione, libros ſcripſit* XIV.

QUod opus ab auctore vulgo *Paullina* nuncupatur. Eo non de Romano ſolùm Computo agit: ſed de anno etiam Judaico, Ægyptiaco, Arabico; ut ſatis liqueat, id ſibi propoſuiſſe, exactam omnium temporum notitiam docere. Dedicavit præclarum hoc volumen Leoni X. Pont. Max. Præterea reliquit de anno, & die, nativitatis, ac paſſionis Dominicæ libros XIX, ad Imper. Maximilianum I. Alia quoque edidit non diſſimilis argumenti. Obiit Romæ anno CIↃ IↃ XXXIV, annos natus LXXXVIII.

2. §. *Anno* CIↃ IↃ XVI *Joannes Stœflerus, præter alia, etiam calendario Romano magno non parum gloriæ meruit.*

Dixi de eo, & aliis, cap. XXXVI, §. 2.

3. §. *Anno* CIↃ IↃ XXV, *ac deinceps magni nominis viguit Lucas Gauricus Neapolitanus; qui emiſit Calendarium Eccleſiaſticum novum, ex ſacris literis, & Patrum ſynodis, deſumtum.*

Excuſum Venetiis ab Iuntis anno CIↃ IↃ LII. Obiit anno CIↃ IↃ LIX, annos natus LXXXII, menſes XI, dies XXVII. Plura in Aſtrologis diximus cap. XXXVII, §. 9.

4. §. *Anno* CIↃ IↃ XL *Chriſtianus Maſſæus, cognomine Cameracenas, emittebat Chronicon ſuum ab orbe condito uſque ad annum dictum, libris* XX. *Quibus præmiſit Calendarium quadruplex; Ægyptium, Hebraicum, Macedonicum, & Romanum. Etiam breve fecit Chronicon Cameracenſe.*

Quod Cameraci adſervatur in Abbatia S. Sepulchri. Etſi vero univerſale illud Chronicon ſerò adeò ediderit: longè tamen antè orſus fuit. Nempe jam anno CIↃ CCCC XC. Siquidem priuſquam divulgaret, ei concinnando annos impenderat L; ut ipſe præfatione ſuâ teſtatur. Et ſanè anno CIↃ IↃ VII, quo tempore jam XVI annos ei dederat, operis ejus meminit Joannes Tritthemius, abbas Spanhemenſis, literis ad ipſum Maſſæum exaratis: *Memor*, inquit, *eſto, in editione Chronicorum tuorum, quod omnes fermè Chronographi in ſupputatione annorum Domini graviter erraverunt, omittentes* XXIV *annos, qui ſub Conſulibus non rectè ſupputati tranſierunt: quod ex Mariano Scoto Monacho, & Auguſtino Weſtgallo, Lovanienſi Theologo, ſubtiliter invenies calculatum.* Nec ſic annos L huic operi inſudâſſe exiſtimandum, ut eo ſolo nomine profuerit. Nam presbyter fuit Congregationis S. Hieronymi: ac primùm Gandavi juventutem literarum ſtudiis imbuit: poſtea inde, anno videlicet CIↃ IↃ IX, ab epiſcopo Cameracenſi, Jacobo de Croy, ad Scholæ præfecturam fuit arceſſitus. Atque hîc, ut eruditio, ita fides ejus, atque induſtria, tantopere eluxit; ut quamvis Varneſtini, ſive Weſtenæ, ad Litam Flandriæ amnem, natus foret; vulgò tamen *Cameracenas* vocaretur. Sed in hoc munere tot annos verſanti exercita eſt æmulatio diuturna cum Joanne Deſpauterio Ninivita, viro unoculo: ſed quo in arte Grammatica nemo eâ ætate plus videret. Ipſe etiam Maſſæus, quædam in eâ arte emiſit; Deſpauterianis quidem inferiora; ſed Chronico, quod prope omne punctum tulit, abunde ſibi gloriæ acquiſivit. Obiit Cameraci anno CIↃ IↃ VI, annos natus LXXVII.

5. §. *Anno* CIↃ IↃ XL *conſpicuus erat Hieronymus Cardanus: cujus in tot monumentis non infimum obtinet locum ſupplementum Almanach.*

De Cardano jam in Arithmeticis dictum cap. X, §. 10.

6. §. *Anno* CIↃ IↃ XLIV *Joannes Funccius divulgabat primam partem Chronologiæ ſuæ: integram autem emiſit octennio pòſt. Præterea adjunxit commentariorum libros decem. Cumque ea editio tantum pertingeret ad annum Chriſti* CIↃ IↃ LII: *poſtea ab auctore non ſolùm eſt correcta, ſed etiam producta ad annum* CIↃ IↃ LX.

Natus Werdæ prope Noribergam anno CIↃ IↃ XVIII. Vitam ſuam magnam ipſe partem enarrat epiſtolâ ad Albertum Marchionem Brandeburgicum; quam Chronologiæ ſuæ præmiſit. Triſtem verò exitum vitæ habuit. Nam à Proceribus Boruſſiæ accuſatus, quòd novis rebus ſtuduiſſet, cum duobus Conſiliariis Illuſtriſſimi Ducis Alberti Brandeburgici, Horſtio, ac Schnellio, capite truncatus eſt Regiomonte, annos natus XLVIII. Paullò ante obitum diſtichon hoc pronunciâſſe dicitur:

Diſce meo exemplo mandato munere fungi,
*Et fuge, ceu peſtem, τῆς πολυπραγμοσύνης**.

Id fuit anno CIↃ IↃ LXVI, æt. XL.

* *Curioſitatem in rebus non pertinentibus ad te.*

7. §. *Anno* CIↃ IↃ L *magni pendebatur Franciſcus Maurolycus, abbas Meſſanenſis, qui Computum Eccleſiaſticum compendio conſtrinxit.*

De hoc jam ſemel, iterumque, diximus.

8. §. *Anno* CIↃ IↃ LXIX *Gerardus Mercator edebat Chronologiam ſuam; quâ tempora, ab initio mundi, uſque ad annum Chriſti* CIↃ IↃ LXVIII, *exactè demonſtrat; partim ex eclipſibus, & aſtronomicis omnium temporum obſervationibus; partim ex ſacris literis, & optimis quibuſque ſcriptoribus.*

Quanti Mercatorem fecerit, & quàm avidè univerſam ejus Chronologiam exſpectârit Onuphrius Panvinius, abunde licet cognoſcere ex epiſtola † ejus ad Joannem Metellum Sequanum I. C. Unde aliqua apponam; *Hoc ego palam de Mercatore, libereque, profiteor, ex omnibus,*

† *Præmiſſa eſt Chronologiæ Mercatoris.*

quos

Digitized by Google

quos hactenus in hoc ſtudiorum genere mihi videre licuit (univerſos autem, qui exſtant, legi) neminem exiſtere, cui ego, jure ſanè, Mercatorem meum; ſive res ſpectes, & ordinem; ſive judicium, & induſtriam, intueare; ſive motuum cœleſtium, quantum ad hæc attinet, animadverſionem conſideres; longè non præferam. Egimus de eo quoque in Aſtrologis; & iterum in Geographis dicemus.

9. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXI *claruit Benedictus Herbeſtus, gente Roxolanus, urbe Leopolitanus. Præter Arithmeticam linearum, edidit Computum Eccleſiaſticum, biennio ante emendationem Calendarii Gregoriani, aliaque.*

Obiit anno CIↃ IↃ XCIII; poſtquam annos XXII explêſſet in Societate Ieſu.

10. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXII *magno in pretio erat Aloyſius Lilius: quem in corrigendo Kalendario ſequi ſibi propoſuit Gregorius* XIII. *Papa.*

Ut alter Soſigenes dici poſſit: quia Gregorius Papa hujus opera in eodem eſt negotio uſus, in quo tot ſeculis antè Julius Cæſar operâ Soſigenis.

11. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ LXXV (*qui Judaicus eſt quinquies milleſimus trecenteſimus trigeſimus quintus*) *Rabbi Ori, filius Simeonis, Judæus Palæſtinus, edidit calendarium Palæſtinorum, & omnium Judæorum, ad annos* XL *ſupputatum.*

Hoc Hebraicè prodiit Venetiis, anno eo, quo dixi. Sed Jacobus Chriſtmannus Latinè vertit, ſcholiiſque illuſtravit, anno CIↃ IↃ XCIV. Prodiit Francofurti.

12. §. *Anno quoque* CIↃ IↃ LXXV *Matthæus Beroaldus edidit Chronicon ſuum, in quo ex ſolis Scripturis ſtuduit explicare, ac conſtituere, temporum rationem. Quæ & cauſſa eſt, cur plurimi eum ſequi ſoleant Scripturarum interpretes.*

Valde enim ſpecioſum eſt, quod jactant, ſuam Chronologiam ex ſolis peti ſcripturæ fontibus; aliorum hauriri ex turbidis hominum lacunis. Itaque rejiciunt, quicquid non reperiunt in Scripturis. Audiamus, quàm audacter pronunciet Beroaldus ad annum mundi 3501, ſive Olympiadem LXXXVIII: *In Græca hiſtoriâ confuſa ſunt omnia iſta tempora. Itaque neque conſtat de tempore belli Medici, neque de tempore belli Peloponneſiaci: neque quicquam affirmari poteſt de rebus Græciæ, ante Philippi Macedonis imperium.* Idem lib. III Chron. cap. VIII agnoſcit, ſe poſt Cyrum prætetire Cambyſem, & Darium Hyſtaſpis. Rationem, cur id faciat, adjungit. *Quæ nomina*, inquit, *quia nunquam exſtant in Scripturis, à nobis ſunt prætermiſſa.* At Scripturas eorum meminiſſe, oſtendimus in Chronologiâ. Imò, ut prætetiiſſet eos ſcriptura, quia ſub his nihil memorabile contigiſſet in populo Judaico: neutiquam inde, non fuiſſe hos reges, conſequeretur. Suntque id genus deliria in Beroaldo compluria. Itaque ſummis quibuſque viris hæc Chronologia valde fuit improbata: imprimis Ioſepho Scaligero: ut qui eam fanaticam appellet: ſæpius verò propheticam; non profectò honoris ergo, ſed quod qui ad Beroaldinam Chronologiam ſuas dirigunt rationes (ut verba ejus reſervem) *ſine ulla externorum ſcriptorum ope omnia divinare profiteantur.* Contra Scaliger*; *Actum*, inquit, *de Chronologia ſacra abſque exoticis monumentis foret. Quod cùm ſapientiſſimi ſcriptores, Tatianus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Africanus, Euſebius, aliique, animadvertiſſent* †, *omnino ſine exotica hiſtoria, intervalla ſacra deprehendi poſſe deſperarunt. Dicatur igitur tumidis buccis, elato ſupercilio, atrocem injuriam Spiritui S. fieri, ſi hiſtoria ſacra ab exotica ſubſidium petat. Quaſi magna illa ignominia ſit, ſi hiſtoria exotica ſacræ ancilletur.* Plura paſſim apud eum vide in elencho adverſus duas orationes Chronologicas Viri Clariſſimi Davidis Parei: quem non dubitat appellare hierophantam Beroaldinum. Utcunque verò ſæpe operam luſerit Beroaldus: non tamen nimis habendus inclementer: præſertim cùm fuerit vir optimus, & integerrimus: & ſit, ubi ſatius ſit hærere Beroaldo, quàm Scaligero, & aliis: ut cùm natalem Abrahæ referunt ad Thare annum LXX, qui potiùs eſt CXXX: ut in Chronologia noſtra oſtendimus.

13. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXVI *Abrahamus Bucholcerus, ætatis ſuæ* XLVIII, *edebat Iſagogen Chronologicam. Quadriennio poſt emiſit Indicem Chronologicum, ab orbe condito, uſque ad annum Chriſti* CIↃ IↃ LXXX. *Iterum quadriennio exacto, vulgavit Chronologiæ ſuæ partem primam, quæ eſt à mundi primordio uſque ad deletum Salomonis templum.*

Altera futura erat cura ab excidio templi Salomonici, uſque ad templum à Tito Veſpaſiano everſum. Tertia hinc ad ſua uſque tempora. Haſce etiam parantem abſolvere, mors prævertit. In pago Schonau prope Damam, quæ ſex paſſuum millibus Wittenbergâ diſtat, natus fuit anno Dom. CIↃ IↃ XXIX, IV Kal. VIIbris. Obiit Freiſtadii Sileſiorum anno CIↃ IↃ LXXXIV. XVIII Kal. Quinctiles, Styl. Gregor.

14. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXIII *Joſephus Scaliger Lutetiæ Pariſiorum longè eruditiſſimum opus edidit de Emendatione temporum. Quod multò auctius, & emendatius, emiſit Leidæ anno* CIↃ IↃ XCVIII. *idem inibi anno* CIↃ IↃ CVI *publici juris fecit Theſaurum temporum: in quo conjunguntur Euſebii Chronicorum libri duo, & illi, qui Euſebium continuarunt, unà cum Scaligeri Notis, & Caſtigationibus, in Latinam Hieronymi tralationem, & Græcas Euſebii reliquias ex Syncello: adhæc Iſagogicorum Chronologiæ Canonum libri tres. Proximo deinde anno, procurante V. Cl. Franciſco Gomaro, lucem vidit Elenchus utriuſque orationis Chronologicæ Davidis Parei.*

Primi operis, quod eſt de emendatione Temporum, liber primus agit de anno æquali minore, ubi tempora dividit, variorumque menſium, & annorum hiſtoriam narrat: imprimis verò tractat de antiquiſſima anni forma, quâ uſa eſt omnis Græcia, ex Olympiadum ratione erutâ.

Altero conſiderat annum Lunarem: ubi de octaëteride Cleoſtrati, Harpali, Eudoxi: & magno anno Metonis, ac Calippi: item variarum gentium periodis, ac cyclis.

Tertius eſt de anno æquabili majore: ut de anno Ægyptiaco, de illo Nabonaſſaris, de Neuruz periodico veterum Perſarum, deque annis Ieſdegiri, & Armeniorum.

Quartus tractat de anno Solari: ac parte primâ de annis, quibus quarto quoque anno ex quatuor quadrantibus dies accedit. Ut ſunt Romanorum Iulianus, Ægyptiorum Actiacus, Syromacedonum Antiochenus, Iulianus Athenienſium, Samaritanus, Damaſcenus, & ſimiles.

Ac hactenus memorata pertinent ad ἰσημέρινα temporum civilium: uti & liber ſeptimus. Reliqua verò libri quarti pars, item lib. quinctus, & ſextus, ipſam continent temporum emendationem.

Quinctus eſt, qui perſequitur epochas Temporum. Uti & ſextus facit.

Septimus eſt de computis annalibus nationum.

Huice ſeptem libris adjunxit fragmenta ſelecta veterum

* In elencho Prophetica Chronologiæ pag. 5.
† Elenchi ejuſdem pag. 77, & 78.

Græcorum, cum notis ſuis. Quibus multum lucis accedit Chronologiæ ſacræ, & obſcuris Bibliorum locis.

In altero opere, quod Theſaurum temporum inſcripſit, Euſebii, Pamphyli martyris contubernalis, Cæſareæ Palæſtinæ epiſcopi, Chronici Canones libris duobus, interprete B. Hieronymo; uſque ad Vicennalia Conſtantini Nicomediæ facta. Quæque his ſubjecit B. Hieronymus, uſque ad Valentem a Gothis in Thracia crematum. Item Proſper Aquitanus, inde uſque ad Valentianum ſextò, & Nonium conſules. Hinc Victor Tunnunenſis uſque ad conſulatum Juſtini junioris Imperatoris. Poſteaque Joannes Abbas, Biclarenſis monaſterii fundator. Exinde ab Hieronymi fine Marcellinus Comes. Græca etiam Euſebii, quæ colligi potuerunt, addidit: notis etiam, & caſtigationibus, tum interpretationem Hieronymi, tum Græca Euſebii, illuſtravit. Adhæc adjunxit quantivis pretii opus, Iſagogicorum Chronologiæ canonum libros tres, ad Euſebii Chronica, ac universè temporum doctrinam non utiles modò, ſed etiam neceſſarios. Porrò haut facilè dixerim, quàm pulcrè ille eruditorum ſui ſeculi princeps, ut de cæteris litteris, ita de Chronologia etiam, meritus ſit. Non alter plura ad hoc ſtudium attulit Chronologis prioribus indicta. Nec tamen exiſtimo, ſic omnem hanc ſcientiam exhauſiſſe, ut non multa etiam poſterioribus cenſenda reliquerit. Sed enim eo non offendor; ut qui ſciam, præſertim cùm me ipſum cogito, quanta ſit ſive inſcitia, ſive imbecillitas humana. Quamobrem non aliter mihi poſſum perſuadere, quàm, utcunque ſummus vir, ſui fiduciâ, quandoque judicio fuerit aliquantum præcipiti; nihilominus, ob tot præclarè reperta, digniſſimum eſſe, quem omnis amet, & admiretur poſteritas: eundem etiam majori in pretio haberi promeritum ab illis, qui, ut mihi quidem videtur, nimis diſſimulant, quantopere herois illius laboribus fuerint adjuti.

15. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ XC *Jacobus Chriſtmannus mittebat ad Juſtum Lipſium epiſtolam Chronologicam; qui oſtendit, apud Hebræos eſſe conſtantem annorum ſeriem: at ab aliis in hac re graviter peccari.*

Occaſio ſcribendi talis fuit. Triennio antè ediderat Chriſtmannus Alphragani elementa Chronologica, & Aſtronomica: ac commentarium addiderat de calendario, non modò Romano; ſed etiam Ægyptiaco, Hebræo, Syriaco, Perſico, & Arabico. In quo, quia adverſus Joſephi Scaligeri ſententiam plura diſputarentur; Juſtus Lipſius epiſtolâ quadam ad Regnerum Gruterum (eſt ea centuriæ Miſcellaneæ ſecundæ prima ac nonageſima) ſcripſerat in hunc modum: *Chriſtmannus aliquidne de temporibus poſt Scaligerum? Durum ille concurſum eſt.* Id pupugit Chriſtmannum: qui Lipſio, aliiſque, oſtendere ſtuduit, ſic ſe concurrere, ut ſuperior decedat. Idem Chriſtmannus eopſe anno in lucem edit diſputationem *de anno, menſe, & die paſſionis Dominicæ.* In qua diſſerit adverſus id, quod Joſephus Scaliger, præfatione librorum de Emendatione temporum, docuerat, Judæos in Palæſtina, ſive terra ſancta, degentes ſemper anno uno, vel menſe, ſeriis ſua celebrare feſta: quod ex inventione tecupharum iverat probatum. Chriſtmannus verò hanc ſententiam refelli ait calendario Palæſtino Rabbi Simeonis, cujus ſuperiùs meminimus: clarè enim illum Palæſtini Calendarii auctorem in præfatione ſuâ dicere, ſe computationem eam XL annorum divulgâſſe pro omnibus Hebræis, ut ubique terrarum obſervaretur; quia ex terra Iſraëlis prodire oporteat legem, ac temporum præſcriptionem.

16. §. *Anno* CIↃ IↃ XCVIII *inchoante, Guilielmus Perkinſius, Theologus Anglus, Chronologiam ſacram edebat.*

Cujus inſcriptio eſt, *Specimen digeſti, ſive harmoniæ Bibliorum veteris & novi Teſtamenti.* Excudit Cantabrigiæ eopſe anno Joannes Legat.

17. §. *Anno* CIↃ IↃ C *jubilæo, Franciſcus Vieta relationem Kalendarii veri Gregoriani ad Eccleſiaſticos doctores, Pontifici Max. Clementi* VIII. *exhibebat. Præterea edidit canones in Kalendarium Gregorianum perpetuum. Adhæc adverſus Chriſtophorum Clavium explicationem emiſit.*

Eâ ſtudet evincere, Clavium rectè à ſe accuſatum corrupti Kalendarii. Nam rectè quidem Aloyſium Lilium intellexiſſe rationem anni reformandi: eo mortuo Clavium, quia chartas Lilianas non intelligeret, multa depravâſſe: ut qui ad æquationem epactarum falſam induxerit periodum Lunarem: quippe talem, ut ex ea conſequatur, tempore plenilunii aliquando interlunium fore, & contrà. Vide, quæ de Vieta, & controverſia hac, narrat Jacobus Auguſtus Thuanus Hiſtoriarum lib. CXXIX.

18. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ CIII *Joannes Chenu Biturix, edidit Chronologiam hiſtoricam Archiepiſcoporum Bituricenſium. Annis poſtea* XVIII, *denuo emiſit, additis ejus Eccleſiæ, ut vocant, decanis. Eopſe anno, qui fuit* CIↃ IↃ CXXI, *publici juris fecit hiſtoriam Chronologicam Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Galliæ.*

In Senatu Pariſienſi patronum ſe profitetur. Ac anno, quo dixi, CIↃ IↃ CXXI, annum ſe agere ait LXI.

19. §. *Anno* CIↃ IↃ CV *Thomas Lydiat Londini edebat tractatum ſuum de variis annorum formis: qui partim eſt adverſus Clavium, & Romani Collegii Mathematicos; partim contra Joſephum Scaligerum.*

Quæ Scaliger repoſuerit, vide apud eum in Prolegomenis Iſagogicorum Chronologicorum canonum. Epigramma, quod ibi in Lydiatum Græcè legitur, Latinè ipſe reddidit Scaliger: ſed verſionem in Prolegomenis non appoſuit. Adſcripſit tamen, uti multa alia acerbè dicta, codici ſuo, quo nunc utor. Non gravabor inde epigramma illud memorare; turpiculum licet, & bilis nimiæ:

Arboris excelſæ ſcandebat Simia tractus,
In cœli meditans mittere templa pedem.
Ut ſummum tetigit, procedere nec datur ultra,
Spectandas populo præbuit illa nates.

20. §. *Anno* CIↃ IↃ CVIII *Henricus Samerius Luxemburgenſis, Societatis Jeſu, edebat* * *ſacram Chronologiam, à mundo condito uſque ad Chriſtum.* [* *Antverpiæ apud Hieron. Verduſſen.*]

Obiit Luxemburgi biennio pòſt: anno puta CIↃ IↃ CX.

21. §. *Anno* CIↃ IↃ CXVIII *pulcrum nomen fuit Joannis Kepleri: qui reliquit eclogas Chronicas: librum item de vero nati Chriſti anno.*

Hoc de ſcriptore in Aſtrologis dictum cap. XXXVI, §. 45.

22. §. *Anno* CIↃ IↃ CXIX *Ubbo Emmius, Friſius Grethanus, divulgabat Chronologiam omnium temporum. Ac ſeorſum eopſe anno Chronologiam rerum Romanarum.*

Quo tempore agebat annum ætatis LXXII; inque Groningana, & Omlandica Academia, Hiſtorias, & Græcam linguam, profitebatur. Vir fuit longè doctiſſimus: præcipuè verò Hiſtoria Friſiæ inclaruit: præter quam etiam illi debet juventus Veterem Græciam illuſtratam: quæ eſt de Græciæ regionibus, geſtis, & Rerumpublicarum forma.

23. §. *Anno* CIↃ IↃ CXXV *Philippus Lansbergius emiſit Chronologiæ ſacræ libros ſex.*

In Zelandia Eccleſiæ Goeſanæ annis plus minus XXIX paſtor fuit. Filium reliquit Jacobum Lansbergium, Medicum, & Mathematicum: qui de motu terræ ſcripſit.

24. §. *Anno* CIↃ IↃ CXXVII *Dionyſius Petavius Aurelianenſis, è Societate Jeſu, emiſit libros* XIII *de Doctrina Temporum; quos duobus complexus eſt tomis. Prior octo libris comprehendit* τὰ τεχνικὰ *temporum, hoc eſt, quæ ad artificioſam ſcientiæ compagem pertinent: ut de varia horarum, dierum, menſium, annorumque ratione. Quæ principia ſunt* ἐπιστημονικὰ* *alterius partis. Poſterior tomus libris quatuor complectitur ea, quæ in ratione* ἐποχῶν, *atque intervallorum, ſunt obſcura, eoque controverſa. His* XII *libris accedit decimus tertius, qui* ἀποτέλεσμα, *ſive uſum fructumque ſuperiorum continet librorum: ac Chronicon eſt omnis ævi uſque ad annum* IↃXXXII; *quo pax inita eſt inter Romanos, & Perſas. Poſtea idem fecit Rationarium temporum, iiſdem libris* XIII: *quod jam ter edidit, priora uſque corrigendo, & augendo.*

* *Scientifica.*

Permulta poſt Scaligerum optimè obſervavit. Sed, quia adhuc ſupereſt; nolim judicium interponere inter eos, quorum uterque præclarè adeò de Chronologia meritus eſt, ut nullis plus hæc ſcientia debeat.

25. §. *Anno* CIↃ IↃ CXXVIII *Michaël Paludanus Gandavenſis emiſit Chronologiam regum Juda, & Iſraël.*

Natus anno CIↃ IↃ XCIII. Amplexus fuit ordinem Eremitarum S. Auguſtini. Anno CIↃ IↃ C XXXIV cœpit eſſe rector ordinis ſui per Belgicam. Denique & creatus Theologiæ in Academia Lovanienſi Profeſſor.

26. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXX *Henricus Philippus, Societatis Jeſu Doctor Theologus, edebat Quæſtiones Chronologicas de annis Domini Julianis, & illis Nabonaſſari, utràque Judaicâ, aptè inter ſe componendis. Item Quæſtiones Chronologicas de annis nati, & paſſi Salvatoris.*

Priori in opere etiam exponitur Calendarium Romanum cum Epactis, Calendis, Nonis, Idibus, & initiis menſium Græcorum, Syro-Chaldæorum, Ægyptiorum: adhæc de Feriis, Cyclis Lunæ, Solis, & Indictionum: nec non de modo conſtruendi tabulas connexionis ærarum.

27. §. *Anno* CIↃ IↃ CXXXII *eximiæ doctrinæ vir, Samuel Petitus, edidit eclogas Chronologicas*†:

† *Excuſa Pariſiis à Carolo Morello.*

in quibus de variis annorum Judæorum, Samaritarum, Græcorum, Macedonum, Syro-Macedonum, Romanorum, typis, cycliſque veterum Chriſtianorum Paſchalibus, diſputatur. Opus eſt pereruditum.

28. §. *Anno* CIↃ IↃ C XLV *Leo Allatius publici juris faciebat exercitationem de natura temporum, & præcipuè Græcorum.*

Romæ vivit, multaque cùm propria, tum antiqua hactenus inedita, divulgat: nec pauciora ſunt, quæ parata habet prælo, vel jam parturit bono publico.

29. §. *Sed manum de tabula. Nec enim hoc tempore otium ſinit, ut referam omnes, vel penè omnes. Tam multi ſunt quorum me tempora jam video prætervectum. Sed confido, me aliàs de iis poſſe dicere. Mirum verò in tanta eorum copia, qui de temporibus egerint, ſupereſſe tam multa; in quibus nec ſummi viri ſatis ſe hactenus extricarint.*

Hoc facilè deprehendet, qui, ſine affectu ac partium ſtudio conferre volet, quæ de temporibus ſcripſere magni duo viri, beneque de Chronologia meriti; Joſephus Scaliger, & Dionyſius Petavius. Sanè conſpiciet, eſſe, ubi Scaligero major laus debeatur; comperiet quoque ubi longè Petavio malit aſſentire; erit etiam, ubi ampliandum videatur; imò ubi nec facilè veritas à quoquam poſſit indagari. De modo, quo hic, vel alter, ſcripſere, non dicam: de re loquimur.

CAP. XLIII.

DE GEOGRAPHIA.

1. §. *De Chronologia hactenus. Sequitur nunc altera Coſmographiæ pars, Geographia: quæ eſt terreſtris globi explicatio.*

SIve deſcriptio totius terræ, præcipuè cognitæ, & elementi adhærentis illi. Sive Scientia de menſura, globi terrâ, & aquâ, conſtantis, cum relatione, ſive ordine, ad ſphæram cæleſtem. Geographi plerique *Coſmographiam* vocant: ſed admodum ἀκύρως*, cùm ejus ſolùm pars ſit; ut mox planius fiet.

* *Impropriè.*

2. §. *Objectum Geographiæ eſt Orbis terrarum; ſive terræ, & aquæ globus.*

Differunt itaque Κοσμογραφία, Γεωγραφία, Χωρογραφία, & Τοπογραφία. Κοσμογραφία cælum, terramque, deſcribit; ut differat à Γεωγραφίᾳ, velut totum à parte. Γεωγραφία eſt deſcriptio globi terreſtris; quo nomine terras, maria, ac fluvios, complector. Χωρογραφία eſt deſcriptio regionis; velut Italiæ, Græciæ, Palæſtinæ: ut hæc ſit pars Geographiæ. Τοπογραφία eſt loci alicujus; ut cùm deſcribuntur Tempe, aut Daphne: eoque pars fuerit Chorographiæ.

3. §. *Geographia bifariam tractatur,* ἱστορικῶς†, *&* μαθηματικῶς‡, *ſive* ἐπιστημονικῶς‖.

† *Hiſtoricè.*
‡ *Mathematicè.*
‖ *Scientificè.*

Utrumque hoc tradendi genus complexus eſt Strabo in ſecundo; ubi ait, Eratoſthenem πολλαχοῦ ἐκπίπτειν πρὸς τὸ ἐπιστημονικὸν τῆς προκειμένης ἱστορίας*. Ubi videmus, Geographiam etiam hiſtoriæ accenſere: ſed Eratoſthenem ſæpiuſcule magis mathematicè, quàm hiſtoricè, ſcripſiſſe. Ut verò perfectè tradatur, opus eſt conjungi Matheſin, & Hiſtoriam. Neutra ſufficit ſola:

* *Sæpe ad ea delabi, quæ magis ſcientiæ ſunt propria, quam hiſtoriæ inſtituta.*

—— *Alterius* † *ſed*
Altera poſcit opem res, & conjurat amicè.

† *Horat. 2. epiſt. ad Piſones.*

4. §. *Quæ ad hiſtoriam Geographicam exiguntur, duûm ſunt generum. Alia enim ad naturam, alia ad res geſtas pertinent. Naturalis illa hiſtoria ſunt, quibus deſcribit terras, maria, flumina, montes, & quæ ad hæc reducuntur, tanquam opera naturæ. Ad civilem hiſtoriam referuntur illa de migrationibus gentium, & urbium conditoribus, & his ſimilia: ut, quæ non ſint naturæ, ſed humanæ voluntatis opera.*

Imò etiam Chronographia eſt hujus loci, quatenus Geographus narrat, quando gens aliqua migrârit, vel urbs aliqua ſit condita, & id genus alia.

5. §. *Ad Matheſin autem pertinet, Geographia quatenus indiget tum Geodæſiâ; tum etiam Aſtronomiâ. Quod ad priorem, ut Geographia accipit principia à Geodæſia; ita hæc à Geometria.*

Hinc

Hinc Strabo in primo ait, Geometriam μάλιστα Γεωμετρίας, καὶ Ἀστρολογίας δεῖ δή*. Quod pluribus idem illuſtrat lib. II †: Ὥσπερ ὁ μὲν τὴν γῆν ἀναμετρῶν παρὰ τοῦ ἀστρονομοῦντος ἔλαβε τὰς ἀρχάς, ὁ δ᾽ ἀστρονόμος παρὰ τοῦ φυσικοῦ· τὸν αὐτὸν τρόπον χρὴ καὶ τὸν γεωγράφον παρὰ τοῦ ἀναμεμετρηκότος ὅλην τὴν γῆν ὁρμηθέντα πιστεύειν τούτῳ. *Sicuti is, qui terram dimetitur, ab Aſtronomo principia accipit, atque à Phyſico Aſtronomus: ſimiliter oportet Geographum ea, quæ ab dimenſo omnem terram accepit, pro certo habere.*

* *Maximè Geometriâ, & Aſtrologiâ indigere.*
† P. 112. *edit. Pariſ. an.* 1620

6. §. *Porrò non ſufficere Geodæſiam, vel Geometriam; ſed præterea, ut dixi, requiri Aſtrologiæ notitiam: clarè illud arguit, quòd in Geometria opus ſit exponi, quæ terra his, vel illis ſignis cæleſtibus, ſint ſubjecta; & ſub quo climate quæque ſit regio; & ſimilia iſtis.*

Nam variant regiones pro cæli, ſolique ſitu: quam diverſitatem Geographi eſt enarrare. Uti & pro varia poli elevatione; pro ſphæra, recta, obliqua, parallela; pro magnitudine, & diverſitate dierum, ac noctium; pro diſpari ratione vaporum, nubium, & crepuſculorum; & ſimilium: quæ conſiderationis ſunt non abſolutæ, uti illa, quæ paullò antè ad hiſtoriam naturalem, ac civilem, referebam; ſed relatæ ad varias cæli poſitiones. Atque hæc de Geographia ſint dicta universè.

7. §. *Geographiæ partes ſunt duæ: una generalis, de iis, quæ ad univerſum terrarum orbem pertinent: altera de iſtis, quæ particulatim hanc, vel illam regionem tangunt.*

Strabo lib. II *: Χρὴ δὲ τὸν γεωγράφον πρῶτον μὲν ἐκθέσθαι τὴν καθ᾽ ἡμᾶς οἰκουμένην πόση τις, καὶ ποία τὸ σχῆμα, καὶ τὴν φύσιν οἵα ἐστί, καὶ πῶς ἔχουσα πρὸς τὴν ὅλην γῆν. ἴδιον γὰρ τοῦτο τοῦ γεωγράφου. Ἔπειτα περὶ τῶν καθ᾽ ἕκαστα τῶν τε κατὰ γῆν, καὶ τῶν κατὰ θάλασσαν, ποιήσασθαι τὸν προσήκοντα λόγον. *Oportet Geographum primum exponere noſtra habitata terra quanta ſit, quâ figurâ, quâ naturâ, quam rationem ad totam terræ molem obtineat. Hoc enim proprium eſt Geographi. Deinde autem ſingulatim de omnibus, quæ terrâ, marique, ſe offerunt, pro re diſſerere.*

* P. 112. *edit. Pariſ. an.* 1620.

8. §. *Univerſalis ſic agit de iis, quæ univerſum terræ, & aquæ globum, attinent; ut varias & ipſa contineat partes.*

Ut de ſitu ejus in medio mundi, velut centro: de figura ejus, ſi non exactè rotundâ, ſaltem populari loquendi modo; quia non amplius deſcendat maris alveus, quàm montes adſcendant: montium verò ſummorum altitudo ad planitiem ejus vix ſe habeat, ut unum ad quinque millia: deque ſtabilitate ejus, niſi diurnum ejus motum ſtatuere malis cum Copernico, imò Philolao, & veterum Pythagoreorum aliis: adhæc de figura, tum quod ad perimetrum, ſive ambitum, qui putatur quinquies millenorum, & quadringentorum milliarium Germanicorum: tum quod ad diametrum, qui milliarium eſt mille ſeptingentorum, & octodecim; uti ſemidiameter milliarium Germanicorum octingentorum, quinquaginta novem: pro quo rotundi numeri ergo octingentos, & ſexaginta, dicere ſolent. Univerſè etiam pars ea tangit de mundi quatuor cardinibus, pro quibus totidem ſunt venti cardinales: de ejuſdem longitudine, latitudine, zonis, climatis: de varietate incolentium, ſive ex zonis diverſis; unde diſcrimen periœcorum, antœcorum, antipodum; ſive ex diſcrimine umbræ diverſæ; à quâ dicuntur aſcii, amphiſcii, heteroſcii, periſcii. Atque hujuſmodi eſt Geographiæ univerſalis argumentum. Sive id globi ſuperficie exprimere fuerit viſum; ſive in plano, quod planiſphærium appellant. Unde etiam cognoſcimus huc pertinere doctrinam de uſu, ac fabrica globi.

9. §. *Geographia particularis diſtribuitur pro tribus continentibus, in quas diſſeſcitur terrarum orbis. Harum una nota & veteribus, & nobis. Atque hæc eſt, quæ dividitur in Europam, Aſiam, & Africam: vel etiam Europam, & Aſiam; ut Europa contineat Africam.*

Varro lib. IV de L. L. *Ut omnis natura in Cælum, & Terram, diviſa eſt: ſic Cælum in regiones, Terra in Aſiam, & Europam.* Ac ſimiliter Salluſtius, Lucanus, & alii aliquot ſcriptores: è Græcis ante hos Iſocrates extremo penè Panegyrico: uti oſtenſum quoque Chriſtophoro Ruſo in Antexegematis*. Mirum verò ſubjicere Varronem: *Aſia enim jacet ad meridiem, & auſtrum. Europa ad Septentriones, & Aquilonem.* Aſia enim κατ᾽ ἐξοχὴν †. Europæ, atque Africæ, planè eſt ſita ad Orientem. Sed ſi Europam, & Africam, conferas: illa ad Septentrionem eſt, hæc ad Meridiem. Cùm autem hanc continentem veteribus fuiſſe cognitam dico: non de tota loquor continente, ſed prope totâ. Nec enim Japonia, Philippicæ, vel Moluccæ inſulæ, Borneo, & utraque Iava, veteribus fuere cognitæ: vel certè admodum tenuis hæc notitia fuit. Nec novere partem Africæ meridionalem, quam Perſæ, & Arabes *Zanzibar* appellant.

* *Facis Critica Tom.* 2. *pag.* 599.
† *Pro ſim.*

10. §. *Altera verò continens veteribus fuit incognita: ſed nobis eſt nota. Quæ America nuncupatur, vel India Occidentalis. Hæc anno Chriſti* CIↃ CCCCXCII *detecta eſt à Chriſtophoro Columbo Genuenſi:*

idque auſpiciis Ferdinandi, ac Iſabellæ, Caſtiliæ, atque Arragoniæ Regum. Sed quinquennio pòſt, puta anno CIↃ CCCCXCVII, ulteriùs proceſſum eſt ab Americo Veſpuccio Florentino, à quo, penè dixerim, invidendo honore, ſanè qui nulli contigerit Regum, hæc tota continens *America* nomen accepit; non modò illa Septentrionalis, ſive Mexicana; ſed etiam Meridionalis, ſive Peruana; quam primus anno CIↃ IↃ XXV detexit Franciſcus Pizarrus.

Sed quæri video, ſi non niſi ſeſquiſeculum eſt, quòd innotuerit nobis America; unde in ea homines exſtiterint; cùm ſatis conſtet è Scripturis, genus humanum in ea eſſe conditum continente, in qua nos degimus; ac quam etiam poſt Diluvium Noë incoluit cum familia ſua. Mihi, & tot aliis, ſic videtur, ex Europa per Groenlandiam; ex Aſia, nempe è Tenduc, & Cataja, per fretum Anianum, non difficilem fuiſſe navigationem in Mexicanam, atque inde per fretum Danianum, facillimum fuiſſe tranſitum in Peruanam.

Fortaſſe autem, ne id quidem verum eſt Americam tam ſerò innotuiſſe. Phœnices enim, & Carthaginenſes, non continuere ſe intra Hiſpaniam; ſed ulteriores terras petierunt. Sanè in Caſſiteridas inſulas navigâſſe, teſtis eſt Strabo extremo lib. III. Sunt hæ, Heſperides, Gorgades, Capitis Viridis. Nam X numero ait. Fortunatas tenuiſſe, certis docet auctoribus Mariana lib. I, & II rerum Hiſpanicarum. Imò de America ipſâ ſuadere videntur verſus Avieni allati à nobis libro de Philologia cap. XI §. 26. Sed neque America, ſive India Occidentalis, alia videtur, quàm tellus *Atlantidos* nomine à Platone ſignata. Apud eum in Timæo legas*, incolas illius bellum geſſiſſe cum noſtræ continentis hominibus, ac quidem magnæ ejus parti imperâſſe: fuiſſe eam inſulam extra Herculis columnas, tantæ magnitudinis, ut creditum fuerit, majorem eſſe Aſiâ, ac Lybiâ: in hac fuiſſe reges potentiſſimos, qui & Lybiæ uſque ad Ægyptum, & Europæ uſque ad mare Tyrrhenum, imperarent. Horum immanem vim conſpirâſſe, ac bello, quicquid eſt intra columnas Herculis, atque adeò ipſam laceſſiviſſe Græciam. Eo tempore Athenien-

* *p.* 525. *edit. Lemar. ſive edit. H. Steph. T.* 3. *p* 24.

nienſium eminuiſſe virtutem: qui tum ſoli; tum cum Græcorum aliis, expugnârint hoſtes, ac gentes omnes magno liberârint metu. Poſtilla ingenti terræ motu, continuoque diei unius ac noctis diluvio factum eſſe, ut Atlantidos inſula abſorberetur mari: atque inde eſſe, quòd ob vaſtæ inſulæ limum mare redderetur innavigabile. Non ſatis horum mentem cepit Ficinus. Nam ubi Græcè eſt, Τότε γὰρ πορεύσιμον ἦν (ita* diſtinguendum) τὸ ἐκεῖ πέλαγος: vertit, *Tunc enim erat fretum illud navigabile.* Nam *fretum* vertit, ubi ſermo Platoni eſt de pelago externo. Unde mox ſubjungit: Διὸ καὶ νῦν ἄπορον, καὶ ἀδιερεύνητον γέγονε τοὐκεῖ πέλαγος, πηλοῦ καταβραχέος ἐμποδὼν ὄντος, ὃν ἡ νῆσος ἱζομένη παρέσχετο. Ubi pro καταβραχέος, non quidem κάρτα βραχέος †, ſed καταβραχέως legendum cenſeo: hoc eſt, *paullatim.* Sententia, ut puto, eſt, *Ideo & nunc illud pelagus trajici, ac pervestigari nequit, cùm paullatim impedimento fuerit limus, quem inſula, ubi peſſum ierat, excitabat.* Verum & hanc ipſam narrationem de Atlantide ſubmerſâ copioſè perſequitur in Critia, ſive Atlantico, qui hiſtoriam primævi continet ſeculi. Porrò non commemorari hæc ab eo, ut fabulam; inde evincitur: quòd (ut in argumento etiam Critiæ monuit Ficinus) quotieſcunque fingit aliquid Plato, ſoleat illud fabulam appellare: in Timæo verò narrationem hanc vocet rem miram quidem, ſed omnino veram: atque etiam, unde accepta ſit, ſedulò recenſeat. Siquidem Critiam nepotem ait hoc ab avo Critia accepiſſe: hunc Critiam à Solone patruo: eum verò à ſacerdotibus Ægyptiis. Præterea Proclus hiſtoriam Marcelli cujuſdam de rebus Æthiopum adducit; inque ea, ait, hæc ipſa Æthiopum geſtis fuiſſe inſerta. Accedit, quòd non Crator modò, qui primus omnium interpretatus eſt Platonem, pro verâ hæc habet hiſtoria: verùm Origenes etiam; eumque ſecuti Porphyrius, Proclus, atque alii; licet phyſicam etiam allegoriam ſubeſſe arbitrentur. Quæ iſta fuerit, in argumento Timæi recenſet ex iis Ficinus. Nec obſtat hiſce, quòd dicat Plato, ea ex Ægyptiorum opinione contigiſſe ante novem annorum millia. Siquidem peccatum in eo ab Ægyptiis, quòd annos regum ſuorum, qui diverſis Ægypti regionibus eodem tempore regnârunt, ita numerant, quaſi alii poſt alios vixerint: unde nimium quantum numerus annorum exaggeretur. Liquidis hoc argumentis oſtendimus lib. I de idololatriæ origine, & progreſſu; ſive potiùs de Theologia gentili, & Phyſica Chriſtiana lib. I cap. XXVIII. Tertullianus tamen libro de Pallio habet pro re commentitiâ. Quippe inſulam hanc vocant *Æonem*, ad Valentini Platonici æonas alludens. Verba ejus ſunt: *Et, ſi ille non mendax* (Platonem ſignat) *Æon in Atlantico, Libyam, & Aſiam, adæquans, quæritur adhuc.* Meminit & ejuſdem in Apologetico his verbis: *Memorat & Plato majorem Aſiâ, & Africâ**, *terram* (ſic legendum) *Atlantico mari ereptam.* Si Pamelio fides, eadem eſt, quam adverſus Valentinianos inſulæ *Folienla* nomine deſignat. Sed & Plinius lib. II Natur. Hiſtor. cap. XCII, & Arnobius primo adverſus Gentes ſubmerſæ hujus inſulæ ex Platone meminerunt. Porrò cùm Columbus, Americam petens, ingentem quidem graminis copiam repererit, quâ claſſis cincta, velut in pratis navigare viſa eſt; at non item vada, aut ſcopulos, offenderit: ſuſpicio eſt quorundam (in his Pamelii ſuis ad Tertullianum † notis) non tam ſubmerſam eſſe Atlantidem inſulam, quàm maris violentiâ à noſtro orbe avulſam; indeque ortam opinionem de ea penitùs abſorpta. Apud Ariſtotelem in admirandis Auditionibus legere eſt, à Carthaginenſibus extra columnas Herculis inventam fuiſſe inſulam Vaſtam, ſylvis nemoroſam, fluminibus variis irriguam, variis fructibus uberem, multorum dierum navigatione diſtantem, in quam cùm Carthaginenſes crebrò commearent, ac multi in ea figerent ſedes, edictum eſſe promulgatum, ſiquis iſtoc navigaſſet, capital fore: atque eò ita decrêſſe, quia metuerent, ne, dominatu excuſſo, rebellio populi oriretur, inſulæque iſtius opibus auctis, Carthaginenſium res imminuerentur.

* In edit. Lemar.

† Sic in aliquibus libris legi, ad oram H. Stephanus annotavit.

* Al. Aſia, & Africa.

† Apologet.

Ac ſimilia ferè Diodorus Siculus lib. V bibliothecæ*. Quæ inſula hæc fuerit, quæri video. Eam fuiſſe continentem, quam Americam dicimus, opinio eſt multorum: in his Joan. Goropii Becani Originum Antverpianarum lib. III †, qui Niloſcopium vocatur: item Adriani Turnebi lib. XX Adverſariorum cap. XI, & Jacobi Pamelii notis in Tertulliani Apologeticum. Nec multùm adverſor: etſi potuerit eſſe Britannia. Negat id Turnebus, quia hæc, ut inquit, cognita fuerit. Sed in quæſtione eſt, utrùm tum cognita fuerit Britannia, quando iſta contigere, quæ Diodorus narrat: nempe cùm Tyrrheni in Italia adhuc maris inferi potirentur; ſic ut ab iis *Tyrrhenum* dictum ſit. Planè tum, ut puto, ignota fuit Britannia gentibus mare mediterraneum accolentibus. Sanè quàm tardè ſit cognita Romanis, argumento eſt, quòd *novus orbis* diceretur: ſicut Servio monitum ad illud I Ecl.

Et penitus toto diviſos orbe Britannos.

Nec ex eo tamen conſequitur, ignotum prorſus fuiſſe Diodoro, Ariſtoteli, vel Platoni: cui dicebamus *Atlantidem* vocari, non, ut videtur, ab Atlante Africæ, ſed Atlantidis rege. Unde Maro IV Æn.

—— Iacet extra ſidera tellus,
Extra anni, Solíſque, vias: ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Nec enim Africæ mons eſt *extra anni, Solíſque, vias,* neque Maro zonam torridam, vel ulteriorem temperatam, ignoravit. Nec video, quomodo huic difficultati aliter occurri poſſit, niſi quòd veteres dubitârint, an inter columnas Herculis, & Sinam, vel primas Orientis inſulas, eſſet aliquid, quo partes iſtæ terrarum jungerentur. Interim Ariſtoteli non viſum eſt abſurdum, ſi vaſtum mare inter hæc foret interjectum. Sic enim ſcribit lib. II de Cælo, cap. XIV: Διὸ τοὺς ὑπολαμβάνοντας, συνάπτειν τὸν περὶ τὰς Ἡρακλείους στήλας τόπον τῷ περὶ τὴν Ἰνδικὴν, καὶ τοῦτον τὸν τρόπον εἶναι τὴν θάλατταν μίαν, μὴ λίαν ὑπολαμβάνειν ἄπιστα δοκεῖν. *Quocirca qui exiſtimant, locum, qui eſt circa columnas Herculeas, coniungi ei, qui eſt circa Indiam, & hoc pacto eſſe mare unum, non admodum incredibilia exiſtimare videntur.*

* P. 208. edit. Steph. ſive p. 299. & 300. edit. Hanovianæ anno 1604

† P. 304. edit. Plantin.

II. §. *Tertia continens eſt Auſtralis, non veteribus modò, ſed (paucis litoribus exceptis) nobis etiam ignota: ut qui de cæteris non habeamus ejus notitiam, niſi quæ universè illi accidunt ſecundùm motum cæleſtem. Aliter* Magellanica *nuncupatur à Ferdinando Magellano; qui primus ejus notitiam fecit anno* CIↃ IↃ XX, *qui univerſum orbem circumnavigavit.*

Uti poſtea factum à Franciſco Drakio Anglo anno CIↃ IↃ LXXV: anno autem CIↃ IↃ LXXXVII ab Anglo altero Thoma Candiſch: anno verò CIↃ IↃ C ab homine Batavo, Oliverio van Nord. Pleniùs prioribus, ante annos non ita multos, hanc terram detegere cœpit Ferdinandus de Quir Hiſpanus. Eò quoque quomodo homines pertigerint ex noſtra continente, quæri video. Verùm Indi Orientales per Taprobanam, & Iavan; Indi Occidentales per fretum Magellanicum, facilè ſe in Terram Auſtralem infundere potuerunt. Etſi autem ignota hæc tellus priſcis fuit: ex Solis tamen curriculo, & comparatione terræ cum cælo, fuere ſic ratiocinati, non omnem illam meridionalem plagam eſſe aquis obrutam, & terrarum expertem. Atque hoc docent verba illa M. Tullii lib. I Tuſcul. Quæſt. *Tum vidimus globum terræ eminentem è mari, fixum in medio mundi univerſi loco, duabus oris diſtantibus habitabilem, & cultum; quarum altera, quam nos incolimus,*

Sub axe poſita ad ſtellas ſeptem, unde horrifer
Aquilonis ſtridor gelidas molitur nives:

altera Auſtralis, ignota nobis, quam Græci vocant ἀντίχθονα. Item Pomponius Mela lib. I cap. I: *Hujus medio terra ſublimis cingitur undique mari; eademque in duo latera, quæ hemiſphæria nominantur, ab Oriente diviſa ad Occa-*

 ſum,

ſum, zonis quinque diſtinguitur. Quo loco rectè Turnebus pro *eadem* legere *eodem* jubet: malè verò & hunc Melæ, & ſuperiorem Ciceronis locum, de America intelligendum eſſe exiſtimat. Siquidem, terram eſſe auſtralem, ratiocinando quidem colligere veteres; ut antea dicebamus: ſed inacceſſa tamen priſcis fuit. Plane verò magni Viri opinionem jugulat, quòd Cicero disertè eam non *Occidentalem*, ſed *Auſtralem* nominet: quodque Mela dicat, terram in duo hemiſphæria *dividi Oceano ab Oriente ad Occaſum:* non verò *à Septentrione in Auſtrum*, vel contra. Atque hæc de globi diviſione in partes majores: in quibus conſiderat, tum terminos, ſive confinia, quibus diſtinguntur partes; tum longitudinem, & latitudinem; tum alia accidentia. De minoribus partibus, ut ſunt regna, ac regiones ſingulæ, nihil attinet hoc loco dicere.

Cap. XLIV.

DE GEOGRAPHIÆ SCRIPTORIBUS, Græcis, Latinis, Arabibus; qui quidem ante ſecula multa vixerint.

1. §. *Deinceps de iis agendum, qui in Geographia laudem ſibi pepererunt. Ac primi quidem eam attigere philoſophi. Ut poſt Homerum Anaximander Mileſius, Hecatæus itidem Mileſius, Democritus, Eudoxus, Dicæarchus, Ephorus, Eratoſthenes, Polybius, Poſidonius.*

LAudat hos univerſos Strabo initio libri I: Τῆς γὰρ φιλοσόφου πραγματείας εἶναι νομίζομεν, εἴπερ ἄλλην τινὰ, καὶ τὴν Γεωγραφικήν. Οἵ τε γὰρ πρῶτοι θαρρήσαντες αὐτῆς ἅψασθαι, τοιοῦτοί τινες ὑπῆρξαν. Ὅμηρός τε, καὶ Ἀναξίμανδρος ὁ Μιλήσιος, καὶ Ἑκαταῖος ὁ πολίτης αὐτοῦ, καθὼς καὶ Ἐρατοσθένης φησί· καὶ Δημόκριτος δὲ, καὶ Εὔδοξος, καὶ Δικαίαρχος, καὶ Ἔφορος, καὶ ἄλλοι πλείους, ἔτι δὲ οἱ μετὰ τούτους, Ἐρατοσθένης τε, καὶ Πολύβιος, καὶ Ποσειδώνιος, ἄνδρες φιλόσοφοι. *Si aliud quicquam ſanè terrarum deſcriptionem exiſtimo eſſe tractationis philoſophicæ. Qui enim primi Geographiam attingere auſi ſunt, ii philoſophi fuere. Homerus inquam, & Anaximander Mileſius, ejuſque civis Hecatæus: (ut ait Eratoſthenes) adhæc Democritus, & Eudoxus, & Dicæarchus, & Ephorus, pluresque alii: & qui poſt eos vixere, Eratoſthenes, & Polybius, & Poſidonius, homines & ipſi philoſophi.* De Anaximandro, Hecatæo, & aliis, quos ſubjungit Strabo, dixi libro de Philologia cap. XI §. 7: ac fuſius de pleriſque in opere de Hiſtoricis Græcis. Solùm de Democrito nunc dicam, ex Laërtio conſtare, non Coſmographiam tantummodo ſignâſſe, ſed etiam διάκοσμον, tum majorem, tum minorem: in quo agebat, ut vox indicat, de concinno mundi ordine, ſive de harmonica corporum naturalium digeſtione. Præterea alios in Philologia memoravi: ut ſunt Scylax Caryandenſis, Pytheas Maſſilienſis, Hanno Carthaginenſis, Artemidorus Epheſius, Iſidorus, Characenus, & Dionyſius ὁ Περιηγητὴς. Quibus plures poſſim addere ex altero opere, quod eſt de Hiſtoricis Græcis. Sed non lubet actum agere.

2. §. *Plurimùm verò debemus Straboni, ob ſeptendecim rerum Geographicarum libros. Sub Tiberio imprimis claruit.*

Abunde de ejus ætate, patriâ, & ſectâ, dixi Hiſtoriæ Hiſtoricorum Græcorum lib. II, cap. VII.

3. §. *Nec multò poſt Strabonem floruit Marinus Tyrius Geographus. Id ſub Nerone imprimis fuit, vel circiter.*

Sic Lucas Gauricus Neapolitanus in Calendario Eccleſiaſtico*: qui vixiſſe ait anno poſt Chriſtum natum LX. Proximum etiam à Chriſto nato locum ei inter Mathematicos tribuit Henricus Brucæus †. Ptolomæo eſſe paullò vetuſtiorem, arguit, quòd ab eo ſæpius memoretur in primo Γεωγραφουμένων.

* *Pag. 16. edit. Venetæ apud Iuntas an. 1552.*

† *Catalogo Aſtrologorum, quem tribus de Motu primo libris addidit.*

4. §. *Sub M. Aurelio Cæſare latè fulgebat Claudius Ptolemæus Alexandrinus, vel potius Peluſiota; cujus Geographiam habemus.*

Vide, quæ de eo ſcripſimus lib. IV de Hiſtoricis Græcis cap. XVII. Sed utcunque nihil, vel tantummodo minutum quid, deſideres in iis, quæ propria ſunt Mathematici: in illis tamen, quæ hiſtoria ſuppeditat Geographo, ſæpe aberrat, culpâ non ſuâ, ſed eorum, unde hiſtoriam accepiſſet. Hac de re judicium capere poſſumus vel ex ſola Italia: de qua apponam Paulli Merulæ verba, ſuâ in Geographiam præfatione. Ubi hunc in modum ſcribit: *Ptolemæum frequenter adibam; ſed faſtidium movebant non pauca. Animadvertebam plurima magno auctori ſcripta eſſe ab auditu, & ex alterum (qui ſæpe fallunt, quorumque, cùm, quæ viſa narrant, verba nonnunquam non bene capiuntur) fide: eamque ob cauſſam ipſius Geographica, ex alieno concinnata relatu, maleque, & inemendatè ſcripta, innumeris deformata eſſe erroribus; multa item, quæ aliis nominatiſſima, negligenter in iis eſſe omiſſa; multa ſequiorem nacta eſſe ſtationem, & extra verum locata ſitum; multa dubiam adepta nomenclaturam; infinita non ſuis tributa populis, vel regionibus, plurima denique cùm ab aliis, tum ab ſeipſo, & alibi dictis, diſſentientia. Probetur hoc, quis petit? Tadium lectorem necaret. Unam Italia, (quâ, præter patriam, vix alia ipſi, tranſmiſſo Magno Mari, vicinior) regionem inſpice Picenum: ibi duorum, qui nobiliſſimi, fluviorum, Metauri, & Iſauri, nullam facit mentionem. Idem in Gallia Ciſpadana Padi fluminis caput ad Larium deſcribit lacum; quod verè, ſenſu docente, meiſque oculis id teſtantibus, in Veſulo monte. Idem in Tabulis Auſanum, Samnitium oppidum, cis Sarum in Frentanis collocare videtur; in pictura verò trans eundem amnem in Pelignis. Tanto ſcilicet Ptolemæus certiora ſuis elucubrationibus expreſſit, nobiſque reliquit, quanto cujuſque rei meliores habuit teſtes; tanto autem incertiora, quanto pejores: ideoque ſubinde vel ex aliis, cùm antiquioribus, tum recentioribus; vel ex membranis, caſtigandus, ſupplendus, transformandus.* Eam ad rem, quam optimus, & doctiſſimus Merula ab junioribus deſiderabat; ſpero, propediem comparituram operam, atque induſtriam, filii mei Iſaaci Voſſii. Nec Geographiam modò condidit Ptolomæus; ſed etiam φάσεις: cujus operis meminit Stephanus in Αὐγίλα.

5. §. *Sub Conſtantio, & Conſtante, imperatoribus, vixit anonymus ille ſcriptor Græcus, qui veteris orbis deſcriptionem reliquit. Hic Latinè olim, ſed barbarè, redditus fuit. Ac tralationem illam, à Clariſſimo Salmaſio acceptam, è codice Franciſci Jureti edidit Jacobus Gothofredus, I. C. Græcè præterea cum verſione prodire voluit. Notas etiam eruditas addidit.*

De auctoris ætate, patriâ, ac religione, vide, quæ idem ampliſſimus, nec juris modò civilis, ſed literarum etiam ſcientiâ, præſtantiſſimus Gothofredus, ubertim diſſeruit in Prolegomenis hujuſce ſcriptoris.

6. §. *Sub Juliano imperatore claruit Alypius Antiochenus, Cæſarei frater: qui & ipſe Geographiam condidit.*

Miſit illam Juliano Cæſ. qui epiſt. XXX tum eo ſibi gratiorem fuiſſe ait, quòd deſcriptiones prioribus forent meliores; tum quòd eam ſuis jambis exornâſſet. Videri poſſit Alypius eſſe is, cujus eſt orbis veteris deſcriptio proximè memorata. Tempora quidem conveniunt. Sed rectè obſer-

obſervavit Gothofredus, hoc ſi fuerit, neceſſe eſſe, ut librum eum fecerit, priuſquam iret in Britannias. Nam in anonymo illo legas, *Britannia provincia, ſicut, qui fuerunt, narrant, valde maxima.* Sic loqui non potuit, qui vicarius fuiſſet Britanniarum. Hoc enim de Alypio teſtatur Ammianus lib. XXIII verbis iſtis: *Alypio Antiochenſi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis.* Et lib. XXIX nuncupat *exvicarium Britanniarum.* Ex eodem Ammiano * cognoſcimus, hunc eſſe Alypium, cui à Juliano Cæſare negotium erat datum inſtaurandi templi Hieroſolymitani.

* Initio lib. 23.

7. §. *Pappus Alexandrinus effulſit temporibus Cæſaris Theodoſii ſenioris; interque alia librum de fluviis Libyæ, nec non univerſalem Chorographiam, reliquit.*

Teſtis Suidas. Plura de eo diximus cap. XVI, §. 8, & cap. XXXIII, §. 21.

8. §. *Alii etiam Græcorum multi occurrunt: ſed alibi dicti nobis; quos iccirco nunc prætereo.*

Ut Michael Pſellus, Georgius Gemiſtus, Agathemerus Orthon: quos retuli libro de Philologia, cap. XI. Et tot alii, de quibus in Græcis hiſtoricis actum; quia & Geographia quædam terrarum hiſtoria eſt. Quorundam etiam nomina ignoro. Ut Eparchiarum Aſiæ, Europæ, & Africæ; quos Græcè exſtare Mſſos, in Nomenclatore ſuo auctor eſt Robertus Conſtantinus.

9. §. *E Latinis Geographis antiquis ſuperſunt, Pomponius Mela, Plinius Secundus in Hiſtoria Naturali, C. Julius Solinus, auctor Itinerarii Antonino Auguſto tributi, vetus Itinerarii Burdigalenſis ſcriptor, Feſtus Avienus, Rutilius in Itinerario, Hieronymus de locis ſanctis, Vibius Sequeſter, Martianus Capella, Priſcianus Cæſarienſis tralatione Dionyſii, Iſidorus Hiſpalenſis in Originum libris, Notitia imperii Romani, nec non utriuſque imperii Notitia, ac vetus tabula, quæ Peutingeriana vocatur.*

De hiſce omnibus, exceptâ tabulâ Peutingerianâ, dixi paucis libro de Philologia cap. XI; fuſiùs de pleriſque egi in opere de Hiſtoricis Latinis. Nunc igitur ſolùm clariſſimi, & amiciſſimi olim viri Paulli Merulæ judicium apponam, partim de Itinerario Antonino Cæſari tributo, quod alii volunt eſſe Julii Oratoris, alii Æthici Iſtri; partim de tabula, quam *Peutingerianam* nuncupant, quia primò ex illuſtri Peutingerorum familia producta ſit in lucem. Verba Merulæ ſunt iſta, præfatione eâ, quam Coſmographiæ ſuæ præmiſit: *Nec ſuis caret mendis Antonini, vel cujuſcunque cenſendum, Itinerarium; in quo emaculando, ſuoque nitori reſtituendo, egregiam poſuerunt operam, cum alii, tum vel maxime Abrahamus Ortelius, vir monſtris ex terrarum orbe emoliendis plane natus; & Hieronymus Surita, Cæſarauguſtanus; quo in hoc argumento Hiſpania nunquam habuit feliciorem. Hinc factum, quod majore cum fructu illud uſurpârim; commiſſum cum ampliſſimâ tabulâ itinerariâ, quæ ductu Joannis Molleri, diligentiſſimi Typographi, auſpiciis Viri nobiliſſimi, Marci Velſeri, II-Viri Reip. Auguſtanæ, ex illuſtri Peutingerorum bibliothecâ in lucem prodiit. Plus habet illa in receſſu, quàm frons pollicetur. Licet infinita ibi ſint depravata, & turbatioris ordinis; tamen comparata cum Antoninianis (quibus & hinc medicina non ſemel per me petita) nullo negotio poſſunt corrigi, & ad ſua revocari caſtra: quod non infeliciter à me factum in Gallia, Italiaque, res ipſa docebit. Procurrit hæc tabula ab Occidentali Oceano per Continentis totius longitudinem ad Orientalem uſque, ſingula notans loca, nec non locorum, induſtriâ ſtupendâ, diſtantias, & intervalla. Totum complectitur, quantus quantus eſt, Antoninum; alterûmque tantum, & amplius, adponit; ſi civitates, urbes, oppida, pagi, fluvii, aliáque talia, diligenter examinentur; digna certe, quæ ſedulis doctorum, non magiſtellulorum, manibus teratur.*

10. §. *Exſpectet jam nunc aliquis, ut Latinorum, qui porro magno fuere numero, ſeriem pertexam. Sed enim de iis actum eſt nobis in commentariis de Latinis Hiſtoricis: è quibus iccirco peti eos malo. Quia vero libros illos non ulteriùs perduximus, quàm ad exceſſum Maximiliani primi: nunc præcipuos illorum referam, qui poſtea de Geographia bene mereri ſtuduerunt. Solùm, priuſquam ad eos veniam, aliquid interſeram de Arabibus Geographis. Quorum princeps Abulphedas, ſive Abelfeda; cujus Geographia Arabicè exſtitit in bibliotheca Palatina.*

Syriæ, Aſſyriæ, & Perſiæ, Princeps fuit. Quarto poſt Chriſtum ſeculo, nempe circa annum CCCXX, fuiſſe ait Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum †. † Pag. 51.
Sed multò juniorem cenſeo, in Geſneri Simlerianâ epitome, quæ anno prodiit CIϽ IϽ LXXIV, legas, ante annos fuiſſe CCC. Credo, vixerit ante annum CIϽCC. Ex Oriente eum advexit Guilielmus Poſtellus; qui & inde Compendium Latinè concinnavit.

11. §. *Circa annum milleſimum vixiſſe creditur Anonymus ille, qui Arabicè ſcripſit hortum Geographicum. Vertit Latinè ex Arabico Bernardinus Baldus Urbinas, Guaſtallæ abbas.*

Editioni eam deſtinârat Marcus Velſerus, II-vir Auguſtanus. Sed præpropera mors impediit. Arabem illum ante annos floruiſſe ſexcentos, judicium fuit ipſius Baldi: ut in vita ejus refert Fabricius Scharloncinus; quæ commentatio Baldi Mechanico præmittitur.

12. §. *Præclarè etiam de orbis deſcriptione, præcipuè Aſiæ, & Africæ, meritus eſt ante annos quingentos auctor Geographiæ Nubienſis; quam ex Arabico Latinè verterunt Maronitæ duo, Regii Syriacarum, & Arabicarum literarum Lutetiæ interpretes, Gabriel Sionita, & Joannes Heſronita.*

Vixit tempore Rogerii I, utriuſque Siciliæ regis: hoc eſt, anno CIϽCLI. Romæ Mediceis typis editus eſt. Sed, hortatu nobiliſſimi Jacobi Thuani, à Maronitis, quos dixi, Latinè redditus prodiit Lutetiæ anno CIϽ IϽCXIX. Arabiam imprimis ita deſcribit, ut nihil uſpiam accuratiùs ſit reperire. Ex Europa nihil eâ curâ expoſuit, ac Hiſpaniam; quam ſolam luſtrârat; ut ipſe narrat ‡. ‡ P. 148.

CAP. XLV.

DE GEOGRAPHIS, qui intra proximum ſeſquiſeculum claruerunt.

1. §. *Nunc de Geographis proximi ſeſquiſeculi promiſſa exſolvere aggrediar. Anno CIϽ IϽ præclare merebatur de Hiſpania univerſa Antonius Nebriſſenſis: qui primus inde barbariem pepulit. Hic verò nobis memoratur, quia Coſmographiam reliquit, & Iſagogen in eam.*

UT in Simleri Geſnerianæ bibliothecæ epitome legas. Sed utrùm magnæ rei, an pueritiæ ſolùm fuerit exaratum utrumque opus, dicere nequeo, qui non viderim. Valde vereor, ne ex aliis potiùs fuerit æſtimandus. Salmanticæ primùm annos docuit multos. Exinde Complutum vocatus fuit à Franciſco Ximenio, Archiepiſcopo Toletano, & Romanæ Eccleſiæ Cardin. qui in Carpetanis Complutenſem Academiam condiderat; mox etiam Biblia edidit

edidit toto orbe celebrata. In quibus divulgandis, ut Demetrii Cretenſis, Joannis, & Franciſci Vergaræ, aliorumque; ita & Antonii Nebriſſenſis, operâ uſus fuit. Atque hac occaſione tres minimùm reliquit quinquagenas. Quibus inde nomen, quia ſingulis quinquaginta explicaret Scripturæ vocabula. Ex his tertia lucem vidit *. Adi de eo Alvarum Gometium in Ximenii, Toletani præſulis, vitâ. Item quæ diximus lib. III de Hiſtoricis Latinis cap. VI. Obiit Nebriſſenſis penè octogenarius, anno CIↃ IↃ XLIV.

** Antverpiæ apud hæredes Belleri anno 1600. una cum Angli Caninii commentario de Scripturæ Locis Hebraicis.*

2. §. *Anno* CIↃ IↃ XVI *Tubingæ docuit Joannes Stæflerus: qui Coſmographicas aliquot deſcriptiones reliquit, librum item de artificioſa globi terreſtris compoſitione; adhæc de duplici projectione in planum:*

Sive, quomodo quàm commodiſſimè chartæ coſmographicæ, quas *mappas mundi* appellant, poſſint deſignari. Quæ idem in aſtrologia elucubrârit, ſuperiùs retulimus. Obiit Tubingæ, anno CIↃ IↃ XXII, ac imprimis CIↃ IↃ XXXI.

3. §. *Anno* CIↃ IↃ XVIII *Joachimus Vadianus edebat commentaria ſua in Pomponium Melam de ſitu Orbis: auctiora verò anno* CIↃ IↃ XXX. *Anno* CIↃ IↃ XXXIV *emittebat epitomen trium orbis partium; ubi imprimis deſcribit loca in Novo Teſtamento memorata. Atque iterum* CIↃ IↃ XLVIII.

Natus fuit è nobili familia Vadiana: quæ inſignia gentis acceperat à Sigiſmundo I. Romanorum rege. Multa etiam alia compoſuit, quæ ſuggerent bibliothecarum ſcriptores. Obiit anno CIↃ IↃ LI, ætatis LXVI.

4. §. *Anno* CIↃ IↃ XIX *Joannes Stobniza, Polonus, introductionem elaboravit in Ptolemæi Geographiam: inque ea regionum, ac celebrium oppidorum longitudines, & latitudines appoſuit.*

Excudit Cracoviæ Hieronymus Vietor.

5. §. *Anno* CIↃ IↃ XX *Joannes Balantyne, qui aliter Bellendenus, in Orientali Scotia natus, Coſmographiam edidit, ac præterea Albaniæ deſcriptionem emiſit:*

ut eſt in Simleri bibliotheca. Sed ex Balæo video, non ſcripſiſſe ſermone Latino, verùm Scotico. Nimirum præcipuè genti ſuæ ſtuduit: unde & Hectoris Boëthii Hiſtoriam Scoticæ gentis Latinè ſcriptam Scoticè tranſtulit.

6. §. *Anno* CIↃ IↃ XXII *Joannes Vernerus Noribergenſis divulgabat Ptolemæi primum Geographiæ librum, è Græco Latinum ſe redditum: paraphraſin quoque, & annotationes adjunxit. Atque idem libellum compoſuit de quatuor aliis planis terrarum Orbis deſcriptionibus: nec non præceptum ſuper deſcriptione iſtiuſmodi à priſcis inſtitutâ Geographis, & à Ptolemæo indicatâ in fine libri ſeptimi Geographiæ.*

Addidit quoque Georgii Amatucii opuſculum de Geographia: ſed à ſe correctum, multis etiam de ſuo adjectis. Quæ univerſa iterum edita Ingolſtadii anno CIↃ IↃ LIII cum Geographica introductione Petri Apiani. In reliqua etiam Matheſi, imprimis Geometricis, & Aſtrologicis, complura conſignavit.

7. §. *Anno* CIↃ IↃ XXII *Petrus Apianus, Germanicè* Binewitz, *emiſit Coſmographiam ſuam, ſive inſtructionem Geographicam, cum multis, variiſque inſtrumentis Mathematicis.*

Eam anno CIↃ IↃ XL reſtituit Gemma Friſius; ac prodire voluit cum opuſculis ſuis de locorum deſcribendorum ratione, deque diſtantiis eorum inveniendis, item de uſu annuli aſtronomici. Alia etiam in Matheſi edidit multa. Ac altero etiam nomine pulcrè de ſtudiis meritus eſt. Anno enim CIↃ IↃ XXXIV edidit inſcriptiones Orbis. Quo in opere adjutus fuit à Bartholomæo Amantio poëta. Impenſas autem faciebat Raimundus Fuggerus Auguſtanus, Cæſari Carolo V, ac Regi Romanorum Ferdinando, à conſiliis. Natus Noribergæ anno CIↃ CCCC LXX. Mathematicarum ſcientiarum Ingolſtadii profeſſor fuit: uti adjutor ejus Amantius, Oratoriæ facultatis. Obiit anno CIↃ IↃ LII, ætatis LII. Filium reliquit Philippum Appianum, præclarum itidem Mathematicum; de quo inferiùs dicam.

8. §. *Anno* CIↃ IↃ XXV *egregii nominis fuit Bilibaldus Pirchaimerus. Primum & hic librum Ptolemæi de Geographia Latinè vertit, & commentariolo ſuo illuſtravit.*

Patricius fuit Noribergenſis, Maximiliano I. à conſiliis. Obiit in urbe patria anno CIↃ IↃ XXXI; ut eſt in Iconibus Reuſneri.

9. §. *Anno quoque* CIↃ IↃ XXX *fuit Guilhelmus Barlovus Anglus, ſub Henrico* VIII. *Menevenſis, ſub Eduardo* VI. *Bathonienſis, ac Wellenſis epiſcopus, ſub Maria exul in Germania. Edidit, inter alia Coſmographiam.*

Meminit Balæus, & ex eo Geſnerus.

10. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXI *Henricus Glareanus Helvetius, Poëta laureatus, librum Baſileæ edebat de Geographia.*

Ad hunc conſcribendum eo ſe compulſum ait, quòd, *ut Ptolemæi Geographia ob ſummum artificium non convenit rudibus; ita multum erroris ſit in elenchis adjectis. Strabo, Homericæ philoſophiæ admirator, ac diligens rerum omnium indagator, Chorographiam nobis veriùs, quàm Geographiam, tradiderit. Ipſius Procli ſphæra nimis ſit concisa, & ad horizonta Græciæ, non abſque magna duorum circulorum confuſione, deſcripta. Quæ Joannes à Sacroboſco de parallelis, ac climatibus, ſcripſit, planè mutila ſint. Stephanus indicem deſcripſerit, cui multum fidere non auſit; & nominum mutilatio apud eum multam inducat obſcuritatem. Ex Plinio, Pomponioque Mela, nihil fructûs ferat, qui non imbutus hujus diſciplinæ rudimentis acceſſerit.* Subjungit paullò pòſt, *Sic in hoc libello me geſſi, ut candidus lector confeſſurus ſit, me nec temere, nec ſine fructu lectorum, hanc poſt tot egregios ſcriptores ſuſcepiſſe provinciam.* Idem liber ab auctore recognitus prodiit Lutetiæ anno CIↃ IↃ XXXVII. Natus fuit Glareanus anno CIↃ CCCC LXXXVIII. Obiit anno CIↃ IↃ LXIII; annorum nempe LXXV. Dixi de hoc ſcriptore quoque in Muſicis cap. XXII §. 12.

11. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ XXXIV *aliquis bonos fuit Hieronymi Gemuſæi. Philoſophiam docuit in Academia Baſileenſi. Hoc verò loco memoratur, quia Strabonis epitomen, Græcè ab incerto ſcriptam auctore, Latinè reddidit. Quod fuit anno* CIↃ IↃ XXIX. *Sed anno demum* CIↃ IↃ LVII *Baſileæ Henricus Petri typis commiſit una cum Geographicis Dominici Marii Nigri, & Laurentii Corvini Novoforenſis. Medicinam profitebatur; ſed adoleſcens.*

Henrici Glareani, & Sebaſtiani Munſteri, diſcipulus erat. Obiit anno Chriſti CIↃ IↃ XLV, ætatis XXXIX. Multò nempe ante præceptorem Munſterum: de quo iccirco dicam demum §. 20.

12. §. *An-*

12. §. *Anno* cIↄ Iↄ xxxv *non parvi æſtimabatur, à ſuis imprimis, Joannes Dryander, Germanus. Edidit introductionem Coſmographiæ cum principiis Geometriæ, & Aſtronomiæ, ad hoc ſtudium neceſſariis. Etiam alia emiſit ad illuſtrandam Ptolomæi Geographiam.*

Plura de eo diximus in Aſtronomis, cap. xxxvii, atque iterum in Mechanicis loquar.

13. §. *Anno* cIↄ Iↄ xxxvi *Orontius Finæus Delphinas orbis deſcriptionem divulgavit ad effigiem cordis humani. Galliæ quoque tabulam, & alias, edidit. Item planiſphærium Geographicum.*

Elogium ejus apud Scævolam Sammarthanum habes. Qui etiam refert, obiiſſe anno cIↄ Iↄ lv prid. Non. Octobris; cùm paullùm annum exceſſiſſet ſexageſimum.

14. §. *Anno* cIↄ Iↄ xxxvi *Iacobus Zieglerus Landavus Bavarus in lucem edebat deſcriptionem Terræ ſanctæ, ſive Palæſtinæ.*

Quod & antiquis temporibus factum erat ab Euſebio, & Beda; poſteaque à Bacone Anglo, & Burchardo Dominicali; & eâ, quâ Zieglerus ætate, à Bretenbachio, Eccleſiæ Moguntinæ presbytero. Sed priorum induſtriam vicit Zieglerus, ſive, ut aliqui ſcribunt, Ciglerus. Idem etiam Scandiam, ſive Scandinaviam, deſcripſit. Adhæc Indiam.

15. §. *Anno* cIↄ Iↄ xxxviii *Georgius Rithaymerus emiſit compendium de ſitu orbis terrarum.*

Scripſit Viennæ, edidit Norbergæ apud Petrejum.

16. §. *Anno* cIↄ Iↄ xl *Franciſcus Maurolycus Siculus, abbas Meſſanenſis, Petro Bembo Cardinali mittebat tres libros Coſmographiæ*.*

* *Excuſi Pariſiis an. 1558.* † *E præfatione ad Bembum.*

Quorum argumentum auctoris verbis exponam †: *Confeci dialogos tres: in quorum primo, familiari ferme colloquio, diſceptatur de forma, ſitu, numeroque, tam cælorum, quam elementorum; confutatis interim vulgi, ac philoſophorum quorundam, à vero diſſentientium, opinionibus. Alterum biſariam ſecui. In prima ſectione de circulis primi mobilis, eorumque officiis, agitur: tum de zodiaci diviſione, de zonis, plagis, ventiſque. In altera verò de longitudinibus, ac altitudinibus, tam ſtellarum, quam locorum terræ, de declinationibus, de adſcenſionibus, de dierum, noctiumque magnitudinibus, crementis, decrementiſque: tum de climatum diſtinctione. In poſtremo dialogo de motuum ſpeculatione, & inventione, ſic agitur, ut, quatenus per commentariolum liceat, aditus detur ad magnam Ptolomæi conſtructionem.* Eâdem præfatione ad Bembum legas, quàm multa alia Geographica, inque reliqua Matheſi, ſcripſerit. Adhæc Martyrologium divulgavit; cui inſeruit loca, ubi paſſi fuerint Martyrum ſinguli.

17. §. *Anno* cIↄ Iↄ xl, *& quindecim annis poſt, Rainerus Gemma Friſius claruit. Scripſit de locorum deſcribendorum ratione, deque diſtantiis eorum inveniendis. Item chartam, ſive potius tabulam, quæ contineret univerſi mundi deſcriptionem, partim ex veteribus, partim junioribus collectam, & Cæſari Carolo V. dicatam. Adhæc librum de principiis Aſtrologiæ, & Coſmographiæ, deque uſu Globi Aſtrologici à ſe editi, nec non orbis diviſione, & inſulis, rebuſque nuper inventis.*

Quæ præterea in Aſtrologia ediderit, antea memoravimus.

18. §. *Anno* cIↄ Iↄ xliv *Gaſpar Vopel Medelbachius inclaruit opere ſuo Coſmographico, ac globis duobus, cæleſti, & terreſtri. Præterea deſcripſit Europæ, Aſiæ, & Africæ, partes maritimas. Item Rhenum, à fontibus uſque ad bina oſtia.*

Helium puta, ac Flevum; quibus Rhenus in mare ſe exonerat.

19. §. *Anno* cIↄ Iↄ l, *ac deinceps, floruit Gerardus Mercator Geographorum ſui temporis princeps. Ptolomæi Geographiam reſtituit: item Atlantem elucubravit, quo eſt univerſi orbis tabulas complexus: ut mittam, quæ ad alia ſtudia pertineant.*

Summus hic vir eſt in Flandria ortus; ſed Juliacenſi ditione oriundus. Silvæducis diſcipulus fuit Georgii Macropedii, Lovanii in Collegio Porci honorem indeptus Magiſtri artium. Domeſticus fuit Caroli V. Poſteaque Guilielmi patris, ac Joannis Guilielmi filii, Juliacenſium, ac Clivenſium ducum, Coſmographus. In Geographia hæc tria ſibi propoſuit. Primùm, ut recentem depingeret ſitum. Deinde ut antiquum, præcipuè ſecundùm Ptolomæum. Denique ut, ubi veteres deficerent, ſuppleret: ubi aberrarent, corrigeret. Natus fuit Rupelmondæ in Flandria anno cIↄ Iↄ xii. Denatus Teutoburgi anno cIↄ Iↄ xciv, ætatis ſuæ lxxxii. Doctiſſimum, & Geographorum diligentiſſimum, in Tiphy Batavo appellat ſummus Mathematicus*, Wilibrordus Snellius. * *Præfat. ad Lectorem.*

20. §. *Anno quoque* cIↄ Iↄ l *Sebaſtianus Munſterus Cæſari Carolo V. dicabat Coſmographiam ſuam, ſive terrarum deſcriptionem. Atque idem Pomponii Melæ libros de ſitu orbis, & Julii Solini Polyhiſtora, illuſtravit.*

Vir hic præclarè meritus fuit, tum de Hebræis literis, quas anno cIↄ Iↄ xxix Baſileæ cœpit profiteri; tum etiam de Matheſi, in qua Joannis Stoefleri diſcipulus fuit. Peſtilentiâ obiit Baſileæ anno cIↄ Iↄ lii. Diximus de eo quoque in Aſtrologis.

21. §. *Anno* cIↄ Iↄ li *Guilielmus Poſtellus edidit librum de Etruria; quam primùm in orbe Europæo inhabitatum cenſet. Anno proximo emiſit Coſmographiam, ſive de univerſitate librum. Item Syriæ deſcriptionem, ſeu chorographiam terræ ſanctæ.*

Natus fuit Barentonii in Normannia. Ingenii fuit admodum capacis, linguarum Orientis intelligentiſſimus, variâ doctrinâ inſtructiſſimus, ſed quam ſomniis, ac nugis ſuis, multùm fœdârit. Vide de eo Scævolam Sammarthanum in primo Elogiorum, qui ait prope *centenarium* an. cIↄ Iↄ lxxi. Adi & Thuanum.

22. §. *Anno* cIↄ Iↄ lii, *regnante Eduardo VI, magni nominis erat Robertus Recordus Anglus: qui reliquit Coſmographiæ Iſagogen, ac librum de uſu globorum, aliaque in matheſi, medicinâ, & ſacro argumento, complura.*

Natus fuit in Cambria; Medicinæ Doctor creatus Oxonii; ubi & Rhetoricen, ac Matheſin, publicè docuit. Vir erat undecunque doctiſſimus.

23. §. *Anno* cIↄ Iↄ lviii *Wolfangus Lazius Viennenſis Auſtriacus, Medicus, & Hiſtoricus Ferdinandi Cæſaris, edebat deſcriptionem terræ Græciæ, rerumque Græcarum commentarios, libris duobus.*

Quo tempore annorum erat XLIV. Natus enim eſt anno CIↃ IↃ XIV. Obiit quinquagenarius anno CIↃ IↃ LXV. Vir magnæ & induſtriæ, & doctrinæ, fuit: in quo tamen ſæpius plus judicii deſideres. Meminit & ejus Thuanus Hiſtor. lib. XVI. Cætera illius ad hiſtoriam potiùs pertinent: imò & hoc opus, quod diximus.

24. §. *Anno* CIↃ IↃ LVIII, *ac deinceps, claruit Guilielmus Xylander Auguſtanus; qui Strabonis Geographica Latinè reddidit. Adhæc Stephanum de Urbibus, ſive Hermolaum Byzantium malis dicere, multis partibus edidit emendatiorem.*

Etiam orſus erat ſcribere Onomaſticon Geographicum: ſed, morte prævertente, nequiit abſolvere. Plura de eo diximus, cùm de Geometris ageremus.

25. §. *Anno* CIↃ IↃ LXVII *Philippus Apianus Bavariæ deſcriptionem obtulit principi Bavaro Alberto; cujus juſſu eam ſcripſerat.*

Is pro opera hac remuneratus eum bis mille, & quingentis aureis. Natus eſt Ingolſtadii an. CIↃ IↃ XXX. Patrem habuit Petrum Apianum, celebrem Mathematicum, & à Cæſare Carolo V, equeſtri dignitate auctum; feudis etiam, & aliis, ditatum. A parente hoc in Matheſios ſtudiis præcipuè fuit inſtitutus. Atque eidem anno ætatis XXI in profeſſione Ingolſtadii ſucceſſit; interque alia, patris ſui Coſmographiam, uti & Mercatoris ſphæram, interpretatus eſt. Idem duos ingentes cæli, terræque, globos elaboravit. Extremis XIV vitæ annis Matheſin in Tubingenſi docuit Academia.

26. §. *Anno* CIↃ IↃ LXVIII *Elias Vinetus Santo Burdigalæ exponebat, & emendabat, Pomponium Melam de ſitu orbis: ac, quadriennio pòſt, ita à ſe correctum Lutetiæ excudendum curavit; anno puta* CIↃ IↃ LXXII.

Poſt Hermolaum Barbarum in hoc ſcriptore emaculando, parem operam poſuerat nemo.

27. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXII *Benedictus Arias Montanus Hiſpalenſis edebat Antiquitates Judaicas; quarum primus eſt Phaleg, ſive de Gentium ſedibus primis, Orbiſque terrarum ſitu: alter Chaleb, ſive de terræ promiſſæ partitione: tertium Chanaan, ſive de duodecim gentibus: quartus Nehemias, ſive de antiquæ Jeruſalem ſitu.*

Præter quos alii quini ſunt libri; ſed non Geographici argumenti.

28. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXV *in Batavia deſcribenda vivendi finem fecit Adrianus Junius Hornanus.*

Qui jam ab anno CIↃ IↃ XLI variis doctrinæ monumentis magnum ſibi apud eruditos nomen parârat. Præfatio ad Illuſtres Hollandiæ Ordines ab Junio eſt ſcripta Nonis Januariis anni ejus, qui illi mortualis fuit. Obiit autem XVI die menſis ſibi cognominis. At demum anno CIↃ IↃ LXXXVIII ejus Batavia in lucem prodiit, edente Jano Duza, Leidenſis Academiæ Curatore. Dictio in hoc opere bonitate non reſpondet ſcriptis prioribus. Sed cogitandum, eſſe opus poſthumum. Et, credo, ſenili ætate priſtinus aberat vigor.

29. §. *Anno eodem clari erat nominis Abrahamus Ortelius Antverpianus. Quod deinceps ſemper auxit. Philippi* II. *Auſtriaci, Regis Hiſpaniæ, Geographus fuit. Præcipuè nomen peperit Theatro Orbis terrarum, ac parergo, ſive tabulis Geographiæ veteris, & Synonymis Geographicis.*

Etiam antiquitatum earum valde fuit ſtudioſus, quæ ex nummis vett. Græcis, Romaniſque, cognoſcuntur: uti quoque ex ſaxis antiquis. Obiit anno Chriſti CIↃ IↃ XCVIII, ætatis LXXII.

30. §. *Ann* CIↃ IↃ LXXXII *floruit Bernardinus Baldus Urbinas: qui, præterquam quod Anonymi Arabis hortum Geographicum Latinè reddidit: inſuper univerſi orbis Geographiam, & Hiſtoriam, contexuit ex ſcriptoribus pluſquam ſeptingentis.*

Plura de eo in Mechanicis dicentur.

31. §. *Anno* CIↃ IↃ XC *multum laudis conſecutus fuit Simon Stevinus: qui ſex libros Geographiæ conſcripſit.*

Eorum primus generatim agit de definitionibus. Alter de hylocineſi terreſtris globi. Tertius de atmæoria, ſive vaporum altitudine. Quartus de hiſtiodromia, ſive velificationis curſu. Quinctus de limenheuretica, ſive portuum inveſtigandorum ratione. Sextus de theoria maritimorum æſtuum in acceſſu, & receſſu. Willebrordus Snellius Latinè reddidit univerſos, præter quinctum: quem in adoleſcentia vertit Hugo Grotius, tum altera poſt Deſiderium Eraſmum Batavorum ſuorum ſpes; quam exinde nominis ſui menſurâ facilè implevit.

32. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ XC *vigebat Papirius Maſſonus, Juriſconſultus Gallus; cujus eſt Deſcriptio fluminum Galliæ, quatenus Francia eſt.*

Opus eſt eruditum, poſthumum licet, à Joan. Baptiſta Maſſono Lutetiæ editum anno CIↃ IↃ CVIII. Papirium hunc *virum peracris judicii, atque doctrinæ*, ac meritò, nuncupat Poſſevinus in Apparatu Sacro.

33. §. *Anno* CIↃ IↃ XCIX *edidit Bartholomæus Pitiſcus problemata Geographica, utilia ad locorum diſtantiam ex adſignata longitudine, & latitudine, cognoſcendam.*

Subjunxit ea quinque ſuis Trigonometriæ libris. Mathematicus fuit, atque idem Eccleſiaſtes Aulicus Friderici IV. Electoris Palatini ad Rhenum. Natus autem in agro Grunebergico Schlauna. Obiit Heidelbergæ anno Chr. CIↃ IↃ CXIII. Vide, quæ de eo dicta cap. XVI, §. 33, & in Aſtrologis cap. XXXVII, §. 41.

34. §. *Anno* CIↃ IↃ CI *Antonius de Herrera, Philippi* III. *Hiſpaniarum Regis Hiſtoriographus, deſcripſit Americam, ſive Indiam Occidentalem.*

Idque admodum accuratè. Nec enim alius majori fide, & induſtriâ, obſervavit fines provinciarum, & magnitudinem; maris tractus, promontoria, inſulas; fluminum flexus, oſtia, & portus; lacuum amplitudinem; regionum ſitum, ratione tum vicinorum tractuum, tum etiam cæli; item proventus ſingularum; quæque ad urbes, & propugnacula, pertinent. Hiſpanicè ſcripſit: ſed Latinè reddidit vetus in Academia Leidenſi, & Amſtelodamenſi Lyceo, collega meus Caſparus Barlæus.

35. §. *Anno* CIↃ IↃ CI *Petrus Bertius Flander divulgabat Geographiæ tabulas contractas: atque auctiores, & emendatiores, anno* CIↃ IↃ CXVI. *Item rerum Germanicarum libros tres: unum Germaniæ veteris; alterum Germaniæ poſterioris à Karolo M. ad noſtra uſque tempora; tertium de urbibus Germaniæ præcipuis. Anno* CIↃ IↃ CXXX *Ptolomæi Geographiam Græcè, Latineque, edidit emendatiùs, & va-*

& varios adjunxit Geographos veteres. Pariſiis anno CIƆ IƆ CXXV *emiſit breviarium orbis terrarum. Ibidem anno* CIƆ IƆ CXIX *juris publici fecit digeſtum novum de aggeribus, & pontibus, ad mare ſtructis.*

Cujus operis præfatione etiam narrat, ſe moliri Geographiam ſacram ad Euſebii librum περὶ τ̃ τοπικῶν ὀνομάτων*. Natus fuit Beveris, Flandriæ occiduæ pago, anno CIƆ IƆ LXV. Leidæ præfuit Theologico Illuſtrium Hollandiæ, & Weſt-Friſiæ Ordinum Collegio; quo illi in munere ſucceſſi anno CIƆ IƆ CXV. Exinde, eâdem in Academia, profeſſor fuit Moralis philoſophiæ. Anno CIƆ IƆ CXVIII à Galliarum Rege Ludovico XIII. auctus eſt titulo Geographi Regii. Atque hac de cauſſa, ſchiſmate in Fœderata Belgica oborto, cùm nulla affulgeret reconciliationis ſpes inter partes, Gallias potiſſimùm adiit: ubi regius eſt in Becodiano Collegio profeſſor factus; ſed cùm priùs in religionis Chriſtianæ controverſiis ſententiam mutaſſet. Primum Geographicas tabulas edenti, ante annos pura XLVIII, hoſce, ut præceptori, verſiculos pangebam; quos cum venia, ſi voles, legas:

* De locorum nominibus.

Cùm premerent terras ſtriblige, & ruſtica verba;
Orbis in orbe diu penè ſepultus erat.
At ſimulac opici capti ſordere magiſtri;
Extulit è latebris orbis in orbe caput.
Tum meliùs tabulâ doctâ poſitura Tonantis.
Depicta. Illa oculos pavit, & illa animum.
Docta tamen mendis ſpiſſis fuit oblita. Tanta
Terrarum hiſtoriam condere molis erat.
Id tibi, non dubium claris decus addite BERTI
Pleumoſiis, ſenio, dividiaque fuit.
Ergo uriſque, ſecaſque, velut Podalirius alter;
Omniaque in propriam reſtituis faciem.
Jamque æterna Urbis ditio, ſiciliaque Atlantis,
A Tyriis forſan terra reperta, patent.
Ecqua, poli ſoboles, incrementumque Minervæ,
Præmia te tali digna manent opere?
Vix ſibi notus erat, ſed erat tibi cognitus, orbis.
Ut meliùs nôrit, muneris inde tui eſt.
Crede mihi; incanis ſemper celebrabere ſeclis.
Fallor? an omen ad hoc læva mamilla ſalit?

36. §. *Anno* CIƆ IƆ CV *Paullus Merula Dordrechtanus edebat Coſmographiæ ſuæ partem primam: quæ continet Coſmographiæ generalis libros tres, & ſpecialis libros* IV. *Generalis libro primo agit de Mundo universè: altero, particulatim de ſphæra cæleſti: tertio, de terreſtri. Pars ſpecialis libro* IV *tractat de Europa universè: libro quincto de Hiſpania; libro ſexto de Gallia: libro ſeptimo de Italia.*

Vir fuit, ut variâ eruditione, ita juris ſcientiâ, præſtans. Nec eo integrius quicquam, vel humanius vidimus. Hiſtoriam Romanam in Academia Batava profeſſus fuit; quo in munere clariſſimo Juſto Lipſio ſucceſſit. Ut in præfectura bibliothecæ publicæ nobiliſſimo Jano Duzæ filio. Obiit anno Chriſti CIƆ IƆ CVII, ætatis ſuæ quinquageſimo.

37. §. *Anno* CIƆ IƆ CXV, *ac multis antè annis, poſteaque Bononiæ Matheſin docuit Joannes Antonius Maginus: cujus in Ptolemæi Geographiam exſtant commentarii.*

Etiam Italiam adornabat ingenti opere: ſed lucemne viderit, haut ſat ſcio. Alia ejuſdem in Aſtrologis recenſui, cap. XXXVII, §. 42.

38. §. *Anno* CIƆ IƆ CIX *obiit Bartholomæus Keckermannus Dantiſcanus: multa divulgavit ſuperſtes: inter poſthuma verò ſunt duo libri ſyſtematis Geographici.*

Heidelbergæ linguæ Hebrææ, poſteaque in ſchola Dantiſcana philoſophiæ profeſſor fuit. Vixit annos duntaxat XLII.

39. §. *Anno* CIƆ IƆ CXVI *Philippus Cluverius Gedanenſis edebat Germaniæ antiquæ libros tres. Adhæc Vindeliciam, ac Noricam. Exinde, luſtratâ Italiâ, & Siciliâ, veterem utriuſque deſcriptionem emiſit.*

Etiam de tribus Rheni alveis ſeorſum egit. Sed poſtea hæc magni operis de Germania partem fecit. Ab exceſſu autem prodiit quoque introductio ejus in univerſam Geographiam tam veterem, quàm novam. Geographorum ſuæ ætatis habitus eſt princeps: præſertim quatenus in Geographia hiſtoriam potius attendimus, quàm matheſin. Nulli unquam labori pepercit in evolvendis ſcriptoribus, vel antiquis, vel novis; unde Geographiam lucem capere poſſe arbitraretur. Non abſque magno dolore & aliorum, & meo, qui, ut homine amico, utebar perfamiliariter, Leidæ obiit, anno CIƆ IƆ CXXIII, ætatis ſuæ XLIII.

40. §. *Anno* CIƆ IƆ CXXVIII *Guilielmus Blaeu Amſtelodamenſis multum rem Geographicam promovit, non modò tabulas pangendo maritimas in uſum navigantium mari: ſed etiam globis terreſtribus, & omnium terrarum tabulis indefeſſo labore, magnis impenſis, & quod caput eſt, acri judicio, meliùs, perfectiuſque concinnandis, quàm priorum induſtriâ factum foret.*

Quid mirum? ad præclaras animi dotes acceſſerat inſignis peritia matheſios. Hauſerat eam à doctore nobiliſſimo Tychone Brahe: cum quo amicè vixerat diu. Quàm non facilè alieno fideret judicio, ſed propriis oculis, & experimentis, niti mallet; alienis etiam repertis ſuas addere obſervationes gauderet; inter alia, argumento illud erit, quòd non refugit ipſe laborem menſurandi omne litus inter Moſam, & Texeliam; ut inde judicium ferret, quæ vera eſſet magnitudo orbis terrarum menſurâ perticarum Rhenolandicarum; quas ad exemplum vocabuli *decempeda*, *duodecempedas*, vel *duodecimpedas*, dicere poſſumus. Fine eo, quem dixi, tum in litore Hollandico magis Boreali, prope Texeliam; tum in magis Meridionali, ad Moſæ oſtium; quàm accuratiſſimè poli altitudinem organo obſervavit, cujus arcus foret pars circuli trigeſima; XII nimirum graduum: diameter verò eſſet XXVIII pedum Rhenolandicorum. Quæ de iſto conſcripſerat, ea digeſta à ſe divulgare cogitat filius laudatiſſimus, mihique amicus, Joannes Blaeu. A quo etiam parens magnopere fuit adjutus, Geographicum edendo Atlantem duobus ingentibus voluminibus, linguâ tum Latinâ, tum etiam Germanicâ, Belgicâ, & Gallicâ, ſive Francicâ. Imò & patre defuncto, (obiit ille anno CIƆ IƆ CXXXVIII, XII Kalend. Novembris, annos natus LXVII) idem Joannes Blaeuwius, cum juniore fratre Cornelio, viro magnis virtutibus, tertium hujuſce Atlantis volumen emiſit. Cornelio autem præmaturè mortuo, quartum etiam publici juris Joannes fecit. Ac nunc in quincto, ſextoque, deſudat. Nec minus ſtupendâ induſtriâ facile priores exſuperat Theatro urbium, & munimentorum: cujus jam duo volumina, quæ de Belgica ſunt, magno cum favore, & applauſu, non ſoli Belgæ exceperunt.

Atque hîc, in Hollandia degenti, ſiſtere in eadem animus eſt. Etſi occurrant alii etiam, quos operæ foret memorare. In quibus non Hollandum quidem, ſed Batavum tamen, referam, Joannem Smithum Noviomagenſem, qui commentarium edidit† de oppido Batavorum, ſive Noviomagi. Quo plurima etiam tradidit eruditè de Batavorum Originibus, veterique eorum hiſtoriâ. Sed hæc jam magis ad Geographiæ hiſtoriam pertinent, quàm quatenus Mathematicæ ſunt conſiderationis. Viſum nihilominus tales non penitùs hoc loco præterire, ob con-

† Excudit Amſtelod. J. Blaeu an. 1645.

junctionem inter utrumque ſcriptorum genus: tum autem, quia in Hiſtoricorum hiſtoria non ultra ſeriem temporum perducebamus, quàm ad initia Caroli V.

Cap. XLVI.

DE MECHANICES VOCABULO,
& definitione: adhæc quatenus Magia, & Mechanice, conveniant, ac differant: & ut illam, ita hanc quoque, eſſe Philoſophiæ partem.

1. §. *De utraque Coſmographiæ parte, Aſtronomiâ, & Geographiâ, hactenus. Supereſt ſola deinceps* Μηχανική, *quæ Plinio* * Machinalis ſcientia *dicitur.*

* Lib. 7 cap. 37.

Μηχανική verò, non quidem, ut Euſtathius voluit, παρὰ τὸ μὴ χαίνειν, *à non hiſcendo*; quia non ſinit quemquam os ſolvere ad operis vim, & efficaciam culpandam: neque ἀπὸ τοῦ μήκους, καὶ ἄνειν, quòd longè adſcendat, ac penetret; ut eſt apud Platonem in Cratylo: verùm à μῆχος, quod idem ac μηχανή; nempe *artificium*, *artificioſa fabrica*; uti hoc à μήδεσθαι, *meditari*, *artificioſè excogitare*. Aſconius: *Machina eſt, ubi non tam materia, quam ratio artis, atque ingenii, ducitur.* Sanè ab ingenio, cujus hic meminit Pedianus, mechanici à junioribus dicti ſunt *ingeniarii*.

2. §. *Mechanice eſt ars ex Mathematicis, & Phyſicis, rationibus, efficiendi machinas, & organa mirandi effectûs, ad utilitatem vitæ humanæ.*

Hoc eſt, quod Ariſtoteles † ait, Mechanicen eſſe τῶν παρὰ φύσιν, ὅσα γίνεται διὰ τέχνην πρὸς τὸ συμφέρον τοῖς ἀνθρώποις· *rerum præter naturam, quæ arte fiunt ad utilitatem hominum.* Nempe propoſitum ei inſtrumenta excogitare, quibus materiem adigat ad effectum aliquem arduum, ac difficilem, naturæque vires, niſi ars acceſſerit, exſuperantem. Nam, ſi uſpiam, in Mechanice locum habet hoc Antiphontis Rhamnuſii dictum:

† Initio Mechanicorum.

Τέχνῃ κρατοῦμεν, ὧν φύσει νικώμεθα.
Naturâ ubi ſuperamur, arte vincimus.

Sic machinis efficimus, ut gravia ſurſum, levia deorſum, utraque in latus, vel in orbem, vel mixtim de loco ferantur in locum. Atque hoc etiam *machinæ* definitio oſtendit Vitruviana lib. x, cap. 1: ubi ſic dicitur vocari *continens ex materia conjunctio, maximas ad onerum motûs habens virtutes.* Nempe machinæ beneficio, quoties ſe in actione offert difficultas, ea quoque, quæ ſine hac arte vires exſuperant humanas, quovis trahimus, impellimus, ferimus; ut pleniùs poſtea explicabitur. Sic *ædificationum machinas* Plinius dixit lib. xix, cap. 1.

3. §. *Ex hac Mechanices deſcriptione cognoſcimus, partim eam Phyſicæ ſubalternari, partim Geometriæ. Nam Phyſicæ eſt conſiderationis, ſi machinam attendas, quatenus eſt e ligno, ferro, vel alio corpore.*

Liquet hoc ex machinis bellicis: ubi conſideratur, utrùm ex materie ſint idoneâ, atque etiam paratu facili; item an è materiâ figuræ convenienti, menſuræque exiguæ, ac levis ponderis. Sanè, ut cætera adſint, ſi materia repugnet, ea, quorum demonſtrationem habemus, non ſortientur ſuam efficaciam.

4. §. *Mathematicæ autem conſiderationis eſt, ſi attendas ratione lineæ, centri, diametri, & ſimilium, quibus machina conſtat, aut figuratur; undeque vires ſuas accipit, auget, minuit, vel metitur.*

Sic ſcanſoria, & tractoria, hoc potiſſimùm principio ſubnixa ſunt: quòd, quæ vecte, trochleâ, cochleâ, vel aliter, moventur, ea vehementiùs, faciliùs, citiùs, illâ proportione moventur, quâ longiùs diſtant à centro, circa quod moventur; ſive motus is ſit à gravitate internâ, atque innatâ, ſive ab externâ potentiâ motrice.

5. §. *Mechanice igitur originem debet complexui Geometriæ, & Phyſices.*

Ac Geometriam quidem perficit: imperium autem habet in Phyſicen, quatenus naturæ æmula ejus ſit inſtrumentum; junctaque ars cum natura efficit illa, quæ natura per ſe nequit. Generalis is finis eſt Mechanices, ſupplere aliquem defectum in vita humana, idque effectu artificiali. In inſtrumentis autem tria attendit, utilitatem, firmitatem, venuſtatem.

6. §. *Meritò autem in definitione allatâ de mirandis ejus effectibus addebam. Nec enim quævis artificia hujus ſunt loci: ſed ſola, ubi quâdam ingenii ſollertiâ, præter naturam, ſuccurritur utilitati humanæ. Nempe Mechanice cum Magia hoc habet commune, quod utraque homines rapiat in admirationem; ut Ariſtoteles ait initio Mechanicorum. Sed in eo differunt, quòd Magia tradat illa, quorum cauſſa naturalis à paucis ſapientibus ſcitur: Mechanice verò exponat ea, quorum cauſſa artificialis à paucis artificibus intelligitur.*

Nam, ut dixi, ita ars hæc æmula eſt naturæ, ut etiam vincere eam, ac quaſi vim inferre, videatur. Quid enim non imitatur? Cæleſtes motus repræſentat ſphæris: motus ventorum, Æoli-pilis: etiam vapores educit, pluviamque, nives, grandinem, gignit: thermoſcopio exhibet aëris temperiem pro diverſo tempore, ac loco: irides refert in fontibus: tonitrua, ac fulgura, tormentis bellicis: ſtellas volantes, ac cadentes, aliaque meteora ignea, pyrobolis: terræ motus, pulvere tormentario in cuniculis ſubterraneis: item animalium motus, avium cantus, & hujuſcemodi alia.

7. §. *Nec Mechanice ſolùm machinas invenit, quibus mirabilia præſtet; ſed cauſſas etiam, & principia exponit, quibus illa obtingunt.*

Ita magna, & mira, fiunt beneficio vectis. Cauſſa potentiæ eſt in longitudine vectis majore; quia, quæ longiùs à centro diſtant, majorem etiam vim habent. Quam cauſſam Ariſtoteles adducit in Mechanicis. Archimedes verò ulteriùs etiam oſtendit, cur illud, quod longiùs diſtat, majorem habeat vim, quàm quod propiùs abeſt: ac rationem eſſe docet, quia, ut pondus ſe habet ad pondus, ita diſtantia ſe habet ad diſtantiam, unde pondera ſuſpenduntur. Quo principio nixa eſt tota Mechanice.

8. §. *Quod ſi Mechanice non ſolùm conſtruat machinas; ſed etiam demonſtret cauſſas: liquet, eam eſſe Philoſophiæ partem.*

Nam philoſophia eſt rerum divinarum, humanarumque cognitio per cauſſas. Atqui, ut Phyſice reddit cauſſas motûs naturalis: ita Mechanice reddit cauſſas motûs violenti, ac mirandi. Neque eſt, quòd dicat aliquis, ne Matheſin quidem eſſe Philoſophiæ partem; ſed tantummodo προπαιδείαν, eoque Mechanicen, quæ tantummodo portio eſt Matheſios, philoſophiæ partem eſſe neutiquam poſſe. Nam mera quidem Matheſis eſt προπαιδεία. Illa verò mixta eſt media inter Matheſin, & Philoſophiam: ſed ſic eſt media, ut magis Philoſophiæ ſit portio, quàm meræ Matheſios. Nam Matheſis ſcientiis, atque artibus, inſervit: unumquodque autem cenſeri debet ex parte eâ, cujus cauſſâ eſt.

9. §. *Atque hinc colligitur, vehementer errare Philoſophorum illos, qui otio nimium delectati, ac ſolâ con-*

Digitized by Google

contemplatione gaudentes. Mechanicas artes opponunt liberalibus, quaſi Mechanice ſordida ſit, & illiberalis. Nobis verò contrà videtur. Utcunque enim Mechanice corporis adminiculum aliquod exigat; magnum tamen animi ſtudium requirit: nec levia ex ea, ſed longè maxima ad Remp. commoda, pace, & bello, redundant. Imò nec in Mechanico exigitur, ut ipſe manu machinas faciat: ſed ſufficit, ſi uſum, ac cauſſas, aſſequatur: ubi verò manuum opera exigitur, alteri id mandet, ad hoc idoneo; utcunque non capiat ille rei cauſſas.

Atque hoc plenius intelligetur ex diviſione Mechanices in Rationalem, & Manuariam: quam ex Pappo inferiùs adducam.

10. §. *Etiam Mechanice facilè eſt artium antiquiſſima: ut ſine qua nec primi parentes vitam potuerint tueri.*

Non refugiam de hoc memorare verba Guidiubaldi è Marchionibus Montis in præfatione Mechanices: *Quacunque neceſſitate Ada vita degeretur; & quamvis etiam caſis contectis ſtramine, & anguſtis tuguriis, ac gurguſtiis, cæli defenderet injurias: ſic & in corporis veſtitu, licet ipſe nihil aliud ſpectaret, niſi ut nives, & ventos, ut Solem, ut frigus arceret: quodcunque tamen id fuit, omne mechanicum fuit.*

Cap. XLVII.

DE MECHANICES DIVISIONE, & utilitate.

1. §. *Proximè de utilitate Mechanices dicerem. Sed abunde illa elucebit, ſi, quàm latè ſe diffundat hæc ſcientia, expoſuero. Sunt autem, ex veterum quidem ſententia, partes ejus duæ. Earum priorem vocant λογικὴν, ſive rationalem, quæ petitur, partim ex Mathematicis, præcipuè Arithmeticâ, Geometriâ, & his ὑπαλλήλῳ* Aſtronomiâ; partim item ex Phyſicis rationibus. Alteram appellant χειρουργικὴν, ſive manuariam, vel effectivam; quæ conſiderat Mechanicen, quatenus non materiæ modò eſt immerſa; ſed manu etiam tractatur.*

* Subalterna.

SImiliter Politianus in Panepiſtemone: *Mechanice ſequitur; cuius, ut Heron, Pappuſque, declarant, altera pars eſt Rationalis; quæ numerorum, menſurarum, ſiderum, naturæque rationibus, perficitur. Altera Chirurgice; cui vel maximè artes illæ, æraria, ædificatoria, materiaria, picturaque, adminiculantur.* De Herone, & Pappo, quod ait, planum eſt ex Pappi procœmio libri VIII Collectaneorum. Aliqui, ut Conradus Daſypodius, priorem θεωρητικὴν, alteram πρακτικὴν appellant. Utramque etiam in Architectura requirit Vitruvius lib. I, cap. I: *Ea*, inquit, *naſcitur ex fabrica, & ratiocinatione. Fabrica eſt continuata, ac trita, uſûs meditatio; quæ manibus perficitur, è materia cujuſcunque generis opus eſt, ad propoſitum deformationis. Ratiocinatio autem eſt, quæ res fabricatas ſollertiâ, ac ratione proportionis, demonſtrare, atque explicare, poteſt. Itaque architecti, qui ſine literis contenderunt, ut manibus eſſent exercitati, non potuerunt efficere, ut haberent pro laboribus autoritatem. Qui autem ratiocinationibus, & literis ſolis, confiſi fuerunt, umbram, non rem, perſecuti videantur.* Ac plura inibi in hanc mentem. Inter cætera illud: *Igitur in hac re Pithius erràſſe videtur, quòd non animadverterit ex duabus rebus ſingulas artes eſſe compoſitas, ex opere, & ejus ratiocinatione.* Ratiocinatio eſt Mechanices Logicæ: opus, ſive fabrica, eſt Chirugicæ.

2. §. *Utraque verò tam rationalis, quàm manuaria, verſatur circa quinque partes; quas ex Pappo referam. Una eſt ἡ τῶν μαγγαναρίων μηχανημάτων τέχνη ars machinarum, quæ* mangana, *vel* manganaria, *appellantur. Hæc ingentia pondera, machinis adhibitis, minimo niſu, in altum attollit. Cujus partis uſus luculentè ſe exerit in architectura; ſive ſacram attendas ſtructuram, ſive publicam, ſive privatam.*

Sacram; ut templorum, ac fanorum. Publicam, partim defenſionis ergo; ut murorum, turrium, portarum: partim opportunitatis cauſſâ; ut portuum, fororum, porticuum, balneorum, theatrorum, inambulationum, & ſimilium. Privatam; ut in ædificiis privatis. Mechanicæ enim debent fabri, & architecti, quòd vaſtas lapidum, & trabium moles, attollunt in ſublime, ac, quò viſum eſt, parvo dirigunt negotio. De hac parte breviter ita Angelus Politianus in Panepiſtemone: *Manganaria eſt, per quam pondera immania minimâ vi tolluntur in altum.*

3. §. *Altera pars eſt μηχανοποιητική, quæ facilè aquas antliis extrahit.*

Sic ibidem ex Pappo Politianus. Hujuſmodi inſtrumenta Græci vocant ἀντλητήρια, & ἀρυστῆρες. Cujuſmodi ſunt rotæ aquariæ, & tympana. Lucretius lib. V:

Ut fluvios verſare rotas, atque hauſtra videmus.

Ubi *hauſtra*, ut Nonius interpretatur, ſunt rotarum cadi: qui *hauſtra* vocati, ut Græcis ἀρυστῆρες, ab ἀρύω, quod idem ac *haurio*; imò hoc ab Græco illò derivatum. Vide de hiſce inſtrumentis Vitruvium lib. X, cap. IX, & IV ſeqq. Cùm verò, præter hujuſmodi machinas, multæ aliæ id nomen obtineant: ſatis liquet vulgò ac commune nomen ſibi, ut proprium, vindicâſſe. Sæpe enim idem eſt nomen totius, & partis, ſive generis, & ſpeciei; quemadmodum alibi non ſemel diximus.

4. §. *Tertia pars Pappo eſt ὀργανοποιητική, quæ conficit inſtrumenta bello accommoda.*

Politianus in Panepiſtemone: *Organopoëtice bellis accommoda inſtrumenta fabricatur; arietes, teſtudines, turres ambulatorias, helepoles, ſambucas, exoſtras, tollenones, & quæcunque Græco vocabulo poliorcetica vocantur, tormentorumque varia genera; quæ libris Athenæi, Bitonis, Heronis, Pappi, Philonis, Apollodorique, continentur; ut Latinos omiſerim.* Pertinet igitur huc ἡ βελοποιΐα, quaſi dicas *Teliſactivam*: quæ & καταπελτική vocatur, ſive *catapultarum confectrix.* Vide Βελοποιΐαν Heronis Auguſtæ Vindelicorum editam. Quantus in hac parte fuerit Archimedes; cognoſcere ex eo licet, quòd arte eâ machinali in longum adeò tempus protraxit obſidionem Syracuſarum: ut narrat illis temporibus proximus Polybius, & ex eo Livius, lib. XXIV. *Et*, inquit, *habuiſſet tanto impetu res cœpta fortunam, niſi unus homo Syracuſis eâ tempeſtate fuiſſet. Archimedes is erat, unicus ſpectator cæli, ſiderumque: mirabilior tamen inventor, ac machinator bellicorum tormentorum, operumque; quibus ea, quæ hoſtes ingenti mole agerent, ipſe perlevi momento ludificaretur.* Ac ſimilia Plutarchus in Marcello. Rem quoque tangit Plinius lib. VII, cap. XXXVII: *Grande & Archimedi Geometricæ, & machinalis ſcientiæ, teſtimonium M. Marcelli contigit interdicto, cùm Syracuſæ caperentur, ne violaretur unus, niſi feſelliſſet imperium militaris imprudentia.* Vide & Valerium Max. lib. VIII, cap. VII. Inter cætera miranda Archimedis tum fuit, quòd ſpeculis uſtoriis combuſſerit claſſem hoſtilem. Atque hoc Anaſtaſii imperatoris temporibus imitatus fuit Proclus: qui utentibus ſpeculis ex

ære fabricatis claſſem hoſtilem ad Byzantium delevit. Teſtis Zonaras in annalibus *; ut Evagrium, & alios, mittam.

* Tom. 3. pag. 46.

5. §. *Quarta eſt pars αὐτοματοποιητική, quæ quia magnam parit admirationem, eo quoque dicebatur θαυματοποιητική, vel θαυματουργική.*

Antiqui eos, qui αὐτομάτοις † admirationi forent, κατ᾽ αὐτομάτων dixere μηχανικούς: ut indicat Pappus, prooemio Mathematicorum Collectaneorum libri octavi. Ex admirandis iſtis quædam memorat Politianus ‡. Cujus verba ſunt: *Mox & quæ Thaumaturgice. Cujus exempla ſunt hydraulica organa, quæque per ſe ventorum flatu reſonant, & quod vas dicaometron vocabant, & quod voces avium variarum exprimit. Et quod indidem merum, mox dilutum vinum, mox aquam calidam, mox frigidam, copioſam, tenuemque; viciſſim fundita. Et ſiphones extinguendis incendiis, & medicinabiles cucurbitulæ ſine ignis miniſterio cutem prehendentes, & pilæ ſpontè ſaltantes, & lucerna ſuas ipſa producens ſtuppas, & animal, quod à ſtructore dum ſecatur in menſa, bibit interim, crepituque ſuo quodam, & voce, ſitientis repræſentat imaginem. Milleque alia id genus, quæ brevitatis ſtudio præterimus.*

† Rebus motum ſpontaneum artificioſè ementientibus.
‡ In Panepiſtemone.

6. §. *Variant θαύματα * illa pro variis αὐτομάτων generibus.*

* Miranda.

Unde continuò ibidem ſubjicit Politianus: *Hæc igitur, ut in capita quædam conferatur, aut ponderibus utitur, & ſpiritu, quorum præponderatio movet, æquilibrium ſiſtit, ſicut etiam Timæus definit: aut nervis, & funiculis, animatos quaſi tractus, ac motus, imitatur: ac circa † illa, quæ ſubnatent aquis: aut item circa aquarum vertitur Horologia: quorum quidem generum primum docet in Pneumaticis Heron: alterum idem in automatis, & zygiis: quartum rurſus in hydriis: tertium verò in Ochumenis Archimedes.* Quæ jejuniùs dixit Politianus, paullò diſtinctiùs exponam.

† Pro, ac circa illa, puto reſcribendum, aut verſatur circa illa. *Nam quatuor recenſet θαυμάτων genera: quorum Archimedes unum, tria Heron pertractârit.*

7. §. *Ac primum quædam αὐτομάτων moventur per aëra, & ſpiritus. Quæ verò Mechanices pars circa iſtiuſmodi verſatur, Πνευματική vocatur, quaſi* Spiritalem *dicas.*

Quò pertinet lignea columba Archytæ Tarentini, qui Platonis fuit æqualis. Hanc ille ita ſuſpenderat, ut volaret, occultâ ſpiritus aurâ eam comitante. Ad quod exemplum etiam Noribergæ muſca ferrea, è manibus artificis ſe attollens, convivas omnes circumvolabat: ac deinde, velut defeſſa, redibat ad artificis ſui manum. Item aquila ad quinctum ab urbe lapidem Carolo V. Imperatori obviam eſt facta, atque eum comitata eſt uſque ad portas civitatis. Neſcio, quid moverit Lotharium Sarſium Sigenſanum, ut opere de Ratione ponderum libræ, ac ſimbellæ, Examine XIII, ſcribere non vereretur ‡, *Archita columbam, aut ſpecula Archimedis, conſtanti ſolùm mendacio fortaſſe ad nos perveniſſe.* Quibus continuò ſubjicit: *Certè hanc majori ea fide narrant hiſtorici, quàm ego tibi ex iiſdem* (Suidam ſignat in ἀσεδιώτης) *Babylonios fundarum vertigine ova percoquentes pertulerim.* Scio, quàm multa apud Plinium, & alios, è vano hauſta ſint. Sed de Architæ columba, ſatis ea firmant, quæ dixi. Uti de Archimedis ſpeculis uſtoriis; quæ itidem in dubium vocat, comprobat ſimile Procli exemplum, de quo loquebar cap. hujus §. 4. Etiam πνευματικῆς erat effectum motus ille in ſphæra vitrea Archimedis, motus referens cæleſtes: de qua Cicero in ſecundo de Natura Deorum: *Cum Lunæ, Solis, quinque errantium motus, in ſphæram illigavit; effecit idem, quod ille, qui, in Timæo Platonis, mundum ædificavit Deus, ut tarditate, & celeritate, tardiſſimos motus una regeret converſio.* Elegans eſt de ea Claudiani epigramma:

‡ P. 48. & 49 edit. Pariſ. an. 1626.

Jupiter in parvo cùm cerneret æthera vitro,
Riſit, & ad ſuperos talia dicta dedit.
Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumque fidem, legeſque Deorum,
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.
Incluſus variis famulatur ſpiritus aſtris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus ſignifer annum,
Et ſimulata novo Cynthia menſe redit.
Iamque ſuum volvens audax induſtria mundum
Gaudet, & humanâ ſidera mente regit.
Quid falſo inſontem tonitru Salmonea miror?
Æmula natura parva reperta manus.

Poſtea & hujuſmodi ſphæram Poſidonius compoſuit; ut eſt apud Ciceronem loco antè memorato. Eſt is philoſophus, quem Cicero in Rhodo audivit, teſte Plutarcho; quemque ſuum familiarem vocat in primo de Finibus. Vide etiam de iſtiuſmodi ſphæra Caſſiodorum lib. I Var. epiſt. XLV. De Saporis item ſphæra vitrea adi Cardanum libris de Subtilitate. Apud Trithemium quoque in Chronico Hirſaugienſi legas ad annum CIↃCCXXXII: *Hoc ipſo anno Soldanus Babyloniæ Imperatori* (Frederico II) *miſit tentorium mirabili arte conſtructum, in quo imagines Solis, ac Lunæ, artificialiter motæ curſum ſuum certis, & debitis, ſpatiis peragebant. Cujus tentorii valor quinque millium florenorum* (l. auri millionum) *precium transſcendiſſe dicebatur.* De Petri Apiani opere Cæſareo alibi dixi.

8. §. *Alii verò per nervos, & funes, imitabantur animatorum motus. Atque ea ars dicta eſt νευροσπαστική.*

Hanc ſignat Horat. lib. II ſat. VII:
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.

Ac pleniùs Appulejus de Mundo: *Etiam illi, qui in ligneolis hominum figuris geſtus movent, quando filum membri, quod agitare ſolent, traxerint; torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad miniſterium præſtò erunt; nec invenuſtè totus videbitur vivere.* Tranſtulit verò illa Ariſtotelis, vel potiùs alterius, libro de Mundo: Καὶ οἱ νευροσπάσται μίαν μήρινθον ἐπισπασάμενοι ποιοῦσι, καὶ αὐχένα κινεῖσθαι, καὶ χεῖρα τοῦ ζώου, καὶ ὦμον, καὶ ὀφθαλμὸν, ἔστι δ᾽ ὅτε πάντα τὰ μέρη, μετά τινος εὐρυθμίας. Quæ ad verbum ſonant: *Neuroſpaſta, unâ attractâ fidiculâ, faciunt, ut cervix, & manus, & humerus, & oculus animalis; interdum & omnes corporis partes; cum quadam venuſtate, & moderatione, moveantur.* Organa illa ſic mobilia, νευρόσπαστα appellat etiam Herodotus in Euterpe, & Lucianus de Dea Syria.

9. §. *Alii hoc præſtant per ea, quæ in aquis vehuntur, & Archimedi dicuntur ὀχούμενα. Quo pertinet ὑδροσκοπική, & ὄργανα ὑδραυλικά: quæ partim fiunt ad aquas exprimendas, partim ad harmoniam vocum excitandam: uti & imitandos avium cantus. Adde, ad horologia verſanda, & alia id genus.*

Vide de his Vitruvium lib. IX, cap. IX, & magna parte lib. X, inprimis cap. XIV. Tale hydraulicum eſt illud, quod Tertullianus prædicat libro de Anima: *Specta portentoſiſſimam Archimedis munificentiam, organum hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia ſonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum: & una moles erant omnia.* Tale item Triton ille, de quo Cornelius Severus in Ætna. Aliaque muſica id genus organa: qualia deſcribit Claudianus carmine eo,

quod

quod in conſulatum Manlii Theodori cum Eutropio ſcripſit anno Chriſti CCCXCIX; ubi hæc legas:

Et qui magna levi detrudens murmura tactu,
Innumeras voces ſegetis modulatus aënæ,
Intonat erranti digito; penituſque trabali
Vecte, laborantes in carmina concitat undas.

Item hydraulium illud Claudii Galli, quo, Tibure in Cardinalis Ateſtini hortis, (quemadmodum ſcribit Poſſevinus lib. XV bibliothecæ Selectæ cap. I *) *effecit, ut aquarum leni, ac placido illapſu, ænea avicula motu, voce, cantu, ad noctuæ adventum opportunè intermiſſo, ad ejus diſceſſum repetito opportuniùs, ita imitarentur veras, ut potiùs, qui fictas aſſereret, temerarii; quàm qui veras aſtimaret, nimis creduli nomen mereretur.* Icunculas, quæ quaſi ſponte moverentur, *engibata* nuncupat Vitruvius lib. X, cap. XII. Ac ibidem *merulas* appellat, ſi cantus avium effingerent. Atque hæc de Θαυματουργικῇ.

* P. 177. edit. Rom.

10. §. *Quinta Mechanices pars eſt σφαιροποιΐα. Quæ conficit inſtrumenta ad obſervationes rerum cæleſtium.*

Sphærica quidem pars eſt Aſtronomiæ; cui opponitur Theorica Planetarum; ut ſuo loco vidimus. Verùm σφαιροποιΐα, ſive confectio ſphæræ, & inſtrumentorum ſphæricæ doctrinæ, & planetarum theoriæ inſervientium, ad Mechanicen pertinet. Imò neque ſimpliciter hujus eſt loci. Nam ſi ex ære, vitro, ligno, vel aliunde, ſphæra confiat; quæ, quaſi viva, & velut ſpontaneo motu, cæleſtium orbium motus repræſentet; ut illa Archimedis è Claudiano memorata: non ad quinctam hanc mechanices partem refertur; ſed quartam, quæ αὐτοματοποιητικὴ nuncupatur.

11. §. *Continet σφαιροποιΐα, tum γνωμονικὴν, tum μετεωροσκοπικὴν, ſive διοπτρικήν. Utraque ab aliis ſtatuitur pars Aſtrologiæ: ut vidimus cap. XXXI, §. 4, & 5. Quæ facilè conciliantur. Nempe Gnomonices ὑποκείμενον, ſive materies, eſt Aſtronomicum; unde & in horologiis deſcribuntur circuli diverſi: puta meridianus, verticalis, paralleli tam horizontis, quàm æquatoris, arcus longitudinis dierum, ſigna adſcendentia, & deſcendentia, atque alia. At tantummodo ad Mechanicen pertinent, quatenus ea fabricat inſtrumenta, quibus univerſi temporis diſcrimen examinamus, & deprehendimus.*

Etſi verò eâ ratione univerſè hujus loci ſit doctrina de horologiis; &, præter gnomonica, ſint alia etiam horologia; ut mox liquebit: ab antiquiſſimo tamen horologii genere, quod, Sole in gnomonem radios ſuos projiciente, per umbram gnomonis, & lineas priùs in plano ductas, horam, & partes quoque horæ, indicat, horologice univerſa particulare *gnomonices* nomen retinuit.

12. §. *Uſus verò horologiorum, doctrinaque de iis, tam eſt manifeſtus, ut otio abuti velle videar, ſi de hoc multis velim edifſertare.*

Cynici tamen eam nullius, aut exigui faciebant. Quod è Diogene Sinopenſi videmus. Is, quodam oſtendente ὡροσκόπιον, ridens ajebat: Utile ſanè inventum, ne privemur cœnâ. Auctor Laërtius lib. VI. Sed minùs hoc in Cynico mirandum, qui univerſa μαθήματα inſuper nihili habebant; ut idem eſt teſtis. Cynicum illum imitatus eſt Plautus in Comœdia deperditâ, quæ Bis compreſſa, vel Bœotia, dicebatur. Ubi in perſona paraſiti eſurientis ſic loquitur; teſte Agellio lib. III, cap. III:

Ut illum † Di perdant, primus qui horas repperit,
Quique adeò primus hic ſtatuit ſolarium:
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam, me puero, uterus hic erat ſolarium,
Multò omnium iſtorum optumum, & veriſſumum.
Ubi iſte monebat eſſe: niſi cum nihil erat.

† Reſcripſerim, Ut eum. *Nempe ut verſus ſit ſenarius, ſicut cæteri.*

Nunc etiam quod eſt, non eſt, niſi Soli lubet.
Itaque adeo jam oppletum eſt oppidum ſolariis.
Major pars populi ‡ aridi reptant fame.

‡ *Vel ſcribendum,* populi pars: *vel ſtatuendum, negligi ſynalœpham, ut ſæpiuſculè fit à Comicis.*

Imò, ſi credimus Ammiano Marcellino lib. XXIII, etiam apud Perſas, *venter unicuique pro ſolario eſt.* Sed quanto veriùs ait Aurelius Caſſiodorus lib. II Variarum cap. XLVI: *Belluarum ritus eſt ex ventris eſurie horas ſentire, & non habere certum, quod conſtat humanis uſibus attributum.*

13. §. *Variat Gnomonice pro horologiorum, præcipuè ſciathericorum, varietate; quæ longe maxima eſt.*

Horologia quippe, quæ alter ὡρονόμια, vel ὡρονομεῖα, dicuntur, vel ſunt mechanica, vel ſciatherica. Mechanicorum quædam ſunt hydraulica, quæ *clepſydræ* dicuntur; de quibus Vitruvius lib. IX, & Plinius extremo libro VII. Aliqua pro aqua utuntur arenâ, ut quæ propterea vocamus *clepſammia.* Alia libratis ponderibus ita rotulas ferratas movent, ut gnomon, qui axi unius è rotulis affigitur, horam indicet, ut cælo ſereno, ſic nubilo; ut diu, ſic noctu. Σκιόθηρον, ſive σκιαθήρας, eſt umbræ indagator, ἀπὸ τοῦ τὴν σκιὰν θηρᾶν *, quia umbram venatur, & inveſtigat. Umbra enim τὴν ὥραν λέγει †, unde & *horologia* nominantur. *Solaria* appellantur κατ' ἐξοχήν: cùm non tantùm ex Solis, ſed Lunæ etiam, vel alius ſideris radiis, horarum notitia proveniat. Suntque ſciatherica vel mobilia, vel ſtabilia. Mobilia, ut cylindri, quadrantes, annuli aſtronomici, aſtrolabia. Stabilia vel plana ſunt, vel non plana. Poſterioris generis ſunt, quæ fiunt in hemiſphærio, vel cylindro; ac tam hoc, quàm illo, vel concavo, vel convexo. Illa prioris generis pro novem primariis circulis vel ſunt horizontalia, vel verticalia, vel meridiana, vel polaria, vel æquinoctialia, vel declinantia à verticali, vel declinantia ab horizonte, vel inclinata ad horizontem, vel inclinata ſimul & declinantia. Etiam altera eſt diviſio horologiorum pro horarum diverſitate. Alia enim ſunt horarum æqualium, alia inæqualium. Æquales horæ ſunt vigeſima-quarta pars diei naturalis; quæ reſpondet quindecim gradibus. Inæquales ſunt duodecima pars tam noctis, quàm diei artificialis. Cujuſmodi horas intelligit Soſpitator noſter, cùm ait ‡, *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* Ac horarum iſtiuſmodi uſus quoque erat Romanis.

* *Ab umbram indagando.*
† *Horam loquitur.*
‡ *Joan.* 11. 9.

14. §. *Gnomonices initia Græcis dicuntur eſſe ab Anaximene Mileſio, Anaximandri auditore: qui primus horologium, quod* ſciothericum *vocatur, Lacedæmone oſtendit.*

Auctor Plinius lib. II, cap. LXXVI, & Laërtius in vita Anaximandri. Id fit Olympiade LVIII, tempore Cyri, ac Servii Tullii, circa annum Urbis CC.

15. §. *Sed ut in Græcia primus ille umbrarum rationem obſervârit; multo tamen antè ea res cognita fuit in populo Dei.*

Nam lib. IV Reg. cap. XX, verſ. II, memoratur, ut Ezechiæ Regi in horologio ſciotherico regis Achaz (is Ezechiæ ſive Hiskiæ, pater fuit) regreſſu umbræ ſanitatis ſignum datum fuerit ab Jeſaia propheta. Achaz autem fuit ante Anaximenem annis circiter ducentis. Siquidem Achaz rexit in Juda, cùm Romæ imperaret Romulus; regereque deſiit Olymp. XII. At Anaximenes Mileſius claruit circa Olymp. LXII, ſive extremis Servii Tullii temporibus, ac initio regni Tarquinii Superbi.

16. §. *Paullatim apud Græcos horologiorum ars excrevit, dum ſinguli aliquid veteri horologio addunt, vel novum ejus genus inveniunt.*

Hac de re ſic Vitruvius lib. IX, cap. IX: *Hemicyclium excavatum ex quadrato, ad encllmaque ſucciſum, Beroſus*

ſus Chaldæus dicitur inveniſſe. Σκάφην, *ſive hemiſphærium, Ariſtarchus Samius: idem etiam diſcum in planitie.* Ἀράχνην *Eudoxus aſtrologus: nonnulli dicunt Apollonium. Plinthium, ſive lacunar, (quod etiam in circo Flaminio eſt poſitum) Scopas Syracuſius.* Πρὸς τὰ ἱστορούμενα *Parmenion:* πρὸς πᾶν κλίμα *Theodoſius, & Andreas. Patrocles* πελέκινον; *Dionyſiodorus conum; Apollonius pharetram, aliaque genera, & qui ſupra ſcripti ſunt, & alii plures, inventa reliquerunt.* Et mox: *Item ſunt ex aqua conquiſita ab eiſdem ſcriptoribus horologiorum rationes: primumque à Cteſibio Alexandrino; qui etiam ſpiritus naturales, pneumaticaſque res, invênit.* Super ſeptem primis Vitruvii verbis diſſertatiunculam edidit Jacobus Zieglerus Landavus. Additur ea Arato ex editione Valderi *. Verùm non prima ſolùm verba ſunt obſcuriora, ſed universè, quæ de variis horologiorum generibus, & eorum inventoribus, narrat. Quocirca, non contentus ſcriptoris verba retuliſſe, addam paraphraſin eorum, quam legere eſt apud Joannem Voëllum, Matheſios in Turnonia Academia, dum viveret, profeſſorem. Sic igitur ille, poſtquam horologiorum inventores memoraſſet, obſcuriora Vitruvii verba illuſtrabat: *Quid Beroſus? Hic inveniſſe fertur Hemicyclium ex quadrato excavatum; in quo lineæ horas indicantes ſcriptæ eſſent. Quid Ariſtarchus? Is Scaphen †, ſeu Hemiſphærium; qualia fortaſſis nunc Hemiſphæria cernuntur. Hunc eundem aiunt excogitâſſe Diſcum; horologium videlicet modicè excavatum in modum diſci, ſeu patinæ, ita ut inferior pars non fuerit perfectè ſphærica. Quid Eudoxus? Reperiſſe hic dicitur Arachnen, id eſt, araneam; Horologium videlicet in modum araneæ telæ conſtructum: cujuſmodi eſt nunc horologium horizontale, continens horas Aſtronomicas, & circulos altitudinum Solis; quos Almucantarath Arabes dicunt. Vel etiam quodcunque horologium, in quo lineæ horariæ deſcriptæ ſint, & arcus ſignorum Zodiaci. Nec deſunt, qui hujus horologii Apollonium faciant inventorem. Quid Scopas Syracuſius? Inventor prædicatur Plinthii, ſive lacunaris, inſtar trabis cujuſdam quadratæ, in qua tam horologium verticale Auſtrale, Borealeque, quam meridianum Orientale, & Occidentale, nec non in plano ſuperiori Horizontale deſcribi poterat. Quid Parmenio? Hunc inventorem ſtatuunt horologiorum, quæ vocabantur* πρὸς τὰ ἱστορούμενα: *quæ, qualia fuerint, difficile judicare poſſumus: niſi fortè, conjecturâ ducti, dicamus, in illis notatas fuiſſe non ſolùm lineas horarias; verùm etiam ſigna Zodiaci, menſes, & dies, quæ omnia per indicem monſtrarentur: ita ut ejuſmodi horologia fuerint inſtar hiſtoriæ cujuſdam. Quid vero Theodoſius? Et hunc aſſerunt excogitâſſe horologium* πρὸς πᾶν κλίμα, *quod omnibus mundi climatibus aptum eſſet. Quid porrò Patrocles? Hic etiam narratur* πελέκινον *inveniſſe horologium; quòd ſecuris, ſeu bipennis figuram haberet: qualem nunc formam gerit meridianum horologium, in quo ſigna Zodiaci deſcripta ſint. Atque ita alii alias horologiorum formas, ne omnes pernumerem, excogitâſſe memorantur à Vitruvio.*

* Anno 1535.

† Scaphe, ſive ſcaphis, etiam meminit Martianus Capella lib 7, ſive de Geometria.

17. §. *Apud Romanos verò ſciotherica demum habuere tempore belli Tarentini, ac cum Pyrrho rege, anno Urbis CCCCLXXVIII.*

Quem annum deſignat Plinius lib. VII, cap. ult. Atque addit, id factum eſſe à *M. Valerio Meſſalla conſule, Catanâ captâ in Sicilia.* Ac mox: *Nec congruebant ad horas ejus lineæ: paruerunt tamen eis annis undecentum; donec Q. Marcius Philippus, qui cum L. Paullo fuit Cenſor, diligentiùs ordinatum juxta poſuit. Etiam tum tamen nubilo incerta fuere horæ uſque ad proximum luſtrum. Tum Scipio Naſica, collega Lænatis, primus aquâ diviſit horas, æque noctium, ac dierum. Idque horologium ſub tecto dicavit, anno Urbis IↃXCV. Tamdiu populi Romani indiſcreta lux fuit.* In Galliis primus ſciotherica inveniſſe putatur Elias Vinetus; de quo dixi alibi.

18. §. *Exiſtimo autem, horologiorum genera, quæ nunc habemus, ad tria commodiſſimè revocari. Videlicet iſta; ſciothericum, automatum, & clepſydram; pro qua nunc obtinet clepſammium, ſive arenarium. Sciothericum verò eſt vel diurnum, ſive ſolare: vel nocturnum; quod vel lunare, vel ſiderale. In his præſtant ſolaria.*

Iis lineæ horariæ ſunt circulorum horariorum per vigeſimas quartas, & utrumque mundi polum procedentium. Stylus eſt axis: inque eo rectè conſtituendo cardo rei vertitur. Solaria à paſtoribus inventa ſunt ex umbris arborum: uti arenaria noſtra ex clepſydris: at rotarum horologia, quæ ad automata pertinent, ex aliis habent machinis originem. Atque hæc de Gnomonice.

19. §. *Dioptrice agit de inſtrumentis dioptricis; quibus lineam meridianam, polorum elevationes, æquinoctialis obliquitatem, ſolis, lunæ, aliorumque ſiderum ſitus, & intervalla, planetarum congreſſus, eclipſes, & alia hujus generis, exquirimus.*

Ad Dioptricen igitur pertinent aſtrolabium, & radius; quatenus hiſce geometricis inſtrumentis aſtrorum ſitus, & motus, deprehendimus. Nec tamen diopticis ſolùm cæleſtia exquiri, ex Suida etiam liquet; cui dioptra definitur, μηχανικὸν τεχνούργημα, δι' οὗ οἱ γεωμέτραι ἀνελάμβανον τὴν τῶν ἐπάλξεων ἐκ διαστήματος ἀναμέτρησιν· *Mechanicum inſtrumentum, artificioſè conſtructum, quo Geometræ accuratè colligebant ex intervallo dimenſionem propugnaculorum.* Subdit deinde hoc Piſidæ:

Ταῦτα πρὸς πολλοῦ τῇ διόπτρᾳ σῦ βλέπεις.
Hæc, multò antequam eveniant, dioptrâ tuâ cernis.

Ubi, ut ſit jambicus ſenarius, malim hoc pacto:

Τῇ σῇ διόπτρᾳ ταῦτα πρὸς πολλοῦ βλέπεις.
Multò dioptrâ hæc ante proſpicis tuâ.

20. §. *Quamvis verò in his univerſis tam ratio, quàm fabrica, conſideratur, ac proinde pertineant ea tam ad Mechanicen* Χειρουργικὴν, *quàm* Λογικήν: *Mechanicus tamen fuerit, qui nec lignum findit, ac dolat, nec æs fundit, ac nihil planè ſuâ exſequitur manu. Sufficit enim, ſi præcipiat operariis, quomodo inſtrumenta quæque effici oporteat.*

Nec obſtat, quòd Pappus memorat quadrageſimum Archimedis organum, Tzetzes item τρίσπαστον. Nam ratiocinatione complexus eſt Archimedes, cujuſmodi, ad mirandos effectus, eſſet machinis opus. Fabricam ferè aliis commiſit, qui ex præſcripto ſuo machinas efficerent. Atque hæc etiam ratio videtur, cur de Mechanice χειρουργικῇ nihil ſibi ſcribendum putârit. Nam etſi effectio iſtiuſmodi machinarum non videatur mihi omnino illiberalis, ac ſordida; ſed medii potiùs generis inter artes illiberales, ac liberales: Archimedis tamen ingenio non ſatis erat dignum, ut iſtis fabricandis nimium diſtineretur.

Cap. XLVIII.

DISQUISITUM DE UTILITATE Mechanices in architectura, arte nauticâ, ac militari, necnon ſellulariis cunctis: & an eapropter cenſeri debeant Mechanices partes, vel ſcientiæ ei ſubalternatæ.

1. §. *Atque hæc dicta ſunto de partibus Mechanices à Pappo memoratis. Nunc diſpiciendum, partim de utilitate Mechanices in architectura, arteque tum nauticâ, tum militari; imo &* βαναύσοις *univerſis: partim an propterea omnes hæ artes rectè ſtatuantur partes Mechanices. Architecturæ nomine nunc preſſiùs utor, pro arte eâ,*

quæ

qua matheſis applicat ad ædium, & caſtrorum ſtructuram.

Quam doctrinam Vitruvius perſequitur primis octo libris de Architectura. Nam nono de Gnomonice, decimo de Mechanice tractat. Nempe etiam Gnomonicen, & Mechanicen, Architecturæ nomine complectitur. Uti & Galenus facit lib. de cognoſcendis cujuſque animi peccatis: ubi ſimiliter ait, architecturæ nomine comprehendi deſcriptiones horologiorum, clepſydrarum, hydrocopiarum, & machinarum, ſicuti earum, quæ pneumatica, ſive ſpiritalia vocantur. Antiquioribus verò temporibus architecturæ nomine complexi ſunt omnes artes, quæ inſtrumenta humanæ vitæ juxta matheſin caſtruerent. Quod magis liqueret, ſi exſtaret Eratoſthenis illius, qui Βῆτα eruditorum vocabatur *, de architectonice liber. Meminit Sophocles, Apollonii ſcholiaſtes, in lib. I: Ἐρατοσθένης ἐν τῷ ἀρχιτεκτονικῷ μέρη ταῦτά φησιν εἶναι· *Eratoſthenes in Architectonices opere has eſſe ait telæ partes.* Idem lib. III: Τὴν μηχανοποιΐαν τῶν ἀρότρων Ἐρατοσθένης ἐν τῷ ἀρχιτεκτονικῷ καταγράφει. *Aratrorum autem apparatum deſcribit Eratoſthenes in Architectonica.* Unde liquet, ut de opere etiam ruſtico, & textorio, ibi egerit. Nunc de ſola ædificatione eſt ſermo nobis. De armis ruſticis, & ſimilibus, alibi dicetur.

* *Martianus Heracleota in Periplo, Heſychius illuſtris, &c.*

2. §. *Quantum ars ædificandi debeat Mechanicæ, arguit hoc, quòd illa hinc accipiat machinas ſuas. Quæ vel ſunt ἀκροβατικαί, ſive ſcanſoria; vel πνευματικαί, ſive ſpiritales; vel βάναυσοι, ſive tractatoria.*

Tot enim machinarum genera Vitruvius agnoſcit lib. X, cap. I. Nec tamen diffiteor, longè eſſe numero plura: ſed facilè ad hæc tria revocantur cætera: inque iis quoque τρίσπαστος; videlicet ad tractorias: ut nomen indicat, cùm ſit à σπάζω, *traho.* Ea Archimedis eſt inventum; qui hujus beneficio, ſolâ manu levâ frumenti ſeptem, & mille modiorum pondus attrahebat: ut auctor eſt Joa. Tzetzes Chil. II hiſtor. XXXV. Sed jure autumat David Rivaltus † non tantam eſſe ſolius triſpaſti vim. Quare cenſet, ad triſpaſti vires mirè augendas acceſſiſſe ergatam cum chelonis, vel helice, ſeu cochleâ. Interea hæc Mechanices uſum in Architectura oſtendunt. Nec ſola tamen Mechanice in Architectura eſt opus: ſed diſciplinis propè omnibus; ut Vitruvius initio operis oſtendit: non quaſi ſummus ubique exigatur ſcientiæ gradus; ſed quia conveniat nullius penitus ſcientiæ eſſe expertem. Interea miretur aliquis Staticen præteriri. Sed Vitruvius ſub Geometria Staticen comprehendit.

† *In Pariſina anni 1615 editione Archimedis pag. 545.*

3. §. *Similiter multi artem nauticam partem eſſe Mechanices arbitrantur. Nimirum quia ejus beneficio, & navis compingitur, & in mare, vel fluvium, deducitur, & in velificando felicius æquora, & ventos, ſecet. In primo horum, videlicet ναυπηγικῇ, eſſe στατικῆς opus, ratio evincit. Extrui enim navim oportet ex hypotheſi circuli, ſic ut malus ſit diameter ex navis centro exſurgens. De altero, hoc eſt, navis deductione, tum experientia arguit, tum Archimedis exemplum. Hic enim navim regis Hieronis, integri anni ſpatio confectam, quam ingens hominum turba non poterat in mare deducere, ſolus paucis demiſit inſtrumentis.*

Refert rem Athenæus lib. V Δειπνοσοφ. Factum verò id cochleâ, ſive helice infinitâ: cujus vis τῷ δοθείσῃ δυνάμει τὸ δοθὲν βάρος κινῆσαι ‡. Sanè faciliùs ſic fieri potuit, quàm βαρουλκῷ Heronis: quod eſt apud Pappum Collect. Mathem. lib. VIII propoſit. X.

‡ *Data potentia datum quodlibet pondus movere.*

4. §. Στατικῆ *quoque opus eſt in tertio, puta* ἰσοδρομίᾳ, *ſive velificatione. Quod manifeſtum eſt, tum in* ὀρθοδρομίᾳ, *ſive velificatione rectâ; tum in* λοξοδρομίᾳ, *ſive velificatione obliquâ. Siquidem eò validior, velociorque eſt navis motus, quo altiùs à centro velum antennæ adligatur. Mathematicum enim hoc axioma eſt, virtutem quæ movet, eò eſſe fortiorem, quo longius abeſt à centro.*

Teſtis Ariſtoteles in Mechanicis; qui & non unâ id ſimilitudine illuſtrat. Nam lignum genibus admotum faciliùs confringas, ſi partes ligni remotiores à genu, quàm ſi propiores ei contingas. Nec lapidem tam validè manu ejicias, quàm fundâ, quæ longiùs manu abeſt à centro corporis humani. Atque hinc etiam cauſſa ſatis liquet, cur, cùm naves remulco trahuntur, non alligetur funis imo, vel medio malo, ſed ſummo. Remotiſſimus etiam à centro eſt clavus; eoque validius cum fluctibus illidit navi, ejuſque ſaburram, atque onus, propellit.

5. §. *Nec Statices ſolùm, ſive Hydroſtatica, notitiâ in re nautica opus eſt: ſed etiam Phyſices: ut cognitione ventorum, naturæque eorum: adhæc doctrina de acceſſu, & receſſu, maris. Præterea maximam in re nautica utilitatem indicat doctrina pyxidis nauticæ, magnetis virtute ad polum ſeſe convertentis. Reperit verò hunc uſum Joannes Goja Amalphenſis.*

Unde Antonius Panormitanus?

Prima dedit nautis uſum magnetis Amalphis.

Eſt verò Amalphis maritima Lucaniæ civitas, quæ hodie *Melfi.* Sed, quem Joannem Gojam dicebamus, hunc Alexander Sardus, libro de rerum inventoribus, Flavium Campanum vocat. Imò Goropius Becanus Cimbris, vel Teutonibus, inventum hoc tribuere maluit: qua de re Abrahamus Ortelius Geographicâ tabulâ VI. Cùm verò hæc res Romanis, & Græcis, planè fuerit ignota: abunde falli liquet Lævinum Lemnium; qui lib. III de occultis Naturæ miraculis cap. IV arbitratur, Plautum Mercatore, & Trinummo, per *verſoriam* intelligere eam pyxidem: longeque rectiùs Turnebus, lib. II Adverſariorum cap. IV, eâ ſignari ait funem, quo velum vertitur.

6. §. *Dixeris etiam requiri Geographiæ notitiam, propter notitiam tabularum hydrographicarum. Sed de his non contendero, cum iſtiuſmodi poſſint propriæ artis nauticæ videri. Nec enim omnia exprimunt, uti geographicæ, ſed ſolum in litore poſita, præcipue ad portus inveniendos, unà cum rhombis, ſive lineis, nauticis, ventorum indicibus. Sed, ſi ulli ſcientiæ verè ſubalternatur Nautica, eſt hæc Aſtrologia, cùm ad ſiderum curſus dirigantur naves. At æquum videtur, ut, ubi plures ſcientiæ hunc ſibi honorem vindicant, potiùs eum nobiliori tribuamus, quàm alteri: præſertim ſi veteres cogitemus, quando nondum nota erat χαλυβοδεῖξις *: eoque noctibus tenebricoſis non niſi ingenti periculo navigarent; de die autem, vel illuſtri nocte Sidonii navigarent ad Cynoſuram, quia certior, Græci ad Helicen, quia clarior. Quocirca licet maximus in Nautica ſit uſus Mechanices, ſive Hydroſtaticæ, imò & ſcientiæ Naturalis: non tamen huic, vel illi ſubalternatur; ſed, ſi ulli ſubalternatur ſcientiæ, id honoris potius Aſtronomiæ convenit.*

* *Chalibis ſive acûs magneticæ, demonſtratio.*

Quæres fortaſſe, quomodo veteres navigârint. Nempe quando altum ſecarent, nec conſpicerent aliud, quàm pontum, & æthera, non aliâ ſcientiâ, quàm Solis, Lunæ, & ſtellarum, viam ſciebant: aliàs ventorum ſequebantur impetum, vel memoriâ tranſacti anteà itineris viam animo concipiebant: vel etiam volucrum ductum ſibi proponebant: ut de Taprobanæ populis narrat Plinius. Nec Europæi hunc magnetis uſum invenere: ſed didicere à barbaris.

baris. Sanè Vaſcus Gama, qui primus detexit promontorium Bonæ ſpei, in naves Barbarorum incidit, quibus acûs magneticæ uſus foret. Apud Sinenſes etiam jam anno CIↃCCLX obtinuiſſe, colligi videtur ex Paullo Marco Veneto. Qua de re pluribus differit Athanaſius Kircherus operis de magnete lib. I, part. I, cap. III *.

* Pag. 18. edit. Colon.

7. §. *Nec uſus Mechanices minus elucet in architectura militari, quæ occupatur in muniendis urbibus, & caſtris.*

Imò Hero, & Pappus, propterea βελοποιΐαν †, ac πολιορκητικὴν ‡, quartam fecere Mechanices partem: ut videre fuit ex iis, quæ capite ſuperiori dicebamus.

† Telorum confectionem
‡ Artem urbes oppugnandi, & defendendi, machinis bellicis.

8. §. *Denique non pauci, ut Mechanicen Matheſi mera; ita Mechanicæ ſubjiciunt omnes artes ſellularias: nempe quia à Mechanice accipiant ſua artis inſtrumenta.*

Ita, ut optimè Merſennius, præfatione Mechanicorum, ait, Mechanice architectis, & latomis, fabricat cinum, amuſſim, libellam, perpendiculum; fabris lignariis runcinam, terebras, ſerram; agricolis ſtivam, rallam, urpices; tritoribus flagella, tribulas, molas truſatiles; piſtoribus mactras, & ſpathas; vinitoribus bidentes, ridicas, orcas, præla, lacus, ſerias, ſiphones, epiſtomia; feniſecis ſeculas; venatoribus caſſes, & varos; piſcatoribus verriculum, ſagenam, hamum; aucupibus illices, amites; equitibus ephippia, calcaria, frena; aurigis petorita, eſſeda, ciſia; naucleris clavum, anchoras, vela, bolidem, antlias. Ne cibum quidem coquere ſine hac poſſumus. Ab ea enim lebetes, verua, craticulæ, ſartagines, paropſides, aliaque. Atque hinc Mechanice à Piccolomineo * definitur, ſcientia, ex qua cauſſæ, & principia ad quamplurimas artes ſellularias exhauriri poſſunt. Et ſanè hoc præſtare Mechanicen, liquet ex priori, ſive generali parte Mechanicorum Ariſtotelis.

* In Paraphraſi Mechanicorum Ariſtotelis.

9. §. *Etſi verò ex his conſtet, quantus in ſingulis iſtorum uſus ſit Mechanices: non propterea tamen exiſtimandum, eſſe partes illius. Potius dici mereantur ejus fœtus: non ſimpliciter tamen, ſed quatenus ſe utilitas ejus per haſce artes diffundit.*

Sanè & utilitas Matheſios elucet in Theologiâ, Juriſprudentiâ, & Medicinâ. Quas ſcientias nemo propterea Matheſi ſubjecerit. Itaque non de natura harum artium in Mathematicis dicam diſciplinis; ſed eâ Phyſices parte, quæ non tam θεωρητικὴ †, quàm ποιητικὴ ‡, cenſetur; quoniam naturæ ſcientiam applicat ad operis effectionem.

† Speculativa.
‡ Effectrix.

10. §. *At enim, inquiunt, artes, quas diximus, ſunt Mechanicæ ὑπάλληλοι *: eoque, ſi Mechanice rectè Matheſios portio cenſetur; has etiam, ut Mechanica, ſic Matheſios, eſſe partes, conſequitur. Controverſia hac non aliunde melius deciditur, quàm diſtinctione earum ſcientiarum, & artium, quæ propriè, vel impropriè, ὑπάλληλοι dicuntur. Nam neque hic locum habet ſubalternatio impropriè dicta; quæ eſt ratione finis: neque, ſi totam conſideres artem, illa propriè ita vocata; quæ eſt ratione objecti, ac pariter principiorum. Nimirum tantummodo verum eſt, artes haſce, ratione alicujus partis, eſſe Mechanicæ ὑπαλλήλους †.*

* Subalterna.
† Subalternas.

Quæ requirantur ad ſubalternationem propriè dictam, expoſui cap. XVII, §. 5. Ex iis liquet, nonniſi impropriè hoc nominis ſortitam ſubalternationem dici poſſe, quæ tantummodo eſt ratione finis. Quomodo χαλινοποιητικὴ ‡ inſervit arti equeſtri: hæc, & armorum effectrix, militari. Item ædificationis arti ſubeſt ars incidendi lapides, & aliæ materiem ædificio præparantes. Quæ ſi eſſet ſubalternatio propriè dicta, artes omnes forent Politicæ ὑπάλληλοι; quia ſcientiæ, atque artes univerſæ, diriguntur ad finem Politices, qui eſt bonum civitatis. Adde quòd neque architectura, nautica, & aliæ, quas dixi, ſunt propter Mechanicen: ſed Mechanices finis eſt utilitas, quæ luculentè ſe in his exſerit ſcientiis. Hæc de ſubalternatione ratione finis. Altera eſt ratione principiorum, & objecti. Quippe principia unius ſunt ſub principiis alterius: ut cùm unius principia ſunt alterius concluſiones. Quomodo Muſice ab Arithmetica; Optice à Geometria, ſuas accipit proprietates, ac principia. Præterea unius objectum continetur ſub alterius objecto; ſed per accidentalem differentiam reſtringitur. Sic Muſica ſubeſt Arithmeticæ, Optica Geometriæ; quia Arithmetice numerum ſimpliciter conſiderat; Muſica ſolùm numerum ſonorum: Geometria ſimpliciter lineam; Optice lineam in viſione. Ubi videmus, in ſubalternante, & ſubalternatâ, idem objectum; ſed reſtringi poſterioris objectum ratione materiæ ad quam demonſtratio ex prioris principiis applicatur. Unde eſt, quòd ſubalternata, ut objectum à ſubalternante, ſic & proprietates, ac principia, accipit. Nec enim ſumit ea ratione conditionis, quâ objectum ſuperioris limitatur: ſed ratione objecti, circa quod ſubalternans verſatur. Dixeris, architecturam, etiam militarem, atque item nauticam, ut jam de ſellulariis taceam, ſua principia accipere à mechanica, eoque illi eſſe ὑπαλλήλους *. Ex parte artium earum id verum eſſe, non inficior: ſed propterea totius artis ratione ſubeſſe, id verò pernego. Nempe ad hoc, ut ſcientia, vel ars, alteri dicatur ſubeſſe, haut ſufficit, ut ab alia ſcientia, vel arte, in quorundam cognitione circa ſua objecta dirigatur: ſed neceſſe eſt, ut tota in ſcientiâ hoc fiat. At aliter hic uſu venit. Nam nautica ars eſt quidem ſubalterna Mechanicæ, ſive ναυτικὴ, quatenus recta, & obliqua velificatio, conſideratur: ſed quatenus tranquillum navigandi tempus ex ſideribus attendit, non ſub Mechanicâ, ſed Aſtrologiâ, locatur. Ars militaris ratione Poliorcetices, ſive machinarum, ſubeſt Mechanicæ: ſed ratione aliarum partium aliter eſt. Nam quatenus ea legiones recenſet, Logiſticæ ſubditur. Quatenus in camporum ſpatiis caſtra metatur, ad Geodæſiam pertinet. Ac utraque Matheſios quidem pars eſt: at Mechanicæ non item. Præterea verò eſt, ubi nec ulli Matheſios parti ſubſit. Nam ratione imperii in militem, & ſtratagematum adverſus hoſtem, eſt Politices pars cenſenda. Nec movere debet vel Hero, vel Pappus: quia non univerſam artem militarem, ſed ſolùm Βελοποιΐαν ſubdunt Mechanicæ. Ac ſimiliter Sempilium capio, cùm lib. I de Mathematicis diſciplinis cap. V †, ut Architectonicam, ſic etiam Tacticam, ſubjicit Matheſi mixtæ. Ratione enim Logiſticæ id intelligendum.

‡ Ars frenorum effectrix.
* Subalternatas.
† Pag. 11.

11. §. *Et ſi verò artes illæ non ſint Mechanicæ pars; ac ne quidem illi videantur ὑπάλληλοι ‡, niſi ex parte: nihil tamen impedire videtur, quo minus, quæ Mechanicæ ſubalternantur, non ſeorſum, ſed in eâdem Mechanice tradantur, quatenus ei ſunt ὑπάλληλοι. Nec diſplicet, ut pro Mechanice potius dicamus* στατικὴν, *vel* ἰσοῤῥοπικὴν, *aut* κεντροβαρικὴν, *Latinè* ponderum doctrinam, *vel* æquiponderantium, *vel* de ponderis centro. *Eſt ea ſcientia, quæ ponderum momenta exponit. Corpora igitur conſiderat: ſed quatenus ſunt ponderoſa. Atque ab hac doctrina omnia, vel pene omnia, dependent, quæ Mechanice tradit.*

‡ Subalterna.

Unde ſic Pappus lib. VIII *: *Centrum gravitatis uniuſcujuſque corporis eſt principium, & elementum tractationis de centro gravium; ex quo & reliquæ mechanicæ partes dependent. De hoc quidnam ſit, & quid ſibi velit, dicendum. Ex hoc enim, ut opinor, & reliqua, quæ in hac tractatione conſiderantur, perſpicua erunt.* Verè hoc dici liquebit conſideranti Archimedis ἰσοῤῥοπικῶν libros antè

* Fol. 306.

antè memoratos; vel Heronis doctrinam de quinque onera movendi facultatibus ſimplicibus, ac compoſitis ex iis. De quibus etiam eſt illud Georgii Piſidæ Jambographi apud Suidam †:

† *In voce Δύναμις.*

Τὰς πέντε δυνάμεις Ἀρχιμήδης εἰς μίαν
Ὁλκῷ* συνάψας, εἰς τὸ κινῆσαι μόλις
Τῶν δυσεγχήλων ἐξοχῶν τὰ φορτία.

* *Aldina,* ὅλῳ.

Cum quinctuplex ab Archimede in unicam
Collata machinam foret vis, & tamen
Immane † pondus vix moveret de loco.

† *Niſi magis placet interpretatio Porti; quam vide.*

Sanè in quinque iſtis, de quibus ex Guldino etiam poſtea dicam, ars Mechanice videtur vincere naturam. Sed rectiùs, puto, dicatur natura vincere ſe ipſam. Sic enim Statice diſponit naturalia, uti eas diſponeret natura, ſi producere vellet iſtiuſmodi effectum. Ita non ars ſolùm, ſed etiam natura obſervat, ut ad ſervandum æquipondium centrum gravitatis ſit in linea directionis. Liquet idem non ſolùm ex arte funambulorum, item luctatorum, aliorumque: ſed etiam ex omnibus nobis, in ſingulis penè vitæ actibus. Nam, ut æquipondium fiat, ſurgere volentes crura quidem retrorſum; caput verò, ac pectus, antrorſum flectimus: item ſiniſtro pedi inſiſtentes, ſiniſtrorſum corpus deflectimus; uti dextrorſum, ſi pedi inſiſtamus dextero: item ſi ſupini jaceamus, complicamus corpus ad ſurgendum: cùm etiam dorſo onerati inflectant ſpinam, ſenes gibboſi inflectant antrorſum crura; pedibus muro conjunctis nihil queamus humo tollere, ſed regredi ſit opus, ut crura flectere antrorſum poſſimus. Similis ratio in ingreſſu quadrupedum, volatu avium, natatu piſcium.

12. §. *Quomodo autem, quæ ſub Mechanice complecti ſolent, ad Iſorropicam reducantur: ſatis liquet ex ſex Simonis Stevini libris, quibus Staticen, ſive Iſorropicen, in juſtum artis corpus redegit.*

Primus ejus liber continet elementa Statices: eſtque is bipartitus. Prior pars XIV habet definitiones. Poſterior XXVIII propoſitiones de ponderum affectionibus. Ac XVIII quidem priores propoſitiones ſunt de ponderibus rectis, tum elevantibus, tum deprimentibus. At decem poſteriores ſunt de ponderibus obliquis, iidem & elevantibus, & deprimentibus.

Alter liber eſt de inveniendo gravitatis centro. Idque in planis, triangulis, parabolis. Item ſolidis; ut priſmatis, pyramidibus, conoidalibus.

Tertius liber eſt de ſtatices praxi. Ubi de libræ, & ſtateræ perfectiſſimæ fabricâ, & affectionibus quibuſdam. Item de vectium ratione, ac formis; ponderum geſtatorum formis, & ratione; axium in peritrochio, & tractorum ponderum rationibus; infinitæ potentiæ formis, & accidentibus; de uſu, aliiſque pancratio accidentibus; de ratione verſationum manubrii ad axem; deque ratione potentiæ manubrium verſantis ad pondus tractum, quale eſt navis; de verſationum manubrii multitudine, & temporis ſpatio, queis opus eſt ad navem trans aggerem pertrahendum: quibus ſubditur demonſtratio eorum, quæ de pancratii infinita potentia dixerat.

Quartus liber eſt de hydroſtaticis elementis.

Quinctus, de initiis praxios hydroſtaticæ.

Sextus additamentum continet ſextuplex. Unum de ſpartoſtatica, ſive funium ſtaticâ. Ubi oſtenditur, quantum ponderis quilibet funium ſuſſerat, unde idem pondus dependet. Alterum eſt de trochleoſtatica, ſive ſtaticâ trochlearum. Cujus uſus in eo conſiſtit, ut ſciatur, quæ potentia dato ponderi attrahendo ſit idonea. Tertium de acrobaticis, ſive ponderis in ſummo vertice gravitate. Quartum de chilinothlipſi, ſive de freni preſſura. Quæ pars ad ἱππικὴν ſive artem equeſtrem conducit. Quinctum de hydatholcia, ſive de aquæ attractu. Sextum de aëroſtatica, ſive de aëris ſtatica. Sed duæ poſtremæ partes necdum in lucem prodierunt; idque, quia ob feſtinationem typographi, ne deſcribendi quidem, nedum transferendi, otium concederetur metaphraſtæ, clariſſimo in Academia Batavorum antehac collegæ meo, Willebrordo Snellio.

13. §. *Sed ecce alteram etiam Statices diviſionem, eamque illâ Stevini pleniorem, & accuratiorem. Auctorem ea habet Paulum Guldinum Sancto-Gallenſem. Qui Staticam partitur in has octo partes: Elementarem, Centrobarycam, Iſorropoſtaticam, Mechanicam, Hydroſtaticam, Aëroſtaticam, Pyroſtaticam, & Polymeſoſtaticam. Ex his deinde quartam, ſive Mechanicam, & quinctam, ſive Hydroſtaticam, varias in partes diſſecit. Ac Mechanicam quidem, pro quinque his inſtrumentis, librâ, vecte, trochlea, ergatâ, cuneo, dividit in Zygoſtaticam, Mochloſtaticam, Trochleoſtaticam, Onoſtaticam, & Sphenoſtaticam. Cui ſextam deinde adjungit Polymechanoſtaticam. Hydroſtatica vero ei continet tres iſtas; Bareocolymbiam, ſive de natantibus in aquis; Bareodyſiam, ſeu de iis, quæ in aquis merguntur; & hydatholciam, ſive de aquis deducendis, & attrahendis.*

Verùm operæ fuerit ipſa potiùs verba audire ſummi hujus Mathematici prolegomenis in Centrobarica: *Primò omnium Statica eſt* ELEMENTARIA, *quæ communia ad univerſam Staticam pertinentia principia, & elementa, præſcribit. Deinde, ſi velimus ipſa pondera in ſe, & abſolute, conſiderare, tunc proxime ſuccedit* CENTROBARYCA, *agens de centro gravitatis magnitudinum. Si verò pondera ratione gravitatis inter ſe comparentur, aut certe idem pondus, ratione ſuſpenſionis ab alio, quàm à gravitatis centri puncto, conſideretur; alia habebitur hujus ſcientiæ pars, quæ Statica abſolutè, vel* ISORROPOSTATICA, *dici poteſt, conſiderans magnitudines æquiponderantes: quomodo videlicet plures, ſive æquales ſive inæquales, vel etiam eadem magnitudo, ratione ſuarum partium, inter ſe conferri, aut ſuſpendi poſſint, ut ſequatur æquilibrium: quantum altera alteri præponderet, quando quieſcere, vel neceſſariò cadere, debeant*, &c.

Conſiderando porrò pondera, ſive gravia in ordine ad motum, notiſſima illa juxta, ac utiliſſima, inde exſurgit ponderum motrix ſcientia, MECHANICA *communiter dicta, quâ magnificum illud problema ſolvitur,* Datâ potentiâ datum pondus moveri; *quâ & fretus Archimedes exclamavit,* Da* mihi, ubi conſiſtam, Terramque movebo. *Sunt, qui hanc partem ſubdividi volunt ratione machinarum, quibus fit motus: quæ cùm omnes omnino ad quinque capita reduci queant; ad Libram ſcilicet, Vectem, Trochleam, Axem in peritrochio, ſive Ergatam, & Cuneum, etiam quinque erunt diverſæ Mechanicæ ſcientiæ, quibus ſexta addenda, Compoſita dicta, ob varias harum machinarum inter ſe compoſitiones. Omnes enim machinæ, quotquot ſunt, vel ſimpliciter ex his fiunt, vel ex plurium compoſitione: omnia ferme artificum inſtrumenta ex his ortum ducunt, ut vel ex ipſis Ariſtotelis Quæſtionibus Mechanicis colligere licet. Sic Cochlea immediatè, & ſimpliciter, revocatur ad Cuneum, ad Cochleam rotula horologiorum automatum*, &c. *Ad quam facultatem referuntur etiam ea, quæ vi percuſſionis, ſive impulſu, incidunt, dividunt, perforant*, &c. *Ut enſes, gladii, mucrones, ſecures, & ſimilia inſtrumenta. Ad vectem revocantur & forcipes, & forfices. Et ſic de reliquis. Ita ut, ratione inſtrumentorum ſaltem, omnes artes ferè Mechanicæ huic Scientiæ Mechano-Staticæ ſubalternentur; quæ ſecundùm datam diviſionem Sextuplex eſt, nimirum* ZYGOSTATICA, MOCHLOSTATICA, TROCHLEOSTATICA, ERGATOSTATICA, ſive ONOSTATICA, SPHENOSTATICA, & tandem POLYMECHANOSTATICA, *ſive multiplex, & compoſita.*

* *Quam excellentis viri gloriationem non vanam eſſe, ſed certiſſimâ ratione ſubnixam; probat Guidus Ubaldus in opere ſuo Mechanico. Ubi oſtendit, ut variis inſtrumentis datum pondus à data potentia moveatur.*

Pondera denique movenda, vel mota, conſideranda veniunt, & ſecundùm materiam, ex qua conſtant, & in ordine ad medium, in quo fieri debet motus. Pondus ergo vel eſt ſolidum, vel liquidum: medium verò vel aër, vel aqua, vel aliud liquidum, ſeu humidum, & fluidum.

Ars autem tam liquida movendi, quam ſolida in liquido ponderandi, ſive movendi, communi nomine HYDROSTATICA *appellatur, ſua habens elementa, ac principia quædam, propria; de quibus ipſe etiam tractat Archimedes eo in libro, qui de iis, quæ vehuntur in aquis, inſcribitur. Unde præter Elementariam triplex reperitur Hydroſtatica. Prima tractat de aquæ innatantibus.*

Si enim pondus ipſâ aquâ levius eſt, partim mergitur, partim ſupereminet: quantum ergo mergatur, & quantum non, artis eſt definire. Imò cùm ſint quædam, quæ, etſi aquâ graviora ſint, nihilominus tamen aquæ ſupernatant;, cujus rei conſideratio, & tractatio, huc pertinet. Hanc partem BAREOCOLYMBIAM *vocamus. Secundam* BAREODYSIAM *ideo appellamus, quia de gravibus, quæ merguntur, agit. Conſiderat enim, quantum in diverſis mediis ponderent, ac graviteut: idem quippe plumbum, quod in aëre libram ponderat, in aqua minus ponderat, quàm libra, eo pondere aquæ, quod ipſi plumbo, ſecundùm magnitudinem molis, æquale eſt. Tertia, quam* HYDATHOLCIAM *dicimus, de attollendis, attrahendis, deducendis, aquis agit, de aquarum preſſu, ſive gravitatione; in diverſimodè enim figuratis vaſis diverſimodè etiam premit, de plurimis, ac variis, iiſque artificioſiſſimis, machinis hydraulicis, de aquæductibus, aquarumque librationibus, &c. tractat.*

Neque de iis tantùm, quæ communiter gravia dicuntur, Statica præſcribit, ſed & de ipſo aëre, quem plerique volunt eſſe gravitatis expertem. Machinæ enim, & Organa Pneumatica, non ad aliam, quam AEROSTATICAM *ſcientiam referenda ſunt; folles etiam, & ſimilia alia inſtrumenta. Quemadmodum autem de iis, quæ aquis ſupernatant, Hydroſtatica; ita de iis, quæ aëri incumbunt, eumque tranſvolant, agit Aëroſtatica: hinc Dracones volantes; hinc Machina, cui quis alligatus, ex uno in alium collem ſemel, atque iterum, ſubjectum flumen volatu trajecit. Nec deſunt, qui ipſum aërem ponderari poſſe ſcribunt. Ignis ipſe, an non ad Staticam pertineat, viderit ille, qui Pyrotechniam edidit, inſignis Mathematicus Adr. Romanus.*

Ex Hydroſtatica, & Aëroſtatica mixta oritur alia, ex qua multæ procedunt Machinæ, quibus per aëris vel condenſationem, vel expulſionem, aqua in altum ejaculari, & quaſi in infinitum elevari licet, eam MECHOSTATICAM COMPOSITAM *non ineptè dicere poſſumus. De artibus Staticæ ſubalternatis ſupra quædam innuimus: quibus hic addendum, pleraſque non uni tantum, ſed pluribus ſcientiis Mathematicis, ſubalternari.*

Sic, licet Statuarii, Sculptores, Monetarii, Metallarii, & Aurifices ratione picturæ, ſeu imaginum, ac figurarum, delineatione, Opticæ ſubalternentur; quia tamen artis formam in materiam inducere non poſſunt, niſi mediantibus quibuſdam Machinis, & Inſtrumentis, quorum origo, & uſus ex Statica ſumitur, idcirco ſubjiciuntur Staticæ: Aſtronomiæ inſuper imperio paret, ea Automatum conſtructrix, quæ ſiderum imitatur motus. Ex Statica tamen ſola Molendinorum procedere videtur artificium. Quod ſi ad has artes natura, quæ in magnete latet, acceſſerit, ſi non planè ſupra naturam, ſaltem præter illam, efficient ad ſtuporem uſque admiranda, ſtatuentque humani ingenii, quibus de natura triumphet, ſplendidiſſima trophæa. Hactenus Guldinus. In tot verò Statices generibus, eſt, & quæ particulatim eo gaudet nomine, ac ad βιαστικὰ refertur. Nam, ut *impulſoria* dicitur, quâ res propellitur; *claſmatica*, quâ dum facilè franguntur: ſic *Statica*, quâ fluida ſiſtuntur.

14. §. *Non diſplicet verò eorum ſententia, qui Staticen ἁπλῶς conſiderant; atque ita putant non eſſe partem Matheſios mixtæ; ut veteres voluere: ſed partem Matheſios meræ. Tam enim Statica conſiderat objectum ſuum abſtracti ab omni materia, quàm id faciunt Arithmetice, & Geometria; à quibus tamen eſt diverſa. Quare non duæ ſolùm, ut putârunt, ſunt ſcientiæ, quæ propriè ſint Mathematicæ, ſed tres, Arithmetice, Geometria, & Statice. Quarum prima verſatur circa numerum; altera, circa magnitudinem; tertia, circa pondus. Juxta illud, * omnia conſtare, pondere, numero, & menſurâ; videlicet magnitudinis menſurâ.* * Sapient. Salomon. cap 11. verſ. 21.

Nec movere debet, quòd Ariſtoteles omittat pondus in generibus quantitatis. Nam etſi magnus omnino vir fuerit Ariſtoteles, planeque admirandus: non tamen omnia vidit, ſed etiam reliquit complura, quæ à junioribus perfici deberent. At, inquiunt, ſi pondus ſit quantitas, ea fuerit vel continua, vel diſcreta. Equidem malim ſtatuere, eſſe quantitatem continuam. Movet me, quòd ut partes temporis copulantur momento durationis: ita & partes ponderis conjungantur momento inclinationis. Ac ut momentum durationis eſt initium temporis: ita momentum inclinationis eſt initium ponderis. Sunt, qui pondus malint dicere qualitatem; quia gravitas, & levitas, quæ eſt privatio gravitatis, ad qualitatem παθητικὴν * ſoleant referri. Sed non ſi gravitas ſit qualitas, eò & pondus eſſe qualitatem conſequitur; cùm multum iſta diſtent. Siquidem pondus non eſt gravitas; ſed quòd ſecundùm gravitatem menſuratur. Alii tamen, ut Guldinus Prolegomenis in Cyclobarica ait, definitioni Matheſios inſiſtere jubent, eoque *à puris Mathematicis Staticen removent, cùm, præter quantitatem, verſetur etiam circa materiam ſenſibilem.* Sed hæc refelluntur iis, quæ continuò ſubdit: *à qua tamen, ſi strictè loqui velimus, ac ſpeculativè, mentem ſimiliter abſtrahere licet, ut fit in conſideratione linearum, & ſuperficierum.* Utcunque verò Statice conſiderari etiam poſſit abſtractè: quia tamen is tractandi ejus modus inſolens ſit, nolim cum eo pedem ſtruere, qui uno quaſi faſce tam generalem, quàm tot ejus ſpecierum, doctrinam comprehendat.

* Patibilem, ſive afficientem.

CAP. XLIX.

DE SCRIPTORIBUS MECHANICES,
præcipuè Græcis; qui vixerint ante annum Chriſti CIↃ IↃ.

1. §. *SUpereſt dicamus de iis, qui Mechanicen illuſtrando illuſtrius & ipſi ab ea nomen acceperunt. Ac primò in Mechanicis eluxit doctrina Archytæ Tarentini, philoſophi Pythagorici; qui Platonis ætate claruit.*

Literas ejus ad Platonem, uti & Platonis ad Archytam, refert Diogenes Laërtius in Archytæ vitâ. Qui & de eo hæc narrat: Οὗτος † πρῶτος τὰ μηχανικὰ ταῖς μηχανικαῖς προσχρησάμενος ἀρχαῖς ἐμεθόδευσε. Addit deinde, ut motum organicum primus admoverit deſcriptioni Geometricæ, & ex dimidii cylindri ſectione duas medias ſecundùm proportionem inter duas datas invenerit, ac cubum etiam in Geometria repererit primus. Eadem memorat Eutocius. Huic Archytæ Tarentino, inter XII excellentia orbis ingenia, octavum tribuit locum Hieron. Cardanus in ſextodecimo de ſubtilitate: quia, ut ait, *præter ligneam columbam, quam conſtruxiſſe fertur, veram demonſtrationem duas lineas inter duas alias propoſitas in continua proportione collocandi invênit.*

† Primus hic mechanica, mechanicis uſus principiis, expoſuit.

2. §. *Antiquiſſimus verò omnium, quorum Mechanica habemus, eſt Ariſtoteles: qui Olympiadis* CIX *anno* II *ad Philippum proficiſcebatur; ac* XXI *deinde annis vixit.*

Mirum, ejus operis non meminiſſe Mechanicos, qui poſtea ſecuti: uti ſunt Archimedes, Athenæus, Hero, Pappus, atque alii. Sed bene eſt, quòd laudet Diogenes Laërtius. Num igitur illi, quos diximus, præ invidia ſilentio præteriere illum, per quem profeciſſent? Id non ſinit

zed by Google

ſinit credere candor, qui in his ſummis viris reluxit. Quare veriſimilius eſt, non viſa fuiſſe Archimedi, Heroni, & aliis; qui vixere, antequam Sylla, captis Athenis, Romam inde transferret bibliothecam Ariſtotelis; quæ diu delituerat cum blattis, & tineis rixans. Ut nôrunt, qui varium bibliothecæ illius fatum ſciunt ex Strabonis lib. XIII. Vel hoc dicendum, vel adſentiendum Cardano libro de Proport. & Patricio Tom. I, lib. III Peripateticarum diſcuſſionum: quibus viſum, id opus alterius eſſe ſcriptoris. Utcumque eſt, conſtat librum eſſe doctum, & elegantem; quòd & Patricius agnoſcit. Commentati in eum fuere Leonicus, Piccolominæus, Monantholius.

3 §. *Circa hæc tempora, quibus Ariſtoteles fuit, etiam effulſit Æneas Tacticus. Cujus è* στρατηγικοῖς, *ſive commentario de arte imperatoria, ſupereſt* τακτικὸν, καὶ πολιορκητικὸν, tacticus, & obſidionalis, liber. *In quo non tam obſidentibus, quàm obſeſſis, dat præcepta.*

Suidas perperam vocat *de ſtratagematis.* Vera enim inſcriptio eſt στρατηγικά *: ut nuncupat Polybius lib. x; ubi de ſignis diſſerit. Item Ælianus in Tacticis. Mſus exſtat in bibliotheca Vaticana; ut ait Geſnerus. Ex eo videtur exſcriptus Chriſtianiſſimi Regis codex; unde divulgavit Iſaacus Caſaubonus: qui & Notas adjunxit.

* *De iis, quæ ad imperatoriam artem, ac univerſè diſciplinam militaris peritiam, pertinent.*

4 §. *Tacticorum Æneæ epitomen fecit Cineas Theſſalus, conſiliarius Pyrrhi, Epirotarum regis.*

Librorum Cineæ meminit & Cicero epiſtolâ ad Papirium Pætum lib. IX, epiſt. XXV. Vide, quæ de eo dixi lib. IV de Hiſtor. Græc. cap. XI.

5 §. *Etſi verò Ariſtoteles præclarè aperiat Mechanices cauſſas: conſiſtit tamen in iis, quæ magis ſunt generalia. At annis poſt Ariſtotelem* CLX, *Olympiade puta* CXL, *eluxit Archimedes: qui in* ἰσοῤῥοπικῶν † *libris, atque aliis, cauſſas magis particulares exponit. Si modò genuini ſunt Archimedis libri, quos hodie habemus. Nam hoc fortaſſe aliquis in dubium vocaverit propter duorum auctoritatem. Prior eſt Plutarchi in vita Marcelli: ubi ait, Archimedem in Mechanicis nihil mandâſſe ſcriptis. Altera eſt Carpi Antiochenſis; qui auctore Pappo, Proœmio in octavum Collectaneorum Mathematicorum, tradit, nihil ac in arte libris conſignâſſe præter* σφαιροποιΐαν, *quæ deperiit. Plutarcho ſic occurritur, deceptum hac parte, quia ejus Mechanica non vidiſſet; vel intelligi debere, non de Mechanica Rationali; ſed ſolâ Chirurgicâ. Quod verò ad Carpum, ne Pappus quidem, qui iſtoc è Carpo retulit, ei hac parte habuit fidem; cùm plures ipſe Mechanicos referat Archimedis libros.*

† *Æquiponderantium.*

Et ſanè Mechanica conſignâſſe, contra Plutarchum, (niſi, ſicut interpretabar, intelligatur) ex ipſo pâret Archimede: quando ad propoſitionem ſextam περὶ * τοῦ τετραγωνισμοῦ παραβολῆς ſic loquitur: Δέδεικται † γὰρ τοῦτο ἐν τοῖς μηχανικοῖς. Ubi duos deſignat libros ἐπιπέδων ἰσοῤῥοπιῶν ‡, ſive κεντροβαρῶν ἐπιπέδων *. Libri hi ἰσοῤῥοπικῶν † hodieque exſtant. Prior eorum eſt de æquipondio in illis corporibus, quæ ſunt rectilinea, & plana. Alter eſt de æquipondio in iis, quæ mixtâ continentur figura; ut in conicis ſectionibus. Mechanicos verò, ut retuli, eos vocat libros Archimedes; quia fundamenta totius Mechanices contineant. Imò & alios ſcripſit Mechanicos: quos citat ad propoſitionem VI ejuſdem libri. Sed iſti deperierunt. Neutiquam verò intelligere poſſumus commentarium, quem dixi ſupereſſe. Nec enim demonſtratur hoc opere, quod iſtic dicitur: utcunque, quæ ait, colligi ex hoc opere poſſint. Quæ bene doctiſſimus David Rivaltus ſuis in Archimedem obſervationibus annotavit. Adderem & conſignâſſe πνευματικὴν ‡, καὶ ὑδροσκοπικήν. Hoc enim proditum à Joan. Tzetze Chil. II, hiſtor. XXXV. Sed metuo, ne rejiciatur Græculi hujus, planè futilis, fides. Illud potiùs dicam, reliquiſſe libros περὶ * ὀχουμένων. Sive, ut Pappus in octavo Collectaneorum Mathematicorum inſcribit, περὶ τῶν ἐφ' ὕδατι ὀχουμένων †. Sed malo inſcriptionem priorem. Nec enim Archimedes de iis ſolùm agit, quæ aquis feruntur, ſed quovis humido: uti etiam ſunt vinum, oleum, atque alia. Multumque in his variat vectura per humidum, prout illud vel rarius eſt, vel denſius, compactiùſque; ut Vitruvius oſtendit lib. VII Architecturæ cap. VIII, & inibi Philander. Eos Archimedis libros in Parſina edit. ‡ nobis dedit, is, quem antè, dixi, David Rivaltus a Flurantia. Et genuinos eſſe, eò eſt veriſimilius, quòd eorum, ut ab Archimede ſcriptorum, meminerit Strabo lib. II, & Pappus libro antè memorato. Nec ſtylus, vel methodus, abhorrent. Quamquam verò non tam Mechanici ſint, quàm Phyſici; ut indicant proprietates, quas hîc attendimus, vectio in humido, humidi gravitas, & quæ ſimilia: ad Geometriam tamen pertinere, oſtendit, quòd conſideratur humidi figura, & varia, quæ ex figura conſequuntur; ut libratio æqualis, vel inæqualis, diverſaque ad terram propenſio pro diverſo ſitu centri gravitatis, & alia id genus. Propter hæc etiam Pappus lib. VIII Collect. Mathem. eoſce libros Mechanicis annumerat. Imò hoc libro (ut eſt apud Guidonem Ubaldum de Marchionibus Montis, & exinde Ant. Poſſevinum *) *tanquam in copioſiſſimâ penu omnia ferè mechanica dogmata repoſita videntur: quem ſanè libellum ſi ætatis noſtræ Mathematici ſibi familiariorem adhibuiſſent; reperiſſent ſententias multas, quas ipſi firmas, & ratas, eſſe docent, ſubtiliſſimè, atque veriſſimè, convulſas, & labefactatas.*

* *De quadratura parabolæ.*
† *Hoc enim oſtenſum in Mechanicis.*
‡ *Planorum æquiparantium.*
* *De centro gravitatis in planis.*
† *Propoſit. 10 libri æquiponderantium.*

‡ *Spiritalem, & eam qua clepſydris docet horas metiri.*
* *De iis, quæ in liquore vehuntur, ſive ſinitant.*
† *De illis, quæ in aquis innatant.*
‡ *An. 1615.*
* *Bibliothecæ ſelectæ lib. 15. cap. 8., pag. 200. edit. Rom.*

6 §. *Et profectò inter ſcriptores Mechanices principatus debetur Archimedi. Qui verò ejus monumenta culpant, quaſi parum firmis demonſtrationibus ſubnixa, ſuas potiùs laudes deterunt, quàm illas Archimedis.*

Eſt in iis præcipuè ſummus vir, Joſephus Scaliger. Ut cùm præfatione Cyclometricorum ait: *Qui eâ* (Matheſios) *ſcientiâ violenter utatur, id quod priſci Antipho, Bryſo, Hippocrates Chius, &, quod ſatis mirari non poſſum, magnus Archimedes, in hac re factitârunt; ille ex demonſtrationibus ſuis nihil aliud conſequatur, quàm ut demonſtrativè errare voluiſſe videatur.* Item in ipſa Appendice ſæpius eum exagitat ob paralogiſmum; quo, in re maximè ad rem pertinente, graviter adeò peccâſſe ait, ut nullam ſit excuſationem reperire. In ipſis etiam Cyclometricis †, *Similis*, inquit, *in* XVIII, & XIX, περὶ ἑλίκων *abſurditas eſt Archimedis.* Ac id genus alia alibi; quæ ἄῤῥητα ‡ ἀμείνω. Archimedem quidem adverſus Scaligerum abunde defendit Adrianus Romanus; ut dictum cap. XVI §. II. Atque idem fecit David Rivaltus à Flurantia, prolegomenis in Archimedem: item proloquio in Archimedem de circuli dimenſione, & in ſcholiis ejuſdem. Atque hæc de Archimede Syracuſio: cujus vitam olim exaravit Heraclides; ut auctor eſt Eutocius, penè initio commentarii in librum περὶ * τῆς τοῦ κύκλου μετρήσεως. Sed ea deperiit. Novam concinnando, ſupplere hunc defectum ſtuduit jam antè memoratus David Rivaltus à Flurantia Cenomanus; qui Ludovico XIII, Galliarum, ac Navarræ Regi, à conſiliis, & ſtudiis, fuit †. Cum hoc verò Archimede confundi non debet alter Archimedes; etſi, præter commentaria in Homerum, Mechanica & ipſe ediderit. Nam is philoſophus fuit Trallianus; ut auctor eſt Suidas.

† *Pag. 37.*
‡ *Satius fuiſſet non dici.*
* *De circuli dimenſione.*
† *Præmiſit operibus Archimedis, quæ exſtant, editis Lutetiæ Pariſ. an. 1615.*

7 §. *Iiſdem, ac Archimedes, temporibus enituit Athenæus: ut qui Marcello illi ſua de Machinis bellicis* de-

dedicârit, à cujus milite, captis Syracuſis, interemtus Archimedes fuit.

Athenæi de Machinis bellicis liber hodieque ſupereſt. Inſcriptio eſt, Ἀθηναίου * περὶ μηχανημάτων. Incipit autem, Ὅσον † μὲν ἀνθρώποις τοὺς περὶ μηχανικῶν ποιουμένοις λόγους, ὦ σεμνότατε Μάρκελλε, &c. Doctiſſimus tamen Caſaubonus ‡ exiſtimabat, Athenæum mechanicum vixiſſe tempore Gallieni Cæſaris: ac hujuſce libri ſcriptorem ſignari à Trebellio Pollione verbis illis *: *Quibus compertis, Gallienus Cleodamum, & Athenæum Byzantios, inſtaurandis urbibus, muniendiſque præfecit.* Sed hoc eſſe nequit, ſi ex Athenæo quædam excerpſit Vitruvius: ut Turnebus velle videtur lib. XXIII Adverſariorum cap. XXXII. Utcunque illud, antiquitatem oſtendit, quòd, cùm multos citet auctores, nullus in iis junior ſit Archimede, ac Marcello, quod facit, ut Archimedis fuiſſe æqualem exiſtimem.

* Athenæi de machinis liber.
† De machinis facienti ſermonem, illuſtris Marcelle.
‡ Notis in Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores.
* In duobus Gallienis.

8. §. *Poſt Archimedem, & Athenæum, clarum Heronis Alexandrini nomen fuit. Cujus exſtant Mechanica, Automatica, Pneumatica, Zygia, & Polyorcetica.*

Αὐτοματοποιητικῆς † libri ſunt duo, pro duobus αὐτομάτων ‡ generibus. Alia enim ſunt στατά, ſive ſtataria, alia ὑπάγοντα, ſive mobilia, atque ambulantia. Utrumque librum de Græcis Italicè vertit Bernardinus Baldus Urbinas, Guaſtallæ abbas. Luculentam præterea Iſagogen præmiſit, & annotationes ſubjunxit *. Πνευματικά, ſive ſpiritalia illius, Latinè tranſtulit Federicus Commandinus. Sed demum à morte ejus publici juris fecit gener Valerius Spaciolus †. Venetiis etiam prodiere ejus Poliorcetica, ſive de Machinis bellicis. Inſuper alia quædam ejus nomen præferunt: ut geodæſia, geometrumena, liber de re ruſticâ. Sed pleraque inedita in bibliothecis delitefcunt: imò quædam videntur Heronis junioris; ut de Geodæſia alibi dictum. Uterque Mechanicen tradidit. De quo adi vitam Heronis à Bernardino Baldo ſcriptam, & Belopœicis ſubditam. Heronem ſummis quoque Mathematicis annumerat Gregorius Nazianzenus oratione decimâ, quæ eſt in laudem Cæſarii fratris: ubi cùm in Medicina Hippocratem, & Galenum, nominâſſet, tres deinde Mathematicos jungit. Verba ſunt: Οὐκ ‡ ἀποδείξεσι τὰς Εὐκλείδου, καὶ Πτολεμαίου, καὶ Ἥρωνος.

† De machinis ſe moventibus.
‡ Sed ſponte mobilium.
* Edit. Venet. an. 1589.
† Urbini an 1575.
‡ Non demonſtrationibus explicabit ſcripta Euclidis, & Ptolemæi, & Heronis.

9. §. *Scripſere etiam de hac arte machinali Diades, Cteſibius, Nymphodorus, Philo Byzantius, Diphylus, Charidas, Polyidus, Pyrrhus, Ageſiſtratus: quorum è commentariis, uti & Archita, ſuum confecit M. Vitruvius Pollio.*

Apud Vitruvium ſunt iſta, præfatione lib. VII: *Non minus* (de machinationibus) *ſcripſere Cliades, Architas, Archimedes, Cteſibius, Nymphodorus, Philo Byzantius, Diphylus, Charidas, Polyidus, Pyrrhus, Ageſiſtratus.* Ubi pro *Cliades* legendum *Diades*; cujus ſæpius apud Mechanicos mentio fit. De Archita, & Archimede, ſuperiùs diximus. De Cteſibio ſic Plinius lib. VII, cap. XXXVII: *Cteſibius laudatus pneumaticâ ratione, & hydraulicis organis repertis.* Claruit temporibus Ptolomæi Euergete II, qui aliter Phyſcon dicebatur; annis ante natum Chriſtum circiter XC. Vide, quæ de eo refert Vitruvius lib. IX, cap. IX, & Athenæus lib. IV. Ut omnino diverſus ſit à Cteſibio hiſtorico, qui vivebat ſub Ptolomæo hiſtorico: ut diximus in Hiſtoricis Græcis lib. I, cap. XV. De Nymphodoris egi lib. IV de Hiſtoricis Græcis. Sed dicere non habeo, num hic ſit Amphipolites ille, an Syracuſius, an ab utroque diverſus. Philo ὁ μηχανογράφος Tzetzi nominatur Chil. II Hiſtor. XXXV. Nec alium ſignat Vitruvius præfatione libri ſeptimi: *Philo ſcripſerat de ædium ſacrarum ſymmetriis, & de armentario, quod fecerat Piræei portu.* Extat hodieque liber ejus: quo primùm agit de fabrica turrium, murorum, aliarumque munitionum. Deinde exponit, quomodo ſe defendant obſeſſi: ac quo pacto capiantur urbes. Vide etiam, quæ de Philone refero lib. III de Hiſtoricis Græcis. Diphylus, puto, veriùs *Diphilus*; quod & nomen habuit novæ comœdiæ poëta, patriâ Sinopenſis. Charidas fortaſſe veriùs, *Charicles.* Polyides aliquibus *Polyidus*; ſed perperam. Sanè Polyidus etiam vocatus eſt Argivus ille, à quo filium ſuum Glaucum vaticinandi artem edoceri voluit Minos; ut eſt apud Apollodorum lib. III bibliothecæ. Ac meminere etiam Palæphatus, Maro in Ciri, Hyginus, Pauſanias in Atticis, Clemens lib. I Strom. Apud Cenſorinum quoque in Fragmento cap. IX quidam Polyidos inter Muſicos memoratur. Sed perperam ibi à Carrione editum *Pondos.* Pro *Phyros* legendum *Pyrrhos*, ſive *Pyrrhus*: ut ſignetur Epirotarum rex; de quo diximus. Τοῦ μηχανικοῦ Ἀγησιστράτου video etiam Athenæum meminiſſe libro περὶ μηχανημάτων.

10. §. *Sub Auguſto Cæſare claruit Marcus * Vitruvius Pollio, qui primis quidem octonis libris agit de ædificatione tum publicorum, tum privatorum operum: in nono autem de Gnomonice tractat; in decimo de machinatione.*

* Qui pro Marco Lucius vocatur in editione Florentina an. 1496: ſed Mſſis prope omnibus reclamantibus.

Utrùm verò ex uno Vitruvio, an aliis quoque, addiſcenda ſit Architectura, diſſerit Poſſevinus lib. XV Bibliothecæ Selectæ cap. XVII. Quæ ſuper eo ſententia fuerit Leonis Alberti, ſatis inde liquet, quod in libris de Architectura toties eum reprehendit. Eſt & incertus, ſed fortaſſe vetus ſcriptor, qui ex Vitruvio Architecturam compendio conſtrinxit. Eum Lutetiæ Michaël Vaſcoſanus anno CIƆ IƆ XL typis commiſit, procurante editionem eam Guilielmo Poſtello.

11. §. *Sub Veſpaſiano, Tito, Domitiano, Nerva, ac Trajano, vixit Sextus Julius Frontinus, vir conſularis: qui poſt Strateclem, & Hermiam, ſcripſit de Tactica, quæ Homeri temporibus obtinebat.*

Auctor Ælianus in Tacticis cap. I. Sed Frontonem vocat, qui bis in Præfatione Frontinus. Ac utroque etiam nomine nuncupâſſe dicitur Martialis †. Eſt idem illi, cujus quatuor extant Strategematicôn libri; & opus de aquæductibus Urbem influentibus; nec non liber de re agraria.

† Lib. I, ep. 56, & 10. 48. Sed planè puto diverſos.

12. §. *Sub Trajano, & Adriano Cæſare, magni nominis fuit Claudius Ælianus; cujus ad Adrianum* Τακτικά, *ſive de acie ordinanda liber ſupereſt. Quem Latinè tres hi reddiderunt; Theodorus Gaza, Franciſcus Robortellus, & Sixtus Arcerius. Præterea ineditus exſtat liber ejus de urbium obſidione.*

Eſt is apud Bernenſes in bibliotheca, quæ olim Jacobi Bongarſii fuit. Plura de Æliano ſi voles, adi, quæ diximus lib. II de Hiſtoricis Græcis cap. XI.

13. §. *Æliani quoque tempore vivebat Arrianus Nicomedienſis, ob ſuavitatem ſermonis* Xenophon junior *appellatus: qui & ipſe Tactica ſua Adriano Cæſari nuncupavit.*

Tria ejus operis capita ſuperſunt; ſed hactenus inedita. Primi initium deſideratur. Id caput planè tacticum eſt: inque eo ordinem ſequitur Æliani; ſed ſic, ut quandoque, tacito nomine, reprehendat. Alterum caput eſt περὶ ‡ γυμνασίων Ῥωμαικῶν, καὶ ὅπως ἐγυμνάζοντο οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι. Tertium continet ἔκταξιν * περὶ Ἀλανῶν. Ubi ſeſe Xenophontem appellat: quod & facit libello de Venatione.

‡ De exercitationibus Romanis, & quomodo ſe olim exercuerint Romani.
* De inſtructione aciei adverſus Alanos.

14. §. Sub

14. §. *Sub Antoninis fuit Claudius Ptolomæus: cujus huc pertinet ſubtilis liber de Analemmate.*

Eruditè in eum commentatus fuit Federicus Commandinus. Imò, eundem Ptolomæum tres feciſſe Mechanicorum libros, auctorem laudare poſſumus Suidam. Et apud Eutocium ad Archimedis Ἰσορροπικῶν lib. 1 laudatur τὸ * περὶ ῥοπῶν βιβλίον τῷ Πτολεμαίῳ συγγεγραμμένον.

** Liber à Ptolomæo conſcriptus de libramentis, ſive mom.*

15. §. *Sub M. Antonino Eliogabalo claruit Julius Africanus, vir ingeniis, variaque doctrina: cujus in variis bibliothecis exſtant περὶ πολεμίων παρασκευαί *.*

** Præparationes, ſive fabrica militares.*

Eſt hic, ut puto, Africanus ille, cui nimium quantum in Chronicis debet Euſebius Pamphili; quemadmodum dixi lib. II de Hiſtoricis Græcis cap. XV. Nec argumentum de machinis bellicis alienum ab eo putabit, qui omnigenam illius doctrinam ſciat; ut Κεστῶν libri oſtenderunt: de quibus ſic Euſebius lib. 1 Chronicorum: Ἀφρικανὸς † τὴν ἐννεάβιβλον τῶν Κεστῶν, ἐπιγεγραμμένην πραγματείαν ἰατρικῶν, καὶ φυσικῶν, καὶ γεωργικῶν, καὶ χυμικῶν, περιέχουσαν δυνάμεις, Ἀλεξάνδρῳ τούτῳ προσφωνεῖ. Tactica ejus habeo inedita: multaque in iis ex Æneæ Tacticis Africanus exſcripſit. Doctum imprimis, & antiquum ſcriptorem, nuncupat Iſaacus Caſaubonus ‡.

† Africanus libros novem, Ceſtorum nomine inſcriptos, quibus comprehendit res medicas, naturales, ruſticas, chymicas, Alexandro huic dedicavit.

‡ Initio Notarum in Tactica Æneæ.

16. §. *Sub Theodoſio Magno eâdem arte egit Pappus.*

Tum enim claruiſſe, dixi cap. XVI. §. 8.

17. §. *Sub Anaſtaſio imperatore Urbicius, imperatoris ejus juſſu, Tactica Græcè literis, & memoriæ, mandavit. Tranſtulit verò, quæ Trajanus, & Adrianus, hac de arte ſcripſerant: ſed ſic, ut non pauca adderet de ſuo. Multumque conveniunt cum Tacticis Mauricii imperatoris, de quibus mox dicam.*

Manuſcripta exſtant Florentiæ, & Mediolani: unde filius meus Iſaacus exſcripſit. Quod dixi Trajanum, & Adrianum, eſſe hoc opere ſecutum, liquet ex carmine præmiſſo: quod etiam legere eſt apud maximum Salmaſium in Commentario ad Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores. Videtur & Urbicium eum ſignare anonymus in deſcriptione Terræ ſanctæ.

18. §. *Juſtiniani Magni ætate fuit Anthemius Mechanicus, patria Trallianus: cujus περὶ παραδόξων μηχανημάτων * liber ſupereſt.*

** De machinis.*

Fratres habuit Menelaum Trallianum, nobilem Grammaticum, Olympium I. C. Dioſcorum, & Alexandrum Medicos. Quantus in Mechanicis fuerit, oſtendit, quòd fulgura, & terræmotum, arte imitaretur. Vide, quæ fusè de eo refert Agathias Scholaſticus lib. quincto. Liber is in Romana, Mediolanenſi, & aliis exſtat bibliothecis: atque agit de Archimedis, & aliorum, ſpeculis uſtoriis.

19. §. *Etiam Mauricius Imperator de re militari libris memoriam ſui nominis conſecravit.*

Duodecim hoc de argumento ejus libros extare, ait Simlerus in iis, quæ Geſneri addidit bibliothecæ.

20. §. *Sub Heraclio imperatore Hero junior vixiſſe exiſtimatur.*

Hoc inde colligit Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum, quòd in Geodæſia, (quam genuinam eſſe, extra controverſiam ponit) † ſtellas fixas dicat à Ptolemæi tempore ad ſuam uſque ætatem progreſſas eſſe gradibus VII; quæ res, ex ſententia Albategnii, requirit annos CCCCLX. Atqui Ptolemæus floruit ſub M. Aurelio Antonino, qui imperare cœpit anno CLXIII. His annis ſi addamus numerum ſuperiorem, exſurget annus Chriſti IↃCXXIII. Circa igitur Heraclii tempora claruerit Hero junior. Majorem interim hoc argumentum apud me vim haberet, niſi de auctore genuino dubitaretur. Audiamus Henricum Savilium Lecturâ in Euclidem ſecundâ *: *De Geodaſia libellum nihili, qui vulgò ſub Heronis nomine circumfertur, & in ſchedis meis alicubi manuſcriptis reperitur, ut indignum tanto nomine, prorſus aſpernor.* Digniora Herone videntur Belopœica; quæ Auguſtæ Vindelicorum anno CIↃ IↃ CXVI edita ſunt. De his alibi diximus.

† Ad ſeculum Chriſti ſextum, pag. 54.

** Pag. 36.*

21. §. *Anno Chriſti IↃ CCCLXXXV imperare cœpit Leo filius Cæſaris Baſilii Macedonis. At filius Conſtantinus Porphyrogennetus anno CIↃ XII. Utriuſque ſuperſunt Tactica, ſive liber de acie ordinanda.*

Illa Leonis Latinè Baſileæ anno CIↃ IↃ LIV prodierunt ex interpretatione Joannis Checi Cantabrigienſis. Græcè autem ex tribus codicibus primus Leonem edidit Joannes Meurſius. Uti & poſtea Tactica Conſtantini.

22. §. *Etiam in bibliothecis publicis, ac quorundam privatis, ſuperſunt Bitonis παρασκευαὶ * πολεμικῶν ὀργάνων, καὶ καταπελτικῶν.*

** Præparationes inſtrumentorum militarium, atque catapultariis.*

Bitonem hunc advocat Heſychius †: Σαμβύκη ‡ οὐ μόνον τὸ μουσικὸν ὄργανον, οὗ μέμνηται Ἰόβας, ἀλλὰ καὶ πολιορκητικόν, οὗ Βίτων. Opuſculum ſuum inſcripſit τῷ πάλαι βασιλεῖ *. Num iſte Dionyſius, Siciliæ tyrannus, & Corinthi exulans? Potuit hoc illi dicare, ſpe bonâ, hanc poliorceticam diſciplinam fore illi utilem ad regnum recuperandum. Neque obſtat, quòd Biton meminerit Poſidonii mechanici: quem ait Alexandro M. fabricâſſe helepolim. Dum enim Dionyſius Corinthi verſaretur, multa jam bella geſſerat Alexander. Et quoſcunque memorat Bito, vel ætate Alexandri, vel antea, vixere. Sed cùm librarii illud, τῷ πάλαι βασιλεῖ, non aſſequerentur, variè immutârunt. Fortaſſe autem Biton ἁπλῶς ſcripſerat βασιλεῖ, non πάλαι βασιλεῖ: quod fuerit à librariis vel ejuſdem, vel proximi temporis. Nec enim abſurdè credamus, voluiſſe affectum ſuum erga regem, jam ejectum regno, commonſtrare opere aliquo, quod, ad recuperandum regnum, ei poſſet inſervire. De obſidionalibus inſtrumentis agere, ſatis indicat inſcriptio. Ut, inter alia, de machinis, ac ſcalis, quæ conducunt urbem obſidentibus.

† In Σαμβύκη.

‡ Sambuca non ſolùm eſt inſtrumentum muſicum, quod memorat Juba: ſed etiam obſidionale, cujus meminit Biton.

** Quondam regi.*

23. §. *Præterea in bibliothecis Italiæ ſunt Daimachi πολιορκητικὰ † ὑπομνήματα.*

† Commentarii de machinis, quibus utendum in urbium obſidione.

Eorum librum XXXV citat Stephanus in Λακεδαίμων. Meminit & ejus operis Euſtathius in ſecundum Iliados *.

** Edit. Rom. pag. 294. verſ. 7.*

24. §. *Etiam Tacticis ſuis innotuit Aſclepiodotus.*

Quæ exſtant in Bibliotheca Florentina, Regia Pariſienſi, atque aliis. Ejuſdem ſupereſt tractatus περὶ † ναυμαχίας, καὶ πειρατικῆς: qui totus prope deſumtus eſt ex Leonis imperatoris Tacticis.

† De pugna navali, & piratica.

25. §. *Adhæc de re militari commentarium reliquit Poſidonius Rhodius.*

Qui Bernæ eſt in Bibliotheca Bongarſiana, unà cum Conſtantino de modis pugnandi apud varias gentes; item cum Clearchi ſtrategematis, atque aliis. Valde antiquum eſſe neceſſe eſt, ſi is ſit Poſidonius Bitoni memoratus; de quo antea vidimus.

26. §. *Exſtant quoque in bibliothecis multis Baſilii Patricii, & Παρακοιμωμένου ‡, Naumachica.*

‡ Præfecti cubiculo Imperatoris.

Sed

Digitized by Google

Sed non admodum antiqua; multaque deſunt in pleriſque exemplaribus.

27. §. *Adhuc Diodori cujuſdam liber de Ponderibus, & menſuris, Græce ſcriptus in Italia adſervatur:*

ut eſt apud Geſnerum. Ætatem, qui non viderim, nequeo dicere: ac fortaſſe, nec qui viderunt.

28. §. *Græcis hiſce addam hominem Syrum, Albategnium, Aſtrologum eximium: qui anno* IↃ CCC LXXXVIII *grande nominis ſui decus tulit: breviter verò docuit, quomodo horologia inæqualium horarum ad loci latitudinem exſtruantur.*

Vide eum libro de ſcientia ſtellarum, propoſitione LVI. Diximus de eo cap. XXXV, §. 6.

29. §. *Addam & unum, alterum, Latinorum. Qualis Jordanus Nemorarius. Hic de ponderibus propoſitiones* XIII, *& harum demonſtrationes, rerumque multarum rationes, conſcripſit.*

Excudit Jo. Petrejus Norimbergæ anno CIↃ IↃ XXXIII. De ætate ejus antea vidimus. Chriſtophori Clavii tale de eo judicium eſt, quæ habemus, eſſe tantummodo fragmentum, ex quo parum poſſit elici.

30. §. *Anno* CIↃ CCCC LXIV *claruit Joannes Mullerus de Regio monte: qui inter cætera de ponderibus, & aquæductibus, commentarium reliquit.*

Vide de eo, quæ dixi cap. XVI, §. XI.

CAP. L.

DE MECHANICIS,
qui proximo ſeſquiſeculo vixerunt.

1. §. *Atque iſti omnes fuere ante annum* CIↃ IↃ. *Subdam nunc pluſculos, qui proximo ſeſquiſeculo in pretio fuerint. Eſt in his Joannes Stabius Auſtriacus, qui anno* CIↃ IↃ X *claruit. Scripſit horoſcopion univerſale lineis helicis, atque aliud columnaribus lineis. Item modum faciendi horologium Lunare, ad quamcumque elevationem, & ſuperficiem, in lineis helicis; pluraque alia.*

POëta fuit laureatus, & Cæſaris Maximiliani primi Coſmographus, ac Hiſtoricus. Matheſin Viennæ Auſtriæ docuit. Quàm varia invenerit, atque ediderit, indicat diſcipulus ejus Georgius Collimitius apud Geſnerum Tom. I Bibliothecæ.

2. §. *Tum etiam fuit Albertus Durerus: qui memoriam ſui nominis conſecravit opere de urbibus, arcibus, caſtelliſque condendis.*

Pariſiis editus eſt anno CIↃ IↃ XXXV. Dixi de eo quoque cap. XVI, §. 14.

3. §. *Anno* CIↃ IↃ XVIII *ſub Maximiliano Cæſare, & Leone X, vixit Joannes Jucundus Veronenſis: qui Vitruvium de Architectura, & varia in Julii Cæſaris commentariis, delineationibus ſuis illuſtravit.*

Hunc Cæſar Scaliger Exercitatione CIV, §. XXIII, *præceptorem* ſuum vocat, & *omnium bonarum artium veterem, novamque bibliothecam.* Idem Exercitat. CCXXVI, §. XII appellat eum *architectorum coryphæum.* Ac ab eo, & Hieronymo Dominio, ſe *primis* ait *literis Græcis imbutum.* Audiamus eundem Exercitatione CCCXXIX: *Joannes Jucundus, civis noſter, nobili genere prognatus,* (*qui Maximiliani juſſu cum Hieronymo Dominio Norico, fortiſſimo, ac ſanctiſſimo viro, inter tyrocinii rudimenta, me utriuſque literaturæ primis ſacris imbuit*) *vir fuit in philoſophia Peripatetica non ignobilis, Scotica ſecta ſummus Theologus; in Mathematicis nulli ſecundus; in Optice, atque Architecturâ, omnium facile princeps.* Ut tantus vir magis noſcatur, addam & iſta ex Exercitat. CCCXXXI: *Memini, præceptorem meum Joannem Jucundum,* (*qui nobiliſſimum flumen Sequanam haud minus nobilibus pontibus duobus junxit; quique ſolus Bramantis, architecti defuncti, reliquias typorum, atque conſiliorum, intellexit*) *apud Maximilianum Cæſarem multa præclara profitentem: id inter cætera; Quot pondo proportionem haberet pugnus hominis ferientis cum ſe ipſo non feriente comparatus. Sed & hæc, & alia, tum ille demonſtrabat; quæ poſtea Fortunæ ſævitiâ interiere. Tum ille, ut audivi, profectus Venetias; atque inde ad Leonem, pontificem maximum: an luculentiore fato ſit uſus, neſcio. Certè Romæ ſi meliore vixit conditione, pro miraculo haberi poteſt; qui unicum exemplar fuit, & ſanctitatis, & omnigenæ eruditionis.* Miror, tantis laudibus virum à Leandro, Paullo Merula, aliis, in deſcriptione Italiæ præteriri, cùm doctos Veronenſes recenſent. Nempe in hoc etiam locum illud habet, alios nominis decus habere, alios mereri.

4. §. *Nicolaus Leonicus Thomæus anno* CIↃ IↃ XXIV *Patavii vixit; interque alia, Ariſtotelis quæſtiones Mechanicas figuris, notiſque, illuſtravit.*

Eum Simo Colinæus Pariſiis anno CIↃ IↃ XXX prælo ſubjecit, unà cum explicatione Parvorum Naturalium, & aliis Leonici opuſculis.

5. §. *Anno* CIↃ IↃ XXV, *& aliquot luſtris pòſt, claruit Orontius Fineus; qui cùm alia publicavit, tum de Solaribus horologiis, & quadrantibus. Sed in nonnullis peccâſſe, convenit inter eruditos.*

Vide de eo, quæ attuli cap. XVI.

6. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXI *Venetiis prodiit Leonardi Fortii Romani libellus de re militari, variiſque bellicis inſtrumentis, unà cum imaginibus.*

Exaratus metro, eâ Græcorum linguâ, quæ nunc obtinet.

7. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXIII *Georgius Agricola quinque de menſuris, ac ponderibus, libros emiſit.*

Quorum primus eſt de menſuris Romanis; alter de menſuris Græcis; tertius de pondere rerum, quas metimur; quartus de ponderibus Romanis; quinctus de ponderibus Græcis. Edidit Pariſiis Chriſtianus Wechelus. In epitomen redegit Guilielmus Philander; eamque ſuo in Vitruvium commentario ſubjunxit.

8. §. *Eluxit quoque iis temporibus literarum, & juris intelligentiſſimus, Andreas Alciatus Mediolanenſis: qui, præter alia, libellum edidit de ponderibus, & menſuris.*

Obiit anno CIↃ IↃ L.

9. §. *Anno* CIↃ IↃ XL *Vannocius Biringucius Senenſis Italicè vulgavit Pyrotechniam libris* X.

Agit iis de natura metallorum, & ratione fundendi ea, & ſeparandi; item de campanis, & tormentis bellicis.

10. §. *Anno eodem in univerſa Matheſi multum laudis meruit Leo Baptiſta Albertus Florentinus; præcipuè opere de Architectura.*

De

Digitized by Google

De eo ſic ait gentilis ejus Leander Albertus Bononienſis in deſcriptione Italiæ, ubi claros recenſet Florentinos*: *Leo Albertus, ingenio vir admirabili, ac ad omnes omnino diſciplinas, tam practicas, quàm theoricas, nato. Nam & Geometra perfectus, & Optices, Aſtrologia, Muſica, Pictura, Toreutrices, aliarumque id genus artium omnium, gnarus fuit. Opera quoque nonnulla reliquit haut vulgaria; nominatim librum præclaræ eruditionis indicem, de Architectura.* Subjungit deinde, utcunque ipſe ſit Bononienſis; at Leo Albertus, Florentinus: ex eadem nihilominus ſe eſſe familia; quia illi, quibus eſſet ortus, Florentiâ Bononiam commigrârint. Fuit Leo hic Laurentii filius, Cardinalis Alberti de Albertis nepos, præſul abbatiæ Piſanæ S. Severini. Præter illa de Architectura ſcripſit de Picturæ lineis, atque umbris, & receſſibus. Item de navibus. Ugolinus Verinus, Michaëlis pater, laudat eum, ut alterum Vitruvium, nec Euclide minorem. Etiam Janus Vitalis, & Latomus, Epitaphia condiderunt, laudum plena.

*Pag. 70. edit. Colon. 1567.

11. §. *Anno* CIↃ IↃ XLII *multum deferebatur Petro Nonio, Salacienſi Mathematico: qui, inter cætera, egit, de navigandi arte, ejuſque regulis, & inſtrumentis. Varia idem hoc in opere problemata tractat, ſubtiliterque exponit Mechanicen Ariſtotelis de navigii motu per remos, ac figuris etiam illuſtrat.*

De eo vidimus quoque in Aſtrologicis ſcriptoribus. Mathematum peritiâ ſummis penè parem fuiſſe, judicium eſt Simonis Stevini in appendice Loxodromiarum †. In harum tamen numeris quandoque decipi, ibidem demonſtratur.

† P. 151. edit. Leid. an. 1608.

12. §. *Etiam tum multa exiſtimationis fuit Franciſcus Maurolycus, abbas Siculus: qui de lineis horariis acute tribus ſcripſit libris.*

De hoc in Geographis quædam adduximus.

13. §. *Anno* CIↃ IↃ XLIV *Guilielmus Philander Caſtilioneus, civis Romanus, Vitruvium de architectura collatis codd. antiquis caſtigatiorem emiſit, & erudito commentario illuſtravit.*

Eundem octennio pòſt Lugduni Tornæſius emendatiùs edidit, notiſque plus tertiâ parte adauctis. Elogium Philandri apud Scævolam Sammarthanum habes.

14. §. *Anno* CIↃ IↃ L *in pretio erat Joannes Buteo Delphinas, Juriſconſultus idem, ac Mathematicus inſignis. Scripſit de libra, & ſtatera. Adhæc cujus forma, & capacitatis, fuerit arca Noë. Item de ſublicio ponte Cæſaris: Explanationem ad Quinctiliani locum Geometricum: Emendationem figurationis organi à Columella deſcripti.*

Etiam alia ejus alibi memoravimus.

15. §. *Anno eodem Tiguri Joannes Blum claruit, atque edidit deſcriptionem, & delineationem quinque columnarum, cum ſymmetrica earum diviſione.*

Opus perutile pictoribus, ſculptoribus, ſtatuariis, fabris lignariis, ærariis, & ejuſce generis aliis.

16. §. *Anno quoque* CIↃ IↃ L, *ac deinceps, Nicolaus Tartalea multa exarabat ad Mechanicen pertinentia, etiam nauticam, & artem militarem.*

Quàm varia tractârit, hoc pacto enumerat Antonius Poſſevinus lib. XV Bibliothecæ Selectæ cap. VIII*. Primùm agit theoricè de natura, & effectibus, corporum æquè gravium in duobus contrariis motibus. II. Geometricè tractat de qualitatum ſimilitudine, proportione tranſituum illorum, pro variis eorum motibus, ejectione, attractione, & aliis diſtantiis. III. de nova menſurandi praxi, & adſpectu. IV. de tormentis, ſive bombardis, eorumque uſu. V. de natura, ac origine, multiplicis gummi, & olei, aquarum item ſtillatarum, & variorum foſſilium, tum naturâ, tum arte factorum. Quibus aliqua etiam addit de Pyrotechnia; hoc eſt, de iis, quæ igne conficiuntur. VI. de variis inventis, deque muniendis urbibus. VII. de aliis repertis, ex principiis Mechanicorum Ariſtotelis. VIII. de ponderibus. IX. de quæſitis in ſcientiis Arithmeticæ, Geometricæ, ac practicæ, & ſpeculativæ Algebræ; ubi & de cubis. Altero idem opere, Italicè exarato, quod *Travagliata inventione* inſcripſit, hoc eſt, vexatam inventionem, agit de extrahendis navibus ſubmerſis: item de commoratione diuturnâ ſub aquis: deque mutatione temporum; in gratiam, atque uſum, navigantium. Adjunxit quoque interpretationem Italicam Archimedis de inſidentibus aquæ. Adhæc tractatum de proportione, quam habet materiale aliud corpus, quod, cum ipſa aqua, gravius ſit aquâ. Atque idem Tartalea Jordani opuſculum de Ponderoſitate correxit, figuris etiam auxit, & familiari ſuo Curtio Trojano prælo ſubjiciendum dedit; qui & Venetiis excudit anno CIↃ IↃ LXV. Atque hoc ipſo anno ab eodem excuſus eſt liber primus Archimedis de aquæ inſidentibus; ut Curtius Trojanus ſcribit, *ab Nicolao in lucem revocatus, & quantum ab ipſo potuit, ab erroribus librariis emendatus, ejuſque lucubrationibus illuſtratus.*

* P. 201. edit. Rom.

17. §. *Anno* CIↃ IↃ LII, *regnante in Anglia Eduardo VI, magna ob variam doctrinam, præſertim in Matheſi, & Medicinâ, exiſtimationis fuit Robertus Recordus, Combrus; qui opere de arte faciendi horologium ab oblivione nomen ſuum vindicavit.*

Vidimus de eo quoque in Geographis.

18. §. *Anno* CIↃ IↃ XLV *admirationi erat Hieronymus Cardanus; qui, præter tot alia ingenii ſui monumenta, etiam paraphraſin in Vitruvium fecit.*

Sed utrùm ea lucem viderit, dicere nequeo. De horologiis ſine fune agit lib. XVII de Subtilitate †.

† P. 579. edit. Lugd. an. 1580.

19. §. *Anno* CIↃ IↃ LVI, *Philippo, & Mariâ, in Anglia regnantibus, claruit Leonardus Diggs, nobilis Anglus; qui, præter Prognoſticum generale, etiam* Tectonicum *conſcripſit.*

Geodæſiæ intelligentiſſimus fuit, ac univerſæ architecturæ: praxi etiam junxerat ſedulam præſtantium ſcriptorum lectionem; præſertim in iis, quæ ad artem Mechanicen pertinerent.

20. §. *Anno* CIↃ IↃ LVII *Gnomonica edebat Andreas Schonerus, Joannis filius.*

Acutum id opus vocat Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum ‡. Prodiit poſtea Noribergæ anno CIↃ IↃ LXII. Dicam de eo quoque in Aſtrologis cap. LXIX, §. 36.

‡ Pag. 60, & 61.

21. §. *Anno* CIↃ IↃ LXV *Alexander Piccolomineus Venetiis paraphraſin plenam, planamque, ac commentarium potiùs, in Ariſtotelis Quæſtiones Mechanicas, emiſit.*

Philoſophus planè eximius fuit; tum ob ingenium, & in-

Digitized by Google

induſtriam; tum quia feliciter adeò Matheſin, & philoſophiam, conjunxit. Utràque ſanè excelluit, ut præclara tot ejus opera oſtendunt.

22. §. *Anno* CIↃ IↃ LXIX *claruit Franciſcus Barotius patricius Venetus, qui, inter alia, è Græco Latinè vertit Heronis Mechanica, & Geodæſiam.*

Dixi de eo quoque in Geometris, & Geodætis.

23. §. *Anno* CIↃ IↃ LXX *magna in mechanicis laus fuit Federici Commandini; qui librum reliquit de centrobaricis, ſive de gravitatis centro in ſolidis.*

Quæ Mechanices pars Ariſtoteli fuit ignota; ut ex ejus Mechanicis manifeſtum eſt. Etiam librum emiſit de horologiorum deſcriptione; quem ſubjunxit commentario ſuo in Ptolomæum de analemmate *. Hunc verò Chriſtophorus Clavius lib. VI Gnomonices ſic breviùs conſtrinxit, ut ſe diffunderet longiùs.

* *Edidit Romæ Paulus Manutius an. 1562.*

24. §. *Anno* CIↃ IↃ LXX *Joannes Paduanus Veronenſis edidit Venetiis opus ſuum de compoſitione, & uſu multiformium horologiorum ſolarium pro diverſis mundi regionibus.*

Ac præterea promiſit librum de ratione ſupputandi ad formanda horologia, quæ cuivis ſuperficiei, etiam pendulæ, & declivi, conveniant. Sed utrùm lucem viderit, non ſat ſcio.

25. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXII *Benedictus Arias Montanus Hiſpalenſis edebat Antiquitatum Judaicarum libros* IX: *quorum quinctus* Exemplar *dicitur: eſtque de ſacris fabricis.*

Quâ tamen parte plus juvat Villalpandus in fabrica templi Salomonici; de quo alibi dicimus. Interim fatendum, Ariam Montanum fuiſſe virum magnum, deque Eccleſia, Bibliorum imprimis Regiorum opere; quorum illum curæ Philippus, II ejus nominis Hiſpaniæ rex, præfecerat, præclarè meritum: etſi ea propter ab linguarum imperitis malè habitus, ſic ut Romam etiam non ſemel proficiſci neceſſe habuerit ad cauſſam dicendam. Qua in re maximè illi moleſtiam exhibuit Leo Caſtrius, Canonicus Pincianus; cujus in Eſaiam luculentus exſtat commentarius.

26. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXVII *Guidus Ubaldus, Marchio è nobiliſſima de Monte familia, pereruditum divulgavit Mechanicorum librum.*

Excuſus Piſauri eopſe anno. Sex autem partibus conſtat; de librâ, vecte, trochleâ, axe in peritrochio, cuneo, & cochleâ.

27. §. *Atque idem Archimedis ἰσορροπικῶν libros paraphraſi, & ſcholiis, illuſtravit:*

Quæ Piſauri edita ſunt anno CIↃ IↃ LXXXVIII. Nec opera hæc, pòſt Eutocii Aſcalonitæ commentarios, inutilis eſt cenſenda. Multa adeò in Archimede ſuperſunt, quæ non ſatis illuſtrârit Eutocius. Ut mittam, quòd in eo quædam inutilia ſint, quædam corrupta; nec omnium mentem ſatis aſſequatur Latinus interpres. Idem Aſtrolabium, & Perſpectivam reliquit. Item poſthuma hæc, problemata aſtronomica, & ſeorſum opus de cochlea.

28. §. *Federico Commandino doctore, ſymmyſtâ Guido Ubaldo, plurimum profecit Bernardinus Baldus Urbinas; qui Heronem de automatis, uti & eundem de baliſtis, vertit. Ipſeque, inter tam multa, commentarium reliquit in Ariſtotelis mechanica. Ac libros* V *compoſuit nova Gnomonices, & alia.*

Natus eſt Bernardus Baldus Urbini anno CIↃ IↃ LIII, è nobili familia Cantagallina, inter Peruſinas illuſtri. In Matheſi docentem audivit Federicum Commandinum: imò quinquennio ei adhæſit. Eo mortuo ſymmiſtâ uſus eſt Guido Ubaldo è Marchionibus. Anno CIↃ IↃ LXXXVI factus eſt abbas Guaſtallæ. Vir fuit non ſolùm Matheſios univerſæ peritiſſimus; ſed etiam (ut Germanicam, Gallicam, & Slavonicam linguam omittam) Latinè, Græcè, Hebraicè, Chaldaicè, & Arabicè doctiſſimus. Scripſit librum de Tormentis bellicis, & eorum inventoribus; commentarium in Mechanica Ariſtotelis, quem fecit anno CIↃ IↃ LXXXII; de verborum Vitruvii ſignificationibus; de ſcamillis imparibus Vitruvii; novæ Gnomonices lib. V, quos ſcripſit anno CIↃ IↃ XCV; horographium univerſale; de firmamento, & aquis; paradoxa Mathematica; templi Ezechielis novam deſcriptionem; vitas omnium Mathematicorum; partim à Thalete, uſque ad Chriſtum; partim à Chriſto ad ſua uſque tempora. Obiit anno CIↃ IↃ C XVII; cùm diebus XL vehementi catarrho laborâſſet.

29. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXX *magno inter Mathematicos in honore fuit Chriſtophorus Clavius. Qui octo fecit Gnomonices libros. Etiam fabricam, & uſum inſtrumenti ad horologiorum deſcriptionem, poſteris reliquit.*

Quantus vir fuerit in aliis Matheſios ſcientiis, expoſui in Geometris, & Aſtrologis. Nunc ſolùm de Gnomonicis loquimur: in quibus ipſis ſolidè omnia demonſtrat.

30. §. *Anno* CIↃ IↃ XC *vixit Alexander Fioravantius Capucinus: qui* tetchorarium, *ut ipſe vocat, excogitavit:*

ingenioſum planè, ac commodiſſimum inſtrumentum, ad horologia in muris deſcribenda. Auctor F. Cherubinus in ſuo de horologiis thaumatolemmate, & ex eo Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum *.

* *Pag. 62.*

31. §. *Anno* CIↃ IↃ XCV *Simon Stevinus Brugenſis pulcro viguit nomine; quod non mediocriter adauxit ſex Statica libris.*

Quorum primus eſt de elementis Staticæ. Alter de centrobaricis, ſive ratione inveniendi centrum gravitatis. Tertius de ſtatices praxi. Quartus de primis elementis hydroſtatices. Quinctus de hydroſtatices praxi. Sextus habet additamentum. Idem Stevinus egit de Architectura. Nempe tomo quincto Commentariorum Mathematicorum. In quo pars quarta erat de Architectura, quincta de Polemica. Dum verò is liber exſpectatur, ſuppleant vicem tot editi. Idem lib. IV Geographiæ tradit ἱστιοδρομίαν, ſive velificationem, quam & ναυσιπορίαν dixeris. Dividit eam * in ὀρθοδρομίαν, ſive velificationem rectam, & λοξοδρομίαν, ſive velificationem obliquam; ac diſtinctè de utraque tractat.

* *In ſecunda parte Coſmographiæ pag. 85.*

32. §. *Anno* CIↃ IↃ XCV, *quo Romæ peſtilentiâ mortuus eſt Hieronymus Pradus Biacenſis, diœceſis Gienenſis, annos natus* LVI, *ejus in Ezechielem labores perficere aggreſſus eſt Joannes Baptiſta Villalpandus Cordubenſis. Solùm enim primum tomum abſolverat Pradus: quo tantum* XXVI *Ezechielis capita enarravit. Secundus, tertiuſque ſunt à Villalpando. Secundo eſt templi Salomonici fabrica, & vaſorum forma. Tertio tractat de Urbe, Hebræorumque ponderibus, numiſmatis, ac menſuris.*

Fuit Villalpandus architecturæ intelligentiſſimus: quæ & cauſſa fuit, cur Pradus etiamnum ſuperſtes ejus operâ in hoc commentario concinnando uteretur. Meminimus verò hoc loco, quia tomus tertius, ut Joſephus Blancanus † ait, *librum unum juſtæ magnitudinis habet, novis demonſtra-*

† *In Chronologia Mathematicor. pag. 62.*

Digitized by Google

ſtrationibus geometricis, & aliis pluribus, tum ad mechanicam, tum ad menſuras geometricas pertinentibus, refertum.

33. §. *Anno* CIↃ IↃ XCVIII *Jacobus Severtius, Theologiæ Doctor Pariſienſis, divulgabat opus de Orbe Catoptrico, ſive mappâ mundi: cujus propoſitione* LIV* *agit de arte navigandi.* * p. 193.

Prodiit Pariſiis.

34. §. *Anno* CIↃ IↃ XCIX, *atque iterum anno* CIↃ IↃ C XII, *Bartholomæus Pitiſcus Grunbergenſis Sileſius divulgavit librum problematum Gnomonicorum, ac Architectonicorum; in quo ſe ait præcipua Architecturæ militaris myſteria reſeraſſe.*

Prodiit cum Trigonometriæ, ſive de dimenſione trianguli, quinque libris, Francofurti an. CIↃ IↃ C XII. Quatuor verò problematis omnem Gnomonicorum doctrinam complexus fuit.

35. §. *Anno quoque* CIↃ IↃ XCIX *Henricus Monatholius Mechanica Ariſtotelis Latinè vertit; & uberi, ac docto commentario, illuſtravit.*

Medicus fuit, & Mathematicarum artium Lutetiæ Profeſſor Regius. Opus verò iſtoc dicavit Henrico IV, Galliarum & Navarræ Regi. Præfatione hujus operis agit de natura Mechanices. Unde pauca exſcribam, ut lucem fœnerent iis, quæ de conſtitutione hujus artis antea diximus. Sic igitur ille: *Machinæ aliæ moventur à rebus inanimis; aliæ ab animatis. Res inanimæ, principium motionis exhibentes, ſunt, aër, ſpiritus, aqua, ignis, fumus. Aër, & ſpiritus, eſt vel incluſus; ex quo pneumatica ratio abſolvitur; de qua etiam Hero inſtrumenta Muſica, quæ per* ἀντονομασίας *organa vocant: vel liber, unde ædificia ad molendum; tum tympana; tum ſerræ ad trabes ſecandas, folles ad ferrum tundendum, & alia pleraque. Ignis, ſeu fumus, quo verucula convolvuntur. Animata ſunt, bruta, quæ trahunt currus, ciſia, quadrigas: homines, qui verſant, trahunt, erigunt, impellunt, ad varios belli, paciſque, uſus; utentes vectibus, radiis, trochleis, cochleis, trutinis, lancibus, ergatis, rotis, tympanis; &, ad adſcendendum in altum, multiplicibus ſcalarum formis; tum munitis, tum ſine munitione; & ad diſrumpendum, excutiendum, proſternendum, quatiendum, frangendum, jaculandum, arietibus, teſtudinibus, turribus ambulatoriis, catapultis, baliſtis, tormentis reliquis. In quibus faciendis hæc lex poſita eſt, ut omnia fiant ex paratu facilibus, quoad materiam; variis, quoad figuras; exiguis, quoad menſuras; levibus, quoad pondera. Quippe quæ à quibuſcunque artificibus citò fieri queant; erectu interim, tranſlatuque facilia, inſidiatu, fractuque difficilia; ſtabilia; ac tandem ejuſmodi fine, ut quatenus neceſſitas poſtulaverit, facilè componi, facileque diſſolvi, poſſint.* Hactenus Monatholius.

36. §. *Anno* CIↃ IↃ CVI *Joannes Voëllus Burgundus Valmoncelotanus, Societatis Jeſu ſacerdos, edebat de Horologiis ſciothericis libros tres.*

In Academia Turnonia priùs Eloquentiam, poſtea Matheſin, docuit. Opus, quod dixi, non Latinè modò; ſed & Gallicè edidit.

37. §. *Anno* CIↃ IↃ CXV *Romæ Matheſin profitebatur Lucas Valerius; qui de centro gravitatis monumentum ſui reliquit.*

A magno acumine laudat id opus Joſephus Blancanus †. Atque addit, de quadratura paraboles aliter, quàm Archimedem, ſcripſiſſe. † *In Mathematicorum Chronolog.* pag. 63.

38. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXIV *Wilibrordus Snellius à Roien, Rodolphi filius, Lugduni Batav. edebat Tiphyn Batavum, ſive Hiſtiodromicen.*

Sive de navium curſibus, & re navali. Abundè de ſummo hoc viro dictum cap. XVI, §. 35, & cap. XXXVII, §. 52.

39. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXX *Adrianus Metius Alcmariæ, Hollandiæ oppido, natus, ſextâ Geometriæ Practicæ parte, accuratè egit de horologiis Sciathericis planæ ſuperficiei inſcribendis.*

Franekeræ excudit Balkius an. CIↃ IↃ CXL. Adi quoque eundem Metium de Primo Mobili tomi tertii libro tertio, qui *Gnomonicus* dicitur.

40. §. *Anno* CIↃ IↃ C XL *Erycius Puteanus in literas retulit Munitionem ſymmetricam, facillimis lineis conſtitutam. Item libellum de tormento bellico triſphario.*

Quo tres ordine globi diſtincto incendii tempore ex eodem explodantur tubo. Inventum id eſt Michaëlis Florentii Langreni, Mathematici regis Hiſpaniarum.

41. §. *Hodieque claret Marinus Merſennius: cujus, ut in reliqua Matheſi, ſic in Mechanicis, utilem operam habemus.*

Anno CIↃ IↃ XLIV ‡ edidit tractatum Mechanicum, theoricum, & practicum. Scripſit & librum de Phænomenis Mechanicis. Primâ propoſitione agere incipit de vecte, qui Græcis μόχλος, unde *hypomochlium*, quo vectis ſuſtinetur. Octava propoſitio eſt de axe, ſive cylindro in peritrochium infixo. Nona de trochleis, & polyſpaſtis, ſic dictis *ἀπὸ τοῦ σπάζειν, trahere*. Idem librum compoſuit de balliſtica, & acontiſmologiâ: in quo de ſagittarum, jaculorum, aliorumque jactibus, & robore arcuum, agitur. Præterea commentarium condidit de arte navigandi: cujus liber prior tradit hydroſtaticen, alter hiſtiodromiam. Habes cuncta partim in univerſæ Geometriæ, mixtæque Mathematicæ Synopſi, partim in Cogitatis ejus Phyſico-Mathematicis. ‡ *Pariſiis excudit Bertierius.*

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII DE MATHEMATICARUM SCIENTIARUM NATURA, AC MATHEMATICORUM CHRONOLOGIA, PARS ALTERA.

Cap. LI.

DE ARITHMETICIS GRÆCIS, priori hujuſce operis parte præteritis.

Atque hic pedem figerem, niſi, qui necdum mihi ſatisfacio, longè me difficiliùs aliis ſatisfacturum putarem: præſertim iis, qui, ut maximam partem facere Plinius* ait, ſtudiorum amœnitates quærunt: eoque non tam capiuntur ſcientiarum, plurimùm aliquid tetrici habentium, apparatu; quàm perſonarum, temporumque hiſtoriâ, quam quomodocunque ſcriptam, oblectare, junior Plinius nobis auctor eſt. Sic enim animatis ægre fore prævideo, quòd ſiluerim tam multos non vile nomen ſuſtinentes in Mathematicorum ſcholis. Equidem nunc malim, me & illos gratâ fuiſſe memoriâ proſecutum. Sed eos, qui hoc vitio verterint, cogitare velim, non fuiſſe illud mihi propoſitum, cùm laborem hunc auſpicarer. Atque hoc ſatis liquet ex paucitate eorum, quos initio in aliquot diſciplinis enumeravimus. In progreſſu operis major ardor ſuccrevit: non ſic tamen, ut ſperarem, me relaturum omnes, vel prope omnes. Probè enim ſcio, plurimos me fugere; & aliter quamvis eſſet; ut tamen omnes vel animo, vel calamo complectar, non valetudo, non otium, vel aliorum ſtudiorum amor, ſinit. Ne tamen videar nimis fugitans laboris; memet veteri iterum circo includam, & ſuperaddam complures, qui animo ſe meo priùs non obtulere. Scio, ſic quoque multi ſupererunt indicti. Sed quid faciam? Etiamſi facultas mihi foret major, tamen brevi ſuccreſcent alii, atque alii. Nec enim erit umquam, ut divina Matheſis non ſuos reperiat amatores, ac cultores. Et illos igitur, & priores, ſuperaddat alius; quæ non illius modò gloria futura eſt, ſed magis publica. Nunc, ne nimium in me deſideretur, luculentum iis, quos diximus, corollarium appendere aggredior. Ordiar verò ab Arithmeticis Græcis; mox iis additurus Latinos. Admiſcebo autem Logiſticos; quia licet ex iis, quæ ſuperiùs † expoſui, nulli harum ſcientiarum diſcrimen obſcurum eſſe poſſit; tamen cùm hìc non ſcientiam tradam, quæ *ἀκρίβειαν* ‡ requirit; ſed hiſtoriam narrem, quæ pinguiori contenta eſt Minervâ; operæ non ſit accuratè adeò ſcriptores eos diſtinguere, qui tam cognatas ſcientias coluerunt; cùm Logiſtice haut aliud ſit, quàm Arithmetice materiæ applicata; ut antea oſtendimus.

* *Præfat. Hiſt. Natur.*

† *Cap. 28.*

‡ *Accuratam diſquiſitionem.*

1. §. *Theophraſtus librum condidit περὶ ἀριθμῶν* *: *item Ἀριθμητικῆς* † *ἱστορίας περὶ αὐξήσεως.*

Quemadmodum in ejus vita refert Laërtius.

* *De Arithmeticis.*

† *Arithmeticæ hiſtoria de incremento.*

2. §. *Apollodorus etiam hac ſcientiâ inclaruit.*

Apollodorus ὁ Ἀριθμητικὸς memoratur Athenæo lib. 1: Apollodorus ὁ Λογιστικὸς ‡ Diogeni Laërtio in Pythagoræ, & Thaletis vitis. Quæ bene antiquum eſſe hunc ſcriptorem arguunt.

‡ *Supputator.*

3. §. *Anno Chr.* CCLXXXIII *magnus erat honos Anatolii, Laodicenſis epiſcopi: qui decem libris complexus fuit Arithmeticas Inſtitutiones.*

Etiam opus reliquit ſuper iis, quæ de paſchatis tempore alii prodidiſſent. Unde aliqua excerpſit Euſebius lib. VII Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ: ubi & Arithmetices menſio fit. De eodem, & Arithmeticorum opere, atque aliis, ſic in catalogo ſcribit Hieronymus: *Anatolius Alexandrinus, Laodiceæ Syriæ Epiſcopus, ſub Probo, & Caro Impp. floruit. Mira doctrina vir fuit in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica: cujus ingenii magnitudinem de volumine, quod ſuper Paſcha compoſuit, & decem libris de Arithmetica inſtitutionibus, intelligere poſſumus.*

4. §. *Anno* CCCLXI, *ſub Juliano Cæſare de numeris ſcripſit Maximus Epirota.*

Auctor Suidas.

5. §. *Circa annum Chriſti* CCCCXXX, *puta Theodoſii Junioris tempore, effulſit Hypatia, Theonis Alexandrini filia: quæ in Arithmeticen Diophanti commentarium edidit.*

Dixi

Digitized by Google

Dixi de ea operis hujus cap. XV, §. 9, & cap. XXXIII, §. 23: & fusè imprimis lib. de Philologia cap. II, §. 3. Fortaſſe autem, quem *Diophanti* commentarium nuncupamus, rectiùs *Diophanta*, vel *Diophantis*, appelletur. Suidas enim τὸν Διοφάντιω vocat in Ὑπατία.

6. §. *Anno quingenteſimo claruit Proclus Lycius: qui in Nicomachi Geraſeni Iſagogen eſt commentatus:*

ut eſt apud Suidam in Πρόκλος: ubi etiam legas, hunc ſecundum fuiſſe, qui poſt Porphyrium ſcriberet adverſus Chriſtianos. Nempe intermedius fuit Julianus. Procli XVIII argumentis reſpondit Joannes Philoponus.

7. §. *Joannem Philoponum, grammaticum Alexandrinum, etiam Arithmetica literis mandâſſe, ex Suida conſtat. Ejus commentarii in Arithmeticen Nicomachi Geraſeni, exſtare dicuntur in Italia bibliothecis.*

Vide Suidam in verbo Ἰωάννης, & Simleri bibliothecam. Joannes hic vir fuit undecunque magnus, uno excepto, quòd, in Tritheitarum dogma abiens, meritus non ſit in Orthodoxorum numerum referri.

8. §. *Anno* CIↄ CCCLX *erat Barlaam monachus: cujus Arithmetice ſupereſt.*

Sed adhuc in bibliothecis adſervatur. De ætate cognoſcimus ex Joanne Bocacio Certaldenſi; qui ejus, ut æqualis, meminit præfatione operis de Genealogia Deorum. Item illo, quòd Palamæ fuerit adverſarius. Vide de eo quoque
* P. 101. Pontanum in notis ad Cantacuzenum lib. II, cap. XXXIX *,
† P. 360. & ſeqq. ac imprimis lib. eodem cap. XL †.

9. §. *Anno* CIↄ CCCLXX *eluxit Maximus Planudes; qui Diophanti Arithmeticen commentariis illuſtravit.*

Hi adſervantur in bibliotheca Vaticana. Plura de eo in opere de Poëtis Græcis diximus.

10. §. *Item Æſculapius, Philoſophus Trallianus; qui in Nicomachi Geraſeni primum, & ſecundum Arithmetices librum Græca publicavit ſcholia.*

Romæ exſtare ait Geſnerus Tom. I Bibliothecæ. Addit, pro *Tralliano* etiam *Trajanus* ſcribi: ſed perperam.

CAP. LII.

DE ARITHMETICIS LATINIS, qui enituere ante annum CIↄ Iↄ.

1. §. *A Græcis nunc venio ad Latinos. Tempore Cæſaris Antonini Pii, & Divorum fratrum, hoc eſt, Antonini Philoſophi, & L. Aurelii Veri, claruit L. Appuleius Madaurenſis: qui primus Arithmeticen Latinis literis illuſtravit.*

Ut Caſſiodorus ait libro de diſciplinis Mathematicis, & exinde alii; in his Pithœus Adverſariorum Subſecivorum lib. II, cap. X.

2. §. *Anno* Iↄ CC, *ac deinceps, eluxit Venerabilis Beda: cujus habemus librum de propoſitionibus Arithmeticis.*

Exſtat in primo ejus operum tomo.

3. §. *Anno* Iↄ CXC *variis animi dotibus effulſit S. Aldhelmus, natione Anglus; qui & ipſe Arithmeticen reliquit.*

Aliis dicitur *Aldelmus*. Filius fuit Kenteni, qui frater erat Inæ, Occidentalium Saxonum in Anglia Regis, vir Latinè, & Græcè eruditus; etiam, pro temporibus illis, metricâ arte pollens; ut indicat ejus liber de metris, quædam item carmina, inque his artificioſum illud de virginitatis laude ad Maximam Abbatiſſam. Sed & librum de Philoſophorum diſciplinis compoſuit: de Arithmetica item, & alium de Aſtrologia: de quo dixi cap. XXXV, §. 15. Anno Iↄ CCIX obiit in monaſterio Malmesburienſi.

4. §. *Anno* CIↄ CCCLX *multijugâ eruditione, ſed imprimis Matheſios ſtudiis, excelluit Joannes Killingworth, natione Anglus. Reliquit opus Arithmeticum, item Algoriſmum, atque alia.*

De eodem in Aſtrologis, ſuperius prætentis, loquar.

5. §. *Anno* CIↄ CCXXXV *vixit Jordanus Nemorarius, Campani Novarienſis æqualis; qui Arithmeticen libris decem conſignavit.*

Eos commentariis ſuis illuſtravit Jac. Faber Stapulenſis. Pariſiis uterque excuſus anno CIↄ CCCCXCVI. Etiam Jordani Arithmetica Elementa, & Data Arrithmetica, memorat Franciſcus Maurolycus. Falli arbitror, qui Jordanum hunc referunt ad annum CIↄ L, quando imperabat Henricus III. Verùm & parum ſibi conſtare videtur doctiſſimus Joſephus Blancanus. Siquidem in Chronologia Mathematicorum, (ut memoravi cap. XXXV, §. 26) ait, & Campanum meminiſſe Jordani in Defenſione 5. Elementi; & pariter Jordano citari Campanum libro de Ponderibus. Quod fieri nequit, niſi ætate eâdem vixerint. Et tamen Jordanum ipſe refert ad ſeculum Chriſti duodecimum, Campanum ad undecimum: atque addit, Campanum dicere, ſe Computum majorem, minoremque, ſcripſiſſe, anno CIↄ CC: quod fuerit initio ſeculi decimitertii. De Jordano etiam in Mechanicis dixi cap. XLVIII, §. 29.

6. §. *Anno* CIↄ CCCXVII *pulcro nomine enituit Paulus Gerardus Florentinus, vir in Arithmeticis excellens. Qui & opus egregium de hac ſcientia elaboravit.*

Id in bibliotheca Gaddia ineditum adſervatur; ut Michaël Poccianitus refert in ſcriptoribus Florentinis.

7. §. *Anno* CIↄ CCCLXXXVI *Simon Bredonus, ſive Biridonus, Oxonii adoleſcentiæ tempore in Mertonenſi collegio alumnus, poſteaque vir Matheſios ſtudiis præcellens, conſcripſit Arithmeticen Theoricam.*

Quæ Mſa Oxonii in bibliotheca publica adſervatur. Plura ejus in Aſtrologis prætentis referemus.

8. §. *Non multò poſt annum* CIↄ CCCC, *ſaltem ſeculo quartodecimo fuit Leonardus Piſanus; qui recentiorum primus de Algebra eſt commentatus.*

Ita Blancanus *. Sed addit, Algebram eam necdum in * Chronol.
lucem prodiiſſe. Ab hoc magnâ ex parte accepit F. Lucas de Mathem.
Burgo, quæ tradidit in Arithmeticis ſuis lingua Italicâ gran- pag. 59.
di volumine exaratis.

9. §. *Anno* CIↄ CCCCXXXI, *tempore Concilii Baſileenſis, claruit Nicolaus de Cuſa, Epiſcopus Brixienſis,*

Digitized by Google

xienſis, Cardinalis presbyter titulo S. Petri ad vincula, & legatus Pontificis Max. in Germaniam. Compoſuit is librum de Arithmeticis complementis.

Alia etiam multa in Mathematicis conſcripſit. Ut de reparatione Calendarii; de Mathematicis complementis; de Mathematica perfectione; de quadratura circuli; correctione tabularum Alphonſi; de Geometricis tranſmutationibus; de una recti, curvique menſurâ. Quæ omnia exſtant tomo tertio ejus operum: plerorumque etiam meminit Tritthemius; qui luculentum ejus elogium adfert, ac obiiſſe ait anno CIↃ CCCC XL, initio imperii Frederici III.

10. §. *Anno* CIↃ CCCC XC, *vel aliquantò antè, in honore erat Benedictus Florentinus: qui multum laudis meruit ſuis Arithmetices libris.*

Audiamus de eo Ugolinum Verinum in ſecundo de illuſtratione Urbis Florentinæ:

Quiſquis Arithmeticæ rationem diſcere, & artem
Vult, Benedicte, tuos libros, chartaſque revolvat;
Poſſit ut exiguis numeris comprendere arenam
Litoris, & fluctus omnes numerare marinos.

11. §. *Atque hac de Latinis, qui ante ſeculum decimum quinctum vixerint. Addam his ſcriptores duos; unum Arabem, alterum Hebræum. Prior eſt Muhammedes Alfraganus: qui quantopere Arithmeticis excelluerit, argumento illud erit, quod* κατ' ἀντονομασίαν Logiſta, *ſive* λογιστικὸς, *ſoleat nuncupari. Vixit autem anno Chriſti* IↃ CCC LXXXIX.

Sicut monitum cap. XXXV, §. 5. Ubi etiam de genuino ejus nomine [illegible]dimus.

12. §. *Alter eſt Rabbi Elias: qui, ut dixi, Hebraicè compoſuit Arithmeticen.*

Eam Latinè tranſtulit Eraſmus Oſwaldus Schreckenfuſchius, Mathematicorum, & Hebraicæ linguæ, apud Friburgenſes profeſſor, Sebaſtiani Munſteri, iiſdem ſtudiis excellentis, diſcipulus.

CAP. LIII.

DE ARITHMETICIS LATINIS, qui vixere ab anno Chriſti CIↃ IↃ, uſque ad annum CIↃ IↃ C.

1. §. *A duobus Orientalis lingua ſcriptoribus redeo ad Latinos: ſed qui poſt ſeculum decimumquartum in precio fuerint. Anno* CIↃ IↃ III *magnum in Matheſi, in Philoſophiâ tamen imprimis, nomen ſuſtinuit Jacobus Faber Stapulenſis. Is Arithmeticen Severini Boëthii in compendium redegit: etiam in Arithmeticen Jordani Nemorarii commentarium reliquit.*

Quod idem eſt opus ac Arithmetice demonſtrata libris x. Natus fuit Stapulæ, Picardiæ pago. Inclareſcere jam ſcriptis cœperat anno CIↃ CCCC XCV. Obiit admodum ſenex Neraci, Navarreæ ditionis urbe. Vide de eo, quæ in Muſicis dixi, cap. XXII, §. 9.

2. §. *Vixit tum quoque Jodocus Clichthoveus: qui commentario illuſtravit Jacobi Fabri Stapulenſis Introductionem in Arithmeticen ſpeculativam, de qua proximè dicebam.*

Edidit utrumque Pariſiis Henricus Stephanus ſenior anno CIↃ IↃ III.

3. §. *Anno* CIↃ IↃ X *Carolus Bovillus Veromanduus facilè nomen ſuum tuebatur. Cum aliis inclaruit, tum opere de* XII *numeris. Item de numeris perfectis.*

Vidimus de eo plura in Geometris, cap. XVII. §. 17.

4. §. *Anno* CIↃ IↃ XIV *Joannes Martinus Siliceus Pariſiis edidit Arithmeticen Theoreticam, & Practicam.*

A ſtudiis in pueritia fuiſſe Philippo II, Regi Hiſpaniarum, refert Ludovicus Vives. Archiepiſcopus fuit Toletanus, atque idem Cardinalis. Toleti obiit anno CIↃ IↃ LVII, ætate octogenarius.

5. §. *Anno* CIↃ IↃ XV, *ac deinceps, Franciſcus Caligarius, vel Pelacanius, Florentinus, publicè docuit Mathematicas, linguâque patriâ Algebram edidit Arithmetices practicæ libros* XIII: *quos Julio Medici, poſtea dicto Clementi* VII, *inſcripſit.*

Auctor itidem Michaël Pocciantius in ſcriptoribus Florentinis.

6. §. *Anno etiam* CIↃ IↃ XV *Petrus-Maria Boninus Florentinus, Matheſios profeſſor, linguâ patriâ ad Magnificum virum, Philippum Strozzam, librum exaravit, cui nomen fecit* Lucidario dell' Arithmetica.

Meminit & illius jam modò allegatus nobis Michaël Pocciantius in ſcriptoribus Florentinis.

7. §. *Anno* CIↃ IↃ XXV, & XXX *conſecutis, celebre nomen fuit Orontii Finei Delphinatis: qui Arithmeticæ Practicæ publicavit libros quatuor.*

Natus Brianſonii, Delphinatum oppido, patre Medico. Obiit anno CIↃ IↃ LV, paullò major ſexagenario; ut pluribus refert Scævola Sammarthanus in Elogiis. Vide, quæ in Geometris attuli cap. XVI, §. 19*, in Opticis cap. XXVI, §. 13; in Mechanicis cap. XLIX, §. 5.

* *Sed corrigendi iſtic numeri, ex hoc loco.*

8. §. *Anno* CIↃ IↃ XXIX *de ſtudiis bene ſtuduit mereri Joachimus Fortius: qui & ipſe Arithmeticen conſignavit.*

Plura de eo diximus cap. XXXVI, §. 10.

9. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXVI *Chriſtiernus Morſſianus emiſit Arithmeticam Practicam.*

Prodiit Baſileæ apud Henricum-Petri, unà cum Arithmeticâ Jac. Fabri Stapulenſis.

10. §. *Anno* CIↃ IↃ XLIV *Michaël Stifelius, natione Germanus, urbe Eſlingenſis, edidit Arithmeticen perfectam. Etiam Italicam praxin literis tradidit. Germanicè quoque publicavit Algebram, & computum Eccleſiaſticum.*

Arithmeticen Stifelii, quæ Norimbergæ cum præfatione Philippi Melanchthonis prodiit, à præſtantibus viris probari, refert Poſſevinus Selectæ Bibliothecæ lib. XV, cap. III †. Etiam Joſephi Blancani, in Mathematicorum Chronologia ‡, judicium eſt, optimâ eum methodo Algebram, totamque Arithmeticen, tradidiſſe. Hic, poſtquam variis in Saxoniæ, ac Boruſſiæ, imò & Galliæ, Italiæque, locis, docuiſſet; Ienæ in Thuringia obiit anno CIↃ IↃ LXVII, ætatis LVIII.

† *P. 182. edit. Rom.*
‡ *Pag. 60.*

11. §. *An-*

11. §. *Anno* CIↃ IↃ XLV *Joannes Bernardus Felicianus Venetus Arithmeticen ſuam publicabat.*

Sed magis inclaruit tam multis, quæ de Græcis Latina fecit: ut ſunt Oecumenii commentaria in Acta, item quædam Galeni, Alexandri Aphrodiſienſis, Ariſtotelis Ethica cum interpretibus Euſtratio, Aſpaſio, Michaële Epheſio. Adhæc Porphyrii de Abſtinentia ab Animal. & lib. VI Pauli Æginetæ. Mitto, quæ præterea emiſit.

12. §. *Anno* CIↃ IↃ L *Franciſcus Maurolycus Abbas Siculus fuit, ac tres Arithmetices libros reliquit.*

De eo vidimus in Chronologis cap. XLII, §. 75; & in Geographis cap. XLV, §. 16; item in Mechanicis cap. L, §. 12.

13. §. *Anno* CIↃ IↃ LI *variis ſcriptis clarus erat Joannes Meriſotus; inter alia, quatuor Arithmetices libris.*

Medicus fuit Dolanus: inque arte ſuâ vulgavit Annotationes in Cornelium Celſum, & Epitomen Galeni de diebus decretoriis: quæ Baſileenſi prælo Oporinus ſubjecit anno ejus ſeculi XLVII.

14. §. *Anno* CIↃ IↃ LI *Nicolaus Tartalea librum de Arithmetica reliquit.*

* p. 182. edit. Rom. Quem neutiquam aſpernandum cenſet Poſſevinus lib. XV Selectæ Bibliothecæ cap. III *. Editus Venetiis. Vide, quæ de eo adduxi in Mechanicis cap. L, §. 16.

15. §. *Anno* CIↃ IↃ LII, *regnante in Anglia Eduardo* VI, *claruit eo in regno Robertus Recorde: qui, inter alia, Arithmetices principia typis legenda exhibuit.*

Dixi de eo in Geographis cap. XLV, §. 22.

16. §. *Anno* CIↃ IↃ LIII *Petrus Beauſardus, Doctor Medicus, & Matheſios in Lovanienſi Academia Profeſſor Regius, divulgabat Praxin Arithmetices.*

Natus fuit Lovanii: atque ibidem obiit anno CIↃ IↃ LXXII.

17. §. *Anno* CIↃ IↃ LIV *Tubingenſi in Academia Matheſin profitebatur Joannes Scheubelius: qui artem Cos, ſive Algebræ regulas, cum demonſtrationibus in* VI *Euclidis libros, conſcripſit. Etiam Jacobi Fabri Stapulenſis ſubjecit eam prælo epitomen, quæ erat Arithmetices Boëthianæ; & exempla, ac brevem addidit explicationem. Adhæc Arithmetices, ſive de arte ſupputandi, librum edidit ſeorſum.*

Natus fuit Kircheimii anno CIↃ CCCC XCIV.

18. §. *Anno* CIↃ IↃ LVI *Claudius Buxerius, Mathematicarum profeſſor Lutetiæ, Latinè edidit (Gallicè antea divulgârat) rhythmomachiam, ſive numerorum concentum, & concertationem.*

Hoc opere ei propoſitum fuit, ut quis, ludo animum relaxans, facilè, ac jucundè, aſſequi poſſet proprietatem, ac rationem numerorum.

19. §. *Anno* CIↃ IↃ LVIII *Lutetiæ Jacobus Peletarius Cenomanus in Arithmeticen Gemmæ Friſii annotationes & auctiores emiſit, & emendatiores.*

Quibus adjunxit quoque alia: ſed quæ magis fori ſint Aſtrologici. Dixi de eo quoque cap. XVI, §. 20.

20. §. *Anno* CIↃ IↃ LX *excelluit Petrus Ramus: qui multum gloriæ meruit Arithmetices præceptis convenientiori methodo digeſtis.*

Regius in Pariſienſi Academia Mathematicarum profeſſor fuit. De opera ejus in Arithmeticis ſic refert Chriſtianus Urſtiſius, Baſileenſis Mathematicarum profeſſor †: *Petrus Ramus, vir omnium ſeculorum memoriâ dignus, qui neceſſariis hoc opus præſidiis aggreſſus, pulcherrimam in hac arte methodum aperuit. Is enim, intempeſtivis tricis abjectis, utilia tantum documenta ſectatus, Arithmetica elementa eâ ſolertiâ digeſſit, ut quæ totius partes, quæ in ſingulis generalia, quæ ſpecialia, antecedentia item, & conſequentia ſint, facilè cernere, imò totam artem apodictico pinace deſcriptam, exhibere liceat.* Vide & elogia Scævolæ Sammarthani. Ac imprimis, quæ dixi cap. XVI, §. 24. † Præfat. Arithmetices ſuæ.

21. §. *Anno* CIↃ IↃ LXIII *Joannes Demerlierius publicavit opus de linearum rectarum per quadratum Geometricum dimenſionibus.*

Pariſiis prodiit anno, quo ajebam.

22. §. *Anno* CIↃ IↃ LXIII *Victorinus Strigelius Lipſienſi prælo committebat libellum Arithmeticum, quo non vulgaria ſolùm præcepta traderet; ſed eorum etiam demonſtrationes.*

Jenenſis primùm Academiæ, inde Lipſienſis, ac tandem Heidelbergenſis Academiæ profeſſor fuit: in qua & obiit.

23. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXI *Benedictus Herbeſtus, jam quadrageſimum ingreſſus annum, Societati Jeſu ſeſe junxit, multaque & antè, & poſtea, ſcripſit. Inter alia, Arithmeticen linearum.*

Dixi de Herbeſto quoque cap. XLI, §. 9.

24. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXIX *Chriſtianus Urſtiſius publicabat elementa Arithmetica legibus Logicis deducta.*

Profeſſor Matheſios fuit in Academia Baſileenſi. In Arithmeticis agnoſcit ſe, præter Euclidem, ſequi quatuor iſtos; Pet. Ramum, Bern. Salignacum, Gemmam Friſium, & Joannem Scheubelium. Quæ præterea prodiderit, in Geometris afferam.

25. §. *Eodem anno* CIↃ IↃ LXXXIX *Raphaël Bombellus Bononienſis Italicè divulgabat opus de Algebra.*

Prodiit Bononiæ.

26. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXX *Bernardus Salignacus Burdegalenſis edidit Arithmeticæ libros duos, & Algebræ totidem cum demonſtrationibus.*

Fuit diſcipulus Rami, Juris Licentiatus, atque idem Corbachiæ ſcholaſtico Correctoris munere functus eſt, ſub illuſtribus Comitibus Waldeccenſibus: quibus & opus ſuum inſcripſit. In Algebra fatetur ſe adjutum à collega ſuo Balthaſare Gerlacho Eſchwegenſi.

27. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXX *claruit Chriſtophorus Clavius Bambergenſis; cujus ſunt Arithmetica practica, & Algebra, aliaque.*

Algebram, diu ante expetitam, edidit an. CIↃ IↃ CVIII. Plura de eo retuli in Geometris cap. XVI, §. 31; in Aſtrologis cap. XXXVII, §. 39; atque in Mechanicis cap. L, §. 29.

28. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXX *floruit in Heidelbergenſi Academia Hermannus Wuekindus Weſtfalus: qui, inter alia, conſcripſit Arithmetica Practica compendium.*

Quod multò poſt ejus obitum, anno CIↃ IↃ XX Hanoviæ divulgavit Jo. Henricus Alſtedius. Vidimus de eo in Aſtrologis cap. XXXVII, §. 27.

29. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXV *Petrus Bongus, Canonicus Bergomas, in urbe patriâ librum edidit de myſticis numerorum ſignificationibus.*

Opere iſtoc variis Veteris, & Novi Teſtamenti locis lucem adferre ex Symbolica ſtudet Theologia; in qua, ut ait*, *non modò litera, ac nomina, ſunt rerum ſigna, verùm res etiam rerum.* In hiſce myſticis numeris præcipuè ſunt impares hi; ternarius, ſeptenarius, quique tribus conſtat ternariis, novenarius. Hujus ſi ea vis, quam ſtatuunt, vix myſterio carere videatur, quòd ejus appellatio apud Belgas ſimiliter ſonet, ſive recto, ſive retrogrado ordine, legeris. Nam iis dicitur negen. Quod etiam retro literis lectis vocem eandem repræſentat.

* *Præfatione ad Lectorem.*

30. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXV *Simon Stevinus Brugenſis Gallicè Arithmeticam divulgavit, quam Plantinus excudit. Poſtea & Algebraica* ζητήματα † *conſcripſit; ſive apologiſticam, tum mercatorum, tum principum, utramque ratiocinio Italico.*

† *Quæſita.*

Habes in commentariis ejus Latinè à Wilibrordo Snellio redditis, tomo quincto Mathematicorum Stevini Hypomnematum ‡. Vidimus de eo in Aſtrologis quoque cap. XXXVII, §. 37; & in Geographis cap. XLV, §. 31, inque Mechanicis cap. L, §. 31.

‡ *Leidæ prodierunt an.* 1608.

31. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXVI *Lazarus Schonerus Petri Rami Arithmetices libros duos, & Algebræ totidem, emendavit, atque explicuit. Ipſe etiam unum de numeris figuratis, alterum de Logiſtica ſexagenaria, librum edidit.*

Quorum utroque non parum gloriæ meruit. Excudit Francofurti Joan. Wechelus.

Cap. LIV.

DE LATINIS ARITHMETICES ſcriptoribus, qui ab anno fuere CIↃ IↃC.

1. §. *Superſunt, qui hac ſcientiâ famam obtinuere ſeculo decimoſexto. Ac anno quidem* CIↃ IↃC, *imò & antea, multùm in Arithmeticis excelluit Ludolfus à Colen, Hildesheimius Saxo.*

EUm magnum, ac ſubtilem Logiſtam, vocat Simon Stevinus libro de Geographiæ definitionibus*. Arithmetica ejus fundamenta Latinè tranſtulit Wilibrordus Snellius à Roien. Leidæ obiit an. CIↃ IↃC X.

* *P.* 131.

2. §. *Anno item* CIↃ IↃC III *Adrianus Romanus, quatuor edidit † inſtrumenta Arithmetica, novâ methodo. Poſteaque ‡ methodum cifris exprimendi numerum quantumvis maximum. Item Mathematicæ analyſeos triumphum: in quo enneagoni circulo inſcripti ad ipſum circulum ratio exhibetur*.*

† *Herbipoli.*
‡ *Anno* 1607, *Lovanii.*
* *Ibidem ac eodem anno.*

Adhæc opus reliquit imperfectum in Muhammedis Arabis Algebram: quod Lovanii Mſum exſtat in Academiæ bibliotheca. Patriâ, dubium, utrùm fuerit Bruxellenſis, an Lovanienſis. Anno CIↃ IↃC III Herbipoli publicè cœpit docere Medicinam, ac Matheſin. Ob morbum, cogitans Aquas Spadanas, mortuus eſt Moguntiæ anno CIↃ IↃC XV, quarto nonas Majas. Dixi de eo quoque in Geometris cap. XVI, §. 30, & in Aſtrologis cap. XXXVII, §. 34.

3. §. *Anno eodem, ac deinceps, multùm claruit Jacobus Mazzonius: qui in quæſtionibus de triplici hominum vita tractat de methodo Arithmetices à concluſione* 2528 *uſque ad* 2684.

Editæ ſunt Coloniæ. Mazzonius hic Patavii ſtudiis operam dedit, ubi Pendaſii partes adverſus Mercenarium fortiter propugnabat. Annos natus XXVII Bononiæ theorematum quinquies millia, centum præterea ac nonaginta, ad omnis generis diſciplinas pertinentia, quatriduo in æde Dominica fortiter, & ingenioſè adeo, tuitus eſt, ut Caſtanea, tum Urbis legatus, poſtea autem Pontifex Max. coram diceret, ſe priùs putâſſe, eſſe juvenem præfidentem quodam ſapientiæ fuco, qui tantum ſui nominis periculum ſubire auſus foret: nunc, mutatâ ſententiâ, habere pro eruditorum principe, & exemplari. Leonardi Salviati †, & ex eo Joannis Imperialis ‡, tale de eo judicium eſt: in cunctis ſcientiis tantum ſcire, quantum reminiſceretur, reminiſci autem quantum legiſſet, legiſſe denique, quicquid uſpiam reperiretur. Docuit publicè in Italiæ gymnaſiis; Romano, Maceratenſi, Piſano: Ferrarienſem etiam Academiam moderatus fuit: ſæpiuſque ad ſummos principes, ac pontifices, obiit legationes. Quæ fuſiùs in Muſæo ſuo Hiſtorico proſequitur is, quem dixi, Joannes Imperialis*.

† *In epiſt.* 21 *annot. ad Boccacium.*
‡ *In Muſæo Hiſtor. pag.* 138.
* *Editus Venetiis apud Juntas anno* 1640.

4. §. *Anno etiam* CIↃ IↃC III *Caſparus Waſerus Tigurinus, in urbe patria emittebat Inſtitutionis Arithmeticæ libros duos: item tractatum de quadrato Geometrico, Arithmeticæ uſum in Regula Aurea demonſtrante.*

Ait, ſe opus id concinnâſſe Baſileæ, dum in urbis ejus Academia juvenis operam ſtudiis daret. Prodiit verò Tiguri, urbe patriâ, mox à ſchola iſtic inſtauratâ. Vir fuit Orientalium etiam linguarum admodum peritus.

5. §. *Anno* CIↃ IↃC V *Chriſtophorus Dibaudius in Euclidis Arithmeticam Rationalium, ſeptimo, octavo, & nono, comprehenſam, demonſtrationem divulgavit.*

Edita eſt Arnhemii Geldriæ ab Janſonio.

6. §. *Anno* CIↃ IↃC V *Georgius Heniſchius, Medicus, & Mathematicus Auguſtanus, ſcripſit de numeratione multiplici, vetere, ac recenti. Atque idem anno* CIↃ IↃC IX *emiſit libros* VII *Arithmeticæ perfectæ, & demonſtratæ; ſive doctrinam de numero triplici; vulgari, coſſico, & Aſtronomico.*

Methodo uſus eſt novâ, quâ doctrinam hanc per propoſitiones explicavit. Editus uterque liber Auguſtæ Vindelicorum à Davide Frank. Anno quoque CIↃ IↃC XVI inibi prodiit ejus liber de Aſſe, & partibus ejus.

7. §. *Quam Franciſcus Braſſerus Arithmeticam fecerat; eam anno* CIↃ IↃC XXII *è Germanico vertit Otto Weſelow.*

Qui Braſſerum vocat communem totius Saxoniæ, ac maritimarum in Germania urbium, præceptorem.

1. §. *Anno* CIↃ IↃC XIV *Joannes Neperus Scotus, Baro Merchiſtonius, Edimburgi* * *in lucem emittebat Canonem, ut vocavit, mirificum, ad ſingula quadrantis minuta compoſitum: quem principi Karolo, Jacobi* I, *magnæ Britanniæ, & Hiberniæ Regis, filio, dedicavit. Atque idem anno* CIↃ IↃC XVII *vul-*

* *Lugduni in Gallia an.* 1620 *recudit Bartholomæus Vincentius.*

vulgavit Rhabdologia, ſive numerationis per virgulas, libros duos; cum Appendice de expeditiſſimo Multiplicationis promtuario, & volumine de Arithmetica locali.

Vir hic, ut de eo Petrus Crugerus, Mathematicus Dantiſcanus *, ſcribit, *vel ob id unicum, ſi cætera deeſſent, immortali laude digniſſimus, excogitavit numeros illos mirabiles, qui Logarithmici dicuntur; hoc eſt numeri proportionum, aut rationum, indices, aut, interprete Keplero, incommunicabilium proportionum communes menſuræ.* Narrat deinde Crugerus, quàm gratus hic labor fuerit viris doctis: in his Benjamino Urſino, Joanni Keplero, Henrico Briggio, Adriano Vlacco: de quibus mox dicam. Defuncto Joanne Nepero, filius ejus Robertus Neperus denuo edidit Canonem parentis, additâ conſtructionis ratione, ſive fundamentis, quæ omiſerat pater, ut de hiſce numeris doctorum judicium cognoſceret. Porrò Joannes Neperus †, anno CIƆ IƆCXVII, præfatione ſuæ Rhabdologiæ, meminerat alteriùs logarithmorum formæ à ſe repertæ: quæ priori præſtaret. Hanc commendavit Henrico Briggio; de quo mox dicam. Pluraque ſi de iſto voles, ipſum adi Crugerum.

* *Præfat. in praxin trigonometriæ logarithmicæ.*

† *Edidit Edimburgi anno 1617. Lugduni recuſa anno 1616.*

9. §. *Anno* CIƆ IƆCXV *Petrus Antonius Cattaldus Bononienſis jam ediderat ‡ Elementa practica numerorum Arithmeticorum, Algebram proportionalem, de numeris perfectis, de numerorum radice quadratâ citiſſimè inveniendâ. Sed præterea tum prælo hæc habuit parata: Algebram numeralem, linealem, & applicatam, elementa numerorum denominatorum, de regula aurea, algebram triangularem, continuationem algebræ proportionalis; in qua exponit ζητήματα * Franciſci Vietæ.*

‡ *An. 1603.*

* *Quæſtiones.*

Matheſios in urbe patria profeſſor fuit.

10. §. *Anno* CIƆ IƆCXVIII *Benjamin Urſinus, Sprotianus Sileſius, Joannis Neperi Canonem Mirificum, de quo antè diximus, ad minorem radium, cum præceptis compendioſis, recuſum publicavit. Ac idem anno* CIƆ IƆCXXV, *poſtquam Io. Keplerus logarithmorum demonſtrationem, & conſtructionem, foret molitus, facem eo allucente, novum conſcripſit logarithmorum magnum canonem.*

Quo de volumine ſic Crugerus antè memoratus: *Opus æſtimationis immenſæ, ſi vitia typographica, quæ commiſſa ſunt in eo longè plura, quàm indicat eorum catalogus, excipias.* Fuit Urſinus hic Electoris Brandeburgici Mathematicus: ac Trigonometria ejus, cum magno Logarithmorum canone, excuſa eſt Coloniæ, anno, quo dixi, CIƆ IƆCXXV.

11. §. *Anno* CIƆ IƆCXX *Carolus Malapartius edidit brevem inſtitutionem Arithmeticæ practicæ: in qua nova per Pythagoricam tabulam ratio dividendi, & alia non paſſim obvia.*

Typis ſuis expreſſit Antverpiæ Bellerus.

12. §. *Anno* CIƆ IƆCXXI *Joannes Lavus Inſtitutionum Arithmeticarum libros emiſit quatuor.*

Excuſi ſunt Coloniæ, & Auguſtæ Vindelicorum.

13. §. *Anno* CIƆ IƆCXXII *Hermannus Follinus Arithmeticen ſyntheticen, nec non Algebram, juris fecit publici.*

Itidem Coloniæ Agrippinæ prodierunt.

14. §. *Anno* CIƆ IƆCXXIII *Claudius Caſpar Bachetus Meziriacus Sebuzianus Græcè, Latineque, cum ſuis commentariis typis commiſit Diophantum Alexandrinum.*

Priùs, ſed Latinè ſolùm, divulgârat Xylander, ut dixi. cap. x, §. 2.

15. §. *Anno* CIƆ IƆCXXIV *Joannes Keplerus, Cæſaris Ferdinandi II. Mathematicus, Logarithmica à Joanne Nepero vulgata addidit demonſtrationem, quam omiſerat Neperus* *.

* *Prodiit Marpurgi an. 1624.*

De hoc ſic idem Crugerus; *Vir excelſiſſimi ingenii Io. Keplerus, triennio poſt Neperum à Benjamino cum præceptis compendioſis publicatum, Logarithmorum demonſtrationem, & conſtructionem, molitus eſt; eorumque chiliadem ad numeros abſolutos mille ordine naturali ſuccedentes conſtruxit: & ab eo tempore Logarithmos in novas tabulas Rudolphinas, propediem tunc edendas, invexit.* Habuit Keplerus generum, Cl. Bartſchium: qui & ipſe tabulam ſcripſit Logarithmicæ, Crugero itidem laudatam †. Vidimus de Keplero quoque in Aſtrologis cap. XXXVII, §. 45: item in Chronologis cap. XLIII, §. 21.

† *Logarithmica pag. 9 edit. Amſtelod. anno 1634.*

16. §. *Anno* CIƆ IƆCXXIV *Gerardus de Neufville Veſalienſis, edebat libros quinque Arithmetices theorica, & practica, methodicè diſpoſita.*

Phyſices is fuit, & Matheſios, in illuſtri Bremenſium Schola profeſſor.

17. §. *Anno* CIƆ IƆCXXIV *effulſit Henricus Briggius, Profeſſor priùs Londinenſis, ac poſtea Oxonienſis. Hic cùm accepiſſet poſteriorem Logarithmica formam, à Nepero Scoto inventam, ac ſibi ab eo commiſſam, eam, cum chiliadibus viginti & una, Logarithmorum ad numeros totidem abſolutis, Londini prælo commiſit.*

Anno autem CIƆ IƆCXXVIII (verba ſunt Crugeri) *vir exercitatiſſimus, & laborioſiſſimus, Adrianus Vlaccus Belga ‡, chiliades reliquas explevit, & integras centum, unà cum Sinuum, ac Tangentium Logarithmis, ad eandem formam conſtructis, copioſè volumine ad grandem numero Radium publicavit.* Subdit deinde de Trigonometria Britannica; cujus bona iſtic, ſi voles, legas.

‡ *Adrianus Vlacq in Hollandia excuſus Goudæ an. 1628.*

18. §. *Anno* CIƆ IƆCXXIX *Joannes Henricus Alſtedius edidit Encyclopediam: cujus liber* XIV *agit de Arithmetica, tum generali, tum ſpeciali.*

Ac ſimiliter de cæteris Matheſios diſciplinis, imò & univerſis artibus, ac ſcientiis, tractat, vir ſanè multæ lectionis, variæque eruditionis: qui paucos ante annos exceſſit.

19. §. *Anno* CIƆ IƆCXXX *Joannes Lantz, S. I. quatuor emiſit Arithmeticarum Inſtitutionum libros, ſcientiam hanc regulis, & exemplis practicis, breviter, & dilucidè, exponentes.*

Opus hoc dicavit Nobiliſſimo, & diffuſæ eruditionis, viro, Joanni Herwart ab Hohenburg, utriuſque Bavariæ Ordinum Cancellario. Propoſitum ſibi fuiſſe ait, ut quis *abſque magiſtro ex libello, ſi molem ſpectes, exiguo; ſi, quæ continet, bene magno, Arithmeticus eſſe poſſet.* Primus liber eſt de numeris rationalibus abſolutis. Alter de rationalibus coſſicis. Tertius de irrationalibus abſolutis. Quartus de irrationalibus coſſicis.

20. §. *Anno* CIƆ IƆCXXXIV *Petrus Crugerus, Reip. Dantiſcanæ Mathematicus, edidit praxin trigonometriæ Logarithmicæ.*

Digitized by Google

Logarithmum definit, numeros artificiales, loco vulgarium proportionalium ſubſtitutos, ad evitandam in proportionum regula multiplicationem, & diviſionem. Unde & de melologarithmis, & antilogarithmis, facile eſt ſtatuere. Poſteriores vocant *logarithmos complementi*. Priores aliter dicunt *differentiales*, quia nihil aliud ſunt, quàm differentia reſpondentium utrimque logarithmorum.

Cap. LV.

DE GEOMETRIS, AC GEODÆTIS, ſuperiori parte omiſſis; ac primùm de Græcis.

1. §. *Arithmeticis conſequens eſt, & adhæret, chronologia eorum, qui nomen ſuum fuere profeſſi inter Geometras, vel etiam Geodætas. Qualis Olympiade* LXXX *fuit Democritus Abderita, philoſophus undecumque doctiſſimus. Elaboravit opus de contactu circuli, & ſphæræ, de Geometria, de Geometricis numeris: uti & Geometricum, ſive de agricultura.*

Sicuti eſt apud Laërtium in ejus vitâ.

2. §. *Philippi Magni, ſive Platonis ætate, Bryſo, & Antiphon, quadraturam circuli invenire ſtuduerunt; ſed irrito conatu.*

Nempe τετραγωνισμὸς eorum Geometriæ principiis adverſabatur. Sanè Antipho lineæ rectæ curvam poſuit æqualem.

3. §. *Etiam Heraclides Ponticus priùs Speuſippi, exinde Ariſtotelis auditor, librum de Geometria compoſuit.*

Ut auctor eſt Diogenes Laërtius*: qui & cætera ejus ſcripta commemorat. Ex eodem cognoſcimus, alterum etiam fuiſſe Heraclidem Mathematicum: cui inter XIV Heraclidas poſtremum tribuit locum. Atque hunc de Aſtrologia ſcripſiſſe ait.

*Lib. 4 in Heraclide.

4. §. *Theophraſtus* ἱστοριῶν γεωμετρικῶν † *libros quatuor reliquit:*

† Hiſtoriarum Geometricarum.

ut eſt apud Laërtium in ejus vitâ.

5. §. *Conon Hamaus, Archimedis æqualis, atque ab eo laudatus, volutam reperit diverſam ab illa Dinoſtrati, quam Nicomedes, & Hippias, excoluere. Hæc Cononis per æqualia radii ſpatia æqualiter excreſcebat. Atque ejus occultas affectiones felicius expoſuit Archimedes: unde factum fuit, ut in oblivionem veniret inventor; nec Cononia voluta, ſed Archimedea, diceretur.*

Vide, quæ de volutarum harumce diſcrimine Wil. Snellius memorat in præfatione ſui Cyclometrici.

6. §. *Iſidorus Magnus videtur claruiſſe ſub Ptolomæo Phyſcone, ſive Euergete II. Sanè antiquior eſſe nequit; cùm diſcipulus ejus Hypſicles nominet Apollonium Pergæum; qui ſub eo Rege vixit. Geometram fuiſſe inde cognoſcimus, quòd Hypſicles libro poſteriori* referat, ſe ab Iſidoro accepiſſe, quæ tradit de inclinatione corporum regularium.*

* Sive Elementorum Euclidis lib. 15.

Quem Hypſicles *Iſidorum Magnum*, eum Suidas vocat *Iſidorum philoſophum:* ac ſub fratribus ait in Mathematicis philoſophatum, ſi alius quiſquam. Etiam Iſidorum in Geographicis citat Plinius: quem eundem cenſeo.

7. §. *Circa tempora Ptolomæi Lathyri, (nempe toto ſeculo, vel paullò ulteriùs, antè natum Chriſtum) vixiſſe videtur Hypſicles Alexandrinus, Iſidori, ſummi Mathematici, diſcipulus: cujus duo ſuperſunt libri de inclinatione corporum regularium.*

Hi vulgò creduntur Euclidis de ſolidis liber quartus, quintuſque; ſive elementorum decimusquartus, & decimusquinctus. Sed omnino diverſi ſunt auctoris; uti dictum cap. XV, §. 3. Tranſtulit eos Latinè Zambertus Venetus; de quo locutus ſum cap. XVI, §. 15. Præfatio Græcè ſic incipit: Βασιλείδης ὁ Τύριος, ὦ Πρώταρχε, παραγενηθεὶς εἰς Ἀλεξάνδρειαν, καὶ συσταθεὶς τῷ περὶ ἡμῶν διὰ τὴν ἀπὸ τοῦ Μαθήματος συγγένειαν, συνδιέτριψεν αὐτῷ τὸν πλεῖστον τῆς ἐπιδημίας χρόνον. Quæ ſic reddidit Zambertus: *Baſilides Tyrius, Protarche*, cum Alexandriam petiiſſet, patrique noſtro ob Mathematicas diſciplinas familiaris ſubſtitiſſet, cum eo ipſo, peſtilentiæ tempore, diu verſatus eſt.* Ubi profectò non eſt ſermo de morbo ἐπιδημίῳ, qualis peſtilentia; ſed per ἐπιδημίαν ſignatur tempus, ex quo Baſilides advenerat Alexandriam, ibique commorabatur. Rectè verò vidit Zambertus, pro περὶ legendum πατρί. Vertit enim, *patrique*. Quod ſententia requirit. Ætatem Hypſiclis cognoſcimus quodammodo ex ætate præceptoris; quem referebamus fuiſſe Iſidorum Magnum. De eo vidimus capitis hujus §. *6*.

8. §. *Imperante Theodoſio Juniore, hoc eſt, circa annum* CCCCXXX, *Hypatia, Theonis filia, ſexum longè ſupergreſſa, magnitudine doctrinæ, vel admirationi, vel invidiæ, cunctis erat. Ea commentata fuit in Conica Apollonii.*

Auctor Suidas. Egimus de illa etiam in antè memoratis Geometris cap. XVI, §. 9: item in Aſtronomis cap. XXXIII, §. 23: Adhæc in Arithmeticis antea omiſſis cap. LI, §. 5.

9. §. *Circa annum* CCCCLXX *vixerit Geminus Rhodius; ſi, ut aiunt, præceptor fuerit Procli Lycii, ſive Diadochi. Dicitur opus condidiſſe de ortu linearum ſpiralium, conchoidarum, ciſſoidarum, & earum affectionibus.*

Uti & de ordine Mathematicarum. De ſcriptis non repugno. Sed de ætate veriùs eſt, quod monui in Geometris cap. XVI, §. 5; & imprimis in Aſtrologis cap. XXXIII, §. 7.

10. §. *Ad ſeculum à Chriſto nato quinctum referri video* Demetrium Alexandrinum: qui ſcripſit* περὶ γραμμάτων ἐπιστάσεων †.

* In his à Blancano in Chronologia Mathematicorum pag. 53.

Eſt inter eos, ex quibus cognoſcere fuit, quàm varios ad uſus genera helicum diverſa ſint reperta. Meminit Pappus ‡.

† De linearibus aggreſſionibus.

‡ Pag 61.

11. §. *Ad idem ſeculum refertur* Philo Tyaneus* περὶ πληκτοειδῶν †, *& aliarum varii generis ſuperficierum.*

* Ut à Blancano pag. 53. Chronologia Mathematicorum.

Inter implicantes illas Menelaus Geometra unam imprimis dignam cenſebat, quæ *admiranda* vocaretur, ob tot affectiones, quæ fidem videantur excedere.

† Implicantium.

12. §. *Circa annum* Iↄ *effulſit Proclus Diadochus: cujus doctiſſimus exſtat commentarius in primum Euclidis.*

Vidimus de Proclo etiam in Aſtrologicis cap. XXXIII, §. 26.

13. §. *Circa annum quoque* Iↄ *ſub Zenone imperatore, vixerit*

vixerit Marinus philoſophus, cujus in Data Euclidis commentarium habemus, modò Proclum audierit, eique in ſchola ſucceſſerit; ut multorum fert opinio.

Unà cum Datis Euclidis edidit Græcè, Latineque, Claudius Hardii; de quo inferiùs dicam. Mſus verò exſtat in bibliotheca Vaticana, & Strozæ. Fortaſſe autem idem eſt opus, quòd aliqui προθεωρίαν * nuncupant.

* *Prævia commentationem.*

14. §. *Anno* CIↃLX, *ac deinceps, potiſſimùm ſub Michaële Duca, floruit ille Michaël Pſellus, cujus* σύνοψις † *ſupereſt Arithmeticæ, Geometriæ, Muſicæ, & Aſtrologiæ.*

† *Conſpectus, ſive epitome.*

In bibliotheca item, quæ fuit Antonii Auguſtini, ejuſdem fuit *explicatio nodi difficilis, quo pacto ex quinque ſecuplum ſit, & circa quinque figuras alia figura non ſtatuatur contenta ſub æquis lateribus, & rectangulis inter ſe æqualibus.* Habes in codice CXCI. In quo ejuſdem Michaëlis Pſelli fuit *explicatio Mathematica ſpeculationis in Platonis Timæum.* Item *abſoluta enarratio de Lemmate.* Atque alia. Plures fuere Pſelli; de quo dixi in Hiſtoricis Græcis, fuſiuſque Leo Allatius.

15. §. *Anno* CIↃCCC *claruit Barlaamus monachus; qui & Geometriam compoſuit.*

Ut teſtis Geſnerus. Ætatem ejus oſtendimus cap. XVIII, §. 5.

16. §. *Iiſdem, vel proximis temporibus, vixit Joannes Pediaſimus, Primæ Juſtinianæ, ac totius Bulgariæ, patriarchalis ſigilli cuſtos, qui Græcis* χαρτοφύλαξ *vocatur, Geometriæ compendium reliquit; item librum de dimenſione terræ.*

Prior liber adſervatur in bibliotheca regis Chriſtianiſſimi: alter in illa Auguſtæ Vindelicorum. Vidimus de eo quoque in Muſicis cap. XXII, §. 4. Ac imprimis in Hiſtoricis Græcis.

17. §. *Atque horum quidem tempora adſignavimus. Nunc ſubdam aliquos, de quorum ætate dubium ſit. Qualis Amphinomus, qui & ipſe Philoſophis, ac Geometris, accenſendus.*

Meminit Proclus commentario in primum Euclidis.

18. §. *Crates etiam Geometra fuit.*

Quem octavum inter decem ejuſce nominis facit Laërtius in vita Cratetis Athenienſis.

19. §. *Diocles tradidit modum inveniendi duas medias proportionales, & modum interſecandi ſphæram in rationem datam.*

Narrat Eutocius; ut ſaltem eo eſſe antiquiorem liqueat.

20. §. *Eutocius Aſcalonita commentaria fecit in Conica Apollonii: nec non in Archimedem de ſphæra, & cylindro; deque circuli dimenſione; item æquiponderantibus.*

Theone, & Pappo, eſſe recentiorem, inde cognoſcimus, quòd ab utroque celebretur.

21. §. *Iſaaci* τοῦ Ἀργύρου † *ſupereſt methodus inveniendi latera quantitatum irrationalium* τῶν μὴ ῥητῶν ‡. *Item liber de triangulis rectangulis. Adhæc Geodæſia, ſive terræ diviſio.*

† *Cognomine Argyri.*
‡ *Definitarum.*

Duo priores ſunt in bibliotheca Regis Galliarum: tertius fuit in bibliotheca Hurtadi Mendozæ, regis Hiſpaniarum ad Venetos Legati. Lego etiam, in bibliotheca ad S. Antonium exſtare Iſaaci monachi librum de dimenſione agrorum: item de ratione menſurandi plana, & ſolida. Cenſeo eundem Argyrum ſignari.

22. §. *Nicomedes ſcripſit de lineis, per quas duas exhibet medias proportionales, ad cubum duplicandum.*

Meminit Proclus: ut ſicut Archimede junior, ſic Proclo antiquior ſit.

23. §. *Sporo Niceno duarum mediarum inventio attribuitur.*

Quod ex Eutocii Aſcalonitæ in Archimedem commentario conſtat. Unde ſaltem ante Eutocium vixiſſe, cognoſcimus.

24. §. *Hiſce Græcis Arabes duos ſubjungam. Paullò poſt annum* IↃCCCC *vixit Ben-Muſa Arabs: qui ſcripſit de figuris planis, & ſphæricis.*

Ita de ætate Blancanus in Chronologia Mathematicorum *. Quomodo æqualis fuerit Muhammedis Alfragani: ſi eorum ſequamur opinionem, qui fuiſſe ajunt anno Chriſti, non IↃCCL, ſed IↃCCCC. Interea fatendum profectò, in Arabum, ætate ſæpe falli Latinos.

* *Pag.* 57.

25. §. *Etiam hoc ſeculo floruiſſe creditur Bogdadinus Arabs: cujus opus de diviſione figurarum ſupereſt.*

Ita Blancanus in Chronologia eorundem. Refert enim ad ſeculum Chriſti decimum; ſive id, quod incipit ab anno IↃCCCCI.

26. §. *Item addo Eliam Orientalem: qui de Geometria Hebraicè commentatus:*

ut eſt apud Simlerum in bibliotheca. Verùm addit, necdum eſſe typis commiſſum.

CAP. LVI.

DE GEOMETRIS, AC GEODÆTIS Latinis, uſque ad annum CIↃ IↃC.

1. §. *A Geometris, ac Geodætis Græcis, nunc me conferam ad Latinorum eos, de quibus nihil antea dixeram. Familiam horum ducet Severinus Boëthius, Senator Romanus, vir conſularis, inque Matheſi, ac philoſophiâ, verſatiſſimus; qui circa annum claruit* IↃX. *Hujus de Geometria extant libri duo.*

DUos de Arithmetica idem reliquit, quinque de Muſica. De prioribus dixi cap. X, §. 7; de alteris tangebam cap. XXII, §. 6. Ætatem indicat, quòd unà cum ſocero Symmacho, quia novis ſtuduiſſe rebus dicerentur, obtruncatus fuerit à Theoderico, Gothorum rege, anno IↃXXVI. Vitam ejus conſcripſit Julius Martianus Rota: quam Boëthii operibus Henricus Glareanus præfixit.

2. §. *Anno* CIↃXLVII *non vile nomen gerebat Franco, Scholaſticus Leodicenſis: præcipue verò celebratus opere de quadratura circuli, quod miſit ad Hermannum* II, *Archiepiſcopum Colonienſem.*

Meminere Sigebertus Gemblacenſis in Catalogo; Ægidius Aureæ Vallis religioſus in Geſtis Pontificum Leodicenſium, qui fuit anno CIↃCCXXX; item Tritthemius, Ægidii hæc ſunt verba in opere memorato cap. I, quod eſt de Theodvino Epiſcopo: *Compoſuit etiam eo tempore*

Franco, Scholaſticus Leodicenſis, ſcientiâ literarum, & morum probitate clarus, ad Hermannum Archiepiſcopum, librum de quadratura circuli. Quem librum apud nos haberi non eſt dubium. Vide etiam de hoc Francone eundem cap. XX. Dicitur & literis mandâſſe Computum Eccleſiaſticum, atque alia.

3. §. *Anno* CIↃ CC, *vel aliquantò poſt, viguiſſe videtur Jordanus Nemorarius. Hujus tres libri de Geometria exſtitere olim in Palatina bibliotheca; quæ nunc pars facta Vaticanæ.*

De ætate diſſenſus eſt. Sed maximè nunc eò inclinat animus, quò dixi. Sanè ſeculum undecimum ſterilius fuit ab egregiis ſcriptoribus, quàm ut tum in luminis auras prodiret tantus in hiſce ſtudiis vir. Felicior ætas ſub Frederico Bavaro, ſive ejus nominis II.

4. §. *Anno* CIↃ CCCL, *quo tempore in Anglia regnaret Eduardus* III, *vivebat Guilhelmus Griſaunτus Anglus, qui de quadratura circuli commentatus eſt.*

Adoleſcens Oxonii egit in Collegio Mertonenſi. In Matheſi excelluit: imò ob arcana naturæ, quæ penetrâſſet, Magicæ ſuperſtitionis fuit ſuſpectus. Sed poſtea ſe maluit addicere Medicinæ. In qua etiam publicavit nonnulla. Filium reliquit cognominem; qui ſacrum ſtudium præferret. Is ad tantum decus pervênit, ut Maſſiliæ fieret Canonicus regularis, hinc Abbas, exinde Pontifex M. dictuſque Urbanus quinctus.

5. §. *Anno* CIↃ CCCCL *effulſit Georgius Purbachius: qui ſuper propoſitionibus Ptolemæi de ſinibus, & chordis, diſſeruit.*

Obiit anno CIↃ CCCCLXII. Adi de eo, quæ in Aſtrologis memoravi cap. XXXV, §. 45.

6. §. *Anno* CIↃ IↃ XX *clari erat nominis Joannes Cochlæus Norbergenſis; qui elementa reliquit Geometrica.*

Sed notior eſt hiſtoriâ Huſſitarum, atque iis, quæ adverſus Lutherum, & Melanchthonem, publicavit. Obiit anno CIↃ IↃ LII.

7. §. *Anno* CIↃ IↃ XXX *præclarè de literis, præcipuè Mathematicis, ac Philoſophis, merebatur Simon Grynæus: inter alia autem, Græcâ editione Euclidis: cui & præfationem ſuam de ſcientiis Mathematicis præmiſit.*

Similiter ejus beneficio Græcè in eruditorum manus devênit Magna Conſtructio Ptolemæi; ut inferiùs exponam. Virum fuiſſe promovendis literis natum, etiam Eraſmi judicium fuit. Obiit Chriſti anno CIↃ IↃ XLI, ætatis ſuæ XLVIII.

8. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXV *magni fiebat Lucas Gauricus; qui commentatus de doctrina ſinuum, & arcuum.*

Addidit eum primo mobili ſuo Eraſmus Oſwaldus Baſileæ anno CIↃ IↃ LXVII. Vidimus de eo in Aſtrologis cap. XXXVII, §. 9. Obiit Romæ anno CIↃ IↃ LIX, ætatis ſuæ LXXXII.

9. §. *Anno* CIↃ IↃ XL *Carolo V Cæſari carus vixit Petrus Apianus: qui reliquit inſtrumentum ſinuum, ſive primi mobilis.*

Norimbergæ id excuſum anno CIↃ IↃ XLI. Plura de eo retuli in Aſtrologis cap. XXXVII, §. 8; & imprimis in Geographis cap. XLV, §. 7.

10. §. *Anno quoque* CIↃ IↃ XL *Franciſcus Maurolycus, Abbas Siculus, in pretio erat. Hic primus de lineis ſecantibus aggreſſus eſt ſcribere.*

Quam illi laudem tribuit Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum *. Ubi alia quoque ejuſdem memorat. * Pag. 61.

11. §. *Anno* CIↃ IↃ XLIV *prodiit Burchardi Mithobii Stereometria.*

Quâ docet, virgâ Stereometricâ corpora accuratè dimetiri. Dicam de eo quoque in Aſtrologis.

12. §. *Anno* CIↃ IↃ XLVI *Joannes Bernardus Felicianus magno in honore erat. Auxit hoc nominis decus, ut opere Arithmetico; ſic Geometriâ ſpeculativâ, & practicâ.*

Vir fuit Latinè, ac Græcè, doctiſſimus; variarum etiam ſcientiarum ſtudiis imbutus. Vide, quæ retuli in Arithmeticis cap. LIII, §. 11.

13. §. *Anno* CIↃ IↃ L *vixit Joannes Buteo, qui ſcripſit de quadraturis circulorum, tam antiquis, quam novis.*

Memini ejus quoque in Logiſtis cap. XVIII, §. 8; & in Geodætis cap. XXVII, §. 11.

14. §. *Anno* CIↃ IↃ LI *Petrus Montaureus commentarium ſuum edebat in decimum Euclidis.*

Senator fuit Regius in Galliis, Regiæque bibliothecæ præfectus. Defunctum verſibus ſuis celebravit M. Hoſpitalius. Vide plura libro primo elogiorum Scævolæ Sammarthani.

15. §. *Anno* CIↃ IↃ LII *florebat apud Anglos Robertus Recordus, vir pereruditus, variaque eruditionis: qui, præter Arithmetica principia, etiam Geometriæ ſemitam edidit: item Geometriæ theoremata, & librum de arte menſurandi; aliaque, ſed pleraque ſermone Anglico.*

Dictum de eo quoque in Geographis cap. XLV, §. 22.

16. §. *Anno* CIↃ IↃ LXIII *viguit nobiliſſimus, ac doctiſſimus, Joannes Baptiſta Porta Neapolitanus: qui orbi dedit elementa curvilineorum libris tribus.*

Sed imprimis inclaruit libris quatuor de furtivis literarum notis, viginti libris de Magia Naturali, item Phyſiognomicis.

17. §. *Anno* CIↃ IↃ LXV *Arnoldus de Lens edebat Iſagogen in Geometrica Euclidis elementa.*

Edidit Plantinus. Natus non Lenſii, oppido Arteſiæ, ut Guicciardinus putavit; ſed apud Athenſes, Hannoniæ vico. Medicus, & Mathematicus fuit Ducis Moſcoviæ. Ac in metropoli ejus regionis periit, cùm urbs ea conflagraret à Tartaris, ſive Tataris, incenſa.

18. §. *Anno* CIↃ IↃ LXVI *Franciſcus Barocius, Jacobi filius, patricius Venetus, Bononiæ ſcribebat, ac decennio poſt Venetiis edebat, opus, quo tredecim modis demonſtraret admirandum illud problema, quod docet, duas lineas in eodem plano deſignare, quæ nunquam concurrant, licet producantur in infinitum, & quanto protrahantur longiùs, tanto ſibi evadant propiores.*

Me-

Digitized by Google

Meminere propoſiti problematis Proclus Commentar. in librum primum elementorum Euclidis, Geminus libro VI Geometricarum demonſtrationum, & Rabbi Moſes Ægyptius in Directore dubitantium lib. I, cap. LXXIII. Imperfectè demonſtrârunt Apollonius Pergæus in I, & XIV propoſitione ſecundi Conicorum, Pappus Scholiis in lib. V Conicorum Apollonii, Eutocius Aſcalonita commentario in ſecundum Archimedis de Sphæra, & Cylindro, & lib. II Conicorum Apollonii, & Anonymus ſcriptor vetus in fine libelli de ſectione Conicâ, quæ Parabole vocatur. Adhæc Rabbi Moſes Narbonenſis opuſculo de hoc argumento, & Rabbi Samtou cap. LXXIII commentarii in Directorem Dubitantium Rabbi Moſis Ægyptii. Inſuper Joannes Wernerus, Norimbergenſis Mathematicus, XX Propoſitione ſuorum elementorum Conicorum, Hieronymus Cardanus in XVI de Subtilitate, Orontius Finæus lib. de Speculo Uſtorio, Jacobus Peletarius in ſecundo Commentariorum trium; de dimenſione circuli, de contactu linearum, & de conſtitutione horoſcopi. Præter opus de memorato problemate idem Barocius commentarios Procli in Euclidis librum primum Latinè vertit, correxit, ſcholiis & figuris illuſtravit. Heronis etiam Geodæſiam, & Mechanica, tranſtulit; ut inferiùs narrabitur.

19. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXIII *Simon Stevinus Brugenſis divulgabat Problematum Geometricorum libros* V.

Eſt hic, qui apud Batavos reperit currus velivolos: quorum beneficio duarum horarum ſpatio emetimur quatuor milliaria Hollandica; ut Scevelingâ Pettenum uſque. Quæ præterea divulgârit, expoſui in Aſtrologis cap. XXXVII, §. 37; in Geographis cap. XLV, §. 31; in Mechanicis cap. L, §. 31.

20. §. *Anno* CIↃ IↃ XCI *Franciſcus Vieta Gallus publici juris fecit munimen ſuum adverſus novam Cyclometricam. Quo opere Scaligeri in Cyclometricis paralogiſmos detexit.*

Idem pſeudomeſolabum, Apollonium Gallum, Zetetica, & alia, edidit. *Ingenioſiſſimum hominem* vocat Sethus Calviſius in elencho Calendarii Gregoriani cap. XXX. Aliorum quoque laudes memoro in Aſtrologis c. XXXVII, §. 35. Etiam Jacobi de Billy, præfatione in Algebram ſuam, tale de Vieta judicium eſt, *excelſi inſtar gigantis, omnes alios vaſtis meditationum ſuarum paſſibus videri ſuperâſſe.* De iis, quæ elaboravit adverſus Calendarium Gregorianum, ſive auctorem ejus Chriſtophorum Clavium, dixi cap. XLII, §. 17. Ob illa, adverſus Cyclometrica Scaligeri, acrior initio contentio fuit: ſed poſtquam, quantus eſſet Vieta, Scaliger perſpexit, ſuo quidem pretio eum cum animo ſuo æſtimavit: ſed ſic, ut humanitus aliquid patiens, non multum ejus laudes prædicaret. Obiit Vieta anno CIↃ IↃ CIII.

21. §. *Anno* CIↃ IↃ XCV, *ac deinceps, floruit Adrianus Romanus. Edidit Ideam Mathematicam, ſive methodum polygonorum, & circuli quadraturam. Præterea Expoſitionem, & analyſin, in Archimedis Circuli dimenſionem: Apologiam pro Archimede: Exercitationes Cyclicas contra Scaligerum, Orontium Finæum, & Raimarum Urſinum; quod opus decem eſt dialogis complexus: Canonem Triangulorum Sphæricorum: Canonem Triangulorum rectangulorum, tam ſphæricorum, quàm rectilineorum: Problema Apollinare, quo, datis tribus circulis, quæritur quartus eos contingens.*

Diximus hoc de viro in claris Arithmeticis; iterumque de eo loquendi occaſio dabitur in Aſtrologis, Chronologis, & Mechanicis.

22. §. *Anno item* CIↃ IↃ XCV *viguit Bernardinus Salinus, Societatis Jeſu Theologus; qui librum reliquit de menſuris Geometricis.*

Sed adhuc ineditus Genuæ adſervatur in Collegio Societatis Jeſu. Obiit anno CIↃ IↃ C.

CAP. LVII.

DE GEOMETRIS, ET GEODÆTIS, præcipuè Latinis, qui poſt annum CIↃ IↃ C vixerunt.

1. §. *Superſunt è Geometris, & Geodætis Latinis, qui proximo ſeſquiſeculo memoriam ſui nominis Geometriâ, vel Geodæſiâ, conſecrarunt. Anno* CIↃ IↃ C *Leidæ publicè, ut Arithmeticen, ita & Geometriam, docuit Ludolphus à Colen. Variaque ea in ſcientia edidit in lucem; in his de circulo, & adſcriptis: quo libro diametri rationem ad peripheriam, Archimedis via inſiſtens, vaſtiſſimis exhibet numeris, multarumque ſubtenſarum quantitatem; item uſum canonum triangularium in planis. Alia quoque compluria ad Arithmeticen, & Geometriam, pertinentia emiſit; ſed Belgicè.*

Latinè autem reddidit Wilibrordus Snellius anno CIↃ IↃ CXV. Nec mirum, ſi eum vertere non infra ſe duxerit. Nam quanti Ludolphum hunc fecerit, argumento fuerit, quòd, Simonis Stevini judicium comprobans, in Cyclometrici præfatione, cùm ex antiquis nominâſſet Apollonium Pergæum, & Philonem Gaditanum; ex junioribus autem Franciſcum Vietam, & Adrianum Romanum (at quantos viros!) continuò ſubjungat, *Quorum omnium accuratam diligentiam longè ſuperavit Ludolphus à Ceulen, Logiſta ſubtilis.* Dixi de eo quoque in Arithmeticis cap. LIV, §. 1.

2. §. *Anno* CIↃ IↃ CVII *Marinus Ghetaldus, patricius Raguſinus, divulgabat variorum in Geometria problematum collectionem, ſanè eruditam. Eopſe anno in lucem dabat Apollonium Redivivum,*

ſive reſtitutam Apollonii Pergæi Inclinationum Geometriam. Sed & ſupplementum edidit Apollonii Galli. *Apollonium* verò *redivivum* nuncupavit, quia cùm Apollonii Conicorum libri Græcè admodum forent vitiati; quos etiam ſecutus eſſet in tralatione ſuâ Federicus Commandinus: ipſe loca corrupta ita ſanitati reſtituerit; ut ex eo ſolvi poſſent problemata, quæ antè non poterant. Hac operâ ſibi viſus fuit Apollonium quaſi ab Orco revocâſſe. Ac licet jactantior videatur inſcriptio, omnino tamen eſt modeſta. Nam cùm opus ſuum *Apollonium* vocat, præclara illa, quæ tradit, non ſibi, ſed Apollonio potiùs adſcribit. Tam problematum collectio, quàm Apollonius redivivus, Venetiis prodierunt: illa à Vincentio Fiorina, hic à Bernardo Junta.

3. §. *Anno* CIↃ IↃ CIX *Ambroſius Rhodius Kembergenſis Euclidis elementorum libros* XIII *brevibus, & perſpicuis, demonſtrationibus comprehendit.*

Quo tempore in Academia, ut Græco vocat nomine, Leucoreâ, hoc eſt, Wittebergenſi, Matheſin docebat.

4. §. *Anno* CIↃ IↃ CX *Henricus Savilius, Eques Britannus, ſuas in Euclidem prælecturas juris faciebat publici.*

Vir eo nomine de ſtudiis bene meritus; magis autem, quòd profeſſionem Mathematicam de ſuo inſtituerit in Academia Cantabrigienſi: & quòd, magno Eccleſiæ bono, Etonenſi prælo dederit longè optimam, & pulcherrimam editionem B. Chryſoſtomi.

5. §. *Anno* CIↃ IↃ C XII *Alexander Anderſonus Aberdonenſis edidit Pariſiis ſupplementum Apollonii Redivivi.*

Quo perficit ea, quæ deerant Apollonio Redivivo Marini Ghetaldi Raguſini. Inſcripſit id opus Cardinali Peronio.

6. §. *Anno* CIↃ IↃ C XV *Petrus Antonius Cattaldus Bononienſis publicè in patrio Gymnaſio profitebatur Matheſin. Edidit elementa Geometrica, de lineis tum æquè, tum non æquè diſtantibus: ubi quinctum, & ſeptimum poſtulatum è primo Euclidis* ἀποδεικτικῶς*, & breviter comprobat; de transformatione Geometricâ, quâ docet, datum rectilineum reducere ad formam propoſiti rectilinei; de quadratura circuli.*

* *Demonſtrative.*

Hæc jam ediderat anno CIↃ IↃ C XV. Multa præterea parata tum habuit, quæ recenſet Joſephus Blancanus †. Ut ſunt, Archimedis defenſio; Euclidis defenſio; transformatio Geometrica figuræ in aliam, cujus ambitus, ac laterum numerus, ſit propoſitus.

† *In Chronologia Mathematicorum pag.* 63.

7. §. *Anno* CIↃ IↃ C XVII *Joannes Keplerus, Cæſaris Mathiæ, & illuſtrium Ordinum Archiducalis Auſtriæ ſupra Onaſum Mathematicus, de Stereometria ſcribebat libro de vaſe Auſtriaco.*

Ubi, occaſione dolii Auſtriaci, docet rationem dolia dimetiendi virgâ. In hoc opere, ut ait Bonaventura Cavalerius, de quo mox dicam, *poſtquam ſummariè ipſius Archimedis adinventa ſibi opportuna recenſuit, novis aliquando adjectis rationibus, tandem eam partem ſuperaddidit, quam Stereometriæ Archimedeæ ſupplementum nuncupavit; in qua multiplicem ſectionum conicarum, circuli nempe, parabolæ, hyperbolæ, & ellipſis, nec non earundem portionum circa diverſos axes revolutionem, contemplatus, ſolida numero* LXXXVII, *præter quinque Archimedea, (ſphæram ſcilicet, conoides parabolicum, conoides hyperbolicum, ſphæroides oblongum, & prolatum) Geometris, perquam eleganti præconio promulgavit.* Hujus Kepleri laus eſt inter alias, quòd, ut judicium eſt Merſennii ‡, ea perfecerit, quæ deerant Archimedis libro de ſphæroidibus.

‡ *P.* 165.

8. §. *Circa hunc annum etiam Joannes Alfonſus Molinenſis Canus Hiſpanicè edidit Nova reperta Geometrica. Quæ & Latinè poſtea ſunt tranſlata.*

Alfonſus is, nec Latinè ſcivit, nedum Græcè: ſed ex libris Italicis, & Gallicis, elementa Geometriæ hauſit; ac ipſe poſtea operam dedit, ut nova quædam reperiret. Latinè reddita ſunt poſtea, & ab Nicolao Janſonio excuſa Arnhemii anno CIↃ IↃ C XX.

9. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXI *Gerhartus Mejerus Hymmelingius Erfurti prælo opus committebat, quod vocat curſum ingeniarium. Inque eo primum quidem obtinent locum Elementorum Arithmeticorum libri* III. *Sed mox ſequitur* Στοιχείωσις *Geometria. Hinc Organice, ſive Geometricorum inſtrumentorum ſtructura. Inde Hypſometrica, ſive de altitudine menſuranda. Poſtea Geodæſia, ſive de agrorum menſuris. Cumque iſta pertineant ad* ἐμπεδομετρίαν*, ſive planæ ſuperficiei dimenſionem: ſubjicit huic tres libros* στερεομετρίας*, quæ metitur ſolida corpora.*

Extremum locum tribuit tum metationi caſtrorum, tum arti muniendi caſtra, quam *Fortificationem* appellant. Sed iſta ad Mechanicen potiùs pertinent: de qua poſtremò agendum.

10. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXIII *Gaſpar Bachetus Diophantum illuſtravit.*

Imò profundis in eum ſpeculationibus immortalem ſibi gloriam comparavit: ut judicium eſt Jacobi de Billy Compendienſis, præfatione in Algebram.

11. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXV *Claudius Hardy primus Græcè publici juris fecit Data Euclidis, cum Græco Marini philoſophi commentario. Utrumque etiam Latinè reddidit, ac ſcholiis illuſtravit.*

Fuit in Pariſienſi Curia advocatus, filius Sebaſtiani Hardii, apud Cœnomanos vectigalium quæſtoris: cui & operam hanc inſcripſit. Tum Euclidis Data, tum Marini Philoſophi commentarium, deſcripſerat è bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi. Vide, quæ de hoc labore diximus cap. XV, cùm de Euclide ageremus.

12. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXVIII *claruit in Matheſi Philippus Lansbergius, Zelandus, Medicus idem, & Mathematicus. Scripſit Triangulorum Geometricorum libros* IV, *aliaque.*

Antverpiæ anno CIↃ IↃ LXXXVI aliquamdiu præco fuit Verbi divini. Idem annis XXIX eo munere in Zelandia functus eſt apud Goezanos. Poſtea, ab Illuſt. Zelandiæ Ordinibus rude donatus, Middelburgi ſedem fixit, eaque ſcripſit, quæ diximus. Ibidem etiam fato functus eſt.

13. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXXIII *Albertus Fredericus Cnopius, Medicinæ Profeſſor in Illuſtri Schola Herbornenſi, aularumque Naſſovicarum Medicus, emittebat in lucem Opus de inſtrumenti univerſalis novi fabrica, & uſu ad longitudines, latitudines, profunditates, ſuperficies, & ſoliditates miro, maximamque partem novo, artificio indagandas.*

Etiam ad dirigenda tormenta bellica, aquas librandas, agendos cuniculos ſubterraneos, caſtra metanda, delineandos locorum ſitus, & inſtituendas dimenſiones aſtrologicas.

14. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXXIV *Georgius Ludovicus Frobenius in lucem dabat Clavem univerſi trigonometricam.*

Opere eo, triplici methodo, unâ vulgari per ſinus, tangentes, aut ſecantes; alterâ proſthaphæreticâ, compendioſâ; tertiâ compendioſiſſimâ per Logarithmos, cæli, ac terræ, adyta recludit, ac per certa problemata quæſtiones ſolvit.

15. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXXV *Bonaventura Cavalerius Mediolanenſis Bononiæ publicavit libros ſeptem Geometriæ de ſectionibus cylindricorum, & Conicorum, ac ſimilibus figuris. Imò jam triennio antè, putà anno* CIↃ IↃ C XXXII, *divulgabat Directorium Generale Uranometricum. In quo traduntur trigonometriæ Logarithmicæ fundamenta, ac ſupputationes Aſtronomicæ ad ſolam fere Additionem vulgarem reducuntur ex fontibus Neperi, ac Briggii. Opus perutile Opticæ, Aſtronomiæ, Gnomonicæ, Geodæſiæ, & Geographiæ.*

Cavalerius hic erat Ordin. Jeſuatorum S. Hieronymi, inque Bononienſi Gymnaſio primarius Mathematicarum profeſſor. Hoc opere, quod inſcribitur, *Geometria indiviſibilium continuorum novâ quadam ratione promota*, Kepleri Stereometriam doliorum expendit, multaque corrigere, & inventis ejus ſuperaddere, ſtuduit. Qua de re pleniùs ipſe in præfatione: ubi inſtituti ſui rationem reddit, & quid, ſupra Keplerum præſtiterit, exponit. Omnino opus

opus eſt ſubtile, & quo magnam ingenii doctrinæque laudem meruerit. Bononiæ eſt editum anno, quo dixi. Galilæus de Galilæis in Dialogis ſuis de motu Locali ita eum laudat, ut palmariam illi famam olim inter excellentes ævi noſtri viros polliceatur. Inſignem etiam Geometram nuncupat Paullus Guldinus, præfatione libri ſecundi de centro gravitatis.

16. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXXIX *Joannes Stampioen Roterodamus Algebram ſuam linguâ emiſit Belgicâ, ac Celſiſſimo Frederico Henrico, Arauſionenſium Principi, dicavit.*

Edidit eam autor ipſe domi ſuæ Hagæ Comitis: nec parum laudis illâ meruiſſe judicatur.

17. §. *Anno* CIↃ IↃ C XLIII *Novam Geometria clavem Algebram divulgavit Jacobus de Billy Compendienſis, Societatis Jeſu.*

Operis ejus ſunt partes tres. Primo libro, ut ejus verba retineam, *complectitur quantitates, quæ ſeriem trium proportionalium non excedunt: alter paullò ulterius ad quatuor uſque progreditur: tertius in quinque proportionalibus ſiſtit.*

18. §. *Anno* CIↃ IↃCXLVI *Franciſcus à Schoten Leidenſis, ac Matheſios in Academia patria profeſſor, librum egregium edidit de Conicis ſectionibus.*

Excudit Leidæ Elzevirius. Atque hic de Geometris, & Geodætis, deſinam. Scio, cùm multos adeò laudârim: præteriiſſe me tamen non paucos. Sed plures ſi voles, adi Poſſevinum lib. XV Bibliothecæ ſelectæ cap. VII, & Hugonem Sempilium de Mathematicis Diſciplinis lib. XII. Eandem ſi viam inſiſtere vellem, facile id eſſet. Verùm, utcunque nullius ſtudium, ac laborem, qui aliquid afferat utilitatis, velim improbare: pro inſtituto tamen noſtro nuda recenſere nomina, jejunum nimis, atque aridum videatur.

Cap. LVIII.

DE MUSICIS GRÆCIS priori hujus operis parte indictis.

1. §. *Hinc jam gradum ad Muſicos capeſſo: & primùm quidem Græcos. Darii Hyſtaſpidæ temporibus opus de Muſica condidit Laſus Hermionenſis; imò primus omnium hoc argumentum tractavit:*

UT prodidere Suidas, & anonymus ille, qui Olympiadas deſcripſit, ad Olympiadem LVIII. Sed quod Suidas ait, vixiſſe Olympiade VIII, id omnino eſſe nequit, ſi Dario Hyſtaſpidæ fuerit æqualis. Quare malim Joanni Meurſio noſtro adſentire; qui pro τὴν η Ὀλυμπιάδα, repetito N, quod proximè anteceſſit, NH ſcribere jubet, hoc eſt, LVIII. Ejus enim Olympiadis anno primo, prætore Erxiclide claruit Λάσος Χαβρίνου Ἑρμιονεύς; ut rectè ait Anonymus in deſcriptione Olympiadum, ΟΛ. ΝΗ΄. Sed perperam iſtic legitur, Λάσος, Χαβρίνου, Ἑρμιονεύς: unde doctiſſimus Andreas Scottus tres colligebat poëtas; Laſum, Chabrinum, & Hermioneum. Plura de hoc Laſo retulimus in opere de Poëtis Græcis.

2. §. *Cùm autem prope extremis Darii ejuſdem temporibus deceſſerit Pythagoras Samius; ut ex Euſebii Chronicis cognoſcimus: & Pythagoras Zacynthius circa Pythagoræ Samii tempora vixerit; ut auctor eſt Laërtius: non multò junior Laſo hoc fuerit Zacynthius Pythagoras. Hunc de Muſicis ſcripſiſſe, conjecturam inde capere licet, quod Ariſtoxenus in ſecundo de Muſicis eum advocet ad partes.*

Ambigo tamen, utrùm ſeorſum de Muſica egerit, an opere alio, quod inſcripſerat ἀπόῤῥητα τῆς φιλοσοφίας *; ut Laërtius † auctor eſt. Atque idem addit, ab hoc originem cepiſſe, Αὐτὸς ἔφα ‡: quod ab Samii diſcipulis promanâſſe, vulgatior eſt opinio.

* Arcana philoſophiæ. † In Pythagoræ Samii vita. ‡ Ipſe dixit.

3. §. *Paullò Socrate grandior fuit Democritus: qui* περὶ ῥυθμῶν, καὶ ἁρμονίας, *& alia in Muſicis, elaboravit:*

quod Laërtius in ejus vita narrat.

4. §. *Diocles item Muſica conſignavit; qui æqualis fuit Socratis philoſophi.*

Suidas: Ἀλκιδάμας *, ἀπὸ Ἐλαίας τῆς Ἀσίας, φιλόσοφος, Διοκλέος υἱὸς, Μουσικὰ γεγραφότος, μαθητὴς Γοργίου τοῦ Λεοντίνου. Ajunt hæc Muſica exſtare in Italiæ bibliothecis.

* Alcidamas, Elienſis Aſiaticus, philoſophus, filius Dioclis, Muſicorum ſcriptoris, diſcipulus Gorgiæ Leontini.

5. §. *Eâdem ætate vixit Simon Athenienſis: qui dialogos compoſuit* XXXIII, *inque his unum de Muſica.*

Ut in ejus vita narrat Laërtius. Atque idem refert, Socratem in ejus officinam (coriarius erat) ventitaſſe: præterea Periclem promiſiſſe illi, ſi domum ſuam veniret, omnia ſe illi neceſſaria velle ſuppeditare, ſed reſpondiſſe Simonem, nolle ſe vendere τὴν παῤῥησίαν †. Quæ duo ætatem ſatis oſtendunt.

* Libertatem loquendi.

6. §. *His etiam temporibus viguit Simmias Thebanus. Hujus ferebantur dialogi tres: quorum unus itidem de Muſica erat.*

Ut diſcere eſt ex eodem Laërtio.

7. §. *Philippi Macedonis, filiique Alexandri Magni ætate, claruit Timotheus Mileſius citharœdus: quem ajunt aliqui de Muſica ſcripſiſſe libros* XVII.

Ita Cælius Secundus Curio in Theſauro L. L. ſive Foro Romano. Sed Stephanus quidem, ſive Hermolaus Byzantius, in Μίλητος indicat, compoſuiſſe XVIII libros νόμων κιθαρῳδικῶν *, προοίμια † autem mille: verùm de Muſicis apud eum libris ſilentium eſt. Dixeris, eos, quos nominavi, deſignari. Mihi magis placet, carmina fuiſſe; eoque non tam ad Muſicen, quàm Poëticen, pertinere. Timothei hujus meminit Cicero in ſecundo de Legibus, Quinctilianus Inſtitutionum lib. II, cap. III, Athenæus Dipnoſophiſticôn libro decimoquarto. Ut Diodorum, Clementem, Stephanum, Suidam, & tot alios, prætercam. Vide, quæ de eo retuli libris de Poëtis Græcis: alteroque opere de re Poëtica lib. III, cap. XIII, & XV.

* De modulis carminis ſecundùm artem citharœdicam. † Præcentus citharœdicos.

8. §. *Antiſthenes, Cynica ſectæ conditor, Muſica & ipſe ſcripſit. Socratis fuit auditor, Platonis æqualis.*

Teſtis Laërtius in Antiſthenis hujus vita.

9. §. *Ariſtoteles item non infra ſe putavit, ſi opus de Muſica relinqueret.*

Auctor idem Laërtius in Philoſophi operum catalogo.

10. §. *Ariſtotelis diſcipulus fuit Dicæarchus Meſſenius: cujus itidem Muſica à veteribus celebrantur.*

Ut Quinctiliano, Plutarcho, & Ariſtophanis ſcholiaſte in Nubes.

11. §. *Paullò etiam Ariſtotele junior erat Epicurus: ut qui Athenas redierit Xenocrate quidem Athenis in Academia, Ariſtotele verò docente in Chalcide. Hic quoque de Muſica opus condidit.*

Ut

Ut apud Laërtium eſt in decimo. Nec mirum, ſi, qui bonam ſtudiorum partem contemneret, ut oſtenſum nobis libro de Philoſophorum ſectis; is Muſicen tamen honore eo dignaretur. Siquidem cantus, & inſtrumenta Muſica, non infimum obtinent locum in afferenda voluptate; quæ pro ſummo bono erat Epicuro.

12. §. *Speuſippum priùs, deinde Ariſtotelem, audivit Heraclides Ponticus: cujus liber de Muſica citatur veterum variis.*

Ut Laërtio lib. v in ejus ſcriptorum catalogo. Plutarcho item de Muſica, & Athenæo lib. x; cui laudatur Ἡρακλείδης * ὁ Ποντικὸς ἐν τρίτῳ περὶ Μουσικῆς.

* *Heraclides Ponticus in tertio de Muſica.*

13. §. *Theophraſtus quoque de Muſica librum compoſuit;*

ut ex eodem Laërtio cognoſcimus.

14. §. *Adraſtus Peripateticus, Ariſtotelis itidem diſcipulus, tres Harmonicorum libros exaravit.*

De ætate, patriâque, & præceptore, cognoſcimus ex Stephano in Φίλιπποι, ubi legas: Ἔνθεν † ἦν Ἄδραστος, ὁ Περιπατητικὸς φιλόσοφος, Ἀριστοτέλους μαθητής. Adraſti Peripatetici Harmonicorum libri tres adſervantur Romæ in bibliotheca Vaticana; item illâ Cardinalis à S. Angelo. Diſpiciendum, idemne ſit, ac ille, quem Galenus in Ariſtotelis Categorias commentatum refert opuſculo ‡ de libris propriis. Alium fuiſſe, neceſſe eſt, ſi Alexander Aphrodiſienſis, primus eorum, ut dicitur, fuerit, qui ad libros Ariſtotelis enarrandos animum appulerunt.

† Inde (de Philippis, Macedoniæ urbe, fuerat ſermo) *erat Adraſtus, Peripateticus philoſophus, Ariſtotelis diſcipulus.*

‡ *Tom. 4, pag. 191. a. edit. Ald.*

15. §. *Imperante Hadriano Cæſare, claruit Dionyſius Halicarnaſſenſis, non ille Antiquitatum Romanarum conditor, ac Criticus nobilis, qui ſub Auguſto fuit; ſed eo junior, qui* Sophiſta, *&* Muſicus *vocabatur, quia imprimis ſe Muſicis exerceret. Nominis ſui memoriam conſecratum ibat Rhythmicorum commentariorum libris* XXIV; *& Hiſtoria Muſicorum libris* XXVI; *in quibus tibicinum, citharœdorum, & omnis generis poëtarum, meminit. Adhæc Muſicarum diſſertationum libris* XXII. *Item enarratione eorum, quæ in libris Platonis de Repub. Muſicè dicta ſunt. Pluribuſque aliis;*

quorum omnium auctor eſt nobis Suidas.

16. §. *Sub imperatore Severo, filioque ejus Antonino, magnum fuit nomen Alexandri Aphrodiſienſis: qui & ipſe emiſit librum de Muſica.*

Hujus vetus nunc teſtis non occurrit: ſed ſponſorem dabo Antonium Poſſevinum libro xv bibliothecæ Selectæ *. Apud Geſnerum, & Simlerum, de eo ſilentium eſt.

* *p. 184. edit. Rom.*

17. §. *Tempore Aureliani, & Probi, Impp. effulſit magnus vir; ſed melioris multò famæ futurus, niſi calamum acerbè adeò ſtrinxiſſet adverſus veritatem religionis Chriſtianæ. Eſt is Porphyrius: cujus pauca quidem effugerunt Libitinam, interim in iis quoque eſt de Muſica liber.*

Quem tamen fruſtra in editis requiras: ſed Mstus ſupereſt in bibliotheca Regis Galliarum.

18. §. *Anno* CIↃLVIII *claruit Michaël Pſellus; qui ut Arithmetica, & Geometria, ſic Muſica, & Aſtrologia, epitomen concinnavit.*

Fusè de hoc Pſello actum nobis in Hiſtoricis Græcis lib. II, cap. XXVI.

19. §. *Atque hos ſecundùm tempora digeſſi. Superſunt alii, de quorum ætate nihil certi habeo: eoque elementorum in iis ordine contentus ero. Sunt hi, Agenor Mitylenæus, Cleonides, Epigonus, Eraſtocles, Iades, Nicoſtratus, Phyllis Delius, Ptolomæus Philadelphus Pythagoricus, Theodorus Sophianus, Theogerus epiſcopus.*

Agenorem Mitylenæum Muſica ſcripſiſſe, legimus apud Ariſtoxenum lib. II Muſices.

Cleonidis Iſagoge Harmonica dicitur in Italiæ bibliothecis adſervari. Suſpicor tamen non Cleonidis eſſe, ſed Cleomedis; qui & Arithmetica, nec non de Sphæra librum reliquit. Affinitas argumenti, ut ſic conjectem, facit. De ætate Cleomedis egi cap. XXXIII, §. 24.

Epigonus etiam, patriâ Ambraciotes, ſed à Sicyoniis civitate donatus, ſuum inter Muſicos nomen facilè tuebatur: imò ab hoc inſtrumentum Muſicum dicitur Ἐπιγόνειον. Vide de eo Pollucem lib. IV, cap. IX, nec non Athenæum lib. IV, & XIV. De Muſica autem commentatum fuiſſe, locuples nobis teſtis eſt Ariſtoxenus in Muſicis.

Eraſtocles (Ἐραστοκλῆς) eidem inter Muſices ſcriptores memoratur. Niſi Ἀριστοκλῆς legendum: de quo, adi quæ ad Ariſtoxeni librum primum Joannes Meurſius annotavit.

Iades quoque hoc argumentum tractavit; ut cognoſcere eſt ex Priſciano de Ponderibus. Ubi Didymi eſt nobile fragmentum, in quo citatur Ἰάδης ἐν τῷ περὶ Μουσικῆς *. Sic duo Eliæ, Vinetus, & Putſchius, ex ſuis Mſsis ediderunt. Nempe ab Ἰὰς formatum Ἰάδης: ut nihil cauſſæ ſit, cur quis *Diades* malit. Præſertim quando & Iades ſtatuarius Plinio memoratur in quarto Hiſtoriæ Naturalis.

* *Iades libro de Muſica.*

Nicoſtrati liber de Muſica celebratur fragmento, quod in editione Ludovici Carrionis additur Cenſorino. Vide illud cap. x.

Phyllis Delius libro de Muſica laudatur Athenæo lib. XIV, & ſcholiaſtæ Ariſtophanis ad Ranas, ac Veſpas.

Ptolomæus quoque Philadelphus, philoſophus Pithagoricus, ἁρμονικὰ conſignavit. Meminere in ſuis de Muſica libris Nicomachus, Boëtius, Caſſiodorus, & Beda. Ac præter eos Macrobius in Somnium Scipionis lib. I, cap. XIX, & Scholiaſtes Heſiodi in Theogoniam, qui tertium Harmonicorum citat.

Theodorus etiam Sophianus opus de eâdem ſcientiâ conſignavit. Cujus rei non alium nunc poſſum laudare auctorem, quam Simlerum in epitome, & auctario, Bibliothecæ Geſneri. Apud Geſnerum ipſum, quem aliqui advocant, de eo ſilentium eſt.

Theogeri epiſcopi Muſica, ut in eâdem Simleri bibliothecâ lego, ſuperſunt Mſa. Sed quando, vel ubi vixerit, imò quâ uſus ſit linguâ, vel quâ in bibliotheca adſervetur, non addidit.

CAP. LIX.

DE MUSICIS LATINIS antea omiſſis.

1. §. *Abſolvi de Græcis: porrò ad Latinos pergam. In quibus præcipua antiquitas eſt Varronis, Albini, & Appuleji: ſed hi interciderunt.*

TRes eos nobis memorat Caſſiodorus libro de Muſica. De Varrone ſic ait: *Unde claret, quoniam hyperlydius tonus, omnium acutiſſimus, ſeptem tonis præcedit hypodorium, omnium graviſſimum; in quibus, ut Varro meminit, tanta utilitatis virtus oſtenſa eſt, ut excitatos animos ſedaret; ipſas quoque beſtias, nec non & ſerpentes, volucres, atque delphinas, ad auditum ſuæ modulationis attraheret.* Apertiuſque de Albino ſubjungit: *Apud Latinos autem vir magnificus Albinus librum hac de re*

(Mu-

(Muſica) *compendio ſub brevitate conſcripſit; quem in bibliotheca Romana nos habuiſſe, atque ſtudioſe legiſſe, retinemus.* Ubi vel illud *compendio*, vel, quod ſequitur, *ſub brevitate*, mihi ex gloſſemate videtur irrepſiſſe. De Apulejo denique ſic loquitur: *Fertur etiam Latio ſermone & Appulejum Madaurenſem inſtituta hujus operis effeciſſe.*

2. §. *Anno Chriſti* IↃXC *Urbis epiſcopus factus eſt S. Gregorius Magnus. Muſicâ hic arte excelluit, eam clericos ſuos docuit, etiam Eccleſiaſtici cantûs modulos conſtituit.*

Vitam illius quatuor libris perſcripſit Joannes Diaconus; annoque IↃCCCLXXIII eam Joanni Papæ dedicavit. Utrùm Gregorius prius fuerit monachus ordinis Benedictini, quod Baronius negat, fuſè adverſus eum diſquirit Henricus Vander-Zype, Prior Iprenſis cœnobii *. Cujuſmodi mitto, quia nihil faciunt ad inſtitutum noſtrum.

* Edidit Ypris anno 1610.

3. §. *Anno* IↃCXXX *variâ doctrinâ viguit Iſidorus Hiſpalenſis; qui lib.* III *Originum tractat primùm de Geometria, tum Arithmetica, hinc Muſica, ac denique Aſtrologia.*

Sed latius multò eſt haſce diſciplinas ex fontibus petere, quàm ejuſcemodi rivis.

4. §. *Anno* IↃCCCXLV, *imperante Lothario, Ludovici Pii filio, clarebat Notgerus, abbas monaſterii S. Galli. Inter alia celebratur libro de Muſica, & ſymphonia.*

Primus etiam creditur inventor Sequentiarum, quas Papa Nicolaus I. ad Miſſas decantari juſſit. At diverſus eſt à Notgero, epiſcopo Leodicenſi, qui toto fuit ſeculo junior: etſi eos confuderit Tritthemius. Plura de Notgeris retulimus in Hiſtoricis Latinis lib. III, cap. V.

5. §. *Anno* IↃCCCLXXX, *ſub Carolo Calvo imperatore, vixit Hugbaldus, monachus Elnonenſis cœnobii; qui librum de Muſica in publicum emiſit.*

Teſtis Sigebertus in Scriptoribus illuſtribus. Plura de eo retuli lib. II de Hiſtoricis Latinis cap. XXXVII.

6. §. *Anno* IↃCCCXC, *imperante Arnulpho, & anno* IↃCCCC, *ſub Ludovico* IV, *vivebat Aurelianus, Rhemenſis Eccleſiæ clericus, vir literatus: qui ad Bernardum, cantorem primarium, volumen miſit de tonorum regulis: unde &* tonarium regularem *inſcripſit.*

Vide Tritthemium in ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

7. §. *Anno* CIↃXX, *imperante Henrico ejus nominis Secundo, Berno, abbas Augienſis cœnobii, exaravit ad Biligrinum, archiepiſcopum Colonienſem, volumen de Muſica; & alterum ad Aribonem archiepiſcopum Moguntinum, de inſtrumentis Muſicis.*

Rhetor fuit, & Muſicus inſignis: de quo plura Joa. Tritthemius in Catalogo illuſtrium virorum; atque iterum libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

8. §. *Anno* CIↃLXXIV *ſub Guilhelmo Conquæſtore Osbernus, monachus Dorobernenſis, ſive Cantuarienſis, atque in eadem Eccleſia præcentor, opus de Muſica reliquit:*

cujus meminere Tritthemius, Balæus, Poſſevinus, Pitſeus. Addunt & pleríque librum de vocum conſonantiis: quem alii eundem, ac illum de Muſica, arbitrantur. In ætate deceptus eſt Poſſevinus: qui claruiſſe ait anno CIↃXX. Juniorem enim eſſe, arguit intima illa familiaritas cum Lanfranco, Archiepiſcopo Cantuarienſi. Plura de eo memoravimus in ſecundo de Hiſtoricis Latinis cap. XLVI.

9. §. *Anno* CIↃXC *vivebat Guilielmus, Hirſaugienſis abbas. Hic memoriam ſui propagavit cum aliis, tum libro de Muſica, & tonis.*

Ætatem exinde ſatis cognoſcimus, quòd tres epiſtolarum libros miſerit ad B. Anſelmum, Archiepiſcopum Cantuarienſem.

10. §. *Anno* CIↃCXL, *ſub imperatore Conrado* III, *medio inter Lotharium* II, *& Fredericum Barbaroſſam imperatorem, fuit Conradus, monachus Hirſaugienſis, idem Philoſophus, Rhetor, Muſicus, & Poeta; interque alia vulgavit librum de Muſica, & tonis.*

Cætera dicet Tritthemius in Scriptoribus Eccleſiaſticis.

11. §. *Iiſdem temporibus magna erat laus Helperici, monachi S. Galli; qui cum aliis, tum libro de Muſica, nomen ſibi peperit.*

Id opus, uti & de computo Eccleſiaſtico, & quædam ejus carmina, ſe legiſſe ait Tritthemius.

12. §. *Anno* CIↃCCL *magni pendebatur Vincentius Bellovacenſis epiſcopus, natione Burgundus. Qui & ipſe in Doctrinali ſuo de Muſica tractavit.*

Vide ejus operis lib. XVIII, cap. X, ac deinceps uſque ad cap. XXXVI.

13. §. *Anno* CIↃCCLXX *magna, ob ſingularem ac diffuſiſſimam doctrinam, exiſtimationis fuit Rogerus Baconus Anglus. Hic, inter alia tot, egit de vi Muſices.*

Quo in opere Boëthium, & veterum alios, ſequitur. Obiit anno CIↃCCLXXXIV, regnante apud Anglos Eduardo I.

14. §. *Anno* CIↃCCCCXXX *Antonius Squarcialupus Florentinus tantopere Muſicâ arte excelluit, ut ex regionibus remotis advenirent ad eum conſpiciendum, ſonoſque illius harmonicos audiendos. Quædam etiam in hac arte publicavit.*

Eum tanti fecit Senatus Florentinus, ut ex marmore imaginem illius curârit ponendam prope valvas Eccleſiæ Cathedralis.

15. §. *Circa annum* CIↃCCCL *Muſicâ in re deſudabat apud Belgas Henricus Baten Mechlinienſis.*

Fuit Doctor Theologus, Pariſienſis Cancellarius; item Cantor, & Canonicus Leodicenſis. Decem Divinorum libris de præcipuis agit quæſtionibus philoſophicis, etiam Muſicis.

16. §. *Anno* CIↃIↃIII, *ac aliquamdiu pòſt, fuit Alanus Varenius Montalbanus Toloſas. Qui, inter alia, Dialogos ſcripſit; inque his de harmonia, ejuſque elementis.*

Edidit Rob. Stephanus. Quæ præterea compoſuerit, refert Poſſevinus in Apparatu Sacro. Sed ætas eum fugit.

17. §. *Anno* CIↃ IↃ VII *prodiit Coloniæ Muſica activa Joannis Wendeſtein.*

Memorat Geſnerus Tom. I Biblioth.

18. §. *Anno* CIↃ IↃ X *claruit Ludovicus Cælius Rhodiginus: qui licet hoc argumentum minimè tractâriit ſeorſum, non pauca tamen eò pertinentia in* XXX *Antiquarum Lectionum libris adſperſit.*

Ut lib. V cap. XXIII, XXV, & XXVI.

19. §. *Anno* CIↃ IↃ XXV, *ac deinceps, celebratus Joannes Cochlæus Noribergenſis: qui Muſicæ, & Geometriæ rudimenta conſcripſit.*

Sed longè eſt notior iis, quæ de religionis controverſiis elaboravit. Deceſſit Viennæ anno CIↃ IↃ LII.

20. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXV *pretium aliquod nominis tulit Ottomarus Luſcinius Argentoratenſis. Vulgavit is ſuam Muſurgiam.*

Aliis etiam in publicum conſuluit; quæ Geſnerus, & Simlerus, dicent.

21. §. *Anno* CIↃ IↃ L *fuit Petrus Aron Florentinus. Hic variis libris tractavit linguâ Hetruſcâ Muſicen; in qua omnia obſcura illuſtrâſſe viſus eſt.*

Vide de eo Pocciantium libro de illuſtribus ſcriptoribus Florentinis.

22. §. *Anno* CIↃ IↃ LX *fuit Antonius Franciſcus Donius Florentinus. Is patriâ linguâ venuſtum compoſuit dialogum, qui inſcribitur* Muſica; *alia item literis tradidit,*

quæ in illuſtrium Florentinorum catalogo Michaël Pocciantius referet. Obiit Venetiis anno CIↃ IↃ LXXIV.

23. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXIV *Petrus Gregorius Toloſanus* XL *libros emiſit συντάξεων artis mirabilis. Eorum duodecimus tractat de Muſica.*

Fuit eo tempore Gregorius hic Juris profeſſor in nova Academia Lotharingicâ Pontis Camaſſonii. Sed quod §. 3, de Iſidoro Hiſpalenſi referebam, idem de Gregorio Toloſano, & ejus monetæ aliis, dictum velim.

24. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXI *Andreas Papius Gandenſis contra opinionem vulgatam librum edebat * de conſonantiis, ſive harmoniis Muſicis.* (* *Antverpiæ apud Plantinum.*)

Quo ipſo anno etiam fato functus fuit. Plura de eo referam in Geographis.

25. §. *Anno* CIↃ IↃ XCV *claruit Simon Stevinus; qui librum ſcripſit de Muſices θεωρίᾳ* †. († *Contemplatione.*)

Sed nimiâ typographi feſtinatione factum fuit, ut deſcribi, ac Latinè verti, non poſſet. Alioquin pars foret tomi quinti Mathematicorum Hypomnematum; quo Miſcellanea continentur.

26. §. *Anno* CIↃ IↃ C *magna in Muſicis laus fuit Caroli Geſualdi, Venuſini Principis.*

De quo ſic Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum ad ſeculum Chriſti ſeptimum-decimum: *Nobiliſſimus Carolus Geſualdus, Princeps Venuſinus, noſtræ tempeſtatis Muſicorum, ac Melopœorum, princeps. Hic enim, rhythmis in Muſicam revocatis, eos, tum ad cantum, tum ad ſonum, modulos adhibuit, ut cæteri omnes Muſici ei primas libenter detulerint; ejuſque modos cantores, ac fidicines omnes, reliquis poſthabitis, ubique avidè complectantur. Obiit anno* CIↃ IↃ CXIV.

CAP. LX.

DE OPTICIS PRIORI OPERIS parte omiſſis.

1. §. *Hinc jam ad Opticos me conferam: ſed paucis defungar. Quippe è Græcis contentus ero Damiano Philoſopho, Heliodori Lariſſæi filio; qui duobus Optices libris conſultum ivit ſcholis Mathematicis.*

INſcriptio eſt, Δαμιανοῦ * φιλοσόφου, τοῦ Ἡλιοδώρου Λαρισσαίου, περὶ Ὀπτικῶν ὑποθέσεων βιβλία β. Eos libros Romæ, ex codice eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini, exſcribi curavit filius meus, Iſaacus Voſſius, & aliquando, ſi Deus ſiverit, juris faciet publici. Puto autem, non eſſe aliud opus ab eo, quod Simlerus Heliodori Lariſſæi nomine ſignat; exſtareque ait Romæ in bibliotheca Vaticana; uti & illâ Cardinalis Farneſii, idque unà cum libro de VII planetis. De fragmento ex Heliodori Opticis nihil opus repetere, quod dicebam cap. XXVI, §. 3. Porrò ſive horuncce Opticorum ſcriptor ſit Heliodorus Lariſſæus; ſive filius ejus Damianus: ſaltem, juniorem eſſe Herone Mechanico, arguit, quòd meminerit Heronis. Non dubito, quin ſeniorem ſignet Heronem. Nam junior demum vixiſſe videtur circa tempora Heraclii Imperatoris: ut in Geodætis dictum cap. XXVIII, §. 8. Vide &, quæ in Mechanicis de utroque retuli cap. XLIX, §. 8.

(* *Damiani philoſophi, Heliodori Lariſſæi filii, Opticorum libri duo.*)

2. §. *E Latinis, qui ante ſeſquiſeculum vixerint, duos tantummodo laudabo: prior eſt Iordanus Nemorarius; qui anno* CIↃ CC *viguit, deque natura ſpeculorum commentatus fuit.*

Vidimus de hoc quoque in prætermiſſis priùs Arithmeticis cap. LII, §. 5; anteaque in Aſtrologis cap. XXXVI, §. 26.

3. §. *Alter eſt Paullus Paulli filius, Florentinus: qui vixiſſe creditur circa annum* CIↃ CCCC X: *cumque totius Matheſios eſſet peritiſſimus, etiam Opticen ſcripto conſignavit.*

Ugolinus Verinus in opere de illuſtratione urbis Florentinæ:

Quid Paullum memorem? terram qui nôrat, & aſtra,
Qui Perſpectiva libros deſcripſit, & arte
Egregius medicâ multos à morte reduxit.

4. §. *Unum item Arabem apponam Alchabitium, ſcriptorem Opticorum.*

Quæ ex monaſterio Germaniæ ad ſe delata eſſe, in præfatione refert auctor libri de Lumine Animæ, & ex eo Simlerus. Cujuſmodi præterea in Aſtronomia elaborârit, inferiùs dicetur.

5. §. *At aliquanto plures eorum ſe offerunt, qui claruerint proximis centum, & quinquaginta annis. ex iis anno* CIↃ IↃ X, *in pretio erat Carolus Bovillus Veromanduus, auctor introductionis in Scientiam Perſpectivam: quæ acceſſit Margarita Philoſophica annis aliquammultis antea; ſed, prætérito nomine ſuo, edita † à Georgio Reiſchi Carthuſiano. Aliis præterea Matheſi conſuluit.* († *Argentinæ anno 1515.*)

Dixi-

Digitized by Google

Diximus de Bovillo etiam in Geometris cap. XVII; quod eſt de Geometris Latinis, §. 17. Elogium ejus vide in Additione illuſtrium virorum, quæ ſubjuncta eſt Tritthemio.

6. §. *Anno* CIↃ IↃ XL *in Matheſi clarum fuit nomen Joannis Penæ: qui Optica Euclidis Latinè reddidit, multiſque adauxit demonſtrationibus, atque his etiam Optices encomium præmiſit. Adhac Catoptrica vertit, compluribus reſtituit locis, & demonſtrationibus ſuis locupletavit.*

Natus fuit Monſteriis in provincia Narbonenſi prope Aquas Sextias. Matheſin publico docuit ſtipendio Lutetiæ Pariſiorum. Obiit anno CIↃ IↃ LIX.

7. §. *Anno* CIↃ IↃ LIX *Daniel Barbarus Venetiis de Optica Italicè opus edidit:*

quod inſcripſit, *La Prattica della Perſpettiva.* Atque idem recudi curavit ibidem anno CIↃ IↃ LXVIII, anno uno antequam fato fungeretur, ætatis ſuæ XLI. Dicam de eo quoque in Mechanicis.

8. §. *Anno* CIↃ IↃ XCV *claruit Simon Stevinus Brugenſis: ſed qui in Batavia maximè vixerit, inque pretio fuerit. Is Optica tribus libris complexus fuit. Quorum primo tradidit ſcenographiam, altero radiorum reflexionem, tertio refractionem.*

Primam partem *ſciagraphiam* appellat interpres ejus Will. Snellius: nempe, ut ipſe monet, quo meliùs deſignet vocem Belgicam verſchauwinge. Altera eſt de primis Catoptricæ elementis: de quibus ſcribere eſt aggreſſus, eò quòd comperiſſet, Euclidis propoſitionem XVII, & XVIII, ſimileſque Alhazeni, & Vitellionis, utcumque fundamenta ſtatuantur variarum propoſitionum, vanas tamen, falſaſque eſſe: unde ſua pro iis inventa ſubſtituit, illuſtriſſimi Auraſionenſium Principis examine reddita emendatiora. Tertius verò liber, ob feſtinationem typographi, à Willibrordo Snellio metaphraſte deſcribi non potuit, nedum transferri. Interim ſperabat ſe id quoque acturum, ſi iteranda eſſet editio.

9. §. *Anno* CIↃ IↃ CX, *ac deinceps, floruit Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatinus: qui librum emiſit de radiis viſus, & lucis; quo teleſcopii demonſtrationem inquirit.*

Summus hic vir fuit: nec Matheſios ſolùm ſtudiis excultus; ſed in veterum etiam Eccleſiæ ſcriptorum monumentis multùm verſatus. Scio, quantopere de eo varient judicia. Sed de iſto alibi fortaſſe melior dabitur loquendi occaſio. Nunc intra Matheſin nos continebimus.

10. §. *Anno* CIↃ IↃ CXV, *claruit Joannes Keplerus trium Cæſarum Mathematicus; qui paralipomena ad Vitellionem addidit cum Optica Aſtronomica. Etiam Dioptrica reliquit.*

Dixi de eo in Aſtrologis cap. XXXVII, §. 45.

11. §. *Paullò hoc junior fuit Joannes Baptiſta Morinus. Qui multa egregiè tradidit de refractionibus.*

Profeſſor is Regius noſtris temporibus in Galliis fuit.

12. §. *Adhuc claret Petrus Gaſſendus: qui de apparente magnitudine Solis humilis, & ſublimis, quatuor edidit epiſtolas; quibus multa Phyſica, & Optica, problemata proponit, & explicat.*

Prima ad Gabrielem Naudæum ſcripta fuit anno CIↃ IↃ CXXXVI. Altera ad Fortunium Licetum quadriennio pòſt. Tertia ad Iſmaëlem Bullialdum; at quarta ad Joannem Capellanium; utraque hæc anno CIↃ IↃ CXLI. Editæ univerſæ Lutetiæ anno ſequenti. Opus eſt elegans, & eruditum; quodque animum pariter, & fructu paſcat, & recreet voluptate. Multa quoque alia, ac pulcra, ſummus vir, partim parata habet, partim molitur: de quibus familiariter nos colloqui memini, cùm, annis ab hinc XXX, iter in Bataviam ſuſcepiſſet.

CAP. LXI.

DE ASTROLOGIS GRÆCIS parte priori omiſſis.

1. §. *Ab Opticis ad Aſtronomos tranſeo: ubi longè major ſe offert indictorum numerus; ſive eos cogitem, qui motus ſiderum attenderunt, ſive ex iis prædictiones. Ex his Ptolemæi Philadelphi temporibus vixit Beroſus:* cui, ob divinas prædictiones, Athenienſes publicè in Gymnaſio ſtatuam inauratâ linguâ poſuere:

UT Plinius ait lib. VII, cap. XXXVII. Atque idem inter horologii genera reperit *hemicyclium excavatum ex quadrato, ad enclimaque ſucciſum.* Teſtis Vitruvius lib. IX, cap. I: ubi & complures recenſet, qui alia invenerint horologiorum genera. De iſto in Mechanicis dicemus.

2. §. *Alexander Epheſius carmen compoſuit de rebus cæleſtibus.*

Vide de eo, quæ retuli lib. III de Hiſtoricis Græcis. Quod verò ejus Strabo meminerit, ſatis indicat, ſcriptorem eſſe bene antiquum. Sed nihil ejus hodie habemus.

3. §. *Ante Plinium neceſſe eſt vixerit Doſitheus Aſtrologus: quando ille mentionem ejus facit.*

Adi eum lib. XVIII, cap. XXXI.

4. §. *Domitiani Cæſaris temporibus, quaſi cymbalum mundi, erat Apollonius Tyaneus. Is quatuor de divinatione Aſtrologicâ libros in lucem emiſit:*

ut ex Mœragene memorat Philoſtratus lib. III de vita Apollonii cap. XIII. Capite etiam ſequenti narrat, reliquiſſe de ſacrificiis libros IV, atque iis docere, quid cuique Deorum oporteat ſacrificare. Hodie nec Mathematicum, nec alterius generis, habemus ejus quicquam.

5. §. *Heraclides quoque literis mandavit* ἀστρολογούμενα *: * Res Aſtrologicas.

ut eſt apud Diogenem Laërtium extremo lib. V: ubi in quatuordecim Heraclidis poſtremum huic tribuit locum. Ætatem non addit. Interim antiquitatem illius oſtendit, quòd ejus meminerit Laërtius, qui ſub Antonino Pio, vel Philoſopho, vixit.

6. §. *Sub Gallieno, Claudio, Tacito, Aureliano, & Probo imperatoribus claruit acer ille Chriſtianorum hoſtis Porphyrius, philoſophus Platonicus, & in matheſi inſignis: qui Iſagogen Aſtronomicarum rerum compoſuit libris tribus.*

Ut auctor Suidas. Ejus demonſtrationum meminit Proclus ad elementa lib. I propoſit. XIV, XVIII, XX. Etiam Baſileæ, penè ante ſeculum †, prodiit Porphyrii Iſagoge in Apoteleſmaticen Ptolemæi. Sed opuſculum id non ſapit Porphyrium. Nec repugnârim tamen, ſiquis ex tribus Porphyrii libris, de quibus Suidas, collectum arbitretur.

† Ex officina Henrici Petri an. 1551.

Digitized by Google

7. §. *Juliani Cæſaris, nec non Valentis ætate, effulſit Diodorus monachus, epiſcopus Tarſi Ciliciæ. Scripſit contra Aſtrologos, & fatum; de ſphæra item, & ſeptem zonis; nec non annuo aſtrorum progreſſu; deque Hipparchi ſphæra.*

Narrat Suidas. Meminere ejus quoque ſcriptores Eccleſiaſtici; Socrates, Theodorus Anagnoſtes, Nicephorus.

8. §. *Carpus Antiochenus itidem* ἀστρολογουμένοις * *nomen ſuum ab oblivione vindicavit.*

* *Rei Aſtronomicæ libris.*

Mentionem facit Proclus in primum Euclidis: ut omnino ante annum vixerit quingenteſimum.

9. §. *Juſtiniani Imperatoris temporibus effulſit Tribonianus Sidetes unus* δικηγόρων † τῶν ὑπάρχων. *Hic carmine epico commentarium fecit in Canonem Ptolemæi: concentum quoque edidit mundanæ, & harmonicæ diſpoſitionis; opus item de planetarum domiciliis, & quare hoc domicilium cuique tribuatur; deque menſium permutatione;*

† *Ex cauſidicis præfectorum provinciæ.*

alia præterea. Suidam adi.

10. §. *Philippus etiam Medmæus Aſtrologis jure annumeratur.*

Medmæus dictus à Medme, Italiæ urbe. Scripſit de Ventis; ut ait Stephanus in Μέδμη. Sed ibi dicitur ὁ ἀξιόλογος ‡. Puto, Ἀστρολόγος legendum. Nempe de ventis egit, quatenus è ſiderum, cælique conſtitutione, prævidentur. Cùm verò ejus mentionem faciat Stephanus, qui compendio conſtrinxit Hermolaum Byzantium; is verò temporibus vixerit Juſtiniani Magni: ſatis liquet, non eſſe juniorem hoc Cæſare, qui anno rexit IↃL.

‡ *Dignus qui memoretur.*

11. §. *Sporus Nicenus inter eos fuit, qui Aratum fuere interpretati.*

Meminit illius in Iſagoge ſuâ Leontius Mechanicus. Id ab aliis etiam factum: quorum indiculum appoſui cap. XXXII, §. 21.

12. §. *Multorum ætatem accuratè dicere nequimus: ſed antiquitas tamen inde cognoſcitur, quòd eorum meminerit Suidas; qui claruit anno* CIↃ XXXVIII. *Hujuſmodi ſunt Heliconius, Paullus philoſophus, & Philippus Opuntius. Quorum Heliconius reliquit* ἀποτελεσματικὰ *; *item* περὶ διοσημειῶν †, *& alia. Paullus philoſophus compoſuit Introductionem Aſtrologiæ, & Apoteleſmatica, ſive de effectibus ſiderum. Philippus Opuntius publicè ſtuduit prodeſſe de intervallo Solis, & Lunæ, libro.*

* *De ſiderum effectis.*
† *De aëris ſignis, ac tempeſtatibus.*

Sed poſtremus horum *Philoſophus* in Suidæ codd. nuncupatur; quod corruptum videtur ex *Philippus Opuntius.* Conſule ſis, quæ dicebam cap. XXVI, §. 4.

13. §. *Sæculo Chriſti undecimo Iſaacus monachus (puto, eum eſſe, cui cognomen* Argyro *fuit) Aſtronomica reliquit; quæ adſervantur Auguſtæ Vindelicorum.*

Diximus de Iſaaco Argyro in Geodætis, cap. XXVII, §. 9; & in Chronologis, ac Computi ſcriptoribus, cap. XLI, §. 15.

14. §. *In Aſtrologis ſeculi à natali Chriſti duodecimi etiam memoratur à Joſepho Blancano* ‡ *Theo Smyrnæus. Hic ea, quæ apud Platonem in Aſtrologia, & reliquâ Matheſi, leguntur, eruditè expoſuit.*

‡ *In Chronologia Mathematicor. pag. 57.*

Sed ſolùm ſuperſunt illa in Arithmeticis, & Muſicis: quæ ex Thuanæa bibliotheca edidit Græcè, Latineque vertit, & eruditis commentariis illuſtravit, Iſmaël Bullialdus *. Perierunt igitur Geometrica, & Aſtronomica. Niſi fortaſſe ſuperſint in bibliotheca Vaticana; ubi hunc ſcriptorem extare, ex Joſepho Auria Blancanus † refert. Aliquid jam de eo tetigimus cap. XXXIII, §. 13.

* *Pariſiis an. 1644.*
† *Chron. Mathem. pag. 51.*

15. §. *Anno* CIↃ CCCL *ſub Joanne Cantacuzeno, Orientis imperatore, vitâ fruebatur Nicolaus Cabaſilas, archiepiſcopus Theſſalonicenſis; qui in Ptolemæi Syntaxin magnam commentatus fuit.*

Meminit hujus Cabaſilæ imperator ipſe Joannes Cantacuzenus hiſtoriæ ſuæ lib. III, cap. LXXIII.

16. §. *Anno* CIↃ IↃ XXX *viguit Nicolaus Sophianus Corcyræus; qui de aſtrolabio libellum ſcripſit Græcum.*

Sophianum hunc ſe Venetiis, ſeſquianno, antequam iſta ſcriberet, conveniſſe, ait Geſnerus Tom. I Bibliothecæ. Id opus verò anno edebat CIↃ IↃ XLV. Dicam de eo iterum in Geographis.

17. §. *Græcis hiſce, priuſquam ad Latinos me conferam, ſubdam Ægyptium Petoſirim* (Πετόσιριν) *hominem Philoſophum; qui Aſtrologica è ſacris hauſit, ac divulgavit, libris.*

Quemadmodum auctor eſt Suidas.

CAP. LXII.

DE ASTROLOGIS LATINIS, qui claruere ante annum CIↃ IↃ.

1. §. *De Græcis vidimus. Tranſeo nunc ad Latinos. Anno Chriſti* CCCC LX *vivebat ſub Vortigerno, rege Anglicano, Bacharius Maccæus Britannus, S. Patricii diſcipulus. In adoleſcentia, dum Matheſi operam daret, divulgavit librum de prognoſticis nativitatum.*

Vide Baleum, & Pitſeum.

2. §. *Anno* IↃCCXL, *in Aſtronomia, & reliquâ Matheſi, clarum erat nomen Hemoaldi, cognomento Providi, natione Angli. Huic familiaritas interceſſit cum venerabili Beda: ad quem ejus ſupereſt liber de rebus Mathematicis.*

Uti & Bedæ extat epiſtola ad Hemoaldum de ratione quadrantis anni, ſive de biſſexto.

3. §. *Anno* CIↃL *in Anglia vixit Oliverius, ſive, ut Vincentius appellat, Elmerus; qui librum compoſuit de ſignis planetarum: uti & alterum de Aſtrologorum dogmatibus.*

Deceſſit anno CIↃLX. Nimis vanæ Aſtrologorum curioſitati deditum fuiſſe, colligas ex iis, quæ refert in illuſtribus Angliæ ſcriptoribus Joannes Pitſeus.

4. §. *Anno* CIↃLXXX *non mediocri in pretio erat Guilielmus, cœnobii Hirſaugienſis in Spirenſi diœceſi abbas. Præcipuè innotuit tribus rerum Philoſophicarum, & Aſtronomicarum, libris.*

Quos Baſileenſes excudêre anno CIↃ IↃXXXI. Plura de eo in Muſicis diximus cap. XX, §. 9.

5. §. *Anno* CIↃ C XLIV *Rodolphus Brugenſis Mathemati-*

Digitized by Google

maticus Toloſa Latinè reddidit Planiſphærium Claudii Ptolemæi: idque, ut ipſe in præfatione ad præceptorem ſuum Theodericum Platonicum ait, non alia transferendi lege, quam quâ antea ipſum in Arabicam Maſlem tranſtulit.

Unde colligo, ex Arabico vertiſſe; non è Græco, quod eſt in epitome Simleri; item apud Valerium Andream in bibliotheca Belgica. Cum Arato, & ſcholiaſte ejus, excudit eum Valderus Baſileæ anno CIƆ IƆ XXX.

6. §. *Anno* CIƆ CC XL *Alexander de Villa Dei Dolenſis commentabatur de Sphæra.*

Vidimus quoque de illo in Arithmeticis cap. X, §. 8.

7. §. *Anno* CIƆ CC LII *longè lateque radios ſui nominis diſpergebat Albertus Magnus, epiſcopus Ratiſponenſis, nulli ſuo ævo doctrinâ ſecundus: qui emiſit monumenta ſui ingenii ac doctrinæ permulta: in his de ſphæra, de aſtris, de aſtronomia, item ſpeculum aſtronomicum.*

Uti & de Arithmetica, de Geometria, de Perſpectiva ſive Optica, & de Muſica. Sed hæc illis quidem temporibus admirationi fuere. nunc verò ea longè accuratiùs à præclaris ſunt ingeniis tractata. Eſt Petri Bembi in eum carmen:

Natura ſiquid te rerum ſorte latebat;
Hoc legis in magno, Teutone Magne, Deo.

Uti & hoc M. Antonii Flaminii:

Qui docuit rerum Albertus cognoſcere cauſſas,
Non rerum oblitus nunc jacet in tumulo:
Sed, cælo meliore ſui cum parte receptus,
Nunc gaudet meliùs diſcere, quàm docuit.

Obiit Coloniæ anno CIƆ CC LXXX: quò, relicto Epiſcopatu, ſtudiorum amore conceſſerat. Valde ratio fugit Nicolaum Reuſnerum *, cùm toto plus ſeculo juniorem facit. Nam natum ait anno CIƆ CC XCIII; denatum verò CIƆ CCC LXXXII. Quæ magna eſt ἀνιϛορησία †, peccantis in ipſo operis ingreſſu, velut cantherius in porta, ut dici ſolet. Nam ab hoc Alberto icones, & elogia ſua, auſpicatur.

* In iconibus virorum ſtudiis illuſtrium.
† Hiſtoriæ ignorantia.

8. §. *Anno* CIƆ CC LXXX, *imperante in Anglia Eduardo primo, Odingtonus, natione Anglus, philoſophiâ, & Matheſi, excelluit. Libris de motibus planetarum, uti & de mutatione aëris, nomen ſuum ab oblivione ſtuduit vindicare.*

S. Benedicti Monachum Eueſhamenſem fuiſſe, colligere eſt ex Lelando: inque hac ſententia etiam eſt Joannes Pitſeus. Præceptorem habuit Profacium, ortum in Anglia; ſed è Judæis oriundum.

9. §. *Anno* CIƆ CCC XXX *admirationi erat Joannes Bacondorpius, Norfolcenſis Anglus; qui & de Bacone, vel Baco, cognominatus fuit. Elaboravit in Theologia, & philoſophia, quàm plurima. In Aſtrologia autem librum de aſtrorum ſcientia, & alterum de ſphæra judiciali.*

Dici ſolet *Doctor reſolutus*. Deceſſit Londini anno circiter CIƆ CCC XLV, ſub Anglorum rege Eduardo III.

10. §. *Anno* CIƆ CCC XL *ſub Eduardo* III, *Anglorum rege, vivebat Brenlanlius cognomento Britannus; qui de aſtrologorum prænotionibus plures edidit libros;*

ut eſt apud Geſnerum, & Pitſeum. Iis verò Ἀποτελεσματικὴν * impugnabat.

* Aſtrologiam judiciariam, ſive de effectibus ſiderum.

11. §. *Anno Chriſti* CIƆ CCC XLVII, *& deinceps, apud Anglos, ſub rege Eduardo* III, *Joannes Eſtwodus* † *de Aſhenton clare viguit nomine in Oratoria, Poëſi, Philoſophia, Aſtrologia imprimis. Laudem maximè ſibi peperit Judiciali Aſtronomico, ſive Summâ Judiciali. Præterea reliquit, Elucidarium planetarum, Tabulas planetarum, Canones de uſitate & practica tabularum, De conjunctione Saturni, & Martis, in Cancro anno Dom.* CIƆ CCC LVII, *octavo Junii. Item De conjunctione Saturni, & Jovis, & De ſignis conjunctionum.*

† Al. Eſtwidus.

Aliis dicitur Joannes Eſtwidus de Aſhendem. In Oxonienſi Academia Mertonenſis Collegii ſocius fuit. Præter Lelandum, & alios, valde eum extollit Joannes Picus, Mirandulæ Comes. Tritthemii quoque in Scriptoribus Eccleſiaſticis tale de eo judicium eſt, fuiſſe *in ſecularibus literis omnium ſui temporis facile doctiſſimum, philoſophum, & aſtrologum, nulli ſecundum, ingenio præſtantem, & dulcem eloquio.* Ætatem ipſe non ſivit nos ignorare: ut qui in Summæ Anglicanæ principio refert, ſe opus iſtoc ad finem perduxiſſe ſub Carolo IV. Imper. & Clemente Papa VI, anno Dom. CIƆ CCC XLVII, Indict. XV, XVIII Kal. Januarias. Porrò opus, quod primo retuli loco, non tantùm *Judiciale Aſtronomicum* nuncupatur; ſed etiam *Summa judicialis*, vel *De accidentibus mundi*, vel *Summa Anglicana.* Venetiis id prodiit anno CIƆ IƆ XLII. Mſtum exſtat Oxonii in bibliotheca publica, & in Collegio Orialenſi. Pleraque alia ejus ſuperſunt in bibliotheca Baronis de Lumlejo. Perperam verò Simleriana Geſneri epitome *Eſtwodum*, & *Eſtwidum*, diverſos facit.

12. §. *Anno* CIƆ CCC L *Joannes de Ligneriis, Philoſophus, & Aſtronomus, emiſit canones primi mobilis. Item tabulas ejuſdem. Præterea librum de Sphæra.*

Eſt hic unus è quatuor celeberrimis Aſtrologis, quos Petrus Cirvellus Darocenſis præfatione in Sphæram mundi vixiſſe ait inter Regem Alphonſum, & Georgium Purbachium.

13. §. *Anno* CIƆ CCC LX *Joannes Killingworth varia cum in Arithmeticis ſcripſit, tum in Aſtrologia: ut de judicio Aſtronomiæ, canones & tabulas Aſtronomicas, de crepuſculis. Quò & referre poſſis de nubium adſcenſionibus.*

Natione fuit Anglus, Oxonii ſtuduit in Collegio Mertonenſi; ut tradit Lelandus; ſuiſque temporibus in Matheſi nullo erat inferior. De quo plura Balæus.

14. §. *Anno* CIƆ CCC LXX, *ac deinceps, in Anglia ſub Richardo* II *vigebat Richardus Lavinghamus Suffolcenſis, Mathematicus, Philoſophus, & in Oxonienſi Academia Theologiæ profeſſor. Hic librum compoſuit de planetarum diſtantia.*

Anno CIƆ CCC LXXXI, in ſuburbiis Londinenſibus, populari tumultu occiſus eſt, unà cum Simone Sudberio, Archiepiſcopo Cantuarienſi.

15. §. *Anno* CIƆ CCC LXXXVI *Simon Bredon, ſive Bridonus, qui aliis Biridanus, natione Anglus, Mathematicus, atque idem Medicus inſignis, multum gloriæ meruit variis, quæ in Aſtrologia perſcripſit. Ut Aſtronomiâ Calculatoriâ, Aſtrologiâ judiciariâ, libro in Demonſtrationes Almageſti, æquationibus planetarum, de latitudine eorundem, ſuper introductorio Alcabitii.*

Ut auctores ſunt Balæus, & Pitſeus. Opus de Planetarum æquationibus Mſtum exſtat Cantabrigiæ in Collegio Petri. Etiam commentarium reliquit in Prophetam Jeremiam: qui Cantabrigiæ ſupereſt in Archivis Collegii Caji.

by Google

16. §. *Anno* CIↃCCCCXC, *regnante in Anglia eodem Richardo* II, *Joannes Somerius ſive Summer, S. Franciſci Monachus, Aſtrologorum in Anglia ætate ſuâ princeps, edidit Aſtrorum canones, de quantitate anni, calendarii caſtigationes, opuſculum tertii calendarii.*

Apud Simlerum, quem etiam ſequitur Poſſevinus, legas, vixiſſe anno CIↃCCCC. Sed aliter Lelandus, Henricus Willotus, Balæus, Pitſeus; quibus res Anglicanæ notiores.

17. §. *Anno* CIↃCCCC *fuit Joannes Walterus, Mathematicus Anglus. Is Oxonii fecit tabulas æquationis domorum. Item tabulas adſcenſionum univerſalium.*

Teſtis Lelandus, & exinde alii. Obiit Wintoniæ, ubi & educatus fuerat, anno circiter CIↃCCCCXII ſub Anglorum rege Henrico IV.

18. §. *Anno* CIↃCCCCX, *ſub Anglorum Rege Henrico* V, *floruiſſe creditur Gulielmus Batecumbus. Qui nomen eſt adeptus libro de operatione Aſtrolabii, alio de ſphæra concava, item alio de ejuſdem fabricâ, & uſu, adhuc opere de ſphæra ſolida.*

Nonnulli *Bedecomum* appellant. Matheſi imprimis incubuiſſe, ex Lelando videre eſt.

19. §. *Anno* CIↃCCCCXIX, *Joannes Gerſon Lugduni ad Delphinum Galliæ ſcribebat trilogium Aſtrologiæ theologizatæ.*

Habes operum ejus Tomo I. Barbara eſt appellatio operis hujus. Sed, qui volet, dicat, *Aſtrologia ad Theologiæ trutinam expenſa.* Sive *ad obruſſam ejus examinata.* Vel ſimile. Natus fuit Nicaſii, anno CIↃCCCLXIII. Interfuit Concilio Baſileenſi. Sed poſtquam Pariſios reverſus eſſet, ubi Academiæ erat Cancellarius, multorum petitus inſidiis, profugere coactus eſt Lugdunum. Atque hic non ita multò pòſt deceſſit, annos natus LXV, anno Chriſti CIↃCCCCXXI, tempore Sigiſmundi Imper. & Papæ Martini V; ut eſt apud Tritthemium in ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

20. §. *Anno* CIↃCCCCXXXVI, *Georgius Trapezuntius annos natus erat* XL. *Hic verò memoratur, quia variè ejus opera in Aſtrologia eluxerit. Nam Ptolemaicos magnæ Conſtructionis libros reddidit Latinè; inque eoſdem Iſagogen, & commentarios, compoſuit. Itidem commentarium fecit in Ptolemæi centum ſententias. Adhæc librum de Antiſciis. Item cur Aſtrologorum judicia plerumque fallant.*

Obiit anno CIↃCCCCLXXXVI. Pluribus hoc de viro, ejuſque ſcriptis, egi libro III, de Hiſtoricis Latinis cap. VIII. Tranſlationem Magnæ Conſtructionis Lucas Gauricus à ſe recognitam edidit Venetiis anno CIↃIↃXXVIII.

21. §. *Anno* CIↃCCCCLX, *magnæ in ſtudiis exiſtimationis, & auctoritatis, fuit Joannes Jovianus Pontanus: qui centum Ptolemæi ſententias Latinè vertit, atque commentario expoſuit. Idem libros* XIV *ſcripſit rerum cæleſtium. Adhæc opus de Luna: ſed hoc reliquit imperfectum. Carmine etiam epico fecit Uraniam, ſive de ſtellis libros* V.

Vide de eo Jovium Elogio XLVII, & imprimis, quæ dixi in Hiſtoricis Latinis lib. III, cap. VIII.

22. §. *Anno itidem* CIↃCCCCLX, *eluxit Gulielmus Botoner, ſive Buttonerus, nobilis Anglus Somerſetenſis. Qui de Aſtrologia vilibrum compoſuit.*

Nec Mathematicas ſolùm diſciplinas ſedulò excoluit: ſed etiam Medicinam, nec non Hiſtoriam, & antiquitates, patriæ imprimis. Quâ de re dixi in Hiſtoricis Latinis lib. III, cap. IX.

23. §. *Anno* CIↃCCCCLXXX, *Chriſtianus Moliter ex Clagenfurt* opuſcula quædam in Aſtrologia ſcripſit: quæ apud doctos in magno pretio habentur. *Etiam* Prognoſticis ſuis magnam ſibi gloriam præ cæteris ſuæ ætatis Aſtrologis comparavit:

ut ait totidem verbis Geſnerus Tomo priori Bibliothecæ: atque addit, Viennæ Auſtriæ bonis literis inſtitutum: mortuum autem anno CIↃCCCCXCV.

24. §. *Anno quoque* CIↃCCCCLXXX, *in pretio erat Marſilius Ficinus Florentinus, qui, præterquam quod præclare ſit de Platone, & philoſophia ejus, meritus, edidit Apologiam, in qua de aſtrologia medicina jungenda agitur. Item diſputationem contra judicia aſtrologorum, ac librum de Sole & lumine.*

Sed penè hoc omne, ut jam recordor, dixi cap. XXXVI, §. 47. In nono epiſtolarum ait, anno ſe natum CIↃCCCCXXXIII. Natus eſt Ficino, eximio medico, & chirurgo; cujus de peſtilentia librum ex Hetruſco Latinum fecit Hieronymus Riccius. Eccleſiæ Cathedralis Florentiæ fuit Canonicus. In pretio magno erat apud Coſmum Medicem, & liberos. Obiit anno CIↃCCCCXCIX.

25. §. *Anno* CIↃCCCCXC, *magni nominis famâ per Europam omnem volitabat Joannes Picus Mirandulanus: qui ſcripſit cùm alia, tum diſputationum adverſus Aſtrologos libros* XII.

Natus anno CIↃCCCCLXIII. Deceſſit anno, quo Carolus VIII. Florentiam ingreſſus, anno ætatis XXXII. Doctorum nobiliſſimus, nobilium doctiſſimus, ac cùm Picus diceretur, verè ſeculi ſui Phœnix fuit.

26. §. *Anno* CIↃCCCCXCII, *Petrus à Rivo Aloſtanus Flander edebat librum de anno, die, & feriâ Dominicæ Paſſionis, ac Reſurrectionis. Eo reſpondet Paullo Mittelburgenſi, qui apologiam ſuam de hoc argumento ad Academiam miſerat Lovanienſem.*

Primùm Rhetor fuit Lovanienſis, poſtea Theologiæ ibidem Doctor, & Paſtor ad ædem B. Petri. Apud Simlerum, & Poſſevinum, lego, vixiſſe anno CIↃIↃXLIX. Sed eſſe id nequit, ſi æqualis fuerit Paulli Middelburgenſis; qui jam anno CIↃCCCCLXXXIV ſcriptis erat clarus. Quid quòd Petrus à Rivo, ut Valerius Andreas narrat, jam anno CIↃCCCCLXXVII, rector fuerit Academiæ Lovanienſis, orationemque habuerit gratulatoriam ob adventum Maximiliani Archiducis?

27. §. *Anno itidem* CIↃCCCCXCII, *ingens erat gloria Hermolai Barbari: qui librum exaravit de convenientia Aſtronomiæ, & Medicinæ.*

Dixi de hoc ſummo viro lib. III Hiſtoriæ hiſtoricorum Latinorum cap. VIII.

28. §. *Anno* CIↃCCCCXCIV *in pretio fuit Joannes Angelus Bavarus ex Aichen. Edidit correctionem Calendarii, & aſtrolabium planum in tabula, con-*

tinens

Digitized by Google

timens qualibet horâ, ac minuto, æquationes domorum cæli, ac moram nati in utero matris: necnon tractatum nativitatum, deque horis inæqualibus pro quolibet mundi climate.

Venetiis anno cIↃ cccc xciv excudit Joannes Emericus. Obiit Viennæ Auſtriæ anno cIↃ IↃ xii, dum in eo eſt, ut abſolvat tabulam Georgii Purbachii de æquationibus motuum planetarum.

29. §. *Anno* cIↃ cccc xcviii *Lucius Bellantius, Senenſis Phyſicus, librum edidit de veritate Aſtrologicâ: etiam argumentis Pici, Mirandulani Comitis, adverſus Aſtrologos reſpondit.*

Excuſus Florentiæ.

Cap. LXIII.
DE ASTROLOGIS ARABIBUS, qui vixere ante annum Chriſti cIↃ IↃ.

1. §. *Quos proximè diximus, Latini fuere ſcriptores. Nunc, priuſquam ad ſeſquiſeculum proximum veniam commemorabo Arabas, qui ante id tempus ſuâ ſcripſere linguâ. Sed quia ætatem complurium certò dicere non poſſumus, (magnopere enim hac parte ſæpius ſcriptores Chriſtiani, ignorantiâ rerum Arabicarum, cæcutiunt:) ſatius viſum fuit, ſi eos ſecundum literas digerere contentus forem. Hac fortunâ fit, ut familiam ducat Alchabitius, ſive Alcabitius. Compoſuit ille Iſagogen ad ſcrutanda aſtrorum iudicia, deque Planetarum conjunctionibus.*

Interpretatus eum eſt Joannes Hiſpalenſis: excuſus autem Venetiis anno cIↃ cccc xci; atque iterum cIↃ IↃ xxi, cum expoſitione Joannis de Saxonia, ex emendatione Antonii de Fantis, medici Tarviſini. In Opticis quoque de eo ſum locutus cap. lx, §. 4.

2. §. *Aldilazith aſtrologus librum reliquit, qui inſcribitur Archibia; atque incipit* Poſtulata, *&c.*

Auctor Guilielmus Paſtregicus Veronenſis libro de rerum
* *Excuſus Venetiis an. 1547. à Nicolao Baſcarini.* originibus *.

3. §. *Alpatragius item de Aſtrologia commentatus fuit.*

Librum ſuum auſpicatus eſt ab his verbis: *Detegam tibi ſecretum.* Etiam in Summa Alberti fit Alpetragii mentio. Eundem eſſe ſuſpicor.

4. §. *Arcandam, vel Arcandum, qui & Alcandrinus, librum compoſuit de veritatibus, & prædictionibus Aſtrologiæ, & præcipuè nativitatum.*

Pariſiis editus eſt anno cIↃ IↃ xlii.

5. §. *Bethem Arabs, & ipſe Centiloquium, ſive centum aphoriſmos, de Aſtrologia judiciaria reliquit. Item libellum de Horis planetarum.*

Veneti excudêre anno cIↃ cccc xciii: Baſileæ item Hervagius anno cIↃ IↃ xxxiii, cum Julio Firmico, & aliis.

6. §. *Hali Rodoham Ægyptius commentarium edidit in Cl. Ptolomæi Centiloquium, & Quadripartitum.*

Venetiis divulgavit Octavianus Scotus cum aliis Aſtrologis Arabum. Etiam ſcripſit de projectione radiorum, deque tribus nativitatibus, in his ſuâ. Quæ prioribus opuſculis adjunguntur.

7. §. *Hermetis ætatem dicere nequeo. Sed ejus Centiloquium, ſive centum ſententiæ, edita ſunt Venetiis, anno* cIↃ cccc xciii, *cum tripartito Ptolomæi; & Baſileæ, anno* cIↃ IↃ xxxiii, *cum Jul. Firmico.*

Eſt & liber Hermeti Ægyptio adſcriptus: qui eſt de herbis ſacris xxxvi horoſcoporum. Uti & alii libri imaginum: qui meras docent præſtigias. Ajunt fuiſſe Platonis diſcipulum. Quod planè commentitium eſt. Vide de eo Geſneri epitomen, ſi tanti videatur.

8. §. *Meſſehalah, ſive Meſſahulach, nomen ſibi peperit libro de receptionibus planetarum, & eorum conjunctionibus, & revolutionibus annorum mundi. Item altero de elementis, & orbibus cæleſtibus. Præterea alio de ratione circuli, & ſtellarum, & earum operationibus. Alio adhuc de compoſitione, & utilitate, aſtrolabii.*

Primus horum Venetiis * eſt editus, cum quadripartito ** Anno*
Ptolomæi. Alter Norimbergæ à Montano, & Neubero, *1493.*
excuſus fuit. Tertius verò Baſileæ ab Hervagio †. Quartus *† Anno*
ibidem ab Henrico Petri, cum appendice Margaritæ Phi- *1533.*
loſophicæ. Sæpius hujus Meſſehalah meminit Omar, ſive Homar, libris de Nativitatibus. Diſpiciendum interim, utrùm ſit diverſus ab Arzahel Meſſallah: de quo in Aſtrologis ſum locutus cap. xxxvi, §. 13; atque iterum tangam §. 12 hujus capitis.

9. §. *Circa annum* cIↃ clx, *effulſit inclytus ille Rabbi Moſes ben-Maimon, qui, ab initialibus nominis ſui literis,* Rambam *ſolet nuncupari. Hic cùm alia multa compoſuit, tum librum de Aſtrologia, ſive ſiderum viribus, & effectis.*

Primus eum Hebraicè edidit, ac Phyſicæ Rabbi Aben Tybbon ſubjunxit, utrumque etiam opus Latinè vertit, Joannes Iſaac Levita Germanus, Hebraicarum literarum in Academia Colonienſi profeſſor. Coloniæ verò excudit Maternus Cholinus anno cIↃ IↃ lv. Fuit Maimonides ille in Hebræorum literatura, ac jure, Matheſi etiam, & Medicina, præcellens: de quo adeatur Rabbi Gedaljah in Chronico ſuo. R. Abraham Zachut in libro Juchaſin ait, Cordubæ natum anno Mundi, ſecundùm vulgarem Judæorum computum, 4891; quod fuerit anno Chriſti cIↃ c xxxi, R. Iſaac, in libro Ieſod olam, quadriennio poſt natum arbitratur. Sed leve hoc diſcrimen. Nec male iſta conveniunt cum eo, quod R. Iſaac Levita, in præfatione Aſtrologiæ Maimonidæ à ſe præmiſſâ, ait eum vixiſſe ante annos cccc: quod ſit anno cIↃ clv. Plura de eo ſi voles, adi ſummi viri, Joannis Buxtorfii, præfationem præfixam operi Maimonidæ à ſe Latinè reddito, quod inſcribitur מורה נבוכים, ſive doctor perplexorum.

10. §. *Omar, ſive Aomar, vel Homar, de Nativitatibus tres libros condidit.*

Quos unà cum Iulio Firmico Hervagius excudit anno cIↃ IↃ xxxii.

11. §. *Trechindus, ſcriptor aſtrologus, non uno in loco citatur ab Hali Abenragele.*

Memorat quoque Geſnerus.

12. §. *Zahel, ſive Zaël, vel Zeël Bebiz Arabs, celebrem nominis ſui memoriam fecit opere de temporum ſignificationibus in judiciis. Item altero de Electionibus. Poſteriori hoc exſequitur, quâ cæli conſtitutione agere conveniat, quod in animo habemus.*

Eum

Google

Eum Nicolaus Prucnerus, unà cum Firmico, & aliis, edendum Baſileæ apud Hervagium procuravit anno CIↃ IↃ XXXIII. Diſpiciendum autem, idemne, ac Zahel, ſit Arzahel Meſſallah; cujus varii tractatus editi ſunt Venetiis anno CIↃ CCCC XCIII. Vidimus de eo cap. XXXVI, §. 13.

13. §. *Zeazar Babylonius de Aſtrologia Arabicè opus condidit.*

Cujus initium tale eſſe ait Geſnerus: *Univerſa Aſtrologiæ judicia.*

14. §. *Claudat nunc agmen, Arabibus hiſce perſimilis, ſeu Perſa, ſeu Græcus; cujus ſub falſo veteris Zoroaſtris nomine circumferebantur olim quinque libri de prædictionibus ex inſpectione ſtellarum.*

Auctor Suidas, qui eos libros vocat ἀστροσκοπικὰ ἀποτελεσματικά. Vide quæ de Zoroaſtre dicebamus libro tertio de Hiſtoricis Græcis.

Cap. LXIV.

DE ASTROLOGIS LATINIS, qui claruere anno CIↃ IↃ, ac toto porrò ſeculo.

1. §. *Deinceps ad Latinorum eos me confero, quos tulit ſeculum decimumſextum. Anno* CIↃ IↃ* *Thomas Linacer Britannus Venetiis edi curavit Procli ſphæram, Latinè à ſe verſam: atque hanc operam ſuam inſcripſit Arturo, Walliæ principi, Henrici* VII *filio.*

* *Recudit Baſileæ Bebelius an. 1523.*

IN Italia dum eſt, præceptores habuit Demetrium Chalcondylam, & Angelum Politianum. Hermolao quoque Barbaro familiariter uſus fuit. Multum laudatus Eraſmo, Budæo, & doctiſſimo cuique. Medicus fuit Henrici VII, & VIII. Extremâ etiam vitâ ſacerdos factus. Imprimis inclaruit tam multis Galeni, quæ puriſſimâ dictione vertit Latinè. Etiam laudem ſibi paravit ſex libris de ſtructura Latini ſermonis. Obiit anno CIↃ IↃ XXIV.

2. §. *Anno etiam* CIↃ IↃ *floruit Joannes Muntz, qui Prognoſtica reliquit.*

Obiit anno CIↃ IↃ III.

3. §. *Anno* CIↃ IↃ VI *claruit Bartholomæus Veſpucius Florentinus, ac publicè Aſtrologiam docendo in illuſtri Patavino Gymnaſio multos in ſui admirationem traxit. Annotationes edidit in Sphæram Joannis de Sacrobuſto; ac orationem in laudem quadrivii, ſive quatuor diſciplinarum Mathematicarum, & præcipuè Aſtrologiæ.*

Memorat Michaël Poccianțius, in ſcriptoribus Florentinis: uti & Geſnerus, in bibliotheca.

4. §. *Anno* CIↃ IↃ IX *Joannes Ezler Moguntinus edidit Speculum Aſtronomicum. Quo agit de cauſſis errorum, in Aſtrologia ex neglecta temporis æquatione provenientium. Multa etiam ad Theoricarum, ac præcipuè octavæ ſphæræ, intelligentiam, exponit.*

Excudit Baſileæ Henricus Petri, unà cum Theoricis planetarum Purbachii.

5. §. *Anno* CIↃ IↃ XVIII *Albertus Pighius Campenſis Tranſiſalanus ad Auguſtinum Niphum ſcribebat Defenſionem Aſtrologiæ adverſus Prognoſticorum vulgus; quod, ſe pro Aſtrologis falsò jactans, annuas edit prædictiones. Anno vigeſimo ejuſdem ſeculi literis mandavit rationem celebrandi Paſchatis, & reſtitutionem Kalendarii Eccleſiaſtici, ad Leonem* X. *Etiam librum reliquit de æquinoctiorum, ſolſtitiorumque inventione. Adhæc Apologiam adverſus novam Marci, Beneventani Monachi Cæleſtini, Aſtrologiam; quæ poſitionem Alphonſinam, ac recentiorum omnium de motu octavi orbis, ſuis ἐναντιολογίαις* depravavit. Præterea elaboravit Apologiæ ejus defenſionem †.*

* *Contradictionibus.*
† *Edidit Robert. Steph.*

Familiaris erat Papæ Adriano VI; quem etiam, in Hiſpaniam euntem, comitatus fuit. Ac defuncto Romæ Adriano, amantiſſimum ſui ſenſit Clementem VII. Varias obiit legationes Romam, Wormatiam, Ratisbonam. In Matheſi inſtituit Paullum III; à quo donatus eſt duobus ducatorum millibus, & Præpoſiturâ Ultrajectinâ ad S. Joannem. Quod erat anno CIↃ IↃ XXXV. Etiam Sadoleto uſus amico fuit; ut ex hujus literis videre eſt. Ultrajecti deceſſit anno CIↃ IↃ XLII, atque ibidem ſepultus cum hujuſmodi epitaphio:

PIGGIUS ALBERTUS PRÆPOSITUS
HIC REQUIESCIT.

Vellem, vel clariſſimi Pighii cauſsâ, metricæ artis ignarus trajectis vocibus, appoſuiſſet hæc proſâ, quàm carmine iſtiuſmodi. Atque idem dixero de vitioſis tot jambis, quos memorat doctiſſimus Valerius Andreas. Ut ſunt:

Quod & paratus negligens inſidias,
Catholicorum ſancta dogmata,*
Eccleſiæque aſſeruit perſtrenue.

* *Credo ſcripſerat,* ſancta nobis dogmata.

Ac mox:

Vix abſolutis operis primordiis.

Elogium Pighii etiam apud Paulum Jovium habes.

6. §. *Anno* CIↃ IↃ XX *in pretio fuit Joannes Raſtallus: qui, præter alia, canones edidit Aſtrologicos.*

Fuit civis, ac typographus Londinenſis; ſed idem Mathematicus egregius; ut nec dedignatus ſit Thomas Morus ei filiam ſuam dare uxorem. Obiit anno CIↃ IↃ XXXV, imperante Henrico VIII.

7. §. *Anno* CIↃ IↃ XX, *& antè, claruit Petrus Cirvellus Hiſpanus. Et ille commentarium emiſit in Sphæram Joannis de Sacrobuſto.*

Is, cum Petri de Aliaco quæſtionibus in eandem ſphæram, Pariſiis excuſus eſt anno CIↃ CCCC XCVIII: ut jam tum clari eſſe nominis cœperit. Sed majus retulit decus, cùm Matheſin doceret in Complutenſi Academia, anno CIↃ IↃ XVII erectâ à Franciſco Ximenio Cardinale, & epiſcopo Toletano. Vide, quæ dixi cap. XVI, §. 18.

8. §. *Anno* CIↃ IↃ XXIII, *ac deinceps, nominis famam diffundebat Georgius Collimitius Taneſtetterus: qui egit de Aſtrologia jungenda cum medicina: canones etiam condidit de diebus criticis veſtigandis ex figura cæli, & puncto temporis, quo quis cœperit ægrotare: præterea opus divulgavit de naturis, & proprietatibus planetarum, ex Alchabitio, Firmico, & Haly, deque aliis quibuſdam:*

quæ Geſnerus enarrat Tom. I Bibliothecæ: ubi etiam legas, diſcipulum fuiſſe Andreæ Stiborii Boii, Canonici Viennenſis in Auſtria, ac Mathematum ibidem profeſſoris.

9. §. *Anno* CIↃ IↃ XXVIII *Otho Brunfelſius Moguntinus, Medicus idem, & totius ἐγκυκλοπαιδείας* cultor, ſtudioſus quoque ſacrarum literarum: è quibus Aſtrologiam judiciariam refutavit. Atque idem Firmico, ſibi dicato ab editore Nicolao Prucnero, libellum præmiſit incipientibus non inutilem de definitionibus, & vocabulis Aſtrologorum*

* *Diſciplinarum orbis.*

rum propriis; quos vulgò terminos Aſtrologicos vocant.

Obiit anno CIↃ IↃ XXXIV.

10. §. *Anno* CIↃ IↃ XXX, *ac* XXV *proximis, memoriam nominis ſui Matheſios ſtudiis conſecrabat Orontius Fineus Delphinas. Edidit, inter alia, de mundi ſphæra libros* V, *cum commentariis; librum de ſolaribus horologiis, & quadrantibus; quadrantem univerſalem aſtrolabicum; theoricas planetarum cum armillis, & meteoroſcopio Ptolemæi; Almanach conjunctionum, & oppoſitionum luminarium, duraturum annis* XXXV; *Almanach univerſalius in annos plures, quàm prius; multaque alia, quorum aliqua nondum viderunt lucem.*

Vide de Orontio hoc elogia Scævolæ Sammarthani: & quæ dixi in Geometria cap. XVI, §.10; in Opticis cap. XXVI, §.13; in Mechanicis cap. XLII, §.5.

11. §. *Anno* CIↃ IↃ XXX, *& deinceps, præclarè de ſtudiorum omni genere merebatur Simon Grynæus: de Aſtrologia verò hoc nomine, quòd primus Græcè ediderit magnam Conſtructionem Ptolemæi; cui & præfationem addidit de uſu ejus doctrinæ.*

Natus Viringæ, Sueviæ opido, anno CIↃ CCCC XCIII: deceſſit peſtilentiâ Baſileæ annos natus XLVII. De morte ejus, ſi voles, adi præfationem Joachimi Camerarii in editionem Græcam operum Theophraſti. De ſimili ejus in Geometricis operâ monui cap. LVI, §.5.

12. §. *Anno* CIↃ IↃ XXX *inter præcipua ſeculi decora erat Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis, Poëta idem, & Philoſophus, ac Medicus eximius. Hic opus Aſtrologicum reliquit, quo de orbibus eccentricis, & homocentricis, diſſeruit.*

Domo Veronenſis Patavii ſtudiorum cultum cepit; præceptore Petro Pomponatio Mantuano in philoſophia uſus; condiſcipulis Gaſpare Contareno, poſtea Cardinale, Andrea Naugerio, & M. Antonio Contareno, patriciis Venetis, Pomponio, & Luca Gauricis fratribus, ac pluribus aliis. Obiit anno CIↃ IↃ XL. Cives ſui Veronenſes defuncto, uti antè Catullo, ac Plinio, ſtatuam marmoream ſtatuerunt anno CIↃ IↃ LV.

13. §. *Anno quoque* CIↃ IↃ LXXX *vixit Simon ab Heminga, Medicus, atque idem Mathematicus: qui, inter alia, adverſus Aſtrologiam judiciariam diſſeruit.*

Opuſculo hoc ſuo, triginta virorum principum, vel doctrinâ illuſtrium, genituris oſtendit, falſas eſſe prædictiones Mathematicas. Obiit anno CIↃ IↃ LXXXVI.

14. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXII *Joachimus Camerarius Papebergenſis Noribergæ quædam veterum ſcripta Aſtrologica Græcè cum ſua tralatione Latinâ edebat. Ut* κύκλον ἡλιακὸν, *ſive rationem orbis Solaris; quôque ſingulis menſibus victu conveniat uti. Adhæc excerpta ex Hephæſtione Thebano, &, aliis, de duodecim Zodiaci ſignis, & eorum effectis. Inſuper* ὅσα οἱ πλανώμενοι ἀστέρες ἐν ἑκάστῳ τῶν ζῳδίων σημαίνουσι· *hoc eſt, quid ſtellæ erraticæ, ſive quinque planetæ, in unoquoque Zodiaci ſigno ſignificent: quidque Luna in quôque denotet ſigno. Atque hæc quidem Græcè pariter, & Latinè, exhibuit. At Latinè ſolùm dedit nobis fragmentum ex libro primo Floridorum Veſtii, vel, ut potiùs dicendum erat, Vettii Valentis Antiocheni. Græcè tantum Mercurii Triſmegiſti* ἰατρομαθηματικά, *hoc eſt, medicationes rationibus Aſtrologicis convenientes, ad Ammonem Ægyptium. Idem Camerarius anno* CIↃ IↃ XXXV *Noribergæ in lucem dabat carmine tum Phænomena, ſive ſiderum, ac ſtellarum hiſtoriolam: tum prognoſtica; ubi ſupra* CCC XXX *tempeſtatum indicia refert. Adhæc anno* CIↃ IↃ XLI *Baſileenſi prælo ſubjecit duos priores Ptolemæi libros de judiciis Aſtrologicis, Latinè à ſe redditos, & annotationibus illuſtratos. Multum etiam ſibi obſtrinxit amatores Aſtrologiæ, quòd ex codice Mſo, qui olim Beſſarionis, inde fuiſſet Regiomontani, Græcè Baſileenſibus Walderi typis divulgârit Theonis Alexandrini Commentariorum libros* XI *in magnam Conſtructionem Claudii Ptolemæi.*

Atque hæc in Aſtrologia. Nec paſſus operam ſuam in Arithmeticis claudicare: ut liquet ex iis, quæ retuli cap. X, cùm de Nicomacho Geraſeno nobis ſermo foret. Vel etiam in Geometricis. Siquidem anno CIↃ IↃ XLIX Latinè tranſtulit Euclidis Elementorum Geometricorum libros VII. Præfationem etiam iis de Geometriæ laudibus, atque uſu, in omni vitæ genere, ſub alieno nomine præmiſit. Sed XXVIII annis pòſt, puta anno LXXVII, nomen ſuum repoſuit. In utraque hac editione Lipſienſi Martinus Steinmetz Gerſb. Medicinæ Licentiatus, appoſuit γραμμικὰς ἀποδείξεις*, ſine quibus ſcientia iſta comprehendi nequit. Quid nunc memorem præclara Camerarii merita de univerſa politiori literatura, ac tot oratoribus, hiſtoricis, & poëtis, emendatis, ac illuſtratis. Profectò vir hic nunquam ſatis laudatus, ſi alius quiſquam, verè Germaniæ ſuæ Phœnix fuit; non gentis ſuæ judicio ſolùm, ſed etiam exterarum. Quantis enim præconiis eum extollunt Jovius †, Turnebus, Lipſius, & optimus, ac doctiſſimus quiſque! Uſque adeò, ut qui eum non maximi faciat, is, certiſſimo indicio, vel inter indoctos, vel improbos, referri mereatur. Natus vir tantus fuit anno CIↃ IↃ: denatus CIↃ IↃ LXXXIV.

* *Literarum, & figurarum demonſtrationes.*

† *In Elog. cap. 146.*

15. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXV *claruit Joannes Stigelius, poëta, atque idem Mathematices peritus: ut indicio ſunt Prognoſtica anni* CIↃ IↃ XXXVI *ex eclipſi lunari: item anni ſequentis, ex ſolari defectu: adhæc anni* CIↃ IↃ LI *ex deliquio lunari, annique ejuſdem ex ſolari.*

Natus Gothæ in Thuringia. In adoleſcentia Heobano Heſſo familiariter utebatur; poſteaque Melanchthone, & aliis. Docuit Witebergæ, & Jenæ. Obiit anno CIↃ IↃ LXII, anno ætatis XLVII.

16. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXVI *Jacobus Kabelius, præter Arithmeticen, etiam de Aſtrolabio Germanicè commentabatur.*

Sed poſtea etiam Pariſiis prodiit Latinè.

17. §. *Eodem Chriſti anno Jacobus Ziglerus Landavus Bavarus edebat* * *conſtructionem ſolidæ ſphæræ: item ſcholia in Procli Lycii ſphæram: adhæc de canonica per ſphæram operatione: præterea de hemicyclio Beroſi, memorato à Vitruvio* †.

Etiam in Sapheam commentatus fuit: ut ipſe ait præfatione horum ad Paulum Bombaſium Bononienſem. Præterea publici juris fecit commentarium ſuum in Plinii naturalis hiſtoriæ librum ſecundum; quo explicat obſcuriora ejus libri, præſertim Aſtronomica. Atque hoc eum in librum commentandi exemplum poſtea ſecutus eſt Jacobus Milichius: qui præfatione diſſertationum ſuarum Zieglerum vocat *hominem doctum*, & *commentarios* ejus *eruditè, & ſubtiliter ſcriptos* ait.

* *Excudit hæc Baſileæ Valderus, unà cum Arato, & ejus ſcholiaſte, an. 1536.*

† *Lib. 9. cap. 9.*

18. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXVIII *magni æſtimabatur Maurus Florentinus, prius Monachus, è familia Humiliatorum, poſtea autem ordinis Servorum beatæ Virginis Mariæ. Varia emiſit linguâ Hetruſcâ. Uti annotationes in ſphæram Joannis de Sacrobuſco; ſphæram Theologicam, & Chriſtianam; ſphæram Platonicam ad Coſmum Medicen; de arte navigatoria; epitomen Muſices.*

Quæ, teſte Pocciantio in ſcriptoribus Florentinis, adſervantur Florentiæ in bibliotheca Servorum B. Mariæ Virginis. Vir fuit Latinè, Græcè, Hebraicè doctiſſimus; Coſmographiæ, aliarumque ſcientiarum, callentiſſimus. Obiit anno Chriſti CIↃ IↃ LVI, ætatis LXIII.

19. §. *Anno* CIↃ IↃ XL *ſuum facilè nomen tuebatur Jacobus Peletarius: qui ſcripſit de conſtitutione horoſcopii, & tabulas Aſtronomicas; compendium item de fractionibus Aſtronomicis, locoque Solis, ac Lunæ, in Zodiaco.*

Dixi de eo quoque in Geometris cap. XVI *, §. 19. Atque iterum loquar in Computi ſcriptoribus.

**Ut quidem typothetæ expreſſit: ſed vere eſt 17.*

20. §. *Anno* CIↃ IↃ XLV, *Victorinus Strigelius Kaufbeirenſis publicabat Witebergæ Epitomen doctrinæ de primo motu, demonſtrationibus aliquot illuſtratam.*

Diſcipulus fuit Melanchthonis, & dictionis ejus perſpicuæ imitator. Obiit Heidelbergæ anno Chriſti CIↃ IↃ LXIX, ætatis ſuæ XLV. Actum jam de eo in Arithmeticis cap. LIII, §. 23.

21. §. *Anno* CIↃ IↃ XLVIII *Joannes Mercurius Morſheimerus Heidelbergæ edebat diſſertationem de vocabulo Aſtronomiæ, ejuſque diviſione, & cauſſis.*

Cui adjunxit tabulam ſpecierum continuæ quantitatis. Minuta utraque opera, nec niſi tyronibus inſerviens. Ut, niſi alia ediderit, potuerit præteriri. Melanchthonis ſe fuiſſe auditorem, profitetur.

22. §. *Anno* CIↃ IↃ L, *in pretio erat Tobias Marmorarius Florentinus, Ciſtercienſis Congregationis cœnobita, vir Matheſios ſtudiis egregiè excultus; qui quotannis prognoſtica elaborabat ad indicandas temporum ſucceſſiones, futuroſque eventus.*

Defunctus eſt inter Ciſtercienſes ſuos anno CIↃ IↃ LXX.

23. §. *Anno quoque eodem vixit Hugo, ſive Huo, Heltilius Groningenſis Friſius; qui Hiſpanicè Planiſphærium emiſit.*

Salmanticæ in Hiſpania conſenuit, atque obiit: ubi etiam Gregorii Nyſſeni quædam; atque alia, vertit Latinè. Amplius de eo referet Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica.

24. §. *Anno item* CIↃ IↃ L, *fuit Joannes Maria Toloſas; qui de maxima Solis declinatione ſcripſit.*

Plura de eo in Chronologis afferam.

25. §. *Eodem etiam tempore claruit Joannes Bavarus, Medicus, & Mathematicus: qui Ephemerides condidit ab anno Chriſti* CIↃ IↃ LI *uſque ad* CIↃ IↃ LXX.

Excuſæ ſunt Cracoviæ operâ Lazari Iandriſoviani. Alius eſt ab Ioanne Angelo Bavaro; de quo ad annum CIↃ CCCC XCIV agebamus.

26. §. *Anno* CIↃ IↃ LI *in pretio erat Joannes Schræterus Vinarienſis: cujus exſtant tabulæ Aſtrologicæ.*

Eas emiſit Viennæ Auſtriacæ, ut, futura prædicendo, gloriam deinceps ſibi pararet. Geſnerum adi.

27. §. *Circa idem tempus vigebat Hieremias Brotheiel Aſtrologus. Is quoque varia edidit prognoſtica, ut vocant, practica.*

Meminit Simlerus in iis, quæ addidit bibliothecæ Geſnerianæ.

28. §. *Anno* CIↃ IↃ LI, *Caſparus Peucerus nomen ſibi parabat Elementis doctrinæ de circulis cæleſtibus, & primo motu. Atque idem anno* CIↃ IↃ LIII *publicabat volumen de præcipuis divinationum generibus, inque his de prædictionibus Aſtrologicis.*

Sed prius opus biennio poſt editionem primam recognitum emiſit. Poſterius autem anno CIↃ IↃ XCIII, carcere XII annorum liberatus, correctius, auctiuſque, divulgavit. Natus fuit Budiſſinæ, Luſatiæ ſuperioris metropoli, anno CIↃ IↃ XXV. Gener fuit Philippi Melanchthonis. Primò Philoſophiæ, & Medicinæ doctor, poſteà etiam Theologiæ. Hiſtoriam carceris ſui, ac liberationem ex eo: fusè ipſe perſcripſit *. Exceſſit Deſſaviæ anno CIↃ IↃ CII, ætatis LXXVIII, anno ſextodecimo, ex quo liberatus eſſet carcere.

** Prodiit Tiguri anno 1615.*

29. §. *Anno* CIↃ IↃ LII, *vixere Franciſcus Rapaldus, medicus Brugenſis, & Petrus Haſchardus Inſulanus, chirurgus. Quorum ille adverſus Aſtrologiam ſcripſit, ut Medico inutilem: hic verò ei reſpondit opere, quod clypeum Aſtrologicum inſcripſit:*

eſtque Lovanii excuſus anno, quo proximè dicebam.

30. §. *Anno* CIↃ IↃ LIII, *Hieronymus Cardanus Mediolanenſis, vir ſummus, Commentarium ſuum divulgabat in quatuor libros Ptolomæi de aſtrorum judiciis, quos vulgò Quadripartitæ Conſtructionis appellant. Adjunxit* XII *Geniturarum exemplar. Etiam Noribergæ anno* CIↃ IↃ XLVII, *prodiere hi quinque ejus tractatus.* I. *De ſupplemento Almanach.* II. *De reſtitutione temporum, & motuum cæleſtium.* III. *De judiciis geniturarum.* IV. *De revolutionibus.* V. *De exemplis centum geniturarum. Acceſſere quoque ejuſdem Aphoriſmi Aſtronomici.*

Plura de eo retuli in Arithmeticis cap. X, §. 10; ac inferiùs dicam in Computi ſcriptoribus, & Mechanicis.

31. §. *Anno* CIↃ IↃ LV, *non inglorius vixit Cyprianus Leovitius Bohemus: qui Eclipſes accuratè deſcripſit ab anno* CIↃ IↃ LVI, *uſque ad* CIↃ IↃ CVI. *Atque idem Ephemerides prodidit* †; *pluraque alia, quæ in Bibliotheca ſua dicet Simlerus.*

† Excuſæ Auguſtæ Vindel. an. 1557.

Fuit Electoris Palatini ad Rhenum, Ottonis Henrici, Mathematicus. Vixit etiamnum anno CIↃ IↃ LXXII; ac tum in lucem dedit judicium ſuum de anni ejus phænomeno. Fato eſt functus Lavingæ anno CIↃ IↃ LXXIV.

32. §. *Anno* CIↃ IↃ LV, *Nicolaus Simus Bononienſis edebat theoricas Planetarum in compendium redactas, pluribuſque figuris auctas. Etiam ephemerides annorum* XV *fecit ſecundùm meridianum Bononien-*

nienſem. Adhac canones condidit; ephemeridum uſum exponentes. Item alia nonnulla.

In Gymnaſio patrio Mathematicarum fuit artium profeſſor.

33. §. *Anno* CIↃ IↃ LVI *Joannes Garcæus junior commentarium emiſit Witebergæ de erigendis cæli figuris, verificationibus, revolutionibus, & directionibus.*

Opere eo propoſitionibus XXII complectitur doctrinam Aſtronomiæ de conſtituendo cæli themate, & planetarum motibus numerandis. Diſcipulus fuit Caſparis Peuceri, Mathematum eo tempore in Academia Witebergæ Profeſſoris.

34. §. *Anno* CIↃ IↃ LVII, *Cornelius Valerius Veteraquinas Batavus Lovanii in Trilingui collegio Petro Nannio Alcmariano ſucceſſit. Ut reliquam ἐγκυκλοπαιδείαν; ſic & ſphæram, ſive prima Aſtronomiæ, ac Geographiæ præcepta, ſuccinctè, & purâ dictione conſignavit.*

Defunctus eſt Lovanii anno CIↃ IↃ LXXVIII, ætatis ſuæ LXVI. Plura de eo Aubertus Miræus in Elogiis Belgicis.

35. §. *Anno* CIↃ IↃ LVII *, *Rodolphus Battingius Friſius edebat Methodum Aſtrolabii.*

* *Recuſus Pariſiis an.* 1588.

Medicinæ junxerat Aſtrologiam.

36. §. *Anno* CIↃ IↃ LVII, *Andreas Schonerus vulgavit Joannis Regiomontani Fundamenta, ſive demonſtrationes operationum earum, quæ pertinent ad tabulas primi mobilis.*

Filius fuit Joannis Schoneri Caroloſtadii: de quo loquebamur cap. XXXVII, §. 13.

37. §. *Anno* CIↃ IↃ LX *Philippus Phantonius Florentinus librum Italicè publicabat de ratione reducendi annum ad legitimam formam, & numerum.*

Monachus, poſteaque generalis abbas fuit Camaldulenſis, Matheſios ſcientiâ egregius: quam & in Academia Piſana docuit publicè, anno CIↃ IↃ LXXXIX etiamnum ſuperſtes erat: ut Michaël Pocciantius narrat in Florentinorum ſcriptorum catalogo †.

† *Florentiæ editus an.* 1589.

38. §. *Anno* CIↃ IↃ LXI, *Daniel Santbech Noviomagus Gelrus Baſileæ emiſit Problematum Aſtronomicorum, & Geometricorum, ſectiones* VII.

Quarum prima eſt de obſervationibus τῶν φαινομένων ſolis, lunæ, & ſtellarum inerrantium. Altera ſubjicit canones præcipuos primi motus; quorum ſtructura petitur ex ſphæricis Regiomontani tabulis. Tertia eſt de rationibus gnomonum, & umbrarum, ac fundamento ſciotericorum inſtrumentorum. Quarta eſt de generalibus magnitudinum dimenſionibus. Quincta eſt de ratione librationis; cujus uſus eſt in ducendis aquis, ſeu per canales, ſeu rivos. Sexta eſt de abſoluto artificio ejaculandi ſphæras tormentarias. Septima eſt de multiplicibus obſervationibus Geographicis: quarum peregrinantibus uſus eſt maximus terrâ, marique, ad dimetiendas locorum diſtantias, ſitumque verum cognoſcendum, ac deſcribendum. Idem Santbechius demonſtrationes Triangulorum à Regiomontano quinque libris conſcriptas publici juris fecit. Magnum hic vir decus attulit patriæ, primariæ Gelrorum urbi. Ut qui nihil tractet, niſi cujus uſus ſit maximus.

9. §. *Anno* CIↃ IↃ LXII, *Joannes Taiſnierius Hannonius, Mathematicus, Coloniæ edebat octo libros de Phyſiognomia, Chiromantia, effectis Solis in quaque domo. Item Iſagogen Aſtrologiæ Judiciariæ.*

40. §. *Anno* CIↃ IↃ LXVII, *Bartholomæus Scultetus Prognoſticum ſcribebat Novilunii Ecliptici, quo varios ſequentium annorum eventus prædixit. Alia item poſtea divulgavit, quæ ab Aſtrologiæ ſtudiis dependeant; ut Calendarium Eccleſiaſticum perpetuum. Germanicè item Gnomonicen de Solariis Germaniæ.*

Prodiere hæc Gorlicii, partim anno CIↃ IↃ LXIX; partim ejuſdem ſeculi LXXI, & ſequenti. Natus fuit anno CIↃ IↃ XL. Dicam de eo quoque in Chronographis.

41. §. *Anno eopſe Paullus Cruſius conſignavit doctrinam revolutionum Solis, cum tabulis mediarum converſionum temporis, & motuum Solis in annis tropicis, & ſidereis.*

Prodiit Ienæ anno, quo ajebam.

42. §. *Anno* CIↃ IↃ LXVIII, *Chriſtianus Vurſtiſius Baſileenſis, ac Mathematicarum apud Baſileenſes Profeſſor, literis mandavit Quæſtiones novas in Theoricas Planetarum Purbachii.*

Quibus Iſagogen ſuam præmiſit. Typis Baſileæ legendas dabat Henricus Petri. Obiit ibidem anno CIↃ IↃ LXXXVI.

43. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXI, *longè lateque famam diffundebat Federicus Commandinus: qui Ariſtarchum Samium de magnitudinibus, & diſtantiis Solis, ac Lunæ, Latinè reddidit; uti & Pappi Alexandrini explicationes. Præterea Ariſtarchum quoque commentario illuſtravit.*

Prodiit Piſauri anno CIↃ IↃ LXXII.

44. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXIII, *Franciſcus Bordinus Corrigienſis Bononiæ publicabat Chiliada Quæſitorum, & Reſponſorum Mathematicorum, ad cognitionem Univerſi pertinentium. Hoc opus tribus tractatibus abſolvitur. Ac à Geometria quidem inchoat: ſed longè plura exponit de Geographia: plurima autem de Aſtronomia.*

Fuit Bordinus Artium, & Medicinæ Doctor, & publicus Bononienſium Mathematicus.

45. §. *Anno eodem claruit Petrus Beauſartus Lovanienſis; qui de annulo ſcripſit Aſtronomico.*

Dixi de eo in Arithmeticis cap. LIII.

46. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXIV, *prodiit dialexis Thaddæi Hagecii ab Haic, Medici Imperatoris Maximiliani* II: *qua oſtendit, ſtellam, quæ eo, ac præcedenti anno, effulſerat, non novam, ſed veterem, fuiſſe. Adverſus hunc ſe oppoſuit Hannibal Raimundus Veronenſis. Anno autem* CIↃ IↃ LXXVI, *ei reſpondit Hagecius; docuitque, hanc ſtellam eſſe veterem, ſed novam à ſe vocari, quia antea in Caſſiopeja non apparuiſſet: at cometen non eſſe, quia ſublunaria conſcendens in firmamento conſiſteret.*

Summi viri Joachimi Camerarii ſe fuiſſe diſcipulum, profitetur; & communicâſſe librum ſuum cum Cornelio Gemmâ Lovanienſi; qui & ipſe hoc de argumento ſcripſit. Uti

etiam in Dania fecit Tycho Brahe; Thomas Diggeſſeus in Anglia; in Hiſpania autem Hiſpanorum lingua Hieronymus Munnos, linguæ Hebraicæ, & Matheſios in Valentiana Academia profeſſor.

47. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXII *Papa Gregorius* XIII *annum Julianum correxit.*

Cujus hanc cauſſam attulit, quòd æquinoctium à XXI die Martii, (quale erat, cùm celebraretur concilium Nicenum, quo ſancitum fuit de vero Paſchatis celebrandi tempore;) in anteriora jam promoviſſet integris decem diebus. Interim Chriſtophorus Clavius, cujus operâ in corrigendis Faſtis uſus is Pontifex fuit, ingenuè agnoſcit, in Calendario ſuo malè eſſe æquatas epactas; ſic ut Paſcha aliquando poſſit incidere in novilunium. Sed modum, rationemque, demonſtravit, quo Calendarium aliquando iterum corrigi poſſit.

48. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXIII *Sixtus ab Hemminga Friſius de Aſtrologia divinatrice librum typis Plantinianis divulgabat adverſus Cyprianum Leovitium, Hieronymum Cardanum, & Lucam Gauricum.*

Fuit Friſius patriciâ natus familiâ, Gemmæ Friſio perfamiliaris. Obiit anno CIↃ IↃ LXXXVI. Plura de eo Suffridus Petri in Friſiæ ſcriptoribus decad. XIII, cap. IX.

49. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXV *Chriſtophorus Rothmannus accuratè deſcripſit cometam ejuſce anni.*

Fuit illuſtriſſimi Principis Guilhelmi, Haſſiæ Landgravii, Mathematicus. Ejus verò diſſertationem edidit Willibrordus Snellius à Roien, Rodolphi Snellii filius; quorum hoc præceptore glorior in Matheſi; collegâ altero, dum fata, & Deus, ſinerent, in Leidenſi gavitus ſum Academia.

50. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXIII *Albertus Leoninus, ſive Leuwius, à Groenewonde, edidit* * *Theoriam motuum cæleſtium, ſecundùm doctrinam Copernici. Quo in opere tractat quoque de vera anni Tropici quantitate, & ratione reſtituendi annum civilem. Eodem volumine habes Iſagogen ad Aſtronomiam, Geographiam, & Horologiographiam. Etiam contra Genethliacos diſputavit* †.

* *Coloniæ apud God. Kempenſem.*

† *Excudit Plant.*

Patriâ fuit Ultrajectinus, genere nobilis, Juris doctor, & Matheſios valde intelligens. Cùm anno CIↃ IↃ LXXVIII Gregorius XIII, re cum Principibus communicatâ, ad varias ſcripſiſſet Academias, ut judicium Mathematicorum de vera ratione anni civilis exquireret: ipſe quoque ſententiam ſuam Papæ de manu in manum tradidit; ac eandem ad Remp. Venetam, & Stephanum Poloniæ Regem, miſit. Etſi autem aliquanto antè eam typis commiſiſſet; non tamen divulgare voluit ante annum CIↃ IↃ LXXXII; quando jam per Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Poloniam, atque etiam Brabantiam, inducta eſſet anni immutatio: quemadmodum ipſe narrat in præfatione ejus operis. Quod inſcripſit Ultrajectinis ſuis: uti & apud eoſdem defunctus eſt anno CIↃ IↃCXIV.

51. §. *Circa annum* CIↃ IↃ XC *non exiguum ſibi nomen Aſtronomiâ, & reliquâ Matheſi, peperit Joſephus Auria Neapolitanus.*

De quo ſic Joſephus Blancanus in Chronologia Mathematicorum *: *Joſephus Auria Neapolitanus optimè de Mathematicis meritus: ſiquidem, quaſi alter Commandinus, priſcorum monumenta Græca nobis exponere laboravit. Ejus ſunt; Autolycus de Sphæra, quæ movetur, Euclidis Phænomena, Theodoſius Tripolita de habitationibus, & de diebus, & noctibus. Item Data Euclidis, nondum edita; quæ ut edantur, ſatago. Plura alia dediſſet, ni mors interceſſiſſet.*

* *Pag.61.*

52. §. *Anno* CIↃ IↃ XCIII *Henricus Ranzovius, annos tum natus* LXVII, *in lucem dabat* † *tractatum Aſtrologicum de Genethliacorum judiciis, ex vetuſtis, & optimis quibuſque ſcriptoribus, à ſe collectum.*

† *Francofurti ex Officina Wecheli.*

Fuit Eques Holſatus, Joannis, Equitis Aurati, filius, Prorex Danicus in Ducatu Schleſvicenſi, Holſatiâ, Ditmarſiâ, &c. Natus in arce Holſatica Steinburgi anno CIↃ IↃ XXVI. Vir fuit magnæ doctrinæ, Daniæque ſuæ perpetuum decus. Cujus multa à multis poteram elogia congerere; ſi putarem, alienæ illum laudis indigere. Solùm hoc præconium appoſui; quia nihil videam libentiùs, quàm, ſi cum genere illuſtri illuſtris certet eruditio. Cognata tandem aſtra petiit anno CIↃ IↃ XCIX, ætatis LXXIV.

53. §. *Anno* CIↃ IↃ XCVI *Joannes Paulus Gallucius Saloienſis, Academicus Venetus, divulgabat Venetiis librum de fabrica, & uſu, Hemiſphærii Uranici.*

Quo inſtrumento, novè excogitato, cuncta cæli phænomena, unà cum horis omnis generis obſervantur ex Sole, Lunâ, ac ſtellis, non longè ab Ecliptica diſtantibus. Ut verò hoc opus, quod ad uſum inſtrumenti, eſt Aſtrologicæ conſiderationis: ita, quatenus fabrica ejus pertinet ad σφαιροποιΐαν, Mechanices potiùs cenſetur. Atque hoc abunde ex iis elucet, quæ de Mechanices diviſione c. XLVII promebamus.

CAP. LXV.

DE ASTROLOGIS LATINIS,

qui in honore fuerunt proximis XLVIII annis.

1. §. *Pauca nunc adferam de iis, qui fuere ſeculo ſextodecimo. Anno* CIↃ IↃCIII *Joannes Baierus Rhainanus I.C. exhibuit omnium ſiderum, quotquot exſtare compertum foret, ſchemata, & ſitus, ex deſcriptionibus Hipparchi, Ptolemæi, Alphonſi, & Copernici, per Tychonem Brahe ad veritatis trutinam examinatis. Addidit nomina omnia Latina, Græca, Arabica, Babylonica, Perſica; tum integra, tum diminuta, vel corrupta: illa, ut uſurpemus; hæc, ut intelligamus perperam loquentes.*

AUguſtæ Vindelicorum excudit Chriſtophorus Mangus.

2. §. *Anno* CIↃ IↃCVIII *Henricus à Lindhout Bruxellenſis, Medicus, ac Philoſophus, divulgabat Speculum Aſtrologicum, hoc eſt, Introductionem in ſcientiam Genethliacam, ſive Phyſicam Judiciariam: quâ vana, ut potuit, à veris ſtuduit diſtinguere.*

Prodiit Francofurti cum præfatione Gothardi Arturi Dantiſcani de Aſtrologiæ præſtantia, & utilitate.

3. §. *Anno* CIↃ IↃCIX *Genevæ Latinè excuſa Aſtronomia J. Baſſantini Scoti, Joanne Tornæſio interprete, & editore.*

Ex Gallica vertit: quâ linguâ jam antè exierat. Etſi verò Baſſantinus in Galliis aliquamdiu vixiſſet; parum tamen Gallicè nôrat: cùm ſæpius ineptè admodum adjectiva jungeret ſubſtantivis. Sed hujuſmodi correxerant homines amici, omniàque fecere limatiora. Imò nec Latinè, nedum Græcè, ſolùm verò Scoticè ſciebat. Et tamen, ut Tornæſius inquit, *in Aſtronomia ita excelluit, ut inter primos ætatis ſuæ habitus ſit.*

Digitized by Google

4. §. *Anno* CIↃ IↃ C XI *Nicolaus Mullerius tabulas procudit Friſicas quadruplices: quibus ſyzygiarum Solis, & Lunæ, eclipſiumque calculum, enarravit.*

Patriâ fuit Brugenſis, doctor Medicus, Leovardienſis in Friſia Gymnaſiarcha, ac tandem Matheſios in Groningenſi Academia profeſſor. *Friſicas* dixit *tabulas*, quia in Friſia ſcriptæ, & meridiano Friſico, qui per Leovardiam tranſit, affixæ. Quadruplices verò ſunt, quia ſequuntur Aſtronomiam Lunarem Ptolomæi, regis Alphonſi, Nicolai Copernici, & Tychonis Brahe. Habes eodem opere Iſagogen in Tabulas Friſicas, & appendicem in eaſdem. Præterea Kalendarium Romanum vetus, formâ Julianâ auctum cyclis Solis, & Lunæ, & methodo Paſchali, Dionyſianis; item ortu, & occaſu, ſecundùm obſervationes Tychonianas. Adhæc Iſagogen in Calendarium; in quo, præter alia, de methodo Paſchali emendatâ. Omnino opus eſt eruditum, atque accuratum.

5. §. *Anno* CIↃ IↃ C XII *Joſephus Langius Cæſaremontanus, Mathematices, & Græca lingua Profeſſor in Academia Archiducali, quæ eſt Friburgi Briſgoia, elaborabat Elementale Mathematicum: in quo, præter Arithmeticam vulgarem, Geometriam, & Geographiam, habes Logiſticen Aſtronomicam, Aſtronomiam Sphæricam, & Theoricam Planetarum.*

Sed quinquennio demum pôſt Friburgi lucem vidit. Anno autem CIↃ IↃ C XXV Iſaacus Habrechtus, philoſophus, & medicus, opus hoc auxit, notis explicuit, exemplis & figuris illuſtravit. Prodiit hoc pacto Argentinæ.

6. §. *Anno* CIↃ IↃ C XV *Petrus Lauremberg, Hamburgi prælo ſubjiciebat Amphilycum, ſive diſſertationem de natura crepuſculorum.*

Maluiſſem verò *diluculi*, & *crepuſculi*, dixiſſet: cujus cauſſam adfero libro de Vitiis Sermonis.

7. §. *Anno* CIↃ IↃ C XIX *Libertus Froidmont, ſive Fromondus, in Eburonum ſolo natus, nomen à rubigine vindicabat diſſertatione ſua de cometa, qui præcedenti anno conſpectus erat. Anno* CIↃ IↃ C XXXI *Anti-Ariſtarchum publicavit, ſive de orbe terræ immobili, contra Philippum Lansbergium. Item Veſtam, ſive Anti-Ariſtarchi vindicem, contra eundem.*

Theologiæ Profeſſor Lovanii factus eſt anno CIↃ IↃ C XXVIII; Cornelioque Janſenio, è Regio ſacrarum literarum interprete vocato ad Epiſcopatum Iprenſem, in profeſſione hac ſucceſſit. Literis etiam humanioribus, & matheſios ſtudiis, cultiſſimum eſſe, ſatis loquuntur libri ejus.

8. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXV *L. Philippus Mullerus Mathematicarum in Lipſienſi Academia Profeſſor, Arithmetices, & Geometriæ, eclogas ex operibus Ariſtotelis, excerpſit, atque expoſuit.*

Editæ cum Jani Auguſti Vogelii Camitiani, & ejus diſcipuli Valentini Hartungi, Medicinæ Profeſſoris, χυλλογμιδείᾳ, ex eodem Ariſtotele ſelectâ.

9. §. *Anno eodem, ac deinceps, Matheſios ſtudiis nomen ſibi peperit Philippus Lansbergius. Edidit Progymnaſmata Aſtronomiæ reſtitutæ; Uranometriæ libb.* III; *Commentarium de motu diurno, & annuo, veroque adſpectabilis cæli typo.*

Opere eo adſtruere eſt adnixus diurnum, annuumque motum, qui in Sole, cæloque, appâret, non deberi Soli, cæloque, ſed ſoli terræ. E Belgico Latinè vertit Martinus Hortenſius, poſtmodò in Amſtelodamenſi Lyceo collega meus. Reſpondit huic operi Libertus Fromondus, Theologus, & Philoſophus Lovanienſis.

10. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXVIII, *ac deinceps, variâ doctrinâ, imprimis Matheſi, eluxit Petrus Gaſſendus Gallus: cujus, inter alia, exſtant epiſtola duæ ad Petrum Schickardum de Mercurio in Sole viſo, & Venere inviſâ, Pariſiis emiſſæ anno* CIↃ IↃ C XXXI. *Etiam epiſtolicæ ſuæ Exercitationi adverſus Fluddum adtexuit * appendicem aliquot obſervationum cæleſtium. Multaque alia ſcripſit; ac plura exſpectantur quotidie.* * Pariſiis an. 1630.

Præpoſitus eſt Cathedralis Eccleſiæ Dinienſis. Cujus ſingularem, & multijugam eruditionem, non potui non mirari, cum, Belgicam hanc luſtrans, anno CIↃ IↃ C XXIX, inter alios, me non ſemel ſalutatione, & alloquio ſuaviſſimo, dignaretur.

11. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXXIV *Everhardus Welperus Argentinæ compendium edebat Aſtronomiæ, tum Sphæricæ, tum Theoricæ, ex variis auctoribus collectum.*

Annis antea XXII operam navârat annuis ſcribendis calendariis. Si plura non valuerit, tribuere jubet gravi paupertatis malo, quo ſemper preſſus fuit.

12. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXXVI *Laurentius Eichſtadius Medicus, & Phyſicus, Stetini, veteri Pomeranorum urbe, in lucem emittebat Padiam Aſtrologicam. Idem poſtea publicavit Ephemerides decennales, uſque ad annum Chriſti* CIↃ IↃ C L. *His canonem Logarithmorum, ac Meſologarithmorum, compendio proponit; tabulas exhibet primi mobilis, calculum eclipſium, & alia. Sequitur verò in Logarithmorum canone Joannem Neperum Merchiſtonium Scotum. Anno autem* CIↃ IↃ C XLIV *divulgabat tabulas harmonicas cæleſtium motuum, tum primi, tum ſecundorum. In quibus maximè innititur obſervationibus, & hypotheſibus, Tychonis Brahei.*

Propoſitum verò fuit tabulas exhibere perpetuas, ſic ut cæli conſtitutio, motuſque planetarum, anni motus, & metæ, æquinoctia, ſolſtitium, ac bruma, ab origine mundi ad noſtra uſque tempora facili poſſent negotio cognoſci, cæleſtiumque in hæc inferiora effectus, ſeu ante, ſeu poſt Chriſtum, indagari. Eichſtadii hujus quoque Iſmaël Bullialdus, in Prolegomenis Aſtronomiæ Philolaicæ, inter præcipuos meminit noſtri ævi aſtronomos.

13. §. *Anno* CIↃ IↃ C XXXVII *Abdias Trew, Mathematum in Academia Norica profeſſor, Aſtronomiæ partem Sphæricam accuratâ ibidem methodo conſignabat.*

Atque idem promittit reliquas Matheſios partes: imò & Logicen, Rhetoricen, & Philoſophiam univerſam.

14. §. *Anno* CIↃ IↃ C XLV *Iſmaël Bullialdus multum laudis merebatur Aſtronomiâ Philolaicâ.*

Sic dicta à Philolao Pythagorico; qui jam olim cum aliis ad diurnum terræ motum præivit Copernico. Opere eo Bullialdus medios motus aliquot obſervationibus, antea ignotis, ſtabilivit auctoritate Manuſcripti codicis è bibliotheca Regia. Faciliimas etiam tabulas ex ſuperiori hypotheſi conſtruxit. Novam item methodum addidit ad Eclipſium Solarium fine ulla ſolutione triangulorum Sphæricorum, indagandas parallaxes, ac facili negotio computandas. Prolegomenis etiam hiſtoriam narrat de origine, & progreſſu Aſtronomiæ: ac, quæ nova ſuo opere com-

Digitized by Google

complexus ſit, exponit. Adhæc Vir Clariſſimus, & amiciſſimus, Joannes Fredericus Gronovius ſuis in Livium Notis ſubjunxit exaratam ad ſe Iſmaëlis Bullialdi epiſtolam de illo Solis defectu, cujus meminit Livius lib. XXXVII.

15. §. *Anno* CIƆ IƆCXLVII, *Joannes Hevelius Gedani in lucem emiſit Selenographiam, ſive Lunæ deſcriptionem; ac tam macularum, quàm motuum diverſorum, aliorumque omnium, viciſſitudinem: Phaſium item Lunarium, teleſcopii operâ deprehenſarum, delineationem accuratam, locupleti rerum cæleſtium auctario exornatam.*

In quo ſimul, ut titulus promittit, cæterorum omnium Planetarum nativa facies, variæque obſervationes, præſertim autem macularum Solarium, & Jovialium, clarè ob oculos ponuntur.

16. §. *Anno* CIƆ IƆCXLVIII, *Jacobus Uſſerius Archiepiſcopus Armachanus, & totius Hiberniæ primas, de Macedonum, & Aſianorum anno Solari, diſſertationem edebat, cum Græcorum Aſtronomorum parapegmate ad Macedonici, & Juliani anni rationes, accommodato.*

Quo de viro, rerum divinarum, humanarumque periſſimo, nihil poſſim dicere tam ſublime, quin ejus id virtus ſuperet.

17. §. *Hocce etiam anno Romæ claret Leo Allatius: qui Latinè vertit Procli Diadochi paraphraſin in Ptolemæi libros* IV *de ſiderum affectionibus.*

Leidæ edidit Elzevirius.

18. §. *Gothofredus quoque Vendelinus magnum in Aſtronomia nomen ſuſtinet apud eos, qui ſcripta legerunt: majus, quibus familiari uſu eum penitius noſſe datum eſt.*

Omnium enim judicio ambiguum relinquit, utrùm priores in eo ferat eximia modeſtia, rata his temporibus virtus; an ſcientia admiranda. Hercii vivit apud Belgas.

CAP. LXVI.

De Chronologis, & Computorum ſcriptoribus: ac primùm Græcis: poſtea verò Latinorum illis, qui vixere ante annum CIƆ IƆ; uno item Arabe.

1. §. *Aſtrologis nunc ſubdam aliquot Chronologos, & Computorum, ut vocant, ſcriptores. Ac primùm pauxillos Græcos.*

DE Julio tamen Africano, Panodoro, Syncello, & aliis pluribus, nihil nunc promam: quia fusè ſatis de iis actum à me fuit in Hiſtoricis Græcis. Neque item de B. Hieronymo, Proſpero Aquitanico, multiſque aliis: de quibus in Hiſtoricis Latinis abundè dixi. Nunc igitur potiùs loquar de indictis.

2. §. *Circa annum* CC *erat Bacchylus; qui opere de tempore celebrandi Paſchatis memoriam ſui propagavit.*

Fuſiùs de eo Hieronymus in viris Illuſtribus: *Bacchylus, Corinthi Epiſcopus, ſub eodem quoque Severo principe clarus habitus, de paſcha, ex omnium, qui in Achaia erant, epiſcoporum perſonâ, plenum eruditione librum conſcripſit.*

3. §. *Anno* CCLXXXIII *viguit Anatolius Alexandrinus, epiſcopus Laodicenus, vir undecumque doctiſſimus: qui, præter alia, volumen compoſuit de tempore celebrandi paſchatis.*

Vide, quæ dixi in Arithmeticis. LI, §. 3.

4. §. *Sub Theodoſio Magno, anno Chriſti* CCCLXXXVI, *B. Ambroſius, epiſcopus Mediolanenſis, luculentam epiſtolam de tempore celebrandi paſchatis miſit ad epiſcopos per Æmiliam conſtitutos.*

Eſt ea epiſtola LXXXIII libri decimi. Notas in eam ſcripſit Nicolaus Mullerus: quas addidit Tabulis ſuis Friſicis*. *Pag. 15.

5. §. *Anno* CCCCXLIV, *in honore erant Proterius, & Paſchaſinus; qui, commentando de ratione celebrandi Paſchatis, memoriam ſui propagârunt.*

Hermannus Contractus ad annum CCCCXLIV: *De hujus anni Paſcha Proterius, & Paſchaſinus, Leoni Papæ ſcribunt.* Meminit & Tritthemius: ſed priùs Proterii ad annum CCCCLX, Paſchaſini deinde ad ann. CCCCL. Addidit, Proterium de eodem argumento tractâſſe ad Hilarium.

6. §. *Juſtiniani Cæſaris ætate Joannes Philadelphenſis Lydus compoſuit librum de Menſibus.*

Uti & Iovis ſigno, aliiſque argumentis Mathematicis; quemadmodum auctor eſt Suidas. De ætate ejus planum eſt ex iis, quæ in Aſtrologis attuli cap. XXXIII, §. 28.

7. §. *Anno* CIƆ CCCXXX, *ac deinceps, claruit Barlaamus monachus: qui, poſt tot Græcorum alios, laureolam quæſivit commentatione de ratione inveniendi tempus celebrandi Paſcha.*

Vidimus de eo quoque cap. XVIII, §. 5.

8. §. *Anno* CIƆ CCCCXL, *librum compoſuit de menſium, ac annorum ordine, dierumque recenſione, Georgius Gemiſtus Pleto Conſtantinopolitanus.*

Dixi de eo plura in Hiſtoricis Græcis lib. II, cap. XXX.

9. §. *Hactenus de Græcis. Nunc me confero ad Latinos. Nec altiùs tamen ordiar, quàm ab anno Chriſti ſexcenteſimo. Poſt quem anno decimo Elbodus Britannus de celebratione Paſchatis volumen condidit.*

Familiaris fuit Auguſtino, primo Cantuarienſium Archiepiſcopo. Sermo de hoc nobis fuit lib. II de Hiſtoricis Latinis, cap. XXIV.

10. §. *Anno* IƆCLX, *Finnanus, Lindisfarnenſis apud Anglos epiſcopus, ore, & calamo, tuebatur opinionem de celebratione Paſchatis lunâ decimaquartâ: quæ in Britannia ab ejus Eccleſiæ incunabulis fuerat recepta.*

Nempe primitus Britanni non ſequebantur conſtitutionem concilii Nicæni: ſed præferebant veteres patriæ ritus. Eccleſiæ enim illæ, antequam Gregorius Magnus in eam miſiſſet Auguſtinum, monachum primùm, poſtea Cantuarienſium archiepiſcopum; Aſiaticarum, & Græcarum quarundam Eccleſiarum more, Paſcha celebrabant cum Quartadecimanis. Hi verò ſe Ioannis Evangeliſtæ, Polycarpi, aliorumque exemplo, tuebantur. Ut planè ſit veriſimile, Britannos non ab Romana Eccleſia; ſed Aſiaticis, aut Græcis, primùm fuiſſe converſos.

11. §. *Iiſ-*

Digitized by Google

11. §. *Iiſdem, at Finnanus, temporibus vigebat Ronanus (niſi malis Rouanus) presbyter, patriâ Scotus; qui in Gallia, vel Italia, ritus Romanæ Eccleſiæ edoctus, Finnanum hunc poſtea, ac Quartadecimanos, omni vi oppugnavit. Finnani tamen animum inflectere non potuit.*

Nempe, ut ex Bedæ hiſtoria conſtat, nullæ æquè controverſiæ tum Eccleſiam turbabant Britannicam; quàm iſtæ, de ritibus ab Auguſtino Archiepiſcopo primùm inductis.

12. §. *Anno* ıɔclxxxv, *in pretio erat Maildulphus Scotus, vir Latinè, & Græcè, doctiſſimus; nec Aſtrologiæ ignarus. Hic varia publici juris fecit: inque iis diſſertationem adverſus conſtitutionem Concilii Niceni; quâ interdictum celebrare Paſcha cum Judæis.*

Cœnobium hic, ope Britannorum, conſtituit; quod primùm vocabatur *Maidulphesbery*; hoc eſt, Maidulphi curia; poſtea verò corruptè nominatum *Malmesbery*. Plura de eo ſi voles, adi Guilhelmum Malmesburienſem in vita Aldhelmi epiſcopi. Item Jo. Balæum Centuriâ decimaquartâ num. xxvi.

13. §. *Anno* ıɔclxxx; *vixit Aldhelmus, natione Anglus; qui itidem, de celebratione Paſchatis, adverſus Britones Quartadecimanos, commentatus fuit.*

Vide, quæ retuli in Aſtrologis cap. xxxv, §. 15.

14. §. *Anno* ıɔcxc; *effulſit S. Wilfridus Ripponenſis: quomodo dictus à Rippone, Angliæ Septentrionalis oppido, ubi natus erat. Etiam hic Romanum celebrandi Paſchatis ritum defendit adverſus Quartadecimanos: qualis eo tempore erat Colmannus, Scotorum epiſcopus; aliique è Britonibus, Scotis, & Pictis.*

Meminit Beda lib. iii Hiſtoriæ Anglorum cap. xx: ubi narrat, eum fuiſſe magiſtrum regis Alfredi; ac Wilfridum hunc, ſive Walfridum, vocat *virum doctiſſimum*. Evectus tandem eſt ad archiepiſcopatum Eboracenſem. Obiit anno ıɔccx, ætatis ſuæ lxxv.

15. §. *Anno hoc* ıɔcxc, *quoque Adamannus Scotus, qui & Coludius, ſcriptis inclaruit. In quibus etiam epiſtola de Paſchate.*

De eo, ex Beda, Sigeberto, & Matthæo Weſtmonaſterienſi, plura adduximus in Hiſtoricis Latinis lib. ii, cap. xxvii.

16. §. *Anno* ıɔccccxcv, *plurimum tribuebatur Abboni, Floriacenſi abbati: qui ſuper calculo Victorini eſt commentatus.*

ut ait Sigebertus ad annum memoratum. Egimus de eo cap. xxxvi, §. 10.

17. §. *Anno* cıɔcc, *effulſit Joannes Campanus; qui inter cætera reliquit Computum Eccleſiaſticum, & Calendarium.*

Vidimus de illo jam in Geometris cap. xv, §. 7; & in Aſtrologis cap. xxxvi, §. 25.

18. §. *Circa annum Chriſti milleſimum centeſimum vixiſſe ille videtur Anonymus; qui, Rabbinorum primus, tempora Hebræorum diſtinctè explicuit opere eo, quod* Seder Olam Rabba *inſcribitur: unde excerptum eſt* Seder Olam Zutá. *Illud major eſt Hebræorum Chronographia, hoc minor.*

Non ſatis verò liquet, idemne ſit utriuſque Chronologiæ auctor. Id ſi non ſit; ſaltem, qui minorem ex majori exſcripſit, vel par fuerit ætate, vel ſuppar. Vixit minoris ille auctor circa annum Chriſti cıɔcxxv, temporibus Alphonſi VII. Meminere Chronologiæ hujus R. Salomo Iarchi, Aben-Ezra, & Kimchi: qui ante annos claruere quadringentos; ut recentior his eſſe is ſcriptor nequeat.

19. §. *Anonymus etiam ex Cœnobio S. Mariani, apud Altiſſiodorum monachus, chronologiam edidit ab origine mundi uſque ad annum* cıɔcc.

Subjecere prælo Pariſiis Adrianus Beys, & Sebaſtianus Cramoyſi, anno cıɔıɔcix.

20. §. *Anno* cıɔccxl, *magni fiebat Alexander de Villa Dei, patriâ Dolenſis: qui de ſphæra ſcripſit, & Computo Eccleſiaſtico.*

Ut monitum nobis cap. x, §. 1. Meminit & Trithemius.

21. §. *Anno* cıɔccxxxii, *& deinceps, latè nomen ſparſit Joannes de Sacroboſco: cujus ſphæra paſſim in Scholis prælegitur. Atque idem etiam nomen meruit Computo ſuo Eccleſiaſtico.*

Anglicè dicebatur *Holywod*: ut videatur potiùs *de Sacroboſco*, quàm *Sacrobuſto* dicendus. Egi de eo quoque in Aſtrologis cap. xxxvi, §. 29.

22. §. *Anno* cıɔccxciv, *vivebat Joannes Baldus, Genuenſis: qui de tempore celebrandi paſchatis opus reliquit.*

Auctor Jacobus Bergomas.

23. §. *Anno* cıɔccc, *imperante Alberto Cæſare, Petrus de Dacia librum contexuit de calculo ſeu computo, item Calendarium.*

De quibus auctor nobis Trithemius.

24. §. *Anno* cıɔccccxciv, *in honore erat Joannes Angelus Bavarus ex Aichen. Opus compoſuit de emendatione Calendarii. Item Ephemerides, variaque prognoſtica.*

Plura de eo in Aſtrologis memoravi.

25. §. *Plus ſeculis Græcis, pluribus Latinis, Arabem ſubdam, incertæ quidem ætatis; aliquod interim nomen ab hac ſcientia adeptum. Eſt is Ibnu Giulgiul chronologus: qui philoſophorum vitas ſecundùm tempora digeſſit.*

Unde aliqua exſcribit Arabs ſcriptor in vita Pharabii, ſive Abunaſræ el Farabi, ſic dicti à natali ſolo Farab in Aſia.

Cap. LXVII.

De Chronologis, ac Computorum ſcriptoribus, qui claruere poſt annum cıɔıɔ.

1. §. *De proximo ſeſquiſeculo deinceps promiſſa exſolvam. Anno* cıɔıɔxxxv *Lilius Gregorius Gyraldus magno in pretio ſtetit apud eruditiſſimum quemque.*

Digitized by Google

que. Hic inter alia librum conſcripſit de annis, & menſibus, unà cum calendario Romano, & Græco.

Ac quia Ferrarienſis eſſet, opus hoc dicavit Renatæ, Galliarum Regis Ludovici XII, filiæ, Herculis II, Ducis Ferrarienſis, viduæ. Natus fuit anno Chriſti CIↃ CCCC LXXIX. In pueritia audivit cùm alios, tum Baptiſtam Guarinum, celeberrimum ſui temporis Grammaticum. In felicitatis parte erat, quòd, ad multijugam eruditionem parandam, poſtea vixerit apud Albertum Pium Carporum, & Joannem Picum Mirandulæ principes. Hic enim ingenti bibliothecâ frui, perque omne ſcriptorum genus capacem diffundere animum datum fuit. Mediolani à Demetrio Chalcondyla Græcas didicit literas. Multa Romæ perpeſſus eſt, cùm Urbs anno CIↃ IↃ XXVII diriperetur à milite Imperatoris Caroli V. Poſtea, in patriam reverſus, familiariter uſus eſt Joanne Manardo, & Cælio Calcagnino. Sex ſeptem poſtremis vitæ annis manibus, pedibuſque æger, ut ipſe de ſe loquebatur, ſpirabat potiùs, quam vivebat. Nam, ſine famuli auxilio, ne manum quidem ori poterat admovere. Exceſſit anno Chriſti CIↃ IↃ LII, ætatis LXXIV.

2. §. *Anno CIↃ IↃ XXXVII facilè locum ſuum tuebatur Joannes Lucidus Samoſatheus: qui anno ea Venetiis* labores ſuos Chronologicos, non ſine erudita cavea applauſu, diffundebat.*

* *Apud Luc. Ant. Juntam.*

In iis ſunt iſta: emendationes temporum ab orbe condito; canones in perpetuam temporum tabulam; de vero die Paſſionis Chriſti; epitome emendationis calendarii Romani.

3. §. *Anno CIↃ IↃ XLVI, Joannes Maria Toloſanus, monachus ex Ordine Prædicatorum, divulgabat Venetiis additiones ſuas ad emendationes Temporum Joannis Lucidi Samoſathei: nec non brevem correctionem Calendarii Romani de paſchate rite celebrando. Quam concilio miſit Tridentino.*

De eo quoque in Aſtrologis tangebam cap. præcedenti §. 24.

4. §. *Anno CIↃ IↃ LVI, Hadrianus Junius, Hornanus, commentarium edidit de Anno, & Menſibus. Item Faſtorum librum, ſive ἡμερολόγιον rerum memorabilium quolibet anni die actarum apud Hebræos, Græcos, Romanos, gentesque exteras. Præterea Calendarium ſyllabicum, ita dictum, quòd vocabulorum ſyllabis reſpondeant anni dies; ac ſyllabis majori literâ ſignatis indicentur feriæ anniverſariæ. Adhæc faſtos emiſit Cæſarianos, & Calendarium.*

Primò hæc de manu in manum Junius tradidit Eduardo VI, Angliæ regi: poſtea autem Harlemi longè auctiora miſit ſorori ejus Mariæ; quæ in regno ſucceſſit Eduardo. Id anno fuit, ut monui, CIↃ IↃ LVI. Natus erat Hornæ anno CIↃ IↃ XIII. Dixi de eo quoque in Geographis cap. XLV, §. 28.

5. §. *Anno CIↃ IↃ LVIII, Jacobus Peletarius Cenomanus, annotationibus ſuis in Gemma Friſii Arithmeticen, adjunxit diſſertationem de cognoſcendis per memoriam Calendis, Idibus, Nonis Feſtiſque mobilibus.*

Vide, quæ de eodem retuli in Geometris cap. XVI, §. 20, & in Aſtrologis prætermiſſis ad annum CIↃ IↃ LVIII.

6. §. *Anno CIↃ IↃ LX, apud doctos in pretio erat Michaël Beutherus, Juris conſultus, inque Argentinenſi Academia hiſtoriarum profeſſor. Præter illa de globo Aſtronomico, & circulis, etiam divulgavit Ephemeridem hiſtoricam, deque correctione anni Gregoriani.*

Caroloſtadii, Franciæ Orientalis oppido, natus fuit anno CIↃ IↃ XXII. Deceſſit anno CIↃ IↃ LXXXI.

7. §. *Anno CIↃ IↃ LXV, ac deinceps, floruit David Chytræus: qui Chronologiam fecit Hiſtoriæ Herodoti, & Thucydidæ. Item emiſit Calendarium vetus Romanum, & alia quædam non abſimilis argumenti.*

Natus in Palatinatu anno CIↃ IↃ XXX. Denatus Roſtochii ſeptuagenarius; videlicet anno CIↃ IↃ C.

8. §. *Anno CIↃ IↃ LXXI, nominis ſui decus auxit Joannes Lalamantius collatione anni Romani, præcipuarumque gentium exterarum.*

Genevæ excudit Criſpinus. Fuit Auguſtoduni Heduorum in Burgundia medicus. Etiam Hippocratis quædam vertit, & tragœdias Sophoclis: de quarum tralatione dictum mihi præfatione in libros de Baptiſmo.

9. §. *Anno CIↃ IↃ LXXII, Benedictus Arias Montanus Hiſpalenſis edebat Danielem ſuum, ſive de ſeculis, & chronologia.*

Eſtque nonus liber Antiquitatum ejus Judaicarum: quas auguſto Bibliorum Codici ſubjecit ſub nomine Apparatûs ad Biblia Regia; Leidæ verò Raphelengius exhibuit ſeorſum. Vidimus de hoc opere quoque in Geographis cap. XLV, §. 27; inque Mechanicis cap. L, §. 25. A Philippo II Hiſpaniarum Rege in Belgicam miſſus fuit, ut feliciùs excuderentur Biblia Regia: quæ res multum illi invidiæ peperit. Itaque ſæpius, ad cauſſam dicendam, Romam proficiſci coactus eſt. Epiſcopatûs dignitatem non ſemel oblatam recuſavit, majorem ut invidiam declinaret, contentus ſacerdotio militaris ordinis equeſtris S. Jacobi. Obiit in patrio rupis ſeceſſu; quò ſe abdiderat, ut tum reliquâ vitâ, tum moriens, lateret.

10. §. *Anno CIↃ IↃ LXXXII Patavii Mathematicas docuit Ioſephus Moletius Meſſagenſis: qui tabulis Gregorianis imprimis nomen eſt conſecutus.*

Pro iis à Senatu Veneto accepit ducentos ducatos: Pontifex Gregorius XIII trecentos quos vocant Cameræ ſcutatos, ut eas continuaret, pollicitus eſt.

11. §. *Anno CIↃ IↃ LXXXIV Gilbertus Genebrardus Arvernus Chronographiæ ſuæ libros IV mittebat Arnaldo Pontaco, Baſatenſi epiſcopo. Sed anno CIↃ IↃ XCIX prodiere auctiores, ac præterea tantò ulteriùs perducti.*

Fuit Genebrardus Theologus Pariſienſis, Hebraicarum literarum Lutetiæ profeſſor Regius, & Archiepiſcopus Aquenſis: quam dignitatem à Gregorio XIII adeptus fuit, interceſſione eorum, qui à Rege deſciverant. Sed, Rege rerum potito, non diu honoris hoc potuit tueri: ut eſt in elogiis Scævolæ Sammarthani. Ait, ſe opus ſuum Chronographiam potiùs, quàm Chronologiam, inſcripſiſſe, quia non tam animus foret, calculonum more, annoſam vetuſtatem numerandam, quàm legendam, proponere. Nempe χρονολογία propriè ſolùm res λογίζει, ſive ſupputat. At Chronographia non ſolùm numerat, ſed breviter etiam delibat: ut licet non ſit hiſtoria, quæ fuſiùs omnia diducit; ſit tamen qualiſcumque hiſtoriæ imago. Duos poſteriores hujus operis libros Arnoldus Pontacus auxit. Idem Genebrardus anno CIↃ IↃ LXXX ex Hebræo Latinè à ſe verſam edidit Chronologiam Hebræorum majorem: de qua ſuperiùs * diximus. Semouri

* *Cap. 66, §. 18.*

Bur-

Digitized by Google

Burgundionum oppido, ubi ſacerdotium obtinuit, fatis conceſſit annos natus LX, anno Chriſti CIϽ IϽ XCVII.

12. §. *Anno* CIϽ IϽ LXXXIV *Joannes Temporarius, Juriſconſultus Bleſenſis, ad finem perduxit Chronologicarum Demonſtrationum libros tres.*

Quas anno demum CIϽ IϽC filii ejus, Joannes, & Adamus Temporarii, Rupellæ in lucem emiſerunt.

13. §. *Anno itidem* CIϽ IϽ LXXXIV *Michaël Mæſtlinus Goppingenſis, in Tubingenſi Academia profeſſor Mathematicus, ſcripſit contra novum Calendarium Romanum.*

Vidimus de eo cap. XXXVII, §. 21.

14. §. *Anno* CIϽ IϽ LXXXVIII *tribus Mæſtlini libris, de quibus proximè loquebar, reſpondit Chriſtophorus Clavius Bambergenſis è Societate Jeſu.*

Primo libro agit Clavius de æquatione anni Solaris. Altero de anni Lunaris, & Cycli literarum Dominicalium æquatione. Tertio de computo Eccleſiaſtico per digitorum articulos. Atque his promittit ſe Calendarii ſic reſtituti cauſſas ubertim explicaturum.

15. §. *Anno* CIϽ IϽ XC *Henricus Buntingus Chronologiam Serveſtæ emittebat.*

Etiam Chronicon Eccleſiaſticum publicavit Magdeburgi anno CIϽ IϽ XCVII. Theologus fuit Grunovienſium. Natus Hanoveræ anno CIϽ IϽ XLV.

16. §. *Anno* CIϽ IϽ XCV *Adrianus Romanus divulgabat Supputationem Eccleſiaſticam, ſecundum novam, veteremque Calendarii rationem.*

Prodiit Wiceburgi anno, quo dixi. Vide plura in Geometris cap. XVII*, §. 30, & in Aſtrologis cap. XXXVII, §. 34.

* Ubi perperam editum 16.

17. §. *Anno* CIϽ IϽ XCIX *Joannes Antonius Maginus Ephemerides edidit; poſteaque apologiam Ephemeridum. Item Ephemerides cæleſtium motuum ab anno* CIϽ IϽ CVIII *uſque ad annum* CIϽ IϽ CXXX. *Præterea Calendarium.*

Compluria etiam elaboravit in Sphærica, & theorica planetarum: uti & in Geographia. Vide cap. XXXVII, §. 42. & cap. XLV, §. 37.

18. §. *Anno* CIϽ IϽ CI *Daniel Angelocrator Corbachienſis nihil niſi grande ſpirabat, ac ſperabat ſuâ Chronologiâ Autopticâ:*

quomodo inſcripſit, quia perſuaſum haberet, tam eſſe certam, ut, ſicut ait, ipſo operis intuitu, omnium, quæ de temporum commenſuratione ſignâſſet, conſpicua fieret veritas. Eò quoque præmittit in frontiſpicio, ſe hæc commentatum, *Deo illuminante: ſuam* enim *temporis conciliationem tam eſſe certam, quàm quæ certiſſima.* Paſſim verò impugnat rationem conciliandi, quam inierat Thaddæus Dunus: de qua in Chronologia noſtra diſſeremus. Quantopere etiam ſua prætulerit arduis Joſephi Scaligeri laboribus; arguit, quòd contendat eum ſuperſtruxiſſe falſis fundamentis. Ut qui annos ſabbathicos incipiat non ab initio ingreſſûs in terram Canaan; ſed ab anno ſexto exacto: quique in jubilæorum celebritate typum deſtruat: qui adhæc in LXX hebdomadibus Danielis turbet, dum annos jubilæos, ſive quinquageſimos, negat ab Hebræis obſervatos; contrà quàm ſit in Seder Olam; imò ipſe ſui oblitus alibi tradiderit: qui item LXX annos deſolationis ordiatur à tranſmigratione Jechoniæ, XIII annis priuſquam oporteat. Ait autem, ſe centena ejuſmodi non minùs erronea ex Scaligero poſſe adferre. in iis hoc etiam eſſe, quòd neget, in rerum natura fuiſſe reges Perſarum; quos tamen numerent Megaſthenes Perſa, & Philo Hebræus. Hæc ille novennio ante Scaligeri exceſſum, qui iſta vocat Beroaldiſtarum deliria. Mirum autem, neſciſſe diſtinguere inter Megaſthenem verum, & illum Anni ſuppoſititium. Mirum etiam, tam antiquum putâſſe Philonem illum, ut Chriſti, & Apoſtolorum faceret æqualem. Sed fortaſſe aliter in pleriſque ſapuit poſtea. Diu enim exinde ſupervixit. Nam & memini, Synodo Dordrechtanæ intereſſe apud Batavos anno CIϽ IϽ CXVIII: imò toto pòſt decennio, quod eſt, anno hujus ſeculi XXVIII, librum ſuum de Ponderibus, denuò, ac emendatiùs, emiſit.

19. §. *Anno* CIϽ IϽ CIV *Arnaldus Pontacus præclarè de Chronologia meritus eſt notis & animadverſionibus ſuis ad Chronicorum tres ſcriptores; Euſebium Pamphili, Hieronymum, & Proſperum Aquitanicum.*

Pontacus hic, vir maximæ eruditionis, epiſcopus Vaſatenſis fuit, & utrique Concilio Regio à conſiliis. Huic Gilbertus Genebrardus ſuam dicavit Chronologiam; ipſe autem duos poſteriores libros emendavit, & adauxit.

20. §. *Anno* CIϽ IϽ CV *Sethus Calviſius juris publici faciebat Chronologiam ſuam: in qua Joſephi Scaligeri imprimis inſiſtit veſtigiis. Atque idem anno* CIϽ IϽ CXI, *& ſequenti, in lucem dabat Elenchum Calendarii à Papa Gregorio* XIII. *comprobati. Duo hac verò ſibi Calviſius in Elencho illo propoſuit: ut ex fundamentis Aſtrologiæ refelleret Calendarium Gregorianum; atque ut novam Calendarii rationem, eamque veriorem, & expeditiorem, adferret.*

Quantopere prior illa Calviſii opera placuerit Joſepho Scaligero, non ſivit hic nos ignorare epiſtolâ CCCCIV, quæ eſt ad Heliam Putſchium: *Egregius vir quidam Germanus, Sethus Calviſius, nuper ſub initium ſuperiorum nundinarum, præſtantiſſimam rationibus meis inſtructam Chronologiam edidit, ut ab illis ne latum quidem unguem diſcedat, opus æternitate dignum.* Et mox: *Non dicam, quàm lætatus ſim, cùm viderem, ineptiſſimos cercopithecos quoſdam rationibus, & argumentis noſtris oblatrâſſe; hunc autem præſtantiſſimum virum non aliis, quam illis noſtris, Chronologiam ſuam muniviſſe. Hoc opus reliquorum omnium luminibus officiet: &, ſi bene auguror, nullius tam crebra fuerit editio, quàm hujus erit. Omnino eximium eſt.* Idem etiam ad Calviſium ipſum ſic ſcribit epiſtolâ num. CCCVIII: *Tam eximio labore id conſecutus es, ut quia primus hanc gloriam arripuiſti, ſolus eam poſſideas; neque quiſquam tibi præripere eam poſſit. Sed & mihi præteritorum ſtudiorum fructus præclarè conſtat; quòd quum ego nihil impenſiùs optarem, quàm rem Chronologicam eò deduci, ut hariolorum injuriæ ac tyrannidi opportuna amplius non eſſet; ac eodem tempore tot canes argumenta noſtra ac rationes adlatrarent: unus tandem eas amplexus ſit, qui inſtar omnium eſſe poſſit. Itaque ſeriò triumpho. eoque magis, quòd lætitia mea cum publica utilitate conjuncta eſt. Nemo enim beneficii tui meminerit, quin & vigiliarum mearum meminerit. Vivet igitur, vivet opus hoc, ſacrarium temporum, ſcrinium æternitatis, perpetuorum Faſtorum conditorium. Jam deſitum eſt in Chronologia nugari. Nihil in eo ineptum, nihil futile. Omnia plana, perſpicua, ita inter ſe apta, ut ultima à primis pendeant, media utriſque hæreant.* Nec abludunt ab his, quæ aliquot ſequentibus memorat epiſtolis.

Elenchum Regibus Magnæ Britanniæ, Daniæque, præfatione ſuâ dicavit, ac commendavit, David Origanus; de quo proximè dicebamus. Argumentum, atque inſtitutum operis, paucis hoc pacto comprehendit: *Ornatiſſimi,*

Digitized by Google

tiſſimi, & doctiſſimi Sethi Calviſii, amici mei ſingularis, in examinando utroque Calendario, Juliano, & Gregoriano, & ſubſtituendo alio correctiore perſpexi. Et mox: *Poſtquam ingenii dexteritate haut vulgari, & ſtudio indefeſſo, ad finem feliciter perductas has duas ejus Elenchi partes; quarum prior Calendarii Juliani, & Gregoriani, errores docte monſtrat; poſterior duplex Calendarium novum proponit; vidi, & penitius introſpexi, ac conſideravi: non modò eas, utpote luminarium correctis ab Atlante noſtrorum temporum Tychone motibus apprime conſentientes, & accommodatas, vehementer probavi; ſed & ut ederentur, & publici juris fierent, auctor & promotor exſtiti: ut ſi ſpes etiam nulla eſſet, calendarium Gregorianum in hoc rerum ſtatu abrogatum iri; liberalis tamen doctrina cauſsâ, omnes literati hoc egregio de literatis ſcripto, ad intelligendas plenius in hac materia controverſias, uterentur, & fruerentur.* Elencho hoc publicato, molitus fuit Calviſius alteram Chronologiæ editionem. Sed, quæ orſus erat, perficere non potuit. Obiit enim non multò pòſt: puta anno CIↃ IↃCXVII. Multis interim locis emendata, vel aucta, prodiit anno CIↃ IↃCXX.

21. §. *Anno* CIↃ IↃC IX *David Origanus Sileſius Francofurti ad Viadrum tribus complexus eſt tomis motuum cæleſtium ephemerides.*

Profeſſor fuit Matheſios in Academia Brandeburgica Francofurti ad Viadrum.

22. §. *Anno* CIↃ IↃCXI *Auguſtinus Torniellus Novarienſis, Congregationis S. Pauli Clericus Regularis, prælo commiſit Annales Sacros, & Profanos, ab orbe condito, uſque ad adſcenſionem Chriſti in cælum.*

His Scripturæ, & Gentilium monumenta, confert, ad veritatem temporum eruendam; multaſque intricatiſſimas quæſtiones diſſolvit.

23. §. *Anno* CIↃ IↃCXII *Chriſtophorus Helvicus edidit Syſtema Chronologicum, æqualibus denariorum, quinquagenariorum, & centenariorum intervallis.*

Id poſtea continuavit, & recenſuit, Joannes Balthaſar Schoppius, Eloquentiæ, & Hiſtoriarum, in Academia Marpurgenſi profeſſor. Emiſit anno CIↃ IↃ C XXXVIII. Ac Helvicus quoque Scaligeri veſtigiis inſtitit; ut res docet, & ipſe præfatione ad lectorem agnoſcit. Deceſſit anno CIↃ IↃCXVII.

24. §. *Anno* CIↃ IↃCXIV *Jacobus Gordonus Leſmoreus Scotus, Societatis Jeſu Theologus, Chronologiam emiſit; quâ totius orbis res geſtas ad ſua uſque tempora complectebatur.*

Tomis conſtat duobus: quorum prior ad Chriſtum uſque ſe extendit; alter ad annum Chriſti CIↃ IↃCXIV. Prodiit Coloniæ Agrippinæ. Sed hiſtoriarum magis epitomen continet, quàm perplexas Chronologorum diſceptationes: ut potiùs Iſagoge ad eos dici mereatur, quàm Chronologia; ſicut & aliæ multorum Chronologiæ.

25. §. *Anno* CIↃ IↃCXVII *Joannes Behm, Theologiæ in Academia Boruſſiaca Profeſſor, & Electori Brandeburgico à ſacris, magno eruditorum applauſu typis committebat Chronologiam ſuam à condito mundo uſque ad deletum à Veſpaſiano templum Hieroſolymitanum. In quo Scripturarum momenta accuratè expendit, & Beroaldi, ac Funcii, eoſque ſequentium, fundamenta ſedulò refellit.*

Occaſio hoc argumentum tractandi fuit iſtiuſmodi. Cùm ſtudiis ſacris ſedulò operam daret Wittenbergæ: multis ſe temporum difficultatibus implicari in Scripturis videbat; nec ſe iis poterat extricare. Commodè tunc in lucem prodiit Chronologia Sethi Calviſii: quâ visâ, lectâque, gaviſus eſt uſque adeò multum inde ſibi lucis acceſſiſſe. Eâ ut pleniùs frueretur; Wittebergâ Lipſiam abiit, atque ibi biennio Calviſii hoſpitio uſus fuit. Ejuſce temporis poſtea etiam negabat ſe unquam pœnituiſſe. Nec deinceps piguit ſacrorum temporum diſquiſitionem ſtudiis jungere cæteris. In qua quantum effecerit, argumento egregia eſt opera, quam dicebamus.

26. §. *Anno* CIↃ IↃCXIX *Jacobus Salianus Avenionenſis, Societatis Jeſu presbyter, ſex grandibus tomis comprehendit Annales Eccleſiaſticos Veteris Teſtamenti.*

His, ab orbe condito, uſque ad Chriſti mortem, digerit, & exponit res geſtas per annos fere ſingulos. Primus tomus aperit res à mundi natali, uſque ad Moſem. Alter inde progreditur, uſque ad Heli pontificem. Tertius enarrat tempora Heli, Samuelis, Saulis, Davidis, & Salomonis. Quartus continet res à diviſione regni Salomonici, uſque ad captivitatem Babylonicam. Quinctus à Cyri initio, uſque ad Antiochum Epiphanem. Sextus ab Epiphane, uſque ad finem Euangelicæ Hiſtoriæ. Neque his voluminibus tantummodo res ſacras explicat; ſed etiam Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum.

27. §. *Anno* CIↃ IↃCXXVIII *Jacobus Roſius Biberacenſis emiſit Ephemeridem, ſive Calendarium generale Aſtronomicum, & Aſtrologicum. In quo ſiderum ortus & occaſus, ac naturales effectus, qui ſingulis ſunt cujuſque menſis diebus, exponit.*

Opus id non exiguâ induſtriâ ex veteribus, ac novis, contexuit. Mathematicum ſe vocat, & publicum notarium Cæſarium; quo munere functus eſt Biennæ, ſive Bipennii, Helvetiæ oppido.

28. §. *Anno* CIↃ IↃCXXXII *Erycius Puteanus edebat circulum Urbanianum, ſive lineam* ἀρχημερινὴν * *per urbem Romam, polum utrumque, & antipodes deſcriptam, verum Orientis, & Occidentis terminum, ſacrum dierum principium. Eopſe anno ad firmandum hoc opus* θεωρήσεις † *publicavit de quatuor principiis diei. Idem anno* CIↃ IↃCXXXVII *emittebat librum de biſſexto die, unde annus biſſextilis dicitur; quo intercalandi arcana illuſtravit: eique operi dierum apud Indos* διόρθωσιν ‡ *adtexuit.*

* *Initium diei incipientis.*
† *Propoſitiones ſive regulas generales.*
‡ *Emendationem.*

Vir hic ſummus Venlonæ in Geldria natus fuit anno CIↃ IↃLXXIV. Eo in pueritia, biennio minor, Dordrechti uſus ſum condiſcipulo, ac deinde omni vitâ amico. Coloniæ exinde Eloquentiæ, & Matheſi, ac Philoſophiæ, operam dedit. Lovanii Juſtum Lipſium audivit. In Italiam profectus, Ludovico Septalio, Joanne Baptiſta Sacco, Joanne Baptiſta Silvatico, aliiſque maximi nominis viris, uſus eſt familiariter. Mediolani pòſt Eloquentiæ profeſſor fuit, ac Regii Hiſtoriographi titulo auctus eſt; Romæ etiam in civium numerum relatus. Imò & Mediolani ſupremam fuit Juris lauream conſecutus. Inde, in Belgicam arceſſitus, Juſto Lipſio in cathedra Lovanienſi ſucceſſit. Quæ, præter antea memorata, ediderit, Valerius Andreas dicet in Bibliotheca Belgica. Ante annos circiter quatuor, non exiguo cum dolore omnium Lovanii obiit.

29. §. *Anno* CIↃ IↃCXXXV *Aubertus Miræus Bruxellenſis Antverpiæ edebat rerum Belgicarum Chronicon à Julii Cæſaris adventu uſque ad annum, quo divulgatum id eſſe, dicebamus.*

Natus

Natus eſt è fratre Reverendiſſimi Joannis Miræi, epiſcopi Antverpienſis. Lovanii in Hiſtoria Lipſii auditor fuit; Duaci in Theologia Colvenerii, & aliorum. Poſt varias functiones, à ſacris fuit Principum Alberti, & Iſabellæ, & primus Notarius Apoſtolicus, ac poſt obitum M. Antonii Del-rio, Decanus Antverpienſis, & Epiſcopalis Vicarius. Etiam publicavit Faſtos SS. Belgicos, ac Burgundicos. Cætera ſuggeret bibliotheca Valerii Andreæ.

30. §. *Anno CIƆ IƆC XXVIII Andreas Argolus Ephemerides Patavii duobus emiſit tomis, ſecundum Tychonis Brahei hypotheſes, eaſque deductas obſervationes. Prior tomus eſt ab anno CIƆ IƆC XXXI uſque ad CIƆ IƆC LV. Alter exinde uſque ad annum ejuſdem ſeculi LXXX.*

Argolus ille philoſophus eſt, ac medicus, inque celeberrimo Patavinorum Gymnaſio Profeſſor Mathematicus.

31. §. *Anno CIƆ IƆC XLII Daventriæ Henricus Gutberletus claſſicæ quidem ſcholæ moderator, illuſtris verò gymnaſii profeſſor fuit: à morte autem excudendam reliquit Chronologiam; quæ ab orbe condito incipit, ac deſinit in anno CIƆ IƆC XXXIV.*

Amſtelodami typis prodiit Laurentianis anno CIƆ IƆC XXXIX.

32. §. *Anno CIƆ IƆC XLIV Joannes Seldenus Anglus I.C. ut tot aliis pulcherrimis ſcriptis, ita diſſertatione, de anno civili, & calendario veteris Eccleſiæ, ſeu Reip. Judaicæ, præclarè admodum de ſtudiis meritus fuit.*

Ea tum Talmudicorum, tum Karæorum, hac in re diſciplinam tradit; qualis Chriſti, Apoſtolorum, aliorumque primitivorum Chriſtianorum temporibus obtinuit. De ſecta verò Talmudicorum, ſive Traditionariorum, in quibus princeps erat Phariſaica; deque illa Karæorum, ſive Scripturariorum, cujus Saducæam eſſe propaginem, creditum eſt; eundem Seldenum eruditè diſſerentem adi cap. ſecundo: ubi & utriuſque ſectæ principes enarrat.

33. §. *Anno CIƆ IƆC XLV Joannes d'Eſpieres S. Theologiæ Doctor, & Monaſterii Aquicinctini Magnus Prior emiſit Calendarium novum ad legendum horas Canonicas ſecundum ritum Breviarii Romani reformati.*

Scopus operis fuit, *ut virum Eccleſiaſticum faciliore methodo dirigat, ad recitandum divinum juxta præſcriptum Eccleſiæ Romanæ, ſubeatque vices immenſi cujuſdam Calendarii perpetui: quod, pro ratione quinque hebdomadum intra terminos Paſchales comprehenſarum, in triginta Calendaria ampliter diſtenditur:* ut auctor præfatur in Calendarium ſuum. Prodiit Duaci, typis Petri Belleri. Atque idem biennio pòſt ibidem publicavit *Auctarium Calendarii novi:* quo traditur nova, & facilis, methodus inveniendi Aureum numerum, Epactas, literas Dominicales, Clavim Feſtorum mobilium, & indictionem quocumque anno propoſito, tam antè, quàm poſt correctionem Calendarii. Quia verò hæc methodus ad plura quidem ſecula ſe extendit: nec tamen omnino perpetua ſit; pollicetur idem *Aſtronomiam Aquicinctinam*, cujus Methodus ſe in infinitum extendat.

CAP. LXVIII.

DE GEOGRAPHIS GRÆCIS priori parte præteritis.

1. §. *A Chronographis me confero ad Geographos: quibus etiam, ut antea quoque feci, miſcebo, qui magis fuerint Hiſtorici, quàm Mathematici. Nempe quia tam hi, quam illi, Geographorum nomen poſſideant: nec ſine hiſtoriæ notitia ſitum terrarum metiri Mathematicus poſſit. In iis agmen hoc tempore ducet Bias Prienenſis, unus è ſeptem ſapientibus Græciæ, Alyattis, Lydiæ Regis, æqualis. Qui circiter bis mille verſus de Ionia fecit.*

AUctor nobis Laërtius in ejus vita. Sed fortaſſe id opus magis Ionum geſta retulit, quàm Ioniæ ſitum.

2. §. *Olympiade LXXVII, ac deinceps, viguit Democritus Abderita: qui Geographiam tractavit;*

ut ex Strabone, & Laërtio, oſtenſum lib. IV de Hiſtor. Græcis cap. II.

3. §. *Ante etiam Herodotum vixit Damaſtes Sigeenſis. Hic præter alia, paullo ante bellum Peloponneſiacum, gentium, urbiumque catalogum contexuit.*

Dixi de eo in opere de Hiſtoricis Græcis lib. I, cap. II, & lib. IV, cap. V.

4. §. *Dionyſius Mileſius, ſcriptor vetuſtus admodum, quippe Herodoto antiquior, compoſuit περιήγησιν, ſive orbis deſcriptionem:*

ut teſtis eſt Suidas.

5. §. *Alexandri M. ætate claruiſſe arbitror Archelaum, quem Diogenes vocat χωρογράφον*, ac literis opus ait commiſiſſe de terris ab Alexandro M. peragratis.* * Regionum ſcriptorem.

Plura de eo retuli lib. I de Hiſtoricis Græcis cap. X.

6. §. *Dicæarchi ætatem inde cognoſcimus, quòd Ariſtotelis fuerit diſcipulus, æqualis Theophraſto. Hic cùm aliis memoriam nominis ſui conſecravit; tum egregio monumento de Græciæ urbibus, ac dimenſione Peloponneſi.*

Fuſiùs de hoc egi lib. I de Hiſtoricis Græcis cap. IX.

7. §. *Hanno, Carthaginenſium dux, magno fuiſſe in pretio videtur temporibus Agathoclis, Siciliæ regis, paullò ante bellum Tarentinum. Reliquit periplum, quo Africæ ambitum narrabat, & quas terras in Oceano Atlantico reperiſſet.*

Punicè eum ſignavit linguâ; ſed Græcè alii reddiderunt. Uberiùs de eo diſquiro in quarto de Hiſtoricis Græcis.

8. §. *Tempore Ptolemæi Lathyri floruit Artemidorus Epheſius: qui periplum undecim geographiæ libris complexus fuit.*

Plura de eo attuli in Hiſtoricis Græcis lib. I, cap. XXII.

9. §. *Extremis Ptolemæi Lagidæ temporibus eluxit Iſidorus Characenus; qui Parthiam deſcripſit.*

De eo tracto lib. III Hiſtoricorum Græcorum; atque item libro IV, cap. X.

10. §. *Sub Auguſto Cæſare vivebat Dionyſius Byzantius, vel potius Alexandrinus: cujus περιήγησιν habemus.*

Ubertim de hoc egi lib. II de Hiſtoricis Græcis cap. III.

11. §. *Sub Hadriano Cæſare claruit Diogenianus Heracleota: qui librum compoſuit; ſed, ut alia innumera,*

Digitized by Google

mera; injuriâ temporum deperditum; de fluminibus, lacubus, montibus. Idem tabulâ universæ terræ urbes, quantum potuit, comprehendit.

Dixi de eo lib. II Historiæ Græcorum Historicorum cap. XII.

12. §. *Sub Cæsare Antonino Philoſopho nomen aliquod, inter philologos imprimis, geſſit Pauſanias Cæſarienſis. Qui libris X Græciam deſcripſit.*

Fusè de eo actum nobis lib. II de Hiſtoricis Græcis cap. XIV.

13. §. *Sub Iuſtiniano Magno claruit Hermolaus Byzantius; qui Stephani* Ἐθνικὰ * *in compendium redegit.*

* *Opus de gentium, ſive populorum, nominibus: uti & oppidorum, aliorumque locorum.*

Multùm eum debere Xyſto Betulejo, ſatis liquet omnibus. Non æquè illud, bene item de eo meritum eſſe Conradum Geſnerum: qui, in ſuo propriorum nominum Onomaſtico, Latinè vertit, & loca innumera caſtigavit: ut ipſe refert epiſtolâ de libris à ſe editis †.

† *Tiguri anno 1566 unà cum Geſneri vita.*

14. §. *Anno* CIƆCCCCLXXX *Nicolaus Sophianus Corcyræus Romæ docuit: atque idem tabulis ſcitiſſimè deſcripſit Græciam, veteribus, & recentibus, nominibus appoſitis.*

Anno etiam CIƆ IƆ XLIV Oporinus recudit Baſileæ. Ac aliquanto pòſt Nicolaus Gerbelius Phorcenſis eas in tabulas emiſit Iſagogen. De quo plura inferiùs dicam. Fuit Sophianus vir Græcè, quàm Latinè, doctior: ut de eo cenſet Raphaël Volaterranus lib. XXI ‡.

‡ *Col. 641 edit. Gryph.*

15. §. *Atque horum quidem tempora cognoſcimus. Subdam nunc aliquos, quorum ætatem putem incertam. Ex iis eſt Agathemerus; qui in lucem edidit Hypotypoſes Geographicas.*

Hæ Romæ exſtant Mſtæ in bibliotheca Vaticana: adhæc Lutetiæ in bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi: in Hiſpania item in illâ Diegi Hurtadi, & compluribus aliis. Pluſcula ex Mſsis Regiis exſcripſit filius meus Iſaacus. Inſcriptio eſt operis: Ἀγαθημέρου * τοῦ Ὄθωνος (in codice Pariſienſi Regio eſt Ὄρθωνος) γεωγραφίας ὑποτυπώσεις.

* Agathemeri, *filii* Othonis (*vel* Orthonis) deſcriptio Geographica.

16. §. *Alexander Epheſius, cognomento Lychnus, de rebus cæleſtibus, & terrarum ſitu, egit:*

ut auctor eſt Strabo lib. XIV. Vide ſis, quæ dixi lib. III Hiſtoricorum Græcorum.

17. §. *Apollas de civitatibus Peloponneſi volumen condidit.*

Videtur idem, ac Apellas Cyrenæus. Conſule, quæ attuli lib. III de Hiſtoricis Græcis.

18. §. *Apollodorus, qui Geographus vocatur ab argumento, quod tractavit, ſcripſit de populis, inſulis, & urbibus.*

Ut auctor eſt Tzetzes Chil. III hiſtor. c. Vide, ſi vacat, quæ de Apollodoris memoravi lib. III Hiſtoriæ hiſtoricorum Græcorum.

19. §. *Capito Lycius deſcripſit Lyciam, & Pamphyliam.*

Teſtis Suidas. Conſule, quæ de eo attuli lib. III de Hiſtoricis Græcis.

20. §. *Dionyſius Corinthius* περιήγησιν τῆς οἰκουμένης δι' ἐπῶν † *reliquit:*

† *Deſcriptionem orbis, carmine.*

ut narrat Suidas.

CAP. LXIX.

DE GEOGRAPHIS LATINIS, nobis antea indictis.

1. §. *Habemus de Græcis. Pergam porrò ad Latinos. Ex his Æthicus, Coſmographiæ ſcriptor, videtur Theodoſii ſenioris ætate claruiſſe.*

Ita Simlerus in Epitome bibliothecæ Geſnerianæ. Fuſiùs de eo dixi in Hiſtoricis Latinis lib. III.

2. §. *Iuſtiniani junioris temporibus, puta anno* IƆXC, *Adamannus Scotus, ſcripſit de terris ſanctis.*

Plura de eo retuli lib. II Hiſtoricorum Latinorum cap. XVII.

3. §. *Anno* CIƆL *ſub Henrico* III *vixit Anſelmus Rhemenſis: qui reliquit itinerarium Papæ Leonis* IX.

Vide Sigebertum in catalogo cap. CLIII.

4. §. *Circa annum* CIƆC *conſcripta videtur Notitia epiſcopatuum orbis Chriſtiani, ſive Codex Provincialis Romanus.*

Qui Romæ primùm prodiit anno CIƆ IƆ III; hinc Lutetiæ, Lugduni, locisque aliis. Eundem Petrus Rebuffus cum Praxi beneficiorum edidit. Poſtea Aubertus Miræus Bruxellenſis, Canonicus Antverpienſis, contulit cum variis codd. in Galliis, ac publici juris fecit anno CIƆ IƆCX. Addidit etiam ſpecimen Geographiæ ſacræ. Qui verò Notitiam Imperii tribuunt Mariano Scoto, vellem hujuſce opinionis ſolida afferrent argumenta.

5. §. *Anno* CIƆCC, *quo imperare deſiit Henricus, cæpit verò Philippus, ac deinceps ſub Othone* IV, *vixit Dodechinus, abbas S. Dyſibodi: qui peregrinationem conſignavit in terram ſanctam.*

Vide, quæ prodidi in Hiſtoricis Latinis cap. LV.

6. §. *Anno* CIƆCCX, *ſub Ioanne Angliæ Rege, vixit Gervaſius Tilberienſis, Anglus. Qui inclaruit mappâ, ſive deſcriptione mundi.*

Citatur etiam à Boccacio in Genealogia Deorum. Apud Pitſeum in illuſtribus Angliæ ſcriptoribus lego, fuiſſe nepotem Henrici II, Anglorum Regis. Othoni Imperatori, ejus nominis IV, ob prudentiam, & dexteritatem adeò charus fuit, ut Mareſchallum ditionis Arelatenſis conſtituerit. Quæ præterea ediderit, retuli lib. II de Hiſtoricis Latinis cap. LVI.

7. §. *Anno* CIƆCCLXX *viguit in Anglia vir ad miraculum doctus, Rogerus Baconus, qui cùm aliis celebratur monumentis; tum libro de ſitu orbis, de regionibus mundi, de ſitu Palæſtinæ, de locis ſacris; adhæc Coſmographiâ.*

Niſi fortaſſe idem eſt Coſmographiæ liber, ac ille de ſitu orbis, vel mundi regionibus. Diximus de eo quoque in Opticis *, Aſtrologis †, & alibi ‡.

* Cap. 26. §. 10.
† Cap. 36. §. 32.
‡ Cap. 59. §. 13.

8. §. *Anno* CIƆCCCCX *clarebat Chriſtophorus de Buondelmontibus Florentinus, qui de Geographia librum fecit.*

Nec-

Necdum lucem vidit: ſed, ut in ſcriptoribus Florentinis prodidit Pocciantius, Manuſcriptus adſervatur à Laurentio de Buondelmontibus.

9. §. *Æneas Sylvius, qui anno* CIↃCCCCLVIII *factus eſt Pontifex, ac dictus Pius II, præter Coſmographiam ſive Univerſi orbis hiſtoriam, reliquit deſcriptionem Europæ.*

Vir fuit, ut doctiſſimus, ita amantiſſimus poëtarum; ſic tamen, ut poëtas famelicos quandoque eluderet. Exemplo hoc fuerit diſtichon:

Diſcite pro numeris numeros ſperare poëtæ.
Mutare eſt animus carmina, non emere.

Sed Philelphus ait liberaliſſimum fuiſſe, atque in hunc ſcripſiſſe modum:

Diſcite pro numeris nummos ſperare poëta.
Mutare eſt animus carmina muneribus.

Credo, prout poëtæ erant, ita aliter, atque aliter, reſponderit. Natus eſt anno CIↃCCCCV: obiit anno CIↃCCCCLXIV, ætatis LIX; ut in vita ejus refert Joannes Antonius, epiſcopus Aretinus: quem hac parte, quàm Platinam, ſequi malim.

10. §. *Anno* CIↃ CCCC LXIV *latè nomen diffundebat Joannes Mullerus Regiomontanus: qui hoc loco memoratur nobis, quia bene meritus ſit de Geographia Ptolemai. Nam annotationes in id opus ſcripſit; quibus errores caſtigavit interpretis Latini, Jacobi Angeli.*

Prodiere Argentorati anno CIↃ IↃXXV. Plura de Regiomontano retuli cap. XXXVI, §. 45.

11. §. *Anno* CIↃCCCCLXX *Nicolaus Donis in Coſmographiam Ptolemai emiſit opus mirandum, cum novis tabulis.*

Auctor Marſilius Ficinus ad Federicum Urbinatium ducem. Sed utrùm typis editus ſit, ambigo.

12. §. *Anno* CIↃCCCCLXXX *claruit Marſilius Berlingerus, Nicolai filius, poëta idem ac geographus: ut arguunt ſex libri, quos de Geographia fecit carmine.*

Laudat hoc opus Marſilius Ficinus lib. III epiſtolarum ad Federicum Urbini Ducem. De eodem ſic Michaël Verinus libro II illuſtratæ urbis Florentinæ:

Carmineque Hetruſco pinxit Berlingerus orbem.

13. §. *Circa annum* CIↃCCCCLXXXIV *vivebat Bernardus Breitenbachius: qui nominis ſui famam propagavit Itinerario terræ Sanctæ.*

Adi, quæ dicimus lib. III de Hiſtoricis Latinis cap. VI.

14. §. *Anno circiter* CIↃ CCCC XC, *vel ſaltem non ita multò antè, floruiſſe conjecto Dominicum Marium Nigrum Venetum. Cujus ſuperſunt non ſolùm* XI *Geographiæ Commentariorum libri, quot tantummodo in ſcriptio promittit: ſed ſex & viginti: nempe* XI *quidem Europæ, totidem Aſiæ, at Africæ* IV: *quibus ſitum terræ inhabitatæ, prout ſuo ſe habere tempore, cognoſcere potuit, non exiguâ induſtriâ literis commiſit.*

Claruiſſe ante Americam à Colombo repertam, quod fuit anno CIↃ CCCC XCII, ſatis ex opere ipſo videre licet; cùm orbis univerſi deſcriptionem polliceatur, novarum interim terrarum meminerit nuſquam. Neque editor illius Wolfangus Weiſſenburgius Baſileenſis, qui exemplar à viro doctiſſimo, Arnoldo Arlenio, acceperat (ſed ejuſmodi, ut innumeris in locis neceſſe habuerit illud caſtigare ex antiquis ſcriptoribus) ſuper eo ſciſcitere quicquam valuit: nec aliter de eo ſilentium excuſat, quam quòd non tam interſit, quis dixerit, quam quid dixerit: eoque ſufficere illud debeat, quòd *aſſiduæ lectioni veterum ſcriptorum indefeſſa multorum locorum experimenta conjunxerit; ut jucundâ quadam brevitate, & novâ non paucarum rerum expoſitione, omnes alios, quos ante ſe habuit, ſi non viciſſe, ſaltem æquâſſe, videatur.* Prodiit verò hic ſcriptor in lucem anno demum CIↃ IↃLVII, Baſileenſibus cum typis diffundente Henrico Petri.

15. §. *Anno* CIↃCCCCXCV *Cracoviæ in Polonia floruit Laurentius Corvinus Novoforenſis; qui Geographiam condidit orbis inhabitati; multaque addidit de variis hominum moribus, diverſis mutorum animantium naturis, aliiſque ſcitu dignis.*

Primò, à cacographo peſſimè habitus, depravatiſſimè prodiit; ut conqueritur Wolfangius Weiſſenburgius: qui iccirco emendatiùs excuſum Dominici Marii Nigri commentariis, itidem à ſe correctis, adjunxit: quod anno fuit CIↃ IↃLVII.

16. §. *Anno* CIↃ IↃVII *fuere Marcus, monachus Cæleſtinus Beneventanus; Joannes Cota Veronenſis; Scipio Carteromachus Piſtorienſis; Cornelius Benignus Viterbienſis. Qui quatuor ſedulam navarunt operam in Geographia Ptolemæi corrigendâ. Marcus etiam Planiſphærium Ptolemæi emendavit.*

Ea Ptolomæi editio anno, quo dixi, prodiit Romæ, cum privilegio Julii II. Pontificis.

17. §. *Anno* CIↃ IↃXXXVIII *Ægidius Tſchudus Claronenſis Helvetius, vir conſularis, librum edidit eruditum de priſca, & vera Alpina Rhætia, cæteroque Alpinarum gentium tractu.*

Diſcipulus fuit Henrici Glareani; ut ipſe ait operis ſui cap. XXXVIII. Defunctus eſt anno Chriſti CIↃ IↃLXXII, ætatis LXVII.

18. §. *Anno* CIↃ IↃXL *claruit Orontius Finæus Delphinas; qui publicavit orbis totius deſcriptionem, ad effigiem gemini cordis humani; item deſcriptionem alteram, ad intelligendum locorum ſitum, de quibus in Sacris agitur Literis; novam item Galliæ.*

Claruit anno CIↃ IↃXXV, ac XXX conſecutis: obiit anno CIↃ IↃLV*. Dixi de Orontio quoque in Geometris cap. XVI, §. 19: tetigi item in Opticis cap. XXVI, §. 13: adhæc in Mechanicis cap. L, §. 5.

19. §. *Anno* CIↃ IↃXLIV *Federicus Pintianus, in lucem dabat Caſtigationes ſuas in libros Plinii: quorum ſextus eſt de terrarum ſitu. Præterea edidit emendationes in Pomponium Melam de ſitu orbis.*

Salmanticæ utriuſque linguæ, Latinæ videlicet, ac Græcæ, Rhetorices item, profeſſor fuit.

20. §. *Anno itidem* CIↃ IↃXLIV *jam ſenex Nicolaus Gerbelius Phorcenſis I. C. vir Latinè & Græcè doctiſſimus, Argentinenſi in Academia docuit. Hic, poſt Iſagogen in Græciam Nicolai Sophiani Corcyræi, anno* CIↃ IↃ XLV *editam, laborem hunc ita limavit & adauxit, ut in libros* VII *excreſceret:*

quibus complexus fuit, quicquid ad illuſtrandam Græciam facere exiſtimaret. Alia etiam literis, ac memoriæ mandavit; ſed quæ ad Geographiam non pertineant. Vitâ exceſſit Argentinæ anno CIↃ IↃLX.

* *Hinc memorie temporis, tum quo floruit, tum quo mortuus, emendandus eſt cap. 16, vel potiùs 17, §. 19.*

Digitized by Google

21. §. *Anno* CIↃ IↃ L *vivebat Martinus Helvigius Niſſenus; qui aliquid ſibi exiſtimationis peperit tabulâ Sileſiæ.*

Natus anno CIↃ IↃ XVI. Præfuit ſcholæ Vratiſlaviæ. Obiit anno CIↃ IↃ LXXIV, ætatis LVIII.

22. §. *Anno* CIↃ IↃ LIV *Guilhelmus Barlowe Anglus fuit; qui, præter dialogos, etiam Coſmographiam publicavit.*

Meminit Balæus, ut exulantis in Germania.

23. §. *Anno* CIↃ IↃ LX, *ac deinceps, magnum apud omnes eruditos nomen fuit Petri Pithœi I.C. viri optimè de Rep. literaria meriti, præſertim ſcriptoribus antiquis: in quibus ad Geographiam facit, quòd è membranis veteribus primus in lucem protraxerit Itinerarium Burdigalenſe; in quo itinera ſunt Burdigalâ Hieroſolymam uſque.*

Edidit Andreas Schottus unà cum Itinerario Antonini, & Hieronymi Suritæ Commentario. Itinerarium id ſcriptum videtur tempore Conſtantini M. ut pluribus retuli libro de Philologia cap. XI, §. 17. Exceſſit Petrus Pithœus in patria Tricaſſium urbe. Vitam illius literis commiſit Joſias Mercerus, atque operibus ab eo relictis adjunxit.

24. §. *Eodem anno* CIↃ IↃ LX *florebat Hieronymus Surita Cæſaraugustanus. Hic de re Geographica bene meritus eſt edendo Itinerarium Antonini; quod contulerat cum quatuor vetuſtis membranaceis codd. & editionum priorum omnium optimâ; quam, ex caſtigatione Chriſtophori Longolii, Pariſiis anno* CIↃ IↃ XII *H. Stephanus ſenior divulgârat. Commentario quoque longe doctiſſimo idem Itinerarium illuſtravit.*

Vir fuit magni judicii, ac doctrinæ: eoque nomine laudatur à Ferdinando Pintiano, Caſtigationibus in Plinium, & earundem Retractationibus: item à Petro Victorio, lib. XXII Var. Lect. cap. XXIII: inſuper à Gabriele Faërno, Caſtigationibus in Terentium, ad Heaut. act. I, ſc. I: adhæc ab Antonio Auguſtino, in Antiquitatum dialogis: uti & Poſſevino, in Hiſtoriæ Apparatu Sect. V, cap. XIII. Obiit anno CIↃ IↃ LXXX, ætatis LXXVII.

25. §. *Anno* CIↃ IↃ LXI *Joannes Honterus Coronenſis quatuor libros carmine pangebat de rudimentis Coſmographiæ, unà cum præcipuis terrarum tabulis. Proſâ etiam adjunxit principia Aſtronomiæ, & Geographiæ.*

Opus hoc inſcripſit Tranſſylvanis ſuis. Nempe Dacus erat. Dacia verò Tranſſylvaniam, Walachiam, & Moldaviam, comprehendit. Coronenſem ſe vocat à patrio oppido, Corona, ſive Cronſtad; quod, ut Aventino in Bojorum Annalibus, & aliis nonnullis, videtur Ptolomæo lib. III, & VIII Geographiæ, Ζαρμιζεγέθουσα, & Σαρμιζέγεθουσα; Ulpiano, Tit. XV de Cenſibus, *Zarmigethuſa* nuncupatur.

26. §. *Anno* CIↃ IↃ LXII *Joſephus Moletius Mathematicus edebat Ptolemæi Geographiam, olim à Bilibaldo Pirckheimero tranſlatam; ſed à ſe cum multis collatam codd. Græcis, & ſecundum eos correctam. In primum etiam, & ſeptimum librum, ampliſſimum addidit commentarium; quo & à Ptolemæo dicta declarat, & omiſſa ſupplet, & antiquis locorum nominibus recentiora apponit. Vigintiſeptem tabulis terræ Ptolomæo cognitæ addidit* XXXVII *novas, ab aliis elaboratas.*

Venetiis excudit Vincentius Valogriſius.

27. §. *Anno* CIↃ IↃ LXX *in pretio erat Ludovicus Guicciardinus, qui Belgicam deſcripſit ſermone Hetruſco.* Gallicè autem Franciſcus Belleforeſtus reddidit; Latinè, Regnerus Vitellius. Fuit Patricius Florentinus, natus ex Franciſci Guicciardini, inclyti Hiſtorici, fratre Hieronymo: Antverpiæ obiit anno Chriſti CIↃ IↃ LXXXIX, vitæ ſuæ LXVI.

28. §. *Anno Chriſti* CIↃ IↃ LXXV *Andreas Papius Gandenſis, ætatis ſuæ* XVIII, *Dionyſii Alexandrini de ſitu orbis librum Heroico à ſe carmine redditum emiſit. Notas quoque in varias adjunxit Dionyſii lectiones. Adhæc Latinam Priſciani, vel Rhemnii Fannii, paraphraſin cum quinque codd. contulit, & varios emendavit locos, notas etiam appoſuit.*

Excudit Plantinus. Natus fuit Papius ex ſorore Lævini Torrentii, Epiſcopi Antverpienſis; ut ipſe teſtatur præfatione ad Ducis Arſchotani filium, & alterâ in Priſciani *περιήγησιν*. Vix annorum XXX, æſtui dierum canicularium natando volens occurrere, ſubmerſus Leodici fuit; ubi Canonicus erat. Vidimus de eo quoque in Muſicis, cap. LIX, §. 24.

29. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXII *Andreas Schottus Antverpianus rem Geographicam juvabat caſtigationibus, ac notis ſuis in Pomponium Melam de ſitu orbis, & parallelis eorum, quæ Mela ab Herodoto accepit. Hunc verò laborem imprimis Abrahami Ortelii, Regis Geographi, hortatu ſuſceperat. Atque eidem Schotto debemus, quòd in lucem protraxerit* τὰ μακαρίτου *Hieronymi Suritæ Caſtigationes in Antonini Itinerarium. Nec enim veriſimile eſt, alioqui unquam fuiſſe prodituras. Iis addidit, quaſi comites, Itinerarium Provinciarum ab Antonio Schonhovio Belga prius editum, & Itinerarium Burdigalenſe à Petro Pithœo è tenebris erutum.*

Vir fuit de Latinis Græciſque literis, ac tam ſacris, quàm externis, præclarè meritus; mihique gratior ob affectum, quam literarum commercio, & aliter, perſenſi. Obiit anno CIↃ IↃC XXXVI, ætatis LXXXIV.

30. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXVI *Cornelius Kempius Doccomienſis Friſius ſcribebat libros tres de origine, ſitu, qualitate, & quantitate Friſiæ.*

Vitam ejus, ſtudiaque, refert Suffridus Petri libro de Scriptoribus Friſiæ. Sed pleraque refellit Ubbo Emmius opere ſuo de Friſii, & Friſiorum Republica. Obiit Groningæ anno CIↃ IↃ LXXXVII.

31. §. *Anno* CIↃ IↃ XCV *Cornelius de Jode Antverpianus divulgabat introductionem Geographicam in Europa, Aſia, Africa, & America, tabulas à ſe editas.*

Ex Hiſpania in Belgicam proficiſcens, Montibus Hannoniæ moritur anno CIↃ IↃC, ætatis ſuæ XXXII.

32. §. *Anno* CIↃ IↃC V *Adrianus Romanus in lucem dedit Theatrum Mundi, ſive Orbis præcipuarum Urbium deſcriptionem.*

De hoc ſcriptore, niſi is diverſus, ſemel, iterumque, vidimus in diſciplinarum aliis.

33. §. *Anno* CIↃ IↃC XVI *Joannes Micrælius juris publici faciebat Arithmeticen, & manuductionem ad globi cæleſtis & terreſtris, tabularumque Geographicarum, uſum.*

Prodiit Stetini, veteri Pomeranorum urbe.

34. §. *Anno* CIↃ IↃC XVII *Willebrordus Snellius Rod. Fil. Eratoſthenem Batavum, ſive de vera Terræ ambitus quantitate, publicabat.*

Quo

Digitized by Google

Quo de viro, &, dum illi vita erat, amico ſummo, ſæpius jam dictum nobis.

35. §. *Etiam Angelus Florentinus Geographiam Ptolemæi vertit Latinè.*

Vt eſt apud Geſnerum; & ex eo apud Poccianitum in ſcriptoribus Florentinis. Sed ætatem neuter indicat.

36. §. *Nec ætatem ſcio Andreæ Corſalii Florentini: qui totâ penè vitâ (ad ſeculum autem pervênit) maria percurrit. Scripſit de navigatione maris Rubri. Item de ſinu Perſico.*

Auctor Pocciantius in illuſtribus ſcriptoribus Florentinis.

Cap. LXX.

DE MECHANICIS antea præteritis.

1. §. *Supereſt, ut addam de Mechanicis: quorum ut ſtudia ſe latè admodum diffundunt; ita numerus ſe offert longè maximus: adeo ut, Sole ſi oriente recenſere eos ordiar,*

Ante diem clauſo componat Veſper Olympo,

quàm ad finem eos perduxero. Quocirca facilem mihi veniam fore ſpero, ſi nunc quoque plurimos prætеream. Fortaſſe vel alias mihi, vel alteri, dabitur pleniùs de his tractandi locus. Nunc ſuffecerit producere, qui ſe offerent hoc tempore. Quales è Græcis ſunt Cteſiphon, & Carpion: ille volumen condidit de ſtructura Ionica Dianæ Epheſiæ: hic librum fecit de æde Dorica, quæ Athenis in arce fuit.

De utraque Vitruvius narrat præfatione libri ſeptimi. De priori etiam dixi in quarto de Hiſtoricis Græcis.

2. §. *Metrodorus item architectonicam literis eſt perſecutus.*

Memorat Plinius libro primo, in indiculis eorum, ex quibus lib. XXXIII, & duobus proximis, profecerit.

3. §. *Adhæc Heliodori Athenienſis memoria celebratur gemino monumento; uno de Athenienſium anathematis; de Architectonica altero.*

Citat Plinius lib. XXXIII, & ſequentibus duobus.

De fabrica Arateæ ſphæræ.

4. §. *Leontius Mechanicus ſcripſit* περὶ * κατασκευῆς Ἀρατείας σφαίρας.

Prodiit, poſt priores editiones, inter Aſtronomica veterum ſcripta Iſagogica Græca, & Latina, ex officina Sanctandreana CIↃ IↃ LXXXIX.

5. §. *Latinorum autem, de quibus nihil antea diximus, major ſe offert copia. In his qualecumque ſibi decus vindicat Quinctus Rhemmius Fannius Palæmon Vicentinus: qui Tiberii, & Claudii, Cæſarum temporibus facilè principem inter Grammaticos tenuit locum. Hujus creditur carmen de ponderibus, & menſuris. Quod tamen alii codices adſignant Remo Favino.*

Vitam hujuſce Palæmonis habes apud Suetonium in Illuſtribus Grammaticis; ubi & eum poëmata condidiſſe tradit. Meminit ejus quoque Plinius lib. XIV, cap. IV. Sunt qui Priſciani Cæſarienſis eſſe velint; de quo mox dicam. Edidit hoc carmen Elias Vinetus, poſteaque in epigrammatis antiquis Petrus Pithœus. Item cum Cornelio Celſo Robertus Conſtantinus; qui & variantes lectiones adjecit.

6. §. *Priſcianus Cæſarienſis claruit temporibus Iuſtiniani imperatoris. Exſtat ejus de menſuris, & ponderibus liber, proſâ ſcriptus.*

Credo, eo deceptos, qui & carmen, ſeu Rhemnii Palæmonis, ſeu Remi Favini, Priſciano tributum eunt. Vnà cum Rhemnio Priſcianum emiſit Elias Vinetus; qui etiam annotationibus illuſtravit.

7. §. *Guilielmus, abbas Hirſaugienſis, præter alia, librum compoſuit de horologio. Viguit autem anno* CIↃ LXXX;

ut eſt apud Tritthemium. Atque obiiſſe addit anno CIↃ XCI, ſub Henrico Cæſare III; ſed Rege ejus nominis IV. Diximus de eo quoque in Muſicis, & Aſtrologis.

8. §. *Anno* CIↃ CCLXX *in omni ſcientiarum genere claruit apud Anglos Rogerus Baconus, Ordinis S. Franciſci Monachus, & Oxonienſis Theologus, vir tam vaſtæ doctrinæ, ut Anglia, imò orbis, eâ re nihil haberet ſimile, aut ſecundum; ac vel invidiâ, vel ſeculi imperitiâ Magiæ inſimularetur. Literis, & memoriæ inter alia mandavit librum de ponderibus; de centris gravium; de practicis magiæ.*

De eodem diximus in Opticis, Aſtrologis, & Geographis. Nempe vir erat in omni ſtudiorum genere ſubactus; Latinè, Græcè, Hebraicè eruditus; Mathematicus undique doctiſſimus; Philoſophiæ, Medicinæ, Iuris prudentiæ, & Theologiæ admodum gnarus.

9. §. *Anno* CIↃ CCC *fuit nobilis ſui temporis medicus, Dinus de Garbo Florentinus; Brunonis, ſive Bruni, eminentis chirurgi, filius. Præter illa in Hippocratem, Galenum, Avicennam, aliaque, etiam reliquit librum de ponderibus, ac menſuris. Sed fortaſſe tantummodo doctrinam eam ad διοικ medicas adaptavit.*

Editus eſt Venetiis. Mirum autem, Pocciantium non meminiſſe illius in illuſtribus ſcriptoribus Florentinis; cùm memoret multos nullâ ex parte cum hoc viro comparandos. Vixit ſub Alberto, & Ludovico IV Imperatoribus. Admodum adoleſcens cœpit ſcribere: nec in ſenectute mutavit inſtitutum. Vide de eo Raphaëlem Volaterranum, Tritthemium, & Geſnerum tomo primo bibliothecæ.

10. §. *Anno* CIↃ CCCC XCV *claruit ſub Maximiliano I, Imp. Georgius de Gemmingen, præpoſitus Eccleſiæ Spirenſis, vir variis excultus ſcientiis: interque alia conſignavit librum de Machinis bellicis: uti & de cura equorum, ac militibus.*

Plura de eo Tritthemius; cujus ætate vivebat.

11. §. *Anno etiam* CIↃ IↃ *floruit Andreas Stiborius Bojus, Viennæ Auſtriæ Canonicus, & Matheſeos profeſſor. Compoſuit opus umbrarum quinque libris: in quibus tradidit diverſas projectionum ſpeculationes, & horologia nova, cum variis ſphæræ circulis ad diverſas elevationes, & ſuperficies. Idem fecit librum de variis horologiis viatoriis, ſive, ut vocant, compaſſis. Adhæc librum inſtrumentorum Aſtronomicorum primi & ſecundi mobilis, cum canonibus propriis, & veteribus. Clypeum item Auſtriacum cum canonibus: in quo Aſtrolabii facies omni momento relucet. Præterea libellum de variis horologiis ſphæricis, concavis, columnaribus, pyramidalibus, annularibus. Item de variis quadrantibus. Inſuper Introductionem in ſenſilem Aſtronomiam, cum variis picturis Aſtronomicis, & calendario Aſtronomico. Adhæc libellum de auctoribus Mathematicis, diverſas in ea præfationes, quæ publi-*

Digitized by Google

publicè doceret in Matheſi: nec non libellum de primo mobili quadripartitum; Geometricè, Arithmeticè, exemplariter, & inſtrumentaliter.

Diſcipulum habuit Georgium Collimitium Stanſtetter; cujus fide hæc præceptoris ſcripta memorat Geſnerus Tom. I Bibliothecæ: uti ex eo Simlerus in Epitome. De Collimitio autem in Aſtrologis actum cap. LXIV, §. 8.

12. §. *Anno* CIↃ IↃ X *magno in pretio erat Albertus Durerus; cujus ſollertem in pingendo induſtriam hodieque miramur. Idem nominis ſui memoriam ab oblivione vindicavit Commentario de urbibus, arcibus, caſtelliſque condendis**.

* *Prodiit Paraſiis anno 1535.*

Noribergæ, ſed patre Vngaro, natus fuit, anno CIↃ CCCC LXXI. Nec modò pictorum ſui ſeculi ceſſit nemini; ſed etiam pingendi artem præceptis comprehendit: opuſque id dedicavit Bilibaldo Bircheimero. Maximiliano I Cæſari, & ejus è filio nepotibus Carolo V, ac Ferdinando I, acceptus fuit. Locutus ſui de eo quoque libro de quatuor artibus popularibus, cap. poſtremo. Vivere deſiit anno CIↃ IↃ XXVIII.

13. §. *Anno* CIↃ IↃ XXX *laudem non exiguam meruit Henricus Glareanus Helvetius: qui permulta ad literas, & Matheſin, pertinentia reliquit; in his etiam opus de menſuris, & ponderibus* †.

† *Excudit Baſileæ Iſengrinius anno 1550.*

Dixi de eo in Arithmeticis cap. X, §. 11: item in Muſicis cap. XXII, §. 12: inque Geographis cap. XLV, §. 10. Etiam in Aſtrologis, & Chronographis, nomen eſt conſecutus. Nempe vir fuit undequaque doctiſſimus.

14. §. *Anno itidem* CIↃ IↃ XXX, *ac deinceps, Bartholomæus Cavalcantius Florentinus Hetruſcâ linguâ, præter iſta de arte Oratoria, librum exaravit de illâ ratione caſtra metandi, quæ eſt apud Polybium.*

Vixit in pretio apud Henricum II Galliarum Regem.

15. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXIII *Petrus Apianus Norimbergæ gloriam meruit inſtrumento, quod à figurâ* Folium populi *nuncupavit. Eo, per radios Solis, toto orbe horas cognoſcimus communes; exinde verò facilè deprehendimus horas Iudæorum inæquales.*

Plura de eo memoravi cap. XXXVII, §. 8; & cap. XLV, §. 7.

16. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXVII *Sebaſtianus Munſterus Horologiam ſuam publicabat auctiorem, & emendatiorem.*

Quo de ſummo viro uberiùs loquebar cap. XXXVI, §. undecimo.

17. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXIV *clarè effulſit Lilius Gyraldus; qui, inter tot aurea ingenii doctrinæque ſuæ monumenta; poſteris reliquit volumen de navigiis, & navigandi ratione.*

De Vita ejus pluſcula attuli in Chronologis cap. LXVII, §. 1.

18. §. *Anno* CIↃ IↃ XXXV *Ioannes Dryander viguit; qui egit de varia Horologiorum Solarium compoſitione.*

Dixi de eo cap. XXXVII, §. 12; & cap. XLV, §. 12.

19. §. *Anno* CIↃ IↃ XL *vixit Georgius Hartmannus; qui primus reperit baculum bombardicum:*

quo adhibito, ſcire poſſumus pondus globi ferrei, aliâve materiâ conſtantis. Pondere eo ignorato, aberrabitur in pulvere tormentario, quo onerandum eſt tormentum. Ejuſdem baculi beneficio metimur orificium tormenti; ut conſtet, quot librarum globum ex eo poſſimus jaculari.

20. §. *Anno quoque* CIↃ IↃ XL *vivebat Antonius Manettus, Philoſophus, & Mathematicus Florentinus; qui linguâ patriâ architecturam inferorum ex Dantis poëtæ ſententia deſcripſit: ubi ſitum, menſuram, & formam ejus loci, exſequitur.*

Memorat Michael Poccíantius in ſcriptoribus Florentinis.

21. §. *Anno* CIↃ IↃ XLIV *Venetiis prodiit Petrus Medina de Navigatione.*

L'arte del Navigar de Pietro de Medina. Exſtat etiam Gallicè redditus.

22. §. *Anno* CIↃ IↃ LIX *lucem videre cœpit Iacobi Androvetii Architectura.*

Quæ edita eſt Pariſiis.

23. §. *Anno* CIↃ IↃ LXII *Andreas Schonerus Gnomonicen typis ſubjiciebat Noribergæ.*

Egimus de eodem in Aſtrologis cap. LXIV, §. 36.

24. §. *Anno* CIↃ IↃ LXVII *Daniel Barbarus, nobilis Venetus, electus patriarcha Aquilejenſis, edebat luculentum in Vitruvii libros de Architectura commentarium:*

in quo & multæ ædificiorum, horologiorum, & machinarum deſcriptiones, ac figuræ. Excuſus Venetiis. Vidimus de eo quoque in Opticis.

25. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXI *Iacobus Rammingus de ædificiis, & architectis, commentabatur.*

Sed linguâ Germanicâ. Prodiit Heidelbergæ.

26. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXIII *Lucas Pætus Iuriſconſultus edebat libros V de menſuris, & ponderibus Romanis, ac Græcis.*

Primus eſt illis de menſionibus Romanis, & Græcis, quibus intervallorum menſuram agerent. Alter, de menſuris, quibus hodie intervalla metiuntur. Tertius, de iſtis liquidorum, & aridorum, Romanis, & Græcis; deque earum pondere. Quartus de menſuris Romanis, quibus nunc Romæ utuntur, cum antiquis etiam pondere collatis. Quinctus autem de ponderibus Romanis, & Græcis, etiam cum ponderibus noſtri temporis comparatis. His addidit ſextum, qui partim agit de nonnullis ejuſdem argumenti, partim aſtrologici. Obiit Pætus Romæ anno CIↃ IↃ LXXXI, ætatis ſuæ LXIX.

27. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXVIII *M. Egnatius Dantes Bononiæ famam meruit, & obtinuit, ſuâ Anemographiâ: quâ tum de ventorum egit diſcrimine; tum de fabricâ inſtrumenti, quo, ventus quis ſpiret, cognoſcimus.*

Ventorum hunc indicem exſtruxit Peruſii in ædibus Cardinalis Palæoti: item Florentiæ in gratiam Ioannis Baptiſtæ Cini. Occaſio illi eſt præbita ex marmorea turri, quam octohedram Athenis fecerat Andronicus Cypreſtes, ſive Cyrrheſtes. De qua Varro lib. III de R. R. cap. V; ac pluribus Vitruvius lib. I, cap. VI. Fuit Dantes hic ex ordine Prædicatorum, & Matheſios in Bononienſi Gymnaſio profeſſor.

18. §. *An-*

Digitized by Google

28. §. *Anno* CIↃ IↃ LXXXV *Ludovicus Dementioſus opus edidit de architectura veteri; quod inſcribitur*, Gallus Romæ hoſpes.

Occaſionem ſcribendi, atque argumentum operis, his verbis indicat epiſtolâ, quâ dicat opus ſuum Aloyſio Eſtenſi Cardinali: *Cum Romæ, paucorum menſium hoſpes, ex priſcorum operum veſtigiis, architecturæ præcepta animo repeterem: vidi in multis ædificiis non bene conſtare rationes ſymmetriæ cum præceptis antiquorum; (ſive à principio ignorantiâ peccatum fuerit, ſive exinde fuerint mutata, quæ exquiſitâ arte primum facta fuerant) & tamen vitia interdum laudari falsâ antiquitatis ſpecie: nec laudari tantum; ſed & inde exempla peti. Ut æſtimare licet vel ex Pantheo Agrippæ, inter celebriora orbis opera quondam celebrato; ut vero nunc eſt, ne inter probabilia quidem cenſendo; cum pars altitudinis, quæ fuit quondam ab ſummo, uſque ad pavimentum, intercepta fuerit contra ſymmetriæ leges. Et tamen quotuſquiſque eſt, qui interiorem ejus templi partem, ut nunc eſt, non agnoſcat antiquam, & qui ejus commenſum non probet? E diverſo, cum ejuſdem templi tholus ſummâ quondam arte perfectus, illæſus ad hæc uſque tempora manſerit; nemo ejus commenſum ſequitur. Nempe hodie pulchritudinem quiſque ſuo ſenſu metitur; dum ſibi nimium placent omnes, & antiqua faſtidiunt. Atqui in Architectura veteres unam tantum pulchritudinis ſpeciem agnoverunt; cujus numeros Hermogenes implevisse dicitur, ductâ ratione à commenſu corporis humani; à qua ſiquis digrediatur, errat; ut paſſim hodie errari video. Quo circa viſum eſt, hanc Architecturæ partem ad ſua principia revocare; atque adeò in Pantheo, omnium, quæ extant hodie, antiquarum ædium ſacrarum nobiliſſimâ, tentare, ecquid labor noſter ſuccederet.*

29. §. *Anno* CIↃ IↃC II *claruit Bartholomæus Keckermannus Dantiſcanus; cujus à morte liber editus eſt de re nautica.*

Vidimus de eo in Geographis cap. XLV, §. 38.

30. §. *Anno* CIↃ IↃC V *Adrianus Romanus publicabat Matheſin Polemicam.*

Quo opere primùm agit de ſcientiis, atque artibus duci bellico neceſſariis: deinde de ratione pertingendi ea ad loca, quæ non videantur poſſe accedi: denique de propoſitis militaribus, quæ Matheſin exigant.

31. §. *Anno* CIↃ IↃC IX *Levinus Hulſius tres edidit tractatus de inſtrumentis Mechanicis.*

Quorum primus eſt de fabrica planimetri ad dimetiendas urbes, arces, caſtra, flumina, aliaque. Item de reti, ac triplici tum quadrati, tum quadrantis uſu, ad cognoſcendam cujuſque longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Alter eſt de uſu baculi tormentarii ad ſtatuendum de pondere globorum, & quantitate pulveris tormentarii: item de quadrantis forma, & uſu ad tormenta ſic dirigenda, ut rectà, quò voles, jaculeris: ac denique de uſu virgæ viſoriæ, quâ cujuſque tormenti pondus cognoſcimus. Tertio libro deſcribitur circinus proportionalis Juſti Burgii; cujus uſus eſt longè maximus in dividendis lineis, ſuperficiebus, corporibus quibuſque regularibus, & irregularibus. Prodiit Francofurti ad Mœnum.

32. §. *Anno* CIↃ IↃC XI. *Joannes Keplerus, Mathematicus Cæſareus, Auguſtæ Vindelicorum Dioptrica divulgabat.*

Vidimus de Keplero in Aſtrologis cap. XXXVII, §. 45; & in Chronologis cap. XLII, §. 21.

33. §. *Anno* CIↃ IↃC XXII *Georgius Schonbergerus, Societatis Jeſu, in lucem dabat demonſtrationem ac conſtructionem horologiorum novorum; radio recto; refracto in aqua; reflexo in ſpeculo; ſolo magnete horas Aſtronomicas, Italicas, Babylonicas, indicante.*

Edebat Friburgi Briſgojæ: ubi in Academia, ut vulgo loquimur, Archiducali, Matheſios fuit Profeſſor ordinarius.

34. §. *Anno* CIↃ IↃC XXVIII *Daniel Angelocrator ſecundâ curâ auctius, & emendatius, emittebat doctrinam de Ponderibus, & Menſuris, per orbem omnem uſitatis, ex probatiſſimis ſcriptoribus conquiſitam, inque aphoriſmos, & tabulas, redactam.*

Quod opus dedicavit ampliſſimo, & prudentiſſimo, hujus Amſtelodamenſis civitatis Senatui. Excuſum eſt Francofurti.

35. §. *Anno* CIↃ IↃC XXXV *Paulus Guldinus, è Societate Jeſu, memoriam nominis ſui conſecrabat libro primo de Centro Gravitatis trium ſpecierum quantitatis continuæ. Anno autem* CIↃ IↃC XL *divulgabat ſecundum, tertium, & quartum.*

Prodiere univerſi Viennæ Auſtriæ. Tardiùs tres poſteriores, quòd, dum prælum primo fervêret, ſuſceptum abrumpere negotium cogeretur, Bellonâ omnia circumſtrepente.

36. §. *Anno* CIↃ IↃC XLI *Athanaſius Kircherus Romæ* juris publici faciebat Magnetem ſuum, ſive de arte Magnetica opus tripartitum.* ** Recuſus emendatior Coloniæ anno 1643.*

Patriâ eſt Fuldenſis Buchonius, profeſſione è ſocietate Jeſu, ac Romæ in Collegio ejuſdem ſocietatis profeſſor ordinarius. Opere hoc multa promit phyſica, medica, chymica, & mathematica experimenta. Eſtque, ut ipſe de ſe ludens vir doctiſſimus ſcribit †, *artium & ſcientiarum vera ſimia; ac nunc Geometram agit, modò Geographum, jam Mechanicum, & nautam, ſæpe magum, & Aſtronomum, ſubinde Philoſophum, Medicum, imò Theologum.* *† Proœmio ad lectorem.* De nauticâ magneticâ tractat libri ſecundi parte ſextâ.

37. §. *Anno* CIↃ IↃ XLIII *Nicolaus Goldmannus Vratiſlavienſis Sileſius edidit Architecturam militarem partibus tribus. Prima initio agit de delineationibus. Hinc de Orthographia, & Ichnographia. Tum de Stereometria, & Sciagraphia. Ac poſtremò de Mechanico modo, & de Offenſione. Altera continet tabulas ſupputatas Delineationum; Orthographicas, Ichnographicas, & Stereographicas. Tertia complectitur figuras typis expreſſas.*

Leidæ excuderunt Elzevirii.

Atque hìc finem facio de ſcientiis, & ſcriptoribus Mathematicis: non eo quidem animo, quaſi jam nunc per omnia mihi ſatisfecerim: ſed quia (modò Deus valetudinem conceſſerit, ac vitam) ſperem me, poſt ceſſationem aliquam, poſſe alacriùs redire ad iſta ſupplendum, quæ longo laſſus opere nunc prætereo. Nimirum interpoſita etiam quies magis ad laborem vegetos reddit: ut exemplo Porcii Latronis conſtat: qui, ut à M. Seneca ‡ accepimus, numquam plus laudis meruit, quàm cùm diceret ex intervallo. *‡ Præfat. lib. 1 Controv.*

FINIS.

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
ARTIUM ET SCIENTIARUM
NATURA AC CONSTITUTIONE
LIBER IV.
SIVE DE LOGICA.

CAP. I.

DE VARIIS LOGICÆ ARTIS NOMINIBUS; AC PARTICULATIM, UNDE NOMEN LOGICES ACCEPERIT.

§. 1. *Poſtquam de Matheſi à nobis actum fuit, viſum eſt agere de Logica. Duabus enim hiſce diſciplinis, numerandi unà: quæ, cum illa dimetiendi, veram conſtituit Matheſin: alterâque ratiocinandi, de qua nunc loquar; tota hominum vita ſtat, vel cadit.*

VNde Epicharmus Siculus in fabula *, cui Πολιτείας † nomen fecit:

Ὁ βίος ἀνθρώποις λογισμοῦ, καὶ ἀριθμοῦ, δεῖται μόνον ‡.
Ζῶμεν ‖ ἀριθμῷ, καὶ λογισμῷ· ταῦτα γὰρ σώζει βροτούς.
Junge cum ratione numerum, queis homo ſolis eget.
Vivimus ratione, numeroque: hæc duo hominem ſoſpitant.

* Apud Clementem Alex. lib. 5. Stromat.
† Republica.
‡ Apud Clementem eſt παῖον· ſed aliud verſus exigit proximus.
‖ Apud Clementem eſt Ζῶμεν δ' ἀριθμῷ. Sed ſic prima ſede foret Creticus.

§. 2. *Porrò ut in Matheſi à me factum, ita hîc quoque non artem exponam, ſed tantummodo ejus naturam, & conſtitutionem. Auſpicabimur autem à vocabulo Logices: cujus ambiguitas ante omnia tollenda eſt. Nunc voce eâ utor, non laxè, quomodo præter diſſerendi rationem, ut Cicero vocat, duas continet ſunt diſciplina Logica, Grammatica, & Rhetorice: ſed preſſè, pro ſolâ arte rationem dirigente in cognitione veri. Quæ à Stoicis* Dialectice, *ac à parte ſuſpectiore etiam* Critice *nominatur.*

Nomen enim hujus diſciplinæ triplex invenio; *Logica*, *Dialectica*, & *Critica*. *Logicam* quidem nuſquam vocat Ariſtoteles; etſi ſubinde Logicas rationes dicat pro Dialectices; ut videre eſt lib. 1 poſt. Analyt. cap. XVIII. ubi ait ſe velle λογικῶς quæſtionem tractare. Quod cùm feciſſet, ſubdit: Λογικῶς μὲν οὖν ἐκ τούτων ἄν τις πιστεύσειε περὶ τοῦ λεχθέντος, ἀναλυτικῶς δὲ διὰ τῶνδε φανερὸν συντομώτερον. *Logice quidem ex his quiſpiam, quod dictum eſt, crediderit, analytice verò per hæc compendioſius.* Subjicit tandem: Ὅτι δὲ διὰ τὸ ἵσταται, δέδεικται λογικῶς μὲν πρότερον, ἀναλυτικῶς δὲ νῦν; *quod conſiſtant*, (neque progrediantur in infinitum prædicata) *logicè quidem prius, nunc verò analyticè.* Ac ſimiliter lib. 1 poſt. Anal. cap. XX. ait: Τῶν μὲν εἰρημένων ἔνια λογικά, *cùm argumentorum, quæ diximus, quædam ſint logica.* Hoc eſt, Dialectica, quibus opponuntur argumenta didaſcalica. Sed pro arte tota introducta eſt Logices appellatio à veteribus Peripateticis, teſte Boëthio, aliiſque. Alexandro Aphrodiſienſi in 1 Top. eâdem ſignificatione accipitur Dialectica, cùm ſub ea Τοπικὴν, & Ἀποδεικτικὴν, comprehendat. Similiterque eâ uſus Plutarchus: item Stoici omnes. Nempe generatim illis διαλέγεσθαι, unde Dialectica dicitur; idem eſt, ac λόγῳ χρῆσθαι, id eſt, *ratione uti, ratiocinari, diſſerere, diſputare, argumentari.* Cuncta enim hæc συμπίπτει, *coincidunt*; ut Grammaticorum voce utar. Verum tamen Peripateticis vox διαλέγεσθαι non patet tam latè, ſed notat probabiliter argumentari. Ac ſimiliter *Dialectica* vox ab Ariſtotele, ac veteribus Peripateticis, ſemper accipitur pro ea Logices parte, quæ docet ex probabilibus argumentari, alioque nomine *Topica* dicitur. Nam quod ad eum locum 1 Rhetor. quo Ariſtoteles ait vel univerſæ Dialecticæ, vel partis eſſe, generatim agere de ſyllogiſmo: hîc quoque non niſi Topica intelligi poſſunt: cùm Ariſtoteles inibi non conſideret Syllogiſmum ratione communis formæ: ſed ratione communis materiæ, h. e. materiæ probabilis, quæ generatim in Topicis ſpectatur, ſpeciatim in Rhetoricis, quia τὸ πιθανὸν * eſt ſpecies τοῦ ἐνδόξου †: quo de pluribus agemus in Logicæ partitione. Plato quoque per Dialecticam intelligit Metaphyſicen: ut planum faciam inferiùs, cùm de Topicis loquar. Quamobrem ad evitandum ambiguitatem vocis præſtat cum veteribus Peripateticis totam artem appellare Logicam; ac per Dialecticam ſola intelligere Topica. Tertium nomen eſt Κριτική, cujus appellationis ratio eſt, quòd Stoici judicium alteram facerent Logicæ partem. Eo modo vocant Athenæus, & Lucianus de Sectis; ut obſervavit Iſaacus Caſaubonus lib. 1, cap. 11. animadverſionum in philologum illum Naucratiten. Fortaſſe autem & quarta eſt appellatio. Nam ab Epicureis videtur *Canonica* vocari: de quo item poſtea videbimus.

* Perſuadendi idoneum.
† Veriſimilium.

§. 3. *Convenit Logicam ſic dici* ἀπὸ τοῦ λόγου. *Sed Græci una hac voce & rationem, & orationem, fuere complexi. Quod minimè mirandum, quando tanta eſt inter iis conjunctio: prius que ſe habeat, ut* ἀρχέτυπον, *ſive exemplar; alterum, ut imago. In diſquiſitionem igitur venit, ab utra ſortita ſit nomen. Non dubitandum verò, quin ſit à ratione: ut quæ per ſe ſpectet* λόγον *internum, ſive rationem; ex accidenti duntaxat externum, ſive orationem.*

Quia λόγος nunc rationem ſignificat, nunc orationem, quam Democritus appellabat ῥεῦμα τοῦ λόγου ‡: dubitant, utrùm ab hac, an verò ab illa, nomen Logica acceperit: ſed qui à ratione appellatam volunt, rectè eò ſententiam ſuam adſtruunt, quòd cùm λόγος alius ſit ἐνδιάθετος, ſive internus, alius προφορικός, ſive externus: Logica per ſe conſiderat λόγον internum, h. e. rationem; teſte Ariſtotele lib. 1. poſt. Anal. Certè de οὐσίᾳ ‖ Logicæ eſt ratiocinari: at non utitur neceſſariò oratione, verùm κατὰ συμ-

‡ Rationis fluxum.
‖ Eſſentia.

κατὰ συμβεβηκὸς*, quia ratiocinamur ſæpe nobiſcum cum nullo verba facientes. Eorum autem, qui à ſermone derivant, non una eſt ſententia. Nonnulli obeſioris naris Lucumones, quos doctiſſimum Auguſtinum Hunnæum ſecutum eſſe miror, à ſermone ideò dictam volunt, quòd in oratione ſummum uſum præſtet, quando cum Philoſophis in ambiguam venitur litem. Verùm rationi accidit oratio; ut orationi ſcriptio. Ut ex eo liquet, quòd neque ratio omnis proferatur, neque oratio omnis ſcribatur. Itaque hæc ſententia tantum à vero abeſt, *Quantum Hypanis Veneto diſſidet Eridano* †. Propiùs à vero abeſt Fonſeca, qui cùm ſermo alius ſit mentalis, alius vocalis, alius ſcriptus; à ſermone communiter accepto dictam putat: maximè tamen reſpicere ſermonem mentalem non inficiatur. Verùm cum philoſophorum ſit preſſè, & ſignatè loqui; ac Latinis propriè ratio ſit λόγος ἐνδιάθετος, oratio verò ſit προφορικός: examuſſim optimè loquuntur, qui Logicam à ratione dictam volunt; non item, qui à ſermone. Quemadmodum idcirco rectius etiam ſyllogiſmus per rationem, ſive mentis diſcurſum definitur, quam per orationem; ut ſit ab A. Gellio. Nec enim ſyllogiſmus omnis profertur: at hoc omni convenit ſyllogiſmo, ut menti inſit: ut verum hoc genus ſit, quod inſeparabile eſt à ſuâ ſpecie: ut eſt IV. Top. cap. I. cont. IV. & cap. II. cont. II. III. & IV. Item II. Metaph. cap. III. Sed ſive à ratione deducas Logicen; ſive à ſermone; ſive item ſyllogiſmum per rationem, ſive per orationem, aut ſermonem, definias: de re ipſa non admodum diſcrepant, dummodo intelligatur mentalis ſermo; qui non aliud eſt, quam ratio. Quod abſurdum non eſt, cùm idem ſenſerit ſummi judicii ſcriptor Tertullianus lib. adverſus Praxeam: Verba ejus hæc ſunt: *Vide, cum tacitus tecum ipſe congrederis ratione, hoc ipſum agi intra te occurrente ea tibi cum ſermone ad omnem cogitatus tui motum, & ad omnem ſenſus tui pulſum. Quodcumque cogitaveris, ſermo eſt: quodcumque ſenſeris, ratio eſt. Loquaris illud in animo neceſſe eſt: & dum loqueris, conlocutorem pateris ſermonem, in quo ineſt hæc ipſa ratio, qua cum eo cogitans loquaris per quem loquens cogitas. Ita ſecundus quodammodo in te eſt ſermo, per quem loqueris cogitando, & per quem cogitas loquendo: ipſe ſermo alius eſt.* Sonat igitur Logica diſciplinam rationalem. Nam ſolùm ea λογικῆ ſignificatio huc facit, quatenus λογικὸς ſignificat *rationale*, h. e. ratione præditum, aut ad rationem pertinens: non item altera, quâ λογικὸν ſignat *rationabile*, hoc eſt rationi conſentaneum: quo pacto *rationabilis* nomine utuntur Cornificius, Fabius, alii: quomodo item in gloſſis vett. exponitur: ne quis βάρβαρον putet cum viro docto.

* Per accidens.

† Propert. lib. 1.

Atque hæc de vocabulo Logices. Nunc venio ad ejus naturam. Picturam ſi priùs videre voles, adi Martianum Capellam initio libri quarti, ubi Logicam, ſed Stoicam veriùs; aut illam Varronis, quàm Ariſtotelicam, depingit; nempe acri viſu, vibrantibus continua mobilitate oculis, crinibus tortuoſis, ſub pallio viperinas inſidias occultantem.

CAP. II.

DE GENERE LOGICÆ.

§. 1. *Nunc ad definitionem Logicæ accedamus.*

QUam quia præterierit Ariſtoteles, reprehenditur à Ramo, tanquam oblitus ejus quod ait ipſe πᾶσα ἐπιστήμη γίνεται δι' ὁρισμῶν: quaſi illic de tota ſcientia, ac non parte ſolum ſermo ſit. Nobis tamen præterire nefas, quia non artem ipſam tradimus, ſed ſolum de natura ac conſtitutione artis ſcribimus.

§. 2. *In definitione illud primò in quæſtionem venit, an rectè ars ſtatuatur genus proximum.*

Neque ignoro, multos prudentiſſimos viros judicare; leviorem hanc eſſe diſquiſitionem, quam ut bona ingenia diu morari debeat. Verùm cogitare debent, controverſiam hanc, ſi ullius, hujus ſane loci eſſe. Adde quòd nuſquam non veritatis cognitio delectat. Nam, ut præclare dicebat Plato, intelligentiæ noſtræ vis alitur veritate, tanquam ſaluberrimo pabulo: at falſæ opiniones virus ſunt, quo animi noſtri inficiuntur. Sed & eò ſuavior hujus rei notitia, quia de hac hodie, ut cum Auſonio ‡ dicam,

—— *Omnis certat Dialectica turba ſophorum.*

‡ 2. Idyl. 17.

§. 3. *Ac illud quidem extra controverſiam eſt, convenire Logicæ laxiorem illam definitionem artis, quæ à Stoicis adſertur.*

Eſt ea apud Philonem Judæum lib. περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου. item Galenum, Lucianum, Euſtathium Ariſtotelis enarratorem. Eſtque hujuſmodi: Τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐκ καταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῷ βίῳ. Sive, ut apud Hermogenis interpretem legitur, σύστημα ἐκ καταλήψεων συγγεγυμνασμένων. Et planè ſic legendum cenſeo. Nam iis, qui hic vocantur συγγεγυμνασμένοι, opponit alibi ἀσυγγυμνάστους. Sextus Empiricus ſimiliter definit, niſi quòd extremo loco dicat, eam artem eſſe ἐπὶ τέλος εὔχρηστον τῷ βίῳ λαμβανόντων τὴν ἀναφορὰν. Latinè hanc Stoicorum definitionem expreſſit Fabius lib. II. cap. XVIII. ubi, an Rhetorice ars ſit, quæritur, atque ab omnibus ferè id probatum ait, *artem conſtare ex perceptionibus*, (ſic legendum, pro *præceptionibus*) *conſentientibus, & coexercitatis ad finem vitæ ultimum.* Uti illud *coexercitatis* planè probat in illa Stoicorum definitione legi debere συγγεγυμνασμένων. Quod & David Hœſchelius amplectitur, Notis in Nazianzeni definitiones. Similiter Diomedes initio lib. II. ubi hanc ex Tullio definitionem adducit, *Ars eſt præceptionum exercitatarum conſtructio ad unum exitum vitæ pertinentium.* Quo loco itidem malim *perceptionum*: quod & viſum Petro Fabro. Nempe quia Græcè eſt καταλήψεων. Niſi placet, promiſcuè uſurpari *præceptiones*, & *perceptiones*; quomodo Hermogenis interpres pro eodem nunc θεωρήματα dicit, nunc καταλήψεις. Porrò hoc pacto Logicen eſſe artem, certiſſimum eſt. Quemadmodum & ei convenit illud Ariſtotelis τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ lib. I. cap. I. Γίνεται δὲ τέχνη, ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων καθόλου μία γένηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις. *Fit ars, cum ex multis experimentalibus conceptibus una de ſimilibus univerſis opinio fit.* Verùm hæc non ſufficiunt ad probandum, rectè Logicen per artem definiri: quia etiam in ſcientiis locum habent: eoque ars quidem Logice fuerit, ſed laxè ea voce exceptâ.

§. 4. *Verùm in eo cardo vertitur, an, ſi Ariſtoteles in ſcriptis, quæ reliquit, ullam Logicæ definitionem præſtituere voluiſſet, alio, quàm artis genere, fuerit uſurus. Nobis videtur planè artem dicturus fuiſſe. Pendet autem ea res à definitione artis, quæ in Nicomachiis affertur lib. V. cap. VIII.*

Ubi τέχνη definitur, ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική, *habitus cum rectâ ratione effectivus.* Unde & Cæſar Scaliger adverſus Cardanum Exercitatione I. ſect. III. Logicen ſtatuit non eſſe ſcientiam, ſed artem, quia finis ejus ſit opus: ut quæ fabricet inſtrumenta ad modos ſciendi. Multi tamen negant, Logicam ποιεῖν, quia Ariſtoteles ita preſſè hoc verbum accipit, ut nihil dicatur ποιεῖν, niſi quod ita operatur, ut efficiens non ſit in eodem effecto cum ſuo opere: ſed ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ ποιοῦντι, καὶ μὴ ἐν τῷ ποιουμένῳ. Unde & libro II. φυσ. ἀκρ. artem eſſe externum principium docet, naturam internum. Atqui & Logice, & Syllogiſmus ſunt in mente Logici. Eoque iis Logice nec ποιεῖν, nec eſſe ars videatur. Nobis verò ſufficit ad hoc, quod Logica, etſi in mente ſit cum Syllogiſmo, non tamen inſit operi, ſive ipſi Syllogiſmo. Præterea veriſimile ſit, verbum ποιεῖν latiùs patere. Nam cùm actio omnis

Digitized by Google

vel immanens ſit, vel tranſiens, atque immanens ſit, vel moralis, vel miniſtra, ut quæ fabricat in animo ſecundas notiones: prudentia quidem erit actionum immanentium moralium: ars verò producet tum alterum actionum immanentium genus, tum actionem tranſeuntem. Artem autem verſari etiam circa hoc immanentis actionis genus, evincimus hoc pacto. Tantum quinque ab Ariſtotele nominantur habitus dianoëtici; mens, ſcientia, ſapientia, prudentia, & ars. Ac Logica una eſt mens, ſcientia, aut ſapientia, quia hæc ſunt rerum neceſſariarum: neq; eſt prudentia, quia hæc eſt actionum moralium, quæ ſolæ propriè πράξεις dicuntur. Supereſt igitur, ut ad artem referatur. Hoc telum plerique ſe exire arbitrantur, ſi dicant, Ariſtotelem duntaxat enumerare habitus principales: Logicam autem, uti & Grammaticen, eſſe habitum inſtrumentalem: quemadmodum verò, qui ſe Venetias, aut Romam proficiſci dicit, non excludit urbes intermedias, ſed tacitè comprehendit; itidem facere Ariſtotelem, cum præterito habitu inſtrumentali ſolum nominat principale. Sed hoc argumentum facile eſt ſic commutare, ut pro nobis faciat. Nam ut definitio illa artis in Nicomachiis illata non ſatis conveniret Logicæ: dicere tamen liceret, Ariſtotelem ibi loci ſolum reſpicere artes particulares, uti mechanicas, politicæ famulas; non item univerſales; quales ſunt, quæ inſtrumenta fabricant univerſæ philoſophiæ: Quemadmodum autem, qui ſe Romam, aut Venetias, proficiſci ait, non excludit urbes interjectas, ſed implicitè intelligit: ita neque Ariſtotelem, cùm definit ſolùm artes particulares, negare univerſales. Et juſtiùs profectò, ut agnoſcent, qui de his rebus judicare poſſunt, nos eâ utamur ſimilitudine. Nam ut Deus, & natura nihil faciunt fruſtra, ita neque prudentis eſt pluribus facere, quod fieri poteſt paucioribus. At oſtendimus, poſſe Ariſtotelem defendi, licet non comminiſcamur diſtinctos habitus ab iſtis quinque. Nempe ſolùm opus, ut vox ποιήσεως latiùs paulò accipiatur, ſic ut non ſolùm conveniat artibus iis, quæ corpus naturale novâ viſibili formâ induunt; ſed etiam comprehendat artes, quæ fabricant notiones ſecundas. Nec uſum hunc ποιήσεως negare poſſunt. Nam omnis operatio intellectus, ut Ariſtoteles ait VIII. Topicorum cap. II. & initio ſexti Metaphyſicorum, aut eſt θεωρία, aut πρᾶξις, aut ποίησις. Logicam eſſe, θεωρίαν aut πρᾶξιν, nunquam dicent. Quare propriè preſſeque ποίησις erit, cùm Ariſtoteles non cognoſcat plures diſciplinarum fines, quam tres iſtos. Sed quid multis opus? cum Ariſtoteles operationem Logici ποίησιν vocet lib. I. Analyt. priorum cap. XXV. ſect. III. & lib. II. poſt. cap. VIII. ſect. I. Imò & Logicen appellat artem lib. II. Sophiſt. Elench. cap. ult. & in Rhetoricis ad Theodectem cap. I. & II. Neque hoc telum adverſariis puto inviſum: verùm ictum ejus exire ſe putarunt, dicendo, latè iſtic ab Ariſtotele & τέχνην, & ποίησιν, ſumi. Contra ego ex iis, quæ aſſerebam, propriè ποιεῖν, proprieque τέχνην eſſe colligo. Quam ſententiam etiam comprobare poſſumus juniorum auctoritate. Duos ſolum nominabo; ſed qui multorum inſtar fuerint. Prior eſt magnus ille Thomas Aquinas lectione CLXXIX poſter. Analyt. ad illa philoſophi verba, μία δ' ἐπιστήμη ἐστὶν ἡ ἑνὸς γένους. *una eſt ſcientia, quæ unius eſt generis.* Ubi ſcientias theoreticas, ac practicas, eo differre ait, quòd in ſpeculativis nihil aliud quæratur, quàm cognitio ſubjecti: in practicis verò (laxe eâ voce acceptâ, ποιητικὰς intelligit) ſcopus ſit conſtructio ſubjecti. Addit deinde, *ſicut in Geometria intenditur, quaſi finis, cognitio magni ordinis: ita in ſcientia ædificatoria intenditur, quaſi finis, conſtructio domus, quæ eſt hujuſmodi artis ſubjectum.* Si artium finis eſt conſtructio ſubjecti: Logice certè ars fuerit: ut cujus finis ſit compoſitio ſubjecti ſui; quale eſt ſyllogiſmus, definitio &c. Alter, quo ſententiam hanc fulciri ajebam, eſt Cæſar Scaliger lib. III. de re Poët. cap. I. ubi, accuratius de habitibus tractans, quàm ipſe fecerat Ariſtoteles in Ethicis, duas ponit animi poteſtates, intellectum, & voluntatem. Intellectus tres numerat affectiones: Νοῦν ſive rationem, cujus finis ſcientia; ſcientiam, cujus finis ſapientia; Sapientiam, quæ omnium nobiliſſima, finemque habet beatitudinem. Voluntatis item tres ſtatuit affectiones, moralem, prudentiam, & artem. Morales ſunt habitus agendi. Prudentiam diſtinguit ab habitu morali, ea in re ab Ariſtotele diſcedens. De artibus denique in hunc modum ſcribit. *Ad faciendum, artes comparatæ ſunt; eæque duplices. Namque aut materiale quippiam conficiunt, aut conſtruunt immateriale. Immaterialium nobiliſſima, quæ fabricat inſtrumentum rationi: ea eſt Dialectica, artifex ſyllogiſmi. Huic proxima Oratoria: namque illa neceſſaria, hæc utilis. Duæ præterea, quæ voluptatem cum utilitate conjunxere. Moralium artium illuſtriſſima Medicina; cujus pediſſequæ omnes, quæ ad vitam, victumque parata ſunt, etiam fabricæ genera omnia. nam quod aramus, quod ædificamus, ea omnia ad vitæ finem diriguntur, cujus magiſter eſt medicus.* Et hæc de vero Logices genere.

Cap. III.

DE LOGICES FINE, ET OFFICIO LOGICI.

§. I. *Differentia Logices petitur à fine, officio, & materie, ſive objecto. Finis ejus eſt directio intellectus in cognitione rerum. Officium proinde fuerit docere modum efficiendi inſtrumenta, quibus intellectus in cognitione rerum dirigitur. Unde etiam neceſſe habet explicare ejuſmodi inſtrumentorum menſuram.*

Finis Logices eſt duplex; τὸ προσεχὲς τέλος, καὶ τὸ πόῤῥω τέλος, h. e. finis internus, ac proximus, ſive ſubordinatus; vel externus, ac remotus, ſive ultimus. Πορρώτερος ille, ſive remotior finis ſtatuitur à nonnullis cognitio veritatis. Verùm is propius ſcientiarum eſt ſcopus. Logice verò hoc ſibi proponit, ut modum ſciamus, quo certiùs ac faciliùs verum perſpicitur, ac docetur. Differunt hæc duo, quia aliud eſt cognitio veri; aliud cognitio modi, quo ad verum pervenitur. Atque hinc etiam patebit, quis ſit finis προσεχέστερος ſive proprior; quem *Officium Logices* vocamus. Nempe is eſt modum docere, quo pervenitur ad verum, ſive tradere præcepta ac rationem efficiendi inſtrumenta, quorum ope mens noſtra certiùs, ac faciliùs, verum cognoſcat. Cujuſmodi inſtrumenta imprimis ſunt ſyllogiſmus, & ordo. Ut omnino Logicæ optimè conveniant verba illa Senecæ epiſt. LXXXVIII. *Præfert lumen, per quod acies dirigatur ad verum*: Lumen hoc præfert intellectui tum noſtro, tum alieno. Sed primariò quidem proprio: ſecundariò autem alieno. Quia priùs nobis proponimus, ut ipſi rem videamus; poſteriùs, ut aptè alteri exponamus.

Sunt qui ſtatuant Logicæ finem eſſe diſſerere, vel diſputare. Sed hoc ſolius eſt Dialecticæ: finemque habet ulteriorem. Nam diſſerit Dialectica, ut cognoſcatur veritas. Verum autem invenitur bifariam: pro duabus legitimæ cognitionis ſpeciebus: quarum una eſt cognitio accurata, firma, ſolida, quatenus eam conſequi poſſumus: diciturque in theoreticis ἐπιστήμη, ſive ſcientia. Altera eſt cognitio popularis: quæ in artibus & practicis vocatur δόξα, ſive opinio; ubi res examinatur non aurificis ſtaterâ, ſed quapiam populari trutina. Sic igitur colligimus, Dialecticæ quidem propoſitum eſſe diſſerere in utramque partem ad gignendam opinionem: at totius Logices finem eſſe cognitionem veri & falſi, ſive dubiæ & ignotæ quæſtionis.

Cap. IV.

DE OBJECTO LOGICES.

§. I. *Objectum ſive materies Logicæ, quatenus organo Ariſtotelis traditur, ſunt notiones ſecundæ ad bene ratiocinandum. At ſi Logice ἁπλῶς conſideretur,* *nimis*

nimis anguſtè hæ ſtatuuntur objectum: adæquatum autem objectum erunt inſtrumenta ac notiones ſecundæ: quibus intellectus dirigitur in cognitione rerum. Hujuſmodi inſtrumenta præcipuè ſunt definitio, diviſio, ſyllogiſmus, & ordo: ſecundario autem genus, ſpecies, materia, forma, ſubjectum, accidens, ac ſimiles notiones: quarum ope fit, ut natura quatuor illorum inſtrumentorum rectiùs intelligatur.

DE objecto Logices diſſentiunt, aut videntur diſſentire interpretes. Aliqui ſtatuunt objectum ejus eſſe notiones ſecundas. Ut Thom. Aquinas lib. IV Metaph. lect. IV. verùm cum aliæ etiam artes circa notiones ſecundas verſentur, objecti hoc materiale reſtringi oportet ad notiones eas, quatenus ſunt inſtrumenta cognitionis: unde Auguſtinus lib. III contra Academicos cap. XIII. Dialecticam vocat *ſcientiam veritatis*. Hæc ſententia convenit Logicæ in ſe, & ſimpliciter conſideratæ: qua ratione non ſolùm explicat argumentationem, ſed & definitionis, diviſionis, ordiniſque doctrinam. Nunc Ariſtoteles de ordine in Organo nihil præcipit. De definitione verò, & diviſione, tractat quidem, ſed non niſi quatenus argumentationi inſerviunt: cùm de præcipuis artis partibus, non tantùm obiter & certâ conſideratione, ſed & accuratè, & ἁπλῶς inſtitui debeat tractatio. Eſt igitur Logica ſimpliciter conſiderata ars operationum intellectus directrix. Ac objectum ejus remotum ſunt res omnes, ſive quicquid intellectu percipitur. Proximum verò objectum ſunt notiones ſecundæ, quas intellectus fabricat, ut res illæ meliùs percipiantur. Ac longè aliter judicandum, ſi Logice conſideretur quatenus ea organo Ariſtotelis traditur. Quomodo eam attendunt, tum qui objectum Logicæ ſtatuunt demonſtrationem, ut Ammonius, ac Philoponus: tum qui id tribuunt Syllogiſmo, ut Scotus quæſt. 3 univerſ. eumque ſecutus Ægidius Romanus: tum quibus objectum Logicæ eſt argumentatio, ut Avicennæ, Alpharabio, Agazeli, quorum imprimis ſententiæ favet Albertus M. ad Porph. εἰσαγ. cap. IV. Neque opiniones hæ de objecto Organi Ariſtotelici pugnant inter ſe. Nam qui argumentationem ſtatuunt materiam Logicæ, jure optimo adæquatum objectum quæſiverunt. At qui ſyllogiſmo hæc aſſignant, id fecere, quod enthymema, aliæque argumentationes, ad ſyllogiſmum referantur. Qui denique dixere demonſtrationem, hoc in animo habuerunt, quòd ut in Logicis de enuntiatione agitur propter Syllogiſmum, ita in iiſdem de Syllogiſmo imprimis tractetur propter demonſtrationem. Quippe eorum ſententia, qui exiſtimant de demonſtratione agi propter Syllogiſmum, è diametro repugnat Ariſtoteli; ut qui libro Anal. προτέρων diſertim afferat, agendum eſſe de ratiocinatione, demonſtrationis cauſsâ. Interea agnoſcimus de forma ſyllogiſmi in prioribus Analyticis etiam agi propter epicherema ſive Syllogiſmum dialecticum. Unde & Alexander Aphrodiſienſis præfat. in lib. I poſter. Analyt. ait; Organum Ariſtotelis univerſum eſſe Syllogiſmum: ut cujus omnia pro fine habeant Syllogiſmum. Quicquid enim in Organo traditur, vel eſt Syllogiſmi elementum, vel pars juſta, vel affectio, vel aliquid inde vim ſuam accipiens; ut inductio: imò & definitio quia ut ſæpius legas in Analyticis poſterioribus, attenditur, vel ut principium demonſtrationis, vel concluſio, vel ſolùm θέσει diſcrepans à demonſtratione.

CAP. V.

De utilitate Logices in Philoſophia: & utrùm ea ſit Philoſophiæ inſtrumentum; num item à Logica, an à Philoſophia, ſit inchoandum.

§. 1. *Ex iis, quæ de differentia Logices à diſciplinarum aliis, ac de fine potiſſimùm, afferebamus: generatim cognoſcere fuit, quæ ſit illius utilitas. Quam diſtinctiùs deinceps aperiam, partim propter eos, qui hodieque naturali nos Logice contentos eſſe jubent; partim etiam ob Philoſophos quoſdam veteres; qui tam nobilem diſciplinam, ut inutilem, reſpuebant. In quibus olim fuit Ariſto Chius. Imò & Stoici nonnulli, ac Cynici omnes.*

DE Ariſtone ſic Laërtius lib. VII: Τόν τε φυσικὸν τόπον, καὶ τὸν λογικὸν ἀνῄρει, λέγων, τὸν μὲν εἶναι ὑπὲρ ἡμᾶς· τὸν δ', οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. *Naturalem item locum ac rationalem ſuſtulit, dicens, illum quidem eſſe ſupra nos, hunc vero nihil ad nos.* De Cynicis ſic idem Laërtius, poſtquam de Menedemo dixerat: Ἀρέσκει οὖν αὐτοῖς τὸν λογικὸν καὶ τὸν φυσικὸν τόπον περιαιρεῖν, ἐμφερῶς Ἀρίστωνι τῷ Χίῳ, μόνῳ δὲ προσέχειν τῷ ἠθικῷ. *Placet ergo illis, rationalem, naturalemque philoſophiam tolli oportere, convenienter plane Ariſtoni Chio, ſolique attendi philoſophiæ morali.*

§. 2. *Sed eſt diſciplinæ hujus ſumma neceſſitas. Cum enim philoſophiæ ſit adferre rerum cauſſas: ac cauſſæ ratione ſint indagandæ; ratio autem, niſi arte adjuvetur, ſæpe aberret: omnino antequam philoſophia diſcatur, opus eſt notitiâ diſciplinæ, quæ rationem dirigat: idque in duobus potiſſimùm: quorum prius pertinet ad unumquodque ζητούμενον, ſive quæſitum; alterum ad ſingulas diſciplinas.*

In priori duo attendimus, quæſtionis explicationem, & probationem. Quorum utrumque comprehenditur quæſtione πῶς θεωρητέον, *quomodo res conſiderandæ ac tractandæ*: ut utar verbis Ariſtotelis lib. I de Partibus Animal. cap. I. Sed priùs docet τὸ δεικνύειν, ſive ducere in cognitionem eorum, quæ neſcimus: quod non fit ſine Syllogiſmo, & inductione. Alterum τὸ τάττειν, ſive diſponere alicujus diſciplinæ partes, ac theoremata. Atque hoc vocamus σωματοποίησιν, ſive alicujus diſciplinæ ſtructuram, ac coagmentationem, & ut Græci dicunt, οἰκονομίαν. Ob duo iſta Logice ab Ariſtotele lib. II Met. particula XV. vocatur τρόπος τῆς ἐπιστήμης, *modus ſcientiæ*. At modus, quo ſcientiam conſequimur, diſcendus eſt ante ſcientiam: ne cum detrimento utramque eodem tempore diſcere cogamur. Nec diffiteor multum nos abſque hoc artis præſidio poſſe ſolo lumine naturæ: ſed, ut Albertus M. dicebat, ſimiles tum ſumus igni, qui, quà data porta, ruit, nec attendit, ſitne materies flammæ idonea, an ſecus. Itidem enim ſine Logicis fortuitò rem propoſitam amplectimur, unde à recto ſæpe aberratur. Huic malo obviam it Logica. Nam, ut eſt apud Tullium lib. III de Finib. *habet rationem, ne cui falsò aſſentiamur, neve unquam captioſâ probabilitate fallamur, eaque quæ de bonis, & malis diſſeremus, ut tenere, tuerique poſſimus. Nam ſine hac arte quemvis arbitramur à vero abduci, fallique poſſe.* Idem Cicero in Bruto: *Sic enim, inquam, Brute exiſtimo, juris civilis magnum uſum, & apud Scævolam, & apud multos fuiſſe: artem, in hoc uno: quod nunquam effeciſſet ipſius juris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet artem, quæ doceret rem univerſam tribuere in parteis, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambigua primùm videre, deinde diſtinguere, poſtremò habere regulam, qua vera, & falſa judicarentur, & quæ quibus propoſitis eſſent, quæque non eſſent conſequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quaſi lucem, ad ea, quæ confuſè ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte inquam intelligis.* Auguſtinus lib. II de Ordine cap. XIII: *Dialectica diſciplina diſciplinarum, hæc docet docere, hæc docet diſcere, in hac ſe ipſa ratio demonſtrat atque aperit, quid ſit, quid velit, quid valeat.* Vide & Plotinum Enneadis I, lib. III. Item Jamblichi locum epiſt. ad Sopatrum apud Stobæum ſer. LXXIX, qui περὶ γραμμάτων. Quanta verò ſit hujus artis ſuavitas, indicat Gellius lib. XVI, cap. VIII: *Hujus diſciplinæ ſtudium atque cognitio in principiis quidem tetra & aſpernabilis inſuaviſque eſſe, & inutilis videri ſolet:*

ſed ubi aliquantum proceſſeris, tum denique & emolumentum ejus in animo tuo dilucebit, & ſequetur quadam diſcendi voluptas inſatiabilis: cui niſi modum feceris, periculum non mediocre erit, ne, ut pleriqu alii, tu quoque in illis Dialecticæ gyris, atque mæandris, tamquam apud Sirenios ſcopulos conſeneſcas. Quare iis, qui Logicam ſic aſpernantur pro illo Anacreonteo θέλω θέλω φιλῆσαι *, convenit potiùs hæc cantio: θέλω θέλω πλανᾶσθαι †.

* *Volo, volo amare.*
† *Volo, volo errare.*

§. 3. *Hanc verò olim non à Grammaticis, vel Mathematicis diſcebant, ſed Philoſophis ipſis.*

Qui eam artem genuerunt, ut Alexander ait lib. 1.

Cap. VI.

Utrum Logice pars ſit Philoſophiæ, an inſtrumentum duntaxat.

§. 1. *Quin Philoſophia ipſius pars credebatur. Idque, uti ajunt, Homericis temporibus.*

Sanè Heraclides Ponticus in Allegoriis cenſet per Cerberum tricipitem ab Hercule in dias luminis oras productum, triplicem philoſophiam deſignari; λογικὴν, φυσικὴν, ἠθικήν.

§. 2. *Sed quicquid de Homero eſt, Academicorum ea ſententia fuit. Quibus præivit Plato.*

Nam, ut apud Euſebium ait Ariſtoteles, ſive is Meſſenius, ſive Pergamenus, primus omnium Plato philoſophiam diviſit, in artem diſſerendi, ſcientiam naturæ, & illam de vita ac moribus. Et ſanè Platoni Dialecticam eſſe philoſophiæ partem, non obſcurè cognoſcitur ex his verbis lib. VII de Rep. Ἆρ' οὖν δοκεῖ σοι, ἔφην ἐγὼ, ὥσπερ θριγκὸς τοῖς μαθήμασιν ἡ διαλεκτικὴ ἡμῖν ἐπάνω κεῖσθαι, καὶ οὐκέτ' ἄλλο τούτου μάθημα ἀνωτέρω ὀρθῶς ἂν ἐπιτίθεσθαι, ἀλλ' ἔχειν ἤδη τέλος τὰ τῶν μαθημάτων. Sententia eſt: *An ergo tibi videtur, inquam ego, Dialectica à nobis ſic ſuper ceteras collocanda diſciplinas, ut lorica ſuperſtruitur parietibus, ac muris, nec ſuper eam rectè alias elevari diſciplinas, ſed eas hanc habere pro fine, in qua acquieſcant.* Quæ tam luculenta laus, niſi parti philoſophiæ, non convenit. Et ſanè veriſimile eſt Platonem hoc loco Dialectices nomine, uti laxiùs, ut & Metaphyſicen comprehendat.

§. 3. *Ita autem partem putabat Philoſophiæ, ut etiam inſtrumentum ejus eſſe agnoſceret. Quomodo manus, & pars eſt, & inſtrumentum.*

Hinc in Parmenide: Καλὴ μὲν οὖν καὶ θεία, εὖ ἴσθι, ἡ ὁρμή, ἣν ὁρμᾷς ἐπὶ τοὺς λόγους. ἕλκυσον δὲ σαυτόν, καὶ γύμνασαι μᾶλλον διὰ τῆς δοκούσης ἀχρήστου εἶναι καὶ καλουμένης ὑπὸ τῶν πολλῶν ἀδολεσχίας, ἕως ἔτι νέος εἶ. εἰ δὲ μή, σε διαφεύξεται ἡ ἀλήθεια. *Præclarus igitur ac divinus eſt impetus, quo raperis ad ſcientias: ſed retrahe te ipſum, & potius te exerce, dum juvenis es, in arte ea, quæ multis inutilis videtur, atque etiam garrulitas vocatur: id niſi feceris, effugiet te veritas.* Quæ verba illuſtrat Ammonius præfat. in categorias: ubi ſic ſcribit: ἐξ ὧν ἄρα ἀδολεσχίαν τὴν λογικὴν ἐκάλεσεν, ἐκ τούτων συλλογιζόμεθα, ὄργανον αὐτὴν λέγειν αὐτόν. οὐ γὰρ ἐτόλμησεν ἂν αὐτὴν εἰπεῖν ἀδολεσχίαν, εἰ μὴ μέρος αὐτὴν ᾤετο τῆς φιλοσοφίας, ἵνα μὴ τὴν φιλοσοφίαν εἴπῃ ἀδολεσχίαν. *Ex eo utique, quòd Logicen appellavit garrulitatem, conjectamus, eum dicere illam inſtrumentum. Nec enim auſus fuiſſet, illam vocare garrulitatem, ſi pro parte habuiſſet philoſophiæ, ne philoſophiam ipſam garrulitatem diceret.*

§. 4. *Peripateticorum quoque opinio eſt, eam eſſe inſtrumentum philoſophiæ.*

Nam Ariſtoteles apertè Logicen ſuam vocat ὄργανον, καὶ χεῖρα τῆς φιλοσοφίας, *inſtrumentum, & manum philoſophiæ.* Nempe ſicuti manus rectè dicitur ὄργανον ὀργάνων, ut videre eſt lib. III de Anima cap. VIII. ita & Logica: quia omnibus inſervit diſciplinis, præcipuè philoſophiæ, cujus cauſſa inventa eſt. Idem lib. 1 Pr. Analyt. cap. XXX. ait Analyticen eſſe diſciplinam ac viam, quâ uti liceat ad omnem rem, quæ poſſit demonſtrari. Et 1 Top. cap. II. dialecticam vocat indagatricem; atque ait continere μέθοδον ac viam ad principia omnium ſcientiarum. Etiam Alexander, princeps interpretum Ariſtotelis, in 1 Top. ait: ἡ λογικὴ πραγματεία ὀργάνου χώραν ἔχει ἐν φιλοσοφίᾳ. *Logica inſtrumenti vicem obit in philoſophia.*

§. 5. *Sed in eo differunt Peripatetici à Platone, quòd putent, ita eſſe inſtrumentum, ut pars non ſit.*

Unde Georgius Pachymerius in epitome Organi cap. II: Τὸ μὲν τοίγε λογικὸν οὐ μέρος φιλοσοφίας φησίν, ἀλλ' ὄργανον μᾶλλον. *Logicam non partem ajunt philoſophiæ, ſed potiùs inſtrumentum.* Objiciat aliquis Diogenem * Laërtium, qui ait Philoſophiam ab Ariſtotele dividi in Theoreticen & Practicen; ac Theoreticen ab eo diſpeſci in Logicen, & Phyſicen, uti Practicen in Ethicen, & Politicen. Sed ipſe Diogenes incautiùs ſe hoc de Ariſtotele ſcripſiſſe vidit, eoque ut corrigat, quod dixerat, continuò ſubjicit, οὐ τὸ λογικὸν οὐχ ὁλομερὲς ἀλλ' ὡς ὄργανον προσηκριβωμένον. cujus (philoſophiæ) *Logica non pars eſt penitus, ſed velut accuratiſſimum inſtrumentum.*

* *In Vita Ariſtotelis.*

§. 6. *Adſtruunt hanc ſententiam ſuam Peripatetici gemino argumento. Primum eſt; quia Logica non conveniat natura partium. Nam, inquiunt, pars una non comprehendit alteram, ſed caput eſt extra pedes, oculi extra aures; Logice verò in uſu ſuo miſcetur Philoſophiæ. Partes item propter ſe ſunt; Logica propter philoſophiam. Partes habent eandem materiam, ac finem cum toto; Logices materia ſunt notiones ſecundæ: Philoſophiæ verò ea, quæ extra animum exiſtunt, etiam nobis non cogitantibus. Logices finis eſt demonſtratio, ac epicherema. Philoſophiæ autem* ὁμοίωσις τῷ θεῷ †. *Denique ea eſt partium natura, ut, ſi omnes adſint, conſtituant totum; ſi aliqua abſit, totum ſit mutilum, & imperfectum. At acceſſu, vel defectu Logices, philoſophia nec perfectior redditur, nec imperfectior. Alterum Peripateticorum argumentorum hujuſmodi eſt. Ea eſt natura inſtrumenti, ut fiat propter illud, cui inſervit. Quomodo ſarcula, ligones, vomer, & ſimilia, fiunt propter agriculturam. At Logica itidem propter philoſophiam docet definire, dividere, argumentari, ordinare. Ut negari non poſſit, eſſe philoſophiæ inſtrumentum.*

† *Similitudo cum Deo.*

Utroque hoc argumento uſus eſt Ammonius in procemio commentarii in Categorias: ac Philoponus quoque præfatione in Analytica priora. Qui & alia addidit: ſed ea apud ipſum legi malo.

§. 7. *Epicurei* τρόπον τινὰ *conveniunt cum Peripateticis. Nam & illi Philoſophiæ partem eſſe negant: ſi veterum quoſdam audimus.*

Seneca epiſt. LXXXIX: *Epicurei*, inquit, *duas partes philoſophiæ putaverunt eſſe, Naturalem, atque Moralem: Rationalem removerunt.* De rationali ſimiliter Tullius lib. 1 de Nat. Deorum, ubi ſic Velleium Epicureum compellat: *Et tu quidem Vellei, non veſtro more, ſed dialecticorum, quem funditus gens veſtra non novit, argumentis ſententiam concluſiſti.* Idem lib. 1 de Fin. ait: *Jam in altera Philoſophiæ parte, quæ eſt quærendi ac diſſerendi, quæ* λογικὴ *dicitur, iſte veſter plane, ut mihi quidem videtur, inermis ac nudus eſt: tollit definitiones: nihil de divi-*

dividendo ac partiendo docet: non, quomodo efficiatur, concludaturque ratio, tradit: non, qua via captioſa ſolvantur, ambigua diſtinguantur oſtendit: judicia rerum in ſenſibus ponit: quibus ſi ſemel aliquid falſi pro vero probatum ſit, ſublatum eſſe omne judicium veri & falſi putat. Diogenes Laërtius; Τὴν διαλεκτικὴν, ὡς περιέλκουσαν ἀποδοκιμάζουσι. *Dialecticam, ut ſuperfluam, rejecerunt.* Metuat tamen aliquis, ne ex parte hac in re deceptus ſit, & Tullius, & Laërtius. Nam ut ſedulò Peripateticam, ac Stoicam Logicam, aſpernarentur; fortaſſe tamen exiſtimet, præcepta quædam logica habuiſſe, artemque eorum non *Logicam*, aut *Dialecticam*, ſed *Canonicam*, appellâſſe. Hanc ſententiam confirmat illud Senecæ epiſt. LXXXIX. ubi, poſtquam dixerat, Epicureos negare rationalem philoſophiæ partem eſſe, mox ſubdit: *Deinde cum ipſis rebus cogerentur ambigua ſecernere, falſa ſub ſpecie latentia veri coarguere, ipſi quoque locum, quem de judicio, & regula appellant, alio nomine rationalem induxerunt; ſed eum acceſſionem eſſe naturalis partis exiſtimant.* Quæ lucem ex Diogene capiunt. Nam primum ex Epicuri mente dividit philoſophiam in tres partes, τό τε κανονικὸν, καὶ φυσικὸν, καὶ ἠθικόν. Ac deinde ait, τὸ κανονικὸν tantum ἐφόδους ἐπὶ τὴν πραγματείαν ἔχειν, καὶ εἶναι ἐν ἑνὶ τῷ ἐπιγραφομένῳ κανών. *acceſſum continere ad opus, agique de eo libro qui Canon inſcribitur.* Denique ſubjungit. Εἰώθασι μὲν τὸ κανονικὸν ὁμοῦ τῷ φυσικῷ συντάττειν, καλοῦσι δὲ αὐτὸ περὶ κριτηρίου, καὶ ἀρχῆς, καὶ στοιχειωτικόν. *Solent autem canonicam naturali conjungere: ac vocant eam de judicio, & principio; item de elementis, ſive introductionem.* In Canone autem docebat Epicurus, non Logica verè, ſed quæ eſſet norma veritatis. Cumque Plato rationem eſſe normam diceret, quia ſenſus ſæpè falluntur: Epicurus ſenſum eſſe principium, ac normam ajebat; quia & ratio, ſi ſenſu nixa non ſit, ſæpe aberret; ut tantus philoſophorum diſſenſus oſtendit. Hinc Laërtius: Ἐν τοίνυν τῷ Κανόνι λέγει ὁ Ἐπίκουρος κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις· *In Canone dicit Epicurus, normam veritatis eſſe ſenſus.* Atque hæc oſtendunt, aliud Logicam eſſe, aliud Canonicam; nec de nihilo eſſe, quòd Canonicam Epicurus Naturali philoſophiæ ſubjiceret.

§. 8. *Stoici Peripateticis repugnant. Nam & illi Philoſophiam dividunt in Logicen, Phyſicen, & Ethicen.*

Quod clarè in Zenone docet Laërtius lib. VII. Atque addit, primum ſic diviſiſſe Zenonem Citteium; hinc Chryſippum, Apollodorum, Ephillum, Eudromum, Diogenem Babylonium, & Poſidonium. Etiam ſubdit, quomodo Stoici philoſophiam propterea nunc animali compararint, ut Logice referat oſſa, & nervos; Ethice carnes; Phyſice animam: nunc ovo; ut teſta ſit Logice, albumen Ethice, vitellus Phyſice: nunc agro frugifero, ut ſepimentum ſit Logice, fructus Ethice, humus & arbores Phyſice: nunc civitati optimè munitæ; cujus ratio ex ſuperiori ſimilitudine non unà cognoſcitur. Similiaque legere eſt apud Sextum Empiricum. Logicen autem partem eſſe philoſophiæ, non inſtrumentum, probabant gemino argumento; uno quia Logicæ conveniret natura partium: altero quia non conveniret ei natura inſtrumenti. Nam, inquiunt, aut extra philoſophiam ſcientia eſt, cujus pars ſit Logice; aut erit pars philoſophiæ, quandoquidem hæc ea utitur. Sed alterius ſcientiæ pars non eſt. Utentis igitur philoſophiæ pars fuerit; inſtrumentum autem ejus non eſt, quia nulla ſcientia ſibi ipſi fabricat inſtrumenta. Philoſophia autem fabricavit Logicen. Sed Peripatetici negant ex uſu ſequi aliquid eſſe partem, cùm & Grammatice, & Rhetorice, utantur Logicâ, nec Logica earum pars ſit. Falli quoque ajunt, cùm docent artem nullam ſibi fabricare inſtrumentum: quia & ars fabrilis ſibi efficit amuſſim, & ferraria incudem, ac malleum: & ſcriptoria calamum aptet. Vide Ammonium præfat. in lib. Categoriarum.

§. 9. *Etſi verò conveniat inter Peripateticos, Logicen eſſe inſtrumentum: in eo tamen eſt diſſenſus, utrum tale ſit organon, quatenus mera eſt, & à rebus ſejuncta, ac inſtrumenta tradit ſingulis artibus, & ſcientiis: an quatenus uſu ſe exerit, dum accommodatur diſciplinis, iiſque permiſta cernitur. Arabes quidem, & poſt eos Thomas, quem Latinorum alii ſequuntur, cenſent, docentem h. e. quatenus eſt extra philoſophiam omnemque materiam, eſſe partem philoſophiæ: utentem verò ſive ſcientiæ alicui accommodatam, eſſe inſtrumentum.*

Quam eorum eſſe ſententiam, etiam Zabarella obſervat lib. I. de Natura Logicæ cap. V.

§. 10. *Nobis quidem non eſt animus ſimpliciter damnare Latinos: potius tamen Græcis accedimus, quibus placet, quatenus Logica non mera eſt, ſed ſcientiis mixta, quaſi naturam ſuam exuere, inque naturam ſcientiarum migrare, quibus aptatur; imo nomen etiam acquirere ejus ſcientiæ, cui applicatur. At quatenus mera, & per ſe attenditur, non eſt ſcientia, niſi, ut loquuntur, cauſaliter, ſive ἐνεργητικῶς, ac ratione efficientiæ.*

Eſt hæc ſententia non Alexandri Aphrodiſienſis modò, ſed Ammonii quoque & Philoponi: illamque illuſtrant ſimilitudine ſextarii: qui quatenus menſurat, inſtrumentum eſt menſurantis: quatenus menſuratur, pars cenſetur menſurati. Similiterque, inquiunt, Logica extra philoſophiam eſt ejus inſtrumentum: at, quando philoſophiæ accommodatur, fit pars ejus. Nec abſurdum putant, ut idem pro diverſo intuitu ſit & pars, & inſtrumentum; quando & manus, & oculi, & aures, ſunt ſimul & partes corporis, & inſtrumenta.

§. 11. *Quanquam verò Logica ſit philoſophiæ inſtrumentum, non tamen æquè ſe per omnes ejus partes diffundit. Nec enim par ἀκρίβεια ac ſubtilitas in omnibus requiritur diſciplinis: ſed temperamentum hic fit καθ' ἀναλογίαν ἄλλων*, pro ratione materiæ ſubjectæ:

Ut eſt apud Stagiritam noſtrum lib. I. Eth. Nicomach. cap. III. & alibi non ſemel. Videlicet hic comparatum eſt, ut in collyriis: quæ variare ſolent pro varia oculi δυσκρασίᾳ, ſive intemperie. Atque in eo variat Analytice à Dialectica; quæ ad omnem materiem pariter ſe extendit.

§. 12. *Ex tanto in philoſophia uſu Logicæ, non operoſum erit certi aliquid ſignare de illo inter Stoicos diſſenſu: utrum à Logicis, an Phyſicis, vel Ethicis, ſit inchoandum.*

Sanè Panætius, & Poſidonius, putarunt à Phyſicis initium capi oportere: uti ab Ethicis Diogenes, teſte Laërtio in Zenone.

§. 13. *Omnino autem ratio arguit à Logicis eſſe incipiendum, quando animos acuit, ac modum docet verum à falſo diſcernendi.*

Eaque ſententia è Stoicis fuit Zenonis, Chryſippi, Archidemi; ut apud eundem Laërtium ibidem legas.

§. 14. *Tantum cavendum ne ſtudio huic nimis inſiſtatur: quando multa à multis hic traduntur arguta magis, quam fructuoſa.*

Nam ut Seneca ait epiſt. XLIX. *Quæ dementia eſt diſcere ſupervacanea in tanta temporis inopia?*

Cap. VII.

De Logices uſu in Medicina, Iuriſprudentia, Theologia; imò utilitatem ejus ſe quoque extendere ad ſermonis diſciplinas, atque adeò artes, quas vocant illiberales.

§. 1. *Nec Logice ita eſt Philoſophia manus, ut non etiam aliis inſerviat diſciplinis. Quomodo enim non utilis ſit Medicina, cum ea tam multa è philoſophia mutuetur? præcipuè in parte φυσιολογικῇ, καὶ παθολογικῇ.*

UNde & Galenus diſſertationem edidit, quòd optimus medicus etiam ſit philoſophus. Objectant, quod Philoſophia dividatur in θεωρητικὴν, & πρακτικὴν: Medicina neutrum ſit; ſed ποιητική. Qui non ſatis attendere videntur φιλοσοφίαν per omnia ſe theoremata diffundere: etiam ποιητικά: nam & medicina demonſtrat, atque utitur λόγοις διδασκαλικοῖς: ut in qua & ſubjectum, & propria affectio, compareant, & cauſæ proximæ explicentur. Affectiones ſunt ſanitas, & morbus, quæ conſiderantur in corpore humano, non quatenus eſt vivens, vel animal, quæ ſunt πρῶτα δεκτικά, ſed quatenus homini communia ſunt cum cæteris viventibus, & animantibus. Etiam in σημειωτικῇ ex effectu intelligitur morbi genus per demonſtrationem τοῦ ὅτι. Sic in pleuritide morbi genus cognoſcitur ex principiis ac ſignis. Ut è difficili ſpiratione, tuſſi, & acuta febri. Nec obſtare his exiſtimandum, quòd medicus verſetur circa ſingularia, quæ fluxa ſunt ac caduca. Nam utcumque uſus artis medicæ ſit ſingularium: doctrina tamen eſt univerſalium. Eoque duo ſunt crura medicinæ, λόγος & ἐμπειρία, ſine quibus non rectò incedat talo, ſed manca ſit, ac mutila.

§. 2. *Præterea Iuriſprudentia indiget Logicâ ad indagationem & explicationem veritatis. Quod oſtendunt Topica Legalia Nicolai Everardi Middelburgenſis: poſteaque id factum ab Vdalrico Zaſio, & Franciſco Hottomanno. Interim hi Ciceronem, & Agricolam magis, quam Ariſtotelem ſequuntur. Vt autem accuratè res exponatur etiam ad Analyticen aſſurgendum. Nec enim eſſentiam actus civilis cauſſam habentis ab eſſentia diverſam, perfectè explicaveris, vel ſolam declarando eſſentiam, vel ſolam cauſſam, ſine eſſentia.*

Ita videmus tum eſſentiam actus civilis, tum ejus cauſſam, conjungi, cùm Uſucapio definitur affectio dominii temporis lege definiti, introducta bono publico, ut incerto bonorum ſublato lites imminuantur. Item cùm teſtamentum definitur teſtatio mentis de inſtitutione hæredis. Vel cum feudum dicitur eſſe quaſi dominium prædii donati, ut beneficiarius donatori præſtet fidem. Quæ res accendere debet Juriſprudentiæ deſtinatos, ut ſe exerceant prius in Analyticis, ſive λόγοις διδασκαλικοῖς. Præſertim quando non vulgo ſolùm in definiendo peccari ſolet διὰ ἀπαιδευσίαν τῶν Ἀναλυτικῶν: ſed etiam veteres Juriſconſulti hac parte ſæpius claudicant. Nimirum omnes prope Stoicæ ſectæ fuerunt: ut agnoſcit Cujacius lib. XI Obſervationum cap. XXXVII. Indeque factum, ut in Topicis magis quàm Analyticis verſati, non ſatis aſſequerentur veram definiendi methodum: ſubinde etiam definitionem peterent ab etymo, argumento, etiam cùm veram adferunt originem, fallaci. Scio non deeſſe, qui ab Juriſconſulto negent accuratas definitiones exigi: quoniam ut ajunt, omnis definitio in Jure ſit periculoſa. Sed enim per definitionem hic non ſignatur oratio explicans eſſentiam rei. Hæc enim non in Jure ſolùm difficilis eſt, ſed in quavis ſcientia, & arte. Unde fere ita fit, ut facile ſit ὅρον ἀνασκευάσαι*: ut eſt apud Ariſtotelem lib. VII. Eth. cap. ult. Cùm igitur particulatim hoc de Jure dicitur, definitionem in ea eſſe periculoſam, explicatio petenda ex Græca tralatione: Πᾶς νομικὸς κανὼν σαθρός ἐστι, ὡς χείρων γὰρ ἀνατρέπεται. *Omnis canon legalis eſt flaccidus, ac ſimilis parieti ruinam minitanti. Facile enim evertitur.* Quod cur dicat, non obſcura eſt ratio. Colligitur enim regula generalis ἐπακτικῶς, ſive *per inductionem.* At in μορίοις ἐπιστατικοῖς, ſive variis circumſtantiis, magna eſt varietas: quarum vel minima Jus variat.

* Definitionem deſtruere, ſive evertere.

Minoris etiam momenti eſt, quod ajunt, nullam eſſe Ariſtotelis auctoritatem in Jure: ſed ingentem eſſe Principis: cujus Lex Veterum definitiones ſtabilivit. Nec enim hic tam ad auctoritatem Ariſtotelis provocamus, quàm Rationis naturalis: cujus ductum Ariſtoteles in Analyticis eſt ſecutus. Vt qui ejus obſervationibus ſpretis legem attendere non alterius ſit, quàm laborantis ἀρρωστίᾳ τῆς διανοίας: ut eſt apud Ariſtotelem lib. VIII. φυσ. ἀκροάσ. cap. III.

§. 3. *Nec modò Logice inſervit Medicinæ, & Iuriſprudentiæ; de quibus mirandum minus, quando ambæ ſunt velut partus, aut colonia Philoſophiæ; ſed etiam principi facultati Theologiæ: cui ipſi quoque ancillari ratio, ac ejus diſciplina, debet.*

Auguſtinus lib. II. de Doctrina Chriſtiana cap. XXXI. *Diſputationis diſciplina ad omnia genera diſputationum, quæ in ſacris literis ſunt, penetranda & diſſolvenda, plurimum valet.* Idem cap. XXXVII. *Scientia concluſionum, & definitionum, & diſtributionum plurimùm lectorem Scripturarum adjuvat*; Similia libro de Cognitione veræ vitæ. Item Hieronymus in Ezechielem: *Verè quicquid in ſeculo perverſorum dogmatum eſt, quicquid ad terrenam ſcientiam pertinet, & putatur eſſe robuſtum, hoc Dialecticâ arte ſubvertitur, & inſtar incendii in cineres favillaſque diſſolvitur, ut probetur eſſe nihili, quod putabatur eſſe fortiſſimum.*

§. 4. *Nec quia Logice tantopere ſe diffundit per Philoſophiam, Medicinam, Iuriſprudentiam, imò Theologiam ipſam: eò exiſtimandum, ſic inferiora aſpernari; ut in iis utilitas ejus ſit nulla. Siquidem etiam ſermonis diſciplinis uſum adfert maximum. Nec enim Logices ignarus condat Grammaticorum præceptorum σύστημα. Ac ne in Methodica ſiſtam, etiam altera ejus pars, quæ Exegetice dicitur quiddam habet ſimile Philoſophiæ: quia ut hæc rerum, ita illa vocabulorum cauſſas exquirit. De Rhetorica verò quid apertius, cùm ea à Dialectica capiat argumentandi rationem, ut à Politica materiam civilem.*

Vnde Ariſtoteles eam nunc μόριον τῆς Διαλεκτικῆς καὶ ὁμοίωμα † nuncupat, nunc μόριον τῆς Πολιτικῆς: uti & Cicero, *ſcientiæ civilis partem.* Quod pluribus expoſuimus libro de Natura, & Conſtitutione Rhetorices cap. VII.

† Partem Dialecticæ & ſimulacrum.

§. 5. *Imò Logices naturalis uſus quoque eſt in artibus ſordidis, & illiberalibus. Quæ Logices amplitudo, ejus præſtantiam oſtendit. Bonum enim quoque, quo communius eſt, eo quoque excellentius.*

Ut, in Sole videmus: ac ſimiliter ἄριστον τὸ ὕδωρ, ut ait Pindarus.

Cap. VIII.

De Logices inventore, perque varios incremento.

§. 1. *Proximum eſt, ut Logices cauſſam effectricem, ſive inventionem, conſideremus. Diſciplina hujus originem eſſe à Numine cœleſti, ſatis eſt apertum, cum id etiam agnoſcant gentiles.*

Sic

SIc enim de ea Socrates apud Platonem in Philebo loquitur. Θεῶν μὲν εἰς ἀνθρώπους δόσις, ὥς γε καταφαίνεται ἐμοὶ πόθεν ἐκ θεῶν ἐῤῥίφη διά τινος Προμηθέως ἅμα φανοτάτῳ τινὶ πυρί. καὶ οἱ μὲν παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν, καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες ταύτην φήμην παρέδοσαν. *donum deorum ad homines, ut mihi videtur, per Prometheum quendam, unà cum quodam lucidiſſimo igne deſcendit. Etenim antiqui, qui nobis meliores, & Diis propiores fuere, hanc nobis famam prodidere.* Hunc ſecutus Cicero in II de Fin. *Servata illa, quæ quaſi de cælo delapſa ad cognitionem regula, ad quam omnium judicia diriguntur.* Nec abit à Magiſtro Platone Jamblichus, qui epiſtola ad Sopatrum Dialecticam vocat τὸ θεῶν δῶρον, *Deorum munus.* Verba ejus adducit Stobæus ſermone LXXIX, qui περὶ γραμμάτων. Atque ibidem ex Jamblichi ad Dexippum de eâdem arte epiſtola illuſtrem adducit locum; ubi vel Mercurium, vel Calliopen auctorem credit. Verba ipſa apponam. Θεὸς μὲν τις ὡς ἀληθῶς ὁ καταδείξας τὴν διαλεκτικὴν καὶ καταπέμψας ἀνθρώποις, ὡς μὲν λέγουσί τινες ὁ λόγιος Ἑρμῆς ὁ φέρων ἐν ταῖν χεροῖν τὸ σύνθημα αὐτῆς τὸ εἰς ἀλλήλους ἀποβλεπόντων δρακόντων, ἢ ὡς οἱ δεδοκιμασμένοι καὶ πρόκριτοι τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ διατείνονται, τῶν μουσῶν πρεσβυτάτη Καλλιόπη τὴν ἄπταιστον ἀσφάλειαν τοῦ λόγου, καὶ ἀνέλεγκτον αἰδοῖ μειλιχίῃ διαπρέπουσαν παρέσχηκεν. i. e. *Deus vere quidam fuit, qui monſtravit, & cælitus miſit dialecticam hominibus, ſive ut nonnulli dicunt, doctor Mercurius: ſive ut contendunt ſpectati & eximii in philoſophia viri, Muſarum maxima Calliope ipſam dedit: quæ verecundam orationis manſuetudinem ornat, inexcuſſa ſermonis veritate.*

§. 2. *At non æquè convenit, quis mortalium primus Logicen ſit profeſſus. Quod ſi adſcendendum ultra tempora Ariſtotelis; vel Plato is fuerit, vel Platonis præceptor Socrates, vel, quem Socrates audivit Zeno Eleates.*

Platoni inventionem Logicæ tribuit Phavorinus apud Laërtium. Eam qui ſententiam ſequuntur, ſic ſe tuentur. Primùm, inquiunt, philoſophia erat μονοειδής, quia antiquiſſimi philoſophi à Pythagora, ac Thalete, uſque ad Socratem, contenti erant philoſophiâ naturali. Primus autem Socrates Ethicen addidit. Poſt quem Plato adjecit Dialecticen. Atque ita, ut Laërtius ait, ἐτελεσιούργησε φιλοσοφίαν, *perfecit philoſophiam.* Præterea, ajunt, Plato non pauca habet Dialectica, & ubi argumentum eſt philoſophicum, ex arte illud tractat. Ut propterea etiam jure ei inventio Logicæ adſcribatur. Alii malunt eam laudem præceptori ejus Socrati aſſignare. Nam etſi pleraque ejus eſſent incerta, gnarus tamen Logices fuit: quippe qui à definiendi & dividendi gloria, commendetur lib. XIII Metaph. cap. IV. Alii aſcendunt ad Zenonem Eleatem; quem Socrates audivit, ut Zeno Parmenidem. Auctor de utroque Plato initio Parmenidis. Ut taceam de Laërtio & cæteris. Et ſanè à Zenone Logicen eſſe inventam, agnoſcit Plato: atque idem Ariſtoteles tradit in Sophiſta, ac ex eo Laërtius, & Sextus Empiricus lib. VII adverſus Mathematicos, ſive priori de Philoſophia, qui adverſus Logicos*. Adhæc Philoſtratus lib. VII de vita Apollonii cap. I. Nec dubium eſt, quin Zenonem hunc Plato in Logicis ſequi ſoleat. Unde Proclus libro V commentariorum in Platonis Parmenidem: Ἐπειδὴ δὲ τὴν Ἐλεατικὴν μέθοδον ἐν τούτοις παραδίδωσιν ὁ Πλάτων, φέρε τὸ λογικὸν αὐτῆς πρός γε τὸ παρὸν θεωρήσωμεν. *Quandoquidem verò in his Eleaticam methodum tradit Plato: age Logicam ipſius in his contemplemur.* Pluribus deinde exponit, cujuſmodi fuerit Eleatica de ſyllogiſmis doctrina. Ipſum adi, quem & Patricius in Diſcuſſionibus Peripateticis exſcribit. Tanto minus eadem hic reponere nunc eſt opus.

* p. 139.

§. 3. *Archytas etiam Tarentinus, qui Pythagoram audivit, ac urbi, patriæ, & finitimis Græcis præfuit, in ſocietatem laudis venit, ſi is primus ſtatuit decem ſumma genera.*

Feciſſe id dicitur libro, quem καθόλου λόγους inſcripſerat. Categoriarum Archytæ meminit Dexippus lib. I, cap. VI. Item lib. III, cap. I. ubi ait, in eo Ariſtotelem ab Archyta receſſiſſe, quod quantitati proximum à ſubſtantia locum tribuerit, non qualitati, ut Archytas: cujus ſententiam magis probabat Plotinus. Eſt hic Dexippus Herennius Athenienſis, qui ſub Aureliano, & Probo Impp. vixit, dux bello egregius, Jamblichi diſcipulus, qui præter librum de Categoriis pro Ariſtotele adverſus Plotinum, etiam res Macedonicas ac Scythicas, literis conſignavit. Qua de re pluribus dixi lib. II de Hiſt. Græcis cap. XVI. Porro etiam doctrinam κατηγοριῶν Archytæ Simplicius tribuit præf. in categ. & Boëthius in Arithmeticis. Quin & Jamblichum, philoſophum Platonicum, ejus fuiſſe ſententiæ ſcribit idem Boëthius comment. in lib. prædicamentorum. Ibidem tamen teſtatur, Themiſtium putâſſe, non Pythagoricum Archytam primò ſcripſiſſe de prædicamentis (quomodo vocem κατηγοριῶν primus tranſtulit Boëthius) ſed poſt Ariſtotelem quemdam Archytam Peripateticum; qui veteri nomine novo operi auctoritatem voluerit conciliare. Verùm magnopere metuo, ne hoc Themiſtius dederit amori erga Ariſtotelem. Nam de Pythagorico illo conſentiunt cæteri. Solùm Simplicii in Categ. verba ponam: Ἀρχύτου τοῦ Πυθαγορικοῦ καὶ πρὸ Ἀριστοτέλους τὴν εἰς δέκα τῶν πρώτων γενῶν πεποιημένου διαίρεσιν ἐν τῷ βιβλίῳ, ὃ περὶ τοῦ παντὸς ἐπιγέγραφε. Unde cognoſcimus ſcripſiſſe Archytam librum περὶ παντός: ac videtur idem, quem καθόλου λόγους antea diximus. Atque ex Stobæo quoque conſtat, ſcripſiſſe περὶ τοῦ ὄντος, adhæc περὶ ἀρχῶν, item περὶ νοῦ καὶ αἰσθήσεως. Apud Laërtii interpretem legas, Clinomachum Thurium ſcripſiſſe ante omnes de prædicamentis. Sed Græcè eſt, non κατηγοριῶν, verum κατηγορημάτων. At κατηγόρημα, *prædicatum.* Quale eſt περιπατεῖ, *ambulat.* Ut etiam ait Apollonius ὁ Δύσκολος lib. I περὶ συντάξεως ſect. VIII. ubi & illud addit, *prædicatum* non ſolùm dici κατηγόρημα ſed etiam σύμβαμα, ſive *accidens:* atque utroque modo Stoicos loqui. Quemadmodum & idem lib. III, ſect. VII. ait Stoicos diſtinguere inter ἐλάττονα κατηγορήματα, *minus perfecta;* quale eſt, *Trypho amat, vel nocet:* ac τὰ ἐν αὐτοτελείᾳ κατηγορούμενα ῥήματα, *verba abſoluta:* ut *Socrates ambulat.* Hæc enim nihil ultra exigunt, illa obliquum exigunt. Ut *Trypho lædit,* puta *Titium, vel Mævium.*

§. 4. *Nec prætereundus Euclides Megaricus, Socratis diſcipulus: à quo dicti* Megarici, *qui poſtea* Eriſtici, *& exinde* Dialectici.

Laërtius in Euclide: Οὗτος καὶ Παρμενίδεια μετεχειρίζετο καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ Μεγαρικοὶ προσηγορεύοντο, εἶτ' ἐριστικοί, ὕστερον δὲ διαλεκτικοί, οὓς οὕτως ὠνόμασε πρῶτος Διονύσιος ὁ Καρχηδόνιος διὰ τὸ πρὸς ἐρώτησιν καὶ ἀπόκρισιν τοὺς λόγους διατίθεσθαι. *Parmenidis librorum imprimis fuit ſtudioſus. Ab eo Megarici ſunt vocati, poſtea Contentioſi, ac extremum Dialectici. Primus autem eos ſic nominavit Dionyſius Carthaginenſis, ex eo quod interrogando & reſpondendo, libros componerent.* Poſtea hoc Timonis de eo adducit:

—— οὐδ' ἐριδάντεω
Εὐκλείδου, Μεγαρῆος ὃς ἔμβαλε λύσσαν ἐρισμοῦ.
—— *Nec contentioſi*
Euclidis, qui Megarenſibus injecit rabiem contentionis.

Euclides hic, Laërtio teſte, Ταῖς ἀποδείξεσιν ἐνίστατο, οὐ κατὰ λήμματα, ἀλλὰ κατ' ἐπιφοράν. *Inſiſtebat demonſtrationibus, non his, quæ per propoſitiones, ſed quæ per concluſiones fiunt.* De contentionis ſtudio cognoſcitur ex diſcipulo Eubulide Mileſio; qui varias tradidit Dialecticas interrogationes. Item ex Eubulidis diſcipulo Alexino, qui à literatis dictus Ἐλεγξῖνος, quia mirè amaret ἐλέγχειν †: adhæc ex Diodoro Crono, itidem magni nominis dialectico: etſi, cum ſolvere fallaciam quamdam non poſſet, pro Κρόνος audierit ὄνος ‡. At ille quidem Ariſtoteles junior;

† Arguere.
‡ Aſinus.

nior; at par ei Eubulides: Antiquior autem Euclides: ut qui ex primis fuerit Socratis diſcipulis. Quorum omnium fidem fecerit Diogenes.

§. 5. *Hæc ſatis oſtendunt, fuiſſe Logicam ante tempora Ariſtotelis. Nec propterea periculum eſt ne videatur is arrogantius inventionem artis ſyllogiſticæ ſibi tribuere cap. ult. lib. II. Sophiſticorum Elenchorum: ubi ſic ſcribit* περὶ δὲ συλλογίζεσθαι παντελῶς οὐδὲν εἴχομεν πρότερον ἀλλὰ τριβῇ ζητοῦντες πολὺν χρόνον, ἐπονοῦμεν: de ratiocinando nihil ab aliis prius dictum fuit. Sed nos in ea quærenda longo tempore elaboravimus. *Nam priorum inventa, etiam, quæ apud Platonem leguntur, levia ſunt præ iis, quæ Ariſtoteles reperit. Siquidem is vir primus totam artis naturam perſpexit, atque ejus præcepta accuratè, ac juſto ordine, conſignavit.*

Figuras ſyllogiſticas (de categoricis loquor) ab eo eſſe repertas, ait Alexander. Imò omnes ab eo inventas eſſe methodos, Philoponus refert. Clareque Logices inventionem ei tribuit Theodorus Logotheta ἐν τοῖς συμμίκτοις*: atque id ipſum accuratè docet Averroës in prolegomenis Phyſicis. Nec iccirco prioribus ereptum imus debitam gloriam: quia quædam ab iis eſſe reperta, multaque ex arte ſcripſiſſe, lubentes fatemur. Verùm ut qui aliquot lapides, aut ligna, ad domum contulit, non eò domum exſtruxit: itidem nec artem conſcripſiſſe propterea dicendus, qui utilia quædam præcepta tradiderit. Nec ſi ex arte priores ſcripſerint, eo artem docuerint: nihilo ſanè magis, quàm ſutoriam artem docuerit, qui varia calceamentorum genera oſtenderit.

* In Miſcellaneis.

§. 6. *Duplici verò nomine laudem Ariſtoteles meretur: quod primus Logices σύστημα poſteris reliquerit: & quod omnia complexus ſit, quæ ad artis οὐσίαν † pertinerent.*

† Eſſentiam.

Unde Tullius in Topicis, Ariſtotelem utriuſque rationis diſſerendi, & inveniendi, & judicandi, principem appellat: Hanc Peripateticæ Logicæ præſtantiam facilè vidit Galenus; qui lib. II de decretis Hippocratis & Platonis, agnoſcit, ſe quindecim illos de demonſtratione libros, in quibus omne artis ſuæ præſidium repoſuit, ex Ariſtotelis, & Theophraſti fontibus, deduxiſſe, eorumque præcepta ſuæ artis exemplis illuſtràſſe. Laërtius etiam honeſtè ſatis de Ariſtotelis Logicis ſenſit. Nam illorum perfectionem comprobat eò, quod nihil omiſerit illorum, quæ vel ad inventionem, vel judicium, vel uſum pertinerent. Qua de re poſtea dicemus.

§. 7. *Magis etiam elucerct Ariſtotelica Logicæ perfectio, ſi quæcunque ſcripſit, exſtarent. Sed multa ab eo præclare in hac arte elaborata, perierunt.*

Liquet hoc ex operum Catalogo, qui eſt apud Laërtium.

§. 8. *Nec tamen negamus, quædam Ariſtoteli poſtea acceſſiſſe. Quomodo poſt exceſſum Ariſtotelis Theophraſtus, & Eudemus, addidere doctrinam de ſyllogiſmis hypotheticis.*

Boëthius lib. I de ſyllogiſmis hypothet. ad Symmachum ‡: *Nam cùm categoricorum ſyllogiſmorum ampliſſimè notitiam percepiſſes: de hypotheticis ſyllogiſmis ſæpe quærebas, in quibus ab Ariſtotele nihil eſt conſcriptum. Theophraſtus vero, omnis doctrinæ capax, rerum tantum ſummas exſequitur. Eudemus latiorem docendi graditur viam: ſed ita, ut veluti quædam ſeminaria ſparſiſſe, nullum tamen frugis videatur extuliſſe proventum.* Ubi videmus, ut categoricus ſyllogiſmus opponatur hypothetico. Nempe ſyllogiſmorum alii δεικτικῶς concludunt: alii ἐξ ὑποθέσεως, qui viâ obliquâ aliquid probant.

‡ P. 606.

Sed, ut ex Boëthio ſcimus, alii primò dividunt ſyllogiſmum in κατηγορικὸν, & ὑποθετικόν. His, ut Ariſtoteli eſt propoſitio κατηγορικὴ, quæ affirmat prædicatum ineſſe ſubjecto: ſic eidem eſt ſyllogiſmus categoricus, quando concluſio eſt categorica ſive affirmativa. Nempe opponitur enuntiatio negativa, & ſyllogiſmus negativus. Nec uſquam in Ariſtotele ſyllogiſmus categoricus opponitur hypothetico.

§. 9. *Nonnullis etiam nonnihil videtur quod tribus Ariſtotelis figuris, amplius quatuor poſt ſeculis, quartam addiderit Galenus.*

Auctor de eo Averroës Arabs comm. in I Analyt. Sed is eam rejicit, quia haut alia eſt figura, quàm prima; verùm mutato ordine propoſitionum, idque contra naturam. Atqui non ex quavis collocatione propoſitionum, ſed naturali, figuræ æſtimantur. Nec diffiteor tamen interdum nos ſic argumentari. Quare ſi propterea lubet inter argumentationes ei ſuum tribuere locum, ſequendus ſit Martianus Capella, qui duplicem figuræ primæ formam facit: unam, quâ Stoici utebantur: alteram, quam ſolam Ariſtoteles cognoſcit.

§. 10. *Eubulides Mileſius Ariſtotelis æqualis fuit, & ut videtur, Demoſthenis magiſter, vir in Dialecticis nulli ſecundus.*

Quemadmodum ait Photius in Μυριοβίβλῳ cap. CCLXV*. Quam multa ſophiſmatum genera invenerit, dicet Laërtius lib. II in Euclide. Ait idem, inimico ſemper animo fuiſſe adverſus Ariſtotelem, eumque in multis reprehendiſſe. Ac ejuſce librorum contra eum mentionem etiam Athenæus facit lib. VIII. * P. 1474

§. 11. *Ariſtotelis æqualis, vel paullo junior fuit Heraclides Ponticus, quippe prius Speuſippi, exinde Ariſtotelis auditor. Hic & ipſe Dialectica edidit.*

Ut auctor eſt Laërtius lib. V in Heraclide. Sed quid novi ad artem eam contulerit, difficile eſt dictu, cum nihil ejus ſuperſit.

§. 12. *Stoicis verò qui Logices inventa gloriam tribuunt, temporibus ipſis refelluntur: cum Stoica ſecta, ut & Epicurea, poſt Ariſtotelem ſit exorta.*

Zeno enim Κιτιεὺς, Stoicæ ſectæ conditor, poſt Ariſtotelem annis claruit XXVI: ut æqualis fuerit Theophraſto. Unde Alexander Aphrodiſienſis Stoicos quoque appellat recentiores: & Appulejus libro περὶ Ἑρμηνείας Peripateticos ratione Stoicorum vocat veteres. Nec movere debet, quod Ariſtoteles adverſus Zenonem diſſerat lib. VI φυσ. ἀκροάσ. Nec enim is Citticus Stoicus fuit: ſed Eleates, Parmenidis diſcipulus, præceptor Leucippi, Dialecticæ inventor, ut Ariſtoteles ait: item argumentationis, quam Ἀχιλλέα dixere; ut eſt apud Laërtium.

§. 13. *At interea certum eſt Zenonem Citticum, valde hoc ſtudium excoluiſſe, inque ea eſſe Philone uſum magiſtro.*

Laërtius lib. VII: Φίλωνα τὸν διαλεκτικὸν διεκρίνετο καὶ συνεσχόλαζεν αὐτῷ. *Philonem elegit dialecticum, & una cum eo ſe exercuit.* Quam avidè autem Zeno hoc ſtudium ſit amplexus, idem his verbis docet: Φασὶν πρὸς τὸν δείξαντα αὐτῷ διαλεκτικὸν ἐν τῷ θερίζοντι λόγῳ ἑπτὰ διαλεκτικὰς ἰδέας, πυθέσθαι πόσας εἰσπράττεται μισθοῦ. ἀκούσαντα δὲ ἑκατὸν, διακοσίας αὐτῷ δοῦναι· τοσοῦτον ἤσκει φιλομάθειαν. *Fertur cùm dialecticum ei ſeptem formas dialecticas Metente ratione demonſtràſſet; interrogàſſe, quanta id mercede liceretur, poſcentique centum, ducenta dediſſe. tanto diſcendi amore tenebatur.*

§. 14. Se-

§. 14. Sequebantur Stoici in Logicis Zenonem Eleatem, qui ſectam condidit ἐριστικήν.

Galenus ſive Aëtius lib. περὶ φιλοσόφου ἱστορίας: Ζήνων δὲ ὁ Ἐλεάτης τῆς ἐριστικῆς ἀρχηγὸς μνημονεύεται. *Zeno Eleates, contentioſa philoſophia primus auctor memoratur.* Ubi ἐριστικὴ eſt διαλεκτική. Unde & Euclidis Megarici diſcipuli, non modò Megarici, ſed priùs etiam ἐριστικοὶ poſtea διαλεκτικοὶ nuncupati. De eo ſic Laërtius: Οὗτος καὶ τὰ Παρμενίδεια μετεχειρίζετο, καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ Μεγαρικοὶ προσηγορεύοντο, καὶ εἶτ' ἐριστικοί, ὕστερον δὲ διαλεκτικοί. οὓς οὕτως ὀνόμασε πρῶτος Διονύσιος ὁ Καρχηδόνιος, διὰ τὸ πρὸς ἐρώτησιν, καὶ ἀπόκρισιν τοὺς λόγους διατίθεσθαι. *Hic Euclides Parmenidem quoque didicerat, atque ejus auditores ab eo dicti Megarici: poſtea autem contentioſi, poſtremò dialectici. Quos ſic primus vocavit Dionyſius Carthaginenſis, quia interrogando, & reſpondendo, libros componerent.* Vbi obſervatione dignum, quòd Euclidem ait didiciſſe Parmenidem. Nam Parmenides ille Zenonis Eleatæ præceptor fuit, unde agnoſcere eſt Parminedem ante Zenonem Eleatem quædam circa Logicam moviſſe. Porrò ab Euclide dialecticam hauſit Eubulides Mileſius, qui primus, Laërtio teſte, captiones has reperit, ψευδόμενον, *mentientem*, διαλανθάνοντα, *fallentem*, Ἠλέκτραν, item ἐγκεκαλυμμένον, ſive *involutam*, adhæc Σωρίτην, & Κερατίνην ſeu *cornutam*, & φαλακρὸν ſive *calvam*: ut hinc ſatis liqueat, Stoicos iſtas captiones ab Eubulide accepiſſe. Alii tamen, eodem teſte, dicunt, Diodorum, cognomento Cronum, reperiſſe ἐγκεκαλυμμένον, καὶ κερατίνην λόγον. Quod inde credo eſſe, quia, ut uterque erat Euclidis auditor, ita uterque in multis convenerit. Tertius verò diſcipulus erat Clitomachus Thurius, qui, ut idem Laërtius in Diodoro ait, primus egit περὶ ἀξιωμάτων, καὶ κατηγορημάτων, καὶ τῶν τοιούτων. *De pronunciatis, & iis, quæ de aliis dicuntur, deque talibus.* Quartus Euclidis diſcipulus erat Stilpo Megarenſis. Atque hunc audivit Zeno Cittieus, Stoicæ ſectæ conditor. Ex quibus ſatis liquet, quid cauſſæ ſit, cur Stoici maximè imitati ſint Zenonem Eleatem, & ejus familiarem Parmenidem, & Parmenideæ doctrinæ gnarum, Euclidem Megaricum, eorumque diſcipulos quos diximus. Hoc non tantùm conſtat ex captionibus iſtis, quas dicebam; ſed etiam ex doctrina de ſyllogiſmis hypotheticis. Nam Zenonem Eleatem de hac primum præcepta tradidiſſe, liquet ex iis, quæ antea dicebam ex Proclo in Platonem. Hujus autem exemplo Stoici tantopere excoluere eandem doctrinam. Simplicius in Epicteti Enchiridium. Τῶν ὑποθετικῶν συλλογισμῶν οἱ Στωικοὶ τὴν τεχνολογίαν ἐξειργάσαντο. *Hypotheticorum ſyllogiſmorum artificium Stoici uſque ad minutias ſunt perſecuti.* Quin hos ſyllogiſmos, ut ſimpliciores, quàm Categoricos, ſolos penè ſyllogiſmorum nomine Stoici dignabantur. His ſolis figuras, & modos, aſſignabant. Categoricos dicebant ἀμεθόδως περαίνειν, *ſine via, atque ordine concludere*, ut teſtis eſt Alexander Aphrodiſeus in lib. 1. προτέρ. Ἀναλυτ. In quo immane, quantum à Peripateticis receſſerint: quorum ſententia eſt hypotheticos omnem ſuam vim à categoricis accipere: nec ſolidè probare, niſi ad eos poſſint reduci.

§. 15. Zenonis in dialecticis induſtriam æquavit, vel vicit, diſcipulus Cleanthes: qui & de arte ea quædam conſcripſit.

Nempe, ut Laërtius ait, περὶ τῶν ἀπόρων, περὶ διαλεκτικῆς, περὶ τρόπων, περὶ κατηγορημάτων *de inexplicabilibus, de dialectica, de modis, de his quæ dicuntur de aliquo.*

§. 16. Chryſippus autem Cleanthis diſcipulus, utriuſque induſtriam longiſſimè ſuperavit.

Argumentum ex eo capere poſſumus, quod unus hic in Logicis libros reliquerit CCCXI; ut auctor eſt Laërtius. Idem, ut ait Valer. Max. lib. VIII, cap. VII. *Octogeſimo anno captum undequadrageſimum* λογικῶν *exactiſſimæ ſubtilitatis volumen reliquit.* Imò Laërtius teſtatur, tantæ fuiſſe æſtimationis, ut plerique dicerent, ſi Dii uterentur Dialecticâ, uſuros Chryſippeâ. Soluſque Ciceroni viſus fulcire porticum Stoicam. Etiam Dionyſ. Hal. lib. de collocatione verborum ſcribit de eo hunc in modum: Ἀπόχρη δὲ τεκμηρίῳ χρήσασθαι τῷ λόγῳ Χρυσίππῳ τῷ Στωϊκῷ περαιτέρω γὰρ οὐκ ἂν προβαίην. τούτου γὰρ οὔτε ἄμεινον οὐδεὶς τὰς διαλεκτικὰς τέχνας ἠκρίβωσεν, οὔτε χείρονι ἁρμονίᾳ συνταχθέντας ἐξήνεγκε λόγους τῶν ὀνόματος καὶ δόξης ἀξιωθέντων. *Sufficiat autem pro argumento uti oratione Chryſippi: (ulterius enim non procedam) neque enim eo melius quiſquam vel exactius Dialecticam elaboravit: neque deteriori junctura compoſitos ſermones protulit, ex iis, qui alicujus ſunt nominis, ac fama.*

§. 17. Chryſippi auditor fuit Diogenes Babylonius; qui & ipſe Dialecticus egregius fuit.

Atque ab eo artem hanc didicit Carneades, ut ex Tullio inferiùs dicemus.

§. 18. Diogenem audivit Antipater Sidonius: qui & ipſe inter principes hujus artis locum meruit.

Cicero lib. IV. Acad. Quæſt. *Antipater & Archidamus vel duo principes dialecticorum opinioſiſſimi homines:* Etiam Antipatrum cum Archidamo jungit, tertiumque Neſtorem addit Strabo lib. XIV, viroſque illuſtres vocat, qui prodierint Tharſo, Ciliciæ oppido.

§. 19. Quid mirum autem, ſi Stoici ſtudium Logicum excoluerint, cùm juxta eos philoſophus ſive ſapiens omnis, & ſolus ſit Dialecticus.

Auctor Laërtius, ac Stobæus in Collectaneis decretorum Stoicorum. Etiam Alexander Aphrod. de iiſdem ait in lib. 1. Top. Τοῦτο δὲ ἴδιον ἡγοῦνται τοῦ φιλοσόφου, καὶ τῆς τελεωτάτης φιλοσοφίας φέρεσθαι αὐτήν, καὶ διὰ τοῦτο μόνον ὁ φιλόσοφος κατ' αὐτοὺς διαλεκτικός. *Proprium verò philoſophi exiſtimant bene diſſerere, idque perfectiſſimæ eſſe philoſophiæ ferunt: & propterea ſecundum eos, ſolus philoſophus eſt Dialecticus.*

§. 20. Imò Academici etiam princeps, à Stoicis Logicen diſcebant. Vt Arceſilas, mediæ Academiæ conditor, à Diodoro Crono; Carneades, quo nemo acutior, à Diogene Stoico.

De Arceſila auctor Laërtius lib. IV. cujus verba ſic emendabat Caſaubonus: Καὶ τῆς Διαλεκτικῆς εἴχετο, καὶ τῶν Ἐρετρικῶν ἥπτετο λόγων, ὅθεν καὶ ἐλέγετο ἐπ' αὐτῷ ὑπ' Ἀρίστωνος.

Πρόσθε Πλάτων, ὄπιθεν Πύῤῥων, μέσσος Διόδωρος.
Καὶ ὁ Τίμων ἐπ' αὐτοῦ φησιν οὕτως.
Τῇ γὰρ ἔχων Μενεδήμου ὑπὸ στέρνοισι μόλυβδον
Θεύσεται ἢ Πύῤῥωνα τὸ πᾶν κρέας, ἢ Διόδωρον.
Καὶ διαλεκτικὸν αὐτὸν ποιεῖ λέγοντα,
Νήξομαι εἰς Πύῤῥωνα, καὶ εἰς σκολιὸν Διόδωρον.

Dialectica quoque fuit non imperitus, Eretricorumque rationes callebat. Vnde & de illo ab Ariſtone dicebatur.

Ante Plato, retro Pyrrho, medius Diodorus.
Timon etiam ſic de illo locutus eſt:
Hinc geſtans plumbum Menedemi in pectore, curret
Seu ad Pyrrhonem carnoſum, ſeu Diodorum.
Eumque miſſum faciens ſic loquentem inducit:
Vadam ad Pyrrhonem, vel diſtortum Diodorum.

Atque apertiùs Sextus Empiricus lib. 1. Hypotypoſ. cap.

XXXIII: ubi de Arceſilao ſcribit: Εἰ δὲ δεῖ καὶ τοῖς περὶ αὐτοῦ λεγομένοις πιστεύειν φασὶν ὅτι κατὰ μὲν τὸ πρόχειρον, Πυῤῥώνειος ἐφαίνετο εἶναι, κατὰ δὲ τὴν ἀλήθειαν, δογματικὸς ἦν. καὶ ἐπεὶ τῶν ἑταίρων ἀπόπειραν ἐλάμβανε διὰ τῆς ἀπορητικῆς, εἰ εὐφυῶς ἔχουσι πρὸς τὴν ἀνάληψιν τῶν Πλατωνικῶν δογμάτων, δόξαι αὐτὸν ἀπορητικὸν εἶναι· τοῖς μέντοιγε εὐφυέσι τῶν ἑταίρων τὰ Πλάτωνος παρεγχειρεῖν. ὅθεν καὶ τὸν Ἀρίστωνα εἰπεῖν περὶ αὐτοῦ, Πρόσθε *, Πλάτων ὄπιθεν Πύῤῥων, μέσος Διόδωρος. Διὰ τὸ προσχρῆσθαι τῇ Διαλεκτικῇ τῇ κατὰ τὸν Διόδωρον. εἶναι δὲ ἄντικρυς Πλατωνικός. *Si qua fides autem iis, quæ de eo dicuntur, habenda eſt, ferunt ipſum, primâ quidem fronte Pyrrhonium viſum; verè autem dogmaticum fuiſſe. & quum in ſibi familiaribus, periculum faceret ſuis dubitationibus, an naturam aptam ad percipienda Platonis dogmata haberent, exſtimatum fuiſſe* ἀπορητικὸς, *i. dubitatorem: at familiaribus ſuis, qui acri ingenio præditi eſſent Platonis doctrinam tradere, atque ideo Ariſtonem jactaſſe hoc in ipſum:*

* *Sic verſum hunc corrige.*

Ante Plato, Pyrrho retro, medius Diodorus.

Quod Dialectica Diodori uterentur, planè tamen eſſet Platonicus. At a Diogene Babylonio Chryſippi auditore, artem hanc Carneades didicit, acutiſſimus Academicus. Cicero lib. IV. Acad. Quæſt. *Cum aliquid ejuſmodi* (cavillatorium ludicrum) *inciderat, ſic ludere Carneades ſolebat: Si rectè concluſi, teneo; ſin vitioſè, minam Diogenes reddat. Ab eo enim Stoico Dialecticam acceperat.*

§. 21. *Romani quoque, ante Athenas à Sylla devictas, in Logicis Stoicos ſequebantur.*

Ariſtotelis verò ſcripta ante id tempus toto in Latio ignorabantur: ut ex Plutarcho conſtat.

§. 22. *Ciceronis etiam ætate paucis Ariſtotelea innotuerant: ac omnibus pene ſummis viris Stoicorum Dialectica in uſu erat.*

Quæ & cauſſa eſt, cur Cicero Stoicos potiſſimùm ſequatur: ut in Lucullo, Topicis, & alibi. Nempe Stoicos à puero audiverat. Cic. in Lucullo: *Diodoro quid faciam Stoico? quem à puero audivi.* Item lib. I. de nat. deor. *Principes illi Diodorus, Philo, Antiochus, Poſidonius, à quibus inſtituti ſumus.* Idem Stoicum hunc Poſidonium familiarem ſuum vocat lib. I. de fin. *Quid à Chryſippo prætermiſſum in Stoicis? Legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mneſarchum, Panætium multos alios, imprimiſque familiarem noſtrum Poſidonium.*

§. 23. *Imò ob breve ac conciſum diſputandi genus ſoli Stoici vulgo* Dialectici *credebantur & dicebantur.*

Cicero in Oratore: *Ariſtoteles tradidit præcepta plurima diſſerendi: poſtea, qui Dialectici dicuntur, ſpinoſiora multa pepererunt,* Idem lib. de divinat. pro Epicuro diſſerens contra Stoicos: *Hoc vos,* inquit, *Dialectici non facitis.* Et in Lucullo Antipatrum & Archidemum Stoicos propterea *dialecticorum principes* appellat. Quia Stoici ſubinde eos ridebant, ut non ſatis acutos. Cic. lib. III. de Fin. *His ita poſitis, ſequitur magna contentio, quæ pertractata eſt à Peripateticis mollius. Eſt enim eorum conſuetudo dicendi non ſatis acuta, propter ignorationem Dialecticæ.*

§. 24. *Denique patrum non paucis hæc Logice maximè placuit, ipſeque B. Auguſtinus, ut in philoſophia Platonem, ita in Logicis maximè ſequitur Stoicos.*

Ejus Logica exſtat: quæ in nonnullis codd. Fortunatio tribuitur: ſed verè eſſe Auguſtini, liquet cùm ex ipſo opere, tum è Retractationum libris. Quare acumen Stoicis potiùs, quàm Peripateticis debet. Quantum autem id fuerit, argumento eſt, quòd B. Ambroſius, antequam B. Auguſtinus ad Chriſtianam eſſet religionem converſus, orârit Deum, ne ejus laqueis irretiretur. Sic enim de Auguſtino ſcribit ſerm. XCII. *Optabam mirum in modum hominem tanta doctrina illuminari, à quo ſumma gloria & ſplendor, ut in merito Chriſtianæ fidei oriri poſſet. Verum etiam Auguſtinus tanta interdum pertinaciâ, & diſputationis ſua acrimonia ac vehementius, nos urgebat, ut inter ſupplicationes noſtras, quod Deus ab ejus captionibus nos averteret, orare coacti ſimus.*

§. 25. *Sed ut olim præſtitiſſet Logica Stoica, nobis tamen nunc diſcenda eſſet Peripatetica, poſtquam libri Chryſippi perierunt. Interea ne illud quidem dare Stoicis poſſumus, Peripateticos olim in Logicis eſſe ab iis ſuperatos. Primum nos movet, quod Stoici magis verbis, quam re ipſa, ab Ariſtotele diſcreparint. Ut non pauca etiam videantur à Peripateticis mutuati, ſed nomina innovâſſe, ne auctor agnoſceretur.*

Ciceronem in hoc ſequor; qui lib. III. & IV. de Fin. docet, Zenonem Citticum, & ejus ſectatores, verbis potiùs, quam rebus, diſſentire ab Academicis veteribus, ac Peripateticis.

§. 26. *Nec ignoro, ut ſe Stoici jactarint ob ea, quæ Logica Peripatetica adjecerunt. Verùm ſcimus, ea ſubtilia magis fuiſſe, quam utilia.*

Unde Tullius in Oratore: *Ariſtoteles tradidit præcepta plurima diſſerendi: poſtea, qui Dialectici dicuntur, ſpinoſiora multa pepererunt.* Imò Senecæ ipſius tale de Chryſippi libris judicium fuit: Non dabit enim lib. I. de benef. cap. IV. *Chryſippum in ordinem cogere magnum virum, ſed tamen Græcum: cujus acumen nimis tenue retunditur, & in ſe ſæpe replicatur: etiam cum agere aliquid videtur, pungit, non perforat.* Et ſanè multa eum habuiſſe ſpinis ſimiliora, quam roſis, patet ex cavillationibus Stoicorum; de quibus ſeorſim egimus. Incuſent igitur Stoici, ut lubet, tarditatem Peripateticorum in diſſerendo: Peripatetici viciſſim rident ſpinoſa eorum argumenta, ac nullo pene negotio refellunt. Ut ſuccenſere non poſſim Henrico Stephano, quando præf. in Xiphilinum non ita magnam putat jacturam eam, quod Chryſippi dialectica interciderint.

§. 27. *Hoc etiam ad Peripateticorum commendationem facit; quod Stoici ab iis ſermonis elegantiâ vincerentur.*

Ariſtotelem enim aureum fundere orationis flumen, ait Tullius lib. II. Acad. Quæſt. Chryſippus autem dialecticam ſcripſit planè inornatè ac ſordidè: ut judicium eſt Dionyſii Halicarn.

§. 28. *Quæ quanquam ita ſint, non tamen illis adverſor, qui Logicam Peripateticam, & Stoicam conjunxerint, uti olim fecit Tullius Marcellus Carthaginenſis.*

De eo ſic Caſſiodorus lib. de Dialect. *Sciendum quoque quoniam Tullius Marcellus Carthaginenſis de Categoricis, & Hypotheticis ſyllogiſmis, quod à diverſis philoſophis latiſſimè dictum eſt, ſeptem libris breviter ſubtiliterque tractavit, ita ut primo libro de regula, ut ipſe dicit, colligentiarum artis Dialecticæ diſputaret. Et quod ab Ariſtotele de categoricis ſyllogiſmis multis libris editum eſt: ab iſto, ſecundo & tertio libro breviter expletur. Quod autem de hypotheticis ſyllogiſmis à Stoicis, innumeris voluminibus tractatum eſt, ab iſto quarto & quinto libro colligeretur.*

§. 29. *Videre etiam eſt, plurimos noſtri ſeculi Logicos concinnare hanc artem, partim ex Peripateticis, partim*

tim ex Cicerone, & aliis, qui Stoicos ſequuntur. Sed in eo peccant, quod non diſtinguant, quid Peripateticis, quid aliis acceptum ferant. Quod ſcire nec inutile eſt, nec injucundum.

Idcirco bonam operam navavit Adamus Burſius Samoſcienſis Academiæ profeſſor opere eo, quod Dialecticam Ciceronis inſcripſit. Nam tres in eo perſonas inducit, Stoicum, Peripateticum, Academicum; proque tribus iſtis trium ſectarum Logicam expoſuit. Interque cætera hoc commodi præſtat, quod melius ex eo Cicero, & alii intelligantur. Nam Peripateticorum Logicæ aſſuetis, ſæpe in iis ſcriptoribus aqua hæret: dum omnia interpretantur more Peripatetico, planè contra auctorum mentem. Imò ex collatione hac ſectarum plenius cognoſcitur artis natura. Etſi enim una eſt veritas: nihil tamen impedit varias eſſe rationes, & vias, ad eam eruendam ac tuendam. Quomodo Imperator quiſpiam varia habet genera machinarum, ac telorum, quibus ſe defendit, hoſtemque oppugnat.

§. 30. *Interea magis laudabilis eſt hac Logicæ miſcella ex Peripateticorum & Stoicorum dogmatis, quàm mutila illa eorum, qui χθὲς καὶ πρῴην, novam Logices formam induxere, nec corpus univerſum artis, ſed aliquot ejus artus proferunt. Quemadmodum nec illud in iis probare poſſumus, quod ubi vetera produnt, novis gaudent appellationibus: quæ res obſcuritatem adfert.*

Nimirum, quod de Stoicis veteribus, qui ab Academicis omnia ſurripuere, ſed res eaſdem diverſis appellarunt nominibus, apud Tullium legere eſt in quincto de Finibus libro: id de hoc artis Logicæ, & aliarum aliquot diſciplinarum corruptore jure optimo dixeris, aut diſceſſiſſe eum ab ingenio reliquorum furum: ſed uti illi earum rerum, quas aliis abſtulere, ſigna commutant, ne cognoſci poſſint: ita hunc etiam cùm rectè ſentit, nomina immutaſſe, ut inventionis ſibi gloriam vindicaret.

Cap. IX.

De Logices diviſione.

§. 1. *Quæ hactenus diximus, ea ad univerſam artem pertinent. Deinceps agendum de partitione ejus. Ubi ante omnia videndum, ne in errorem nos abducant, qui eam dividi ajunt in naturalem & artificialem: cum illa non diviſio ſit, ſed veriùs diſtinctio.*

QUanti interſit noſſe vocum naturam, vel argumento eſt, quod multi hodie, quoties de partitione Logicæ quæritur, diſtinctionem ejus afferant, cùm diſtinctio, ac diviſio, plurimum differant. Nam diſtinctio eſt, cùm plures aſſignamus vocabuli ſignificationes, aut rem eandem diverſimodè conſiderari oſtendimus. Ac diviſio eſt rei alicujus deductio in partes ſuas, ſive eſſentiales, ſive integrales. Itaque Logicam diſtinguimus, non dividimus, cùm aliam ſtatuimus eſſe naturalem, aliam artificialem. Ut nihil de eo dicam, quod hoc loco de Logica artificiali ſit ſermo, quam nemo, niſi ſtolidus aliquis Hermas, in naturalem & artificialem dividi dixerit. Ut illud quoque mittam, quòd propria eſſe Logices diviſio non poſſit, cùm ſimiliter Rhetorice dividatur, & fortaſſe Poëtice quoque, atque aliæ artes, etiam Medicina: ut quam vulgò diſpeſcant in θεωρητικὴν, καὶ πρακτικήν: ac Galenus etiam dividit eam in methodum, ſive artem, & ἄσκησιν ſive exercitationem.

§. 2. *Diviſiones Logicæ tres hodiè maxime celebrantur. Prima eſt vulgaris illa in Inventionem, & Judicium.*

Adfert eam Cicero in Topicorum initio, fuſeque ad eundem locum Boëthius enarrat. Verùm Cicero ut has faciat Logicæ partes, non propterea Rhetoricen iis partibus ſpoliat: contrà quàm faciunt recentiores.

§. 3. *Porrò hanc diviſionem non uno omnes modo interpretantur. Alii per inventionem intelligunt, quod Logica locos monſtret, unde petantur argumenta: per Judicium, quod maximas propoſitiones tradat, juxta quas de rationibus inventis judicamus. Sed de hac ſententia illud dicere habeo, planè eſſe abſonam, quia duo illa Topicis ſimul tradantur, ut non poſſint diſtinctè eſſe artis partes. Alii per Inventionem quidem idem, quod priores, intelligunt: verùm Judicio deſignari exiſtimant diſpoſitionem per Metonymiam effecti. Nam cùm inventum eſt argumentum, legitimè diſponi debet cum quæſtione ad benè judicandum.*

Fortaſſe pro hac ſententia etiam illud facit, quod vetuſtiſſimi duas ſolum Muſas ſtatuerint, unam nomine Μελέτην, quæ meditando inveniret; alteram Ποιητὴν, quæ, argumento invento, faceret Syllogiſmum. Utcunque illud eſt, ſic Judicii nomine uſi etiam Tullius, & Boëthius.

§. 4. *Qui Logicen ſic dividunt, perque judicium intelligunt diſpoſitionem, & eò putant judicium vocari, quia legitima diſpoſitio ſit ſolidum cognoſcendæ, & judicandæ veritatis inſtrumentum: hi eò refelluntur, quòd, licet forma diſpoſitionis ſit legitima, non tamen ex ea ſolâ neceſſariò aliquid ſequatur, quandoquidem etiam ex falſis propoſitionibus ſequatur verum neceſſitate ſyllogiſticâ: ut docet Ariſtoteles lib. II Analyticorum poſter.*

Præterea cogitandum etiam ubi recta eſt diſpoſitio formæ, nihil tamen conſequi, propter falſam materiam.

Ut in iſto: Quiſquis cum alterius damno diteſcit, eſt injuſtus.

Omnis bonæ fidei poſſeſſor uſu capiens rem alienam diteſcit.

Eſt igitur injuſtus.

Falſam liquet eſſe argumentationem, etſi forma ſit bona. Nempe ob vitium materiæ.

Nec tamen forma ſyllogiſtica parvi cenſenda, quia nullus eſt ſyllogiſmus bonus, niſi qui legitimam formam habeat, vel ad eam poſſit revocari: ſolum negamus hanc ſufficere, ad perfectum judicium, ſed tam materiæ, quàm formæ, ſit ἀναλύσεως opus; unde & Ariſtoteles Priora, ac Poſteriora Analytica conjunxit.

§. 5. *Quæſtio etiam eſt, an diviſio hac Organo Ariſtotelis aptari poſſit. Multorum quidem hæc opinio eſt, quam vix mihi Enniani illius Cethegi Suada perſuaſerit. Nihil enim apertius puto, quàm eam non diviſionem eſſe Logicæ, ſed ut loquimur, ſubdiviſionem, atque id etiam Ariſtotelem obſervâſſe.*

Nam in priori priorum Analyticorum libro primùm agit περὶ γενέσεως, ſive de ſtructura, ac diſpoſitione ſyllogiſmi: inde de εὐπορίας, ſive de inventione medii termini: poſtremo de ἀναλύσεως ſive reſolutione. Tullius nihilominus exiſtimabat, diviſionem illam in Inventionem, & Judicium, Ariſtoteli etiam placuiſſe. Imò & Laërtius, ut doceat Ariſtoteleæ Logicæ perfectionem, dicit eum nihil omiſiſſe, ὅτι τῶν πρὸς εὕρεσιν, ὅτι τῶν πρὸς κρίσιν *. Mox ſub Inventione complectitur, τά τε τοπικὰ, καὶ μεθοδικά. Ex quibus Methodica erant libri hypomnematici, ut Simplicius comm. in Categ. exponit. Ex cujuſmodi libris nihil certi ſtatui poſſit de mente Ariſtotelis: ut monet Alexander: eoque leviùs ferendum, quòd iis careamus, ſub Judicio autem comprehendit τὰ ἀναλυτικὰ πρότερα, καὶ ὕστερα †. Atque ait, priora eſſe referenda ad judicium de ſumptionibus facien-

* *Earum, quæ vel ad Inventionem vel ad Judicium pertinent.*

† *Analytica priora, & poſteriora.*

faciendum: poſteriora autem ad judicium de collectione. Sed & inventio eſt tum in prioribus Analyticis lib. 1, ſect. 11. cùm de εὐπορίᾳ ſive copia propoſitionum diſputat: tum in poſterioribus Analyticis lib. 1, cap. IV: ubi demonſtrationum inventionem tradi, agnoſcat Themiſtius. Denique ad uſum revocat τά τε ἀγωνιστικὰ, καὶ τὰ περὶ ἐπιστάσεως ἐρωτικά τε, καὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων τε καὶ συλλογισμῶν, καὶ τῶν ὁμοίων τούτοις. Unde liquet, ad uſum retuliſſe lib. VIII Top. & Sophiſt. Elenchos. Et pertinent illa quidem ad uſum; verum multa etiam ad uſum reducuntur in Analyticis. Quamobrem planè falluntur, qui ob ea Laërtii verba arbitrantur, Logicen Peripateticam dividi debere in Inventionem, & Judicium; ſive in tres has partes, de Inventione, Judicio, & Uſu. Præterea ut omnino illa diviſio eſſet legitima; nihilominus, pene dixerim, quinquagenario me auſum ſacramento contendere, multum a recta eos via aberrare, qui juxtim illam ſua ſic Logica inſtituunt, ut priore agant loco de Inventione, cùm præmittere debeant Diſpoſitionem. Ut ſatis magno nobis argumento eſt fiducia Ariſtotelis, à quo ita factum videmus priori Analyticorum priorum libro. Idem ratio evincit. Quod jam olim probare adnixus eſt Majoragius: cujus ea de re in Epiſtolicis quæſtionibus diſſertatio exſtat ad M. Antonium Cicerejum. Verùm ita is Peripateticorum agit cauſſam, ut ſatis comprobet, ſe juxta Enniani Neoptolemi præceptum, philoſophatum paucis. Nam quanti illud quæſo, quòd Analytica poſteriora ad Judicium pertinere ait, Topica ad inventionem? De quo paullo pòſt videbo. Nunc ſolidiora adferamus. Mitto illud, quod faciliora debent præcedere: at difficilius ſit invenire argumentum: facile ſit invento argumento ſyllogiſmum exſtruere. Illud dicam, quod non diffitentur ipſi, communia ac generalia debere præmitti ſpecialibus. At Diſpoſitio communis eſt quibuslibet ſyllogiſmis: Inventio autem non eſt uniuſmodi. Eſt enim triplex pro triplici materia ſyllogiſmi; Inſuper ideo quoque περὶ φύσεως agendum eſt ante εὐπορίαν, quia naturam rei perſpectam eſſe convenit, priuſquam de uſu ejus tractetur. Denique cùm medium quæratur ad probationem concluſionis: omnino, antequam agatur de conſtitutione medii, tractandum eſt de enunciatione, ejuſque materia, quæ ſunt ſimplices termini. Quippe finis eſt executione ultimus; intentione autem, & præceptione primus. Quod igitur dicunt inventionem eſſe præponendam Judicio, *quia ars inveniendi*, ut initio Topicorum Tullius ait, *ſit ad uſum potior, ordine naturæ certè prior*, id ita frigidum eſt, ut longis, quos Maro vocat, menſibus algorem poſſit gignere. Artes enim docentur ordine reſolutivo, exercentur compoſitivo. Ita architectus licet priùs materiam requirat, antequam ædes exſtruat, neceſſe tamen habet priùs cognoſcere rationem, ac formam exſtruendi, quàm eam materiæ applicet. Eademque cæterorum artificum ratio eſt.

§. 6. *Valde autem falluntur, qui putant, diviſionem illam Logices in Inventionem, ac Judicium à Stoicis eſſe profectam. Nam Stoici omittunt partem illam de Inventione, ſolumque in judicando verſantur.*

Cicero lib. IV de Fin. *Quid ea, quæ nunc Dialectici tradunt, & docent, nonne ab illis inſtituta ſunt, & inventa? de quibus, etſi à Chryſippo maximè eſt elaboratum, tamen à Zenone minùs multò, quàm ab antiquis.* Ubi per *antiquos* deſignat Peripateticos: qui Stoicis ſunt antiquiores. Sequitur deinde de Zenone: *Ab hoc autem quædam non meliùs, quàm veteres, quædam omnino relicta.* Nempe relicta à Zenone eſt Topice. Unde continuò ſubdit: *Cumque duæ ſint artes, quibus perfectè ratio, & oratio complentur, una inveniendi, altera diſſerendi: hanc poſteriorem & Stoici, & Peripatetici: priorem autem illi egregiè tradiderunt: hi omnino ne attigerunt quidem: nam è quibus locis, quaſi theſauris, argumenta depromerentur, veſtri* (Stoici) *ne ſuſpicati quidem ſunt.* Idem tradit initio Topicorum: *Cùm omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat partes; unam inveniendi, alteram judicandi: utriuſque princeps, ut mihi videtur, Ariſtoteles fuit, Stoici autem in altera elaboraverunt. Judicandi enim viam diligenter perſecuti ſunt, eam ſcientiam, quam Dialecticen appellant. Inveniendi verò artem, quæ Topice dicitur, quæ ad uſum potior erat, & ordine naturæ certè prior, totam reliquerunt.* Boëthius quoque ad hunc locum ſic ea, quæ de inventione, & judicio dixerat, concludit: *Expeditum igitur eſt, ut arbitror, quid ſit, quod Cicero ait, rationem diligentem diſſerendi duas habere partes, inveniendi unam, alteram judicandi. Illud etiam diligentiùs expoſitum eſt, quæ ſit ratio, quam Stoici Dialecticen vocant. Ea eſt enim, quæ judicandi peritiam tenet, & quam eodem nomine Plato partiendi per differentias, atque ad genus revocandi facultatem vocat. Quamque eodem nomine Ariſtoteles, non totam diſſerendi artem, ut Stoici, ſed eam tantum nuncupet, quæ de propoſita quæſtione veriſimilibus colligat argumentis. Atque ideo perfectiùs Ariſtoteles de Logica tractavit, quoniam de duobus, ultra quæ nihil eſt tertium, diſſeruit, de inventione ſcilicet, & judicando: cùm Stoici, inventione neglectâ, judicationis tantum inſtrumenta tradiderint. Atque ideo jure eos increpat Tullius, quoniam id maximè reliquere, quod & naturâ prius, & uſu potius erat. Naturâ quidem, quia fieri non poteſt, ut de inventione judicetur, niſi ipſa inventio prius exſtiterit. Ad uſum verò, quia longè utilius eſt nuda, & præter artem prolata naturali inventione ſuſceptum ſæpe negotium tueri, quàm, inveniente alio, mutum ipſum, inermeque, & tacitum verſare judicium.*

§. 7. *Accedo nunc ad Stoicorum diviſionem. Hi Dialecticen dividunt in partem de rebus, quæ ſignificantur, & alteram de vocibus, quibus res ſignificantur.*

Seneca epiſt. LXXXIX: Διαλεκτικὴ *dividitur in duas partes: in verba & ſignificationes: id eſt, res quæ dicuntur, & vocabula, quibus dicuntur.* Hoc è Stoicorum mente dici, oſtendit Laërtius in Zenone, ubi hanc eis ſententiam tribuit: Τὴν διαλεκτικὴν διαιρεῖσθαι εἴς τε τὸν περὶ τῶν σημαινομένων, καὶ τῆς φωνῆς τόπον. *Dialecticam dividi in eorum quæ ſignificantur, & vocis locum.* Quomodo verò prior pars diſtribuatur addit deinde, his verbis: Καὶ τὸν μὲν τῶν σημαινομένων, εἴς τε τὸν περὶ τῶν φαντασιῶν τόπον, καὶ τῶν ἐκ τούτων ὑφισταμένων λεκτῶν, ἀξιωμάτων, καὶ αὐτοτελῶν, καὶ κατηγορημάτων, καὶ τῶν ὁμοίων ὀρθῶν καὶ ὑπτίων, καὶ γενῶν, καὶ εἰδῶν, ὁμοίως δὲ καὶ λόγων, καὶ τρόπων, καὶ συλλογισμῶν, καὶ τῶν παρὰ τὴν φωνὴν, καὶ τὰ πράγματα σοφισμάτων. *Porrò autem locum illum de his, quæ ſignificantur, diſtribui in locum de viſis, & de his, quæ ex viſis ſubſiſtunt, dicibilibus, pronuntiatis, & ex ſe perfectis, & categorematibus, & de ſimilibus rectis & ſupinis, & generibus, & formis, & omnibus. Similiter & de rationibus, & modis, & ſyllogiſmis, deque iis captionibus, quæ in voce ſunt, vel in rebus.* Nam interpres, qui illud παρὰ τὴν φωνὴν vertit *præter vocem*, planè fallitur. Siquidem παρὰ ſic capi debet, ut apud Ariſtotelem lib. 1 Soph. Elench. cap. II. cùm ait, redarguendi modos τοὺς μὲν εἶναι παρὰ τὴν λέξιν, τοὺς δ' ἔξω τῆς λέξεως. *alios in dictione, alios extra dictionem.* De altera autem Dialecticæ parte ſic deinde ſcribit: Εἶναι δὲ τῆς διαλεκτικῆς ἴδιον τόπον, καὶ τὸν προειρημένον περὶ αὐτῆς τῆς φωνῆς, ἐν ᾧ δείκνυται ἡ ἐγγράμματος φωνὴ, καὶ τίνα τὰ τοῦ λόγου μέρη· καὶ περὶ σολοικισμοῦ, καὶ βαρβαρισμοῦ, καὶ ποιημάτων, καὶ ἀμφιβολιῶν, καὶ περὶ ἐμμελοῦς φωνῆς, καὶ περὶ μουσικῆς, καὶ περὶ ὅρων (καθά τινες) καὶ διαιρέσεων, καὶ λέξεων. *Eſſe verò Dialecticæ proprium locum, quem diximus de voce ipſâ: in quo oſtenditur literata vox, & quæ ſint orationis partes: item de ſolæciſmo, & barbariſmo, & poëmatis, & ambiguis, & concinnâ voce, & de muſica, & de definitionibus, (juxta aliquos) ac diviſionibus, & dictionibus.*

§. 8. *Sunt*

§. 8. *Sunt etiam, quibus hæ quatuor ſint Logicæ partes; de loquendo, eloquendo, proloquendo, & proloquiorum ſumma.*

Eſt ea apud B. Auguſtinum libro de principiis Dialecticis; ubi ſic ſcribit: *His breviter conſtitutis, ſingulas partes conſideremus: nam ſunt prima duæ: una de his, quæ ſimpliciter dicuntur, ubi eſt quaſi materia Dialecticæ: altera de his, quæ conjuncta dicuntur, ubi jam quaſi opus apparet. Quæ de ſimplicibus eſt, vocatur de loquendo. Illa vero, quæ de conjunctis eſt, in tres partes dividitur. Separatâ enim conjunctione verborum, quæ non implet ſententiam, illa quæ ſic implet ſententiam, ut nondum faciat quæſtionem, vel diſputationem requirat, vocatur de eloquendo. Illa verò, quæ ſic implet ſententiam, ut de ſententiis ſimplicibus judicetur, vocatur de proloquendo. Illa verò, quæ ſic comprehendit ſententiam, ut de ipſamet copulatione judicetur, donec perveniatur ad ſummam, vocatur de proloquiorum ſumma.* Cenſeo autem, hanc diviſionem hauſtam eſſe è Varrone, qui primus Romanorum Logicen ſcripſit. Quod clarè ait Martianus Capella initio libri IV. ubi Dialecticè iccirco Varronem ſuum vocat. Ac paullò poſt eandem diviſionem addit: niſi quod duas alias adjungat. Sic enim loquitur: *Quippe in ditione mea, jureque conſiſtunt ſex norma, quis conſtant cætera diſciplina. Nam prima eſt de loquendo. Secunda de eloquendo. Tertia de proloquendo. Quarta de proloquiorum ſumma. Quinta de judicando, quæ pertinet ad judicationem poëtarum, & carminum. Sexta quæ dicenda Rhetoribus commodata eſt.* Exponit deinde pluribus, quid in quatuor prioribus partibus quæratur. De quinctâ, ſextâque, nihil addit. Non dubito, quin & hæc ſumſerit Capella ex Varrone, propterea, quæ, ut dixi, paullo ante de Varrone præmiſerat. Varro autem fortaſſe ea hauſerat ex Stoicorum nonnullis. Saltem modus ille dividendi, Stoicum quid redolet. Ac de Stoicis ſatis.

§. 9. *At Peripatetica magis diſtributio eſt eorum, qui, quod Logices ſit dirigere mentis operationes, pro tribus mentis operationibus artem diſpertiunt, in totidem partes ſingulis operationibus reſpondentes: ut primò quidem agatur de prædicamentis, prædicabilibus, definitione, ac diviſione: hinc de enunciatione: poſtremò autem de ſyllogiſmo ratione tum formæ communis, tum triplicis materiæ. Quæ diſtributio rationi eſt conſentanea, & organo etiam Ariſtotelis poſſit accommodari.*

Ratio quidem convenit, quia ſi Logices finis eſt dirigere intellectum in rerum cognitione: quot genera ſunt operationum intellectus, totidem erunt partes Logicæ. At operationes intellectus ſunt tres, ſimplicia apprehendere, apprehenſa componere & dividere, & ex compoſitis ratiocinari, eave ordinare. Erunt igitur tres Logicæ partes, quarum prima primæ, altera alteri, tertia tertiæ mentis operationi reſponderet. Convenit etiam organo Ariſtotelis, quia circa primam mentis operationem verſatur liber categoriarum; adhæc tria prima capita libri περὶ ἑρμηνείας, quæ ſunt de voce ſimplici, item de verbo. Circa ſecundam ſe occupat reliquus liber περὶ ἑρμηνείας. Cæteri libri conſiderant ſyllogiſmum, vel ratione communis formæ, ut Analytica priora: vel ratione materiæ particularis, quæ vel neceſſaria eſt, vel probabilis, vel fallax. Neceſſariam explicant Analytica poſteriora: probabilem Topica, fallacem Sophiſtici Elenchi.

§. 10. *Cum partitione hac conſentit illa aliorum, qui Logicen dividunt in partem communem & propriam: quarum illa abſolvitur libris generatim de ſyllogiſmo agentibus: altera particulatim de aliqua trium ſyllogiſmi ſpecierum.*

Generatim tractat liber Categoriarum, de Interpretatione, & Analytica priora. Liber Categoriarum agit de partibus ſyllogiſmi remotis, qui ſunt ſimplices termini. Liber de Interpretatione, exceptis tribus primis capitibus, tractat de partibus proximis, h. e. de enuntiatione. Analytica priora conſiderant totum ſyllogiſmum ratione formæ, quæ omnibus ſyllogiſmi ſpeciebus, quæ tres ſunt, pro triplici fine ac materia. Prima eſt ἀπόδειξις ſive demonſtratio; cujus finis ſcientia, materia neceſſaria eſt. Altera eſt ἐπιχείρημα, cujus finis probabilis diſputatio ad opinionem, idque vel vincendi & explorandi, vel demonſtrationi viam ſternendi gratiâ; materia ejuſdem eſt probabilis. Tertia eſt σόφισμα, cujus ſcopus fraus, ac materia fallax. Nam ut ſolidè verum à falſo diſcernere poſſimus, primò expedit à veris argumentis diſtinguere cavillationes alienas, quæ alioqui nobis, & aliis negotium facerent; immò à veri notitiâ ſæpiùs abducerent. Deinde ſequitur, ut probabilibus argumentis in qualemcunque rei notitiam perveniamus. Poſtremum eſt, ut ſi rei ita ferat natura, demonſtratione perducamur ad certam rei per cauſſas notitiam, quam ſcientiam dicimus. Eò autem ajebam; *ſi rei ſic ferat natura:* quia multa non poſſunt demonſtrari: in cujuſmodi ſatis eſt, ſi probabilibus utamur argumentis: quæ cæteroquin non ſola utramque facerent paginam: ſed vel præmitterentur demonſtrationi, ut ad eam præpararent viam: vel eidem ſubderentur, ut illi aliquod adderent pondus. Ex his liquet, cur in Organo Ariſtotelico tria hæc ſyllogiſmorum genera jungantur. De ἀποδείξει agitur Analyticis poſterioribus. De Epicheiremate ſive ſyllogiſmo Dialectico, octo libris Topicorum. De ſyllogiſmo ſophiſtico duobus libris ſophiſticorum Elenchorum.

§. 11. *Vnum tamen obſtat, quo minùs credamus, Ariſtoteli hujuſmodi diviſionem in animo fuiſſe, cùm Logicen traderet. Nam Analytica, & Topica, diverſo tempore conſcripſit: nec tempore modò, ſed etiam diverſo philoſophandi genere: illa quidem acroamaticè, hæc exotericè. Nempe quia Analyticen, & Dialecticen, pro diverſis artibus haberet, quarum illa ſibi proponeret verum: hæc veriſimile: illa ex propriis principiis rem demonſtraret; hæc ex veris quidem, ſed communibus, & Topicis, argumentaretur. Vtraque autem ars continetur communi nomine συλλογιστικῆς. Sed antequam hæc diſcatur, præmitti debet pars Logicæ στοιχειολογική: quæ comprehendit categoriarum librum, & de Interpretatione: quorum ille exotericus eſt, hic acroamaticus: ille toti συλλογιστικῇ ac præcipuè Topicæ inſervit: hic præcipuè ad ἀναλυτικὴν munit viam. Atque hæc veterum Peripateticorum de Logices diſtributione ſententia eſt: qui magno conſenſu Logicen in Analyticen, & Dialecticen diviſere.*

In his Philoponus, Simplicius, alii. Ac Laërtius quoque auctor eſt, duo ſibi propoſuiſſe Ariſtotelem, ad quæ collinearet, πιθανόν, καὶ ἀληθές. Subjungit deinde, διαλεκτικῇ μὲν ἐχρῆτο πρὸς τὸ πιθανόν· ἀναλυτικῇ μὲν πρὸς τὸ ἀληθές. *dialectica quidem utebatur ad id, quod veriſimile eſt; Analytica ad id, quod verum eſt.* Nec, cùm ſolam Διαλεκτικὴν & Ἀναλυτικὴν nominant, priores excludunt libros: ſed Logices nomine ſolam intelligunt συλλογιστικὴν: ad quam στοιχειολογική viam ſternit. Niſi dicere malis ἀναλυτικὴν latiùs ſumptam complecti στοιχειωτικὴν, & ἀναλυτικὴν preſsè acceptam: quando ſæpe idem eſt nomen generis ac ſpeciei, totius ac partis. Quomodo Cicero in Topicis uxorum duas facit formas, unam matrum familias, quæ in manum convenirent: alterum earum, quæ tantum uxores haberentur: quomodo item Cæſar initio commentarii de bello Gallico, Gallicorum ait alios eſſe Belgas, alios Aquitanos, alios propriè Gallos. Apud juriſconſultos quoque cognatio dividitur in agnationem, qua per patrem conjungimur, & cognationem propriè dictam quâ jungimur per matrem: donum item diſtribuitur in munus, quod fit cum cauſſa, & donum preſſè acceptum quod

quod ſit ſine cauſa. Imò apud Ariſtotelem quoque compluria ſunt ejuſmodi: ut initio Topicorum proprii, in diviſionem, & proprium: quorum illa vim & naturam rei declaret: proprium ſic communi nomine dictum non item: pluraque ejus generis adduximus lib. 1. Orat. Inſtit. cap. IV. Similiter igitur Ἀναλυτικὴν dividere potuerunt in στοιχειωτικὴν, & Ἀναλυτικὴν preſſè dictam. Uti & διαλεκτικὴν in διαλεκτικὴν, & Σοφιστικήν.

§. 12. *Quod ſicui id non placet, dividere Logicam poſſit, in στοιχειολογικὴν & συλλογιστικήν: συλλογιστικὴν in ἀναλυτικὴν & διαλεκτικήν: ἀναλυτικὴν in προτέραν, καὶ ὑστέραν: διαλεκτικὴν in τοπικήν, καὶ σοφιστικήν.*

Sive autem hæc ratio, ſive prior magis placet, certum eſt λογικὴν, quatenus ſolam συλλογιστικὴν notat, rectè in Ἀναλυτικὴν, & διαλεκτικὴν diſpeſci. Nam pro finibus artis ſunt ejus partes: ſed finis artis vel eſt demonſtratio, ſive ſcientia: vel epicherema, ſive opinio. Quare partes ejus quoque duæ erunt, ἀναλυτική, cujus finis demonſtratio, & Διαλεκτική, cui propoſitum probabiliter diſputare. Idem ex eo colligitur, quod Ariſtoteles lib. 1. Anal. pr. ait, ſe de ſyllogiſmo acturum ob demonſtrationem. Hinc enim conſequitur, doctrinam de ſyllogiſmo (ac par ratio eſt eorum, quæ de Interpretatione traduntur) non niſi ſecundariò præcipi ob Διαλεκτικήν: eoque hanc alteram conſtituere Logices partem.

§. 13. *Analytices igitur partes ſunt tres: una πρόδρομος περὶ ἑρμηνείας, tum ſimplicis, quæ eſt de nomine & verbo, tum compoſita, quæ eſt de oratione generatim, ac ſpeciatim de compoſitione. Altera univerſè agit de ſyllogiſmo. Tertia ſpeciatim de demonſtratione.*

Quod ita eſſe, ratio ipſa evincit. Nam demonſtratio ſcientiam parit: omnis autem demonſtratio eſt ſyllogiſmus. Omnis ſyllogiſmus conſtat pronunciatis, quæ aliquid de aliquo affirmant, aut negant: omnis affirmatio aut negatio conſtat ex eo, quod ſubjicitur, ac nomen dicitur, & eo, quod de altero enuntiatur, & verbum eſt Indicativi modi, vel nomen additum verbo ſubſtantivo. Unde conſequitur, primum agendum eſſe de nomine & de verbo: hinc de oratione univerſè, ac ſpeciatim de oratione, & affirmatione, ac negatione: tum de ſyllogiſmo generatim: denique de demonſtratione.

§. 14. *Dialecticæ partes itidem tres ſunt: una πρόδρομος de categoriis; altera de ſyllogiſmo veriſimili: tertia de ſophiſtico, ſive piraſtico.*

Hoc quoque ratione evincitur. Nam διαλεκτικὴ & σοφιστικὴ ſive πειραστικὴ ſunt partes συλλογιστικῆς: utraque verſatur circa quamlibet materiem. Quare ut faber aliquam materiæ debet habere notitiam: ita claſſibus omnium rerum agendum, priuſquam ad ſyllogiſmum vel dialecticum vel ſophiſticum accedatur.

Verum liber Categoriarum ita πρόδρομος eſt Dialecticæ, ut & Analyticæ inſerviat: unde primus ei datus eſt locus ab iis, qui Organi Ariſtotelici libros diſpoſuêre. Nempe placuit iis, ut tota præmitteretur στοιχειωτική, h. e. tam categoriarum liber, quam ille de Interpretatione.

§. 15. *Ex his, quæ de duabus Logicæ partibus Analytica & Dialectica adduximus, facilè occurritur controverſiæ, utrum notiones omnes ſecundæ, quæ in Logicis fabricantur, ſint Logices inſtrumenta: etiam illæ, quæ ad primam & alteram mentis operationem referuntur.*

Primæ mentis operationi quæ eſt ἀδιαιρέτων νοήσεως ſive γνώσεως, *intellectio indiviſibilium*, ſive *apprehenſio ſimplicium*, non modò inſerviunt genus, ſpecies, cæteraque κατηγορήματα, ſive prædicabilia: ſed etiam partim his cognata; ut definitio, totum, pars, cauſa, effectus, univerſale, ſingulare; partim ſubſtantiam comitantia, ut communiter accidentia; partim oppoſita, & diſparata: item ſimilia, & comparata &c. Alteri autem operationi intellectus ſerviunt enunciatio, affirmatio, negatio, propoſitio τοῦ ὑπάρχειν, propoſitio modificata, alia item, quæ ex περὶ ἑρμηνείας libro cognoſcere eſt.

§. 16. *De hac controverſia ita cenſeo, propriè Logicam dici inſtrumentum argumentationum, nempe τὸν περίπατον τοῦ νοῦ*, quo ratio diſcurſu ſuo ex propoſitionibus notis deducit nos in cognitionem concluſionis ſuæ non notæ.* * Diſcurſus mentis.

Idque per conſequentiæ neceſſitatem. Cujuſmodi vel ineſt naturâ; ut in ſyllogiſmo: vel hauritur, ac petitur è ſyllogiſmo; ut in inductione.

§. 17. *Hinc colligimus, illa quidem quæ ad primam, vel ſecundam mentis operationem reducebamus, σημαίνειν καὶ δηλοῦν*, ſignificare & declarare: *at non etiam δεικνύειν*, probare, monſtrare. *Quia hic non eſt διάνοια, ſive diſcurſus mentis: nec ex notis neceſſariò colligitur ignotum. Proinde non poſſe hæc dici inſtrumenta διανοητικά: nec de iis in Logicis agitur, niſi quatenus habent relationem ad inſtrumenta, quæ verè proprieque ſunt λογικὰ ſive διανοητικά.*

Dixeris, definitionem non deducere è cognitione noti in notitiam ignoti: & tamen eſſe inſtrumentum Logicum, cùm perfecta propriorum accidentium definitio iiſdem conſtet partibus, ex quibus conſit demonſtratio. Sed nihil hæc ſolidi crepant: quia partes demonſtrationis, & definitionis differunt θέσει, ſive collatione, & conformatione. Hoc diſcrimen facit, ut quamvis ἀπόδειξις ſit inſtrumentum διανοητικόν; definitio tamen non pertineat ad tertiam mentis operationem: quippe quæ explicet eſſentiam rei; ut omnino ad primam mentis operationem referatur. Nec ſolùm definitio non eſt inſtrumentum Logicum, ſed idem ſtatuendum de omnibus notionibus ſecundis, ad primam ſecundamve mentis operationem pertinentibus. Multi quidem ea omnia habent pro Logicis inſtrumentis. Sed verè proprieq; id nomen non poſſident: tantùm enim habent σχέσιν ad inſtrumenta Logica: quemadmodum definitio ad demonſtrationem dicitur habere σχέσιν lib. 1. poſter. Analyt. cap. 11. & eorundem lib. 11. cap. v. vel ut principium demonſtrationis, vel ut ejus concluſio, vel ut θέσει diſcrepans.

§. 18. *Sic igitur colligimus, omnes quidem notiones ſecundas à Logica fabricatas, menti inſervire in ratiocinando poſſe, ac propterea vocari inſtrumenta Logica: ſed ſolùm ὁμωνύμως, non κυρίως, quia non habent vim probandi.*

Atque hæc de diſtributione Logices nunc ſufficiant. Plenius verò intelligentur ea, ex iis, quæ diſtinctius deinceps, ac particulatim magis dicam de ſingulis Organi partibus.

CAP. X.

De Categoriarum libro, unde Categoriis id nomen, & ſitne opus hoc Ariſtotelis, ac utrum pars Logices debeat cenſeri; quique veterum commentario illuſtrarint.

§. 1. *Primus Organi liber inſcribitur περὶ κατηγοριῶν. Quod vocabulum Latini vocant non* prædicationem, *de qua non agitur hic: ſed* prædicamenta, *hoc eſt, claſſes eorum, quæ prædicantur.*

For-

FOrtunati Crellii, & aliorum multorum, ea eſt opinio, vocem κατηγοριῶν è Rhetorum ſcholis eſſe tranſlatam in ſcholas Logicorum. Nam primariò ajunt ſignificare accuſationem. At ſecundariò prædicationem: nempe quia qui alterum accuſat, aliquid de eo prædicet. Sed planè hi errant: nec attendunt diverſas haſce ſignificationes eſſe à diverſo uſu particulæ κατὰ, quæ nunc denotat, DE, nunc CONTRA. A priori uſu eſt, quod κατηγορεῖν notet aliquid de aliquo dicere, ſive prædicare. Ab altero eſt, quod ſignet aliquid contra aliquem dicere, ſive alterum accuſare. Ut κατηγορίας vocabulum non ſit ὁμώνυμον ἀφ᾽ ἑνὸς, ſive πρὸς μίαν φύσιν, ſed ὁμώνυμον ἀπὸ τύχης, cùm una ſignificatio non magis primaria ſit quàm altera. Ambiguitate hac vocabuli ſcitè luſit Demonax; nam cùm Herminus Peripateticus aſſiduè creparet decem Ariſtotelis categorias: Demonax ſic eum perſtrinxit, Ἀληθῶς ἄξιος εἶ δέκα κατηγοριῶν. h.e. *omnino decemplici accuſatione dignus es.* Quippe erat παγκάκιστος, *extremè malus.* Auctor Lucianus in Demonacte.

§. 2. *Non deſunt verò, qui Categoriarum librum non ab Ariſtotele ſcriptum putent, ſed ab Andronico.*

Qua de re ſic Cælius Secundus Curio in ſuo de Ariſtotelis libris judicio, eumque ſecutus auctor Snellio-Ramæi Philoſophiæ Syntagmatis, à Rod. Goclenio in lucem emiſſi *. *Simplius cum Categorias explicat, Andronici paraphraſin citat multis locis: quæ ubique fere, cum his, quas habemus, Categoriis congruit: ut nulli jam dubium eſſe poſſit, haſce noſtras Categorias ad Andronicum, non ad Ariſtotelem pertinere.*

* p. 110. *Ipſum verò Curionis judicium, integrè habes p. 143. & ſeqq.*

§. 3. *Sed hæc ſententia ab ipſo, ad quem provocant, Simplicio refellitur. Uti & Ammonio, atque aliis.*

Simplicii quidem ſunt iſta procemio in Prædicamenta: Ὅτι δὲ γνήσιον τοῦ φιλοσόφου τὸ βιβλίον, μάλιστα μὲν ἡ τῶν νοημάτων πυκνότης, καὶ τὸ συνεσφιγμένον τῆς φράσεως δηλοῖ, καὶ τὴν νοερὰν τοῦ Ἀριστοτέλους φιλοσόφου δύναμιν. καὶ αὐτὸς μέμνηται βιβλίου ἐν ἄλλοις, δέκα κατηγορίας αὐτὸ καλῶν, καὶ οἱ σπουδαιότεροι τῶν ἑταίρων ὡς γνήσιον ἀπεδέξαντο τὸ βιβλίον. *Eſſe verò genuinum hoc philoſophi opus, maximè planum facit conceptuum denſitas, & dictio contorta, pro facultate intellectum Ariſtotelici in progreſſu ſermonis. Atque adeo ipſe etiam hujus libri meminit alibi, vocans eum decem Categorias. Ac magis ſtudioſi ejus ex ſectatoribus recepere hunc librum tanquam genuinum.* Ammonius in Categorias: Ἐπειδὴ δὲ ὑπὸ τῶν ἐξηγητῶν, κατηγοριῶν μὲν τοῦτο εἶναι γνήσιον τοῦ Ἀριστοτέλους, ἐκ τῶν νοημάτων, καὶ τῆς φράσεως, καὶ τῷ ἀεὶ ἐν ταῖς ἄλλαις πραγματείαις μεμνῆσθαι τούτου τοῦ βιβλίου τὸν φιλόσοφον. *Interpretes verò, hoc categoriarum opus genuinum eſſe judicarunt ex conceptibus, & dictione, & quod philoſophus ſemper ejus in aliis ſcriptis meminerit.* Ac ut Peripateticos mittam, Ariſtoteli etiam tribuit Lucianus. Sic enim ſcribit in Demonacte: Εἰδὼς γὰρ αὐτὸν παγκάκιστον μὲν ὄντα, καὶ μυρία κακὰ ἐργαζόμενον, τὸν Ἀριστοτέλην δὲ διὰ στόματος αὐτῷ τὰς δέκα κατηγορίας ἔχοντα· Ἑρμῖνε, ἔφη, ἀληθῶς ἄξιος εἶ δέκα κατηγοριῶν. *Cùm non ignoraret, illum* (puta Herminum Peripateticum) *extremè malum eſſe, innumeraque flagitia deſignare: Ariſtotelem autem, ac κατηγορίας ejus, hoc eſt prædicamenta, ſemper in ore habentem: Sanè, inquit, Hermine, decem te κατηγορίαις ſive accuſationibus haut indignum eſſe arbitror.* Ita locum eum capio. At interpres non ſatis perſpexit, ludi ambiguitate vocis κατηγορίας, quæ priori loco *prædicamentum* ſignat, quia κατὰ ſignificat *de*: poſteriori ſignificat accuſationem, eò quòd κατὰ valeat *contra*. Vide, quæ de voce hac ancipiti Dexippus annotavit.

§. 4. *Falluntur etiam, qui hunc librum negant ad Logicen pertinere.*

Nam Ariſtoteles lib. 1 de Syllogiſmo, ubi docet, orationes caſus obliqui commutare in caſum rectum, quo ita fiant Syllogiſmi, ad Categorias remittit: nec Metaphyſicen reſpicit, ubi id minimè explicat. Idem lib. 1 de Demonſtratione jubet, ut attributa ſecundùm naturam attribuantur. Atqui ut ſingula ſecundùm naturam, & more doctorum proferantur, ex categoriarum libro cognoſcimus. Veteres etiam pro hac parte ſtant, ut Galenus, qui hunc librum principium Logicæ appellat, extremâ parte Therapeuticæ Methodicæ: item interpretes Ariſtotelis, ut Simplicius, qui in hunc librum reliquit commentarium: in quo multa cum eo confert primæ philoſophiæ loca: item hoc vetuſtior, Alexander Aphrodiſienſis, & utroque antiquiores Paſicrates, & Andronicus: uterque Rhodius. Prior fuit diſcipulus Ariſtotelis, natus ex Bonæo Rhodio, fratre Eudemi. Eum in κατηγοριῶν librum ſcripſiſſe, auctor eſt Galenus libro de libris propriis. At Andronicus παραφραστικῶς hunc librum expoſuit, teſte Simplicio in Categor. Ut mirum ſit, Themiſtium ſcribere, primum ſe uſum eo genere explorandi Ariſtotelem. Niſi fortè intelligi voluerit, primum ſe illud uſurpaſſe in Analyticis. Cæterùm Andronicus is, quem dixi undecimus ab Ariſtotele Peripateticæ ſcholæ præfuit, quod antiquitatem ejus oſtendit. Eſtque hic Andronicus ille, qui, ut Plutarchus teſtatur, Ariſtotelis libros à Tyrannione accepit, deſcripſit, & in vulgus edidit. Sic enim ſcribit: Λέγεται δὲ κομισθείσης αὐτῆς εἰς Ῥώμην, Τυραννίωνα τὸν γραμματικὸν ἐνσκευάσασθαι τὰ πολλά, καὶ παρ᾽ αὐτοῦ τὸν Ῥόδιον Ἀνδρόνικον εὐπορήσαντα τῶν ἀντιγράφων εἰς μέσον θεῖναι, καὶ ἀναγράψαι τοὺς νῦν φερομένους πίνακας. *Fertur autem, cùm ea* (Apelliconis Teji bibliotheca) *Romam eſſet advecta, Tyrannionem grammaticum, multos libros intervertiſſe: atque ex eis libris Andronicum Rhodium deſcripſiſſe & edidiſſe: atque hos quoque, quos habemus, indices deſcripſiſſe.* Inde eſt, quod Ariſtoteles ipſe lib. 1 Top. clarè categorias exigit, atque idem facit aliis Topicorum locis. Nec quicquam apertius, quàm eos multis Topicorum locis lucem præbere. Ut utiliſſimum ſit eos libros conferre. Imò Adraſtus vocat hunc librum Ante-Topica, quaſi dicas procemium Topicorum. Sæpe etiam collationem inſtituit inter hujus libri, & Topicorum loca. Negat tamen Porphyrius, libro interrogationum, & reſponſionum, in Categorias cap. 11. hanc idoneam eſſe appellationem. Nam cur, inquit, potiùs Ante-Topica, quàm Ante-Analytica inſcribantur? Cui facillimè occurritur, quia ut liber περὶ ἑρμηνείας præcipuè propter Analytica, ita categoriarum liber potiſſimùm propter Topica ſcriptus fuit. Planeque mihi veriſimile fit, veteres, qui ſeorſim ἀναλυτικὴν, & διαλεκτικὴν, diſcebant, priùs in Dialecticis ſolere exerceri, atque ante hæc Categorias exponi conſueviſſe: poſtea demum acceſſiſſe ad partem Logices alteram, quæ ab libro de Interpretatione inciperet, inque Analyticis defineret. Veriſimile hoc facit, tum quòd Adraſtus librum eum vocarit Ante-Topica; tum quòd liber categoriarum, & Topica exoterica ſcripta ſint, liber de Interpretatione & Analytica ſint acroamatica.

§. 5. *Sed eſt quidem is liber manuductio ad Logicen; non tamen pars eſſentialis. Siquidem ars perficit artificem; nunc autem, cùm alia ſit materia ex qua; alia circa quam; hæc artificem perficit, illa non perficit.*

Ita æs, vel aurum non perficit ſtatuarium, quæ eſt materia ex qua, ſed figura, quæ materia eſt circa quam. Imò dignitas materiæ ex qua, certa conſideratione imminuit dignitatem artificis. Ita major artifex, ex ſententia Averrois eſt figulus, quàm aurifex, quia hic adjuvatur materiæ dignitate, ille autem minimè. Quare ſi Logica libro Categoriarum tractat notiones primas, ut materiam ex qua, at libro de Interpretatione incipit ex illis primis notionibus fabricare ſecundas, quæ ſunt materia Logicæ, circa quam occupatur: neutiquam inficiandum videtur, categoriarum librum hunc minimè eſſe de eſſentia Logicæ,

ſed tantùm præmitti, ut doctrinam εἰσαγωγικὴν, quia nullus artifex verſatur circa materiam planè ignotam: at Logicæ materia ſunt res omnes: hæ autem categoriis continentur, ſive directè, ut in categoria ſubſtantiæ eſt homo: ſive collateraliter, atque, ut ajunt, κατὰ πλάτος, ἢ κατὰ βάθος, quomodo in eadem eſt humanitas, & rationale: ſive reductivè, ut brachium vel embryo; item ſtatua ratione materialis: ſive per accidens, ut ſpecies hominis in intellectu, quatenus ſubſtantiam repræſentat; ſive ἀναλόγως, ut Deus. Solùm excipe, quæ ſupra categorias ſunt, ut tranſcendentia; vel infra eas, ut individua, quæ ut baſis ſcalarum eſt ſub ſcalis, ſic ipſa ſubſunt prædicamentis fundamenti inſtar. Quod ſi categoriæ res omnes, vel directè, vel indirectè, comprehendant; ac res omnes ſunt materia Logicæ, materia autem non ſit pars artis, atque adeò nec ipſa materiæ cognitio: omnino ſtatuendum videtur, categoriarum librum non eſſe de eſſentia artis, ſed tantùm προθεωρίαν καὶ προπαιδείαν.

Atque idem altero etiam argumento comprobatur. Nec enim ſcopus Ariſtotelis eſt in libro περὶ ἑρμηνείας de ſola agere enunciatione; quod manifeſtè arguit vel ſola inſcriptio, quæ eſt de Interpretatione. Certè Interpretatio, de qua Ariſtoteles generatim agit cap. I, eſt vox ſignificans cogitationes noſtras, cujus ſimulachrum eſt; eſtque vel ſimplex, vel conjuncta. Simplex eſt nomen, aut verbum. De nomine agit cap. II. de verbo. cap. III. Capite verò quarto orditur Ariſtoteles tractationem Interpretationis compoſitæ. Quid igitur propiùs à vero abeſſe videatur, quàm non poſſe enunciationem ſtatui adæquatum objectum libri de interpretatione; ac proinde cùm de notionibus, ad mentis operationes pertinentibus, eo ipſe libro agatur, eum quoque verum, & ἐκείνοις eſſe Logices initium? Nec obſtat, quòd vulgo is liber de Enunciatione vocatur. Nec enim ſic appellatur, quia de hac ſola tractet; verùm quia enunciatio eſt maxima animi noſtri interpretatio; ut inquit Ammonius. Nec tamen hoc ſic accipi debet, quaſi ad dirigendam primam mentis operationem ſufficere putemus, duas definitiones, unam nominis, alteram verbi. Verùm conſideramus nunc Logicen, quatenus traditur organo Ariſtotelis. Sin enim ſpectemus per ſe, & ſimpliciter; agnoſcimus ad eandem operationem pertinere alias quaſdam notiones ſecundas, ut homonyma, ſynonyma, paronyma; de quibus in προθεωρίᾳ κατηγοριῶν: ac imprimis eas, quas Porphyrius laxo nimis vocabulo πέντε φωνὰς * appellavit: atque ab inhærendo τὰ καθόλου, ſive univerſalia; à prædicando autem κατηγορούμενα, vel κατηγορήματα, ſive prædicabilia appellantur. Imò ſi accuratè rem conſideremus; definitionis & diviſionis doctrina ad eandem operationem pertinet. Quæ tamen alibi potius, quàm in Categoriarum libro tradi debent: ut quæ primaria ſunt Logices inſtrumenta, ad quæ liber categoriarum, & de enunciatione, viam præparant.

* *Quinque voces.*

§. 5. *Ex his colligimus; categoriarum librum tradere quidem Logicorum principia* μαθήσεως, *at non* γενέσεως. *Nec enim vel efficiunt ſyllogiſmum, nec efficiendi eius modum produnt: Sed hujuſmodi principia ſunt* συζυγίαι *tres propoſitionum, ut quæ cauſſa ſint neceſſariæ illationis ſive conſequentiæ: quæ principia traduntur ab Ariſtotele in Analyticis prioribus. Etiam ad principia* γενέσεως *pertinet methodus inveniendi medii ſyllogiſtici: quomodo cùm loquor medium ſigno* ἁπλῶς *ſyllogiſmo conſideratione forma, non materia neceſſaria, vel probabilis, unde dicitur medium apodicticum, vel topicum. Forma nempe ſyllogiſtica nulli certa materiæ eſt applicata, ſed cuilibet eſt applicabilis. Adhæc principium* γενέσεως *eſt legitima trium terminorum diſpoſitio quia & hinc neceſſitas conſequentiæ provenit.*

Principia ſunt duplicia: quædam ſunt ἀρχαὶ μαθήσεως, ſive cognitionis: quædam γενέσεως, ſive effectionis. Poſterioris generis ſunt in Medicina, αἴτια ὑγιεινά, cauſſæ ſalubres, quæ ſanitatem vel efficiunt, vel conſervant. Hujuſmodi etiam ſunt in Grammaticis regulæ συντάξεως: ut quæ modum præſcribant orationis congruæ conſuetudini Latinæ. Nempe illa ſunt principia γενέσεως, quæ vel finem arti propoſitum efficiunt, vel modum efficiendi tradunt. Ad poſterius genus verò, puta principia μαθήσεως, pertinet τῷ ζητουμένῳ προϋπάρχουσα γνῶσις anticipata cognitio ſubjecti, ſive ejus, in quo fit operatio. Cùm enim notitia ſubjecti, ſive ejus, quod ſubſternitur τῇ γενέσει, faciat ad melius faciliuſque intelligendum finem arti propoſitum: cognitio ſubjecti plurimum debet in arte præcedere: ut in Medicina notitia corporis humani, ejuſque partium. In Logicis ſimiliter ſe habent decem categoriæ: quæ ſunt principia μαθήσεως, quia omnis quæſtio, de qua Logicus tractat, ad hæc principia revocatur. Nec tamen in Logicis accurata requiritur principiorum iſtorum notitia: ſed ſufficit, ut cognoſcatur παχυλῶς, ſive rudi Minerva. Ut ſatis liqueat aliter de decem claſſibus rerum Logicum agere, aliter philoſophum. Quomodo & quivis artifex rudi notitia inſtructus eſſe debet materiæ, cui formam vult inducere. Parque ratio in philoſophia practica. Ubi, ut Ariſtoteles ait l. I. Eth. cap. ult. traduntur animæ partes, non accuratè, & propter ſe, ut in Phyſicis, ſed propter virtutum doctrinam, cui inde lux neceſſaria: eoque non ἀκριβῶς, ut in Phyſicis, ſed παχυλῶς, pingui Minerva: videlicet, ut Ariſtoteles loquitur, τούτων χάριν, *horum gratiâ*, καὶ ἐφ' ὅσον ἱκανῶς ἔχει πρὸς τὰ ζητούμενα, *& quatenus ſufficit ad ea, quæ quæruntur.*

Sic igitur ſtatuimus, Ariſtotelem de ſyllogiſmo acturum primum tradere principia μαθήσεως deinde γενέσεως: illa categoriarum libro, & altero περὶ ἑρμηνείας opere, hæc verò in Analyticis Prioribus: quibus univerſè expoſitis, particulatim de materie tractat.

§. 7. *In categoriarum librum ſcripſere varii. In quibus Adraſtus, & Aſpaſius.*

Ut teſtis eſt Galenus libello † de libris propriis cap. XI. Quidam Adraſtum putant, quem Stephanus περὶ πόλεων diſcipulum vocat Ariſtotelis. Etiam Adraſti Peripatetici libri tres Harmonicorum adſervantur in bibliotheca Vaticana, & illa Cardinalis S. Angeli.

† *Tom. 4. pag. 191. Ete. Ald.*

§. 8. *Ammonius item Hermiæ filius, qui ſupereſt.*

Eſt verò hic non ſenior ille Ammonius, cognomento Saccas, quem Origenes & Ammonius, audiere: ut vixerit circa annum CCL: ſed junior, qui circa annum claruit quingenteſimum: quo tempore etiam claruit Theo, Progymnaſmatum ſcriptor: uti & Marinus Procli Athenis ſucceſſor, cujus libellum habemus de vita Procli. Imò & Damaſcius Damaſcenus, ut Theonem in Rhetoricis, Marinum in Arithmeticis, & Geometricis, Zenodorum, Marini ſucceſſorem, in Philoſophicis; ita Ammonium hunc Alexandriæ audivit, eumque refert aliis ſuæ ætatis præſtitiſſe in philoſophia, & præcipuè in Mathematicis, atque ab eo ſe inſtitutum cùm in philoſophia Platonica, tum etiam in magna Ptolemæi Syntaxi Aſtronomica. In Dialecticis tamen non tantùm ab horum aliquo hauſit, quàm Iſidoro; quo nullum ejus ætatis ait plus valuiſſe in arte diſſerendi. Auctor horum nobis Photius codice CLXXXI.

§. 9. *Præterea id egit Boëthius Peripateticus.*

Ut auctor nobis Porphyrius in Prædicamenta cap. IV. Porphyrii ætas diverſum eſſe oſtendit ab Severino Boëthio, præter illud quod is Latinè ſcripſerit. Senioris hujus Boëthii, & operis, quod dicebam, meminit etiam Dexippus.

§. 10. *Dexippus item, philoſophus Platonicus, Iamblichi diſcipulus, in prædicamenta Ariſtotelis reliquit quæſtionum libros tres, quibus Ariſtotelem defendit adver-*

y Google

adverſus Plotinum, Porphyrii præceptorem, ſummumque Platonicæ Philoſophiæ propugnatorem.

Eos libros è Græcis Latinos fecit Joannes Bernardus Felicianus.

§. 11. *Adhæc priorum exemplum imitatus videtur Herminus.*

Cujus meminit Porphyrius Interrogationum in prædicamenta cap. IV. item Dexippus.

§. 12. *Item Iamblichus, & Porphyrius.*

Meminit utriuſque Dexippus in præfatione. Porphyrii duo fuere volumina in Categorias. Brevius unum, per interrogationes & reſponſiones: quod Latinè reddidit Joannes Bernardus Felicianus. Alterum ſeptem libris conſtabat ad Gedalium: quo, quæcunque objici poterant, ſolvit. Hoc opere omnia hujus argumenti complexum fuiſſe ait Simplicius.

§. 13. *Præterea Themiſtius ſcripſit de ſcopo & inſcriptione prædicamentorum.*

Claruit ſub Themiſtio magno.

§. 14. *Auguſtini item ſupereſt liber de decem Categoriis.*

Qui paullo junior Themiſtio fuit.

§. 15. *Simplicius item in Ariſtotelis categorias ſcripſit.*

Qui vixit circa annum quingenteſimum.

§. 16. *Adhæc ex muſtaceo hoc laureolam quæſivere David, Græcus ſcriptor, qui exſtat: item Maximus philoſophus. Nec non Scholarius. Etiam Michaelis Pſelli labor ſupereſt, tum de ſex philoſophiæ definitionibus, tum de quinque vocibus ac decem Categoriis Iſagoge.*

Primus Græcè edidit Arſenius, Monembaſiæ Archiepiſcopus.

§. 15. *Nec ex Arabibus præterire animus Averroem.*

Qui claruit circa annum c I ɔcc.

§. 18. *Illud quoque addam, fuiſſe olim, qui adverſus hunc Ariſtotelis librum ſcripſerint. Ut Athenodorus Stoicus, Cornutus, atque alii.*

Porphyrius interrogat. in prædicam. cap. XL I I I. *Athenodorus, qui fuit Stoicus, libros adverſus Ariſtotelis prædicamenta conſcripſit: Cornutus item in Rhetoricis ſuis artibus, & in iis, quæ ad Athenodorum ſcribit, & alii complures.* Inter eos, quos præterit Porphyrius, fuit & Plotinus, quem omittit, quia præceptor ejus fuit. Ei reſpondit Dexippus; ut antea diximus.

§. 19. *Ad Categoriarum librum, & Topica etiam intelligenda, prodeſt quinque vocum inſtitutio Porphyrii ad Chryſaorium.*

Πέντε φωνὰς vocat Porphyrius: vulgò quinque prædicabilia. Et quidem vulgaris, falſa tamen ſententia eſt, non eſſe plura, quàm quinque prædicabilia. Atque hoc iſtum in modum adſtruere ſolent. Omne prædicabile, inquiunt, vel prædicatur in quæſtione quid eſt, vel in quale quid eſt. Quod reſpondetur ad quæſtionem, quâ quæritur, quid res ſit, vel prædicatur de pluribus ſpecie differentibus, ut genus, vel de pluribus numero differentibus, ut ſpecies ea, quæ non eſt ſimul genus. Itidem quod reſpondetur ad quæſtionem, qualis ſit res, id vel eſt quale eſſentiale, ut differentia, vel accidentale, ut accidens. Accidens autem vel reciprocatur cum ſpecie, ut Proprium, vel non reciprocatur cum ſpecie, ut commune Accidens. Atque ita videntur validè quinarium numerum adſtruxiſſe. Idem hunc in modum comprobant. Univerſale ſui Prædicabilis vel eſſentiam ſignificat, vel accidens: ſi eſſèntiam, vel totam ſignificat eſſèntiam individuorum, ut ſpecies: vel partem duntaxat, ſive ea materialis ſit, ut genus, ſive formalis, quam exprimit differentia. Sin accidens ſignificat, vel uni ſpeciei peculiare eſt, quod proprium appellatur, vel pluribus competit ſpeciebus, ut accidens commune, quod ἁπλῶς Accidens vocatur. Verùm utrumque argumentum claudicat. Nam, ut de priori priùs dicamus, falſum eſt, cùm quid reſpondetur ad quæſtionem quale quid eſſentiale, id eſſe differentiam. Nam cùm pars integralis prædicatur de toto, e. g. cùm homo dicitur capitatus, prædicatur eſſèntiale, nec tamen capitatus differentiam eſſe dixerint. Eſſèntiale verò eſſè, negare non poſſunt, cùm pars ſit materiæ, quæ pars ſit eſſentiæ. Nec minùs, peccat altera argumentatio, cùm dicitur, quando pars materialis prædicatur, eſſe genus. Primò nec genus propriè eſt materia, nec differentia eſt forma; ſed his ἀναλογικῶς reſpondet, quia quod in re ſunt partes eſſèntiales, id in intellectu ſunt univerſales. Deinde id ipſum tantummodo de ſubſtantiis verum eſt. Nam in hominis definitione quaſi materia eſt, rationale vero hominis forma eſt. At in vera Accidentis definitione contrà evenit, ut in definitione tonitrùs formula ejus eſt genus, nempe ſonus: differentia autem petitur à ſubjecto, nempe nubibus. Tertium, imprimis errorem detegit: quia falſum eſt, quandocunque pars materialis prædicatur eſſe genus, quia cùm pars materiæ prædicatur, genus non eſt, velut cum capitatus, aut bipes, de homine prædicatur. Neque mihi quiſquam huc accidentia communia eſſe aſſerat, Porphyrio ſubnixus, qui ait, proprium ſecundo modo eſſè, cùm ajo, hominem eſſè bipedem. Nam quomodo, quod ſubſtantiam ſignat, erit accidens, ſive proprium, ſive commune? Nec ſola eſt prædicatio partis, cujus rationem non habuerit Porphyrius. Etiam neglexit prædicationem cauſſæ efficientis adæquatæ de effectu, quam Ariſtoteles agnoſcit, cùm in priori poſteriorum Analyticorum agit de quarto modo eorum, qui per ſe dicuntur. Uti cùm dicitur iram eſſe ebullitionem ſanguinis circa cor: eclipſin eſſe interpoſitionem terræ inter ſolem, & lunam, &c. Atque hæc ſatis comprobant, plures eſſe prædicationis modos, quàm Porphyrius τῶν πέντε φωνῶν libello adduxit.

§. 20. *Ii qui in hunc Porphyrii libellum ſcripſere, quique exſtant, hi præcipuè ſunt.*

Ammonius Hermeas, de quo antea dictum, Georgius Scholarius ac Pachymeres qui Latinè ſæpius prodiit, Græcè verò exſtat in multis bibliothecis. Joannes Philoponus, David & ipſe Græcus ſcripſit. E Latinis verò Boëthius, ex Arabibus Averroes. Compendium verò Porphyrii ſcripſit Michaël Pſellus, perſtrinxit Georgius Pachymerius. Ac Blemmidas libello expoſuit, quod nec plures, nec pauciores voces ſint, quàm quinque.

CAP. XI.

De libro περὶ ἑρμηνείας, & qui veterum ſcribendo eum illuſtrarint.

§. 1. *Alter liber στοιχειωτικὸς, ſive elementalis eſt ille περὶ ἑρμηνείας, ſive de interpretatione.*

Ἑρμηνείας autem voce non intelligitur hoc loco vox ſimplex: qualis *Socrates:* item *ambulat:* etſi ſic etiam utatur Zabarella lib. 11. de Nat. Log. cap. v. ſed oratio, ut Alexandrum, & Aſpaſium, accepiſſe refert Boëthius: imò nec

quævis oratio, ſed duntaxat λόγος ἀποφαντικὸς, ſive oratio enunciativa: ut eſt apud Ammonium, in commentario. Quod conſentaneum eſt Ariſtoteli, qui libri ſui cap. IV. rejicit orationem non enunciativam, ut pertinentem magis ad rhetoricen, & poëticam.

§. 2. *Iure autem, cùm in Organo primum occupet locum liber Categoriarum: ſecundus debetur locus libro de Interpretatione. Nam, ut eſt in fine προθεωρίας Categoriarum συμπλοκῇ ἅπασα γίνεται κατάφασις ἢ ἀπόφασις*, ſimplicium complexione omnis fit affirmatio, & negati o.

Ut igitur liber Categoriarum inſervit quæſtionibus ſimplicibus, ita liber de interpretatione quæſtionibus conjunctis: utrorumque opus notitiâ antequam tradatur doctrina ſyllogiſmi, qui ex iis componitur. Imò variat ſyllogiſmus pro varietate propoſitionum; ut ſyllogiſmorum varietas intelligi non poſſit, niſi prius cognita ſit varietas propoſitionum, & concluſionum.

§. 3. *Quod verò Ariſtoteli ἀπόφανσις, id Stoicis eſt ἀξίωμα: ut Proclus indicat lib.* III. *in Euclidem. Ariſtoteli autem ἀξιώματα dicuntur, quæ Mathematicis ſunt κοιναὶ ἔννοιαι.*

Cicero id, quod Stoicis ἀξίωμα vocatur, libro de Fato interpretatur *enunciatum*, vel *enunciationem*: in Academicis *effatum*: in primo Tuſcul. Quæſtionum *pronunciatum*: quomodo & Gellius reddidiſſe eum monet lib. XVI. cap. VIII. Sed ex iis, quæ dicebamus, falſum liquet, cùm exiſtimat, non aliter vertere. Addit inibi Varroni *proloquium* nuncupari.

§. 4. *Porrò liber hic περὶ ἑρμηνείας præcipuè Analyticorum cauſſa ſcriptus eſt. Nam cùm demonſtratio nequeat inſtitui, niſi de alterâ parte contradictionis, quæ vera eſt; neceſſe fuit, priùs ſciri doctrinam de affirmatione & negatione; quæ hoc libro explicatur. Ac pertinebat hic liber ad τὸν ἀκροατικὸν ἐκδοτὸν: quippe acroamaticus, imò tanto acumine eſt perſcriptus, ut Iſidorus Hiſpalenſis referat, ſuo tempore ferri ſolere, Ariſtotelem, cùm eum ſcriberet, calamum non tam in atramento tinxiſſe, quàm in mentem ipſam. Et tamen Andronicus Rhodius Peripateticus: qui undecimus ab Ariſtotele Peripateticæ ſcholæ præfuit, ut ἀποθεωρίας Categoriarum, ita & hunc περὶ ἑρμηνείας librum abiudicabat Ariſtoteli, teſte Ammonio, & Boëthio* *.

* In Ariſt. περὶ ἑρμ. p. 292.

Id ubi retulerit Andronicus, non dicunt veteres. Sed veriſimile eſt, id prodidiſſe opere eo, quo libros Ariſtotelis diviſit in πραγματείας, teſte Porphyrio in vita Plotini. Nam hic neceſſe fuit libros Ariſtotelis genuinos diſtinguere à ſuppoſititiis.

§. 5. *At genuinum eſſe probat Ammonius.*

Sic enim ſcribit: Πρὸς δὲ τὸ γνήσιον εἶναι τοῦ φιλοσόφου τὸ βιβλίον, οὐδεὶς ἠξίωσε, τῶν περὶ τὰ συγγράμματα τοῦ Ἀριστοτέλους ἐσπουδακότων ἀμφιβάλλειν, εἰς τὸ πιθανὸν ἀποβλέπων τῆς ἐπαγγελίας, καὶ εἰς τὴν ἔντεχνον καὶ κεκραμμένην μέθοδον, καὶ τῷ φιλοσόφῳ συνήθη τῶν ἐν αὐτῷ παραδεδομένων θεωρημάτων διάθεσιν, καὶ τὴν πρὸς τὰς ἄλλας αὐτοῦ πραγματείας ὁμολογίαν.

§. 6. *Pro genuino etiam habuit Alexander* †, *ac cæteri Peripatetici.*

† Boëthius in lib. περὶ Ἑρμην. p. 291.

Imò & Alexandrum eum in librum ſcripſiſſe, teſtis eſt Boëthius ‡. Utiliſſimum autem ſit, cum eo Ariſtotelis libro conferre fragmenta Theophraſti de affirmatione, & negatione, & Eudemi περὶ λέξεως, ſive *de Locutione*; qui libri idem tractabant argumentum. Prioris operis etiam Boëthius meminit *. Sed Theophraſti inſcriptio accommodatior eſt, quàm illa Eudemi, quæ ambigua eſt. Sanè Theophraſtus & ipſe περὶ λέξεως librum inſcripſit: ſed is de elocutione erat; ut cognoſcimus ex Dionyſii Halicarnaſſenſis libro περὶ συνθέσεως. In librum περὶ ἑρμηνείας ſcripſere.

‡ P. 291.

* In lib. περὶ Ἑρμ. p. 291.

Aſpaſius, & Alexander, teſte Boëthio de Interpret. edit. ſecundæ †.

† P. 291.

Ammonius Hermeas. Exſtat.

Syrianus, cognomento Philoxenus: ut auctor eſt Boëthius ‡.

‡ P. 295.

Boëthius. Exſtat.

Herminus.

Magentinus Metropolita, qui ex Ammonio ſua hauſit.

Michaël Pſellus paraphraſin in librum eundem. Græce edidit Aldus ann. CIↃ IↃ III. Latinè Rob. Winterus ann. CIↃ IↃ XLII. Claruit hic Pſellus ann. CIↃ LX. ac deinceps, ſub Conſtantino Duca, Romano Diogene, & Michaële Duca.

In MSo quodam codice hanc inſcriptionem reperit Leo Allatius, qui accuratè de Pſellis ſcripſit: Παράφρασις τοῦ περὶ Ἑρμηνείας ἀπὸ φωνῆς τοῦ Κυροῦ Βεστάρχου, καὶ ὑπάτου τῶν φιλοσόφων τοῦ Ψελλοῦ. *Paraphraſis in librum de Interpretatione, ex ore domini Beſtarchæ, ac philoſophorum principis Pſelli.* Ubi βεστάρχης eſt dignitatis nomen. Sic verò dictus voce hybrida, ex Latino *veſtis*, & Græco ἀρχὴ *imperium, præfectura*. Nempe quia præfectus eſſet imperatoris veſtibus, aliiſque rebus precioſis. Ut pluribus in Gloſſario ſuo exponit Joannes Meurſius. Exſtat quoque in bibliothecis oratio Michaëlis Pſelli πρὸς τοὺς μαθητὰς ἀπολειφθέντας τῆς ἑρμηνείας τοῦ περὶ ἑρμηνείας. *Ad diſcipulos, qui non interfuerant interpretationi libri Ariſtotelis de interpretatione.* Præterea in hunc librum Ariſtotelis ſcripſit Scholarius.

Cap. XII.

De Analyticis prioribus, & poſterioribus.

§. 1. *Vidimus de parte Logices στοιχειωτικῇ. Sequitur pars primaria, quæ tractat de quatuor illis inſtrumentis, quibus præcipuè dirigitur intellectus in rerum notitia. Ea ſunt definitio, diviſio, ratiocinatio, & ordo. Pro quibus etiam fuerint quatuor partes, ὁριστικὴ ſive de definitione; διαιρετικὴ, ſive de diviſione; συλλογιστικὴ ſive de ratiocinatione, & μεθοδικὴ, ſive de via, & ordine. Sed in organo ſolùm habemus συλλογιστικήν: cujus, ut diximus antea, duæ ſunt, εἴδη ἀντιδιῃρημένα· ἀναλυτικὴ, & διαλεκτική.*

QUarum Analytice eſt præſtantior: Dialectica autem dignitate poſterior, uſu licet prior. Ad priorem pertinent ſyllogiſmi διδασκαλικοὶ, quibus opponuntur ἀπατητικοί: ad poſteriorem Dialectici, quibus opponuntur Sophiſtici. Vide lib. I. Top. cap. I, & X.

§. 2. *Ἀναλυτικὴ eſt ars probandi quæſtionem per rationes rei ſubjectæ proprias.*

Ἀνάλυσις enim eſt reſolvere quæſtionem ad propriam cauſſam. Ut colligitur ex Themiſtio lib. I. Poſter. Analyt. cap.

§. 3. *Ἀναλυτικὴ comprehenditur duobus libris de ſyllogiſmo, & totidem libris de demonſtratione.*

Quos quatuor libros unum conſtituere corpus, cognoſcere eſt ex propoſitione operis lib. I. Priorum Analyt. & epilogo penultimi capitis lib. II. de Demonſtratione. Olim

Digitized by Google

Olim XL libri Analytici circumferebantur, Ariſtoteli inſcripti; ut Philoponus teſtatur. Sed quatuor hi duntaxat, & erant, & habebantur genuini à Peripateticis. Eos eſſe Acroamaticos, ſatis liquet. Sunt autem certiores illis in definiendo, & dividendo methodis Platonicis: quæ obſcuræ erant, ut alia mittam eorum vitia, quæ facile intelligere eſt ex Ariſtotelis lib. I. de partibus animalium: imprimis ſi attendantur exempla Platonis in Politico, & Sophiſta. Etiam Platonica demonſtrandi methodus per diviſiones, utcunque placuerit auctori ſuo, incerta eſt, atque inconſtans: quod clarè docet Ariſtoteles lib. I. Analyt. Ut mirari ſatis non poſſim malignitatem Procli, quando ſcholiis in Cratylum Platonis Ariſtoteli exprobrat, quod Analytice ejus à quovis non planè hebete, ac ſtupido intelligi poſſit. Nam nec ipſe, qui hoc culpat, quoties commentatio in Euclidem aliquid in ſcriptore eo improbat, ad Platonicas methodos recurrit, ſed omnia ſecundùm Ariſtotelis Analyticen expendit. Nec ſi tanta eſt perſpicuitas Ariſtotelis, ut omnes non hebetes eum intelligant, philoſopho id vitio, ſed laudi duci debet. Quis enim in tam neceſſario argumento non malit dictionem perſpicuam, qualis philoſopho convenit, quàm myſticam & ſymbolicam, cujuſmodi eorum eſt, qui nolunt intelligi, ut magis ſint admirationi? Quid quòd nec tam perſpicua omnia ſint in Analyticis, quàm videri vult Proclus? Quod veterum plerique agnoſcunt. Quare utinam exſtarent Analytica Eudemi, Ariſtotelis diſcipuli; quorum Alexander meminit comment. in lib. II. Top. Nam collatione diſcipuli cum magiſtro, multum abſque dubio hæc doctrina lucis acciperet. Imò Phanias quoque, & Theophraſtus, idem argumentum tractàrunt: uti & illud de Categoriis, & interpretatione Ammonii quidem hæc verba in Categor. Οἱ γὰρ μαθηταὶ αὐτοῦ, Εὔδημος, καὶ Φανίας, καὶ Θεόφραστος, κατὰ ζῆλον τοῦ διδασκάλου γεγράφηκασι κατηγορίας, καὶ περὶ ἑρμηνείας, καὶ ἀναλυτικήν. *Diſcipuli quidem ejus, Eudemus, & Phanias, & Theophraſtus, æmulatione præceptoris ſcripſere categorias, & de interpretatione & analytice.*

Jure autem Ariſtoteles Analytica in priora & poſteriora diſtinxit. Duæ enim ſunt partes judicii Logici. Quarum prior pertinet ad formam, ſive connexionem in partibus argumentationis. Altera autem attendit ſolam materiam. Prius judicium eſt de tota argumentatione. Poſterius autem de ſingulis enuntiationibus. Prius igitur examinanda eſt forma, ſive ſyllogiſmus ſit perfectus, ſive imperfectus. In perfectis medius terminus & φύσει, & θέσει medium tenet locum inter majus, minuſque extremum. Sed in ſecunda, tertiaque figura φύσει quidem, at non θέσει, eſt medius. Perfecti etiam actu habent duos illos fontes, & κριτήρια, omnium ſyllogiſmorum, dici de omni, & nullo: quæ principia ſunt inde monſtrabilia; & tam evidentia, quàm illud, totum eſt majus ſuâ parte, & ſimilia. Ideo Ariſtoteles lib. I. Poſter. analyt. cap. XI. ait, primam figuram eſſe maxime ἐπιστημονικήν. At ſyllogiſmi imperfecti hæc principia dirigentia ſolùm habent poteſtate. Poſt prius hoc examen conſequitur alterum: quod non formæ eſt, ſed materiæ: ubi conſiderandum, utrum prædicatum cohæreat ſubjecto καθ' αὑτὸ, καὶ ᾗ αὐτὸ, *per ſe, & quatenus ipſum*; an tantum per accidens. Sive videndum an ſubjectum, & prædicatum, cohæreat nexu eſſentiali, & definitivo, ita ut vel prædicatum ſit de definitione ſubjecti, vel ſubjectum de definitione prædicati: an neutrum ſit de alterius definitione. Nam ὅσα μηδετέρως ὑπάρχει, συμβεβηκότα ἐστιν, *quæ neutro modo*, h. e. neque primo, neque ſecundo, *per ſe inſunt, ea ſunt accidentia*: non ſubſtantialia, ut neque ad definitionem pertineant.

§. 4. *Male doctores illi Academici de ſtudiis juventutis merentur, qui in enarrando magnam Analyticorum priorum partem, tamquam inutilem prætereunt. Ut doctrinam de argumentis mixtis: item de copiâ propoſitionum. Nam prior doctrina uſum habet maximum ut ſciamus, quid concludi oporteat, cùm propoſitiones neceſſariæ junguntur contingentibus.*

Ut in Medicina, cùm de ſignis, criſi, ac divinatione agitur, ubi conjectura opus. Item in Aſtrologia apoteleſmatica: ubi facilis admodum ac proclivis error, ut experientia etiam vulgus edocuit. Hæc, & alia facere, ut Alexander Aphrodiſienſis, non contentus in Analyticis partem eam de mixtione enarràſſe, ſeorſim ſibi de mixtione argumentorum ſcribendum putàrit; cujus viri eruditam diligentiam imitari nos ſatius eſt, quàm multorum ſive inſcitiam, ſive negligentiam. Doctrina item de εὐπορίᾳ maximum adjumentum adfert, non philoſophis modò, ſed etiam philologis, & eloquentiæ ſtudioſis. Nam excerpendo de optimis ſcriptoribus rei antecedentia, comitantia, conſequentia, item eundo per locos Topicos, ingens acervatur propoſitionum copia quæ mirè conducit ad argumentum aliquod poliendum. Imò multorum exſtant commentarii, qui penè hac ſolâ laude, quod veterum Peripateticorum modo in hypomnemata ſua, quicquid apud veteres legerent, referrent, eaque Logicis inſtrumentis & arte tractarent, magnam non induſtriæ modò, ſed etiam doctrinæ & facundiæ laudem retulerunt.

§. 5. *Analytica poſteriora, quatenus demonſtrare docent, faciunt, ut verè ſciamus. Abſque ea nec ſcimus, quæ ſcimus. Nec enim ſcitur, cujus cauſſa neſcitur. Imò nec ſi cauſſa ſciatur, ſatis eſt; ſed ſcito opus cauſſam eſſe cauſſam: quæ ſola res animum reddunt* ἀμετάπτωτον καὶ ἀμετακίνητον.

Hoc igitur Analyticæ proprium eſt, firmam gignere notitiam in animis diſcentium. Unde & hujuſcemodi ſyllogiſmi vocantur διδασκαλικοί. Ut lib. II. Sophiſt. Elench. Περὶ τῶν διδασκαλικῶν, καὶ τῶν ἀποδεικτικῶν, εἴρηται ἐν τοῖς Ἀναλυτικοῖς· *De ſyllogiſmis ad docendum accomodatis & demonſtrativis, dictum eſt in Analyticis.* Illis nempe, quæ ὕστερα, καὶ δεύτερα, *poſteriora, & ſecunda*, nominantur. Nec tamen de hiſce verbis idem omnibus videtur. Nonnulli enim arbitrantur διδασκαλικοὺς latiùs patere, quàm ἀποδεικτικούς. Hos in ſcientiis theoreticis probare ἴδιον πάθος, quod inſit πρώτῳ δεικτικῷ. Illos verò in omnibus habere ſcientiis & artibus locum, dummodo probent ex propriis ſuis principiis. Volunt igitur ubicunque Ariſtoteles nominat rationes Analyticas, comprehendere iis didaſcalicas: iiſque opponere τὰς διὰ τῶν κοινῶν πίστεις. Quales ſunt rationes Dialecticæ, & Rhetoricæ: unde & earum eſt uſus in congreſſibus, cum plebe imperita. Ita διδασκαλικοὶ λόγοι comprehendent ἀποδεικτικούς, & qui διδασκαλικοὶ preſſius voce accepta appellantur. Sæpe enim idem eſt nomen generis, & ſpeciei: quomodo ἕξις, dividitur in ἕξιν καὶ διάθεσιν, ἀναθυμίασις in ἀναθυμίασιν καὶ ἀτμίδα, σημεῖον in τεκμήριον καὶ σημεῖον. Juriſconſultis adoptio in adoptionem, & arrogationem.

§. 6. *In Analytica priora ſcripſere iſti.*

In priorem priorum ſcripſit Alexander Aphrod.
Apollinaris in primum poſteriorum.
Averroes.
Joannes Grammaticus hypomnema in Analytica priora.
Magentinus Metropolita, qui ex Ammonio ſua habet.
Nicomedes, ut ajunt, exſtat in eoſdem libros.
Scholarius. Græcè.
Simplicius.
Exſtat & incerti ſcriptoris σύνοψις περὶ συλλογισμῶν, quam Latinè vertit Conradus Geſnerus.
Adde Boëthii de diviſionibus lib. I.
de definitionibus lib. I.
de ſyllogiſmo categorico lib. II.
de ſyllogiſmo hypothetico lib. II.

§. 7. *In Analytica poſteriora ſcripſere iſti.*

Euſtrathius in lib. II. poſt. Analyt. Exſtat.
Olympiodorus. Ajunt exſtare.

Themiſtius paraphraſin. Exſtat.

Theodorus Prodromus.

Averroës. Ex his Themiſtius, & Averroës, obtinent principatum.

Meminit Themiſtii in poſteriora Analytica commentariorum quoque Photius codice LXXIV. Ubi & ait patre natum philoſopho, nomine Eugenio. Ac ætatem oſtendit ex orationibus, quas ſcripſit in Conſtantinum, Valentem, Valentinianum juniorem, & Theodoſium Auguſtum. Deque ſtylo ejus judicium promit.

De eodem, & Vegetio Prætextato, ſic Boëthius majoribus commentariis in Ariſtotelis librum de Interpretatione*: *Vegetius Prætextatus priores, poſtremoſque Analyticos non, vertendo Ariſtotelem, Latino ſermoni tradidit, ſed transferendo Themiſtium: quod qui utroſque legit, facilè intelligit.* Continuò & de Albino iſta ſubjungit: *Albinus quoque de eiſdem rebus ſcripſiſſe perhibetur: cujus ego Geometricos quidem libros editos ſcio: de Dialectica verò diu, multumque quæſitos reperire non valui.* Ex junioribus nemo in Analytica priora eruditiùs & accuratiùs ſcripſit Monlorio: in Analytica poſteriora nemo melior Zabarellâ, & Crellio. Rami furioſa convitia in demonſtrandi artem, quam non intellexit, nec aſſe emptitem. Sanè dum inutiles herbas ſe ex Logicis runcare velle promittit, evellit longè utiliſſimas, dumque arborem totam pollicetur, ramum tantummodo exhibet: Theſſali, & aliorum ſimilis, qui, ut Galenus primo Methodi libro ait, haut exquiſitè accurateque inſtituendo morborum diviſiones, perinde faciunt, ac ſi literas diſpeſcerent in vocales, & conſonas, ac ſic bellè ſe defunctos putarent, quaſi non & illæ ſuas habeant differentias, ac ſpecies.

* p. 289.

§. 8. *Quæritur utrum Analytica priora debeant præcedere, an Topica. Antiperipatetici Topicen præmittunt, quia, ut ajunt, inventio prior ſit Judicio: Topice autem tradit locos inventionis. At Analytica priora tractant de ſyllogiſmi diſpoſitione ad Iudicandum. Nimirum non vident etiam in Analyticis prioribus agi de Inventione: in Topicis item tractari de diſpoſitione & Iudicio.*

Nam ſectio ſecunda primi libri Analyt. prior. eſt de εὐπορίᾳ ſive copia propoſitionum: quæ doctrina eſt generalis, quia pertinet pariter ad demonſtrationem, & epicherema. Item extremo libro ſeptimo Topicorum, ac integro octavo docetur, quo artificio ad celandum adverſarium propoſitiones debeat is diſponere, qui interrogat: quo item ordine oporteat reſpondere. Atque hinc quoque eorum error dilucet, qui ajunt, Ariſtotelem facere duas Logices partes, Inventionem, & Judicium. Quod Cicero ſcripſit, ſed fallitur: Nam ut ex iis liquet, quæ diximus; Ariſtotelis ea non diviſio eſt, ſed ſubdiviſio.

§. 9. *Quæri item ſolet, utra præcedant Analytica poſteriora, an Topice. Philoponus, & Avicenna Topicen mediam diſci jubent inter libros Analyticos priores, & poſteriores, quæ ſententia etſi nihil habet abſurdi, non tamen firmis nititur argumentis.*

Philoponum movet, quia Topice eſt facilior doctrinâ de demonſtratione, ac Topicis argumentis præparemur ad Demonſtrationem. Sed non, ſi in uſu prior ſit Topica γυμνασία, eò quoque in diſcendo præcedit; cùm ſæpe quæ in diſcendo ſunt prima, in uſu ſint poſtrema. Nec illud de facilitate magni eſt momenti: quia tum demum ob facilitatem pars una alteram præcedit, cùm unius cognitione opus eſt ad intelligentiam alterius. Quod hic non fit. Avicennam movebat, quia Topice ſic ſe habet ad Analyticen, ut animal ratione generis. Putabat enim, probabile eſſe genus neceſſarii. Sed ſecus eſt, quia probabile, prout in Topicis accipitur, nititur opinione hominum; neceſſarium autem nixum eſt natura, ac veritate rei. Quare ut probabile ſæpe eſt, quod neceſſarium non eſt, ita multa ſunt neceſſaria, quæ probabilia non ſunt. Nec diffiteor Ariſtoteli etiam probabile dici, quod neceſſarium eſt. Ut cùm pronunciatum illud de quolibet veram eſſe alteram contradictionis partem, probabile vocat lib. I I. de Syllogiſmo. Verum hic fortuitò concurrunt duo, ut idem & in ſe certiſſimum ſit & ſimul opinione hominum ſuffultum. Philoſophus autem metiri rem iis debet, non, quæ ex accidenti contingunt, ſed quæ perpetuò, ac per ſe inſunt.

Obſignemus hanc de natura Logices doctrinam conſideratione ordinis, quo Logice traditur. Non eſt is uniuſmodi in ſingulis Organi libris. Synthetico ſcribuntur liber Categoriarum, & de Interpretatione. Analytica priora & poſteriora ordine tractantur Analytico. Interim ſi Organum universè conſideremus, dicendum id ordine tradi ſynthetico: quod ex eo liquet, quia pro tribus mentis operationibus tres ſint partes, quarum prima dirigat mentem in ſimplicium apprehenſione; altera in ſimplicium apprehenſione & diviſione; tertia in integra ratiocinatione.

§. 10. *Hactenus de συλλογιστικῇ. Supereſt μεθοδικὴ, ſive doctrina de via & ordine. Nec enim Logices ſolum eſt docere, quomodo verum certiſſimè inveniatur, ſed etiam quomodo facillimè tradatur. Id autem præſtat ordo.*

Qui ſitus eſt rerum ſecundùm prius & poſterius. Ac vel ex uno facimus multa, vel ex multis unum. Prius fit, cùm à fine procedimus ad principium: hoc cùm ex principiis progredimur ad finem, ſive compoſitum. Illud ſolutionem, hoc compoſitionem dicemus. Unde gemina methodus, ἀναλυτικὴ ſive reſolutiva, & συνθετικὴ, ſive compoſitiva. Ut fruſtra ſit Galenus, quando διαιρετικὴν, ſive diviſivam addit.

Cap. XII.

De VIII. Topicorum libris, & II. Sophiſticorum Elenchorum.

§. 1. *Altera pars eſt Dialectice. Quæ vox non uno ſumitur loco. Platoni non ſolùm hoc nomine intelligitur ars diſſerendi, ſed ſimul Metaphyſice.*

UT cùm lib. VII. Politicorum ait Dialecticam τὸ ὄντως ἰδεῖν καὶ τῷ ὄντι ἐν βορβόρῳ βαρβαρικῷ τινὶ τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορωρυγμένον, ἠρέμα ἕλκει καὶ ἀνάγει ἄνω, συνερίθοις καὶ συμπεριαγωγοῖς χρωμένη, αἷς διήλθομεν τέχναις. *Exactè videre, oculoſque in barbarico cœno defoſſos, ſenſim cogere, ac ſurſum levare, tanquam adjutricibus ac miniſtris quibuſdam utens, his artibus quas narravimus.* Quæ non poſſunt niſi de Metaphyſice intelligi. Quod qui ſciat, minimè mirabitur, Platonem in VII. de Rep. velle quinquennium Dialecticæ impendi, ac quidem μηδὲν ἄλλο πράττοντι, ἀλλ' ἀντιστρόφως γυμναζομένῳ τοῖς περὶ τὸ σῶμα γυμνασίοις; *à nihil aliud agente, niſi ut quibuſdam vicibus corpus exerceret.* Imò ne Dialacticæ quidem ſcholam aperit adoleſcentibus, ſed duntaxat τριακοντούτεσι, *iis qui annorum forent XXX.*

Præterea, niſi ſic Dialecticæ vocabulo uſus ſit Plato, vix excuſare poſſumus, quod ejus Parmenides vocetur *dialecticus*: ubi agitur de ente, eaque referuntur, quæ ad ens, quatenus ens, pertinent: ut ſunt unum, multa; finitum, infinitum; totum, pars; diviſibile, indiviſibile; atque alia. Dixerit aliquis, modum tractandi eſſe Dialecticum: atque eò vocari dialecticum. Sed hæc idonea ſatis ratio non eſt, cùm in aliis etiam libris ſimiliter diſſerat Plato. Quare aut valde decipior, aut potiùs hic liber ita inſcribitur ab ipſo argumento, quod eſt Dialecticum: ſed laxè hac voce acceptâ, ut Logicen & Metaphyſicen comprehendat. Nec primi ſic Platonem interpretamur. Vidit hoc Cælius Rhodiginus lib. XVII. Antiquarum Lectionum cap. XXX. imò & ante eum Marſilius commentario in Plotinum Ennea-

Enneadis primæ lib. II*. Imò id clarè etiam liquet ex ipſius Plotini lib. III: ubi quæritur†, quid ſit Dialectice; ac reſpondetur, eam omnem illorum, quæ ſunt, latitudinem complecti, atque ultra etiam progredi: quippe quæ etiam conſideret τὰ μὴ ὄντα‡: conſiderare adhæc etiam τί τὸ ἀΐδιον, καὶ τὸ μὴ τοιοῦτον*. Poſt aliquammulta rogatur, ἡ αὐτὴ φιλοσοφία, καὶ διαλεκτική†; ac reſpondetur, dialecticam eſſe φιλοσοφίας μέρος τὸ τιμιώτατον‡. Poſtea item ſubdit: Ἡ δὲ διαλεκτική, καὶ ἡ σοφία ἐπὶ καθόλου, καὶ ἀΰλως πάντα εἰς χρῆσιν προσφέρει τῇ φρονήσει*. Ac plura ibidem in hanc mentem legas.

* p. 18. edit. Baſil. an. 1580. † P. 21. ‡ Quæ non ſunt. * Quid æternum, & quid non ſit. † An idem philoſophia ac dialectica. ‡ Philoſophiæ partem præſtantiſſimam. * Dialectica verò & ſapientia, etiam univerſali & immateriali ratione omnia in uſum prudentiæ profert. † In dialectic.

§. 2. *Altera Dialectices acceptio eſt, ut Metaphyſicen excludat, totam verò Logicen includat.*

Quomodo, Stoïcorum more, Cicero, & alii uſurpant.

§. 3. *Tertia Dialectices ſignificatio eſt, quatenus Dialectice opponitur Analytica: quomodo Peripatetici utuntur. Atque ita ars eſt ex probabilibus diſſerens.*

Unde Dialectice ἐρωτητική, καὶ ἐξεταστική, vocatur. Ac Suidæ † etiam definitur μέθοδος δι' ἐνδόξων περὶ παντὸς τοῦ προκειμένου συλλογιστική, *methodus, quæ per probabilia de qualibet propoſita quæſtione ratiocinatur.* Ac eidem dicitur eſſe ἐπιστήμη ἀληθῶν καὶ ψευδῶν, καὶ οὐδετέρων. *ſcientia verorum, falſorum, & neutrorum.*

§. 4. *Veriſimilia autem ſunt non pauca, quæ vera non ſunt: uti & quandoque vera ſunt, quæ non ſunt veriſimilia.*

‡ Pag. 1. De priori ſic Juſtinus Martyr Cohortatione ad Gentes‡: Ἡ γὰρ τῶν πραγμάτων ἀκριβὴς ἐξέτασις, καὶ δόξαντα καλῶς ἔχειν, πολλάκις ἀλλοιότερα δείκνυσιν ἀκριβεστέρᾳ πείρᾳ τ' ἀληθὲς βασανίζασα. i.e. *Nam accurata rerum inquiſitio, ſæpe etiam ea, quæ prima fronte ſpecioſa videntur, exactiore veritatis examine adhibito, longe aliter ſe habere demonſtrat.* De altero ita Ovidius lib. I Triſtium eleg. IV.

Multaque credibili tulimus majora, ratamque,
Quamvis acciderint, non habitura fidem.

§. 5. *Porrò cùm Dialectice ſit ars diſputandi ex probabilibus, ac aliquid vel verè ſit probabile, vel ejuſmodi appareat, laxè quidem dialectice utramque partem comprehendit; ſtrictè autem, ac κατ' ἐξοχὴν ſic dicatur, quæ verè probabilia tractat, non item illa, quæ verſatur circa ſyllogiſmos fallaces. Priori modo accepta comprehenditur IX libris, VIII Topicorum, & I Elenchorum.*

Hoſce novem libros unum conſtituere volumen, liquet ex propoſitione primi libri Topicorum, & epilogo Elenchorum.

§. 6. *Sed preſſè auguſteque dialectice ea ſolùm pars eſt, quæ docet de rebus reapſe probabilibus diſſerere, bene interrogando, apteque ad interrogata reſpondendo, uſque dum eliciatur quod verum, vel vero proximum eſt. Unde hæc pars ἐρωτητική, καὶ ἐξεταστική, vocatur. Eſtque ea quarta Dialectices acceptio. Atque hoc pacto de ea agitur VIII Topicor. libris. Sunt enim hi de epicheremate, ſive argumentatione probabili.*

Cui σόφισμα opponitur, ſive fallax ſyllogiſmus: de quo in Elenchis ſophiſticis; ut poſtea dicetur. Nec unquam Ariſtoteles aliter Dialecticæ vocem uſurpat, niſi pro Topicorum doctrina, cujus Sophiſtici Elenchi ſunt appendices.

Miretur fortaſſe aliquis, quod Ariſtoteles Topica non præmiſerit Analyticis poſterioribus, cùm Ariſtoteles priùs ſoleat probabiliter in utramque partem diſputare, quàm controverſiam demonſtratione decidat. Sed enim Ariſtoteli propoſitum fuit non ſeparare partes Analyticæ, totam complecti atque oſtendere unicum illud inſtrumentum ſyllogiſmi, quod philoſophiæ omniumque ſcientiarum eſt inſtrumentum, plenè tradere, tum ratione formæ, de qua in Analyticis prioribus; tum ratione materiæ: ut in ſyllogiſmo Apodictico. Præterea imputat, quod Dialecticæ probationes dignitate cedant demonſtrationi: ut genuino philoſophiæ inſtrumento.

§. 7. *Scribuntur Topica ab Ariſtotele ὡς ἐν τύπῳ, & pinguiori Minervâ.*

Ut ipſe agnoſcit lib. I Top. Itaque non dubium, quin pertineant ad περίπατον δειλινόν*: ut vocat Gellius lib. XX, cap. V. * Deambulationem veſpertinam.

§. 8. *Pars hæc Logices negligenter admodum tractari in ſcholis ſolet, ſive ut facilis & obvia; ſive ut inutilis. Atqui ejus in probando uſus ubique eſt longè maximus.*

Error ſtatim initio Categoriarum, ubi Ariſtoteles contra Platonicos, ut Pletho obſervavit, docet ſpecies magis eſſe ſubſtantias, quàm genera: probat hoc eo, quia ſpecies ſunt propinquiores primis ſubſtantiis. Quod ſubnixum eſt canone illo in III Top. *Quod eſt propinquius ſimpliciter tali, id eſt tale.*

§. 9. *Imprimis autem ad hoc conducit, ut probabilibus præparet ad argumenta, quæ ſcientiam pariunt.*

Nam Ariſtotelea Dialectica eſt πρώτη ἀνάλυσις, ut ipſe loquitur Ariſtoteles. At Analytica eſt ſecunda, & vera ἀνάλυσις. Ac tripliccem quidem dialecticæ uſum adfert Ariſtoteles lib. I Top. cap. II. nempe primùm πρὸς γυμνασίαν. *ad exercitationes:* hinc πρὸς τὰς ἐντεύξεις, *ad colloquia:* denique πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας, *ad philoſophiæ ſcientiam.*

§. 10. *Dixeris, in Topicis non ſolum tradi contingentium problemata; ſed etiam generis, proprii, & definitionis. Non diffiteor: ſed in Dialecticis ea contingentium induunt naturam.*

Poteſt enim fieri, ut quis neſciat genus eſſe genus, atque idem de proprio & definitione dixero. Hoc quoties fit, propoſitiones, ut in omni ſyllogiſmo Dialectico, cenſendæ ſunt cauſſæ οὐ πράγματος, ἀλλὰ συμπεράσματος μόνον.

§. 11. *Porrò cùm Topice doceat in utramque partem diſputare, maximus quoque ejus uſus erit eloquentiæ ſtudioſo, qui Topicen, & Rhetoricen jungere debet.*

Solent id facere diſcipuli Ariſtotelis, qui ſuos reddebat idcirco eloquentiſſimos, ut Strabo monet lib. XIII. Ac credo ob hunc etiam Topicorum uſum Philo Judæus Dialecticam Rhetorices ἀδελφὴν καὶ δίδυμον appellat. Multaque in hanc mentem legere eſt apud Ciceronem de Oratore.

§. 12. *Et ſanè, qui Ariſtoteli, ac Theophraſto, ſucceſſerunt, annis ducentis diſcipulos exercuere de quæſtionibus omnibus in utramque partem diſſerendo. Non quaſi non præſtet Analytice Topicis: ſed quia Acroamatica Ariſtotelis, & Theophraſti, Athenis ſepulta abditaque delituerint, uſque ad Athenas captas à Sylla.*

Auctores Strabo & Plutarchus.

§. 13. *Sed utcunque Dialectice aliis conducat plurimum, fortaſſe tamen non multum confert viro Principi,*

cipi, cujus non eſt verbis contendere cum civibus ſuis, ſed oratione perſuadere. Ut omnino utilior ei ſit Rhetorice, quam Dialectice.

Iſocrates epiſt. v. quæ ſcripta ad Alexandrum M. Τῶν τε φιλοσοφιῶν οὐκ ἀποδοκιμάζειν μὲν οὐδὲ τὴν περὶ τὰς ἔριδας, ἀλλὰ νομίζειν εἶναι πλεονεκτικὴν ἐν ταῖς ἰδίαις διατριβαῖς· οὐ μὴν ἁρμόττειν, οὔτε τοῖς τῶν πληθῶν προεστῶσιν, οὔτε τοῖς τὰς μοναρχίας ἔχουσιν. οὐ γὰρ συμφέρειν, οὐδὲ πρέπειν τοῖς μεῖζον τῶν ἄλλων φρονοῦσι, οὔτ' αὐτοῖς ἐρίζειν πρὸς τοὺς συμπολιτευομένους, οὔτε τοῖς ἄλλοις ἐπιτρέπειν πρὸς αὐτοὺς ἀντιλέγειν. Ταύτην μὲν οὖν οὐκ ἀγαπᾶν σε τὴν διατριβὴν, προαιρεῖσθαι δὲ τὴν παιδείαν τὴν περὶ τοὺς λόγους, οἷς χρώμεθα περὶ τὰς πράξεις τὰς προσπιπτούσας καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν, καὶ μεθ' ὧν βουλευόμεθα περὶ τῶν κοινῶν. *Talium enim conſuetudo prudentibus expetenda eſt. Inter doctrinarum porro genera ne dialecticas quidem diſputationes improbare diceru: ſed ſic de illis ſentire, ut eas exiſtimes in privatis congreſſibus permultum valere: non tamen vel populi gubernatoribus, vel principibus, eſſe oportunas. Nec enim expedire, nec decere, ut qui dignitate cæteris præſtant, vel ipſi cum civibus rixentur, vel cæteris dent contradicendi licentiam. Hoc igitur ſtudium te non amare ferunt; ſed eloquentiæ diſciplinam permagni facere; quâ utimur & in quotidiana vita negotiis, & quum de republica deliberamus.*

§. 14. *In Topica ex antiquis habemus Themiſtium, & Alexandrum Aphrodiſ.*

Imò & Roïſius, ſive Averroës, qui multa ex Themiſtio hauſit. Ex junioribus præſtat cæteris Schegkius: niſi quod commentarius ejus mole ſuâ laboret.

§. 15. *Videntur non multum à Topicis abiiſſe octo Methodicorum libri: ut quibus Ariſtoteles docuerit, quomodo & quoties argumenta nobis ſuppetere poſſit copia propoſitionum ad diſſerendum.*,

Meminit eorum librorum Ariſtoteles in Rhetoricis. Simplicius comment. in categorias, uti & Laërtius, atque alii. Magis verò eorum interitum doleremus, niſi Topica ſupereſſent: Tum etiam, quod Methodica illa, ut Simplicius auctor eſt, fuerint hypomnematica: ex cujuſmodi libris certi nihil de Ariſtotelis ſententia ſtatui poſſet.

§. 16. *Supereſt Σοφιστικὴ, quæ altera eſt pars Dialectices, ac de fallaciis tractas, ſive eo quod probabile videtur, nec eſt.*

Nam ut oculi noſtri ſæpe decipiuntur ſimilitudine, ita & animus, dum primâ facie aliquid intuetur, probabile illud putat, quod penitius ſi conſideretur, perabſurdum videtur.

§. 17. *Diſcitur hæc pars ad inſidias; non ſtruendas, ſed vitandas: ut Sophiſta aliquis ſit προαιρέσει, ſed Dialecticus δυνάμει. Eſtque ea pars de ὕλῃ Logices.*

Hoc qui negant, ajunt, hanc doctrinam eſſe ſuperfluam, quia rectum ſit index ſui & obliqui. Verùm ex iis, quæ de vero ſyllogiſmo docuerat Ariſtoteles, confusè quidem ac generatim, non verò diſtinctè cognoſcitur natura ſyllogiſmi fallacis. Adde quod in his quoque verum eſt, quod Athenæus lib. IV δειπνοσοφ. ſcripſerat de conviviis, quæ Homerus diverſorum finxerat generum, ἐξ ἀντιπαραβολῆς ὁρᾶται μᾶλλον· *res collata inter ſe, atque è regione poſita, melius intelliguntur.*

§. 18. *Continetur hæc fallaciarum doctrina libris duobus ſophiſticorum Elenchorum.*

Qui & ipſi ἐξωτερικοί: ut agnoſcit Gellius lib. XX, cap. V.

§. 19. *In Sophiſticos Elenchos commentati*

Joannes Philoponus.
Michaël Epheſius.

In bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi exſtat etiam Michaël Pſellus in elenchos Sophiſtarum. Conradus Geſnerus ſuſpicabatur eundem eſſe Michaëlem Pſellum, & Michaëlem Epheſium. Sed eam ſententiam refellit Leo Allatius libro de Pſellis.

§. 20. *Poſtremo aliquid addam de ordine, quo Logice tradi debet. Eſt verò is ordo Analyticus.*

Logica enim non eſt θεωρητικὴ, ſed ποιητικὴ, ſive effectrix: unde Ariſtoteles ei tribuit γένεσιν τῶν συλλογισμῶν: item δύναμιν τοῦ ποιεῖν, *vim efficiendi Syllogiſmi*: ut eſt lib. priorum Analyt. initio II, & III ſectionis.

F I N I S.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
ARTIUM ET SCIENTIARUM NATURA AC CONSTITUTIONE
LIBER V.
SIVE DE PHILOSOPHIA.

Caput I.

§. 1. *Poſtquam vidimus de Artibus liberalibus, accedendum eſt ad Philoſophiam: ad quam diſciplinis illis quaſi gradibus quibuſdam pervenitur. Nec enim temerè eos imitari oportet, qui in iis, amœnitate illecti, conſeneſcunt. Vtile quidem eſt Reip. eſſe aliquos, qui vix aliud per omnem vitam agunt, ne fortè deſint, qui de minutiis etiam ſingulis, ſi opus fuerit, conſulantur: attamen ſolidæ ſapientiæ amatores ubi didicerint, quantum ad animum iis præparandum ſufficit, detinere ea diutiùs non debent. Lactantius lib.* III, *cap.* 25; Multis artibus opus eſt ut ad Philoſophiam poſſit accedi: *ſed tum non eſt in iis conſeneſcendum.*

Eximiè Seneca epiſtolâ LXXXVIII; *Tamdiu iſtis immorandum eſt, quamdiu nihil agere animus majus poteſt; rudimenta ſunt noſtra, non opera.* Item Arrianus diſſert. II. cap. XXIII. Ἄνθρωπε, ἐπελάθου σὺ τῆς προαιρέσεως; οὐκ εἰς τοῦτο ὥδευες, ἀλλὰ διὰ τούτου. ἀλλὰ κομψὸν τοῦτο· πόσα δ' ἄλλα πανδοχεῖα κομψά; πόσοι δὲ λειμῶνες; ἀλλ' ἁπλῶς ὡς δίοδος. *Homo, oblivio te cepit inſtituti tui? Non huc ibas, ſed hac. Atqui elegans hoc diverſorium. Quàm multa etiam alia? quot item horti aut prata? ſed nonniſi ut tranſitus ſint.* Habet igitur hîc locum illud Quinctiliani lib. 1. cap. XIII: *Non obſtant hæ diſciplinæ per illas euntibus; ſed circa illas hærentibus.* Item hoc Athenienſium apud Thucydidem lib. II. Φιλοκαλοῦμεν τε μετ' εὐτελείας, καὶ φιλοσοφοῦμεν ἄνευ μαλακίας. *Elegantes ſumus cum parſimoniâ, & philoſophamur ſine mollitie.* Quod ſi quis horum non ultra progrediatur, ſimilis ei ſit, qui in fundamento ſemper ſe occupat, nunquam verò exædificet. Quod ſi Philonis placet allegoria? Qui priùs cum Agar concumbendum cenſebit, ſimilis ſit ei, qui per omnem vitam cum Agar miſceri malit, quàm Saræ notitiam habere. At quis ſapiens amores ancillæ malit, quàm Dominæ. Philoni verò ad ſimilitudinem eam quodammodo præivit Ariſtippus. Nam, ut Laërtius ait lib. II, τοὺς τῶν ἐγκυκλίων παιδευμάτων μετασχόντας, φιλοσοφίας δὲ ἀπολειφθέντας, ὁμοίους ἔλεγεν εἶναι τοῖς τῆς Πηνελόπης μνηστῆρσι· καὶ γὰρ ἐκείνους Μελανθὼ μὲν καὶ Πολυδώραν καὶ τὰς ἄλλας θεραπαίνας ἔχειν, πάντας δὲ μᾶλλον ἢ αὐτὴν τὴν δέσποιναν δύνασθαι γῆμαι. *Eos qui orbe diſciplinarum exculti philoſophiam neglexiſſent, ſimiles eſſe ajebat procis Penelopes. Illos enim Melantho & Polydoram, aliasque famulas habuiſſe, ac cuivis potius, quàm Dominæ potuiſſe nubere.* Addit deinde τὸ δ' ὅμοιον καὶ Ἀρίστων. τὸν γὰρ Ὀδυσσέα, καταβάντα εἰς ᾅδου, τοὺς μὲν νεκροὺς πάντας σχεδὸν ἑορακέναι, καὶ συντετυχηκέναι, τὴν δὲ βασίλισσαν αὐτὴν μὴ τεθεᾶσθαι. *Simile quid & Ariſto dixit: Vlyſſem quippe ajebat, cùm ad inferos deſcendiſſet, omnes propè mortuos vidiſſe, & allocutum eſſe; reginam verò ipſam ne videre quidem potuiſſe.*

§. 2. *Non igitur imitandi nobis illi, qui in orbe diſciplinarum ſic morantur, ut immoriantur.*

Talis fortaſſe Longinus, magnus alioqui vir: ita ut audiret βιβλιοθήκη ἔμψυχος. Plotinus tamen, cùm ejus legiſſet libros, dixit, φιλόλογος μὲν ὁ Λογγῖνος, φιλόσοφος δὲ οὐδαμῶς: *politioris quidem literaturæ peritus Longinus, philoſophiæ minimè.* De talibus optimè ex Ariſtone Stobæus in Eclogis pag. 103. Ἀρίστων ὁ Χῖος τοὺς περὶ τὰ ἐγκύκλια μαθήματα πονουμένους, ἀμελοῦντας δὲ φιλοσοφίας, ἔλεγεν ὁμοίους εἶναι τοῖς μνηστῆρσι τῆς Πηνελόπης, οἳ ἀποτυχάνοντες ἐκείνης περὶ τὰς θεραπαίνας ἐγίνοντο. *Ariſto Chius, eos, qui orbi diſciplinarum & Mathematicis vacarent, neglecta Philoſophia, ſimiles eſſe dicebat procis Penelopes, qui cùm ipſa potiri non poſſent, ad ancillas ſe contulere.* Item Clemens Alexandrinus lib. 1. Στρωματέων: τοῖς φίλτροις τῶν θεραπαινίδων δελεασθέντες, ὠλιγώρησαν τῆς δεσποίνης φιλοσοφίας, καὶ κατεγήρασαν οἱ μὲν αὐτῶν ἐν μουσικῇ, οἱ δὲ ἐν ἀριθμητικῇ, ἄλλοι δὲ ἐν γεωμετρίᾳ, οἱ πλεῖστοι δὲ ἐν ῥητορικῇ. Ubi Rhetoricen inter προπαιδεύματα refert. Quæ & aliorum multorum ſententia fuit, ut alibi diximus.

§. 3. *Nempe πολυμάθεια generalem adfert notitiam, non particularem, ac ſolidam. Eoque multa quæ philologus ſcit, ſi philoſophiam ignorat, non uſurpabit loco ſuo, vel tempore. Eſt enim Philoſophia quaſi jugale vinculum eorum, quæ multijuga lectio peperit.*

Itaque Anaxarchus in libro de Regno ait, Polymathiam multum quidem juvare poſſeſſorem ſuum, ſi digno obtigerit; ſin indigno, etiam obeſſe: atqui hujuſmodi fore, qui, nullo habito diſcrimine, effutiat quæcunque didicerit. Qualis quid aliud facit, quàm ſi ſidem præbeat graculo, amaracinum ſui?

§. 4. *Neque hæc dicuntur, ut in προπαιδεύμασι negligentiores ſimus, ſed ut alacriùs in iis progrediamur, quò celeriùs ad meliora perveniamus.*

Ut vinum optimum eſt, optimæ etiam artes liberales: ſed in utriſque modum oportet ſervare.

Cap. II.

§. 1. *Sapientiæ doctrina vel eſt inventa, ut Philoſophia, quæ exercitio acquiritur: vel inſpirata, ut Theologia*

gia Chriſtiana, quæ à Deo infunditur. Prius de Philoſophia dicam, quæ vox hic καταχρηστικῶς ſumitur pro σοφίᾳ.

PRopriè quidem φιλοσοφία eſt φιλία καὶ ὄρεξις τῆς σοφίας, ut σοφία ſit habitus mentis, φιλοσοφία voluntatis: ſed voces hæ promiſcuè uſurpantur, jam inde à temporibus Pythagoræ, qui, ut notiſſimum eſt, primus, vitandæ arrogantiæ gratiâ, non σοφὸς, ſed φιλόσοφος voluit appellari.

§. 2. *Σοφίαν intellige laxè, ut eſt rerum divinarum humanarumque.*

Eſt enim habitus ſapientiâ & prudentiâ conſtans. Sapientia preſsè accepta, intellectum ac ſcientiam includit; ac ad Philoſophiam θεωρητικὴν pertinet: Prudentia verò ad πρακτικὴν refertur.

§. 3. *Eſtque divinorum humanorumque cognitio, non nuda, ſed per cauſſas: eoque ab Hiſtoriâ differt, quæ ſolum τὰ φαινόμενα exponit.*

Itaque Philoſophiæ etiam competit definitio iſta veræ ſupernæque ſapientiæ, quæ eſt apud Philonem libro περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου. Σοφία δὲ ἐπιστήμη θείων καὶ ἀνθρωπίνων, καὶ τῶν τούτων αἰτίων.

§. 4. *A Theologiâ autem ſeparatur eò, quòd ex principiis naturâ inditis progreditur ſtudio ac meditatione, h. e. naturæ ſolius lumine: cùm è contrario Theologia ex principiis divinitùs inditis procedat in divino lumine Spiritus S.*

Ut omnino Theologiam noſtram excipi neceſſe ſit, cùm ait Plato in Timæo, φιλοσοφίας μεῖζον ἀγαθὸν οὔθ' ἦλθεν, οὔθ' ἥξει, ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν. quæ Cicero ſic interpretatus eſt; *Philoſophia bono nullum optabilius, nullum præſtantius, neque datum eſt mortalium generi Deorum conceſſu atque munere, neque dabitur.*

§. 5. *Nec propterea accuratè ſatis definiveris Philoſophiam divinarum humanarumque rerum notitiam per cauſſas ex lumine naturæ; eſt enim ea diviſio potiùs, quàm definitio. Sed rectiùs ſtatuas eſſe cognitionem omnium rerum per cauſſas, quatenus homo eas naturæ lumine conſequi poteſt.*

Eſt hæc definitio aliquantò plenior planiorque ſex illis, quas Michaël Pſellus compendio ſuo de V. vocibus & X. Categoriis præmittit. Nec indignæ tamen illæ, quæ à nobis hoc loco explicentur. Prima eſt Pythagoræ, cui eſt γνῶσις τῶν ὄντων ᾗ ὄντα ἐστίν: *cognitio entium, quà entia ſunt.* Hanc Pſellus ait eſſe ab univerſali ſubjecto, quia particulares ſcientiæ circa aliquod ens verſantur, ut Aſtrologia circa ſidera, Medicina circa corpus humanum: Philoſophia autem occupatur circa omne ens. Addere eum ait, *quatenus entia*, quia non conſiderat ſingularia, ut, quot ſint equi, quantæ celeritatis ſit Bucephalus; ſed univerſalia: nam rei naturam & cauſſas inquirit. Eſt enim Philoſophia, ut ait Pſellus, γνῶσις καθολική, καὶ μετὰ αἰτίας, *cognitio univerſalis, & per cauſſas.* Altera definitio eſt ejuſdem Pythagoræ, quâ dicitur γνῶσις θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, *divinarum humanarumque rerum notitia.* Eſtque hæc ab ſubjecto remoto, quia ens complectitur divina humanaque. Tertia eſt Platonis, cui dicitur eſſe μελέτη θανάτου, *mortis meditatio.* Eſtque ea definitio in Phædone Platonis. Ut non injuriâ Platoni eam quoque tribuat Plutarchus lib. de plac. Philoſophorum. Sed hauſit eam à Pythagorâ, ut cognoſcere eſt ex vitâ Pythagoræ, à Porphyrio, & Iamblicho ſcripta. Item ex his verbis B. Hieronymi adverſus Rufinum. *Primus Pythagoras dixit Philoſophiam meditationem eſſe mortis, quotidie de carcere corporis nitentem educere animæ libertatem.* Eandem definitionem legas & apud Appulejum de Philoſophiâ; *Philoſophum oportet nihil ſic agere, quàm ut ſemper ſtudeat animam corporis conſortio ſeparare: & ideo exiſtimandum, philoſophiam eſſe mortis affectationem, conſuetudinemque moriendi.* Hanc definitionem peti ait Pſellus à fine proximo. Mortem autem intellige non naturalem, ut faciebat Cleombrotus Ambraciota, qui idcirco lecto Platone, ſe de rupe præcipitem dedit, ut eſt in Callimachi epigrammatis: ſed voluntariam, quæ ſolùm eſt affectuum: unde Pſellus, θάνατον δὲ τὴν νέκρωσιν τῶν παθῶν ἐκληπτέον, *per mortem intelligenda affectuum mortificatio.* Vide quæ ex Porphyrio refert Stobæus Sermone CXVII. Quarta itidem eſt Pythagoræ, cui & à fine ultimo definitur ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ, *aſſimilatio Deo, quatenus homini poſſibile eſt*; de quâ poſtea pluribus dicam. Quinta eſt Ariſtotelis ab excellentiâ petita. Definit enim τέχνην τεχνῶν, καὶ ἐπιστήμην ἐπιστημῶν, *artem artium, & ſcientiam ſcientiarum.* Nempe, ut Deus Rex Regum, ſic Philoſophia ſcientia ſcientiarum: omnes enim artes ac ſcientias ambitu ſuo comprehendit. Sexta itidem Pythagoræ eſt: cui à nominis proprietate definitur φιλία σοφίας, *amor ſapientiæ.* De iiſdem quoque Philoſophiæ definitionibus agit Georgius Pachymerius. Quartam etiam plerique Peripatetici ſequuntur. Ut Themiſtius Orat. 1. quâ gratias agit Conſtantio, ac caput & ſummam totius Orationis eò redire ait, ὅτι μηδὲν ἄλλο ἐστὶ φιλοσοφία, ἢ ὁμοίωσις κατὰ τὸ δυνατὸν θεῷ, *philoſophiam nihil eſſe aliud, quàm aſſimilari Deo, quatenus id fieri poteſt.* Ac fuit hæc ſententia non Pythagoræ tantùm, ſed poſtea etiam Socratis, quem ſecutus Plato, ut Eudorus, Academicus Alexandrinus teſtatur apud Stobæum lib. II. Eclog. Moralium. Atque addit hanc à Platone expreſſam eſſe in Timæo Phyſicè, & Pythagoricè, ubi divinam providentiam declarat; in libris de Republicâ, Ethicè; in Theæteto, Logicè: in Quarto de Legibus, apertè & copioſè. Philoſophiæ finem, quem definitio hæc expreſſit, attingit & Clemens Alexandrinus lib. II. Στρωματέων: atque eò refert illud Moſaïcum. *Poſt Dominum Deum veſtrum ambulate.* Michaël Pſellus de hâc definitione tractans, addit, in quibus aſſimilatio iſta conſiſtat. Καὶ γὰρ τρισὶ τὸ θεῖον παρὰ τοῖς ποιηταῖς χαρακτηρίζεται, τῷ ἀγαθῷ, τῷ γνωστικῷ, καὶ τῷ δυνατῷ, οὕτω καὶ ὁ τέλειος φιλόσοφος τοῖς τρισὶ τούτοις χαρακτηρίζεται. τῷ μὲν ἀγαθῷ, ὅτι ὥσπερ τὸ θεῖον πάντων προνοεῖται, οὕτω καὶ ὁ τέλειος φιλόσοφος τῶν ἀτελῶν ψυχῶν προνοεῖται ἐπὶ τὸ τέλειον μετάγων αὐτὰς διὰ τῆς γνώσεως. τῷ δὲ γνωστικῷ, ὅτι ὥσπερ τὸ θεῖον πάντα γινώσκει, οὕτω καὶ ὁ τέλειος φιλόσοφος τὰς αἰτίας πάντων γινώσκειν ἐπαγγέλλεται. τῷ δὲ δυνατῷ, ὅτι ὥσπερ τὸ θεῖον ὅσα βούλεται, δύναται, οὕτω καὶ ὁ τέλειος φιλόσοφος, ὅσα βούλεται, δύναται. *Tribus enim notis divina majeſtas apud Poëtas inſignitur, bonitate, ſcientia, & potentia. Itidem & perfectus Philoſophus his tribus notis eſt inſignis. Bonitate quidem, quia ſicuti divinitas omnibus providet, ita & philoſophus perfectus imperfectarum animarum curam gerit, per cognitionem eas ad perfectionem deducens. Scientiâ autem, quia ut Deus omnia cognoſcit, ita & Philoſophus conſummatus omnium cauſſas ſcire pollicetur. Potentiâ verò, quia, ut Deus quæcunque vult, poteſt, pari ratione & conſummatus philoſophus, quæ vult, poteſt.* Sed hæc reſtringenda ex ipſo Pſello, qui in definitione addit, κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ, *quatenus homini poſſibile eſt.* Stoici verò nimis arroganter hominem efferunt, cùm illam ὁμοίωσιν τῷ θεῷ ἁπλῶς intelligunt, quaſi naturæ lumine ac viribus conſequi poſſimus, ut verè Deo ſimus pares ac æquales. Audiamus Senecam epiſt. XLVIII; *Hoc eſt, quod mihi philoſophia promittit, ut parem Deo faciat.* Molliùs capere poſſis verba Boëthii, lib. 1 de Conſol. phil. *Tu*, compellans exul & in carcere conſtitutus Philoſophiam, *Tu*, ait, *in hanc excellentiam me componebas, ut conſimilem Dei faceres.* Utinam autem iis, qui philoſophari volunt, ſemper is finis ob oculos verſaretur, ut Deo aſſimilentur, quatenus naturæ noſtræ ſinit imbecillitas. Sanè indigni ſunt Philoſophi nomine, qui alio fine philoſophantur, uti qui unum illud ſibi propoſitum habent, ut inde victum aut hono-

honorem parent. Nunc multi non Philoſophiam modò eo animo aggrediuntur, ſed Theologiam ipſam, quæ ſi juſto fine diſcatur, non ad Deum modò ducat, ſed etiam perducat. De iſtâ hominum ſtultitiâ audiamus querimoniam, ac conſilium Bernardi ſuper Cantica ſermone XVI. *Sunt, qui ſcire volunt eo fine tantùm, ut ſciant, & turpis curioſitas eſt. Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant; & turpis quæſtus eſt. Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi; & turpis vanitas eſt: ſed ſunt quoque, qui ſcire volunt, ut ædificent; & charitas eſt. Et ſunt, qui ſcire volunt, ut ædificentur; & prudentia eſt.*

§. 6. *Philoſophia eſt nata ex admiratione.*

Plato in Theæteto: Μάλα φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν. Οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας, ἢ αὕτη· *Valde philoſophi illa adfectio eſt, admirari: neque alia origo eſt philoſophiæ, quàm iſta.* Ariſtoteles lib. I Metaphyſic. cap. 2: Διὰ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν, καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν. *Propter admirationem homines & nunc, & olim philoſophari cœperunt.*

§. 7. *Eſt verò admiratio, animi in rem propoſitam intuitio, cum cupiditate cognoſcendi cauſam.*

Unde conſequitur, nec muta animantia, nec Deum quicquam admirari. Mutæ enim animantes, nec ſciunt cauſſam, nec ſcire cupiunt. Deus jam ſcit cauſſas omnium. Homo verò, qui in medio eſt conſtitutus, & neſcit, & ſcire cupit: eoque in cauſſas animum defigit. Ac primò in faciliora inquirit. Hinc paulatim ulterius tendit. Nec tamen omnes ſcire cupiunt. Multi enim auri micam malunt, quàm bonæ mentis guttam. Multi item ſcire ſe putant, quæ neſciunt. Neutri admirantur: ſed eò infeliciores cenſendi. Soli felices, qui eò non admirantur, quia jam cauſſas didicerunt. Eſtque is finis Philoſophiæ juxta Pythagoram. Sic enim de eo Plutarchus libro περὶ τοῦ ἀκούειν. Ἐκεῖνος μὲν γὰρ (ὁ Πυθαγόρας) ἐκ φιλοσοφίας ἔφησεν αὐτῷ περιγεγονέναι τὸ μηδὲν θαυμάζειν· ὁ γὰρ φιλόσοφος λόγος, τὸ μὲν ἐξ ἀπορίας καὶ ἀγνοίας θαῦμα ἐξαιρεῖ, γνώσει καὶ ἱστορίᾳ τῆς περὶ ἕκαστον αἰτίας. *Is enim id ſe lucri è Philoſophia retuliſſe dixit, nihil ut miraretur. nam philoſophica ratio admirationem atque ſtuporem ab hæſitatione atque ignoratione profectum eximit, ſingularum rerum cognitione atque enarratione per cauſas ſuas exhibitâ.* Ἀθαυμασίαν Democritus vocabat, ut Victorius oſtendit Var. lect. lib. XXXV, cap. VI. Huc ſpectat Horatius cùm ait;

Nil admirari, propè res eſt una Numici,
Solaque quæ poſſit facere & ſervare beatum.

Unde & Maro dixit:

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſſas.

Cauſſarum ignoratio quid poſſit, argumento iſto, quòd integri ſæpè exercitus terrore fuerint perculſi, ſi eclipſis foret. Et quid vulgus militum dico? Archelaus Rex, cùm ſol defeciſſet, clauſit regiam, & filium totondit, quod fieri ſolet in luctu & rebus adverſis. Auctor Seneca lib. V de beneficiis cap. VI. Dubito autem magiſne infelices ſint iſti, quos cauſſæ ignoratio percellit horrore, an qui videntur ſibi cauſſam nôſſe, quam ignorant. Nam quos falſa hæc opinio infecit, non admirantur, eoque nec amplius de veritate laborant: ut ſatius ſit non didiciſſe cauſſam, quàm perperam didiciſſe.

Cap. III.

§. 1. *Philoſophiæ auditorem, ut Ariſtotelem & Philoſophos alios intelligat, ſcire opus Græcè, propter multa in iis non tam converſa, quàm perverſa.*

Mitto illa, quæ ſemidocti verterunt: ipſe ille Themiſtius ab Hermolao Barbaro, dum nimium ſtudet elegantiæ, tantâ converſus eſt libertate, ut ſæpiſſimè longè aliud dicat, quàm ſenſerit Themiſtius. Ut omninò optandum ſit, edi tralationem veterem, quam apud Carpetanos alicubi deliteſcere ajunt.

§. 2. *Inprimis verò in Etymologiis, quales apud Ariſtotelem & alios multos, recurrendum eſt ad Græcum fontem: cùm ſæpe in Latino ſermone nulla vox ſit, quæ appoſitè idem exprimat.*

Quod & Thomas Aquinas monet in lib. I de Cælo lect. XI. Exemplo eſto αἰὼν ab ἀεὶ ὤν. Atque ita in aliis.

§. 3. *Adhæc in eo, qui ſeriò philoſophari volet, magnus requiritur veritatis amor. Sine quo difficulter veritatem continget. Contra amor ille ſi adſit, rectè de omnibus judicabit.*

Ariſtoteles apud Suidam *: Εὐφυής ἐστι τὸ οἰκειῶσθαι μὲν πρὸς τὸ ἀληθὲς, ἀποσείεσθαι δὲ τὸ ψεῦδος. ὁ δὲ τοῦτο ἔχων, ἔχει καὶ τὸ κρίνειν τὸ ἀληθὲς δύνασθαι καλῶς. *Ingenioſi eſt, veritatem quidem amplecti, mendacium verò averſari. Qui autem hoc habet, is illud etiam habet, ut veritatem rectè judicare poſſit.* Plura inibi in hanc mentem vide. * In Εὐφυία.

§. 4. *Præterea multum refert, ut bonus dux obtingat, quò faciliùs certiuſque iter tam longum inſtituamus. Nam ut totam abſolvamus Philoſophiam, non menſibus opus, ſed annis, iiſque compluribus.*

Itaque Chio Platonis auditor, cùm ſui eum urgerent, ut ne longo tempore vellet in philoſophia diſcenda occupari, reſpondit minimum ſibi decennio opus eſſe, priuſquam abſolvat. Ariſtoteles quidem annos XX audivit Platonem. Theophraſtus, Eudemus, atque alii ex Peripateticis Ariſtotelis diſcipulis audiere magiſtrum annis minimum XII. Zeno Stoicæ ſectæ conditor, & Epicurus annis XVIII Philoſophiæ operam dedere. Amelius Plotinum audivit annis XXIV, ut Porphyrius ait in vitâ Plotini. Quare jure Lucianus in Hermotimo agnoſcit ſtudium Philoſophiæ eſſe operoſum, & plus temporis ipsâ requirere Medicinâ.

§. 5. *Quantò tamen inſtructiores erimus in orbe diſciplinarum, tantò celeriùs Philoſophiæ curriculum decurremus.*

Exemplo fuerit Proclus, qui biennio abſolvit Ariſtotelis philoſophiam, ut Marinus in ejus vitâ ſcribit. Sed Grammatices, Hiſtoriæ & Poëſeos erat callentiſſimus, in Matheſi etiam perfectus, atque idem Platonicæ Philoſophiæ gnarus. Imò, ut idem Marinus tradit, jam antè guſtum aliquem Ariſtotelicæ philoſophiæ habebat ab Olympiodoro. Quare non dubium, quin alius altera parte plus temporis requirat, etiam ubi bonus doctor obtigerit, & ingenium erit felix, & adſit induſtria. Quadriennium quidem exigebat Hermolaus Barbarus. Quinquennio eam abſolvebant ætate Moſchopuli, ut ipſe teſtatur.

§. 6. *Multum etiam temporis lucrabimur, ſi non moremur auditorem quæſtionibus ſpinoſis.*

Quæ felicitas contigit eidem Proclo. Præceptorem enim habebat Syrianum, qui inutilibus quæſtionibus abſtinebat, ſolamque Ariſtotelis mentem exponebat. Nam hanc docendi viam inire ſolitum, argumento ſunt tres libri, quibus Ariſtotelis Metaphyſica enarrat. Valde & hodie, & olim, tricis iſtis peccari ſolet; quarum tanta eſt copia, ut à Luciano in Hermotimo dicatur, πάντες, ὡς ὁ λόγος εἰπεῖν, περὶ ὄνου σκιᾶς μάχονται οἱ φιλοσοφοῦντες. *Philoſophi omnes, ut in proverbio eſt, de aſini umbra digladiantur.* Non quaſi hac parte illum Philoſophorum deriſorem audiendum putem, ſed quia verè hoc ab eo dicitur de omnibus ſectis, ac Stoicis præcipuè, qui ſæpè de verbis ſolùm litigant,

καὶ τ̀ καρπὸν ἀτυχῶς ἀφέντες, περὶ τ̀ φλοιὸν ἀσχολοῦνται, τὰ φύλλα κατασείοντες ἀλλήλων ἐν ὁμιλίαις. h. e. *fructum imperitè miſſum facientes, circa corticem ſunt occupati, folia viciſſim decutientes in diſputationibus.*

§. 7. *Utile præterea in diſcendâ philoſophiâ, ut imitemur veteres Peripateticos, quibus ea conſuetudo erat, ut priuſquam ad ſcientiam aliquam perfecte addiſcendam animum appellerent, commentarios facerent, in quos ſententias veterum referrent, rationes ſimul adderent, & quandoque etiam refellerent. Eos Libros Hypomnematicos dixêre.*

Ut Ammonius ſive alius in Categ. Ariſt. annotavit: Hujus generis videtur fuiſſe liber de Zenone, Xenophane, & Gorgia, qui Ariſtoteli inſcribitur. Credo & ſimilis fuerit monetæ is liber Ariſtotelis, in quem omnium Rhetorum ſententias conjecerat, ut ait Tullius in dialogis de Oratore. Præſertim cùm & Laërtius dicat, reliquiſſe eum libros duos Rhetoricæ collectionis, ſive ut Græcè vocat συναγωγῆς. Similis & Menonis (qui Ariſtotelis diſcipulus fuit) de Medicina commentarius, quem Galenus laudat commentatio in Hippocratem de natura humana. Atque ut intra Matheſin me contineam, talis credo hiſtoria Arithmetica Theophraſti; item Hiſtoria Aſtronomica, & altera Geometrica Eudemi: quarum apud Proclum & Simplicium crebra fit mentio. Cujuſmodi opera multum juvit; quia artes omnes & ſcientiæ, ut Ariſtoteles ait, naſcuntur ex uſu & hiſtoria rerum, quæ ſcientiæ cuique ſunt ſubjectæ. Dixerit quis, ex ſententiarum tam variarum ſcientia animum legentis planè reddi incertum. Non inficior: ſed primum dubitare de ſingulis non eſt inutile, ut Ariſtoteles ait in Prædicamentis cap. extremo de Relatis. Quem ad locum etiam Ammonius obſervat, in omni quæſtione prius eſſe adferenda, quæ dubios reddant, deinde aliquid ſtatui oportere. Nempe dubitatio ipſa facit, ut veritatem inveniamus, ſicuti eſt in ſecundo τ̀ μετὰ τὰ φυσικά. Atque idem pluribus docet Philoponus in lib. 1 Meteorologicorum. Scitum verò eſt, quod Ammonius in Categorias addit, ne voluiſſe quidem Ariſtotelem, ut in ſua acquieſcamus ſententia, ſed ut inquiramus in eam. Inde quidem cognoſcemus, quid ſtatuere oporteat: & quare ſic oporteat: quandoquidem etiam, cur nihil ſtatuere conveniat: ut in re incerta.

§. 8. *Itaque non unius ſolùm ſectæ ſententiam noſſe convenit: ſed etiam ſciendum, quid alii quoque ſenſerint.*

Hoc in doctore imprimis requiritur, ut Lucianus monet. Eoque Alexander Aphrodiſienſis aliorum etiam ſententias cum Ariſtotelica confert: atque idem Porphyrium feciſſe, auctores ſunt Simplicius & Boëthius.

§. 9. *Nec propterea omnes omnium ſententias coacervare attinet, ſed ἐνδόξους ſolùm.*

Nam Varronis eſt Eumenidibus*.

Poſtremò nemo ægrotus quicquam ſomniat
Tam infandum, quod non aliquis dicat Philoſophus.

* *Apud Nonium in* Infans.

Quare ſolùm congeremus, quæ vel ob dicentis auctoritatem, vel rei ipſius probabilitatem, quippiam ponderis habere, & conturbare aliquem poſſe videantur.

§. 10. *Poſtquam rei hiſtoriam, ac variorum ſententias cognovimus, in accuratam rei notitiam incumbemus: ac primum in Philoſophiâ diſtinguemus hæc tria, παιδείαν, γυμνασίαν, καὶ ἐπιστήμην. Παιδείας nomine intelligo Logicen, & ejus methodos.*

Ita ad παιδείαν pertinet primum caput libri primi phyſices ἀκροάσεως: quo Ariſtoteles exponit, qua methodo, quoque ordine debeat tractari ſcientia naturalis.

§. 11. *Ad γυμνασίαν ſive exercitationem refer diſputationes Topicas.*

Ut illas, quibus paſſim Ariſtoteles utitur in veteribus refellendis: item cùm diſſerit in utramque partem, ut certiùs deinde de rei natura ſtatui poſſit.

§. 12. *Ad ἐπιστήμην ſive ſcientiam pertinent, quæ ſcientiæ ſunt propria: ut ſunt concluſiones per demonſtrationes cognitæ & reſolutionis methodo ad ſua principia ac definitiones accuratas perductæ.*

Cujuſmodi ex Ariſtotele, ac præcipuè lib. VI φυσ. ἀκρ. complexus eſt Proclus, στοιχειώσει de motu, quam duobus libris elegantiſſimè tradidit. Eſtque hæc omnium via & ratio optima, tradendi compendia. Quam & Hieronymus Savonarola in epitome philoſophiæ conatus eſt inire: ſed non ſatis, quod voluit, eſt aſſecutus. Voluntas interea laudem egregiam meretur.

§. 13. *Utile item eſt, ut in philoſopho quoque obſervemus, quam rationem inſiſtat in philoſophando: Uti quod Ariſtoteles priùs refutet aliorum opiniones, quàm propriam exponat: quod priùs φαινόμενα atque hiſtoriam referat, quàm cauſſas inquirat: quod quæſtione propoſitâ, antequam eam ſolvat, aliam inducat, atque ex ejus ſolutione etiam ſolvat priorem: imò & gaudeat multas adferre dubitationes, quas uno & eodem ſolvat reſponſo: quod merâ brevitate contentus interdum ponere minus pronunciatum, omittat majus, atque item concluſionem: quòd etiam in certis & exploratis, quaſi ambigat, gaudeat dicere,* fortaſſe, videtur, *aliaque eiuſmodi: quod nunquam recedat ab evidentiâ & ſenſu communi: & id genus alia.*

Hæc ſimiliaque, ut ſciat Philoſophiæ doctor, poſcit Simplicius. Sed multum etiam adferunt lucis diſcipulis, ſi in legendo Ariſtotele obſerventur.

§. 14. *Etiam Philoſophiæ curandum doctoribus, ut diſciplinas non tam tradant ex libris, quàm ex ſenſibus interioribus.*

Sic ſanè Plato, Ariſtoteles, veterum alii fecêre. Nec alius eſt librorum finis, quàm ſola recordatio; ut Plato monet in Philebo.

§. 15. *Quod ſi ex libris Ariſtotelis Philoſophiam diſcere volumus, non ſolùm legendi eius libri ſyntagmatici, ſed & alii eiuſdem ſcriptoris.*

Contra tamen obtinet in Academiis, ut ſoli prælegantur Syſtematici: quod utcunque ferri poterat, ſi auditores commonerentur, ut librorum cæteros ſtudio proprio ſociarent domi.

§. 16. *Inque libris ſyntagmaticis tria hæc attendemus: ſcopum operis; præcepta eò ſpectantia & ſic diſpoſita, ut alia ex aliis perpetuâ ſerie dependant; & genus dicendi, arti vel ſcientiæ illi conveniens.*

Quæ tria Simplicius obſervat comment. in Categ. Ariſtotelis. Ac duo priora ex doctrinâ de methodo Analytica & Topica cognoſcimus. Tertium ex elocutionis præceptis; quæ maximè conducunt in proœmiis, epilogis, & exhortationibus ad diſciplinas.

§. 17. *Hoc pacto diſtinguemus inter ὑπόθεσιν & ornatum, inter propoſitionem operis, & cæteras concluſiones; inter rationes & argumenta; inter ea quæ petuntur è Logicis, vel primâ philoſophiâ, & inter ſcientiæ propria; inter præcepta, & exempla.*

Optan-

Digitized by Google

Optandum ſit, ut magis ad ea attenderetur. Majore enim cum fructu, & philoſophi, & cæteri legerentur ſcriptores.

§. 18. *Quod ſi obſcurus ſe philoſophi locus obtulerit, videndum, ſitne ex libro germano, an adulterino; &, ſi genuinus, utrum ex acroamatico, in quo plus auctoritatis, an exoterico, in quo minùs: an hypomnematico, in quo minimum ponderis: &, ut ſit ex acroamatico, ecquid ex profeſſo, an obiter dicatur. Quod ſi ſic quoque difficultas permaneat, non de eo nimis anxiè laborandum, dummodo conſtet, quid de re totâ ſit ſentiendum.*

Sanè inter cauſſas cur antiquis temporibus tanti evaſerint Philoſophi, ea quoque eſt, quòd non tam de mente ſcriptoris ſolliciti forent, quàm de intimis philoſophiæ ſenſibus. Nec enim è libris philoſophiam hauriebant, ſed quæ viva voce didiciſſent, memoria complectebantur. Veterum exemplum poſt multa ſæcula revocare voluit Alypius, inſignis dialecticus, ac philoſophus, *cujus* (ut Eunapius ait) ἡ παίδευσις ἦν μέχρι συνουσίας μόνης, βιβλίον δὲ προύφερεν οὐδείς. *Inſtitutio ſe continebat intra ſermonem colloquiaque privata, librum autem nemo proferebat.* Sed etſi hic modus proficiendi, quo ſolùm de re laboratur, ſit præſtabilior, habet tamen & alter ſua commoda, ob ingenii noſtri ac memoriæ imbecillitatem. Atque ideo, recordationis gratia, libris committuntur diſciplinæ: ut Plato ait in Phædro. Optimum igitur ſi vivos magiſtros jungere liceat mortuis, veteres novis: nec tamen ullius ſcriptoris locis nobis crucem figi ſinamus, modò ſciamus, non dico, quod Philoſophus dicit, ſed quod Philoſophia docet. Præſertim cùm multa à librariis peccentur, ipſi etiam ſcriptores quandoque dormitent, atque adeò ſibi ipſis contradicant.

§. 19. *Ad ſolidam Philoſophiæ naturalis notitiam pauciſſimi pertingunt, non modò ob ejus obſcuritatem, ſed aliis etiam de cauſſis.*

Negligunt enim hiſtoriam naturalem, quæ fundamentum eſt ſcientiæ naturalis. Deinde ignorant Mathelin, quæ præſtat ut meliùs cauſſas perſpiciamus, & effectus producamus. Præterea cogitata nimis avellunt ab experientia, & rebus particularibus; malunt nimirum verſari in generalibus, tanquam in campis liberis. Adhæc non diſcunt placita veterum Philoſophorum, ſed in unum jurant Ariſtotelem, cùm multa benè dixerint priores, quæ ſi Ammonio credimus, non optima fide Ariſtoteles refert. Imò nec magiſtro quidem Ariſtoteli jungunt diſcipulum Theophraſtum, qui tamen in nonnullis ab Ariſtotele diſſenſit. Nec leguntur veteres Ariſtotelis interpretes, ne quidem antiquiſſimus omnium Alexander Aphrodiſienſis, quo non alter Ariſtotelem vel meliùs intellexit, vel ſtudioſiùs defendit. Denique non diſtinguunt inter problemata & dogmata; cùm quædam adhuc incerta ſint, eoque non debeant definiri. Tam enim peccat, qui ſtatuit de incertis, quamdiu ſunt hujuſmodi; quàm qui in dubium rurſum vocat, quæ indagatione multa deſierunt eſſe incerta.

Cap. IV.

§. 1. *Hæc de Philoſophiâ universè: nunc de ejus diviſione, & partium partibus agamus.*

Quam ad rem ſine dubio plurimum profuiſſet liber Adraſti Aphrodiſienſis, vetuſtiſſimi Peripatetici, de ordine librorum Ariſtotelis. Sed quia is periit, ex Ariſtotele ipſo, & veterum interpretum aliis, verum ordinem librorum Ariſtotelis, ac partium omnium Philoſophiæ indagabimus.

§. 2. *Partes Philoſophiæ ſunt duæ. Vna* φυσική, *ſive naturalis, quæ ſtrictè ſapientia dicitur, altera* πρακτική, *ſive activa, quæ prudentia vocatur.*

Eas partes tum fine ajunt differre, tum objecto. Fine, quia cùm Philoſophia ſit animæ medicina, & animæ vires ſint duplices, cognitionis altera, altera appetitus, priori medeatur φυσική alteri πρακτική: quia illius finis ſit ſcientia, hujus actio. Verùm non omnis φυσική eſt θεωρητική, ſed quædam ποιητική, ut inferiùs dicemus. De objecto autem planè aſſentio. Illa enim eſt de rebus neceſſariis, hæc de contingentibus: ſive illa de divinis, hæc de humanis: unde Strabo initio Geographicorum ait, Philoſophiam eſſe ὃ τὰ θεῖα, καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἐπιβλέποντος, *ejus, qui divina ac humana conſiderat.* Et apertiùs Marius Victorius lib. 1. Rhet. Cic. PLENA *Philoſophia eſt, quæ conſtat ex duabus, Phyſicâ & Ethicâ. Phyſica eſt, quæ de divinis agit, Ethica quæ de humanis diſſerit.* Ubi Phyſicorum nomine etiam Metaphyſica, ac Ethicis itidem Politica continentur. Veteres quoque Critici, qui omnem philoſophiam ab Homero dimanaſſe credebant, diviſionem hanc ex eo Poëtæ loco deſumptam putant; ubi Diomedi h. e. Philſopho, Pallas ſive Sapientia, omnem caliginem quæ mortales hebetat viſus, ita abſterget, ut Deos atque homines noſcat, ait enim Homerus*.

Ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν·
Ὄφρ' εὖ γινώσκοις ἠμὲν θεὸν, ἠδὲ καὶ ἄνδρα.
Caliginem verò tibi ab oculis abſtuli, quæ priùs inerat,
Vt benè dignoſcas tum Deum, tum etiam hominem.

* *Iliad E. v. 127.*

Nempe per Deum intelligunt res neceſſarias, h. e. quæ vel ſemper ſunt, non autem fiunt; vel quidem fiunt, ſed à natura, non à nobis. Quæ conſiderat θεωρητική. Per homines ſignant res contingentes activas, h. e., quæ fiunt à nobis & agi dicuntur, non effici. Quæ pertinent ad πρακτικήν. Nam ut in VI. Nicomachiorum docetur, aliud eſt πρᾶξις, ſive actio, quam dirigit φρόνησις, ſive prudentia; aliud ποίησις, ſive effectio, circa quam verſatur ἡ τέχνη, ſive ars. Artes autem ad Phyſicen reducuntur, ut poſtea oſtendemus.

§. 3. *Præſtabilior diviniorque harum Philoſophiæ partium creditur* φυσική, *quia quod propter ſe eſt, præſtat ei, quod propter aliud eſt.*

Eſt hæc ſententia Ariſtotelis, ut videre eſt lib. X. Nicom. & VII. Polit. & VI. Ethicorum, ubi ſapientiam prudentiæ præfert. Cenſet idem theoreticas diſciplinas magis eſſe honorabiles, practicas magis laudabiles: idque quia illæ diſcuntur propter ſe, hæ propter aliud: fines autem ſint honorandi: at quæ ad finem referuntur, magis laudes mereantur.

§. 4. *Etiam Naturalis philoſophia antiquior eſt Morali.*

Itaque primò naturæ indagatio dicebatur σοφία: pro quâ, ut ſuperius quoque tangebamus, φιλοσοφία poni cœpit, poſtquam Pythagoras Leonti Phliaſiorum tyranno, ſe non σοφὸν, quod arrogantius, ſed φιλόσοφον eſſe reſpondit. Unde poſtea eos dixere Philoſophari, qui rerum naturalium latentes cauſſas ſcrutarentur: Philoſophiam autem, indagationem rerum obſcurarum & remotarum à vulgi notitiâ. Indicat hoc ipſum Ariſtoteles, cùm admirationem ſcribit eſſe cauſſam Philoſophiæ: quæ profectò admiratio unde, præterquam ex cauſſarum naturalium ignorantiâ, profecta eſt?

§. 5. *Vtraque hæc Philoſophia, non à Philoſophis modò, ſed etiam à Poëtis docetur. Tam latè enim patet Poëſis, quàm Philoſophia: quia ut Philoſophia vel naturam docet, vel vitam format; ita Poëſis fabulis fictis vel naturæ arcana involvit, vel vitæ tum privatæ tum publicæ rationem tradit.*

Itaque Poëſis Straboni vocatur prima quædam Philoſophia. Nec Horatius dubitat dicere, moralem ac civilem vitam meliùs ab Homero doceri, quàm Crantore, & Chryſippo. Sanè Poëtas eſſe morum & vitæ magiſtros, non modò Pythagoricorum, ſed etiam Ariſtoxeni Muſici ſententia fuit: Imò Plato ipſe moriens Sophronis mimos habuit capiti ſubjectos. Nec differt Poëſis ab Hiſtoria, vel Philoſophia, niſi quod Philoſophia doceat præceptis, Hiſtoria exemplis veris, Poëſis fictis. Quippe naſcitur Poëſis ex imitatione actionum, ſive vilium, ut in Comœdiâ & Satyris; ſive præſtantium, ut in Epicis & Tragœdia. Quæ omnia fuſiùs proſequimur libro de re Poëtica.

§.6. *Ordine doctrinæ Philoſophia Naturalis prior eſt Morali. Nam ut ſcientia naturalis incertior & difficilior eſt Matheſi, quia ab incertâ ſenſuum cognitione dependet; ita eſt facilior, quàm Philoſophia activa, quia naturæ ſcientia præter demonſtrationem nihil requirit; activæ autem philoſophiæ eſt judicare, de quibusvis actibus vitæ humanæ, tam publicæ quàm privatæ: quam ad rem longiori eſt opus uſu & experientiâ. Præterea Ethica docet colere virtutem: adoleſcentes autem, ob affectus vehementes quibus æſtuant, vix poſſunt eſſe idonei auditores Philoſophiæ Moralis.*

Nititur his argumentis Ariſtoteles initio Nicomachiorum: præter quem, à naturali Philoſophia eſſe auſpicandum Panætius & Poſidonius ſenſere: item Boëthius Sidonius, ut teſtis eſt Ammonius. Mens eadem Sexti Empirici: ſed cauſſa quam adfert parum idonea videtur. Eò enim jubet præmitti, quia antiquior eſt. Quod argumentum ſi validum eſſet prius Chirurgia quàm Medicina diſci deberet. Nec multo validius illi, qui eo probant præmittendam Phyſicen, quia ut virtutum vitiorumque doctrina intelligatur, priùs ſcire oporteat naturam animæ & ejus facultatum: quæ in Phyſicis exponitur. Sed hæc ratio eò minoris eſt momenti, quia in Ethicis ab Ariſtotele ipſo doctrina animæ ὡς ἐν τύπῳ doctrinæ virtutum & vitiorum præmittitur. Quod nihil fieri opus eſſet, ſi omnes Ethicen olim ante Phyſicen didiciſſent. Sed adverſatur nobis Diogenes Apolloniota; is enim, ut docet Laërtius in Zenone, à Philoſophia morali incipere jubebat, quia, qui virtute eſt inſtructus, rectius judicium de veritate feret. Sed Ammonius, & Simplicius rectè reſpondent, neutiquam ad hoc opus eſſe, ut quis omnium demonſtrationes, quatenus patitur argumentum, ex Philoſophia morali didicerit; ſed ſufficere, ſi ex aureis Pythagoræ verſibus, aut carmine Theognidis, vel ſimili parænesi hauſerit virtutis præcepta.

§.7. *Phyſices autem nomine nunc laxiùs utor: ut complectatur, tum partem univerſalem, quæ verſatur circa ens, quà ens; tum particulares duas, quæ de ſpecie entis agunt: unam de corpore naturali, alteram de ſubſtantiis incorporeis. Scientia entis, quà ens, dicitur prima philoſophia.*

Sic vocat Ariſtoteles ipſe lib. IV. Metaph. text. V. & lib. VI. text. III. Quemadmodum autem Metaphyſicen his locis vocat πρώτην φιλοσοφίαν, ita Phyſicen lib. III. cap. III. & lib. VI. cap. XI. vocat δευτέραν φιλοσοφίαν.

§.8. *Quod ad ordinem primæ philoſophiæ, & duarum particularium ſcientiarum: prius agendum videtur de ente ἁπλῶς, quod ab Ariſtotele fit prioribus Metaphyſicorum libris; deinde videndum de corpore naturali, de quo in Phyſicis; denique accedendum ad conſiderationem Dei, & intelligentiarum, de quibus in poſteriori parte Metaphyſicorum. Priùs agendum eſſe de ente univerſali, nempe mox poſt Logicen, eo probatur, quia hæc Metaphyſicorum pars tradit omnium artium & ſcientiarum principia: neque Phyſice, vel reliqua Philoſophia, intelligi poſſint, niſi perfectè cognoverimus, quid ſint actus, potentia, per ſe, per accidens, & alia, quæ decem primis Metaph. libris exponuntur. In doctrinâ autem entis particulari, Phyſice præmittenda illi Metaphyſ. parti, quæ eſt de Deo & intelligentiis. Quantò enim prima, h. e. divina natura ſunt naturâ præſtantiores, tantò etiam difficiliùs intelliguntur.*

Dixerit aliquis, ita partes Metaphyſices divelli, ſi inter eas Phyſice interſeratur media. Sed quibus hoc abſurdum videtur, non attendunt, poſteriorem Metaphyſices partem, eſſe particularem, ut quæ agat de ſolo ente immateriali: priorem autem agere de quovis ente, omniumque artium ac ſcientiarum principia tradere; ut ipſe Ariſtoteles agnoſcit in primo de Demonſtratione. Ita Ammonius in Porphyrium principia Geometriæ ſtabilit ex Metaphyſicis. Unde colligimus, duas eſſe ſcientias: quod verò Ariſtoteles eas conjunxerit, id ex eo eſt, quia non ita multa videntur, quæ de Deo & intelligentiis naturâ cognoſcimus, ut diſtincta idcirco ſcientia conſtitui deberet. Adde quòd Ariſtoteles in Metaphyſicis ſylvam ejus ſcientiæ congeſſit, non autem eo judicio digeſſit, quo alios libros; quam curam poſteris reliquit. Unde fortaſsè eſt, quod Plutarchus in Alexandro cenſeat, ita ſcripſiſſe Metaphyſica, ut inde nec doceri, nec diſci poſſit; ſed ſpecimen ſolùm reliquerit, unde aliquid accuratiùs elaboraret poſteritas. Et ſanè Theophraſtus, in eo fragmento, quod ſupereſt, videtur partes illas Metaphyſices ſeparaſſe: & Paſicrates ultimo cap. fragmenti de Sapientiâ, videtur omittere partem priorem, quæ eſt de principiis omnium artium, ſolumque agere de principiis rerum. Nam ait, primò videndum quid ſit natura, ſimiliterque orditur ac Ariſtoteles initio lib. XII. Solus Nicolaus Damaſcenus non diſtinguit duas illas partes: ſed propterea reprehenditur ab Alexandro, Averroë, & Peripateticorum aliis.

§.9. *Huncce igitur ordinem ſecuti, primò videamus de univerſali ſcientiâ, quam primam philoſophiam vocari diximus. Eſſe hujuſmodi aliquam ſcientiam eò comprobatur, quia quicquid ſcitur, ad aliquam pertinet ſcientiam. Scitur autem ens, ut ens. Deinde quicquid ad ſcientiam pertinet, vel ad generalem refertur ſcientiam, vel ſpecialem. Entis quà ens doctrina non eſt ſpecialis ſcientia, cùm æqualiter ea ad omnes pertineat particulares ſcientias: quale quod eſt, non in ſingulis ſcientiis debet repeti, ſed in univerſali unâ univerſè debet explicari. Eſt igitur univerſalis quædam ſcientia, cujus ſit entis ſpecies & affectiones explicare. Exponitur ea ab Ariſtotele primis X Metaphyſicorum libris. Sed liber Metaphyſicorum ſecundus, qui Græcis minus Alpha vocatur, creditur Paſicratem habere auctorem.*

Hanc aliquorum de auctore fuiſſe opinionem refert Joannes Philoponus ἐν ταῖς παρεκβολαῖς in libros Metaph. Fuit is Paſicrates inter diſcipulos Ariſtotelis.

§.10. *Hujus ſcientiæ utilitas ſumma eſt ad accuratè ſcientias cæteras, ac Naturalem præcipuè noſcendam; cùm genere ignorato, ſpecies intelligi nequeant.*

Aliter tamen videtur ſentire Plutarchus in Alexandro, ubi ſic ſcribit; ἀληθῶς γὰρ ἡ μετὰ τὰ φυσικὰ πραγματεία πρὸς διδασκαλίαν καὶ μάθησιν οὐδὲν ἔχουσα χρήσιμον ὑπόδειγμα τοῖς πεπαιδευμένοις ἀπ᾽ ἀρχῆς γέγραπται. Quæ ad verbum ſonant, *Reverà enim commentarius ille, qui μετὰ τὰ φυσικὰ dicitur, ad docendum vel diſcendum nihil utilitatis adfert; ac ſolùm ſcriptus eſt, ut ſit eruditis ſpecimen.* Sed locus iſte difficultate non caret, ut oſtendunt, quæ ad eum Xylander annotavit. Sed quicquid eſt de Plutarchi mente, certum eſt ante cæteras diſciplinas, præter ſermonis & dicendi diſciplinam, ſcire opus eſſe Logicen & Metaphyſicen: illam, quia definire, dividere, argumentari, & ordinare docet;

docet: hanc, quia generatim agit de omni ente, ac ſpecialia ex generalibus dependent. Quas duas diſciplinas qui didicerit, is etiam ex mutis magiſtris artes ac ſcientias diſcet: meliùs tamen ſi viva boni doctoris vox acceſſerit.

§. 11. *Nec modò in univerſâ Philoſophiâ ſummus eſt prima philoſophia uſus, ſed etiam in Theologia ſcholaſtica.*

Quæ ſine illa planè nequit intelligi.

§. 12. *Prima philoſophia eſt bipartita; una pars eſt de ſpeciebus entis, unde de Categoriis tractat: altera eſt de entis affectionibus, ut ſunt tranſcendentia, unum, verum, bonum.*

CAP. V.

DE PHYSICE SPECVLATIVA.

§. 1. *Atque hæc dicta ſunto de Phyſice univerſali, ſive primâ philoſophiâ. Sequitur Phyſice particularis, ſive philoſophia* θεωρητική, *occupata non circa quamlibet ſubſtantiam, ſed certum ejus genus. Hæc Phyſice particularis eſt partim de corpore naturali, quæ ſtrictè* φυσικὴ *nominatur: partim de Deo & intelligentiis; quæ Metaphyſica accenſetur.*

MAtheſin eò præterimus, quia Philoſophiæ ancillatur. Eoque non pars eſt Philoſophiæ, ſed ad præparantes diſciplinas pertinet. Atque hinc liquet mens Ariſtotelis, cùm IV Metaph. ait, partes tot eſſe philoſophiæ, quot ſunt partes ſubſtantiæ. Nam ſubſtantia vel prima eſt, ſive incorporea, ut Deus; vel ſecunda, ſive corporea, ut corpus naturale. Philoſophiæ igitur nomine non comprehendit Ariſtoteles παντελῶς, ſed ſolùm eas ſcientias, quæ conſiderant ſubſtantiam. Ut Metaphyſicen, & Phyſicen. Mathematicen addit Ptolemæus initio μαθηματικῆς συντάξεως: item Ammonius proœmio in Porphyrii Introductionem: ut taceam de Pachymerio, & aliis nonnullis. Sed eam Ariſtoteles non hìc tantùm, verùm alibi etiam è Philoſophia excludit: ut lib. XII Metaph. Ubi Aſtrologiam ait propiùs accedere ad Philoſophiam, quia ſolà agat de ſubſtantiâ. Itidem Alexander Aphrodiſienſis, qui comm. in lib. I Anal. Prior. Philoſophiam ait eſſe ſcientiam divinorum, & eorum quæ naturâ fiunt, vel conſtant. Ubi itidem haberi Mathematices rationem videmus. Atque eadem mens Tullii, Senecæ, Galeni, aliorum. Vulgò objiciunt locum è lib. VI Metaph. ubi tres Philoſophiæ partes facit, Phyſicen, Mathematicen, & Metaphyſicen. Sed occurrit Alexander, pro *philoſophia reponendo diſciplinam*; ut mens ſit philoſophi, tres eſſe diſciplinas ſpeculativas, Phyſicen, Matheſin, & primam philoſophiam.

§. 2. *Nata eſt Scientia Naturalis partim ex naturalibus exemplis, vel præter naturam evenientibus, ut ſunt prodigia, & monſtra: partim ex iis quæ ex arte contingunt, ut Mechanica. Exemplorum iſtiuſmodi alia quidem caſu oblata, alia ſunt exercitatione ſive ſollicitudine circa rem unam reperta.*

Quæritur, quot experimenta ſingularia requirantur ad experientiam generalem? Sed hoc difficile eſt dictu. Multa dixerit aliquis. Sed quid multa vocent, itidem obſcurum eſt. Num ſena? an dena? an centena? Nimirum prope ſimile eſt, ac cùm quæritur, num regio quæque proferat omnia neceſſaria ad victum & morborum curationes. Num definire oporteat limites regionis. Utrum ſignant limites imperii? At hi nunc exigui, nunc maximi. Num naturæ? at inſulæ aliæ minutæ, aliæ ingentes: in continente quoque limites montium & fluviorum, nunc propè ſunt, nunc longiſſimè diſtant. Itaque ad hujuſmodi quæſtionem docti difficulter reſpondent, indocti facilè, quia naturam quæſtionis non intelligunt.

§. 3. *Exemplorum collectio conſtituit hiſtoriam naturæ: quæ præparat ad ſcientiam naturæ. Etſi verò Hiſtoria propriè ſit individuorum, quæ circumſcribuntur loco ac tempore: Naturalis tamen hiſtoria non ſolùm individua, ſed etiam ſpecies conſiderat.*

Circa individuum occupatur, ſi unicum ſit ſpeciei individuum, ut Sol, Luna, Heſperus. Item ſi individuum aliquod longè à reliquis receſſerit; ut fit in monſtris, ac prodigiis. Sed circa ſpecies verſatur, quando agit de ſtellis, cometis, ferro, quercu, leone, & ſimilibus. Ut de his quoque agat Hiſtoria naturalis, fit ob ſimilitudinem ſummam. Ita ut hic locum habeat, quod in re aliâ ait Comicus, *unam noris, omnes noris.*

§. 4. *Nec eò diſciplinæ confunduntur, quia tam Hiſtoria quàm Scientia naturalis ſpecies conſiderat. Nam Hiſtoria τὸ ὅτι narrat: Scientia cauſſam exponit, eoque longè eſt præſtantior Hiſtoria. Nam qui rationem omittunt, potiùs dicunt, quàm docent.*

Hiſtoria naturalis refert, quæcunque in naturâ multis ſeculis obſervata ſunt; ſive in cæleſtibus, ſive in meteoris, ſive globo terræ & aquæ, ſive ſpeciebus foſſilium, animalium & plantarum. Præcipuus verò ejus finis, atque uſus eſt, ut materiem ſuppeditet ad condendam Philoſophiam naturalem. A quâ differt eo, quòd Hiſtoria naturalis ſolius eſt experientiæ, quæ ſenſu percepta refert: Philoſophia ſit opus ingenii, quòd rationes ſcrutatur, atque invenit. Atque ex hiſce liquet, cur Ariſtoteles libros ſuos inſcripſerit Hiſtoriam Animalium. Theophraſtus Hiſtoriam Plantarum, Plinius quoque Hiſtoriam Naturalem: qui & hoc ipſe indicat lib. XI, cap. III: *Nobis*, inquit, *propoſitum eſt naturas rerum manifeſtas indicare, non cauſſas indicare dubias.* Hoſce Naturalis Hiſtoriæ libros Cardanus vocabat aſininos. Sed quòd ſic de *libris doctiſſimi viri nunquam ſatis laudati* loqueretur, meritò reprehenditur à Cæſare Scaligero ad Cardanum exercit. CLIII, ſect. II.

§. 5. *Hiſtoria hæc vel eſt naturæ liberæ, & juxta conſuetum ordinem agentis; ut in cæleſtibus, item in communi generatione hominis: vel eſt naturæ impeditæ, ut in monſtris, quæ à curſu ordinario deflectunt; vel naturæ factitiæ, ſive opera humana novatæ; ut in artificialibus. Quæ & ipſa ad naturam pertinent, cùm naturalia & artificialia non eſſentia differant, ſed efficiente.*

Nam nihil refert utrum natura an homo activa applicet paſſivis, dummodo idem ſit effectus. Quomodo tam aurum eſt purum, quod ab homine igni excoquitur, quàm quod à ſole excoctum interdum in arenis invenitur. Proinde hiſtoria vel ſpeculativa eſt, ut eclipſium & monſtrorum: vel operativa, ut illa de experimentis medicis, ac mechanicis. Intellige autem ſolam operativam empiricam, quæ cauſſas omittit; nam iis additis, ad Philoſophiam pertinebit.

§. 6. *Præcipuè verò Phyſici eſt exponere cauſſam conſecutionis, quæ eſt è neceſſitate materiæ: nam cauſſa finalis, ſive utilitas conſequens, intentionem Dei reſpicit; eoque eſt ſublimioris conſiderationis.*

Democritus, & plerique alii veterum (in his Epicurus) cauſſam adferunt materialem. Plato, & Ariſtoteles ſæpè finalem. Nempe quando exitum aliter non reperiunt, recurrunt ad hanc cauſſam, quæ potiùs reſpicit Deum & providentiam. Quare Democritus, utcunque eum Ari-

ſtoteles culpet, magis munia implet Philoſophi naturalis. Attamen conſideratio cauſſæ finalis magis nos ad divinam ducit providentiam. Sed eam Ariſtoteles obſcurat, cùm Naturam pro Deo ſubſtituit. Impiè tamen Democritus, & Epicurus, quòd finalem negant. Nam abſque Mente coaluiſſe hanc mundi machinam, & abſque eâdem conſervari putant.

§. 7. *Primus Phyſica ſcripſit Alcmaon Crotoniata.*

* P. 133. v. 11. Auctor Clemens Alexandrinus lib. 1 Στρωμ.*

§. 8. *Cynici Phyſicen averſabantur.*

Solam enim Moralem philoſophiam curabant. Quodque Socratem alii dixiſſe ajunt, cùm à naturalibus homines ad moralia avocaret, id Diocles Diogeni Cynico adſcribit: nempe illud;

Δεῖ ζητεῖν,
Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.
Quærere oportet,
Quid domibus noſtris rective malive geratur.

§. 9. *Sed Naturæ hic liber longè eſt utiliſſimus. Ac primùm ad pietatem, quia viam docet ad agnoſcendum Deum, ejuſque potentiam, ſapientiam, ac bonitatem.*

Potentiam, quia omnia fecit ex nihilo, quod omnem vim creatam exſuperat. Sapientiam, quia tam pulcra omnia fecerit, tam pulcro etiam ordine diſpoſuerit; unde Græcis κόσμος, Latinis *mundus* vocatur: ut eſt apud Cic. de Univerſitate, & Plinium lib. 1 Nat. Hiſt. cap. IV. Plato propterea vocabat καλλίεργον, ut obſervat Philo lib. de Mundo. Denique & Bonitatem Dei agnoſcimus, quia fecerit omnia propter nos.

§. 10. *Deinde conducit ad præſidium hujus vitæ: ut in Medicina, Agricultura, & cæteris artibus.*

Ad Medicinam conducit, quia principia ejus tradit. Mechanicis etiam conducit, quia artis cujuſque materiam, ſubjectum, principiaque materiæ & affectiones exponit. Ob duplicem hunc fructum mundus liber olim erat Antonii Eremitæ: qui ſic de eo Philoſophis ajebat. *Eſt enim unicus liber, qui tribus foliis totidemque conſtat literis. Liber, Mundus eſt: Folia ſunt Cælum, Terra, Aqua: Literæ ſunt illorum domiciliorum incolæ: Stellæ & Aves in cælo: in Terra Animalia, in quibus excellit Homo: in Aqua, Piſces. Hunc librum noctes & dies volvo, adeoque horas meas, & jucundas, & fructuoſas reddo.* Dixerit aliquis, ut ut magnam afferat utilitatem cognitio ſcientiæ naturalis, tamen & multum nocere, præſertim doctrinam de venenis: quæ res Galenum impulit, ut in ſecundo de Antidotis diceret, pravi eſſe hominis, ac improbi, de iis ſcribere. Nempe quia ſcriptorum hujuſmodi lectione magis inſtruantur mali, quàm juventur probi. Quippe ſemper plures ſunt mali: &, ut Plinius ait, qui narrat, docet. Sed enim bellè iſta dicerentur, ſi iſta diſcerent probi, ut nocerent. Nunc alius longè finis, uſus alius, iſque maximus. Quantò igitur major numerus eſt malorum, tantò magis hoc agendum eſt probis, ut tum venena, tum antidota habeant perſpecta.

§. 11. *Scientia naturalis hoc loco à nobis attenditur quatenus vel ſpeculativa, vel operativa. Speculativæ partes ſunt ſeptem.*

Quarum ſex enumerat Ariſtoteles initio Meteorologicôn. Nempe ſolam omittit quintam: quæ eſt de metallis & foſſilibus, ut poſtea videbimus.

§. 12. *Prima harum eſt de iis, quæ communia ſunt omnium corporum naturalium: & ab Ariſtotele octo libris φυσικῆς ἀκροάσεως explicatur.*

In eos eruditè ſcripſit Simplicius. Cujus commentarii & in hos & alios Ariſtotelis de ſcientiâ naturali libros, eò majoris fieri à nobis debent, quia inſeruiſſe iis videtur omnes Eudemi libros Phyſicos: uti & multa Stratonis, qui Theophraſto ſucceſſit, ſed ab Ariſtotele in pluſculis receſſit. Etiam in octo libros φυσικῆς ἀκροάσεως commentarios reliquit Michaël Pſellus. Latinè hos vertit Joannes Baptiſta Camotius, ac Cardinali Gonzagæ dicavit. Ait Geſnerus Græcè fuiſſe in bibliotheca Didaci Hurtadi, Cæſarei ad Venetos legati. Viennæ eſſe in bibliotheca Cæſaris, refert Andreas Schottus præfatione in Canticum Canticorum.

§. 13. *Dividitur hæc pars communis in duas alias, quarum prior eſt de principiis corporum omnium communibus, altera de communibus affectionibus. De principiis univerſalibus tractat Ariſtoteles duobus libris prioribus: quorum primus eſt de principiis generationis, alter verò de principiis cognitionis.*

Quàm varient Philoſophi ſuper principiis, ex quibus res fiant, ſatis docet primus φυσικῆς ἀκροάσεως. Quare ſolùm apponam locum Clementis, ut vulgo dicitur, Romani, ex octavo Recognitionum * libro, ſi non ob aliud, * Fol. 83. edit. Parif. Sermi.
ſaltem ut hic emendatius, quàm in vulgatis codd. legatur: *Pythagoras elementa principiorum numeros eſſe dicit; Calliſtratus qualitates; Alcmaon contrarietates; Anaximandrus immenſitatem; Anaxagoras æqualitates partium; Epicurus atomos; Diodorus ἀμερῆ, hoc eſt, ex quibus partes non ſunt; Aſclepias ὄγκους, quod nos tumores vel elationes; Geometræ fines; Democritus ideas; Thales aquam; Parmenides terram; Plato ignem, aquam, aërem, terram; Ariſtoteles etiam quintum elementum, quod ἀκατονόμαστον, id eſt incompellabile nominavit.*

§. 14. *De communibus affectionibus tractat Ariſtoteles ſex poſterioribus acroamaticis.*

Ut de motu & quiete, finito & infinito, loco & vacuo, tempore, continuo, aliis. Præter Simplicium de quo dictum, ad doctrinam de Vacuo etiam proderunt Heronis Mathematica.

§. 15. *Altera pars eſt de corporibus ſimplicibus, nempe libri IV de Cælo: quorum priores duo ſunt de Cælo, poſteriores duo de elementis.*

Iccirco Alexander putabat, quatuor hos libro de Mundo inſcribi oportere. Verùm non univerſè agitur de mundo, ſed tantummodo de corporibus ſimplicibus. Syrianus exiſtimat tantùm de cælo agi; nam quæ de elementis habet, afferri ob doctrinam de cælo, ut appareat non ejuſdem naturæ cælum eſſe & elementa, ſed habere cælum naturam planè diverſam. Quod ſi verum eſſet, παρέργως ſolùm de elementis ſic ageretur. Quod falſum. Cælum eſſe diverſæ ab elementis naturæ, primus docuit Ariſtoteles. Simplicius tamen exiſtimat, eandem fuiſſe ſententiam Platonis: atque hoc conatur probare ex Xenocrate, qui Platoni poſt Speuſippum ſucceſſit, deque vitâ Platonis librum reliquit, in quo retulit, cælum diſcrepare naturâ ab elementis, habereque figuram dodecahedron, quæ ab elementorum figurâ differat. Sed cùm hoc de figurâ ſymbolicum ſit, non tam ex eo de Platonis mente ſtatuendum, quàm iſto, quòd in Timæo apertè docet, cælos naturâ ſuâ eſſe diſſolubiles, ac ſolùm divinâ voluntate moveri, quò minùs diſſolvantur. Et videtur ea ſententia magis conſentanea ſacris literis. De quo alibi dicemus. Etiam philoſophi alii poſtea Ariſtotelem impugnarunt. Inter quos Xenarchus, fortè ille Peripateticus, quem à ſe auditum ait Strabo. Sed argumentis ejus acutè occurrit Alexander. De cælo etiam ſcri-

ſcripſerat Theophraſtus: quorum librorum meminit Proclus in Timæo. Idem ſcripſerat de elementorum proprietate: cujus operis mentio apud Simplicium. Utrumque opus ſi exſtaret, multa Ariſtotelis loca collatione illorum illuſtrarentur. Sed benè eſt, quod Simplicium in quatuor de cælo libros habemus. Etiam libris prioribus de cælo lucem adferent Achilles Statius, Cleomedes, Ptolemæus, & Procli hypotypoſis Aſtronomica.

§. 16. *Multi arbitrantur ante vel proximè poſt libros de Cælo collocari debere librum de Mundo. Sed liber is non eſt Ariſtotelis; nec ſi eſſet, locus ei inter acroamaticos deberetur.*

Conſiderantur elementa bifariam, ut ſunt partes mundi, & ut ſunt principia mixtorum. Priori modo pro differentiâ formam conſtituente, gravitas & levitas cenſentur ab Averroë.* Poſteriori ratione pro eâ quatuor primæ qualitates habentur ab Alexandro, Ammonio, Philopono, Simplicio. Pervulgatum autem pro quadruplici tum gravitatis & levitatis; tum primarum qualitatum συζυγίᾳ quatuor colligi elementa. Nam elementum vel grave eſt vel leve: utraque hæc qualitas vel ſumma eſt vel remiſſa, ſive ſolùm comparatione alterius elementi. Summa levitas ignis; comparatè levis aër: ſumma terræ gravitas, comparatè gravis aqua. Item ſi calor acceſſerit ſiccitati, fit ignis: ſi humori, eſt aër. Sin frigus ſocietur humori, fit aqua: ſi ſiccitati, terra.

* *In 4 de cælo, comment. 1. & 24.*

§. 17. *Tertia Phyſices pars generatim tractat de corpore mixto. De quo Ariſtoteles libro de Generatione & corruptione.*

Cum eo confer Alexandri fragmentum de mixtione. Epitomen eorum Ariſtotelis librorum fecit Michael Pſellus: quæ eſt Viennæ in bibliotheca Cæſaris.

§. 18. *Quarta pars ſpeciatim agit de imperfectè mixtis, ſive ea μετάρσια, ſeu μετέωρα lubet appellare.*

Nam differre duo illa indicat Achilles Statius his verbis: τὰ μὲν μετέωρα ἐν οὐρανῷ, καὶ αἰθέρι ἐστίν, ὡς ἥλιος καὶ τὰ λοιπὰ, καὶ οὐρανὸς καὶ αἰθήρ· μετάρσια δὲ τὰ μεταξὺ τοῦ ἀέρος καὶ τῆς γῆς, οἷον ἄνεμοι, νεφέλαι, ὄμβροι, ἀστραπαί. Ariſtoteles tamen hoc diſcrimen neglexit: ut qui librum, quo de illis, quæ in aëre gignuntur, tractat, non περὶ μεταρσίων, ſed περὶ μετεώρων inſcripſerit. Nec eò Achilles minùs commodè. Nam & Strabo lib. 1. doctrinam de cæleſtibus vocat μετεωρολογικὴν πραγματείαν. Ac Proclus in Euclidem ſimiliter ſic priorem Aſtrologiæ partem nuncupat.

§. 19. *De Meteoris egit Ariſtoteles libris tribus, idque ſatis accuratè.*

Etſi de primo, utrum ſit Ariſtotelis, olim fuerit dubitatum; ut ex Olympiodoro ſcimus; Proclus tamen in commentario Timæi ait, Platonem fuiſſe contentum explicare meteororum principia; Ariſtotelem autem progreſſum ultra, quam decet, dum ad minutias quasque relabitur. Sed minuta non ſunt, quæ Ariſtoteles de meteoris docet; & ut de minutiis quibuſdam tractaret, tamen non indigna eſſent conſideratione Philoſophi: quia in rebus naturalibus etiam abjectiſſimis latet admirabile quid & divinum, quemadmodum eſt apud Ariſtotelem lib. primo de partibus animal. Utinam cum Ariſtotelis Meteorologicis conferre liceret Theophraſti librum, quem de meteoris ſcripſiſſe auctor eſt Plutarchus. Interea ad eos libros intelligendos utamur Ariſtotelis libro de Nilo, & geminâ ſectione problematum: item Theophraſti libro de ventis. Adhæc Senecæ quæſtionibus Naturalibus, & iis, quæ de hoc argumento Plinius ſcripſit. Compendium doctrinæ Peripateticæ de Meteoris ſcripſit Michaël Pſellus. Exſtat Viennæ in Cæſaris bibliotheca.

§. 20. *Quinta pars aggreditur perfectè mixta: quæ cùm duplicia ſint, inanima, & animata; hæc quinta de inanimis tractat; hoc eſt de lapidibus & metallis.*

Nec ignoro Cardanum putare, lapidibus etiam & metallis animam ac vitam ineſſe. Verum ſi auctoritate agendum, obducimus Ariſtotelem, qui lib. 1. Magn. Moral. cap. v. ait: τοὺς λίθους ὁρῶμεν ἀδυνάτους τρέφεσθαι ὄντας: *Lapides videmus non eſſe idoneos ad hoc, ut nutriantur:* atque inde concludit, nutritionem eſſe propriam eorum, quæ animam ac vitam habent, nec in his lapides reponi poſſe. Sin rationibus pugnandum, illud tantummodo dicitur nutriri, quod alimentum interius ſuſcipit, ſuſceptum immutat, ut in locum partium, quas calor nativus ubique abſumit, ubique ſuccedat, cumque compoſito unum per ſe corpus conſtituat. At longè aliter fit in lapidibus & metallis: ubi exterior tantummodo pars apponitur parti: Quod ſi ob acceſſionem eam vivere, & lapides & metalla dici debeant, vivent etiam capilli & barba, vivent quoque & ungues, cum hoc & illis & his conveniat. De magnete objectant, quia ferro nutriatur, ac tandem ſenio vires deperdat: eoque neceſſe ſit in ſcobem deferri, ne interius vim amittat. Sed cauſſa potiùs iſta eſt, quia extimæ partes aëre vitiantur, uti pomum ſubeunte aëre proximo odorem amittit, non autem quia nutrimento careat. In ſcobe autem, aër eam vim in magnetem non habet; fortaſſe quia à ſcobe affectus, non item magnetem ſubit; vel quia ſic conſtringit frigore ſuo poros magnetis, ut non æquè vis exhalet.

§. 21. *Pars hæc quinta eſt bimembris: nam partim eſt de lapidibus, partim de metallis.*

Quæ duo materiâ differunt: illorum ſubſtantia eſt terrea: horum aquea. Ut argumento eſt, quod cùm utraque frigore coaleſcant, hæc quidem liqueſcant, illa non item. Atque iccirco Ariſtoteles ſub finem lib. III. Μετεωρολογικῶν ait, lapidum materiem eſſe exhalationem ſiccam; metallorum autem vaporem ſive exhalationem humidam. Non quaſi hæc vel illa ex alterutra ſolum exhalatione conſtent: ſed quia in metallis vapor, qui aqueus eſt, ſuperet: in lapidibus verò exhalatio ſicca dominetur. Sunt igitur ex terra & aqua; non tamen ἁπλῶς, ſed ex terra in exhalationem ſiccam, & ex aqua in exhalationem humidam reſoluta. Quod etiam confirmatur eo, quia lapides metallaque ſæpius ex nubibus deciderunt. Uti præter Plutarchum & veterum alios prodidere multi juniorum. In his Auguſtinus Niphus, qui refert, ut anno cIↃ IↃ XI in Italia, poſtquam igneus ille pavo in nubibus diſparuerat, tres deciderint lapides, unus CLX, alter LX, tertius XX pondo. Item Cæſar Scaliger, qui narrat, in Taurinis longè lateque ferro pluiſſe. Conradus etiam Geſnerus exempla affert ſimilia: uti de lapide, qui Torgæ deciderit fulmine anno cIↃ IↃ LXI: item de altero, qui anno deciderit cIↃ CCCC LXII, trecentarum librarum; quem Enſishemii in templo ſuſpenſum conſpicere ſit. Nempe non dubium eſt, quin vapor & exhalatio ſicca in nubibus ſit concreta ac indurata, ſic ut in lapides metallaque verterentur.

§. 22. *In parte hac de lapidibus & metallis, priùs hiſtoria ſpectari debet.*

Hanc docebunt ex antiquis Theophraſtus libro περὶ λίθων & Plinii hiſtoria naturalis. E media antiquitate Michael Pſellus libro περὶ λίθων δυνάμεων †, quem primus Græcè edidit ‡, Latinè vertit, & notis adauxit Jacobus Mauſſacus. Ante eum Latinè & Italicè verterat Adrianus Spigelius Philoſophus & Medicus Gymnaſii Patavini. Tralationem eam adſervat gener Liberalis Crema, Philoſophus & Medicus Tarviſinus. Item è junioribus adi Agricolam, & alios.

† *De lapidum virtutibus.*
‡ *Toloſæ an. 1615.*

§. 23. *Cauſſas verò utrorumque cognoſcere eſt ex libro quarto Meteorologicôn; qui tractat de perfectè mixtis. Nam tribus his partibus abſolvitur. Primùm agit de caloris & frigoris actione. Hinc de viribus eorum, quæ corporibus ſimilaribus conveniunt, per humorem & ſiccitatem. Denique de conſtitutione corporis ejus, quod ſimilibus conſtet partibus.*

Quartus igitur liber ad Meteorologica non pertinet. Quin Alexander & Ammonius cenſent referendum ad libros de Ortu & interitu; ut nempe Tertius is liber ſit: vel ut Olympiodorus putat Secundus: nam inter utrumque de Ortu interſerebat. Movit eos, quod hìc agitur de qualitatibus primis, duaſque earum oſtenditur agendi vim habere, nempe calorem & frigus: duas patiendi, nimirum ſiccitatem & humorem, atque id ex earum definitionibus & effectis comprobatur. Satis autem liquet, Meteora oriri ex actione caloris & frigoris, & perpeſſione humoris ac ſiccitatis. Ut videatur liber is rectè præmitti Meteororum doctrinæ. Sed huic ſententiæ, quam etiam Geſnerus amplectitur, obſtat illud, quod non tam ibi agitur de primis qualitatibus, quatenus pertinent ea ad imperfectè mixta, ut ſunt meteora; ſed ad perfectè mixta, ut ſunt foſſilia, plantæ, & animantia. Quæque epilogo ejus libri Ariſtoteles dicit, cohærent cum doctrina de animalibus & plantis. Sic enim ſcribit: *Deinceps diſputandum quid ſanguis, quidque os, ac uno verbo de partibus ſimilaribus* (ὁμοιομερῶν) *deinceps de compoſitis ipſis, puta animalibus & plantis.* Ut omnino is liber viam ſternat non ſolum doctrinæ foſſilium, ſed etiam plantarum & animalium. Imò abſque iis, quæ hoc libro traduntur, nec Agricultura tradi ex arte poſſet, nec cauſſæ eorum cognoſcerentur, quæ ad fabrilem artem & ſellularias pertinent: ipſaque etiam Medicina, ſine eorum notitia, ut Averroes agnoſcit, incerta vagaretur. Agitur enim hìc de concoctione, cruditate, duratione, mollitione, denſatione, putredine, & ſimilibus, in quibus Medicus occupatur. Ratio enim docetur corporum ſimilarium, ſive metalla ſint aut lapides, ſive animalia aut plantæ. Ut omnino mirandum ſit, non magis hunc librum in manibus eſſe, cùm abſque eorum notitia fruſtra ſe aliquis Phyſicum aut Medicum profiteatur. Quædam tamen in eo breviùs atque obſcuriùs dicuntur, quæ lucem accipient ex aliis Philoſophi libris: præſertim illis de partibus animalium, & aliis, quibus explicat cauſſas eorum, quæ ad animalia aut plantas pertinent.

§. 24. *Sexta pars eſt de Animalibus.*

Niſi quis fortè exiſtimet doctrinam de plantis præmitti debere. Cenſent id nonnulli, quia, ut ajunt, plantæ ſint ſimpliciores animantibus. Sed aliquid dicerent, ſi vel animalia ex plantis componerentur, vel eorum doctrina ſine plantarum notitia intelligi non poſſet. Quorum utrumque falſum eſt. At, inquiunt, ſi Ariſtoteles prius agit de anima nutriente, quàm de ſentiente, priùs quoque agi debet de plantis, quæ habent animam nutrientem, poſteriùs de animalibus, quæ ſenſu prædita ſunt. Verùm diſpar hìc ratio. Propterea enim Ariſtoteles priùs agit de anima nutritiva, quia anima nutriens eſt ſimplicior, & doctrina ejus brevior ac facilior. At doctrina plantarum eſt difficilior, quàm animalium, ut Theophraſtus ait. Qui & cauſſam hanc exponit; quod natura plantarum explicari debeat, ex ἀναλογίᾳ & comparatione animalium; ut omnino animalium doctrina debeat præmitti. Hæc ſententia comprobatur quoque initio primi Meteorologicôn, ubi Ariſtoteles partes ſcientiæ naturalis enumerat, atque illam de Animalibus, alteri de plantis præponit.

§. 25. *Commendat doctrinam hanc, quod Salomon ipſe ſcripſerit de quadrupedibus, avibus, piſcibus, inſectis.*

Ut cognoſcere eſt ex lib. III. Reg. cap. IV. 33.

§. 26. *Item quod ex animalibus exempla haurimus omnium virtutum, omniumque officiorum documenta.*

Quod ad φιλοσοφίαν πρακτικὴν pertinet.

§. 27. *Item utilis ſtudio eloquentiæ.*

Nam naturæ intelligens, elegantiſſimis utetur tralationibus; multis enim imaginibus & ſimilitudinibus illuſtrabit orationem.

§. 28. *De animalibus priùs explicanda eſt hiſtoria, quàm cauſſæ exponantur.*

Vt Ariſtoteles ait lib. I. de Partibus anim. Non, quaſi hiſtoria ſit philoſophiæ naturalis pars, nam ſola explicat φαινόμενα; verùm quia hiſtoria viam ſternit Philoſopho in cauſſis inquirendis.

§. 28. *Hiſtoriæ libri ſunt* IX: *quorum quatuor primis agitur de ſubſtantiâ animalium, puta tum de ſubſtantiâ, h.e. de materiâ ſive partibus (nam de animâ non erat hiſtoriâ opus:) tum de affectionibus, ut ſunt ſenſus, memoria, ſimileſque. Tres ſequentes libri ſunt de ortu animalium. Duo ultimi de vitâ, quæ ortum ſequitur.*

At decimus liber non eſt Ariſtotelis, ut rectè ſenſit Theodorus Gaza: vel ſaltem ad hiſtoriam animalium non pertinet, cùm agat de cauſſis ſterilitatis, eoque potiùs ad libros de ortu referatur. Præterea Laertius tantum novem memorat. Nec ſatis convenit is liber cum placitis Ariſtotelis: de quo Cæſar Scaliger in priorem de Plantis *, perperam cum altero Ariſtoteli tributum. **Pag. 44. edit. Criſpin. an. 1566.*

§. 30. *Hiſtoriam hanc magnâ & induſtriâ & fide ſcripſit Ariſtoteles: qui ut naturam eorum certiùs proderet, multa hominum millia, aucupes alii, alii piſcatores, alii venatores, parere ei ab Alexandro juſſa.*

Auctor Plinius, qui Ariſtoteli jungendus in doctrina de animalibus. Uti & Ælianus; cujus XVII libri ſunt de Animalium natura. His adde Oppianum & Nicandrum. Imò & multa apud Atheneum invenies. At ſcurrile planè eſt, quod Epicurus Ariſtotelem ob ſingularem in hac parte curam, Pharmocopæum appellabat. Nec Proclus audiendus, cùm commentariis in Timæum, Platonem audet Ariſtoteli præferre in hoc de animalibus argumento. Ait Platonem exponere omnes cauſſas finales & efficientes: Ariſtotelem verò contentum eſſe judicare formam, quandoque & materiam ſolam. Nam efficientem cauſſam clarè exponit Ariſtoteles libro de Ortu animalium: materiam verò & finem partium ſingularum enarrat libris de Partibus & progreſſu animalium: Multa etiam de animalibus ſcripſerat Theophraſtus, pluraque fortaſſe Eudemus. Eorum teſtimonio uſi Galenus, Pollux, Apulejus, Rufus Epheſius, atque alii. Libello de longitudine ac brevitate vitæ plurimum lucis adferet ſimilis Theophraſti diſſertatio, in libris de cauſſis Plantarum.

§. 31. *Cum Ariſtotele de Animalibus jungatur Ælianus de Animalibus & Geoponica Conſtantino dicata, item Vegetius aliique Mulomedicinæ ſcriptores antiqui, Nicandri Theriaca & Alexipharmaca, Oppiani Cynegetica & Halieutica, Philes de proprietatibus animalium.*

Atque hi exſtant. Præter quos & alii, qui periere, de animalibus ſcripſerant olim. Uti Alexander Myndius, teſte Athenæo, ac meminit ejus quoque Plutarchus in vita Marii: de pavonibus Antiphon, teſte Athenæo: Antipater de Animalibus laudatur Plutarcho: Ariſtophanes Byzantius de Naturâ animalium, apud Hieroclem de Re veterinariâ: Cæclus Argivus de Piſcibus carmine ab Athenæo memoratur:

tur: eidem Epænetus, atque item Numenius Heracleotes de Piſcibus: eidem Halieutica Pancratii Arcadis: eidem Halieutica Poſidonii Corinthii: eidem Seleuci Emiſeni Piſcatoria: eidem Soſtratus de Animalibus: uti & de Equis domandis, qui liber olim in bibliotheca Eparchi Compei exſtitiſſe dicitur: Strato Lampſacenus phyſicus de Animalibus, teſte Laërtio: Timotheus Gazæus, qui carmine heroico de Quadrupedum & avium naturâ ſcripſit; ut eſt apud Suidam: ac plures alii, quos longum ſit referre.

§. 32. *E junioribus maximè laudabilis opera Geſneri; quem ſecutus Aldrovandus. De Piſcibus egregia eſt induſtria Rondeletii, nec aſpernanda Bellonii.*

Niſi auctor ejus operis Gyllius. De Alberto M. & aliis taceo: quia quicquid in iis boni eſt, Geſnerus & alii ſuas in cumeras converterunt.

§. 33. *Hiſtoriam de animalibus ſequuntur libri de Partibus animalium. Eos ſequuntur libri de Ingreſſu animantium.*

De quibus Ariſtoteles auctor extremo libro IV. de Partibus. Nec ratio eſt obſcura; quia libri de Partibus & ingreſſu animalium eorum cauſſam adferunt, quæ ad materiam animalium pertinent.

§. 34. *Hæc de materiâ animalium. Proximus eſt locus libris de Anima. Quæ forma eſt animalium. Veniendum itaque ad actiones animalium communes, quas explicant libri de Senſu, de Memoria, de Somno, de Inſomniis, de Divinatione per Somnum. Etiam hîc locus ſit doctrinæ de Affectibus animi, quam Ariſtoteles promittit libro de Senſu: ſunt enim affectus in appetitu, ac cauſſa ſunt motus animalium.*

Pars hæc de Affectibus hodie in Ariſtotele deſideratur, ſupplenda ex libro II Rhetoricorum, iis additis, quæ Tullius habet lib. IV. Tuſcul. Quæſt. item Andronicus, non Rhodius ille Peripateticus, Straboni, Galeno, Plutarcho, Ammonio, ac Simplicio memoratus, ſed alius, eo junior, cujus hoc de argumento exſtat libellus Græcè, primum ab Davide Hæſchelio editus, ex gemino exemplari, quorum unum à Max. Margunio Cytherorum Epiſcopo acceperat, alterum ex Hiſpania ab Andrea Schotto ad Fridericum Sylburgium miſſum erat. Item augeri doctrina poterit ex illis, quæ de hoc argumento habent Seneca, Galenus & Laërtius in Zenone, & alii. Solum opus, ut ſedulò inter Peripatetica, & Stoica, diſtinguamus; eaque methodo omnia tractemus, qua Ariſtoteles lib. I. de Anima πάθη definiri jubet.

§. 35. *Doctrinam de Affectibus excipit liber de Motu animalium.*

Ut liquet ex Epilogo libri de Divinatione per Somnum: ac abſolvit hic liber ea, quæ docuerat libro de Partibus animalium. Nam agitur hîc de corde, & aliis partibus, quibus motus perficitur.

§. 36. *Hæc de actionibus. Poſtea legendi libri quinque de Ortu animalium. Ubi cauſſa eorum explicantur, quæ tribus libris in Hiſtoriâ animalium de generatione eorum dicta erant; nempe lib. V. VI. VII. Ac quia ortum ſequitur vita, exinde conſequuntur hi quinque Parvorum, ut vocantur, naturalium libelli: de longitudine & brevitate vitæ, de juventute & ſenectute, de reſpiratione, de vitâ & morte, & de ſanitate & morbo. Quæ opuſcula, tanquam in confinio Phyſicæ & Medicinæ conſtituta, non injuriâ ultimum obtinent locum.*

Requirat fortaſſe aliquis etiam hoc loco doctrinam de alimento. Quam Michaël Epheſius collocandam putat ante librum de Sanitate & morbo: idque quia alimento benè concocto, conſervatur ſanitas; malè concocto, eadem amittitur. Sed hæc doctrina excutitur libris de Ortu Animalium: ad quos Ariſtoteles ipſe lib. III. IV. de partibus nos rejicit. Vbi hac de re egiſſe verba iſta oſtendunt extima parte lib. IV. de Ortu animalium. *Sed de alimento quod intrinſecus ſumitur, atque de ortu externo animalium dictum, & ſeparatim de unoquoque in commune, & de omnibus.* Itaque ut Philoponus & Simplicius in lib. II. de Anima, ubi Ariſtotelis ſupputationem de Alimento in alios remittunt libros, illos intelligere jubent, quos de Ortu animalium ſcripſit. Multum etiam ad eam diſciplinam conferet Alexander Aphrodiſienſis. Ex medicis quoque excerpere hoc de argumento licebit, quæ ad philoſophum magis, quàm ad medicum pertinent. Aliquis fortaſsè etiam deſideret doctrinam de ſanitate & morbo, quandoquidem tantum ejus libri initium in Ariſtotele ſupereſt. Sed peti reliquum debet ex Theophraſto de cauſſis plantarum: ac imprimis ex veteribus Medicis, & Hippiatricis. Tantùm hic quoque à Medicis Phyſici repetent, quæ à phyſicis mutuantur medici.

§. 37. *Septima phyſices pars eſt de plantis, de quibus nec ſcribere dubitavit ſapientiſſimus Salomon.*

Nam, ut Scriptura * ait, *egit à Libani cedro ad hyſſopum.* Quo ſignificatur ſingulis de ſtirpibus tractaſſe. Quod ad argumenti hujus commendationem non parum facit. *Lib. 3. Reg. cap. 4. 33.

§. 38. *In hac itidem parte priùs diſcenda Hiſtoria plantarum, hinc cauſſa earundem.*

De plantis duo ſcripſere Peripatetici, uterque ex Ereſſo, una octo illarum Lesbi inſulæ urbium. Ii ſunt Theophraſtus & Phanias. Sed ſupereſt Theophraſtus, cujus X habemus libros Hiſtoriæ plantarum, niſi malis ad IX revocare. VI verò libris complexus plantarum cauſſas. Ex Phania plurima exſcripſit Plinius, lib. XXI. & ſex ſequentibus. Meminit & Athenæus. At duo libri de Plantis, qui ſub Ariſtotelis nomine circumferuntur, & in quos Aben-rois commentarii exſtare dicuntur, quosque ut genuinos, inter alios Guilandinus de Papyro agnoſcit, neutiquam Ariſtotelis ſunt. Nec eorum meminit Alexander initio Meteorologicôn, ubi ſermo de iis, quæ in phyſicis ſcripſit Ariſtoteles: commentario verò in librum de ſenſu & ſenſili, negat ſua tempeſtate ullos exſtitiſſe libros Ariſtotelis de Plantis. Ariſtoteli tribuuntur libri duo de Plantis ex Arabicis facti Latini, è Latinis à Græculo quodam Græcè redditi. Et ſanè verum eſt, Philoſophum duos de Plantis libros ſcripſiſſe: quod ex Laërtio ſcimus. Imò in extremo de Generatione Animalium ejus à ſe ſcripti operis meminit. Ac Averroës quoque mentionem facit in φυσικῆς ἀκροάσεως lib. I. cap. I. Sed iſti, quos ſcripſerat, perierunt. Hi verò ex Arabicis verſi genuini non ſunt: quod luculentè oſtendit Cæſar Scaliger, qui eos libros commentariis illuſtravit. Exiſtimat verò è Theophraſti libris collectos, atque id factum eſſe à Maximo Planude.

§. 39. *In hoc argumento ſuperſunt è Græcis Theophraſtus, & Pedacius Dioſcorides. E Latinis multa Plinius.*

Olim verò & alii multi exſtabant. In bibliotheca Sambuci aſſervabatur Alexander Myndius de temperamento ἱερῶν βοτανῶν. Andreæ Medici, qui de Plantis ſcripſit, præter Plinium, meminere Dioſcorides, Galenus, & Scholiaſtes Nicandri: Callimachus de Trifolio, eidem Scholiaſtæ nominatus: Chryſippus, Eraſiſtrati diſcipulus,

lus, de Braſſica laudatur, Plinio & Laërtio: Cratevas cognomento ῥιζοτόμος nominatus Hippocrati, Dioſcoridi, Galeno, Plinio, ac Nicandri Scholiaſtæ. Atque ait Ioachimus Camerarius, Ioach. F. Norimbergenſis medicus, ſe fragmenta ejus vidiſſe apud Aloyſium Anguillaram; quorum ipſe Aloyſius meminit opere de Simplicibus Italicè ſcripto: Damocrates de Ibende herba, celebratur Plinio, ex Galeno: utrique horum & Dieuches de Braſſica. Dionyſii ῥιζοτομία, Nicandri interpreti in Theriacis & in Geoponicis Conſtantino dicatis: Epænetus de Oleribus, Nicandri in Theriacis Scholiaſtæ: Epicurus Athenienſis de Plantis, auctore Laërtio: Eudemus & Euthydemus de Oleribus, teſte Athenæo: Mneſithei hiſtoria de radicibus, caulibus, foliis, fructibus, ſeminibus, Galeno in libro de Alimentis: Tharſyas Mantinenſis de Plantis, apud Theophraſtum in Hiſtoria Plantarum. Ex Latinis de Plantis olim ſcripſit Æmilius Macer, teſte Ovidio. Sed quid deperditis uſque adeò inſiſtam, cùm infinitus ſit illorum numerus?

§. 40. *Philoſophi in ſcholis, exceptis de Animâ libris, prætereunt reliquam doctrinam de Animalibus, & Plantis; quâ ſponte ceſſerunt Medicis; ut non injuriâ dicere poſſint Medicinæ candidati, plus ſe in ipsâ ſcientiâ naturali Medicis, quàm Philoſophis debere.*

Quapropter caſtiganda eſt ſupina hæc Philoſophorum incuria, uſque dum perfectam doceant Philoſophiam: quod non erit, niſi à Medicis ea repetant quæ illi non de ſuo obtinent, ſed de alieno.

§. 41. *Præter eos quos diximus Phyſices ſpeculativæ auctores, alii quoque ſunt hactenus inditti.*

Ut Theophylacti Simocatæ quæſtiones phyſicæ.

§. 42. *Hactenus de Phyſica ſpeculativa. Ad quam pertinent διοσημεῖα. Sunt ea ſigna partim ex aſtris, partim rebus ſublunaribus, atque partim inanimis, partim animatis.*

Aratus ut Phænomena, ſic etiam διοσημεῖα verſu perſcripſit. Multaque διοσημεῖα habet Maro I. Georg. Διοσημείων pars eſt Aſtrologia illa, quæ conſiderat, ac docet effectus ex motu, lumine, & influentiis aſtrorum. De quâ diximus, cùm de Liberalibus diſciplinis ageremus. Sed ea ſe intra naturalis ſcientiæ limites continere debet: quos ſi exſiliat, non ſe exornat, ſed conſpurcat. Eaque in re peccabant, qui Chaldæi dicuntur.

§. 43. *Ad animæ, & corporis fœdus pertinet Phyſiognomia. Cujus fundamentum eſt, quod & anima à corpore, & corpus ab animo patitur.*

Unde fit, ut animi mores ſequantur temperamentum corporis, ſicut libro integro demonſtrat Galenus. Idem docet Ariſtoteles φυσιογνωμικῶν initio: Αἱ διάνοιαι ἕπονται τοῖς σώμασι, καὶ οὐκ εἰσὶν αὐταὶ καθ' ἑαυτὰς, ἀπαθεῖς οὖσαι τῶν τοῦ σώματος κινήσεων· τοῦτο δὲ δῆλον πάνυ γίνεται ἔν τε ταῖς μέθαις καὶ ταῖς ἀῤῥωστίαις· πολὺ γὰρ ἐξαλλάττεσθαι φαίνονται αἱ διάνοιαι ὑπὸ τῶν τοῦ σώματος παθημάτων, καὶ τοὐναντίον δὴ τοῖς τῆς ψυχῆς παθήμασι τὸ σῶμα συμπάσχον, φανερὸν γίνεται· περί τε τοὺς ἔρωτας, καὶ τοὺς φόβους τε καὶ λύπας, καὶ τὰς ἡδονάς. *Anima ſequuntur corpora, & ipſa ſecundum ſe ipſas non ſunt impaſſibiles à motibus corporis. Id manifeſtum fit valde in ebrietatibus, & ægritudinibus: multum namque animæ mutatæ videntur à paſſionibus corporis. Et è contrario quod corpus compatitur paſſionibus animæ, manifeſtum circa amores, & timores, & triſtitias, & delectationes.* Idem cap. IV. Δοκεῖ δέ μοι ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα συμπαθεῖν ἀλλήλοις· καὶ ἡ τῆς ψυχῆς ἕξις ἀλλοιουμένη, συναλλοιοῖ τὴν τοῦ σώματος μορφήν. πάλιν τε ἡ τοῦ σώματος μορφὴ ἀλλοιουμένη, ἀλλοιοῖ τὴν τῆς ψυχῆς ἕξιν. ἐπειδὴ γάρ ἐστι ψυχῆς τὸ ἀνιᾶσθαί τε καὶ εὐφραίνεσθαι, καταφανὲς, ὅτι οἱ ἀνιώμενοι σκυθρωπότεροί εἰσι, καὶ οἱ εὐφραινόμενοι ἱλαροί. *Videtur autem mihi anima & corpus compati ad invicem; & anima habitus alteratus, ſimul alterat corporis formam: & iterum forma corporis alterata, alterat animæ habitum. Quando enim anima eſt triſtari & lætari, manifeſtum eſt quod triſtes obſcura facies ſunt, gaudentes autem hilaris.* Similiter Caſſius Jatroſophiſta probl. 11. quærit, Διὰ τί οἱ τερατόμορφοι, καὶ ἄφρονες, *quare quibus forma monſtroſa, etiam ſint inſipientes:* reſpondet autem, ὅτι τοῖς σωματικοῖς τὰ ψυχικὰ συμπάσχει· ὥσπερ τοῖς ψυχικοῖς τὰ σωματικά. *Quia quæ animæ ſunt patiantur ab iis quæ ſunt corporis: & quæ ad corpus pertinent afficiantur ab illis quæ animæ ſunt.*

§. 44. *Sed ars hæc conjecturalis eſt, quippe ſolùm dicit, quid plurimum, non quid ſemper contingat. Et cùm rectè de inclinatione pronunciatur, tamen fit ſubinde, ut diſciplinâ, ac conſuetudine, quæ in naturam tranſit inclinatio animi, quæ temperamentum ſequi ſolet, corrigatur.*

Exemplum habemus illuſtre in Socrate: de quo Zopyri judicium ex Cicerone notum.

§. 45. *In Phyſiognomia extant Ariſtoteles, Polemo, Adamantius.*

Zopyrum eâ valuiſſe Socratis ævo, jam ex Cicerone dictum.

§. 46. *Phyſiognomiæ etiam pars eſt Chiromantia.*

Eſt hæc ſententia Coclitis: qui Chiromantiam ad Phyſiognomiam ſe habere cenſet, ut ramum ad arborem. Et veriſimilius hic, quàm Taiſnier, qui Aſtrologiæ partem ait: quia Aſtrologi quidem planetas conſiderant, ſed Chironomantes lineas planetis reſpondentes.

§. 47. *Nec negamus, rectè ad Phyſiognomiam referri, quatenus ex manus conſtitutione colligit de conſtitutione univerſi corporis, & variis animi inclinationibus.*

Deque hac ſcripſere Galenus, Raſis, Avicenna. Imò agnoſcit eam quoque Ariſtoteles lib. 1. de Hiſtoria Animalium cap. xv. * ſect. x. problematum XLIX: quibus locis ex brevioribus & longioribus lineis colligit de brevitate ac longitudine vitæ. Nempe, ut videtur, quia ampliores ac profundiores lineæ ſignificant motum validiorem, cùm articulatio ſit propter motum: validus autem motus requirit majorem calorem, qualis eſſe nequit niſi à corde valido: cor autem eſt principium ac fons vitæ.

* *Sive, ut Cæſaris Scaligeri diſt. numero 133.*

§. 48. *At non eſt pars Phyſiognomiæ, imò nec ſcientia; ſed vanum quoddam ac ſuperſtitioſum divinandi genus: quatenus multorum adeò, quæ natura principiis non ſunt innixa, ſcientiam promittit. Ut de hominis itineribus, dignitatibus ac fortunis, caſibus atque eventibus.*

Unde ab Antiocho Tyberto cap. 1. definitur ſcientia qua ex ſenſilibus manuum ſignis hominis fortunam, propenſiones ejus varias, naturaleſque affectiones cognoſcere poſſumus. Quàm latè enim iſta extendat, abundè ex ejus Chiromantia elucet. Necminùs ex aliorum ejuſdem argumenti libris. Vide quæ tradidere ex veteribus, ſi inſcriptioni ſtandum, Hermes, Alchyndus, Phraotes Indus, Helenus, Loxius, Philemon, & alii quidam: ex junioribus Petrus Aponenſis, Albertus, Michaël Scotus, Savonarola, Germiſonus, Corvus, Petrus de Artha, Taiſnierius, Tricaſſus, de Indagine, cæterique.

§. 49. Que-

by Google

§. 49. *Quomodo autem credere Chiromantis poſſimus, cùm ipſi dividant lineas in naturales, & accidentarias: ac poſteriores dicant infinitas, eoque non pertinere ad artem: de prioribus verò (ut ſunt vitalis, quæ pollicis montem circundat; naturalis, quæ inter pollicem indicemque initium capiens protenditur per manum tranſverſam; item illa epatis, ac menſalis, & quædam alia) ita inter ſe tradunt pugnantia, ut ab iis incertior abeas, quàm veneras.*

Et quid certi dicant? cùm tanta ſit linearum varietas, ut vix duo in centum millibus conveniant: quemadmodum agnoſcit Taiſnierius lib. I. de Chirurgia cap. IV.

§. 50. *Ad naturalem divinationem referunt etiam Oneirocriticen. Quæ proba, ſi judicium feratur de eo, quod cum ſomnio nexum habet naturalem; ut de hominis temperie: Improba verò, ſi nexus ſit nullus.*

De hac tamen multi olim ſcripſere: ut Apollodorus Telmiſſenſis, Panyaſis Halicarnaſſeus, Alexander Myndius, Dionyſius Rhodius, Hermippus, Philochorus, Geminus Tyrius, pluresque alii. Sed extat ex tam multis Artemidorus Epheſius ſive Daldianus, qui Antonini Pii temporibus vixit. Rem ſi ſpectes, nihil opere ejus vanius. Sed utilis tamen ejus lectio erit, ob tam multa, quæ admiſcet, de ritibus antiquis, & ſtudio humanitatis. Etiam extat Græcè Achmetis Arabis opus de Divinatione, & ſomniis, juxta diſciplinam Indicam, Perſicam, Æthiopicam. Qui liber falſò Apomaſaris nomine, Latinè primum à Leunclavio editus fuit. Sed ipſe poſtea errorem ſuum in annalibus Turcicis obſervavit. Præterea ſupereſt Aſtrampſychus, cujus & meminit Suidas. Item Nicephorus, poëta Conſtantinopolitanus: quorum uterque de hoc argumento jambicis ſenariis quædam reliquit.

§. 51. *Fundamentum omne hujus artis, ſi ars dicenda eſt, poſitum eſt in mutuâ affectione, & relatione inſomnis, ac rei ſignificatæ. Relatio illa duplex eſt: quia aliquid vel disjunctum ac nullo cohærens nexu naturali, vel contrà. Prius eſt, cùm aliquid ex ſimilitudine colligitur, vel ex contrario: Poſterius quando unum alteri naturali eſt nexu junctum. Quomodo bifariam ſe habebit. Nam vel eſt nexus naturalis, non tamen eſſentialis; ut cùm unum alterius eſt cauſſa externa, vel effectus, aut ſubjectum, vel adjunctum. Etiam nexus eſt eſſentialis, ut cùm ex toto colligimus de parte, vel contrà.*

Exempli gr. Pompejus ante pugnam Pharſalicam ſomnium habet ſe Veneris Victricis templum multis ſpoliis exornare. Hæret anxius, quia bifariam poterat intelligi; vel ut ex effectu, ac conſequente ſignificetur cauſſa, ſive antecedens quid; vel ut ex cauſſâ colligatur effectus. Prius fuerit, ſi μεταληπτικῶς, ex eo, quod Pompejus Veneris Victricis templum exornet, judicetur victoriam fore penes Pompejum, quia poſt victoriam templa Deorum à victoribus exornari ſpoliis ſolent. Poſterius ſit, ſi per Venerem intelligatur Veneris propago; ut familia Iulia. Quam ſi exornaturus ſit Pompejus, ſequitur Victorem fore Cæſarem. Ideo hæſit Pompejus, cùm hoc ſomniaſſet; ut refert Plutarchus in ejus vitâ. Dubitabat enim, eſſetne ὄνειρος θεωρηματικὸς ſive ſpeculativus, qui rem oſtendit, uti futura: an ἀλληγορικὸς, qui oſtendit δι' αἰνιγμάτων: quomodo ſomnia diſtinguit Artemidorus lib. IV. cap. II.

CAP. VI.

DE PHYSICE OPERATIVA, ac primò de γεωργίᾳ & φυτευτικῇ.

§. 1. *Hactenus conſideravimus Phyſicen θεωρητικὴν, ſive eam, quæ verſatur circa naturam ſponte agentem, ita ut effectus ejus à ſolis pendeant cauſſis naturalibus, citra ullum hominis liberè agentis concurſum. Sequitur Phyſice operativa: quæ & ipſa contemplatur naturam, ſed induſtriâ humanâ ſic ſubactam; ut ope & adminiculo ejus agat, quæ alioqui præſtare non poſſet.*

Quemadmodum enim in metallis prima hæc cura eſt, ut effodiantur è terrâ; proxima, ut ex iis vomer, gladius, vel aliud aliquid fabricetur: ita primùm ſcrutamur naturæ viſcera, quæ pars eſt ſpeculativa; deinde naturam quaſi imponimus incudi ac effectum producimus, quæ pars eſt operativa. Ac debent hæ partes duæ ſejungi, tum in intentione tractantis, tum in corpore tractatus.

§. 2. *Ποιητικὴ verò ſive operativa dicitur, quia finis ejus, ποιεῖν, ſive effectione artificiali ſupplere aliquem defectum vitæ humanæ.*

Manuarias aliqui vocant, quia egeant manuum miniſterio. Sed hoc non ſemper habet locum. Medicina enim non indiget manibus, ſi in ſe conſideretur; ſed egent iis artes famulantes, pharmaceutice, chirurgice, chymice; ut poſtea dicetur. Illiberales olim à Græcis nuncupatæ, non quia indignæ homine libero, ſed quia ſic Græcis fuerit exiſtimatum.

§. 3. *Eſt verò artium iſtiuſmodi numerus mirè diffuſus, ac propè innumerus. Præcipua verò facilè ſinunt ſe his cancellis conſtringi: quod alia pertineant ad inſtrumenta ſymbolica, quibus inſtruitur animus humanus: alia ad hominis alimoniam ſive cibum potumque: alia ad medicinam, ſive valetudinem conſervandam aut reparandam: alia ad veſtitum ſive amictum hominis: alia autem ad ædificatoriam ſive habitationem: alia denique ad oblectationem hominis.*

Vulgò ſeptem ſtatuunt artes liberales, ac totidem ex iis quæ manuum operam requirunt. Earum materies his verſiculis exprimitur:

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, aſtra:
Pus, nemus, arma, faber, vulnera, lana, rates.

Priori enim verſiculo ſignantur tum tres artes Logicæ: tum quatuor mathematicæ. Poſteriori autem notantur agricultura, venatoria, militaris, fabrilis, chirurgica, lanificium, & nautica. Sed eſt hæc enumeratio valde imperfecta. Sequar igitur diviſionem, quam antea propoſui, ac ordini, quem dixi, inſiſtam.

§. 4. *Alimoniam quæ præſtant, vel cibum procurant, vel potum. Cibum habemus, partim è plantis, partim ex animalibus. E plantis eum conſequimur beneficio Agriculturæ.*

Græcis eſt γεωργία: uti ars ejus γεωργική, miniſterium γῆς ἐργασία. Hujus artis gnarus γεωργός: miniſter verò γεωπόνος, & γῆς ἐργάτης. Uti hæc quidem diſtinguit Philo libro De eo, quod deterius potiori inſidiari ſoleat. Ubi de Caïno ait dici, non illud quidem, γεωργήσει, *agricola erit*, ſed γῆν ἐργάσεται *terram colet*. Ac diſcrimen ſubdit, quia γεωργὸς μὲν ἐπιστήμης ἐπεργάζεται. Verum πολλοὶ τῶν ἰδιωτῶν γεωπόνοι τὴν ἄνευ ἐμπειρίας ἕνεκα τῶν ἀναγκαίων μετιόντες ὑπηρεσίαν· *Multi è vulgo terræ operarii, ſine peritia, victus cauſſa tractantes hæc miniſteria.* Ac ſimiliter idem libro proximo, qui eſt de Agricultura.

§. 5. *Antiquitas Agriculturæ ex eo cognoſcitur, quod Deus dixerit Adamo Geneſ.* III. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. *Neque is in otio eduxit liberos: ſed primogenitum Cainum, agriculturæ laboribus exercuit; Abelum, in vita paſtorali: ut cognoſcere eſt ex Gen.* III.

Unde Ioſephus Antiq. lib. I. cap. III. Ποιμενικὸς δ' ἦν ὁ βίος Ἄβελ, γῆν τε ἀρῶν ἐπινόησιν πρῶτος ὁ Καΐν. *Paſtoritiam vitam Abel, agriculturam verò primus excogitavit Cain.* Non tamen tam à Caïno arbitror repertam, quàm ab Adamo; qui primus utrumque vitæ genus conjunxerit; illud, quo ex terra, & alterum, quo ex pecudibus ſuſtentamur. Et confirmat hanc ſententiam, quod Adamo dixerit Deus, in ſudore panem comeſturum. Ut Agricultura ſit divini inſtituti. Unde Siracides cap. VII: Μὴ μισήσῃς ἐπίπονον ἐργασίαν καὶ γεωργίαν ὑπὸ ὑψίστου ἐκτισμένην; *Ne oderis opus plenum laboris, & agriculturam conditam ab Altiſſimo.*

§ 6. *Antiquitatem Agriculturæ etiam gentiles agnoſcunt.*

Varro initio libri III. de R. R. *Cum artes omnes dicantur in Græciâ intra mille annorum tempora repertæ, agri nunquam non fuerunt in terris, qui coli poſſent. Neque ſolum antiquior cultura agri, ſed etiam melior.*

§. 7. *Si gentiles audimus, Agricultura, vel ſaltem fruges ſerendi Ars, in Italia cœpit, à Saturno; in Græcia, à Cerere; in Ægypto, ab Oſiride.*

Sive à Manero. Nam ὁ Μανέρως τοῖς Αἰγυπτίοις γεωργίας εὑρετὴς, μουσῶν μαθητής. *Maneros Ægyptiis eſt agriculturæ inventor, Muſarum diſcipulus*; ut ait Julius Pollux lib. VI. cap. VII. §. I. Ac Herodotus quoque libro II narrat, ut Maneros iſte idem ſit ac Linus. Alia etiam quædam de eo apud illum legere potes. Sed de Oſiride vulgatior opinio. Unde & Tibullus lib. I. El. VII:

Primus aratra manu ſollerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.

§. 8. *Sed ſi Saturnus nomen eſt hominis, fuerit is Adamus ὁ πρωτόπλαστος.*

Multa enim conveniunt. Quis præter illum Cæli & Telluris filius? & nonne hic primus Agricola? Quod non è Scripturis quidem, ſed traditione tamen noſcere gentes potuerunt. Nec nomen abhorret. Saturnus enim abſque dubio eſt à סתר i. *latere, occultare.* Potuere autem id nomen indere Adamo, vel quia aliquid accepiſſent de fuga ac latebris ejus poſt peccatum, de quo nota eſt è Moſe hiſtoria: vel ex eo, quia majorum neminem potiùs præſidem temporis ſtatuere poſſent, quàm omnium antiquiſſimum Adamum, qui penè cum ipſo tempore cœpiſſet. Jure autem tempori, vel ejus præſidi, nomen à latendo datum. Tempus enim latet, ut quod videri non poſſit, & tamen omnia producat. Latere dicitur, quia occultè, taciteque tranſit. Unde x. Metamorph.

Labitur occultè, fallitque volatilis ætas.

Producit verò omnia, juxta hoc Ariſtotelis in quarto φυσικῆς ἀκροάσεως. Ἐν τῷ χρόνῳ πάντα γίνεται, καὶ φθείρεται. *Tempore omnia fiunt, & corrumpuntur.* Quare & frugum cauſſa erit, imò vel maximè hic tempore opus; unde vetus illud apud Theophraſtum lib. VIII. de hiſtoria plantarum, ἔτος φέρει, οὐχὶ ἄρουρα. *annus producit ſegetem, non ager.* Atque ad hanc longi temporis exſpectationem pertinet illud Tibulli lib. II. eleg. ult.

—— Spes alit agricolas.

Et hoc Menandri:

Ὁ τῶν γεωργῶν ἡδονὴν ἔχει βίος,
Ταῖς ἐλπίσιν τ' ἀλγεινὰ παραμυθούμενος.
Ineſt voluptas ruſticæ vitæ, in malis
Dum ſpe futuri percipit ſolatium.

Apoſtolus quoque Jacobus cap. V. imitari nos jubet agricolarum μακροθυμίαν, ſive patientiam in exſpectando terræ fructu.

§. 9. *Nec tamen diſplicet, ut Saturnus ipſum tempus intelligatur, vel latens naturæ vis generativa.*

Nomen enim convenit ut jam vidimus, & de re conſentiunt Græci ac Latini: quorum illi Κρόνον dici putant, quaſi χρόνον: hi, (etiam in iis Cicero) *Saturnum* ſic vocari aiunt, quia ſaturetur annis. Ἔτυμον non probo, attamen hoc oſtendit, per Saturnum eos tempus intellexiſſe. Indeque orta fabula de Saturno liberos ſuos devorante, quia paulatim conſumantur horæ, dies, menſes, anni; quæ partes ac quaſi liberi ſunt temporis. Verè autem *Saturnus* à סתר SATAR id eſt, latere. Nempe quia eſt vis latens in natura, per quam omnia oriuntur & occidunt.

§. 10. *Similiter Ceres non alia eſt quàm Tellus, ſive vis ea Telluris quæ fruges producit.*

Favet hic quoque ἔτυμον. Nam, juxta Tullium lib. de Natura Deorum, *Ceres* dicitur, quaſi *Geres*, litera mutata, ut Δημήτηρ, quaſi Γῆ μήτηρ, ſi audimus Diodorum Siculum lib. I. At *Geres* vel eſt à gerendis frugibus, ut Tullio placitum: vel, quod longè veriſimilius, ab Hebræo גרש *geres*: quod *ſpicam virentem* ſignat Moſi Levit. cap. II.

§. II. *Denique per Oſiridem vel intelligendus Sol, vel Aqua, ſive humor, quorum utroque præter terram, & animam ſive aëra, ad frugum proventum eſt opus.*

Unde de Agricultura ſic Varro lib. I. de R. R. cap. III. *Ejus principia ſunt eadem, quæ mundi eſſe Ennius ſcribit; aqua, terra, anima & ſol.* Oſiris ſanè Sol fuerit, ſi Ὄσιρις idem eſt ac ὁ Σείριος, ut Græci vocem truncarint, quaſi princeps ſyllaba illis haut aliud eſſet quàm articulus, uti apud Græcos. Sanè ſol Heſiodo Σείριος dicitur, ſi Proclo credimus. Hoc *Oſiridis* ἔτυμον legere eſt apud Plutarchum lib. de Oſiride. Et de re conſentit Diodorus Siculus, qui Ὄσιριν notare ait πολυόφθαλμον, q. d. *multoculum*, quia terras mariaque multis veluti oculis colluſtret. Horum tamen ſententiæ obſtare illud videtur, quod idem Plutarchus ibidem dicat Ægyptiis Νεῖλον εἶναι τὸν Ὄσιριν. *Nilum eſſe Oſiridem:* neque id Ægyptiorum vulgo, ſed, ut ait, τοῖς σοφωτέροις τῶν ἱερέων, οἱ οὐ μόνον τὸν Νεῖλον Ὄσιριν καλοῦσιν, ἀλλ' ἁπλῶς ἅπασαν τὴν ὑγροποιὸν ἀρχὴν καὶ δύναμιν. *Sapientioribus ſacerdotum, qui non tantùm Nilum Oſirin nominant, ſed ſimpliciter principium, & vim omnem humificam.* Cumque eo, quod humor omnis ſit Oſiris, convenit, quod eundem eſſe dicant Διόνυσον, ſive liberum patrem, ut idem tradit. Ac Athanaſius quoque contra gentes, & Julius Firmicus de err. prof. religionum, teſtantur aquam divino honore maximè affici ab Ægyptiis. Cur verò Nilum, humoremque omnem tanto in honore habuerint, facilè videt, qui cogitat in Ægypto non pluere, eoque ab Nilo omnem regionis pendere fœcunditatem. Quanquam ut hoc non eſſet, ubique loci opus eſt plantis humore: unde Catulli illud de flore*:

Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber.

Varronis etiam eſt libro I de Re ruſtica cap. I. *Sine aqua omnis arida, ac miſera agricultura.* Idemque ubi XII recenſet Deos agriculturæ præſides, in his etiam Lympham commemorat. Platonis quoque eſt in IIX de Legg. ὕδωρ πάντων τῶν περὶ τὰς κηπείας διαφερόντως τρόφιμον· *aqua nutriendis hortis maximè confert.* Hæc ſi placent, per Cererem, Saturnum, & Oſiridem non perſonæ ſignabuntur, ſed tres res naturales, à quibus productio eſt frugum & omnium plantarum; nempe terra, humor, & tempus.

* *In Carmine Nuptiali.*

§. 12. *Ut ars hæc cum hominibus cœpit, ita nulla eſt magis neceſſaria; quippe quæ homini alimenta præbeat, imò & medicamenta.*

Ideoque de Agricultura dicere liceat, quod de agro ait Philemon,

Σὺ ἡ φύσις δεῖται γὰρ ἐπιμελῶς φέρει
Πυρούς, ἔλαιον, οἶνον, ἰσχάδας, μέλι.

Poſſis

Poſſis ſic reddere:

Habemus hinc, quiſcunque natura eſt opus,
Fruges, & oleum, vina, mel, & caricas.

Rectè igitur Varro lib. I. de R. R. cap. III. Ubi inter cætera; *primum non modò eſt ars, ſed etiam neceſſaria ac magna: eaque eſt ſcientia, quæ docet, quæ ſint in quoque agro ſerenda, ac facienda, quæque terra maximos perpetuo reddat fructus.* Chyſoſtomus Homil. XV in poſteriorem ad Corinthios: * Ἔστι τέχνη γεωργική, ἔστιν ὑφαντική, οἰκοδομική, αἳ καὶ ἀναγκαῖαι σφόδρα εἰσὶ καὶ μάλιστα συνέχουσιν ἡμῶν τὸν βίον. αἱ γὰρ δὴ ἄλλαι διάκονοι τούτων εἰσίν, ἡ χαλκευτική, ἡ τεκτονική, ἡ ποιμαντική. ἀλλὰ καὶ τούτων αὐτῶν τῶν τεχνῶν ἀναγκαιοτέρα πασῶν ἡ γεωργική, ἣν καὶ πρώτην εἰσήγαγεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον πλάσας. ὑποδημάτων μὲν γὰρ ἄνευ καὶ ἱματίων δυνατὸν ζῆναι· γεωργικῆς δὲ χωρὶς, ἀμήχανον. *Ars eſt agricultura, ars eſt textoria, item ædificatio. Quæ ipſa valde ſunt neceſſaria, maximeque vitam noſtram conſervant. Aliæ enim artes ſunt harum miniſtræ: ut ferraria, fabrilis & paſtoralis. Quin harum quoque artium nulla æque eſt neceſſaria ac agricultura: ut quam primam invexerit Deus, cùm hominem finxiſſet. Siquidem ſine calceis ac veſtibus vivere licet: at ſine agricultura vivi nequit.*

* Pag. 851. edit. Commel.

§. 13. *Quare, qui in urbibus vivunt, contemnant agricolas, ut lubet: agricolæ ſine oppidis, non oppida ſine agricolis conſtare poſſint.*

Vitruvius procemio lib. II; *Vt natus infans ſine nutricis lacte non poteſt ali, neque ad vitæ creſcentis gradus perduci; ſic civitas ſine agris, & eorum fructibus in mœnibus affluentibus, non poteſt creſcere; nec ſine abundantia cibi frequentiam habere, populumque ſine copia tueri.*

§. 14. *Nec ars hæc modò neceſſaria eſt, ſed omnium eſt artium mater ac nutrix.*

Xenophon in Oeconomico: Γεωργικὴν τῶν ἄλλων τεχνῶν μητέρα εἶναι καὶ τροφόν. Quod interpres ejus Tullius ſic vertit: *Præclarè & ille dixit, qui perhibuit agriculturam aliarum artium matrem eſſe, ac nutricem.*

§. 15. *Agricultura quoque valetudini corporis conducit; tum quia aer purior ſalubriorque eſt in agris, quam in urbibus; tum ob corporis exercitium.*

Imò etſi agricolæ non ſimus, jubet tamen Cornelius Celſus, nunc in urbe, nunc ruri vivere. Quia & ob aëris mutationem hoc conducit, & ob exercitium in eundo ac redeundo.

§. 16. *Etiam purus ille aër ac liber ſpiritum recreat, ingeniumque acuit.*

Quæ cauſſa eſt, cur veteres Romani in villas ſe ſolerent conferre ad philoſophandum. Atque idem ſolent ſummi ætatis noſtræ viri. Nempe hinc etiam elucet veriſſimum eſſe, quod in Catone ſuo Cicero ait: *Agricolarum vitam proximè ad ſapientiam accedere.* Ac ſimiliter Columella libro I. cap. I: *Agricultura ſine dubitatione proxima eſt & quaſi conſanguinea ſapientiæ.*

§. 17. *Sed & vita ruſtica caret ambitione, nec gloriæ fumos aut popularem auram captat, atque ab aliis etiam affectibus libera eſt magis quàm vita illa in urbibus.*

Idcirco, ut Varro ait initio libri de R.R. Qui terram colerent, & utilem agere vitam credebant, atque eos ſolos reliquias eſſe ex ſtirpe Saturni regis. Firmat hoc quoque Plinius lib. I. epiſt. 9. ad Fundanum, ubi de prædio ſuo Laurentino ait: *Hic nec audio, nec dico quicquam, quod dixiſſe, vel audiviſſe me pæniteat. Nemo eſt, qui apud alios falſa calumnia me oneret; neminem contra ego reprehendo, neque accuſo, niſi me ipſum, quando ſcilicet in ſcribendo mihi non ſatisfacio. Non affligor ſpe, vel metu ullius rei: neque animum meum perturbant rumores, vel nugæ de hoc, vel alio.* Pluraque ibidem in hanc mentem: ejuſmodi tamen quæ magis pertineant ad ruſticationem viri literati.

§. 18. *Quam etiam res honeſta fuerit Agricultura apud Romanos, ex eo eſt cognoſcere, quod principes Reip. viri eſſent agricolæ, atque ab aratro arceſſerentur, qui Conſules fierent vel Dictatores.*

Auctor Cicero pro Roſcio Amerino. Ovidii quoque eſt lib. I. Faſt.

Iura dabat populo, poſito modò Prætor aratro.

Seneca Epiſt. LXXXVII. de Scipione Africano ait: *In hoc agello ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quod tantum ſemel capta eſt, abluebat corpus laboribus ruſticis feſſum.* Vide & Plinium lib. XVIII. cap. III. ubi inter cætera illud: *Ipſorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri, ut fas eſt credere, gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore.*

§. 19. *Imò ſi quem bonum dixiſſent colonum, abunde laudari exiſtimabant.*

Cato initio librorum de R. R. & ex eo Plinius lib. XVIII. cap. III: *Virum bonum cum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam, bonumque colonum: ampliſſimè laudari exiſtimantes, qui ita laudabatur.*

§. 20. *Nec Agricultura ſolùm utilis & honeſta eſt, ſed etiam jucunda.*

Varro libro I. cap. IV: *Hinc profecti agricolæ ad duas metas dirigere debent: ad utilitatem, & voluptatem. Vtilitas quærit fructum, voluptas delectationem. Priores parteis agit, quod utile eſt, quàm quod delectat.* Cicero lib. I. de Officiis: *Omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius; nihil homine libero dignius.* Et profectò quid jucundius, quàm ſi oculis noſtris cernamus cuncta illa, quæ apud Tullium legimus?

Cælum niteſcere, arbores frondeſcere,
Vites lætificas pampinis pubeſcere,
Ramos baccarum ubertate incurveſcere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
*Fontes ſcatere, * herbis prata conveſtirier.*

* Lego; & herbis.

Ut de ſuaviſſimo avium concentu, pluribusque aliis, nihil dicam. Quæ fortaſſe Epicurum moverint, ut in hortis potiſſimum philoſopharetur. Nam hi etſi in urbe, proximè tamen ad voluptatem agrorum accedunt.

§. 21. *Hactenus de antiquitate, & multiplici bono Agriculturæ. Videamus de partibus eius. Agit autem de quatuor rebus: de agro, de inſtrumentis & ſuppellectile ruſticâ, de iis quæ homini agenda, & de tempore quo agenda.*

Palladius lib. I. cap. V: *Agriculturæ partes ſunt quatuor ſumma: è quibus prima cognitio fundi; ſolum, parteſque ejus quales ſunt. Secunda, quæ in eo fundo opus ſunt, & debeant eſſe culturæ cauſſa. Tertia, quæ in eo prædio colendi cauſſa ſint facienda. Quarta, quo quidque tempore, in eo fundo fieri conveniat.*

§. 22. *Pertinet ad Agriculturam quoque ἡ φυτευτική ſive ars plantandi herbas, arbores, vites. Siquidem omnia ſubjacent agricolæ, quæ terrâ naſcuntur.*

Cle-

Clemens Alexandrinus lib. I. Στρωμ. Τῆς αὐτῆς δὲ γεωργίας καὶ ἡ φυτουργία, ἐργάζεσθαι ὅσα εἰς αὐτά τε τὰ φυτουργεῖα, καὶ εἰς παραδείσους, καὶ τὰ ὡραῖα, καὶ ὅλως παντοίων δένδρων φύσιν, καὶ τροφήν. *Ejuſdem agriculturæ eſt quoque plantandi officium, & operandi, quæcunque pertinent ad plantaria, hortos, & pomaria, & omnino ad omnis generis arborum naturam, ac nutrimentum.*

§. 23. *De agricultura ex Græcis præter Heſiodi ἔργα, & Arati προγνωστικά, adeantur Geoponicῶn lib.* XX.

Sive eos collegit Vindanius Anatolius Berytus; quem XII de Agricultura libros collegiſſe auctor eſt Photius: ſive Dionyſius Uticenſis, ut videtur velle Brodeus; ſive Caſſianus Baſſus, ad quem Hierocles Mulomedicus ſcripſit. Sanè de Vindanio verum non puto, quia in illis ipſis Geoponicis inſeruntur obſervationes nunc nomine Vindanii, nunc Anatolii, nunc Beryti: ut inter auctores potius, è quibus collectum id opus, eſſe videatur. Collecti verò ſunt cura Conſtantini Auguſti Leonis Auguſti filii, Baſilii Macedonis nepotis: qui Conſtantinus πορφύρας ἀπόγονος, vulgo πορφυρογεννήτης, ſed rectius πορφυρογέννητος nuncupatur. Ex viginti illis libris XII priores ſunt de Agriculturæ ratione: octo poſteriores de natura, & educatione animalium. Græcè hoc opus primus exhibuit Jo. Alexander Braſſicanus: Latinè vertit Janus Cornarius: ſed poſteriores octo longè majori cura tranſtulit, atque unà cum caſtigationibus ſuis edidit Andreas à Lacuna Segobienſis. Complures etiam alios qui de Agricultura ſcripſerunt, nominat Photius tmemate CLXIII, ubi de Vindanio Anatolio loquitur.

§. 24. *E Latinis habemus Catonem, Varronem, Columellam, & Palladium.*

Quorum Varro de hoc argumento ſcripſit anno ætatis octogeſimo primo: ut ait Plinius lib. XVIII. cap. III. Columella etiam in decimo, de hortorum cura eleganti ſcripſit carmine.

§. 25. *Præter hos & multi olim extitere, tum Græci, tum Latini.*

Uti Æſchylides, de quo Ælianus libro XVI de animalibus, cap. XXXII. Antiphon, cujus Georgica citat Athenæus: Caſſius Dionyſius Uticenſis, qui libros XXIX Magonis de R. R. tranſtulit Græcè; eoſque Sextilio prætori miſit. At Diophanes Bithynus eos in ſex libros contraxit, ac Dejotaro regi dicavit. Meminere Varro, Columella, Plinius. Democritus Abderites de Re ruſtica, præter Varronem, & Plinium, Theophraſto, & Laërtio nominatur. Athenæo citantur Georgica Dorionis. Ex Latinis Clodius Albinus Imperator Georgica ſcripſiſſe dicitur à Julio Capitolino. Mitto alios, quos adducunt Varro, & Columella, initio operis, de R. R. Item Plinius in Hiſtoria animalium.

§. 26. *Multum verò ad laudem hujus ſcientiæ pertinet, quod qui de ea ſcripſerint, ſæpe fuerunt ſummi apud Romanos in Rep. viri: ut de Catone, Varrone, Clodio Albino diximus; pluresque alios laudat Plinius. His adde exteros reges duceſque.*

De quibus ita Plinius lib. XVIII. cap. III: *De cultura agri præcipere principale fuit etiam apud exteros. Siquidem & Reges fecere, Hiero, Philometor, Attalus, Archelaus. Et duces, Xenophon, & Pœnus etiam Mago: cui quidem tantum honorem Senatus noſter habuit Carthagine capta, ut cum regulis Africæ bibliothecas donaret, unius ejus duodetriginta volumina cenſeret in Latinam linguam transferenda, cum iam M. Cato præcepta condidiſſet: peritiſque linguæ Punicæ dandum negotium, in quo præceſſit omnes vir clariſſimæ familiæ D. Syllanus.* Horum Magonis librorum meminit & M. Tullius lib. I. de Oratore: ubi hoc pacto loquentem inducit Antonium: *Num igitur, ſi cui fundus inſpiciendus, aut ſi mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum villico ſit, Magonis Carthaginenſis ſunt libri perdiſcendi? an hac communi intelligentia contenti eſſe poſſumus?*

Cap. VII.

DE PASTIONE AC VENATIONE.

§. 1. *Vidimus de Agricultura, quæ è ſolo præſtat alimentum; ſequitur Paſtio ſive res pecuaria, quæ alimenta ex animantibus præbet.*

XEnophon in Oeconomico, & exinde etiam Stobæus Serm. CCXXII: Ἡ προβατικὴ τέχνη συνῆπται τῇ γεωργίᾳ· *pecuaria ars cum agricultura eſt conjuncta.* De eadem Ariſtoteles lib. VI. Polit. cap. IV: Πολλὰ ἔχει τῇ γεωργίᾳ παραπλησίως· *multa habet agriculturæ ſimilia.* Atque idem lib. I. cap. VIII. appellat eam ζῶσαν γεωργίαν, *vivam agriculturam.* Quin primò iidem & agricolæ, & paſtores erant: unde Varro lib. III. de R. R. cap. I. *Agricultura primò indiſcreta fuit, quod à paſtoribus qui erant orti, in eodem agro & ſerebant, & paſcebant.*

§. 2. *Suntque paſtores proximæ bonitatis poſt agricolas.*

Ariſtoteles lib. VI. Polit. cap. VI: Μετὰ τὸ γεωργικὸν πλῆθος βέλτιστος δῆμός ἐστιν, ὅπου νομεῖς εἰσι, καὶ ζῶσιν ἀπὸ βοσκημάτων· *ſecundum eam multitudinem, quæ ex agricolis conſtat, populus ille eſt optimus, in quo ſunt paſtores, & qui ex re pecuaria vitam tolerant.* In Ægypto etiam poſt regem proximum locum obtinuit ordo ſacerdotum, hinc virorum principum, inde militum, deinde agricolarum, tum paſtorum, ac poſtremo opificum: ut eſt apud Diodorum Siculum lib. I.

§. 3. *Antiquitas & honeſtas vitæ paſtoralis ex eo cognoſcitur, quod pius ille Abel fuerit paſtor.*

Ut eſt Geneſ. cap. III.

§. 4. *Paſtio eſt triplex pro triplici genere animantium. Sunt enim hæc vel terreſtria, vel aëria, vel aquatilia.*

Unde paſtio alia in vivariis, alia in aviariis, alia in piſcinis.

§. 5. *Terreſtria animalia vel minora ſunt, vel majora. Minora, ut ovis, capra, ſus. Majora, ut bos, equus, aſinus.*

Adde & mulum. Tertium etiam genus dixeris, canes. Sed & villatica paſtio concluſos habet caniculos, capreas, damas, apros.

§. 6. *Aëria eſt paſtio quæ aves villâ concluſas habet.*

Ut gallinas, columbas, pavones. Ad aëria etiam pertinent apes: unde melle paſcimur.

§. 7. *Aquatilium eſt paſtio in piſcinis.*

Ad aëria & aquatilia pariter pertinent amphibia; ut anates.

§. 8. *Paſtioni vicina venatio. Qua voce laxiùs utimur: ut quemadmodum pro triplici animantium genere triplex paſtio erat, ſic venatio ſit triplex.*

Quam rem mox plenius explicabimus.

§. 9. *Venatio multum habet prudentiæ & fortitudinis mili-*

militari, ſequeque hinc, inter pacis otia, jure operam dant militia amantes.

Venationis laudes ex Xenophonte notæ, uti & aliis, de quibus Ritterſhuſius ad Oppiani Cynegetica. Qui venationem invenerint, eave excelluerint, carmine expoſuit Franciſcus Philelphus Satyra Hexaſticha ſexta libri ſexti.

§. 10. *Pythagoras tamen à venatione alienus fuit.*

Ut quem θηρεύοντα μηδέποτε πλησιάζειν ſcripſerit Eudoxus in ſeptimo de Terræ ambitu, & ex eo Porphyrius in Pythagoræ vita. Ac idem prodit Jamblichus de vita ejus cap. XXX. Nec admodum præclarè de Venatione ſentit Salluſtius, qui in prooemio Catilinariæ conjurationis ſic ſcribit: *Non fuit conſilium, agrum colendo, aut venando, ſervilibus officiis intentum, ætatem agere.* Ubi videmus, ut non Agriculturam duntaxat, ſed etiam Venationem, ſervile officium appellet Salluſtius. Robertus Titius in locis controverſis, pro *venando*, apud Salluſtium legit
* p. 461. *venundando.* Sed ſcholiis in Syriada Angelii Bargæi, * ſcribit, eam conjecturam, non quidem ineptam, attamen non neceſſariam: itaque ſe eam jam rejicere. Mihi verò etiam inepta videtur.

§. 11. *Notum quoque est Clericis Venatione, ac donationibus in venatores, ſit interdictum.*

Vide Can. VIII. qui de Venatoribus, & V. ſeqq. diſt. LXXXVI. Quando Venatio peccatum inducat, vide apud Cajetanum in Summula.

§. 12. *Venatio vel eſt terreſtris, vel aëria, vel aquatica.*

Pro quibus tres artes, θηρευτικὴ ſive κυνηγετικὴ, ἰξευτικὴ, & ἁλιευτικὴ. Latini primam generali nomine, Venatoriam vocant, alteram Aucupium, tertiam Piſcatoriam.

§. 13. *Venatio terreſtrium ferarum vel eſt fortis, ut quæ canibus fit, & equis; vel imbellis, ut quæ retibus fit.*

De Venatione exſtat fragmentum Gratii, qui Ovidio æqualis. Ad canes venaticos pertinet Phæmonis, vel incerti ſcriptoris liber περὶ κυνῶν ἐπιμελείας, *de cura canum.* Eum Wittebergæ primus Græcè, verſione etiam ſua addita, divulgavit Andreas Aurifaber Vratiſlavienſis: poſteaque eundem, unà cum Rei accipitrariæ ſcriptoribus, edidit Lutetiæ Nicolaus Rigaltius. Exſtat & carmen elegantiſſimum Hieronymi Fracaſtorii, ſummi poëtæ, quod Alcon, ſive de cura canum venaticorum inſcribitur.

§. 14. *Aëria venatio eſt, quæ fit accipitre.*

Accipiter, qui Ariſtoteli τριόρχης, & κερχνηΐς τῶν ἱεράκων. Plinio eſt *buteo.* Nobis *falco* inter accipitres primas obtinet. Vide quæ nos in Phyſica Chriſtiana de uſu harum avium.

§. 15. *Venatio ea ignota erat Græcis, ac veteribus Romanis.*

Itaque Ariſtoteles, quod vulgò ferebatur, Thracum pueros, ſocietate cum accipitribus inita, ſolitos aucupari, id portentoſum cenſet atque incredibile: etſi ſimilia Cteſias de aquilis Indicis prodidiſſet. Objiciat aliquis, quæ de circaneis avibus referunt Grammatici veteres: item quod apud Martialem de accipitre, aucupum famulo. Verùm iſta ſunt ἰξευτικὰ, ut illa Oppiani & Nemeſiani ἰξευτικά: ad rem verò accipitrariam minimè pertinent.

§. 16. *Accipitraria hæc venatio circa Conſtantini, & Theodoſii tempora cœpit inter Romanos.*

Primi quidem Julius Firmicus, & Sidonius Apollinaris, falconum, aſturum, & accipitrum prælia memorant. Itaque his temporibus protohieracarius eſſe cœpit, ſub quo alii in Curopalatæ matricula notabantur. Mox etiam ars ea libris conſignata.

§. 17. *Antiquiſſimus hujus artis ſcriptor eſt Demetrius Conſtantinopolitanus.*

Ejus de re accipitraria opus inſcribitur Δημητρίου Κωνσταντινοπολίτου περὶ τῆς τῶν ἱεράκων ἀνατροφῆς τε καὶ ἐπιμελείας: ſive, ut in aliis eſt libris, καὶ θεραπείας. Vertit Latinè Petrus Gillius, vir utriusque linguæ, & naturalis hiſtoriæ ſcientiſſimus. Qui & alterum tranſtulit ejus argumenti opus, ſed recentioris ſcriptoris, & durioris ſtyli: quod ἁπλῶς inſcribitur, ὀρνεοσόφιον ἀρχαιότερον, ut incerti videatur authoris. Imò & prius opus in Mediceo codice ſimpliciter inſcribitur, βιβλίον ἱερακοσοφικόν. Utrumque Lutetiæ ex Medicea prodiit bibliotheca, cura Nicolai Rigaltii. Atque addidit quoque excerpta ex libro incerti ſcriptoris de Natura rerum, in quibus agitur de diverſis generibus falconum, ſive accipitrum, eorumque morbis ac medicina. E junioribus tres libros de Re accipitraria elegantiſſimo carmine ſcripſit Jacobus Auguſtus Thuanus.

§. 18. *Aucupium, quo aves illectæ ſuperfuſis retibus includuntur, aut virgis viſcatis detinentur, vile eſt, & inglorium.*

Itaque & Platonis legibus prohibetur, ut ſordidum & illiberalis otii negotium. Leo philoſophus imperator, Baſilii Macedonis filius, qui cœpit imperare anno DCCCLXXXVI, librum de Aucupio reliquit: qui MS. fuit in Bibliotheca Ant. Auguſtini num. CCXXVIII.

§. 19. *Supereſt venatio piſcatoria.*

De qua ſuperſunt ἁλιευτικὰ Oppiani. Sed ante eum multi de ea alii ſcripſere: in his Leonides Byzantius Metrodori Byzantii, viri piſcatoriæ rei intelligentiſſimi filius; quem & ipſum de re piſcatoria ſcripſiſſe auctor eſt Ælianus lib. XVII de Animalibus cap. ult. Meminit & ejus lib. XII ejuſdem operis cap. XLII. item lib. II. cap. VI. ubi hiſtoriolam adfert de delphino & puero. item libri ejuſdem cap. I. ubi quiddam narrat de interitu miſeri hominis, qui paſtinacam piſcem eſſet ſuffuratus. Quod ex eodem Leonide memorat Michael Apoſtolius Cent. XIX. Prov. LXI. Etiam Tzetzes Chil. IV. Hiſt. CXXVIII. quatuor iſtos conjungit, Ælianum, Oppianum, Leonidem, & Timotheum Gazæum, quos Animalium ait hiſtoriam ſcripſiſſe.

§. 20. *Hactenus de Agricultura, Paſtione, & Venatione, quæ alimoniam præbent; ſed præparandam. Quod fit à molitoria, piſtoria, laniatoria, arteque culinaria.*

De quibus non eſt animus dicere. Uti neque de οἰνοποιητικῇ, & ζυθοποιητικῇ, quæ potum præparant.

CAP. VIII.

DE MEDICINA.

§. 1. *Ab artibus, quæ alimoniam præbent, venio ad Medicinam, filiarum Philoſophiæ contemplatricis facilè principem.*

Quanquam Tertullianus lib. de Anima non filiam, ut nos, vocet; ſed ſororem Philoſophiæ. Nempe ſtrictius eſt uſus Philoſophiæ vocabulo, quàm à nobis factum.

§. 2. *Eſt verò Medicina ars humanæ ſanitatis effectrix.*

Artem dico, non ſcientiam, quia finis ejus eſt πρᾶξις.

Atque idcirco Avicenna, in principio operis ſui de hac arte, vocat ſcientiam practicam. Dico *humanæ ſanitatis*, ut diſtinguam à Medicina veterinaria, ac Mulomedicina. Ac ob nobilitatem hanc ſubjecti tertium ſibi locum vindicat Medicina. Dico *effectrix ſanitatis*, quia non ſolùm efficit ſanitatem, qui abſentem revocat, ſed etiam qui præſentem conſervat. Quippe conſervare etiam eſt efficere. Quanquam fortaſsè nec ſic finis Medicinæ integrè aſſeratur. Triplex enim eſt ejus finis, conſervare ſanitatem, morbos curare, & vitam producere. Quod tertium, etſi vulgò aliter ſentiant, omnino à prioribus eſt diverſum.

§. 3. *Etſi autem Medicinæ finis ſit* πρᾶξις, *vulgò tamen Medicina dividitur in* θεωρητικὴν, καὶ πρακτικὴν, *idque quia quædam remotiora ſint à praxi.*

Quippe θεωρητικὴ ſolùm facit, ut ſciamus, quid ſecundam, quid adverſam faciat valetudinem. Πρακτικὴ autem artem docet tum conſervandi ſecundam, tum reſtituendi amiſſam.

§. 4. Θεωρητικὴ *propriè eſt Phyſici; ſed è philoſophorum ſcholis medicinæ candidato repetitur: eſtque bipartita. Partim enim agit de natura corporis humani, partim de morbis. Prior pars dividitur in eam, quæ eſt de principiis corporis humani; & illam de partium corporis ſtructura, actionibus, & uſu.*

Illam de principiis generali nomine appellant φυσικὴν, atque agit de ſeptem illis, ut vocant, naturalibus, nempe elementis, temperamento, partibus, humoribus, ſpiritibus cum calido innato, facultatibus, ac functionibus: inque horum explicatione multum laudis è junioribus promeruit Fernelius. Alteram dicimus ἀνατομικὴν: in qua egregia eluxit opera Veſalii, Columbi, Laurentii, Spigelii, Bartholini.

§. 5. *Poſterior pars theoretices, vocatur* Παθολογικὴ, *eſtque de rebus contra naturam. Diſpeſcitur ea in tres partes: una ideas morborum ac differentias tradit, altera cauſſas eorundem; tertia accidentia ac ſigna.*

Prima generatim dicitur νοσολογικὴ, altera propriè αἰτιολογικὴ, tertia συμπτωματικὴ καὶ σημειωτική. Quod ad mediam: omnes morborum cauſſæ videntur reduci poſſe ad duas; ſolutionem continui, & humorum intemperiem. Eſtque intemperies à cruditate, quæ vaporibus craſſis inflat, inque capite condenſata catarrhum ſive deſtillationem gignit; in membris aliis obſtructionem, unde putredo & inflammatio. Σημειωτικὴ vel demonſtrat ſignum rei præſentis, ut διαγνωστική; vel prænunciat ſignum rei futuræ, ut προγνωστική; vel indicat præteritum corporis ſtatum, ut ἀναμνηστική. Προγνωστικὴ vel Medica eſt, ab Hippocrate tradita; vel Mathematica, è cælo ac ſideribus vitam aut mortem præſagit. Sed hæc difficilis & incerta, imò majorem partem vana. Particulatim verò ſigna capiuntur vel è pulſu, de quo optimè Galenus; vel excrementis, ut ſunt merda, urina, ſudor, ſputum vomitus, vel è ſomniis ab interna cauſſa profectis, in quæ & ab Hippocrate inquiri ſolet. Referuntur verò ſomnia ad ſigna ſtatus præſentis, ut ad διαγνωστικὴν pertineant. Atque hæc de Medicina θεωρητικῇ: quæ potius eſt εἰσαγωγική, & manuductio ad Medicinam, quam ejus pars.

§. 6. *Sequitur Medicina πρακτική; quæ in operatione conſiſtit, ac propriè Medicinæ nomen poſſidet: ac partim medicamento, partim alimento efficit ſanitatem. Eſt hæc partim* ὑγιεινὴ *ſive* προφυλακτικὴ, *vel* διαιτητική, *h. e. ſanitatis conſervatrix: partim* θεραπευτική, *cujus beneficio ſanitas recuperatur. Ac poſterior hæc diu ſola fuit: cui poſtea* διαιτητικὴ *acceſſit.*

Nempe neceſſitas morbi præſentis fecit, ut prius de morbo pellendo, quàm de conſervanda valetudine cogitaretur. Itaque & de θεραπευτικῇ prius agemus.

§. 7. *Partes* θεραπευτικῆς *ſunt hæ tres,* Διαιτητικὴ, *quæ victum præſcribit ægro:* Φαρμακευτικὴ, *quæ morbum curat medicamentis idoneis, ſive ſimplicibus, ſive quandoque etiam compoſitis:* χειρουργικὴ *quæ urendi, ſecandi, ac cæterorum, quæ manu peraguntur, rationem docet. Ac antiquitus quidem Medici ipſi tum medicamenta præparabant; tum manum vulneribus, & ſimilibus admovebant. Poſtea hæc per alios procurata, quia Medici opera non ſufficeret tam variis ac multis. Solum igitur Medicus ſibi reſervavit hoc, quod & pharmacopæis & chirurgis præſcriberet, quid ad medendum ægro opus foret.*

Nec ſanè Medicorum nomen merentur φαρμακευτικῆς ac χειρουργικῆς ignari. Nam quomodo aliis præſcribant, quod neſciunt? Talibus ſcilicet committamus vitam noſtram. Sed de φαρμακευτικῇ, ac χειρουργικῇ inferius dicemus pluribus. Ubi eas conſiderabimus, non ut partes ſunt ſcientiæ medicæ; verum ut miniſtræ ſunt medicinæ. De θεραπευτικῇ ſatis.

§. 8. Διαιτητικὴ *dividitur in partes tres,* προφυλακτικὴν, *quæ morbos imminentes & futuros arcet;* συντηρητικὴν, *quæ præſentem conſervat ſanitatem; ac* ἀναληπτικὴν, *à quâ reficiuntur valetudinarii. In quadruplici verò præſidio hæc tria conſiſtunt. Primum præſtant* τὰ προσφερόμενα, *ſive cibus potusque, quem aſſumimus;* τὰ κενούμενα, *ſive quæ evacuant, quò pertinent excrementa;* τὰ ἔξωθεν προσπίπτοντα, *ut aër, mare, oleum, & ſimilia;* τὰ ποιούμενα, *ſive agenda, cujuſmodi ſunt exercitatio, ſtudia, Venus, ſomnus, affectus, lotio, & id genus alia. Unde liquet ad quartum hoc genus pertinere* γυμναστικὴν *ſive exercitatoriam.*

De quâ pro inſtituto ſatis dictum libro de quatuor popularibus Græciæ ſcientiis, Grammatiſticâ, Gymnaſticâ, Muſicâ, & Picturâ.

§. 9. *Vidimus de Medicinæ partitione. Addam de diviſione Medicorum. Horum tria veteres faciunt genera: ut alii ſint Dogmatici, alii Empirici, alii Methodici. Dogmatici duplici ſunt tibicine ſubnixi, ratione in univerſalibus, & experientiâ in ſingularibus. Itaque tum evidentes, tum abditas cauſſas conſiderant, ac præterea partes affectas & earum ſigna. Empirici ſolum nituntur experientiâ, & analogiâ ad ſalubria eligenda, inſalubria fugienda. Methodici, neglectâ experientiâ, ſufficere ad morbi curationem putant communia, ac generalia, ſenſuique manifeſta indicia; cùm ea quidem debeant attendi, ſed ab his ad ſpeciales ac proprias indicationes debeat deveniri.*

Ex his maximè in ſcholis regnat ſecta dogmatica, quæ non ſolùm nititur obſervationibus particularibus, vel præceptis inde exſtructis, ut Empirica; nec ſic rationi inſiſtit, ut contenta ſit theorematis paucis, iiſque methodo imperfecta tractatis, ſicut Methodica; ſed ſubnixa eſt theorematibus, & explicationibus multis, methodo plenâ expoſitis, multarumque rerum cognitione, & uſu.

§. 10. *Apud recentiores verò & altera eſt Medicorum diviſio, eaque itidem tripartita. Sunt enim Medici Aſtrologici, ſunt Magi, ſunt Chymici. Ex his Aſtrologici dicuntur, qui non ſolùm univerſalia in aſtris attendunt; ſed etiam, penetralia artis ingreſſi, particularia exquiſitè conſiderant.*

Ut qui de corpore noſtro & materiæ medicæ conditione ex particulari ſiderum conſtitutione præcipuè judicant, & actio-

actiones ſuas maximè ſecundum eam dirigunt, cætera verò absque iſto parvi faciunt. Video acriter decertari, ſit ne Aſtrologia Medico neceſſaria. Sed Hypocrates libro de Aere, aquis, & locis conſiderare jubet medicum aſtrorum ortus & occaſus: infirmis periculoſa ait æquinoctia, magis auctumnale: jubet quoque conſiderare ortus & occaſus ſiderum, præcipuè canis, deinde arcturi & Plejadum occaſum, quia his maximè diebus morbi judicantur. Similia habet lib. I. de Diætâ. item lib. de Humoribus. item lib. IV. de Morbis. Idem Aphoriſmo I lib. III. docet, ut mutationes temporum maximè pariant morbos. Quare non dubium, quin Medico perutilis Aſtrologiæ notitia, quò criſes ſecundum aſtrorum rationem in morbis obſervet. Quod & Galeni judicium eſt libro de Spermate. Diſplicet hæc ſententia pluribus: ex his Franciſco Rapardo, Brugenſi Medico, qui Flagellum Prognoſticorum ſcripſit penè ante ſeculum. Et Petrus Haſchardus Inſulanus, Medicus Chirurgus, reſpondit libro, quem inſcripſit Clypeum Aſtrologicum. Extendit verò hanc obſervationem ſiderum etiam ad tonſuræ tempus: ac memorat, quomodo Brugenſium magiſtratus decreto ſanxerit, ut tonſores omnes ſeſe componerent juxta Almanach Petri Bruhezii. Hoc edictum riſerat Rapardus. At Haſchardus rectè factum ait, atque addit: *Vtinam & in aliis id omnibus civitatibus obſervaretur.* Noſtra hæc ſententia eſt, Medici nomen non mereri qui Aſtrologiæ penitus ſit ignarus: ſed nihil requiri, ut attendat quæ tradunt de deſtributâ inter XII ſigna poteſtate in ſingula hominis membra, deque aſpectu trigono, tetragono, & ſimilibus. Sed de hoc iterum dicam in doctrina de Aſtrologiâ.

§. 11. *Etſi verò Medicina non ſit pars Matheſios, eſt tamen in eâ non exiguus uſus Matheſios.*

Ut cùm de temporibus & locis tractat. Ubi medicus τὸ ὅτι tradit; τὸ διότι verò ex Matheſi deſumit. Ita quoque ut Ariſtoteles ait lib. I. Poſter. Analyt. cap. X. Medicus ſcit vulnera rotunda tardius curari: ſed ex Geometriâ petitur cauſſa. Ea eſt, quod in rotunda figura non ſint anguli, ac propterea hujuſmodi vulnus tardius coëat.

§. 12. *Medici Magi ſunt triplices. Quidam toti ſunt in occultis naturæ proprietatibus indagandis, & earum operationibus promovendis. Alii verbis, characteribus, & ceremoniis medendi efficaciam tribuunt. Alii ſe ajunt ſpiritus cujuſdam commercio uti, ex quo omnem medendi rationem intelligant. Primum Magiæ genus nititur naturâ, quæ Deum habet auctorem. Atque huc pertinent quoque quædam περίαπτα, ſive περιάμματα, vel ἀποτρόπαια, Latinis ab amoliendo* amoleta.

Temerè nimis Remigius Lotharingus lib. III dæmonolatr. cap. III univerſa damnat περίαπτα, cùm quædam ob συμπάθειαν vel ἀντιπάθειαν proſint occulta proprietate: unde Dioſcoridi vocantur ἀναντιολόγητα, hoc eſt, ejuſmodi ut rationem eorum reddere nequeamus. Scio quoſdam pro diabolicis habere, quorum rationem perſpicere non poſſunt: ſed num eò referent, quòd magnes, niſi allio illitus ſit, trahit ferrum; quod patinæ aquâ plenæ impoſitus, utcumque millies patinam verſes, quieſcens ſemper frontem verſus polum Arcticum vertit? Et quàm alia multa ſunt id genus! Quare negari non debet, aliqua occultam habere facultatem, quâ de collo pendentia, ubi incaluerint à corpore noſtro, profluvia quædam, nobis neſcientibus, effundant, cutique noſtræ, vel ori etiam, ac naribus infundant, eoque pacto morbis variis proſint.

§. 13. *Alterum Magiæ genus, quod medetur per incantationes, ac magicos ſuſurros, Medicina nomine eſt indignum: etſi antiquiſſimum ſit, & Homeri jam ætate, imò, ſecundum eum, temporibus obtinuerit Troianis.*

De quo vide Etymologicum Magnum in Ἐπαοιδή.

Mirum verò etiam veteres Romanos hoc uſos magiæ genere. Ita M. Cato de Re Ruſt. cap. CLX docet, quomodo excantare poſſimus luxationem aut fracturam membri: Sequar editionem Rob. Stephani, à Victorio caſtigatam: ſed miſcebo lectionem Aldinam: *Incipe cantare in alio, S. F. motas vata* (*Aldus, danata*) *daries dardaries aſtataries* diſſunapiter (Ald. *dic unà pariter*) *uſque dum coeant.* Et paullo poſt: *Vel hoc modo; huat hanat huat* (Ald. *haut haut haut.*) *iſta piſta ſiſta domiabo* (Ald. *damiabo*) *damnaſtra.* Et mox: *Vel hoc modo: Huat haut haut iſta ſis* (Ald. *iſtagis*) *tarſis ardannabon dunnauſtra.* Ubi Ald. *damauſtra.* Hinc Plinius lib. XXVIII. cap. II: *Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari. M. Varro podagris.* Ac aliquanto poſt: *M. Servilius Nonianus princeps civitatis non pridem in metu lippitudinis, priuſquam eam nominaret, aliuſve ei prædiceret, duabus literis Græcis,* Ρ, Α (ita & in MS. reperio, ubi in Parmenſi veteri literæ prætéritæ) *chartam inſcriptam, circumligatam lino ſubnectebat collo.* Similis eſt quartanæ ſanatio per ABRACADABRA chartæ inſcriptum, & collo appenſum: ut eſt apud Q. Serenum Samonicum. Planè autem aſſentio B. Chryſoſtomo, qui docet, utut hujuſmodi amoleta præſtarent, quod promittunt, ſatiùs nihilominus fore, ut morbo obeamus, quàm ſic recuperemus ſanitatem. Adi & Fr. Valleſium de Sacrâ philoſophiâ cap. III. ubi diſputat adverſus eos, qui vim tribuunt verbis, & incantationibus.

§. 14. *Tertium Medicinæ magicæ genus, quod commercio cum Spiritibus fieri dicebamus, planè nefarium eſt.*

Scio, multos dividere Magiam in θεουργίαν, quam albam vocant, & γοητείαν, quam nigram nuncupant; ac velle eos, priorem eſſe licitam, quia commercio bonorum ſpirituum fiat. Quomodo & Palingenius lib. Zodiaci VIII ait aëra eſſe bonis ſpiritibus refertum, atque eos eſſe θεουργίας auctores. Sed enim melius Arnobius adverſus Gentes; *Magi non tantum ſciunt dæmonas, ſed etiam quicquid miraculi edunt, per dæmones faciunt: illis adſpirantibus, & infundentibus præſtigias edunt, vel quæ non ſunt videri, vel quæ ſunt, non videri.* Et ſanè in hoc conſentit omnis ſanctorum Patrum chorus; quibus potiùs accedendum, quàm Plotino, Jamblicho, & Platonicorum aliis.

§. 15. *Chymiſtæ, ſive medici πυρότεχνοι, primas in Medicinâ tribuunt arti Chymicæ, principia ex ejus artis documentis ſumunt, ac materiem non uſitato pharmacopoliis modo, ſed novâ ratione, juxta Chymicam artem, præparant & adminiſtrant.*

Ac alii quidem univerſam Medicinam conſtituunt in præparatione & adminiſtratione medicamenti, univerſam hominis naturam juvantis, eoque ad omnem morbum, ac moleſtiam depellendam efficacis, quod *lapidem philoſophicum* appellant. Alii non univerſale remedium agnoſcunt, ſed ſolùm univerſalem doctrinam, quæ morbis univerſis, ſed variis modis medeatur. Ut pro morbi varietate, alia atque alia materies, aliter atque aliter debeat præparari. Inque modo hoc præparandi, alii varios habent duces, quorum magna pars in opere eo, quod *Turba philoſophorum* inſcribitur: alii unum aliquem ſequuntur, puta Raimundum Lullum, vel Theophraſtum Paracelſum, vel ſimilem.

§. 15. *Vt verò quædam tum Aſtrologiæ, tum Magiæ, utilis eſt Medico; quædam noxia: ita quædam etiam Chymiæ Medico eſt neceſſaria, quædam inutilis. Quare ut Medicina, ejuſque partium conſtitutio, melius intelligatur; deinceps de Chemiâ pluribus dicam.*

Cumque ea conſideretur bifariam, prout eſt pars Medicinæ, ac prout famula ejuſdem; hoc loco ejus rationem ha-

bebimus, utraque ratione; ne ubi deventum erit ad artes Medicinæ famulantes, in quibus eſt Pharmaceutice, ejusque pars aut famula, Chymiſtice; neceſſe habeamus ſecundò de eâ agere, ac magnâ parte vetera reponere.

CAP. IX.

DE CHEMIA.

§. 1. *Ars hac χημία, χημεία, & χυμεία vocatur, & Arabico articulo præmiſſo, Alchymia.*

Χημία eſt apud Photium ex Zoſimo Panopolita. Χημεία apud Suidam. Eſt utrumque à χέω quod eſt *fundo*. Χυμεία verò, ut χυμὸς, à κέχυμαι, eliſo E. Hinc præmiſſo Arabum articulo AL, Alchymia. Non quaſi ἁλὸς χυμεία, quia ſal θαυματουργὸν omnibus ex rebus extrahat; quod meritò ridet Caſaubonus in Athenæum lib. XI. cap. VIII. Articulus verò AL præmiſſus, ut iidem Chymici ab ἄμβιξ fecere *alembix*, & Μεγίστην βίβλον Ptolemæi vocant *Almageſtum*. Et fortaſſe à *manacus* quod à μαίνα ſive μήνη, ſimiliter factum *Almanach*. De quo tamen alii diſſentiunt. Certè H. Stephanus in Expoſtulatione de falſo ſuſpecta Latinitate opinatur hanc vocem originem cœpiſſe, ex conſuetudine Germanorum, qui aliquid quo res accidit præmittere ſolent: hunc ferè in modum, als man nach der geburt Jeſu Chriſti unſers Selichmachers gezehlt hat 1550, vel 1570, aut quocunque alio anno quodcunque contigerit. Nos verò hæc in medio relinquimus.

§. 2. *Ex eo autem, quod nomen ſit ἀπὸ τοῦ χέειν, hoc eſt* fundere, *colligimus initium cœpiſſe artem à μεταλλουργίᾳ.*

Unde & Suidæ χημεία definitur ἡ τοῦ ἀργύρου καὶ χρυσοῦ κατασκευή· *argenti & auri præparatio.* Sed poſtea extenſa ſignificatio: unde generatim à Chymicis definitur.

§. 3. *Χημεῖα eſt ars benè laborandi, (ut Artis vocabulo utar) h.e. corpora heterogenea diſſolvendi, homogenea conjungendi.*

Vel, ſi hoc clarius eſt, eſſentias puras ex corporibus mixtis extrahendi, & pura puris conjungendi; quæ duo ſunt propria hujus artis officia.

§. 4. *Vtilitas Chemiæ longè maxima eſt. Primùm ad cognoſcendam rerum naturam. Vt in quâ non fallaci quid ratiuncula nobis adſtruatur, ſed obvio ſenſibus experimento veritas comprobetur. Deinde ad meliùs morbos ſanandos, quoſdam etiam citra hanc artem inſanabiles.*

Quid mirum? quando per ἐκκρίσεις ſive excretiones chemicas ex plantis, animalibus, metallis, unumquodque à ſordibus purgatur, puriorque pars ad medendum aſſumitur. Utinam modò non tam multi, qui pro Chymicis ſe venditant, indocti eſſent impoſtores. Utinam quoque in pleriſque eorum, qui hanc ſcientiam ſcriptis tradidere, non tam multa ſe bonis permiſta offerrent, quæ ſuperſtitioſa eſſe negare non poſſumus. Quâ de re pluribus poſtea dicetur. Sed hominum quorundam culpa non debet præjudicare nobiliſſimæ deſtillandi ſcientiæ, & ſecretioni metallorum, aliorumque rerum: quam qui neſcit, magnam & perutilem Medicinæ partem ignorat. Imò ſi Petrum Andream & Matthiolum Senenſem audimus, ſine eâ non modò non abſolutus Medicus, ſed ne mediocris quidem eſſe poſſit. Vide eum libro quarto epiſtolarum ultima, quæ eſt ad Andream de Blauwen ἰατροχυμικόν.

§. 5. *Tranſiit Alchymiæ diſciplina ad nos ab Arabibus, ſive Mauris Hiſpaniam occupantibus.*

Quos ante annos quingentos bonam huic diſciplinæ operam navaſſe argumento eſt, quod tam multa Chymica afferant Avicenna, Bulcaſis, Rhaſis, Joan. Meſue, aliique.

§. 6. *Mauros verò ab Ægyptiis accepiſſe autumant, quando Suidas*, uti & Oroſius, Paulus Diaconus, ſcribunt, Diocletianum Cæſarem, captâ Alexandriâ, libros omnes ſummo ſtudio undique acquiſiviſſe, eoſque combuſſiſſe, ut occaſionem Ægyptiis præriperet hac arte opuleſcendi, armaque adverſus Romanos capiendi.*

* *In χημία.*

Quò etiam facit, quod Julius Firmicus†, qui Matheſin ſuam nuncupat Ægyptiam, tradit; Lunam in nono ab horoſcopo loco in nocturna genitura in domo Saturni hominem ad ſcientiam Alchymiæ propenſum reddere. Ægyptii rurſum edocti exiſtimantur ab Hermete, ſeu Mercurio Triſmegiſto, quòd ab eo quamplurima in arte Chymica nomen acceperint: quanquam alii putant Hermetem hunc fuiſſe non Ægyptium illum, ſed Arabem Medicum. At Zoſimus Panopolites in libro de Chemia, quam χημεία vocat, ſcripſit homines eſſe hanc artem edoctos ab angelis illis, qui cum mulieribus conſueſcentes gigantes procrearent. Verba ejus apud Photium habes, & exinde etiam apud Joſephum Scaligerum Notis in Euſebium‡.

† *Lib. 3. in decretis Lunæ in nona domo.*

‡ *P. 243. in Græcum contextum.*

§. 7. *Vt ut eſt, abundè liquet hanc diſciplinam non eſſe inventum nuperum, de quâ tam multi veterum meminerint: quanquam non ignorem multa etiam à multis parum ſolida congeri teſtimonia ad antiquitatem ejus adſtruendam.*

Ut, qui Chymiſticam aquam ſignificari putant verſibus hiſce antiquitatem, ut videri poſſit, redolentibus, inſcriptis in urnulis duabus, inventiſque juxta Ateſtam, agri Patavini oppidulum. Ac extimæ quidem urnæ hi inſcribebantur verſus;

Plutoni ſacrum munus ne attingite fures,
Ignotum eſt vobis hoc quod in urna latet.
Namque elementa gravi clauſit digeſta labore
Vaſe ſub hoc modico Maximus Olybius.
Adſit fecundo cuſtos ſibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

Intra urnam eam erat urnula altera: in quâ hæc inſcripta:

Abite hinc peſſimi fures.
Vos quid voltis cum veſtris oculis emiſſitiis.
Abite hinc veſtro cum Mercurio petaſato caduceatoq;.
Maximus maximo donum Plutoni hoc ſacrum facit.

Atque intra hanc urnulam erat lucerna ardens intra ampullas duas, aurea una, altera argentea, puriſſimi plenæ liquoris, cujus beneficio creditur lucerna ea annos arſiſſe permultos: ut referunt in ſuis Inſcriptionibus Petrus Apianus, & Bartholomæus Amantius. Nec abs re fuerit ſi addamus etiam, quid hac de re ſenſit magnus ſua ætate vir Hermolaus Barbarus Corollario in Dioſcoridem; ubi universè de aquis agens ſic ſcribit: *Eſt & cæleſtis aqua, ſive potiùs divina chymiſtarum, quam & Democritus, & Mercurius Triſmegiſtus novere, modò divinam aquam, modò Scythicum laticem appellantes, modo pneuma, hoc eſt, ſpiritum ex ætheris natura, & eſſentia rerum quinta: unde aurum poculentum, & jactatus ille, necdum inventus, philoſophorum lapis & ſabulum conſtet. Hinc & arti datum nomen, pſammurgicen, & myſticen, & ammophyſiam, & ſacram, & maximam vocando: ceu literas quaſdam ſecluſas habeat, & à quibus profanum vulgus arceri conveniat. Hoc genus laticis, ut arbitror, ſignificat epigramma nuperrimè in agro Patavino juxta oppidulum Ateſtæ inventum opere lateritio, ac proinde fragili, per imprudentiamque manum ruſticæ, proſcindentis ibi terram, corrupto. Cujus memoriâ ne pereat, verba prætexuimus.* Subjicit deinde Hermolaus verſus, quos antea attulimus. Ut verò ingenuè dicam, quid de verſibus iis ſentiam, ut non omnem

iis

iis fidem derogo, ita multum metuo ne fucus factus ſit viris eruditis.

§. 8. *Multò minus ſatisfacit mihi commentum illud, quo Suidas, Phavorinus, atque è recentioribus Picus Mirandula, & Lilius Gyraldus Dialogiſmo octavo, fabulam de vellere aureo (de quâ Orpheus, Pindarus Pyth. Odâ IV. Apollonius, Didymus ad Odyſſ. B. Valerius Flaccus, aliique) ad χρυσευτικὴν referunt.*

Omnino aſſentiendum iis, qui putant cauſam figmenti poëtis præbuiſſe, quod regio Colchica fuerit auri, argenti, ferrique venarum abundantiſſima; quâ de re & Strabo lib. I. & XI, ubi de Iberis agit. Et Plinius lib. XXXIII. cap. III. Euſthatius quoque ſcribit, Thoanes, qui ſupra Colchos dicuntur habitare, pellibus lanatis aurum excipere, quod apud ipſos torrentes ferant. Itaque Agricola libro IIX. de Re metallica ſcribit, *Colchos in fontium lacunis pelles animantium collocaſſe, quæ, quia cùm multa auri ramenta eis adhæſiſſent, abſtulerunt, auratus Colchorum aries confictus eſt à Poëtis.* Aurum verò illud quod ex fluminum ramentis collectum, ut curſu ipſo trituque perpolitum, perfectiſſimum eſſe, author eſt Plinius lib. XXXIII. cap. IV. Itaque mirum non eſt, ſi Argonautis cauſa extiterit navigationis. Simili imprudentia, ex locis quibuſdam improbè intellectis, colligunt hanc artem perſpectam fuiſſe Hippocrati, Ariſtoteli, (cui neque librum de Perfecto magiſterio adſcribere eos puduit) &, ſi dis placet, Virgilio.

§. 9. *Nobilem hanc medicinæ partem, diu ſepultam, avorum ætate quaſi ab Orco revocavit Theophraſtus Paracelſus.*

Sive Philippus Aureolus Theophraſtus Paracelſus Bombaſtus, *ſcriptor*, (ut de eo Nobiliſſimus Tycho ad Chriſtophorum Rhotmanum *, item ad Wilhelmum Landgravium Haſſiæ ‡) *pluribus oppugnatus, quàm intellectus.* Natus fuit in pago binis Tiguro milliaribus diſtante. Pater juris fuit Licentiatus, Principis, ſed illegitimo thoro, filius. Cùm primos annos ſtudio literarum dediſſet, Medicinæ addiſcendæ ſtudio luſtravit Germaniam, Italiam, Galliam, & Hiſpaniam, eaque peregrinatione partim conſortio doctiſſimorum virorum, partim experiendo omnia, multa didicit nova & arcana. Domum redux amplo Baſileenſium ſtudio invitatus bis de die docuit Phyſicen & Chirurgicen: ſed Germanicè, vel ſic ut Latinis Germanica miſceret, ſive quia diffideret ſibi in ſermone Romano, ſive quod videret lingua patria clariùs ſe mentem ſuam poſſe explicare. Magnum interea ſibi nomen paravit: ſed non ſine multorum invidia, ſanando morbos multos, qui medicorum aliis haberentur incurabiles. Quid mirum? Sanabat leproſos & elephantiacos, item hydropicos, nodoſa laborantes podagra. Abſque inciſione medebatur cancro & lupo; epilepticos una potione reſtituebat; ulceribus & vulneribus ſimplicibus etiam profundis, oleo, potione, vel ſimplici pulvere triduo, vel breviori etiam ſpatio ſuccurrebat. Accidit ut graviſſimo deſperatoque morbo laboraret Canonicus quiſpiam. Nomen ejus non honoris cauſſâ, ſed indignatione ob ingratum adeò animum apponam. Dicebatur Joannes à Lichtenfels. Is Paracelſo ſponte pollicetur florenos centum, ſi morbo liberetur. Hic ter ei pilulas ladani ſive panaceæ ſuæ dedit: quibus ſanavit. Sed valetudini reſtitutus detrectavit pretium ſolvere. In jus itur. Iudices pronunciant ſufficere, ſi ſolitum pretium Canonicus annumeret. Theophraſtus, cùm iniquiſſimè ſecum agi putaret, conviciis multum proſcidit prætorem. Hoc indignè capere omnes: unde jam periculum imminebat Theophraſto. Sed ab amicis monitus urbe exceſſit. Hinc in Alſatia magna gloria vixit: ſed ſic ut undique à Medicis tanquam homo indoctus ac impoſtor rideretur. Id concoquere non potuit: ac eo uſque ſeu faſtu, ſeu ira abreptus, ut minimum occipitis capillum plus Academicis Germanicis ſapere diceret; imò plus experimentorum cepiſſe, quàm Galenum, & Avicennam. Hoc ingens hominis odium creabat. Acceſſit, quod in religionis negotio ab aliis abiret. Negabat primos parentes ante lapſum habuiſſe partes generationi hominis neceſſarias: poſtea acceſſiſſe, ut ſtrumam gutturi. Ajebat Chriſtum non ex Adamo ortum, ſed Abrahamo; cui facta promiſſio. De Reſurrectione etiam mirifica ſomniabat. Negabat etiam ſibi placere rationem, quam primi Eccleſiarum reformatores hactenus iniiſſent, ſanè felicius ſe fuiſſe Papam de ſolio detruſurum. Verùm iſta ad artem chymicam nihil pertinent. At hoc magis, quod aliquando probaret remedia magica: quia, uti ajebat, diaboli opera non utimur tunc, niſi ut opera bona mali latronis. Hic qui longævam aliis vitam pollicebatur, obiit annos ſolum natus XLVIII. quod ei à plurimis exprobratum: inter cæteros a Medico varia eruditione inſtructiſſimo Jo. Goropio Becano: qui ſic de eo Beccefelenorum libro II. qui Gigantomachia inſcribitur *: *Theodorus Paracelſus pollicetur ſe conſecuturum, ut medicamentis ſuis hominem, communi conditione natum, ad plura ſecula deducat, cùm ipſe hic, tam vaſti hiatus promiſſor, ad quadrageſimum octavum annum non pervenerit.* Subjungit deinde quomodo hoc excuſent diſcipuli, his verbis: *Aiunt* (diſcipuli) *Paracelſo tantum ſcientiarum in illa ætate contigiſſe, ut fruſtra putaret ſe longius victurum, cùm omnis illa perdi videretur, in qua nihil amplius poſſet addiſci.* Rectè autem addit *: *Adeone omnem humani ingenii cultum abſolverat, ut nihil amplius in eo deſideraretur?* Quid ſi præterea dicamus, voluiſſe Deum in eo faſtum retundere humanum. Adhæc poculis (quod veriſſimum eſt) magis indulſiſſe, quàm conduceret longam ſibi vitam promittenti. Hæc quia non libenter audiunt ejus diſcipuli, aliud etiam ſunt commenti. Quippe ajunt periiſſe devorato ſcobe adamantis. Sed obſtat, quòd adamas nihil habet venenati. At inquiunt corrodendo viſcera noxii ſunt. Minimè verò: nam exempla ſunt mancipiorum, qui adamantes furtim ſublegerint, ac ne deprehenderentur, vorarint, poſteaque excreverint: ut narrat Nicolaus Monardes. Si non arrodent integri adamantes, qui tot habeant angulos, quantò minùs id ſcobi tribuendum? Imò idem Monardes atque ex eo quoque Anſelmus Boëthius * refert de muliere, quæ marito dyſenteria laboranti, multis diebus adamantis ſcobem propinarit citra noxam. Quare verè κρησφύγετα ſunt, quæ pro præceptore ſuo adferunt diſcipuli Theophraſti.

* Lib. I. epiſtol. Aſtronomicarum, p. 117.

‡ P. 193.

* P. 212.

* P. 213.

* Lib. 2. de lapid. & gemm. cap. 4.

§. 10. *Chemiæ partes ſunt duæ. Prior agit partim de inſtrumentis; ut ſunt fornaces, ampullæ, ollæ, & omnis ſupellex Chymica; partim de ignis regimine, ſive accommodatione caloris, pro rei naturâ ac ſcopo; partim de operationibus ipſis, quibus res elaboratur, & affectionibus immutatis ſecundum ſubſtantiam aut qualitatem, ad præſtantiorem gradum evehitur. Altera pars docet, quomodo operationes ſingulas, ſingulis ſpeciebus Chymicis accommodari oporteat: ac primò de magiſteriis, inde de extractis, poſtremò de elixire & clyſſo pertractat.*

Alii ita diſtribuunt, ut partim dicatur verſari circa metalla, partim circa metallica. Circa metalla volunt duo efficere; nempe tum ea commiſcere, ut aliquid ab iis diſtinctum reſultet, cujus exempla ſuppetunt: tum ea immutare, non quoad eſſentiam, (nam generatio naturæ eſt, non artis) ſed quoad qualitates, ut ſi color mutetur, ſi molliora durioraque reddantur. Ad metallica referunt inaurationem, inargentationem, ut ita loquar. Item diſtillationes, ſuffitus, &c. Verùm prior diſtributio plenior eſt, & aptior. Horum omnium quiſquis accuratam cognitionem deſiderat, nunquam eam exſpectet ex Theophraſti, ejuſque ſectatorum lacunis, qui monſtroſis vocibus & miris labyrinthis eam involverunt, multa com-

commentantes quæ non ipſi cognoſcerent, neque intelligi poſſunt ab ipſis, ut vocant, doctrinæ filiis. Atque id fecere, non ut ingenia exercerent, verùm ut naturæ myſteria, ignota aliis, intellexiſſe viderentur, & otio ingeniiſque aliorum abuterentur. Quare qui rem facere volet, Euonymi theſaurum ſimiliaque candidè & dilucidè ſcripta ſibi comparet, ac præcipuè legat Andream Libavium, qui hanc diſciplinam in juſtæ artis præcepta redegit & optimis exemplis illuſtravit, ut unus deinceps omnium inſtar eſſe poſſit. Sedulò verò, niſi egeat helleboro, illorum conſilia fugiat, qui ad elixiris inquiſitionem, opes, valetudinem, famam tanto periculo exponunt: atque haut aſſis faciet, quæ Mariæ ſororis Moſis, Hermetis, Avicennæ, Alchindi, Averrois, Johannis Scoti nomine circumferuntur: item Gilgilidem, Richardum Anglicum, Morienum Romanum, Roſinum, Arnoldum de Villa-nova, aliosque id genus impoſtores, philoſophorum nomen putidè ſibi adſcribentes.

§. 11. *Ad medicinam etiam pertinet Coſmetice: quæ ars non debet reprehendi, ſi quis rectè utatur. Nam & mariti quandoque levibus uxorum vitiis offenſi amorem ad concubinas, vel etiam meretrices, imò & alienas uxores applicant. Quandoque & homines benè natos inque honore conſtitutos pudet cum ejuſmodi vitiis in publicum prodire.*

Itaque nec Galenus dubitavit in Arte ſua tradere complura, quæ ad artem κοσμητικὴν pertinent: ut de iis quæ pulcrum vultui colorem conciliant: quæ maculas, ſcabritiem, aut rugas tollant: quæ capillis colorem mutent: quæ dentes albos reddant. Quomodo verò κοσμητική, quâ honeſtus quæritur ornatus, differat à Fucatoria, vide apud Galenum de Compoſitione medicamentorum ſecundùm locos lib. 1. cap. 11. Hujuſmodi remedia complura vide in Euonymi Philiatri, ſive Conradi Geſneri Theſauro de re-
* p. 275. & ſeqq. medijs ſecretis *.

Cap. X.

DE QUATUOR MEDICINÆ FAMULIS, UNA MAGIRICA, ALTERA CHIRURGORUM, POSTREMA VERO IATRALIPTARUM.

§. 1. *A Dominâ Medicinâ venio ad ejus ancillas. Quales ſunt* Μαγειρικὴ, Χειρουργικὴ, Φαρμακευτικὴ, & Ἰατραλειπτικὴ.

NAm ut operarii architecto inſerviunt; ita medico magirus, chirurgus, pharmacopœus, & iatraliptes. Atque hoc in cauſſa eſt, cur Ariſtoteles Medicinam architectonicæ nomine dignetur. Nimirum, quia his omnibus imperet ac præſcribat Medicus: coquo quidem, qui victus & quo tempore ſit exhibendus: chirurgo, quæ vena ſit ſecanda, quantum ſanguinis mittendum, ubi cauterium admovendum, & ſimilia: pharmacopæo, cujuſmodi remedium ſit præparandum, & quo pacto exhibendum: iatraliptæ, quomodo fricandum, & inungendum.

§. 2. *Antiquiſſima horum ſine dubio eſt* Μαγειρική, *ſive Coquinaria. Cum enim alii cibi prodeſſent, obeſſent alii; primò de hoc cogitatio fuit, quo pacto diætâ valetudo conſervaretur, vel amiſſa poſſet recuperari.*

Et quid pauperibus etiam paratiùs, quàm ex horto aliquid petere, quod utile fore, uſus docuiſſet familiam?

§. 3. *Aliqui hanc Clinicem vocant: ſed antiquis ſic dicitur tota Medicina: quia Medici eſt agros cubantes* ἐν κλίνῃ * *(unde Clinices nomen) inviſere ac curare.*
* in lecto.

Plinius lib. xxix. cap. 1. *Clara* (Medicina) *Trojanis temporibus, quibus fama certior, vulnerum tamen duntaxat remediis. Sequentia ejus nocte denſiſſima latuere uſque ad Peloponneſiacum bellum: tunc eam revocavit in lucem Hippocrates, genitus in inſulâ Coo, imprimis clarâ ac validâ, & Æſculapio dicatâ. Is cum fuiſſet mos, liberatos morbis ſcribere in templo ejus Dei, quid auxiliatum eſſet, ut poſtea ſimilitudo proficeret, exſcripſiſſe ea traditur, atque (ut Varro apud nos credit) jam templo cremato, inſtituiſſe medicinam hanc, quæ Clinice vocatur.* Ubi ſatis eſt apertum, Clinicen dici, de Medicina, qualis Hippocratis erat.

§. 4. *Conſideramus verò Magiricen hoc loco, non* ἁπλῶς *quatenus alimoniam præſtat; ſed quatenus Medicinæ & valetudini inſervit. Imò neque ſpectamus quatenus Medicus victum præſcribit, & Medicinæ pars eſt; ſed quatenus coquus præparat cibos, quomodo eſt artis famulantis.*

Uti enim pædotriba eſt gymnaſtæ miniſter, ſic Medici coquus; ſicut eſt apud Galenum de Valetudine tuenda. Ac apud Athenæum lib. VII. Δειπνοσοφιστῶν dicitur, bonum coquum debere eſſe bonum medicum. Quare nec imperitus adſciſcendus eſt coquus, & ubi is hæret, conſulatur Medici oraculum, ſive in ſermone, ſive in ſcriptis.

§. 5. *De coquinaria arte & olim Cælius Apitius ſcripſit, & proavorum ætate Baptiſta ſive Bartholomæus Platina.*

De priori diximus libris de Phyſiologia Chriſtiana. Omnino autem diſtinguendum in hujuſmodi ſcriptoribus inter ea, quæ ſolùm ſint irritamenta gulæ, quæque utilia valetudini tuendæ, vel recipiendæ.

§. 6. *Proxima antiquitatis eſt Chirurgice. Imò belli Trojani temporibus ſola Medicina nomine intelligebatur.*

Et fortaſſe par ratio eſt temporis Homerici, qui quadringentis circiter annis poſt captam Trojam vixit. Sanè Iliad. 1. Machaonem & Podalirium medicos appellat. Hi verò non medicamentis, ſed manu medebantur. Nec ſanè Chirurgicen unquam à Medicina ſeparant Hippocrates, Galenus, Aetius, Ægineta, Avicenna.

§. 7. *Dicta verò* Χειρουργικὴ *ex eo quod* τῇ χειρὶ ἐργάζεται, manu operetur.

§. 8. *Operatio Chirurgi eſt quintuplex. Vel enim luxata ſuo reſtituit loco, vel ſeparata jungit, vel juncta ſeparat, vel demit quod ſupereſt, vel addit quod deeſt.*

Primi generis eſt, non modò in oſſibus luxatis, ſed etiam, ſi prociderit uterus, vel anus. Alterius generis, eſt in oſſibus fractis, item vulneribus, quò pertinet, ut Chirurgus ulcera medicamentis detergeat, carne impleat, cicatrice obducat. Tertii eſt, ſi duo digiti concreverint, ſi hymen ſcindi debeat. Quarti eſt, ſi digitus, vel pes abſcindendus, ſi calculus eximendus eſt. Ultimi eſt, ſi ex metallo, vel ebore, vel alia materia ſive ad uſum, ſive ad ſpeciem ac venuſtatem ſufficì debeat oculus, naſus, dens unus pluresve, imò & brachium aut pes.

§. 9. *In his omnibus tria iſtac curanda Chirurgo; ut curet citò, ut ſine dolore, ut tutò.*

Citò dixi, ne culpa chirurgi diutiùs ægro conflictandum ſit cum morbo, quàm res exigit. *Sine dolore* ajebam, quia nullum adferre dolorem debet, vel ſi urere, ſecare opus ſit, videat quomodo id dolore minimo fiat. *Tutò* autem addidi, quia providendum, tum ne, dum uni conſulitur parti, in aliud majus incidatur malum; tum ne malum facilè redeat.

§. 10. *Inſtrumenta Chirurgi quæ ſint, explicat Julius Pollux.* Quem

Quem vide Onomaſtici lib. IV. cap. XXV. & Iſidorum lib. IV. Origin. cap. X. quod eſt de inſtrumentis medicis. Sed pleraque ſunt corruptiſſima; quæ emendamus lib. III. de vitiis ſermonis, & variis Gloſſematis, cap. XIII.

§. 11. *Multa ad artem hanc pertinentia tradidere Hippocrates, Galenus, Oribaſius.*

Hippocrates quidem lib. de ulceribus, de fiſtulis, de vulneribus capitis; quos commentariis ſuis illuſtravit Vidus Vidius Florentinus. Item lib. de Fracturis, de Articulis, & de Officinâ medici: in quos ampla ſuperſunt Galeni commentaria. Etiam Galenus egit de faſciis, quibus alligant Chirurgi. Oribaſius quoque egit de laqueis & machinamentis, quorum uſus eſt Chirurgis. Barbaro etiam ævo & noſtro variorum eluxit opera: è quibus maximè celebratur illa Ambroſii Paré primi chirurgi quatuor regum Galliæ, qui Gallicè reliquit XXVIII Chirurgiæ libros.

§. 12. *Hactenus de Chirurgice: ſequitur de Pharmaceutice, quæ medicamentis vel intus adſumtis, vel foris admotis medetur.*

Medicamenta hæc primùm colligenda ex foſſilibus, plantis, animalibus: & quò an proba ſint, conſtet, diſpiciendum quo ſint ſapore.

Deinde ſervanda in apothecis, vaſis, pyxidibus ſuo loco diſpoſitis.

Ad hæc præparanda & corrigenda aduſtione, combuſtione, putrefactione, decoctione, deſtillatione, liquefactione, deſpumatione, atque aliis.

Præterea miſcenda ad ponderis præſcriptum.

De Simplicium natura egere varii. In his Dioſcorides in Hiſtoria plantarum, Galenus libro de Simplicium medicamentorum facultatibus, Avicenna de Simplicibus &c.

De præparatione, correctione, commixtione, Meſuem vide.

§. 13. *Ad* φαρμακευτικὴν *ſicut ſuprà diximus, pertinet & Alchymia; ſive ut pars, ſive ut miniſtra.*

Siquidem duo ſunt φαρμακευτικῆς officia, unum in delectu, alterum in præparatione remediorum; ad præparandi modos pertinet non ſolùm coctio, ſed etiam deſtillatio, & quicquid elaborat Chymicus, ut corpori medeatur. De hac nihil nunc dicam, quia de ejus natura ac conſtitutione ſatis antea diximus pro inſtituto.

§. 14. *Supereſt* ἰατραλειπτικὴ, [illegible] *unguentis & perfrictionibus medetur corporis morbis.*

De hac ſic Plinius lib. XXIX. cap. 1: *Prodicus Selymbriæ natus, diſcipulus Æſculapii, inſtituens, quam vocant iatralipticen, reunctoribus quoque Medicorum, ac mediaſtinis vectigal invenit.*

§. 15. *Atque hæc de univerſa hominum Medicina, ac artibus ei famulantibus, ſufficere putavi.*

Quæ ferè brevibus eſt complexus Politianus in Panepiſtemone: *Naturalis autem philoſophia quaſi alumna Medicina eſt, quam Theophilus, Græcus auctor, in Theoricen, Practicenque dividit: theoricenque rurſus in natura, cauſarum, ſignorumque rationes; hoc eſt, phyſiologicon, ætiologicon, ſimioticon. Item phyſiologicon in elementa, humores, complexus, particulas, poteſtates, officia. Sic ætiologicon in cauſſas prævertentes, prævias, continentes; quæ procatarctica, proegumena, ſynectica vocat. Simioticon rurſus in præſentium diſcerniculum, futurorum præſagium, præteritorum memoriam. Practicen denuò ſalubrium dicit eſſe, & eorum quæ curam deſiderent; alterumque hygiinon, alterum therapeuticon appellat. Quod quoniam in victu, medicamentis, manuque fit; nunc diæteticon, nunc pharmaceuticon, nunc chirurgicum. Quod autem victu curat, id aut ſenectutem gubernat, & gerocomicon; aut defectos reficit, & analepticon; aut noxam præcavet, & prophylacticum appellatur.*

§. 16. *Huic verò Medicinæ, quâ homines curantur, vicina eſt illa mutorum animantium, quam* ἱππιατρικὴν, *mulomedicinam, & veterinariam appellant.*

De hac ita Politianus in Panepiſtemone: *Medicos autem veterinarii ſequuntur quos hippiatros Græci vocant, iiſdem, quibus Medici, veſtigiis ingredientes: quamvis alii quidam morbi ſint in jumentis. Etenim coriginoſi farcimınoſique fiunt equi. Malleo, pulmunculo, exungulatione, cæteriſque ſimilibus laborant; quod genus hominem raro contingit.*

§. 17. *Ex Græcis de* ἱππιατρικῇ *ſcripſere, Apſyrtus Hierocles, Tiberius, Eumelus, Theomneſtus, Anatolius, atque alii.*

Eos juſſu Franciſci primi Galliarum Regis Latinè reddidit Ioannes Ruellius Sueſſionenſis. Septennio autem poſt Græcè exhibuit Simon Grynæus.

§. 18. *E Latinis Vegetius Renatus Mulomedicinæ quatuor ſcripſit libros.*

Quos anno CIƆ IƆ XXVIII Iacobus Faber ex uno ſolùm codice edidit. Sed cùm variis codd. poſtea contulit, multiſque partibus emendatiores in lucem emiſit Ioannes Sambucus Pannonius anno CIƆ IƆ LXXIV. Intelligo verò Londini apud clariſſimum Virum, præclareque de ſtudiis meritum exſtare eos libros MSos, alteraque parte auctiores.

CAP. XI.

DE ORIGINE MEDICINÆ, ET ILLUSTRIBUS MEDICIS, MAXIME SCRIPTORIBUS ANTE TEMPORA CÆSARIS AUGUSTI.

§. 1. *Origo Medicinæ eſt ab experientiâ; experientiæ occaſio eſt à neceſſitate. Incrementa dedit conſuetudo, quâ antiquis temporibus ægri ſolent in viâ exponi, quo rogarent tranſeuntes eodemne morbo laboraſſent, & quo pacto eſſent reſtituti.*

AUctores Hippocrates de vet. med. & Strabo lib. XII.

§. 2. *Etiam artem auxit, quòd à morbo liberati quomodo ſanati forent ſoleant conſcribere, ac deinde ad ſacerdotes deferre, ut in templi ſacrario deponerent.*

Hoc Ægyptiis fuiſſe in more, teſtis eſt Plinius lib. XXIX, cap. 1. & Galenus lib. V, de Compoſit. Medic. & VI Epidem.

§. 3. *Poëtæ Apollinem ajunt Medicinæ inventorem: nempe quia Apollo eſt Sol; ab eo autem herbarum vires, quibus Medicina conſtat. Nec alius videtur Pæon, qui ſic dictus* ἀπὸ τοῦ παίειν *h. e.* θεραπεύειν, *mederi, curare.*

Traditum id Euſtathio ad Iliad. E. ubi poëta narrat, ut Pluto cùm vulnus ab Hercule in humero accepiſſet, Jovem ſuper eo conſulens juſſus ſit remedium poſcere à Pæone, à quo etiam fuerit ſanatus. Nec inferorum modò Deorum medicus, ſed & cæleſtium: unde de eo ita Lucianus in Tragopodagra;

Πάντων ἰατρὸς τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν.
Medicus Deorum, quotquot in cælis regunt.

§. 4. *Æſchy-*

§. 4. *Æſchylus tamen Prometheo inventa Medicinæ gloriam tribuit: alii Ægyptiorum Hermæ ſive Mercurio: alii Iſidi.*

De quibus apud Diodorum Siculum legas lib. I. Nec dubium ſanè quin antiquiſſimis temporibus Medicina fuerit nota Ægyptiis. Athothis, ſecundus rex primæ dynaſtiæ Thinitarum apud Ægyptios, medicus fuit, & libros reliquit de re Anatomica. Manethos Sebennita Heliopolitanus flamen ſacerdotum Ægypti, meminit ejus Tomo primo de dynaſtiis Ægyptiis & exinde Julianus Africanus, ex eo Georgius Syncellus, ex hoc Scaliger in Canonibus Iſagogicis*. Tertiæ dynaſtiæ, quæ Memphitarum erat, rex ſecundus fuit Toſorthros, qui Ægyptiis ob Medicinæ peritiam Æſculapius putatus. Sanè nomen Ἀσκληπιὸς non malè videtur arceſſi poſſe ab Oriente; ubi *Aſchalapho* eſt *mutare, transformare*: quæ ſoceri mei Junii conjectura erat.

* P. 222.

§. 5. *Ab Ægyptiis venio ad Græcos. His in arte Chirurgica, à qua cæpit Medicina, ex Homero celebratur Chiron Theſſalus, Achillis præceptor, panaceæ inventor.*

Teſtis Plinius lib. VII, cap. LVI. Euſtathius in Iliad. Λ: Χείρωνα γάρ φασι τρωθέντα κατὰ τὴν χεῖρα, τὴν διὰ βοτανῶν ἐπινοῆσαι ἰατρικήν. *Ajunt Chironem cùm in manu eſſet vulneratus, herbarum excogitaſſe medicinam.*

§. 6. *Ejus diſcipulus Æſculapius.*

Teſte Pindaro Od. III Nemeorum. Hunc τῶν ἰατρῶν ἡγεμόνα, *ducem medicorum*, vocat Plutarchus lib. VIII, Sympoſ. quæſtionum eâ quæ numero eſt XIV.

§. 7. *Æſculapii filii fuere Machaon & Podalirius, verſibus Homericis tantopere celebrati: Atque ex eodem cognoſcimus, vixiſſe temporibus belli Trojani, in quo & Machaon occubuit.*

Ac Machaon quidem χειρουργικὴν excoluit, Podalirius in abditas morborum cauſſas inquiſivit, ac ejus Medicinæ principia condidit, quæ poſtea dicta eſt λογική. Euſtathium adi in Iliad. Ε.

§. 8. *A bello Trojano magnus eſt hiatus hiſtoriæ de claris Medicis. Sanè uſque ad Tempora Perſica nihil illuſtre occurrit. Eſt verò ſpatium id annorum amplius quàm ſexcentorum. Imo ulteriùs etiam extendit Plinius, nempe ad bellum Peloponneſiacum, Coumque Hippocratem.*

Sic enim ſcribit lib. XXIX, cap. I: *Clara Medicina Trojanis temporibus, quibus fama certior: vulnerum tamen duntaxat remediis. Sequentia ejus (mirum dictu) in nocte denſiſſima latuere uſque ad Peloponneſiacum bellum. Tunc eam revocavit in lucem Hippocrates in inſula Coo, imprimis clara ac valida, Æſculapio dicata.*

§. 9. *Sed hoc non examuſſim verum, quando Hippocrates demum natus eſt regnante Artaxerxe Longimano, Olympiade LXXX. At ſub prioribus etiam regibus fuere Græcis Medicinæ gnari: in quibus ipſe Pythagoras.*

Corn. Celſus in Præfat. *Multos ex ſapientiæ profeſſoribus peritos Medicinæ fuiſſe accepimus. Clariſſimos ex his Pythagoram, & Empedoclem & Democritum.* Quorum Pythagoras floruit ſub Cyro, Cambyſe, & Dario; ut ex Laërtio, Solino, & Euſebio ſcimus. De Empedocle, & Democrito poſtea dicam.

§. 10. *Præterea Cambyſis & Darii Hyſtaſpis filii temporibus claruit Democedes Crotoniata, Calliphontis filius.*

Quippe Cambyſe imperante in Samo, vixit apud Polycratem tyrannum. Eo ab Orœte cruci affixo, Democedes inter captivos Orœtæ fuit; donec Darius, Cambyſis ſucceſſor, eò quòd, cùm Magi imperium obtinerent, malè de Perſis meritus eſſet, Orœtem juſſit interfici, & Orœtæ captivi eſſent Suſa ad Darium perducti. Evenit ut Rex de equo deſiliens luxaret talum pedis. Eum ſanitati reſtituit Democedes. Poſtea etiam ſanavit Atoſſam, Cyri filiam, uxorem Darii, quæ ſerpente mamillarum ulcere laborabat. Per eam callido conſilio hoc conſecutus, ut tanquam explorator in Græciam mitteretur. Rex enim Græciæ bellum inferre cogitabat. At Democedes in itinere fugit Crotonem, ubi & Milonis Crotoniatæ, ejus qui tantopere à robore celebratus, filiam duxit uxorem. Narrat iſta fusè Herodotus lib. III: quæ de ætate Democedis nos dubitare non ſinunt.

§. 11. *Ac ne dicas, unam vel etiam alteram hirundinem non facere ver, alios poteram adducere, licet paucos. In quibus tamen nolim reponere Herophilum Chalcedonium: etſi is Democede etiam antiquior fuerit, ſi Phalaridis fuerit æqualis.*

Hunc enim graviſſimo laborantem morbo ſanavit, eoque nomine dignam mercedem recepit; ut ex Phalaridis ad Herophilum epiſtola probatum it Neander in ſuo ſyntagmate de Medicis veteribus. Phalaris autem, ſicuti ex Chronicis Euſebii cognoſcimus, temporibus Crœſi tyrannidem tenuit annis XVI, occupavit verò ſub Olympiad. LIII. an. II. Quicquid verò de ætate ſit, fuit Herophilus ille in arte medicâ præcellens. Plinius lib. XI. cap. XXXVII: *Arteriarum pulſus, in cacumine maximè membrorum, in modulos certos legesque metricas per ætates ſtabilis, aut citatus, aut tardus, deſcriptus ab Herophilo, medicinæ vate, miranda arte, nimiam propter ſubtilitatem deſertus.* Sic quoque in Aldinâ. In Parmenſi antiquâ eſt *Eriphilo*: in MSo reperio *Heropylo*, inque eodem lib. I. in indice auctorum libri XI, *Eropulo*. Sed vera lectio eſt, quam diximus. Meminit idem Herophili lib. XX, cap. II. & lib. XXV, cap. I. lib. XXVI, cap. II, & III. item lib. XXIX, cap. I. ubi de Medicorum factionibus agens ait, *Omnes eas damnavit Herophilus, in muſicos pedes venarum pulſu deſcripto per ætatum gradus. Deſerta deinde & hæc ſecta eſt, quoniam neceſſe erat in eâ literas ſcire.* Memorat quoque Cicero lib. II. Acad. Quæſt. Cornelius Celſus in præfat. Plutarchus de Placitis Philoſoph. lib. [illegible], cap. XXII. & lib. V, cap. II. Galenus in undecimo commentario in librum Hippocratis de Natura humana, agnoſcit artem ἀνατομικὴν ab eo plurimùm fuiſſe adjutam. Quid mirum? quando à regibus etiam facinoroſi è carcere ei mitterentur, quos vivos diſſecaret; ut auctor eſt Cornelius Celſus. Icciteo aſperè adeò de eo Tertullianus libro de Anima, cap. X: *Herophilus ille medicus, aut lanius, qui ſeptingentos exſecuit, ut naturam ſcrutaretur; qui homines odit, ut noſſet.* Veſalius præponere eum Galeno non dubitavit. At Fallopius ὑπερβολικώτερον, *contradicere Herophilo in Anatomicis, eſt contradicere Evangelio.*

§. 13. *At ut de eo decepti, ita verè dicere poſſumus, ejuſdem Artaxerxis temporibus claruiſſe alios Medicos illuſtres, nec paucos.*

Ut hic quoque locum habeat illud Velleji Paterculi lib. I: *Cujusque clari operis capacia ingenia in ſimilitudinem & temporum & profectuum ſemetipſa ab aliis ſeparaviſſe.*

§. 14. *In iis Democritus Abderita, qui eâdem natus Olympiade ac Hippocrates, de quo paullo poſt dicam.*

Scripſit in Medicina, διαιτητικὸν, & ἰατρικὴν γνώμην.

De

De Herbis multa reliquiſſe Plinius ait lib. xxi, cap. xi. Eſt & de eo Petronii Arbitri: *Itaque hercule omnium herbarum ſuccos Democritus expreſſit; &, ne lapidum virgultorumque vis lateret, ætatem inter experimenta conſumſit.* A nonnullis magni Hippocratis fuiſſe præceptor exiſtimatus; ut eſt apud Celſum in Proœmio. At neſcio unde illud hauſerit Oribaſius, cùm præfat. Commentariorum in Aphoriſmos Hippocratis ait tentaſſe eum ad inſtar Hippocratis Aphoriſmos ſcribere: ſed nequiviſſe. Equidem ne id quidem pro certo habeo, aphoriſmos illos ſic ab Hippocrate ſcriptos digeſtoſque. Nec enim à vero abludit eorum opinio, qui ab alio ex variis Hippocratis operibus bono judicio excerptos arbitrantur.

§. 15. *Sub Artaxerxe Longimano, claruit Empedocles Agrigentinus, Architæ Tarentini diſcipulus.*

De quo dixi in Poëtis Græcis: ſed hoc loco nobis memoratur, quatenus idem in Medicis cenſebatur; ut ex Laërtio cognoſcere eſt, qui de Medicina etiam ſcripſiſſe ait.

§. 16. *Ut popularis, ſic æqualis ejus fuit Acron Agrigentinus Medicus.*

De hoc ſic Plinius lib. xxix, cap. i. *Alia* (medicinæ) *factio ab experimentis ſe cognominans Empiricen, cœpit in Sicilia, Acrone Agrigentino Empedoclis Phyſici autoritate commendato.* Meminere etiam Laërtius in Empedocle, Suidas in Ἄκρων, Heſychius Illuſtris in Ἐμπεδοκλῆς, & antiquior tribus iſtis Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride, ubi narrat, ut ab Ægyptiis edoctus, peſtilentiæ tempore Athenis juxta ægros ſoleat ingentes ignes accendere ad aëra purgandum, atque ut ea re juverit non paucos. Quam rem etiam narrant Aëtius Tetrabibli lib. ii, cap. xciv. & Paulus Ægineta lib. ii, cap. xxxv. Factum verò id videtur imitatus Hippocrates: de quo notiſſimum, ut per Græciam univerſam peſte vexatam crebros juſſerit ignes accendi: eoque à peſtilentia liberârit.

§. 17. *Mirum à nonnullis ad hæc etiam tempora referri Melampodem Argivum, qui Prœti, Argivorum regis filias, hellebore nigro, caprillo lacti immerſo, à furore liberavit. Nam ille claruit ante bellum Trojanum.*

Non audiendi itaque, qui poſt Democedem & Empedoclem referunt; uti faciunt Petrus Caſtellanus in vitis illuſtrium medicorum, & Joannes Neander in Syntagmate
* P. 28. de Medicina *; nam vixit Prœtus xiii. Argivorum Rex, quo tempore in Troade regnabant Tros & Tantalus; Iſraëlitæ autem ſerviebant Egloni, Moabitarum regi. Meminit hujus inter alios Herodotus lib. ix. Item Maro iii. Georg.

— *ceſſere magiſtri*
Phillyrides Chiron, Amythaoniuſque Melampus.

Ubi Servius monet nomen habuiſſe καθαρτοῦ, hoc eſt, *purgatoris*. Hellebori genus ab eo *Melampodium* vocari, teſtis eſt Plinius lib. xx, cap. 20.

§. 18. *At verò ſub Artaxerxe Longimano claruit Herodicus, à quo* Διαιτητικὴ *inventa:*

Ut Euſtathius teſtatur in Iliad. Α.

§. 19. *Item diſcipulus Herodici, magnus ille Hippocrates Cous: qui natus Olympiades* lxxx, an. i.

Parentes habuit Heraclidem, & Praxitheam, quorum ille ab Æſculapio duodevigeſimus: hæc ab Hercule undevigeſima. Proavum habuit Gnoſidicum, qui de membris, & fracturis, atque articulis librum ſcripſit; ut quoſdam ſecutus tradidit Galenus commentario primo in librum de Victus ratione in morbis acutis. Quanquam verò Dorica Hippocrati lingua foret nativa; Ionicè tamen ſcripſit, à Democrito perſuaſus: ut eſt apud Ælianum in Quarto variæ hiſtoriæ. Nempe quia hæc lingua ſuavior elegantiorque haberetur.

§. 20. *Hunc tota poſteritas venerata eſt tamquam Medicorum principem.*

Nempe quia *primus medendi præcepta clariſſimè condidit*: ut Plinius ait lib. xxvi, cap. ii. Itaque *omnis medicinæ parentem* vocat Cornelius Celſus: Octavius Horatianus *primarium medicorum*: Seneca *Medicorum ſummum, & ſcientiæ medicinalis conditorem.* De eodem ita memoratus ante Plinius lib. vii, cap. xxxvii. ubi agit de iis, qui in artibus excelluere: *Hippocrates enituit Medicinâ: qui venientem ab Illyriis peſtilentiam prædixit, & diſcipulos ad auxiliandum circa urbes dimiſit: quod ob meritum honores illi, quos Herculi, decrevit Græcia.* Ejus ſententias, ut Dei vocem, habendas Galenus ait lib. i. de Uſu partium cap. ix. ac ſimile omnium eſſe judicium, refert Suidas. Macrobius etiam quàm magnificè; *Hippocrates qui tam fallere, quàm falli, neſcit.*

§. 21. *Quantò verò laudatior, tantò cautiores eſſe oportet in genuinis diſtinguendis à ſpuriis.*

De quo plura dicerem, niſi in eo abunde deſudaſſet præſtantium virorum induſtria.

§. 22. *Filios duos, magni nominis Medicos reliquit, Theſſalum & Draconem.*

Objectant aliqui, quod in liberos Hippocratis, tanquam blennos & ſtolidos, convitia ab Ariſtophane in Nebulis jaciantur. Sed profectò non ille loquitur de liberis Hippocratis Coi, ſed Hippocratis Athenienſis; quâ de re diximus Oratoriarum Inſtitutionum lib. ii, cap. xiv, ſect. viii. Sanè Galenus commentario I. in librum de Naturâ humanâ Theſſalum vocat θαυμάσιον ἄνδρα, ac placitorum patriorum obſervantiſſimum: egiſſeque ait apud Archelaum Regem Macedoniæ.

§. 23. *Hippocratis gener, diſcipulus, & ſucceſſor Polybus fuit; qui de Affectibus, de Naturâ hominis, de Ratione victus ſalubris, ac de Semine ſcripſit.*

Vulgo eos libros Hippocrati tribuunt, ſed falſò.

§. 24. *Hippocratis quoque diſcipulus fuit Dexippus Cous; qui ſcripſit librum de Re medicâ unum, duos verò* περὶ προγνώσεων *. * De Præcognitionibus.

Auctor Suidas. Atque item refert, ut ab Hecatomno Carum rege arceſſitus ad ſanandum filios ejus, Mauſolum & Pixodarum, deſperatis morbis laborantes, non alia voluerit conditione venire, niſi rex promitteret, deſiturum ſe à bello quod gerebat cum Caribus. Ubi fortaſſe pro πρὸς Κᾶρας legendum πρὸς Κώους: quia veriſimile eſt voluiſſe Dexippum bellum amoliri à patriâ ſuâ.

§. 25. *Fuit & iis temporibus Crito; quippe diſcipulus ejus Acronis Agrigentini; de quo paullo ante diximus.*

Hic Crito docuit artem κομμωτικήν, ſive *comtoriam*, vel *exornatoriam*. Quâ in re, ut Galenus ait, veniam meretur, quia apud reges & reginas medicinam faceret. Ἀνακεφαλαίωσιν librorum ejus exhibet Galenus lib. i. τῶν κατὰ τόπους. Meliorem etiam remediorum partem ex eo excerpſere Aëtius, & Oribaſius.

§. 26. *Temporibus Artaxerxis Memoris claruit quoque*

quo Cteſias Cnidius ὁ ἰατρεύσας Ἀρταξέρξην, Artaxerxis medicus.

Artaxerxes verò imperare cœpit anno IV Olymp. XCIII.

§. 27. *Olymp.* CV. *regnare in Perſiâ cœpit Artaxerxes Ochus, uti ſequenti Olympiade in Macedoniâ Philippus Amyntæ filius. Horum temporibus fuere duo Medici Theomedon & Chryſippus.*

Tempora horum cognoſcimus ex Platone, & Eudoxo Cnidio. Nam Eudoxus fuit Platonis auditor, ut tradidit Sotion ἐν Διαδοχαῖς *. Deſiit autem vivere Plato initio Olymp. CVIII. Porrò Theomedon ſuis ſumtibus aluit Eudoxum. Imò hic ejus παιδικὰ ſive deliciæ fuiſſe creditur, ut eſt apud Laërtium in Eudoxo. Erat autem Eudoxus annorum XXII, cùm Athenas primò proficiſceretur. Poſteaque idem Eudoxus cum Chryſippo medico profectus in Ægyptum, ut ab eodem Laërtio accepimus. Etiam Chryſippi meminit Plinius lib. XXVI, cap. II. ubi hoc ordine Medici, quorum libri herbis referti, recenſentur: Hippocrates, Diocles Caryſtius, Praxagoras, Chryſippus, Eraſiſtratus, Herophilus.

* *In ſucceſſionibus.*

§. 28. *Item tum fuit Philiſtio Siculus; quo in medicinâ præceptore uſus Eudoxus Cnidius.*

Ut Callimachus in Tabulis auctor eſt. Puto autem idem fuerit Philiſtio Locrenſis, Agellio memoratus lib. XVII, cap. XI. Huic tribuunt librum Hippocratis de Diætâ.

§. 29. *Philiſtioni proximus eſto diſcipulus Eudoxus.*

Aſtrologus, Geometra, Medicus, & Legiſlator: ut ait Diogenes.

§. 30. *Olymp. quoque* CV, *quando regnabat Artaxerxes Ochus, fuit Menecrates Syracuſanus, qui librum ſcripſit Pharmacorum, è quibus ipſe invenerit multa, teſte Galeno.*

Fuit interim tam ſtulti faſtus, ut quos morbo comitiali liberaſſet, circumduceret ſecum, hunc Herculis, illum Mercurii, alium Apollinis, Æſculapii, vel alius Dei habitu; ipſe Jovis inſtar, aureâ coronâ, purpureâ veſte, ſceptrum tenens, crepidatus procederet. Imò regi ipſi Philippo, patri Alexandri M. literas inſcripſit, hoc pacto, *Menecrates Jupiter Philippo Regi ſalutem.* Cui iccirco reſcripſit, Rex, *Philippus Menecrati* ὑγιαίνειν. Literas ipſas longè vaniſſimas apud Ælianum vide in XII. variæ Hiſtoriæ. Alius ab hoc Menecrates, qui Tiberii & Claudii Cæſarum temporibus vixit, ut ſuo loco dicetur.

§. 31. *Olympiade* CXI *claruit Philippus Acarnan, qui magnum Alexandrum, etſi Parmenionis, vel, ut alii, matris literis factus eſſet Regi ſuſpectus, ſalutari potione ſanavit.*

Narrat rem Valerius Maximus lib. III, cap. VIII, Curtius lib. III. Arrianus lib. II. Plutarchus in Alexandro, Juſtinus lib. XI.

§. 32. *Olympiadis* CXIV, *anno tertio, biennio poſt mortem Alexandri Magni, quo ipſo etiam Demoſthenes deceſſit, præceptori ſucceſſit Theophraſtus; cujus libri de Plantis atque alia, valde Medicum juvant.*

Quàm lepidè & verecundè Ariſtoteles eum prætulerit Menedemo Rhodio, vide apud Agellium lib. XIII, cap. V. Ludum ejus ad bis mille auditores frequentaſſe, ait Heſychius illuſtris. Moriens Naturam accuſavit, quod cervis ac corvis vitam dediſſet longævam, non item hominibus, quibus ad omnia Naturæ arcana indaganda erat opus vitâ longiſſimâ. Teſtes Cicero in III de Finibus, & Laërtius.

§. 33. *Olympiade* CXVII, (*quâ Seleucus Nicator diadema aſſumſit, ac Orientis ſibi imperium vindicavit,*) *claruit Eraſiſtratus Juliates, celebris eo, quod perſenſerit Antiochi* Σωτῆρος *amores, ac patri Seleuco perſuaſerit, ut filio cederet uxore, licet ex eâ jam prolem haberet.*

Rem narrat Plutarchus in Demetrio, & Appianus in Syriacis. Exemplo Herophili, etiam vivos homines ſecuiſſe, auctor eſt Celſus.

§. 34. *Olymp.* CXXV *atque antè, claruit Nicias Pyrrhi regis medicus, quem Theocritus verſibus ſuis extulit.*

Ejus de Lapidibus libri mentio eſt apud Stobæum ſermone de Morbis.

§. 35. *Olympiade* CXXV *fuit Ariſtogenes Cnidius, Chryſippi philoſophi ſervus, Medicus regis Antigoni Gonatæ.*

Vide Suidam in Ἀριστογένης. Atque idem memorat & alterum Ariſtogenem, qui Thaſius fuerit. Addit quàm varia in Medicinâ ſcripſerit; & in his φυσικῶν βοηθημάτων ἐπιτομήν, *Auxiliorum naturalium compendium*, ac ſcripſiſſe ad Antigonum, qui ſi eſt Gonatas, ut arbitror, potuerit idem eſſe ac Cnidius; ut nomen unum ſit à ſolo natali, alterum ab educatione vel habitatione. Nihil interim impedit, quo minùs eodem tempore ejuſdem fuerint nominis medici duo.

§. 36. *Olymp.* CLXI, *nempe ſub Attalo, ultimo rege Pergameno, claruit Nicander Colophonius, Xenophanis filius, grammaticus, poëta, ac medicus; cujus exſtant Theriaca, & Alexipharmaca.*

Cætera ejus, quæ multa fuere, deperierunt. De ætate objiciat aliquis, quòd dicatur Arato ſua dediſſe caſtiganda. Sed hoc falſum planè, cùm Aratus XII Olympiadibus anteceſſerit. Atque hinc etiam liquet, quantopere eos ratio fugerit, qui uno tempore ajunt vixiſſe poëtas, qui Plejadis nomine vocantur. Sed de iſtoc in opere de Poëtis Græcis diximus.

§. 37. *Olymp.* CLXXIII *ac aliquot ſequentibus, Mithridates Ponti & Bithyniæ rex fuit, qui de Arcanis morborum remediis commentarios doctè ſcripſit, eos verò in theſauri ſui ſcrinio reconditos ſervavit. Eo victo hos Pompeius Romam abſtulit, ac à liberto ſuo Lenæo Pompejo Latinè verti juſſit.*

Ætatem indicant bella, quæ geſſit cum Syllâ, Lucullo, Pompejo. Nomen ut nec pharmacopæorum vulgo ignoretur, facit antidotum, quod ab eo *Mithridatium* nominatur. Fuit ſextuſdecimus à Dario Codomanno, ultimo rege Perſarum; octavus verò ab eo Mithridate, qui, à Macedonibus deficiens, regnum ſibi vindicavit. De eruditione ac ſcriptis ejus vide Agellium lib. XVII, cap. XVII. & Appianum lib. de bello Mithridatico. Scriptis ſuis multa eſt complexus ad hiſtoriam naturæ pertinentia. Quale illud à Plinio proditum lib. XXXVII, cap. II. *Mithridates inquit, in Germaniæ litoribus eſſe inſulam, vocarique eam Oſerictam, cedri genere ſylvoſam: inde (ſuccinum) defluere in petras.* Præcipuè tamen ea expoſuit, quæ ad Medicinam pertinerent. Illuſtris de eo eſt locus ejuſdem Plinii lib. XXIV, cap. II. *Mithridates in reliquâ ingenii magnitudine medicinæ peculiariter curioſus, & ab hominibus ſubjectis, qui fuere pars magna terrarum, ſingula exquirens, ſcrinium commentationum harum & exemplaria effectuſque in arcanis ſuis reliquit. Pompejus autem omni regiâ prædâ potitus, trans-*

transferre eo ſermone noſtro libertum ſuum Lenaum, Grammatica artis doctiſſimum juſſit: vitaque ita profuit non minùs quàm Reip. victoriâ illa.

§. 38. *Olymp.* CLXXVIII. *& deinceps, claruit Aſclepiades Diotimi filius, Myrleâ Bithyniæ urbe oriundus: qui rejectâ Hippocraticâ medendi ratione (eam* mortis meditationem *vocabat) condidit novam ſectam, in quâ multa ægrotantium blandimenta, uti inter alia lectuli penſiles, ut jactatione molli faciliùs obreperet ſomnus.*

Itaque de eo parùm magnificè ſenſit Plinius: cujus hæc verba lib. XXVI, cap. III: *Aſclepiades ætate Magni Pompeji orandi magiſter, nec ſatis in arte eâ quæſtuoſus, & ad alia ſagacis ingenii, huc ſe repente convertit, atque (ut neceſſe erat homini, qui nec id egiſſet, nec remedia noſſet oculis uſuque percipienda) torrentis ac meditata quoque oratione blandiens omnia abdicavit, totamque medicinam ad cauſſam revocando, conjecturam fecit, quinque res maximè communium auxiliorum profeſſus, abſtinentiam cibi, aliquando * vini, fricationem corporis, ambulationem, geſtationes: quæ cùm unuſquiſque ſemetipſum ſibi præſtare poſſe intelligeret, faventibus cunctis, ut eſſent vera, quæ facillima erant, univerſum propè humanum genus circumegit in ſe, non alio modo, quàm ſi cælo emiſſus adveniſſet.* Quomodo eum, cujus jam funus ducebatur, ad vitam revocarit, feſtivè narrat Appulejus lib. IV. Florid.

* *Sic Marcellus pro aliis emendat.*

§. 39. *Olymp.* CLXXXII, *ac poſt claruit Craterus, quo medico inter alios utebatur T. Pomponius Atticus.*

Cicero ad Att. lib. XII, epiſt. XIII: *Commovet me Attica: etſi adſentior Cratero.* Et epiſt. ſequenti. *De Attica doleo. Credo tamen Cratero. Pyliam angi vetabat. Is mihi eſt pro omnibus.* Doleo, inquit, ob morbum filiæ tuæ: ſed tamen optimè ſperare jubet Craterus, qui ejus valetudinem curat. Quare nec uxor tua Pylia valde ſe ob adverſam ejus valetudinem debet excruciare. Meminit & Horatius lib. II. ſat. III:

Non eſt cardiacus, Craterum dixiſſe putato,
Hic æger: rectè igitur, ſurgetque. ——

Idemque nomen pro quovis medico uſurpat Perſius ſat. III:

—— *Venienti occurrite morbo*
Ecquid opus Cratero magnos promittere morbos?

Mirum quod de ſervo Crateri refert Porphyrius lib. I de Abſtinentia ab eſu animalium; Κρατεροῦ δὲ ἰατροῦ οἰκέτης ξένῳ ἁλόντα νοσήματι, τῆς σαρκὸς ἀποστάσαν λαβούσης ἐκ τῶν ὀστῶν, τοῖς μὲν φαρμάκοις οὐδὲν ὠφελεῖτο· ἔχιδνα δὲ τρόπῳ ἰχθύος σκευασθεῖσα καὶ βρωθεῖσα διέσωζε, τῆς σαρκὸς συγκολληθείσης. *Crateri medici ſervus dici novo & inuſitato morbo adfectus, nempe carne ab oſſibus divulſa ac diſtracta, pharmacis quidem nihilo meliùs ſe habuit; ſed vipera piſcis in modum apparata, & comeſa convaluit, carne de integro conglutinata.*

§. 40. *Olymp.* CLXXXVI. *claruit Pedacius Dioſcorides Anazarbeus, cujus de Materie medicâ libros quinque habemus, item Alexipharmaca, & Theriaca.*

Eſt verò Anazarba Ciliciæ civitas, quæ poſtea dicta eſt Cæſarea Auguſta. Ætatem indicat, quòd Suidas dicat fuiſſe medicum Cleopatræ ac Antonii. Interim non levem ſcrupulum injicit quod idem confundat Dioſcoridem Anazarbeum, & alterum, cui cognomentum Φακᾶς †, nempe διὰ τοὺς τῆς ὄψεως φακούς, quia facies lentigine notaretur. Siquidem, (quod Petro Caſtellano in Medicorum Illuſtrium Vitis obſervatum) Galenus diſtinguit, ac Anazarbeum, ait ſectæ addictum empiricæ: eum, qui Φακᾶς vocatus, fuiſſe ſectæ Logicæ ſive dogmaticæ. Hinc olim acris illa diſſenſio inter Leonicum & Pandulphum, utrùm Dioſcorides Plinium, an Plinius exſcripſerit Dioſcoridem. Facilè ſit ſolvere quæſtionem, ſi Dioſcorides Anazarbeus fuerit medicus Cleopatræ. Ipſe verò Anazarbeus ait ſe militiam ſecutum, ſed ſedulam tamen rei herbariæ operam impendiſſe, conferendo cum iis, qui hæc maximè intelligerent. Galenus lib. XI. de Facultate ſimplicium ait, non ſatis fuiſſe peritum linguæ Græcæ. Ac idem præfatione lib. VI. ejuſdem operis, & lib. IV de Compoſitione medicamenti, valde ejus operam commendat, atque agnoſcit, in hoc argumento nulli eſſe ſecundum. Tranſtulere eum Hermolaus Barbarus, Marcellus Virgilius Florentinus, Ioannes Ruellius, ac poſtremò omnium optimè Ianus Antonius Saracenus. Porrò non primus in hac materie verſatus eſt Dioſcorides; ſed ante ſe hoc tractaſſe ait ‡ Jolam Bithynum, Heraclidem Tarentinum, Julium Baſſum, Niceratum, Petronium, Nigrum, & Diodotum. Duo εὐπορίστων ſeu Parabilium libri, utcunque Dioſcoridi inſcribantur, ab alio tamen partim ex Dioſcoride, partim aliis, ſunt collecti; ſive Anazarbenſis ille, ſive Alexandrinus: quos & diſtinxit Galenus præfat. gloſſar. Hippocratis, ut ſuperiùs dixi. Nunc verba appendam. Διοσκουρίδης, οὐχ ὁ ἐπικληθεὶς Φακᾶς, ὁ Ἡροφίλειος, ἀλλ' ὁ νεώτερος, ὁ κατὰ πατέρας ἡμῶν· *Dioſcorides non qui vocatus Phacas ſive Lentinus, Herophili ſectator, ſed junior, qui patrum noſtrorum memoriâ vixit.* Ubi Anazarbenſem priori loco ſignari ſatis liquet. Is enim à lentiginoſa facie, ut ex Suida dictum, Φακᾶς vocatus. Unde corrigo Erotiani illud præfatione Lexici Hippocratici: Διοσκορίδου τοῦ Φακᾶ πᾶσι τούτοις ἀντειπόντος δι' ἑπτὰ βιβλίων. Ita H. Stephanus edidit. Reſcribendum autem, Διοσκορίδου τοῦ Φακᾶ. *Dioſcoride*, inquit, *Phacâ ſeu Lentino, omnibus in ſeptem libris contradicente.*

‡ *In præfatione.*

† *Lenticularis.*

§. 41. *Olymp.* CLXXXV: *claruit Themiſon Laodicenus Syrus auditor Aſclepiadis Myrleani, quem Pompeji M. ætate vixiſſe diximus. Hic cùm præceptor novam condidiſſet ſectam, multa in ea innovavit, tertiamque ſectam fecit.*

Hinc Seneca epiſt. XCV: *Adjice nunc, quod artes quoque pleraque, imò ex omnibus liberaliſſima, habent decreta ſua, non tantùm præcepta; ſicut Medicina. Itaque alia eſt Hippocratis ſecta, alia Aſclepiadis, alia Themiſonis.* Ea Themiſonis ſecta dicta eſt Methodica. Meminere Themiſonis Dioſcorides lib. VII, cap. II. Cornelius Celſus in procemio, & Plinius lib. XIII, cap. XVII, ubi *ſummum auctorem* vocat. item lib. XXIX, cap. I. Non audiendus verò interpres vetus Juvenalis ad illud Sat. X:

—— *Quorum ſi nomina quæras,*
Promtius expediam, quot amaverit Oppia mœchos,
Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno.

Ubi ſic interpres: *Themiſon, archiater illius temporis, cui detrahit.* Vult igitur vixiſſe temporibus Domitiani. Nempe non vidit Themiſonis nomen poni pro quovis medico Methodico, quia cùm primitus multi Themiſonem ſequi ſe profiterentur, neutiquam tantum præſtarent ac ſectæ conditor, ſed multis necis cauſa forent. Crebra quoque mentio Themiſonis apud Cælium Aurelianum, ut mittam Paulum Æginetam lib. III. cap. XV, atque alios.

§. 42. *Olymp.* CLXXXVI. *claruit quoque Philotheus Amphiſſenſis; cujus exſtant Commentarii Græci in Aphoriſmos Hippocratis; liberque de Urinis.*

Ætatem indicat quòd à M. Antonio Triumviro ob ſophiſma, quo inſolentem Medicum compeſcuit, donatus fuerit menſa argenteis poculis onuſta. Rem narrat Plutarchus in Antonio.

§. 43. *Atque hactenus illuſtres Medicos ſecundùm Olympiadas digeſſimus. Nunc quia deventum ad Auguſti tempora, quæ ordimur à morte Antonii ac Cleopatræ, Cæſarum potiùs ordinem ſequemur.*

Puto enim, ſic Medicam hanc hiſtoriam fore clariorem.

Cap. XII.

DE ILLUSTRIBUS MEDICIS A TEMPORIBUS AUGUSTI USQUE AD TEMPORA JUSTINIANI.

§. 1. *Primus igitur eſto Artorius Muſa.*

QUi vulgò Antonius Muſa. Sed *Artorius* vocatur ab Cælio Aureliano, Lactantio, & Euſebio: imò & Valerio Maximo lib. I. cap. VII. Video Neandrum * tribuere Auguſto medicos Artorium & Antonium. Sed falli puto. Hic Artorius Muſa cùm ancipiti morbo Auguſtum liberaſſet, ſtatuam juxta Æſculapium promeruit; ut teſtis eſt Tranquillus. Tribuitur ei libellus *de Vetonica*. Sed alii auctorem putant L. Appulejum. Etiam Muſæ tribuitur libellus de tuendâ valetudine. Verùm Marcellus Empericus adſcribit Hippocrati.

* Syntagmate de illuſtr. Med. p. 77. 78.

§. 2. *Frater Artorii Muſæ fuit Euphorbus, Iuba, regis Mauritani medicus.*

Plinius lib. XXV, cap. I: *Invenit patrum noſtrorum ætate herbam rex Iuba, quam appellavit Euphorbiam, medici ſui nomine & fratris Muſæ, à quo Divum Auguſtum conſervatum indicavimus.*

§. 3. *Sub Tiberio claruit tum Caſſius; cujus ſuperſunt de Animalibus problemata medica: tum Scribonius Largus, cujus extat liber de Medicamentorum compoſitione.*

Ætatem utriusque oſtendit, quòd Scribonius Codicis meminit, quem ab Atimeto, Caſſii ſervo ac Cæſaris Tiberii legato acceperit. Scribonii mentionem etiam facit Galenus in libris κτ̃ γένος, & alibi.

§. 4. *Tum quoque fuit Cornelius Celſus, qui octo libris de re Medicâ Latini Hippocratis nomen eſt conſecutus.*

Methodicam Aſclepiadis ſectam ſequebatur. Itaque Ioannes Heurnius ſummus medicus, cumque clariſſimo Molinæo in ſcientia naturali præceptor meus, ajebat, pluris Latinitatem ejus, quàm medicinam fieri oportere. Utinam verò ejus ſcriptoris editionem novam dediſſet Joſephus Scaliger. Nam eam molitum, ſatis liquet ex præfatione Franciſci Vertuniani ante Hippocratis librum de Capitis Vulneribus; quem cum ſuo Commentario, & Scaligeri Caſtigationibus edidit. Celſum verò Vertunianus ibi vocat Hippocratis non minus eloquentem, quàm fidum interpretem.

§. 5. *Tiberii & Claudii Cæſarum medicus fuit Menecrates, qui ſectæ Rationalis fuit, ac variis ſcriptis inclaruit.*

Galeno memoratur de Compoſit. Med. Simp. lib. V, cap. III. ac alibi ſæpè, & fortaſſe etiam Cælio Aureliano lib. I, Diutur. Paſſ. cap. V. Eſt de eo vetus inſcriptio, quæ legitur apud Hieronymum Mercurialem lib. III. Var. Lect. cap. XXII.

§. 6. *Claudii Cæſaris ætate fuit Valens medicus.*

Qui adulterio Meſſalinæ, uxoris Claudii, notior redditus.

§. 7. *Sub Nerone fuit Theſſalus Trallianus, qui Themiſonis ſectam fecit ſuam.*

Ut Galenus tradit in primo Therapeuticorum. Scripſit contra Hippocratis Aphoriſmos, ut idem ait libro contra Julianum. Cùm familiaris eſſet Neroni, facilè Medicorum aliis prælatus; unde tanti faſtus evaſit, ut ſe ἰατρονίκην inſcribi vellet monumento, quod etiamnum Galeni tempore via Appia exſtabat.

§. 8. *Medicus etiam Neronis fuit Andromachus ſenior, Cretenſis: qui Theriaca carmine ad Neronem perſcripſit.*

Neronis fuiſſe archiatrum tradit Galenus lib. I de Antidotis cap. I, & libro de Theriaca ad Piſon. cap. V. Ac priori quidem loco magnis effert laudibus, ut Medicam artem perfectè edoctum, ac præterea facundia pollentem, patria autem fuiſſe Cretenſem. Ab eo dictam Theriacam Andromachi, quia antidoto Mithridaticæ admiſcuerit non exiguam partem carnium viperæ; atque ita eſſe factum, ut hæc Antidotus Andromachi propè antiquaverit Mithridaticam. Idem Galenus ait ſcripſiſſe etiam de Medicamentis compoſitis ad affectus externos; imò & plurima ex eo exſcribit. Nihil, puto, addere opus eſt, etiam Aëtium, & juniorum alios ſubinde ejus meminiſſe.

§. 9. *Vixit tum quoque* Euax, rex Arabum, qui de ſimplicium effectibus ad Neronem ſcripſit.

Verba ſunt Plinii lib. XXV, cap. I. Quæ tamen aberant à MSto codice Chiffletii medici, ut Dalecampius teſtatur, nec in noſtro MSto. nec in vetere editione Parmenſi conſpiciuntur. Idem Græcè dicitur ſcripſiſſe ad Tiberium de Viribus lapidum pretioſorum.

§. 10. *Ad hæc quoque tempora referri ab aliquibus* † *video Theonem Alexandrinum, cujus librum de Exercitationibus ſæpè citat Galenus; & Aretæum Cappadocem, cujus libri, ſed mutili, ad tempora noſtra pervenere. Sed Aretæus longè eſt antiquior. Scripſit enim multò ante Cæſarum tempora, florentibus Græciæ rebus; ut ex eo colligitur, quòd Ionicâ utatur dialecto.*

† In lib. Neandri Brem. pag. 79.

Joniſmus enim, uti & Doriſmus, diu ante tempora Cæſarum in ſcriptis deſierat. Ut mirum ſit non antea celebrari. Primi enim, qui meminerint, ſunt Paulus Ægineta, & Aëtius: qui non ante Julianum claruere. Nec tamen audiendi, qui propterea quod Galenus in tot voluminibus nunquam laudat, eò juniorem illo arbitrantur. Nam potuit nominatim laudaſſe in iis, quæ interciderunt. Et fortaſſe aliquando eum ſignat, etſi non nominet. Multos enim citat, quorum nomina non addit.

§. 11. *Etiam C. Plinius Secundus propter Hiſtoriam Naturalem inter medicos, etſi iis quandoque iniquior videatur, nomen ſuſtinet.*

Opus, quod dixi, ipſe in præfatione ait eſſe librorum XXXVI. Nempe primum non annumerat, quia verius ſit index. Addit ſe complexum rerum cura dignarum XX millia. Evolviſſe centum auctores non vulgo tritos, ſed exquiſitos: talium ſe legiſſe voluminum duo millia. Hoc eſt verè, quod Domitius Piſo dicebat, theſauros ſcribere, non libros. Et tamen vir tantus effugere nequit aſpera medicorum judicia: ex quibus Cardanus ſolùm habebat pro Grammatico. Quo non tam Pliniano detraxit nomini, quàm ſuo.

§. 12. *Veſpaſiani ætate vixerunt Medici celebres Seleucus Cyzicenus, & Stratocles Sidonius.*

Ut indicat Philoſtratus lib. VIII. de vitâ Apollonii cap. III. ‡

‡ P. 94 edit. Pariſ. anno 1608.

§. 13. *Sub Domitiano, Nervâ & Trajano vixit Archigenes Apamenſis Syrus.*

Philippi

Digitized by Google

Philippi filius fuit, Agathini diſcipulus, ac Romæ medicinam ſub Trajano fecit. Vixit annos LXXIII, multaque medica & phyſica ſcripſit. Auctor Suidas in Ἀρχιγένης. Præter illa κομμωτικῶν, ſive *Cutis ac capillorum ornatum*, etiam decem libros ſcripſit de Febribus, ut tradit Galenus. Atque idem auctor eſt undecim libros epiſtolarum Medicinalium reliquiſſe. Nomen ejus Juvenalis, qui ei æqualis fuit, pro quovis medico poſuit ſat. IV:

—— Tunc corpore ſano.
Advocat Archigenen, oneroſaque pallia jactat.

Quem ad locum ſcholiaſtes Archigenem ait fuiſſe, *Medicum magnum illius temporis.*

§. 14. *Trajani & Adriani temporibus fuit Rufus Epheſius, cujus exſtant libri tres de Appellationibus partium corporis humani. Ubi & ſitum, figuram, facultatem & uſum declarat.*

Latinè reddidit Junius Paullus Craſſus, medicus & profeſſor Patavinus. Sed liber primus bifariam exſtat, ſententiâ plurimum eadem, ſæpè etiam verbis. Junius Craſſus ait non poſſe ſe divinare, quo id conſilio fecerit. Sed quid mirum, ſiquis priorem editionem recoquat, & addat, demat, mutet quæ volet. Nempe bis edidit eum librum Rufus. Uti & Solinus ſuum Polyhiſtora. Nec ſanè variantes veterum ſcriptorum lectiones ſemper ſunt à librariis: quandoque etiam ex eo, quod alii primam editionem exſcripſerint, alii fuerint nacti codicem poſtmodo ab auctore emendatum. Porrò hic Rufus etiam ſcripſit de Renum ac veſicæ morbis, ac fragmentum de Medicamentis purgantibus. Nemo magis accuratè vel perſpicuè ſcripſit de renum, & veſicæ morbis, ut auctor eſt Galenus. Idem quoque meminit librorum IV, quos carmine ſcripſerat de Herbis.

§. 15. *Trajani quoque & Hadriani ætate fuit Soranus Epheſius.*

Qui multa ſcripſit de Arte ſua, ac Galeno memoratur libro de Sectis. Eſt & alter Soranus Epheſius, priori junior, qui γυναικείων libros reliquit, teſte Suida. Ex opere eo ſupereſt fragmentum περὶ μήτρας, καὶ γυναικείου αἰδοίου. Tertius eſt Soranus Cilix. Cui nonnulli tribuunt Iſagogen medicam, quæ Sorani nomen præfert. Sed author ejus operis Latinus fuit, ut in Originum libris oſtendimus. Vide & quæ de tribus hiſce Soranis diximus opere de Hiſtoricis Græcis.

§. 16. *Item tum fuiſſe videtur Cælius Aurelianus Siccenſis: cujus habemus libros quinque Tardarum paſſionum; ac tres Celerum morborum.*

Sorani enim meminit; Galeni non item; eum minimè neglecturus, niſi major natu eſſet: laudare enim eos ſolet, ex quibus profecit.

§. 17. *Hermogenes fuit medicus Hadriani Cæſaris: cui & vita, ob aqua intercutis morbum, pertæſo locum oſtendit ſub mammâ, ut eo veneno oblito, ac iſtic vulnere inflicto, minore ſuo dolore moreretur.*

Auctor eſt Xiphilinus in Hadriani vitâ. Archigenem vocat Neander in Syntagmate illuſtrium medicorum. Nempe ſecutus videtur Hieronymum Mercurialem, qui lib. I. Var. Lect. cap. V. apud Xiphilinum pro Hermogene Archigenem reponendum arbitratur. Sed alius ille & paullo antiquior: ut qui ſub Domitiano Nervâ, & Trajano potiùs claruerit: ſicuti diximus antea. Hermogenes varia ſcripſit, quæ paſſim à Galeno celebrantur. Ut lib. I. de Simpl. Medicam. cap. XXVII, & alibi.

§. 18. *Sub T. Aurelio Antonino Pio claruit Sextus, Empirica ſecta medicus: cujus tres ſuperſunt libri Pyrrhoniarum Hypotypoſeôn, & decem adverſus Mathematicos, ſive diſciplinarum profeſſores. Totum verò hoc eo eſt ſubnixum, quod idem eſt, ac Sextus Chæronenſis, Plutarchi Chæronenſis nepos; qui præceptor fuit M. Antonini Philoſophi; ut in vitâ ejus tradit Capitolinus. Is verò diſcipulus fuerit Herodoti Philadelphei, ſectam Pyrrhoniam ſecuti.*

Huic tribui video (ſed perperam, ut cenſeo) librum de Medicinâ Animalium. Sæpiùs ejus teſtimonio utitur in Theſauro pauperum Petrus Hiſpanus, qui dignitatem Pontificis Maximi adeptus, vocatus eſt Joannes XXI. Huic *Platonicus* vocatur, qui *Placitus* in manu exaratis appellatur. Commentario illuſtravit Gabriel Humelbergius. Sed profectò ſi is Platonicus fuit, alius ſit à Sexto Pyrrhoniarum Hypotypoſeôn ſcriptore.

§. 19. *Sub M. Aurelio Antonino Philoſopho, item filio Commodo, adhæc Helvio Pertinace, Didio Juliano, Clodio Albino, ac denique Severo effulſit clarum jubar Claudius Galenus Pergamenus.*

Qui inter duodecim ſubtiliſſima orbis ingenia, ſubtilitate ultimum, arte clariſſimum meruit locum: ut cenſet Hieronymus Cardanus lib. XVI. ſubtilitatum. Hoc nemo plura, ac majori undique doctrinâ ſcripſit: ut de eo ſatiùs ſit tacere, quàm plura addere.

§. 20. *Etiam ſub Antoninis vixit Julianus Alexandrinus: qui libros XLVIII ſcripſit contra Aphoriſmos Hippocratis. Item librum de Methodo, quem Philonem inſcripſit. Item* περὶ ψυχικῶν καὶ σωματικῶν παθῶν.

Citat Galenus, qui & contra eum Hippocratis Aphoriſmos defendit.

§. 21. *Serenus Sammonicus, cujus de Medicina & morborum remediis carmen ſupereſt, vixit temporibus Severi Cæſaris, & filii ejus Caracallæ: à quo in cœnâ eſt interemtus.*

Filius ejus fuit præceptor junioris Gordiani; gratuſque fuit Alexandro Mammeæ, uti & Gordianis. Patrem cum filio confudit doctiſſimus Lilius Gyraldus in Hiſtoriâ poëtarum, dialogo IV. Vide de priori Spartianum; de altero Lampridium, & Capitolinum.

§. 22. *M. Aurelio Probo imperante, claruiſſe dicitur Philagrius Lycius, medicus Epirota, Naumachii diſcipulus.*

Ad Probi tempora refert Neander. Suidas contentus eſt dicere, poſteriorem eſſe Galeno. Idem ait plerumque feciſſe medicinam Theſſalonicæ, ac reliquiſſe commentarium in Galenum; item μονόβιβλα, ſive Libros ſingulares LXX.

§. 23. *Sextus Africanus præter nobilem illam Chronologiam, quam Euſebius exſcripſit, etiam reliquit libros IX, quos* Κεστῶν * *inſcripſit. In iis res tractabat medicas, phyſicas, ruſticas, & chymicas. Eos libros dedicavit Alexandro Mammeæ filio.* * Ceſtorum.

Auctor horum Euſebius lib. I. Chronicorum. Plura de eo diximus lib. II. de Hiſtoricis Græcis cap. XV.

§. 24. *Sub Maximiniano Herculio, ut aiunt, vixit Theodorus Priſcianus, ſive, ut aliis in libris vocatur, Octavianus Horatianus.*

De quo in Valentiniani Cæſar. temporibus dicemus.

 Primo

Primo eruiſſe videtur Nicolaus Leonicenus, ac brevi ſe editurum receperat; ut liquet ex ejus libro de Plinii erroribus *. * P. 20.

§. 25. *Conſtantii & Juliani Cæſarum temporibus fuit Zeno Cyprius, Juliani & Proæreſii ſophiſtarum æqualis.*

Διδαſκαλίας πολυΰμνητον illi tribuit Eunapius in ejus vitâ.

§. 26. *Ejuſdem Juliani, item Valentis & Valentiniani temporibus fuit Philoſtorgius medicus.*

Ἄριστος ἰατρῶν, *princeps medicorum* dicitur cognomini Philoſtorgio lib. VIII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. X.

§. 27. *Ejus filii, itidem medici præſtantes fuere Philagrius & Poſidonius.*

Auctor ibidem Philoſtorgius. Meminit & Philagrii hujus Suidas. Etiam ex ejus libro de Potionibus ſuavibus quædam ab Oribaſio adducuntur Medicinalium collectorum ad Julianum Imp. lib. V. cap. XVII. Etiam lib. IV. Synopſ. remedium ex eo adducit ad eroſiones oris. Malagma etiam ex eo refert Paulus Ægineta lib. VII. cap. XVIII. Variaque ex eo memorat Aëtius tetrabibli I. ſerm. II. cap. CIII. CV. CVI. & tetrabibli IV. ſerm. I. cap. CX. Ac fortaſsè, ut rectè Gothofredus in eruditis ad eum ſcriptorem notis obſervat, nec alius fuerit Philagrius ad quem plures ſunt Nazianzeni epiſtolæ. Sanè tempora conveniunt, & Nazianzenus ei medicinæ peritiam tribuit epiſt. LXVIII. Pluraque inibi Gothofredus ex Codice Theodoſiano, Ammiano, & Suidâ, qui meminit Philagrii, medici Lycii Macrenſis. Hæc de Philagrio.

Philagrio, ut dictum, frater erat Poſidonius: quem ſibi viſum eſſe inibi dicit ibidem Philoſtorgius. Atque addit fuiſſe in arte ſuâ eximium: ſed in eo jure reprehendi, quod ſoleat dicere, οὐχὶ δαιμόνων ἐπιθέσει τοὺς ἀνθρώπους ἐκβακχεύεσθαι, ὑγρῶν δέ τινων κακοχυμίαν τὸ πάθος ἐργάζεσθαι· μὴ γὰρ εἶναι τὸ παράπαν ἰσχὺν δαιμόνων, ἀνθρώπων φύσιν ἐπηρεάζουσαν· *Non dæmonum vi homines debacchari, ſed humorum quorundam cacochymiam, hunc affectum operari: nullam quippe dæmonum vim eſſe, quæ naturam hominum damno afficiat.* Ac convenit cum iſtis, quòd incubum negabat eſſe dæmonem; ut eſt apud Aëtium tetrabibli II, ſerm. II. cap. XII. Quod ſi nihil aliud quàm illud de incubo dixerit Poſidonius, immeritò à Philoſtorgio reprehenditur. At jure culpatur, ſi omnino negabat eſſe ullos dæmoniacos. Meminit Poſidonii quoque Ægineta lib. VII. cap. III †. Imò idem videtur ac is, qui Suidâ teſte ‡ ſcripſit παλμικὸν οἰώνισμα: quo quid ſignificetur, expono in variis Divinationis generibus.

† P. 614. in voce Arnabo.
‡ In Ποσειδώνι@.

§. 28. *Zenonis Cyprii, de quo antea dixi, diſcipulus fuit Oribaſius Pergamenſis.*

Is Juliani necdum Imperatoris medicus fuit, multumque contulit ut ad imperium eveheretur: eo autem defuncto à conſecutis Imperatoribus Valentiniano I. ac Valente omnibus ſpoliatus eſt bonis, nec contentis in exilium miſiſſe, in hoſtilem ejectus eſt terram, ut ab iis necaretur, quod ipſos facere pudebat: ſed cùm magno eſſet in honore apud barbaros reges, ac ingens viri deſiderium in Romano imperio, ab Imperatoribus eſt revocatus, prioreſque opes recepit. Hæc fuſiùs Eunapius, qui & ſuperſtitem ait, quo tempore iſta ſcriberet.

§. 29. *Juliani quoque ac Valentis temporibus claruere Magnus Antiochenus, & Ionicus Sardianus, Zenonis itidem diſcipulus.*

Eorum quoque vitas deſcripſit Eunapius. Ac præterea meminit Magni in vita Zenonis, & Oribaſii. Sed & Philoſtorgius memorat lib. VIII. Hiſtor. Eccleſiaſticæ cap. X. & Myrepſus Alexandrinus de antidotis ſect. I. cap. XXXV. Scripſit de Dignoſcendis urinis, ut docet Theophilus præfat. lib. de Exacta urinæ notitia. Ait verò Magnum illum, hominem philoſophum, vel ſophiſtam, (quo nomine & ab Eunapio meruit, ut vitam ejus ſcriberet) doctrinam de urinis mutilam tradidiſſe, multaque προγνωστικὰ præteriiſſe: pulcrè quidem ratiocinari, ſed ſine experientia, quæ artium eſt mater.

§. 30. *Etiam Aëtius Amidenus Juliani ac Valentiniani temporibus ac deinceps vixit; junior aliquantum Oribaſio: priores medicos, imprimis Galenum in compendium contraxit lib.* XVII.

Præterea Græcè in bibliotheca Galliarum Regis (ut in Nomenclatore ſuo ait Rob. Conſtantinus) exſtat Aëtius Græcè de Oculorum affectibus, de Intemperie & Infirmitate hepatis, deque his, qui ex ſtomacho ſanguinem revomunt. Planè autem confundi arbitror cum Aëtio Arriano, præceptore Eunomii ejus, Cyziceni epiſcopi, contra quem ſcripſit S. Baſilius. Siquidem hæreticus hic ex Apama Meſopotamiæ fuit, neque unquam Medicus à veteribus dictus, etiam Conſtantini M. & Conſtantii temporibus imprimis claruit, licet pervenerit ad tempora Juliani. Diaconus etiam à Leontio fuit ordinatus. Medicus verò maximè ſub Juliano fuit, ac Valentiniano I, ac Valente fratre, credo & Valentiniani I. liberis, Gratiano ac Valentiniano II.

§. 31. *Julius Auſonius Vaſatenſis Medicinæ cauſſa in palatium arceſſitus fuit à Valentiniano ſeniore: etiam præfectura Illyrici ab eo ornatus: pater Decii Magni Auſonii Burdigalenſis poëtæ.*

Reliquit libros de Medicina: quibus ſe adjutum Marcellus Empiricus agnoſcit in operis ſui præfatione. Hujus Auſonii dictum illud celebratur: *Beatum eſſe, non qui habet, quæ cupit; ſed qui non cupit, quæ non habet.*

§. 32. *Sub Valentiniano floruit quoque Vindicianus.*

Fuit is Comes Archiatrorum. Epiſtola ejus ad Valentinianum imperatorem, exſtat in operibus Marcelli Empirici.

§. 33. *Sub Gratiano fuit Octavius Horatianus, qui libros duos de Curationibus morborum reliquit, unum de Ægritudinibus mulierum, unumque Experimentorum.*

Ætatem ex eo cognoſcimus, quia ſe diſcipulum dicat Vindiciani, qui ἀρχίατρος fuit imperatoris Valentiniani. Verùm nonnulli hoſce libros tribuunt Theodoro Priſciano. Sub Octavii ſive Octaviani nomine exſtant hi libri. Logicus, de Curationibus omnium ferè morborum corporis humani, ad Euporiſtum: De acutis, & chronicis paſſionibus, ad eundem. Gynæcea, de mulierum accidentibus & curis eorundem, ad Victoriam. De Phyſica ſcientia, Experimentorum liber ad Euſebium filium.

§. 34. *Theodoſii M. ætate claruit Marcellus Burdigalenſis: cujus ſunt libri de Medicamentis empiricis, phyſicis, ac rationalibus.*

Illuſtris dictus, ac Theodoſio M. à conſiliis fuit. Vulgo Empiricus vocatur: nec mirum; quando remedia etiam collegit à ruſticis ac plebejis hominibus experimentis comprobata: ut ipſe in Præfatione operis refert.

§. 35. *Juſtiniani Magni temporibus claruit Alexander Trallianus, Dioſcori itidem Medici filius. Scripſit Alexander Therapeutica ſingularum corporis partium.*

An-

Anthemius Trallianus excelluit in machinis fabricandis; frater ejus Metrodorus Grammaticus fuit inſignis; Olympius egregius Juriſconſultus; Dioſcorus Medicus, cujus artis peritiæ documenta dedit Trallibus; Alexander verò in veteri Roma habitavit, eò honorificè arceſſitus. Teſtis horum Agathias lib. V.

§. 36. *Anno* cIↄLX. *ac deinceps, claruit ille* πολυγραφώτατος *Michael Pſellus: qui inter cætera reliquit libros duos, Conſtantino Duca dicatos, de Victus ratione, deque Facultatibus & ſucci qualitate elementorum.*

Latinè vertit Georgius Valla. Excudit Baſileæ Andr. Cratander Anno cIↄ Iↄ XXIX. Peſſimè tranſlatum eſſe, conqueritur Lilius Gyraldus *: qui propterea non multum fuit adjutus ea interpretatione, cùm verteret Simeonem Sethum, Antiochenum magiſtrum, de Cibariorum facultate, etſi idem ſit liber, ac ſolùm Pſello quædam adjecerit Simeon Sethi. Unde & ſic quandoque inſcribitur, Σύνταγμα περὶ τροφῶν δυνάμεων τοῦ Ψελλοῦ, καὶ Συμεὼν τοῦ Μαγίστρου. *Syntagma de alimentorum viribus Pſelli, & Simeonis Magiſtri.* Etiam Medicinale, nec non in Galeni explicationem quatuor librorum reſolutionis Hippocraticæ dicitur ſcripſiſſe. Memoratur utrumque opus in Catalogo Grammatico, qui eſt apud Antonium Verderium in Supplemento bibliothecæ Geſnerianæ. Prius opus inſcribitur Ἰατρικὸν πρὸς Κωνσταντῖνον τὸν πορφυρογέννητον *Medicale ad Conſtantinum Porphyrogennetum.* Incipit hoc opus; τὰς προσταχθείσας ἐπιτομὰς γράφειν τῇ σῇ θειότητι· *Quæ juſſus eram compendia ſcribere à veſtra divinitate.* Leo tamen Allatius, diſſertatione de Pſellis †, negat eſſe inclyti illius Michaëlis Pſelli, quia neque in eo ſit agnoſcere Pſelli in dicendo acrimoniam, nec in re expedienda ſolertiam: ac tempora etiam obſtare, ſive is Conſtantinus Porphyrogennetes ſit primus, ſive ſecundus, qui cum Baſilio imperium tenuit. Agnoſcit interim *librum eſſe non contemnendum ac ſæpe ſua brevitate expeditum, & remediis à probatiſſimis ſcriptoribus delectu tranſcriptiſque, idque populari loquendi forma.* Egit item de Novis morborum appellationibus, qui liber exſtat in bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi. Idem περὶ χρυσοποιΐας ſive *de conficiendo auro* librum miſit ad Michaëlem Cerularium, Patriarcham Conſtantinopolitanum. Eum inter Græcos codices repertum, ac manu ſua deſcriptum, Lilius Gyraldus cum epigrammate, quo opus id commendaret, Joanni Pico Mirandulæ miſit. Ut ipſe Lilius teſtatur dialogiſmo VIII. Atque hinc eſt, quòd crebrò ejus operis mentio fiat à Ioanne Pico Mirandulano in libris de Auro; ac præcipuè lib. II. Democriticæ & Abderiticæ ſectæ cap. II.

* Epiſtola quam Simeoni Sethi præmiſit.

† Pag. 89.

§. 37. *Anno* cIↄ cc *claruit Ioannes de Mediolano, qui nomine collegii Medici Schola Salernitanæ verſibus Leoninis conſcripſit librum, qui in vett. codd. inſcribitur*, Medicina Salernitana, *ſive* de conſervandâ bonâ valetudine; *item* Regimen ſanitatis Salerni, *vel etiam* Flos Medicinæ.

Videtur autem is liber longè auctior initio fuiſſe; nempe verſuum cIↄ cc XXXIX, ſicut à Ioanne Georgio Schegkio in bibliotheca medica proditum eſt. At in vulgatis libris ſolùm CCCLXXIII. reperiuntur. Sunt tamen qui habeant Iↄ CLXIV, vel etiam cIↄ XCVI. Anglorum is rex, cui opus id dedicatum, fuiſſe videtur Robertus Normanniæ primogenitus Guilielmi Nothi, ſive Conquæſtoris, Normanniæ Ducis. Ac ſcriptus videtur, cùm is Robertus è Palæſtinâ in Apuliam rediiſſet, & ob fiſtulam è vulnere venenato, de eâ, & valetudine tuendâ, conſuluiſſet Salernitanam ſcholam. Nec obſtat, quòd liber hic ſcribatur Anglorum Regi, at Robertus non regnavit in Angliâ. Nam regnum ei debitum, quod eo abſente minor natu frater Guilhelmus Rufus occupavit. Ac pro eo recuperando bellum geſſit cum fratre Guilhelmo; ſed ab eo victus fuit. De quo pluribus Renatus Moreau in Prolegomenis eruditarum Animadverſionum, quibus memoratum opus illuſtravit.

§. 38. *Anno* cIↄ cc LXI *Demetrius Pepagomenus à valetudinis curâ erat Imperatori Michaëli Palæologo: cujus juſſu ſcripſit librum de Podagrâ.*

Græcè, Latineque Pariſiis edidit Guil. Morelius. In quibuſdam codicibus tribuitur Pſello: ſed perperam. Nam ille vixit ſub Imper. Michaële Ducâ, quaſi ducentis annis ante hunc Michaëlem Palæologum.

CAP. XIII.

DE MEDICIS GRÆCIS INCERTÆ ÆTATIS.

HActenus de iis, quorum ætas ſcitur. Nunc ſubdam pluſculos Græcos quorum tempus neſcitur, non eorum modò qui antiquiorum fuerint temporum, ſed pauculos etiam juniorum, verùm clari ſolùm nominis. Digeram utroſque κατὰ στοιχεῖα.

Actuarius, Joannis Zachariæ filius reliquit de Actionibus & affectibus ſpiritus animalis ejusque victu libros II: De Urinis lib. VII. Methodi medendi lib. VI. De Medicamentorum compoſitione lib. I. Fuit quidam Actuarius, qui tempore vixit Conſtantini Ducæ: ut cognoſcimus ex Michaële Pſello, qui reliquit Μονῳδίαν εἰς τὴν τοῦ Ἀκτουαρίου Ἰωάννου ἀδελφήν. *Monodia in ſororem Ioannis Actuarii.* Eam Leo Allatius reponit ‡ in iis Michaëlis Pſelli libris, quos ipſe vidiſſet, aut legiſſet.

‡ Diſſertationis de Pſellis pag 80.

Agapius Alexandrinus, à puero literis excultus, Byzantium profectus docuit Medicinam, ac ob ingenii, & artis præſtantiam, non modò nomen, ſed grandes etiam opes acquiſivit; ut narrat Suidas.

Apollonius Herophileus ſcripſit περὶ μύρων, & Εὐπόριστα φάρμακα: prioris operis meminit Athenæus lib. XV: poſterioris Galenus de Compoſ. med. per partes lib. III, & alibi.

Apollonius Memphites περὶ ἄρθρων ſcripſit, teſte Erotiano. Nominat & Cælius Aurelianus lib. III. cap. VIII.

Apollonius Pergamenus Medicus ac Rei ruſticæ ſcriptor, inter R. R. ſcriptores memoratur Varroni ac Columellæ, utrique lib. I. cap. I. Meminit & Oribaſius lib. I. Εὐποριστῶν: *Tibias ſcalpellari jube, ſicut Pergamenus Apollonius fieri ſuadet iis, qui opus habent ſanguinem detrahere.*

Apollonius Pitanæus itidem medicus. Plinius lib. XXIX. cap. VI: *Suffuſionem oculorum canino felle malebat, quàm hyæna, curari Apollonius Pitanæus cum melle.*

Apollonius ὁ ἀπὸ Στρατονικέως * ſcripſit περὶ σφυγμῶν †. Memorat Galenus lib. IV. de Pulſuum differ.

Apollonius ὁ Κιτιεὺς ‡, medicus ſcripſit περὶ ἄρθρων, item περὶ ἐπιληπτικῶν. Mentio ejus eſt apud Strabonem extremo lib. XIV: item Erotianum, qui operis meminit περὶ ἄρθρων; uti alterius de Epilepticis Cælius Aurelianus lib. I. Tardarum paſſionum cap. IV.

* Stratonius.

† De Pulſu.

‡ Cittienſis.

Apollonius quidam περὶ βοτανῶν memoratur Scholiaſtæ Theriacorum Nicandri, & Oribaſio præfatione Εὐποριστῶν ad Eunapium.

Apollodorus Cittieus, & Apollodorus Tarentinus Medici in remediis citantur Plinio, Cælio Aureliano, Galeno, Dioſcoridi, Alexandro Tralliano, & reliquo Medicorum veterum choro. Et fortaſſe horum alteruter eſt, de quo Plinius refert volumine quodam perſcripſiſſe Ptolemæo regi, quæ vina biberet.

Aretæus Cappadox. De hoc jam nonnulla ſuperius diximus. Vertit eum Julius Paulus Craſſus, ac tranſlationem ſuam edidit anno cIↄ IↄLII. Sed vitioſis uſus codd. mentem ſcriptoris non ſemper eſt aſſecutus. Poſtea longè caſtigatiùs & auctiùs is ſcriptor Græcè & Latinè prodiit Auguſtæ Vindelicorum. Sed & Craſſus tum ſuam tranſlationem ad incudem revocavit: nempe anno cIↄ Iↄ LV. Edidit eam Baſileæ Perna cum Rufo, Palladio, & Theophilo, anno cIↄ

Digitized by

cIↄ Iↄ LXXXI. Hujus quoque incerta eſt ætas, conſtat tamen eſſe antiquiſſimum, & falli Georgium Heniſchium, qui illum exiſtimat vixiſſe poſt Plinium, eo argumento quòd Plinius nullam ejus fecerit mentionem: at falli Heniſchium, & vetuſtiſſimum eſſe hunc Aretæum, ac florentibus Græciæ opibus vixiſſe, unum argumentum hoc ſatis ſit, Joniſmus, iſque vetuſtiſſimus, quo utitur. nam certè diu ante Cæſariana tempora Joniſmus & Doriſmus in ſcriptis deſierat.

Deſunt hic multa in autographo Auctoris.

Mneſitheas memoratur Galeno libro primo ad Glauconem.

Nicolaus Myrepſus, qui præpoſitus dici ſolet, eſt ex Græcorum recentiſſimis Medicis. Nam citat Meſuem Arabem medicum, qui claruit anno cIↄ CLV, ſub Frederico Barbaroſſâ. Et vel barbaries multorum vocabulorum indicat ætatem. Accuratè tamen quo ſeculo vixerit, dicere non poſſumus. Supereſt ejus liber de Compoſitione medicamentorum particularium ſecundùm genera κτ̃ στοιχεῖα*. Cùm verò admodum recentem eſſe conſtet ex iis, quæ diximus, jure Conradus Geſnerus, ſive Euonymus Philiatros in præfatione Theſauri ſui de Remediis occultis miratur non fieri ab eo mentionem aquarum vel oleorum chymicorum inſtrumentis paratorum. Solùm enim meminit olei capniſti, quod & memorat Aëtius.

* Ordine literarum

Palladius Sophiſta, Græcè docuit medicinam: atque ex ejus voce exceptus exſtat commentarius in lib. VI. Hippocratis de Morbis popularibus. Eum Græcè ex bibliothecâ Joannis Sambuci Pannonii attulit Hieronymus Mercurialis. Ab hoc habuit Junius Paulus Medicus & Profeſſor Patavinus, qui ut alia complura, Latinè vertit: ab obitu ejus divulgavit filius Celſus Craſſus.

Paulus Æginetà dictus à patriâ, Græciam terraſque alias diſcendi gratiâ obivit: poſteaque Galenum utili ſeptem librorum compendio conſtrinxit: in quo nihil ille proprium attulit. Utrùm Trallianum præceſſerit, an ſit ſecutus, non ſatis eſt apertum. Illud conſtat, alterum ex altero non pauca ad verbum adſcripſiſſe. Mirum non ſatis conſtare de tanti viri ætate. Nam omnium Medicorum poſt Galenum longè doctiſſimum fuiſſe, judicium eſt Remberti Dodonæi in hiſtoriâ Frugum cap. V, quod eſt de Typhâ Cereali. †

† Fol. 19. b. edit. Antverp. A. 1552.

Philiſtion Locrenſis citatur ab A. Gellio lib. XVII. cap. XI. Aliqui eum auctorem putant libri Hippocrati attributi, qui de Diætâ inſcribitur. Fortaſſe autem idem eſt, ac Philiſtio Siculus: qui circa Olymp. CV. vixit: ut ſuperius dictum.

Praxagoras librum reliquit de Supervenientibus & naturalibus: quem variis locis citat Galenus. Etiam de Veneno Pharico ſcripſit; ut ſcimus è Scholiaſte Nicandri. Plinius quoque libro XX. ac ſeptem ſequentibus, ejus meminit: ac ſatis ex eo conſtat varia de herbis tradidiſſe.

Stephanus, Athenienſis philoſophus, explanationes edidit in Galeni librum priorem Therapeuticum ad Glauconem. Latinè vertit Auguſtinus Gadaldinus Mutinenſis. Baſileæ cum Aretæo, Ruſo, & aliis, edidit Perna anno cIↄ Iↄ LXXXI. In præfatione Theſauri Euonymi Philiatri ſive Conradi Geſneri mentio fit Stephani philoſophi, ut unius è recentioribus ſcriptoribus Græcis: diciturque de Chemiâ ſcripſiſſe. Non dubito, quin idem fuerit.

Theophilus Græcè de corporis humani fabricâ ſcripſit libros V. Junius Paulus Craſſus medicus & profeſſor Patavinus reddidit Latinè.

Xenocratis exſtat Græcè liber de Alimento ex aquatilibus: deſumtus ex Oribaſii Collectionis lib. II. cap. LVIII. Meminit Xenocratis Galenus lib. X. de Facultatibus ſimplicium medicamentorum, cap. de Sanguine veſpertilionis, & lib. V. de Compoſitione ſecundum genera.

Cap. XIV.

DE MEDICIS ILLUSTRIBUS INTER ARABAS SCRIPTORES.

Poſt Græcos medicos magno numero, paucos etiam Latinos, viſum aliquot Arabas ſubjungere, ſed ex ingenti copiâ ſolùm qui Latinè redditi ſint, imò nec hos univerſos, ſed duntaxat, quorum nomen præcipuè viget inter medicos Chriſtianos.

Sub Conrado II, & Henrico III. claruit Aboali Abinſceni, ſive ut vulgo dicimus, Avicenna. In Balech oppido natus fuit patre medico inſigni, anno Hegiræ CCCLXX. hoc eſt anno Chriſti Iↄ CCCCXCII. Vixit annos LVIII, ut mortuus ſit anno Muhammedis CCCCXXVIII, ſive Chriſti cIↄ I. Atque hæc cognoſcere eſt ex vita Avicennæ, quam unus ex ejus diſcipulis, & ipſe Arabs, ſcripſit. Quare toto ſeculo decepti ſunt, ſecundùm quos (in iis eſt Neander Bremenſis) Avicenna Cordubæ Averroëm, Alexandriæ audivit Rhaſin in adoleſcentiâ. Multa quoque alia de hoc ipſo narrant, ut qui totæ ab Averroe fuit impoſitus. Verum quàm hæc ſint falſa, adparet ex ſupradictis, & præcipue ex ſcripto Leonis Africani de doctis Arabibus, ubi utriuſque vita fuſe deſcribitur. Omnem medicinam methodo ordine optimo complexus eſt, ita ut hac parte etiam exſuperet Galenum. Huic debemus coĉturam Sacchari; item Caſſiam fiſtularem, myrobalanum, tamarindam & rhabarbarum. Tranſtulit Avicennam Latinè Gerardus Cremonenſis in urbe Toletanâ. Expoſuit Gentilis Fulginas ab induſtriâ ſuâ cognomentum nactus Speculatoris. Compluria quoque ex Arabico tranſtulit Andreas Alpagus Bellunenſis, philoſophus ac medicus doctiſſimus, qui jam grandis ætate, comite fratris filio adoleſcente, Cyprum, Syriam, Ægyptum, ac penè univerſum adiit orientem, idque ut linguam Arabicam penitùs addiſceret, ac optimos ejus linguæ codices domum referret. Subitâ morte defunctum epigrammate laudavit civis ſuus doctiſſimus Pierius Valerianus, cujus Hieroglyphica habemus. Quàm verò abjectè quidam de Avicennâ ſenſerint, oſtendit Joannis Manardi de eo judicium lib. IX. epiſt. V. *Non eſſe inter antiquos numerandum, ſed nec inter auctores, hoc eſt, qui Artis aliquid addiderunt, cùm ex aliis ferè verbum ex verbo acceperit, quicquid in ſuum librum congeſſit, atque cum multis, vel ſui, vel interpretum culpâ, mendis.* Atque idem lib. I. epiſt. I. ait. *Quis Avicennam ceu cæleſte numen non adoravit: in cujus tamen libro præter denſam caliginem infinitum eſt ambagum chaos.* Nicolaus Leonicenus, lib. de Erroribus Plinii, nec tyrannum dubitat vocare, varioſque ei & noxios objectat errores. Nec minus alii inſultant. Cæſar tamen Scaliger divinum virum appellat comment. in primum Theophraſti Hiſtor. Plant. * Henricus Savilius Lecturâ ſecundâ in Euclidem: † *Avicenna primus artem conſcripſit, cùm antea Galenus ſparſim per occaſionem de diverſis argumentis pro re natâ diſſeruiſſet.*

* Pag. 15.
† Pag. 35.

Circa annum cIↄ CLVIII (ut in præfatione ‡ Theſauri ſui de remediis ſecretis putat Euonymus Philiatros, ſive Conradus Geſnerus) claruit Joannes Meſue Damaſcenus, qui duos Arabicè libros reliquit: prior continet Canones univerſales: poſterior eſt de Simplicibus. Hic ante ſeſquiſeculum tantæ exſtitit venerationis, ut magnæ etiam auctoritatis Medici eum dicerent ſuum Euangeliſtam. Sed libros ejus eſſe Sibyllæ foliis obſcuriores, multoſque continere errores, oſtendit Joannes Manardus, quem vide lib. I. epiſt. I. ubi inter alia ait, nec bonum eſſe Galeniſtam, nec medicum bonum. Sed imprimis perutile ſit cum Joanne Meſue conjungere cenſuram ſummi ejuſmodi viri, Manardi dico, tum eam, quæ in Medicamenta ſimplicia, tum quæ in compoſita utraque viginti ejus Epiſtolarum libris ſubjungitur *. Nihil quod ſciam de hoc Meſue inter Chriſtianos conſtat, cùm tamen Chriſtianus fuerit. Itaque operæ pretium eſſe exiſtumo adſcribere verba Leonis Africani

‡ Pag. 14.
* Edit. Lugd. an. 1549.

Africani ex ſcripto de doctis Arabibus, præcipuè quia liber iſte necdum lucem adſpexit.

Joanna, filius *Meſuah*, natione Chaldæus, fide Chriſtianus è Neſtorianorum ſecta, natus eſt in quadam villa Ninive propinqua. Exivit è patria ad civitatem Bagdad, Patriarcham ibi compellaturus, ut in ordinem Clericorum ab eo adſciſceretur. Vix igitur prædictam civitatem ingreſſus, novum orbem ſibi inveniſſe videbatur, eò quòd multos Chriſticolas, Mahumedanoſque, liberalibus artibus illic loci incumbentes animadverteret. Decrevit itaque ſtudiorum cauſâ illic aliquamdiu conſiſtere. Quippe morari in patria ſua vile, & non proficuum arbitrabatur ob nimiam ſuæ gentis ſimplicitatem. Brevi igitur iſto tempore, quod ibi moratus fuit, multa addidicit: ac florere poſtmodum cœpit in Medicina, Philoſophia, & Aſtrologia. Erat tum temporis Calipha Raſid ejus nominis XXIII, Mahumedanus, qui mittere volebat eâ tempeſtate filium ſuum in locum aliquem fortem: nec magnitudine, nec humanitate ulli alii ſecunda erat, hæc dives opum, hominumque ſapientiſſimorum provincia. Filio iſti nomen erat *Ebdullah*; cognomen, *Mamon*. Diſcedere itaque volenti Mamoni, præcepit pater, ut comites ſibi legeret homines virtuti deditos. Vocatum qui ſibi eſſet à ſecretis Mamon, juſſit tales inquirere, repertiſque ſtipendia, quæ meritis reſpondere cenſeret, aſſignare. Complures verò ut non unius ſcientiæ, ſic nec unius regionis, ac linguæ is adduxerat; literis enim Græcis alii, alii Perſicis, nonnulli etiam Chaldaicis literis operam dederant. At verò cùm vidiſſet Conſiliarius, ſive Oeconomus ingentem hunc hominum numerum, Domino ſuo Mamoni dixit: Domine mi, Huic numquam genti inter ſe conveniet, ſive morum, linguarum, & ſcientiarum: ſive fidei diſcrepantiam ſpectes. Quod ſi ita tibi viſum fuerit, facillimè unum hominem, qui ſolus hæc omnia præſtet, & curet, inveniam. Demiratus hoc ipſum Mamon: Agedum, inquit, ſi fieri id poſſe tibi videatur. Vocatum itaque Joannam hunc, Meſuah filium, notum ſibi, ac intimè familiarem coram Mamone ſtitit Oeconomus. Is verò ad Mamonem ingreſſus, illum ut virum ſummæ autoritatis, prudentiæ, atque ſapientiæ, ſalutavit. Fecit de eo periculum Mamon; cumque hominem multâ ſcientiâ imbutum, omnibuſque parem eſſe animadvertiſſet, honore eum affecit; eique de omnibus in itinere neceſſariis proſpiceretur, juſſit; ſecumque ſic duxit ad Chorazanum. Haron autem Raſid Calipha ubi id novi accepiſſet, filio nunciari juſſit: Quid Chriſtianum hunc inter tuos in aula & habes & foves? Reſpondit verò Mamon; Reverende mi Pater; Non eum ut Capellanum mihi legi, ſed ut artificem: & numquid non videt ſublimitas veſtra, quàm maxima artificum in imperio veſtro pars, aut Chriſtianos, aut Judæos ſe profiteantur? Textores volo, tonſores, ſutores, & id genus hominum. Acquievit huic reſponſo Raſid. Poſt mortem verò Raſid filius ejus natu maximus in Chalipham electus fuit, cui nomen erat Elamin, ut nullius ſcientiæ, ſic peſſimæ vitæ atque exempli homo: adeò ut populus Bagdad, & regni princeps ad prædictum Mamonem aliquem ablegarent, rogatum, ut Bagdad rediret ipſe: Frater enim tuus, inquiebant, talem non meretur dignitatem. Receſſit ex Chorazano Mamon, exercitu inſtructus; brevique pòſt Bagdad pervenit, eamque poſt ſemeſtris ſpacii obſidionem vi cepit; interfectoque in iſtoc militum furore Elamini ſuffectus eſt, & Chalipha factus. Iſte Mamon immane quanto deſiderio antiquiorum ſcientias addiſcere avebat: maximè cùm eo tempore de nulla ſcientia quid Arabicè conſcriptum videret. Adeoque dictus Mamon congregavit complures, qui diverſas linguas edocti eſſent: quæſivitque ex iis tum autorum, tum librorum nomina, qui qualibet linguâ, Græcâ, Perſicâ, Chaldæâ, atque Ægyptiâ conſcripti extarent. Recenſito itaque ingenti voluminum numero, multos ex iis, quos ſibi familiares habebat, in Syriam, Armeniam, atque Ægyptum miſit, libros ſibi nominatos emptum; quorum ſarcinas infinitas dein emptas attulere. Diſcretos itaque bonos, atque utiles, in Medicina, Phyſica, Aſtrologia, Muſica, Coſmographia, Chronologia, deſcribi, & transferri in linguam Arabicam juſſit. Verſionis autem Græcæ curam prædicto Joannæ, Meſuah filio, demandavit, quoniam illo tempore Chriſticolæ Græcis ſtudebant literis, adjunctis ei quampluribus aliis. E lingua verò Perſica, Mahan, dictumque Meſuah, ejus juſſu, Galeni medica opera tranſtulere: quibus abſolutis omnia Ariſtotelis opera Arabicâ linguâ ab iis, multorum etiam aliorum opeadjutis donata ſunt. At verò cùm objiceret quis Mamoni: Quare confidis hoc opus uni Chriſtiano? reſpondit Mamon; ſiquidem committo ei curam corporis mei, quo habitant & ſpiritus & anima, quidni ei confidam aliquorum ad aliquos verba, nec ad noſtram, nec ad ejus fidem ſpectantia. Memorat Geuzi hiſtoriographus, de civitate Bagdad, quod, traductis ad ſcientiam pertinentibus libris, reſidui decreto Mamonis, fuerint combuſti. Refert etiam Ibnu Giulgul, in vita Philoſophorum; Mamonem fuiſſe omni virtutum genere ornatiſſimum, earumque amantiſſimum. Aſcendit verò Joanna ad ſummas dignitates, multiſque ob id aulicis inviſus fuit. Denique Mamon eum in carcerem duci juſſit, plurima ab invidis ſibi imponi paſſus, poſt multa verò hinc & inde geſta ſolutis brevi ſpatio in redemptionis precium centum aureorum millibus, libertati redditus eſt. Cui poſtea dixit Mamon; Quomodo tam brevi inveniſti tantam pecuniarum quantitatem? reſpondit; Domine, ſi me liberè eloqui permiſeris, narrabo. Reſpondit Mamon: ſis ſecurus. Nec domos, inquiebat ille, nec vineas vendidi; ſed totum id habeo eorum beneficio, qui meo rogatu munus aliquod obtinere. Tum verò regeſſit Mamon, ſi ego centum aureorum millia à te accepi, faciam, ut duplum lucreris. Mortuus eſt autem Joanna Meſuah ætatis ſuæ anno octuageſimo, periitque, ut poſt obitum corpus ejus in villam, unde natus erat, ſepeliendum transferretur.

Nota verò, quod Joanna ſit Hebræis, qui Latinis Joannes. Meſuah autem dicitur Moyſes, ſecundùm regulam diminutivorum Chaldæorum. Hactenus Leo.

Ejuſdem ferè ætate (ut Euonymus ſive Geſnerus tradit) vixit Bulcaſis Benaberazerin, qui aliquibus articulo addito Albulcaſis vocatur. Scripſit de Præparationibus medicamentorum: in quibus & nonnulla remedia ex arte chymica, ſive illa, ut vocant, ſublimandi in alembico, ac deſtillandi in diplomate, ſive Mariæ Balneo.

Frederici Barbaroſſæ temporibus claruit Averroes Cordubenſis, cognomento Commentator, medicus non tam practicus, quàm theoreticus. Fuit medicus Memarolini regis. Ætatem ex eo colligimus, quòd Ægidius Romanus in Nono Quotlibeto refert ſe duos ejus filios vidiſſe in Aulâ Frederici Barbaroſſæ. Is verò regere cœpit anno CIↃ CLII, ac imperavit annos XXXVII. Verùm quia Chriſtianis pauca admodum de hoc Averroe comperta ſunt, eaque multis erroribus permixta, operæ pretium eſt, vitam ejus ex ſcripto inedito Leonis Africani hic inſerere.

Deſunt.

Iſaac Benimiram Salomonis filius vixiſſe circa Averrois tempora dicitur à Neandro Bremenſi. In Philoſophia ſcripſit de Definitionibus & Elementis; in Medicinâ de Victus ratione, febribus, urinâ, diætis. Fuit medicus cubicularius Salomonis Arabiæ Regis.

Circa annum CIↃ CLXV, ac deinceps claruit Rabbi Moſes Filius Maimon, qui ab initialibus vulgo dicitur Rambam. Natus anno mundi, (ex computatione Hebræorum) quater milleſimo octingenteſimo nonageſimo primo, ut cenſet R. Abraham Zachut in libro Juchaſin*: vel quadriennio poſt, ut cenſet R. Iſaac in libro Jeſod olam. Prius fit anno Chriſti CIↃ CXXXI, alterum CIↃ CXXXV. Hic eſt ille, de quo Elias Levita in præfat. proſâ libri Thisbi ait illud eſſe pervulgatum inter Judæos: *A Moſe* (legiſlatore) *ad Moſem* (Maimonidem) *non ſurrexit ſicut Moſes*: puta hic Maimonides.

*Fol. 131. col. 2.

des. Ac ſummi etiam inter Chriſtianos viri ita judicant, ut Plinius olim de Diodoro Siculo dixit, primum deſiiſſe inter Græcos nugari: ita de hoc Maimonis filio dici poſſe, primum deſiiſſe nugari inter Judæos. Vix dici poſſit quàm varia partim Arabica, partim Hebræâ linguâ reliquerit in omni penè ſtudiorum genere. Quorum & aliqua Latinè reddita. De idololatria id factum à deſideratiſſimo filio meo Dionyſio, qui & uberi eam diſſertationem commentario illuſtravit. Sed nihil præſtantius Maimonidæ Doctore perplexorum, quem vertit ſummus in Orientalibus linguis vir, præclareque de Rep. literaria meritus Joannes Buxtorfius, dignus cognomine Patre filius. Medicus fuit Regis Ægyptii: ubi quæ fuerit ab invidis perpeſſus, cognoſcere eſt ex Chronicis R. Gedaliah. Etiam varios in arte Medica libros perſcripſit. Ex quibus cognoſcere eſt, ſedulò etiam Ariſtotelem, Platonem, Galenum, Themiſtium, atque alios ab eo lectos. Septuagenarius obiit, ſive in Palæſtina, ſive in Ægypto. Nec enim ſuper eo conſentiunt ſcriptores. Plura autem ſi de inclyto hoc ſcriptore voles, clariſſimum adi Buxtorfium juniorem in præfatione luculenta, quam memorato libro MORE NEBOCHIM præmiſit.

De Maimonide hæc Leo Africanus ſcripto de doctis apud Arabes: *Natus eſt in urbe Corduba, ac fuit Philoſophus, Medicus, Aſtrologus & Theologus, ſecundum Rabbanum, quaſi ſecundum opinionem Aſciarim: quas diſciplinas & ſcientias didicit & audivit ab Ibnu Thophail, & ab Ibnu Saigh, & etiam ab Averroë. Cum autem Ibnu Thophail ejus in ſtudiis diligentiam perſpexiſſet, eum Averroi commendavit: ut in neceſſariis ſubveniret ei, &, ſi quando opus foret, manum præberet, atque auxiliaretur. Quoniam Ibnu Thophail eum in illis ſcientiis multa præſtiturum prævideret. Hunc Ibnu Thophail uſque ad mortem ejus audivit Moyſes: Averroem verò, uſquedum gratiâ Principis ſui excidiſſet, atque inter Judæos commorari juſſus eſſet. Tunc enim prædictus Moyſes aufugit, veritus, ne eum revelare cogeretur, ſiquidem omnes eum Averroi familiarem ſcirent. Ob amicitiam igitur maluit diſcedere; Petiit verò cum ſuis Almeriam. Navim verò ingreſſus ad Chairum profectus eſt, ubi in ſervitutem à Malich Elhadul Ægypti Soldano receptus fuit. Poſtea verò operam ſuam addixit Malich Eſalech, & multo ab eo honore affectus eſt. Ibi in Chairo ad mortem uſque moratus eſt, ac reliquit filium unicum, patri ſuo in doctrina æqualem. Obiit verò anno ſexcenteſimo quadringenteſimo.* Hactenus Leo, cujus verba, quia necdum lucem viderunt, integra adſcripſimus.

Joannes Serapionis filius vixit, paullo poſt annum ſeptingenteſimum: ut voluit Ioannes Manardus, quando epiſtolarum Medicinal. lib. XV. epiſt. V, quæ eſt ad P. Nicolaum Caſtellanum *, Serapion ei dictus *annos ſupra ferè ſexcentos Galenum ſecutus*. Vixit autem Galenus temporibus Antonini Cæſaris. Etiam Neander in Syntagmate illuſtrium medicorum ait, eodem quoque tempore vixiſſe Conſtantinum Africanum, nempe ætate Leonis Iſauri, h. e. anno IↃ CCLXXV. Sed fallitur. Nam Conſtantinus vixit anno CIↃ LXX, ut poſtea dicemus. Idem Neander tradit eodem in opere † Ioannem Alexandrinum Serapionem vixiſſe circa Trajani tempora: Serapionem autem, dictum quaſi roſeum, Romæ feciſſe medicinam; ſcripſiſſe commentarios in libros Epidemon. Quanto erat ſatius dicere, eſſe incertæ ætatis ſcriptorem? Scripſit Medicinam Practicam, quæ Breviarium inſcribitur. Vertit Andreas Alpagus. Item commentaria de Simplicium medicamentorum facultatibus. Tranſtulere Abraham Iudæus, & Simon Ianuenſis, ſive potiùs Genuenſis. Verùm cùm tralatio ea foret barbara & intricata adeò, & perplexa, ut intelligi difficulter poſſet, Nicolaus Mutonus, Medicus Mediolanenſis, non inutilem aggreſſus eſt laborem. Nam contulit cum Græcis, præcipuè, Dioſcoride, Galeno, & Ægineta, atque inde innumera emendavit, magiſque Latinè ac perſpicuè loquentem induxit: appellationes etiam Arabicas, Græcas, Latinas, quæque in officinis, ac apud Italos, Gallos, Hiſpanos, Germanos obtinerent, adjunxit, ut omnino multis partibus plus fructus ex ejus lectione percipere ſit, quàm antea, cum tamen in magna tum quoque admiratione foret: ſed ſupra meritum. Audiamus, quid anno CIↃ IↃ XVIII. de eo cenſuerit Joannes Manardus, magnæ doctrinæ ac judicii medicus, lib. I. epiſt. I. *Quis Serapionis aggregationes, in ſimplicium medicamentorum, & figuris, & viribus, dignoſcendis; Matthæumque verè Sylvaticum, in eorum, & aliarum rerum medicinalium nominibus, non eſt ſummopere veneratus? in quibus fere tot eſſe errata, quot verba, & Dioſcoridis caſtigationes, & noſtræ aliquot epiſtolæ palam faciunt.*

* P. 454. edit. Lugdun. ann. 1549.

† Pag. 82. 83.

Raſis, Zachariæ filius, cognomento experimentator, commentarios Medicos reliquit, quibus vulgo nomen *Continens*. Præterea ejus eſt liber, qui inſcribitur Almanſor, quia nuncupatus ſit Regi Manſori. Etiam de Alchemia duo ei libri tribuuntur.

Geber Arabs librum ſcripſit, quem inſcripſit Summæ Perfectionis. Euonymus Philiatros ſive Conradus Geſnerus in præfatione Theſauri de remediis occultis: *Geber, nepos neſcio cujus magni Mahumethis, qui veluti dux & princeps hujus ſcientiæ* (Chymicæ) *celebratur, quâ vixerit ætate, non facile dixerim. Quamquam non illum primum hujus artis inventorem, ſed illuſtratorem fuiſſe, exiſtimo. Hoc in opere, quod ſummæ perfectionis inſcribitur, de diſtillatione in genere multa pulchrè differens varios deſtillandi modos fere omnibus notos eſſe ſcribit: nimirum ut vetus quoddam ſuo etiam ſeculo, non recens quoddam inventum.* Geber Hiſpanus ab Hieronymo Cardano in decimoſexto Subtilitatum libro inter duodecim ſubtilia Orbis ingenia undecimo loco collocatur ob inventi claritatem: quippe, inquit, *cùm Ptolomæus ex quinque quantitatibus maximo labore, ſextam quærat, hic in iiſdem cum tribus, quartam. Multa etiam in melius mutavit, quæ ad ſtatum cæli pertinebant, ut facilè intelligas multò minùs æſtus maximos frigoribus gelidis obeſſe ingeniis.* De Gebero vide Tom. I. Geſneri biblioth. Et eâdem voce Simleri epitomen.

Et hi, ut puto, inter Arabas medicos ſunt illuſtriores. Quibus pro corollario addam ſcriptorem Latinum, ſed origine Carthaginenſem, & à pueris eductum verſatumque inter Muhamadanos, quorum eruditior lingua Arabica eſt. Eſt is Conſtantinus Africanus, cujus varia in re medicâ. Vir fuit Latinè, Græcè, Arabicè doctiſſimus. Vixit autem non temporibus Leonis Iſauri, anno IↃ CCL, ut à quibuſdam proditum, * ſed Alexii & Henrici Imperatorum, ſive anno CIↃ LXX. De eo ſic Leo Oſtienſis lib. III. Chronici Caſinenſis cap. XXXIV. *Iſtius item Abbatis tempore Conſtantinus Afer huc veniens & habitum ſanctæ religionis accipiens, eccleſiam S. Agathæ in Averſano pago, à Richardo principe ſibi conceſſam, monaſterio devotiſſimus obtulit. Non erit otioſum, ad poſterorum memoriam, quis quantuſque iſte vir fuerit literis tradere. Hic igitur relictâ Carthagine, ubi ortus fuerat, Babyloniam petiit: ubi diſciplinis omnibus Chaldæorum, Arabum, Perſarum, Ægyptiorum, & Indorum pleniſſimè inſtructus, poſt annos XXXIX ad Africam rediit. Quem ita eruditum omnium gentium linguis & litteris interimere Afri cogitabant. Quod ille ubi didicit, clam navem ingreſſus, Salernum venit: ibique in habitu mendici aliquandiu latuit. Inde à fratre Babyloniorum regis, qui eo tunc venerat agnitus, Roberto duci magnificè eſt commendatus. Poſtmodum verò relictis omnibus ad hoc monaſterium (ordine quo ſupra diximus) veniens, monachus effectus eſt. In hoc autem cœnobio poſitus tranſtulit ex diverſarum gentium linguis plurimos libros: in quibus iſti præcipui ſunt. Pantechnum quod in libros XII diviſit: ubi expoſuit, quid Medicum oporteat ſcire. Practicam de ſervatione ſanitatis, & curatione morbi. Librum graduum. Diætam ciborum. De febribus quem de Arabico tranſtulit. Librum de urinâ. De interioribus membris. Viaticum, quem in VII diſtribuit partes: videlicet de morbis in capite naſcentibus. De faciei morbis. De inſtrumentis. De ſtomachi & inteſtinorum morbis. De mor-*

* Neandro in Medicorum ſyntagmate pag. 10.

morbis hepatis, renum, veſica, ſplenis, & fellis. De his quæ in cute naſcuntur. Expoſitionem aphoriſmi: librum techni, metatechni, microtechni: antidotarium. Diſputationem Platonis & Hippocratis in ſententiis de ſimplici medicamine: de gynaciis; de pulſibus: de experimentis. Gloſſas herbarum & ſpecierum. De oculis. Vide quoque Tritthemium de ſcriptoribus Eccleſiaſticis: item de viris illuſtribus Ordinis Benedictini cap. LXX.

CAP. XV.

DE ARTE MILITARI, IISQUE ARTIBUS, quæ nobis amictum vel habitationem procurant, item μεταλλουργικῇ, & χρυσοποιΐᾳ.

§. 1. *Diximus de artibus, quibus alimoniam ac valetudinem debemus. Ad cæteras venio, quas inter principem locum ſibi vindicat πολεμικὴ ſive ars militaris. Siquidem hæc ea eſt, qua cives conſervat; rebelles verò in ordinem cogit, hoſteſque debellat.*

EA ſubjicitur Imperatoriæ. Sed Imperatoria, quia in regimine conſiſtit, pars eſt Politicæ, ut Militaris ſola ſit hujus loci. Ea conſtat viris, & armis. Viri vel milites, vel militum cauſſâ. Milites, equites, pedites. Pedites in exercitu Romano, velites, haſtati, principes, triarii. Militum gratiâ tubicines, lixæ, calones. Arma, gladii, lanceæ, tela, arietes, teſtudines, helepoles, cæteraque tormenta. Adi Lipſium in libris de Militiâ Romanâ, ac Poliorceticis.

§. 2. *Eſt verò in hac ſcientiâ Matheſios uſus longè maximus. Nam Logiſtica utitur in legionibus numerandis, & acie ordinandâ: Geodæſia autem in demetiendis locis ad caſtra metanda: Geometriâ verò, ſi velit majorem minoremve exercitum hoſti oſtendere.*

Minora enim caſtra apparent, ſi ea in circulum diſponantur: majora, ſi quadrata eorum ſit figura, vel τετράγωνα, aliave multilatera.

§. 3. *Caſtrametatio eſt ratio univerſum exercitum commode tutoque caſtris includendi.*

De caſtrorum metatione vide Barthium lib. XX. col. 93, 215.

§. 4. *Suus etiam honos debetur artibus, quæ homini vel amictum, vel habitationem præſtant. In amictu attendimus tum materiam, tum formam. Materiam ſuppeditant, qui præparant lanam, linum, pelles. Item fullones, textores, tinctores. Formam debemus ſartoriæ arti, ac ſutoriæ.*

In his præcellit lanificium, tum ob utilitatem amictus, tum quia perhoneſtè eo opes parantur. Quam varia autem genera artificum, quibus amictus omne genus acceptum feramus, indicat in Panepiſtemone Politianus: ubi conjungit, *lanarios, ſericarios, linteones, braxarios, fullones, textores, infectores, lanificas, lanipendias, carminatores, panicularios, ſagarios, pelliones, interpolatores, ſarcinatores, patagiarios, flammearios, violarios, manulearios, molochinarios, ſemizonarios, limbularios, plumarios, polymitarios, Phrygiones, & qui netum aurum intexunt, & netrices, & item funicularios, reticularios, caligarios, cerdones, ſutoreſque omnes, calceolarios, crepidarios, ſolearios, veteramentarios, & item zonarios.* Vide Plautum Aulul. act. III. ſc. V. & quæ ibi interpretes.

§. 5. *Habitationem ſive ædificium, pariterque vehicula, & vaſa domeſtica debemus fabrorum variis generibus.*

Politiano ibidem recenſentur *tignarii, cæmentarii, materiarii, ærarii, ferrarii. Tum plauſtrarii, carpentariique, & vehicularii: ſed & pegmarii, automatarii: tum aurifices, inauratores, bractearii, monetales, argentarii, vaſcularii, muſivarii, gemmarii, doleарii, figuli, tectores, imbricarii, carbonarii, calcarii, laterarii, fornacariique cæteri, lapidarii, lapicidæ, ferrarii, tornatores, artifices clauſtrorum. Poſtremò etiam fribolarii omnes, vitrearii, ſulfuratarii.*

§. 6. *Ædificium primò luteum, quod primò invenit* Doxius, Cœli filius, exemplo ſumto ab hirundinum nidis; *ut eſt apud Plinium lib.* VII. *cap.* LVI. *Ac primus, qui Urbem conderet, ſi Græcis credimus,* Cecrops, *unde &* Cecropia, *ut ibidem legimus, nominata, quæ à ſublimi ſitu aliter ἀκρόπολις nuncupata.*

Ædificationis hæc origo. Primùm homines, ut ſe tutarentur adverſus Solis ardores & tempeſtates, vel ſpeluncas, vel tecta ex frondibus fecere: ingenioſiores verò furcas erexêre, virgultoque interjecto & luto inducto, parietes ſtruxêre. Poſteà non ſolum neceſſitati, ſed etiam commoditati conſultum. Tandem in rerum affluentiâ ſummoque otio, etiam voluptati & elegantiæ inſervitum. Ac primò in templis & ædificiis publicis, mox in privatis etiam receſſum à priſcâ frugalitate. Eoque tandem deventum, ut quiſque ſe tantò majorem viſum iri crederet, quantò magnificentiùs habitaret.

§. 7. *Partim igitur utilitas omnium, partim publicus & privatus luxus plurimùm excitavit ingenia, ut Architectonicen magis magiſque excolerent, nonnulli etiam hac de Arte commentarios poſteris relinquerent.*

Quales è Græcis Agatharchus, Democritus, Anaxagoras, Cteſiphon, Metagenes, Ictinus, Carpion, Philo, Hermogenes, Argelius, Satyrus, & alii: è Latinis Fuffitius, Varro, P. Septimius, Cornelius Celſus. Sed hodiè vix quicquam ad nos pervenit, præter libros X Vitruvii de Architectonicâ, quos Auguſto Cæſari dicavit.

§. 8. *In ædificatoriâ Matheſios eſt uſus longè maximus. Noſſe enim debet Architectus arithmeticam, geometriam, opticam, & aſtrologiam.*

Dictum id libro de Scientiis Mathematicis, cap. VII. Nec tamen ædificatoria propterea pars eſt Matheſios; quod quidam putârunt. Nam principia quidem & cauſſæ hujus artis exponuntur à Mathematicis, eoque Architectus ignarus ejus eſſe non debet: cùm ejus ſit ſcire & præſcribere, quid facto ſit opus. Attamen fabrica, vel effectio ædium, uti & ſtatuarum ac ſimilium, inferioris eſt artificis: qui munia ſua explere poteſt, etiamſi cauſſas operis non adſequatur.

§. 9. *Pro ædificio etiam ſunt naves: præſertim longum iter capeſſentibus. Ac hujus quidem loci eſt, quatenus Ars fabrilis in materiam à naturâ acceptam inducit formam navis.*

Ea ſtructura principiis nititur Geometricis, uti & Ædificatoriæ: unde videmus Matheſi utramque dirigi, etſi neutra ſit Matheſios pars: ſicut dixi libro de Scientiis Mathematicis.

§. 10. *Nec in Arte nauticâ ſolùm attendimus ναυπηγικὴν, ſive artem compingendi naves; ſed etiam ἱστιοδρομικὴν, ſive velificatoriam.*

Quæ & ipſa [illegible] habet pro fundamento.

§. 11. *Inveniſſe Artem nauticam creduntur Phœnices:* ab

ab iis accepiſſe Ægyptii, ab illis Græci, at primi ex his Cretenſes.

Vide Plinium lib. III. Hiſtor. Nat. cap. LVI.

§. 12. *Sed ex Scripturis conſtat Noë primitùs hanc Artem fuiſſe divinitùs edoctum.*

Vide Geneſ. cap. VI. item Flavium Joſephum lib. 1. Antiquit. Judaïc. & Euſebium in X. Præparat. Euangel.

§. 13. *Aſtrologia etiam ὑπάλληλος eſt Ars nautica, quæ docet dirigere navim à portu in portum, imprimis mari, idque in loca longè diſſita. Quam ad rem Aſtrologiæ notitiâ gubernatori eſt opus. Nec tamen Nautica ſimpliciter eſt ſubalternata. Bifariam enim Ars ea attenditur; quatenus eſt ſpeculativa, vel practica. Subjicitur Aſtrologiæ ratione ſpeculationis: ut quatenus ex eâ, inter cætera, prævidet tempus navigandi opportunum. At non eſt ſubalterna ratione actionis: quatenus nempe navim ducit, vela pandit, remos inflectit &c.*

Aſtrologiæ ac Coſmographiæ regulis ſubnixa eſt hæc Navigationis marinæ inſtitutio, ſive ars dirigendi navem de portu in portum, ſive ea brevior ſit navigatio, ſive longinqua; quæ & pluribus eget inſtrumentis, majoremque Aſtrologiæ ac Coſmographiæ peritiam. Scripſit inſtitutionem hujuſmodi Adrianus Metius Alcmarianus. vide eum libro Quinto Sphæricorum, quo partim agit de Terræ dimenſione ac diſtinctione per climata, partim de Arte navigandi. Aſtrologiam autem eſſe fontem nauticæ artis, dixi in Mathematicis diſciplinis cap. XXIX. §. 5.

§. 14. *Eſt verò uſus Nauticæ longè maximus. Nam, ut Poeta* ait*, Non omnis fert omnia tellus.

* Georg.

Opus igitur fuit, commutatione mercium, ad defectum hunc ſupplendum. Atqui ex locis tranſmarinis advehi nequeunt merces, niſi navigiis. Imò ubi curru advehi queunt, faciliùs tamen id navibus fit, cùm eæ longè ſint capaciores.

§. 15. *Propè verò artibus cunctis antea memoratis inſervit μεταλλουργική, ſive ars effodiendi metalla. Nam & agricolæ opus aratro, & militi gladio, & fabro ſecuri ac dolabrâ, & mercatori pecuniâ. Quæ omnia metallo conſtant.*

Quod ſi originem attendas, vicina eſt Agriculturæ. Utraque enim operæ ac laboris fructum è terrâ nanciſcitur. De hac conjunctione Agriculturæ, & Metallicæ, ſic Ariſtoteles Oeconom. lib. 1. cap. II. Κτήσεως δὲ πρώτη ἐπιμέλεια ἡ κατὰ φύσιν. κατὰ φύσιν δὲ γεωργικὴ προτέρα, καὶ δεύτεραι, ὅσαι ἀπὸ τῆς γῆς. οἷον μεταλλευτικὴ, καὶ εἴ τις ἄλλη τοιαύτη. ἡ δὲ γεωργικὴ μάλιστα, ὅτι δικαία. *Ex iis, quæ poſſidemus, prima eſt cura quæ ſequitur naturam. At ordine naturæ prior eſt Agricultura: & ſecundum obtinent locum, quæcunque aliquid è terrâ proferunt. Qualis eſt metallorum ars, & ſi qua eſt alia hujuſmodi, præcipuè tamen Agricultura, quod ſit juſta.*

§. 16. *Fortaſsè & locum ſibi aliquem depoſcit Chryſopæia, quæ metalla alia in aurum convertit.*

Nec ignoro, ut toto libro contra hanc Artem diſputet vir Clariſſimus Thomas Eraſtus, quæque Riolanus, & alii objiciunt. Sed, quæcunque adducunt, refelluntur vulgari experimento, quo liquore quodam ferrum in æs convertitur: ut teſtantur ſummi viri Georgius Agricola, Cardanus, & Fallopius.

§. 17. *Chryſopæiam malè partem faciunt Alchymiæ, cùm fines diſtincti Artes faciant diſtinctas. At Alchymiæ finis eſt Sanitas, quam quærit eliciendo quintam eſſentiam. Chryſopææ finis ſunt Divitiæ, quas quærit per lapidem philoſophicum.*

Sed neque Artem eſſe ullam, quæ aurum verum efficere poſſit, credimus. Nam Ars non eſſentialem, ſed accidentalem inducit formam. Aurum autem eſt aurum per formam eſſentialem, cùm ſit ſubſtantia. Quare ut concedamus efficere, quod vulgus aurum eſſe putet, non tamen aurum verum fuerit. Notum illud de Parmenone, qui cùm in Theatro publico, magno populi applauſu, ſuis grunnitum expreſſiſſet, alter porcellum ſub palliolo occultavit, qui naturalem grunnitum ederet, ſperans fore, ut majori applauſu vox naturalis, quàm artificialis, exciperetur: omnes tamen acclamârunt, nihil ad Parmenonis ſuem. Ignarum vulgus ſæpè artificiale præfert naturali. Quare non penes vulgum, ſed artifices judicium eſſe debet.

Illud quoque addimus, interdum Chymicos in ferrum aurum clanculum immittere, ut credulos fallant, atque ita loculos exhauriant. Neque interim omnino negamus, aurum ex metallis effici citra hanc fraudem, ac quidem verum aurum; ſed dicimus id, quando fit, per ſecretionem fieri, non per tranſmutationem. Nam in omnibus metallis aurum ineſt, plus quidem orichalco, vel æri; minùs verò plumbo, aut ferro. Verùm in iſtâ ſecretione fruſtra laboratur, quia ſumtus excedit quæſtum.

§. 18. *Neque hîc omittenda Magia, quæ partim ad Phyſicen ſpeculativam, partim ad operativam pertinet.*

Tradit enim rerum ſympathias & antipathias, occultaſque qualitates; atque activa paſſivis applicando mirandos ciet effectus. Sed hæc nihil ad veticam magiam, quâ nihil vanius: unde Curtius lib. VII. cùm *magicam artem* dixiſſet, ſubjungit, *ſi modò ars eſt, non vaniſſimi cujuſque ludibrium.*

§. 19. *Mechanica etiam Operativa pars eſt, ubi oſtenditur cauſſarum ex Phyſicis & Matheſi concurſus.*

Hanc multi ex Philoſophiâ exterminant. Putant Sapientiæ nomen dignius eſſe, quàm ut Mechanicæ tribuatur. Atqui ut de ſacris literis nihil dicam, ubi & Sapientes dicuntur, qui Artes illas vulgares exercent: etiam Ariſtoteles in VI. Nicomachiorum agnoſcit nomen σοφίας iis artibus tribui ſolere: quomodo, inquit, Φειδίαν λιθουργὸν, & Πολύκλειτον ἀνδριαντοποιὸν vocamus σοφὸς. Homerus etiam fabrum, & naupegum, σοφὸς nominat. Par ratio in σοφιστῶν voce. Imò Lucianus σοφιστὰς vocat in Navigio eos, qui cibos apparant opiparè: & Xenophon in Hierone appellat σοφίσματα cibaria ſcitè apparata. Cæterum de Mechanicâ plura dixi in Phyſico-mathematicis.

CAP. XVI.

DE PICTURA ET STATUARIA.

§. 1. *Artes eas, de quibus hactenus vidimus, utilitatem vitæ adferre humanæ ſatis eſt manifeſtum: præterea verò & alias ſtatuunt, unde potius voluptas petatur. Atque huc referunt Artem pictoriam, ſtatuariam, & ſimiles, quæ nos juvant oculis paſcendis. Neque nego, hunc vulgarem eſſe earum Artium uſum, ut operibus earum loca publica aut privata reddamus ornatiora, quantoque aliquid meliùs rem repræſentet, tantò majori voluptate perfundamus ſpectatores. Sed enim nimis abjectè de iſtiuſmodi Artibus ſentiunt, qui putant ſolùm, aut potiſſimùm eas propter voluptatem excoli. Potior is finis, ut quemadmodum per literas inſtruitur animus humanus, ſic idem doceatur*

per

per picturam, ſtatuas, & alia, quibus res repræſentantur. Ac de picturâ quidem id clariſſime evicimus, cùm de quatuor Artibus popularibus ageremus. At idem de ſtatuis ſignisque cenſendum, quæ in locis, præcipuè ſacris vel publicis, conſtitui ſolent, tum ut memoria eorum, quibus ſtatuæ ſunt erectæ, æternùm, vel quàm diutiſſime, vigeat in animis humanis: tum quò eos qui ſpectant, ad æmulandum illorum virtutem incitentur.

Multum hæc lucis capiunt ex iis quæ de pingendi arte in Quatuor diſciplinis popularibus dicebamus. Nam par utrobique ſcopus eſt.

§. 2. *Quæri ſolet, utrùm Statuaria an Pictura, ſit præſtantior. Nec diffitendum ſtatuas eò picturis præſtare, quòd magis durent, pluraque in ſæcula decus hominis propagent. Sed ut diuturnitate temporis exſuperant, longè tamen artificio vincuntur; uti & ſplendore, ac pulchritudine. Scio, non tam facile in ſtatuâ, quàm in picturâ, erratum corrigi poſſe. Illud etiam non ignoro, in ſtatuâ, ob rotunditatem videri trinam dimenſionem; in pictura ſolùm conſpici ſuperficiem, & colorum fucum. Sed enim majora ſunt, quæ in ſtatuâ deſideres. Nam in picturâ, non item ſtatuâ, apparent lumen atque umbra: item diſcrimen ejus, quod rarum vel denſum. Et quantò vividius in picturâ diſcernere eſt, utrum capilli cani ſint, an nigri, vel ruſi: oculi num cærulei, an cæſii. Nec ſtatuarius, uti pictor expreſſerit cœlum, mare, montes, ſylvas, flumina, prata, caſas, ac ſimilia: ut omnino latiùs ſe pictura extendat.*

Diſſerit de his etiam Balthaſar, Caſtilioneus Comes, lib. I. de Curiali, ſive Aulico.

§. 3. *Vetuſtas ſtatuariæ ſumma eſt, ſi Serachus filius Ragau, è progenie Iapheti, viros fortes ſtatuis ornarit.*

Quod ait Euſebius in Chronico, & Epiphanius.

§. 4. *Ac idem firmat, quòd Tharach pater Abrahami dicitur fuiſſe ἀγαλματοποιὸς *.*

* *Statuarium.*

De quo plura dicimus in Theologia Symbolica.

§. 5. *Si fabulis gentilium credimus, primus Prometheus ſimulacrum fecerit ex argillâ, & igne è Sole rapto animârit.*

Refert quoque Lactantius lib. II. cap. XI.

§. 6. *Alii malunt primò Æthiopes fabricâſſe; inde didiciſſe Ægyptios.*

Ita Diodorus Siculus.

§. 7. *Ex ære primi fuderunt Samii duo, Rhœcus Philæi filius, & Theodorus Telecli; is qui & ſmaragdum cælavit Polycratis Samii.*

Auctor Pauſanias in Arcadicis. Antea nempe ex rudibus laminis ſtatuas coagmentabant. Funduntur verò non in argilla pingui, ſed terrâ arenosâ. Vel ut ex argilla prototypon ſit, admiſcendi cineres purgatiſſimi, vel tenuiſſima arena. Alioqui ardorem metalli non feret; ſed fatiſcet, ac rumpetur. Qua de re pleniùs Cæſar Bullingerus lib. I. de Picturâ & Statuaria cap. XI. Ipſe verò de his, & ſimilibus, remittit ad Vigenerum, in iis quæ ad Philoſtratum Gallicè annotavit.

§. 8. *Statuæ ex ære ferè erant cava.*

Seneca lib. IV. Nat. Quæſt. cap. XXIX. *Quòd æs unius ſtatuæ, nec ſolidum quidem, ſed concavum ac tenue, diruptum eſt.*

§. 9. *Nec ex hoc ſolùm metallo fiebant, ſed etiam auro vel argento.*

Sic argenteas ſibi poſitas Auguſtus conflavit, ut eſt apud Suetonium in Octavio, cap. LII. Nec Domitianus alias ſibi quàm aureas, & argenteas, idque ponderis certi, in Capitolio poni permiſit: Unde Papinius lib. III. Sylv. I.

Da Capitolinis æternum ſedibus aurum.
Quo niteant ſacri centeno pondere vultus
Cæſaris, & propria ſignet cultricis amorem.

§. 10. *Nec ex metallo ſemper ſtatuæ, ſed etiam electro, ligno, lapide, ebore.*

Plinius lib. IV. epiſt. VII. *Illum coloribus, illum cerâ, illum ære, illum argento, illum auro, ebore, marmore effingit.* Artemidorus lib. II. cap. XLIV. Ἀγάλματα χρυσᾶ πεποιημένα ἢ ἀργυρᾶ, ἢ χαλκᾶ, ἢ ἐλέφαντος, ἢ λίθου, ἢ ἠλέκτρου, ἢ ἐβένου. *Statuæ auro facta, aut argento, aut ære, aut ebore, aut lapide, aut electro, aut ebeno.*

§. 11. *Nec ſolùm ſtatuæ dividuntur ratione materiæ; ſed etiam magnitudinis. Ac aliæ quidem minores, aliæ pares; aliæ majores, quales eſſe neceſſe fuit, quæ faſtigiis ædium imponerentur; aliæ maximæ, ut coloſſea.*

Pomponius Gauricus lib. de ſculpturâ tradidit, ſtatuas, quæ intra hominis figuram fierent, *ſigna* nuncupari: cubitales, vel cubito minores, *ſigilla*: *pariles*, quando referunt ſtaturam ejus, quem exprimunt: *magnas* dici, quæ forent intra rationem ſeſquialteram: *maximas*, quæ parilium triplæ, aut iis majores eſſent. Philander addit, pariles ſtatui ſolere benè meritis ac ſapientibus viris: magnas regibus ac imperatoribus: maximas Diis & heroibus. Statuas Deorum vocari, εἴδωλα, heroum, ξόανα, regum ἀνδριάντας, ſapientum εἴκελα, benemeritorum βρέτεα. Verùm non arbitror, hæc diſcrimina obſervari. Imò ne illud quidem perpetuum, quod de magnitudinis differentiâ ait Gauricus: ut benè annotavit Lud. Demontioſius *. *Videris*, inquit, *Gauricus, an huic obſervationi fidem adſtruere poſſit, cùm apertè dicat Plinius primùm tripedaneas ſtatuas in foro poſitas benemeritis; quòd ea menſura honorata tunc eſſet; cùm & ejus menſuræ quædam adhuc in urbe ſpectentur Deorum ſigna antiqua, ipſius etiam Iovis in palatio illuſtriſſimi Cardinalis de Medicis. Et celebriora ſigna Deorum, quæ nobis hìc videre contigit, excedunt quidem communem hominum menſuram, ita ſuadente ratione Optices, ut in loco ſuperiore collocata parilia videri poſſint, cùm aliquid ſemper diſtantia intercipiat: Sed Antinoi, qui eſt in Vaticano, eâdem ſtaturâ eſt, atque Apollinis. Statuæ autem Alexandri Bucephalum domantis, quæ ſunt in monte Quirinali, majores ſunt omnibus ſignis Deorum gentilium, quæ in Vrbe exſtant. Dearum enim ſtatuæ ferè omnes, quas hìc vidi, non longè diſtant à communi mulierum menſurâ. Contrà Sabinæ quæ ſunt in eodem palatio, duplo, aut eò amplius hanc menſuram excedunt; ut & Niobe, quæ ibidem ſpectatur.*

* *Lib. de Sculpturâ.*

§. 12. *Quanta apud Italos etiam ſit ſtatuarum antiquitas, argumento eſt, quòd iam Euandri ætate, nempe quadringentis annis ante conditam Romam, Herculis ſimulacrum fuerit in foro boario.*

Ita Plinius lib. XXXIV. cap. VI. qui & à Numâ Jani ſimulacrum in eopſe foro ait conſtitutum. Sed repugnat Plutar-

tized by Google

tarchus, qui Romæ negat annis poſt Numam clx ullum fuiſſe ſimulacrum, vel imaginem.

§. 13. *Nunquam verò majori in honore ſtatuæ fuerunt, quàm cum primum poſitæ ſint Diis. Multumque earum honorem auxit, quod ſubinde etiam loqui viderentur.*

Nempe dum à malis ſpiritibus animantur, ut loquitur B. Auguſtinus lib. viii. de Civitate Dei; ſive ut pro eo propriè magis dicamus, *inſpirantur*. Et ſanè quid mirandum magis, quàm res exanimes loqui? aut quid æquè cæleſtis veritatis neſciis fidem fecerit eſſe ſpiritus, quàm illi afflatus ſtatuarum? Qua de re aliquid diximus lib. i. de Ortu & progreſſu Idololatriæ, cap. vi.

§. 14. *Aliquanto is honos minor fuit, cùm communis factus virorum fortium, ac benè meritorum de Rep.*

Plinius lib. xxxiv. cap. 4. *A Diis ad homines ſtatuarum honos tranſlatus eſt, ſi quâ illuſtri causâ perpetuitatem mererentur.* Tertullianus lib. de Animâ, cap. 33. *Ob merita vitæ imagines, ſtatuæ, & tituli rependuntur.*

§. 15. *Sic ſtatuæ poſitæ Ariſtogitoni & Harmodio, tyrannicidis.*

Quibus eo anno poſitæ ſunt ſtatuæ Athenis, quo Romæ ejecti Reges, ut ait Plinius lib. xxxiv. cap. 4. Has primas Athenis conſtitutas in foro Ariſtoteles ait. Inde in Perſiam tranſportaverat Xerxes; ſed reſtituit eas Athenienſibus magnus Alexander teſte Arriano. Fuere autem ex ære. unde Antiphon orator rogatus ab Dionyſio tyranno, quòd æs ſtatuis præcipuè conveniret? illud, reſpondit, unde factæ eſſent ſtatuæ Harmodio & Ariſtogitoni, tyrannicidis. Liberè ille, ſed imprudenter. Quod reſponſum vitâ illi ſtetit. Et cui bono libertas iſta ſtolida?

§. 16. *Etiam Philoſophis conſtitutæ.*

Tertullianus in Apologetico: *Philoſophi ſtatuis, & ſalariis, remunerantur: illis ſtatuas diffunditis, imagines inſcribitis, titulos inciditis in æternitatem, quantum de monumentis poteſtis.* Hinc Juvenalis ſat. ii. de antiquâ Cleanthis ſtatuâ;

Et jubet archetypos pluteum ſervare Cleanthas.

Niſi id de picturâ capiendum.

§. 17. *Medicis quoque conſtitutæ, poſt ſanitatis reſtitutionem.*

Exemplum habemus in Antonio Muſâ, cui populus eam ære ſuo poſuit. Suetonius in Auguſto cap. xxix. *Statua Antonio Muſæ ære collato poſita.*

§. 18. *Olympiæ omnibus iis qui ter viciſſent, ſtatuæ ponebantur, è vivis membris expreſſæ: quadrigariis, & agitatoribus ponebantur armatæ.*

Ut auctor eſt Plinius lib. xxxiv. cap. iv. Addit verò ſtatuas ex membris hominum ſimilitudine expreſſas vocari *iconicas*. Erant tales hominibus pares. At majores vocabantur *auguſtæ*. *Coloſſi* longè maximæ. Qualis Rhodiis ſtatua Solis, inter ſeptem orbis miracula repoſita. De hieronicarum ſtatuis, & imaginibus, legas etiam apud Tranquillum in Nerone cap. xxiv.

§. 19. *Ut verò ſtatuæ hominibus poſitæ perſiſterent inviolatæ, ſæpe eas Diis conſecrârunt, vel in loco ſacro poſuerunt.*

Sic Gorgias Leontinus ſtatuam ſibi poſuit inauratam: ſed eam Apollini Delphico conſecravit; ut eſt apud Athenæum. Mithridates ſtatuam, quam Platoni erigebat, conſecravit Muſis; ut eſt apud Diog. Laërtium. Cicero in Verrinis; *Apud omnes Græcos hic mos eſt, ut honorem hominibus habitum in monumentis hujuſmodi nonnullâ religione Deorum conſecrari arbitrentur.* Hinc etiam Theocritus:

Χρύσεοι ἀμφότεροι, κ' ἀνακείμεθα τῇ Ἀφροδίτῃ.
Aurei utrique, ac dedicabimur Veneri.

Etiam hoc fine imaginem ſuam in cellâ Iovis Opt. Max. conſtituit Scipio Africanus: ut eſt apud Valer. Maxim. lib. viii. cap. xiv.

§. 20. *Nec ſemper una uni poſita fuit, ſed etiam permultæ: neque id tantummodo honoris, ſed etiam cultus ergo.*

L. Seneca lib. iii. de Irâ: *Mario vicatim populus ſtatuas poſuerat, eique thure, & vino ſupplicabat.*

§. 21. *Imò ab Athenienſibus Demetrio Phalereo conſtitutæ* cccLx.

Unde Varro in Hebdomadum opere;

Hic Demetrius æneas tot aptu'ſt.
Quot luces habet annus abſolutus.

Dies enim cccLx annus habere credebatur Athenienſibus.

§. 22. *Mulierum etiam ſtatuæ fuerunt.*

Ut illæ Caryatidum: de quibus Vitruvius lib. i. cap. i. Deque ſtatuâ Clœliæ poſitâ mox dicam. Sibyllæ tres antiquiſſimi operis juxta Roſtra fuerunt, teſte Plinio. de loco quid mirum?

§. 23. *Apud Romanos honoratiſſimus locus in Roſtris.*

Cicero pro Dejotaro; *Ad ſtatuam nullus eſt locus Roſtris clarior.* Pro Sextio: *Viris fortibus pro Roſtris ponuntur imagines.*

§. 24. *Fuere iis & ſtatuæ equeſtres.*

Livius lib. viii. *Camillo, & Menio, coſſ. equeſtres ſtatuæ.* Meminit & Cicero ſtatuarum equeſtrium in ſecundo de Oratore. Item Plinius lib. xxxiv. cap. v. Atque idem cap. vi. meminit ſtatuæ equeſtris, quæ Clœliæ poſita fuit: unde videmus fuiſſe rem antiquiſſimam. Syllæ, Pompejo, Cæſari, & Auguſto equeſtres fuiſſe poſitas, auctor eſt Vell. Paterculus. His oppoſitæ ſtatuæ pedeſtres: unde Cicero Philipp. ix. ſuadet, ut Servio Sulpitio, qui in legatione ad Antonium mortuus erat, ſtatua poneretur, non quidem inaurata equeſtris: attamen pedeſtris ex ære. Etiam apud Capitolinum legimus, ut Macrinus ſex ſtatuas poſuerit Caracallæ, duas equeſtres, duas pedeſtres habitu militari, duas item pedeſtres ſedentes habitu civili. Illas habitu militari ſtatuas armatas vocat Ammianus Marcellinus lib. xix. Qualis & illa Scipionis in Capitolio chlamydata; uti ait Valerius Maxim. lib. iv. cap. xiv, etſi crepidata, quia talis in militari habitu Scipio; ut ex Livio conſtat, ubi de eo in Siciliâ commorante, priuſquam in Africam proficiſceretur. Item Domitiani illa, de qua Statius Papinius lib. i. Sylv. i.

It tergo demiſſa chlamys, latus enſe quieto
Securum ——

Ubi ſignat paludamentum, quod ultra loricam demittebatur. Corippus lib. ii.

Circumfuſa chlamys, rutilo quæ ornata metallo
Principis exſertâ vincebat lumina dextrâ.

Quo loco à Principe exſerta manus eſt ſilentium indicentis, & placantis adſtantes. Unde Statius de Domitiano Sylv. i. lib. i.

Dextra vetat pugnas. ——

§. 25. *Primus Romæ Manius Acilius Glabrio, devicto Sy-*

Digitized by Google

Syriæ rege Antiocho, hoc conſecutus honoris fuit, ut ejus ſtatua bractea induceretur ex auro.

De hoc imbracteandi more conqueritur Ammianus Marcellinus.

§. 26. *Tandem verò ſtatuæ tum in Græciâ, tum Italiâ, & alibi, promiſcuè poni cœpere, etiam indignis.*

Itaque Demoſthenes oratione περὶ συντάξεως queritur, cùm olim Miltiadi, ac Themiſtocli poſitæ non ſint poſt victos Perſas; nunc quibuſvis, etiam ex ære, ſtatuas conſtitui.

§. 27. *Hinc, evileſcente hoc honore, eas ſubinde viri magni repudiarunt.*

Ut Ageſilaus, & Cato.

§. 28. *Sub Cæſaribus ſtatuam nulli ponere licuit, niſi Principis conſenſu; à quo id poſcere Senatus ſolet.*

Plinius lib. I. epiſt. XVII. *Ab imperatore id impetravit, ut ſibi liceret in foro L. Syllani ſtatuam ponere.* Tacitus lib. IV. Annal. *Illuſtris ſtatuæ honorem, & quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulato decerni jubet.* Appuleius lib. III. Florid. *Omnes, qui in illâ ſanctiſſimâ curiâ aderant tam libenter decreverunt locum ſtatuæ.* Claudianus Præfat. de bello Getico;

Annuit his Princeps titulum, poſcente Senatu.

§. 29. *Parùm verò laudabilis mos ille Rhodiorum poſterioribus fuit temporibus, quòd ſiquis ſtatuâ dignus foret, non ei novam poneret Prætor, ſed ex veteribus ſtatuis alicui nomen eraderet, eique nomen inſculperet novum. Multum interea culpam imminuebat ſtatuarum multitudo. Habebant enim earum ad ſeptuaginta tria millia. Præterea eradebant nomina indignis eo honore: ut proditoribus & tyrannis; vel quorum merita forent exigua, præ illis quorum nomina inſcribenda erant.*

Dio Chryſoſtomus in Rhodiacâ: Προδοτῶν, καὶ τυράννων τὰς τιμὰς, ἀναιρεῖσθαι, κἂν ἐπιγραφῆς τινὸς πρότερον ὦσι τετυχηκότες. ἡ δ᾽ εἰκὼν ἐπιγράφεσθαι, καὶ οὐ μόνον τὸ ὄνομα, ἀλλὰ καὶ τὸν χαρακτῆρα σώζει τοῦ λαβόντος. ὥστε εὐθὺς εἶναι προσελθόντα εἰδέναι τίνος ἐστί. *Proditorum, & tyrannorum tolli honores, etſi inſcriptionem priùs fuerint conſecuti. Statuæ verò inſcribitur, non ſolùm nomen; ſed etiam ejus characterem cui poſita eſt, accipit; ita, ut ſtatim, qui accedit, agnoſcat.*

§. 30. *Inter veteres ſtatuarios grande decus obtinuerunt Phidias, Praxiteles, Lyſippus, Calamis, & alii.*

Propertius lib. III. Eleg. VIII.

Argumenta magis ſunt Mentoris addita formæ,
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus ſigno ſe Iupiter ornat eburno.
Praxitelem propriâ vindicat arte lapis.
Gloria Lyſippo eſt animoſa effingere ſigna.
Exactis calamis ſe mihi jactat equus.

De Mentore, miro cælandi artifice, vide Plinium XXXIII. 12. indeque *Mentoreum opus* eſt apud Propertium libro I. Eleg. 13. Juvenalis eſt Satyrâ VIII, *Rara ſine Mentore menſa.* Proximi meminit Martialis lib. VIII, Epigr. 34.

Archetypon Myos argentum te dicis habere.

& rurſus:

Quis labor in Phialâ? docti Myos, anne Myronis?

ubi Myronem adjungit; de quo Plinius lib. XXXVI. cap. 5. & ante eum Ovidius IV. de Ponto, Eleg. I.

Ut ſimilis veræ vacca Myronis opus.

Eſt & Petroni Arbitri; *Lyſippum ſtatuæ unius lineamentis inhærentem inopia extinxit; & Myron, qui pene hominum ferarumque animas ære comprehenderat, non invenit hæredem.* Et Statii Papinii in Tiburtino Manlii Vopiſci:

—— Luſit in ære
Myronis manus ——

Ut mittam Phædrum in Prologo Quinti fabul. & tot alios. Phidiam cum Polycleto & Alcamene ſociat Dionyſius Halicarn. libro de Demoſthenis acumine ac vi. Uti in Dinarcho conjungit eum cum Apelle pictore & Polycleto ſtatuario. Praxiteles duo fuere: imprimis tamen celebratus ille, qui Alexandri vixit tempore, de quo Plinius lib. XXXIV. cap. 8. & XXXV. cap. 5. ubi varia ejus opera recenſet. Atque hic filium habuit Cephiſſodorum rei & artis hæredem, ut ibidem legere eſt. Præter verò illum Praxitelem, & alter ejuſdem nominis, argenti cælator, ætate Pompeji vixit; de quo idem Plinius lib. XXXIII, cap. 12. Lyſippum inter cæteros Papinius memorat Carm. de equo Domitiani:

—— Quem tradere es auſus
Pellæo, Lyſippe, duci ——

Calamis memoratur Ovidio libro IV. de Ponto, Eleg. I.

Vindicat ut Calamis laudes quos fecit equorum.

Eundem celebrat Plinius libro XXXIII, cap. 12. ubi eum cum Antipatro conjungit. Plures ſtatuarios refert Quinctilianus lib. XII. cap. X. ubi poſt pictores memoratos recenſet XI præcipuos Græciæ ſtatuarios, deque iis judicium ſuum adponit. *Similis*, inquit, *in ſtatuis differentia. Nam duriora, & Tuſcanicis proxima, Calon atque Egeſias, jam minùs rigida Calamis, molliora adhuc ſupradictis Myron fecit. Diligentia ac decor in Polycleto ſupra cæteros, cui quamquam a pleriſque tribuitur palma, tamen, ne nihil detrahatur, deeſſe pondus putant. Nam ut humanæ formæ decorem addiderit ſupra verum: ita non expleſſe Deorum autoritatem videtur. Quin ætatem quoque graviorem dicitur refugiſſe, nihil auſus ultra leves genas. At quæ Polycleto defuerunt, Phidiæ atque Alcameni dantur. Phidias tamen Diis, quàm hominibus efficiendis melior artifex traditur: in ebore verò longè citra æmulum, vel ſi nihil niſi Minervam Athenis, aut Olympium in Elide Iovem feciſſet: cujus pulchritudo adjeciſſe aliquid etiam receptæ religioni videtur: adeo majeſtas operis Deum æquavit. Ad veritatem Lyſippum, & Praxitelem, acceſſiſſe optimè affirmant. Nam Demetrius, tanquam nimius, in eâ reprehenditur, & fuit ſimilitudinis, quàm pulchritudinis amantior.* Multum ad Polycleti laudem facit hoc Plinii lib. XXXIV. cap. VIII. *Fecit Polycletus, quem Canona artifices vocant, lineamenta artis ex eo petentes, velut à lege quadam: ſoluſque hominum artem ipſe feciſſe, artis opere judicatur.* Cicero in Paradoxis: *Auctionis tabula te ſtupidum detinet, aut ſignum aliquod Polycleti.* Atque hæc dicta ſunto de illuſtribus ſtatuariis. De pictoribus antea vidimus. De utriſque adi etiam Tatianum adverſus Græcos, qui longè plures recenſet.

§. 31. *Sub ſtatuis verò nunc ſigna etiam complector; etſi in aliquibus differant. Conveniunt in eo quòd & ſignum & ſtatua, ſimilitudines ſint è ſolida materia: videlicet auro, argento, ære, marmore, & ebore: è quibus tria prima funduntur, marmor ſcalpitur, ebur tornatur. Trifariam verò differunt. Nam ſignum latiùs patet, quia vel Dei eſt, vel hominis, vel brutorum. Statua autem vel numinis eſt, vel hominis. Præterea ſtatuam dixere Romani, quam in foro conſpicerent: ſigna verò vel in ædibus privatis, vel in templis. Adhæc ſigna quandoque eidem inhærent materiæ, è quâ ſunt educta: ut quando rana, aut locuſta exprimitur in ſpiris columnæ: vel cùm in gemmis aliquid inſculpitur. Statuæ verò nunquam in cavo latent, ſed ab eâ materie, unde educta, ſunt disjuncta ac ſeparata.*

Hæc fuſiùs diducit Aldus Manutius Nepos in libris de Quæſitis per epiſtolam.

§. 32. *Di-*

§. 32. *Diſtinguendum etiam inter ſculpturam, cælaturam, ac plaſticen: quarum ſculptura imagines habet prominentes, cælatura cavas, ut in annulis, ſignatoriis: plaſtice prominentes, ſed ex humore cælatis infuſo.*

Cælaturæ ſunt exſculpta; Græcis ἀνάγλυφα, ut eſt apud Eucherium lib. III. Reg. cap. XVII. Sic vetus Gloſſ. *Anaglypha, vaſa ſuperius ſculpta, ut emineant. Anaglypharius, ſculptor, qui eminentias illas, & umbones efficit.* In ſculptoribus ſunt lapicidæ, qui ab excavando poſterioribus etiam *cavitarii* dicebantur, voce exinde etiam à Græcis recentioribus recepta. Vetus gloſſar. Καβιδάριος, *cavitarius*. Palladius in Hiſtoria Lauſiaca, ubi de Macario Seniore: Λιθοξόος, ὃν λέγουσι καβιδάριον*. Plaſtice propriè dicitur de arte, qua figuli ex argilla ac luto fingunt. At laxè admodum πλαστικῆς voce utitur Philoſtratus in Præfatione iconum: ubi etiam ad πλαστικὴν revocat ſculpturam in ære, λυγδίνῳ ſive alabaſtro, Pario lapide, vel ebore. Verum eſt interea ſtatuas fuiſſe non æneas modò, de quibus Plinius lib. XXXIV, aut marmoreas, de quibus lib. XXXVI; Sed etiam figlinas: de quibus idem lib. XXXV.

* *Lapicida, quem cavitarium appellant.*

§. 33. *Cælatura difficilior eſt, quàm Sculptura; utraque autem operoſior eſt Plaſtice.*

Cardanum de eodem differentem audiamus lib. XVII. de Subtilitate †: *Difficilius non paulò eſt cælare, quàm ſculpere. Nam qui ſculpunt, quod vident, agunt: qui cælant aliud vident, aliud agunt: & dum vident, non agunt; dum agunt, non vident. Similiter neque mente concipere poſſunt, quid facturi ſint, dum cælant, ut qui ſculpunt: ignota enim eſt tum naturâ, tum uſu, cavitas illa. Et ſi dum auges in cerâ, quod prominere debet, paululum aberraveris, in gemmâ cavitate auctâ errorem efficies, qui nonniſi toto ſubverſo opere poterit emendari. At in ſculpturâ, opereque toreumatico, primum facilius eſt non nimis adimere, ſed relinquere; quam cælando non implere. Deinde, ſi etiam nimio plus adimas, facilius in opere extuberante, quàm cavo, totum opus, inſtaurare, atque commodius cælando quoque dextra ſiniſtris, ſiniſtra dextris referuntur: quod difficillimum eſt in hoc opere, dum totam effigiem cælare volumus; cùm in ſculpturâ dextra remaneant dextra, ut ſiniſtra, ſiniſtra. Ob tot cauſſas difficilius eſt cælare, quàm ſculpere.* Ac paullo pòſt: *Plaſtice verò pura, omnium eſt difficillima, præter picturam: nec tamen illâ inferior, niſi à ſculpturâ juvetur. Nam quicquid difficultatis habet, qui cælat, id totum & præter id, & materiæ diſpoſitionem, & ſcientiam temperamenti ignis, & multorum caſuum periculum, imo innumerabilium, qui fingit, habet. Ex cælatis enim primis figuris, finguntur humore priùs infuſo ſtatua. Quamobrem, qui non rectè cælaverit, quomodo rectè finget?*

† P. 576. *edit. Lugdun. anno* 1580.

Cap. XVII.

DE THEOLOGIA NATURALI.

§. 1. *A Phyſicis venio ad ſcientiam entis immaterialis; ut ſunt Deus & Intelligentiæ. Quæ ſcientia vocatur Theologica.*

UT libro VI. Τῶν μετὰ τὰ φυσικά. imò & Platoni lib. II. de Rep. Proclo libris de Rep. Platonicâ, & aliis.

§. 2. *Per Theologiam non aliam hoc loco intelligimus; quàm naturalem.*

Triplex enim gentium Theologia fuit; μυθικὴ, quæ Poëtarum erat; φυσικὴ, quam Philoſophi docebant; & πολιτικὴ, quam Sacerdotes populuſque ſequebantur. Ubertim hac de re ex Varrone, & Senecâ pertractat Auguſtinus libro VI. de civitate Dei cap. V. Cæterùm naturalis Theologia, alia vera, alia falſa. Vera ex principiis naturalibus concluſiones elicit veras: Falſa ex principiis imperfectis & obſcuris, intellectus & ratiocinationis errore, extruit concluſiones falſas. Vera ſolùm pars eſt philoſophiæ. Quomodo ex operibus divinis naturâ duce non ſolum eſſe Deum cognoſcimus; ſed etiam eſſe potentem, ſapientem, bonum. Potentem, qui hæc omnia condiderit. Sapientem, qui ſic condiderit. Bonum, qui noſtri cauſſâ condiderit; nec modò condiderit, ſed etiam conſervet. Hæc quia naturæ lumine cognoſci poſſunt, nunquam Deus ad atheos convertendos fecit miracula; ſed multa edidit ad convertendos idololatras; quia ad cognoſcendum verum Dei cultum non ſufficit naturæ lumen.

§. 3. *De hac Theologiâ ſunt tres poſtremi libri Ariſtotelis Metaphyſicorum.*

Illa tamen ἀνακεφαλαίωσις, quæ conjecta eſt in librum Ariſtotelis undecimum, non eſt Ariſtotelis: utilis interim. Uti & Theophraſti fragmentum egregium, quod ſupereſt.

§. 4. *Extant & XIV libri Ariſtotelis inſcripti de Theologiâ ſive Philoſophiâ myſticâ ſecundum Ægyptios, ut olim titulus erat, pro quo poſtea repoſuêre, de occultiore parte divinæ ſapientiæ.*

Qui ex Arabicâ linguâ Latinè verſi fuêre, primùm à Moſe Rouas, poſteaque à Petro Nicolao Faventino: ob dictionis autem ſcabritiem recogniti, & interpolati à Jacobo Carpentario. Sed etſi hi libri ex Græcis Ariſtotelis verſi Arabicè dicuntur ab Abenama, Saraceno quodam; non eſſe tamen Ariſtotelis, tum res, ſive quæ eo opere dicuntur, tum etiam character ipſe dicendi ſatis arguit.

§. 5. *Quanquam multa de Deo præclarè ſcripta ſint à Platone, accuratiùs tamen, apertiuſque de iis egit Ariſtoteles.*

Platonici hac parte præferunt magiſtrum ſuum: à quo Theologiam totam doceri ajunt in Parmenide, ſive de Ideis. Et agit quidem Plato eo in Dialogo, tam de cauſſâ primâ, quàm de ſecundis & naturalibus: ſed pleraque omnia logica magis ſunt, quàm metaphyſica: ut Galenus cenſet, & Marinus Procli ſucceſſor. Et pro hac ſententia eſſe videtur, quòd Zeno Eleates, quem loquentem inducit Plato, ab Ariſtotele ipſo in Sophiſtâ dictus ſit Logicen inveniſſe. Nec Procli de Platonis Theologiâ libri cum Ariſtotelicâ doctrinâ conferri merentur. Sunt enim myſtici ac ſymbolici, ac nimis omnia ad ſuas τριάδας revocant. Occaſionem autem tot τριάδας congerendi, cepit Proclus ex Platonis lib. II. de Rep. ubi agit de tribus illis Dei typis, bonitate, immutabilitate, & veritate.

§. 6. *Platonis in Theologicâ ſcholâ, & compluribus poſt ſeculis ſucceſſor fuit Plotinus Ægyptius: hujus inde diſcipuli Amelius, & Porphyrius; tum ab illis profecti, Iamblichus & Theodorus.*

Ita de iſto Proclus Platonicæ Theologiæ lib. I. cap. I. Fuit verò & ipſe Proclus, philoſophus Platonicus, Syriani diſcipulus, Marini Neapolitani præceptor, ac ſcholæ præfuit Athenienſi. Trajani temporibus claruiſſe ait Eraſmus Oſvaldus Schreckenfuſchius ‡, vir variis in Matheſi monumentis celebris. Proque eo eſt, quod Suidas dicat, fuiſſe diſcipulum Plutarchi Chæronenſis, qui Trajani fuit præceptor. Sed quomodo is meminerit Porphyrii, imò & Jamblichi, qui temporibus claruit Juliani imperatoris, annis poſt Trajanum multò amplius ducentis? Iam ipſe fatetur Suidas, primum fuiſſe, qui poſt Porphyrium calamum amaroris plenum ſtrinxerit adverſus Chriſtianos? ac Porphyrius claruit annis poſt Trajanum centum quadraginta ac deinceps.

‡ *In vita Procli.*

C AP.

Cap. XVIII.

DE PHILOSOPHIA ACTIVA.

§. 1. *Hactenus dictum de naturali ſcientiâ, quo nomine & univerſam metaphyſicam complexi ſumus. Sequitur Philoſophia πρακτικὴ, ſive activa.*

PRior illa malè diu apud vulgus audivit. Pacuvii illud notum;

Quod ante pedes eſt, nemo ſpectat: cœli ſcrutantur vias.

Itaque & Philoſophos vocabant μετεωρολέσχας, quaſi de rebus ſublimibus nugantes. Primus autem Socrates a rebus occultis involutiſque, ut ait Varro apud Ciceronem, Philoſophiam avocavit, & ad vitam communem traduxit, ut de virtutibus & vitiis, bonis ac malis quæreret. Dicebat ille, quæ ſupra nos eſſent, nihil ad nos attinere. Quo etiam uſus Ariſto Chius, teſte Laërtio. Idem Socrates dictitabat, uno verſu Homerico ſummam totius Philoſophiæ contineri: ὅττι τοι ἐν μεγάροισι, κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται. Atque hinc liquet, quæ de Socrate ſcribit in Nebulis Ariſtophanes, ea à Socratis ingenio fuiſſe alieniſſima. Sed vel finxit hæc poëta, vel ſecutus eſt ſtulti popelli judicium inſubidum & infrunitum. Nec idcirco Phyſicen damnamus; ſed negamus in Logicis vel Phyſicis conſiſtendum. Nam qui ſolis vacant Logicis, ſunt canum ſimiles, qui ſemper rodunt vel latrant: Qui ſolis attendunt Phyſicis, ſimiles ſunt avium, quæ ambitione ingenii alta ſemper petunt: ut de utriſque ſcribit Plutarchus de Profectu in virtute.

§. 2. *Nata eſt hæc prudentia ἐξ ἐμπειρίας, h.e. obſervatione.*

Nam prudens omnis eſt ἐμπειρικὸς h. e. conſiderat quæ ſæpiùs in vita contingunt, & cauſſas eorum obſervat.

§. 3. *Philoſophia πρακτικὴ vel vitam & mores cujuſque inſtituit, unde ἠθικὴ vocatur; vel demonſtrat prudentiam regendarum civitatum, quæ idcirco πολιτικὴ dicitur. Illa docet hominum prudentiam in ſe ipſum, hæc in alios. Rectè igitur Ethice definitur, pars ea Philoſophiæ practica, quæ prudentiæ communia principia explicat, ex principiis naturâ notis.*

Eò quod dicimus communia principia explicare, diſtinguitur à reliqua Philoſophia practica. At eò, quod dicitur nixa principiis naturalibus, diſtinguitur ab iis morum præceptis, quæ nonniſi è Scripturis ac divinâ revelatione cognoſcimus. Uti eſt ſanctificatio Sabbathi.

§. 4. *Finis Ethices eſt beatitudo civilis. Quæ præcipuè quidem conſiſtit in actione ſecundùm virtutem perfectam; attamen bonis etiam exterioribus promovetur atque exornatur.*

Cogitemus enim hominem malis externis affectum: quæ ſi parva ſint, vix movent; ſin magna, movent, at non dimovent de ſtatu. Nam relucet tum virtus in adverſis ferendis: dummodo ferantur animi magnitudine, non ἀναισθησίᾳ, hoc eſt, *ſtupore, & ſenſuum hebetudine*. Felicitatis igitur principatus in animo conſiſtit. Quare non tollunt adverſa, attamen poſſunt eam θλίβειν καὶ λυμαίνεσθαι *premere & commaculare*. Nempe ut gemma luto quidem inquinatur, attamen ſic quoque retinet decus nativum; ita beatitatis externa ſpecies externis iſtis commaculatur, at nativa pulchritudo & dignitas minimè deperditur. Atque ut res aliqua ſi prematur, non eò fit minor, ſed minores accipit limites: ita & vir bonus ac prudens, ſi in magnas incidat calamitates, anguſtatur quidem, quia multæ actiones bonæ impediuntur: attamen non idcirco de ſtatu dejicitur; ſed magnitudinem & conſtantiam reſervat, quæ etiam in adverſis ſe exerit.

§. 5. *Subjectum, ſive id in quo Ethice eſt, eſt anima humana, quatenus apta eſt nata ad beatitatem civilem conſequendam.*

Nam Ethices eſt mederi affectibus, ἀῤῥωστήμασι ψυχικοῖς: quæ tantò ſunt graviora corporis morbis, quantò anima eſt corpore præſtantior.

§. 6. *Objectum, ſive illud circa quod Ethice occupatur, ſunt τὰ ἤθη ſive mores; unde & ἠθικῆς nomen accepit. Atque hæc de moribus doctrina trifariam docetur. Nam Ethice eſt vel παραινετικὴ, vel χαρακτηριστικὴ, vel δογματικὴ. Παραινετικὴ ſive hortativa vel præceptiva nudis ſententiis ac modis conſtat.*

Qualis Ethice Theognidis Megarenſis, ac Chriſtiani vel ſemi-Chriſtiani Phocylidæ, & ſimilium. Etiam Ethice ea, quæ Scripturis continetur, magis eſt παραινετικὴ, quàm δογματικὴ. Quemadmodum & origine ac fine differt. Origine, quia Ethice Philoſophorum, ab ingenioſis hominibus eſt inventa & ordine explicata. At Ethice Scripturarum, dictata eſt à Spiritu S. Fine differt; quia Philoſophia non tam ſibi proponit beatitudinem civilem, quàm alterius vitæ beatitatem, ac Dei gloriam. Interim illa philoſophorum eſt pars legis divinæ, & ut Apoſtolus ait * δικαίωμα τοῦ θεοῦ. * Ad Rom. c. 1.

§. 7. *Χαρακτηριστικὴ conſtat deſcriptionibus virtutum & vitiorum per ſigna atque effecta. Hæc bifariam inſtituitur: per Apologos, quales Æſopici; & per morum notationes, quales Theophraſti.*

Cujus ἠθικοὶ χαρακτῆρες, opuſculum auro magis aureum, Iſ. Caſaubonus capitibus aliquot ex MSo Palatino adauxit, Latineque vertit, & commentario pereruditо illuſtravit.

§. 8. *Δογματικὴ ſive ἀποδεικτικὴ omnia accuratâ methodo perſequitur per definitiones, diviſiones, & cauſſas proprias. In hac, ſi ordinem vel methodum ſpectes, omnes exſuperat Ariſtoteles.*

Ethice ab Ariſtotele tribus eſt voluminibus perſcripta. Primùm duobus libris magnorum moralium, quæ ad patrem Nicomachum ſcripta exiſtimantur, ubi breviter omnia decidit. Dubitabat vir ſummus, an eſſet Ariſtotelis. Putabat eſſe οὐκ Ἀριστοτέλους, ἀλλ' ἐκ τῶν Ἀριστοτέλους. Sed fallebatur. Nam ipſe meminit libro 1. Analyticorum, cùm ait, ὥσπερ ἔφαμεν ἐν τοῖς Ἀναλυτικοῖς. Aliaque præterea Ethica ſcripſiſſe, arguunt illa verba eodem libro, ὅτι ἡ ἔνδεια καὶ ἡ ὑπερβολὴ φθείρει, τοῦτ' ἰδεῖν ἐστιν ἐκ τῶν ἠθικῶν. Alterum volumen conſtat octo libris Eudemiorum, qui ad diſcipulum Eudemum, ubi fuſiùs rem quàm in magnis moralibus, tractat. Tertium volumen eſt decem librorum Nicomachiorum ad filium Nicomachum, qui cæteris pleniores & accuratiores. Demonſtrationibus verò utitur tam exquiſitis, quàm patitur rerum, de quibus tractat, natura. Itaque ſæpius nos rejicit ad exoterica ejuſdem argumenti. Probare autem non poſſum ſententiam doctiſſimi Plethonis Gemiſti, qui cenſebat Ariſtotelem multa in Nicomachiis correxiſſe, editis poſtea illis ad Eudemum libris. Nam accuratius diſſerit in Nicomachiis, quàm illis ad Eudemum. Ut audiendus non ſit Plutarchus in Alexandro, vel Gellius lib. xx. cap. 4. vel Cæſar Scaliger lib. III de Re poëticâ, cap. 1. qui negant libros Ethicos eſſe Acroamaticos. Quod multi pari errore de Politicis tradunt. Rectius Alexander Aphrodiſienſis in 1. Top. qui eſſe acroamaticos docet. Eumque ſequuntur alii interpretes Græci. Ac eadem mens Ciceronis lib. v. de Finibus. Libris Ethicorum atque etiam Politicorum ab Ariſtotele relictis lucem dabunt Alexandri problemata, ſive dubitationes morales. Item liber ejuſdem, ὅτι οὐκ αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. At Theophraſti, quæ hujus ſint

b. Googl

ſint argumenti, pauca ſuperſunt. Exſtat quoque libellus περὶ ἀρετῶν ſub Ariſtotelis nomine, editus Baſileæ à Joanne Waldero, unà cum Ariſtotelis & Xenophontis Ethicis, Politicis & Oeconomicis. Anonymus itidem περὶ ἀρετῶν editus ab Davide Heſchælio.

§. 9. *Partes Nicomachiorum Ariſtotelis ſunt tres, una de fine, quæ eſt beatitudo civilis; altera de ſubjecto, quod eſt anima humana; tertia de virtute, per quam anima humana fit compos beatitatis.*

De fine, quia & primum eſt inventione, & ultimum exſecutione, bis agit Ariſtoteles; nimirum XII primis capitibus libri primi, & quatuor extremis libri X. De ſubjecto, breviter agit capite XIII. lib. I. De mediis ad finem, reliquo agit opere. Ac priùs generatim tum de virtute morali agit lib. II. tum de principiis actionum humanarum, prioribus quinque capitibus libri tertii. Deinde ſpeciatim tum de virtutibus agit, tum de iis, quæ cum virtutibus quandam habent cognationem. Doctrina de virtutibus eſt bipartita. Nam de virtutibus ſingulis moralibus tractat reliquâ libri Tertii parte: nec non lib. IV. & V. De dianoëticis autem libro VI. Eorum doctrina, quæ virtutibus ſunt cognata, eſt tripartita. Nam libro VII. agit de virtute heroicâ, & ut vocant, ſemivirtutibus, nec non de voluptate & dolore, quatenus circa eas verſantur virtus & vitium. De Amicitia autem agit lib. VIII. & IX. De voluptate verò, quatenus eſt affectio ſummi boni, quinque prioribus capitibus lib. X.

§. 10. *Porrò Ethices non eſt ſolùm agere de virtute, quæ eſt bonum proprium, quod quiſque ſibi proponit; ſed etiam de Officio erga alios, ubi ſibi proponit bonum alienum.*

Poſteriorem hanc Ethices partem præclarè tractat Tullius in aureis Officiorum libris.

§. 11. *Nec uno ad virtutem modo contendimus. Vel enim diffidentiâ virium noſtrarum vitamus occaſionem peccati; vel nihil metuentes per oblatam occaſionem perrumpimus.*

Pulchrum utrumque. Minus tamen eſt, cautè abſtinere: plus, fortiter ſuſtinere.

§. 12. *Hæc oſtendunt Ethices utilitatem; quæ tanta eſt, ut ſine eâ inutilis ſit reliqua Philoſophia. Sola enim animi morbos depellit, ac ſanitatem mentibus inducit.*

Quod & Pythagoras ſenſit; ut indicant hæc verba apud Stobæum, ſerm. LXXX. qui eſt εἰς τὸ ἐναντίον περὶ γραμμάτων. Κενὸς ἐκείνου φιλοσόφου λόγος, ὑφ' οὗ μηδὲν ἀνθρώπου πάθος θεραπεύεται. ὥσπερ γὰρ ἰατρικῆς οὐκ ὄφελος, μὴ τὰς νόσους ἐκβαλλούσης ἀπὸ τῶν σωμάτων, οὕτως οὐδὲ φιλοσοφίας, εἰ μὴ τὸ τῆς ψυχῆς κακὸν ἐκβάλλῃ. *Inanis eſt illius philoſophi oratio, quæ nullam in homine perturbationem ſanat. Nam quemadmodum ea nullius uſus medicina eſt, quæ morbis corpora non liberat; ſic neque philoſophia, niſi ab animis malum depellat.* Ac ſimiliter Plato epiſtolâ ad Ariſtodemum: Ἀκούω Δίωνά σε ἐν τοῖς μάλιστα ἑταῖρον εἶναί τε καὶ νῦν, καὶ γεγονέναι διὰ παντός, τὸ σοφώτατον ἦθος τῶν εἰς φιλοσοφίαν παρεχόμενον. Τὸ γὰρ βέβαιον, καὶ πιστόν, καὶ ὑγιές, τοῦτο ἐγώ φημι εἶναι τὴν ἀληθινὴν φιλοσοφίαν. Τὰς δὲ ἄλλας τε καὶ εἰς ἄλλα τεινούσας σοφίας τε καὶ δεινότητας, κομψότητας οἶμαι προσαγορεύων ὀρθῶς ὀνομάζειν. *Audio te, & nunc, ut qui maximè, Dioni eſſe familiarem, & toto vitæ tempore ſapientiam morum ad Philoſophiam ſpectantium prætuliſſe. Nam conſtantiam, fidem, animi ſanitatem, id ego veram philoſophiam eſſe pronuncio. Alias verò, & ad alia tendentes ſapientias ſolertiaſque, ornamenta, & concinnitates ſi dixero, rectè cenſeam appellâſſe.* Eam Ethices præſtantiam præ reliquâ philoſophia etiam Sextus Empiricus agnovit. Ut qui cùm philoſophiam tum ovo, tum animali comparaſſet, Ethicen quidem vitello dicat ſimilem, Phyſicen albumini; item Ethicen animæ, ſed Phyſicen carni & ſanguini.

§. 13. *Atque ex his etiam cognoſcimus. Ethicen eſſe partem legis moralis: poſteriorem nempe decalogi partem, ut non modo ejus ſit uſus ad finem, quem ſolùm Ariſtoteles attendit; ſed longè excellentiorem, quem Theologia docet ac pietas Chriſtiana.*

De Ethicis ſatis pro inſtituto.

CAP. XIX.

DE POLITICE.

§. 1. *Politice docet imperium in alios. Ejus mater, ut ſuperius diximus, eſt hiſtoria civilis: ut quæ nihil aliud ſit, quàm hiſtoria ſub exemplis.*

SIve φιλοσοφία ἐκ παραδειγμάτων, ut eam Polybius vocat. Eademque mens & antea Thucydidæ, & poſtea Dionyſio Halicarnaſſeo. Utraque igitur, & Philoſophia dico & Hiſtoria, propoſitam habet prudentiam. Sed Philoſophia, præceptis inſtruit; Hiſtoria, exemplis. Qui modus non minùs utilis & certus. Nam, ut Ariſtoteles optimè ſcilcit, oritur prudentia ἐξ ἐπιστάσεως, *ex obſervatione*, eoque ut prudentiam conſequamur, debemus eſſe ἐπιστατικοὶ, h. e. *obſervatores* eorum quæ in vitâ plurimùm eveniunt, & cauſſarum, propter quas contingunt. Quò & illi Afranii verſus pertinent,

Uſus me genuit, mater peperit memoria,
Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam:

Imò præceptum ſub exemplo melius docet, quàm exemplum ſub præcepto. Nam in exemplo eſt negotium cum omnibus circumſtantiis, quæ melius & certiùs id, quod in controverſiâ eſt, reſtringunt. At qui præcepto exemplum ſubjiciunt, coguntur exemplum accommodare præcepto. De exemplorum uſu, ac vi, ita Tullius pro Archiâ. *Quàm multas nobis imagines non ſolùm ad intuendum, verùm etiam ad imitandum, fortiſſimorum virorum expreſſas, ſcriptores & Græci & Latini reliquerunt? quas ego mihi ſemper in adminiſtrandâ Rep. proponens, animum & mentem meam ipsâ cogitatione hominum excellentium conformabam.*

§. 2. *Duo autem genera hiſtoriarum maximè Politicæ conducunt. Unum eſt quod varias Reſpublicas, & gentium variarum leges ac jura narrat.*

Quomodo Ariſtoteles, Alexandro iter in Perſiam ſuſcipiente, varias deſcripſit Reſpublicas: ac Theophraſtus poſtea leges collegit. Utriuſque operis meminit Cicero v. de Fin. *Omnium ferè civitatum, non Græciæ ſolùm, ſed etiam Barbariæ ab Ariſtotele mores, inſtituta, diſciplinas; à Theophraſto leges etiam cognovimus.* Ariſtotelis Reſpub. numero fuêre CLVIII, ut ait Laërtius. Sed fortaſſe, quædam non fuêre genuinæ. Simplicius enim in Categoriarum προλεγομένοις adducit Ariſtotelis γνησίας πολιτείας, quaſi quædam fuerint νόθαι. Et Joan. Tzetzes in Heſiodum non obſcurè indicat, ſe Orchomeniorum Remp. putare ab alio ſcriptam, quia dicit auctorem eſſe Ariſtotelem eum, qui peplum condidit. Idem & leges barbarorum deſcripſit; quod opus inſcripſit νόμιμα βαρβαρικά. Meminit ejus Apollonius Dyſcolus ἐν ἱστορίαις θαυμασίαις, quod opus juniores præter auctoris mentem inſcripſere, περὶ κατεψευσμένης ἱστορίας. Etiam Laërtius indicat Ariſtotelem ſcripſiſſe libris duobus δικαιώματα, *jura.* h. e. quod jus obtineret quævis Græciæ civitas. Secundùm hæc jura dirimebantur lites à judicibus, & magiſtratibus Græcis.

cis. Priùs verò Ariſtotelem δικαιώμασι quàm πολιτείας ſcripſiſſe, legere eſt in vitâ Ariſtotelis à veteri interprete verſâ, & à Nunneſio editâ.

§. 3. *Præterea prudentiam maximè juvant hiſtoricorum illi, qui res geſtas exponunt, non quidem quod ad eventus ſolos: cujuſmodi notitia ad γράμματα potiùs, ſive literas pertinet; ſed accuratè additis cauſſis, & modo quo ſingula contigerunt.*

Itaque Severus Imperator, quoties de rebus magnis conſilium capere vellet, in conſilium etiam hiſtoricos adhibebat, ut ex iis cognoſceret, quid in ſimili negotio Imperatores ac Duces alii fecerint.

§. 4. *Multùm quoque tum ad privatos mores, tum ad rem publicè gerendam, conferunt Imperatorum vitæ. Quales, quas Plutarchus, ac Cornelius Nepos ſcripsêre.*

Id exemplis clarius fiet. Quàm bonitas ac clementia concilient animos hominum, cognoſcere erit ex vitis Artaxerxis, Longimanni, Titi Veſpaſiani, Trajani, Antonini Pii, & Antonini philoſophi. Et quem non juvet videre, quantò faciliùs Achivos blanditiis in officio continuerit T. Quinctius, quàm vi agendo Spartanos & Meſſenios Philopœmenes? Quàm ſplendor præclarè geſtorum imminuatur crudelitate, arguunt mores Alexandri, Lyſandri, Syllæ, & his ſimilium. Non minùs eſſe tueri aliquid, quàm acquirere, oſtendit Pyrrhus, qui rebus ſæpius fortiter geſtis, tot victorias corrumpebat; ut de eo dixerit Antigonus, ſcire aleam jacere, ſed neſcire jactu uti. Tolerandas eſſe injurias docet Pericles; qui cùm moribundus audiret facta ſua prædicari ab amicis, ajebat ſe laudum ſuarum ſupremum putare, quod ſui cauſſâ nemo unquam veſtem pullam induiſſet. Quantopere fidem iis habeamus, qui plus nobis ſapere, ac præterea bonæ fidei exiſtimantur, indicio erit Pompejus, cui nihil æquè conciliavit populum Romanum, quàm quod idem & prudens & à fraude atque injuria inferenda, alienus videretur. Quàm ambitio ſit noxia, arguit, quòd nihil æquè eundem Pompejum perdiderit. Imperatorem potiùs opibus militum ſtudere, quàm ſuis oportere, exemplo fuerit Ageſilaus, qui ditare milites, quàm ipſe diteſcere malebat. Item Ariſtides, qui Perſarum victor, & mox Græciæ totius cenſor, poſt tantas occaſiones accumulandi opes, tenuior, quàm abierat, rediit domum. Spernere hoſtium dona docet M. Curius, qui fictilibus & rapis contentus, aſpernatus eſt aurum Samniticum; item Phocion, qui reſpuit dona Alexandri M. & tenuitate apparatus, ad quem legatos invitaverat, non indigere ſe iis comprobavit. Pro patria etiam appetendam eſſe mortem, cognoſcimus ex Deciis, ſe pro ea devoventibus; Item ex Philænis fratribus, qui ſe juſſere defodi vivos. Quàm malam gratiam ſæpè referant benè meriti de Repub. demonſtrant exempla Miltiadis, in carcere obeuntis, Phocionis necati, Coriolani, Camilli, Ciceronis exilium, Scipionis Africani indignè adeò tractati à ſuis, & ſpontè abeuntis in exilium, patriæque etiam oſſa ſua invidentis. Satis hanc rem vidit Lupus Ferrarienſis: quando ſic ad Regem Carolum Calvum ſcribit: *Imperatorum geſta breviſſimè comprehenſa veſtræ majeſtati offerenda curavi, ut facilè in iis inſpiciatis, quæ vobis vel imitanda ſint, vel cavenda. Maximè autem Trajanum & Theodoſium ſuggero contemplandos, quia ex eorum actibus, multa utiliſſima poteritis ad imitandum aſſumere.*

§. 5. *Nec ſatis eſt, ſi antiqua tempora ſciamus: ſed cognoſcenda etiam ea, quæ noſtro patrumque avo geſta ſunt. Ut benè de humano genere mereantur, qui noſtri temporis hiſtoriam, aut vitas eorum, qui noſtrorum patrum avo vixêre, poſteris produnt, ac prudenter ſibi conſulant, qui iſthæc legunt, veteraque & noſtra tempora inter ſe componunt.*

Optimis quibuſque ingeniis magnæ admiratio eſſe ſolet temporis antiqui: neque id citra cauſſam. Eximiæ enim vel bonitatis vel fortunæ argumentum eſt poſſe in rebus hiſce caducis, ubi alia ſemper aliis ſuccedunt, eludere communem ſortem, multiſque ſæculis perennare. Quod etſi fateamur non inviti, non tamen ſtultè adeò ſapere oportet, ut propterea, quæ præſens ævum protulit, contemnamus. Multa enim nunc etiam fiunt, digna hominum memoria, quæ ipſa ſi poſteris tradentur, aliquando antiqua erunt, nec minori voluptate animos implebunt. Accedit quòd multa à veteribus, præcipuè Græcis, prodita ſunt uſque adeò à fide aliena, ut nec Catoni quidem de his, imò nec Mercurio credere poſſis. Hac ſaltem parte beatiora ſunt tempora noſtra, quia, etſi ne nunc quidem deſint homines vani, ſuperſint tamen alii viri boni, atque oculati omnium teſtes, à quibus veritatis amantes cognoſcere poſſint, quid fidei conſonum ſit, quid ab eâ alienum. Quamobrem eorum ſtudium laudandum puto, qui, avidè etiam, in res ſuæ ætatis inquirunt, eaque memoriæ conſecrant: præſertim ſi id fiat ab obitu illorum, quorum geſta produntur. Nam etſi etiam utile eſt laudari ſuperſtitum virtutes, quia laudata virtus creſcit: tamen ab exceſſu hominum minùs eſſe invidiæ ſolet, fidei plus, quoniam minor eſt adulationis ſuſpicio. Ut Peſcennius Niger (etſi ſeveriùs fortaſſe, quàm par erat) non tamen de nihilo planè, cùm ei Imperatori facto panegyricum quidam recitare vellet, eum affatus ſit hoc modo: *Scribe laudes Marii vel Annibalis, vel alicujus ducis optimi vitâ functi, & dic quid ille fecerit, ut nos eum imitemur. Nam viventes laudare, irriſio eſt.* Nec modò laudari merentur Imperatores virique Principes, de quibus hic Peſcennius videtur loqui, ſed etiam, quorum illi conſilio vel armis prudentiſſimè gubernant Remp. vel fortiter rem gerunt. Neque enim omnis in bello Trojano laus erat penes Atridas: ſed erat quod Neſtor ac Ulyſſes ſibi, erat quod Achilles, Diomedes, Ajax, alii ſibi vindicarent; quos non minùs celebrat Homerus. Quare talium quoque vitas introſpicere oportet, ac poſteritati commendare, ut inde (quemadmodum de Captivis ſuis Plato ait) boni fiant meliores.

§. 6. *Nec ſolùm ex civili hiſtoriâ hauritur prudentia; ſed etiam ex Eccleſiaſticâ.*

Sed ex eâ imprimis prudentiam Epiſcopi ac Theologorum filii haurire poſſunt.

§. 7. *Politice dividitur in οἰκονομικὴν ſive domeſticam; & eam, quæ propriè magis πολιτικὴ ſive civilis vocatur.*

Oeconomicen eſſe Ariſtoteli Politices partem oſtendit, quod eam tradit lib. 1. Polit. Idem de Ariſtotele Laërtius tradit in ejus vitâ, ſimiliterque Anatolius in fragmentis Mathematicis. Nec propterea errant, qui contendunt, ut triplex eſt actio honeſta, ſingulorum hominum, integræ familiæ, & totius civitatis; ita quoque triplicem eſſe Philoſophiam πρακτικήν. unam moralem, quâ quiſque ſe bonum reddit; alteram domeſticam, quæ familiam curat; tertiam civilem, quæ docet adminiſtrare Remp. Nam de familiâ agitur bifariam: abſolutè, ſive quà totum & quà pars civitatis: ſive quatenus familiæ ſubjiciuntur Reipublicæ. Priori modo conſideratur in Oeconomicis, ut per ſe diſciplinam conſtituit. Poſteriori modo ſpectatur in Politicis.

§. 8. *Oeconomices partes ſunt duæ: una circa homines verſatur, altera circa rem familiarem, ſeu facultates.*

Has enim duas eſſe domus partes rectè ait Ariſtoteles Oeconomicorum lib. 1. cap. 11.

§. 9. *Pars ea, quæ ad homines pertinet, eſt triplex pro*

triplici ſocietate. Prima eſt ſocietas maris & feminæ: Altera parentum & liberorum. Tertia heri, ſive domini & ſervi.

Ita dividit Ariſtoteles Oeconomicorum lib. I. cap. III.

§. 10. *In Oeconomicis legendus liber primus Politicorum Ariſtotelis. Item quæ Oeconomica inſcribuntur.*

Eorum unum duntaxat librum agnoſcit Laërtius. Hodie duos habemus. Sed non poſſum mihi perſuadere, poſteriorem ab eodem fonte eſſe. Nec enim veriſimile ſit, Ariſtotelem tot voluiſſe congerere exempla, quibus tyranni poſſent cives expilare. Reſpondent, adferre ea, non ut imitentur principes viri, ſed ut doceat alios, quid fieri ſoleat. Verùm non eſt Ariſtotelici moris, in tam brevi libello tot condenſare exempla: præſertim rei fœdæ, quam, qui narrat, docet.

§. 11. *Ariſtoteli addatur quintus Xenophontis liber de Memorabilibus Socratis dictis, qui Oeconomicus inſcribitur.*

Eum primus è junioribus vertit Raphaël Volaterranus: hinc Ludovicus Strebæus: poſtea aliquanto melius Camerarius: attamen, quia feſtinandum foret, negat ſe ſatisfacere ſibi potuiſſe; denique accuratiſſimè tranſtulit Leunclavius: utinam tamen exſtaret tralatio M. Ciceronis; è quo pauca apud Columellam, & Grammaticos ſuperſunt. Sed integrè ſe vertiſſe, ipſe ait lib. II. de Officiis: ac meminit quoque Hieronymus præfat. in Euſebium. At non ſatis video, quid Varronem moverit, ut tralationis ſuæ libros tres potius faceret, quàm unum: cujus rei eſt teſtis Servius in I. Georgicôn.

§. 12. *Politice propriè dicta, ex omni Philoſophiâ poſtremo diſcitur: quam docendi viam etiam Pythagoras inire ſolet.*

Atque id conſilium etiam probat B. Auguſtinus lib. II. de Ordine ad Zenobium, quem librum his claudit verbis: *Quòd Pythagoræ mentionem feciſti, neſcio quo illo divino ordine occulto tibi in mentem veniſſe credo. Res enim multùm neceſſaria mihi prorſus exciderat, quam in illo viro, ſiquid literis memoriæ mandatis credendum eſt; (quamvis Varroni quis non credat?) mirari, & pene quotidianis, ut ſcis, efferre laudibus ſoleo; quòd regendæ Reip. diſciplinam, ſuis auditoribus ultimam tradebat, jam doctis, jam perfectis, jam ſapientibus, jam beatis. Tantos enim ibi fluctus videbat, ut eis nollet committere niſi virum, qui & in regendo penè divinè ſcopulos evitaret, & ſi omnia defeciſſent, ipſe illis fluctibus quaſi ſcopulus fieret. De ſolo enim ſapiente veriſſimè dici poteſt;*

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit,

Et cætera, quæ in hanc ſententiam verſibus dicta ſunt.

§. 13. *Doctrinam hanc plurimùm conferre ad rectè imperandum, ſoli negant imperiti.*

Veriùs Senatus ille Romanus, cùm eligeret Tacitum Imperatorem: *Neminem aut juſtiùs, quàm gravem virum, aut prudentiùs, quàm doctum imperare poſſe.*

§. 14. *Subjectum Politices eſt civitas ſeu civium multitudo.*

Nihil enim aliud civitatem dixeris, quàm conventiculum hominum ſalubri juris legumque vinculo invicem ſibi ſociatorum.

§. 15. *Finis Politicæ eſt duplex, internus & externus. Internus eſt Reſpublica, quippe forma civitatis ſive multitudinis.*

Idcirco Reſpublica Ariſtoteli ſemper definitur per τάξιν; ut lib. III. Polit. cap. IV. cap. I. Reſpublica igitur ad civitatem ſe habet, ſicut anima ſive vita ad corpus.

§. 16. *Externus Politicæ finis eſt beatitudo publica: ad quam per Reip. conſtitutionem devenit civitas.*

Eſt igitur Politica domina ac regina artium & ſcientiarum: ut cujus finis ſit, quemadmodum Cicero ait, *ut cùm florens ac proſpera privatorum ſalus, beata civium vita, tum opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta Reſpublica ſit.*

§. 17. *Præter hunc principalem finem prodeſt civilis ſcientia ad cætera ſtudia omnia.*

Grammatico quidem conducit in poëtis, hiſtoricis, oratoribus intelligendis & explicandis; quippe in quibus multa adeò ſunt ad civilem vitam pertinentia. Conducit Oratori in curia, foro, legationibus; ſæpè enim tractandum de argumento civili. Conducit Poëtæ, præſertim epico & tragico, qui argumentum tractant civile. Conducit Hiſtorico, quia Hiſtoria nihil aliud eſt, quàm φιλοσοφία πολιτική per exempla. Conducit Juriſprudentiæ, quia ea pars eſt civilis facultatis. Imò olim Juriſconſulti non ſolùm de rebus privatis, ſed publicis etiam conſulebantur. Conducit Theologo, ut meliùs intelligat, quæ ad πολιτείαν Moſaïcam pertinent, quæque de Davidis, & aliorum Regum inſtitutis referuntur.

§. 18. *Politices origo ex Rerumpub. origine dependet. Rerumpublicarum origo eſt ex vicis, uti vicorum ex familiis, familia ex naturâ, quæ hominibus inſevit amorem procreandi liberos. Unde apparet ſcientiam civilem eſſe naturâ ipſâ ſubnixam.*

Prima enim ſocietas eſt domus. Cujus cauſſa eſt natura, quia homini inſita eſt cupido gignendi liberos: Ex appetitu hoc eſt connubium, cujus fructus liberi. Sed ad hos tuendos & ſervandos opus eſt ſervitio aliorum. Ut duæ hæ ſocietates maritales, & heriles, omnium ſint primæ. Triplex igitur imperium in eadem domo erat: mariti in conjugem, parentum in liberos, herile in ſervos. Sed liberis multiplicatis nova quærebantur connubia, & affinitates; unde plures propinqui, qui in alias exiêre domos, velut colonias. Atque ab ea propagatione originem habent vici, ex vicis poſtea civitates. Natura igitur prima eſt Rerumpub. cauſſa. Cui acceſſêre duæ aliæ, indigentia & injuriæ. Indigentia quidem, quia, quiſque quod non haberet, ab alio petere habebat neceſſe; unde majores ſocietates vitæ. Injuriæ autem, quia ferè ita fit, ut potentior vi eripiat aliena. Ergo, ut injuriis reſiſteretur, opus fuit homine prudente, juſto, potente: prudente, quò diſcerneret æquum ab iniquo; juſto, ut vellet cuique, quòd ratio & æquitas jubent: potente, ut imbecilliores defendere, immorigeros poſſet cogere. Hæc igitur cauſſa eſt, cur imperium uni conferretur. Sed unus ille interdum in tanta poteſtate pleraque ex lubidine magis agebat, quàm æquo & bono. Vel ut à primis optimè regeretur, degenerabant tamen ſucceſſores. Unde injuriæ non jam civium inter ſe, vel potentium in proximos, ſed principum in cives. Propterea interfecto Principe, imperium commiſſum pluribus viris bonis, vel qui tales viderentur. Ita ab regno unius ad optimatum imperium eſt deventum. Sed his quoque vel malè utentibus ſua poteſtate, vel degenerantibus illis, qui ſucceſſerant, populus ipſe poteſtatem in ſe recepit: uſquedum in ejuſmodi imperio, diſſidio, vel aliter ad unius iterum vel plurium poteſtatem veniret, atque ita varia imperandi ratio in orbem iret.

§. 19. *Politicæ hujus partes ſunt duæ, civilis & militaris: illa eſt de adminiſtratione Reipub. quæ generis nomine*

Digitized by Google

nomine πολιτικὴ *dicitur*; *altera de rebellicâ, quæ* στρατηγικὴ *ſive Imperatoria vocatur.*

Hæc duo iccirco etiam in hiſtoricis exemplis obſervari convenit. Hinc Tullius; *Unde facilius, quàm ex annalium monumentis, aut res bellica omnis, aut omnis Reipub. diſciplina cognoſcetur?*

§. 20. *Prior pars dividitur in partem de legibus ferendis, & alteram de legibus exercendis.*

Similiter Jamblichus in vita Pythagoræ; ubi has Politicæ, ſive, ut ipſe ait, juſtitiæ partes vocat νομοθετικὴν καὶ δικαστικήν. Etiam duo hæc munera, legiſlatoris & judicis boni, in principe exigit Manuël Palæologus Auguſtus in præceptis educationis Reginæ ad Joannem Filium, Tit. 11. Νομοθέτης μὲν ὁ βασιλεὺς, καὶ κριτὴς τῶν ὑπ' αὐτὸν ἀναδέδεικται. *Manifeſtum eſſe regem conſtitutum legiſlatorem, judicemque hominum.* Et mox Εἴη δ' ἂν καὶ βασιλεὺς ἀγαθὸς, καὶ νομοθέτης χρηστὸς, καὶ κριτὴς ὡς ἄριστος, ἄρχοντα καὶ νομοθέτην, καὶ κριτὴν ἑαυτοῦ ποιούμενος, καὶ ὡς ἐνὸν μιμούμενος τὸν αἰώνιον αὐτοκράτορα, τὸν αὐτῷ τὸ σκῆπτρον ἐγχειρίσαντα. *Idem verò bonus rex fuerit, & legiſlator utilis, & judex præſtantiſſimus, ſi principem & legiſlatorem, & judicem ſibi ipſe conſtituet, proque viribus imitabitur æternum illum imperatorem, qui ſceptrum ei dedit in manus.*

§. 21. *Duarum quas diximus partium præſtantior eſt* νομοθετικὴ, *quia facit ne mali ſiamus:* δικαστικὴ *ſolùm hoc, ut ex malis reddamur boni.*

Eſt hæc ſententia Jamblichi in vitâ Pythagoræ, ubi potiorem eſſe νομοθετικὴν probat ſimilitudine à morbis corporis. Nam, inquit, plus eſt præſtare, ne in morbos incidas, quàm mederi ægrotanti. Proinde & plus erit cavere, ne quis malus fiat, quàm procurare, ut quis ex malo reddatur bonus. Atque eodem ſpectaſſe videtur Plato, qui rogatus à Dionyſio Syracuſano, quod eſſet officium principis? reſpondit, reddere cives bonos: quòd omnino fuit præter exſpectationem Dionyſii: Putabat enim dicturum, ſi benè judicia exerceret. Quod dici maluiſſet, quia hac parte ſibi placeret. Itaque mox Platonem rogavit, quid ei de δικαστικῇ videretur: ille reſpondit, τὸ δικάζειν eſſe exiguam muneris Politici partem. Auctor Euſebius in Chronicorum Canonum reliquiis Græcis lib. 1. pag. XLVI. edit. Scaliger. De hac parte ſic ſcribit Clemens Alex. Στρωματ. lib. 1. Πολιτείαν γ' οὖν (Μωϋσῆς) διηκόνησεν ἀγαθήν: ἥδε ἐστι, τροφὴ ἀνθρώπων καλὴ κατὰ κοινωνίαν· αὐτίκα τὴν δικαστικὴν μετεχειρίζετο, ἐπιστήμην οὖσαν διορθωτικὴν τῶν ἁμαρτανομένων, ἕνεκεν τοῦ δικαίου. σύστοιχος δὲ αὐτῇ, ἡ κολαστικὴ, τοῦ κατὰ τὰς κολάσεις μέτρου ἐπιστημονική τις οὖσα. κόλασις δὲ οὖσα, διόρθωσίς ἐστι ψυχῆς. *Subminiſtravit itaque* (Moſes) *bonam adminiſtrandæ Reip. rationem. Ea autem eſt bona educatio hominum in ſocietate. Jam verò facultatem tractavit judiciariam, quæ ſcientia eſt corrigens peccata propter id quod juſtum eſt. Ejuſdem autem cum eâ ordinis eſt puniens facultas, quæ ſcientiam tenet moderandarum caſtigationum. Cùm autem caſtigatio ſit, correctio animæ eſt.*

§. 22. *Judicia* (*circa quæ* δικαστικὴν *verſari diximus*) *vel publica ſunt, vel privata. Publica ſunt de criminibus, privata de controverſiis.*

Cicero pro Cæcinna: *Omnia judicia aut diſtrahendarum controverſiarum, aut puniendorum maleficiorum causâ reperta ſunt.*

§. 23. *Præcepta de adminiſtratione Reip. haurire eſt partim ex Platonis de Rep. & legibus libris: partim ex Politicis Ariſtotelis.*

Quorum decem libros citat Petrus Victorius in Rhetor. lib. 1. Nunc octo ſolùm habemus: Imò vetus etiam interpres negat, ſe partem Politicorum extremam, ſedulò licet quæſitam, invenire potuiſſe. Præterea cùm Ariſtoteles Ethicorum lib. ult. cap. ult. dicat ſe in politicis velle optimam Reip. conſtitutionem per omnes deducere ætates, ſuaſque ſingulis partes tribuere, in iis, quæ habemus, non ultra adoleſcentiam pertingit. Adhæc lib. 1. Pol. cap. ult. ait ſe poſtea de virtute mulierum acturum; & lib. VII. cap. x. ſcribit ſe opere hoc de ſervis tractare velle; at nec iſta hodie in his libris leguntur. Ut, quin pars eorum ultima deſideretur, minimè ſit ambigendum. Eam partem conatus Græcè ſupplere Cyriacus Stroza. Sed optandum erat, ut ne Platonis veſtigiis tantoperè inſtitiſſet: ſed potiùs ex variis Ariſtotelis locis obſervaſſet, quæ ejus ſit philoſophi ſententia, ac hiſtoriâ ejus partis, & methodo Ariſtotelis obſervatâ, hæc literis comprehendiſſet. Satis autem dolere non poſſumus, quod perierint ſex Ciceronis libri de Repub. Nunc vix quicquam ſupereſt, præter ſomnium Scipionis. Ex quo divino fragmento ſatis conjectare licet, quantùm eruditionis & induſtriæ univerſo operi impenderit M. Tullius.

§. 24. *Ad partem Politices, quæ eſt, de Adminiſtratione Reip. pertinet* παιδαγωγικὴ, *ſive cura puerilis inſtitutionis: quam Græcorum plerique exceptis Spartiatis, penè negligebant.*

Teſtis Xenophon.

§. 25. *Item pertinet ad eam partem* ἱερατικὴ, *ſive cura religionis.*

Non quaſi ipſi Reip. præfecti ſint Religionis interpretes, vel Sacerdotes habeant ἀρχὰς πολιτικάς: ſed quia præfectos Reip. oporteat ante omnia proſpicere ab iis, qui præſint rebus divinis.

§. 26. *Poſteriorem Politicæ partem, quam de Re militari eſſe diximus, damnant aliqui, ut Dei verbo adverſam. Sed niſi bona hæc ars eſſet, non diceret David* II *Sam. cap.* XXII. 35. Docet manus meas ad bellum. *Item alio in Pſalmo:* Benedictus Dominus, qui docet manus meas ad prælia.

Quod enim Deus docet, id eſt bonum, cùm Deus non ſit malæ artis magiſter.

§. 27. *Nec tamen tanti ejus bonos, ut martyrum ordinibus inſerendi ſint, qui in bello occumbunt.*

Nicephorus tamen Phocas imperator, magno ſtudio legem ferre conabatur, quâ ſtatueretur, *omnes in præliis occumbentes, martyrum honoribus ornandos eſſe.* Quemadmodum ſcribit Michaël Glycas, annalium parte IV. * Atque is ait, inde hoc factum, *quia non in aliâ re ſalutem poneret, quàm in bello.* Sic ſanè ſenſerit de ſalute Reip. ſed tamen puto ulteriùs ſpectaſſe; nempe, quod milites, ſi tales ſint, quales oportet, pugnent pro aris & focis. Verùm, ſi vulgum ſpectes, quantillus eorum numerus! Ut ex pauciſſimis, propè dixerim, totidem

—— *quot divitis oſtia Nili,*

non debeat judicium ferri de univerſis.

* 1 p. 32.

§. 28. *De re bellicâ, legendus Onoſander.*

Tranſtulit Joachimus Camerarius. Addendus Vegetius & alii, quos edidit P. Scriverius.

§. 29. *Ad hanc Politicæ partem pertinent ſcriptores Tactici: hoc eſt, qui ſcribunt de ordinibus militaribus inſtituendis.*

Ut Æneas in commentariis, quorum epitomen Theſſalus

ſalus Cineas conſerit, is, qui Pyrrho Epirotarum Regi à conſiliis fuit. Æneæ hujus Ælianus, & ante eum Polybius meminit. Primus ejus τακτικὰ Caſaubonus divulgavit. Qui & Æliani τακτικὰ ex Regia bibliotheca à ſe emendata, & obſervationibus illuſtrata, edere decrérat; ut ex præfatione ejus in Polybium cognoſcimus. Sed mors prævenit ſummum virum. Qui verò ante Ælianum hoc argumentum tractaverint, cognoſcere eſt ex ejus ſcriptoris cap. 1.

§. 30. *Eodem pertinent ſtratagematum ſcriptores.*

Ut è Latinis Frontinus: è Græcis Poliænus, qui Impp. Antonini, & Veri temporibus vixit, ac venuſta dictione (orator nempe & patronus) VIII. libros condidit, de Stratagematis Græcorum, Romanorum, Barbarorum. Atque hunc etiam ſcriptorem ære ſuo emptum, primus Græcè edidit Caſaubonus.

§. 31. *Modeſtus de vocabulis rei militaris ſcripſit ad Tacitum Auguſtum.*

Qui imperare cœpit anno Chr. CCLXXV. imperiumque ducentis tantum tenuit diebus. Juſſu Cæſaris ea conſignaſſe, ipſe indicat extremo libello verbis iſtis; *Hæc Martii operis præcepta, per diverſos auctorum libros diſperſa, Imperator invicte, mediocritatem meam abbreviare juſſiſti, ne vel faſtidium naſceretur ex plurimis, vel plenitudo fidei deeſſet in parvis.* Tantus imperator vidit non poſſe res intelligi, niſi vocabulis priùs perſpectis. Nunc de rebus ſibi judicium vindicant, qui neque vocabula didicerunt. Grammaticos vocant, qui iſta ſciunt, ipſi ἀγράμματοι.

§. 32. *Hero junior Belopœïca, ſive de machinis bellicis opus reliquit.*

Quod Auguſtæ Vindelicorum prodiit anno CIↃ IↃ CXVI. Latinè vertit, ac notis etiam illuſtravit Franciſcus Barocius, patritius Venetus.

§. 33. *Sub Auguſto Cæſare claruit Vitruvius, qui in decimo tractat de machinis bellicis.*

De hoc & multis aliis accuratiùs nos in Mechanicis ſcriptoribus.

§. 34. *Qui verò ſolo uſu militiam diſci arbitrantur, facilè refelluntur multorum Imperatorum exemplis, qui militiæ ante rudes atque ignari, cum omnium admiratione, literarum beneficio, brevi ſpacio res maximas geſſere.*

Ut Xenophon, qui è Socratis ſchola ad Cyrum profectus decem hominum millia ab extremis Perſarum finibus per hoſtiles terras domum reduxit, & ita reduxit, ut quicquid ſe opponere auderet, devinceret. Et quantus bello L. Sylla fuit? de quo ſic Salluſtius bello Jugurthino. *Sylla gentis patriciæ nobilis fuit, familiâ prope extinctâ majorum ignavia, literis Græcis atque Latinis juxta, atque doctiſſimè eruditus.* Et paullo pòſt: *Sylla, poſtquam in Africam, atque in caſtra Marii cum equitatu venit, rudis antea & ignarus belli, ſollertiſſimus omnium in paucis tempeſtatibus factus eſt.* Atque erant Syllæ ſimiles alii ex nobilibus, unde eos Marius, homo novus & agreſtis, ſugillans, ait apud eundem hiſtoricum: *Quæ illi literis, ego militando didici.* Accedat his L. Lucullus, quem commendant, ut IV Acad. Quæſt. ait Cicero, *cùm magnum optimarum artium ſtudium, tum omnis liberalis, & digna homine nobili ab eo percepta doctrina.* Is ad Mithridaticum bellum miſſus à Senatu, non modò *opinionem vicit omnium, quæ de virtute ejus erat, ſed etiam gloriam ſuperiorum. Idque eò fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum expectabatur, qui adoleſcentiam in forenſi operâ, quæſturæ diuturnum tempus, Murænâ bello in Ponto gerente, in Aſia pace conſumſerat. Sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non deſideravit INDOCILEM VSVS DISCIPLINAM. Itaque cum totum iter & navigationem conſumſiſſet, partim in percontando à peritis, partim REBVS GESTIS LEGENDIS: in Aſiam factus imperator venit, cùm eſſet Româ profectus REI MILITARIS RVDIS. Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit præliis, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiuſque belli inſtrumentis & apparatu, ut ille rex, poſt Alexandrum maximus, hunc à ſe majorem ducem cognitum, quàm quemquam eorum, quos legiſſet, fateretur.*

§. 35. *Activæ philoſophiæ proles eſt* Juriſprudentia, *ut vox ipſa indicio eſt; ſive illud ſpectemus, quod juris, ſive quod* prudentia *dicatur. Partim autem ad moralem, partim ad civilem philoſophiam pertinet. Nec enim ſatis eſt, ſi legiſlator ſciat, quid requirat juſtitia & æquitas naturalis, quod in Ethicis docetur; ſed præterea ei diſpiciendum quid ſocietas humana ferat, quidque gentis mores & Reip. forma patiantur.*

Unde Solon interrogatus, an optimas civibus ſuis leges dediſſet; Optimas, inquit, ex iis, quas ipſi accipere voluiſſent. De Iuriſprudentia vera pulchrè agit Bodinus, in præf. ad Textorem ante Methodum hiſtoriæ.

§. 36. *Quatenus Politices filia eſt, naſcitur ex priori parte, quæ eſt de adminiſtratione Reipublicæ.*

Alii partem ejus eſſe partis ajunt; de quo non contendo. Parum enim refert, utrum dicas legum ſcientiam eſſe Politicæ ἐπιγέννημα, ut ad eam ſe habeat, tanquam filia ad matrem: an verò partem, ut laxius Politices vox accepta, diſciplinas alias comprehendat.

§. 37. *Quàm neceſſarium ſit ſtudium Juris, eo oſtenditur, quod ſine legibus conſtare nequeat Reſpublica.*

Nam lex eſt *juſti injuſtique regula:* ut ait L. Seneca lib. IV. de Beneficiis, cap. XII. Et quomodo ſine legibus tuti eſſemus ab hominibus improbis & audacibus? Unde Ovidius lib. III. Faſt.

Inde datæ leges, ne fortior omnia poſſet.

Sed non eſt hujus loci deprædicare legum neceſſitatem: præſertim cùm tam multi de legibus ſcripſerint, non modò juniorum, ſed veterum etiam; ex quibus tamen nonnulli adhuc inediti in bibliothecis adſervantur: uti in Vaticanâ Nicephorus Blemmidas, ac Michaël Pſellus, qui de legibus duos ſcripſit libros.

§. 38. *Id quod non neſciebant Imperatores Romani, qui Juriſconſultos magnis honoribus & titulis afficiebant.*

Caligulæ ſanè ætate erant Iuriſconſulti ex ordine equeſtri: quâ de re vide Sam. Petitum Obſervat. lib. 1. cap. 10. Sequentibus quoque ſeculis Juriſconſulti Imperatorum parentes atque amici dicti ſunt; vocati & magnifici, nobiliſſimi, honorati, ſplendidiſſimi, aliiſque elogiis ornati; ut oſtendit Franciſcus de Petris, Juriſconſultus Neapolitanus lib. 1. Feſtivarum Lectionum cap. VII. * Ubi illud etiam memorat, ut à ſummo Pontifice Galliæ rex, & Angelus Peruſinus Juriſconſultus ad pacis oſculum fuerint admiſſi: cùm principes, qui unà erant, & magnates olim ſolùm ad pedum oſculum admitterentur. Addit ſimile ferri de Bartholomæo Capuâ, Juriſconſulto Neapolitano, qui Regi Roberto per Urbem deambulanti latus clauderet, ſæpiùs etiam cum eo in menſâ diſcumberet.

* p. 80.

§. 39.

§. 39. *Ius omne collectum eſt ex præceptis naturalibus gentium, & civilibus. Naturæ jus eſt, quod multa animantia cum hominibus habent commune: ſed ſic, ut beſtiæ id faciant incitatione naturæ, quod homines faciunt ratione. Ius gentium eſt in iis, quæ muta animantia non faciunt, ſed omnes homines conveniunt fieri oportere. Ius civile eſt, quod non omnes ſtatuunt homines; ſed multitudo aliqua in unum congregata conſtituit.*

Deſunt hic nonnulla.

§. *** *Fuit Trebonianus.*

Tribonianum hunc valdè laudat Iuſtinianus in proœm. Inſtit. ubi eum vocat, *virum magnum cujus ſolertiam & legum ſcientiam, & circa ſuas juſſiones fidem, jam ex multis rerum argumentis acceperit.* Sed Procopius lib. 1. rerum Perſicarum ait fuiſſe hominem avarum, qui lucri amore jus non metueret violare. Heſychius Mileſius ſive Illuſtris, & Suidas ſcribunt fuiſſe impium & alienum à religione Chriſtianâ, fœdumque adulatorem: ut qui Juſtiniano Cæſari perſuaſum iret, non moriturum ipſum, ſed unà cum corpore in cælos raptum iri, quod ipſum quoque tradit Procopius in Hiſtoria arcana, unde proculdubio hauſit Suidas. Verùm de hoc Triboniano & de ceteris Juriſconſultis pluribus agemus ſcripto ſingulari.

CAP. XX.

DE ELOQUENTIA TUM ORATORIA, TUM POETICA.

§. 1. *Etiam Philoſophiæ proles eſt Eloquentia.*

UNde Rhetoricen Politices ſtolonem vocat Ariſtoteles lib. 1. Rhet. Quod pluribus declaravimus lib. de Nat. & conſt. Rhetorices.

§. 2. *Et veteres eam conjungere cum Philoſophiâ ſolent.*

Sic, ut Cicero dicat penè initio lib. II: de Divinatione: *Ariſtoteles, itemque Theophraſtus, excellentes viri cum ſubtilitate tum copiâ, cum Philoſophia dicendi etiam præcepta conjunxerunt.*

§. 3. *In cauſſa eſt, quòd eadem dicit Orator, ac Philoſophus, ſed aliter dicit: quia Philoſopho ſatis eſt, ſi munda ejus ſit ſupellex, nec curat, utrum fictilibus, an aureis vel argenteis vaſis ſua præbeat fercula. At non ſufficit id Oratori, qui ornatè & magnâ cum dignitate explicat ſenſus ſuos.*

Quod ſanè plurimum facit ad perſuadendum. Nam qui ſolùm Philoſophus eſt, non Orator, utcunque hoc ſæpè agat, ut meliores reddat alios; non tamen tam facilè id perſuaſerit, quam ſi idem fuerit Orator.

§. 4. *Hæc utilitas apparet in ſcriptis eorum, qui diſertè adeò de Philoſophiâ ſcripſerunt, idque ut meliores redderent cives, imprimis juventutem; quo nihil Reip. utilius, vel neceſſarium magis.*

Itaque Cicero propè initio lib. II. de Divinat. cùm dixiſſet, ſe in utroque elaboraſſe, ut & tam multa de philoſophia civibus ſcriberet & de eloquentiæ præceptis, (quorum utrumque, quanta præſtiterit facundia, nemo non videt) hanc mox operam ſuam verbis iſtis commendat: *Quod munus Reipub. afferre majus meliuſve poſſumus, quam ſi docemus atque erudimus juventutem? his præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrenanda atque coercenda ſit. Nec verò id effici poſſe confido, quod ne poſtulandum quidem eſt, ut omnes adoleſcentes ſe ad hæc ſtudia convertant: pauci utinam, quorum tamen in Rep. latè patere poterit induſtria.* Eaque illuſtri ſententia ſæpè me ſoleo in his laboribus, quibus jam annos tot publicè doctrinarum ſtudia profiteor, nec ſcribendo minùs prodeſſe cùm aliis ſtudeo, tum præcipuè juventuti. Ciceroni verò hac etiam parte non inutilem ſuam fuiſſe induſtriam, oſtendunt, quæ continuò ſubjungit: *Equidem ex iis etiam fructum capio laboris mei, qui jam ætate provecti, in noſtris libris acquieſcunt: quorum ſtudio legendi meum ſcribendi ſtudium vehementius indies excitatur: quos quidem plures, quàm rebar, eſſe cognovi.* Quod utrum de noſtra etiam XL ampliùs annorum opera dici mereatur, melius, ut arbitror, alii judicabunt. Mihi interim conſcientia ſatis amplum eſt theatrum. Ac ſi quid detractum per obtrectatores induſtriæ noſtræ & tam promptæ ad benè merendum voluntati, id Deus in cœlis abundè rependet.

§. 5. *Eſt verò duplex Eloquentia, Oratoria & Poëtica, ac utraque facultas eſt Philoſophiæ inſtrumentum: non quale Logica, quæ inſtrumentum eſt ad cognoſcendum, unde totius eſt Philoſophiæ organum; ſed ad agendum, eoque ſoli Philoſophiæ practicæ inſervit.*

Tum proſam eloquentiam ſive Rhetoricen, tum verſam ſive ligatam, quam Poëticam dicimus, ad intelligendas res naturales minimè requiri, ſatis arbitror apertum. Sed neque eâ ad res morales intelligendas opus eſt, cùm vir bonus eſſe poſſit, qui non ſit eloquens; nec Orator vel Poëta hoc agat, ut ipſe, ſed ut alius melior reddatur. Imò neque Philoſophiæ civilis ſunt inſtrumenta, ſi cognitionem Philoſophiæ ejus attendas, cùm ad eam intelligendam, nihil proſit, quod eloquens ſit: Sed proſit Logica, quam univerſale ad Philoſophiam intelligendam inſtrumentum eſſe dicebamus. Cicero Rhetoricam vocat Eloquentiæ partem libro 1. de Inventione: *Civilis rationis* (ſic πολιτικὴν vocat) *magna & ampla pars eſt artificioſa Eloquentia, quam Rhetoricam vocant. Nam neque cum iis ſentimus, qui civilem ſcientiam eloquentiâ non putant indigere, & ab iis, qui eam putant omnem rhetoris vi, & artificio contineri, magnopere diſſentimus. Quare hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam civilis ſcientiæ partem eſſe dicamus.* Idem in Bruto: *Qui eloquentiæ verò dat operam, dat prudentiæ; quâ ne maximis quidem in bellis æquo animo carere quiſquam poteſt.*

§. 6. *Vtroque hoc inſtrumento utitur vir civilis Remp. gubernans, quo civibus ſuis perſuadeat honeſta & utilia: ſed hoc diſcrimine, quòd per ſe utatur Oratoriâ, per alios Poëticâ.*

Ipſe enim in Curiâ perſuadet, quid utile ſit Reipubl. in foro item quid juſtum. Ac licet nihil impediat, quominus idem domi epos, vel drama condat, non tamen in ſcenâ hiſtrioniam exercet: contentus in Curiâ leges condere de poëtis & poëmatis admittendis, ſi mores corrigant; rejiciendis, ſi eos corrumpant. Alterum enim nec viro Principi, vel in dignitate conſtituto fuerit decorum, quum auctoritatem ejus, quâ in regundâ opus Repub. non leviter infringat.

§. 7. *Etſi verò utraque Eloquentia hunc in uſum eſt inventa; utraque tamen multi abutuntur ad damnum Reip. Quot enim Oratores nihil aliud fuêre, quàm ſeditionum flabella!*

Imò pauci admodum Oratores fuêre viri boni; quâ de re ſatis diximus lib. de Conſtit. Rhet. cap. 1.

§. 8. *Et quis ignorat, quàm poëtarum multi verſibus obſcenis corrumpant mores bonos.*

Quæ

Quæ cauſſa eſt, cur & Plato Poëtas è ſuâ ejiciat Republica.

§. 9. *Nec mirum, ſi ſic utrâque facultate abutantur: cùm ea ſit facultatum natura, ut perſuadere etiam poſſint contraria.*

Quemadmodum Alexander Aphrodiſienſis docet præfat. in 1. Top. Ariſtotelis.

§. 10. *Quemadmodum igitur robur & opes, res nobiliſſimas, non eo damnamus, quod magnam partem iis abuti homines ſoleant; ita nec ob abuſum iſtum reſpuenda eſt utraque facultas, ſed judicium de eâ ferendum, ex fine eo, propter quem utraque inventa.*

Is verò eſt docere recta & utilia: quemadmodum diximus. Atque eò ſpectarunt, qui definiere Oratorem, virum bonum, dicendi peritum. Ariſtoteles quoque in Poëta eò attendit, cùm in libro de re Poëtica definiret tragœdiam imitationem actionis illuſtris, quæ per miſericordiam & metum perturbationes purgaret.

§. 11. *Interim agnoſcimus, & alterum eſſe tum Oratoris, tum Poëtæ finem; puta delectationem. Sed, quem antea dicebamus, primarius eſt finis; hic ſecundarius: quia delectare & Orator & Poëta ſtudent, ut ſic ſalubria dicta in animos faciliùs deſcendant; quæ multi alioquin, ut auſtera nimis, ſæpiùs reſpuerent.*

Neque non vidiſſe hæc Platonem putandum, cùm idem ſic laudet Poëtas in Sympoſio. Quare cùm libris de Repub. eos damnat, de ſua eum Repub. quæ nec eſt, nec erit, loqui exiſtimandum. Præterea præcipuè Homerum culpat, qui magna operum ſuorum parte Deos ſuos fingit tanquam ſues. Utcunque enim intelligentiores ſciant ſub ἀλληγορίαις occultari myſteria naturæ, neſciunt tamen id animæ vulgares, quæ propterea fœdas & noxias de natura divina concipiunt opiniones. Atque hoc etiam Dionyſii Halicarnaſſei in Romanis antiquitatibus de Græcorum fabulis, quibus Romanam præfert Theologiam, judicium fuit. Atque hæc nunc ſufficiant de utriuſque Eloquentiæ natura ac conſtitutione. Scio, tam pauca eſſe, ut vix mereantur guſtûs nomen: ſed enim quod de Oratoriâ deeſt: id, ut arbitror, explere poterit liber de Naturâ ac conſtitutione Rhetoricæ, & quæ addidimus de temporibus antiquorum Rhetorum & Oratorum. Ac ſimiliter librum ſeorſim ſcripſimus de Naturâ & conſtitutione facultatis Poëticæ. Item duos de temporibus Poëtarum Græcorum & Latinorum. De amplis Oratoriarum inſtitutionum commentariis quæ ante annos XL. primùm prodierunt, nunc non eſt ſermo nobis. Uti neque de tribus Artis Poëticæ exinde quoque editis. Aliud enim eſt agere de Naturâ & conſtitutione Artis; aliud Artem ipſam tradere. De priori igitur opera nunc ſolùm loquor, quæ ad Oratoriam, vel Poëticam ipſam non aliter ſe habet, quàm προοίμιον in arte Muſica, vel promulſis ad cœnam rectam.

CAP. XXI.

DE CRITICE.

§. 1. *Etiam Critice partus eſt Philoſophiæ, ſed non ſolius, verùm etiam Philologiæ, atque adeò omnium diſciplinarum. Nam judicio utimur, ubicunque à Poëtâ, aliove ſcriptore peccatur, ſive in verba, ſive hiſtoriam aut fabulam, ſive rerum naturam, ſive prudentiam vel artem ſpectet.*

Atqui, ut ait Ariſtoteles, lib. 1. Nicom. cap. III. Ἕκαστος κρίνει καλῶς, ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής. Eoque, qui de omnibus velit judicare, (omnia autem vel tractat, vel tangit poëta) eum omnium habere notitiam neceſſe eſt. Minimè verò audiendi ſunt, qui Criticen propterea putant dominam eſſe ac reginam omnium ſcientiarum. Alii aliis plura ſcimus, nemo omnia: eoque non audiendi, qui hanc laudem tribuunt, tum Poëtis tum eorum interpretibus, Grammaticis, vel Criticis. Si quis omniſcius eſt, is Philoſophus eſt: eſt enim Philoſophia rerum divinarum humanarumque ſcientia, quantum homo naturæ lumine conſequi poteſt. Quod ſi philoſophiæ nomine laxiùs utimur, ut ſalutarem doctrinam comprehendat, quæ vera eſt, & ſacra philoſophia, jam nulla res fuerit, quin ejus notitia ad Philoſophum pertineat. Nec inficior, eundem antiquis temporibus fuiſſe & Philoſophum & Poëtam; at non propterea idem eſt, eſſe Poëtam ac Philoſophum, nam unus idemque ſapientiam ac prudentiam habuit, ut Philoſophus: quatenus autem Poëta, fabulæ involucrum habuit, & metrum, ac ſpiritum poëticum, quo animat dictionem. Magna quidem ſunt, nec cuivis conceſſa, quæ Poëta habet à ſe ipſo: at non propterea omnia habet à ſe ipſo: quod tam temerè adſcribunt Poëticæ, quàm Criticæ temerè tribuunt rerum omnium politiam.

§. 2. *Finis Critices eſt veram cognoſcere veterum mentem. Quod non fit, ſi vel tituli falſum ementiantur auctorem, vel malâ manu quadam fuerint inſerta, vel immutata.*

Cujuſmodi libris ſi fidamus, aliter eſſe nequit, quin errorem pro veritate amplectamur, Ixionis ſimiles, qui nubem amplexus pro Junone.

§. 3. *Critices officium in duobus conſiſtit. Prius eſt in ſpuriis ſcriptis aut verſibus dignoſcendis à genuinis.*

De hoc & cæteris Critici officiis egregia multa Diomedes Scholaſticus in grammaticam Dionyſii Thracis, quem conſule.

§. 4. *Alterum Critices munus eſt emendare ea, quæ librarii & longa ætas corruperunt.*

Siquidem dum librorum alii ex aliis, & ex his iterum alii atque alii exſcribuntur, fieri aliter vix potuit, quin in illâ librariorum inſcitiâ atque audaciâ, magis magiſque corrumperentur veteres ſcriptores: imò in tantum quidem, ut multi ſi reviviſcerent, vix ſeſe ſint agnituri.

Tantùm ævi longinqua valet mutare vetuſtas.

§. 5. *Ex eo quod de fine officioque Critici diximus, videmus non injuriâ ſtudium hoc magno ſemper in pretio fuiſſe apud Græcos pariter & Romanos.*

Inter Græcos præcipua eſt Ariſtarchi gloria, de quo nota non perſequar. Cognitum etiam, quid de Ennii libro emendato à Lampadione referat Agellius. Audiamus quoque B. Hieronymum: *Habeant, qui volent, veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque deſcriptos, vel uncialibus, ut vulgo ajunt, literis, onera magis exarata, quàm codices: dummodo mihi meiſque permittant, pauperes habere ſchedulas, & non tam pulchros codices, quàm emendatos.* Caſſidori quoque ſunt, ex Senatore Abbatis Ravennatenſis: *Iſtud genus emendationis, ut arbitror, valde pulcherrimum eſt, & doctiſſimorum hominum negotium glorioſum.*

§. 6. *Neque hoc ſtudium ſolùm utile eſt in emendandis Poëtis, Oratoribus, Hiſtoricis, aut Philoſophis, ſed etiam Medicis, Iuriſconſultis, & Theologis antiquis.*

Ex

Ex medicis ſic inter alia Galenus, *βραχείαις τέ τισιν, ἢ προσθέσεσιν, ἢ ὑπαλλάξεσιν διαλύσασθαι τὰς ἀπορίας, ἀγαθῶν ἐξηγητῶν ἐστιν ἔργον. Bonorum interpretum eſt, brevibus quibuſdam additionibus vel immutationibus ſolvere dubia obſcuraque.* Et crebrò ſanè in eos, qui *κρίσιν* hanc diſpretui habent, invehitur. De Juriſconſultis argumento eſt, quòd contentione inter Bartolum & Baldum ortâ, conventum ſit ut Piſis conſulerentur Pandectæ, illæ quæ nunc Florentiæ adſervantur. De ſacris fidem ſecerit B. Irenæus, qui libris *περὶ ὀγδοάδος*, Euſebio & Hieronymo teſtibus, hanc obteſtationem conjecit: *Ὁρκίζω σε τὸν μεταγραψάμενον τὸ βιβλίον τοῦτο, κατὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ κατὰ τῆς ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ, ἧς ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἵνα ἀντιβάλλῃς ὃ μετεγράψω, καὶ κατορθώσῃς πρὸς τὸ ἀντίγραφον τοῦτο, ὅθεν μετεγράψω ἐπιμελῶς. καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς, καὶ θήσῃς ἐν τῷ ἀντιγράφῳ. Adjuro te, quiſquis librum hunc deſcripturus es per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & glorioſum illius adventum, quò venturus eſt ad judicandum vivos, & mortuos, ut quod deſcripſiſti, conferas, & ad exemplum hoc, unde deſcripſiſti, diligenter corrigas: adjurationemque hanc ſimiliter deſcribas, & deſcripto exemplo inſeras.* Quale de hoc facto Irenæi judicium fuerit Euſebii, hæc ejus verba oſtendunt: *Ὠφελίμως πρὸς ἐκείνου λελέχθω, ὑφ᾽ ἡμῶν τε ἱστορείσθω, ὡς ἂν ἔχοιμεν ἄριστον σπουδαιοτάτης ἐπιμελείας τοὺς ἀρχαίους ἐκείνους καὶ ὄντως ἱεροὺς ἄνδρας ὑπόδειγμα. Vtiliter ab illo dicta, & à nobis commemorata ſunt, ut priſcos illos, ac verè ſacros viros, velut optimum quoddam ſtudioſiſſimæ diligentiæ exemplum habeamus.*

§. 7. *Magni igitur refert utrum libris utamur emendatis, an corruptis. Quod innumeris comprobari exemplis poſſit.*

Tale illud in vitâ S. Antonii M. ab Athanaſio ſcriptâ, & ab Euagrio presbytero verſâ. Latinè erat; *Aſſerebant cunctis piſcium ſalſorum & taricborum in navi poſitorum hunc eſſe putorem.* ubi Surius & antiquæ editt. reponunt *piſcium ſalſorum & caricarum.* atqui Græcè eſt *τεμάχων*, quod eſt *Salſamentorum.* Quantum ab iis diſtant Caricæ, genus ficuum! Talia ſi enumerare parem, ſimilis illi ſim qui referre volet (ut cum Catullo loquar)

Quam magnus numerus Libyſſæ arenæ
Laſerpiciferis jacet Cyrenis
Oraclum Iovis inter æſtuoſi
Et Batti veteris ſacrum ſepulcrum.

Verè igitur Lipſius in Diſpunctione Notarum Codicis Mirandulani ad Tacitum: *Legitimi Critici, mihi crede, ſol & ſal ſunt literarum. Neque mel ideo inſuave, quia ægris ſic videtur; nec iſti inutiles, quia vobis aliquot parum ſanis. Sicut bonus architectus, & novas domos parat, & veteres reparat, utrumque cum laude: ſimile literator.* Literatori tribuit, quod nos ſublimioris eſſe ſcientiæ ſtatuimus. Interea literati hominis ſive Philologi vel *πολυμαθοῦς* hic maximas eſſe partes, penè extra controverſiam ponimus.

§. 8. *Cavendum interim in Criſi, ne vel putidos Pædagogos, vel etiam ventoſos illos Criticos ſectemur, quibus nihil jucundius quàm ſatyrico ſale veteres pariter ac juniores defricare, ac dum nunc librariorum, nunc criticorum priorum errores oſtendere volunt, potius oſtendunt ſuos.*

Quod nulli magis faciunt, quàm qui verborum foliis contenti, Philoſophiam & principes facultates neglexerunt, atque interea (ne nihil ignorare videantur) gaudent non pauca adſpergere ex diſciplinis quas penitùs ignorant; ea magno cum apparatu poſtridie docentes, quæ pingui Minerva pridie didicerant.

CAP. XXII.

DE DIVINATIONE.

§. 1. *Hactenus de Philoſophiâ, & ejus ſtolonibus. Supereſt doctrina inſpirata, ſive homini à naturâ incorporeâ revelata. Hujuſmodi ſunt Divinatio, & Theologia.*

Divinatio Græcis dicitur *μαντεία* vel *μαντική*: nempe, ut volunt à *μανία*, quia cauſſa ſit externa incorporeaque, ac ut gentes putarunt, divina; quo nomine etiam dæmones complectebantur. Itaque in definitionibus, quæ Platoni adſcribuntur, *μαντεία* dicitur eſſe *ἐπιστήμη προδηλωτικὴ πράξεως ἄνευ ἀποδείξεως. ſcientia præſignificatrix rei alicujus abſque ratione id demonſtrante.* Ubi ratio excluditur, quia divinatio naturalis, qualis eſt in Prognoſticis, principia ac cauſſas habet in natura, eoque ad ſcientiam naturalem pertinet. Non alia igitur Divinatio eſt hujus loci, quàm quæ tota, vel ex parte captum humanæ mentis excedit.

§. 2. *Divinatio vel planè eſt divina: ut illa, quæ à Deo inſpiratur; cujus generis compluria in Scripturis exempla habemus: vel ſi non tota, ex parte ſaltem nititur commercio atque revelatione dæmonum: vel ut nullum appareat, cum malo ſpiritu commercium, tamen vana eſt ac ſuperſtitioſa, eoque Deo exoſa. De verâ divinaque nunc non loquemur, ſed ſolùm de dæmoniacâ, vel ſaltem ſuperſtitioſâ. Eſtque hæc trium generum. Prima divinat ex naturalibus inanimis, ac maximè cælo; ut ex Eclipſi. Vnde quàm fallax ſumatur argumentum ex Pericle & Niciâ cognoſcitur.*

Nam cùm multorum eſſe opinio ob Solis defectum eſſe iter differendum, Pericles eo contemto profectus infelicem habuit navigationem. Nicias verò cùm propter Lunæ defectum pugnam diſtuliſſet, ea mora cauſſa fuit miſerabilis ac turpis cladis, qua ipſe unà cum exercitu eſt interfectus.

§. 3. *Ad cælum refer quoque aëra. Quo pertinet divinatio ex fulmine ac tonitru.*

E. G. ſi ad lævum tonuiſſet, aut impari numero, felix augurium erat: ſi ſereno cælo tonuiſſet, aut ſi caſtra vel ædes factæ tangerentur de cælo, infortunatum cenſebatur.

§. 4. *Alterum divinationis genus erat ex animantibus. Ac primum ex avibus: quod augures imprimis attendebant.*

Imò, Servio teſte, Augur dictus quaſi Aviger; quòd attenderet quid avis gereret, hoc eſt faceret. Trifariam verò ex avibus ſigna colligebant: ex cantu oſcinum, quæ ſic dictæ, quia ore canerent: ex volatu præpetum, quæ ita vocatæ, quia anteriora ſemper petant: ex pullorum tripudio, quod ita nominarunt quaſi terripavium, quia quod cibi ex ore pulli deciſiſſet, id terram paviret, hoc eſt, feriret. Vide Hotomannum lib. IV. Obſervat. Juris cap. XI.

§. 5. *Huc pertinet ἀλεκτρυομαντεία, cùm divinatio fit ex gallo gallinaceo.*

Alectryomantiæ exemplum habemus apud Zonaram. Narrat, ut imperante Valente Cæſare Libanius Sophiſta & Jamblichus inquiſierint, quis Valenti eſſet ſucceſſurus in imperio. Viginti quatuor literas inſcripſere pulveri. Unicuique literæ ſuperpoſuere tritici vel hordei granum. Hinc dimiſſus eſt gallus gallinaceus. Tum Libanius & Jamblichus carmina quædam recitare, & attendere, quæ grana comederet gallus. Primum comedit ex Θ, tum ex

ex E, inde ex O, hinc ex Δ. Itaque collectum inde regnaturum, cujus nomen inciperet ab ΘΕΟΔ. Sed incertum remanſit, utrum nomen foret Theodorus, an Theodotus, an Theodoſius. Ubi ad Valentis hoc aures pervenit, multos ſuſtulit, quorum nomen ab his literis inciperet. Jamblichus, cùm ſibi à Valente formidaret, venenum hauſit.

§. 6. *Proximus in animalibus erat locus quadrupedium, ex quibus erat aruſpicum judicare.*

Aruſpicinæ inventor Tages. Hinc Aruns apud Lucanum lib. I.

—— Di viſa ſecundent
Et fibris ſit nulla fides; ſed conditor artis
Finxerat iſta Tages ——

Etiam divinatio fiebat, ex quadrupedum occurſu. Ita inauſpicatum erat, ſi lupus in caſtris, vel urbe conſpiceretur, & incolumis evaderet. Item ſi in domum introiret ater alienus canis; quemadmodum apud Terentium eſt in Phormione. At felix erat indicium, ſi cerva lupum evaderet: item ſi lupus ad dextram prætercurriſſet hianti ore. Etiam ex hinnitu equorum divinabant. Unde veteres Germani præſagia obſervabant; ut narrat Tacitus. Sed præcipuè huc pertinebat, ſiquid in animantibus contigiſſet præter naturæ ordinem, ut ſi bos locuta eſſet, aut ſi mula gemellos peperiſſet.

§. 7. *Tertium genus animantium ipſi homines: ex quorum occurſu etiam divinabant.*

Ita infelix erat, ſi Æthiops occurreret, aut mulier inter ambulandum rotans fuſos.

§. 8. *Item ex dicto, factove.*

Ita infortunatum cenſebant, ſi in convivio incendium nominaretur. Item ſi ſubitum eſſet in convivio ſilentium; aut ſi, bibente aliquo, menſa tolleretur. Felix contrà, ſi caſu aliquid vini effuſum eſſet in veſtes.

§. 9. *Adhæc ex ſternutatione, auris tinnitu, & membri alicujus palpitatione. Quæ tres ſunt partes artis κληδονισικῆς.*

Prima verſatur circa πταρμὸν ſive ſternutationem. Catullus de Acme:

—— Amor ſiniſtra, ut ante,
Dextrâ ſternuit approbatione.

Propertius lib. II. eleg. III.

Aridus argutum ſternuit omen Amor.

Similiter Theocritus in Thalyſiis, & Helenes epithalamio: imò & Homerus Odyſſ. XIV. ubi Euſtathium vide: ut & in VII. Iliad. De tinnitu auris eſt apud Plinium. Item in veteri epigrammate:

Garrula quid totis reſonas mihi noctibus, auris?
Neſcio quem dicis nunc meminiſſe mei.

Tertium eſt παλμὸς, ſive ſaliſſatio. De quâ Theocritus:

ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός. ἆρά γ' ἰδησῶ
αὐτάν. ——

Plautus Pſeud. act. I. ſc. I:

Spero, alicunde hodie me bonâ operâ, aut hac meâ,
Tibi inventurum eſſe auxilium argentarium.
Atque id futurum unde unde dicam, neſcio;
Niſi quia futurum eſt; ita ſupercilium ſalit.

Iſidorus Originum lib. VIII. cap. IX. *Saliſſatores vocati ſunt, quia dum eis membrorum quæcunque partes ſalierint, aliquid ſibi exinde proſperum ſeu triſte prædicunt.* Ac eâdem mente deſcribit Joannes Sareſberienſis Policratici lib. I. cap. XII. Qui & ſic nominat lib. II. cap. XXVII. Cœlius Rhodiginus lib. VII. cap. XXIX. vocat *ſalisatores*. Ac ſimiliter Ludovicus Vives. Muretus lib. IX. Var. Lect. cap. VI. ex Auguſtino de Natura Dæmonum *ſalitares* pro eo *ſalitores* citat. Sed etiam in Gloſſis Philoxeni eſt, *Saliſſatio*, παλμός. Inque tribus Iſidori codd. noſtris MSſis conſtanter eſt *ſaliſatores*, veteri edit. Ven. CIϽ CCCC LXXXIII.

Ex Suida diſcimus, Poſidonium ſcripſiſſe Παλμικὰ, quibus exponebat, quid ſubitus membri cujuſque motus indicaret: Imò hodieque exſtat Melampodis Hierogrammatei, περὶ παλμῶν μαντική, πρὸς Πτολεμαῖον μαντικὴ.

§. 10. *Sed imprimis ex ſomniis divinabant. De quo Onirocritice.*

Ὀνειροκριτικὰ ante Artemidorum ſcripſerat Apollonius ὁ Ἀτταλεὺς, Artemidoro memoratus lib. I. cap. XXXIV. & lib. III. cap. XXVIII. Multos qui de Divinatione ſcripſere Tertullianus commemorat lib. de Anima, cap. XLVI. *Artemon, Antiphon, Strato, Philochorus, Epicharmus, Serapion, Cratippus, Dionyſius Rhodius, Hermippus, tota ſeculi literatura.* Præcipui verò Epicharmus & Philochorus: unde mox ſubdit: *Ceterum Epicharmus etiam ſummum apicem inter divinationes ſomniis extulit cum Philochoro Athenienſi.* Hermippum Berytenſem quinque de Somniis libros ſcripſiſſe, ibidem legas. De Somniorum denique interpretatione ſcripſit etiam Fulgentius, de quo nos de Hiſtoricis Græcis lib. III. pag. 413. in *Serapio*.

§. 11. *Ex iis quæ temerè eveniunt: quò refer Sortes. unde Sortilegi.*

Inter ſortes laudatæ præcipuè Prænestinæ.

§. 12. *Tertium μαντικῆς genus eſt ex rebus artificialibus. Huc pertinet λεκανομαντεία, divinatio è pelvi; κοσκινομαντεία, è cribro; ἀξινομαντεία, è ſecuri vel dolabra; γαστρομαντεία, è phialis, κατοπτρομαντική, quæ & κρυσταλλομαντικὴ è ſpeculis; δακτυλομαντεία ex annulis, κλειδομαντεία è clavibus; ἀλευρομαντεία, è farinâ.*

Quæ & ἀλφιτομαντεία. Perperam enim doctiſſimus Politianus in Panepiſtemone pro diverſis habet, cùm ἄλευρον & ἄλφιτον idem ſignent. Sunt verò & alia μαντικῆς genera, ſed tam vanis inſiſtere piget. Quare, cui tanti iſta, adeat potiùs Camerarium, Peucerum, Raguſejum; qui eruditè de Divinatione ſcripſerunt. Refutat eandem Jo. Sareſberienſis lib. I. & II. Policratici. Habes & de divinatione judicium Camilli Franchini epiſtola ad Eraſtum centuria epiſtolarum edita à Goldaſto *. Sed longum ſit omnes perſequi. * P. 263.

CAP. XXIII.

DE THEOLOGIA.

§. 1. *De Divinatione ſatis. Reſtat ſapientia divina: quæ dicitur Theologia. Hoc nomine nunc intelligitur non illa naturalis, quæ pars eſt Philoſophia, ac è lumine eſt naturali, & ratione humanâ; ſed rerum divinarum ſapientia, ex principiis divinitus inditis Spiritus S. lumine procedens in rerum divinarum cognitione.*

Unde ejus cognitio nunc ab ortu, *ſupernaturalis*; nunc à divinæ communicationis modo, *inſpirata* aut *revelata* dicitur. Hac una enim excepta, omnis doctrina lumine naturæ cognoſcitur, unde gentium æquè eſt, ac fidelium. Quæ cauſſa eſt, cur dicantur τῆ ἔξωθεν ἐπιστήμη, vel etiam τῆ θύραθεν. Ut apud Nicetam Paphlagonem in vita B. Ignatii Patriarchæ, ubi Photius Patriarcha peritiſſimus fuiſſe dicitur γραμματικῆς καὶ ποιήσεως, ῥητορικῆς τε καὶ φιλοσοφίας, ναὶ δὴ καὶ ἰατρικῆς, καὶ πάσης, ὀλίγου δεῖν, ἐπιστήμης τῆ θύραθεν. *literaturæ & Poeſios, Rhetorices & Philoſophiæ, quin & Medicinæ & propè omnis diſciplinæ externæ.*

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. *Quemadmodum autem à literis & Matheſi ad Philoſophiam, ita à Philoſophiâ ad veram ſapientiam quaſi gradibus quibuſdam pervenitur.*

Unde Philo, libro περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου verè ait: Ὥσπερ ἐγκύκλιος συμβάλλεται πρὸς φιλοσοφίας ἀνάληψιν· οὕτω καὶ φιλοσοφία πρὸς σοφίας κτῆσιν. ἔστι γὰρ φιλοσοφία ἐπιτήδευσις σοφίας· Σοφία δὲ ἐπιστήμη θείων καὶ ἀνθρωπίνων, καὶ τῶν τούτων αἰτίων. *Sicuti liberales artes conferunt ad quærendam philoſophiam, ita philoſophia ad quærendam ſapientiam. Eſt enim philoſophia meditatio ſapientiæ: ſapientia verò eſt ſcientia rerum divinarum atque humanarum, unà cum cauſis earum.* Ubi trium iſtorum, ἐγκυκλίων, φιλοσοφίας, καὶ σοφίας uſum videmus. Eadem conjungit Clemens Alex. lib. I. Στρωμ. Καὶ σὺ τοῦ θριγκοῦ ὑπεροχυρώσας τὴν σοφίαν διὰ φιλοσοφίας καὶ πολυτελείας ὀρθῆς, ἀνεπίβατον τοῖς σοφισταῖς τηρήσεις. *Et tu ſi ſapientiam ſepto Philoſophiæ & variæ eruditionis munieris, à Sophiſticâ inacceſſam ſervabis.* Cur autem πολυμάθειαν & φιλοσοφίαν ſeptum Sapientiæ ſive cæleſtis doctrinæ vocent, oſtendit ibidem his verbis: αὐτοτελὴς μὲν οὖν καὶ ἀπροσδεὴς ἡ κατὰ τὸν Σωτῆρα διδασκαλία, δύναμις οὖσα καὶ σοφία τοῦ Θεοῦ. προσιοῦσα δὲ φιλοσοφία ἡ Ἑλληνικὴ, οὐ δυνατωτέραν ποιεῖ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἀδύνατον παρέχουσα τὴν κατ' αὐτῆς σοφιστικὴν ἐπιχείρησιν, καὶ διακρουομένη τὰς δολερὰς κατὰ τῆς ἀληθείας ἐπιβουλὰς, φραγμὸς οἰκεῖος εἴρηται καὶ θριγκὸς εἶναι τοῦ ἀμπελῶνος. *Etſi ipſa ſibi ſufficit, nec opis alienæ eget doctrina Servatoris, cùm ſit potentia & ſapientia ipſius Dei: tamen Græcanica Philoſophia ſi acceſſit, non quidem validiorem facit veritatem, ſed Sophiſticos inſultus ab eâ amolitur, & inſidias omnes avertens ſepes & lorica eſt Dominicæ vineæ.*

§. 4. *Nec propterea ſtudium hoc poſtremò diſcendum, ſed omni huic vitâ vacandum: elementa verò etiam ex omni liberalium artium ac Philoſophiæ ſtudio præmitti debent.*

Ita B. Martyr Leonidas Origenem filium ſuum (ut eſt apud Euſebium Hiſtor. Eccl. lib. VI. cap. V.) πρὸ τῆς τῶν Ἑλληνικῶν μαθημάτων μελέτης, ἐνῆγε τοῖς ἱεροῖς ἐνασκεῖσθαι παιδεύμασιν, ἐκμαθήσεις καὶ ἀπαγγελίας ἡμέρας ἑκάστης αὐτὸν εἰσπραττόμενος. Sententiam ſic expreſſit Chryſtophorſonus: *Ante liberalium artium & politioris doctrinæ ſtudium, eum ſacris literis inſtituendum, exercendumque tradidit: ac ſententias aliquot, quas ei cùm ad verbum ediſcendas, tum memoriter eorum ipſe recitandas præſcripſerat, ab illo in dies ſingulos exegit.*

§. 5. *Hæc Sapientia verè ſacra continetur verbo & Oraculis Dei, ac rationi humanæ adverſatur, quoties in naturalibus judicium ferre vult de iis, quæ lumine naturæ cognoſci non poſſunt.*

Unde Saram videmus ridere, quòd Abraham credidit. Nempe in Sarâ eſt typus rationis humanæ: in Abrahamo autem Symbolum eſt victoriæ, quam fides reportat.

§. 6. *Theologiæ hujus objectum eſt religio Chriſtiana, uti religionis noſtræ Deus & Chriſtus.*

Cùm enim Theologia noſtra non ſpeculativa ſit, uti fortaſſe naturalis; ſed activa: non primò, & ἀμέσως verſatur circa Deum, ſed circa officium noſtrum in quo religio conſiſtit. Officii verò ac religionis objectum eſt Deus & Chriſtus: Deus per ſe, & primariò; Chriſtus ſubordinatè, quatenus eſt Mediator inter Deum & homines conſtitutus.

§. 7. *Fundamentum eſt hiſtoria ſacra, quæ nos præparat ad fidem, atque eandem ſtabilit & firmat.*

Nempe, uti Hiſtoria eſt triplex, naturalis, civilis, & divina: quarum quæque ad ſcientiam ſtruit viam: ita triplex etiam eſt ſcientia, una naturæ, altera prudentiæ, tertia pietatis. Atque in his tribus perfecta hominis ſapientia conſiſtit. Sed tertia illa, ut ajebam, divinæ eſt revelationis: de quâ iccirco poſtremò agimus: priores duæ ſunt rationis humanæ opus, & philoſophiæ nomine continentur.

§. 8. *Partes religionis, ac proinde etiam Theologiæ noſtræ ſunt duæ: una de fide erga Deum & Chriſtum, altera de cultu Dei & Chriſti.*

Quod ita eſſe facilè patebit, ſi quis ſumma religionis capita curſim conſideret: Nam quæ de Deo credimus, ea reſpiciunt naturam, actiones, & voluntatem. In *natura* ſpectamus tum eſſentiam ſimplicem, infinitam, omnipotentem, & cæt. tum diſtinctionem illam, Patris, Filii, & Spiritus S. *Actiones* Dei ſunt creatio, & quæ exercet in creaturas, vel per creaturas. *Voluntas* conſideratur, tum quatenus univerſaliter reſpicit creata omnia; tum prout communiter expoſita eſt generi humano; tum quà ſingulariter docetur in Eccleſiâ. In Chriſto ſpectantur perſona & officium. In perſonâ concurrunt natura divina, humanaque, unitas perſonæ, & communio proprietatum. In officio attenditur humiliatio, quâ mortuus eſt, & glorificatio, quâ eſt efficax. Hæc de priori parte. *Cultus* & obſervantiæ norma eſt lex divina, cujus ſumma eſt decalogus. Pœna negligentiæ, eſt mors æterna: præmium cultus, vita æterna. Ad quam conſequendam mihi & tibi, quiſquis iſta legis, gratiam à Deo & Chriſto exopto; meque pariter tuis precibus commendo.

FINIS.

NOMINA

Eorum, qui aut Sectas condidere, aut Sectarum Conditoribus ſucceſſere.

I.

Secta Ionica fuerunt.

Thales Mileſius
Anaximander Mileſius
Anaximenes
Anaxagoras Clazomenius
Archelaus Athenienſis.

II.

Secta Italica.

Pythagoras Samius
Hippodamus Thurius
Euryphamus
Hipparchus
Archytas
Theagis
Metopus
Clinias
Crito
Polus
Lyſides
Theano uxor Pythagoræ.

III.

Secta Eleatica.

Xenophanes Colophonius
Parmenides
Meliſſus
Zeno Eleates
Leucippus
Democritus Abderites
Protagoras.

IV.

Secta Epicurea.

Epicurus
Mus
Zeno Epicureus
Lucretius
Caſſius
Petronius.

V.

Secta Cyrenaica fuerunt.

Ariſtippus
Arete filia Ariſtippi
Ariſtippus μητροδίδακτος
Theodorus Ἄθεος } ſuæ ſectæ auctores.
Hegeſias }
Anniceris }
Ptolemæus Æthiops
Antipater Cyrenæus
Epitimedes
Paræbates.

VI.

Secta Eliaca.

Phædo Elienſis
Pliſtanus Elienſis
Menedemus Eretricus.

VII.

Secta Megarica.

Euclides Megaricus
Eubulides Mileſius
Alexinus Elienſis
Apollonius ὁ Κρόνος
Diodorus ὁ Κρόνος
Clitomachus Thurius
Stilpo Megarenſis.

VIII.

Academia Veteris.

Plato Athenienſis
Speuſippus
Xenocrates Chalcedonius
Polemo Athenienſis
Crates Athenienſis
Crantor Solenſis.
ac poſtea,
Proclus ὁ Διάδοχος.

IX.

Academia Secunda.

Arceſilas
Lacydes
Telecles
Euander
Hegeſippus Pergamenus.

X.

Academia Tertia.

Carneades Cyrenæus
Clitomachus Carthaginenſis.

XI.

Peripatetici.

Ariſtoteles
Theophraſtus Ereſius: hunc audivere
{ Strato Lampſacenus
{ Demetrius Phalereus.
Lyco Troadenſis
Ariſto Ceius
Critolaus Phaſelites
Diodorus
Neleus.
ac qui ſequuntur Interpretes,
Alexander
Themiſtius
Simplicius
Proclus
Olympiodorus
Ammonius
Philoponus.

XII.

Academia Quarta.

Philo ac Charmidas Clitomachi Carthaginenſis diſcipuli.

XIII.

Platonici juniores.

Philo Judæus
Plotinus
Porphyrius
Alcinous
Apulejus
Chalcidius
Jamblichus
Proclus
Beſſario Cardinalis
Gemiſthus Metho
Marſilius Ficinus.

XIV.

Academia Quinta.

Antiochus Philonis auditor.

XV.

Cynici.

Antiſthenes
Diogenes Sinopenſis
Monimus Syracuſanus
Oneſicritus Æginenſis
Crates Thebanus
Menippus
Demetrius Cynicus
Hipparchia, &c.

XVI.

Stoici.

Zeno Citticus
Cleanthes Aſſius
Chryſippus
Diogenes Babylonius
Antipater
Poſidonius
Panætius.
Sequuti præterea ex Romanis
Tubero
Cato
Varro
Thraſeas Pætus
Helvidius Priſcus
Rub. Plautus
Imp. Antoninus
Pantænus Alexandrinus.

XVII.

Pyrrhonii.

Pyrrho
Timo.

XVIII.

Secta Potamonica.

Potamo.
Hunc ſequuti
Sotio
Ammonius Plutarchi magiſter
Plotinus
Clemens Alexandrinus
Greg. Taumaturgus
Origenes.

GERAR-

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII DE PHILOSOPHORUM SECTIS LIBER.

Caput I.

DE DIVISIONE PHILOSOPHIÆ &c. ET PRIMUM DE BARBARICA QUÆ IN ASIA.

§. 1. *Philoſophia eſt duplex, Barbarica, & Græcanica. Antiquior harum Barbarica: ut optimi quique Græcorum ingenui agnoverunt.*

Ut proditum ab auctore libri, qui Μαγικὸν inſcribebatur, qui nonnullis Antiſthenes, aliis Rhodo, aliis Ariſtoteles ipſe, ut ait Suidas. Ariſtoteli tribuit Plinius lib. xxx. cap. 1. Item Laërtius in præf. Ubi hoc ipſum de antiquitate Barbaricæ Philoſophiæ proditum ait à Sotione lib. xxii. τῆς διαδοχῆς ſive *ſucceſſionis*, & Hermodoro Platonico lib. de Diſciplinis. Sed perperam ab iis Laërtius ipſe diſſentit. Quod pluribus oſtendunt è noſtris Juſtinus Martyr, Tatianus Aſſyrius, Clemens Alexandrinus, Theophilus, Euſebius, Athanaſius, Theodoretus, alii.

§. 2. *Barbarica Philoſophia eſt ea, quæ extra Italiam & Græciam reſplenduit.*

Clemens lib. 1 Στρωμ. Φιλοσοφία τοίνυν πολυωφελής τι χρῆμα, πάλαι μὲν ἤκμασε παρὰ βαρβάροις, κατὰ τὰ ἔθνη διαλάμψασα, ὕστερον δὲ καὶ εἰς Ἕλληνας κατῆλθεν· *Philoſophia, res variè utilis, olim quidem viguit apud Barbaros, nationatim reſplendens, poſtea verò ad Græcos etiam venit.* Ubi illud κατὰ ἔθνη ſive *nationatim* ait, quia Brachmanes in natione Indorum, Gymnoſophiſtæ in natione Æthiopum, Druidæ Gallorum, atque ita in aliis. De variis hiſce nationibus ita Auguſtinus lib. viii de Civit. Dei cap. ix. poſtquam de Jonicis & Italicis dixerat philoſophis: *Sive aliarum quoque gentium, qui ſapientes, vel philoſophi habiti ſunt, Atlantici, Libyci, Ægyptii, Indi, Perſæ, Chaldæi, Scythæ, Galli, Hiſpani, aliique reperiuntur.*

§. 3. *Babylonios & Aſſyrios Chaldæi philoſophiam docuere.*

Ut auctor Ariſtoteles ἐν τῷ μαγικῷ, & Sotion in libris τῆς διαδοχῆς, teſte Laërtio.

§. 4. *Suntque Chaldæi antiquiſſimum Doctorum genus.*

Ut Cic. ait lib. 1. de Divinat.

§. 5. *Plurimùm verò aſtrologiam tractabant;*

Ut ait Strabo lib. xii & xv. Itaque Alexandro Babylonem ingreſſo, aliis aliter ſtudium probantibus, Chaldæi (ut Curtius ait lib. v.) *ſiderum motus, & ſtatas vices temporum oſtendere.*

§. 6. *Nec una Chaldæorum ſecta, ſed multiplex. Alii enim Orcheni, alii Borſippeni, aliiſque nominibus diſtincti: qui, ut in ſectis fit, iiſdem de rebus aliter atque aliter ſtatuunt.* Orchoë Chaldææ; Borſippe Babyloniæ.

Quâ de re, præter alios, idem Strabo libro xvi. Hinc Lucretius lib. v.

Ut Babylonica Chaldæam doctrina refutans
Aſtrologorum artem contra convincere tendit.

Nempe ſecta quædam Babyloniorum erat Philoſophorum, quæ ex natalibus hominum eventura iis ſe prædicere profiteretur; ſed à cæteris non probabatur: ut clarè ait Strabo.

§. 7. *Sive autem Abrahamus patriarcha à Chaldæis aſtrologiam hauſerit, ſive potius eam ab Abrahamo Chaldæi acceperint, per Abrahamum quidem hæc diſciplina devenit primùm ad Palæſtinos, ſive Cananæos, poſtea etiam ad Ægyptios.*

Abrahamum ex Ur Chaldæorum in Palæſtinam eſſe profectum, ſatis è ſcripturis conſtat. Fuiſſe autem Aſtrologiæ gnarum, etiam Beroſus indicat his verbis: Μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν, δεκάτῃ γενεᾷ, παρὰ Χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνὴρ μέγας, καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος. *Poſt diluvium autem decimâ ætate apud Chaldæos erat quidam juſtitiæ cultor, vir magnus, & ſideralis ſcientiæ peritus.* Citat Joſephus Antiquit. Jud. lib. 1. cap. vii. atque Abrahamum ſignari addit, qui decimus eſt à Noacho. Atque id confirmat, quòd Abrahamum hunc Eupolemus apud Euſebium ait, καὶ τὴν ἀστρολογίαν καὶ Χαλδαϊκὴν εὑρεῖν· *& aſtrologiam, & Chaldaicam divinandi artem inveniſſe.* Quæ luculenta eſt confeſſio hominis gentilis. Satis etiam eſt credibile Chananæos, & in his Phœnices ex advenâ Abrahamo didiciſſe multa ad rerum naturam pertinentia. Porro notum quoque ut fame Chananæam premente profectus ſit in Ægyptum: ubi Saram dixit ſororem ſuam: eaque abuſus eſſet rex, niſi divinitùs eſſet commonitus. Edoctus quis vir Abraham eſſet (ut Joſephus lib. 1. Ant. cap. viii. narrat) poteſtatem ei fecit converſandi cum Ægyptiorum præſtantiſſimis ac doctiſſimis. Tum Abraham τήν τε ἀριθμητικὴν αὐτοῖς χαρίζεται, καὶ τὰ περὶ ἀστρονομίαν παραδίδωσι· πρὸ γὰρ τῆς Ἀβράμου παρουσίας εἰς Αἴγυπτον, οἱ Αἰγύπτιοι εἶχον ἀμαθῶς· ἐκ Χαλδαίων γὰρ ταῦτ᾽ ἐπεφοίτησεν εἰς Αἴγυπτον, ὅθεν ἀνῆλθεν καὶ εἰς τοὺς Ἕλληνας. *Numerorum ſcientiam & ſiderum benignè illis communicavit: nam ante Abrahami ad ſe adventum Ægyptii ignorabant has diſciplinas: à Chaldæis enim profectæ ad Ægyptios, inde ad Græcos devenerunt.*

§. 8. *Iudæorum philoſophia, quam ab Abrahamo hauſere, erat bipartita. Partim enim erat naturalis, cujus*

pars

pars Aſtrologiæ: partim divina, ſive de Deo & ejus operibus ac voluntate.

Poſteriores Iudæi philoſophiam ſuam dixere à קבל *recipere*: quia divinitus accepta. Hanc diviſere in בראשית Bereſith: & מרכבה Mercaciæ. Prior eſt de corporibus cœleſtibus ac elementalibus; inque eâ excelluit Salomon, ut alibi ex ſcripturis dicimus. Altera de Deo, ejuſque cultu. Cabalæ hujus admirator fuit Ioannes Picus Mirandulanus, qui gloriatur ſe de eâ LXX libros emiſſe ingenti pretio, inque iis reperiſſe religionem traditam à Moſe & Chriſto; item myſterium Trinitatis, divinitatem Chriſti, humanæ naturæ aſſumtionem, peccatum originale, & ejus expiationem, aliaque id genus. Atque hæc obiter de Judæis. Ad Chaldæos redeo.

§. 9. *A Chaldæis quoque aſtrorum ſcientiam hauſit Pythagoras.*

Teſtis Porphyrius in Pythagoræ vitâ; cujus hac de re verba ſuperius adduximus.

§. 10. *Etiam Chaldæos, ac Babylona acceſſit Democritus, ut autor Ælianus Var. Hiſt. lib.* IV. cap. XX. *ac creditus quoque reliquiſſe opus* περὶ τῶν ἐν Βαβυλῶνι ἱερῶν γραμμάτων, de ſacris in Babylone literis, *cujus meminit Laërtius. Atque idem autor eſt, ei tributum* λόγον Χαλδαϊκόν, orationem de Chaldæis.

Nec mirum ſi homines ingenioſi ſiderum ſcientiam inprimis excolerent, qui latis habitantes camporum æquoribus, cœlorum ſemper faciem proſpectarent: nec magis mirandum ſi multa obſervarent primi, qui jam ævo Ariſtotelis bis mille annorum experientia gloriarentur.

Itaque & Ariſtoteles, ſummus naturæ indagator, Calliſtheni conſobrino & diſcipulo, cum Alexandro in Aſiam eunti, in mandatis dedit, ut earum rerum, quas Chaldæi in cæleſtibus obſervaſſent, commentarios ad ſe mitteret. Atque ille bis mille annorum obſervationes miſit; ut eſt apud Simplicium in Ariſt. lib. II. de cælo. Qui numerus longè minor illo, qui apud Cic. in I. de Divinat. ubi Babylonios ait, annorum quadringentorum ac ſeptuaginta millium obſervationes habuiſſe ſcriptis ſignatas. Sed hoc poſterius ex jactatione puto Chaldaica. At Calliſthenem eludere non potuere, qui tantum credidit & ſcripſit, quantum Chaldæi probarent.

§. 11. *Ex Chaldæis, qui Græcè de Aſtrologia ſcripſerint, magnum inprimis inter Græcos nomen fuit Beroſi.*

De eo ſic Plinius lib. VII. cap. XXXVII. ubi agit de artium plurium excellentia: *Aſtrologiâ enituit Beroſus, cui ob divinas prædictiones Athenienſes publicè in Gymnaſio inauratam linguam poſuere.* Claruit temporibus Ptolemæi Lagidæ, & Philadelphi, pluraque de eo in Hiſtoricorum Græcorum Hiſtoria diximus.

§. 12. *Michael Pſellus, præter expoſitionem in oracula Chaldaica, etiam ſcripſit brevem dogmatum Chaldaicorum declarationem.*

Græcè, Latineque Franciſcus Patricius edidit in Novâ de Univerſis philoſophiâ, libro illo, qui Zoroaſter ab eo inſcribitur*. Cùm verò duplici è codice duplicem adferat Pſelli diſſertationem de Aſſyriorum dogmatis, utraque clauditur his verbis: Τούτων δὲ τῶν δογμάτων τὰ πλεῖω καὶ Ἀριστοτέλης καὶ Πλάτων ἐδέξαντο. Οἱ δὲ περὶ Πλωτῖνον, καὶ Πορφύριον, καὶ Ἰάμβλιχον, καὶ Πρόκλον πᾶσι κατηκολούθησαν, καὶ ὡς θείας φωνὰς ἀσυλλογίστως ταῦτα ἐδέξαντο. *Horum autem dogmatum plurima & Ariſtoteles, & Plato, ſuſceperunt. Plotinus verò, & Porphyrius, & Iamblichus, & Proclus, omnia ſunt ſecuti, & tanquam divinas voces, ea ſuſceperunt.* Vide ſis Patricium ipſum, & quæ de Pſelli explicatione eâ adfert Leo Allatius libro de Pſellis †.

* Fol. 6. & 7.

† Pag. 51. 52.

§. 13. *Perſica philoſophia à Magis petebatur.*

Perſis Magos fuiſſe philoſophiæ auctores, tradidit Ariſtoteles ἐν τῷ Μαγικῷ, & Sotion in libris τῆς Διαδοχῆς, teſte Laërtio.

§. 14. *Magi à Zoroaſtre inſtituti dicuntur.*

Variæ de hujus nomine ſunt opiniones. Alii id interpretantur, *aſtrum vivum*. Dinon in Perſicis Ἀστροθύτην. Sed optimè Samuel Bochartus in Geographia Sacra Ἀστροθεάτην legendum cenſet, à שור *contemplari*, & אשתר *aſtrum*.

§. 15. *Nec Perſæ modò, ſed & Medi, Parthi, Sacæ, aliaque vicinæ nationes, Magos ſuos habuere.*

Lucianus de Longævis: Οἱ καλούμενοι Μάγοι, γένος τοῦτο μαντικὸν καὶ θεοῖς ἀνακείμενον, παρά τε Πέρσαις καὶ Πάρθοις, καὶ Βακτρίοις, καὶ Χωρασμίοις, καὶ Ἀρείοις, καὶ Σάκαις, καὶ Μήδοις, καὶ πολλοῖς ἄλλοις βαρβάροις: Imò Plinius & Arabum ſapientes vocat Magos.

§. 16. *Perſarum Philoſophus Ochus fuit.*

Vide Suidam in Ὦχος.

§. 17. *Græci non pauca eorum accepere à Perſis, quæ ad Deos pertinerent.*

Ut Matheſin à Phœnicibus, Ægyptiis, Chaldæis; ita multa de Diis vitæque officiis hauſere à Perſis. Unde Porphyrius in Pythagoræ vita cùm dixiſſet à Phœnicibus Arithmeticen, ab Ægyptiis Geometriam, à Chaldæis Aſtrologiam didiciſſe; ſubjicit deinde, Περὶ δὲ τὰς τῶν θεῶν ἁγιστείας, καὶ τὰ λοιπὰ τὰ περὶ τὸν βίον ἐπιτηδεύματα παρὰ τῶν μάγων φησὶ διακοῦσαί τε καὶ λαβεῖν. *Quæ pertinent ad Deorum cultum, cæteraque ſtudia, quæ vitam reſpiciunt, à Magis aiunt audiſſe ac didiciſſe.* Similiter de eo Cic. lib. V. de Finib. Democritum quoque ad eos profectum teſtatur Plinius lib. XXXIV. cap. 17. Ælianus Var. Hiſtor. lib. IV & Suidas. Pyrrhum ſcepticorum parentem, Anaxarchi comitem, cum iiſdem congreſſum eſſe auctores ſunt Laërtius, & Heſychius Ill. Apollonius quoque Tyanæus cùm ad Indos proficiſceretur ſubſtitit in Perſide, partim ut regem conſpiceret, partim etiam σοφίαν, ἥπερ ἐστὶ Πέρσαις ἐπιχώριος, μελετωμένη Μάγοις ἀνδράσιν, κατιδεῖν δεόμενος, εἰ τὰ θεῖα, ὡς λέγεται, σοφοὶ εἶεν. Atque hìc dum eſt, bis de die cum iis verſabatur: puta meridie, & media nocte. Rogatus verò ſuum de iis judicium, reſpondit, Σοφοὶ μὲν, ἀλλ' οὐ πάντα. Auctor horum Philoſtratus in Quinto de vita Appollonii. Perſarum etiam juniorum induſtriam in Aſtrologia oſtendunt tabulæ Perſicæ exſcriptæ, & in Philolaïca Aſtrologia editæ ab Iſmaële Bullialdo anno CIↃ IↃ C XLV.

§. 18. *Indos philoſophiam docuere gymnoſophiſtæ.*

Ut Ariſtoteles ἐν τῷ μαγικῷ docuit, ac Sotion in libris τῆς Διαδοχῆς apud Laërtium. Ac ſimiliter Strabo, Clemens, Appulejus, Solinus, Auguſtinus, alii.

§. 19. *Hi Indiæ Gymnoſophiſtæ duplices erant: quorum alii* Brachmanes, *alii* Germanes *dicebantur. Interque Germanes, quidam dicti* Hylobii, *quia in ſylvis viverent.*

Auctor præter alios Strabo lib. XV. Ac ferè ſic Clemens I. Στρωμ. Διττὸν δὲ τούτων [γυμνοσοφιστῶν] τὸ γένος. οἱ μὲν, Σαρμᾶναι, αὐτῶν οἱ δὲ Βραχμᾶναι καλούμενοι. καὶ τῶν Σαρμανῶν οἱ Ἀλλόβιοι (ex Strabone ὑλόβιοι repone) προσαγορευόμενοι, οὔτε πόλεις οἰκοῦσιν, οὔτε στέγας ἔχουσιν, δένδρων δὲ ἀμφιέν-

νυνται

Digitized by Google

ναντῃ φλοιοῖς. *Duplex erat illorum genus, alii Sarmanæ* (hi Straboni *Germanes*) *alii Brachmanæ dicuntur. Et inter Sarmanas ſunt Hylobii, qui nec urbes colunt, nec ſub tectis habitant, ſed arborum tantummodo corticibus veſtiuntur.* Ex poſtremis verbis liquet, cur ὑλόβιοι, vocentur, quaſi *ſylvicolas* dicas. Nec dubium, quin his præcipuè convenit Gymnoſophiſtarum nomen. Nam ut, pudore nullo, nudi ſemper fuerint, parum eſt veriſimile.

§. 20. *Brachmannorum unus nomine Buddes fuit, quo præceptore uſus Manes Perſa, ſectæ ſuæ conditor. Auctor Suidas, & alii.*

Auctor Clemens lib. 1 Στρωματ. atque addit eos Butæ præceptis parere, eumque honorare uti Deum. Meminit & Beatus Hieronymus adverſus Jovinianum lib. 1. atque addit de eo, *quem è latere ſuo virgo dicebatur generaſſe.* Quæ fabula videtur nata ex hiſtoria de Adamo: ex cujus latere nata virgo Eva. Nempe veriſimile magis gentibus viſum, ſi mas è virginis latere, quàm virgo è latere maris naſceretur. Vel quid ſi ex eo quod Chriſtiani dicerent Chriſtum, quem divino colerent honore, è virgine natum, illi ſimile quid de ſuo Doctore fingerent.

§. 21. *Indos quoque Philoſophiæ amore adiit Democritus.*

De eo ſic Ælianus lib. IV. Var. Hiſt. Διὰ ταῦτά τοι καὶ πολλὴν ἐπῆλθε γῆν. ἧκεν οὖν καὶ πρὸς τοὺς Χαλδαίους, καὶ εἰς Βαβυλῶνα, καὶ πρὸς τοὺς μάγους, καὶ τοὺς σοφιστὰς τῶν Ἰνδῶν· *Propterea multas etiam terras adiit. Quippe iit ad Chaldæos, & Babylona, & Magos, & ſophiſtas Indorum.* Idem de Gymnoſophiſtis, atque Indis tradunt Laërtius, Heſychius Ill. & Suidas. Ac Strabo libr. XV. magnam ait Aſiæ partem obiiſſe.

§. 22. *Etiam Pyrrho Eleus, Scepticorum pater, Anaxarchum comitans, in Indiâ cum Gymnoſophiſtis conſuetudinem habuit.*

Ut apud Diogenem, & exſcriptorem ejus Heſychium legere eſt.

§. 23. *Brachmanes & quidam Indiæ populi ſtatuebant* παλιγγενεσίαν, *& animarum tranſitum in muta animantia, præcipuè boves.*

Quæ & ſententia hodie obtinet. Sacchinus lib. V. Hiſtor. Soc. Ieſu de Monomotaparum in Africa rege; *Viciſſim è Conſalvo ſciſcitatur, quantum auri, quantum agri, & prædiorum velit; poſtremò quàm multos boves. Quippe bobus apud eam gentem haut minus quàm auro pretium ferunt eſſe. An quod animas defunctorum ex Pythagoræ & Brachmannarum diſciplinâ in boves credant immigrare?* Maffejus lib. 1. rerum Indicarum; *Elephantis etiam religionem numinis tribuunt. Bobus autem eo majorem, quòd hominum vitâ functorum animas in eam maximè belluam immigrare opinantur.* Etiam, ut idem Maffejus auctor eſt, Deum ſive dæmonem adorant bovis figurâ; ut Ægyptii Apin.

§. 24. *Phœnicum etiam Philoſophia celebratur: & cùm ea gens ſimillima fuerit Iudææ, occaſio iis multa à Iudæis diſcendi fuit.*

Traditione etiam quædam reſervarunt. Nam Phœnices à Sidone, filio Chanaan, nepote Chami, Noachi pronepote deſcenderunt. Sacerdotum operâ uſi in hiſtoria ſcribenda, teſte Joſepho lib. 1. contra Apionem, qui & quædam ex annalibus Tyriorum citat. De Theologia eorum, Phœnicia lingua ſcripſit Sanchuniathon Berytius, qui antiquior temporibus Trojanis, ut tradidit Porphyrius Tyrius in quarto eorum, quos adverſus Chriſtianos ſcripſit, & ex eo Euſebius Pamphyli in primo præpar. Euang. Opus hoc à Fl. Joſepho tralatum legas in verſione Cyrilli Alexandrini in Sexto contra Julianum. Sed vel interpretis error eſt, vel μνημονικὸν ipſius Cyrilli ἁμάρτημα. Nam Philonem Berytium vertiſſe Græcè, ſatis oſtendimus in opere de Hiſtoricis Græcis. Credo in errorem impulit Cyrillum, quòd ex eo Joſephus aliqua adducat, ut antea diximus. Verùm quid mirum, ſi homo Hebræus Phœniciam ſciverit linguam? Sanè Græcè necdum exſtabat. Nam Philo interpres Hadriani demum temporibus vixit.

§. 25. *Huic genti literas ſe debere Græci agnoſcunt.*

Unde φοινικήια γράμματα vocantur. Plura de eo diximus in primo de arte grammaticâ cap. X.

§. 26. *Arithmeticen etiam iis tribuunt, quia mercaturâ excelluere, ad quam numerorum ſcientiâ inprimis opus eſt.*

Hac de laude poſtea dicemus.

§. 27. *Phœnix etiam Ochus fuit.*

Ut eſt apud Laërtium in præfatione.

§. 28. *Thales quoque, qui Ionicam Philoſophiam condidit, à Phœnicibus originem traxit.*

Sive cum patre Neleo è Phœniciâ Miletum commigrarit, atque ibi civis adſcitus fuerit; ut à nonnullis proditum eſſe Laertius tradit: ſive Mileti ortus fuit, ſed è Phœnicia oriundus, ut alii malunt.

§. 29. *Pherecydes item, præceptor Pythagoræ, qui Thaleti fuit æqualis, & autor eſt ſectæ Italicæ, ſua hauſit ex occultis Phœnicum libris.*

Suidas de eo: Διαχθλῆναι δὲ ὑπ' αὐτοῦ Πυθαγόραν λόγος· αὐτὸν δὲ οὐκ ἐσχηκέναι καθηγητὴν, ἀλλ' ἑαυτὸν ἀσκῆσαι, κτησάμενον τὰ Φοινίκων ἀπόκρυφα βιβλία. *Fama eſt eum eſſe præceptorem Pythagoræ, ſed à nemine inſtitutum; exercuiſſe autem ſeipſum, cum comparaſſet ſibi reconditos Phœnicum libros.* Imò non deſunt qui putent dici Syrum, (quomodo & Strabo vocat) non à Syra Cycladum una, ſed Syria, regione Aſiæ inclyta: cujus etiam pars Phœnicia.

§. 30. *Etiam oriundus inde Zeno, princeps ſectæ Stoïcæ. Cittium enim Cypri oppidum, ubi natus, Phœnicas habuit incolas.*

Laërtius in Zenone: Ζήνων Κιτιεὺς, ἀπὸ Κύπρου (malim Κυπρίου) πολίσματος Ἑλληνικοῦ Φοίνικας ἐποίκους ἐσχηκότος. *Zeno Cittieus ex Cypriâ civitate Græcanicâ, ſed quæ Phœnicas incolas haberet.* Itaque & Zeno dictus Phœnix, vel *Pœnus*, aut *Pœnulus*, ut ait Suidas; Φοίνιξ δὲ ἐπεκλήθη (Ζήνων) ὅτι Φοίνικες ἔποικοι τοῦ πολιχνίου ἐγένοντο. *Phœnix etiam vocabatur, quoniam Phœnices oppidi incolæ fuerunt.* De eodem Cicero ſic libro IV. de Finib. *Tuus ille Pœnulus (ſcis enim Citticos, clientes tuos, è Phœniciâ oriundos) verba verſare cœpit.* Etiam Phœnices ex eadem poſtea ſecta, Antipater Sidonius, Diogenis Babylonii auditor & ſucceſſor; & Antipater Tyrius, Catonis Uticenſis præceptor. Sed nunc ſolùm nobis ſermo de ſectarum principibus, quos putamus pleraque omnia à Barbaris hauſiſſe.

§. 31. *Sed ſi Phœniciam philoſophiam agnoſcimus: quantò juſtius Chriſtiani nos Hebræam? Præſertim quando Phœnices multa abſque dubio hauſerint à vicinis Hebræis. Uti & Ægyptii, de quorum Philoſophiâ poſtea dicemus.*

Atque

Digitized by Google

Atque hinc quoque liquet, cur antiquiſſimi philoſophi gaudeant brevitate & ſymbolica doctrina. Audiamus Clementem libr. I. Strom. καὶ ὁ τρόπος τῆς παλαιᾶς φιλοσοφίας, ὡς Ἑβραϊκὸς καὶ αἰνιγματώδης. βραχυλογίαν γὰρ ἠσπάζοντο τὴν ἀρχαιοτικὴν, τὴν ὠφελιμωτάτην. *Modus priſcus philoſophandi velut Hebraicus, & ænigmaticus; nam breviloquentiam amplectebantur, quæ admonitioni apta eſt, & eſt utiliſſima.*

§. 32. Phryges etiam philoſophiam ſuam habuere.

Quæ magis cognita eſſet, ſi exſtaret Democriti λόγος Φρύγιος, Laërtio memoratus lib. IX. Interim de eorum Theologia videſis Diod. Siculum & Euſebium.

Cap. II.

DE PHILOSOPHIA AFRICANA.

§. 1. Haſtenus de Aſiatica philoſophia. Africana partim fuit Ægyptiaca, partim Æthiopica, partim Libyca. Ægyptiaca poſterior eſt Chaldaica, ſi Ægyptii Arithmeticen & Aſtrologiam didicere ab Abrahamo patriarchâ, qui hac attulerat ex Chaldæâ.

ITa cenſet Joſephus Antiquit. Judaic. lib. I. cap. XVI. Sed Ægyptii Philoſophiam ſuam referre ſolent tum ad Iſim, tum ad Oſirim, tum Vulcanum, Mercurium, & Herculem: ut auctor eſt Diod. Siculus.

§. 2. Ad Ægyptiacæ philoſophiæ commendationem pertinet, quod Moſes quoque à Pharaonis filiâ adoptatus & educatus, ejuſdem juſſu in omni Ægyptiorum ſapientiâ inſtitutus fuit.

Sic cùm Stephanus ait Act. cap. VII. καὶ ἐπαιδεύθη Μωϋσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, Doctores ejus ſapientiæ à Clemente Alexandrino dicuntur *Prophetæ*: à Suida γυμνοί: ab Euſebio, Ægyptio vocabulo, *Arſepedonaptæ*. Hauſerant autem ſapientiam ab Abrahamo, ut ante dictum; & fortè etiam ab Joſepho, qui uſum Geometriæ primus Ægyptios docuit, quod & Artapanus apud Joſephum teſtatur. Atque hanc ſententiam quidam aſtrui poſſe arbitrantur Pſal. CV. Credibile etiam eſt ab Iſraëlitis quædam hauſiſſe, qui & ipſi ab Abraha deſcendunt; & hinc ψιλοὶ dicuntur Ariſtophani in Avibus, ut etiam Suidas annotavit.

§. 3. Ad laudes ejus etiam facit, quòd priuſquam Græci philoſopharentur, proficiſci ſoleant in Ægyptum, ut ibi à ſacerdotibus ſapientiam haurirent.

Solon ipſe multum iis debet, ſi verè Ammianus Marcellinus extremo lib. XXII. *Et Solon adjutus ſententiis Ægypti ſacerdotum, latis juſto moderamine legibus, Romano quoque juri maximum addidit firmamentum.* Sed hoc in dubium vocari poſſit. Nam demum poſt leges à ſe latas eò profectus fuit, cùm Piſiſtratus Tyrannidem invaderet, ut auctor eſt Laërtius. Hic dicitur, ut Plutarchus ait de Iſid. & Oſir. διακοῦσαι Σόγχιτος Σαΐτου, *audiſſe Sonchitem Saitem.* Nec inutilem fuiſſe eam profectionem cognoſcere eſt ex colloquiis ejus cum ſacerdotibus Ægyptiis, uti de Atlantide & aliis: quemadmodum apud Platonem legere eſt in Critone ac Timæo. Sed quicquid eſt de Solone, alios eò, priuſquam philoſopharentur, profectos conſtat; uti Thales, qui primus σοφὸς dictus, ac Ionicam ſectam condidit. Hunc γεωμετρεῖν didiciſſe ab Ægyptiis auctor eſt Laërtius. Ac poſtea addit: οὐδεὶς αὐτοῦ καθηγήσατο, πλὴν ὅτι εἰς Αἴγυπτον ἐλθὼν τοῖς ἱερεῦσι συνδιέτριψεν. *Nullo præceptore uſus eſt, niſi quòd in Ægyptum profectus, ibi cum ſacerdotibus familiariter eſt verſatus.* Thaletis ſapientia impulſus ad eum jam ſenem venit Pythagoras ſtudio diſcendi. Ille autem ætatem jam debilem cauſatus, autor fuit, ut ipſe ſe in Ægyptum ad ſacerdotes Memphiticos & Dioſpolitanos conferret: ut autor eſt in Pythagoræ vita Iamblichus. Itaque eò profectus Pythagoras Semneſerteo regnante, ut ait Plinius lib. XXXVI. cap. IX. vel imperante Amaſide, cui à Polycrate Samiorum tyranno per literas commendatus fuit, ut apud Laërtium legere eſt. Oenuphim Heliopolitam hic audiiſſe ait Plutarchus de Iſide & Oſiride. Eodem profectus Democritus, geometriam didicit; ut Laërtius proditum ait à Demetrio in Æquivocis, & Antiſthene in Succeſſionibus. Eò profectum etiam fuiſſe tradit Heſychius Ill. & Suidas. Imò & ei adſcribebatur, Lælio teſte, περὶ τῶν ἐν Μερόῃ ἱερῶν γραμμάτων, *de ſacris in Meroë literis.* Itidem Platonem in Ægyptum profectum conſtat, cùm aliunde, tùm ex Plutarcho de Iſide & Oſiride. Clemens Alexandrinus ait eum μαθητεῦσαι Σεχνούφιδι τῷ Αἰγυπτίῳ, *præceptore uſum Sechnuphide Ægyptio.* Pro eo apud Plutarchum legas loco ante memorato Χονούφεως Μεμφίτου διακοῦσαι, *Chonuphim Memphitam audiiſſe.* Sic ut Hieremiam prophetam audiiſſe hic cenſeant. Ac is quidem cum tribu Judâ, & Benjamin eò profectus, inque oppido Tanis lapidibus obrutus: imò hic ab incolis coli dicitur ob vim præſentaneam contra ſerpentium ictus. Sed quòd Platonem ab eo auditum prædicant, id facilè temporum ratione refellitur: cùm Hieremias ante imperium Perſicum, Plato penè extremis ejus temporibus vixerit: ſanè ſeculo ampliùs inter hos interfuit. Itaque priorem ſuper eo ſententiam meritò retractavit B. Auguſtinus lib. VIII. de Civ. Dei cap. XI. Potuerit tamen legiſſe Moſen, ſi ante illam LXX ſeniorum tralationem quædam ejus verſio exſtabat. De quo alibi diſſeruimus. Atque ut id non eſſet, tamen colloqui datum cum Hebræis, & ab his edoctis. Quod veriſimile facit, quæ in pleriſque eſt Platonis cum Moſe convenientia. Unde illud Numenii Philoſophi. Τί ἐστι Πλάτων ἢ Μωϋσῆς ἀττικίζων; *Quid eſt Plato, niſi Moſes Atticiſſans?*

§. 4. Sed antiquis quidem temporibus, magnum fuit nomen ſacerdotum Ægyptiorum: ætate autem Strabonis, propè erat nullum.

Vide eum lib. XVII. ubi ſic ait, cùm in Ægypto eſſet, domos vidiſſe ingentes, quas olim habitaſſent ſacerdotes, qui & Aſtrologi, & Philoſophi fuerant: at ſcientias has eo tempore, uſque adeò defeciſſe, ut nec unus poſſit oſtendi iſtorum peritus. Solùm autem peregrinis numeraſſe ſacrorum ſuorum ritus.

§. 5. Ægyptiorum prima diſciplina verſabatur circa triplicem ſcripturam: Unam vulgarem *ſive communem, quâ in epiſtolis ſcribendis utebantur; alteram* ſacram, *quâ uſi in ſacris ſcribendis; tertiam* hieroglyphicam, *ſive ſacrarum ſculpturam.*

Clemens lib. V. Στρωμ. Πρῶτον μὲν πάντων τῶν Αἰγυπτίων γραμμάτων μέθοδον ἐκμανθάνουσι· *Primum quidem methodum ediſcunt literarum omnium Ægyptiacarum.* Addit deinde iis triplicem eſſe literarum viam, ac rationem: unam ἐπιστολογραφικὴν, ſive quâ epiſtolas ſcribunt: alteram eſſe ἱερατικὴν, ſive Sacerdotalem, quâ utuntur ἱερογραμματεῖς, ſive *ſcribæ ſacrorum*: tertiam dici ἱερογλυφικὴν, ſive ſacrarum ſculpturam, quæ & ipſa variabat; ut pluribus ibidem refert Clemens. Ac meminit quoque horum Porphyrius in vita Pythagoræ. Γραμμάτων δὲ τρισσὰς διαφοράς, ἐπιστολογραφικῶν τε καὶ ἱερογλυφικῶν, καὶ συμβολικῶν, τῶν μὲν κοινολογουμένων κατὰ μίμησιν, τῶν δὲ ἀλληγορουμένων κατά τινας αἰνιγμούς. De Hieroglyphica ſic Lucianus in Hermotimo: Τί γὰρ εἰ μηδὲ γράμμασι γράφοιμεν ἐπὶ τῶν κλήρων, ἀλλὰ τινὰ σημεῖα καὶ χαρακτῆρας, οἷα πολλὰ Αἰγύπτιοι γράφουσιν ἀντὶ τῶν γραμμάτων, κυνοκεφάλους τινὰς ὄντας, καὶ λεοντοκεφάλους ἀνθρώπους· Addam & de hac veteri Ægyptiorum ſcriptura Ammiani locum, qui ſic ſcribit de Ægyptiorum obeliſcis agens: *Non ut nunc literarum numerus præſtitutus & facilis exprimit, quicquid huma-*

na

na mens concipere poteſt, ita priſci quoque ſcriptitarunt Ægyptii; ſed ſingulæ literæ ſingulis ſerviebant nominibus & verbis; nonnunquam ſignificabant integros ſenſus. Similiter Cyrillus lib. IX adverſus Julianum, quo loco de hirco ἀποπομπαίῳ diſſerit. Exempla aliquot Hieroglyphica adducit Plutarchus de Iſide & Oſiride: ut quòd *oculum* & *ſceptrum* pingentes regem & dominum Oſirin exprimerent: quodque cœlum, quia nunquam ſeneſceret, ſignarent corde, cui ſubjectus eſſet focus ardens: quòd item judices ſine manibus, & princeps oculis in terram dejectis Thebis dedicata erat videre; quæ judicem notabant, nec donis, nec alloquio obnoxium. Quòd item bellicoſis in annulo inſigne erat ſcarabæus: velùt fortitudinis virilis ſymbolum. Scarabæi enim cuncti ſunt mares; genuſque propagant ſemine in globum redactum immiſſo. Sed de iſtis vide inprimis Orum Apollinem; cujus libellum paucis conſtrinxit Cælius Calcagninus lib. II. Epiſt. I. Summa eſt iſta. Divina hæc natura, pro multiplici facultate, quam in rerum exerit natura, multiplici nomine vocari ſolet Iſis & Oſiris: hic ut pater, ſive facultas ea naturæ, quæ formam largitur; illa ut mater, ſive facultas formæ receptrix. Ex his duobus genitus eſt Orus, ſive Mundus; qui multimodis mutatur. Cauſaque mutationis iſtius adſcribitur Typhoni. Eſtque inter Orum & Typhonem quaſi pugna. Victor Orus, ſed ſic ut Typhonem neutiquam interimat. Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride; Ἡ γὰρ Ἶσις ἐστι μὲν τὸ τῆς φύσεως θῆλυ, καὶ δεκτικὸν ἁπάσης γενέσεως, καθὸ τιθήνη καὶ πανδεχὴς ὑπὸ τοῦ Πλάτωνος, ὑπὸ δὲ τῶν πολλῶν μυριώνυμος κέκληται, διὰ τὸ πάσας ὑπὸ τοῦ λόγου τρεπομένη μορφὰς δέχεσθαι καὶ ἰδέας. ἔχει δὲ σύμφυτον ἔρωτα τοῦ πρώτου καὶ κυριωτάτου πάντων, ὃ τἀγαθῷ ταυτόν ἐστι, κἀκεῖνο ποθεῖ καὶ διώκει· τὴν δὲ ἐκ τοῦ κακοῦ φεύγει καὶ διωθεῖται μοῖραν, ἀμφοῖν μὲν οὖσα χώρα καὶ ὕλη, ῥέπουσα δὲ ἀεὶ πρὸς τὸ βέλτιον ἐξ ἑαυτῆς. *Eſt igitur Iſis natura ea pars quæ quaſi feminea, omnes in ſe recipit ortus, tanquam nutrix quædam & commune omne receptaculum à Platone dicta, à pleriſque aliis Myrionymos, id eſt innumeris prædita nominibus; quòd ratio eam in omnes formas ſpecieſque vertat. Huic Iſidi à naturâ inſitus eſt amor primæ omniumque principis & præſtantiſſimæ naturæ, quæ eſt Bonum. hoc ea deſiderat atque perſequitur, & portionem à malo ſibi obtingentem fugit atque repellit. Cùm enim ſit receptaculum & ſubjectum utriuſque, ſuâ tamen ſponte ſemper vergit ad melius.* Plura ibidem in hanc mentem. Et poſt aliquam multa; Ἡ κρείττων καὶ θειοτέρα φύσις ἐκ τριῶν ἐστι, τοῦ νοητοῦ, καὶ τῆς ὕλης, καὶ τοῦ ἐκ τούτων ὃν κόσμον Ἕλληνες ὀνομάζουσιν. ὁ μὲν οὖν Πλάτων, τὸ μὲν νοητὸν, καὶ ἰδέαν, καὶ παράδειγμα, καὶ πατέρα· τὴν δὲ ὕλην, καὶ μητέρα, καὶ τιθήνην, ἕδραν τε καὶ χώραν γενέσεως· τὸ δὲ ἐξ ἀμφοῖν, ἔκγονον καὶ γένεσιν ὀνομάζειν εἴωθεν. *Præſtantior ac divinior natura è tribus conſtat, eò quod mente cernimus, & materiâ, & quod ex his compoſitum Mundus dicitur. Ac Plato quidem primum illud ideam, exemplar patremque nominat: materiam matris, nutricis, ſedis, & regionis ortuum capacis vocabulo notat: quod ex utroque conſtat, prolem ortumque nominare aſſolet.* Hinc tres eos triangulo comparat, Platone præeunte, qui in libris de Rep. univerſi naturam ſic comparârat. Plutarchum audiamus; Εἰκαστέον οὖν τὴν μὲν πρὸς ὀρθὰς ἄρρενι, τὴν δὲ βάσιν θηλείᾳ, τὴν δὲ ὑποτείνουσαν ἀμφοῖν ἐγγόνῳ. καὶ τὸν μὲν Ὄσιριν ὡς ἀρχὴν, τὴν δὲ Ἶσιν ὡς ὑποδοχὴν, τὸν Ὧρον ὡς ἀποτέλεσμα. *Intelligendum autem eſt, lineâ ad rectum angulum alteri inſiſtente marem, baſi fœminam, ſubtendente prolem utriuſque repræſentari: & Oſirin eſſe principium, Iſidem receptaculum, Orum effectum.* Poſtea ſubjungit Plutarchus, Heſiodum quoque videri convenire cum Ægyptiis. Sic enim ſcribit; Δόξειε δ' ἂν ἴσως καὶ Ἡσίοδος τὰ πρῶτα πάντα Χάος καὶ γῆν καὶ τάρταρον, καὶ ἔρωτα ποιῶν, οὐχ ἑτέρας λαμβάνειν ἀρχὰς, ἀλλά γε δὴ τῶν ὀνομάτων, τῇ μὲν Ἴσιδι, τὸ τῆς γῆς, τῷ δὲ Ὀσίριδι τὸ τοῦ ἔρωτος, τῷ δὲ Τυφῶνι τὸ τοῦ ταρτάρου μεταλαμβάνοντες, ὡς ἀποδιδόμεν. τὸ γὰρ Χάος δοκεῖ χώραν τινὰ, καὶ τόπον τοῦ παντὸς ὑποτίθεσθαι. *Fortaſſis etiam Heſiodus prima omnia faciens Chaos, terram, tartarum, & amorem videri poteſt non diverſa, ſed eadem rerum principia ponere. Siquidem Iſidis nomine terram, Oſiridis amorem, Typhonis tartarum accipimus. Nam Chaos videtur, quaſi locum quendam & regionem Vniverſo ſubjeciſſe.* Quod de Chao ait, etymo firmatur. Nam quid aliud Χάος quàm hiatus, & vaſtitas quædam nempe à χάω, unde χαίνω, ut φαίνω à φάω, unde itidem φάος. Sed hæc de Ægyptiorum Diis accuratiùs expendimus libro quem de Idololatriâ gentium perſcripſimus, & cum opere Maimonidis ſuper hoc argumento à filio Dionyſio τοῦ μακαρίτου Latinè reddito, notiſque illuſtrato, ut ſpero, publici juris faciemus.

§. 6. *Ægyptiorum etiam myſteria peti poſſunt ex Jamblicho.*

Fuit is diſcipulus Porphyrii, ac quid Aſſyrii & Ægyptii ſacerdotes de religione ac rebus divinis ſtatuerint, ſcripto conſignavit, idque ejuſmodi occaſione. Porphyrius in Ægyptum epiſtolam miſerat ad Anebonem, qua de Deo, providentia, fato, dæmonibus, anima, magice, ſacrificiis, & ſimilibus varia quæſierat. Iis quæſtionibus reſpondet Jamblichus; perſonam autem aſſumit Abammonis Ægyptii ſacerdotis, qui Anebonis erat præceptor. Opus hoc è Græco vertit Marſilius Ficinus, ac Joanni Medici Cardinali, qui Papa, dictus Leo X, dicavit. Edidit Aldus. Poſtea meliorem nactus codicem Græcus Nicolaus Scutellius Eremita denuo tranſtulit, locaque quædam, quæ in Ficini codice deerant, explevit. Ea editio Romæ prodiit anno CIↃ IↃLVI. Mea autem hæc ſententia, non poſſe aliunde meliùs, quàm ex hoc opere, quid & Platonici de divinis rebus ſenſerint, cognoſci. Ita enim Ægyptiorum & Chaldæorum opinionem exprimit, ut facilè appareat idem ipſum ſenſiſſe. Vide etiam Cælii Calcagnini librum poſthumum de rebus Ægyptiacis.

§. 7. *Ægyptiaca philoſophia magnâ ex parte Allegoriis occultabatur.*

Quæ philoſophandi ratio improbari non debet. Nam paſſim in Veteri teſtamento legere eſt multa allegorica: ac Chriſtus ipſe ait apud Euangeliſtam, *Aperiam in parabolis os meum, & in ænigmate antiqua loquar.* Item Euangeliſtæ eſt: *Jeſus in parabolis loquebatur ad turbas.*

§. 8. *Quàm latè pateat Ægyptiorum philoſophia, ex eo cognoſcitur, quòd comprehendit liberales diſciplinas, rationem ſcribendi hieroglyphicam, ſiderum ac totius naturæ ſcientiam, terrarum ſitum, ac particulatim Ægypti, deque Nili incrementis, virtutum legumque diſciplinam, Deorum naturam, ac rationem colendi ſacrificiis & variis ceremoniis, item medicinam univerſam, tum illam valetudinis ſervandæ, tum* φαρμακευτικὴν καὶ χειρουργικήν. *Nec tamen omnia in philoſophis omnibus exigebantur; ſed alia ſibi vindicabat cantor ſive muſicus; alia ſacer ſcriba; alia horoſcopus ſive aſtrologus; alia* στολιστής, *ſive curator ſacri ornatus; alia prophetes, ac paſtophori.*

De Ægyptiis tradit Clemens Alexandrinus lib. VI *, * p. 456.
οἰκείαν τινὰ φιλοσοφίαν. *propriam quandam philoſophiam.* Edi. Lugd.
Atque hoc ait apparere ex ſacris eorum ceremoniis. Nam Bat. anno
primùm, inquit, ὁ ᾠδὸς *cantor*, procedit; cui ſymbo- 1616.
lum aliquod muſicum. Ac duo illi libri Mercurii, unus I.
hymnos Deorum continet, alter rationem vitæ regiæ.
Poſt cantorem conſequitur horoſcopus, cui in manu ho- II.
rologium, & palma, Aſtrologiæ ſymbola. Huic ſemper
in ore quatuor Hermæ libri Aſtrologici, unus de quinque
planetis, alter de Sole & Lunâ, tertius quartuſque de ortu
ſiderum. Horoſcopum excipit ἱερογραμματεὺς, ſive ſa- III.
crorum ſcriba, pennas in capite geſtans, habens manibus li-

librum, regulam in quâ atramentum ſcriptorium & calamus ad ſcribendum. Hunc ſcire oportet hieroglyphica, coſmographiam, geographiam, ordinem Solis, Lunæ, & quinque planetarum, chorographiam Ægypti ac deſcriptionem Nili, ac omnis ſacri apparatus, locorumque ſacrorum cum ſuâ dimenſione, & quicquid in ſacris utile.
IV. Poſt ſacrorum ſcribam ſequitur στολιστής, ſive ornator, qui juſtitiæ cubitum, & ad libandum habet calicem. Hic partim novit τὰ παιδευτικὰ, ſive quæ ad eruditionem ac liberales pertinent diſciplinas: partim τὰ μοσχοσφραγιστικὰ, hoc eſt, doctrinam de ſacrificiis vitulorum & circa hæc ceremoniis. Hæc enim omnia Ægyptiorum continebat religio, preces, pompas, dies feſtos, ſacrificia, primitias, hymnos, aliaque his ſimilia.
V. Poſtremus exit Propheta, in ſinu geſtans hydriam, ponè ſequentibus, qui portent panes emiſſos. Eſtque hic ſacrorum præfectus, ac ediſcit τὰ ἱερατικὰ βιβλία, libros ſacerdotales: in quibus de legibus, Diis, & univerſa ſacerdotum diſciplina. Quorum omnium eſſe gnarum convenit quia idem τῆς διανομῆς τῶν προσόδων ἐπιστάτης ἐστιν, *vectigalium diſtributioni præeſt*. Sunt verò iſti ſacerdotales libri numero XLII, à Mercurio Ægyptio conſcripti: eorum XXXVI, qui omnem Ægyptiorum philoſophiam continent, ac ab iis ediſcuntur, quos diximus: reliqui ſex diſcuntur ab illis, qui vocantur παστοφόροι, hoc eſt, *pallium geſtantes:* ſuntque iſti libri de medicina: in quibus agitur diſtinctè de fabrica corporis humani, de morbis, de medicamentis, ac particulatim de oculorum medicina, deque morbis mulierum.

§. 9. *Æthiopum doctores dicebantur gymnoſophiſtæ.*

Hieronymus lib. IV. in Ezech. cap. XIII. *Indorum Brachmanes & Æthiopum Gymnoſophiſtas.*

§. 10. *Nomen Gymnoſophiſtarum ac philoſophiam quoque retulere ex Indiâ, unde in Æthiopiam venere.*

Vide hac de re Philoſtratum in Apollonii vitâ lib. VI.

§. 11. *Ad hos quoque, Philoſophiæ causâ profectus creditur Democritus.*

Autores Laërtius, & Heſychius Illuſtrius.

§. 12. *Libyca Philoſophia eſt ab Atlante, præſertim Aſtrologia, unde Atlas ille cœlum humeris ſuſtinere dicebatur, montique altiſſimo ab eodem nomen tributum.*

Multorum enim judicio aſtrologiam invenit Atlas, Libyæ filius; teſte Plinio lib. VII. cap. LVI. de eo Virg. I. Æneid.

> —— *citharâ crinitus Iopas*
> *Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas,*
> *Et canit errantem Lunam, Soliſque labores.*

§. 13. *Etiam* Ἄτλαντα Λίβυν *inter antiquos Philoſophos commemorat Laërtius in præf. Hinc inter barbararum gentium philoſophos reponit Auguſtinus Atlanticos & Libycos. Vide eum lib.* VIII. *de Civit. Dei cap.* IX. Ἀτλάντιοι *dicuntur Diodoro Siculo lib.* IV, *ubi eorum de Diis fabulas recenſet.*

Augilarum, qui & ipſi Africæ populus, opinionem de Diis recenſet Mela in primo cap. VIII. ubi ait non agnoviſſe Deos alios quàm manes ſive defunctos, ad quorum tumulos excubantes pro reſponſis ſomnia referebant.

CAP. III.

DE PHILOSOPHIA EUROPÆA, AC PRIMO THRACUM, GALLORUMQUE.

§. 1. *Ex Europæ ſapientibus antiquis maximè celebrati Thraces & Galli. Ac Thraces quidem philoſophiam hauſere à Zamolxi, qui Thrax fuit.*

INdicat id Laërtius in præf. Sed debent Thraces philoſophiam Græcis, ſi verum eſt, quod penè initio libri VIII. idem Laërtius ait, Zamolxin fuiſſe ſervum Pythagoræ, ac Getas ei ſacrificare, credereque eum Saturnum. Cujus rei & Herodotum laudat teſtem, apud quem id hodieque legitur in Melpomene. Sed de Herodoto præterit illud Laërtius, quòd poſtea is addit putare ſe Zamolxin multis ante Pythagoram annis extitiſſe. Quod idcirco omiſit, quia mallet philoſophiæ inventæ gloriam ſuis adſcribere Græcis, quàm Barbaris. Vulgarem opinionem, qua duo iſti Zamolxes confunduntur (ſi modò Pythagoræ ullus eo nomine ſervus fuit) etiam ſequuntur Malchus, ſive Porphyrius, & Jamblichus, uterque in Pythagoræ vita. Quid de his mirum, cùm id ad Pythagoræ laudem pertineat? Religionis myſteria Græcos accepiſſe à Thracibus multi ex nomine θρησκείας probant, quod nomen à Thracibus eſſe exiſtimant: uti etiam apud Suidam legere eſt.

§. 2. *A Thracibus multa hauſerat Pythagoras.*

Ut Hermippus obſervavit. Alii tamen malunt Thraces ea accepiſſe à Zamolxi, Zamolxin à Pythagora. Sed facilè hi refelluntur, ſi Zamolxes, ut dixi, Pythagora fuit antiquior. Quanquam nihil impedit quò minus & ſervus ejus Zamolxis, qui Thrax erat, patriæ fuerit philoſophiæ non inſcius, multaque ab eo didicerit Pythagoras: potuit etiam ſervi indicio in aliorum Thracum notitiam pervenire, qui pleniùs meliuſque ea intelligerent.

§. 3. *Inter alia convenere Zamolxis & Pythagoras in* μετεμψυχώσει.

Sanè Getæ à Zamolxide, qui & apud eos colitur, hanc animarum migrationem fuere edocti, ut auctor Julianus in Cæſaribus.

§. 4. *Qualis Thracum fuerit philoſophia, videtur ex parte potuiſſe cognoſci ex doctrinâ Orphei, qui Thrax fuit. Multi enim olim ſcripſere* Ὀρφικὰ, *ſive poëmata juxta Orphei doctrinam.*

Aliquos eorum recenſet Suidas in Ὀρφεύς. Maximè ex iis celebre eſt nomen Onomacriti: qui temporibus vixit liberorum Piſiſtrati. De eo adi Herodotum lib. VI. Tatianum item contra gentes; Cujus hæc verba. Ὀρφεὺς δὲ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον Ἡρακλεῖ γέγονεν· ἄλλως τε, καὶ τὰ εἰς αὐτὸν ἀναφερόμενα (Scalig. ἐπιφερόμενα) φασὶν ὑπὸ Ὀνομακρίτου τοῦ Ἀθηναίου συντετάχθαι, γενομένου κατὰ τὴν τῶν Πεισιστρατιδῶν ἀρχὴν, περὶ τὴν πεντηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. *Orpheus iiſdem cum Hercule temporibus fuit. Verùm poëmata, quæ ejus nomine circumferuntur ajunt ab Onomacrito Athenienſi eſſe compoſita, qui fuit cùm penes Piſiſtratidas eſſet imperium, circa Olympiadem quinquageſimam.* Ex Ὀρφικῶν ſcriptoribus, &, ut puto, maximè Onomacrito, complura apud varios fragmenta leguntur. Ea collegit H. Stephanus in Poëſi ſua Philoſophica. Sed maximè illuſtre eſt fragmentum illud apud Juſtinum Martyrem; in quo de Abrahamo, & Moſaicis Decalogi tabulis. Quæ unde Onomacritus acceperit non facilè dictu eſt. Niſi fortè autor iſtorum non Onomacritus fuerit, ſed recens admodum Ὀρφικῶν ſcriptor: atque id non ſatis attenderit Juſtinus.

§. 6.

Digitized by Google

§ 6. *In eo autem differunt Orphici, & Pythagorici, quòd hi per numeros eos docebant, illi per fabularum figmenta.*

Proclus in Theologiam Platonis lib. I. cap. IV: Ὀρφικοὶ διὰ συμβόλων, Πυθαγόρειοι διὰ εἰκόνων τὰ θεῖα μηνύειν ἐφιέμενοι. *Orphici per ſymbola, Pythagorici per iconas divina tradere ſtuduerunt.*

§. 6. *Celtas ſive Gallos philoſophiam docuere Druidæ, & Σεμνόθεοι.*

Ut teſtis eſt Ariſtoteles ἐν μαγικῷ, & Sotion, in XIII τῆς διαδοχῆς, atque ex iis Laertius initio præfationis. Druïdas eſſe à δρῦς h. e. *quercu*, auctor eſt Plinius lib. XVI. cap. XLIV. Sed potiùs audiendus Strabo, qui negat in vocibus barbaris quærenda eſſe ἔτυμα Græcanica. Ut omnino veriſimilius ſit Druïdarum nomen è lingua Celtica peti debere, quemadmodum diximus lib. I. de Orig. progr. Idololatriæ, cap. 35. *Semnotheos* qui *Samotheos* vocant decepti ſunt à ſuppoſititio illo Beroſo Annii Viterbienſis. Sapientes omnes Galliæ uno Druïdarum nomine comprehenduntur à Cæſare libro VI. & Cicerone in primo de Divinatione. Strabo paullò aliter dividit Gallorum ſapientes: nam juxta eum ſunt triplices Βάρδοι τε, καὶ Οὐάτεις, καὶ Δρυΐδαι. Βάρδοι μὲν ὑμνηταί τε καὶ ποιηταί. Οὐάτεις δὲ ἱεροποιοὶ καὶ φυσιολόγοι. Δρυΐδαι δὲ πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι.

Similiter Ammianus Marcellinus lib. XV. *Per hæc loca hominibus paulùm excultis viguere ſtudia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos, & Eubages, & Druidas. Et Bardi quidem fortia illuſtrium virorum facta heroïcis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis, cantitarunt: Eubages verò ſcrutantes ſeria & ſublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos Druidæ ingeniis celſiores, ut autoritas Pythagoræ decrevit, ſodalitiis adſtricti conſortiis, quæſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt, & deſpectantes humana pronuntiarunt animas immortales.* Vide & Julium Cæſarem; Lucanum lib. I. Plin. lib. XVI. cap. XLIV.

§. 7. *Druides ſtatuebant animas immortales, ſed de corpore in corpus tranſire.*

Cæſar lib. VI. dogma hoc iis tribuit: *Non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios.* Hinc animoſi in prœliis. Luc. lib. I.

——Vobis auctoribus Umbræ
Non tacitas Erebi ſedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt: regit idem ſpiritus artus
Orbe alio, longæ canitis ſi cognita vitæ.

Imò eadem mens Germanis & Getis. De illis auctor Appianus in Celtico: de his Julianus in Cæſaribus.

CAP. IV.

DE PHILOSOPHIA GRÆCANICA, AC QUIDEM PRIMUM DE FABULOSA.

§. 1. *Philoſophia Græcanica vel eſt μυθικὴ ſive fabuloſa, vel non fabuloſa.*

Mythica eſt veterum poëtarum, ac præcipuè Homeri, magni ſapientiæ antiſtitis. De quo, non poëtas dico, ſed ſummum philoſophum Democritum audiamus; Ὅμηρος φύσεως λαχὼν θεαζούσης ἐπέων κόσμον ἐτεκτήνατο παντοίων, ὡς οὐκ ἐνὸν (ita corrigo, ubi vulgo οὐ κενὸν) ἄνευ θείας καὶ δαιμονίας φύσεως οὕτω σοφὰ καὶ καλὰ ἔπη ἐργάσασθαι. *Homerus naturam divino afflatu inſtinctam ſortitus, variorum carminum ornatum fabricatus eſt: cùm non inſit ulli ea vis: ut ſine divinâ & geniali naturâ tam ſapientes & elegantes faciat verſus.* Juſtus Lipſius in manuductione ad Stoicam Philoſophiam corrigit, οὐκ ἄνευ. Sed non dubia eſt emendatio quam diximus.

§. 2. *Ab Homero multa didicere Philoſophi poſteriores, magnoque in pretio apud eos ſemper fuit.*

Zeno Citticus Stoicæ ſectæ ἀρχηγέτης ſcripſit Homericarum quæſtionum libros V.

§. 3. *Mythica hæc philoſophia fabularum involucris tum rerum naturam, tum prudentiæ exempla proponit. Ac Naturæ quidem arcana involvuntur Deorum Dearumque nominibus, & eorum connubiis atque affinitatibus. Unde vulgus quidem colligebat Deos eſſe innumerabiles; ſed ſapientiores, quid per ea intelligeretur, minimè ignorabant.*

Itaque judicium eſt Maximi Tyrii Orat. VII. ὅτι ποιητικὴ πᾶσα αἰνίττεται, *quòd omnis poëſis obſcurè rem innuit.* Atque addit, totum hoc fieri μεγαλοπρεπῶς, καὶ τῶν θεῶν δίκην. Hermogenes ſimiliter de Ideis, ubi de gravitate agit, quæ ei σεμνότης dicitur, ait gravitatem gigni ſententiis de Diis, non quibusvis, ſed illis, quæ proferuntur, de Deo decenter, ſive ut ejus verbis utar αἱ περὶ θεῶν, ὡς περὶ θεῶν λεγόμεναι. Ubi notare licet hominis gentilis judicium de poëticis fabulis. Vide & Juſtini λόγον παραινετικὸν πρὸς Ἕλληνας. Item Macrobium lib. I. in ſomnium Scipionis cap. II. ubi reſpondet Coloti Epicureo, qui ajebat *à philoſopho fabulam non oportuiſſe confingi: quoniam nullum figmenti genus veri profeſſoribus conveniret.* Diſtinguit verò Macrobius: inter fabulas, quæ ſolas aurium delicias profitentur, & quæ ad quandam virtutis ſpeciem intellectum legentis hortantur. De naturæ autem myſteriis ſic ibidem ſcribit; *Quia, inquit, ſciunt inimicam eſſe naturæ apertam nudamque expoſitionem ſui, quæ ſicut vulgaribus hominum ſenſibus intellectum ſui vario rerum tegmine operimentoque ſubtraxit; ita à prudentibus arcana ſua voluit per fabuloſa tractari. Sic ipſa myſteria figurarum cuniculis operiuntur, ne vel hæc adeptis nuda rerum talium ſe natura præbeat, ſed ſummatibus tantùm viris ſapientiâ interprete veri arcani conſciis, contenti ſint reliqui ad venerationem figuris defendentibus à vilitate ſecretum.* Addit deinde, *Numenio inter philoſophos occultorum curioſiori, offenſam numinum, quòd Eleuſinia ſacra interpretando vulgaverit, ſomnia prodiderunt, viſas ſibi ipſas Eleuſinias Deas habitu meretricio ante apertum lupanar ludere proſtantes; admirantique, & cauſſas non convenientis numinibus turpitudinis conſulenti, reſpondiſſe iratas, ab ipſo ſe adyto pudicitiæ ſuæ vi abſtractas, & paſſim adeuntibus proſtitutas.*

§. 4. *Ad vitæ inſtitutionem referuntur geſta Heroum.*

Ut quæ de Hectore, Achille, Æneâ, Oreſte, & aliis prodiderunt. Imò ut B. Baſilius ait, πᾶσα ἡ ποίησις τῷ Ὁμήρῳ ἀρετῆς ἐστιν ἔπαινος, καὶ πάντα αὐτῷ πρὸς τοῦτο φέρει, ὅ, τι μὴ πάρεργον. *Omnis poëſis Homeri eſt laudatio virtutis, omniaque ad hoc refert, præter ea fortaſſe, quæ ad ornatum adſpergit.*

§. 5. *Ad moralem Poëtarum Philoſophiam pertinent etiam, quæ commenti de Cocyto, Phlegetonte, Tartaro, ac ſimilibus per quæ perturbationes animi intelligebant.*

Ea vulgus ſic credebat, uti narrabantur; at longè aliter ſapientes. Unde I. Tuſc. Quæſtionum; *An tu inquit, hæc portenta inferorum eſſe credis?* Complura alia id genus legere eſt in libris de Naturâ Deorum.

§. 6. *Quædam in poëtarum fabulis ad utramque philoſophiam, naturalem dico & moralem pertinent, ut cùm idem & nomen eſt numinis, & nomen Herois.*

Ita Hercules ad naturalem philoſophiam refertur, quatenus Solem ſignat: ad moralem, quatenus nomen eſt Heroïs, qui XXX annis vixerit ante bellum Trojanum.

§. 7. *Verùm non cujusvis eſt hunc fructum ſapientiæ ac prudentiæ carpere ex Homero; ſed ejus tantummodo, qui aliquantum in rerum natura ac virtute profecit: cæteri enim ſolùm fabellis capientur. Quin moribus etiam periculum ab fœdis iſtis erit, quæ poëta de Diis narrat, tanquam de ſuibus.*

Idcirco Plato in Alcibiade putat, οὐ δεῖν τοὺς ἀμυήτους τῆς σοφίας Ὁμηρικοῖς ἐμπίπτειν ποιήμασιν, ἵνα μὴ μύθους οἰήσωιντο γράφειν τὸν ἥρωα. *Non debere eos, qui necdum ſunt ſapientiæ initiati incidere in Homerica poëmata, ne heroa illum arbitrentur ſcribere fabellas.*

§. 8. *Imò ſæpè ea eſt obſcuritas fabularum, ut nec ſatis capiant eas ipſi Philoſophi, ſed alius hoc, alius aliud ſignificari conjectet; nec tam fabulas ſententiæ adaptent ipſius poëtæ, quàm ſuam fabulis.*

Pertinent huc quæ Stobæus in Eclogis Phyſicis lib. II. cap. I. adducit ex Porphyrio de Styge; Sunt autem hujuſmodi; Ἔστι δὲ ἡ τούτου τοῦ ποιητοῦ δόξα οὐχ ὡς ἄν τις νομίσειεν εὔληπτος· πάντες μὲν γὰρ οἱ παλαιοὶ τὰ περὶ τῶν θεῶν καὶ δαιμόνων ἐσήμαναν, Ὅμηρος δὲ καὶ μᾶλλον τὰ περὶ τούτων ἀπέκρυψε, τὸ μὴ προηγουμένως περὶ αὐτῶν διαλέγεσθαι, καταχρῆσθαι τοῖς λεγομένοις εἰς παράστασιν ἄλλων. τῶν γοῦν ἀναπτύσσειν ἐπιχειρησάντων τάδε ὑπονοίας παρ' αὐτῷ λεγόμενα ἱκανώτατα δοκῶν ὁ Πυθαγόρειος Κρόνιος τοῦτ' ἀπειργάσασθαι, ὅμως ἐν τοῖς πλείστοις ἄλλα τε ἐφαρμόζει τῶν τεθεισῶν ὑποθέσεσι, τὰ Ὁμήρου μὴ δυνάμενος, οὐ παρὰ τοῦ ποιητοῦ τὰς δόξας, τῶν δὲ παρ' αὐτοῦ προσάγειν τῷ ποιητῇ πεφιλοτίμηται. *Neque verò tam intellectu facilis eſt Poëtæ opinio, quàm quis putarit. Cùm enim omnes antiqui de diis ac dæmonibus tectè ſunt locuti, tum Homerus hæc occultavit maximè, quòd non tam diſertè de ipſis tractet, quàm iiſdem ad alia declaranda abutatur. Qui quidem inter eos, quibus ipſius ænigmata curæ fuit enucleare, præſtantiſſimus habetur Pythagoreus Cronius, in multis tamen aliena inter ſe connectit, nec tam ſe ad Poëtæ opiniones, quàm Poëtam ad ſuas accommodare nititur.*

Cap. V.

DE PHILOSOPHIA GRÆCORUM NON FABULOSA; AC PRIMO DE IONICA.

§. 1. *Sequitur Philoſophia Græcorum non fabuloſa. Ejus antiquitus tres erant Sectæ, Ionica, Italica, Eleatica.*

IOnica cœpit à Thalete Mileſio. Unde & Ionica dicta. Nam Miletus Thaletis patria, præcipua Ioniæ civitas, juxta Melam. Natus is Olymp. XXXI, ut ex Apollodoro tradidit Laërtius. Temporibus Alyattis vixiſſe ait Plinius lib. II. Hiſt. Nat. Sub Aſtyage Cic. lib. I. de Divin. quæ probè conveniunt: cùm duo hi reges inter ſe bellum geſſerint. Lactant. lib. III. cap. XIV; *Unde apparet aut Pythagoram voluiſſe laudare, qui ſe primus Philoſophum nominavit, aut Mileſium Thaletem, qui de rerum naturâ primus dicitur diſputaſſe.* Quàm multa in Matheſi, & rerum naturâ primus obſervarit, docebit Laërtius lib. I. De eodem ſic Apulejus in IV. Flor. *Thales Mileſius ex ſeptem illis ſapientiâ memoratis viris facilè præcipuus. Fuit enim geometricæ penes Grajos primus repertor, & naturæ rerum certiſſimus explorator, & aſtrorum peritiſſimus contemplator, maximas res parvis lineis reperit: temporum ambitus, ventorum flatus, ſtellarum meatus, tonitruum ſonora miracula, ſiderum obliqua curricula, Solis annua reverticula: idem Lunæ vel naſcentis incrementa, vel ſeneſcentis diſpendia, vel delinquentis obſtacula. Idem ſanè jam proclivi ſenectute divinam rationem de Sole commentus eſt; quoties Sol magnitudine ſuâ circulum, quem permeat, metiatur.*

§. 2. *Multùm verò ad propagandam ſapientiam contulere & alii ejusdem ævi. Nam præter Thaletem ſex numero eodem tempore ſapientes habebantur.*

Qui patriâ differebant. Nam Chilo Lacedæmonius, Pittacus Mitylenæus, Bias Prieneus, Cleobulus Lindius, Periander Corinthius, & Solon Athenienſis. De quorum vitis Diogenes.

§. 3. *Thales rerum originem voluit eſſe Aquam; nempe quia ſemen animantium ſit humidum, nec alimentum ſine humido conſtet.*

Quas cauſas adfert Plutarchus de placitis Philoſophorum. Fortaſsè tamen id didicerat ab Ægyptiis, illi à Iudæis. Moſes enim ait; *Spiritus ferebatur ſuper aquas.* Item, *producant aquæ reptile.*

§. 4. *Succeſſit Thaleti Anaximander Mileſius. Qui in aliquibus à præceptore receſſit. Nam non unum principium poſuit, ſed infinita, itemque mundos infinitos: Deos nativos, longoque intervallo Orientes & Occidentes.*

De hujus dogmatis præter Ariſt. I. φυσ. ἀκροάσ. Cic. lib. I. de naturâ Deorum, Laërtium in vitis, & Plutarchum de placitis: vide Juſtinum Martyrem Orat. ad Græcos, Euſebium lib. I. de præpar. cap. V. & XIV. & Auguſtinum lib. VIII. de Civitate Dei cap. II.

§. 5. *Anaximandro Mileſio, ſucceſſor Anaximenes itidem Mileſius.*

De quo ſic ibidem Auguſtinus. *Iſte omnes rerum cauſas infinito aëri dedit, nec Deos negavit, aut tacuit; non tamen ab ipſis aërem factum, ſed ipſos ex aëre ortos credidit.* Natus eſt Olymp. LXIII. Obiit anno eodem, quo Crœſus à Cyro captus juxta Apollodorum apud Laërtium.

§. 6. *Anaximeni Mileſio ſucceſſit Anaxagoras Clazomenius.*

Teſtis ibidem Auguſtinus, & ante eum alii. Obiit Olymp. LXXVIII anno ætatis LXII. Ponebat in unoquoque corpore partes infinitas tum ὁμοιογενεῖς, ſive ὁμοιομερεῖς, ubi idem nomen totius ac partis, ut in aqua, carne, oſſe; tum ἑτερογενεῖς, ubi nomen diverſum, quales oculus, manus, ramus. Inter cætera quoque docebat, Solem eſſe maſſam, ſive glebam ignitam Peloponneſo majorem. Item ut aurum ex minutiſſimis ramentis, ita univerſum hoc ex ſimilium partium corporibus conſtare. Animantes primùm ex calore ac humore & terra prognatas, poſtea ex mutuo congreſſu, mares ex latere dextro, feminas ex ſiniſtro. Illud rectè, quod primus Mentem omnia doceret condidiſſe, ut præter Lucilium Vellejus teſtatur apud Cic. lib. I. de Natura Deorum. Juſtinus tamen ἄθεον vocat orat. ad Græcos; ſed ſecutus ea parte judicium adverſariorum ejus. Nam à Cleone impietatis eſt accuſatus, quòd Solem dixiſſet μύδρον διάπυρον, non Deum. Ac ſimiliter Lucianus in Timone ait Jovem jaculaſſe fulmina in caput Anaxagoræ, quia familiares docuiſſet, non eſſe Deos qui vulgo tales putarentur.

§. 7. *Hic primus ex Aſiâ ſcholam tranſtulit Athenas.*

Ubi Socratem & Euripidem docuit. Uti & Periclem.

§. 8. *Illi ſucceſſit Archelaus Athenienſis.*

Au-

Auguſtinus de Civ. Dei lib. VIII. cap. II; *Anaxagoræ ſucceſſit auditor ejus Archelaus: etiam ipſe de particulis inter ſe diſſimilibus, quibus ſingula quæque fierent, ita omnia conſtare putavit, ut ineſſe etiam mentem diceret, quæ corpora diſſimilia, id eſt, illas particulas conjungendo & diſſipando ageret omnia.*

§. 9. *Hunc Socrates audivit.*

Ut ibidem ait Auguſtinus.

§. 10. *Hic moralem philoſophiam primus induxit: unde & de cælo ad terram dicitur philoſophiam devocaſſe.*

De eo oraculum Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος. quod reſponſum Socratis ſodali Chærephonti, cùm rogaſſet, quis hominum eſſet ſapientiſſimus.

CAP. VI.

DE SECTA ITALICA.

§. 1. *Italicam ſectam condidit Pythagoras. Is à quo Philoſophia nomen cæpit: occaſionem refert Cic. in V. Tuſcul.*

Dicta eſt Italica, quia Pythagoras docuit in ea Italiæ parte, quæ Magna Græcia vocabatur, ubi Tarentus, Metapontus, Heraclea, Croto, Thurii. Eſtque hæc ſecta aliquot annis junior Ionica. Nam Pythagoras annos natus XVIII acceſſit Anaximandrum, ejusque præceptorem Thaletem, qui tum ſenex erat, atque ab eo conſilium accepit proficiſcendi in Ægyptum. Poſteaque etiam in Aſiam abiit ad Chaldæos. Ac demum à peregrinatione hac reverſus in magna Græcia docuit; quia Polycrates Sami, ubi natus erat Pythagoras, jam Tyrannidem occupaſſet. Thales verò obiit Olympiade LVIII. ut autor eſt Laertius in ejus vita, & Cyrillus adverſus Julianum lib. I. At LX. Olymp. floruit præceptor ejus Pherecydes. LXIV Polycrates Samius fuit Tyrannus, ipſeque Pythagoras deceſſit anno ultimo Olymp. LXX. ut narrat Euſebius. Quare errat Apulejus in Florid. ubi ei Pythagoras dicitur *primus philoſophiæ nuncupator & conditor.* Luculento eum elogio ornavit Ovid. XV. Met.

Mente Deos adiit, & quæ natura negavit
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

Crotoniatæ quidem, & Metapontini, (apud quos diem ultimum obiiſſe creditur) uſque adeò eum admirabantur, ut ex domo ejus templum facerent, ac mortuum numinis inſtar colerent. In iis quæ primus obſervavit, etiam eſt quòd deprehenderit Luciferi naturam, ut autor eſt Plinius Hiſt. lib. II. cap. VIII. Sed quod ibidem legas hoc contigiſſe Olymp. circiter XLII. id verum eſſe nequit. Veriùs Clemens lib. I. Στρωματ. ubi eum & Polycratem Tyrannum refert ad τὴν ἑξηκοστὴν δευτέραν Ὀλυμπιάδα. Quare exiſtimet aliquis pro LXII. proclivi errore ſcriptum eſſe XLII. Sed obſtat quod ſequitur eum eſſe annum Urbis CXLII. Ac LXII incidit in annum urbis CCXXII. qui eſt ſecundus Tarquini Superbi. Itaque aut uterque numerus eſt corruptus, aut vehementer erravit Plinius.

§. 2. *Originem Philoſophiæ Pythagoricæ inquirenti, parebit eum multum debere barbaris. Ac primùm Thracibus, ut de eo prodidit Hermippus.*

Qui Thracum opiniones amplexum apertè tradit, teſte Flavio Ioſepho lib. I. contra Apionem Grammaticum. Fortaſſe hoc inde eſt, quia Pittacus Mitylenæus natus fuit patre Hyrrhadio, quem Thraca fuiſſe ſcripſit Duris Laertio teſte. Nam Pittacus ille præceptor fuit Pherecydis Syrii: Pherecydes Pythagoræ, cui eum Zoilus commendarat, patruus Pythagoræ. Fortaſſe & eo aliquis probabit initium Italicæ Philoſophiæ ductum à barbaris, quia Pherecydes ille Syrus dicatur multis, quaſi è Syria fuerit. Sed fuit è Syro inſula, ut *Syrius* non *Syrus* dici debeat. De eo ſic Apulejus in Floridis: *Quin etiam Pherecydes Syro ex Inſulâ oriundus, qui primus verſuum nexu repudiato conſcribere auſus eſt paſſivis verbis, ſoluto locutu, liberâ oratione. Eum quoque Pythagoras magiſtrum coluit, & infandi morbi putredine in ſerpentium ſcabiem ſolutum religioſè humavit.* Significat Pherecydem deceſſiſſe φθειριάσει ſeu *morbo pediculari*: quod & alii prodidere.

§. 3. *Idem hauſit plurima à ſacerdotibus Ægyptiis.*

Nempe cùm reliquam Philoſophiam, tum ſacrificia ac cultum Deorum, Iſocrates in Buſiride: Πυθαγόρας ὁ ἀφικόμενος εἰς Αἴγυπτον, καὶ μαθητὴς ἐκείνων γενόμενος, τήν τε ἄλλην φιλοσοφίαν πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐκόμισε, καὶ περὶ τὰς θυσίας τε καὶ τὰς ἁγιστείας τὰς ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐπιφανέστερον τῶν ἄλλων ἐσπούδασε. Clemens etiam in I. Στρωμ. edocet nos præceptoris nomen. Ἱστορεῖται δὲ Πυθαγόρας μὲν Σώγχηδι τῷ Αἰγυπτίῳ ἀρχιπροφήτῃ μαθητεῦσαι. Huic etiam genti debet τὸν τῆς διδασκαλίας τρόπον συμβολικὸν, καὶ πάντῃ ὅμοιον τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ διδάγμασι * ut Jamblichus indicat lib. I. de vita ejus cap. V. Imò ut multa bona, ita & mala quædam ab Ægyptiis hauſit: ut errorem μετεμψυχώσεως. Nam primùm hanc Ægyptios docuiſſe auctor eſt Herodotus in Euterpe. Atque addit ab his accepiſſe Græcorum illos, qui quaſi proprium dogma hoc tradidere. Ait ſe eorum nominibus parcere: ſed Pythagoreos ſignari ſatis eſt apertum.

* *Symbolicam docendi rationem, ac plane ſimilem Ægyptiæ.*

§. 4. *Etiam diſcendi ſtudio verſatus cum Perſarum Magis, & Aſſyriis ſeu Chaldæis; item in Cretâ cum Epimenide.*

Auctor præter alios Laertius, qui ait omnibus penè Græcis ac barbaris myſteriis initiatum fuiſſe; linguamque etiam Ægyptiam didiciſſe. Exinde in Aſſyria cum Chaldæis, in Perſia cum Magis converſatum. Inque Creta fuiſſe cum Epimenide, quicum & in Idæum antrum ſit ingreſſus. Epimenidem hunc *inclytum fatiloquum* vocat Apulejus in II Florid. Ubi & addit Pythagoram magiſtro uſum Leodamante diſcipulo Creophili, qui Homeri hoſpes, & canendi æmulus fuit. Sed qui iſtic Leodamas, is Ἑρμοδάμας Laertio lib. VIII. & Suidæ. Quod autem Platonem etiam audiviſſe addit, is junior quidam Plato, ac ipſe etiam fatiloquus fuit, uti Epimenides quicum jungitur. Nam quo minùs Academiæ princeps intelligatur tempora planè obſtant. Caſaubonum, qui pro Platone reponit Solonem, falli arbitror.

§. 5. *Plurimùm etiam Iudæis debuit Pythagoras.*

Auctor Fl. Joſephus lib. I. contra Appionem. Qui & ejuſce rei teſtem laudat ſcriptorem gentilem, eumque luculentum, Hermippum nomine, qui in primo de Pythagora libro aſſerit, eum Judæorum & Thracum opiniones imitari, atque adeò multas Iudæorum leges in Philoſophiam tranſtuliſſe. Quod & Origenes tradit lib. I. contra Celſum; Λέγεται δὲ καὶ Ἕρμιππον ἐν τῷ πρώτῳ περὶ νομοθετῶν ἱστορηκέναι Πυθαγόραν τὴν αὑτοῦ φιλοσοφίαν ἀπὸ Ἰουδαίων εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν. Imò & Malchus ſive Porphyrius, ut Ægyptios, ita quoque Arabas, Hebræos, & Chaldæos acceſſiſſe ait. Hinc pluſcula ei cum populo Dei communia. Clemens Alexandrinus lib. I. Στρωμ. Καὶ Πυθαγόρας πολλὰ τῶν παρ' ἡμῖν μετενέγκας εἰς τὴν ἑαυτοῦ δογματοποιΐαν. *Pythagoras etiam multa ex noſtris tranſtulit in ſuorum dogmatum traditionem.* Ac Plato, quia Pythagoram in multis ſecutus, ille Moſen, Moſes Atticiſſans dictus Numenio Pythagoræo. Unde Clemens ibidem ſubdit, Νουμήνιος δὲ ὁ Πυθαγόρειος φιλόσοφος ἄντικρυς γράφει· τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικίζων. *Numenius autem Philoſophus Pythagoricus apertè ſcribit: Quid eſt Plato niſi Moſes*

Moſes Atticiſſans? De Pythagorâ pretium operæ ſit legere, quæ Godefridus Wendelinus tradit in epiſtola ad Erycium Puteanum diſſertatione de Pythagoræ Tetractу.
* Edita an. 1637. * Quâ docet ſignari eo nomen Dei τετραγράμματον. Hoc à Judæis, & quidem prophetâ Daniele, magorum principe hauſiſſe, qui tum fuerit ſeptuagenarius. Sanè ex Clemente Alexandrino conſtat fuiſſe circumciſum: ſive id factum ſit cùm adoleſcens ageret Babylone, ſive cùm in urbe Biblo, vel Sidone verſaretur cum Carmelitis, hoc eſt, diſciplinam profeſſis, quæ fuit Eliæ & Eliſæi in monte Carmelo.

§. 6. *In Græciâ verò uſus magiſtro Pherecyde Syrio.*

Pherecydes hic Straboni lib. x. Σύριος dicitur, ac Babyos filius, ac Apulejo itidem *Syro ex Inſula oriundus.* Laërtio libro primo Φερεκύδης, Βάδυος, Σύριος. Ubi malim Βάβυος, vel Βάβιος: Nam per β ſcribunt, & Strabo, & Suidas. Σύριος autem dicitur à Syrâ (melius Syro) Cycladum unâ propè Delum: ut addit Suidas.

§. 7. *Pherecydes hic quorundam judicio Pittacum audivit: alii nullo præceptore uſum exiſtimant, ſuaque hauſiſſe ex occultis Phœnicum libris.*

Primum tradidit Alexander in ſucceſſionibus, ut ait Laërtius: alterum Suidas refert in Φερεκύδης. Verba ejus ſuperius retulimus.

§. 8. *Animas primus docuit immortales.*

Ita Cicero lib. I. Tuſcul. Quæſt. & ex eo Lactantius lib. VII. cap. 8. Nec non B. Auguſtinus Epiſt. III. ad Voluſianum, ubi ſic ſcribit: *Quis nunc extremus idiota, vel quæ abjecta muliercula, non credit animæ immortalitatem, vitamque poſt mortem futuram. Quod apud Græcos olim primus Pherecydes cùm diſputaſſet, Pythagoram Samium, illius diſputationis novitate permotum, ex athleta in philoſophum vertit.* Quod pugilem ait Pythagoram primùm fuiſſe id quoque Laërtius prodit lib. VIII. Apud quem cætera de ejus vitâ, & doctrinâ: Inter alia & illud, ut morbo obierit pediculari: quod etiam prodidit Apulejus lib. II. Florid. Ælianus Var. Hiſt. lib. IV. cap. XXVIII, & Heſychius Mileſius.

§. 9. *Præter Pherecydem audivit in Græciâ Hermodantem & Anaximandrum Phyſicum.*

De quo dictum in ſucceſſione ſectæ Ionicæ.

§. 10. *Pythagoras, ut aliqui cenſent, tria reliquit opera, παιδευτικὸν, πολιτικὸν, φυσικόν.*

Hoc ordine eos libros recenſet Laërtius. Sed malim πολιτικῷ tradere locum poſtremum. Nam Pythagoras poſtremo omnium exercebat diſcipulos ſuos in ſcientiâ civili: ut ex Varrone docet B. Auguſtinus extremo libro II. de Ordine. Præter tria hæc & alia ei tribuit Heraclides in Sotionis epitome, ut idem Laërtius auctor eſt.

§. 11. *Alii arbitrantur nihil ſcripſiſſe.*

Quos διαπαίζειν, hoc eſt ludere ac nugari ait Laërtius. Suamque ſententiam non obſcurè adſtruit ex Heraclito phyſico, qui ex Pythagoræ ſcriptis quædam adducit. Eos tamen ſequitur B. Auguſtinus lib. I. de Conſenſu Euangeliſt. cap. VII. Ubi gentilibus quærentibus cur Chriſtus nihil ſcripſerit. *Pythagoras* inquit, *quo in illâ contemplativâ virtute nihil tunc habuit Græcia clarius, non tantum de ſe, ſed nec de ulla re aliquid ſcripſiſſe perhibetur.*

§. 12. *Utcumque hoc eſt, ſaltem ejus nihil ad nos pervenit. Eoque ejus viri philoſophia partim ex diſcipulis & ſectatoribus peti debet: partim ex illis, qui ejus vitam ſcripſere: partim ex ſymbolis Pythagoricis, & iis, quæ varii ſcriptores de Pythagoræ dogmatis admiſcent.*

Sectatorum quædam ſuperſunt: ut illa Hippodami Thurii de Felicitate: Euryphami de vitâ: Hipparchi de Animi tranquillitate: Archytæ de viro bono, deque mortum doctrina: Theagis de virtutibus: Metopi de virtute: Cliniæ quiddam de cauſſis virtutis: Critonis de Prudentia & Felicitate: Poli de Juſtitia: Item Epiſtolæ Lyſidis, qui Pythagoræ auditor fuit, & Theanus, quæ erat uxor Pythagoræ, & Meliſſæ, ac Mujæ: & paucula incerti ſcriptoris. Quibus omnibus, cùm plurima inſint auro magis aurea, non magis ea in manibus eſſe, ambigo magiſne mirer, an indigner. Magis noti verſus, qui vulgò dicuntur Aurea carmina Pythagoræ. Ac verè quidem dicuntur Aurei; ſed de autore falluntur, cùm ſint Lyſidis Pythagorici, qui cùm Thebas fugiſſet Epaminondam inſtituit, Laërtio teſte, & ante eum Cornelio Nepote, in Epaminondæ vitâ. Atque hinc etiam ætatem Lyſidis cognoſcimus. In hoc carmen Lyſidis pulcherrimus ſupereſt Hieroclis commentarius: quem & ipſum neglectui eſſe doleo. Stoicus fuit, ſed Pythagoreorum mentem optimè expreſſit. Symbola Pythagoræ complures collegere: ea interpretantur, Laërtius, Plutarchus, alii: è junioribus Deſiderius Chiliadum initio: Sed omnium accuratiſſimè Lilius Gyraldus. Adde his vitam Pythagoræ ſcriptam ab his tribus, Laërtio, Malcho ſive Porphyrio, & Jamblicho. Item quæ de Pythagora ejuſque dogmatis apud Ciceronem, Plutarchum, atque alios legere eſt paſſim. Utinam verò extarent quæ de Pythagoreâ philoſophia ſcripſere Ariſtoteles, Androcydes, Antiphanes, & Alexander; qui in hoc argumento à veteribus laudantur. Utinam ſupereſſet Philolaus, qui Pythagoræ dogmata conſcripſit. Euſebius in Hieroclem *: οὔτ' * P. 444.
Ἀρχύτας, οὔτ' αὐτὸς ἐκεῖνος ὁ τὰς Πυθαγόρου γραφῇ παραδοὺς & 445.
ὁμιλίας Φιλόλαος. *Neque Archytas, neque ipſe ille Phi-* Edit. Pa-
lolaus qui diſſertationes Pythagoræ ſcripto tradidit. Uti- riſinæ Phi-
nam & ſupereſſet Didymus, quem de philoſophia Pythago- loſtr. anno
rica librum feciſſe, auctor eſt Clemens Alexandrinus lib. I. 1608.
Στρωματέων. Utinam quoque haberemus, quos ſcripſit Moderatus Gaditanus libros quinque de ſcholis ſive diſſertationibus Pythagoricis: teſte Stephano in Γάδειρα. Ac meminere etiam Porphyrius apud Euſebium lib. XVI. Hiſtor. Eccleſ. cap. XIX. & Hieronymus apologia adverſus Rufinum: ubi eum vocat virum diſertiſſimum, ac inter eos reponit, quos imitatus ſit Jamblichus, ut mirum ſit Jamblichum ejus nuſquam meminiſſe.

§. 13. *Duplex erat Pythagoræ docendi ratio, una διεξοδικὴ, quæ aperta magis ac facilis: altera συμβολικὴ quæ obſcura, & myſtica.*

Auctor Porphyrius de vita Pythagoræ. De poſteriori genere ſic Juſtinus Martyr cohortatione ad Græcos: Ὁ δὲ τοῦ Μνησάρχου Πυθαγόρας, ὁ τὰ δόγματα τῆς ἑαυτοῦ φιλοσοφίας διὰ συμβόλων μυστικῶς ἐκθέμενος, ὡς δηλοῦσιν οἱ τὸν βίον αὐτοῦ γεγραφότες. Etiam ei τὸν τῆς διδασκαλίας τρόπον συμβολικὸν tribuit Clemens Alexandrinus: ac Porphyrius & Jamblichus in vitâ Pythagoræ: ut cæteros mittam.

§. 14. *Ad συμβολικὸν doctrinæ genus pertinent brevia illa atque ænigmatica dicta, quibus utilia vitæ præcepta complexus fuit.*

Ut *Stateram ne tranſili*, hoc eſt, Ne viola juſtitiam, vel Ne avaritia pecces. *Ne cor edas.* h. e. ne te curis conficias. *Ignem gladio ne fodias.* h. e. Iratum ne maledictis laceſſas. *Hirundinem ſub tectum ne recipe.* h. e. Garrulum ne admitte. Et ſimilia. Quæ legere eſt apud Laërtium, Malchum & Jamblichum, vitæ Pythagoreæ ſcriptores. Item Cyrillum P. 209
lib. IX contra Iulianum. Ac è junioribus Eraſmum initio Lat. Ed.
Chiliadum, & Lilium Gyraldum libello de iis peculiari. Baſ.

§. 15.

§. 15. *Nec moralia ſolùm præcepta ænigmaticè propoſuit, ſed præterea numeris, figuris, ac propoſitionibus naturæ, & Dei etiam myſteria velabat: quaſi omnia haberent ſimilitudinem & conſenſum cum numeris ac figuris.*

Ita Apollinem unitate ſignabat, binario Dianam, ſeptenario Minervam, primo cubo Neptunum, ut ait Plutarchus de Iſide ac Oſiride. Hujus veſtigia habemus in Timæo Platonis, & Proclo ejus interprete. Vide & Athenæum in XIV. Dipnoſoph. ubi ex ſententia Pythagoræ ait, univerſum hoc conſtare vi Muſica, ac propterea ex Diis Apollinem, ex ſemideis Orphea credi μουσικώτατον καὶ σοφώτατον.

§. 16. *Pythagoras inprimis ſuos exercebat in Arithmeticis: quam ille à mercaturâ abduxit, & aliis rebus applicavit.*

Stobæus in Ecl. Phyſ. lib. I. c. II. τὴν δὲ περὶ τοὺς ἀριθμοὺς πραγματείαν μάλιστα πάντων τιμῆσαι δοκεῖ Πυθαγόρας, καὶ προαγαγεῖν εἰς τὸ πρόσθεν, ἀπαγαγὼν ἀπὸ τῆς τῶν ἐμπόρων χρείας· πάντα τὰ πράγματα ἀπεικάζων τοῖς ἀριθμοῖς. *Numerorum verò diſciplinam omnium maximè feciſſe videtur Pythagoras, & in medium produxiſſe abductam à mercatorum uſu; cum numeris res omnes comparans.*

§. 17. *Poſtquam jacta in Arithmeticis fundamenta erant, maximè ſuos excolebat in his tribus, Muſicis, Medicina, (præcipuè quæ fit accurata victus ratione) & in Divinatione.*

De hoc ita Iamblichus κατὰ λέξιν libro de vita Pythagoræ cap. XXIX: Τῶν δ' ἐπιστημῶν οὐχ ἥκιστα φασὶν αὐτοὺς τοὺς Πυθαγορείους τιμᾶν μουσικήν τε καὶ ἰατρικὴν, καὶ μαντικήν. *Porro ex ſcientiis aiunt ipſos Pythagoreos nequaquam minimo in pretio habere Muſicam & Medicinam, ac divinandi artem.* Addit deinde, τῆς δ' ἰατρικῆς μάλιστα μὲν ἀποδέχεσθαι τὸ διαιτητικὸν εἶδος. *Ex medendi arte maximè recipere eam partem quæ fit per diætam ſive victus rationem.* Plura ibidem de Medicina eorum ſubjungit.

§. 18. *Diſcipulorum Pythagoræ alii erant ἀκουστικοὶ, ſive ἀκουσματικοὶ, alii μαθηματικοί. Priores nudis erudiebantur præceptis, ut quibus τὸ ὅτι ſolùm proponeretur. Poſteriores etiam diſcebant τὸ διότι, ſive cur ſic ſe aliquid, & non aliter haberet.*

Auctor Clemens Alexandrinus lib. V. Στρωματ. Item Porphyrius & Jamblichus in vita Pythagoræ. Nempe qui vel ingenio minùs valerent, vel Reip. negotiis diſtricti, non poſſent ſe totos dare Pythagoræ, priori genere docendi erant contenti: poſteriori autem erudiebantur, qui germani eſſent diſcipuli; ac inprimis juniores; quippe ferendis laboribus, ac ad diſcendum aptiores: unde & μαθηματικοὶ dicebantur. Duplici huic generi, τῶν φυσικῶν addit Gellius, lib. I. cap. IV. Imò & plura genera adfert Pythagoreæ vitæ autor, ex quo ſua excerpſit Photius Cod. CCXLIX. Ipſum vide.

§. 19. *Ante omnia diſcipulos docuit tacere.*

Apulejus in Floridis: *Tot ille doctoribus eruditus, tot tamque multi jugis fontibus diſciplinarum toto orbe hauſtis, vir præſertim ingenio ingenti, ac profectò ſupra captum hominis animi auguſtior, nihil prius diſcipulos ſuos docuit, quàm tacere; primaque apud eum meditatio ſapienti futuro, linguam omnem coërcere; verbaque, quæ volantia poëtæ appellant, ea detractis pinnis intra murum candentium dentium premere.*

§. 20. *Cauſſa hujus ſilentii erat, ut primò diſcerent diſcipuli tacere; quæ res eſt & difficillima, & maximè utilis ac neceſſaria.*

Unde Jamblichus lib. I. cap. XXXI. Ἐστὶ δὲ πάντων χαλεπώτατον ἐγκρατευμάτων τὸ γλώττης κρατεῖν. Et Catonis eſt in diſtichis:

Proximus ille Deo eſt, qui ſcit ratione tacere.

§. 21. *Itaque ob ſilentium hoc etiam Iſocratis ævo magno in honore Pythagorei erant.*

Sic enim ſcribit in Buſiride: Ἔτι γὰρ καὶ νῦν τοὺς προσποιουμένους ἐκείνου μαθητὰς εἶναι, μᾶλλον σιγῶντας θαυμάζομεν, ἢ τοὺς ἐπὶ τῷ λέγειν μεγίστην δόξαν ἔχοντας. *Eos qui nunc quoque ſe ut ejus diſcipulos gerunt, magis, dum tacent, admiramur, quàm alios, qui magnam dicendo ſunt gloriam conſecuti.*

§. 22. *Diſcipulorum hoc duplex ſilentium erat. Prius erat certo tempore definitum, quod ἐχεμυθίαν dixere.*

Ut videre eſt ex Aulo Gellio lib. I. cap. IX. Ἐχέμυθος autem, quaſi ἔχων ἐν ἑαυτῷ τὸν μῦθον σιωπῇ. Vide Heſychium, & Suidam in Ἐχεμυθεῖ. Aliter, ſed rarius, ἐχερημοσύνην dixere; ut ex Iamblicho videre eſt in vita Pythagoræ.

§. 23. *Silentium illud minimum biennii, ſummum quinquennii erat.*

De quinquennali hoc ſilentio auctor Servius in illud X. Æn. *Tacitis regnavit Amyclis.* Similiter Laërtius lib. VIII, qui πενταετίαν vocat. Nec tamen ab omnibus exegiſſe πενταετῆ ἐχεμυθίαν, docet Gellius lib. I. cap. IX. *Jubebat*, inquit, *certum tempus tacere; non omnes idem, ſed alium aliis tempus, pro æſtimato captu ſolertiæ.* Et paullò poſt; *Sed non minus quiſquam tacuit, quàm biennium.* Similiter Apulejus de eo in Floridis; *Non in totum tamen* (Pythagorici) *vocem deſueſcebant, nec omnes pari tempore elingues magiſtrum ſectabantur; ſed gravioribus viris brevi ſpatio ſatis videbatur taciturnitas modificata. Loquaciores enimvero ferme in quinquennium, velut in exilium vocis mittebantur.* Pythagoræ hujus exemplo etiam Baſilides hæreticus πενταετῆ σιωπὴν, *quinquennale ſilentium* à diſcipulis exigebat: ut ait Euſebius Hiſt. Eccl. lib. IV. cap. VII.

§. 24. *Alterum ſilentium erat perpetuum: quo Pythagoricis inter ſe quidem loqui liceret: cum extraneis verò, hoc eſt non Pythagoricis de iis, quæ didiciſſent, loqui non liceret.*

Eoque reſpexit Cic. lib. I. de Natura Deorum. *Nec tu me celas, ut Pythagoras ſolebat alienos.* Ubi *alieni* ſunt ἀμύητοι ſive ἀτέλεστοι, qui & θυραῖοι, & ἐξωτερικοὶ, & βέβηλοι, quomodo Latini quoque tales vocant *profanos*: quaſi non initiatos myſteriis. Hoc ſilentium quia perpetuum erat, παντελὲς ſive *omnimodum* dicebatur.

§. 25. *Arctiſſima etiam inter ſe conjunctio, ac bonorum etiam communio erat. Aliorum verò amicitias nullo habebant loco, utcumque opibus & honoribus pollerent.*

Hinc verſus illi apud Iamblichum lib. I. cap. XXXV.

Τοὺς μὲν ἑταίρους ἦγεν ἴσους μακάρεσσι θεοῖσι,
Τοὺς δ' ἄλλους ἡγεῖτ' οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

Nempe illis lex erat, μόνοις τοῖς Πυθαγορείοις τὴν δεξιὰν ἐμβάλλειν· *Solis injicere Pythagoreis dextram.* Cæteros verò excludebant: πλὴν τῶν γονέων, *parentibus exceptis*: ut auctor eſt idem Iamblichus cap. XXXV. p. 216.

§. 26. *Hic aliorum contemptus, magnam iis invidiam creavit. Nam inde provenit, ut cùm unà in domo ſodalitium eorum ſoleret congregari, adverſus civitatem conjuraſſe à malevolis dicerentur, ac propè omnes internecione delerentur.*

Juſti-

Juſtinus lib. xx: *Trecenti ex juvenibus cùm ſodalitii jure ſacramento quodam nexi ſeparatam à cæteris civibus vitam exercerent, quaſi cœtum clandeſtinæ conjurationis haberent, civitatem in ſe converterunt, quæ eos cùm in unam domum conveniſſent, cremare voluit. In quo tumultu* LX *fere periere: cæteri in exilium profecti.* Meminit hujus etiam rei Polybius lib. II. ac Malchus ſive Porphyrius & Jamblichus in Pythagoræ vitâ. Atque hi duo tradidere, duos ſolùm effugiſſe, Archippum, & Lyſidem, Epaminondæ præceptorem. Sed ſic quoque καταχρηστικῶς ſcripſerit Auſonius Idyllio XV:

> *Vive & amicitias ſemper cole. Crimen ob iſtud*
> *Pythagoreorum periit ſchola tota Sophorum.*

Nec cædem hanc multam tulere illi, qui Pythagoreos oppreſſerant: ſed, ut Jamblichus refert, ab aliis, quibus de Pythagoreorum innocentiâ conſtaret, lapidibus obruti ſunt, abjectique inſepulti.

§. 27. *Magna hæc Pythagoræ gloria eſt, quòd in Italiâ tam multi Rerumpublicarum rectores præſtantiſſimi ex ejus ſchola prodierunt.*

In his celebre inprimis nomen fuit Zaleuco, & Charondæ, de quibus Seneca Epiſt. XCI, Jamblichus vita Pythagoræ lib. I. cap. XXX. Ac ille quidem ut præter alios autor eſt Valerius lib. VI. cap. V. Locrenſibus leges dedit; hic Thuriis. Quos cùm imperiti neſcirent eſſe in Italia, fecere ex eo Tyrios. Alii poſtea, quia Carthaginenſes ſcirent eſſe Tyriorum colonos, ſcripſere eum Carthaginenſium fuiſſe Legiſlatorem: quo in errore etiam eſt Alexander Genialium Dierum lib. VI. cap. X. Alios etiam Legiſlatores, qui ex Pythagorea ſchola prodierint, commemorat Jamblichus, eo quo dixi loco.

§. 28. *Quo loco idem Pythagoras habitus ſit à veteribus Romanis, argumento eſt, quod ei & Alcibiadæ ſtatuam poſuerint Romæ.*

Plinius lib. XXXIV. cap. VI: *Invenio & Pythagoræ, & Alcibiadi,* (ſtatuas) *in cornibus Comitii poſitas, cùm bello Samniti Apollo Pythius fortiſſimo Græcorum gentis juſſiſſet, & alteri ſapientiſſimo, ſimulachra celebri loco dicari, donec Sylla Dictator ibi Curiam faceret. Mirumque eſt illos patres Socrati, cunctis ab eodem Deo ſapientia prælato, Pythagoram prætuliſſe: aut tot aliis virtute Alcibiadem, aut quenquam utroque Themiſtocli.* Puto Pythagoram fuiſſe Romanis notiorem Socrate, quia docuerit in Italia. Puto & fuiſſe eo acceptiorem, quia Numa fuiſſe Pythagoricus vulgò crederetur: qua de re Plinius ipſe lib. XIII. cap. XIV. Adi & Plutarchum in Numa.

§. 29. *Hujus Numæ etiam opinio fuit, terram moveri, ſtare Solem cælumque.*

Ac eapropter, ut Plutarchus tradit, templum Veſtæ, quo ignis ſignificatur, rotundum fecit, ad mundi imaginem, in cujus medio eſſet ignis ille æternus, quo repræſentabat Solem.

§. 30. *Etiam Pythagoricus ex Romanis fuit Nigidius Figulus, gentis ſuæ poſt Varronem doctiſſimus.*

Quem egregium fuiſſe Pythagoricum, teſtis Tullius lib. de Univerſitate.

§. 31. *Quin & Judæi Helleniſtæ eum ſectati;*

Ut Philo Alexandrinus, qui, ut Euſebius ait lib. II. Hiſtor. Eccl. cap. IV. μάλιστα τὴν κατὰ Πλάτωνα, καὶ Πυθαγόρειον ἐζηλωκὼς ἀγωγὴν, διενεγκεῖν ἅπαντας τοὺς καθ' ἑαυτὸν ἱστορεῖται: *cùm maximè Platonica & Pythagorica Philoſophia amore arſiſſet, cunctos ſuæ ætatis exſuperaſſe prædicatur.*

§. 32. *Cavere interea oportet à quibuſdam capitalibus Pythagoræ erroribus.*

Hinc B. Auguſtinus, cùm impenſius Pythagoram laudaſſet lib. II. de Ordine, poſtea in primo Retractationum ſic ſcripſit: *Nec illud placet, quod Pythagoræ philoſopho tantum laudis dedi, ut qui hanc legit vel audit, poſſit putare, me crediſſe, nullos errores in Pythagorica eſſe doctrina, cùm ſint plures, iidemque capitales.* In his erroribus præcipuè erat, quod animas de aliis corporibus in alia dicerent tranſire: quæ res μετεμψύχωσις, μετενσωμάτωσις, & παλιγγενεσία dicebatur. *Recidivatum animæ* vocat Tertullianus: τὸ Ψυχῆς περιπάλησιν nominat Laërtius. Hoc dogma ſuum proponit Pythagoras apud Ovid. XV. Metam. Arguunt autem Tatianus Orat. adverſus gentes. Irenæus lib. I. cap. XX. & XXIV. Item Clemens Alexandrinus lib. IV. Στρωμ. Tertullianus lib. de Anima, inprimis cap. XXVIII. XXXI. & XXXII: Item Apologetici cap. XLVIII. Et de Reſurrectione carnis cap. I. Origenes lib. I. contra Celſum. Lactantius lib. III. cap. XIIX, & XIX. & lib. VII. cap. XXII. Et apud B. Ambroſium lib. de Bono Mortis cap. X. Hieronymum, adverſus Rufinum. Chryſoſtomum homil. I. in Ioannem Evangeliſtam. Auguſtinum lib. X. de Civit. Dei cap. XXX. Cyrillum, lib. VII. contra Julianum. Theodoretum in hæreticarum fabularum compendio, ubi de Carpocrate, & in Epitome divinorum decretorum, titulo de Homine, item de Judicio. Imò dogma hoc deridet quoque Lucianus in vitarum auctione, & in ſomnio ſive Gallo. Didiciſſe hoc dogma ab Ægyptiis, antea ex Herodoto diximus. Fortaſſe tamen exiſtimet aliquis ab Hebræis illud hauſiſſe: quia ſimilia Phariſæi ſenſerint. Verùm obſtat temporum ratio, cùm Phariſæi ſint juniores Pythagora, ut mittam quod illi ſolas bonorum animas putarint in alia corpora tranſire, idque ad breve tempus, ut facilis ſit iis in vitam reditus: malorum autem animas cenſeant perpetuis ſuppliciis puniri. Quâ de re Joſephus lib. XVIII. Antiq. cap. II. & de bello Judaïco lib. II. cap. VIII. Ut ab errore Phariſaïco fuerit, quòd Herodes putarit Ioannem Baptiſtam, quem capite truncarat, in Chriſto revixiſſe. Propter hanc de μετεμψυχώσει ſententiam Lactantio Firmiano lib. II. de falſa ſapientia cap. XVIII appellatur ſenex varius, & falſus Euphorbi ſucceſſor. Sed enim Ioannes Reuchlinus Artis Caballiſticæ lib. II. exiſtimat, quando doceret Pythagoras animam timidi ſubire fœminam, crudelis feram libidinoſi ſuem, levis avem, pigri piſcem, nempe ob morum ſimilitudinem, non hæc dixiſſe quòd ita ſentiret, ſed putaſſe ut pueros ſolent multi mendaciolis terrere, ſic ſtultum vulgus, quod non multò plus pueris ſapit, fabellis hujuſcemodi à vitiis deterreri oportere.

§. 33. *Dogma μετεμψυχώσεως ſecutus etiam Empedocles Agrigentinus; ut omnino Pythagoricis accenſendus videatur.*

Nam ſe canit prius fuiſſe & puellam, & puerum, & fruticem, & avem, & piſcem. Verſus eos refert extremo lib. VIII. Idem oſtendunt verſus in Pythagoræ laudem ſcripti, quos adducit Porphyrius in vita Pythagoræ, & Iamblichus ejuſdem vitæ cap. XV. Uti & duos priores Laërtius in Empedocle. Atque hæc confirmant opinionem Laërtii, qui Pythagoricum fuiſſe ait.

§. 34. *Secutus eſt Plato in Phædone.*

Quod B. Irenæo impoſuit lib. II. cap. LIX. ubi tradit Platonem Athenienſem priùs hanc ſententiam introduxiſſe. In quo planè falli, oſtendunt quæ de Pythagora diximus.

§. 35. *Atque hoc μετεμψυχώσεως dogma in cauſſa eſſe creditur, cur Pythagorei carnibus abſtinerent: Nempe ne ignari forte comederent parentes, avos, aliosve conſanguineos.*

Videre

Videre hoc eſt ex ſermone Pythagoræ apud Ovidium XV. Metam. Atque hanc cauſam etiam allegat poſt Clementem Origenes lib. IV. contra Celſum, & Hieronymus lib. II. adverſus Jovinianum.

§. 36. *Verùm fortaſsè illi veriſimilius, qui hoc putant ſolùm fuiſſe πρόσχημα, ſive prætextum.*

Cenſet id Diogenes: cujus interpres pravè πρόσχημα vertit *fabuloſum*. Veram autem cauſam cenſet Laërtius, quia ſic homines adſueſcerent cibis, qui magis ſint parabiles; ac quia res ea augeat corporis ſanitatem & ingenii acumen, cùm vapores carnium mentem offuſcent atque obnubilent. Quod etiam apud Clementem legas Pædagogi lib. II. Vide quoque Iamblichum in vita Pythagoræ qui paulo aliter. Addunt alii, quia ſi homines ſint miſericordes erga beſtias, longè erunt mitiores erga homines. Quam rationem legas apud Plutarchum illo commentario de Utilitate ex inimicis capienda: Item illo, utra animalia ſint prudentiora.

§. 37. *Imò nec ſatis convenit, an Pythagoras animalium omnium eſu abſtinuerit.*

Porphyrius lib. I. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων: Ἱστοροῦσι δέ τινες καὶ αὐτοὺς ἅπτεσθαι τῶν ἐμψύχων Πυθαγορείους, ὅτε θύοιεν θεοῖς. *Sunt qui narrent Pythagoreos ipſos non omnino ab animatis abſtinuiſſe, cùm ſacrificarent Diis. Laudat ejus rei auctorem Hermachum Epicureum.* Atque idem Porphyrius ſive Malchus in vita Pythagoræ ait, eos ſacrificaſſe ἀλεκτορίδας καὶ τῶν χοίρων τοὺς ἁπαλωτάτους, *gallinas, & teneriores porcellos.* Sed antiquiorem teſtem dabo, Ariſtoxenum Muſicum, Ariſtotelis diſcipulum: de quo ſic Gellius lib. IV. cap. XI; *Porculis Pythagoram minuſculis & hœdis tenerioribus victitaſſe, idem Ariſtoxenus refert. Quam rem videtur cognoviſſe ex Xenophilo Pythagorico, familiari ſuo, & ex quibuſdam aliis natu majoribus, qui ab ætate Pythagoræ haut multum aberant. Ac de animalibus Alexis etiam poëta in comœdia quæ Pythagorizuſa inſcribitur, docet.* Poſteà refert, ut Ariſtoteles quoque prodiderit Pythagoricos non abſtinuiſſe edundis animalibus, ſed pauca quadam carne; ut vulva, & corde, & urtica marina, & hujuſcemodi nonnullis, cæteris verò uſos eſſe. Atque hoc de Ariſtotele ſcriptum ait à Plutarcho libro primo de Homero. A quo etiam in ſympoſiacis dicatur, abſtinuiſſe eos piſciculis quibuſdam. Paulùm abiit Athenæus lib. VII. ubi ait; οἱ Πυθαγορικοὶ τῶν μὲν ἄλλων ἐμψύχων μετρίως ἅπτονται, τινὰ δὲ καὶ θύοντες: ἰχθύων μόνων οὐ γεύονται τὸ παράπαν. *Pythagorici modicè aliis quidem animatis veſcuntur, quædam etiam ſacrificant; ſolos omnino piſces, ne guſtant quidem.* Ac de piſcibus cauſam addit, non eam quidem, quia ſic fortaſſe comederent majores ſuos, ſed aliam ſymbolicam: nempe διὰ τὴν ἐχεμυθίαν. Θεῖον γὰρ ἡγοῦνται τὴν σιωπήν. *Quia ſilentium colunt: taciturnitatem enim rem eſſe divinam exiſtimant.*

§. 38. *Ridiculus etiam ille Pythagoræ error, quòd diceret par eſſe ſcelus comedere fabas, & capita parentum.*

Quod Pythagoram dicentem apud inferos Lucianus inducit. Eandemque ſententiam tribuit ei quoque Chryſoſtomus homil. I. in Euang. Iohan. Nec dubium quin reſpexerit uterque hunc verſum, qui eſt apud Clementem lib. III. Στρωμ. Ἴσον τοι κυάμους τρώγειν, κεφαλάς τε τοκήων. *Par eſt quippe fabam, atque caput corrodere patris.* Videtur autem eſſe Empedoclis, qui Pythagoræ fuit auditor. Sanè Empedoclis eſt iſte apud Gellium lib. IV. cap. XI.

Δειλοὶ πάνδειλοι, κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθε.
Ter miſeri, nolite fabas attingere dextris.

Qui verſus fortaſſe illum à Clemente adductum proximè anteceſſit.

§. 39. *Fortaſſe tamen, cùm Pythagoras & Empedocles fabis juſſerint abſtinere, ſymbolicè ſive Ænigmaticè intelligi id voluerint. Magnæ enim autoritatis ſcriptores tradunt, Pythagoram ipſum minimè fabis abſtinuiſſe.*

In his eſt Ariſtoxenus Muſicus, Ariſtotelis auditor, qui in libro, quem de Pythagora reliquit, *nullo ſæpius legumento Pythagoram dicit uſum, quàm fabis, quoniam is cibus, & ſubduceret ſenſim alvum, & levigaret.* Auctor Gellius lib. IV. cap. XI. qui & verba Ariſtoxeni adſcribit, atque addit, eos qui diligentiùs rem ſcrutati, putare, ab Empedocle per κυάμους ſignari teſticulos, quaſi εἰς τὸ κυεῖν δοτῆρας, καὶ αἰτίους τοῦ κυεῖν: ac propterea non à fabulo edendo, ſed à Veneris proluvio voluiſſe eum homines abducere.

§. 40. *Παράδοξον quoque, quòd Pythagorici ignem ſtatuerent in meditullio mundi.*

Nempe quia nihil igne præſtantius, eò, ut omnia ſervaret, hunc locum illi tribuerunt, teſte Ariſtotele lib. II. de Cælo, cap. XIII. atque addit vocaſſe Διὸς φυλακὴν *Iovis cuſtodiam.* Multoque ante Pythagoram natum ita ſenſiſſe Numam Pompilium, teſtis Plutarchus in ejus vitâ: ubi refert eò Veſtæ templum feciſſe rotundum, inque medio ejus ſtatuiſſe ignis cuſtodiam, qui Solis ſymbolum.

§. 41. *Item cælum, & ſtellas ſtare, terram movere crediderunt.*

Quæ & eſt ſententia Ariſtarchi Samii: ut eſt apud Archimedem in Arenar. Non ſatis verò apertum eſt, utrum is Pythagora antiquior, an recentior fuerit; Sed Pythagoricos ita cenſuiſſe auctor nobis Plutarchus in Numa, ubi tradit, *eos non putaſſe immobilem, ſed eſſe in gyrum circa ignem ſuſpenſam.* Quòd ſi Laërtium audimus, primus Philolaus Pythagoricus tradidit τὴν γῆν κινεῖσθαι κατὰ κύκλον. *Terram moveri in orbem.* Sed addit alios id inventum tribuiſſe Hicetæ Syracuſio. De quo & Cicero hoc pacto in IV. Academicarum Quæſtionum. *Hicetas Syracuſius, ut ait Theophraſtus, cælum, ſolem, lunam, ſtellas, ſupera denique omnia ſtare cenſet: neque præter terram rem ullam in mundo moveri.* Ibidem, ut & apud Plutarchum in Numa, legas, Platonem hoc ſenſiſſe jam ſenem. Nec mirandum, quandoquidem *ab Archytâ Tarentino, & Timæo Locrenſi Pythagoræ doctrinâ eruditus,* ut eſt apud B. Hieronymum apolog. adverſus Rufinum. Etiam ex antiquis aliis conſtat, idem ſenſiſſe Seleucum. Uti & eam Cleanthis Samii ſententiam fuiſſe, atque item Leucippi, ut de Heraclide & Ecphanto taceam. Majorum ævo hanc ſententiam, quaſi ab Orco ſuſcitavit in Italia *Nicolaus Cuſanus* S. Petri ad vincula Cardinalis lib. II, cap. XII. doct. ignorant: atque animoſiùs octoginta poſt annis defendit *Nicolaus Copernicus*, qui circa annum 1540. opus ſuum Paulo III. Pontif. M. ſacravit. Eum ſecuti *Chriſtophorus Rothmannus*, Wilhelmi Landgravii Haſſiæ mathematicus. *Michaël Mæſtlinus*, Matheſeos prius Heidelbergæ, Tubingæ poſtea profeſſor. *Iohannes Keplerus* trium Cæſarum Rudolphi, Matthiæ, Ferdinandi, Mathematicus. *David Origanus*, Francfurti ad Viadrum profeſſor matheſios. In Magna Britannia, *Guilhelmus Gilbertus* Colceſtrenſis, Londinenſis medicus. In Italia *Patricius*, *Galilæus*, *Foſcarius*. Et quid omnes enumerare attinet; Damnata hæc à Cardinalibus Romæ ſententia anno 1616. Sed hodieque à multis fortiter ac feliciter propugnatur.

§. 42. *Lyſis Pythagoricus præceptor fuit Epaminondæ.*

Hic ejus inſtitutione non Thebanorum modò, ſed omnium Græcorum ſuæ ætatis princeps evaſit; ut refert Diodorus Siculus in Excerptis * ab Henrico Valeſio editis è Conſtantini Porphyrogenneti Collectaneis. * p. 246.

§. 43. *Sextus Pythagoricus Philoſophus ſcripſit Enchiridion ſententiarum, quem Latinè vertit Rufinus.*

Editus hic tractatus aliquoties in Germania cum præfatione Rufini ad Apronianum, in qua dicit Sextum hunc Pythagoreum eundem eſſe, atque ſit Sixtus ſive Xyſtus Papa & Martyr. Verùm iſtum errorem jam olim caſtigavit Hieronymus in Hieremiam lib. IV, cap. XXII. Vide quæ olim de hoc opuſculo ſcripſimus lib. 1. Hiſt. Pelagianæ cap. XXXI.

§. 44. *De Pythagoricis multi olim ſcripſere, qui hodie non exſtant. In his fuere Ariſtoteles, Numenius, Cronius, Moderatus, Thraſyllus, & clarior omnibus Plotinus.*

Ariſtotelem librum ſcripſiſſe περὶ Πυθαγορείων, uti & alium πρὸς Πυθαγορικούς, autor nobis eſt Laertius. Theo Smyrnæus lib. 1. Mathematicorum cap. v. citat Ariſtotelem ἐν τῷ Πυθαγορικῷ. De aliis, quos dixi, ſic Porphyrius ſcribit in vitâ Plotini: Ὃς μὲν Πυθαγορείας ἀρχὰς καὶ Πλατωνικὰς ὡς ἐδόκει, πρὸς σαφεστέραν τῶν πρὸ αὐτοῦ καταστησάμενος ἐξήγησιν, οὐδὲ ἐγγὺς γὰρ τὰ Νουμηνίου, καὶ Κρονίου, καὶ Μοδεράτου, καὶ Θρασύλλου τοῖς Πλωτίνου περὶ τῶν αὐτῶν συγγράμμασιν εἰς ἀκρίβειαν. *Qui* (Plotinus) *principia philoſophiæ Pythagoricæ ac Platonicæ clarius, ut videtur, quàm omnes, qui tempore præceſſerant, expoſuit: neque ſcripta Numenii, Cronii, Moderati, & Thraſylli, accedunt ad accuratam Plotini diligentiam.*

Cap. VII.

DE SECTA ELEATICA.

§. 1. *Eleatica ſecta auctorem habet Xenophanem Colophonium: ſed res quidem ac dogmata à Zenophane, qui Colophonius erat; Eleaticæ verò nomen à diſcipulis ejus Parmenide & Zenone, Eleatis.*

Cicero lib. IV. Acad. Quæſtion. *Nobilis diſciplina hujus, ut ſcriptum video, princeps Xenophanes, quem modò nominavi: deinde eum ſecuti Parmenides & Zeno. Itaque ab his Eleatici philoſophi nominabantur.* Nomen id ab Ἐλέα, ſive Veliâ Lucanorum oppido. Vixit Xenophanes tempore Hieronis, regis Siculi, & poëtæ Epicharmi, ut indicat Clemens: ſive temporibus Anaximandri, ut ex Sotione refert Laërtius. Nempe circa LX. Olymp. Sunt qui neminem audiſſe dicant: alii Botonem Athenienſem, vel Archelaum, Socratis magiſtrum audiſſe arbitrantur.

§. 2. *Quamquam verò Xenophanes ſcripſerit verſibus, non tamen mythicam ſecutus eſt philoſophiam; quippe qui adverſus Homerum & Heſiodum ſcripſerit, eoſque riſerit, quòd talia de diis prodidiſſent. Nec Ionicam vel Italicam philoſophiam probavit, cùm Thaleti ac Pythagoræ opinionibus contraria tradiderit. Epimeniden etiam Pythagoræ diſcipulum ſugillavit. Nullo uſus magiſtro dicitur, etſi non deſint, qui putent audiſſe Botonem Athenienſem, vel Archelaum, Socratis magiſtrum; vel Pythagoricos Parmeniſcum, & Oreſtadem, ſed ab iis defeciſſe.*

Auctor Laërtius. Ex quo etiam ſicuti & ex Heſychio Illuſtri cognoſcimus, ſtatuiſſe quatuor elementa, mundos innumeros; nubes fieri, cùm vapor è ſole evectus cogitur; animum eſſe ſpiritualis naturæ; Deum eſſe formæ rotundæ, nec quicquam cum hominibus commune habere, ſed totum videre, totum audire; non tamen reſpirare; eſſeque pariter mentem, prudentiam, æternitatem. Compluria hujus Xenophanis invenies apud Sextum philoſophum, & Athenæum: paucula apud Stobæum, & Laërtium.

§. 3. *Xenophanis diſcipulus Parmenides fuit.*

Cujus argumenta habes apud Platonem, Theophraſtum, Plutarchum, Sextum Empiricum, Clementem Alexandrinum, & Proclum; tum illa quæ in poëſi philoſophica collegit H. Stephanus.

§. 4. *Nec is Xenophanis ſemper veſtigiis inſtitit. Ut qui, cùm magiſter quatuor elementa tradiderit, ipſe duo ſtatuerit, ignem, & terram, quorum ille opifex, hic materies foret.*

Puto autem ignium nomine Solem, ac ſidera ſignaſſe. Ut qui hominum generationem tribuerit Soli. Idem primus terram dixit globoſam, inque medio ſitam.

§. 5. *Diſcipulos hic habuit Meliſſum, & Zenonem Eleatem.*

Quorum ille Univerſum hoc infinitum, & immobile putabat, deque diis nihil ſtatuendum credidit, ob obſcuram atque incertam eorum notitiam: alter plures ſtatuit mundos, vacuum negavit, generationem eſſe ex miſtura quatuor primarum qualitatum, atque animam etiam harum temperamento originem debere.

§. 6. *Zenonem Eleatem audivit Leucippus, ſive is Mileſius, ſeu Eleates, vel Abderita fuit, qui primus ſtatuit omnia fieri ex atomis inter ſe complicatis.*

Dogma hoc pleniùs explicat Laërtius, & qui eum exſcripſit Heſychius Illuſtris. De eo ſic Galenus ſive Aëtius περὶ φιλοσόφου ἱστορίας: Τούτῳ δὲ Λεύκιππος ὁ Ἀβδηρίτης ἀκμῆς, ἣν τὸ ἀτόμων δόγμα ἐπινενόηκε πρῶτος. Clementi Alexandrino in Propemptico dicitur Mileſius, ac poſuiſſe ἀρχὰς, τὸ πλῆρες, καὶ τὸ κενόν. De eodem ita Epiphanius Λεύκιππος ὁ Μιλήσιος, κατὰ δέ τινας Ἐλεάτης καὶ οὗτος ἐριστικὸς ἐν ἀπείρῳ.

§. 7. *Leucippus, Anaxagoræ æqualis primus continui diviſionem finiit in quibuſdam particulis individuis: quas Græci ἀτόμους vocant. Ab eo has accepit Democritus, ab illo Epicurus.*

Laërtius in Leucippo: Λεύκιππος πρῶτος ἀτόμους ἀρχὰς ὑπεστήσατο· *Leucippus primus atomos principia ſubjecit.* Lactantius lib. III. Inſtitut. *Ubi ſunt, aut unde iſta corpuſcula? cur illa nemo, præter unum Leucippum ſomniavit? à quo Democritus eruditus, hæreditatem ſtultitiæ reliquit Epicuro.* Interim & Empedocles prævivit Epicuro. Saltem ejuſdem fuiſſe ſententiæ, auctor eſt Ariſtoteles lib. 1. de Generatione cap. VIII. & Plutarchus lib. 1. cap. XXIV. de Plac. Philoſ. Imò & Anaxagoræ mens illa, ut Laertius docet in ejuſce philoſophi vita. Sed Epicurus imprimis hoc dogmate celebratus: unde Seneca lib. IV. de Beneficiis cap. XIX: *Te atomi, & iſta mica tua, forte ac temerè conglobaverunt.*

§. 8. *Leucippum in Phyſicis audivit Democritus Abderita; ſed idem à Magis & Chaldæis Theologiam didicit & Aſtrologiam, Geometriam verò ab Ægyptiis. Nonnulli etiam cum Gymnoſophiſtis Indiæ, & Æthiopiæ verſatum dicunt.* Vir jure magni nominis, *ut dicitur Celſo lib. II. cap. V.*

Planè enim ut Laertius ait, in philoſophia habitus fuit πένταθλος: ut qui junxiſſet, τὰ φυσικὰ, τὰ ἠθικὰ, τὰ μαθηματικὰ, τοὺς ἐγκυκλίους λόγους, καὶ περὶ τεχνῶν πᾶσαν ἐμπειρίαν. *ſcientiam naturalem, moralem, matheſin, humanitatis diſciplinarum orbem, & omnium artium peritiam.* Poſtea quæ in ſingulis horum ſcripſerit commemorat. Magnum illud in Democrito, quod cùm centum talenta, & amplius poſſideret, omnia præ philoſophiæ ſtudio con-

contempſerit, paucíſque reſervatis Herodoto & Damaſo fratribus, vel ut alii, patriæ, cætera donarit. Qua de re, præter Laërtium, Heſychium Illuſtrem, Suidam; etiam Val. Maximus lib. VIII, cap. VII. Ælianus Var. Hiſt. lib. IV. cap. XX. ac tangit quoque hoc Philo περὶ βίου θεωρητικοῦ. Apud Suidam fratrum alter Δαμάσης vocatur: ſed Damaſus is dicitur Laërtio, Heſychio, ac Plinio quoque lib. XVIII. cap. XXXV.

§. 9. *De rerum naturâ ita ſenſit, primordia omnium eſſe ab Atomis, & inani.*

Nam atomos, quæ infinitæ ſint, per inane agi, & iis coagmentatis, genita quoque eſſe Solem, & Lunam, ipſamque animam humanam. Democrito, Epicuro, atque aliis quibuſdam omnis motus cauſſa eſt ab atomis. Gaſſendus epiſt. 4. de Apparente magnitudine Solis humilis & ſubtilis, pag. 168. Atomi illi ſunt Corpuſcula nulla naturæ vi ſecabilia, ſolida interim. Atomis tres proprietates: una Magnitudo ſive corpulentia, exiliſſima licèt, tamen aliqua: altera Figura ſive varietas innumera: tertia Pondus ſive impetus, quo rapitur velociſſimè.

§. 10. *Finem vitæ ſtatuebat* τὴν εὐθυμίαν, *ſive tranquillitatem, quæ illi* εὐεστὼ, *quaſi* bonus rerum ſtatus, *vel* ἀειεστὼ, *quaſi* perpetuus rerum ſtatus, *vocabatur.*

Auctores Laërtius & Heſychius Illuſtris. Harpocratio in lexico Rhetorum: ἡ εὐεστὼ ἡ εὐδαιμονία καλεῖται. Adi Heſychium in lexico, & Suidam in ἀειεστὼ & εὐεστὼ.

§. 11. *Multa Democritus ſcripſit, quæ Thraſyllus & Laërtius ſic digeſſere, ut alia ſint* ἠθικὰ, *alia* φυσικὰ, *alia* μαθηματικὰ, *alia* μουσικὰ, *ſive ad* ἐγκυκλίους λόγους *pertinentia, alia* τεχνικά.

Suidas ex his præter epiſtolas genuina fuiſſe ait μέγαν διάκοσμον, ſive *magnam mundi gubernationem*, καὶ τὸ περὶ φύσεως κόσμου, ſive opus *de natura mundi.* Sed prius opus Leucippi eſſe tradidit Theophraſtus. Genuinis verò Laërtius addit τὸν μικρὸν διάκοσμον, *parvam mundi gubernationem.* Ex ſcriptis Democriti paucula adducit Laërtius, & Clemens Alexandrinus: plura Sextus Empiricus; longè plurima Stobæus. Τὸν μικρὸν διάκοσμον ab ſe compoſitum ſcripſit Democritus annis à Trojæ excidio IↃCCXXX. Apud Laërtii interpretem Ambroſium habes annum *quingenteſimum trigeſimum.* Sed Græcè eſt τριάκοντα καὶ ἑπτακοσίοις. Quæ vera eſt ratio. Nam juxta Eratoſthenem ab Troia capta uſque ad primam Olympiadem ſunt anni CCCCVII. His addas oportet annos CCCXXIII, ut ita conflant anni IↃCCXXX. Id erit Olympiade LXXXIV, quâ bellum Samium cœpit duce Pericle. Eo tempore Democritus Democriti pater potuit epulum dare exercitui Xerxis: cujus διάβασις contigit initio Olympiadis LXXV, ut eſt apud Euſebium in Chronicis, & Thomam magiſtrum. Ipſeque tempore Socratis Democritus fuit, quem & Athenis vidit, ſed agnoſci ab eo noluit: ut eſt apud Laërtium. At Suidas auctor eſt Olymp. LXXVII. vel juxta alios LXXX. Malim, ut dixi, addere quatuor Olympiadas. Nam Olymp. LXXVII natus Socrates, ut Laërtius ex Demetrio Phalereo ait: Hippocrates autem Olymp. LXXX, ut ex Iſchomacho in Hippocratis vita refert Soranus. At conſtat horum temporibus Democritum fuiſſe.

§. 12. *Tantus tamen vir effugere non potuit, quò minùs ab Epicuro, pro Democrito* Ληρόκριτος, *vel potius* Λημόκριτος *diceretur.*

Prius fit à λῆρος, ſive nugis, quaſi dicas *nugarum cenſorem:* alterum à λήμαις, ſive *gramiâ*, quæ lippitudinem conciliat, atque oculis quaſi caliginem affundit, unde proverbium Κρονικαὶ λῆμαι *Saturnia lema.* Apud Diogenem & Heſychium Mileſium eſt Ληρόκριτος: Sed Laërtii Interpres Λημόκριτος legit. Et venuſtior ita fuerit paranomaſia, cùm hoc propiùs abeat à Δημόκριτος. Ac placuit id quoque Hadriano Iunio.

§. 13. *Democriti auditor fuit Protagoras, cùm prius bajulus fuiſſet.*

Vide Athenæum lib. VIII. & Suidam. Item Gellium lib. V, cap. III.

§. 14. *Ex Democriti familia fuit Bion Abderita mathematicus, qui primus docuit, eſſe regionem, ubi ſex menſibus dies, ac totidem eſſet nox.*

Auctores Laërtius in Δημόκριτος, & Heſychius Ill. in Βίων.

CAP. VIII.

DE SECTA EPICUREA.

§. 1. *Poſt Eleaticam ſectam de Epicureâ agemus, quia ex Eleaticâ maximè profluxit.*

HUjus conditor Epicurus fuit Olympiadis CIX anno tertio, ſeptennio poſt Platonis exceſſum. Obiit autem anno ſecundo CXXVII. Olymp. cùm vixiſſet annos LXXII. Nemini plus debuit quàm Democrito, qui ſectæ erat Eleaticæ, ut vidimus. Hinc Cic. in primo de Nat. Deorum. *Democritus vir magnus inprimis, cujus fontibus Epicurus hortulos ſuos irrigavit.* Antea quoque dixerat; *In Democritum ipſum, quem ſecutus eſt, fuit ingratus.*

§. 2. *Epicurus Rhetoricen contemſit, ut qui omnem ſermonis laudem in ſola perſpicuitate collocaret.*

Laërtius in Epicuro: Κέχρηται λέξει κυρίᾳ κατὰ τῶν πραγμάτων, ἣν, ὅτι ἰδιωτάτη ἐστὶν, Ἀριστοφάνης ὁ Γραμματικὸς αἰτιᾶται. *Dictione utitur propriâ, & rebus accommodata; quam quia ſimpliciſſima eſt, Ariſtophanes Grammaticus reprehendit.* Imò Epicurus *orationis ornamenta neglexit*; ut ait Cicero lib. I. de Finibus. *Neque literas didicerat*, ut ait B. Hieronymus epiſt. ad Magnum. Dictionem hauſerat, ut Cleomedes ait lib. I. Meteorolog. ἐκ χαμαιτυπείων, καὶ ἀπὸ μέσης τῆς προσευχῆς, *ex proſtibulis, & mendicabulis.*

§. 3. *Dialecticen etiam parvo habuiſſe loco dicitur.*

Laërtius in Epicuro: τὴν διαλεκτικὴν, ὡς παρέλκουσαν, ἀποδοκιμάζουσι· ἀρκεῖν γὰρ τοὺς φυσικοὺς χωρεῖν κατὰ τοὺς τῶν πραγμάτων φθόγγους· *Dialecticam, tanquam pervertentem, repudiant. Ajunt enim ſufficere Phyſicis ſimplicia vocabula.* Etiam B. Hieronymus adverſus Rufinum ait: *Quoniam Stoici Logicam ſibi vindicant, & tu hujus ſcientiæ deliramenta contemnis, in hac parte Epicureus es.* Et hujus ſtuporis argumentum eſto, quòd negaret, contradictoriarum alterutram eſſe veram. Unde Cicero lib. I. de Natura Deorum; *Totum hoc, aut etiam, aut non, negavit eſſe neceſſarium: quo quid dici poteſt obtuſius?*

§. 4. *In Phyſicis maximè amplectebatur, dogmata Anaxagoræ: ſic tamen ut in quibuſdam diſſentiret.*

Teſtis Laërtius, atque addit, Archelaum, qui Socratis magiſter fuit, tanti ab eo habitum eſſe, ut diſcipulos juberet ejus ſcripta memoriter ediſcere. Ea fuiſſe potiſſimùm de rerum natura, exinde colligo, quòd Socrates primus dicatur Moralem philoſophiam ſeriò tractaſſe.

§. 5. *Atomos verò ſuas accepit à Leucippo, & Democrito.*

De Leucippo ſic Lactantius lib. de Irâ Dei: *An ſolus Leucippus oculos habuit? ſolus mentem? qui profectò ſolus omnium cæcus, & excors fuit: qui ea loqueretur, quæ nec æger quiſquam delirare, nec dormiens poſſit ſomniare. Quatuor elementis conſtare omnia philoſophi veteres diſſerebant. Ille noluit, ne alienis veſtigiis videretur inſiſtere: ſed ipſorum elementorum alia voluit eſſe primordia, quæ nec videri poſſint, nec tangi; nec ullâ corporis parte ſentiri. Tam minuta ſunt, inquit, ut nulla ſit acies ferri tam ſubtilis, quâ ſecari ac dividi poſſint: unde illis nomen impoſuit atomorum.* Democritum verò, ut ipſe vocabat, πανσπερμίαν, q. d. omnium ſeminarium atomorum & punctorum docuiſſe, ſatis conſtat. Ac præiviſſe in hoc Epicuro, Metrodorus & Epicureorum alii agnovere. Etiam Democritum ſequi ſolere, auctor eſt Cicero lib. I. de Nat. Deor. Verba ejus initio capitis adduximus.

§. 6. *Interim ſic contemnebat Dialecticam, ut in ejus locum ſubſtitueret Canonicam. De hac erat Epicuri liber qui κανὼν inſcribebatur.*

Is fuit, ut Laërtius ait περὶ κριτηρίου, καὶ ἀρχῆς, καὶ στοιχειωτικόν. *De judicii normâ, & principio, & opus prima tradens elementa.* Eo docebat normam omnis judicii, non rationem eſſe, ſed ſenſum. Quò pertinet Ciceronis illud libro I. de Natura Deorum; *Timuit Epicurus, ne ſi unum viſum eſſet falſum, nullum eſſet verum. Omnes ſenſus veri nuntios dixit eſſe.*

§. 7. *Matheſin quoque inſuper habuit.*

Unde, ut Plutarchus ait libro contra Epicurum; philoſophum quendam nomine Apellem, eo nomine laudabat, quòd ab adoleſcentia nunquam eſſet contaminatus diſciplinis mathematicis.

§. 8. *In Phyſicis verò & Ethicis, magnus omnino ſuis viſus fuit: qui cum hic ſolùm perſpexiſſe veritatem; philoſophorum alios tanquam umbras circumvolitare judicant.*

Audiamus de eo Epicureum Lucretium lib. III:

Tu pater, & rerum inventor, tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuiſque ex, inclyte, chartis
Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea perpetuâ ſemper digniſſima vitâ.

Ejuſdem ſunt iſta de Epicuro;

Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes
Reſtinxit ſtellas, exortus uti æthereus Sol.

Quos verſus cùm attuliſſet Lactantius lib. III. Inſtit. ſubjungit deinde: *Hos equidem verſus nunquam ſine riſu legere poſſum. Non enim de Socrate, aut Platone hoc ſaltem dicebat, qui velut reges habentur philoſophorum: ſed de homine, quo ſano & vigente, nullus æger ineptius deliravit. Itaque poeta inaniſſimus leonis laudibus murem non ornavit, ſed obruit & obtrivit.* Tria hæc in Epicuro, ut præcipua jungit Nazianzenus Orat. XXIII *. quæ in laudem Heronis Alexandrini: Τὸ αὐτόματον Ἐπικούρου μετὰ τῶν ἀτόμων καὶ τῆς ἡδονῆς. *Epicuri caſum, ac temeritatem, unà cum atomis, & voluptate.* De Epicuro per multa Fromundus in Labyrintho, ſive de Compoſitione Continui, cap. VII. p. 25. & ſeqq.

* p. 412. Edit. Morelliana. an. 1609.

§. 9. *Imò ſectatores admiratione illius, quolibet menſe, natali eius ſacrificabant, idque die vigeſimo: unde ferias haſce vocabant εἰκάδας. Tantus quoque Epicureis amor magiſtri fuit, ut ejus imaginem annulo inſculptam, boni ominis cauſa, quocunque circumferrent.*

Auctor Plinius lib. XXXV. cap. II.

§. 10. *Imò ipſe etiam Epicurus magnificè adeò de ſe ſenſit, ut neminem diceret doctum, vel ſapientem, præter ſe, vel eos, qui ex ſchola ſua prodirent.*

Sic quidem de eo Plutarchus lib. contra Epicurum.

§. 11. *Multùm verò hunc typhum fovit: quod deficientibus ſectis aliis perſiſteret Epicuri ſchola, ſemper ſuccedentibus aliis atque aliis.*

Quo nomine etiam Diogenes hanc ſcholam prædicat; nec negat Lactantius: ſed audiamus quo pacto huic occurrat lib. III. Inſtitut. *Epicuri diſciplina multò celebrior ſemper fuit, quàm cæterorum: non quia veri aliquid adferat, ſed quia multos populare nomen voluptatis invitat: nemo enim non in vitia pronus eſt.*

§. 12. *Univerſam verò Epicuream naturæ ſcientiam complexus eſt ſex libris Epicureus Lucretius.*

Iis enim libris verſibus elegantiſſimis expreſſit quæ de natura tradiderat Epicurus libris triginta octo.

§. 13. *Ex hocce etiam Lucretiano opere videmus, quòd Canonica contenderat, omnia ſenſibus dijudicaſſe. Adeo ut ne Solem quidem: vel Lunam majorem putaret, quàm videretur.*

De Sole ſic Lucretius lib. V:

Nec nimio Solis major rota, nec minor ardor
Eſſe poteſt, noſtris quàm ſenſibus eſſe videtur.

Ac mox de Luna ſubdit;

Lunaque ſive notho fertur loca lumine luſtrans,
Sive ſuam proprio jactat de corpore lucem,
Quicquid id eſt, nihilo fertur majore figura,
Quam noſtris oculis, quam cernimus, eſſe videtur.

Itaque, (ut lib. I. Μετεωρολογ. ait Cleomedes) etiam fatebantur Epicurei majorem eſſe Solem manè, quàm meridie, quia ſic ſenſui videatur. Οὐδὲν ἐστιν ἀλογώτερον, *quò nihil magis eſt à ratione alienum.* Nam ut rectè ait idem, eodem tempore Sol aliis oritur, aliis in meridie eſt. Unde conſequeretur, aliis eſſe bipedalem, aliis tripedalem.

§. 14. *Et quàm ridiculum etiam, quod crederet Solem manè ſemper accendi, veſperi Oceani aquis extingui!*

Nam Matheſios guſtum habentibus, quam ille aſpernabatur, ſatis liquet, eodem tempore aliis Solem oriri, aliis occidere.

§. 15. *Quod ad moralem philoſophiam attinet, Epicurus ſummum bonum poſuit in voluptate; ſic ut prima & ultima, ei actionum omnium cauſſa eſſet delectatio ex bono, quo animus fruitur, proveniens. Ubi ſi ſummum bonum vel omnino, vel præcipuè voluptate corporis metiebatur, horti illi Gargettii, etiam in morali philoſophiâ venenorum, quàm ſalubrium herbarum fuerint feraciores.*

Quid enim manifeſtius, quàm voluptates corporis eſſe nobis cum beſtiis communes? imò plus eas habere fellis, quàm mellis?

§. 16. *Sed multorum ea ſententia eſt, ſenſiſſe cum Eudoxo. Et videtur pro hac ſententia facere epiſtola Epicuri, de morali philoſophiâ. Ac certius de tota re conſtaret, ſi ſupereſſent alia, quæ Epicurus hoc de argumento ſcripſit.*

Ubi de vitis, item epiſtolæ, & opus de Fine. Addo & deperditum illud opus, quod de Epicuri philoſophiâ Latinis retulit literis C. Amafanius; quamquam vulgari ſermone, nullaque arte adhibitâ: ut cognoſcere eſt ex primo

Digitized by Google

mo Ciceronis Academicarum Quæſtionum libro. Atque idem Amafanii hujus meminit quoque lib. IV Academicarum Quæſt. Di vitâ Epicuri non uno omnes modo ſcripſere. Alius qui ſectæ forent, traducunt eam, ut fœdiſſimis voluptatibus immerſam. Sed qui cum eo verſati, aut ſectam ejus poſtea amplexi, ajunt fuiſſe admodum pium in Deos, patriam, & parentes: beneficum in fratres, amicos, ſervos: gravem, ac temperantem, & ſimpliciſſimis ac viliſſimis cibis, & parciſſimi vini poculo, imò ſolo pane cibario & aquâ contentum: ſic ut epulari ſibi videretur, ſi paulum haberet caſei κυθρίδιν (leg. χυδαίου) ut ipſe in epiſtolis refert. Quàm etiam laborioſa ejus fuerit vita, indicio illud erit, quòd nullus philoſophorum plura ſcripſerit: trecenta enim volumina reliquit: in quibus nullum foris teſtimonium arceſſierit: quam induſtriam cùm æmulus ejus Chryſippus æquare conaretur, teſtimoniis coactus eſt libros infercire, multaque tumultuariè & inemendatè ſcribere.

§. 17. *Utcumque hoc eſt, fœdus ille & peſtilens eſt Epicuri error, quod negaret Deum curare mortalia.*

Cicero in primo de Nat. Deorum: *Epicurus ex animis hominum extraxit radicitus religionem, cùm Diis immortalibus & opem & gratiam ſuſtulit. Cum enim optimam & præſtantiſſimam naturam Dei dicat eſſe, negat idem eſſe in Deo gratiam: tollit id, quod maximè proprium eſt optimæ præſtantiſſimæque naturæ: Quid enim eſt melius, aut quid præſtantius bonitate, & beneficentiâ? quâ cùm carere Deum vultis, neminem Deo, nec Deum, nec hominem carum: neminem ab eo amari, neminem diligi vultis.*

§. 18. *Item nihil eo turpius errore, quòd putaret, animas ſimul cum corporibus interire.*

Itaque & Petronius Arbiter, qui erat Epicureus, (ut mox dicam) morti proximus audiebat, referentes nihil de immortalitate animæ, & ſapientum placitis; ſed levia carmina, & faciles verſus.

§. 19. *Maledicus etiam in omnes fuiſſe traditur.*

In Epicuro certè licet patriâ eſſet Athenienſis, requirebant veteres naſum Atticum; & quoniam ineptus erat ad jocandum, Ciceroni I. de Naturâ Deorum dicitur: *Homo minimè reſipiens patriam.* Neque hoc tantùm; ſed idem Cicero I. de Nat. Deorum amplius refert ut *Epicurus contumelioſiſſimè Ariſtotelem vexarit: Phædoni Socratico turpiſſimè maledixerit: Metrodori, ſodalis ſui, fratrem Timocratem, quia neſcio quid in philoſophia diſſentiret, totis voluminibus conciderit: in Democritum ipſum, quem ſecutus eſt, fuerit ingratus. Chryſippum nunquam niſi Cheſippum vocabat.*

§. 20. *Hanc ejus maledicentiam imitatus quoque Zeno Epicureus.*

Cicero lib. I. de Nat. Deor. proximè ante verba allata: *Zeno quidem non eos ſolùm, qui tum erant, Apollodorum, Syllum, cæteroſque figebat maledictis, ſed Socratem ipſum, parentem philoſophiæ, Latino verbo utens, ſcurram Atticum fuiſſe dicebat: Chryſippum nunquam niſi Cheſippum vocabat.* Ubi cave intelligas Zenonem Eleaten Xenophanis Colophonii diſcipulum; vel Zenonem Citiëum, Stoicæ ſectæ conditorem, vel illum, qui Chryſippum audivit. Omnino enim capiendus Zeno Sidonius, qui, ſectâ Epicureus, Laertio inter octo Zenonas poſtremò numeratur. Quod oſtendunt verba à Cicerone præmiſſa: *Sed cùm tantum Epicuri hortus habuerit licentiæ, etiam ſoletis queri.*

§. 21. *Scripta Epicuri omnia deperierunt præter ternas epiſtolas, quas Laertius nobis conſervavit libro decimo. Atque ex his omnium certiſſimè de totâ ejus philoſophia judicium ferre poſſumus. Compendio enim ipſe omnia conſtrinxit.*

Adde tamen, quæ de ſuo adjunxit Laertius. Nec enim ulla in ſecta magis induſtriam ſuam probat. Ut facilè appareat, quò propendeat.

§. 22. *Diſcipulorum Epicuri clariſſimus fuit Mus: ſervus ille Epicuri, ſed qui unà philoſopharetur, ſummuſque eâ in ſectâ evaſerit.*

Auctor Laertius lib. x.

§. 23. *Etiam inter ſectatores ejus Hermachus fuit.*

Hermachus Epicureus laudatur à Porphyrio lib. I. de abſtinentiâ ab animalibus, ubi & ab eo proditum ait, Pythagoreos, quando ſacrificarent, non planè ab animatis abſtinuiſſe.

§. 24. *Lucianus quoque Epicureus fuit, amicus Celſi Epicurei, qui adverſus Chriſtianos ſcripſit.*

Cautè itaque accipiendum quod ſcripſit Alciatus libro v. παρ. Juris, cap. 4. Lucianus Samoſatenſis metuo ne haut ſatis juſtâ de cauſâ ἄθεος apud Chriſtianos audiat. Scio Suidam tradere eum ita appellatum, quòd in Chriſtum debacchetur; verùm nuſquam in eum maledicus invenitur, præterquam in perſonâ Peregrini, ubi Chriſtum appellat Sophiſtam, quæ vox non ſolùm impoſtorem ſignificat, ſed etiam in bonam partem ſumitur. Chriſtiani verò vocem illam æſtimarunt quaſi ex Luciani, non ex philoſophi, in quo τὸ πρέπον ſervandum erat, perſona dictum fuerit. Non tamen rectè ſcenæ ſervitur, cùm de Deo agitur; eoque culpa Lucianus haut planè vacat.

§. 25. *Nec pauci Romanorum hanc ſectam amplexi. In his præter Lucretium Caſſius ille, qui Cæſarem ſuſtulit. Etiam Maro vitam extremam deſtinarat philoſophiæ Epicureæ.*

Unde ſic ipſe in Epigrammate:

Ite hinc inanes Rhetorum manipli, ite hinc.
Nos ad beatos vela mittimus portus:
Magni petentes docta dicta Sironis,
Vitamque ab omni vindicabimus curâ.

Atque idem videre eſt ex poëmate, quod *Ciris* inſcribitur: modò Virgilius ejus auctor, quod Scaliger cenſet. Id poëma ſic incipit:

Et ſi me vario jactatum laudis amore,
Irritaque expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropius ſuaves exſpirans hortulus auras
Florentis Sophiæ viridi complectitur umbra.

Ubi per hortulum ſignat ſcholam Epicuri. Nam ut in Academia Plato, in Lyceo Ariſtoteles, in porticu Zeno: ita in horto docebat Epicurus: unde Papinius,

Cultoque ſenex Gargettius horto.

Octoginta eum minis emptum ab eo, tradit Apollodorus apud Laertium.

§. 26. *Etiam Petronius Arbiter hanc ſecutus ſectam.*

Quod antea dictum. Ut mirum non ſit, ſi tam præclaro elogio ornet illum, ut *patrem veri* nuncupet.

Ipſe pater veri doctis Epicurus in hortis
Juſſit, & hanc vitam dixit habere Deos.

CAP. IX.

DE CYRENAICIS, ET TRIPLICI EORUM PROPAGINE, HEGESIACIS, ANNICERIIS, ET THEODORIIS.

§. 1. *Ex Socratis diſcipulis arctè magiſtro adhæſere Xenophon, & Æſchines Socraticus, qui non condidere propriam ſectam. Ex aliis variæ ſunt exortæ ſectæ.*

Hippobotas novem eſſe ajebat Philoſophorum ſectas, Megaricam, Eretriacam, Cyrenaïcam, Epicuream, Annicerium, Theodoriam, Zenoniam ſive Stoicam, Academicam, & Peripateticam, autor Suidas in Αἱρέσεις: Atque omnes hæ, ſolâ exceptâ Epicureâ, quæ ex Eleatica profluxit, ex iis manarunt, qui Socratem audierant, vel gymnaſia diſcipulorum aut ſectatorum frequentarant. Atque idem judicium eſto de tribus illis, quas Hippoboti illis Suidas deinde addit, Cynica dico, Eliaca, & Dialectica. Mox & duas alias adjungit: ſed quæ vix ſectæ dici poſſint. Earum una eſt Pyrrhonia, quam agnoſcit vix ſectam videri, ut quæ nihil ſtatuat. Altera eſt ἐκλεκτική, quæ non addicat ſe ulli ſectæ, ſed undique excerpat, quod placet. Ex hiſce ſectis optima, ut poſtea dicam, eſt ἐκλεκτική: ſed maximum nomen fuit Academicæ, Peripateticæ, Stoicæ, & Epicureæ. Quarum principes Plato, Ariſtoteles, Zeno, & Epicurus. Eos deſignat Virgilius, vel alius in Ciri:

Si me jam ſummâ ſapientia pangeret arce,
*Quatuor antiquis quæ hæredibus * eſt data conſors.*

* Melius, hæreſibus.

Sed de Epicurea jam egimus. Videamus de illis quæ à Socratis familia manarunt.

§. 2. *Ex Socratis diſcipulis quinque memorantur, qui novæ eſſent hæreſios auctores. Unus eorum fuit Ariſtippus Cyrenaicus, à quo dicti Cyrenaici. Poſtea Cyrenaica ſecta eſt diviſa in Hegeſiacam, Anniceriam, & Theodoriam.*

Ariſtippi vitam refert Diogenes: Paucula etiam de eo Heſychius. Fuit vir πολιτικώτατος, ut ex vita ejus videre eſt. Succeſſit ei in Schola filia Ἀρήτη, quæ à patre edocta erat: Aretæ autem filius ſuus Ariſtippus, qui eò quòd philoſophiam à matre didiciſſet, vocatus eſt μητροδίδακτος: huic ſucceſſit Theodorus ἄθεος, Theodoriæ ſectæ conditor. Habuit præterea Ariſtippus (ſenior dico, τοῦ μητροδιδάκτου avus) diſcipulos duos, Ptolemæum Æthiopa, & Antipatrum Cyrenæum. Antipatrum audivit Epitimedes Cyrenæus: hunc Paræbates: Paræbatem duo illi, Hegeſias, qui Πεισιθάνατος eſt dictus, & Anniceris, à quo Plato eſt redemtus. Ab Hegeſia eſt ſecta Hegeſiaca. De hoc & alio cognomine ago lib. I. de Hiſtoricis Græcis p. 81. verſ. 3. & ſeqq. Ab Anniceri Anniceria, de qua & Strabo lib. XVIII. Totius verò ſucceſſionis hujus autor nobis eſt Laërtius lib. II.

§. 3. *Cyrenaïci Phyſicen aſpernabantur, velut obſcuram & incertam: de Logice non convenit. Nam & alii eam ut inutilem contempſiſſe ajunt, alii verò ob uſum inſignem admiſiſſe arbitrantur.*

Prius cenſuit Meleager, in ſecundo de opinionibus, & Clitomachus in primo de ſectis: ſed alii aliter Laërtio teſte.

§. 4. *Qualis eorum Ethice fuerit, ex eo colligere eſt, quòd ſummum bonum ponerent in voluptate. Unde & ſecta hæc ἡδονικὴ dicebatur.*

De fine hoc ſatis ex Laertio, & aliis conſtat. Atque inde Lactantius lib. III. cap. VIII. Ajunt Cyrenaïci virtutem ex eo laudandam, quod ſit efficiens voluptatis. Et antea Galenus, ſive alius in Hiſt. philoſ. ἡδονικὴ δ' ἐστὶ τοῦ τέλους τοῦ κατ' αὐτὸ φιλοσοφίας. Τὸν γὰρ Ἀρίστιππον μᾶλλον τὴν ἡδονὴν προσεκλέξασθαί τινες ὑπενόησαν.

Poſtea obtinuit, ut Epicurei ἡδονικοὶ vocarentur: quomodo vocant Simplicius, Ammonius, alii.

§. 5. *Voluptatem autem eam intelligunt Cyrenaïci, non quæ in doloris privatione atque animi tranquillitate conſiſtit, ſed quæ ſita eſt in confluxu voluptatum particularium, quas quidem in animi quoque voluptatibus ſitas eſſe confitentur, ſed præcipuè tamen ponebant in corpore: quia hæ juxta eos ſint præſtantiores; cum homines non tam crucientur, ſi animus peccet, quàm ſi corpus ægrotet. Imò eam quoque voluptatem inter bona reponebant, quæ à rebus provenit turpiſſimis: nec in præſenti ſolùm felicitate conſtituebant bonum, ſed præteritâ quoque & futurâ; quia & recordatio præteritarum corporis voluptatum, & ſpes futurarum hominem oblectet.*

Hanc earum opinionem fuiſſe, auctor eſt Laertius: Atque idem docet eandem fuiſſe Hegeſiacorum mentem, & Anniceriorum, & Theodoriorum: ex quibus poſtremi opiniones de Diis omnes tollebant, ac ſapientem ajebant loco & tempore opportuno, etiam adulterium & ſacrilegium commiſſurum, ſineque pudore publicè congreſſurum cum ſcorto.

§. 6. *Quid mirum igitur, ſi ex ejuſmodi ſchola prodirent homines planè voluptarii?*

Unde Cic. lib. III. de Natura Deorum; *aſotos ex Ariſtippi, acerbos è Zenonis ſchola prodire.*

Cap. X.

DE SECTA ELIACA, ET ERETRICA.

§. 1. *Alter diſcipulorum Socratis, qui ſectam conderent, fuit Phædo Elienſis.*

Hic ſervus fuit, ſed Socrate hortante, emptus, ſive ab Alcibiade, ſive à Cebete Thebano. Auctores præter Diogenem, Heſychium Mileſium, & Suidam, etiam Origenes contra Celſum lib. III. & è Latinis, Gellius lib. II. cap. XVIII. ac verbis penè iiſdem Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XI.

§. 2. *Ab Elienſi hoc Phædone cœpit ſecta Eliaca.*

Teſtes Strabo lib. IX. Diogenes lib. II. Heſychius Mileſius, & Suidas.

§. 3. *Scripſit Phædo de Socrate ſermones admodum elegantes.*

Ut eſt apud Gellium lib. II. cap. XVIII. Titulos librorum recenſent Diogenes, & Suidas. Eſt in iis Ζώπυρος: unde aliquid adducit Julius Pollux lib. III. cap. II. Quiddam etiam ex Phædone memorat Seneca epiſt. XCIV. his verbis; *Minuta quædam, ut ait Phædon, animalia, cùm mordent, non ſentiuntur.*

§. 4. *Phædonem audivit Pliſtanus itidem Elienſis: Pliſtanum Menedemus Eretricus, à quo Eretrici dicti, qui Eliaci prius vocabantur.*

Ἐρετριακοὺς à Menedemo Eretrienſi dictos auctor Strabo lib. IX. Nomen ex eo, quòd Menedemus ſcholam conſtituerit Eretriæ, civitate Eubœæ: in quâ & Chalcis, ubi Ariſtoteles defunctus. Encomium Menedemi ſcripſit Lycophron: ut eſt apud Diogenem Laertium, & Heſychium Illuſtrem. Sed ironicè ſic inſcripſiſſe docet Athenæus lib. X. De Eretriacis Philoſophis volumen olim ſcripſerat Sphærus Boſphoranus, Zenonis Cittiei auditor: ut idem Laërtius eſt auctor.

Cap. XI.

DE MEGARICIS.

§. 1. *Tertius novæ ſectæ conditor ex Socratis auditoribus Euclides Megaricus fuit.*

Quanti

QUanti is magiſtrum fecerit, ex eo videre eſt, quòd, cùm Athenienſes decreto caviſſent, ut capitale eſſet Megarenſibus, ſi pedem Athenis poſuiſſent, ille ſub noctem muliebri habitu Athenas ibat, ut parte aliquâ noctis Socratici fieret ſermonis particeps, ac ſub lucem eadem veſte viginti amplius paſſuum millibus Megara rediret. Vide Gellium lib. VI. cap. X. Poſt Socratis mortem, Plato, & alii auditores, tyrannorum metu ad eum conceſſerunt: cujus ſeceſſionis, præter Laërtium & Heſychium Illuſtrem, etiam meminit Chryſoſtomus oratione quarta de laudibus Pauli. Valde autem errant, qui Euclidem hunc putant eum, cujus in Matheſi labores omnium manibus teruntur. Nam Socratici illius nihil Mathematicum commemorat Laërtius; ſed ſolum ſex dialogos illos, Lampriam, Æſchinem, Phœnicem, Critonem, Alcibiadem, & ἐρωτικὸν ſive *amatorium*. Et, quod majus, non leve eſt inter hos Euclidas intervallum. Megaricus enim fuit Socratis diſcipulus, præceptor Eubulidis Mileſii, qui in Dialecticis præceptor fuit Demoſthenis, Laërtio teſte. At mathematicus ille floruit temporibus Ptolemæi Lagidæ, eoque regnante, primus Alexandriæ docuit matheſin: ut ex Proclo Diadocho videre eſt.

§. 2. *Ab hoc Megarenſi Euclide dicti ſunt Megarici.*

Strabo lib. IX, Ἔσχε δή ποτε (Μεγαρέων πόλις) καὶ φιλοσόφων διατριβὰς τῶν προσαγορευθέντων Μεγαρικῶν, Εὐκλείδην διαδεξαμένων Σωκρατικὸν, ἄνδρα Μεγαρέα τὸ γένος. *Habuit aliquando* (urbs Megarenſium) *etiam ſcholam philoſophorum, qui Megarici dicebantur, ſucceſſores Euclidis Socratici, patria Megarenſis.* Vide de hoc Savilium prælectione in Euclidem prima.

§. 3. *Megarici, poſteà* ἐρισικοὶ *ſive* contentioſi, *ac exinde à nonnullis* διαλεκτικοὶ, *quia valde ſe in Dialecticis exercerent, præcipueque in captioſis argumentandi generibus.*

Atque hæc ex mente Laërtii in vita Euclidis. Alii tamen Zenonem Eleatem Eriſticæ ſectæ faciunt auctorem. Galenus ſive Aëtius libro περὶ φιλοσοφίας ἱστορίας: Ζήνων δ' ὁ Ἐλεάτης τῆς ἐριστικῆς ἀρχηγὸς μνημονεύεται. *Zeno autem Eleates contentioſa philoſophia primus fuiſſe auctor traditur.* Sed facilè hæc conciliantur. Primi enim Parmenides, ejuſque diſcipulus Zeno Eleates, quædam movere circa Dialecticen. Euclides autem Megaricus Parmenidis librorum inprimis erat ſtudioſus, ut Laërtius eſt auctor. Quare credibile eſt in Dialecticis ſecutum eſſe Parmenidem, ejuſque diſcipulum Zenonem. Alii igitur Zenonem fecere auctorem ſectæ Eriſticæ, quia is primus contentiones Dialecticas movit: alii Euclidem, quia is promovit, atque auxit.

§. 4. *Euclidem audivere, Eubulides Mileſius, Clitomachus Thurius, & Stilpo Megarenſis.*

Ex his Eubulides, ἐριστικὸς & ipſe Ariſtoteli multum adverſabatur: rationari autem ſolet mentiente, latente, Electrâ, convelata, Sorite, cornutâ, & calvâ: ut Diogenes tradit. Clitomachus Thurius primus περὶ ἀξιωμάτων, καὶ κατηγορημάτων & ſimilibus ſcripſit. Stilpo Megarenſis tantus in docendo erat, ut non paucos ex præcipuis aliarum hæreſium ſectatoribus ad ſe traheret. Vide ejus vitam apud Laërtium, & quæ ex eo Heſychius exſcripſit. Meminit & Seneca epiſt. IX. Item de Conſtantia ſapientum. cap. V.

§. 5. *Eubulidem audiere Alexinus Elienſis, & Apollonius* ὁ Κρόνος.

Horum prior pro Alexino etiam dictus Ἐλεγξῖνος. Sic apud Laërtium legendum. Nempe ſic vocatus ἀπὸ τοῦ ἐλέγξαι, quia mirè eſſet φιλόνεικος. Ut æqualis, ita adverſarius erat Zenonis Cittiei: à quo ſecta Stoica originem cœpit. Zeno tamen hic in Dialecticis eo ipſe ſecutus Zenonem Eleatem fuit: unde liquet, cur ut Euclidei pro Megaricis dicti Dialectici, ita & Zenonii pro Stoicis vocati ſint dialectici. Nam Stoicis quoque dialecticorum eſſe nomen tributum, liquet ex Cicerone in Oratore, & primo de Oratore.

§. 6. *Apollonii* τοῦ Κρόνου *auditor fuit Diodorus* ὁ Κρόνος.

Ut auctor Strabo lib. XVII. Eaque cauſſa, cur Apollonio proximè Diodorum ſubdat Laërtius. Et fortaſſe aliquid excidit de Apollonio: uti quos diſcipulos habuerit. Diodorus hic à quibuſdam inveniſſe dicitur τὸν ἐγκεκαλυμμένον, καὶ κερατίνην λόγον: *ſermonem apertum, & cornutum*, teſte Laërtio. Plura de eo diximus libro de Cavillationibus Stoïcorum.

CAP. XII.

DE VETERI ACADEMIA PLATONIS.

§. 1. *Quartus diſcipulorum Socratis, qui nova eſſent ſecta auctores, Plato Athenienſis erat. Qui Philoſophos priores facundiâ vicit: doctrinâ etiam omnigenâ cum ſingulis contendit. Atque ad hanc variam doctrinam non mediocriter contulere præceptores variarum ſectarum. Primùm Socratem audivit; inde Cratylum, Heracliti diſcipulum; & Hermogenem, qui Parmenidis Philoſophiam ſequebatur. Poſt hos Megaris Euclidem, Megaricæ ſectæ conditorem; ac mox Cyrenis, Theodorum mathematicum; poſteà in Magna Græcia audivit Philolaum, & Eurytum Pythagoricos. Tandem in Ægyptum abiit, ubi cum ſacerdotibus collocutus. Eudoxus cum ipſo profectus in Ægyptum fuit, atque iſtic cum Sacerdotibus fuere verſati annis* XIII, *ut eſt apud Strabonem libro* XVII. * *Ac niſi bellum inter Perſas ac Græcos obſtitiſſet, etiam iter ad Magos inſtituiſſet. Tantus diſcendi omnia ardor ei fuit.* * P. 806. Pariſ. Edit. 1620.

AUctor horum Diogenes lib. III. Illis tamen qui Socrate uno contenti forent, miſcella hac philoſophia corrumpere genuinam, quam à Socrate acceperat, viſus fuit: maximeque barbaricam Ægyptiorum, & Pythagoream, quæ ab alio fonte profluxerat. Nam Socratica manavit à Thalete ſectæ Ionicæ conditore: Pythagoras ſectæ ejus auctor, quæ Italica dicebatur. Hanc tam diſparem mixturam Xenophon Socratis & ipſe auditor exprobrat Platoni epiſtola quadam Æſchini Socratico ſcripta, quam legere eſt apud Euſebium præparat. Evang. lib. XXIV. & Stobæum ſermone de diis; verba ejus extrema adſcripſimus: Παυσάσθωσαν οὖν ἐλεγχόμενοι, οἳ πρὸς τὸ εἰκὸς ἴτωσαν εἰς ὃ Σωκράτης οὐκ ἤρεσεν, ᾧ ζῶντι μὲν ὁ θεὸς σοφίαν ἐμαρτύρησεν, οἱ δὲ κτείναντες τὸ μετανοίας ἀποκάθαρσιν οὐχ εὗρον. τὸ δὲ καλὸν δὴ Αἰγύπτου ἠράσθησαν. καὶ τῆς Πυθαγόρου τερατώδους σοφίας, ὧν τὸ περιττὸν καὶ μὴ μόνιμον ἐπὶ Σωκράτην ἤλεγξεν ἔρως τυραννίδος, καὶ ἀντὶ διαίτης λιτῆς Σικελιῶτις γαστρὸς ἀμέτρου τράπεζα. i. e. *Deſinant igitur, qui rationibus ut ſibi videntur, probabilibus Socratem arguentes improbant, quum ei vivo ſapientiæ teſtimonium Deus exhibuerit: occiſores verò ejus pœnitudinis ſuæ purgationem non invenerint. Illi verò egregii viri, Ægypti & admirabili Pythagoricæ ſapientiæ amore capti ſunt, quorum ſupervacuum & inconſtans circa Socratem ſtudium tyrannidis amor redarguit, & Sicula ventris immoderatæ menſa frugalitati victus antepoſita.* Atque hæc valdè confirmant, quod Diogenes ſcribit, parum amico inter ſe animo fuiſſe Platonem & Xenophontem; ſimilique contentionis ſtudio ſcripſiſſe Sympoſium, Socratis defenſionem, & commentaria moralia. Præterea Κύρου παιδείαν ſcripſit Xenophon: in Legum libris Plato fictitiam eſſe

eſſe ait. Cumque ambo Socratem celebrent, nunquam Plato Xenophontis meminit; ſemel Platonis Xenophon in tertio ἀπομνημονευμάτων. Nam Gellius fallitur, qui nuſquam meminiſſe ait lib. XIV. cap. III. ubi plura hac de contentione legere eſt.

§. 2. *Mixta inprimis fuit Platonis philoſophia ex Heraclitica, Pythagorica, & Socratica.*

Laërtius in Platone, & totidem verbis Heſychius Illuſtris: Μίξιν ἐποιήσατο τῶν τε Ἡρακλειτείων λόγων, καὶ Πυθαγορικῶν, καὶ Σωκρατικῶν. τὰ μὲν γὰρ αἰσθητὰ, καθ᾽ Ἡράκλειτον· τὰ δὲ νοητὰ, κατὰ Πυθαγόραν· τὰ δὲ πολιτικὰ κατὰ Σωκράτην ἐφιλοσόφει. *Heracliteorum, Pythagoricorum, & Socraticorum rationes commiſcuit. Atque in iis quidem, quæ ſenſibus percipiuntur, Heracliti partes ſequebatur: ea quæ mente comprehenduntur ex Pythagoræ ſententia tractavit: in rebus autem civilibus philoſophabatur ex mente Socratis.* Similiter Apulejus de dog. Platon. *Nam quamvis de diverſis hæc ei eſſent philoſophiæ membra ſuſcepta, naturalis ab Heracliteis, intellectualis à Pythagoreis, rationalis atque moralis ex ipſo Socratis fonte.* Quod ad Pythagoram, etiam Ariſtoteles lib. I. Metaphyſicorum initio capitis VI, doctrinam Platonis appellat τὰ πολλὰ τοῖς Πυθαγορείοις ἀκολουθοῦσαν, *in pleriſque ſectantem Pythagoricos.* Et ſanè quanti Pythagoram fecerit, arguit, quod centum minis emerit tres libros Pythagoricos, ut ex Satyro tradit Laërtius. Id tamen mirandum magis foret, niſi pecunia abundaſſet. Quippe ſupra octoginta talenta acceperat à Dionyſio rege, ut eodem Laërtio teſte prodidit Onetor, libro; Εἰ χρηματιεῖται ὁ σοφὸς, *an ſapiens ſit quæſtum facturus.* Dederit igitur pro libris illis tria Karoleorum millia. Nam mina Attica, conſtituit XXX Karoleos; ut quæ conſtet centum drachmis: drachma autem VI ſtuferis. Talentum autem LX minarum, hoc eſt Karol. cIↃ IↃ ccc. ut hinc liqueat, quanta fuerit liberalitas Dionyſii.

§. 3. *Secta ex triplici hac miſta confuſaque, vetus dicebatur Academia. Cujus princeps Plato fuit. Sed vetus demum vocata fuit, poſtquam Arceſilas alteram induxit.*

Academia autem dicta eſt, quia doceret in ea Plato. Erat is nemoroſus Ecademi herois fundus, mille paſſibus, ab Athenis diſtans, loco nemoroſo, & ſubpaluſtri, eoque parum ſalubri. Ecademus ille, (ut ex Plutarchi Theſeo cognoſcimus) primus Caſtori & Polluci indicavit Helenam à Theſeo raptam Aphidnis occultari. Unde ſemper honos ei habitus à Lacedæmoniis: uſque adeò, ut quoties populabundi in Atticam irruerent, villæ parcerent, quæ fuerat Ecademi; unde & prius *Ecademia*, poſteaque mutatione unius literæ Academia dicebatur, ut teſtantur Laërtius, Heſychius Illuſtris, Ariſtophanis Scholiaſtes in Nubes, Stephanus in Ἑκαδήμεια, & Suidas in Ἀκαδημία. Non rarò tamen heros is Academus vocatur in Græcis, Latiniſque codd. ut vel utroque nomine fuerit vocatus, vel perperam Academus ſcribatur, uti cenſet V. Cl. Joannes Meurſius. Vide, quæ is admodum adoleſcens notarat in Critico Arnobiano lib. IV. cap. I. item in Animadverſionibus Miſcell. lib. IV. cap. XII. Tantopere autem locum ipſum reveriti ſunt philoſophi veteres, ut nec fas putarent ridere iſtic, nempe quia cum ab omni animi diſſolutione purum aſſervari vellent; ut Ælianus narrat lib. III. Var. Hiſt. cap. XXXV. Etiam Mithridates Perſes Radobani filius, hoc honoris habuit & Platoni, & loco, ut in Academia Muſis dicaret imaginem Platonis, Silanionis opus: ut ex Phavorino prodit Laërtius.

§. 4. *Decem verò ſunt Dialogi, quibus omnem Philoſophiam comprehendiſſe exiſtimatur.*

Ea eſt Jamblichi ſententia. Ac digeſſere eos Platonici, ut conſtaret, quo ordine legi debeat. Sedulò autem in Dialogis legendis diſtinguendum, quæ Platonis, quæ aliorum ſit ſententia. Suam in perſona Socratis vel Timæi proponit: alienam ex Gorgiæ, Protagoræ, & aliorum.

Nec tamen putandum, verè iſta Socratem, vel iſtos dixiſſe ac ſenſiſſe. Itaque cùm Plato coram Socrate legiſſet, Lyſidæ dixit. ὡς πολλά μου καταψεύδεται ὁ νεανίσκος; *ut multa de me mentitur adoleſcentulus.*

§. 5. *Agnovit Plato unum eſſe Deum ſummum opificem univerſi: ſed præter eum ſtatuit Deos duplices dæmones, & heroas: quibus & ipſis ſacra fieri juſſit.*

Vide de his Apulejum lib. de Deo Socratis, & Auguſtinum lib. IX. de Civit. Dei cap. VIII. & XI.

§. 6. *Idem mundum cœpiſſe arbitratur: quâ parte Ariſtoteli præferendus. Taurus tamen in commentario Timæi, ut & Porphyrius, & Proclus Platonici, cùm Ariſtotelis argumenta pro mundi æternitate ſolvere non poſſent, interim non fateri vellent rectiùs Ariſtotelem ſenſiſſe, quàm Platonem ſuum, commenti ſunt rationem, quâ ambo idem viderentur ſenſiſſe.*

Ajunt enim Platonem, cùm mundum ait genitum, non loqui de mundo genito ſecundùm principium temporis, quomodo Platonem accepere Ariſtoteles, Theophraſtus, Alexander; ſed de principio ſecundùm cauſam: ut ſic mundus à Deo dicatur, uti lumen eſt à Sole. Quomodo mundus eſſet Deo coæternus, ut Ariſtoteles cenſuit. Sed non eſſe eam Platonis mentem, certiſſimum eſt; cùm is dicat, cœlum naturâ ſuâ eſſe corruptibile, ac divinâ ſolùm voluntate conſervari. Alia quoque multa adverſus hanc eorum ſententiam vide apud Joannem Philoponum egregio libello adverſus Proclum.

§. 7. *In eo autem aberratum à Platone, quòd mundum à Deo conditum putarit ex materiâ coæternâ.*

Unde Deum non ποιητὴν ſive *factorem*, ſed δημιουργὸν ſive *fabricatorem* vocabat. Eoque nomine Platonicos arguit Theophilus Antiochenus lib. II. ad Autolycum.

§. 8. *A Platone eum errorem hauſit Hermogenes hæreticus.*

Adverſus quem Tertullianus fusè diſſerit. Nec patrocinantur Tatianus, Lactantius, Auguſtinus, Theodoretus; qui mundum ex informi materia putant creatum. Nam hi non increatam putant materiam, ſed prius creatam, ac deinde mundum ex ea conditum.

§. 9. *Ideas Platonis impugnant Peripatetici.*

Imò & Lucianus in Icaromenippo, ac SS. patrum non pauci eas rejiciunt. In his Juſtinus orat. ad Græcos, Ambroſius lib. IV. de fide cap. III. & lib. Hexaem. cap. I. & II. Nazianzenus Orat. II. de Theologia. Auguſtinus lib. LXXXIII. quæſtionum, quæſt. XLVI, & Cyrillus lib. II. in Julianum.

§. 10. *Et ſanè hac parte creditur Gnoſticis præiviſſe.*

Quorum deliria eſſe fabricata ex Platonicis Ideis, auctor eſt B. Irenæus lib. II. adverſus hæreſes c. XIX. Etiam Tertullianus libro de Anima ait. *In Ideis Platonicis Gnoſticorum hæretica ſemina relucere.* Quæ ibidem vocat, *hæretica Idearum ſacramenta.* Et lib. de præſcript. cap. VII. *Ipſæ denique hæreſes à philoſophiâ ſubornantur. Inde Æones, & forma, neſcio qua, & trinitas hominis apud Valentinum.* Et c. XXX. *Ubi tunc Valentinus, Platonicæ ſectator.* Valentinus enim, qui circa annum Chriſti CL. Antonini Pii temporibus vixit, Heſiodi è Theogonia XXX Deos, & è Platone Ideas

Ideas mutuatus, cum Ioannis hæc Euangelio miſcebat. Quam ejus ſententiam refutarunt Juſtinus Martyr, Miltiades, Theophilus Antiochenus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, pluresque alii.

§. 11. *Non tamen damnanda Idea, ſi hoc voluit Plato, non ſpectandas formas ſingulares, quatenus tales, cùm ea ſint rerum corruptibilium; ſcientia autem ſit rerum æternarum: ſed conſiderandum quidque in ſpecie, nempe* αὐτὸ καθ' αὑτό, *ſive naturam hominis, vel equi, non in individuo, ſed universè. Ac in moralibus ſimiliter non virtutes ſpectandæ, prout inſunt homini imperfecto: ſed quomodo res ſunt in mente hominis ſapientis, præcipueque in mente divina, quæ ſola percipit omnia perfectiſſimè. Atque hæc, ut putamus, Platonis mens fuit; utcumque ambiguè vel obſcuriùs plurimùm ſit locutus.*

Scio à Plutarcho rideri Colotem Epicureum, quòd Ariſtotelem ac Theophraſtum putaret idem ſenſiſſe de Ideis, ac Platonem: ſcio & Proclum τὸν Διάδοχον, (quomodo κατ' ἐξοχὴν vocatus à ſucceſſione Platonis) in libro eo, quo expendit, quæ contra Timæum Platonis diſputarat Ariſtoteles, multa adferre loca, ubi Ariſtoteles impugnet, ac dicere eum dogma nullum vehementiùs averſatum, ac illud de Ideis, ſcio & Philoponum propterea mirari, inveniri homines, qui dicere auſint, amborum fuiſſe eandem ſententiam: ſcio idem ſentire Alexandrum Aphrodiſienſem: ac Ciceronem quoque lib. 1. Acad. Quæſt. ſic ſcribere, *Ariſtotelem primum labefactaſſe ſpecies, quas mirificè erat amplexatus Plato, ut in his quiddam divinum eſſe diceret.* Quibus impulſus, cùm ante hos annos XXXIII pro ſuprema in Philoſophia laurea publicè in Lugdunenſi Lyceo diſputarem, illud etiam inter ea erat, quæ tuebar, Ideas Platonis non eſſe, nec ſi eſſent, in earum contemplatione beatitudinem eſſe reponendam. Verùm poſtea majori cum cura ac judicio Platonem, ac Platonicos legens, facilè perſpexi, Platonem hoc voluiſſe, cùm ea quæ videamus ſint corruptibilia, nos animi oculos intendere debere in formas rerum internas, prout menti inſunt Dei, quomodo homo eſt immortalis, equus immortalis, itidem, cùm actiones etiam aliquid ex vitio trahere ſoleant, debere nos proponere animis noſtris virtutem, (ut loquuntur) non in concreto, quomodo imperfectæ ſunt & pereunt, ſed in abſtracto, quomodo ea in mente eſt divina, ac quodammodo etiam eſt hominis ſapientiſſimi animus, qui melius mente concipit virtutem, quam vita exprimit. Quomodo Xenophon meliùs virtutem exprimit in Cyro, quàm ea in Cyro fuit. Ut omnino ſi ſecundùm virtutem vivere volumus, non Cyrum fortem, juſtum Ariſtidem, nec continentem Alexandrum nobis proponere debeamus; ſed juſtitiam, continentiam, patientiam, ſecundùm naturæ ſuæ perfectionem. Vide omnino quæ Syrianus de Ideis contra Ariſtotelem diſputavit Comm. in lib. 11. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, & duos poſtremos, ac inprimis lib. XI. ſive ut alii numerant XII. Ubi ſingulis Ariſtotelis argumentis occurrit. Etiam adi, quæ proavorum memoria de Platonis & Ariſtotelis differentia ſcripſit Pletho Gemiſtus: apud quem eadem ferè, iiſdem verbis reperias: item Alcinoum de dogmatis Platonis. Nec dubito, quin idem docuerit Porphyrius libris VII quos de Platonis, & Ariſtotelis conſenſu ſcripſit; atque item Boëthius, qui ejuſdem argumenti libros reliquerat. E junioribus etiam Ideas Platonis defendunt, Ioannes Fr. Mirandulanus lib. VI. Examinis Vanitatis gentium, & veritatis Chriſtianæ cap. XV. & Fr. Venetus, minor, libro de Hermonia mundi, cantici II quinque capitibus.

§. 12. *Finis philoſophiæ ſecundùm Platonem eſt aſſimilari Deo, quatenus humana ſinit infirmitas.*

Ὁμοίωσις τῷ θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. Quod ſic extulit Apulejus lib. de Habit. Doctrinæ Platonicæ: *Sapientia finis eſt, ut ad Dei meritum ſapiens provehatur: hancque futuram ejus operam, ut æmulatione vitæ ad Deorum actus accedat.* Quâ de re pluribus diſputat eleganter Abammon, Ægyptius magiſter, reſponſione ad Porphyrii epiſtolam ſcriptam ad Anebonem. Cæterùm Jamblichi eam eſſe Abammonis epiſtolam legas apud Proclum in Plotinum.

§. 13. *Platoni magnam attulit gloriam, quòd diſertè adeò philoſophiam tractavit.*

Itaque Jovem ajunt Platonis lingua uſurum, ſi Græcè loqui vellet. Ac Græci Platonem dixere θεῖον, uti Ariſtotelem δαίμονα. Platonem B. Hieronymus lib. 1. adverſus Iovinianum vocat *divinum, profundum, nec à juvenilibus ingeniis intelligi.*

§. 14. *Artificium etiam à Dialogis acceſſit: quos primus dicitur ſcripſiſſe.*

Quod tamen cautè capiendum. Nam ante Platonem Zeno Eleates, & Alexamenus Tejus dialogos ſcripſere, ut ab aliis proditum eſt: Sed Plato, ut Laertius ait, ἀκριβώσας τὸ εἶδος τὰ πρωτεῖα δικαίως ἀποφέρεται.

§. 15. *Interea dictio Platonis minus eſt idonea ad philoſophandum.*

Peccat enim eo (ignoſcant mihi nonnulli φιλοπλάτωνες) quòd multùm gaudet Metaphoris, iiſque non verecundis, ſed audacibus & planè poëticis, atque φορτικαῖς. Utcumque igitur ejus dictionem extollant, qui Jovem dicunt, ſi cælo deſcenderet; Platonis ſermone uſurum; philoſophiæ tamen magis convenit dictio propria, aut tralationes receptæ, & uſitatæ. Ut monuit Ariſtoteles lib. II. de Demonſtr. & VI. Top. Item Alex. in lib. 1. priorum. Scio Phrynichum culpare in Ariſtotele, & Theophraſto, quòd quædam non ſatis Atticè efferant: ſed, ut verum diceret, leve tamen id eſt, dummodo pura & perſpicua utantur dictione. Qualis non eſt illa poëtarum, ut cùm Empedocles mare vocat *ſudorem terræ:* quod in eo culpat Ariſtoteles lib. II. Metaphyſ. quemadmodum & cùm Orpheus, & alii fingunt, quæ ſoli intelligant: quo nomine eos reprehendit idem lib. II. τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Ad poëticam autem dictionem propè accedit Plato: quod non Ariſtotelis modò judicium eſt, ſed & Dionyſii Halicarnaſſenſis. Imò in dialogis ſuis poëticè magis loquitur, quàm comœdia facit, ut multos ſenſiſſe, teſtis eſt Cicero in Bruto.

§. 16. *Etiam hoc in Platone culpandum, quòd Pythagoreo more, ſæpiùs ſymbolicâ gaudeat philoſophiâ.*

Ut cùm ait cœlum, & quinque elementa figura differre: cœloque tribuit figuram dodecahedron: & alia id genus.

§. 17. *Nec apertè in prœmiis proponit, quâ de re ſit dicturus. Quæ res obſcuriorem facit.*

Itaque Ariſtoxenus, Ariſtotelis diſcipulus, in Harmonicis hoc etiam nomine Ariſtotelem præfert, quòd clarè illud proponat, de quo deinceps diſſerit.

§. 18. *Nec decem illi Dialogi, de quibus diximus, decimam, ac penè dixerim milleſimam Platonicæ philoſophiæ partem continent.*

Quæ res ita perſpicua eſt vel obiter Dialogos hoſce lectitantibus, ut verba non deſideret.

§. 19. *De Platonica, ut & Pythagorica philoſophiæ principiis, ſcripſere olim Numenius, Cronius, Moderatus, & Thraſyllus, qui Tiberiano ævo vixit: ſed omnium ante ſe induſtriam cura accurata vicit Plotinus.*

by Google

Autor Porphyrius in vita Plotini. Verba ejus adduximus, cùm de Pythagora ageremus. Fuiſſe autem Platonicum, cognoſcimus etiam ex ſcholiaſte Juvenalis in Sat. VI: *Thraſyllus, multarum artium ſcientiam profeſſus, poſtremò ſe dedit Platonicæ ſectæ: ac deinde Matheſi: quâ præcipue viguit apud Tiberium; cum quo ſub honore ejuſdem artis familiariter vixit: quem poſtea Tiberius in inſula Rhodo præcipitare voluit in pelagum, quaſi conſcium promiſſæ dominationis: quem dolum cùm præſenſiſſet, fugit.* Meminere ejus quoque Tacitus Annal. lib. VI. Suetonius in Tiberio. Item Plutarchus lib. de Muſica, ubi Phliaſium fuiſſe indicat. Ex Laërtio cognoſcimus reliquiſſe & librum περὶ τῆς ἀναγνώσεως τῶν Δημοκρίτου βιβλίων.

§. 20. *Succeſſit Platoni in Academiâ Speuſippus.*

Is natus fuit è Potona, quæ Platonis erat ſoror; Annis octo docuit mercede; quod & exprobratum ei à Dionyſio. Et ſanè pecuniæ erat amantior. Ut indicio quoque, quòd ad Caſſandri nuptias ſe contulerit ſpe mercedis pro verſibus à ſe conſcriptis, ſed ineptis, frigidisque; ut cenſet Philoſtratus in Apollonio. Vide de eo Laertium, qui vitam illius deſcripſit. Superſunt Speuſippi ὅροι ſive definitiones, quas Ficinus ve[r]t[it].

§. 21. *Huic ſucceſſit condiſcipulus ſuus, Xenocrates Chalcedonius.*

Vir hebetiori ingenio, ſed caſtis moribus. Ob prius dicebat Plato eum calcaribus, Ariſtotelem freno egere: Ob alterum, nec credere ſuſtinuit Plato jurantibus, Xenocratem de eo malediriſſe. Sed neque judices paſſi ſunt jurare: indignum rati, viro iis moribus non habere fidem injurato.

Plura de eo Laërtius: aliqua etiam Heſychius Illuſt. ſupereſt Xenocratis libellus de Morte, cujus & meminit Laertius. Tranſtulit idem Ficinus, ac Petro Caſino dicavit. At junior hoc Xenocrates ille, cujus de alimento ex aquatilibus animantium libellus exſtat apud Oribaſium. Collectaneorum ad Julianum lib. III. Sed tamen Galeno antiquior, qui ejus meminit non ſemel lib. x. de facultatibus ſimplicium medicamentorum, cap. de Sanguine veſpertilionis: uti & lib. II. de compoſitione ſecundùm genera. Eum Græcè cum Interpretatione Baptiſtæ Raſarii, & ſcholiis ſuis primus edidit Conradus Geſnerus.

§. 22. *Xenocrati ſucceſſit Polemo Athenienſis: Polemoni diſcipuli ſui Crates Athenienſis, & Crantor Solenſis.*

Quàm ſe mutuò amarint Polemo & Crates, docent Diogenes lib. IV. & Heſychius Ill. Ac prior etiam in commune eorum ſepulcrum, epigramma refert Antagoræ: quod ſimiliter legas Anthologiæ lib. VII. Crantor Solenſis primus omnium commentatus eſt in Platonem, ut teſtatur Proclus in Timæum libro I. ubi refert, ut quæ de Atlantide inſulâ retulit Plato, ea pro vera hiſtoria habuerit ὁ πρῶτος τοῦ Πλάτωνος ἐξηγητὴς Κράντωρ. Obiit aquâ intercute ante Polemonem, & Cratetem: ut ait Diogenes.

§. 23. *Atque hæc de Veteri Academia, quæ Platonis veſtigiis inſiſtens, quæ caperet definiebat, quæ non caperet incerta relinquebat.*

Laërtius lib. III. ac totidem verbis Heſychius Illuſtris, ὁ Πλάτων περὶ μὲν ὧν κατείληφεν ἀποφαίνεται, τὰ δὲ ψευδῆ διελέγχει, περὶ δὲ τῶν ἀδήλων ἐπέχει. *Plato quæ percepit, aſſerit; ac falſa diluit; de incertis definire ſuperſedet.* Mox addit Laertius, quomodo perſonis ipſis, quæ vera putaret, ab incertis diſtinxerit: Verba ejus ſunt Καὶ περὶ μὲν τῶν αὐτῷ δοκούντων ἀποφαίνεται διὰ τεττάρων προσώπων, Σωκράτους, Τιμαίου, τοῦ Ἀθηναίου ξένου, τοῦ Ἐλεάτου ξένου· περὶ δὲ τῶν ψευδῶν ἐλεγχομένους· οἷον Θρασύμαχον, καὶ Καλλικλέα, καὶ Πῶλον, Γοργίαν τε, καὶ Πρωταγόραν· ἔτι δ᾽ Ἱππίαν, καὶ Εὐθύδημον, καὶ δὴ τοὺς ὁμοίους. *De iis, quæ approbat, ſententiam ſuam prodit per quatuor perſonas, Socratem, Timæum, hoſpitem Athenienſem, & hoſpitem Eleatem. Mendacium autem redarguentes inducit Traſymachum, Calliclem, Polum, Gorgiam, & Protagoram: adhac Hippiam, & Euthydemum, ac ſimiles.* Quæ & ipſa iiſdem verbis, præter hoc, quod de Protagorâ, & duobus reliquis addit, etiam apud Heſychium invenias. Ac longè alia mens Academiæ mediæ: ad quam nunc accedo. Nam in iis, de quibus hactenus diximus, vetus conſiſtit Academia.

CAP. XIII.

DE MEDIA ACADEMIA.

§. 1. *Crantoris Solenſis diſcipulus fuit Arceſilaus, qui Latinis Arceſilas.*

De quo Diogenes, & Heſychius Ill. Ac pulchrum ejus factum erga amicum pauperem commemorat quoque Seneca de Benefic. lib. II. cap. x.

§. 2. *Hic autor fuit ſecundæ, ſive mediæ Academiæ, quæ ἀκαταληψίαν καὶ ἐποχὴν induxit. Nam volunt nihil percipi poſſe, eoque in omnibus eſſe cohibendum aſſenſum.*

Socrates & Plato diſputare quidem in utramque partem ſolent; ſed ut verum inveniatur. Unde & in multis certi aliquid ſtatuère. Eoque dogmaticis accenſendi. Non item Arceſilas, qui omnia dicebat eſſe ἀκατάληπτα, ſive incomprehenſibilia. Ille tamen Socratis ſe autoritate tuebatur, qui dixerat, nihil ſe ſcire. Sed hoc modeſtiæ cauſâ ὑπερβολικῶς, ut ſophiſtarum argueret immodeſtiam, qui omnium ſcientiam profitentur. Revera enim multa Socrates ſtatuit atque aſſerit: ſed modum tenet, ne incerta afferat pro certis.

§. 3. *Diſcipulus Arceſilæ fuit Lacydes.*

Qua ratione is defenſor ἀκαταληψίας factus ſit, lepidè narratum Numenio, & exinde Guilielmo Cantero lib. VI. Novarum lect. cap. XVIII.

§. 4. *Lacydæ ſucceſſit Telecles & Euander, Euandro Hegeſippus Pergamenus.*

Ut Laërtio dicitur, qui Clementi eſt Hegeſilaus, ultimus in ſucceſſione eâ mediæ Academiæ aſſertor.

CAP. XIV.

DE ACADEMIA NOVA.

§. 1. *Hegeſino ſucceſſit Carneades Cyrenæus, qui novæ ſive tertiæ fuit Academiæ auctor.*

Quartus, ut Cicero ait, ab Arceſila, mediæ Academiæ auctore. Laërtius tamen Lacydem, Arceſilæ diſcipulum, & ſucceſſorem, novæ putat Academiæ auctorem: ſed Carneadi id tribuunt Cicero, Clemens Alexandrinus, Sextus Empiricus, alii.

§. 2. *Differt Academia nova à media, duplici ratione. Primum, quia Arceſilaus etiam à rebus tolleret verum: Carneades fateretur aliquid verum eſſe, aut falſum: ſed negaret eſſe in nobis κριτήριον, ſive artem judicandi verumque à falſo diſcernendi.*

Hinc ex eorum mente apud Ciceronem in Lucullo legas: *Veri eſſe aliquid non negamus, percipi poſſe negamus.* Atque idem alibi: *Non enim ſumus ii, quibus nihil verum eſſe videatur: ſed qui omnibus veris falſa quædam adjuncta eſſe dica-*

ſi dicamus, tantâ ſimilitudine, ut nulla inſit certa judicandi & diſcernendi nota.

§. 3. *Alterum eſt, quòd Carneades quidem aſſenſum cohiberet ob rei incertum, non tamen negaret aliquid probabile eſſe, aut contrà: quale nihil Arceſilas.*

Cicero lib. IV. Acad. Qu. *Reliquit Carneades ejuſmodi viſa* (φαντασίας) *quibus ad actionem excitemur: item ea, quæ interrogati in utramque partem reſpondere poſſimus, ſequentes tantummodo, quod ita viſum ſit, dum ſine aſſenſu.* Vide plura de hoc apud ipſum Tullium, & Plutarchum contra Colotem.

§. 4. *Nihil hic Carneades ſcripſit.*

Teſtes Plutarchus, & Laërtius. Scribere tamen voluit adverſus Zenonem, ac propterea cerebrum priùs elleboro albo purgavit: ut eſt apud Gellium lib. XVII. cap. XV. Verùm non ſcribere, ſed diſputare voluiſſe ait Valerius Maximus lib. VIII. cap. VII.

§. 5. *Poſt Carneadem hæc docuit Clitomachus Carthaginenſis: in quo ſucceſſio deſiit nova Academia.*

CAP. XV.

DE ACADEMIA QUARTA ET QUINTA.

§. 1. *Triplici Academiæ addunt alii quartam & quintam: Quarta eſt ab Philone & Charmida, qui Clitomacho Carthaginenſi ſucceſſere: quinta eſt ab Antiocho, Philonis auditore.*

SExtus Empiricus Pyrrhon. Hypotyp. lib. I. c. XXXIII. Ἀκαδημίαι δὲ γεγόνασιν, ὡς φασὶ, πλείους μὲν ἢ τρεῖς· καὶ μία μὲν καὶ ἀρχαιοτάτη, ἡ τῶν περὶ Πλάτωνα· δευτέρα δὲ καὶ μέση, ἡ τῶν περὶ Ἀρκεσίλαον, τὸν ἀκουστὴν Πολέμωνος· τρίτη δὲ καὶ νέα, ἡ τῶν περὶ Καρνεάδην καὶ Κλειτόμαχον. ἔνιοι δὲ καὶ τετάρτην προστιθέασι τὴν περὶ Φίλωνα καὶ Χαρμίδαν. τινὲς δὲ καὶ πέμπτην καταλέγουσι τὴν περὶ τὸν Ἀντίοχον. *Academiæ autem fuerunt, ut ajunt, plures tribus. Una quidem, eaque antiquiſſima, Platonis: Secunda & media, Arceſilæ, qui fuit auditor Polemonis: Tertia & nova, Carneadis & Clitomachi. Sunt qui his addant quartam Philonis & Charmidæ. Sunt qui etiam quintam adjiciant, Antiochi.*

§. 2. *Ac Philonia quidem ſecta paulò propiùs ad veterem accedebat Academiam, quàm Carneades. Permittebat enim ut ſapiens opinetur, ac quædam etiam comprehendi poſſe ajebat, ſed non tam certò, ut nihil omnino obduci poſſit.*

Numenius auctor apud Euſebium præpar. Evangel. lib. XIV.

§. 3. *Antiochia ſecta veterem Academiam inſtauravit: niſi quòd de κριτηρίῳ Stoicis accederet. Imò & in aliis Antiochus fuit germaniſſimus Stoicus: utcumque Academicus audire vellet.*

Vixit Antiochus hic Ciceronis ætate. Nam eum ſecum habuit L. Lucullus, in Aſia quæſtor, ac poſtea etiam cum eo miſſus à Senatu ad bellum Mithridaticum. Cicero lib. IV. Academicarum Quæſt. *Cùm autem è Philoſophis, ingenio, ſcientiaque putaretur Antiochus Philonis auditor, excellere, eum ſecum habuit* (Lucullus) *& poſt aliquot annos imperator.* Atque ibidem plura de hoc Antiocho, ejuſque ſententia, legere licet.

CAP. XVI.

DE PLATONICIS JUNIORIBUS.

§. 1. *Poſt toties variatam Academiam, poſteriores, qui Platonis dogmatis inſiſterent, pro Academicis, Platonici dici maluere.*

Ac creditur hoc nomen Alexandriæ cœpiſſe, ubi reſuſcitata primò vetus Academia fuit. Ratio autem mutati nominis, quòd Academici nomen ambiguum eſſet, maximeque Arceſilæ ſectatoribus tribui ſoleret: ipſi autem, Platonis exemplo, certa quædam dogmata tuerentur.

§. 2. *Tales è Latinis fuere Apulejus, & Chalcidius.*

De priori ſic Auguſtinus de Civit. Dei lib. VIII. cap. XII. *In utraque linguâ Apulejus Afer Platonicus extitit nobilis.* Extat ejus liber de dogmate Platonis. Uti Chalcidii commentarius in Timæum.

§. 3. *E Græcis verò, præter eos qui vel Judaïcam religionem amplexi, ut Philo; vel Chriſtianam: maximum nomen eſt, Plotini, Porphyrii, Jamblichi, & Procli.*

Auguſtinus lib. VIII. de Civit. Dei cap. XII; *Ex Platonicis valdè nobilitati Græci, Plotinus, Jamblichus, Porphyrius.* Ac *Plotinus* quidem Lycopoli natus, civitate Ægypti: cùm alia, tum LIV. libros reliquit in enneades diviſos. Vixit ſub Gallieno Cæſ. ac deinceps. Fuit diſcipulus Ammonii illius, qui prius bajulus fuerat. Diſcipulum autem ipſe habuit Amelium, uti hic Porphyrium, ille Sopatrum. Ex ſacro quo laborabat morbo, corpore erat imbecilli. Autor iſtorum Suidas in Πλωτῖνος. Accuratè autem ejus vitam Porphyrius deſcripſit. In iis verò, quæ de ejus fato, non audiendus Julius Firmicus.

Porphyrius Plotini & Amelii diſcipulus, temporibus vixit Aureliani, Suida teſte, ac pervenit uſque ad tempora Diocletiani. Gente fuit Tyrius, & patria lingua dictus Malchus, uti & pater ejus. Id nomen regem ſignat. Hebræis *Melech.* Unde nunc Βασιλεὺς, nunc πορφύρεος dictus, quia purpura regibus convenit. De Malchi appellatione auctor ipſe in vita Plotini: ubi de nomine βασιλέως Suidas. Atque hinc vita Pythagoræ inſcribitur Μάλχου ἢ βασιλέως. Ex quo libello quædam Cyrillus citat adverſus Julianum, eaque diſertim Porphyrio tribuit. Verùm de Porphyrio multa & præclara Lucas Holſtenius, quem conſule.

Jamblichus diſcipulus fuit Porphyrii, ac temporibus claruit Conſtantini Magni, liberorumque ejus, atque etiam Juliani. Natus fuit Chalcide Syriæ. Hujus de vita Pythagoræ volumen, & duas ad Philoſophiam orationes protrepticas primus Græcè divulgavit Joannes Arcerius Friſius: cui ut eo nomine gratiæ magnæ debentur, ita eo parum feliciter emendando ac vertendo parum etiam laudis ac gratiæ promeruit.

Syrianus Alexandrinus vixit circa annum CCCCLXX. Inque totum Homerum ſcripſit, & libros IV. in Remp. Platonis, atque alia quæ recenſet Suidas. Ex quo etiam diſcere licet, quanti eum fecerit Iſidorus philoſophus. Nam ex Damaſcio refert, ut Iſidorus dixerit nullum eſſe ſcriptorem, ex quo non aliquid boni diſcere liceat: ſed ex tot ſcriptoribus poſt Platonem præſtare Jamblichum, & qui Jamblichum ſequerentur ejus lectatorem optimum eſſe civem ſuum Syrianum.

Proclus Lycius fuit, ſi audimus Volaterram lib. XVIII. antiquior fuit iis, quos diximus. Nam à Spartiano proditum ait, fuiſſe præceptorem M. Antonini, eumque ab eo ad proconſulatum eſſe evectum. Proculus non Lycius, ſed Siccenſis fuit. Eſtque inter hos trecentorum annorum intervallum. Sic Joannes Stoeflerus Juſtingenſis,

qui

qui ait vixiſſe temporibus Trajani, quod ex eo colligit, quia diſcipulum habuerit Marinum Neapolitanum, quem ſub Adriano ait vitam Procli ſcripſiſſe. Sed de Marini ætate fallitur. Quod liquebit, ſi dixerim de Procli ætate: Is autem claruit anno Chriſti quingenteſimo. Ut qui Syriani fuerit diſcipulus, eique ſucceſſerit in ſchola, uti Proclo poſteà ſucceſſit Marinus, quem vitam magiſtri ſcripſiſſe diximus. Πλατωνικὸν φιλόσοφον vocat Suidas. Extant ejus ſex libri de Theologia Platonica, qui Hamburgi primùm prodiere anno cIↄ Iↄ c xviii. Item ſuperſunt commentarii in Timæum & libros de Repub. Scripſit quoque de Orphei, Pythagoræ, & Platonis conſenſu in oraculis lib. x. aliaque quæ Suidas commemorat. Ex quo etiam cognoſcimus, quàm Chriſtianis fuerit infeſtus. Ut qui poſt à Porphyrio ſecundus adverſus Chriſtianos ediderit libros. Atque hoc ipſum quoque errorem prædictum ſatis refellit. Nam ſi Porphyrio junior eſt, quomodo vixerit ſub Trajano, ac docuerit M. Antonium, qui propè ſeculo præceſſit? Sed profectò multa hujus generis in commentariis Raphaëlis occurrunt. In eo etiam ratio fugit Stoeflerum, quòd putaret, Proclum vocatum Diadochum à gemma ejus nominis quæ berillo ſimilis: ut ait Plinius lib. xxxvii. cap. x. Sed Proclus Διάδοχος appellatus κατ' ἐξοχὴν ob ſucceſſionem in Schola Platonica.

§. 4. *Maximus Tyrius quoque fuit Platonicus.*

Maximum Tyrium primus Latinè reddit Coſmus Pactius, Florentiæ natus amita Leonis x, præſul cathedralis Eccleſiæ Florentinæ. Obiit in urbe patria ann. cIↄ Iↄ xiii. Verùm illam verſionem innumeris locis expurgavit D. Heinſius, & commentario illuſtravit. Floruit autem Maximus Tyrius tempore Commodi imperatoris teſte Suida.

§. 5. *Nec Alcinous prætereundus.*

Exſtat hujus epitome philoſophiæ Platonicæ, vertit eam Ficinus, ſed emendavit illam verſionem Jacobus Carpentarius Claromontanus Bellovacenſis, qui & inſigni auctorem hunc commentario illuſtravit, quo totam Platonicam Doctrinam explicare conatus eſt. De ætate hujus autoris nihil certò adfirmari poteſt. Euſebius de Præparat. Euang. lib. xi. bonam hujus opuſculi partem citat, non ſub Alcinoi nomine, verùm Didymi, ut Didymus Alexandrinus hujus ſcripti auctor poſſit videri. Niſi forſan Didymus ex Alcinoo locum illum deſcripſerit.

§. 6. *Etiam proavorum ævo fuere duo præſtantes Platonici, Beſſario Cardinalis, & Gemiſtus Pletho.*

Illius extant libri iv. adverſus calumniatorem Platonis, (ita vocat Georgium Trapezuntium) ab Aldo avo editi: hujus autem exſtat liber de differentia inter Ariſtotelem & Platonem. Latinè editus eſt Baſileæ niſi fallor. Habemus illum etiam Græcè; oſtendere verò in hoc ſcripto conatur, ſemper principatum inter hos duos Philoſophos obtinuiſſe Platonem, nunquam verò Ariſtotelem, uſque ad tempora Averrois. Scripſit hic idem Pletho alia quoque philoſophica, περὶ ἀρετῶν *de Virtutibus.* περὶ ἑρμηνείας, *de Interpretatione:* Commentarium præterea in magica Zoroaſtris, aliaque quædam quæ neque Græcè neque Latinè prodierunt.

§. 7. *Latinorum, qui circa ea tempora vixerint, nullus operam magis laudabilem Platoni, & ejus Philoſophiæ, impendit, quam Marſilius Ficinus.*

Vertit Platonem, vertit item Plotinum, quem etiam inſigni illuſtravit commentario. Sed & Jamblichum de myſteriis Ægyptiorum. Pſeudo-Dionyſium Areopagitam, aliorumque Platonicorum ſcripta Latinè reddidit. Verùm de hujus viri, virtutibus & ſcriptis jam multi multa dixerunt.

Cap. XVII.

DE PERIPATETICIS.

§. 1. *Peripateticorum princeps Ariſtoteles fuit.*

De nomine ſic Cic. Acad. 1. *Qui erant cum Ariſtotele, Peripatetici dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Lyceo.* Ac ſimiliter Laërtius in Ariſtotele; qui & alias occaſiones addit. Heſychius quoque; ἡ δὲ Περιπατητικὴ φιλοσοφία ἐκλήθη διὰ τὸ ἐν Περιπάτῳ, ἤτοι κήπῳ κατάρξαι αὐτῆς Ἀριστοτέλην. *Peripatetica philoſophia dicta eſt ex eo, quia cœperit ab Ariſtotele docente in xyſto, ſive horto ambulationi apto.* Sed Ammonius in Categ. autor eſt, Platonem ipſum docuiſſe ambulantem: atque ab hoc primo Peripatetico, poſt ejus exceſſum, Xenocratis auditores vocatos Peripateticos ex Academia: Ariſtotelis autem Peripateticos ex Lyceo. Tandem Xenocraticos, nomine Peripatetici omiſſo, à loco ſolùm dictos Academicos: & contra Ariſtoteleos, nomine loci præterito, ab actione ſolùm vocatos Peripateticos. Michaël ſcriptor recentior dicit Ariſtotelem fuiſſe Thracem. Nempe quia Stagira quibuſdam in Thraciâ, uti Pauſanias in Eliacis. Ac videntur duo antiquiſſimi hiſtorici, Herodotus in Polymniâ & Thucydides libro Quarto & Quinto Stagiram tribuere Thraciæ. Nempe antiquiſſimis temporibus Stagiros fuit Thraciæ. Nec tamen Ariſtoteles Thrax, quia cùm naſceretur Ariſtoteles, jam Stagira erat Macedoniæ pars. Sanè Philippus Alexandri parens tum extendit Macedoniam (quæ uſque ad Strymonem extendi ſolet) uſque ad Neſſum. Sed Stagira non modò intra Neſſum, ſed etiam Strymonem eſt. Antiqui tamen limites ne quidem uſque ad Strymonem patuiſſe videntur. Verùm hoc multò ante natum Ariſtotelem fuit. Eſt & alia ratio quamobrem Græcus, non Thrax, dicendus ſit Ariſtoteles. Quia nempe Græciæ non Thraciæ adtributæ fuerunt pleræque Græcorum coloniæ, quæ in Thraciæ litoribus ſitæ eſſent. Porro dicitur Stagiros, ut Herodoto, Thucydidi, & in epitome Strabonis. Dicitur item Stagira in Plurali, ut Pauſaniæ, Stephano, aliis. Denique dicitur & Stagira in Singulari, ut Laërtio in Ariſtotelis teſtamento, Euſebio, &c. Parentes Ariſtotelis fuere Nicomachus & Phæſtis; quæ Laërtio Phæſtitis & Suidæ. Fortaſſe Phæſtitis & Phæſtis dixere contractè. Phæſtis comprobatur & hexametro Græco;

Φαιστίδος ἦν μητρὸς καὶ Νικομάχου γενετῆρος.

Nicomachus genus ducebat à Machaone heroë Æſculapii filio, unde Ariſtoteles dicitur fuiſſe ἐκ τῶν Ἀσκληπιαδῶν γένους. Nicomachus ille fuit medicus Amyntæ regis, qui pater Philippi, avus Alexandri Magni fuit. In hujus memoriam & Ariſtoteles filium ſuum vocavit Nicomachum, cum ad quem Ethica ſcripſit, quæ vocantur inde Nicomachia, ad diſcrimen Magnorum & Eudemiorum. Triplicia enim Ethica Ariſtoteles reliquit. Quamquam Cicero dubitat an non Ethica illa ſint ipſius Nicomachi, & Suidas ait ab Nicomacho hoc eſſe Ethicorum libros relictos. Olympiodorus in Gorgiam Platonis, & Ammonius, vel Damaſcius, vel alius in vitâ Ariſtotelis à Nunneſio editâ, & Beſſario libro 1. adverſus calumniatorem Platonis, ajunt Ariſtotelem triennio audiviſſe Socratem. Quæ eſt ἀνιστορησία. Nam Socratem conſtat obiiſſe anno 1. Olympiadis xcv, Ariſtotelem natum anno 1. Olymp. xcix. ut minimum xv. anni interſint inter obitum Socratis & nativitatem Ariſtotelis. Ergo non xx, ſed xvii anno adiit Platonem, ut docet Laërtius; cumque audivit annos viginti. Poſt obitum Platonis annos vixit xxvi. nam obiit annos natus lxiii. Hæc de patriâ, parentibus, præceptoribus Ariſtotelis ſuffecerint: cætera ex Laërtio petantur.

§. 2. *Ariſtotelis ea laus eſt, quòd non philoſophia uſus mythicâ, ut poëta veteres; non ſymbolicâ, ut Pytha-*

go-

geras, & ſæpè etiam Plato; ſed apertâ, ut quæ proprietate gaudeat verborum.

Tria hæc Philoſophandi genera ſtrictim complexus Simplicius in procemio libri τῶ κατηγοριῶν, ubi de Ariſtotele ſic ſcribit: οὐδὲ μύθοις, οὐδὲ συμβολικοῖς αἰνίγμασιν, ὡς τῶν πρὸ αὐτοῦ τινες ἐχρήσαντο, ἀλλ᾽ ἀντὶ παντὸς ἄλλου παραπετάσματος τὴν σαφήνειαν προετίμησεν.

§. 3. *Altera Ariſtotelis laus eſt, quòd cæteris ſit μεθοδικώτερος, ut qui accuratiùs definiat ac dividat, melioríque omnia ordine pertractet.*

Nec dubium, quin hoc artificium Logicæ debuerit, quæ verè eſt, quod dicitur; nempe ὄργανον omnium artium ac ſcientiarum.

§. 4. *Tertia ejus laus eſt, quòd magis Platone excoluit ſcientiam naturalem, in quâ quantum præſtiterit, monumenta ejus docent. Præſertim quæ de animalibus perſcripſit.*

Quod opus eſſe genuinum, ne illi quidem ambigunt, qui nobis perſuaſum ire volunt, tria duntaxat opera eſſe ipſius Ariſtotelis; ut inferius dicemus.

§. 5. *Quid multis? ſi non partem aliquam virtutum, ſed totum philoſophum conſideremus, unus ille ingenii acie ac varietate doctrinæ, eorum qui præceſſerant, lumina tantum præſtinxerit, quantum Sol Lunæ & ſiderum minorum.*

Luculenta ejus laus apud Cic. lib. v. de Finibus. *Etiam* Plinius appellat *ſummum in omni ſcientiâ virum.* De eodem ſic Quintilianus lib. x. *Quid Ariſtotelem? quem dubito ſcientiâ rerum, an ſcriptorum copiâ, an eloquendi ſuavitate, an inventionum acumine, an varietate operum, clariorem putem.* Galenus lib. 11. de decretis Hippocratis & Platonis docet, nullam Philoſophorum ſectam magis conſtantem ac certam, ac magis ſuis principiis conſentanea dicere. Arnobii eſt lib. III. adverſus gentes: *Ariſtoteles vir ingenio præpotens, atque doctrinâ præcipuus.* Macrobius quoque non veritus dicere, *nihil tantum virum ignorare potuiſſe.* Eundem quoque *Finem humani intellectus* appellat B. Hieronymus lib. I. adverſus Jovinianum. Vide & alia ejus elogia apud Cic. I. Tuſc. & lib. I. de Divin. Plin. lib. VIII. Hiſtor. Natur. cap. XVI. & XVIII. cap. XXXIV. Ælianum var. Hiſt. XII. lib. Lactantium de irâ, cap. X. Auguſtin. lib. VIII. de civit. Dei cap. XII.

§. 6. *Hoc tamen habet, quòd gloriæ ſtudio laboret vitio alios ſugillandi; ac ne quidem candidè ſemper alienas referat ſententias.*

Quod facilè vident, qui legunt ea, ubi alienas opiniones refellit: uti Platonem, Democritum, Parmenidem, alios. Lactantius ait Platonem dixiſſe: In nos recalcitrat Ariſtoteles, ut in matrem pulli. Sed diſſenſus à magiſtro, ſi modeſtus ſit juſtusque, laudem meretur. Veritatis enim ſtudium præponi debet. Verùm hoc non eſt, ubi calumniandi libido antevalet. Veritas enim non indiget mendacio.

§. 7. *Qui dictione etiam à Platone vinci aiunt, non cogitant, Ariſtotelem amâſſe ſtrictiùs dicendi genus, quia hoc accommodatum philoſophiæ. Hac ratio eſt, cur non figuras ac tropos ſectetur, ſed rerum & ſententiarum gaudeat brevitate. Videbat rem alioqui in longum nimis trahi, & artis præcepta reddi ſæpiùs obſcuriora.*

Nec ſanè Ariſtoteles minus Platone in Rhetoricis valuit artis peritiâ: ſed aliis intentus, exercitationem poſthabuit. Quod non cogitant logodædali quidam, quibus Ariſtoteles non ſapit: ac Plato in ore eſt, non quaſi laudes tanti viri capiant, vel iis etiam capiantur, ſed ut ſuccum loliginis faciliùs tegant.

§. 8. *In iis tamen, quæ ad Deum, & omnem ſpiritualem naturam, mundique originem pertinent, longè vincitur à Platone.*

Cujus cauſa, quòd Ariſtoteles, ut benè de eo Simplicius, divina examinaret ad naturam, nihilque admitteret, niſi ratione fultum: Plato etiam, quæ traditione eſſent ſubnixa. Atqui profectò & traditioni ſuus eſſe honos debet, quando ratione non refellitur. Multa enim veriſſima per manus ad nos devenîunt, quæ ſoli negant imperiti, ac temerarii, omniaque ſuo intellectu metientes, quaſi reliquos præ iis fatuum eſſe oporteret.

§. 9. *Librorum Ariſtotelis alii ſunt ἀκροαματικοὶ ſive ἀκροατικοὶ, alii ἐξωτερικοί. In his τὸ ὅτι docebat, vel pinguiori Minervâ rationes addebat: in illis accuratè genuinis diſcipulis omnia demonſtrabat.*

Vide Gellium lib. xx. cap. IV. Clement. Alexandr. lib. v. Στρωμ. & Ammonium in Categ. Ariſtotelis. Quorum hic ait, ἀκροαματικὰ ſic dici, διὰ τὸ πρὸς τοὺς γνησίους ἀκροατὰς ποιεῖσθαι τὸν λόγον: *quia ſermonem haberet cum genuinis ac propriis diſcipulis.* Etiam monet, ea fuiſſe αὐτοπρόσωπα, utpote, ἐν οἷς ἐξ οἰκείου προσώπου τὴν διδασκαλίαν ἐποιεῖτο· τὰ δοκοῦντα δὲ αὐτῷ λέγει, καὶ δι᾽ ἐπιχειρημάτων ἀκριβεστέρων, καὶ οἷς οὐχ οἷοί τε εἰσὶν οἱ πολλοὶ παρακολουθεῖν. *In quibus ex propriâ doceat perſonâ, eaque dicat quæ ſibi ipſi viſa ſint, ac probet omnia exquiſitis argumentis, & quæ homines vulgares aſſequi non poſſint.* Plutarchus quoque in Alexandro clarè ait fuiſſe, hæc τῶ ἀπορρήτων καὶ βαρυτέρων διδασκαλίαν, *ex interioribus, & gravioribus diſciplinis.* Atque addit vocari à Peripateticis ἀκροαματικὰς, καὶ ἐποπτικάς: nempe tralatione à ſacris Eleuſiniis. Nam primo quadriennio inſtituebantur ac dicebantur μύσται: qui in veſtibulo ante ſacrarium conſiſtebant, & quinto anno jus erat ſacra in interiore ſacrario clauſa conſpiciendi: unde ἐπόπται vocabantur. Similiter igitur ea philoſophiæ arcana quæ diſcipulis ſuis pandebat Ariſtoteles, ἐποπτικὰ dicebantur.

Lucianus itidem, dialogo, qui βίων πρᾶσις inſcribitur, dividit ejus ſcripta in ἐξωτερικὰ καὶ ἐσωτερικά; quorum poſteriora ſunt eadem, ac ἀκροαματικά. De altero autem librorum genere, ſic ſcribit Clemens: Διαλογικὰ δὲ ἔστι μὴ ἐξ οἰκείου προσώπου συγγεγραφέναι, ἀλλ᾽ ὥσπερ ὁ Πλάτων ὑποκρινόμενός ἑτέρων πρόσωπα, ἅπερ καὶ ἐξωτερικὰ ἐκάλουν, διὰ τὸ πρὸς τὴν τῶν πολλῶν γεγράφθαι ὠφέλειαν. *Dialogo perſcripta eſſe, ubi non ex propriâ ſcribat perſonâ: ſed ut Plato, alias inducat perſonas, quæ & exoterica, quaſi externa dicantur, quia ad vulgarium etiam hominum utilitatem ſcribantur.*

§. 10. Ἀκροαματικὰ *docebat manè, idque ambulans, unde is περιπατητικὸς ἑωθινὸς dicebatur;* ἐξωτερικὰ *docebat veſperi, unde vocabatur περίπατος δειλινός.*

Teſtis Gellius lib. xx. cap. IV. Nempe διατριβὴ matutina magis idonea ſtudiis ſubtilioribus. Notum illud Plinii, *Aurora Muſis amica.* Minùs verò idoneus homo, poſt ſumptum cibum, præſertim ſi largiùs id fiat, ut multis mos eſt: ita ut homo, vix ſit ſemihomo, quia cibus obnubilet mentem, corpusque onuſtum, ut poëta Venuſinus * inquit, * Lib. 2. Sat. 2.

—— animum quoque prægravat unà,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Videndus omnino Samuel Petitus lib. II. obſ. c. II. p. 172.

§. 11. *Utinam autem Ariſtotelis libri integriores perveniſſent ad poſteros.*

tized by Google

Ariſtoteles bibliothecam ſuam reliquit Theophraſto: is Neleo, qui Ariſtotelis fuerat diſcipulus, Theophraſti condiſcipulus, ut ex Laertio liquet. A Neleo, teſte Athenæo lib. I. eos mercatus Ptolemæus Philadelphus, inque Alexandrinam tranſtulit bibliothecam. Quod capiendum de libris, qui alium quàm Ariſtotelem haberent auctorem. Nam eos quos Ariſtoteles ſcripſerat, retinuit Neleus, ac poſteris tranſmiſit, hominibus indoctis, qui eos ſub clavibus ſine ullo uſu habuere. Hinc apud Strabonem dicuntur κατακλειστα βιβλία: de quibus videndus Salmaſius ad Tertull. de Pallio, pag. 128. Imò, metuentes ne eos ſibi Pergameni reges vindicarent, diu ſub terrâ occultarunt, ubi ſqualle ſituque obducti, à blattis etiam ac tineis corroſi. Atque hoc primum malum librorum eorum fatum fuit. Ecce alterum. Hoſce libros emit Apellico Tejus, homo φιλόβιβλος magis quàm φιλόσοφος, ut cognoſcimus ex quinto Athenæi. Hic eroſos laceroſque deſcribi ac vulgari curavit, ſed philoſophiæ non admodum gnarus, ut dixi, nec judicio, nec fide ſemper bona. Eo defuncto, Sylla, Athenarum potitus, annis circiter ducentis quinquaginta poſt Ariſtotelis exceſſum, illos, ut Plutarchus in Sylla narrat, Romam miſit, ubi uſum eorum à bibliothecæ præfecto impetravit Tyrannio grammaticus, qui Ariſtotelis erat ſtudioſus. Bibliopolæ autem eos deſcribi curarunt, ſed ab ineptis librariis, & qui ne quidem cum exemplari conferrent quæ deſcripſiſſent. Ita tertiò malè habiti ſunt Ariſtotelis libri. Ab hoc Tyrannione nactus eſt eos libros Andronicus Rhodius: ut eſt apud eundem Plutarchum. Is primus Ariſtotelis libros in multa exemplaria transfundi & publicari curavit. Atque exinde ex acroamaticis etiam cœperunt diſputare, & magis Ἀριστοτελίζειν, cùm intermedio tempore, mox ab exceſſu Theophraſti, librorum potiſſimorum defectu, non niſi ex Exotericis, dialecticè & probabiliter diſputari ſoleret.

§. 12. *In illo præterea infelix Ariſtoteles fuit, quòd tot ejus libri deperierint.*

Ut cognoſcere eſt partim ex catalogo, quem apud Laertium habemus: partim exinde, quòd eorum, qui nunc exſtent, nulli dialogo ſcripti ſint, tales verò multi olim fuerint: Unde Cicero ad Lentulum ait, tres libros ſuos de Oratore dialogo exaraſſe, more Ariſtoteleo. Tales illi Laertio memorati, Sophiſta, & Menexenus, qui de moribus erant; item Nerithus, & Gryllus, qui de Oratoria facultate tractabant: item Eudemus ſive de Anima dialogus. Idem firmat Cicero epiſtolâ ad Quinctum fratrem: ubi ait Ariſtotelem, quæ de Rep. & præſtante viro tradit, ipſum loqui: ac verò, ſiquid non probet, inducere alios loquentes. Idem quadam ad Atticum epiſtola refert, ſe in ſingulis libris uti proœmio, ut ab Ariſtotele factum in ἐξωτερικοῖς. At iis in libris qui ſuperſunt, contra ſe rem habere videmus.

§. 13. *At contrà idem felix eo, quòd tam multi effugerint Libitinam.*

Nec enim audiendus Cælio Curio Secundus, qui in Judicio de ſcriptis Ariſtotelis, tria ſolùm genuina arbitratur. Ea ſunt Hiſtoria Animalium, liber de Mundo, & Rhetorica ad Alexandrum. Et hoc potuit Curio aliis perſuadere: ut editori Snellio Ramæi Philoſophiæ Syntagmatis, * cui Rodolphi Goclenii præfatio præmittitur. Atqui rectè quidem de Hiſtoria Animalium. Verùm Ariſtotelis non eſt libellus de Mundo. Non rectè adeò de Deo mundum gubernante is ſenſit, quàm hic auctor facit. Et Rhetorica ad Alexandrum ſunt Anaximenis Lampſaceni, qui & ipſe magni Alexandri magiſter fuit. De hoc alibi diximus. At quis ferat, quod Περὶ Ἑρμηνείας librum, item Ἀναλυτικὰ utraque, imò & φυσικῆς ἀκροάσεως libros, & illos de Animo, ac tot alios, in quibus planè Ariſtotelis genius ſpirat, parenti verò abjudicat? Quis non judicium in hoc judicio deſideret?

* *Edit. Francofurti an. 1596.*

§. 14. *Hoc etiam valde facit ad laudem Ariſtotelis, quòd etſi diu Ariſtotelis libri fuiſſent occultati, nec leviter vitiati, ubi tamen ſemel in hominum manus devenere, ita omnium animos occuparunt, ut quæcumque penè contra eum Chryſippus, & Stoici in Logicis, aut Phyſicis diſputaſſent, ea judicio omnium improbarentur.*

Inde Theodorus Logotheta ait, ſuo ævo, nec veſtigium, aut volam Stoicorum ſuperfuiſſe. Sed patrum noſtrorum ævo fuit, qui ſe iterum Ariſtotelem ex ſcholis ejicere, ſuaque exilia & frivola iis ſubſtituere poſſe exiſtimavit. Eſt is Petrus Ramus, vir doctus ac diſertus, ſed qui non debuerit tam petulanter ingenio ſuo abuti. Ut mirer viros eſſe non malos, qui ſic in deliciis habent ejus Animadverſiones, ſive Scholas: quas ille, ut adverſariorum aliqui acerbè ſatis ſcribunt, oratorum & poëtarum floſculis exornavit, ut faciliùs & certiùs inficeret juventutem: quomodo Athenienſes iis, quos capitis condemnarant, miſcebant cicutæ pauxillum vini, ut id ſuâ tenuitate cicutæ craſſitiem extenuaret. Ego autem, etſi in Ramo immodeſtiam illam probare non poſſum, benignius tamen cenſeo. Et cogitandum Ariſtotelem ipſum non multò melius eos excepiſſe, à quibus diſſentiret. Hoc etiam imminuit culpam, quòd quo tempore illa ſcribebat Ramus, tanto in pretio paſſim eſſet Ariſtoteles, ut non minùs piaculare judicaretur, ſi quis ab Ariſtotele diſſentire auſus eſſet, quàm ſi Sacras negaret literas. Appoſitè olim Irenæus lib. I. adverſus hæreſes, cap. XIII; *Qui in phreneticam paſſionem inciderunt, aut plus rident, & valere ſe putant, & quaſi ſani omnia agunt; quædam autem & quaſi plus quàm ſani ſint; tantò magis malè habent. Similiter autem & hi quò magis plus ſapere putantur enervantes ſemet ipſos ſuper tantum ſagittantes, tantò magis non ſapiunt.*

§. 15. *Ariſtotelis ea fuit* φιλαναγνωσία *ut Plato ejus domum ſoleat vocare* οἶκον ἀναγνώστου, domum anagnoſtæ; *ut in vitâ Ariſtotelis refert Hermeas Ammonius.*

Etiam librorum amorem indicant illa Agellii verba lib. III. cap. XVII: *Ariſtotelem quoque traditum libros pauculos Speuſippi philoſophi, poſt mortem ejus, emiſſe talentis Atticis tribus. Ea ſumma fit nummûs noſtri HS duo, & ſeptuaginta.* Quin hic prævivit Ptolomæo Lagidæ, & Philadelpho in bibliothecæ ſtructurâ. Unde Strabo lib. XIII: Ἀριστοτέλης πρῶτος, ὧν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία, καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν. *Ariſtoteles primus, quos novimus, librorum collector fuit, & reges in Ægypto docuit bibliothecæ conſtructionem.*

§. 16. *Ex Interpretibus Ariſtotelis maximè legendus Alexander Aphrodiſienſis.*

Quippe non ſolùm omnium is interpretum antiquiſſimus, (nam Herminus, qui antiquior, paucis exceptis fragmentis, periit nobis) ſed etiam Ariſtotelis ſententiam maximè ſequitur, optimeque defendit. Nec, ubi Ariſtoteles à Platone diſſentit, defendit Platonem, ut Simplicius facit, vel cum Ariſtotele conciliat, ut Ammonius: ſed addit argumenta alia, quibus Ariſtotelis ſententia roboretur. Quemadmodum & aliarum ſectarum opiniones impugnat, præcipuè Stoicorum. Ob iſta Plotinus Alexandrum potiſſimùm ad intelligendum Ariſtotelem conſulere ſolebat: ut in vitâ illius Porphyrius teſtatur. Etiam B. Hieronymus in epiſtolâ ad Domnionem refert, ſe Alexandri commentarios Latinè vertiſſe, ad philoſophiam diſcendam. Cyrillus quoque adverſus Julianum ejus teſtimoniis gaudet, ac Ariſtotelis amatorem appellat omniumq; Philoſophorum diligentiſſimum & acutiſſimum fuiſſe tradit. Imò Græci eum κατ' ἐξοχὴν vocant ἐξηγητὴν ſive interpretem. Multumq; ejus ſcriptis profecit Aben-roes, ut paſſim liquet. Interdum tamen parum abfuit,

abfuit, quin ab amore Alexandri me abſtraherent interpretum illi, qui è Platonis ſchola profecti ſunt. Sed rediit amor, ubi vidi invidiam eſſe, quæ eos erga Alexandrum, ſummum Ariſtotelis vindicem, iniquiores facit.

§. 17. *Solùm opus, ut germana Alexandri à nothis diſcernamus.*

Cujuſmodi ſunt commentaria in meteora, & alia nonnulla. Vixit Alexander Aphrodiſienſis temporibus Severi Imperatoris & filii ejus Antonini, circa annum CCX: ut alius ab eo ſit Alexander, à quo in Peripateticâ philoſophiâ inſtitutus fuit M. Craſſus, ut in ejus vitâ refert Plutarchus.

§. 18. *Magna etiam gloria eſt aliorum interpretum, maximè Themiſtii, Simplicii, Procli, Olympiodori, Ammonii, & Philoponi.*

Porphyrium mitto, etſi ejus ſit εἰσαγωγὴ in Ariſtotelem. Nempe quia Platonicus magis, quàm Ariſtotelicus fuit. Diſcipulus erat Plotini, condiſcipulus Origenis, præceptor Jamblichi. Sed & iſti Platonici.

Themiſtius cognomento Euphrades, quod à facundia habuit: ut Tyrtamus dictus Theophraſtus, Dio, & Joannes vocati Chryſoſtomi: vixit Conſtantis, Joviani, Valentis, & Valentiniani Impp. temporibus. Ad quos etiam orationes ejus extant. Præceptorem ſuum vocat Auguſtinus lib. de Categoriis.

Olympiodorus Alexandrinus Philoſophus, claruit circa annum CCCCLXXX. Nempe Leonis, & Zenonis Imperatoris temporibus. Suidas ait præceptorem fuiſſe Procli Lycii. Qui & Syrianum, & Plutarchum Neſtorii filium, & Heronem Mathematicum audivit.

Proclus Lycius, cognomento Διάδοχος, qui ſucceſſor erat Scholæ Platonicæ, poſt Porphyrium contra Chriſtianos ſcripſit.

Iiſdem temporibus vixit *Joannes*, cognomento *Philoponus*: qui Proclo reſpondit.

Procli Diadochi diſcipulus fuit *Ammonius*, ut ipſe ait initio commentarii in Ariſtotelem περὶ ἑρμηνείας.

Iiſdem temporibus vel paulò poſt claruit *Simplicius*. Nam ſub Juſtiniano Imperatore floruiſſe conſtat ex Suidâ, voce Δαμάσκιος. Ubi & addit eum fuiſſe Phrygem, & Damaſcii Stoici familiarem. Simplicius ſæpè acriter invehitur in Philoponum: quod oſtendit fuiſſe vel juniorem, vel æqualem Philopono. Ut errent, qui ex Nicephori lib. XVIII. cap. XLVI. colligant, eum vixiſſe ſub Phocâ, hoc eſt circa annum ſexcenteſimum.

§. 19. *Inter Arabas Ariſtotelis interpretes princeps locus debetur Averroi, unde & κατ' ἐξοχὴν dictus Commentator.*

Qui Græcè neſcius feliciter adeò mentem Ariſtotelis perſpexit, quid non feciſſet, ſi linguam ſciſſet Græcam? Nomen ei ſit Latinè Roiſius. Hinc Aven-rois dictus, quaſi Rois filius. Cordubæ floruit in Hiſpania anno à nato Chriſto CIƆ CL. Teſtis Conciliator, ac Ægidius Romanus, qui & auctor eſt filios Averrois fuiſſe in aula Frederici Barbaroſſæ. Vide Ægidium in Quodlibetis lib. II. quæſtione de unitate intellectus. Nec Philoſophus modò, ſed medicinæ intelligentiſſimus fuit: de qua reliquit libros VII. *Colliget* inſcriptos, quia univerſalia pertractat. Quàm parum viderit tantus Philoſophus in vera & unica ſalutis via, arguit illud, quòd diceret, malle ſe animam ſuam eſſe cum Philoſophis, quàm cum Chriſtianis.

§. 20. *Ariſtoteli ſucceſſit diſcipulus Theophraſtus Ereſius, qui cùm prius vocaretur Tyrtamus, poſtea ob divinam facundiam à præceptore Theophraſti nomen accepit.*

De hoc ita Strabo lib. XIII: Τύρταμος δ' ἐκαλεῖτο πρότερον ὁ Θεόφραστος, μετωνόμασε δ' αὐτὸν Ἀριστοτέλης Θεόφραστον· ἅμα μὲν φεύγων τὴν τοῦ προτέρου ὀνόματος κακοφωνίαν, ἅμα δὲ τὸν τῆς φράσεως αὐτοῦ ζῆλον ἐπισημαινόμενος· ἅπαντας μὲν γὰρ λογίους ἐποίησε τοὺς μαθητὰς Ἀριστοτέλης, λογιώτατον δὲ Θεόφραστον. *Theophraſtus prius vocabatur Tyrtamus: ſed Ariſtoteles hoc ei nomen fecit, ſimul ut prioris aſperitatem fugeret, ſimul ut dictionis Theophraſteæ præſtantiam commendaret, tanquam divinæ. Omnes enim diſcipulos ſuos facundos, hunc facundiſſimum reddidit Ariſtoteles.* Idem de hoc Tyrtami nomine teſtantur Diogenes, Heſychius Illuſtris, Suidas, & Tzetzes Chil. IX. cap. CCXCVI. Hujus verba; Καὶ ὁ Θεόφραστος αὐτός, ὁ Τύρταμος τὸ πρίν. *Et Theophraſtus ipſe, qui prius Tyrtamus.*

§. 21. *Quid mirum igitur, ſi ad viri doctiſſimi pariter, ac diſertiſſimi ἀκροάσεις confluerent diſcipuli circiter bis mille auditores.*

Auctores Laërtius, & Heſychius.

§. 22. *Omnino hic jungendus præceptori ſuo, partim ob ea, de quibus Ariſtoteles non ſcripſit: partim ob illa, de quibus Theophraſtus melius ſcripſit.*

In nonnullis enim ab Ariſtotele diſſenſit, ut de cauſſa efficiente pluviarum, item cauſſa ventorum obliquorum: & unde exeat exhalatio calida & ſicca: unde item ſit ſalſedo maris. Magnitudo autem viri judicio ipſius Ariſtotelis comprobatur, qui, cùm duo inter Ariſtotelis diſcipulos præcipui nominis eſſent, Theophraſtus Lesbius, & Eudemus Rhodius, ac morti proximus, utrum eligeret ſucceſſorem, rogaretur, vinum Rhodium ac Lesbium adferri juſſit, ac cùm utrumque guſtaſſet, Rhodium oppido bonum eſſe dixit, ſed Lesbium ſuavius: atque ita lepidè & verecundè Lesbium Theophraſtum Eudemo Rhodio prætulit; ut autor eſt Gellius lib. XIII. cap. V. Sed pro Eudemo perperam *Menedemum* apud eum legitur: ut jam aliis obſervatum. Nam eundem cum Theophraſto jungere ſolent Alexander & alii: Menedemus verò vix ulli memoratus.

§. 23. *Adverſus tantum virum ſcribere auſa eſt Leontium.*

Cic. lib. I. de Nat. Deorum. *Meretricula etiam Leontium contra Theophraſtum ſcribere auſa, ſcito illa quidem ſermone, & Attico.*

§. 24. *Theophraſtum audiêre Strato Lampſacenus, & Demetrius Phalereus: Stratonem Lycon Troadenſis Lyconem Ariſto Ceus, hunc Critolaus Phaſelites, illum Diodorus.*

§. 25. *Adraſtus Peripateticus citatur à Theone Smyrnæo Muſicorum cap. VI.*

Ac meminit etiam Porphyrius in vita Plotini: inque hypomnematis ad Ptolemæi Harmonica.

§. 26. *Paullò ante annum milleſimum centeſimum Peripatetici ſunt diviſi in Nominales, & Reales.*

CAP. XVIII.

DE CYNICIS.

§. 1. *Ab Academicis, & Peripateticis redeo ad Socratis diſcipulos, qui novæ fuerunt ſectæ auctores. Ex iis ſupereſt Antiſthenes, Cynicorum pater, patria Athenienſis, ſed è matre Phrygiâ.*

De

DE Antiſthene hoc vide Laërtium, & Heſychium Illuſtrem. Eſt de eo Epigramma hoc Auſonii:

Inventor primus Cynices ego. quæ ratio iſthæc?
Alcides multò dicitur eſſe prior.
Alcida quondam fueram doctore ſecundus,
Nunc ego ſum Cynices primus; & ille Deus.

§. 2. *Gymnaſium in quo docebat κυνόσαργες dicebatur.*

Quaſi κυνὸς ἀργοῦ ναὸς, à κύων quod *canem* notat, & ἀργὸς, quod tum *album*, tum *velocem* ſignificat. Utramque cauſſam nominis adducit Heſychius his verbis: κυνόσαργες τόπος ἱερός· ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ τοιαύτης αἰτίας. Δίομον φασὶ θύοντα τῷ Ἡρακλεῖ, κύνα ἁρπάσας τὰ μηρία ἐκ θυσίας διωκόμενον. ἐκλήθη δὲ ὁ τόπος οὕτως, ἢ ἀπὸ τῆς λευκότητος τοῦ κυνὸς, ἢ ἀπὸ τοῦ τάχους. *Cynoſarges, locus ſacer: appellatus ſic ob hujuſmodi cauſſam. Ajunt, cùm Diomus Herculi ſacrificaret, canem rapuiſſe victimæ femur, ac profugiſſe aliis inſequentibus. Locus autem ita vocatus ab albore canis, vel à velocitate.* Eadem de re Suidas in Κυνόσαργες. Sed apud hunc legas ſacrificaſſe tunc Δίδυμον τὸν Ἀθηναῖον; ubi ex Heſychio Δίομον legere malim.

§. 3. *Ab Gymnaſio hoc multorum judicio ſectatores Antiſthenis vocabantur Cynici.*

Eam nominis cauſſam inter alios adferunt Laërtius, & Heſychius Illuſtris. Sed Empiricus inde dictos cenſet, in Pyrrh. lib. I. cap. XIV. quia canum inſtar tuerentur bonos, malos allatrarent & invaderent. Ammonius quoque comment. in Categ. ſic dici ait διὰ τὸ παρρησιαστικόν. Eſt enim canis animal liberum, ac magnis virtutibus. Attamen qui Cynicis malè vellent, ſic dici ajebant, à canina impudentia. Unde Cynicos vocatos quoque ait B. Auguſtinus lib. de Nuptiis & Concup. cap. XXII.

§. 4. *Antiſthenem audivit Diogenes Sinopenſis.*

Eum rident imperiti: at mirabatur Alexander M. Et quod amplius, miratur etiam Baſilius M. libro de legendis gentilium libris.

§. 5. *Diogenem hunc Cynicum audiêre Menippus Syracuſanus, Oneſicritus, ſeu Æginenſis, ſeu Aſtypalæenſis, & Crates Thebanus. Cratetem audiêre uxor ejus Hipparchia, frater hujus Metrocles, & Menippus Phœnicius: ut de Zenone Cittieo nihil nunc dicam.*

Laërtium de iis vide lib. VI. Uti & de Menedemo Cynico, Coloti Lampſaceni diſcipulo.

§. 6. *Cynicus fuit Menippus.*

Unde Varro Satyris ſuis, quas aliqui Cynicas vocant, *Menippearum* nomen fecit: ſicut oſtendimus lib. III. de Arte Poëtica cap. X.

§. 7. *Demetrius Cynicus tempore vixit Domitiani Cæſaris.*

Corinthi vixit, atque omnem Cynicorum philoſophiam complexus fuit. Phavorinus etiam in orationibus meminit. Teſtis Philoſtratus lib. IV. de vita Apollonii cap. VIII. ubi etiam narrat, ut diſcendi cauſſa Apollonium fuerit ſectatus, ſicut olim Socratem Antiſthenes. Atque hoc ipſum ætatem ejus ſatis docet.

§. 8. *Indolem Cynicæ ſectæ egregiè expreſſit Arrianus.*

Quem vide in Epict. lib. III. Diſſert. cap. XXII. quod eſt περὶ κυνισμοῦ, hoc eſt *de Cyniciſmo.*

§. 9. *Ex eo liquet philoſophiam hanc planè fuiſſe maſculam ac generoſam.*

Atque ut talem laudat Seneca: præſertim in Demetrio; qui lib. VII. de Benef. c. I. *Vir magnus, etiam ſi maximis comparetur*: ac poſtea cap. VIII. *Vir exactæ ſapientiæ.* Epiſt. LXII. *Virorum optimus: quem ſecum circumferat*: atque addit, *Relictis conchyliatis cum illo ſeminudo loquor, illum admiror. Quidni admirer? Vidi ei nihil deeſſe.* Item Epiſt. XX: *Ego certè aliter audio, quæ dicis Demetrius noſter, quum illum vidi nudum, quanto minus, quum ſtramentis incubantem! Tunc enim non præceptor veri, ſed teſtis eſt.* Etiam cum laude ejus meminit Tacitus XVI. Annal. cap. XXXIV.

§. 10. *Cynici dicebant finem ſuæ ſectæ eſſe vivere ex virtute.*

Vivebant autem tenuiter, contemtis opibus, gloria, nobilitate, etiam herbis & frigida utebantur, ac tectis obviis, & doliis. Ajebant Dei proprium eſſe, nullis indigere; Deo ſimilium, egere paucis. Etiam iis placuit, virtutem doceri poſſe, amitti non poſſe. Auctor Suidas in Κυνισμός. De Ἀνυποδησίᾳ *Cynicorum*, & auſteriorum philoſophorum Salmaſ. in Tertull. de Pallio p. 386, 387.

§. 11. *In Cyniciſmo fugienda impietas, amplectenda frugalitas.*

Sic factum ab Herone Alexandrino: ut narrat Gregorius Nazianzenus, oratione XXIII *, quæ in ejus eſt laudem: Κυνικῆς τὸ μὲν ἄθεον διαπτύσας, τὸ δὲ ἀπέριττον ἐπαινέσας. *In Cynicâ quidem ſectâ execratus impietatem, frugalitatem verò laudans.* * p. 411. Edit. Morell. ann 1609.

§. 12. *Sed una eorum inverecundia vituperari ſolet: ut qui in propatulo omnia auderent, quæ per ſe non eſſent inhoneſta.*

Sanè Crates & Hipparchia in propatulo coibant. Ac communem opinionem etiam Tullius ſequitur, cùm in primo de officiis ait; *Cynicorum natio tota eiicienda eſt. Eſt enim inimica verecundiæ, ſine quâ nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum.*

§. 13. *Multa etiam alia, ut homines corrigerent, agebant, quæ planè abhorrerent à ſenſu communi. Quod liquet ex Diogenis Cynici vita. Nimirum modum exceſſere, non ut excederent alii, ſed ut faciliùs hi intra eum revocarentur. Quod non attendunt, qui ſic Diogeni inſultant, quaſi magnus ille vir ſapuerit infra homulllos illos, vel inanis gloriolæ ſtudio iſta fecerit.*

Ipſe melius cur ſic egerit, exponit apud Laërtium lib. VI: Μιμεῖσθαι ἔλεγε τοὺς χοροδιδασκάλους· καὶ γὰρ ἐκείνους ὑπὲρ τὸν τόνον ἐνδιδόναι, ἕνεκα τοῦ τοὺς λοιποὺς ἅψασθαι τοῦ προσήκοντος τόνου. *Imitari ſe ajebat chori magiſtros: illos quippe tonum excedere, ut revocentur alii ad concentum.* Atque hoc quoque Seneca ſenſit, libro de Brevitate vitæ cap. XIV. *Hominis naturam Stoicos vincere, Cynicos excedere.* Nimirum fecit, ut agricolæ, qui ſi plantæ in latus unum excreſcant, revocant in alterum, quo ita medium conſequantur.

§. 14. *Sed hoc ſibi Cynicos propoſitum habere pauci capiebant, unde ſecta hæc contemtui vulgo erat, & magis ac magis deficiebat.*

Itaque Sidonii ævo vix Cynici ſupererant. Unde ſic ait:
Excluſi propè jam Cynici vix limine reſtant.

§. 15. *Eâ parte ab iis Stoici diſſentiebant: quippe verecundiores, ac propterea habitu quoque differentes.*

Unde

Digitized by Google

Unde Satyricus

Et quinec Cynicos, nec Stoica dogmata curas
A Cynicis tunicâ diſtantia.

§. 16. *Sed dogmatis tamen magnopere conveniebant.*

Unde Laertius extremo lib. VI. cùm dixiſſet. Cynicis & Stoicis de ſummo bono convenire, addit, Ἐπεὶ καὶ κοινωνία τις τῶν δύο ταύταις αἱρέσεσιν ἐστιν· ὅθεν καὶ τὸν κυνισμὸν εἰρήκασι σύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδόν. *Societas enim quadam eſt inter has ſectas: unde & Cyniciſmum dixere, brevem eſſe ad virtutem viam.* Deſignat autem Zenona, qui hoc elogio ornavit Cynicam ſectam: ut ipſe ait Laërtius libro ſequenti.

§. 16. *Nec ſanè mirum, quandoquidem Stoica ſecta propages eſt Cynica.*

De quo deinceps dicendum.

Cap. XIX.

DE STOICIS.

§. 1. *Stoica ſecta auctor eſt Zeno Citticus.*

STrabo lib. XIV: Κίτιον ἔχει λιμένα κλειστόν. ἐντεῦθέν ἐστι Ζήνων, ὁ τῆς Στωικῆς αἱρέσεως ἀρχηγέτης. *Cittium habet portum, qui claudi poteſt. Hinc Zeno ortus, ſecta Stoica dux ac princeps.* Vitam ejus ex Diogene petere licet. Quanto fuerit ingenio, ex eo cognoſcere eſt, quòd Carneades, adverſus eum ſcripturus, aliquoties cerebrum elleboro purgarit albo; ut ait Aulus Gellius lib. XVII. cap. XV.

§. 2. *Stoicis nomen à porticu, ubi docuit Zeno.*

Quaſi dicas, porticenſes, vel porticuarios. Docuit enim, ut ait Laertius, ἐν τῇ ποικίλῃ στοᾷ τῇ καὶ Πεισιανακτείῳ καλουμένῃ, ἀπὸ δὲ τῆς γραφῆς τῆς Πολυγνώτου ποικίλῃ. *In porticu Varia, qua &* Πεισιανάκτειος *dicebatur. Varia autem à Polygnoti pictura.* Addit deinde diſcipulos ejus priuſquam ἀπὸ τῆς στοᾶς Στωϊκοὶ, dicerentur, à magiſtro Zenone Zenonios vocatos: atque ejus rei auctorem laudat Epicurum in Epiſtolis. Nec tamen eos primos Στωϊκοὺς vocatos; ſed priùs hoc nomen poſſediſſe τοὺς διατρίβοντας ἐν αὐτῇ ποιητάς, *poëtas, qui iſtic loci verſarentur.* A στοὰ Στωϊκὸς factum, aucta vocalis quantitate: qua reſervata, etiam Στοακὸς dixere: ut Comicus ille apud Athenæum lib. XII.

Ἀκούσατ' ὦ Στόακες ἔμποροι λήρου.
Vos Stoici me nugivenduli audite.

Ad Stoicam porticum alluſit Tertullianus, cùm in præſcriptione adverſus hæret. ait, *Noſtram inſtitutionem de porticu Salomonis eſſe.* Ac Apoſtolorum etiam ætate Stoicos Athenis duraſſe, vel ex actis liquet, ubi dicitur eos Athenis Paulo reſtitiſſe de Reſurrectione docenti.

§. 3. *Habuit hac ſecta ſocietatem cum Cynicâ & Academicâ. Quod inde fuit, quia tum Cynicos, tum Academicos audivit Zeno.*

Cicero lib. primo Acad. Quæſt. *Speuſippus autem, & Xenocrates, qui primi Platonis rationem auctoritatemque ſuſceperant: & poſt eos Polemo, & Crates, unaque Crantor in Academia congregati, diligenter ea, qua à ſuperioribus acceperant, tuebantur. Iam Polemonem audiverant aſſiduè Zeno & Arceſilas. Sed Zeno, cùm Arceſilam anteiret ætate, valdeque ſubtiliter diſſereret, & peracutè moveretur, corrigere conatus eſt diſciplinam.* Intellige autem Polemonem Academicum, qui tertius à Platone fuit, & diſcipulos reliquit Cratetem Athenienſem, & Crantorem Solenſem: quos ipſos Cicero hic deſignat. At diverſus ab hoc Cratere erat Crates Thebanus Cynicus, Diogenis Cynici auditor: quem & ipſum Crateta audivit Zeno: ut auctor eſt Laërtius. Atque hinc cognoſcere eſt, cur propè adeò, tum ad Cynicos, tum ad Academicos acceſſerit. Audivit enim Cynicum Crateta: ſed utcumque is conaretur mederi verecundiæ Zenonis, hic nihilominus permanſit, ut Laërtius ait αἰδήμων εἰς τὴν κυνικὴν ἀναισχυντίαν. *Verecundus nimis pro Cynicâ impudentiâ.* Audivit quoque Polemonem Academicum, & diſcipulos ejus: ſed cùm Cynicos quoque, imò & Stilponem Megaricum audiſſet, quædam in iis corrigere conabatur; præſertim poſtquam ei perpetuum certamen foret cum Arceſila, qui ἀκαταληψίαν, ſecundamque Academiam inſtituit.

§. 4. *Cùm autem Academia princeps fuerit Plato, Cyniciſmi Antiſthenes; ac uterque fuerit diſcipulus Socratis; ne illud quidem mirandum, quod à Socrate ipſo arceſſatur fons & origo ſecta Stoica.*

Et profectò planè Stoicum ſapiunt illa Socratis verba apud Platonem in Phædone: Ὦ φίλε Πάν, καὶ ἄλλοι ὅσοι τῇδε θεοί, δοίητέ μοι καλῷ γενέσθαι τ' ἄνδοθεν. τ' ἄξωθεν δὲ ὅσα ἔχω τοῖς ἐντὸς εἶναί μοι φίλια· πλούσιον δὲ νομίζοιμι τὸν σοφόν. *O amice Pan, & vos alii Dii hujus loci præſides, date mihi bono pulcroque intus eſſe; atque ut externa quæcunque habeo, cum illis conſentiant: divitem autem exiſtimem eum, qui ſapiens erit.* Invocat Pana, hoc eſt, Univerſum ſive Univerſi animam, quæ eſt Deus, uti mundus ipſe ejus eſt corpus, vel domus, ac ſedes. Invocat quoque Deos minores, nempe genios, huic illive loco præpoſitos. Optat ut ab animo ſibi benè ſit: de externis ſolùm rogat, ut cum internis benè conſentiant, iiſque ritè ſerviant. Denique ait ſolum ſapientem eſſe divitem. Quomodo & ſolus ſit rex, liber, ſanus. Hæc omnia quam probè cum Stoicis conveniant, nemo non videt.

§. 5. *Sed cum vetere ſolùm Academiâ is conſenſus fuit: cum ſecundâ non item: ſemper enim Zeno adverſatus Arceſila. Quemadmodum & ejus ſucceſſores adverſati Stoicis.*

Ex quibus Carneades, ut Gellius refert lib. XVII. cap. XV. *ſcripturus adverſum Stoici Zenonis libros ſuperiora corporis elleboro candido purgavit, nequid ex corruptis in ſtomacho humoribus ad domicilia uſque animi redundaret, & conſtantiam vigoremque mentis labefaceret. tanta cura tantoque apparatu ſui vir ingenio præſtanti ad refellenda, qua ſcripſerat Zeno, aggreſſus.* Idem refert B. Auguſtinus libro I. contra Academicos.

§. 6. *Nec convenire Stoicis potuit cum Peripateticis. Etſi non defuerint, qui verborum potius, quàm rerum eſſe pugnam arbitrarentur.*

In his fuit Antiochus, Varronis præceptor, qui librum ſcripſit de Stoicorum, & Peripateticorum concordia. Sed paucis potuit perſuadere. Cicero lib. I. de nat. deorum; *Miror Antiochum, hominem imprimis acutum, non vidiſſe, intereſſe plurimum inter Stoicos, qui honeſta à commodis non nomine, ſed genere toto disjungerent: & Peripateticos, qui honeſta commiſcerent commodis, ut ea inter ſe magnitudine & quaſi gradibus, non genere different. Hac enim eſt non verborum parva, ſed rerum permagna diſſenſio.*

§. 7. *Stoici Deum partim ſpectabant, prout eſt mens divina, ab opere ſuo, hoc eſt mundo ſeparata: partim prout ſpiritus ille, mundo eſt immiſtus, eumque animat ac gubernat. Priori ratione eſt ſpiritus igneus, non ille ſolùm igni, qui in aris ac focis, vel ſubterraneis in locis, tenuior, puriorque; ſed ille etiam, ex quo Sol, Luna, ſideraque ſint. Cumque is ignis, unde ſidera, ſit inexſtinguibilis; contra divinum ignem*

æternum eſſe, atque adeò abs hoc igni, ex rudi materie, terra & aqua globum, & aëra, & ſidera ipſa, atque adeò totum mundum, longè artificioſius manu humanâ elaboratum eſſe. Altero conſiderandi modo, Deus eſt mundo toti permixtus, ipſeque mundi anima, mundus Dei corpus. Vnde ajebant mundum & ſentire & intelligere, atque adeò Deum eſſe; & ut in homine ratio ſupremum locum occupavit, ita & in mundo principatum, quem Græci τὸ ἡγεμονικὸν appellant, eſſe loco ſummo. Æthera igitur Deum vocari, eſſeque & ipſum ſpiritum igneum: à ſpiritu naturâ, eſſe celeritatem; ab ignis naturâ, lucem & calorem. Solem proinde, Lunam, & Stellas, quia divinus ignis, igni eorum ſit permixtus, etiam Deum eſſe: ſpiritum illum in inferiora dimanare: perque omnia diffundi, ita ut totus mundus ſit animatus. Hinc eſſe vitalem calorem in plantis & animantibus, animaſque humanas eſſe illius ignei ſpiritus, hoc eſt, divinæ ipſius eſſentiæ particulas quaſdam.

Ex his facilè conciliare eſt, quod Stoici Deum, nunc ſpiritum, nunc mundum, nunc æthera, vel ſolem dicerent, quodque & in ſublunaribus Deos agnoſcerent. Nam Neptunus iis ſpiritus aquas permeans, vitalemque iis calorem præbens, uti Dis, ſive Pluto, ſubterraneis: Ceres, terræ frugiferæ, & ita in aliis. Vide Balbum de his apud Ciceronem fusè diſſerentem in Secundo de Nat. Deorum: item Laërtium in Zenone, Euſebium lib. XIV. de præpar. Euang. cap. VI. & lib. XV. cap. XIV. Phurnutum de Diis, & alios.

§. 8. *Fatali neceſſitate omnia fieri putabant.*

Adverſus quam ſententiam diſputant Juſtinus Martyr Apol. I. Irenæus non uno loco: Epiphanius adverſus hæreſin V. & alii patrum.

§. 9. *Vniverſam autem Stoicorum Philoſophiam breviter docebit Laërtius in Zenone: fuſius in moralibus Enchiridium Epicteti: Item Simplicius in Scholiis, & eo copioſior Arrianus, qui diſſertationes ab Epicteto domi, vel in viâ habitas collegit, ac digeſſit. Adeundus propterea recentior his Barlaam Gyracenſis epiſcopus in Phyſicis. Cleomedes in Meteoris. In utriſque L. Seneca.*

Vide & Cic. paradoxa, ac Plutarchum περὶ Στωϊκῶν ἐναντιωμάτων, καὶ περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν. E junioribus juvabunt Scoppii moralia Stoica, ac inprimis adeunda Lipſii duplex Stoica manuductio.

§. 10. *Zenona Citticum audivit Cleanthes Aſſius.*

Is qui ob laborem dictus ὁ δεύτερος Ἡρακλῆς, *alter Hercules*: item φρεάντλης, quia ut de die haberet, quo ſtudiis vacare poſſet, noctu aquis è puteis trahendis manus locabat; ut eſt apud Laërtium, & Heſychium Ill. Ac meminere ejus rei quoque Valerius Maximus lib. VIII. cap. VII. Et Seneca Ep. LXIV. Arrianus in Epictetum lib. III. cap. XXVII, Πῶς Κλεάνθης, ἅμα σχολάζων, καὶ ἀντλῶν: *Vbi Cleanthes, ſimul ſtudiis vacans, & aquam hauriens.* Magnus omnino vir fuit: ut indicant reliquiæ ejus. Nam XXXVII. heroicos verſus cum hemiſtichio apud Stobæum habes in Eclogis phyſicis: & quatuor heroicos apud Clementem lib. V. Στρωμ. Cætera quæ vidi, vel proſâ ſcribuntur, qualia quædam apud Sextum, vel verſus ſunt jambici, idque partim apud eoſdem: partim Plutarchum, & Galenum. Quinque etiam jambicos Latinè reddit Seneca epiſt. CVII. Ingens is honos, quòd Aſſi, Æolidis urbe, ubi natus erat, ſtatuam ei poſuerit Senatus Romanus: ut auctor eſt Simplicius, commentario in enchiridium Epicteti. Præclariſque elogiis inſignitur à Tullio cui *pater Stoicorum* dicitur lib. III. de Natura Deorum: Item *majorum gentium Stoicus* lib. IV. Academicarum Quæſt. Meminit & præter alios Sidonius carm. II.

—— *Arroſo quicquid ſapit ungue Cleanthes.*

Condiſcipulus ejus fuit Perſæus Citticus, quem à Zenone ad ſe miſſum, Acrocorintho præfecit Antigonus Gonatas: unde ejectus ab Arato Sicyonio. Item Herillus, Ariſto Chius, & Dionyſius ὁ μεταθέμενος: qui in nonnullis ab Zenone receſſerunt. Item Athenodorus Solenſis, qui & Senecæ memoratus non ſemel.

§. 11. *Cleanthis auditor fuit Chryſippus.*

Qui natus Solis, Ciliciæ oppido, quod Solœciſmo nomen dedit, atque ubi prædones bello piratico ſubactos collocavit Pompejus, unde & *Pompejopolis* vocata. Quantus autem is habitus ſit, arguit vetus illud à Laërtio allatum:

Εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν Στοά.
Nam ni foret Chryſippus, haut ſit porticus.

Ac Tullius lib. I. de Finib. ait: *Nihil eſſe à Chryſippo prætermiſſum in Stoicis.* Vitam Laertius refert, uti & quæ ſcripſit. Mirum tamen præteriri ab eo nobile opus de providentia, ex quo excerpit quædam Agellius lib. VI. cap. II. Condiſcipulus Chryſippo fuit Sphæras Boſphoranus, Tullio memoratus in IV. Tuſc. Quæſt. Cheſippum contumelioſè quaſi latrinam dixeris, vocabat Zeno teſte Tullio in I. de Nat. Deorum. Chryſippum Carneades, quia eſſet exiguus, ita ut ſtatua ejus in Ceramico poſita à vicino equite occuleretur: teſte Laertio.

§. 12. *Chryſippum audivit Diogenes Babylonius: Diogenem Antipater, Antipatrum Poſidonius.*

Galenus ſive alius penè initio libri περὶ φιλοσόφου ἱστορίας Ἡγοῦμαι δὲ τῶν Σωκρατικῶν πάνυ πολλῶν γενομένων οὐδένος ἴσον. καταδεέστερος δὲ, ὃς τὴν νεῖκην εἰς τὸν βίον παρήγαγε. οὗ Διογένης γέγονε ζηλωτὴς καὶ συγγνωμοσύνῃ κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα. τούτου δὲ Ζήνων ὁ Κιτιεὺς ἀκήκοεν· ὅστις στωϊκῶν φιλοσοφίαν ἐξεῦρε. οὗ μετείληφε τῶν λόγων Κλεάνθης. καὶ τούτου Χρύσιππος ἀκροώμενος, τὴν ὁμοίαν ἀγωγὴν μετελήλυθε. τοῦ δὲ Διογένης Βαβυλώνιος ἀκροατὴς γεγονώς, Ἀντιπάτρου καθηγητὴς γέγονε. τούτου δὲ Ποσειδώνιος ἠκροᾶτο. *Exiſtimo*, inquit, *cum plurimi Socratici extiterint, neminem Socrati parem; minorem autem quemque fuiſſe, qui contentionem de vita genere excitavit; cujus imitator fuit Diogenes, & ſimilia ſequutus inſtituta: hunc audivit Zeno Citieus. qui Stoicorum Philoſophiam invenit: cujus rationes ſecutus Cleanthes: hujus autem Chryſippus auditor, ſimilem inſtitutionem accepit. At iſtius Diogenes Babylonius cum eſſet auditor, Antipatri magiſter fuit: Hunc verò Poſidonium audivit.* Idem refert Tullius in Lucullo, & VI. de Fin. Diogenes Babylonius eſt is ipſe, qui bello Punico ſecundo P. Scipione & M. Marcello Coſſ. ut eſt, apud Cic. in Lucullo, publici negotii cauſſâ ab Athenienſibus cum Carneade Academico, & Critolao Peripatetico Romam miſſus fuit. Vide de eo Cic. lib. IV. Tuſcul. & inprimis Gellium lib. VII. cap. XIV. & Macrobium I. Saturn. cap. V. Meminit & ejus Seneca lib. III. de Ira cap. XXXVIII, ubi apophthegma ejus refert; & Laertius in Diogene Cynico; ubi ait natum fuiſſe Seleuciæ, vocatum autem Babylonium ob loci vicinitatem. Diogenis verò diſcipulus Antipater Sidonius, quem *acutiſſimum hominem* vocat Cic. lib. III. de Officiis: ac Seneca *inter magnos ſectæ hujus auctores* refert epiſt. XCII. Nec tamen tantus vir ſermone audebat congredi cum Carneade: ſed quaſi voce eſſet mutus, ſolùm calamo reſpondebat: unde dictus καλαμοβόας, quaſi calamo clamator: ut Plutarchus ait de Garrulitate: Antipatrum hunc audivit Panætius, ut Tullius ait lib. I. de Divinat. Patria fuit Rhodius, ut ait Strabo. Familiaris Lælii, ac junioris Africani: cujus & legatione in Ægyptum unicus fuit comes; teſte Tullio IV. Acad. & Plutarcho in Apophtheg. Magnum nomen retulit libris de Officiis quibus ſcriptis, ſuper-

perfuit annis xxx: ut Tullius teſtis in III. de Officiis. Etiam Antipatri diſcipulus erat Poſidonius, ut diſcere eſt è Galeno, cujus verba attulimus: ſed aliter Tullius lib. I. de Div. *Poſidonii doctor, diſcipulus Antipatri, Panætius.* Fortaſsè tamen & Antipatrum, & Panætium Poſidonius audivit. Niſi Panætium, & Poſidonium confuderit Galenus: uti factum ab Athenæo, qui eum cum Scipione Africano vixiſſe ait lib. XIV. Poſidonius Apamea Syriæ oriundus, Rhodius tamen dici maluit, ut conſtat ex Strabone & Athenæo. Straboni lib. XVI. dicitur vir fuiſſe ſui ævi πολυμαθέστατος, *undique doctiſſimus.* Idem lib. XIV. tradit Remp. adminiſtraſſe Rhodi. Quo cum Pompejus, è Syria abiens deflexiſſet, honoris hoc habuit Poſidonio, ut, (quemadmodum Plinius ait lib. VII. cap. XXX.) *percuti de more fores à lictore vetuerit, & faſces januæ ſubmiſerit is, cui ſe Oriens Occidenſque ſubmiſerat.* Atque iſti omnes in Græcia docuere. Non omittendus autem Archidemus, qui voluntario exilio profectus ad Parthos, Babylone reliquit ſucceſſores ſuæ ſectæ: ut Plutarchus tradit lib. de Exilio. Meminere & Tullius in IV. Academ. & Strabo lib. XIV. Etiam magnum poſtea nomen Sotionis, quem Seneca præceptorem agnoſcit epiſt XLIX. & LVIII.

§. 13. *Multi ex nobiliſſimis Romanorum hanc ſectam ſequebantur. Ut Tubero, Cato, Varro: poſteaque Thraſeas Pætus, Helvidius Priſcus, Rubellius Plautus: etiam hanc amplexus imperator M. Antoninus, cujus tempore plures erant Stoici, quàm alius ſectæ.*

Ut Sextus Empiricus narrat.

§. 14. *Nec mirum ſi ſecta hæc ſic placuerit graviſſimis quibuſque, cùm nulla magis animum formet ad contemtum rerum humanarum & patientiam in adverſis.*

Unde Sen. de Conſt. Sap. cap. I. *Tantum intereſſe inter Stoicos, & cæteros ſapientiam profeſſos, quantum inter viros & fœminas.* Et epiſt. LXXXIII. vocat *fortiſſimam & ſanctiſſimam ſectam.* Et quàm pulcrum illud elogium apud Tullium IV. Tuſc. *Licet inſectemur iſtos (Stoicos) metuo ne ſoli Philoſophi ſint.*

§. 15. *Etiam ex antiquis Theologis plerique à Stoicis profecti ſunt.*

In his Pantænus Alexandrinus Antiſtes; qui ut de eo refert B. Hieronymus ad Indorum Brachmanas miſſus fuit, ut Chriſtum prædicaret, philoſophus philoſophos facilius converteret, Stoicus Brachmanas, qui in multis conveniunt. Diſcipulus ejus Clemens Alexandrinus: qui & ipſe paſſim ſe Stoicum prodit.

§. 16. *Quid mirum? quando ea ſecta in aliquibus convenit cum religione Chriſtianâ.*

Hieronymus in Eſaiæ cap. X. *Stoici cum noſtro dogmate in pleriſque concordant.*

§. 17. *Nec tamen cuivis indoli aquè hæc ſecta conducit: nam eos, quibus natura eſt faſtu turgida, ſi corrigere non valet, magis etiam inflabit: ſed modeſtum ingenium obtingat, magnis illud paſſibus ducet ad virtutem.*

Non hoc diffiteri potuit Plutarchus, etſi Academicus ipſe, & aliàs Stoicis ſatis iniquus. Sic enim ſcribit in Cleomene. Ἔχει τι ὁ Στωικὸς λόγος πρὸς τὰς μεγάλας καὶ ὀξείας φύσεις ἐπισφαλὲς καὶ παράβολον· βαθεῖ δὲ καὶ πρᾴῳ κεραννύμενος ἤθει, μάλιστα εἰς τὸ οἰκεῖον ἀγαθὸν ἐπιδίδωσι. *Habet Stoica doctrina, ſi in magnam & acrem inciderit naturam, quiddam lubricum & anceps: ſin temperetur ingenio gravi ac miti, multum confert ad verum bonum.*

CAP. XX.

DE PYRRHONIIS SIVE SCEPTICIS.

§. 1. *Quos hactenus Philoſophos recenſuimus, dogmatici fuere; Academicis pleriſque exceptis. Nunc ad Pyrrhonios venio, quibus hoc nomen à Pyrrhone, qui ſectam hanc condidit.*

Vixit Pyrrho temporibus iiſdem, quibus Theophraſtus & Epicurus. Nam audivit Dryſonem Stilponis filium, atque Anaxarchum Abderitam: quem etiam in Indiam comitatus. Præſens quoque erat cùm Indus Anaxarcho exprobraret, quòd regum aulas ſectaretur, neminem autem doceret virtutem. Hoc Indus eò objecit, quia Anaxarchus eſſet ex comitibus Alexandri Magni; ut ex Laërtio in Anaxarcho videre eſt.

§. 2. *Iidem etiam dicti* Σκεπτικοὶ, ἀπορητικοὶ, ζητητικοὶ, *&* ἐφεκτικοί.

Auctor Laërtius in Pyrrhone, qui & cauſſam ſingulorum adfert. Nempe dicebantur Σκεπτικοὶ, quia ſemper σκέπτονται, hoc eſt, *rem conſiderant*, nec unquam decernunt: Ἀπορητικοὶ quia ſemper ἀποροῦσι hoc eſt, *dubitant.* Ζητητικοὶ quia ſemper ζητοῦσι, *quærunt*, nec repetiunt. Ἐφεκτικοὶ, quia longæ inquiſitionis non alius eventus, quàm ἐποχὴ, hoc eſt, *judicii ſuſpenſio*, ſive *aſſenſionis retentio.*

§. 3. *Hi non contenti incerto, quod ſtatuebat nova ac Philonia Academia, cum Arceſilâ contendebant, res omnes in ſe incertas eſſe: ut non magis affirmari aliquid, quàm negari poſſit: vel contra.*

Hanc eorum ſententiam ſic expreſſit Ariſtocles apud Euſebium lib. XIV. Præpar. Euang. Τὰ πράγματα ἐπίσης ἀδιάφορα, καὶ ἀστάθμητα, καὶ ἀνεπίκριτα. Διὰ τοῦτο μήτε τὰς αἰσθήσεις ἡμῶν, μήτε τὰς δόξας ἀληθεύειν, ἢ ψεύδεσθαι. Διὰ τοῦτο οὖν μήτε πιστεύειν αὐταῖς δεῖν, ἀλλ᾽ ἀδοξάστους, καὶ ἀκλινεῖς, καὶ ἀκραδάντους εἶναι, περὶ ἑνὸς ἑκάστου λέγοντας, ὅτι οὐ μᾶλλον ἐστιν, ἢ οὐκ ἔστιν, ἢ καί ἐστι, καὶ οὐκ ἔστιν, οὔτ᾽ οὐκ ἔστιν. *Res ex æquo indifferentes, incertas, injudicabiles. Propterea nec ſenſus noſtros, nec rationes verum aut falſum dicere. Icciroo iis haut credi oportere, ſed opinationis expertes eſſe debere; & ſine inclinatione, ſine motione: de unaquaque re dicentes, Non magis eſt, quàm non eſt, item, Eſt, Non eſt, Neque non eſt.* Hinc illæ voces eorum apud Sextum Empiricum, Οὐ μᾶλλον τοῦτο, ἢ ἐκεῖνο· *non magis hoc, quàm illud.* Item. Οὐδὲν ὁρίζω, *nihil definio.* Similiter, Σκεπτόμενος διατελῶ, *Conſiderans perſevero.* Præterea, Παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντίκειται. *Omni rationi ratio oppoſita reperitur.* Hoc appellabant ἀῤῥεψίαν, quia neque in hanc, neque in illam partem vergit ſententia: Item ἀφασίαν, qua nihil dicitur, cùm nec affirmetur, nec negetur. Nam ne illud quidem affirmare audebant, natos ſe, ac homines eſſe.

§. 4. *Iidem negabant quicquam reverà eſſe honeſtum vel turpe, juſtum vel injuſtum: ſed homines judicium ferre pro legum inſtituto, vel conſuetudine; cùm non unum magis ſit, quàm alterum.*

Auctores Laërtius, & Heſychius.

§. 5. *Plenius explicat hanc ſectam Laërtius in Pyrrhone: ſed inprimis doctè eam tractat Sextus Empiricus, libris adverſus Mathematicos, & Hypotypoſeon libris.*

Nonnulli eundem putant Sextum Chæroneum, qui ex Plutarchi ſorore natus fuit. Verùm de hoc alibi egimus.

§. 6. *Præterea hanc ſectam propugnat eruditè Franciſcus Picus Mirandula.*

§. 7. *Tanta autem eſt ſectæ Pyrrhoniæ ſimilitudo, cum mediâ ſive ſecundâ Academiâ, ut difficile ſit diſcrimen videre ullum.*

Circa eadem fere (inquit Seneca epiſtola LXXXVIII) *Pyrrhonii verſantur & Megarici, & Eretriaci, & Academici, qui novam induxerunt ſcientiam, nihil ſcire.* Vide Suidam in Πυῤῥώνειοι. Sed & alii quoque in hac fere ſententia conſpirant. Sextus tamen viſus ſibi hoc diſcrimen obſervaſſe, quòd Arceſilas dixerit, ἐποχὴν eſſe bonam; aſſenſionem, malam; idque ſecundum naturam: Pyrrho autem cenſeret, hæc ita eſſe οὐ κατὰ φύσιν, ἀλλὰ κατὰ τὸ φαινόμενον. *Non ſecundùm naturam, ſed ſecundum id, quod apparet.*

§. 8. *Sed accipe aliud etiam, & manifeſtum diſcrimen. Academici ajebant illud ſe comprehendere, quod nihil poſſet comprehendi: illud decernebant, quod nihil poſſet decerni. Pyrrhonii verò ne illud quidem comprehendi dicerent: neque illud decernerent, quod ajebant.*

Videre hoc eſt de Academicis, quod hi apud Tullium dicant in Lucullo: *Non enim ſumus ii, quibus nihil verum eſſe videatur; ſed quibus veris falſa quædam adjuncta eſſe dicamus, tantâ ſimilitudine, ut nulla inſit certa judicandi, & diſcernendi nota.*

§. 9. *Secta hujus fuit Timo, Sillorum ſcriptor, cui patria Phliûs, Peloponneſi civitas.*

Suidas: Τίμων Φλιάσιος, καὶ αὐτὸς φιλόσοφος, τῆς Πύῤῥωνος ἀγωγῆς. ὁ γράψας τοὺς καλουμένους σίλλους, ἤτοι ψόγους τῶν φιλοσόφων, βιβλία γ. *Timo Phliaſius, & ipſe Philoſophus ſectæ Pyrrhoniæ, qui ſcripſit, quos vocant Sillos, ſive vituperationes philoſophorum libris tribus.* Meminit & Stephanus in Φλιοῦς, ubi dicitur ὁ περὶ σίλλων γεγραφώς. Silli autem dicebantur, quia opere hoc ſales ac dicteria in philoſophos jaceret. Complures exinde verſus citant Laërtius, & Sextus philoſophus: aliqua etiam Plutarchus, Athenæus, Clemens, & Euſebius.

§. 10. *Uti autem ſecta Epicurea, ita hæc quoque, ſed diſpari ratione, valde contraria eſt Chriſtianæ religioni.*

Hinc Nicetas de ſe, & fratre Aquila in epitome Clementis Romani, de geſtis B. Petri pag. 56. Ed. Adr. Turnebi, in Latinâ Perionii tralatione ex Pariſienſi editione Sonnii fol. 596. ἠκριβώσαμεν δὲ καὶ τὰ φιλοσόφων, ἐξαιρέτως τὰ ἀθεώτατα· λέγω δὴ τὰ Ἐπικούρου καὶ Πύῤῥωνος, ἵνα καὶ μᾶλλον ἀνασκευάζειν δυνώμεθα. *Accuratè etiam ea inquiſivimus, quæ à philoſophis traduntur: præcipuè illa, quæ maximè repugnant pietati erga Deum: Illa, inquam, Epicuri ac Pyrrhonis, quò magis ea refellere poſſemus.* Nempe Nicetas quidem fuerat Epicureus: Aquila verò Pyrrhonios erat ſecutus, ut apud ipſum eſt Clementem in octavo Recognitionum libro *, quod opus Græcè non exſtat, ſed Latinè ex tralatione Rufini Aquilejenſis. * Ed. Bl. 6.

§. 11. *Nec propterea ſecta hæc in totum damnanda: quando, etſi multa certa ſunt, longè tamen plura ſunt incerta, quæ permixta veris, ſimilitudine veri fallant. In cujuſmodi utile eſt ἐπέχειν, ac verum ruſpari.*

Cicer. lib. 1. de nat. deorum; *Non ſumus ii, quibus nihil verum eſſe videatur: ſed ii, qui omnibus veris falſa quædam adjuncta eſſe dicamus, tanta ſimilitudine, ut in iis nulla inſit certa judicandi & aſſentiendi nota.* Atqui, ut idem antea dixerat, *Quid tam temerarium, tamque indignum ſapientis gravitate atque conſtantiâ, quàm aut falſum ſentire, aut, quod non ſatis explorate perceptum ſit & cognitum, ſine ullâ dubitatione defendere?*

§. 12. *Dubitare eſt utile, etiam de ſuis.*

Plinius lib. XVIII. cap. XXV; *Soſigenes ipſe trinis commentationibus, quamquam diligentior eſſet cæteris, non ceſſavit tamen addubitare, ipſe ſemet corrigendo.*

CAP. XXI.

DE SECTA ELECTIVA.

§. 1. *Supereſt ſecta ἐκλεκτικὴ, ſi nova eſt ſecta dicenda, quæ non condit nova dogmata, ſed ex aliis ſua excerpit. In hac quinque iſta ordine conſiderabimus, nomen, originem, præſtantiam, difficultatem, & ejus exſuperandæ rationem. Nomen ei* Ἐκλεκτικὴ, *Latinis ad verbum ſit* electiva *vel* electrix: *uti* ἐκλεκτικοὶ electores: *à ratione quâ in philoſophando utuntur.*

Ἐκλεξάμενοι τὰ ἀρέσκοντα ἐξ ἑκάστης τῶν αἱρέσεων: *ſeligentes, quæ placerent, ex qualibet ſectâ.* ut ait Suidas. Nam cùm alii ſingularis alicujus doctoris placita ſequantur,

Unius addicti jurare in verba magiſtri;

hi pro arbitratu ſuo ex ſectis ſingulis ſeligunt veriſſima optimaque;

Nullius addicti jurare in verba magiſtri.

Poſſis electores illos Latinè etiam dicere *miſcelliones* quia variarum ſectarum placita miſcerent. Feſtus Pompejus: *Miſcelliones appellantur, qui non certæ ſunt ſententiæ, ſed variorum mixtorumque judiciorum.* Malim tamen ἐκλεκτικοὺς dicere, quàm *miſcelliones*: quia in Græco illo ſignificatur delectus: in Latino non item: ut exiſtimem ab iis qui certæ ſe ſectæ addixiſſent, miſcelliones vocatos, quaſi qui nullo judicio, vel parvo pravoque miſcerent varia placita, ut imperitus coquus jura ſolet.

§. 2. *Origo hujus ſectæ eſt à Potamone Alexandrino; qui Cæſaris Auguſti & Tiberii temporibus vixit.*

Diogenes Laërtius in præf. Ἔτι δὲ πρὸ ὀλίγου καὶ ἐκλεκτική τις αἵρεσις εἰσήχθη ὑπὸ Ποτάμωνος τοῦ Ἀλεξανδρέως, ἐκλεξαμένου τὰ ἀρέσαντα ἐξ ἑκάστης τῶν αἱρέσεων. *Præterea verò nuper etiam Electiva eſt ſecta introducta, à Potamone Alexandrino, qui ea quæ placerent ex unaquaque ſecta elegit.* Ait πρὸ ὀλίγου, *non multò ante nos.* Vixit autem Laërtius tempore M. Antonini Cæſaris. At Potamo viguit ante Laërtium toto ſeculo, ut illa Suidæ indicio; Ποτάμων Ἀλεξανδρεὺς φιλόσοφος γεγονὼς πρὸ Αὐγούστου, καὶ μετ' αὐτόν. *Potamon Alexandrinus philoſophus, qui fuit ante Auguſtum, & poſt eum.* Utinam autem extarent ejus viri ſcripta, ut quo judicio ſelegerit opiniones videremus. Aliqua reliquiſſe conſtat, uti

uti (quemadmodum ibidem ait Suidas) εἰς τὰς Πλάτωνος πολιτείας ὑπόμνημα, *in Platonis de Rep. libros commentarium.* Diverſus ab hoc Potamone, alter ejuſdem nominis ac penè temporis, priore tamen junior. Is Potamo non Alexandrinus, ſed Mitylenæus; nec philoſophus, ſed rhetor: quem Tiberius Cæſar pro viatico literis iſtiusmodi inſtruxit: *Potamonem Lesbonactu filium ſiquis offendere, ſive incommodare auſus fuerit, conſideret ſecum, an mecum bellum gerere valeat.* Narrant Heſychius Illuſtris, & Suidas. Ac meminit hujus inter claros Mitylenæos etiam Strabo in XIII. Hujus Potamonis pater fuit Lesbonax, Mitylenæus philoſophus, qui & ipſe floruit ſub Auguſto, & multa ſcripſit, teſte Suida in Λεσβῶναξ. De altero egimus in opere de Hiſtor. Græcis.

§. 3. *Præſtantia hujus ſectæ ex eo dilucet, quòd tanta ſit imperfectio humani Intellectus, ut ex vetuſtis illis ſapientibus, nemo potuerit omne verum perſpicere. Quod diffiteri non poſſumus, ſi animum per omnes ſectas diffundamus.*

Sic Epicurus tollebat Dei providentiam, animorum etiam mortalitatem inducebat. Plato Dæmoniis & heroïbus ſacrificare jubet, Remp. format, in quâ uxores ſint communes. Ariſtoteles mundum cenſet ſemper fuiſſe: nec providentiam Dei verſari circa res ſingulas humanas, quas ne ſciat quidem. Stoici arbitrantur Deum eſſe animal, cujus corpus ſit hic mundus. Quid ſingulis inſiſtam?

§. 4. *Quod ſi nemo eſt erroris expers, non tam videndum, quis aliquid dicat, quàm quid aliquis dicat.*

Hominem igitur ſapientem talem oportet eſſe, qualem ſe ait Cotta apud Ciceronem lib. 1. de Nat. Deorum. *Æquum libero judicio, nulla ejuſmodi adſtrictum neceſſitate, ut velit nolit ſit certa quædam tuenda ſententia.* Nempe ut eodem libro legas: *Non tam auctores in diſputando, quàm rationis momenta quærenda ſunt: Quin etiam obeſt plerumque iis, qui diſcere volunt, auctoritas eorum qui ſe docere profitentur. Deſinunt enim ſuum judicium adhibere. Id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec verò probare ſoleo id, quod de Pythagoricis accepimus: quos ferunt, ſiquid affirmarent in diſputando, cùm ex eis quæreretur, Quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, Ipſe dixit. Ipſe autem erat Pythagoras. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas.* Sic Plato in Charmide; * Πάντως οὐ τοῦτο σκεπτέον, ὅστις αὐτὸ εἶπεν, ἀλλὰ πότερον ἀληθὲς λέγεται, ἢ οὔ. *Omnino, non quis dixerit, ſed quàm rectè dicatur, conſiderandum.*

* Tom. 2. pag. 161. edit. Henr. Stephani.

Idem in Gorgia †: Ὦ μακάριε, ῥητορικῶς γάρ με ἐπιχειρεῖς ἐλέγχειν, ὥσπερ οἱ ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἡγούμενοι ἐλέγχειν, καὶ γὰρ ἐκεῖ οἱ ἕτεροι τοὺς ἑτέρους δοκοῦσιν ἐλέγχειν, ἐπειδὰν τῶν λόγων ὧν ἂν λέγωσι μάρτυρας πολλοὺς παρέχωνται, καὶ εὐδοκίμους, ὁ δὲ τἀναντία λέγων, ἕνα τινὰ παρέχηται, ἢ μηδένα. οὗτος δὲ ὁ ἔλεγχος οὐδενὸς ἄξιός ἐστι πρὸς τὴν ἀλήθειαν. ἐνίοτε γὰρ ἂν καταψευδομαρτυρηθείη τις ὑπὸ πολλῶν, καὶ δοκούντων εἶναί τι. *O lepidum caput! me enim rhetorico more conaris refellere, quemadmodum ii, qui in foro verſantur, & adverſarium conantur convincere. Ibi enim alii alios ſe convincere arbitrantur, cùm earum rerum, quarum fidem facere volunt, multos & celebres teſtes produxerint. Adverſarius contrà aut unum tantùm, aut nullum in medium protulerit. Verùm hæc probationis ratio nullius eſt momenti ad veritatem. Sæpenumero enim falſorum teſtimoniorum præjudiciis, & multitudine quidem ipſa, & autoritate teſtium, qui aliquid eſſe videantur, poteſt quis convinci.* Et paullo poſt ſubjungit ‡: Ἐγὼ δέ σοι εἷς ὢν οὐχ ὁμολογῶ. οὐ γάρ με σὺ ἀναγκάζεις, ἀλλὰ ψευδομάρτυρας πολλοὺς κατ' ἐμοῦ παρασχόμενος ἐπιχειρεῖς ἐκβάλλειν με ἐκ τῆς οὐσίας, καὶ τοῦ ἀληθοῦς. ἐγὼ δὲ ἂν μὴ σὲ αὐτὸν ἕνα ὄντα μάρτυρα παράσχωμαι ὁμολογοῦντα περὶ ὧν λέγω, οὐδὲν οἶμαι ἄξιον λόγου πεπεράνθαι περὶ ὧν ἂν ἡμῖν ὁ λόγος ᾖ· οἶμαι δὲ οὐδὲ σοί, ἐὰν μὴ ἐγώ σοι μαρτυρῶ, εἷς ὢν μόνος, τοὺς δὲ ἄλλους πάντας τούτους χαίρειν ἐᾷς. *Ego quamvis unus ſim, tibi nequaquam aſſentior. Non enim me rationibus cogis; ſed falſis teſtibus plurimis adverſus me prolatis, conaris me è veritatis poſſeſſione, tanquam ex hæreditate depellere. Ego autem, niſi te ipſum teſtem unicum produxero mihi, in his, de quibus loquor, aſſentientem, nihil pretio aliquo dignum eſſe à me confectum arbitror, quod ad eas quidem res attinet, de quibus eſt ſermo noſter; neque etiam quicquam te promoturum exiſtimo, niſi ego ſolus teſtimonium perhibeam, hos autem omnes ſecurè prætermittas.*

† Tom. 1. pag. 473. & 474.

‡ P. 474.

Idem in Protagora *: Οὕτω δὲ καὶ αἱ τοιαίδε συνουσίαι, ἐὰν μὲν λάβωνται ἀνδρῶν οἷοίπερ ἡμῶν οἱ πολλοί φασιν εἶναι, οὐδὲν δέονται ἀλλοτρίας φωνῆς, οὐδὲ ποιητῶν, οὓς οὔτε ἀνερέσθαι οἷόν τ' ἐστὶ περὶ ὧν λέγουσιν· ἐπαγόμενοί τε αὐτοὺς οἱ πολλοὶ ἐν τοῖς λόγοις, οἱ μὲν ταῦτά φασι τὸν ποιητὴν νοεῖν, οἱ δ' ἕτερα, περὶ πράγματος διαλεγόμενοι, ἀδυνατοῦσιν ἐξελέγξαι· ἀλλὰ τὰς μὲν τοιαύτας συνουσίας ἐῶσι χαίρειν, αὐτοὶ δ' ἑαυτοῖς σύνεισι, δι' ἑαυτῶν, ἐν τοῖς ἑαυτῶν λόγοις πεῖραν ἀλλήλων λαμβάνοντες, καὶ διδόντες. τοὺς τοιούτους μοι δοκεῖ χρῆναι μᾶλλον μιμεῖσθαι ἐμέ τε καὶ σε, καταθεμένους τοὺς ποιητὰς, αὐτοὺς δι' ἡμῶν αὐτῶν πρὸς ἀλλήλους τοὺς λόγους ποιεῖσθαι, τῆς ἀληθείας καὶ ἡμῶν αὐτῶν πεῖραν λαμβάνοντες. *Eodem modo, ſi hujuſmodi diſputationes illis hominibus conſtent, quales nos eſſe plurimi dictitant, haudquaquam aliena voce, neque Poëtarum carminibus indigent, quos interrogare de his, quæ ſcriptis commendarunt, minimè fas eſt: & cùm illorum teſtimonia in medium producant plurimi, dum de aliqua re verba faciunt: alii affirmant hanc eſſe, alii illam Poëtæ eadem de re mentem atque ſententiam: & quænam verè ſit, rationem reddere non poſſunt. Eruditi igitur, & prudentes viri, hujuſmodi colloquia ſecurè prætermittunt: ipſi verò, alii cum aliis mutuam conſuetudinem ineunt, atque inſtituunt, illiſque colloquiis viciſſim ingenii periculum faciunt, & aliis dant, & ab aliis mutuò accipiunt. Hujuſmodi hominum exempla nos ſequi, conſentaneum potiùs eſt, & mihi, & tibi, ſepoſitis Poëtis, ut de veritate, & nobis mutuis diſputationibus experimentum capiamus.*

* Tom. 1. pag. 347. & 348.

Idem in Critone †: Ὡς ἐγὼ οὐ μόνον νῦν, ἀλλὰ καὶ ἀεὶ τοιοῦτος, οἷος τῶν ἐμῶν μηδενὶ ἄλλῳ πείθεσθαι, ἢ τῷ λόγῳ, ὃς ἄν μοι λογιζομένῳ βέλτιστος φαίνηται. *Quandoquidem is ego ſum, qui non ſolùm nunc, ſed ſemper hactenus, nulli unquam meorum alii credere potuerim, quàm rationi; quæ quidem à me animo perpenſa, atque examinata, optima comperiatur.* Quid quòd Ariſtoteles ipſe, in cujus verba jurari ſolet, haut aliter ſenſit. Ejus verba ſunt Ethicorum lib. 1. ‡: Τὸ δὲ καθόλου, βέλτιον ἴσως ἐπισκέψασθαι, καὶ διαπορῆσαι πῶς λέγεται, καίπερ προσάντους τῆς τοιαύτης γενομένης ζητήσεως, διὰ τὸ φίλους ἄνδρας εἰσαγαγεῖν τὰ εἴδη. δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι, καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ [γε] τῆς ἀληθείας, καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας. ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. *Univerſum autem bonum conſiderare, quoque modo dicatur, quærere fortaſſe præſtiterit. Tametſi nobis ſit hæc quæſtio lubrica ſanè, atque ardua futura, propterea, quòd homines amici ideas introduxerunt. Fortaſſe autem præſtare, atque adeò oportere videatur, veritatis tuendæ cauſſa, vel noſtra ipſorum decreta evertere, præſertim cùm etiam nos Philoſophi ſimus. Nam cùm utraque cara ſint, tum pium eſt amicis antiquiorem habere veritatem.*

† Tom. 1. pag. 46.

‡ Cap. 4.

§. 5. *Itaque poſtquam hoc philoſophandi genus à Potamone inductum, ferè præſtantiſſimi quique illum amplexi fuêre. In his Sotion, Senecæ magiſter.*

Scio Lipſium in Manud. Philoſ. Stoic. lib. 1. cap. XII. Sotionem reponere inter claros Stoicos. Sed omnino fuit ſectæ Potamoniæ. Unde diſcipulos non ad Pythagoram & alios minus, quàm Zenonem remittebat. Seneca epiſt. LVIII.

Non

Non pudebit fateri, quem mihi amorem Pythagoræ Sotion injecerit.

§. 6. *Sectatus eandem Ammonius, Plutarchi magiſter.*

Vixit temporibus Neronis, & Veſpaſiani, eoque diſtinguendus ab Ammonio, qui Origenis & Porphyrii ætate claruit. Item & ab Ammonio interprete Ariſtotelis, Procli diſcipulo, qui fuit poſt annum quingenteſimum.

§. 7. *Nec Plotinus ab eâ alienus fuit.*

Saltem, eo nomine extollitur à Porphyrio in ejus vitâ, quia ἐμμέμικται ἐν τοῖς συγγράμμασι, καὶ τὰ Στωικὰ λανθάνοντα δόγματα, καὶ τὰ Περιπατητικά. *quia ſcriptis ſuis immiſceret occulta & Stoicorum, & Peripateticorum dogmata.* Quod multum ſanè in eo, qui Academiæ dediſſet nomen.

§. 8. *E noſtris quoque hoc philoſophandi genus maximè probavit Clemens Alexandrinus.*

Ait hic libro I Στρωματέων, φιλοσοφίαν δὲ λέγω οὐ τὴν Στωικὴν, οὐδὲ τὴν Πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπικούρειόν τε, καὶ Ἀριστοτελικὴν, ἀλλὰ ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάστῃ τῶν αἱρέσεων τούτων καλῶς δικαιοσύνην μετ' εὐσεβοῦς ἐπιστήμης ἐκδιδάσκοντα, τοῦτο σύμπαν τὸ ἐκλεκτικὸν, φιλοσοφίαν φημί.

§. 9. *Nec aliter animatus Origenes fuit, de cujus omnigenâ eruditione ſatis notum arbitror.*

Eum, quòd ex philoſophis ſingulis verum excerpere ſoleat, laudat diſcipulus ſuus Gregorius Thaumaturgus.

§. 10. *Laudat & hoc philoſophandi genus Lactantius.*

* Cap. 8. Editionis Baſileenſis; Plantinianæ verò c. 7.

Lactantius lib. II. Inſtitutionum Divinarum *: *Quare oportet in eâ re maximè, in quâ vitæ ratio verſatur, ſibi quemque confidere, ſuoque judicio, ac propriis ſenſibus niti ad inveſtigandam, & perpendendam veritatem, quàm credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipſum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione ſapientiam, ut & inaudita inveſtigare poſſent, & audita perpendere. Nec quia nos illis temporibus anteceſſerunt, ſapientia quoque anteceſſerunt: quæ ſi omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non poteſt. Illibabilis eſt tanquam lux, & claritas ſolis: quia ut ſol oculorum, ſic ſapientia lumen eſt cordis humani. Quare cùm ſapere, id eſt, veritatem quærere, omnibus ſit innatum; ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio, inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quòd majorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur: aut illi deſipuerint, quia majores nominantur.* Minimè itaque hoc in loco prætereundum illud Ciceronis libro primo Academicarum quæſt. *Certè recentiſſima quæque ſunt correcta & emendata maximè.* Quemadmodum neque illud Ariſtotelis libro ſecundo Polit. cap. XI. ubi de Rep. Cretenſium agit, text. 169: τὰ πλεῖστα τῶν ἀρχαίων ἧττον διήρθρωται τῶν νεωτέρων. *Pleraque rerum vetuſtarum minus ſunt abſoluta recentioribus.*

§. 11. *Sed ut optimum & laudatiſſimum eſt, ita quoque difficillimum hoc philoſophandi genus.*

Nec enim ſufficit unum audiiſſe qui certæ ſe ſectæ addixerit: ſed nunc verſandum in Academiæ ſpatiis, nunc in ambulacris Lycæi, nunc in ποικίλῃ illâ porticu à Zenone nobilitata, nunc in Gargettii ſenis hortis, nunc in aliorum diatribis, ac periſtyliis. Quantâ ad omnia iſta induſtriâ opus eſt? Quanti item ingenii ſit ſingulas ſectas percipere! Quanti judicii in iſto diſſenſu verum ubique diſcernere à falſo!

§. 12. *Quare hebetes & inertes facilè hæc ſecta à ſe arcet. At non item eos qui ingenii acie & judicio valent, dummodo magno flagrent amore veritatis ac virtutis. Sæpè enim veritas, quemadmodum Democritus † ajebat, in profundo ſpecu abdita, deliteſcit: unde eam extrahendi laborem non facilè ſubibit, cui voluptates, vel opes, vel honores, ut fieri ſolet, magis fuerint cordi, quàm veritas: quæ unà cum beneficentiâ Deo nos proximos facit.*

† Laërt. in Pyrrhone. Cic. ſemel, iterumque in Acad. Lact. lib. III. & alii.

De Veritate ſic Porphyrius in vitâ Pythagoræ: τὸ ἀληθεύειν μόνον δύναται τοὺς ἀνθρώπους ποιεῖν θεῷ παραπλησίους. *Veracitas ſola poteſt nos Deo reddere propinquos.* Similiter Jamblichus protreptici cap. XX. Stobæus Serm. XI. de Veritate. Et ex Latinis B. Hieronymus, apologiâ adverſus Rufinum: ubi ex Pythagoræorum mente ait: *Poſt Deum veritatem colendam: quæ ſola homines Deo proximos facit.* Sed quod de ſola hic veritate dicitur, id de beneficentia quoque veriſſimum eſt. Unde Strabo lib. X. Geograph. Τοὺς ἀνθρώπους μάλιστα μιμεῖσθαι τοὺς θεοὺς ὅταν εὐεργετῶσιν. *Maximè homines Deum imitari, cùm alteri benefaciunt.* Ac apud Photium quoque Cod. CCXLIX. ex Pythagoræ vitâ refertur, ex tribus, quibus meliores reddamur, Deoque aſſimilemur, medium eſſe, τὸ εὖ ποιεῖν, *benè de aliis mereri.*

Propterea præclarè merentur de genere humano, qui in eo operam ſuam collocant, ut animi adoleſcentum abducantur à rebus vaniſſimis, amoreque imbuantur veritatis ac beneficentiæ. Nec enim vel durum ſapientiæ collem adſcendet, vel aſperam virtutis viam inſiſtet, niſi qui priùs pulcritudinem ambarum oculis animi perſpexerit. Propterea non ſufficit, ut Doctores juventutis in eo operam inſumant, ut artium & ſcientiarum præcepta perſpicuè doceant; ſed ante omnia inflammandi juvenes amore ſtudiorum: quò pertinebat Pythagoræ doctrina προτρεπτική.

§. 13. *In examine autem tot ſectarum, primùm videndum quid quiſque dicat, cur ita dicat, quid adverſæ parti reſpondeat. Quibus perpenſis, diſpiciendum, an partes conciliari non poſſint.*

Sanè Simplicius arbitratur, tam diverſas veterum philoſophorum ſententias, quas Ariſtoteles de rerum principiis in I. φυσ. ἀκροάσ. adfert, non pugnare inter ſe: unde & in iis conciliandis operam inſumit. Hoc de ſingulis cum Simplicio ſtatuere non auſim. Interea de pleriſque verum arbitror dixiſſe. Et facilè mihi adſentiet, qui de ſententia eorum judicium ferre volet, ex fragmentis quæ ſuperſunt. Similiter de Ideis judico: etſi ſciam nihil æquè impugnari ab Ariſtotele. Quâ de re abundè diximus ſuperius. Atque ut in Ideis exiſtimo Platonem & Ariſtotelem facilè poſſe conciliari, ita contra arbitror de mundi origine. Cujus cauſſam ſuperius item adduximus.

§. 14. *Quod ſi ſententiæ conciliari non poſſunt, examinemus eas, nec cum Epicureis ad ſolum ſenſuum κριτήριον, nec cum Platonicis ad ſolam rationem, ſed ad utrumque κριτήριον, uti Potamo fieri jubebat.*

Sic enim de eo Suidas in Αἵρεσις: Κριτήρια δὲ φησὶν εἶναι τἀληθοῦς. τὸ μὲν ὡς ὑφ' οὗ γίνεται ἡ κρίσις· τουτέστι τὸ ἡγεμονικόν· τὸ δὲ ὡς δι' οὗ· οἷον τὴν ἀκριβεστάτην φαντασίαν. *Duo eſſe ait inſtrumenta cognoſcendi verum. Unum quidem eſt illud, à quo ſit judicium: hoc eſt, mens ipſa, quæ principatum in animo tenet. Alterum eſt per quod ſit judicium, ut certiſſimum viſum.*

§. 15.

§. 15. *Eoque majori ſtudio hæc duo jungemus, quòd videamus deceptos, non philoſophos duntaxat, ſed quoſdam etiam ex magnis Eccleſiæ doctoribus: Vt qui terram (quia ſic videatur) planam exiſtimant, atque ita ſenſu decepti, negant Antipodas.*

In his Lactantius Firmianus lib. III. de falſa ſapientia cap. XXIII: *Quid illi, qui eſſe contrarios veſtigiis noſtris Antipodas putant, num aliquid loquuntur? aut eſt quiſquam tam ineptus, qui credat eſſe homines, quorum veſtigia ſunt ſuperiora, quàm capita? aut ibi, quæ apud nos jacent, inverſa pendere? fruges & arbores deorſum verſas creſcere? pluvias & nives ſurſum verſus cadere in terram?* Ac deinceps toto capite. Inter alia: *Sic pendulos iſtos Antipodas cæli rotunditas adinvenit.* Et extremo capite; *At ego multis argumentis probare poſſem, nullo modo fieri poſſe, ut cælum terrâ ſit inferius, niſi liber jam concludendus eſſet.* Atque eadem mens B. Auguſtini.

§. 16. *Præterea in tot philoſophorum ſectis, (ut nihil dicam de ejuſdem ſectæ philoſophorum diſſenſu) utile eſt diſputationes inſtitui, quibus veritas examinetur. Nam ea rationum velitationibus elicitur.*

Pallada certè armatam finxerunt poëtæ, quòd diſputationum palæſtra, alumna ſit ſapientiæ, & Chaldæi in geneſi philoſophi requirunt, ut Mars triquetro adſpectu conſpiciat Mercurium, quia ſine illis literariis bellis, ſegnis & ſocors ſit philoſophia. Eò etiam gratiores hæ palæſtræ eſſe debent, quia in diſputando gloriæ erit, ſi vincamus; ſin vincamur, doctiores abibimus domum, atque ad novam pugnam inſtructiores. Socrates certè hanc ob cauſſam vinci, quàm vincere malebat.

Atque hæc dicta ſunto de ſectâ ἐκλεκτικῇ. Quam ſi ſequamur, futurum, ut non Ionici ſimus, vel Italici, vel Eleatici; non Platonici, vel Peripatetici; non Stoïci, vel Epicurei; non Sceptici, vel cujuſcunque alterius ſectæ; ſed hæc omnia. Flores enim ex omnibus ſectis legemus, & inde corollam plectemus capiti noſtro, quæ quantò plus traxerit ex vero bonoque, tantò erit pulcrior atque odoratior, tantò etiam minùs marceſcet.

Digitized by Google

INDEX LOCUPLETISSIMUS

OMNIUM HUJUS TRACTATUS LIBRORUM.

Numerus paginam, littera a, primam, b, ſecundam columnam indicat.

A.

ABbo Floriacenſis quando vixerit, 121. a. quid in Aſtrologicis ſcripſerit, *ibid.* quid in Chronologicis, 195. a
Abdias Trew quando Aſtronomiam Sphæricam ſcripſerit, 193. b
Abdilazus, *vide* Aldabitius.
Abelfeda, *vide* Abulphedas.
Aben Nedin de Philoſophis Arabibus ſcripſit, 78. a
Aben-Roes, *vide* Averroes.
Abenverga Hebræus ſcripſit tabulas Aſtrologicas, 124. b
Aboali Abinſceni, vulgo Avicenna, medicus Arabs: ſub quibus claruerit, ubi & quo parente natus, 260. b. huic debemus cocturam ſacchari, &c. *ibid.* hujus ſcripta, &c. *ibid.*
Abraham Abenezra Aſtronomus quando vixerit, 121. b
R. Abraham Cai Hebraicè ſcripſit Arithmeticen, 73. a. inter XII ſubtilia ingenia nono loco à Cardano reponitur, *ibid.* Algebræ inventor primus, *ibid.* ſcripſit etiam ſphæram, 123. a. ætas ejus incerta, *ibid.*
Abraham Rabbinus quando vixerit, 122. a de Sphæra ſcripſit, *ibid.*
Abrahamus ſummus Aſtrologus didicit Aſtrologiam à patre ſuo Thareh, 105. a, b
Abrahamus Bucholcerus quando ediderit ſua Chronologica, 141. b
Abrahamus Ortelius quantum, & quando, de Geographicis ſit meritus, 150. a, b
Abrahamus Zacutus reliquit Faſtos, 124. b ejus ætas, *ibid.*
Abrahamus Bucholcerus Chronologiam ſcripſit, 54. a
Abrahamus Ortelius multum meritus eſt de Geographia, 53. b
Abrahamus Patriarcha, an à Chaldæis hauſerit Aſtrolog. an contra, &c. 281. b
abſtractio Mathematica non fallit, 60. a quomodo fiat, *ibid.* diſtinguenda eſt ab abſtractione aliarum ſcientiarum, *ibid.*
Abulphedas Arabs Geographus Geographiam reliquit, 147. b. ejus ætas, *ibid.*
Academia unde dicta, 300. a
Academia tertia à media duplici ratione differt, 302. b
Academici Matheſin philoſophiæ præmiſerunt, 65. a. qui Logicen à Stoicis didicerint, 215. b. malè merentur de ſtudiis juventutis, quod magnam Analyticorum partem, ut inutilem prætereant, 225. a
accipitraria venatio circa quæ tempora cœperit inter Romanos, 245. a. de hac ſcripſit Demetrius Conſtantinopolitanus, 245. b
Achilles non alio magis, quam citharæ cantu, mitigabatur; quam ei ex ſpoliis Lectionis, qui Thebarum Ciliciæ Rex, Andromaches, Hectori nuptæ, parens fuit, reliquit ſolam Homerus, 15. b. 16. a cur ab Homero πόδας ὠκὺς dictus ſit, 6. a. 8. b
Achilles Tatius de ſphæra ſcripſit, 117. b ætas ejus incerta, *ibid.* reliquit idem amores Leucippes, & Clitophontis, *ibid.*
primum Gentilis, dein ex Chriſtiano Epiſcopus factus fuit, *ibid.*
Acron Agrigentinus medicus, 253. a. quando floruerit, *ibid.*
Actis Solis & Aliæ filius in Ægyptum profectus urbem ibi condidit, 109. b
Actuarius, Joannis Zachariæ filius, Medicus Græcus, 259. b
Acuſilaus Arigivus de Genealogiis egit, 54. b
Adamannus quando de Paſchate ſcripſerit, 195. a. quando de terris ſanctis, 200. b
Adami Burſii Dialectica laudata, 217. a
Adamus primus Aſtrologus, 104. b. à quo didicerunt ejus poſteri, *ibid.* ejus prædictio de duplici orbis interitu, *ibid.*
Adelardus, *vide* Athelardus.
Adelmus, *vide* Althelmus.
admirationis definitio, 231. a
adoleſcentes ob affectus vehementes vix poſſunt eſſe idonei auditores Philoſophiæ Moralis, 234. a
adoleſcentia naturâ proclivis eſt à labore ad ocium, eoque ſubinde ſuſcitanda eſt, 38. a
Adraſtus Peripateticus quando Harmonica ſcripſerit, 180. a. 307. b.
Adrianus Imperator Tactica ſcripſit, 163. a
Adrianus Junius quando Bataviam ſuam ſcripſerit, 150. a
Adrianus Metius ubi, quando, quid in Geometricis ediderit, 83. b. quid in Geodæticis, 100. a. quid in Aſtrologicis, 130. b. quid in Mechanicis, 167. b
Adrianus Nicomedienſis Tactica ſcripſit. Æliani æqualis fuit, 162. b
Adrianus Romanus Eques Auratus quid per Mathematicas demonſtrationes intelligat, 67. a. quæ, & quando, ediderit in Geometricis, 83. b. 177. a. quæ in Aſtrologicis, 128. b. in Arithmeticis, 172. a. in Chronologicis, 197. a. Geographicis, 102. b. Mechanicis, 205. a
Adrianus Metius Alcmarianus ſcripſit de Arte nauticâ, 246. a
ædificationis origo, 263. b
ædificium luteum primus invenit Doxius, Cœli filius, *ibid.*
Ægidius Tſchudus quando de Rhetia Alpina ſcripſerit, 201. b
Ægyptii Muſicam aſpernabantur, & cur, 16. a. eorum de inventa pictura vana jactatio, 22. a. an invenerint Arithmeticam, 60. b. Geometriam, quam præ aliis maximè excoluerunt, 75. b. Aſtrologiam, in qua eorum obſervationes multo ſunt tardiores illis Babyloniorum, 105. b. 106. a. 134. b. eorum ſacerdotibus non licebat exercere mercaturam, 63. a
Ægyptiorum diſciplina verſabatur circa triplicem ſcripturam, 284. b. 285. a myſteria peti poſſunt ex Jamblicho, 285. b
Ælius Harpocratio Sophiſta egit de vocibus, quæ Rhetoribus ignotæ, 44. b
Æneas Sylvius, ſive Pius II. Coſmographiam, & Europæ deſcriptionem, reliquit, 201. a
Æneas Tacticus quibus temporibus Tactica ſua ſcripſerit, 161. a. eorum epitomen fecit Cineas Theſſalus, *ibid.*
Æolica Muſica ſuperba erat, ac tumida, 19. a. dicitur etiam Hypodorica, *ibid.* eâ utebantur quoque Theſſali, *ibid.*
Æra Dionyſiana biennio prævertit verum Chriſti natalem, 139. b
Æſchines Socraticus Matheſin philoſophiæ præmiſit, 64. b. arctè magiſtro ſuo adhæſit, 297. b
Æſculapius Trallianus quando in Nicomachum Geraſinum ſit commentatus, 169. a
Æſculapius Chironis Theſſali diſcipulus, 252. a
Æſchylus proverbia collegit, 45. a
Æthicus Iſter an autor ſit Itinerarii Antonino Auguſto tributi, 51. b
Æthicus Coſmographus quando vixerit, 200. b
Æthiopes an primi Aſtrologiæ inventores, 106. b
Æthiopum doctores, nomen Gymnoſophiſtarum ac Philoſophiam ex Indiâ retulêre, 186. a
Aetius Amidenus medicus, quando floruerit, 258. b. Galenum in compendium contraxit, *ibid.*
Africæ pars meridionalis, Perſis & Arabibus Zanzibar dicta, veteribus fuit incognita, 144. b
Africana Philoſophia quotuplex, 284. a
Agallis Grammatica docta, Suidæ Ἀγαλλίς, & rectiùs, dicitur, 35. a
Agapius Alexandrinus Græcus Medicus, 259. b
Agathemerus Ortho quid in Geographicis ſcripſerit, 50. b. 147. a. 200. a. ætas ejus incerta, *ibid.*
Agathodæmonis tabulæ, ſecundùm Ptolomæum deſcriptæ, omnium antiquiſſimæ ſunt, 52. b
Agellii capitecenſos, & proletarios, diſtinguentis error, 1. a. ejuſdem error de Iſchiacis tibiæ cantu ſanandis, 15. a
Agenor Mitylenæus de Muſica ſcripſit, 180. b. ætas ejus incerta, *ibid.*
Ageſianax in Aratum commentatus eſt, 113. b
Ageſiſtratus de arte machinali ſcripſit, 162. a
Aggenus Urbicus de agris, & eorum limitibus ſcripſit, 100. a
agilitas minus conducit Athletis, ſed major illius uſus eſt in bello, 5. b. non debet eſſe expers roboris, ac curſoribus eâ opus eſt. 7. b
Agonotheta quis fuerit, 10. b
agricolis neceſſaria eſt cognitio Aſtrologiæ, 102. b
agricultura Græcis γεωργία, 241. b. ejus antiquitas, 241. b. 242. a. in Italia, à Saturno; in Græcia, à Cerere; in Ægypto, ab Oſiride cœpit, *ibid.* omnium artium nutrix & mater, 243. a. neceſſaria ac utilis, 242. b. 243. a. honeſta & jucunda, 243. b. agriculturæ quatuor partes, *ibid.* de hac qui ſcripſerint, 244. a
Agrippa Mathematicus in Bithynia obſervavit Lunæ conjunctionem cum Plejadibus, 115. b. ejus ætas, *ibid.*
Ἀκροχειρισμὸς ad ſtatariam luctam pertinet, 10. b
Alanus Varenius quando de Muſica ſcripſerit, 181. b
Albategnius Syrus quando vixerit, 120. b

ali-

aliter dictus Muhammedes Aractenſis, *ibid.* quæ in Aſtrologicis obſervarit, *ibid.* docuit, quomodo horologia inæqualium horarum ad loci latitudinem exſtruantur, 164. a
Albertus Bannius præcellens Muſicus, 93. b
Albertus Durerus de Συμμετρίᾳ in arte pingendi ſcripſit, 31. b. pictor elegans quæ, & quando, reliquerit in Geometricis, 81. a. b. quæ in Mechanicis, 164. a. 204. a
Albertus Fridericus Cnopius quæ in Geometricis ediderit, 178. b
Albertus Leoninus quando ediderit Theoriam motuum cœleſtium, 192. a
Albertus Magnus genere, & doctrinâ, illuſtris, 80. b. Thomæ Aquinatis præceptor, 81. a. quando, & quâ ætate, ſit mortuus, *ibid.* quæ reliquerit in Muſicis, 93. a. in Aſtronomicis, 185. a
Albertus Pighius quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 188. a. b. ejus vita, & mors, *ibid.* Aſtrologiam divinatricem impugnavit, 135. b
Albinus de Muſica ſcripſit, 180. b
Albiphedeas Arabs quid in Coſmographicis præſtiterit, 52. a
Albohazen Haly de aſtrorum judiciis ſcripſit, 132. b. quod opus juſſu Alphonſi Regis ex Arabico Hiſpanicè, ex Hiſpanico Latinè redditum eſt, *ibid.*
Albumazaris error Claudium Ptolomæum Ægypti Regem fuiſſe exiſtimantis, 116. a. ætas, 120. a. Almageſtus, *ibid.* πτερύβιβλος, *ibid.*
Alchabitius Optica ſcripſit, 97. b. 182. b. & Aſtrologica, 187. a. ejus ætas, *ibid.*
Alchindus Arabs quid ſcripſerit, 80. b
Alchymia non eſt pars Chryſopœïas, 264. a. Alchymiæ finis eſt ſanitas, *ibid.* reliqua vide in *Chemia.*
Alcibiades a Proſnomo didicit tibiâ canere, 18. a
Alcinous Platonicus, 304. a
Alcmæon Crotoniata primus Phyſica ſcripſit, 236. a
Aldhelmus Epiſcopus Shirburnenſis de Arithmetica, & Aſtrologia, ſcripſit, 119. b. 169. b. & de celebratione Paſchatos, 195. a
Aldilazit Arabs Aſtrologus Archibiam ſcripſit, 187. a. ætas ejus incerta, *ibid.*
Aldus Nepos ſcripſit de ὀρθογραφίᾳ, 41. b
Ἀλεκτρυομαντεία, 177. b
Alconora primùm Galliæ, dein Angliæ, Regina ob eruditionem laudata, 36. b
Alexander Caryſtius ſphæriſta ab Athenienſibus civitate donatus; ac ſtatua ei poſita, 9. b
Alexander Cornelius Cottiæus de Muſicis Phrygiis ſcripſit, ac alia, ſed omnia deperierunt, 19. a
Alexander M. à Timotheo, & Antigenida, tibicinibus ad arma concitabatur, 9. b
Alexander Ætolus in Aratum commentatus eſt, 113. b
Alexander Anderſonus quando ſupplementum Apollonii redivivi ediderit, 178. a
Alexander Aphrodiſienſis primus in Ariſtotelem commentatus eſt, 180. a. de Muſica ſcripſit, *ibid.* interpres Ariſtotelis, κατ' ἐξοχὴν dictus ἐξηγητής, 306. b
Alexander de villa Dei Dolenſis ſcripſit de Arithmetica, 72. b. de ſphæra, & computo Eccleſiaſtico, 185. a. 195. b
Alexander Epheſius in Aratum commentatus eſt, 113. b. ſcripſitque de rebus cœleſtibus, & terrarum ſitu, 183. b. 200. a. ætas ejus incerta, *ibid.*
Alexander Floravantius quando retehorarium excogitârit, 166. b
Alexander Piccolominæus quæ, & quando, in Mechanicis ſcripſerit, 165. b
Alexander Trallianus medicus, Dioſcori medici filius, 259. a. quid ſcripſerit, & quando floruerit, *ibid.*
Alexandra Florentina femina erudita, 34. b
Alexandri Severi mos in Gymnaſio, 5. a
Alexandrini Hypatiæ corpus diſcerptum fruſtatim ſparſere, 35. b
Alexinus Elienſis auditor Eubulidis, 299. a Ἐλεγξῖνος etiam dictus ἀπὸ τ̃ ἐλέγχειν, *ibid.* & 213. b.
Alfarabius Arabs quando vixerit, 120. b. inſignis Aſtrologus, *ibid.*
Algebra an ad aliam ſcientiam referenda ſit, 71. a. quæ vox ſit, *ibid.* aliter Almucabula, & Analyſis dicta, *ibid.* quis eam invenerit, *ibid.* ejus partes, *ibid.* & uſus, 86. b
Alhazenus quando vixerit, 121. a. de crepuſculis ſcripſit, *ibid.* & de Optica, 97. b
Alhazon Arabs, *vide* Alhazenus.
Alia ſoror Telchinum, conjux Neptuni, 109. b
Alimentum ſiccum valet ad corpus firmandum, 7. a
Allax Arabs, *vide* Alhazon.
Almeon Almanſorius quando vixerit, 121. b. quid de Sole obſervârit, *ibid.* an idem ſit, qui Almeon Arabum Rex, *ibid.*
Almeon Rex Arabum quando vixerit, 120. a. quid in Sole obſervârit, *ibid.*
Aloyſius Lilius Mathematicus, cujus operâ uſus eſt Gregorius XIII. in corrigendo Kalendario, 128. a. 175. b
Alpatragius Arabs de Aſtrologia ſcripſit, 187. a. ætas ejus incerta, *ibid.*
Alphonſini receſſerunt à doctrina Ptolomæi, 116. b
Alphonſus Rex Caſtellæ tabulas edidit Aſtronomicas, 122. b. quos ad opus id concinnandum ad ſe vocârit, *ibid.*
Althelmus, *vide* Aldhelmus.
Ἀλτηροβολία gymnici certaminis genus, 10. a
Alvarus Gometius ſcripſit vitam Franciſci Ximenis Cardinalis S. Balbinæ, 81. b
Alypius Antiochenus Geographiam condidit, 146. b. ejus ætas, *ibid.* an autor ſit veteris iſtius orbis deſcriptionis, *ibid.*
Alypius de Muſica ſcripſit, 92. a
Amalaſuenta, Theodorici, Gotthorum Regis, filia Athalarici Regis mater, quàm erudita, ac prudens fuerit, 35. b
Ambroſius primus introduxit in Eccleſiam Mediolanenſem cantum, quo utitur Eccleſia Romana, 91. a. ſcripſit de tempore celebrandi Paſchatis, 194. b
Ambroſius Rhodius quando Geometrica ſua ediderit, 177. b
Amelius Plotini Ægyptii diſcipulus, 268. b
Amerias Macedo de verborum originibus egit, 44. b
America avorum ævo prius à Columbo, ac pòſt ab Americo Veſpuccio, fuit detecta, 53. a. quamquam Atlantis Platonica eò referri debere videatur, *ibid.* quos nondum nobis nota incolas habuerit, 144. b. an adeò ſerò innotuerit, *ibid.* à Carthaginenſibus videtur adita, *ibid.* nec alia videtur ab Atlantide Platonis, quæ ſanè non eſt fabuloſa, 145. a. unde ſic dicta, *ibid.* quando eam adierit Chriſtophorus Columbus, *ibid.*
Americus Veſpuccius poſt Columbum Americam detexit, 53. a. ulterius in America proceſſit, ac continenti iſti nomen dedit, 144. b
Ammonii duo, 222. b
Ammonio, ejuſque ſectatoribus, Matheſis Philoſophiæ pars dicitur, 64. a. fuit Aſclepii Tralliani præceptor, 71. b
Ammonitarum regis corona cujus fuerit ponderis, 69. a
Ammonius Procli Diadochi diſcipulus, 307. a
Ammonius, Plutarchi magiſter, quando floruerit, 314. a. fuit ſectæ Potamoniæ, *ibid.*
Ἀμπελοτομίαν ab aſino vites arrodente didicerunt Nauplienſes, 13. b
Amphinomus Geometrica ſcripſit, 175. a. ætas ejus incerta, *ibid.*
Amphionis fabula explicata, 15. b
Amphiſtides irriſus, quòd magno labore uſque ad quinarium numerare didiciſſet, 68. a
amtruare quid fuerit veteribus Romanis, 18. a
Amyclas Heracleotes Geometriam excoluit, 76. a
Anaglypha, & Anaglypharius, 268. a
Ἀναλογία ad ὀρθοέπειαν ſpectat, ac primus eam defendit Ariſtarchus, 41. b. perperam quibuſdam ἐτυμολογία dicitur, *ibid.* vocis οὐσίαν conſiderat, *ibid.*
Analytica, quid, 224. b. hujus partes tres, 220. a. quot olim libri Analytici circumferrentur, & cui fuerint inſcripti, 225. a. Analytica poſteriora, quid doceant, 225. b. in Analytica priora qui ſcripſerint, *ibid.* in poſteriora, qui, *ibid.* & 226. a. an Analytica priora debeant præcedere Topicis, *ibid.*
Ἀνάμνησις ſecundùm Platonem, & Proclum, maximè in Matheſi locum habet, quorum ſententia refellitur, 59. a
Ananias invenit Jambum, 48. b
Anatolius Arithmeticas inſtitutiones quando ſcripſerit, 168. b. quando de Paſchate, 194. b
Anatomices ſcientiâ cur indigeat pictor, 23. b. 24. a
Anaxagoras Clazomenius auditor Anaximenis Mileſii quæ docuerit, 111. a. quando natus, quando mortuus ſit, *ibid.* Geometriam excoluit, 76. a. ſucceſſor Anaximenis Mileſii, 188. b. docuit Solem eſſe maſſam, ſive glebam ignitam, *ibid.* & Mentem omnia condidiſſe, *ibid.* ex Aſiâ Scholam Athenas tranſtulit, *ibid.* Socratem, Euripidem, & Periclem docuit, *ibid.*
Anaximander Mileſius primus ferè poſt Homerum Geographiam attigit, 49. b. ejus ætas, *ibid.* & 52. a. Thaletis auditor, quæ invenerit, 110. b. quâ Olympiade claruerit, *ibid.* ejus vaticinium de futuro terræ motu, *ibid.* de Geographia ſcripſit, 146. a. ſucceſſor Thaletis, 288. b. ejus dogma, *ibid.*
Anaximenes de antiquis picturis ſcripſit, 29. b
Anaximenes Mileſius Anaximandri auditor, 110. b. quid docuerit, 111. a. ejus ætas, *ibid.* ejus auditor Anaxagoras Clazomenius, *ibid.* primus Lacedæmone horologium ſciothericum oſtendit, 155. b. ſucceſſor Anaximandri Mileſii, 288. b
Anazarba Ciliciæ civitas, quæ poſtea dicta Cæſarea Auguſta, 255. a
Andreas Mantineus elegans ſuperioris ſeculi pictor, 30. b
Andreas Alciatus quando de ponderibus & menſuris ſcripſerit, 164. b
Andreas Argolus quando Ephemerides ediderit, 199. a
Andreas Corſalius ſcripſit de navigatione maris rubri, & de ſinu Perſico, 203. a
Andreas Papius quando de harmoniis Muſicis ſcripſerit, 182. a. quid, & quando, in Geographicis, 202. b
Andreas Schottus Heracleotæ Diogeniani, ac Zenobii, proverbia edidit, addiditque duplicem appendicem, 45. a. quantum, & quando, de Geographiâ ſit meritus, 202. b. ejus error tres facientis poëtas ex unius nomine, 89. b
Andreas Schonerus quando Gnomonica ſua ediderit, 165. b. 204. b. & Joannis Regiomontani *fundamenta*, 191. a
Andreas Stiborius quæ, & quando, in Geographicis ediderit, 203. b
Androcydes pictor quando vixerit, 27. b. cur piſces ab eo picti magis laudati ſint, quàm alia ejus opera, 30. b
Andromachus Cretenſis primus edidit theoricas planetarum, 115. b. Neronis medicus, 256. b. ab hoc Theriaca Andromachi, *ibid.*
Angela Zabata femina erudita, 36. b. 37. a
Angelus Florentinus quando Ptolomæi Geo-

Digitized by Google

Geographiam verterit, 203. a
Anglicanæ Eccleſiæ quomodo primitus Paſcha celebrârint, 194. b
animi poteſtates quot, 208. a
Anna Comnena, Alexii Comneni filia, Alexiadem ſcripſit, 36. a
Anna Maria Schurmanna laudata à variâ linguarum, artium, doctrinarumque, notitiâ, 37. a
Anniceris Hegeſiæ condiſcipulus, Anniceriæ ſectæ conditor, 298. a
annus ante diluvium non fuit menſtruus, ut volunt multi, ſed menſium duodenûm, 104. a
annus Lunaris quot dierum Græcis fuerit, 109. b
A'νωμαλία ad ὀρθοέπειαν ſpectat, ac primus eam defendit Crates, 41. b. perperam quibuſdam ἐτυμολογία dicitur, *ibid.* vocis ἔτυμον conſiderat, *ibid.*
Anonymus Arabs Geographus à Bernardino Baldo editus, 147. b. ejus ætas, *ibid.*
Anonymus autor Chronologiæ ſcriptæ ab origine mundi ad annum 1200, 195. b
Anonymus veteris orbis deſcriptionis autor, 146. b
Anſelmus Rhemenſis quando ſcripſerit Leonis IX. Itinerarium, 200. b
Anthemius Mechanicus de machinis ſcripſit, 163. a
Antigenidas tibicen Alexandrum M. cantu ſuo ad arma concitabat, 19. b
Antigonus de pictura, de tabulis, & de arte ſtatuaria ſcripſit, 29. b
Antigonus Gonatas Aratum juſſit ſcribere Φαινόμενα, 113. b
Antigonus Grammaticus in Aratum commentatus eſt, *ibid.*
Antilogarithmus quid ſit, 173. b. aliter logarithmus complementi dictus, *ibid.*
Antiochus Philonis auditor, quintæ Academiæ conditor, 302. a. hæc ſecta veterem academiam inſtauravit, niſi quod de κράσει Stoicis accederet, *ibid.*
Antipater Sidonius, 215. b. Diogenis Babylonii auditor, 310. b. unde φιλαλήθης dictus, *ibid.*
Antiphilus nomen dedit picturæ generi, quod Gryllos vocant, 29. a
Antipho quo conatu quadraturam circuli invenire ſtuduerit, 174. a
Antiſthenes Cynicus quando de Muſica ſcripſerit, 179. b. Socratis diſcipulus, novæ ſectæ auctor, 307. b. Gymnaſium, in quo docebat, Κυνόσαργες dicebatur, 308. a. hujus ſectatores *Cynici* vocati, *ibid.*
Antiſtius Labeo ex verborum proprietate difficillimos juris nodos ſolvebat, 42. b
Antonini Martyris itinerarium quando ſcriptum ſit, 52. a
Antoninus Auguſtus an auctor Itinerarii, 51. b. 147. a
M. Antoninus imperator Stoicus, 311. a
Antonius Corrigienſis Titianus pictor elegans ſuperioris ſeculi, 30. b
Antonius Sartorius celebris ſuperioris ſeculi pictor, *ibid.*
Antonius Auguſtinus Feſti fragmentum ex Farneſianâ bibliothecâ reſtituit, 44. a de familiis Romanis ſcripſit, 55. a
Antonius Bernardus Mirandulanus Aſtrologiam divinatricem impugnat, 135. b
Antonius de Herrera quando deſcripſerit Americam, 150. b
Antonius Franciſcus Donius quæ, & quando in Muſicis ediderit, 148. a
Antonius Manettus quando Architecturam inferorum ex Dantis poetæ ſententia ſcripſerit, 204. b
Antonius Nebriſſenſis Coſmographiam reliquit, & in eam εἰσαγωγήν, 147. b. ejus ætas, & vita, 148. a. Biblia Complutenſia edidit, *ibid.*
Antonius Suarcialupus excellens Muſicus de arte iſta ſcripſit, 181. b. ejus ætas, *ibid.*
Aamar, *vide* Omar.
Apellas Cyrenæus de civitatibus Græciæ ſcripſit, 200. a
Apelles Epheſius utrique palpebræ equinæ appoſuit cilia, 24. a
Apellico Tejus, primus omnium Ariſtotelis αὐτόγραφα evulgavit, 306. a
Apellis factum, cum non invitatus convivium acceſſiſſe à Ptolomæo crederetur, 22. b. quam Pamphilo Macedoni mercedem dederit, *ibid.* omnes Venere pictores exſuperavit, 28. b. ab eo ſolo pingi voluit Alexander M. *ibid.* vocabat picturam ſuam Alexandrum Apellis ἀμίμητον, *ibid.* ejus Venus ἀναδυομένη, *ibid.* nomen ejus pro ſummo pictore poſitum, *ibid.* ejus ætate ars pingendi ſummo in gradu fuit, 29. a. nemo ipſi prærepto morte ſuccedere auſus eſt, qui Venerem Cois inchoatam abſolveret, *ibid.* de arte pingendi etiam ſcripſit, *ibid.* an felicior fuerit Michaële Angelo Bonarota, 31. a
A'ποδυτήριον, ſive Spoliarium, locus in Gymnaſio, ubi exuebantur, non eſt idem, ac coniſterium, ut exiſtimavit Perottus, 5. b
Apollas, *vide* Apellas Cyrenæus.
Apollinem Medicinæ inventorem cur dixerint Poetæ, 251. b
Apollo Enagonius gymnaſiis unà cum Mercurio præerat, 4. b
Apollo Lycius unde dictus, 109. b. unde Telchinius, *ibid.*
Apollodorus Athenienſis pictor quando vixerit, 26. b. quid primus invenerit, *ibid.*
Apollodorus Genealogias deorum, & Heroum, reliquit, 54. b. à notitia Arithmetices A'ριθμητικὸς & Λογιστικὸς dictus, 168. b
Apollodorus Geographus ſcripſit de populis, inſulis, & urbibus, 200. a
Apollodorus Cittieus, medicus, 279. b
Apollodorus Tarentinus, medicus, *ibid.*
Apollonides Nicenus proverbia ſcripſit, 45. a
Apollonius Dyſcolus Herodiani pater vixit ſub M. Antonino, 70. a
Apollonius Geometra in Aratum commentatus eſt, 113. b
Apollonius Grammaticus in Aratum commentatus eſt, 113. b
Apollonius Pergæus quando vixerit, 77. b magnus Geometra dictus, *ibid.* Euclidis audivit diſcipulos, *ibid.* ejus opera Arabicè extant, 78. a. an Conica ſcripſerit, *ibid.*
Apollonius Tyaneus περὶ μαντείας ἀστέρων ſcripſit, 132. a. quod opus non extat, 132. a. 183. b
Apollonius Herophileus, medicus Græcus, ſcripſit περὶ μύρων, & εὐπορίστων φαρμάκων, 279. b
Apollonius ὁ ἀπὸ Στρατονίκης, medicus, *ibid.*
Apollonius ὁ Κιτιεύς, medicus, *ibid.* quid ſcripſerit, *ibid.*
Apollonius περὶ βουβώνων, *ibid.*
Apollonius Pergamenus medicus; hujus ſcripta, *ibid.*
Apollonius Pitanæus medicus, *ibid.*
Apollonius ὁ Κρόνος, Eubulidis auditor, 299. a
A'ποτελέσματα quid ſint, 131. a
Apulejus Platonicus, 303. b
Appulejus Madaurenſis proverbiorum libros ſcripſit, 45. a. primus Latinis literis Arithmeticen illuſtravit, 72. a. b. 169. a. & de Muſica ſcripſit, 180. b
apri Muſica capiuntur, 14. b
Aquila Romanus de Elocutione ſcripſit, 47. b
aquila manualis Carolo V. obviam facta, 154. a
Arabes ſifras acceperunt à Perſis, vel ab Indis, 70. a. invenerunt monochordum, 89. b. fuere periti Aſtrologiæ, 106. b Apoteleſmata tractarunt, 132. b. invenerunt notas Arithmeticas, 71. a. punctum pro O uſurpabant, *ibid.*
aranea quibuſdam dicitur inventrix artis texendi, 13. b
Aratus Φαινομένων ſcriptor, 113. b. ejus patria, *ibid.* poema id condidit juſſu Antigoni Gonatæ, *ibid.* quid in eo referat, *ibid.* qui in eum commentarios ſcripſerint, *ibid.* & 114. a. à Domitiano, ac primùm à Cicerone, Latinè redditus eſt, 118. b
Arcades à quibus didicerint literas, 3. b. docuere eas Euandrum, *ibid.* Muſices fuerunt ſtudioſiſſimi, 17. a
Arcadius ſcripſit de ὀρθογραφία, 41. b
Arcandam Arabs de veritatibus, & prædictionibus Aſtrologiæ ſcripſit, 187. a
Arceſilas academiæ mediæ conditor, Logicen à Diodoro Crono didicit, 215. b Crantoris Solenſis diſcipulus, 302. b. in amicum pauperem beneficus, *ibid.* autor ſecundæ academiæ, ἀκαταληψίαν induxit, *ibid.*
Arceſilaus Seuthus quando vixerit, 113. a Autolyci diſcipulus fuit, *ibid.*
Archelaus quando ſcripſerit de terris ab Alexandro Magno peragratis, 199. b
Archelaus Athenienſis, ſucceſſor Anaxagoræ Clazomenii, 288. b. 289. a. hunc Socrates audivit, *ibid.* Moralem Philoſophiam primus induxit, *ibid.*
Archidemus, 311. a
Archigenes Apamenſis Syrus, medicus, 256. b. quando floruerit, & quid ſcripſerit, 257. a
Archilochus Parius Jambum ab Anania inventum perfecit, 48. b
Archimedes Syracuſanus Mathematicus inimitabilis Cardano dicitur, 78. b. ejus obitus, *ibid.* opera, *ibid.* contra Scaligerum ab Adriano Romano defenſus, *ibid.* maximè excoluit Muſicen, Opticen, & Mechanicen, 85. b. deprehendit furtum in aurea regis corona, 63. b. 78 b. de ſpeculis ultoriis parabolicis ſcripſit, 98. a. poſuit operam in ſolſtitiis notandis, 114. b. ejus ſphæra vitrea, 154. a. cur non de Mechanice χειρουργικῇ ſcripſerit, *ibid.* triſpaſtum invenit, 157. a. ſcripſit Iſorrhopica, 158. b. 159. a. 161. a. b. quantus fuerit in ἱεροποιητικῇ, 153. b. quæ in Mechanicis reliquerit, qua in arte principatus ei debetur, 161. a. b. defenſus adverſus aliorum calumnias, *ibid.* ejus volutæ, 174. a. an Conica ſcripſerit, 78. a cur ſepulchro ejus ſphæram, & cylindrum, inciderint, 79. a
Archimedes Trallianus etiam Mechanica ſcripſit, 161. b
Architecto quæ ſcitu neceſſaria, 263. b
Architectura an Mechanices ſit pars, 157. a iſto nomine antiquiores omnes artes complectebantur, quæ inſtrumenta humanæ vitæ juxta matheſin extruerent, *ibid.* à Mechanice machinas ſuas accipit, *ibid.* & poteſt in eâ tradi, 158. b. ejus utilitas, 62. b
Archytæ duo, 213. b
Archytas Tarentinus artis canendi tibiâ gnarus, 18. a. Geometriæ cultor, 76. a quæ in Mechanicis reliquerit, 160. b ejus columba lignea, 154. a. an fabuloſa, *ibid.* Categoriarum autor, 213. b quæ ſcripſerit, *ibid.*
Ardices Corinthius pictor primus intus lineas ſpargere cœpit, ſine ullo etiamnum colore, 22. a. quando vixerit, 26. a
Areta, Ariſtippi Cyrenaici filia erudita, Ariſtippum filium Philoſophiam docuit, 34. b. ſucceſſit parenti in ſchola, 298. a
Aretæus Cappadox, medicus, 256. b. quando floruerit, *ibid.*
Argumentorum doctrinæ uſus maximus, 215 a
Arignote femina Dionyſii Tyranni geſta ſcripſit, 34. b
Ariſtæus ſenior geometriam excoluit, 76. a
Ariſtarchus proverbia collegit, 45. a
Ariſtarchus Grammaticus in Aratum commen-

mentatus eſt, 113. b

Ariſtarchus Samius quando vixerit, 114. a. terram moveri, ſolem non moveri, credidit, *ibid.* æqualis Archimedi, *ibid.* extſtat opus ejus de magnitudine, ac diſtantiis, Solis, & Lunæ, *ibid.* in Aratum commentatus eſt, 113. b

Ariſtides Thebanus pictor quando vixerit, 28. a. primus ἤθη expreſſit; & ad συμμετρίας præceſſit, *ibid.* ac ἐγκαυστικὴν primus docuit, *ibid.* vel potius auxit, 28. b

Ariſtides Quinctilianus de Muſica ſcripſit, 92. b

Ariſtippei Ramo dicti Matheſios contemtores, 64. a

Ariſtippus Sophiſta Matheſios contemtor, 63. b

Ariſtippus unus ex quinque Socratis diſcipulis, qui novæ hæreſeos eſſent auctores, Cyrenaicæ ſectæ conditor, 298. a. ſummum bonum ponebat in voluptate, *ibid.*

Ariſtippus μητροδίδακτος, 298. a. cur ſic vocatus, 34. b. 298. a. ſucceſſit matri Aretæ, *ibid.*

Ariſto Ceus auditor Lyconis Troadenſis, 307. b

Ariſto Chius, ut & Stoici nonnulli, ac Cynici omnes reſpuebant Logicen, 209. b

Ariſtodemus, qui hiſtoriam pictorum tradidit, quando vixerit, 29. b

Ariſtogenes Cnidius, medicus regis Antigoni Gonatæ, 254. b

Ariſtophanis Scholiaſtes reprehenſus, cum octo enumerat gymnica certamina, 11. b

Ariſtoteles emendatus, 7. a. optimâ methodo ſcripſit de virtutibus; ſed τὸ μεθοδικὸν meritò in eo deſideres, 38. a. primus in artem redegit Grammaticam, 41. a. ſcripſit de Proverbiis, 45. a. de Elocutione, 47. b. quomodo utatur vocabulo Dialectices, 61. b. ſæpe utitur exemplis Mathematicis, 62. a. Matheſin præmittebat philoſophiæ, 65. a. cur in organo ſuo tam ſæpe adducat exempla Mathematica, *ibid.* Geometriam excoluit, 76. a. ſcripſit de Muſica, 69 b. 181. a. de Opticis, 97. b. ac nova illius de cono viſivo ſententia, *ibid.* de Aſtrologicis, 113. a. de Mechanicis, 160. b. ac qui in hæc ſint commentati, 161. a. in generalibus conſiſtit, *ibid.* multa reliquit aliis perficienda, 160. b. bibliotheca ejus Romam tranſlata à Sylla, 161. a. in quo ab Archyta Tarentino in diſponendis Categoriis receſſerit, 213. b. quis dicatur à Tullio, 214. a. hujus & Theophraſti Acroamatica quamdiu delituerint, 217. b. princeps Peripateticorum, 304. b. à περιπάτῳ nomen habet, *ibid.* Ariſtotelici dicti ſunt Peripatetici ex Lycæo, ad diſcrimen Peripateticorum ex Academia, *ibid.* cujas fuerit Ariſtoteles, *ibid.* quando natus & mortuus, *ibid.* laus hujus quod non Philoſophiâ uſus ſit mythicâ, nec ſymbolicâ, *ibid.* cæteris fuit μυθολογικώτερος, 305. a magis quàm Plato excoluit ſcientiam naturalem, *ibid.* laborat gloriæ ſtudio vitio alios ſugillandi, *ibid.* libri hujus duplices, alii ἀκροαματικοί, alii ἐξωτερικοί, 305. b. qui ex diſcipulis illius dicti ſint ἀκροατικοί, *ibid.* omnem rejicit traditionem, *ibid.* bibliothecam ſuam Theophraſto reliquit, 306. a. is Neleo condiſcipulus, *ibid.* ab hoc eam mercatus Ptolomæus Philadelphus, *ibid.* Appellico Tejus poſtea emit, hic primus omnium αὐτόγραφα Ariſtotelis edidit, *ibid.* hoc defuncto Sylla Athenarum potitus Romam advexit, *ibid.*

Ariſtotelis Hiſtoria de Animalibus, 238. b. libri de Theologiâ, ſive myſticâ philoſophiâ ſecundùm Ægyptios, 168. b. accuratius de Deo ſcripſit, quàm Plato, *ibid.*

Ariſtoxenus Phrygiam Muſicam invenit, 19. a. omnem concentum ſenſu dijudicabat, 88. a. & qui de cauſâ, *ibid.* de Muſica ſcripſit, 92. a. Ariſtotelis fuit diſcipulus, ſed ingratus, 92. b

Ariſtyllus Calippi Cyziceni, & Timocharis, æqualis fuit, 113. b

Ariſtyllus major, & minor, in Aratum commentati ſunt, 113 b

Arithmetica tribuitur Phœnicibus, 283 b

Arithmetice eos, qui ſunt tardioris ingenii reddit ſolertiores, 61. b. neceſſaria eſt mercatoribus, & cauponibus, 61. b. Matheſios puræ pars eſt, 66. a. multum commune habet cum Geometria, *ibid.* unde dicta, 67. a. circa quid verſetur, 67. b. ejus dignitas, & utilitas, 68. a. multa ejus regulis etiam cognoſcuntur jucunda, utilia, neceſſaria in omni vitæ genere: ut in Architectura, Theologia, &c. 68. a. b. & 69. a. qui eam invenerint, 69. b. cur ante Geometriam diſcenda ſit, 70. b. parens & Geometriæ, & eâ eſt accuratior, *ibid.* diſcenda eſt ante Muſicam, & Aſtrologiam, *ibid.* Theoretica eſt, vel practica, *ibid.* quomodo veteres, quomodo recentiores eam diſtribuant, *ibid.* ejus ſcriptores, *ibid.* objectum quo differt à Geometria, 73. b. juncta cum Geometria, Muſice, & Aſtrologia, Coſmographia, & Mechanice viam ſternit ad Philoſophiam, *ibid.* & 74. a. mixta quomodo à nonnullis dividatur, 86. a. notas ejus debemus Arabibus, 71. a

Arithmetices ſcientiâ cur indigeat pictor, 23. b

Arithmeticus agit de numero integro, & fracto, 68. a

Ἀριθμὸς deſcendit ab ἄρω, 67. a

Armillâ æquatoriâ Tycho Brahe uſus eſt, & quando, 107. b. 108. a

Arnoldus de Lens ſcripſit Iſagogen in Geometrica elementa Euclidis, 176. b. ejus patria, *ibid.*

Arnoldus Pontacus caſtigationes addidit Chronico Euſebii, 54. a. quando præclarè ſit meritus de Chronologia, 197. b

Arrianus Chronologiam condidit, 118. b. ejus ætas, *ibid.* Cynicæ ſectæ indolem egregiè expreſſit, 308. a

Arrianus Nicomedienſis, Epicteti diſcipulus, quæ in Geographicis ſcripſerit, 50. b

Arruntius Græcè de aſtris ſcripſit, 118. b

ars effodiendi metalla, ſive μεταλλευτική, 264. a. hujus origo, *ibid.*

ars militaris, ſive πολεμική, 263. a. in hac ſcientiâ Matheſios maximus uſus, 263. a

ars nautica, 263. b. in hac attendimus ναυπηγικὴν, & ἱστιοδρομικήν, ſive velificatoriam, *ibid.* hanc artem quis primus invenerit, *ibid.* & 264. a. Aſtrologiæ ὑπάλληλος eſt, *ibid.* bifariam hæc ars intelligitur, quatenus eſt ſpeculativa, vel practica, *ibid.* hujus artis uſus, *ibid.*

artem ſcribere aliud eſt, quàm de arte ſcribere, 72. b

Artemidorus Epheſius quæ, & quando in Geographicis ſcripſerit, 50. a. quando periplum ſcripſerit, 146. a. 199. b

Artemon librum compoſuit de Pictoribus, 29. b

artes omnes ad quatuor revocantur genera, & quæ ſint illa, 1. a. cum claſſibus Romanorum conferri poſſunt, *ibid.* liberalium aliæ liberaliores ſunt aliis, 1. b. viles, ac mercenariæ, quæ nullum animi ſtudium requirunt, in quo occupentur, *ibid.* cur non ſint ſimpliciter viles, 2. a. ſanctificavit eas Chriſtus, *ibid.* rectiùs vulgares eas dixeris, *ibid.* niſi comparatè eas illiberales, ac viles voces, *ibid.* cur ingenuo homine exiſtimentur indignæ, *ibid.* liberales verò etiam redduntur illiberales, ſi quis in iis modum non ſervet, *ibid.* quæ propriè liberales dici poſſunt, alii in tres dividunt partes, 32. b. alii in quinque, *ibid.* pleniùs tamen diſtribuuntur in doctrinam verborum, & rerum, ut hæc ſit vel memoriæ, vel phantaſiæ, vel rationis, vel revelationis, *ibid.* rectiſſimè verò in tria diſciplinarum genera eas diſpeſcas, *ibid.* ut aliæ ad Philoſophiam viam parent, aliæ ejus ſint pars, aliæ comites, 33. a. illæ quàm variè nuncupentur, *ibid.* earum ex Seneca diviſio, 33. b. rudimenta noſtra ſunt, non opera, eoque damnandi, qui modum in iis non tenent, *ibid.* earum laus, ac neceſſitas, 34. a. ad eas uterque ſexus admittendus eſt, 34. b. at tamen non temerè omnes, cujuſcunque ſint ſexus, 37. a. b. earum difficultas; quia commune quoddam habent vinculum, 38. a. b. non omnibus accuratè cognoſcendis ſufficit vita humana, 38. b. methodo, ac modo, in iis opus eſt, *ibid.* & 39. a. ſellulariæ ratione alicujus partis tantum Mechanicæ ſunt ὑπάλληλοι, 158. a. poſſunt tamen in Mechanice tractari, 158. b. quomodo doceantur, 218. a. liberales vulgò ſeptem, 241. b

Artium definitiones variæ, 207. b. deque iis ſententiæ Scaligeri, *ibid.*

Artorius Muſa, medicus, 256. a. cum Auguſtum morbo ancipiti liberaſſet, ſtatuam juxta Æſculapium promeruit, *ibid.*

Arvales Socii qui, 97. b

Arzahel Hiſpanus quando vixerit, 121. a. de obliquitate Zodiaci ſcripſit, *ibid.*

Aſclepiades de Gymnaſtica ſcripſit, 12. b. Diotimi filius, Myrleâ Bithyniæ urbe oriundus, quando claruerit, 255. a. hic, rejectâ Hippocraticâ medendi ratione, (eam *mortis meditationem vocans*) novam ſectam condidit, *ibid.*

Ἀσκληπιὸς nomen unde videatur arceſſendum, 252. a

Aſclepius Trallianus Ammonii diſcipulus & celebris Arithmeticus, 71. b

Aſiaticum, ſive Ionicum, picturæ genus, 27. b

aſinus Naupienſibus dicitur oſtendiſſe ἀμπελοτομίαν, & cur ei imponatur Silenus, 13. b

aſſa vox quid, 91. a

aſſidui qui dicti Romanis & cur ſic dicti, 1. a

Aſſyrii invenerunt panduram, 89. b

Aſtrologi memoriæ cauſſâ ſtellarum figuras & nomina, invenerunt, 113. b

Aſtrologia nautica quid, 62. b. divinatrix generalis quid agat, & quid ſpecialis, 108. b. aliter aliis dividitur, *ibid.* qui refutantur, 109. a. tardiùs eam didicerunt Græci, quàm Aſtrologiam meteorologicam, *ibid.* Cur Ἀποτελεσματικὴ ſit dicta, 131. a. aliàs παθητική, *ibid.* cur Phyſices potius, quàm Aſtronomiæ, pars, 131. a. quæ docet, Phyſicis rationibus non Mathematicis, demonſtrat, 131. a. indiget Aſtronomiæ ſcientiâ, *ibid.* partes ejus duæ, ὀνοματική, quæ de vocabulis artis agit, & ἀποτελεσματική, quæ futura prædicit, 131. a. b. per hanc vel eclipſes, ventum, &c. prædicimus, *ibid.* vel fortunam tum urbium, ac regionum, *ibid.* tum ſingulorum hominum, *ibid.* quibus tertium addunt nonnulli, *ibid.* illa verò in Canonicam, & Thematicam ſubdividitur, *ibid.* impia tota eſt, & adverſatur SS. literis, 133. a. quibus adſentiunt Patres, experientia, & ratio ipſa, 133. a. b. 134. a. b. 135. a. b. 136. a. qui eam impugnârint, 135. b. an medico ſit neceſſaria, 247. a

Aſtrologiæ, & Aſtronomiæ, vocabula à veteribus confuſa, recentiores diſtingunt, 100. b. illa quid ſit propriè, *ibid.* quid contempletur, *ibid.* & quomodo id corpus naturale conſideret, *ibid.* quod corpus cæleſte tantum eſt, 101 a. differt à Phyſice modo conſiderandi, *ibid.* nobilitas ejus ex ſubjecto, quod eſt corpus cæleſte, & ratione ejus formali, cognoſcitur, *ibid.* & 101. b. argumenta ejus certiora ſunt, quàm Phyſices, *ibid.* ex-

coluerunt eam Reges, *ibid.* ad pietatem confert, & modeſtiam, 102. a. uſus ejus in Politia omni, Oeconomica, Agricultura, ſacris ceremoniis, Medicina, Poëtica, Meteorologice, Geographia, Chronographia, Optica, Hiſtorica, 102. b. 103. a. b

Aſtrologiæ difficultas colligitur ex diſſenſu ſummorum virorum ſuper variis, 103. b. quòd multis ſcientiis indigeat, ut Aſtrologicis hiſtoriis, *ibid.* Phyſicis, *ibid.* Opticis, 104. a. Arithmetice, & Geometria, *ibid.* inventio ejus Muſarum uni tributa, *ibid.* quo pacto reperta ſit, *ibid.* ejus hiſtoria quare ſit prior ejus ſcientiâ, *ibid.* ante diluvium inventa eſt, *ibid.* ab ipſo Adamo, 104. b. & ejus dein poſteris, *ibid.* poſt diluvium à Chaldæis primùm exculta, *ibid* & 105. a. atque inter eos ab Abrahamo, *ibid.* à Thare, *ibid.* à poſteris Noachi, 105. b. à Chaldæis eam didicere Ægyptii, *ibid* & 106. a. periti ejus fuere Arabes, 106. b. an ab Æthiopibus Ægyptii, ab his Chaldæi eam didicerint, *ibid.* quæ ſic propriè junioribus dicatur, 107. b. ejus ſumma utilitas in re nautica, 103. a. an Medicinæ ſit pars, 103. b. ejus inventor, 104. b

Aſtrologicæ hiſtoriæ quæ, 103. b. 104. a. ſectæ Barbaris tres, 107. a. quartam addidit Julius Cæſar, *ibid.* tabulæ quando in Perſia ſint conditæ, 121. a

Aſtronomi ipſi multa ſidera ignorant, 134. b

Aſtronomia orta, computatrix dicta, quid exponat, 108. a. vel theorica eſt, quæ agit de partibus temporis, *ibid.* vel practica, quæ dividitur in canonem Mathematicum, qui conſtituit ſyſtema annorum, 108. b. & Kalendarium, quod menſes, dieſque aſtronomicos digerit, *ibid.*

Aſtronomiæ & Aſtrologiæ vocabula à veteribus promiſcuè ſumpta à recentioribus diſtinguuntur, 100. b. Aſtronomia quid ſit, *ibid.* ejus partes ſunt duæ, μετεωρολογικὴ, & ἀποτελεσματικὴ, 107. b. quæ Aſtronomia dicatur junioribus, *ibid.*

Aſtronomicæ tabulæ hodie certiores, quàm olim, 137. a

Athanaſius Kircherus quando ediderit ſuum Magnetem, 205. b

Athelardus Bathonienſis quando Euclidis Geometriam ex Arabico tranſtulerit; de Aſtrolabio, & de aliis, ſcripſerit, 80. b. 121. a. b

Athenæus, qui de Machinis bellicis ſcripſit, an ſit Archimedis Syracuſani æqualis, 161. b. 162. a. quando vixerit, & an Harpocrationem exſcripſerit, 44. b

Athenienſis porticus, ποικίλη dicta, à quo picta ſit, 26. b

Athenienſium de excolenda Muſica edictum, 89. b. intercalationis curam committebant Hierophantis, 137. b

Athletæ Græci toti erant nudi, Romani pudenda tegebant, 4. b. robur iis magis conducit, quàm agilitas, 5. b

Athleticus habitus ne quidem firmatiori ætati conducit, ſi quis ad civilia munera enutriatur, 7. a

Athothis, ſecundus rex primæ dynaſtiæ Thinitarum apud Ægyptios medicus fuit, 252. a. reliquit libros de Anatomiâ, *ibid.*

Atilius Fortunatianus de arte metrica ſcripſit, 48. b.

Atlas Mauritaniæ Rex ſphæræ inventor, 106. b. unde ſic dictus, *ibid.* quando vixerit, *ibid.* an idem, qui Enoch, 104. b. 107. a. ejus Aſtrologia cur à Græcis, & Romanis, ſit præterita, *ibid.*

Atlantidem Platonis eandem dixeris, quæ nobis America, 145. a. non eſt fabula, *ibid.* & 145. b. non tam eſt abſorpta à mari, quàm ejus violentiâ à noſtro orbe divulſa, 145. a

Atoſſa, Perſiæ Imperatrix, prima docuit epiſtolas ſcribere, 35. a

Attalus Rhodius in Aratum commentatus eſt, 114. a

Aubertus Miræus quando rerum Belgicarum Chronicon ediderit, 198. a

Avenroes, Ariſtotelis interpres, κατ᾽ ἐξοχὴν dictus Commentator, 307. a. quando & ubi floruerit, *ibid.*

Averroes quando vixerit, 121. b. epitomen edidit magnæ Conſtructionis Ptolomæi, *ibid.*

Averroes Cordubenſis, quando claruerit, 261. b. cognomento *Commentator*, *ibid.* fuit medicus Memarolini regis, *ibid.*

augur, quaſi Aviger, 277. b

Auguſtini Logica laudatur, 216. a

Auguſtinus, Peripateticos ſecutus, negat, Matheſin eſſe partem Philoſophiæ, 64. a. ejus de Arithmetices in Theologia utilitate dictum, 96. a. ſcripſit de Muſica, 92. b

Auguſtinus Torniellus quando Annales Sacros, & Romanos, ediderit, 198. a

Auguſtus Cæſar quomodo corpus exercere ſit ſolitus, 7. a

Auguſtus Epocham Julii Cæſaris à Pontificibus corruptam emendavit, 118 b

Avicenna Arabicè editus Romæ juſſu Sixti V. 83. a *vide* Aboali Abinſceni.

Aurelianus Rhemenſis quando *Tonarium regularem* ſcripſerit, 181. a

Aurelius Caſſiodorus quando de diſciplinis Mathematicis ſcripſerit, 80. a. 92. b. 119. a

Aureus numerus, ſive circulus decem-novennalis, à quo inventus, 111. a

Auſtralis continens, veteribus, & nobis, incognita, Magellanica à Ferdinando Magellano dicta eſt, 145. b. qui eam adierint, *ibid.*

Autolycus quando vixerit, 113. a. ſcripſit de ſphæra, quæ movetur; & de ortu, ac occaſu ſiderum inerrantium, *ibid.* Arceſilai Seuthi præceptor fuit, *ibid.*

Αὐτόματα vel moventur per aëra, 154. a. vel per nervos, & funes, 154. b. vel per ea quæ vehuntur in aquis, *ibid.* quæ Hydraulica dicuntur, *ibid.*

Αὐτοματοποιητικὴ pars Mechanices, 154. a

Autores Græci, & Latini, qui, & quando, legendi, 46. a. b. quidam recenſentur qui de Architectonicâ commentarios reliquêre. 263. b

Αὐτὸς ἔφα quis primus dixerit, 179. b

B.

B Litera multis in vocibus olim omiſſa, 67. a

Babylonii primi poſt cataclyſmum Aſtrologi, 104. b. 105. a. nimii tamen jactatores ſunt, *ibid.* an eam ab Ægyptiis didicerint, 105. b. 106. a. obſervationes eorum multò præcedunt Alexandrum: eoque antiquiores ſunt Ægyptiorum obſervationibus, *ibid.*

Bacchius de Muſica ſcripſit, 92. b

Bacchylus quando de tempore celebrandi Paſchatis ſcripſerit, 194. a

Bacharius Maccæus quando de prognoſticis nativitatum ſcripſerit, 184 b

Bacius Bandinellus elegans ſuperioris ſeculi pictor, 30. b

Baco Palæſtinam deſcripſit, 149. a

Bactriani cum Chaldæis primi Aſtrologiæ excult ores, 105. b

baculum Bombardicum, quis, & quando, invenerit, 204. a. b

Bagdadinus, *vide* Mahometus Bagdadinus.

balnea decimus locus in Gymnaſio, ubi nunc calidâ, nunc frigidâ, lavabantur, 5. b

Bandoninia, S. Radegundis alumna, quid ſcripſerit, 39. a

Barbarica Philoſophia, quæ, 281. a

Barbaris tres fuere ſectæ Aſtrologicæ, 107. a

Barlaamus Græcè de Algebra, quam Logiſticen Aſtronomicam vocat, ſcripſit, 86. b. autoris ætas, *ibid.* ſcripſit etiam de Arithmetica, 169. a. de Geometria, 175. a. de tempore celebrandi Paſchatis, 194. b

Baronii hiſtoria Eccleſiaſtica cum judicio legenda eſt, 58. a

Bartholomæus Amantius juvit Petrum Apianum in opere Inſcriptionum orbis, 148. a. b

Bartholomæus Cavalcantius ſcripſit de ratione illâ metandi caſtra, quæ eſt apud Polybium, 204. a

Bartholomæus Keckermannus ſcripſit de re nautica, 205. a. ſcripſit ſyſtema Geographicum, 150. a. b

Bartholomæus Pithiſcus, quid, & quando, in Geometricis ediderit, 83. b. in Aſtronomicis, 128. a. in Geodæticis, 100. a. in Geographicis, 150. b. in Mechanicis, 167. a

Bartholomæus Sculterus quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 191. b

Bartholomæus Veſpuccius quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 188. a

Bartholomæus Zambertus Venetus Euclidem ex Græco fonte vertit, 81. b

Bartholus ætate ſenili literis Hebraicis immortuus eſt, 38. a

Baſilius Patricius naumachica ſcripſit, 163. b

Bathyllus Alexandrinus Saltationis Italicæ inventor, 18. b

Beda venerabilis quando vixerit, 119. b. quid ſcripſerit in Aſtrologicis, *ibid.* quid in Muſicis, 92. b. in Chronologicis, 139. b. in Gegraphicis, 149. a. in Arithmeticis, 169. a. an autor ſit libri *de locis Sanctis*, 51. b

Benedictus Arias Montanus quando Antiquitates Judaicas ediderit, 150. a. quid in Mechanicis præſtiterit, 166. a. quid in Chronologicis, 196. b

Benedictus Florentinus quando Arithmeticam ſcripſerit, 170. a

Benedictus Herbeſtus quando ediderit computum Eccleſiaſticum, 175. b. quæ ediderit in Arithmeticis, 171. b

Benedictus Pererius laudatus, 66. b

Benjamin Urſinus quid, & quando, in Arithmeticis præſtiterit, 173. a

Benjamini Tudelenſis Itinerarium quando ſcriptum ſit, 52. a

Ben-Muſa Arabs de figuris planis, & ſphæricis, quando ſcripſerit, 175. b

Bernardinus Baldus quæ, & quando, in Geographicis ſcripſerit, 184. a

Bernardinus Salinus ſcripſit problemata Aſtronomica, & alia, 129. a. ejus ætas, *ibid.* ac de menſuris Geometricis, 177. b

Bernardus Breitenbachius quando Itinerarium terræ ſanctæ ſcripſerit, 149. a 201. a

Bernardus Gualterus, Regiomontani diſcipulus, doctrinam Retractionum tradidit, 114. b. ejus ætas, *ibid.*

Bernardus Salignacus quæ, & quando, in Arithmeticis ſcripſerit, 171. b

Berno quando de Muſica, & ejus inſtrumentis, ſcripſerit, 181. a

Beroſo ab Athenienſibus ob divinas prædictiones aurea lingua poſita, 282. a

Beroſius hemicyclium excavatum ex quadrato, ad enclimaque ſucciſum invenit; Athenienſes ei ob prædictiones ſtatuam inaurata lingua in Gymnaſio poſuere, 183. b. ejus ætas, *ibid.*

Beſeleel deſignatus à Deo tabernaculi architectus, 22. a

Beſſario Cardinalis, Platonicus, 304. a

Bethem Arabs quæ in Aſtrologicis ſcripſerit, 187. a

Bias Prienenſis quot verſus de Ionia fecerit, 199. b. ejus ætas, *ibid.*

Bilibaldus Pirchaimerus quando Geographica ſua ediderit, 148. b

Bion Abderita, primus docuit regionem eſſe, ubi ſex menſibus dies, ac totidem nox eſſet, 295. b

Bithon

Bithon ſcripſit de arte militari, 163. b. quando vixerit, *ibid.*

Blaſius Pelacanus Aſtrologica, & Optica, ſcripſit, 98. a. ejus ætas, *ibid.*

Bodinus iniquè Joannem Baptiſtam à Porta, ut magum veneficum, inceſſit, 128. b

Bœoti literas habent à Cadmo Phœnice, ac Arcades inſtruxere, 3. b

Boëthius laudatus, 36. a

Boëthus in Aratum ſcripſit commentaria, 114. a

Bonaventura Gavallierus præcellens Geometra quid ſcripſerit, 84. a. 178. b

Brachmanes πολυγαμίαν ſtatuebant, 283. a

Brenlanlius Britannus de Aſtrologorum prænotionibus quando ſcripſerit, 185. a

Britannia, tardè Romanis cognita, novus orbis ipſis dicebatur, 145. a

Βρυαλλίχα, ſaltationis bellicæ genus, 9. a

Bryſo quo conatu quadraturam circuli invenire ſtuduerit, 174. a

Buddes, Brachmannorum unus, ſectæ ſuæ conditor, 283. a

Bularchus pictor quando vixerit, 26. a

Bulcaſis Benaberazerin, medicus Arabs: quando claruerit, & quid ſcripſerit, 261. b

Burchardus Dominicalis Palæſtinam deſcripſit, 149. a

Burchardus Mithobius Stereometriam ſcripſit, 176. b

Burdigalenſe itinerarium quando ſcriptum ſit, 55. a

Burdigalenſis itinerarii vetus ſcriptor, 147. a. quando illud ſit ſcriptum, & à quo primum editum, 202. a

C.

Cadmus non eſt hiſtoriæ inventor, 49. a. ejus ætas, *ibid.*

Cadmus Phœnix, Thebanæ in Bœotia arcis conditor invenit literas, atque eas Bœotis oſtendit, 3. b

Cæcilia, Thomæ Mori filia, literas excoluit, 37. a

Cæſaris Bullingeri lapſus, exiſtimantis Venerem à Zeuxe pictam, 24. a

cæſius color ſit ex albo, & cæruleo, 25. b

Cæſius Baſſus de arte metrica ſcripſit, 48. b

Calaces picturam ad humiliora revocavit, 29. a

Calepinus varia à variis accepit incrementa, 44. b

Calippi periodus quando cœperit, 113. a. ejus æquales, 113. b

Callias Athenienſis autor tragœdiæ, quæ Grammatice dicta eſt, 2. b

Callicratidæ ad Argenuſas pugnaturi dictum, 8. a

Callides picturam ad humiliora revocavit, 29. a

Callimachus Cyrenæus in Aratum commentatus eſt, 114. a

Calliphron Epaminondam ſaltare docuit, 10. b

Calliſtratus de arte pingendi ſcripſit, 29. b

Calliſtratus Tenedius in Aratum commentatus eſt, 114. a

Callixenus pictorum, & ſtatuariorum, deſcriptionem reliquit, 29. b

Camerarius laudatus, 73. a. *vide* Joachimus Camerarius.

Camillus antè Caſmillus dictus, 67. a

Campani Mathematici duo, 80. b

Campanus Gallus Mathematicus quando vixerit, 80. b

Campanus Novarienſis quando vixerit, 122. a. quæ in Aſtrologicis ſcripſerit, *ibid.*

Campaſpe Alexandri M. pellex, ad cujus exemplum Apelles fecit Venerem ſuam ἀναδυομένην, 28. b

canere quid ſit propriè, 18. a

Canonica Epicuri doctrina, 206. b. 211. a

Canonice quid ſit, & an rectiùs conveniat arti Muſices, quàm vocabulum Muſicæ, quod latiùs patet, 13. a

Capitecenſi qui dicti olim Romanis, 1. a. unde ſic dicti, *ibid.*

Capito Lycius deſcripſit Lyciam, & Pamphiliam, 200. a

captiones mentientis, fallentis, involutæ, cornutæ, calvæ, unde & à quo, 215. a

Cardanus C. Plinium Secundum tantum habuit pro Grammatico, 256. b. hoc non tam Pliniano, quàm ſuo detraxit nomini, *ibid.*

Carneades Academicus, Logicen à Diogene Stoico didicit, 215. b. ejus ludicrum de præceptore ſuo Diogene Babylonio, 216. a

Carneades Cyrenæus tertiæ Academiæ conditor, 302. b. quid ſtatuerit, *ibid.* & 303. a. ſcripturus contra Zenonem caput helleboro albo purgavit, *ibid.*

Carolus Bovillus quæ, & quando, ſcripſerit in Geometricis, 81. b. in Opticis, 182. b. in Arithmeticis, 170. a

Carolus Geſualdus Princeps Venuſinus Muſices amator, 182. a

Carolus Malapartius quando ſuam Arithmeticam practicam ſcripſerit, 173. a

Carpion ſcripſit de æde Dorica, quæ Athenis in arce fuit, 203. a

Carpus falſus eſt, ſcribens Archimedem non reliquiſſe Iſorrhopica, 161. a. ſcripſit Aſtrologica, 184. a

Carthaginenſes Vaſtam inſulam extra Herculis columnas invenerunt, 145. a. quæ illa ſit, 245. b

Caſmenæ pro Camenæ antè dictum, 67. a

Caſpar Bachetus quando Diophantum illuſtrârit, 173. a. 178. b

Caſpar Peucerus quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 190. b

Caſparus Wazerus quæ, & quando, in Arithmeticis ediderit, 172. b

Caſſandra Fidelis quid, & quando, ſcripſerit, 36. b

Caſſiodori de primo Latinorum Arithmetices ſcriptore error, 72. a. *vide* Aurelius Caſſiodorus.

Caſſiodorus ſcripſit de ὀρθογραφίᾳ, ac emendatur, 41. b

Caſſius, qui Cæſarem ſuſtulit, Epicuri ſectam amplexus eſt, 297. b

Caſſius medicus ſub Tiberio claruit, 256. a

caſtrametatio, quid, 263. a

Categoriarum libri quis auctor, 221. a. ad Logicen pertinet, 221. b. cur & à quo Ante-Topica vocetur, *ibid.* eſt manuductio ad Logicen, *ibid.* qui in & contra Categoriarum librum ſcripſerint, 222. b. 223. a

catena unde dicta, 67. b

Catharina Alexandrina, virgo doctiſſima, quando vixerit, & quid præſtiterit, 35. a. b

Catharina, Angliæ Regina, matertera Caroli V. Imperatoris, quæ ſcripſerit, 36. b

Catharina Landa, femina erudita, laudata, *ibid.*

Catharina Senenſis, femina erudita, quæ ſcripſerit, *ibid.*

Cato Senex Græcas diſcebat literas, 38. a

Cato Stoicus, 311. a

Catoptrice quid ſit, & circa quid verſetur, 95. b. 96. a. Latinè eam Speculariam dixeris, *ibid.* quid in eâ noſſe oporteat, 96. b. ſub Optica continetur, 85. a

Cavitarius, Καβιδάριος, 268. a

Cecrops primus urbem condidit, 263. b

Cenſorinus de metris ſcripſit, 49. a. quando vixerit, 119. a. de die natali ſcripſit, *ibid.* de Muſica, 92. b. emendatus, 162. a

centenarii character apud Romanos antiquiſſimus, 70. a

centiloquium Ptolomæi eſt, non Hermetis, 132. a

Centrobarica quid ſit, 158. b. ab eâ dependent omnia, quæ Mechanice tradit, *ibid.*

Cephiſodorus, Iſocratis diſcipulus, cur Ariſtotelem de proverbiis ſcribentem reprehenderit, 44. b

Cerberus ab Hercule in lucem productus, quid ſignificet, 220. a

Cercyon luctator inclytus à Theſeo victus, 10. b

Ceres, quaſi Geres, Tellus, ſive vis Telluris, quæ fruges producit, 242. b

cernuare, & cernulare, quid, 8. b

cernui, & cernuli, qui dicti, *ibid.*

cervi Muſicâ capiuntur, 14. b

Chalcidius Platonicus, 303. b

Chaldæi, antiquiſſimum Doctorum genus, 281. a. eorum ſecta multiplex, 281. b. primi poſt Cataclyſmum Aſtrologi, 104. b. nimii tamen jactatores ſunt, *ibid.* & 134. b. eorum nomen pro Aſtrologis ſumitur, 105. b

Chamæleon Heracleota Lacedæmonios, ac Thebanos omnes, hortatus eſt, & permovit, ut tibiæ cantui operam navarent. 98. a

Chamæleon Ponticus exiſtimabat aves oſcines homini ad cantum præiviſſe, 13. b

Charidas de machinali arte ſcripſit, 162. a

Charmas pictor quando vixerit, 26. b

Χειρονομία eadem quæ Pyrricha. 9. a

Chemia, unde dicta, 248. a. hujus maxima utilitas, *ibid.* à quibus ad nos tranſierit, *ibid.* & 248. b. hujus partes ſunt duæ, 249. b

Chiromantia, 240. b. de hac qui ſcripſerint, *ibid.* eſt vanum quoddam ac ſuperſtitioſum divinandi genus, *ibid.*

Chiron Theſſalus, Achillis præceptor, Panaceæ inventor, 252. a

Chirurgice quomodo Geometriâ indigeat, 75. a. pars eſt Mechanices, 153. a. ejus partes, *ibid.* unde ſic dicta, 250. b. de hac qui ſcripſerint, 251. a

Chirurgi operatio quintuplex, 250. b

Choralis Muſice quid, 92. a

Chorographia quid, 143. b. ſub Geographia continetur, 50. a

Chriſtiani Apoſtolicis temporibus Muſicâ utebantur, 90. b. & cur, *ibid.* quomodo verò id fecerint, 91. a

Chriſtianorum recepta conſuetudo numerandi à Chriſto nato, vel circumciſo, 53. b

Chriſtianus Herlinus celebris Mathematicus, 98. b. ejus laus, *ibid.*

Chriſtianus Maſſæus quando emiſerit Chronicon ſuum ab orbe condito, & chronicon Cameracenſe, 140. a. ejus vita, 140. b

Chriſtianus Molitor quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 186. b

Chriſtianus Urſtiſius quæ in Arithmeticis ſcripſerit, & quos ſecutus ſit in iis, 171. b. quid in Aſtrologicis, 191. b

Chriſtiernus Morſianus quando emiſerit Arithmeticam Practicam, 170. b

Chriſtophorus Clavius quid in Arithmeticis ſcripſerit, 73. a. 171. b. in Geometricis, 83. b. in Aſtronomicis, 129. a. in Gnomonicis, 166. b. Calendarii Gregoriani eſt autor, 192. a. 197. a

Chriſtophorus Columbus prædictione Aſtrologicâ metum incuſſit Jamaicenſibus, 162. b. primus Americam adiit & detexit, 53. a. 144. b. 145. a

Chriſtophorus de Buondelmontibus quando de Geographia ſcripſerit, 200. b

Chriſtophorus Dibaudius quæ, & quando, in Arithmeticis ediderit, 172. b

Chriſtophorus Helvicus quando Syſtema chronologicum ediderit, 198. a

Chriſtophorus Longomontanus ſcripſit Aſtrologiam Danicam, 129. b. ejus ætas, *ibid.*

Chriſtophorus Rhotmannus obſervationes Aſtrologicas ſcripſit, 128. a. ejus ætas, *ibid.* ſcripſit de Cometa anni 1585, 192. a

Chriſtophorus Scheinerus ſcripſit de maculis ſolaribus, & Sole Ecliptico, 129. b. ejus ætas, *ibid.*

Chriſtus quando natus ſit, 139. b

Chronographia pertinet ad Geometriam hiſtoricam civilem, 178. a

Chronologia ad Hiſtoriam ſpectat, 49. a. multùm tractata, ſed necdum perfecta eſt, 53 b. cur ejus tanta ſit difficultas, 54 a. ſpectat ad Aſtrologiam, 136. a. quid ſit, *ibid.* Hiſtoriæ eſt oculus, *ibid.* eſt ſcientia, *ibid.* difficilis, *ibid.* quomodo ad mixtam Matheſin pertineat, 136. b. particulatim ὑπάλληλος eſt Arithmeticæ, *ibid.* & Aſtrologiæ, *ibid.* neceſſariæ ei ſunt tabulæ Aſtronomicæ, 137. a. neceſſaria eſt ad intelligendam S. Scripturam, *ibid.* ac profanam hiſtoriam, *ibid.* in omni vita, 137. b. vel computatrix eſt, quæ tempus præteritum, & futurum, computat; vel Chronologia preſſiùs dicta, Aſtrologiæ ὑπάλληλος, *ibid.* quæ tum ἀποτελεσματικὴ, exponens τεχνικά: tum ἱστορικὴ, tradens ἱστορίαν ex cœleſtibus indiciis, 138. a. vel collectim, vel per annos extenſos, *ibid.* computatrix rectè dividitur in Supputatricem, & Computum, 137. b. utriuſque definitio, & diviſio, *ibid.* 99. a.

Chronologus indiget Aſtrologiâ, 103. b. quid ſcire debeat, 53. b

Chryſippus Cleanthis diſcipulus, 215. a. 310. b. hujus encomium in Logicis, 215. b. natus Solis, oppido Ciliciæ, 310. b. *Cheſippus* à Zenone, *Cryſippus* contumelioſè à Carneade appellabatur, *ibid.*

Chryſippus medicus quando floruerit, 254. a

Chryſopœïa, 264. a. hanc quidam malè partem faciunt Alchymiæ, 264. b. hujus finis, *ibid.*

Chymices, & picturæ, affinitas, 24. b

Cicero ſtatuit, mutatâ Republicâ mutari Muſicam, et non vice verſâ, 20. a. explicatus, 30. a. de Elocutione ſcripſit, 47. b. & de claris oratoribus, 55. b. Aratum latino reddidit carmine, 118. b. cur Stoicos potiſſimum ſequatur, 216. a

Cimon Cleonæus pictor, qui catagrapha invenit, ac alia; quando vixerit, 26. b

Cinæthenſes Arcadum cur ita à Muſica fuerint alieni, 16. a

Cineas Theſſalus in epitomen redegit Æneæ Tactica, 192. b

Cineraceus color fit ex albo, & nigro, 25. b

Circulus Geometricus non ineſt materiæ, 60. a

Claudii Galli hydraulium, 155. a

Claudius Ælianus, cujus ſuperſunt Tactica, quando vixerit, 162. b. ſcripſit etiam de urbium obſidione, *ibid.*

Cl. Bartſchius quid in Arithmeticis præſtiterit, 173. b

Claudius Buxerius quando ſuam rhythmomachiam ſcripſerit, 171. a

Claudius Hardy quando Data Euclidis ediderit, 178. b

C. Mydorgius præcellens noſtri ſeculi Geometra, 84. a

Claudius Ptolemæus quando vixerit, 116. a. non fuit idem, ac Ægypti Rex, *ibid.* in doctrina ſiderum primas tenet, *ibid.* ejus laus, *ibid.* ejus μεγάλη σύνταξις, *ibid.* cui junge Theonis Alexandrini commentaria, *ibid.* ejus μικρὸς ἀστρονόμος, *ibid.* & 116. b. Φάσεις ἀπλανῶν ἀστέρων genuinæ, & ſuppoſititiæ, *ibid.* omnes juniores uſque ad Copernicum eum ſunt ſecuti, *ibid.* ejus Geographica, 146. b. ſcripſit etiam de Analemmate, 163. a. & de aliis. *ibid.*

Claudius Richardus excellens Geometra quid ſcripſerit, 84. a

Claudius Dauſquejus ſcripſit de ὀρθογραφίᾳ, 41. b

Cleanthes Zenonis diſcipulus, 215. a. hujus ſcripta, *ibid.*

Cleanthes Corinthius picturam linearem invenit, 22. a. ejus ætas, 26. a

Cleanthes Aſſius Zenona Citticum audivit, 310. a. Δεύτερος Ἡρακλῆς, item Φρεάντλης dictus, *ibid.* huic à Senatu Romano Aſſi ſtatua poſita, *ibid.*

Clearchus Solenſis, Ariſtotelis auditor, de proverbiis ſcripſit, 45. a

Clemens Langthonienſis quando vixerit, 121. b. ſcripſit de orbibus cæleſtibus, *ibid.*

Clemens Alexandrinus Potamonis philoſophandi genus probavit, 314. a

Cleomedes quando vixerit, 117. a. ejus κυκλικὴ θεωρία μετεώρων, *ibid.* Muſica, 92. b

Cleonides de Muſica ſcripſit, 180. b. ætas ejus incerta, *ibid.*

Cleophantus Corinthius primus teſtâ tritâ coloravit picturas, 22. a. quando vixerit, 26. a. cum Demarato, Tarquinii Priſci patre, ivit in Italiam, *ibid.*

Cleoſtratus Græcis octaeteridem introduxit, 112. a. quæ poſtmodum tamen rejecta eſt, *ibid.*

Climitonus Langlejus de orbibus Aſtrologicis ſcripſit, 123. b. ejus ætas. *ibid.*

Clinias Pythagoricus, ſi quando excanduiſſet, lyrâ aſſumptâ, canere ſolebat, dicens, *Miteſco*, 16. a

Clitarchus de verborum proprietate, ac origine, ſcripſit, 44. b

Clitomachus Thurius Euclidis auditor, 299. a

Clitomachus Carthaginienſis ſucceſſor Carneades, 303. a. in hoc ſucceſſio novæ Academiæ deſiit, *ibid.*

Cliton primus in pictura mores docuit, 26. a

C. Fabius, Marci filius, ædem ſalutis pinxit, indeque *Pictoris* cognomen familiæ intulit primus, 30. a

codex provincialis Romanus quando conſcriptus ſit, 200. b

cœlatura eſt pictura quædam, ac Trojanis temporibus, & antè, fuit, 21. b. picturâ ſtrictius acceptâ non poteſt eſſe vetuſtior, 22. a. ejus, & picturæ, affinitas, 24. b. difficilior eſt quàm ſculptura, 268. a

cœli temperamentum variat mores hominum, nec tamen niſi univerſalis cauſſa eſt eventuum, 134. b. an cœlorum motus inter ſe ſint commenſurabiles, 134. a. b

Cœlius, quem defendit Cicero, ſaltandi peritus, 18. b

Cœlius Aurelianus Siccenſis, medicus; quando floruerit & quid ſcripſerit, 257. a

cœlum *organum Dei* dictum, eò quòd illius motus, ex Pythagoreorum ſententia, ſonum excitet ſuaviſſimum, 13. a

coloratio in pictura delineationi ſuccedit, ac Rhetorica picturæ dici poſſit, 26. a

colores quando, & à quibus primùm picturis ſint adhibiti, 22. a. b. decem hodie palmarios habent pictores, 22. b. & 25. b. continentur ſub iis tum lumen, atque umbra; tum ſplendor, & tenebræ, 25. a. eorum nomina diſcenda ſunt, priuſquam manus admoveatur tabulæ, &c, quomodo terantur, diluantur, ac miſceantur, ſcire convenit, 25. b. quatuor præcipui ſunt, *ibid.* ex quorum mixtura fiunt cæteri, *ibid.* ubi quis colores, & eorum mixturam, didicerit, pingere, atque artificem optimum ob oculos ponere debet, *ibid.* eorum mixturæ cur Græcis φθοραὶ *corruptiones*, dicantur, 26. b. reales alii, alii intentionales, 93. b. 94. a. illorum, & lucis diſcrimen, 94. b

coloſſi Rhodii quæ fuerit magnitudo, 68. b

columnæ poſteriorum Adami lateritia, & lapidea, 104. b

Complutenſis Academia primum erecta à Franciſco Ximene Cardinale S. Balbinæ, 81. b

computatricis, & computi, diſcrimen, 108. b. utriuſque diviſio, *ibid.*

concentûs quot veteribus ſint genera, 88. b

conceptûs tempus an exactè ſciri poſſit, 134. a

coniſterium quincta gymnaſii pars, ubi pulvere aſpergebantur Ægyptio, 5. b. malè per illud ἀποδυτήριον, ſive *ſpoliarium*, intelligit Perottus, *ibid.*

Conon Mathematicus, Archimedis æqualis quando claruerit, 114. a. comam Berenices ſideribus intulit, *ibid.* volutam reperit, 174. a

Connus Socratem ſenem fidibus canere docuit, 20. b

Conradi Geſneri error in ætate Pachymeris, 72. a. Euclidis, 77. a

Conradi Peutingeri tabulæ, poſt Ptolemaicas ab Agathodæmone ſcriptas, omnium ſunt antiquiſſimæ, 52. b

Conradus Daſypodius quando, & quid, in Geometricis ediderit, 83. a. quid in Opticis, 98. b. quid in Aſtronomicis, 126. a. refellitur, 60. b. 70. b

Conradus Hirſaugienſis de Muſica, & ionis, quando ſcripſerit, 181. b

Conſtantinopolis quando capta ſit. 136. b

Conſtantinus Cæſar non alio æquè certamine capiebatur, ac pugilatu, 11. a

Conſtantinus Porphyrogennetus Tactica ſcripſit, 163. b

Conſtantinus Africanus, 262. b. de hujus ætate, ſcriptis, vitâ, *ibid.*

continentes tres veteribus ſolùm notæ fuerunt, 52. a

Contrapunctiſtarum errores, 93. b

Corinthii quomodo primùm pinxerint, 22. a

Cornelia, Metelli Scipionis filia, Muſicis fuit exculta, 17. b

Cornelia, Gracchorum mater, erudita femina, 35. a

Cornelius Fronto de verborum originibus ſcripſit, 44. a

Cornelius Benignus quando operam navârit in corrigenda Ptolomæi Geographia, 201. b

Cornelius Blaeu G. F. quid, & quando, in Geographicis præſtiterit, 151. b

Cornelius de Iode quando Introductionem Geographicam divulgârit, 202. b

Cornelius Gemma ſcripſit de ſtella anni 1574. 191. b

Cornelius Kempius quando de Friſia ſcripſerit, 202. b

Cornelius Valerius quando Aſtronomiæ præcepta ſcripſerit, 191. a

Cornelius Celſus medicus, 256. a. *Latini Hippocratis* nomen eſt conſecutus, *ibid.*

Cornificia, Cornificii poëtæ ſoror, multa epigrammata reliquit, 35. a

corporis habitus in robore, & agilitate, conſiſtit, 5. b

corpus cœleſte Aſtrologiæ ſubjectum eſt, 101. a

Coſmetice ad Medicinam etiam pertinet, 250. a. non debet reprehendi, ſi quis bene utatur, *ibid.*

Coſmographia quid ſit, 100. b. quomodo Geometriæ, & Arithmeticæ, ſubalternetur, 100. b. quibus cognitione eſt poſterior, *ibid.* non eſt, ut viſum multis, pars Matheſios, ſed magis ad Phyſicen referenda eſt, *ibid.* comprehendit Aſtronomiam, & Geographiam, *ibid.* ex Geometria originem ducit, & perficitur ab Arithmetica, 85. a

Crantor Solenſis ſucceſſor polemonis, 302. a. primus omnium in Platonem commentatus eſt, *ibid.*

Craſſus quomodo à Parthis victus, 20. a

Craterus medicus, quando claruerit, 256. a

Crates Aratum commentario illuſtravit, 114. a. Geometra fuit, 175. a. ætas ejus incerta, *ibid.*

Crates Athenienſis ſucceſſit Polemoni, 301. a

Crates Thebanus audiit Diogenem Cynicum, 308. a

Cretenſes cur ſervis interdixerint Gymnaſiis, 7. b. pueros Pyrricham docebant, 9. a

Critice, 276. a. hujus finis, 276. b. officium & munus, *ibid.* hoc ſtudium in magno pretio fuit apud Græcos & Romanos, *ibid.* hujus utilitas, *ibid.* quid in Criſi cavendum, 277. a. non eſt Grammatices pars, 47. a. 48. b
Critices appellatio, unde, 213. b
Crito medicus, Acronis Agrigentini diſcipulus, 253. b. hujus ſcripta, *ibid.*
Critolaus Phaſelites auditor Ariſtonis Cei, 307. b
Cronius de Platonicæ Philoſophiæ principiis ſcripſit, 301. b
Cteſias Cnidius Artaxerxis medicus, 254. a
Cteſibius Hydraulicen invenit, 17. b. de machinali arte ſcripſit, 162. a. ejus ætas, *ibid.* alius eſt à Cteſibio Hiſtorico, *ibid.* ſcripſit etiam de Geodæſia, 100. a
Cteſiphon ſcripſit de ſtructura Ionica Dianæ Epheſiæ, 203. a
cubi duplicatio ab Eratoſthene inventa, 63. b
cubiti menſura quæ, 99. a
cuborum, & aleæ ludus à Palamede inventus, 69. b
currus velivolos invenit apud Batavos Simon Stevinus, 177. a
curſores habuere endromidas, 8. a. à liene, & zona ipſis impedimentum erat, *ibid.* quare dein nudi curſitârint, *ibid.* aperto certabant capite, 10. a. eorum locus in porticu, 5. b
curſu an fuerit certatum ante Trojana tempora, 6. a. naturâ is primus eſt inter corporis exercitia, 7. b. Elienſes primi ejus certamen publicum inſtituerunt, *ibid.* in eo non tam de robore, quàm de agilitate certamen fuit, *ibid.* triplex eſt, 8. a. ab eo alii aliter dicti, *ibid.* ejus uſus, *ibid.* ei naturâ proximus eſt ſaltus, 8. b
Cuthbertus Tonſtallus de arte ſupputandi ſcripſit, 72. b. ejus ætas, & laus, *ibid.*
cycli novennalis quis autor, 138. b
Cylo cur à Pythagora ad diſciplinam non fuerit admiſſus, 38. a
Cynici omnem Muſicam damnârunt, 16. a. an liberales artes planè rejecerint, 34. a. Matheſin rectè Philoſophiæ miniſtram faciunt, 64. a. contempſerunt Geometriam, & ἐγκυκλιοπαιδείαν, 74. a. & horologiorum uſum, 155. a. unde ſic dicti, 308. a. quem finem ſuæ ſectæ ſtatuerint, 308. b. horum inverecundia vituperatur, *ibid.* in quibuſdam dogmatis magnopere cum Stoicis conveniebant, 309. a
Cynici Phyſicen averſabantur, 236. a
Cynoſura, ſive Urſa minor, à Thalete primùm inventa, 110. a. vocabulum eſt Phœnicium, 110. b. aliàs φοινίκη dicta, *ibid.*
Cyprianus Leovitius quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 190. b
Cyrenaica ſecta eſt diviſa in Hegeſiacam, Anniceriam, & Theodoriam, 298. a. unde ἡδονικὴ dicta, *ibid.*
Cyrenaici, à quo ſic dicti, 298. a. Phyſicen aſpernabantur, *ibid.* qualis eorum Ethice, *ibid.*
Cyrillus Alexandrinus ſcripſit inter alia de cyclo paſchali, 137. b. ejus ætas, *ibid.* defenſus, 35. b
Cyzicinus Athenienſis Geometriam excoluit, 76. a

D.

DÆdalus, qui primus ſimulachra fecit pedibus diſcretis, ac internâ vi ſe moventia, quando vixerit, 21. b
Dæmones non poſſunt certò futura prædicere, ac ſæpe impediuntur, quominus poſſint, quod volunt, 135. b
Daimachus poliorcetica reliquit, 163. b
Damaſtes Sigeenſis quando gentium, urbiumque, catalogum contexuerit, 199. b
Damianus philoſophus Optica ſcripſit, 182. a
Damon, Muſicâ immutatâ etiam Reipubl. formam mutari, ſtatuebat, 20. a
Dani lignis olim inſcribebant literas Dominicales, feſtos dies, aureum numerum, lunæ φάσεις, 103. a
Daniel Angelocrator quando Chronologiam Autopticam ediderit, 197. a. ejus errores, ac deliria, *ibid.* ſcripſit de ponderibus, ac menſuris, 205. b
Daniel Barbarus quando opticam ſcripſerit, 98. a. 183. a. & commentarios in Vitruvium, 204. b
Daniel Santbech quando Aſtronomica problemata ediderit, 191. a. & alia, *ibid.*
David Chytræus quæ, & quando, in Chronologicis ediderit, 196. b
David Origanus quando motuum cœleſtium ephemerides emiſerit, 198. a
deambulatio iis potiſſimum convenit qui naturæ ſunt debilioris, 22. a
debiliores non debent eſſe expertes exercitii, 12. a
definitio, diviſio, ratiocinatio, & ordo, primaria Logices inſtrumenta, 224. b
Deliacum problema multa & olim, & hodiè, Mathematicorum ingenia exercuit, 84. b
delineatio difficillima, & potiſſima, Graphices pars eſt; ac vel vacua eſt, vel plena, 25. b. in illa maximè laborandum eſt, *ibid.* cur in eâ potiſſimum attendamus exteriorem corporis humani formam, 25. b. 26. a. in hominis delineatione quis ſervandus ſit ordo, *ibid.* pictura grammatice dici poteſt, *ibid.*
delphines cantu delectantur, 14. b
Demaratus Corinthius, Tarquinii Priſci pater, Cleophantum ſecum duxit in Italiam, 22. a. 26. a
Demetrias femina docta, ad quam ſcripſit B. Hieronymus, 35. b
Demetrius Alexandrinus de Elocutione ſcripſit, 47. b. quid, & quando, in Geographicis ſcripſerit, 50. a. quid, & quando, in Geometricis ſcripſerit, 174. b
Demetrius Triclinius eſt autor ſphæræ, quæ Empedocli tribuitur, 112. a
Demetrius Cynicus quo tempore vixerit, 308. a
Demetrius Phalereus auditor Theophraſti, 307. b
Demetrius Pepagomenus, medicus Imperatoris Michaëlis Palæologi, 259. b. hujus juſſu ſcripſit librum de Podagra, *ibid.*
Democedes Crotoniata Calliphontis filius, 252. b
Demochæris architecti dictum de Atho monte, 68. b
Democritus philoſophus cur πένταθλος ſit appellatus, 10. b. 294. b. quando floruerit, 121. b. de ſideribus vagis ſcripſit, *ibid.* & de aliis, *ibid.* de Muſica, 89. b. 179. b. etiam conſignavit διάγραμμα, 146. a. & alia, 174. a. 199. b. 146. a. de pictura ſcripſit, 30. a. Leucippi auditor, 294. b. valde dives Philoſophiam divitiis præpoſuit, *ibid.* & 295. a. quid ſtatuerit, *ibid.* ab Epicuro Λημόκριτος dictus, *ibid.* quædam in medicinâ ſcripſit, 252. b. quando natus, 253. a
Demon proverbia collegit, 45. a
demonſtratio omnis circa tria eſt, 201. a
denarii character apud Romanos antiquiſſimus, 70. a
Deſiderius Eraſmus, *vide* Eraſmus.
Deus ſummam curam gerit vitæ, & actorum, hominis, 56. b. 57. a. ejus bonitas, & miſericordia, *ibid.* non labiis ſolùm, & Muſica, ſed & corde, celebrandus, 91. a. ſæpe operatur præter naturæ ordinem, 135. b. decreta ejus ab homine præſciri nequeunt, 134. b
Dexippe Herennii Athenienſis ſcripta, 213. b
Dexippus Cous, medicus, Hippocratis diſcipulus, 253. b
Diades de arte machinali ſcripſit, 162. a
diagraphicen Græcorum pueri in buxo diſcebant, 21. b
Dialectica, unde dicta, 206. b. quid ſit Platoni, *ibid.* quid Ariſtoteli, *ibid.* alio nomine Topica dicitur, *ibid.* hujus finis, 208. b. partes tres, & quæ, 220. a. Dialectice quid, 226. b. laxè ſumpta, quos libros comprehendat, 227. a. cur ἐρωτητικὴ καὶ ἐξεταστικὴ dicta, *ibid.* Dialectice Stoicis, quid, *ibid.* Peripateticis, *ibid.* ſtrictè ſumpta quibus libris comprehendatur, *ibid.* huic σόφισμα, ſive fallax ſyllogiſmus opponitur, 227. b. πρὸς τὸ ἀνάλυσις dicta, *ibid.* uſus hujus triplex, *ibid.* Rhetorices ἀδελφὴ καὶ ἀντίστροφος dicta, *ibid.*
Dialectices vocabulo quomodo utantur Plato, & Ariſtoteles, 61. b
Διαυλοδρόμοι qui dicti, 8. a
Dicæarchus Meſſenius, Ariſtotelis diſcipulus, quæ in Geographicis reliquerit, 50. a. de Muſica ſcripſit, 179. b. de Geographia, 146. a. 199. b
Didymus ſcripſit de ὀρθογραφίας, 41. b. de proverbiis, 45. a
Didymus Gnidius, & Laborioſus, in Aratum commentati ſunt, 114. a
digiti menſura quæ, 99. a
Dinias pictor quando vixerit, 26. b
Dinoſtratus Geometriam excoluit, 76. a. invenit quadrantariam, *ibid.* ejus voluta, 174. a
Dinus de Garbo quando ſcripſerit de ponderibus, & menſuris, 203. b
Diocles de Gymnaſtica ſcripſit, 12. b. Harmonica ſcripſit, 92. b. 179. b Geometrica, 175. a
Diodechinus quando peregrinationem in terram ſanctam conſignârit, 200. b
Diodorus de ponderibus, & menſuris, ſcripſit, 132. a. auditor Critolai Phaſelitis, 307. b
Diodorus ὁ Κρόνος, auditor Apollonii τοῦ Κρόνου, 213. b. 214. a. 299. b
Diodorus, Tarſi Epiſcopus, quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 184. a
Diodotus in Aratum commentatus eſt, 114. a
Diogenes Cynicus reprehenſus, exiſtimans velocitatem eſſe ſignum ignaviæ, 8. a
Diogenes Laërtius de vitis Philoſophorum ſcripſit, 55. b
Diogenes Babylonius, Chryſippi auditor, 215. b. egregius Dialecticus, *ibid.*
Diogenes Babylonius auditor Chryſippi, 310. b. hic eſt ille, qui bello Punico ſecundo ab Athenienſibus publici negotii cauſſâ Romam miſſus eſt, *ibid.*
Diogenes Sinopenſis auditor Antiſthenis, 308. a
Diogenianus Heracleota unde oriundus ſit, 45. a. de proverbiis, ac fluviis, ſcripſit. *ibid.* tranſcripſit multa ex eo Heſychius in lexicon, *ibid.* quæ, & quando, in Geographicis ſcripſerit, 199. b
Diognetus M. Antoninum philoſophum artem pingendi docuit, 30. b
Diomedes de arte Metrica ſcripſit, 48. b
Dionyſius Epaminondam cithara canere docuit, 20. b
Dionyſius Alexandrinus de Paſcha celebrando ſcripſit, 138. b. ejus ætas, *ibid.*
Dionyſius Byzantius quando ἀνάπλουν deſcripſerit, 199. b
Dionyſius Corinthius deſcriptionem orbis carmine reliquit, 200 b
Dionyſius Exiguus cyclum paſchalem ſcripſit, 137. a. ab eo cœpit conſuetudo annos numerandi à Chriſto, *ibid.* ab eo dicta æra Dionyſiana, 139. b. erravit in natali Chriſti, *ibid.* ejus ætas, *ibid.* & 119. a
Dionyſius Halicarnaſſenſis de Elocutione ſcripſit, 47. b. quando Muſica ſua ſcripſerit, 180. a
Dionyſius Myleſius orbis deſcriptionem quando compoſuerit, 199. b
Dionyſius Longinus Zenobiam, Palmyrenorum reginam, Græcas literas docuit, ac præceptor itidem fuit Porphyrii Philoſo-

loſophi, 35. b
Dionyſius Ἁλικαρνασσεὺς quando Ἀρχαιολογίαν ſcripſerit, 50. b. 52. b. 34. b. ubi plures vide ejuſdem nominis.
Dionyſius Petavius multum in Chronologicis præſtitit, 54. a. quando Chronologica ſua ediderit, 143. a. b
Diophantus Alexandrinus celebris Arithmeticus, 71. b. an Algebram invenerit, ibid.
Dioptrica quæ ſit, & quid, 95. b. 97. a. 107. b. 156 b. ad Meteorologicam pertinet, ibid. tria ejus inſtrumenta præcipua, ibid. quibus alia addiderunt juniores, ibid. ſub Optica continetur, 85. a
Dioſcorides (Pedacius) Anazarbeus, quando floruerit, 255. a. hujus ſcripta, ibid.
Dioſcorides Φωκᾶς, 255. a
Diotimus de Gymnaſtice ſcripſit, 12. b
Diphilus de machinali arte ſcripſit, 162. a
diſciplinæ, quæ utuntur rationibus Mathematicis, non iccirco tamen ſunt Mathematicæ, 85. a. b
diſco an fuerit certatum ante Trojana tempora, 6. a. b. bifariam eo certabatur, 10. a. quàm varius fuerit, ibid.
diſcoboli ſeminudi fuere, 4. b. aperto certabant capite, non petaſati, non inuncti, 10. a
Δισκοβολία tertium gymnici certaminis genus, 10. a
diſpoſitio ante inventionem præmittenda, 218. a
diſtinctio, quid, 217. a
Dithyrambica Muſica animos concitat, eoque ne pueris quidem convenit, 20. b
divinatio Græcis μαντεία, 277. b. eſt vel divina, vel dæmoniaca, ibid. dæmoniaca eſt trium generum, ibid. primum genus, ibid. ſecundum, ibid. tertium, 278. b
diviſio, quid, 217. b
Doctoris boni requiſita; nempe non ſufficit in eo τὸ διδακτικὸν, ſed exigitur etiam τὸ πρακτικόν, 38. a. quanquam pauci ſint, qui utrumque præſtent, vel utroque ſaltem delectentur, ibid.
doctrina ſolida artes comprehendit univerſas, 38. b. ad eam acquirendam opus eſt multâ lectione, & meditatione, ibid. generalis omnium rerum primum, dein ſingularis alicujus ſcientiæ quærenda, & quomodo, ibid. & 39. a. de animalibus utilis ſtudio eloquentiæ, 238. b. commendatur quod Salomon ipſe ſcripſerit de quadrupedibus, &c. 238. a
Δολιχοδρόμοι qui dicti, 8. a
Dominicus Maria, Copernici præceptor, quando vixerit, 124. a
Dominicus Marius Niger quando Geographiæ commentarios ediderit, 101. a
Domitianus autor eſt Arateorum Cæſaris Germanici, 118. b
Dorica Muſica maſculos inſpirat animos, 16. a. 19. a. placebat Lacedæmoniis, ibid.
Dorotheus de verborum originibus ſcripſit, 44. b
Dorylaus, ex Pythagoreorum ſententia, exiſtimavit, concitatiſſimo cœleſtium orbium motu ſonum cieri ſuaviſſimum; unde cœlum vocabat *organum Dei*, 13. a
Doſitheus Aſtrologus quando vixerit, 183. b
Draco Hippocratis Coi filius, 253. b. medicus præſtantiſſimus, ibid.
Druidarum Philoſophia, 287. a. Celtas, ſive Gallos Philoſophiam docuêre, ibid.
Duris de pictura ſcripſit, 29. b

E.

EBennozophim quando vixerit, 120. b. locis fixarum cognoſcendis ſe dedit, ibid.
Eccleſiaſtica hiſtoria quantos uſus habeat, 55. a
Eginhartus, Karoli M. gener, inſignis Aſtrologus, 119. b
elæothefium, quartus locus Gymnaſii, ubi unguenta reponebantur, unde dictum, 5. a. aliter ἀλειπτήριον dicebatur, 5. b
Elbodus Britannus quando de Paſchatis celebratione ſcripſerit, 194. b
Elenchi Sophiſtici ἐξωτερικοὶ dicti, 228. b. in eos, qui ſcripſerint, ibid.
elephanti, Muſicâ capti, manſueſcunt, 14. b
Elias Orientalis de Geometria Hebraicè ſcripſit, 175. b
Elias Rabbinus Hebraicè conſcripſit Arithmeticen, 170. a
Elias Venetus quantum de Pomponio Mela ſit meritus, 150. a
Elienſes primi curſus certamen inſtituerunt, 7. b
Eliſabetha, Angliæ Regina, quàm fuerit docta, 37. a
Eliſabetha, Schonaugienſis, femina erudita, quæ, & quando, ſcripſerit, 36. b
Eliſabetha, Thomæ Mori filia, literas excoluit, 37. a
Elmerus, *vide* Oliverius.
Eloquentia Philoſophiæ eſt comes, 33. a. quomodo ſit hominis Politici inſtrumentum, ibid. Philoſophiæ proles, 275. a. hanc veteres cum Philoſophiâ conjungere ſolent, ibid. duplex eſt, Oratoria & Poëtica, 275. b. harum finis, 276. a
Ἐμμέλεια, ſaltatio tragica, proximæ dignationis poſt Pyrricham, 9. a. 18. b
Empedocles Agrigentinus citharæ cantu adoleſcentem cohibuit à parricidio, 15. b. quando floruerit, 112. a. non eſt autor Sphæræ, quæ ei tribuitur, ibid. in medicina etiam ſcripſit, 253. a. dogma μετεμψυχώσεως ſecutus, 292. b
Empedometria & Stereometria, non ſunt diverſæ ſcientiæ, 76. b
Empuſæ ſpectrum quid, 19. a
Encauſtice à quo inventa, vel aucta potius, ſit, 28. a. duplex ejus ratio, ibid. quæ utraque hodie ignoratur, ibid.
Ἐγκυκλοπαιδεία quid, 33. a
endromides calciamenti genus, quo utebantur curſores, 8. a
Enneadecaëteris à Calippo Cyziceno reprehenſa, 113. a
Ennius Pacuvii poëtæ avunculus, 30 a
Enoc proavus Noë ſcriptis ſideralem ſcientiam prodidit, 104. b. an idem, qui Atlas, ibid.
Entis genera tria, quibus diſcernuntur Metaphyſica, Phyſica, & Matheſis, 59. b. 60. a
Epaminondas didicit tibiâ canere ab Olympiodoro, & Orthagora, 18. a. ac ſaltare, 18. b. 20. b
ephebium ſecundus erat gymnaſii locus, in quo puberes exercebant corpus, 5. a. non ephebæum ſcribere oportet, ibid. malè ludum literarium Guilielmus Choulus, lupanar Petrus Faber per illud intelligunt, ibid.
Ephorus, Iſocratis unà cum Theopompo diſcipulus, fœdiſſimè de Muſica ſcripſit, 16. b. quæ in Geographicis ſcripſerit, 58. a. 146. a
Epicurei an, & quatenus, liberales artes rejecerint, 34. a. eorum de Deo impia doctrina, 57. a. Ramo dicti Matheſios contemtores, 64. a. & Peripatetici Logicen partem eſſe Philoſophiæ negant, 210. b
Epicurus primus docuit Grammaticam Methodicam, 41. a. quando de Muſica ſcripſerit, 179. b. Matheſios fuit contemptor, 64. a. ſectæ ſuæ conditor, 295. b. nemini plus quàm Democrito debuit, ibid. in hunc ingratus, ibid. Rhetoricen contempſit, ibid. in Phyſicis maximè dogmata Anaxagoræ amplexus eſt, ibid. quid ſtatuerit, 296. a. Dialecticam ſic contempſit, ut in ejus locum ſubſtituerit Canonicam, ibid. ejus aſſeclæ quolibet menſe natali ejus ſacrificabant, ibid. quid de Sole & Luna ſenſerit, 296. b. ſummum bonum poſuit in voluptate, ibid. trecenta reliquit volumina, in quibus nullum foris arceſſierit teſtimonium, 297. a. maledicus in omnes fuiſſe traditur, ibid. hujus fœdi errores, ibid.
Ἐπιγόνειον ab Epigono Ambraciota inventum, 89. b. 180. b
Epigonus Ambraciotes, à quo inventum eſt inſtrumentum Muſicum ἐπιγόνειον dictum, 89. b. de Muſica ſcripſit, 180. b. ætas ejus incerta, ibid.
Epimenides de Genealogiis egit, 54. b
Eques Romanus quantum poſſidere debuerit, 1. a
equitatione ſe exercebant veteres Romani in campo Martio, 7. a
Eraſiſtratus de Gymnaſtica ſcripſit, 12. b
Eraſiſtratus Juliates ſub quo claruerit, 254. a
Eraſmi error, Apellis de Protogene dictum Apelli objectum fuiſſe ab alio, exiſtimantis, 28. b
Eraſmi Oſualdi Schreckenfuſii error de ætate Procli Diadochi, 117. b. multa in Aſtrologia edidit, 126. b. 127. a
Eraſmus falſus eſt, exiſtimans Plutarchum Chæronenſem ſcripſiſſe proverbia, 45. a. quando, & quoties, Adagia ſua ediderit, 45. b
Eraſmus Horicius Muſicus, 93. b
Eraſmus Reinholdus quæ in Aſtrologicis præſtiterit, 126. b. ejus ætas, ibid.
Eraſtocles de Muſica ſcripſit, 180. b. ætas ejus incerta, ibid.
Eratoſthenes Cyrenæus quæ, & quando, in Geographicis ſcripſerit, 50. a. 146. a. quæ in Geometricis ediderit, 79. a. in Aſtrologicis, 114. a. b. in Architectonicis, 157. a. cubi duplicationem invenit, 63. b
Ericus II. Daniæ Rex citharæ amans, 19. b
Eriſticæ ſectæ conditor & author quis? 213. b. 299. a
Erophilus de Gymnaſtica ſcripſit, 12 b
Erycius Puteanus laudatus, 14. a. 91 a. quæ ediderit in Mechanicis, 167. b. quæ in Chronologicis, 198. b
Eſaias propheta in horologio ſciotherico Achazi regreſſu umbræ ſanitatis ſignum dedit Ezechiæ Regi, 155. b
Ethice ab Arithmetica lucem capit, 69. a
Ethices ſcientiâ indiget pictor, 24. a. finis, 269. a. ſubjectum, ibid. objectum, ibid. utilitas, 270. a. eſt vel θεωρητικὴ, vel παραγγελματικὴ, vel δογματικὴ, 269. b. Ethices præſtantia, 270. b. eſt pars legis moralis, ibid.
Ἐτυμολογία malè à quibuſdam cum ἀναλογίᾳ & ἀνωμαλίᾳ, confunditur, 41. b. Exegeticæ Grammaticæ privatum vocum pars eſt, 43. a. ejus uſus, ibid. unde dicta ſit, ibid. Latinè rectiùs dicitur *vera nominis ratio*, ibid. malè à nonnullis ad Grammaticam Methodicam refertur, 43. b. ejus officium, ac differentia ab Exegetice, ibid.
Euænetæ duo in Aratum commentati ſunt, 114. a
Euander literas ex Arcadia in Latium intulit, 3. b. Lacydæ ſucceſſor, 302. b
Euangeliſtæ Sixti V. Pontificis juſſu Arabicè editi Romæ, 82. b
Euax, rex Arabum, medicus, de ſimplicium effectibus ad Neronem ſcripſit, 256 b
Eubulides Mileſius Ariſtotelis æqualis, 214. b. Euclidis auditor, 299. a
Euclides accuratè agit de Arithmetice, 71. b. Geometrarum, quos habemus, antiquiſſimus, 77. a. quomodo pingeretur, ibid. quando vixerit, ibid. Alexandriæ docuit, ibid. ejus laus, ibid. de ejus elementis, ibid. & 77. b. eorum diviſio, ibid. an ſolus ſcripſerit demonſtrationes, 79. b. prius ex Arabico tranſlatus, quàm ex Græco, 80. b. contra Ra-

Rerum, & Schœnum, defenſus, 84. b. maximè excoluit Geometriam, & Arithmeticen. 85. b. ſcripſit Muſica, 91. a. Optica, & Catoptrica, ac alia, 77. b. 97. a
Euclides Megarenſis Eriſticæ ſectæ conditor, 77. a. ejus in audiendo Socrate induſtria, ibid.
Euclides Megaricus, Socratis auditor, ſectæ Megaricæ conditor, 213. b. 299. a. quando floruerit, ibid. in Examine diverſarum ſectarum, quid agendum, 314. b
Euctemon Athenis obſervavit ſolſtitium, 112. a
Eudæmon ſcripſit de ὀρθογραφίας, 41. b
Eudemus quid in hiſtoria ſua Aſtrologica tractârit, 110. a
Eudocia, Leontii Philoſophi filia, uxor Cæſaris Theodoſii junioris, variè erudita fuit, 35. b
Eudoxus quæ, & quando, in Geographicis reliquerit, 50. a
Eudoxus Cnidius, Æſchinis filius, à quibus Geometriam, & Aſtrologiam, didicerit, 112. b. octaëteridem Harpalicam emendavit, ibid. ejus ætas, ibid. quo pacto Ægyptiis redditus fuerit familiaris, ibid. quando Memphin profectus ſit, ibid. ejus hypotheſes circulorum revolventium partim ſuppletæ, partim emendatæ ab aliis, 113. a. ejus laus, ibid. quæ ſcripſerit, ibid. ejus aſtra contemplantis dictum, 63. b. Geometriam docuit, 76. a. & Geographiam, 146. a. Philiſtionis medici diſcipulus, 254. a
Everhardus Welperus quando ediderit compendium Aſtronomiæ, 193. b
Eumarus, Athenienſis pictor, qui primus marem, & fœminamque, diſcrevit; & figuras omnes imitari auſus eſt; quando vixerit, 26. b
Eunapius de vitis philoſophorum ſcripſit, 55. b
Euphorbus, Jubæ regis Mauritani medicus, 256. a
Euphranor Iſthmius pictor quando vixerit, 28. a. quid in Graphicis ſcripſerit, 29. a
Euphranor Pythagoricus de tibiis ſcripſit, 18. a
Eupompus, præceptor Pamphili, Sicyoniam picturam quando invenerit, 27. b
Εὐπορίας doctrinæ uſus maximus, 215. b
Euſebii, rationem ſimulachrorum ἀναλόγων afferentis, error, 22. a
Euſebius emendatus, & reprehenſus, exiſtimans eundem eſſe Atlantem, qui Enoch. 107. a. 122. b. chronicos canones ſcripſit, 138. b. exſcribere ſolet Julium Africanum, ibid. non eſt author cycli novennalis, ibid. Palæſtinam deſcripſit, 149. a
Euſebius Pamphilus Chronicon reliquit ab orbe condito uſque ad vicennalia Auguſti, 53. b. multa hauſit ex Julio Africano, 54. a. exſcribitur à Georgio Syncello, ibid. aliquando erravit, ibid.
Euſtathius Theſſalonicenſis in Dionyſii περιήγησιν commentatus eſt, 50. b
Euſtochium, Paullæ Romanæ filia, Hebraicè, Græcè, & Latinè docta fuit, 35. b
Eutocius Aſcalonita quæ in Geometricis ſcripſerit, 175. a. ætas ejus incerta, ibid.
Exegetice Grammatice quid ſit, ac veterum ſententiæ rejectæ in ea definienda, 42. a. vocum tradit ſignificationes, ibid. ejus dignitas, ibid. neceſſitas major, quàm Grammaticæ Technicæ, 42. b. vel privatarum vocum eſt, quæ tum indigenæ ſunt, ac ſumuntur ſignificatione modò nativâ, modò tralatitiâ, atque item ſunt raræ, ſunt uſitatæ, ſunt obliviæ; tum peregrinæ: vel junctarum, 43. a. 41. b. ejus ac Ἱστορικῆς differentia, 43. b. qui Latini, qui Græci eam exornârint, ibid. & 44. a. b. ad eam non ſpectat ſcriptorum enarratio, 46. b
exitum rerum inſpice, priuſquam de iis feras judicium, 57. a

F.

FAbiola, fœmina docta, ad quam ſcripſit B. Hieronymus, 35. b
Fabulæ ad hiſtoriam laxè ſumptam pertinent, 49. a
Facilitas Philoſopho laudi ducenda, 215. a
Farneſianum Feſti fragmentum ubi incipiat, & definat, 44. a
Federicus Commandinus laudatus, 77. a. quid in Geometricis ſcripſerit, 83. a. in Centrobaricis, 166. a. in Aſtrologicis, 191. b
Federicus Pintianus quæ, & quando, in Geographicis ediderit, 202. b
fœminæ etiam ad philoſophiam admitti poſſunt, 34. b. quàm variæ ſibi pulcram laudem pararint eruditione, ibid. quàm cautè tamen literæ iis tractandæ ſint, 38. a
Ferdinandus de Quir Magellanicam quando adierit, 145. b
Ferdinandus Magellanus primus Magellanicam adiit, ac ei nomen dedit, 145. b. quando Magellanicam adierit, 53. a
Feſtus correctus, 92. a
Feſtus Avienus quid, & quando, in Geographicis præſtiterit, 51. a. 147. a
Feſtus Pompejus Verrium Flaccum redegit in epitomen, 44. a. at ipſe in compendium poſt redactus à Paullo Diacono, ibid. ejus laus, ibid.
Ficini error in explicato Platonis de Atlantide loco, 145. a
Figulus de tonitribus ſcripſit, 119. a
figulus cur major artifex, quàm aurifex, 221. b
figuræ primæ forma duplex, 214. b. quartam quis addiderit, & ut differt à prima, ibid.
figurarum omnium rotunda eſt capaciſſima, 74. b
figuras Syllogiſticas Categoricas quis invenerit, 214. a
Finæus quando de celebratione Paſchatis ſcripſerit, 194. b
Flaccus Albinus, ſive Alcuinus, quando vixerit, 119. b. de Aſtrologia ſcripſit, ibid. Karolum M. Aſtrologiam docuit, ibid.
Flavii Joſephi ſententia de Arithmetices inventoribus, 69. b
Flavius Campanus, vide Joannes Goja.
folliculus, ſive follis pugillatorius, quale exercitii genus Romanis fuerit, 7. a. 9. b. erat facile luſus genus, puerique, ac ſenibus, conveniens, ibid.
follis pugillatorius, vide folliculus.
formæ Syllogiſticæ nulli certæ materiæ eſt applicata, 212. a
Franchinus Gafurius de harmonia inſtrumentorum Muſicorum ſcripſit, 93. a
Franciſci Patricii, Strabonem Stratonem vocantis, error, 50. b
Franciſcus F. F. Junius de pictura veterum ſcripſit, 31. b
Franciſcus Aquilonius Optica ſcripſit, 98. b
Franciſcus à Schoten quando de conicis ſectionibus ſcripſerit, 179. a
Franciſcus Barotius quæ, & quando, in Mechanicis ſcripſerit, 166. a. in Geometricis, 176. b
Franciſcus Bordinus quando chiliada quæſitorum Mathematicorum ediderit, 191. b
Franciſcus Braſſerus quando Arithmeticen ſcripſerit, 172. b
Franciſcus Caligarius Algebram, & Arithmeticen practicam, quando ſcripſerit, 170. b
Franciſcus Drakius quando adierit Magellanicam, 145. b
Franciſcus Foxius Candalla quantus in Matheſi fuerit, & quid præſtiterit, 82. b. 83. a
Franciſcus Junctinus edidit commentarios in ſphæram Joannis de Sacro-Boſco, 128. a. ejus ætas, ibid. quæ alia ſcripſerit, ibid.
Franciſcus Maria II. Urbinatium Dux laudatus, 79. b
Franciſcus Maurolycus celebris Mathematicus, 73. a. computum Eccleſiaſticum ſcripſit, 140. b. Coſmographiæ libros miſit Bembo, 149. a. quæ reliquerit in Geometricis, 165. a. 176. b. in Arithmeticis, 171. a
Franciſcus Pelacanius, vide Franciſcus Caligarius,
Franciſcus Pizarrus Peruanam primus detexit, 144. b
Franciſcus Rapaldus adverſus Aſtrologiam, ut medico inutilem, ſcripſit, 190. b
Franciſcus Valleſius Aſtrologiam divinatricem impugnavit, 135. b
Franciſcus Vieta ſcripſit Harmonicon cœleſte, quod periit, 128. b. ejus ætas, ibid. Chronologica, 142. b. Geometrica, 171. a
Franciſcus Ximenes monachus primùm fuit, dein Archiepiſcopus, & poſt Cardinalis S. Balbinæ, 77. b. ejus curæ debentur Biblia Complutenſia, ibid. vitam ejus ſcripſit Alvarus Gometius, ibid.
Franciſcus Zalinas egregius Muſicus, 93. b
Franciſcus Picus Mirandula Pyrrhoniam ſectam eruditè propugnat, 312. a
Franco Leodicenſis computum condidit Eccleſiaſticum, 139. b. ſcripſit Geometrica, 175. b
Fridericus II. Imperator Aſtrologiam amavit, & Ptolomæum ex Arabico Latinè verti juſſit, 122. a
Fridericus Riſnerus quid in Opticis præſtiterit, 98. b. ſcripta ejus emit Mauritius Haſſiæ Landgravius, ibid.
Frigdora, vel potius Phrygiodoria, dicta Græcorum Muſica, 91. a. vide Phrygidoria.
Fulgentius Planciades de verborum Originibus ſcripſit, 44. a
Fulvia Olympia Morata, Guntheri conjux, quæ ſcripſerit, 37. a
Fulvius Urſinus Farneſianum Feſti fragmentum longè accuratius edidit, addito altero Feſti fragmento, quod Pomponii Læti fuerat, 44. a. ſcripſit de familiis Romanis, 55. a
fulvus color fit ex rubro, & cæruleo, 25. b
Furia fœmina docta, ad quam ſcripſit B. Hieronymus, 35. b

G.

GAbinius Conſularis ſaltandi peritus, 18. b
Gabriela Borbonia quàm varia, & quando, ſcripſerit, 36. b
Galaxia ſitne in aëre, an in cœlo, 102. a
Galenus reprehendit medicos matheſios contemtores, 61. b. quando vixerit, 157. b. 161. a
Galilæi à Galilæis laus, & quid in Geometria præſtiterit, 83. b. à Mæſtlino in Copernici adductus ſententiam, 127. a. quantum de Aſtronomia ſit meritus, 129. a. ejus ætas, & mors, ibid.
Gallia omnium terrarum in propagatione fœcundiſſima, 69. a
Gallorum ſapientes Straboni triplices, 278. a
Gaſper Vopel Medelbachius quando Geographica ſua ediderit, 149. b
Gaudentius de Muſica eleganter, & prolixè, ſcripſit, 92. b
Geber Arabs, qui in μεγάλην σύνταξιν commentatus eſt, quando vixerit, 120. a. an Algebræ ſit inventor, 71. b. medicus, 262. b. de hujus ſcriptis, ibid.
Geber Hiſpanus, 262. b
Geminus quo tempore floruerit, 79. a. de Geometria ſcripſit, ibid. libertus fuit, ibid.

ibid. plures ejus ſunt nominis apud Romanos, *ibid.* in Aratum commentatus eſt, 114 a. ſcripſit doctrinam ſphæricam, 115. a. & Geometrica, 174 b
Gemiſtus Pletho, Platonicus, 304. a
Gemma Friſius celebris Mathematicus, 73. a
genealogia ad hiſtoriam pertinet, 49. b. quid præſtet, 54. a. cur tanta ſit ejus neceſſitas, 54. b
Γενεθλιαλόγοι qui dicantur, 131. b
Genethliaca pars Aſtrologiæ apoteleſmaticæ, *ibid.*
Gennadius Maſſilienſis de Illuſtribus Eccleſiæ viris ſcripſit, 55. b
Geodæſia primordia ſua debet Ægyptiis, 49 b. unde dicta ſit, *ibid.* quid ſit propriè, 74. a. 99. a. ejus ignari Hiſtoriographi ſæpe falluntur in magnitudine regionum, 99. b. eſt Geometriæ ὑπάλληλος, & quomodo illa ab hac differat, 99. a. ejus ſumma utilitas, in agris, cæteriſque ſolidis corporibus, metiendis, *ibid.*
Geodæta non indiget demonſtrationibus Geometricis, 99. a
Geographia circa quid verſetur, 49. a. b. χωρογραφίαν καὶ τοπογραφίαν ſub ſe continet, 49 b. mixta eſt ex hiſtoria naturali, & civili, *ibid.* à geodæſia cœpit, *ibid.* ejus cur tanta ſit neceſſitas, *ibid.* ejus incunabula jam Homeri ætate fuerunt, *ibid.* qui eam philoſophi attigerint, *ibid.* pars Coſmographiæ, quid ſit, 143. b. malè quibuſdam Coſmographia dicitur, *ibid.* ejus objectum, *ibid.* à Coſmographia, Chorographia, Topographia diſcrimen, *ibid.* tractatur Hiſtoricè, & Mathematicè, *ibid.* priori modo hiſtoria naturalis, & civilis, conſideratur, *ibid.* quatenus indigeat Geodæſiâ, *ibid.* Aſtrologiâ, 144. a. vel generalis eſt, quæ ad univerſum terrarum orbem ſpectat, *ibid.* id eſt, terræ, & aquæ, globum, *ibid.* vel particularis, quæ unamquamque regionem tangit, *ibid.* ac triplex eſt pro continentibus: quarum prior nota nobis, & veteribus, ac Europam, Aſiam, & Africam continet, 144. b. altera veteribus incognita, America dicta à Chriſtophoro Columbo detecta, *ibid.* tertia Auſtralis incognita veteribus, & nobis, 145. b. qui Philoſophi eam attigerint, 146. a
Geographus indiget Aſtrologiâ, 103. b.
Geometria cœpit à Geographia, 49. b. unde dicta ſit, *ibid.* Matheſios puræ pars eſt, 66. a. multum commune habet cum Arithmetice, 66. b. quid ſit, qua de re agat, quid, & quomodo conſideret, 73. a. b. 94. a. an nomen ejus adeò ſit ridiculum, 73. a. unde ſit dicta, *ibid.* an rectiùs μετρικὴ vel μετρητικὴ, item γεωμετρία dicatur, 73. b. quod ſit ejus objectum, *ibid.* in quo ab Arithmetice differat, *ibid.* an ſit ſcientia, *ibid.* eſt Theoretica, & practica, *ibid.* utriuſque officia, 74. a. eſt certiſſima, *ibid.* cur ordine doctrinæ poſterior ſit Arithmeticâ, *ibid.* Malè ſpretui habita Cyniris, *ibid.* aptiores reddit ad omne diſciplinæ genus, *ibid.* ut uſus ejus ſe exerat in Phyſicis, *ibid.* & 74. b. paucis vacandum ei ajunt Peripatetici quidam, *ibid.* neceſſitas ejus in Philoſophia practica, morali, & civili, *ibid.* ejus uſus in hiſtoria intelligenda, & ſcribenda, 75. a. neceſſaria eſt Juriſconſulto, *ibid.* Theologo, *ibid.* Medico, *ibid.* quis dicatur Ægyptiis eam inveniſſe, 75. b. alii ab iis neceſſitate urgente repertam tradunt, *ibid.* ex Ægypto in Græciam tranſlata eſt à Thalete Mileſio, aut Mœride, vel Pythagora, *ibid.* qui poſt Pythagoram eam excoluerint, 76. a. an tres ejus ſint partes, 76. b. ejus cauſſæ, ſive demonſtrationes, *ibid.* an rectè Theo ſingularum propoſitionum cauſas diſcendas eſſe tradiderit, *ibid.* uſus ejus, 77. a. multa habet difficilia, quæ necdum perfectionem ſuam ſunt conſecuta, 84. a. b. Philoni omnium Mathematicarum ſcientiarum metropolis dicta, *ibid.* præceptis jejuna eſt, at uſu maxima, 99. a
Geometriæ ſcientiâ indiget pictor, & cur, 23. b
Georgius Agricola de ponderibus, & menſuris, quando ſcripſerit, 164. b
Georgius Collimitius quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 188. b
Georgius de Gemmingen ſcripſit de machinis bellicis, de cura equorum, ac mulitibus, 203 b
Georgius Gemiſtus quid, & quando, in Geographicis præſtiterit, 50. b. de Geographia ſcripſit, 147. a. ac de annorum, & menſium, ordine, 194. b
Georgius Hartmannus quando primus repererit baculum bombardicum, 204. a
Georgius Heniſchius quæ, & quando, in Arithmeticis ſcripſerit, 172. a
Georgius Joachimus Rheticus Copernici diſcipulus quid præſtiterit in Geometricis, 82. a. Aſtrologicis, 126. b. quanto ſumptu, ac labore, canonem ſinuum, ſupputârit, 82. a. ejus ætas, 126. b
Georgius Ludovicus Frobenius quid in Geometricis ediderit, 178. b
Georgius Pachymeres celebris Mathematicus quando vixerit, & quid ſcripſerit, 72. a
Georgius Purbachius, præceptor Joannis Mulleri Regiomontani, quando vixerit, 124. a. ſcripſit compendium Ptolemaicæ μεγάλης συντάξεως, *ibid.* & quid præterea in Geometricis, 176. a
Georgius Raguſejus Aſtrologiam divinatricem impugnavit, 135. b
Georgius Rithaymerus quando ediderit compendium de ſitu orbis terrarum, 149. a
Georgius Schonbergerus de horologiis tractatum quando ediderit, 105. b
Georgius Trapezuntius quæ in Aſtrologicis ſcripſerit, 186. a
Georgius Syncellus Euſebium exſcripſit, 54. a
Gerardus de Neufville quando Arithmetica ſua ediderit, 173. b
Gerardus Mejerus quando curſum ſuum ingeniarium ediderit in Mathematicis, 178. a
Gerardus Mercator omnium juniorum optimè orbem deſcripſit, 53. b. ſcripſit etiam Chronologiam, 54. a. varia inſtrumenta Mathematica Carolo V. confecit, ac aliis, 127 b. ejus ætas, *ibid.* quando ediderit Chronologiam, 140. b. quantum de Geographia ſit meritus, 149. b
Gerontia femina docta, ad quam ſcripſit B. Hieronymus, 35. b
Gervaſius Tilberienſis quando deſcriptionem ſuam mundi compoſuerit, 200. b
geſtatio ſtrictiùs ſumpta ſit ab inanimo, 12. b. vel lecticâ; vel ſcamno, ſive ſellâ; vel vehiculo, *ibid.*
geſtus in pictura, *vide* motus.
Getarum legati, pacis, vel induciarum ergò, miſſi, ubi pacato eſſet opus animo, citharam pulſantes adveniebant, 16. a
Gilbertus Genebrardus quando Chronologiam ſuam ediderit, 196. b
gloſſa quid ſit propriè, 43. a
gloſſema quid ſit propriè, *ibid.*
Gnomonica ſub Mechanice continetur, 85. a. ad Meteorologicam ſpectat, & quod ſit illius officium, 107. b. 108. a. ejus initia ab Anaximene Mileſio an ſint, 155. b. ante tamen cognita fuere populo Dei, *ibid.* ac dein ars hæc exculta à Græcis, *ibid.* an pars Aſtrologiæ ſit, 155. a
Gnoſticis à Platone præitum, 300. b
Gnoſticorum protoplaſtas ſine pelle fuiſſe conditos exiſtimantium error, 2. a
Goliathi armatura quot fuerit librarum, 69 a
Gorgias Sophiſta laudatus, 47. b
Gothofredus Vendelinus quantum de Aſtrologia ſit meritus, 194. a
Græca lingua comes eſſe debet Latinæ, ac addiſcenda, ubi mediocriter balbutire cœpimus, 42. b. non jucundior modò, ſed & utilior multò eſt linguâ Latinâ, *ibid.*
Græci gymnaſia, in quibus juventus exerceretur, inſtituerunt, 6 a. ac ab iis adhibita etiam ſunt gymnica certamina in ſacris ludis, *ibid.* cum Grammatiſtice, & Gymnaſtice ſociabant Muſicen; cujus notas, quibus hodie utimur, necdum habent, 14. a. 16 b. magnifaciebant ſaltum, etiam extra ſacra, 18 b. eorum pueri diagraphicen in buxo diſcebant, 21. b. Arithmeticen à Phœnicibus didicere, 69. b. illorum Eccleſiæ quibus uſæ ſint modulis, 91. a. eorum Muſica Frigdora dicta, *ibid.* belli Trojani tempore habuerunt jam aliquam notitiam ſiderum, 109. a. ſed numerant ab Olympiadibus, 109. b. habuere notitiam curſus Solaris, & Lunaris, *ibid.* poſtea multò doctiores evaſere, *ibid.* eorum faſtus Aſtrologiæ inventionem ſibi vindicantium, *ibid.* commenti ſunt ſe ejus initia hauſiſſe ab Orpheo, 110. a. primùm utebantur tetraëteride, pòſt octaëteride, ac dein enneadecaëteride, quam aureum numerum dicimus, 112. a. annum à ſolſtitio ordiebantur, 118. a. eorum mos affigendi parapegmata, in quibus ſiderum ortus, & occaſus, annotabant, 112. b. horologiorum artem magis magiſque excoluere, 155. b. cur non rectè fuerint gnari Arithmetices, & Algebræ, 71. a. à Perſis quædam accepêre quæ ad Deos pertinerent, 282. b. literas ſe debere Phœnicibus agnoſcunt, 283. b. horum Philoſophia eſt vel fabuloſa, vel non fabuloſa, 287. a. non fabuloſæ antiquitus tres ſectæ, 288. b
Græcorum eadem, ac Latinorum, de orbe diſciplinarum fuit ſententia, 39. b. eorum computandi tempora modus, 53. b
Γράμματα, non modò literarum elementa, ſed ut Latinis literæ, ipſam etiam eruditionem, ſignificant, 40. b
Grammatica, Rhetorica, & dialectica barbaris ſcriptoribus *trivium*, diſciplinæ Mathematicæ *quadrivium* dictæ, 65. a
Grammatice majoris eſt dignitatis, quàm Grammatiſtice, 1. b. nomen etiam eſt Tragœdiæ, quam ſcripſit Callias Athenienſis, 2. b. aliter Philologia dicta eſt veteribus, 39. a. b. vel ſignificat Grammaticen ἐξηγητικήν, vel Grammaticen propriè dictam, vel Philologiam, *ibid.* ad quam ornatus, & metrum ſpectent, 40. a. præſtat, ut ſermo ſit purus, *ibid.* tum in ſermone, tum in ſcriptione, *ibid.* plus habet operis, quàm oſtentationis, *ibid.* nomen ejus inſipientibus contemptui eſt, *ibid.* à Grammatiſtice diſtinguenda eſt, quamquam à veteribus communi Grammatices nomine utraque cenſeretur, *ibid.* doctrina ejus bipartita eſt; una Methodice, ſive Technice, dicitur, quæ artis præcepta tradit, 40. b. ejus à Logica, Rhetorica, Poëtica, & Hiſtorica diſcrimen, *ibid.* altera Exegetice, 42. a
Grammaticorum faſtus, & contemptus retunditur, 42. a. olim illi poëtas, & alios ſcriptores, explicabant, 46. b. eorum, qualium, officium, *ibid.* & 47. b. ut Rhetoricen, ita & Metricen ſibi olim vindicabant, 48. a
Grammaticus Arithmetices gnarus ſit perſpicacior, 68. a
Grammatiſtice minoris eſt dignitatis, quàm Grammatice, 1. b. quid ſit, 2. b. Platoni Grammatice, ut & Sexto Empirico, & cur, dicitur, *ibid.* aliis Literæ elementariæ, *ibid.* quæ præcipua ſit ejus utilitas, 2. b. 3. a. quam agnovit etiam Epicurus, 3. b. magnus econtra ejus abuſus, qui tum in politicis, tum in Eccleſiaſticis ſit, uſum non debet tollere, *ibid.*

Par-

Parcis inventio ejus debetur ſecundùm fabularem hiſtoriam, *ibid.* qui ſecundùm veriorem hiſtoriam primi ejus inventores, *ibid.* quomodo facillimè addiſcatur, 4. a. nec orationem dirigit, nec rationem, 32. a. contenta eſt docere artem legendi, & literas formandi, 39. b. 40. a
Γράφειν Græcis eſt pingere, & ſcribere, 28. a
Graphice, ſive pictura, quarta eſt inter artes populares, 21. a. liberalis eſt ars, *ibid.* eſt imitatio eorum, quæ videntur, 21. b. eſt ἰδιωτικὴ τέχνη, καὶ παιδευτικὴ, 24. a. nec orationem dirigit, nec rationem: neque pietate, aut prudentiâ, inſtruit mentes noſtras, 32. a. *vide* Pictura.
Gregoriana Muſice quid, & unde ſic dicta, 92. a
Gregorius à S. Vincentio excellens Geometra idem ac Theologus, quid ediderit, 84. a
Gregorius Magnus primus Romæ inſtituit ritum canendi, quo utitur Eccleſia Romana, 91. a. 181. a
Gregorius XIII. quando annum Julianum correxerit, 192. a. quomodo Kalendarium illius rurſum corrigi poſſit, *ibid.* cujus operâ uſus ſit, 128. a
Gregorius Nazianzenus explicatus contra mentem Lipſii, 34. a
Gromatice ad Geodæſiam ſpectat, quid ſit, & unde dicta, 99. b
Guidmundius, *vide* Guido.
Guido Bonatus, qui theoricas Planetarum, & de Aſtrologia judiciaria, ſcripſit, quando vixerit, 123. a
Guido Cardinalis & Archiepiſcopus Averſanus, de Muſica ſcripſit, 92. b
Guido, Abbas Aretinus, notarum Muſicarum inventor, quando vixerit, 14. a
Guidus Ubaldus quæ, & quando, in Mechanicis ediderit, 166. a. b. ejus laus, vita, & mors, *ibid.* quæ in Opticis, 98. b
Guilhelmus Blaeuw multùm meritus eſt de arte Geographica, 53. b
Guilhelmus Genebrardus Chronologiam ſcripſit, 54. a
Guilielmus Choulus per ephebium male intelligit ludum literarium, 5. a
Guilielmus Barlovus quando Coſmographiam ſuam ediderit, 148. b. 202. a
Guilielmus Batecumbus quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 186. a
Guilielmus Botoner quando de Aſtrologiæ vi ſcripſerit, 186. b
Guilielmus Buttonerus, *vide* Guilielmus Botoner.
Guilielmus de S. Godialdo Aſtronomus quando vixerit, 123. a
Guilielmus Griſauntus pater Urbani V. quæ in Aſtrológicis reliquerit, 123. b. in Geometricis, 176. a
Guilielmus Haſſiæ Landgravius Aſtrologiæ deditus quæ præſtiterit, 182. a
Guilielmus Hirſaugienſis, qui Grammaticen, Rhetoricen, & Logicen, præmittit Matheſi, refellitur, 65. a. quando vixerit, 121. a. ſcripſit Inſtitutiones Aſtronomicas, *ibid.* & 184. b. 203. b. de Muſica, 181. b
Guilielmus Janſſonius Cæſius, ſive Blaeuw, quantum in Aſtronomia præſtiterit, 130. a. ejus laus, *ibid.* ſcripta, *ibid.* quæ affecta habuerit, 130. a. quantum, quando, in Geographicis præſtiterit, 151. b
Guilielmus Perkinſius quando Chronologiam ſacram ediderit, 141. b
Guilielmus Philander quando Vitruvium cum commentariis ediderit, 165. a
Guilielmus Poſtellus quando ſua Geographica ediderit, 149. b
Guilielmus Xylander Mycilli ſucceſſor laudatus, 71. b. quid præſtiterit in Geometricis, 83. a. quid in Geographicis, 150. a
gymnaſium dicebatur locus, ubi ſe exercerent, 5. a. laxiùs dein extenſa vocabuli iſtius ſignificatio, quia ibidem philoſophari ſolebant, *ibid.* ejus porticus plenæ exhedris, *ibid.* ejus ἐφηβεῖον, *ibid.* κωρύκειον, *ibid.* elæotheſium, 5. b. coniſterium, *ibid.* palæſtra; ſphæriſterium; locus, in quo decurrebant; ξυſtὸς, & xyſta, *ibid.* balnea, *ibid.* quando Romæ extrui cœperit, 7. a
Gymnaſtice ſecunda inter populares artes, 4. b. unde dicta ſit, *ibid.* quid ſit, *ibid.* Latinè Exercitatoria dici poſſit, *ibid.* veteres Mercurium illi præfecerunt, *ibid.* & Apollinem Enagonium, *ibid.* ſubjectum ejus eſt corpus humanum, *ibid.* finis ejus valetudinis conſervatio, 5. b. ac comparatio boni corporis habitus, *ibid.* non modò prodeſt valetudini conſervandæ, ſed & acquirendæ, 6. a. contempta ab Ægyptiis, & Romanis veteribus, ſed Græcis magno in honore erat, *ibid.* ejus tres formæ; ſimplex, bellica, & athletica, ac earum fines, 7. a. b. qui de ea ſcripſerit, 12. b. nec orationem dirigit, nec rationem: neque pietate, aut prudentiâ, inſtruit mentes noſtras, 32. a. corpus exercet, non animum, *ibid.*
gymnica certamina in ſacris adhibita à Græcis, 6. a. eorum finis duplex, *ibid.* an jam ante Trojana tempora fuerint, 6. b. alia pueris, alia viris conveniunt, 7. a. quinque ſtatui ſolent, 7. b. quæ levia dicta ſint, quæ gravia, 11. a
Gymnoſophiſtæ Indos Philoſophiam docuêre, 282. b

H.

HAbitus dianoëtici quinque, 208. a
Hadrianus Imperator artem pingendi excoluit, 30. b
Hadrianus Junius Adagiorum aliquot ſcripſit centurias, 45. b. quid in Chronologicis ſcripſerit, 195. a
Hali filius Abenragelis Aſtronomus quando vixerit, 122. a. quid præſtiterit, *ibid.*
Hali Rodoham commentatus eſt in Ptolomæi centiloquium, 187. a
Hannibal Raimundus ſcripſit de ſtella anni 1574, 191. b
Hanno Carthaginenſis quid, & quando, ſcripſerit in Geographicis, 50. a. 146. a. 199. b
harmoge in pictura quid, 22. a. præcipua ejus cura eſſe debet in multicolore pictura, 26. a
harmonia varia eſt; vel vocis, vel affectuum, vel qualitatum corporis, 13. a
harmonice quid ſit, & an melius conveniat arti Muſices, quàm vocabulum Muſices, quod latiùs patet, 13. a. κατ' ἐξοχὴν dicitur illa Muſices pars, quæ ore ſit, 18. a
Harpalus octaëteridem Cleoſtrati emendavit, 112. a
harpaſtum pilæ genus apud Romanos, 7. a. 9. b
Harpocratio Valerius λέξεις decem Rhetorum reliquit, 44. b. an ſit ille, qui Veri Imperatoris præceptor fuit, *ibid.* an Athenæum exſcripſerit, *ibid.*
Hebrææ literæ eædem, ac Phœniciæ, & Samaritanæ uſque ad captivitatem Chaldaicam, 3. b. 4. a. linguæ neceſſitas ad intelligendum vetus inſtrumentum, 42. b
Hebræi à quo ſuas literas habeant, *ibid.* numerant ab orbis initio, 53. b. eorum codices præferendi Græcis Bibliorum codicibus in Hebræorum temporibus, *ibid.*
Hecatæus Geographiam tractavit, variaſque γενεαλογίας ſcripſit, 49. b. ejus ætas, *ibid.*
Hecatæus Mileſius de Geographia tractavit, 146. a. de Genealogiis egit, 54. b
Hegeſias Paræbatem præceptorem habuit, 298. a. Hegeſiacæ ſectæ auctor, *ibid.* Πεισιθάνατος fuit dictus, *ibid.*
Hegeſander de ſtatuis, & de picturis, ſcripſit, 29. b
Hegeſippus Pergamenus Euandro ſucceſſit, 302. b
Hegira à quo Chriſti anno incipiat, 122. a
Heliadæ unde dicti, 109. b
Helicis inventor Perſeus, 63. b
Heliconius Aſtronomica ſcripſit, 184. a. ejus ætas incerta, *ibid.*
Heliodorus Athenienſis ſcripſit de Athenienſium anathematis, & de Architectonica, 203. a
Heliodorus Lariſſæus Optica ſcripſit, 97. a
Heliodorus Stoicus in Aratum commentatus eſt, 114. a
Heliopolis in Ægypto à quo condita, 109. b
helladicum picturæ genus, 27. b
Helladii lexicon cur à Photio dicatur eſſe utile ad πολυμάθειαν, 39. a
Helpericus quando de Muſica ſcripſerit, 181. b
Helpis, Boëthii conjux, erudita femina, 36. a
Helvedius Priſcus Stoicus, 311. a
hemerologia Græcorum, & parapegmata, à Metone inventa, 112. b
Hemicyclium ex quadrato excavatum invenit Beroſus, 183. b
Hemoaldus quando de rebus Mathematicis ſcripſerit, 184. b
Henrici Brucæi opinio de ætate Gemini refellitur, 115. a. ejus Aſtrologica, 127. a
Henricus à Lindhout quando Speculum Aſtronomicum ediderit, 192. b
Henricus Baerſius quæ in Aſtrologicis reliquerit, 125. a. ejus ætas, *ibid.*
Henricus Baten quando de Muſicis ſcripſerit, 181. b
Henricus Briggius quid, & quando, in Arithmeticis præſtiterit, 173. b
Henricus Buttingerus quando Chronologiam emiſerit, 197. a
Henricus IV. Galliarum Rex quo anno fuerit inunctus, 86. a
Henricus Glareanus quid ediderit in Arithmeticis, 73. a. Geographicis, 148. b. in Mechanicis, 204. a. quando natus, & mortuus ſit, 148. b. quid in Muſicis, 93. a
Henricus Guthberletus Chronologiam reliquit, 199. a
Henricus Monatholius quid, & quando, in Mechanicis ediderit, 167. a
Henricus Philippus quæ, & quando, in Chronologicis ediderit, 143. a
Henricus Ranzovius quando emiſerit tractatum de Genethliacorum judiciis, 192. b
Henricus Samerius quando ediderit ſuam Chronologiam ſacram, 142. b
Henricus Savilius quando ſua in Euclidem ediderit, 177. b. ejus laus, *ibid.* & 77. a
Henricus de Gandavo ſcripſit de Illuſtribus Eccleſiæ viris, 56. a
Hephæſtion Hadriani Imper. præceptor de arte Metrica ſcripſit, 48. b
Hephæſtion Thebanus Apoteleſmatica ſcripſit, 132. a
Heraclides Lydorum, ac Phrygum, Muſicam negavit ab Ionica, Dorica, & Æolica eſſe diverſam, 19. a
Heraclides Ponticus quando de Geometria ſcripſerit, 174. a. quot fuerint iſtius nominis, *ibid.* de Muſica, 180. a. & de Aſtrologia, 183. b. Archimedis vitam ſcripſit etiam, 161. b. prius Speuſippi, exinde Ariſtotelis auditor, 214. b
Hercules certamen Athleticum inſtituit Olympiæ, 10. b. primus victor fuit Pammachio, ac ab eo ludi Olympiaci ſacrati fuere Pelopi, 11. b. Aſtrologus, 109. b. Olympiadas inſtituit, *ibid.*
Hermachus Epicureus, 297. b
Hermannus Contractus Comes Heningen-

 gen-

genſis quid ſcripſerit in Geometricis, 80. a. quid in Muſicis, 92. b. quid in Aſtrologicis, 121. a. in Chronologicis, 139. b. ejus ætas, 80. a
Hermannus Follinus quæ, & quando, in Arithmeticis ſcripſerit, 172. b
Hermannus Witekindus quæ in Aſtrologia ediderit, 128. a. ejus ætas, *ibid.* & quæ in Arithmeticis. 171. b
Hermes an autor operis, quod centiloquium dicitur, 132. a. ſcripſit de Revolutionibus Nativitatum, *ibid.* & 187. b
Hermes Triſmegiſtus ἰατρομαθηματικὰ ſcripſit, 132. a
Hermippi duo in Aratum commentati ſunt, 114. a
Hermogenes de Elocutione ſcripſit, 47. b
Hermogenes medicus Hadriani Cæſaris, 257. a
Hermogenis hæretici error ex Platone deſumptus, 300. b
Hermolaus Barbarus curioſiſſimus linguarum fuit, 38. a. de convenientia Aſtronomiæ, & Medicinæ, ſcripſit, 186. b. & de Geometria, 80. a
Hermolaus Byzantius Stephanum de urbibus redegit in compendium, 50. b. quando Stephani Ἐθνικὰ in compendium redegerit, 200. a
Hermotinus Colophonius Geometriam docuit, 76. a
Hero junior ſcripſit Βελοποιικὰ, 163 a. b. & de Geodæſia, 106. a. de machinis bellicis, 274. a
Hero ſenior Alexandrinus ſcripſit Geometrica, 79. a. Mechanica, 161. a. πνευματικὰ, & Βελοποιικὰ, 100. a
Herodes Magnus quando mortuus ſit, 139. b
Herodianus ſcripſit de ὀρθογραφίας, 41. b. Apollonii Dyſcoli filius, vixit ſub Commodo Cæſare, 69 b. 70. a
Herodicus medicus ſub quo claruerit, 253. a
Herodoti de Thucididis ἀφορμὴ ad Olorum, ejus patrem, dictum, 38. a
Heroicum metrum apud Græcos omnium antiquiſſimum, 48. b. ejus inventrix Panothea, *ibid.*
Herophilus amoris noſtri in Muſicam dicebat eſſe cauſſam, quòd anima noſtra ſit harmonia, 14. b
Herophilus Chalcedonius in arte medicâ præcellens, 252. b. huic facinoroſi à regibus miſſi, quos vivos diſſecuit, *ibid.*
Heſiodus quando vixerit, 109. b
Heſtiæa Alexandrina quid ſcripſerit, 34. b
Heſychius emendatus, 8. b. 97. b. lexicon ſcripſit, quod Theſaurus Græcæ linguæ dici poſſit, 44. b. Chriſtianus fuit, ac alius ab eo videtur, quem Suidas gentilem dicit, *ibid.* ex Diogeniano Heracleota proverbia exſcripſit, 45. a. de viris Illuſtribus ſcripſit, 55. b
hexagona capacior eſt quadratâ, 74. b
Hicetas Syracuſius terram moveri docuit, 111. b
Hieremias Brothejel varia prognoſtica practica edidit, 190. b
Hieroglyphicæ ſcribendi ratio, 42. a
Hieronymus an autor ſit libri *de locis Sanctis*, 51. b. Euſebium Latinè reddidit, multaque ei addidit, 54. a. aliquando ejus errores non deprehendit. *ibid.* qui eum continuarint, *ibid.* ſcripſit de Illuſtribus Eccleſiæ viris, 55. b. de locis Sanctis Geographica reliquit, 147. a
Hieronymus Mercurialis de Gymnaſtice ſcripſit, 12. b
Hieronymus Cardanus quæ ſcripſerit in Arithmeticis, 72. b. Chronologicis, 140. b. Mechanicis, 165. b. Aſtrologicis, 190. b
Hieronymus Fracaſtorius quid in Aſtrologicis ſcripſerit, 189. a. ſtatua ei à Veronenſibus erecta, *ibid.*
Hieronymus Gemuſæus quando ediderit Strabonis epitomen Latinè à ſe redditam, 148. b
Hieronymus Munnos ſcripſit de ſtella anni 1574, 192. a
Hieronymus Pradus quid in Mechanicis præſtiterit, 166. b
Hieronymus Savonarola Aſtrologiam divinatricem impugnat, 135. b
Hieronymus Surita Itinerarium Antonini edidit, & commentario illuſtravit, 202. b
Hierophantis commiſſa Athenis erat cura intercalationis, 137. b
Hilda Abbatiſſa Angla à multiplici doctrina laudata, 36. a
Hildegardis Moguntina, femina docta, quantum in literis præſtiterit, 36. b
Hildephonſus Toletanus ſcripſit de Illuſtribus Eccleſiæ viris, 56. a
Hipparchia, ſoror Metroclis Cynici, uxor Cratetis Cynici, quando vixerit, & quæ ſcripſerit, 35. a. 308. a
Hipparchus Nicenus Aſtrologorum ſuo tempore Princeps, 114. b. an idem, ac Abrahis, *ibid.* ejus patria, *ibid.* ætas, *ibid.* æquinoctia ab eo obſervata, *ibid.* quæ ſcripſerit, 115. a. in Aratum item commentatus eſt, *ibid.* & 114. a
Hippaſus Metapontinus excellens Muſicus, 89. b
Hippobotas novem eſſe ajebat Philoſophorum ſectas, 298. a. quænam illæ fuerint, *ibid.*
Hippocrates de Gymnaſtica ſcripſit, 12. b
Hippocrates Cous medicus præſtantiſſimus, 253. a. Herodici diſcipulus, *ibid.* de hujus nativitate, parentibus & ſcriptis, *ibid.* & 252. a
Hippocratis præceptum Theſſalo filio datum de diſcenda Arithmetice, & Geometrice, ad uſum artis medicæ, 61. b. ipſe ſtudium Geometricum excoluit, 76. a
Hippolyta Taurella quæ ſcripſerit, 37. a
Hippolytus Medices citharæ amans, 19. b
hirundo quibuſdam dicitur inventrix artis ædificandi, 13. b
Hiſpani ab Auguſti anno XLII. uſque ad Ferdinandi Catholici tempora numerare ſolebant, 53. b. primi inter Europæos uſi ſunt ſifris, 70. a. qui eas à Mauris habent, *ibid.*
Hiſtiæus Colophonius decimam chordam lyræ addidit, 89. a
hiſtoria vel rerum naturam, vel geſta Dei, ac hominum deſcribit, 33. a. pars eſt Philologiæ, 39. b. naturalis, ac Phyſices, differentia, 43. b. non intelligi poteſt, niſi genus, & ſtirpem, eorum nôris, quorum narrantur geſta, *ibid.* quid vel ſtrictè, vel laxè ſumpta agat, 49. a. ejus ſtudium omnium eſt antiquiſſimum, *ibid.* non eſt à Cadmo Mileſio inventa, *ibid.* ejus materia quadruplex; verſatur enim circa loca, tempora, genus, & actiones, 49. a. vel vera eſt, vel ficta, vel mixta, 55. a. prior dividitur in ſacram, quæ verè talis eſt; tum divina, tum humana, Judaica, & Chriſtiana; vel errore hominum talis cenſetur; ac in civilem, & literariam, *ibid.* iſta pertinet ad hiſtoriam Gentilem, aut Mahumedanam, 55. b. hæc comprehendit antiquitates, quæ ſunt reliquiæ antiqui temporis, *ibid.* memorias, quæ ſunt initia legitimæ hiſtoriæ; quales ſunt propriè commentarii, *ibid.* ac hiſtoriam juſtam, quæ addit perſonarum characterem, &c. ad quam refer annales, qui portionem temporis complectuntur; vitas, quæ perſonas deſcribunt; ac actiones, quæ illuſtrem actionem, ſive rem geſtam repræſentant, *ibid.* quomodo hiſtoriam tractet philoſophus, quomodo Grammaticus, ſive philologus, 56. a. omnis ævi hiſtoriam diſcere cur non ſit difficile, *ibid.* quomodo ea ſit tractanda, *ibid.* & 57. b. 58. a. b. in ficta hiſtoria verum à falſo diſcernendum eſt, 56. a. atque ex ea eruenda eſt etiam myſtica interpretatio, *ibid.* quanta hiſtoriarum ſit utilitas in Philologia, Theologia, ac Politica, 56. b. earum maximus fructus, *ibid.* maximè omnium ad Deum ducunt, *ibid.* ſacræ præmittendæ profanis, 58. b. eſt pars philologiæ, 136. a. niſi temporum dirigatur ſerie, obſcura eſt, ac mutila, 137. a. ejus ſcribendæ ars ad civilem prudentiam pertinet, 75. a. multum ad eam intelligendam facit Geometria, *ibid.*
hiſtoria naturalis, 235. b. hujus præcipuus uſus atque finis, *ibid.* eſt vel naturæ liberæ, vel impeditæ, vel factitiæ, *ibid.* hæc præſtantior eſt ſcientia naturalis, *ibid.*
hiſtoriam animalium qui ſcripſerint, 238. b. 239. a. plantarum qui, 239. b
hiſtoriarum, & antiquitatum, ſcientiâ indiget pictor, 24. a
hiſtorici quo ordine legendi ſint, 56. a. 57. b. 58. a. b
Hiſtoriographus indiget cognitione Aſtrologiæ, 103. b. & Geodæſiæ, 99. b
Homar, *vide* Omar.
Homerus Geographiam attigit, 146. a
hominis volitio eſt libera, 134. b
Honorius Auguſtodunenſis ſcripſit de Illuſtribus Eccleſiæ viris, 56. a
Horapollo ſcripſit de Hieroglyphica ſcribendi ratione, 42. a
horologiorum uſus, 155. a. Cynicis ſpretui habitus, *ibid.* ſunt vel mechanica, vel ſciatherica, 155. b. illa varia: hæc item mobilia, & ſtabilia, tum plana, tum non plana; ac utrorumque ſubdiviſio, *ibid.* ſciothericum primus Lacedæmone oſtendit Anaximenes Mileſius, *ibid.* ac antè ea habuit populus Dei, *ibid.* apud Græcos dein eorum ars paulatim excrevit, *ibid.* quando ea habere cœperint Romani, 156. a. ad tria hodie genera revocari poſſunt, 156. b
Hugbaldus quando de Muſica ſcripſerit, 181. a
Hugo Heltilius quando Planiſphærium ſuum emiſerit, 190. a
Hugo Sempelius laudatus, 68. a. 73. a
Humenus Ægyptius quando vixerit, 121. b. ſcripſit tabulas Aſtronomicas Arabicè, *ibid.*
Huo Heltilius, *vide* Hugo Heltilius.
Hydraulica ſub Mechanice continetur, 85. a
Hydraulice Muſices pars, quam Cteſibius invenit, 17. b
Hydrographia geographiæ latiùs ſumptæ pars eſt, 49. a. b
Hygiænon pictor quando vixerit, 26. b
Hyginus Gromaticus de agris, & eorum limitibus, ſcripſit, 100. a
Hypatia, Theonis Alexandrini filia, quæ reliquerit, ac quàm miſerè ab Alexandrinis diſcerpta fuerit, 35. b. 79. b. in ſchola Platonica ſucceſſit, *ibid.* ejus obitus, *ibid.* à Chriſtianis interempta eſt, 117. a. commentata eſt in Diophantum, 169. a. in Conica Apollonii, 174. b. quid præterea in Geometricis præſtiterit, 79. b
Hyperchio ſcripſit de ὀρθογραφίας, 41. b
Hyppolitus Martyr reliquit temporum canones, & ἑκκαιδεκαετηρίδα Paſchalem, 138. b. ejus ætas, *ibid.*
Hypſicles Alexandrinus auctor exiſtimatur duorum poſteriorum librorum Euclidis, 77. b. 174. b
Hypſicrates de tabulis ſcripſit, 29. b

I.

Jacobi Golii laus, 78. a. 120. b
Jacobi Gothofredi laus, 146. b
Jacobus Alkindus, qui de radiis ſtellarum ſcripſit, quando vixerit, 122. b
Jacobus Androvetius quando Architecturam ediderit, 204. b
Jacobus Chriſtmannus quantum in Aſtrologicis præſtiterit, 128. b. ejus ætas, *ibid.* in Geometricis, 83. b. Chronologicis, 141. b

Ja-

Jacobus de Billy quando novam Geometriæ clavem Algebram ediderit, 179. a
Jacobus Faber Stapulenſis quid præſtiterit in Muſicis, 93. a. in Arithmeticis. 169. b. 170. a. 171. a
Jacobus Gordonus quando Chronologiam ſuam emiſerit, 198. a
Jacobus Kæbelius de Aſtrolabio ſcripſit, 189. b
Jacobus Metius Adriani frater teleſcopii Batavi inventor, 83. b. 130. b
Jacobus Mazzonius quæ, & quando, in Arithmeticis ſcripſerit, 172. b. ejus ætas, ibid.
Jacobus Micyllus Logiſticen ſcripſit, & quando, 86 b. unde illud habeat nomen, ibid. illius laus, diſcipuli, filii, ibid. ejus ſucceſſor Xylander, 83. a
Jacobus Peletarius quid ſcripſerit in Geometricis, 82. a. Arithmeticis, 171. a. Aſtrologicis, 82. a. 190. a. Chronologicis, 196. a
Jacobus Rammingius de ædificiis, & Architectis, quando ſcripſerit, 204. b
Jacobus Roſius quando Ephemeridem ſcripſerit, 198. b
Jacobus Salianus quando Annales Eccleſiaſticos ediderit, ibid.
Jacobus Severtius quæ, & quando, in Mechanicis præſtiterit, 166. b
Jacobus Uſſerius quid in Aſtrologicis ediderit, 194. a. ejus laudes, ibid. & 112. a
Jacobus Zieglerus quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 189. b. Geographicis, 149. a
jaculatio gymnici certaminis genus, 10. a. vel latiùs, vel ſtrictiùs ſumitur, ibid.
jaculatores olim nudi, & veſtiti, 4. b. 10. a
Jades de Muſica ſcripſit, 180. b. ætas ejus incerta, ibid.
Jamaicenſes Aſtrologicâ Chriſtophori Columbi prædictione territi, 102. b
Jamblichus reliquit opus de ſimulacris, quod refutavit Philoponus. 29. b. de Arithmetica ſcripſit, 71. b
Jamblichus Porphyrii diſcipulus, quando claruerit, 303. b
Jambum invenit Ananias, perfecit Archilochus Parius, 48. b
Jana Graja, Henrici, Suffolciæ Ducis, filia, erudita fuit, 37. a. ejus mortis genus, ibid.
Japonia veteribus fuit incognita, 144. b
Jatraliptice, unguentis corporis morbis medetur, 251. a
Ibnu Giulgiul philoſophorum vitas digeſſit, 195. b
Idacius quouſque B. Hieronymum continuârit, 54. a
imitatio in arte pingendi conſiſtit in delineando, & colorando, 25. b
imitatione opus eſt ad acquirendam purè loquendi diſciplinam, 46. b
Indi fortè primi uſi ſunt ſifris, 70. a
Indiæ Gymnoſophiſtæ duplices, 281. b. quomodo nominati, ibid.
infantibus exercitium corporis eſt, ſi geſtentur in ulnis, aut curriculis puerilibus vehantur, aut agitentur in cunis, vel lectis penſilibus, 12. b
inſcitia, & faſtus, ut plurimum concurrunt, 38. b. 41. a
inſtrumenta Muſica alia ſunt ἐμπνευστά; alia ἔγχορδα; alia κρουστά, 18. a
intellectus affectiones, quot, 208. a. b
interpretatio quid, 222. a. eſt ſimplex, vel conjuncta, ibid. cur liber de Interpretatione, vulgò de Enunciatione, inſcribatur, ibid. cur de ea liber ſcriptus, 224. a. an Ariſtoteles hunc ſcripſerit, 224. b
interpunctio ſpectat ad ὀρθογραφίαν, 42. a
inventio quomodo, & cur, ſit Graphices pars, 25. a. quotuplex, 218. a
Joachimus Camerarius quæ, & quando, in Aſtrologicis ediderit, 188. a. b. ejus alia ſcripta, & laudes, ibid.
Joachimus Fortius quæ in Aſtrologia ediderit, 126. a. ejus laus, ibid. ætas, & obitus, ibid. quæ in Arithmeticis, 170. b
Joachimus Vadianus quando Geographica ſua ediderit, 148. a. ejus obitus, ibid.
Joanna, Philippi Regis uxor, ex tempore reſpondebat Latino ſermone aliorum orationibus, 36. b
Joanna Blanchetta, femina erudita, varias linguas loquebatur, 36. b
Joannes Budæus quædam de Gymnaſtice notavit, 12. b
Joannes Meurſius de Orcheſtra ſcripſit, 8. b. 9. a. de ludis Græcorum, & Gymnaſtice, 12. b
Joannes Sariſberienſis quædam de Gymnaſtice notavit, ibid.
Joannes Abbas Biclarienſis quouſque B. Hieronymum continuârit, 54. a
Joannes Bocacius quando ſua in Geographicis ſcripſerit, 51. a. Vibium ſequeſtrum exſcripſit, ibid.
Joannes Braſſicanus Adagia ſcripſit, 45. b
Joannes Funccius Chronologiam ſcripſit, 54. a
Joannes Glandorpius de Genealogiis ſcripſit, 55. a
Joannes Ulpius Adagia ſcripſit, 45. b
Joannes Abioſus de Aſtrologia divinatrice ſcripſit, 124. b. ejus ætas, ibid.
Joannes Alfonſus quando nova reperta Geometrica ediderit, 178. a
Joannes Angelus quæ, & quando in Aſtrologicis ediderit, 186. b. 195. b
Joannes Antonius Manginus quæ ediderit in Aſtrologicis, 129. b. ejus ætas, ibid. & 124. b. quantopere Aſtrologiam judiciariam impugnet, 129. a. quæ in Geographicis, 150. a. in Chronologicis, 197. a
Joannes Bacondorpius in Aſtrologicis quæ, & quando, ſcripſerit, 185. a
Joannes Bajerus, quid, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 192. b
Joannes Balantyne Coſmographiam, ac Albaniæ deſcriptionem, quando ediderit, 148. a
Joannes Baldus de celebratione Paſchatis quando ſcripſerit, 195. b
Joannes Baptiſta à Porta emiſit interpretationem primi libri μεγάλης συντάξεως, cum commentariis Theonis, & Magiam naturalem, 128. a. ejus ætas, 128. b. defenſus contra Bodinum, ibid. ejus effigies, & elogium, ibid. quæ reliquerit in Opticis, 98. a. in Geometricis, 176. b
Joannes Baptiſta Dominus præcellens Muſicus, 93. b
Joannes Baptiſta Memmius infeliciter vertit Conica Apollonii, 78. a
Joannes Baptiſta Villalpandus quæ, & quando, in Mechanicis præſtiterit, 166. b
Joannes Baſſantinus quando ſcripſerit Aſtronomiam, 192. b
Joannes Bavarus à quo anno, & quo uſque, ephemerides condiderit, 190. a
Joannes Behm quando Chronologiam ſuam ediderit, 198. a. b
Joannes Bellendenus, vide Joannes Balantyne.
Joannes Bernardus quando Arithmeticen publicârit, 171. a. quando Geometriam ſpeculativam, & Practicam, 176. b
Joannes Blaeuwius Juriſconſultus, & Mathematicus, 130. a. 151. b
Joannes Blanchinus quando ſcripſerit tabulas Aſtronomicas, 124. a. 125. a
Joannes Blum quæ, & quando, in Mechanicis ediderit, 165. a
Joannes Brunæus Zelandiæ ſecretarius laudatus, 67 a
Joannes Buſæus ſcripſit pro Calendario Gregoriano, & alia in Theologicis, 120. b. ejus ætas, ibid.
Joannes Buteo de fluviaticis inſulis ſecundùm jus civile dividendis ſcripſit, 100. a. quæ præterea emiſerit in Mechanicis, 165. a. 75. a. Geometricis, 176. b
Joannes Campanus Mathematicus ſui temporis maximus ex Arabico vertit Euclidem, 80. b. ſcripſit etiam computum Eccleſiaſticum, & Kalendarium, 195. a. b. vide Campanus.
Joannes Cantuarienſis novam Perſpectivam ſcripſit, 98. b. vide Rogerus Baconus.
Joannes Cario quæ in Aſtrologicis ſcripſerit, 125. a. ejus ætas, ibid. autor Chronici, ibid.
Joannes Chenu quando ediderit Chronologiam hiſtoricam Epiſcoporum Bituricenſium, & alia, 142. b
Joannes Cochlæus elementa reliquit Geometrica, 176. a. & Muſica, 182. a
Joannes Coca quando de Ptolomæi Geographia bene ſit meritus, 201. b
Joannes de Bacone, vide Joannes Bacondorpius.
Joannes d'Eſpieres quid in Chronologicis ediderit, 199. a
Joannes de Gmunde quæ in Aſtrologicis reliquerit, 123. b. ejus ætas, ibid.
Joannes de Ligneriis quid in Aſtrologicis præſtiterit, 185. b
Joannes Demerlierius quando opus ſuum de linearum rectarum per quadratum Geometricum dimenſionibus ſcripſerit, 171. b
Joannes de Rojas ſcripſit de Sphæra in plano deſcribenda, 126. b. ejus ætas, ibid.
Joannes de Sacro Buſto quando vixerit, 122. a. ſcripſit de Sphæra mundi, & de aſtrolabio, ibid. ejus patria, 122. b. quando ſcripſerit computum Eccleſiaſticum, 195. b
Joannes Deſpauterius Grammaticus egregius, 140. a. b
Joannes Dryander quæ in Aſtrologia elaborârit, 126. a. & 204. a. ejus ætas, ibid. & in Geographia, 149. a
Joannes Eſtwodus de Ashenton quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 151. b
Joannes Ezler quando ſpeculum ſuum Aſtronomicum ediderit, 181. a
Joannes Funccius Chronologiam edidit, 140. b. ejus obitus, ibid.
Joannes Garcæus quid in Aſtrologicis præſtiterit, 191. a
Joannes Gerſon trilogium Aſtrologiæ theologizatæ ſcripſit, 186. a
Joannes Goja Amalphenſis invenit pyxidem nauticam, 157. b. aliis Flavius Campanus dictus, ibid.
Joannes Henricus Alſtedius quid, & quando, in Arithmeticis præſtiterit, 173. b
Joannes Hevelius quæ, & quando, in Aſtrologicis ediderit, 194. a
Joannes Hiſpalenſis, qui Alfraganum Latinè vertit, quando vixerit, 121. b
Joannes Honterus quando de rudimentis Coſmographiæ carmina ediderit, 202. a
Joannes Jovianus Pontanus quæ in Aſtrologicis ſcripſerit, 186. a
Joannes Jucundus quæ, & quando, in Mechanicis ſcripſerit, 164. a. ejus laus, ibid.
Joannes Keplerus edidit Aſtrologica, 129. b. Chronologica, 141. b. Arithmetica, 173. b. Stereometrica, 178. a. Dioptrica, 205. a
Joannes Killingwort quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 185. b. quæ in Arithmeticis, 169. b
Joannes Lalamantius quid, & quando, in Chronologia præſtiterit, 196. b
Joannes Lantz quando ſcripſerit Arithmetica ſua, 173. b
Joannes Laurentius Philadelphenſis Lydus quando vixerit, 117. b. ſcripſit de prodigiis, menſibus, & politicis magiſtratibus, ibid. & 194. b
Joannes Lavus quando Inſtitutiones Arithmeticas ſcripſerit, 173. a
Joannes Lenſæus Aſtrologiam divinatricem im-

impugnavit, 135. b
Joannes Lucidus Samoſatheus quando Chronologiam ſcripſerit, 196. a
Joannes Maria quando de maxima Solis declinatione ſcripſerit, 190. a. quid ſcripſerit in Chronologicis, 196. a
Joannes Martinus quando Arithmeticem Theoreticam, & Practicam, ſcripſerit, 170. b
Joannes Mercurius Morſheimerus de Aſtronomia ſcripſit, & quando, 190. a
Joannes Meurſius laudatus, 73. a. 92. b
Joannes Micrælius quando ediderit Arithmeticen, & ad globi terreſtris, ac cæleſtis, tabularumque Geographicarum uſum, manuductionem, 202. b
Joannes Moriſotus quando Arithmetica ſua ſcripſerit, 171. a
Joannes Mullerus quid ſcripſerit in Geometricis, 81. a. in Aſtrologicis, 124. a. Mechanicis, 195. b. Geographicis, 201. a. ejus laus, 81. a. & mortis genus, 124. a
Joannes Muntz quando Prognoſtica ſua ſcripſerit, 188. a
Joannes Neperus quæ, & quando, in Arithmeticis ſcripſerit, 172. b. numeros Logarithmicos invenit, 173. a
Joannes Nycius Erythræus Aſtrologiam divinatricem impugnavit, 135. b
Joannes Paduanus quando de horologiis ſcripſerit, 166. a
Joannes Paullus Gallucius quando ſcripſerit de Hemiſphærio Uranico, 192. b
Joannes Peccamus de perſpectiva communi, & particulari, ſcripſit, 98. a. S. Bonaventuræ diſcipulus fuit, ibid. fuit pòſt Archiepiſcopus Cantuarienſis, & totius Angliæ primas, ibid.
Joannes Pediaſimus Muſica ſcripſit, 92. b. & Geometrica, 175. a
Joannes Pellius laudatus, 71. b
Joannes Pena quæ, & quando, in Opticis præſtiterit, 183. a
Joannes Petſan Optica ſcripſit, 98. a
Joannes Philoponus Heterodoxus quando in Arithmeticen Nicomachi Geraſeni ſit commentatus, 169. a. 307. a
Joannes Picus Mirandulanus Aſtrologiam divinatricem impugnavit, 135. b. 186. b
Ioannes Piſanus novam Perſpectivam ſcripſit, 98. a
Ioannes Raſtallus quando canones ſuos Aſtrologicos ſcripſerit, 188. b
Ioannes Sariſberienſis Aſtrologiam Apoteleſmaticam impugnat, 135. b
Ioannes Scheubelius quæ in Arithmeticis, & quando ediderit, 171. a
Ioannes Schonerus tabulas Aſtrologicas, & alia, reliquit, 126. b. ejus ætas, ibid.
Ioannes Schrœterus tabulas Aſtrologicas ſcripſit, 190. b
Ioannes Seldenus quid in Chronologicis ediderit, 199. a
Ioannes Smithus ſcripſit de oppido Batavorum, 152. a
Ioannes Somerius quæ, & quando, in Aſtrologicis ediderit, 186. a
Ioannes Stabius quæ, & quando, in Mechanicis præſtiterit, 164. a
Ioannes Stampioen quando Algebram ſuam emiſerit, 179. a
Ioannes Stigelius quæ, & quando, in Aſtrologicis ediderit, 189. b
Ioannes Stobniza quando Iſagogam ſuam in Ptolomæi Geographiam ediderit, 148. a
Ioannes Stœflerus quando Kalendarium Romanum magnum ſcripſerit, 140. a. quæ reliquerit in Geographicis, 148. a. quæ in Aſtrologicis, 125. a. ejus mors, ibid.
Ioannes Suiſſer Calculator dictus de Algebrâ Latinè ſcripſit, 86. b
Ioannes Summer, vide Ioannes Somerius.
Ioannes Teiſnierius quid in Aſtrologicis ediderit, 191. b
Ioannes Temporarius quando ſcripſerit Chronologicas demonſtrationes, 197. a
Ioannes Velnerus quando Geographica ſua ediderit, 148. a
Ioannes Voellus quando de horologiis ſciotericis ſcripſit, 167. b
Ioannes Walterus quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 186. a
Ioannes Wedenſtein quando de Muſica ſcripſerit, 182. a
Ioannes Wernerus quæ in Aſtrologicis ſcripſerit, 124. b. 125. a. ejus ætas. ibid. quæ in Geometricis, 81. a
Ioannes de Mediolano medicus, quando claruerit, 159. a. hic nomine Collegii medici Scholæ Salernitanæ conſcripſit librum, cui titulus *Schola Salernitana*, ibid.
Ioannes Meſue Damaſcenus, medicus, 260 b. duos libros Arabicè reliquit, ibid. tantæ exſtitit venerationis, ut magnæ autoritatis medici eum ſuum *Evangeliſtam* dicerent, ibid.
Ioannes Serapionis filius, medicus Arabs, quando floruerit, 262. a. cur *Serapion* dictus, ibid. de hujus ſcriptis, ibid.
Ioannis G. F. Blaeuw laus, 53. b
Ioannis Gronovii laus, 36. a
Ioannis Laurenbergii tabulæ Græciæ longè ſuperant Sophiani, 52. b
Ioannis Stadii Atlantem fuiſſe Enochum exiſtimantis error, 107. a. quæ ediderit in Aſtrologicis, 127. a. ejus poſteri, ibid.
Iodocus Clichtoveus quando commentatus ſit in Fabri Stapulenſis Arithmeticam, 170. a
Ionica Muſica molles facit, 16. a. & cur, 19. a. placebat Mileſiis, ibid.
Ionicæ ſectæ qui autores ſint, 111. a. b
Ionicum, ſive Aſiaticum picturæ genus, 27. b
Ionicus Sardianus, Zenonis diſcipulus, 258. a
Iordanus Nemorarius quæ ſcripſerit in Aſtrologicis, 122. b. Mechanicis, 164. a. Arithmeticis, 169. b. Geometricis, 176. a. Opticis, 182. b
Ioſephi patriarchæ hiſtoria, 56. b
Ioſephi Blancani error in ætate Albategnii Syri, & Alfarabii, 120. b. Rogerii Baconi, 122. b. Thebitii, 123. a
Ioſephi Scaligeri opinio de argenteo Freheri nummo probatur, 70. a. error, 113. a. Chronologica, 141. b. 143. b. eorum ſynopſis, 107. b
Ioſephus Auria quæ in Aſtrologicis ediderit, 192. a
Ioſephus Langius quando elaborârit Elementale Mathematicum, 193. a
Ioſephus Moletius quando ediderit tabulas Gregorianas, 196. b. quantum ſit meritus de Ptolomæi Geographia, 202. a
Ioſephus Zarlinus Italicè ſcripſit Inſtitutiones harmonicas, 93. b
Ioſephus Scaliger quàm bene ſit meritus de Feſto Pompejo, 44. a. & de Euſebio, ac Chronologia, 54. a
Ioſiæ Merceri in edendo Nonio induſtria laudata, 44. a
Ioſias Simlerus ſcripſit vitas Illuſtrium Eccleſiæ virorum, 56. a
Iphitus Praxionidæ filius Olympiades ab Hercule inſtitutas inſtauravit, 109. b
Ἱππιατρικὴ, ſive mulomedicina, 251. a. de hac qui ſcripſerint, ibid.
Iridis ſcientia ſub Optica eſt, 94. a
Iſaac Benimiram, Salomonis filius, medicus Arabs, quando floruerit, 261. b. hujus ſcripta, ibid. fuit medicus cubicularius Salomonis Arabiæ regis, ibid.
Iſaaci Caſauboni error in voce παγχρηστὸς, 11. b
Iſaacus Argyrus quando ſcripſerit Geodætica, 100. a. Chronologica, 139 b. Geometrica, 175. a. b. Aſtronomica, 184. a
Iſaacus Hazan autor tabularum Alphonſinarum, 122. b
Iſchiaci non ſanantur leni, ſed duro, cantu, 19. a
Iſidorus Characenus patriam ſuam Parthiam deſcripſit, 50. b. de Geographia egit, 164. a. 199. b
Iſidorus Hiſpalenſis quæ in Geographicis ſcripſerit, 51. a. originum libris utilem navavit operam, 44. a. ſcripſit de Illuſtribus Eccleſiæ viris, 56. a. malè agit prius de Dialecticis, quam de Matheſi: prius de Rhetorice, quàm Logice, 65. a. b. errat in notatione vocis *Numeri*, 67. a. in primo Latinorum Arithmetices ſcriptore, 72. b. ſcripſit de Aſtronomia, 119. a. b. Geographia, 147. a. Muſica, 181. a
Iſidorus Magnus quando vixerit, 174. a. quid in Geometricis præſtiterit, ibid.
Iſis eadem, ac Minerva, 3. b
Iſmaël Bullialdus quæ, & quando, in Aſtrologicis ediderit, 193. b
Iſocratis fucata, atque anxia nimis, elocutio, 47. b
Iſorrhopica quid ſit, 191. b. ab ea dependent omnia, quæ mechanice tradit, ibid. quomodo ad eam reducantur, quæ ſub Mechanice complecti ſolent, 159. a
Italica ſaltatio inventa à Bathyllo Alexandrino, ex quotuplici ſaltationis genere conſtiterit, 18. b
Italicæ ſectæ quis autor, 111. a
Itinerarii Burdigalenſis vetus ſcriptor, 147. a
Itinerarium Antonino Auguſto adſcriptum an Iulii oratoris ſit, an Æthici Iſtri, 51. b. 147. a
Iuba, Mauritaniæ Rex, de Pictura, & de Pictoribus, ſcripſit, 30. a. herbam invenit, quam medicinæ nomine *Euphorbiam* appellavit, 256. a
Iubal, Adami trinepos, reperit artem canendi citharâ, & tibiâ, 13. b
Iudæi aliis uſi ſunt literis ante captivitatem Chaldaicam, aliis poſt eam, 3. b. in ſacris uſi ſunt Muſica, 90. b. & quæ ſit ratio, ibid. helleniſtæ Pythagoram ſectati, 292. a
Iudæorum Philoſophia, quam ab Abrahamo hausêre, bipartita, 281. b
judicia vel publica ſunt vel privata, 273. b
Iuliana Morella Barcinonenſis virgo erudita laudata, 37. a
Iulianus Cæſar ab eruditione laudatus, 33. a. cur politioris literaturæ ſcriptores in ſcholis legi noluerit, 34. a
Iulianus Alexandrinus medicus ſub Antoninis vixit, 257. b. ſcripſit contra Aphoriſmos Hippocratis, &c. ibid.
Iulius Cæſar Scaliger quædam de Gymnaſtice notavit, 12. a. reprehenſus, 14. b
Iulius Romanus celebris ſuperioris ſeculi pictor, 30. b
Iulius Africanus, ex quo plurima hauſit Euſebius Pamphilus, primus Chriſtianorum de temporibus ſcripſit, 53. b. Chronologus Chriſtianorum antiquiſſimus, 138. b. ab Euſebio exſcribi ſolet, ibid. ejus ætas, ibid. ſcripſit etiam Mechanica, 163. a
Iulius Cæſar an autor ſit Itinerarii Antonino Auguſto tributi, 51. b. veterem annum Romanum caſtigavit, 118. a. non aſſecuti hanc rem ſunt Sacerdotes, 118. b. ab Auguſto error Pontificum in ejus Epocha correctus, ibid. cur Græcè ſcripſerit, 153. b. malè ei adſcribuntur Aratea, ibid. Aſtrologiæ gnarus fuit, 101. b
Iulius Hyginus reliquit Genealogiarum codicem, 54. b
Iulius Orator an ſit auctor Itinerarii Antonino Auguſto adſcripti, 51. b
Iulius Pollux ſcripſit Ὀνομαστικὸν, quod Cæſari Commodo dictavit, 44. b
Iulius Rufinianus de Elocutione ſcripſit, 47. b
Iulius Firmicus in Aſtronomicis ſuis Apoteleſmatica habet, 132. a. ejus ætas, 132. b. ob Aratea Iulio Cæſari tributa reprehenſus, 118. b
Iulius Frontinus de agris, & limitibus, ſcripſit, 100. a

Iulius

Iulius Hyginus quando vixerit, 119. a. ſcripſit hiſtoriam ſiderum, *ibid.*
Iulius Solinus Geographica reliquit, 147. a
Iulius Syrenius Aſtrologiam divinatricem impugnavit. 135. b
Iulius Auſonius Vaſatenſis medicinæ cauſſa in palatium arceſſitus fuit à Valentiniano ſeniore, 258. b. pater Decii Magni Auſonii Burdigalenſis poëtæ, *ibid.*
Iupiter à quatuor planetis circumitus, 95. a
Iuriſconſulti magnis honoribus & titulis affecti ab Imperatoribus Romanis, 274. b
Iuriſprudentia activæ Philoſophiæ proles eſt, *ibid.* Iuris ſtudium valde neceſſarium eſt, *ibid.*
jus naturæ, gentium & civile, 275. a
Iuſtinus Martyr à Mathematico contemptus, quod negâſſet ſe in Muſicis, Aſtrologicis, & Geometria, eſſe verſatum, 64. b
juſtitia Ariſtoteli duplex, 69. a
Iuſtus Byrgius obſervationes Aſtrologicas ſcripſit, 128. a
Iuſtus Ryckius nepos Ioannis Stadii ex filia, 127. a
juventus cur aptior ſit diſcendis linguæ Latinæ, ac Græcæ, elementis, 42. b

K.

KAlendarium quid ſit, & quid agat, 108. b. Gregorianum quando cœperit, & quomodo corrigi poſſit, 192. a
Καρπαία ſaltationis bellicæ genus, 9. a
Karolus M. Aſtrologiæ amantiſſimus, 219. b. menſibus, ac ventis, nomina impoſuit Germanica, quæ obtinent, *ibid.* planetarum horologium à Rege Perſico ei miſſum, *ibid.*
Κατὰ vocis explicatio, 221. a
Κατηγορεῖν explicatio, 213. b. 220. b
Κλιμακίς palæſtræ genus apud veteres, 5. a
Κολαβρισμὸς ſaltationis bellicæ genus, 9. a
Κίρδαξ ſaltationis genus in comœdiis adhiberi ſolitum, 18. b
Κρικηλασία exercitationis genus, 6. b
Κρητικὴ λόγου proverb. unde, 295. a
Κυβιστικὴ ſaltatio quæ ſit, 8. b
Κύκλος ἱστορικὸς, ſive Orbis hiſtoricus, quid ſit, 56. a
Κωρύκιον tertius Gymnaſii locus, ubi folle luſorio, & pilâ, luſitabant, malè Philandro coricium dicebatur, 5. a. 9. b

L.

LAcedæmonii Muſice utebantur ad vitæ auſteritatem modulorum dulcedine temperandam, 14. b. ut etiam, quando ituri eſſent in bellum, aut ſeditione laborarent, 15. b. 17. a. 18. a. placebat iis Muſica Dorica, 19. a
Lactantius Potamonis philoſophandi genus laudat, 314. a. Antipodas eſſe negat, 315. a
Lacydes Arceſilæ diſcipulus, 302. b
Lælii filia ab eloquentia laudata, 35. a
Laërtius emendatus, 11. a. 111. a. 112. b
Læta, femina docta, ad quam ſcripſit B. Hieronymus, 35. b
Lævini Lemnii, exiſtimantis Romanos habuiſſe pyxidem nauticam, error, 157. b
Lævinus Hulſius quando ediderit tractatus ſuos de Inſtrumentis Mechanicis, 205. a
Lambertus Lombardus Leodicenſis, celebris, magnique judicii, dum viveret, pictor, 30. b
lapidibus inſcribendi mos vetus, 104. b. & metallis an vita inſit, 237. b
Laſus Hermionenſis primus ſcripſit de Muſica, 89. b. ejus ætas, *ibid.* & 179. a
Latina lingua ſine Græca ad ſolidam eruditionem non ſufficit, 42. b. ſæpe ex Græco fonte, Æolum præſertim, promanat, 43. b
Latinorum, ac Græcorum, eadem fuit de orbe diſciplinarum ſententia, 39. b
Laurentius Corvinus quando Geographiam orbis inhabitati ſcripſerit, 201. b
Laurentius Eichſtadius quæ, & quando, in Aſtrologicis ediderit, 193. b
Lazarus Schonerus quæ, & quando, ſcripſerit in Geometricis, 82. a. Ramum laudat, at nimium culpat Euclidem, 82. b. quæ in Arithmeticis, 172. a
Leo imperator tactica reliquit, 163. b
Leo Allatius quando ediderit exercitationem de natura temporum, 143. a. quando Aſtrologica, 194. a
Leo Baptiſta Albertus quæ, & quando, in Mechanicis ediderit, 156. a
Leo, Neoclidis diſcipulus, Geometriam excoluit, 76. a
Leodamas Thaſius Geometriam docuit, 76. a
Leonardus Digs quæ, & quando, in Mechanicis ſcripſerit, 165. b
Leonardus Fortius quæ, & quando, in arte Mechanica ſcripſerit, 164. b
Leonardus Piſanus quando de Algebra ſit commentatus, 169. b
Leontium meretrix adverſus Theophraſtum ſcribere auſa, 307. b
Leontius Mechanicus ſcripſit de fabrica Arateæ Sphæræ, 203. a
Leſbius cantor à Lacedæmoniis arceſſebatur, ſi quando ſeditione laborarent, 15. b
Leucippus auditor Zenonis Eleatis, 294. b. primus ſtatuit omnia fieri ex atomis, *ibid.*
liber *de Locis Sanctis* an Hieronymi ſit, an Bedæ, 51. b
Libertus Fromondus in ætate Pythagoræ, & Ariſtarchi Samii, fallitur, 114. a. quæ ſcripſerit in Aſtrologia, 193. a
Libybus debetur Sithyra, 89. b
Libyca Philoſophia, 286. a
Libycæ equæ cantu Muſices in Venerem incitantur, 14. b
Licinius Craſſus ſaltandi peritus, 18. b
Licinius Imperator cur literas vocârit publicam peſtem, 3. b
lienen inurebant athletæ, eò quòd ſæpe ipſis eſſet impedimento, 8. a
Lilius Gyraldus ſcripſit vitas virorum Illuſtrium, 56. a
Lilius Gregorius Gyraldus quando ſcripſerit de annis, & menſibus, 195. b. 196. a. de navigiis, & navigandi ratione, 204. a
Literæ elementariæ diverſæ ab iis, à quibus literati dicuntur, 2. b. earum inventio Theut Ægyptiorum, ſive Deo, tribuitur, 3. b. Latinis, ut Γράμματα Græcis, non modò prima vocum elementa, ſed & ipſam eruditionem, ſignificant, 40. b. à Cadmo inventæ, 69. b. Græcis ſunt numerorum notæ, *ibid.*
Lipſii error in vertendis Gregorii Nazianzeni verbis, 34. b
Logarithmus quid, & quotuplex, 174. a
Logica Philoſophiæ debet præmitti, 59. a. ſicut & Matheſin ei præmittebant veteres, 65. a. laxè ſumpta duas diſciplinas comprehendit, 206. a. preſsè accipitur pro ſolâ arte rationem dirigente in cognitione veri, *ibid.* ejus triplex nomen, *ibid.* cum Dialectica confuſio, *ibid.* pro tota arte introducta à veteribus Peripateticis, 206. b. utrum à ratione an oratione dicta, *ibid.* & 207. a. an ars ſit, *ibid.* & 207. b. hujus finis, *ibid.* & 208. b. 210. b. an operetur, *ibid.* Logices officium, 208. b. objectum, *ibid.* Logica ſimpliciter conſiderata, 209. a. Logices utilitas, *ibid.* neceſſitas, 209. b. Logices contemptores, *ibid.* ante Philoſophiam diſcenda, *ibid.* an ſit pars Philoſophiæ, 210. a. in hac quæſtione quomodo Peripatetici à Platone differant, 210. b. utenſne an docens, ſit Philoſophiæ inſtrumentum, 211. b. Logices uſus in Medicina, 212. a. in Iuriſprudentiâ, *ibid.* in Theologiâ, 212. b. Logices origo, *ibid.* ante tempora Ariſtotelis inventa, 213. a. 214. a. Logice quæ patribus maximè placuerit, 216. a. Peripatetica cur potius diſcenda, 216. b. Logices diſtinctio in artificialem & naturalem, 217. a. hujus diviſiones tres, *ibid.* prima diviſio in Inventionem & Iudicium, *ibid.* hæc diverſimodè explicatur, 217. b. an legitima ſit, *ibid.* an hæc diviſio Logices organo Ariſtotelis poſſit aptari, *ibid.* à quibus hæc diviſio profecta, 218. a. ſecunda diviſio in partem communem & propriam, 219. a. tertia diviſio, 220. a
Logice πολυμαθείας pars eſt, 39. a
Logiſtices vox laxè ſumpta omnem ratiocinationem comprehendit, ſtrictè verò ſumpta ratiocinationem per numeros, 85. b. 86. a. latiùs adhuc Platoni patet, *ibid.* applicat ſe ad enumerationem rerum, quas ſenſu percipimus, *ibid.* corpora numerat, & accidentia, *ibid.* ſæpe etiam indiget Geometriâ, *ibid.* Principi eâ opus eſt, *ibid.* & aliis, *ibid.* vel compoſitoria eſt, quæ eſt tum naturalis tum artificialis; vel reſolutoria, *ibid.* Logiſtica compoſitoria artificialis hypotheſi tum finitâ, tum infinitâ, utitur, *ibid.*
Loiſa Sigæa femina erudita, 37. a
Longinus de Elocutione ſcripſit, 47. b
Lotharius Sarſius Sigenſanus de Archytæ columba refutatur, 154. a
Lotichius diſcipulus Jacobi Micylli, 86. b
Lucæ Gaurici in ætate Procli Diadochi error, 117. b. quæ ſcripſerit in Aſtrologicis, 126. a. Chronologicis, 140. a. Geometricis, 176. a
Lucas Pætus de menſuris, ac ponderibus, Romanis, & Græcis, ſcripſit, 204. b
Lucas Valerius præcellens Geometra quid ſcripſerit, 84. a. quid in Mechanicis, 167. b
Lucianus ob contemtam Geometriam reprehenſus, 74. a. ejus de primis Aſtrologiæ inventoribus error, 106. b. an juſtâ de causâ apud Chriſtianos ἄθεος audiat, 297. b
lucis, & coloris, diſcrimen, 94. b
L. Arruntius rectiùs Tarruntius dicitur; Græcis Ταῤῥούτιος, 118. b
Lucius Bellantius quando de veritate Aſtrologica ſcripſerit, 187. a
Lucretius Epicureus, 297. b
lucta an fuerit certatum ante Trojana tempora, 6. a. b. præcipuum fuit inter gymnica certamina, 10. a. duo in ea tempora conſideranda, 10. b. proprium in ea erat συμπλέκεσθαι, *ibid.* plus valet in ea pondus, quàm robur, *ibid.* duplex eſt; ſtataria, & volutatoria, *ibid.* inter gravia certamina numeratur, 11. a
Ludolphus à Colen quæ, & quando, in Arithmeticis ſcripſerit, 172. a. Geometricis, 177. b
Ludovicus Cælius Rhodiginus multa Antiquitatibus ſuis de Muſica inſperſit, 181. b
Ludovicus Broomannus à nativitate cæcus, Artium Liberalium Magiſter, Iuris candidatus, & Muſices Princeps, fuit, 15. a
Ludovicus Demontioſius ſcripſit de veterum ſculptura, cælatura, gemmarum ſcalptura, & pictura, 31. b. quando librum de architectura veteri ediderit, 205. a
Ludovicus Florianus quando vixerit, & quid in Muſica ſcripſerit, 93. a
Ludovicus Guicciardinus quando Belgicam ſcripſerit, 202. a. b
lumen in pictura quid præſtet, & quid ad illud conducat, 25. b
lunæ ſuperficies inæqualis eſt, 94. b. ejus motus quàm ignotus vulgo, 101. b. eclipſes quis primus oſtenderit, 110. b. 111. a
luteus color ſit ex viridi, & rubro, 25. b
Lycia unde dicta, 109. b
Lycon Troadenſis auditor Stratonis Lampſa-

pſaceni, 307. b
Lydorum Muſica querula, an ab Ionica, Dorica, & Æolica, fuerit diverſa, 19. a
Lydus, qui Figulum Græcè vertit, quando vixerit, 119. a
lyræ octavam chordam invenit Pythagoras, 89. a. lyra à Mercurio inventa ante fuit τετράχορδος, *ibid.* ætate Pythagoræ fuit ἑπτάχορδος, *ibid.* nonam ei addidit Theophraſtus Pierites, decimam Hiſtiæus Colophonius, undecimam Timotheus Mileſius; tandem crevit ad numerum octodecim chordarum, *ibid.* Orphei ἑπτάχορδος fuit ſymbolum ſeptem Planetarum, 110. a
Lyſippus, à quo ſolo fingi voluit Alexander Magnus, 28. b
Lyſis Pythagoricus, præceptor Epaminondæ, 290. b. hujus ſunt aurea carmina Pythagoræ adſcripta, *ibid.*

M.

M Sæpe in N olim mutatum, 67. b.
Machinarum quot ſint genera, 157. a
Machaon Æſculapii filius, 252. a. bello Trojano occubuit, *ibid.*
Machometus Bagdedinus Arabs quid ſcripſerit, 80. b
Magdeburgenſium Centuriatorum lectio judicium requirit, 58. a
Magellanica à Ferdinando Magellano primùm detecta, 53. a
Magellanicam, primus detexit Ferdinandus Magellanus, 155. b. à quo acceperit nomen, *ibid.* fuiſſe eam ratiocinati ſunt veteres, *ibid.* quomodo eò homines ex noſtrâ continente pertigerint, *ibid.*
Magi qui, 282. b. à Zoroaſtre inſtituti, *ibid.*
Magia triplex, 247. a. 264. b
Magirice, ſive ars coquinaria, Medicinæ famula, 250. a. aliis Clinice dicitur, *ibid.*
magnetis uſum qui invenerint, 157. b. 158. a
magnitudo quomodo Geometriæ ſit objectum, 73. b
Magnus Antiochenus quando claruerit, 258. a
Maildulphus de celebratione Paſchatis ſcripſit adverſus Conſtitutionem Concilii Nicæni, 195. a
Maimon, Saracenorum Rex Aſtrologiæ ſtudioſus, Ptolomæi σύνταξιν Arabicè reddi curavit, 120. a
Manethonis Sebennitæ ridicula annorum uſque ad Alexandri M. tempora computatio, 134. b
Mango per figlas exarare docet, 42. a
Manilius quando Sphæram Barbaricam carmine complexus ſit, 119. a. Apoteleſmatica habet, 132. a
Manius Acilius Glabrio, devicto Syriæ rege Antiocho, primus Romæ hoc honoris conſecutus fuit, ut ejus ſtatuæ bractea ex auro induceretur, 266. b. 267. a
Manuel Bryennus Muſica ſcripſit, 91. b
Manus unde dicta, 11. a. ejus in pammachio porrectio honeſta, turpis verò demiſſio, 10. b. 11. a
Marcella femina docta, ad quam ſcripſit B. Hieronymus, 35. b
Marcellinus Comes quouſque B. Hieronymum continuârit, 54. a
Marcellus Burdigalenſis, quando floruerit, 258. b. vulgo Empiricus vocatur, *ibid.*
Marcianus Heracleota, incerti temporis ſcriptor, περίπλουν reliquit, 50. a
Marcus Antoninus Philoſophus operam pingendo ſub magiſtro Diogneto dedit, 30. b
Marcus Antonius de Dominis de radiis viſus, & lucis ſcripſit, 183. a
Marcus Cæleſtinus Beneventanus quando in Ptolomæi Coſmographiam, & Planiſphærium ſcripſerit, 201. b
Marcus Vitruvius Pollio, qui Mechanica reliquit, quando vixerit, 162. b. verus ejus, ſed incertus, epitomator, *ibid.*
Margarita Gigia literas excoluit, 37. a
Margarita, Thomæ Mori filia, literas excoluit, *ibid.*
Margarita Valeſia, Henri IV, Galliarum Regis, avia, eruditione, & erga literatos amore, multum laudis meruit, 36. b
Marianus Scotus an autor ſit Codicis provincialis Romani, 200. b
Marianus Socinus quàm varia in Chronologicis ſcripſerit, 139. b. ejus ætas, *ibid.*
Marinus Merſennius quæ ſcripſerit in Muſicis, 93. b. in Opticis, 98. b. Mechanicis, 167. b
Marinus Ghetaldus quæ in Opticis ſcripſerit, 98. b. in Geometricis, 177. b
Marinus, Procli Diadochi diſcipulus, quando vixerit, 117. b. Phænomena ſcripſit, *ibid.* & in Data Euclidis, 175. a. 97. b
Marinus Tyrius Geographus quando vixerit, 146. a
maris fluxûs, & refluxûs, quæ ſit cauſſa, 102. a. ænei capacitas, 69. a
Marius Plotius, libro de Metris, emendatus, 9. a. de arte Metrica ſcripſit, 48. b
Marius Victorinus de arte Metrica ſcripſit, *ibid.*
Marquardi Freheri nummus argenteus, qui effigiem Conſtantini Equitantis habuit, non eſt antiquus, 70. a
Marſilii Ficini ætas, 124. b. quæ in Aſtrologicis ſcripſerit, *ibid.* adverſus Ludovicum Vivem defenditur, *ibid.* & 186. b
Marſilius N. F. Berlingerus quando de Geographia ſcripſerit, 201. a
Marſilius Ficinus, 304. a. laudabilem operam Platoni, & ejus Philoſophiæ impendit, *ibid.*
Martianus Capella ſcripſit de Geometria, 80. a. de Muſica, 92. a. de Aſtrologia, 147. a. quo ordine ſcribat de artibus, ac diſciplinis, 39. b. quæ in Geographicis ſcripſerit, 51. a. 147. a
Martinus Helvigius quando tabulam Sileſiæ ediderit, 202. a
Martinus Hortenſius quæ in Aſtrologicis ſcripſerit, 130. b
Martius campus erat locus, in quo ſe exercebat juventus Romana, 6. b
Maſurius Juriſconſultus Muſices fuit amantiſſimus, 17. b
materia in Matheſi non pertinet ad eſſentiam, 60. a
Mathematicæ ſcientiæ quæ Platoni dicantur, 59. a. totius Philoſophiæ ſunt certiſſimæ, 59. b. earum diviſio, ac ſubdiviſio, 66. a. b. 67. a. 84. b. 85. a. 160. a. b
Mathematicus, quà talis, non eſt πλανήτης, 63. a. ſæpe verum prædicit diaboli indicio, 135. b
Mathematicus canon ad Aſtronomiam computatricem ſpectat, 108. b
Matheſis πολυμαθείας pars eſt, 39. a. Philologiæ aliis comes, aliis aſſecla, 59. a. Polymathiæ pars eſt, ac Philoſophiæ debet præmitti, *ibid.* πάντα μαθήματα comprehendit propriè ſumpta, *ibid.* cur ſic dicta, 59. b. principiis nititur claris, *ibid.* ejus objectum, *ibid.* quomodo hoc conſideret, *ibid.* ejus, & Phyſices, ac Metaphyſices, differentiæ, 60. a. cui, & quomodo, inſit tum perfectè, tum virtualiter, *ibid.* ſine materie definitur, *ibid.* ejus abſtractio eſt ab omni materia ſenſibili, ac intelligibili, *ibid.* ſive eam in ſe conſideres, ſive ad alias diſciplinas referas, eſt utiliſſima, 60. b. ſolertiores reddit, & acuit eos, qui tardioris ſunt ingenii, *ibid.* ejus uſus in Aſtrologia, Muſice, Optica, Medicina, Dialectica, Philoſophia practica, &c. 61. a. b. 62. a. b. certior eſt omni aliâ ſcientiâ, 63. a. quia nititur ſolis demonſtrationibus, *ibid.* cuncta exigit ad rectæ rationis obruſſam, 63. b. demonſtrationes ejus ſunt evidentiſſimæ, *ibid.* eſt etiam jucundior, *ibid.* qui eam magni fecerint, *ibid.* qui contempſerint, *ibid.* ejus contemtores Ariſtippei, & Epicurei, Ramo dicti, *ibid.* malè Ammonio, ejuſque ſectatoribus, Philoſophiæ pars dicitur, 64. a. rectius Peripateticis, Cynicis, & Stoicis, & Auguſtino ejus miniſtra, *ibid.* tertia tamen Theoreticæ Philoſophiæ, latiùs ſumptæ, pars dici poſſit, *ibid.* neceſſariò Philoſophiæ debet præmitti, *ibid.* utut aliter ſentiat Ammonius, cujus ſententia partim probatur, partim refellitur, 64. b. ab ejus ignaro Phyſice intelligi nequit, *ibid.* eam Pythagoras, Plato, Æſchynes Socraticus, Academici, Peripatetici, Philoſophiæ præmiſerunt, *ibid.* & 65. a. eâ neglectâ non poteſt quis egregius philoſophus evadere, *ibid.* veteres ante Logicen eam diſcebant, *ibid.* quia illa hac difficilior, *ibid.* ejus ignarus ad Analyticen non admittebatur, *ibid.* Græci ante Rhetoricen eam tradebant, & cur, 65. b. Platonis ætate una cum Grammatiſtice jungebatur, *ibid.* hodie verò, & cur, diſcenda poſt Grammaticen, *ibid.* ab Ægyptiis eam habent Græci, *ibid.* inter quos primus eam docuit Pythagoras, 26. a. vel pura eſt, vel mixta, *ibid.* illa conſiderat res planè abſtractas, *ibid.* duæ ejus ſcientiæ ſunt; Arithmetice, & Geometria, *ibid.* rectè diſtribuitur in univerſalem, quæ tradit numero, ac magnitudini, communia; & particularem, quæ Arithmeticen, & Geometriam, ſub ſe comprehendit, 66. b. cur tertiam puræ Matheſios partem fecerint juniores, & an rectè, 67. a
Matthæus Beroaldus Chronologiam ſcripſit, 54. a. quando ediderit Chronicon ſuum, 141. a. nimia ejus jactantia, & ignorantia, *ibid.*
Mauri ſifras acceperunt ab Arabibus, 70. a. excoluere Aſtrologiam, 106. b. ac ab Atlante eam didicere, *ibid.*
Mauritius imperator de re militari ſcripſit, 163. a
Mauritius Arauſionenſium Princeps, Geodæſiæ gnarus, multas cepit & oppugnavit urbes, 99. a. b
Mauritius Haſſiæ Landgravius Riſneri opera ab heredibus ejus emit, & publici juris ea facere juſſit Nicolaum Crugium, 98. b
Maurolycus quæ in Opticis ſcripſerit, 98. a
Maurus quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 190. a
Maximus Epirota de numeris ſcripſit, 168. b
Maximus Martyr quando vixerit, & quæ in Chronologicis ſcripſerit, 139. b
Maximus Planudes in Diophanti Arithmeticen quando ſit commentatus, 169. a
Maximus Tyrius Platonicus quando floruerit, 304. a
Mechanica ars, 164. b. σοφίας nomen etiam huic arti tributum, *ibid.*
Mechanice, ſive Machinalis ſcientia, unde dicta, 152. a. quid ſit, & quid ſit ei propoſitum, *ibid.* ὑποκείμενον eſt partim Phyſicæ, quatenus attendis materiam machinæ, *ibid.* partim Geometriæ, quatenus attendis lineas, &c. *ibid.* & 152. b. ex qua etiam ducit originem, 85. a. quæ artificia ad eam ſpectent, & ejus, ac Magiæ, differentia, 152. b. non machinas tantum invenit, ſed exponit etiam earum cauſſas, *ibid.* Philoſophiæ pars eſt, *ibid.* magiſque ejus eſt pars, quam Matheſeos, *ibid.* & 100. b. ſtatices eſt propago, 63. a. malè opponitur artibus liberalibus, 153. a. artium eſt antiquiſſima, *ibid.* vel eſt λογικὴ, quæ ex Mathematicis, & Phyſicis, rationibus petitur; vel χειρουργικὴ, ſive manuaria, *ibid.* utraque eſt vel manganaria, quæ ingentia pondera in altum attollit, 153. b. vel μηχανοποιητικὴ, quæ faci-

facilè aquas antliis extrahit, *ibid.* vel ἀρχιτεκτονικὴ, quæ facit inſtrumenta bello accommoda, *ibid.* vel αὐτοματοποιητικὴ, quæ inſtrumenta facit ſpontè ſe moventia, 154. a. alias θαυματοποιητικὴ, alias θαυματουργικὴ, & cur, dicta, *ibid.* cujus θαύματα variant, *ibid.* αὐτόματα enim ſunt multiplicia, *ibid.* vel σφαιροποιητικὴ, quæ conficit inſtrumenta ad obſervationes rerum cœleſtium, 155. a. & continet γνωμονικὴν, ὡρολογικὴν, *ibid.* quatenus nempe fabricant inſtrumenta, quibus obſervamus temporis univerſi diſcrimen, *ibid.* illius utilitas in architectura, arte nautica, & militari, 157. a. b. in omnibus artibus etiam ſellulariis, 158. a

Mechanicus an ipſe neceſſariò manu ſuâ machinas fabricet, 153. 156. b

Medici dividuntur apud veteres in Dogmaticos, Empiricos, & Methodicos, 246. b. apud recentiores in Aſtrologicos, Magos & Chymicos, *ibid.* Medici Aſtrologici, *ibid.* Medici Magi triplices, 247. a

Medicinæ inventæ gloriam alii aliis tribuunt, 251. b. 252. a. famulæ, quæ, 250. a. definitio, 245. b. finis, 246. a. origo, 251. b. dividitur in θεραπευτικὴν & προφυλακτικὴν, *ibid.* & hæ in alias partes, 246. b

Medicus indiget cognitione Aſtrologiæ, 103. a. nec tamen audienda ipſi ſunt Aſtrologorum commenta, *ibid.*

Megarica ſecta ab Euclide Megarenſi ſic dicta, 299. a

Megarici à quo dicti, 213. b. poſtea Eriſtici, ſive ἐριστικοὶ, exinde Dialectici ſive διαλεκτικοὶ dicti, *ibid.* & 299. a

Melampus Argivus medicus, 253. a. Prœti Argivorum regis filias à furore liberavit, *ibid.* καθαρτοῦ nomen habuit, *ibid.* genus Hellebori ab hoc *Melampodium* dictum, *ibid.*

Melanthius pictor quam Pamphilo Macedoni mercedem dederit, 22. b. ſcripſit de pictura, 29. b

Μέλη καθαρμοῦ quæ Ariſtoteli dicta, 16. a

Meliſſus Parmenidis diſcipulus, 294. b. de Diis nihil certi ſtatuendum credidit, *ibid.*

melos perfectum quid exigat, 91. b

memoriâ cur olim magis opus fuerit, quàm vel ingenio, vel judicio, 17. b

Memphis Pythagoreus, egregius idem ſaltator, Pythagoricam philoſophiam, in ſilentio conſiſtentem; ſaltando pleniùs demonſtravit, quàm qui dicendi artem profiterentur, 19. a

Menæchmus Eudoxi diſcipulus Geometriam excoluit, 76. a

Mencia Mendoza, Marchionis Zeneti filia, ab eruditione laudata, 36. b

Menecrates Syracuſanus medicus, quando claruerit, 254. a. librum Pharmacorum reliquit, *ibid.* hujus ſtulti faſtus, *ibid.*

Menecrates Tiberii & Claudii Cæſarum medicus, 256. a. ſectæ Rationalis fuit, *ibid.*

Menedemus Eretricus Pliſtanum audivit, 298. b. ab hoc Eretrici dicti, qui prius Eliaci vocabantur, *ibid.*

Menelaus quando vixerit, 79. b. 115. b. ſphærica ſcripſit, *ibid.* malè etiam Milleus dictus Merſennio exiſtimatur, *ibid.*

Menippus Cynicus, 308. a

Mentoreum opus, 267. a

Mercurius, Grammatices, & Muſices, inventor, parens Iſidos, ſive Minervæ creditur, 3. b. præerat Gymnaſiis, 4. b

Mercurius corpore eſt opaco, & à Sole lumen accipit, 94. b

Merſennii in Menelai nomine error, 115. b. Vide plura in *Marinus Merſennius.*

meſologarithmus, ſive logarithmus differentialis, quid ſit, 173. b

Meſſehalah Arabs quæ in Aſtrologicis ſcripſerit, 189. b

metaphora quid, 47. b. 48. a

Metaphyſice verſatur circa materiæ expertia, 61. b. & 64. a. ejus, ac Phyſices, & Matheſios, differentia, 59. b

Metaphyſicus indiget cognitione Aſtrologiæ, 103. b

Meteorologicæ Aſtronomiæ nomen unde petatur, 107. b. ejus partes duæ, ſphærica nempe doctrina, & theoria planetarum, *ibid.* ad ejus praxin pertinet διοπτρικὴ, & γνωμονικὴ, *ibid.* citius eam didicerunt Græci, quàm μαθηματικὴν, 109. a. duplex ejus officium, 107. b

methodo bonâ opus eſt in acquirendâ tum generali omnium artium, tum ſpeciali alicujus ſcientiæ, notitiâ, 38. b. ut etiam in legendis Autoribus Græcis, & Latinis, 46. a. b

Methodicorum libri quid docuerint, 248. a. an hypomnematica fuerint, *ibid.* eorum convenientia in multis cum Topicis, *ibid.*

Metius Pompoſianus cur à Domitiano fuerit interfectus, 52. b

Meton Pauſaniæ filius Athenis obſervavit ſolſtitium, 112. a. idem publicavit ἐννεακαιδεκαετηρίδα, *ibid.*

metonymia quid, 47. b. 48. a

Metrice quid tractet, & an ad ἐγκύκλιον ſpectet, 41. b. diverſa eſt à Poëtice, cujus ad elementa ſpectat, at pars eſt φιλολογίας, *ibid.* non Grammatices propriè dictæ, 46. a. b. ejus officium, & partes, 48. a. b

Metrocles Diogenis Cynici auditor, 308. a

Metrodorus Architectonicam ſcripſit, 203. a

metrum quid ſit, & quomodo à rhythmo differat, 48. a. ut diverſum eſt, ita diverſos habet inventores, 48. b. ſine rythmo eſſe non poteſt, 91. b

Michaël Angelus Bonarota elegans ſuperioris ſeculi pictor, 30. b. cum Apelle collatus, 31. a. ejus de ſculpturæ, & picturæ difficultate judicium, 24. b

Michaël Apoſtolius parœmias quando ſcripſerit, 45. a

Michaël Beutherus multa in Aſtrologia conſignavit, 127. a. b. ejus ætas, & vitæ genus, *ibid.* & in Chronologia, 169. a

M. Egnatius Dantes quando Anemographiam ediderit, 204. b

Michaël Medina Aſtrologiam divinatricem impugnavit, 135. b

Michaël Mæſtlinus quando contra novum Kalendarium Romanum ſcripſerit, 197. a. Galilæum de Galilæis in Copernici adduxit ſententiam, 127. a

Michaël Paludanus quando emiſerit Chronologiam regum Judæ, & Iſraël, 177. b

Michaël Pſellus quid, & quando, in Geographicis ſcripſerit, 50. b. 181. a. quid in Arithmeticis, 68. a. in Geometricis, 175. a. in Muſicis, 180. a. b. quando claruerit, 259. a. hujus ſcripta, *ibid.* præter expoſitionem in oracula Chaldaica, ſcripſit declarationem dogmatum Chaldaicorum, 281. a

Michaël Stifelius quæ, & quando, in Arithmeticis ſcripſerit, 170. b

Mileſii Ionicam Muſicam cæteris præferebant, 19. a

militaris ars indiget Mechanice, & ejus nonnullis pars eſt, 157. b. qui falluntur, 158. a. b

Minerva eſt ſapientia divina, 3. b. 4. a. cur tibias abjeciſſe fingatur, 20. b

Mirandula, vide *Franciſcus Picus Mirandula.*

Mithridates Ponti & Bithyniæ rex, 254. b. doctè ſcripſit Commentarios de arcanis morborum remediis, *ibid.* hos victo Mithridate Pompejus Romam abſtulit, *ibid.* antidotum Mithridatium ab eo ſic nominatum, *ibid.*

Mneſitheus medicus, 260. a

Moderatus de Platonicæ Philoſophiæ principiis ſcripſit, 301. b

modeſtiæ laus, 102. b

Modeſtus de vocabulis rei militaris ſcripſit ad Tacitum Auguſtum, 274. a

modus in diſciplinis tenendus eſt, ſi quis, cognitis omnibus in genere, ad particularem aliquam ſe conferre velit, 38. b. qualis hic eſſe debeat, videndum ex naturâ, & indole diſcentis, 39. a

Mœris nonnullis dicitur tranſtuliſſe Geometriam ex Ægypto in Græciam, 75. b

Moluccæ inſulæ veteribus fuere incognitæ, 144. b

Monachus Fuldenſis an ſit autor notitiæ utriuſque imperii, 51. b

Monimus Syracuſanus audivit Diogenem Cynicum, 308. a

monita, & adhortationes plurimùm valent in animis humanis, 38. a. quanta ſit eorum neceſſitas ob ſtudiorum difficultatem, 38. b

monochordum invenerunt Arabes, 89. b

Μονομαχία quid ſit, 12. a

Moſes Ben-Maimon quando de Aſtrologia ſcripſerit, 187. b

Moſaicâ hiſtoriâ nullum ſcriptum vetuſtius eſt, 49. a

motus in pictura variat pro hominis naturâ, & affectu, 25. a. tum in facie, tum in manibus, *ibid.*

Muhammedes quando ceperit Conſtantinopolin, 136. b

Muhammedes Alfraganus quando vixerit, 120. a. b. quæ in Aſtrologia ſcripſerit, *ibid.* cur Arabibus Logiſta dicatur, *ibid.* & 63. b

Muhammet Moſis filius Arabicè ſcripſit Arithmeticen, 73. a

Mus Epicuri diſcipulus, & ſervus, 297. b

Muſa quid, & unde dicta, 13. a

Muſæus, Ariſtoteli in politicis citatus, an Orpheo fuerit σύγχρονος, 14. a. b. autor eſt Theogoniæ, & ſphæræ, non poëmatis de amoribus Herûs, & Leandri, 14. b

Μοῦσαι unde Græcis credantur dictæ, 38. b

Muſas tantùm duas ſtatuerunt vetuſtiſſimi, 217. b

muſca ferrea Noribergæ facta, 154. a

Muſice duplex; alia eſt peritia cantandi, teneræ ætati etiam conveniens, alia eſt Mathematica, quæ Muſica philoſophica dici poſſit, 1. b. duplex ejus definitio ratione πράξεως, & θεωρίας, 12. b. prout ſonum ejus, ac menſuram, diſtinguis, *ibid.* aliter Harmonice, aliter Canonice dicta, 13. a. an rectè Muſices vox quibuſdam diſpliceat, eò quòd Muſæ, fictitia illa impiarum gentium numina, tam nobili arti non debeant dare nomen, *ibid.* interim latiùs patet hoc vocabulum, *ibid.* dividitur Pythagoreis in naturalem tum cœleſtem, tum humanam, & in artificioſam, *ibid.* an aves oſcines homini ad cantum præiverint, 13. b. an inventor ejus Pythagoras, *ibid.* ante diluvium fuit, *ibid.* ejus amor naturâ homini ingenitus eſt, *ibid.* nihil è diſciplinis eâ antiquius, *ibid.* ejus notæ necdum fuere ante annos ſexcentos, & quis eas invenerit, 14. a. quis ejus ſit finis, *ibid.* ejus dulcedo, 14. b. unde ea ejus vis ſit in animos humanos, *ibid.* valetudini confert, *ibid.* & certis morbis medetur, *ibid.* & 15. a. quantam ea vim exciret in animos humanos, 15. b. aſſuefacit ad iis gaudendum, quibus gaudere honeſtum eſt, *ibid.* animum ſegnem excitat ad agendum, æſtuantem ſedat, *ibid.* & 16. a. quæ gentes eam aſpernatæ ſint, qui philoſophi, 16. a. b. Ionica molles, Dorica maſculos animos facit, 16. a. quæ gentes eam magni fecerint, 16. b. 17. a. b. diſtinguenda eſt tum pro ſono, & inſtrumentis, tum pro modis harmoniæ diverſis, 17. b. ratione verò ſoni, qui vel fractione aëris, tum ore, tum organis, ſit, vel fractione aquæ, tres ejus formæ ſunt; Harmonice ſic κατ' ἐξοχὴν dicta, Organica, & Hydraulice, *ibid.* & 18. a. cui

cui adde quartam, nempe ὀρχηστικὴν, *ibid.* varii ejus modi, qui pro moribus gentium variant, 19. a. diſpiciendum eſt, cujuſmodi cantus pro tempore quoque alicui conveniat, 19. b. eâ immutatâ ſæpe etiam Reipublicæ forma mutari ſolet, 20. a. ut exiſtimabat Damon, quem Plato ſecutus eſt; contra verò ſentit Cicero, *ibid.* à quibus potiſſimùm, & quomodo, diſcenda, 20. b. illa convenit optimè, quæ animos ſedat, *ibid.* an magis notitiâ ejus quis laudari, quam ignorantiâ culpari mereatur, *ibid.* vetus jam diu degeneravit, 21. a. ad Melancholiam proclivibus à Medicis commendatur, *ibid.* nec rationem dirigit, nec orationem; neque pietate, aut prudentiâ, inſtruit mentes noſtras, 32. a. modulatione ſonorum affectus componit, *ibid.* ad Polymathiam pertinet, *ibid.* alia eſt practica, alia theorica, *ibid.* exempla petit ab Hiſtoriâ, vel poëſi, præcepta à philoſophia morali, atque hactenus inſtillat animis teneris bene vivendi præcepta, *ibid.* latè ſumpta omnem philoſophiam comprehendit, 87. a. ſtrictè ſumpta quid ſit, *ibid.* vel eſt practica, & vulgaris, vel contemplationi addicta, *ibid.* hæc ab ignaro Arithmetices intelligi nequit, *ibid.* & 79. a. in Muſices objecto quæ conſideranda, 87. a. numerus illius Græcis Ῥυθμὸς dictus, *ibid.* quàm variè is ab antiquis definitus, *ibid.* multum ad eam confert Geometria, *ibid.* tum Canonicâ, tum Mathematicâ nititur ratione, 87. b. Canonica poſtmodum Harmonica dicta, *ibid.* ejus certamina fuere ante bellum Trojanum, 88. b. quæ tamen fabuloſa fortè ſunt, 89. a. Pythagoræ imprimis debetur, *ibid.* ejus utilitas, 90. a. de ea Athenienſium edictum, *ibid.* non ſinit illa torpere animos, *ibid.* abſterget moleſtiam, ac ſolatur, *ibid.* multis ſæpe morbis medetur, *ibid.* excitat milites, 90. b. Oratores, *ibid.* Poëtas, *ibid.* utuntur eâ in ſacris Judæi, *ibid.* ut & Chriſtiani Apoſtolicis temporibus, *ibid.* ejus tres partes, earumque officia, 91. a. ejus tria genera, 91. b. quæ locum habent in Muſica vocali, & inſtrumentali, *ibid.* alia Muſices diviſio, & ſubdiviſio, 92. a. ejus notæ à quo inventæ, 92. b. Muſica practica an ſit ὑπάλληλος ſpeculativæ, 87. b. ejus partes, 91. b. Muſices compoſitio & contemplationis eſt, & cantûs, 92. a

Muſicorum tria olim genera, 88. a. imò plura etiam, 88. b

Mylo proverbia collegit, 45. a

N.

NAtatio exercitii apud veteres Romanos genus, 7. a

naturâ idonei debent eſſe ad ſtudia, qui ſtudia colunt, 37. b. ex corporis conſtitutione de eâ faciebat judicium Pythagoras, *ibid.* in quibus ejus conſiſtat bonitas, 38. a

naturæ liber longè utiliſſimus, 236. a

naturalis ſcientia quid præſtet, 33. a

Nauplienſes dicuntur Ἀμπελουργεῖν didiciſſe ab aſino vites arrodente, 13. b

nautæ ab Occidente in Orientem navigantes cur uno die in faſtis ſuis abundent, 103. a. ab Oriente verò in Occidentem die uno deficiant, *ibid.* neceſſaria iis eſt cognitio Aſtrologiæ, 102. b

nautica ars ad Mechaniceri ſpectat, 157. a. tum quà navis compingitur, tum quà in mare deducitur, *ibid.* tum quà velificatur, vel rectè, vel obliquè, 157. b. adde doctrinam pyxidis nauticæ, *ibid.* nec tamen ejus pars eſt, 158. a. b. ſubalternatur potius Aſtrologiæ, 157. b

ne unde dictum, 67. b

neceſſarium, quid, 226. a. Ariſtoteli etiam *probabile* dictum, 226. b

Neoclides, Leonis præceptor, Geometriam docuit, 76. a

Neronis gymnaſium ictu fulminis conflagravit, 7. a

Nicander Colophonius, Xenophanis filius, grammaticus, poëta, ac medicus, 254. b. hujus extant Theriaca & Alexipharmaca, *ibid.*

Nicias Pyrrhi regis medicus, quando claruerit, *ibid.*

Nicias magnum detrimentum attulit Athenienſibus, quod Ecclipſi terreretur, 102. b

Nicodemus Friſchlinus Grammaticus, ac poëta, de Aſtrologia quædam in literas retulit, 128. a. ejus ætas, *ibid.* & mortis genus, *ibid.*

Nicolai Reuſneri ſpiſſus error in ætate Alberti M. 185. a

Nicolaus Cabaſilas in Ptolomæi ſyntaxin magnam ſcripſit, 184. b. ejus ætas, *ibid.*

Nicolaus Copernicus quid, & quando, ſcripſerit in Geometricis, 82. a. præceptor fuit Joachimi Rhetici, *ibid.* quid in Aſtrologicis, 125. b. quomodo illius ſphæra à Ptolemaica differat, *ibid.* ejus ſententia de motu terræ non eſt nova, *ibid.* & 111. b

Nicolaus Crugius juſſu Mauritii Haſſiæ Landgravii edidit Optica Riſneri, 98. b

Nicolaus Cuſanus quid ſcripſerit in Geometricis, 81. a. in Aſtrologicis, 123. b. in Arithmeticis, 170. a. unde ſic dictus, & quando obierit, 81. a

Nicolaus Bonis in Ptolomæi Coſmographiam opus mirandum edidit cum novis tabulis, 201. a

Nicolaus Gerbelius quid, & quando, in Geographicis præſtiterit, 201. b

Nicolaus Goldmannus quando Architecturam militarem ediderit, 205. b

Nicolaus Leonicus Thomæus quæ, & quando, in Mechanicis ſcripſerit, 164. b

Nicolaus Linnenſis, qui varia in Aſtrologia conſignavit, quando vixerit, 123. b

Nicolaus Mullerius quando ediderit tabulas Friſicas, 193. a

Nicolaus Simus quæ, & quando, in Aſtrologicis ediderit, 190. a

Nicolaus Sophianus quando de Aſtrolabio ſcripſerit, 184. b. quando tabulam Græciæ dederit, 200. a

Nicolaus Tartalea quàm multa, & quando, ad Mechanicen pertinentia ſcripſerit, 165. a. b. quando Arithmetica, 171. a

Nicolaus Myrepſus, ex Græcorum medicorum medicis recentiſſimis, 260. a. *præpoſitus* dici ſolet, *ibid.* hujus ſcripta, *ibid.*

Nicomachus Geraſenus de Muſica ſcripſit, 92. b. fuit ille Philoſophus Pythagoricus, *ibid.* quid ſcripſerit in Arithmeticis, 71. b

Nicomedes quid in Geometricis ſcripſerit, 175. b. ejus ætas incerta, *ibid.*

Nicon, ſive Mecon, pictor reprehenſus, quod utrique palpebræ equinæ appoſuiſſet cilia, 24. a. aliis Polygnoſtus dictus, *ibid.*

Nicoſtratus de Muſica ſcripſit, 180. b. ætas ejus incerta, *ibid.*

nideo unde dicatur, 67. b

Nigidius Figulus ſcripſit de Sphæra Græcanica, & Barbarica, 118. b. Pythagoricus fuit, 292. a

Noachus gnarus Aſtrologiæ, 104. a. ut & ejus poſteri, 105. b. ejus arcæ magnitudo, 69. a

Nonius Marcellus ſcriptor eſt nec eruditione, nec judicio laudabilis, 44. a. multa tamen habet veterum fragmenta, quæ alibi non reperias, *ibid.*

notæ Muſicæ quando, & à quo, ſint inventæ, 14. a. necdum iis utuntur Græci, *ibid.* non ſint literæ, 42. a. ratio per eas ſcribendi ad ὀρθογραφίαν pertinet, *ibid.*

Notgerus quando de Muſica ſcripſerit, 181. a

notiones primæ, & ſecundæ quæ dicantur, 40. b. alio nomine entia realia, ac rationis, alio intellecta ſecunda vocantur, *ibid.*

notitia Epiſcopatuum orbis Chriſtiani quando conſcripta ſit, 200. b. Imperii Romani, 147. a. utriuſque, *ibid.*

notitiæ utriuſque imperii quis fuerit author, an Monachus Fuldenſis, an Theodoſius junior, 51. b

Novella, femina erudita, patre Joanne Andrea occupato, munus ejus ex ſuggeſto docendi ſuſtinebat, 36. b

Nubienſis Geographiæ author Arabs quando vixerit, 147. b

Numa annum Lunarem cum Solari contulit, 118. b. in quo à Græcis abierit, *ibid.* an diſcipulus fuerit Pythagoræ, 111. b. Pythagoricus fuit, 292. a

Numenius Grammaticus in Aratum commentatus eſt, 114. a. de Platonicæ & Pythagoricæ Philoſophiæ principiis ſcripſit, 301. b

numerare hominis eſt proprium, 68. a

numerus unde dictus, 67. a. Platoni, & Ariſtoteli, duplex eſt, 67. b. quid ſit Iſidoro, Euclidi, aliis, *ibid.* vel laxè, vel preſsè, ſumitur, *ibid.* integer eſt, vel fractus, *ibid.* numeros ſcire Pythagoreis primùm ſapientiæ opus, 68. a. an iis uti debeat Geometra, 78. b. eorum notæ Græcis ſunt literæ, 69. b. ut & Romanis, 70. a. at quomodo eas hi excogitârint, *ibid.*

nux unde dicta, 67. b

Nymphodorus de Machinali arte ſcripſit, 162. a. Amphipolites ne ſit, an Syracuſius, an ab utroque diverſus, *ibid.*

O.

OChus Perſarum Philoſophus, 282. b

Ochus etiam Phœnix fuit, 283. b

Occidentales Eccleſiæ quibus uſi ſint modulis, 91. a. primus eos in Eccleſiam Mediolanenſem introduxit B. Ambroſius, *ibid.* in Romanam Gregorius Magnus, *ibid.*

Occidentana Muſica quæ, & unde ſic dicta, 92. a

Octaëteris duplex Græcorum à quo emendata, 112. a

Octavius Horatianus ſub Gratiano floruit, 258. b. reliquit libros 11. de Curat. morb. 1. de Ægritudin. mulierum, unumque Experiment. *ibid.* hoſce libros nonnulli Theodoro Priſciano tribuunt, *ibid.*

Odingtonus quæ, & quando, in Aſtronomicis ſcripſerit, 185. a

œconomia Graphices pars, 24. b. cum συμμετρίᾳ conjungenda eſt, 25. a

œconomices partes duæ, 271. b

œconomico qui libri legendi, 272. a

œconomus indiget Aſtrologiâ, 102. b

Oenopides Chius poſt Pythagoram Geometricum ſtudium excoluit, 76. a. ſecundùm nonnullos invenit obliquitatem Zodiaci, 110. b

Oliverius quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 184. b

Oliverius van Nord quando adierit Magellanicam, 145. b

Olympiades, ab Hercule inſtitutæ, ab Iphito longo pòſt tempore inſtauratæ, 109. b. quot fuerint annorum, *ibid.*

Olympici ludi cum Atticis Archontibus conſpirabant, 109. b

Olympiodorus tibicen, à quo tibiâ canere didicit Epaminondas, 18. a. 20. b. 307. a

Olympus reperit enharmonium, 91. b

Omar Arabs de Nativitatibus ſcripſit, 187. b. ætas ejus incerta, *ibid.*

Oneirocritice, 278. a. & 241. a. de hac qui ſcripſerint, *ibid.* fundamentum hujus artis in quo poſitum, *ibid.*

Oneſicritus auditor Diogenis, 308. a

Ooliab deſignatus à Deo tabernaculi archi-

chitectus, 22. a
operationes intellectûs ſunt tres, 219. a. ſecundùm eas librorum quorundam Logicorum Ariſtotelis diſpoſitio, ibid.
Ὁπλιτοδρόμοι qui dicti, 8. a
Optice unde dicta, 93. b. malè perſpectiva, melius adſpectiva dicitur, ibid. cur Geometriæ ſit ὑπάλληλος, ibid. circa quid verſetur, ibid. accidente differt à Geometria, 94. a. ſub eâ eſt ſcientia de Iride, ibid. ejus dignitas, ibid. uſus in cognoſcenda cujuſque rei magnitudine, &c. 94. b. in mirandis naturæ, ibid. Aſtrologicis, ibid. in terra, 95. a. in re bellica, ibid. in Architectura, ibid. ſtatuaria, ibid. & pictoria, ibid. multum ei debent ſenes quoque, ac myopes, ibid. tres ejus ſecundùm nonnullos partes, ἐμφάσεις, διάκλασις, & ἀνάκλασις, 95. b. Optice ſpecialis quid ſit, & quid exponat, ibid. variat pro triplici projectura, 96. a. an ſit Matheſios pars, 100. b
Optices ſcientiâ cur indigeat pictor, 23. b
Opticus indiget cognitione Aſtrologiæ, 103. b
oratio quomodo ſit condenda, 47. b
oratoria facultas quæ propriè ſit, 47. b
ordo, quid, 226. b. quid præſtet, ibid. ordo duplex, Syntheticus & Analyticus, ibid. Ariſtotelis libri ordine diverſi, ibid. Galenus correctus, qui tertium ordinem addit, Diviſivum, ibid.
Ὀργανοποιητικὴ pars mechanices, 153. b
organum Ariſtotelicum ordine Synthetico traditur, 226. b
Ori Judæus Palæſtinus edidit Calendarium Palæſtinorum, & omnium Judæorum, 141. a
Oribaſius Pergamenſis, diſcipulus Zenonis Cyprii, 258. a. Juliani necdum Imperatoris medicus fuit, ibid. Juliano defuncto à conſecutis Imperatoribus omnibus bonis ſpoliatus, in hoſtilem ejectus eſt terram, ibid. revocatur & priores opes recipit, ibid.
Ὄρχησις ſaltatio quæ ſit, 8. b. ſic dici poſſit etiam pars Muſices, quæ pedibus ſit, 18. a. quo Muſices genere populus Dei in eo celebrando utebatur, ut Gentiles canebant hyporchemata in Deorum ſacrificiis, ibid. etiam extra ſacra adhibuere eam Græci, 18. b. ac Romani, non tamen tum, quando luxuriæ inſtrumentum eſſe cœpit, ibid. in poëſi triplex adhibita eſt, ἐμμέλεια, κόρδαξ, & σίκιννις, ex quibus conſtabat ſaltatio Italica à Batyllo Alexandrino inventa, ibid. vim ejus oſtendit Memphis Pythagoreus, qui Pythagoricam philoſophiam ſaltando docuit, 19. a. an, & qualis, ars ſit, 8 b
Origenes Potamonis philoſophandi genus laudavit, 314 a
Orlandus Laſſus quando vixerit, & quantus in Muſica fuerit, 93. a. ejus nomen quod ſit, 93. b
Orontius Finæus, qui primus Regius in Gallia Matheſios Profeſſor fuit, quid ſcripſerit in Geometricis, 81. b. in Opticis, 98. a. Geographicis, 149. a. 201. b. Mechanicis, 164. b. Arithmeticis, 170. b. Aſtrologicis, 189. a
Orpheus dicitur Græcos docuiſſe Aſtrologiam, 110. a. ejus lyra ἑπτάχορδος ſeptem planetas refert, ibid. ſed omne illud fabuloſum eſt, ibid.
Orphici & Pythagorici in quo differant, 256. b
Orſippus Megarenſis curſu ſuperatus eſt, eò quod ſubligaculum impediiſſet curſum, 8. a
Orthagoras tibicen, à quo tibiâ canere didicit Epaminondas, 18. a
Ὀρθογραφία Grammaticæ Methodicæ pars eſt, 40. a. diverſa eſt ab ea, quam tradit Grammatiſtice, 41. b. qui veteres Græci, Latini; qui recentiores de eâ ſcripſerint, ibid. ad eam pertinet ratio interpungendi, ſcribendique per ſiglas, ac notas, 42. a
Ὀρθοέπεια Grammaticæ Methodicæ pars eſt, 41. a. agit tum de ſingulis vocibus, ubi attendit ἀναλογίαν, & ἀνωμαλίαν, 41. b. ac ἀκυρολογίας, ibid. tum de conjunctis, 41. a. ubi conſideratur ſtructura congrua tum naturalis, tum ea, quæ ſit contra naturam, 41. b
Osbernus quando de Muſica ſcripſerit, 180. a
Oſiris, Sol, 245. b. ſecundùm Ægyptios Nilus, ibid.
Oſualdus Schreckenfuſius Latinè reddidit Arithmeticen Rabbini Cai, 73. a. Vide Eraſmus Oſualdus.
Otto Brunsfelſius quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 188. b
Ottomarus Luſcinius quando Muſurgiam ſuam ediderit, 181. a
Otto Wetſelouw quando Braſſeri Arithmeticam è Germanico verterit, 172. b

P.

PAcuvius poëta pingendo non tantum ab arte hac honoris accepit, quantum arti dedit, 30. a. avunculus ejus Ennius, ibid.
Pæon unde dictus, 251. b
paganica pila quæ fuerit Romanis, 7. a. 9. b
Παγκράτιον quodnam ſit certaminis genus, 11. b. aliter παμμάχιον dicebatur, ibid. an iis uſi Lacones, ibid. parvæ erat dignationis, eò quòd eſſet periculoſum, ibid.
palæſtra ſexta gymnaſii pars, ubi luctabantur, 5. b. unde dicta, ibid. quo nomine ſæpe totum gymnaſium intelligitur, 10. a
Παλαιστρικὴ à Theſeo luctæ addita, 10. b
palæſtricus magiſter quis, 10. b
Palamedes aleæ, & cubi, inventor, 69. b
Palladius Sophiſta Græcè docuit Medicinam, 260. a. ex hujus voce exceptus exſtat commentarius in lib. VI. Hippocratis de morbis popul. ibid.
Παμμάχιον, vide Παγκράτιον.
Pamphila Ægyptia quid, & quando, ſcripſerit, 35. a
Pamphilus Macedo, Apellis præceptor; primus picturam inter liberales artes retulit, 22. b. quam à diſcipulis mercedem acceperit, ibid. picturam negabat perfici poſſe ſine Arithmetica, & Geometria, 23. b. quando vixerit, 28. a. de pictura ſcripſit, 29. a. primus Matheſin cum pingendi arte conjunxit, 63. a
Pamphilus Alexandrinus περὶ γλωσσῶν ſcripſit, 44 b
Pan, id eſt, Univerſum, ſive Univerſi anima, 309. b
Panæus pictor quando vixerit, 26. b. Timagoram in certamine vicit, ibid.
Pancirolli in explicatione loci Plautini error, 94. a
pandura inventa eſt ab Aſſyriis, 89 b
Panodorus ad exactiorem Chronologiam attulit ſcientiam Aſtrologiæ, 138. b. 139. a. ejus ætas, ibid.
Panothea Heroici metri inventrix, 48. b
Papirius Maſſonius quæ, & quando, in Geographicis ſcripſerit, 150. b
Pappus Alexandrinus quid, & quando, ſcripſerit in Geometricis, 79. b. Aſtrologicis, 116. b. Geographicis, 147. a. mechanicis, 163. a
Παρεμβολὴ lucta quæ fuerit, 10. b
Paracelſus Chemiam, diu ſepultam quaſi ab orco revocavit, 249. a. hujus vita deſcribitur, ibid.
Parmenides in Aratum commentatus eſt, 114. a. Xenophanis diſcipulus, 294. b. contra opinionem præceptoris ſui duo tantùm elementa ſtatuit, ibid. primus dixit terram globoſam, inque medio ſitam, ibid.
Parmeniſcus Grammaticus in Aratum commentatus eſt, 114. a
Parrhaſius Athenienſis, qui συμμετρίας melius prioribus obſervavit, quando vixerit, 27. b. à Timanthe victus eſt, ibid.
partes Demonſtrationis & Definitionis ut differant, 220. b
Parthi claſſicum canentes ligna cavata, & corio obducta, quibus ærea circumponebant tintinnabula, pulſabant; atque ita percuſere exercitum Craſſi, 20. a
Paſchaſinus de tempore celebrandi Paſchatis ſcripſit, 194 b
Paſchatis celebratio quo tempore cœpta & deciſa, 103. a
Paſiteles quinque volumina ſcripſit nobilium operum in toto orbe, 29. b. malè à Cæſare Bullingero, & aliis, cum Praxitele confunditur, ibid.
paſſùs menſura quæ, 99 a
paſtio, ſive res pecuaria, 244. b. hujus antiquitas & honeſtas, ibid. eſt triplex, ibid.
patriæ noſtræ hiſtoria prius diſcenda, quàm exterorum, 58. a
Patriarchæ ante diluvium ſciverunt Solis, ac Lunæ, curſum, 104. a
Paulla, femina docta, ad quam ſcripſit B. Hieronymus, 35. b
Paulli Diaconi Sapphica, in quibus ſunt Muſices notæ, 14. a. emendatus, 28. a
Paullus Cruſius quando doctrinam Solis revolutionum ediderit, 191. b
Paullus Diaconus Verrium Flaccum à Feſto Pompejo ſæpe depravatum magis etiam corrupit, 44. a. reprehenſus, 92. a
Paullus P. F. Florentinus quando Opticen ſcripſerit, 182. b
Paullus Gerardus quando Arithmetica ſcripſerit, 169. b
Paullus Guldinus quæ, & quando, in Mechanicis ediderit, 205. b
Paullus Merulla quando Coſmographiam ſuam ediderit, 151. a
Paullus Middelburgenſis de Calendarii emendatione ſcripſit, 140. a. & alia ejuſdem argumenti, ibid. ejus ætas, ibid.
Paullus Philoſophus Aſtrologica ſcripſit, 184. a. ejus ætas incerta, ibid.
Paulus Ægineta medicus doctiſſimus, 260. a. Galenum utili ſeptem librorum compendio conſtrinxit, ibid.
Pauſanias quando Græciam ſcripſerit, 200. a
pedis menſura quæ, 99. a
Πένταθλοι, Latinis quinquertiones, qui dicti, 7. b. 10. b
Pererius Aſtrologiam divinatricem impugnavit, 135. b
Pericles multum profuit Athenienſibus, eò quòd Aſtrologiæ gnarus eſſet, 102. b
periodus Calippi quando cœperit, 113. a. non incipiebat ab autumnali ſolſtitio, ibid.
Peripatetici Matheſin rectè Philoſophiæ miniſtram faciunt, 64. a. & eidem præmiſerunt, 65. a. Platonis Ideas impugnant, 300. b. quando diviſi in Nominales & Reales, 307. b
Peripateticorum de Logices diſtributione ſententia, 219. b. Stoicos ſermonis elegantia vincebant, 216. b. antiqui dicti, 218. a
Perotti error, exiſtimantis idem eſſe coniſterium, quod ſpoliarium, 5. b
Perſæ fortè primi uſi ſunt ſiſtris, 70. a
Perſeus Heliceu invenit, 63. b
Perſicus Rex, Aſtrologiæ deditus, Karolo M. planetarum horologium mittit, 119. b
perſpicilla an nota fuerint antiquis, 94. a
Peruana à Franciſco Pizarro primùm detecta, 144. b
Petoſiris Ægyptius quando Aſtrologica ſua è ſacris libris hauſerit, 184. b
Petri Bertii Geographia jungenda Straboni, 57. b
Petri Pithæi de primo Latinorum Arithmeticis ſcriptore error, 72. b. primus is

ediditItinerarium Burdigalenſe, 202. a
Petronius Arbiter Epicureus, 297. b
Petrus Ramus ingenio ſuo abuſus, 306. b
Petrus Faber malè per ephebium intelligit lupanar, 5. a. ſcripſit de Gymnaſtice, 12. b
Petrus Cyrilli lector cauſſa fuit triſtiſſimæ, & crudeliſſimæ mortis Hypatiæ, 35. b
Petrus Diaconus docet rationem ſcribendi per ſiglas, 42. a
Petrus Alliacenſis quæ reliquerit in Aſtrologicis, 123. b. ejus de nativitate Chriſti error, ibid. nimium tribuit Aſtrologiæ manticæ, 135. a. & ſpiſſiſſimi ejus in ea errores, ibid. Chronologiæ fuit imperitiſſimus, ibid. ſcripſit de emendatione Kalendarii, 140. a
Petrus Antonius Cataldus quæ ediderit in Arithmeticis, 173. a. in Geometricis, 178. a
Petrus Apianus quæ ſcripſerit in Aſtrologicis, 125. b. Geographicis, 148. b. Geometricis, 176. a. Mechanicis, 204. a
Petrus Aponenſis, qui de Aſtrolabio plano ſcripſit, quando vixerit, 123. a. b
Petrus à Rivo quando de anno, die, & feria, Dominicæ paſſionis ſcripſerit, 186. b
Petrus Aron quando in Muſicis varia ediderit, 182. a
Petrus Beauſardus quando Arithmeticam ſuam divulgârit, 171. a. & annulum Aſtronomicum, 191. b
Petrus Bertius quantum, & quando, de Geographia ſit meritus, 150. b. 151. a
Petrus Bongus quando de myſticis numerorum ſignificationibus ſcripſerit, 172. a
Petrus Catena, quæ in Porphyrii Iſagoge, & Organo Ariſtotelis, è Matheſi adducuntur, ſingulari commentario illuſtravit, 65. a
Petrus Cero egregius Muſicus, 93. b
Petrus Cirvellus, qui Franciſco Ximeni fuit familiaris, quæ ſcripſerit in Geometricis, 81. b. quæ in Aſtrologicis, 188. b
Petrus Crugerus quid in Arithmeticis, & quando, ſcripſerit, 173. b
Petrus de Dacia quando ſcripſerit de calculo, & quando Kalendarium, 195. a
Petrus Gaſſendus de apparente magnitudine Solis humilis, & ſublimis, ſcripſit, quibus multa phyſica, & optica, explicat, 183. a. b. quæ præterea ſcripſerit in Aſtrologicis, 193. b
Petrus Gregorius Tholoſanus Aſtrologiam divinatricem impugnavit, 135. b. tractat de Muſica, 182. a
Petrus Haſchardus ſcripſit clypeum Aſtrologicum adverſus Rapaldum, 190. b
Petrus Lauremburo quando ediderit Amphylicum ſuum, 193. a
Petrus Maria Boninus quando ſcripſerit *Il Lucidario dell' Arithmetica*, 170. b
Petrus Medina quando ediderit librum de navigatione, 204. b
Petrus Metaureus in decimum Euclidis commentatus eſt, 176. b
Petrus Nonius ſcripſit de crepuſculis, & alia in Aſtrologicis, 126. b. ejus ætas, ibid. quæ in Mechanicis ſcripſerit, 165. a
Petrus Ramus quomodo vocârit Matheſios contemptores, 64. a. quid ſcripſerit in Arithmeticis, 73. a. 171. b. in Geometricis, 82. a. ejus laus, & mors, 82. b
Peutingeriana tabula, 147. a
Phædo Elienſis, Socratis diſcipulus, ſectæ Eliacæ autor, 298. b
Phaëthontis fabula explicata, 109. a
Φαινίνδα luſus apud Romanos genus, 9. b
phalangii morſus infecto tibicinum cantu ſanatur, 15. a
Phariſæorum de anima opinio, 292. b
Pharmaceutice, 251. a. hujus duo officia, ibid.
Pherecydes, autor Sectæ Italicæ, hauſit ſua ex occultis Phœnicum libris, 283. b. quorundam judicio Pittacum audivit, 290. a. animas primus docuit immortales, ibid.
Pherecydes Athenienſis de Genealogiis egit, 54. b
Phidias initio etiam pictor fuit, & quando vixerit, 26. b
Philagrius Lycius, medicus Epirota, quando floruerit, 257. b
Philandri error in voce κωρυκίς, 5. a. eſæotheſi, ibid.
Philippicæ inſulæ veteribus fuere incognitæ, 144. b
Philippus Apianus Mathematicus Ingolſtadienſis, quæ in Geometricis, & quando, ſcripſerit, 82. a. quæ in Geographicis, 150. a
Philippus Cluverius quantum, & quando, in Geographicis præſtiterit, 185. a
Philippus Fantonius quid in Aſtrologicis ſcripſerit, 191. a
Philippus Lansbergius varia in Aſtronomicis ſcripſit, 130. a. 193. a. Chronologicis, 143. a. Geometricis, 178. b
Philippus Medmæus quid, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 184. a
Philippus Melanchton de Matheſios ſtudiis præclarè etiam meritus eſt, 98. b. ejus de Herlino judicium, ibid.
Philippus Metæus Geometriam excoluit, 76. a
Philippus Mullerus quid, & quando, in Mathematicis præſtiterit, 199. a
Philippus Opuntius Aſtrologica ſcripſit, 184. a. & Optica, 96. a
Philippus Acarnan, medicus, quando claruerit, 254. a. Alexandrum magnum ſalutari potione ſanavit, ibid.
Philiſtion Locrenſis, medicus, 260. a
Philiſtio Siculus, medicus, 254. a
Philo Bizantius de arte machinali ſcripſit, 162. a
Philo Tyaneus quid, & quando, in Geometricis, ſcripſerit, 174. b
Philo & Charmidas quartæ Academiæ conditores, Clitomacho Carthaginienſi ſucceſsêre, 303. a
Philo Judæus, Platonicus, 303. b
Philocles Ægyptius picturam linearem invenit, 22. a
Philolaus artis canendi tibiâ gnarus, 18. a
Philolaus Crotoniates quando claruerit, 111. b. à ſuis interemptus eſt, ibid. liber ejus à Platone emptus, ibid.
Philologia, aliter Grammatice dicta, πολυμαθείας pars eſt, 39. a. κατ' ἐξοχὴν ἐγκυκλοπαιδεία vocatur, ibid. quàm magnificè eam prædicet Eraſmus, 39. b. verſatur circa hiſtoriam omnigenam, & ſermonem, ibid. in quo exigitur puritas, ornatus, & metrum, ibid. omne ponit ſtudiorum fundamentum, 40. a. aliis Matheſis comes, aliis aſſecla, 59. a. Polymathiæ pars, ibid. Philoſophiæ debet præmitti, ibid.
Philologus quomodo tractet hiſtoriam, 56. a
Philonis Judæi de cœlorum Muſica opinio, 13. a. elegans de artibus liberalibus, ac Abrahamo, allegoria, 33. b
Philoſophi in Græcia cur olim ad tantum eruditionis faſtigium pervenerint, 46. b
Philoſophia quaſi jugale vinculum eorum, quæ multijuga lectio peperit, 229. b. cur à Theologia ſeparetur, 230. a. in hac non eſt conſeneſcendum, 229. a. eſt nata ex admiratione, 231. a. πρακτικὴ, ſive activa, 269. a. unde nata hæc prudentia, ibid. vel vitam & mores cujuſque inſtituit, unde ἠθικὴ vocatur: vel demonſtrat prudentiam regendarum civitatum, & idcirco vocatur πολιτικὴ, ibid. alia Barbarica, alia Græcanica, 281. a. Perſica, 282. a
in Philoſophiâ diſtinguuntur hæc tria, παιδεία, γνῶσις, & ἐπιστήμη, 232. a
Philoſophiæ diviſio in Theoreticam, & Practicam, ac utriuſque ſubdiviſio, 41. a. Theoreticæ tres partes, 64. a. diviſio Stoica, 211. a. Epicurea, 210. b. Platonica, 210. a. definitio, 230. a. b. finis, ibid. auditori quæ ſcitu neceſſaria, 231. a. b. 232. a. b. partes duæ, una φυσικὴ, altera πρακτικὴ, 233. a. b. harum Philoſophiæ partium divinior præſtantiorque φυσικὴ, ibid. hæc antiquior Morali, 234. a. b
Philoſophus quomodo tractet hiſtoriam, 56. a. non debet operam dare mercaturæ, ſecundùm Themiſtium, 63. a. rem metiri debet ex neceſſariis, 236. a. b
Philoſtorgius medicus præſtantiſſimus, quando floruerit, 258. a. hujus filii Philagrius & Poſidonius itidem medici præſtantes fuere, ibid.
Philoſtratus de arte pingendi ſcripſit, 29. b. nec non de vitis philoſophorum, 55. b
Philotheus Amphiſſenſis medicus quando claruerit, 255. b. hujus extant Commentarii Græci in Aphoriſmos Hippocratis, liberque de Urinis, ibid.
Philotimus de Gymnaſtice ſcripſit, 12. b
Philoxenus de verborum vi, ac origine ſcripſit, 44. b
Phœnices Arithmeticam invenerunt, 69. b. ſecundùm Cynoſuram in mari dirigunt curſum ſuum, 110. b. ab iis eſt omnis ſideralis ſcientia, ibid.
Phœniciæ debetur gloria literarum inventarum, 3. b. quæ non aliæ ſunt, quam vetuſtiores Hebrææ, ibid.
Phœnicum philoſophia, 283. a. unde hauſerint Phœnices, ibid.
Photius emendatus, 106. a
Phrygia Muſica an ab Ionica, Dorica, & Æolica fuerit diverſa, 19. a. ab Ariſtoxeno inventa eſt, ibid.
Phrygidoria Muſica quæ, & unde dicta, 92. a
Phrygum Philoſophia, 284. a
Phrynnis mulctatus, quòd aliquid in inſtrumento Muſico mutâſſet, 20. a. 21. a
Phyllis Delius Muſicam ſcripſit, 180. b. ætas ejus incerta, ibid.
Phyſice operativa, 241. b. hujus finis, ibid. particularis, ſive philoſophia θεωρητική, 235. a
Phyſices ſcientiâ cur indigeat pictor, 23. b. 24. a. & hiſtoriæ naturalis, differentia, 43. b. Metaphyſices, & Matheſios, differentiæ, 59. b. ejus abſtractio quomodo fiat, 60. a. circa quæ verſetur, 61. b. 63. b. 64. b. quomodo differat ab Aſtrologia, 101. a. notitiâ ejus opus eſt in re nauticâ, 158. a
Phyſici præcipuè eſt exponere cauſam conſecutionis, quæ eſt à neceſſitate materiæ, 235. b
Phyſicus quantoperè Aſtrologiæ ſcientiâ indigeat, 102. a
Phyſiognomia, 240. a. eſt ars conjecturalis, 240. b. de hac arte qui ſcriptores extent, ibid.
Φυσιογνωμονία malè à quibuſdam φυσιογνωμία dicitur, 25. a
Phyſiologiam Sextus Empiricus ponit in ἐγκυκλοπαιδείᾳ, 64. a
pictores decem hodie palmarios colores habent, 22. b. eorum antiquis temporibus pergula, à Geometria accipiunt lineam, & ſymmetriam, 23. b. ab Optice umbram, & lumen, ibid. in iis requiritur ſcientia naturæ, & Anatomices, ibid. & 24. a. cur, qui atavorum memoriâ fuere, longiùs receſſerint ab antiquis, & ad priſcum decus picturam non perduxerint, 31. a
pictura quarta inter artes populares, 21. a. ſervis olim interdicta, 16. b. 21. b. cur initia ſua à natura habeat, ibid. ea, & Poëtice, ſimilem habent originem, ibid. vetuſtiſſima eſt, ibid. æquè vetuſta eſt, ac cœlatura, ibid. ut quæ maximè ſint affines, 22. a. origo ejus, ac progreſſus, ibid. etiam eſt abſque ullo colore, 22. b. ſerò à Græcis in liberalium artium numerum eſt recepta, ibid. quâ de cauſâ nonnulli huic arti invideant, ibid.

Poëſi

Poëſi affinis eſt, & in quo eam ſuperet, *ibid.* & 23. a. Hiſtoriæ quandoque paria facit, ac eam vincit, *ibid.* quis ejus ſit uſus in Phyſice, & Politice, *ibid.* vitandus ejus eſt abuſus, *ibid.* & 23. b. ac juſtum de eo Thebanorum edictum, *ibid.* quanta ſit ejus difficultas, & quæ difficultatis iſtius ſit ratio, *ibid.* ejus ſubtilitas, nobilitas, ac dignitas, 24. a. ejus, ac aliarum ſcientiarum, affinitas, *ibid.* quas tamen univerſas dignitate exſuperat, 24. b. an facilior ſit ſculpturâ, *ibid.* ejus tot, ac eædem, quot, & quæ, Oratoriæ partes, *ibid.* & 25. a. vel quinque potius, ſi οἰκονομίαν, & συμμετρίαν ſeparare malis, *ibid.* quas conſiderare, & imitari, in præſtantium artificum operibus conducit, 25. b. ejus certamen primum quando inſtitutum, 26. b. exiguus ei honos apud Romanos fuit, 30. a. poſtea tamen Cæſares quidam artem eam excoluere, 30. b. avorum noſtrorum memoriâ in Italia rurſus caput extulit, 31. a. b

Picturæ quot partes, 63. a. ſine Matheſi non poteſt addiſci, *ibid.* & Statuariæ finis & uſus, 264. b

pietas Chriſtiana quid præſtet, 33. a. omnium ſtudiorum finis eſſe debet, 56. b

pilarum quot apud Romanos genera, 7. a. 9. b. apud Græcos, *ibid.* *vide* Σφαιριστική.

Pittacus Mitylenæus præceptor Pherecydis Syrii, 289. a

Pius II. Pontifex, *vide* Æneas Sylvius.

planetarum Theorica generalis universè agit de planetis, 108. a. ſpecialis de eorum motu, *ibid.* pars eſt Aſtronomiæ Meteorologicæ, 107. b. tardius eam didicerunt Græci, quàm doctrinam ſphæricam, 109. a. planetarum Theoricæ ab Andromacho Cretenſi primùm editæ, 115. b

Planiſphærii doctrina ad Scenographiam pertinet, 96. a

Plaſtice, 268. a

Πλαστικὴ an, ut γραφικὴ, liberalis ars dici poſſit, 21. a. ejus, & picturæ, affinitas, 24. b

Plato, Damonem ſecutus, ſtatuit, mutatâ Muſicâ etiam mutari Reip. formam, 20. a. tibiam arcet, & Phrygios modos admittit, 17. b. quas vocet diſciplinas Mathematicas, 59. a. quomodo utatur voce Dialectices, 61. b. ſæpe utitur exemplis Mathematicis, *ibid.* Matheſin primò, dein Philoſophiam, diſci voluit, 64. b. Geometriæ cultor, *ibid.* & 78. a. quid intelligat per Ægyptiorum χυδαίαν, 69. b. emit Philolai Crotoniatæ librum, 111. b. illius Atlantis eadem eſt, quæ nobis America, eoque non eſt fabuloſa, 154. b. 155. a

Plato Athenienſis, quartus diſcipulorum Socratis, qui novæ ſectæ conditor fuit, 299. b. variarum ſectarum præceptores habuit, *ibid.* hujus Philoſophia mixta fuit ex Heracliticâ, Pythagoricâ, & Socraticâ, *ibid.* centum minis emit tres libros Pythagoricos, 300. a. quid ſtatuerit, *ibid.* mundum quomodo genitum putarit, 300. b. in quo erraverit, *ibid.* hujus Ideæ non planè rejiciendæ, 301. a. quem finem Philoſophiæ ſtatuerit, *ibid.* dictio Platonis minus idonea ad philoſophandum, 301. b. per certas perſonas ſuam prodit ſententiam, 300. b. 302. a. Ariſtotelis domum ſolebat vocare οἶκον ἀναγνώστου, 306. b. errorem μετεμψυχώσεως ſecutus in Phœdone, 292. b. *Moſes Atticiſſans* dictus, 289. b

Platoni an inventio Logices rectè tribuatur, 213. a. ejus liber cur Dialecticus inſcribitur, 226. b

Platonici vim illam Muſicæ in animos humanos dicebant oriri ex reminiſcentia harmoniæ cæleſtis, quam audierint, antequam in corpora hæc immitterentur, 14. b. dicti illi, qui poſt toties variatam Academiam Platonis dogmatis inſiſterent, 303. b

Plautus explicatus contra mentem Pancirolli, 95. a

plebis vox dignior eſt voce vulgi, 1. b

Plinii, picturam Trojanis necdum temporibus fuiſſe, exiſtimantis error, 21. b. de Zeuxis pictura Cottiæis facta lapſus, 19. a

Plinius Secundus quid, & quando, in Geographicis præſtiterit, 51. a. 57. b. multa Geographica reliquit, 147. a. emendatus, 118. b. propter Hiſtoriam Naturalem inter Medicos recenſendus, 256. b. ejus ſcripta, *ibid.* aſpera Medicorum judicia non effugit, *ibid.*

Pliſtanus Elienſis Phædonis auditor, 298. b

Plotinus de Platonicæ & Pythagoricæ Philoſophiæ principiis ſcripſit, 301. b. ubi natus, & quando vixerit, 303. b. non admodum fuit alienus à ſecta Potamonicâ, 314. a

Plotinus Ægyptius ſucceſſor Platonis in Theologicâ ſcholâ, 268. b

Plutarchus de Muſica ſcripſit, 92. b. errat ſcribens Archimedem non ſcripſiſſe Iſorrhopica, 161. a

Plutarchus Chæronenſis virtutum ſingularum tradit naturam, ac ad amorem earum præterea accendit, 38. a. an autor ſit appendicis Proverbiorum, quam Schottus edidit, ut exiſtimavit Eraſmus, 45. a

Podalirius Æſculapii filius, 252. a

Poëſios, & picturæ, affinitas, 21. b. 22. b. an ideo illa ex liberalium numero ſit ejicienda, *ibid.* in quo ab hac ſuperetur, 23. a

Poëſis tam latè patet, quàm Philoſophia, 233. b. in quo à Philoſophia differat, 234. a

Poëta Arithmetices gnarus multò ſit perſpicacior, 68. a

Poëtice diverſa eſt à Metrice, 41. b. cur eadem ejus ſit utilitas, quæ Hiſtoriæ, 56. a

Ποιεῖν, verbum latius ſumptum, 207. b

Polemarchus Eudoxi familiaris, 113. a

Polemo Athenienſis, ſucceſſor Xenocratis, 302. a

Polemon de pictoribus, & de tabulis, ſcripſit, 29. b

Polixenus Matheſios contemtor, 64. a

Politice quid doceat, 270. b. hujus mater hiſtoria civilis, *ibid.* dividitur in οἰκονομικὴν, & πολιτικὴν, 271. b. ſubjectum, 272. a. finis duplex, externus & internus, *ibid.* origo, 272. b. partes duæ, *ibid.* harum prior dividitur in duas alias, 273. a. ad partem Politices, quæ eſt de adminiſtratione pertinet παιδαγωγική, 273. b. item ἱερατική, ſive cura religionis, *ibid.*

Politico duo Hiſtoriarum genera maximè conducunt, & quæ, 270. b. 271. a

Politicum oportet eſſe imbutum cognitione Aſtrologiæ, 102. b

Polybius quantum operæ Geographiæ dederit, 50. a. 146. a

Polybus Hippocratis gener diſcipulus, & ſucceſſor, 253. b

Polydorus Virgilius ſcripſit vitas virorum Illuſtrium, 56. a

Polygnotus Thaſius pictor quando vixerit, 25. b. Athenis porticum, ποικίλην dictam, gratuitò pinxit; & quid eâ de cauſsâ ipſi decreverint Amphyctiones, *ibid.* malè apud Tzetzem Polygnoſtus dicitur, 24. a. imagines ejus erant ἠθικαί, 27. a

Polyidus de arte machinali ſcripſit, 162. a

Πολυμαθία quid, 33. a. ejus partes tres, 39. a. quid propriè ſignet, *ibid.* orbis diſciplinæ Latinis dicitur, *ibid.*

Πολυμαθησύνη quid, 33. a

Pompeja porticus Romæ, 12. a

Pompeji impietas non minor fuit, quàm Cæſaris, 57. a

Pomponii Læti fragmentum Feſti ubi incipiat, & deſinat, 44. a

Pomponius Gauricus de ſculptura ſcripſit, 31. b

Pomponius Atticus, *vide* T. Pomponius Atticus,

Pomponius Mela quid, & quando, in Geographicis præſtiterit, 51. a. 57. b. 147. a

pondus quæ ſit quantitas, 160. b

Pontificibus Romæ cura intercalationis commiſſa erat, 137. b

populi vox dignior eſt voce plebis, 1. b. plebem, aſſiduos, equites, Senatores ſub ſe comprehendit, *ibid.*

Porphyrius de ſimulachris egit, 29. b. quæ ſcripſerit in Muſicis, 92. b. 180. a. in Aſtrologicis, 132. a. 183. b. diſcipulus Plotini Ægyptii, & Amelii quando claruerit, 268. b. Platonicus fuit, 303. b. quis, & quando floruerit, *ibid.* ejus εἰσαγωγὴ in Ariſtot. 307. a

porticus Gymnaſiorum, exhedris plenæ, primæ partes erant, 5. a. Pompeja Romæ, 12. a

Poſidonii ſphæra vitrea, 154. b. quæ ſcripſerit in Geographicis, 146. a. Mechanicis, 163. b

Poſidonius Antipatri auditor, 310. b

Poſidonius Apameenſis, vel Abiopolita, quæ, & quando, in Geographicis reliquerit, 50. b

Poſſevinus Aſtrologiam divinatricem impugnavit, 135. b

Potamo Alexandrinus electivæ ſectæ auctor, 312. b. hujus ſectatores ἐκλεκτικοὶ, *miſcelliones* dicti, *ibid.*

Potamo Mitylenæus, 313. a

prædicabilia à Porphyrio quomodo appellata, 222. a. qui in ea ſcripſerint, 223. a. b. quinque tantùm Prædicabilia eſſe, falſum, *ibid.*

Praxagoras de Gymnaſtica ſcripſit, 12. b

Praxagoras medicus, 260. a. hujus ſcripta, *ibid.*

Priſcianus tractavit de metris comicis, 49. a. quid, & quando, in Geographicis ſcripſerit, 51. a

Priſcianus Cæſarienſis Geographica reliquit, 147. a. & Mechanica, 203. b

probabile, quid, 226. a. duplex, 226. b

Procli malignitas ſuper facilitate Ariſtotelis, 225. a

Proclus biennio abſolvit Ariſtotelis philoſophiam, 231. b. Philoſophus Platonicus, 268. b

Proclus Lycius Diadochus quas diſciplinas Mathematicas vocet, 59. a. ſcripſit ſphæram, ſed exſcripſit, 117. a. in Nicomachi Geraſeni Iſagogen commentatus eſt, 169. a. & in librum primum Euclidis, 174. b. in librum Ptolomæi de quatuor affectionibus, 117. b. an ejus ſit ἐξήγησις εἰς τετράβιβλον Ptolomæi, 117. b. 132. a. emendatur, 60. b. 78 a. διάδοχος appellatus ob ſucceſſionem in Schola Platonica, 304. a. 307. a

Προγυμνάσματα quæ Græcis dicta ſint, 48. a

Proletarii qui dicti fuerint Romanis, 1. a. unde ſic dicti, *ibid.*

Προπαιδεία quid, 33. a

Προπαιδεύματα quid, 33. a

Prophatius Judæus Aſtrologus quando vixerit, 123. a

Proſnomus tibicen clariſſimus, à quo tibiâ canere didicit Alcibiades, 18. a

Προσῳδία ſpectat ad ὀρθοέπειαν, quæ de privis vocibus agit, 41. b. attendit moderamentum vocum ratione ſoni, accentum nempe, ſpiritum ac quantitatem, 41. b. non comprehendit ſub ſe Metricen, *ibid.*

Proſper quouſque B. Hieronymum continuârit, 54. a

Proſper Aquitanicus inter cætera reliquit cyclum paſchalem, 139. a. ejus ætas, *ibid.*

Protagoras Democriti auditor, 295. b. prius bajulus fuit, *ibid.*

Digitized by Google

Protei fabula explicata, 19. a
Proterius de tempore celebrandi Paſchatis ſcripſit, 194. b
Protogenes pictor quando vixerit, 29. a. ejus, & Apellis, in linea certamen, ibid. de arte pingendi etiam ſcripſit, 29. a
Protoplaſtæ an ſine pelle fuerint, 2. a
proverbia plurimum conferunt ad intelligendos melius veteres ſcriptores, 45. b. eorum uſus conducit Rhetoricæ, ibid. ac facultati Oratoriæ, ibid. hiſtoriæ lucem præbent, & ex eâ viciſſim lucem capiunt, ibid. magnam partem ad vitæ inſtitutionem pertinent, ibid. qui veteres, qui recentiores, ea ſcripſerint, 44. b. 45. a. b
Provinciarum Romanarum libellus Geographiæ operam daturis conducit, 51. b
prudentia ab habitu morali diſtincta, 208. b. civilis quid præſtet, 33. a. eloquentiæ juncta eam conſummat, ibid.
Πρύλις ſaltationis bellicæ genus, 9. a
pſallere quid ſit propriè, 18. a
Pſellus, vide *Michaël Pſellus*.
Ptolomæus Cæſarienſis quantum, & quando, in Geographicis præſtiterit, 50. b
Ptolomæus Alexandrinus ſidera conſiderans quid dicere ſit ſolitus, 63. b. maximè excoluit Geographiam, & Aſtrologiam, 85. b. omnem concentum ſenſu, & ratione, dijudicabat, 88. a. ſcripſit de Muſica, 91. b. de planiſphærio: quod ſcriptum Latinè tantùm exſtat ex Arabico verſum, 97. b. ejus τετράβιβλος σύνταξις, & centiloquium, 132. a. varia parapegmata, 116. b
Ptolomæus Philadelphus, Philoſophus Pythagoricus, Muſicam ſcripſit, 180. b ejus ætas incerta, ibid.
Ptolemaicæ, & Copernicanæ, ſphæræ differentiæ, 125. b
Ptolemais Cyrenaica laudata, 67. b
P. Terentius Varro ſcripſit icones præſtantium virorum, 30. b
pueris conducunt leviores exercitationes, & cur, 7. a
pugillatus, *vide* Πυγμὴ.
pugiles unde dicti, 11. a. ſtantes decertabant, ac primò pugnis tantùm pugnabant, ibid. poſtea uſi ſunt cæſtibus, ibid. ſæpe interimebant ſe, ſæpe adeo ſe cruentabant, ut dignoſci non poſſent, ibid.
Πυγμὴ, ſive pugillatus, quinque gymnicis certaminibus acceſſit, 11. a. qui eâ præcelluerint, ibid. in ea pugnis primò pugnabatur ſolùm, ibid.
pugna gladiatoria pluris fiebat à veteribus, quàm pammachium; ac vel inter duos erat, vel inter plures, 12. a
pugnus unde dictus, 11. a. 67. b
punctum aliud eſt Mathematicum, aliud Phyſicum, 76. a. an ejus doctrina ſit diſtincta pars Geometriæ, ibid. & 76. b. eſt imaginarium quid, 67. b
purè loquendi diſciplina quomodo, ac quando, tractanda ſit, 46. a. bonam nobis primæ ætatis partem abſumit, 46. b
pyladis ſaltatio faſtuoſa erat, & affectibus movendis idonea, 19. a
Pyreicus Ryparographus picturam ad humiliora revocavit, 29. a
Pyrgoteles ſculptor celebris, à quo ſolo Alexander Magnus ſculpi voluit, 28. b
Πυῤῥίχη ſaltationis bellicæ genus, 9. a. unde dicta ſit, ibid. eam inter exercitationes habuere Lacones, ibid. erat armatum ſaltationis genus, ibid. Latinis *bellicrepa*, ibid. aliter χειρονομία dicebatur, eò quòd manibus etiam geſticularentur, ibid.
Pyrrho ſectæ cognominis conditor, ſed non dogmaticæ, 311. b. quo tempore vixerit, ibid quos audiverit, ibid. cur iidem Σκεπτικοὶ, ἀπορητικοὶ, &c. dicti, ibid. res omnes incertas eſſe, ut non magis affirmari aliquid, quam negari poſſet, dicebant, ibid. convenit cum media Academia hæc ſecta, 312. a. valde eſt contraria Chriſtianæ religioni, ibid.
Pyrrho Eleus, Scepticorum pater, in India cum Gymnoſophiſtis conſuetud. habuit, 283. a
Pyrrhonius quomodo utatur voce μαθημάτων, 59. a. non tam diſputat adverſus Arithmeticen, & Geometriam, quàm alias ſcientias, ibid.
Pyrrhus, Epirotarum Rex, de arte machinali ſcripſit, 162. a
Pyrrhus Magneſius in Aratum commentatus eſt, 114. a
Pythagoras primò φιλοσόφου λόγον fuit, 1. b. an Muſices inventor, 13. b. putavit amorem Muſices ortum ex reminiſcentia harmoniæ cœleſtis, quam audierint, antequam in corpora hæc immitterentur, 14. b. lyram potiùs amabat, quàm tibiam, 17. b. lyræ cantu animum ad laborem excitabat, 15. b. quando mortuus ſit, 26. b. de naturæ bonitate ex corporis conſtitutione conjecturam faciebat. 37. b. multum ſolebat adhortari, 38. a. Medicinæ peritus, 252. a. quando floruerit, ibid. aſtrorum ſcientiam hauſit à Chaldæis, 282. a. fuit Italicæ Sectæ conditor, 289. a. multum debet Barbaris ac Thracibus, ibid. Pherecydem præceptorem habuit, ibid. & 290. a. errorem μετεμψυχώσεως ab Ægyptiis hauſit, ibid. multas Judæorum leges in Philoſophiam tranſtuliſſe dicitur, ibid. Pherecydis diſputatione permotus ex athleta verſus in Philoſophiam, ibid. ut quidam arbitrantur, tria reliquit opera; ut alii, nihil ſcripſit, ibid. ejus docendi ratio duplex, 290. b. hujus diſcipuli alii erant ἀκουστικοὶ, alii μαθηματικοὶ, 291. a. cur diſcipulos ſuos tacere docuerit ante omnia, ibid. diſcipulorum hoc ſilentium duplex erat, 291. b. multi Rerumpubl. rectores ex ejus Schola prodiere, 292. a. ei ſtatua poſita Romæ, ibid. hujus errores, 292. b. carnibus cur abſtinuerit, ibid. & an omnium animalium eſu, 293. a. piſces non comedit διὰ τὴν ἐχεμυθίαν, ibid. ignem ſtatuit in meditullio mundi, 293. b. cælum & ſtellas ſtare, terram moveri credidit, ibid. hæc de motu terræ ſententia etiam diverſis tribuitur authoribus, ibid.
Pythagoras Samius invenit penultimum Theorema in 1. Euclidis de ratione laterum trianguli rectanguli, 63. b. Matheſin philoſophiæ præmitti voluit, 64. b. à Phœnicibus didicit Arithmeticen, ab Ægyptiis Geometriam, à Chaldæis Aſtrologiam, 69. b. nonnullis dicitur Geometriam ex Ægypto in Græciam tranſtuliſſe, 76. a. invenit Muſicen, & octavam chordam in lyra, 89. a. princeps eſt Italicæ ſectæ, & quando in Italia docuerit, 111. a. an fuerit Numæ præceptor, 111. b. invenit obliquitatem Eclipticæ, ibid. plurimum ei, & ejus aſſeclis, debent Græci in univerſâ planetarum Theoriâ, ibid. varia ejus dogmata, ibid. Ariſtarcho Samio vetuſtior eſt, 114. a
Pythagoras Zacynthius quando de Muſica ſcripſerit, 179. b
Pythagorei quomodo Muſicen diviſerint, 13. a. credebant, concitatiſſimo cœleſtium orbium motu ſonum cieri ſuaviſſimum, ibid. primum ſapientiæ opus dixere numeros ſcire, alterum ſermocinari, 68. a. cur omnem concentum ratione dijudicârint, 88. a. fere omnes à plebe occiduntur, 291. b. cur, 292. a
Pytheas Maſſilienſis quid, & quando, in Geographicis ſcripſerit, 50. a. 146. a
Pythocharis tibicen luporum impetum cohibuit vehementi tibiæ cantu, 14. b
pyxidem nauticam invenit Joannes Goja Amalphenſis, 157. a

Q

QUadrantaria à Dinoſtrato inventa, 76. a. quadrante azimuthali uſus eſt Tycho Brahe, 107. b
quadratura circuli multum & olim, & hodie, Mathematicos vexavit, 84. a
quantitas abſtracta eſt Matheſios objectum, 59. b. quomodo ab ea conſideretur, ibid. cur non ſit figmentum, 60. a. an dentur plures ſpecies quantitatis, quàm duæ, 73. b
Quincti Hortenſii filia ab eloquentia laudata, 35. a
Quinctilianus de Elocutione ſcripſit, 47. b
Quinctus Rhemnius Fannius quando de ponderibus, & menſuris, ſcripſerit, 203. a
quinquertiones, Græcis πένταθλοι, qui, & unde ſic dicti, 7. b. 10. b
Q. Pedius puer, ſed illuſtri genere natus, picturam exercuit, fortè eò quòd natura mutus eſſet, 30. a. ejus genus, ibid.

R.

RAbbi Moſes, filius Maimon, vulgò Rambam, quando claruerit, 261. b. hujus ſcripta, 262. a. fuit medicus Regis Ægyptii, ibid. de hujus vitâ & ſtudiis, &c. ibid.
Rainerus Gemma Friſius complura, præter Arithmeticen, in Aſtronomia edidit, 127. a. ejus ætas, ibid. & in Geographia, 149. a
Rami furioſa in Ariſtotelem convitia, 226. a
Ramus, *vide* Petrus Ramus.
Raphaël Urbinas pictor elegans ſuperioris ſeculi, cui χάριτας tribuebat Lambertus Lombarus, 30. b
Raphaël Bombellus quando opus de Algebra divulgârit, 171. b
rectitudo perfecta nulla in re eſt, 60. a
redamtruare quid fuerit veteribus Romanis, 18. a
Redemtus Baranzanus Οὐρανοσκοπίαν ſcripſit, 129. b. ejus ætas, ibid.
regiones cur ita varient, 144. a
Reinerus Reineccius de Genealogiis ſcripſit, 55. a
Remus Favinus an autor libri de ponderibus, & menſuris, 203. a
Renatus de Cartes quid in Opticis præſtiterit, 99. a. ejus laus, ibid.
retehorarium invenit Alexander Floravantius, 166. b
Rhetorica vel circa ſermonem verſatur, vel circa rem, 32. b. malè à nonnullis ſtatuitur pars Grammatices, 46. b. cur potius ſit ars, quàm facultas, & quàm hæc ab illa ſit diverſa, quæque ſit diverſitatis ratio, 47. a. ejus diviſio, ac ſubdiviſio, 47. b
Rhetorice cur à Græcis poſt Matheſin traderetur, 65. b. viro principi utilior quàm Dialectica, 227. b. 228. a
Rhodii jactant ſe Aſtrologiæ inventores, à quibus eam didicerint Ægyptii, 109. b. 110. a
Rhodiorum mos in ponendis ſtatuis parum laudabilis, 267. a
Rhodos inſula unde dicta, 109. b
Rhodos Neptuni, & Aliæ filia, ibid. Solis conjux, ibid.
Rhœcus Philæi filius, & Theodorus Teleclis, Samii, primi ſtatuam ex ære fuderunt, 265. a
Rhoſoita monialis, quæ, & quando, ſcripſerit, 36. a
rhythmus quid ſit, & quomodo à metro differat, 48. a
Richardus Streinius de familiis Romanis egit, 55. a
Richardus Lavinghamus quando de planetarum diſtantia ſcripſerit, 185. b
Rictruda ſub Alcuino, ac dein ſub aliis, in literis multum profecit, 36. a
Robertus Holkoth de ſtellarum motibus, & effe-

& effectibus, ſcripſit, 123. b. ejus ætas, *ibid.*
Robertus Neperus I. F. quid in Arithmeticis præſtiterit, 173. a
Robertus Pius Gallorum Rex quando defunctus ſit, 136. b
Robertus Recordus quæ, & quando, in Geographicis ſcripſerit, 149. b. in Mechanicis, 165. b. Arithmeticis, 171. a. Geometricis, 176. b
robur Athletis magis conducit, quàm agilitas, 5. b. non facit ad conſervandam rempublicam, 7. a
Rodolphus Battingius Methodum Aſtrolabii quando ediderit, 191. a
Rodolphus Brugenſis Ptolomæi planiſphærium ex Arabico vertit, 184. b. 185. a
Rogerus Baconus quæ, & quando, ſcripſerit in Opticis, 98. a. in Aſtrologicis, 122. b. Muſicis, 181. b. Geographicis, 200. b. Mechanicis, 203. b. alias Joannes Cantuarienſis dictus à dignitate, 98. a
Romæ Pontificibus commiſſa erat cura intercalationis, 137. b
Romana hiſtoria cur diſcenda prius, quàm alia quævis externa, 58. b
Romani in quot claſſes fuerint diſtincti, 1. a. ab Euandro acceperunt ſuas literas, 3. b. non habuere publica gymnaſia, 6. a. nec tamen negligebant exercitationes, 6. b. à Muſica non fuere alieni, 17. b. neque à ſaltatione, modò non eſſet nimis curioſa, 18. b. artem pingendi, non tamen picturas, ſpernebant, 30. a. b. veteres ab V. C. numerabant, Chriſtiani per indictiones, 53. b. quomodo excogitârint numerorum notas, 70. a. numerabant ab V. C. 139. a. quando demum habuerint ſciotherica, 156. a. an habuerint pyxidem nauticam, 157. b. cur non fuerint gnari Arithmetices, & Algebræ, 71. a. quos in Logicis ſecuti ſint, 216. a
Ronanus adverſum Finnanum de celebratione Paſchatis quando ſcripſerit, 195. a
rotunda figura omnium eſt capaciſſima, 74. b
rotunditas perfecta nulla in re eſt, 60. a
Rubellius Plautus Stoicus, 311. a
Ruffinus de Elocutione ſcripſit, 47. b. ac de metris Terentianis, 49. a
Rufus Perinthius athletico cibo, ac labori, ſpontè ſe adſtrinxit, 7. a
Rufus Feſtus Avienus quando vixerit, 119. a. Aratum Latino carmine expreſſit, *ibid.*
Rufus Epheſius Medicus quando floruerit, 257. a. hujus ſcripta, *ibid.*
Rutilii Claudii Itinerarium quando ſcriptum ſit, 52. a
Rutilius Itinerarium reliquit, 147. a
Rutilius Lupus de Elocutione ſcripſit, 47. b
rythmus ſine metro eſſe poteſt, 91. b

S.

S Litera multis in vocibus olim omiſſa, 67. a. ſæpe cum litera T aliis in linguis confunditur, 75. b
Sabæ regina habet librum Enochi de ſiderali ſcientia, 104. b. quod non eſt tamen veriſimile, *ibid.*
Salamo Aſtrologiam excoluit, 101. b
Salii ſacerdotes quomodo ſaltârint, 8. b. 18. a
ſaltatio olim in ſacris obtinuit, 90. b
ſaltatores non inungebantur, 10. a
ſaltus curſui naturâ proximus eſt, 8. b. quotuplex ſit, *ibid.* non planè à Lacedæmoniis fuit neglectus, *ibid.* quibus placebat ſaltatio, quam ad bellum conducere exiſtimabant, 9. a. ac præcipuè Pyrricha inter varia ejus genera, *ibid.* huc refer pilæ luſum, *ibid.*
Salvina femina docta, ad quam ſcripſit B. Hieronymus, 35. b
Samaritanæ literæ, quibus Judæi ante captivitatem Chaldaicam utebantur, eædem ac Hebrææ vetuſtiores, ac Phœnicæ, 3. b
Samuel Petitus quando ediderit Eclogas ſuas Chronologicas, 143. a
ſapientia ad Philoſophiam θεωρητικὴν pertinet, prudentia ad πρακτικὴν refertur, 230. a
ſapientiæ ſtudium circa quæ verſetur, 33. a. doctrina vel eſt inventa, ut Philoſophia; vel inſpirata, ut Theologia Chriſtiana, 229. b. 230. a
Saporis Sphæra vitrea, 154. b
Saraceni numerant tempora à fuga Mahumeti, 53. b
Sardis quando capta, 111. a
Saturni globus faciem habet triplicem, 95. a
Saturnus unde dictus, 242. a. per hunc tempus deſignatur, vel latens naturæ vis generativa, *ibid.*
Scenographia ſub Optica continetur, 85. a. 95. b
ſchemata Rhetorices cur non ſpectent ad Grammaticos, quamquam hi ea olim tractârint, 48. a
Scientia naturalis quatenus ſpeculativa, vel operativa, 236. a. ſpeculativæ partes ſeptem, *ibid.* prima pars, 236. b. hæc dividitur in duas alias, *ibid.* Scientiæ ſpeculativæ pars altera, *ibid.* tertia, 237. a. quarta, *ibid.* quinta, 237. b. hæc bimembris, *ibid.* ſexta pars de animalibus, 238. a. ſeptima pars de Plantis, 239. b. de his nec ſcribere dubitavit ſapientiſſimus Salomon, *ibid.*
Scinographia quid: potius Scenographia dicenda eſt, 96. a. quid doceat, *ibid.* ad eam pertinet etiam planiſphærii doctrina, *ibid.*
Scipio Carteromachus quid, & quando, in Ptolomei Geographiam perſcripſerit, 201. b
Scopas ſtatuarius celebris, 27. b
ſcribendi artificium quomodo facillimè addiſcatur, 4. a. à qua manu ordiri puer debeat, *ibid.*
Scribonius Largus, medicus, ſub Tiberio claruit, 256. a
ſcripto nihil tradebant veteres, ſed omnia memoriter docebantur; vel ſi ſcripto complecterentur diſciplinam, id fiebat eâ brevitate, ut non intelligerentur ab aliis, quàm qui antea audiiſſent, 37. b
ſcriptura ſacra ſine Chronologia ſæpe non poteſt conciliari, 127. a
ſculptura, cælatura, ac plaſtice, ut differant, 268. a
ſculpturæ, & picturæ, affinitas, 24. b an illa hac ſit difficilior, *ibid.*
Scylax Cariandenſis quæ, & quando, in Geographicis ſcripſerit, 50. a. 146. a
Sebaſtianus Venetus celebris ſuperioris ſeculi pictor, 30. b
Sebaſtianus Foxius Morzilius de imitatione ſcripſit, 46. b
Sebaſtianus Munſterus quæ, & quando, ſcripſerit in Aſtrologicis, 126. a. in Geographicis, 149. b. Mechanicis, 204. a
Sebaſtianus Serlius de perſpectiva Italicè ſcripſit, 98. b
ſecta electiva, 312 b. ut optimum ita difficillimum philoſophandi genus, 314. a
Seder Olam Rabba autor quando vixerit, 195. b
Seder Olam Zutha quis autor ſit, & quando vixerit, *ibid.*
Seleucus de Alexandrinorum proverbiis ſcripſit, 45. a
Seleucus Cyzicenus medicus celebris, 256. b. Veſpaſiani ætate vixit, *ibid.*
Sempronia ſaltatrix nimiùm curioſa, 18. b
Seneca tradit rationem ſcribendi per notas, 42 a. de virtutibus pulchrè ſcribit, & animum præterea afficit, 38. a
ſenator Romanus quantum debuerit habere in ære, 1. a
Serenus Antinſenſis quæ ſcripſerit, 79. b. ætas ejus incerta, *ibid.*
Serenus Sammonicus, medicus, quandò floruerit, 257. b. à Caracalla in cœna eſt interemptus, *ibid.*
ſermo quotuplex, 207. a
ſermocinari Pythagoreis alterum poſt numeros ſcire ſapientiæ opus, 68. a
ſermonis ſtudium triplex; loquendi emendatè, ornatè, & modulatè, 46. b
Seruchus, Abrahami Patriarchæ proavus, primus putatur ſtatuas ſtatuiſſe viris fortibus, 22. a
ſervi olim Grammaticen, Muſicen, ac alias artes, diſcebant, 16. b. non tamen picturam, *ibid.* & 21. b
Servius de arte metrica ſcripſit, 48. b
Sethus Calviſius quæ, & quando, in Chronologicis ediderit, 197. b. ejus laudes, *ibid.*
Severinus Boëthius quæ, & quando, ſcripſerit in Arithmeticis, 72. b. Muſicis, 92. b. Geometricis, 175. b. ejus vita, ætas, & mors, *ibid.*
Sextus Africanus, præter Chronologiam reliquit Κεςῶν libros, in quibus tractabat res medicas, phyſicas, ruſticas, & chymicas, 257. b
Sextus Empiricus, qui ὀρθογραφίας vanitatem ἐκ τῆς διαφωνίας convincere conatur, refellitur, 41. b. 42. a. Phyſiologiam ponit in ἀσυμπαθείᾳ, 64. a. Rhetoricen, & dialecticen, præmittit Matheſi, 65. b. Empyricæ ſectæ medicus, quando claruerit, & quid ſcripſerit, 257. a. b. doctè Pyrrhoniam ſectam explicat, 312. a
Sextus Pythagoricus, 294. a
Sextus Julius Frontinus, qui de Tactica, quæ Homeri temporibus obtinebat, ſcripſit, quando vixerit, 162. b. aliàs Fronto dictus, *ibid.*
Siculus Flaccus de agris & limitibus ſcripſit, 100. a
Sicyonii quomodo primùm pinxerint, 22. a
Sicyonium picturæ genus ab Eupompo Sicyonio, ejus inventore, ſic dictum, 27. b
ſidera circa terram moveri quis docuerit, 111. a
ſifræ vox qualis ſit, 67. a. eæ malè à quibuſdam dicuntur factæ ex figuris Græcanicarum literarum corruptis, 70. a. acceperunt eas cæteri Europæi ab Hiſpanis, Hiſpani à Mauris, Mauri ab Arabibus, Arabes à Perſis, vel Indis, *ibid.* non ſunt anni quadringenti, quòd illas acceperimus, *ibid.* aliquando fuerunt immutatæ, 70. b
Sigebertus ſcripſit de Illuſtribus Eccleſiæ viris, 56. a
Sigebertus Gemblacenſis quando vixerit, 121. a. ejus computatio, *ibid.*
ſiglæ quid ſint, ac ratio per eas ſcribendi ad ὀρθογραφίαν pertinet, 42. a
ſigna ut differant à ſtatuis, 267. b
Σίκιννις ſaltationis genus in Satyrica poëſi adhiberi ſolitum, 18. b
Silenus cur aſino imponatur à poëtis, 13. b
Simmias Rhodius de verborum egit originibus, 44. b
Simmias Thebanus quando de Muſica ſcripſerit, 179 b
Simon ab Hemminga adverſus Aſtrologiam judiciariam ſcripſit, 189. a. 192. a
Simon Athenienſis quando de Muſica ſcripſerit, 179. b
Simon Bredonus quando vixerit, & commentatus ſit in Roberti Lincolnienſis computum Eccleſiaſticum, 140. a. quæ ſcripſerit in Arithmeticis, 169. b. Aſtrologicis, 185. b
Simon Stevinus, Illuſtriſſimi Arauſionenſium Principis Mathematicus, quæ ſcripſerit in Aſtrologicis, 128. b. Geographicis, 150. b. Staticen in juſtum artis opus redegit, 159. a. quæ in Mechanicis, 166 b. Arithmeticis, 172. a. Geometricis, 177. a. 83. a. Muſicis, 182. a. Opticis, 183. a
Simonides Ceus de Genealogiis egit, 54. b

Simonidis de pictura, & poëſi, dictum, 21.b
Simonis Grynæi error Claudium Ptolomæum Ægypti Regem fuiſſe cenſentis, 116. a. quæ ediderit in Geometricis, 176. a. 189. a
Simplicius emendatus, 112. a
Simplicius Phryx, 307. a
ſithyra debetur Libybus, vel potius Troglodytis, aut Thracibus, 89. b
Sixtus V. Pontifex prælum Arabicum Romæ erexit, quod antea in Europa nullum, quo primùm prodiit Euclides: & alia, 82. a
Sixtus ab Hemminga, *vide* Simon ab Hemminga.
Σκιαμαχία quid ſit, 12. a
ſmaltum quid ſit, & unde dicatur, 28. a
Sminthes in Aratum commentatus eſt, 114. a
ſocii Arvales qui, 99. b
Socion hiſtoriam Scholaſticam ſcripſit, 55. b
Socrates ſaltationem laudavit, 18. b. præſertim Memphitica ei grata fuit, 19. a. tibiam improbat, 20. b. ſenex fidibus canere didicit, *ibid.* initio pictor fuit, 26. a. an rectè Muſicen in voce conſtituerit, 87. b
Socratica Philoſophia manavit à Thalete ſectæ Ionicæ conditore, 299. b
Socratis felicitas, & in morte conſtantia, 57.b
Soldanus Babyloniæ tentorium Imperatori Friderico II. mittit, 154. b
Solidorum doctrina an ſit pars Geometriæ, 76. b
Solinus, qui Geographica ſua è Plinio excerpſit, librumque ſuum duobus modis inſcripſit, quando vixerit, 51. a. 57. b
ſolis motus, & magnitudo, 101.b
Solonis ſenis dictum, 38. a. leges mulctam pecuniariam literis ſignabant, 69. b
ſonus harmonicus Muſices ſit vel fractione aëris, vel aquæ, 17. b. prior vel ore ſit, quam dirigit Harmonice, 18. a. vel inſtrumentis, quæ varia ſunt, *ibid.* hoc modo dicitur quis *pſallere*, illo *canere*, *ibid.*
Sophiani tabulæ Græciæ longè vincuntur à Laurenbergianis, 52. b
Σοφιστικὴ, pars altera Dialectices, 228. b. quid agat, *ibid.* cur diſcatur, *ibid.* quidam hanc doctrinam ſuperfluam eſſe judicant, *ibid.*
Soranus Cilix, 257. a
Soranus Epheſius, medicus, *ibid.* Trajani & Adriani ætate floruit, *ibid.*
Soranus Epheſius junior, *γυναικείων* libros reliquit, *ibid.*
ſortes: ſortilegi, 278. b
Soſigenes Ægyptius Julium Cæſarem juvit in anno ad curſum Solis accommodando, 115. b
Soſipatra, Euſtachii conjux, egregiè erudita fuit, ac poſt mariti exceſſum liberos domi inſtituit, 35.b
Sotion Stoicus, 311. a. fuit etiam ſectæ Potamoniæ, 313. b
Spartani an probârint manûs demiſſionem in pammachio, atque eorum interdictum, 11. b. 12. a. amabant Muſicen, ſed veterem, & ſimplicem, 21. a. eorum tumor ſæpe damnoſus Reipublicæ, 8. a
Specularia Optices ſpecies, quæ Catoptrice dicitur, 96 a
ſpeculorum varia genera, 96. a. b. ſed ſpeculum parabolicum vehementiſſimè congregat ſolares radios, 95. a. eo uſus Archimedes, quando accendit naves Marcelli Syracuſas obſidentis, *ibid*
Speuſippus Platonis ſucceſſor, 302. a. fuit *φιλοχρήματος*, *ibid.*
ſphæra armillaris quid ſit, & cur ſic dicta, 107.b
ſphærometria, & empediometria, non ſunt diverſæ ſcientiæ, 76 b
ſphærica doctrina quæ, 107. b. & circa quid verſetur, *ibid.* priùs cognita fuit Græcis, quàm theoria planetarum, 109. a
ſphæriſterium ſeptima gymnaſii pars, in qua pilâ exercebantur, 5. b. 9. b
Sphærus Boſphoranus, Zenonis Citriei auditor, volumen de Eretriacis Philoſophis ſcripſit, 298. b
Σφαιριστικὴ ſaltatio quæ ſit, 8. a. omnes corporis partes exercet, 9. a. à Pytho inventa eſt, 9. b. cur à Mileſiis damnata ſit, *ibid.* nec inter ſacros agones fuerit, *ibid.* quanti eam fecerint Athenienſes, *ibid.*
Σφαιρομαχία quid Græcis, 9. a
Σφαιροποιητικὴ pars mechanices, 155. a. ejus partes, *ibid.*
ſpoliarium, *ἀποδυτήριον*, in quo exuebantur luctaturi, non eſt idem locus, ac coniſterium, ut exiſtimavit Perottus, 5. b.
Sporus Nicenus duas medias invenit, 175. b. ejus ætas incerta, *ibid.* Aratum interpretatus eſt, 184. a
Σταδιοδρόμοι qui dicti, 8. b
ſtare erectum vehementius exercitium eſt, quàm ſi quis deambulet, 12. a
ſtataria lucta quæ fuerit, 10. b
Statice quid ſit, 158. b. ab ea dependent omnia, quæ Mechanice tradit, *ibid.* puræne, an mixtæ Matheſios, pars ſit, 160. a. b. ejus diviſio ex Guldino, 159. a. b. ſumma utilitas, 160. a
Statius Papinius emendatus, & explicatus, 6. b
ſtatuæ à quibus primùm factæ, 21. b. 22. a
ſtatuaria utrum picturâ ſit præſtantior, 265. a
ſtatuariæ, & picturæ, affinitas, 24. b. ſumma vetuſtas, *ibid.*
ſtatuam ponere nulli ſub Cæſaribus licuit, niſi Principis conſenſu, 267. a
ſtatuarii quidam veteres inſignes recenſentur, 262. a
ſtatuas quis primus fabricaverit, 265. a. primi ex ære ſtatuam fuderunt Rhœcus Philæi filius & Theodorus Teleclis, *ibid.* non tantùm ex ære, ſed etiam ex auro & argento fiebant, 265. b. nec ex metallo ſemper, ſed etiam electro, ebore, ligno, lapide, *ibid.* harum antiquitas apud Italos, *ibid.* primùm poſitæ ſunt Diis, 266. a. deinde viris fortibus ac bene meritis de Republ. *ibid.* ut & Philoſophis, Medicis, auctoribus Olympiæ, &c. *ibid.* ſtatuæ equeſtres, 266. b. pedeſtres, *ibid.*
ſtellarum fixarum magnitudo, 101. b
Stephani de urbibus opus ab Hermolao Byzantio in compendium eſt contractum, 50 b
Stephanus emendatus, 184. a. Athenienſis philoſophus, explanationes edidit in Galeni librum priorem Therapeuticum, 260. a
Stilpo Megarenſis Euclidis auditor, 299. a
Stilponis Megarenſis dictum, 32. b
Stoica ſecta in aliquibus convenit cum religione Chriſtiana, 311. a
Stoici an liberales artes planè rejecerint, 34. a. rectè Matheſin Philoſophiæ miniſtram faciunt, 64. a. Philoſophiam moralem tantùm agnoſcunt, *ibid.* cur recentiores dicti, 214. b. quem in Logicis ſecuti, *ibid.* cur ſoli vulgo Dialectici dicerentur, 216. a. quomodo Dialecticam dividant, 218. b
Strabo Geographiam hiſtoricè, & mathematicè, ſcripſit, 143. b. 146. a. emendatus, 6. b. 112. b
Strabo Amaſenus, malè Franciſco Patricio Strato dictus, quæ, & quando, in Geographicis ſcripſerit, 50. b. 57. b
Στρατηγικὴ ſive Imperatoria, poſterior Politicæ pars quæ eſt de Re militari, an rejicienda, 273. b. de hac qui ſcripſerint, *ibid.* & 274. a
Strato, Corragi filius, valetudini à Gymnaſtice quæſivit remedium, ac uno die apud Olympiam luctâ, & Pancratio, pronunciatus eſt victor, 6. b
Strato Lampſacenus auditor Theophraſti, 307. b
Stratocles Sidonius medicus, 256. b. ſub Veſpaſiano vixit, *ibid.*
ſubalternatio vera ut ſit, quid requiratur, 85. a. vel propria eſt, vel impropria, 158. a
Suetonius de illuſtribus Grammaticis, & Rhetoribus, ſcripſit, 55. b
Suidas quos exſcripſerit, 44. b. quando vixerit, *ibid.* de Genealogiis egit, 54. b. diverſus eſt ab eo, cujus habemus lexicon, *ibid.* ob Aratea Julio Cæſari tributa reprehenſus, 118. b. emendatus, 97. a. 117. b. 184. a
Sulpicius Romano exercitui profuit, eò quòd Aſtrologiam ſciret, 102. b. 118. a
ſyllogiſmi diviſio in *κατηγορικὸν* & *ὑποθετικόν*, 214. a
ſyllogiſmus quomodo definiendus, 207. a
ſyllogiſmos hypotheticos quis invenerit, 214. a
Συμμετρία in Graphice maximè locum habet, & cum œconomia conjungenda eſt, 25. a
Synecdoche quid ſit, 48. a
Syromacedones numerabant ab initio Seleuci Nicanoris, 139. a
Syrianus Alexandrinus, 303. b

T.

T & S literæ ſæpe variis in linguis ſolent mutari, 75. b
tabulæ Geographicæ multum proſunt; atque obtinuere apud Græcos, & Romanos, 51. a. quæ omnium ſint antiquiſſimæ, 52. b. non proſunt tantùm intelligendis melius ſcriptoribus, ſed & peregrinantibus, *ibid.* iis uti debemus, quæ poſteriorum curâ prodeunt emendatiores, ac cum veteribus locorum nominibus conferre nova, *ibid.* & 53. a. quo ordine ex tractandæ ſint, 57. b
Tages Aruſpicinæ inventor, 278. a
tarantola, ſive phalangius, unde ſic dictus, 15. a. ejus morſus admodum noxius, *ibid.* naturam ejus fusè deſcribit Athanaſius Kircherus, 16. a
Tauri philoſophi querimonia, 65. a
Technices Grammatices objectum, 40. b. & ab aliis artibus differentia, *ibid.* primus eam in ordinem redegit Ariſtoteles, 41. a. docuit Epicurus, *ibid.* vel vulgaris eſt, quæ agit de Nominis genere, aut caſu patrio, &c. vel philoſophica, quæ accuratè omnia definit, omniumque adfert cauſſas, atque ut illa incipientibus prodeſt, ita hæc nocet, *ibid.* agit de lectione, vel de ſcriptione, *ibid.*
Telchines an primi compoſuerint ſtatuas, 22. a. primi Rhodi habitatores, 109. b. Neptunum educârunt, *ibid.* ac de iis fabula, *ibid.* quæ magis ad naturæ opera, quàm ad hiſtoriam, pertinet, 110. a
Telecles Lacydæ ſucceſſor, 302. b
Telephanes Sicyonius pictor primus intus lineas ſpargere cœpit, ſine ullo etiamnum colore, 22. a. quando vixerit, 26. a
Τελεσίας ſaltationis bellicæ genus, 9. a
tempus pro modo conſiderandi ad varias pertinet diſciplinas, 136. a. nihil eſt eo præſtantius, *ibid.*
Terentianus Maurus de arte Metrica ſcripſit, 84. b
Terentius explicatus, 16. b. 33. b. noctu dieque adoleſcentiæ terendus eſt, 46. a
Terpander ab Ephoris mulctatus eſt, quòd chordam unam in cithara intendiſſet citra neceſſitatem, 20. a. 21. a
terram moveri, qui antiqui, qui recentiores, docuerint, 111. b
Tetraëteris Græcorum à quo emendata, 112. a
Thaddæus Hagecius ab Haic de ſtella anni 1574. ſcripſit, 191. b

Thales in Aratum commentatus eſt, 114. a
Thales Mileſius Geometriam, ac Aſtrologiam, ex Ægypto in Græciam tranſtulit, 75. b. 110. a. invenit trianguli æquilateri inſcriptionem in circulo, 63. b. quid fecerit, cùm vidiſſet futuram anni fertilitatem, 102. b. quando natus, & mortuus, ſit, 110. b. ſectæ Ionicæ conditor, 288. a. rerum originem voluit eſſe aquam, 288. b. didicit forſan hoc ab Ægyptiis, illi à Moſe, *ibid.* quando mortuus, 289. a
Thaletis Mileſii querimonia de inverſo diſcendi artes liberales ordine, 22. b
Thamus Ægyptius cur noluerit literariam artem in regnum induci, 3. b
Thare, Abrahami Patriarchæ parens, fuit ἀγαλματοποιὸς, 22. a. Aſtrologiam à majoribus ſuis didicit, 105. b. cum Idololatris verſatus eſt, nec tamen Idololatra fuit, *ibid.* dicitur fuiſſe ſtatuarius, 265. a
Tharræus de proverbiis ſcripſit, 45. a
Thaumaturgice Mechanices pars, 154. a
Theætetus proverbia collegit, 45. a
Theætetus Athenienſis Geometriam docuit, 76. a
Theano, Pythagoræ uxor, 290. b. Brontini Crotoniatæ filia, ſub Pythagora philoſophiæ operam navavit, 34. b
Thebanorum contra pictores obſcena pingentes edictum, 23. b
Thebit, qui in Aſtrologia induxit motum trepidationis, quando vixerit, 123. a. duplicem motum octavæ ſphæræ tribuit, *ibid.*
Thebitus Ben Core receſſit à ſententiis Ptolomæi, 116. b
Themiſon Laodicenus Syrius, auditor Aſclepiadis Myrteani, 255. b. hic cùm præceptor novam condidiſſet ſectam, multa in ea innovavit, tertiamque ſectam fecit, *ibid.*
Themiſte, Leontii conjux, philoſophata eſt, ac ſcripſit ad eam Epicurus, 34. b
Themiſtius Interpres Ariſtotelis, 307. a. *Euphrades* cognominatus, *ibid.*
Themiſtocles habitus eſt indoctior, quia lyram recuſâſſet, 20. b
Theo de Gymnaſtice ſcripſit, 12. b. Arati Scholiaſtes, emendatus, 113. b
Theo Smyrnæus quæ, & quando, ſcripſerit in Arithmeticis, 71. b. an rectè ſingularum propoſitionum cauſſas diſcendas eſſe tradiderit, 76. b. Alexandriæ motus cœli obſervavit, 115. b. duo ejuſdem nominis, ac patriæ, fuiſſe videntur, 116. a. Platonis Aſtrologica expoſuit, 164. b
Theocriti Scholiaſtes emendatus, 45. a
Theodora femina philoſophiæ, & philologiæ gnara, 36. a
Theodorus, Ariſtippi τ̃ μητροδιδάκτου filius, primùm Ἄθεος, dein Θεὸς dictus, 34. b. 298. a. Theodoricæ ſectæ conditor, *ibid.*
Theodorus Cyrenæus excoluit Geometriam, 76. a
Theodorus Sophianus de Muſica ſcripſit, 180. b. ejus ætas incerta, *ibid.*
Theodorus Priſcianus, aliis Octavianus Horatianus, quando floruerit, 257. b
Theodoſius Junior an ſcripſerit notitiam utriuſque imperii, 51. b
Theodoſius Tripolites, qui non alius eſt à Theodoſio Bithyno, quæ ſcripſerit in Geometricis, 79. a. quando vixerit, 115. a. Sphæricorum libros ſcripſit, *ibid.* multa ei adduntur in textu Arabico, *ibid.* ſcripſit item de diebus, ac noctibus; ac duodecim Theodoſii propoſitiones de Habitationibus, 115. b
Theogerus de Muſica ſcripſit, 180. b. ejus ætas incerta, *ibid.*
Theologia gentium triplex, 268. a. naturalis, alia vera, alia falſa, *ibid.* rerum divinarum ſapientia, 278. b. hujus objectum, 279. b. fundamentum, *ibid.* partes duæ, *ibid.*
Theomedon medicus, quando claruerit, 254. a
Theon Samius pictor quando vixerit, 29. a
Theon Alexandrinus quando vixerit, 79. b. an demonſtrationes addiderit Euclidi, cujus novam adornâvit editionem, *ibid.* filiam doctam habuit, cui nomen erat Hypatiæ, *ibid.* ejus commentaria in μεγάλην σύνταξιν Ptolomæi, 116. a. 117. a
Theon Alexandrinus, medicus: quando floruerit, 256. b
Theophanes de pictura ſcripſit, 29. b. 30. a
Theophila, Canii uxor, ob eruditionem laudata, 34. b
Theophilus Alexandrinus cyclum paſchalem ſcripſit, 138. b. ejus ætas, *ibid.*
Theophilus medicus Græcè de Corporis humani fabricâ ſcripſit, 260. a
Theophraſtus, Ariſtotelis diſcipulus, de proverbiis ſcripſit, 45. a. de Muſica, 89. b. 180. a. Aſtrologia, 113. b. Arithmetice, 168. b. Geometria, 174. a
Theophraſtus Pierites nonam chordam lyræ addidit, 89. a
Theophraſtus Paracelſus quando claruerit, 254. a. hujus ſcripta, *ibid.* moriens naturam accuſavit, quod cervis & corvis vitam longævam dediſſet, non item hominibus, *ibid.* reliqua vide in *Paracelſo.*
Theophraſtus Ereſius diſcipulus & ſucceſſor Ariſtotelis, 307. a. prius *Tyrtamus*, deinde ob divinam facundiam *Theophraſtus* vocatus, 307. b. ad hujus ἀκροάσεις circiter bis mille confluebant auditores, *ibid.* in nonnullis diſſenſit ab Ariſtotele, *ibid.*
Theſeus primus luctæ addidit artem παλαιστρικήν, 10. b. in ea vicit Cercyonem luctatorem inclytum, *ibid.* ludos Gymnicos in Iſthmo Corinthiaco inſtituit, *ibid.*
Theſſali Æolicâ Muſicâ, & cur, utebantur, 19. a
Theſſalus Hippocratis Coi filius, 253. b medicus magni nominis, *ibid.*
Theſſalus Trallianus medicus ſub Nerone floruit, 256. a. Themiſonis ſectam ſuam fecit, *ibid.* tanti faſtus evaſit, ut ſe ἰατρονίκην monumento inſcribi vellet, 256. b
Theudias Magnes Geometriam excoluit, 76. a
Theut Ægyptiis Geometriæ inventor, 75. b
Thius Mathematicus quando vixerit, 117. a. ſcripſit obſervationes motuum cœleſtium, *ibid.*
Thomas Aquinas, qui Logicen Matheſi præmittit, refellitur, 65. b
Thomas Candiſch quando adierit Magellanicam, 145. b
Thomas Digeſſæus ſcripſit de ſtella anni 1574. 192. a
Thomas Garzæus Aſtrologiam divinatricem impugnavit, 135 b
Thomas Linacer Procli ſphæram Latinè vertit, 188. a. ejus laus, *ibid.*
Thomas Lydiat quando ſcripſerit de variis annorum formis, 142. b
Thomas Oliverius reprehenſus, 65. b
Thraces inventores Sithyræ, 89. b. Philoſophiam ſuam hauſere à Zamolxi, qui Thrax fuit, 286. b
Thraſæas Pætus Stoicus, 311. a
Thraſyllus quando vixerit, & quid de Muſica ſcripſerit, 89. b. de Platonicæ & Pythagoricæ Philoſophiæ principiis ſcripſit, 301. b. 302. a
Thucydidis ἀ[illegible], [illegible] amor, erga literas, 38. a
Tiberius Cæſar veniam petiit, cùm Græco verbo utendum ipſi eſſet ob Latini ſermonis egeſtatem, 43. a
T. Pomponius Atticus Genealogias ſcripſit, 54. b
tibia animos accendit, 20. b. quando eam in honore, quando ſpretui habuerint Athenienſes, 20. b
tibicinum ars apud Græcos mirè commendabatur, 18. a
Timagoras Chalcidenſis, qui Pythiis à Panæo in certamine victus eſt, quando vixerit, 26. b
Timanthes pictor quando vixerit, 27. b. ejus Iphigenia, & cyclops dormiens, *ibid.* Parrhaſium in certamine vicit, *ibid.*
Timo Phliaſius, ſectæ Pyrrhoniæ Philoſophus, 312. a
Timochares Calippi Cyziceni æqualis, 113. b. quid primus deprehenderit, *ibid.*
Timotheus cantu ſuo Alexandrum M. ad arma concitabat, 19. b. cur in judicium ſit vocatus, *ibid.* & 21. a. in Aratum commentatus eſt, 114. a
Timotheus Mileſius undecimam chordam lyræ addidit, 89. a. an, & quando, de Muſica ſcripſerit, 179. b
T. Pomponius Atticus ſcripſit icones præſtantium virorum, 30. b
Tobias Marmorarius quotannis prognoſtica elaborabat, 190. a
tollo à tolo, quod à τελῶ, derivatur, 166. b
tonos in pictura quid, 22. a
Topica pinguiori Minervâ ab Ariſtotele ſcripta, 227. b. in ea qui ſcripſerint, *ibid.*
Topographia quid, 243. b. ſub Geographia continetur, 49. b
Toſorthros, tertiæ dynaſtiæ quæ Memphitarum erat, apud Ægyptios, rex ſecundus, 252. a. ob medicinæ peritiam Æſculapius putatus, *ibid.*
Trajanus Imperator Tactica ſcripſit, 163. a
Trebonianus Juriſconſultus, 275. a
Trechindus Arabs Aſtrologus, 187. b
tria ſunt, quæ quiete vigorem accipiunt, curas graves ſedant, 14 a. b
trianguli æquilateri inſcriptionem in circulo invenit Thales Mileſius, 63. b
Tribonianus Sidetes quæ, & quando, in Aſtrologicis ſcripſerit, 184. a
trigonalis pila quæ ſit, 7. a. 9. b
Triſpaſtus ab Archimede inventus, 157. a
Trithemius ſcripſit vitas illuſtrium Eccleſiæ virorum, 56. a
Troglodytæ inventores Sithyræ, 89. b
tropi ſæpè variant ſignificationes verborum, 47. b. eoque ad Grammaticum ſpectant, *ibid.*
Tryphon ſcripſit de ὀρθογραφίᾳ, 41. b
Tubero Stoicus, 311. a
tubi dioptrici utilitas, 94. b
Tullius Tyro docet rationem ſcribendi per notas, 42. a
Turpilius lævâ manu pinxit, 30. a
Tycho Brahe quibus potiſſimùm inſtrumentis uſus fuerit in ſuis obſervationibus, 107. b. 108. a. libros Aſtronomiæ inſtauravit, 127. b. ſcripſit de ſtella anni 1574. 192. a. ubi natus ſit, 127. b
Tzetzes emendatus, 8. a. 24. a

V.

VAlens, nobilis Mathematicus, Conſtantino M. prædicebat fatum novæ urbis, 131. b. idem videtur, qui Vettius Valens, *ibid.*
Valens medicus, 256. a. adulterio Meſſalinæ notior redditus, *ibid.*
Valentinus Otho quid in Matheſi præſtiterit, 82. a
Valerii Maximi de Euclidis Mathematici ætate error, 77. a. idem emendatus, *ibid.*
Valerius Meſſalla de Romanis familiis ſcripſit, 54. b. ſed ejus non eſt liber de progenie Auguſti Cæſaris, *ibid.*
Valerius Probus per ſiglas exarare docet, 42. a
Vannocius Biringucius Pyrotechniam quando ſcripſerit, 164. b
Vari conjux literas didicit, 35. a
Varinus Phavorinus lexicon ſcripſit, 44. b. ejus

ejus laus, *ibid.*
Varro emendatus, 43. a. cur in origine vocum explicandâ tam fœdè erret, 44. a. primus Latinorum ſcripſit de Geometria, 80. a. de Arithmetica, 72. a. Aſtrologia, 118. b. Muſica, 180. b
Varro Stoicus, 311. a
Vaſta inſula à Carthaginenſibus inventa quæ fuerit, 145. a. b
Ubbo Emmius Chronologiam, & Genealogiam, reliquit, 55. a. 57. b. quando Chronologica ſua ediderit, 142. b
vectatio multum corpori conducit, 12. a. fit vel in aquis, quæ navigatio dicitur, *ibid.* vel in terra, tum ab animato, quæ eſt equitatio, *ibid.* tum ab inanimo, quæ propriè geſtatio dicitur, 12. b
Velius Longus ſcripſit de ὀρθογραφίᾳ, 41. b
velocitas an ſignum ignaviæ ſit, 8. a. b. utilis eſt in bello, cùm ut fugiamus, tum ut inſequamur hoſtem, *ibid.*
venatio, 244. b multum habet prudentiæ & fortitudinis militaris, *ibid* & 245. a. eſt vel terreſtris, vel aëria, vel aquatica, *ibid.* præparat ad militiam, & cur probanda ſit, 12. a
venus, lunæ inſtar, creſcit, & decreſcit, 95. a
verba rerum ſunt ſymbola; ac per ea harum conſequimur peritiam, 42. a. neglectâ propriâ eorum ſignificatione res intelligi non poteſt, 42. b. multas controverſias in omni ſtudiorum genere tollet, qui eorum novit proprietatem, *ibid.* quam noſſe non utile modò, ſed & decorum eſt, *ibid.* vel propria unicuique linguæ ſunt, vel peregrina; illaque tum nativæ, tum tralatitiæ, ſignificationis, 43. a. aliæ eorum diviſiones, *ibid.* ex eorum origine proprietas vocabuli ſæpe meliùs cognoſcitur, 43. b. unde ad naturam rei faciliùs, ac certiùs, devenitur, *ibid.* origo verò interdum ex alienâ arceſſitur lingua, interdum ex propria, *ibid.* cur Græci Grammatici, & Varro, in origine vocum explicandâ tam fœdè errent, 44. a. eorum doctrina olim priùs ex poëtis addiſcebatur; hodie incipiendum ab iis, qui proſâ ſcripſerunt, 46. a. b.
Verrius Flaccus, nepotum Auguſti magiſter, de Ortographia, & de verborum ſignificatione ſcripſit, ſed à Feſto in compendium redactus eſt, ac ſæpe depravatus, 41. b. 44. a
Vertranius Maurus multa Varronis opera in vita ejus omiſit, 72. a
Veſtius Valens Apoteleſmatica ſcripſit, 132. a. non Veſtio, ſed Veltius, ei nomen fuit, *ibid.* ejus patria, *ibid.* ἀνθολογία, *ibid* *vide* Valens.
veteres quomodo navigarint, 157. b
via lactea in cœlo quid ſit, 94. b. 95. a
Vibius Sequeſter, malè Equeſter nonnullis dictus, quid, & quando, in Geographicis ſcripſerit, 51. a. 147. a
Victor Tunnunenſis quouſque B. Hieronymum continuârit, 54. a
Victor Capuanus de cyclo paſchali ſcripſit, 139. b. ejus ætas, *ibid.*
Victorinus Aquitanicus, rectiùs Victorius dictus, Calendarium correxit, 139. a. ejus ætas, *ibid.*
Victorinus Strigelius quando Arithmeticam ſuam ediderit, 171. b. 190. a
Vignola Perſpectivam Italicè ſcripſit, 98. b
Vincentius Bellovacenſis de Muſica ſcripſit, 181. b
Vincentius Galilæus de nova, & antiqua, Muſica ſcripſit, 93. b
Vindicianus medicus ſub Valentiniano floruit, 258. b
Virgilius vitam extremam Epicureæ Philoſophiæ deſtinavit, 297. b
virtus movens, quò longiùs abeſt à centro, eò eſt fortior, 157. b
viſus auditum, tactum, & cæteros ſenſus, ſuperat, 94. b. ejus objecta, 93. b
Vitello Optica ſcripſit, 97. b. ex quibus ſua hauſerit, 98. a. ejus ætas, *ibid*
Vitruvius explicatus, 156. a. 162. a. 112. a. quando claruerit, 274. a. *vide* Marcus Vitruvius.
umbra in pictura quid præſtet, & quid ad illam conducat, 23. b
unctio, quæ fiebat in gymnaſio, duplex erat, 5. b
unitas an ſit numerus, 67. b. Ariſtotelis, ac Rami, variantes circa id ſententiæ conciliantur, *ibid.* eſt poſitivum quid, *ibid.* reſolvitur in partes, ſed non ut numerus, *ibid.* ejus character apud Romanos, 70. a
vocabula ſæpe in qualibet arte comminiſci neceſſe eſt, 40. a. *vide* Verba.
voluntatis affectiones, quot, 208. b
Volutæ Dinoſtrati, Cononis, & Archimedis, 174. a
volutatoria lucta quæ fuerit, 10. b
Uranie Aſtrologiæ dicta inventrix, 104. a
Urbanus V, Guilielmi Griſaunti Filius, quomodo per gradus ad dignitatem Pontificalem pervenerit, 70. a
urbem primus Cecrops condidit, 263. b
Urbicius tactica ſcripſit; ediditque, quæ Trajanus, & Adrianus, de arte machinali tradiderant, 163. a
utrum à Logicis, an Phyſicis, vel Ethicis ſit inchoandum, 211. b
utrum notiones ſecundæ, quæ in Logicis fabricantur, ſint Logices inſtrumenta, 220. a

W.

WAlpurga, S. Winipaldi ſoror, quando ob eruditionem in precio fuerit, 36. a
Wilfridus quando de celebratione Paſchatis adverſus Quartadecimanos ſcripſerit, 195 a
Wilhelmus Schickhardus quantus in linguis orientalibus, in Matheſi, ac præcipuè Aſtrologia, fuerit, 130. b. ejus ætas, *ibid.*
Willibrordus R. F. Snellius quæ ediderit in Geometricis, 83. b. ejus epitaphium, 84. a. Aſtrologicis, 130. b. Mechanicis, 165. b. Geographicis, 202. b. ejus laus, 83. a
Wolfgangus Lazius quæ, & quando, in Geographicis ediderit, 249. b

X.

XEnocrates Chalcedonius, Speuſippi ſucceſſor, vir caſtiſſimis moribus, 302. a. reliquit libellum de morte, *ibid.*
Xenocrates medicus, 260. a. hujus Græcè exſtat liber de alimento ex aquatilibus, *ibid.*
Xenophanes Colophonius Eleaticæ Sectæ autor, 294. a. res quidem à Xenophone Colophonio, Eleaticæ verò nomen à diſcipulis ejus Parmenide & Zenone, Eleatis. *ibid.* ſtatuit mundos innumeros, *ibid.*
Xenophon primus vitas Philoſophorum ſcripſit, 55. b
Xenophon Socraticus arctè magiſtro ſuo adhæſit, 297. b
xyſtum nonus erat locus in gymnaſio, ubi Athletæ æſtate exercebantur, 5. b. Græci περιδρομίδας dixere, *ibid.*
xyſtus nonus locus in Gymnaſio, Latinis *porticus tecta*, in quo Athletæ hieme exercebantur, 5. b. aliis idem locus, ac palæſtra, fuiſſe exiſtimatur, *ibid.*

Z.

ZAhel Bebiz Arabs quæ in Aſtrologicis ſcripſerit, 187. b
Zamolxis & Pythagoras in μετεμψύχωσιν convenere, 286. b
Zanzibar, Africæ meridionalis pars, veteribus fuit incognita, 144. b
Zeazar Babylonius de Aſtrologia ſcripſit, 188. a
Zeël Bebiz, *vide* Zahel Bebiz.
Zeno in Aratum commentatus eſt, 114. a. princeps ſectæ Stoicæ, & Phœnicibus oriundus, 283. b. ſemper adverſabatur Arceſilæ, 309. b. hujus ſectæ origo & fons arceſſitur à Socrate, *ibid.* Stoici prius dicti *ſectatores Zenonii*, 309. a. his non convenire potuit cum Peripateticis, 309. b. horum opinio de Diis, *ibid.* & 310. a. fatali neceſſitate omnia fieri putabant, *ibid.*
Zeno Eleates ſectam ἐριστικὴν condidit, 215. a. Parmenidis diſcipulus, 294. b. plures ſtatuit mundos, *ibid.*
Zeno Sidonius Epicureus, Epicuri maledicentiam imitatus, Socratem *Atticum Scurram*; & Chryſippum *Choſippum* vocabat, 297. a
Zeno Κιτιεὺς, Stoicæ ſectæ conditor, quando claruerit, 214. b
Zeno Cyprius, quando floruerit, 257. b
Zenobia, Palmyrenorum Regina, quàm fuerit erudita, 35. b. ad Græcas literas magiſtrum habuit Dionyſium Longinum, *ibid.*
Zenobius, ſive Zenodotus, de Proverbiis ſcripſit, 45. a
Zethus Calviſius Chronologiam ſcripſit, 54. a
Zeuxis, Helenam Crotoniatis picturi, factum, 23. b. 27. a. quando vixerit, *ibid.* ejus picturæ mores non habent, *ibid.* opera ſua donare, quàm vendere, maluit, *ibid.* quem verſum Athletæ ſuo ſubſcripſerit, *ibid.* ejus æquales, *ibid.*
zodiaci obliquitatem alii Anaximandrum, Pythagoram alii, alii Oenopidem inveniſſe ajunt, 110. b. ſigna invenit Cleoſtratus, *ibid.*
zona ſæpe curſoribus impedimento eſt, & quando ſine ea currere cœperint, 8. a
Zoroaſter falſus ſcripſit de prædictionibus ex inſpectione ſtellarum, 188. a
Zoroaſter, Bactrianorum Rex, primus artium magicarum inventor, 105. b
Zoroaſtres, variæ de hujus nomine opiniones, 282. b

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by [illegible]

Digitized by Google